R.P. FRANCISCI

LABATÆ

SOCIETATIS IESV,

THESAVRVS MORALIS.

DVOBVS TOMIS

COMPREHENSVS.

THESAVRVS MORALIS
R.P. FRANCISCI
LABATÆ
SOCIETATIS IESV.

Ex Locis communibus, & Apparatu Concionum coaceruatus, & commodiore, quàm hactenus methodo, ad vsum Concionum digestus; reuocatis, quæ per IV. Tomos sparsæ fuerant, ad suas sedes & titulos propositionibus:

NOVIS COMMENTATIONIBVS AVCTVS,

ET SELECTIORIBVS SS. PATRVM SENTENTIIS,

PROFANORVM AVCTORVM MONITIS, ETHICIS CHARACTERIBVS, MORALIBVS PRONVNCIATIS LOCVPLETATVS:

Quibus accessit triplex Index, Titulorum, Locorum S. Scripturæ, & Materiarum pro Concionibus in Quadragesimam, Festa, & Dominicas totius anni.

OPERA ET LABORE

R.P. GVILIELMI STANIHVRSTI

EIVSDEM SOCIETATIS IESV.

TOMVS I.

ANTVERPIÆ,
Apud HIERONYMVM VERDVSSIVM, Via vulgò Cammerstrate dicta sub Leone aureo,

ANNO M. DC. LII.

Cum Priuilegio Cæsareo, & Regis Hispaniarum.

BJ
47
.L33
1652
RARE
OVERSIZE
f. 1

CRVCES VBIVIS OCCVRRVNT: NE CRVCIER, CRVCIER.

Qva fero cumq́; gradũ, crux omnibus obuia regnis
Incurſas oculos vis inimica meos.
Horridáque adſidui ceu tela minare doloris,
Et gemino ſæuis publicus orbe dolor.
Sidera ſuſpexi? quadris lux ardet in aſtris,
Quadrifido ſcindit limite mundus iter.
Alta crucem paſsis præpes diſtendis in alis
Nimboſas quoties depluit æthra cruces.
Et triſti quoties crux ſignat in omine clades.
Piſcis & in pinnâ ſæpe natante natat.
Implicat antennas rẽto crux ardua malo,
Crux obliqua rudens, ancoráque, ipſa mari eſt.
Ne queat ipſa queri crucis omen abeſſe decoris
Arbor ouans ramis, arbore ſpẽcto crucem.
Par Dryadum quadras imitatur & herba figuras,
Explicat obliquum brachia parua latus.
Quin & homo crux iſte pares hinc inde lacertos
Si diſtendat, erit crux, & in ore ſedet.
Oſsibus oſſa fibris crux illigat inclyta fibras,
Et digitus facili ſubſtruit arte crucem.
Tela crucem, pannusq́; crucem quadra ſtamina texunt,
Sæpe cruces quas non crux ſtruit alta domos.
Tigna trabem trãſuerſa, ſecatque feneſtra feneſtram,
Ardua crux turres, ardua templa tenet.
Crux armat gladios, quadris ſtant ſigna ſub haſtis:
Veliuolasque molæ ventilat ala cruces.
Immemori ſed pænè ſum crux excidit, opto
Exciderit nunquam, ſtat cruce nata ſalus.
O crux me cruciet! dubium, dolor, anne voluptas?
Gaudia de dulci nata dolore traham:
Crux leuat almagraues nimis ah quibus vrimur æſtus.
Mî tua crux Ieſu vulnus amoris erit.
Ne crucier, crucier tali cruce victor Auerni.
Ipſe cruces vincam quotquot Auernus alis.
O me ne crucier cruciet crucis ardor amantem.
Crux mihi cor cordi, vox morientis erit.
Ecce triumphalem promittit ad aſtra quadrigam.
Victor Amor fuluis crux cui temo rotis.
Ne crucier, crucier; quid adhuc precor auſpice voto
Ne crucier? crucio ſpe meliore metum.

OCLC# 6981444
2017 2011

PERILLVSTRI
A C
REVER.MO DOMINO
D. CAROLO
VANDEN
BOSCH
DEI ET APOST.
SEDIS GRATIA
NONO BRVGENSIVM
EPISCOPO
PERPETVO FLANDRIÆ
CANCELLARIO, &c.

MAGNVM magni Augustini oraculum est, *Animæ nihil fortius desiderat, quàm veritatem.* Et quid mirum? Eâ fortius est nihil: vti nec quid mortalibus magis expetendum. Hæc enim vti à sole Iustitiæ radius emicans, mentes pulchri studio illustrat, & voluntatem boni amore inflammat. Quapropter vt idem Augustinus recurrat, cuius hæc est: *Bonorum ingeniorum indoles est, in verbis non amare verba, sed veritatem.* Sed vndenam, quæso, cùm ea vbiuis deliteſcat, est euoluenda? *Trahitur de occultis,* inquit Iob. Nec est vt eam tam seriam, & seueram Diuam, è Democriti omnia ridentis puteo latentem hauriamus. Ex quo igitur fonte, vnde limpida veritatis vena emanat, noui riui sunt accersendi? & vbinam rimãdæ felici industria scatebræ? Eas, vbicumque hæc ima rimor, alibi nusquam inuenio, quàm in antiqua, & recẽtiori Magnorum, & eruditorum virorum sapientia, tot iam per sæcula, de manu ad manũ ad nos trãsmissa: in quorũ monumentis, non tam obscuris vestigijs adumbrata, quàm pulcherrimis lineamẽtis expressa veritatis imago relucet. Quapropter sapiens quæque respublica, vti Hebræa, Persica, Græca, Romana,

Tract. 26 in Ioan.

Iob 28.

in Bibliothecis colligendis princeps ſtudium collocauit. Nec id ſatis; etiã & ipſi Reges prudentiſsimi hunc theſaurũ, omni theſauro, & auro ſibi chariorem, erudita ambitione vndeuis ſibi comparare ſtuduerunt. An non Ptolomæus Philadelphus Lagi filius, Alexandriæ bibliothecam ſeptingentorum millium librorum, Demetrei Phalarei conſilio, & operâ inſtruxit, quæ bello Cæſariano deflagrauit? Romæ quoque celeberrima fuit Bibliotheca Vlpia à Traiano linteis libris adornata; vt alias complures ibidem ſilentio inuoluam. Quid quòd & Byzantij Bibliotheca centum millibus librorũ inſtructa fuerit, quæ ſub Zenone, incẽdio perijt? Ne eam, eiuſque fauillam attingam, quam Leo Iconomachus ibidem exuſit. Quòd ſi in cæca illa errorũ caligine Ethnici, ad impiæ ſuæ religionis ſuperſtitionem, ſeu pertinaciter propugnandam, ſeu feliciter propagandam, tot, tantoque quæſtu conquiſiuerint libros, iiſque conſeruandis erexerint Bibliothecas; quanto potiori iure iſtud par eſt facere illos, quorũ oculis, animiſque lux veritatis, non velut in crepuſculo dubia luce, ſed velut in meridie latè euibranti ſplendore affulget? Quandoquidem ad veritatis tutelam, liceat è libris delibare quidquid eſt in hiſtoriâ varium, in epigrammate acutum, in eloquentia ſublime, in philoſophia reconditum, in Iuriſprudentia eruditum, in Theologia diuinum. Non hoc ſanctos Orthodoxæ Eccleſiæ Patres fugiebat, qui tanquã ſtrenui, & ſelecti ſub Chriſti ſignis bellatores, vt feliciùs prælia Domini præliarentur, Bibliothecas, velut inſtructiſsima armamẽtaria, inſtituerunt, e quibus tela, & quaſi amentatas haſtas, depromerent, quas deinde totis lacertis, in perduelles Eccleſiæ hoſtes contorquerent, ac illorum dogmatũ propugnacula, fortiùs quàm Romani ſuis catapultis, vineis, aut arietibus, quaterent, deijcerent ac funditus delerent. Hinc pernicioſi cõfutati errores; hinc praua abolita dogmata; hinc exitiales profligati Hæreſiarchæ; hinc tot lectæ à ſacris illis Heroibus laureæ, ac manubiæ, tot erecta ad perennem ſæculorum omnium memoriam ab ijs trophæa. Quamobrem cùm iurati Chriſtianæ Reipublicæ hoſtes nõ neſcirent librorũ præſidijs tot edi ſtrages, tot ſibi infligi vulnera, tam facile euerti ſua caſtella, prima illis cura fuit, Bibliothecis faces inijcere, & libros in pyras conijcere; quaſi tum demum deiectas exiſtimarent Chriſtianorum machinas, ſi in cineres viderent redactas eorum

rum Bibliothecas. Tametsi maiori hoc ab illis præstitum est conatu, quàm successu. Ille veterum in coaceruandis libris seu ardor, seu labor adeo non deferbuit, vt potiùs magis excreuerit. Nec id modo Pontifex Maximus sua Bibliotheca Vaticana, sed & alij Præsules mytra, pedoque suspiciendi, eius exẽplo, quod Romæ & aspexerint, & suspexerint, paribus vestigijs imitantur. Enimverò quascũque per Belgiũ Bibliothecas oculis perlustro, illustriorem illa quã Tu Perill.is ac Reuer.me Domine publico bono, sed priuato ære, adornasti, alibi neutiquam deprehendo. Quid ni igitur Bibliothecæ tuæ spectatorem alloqui liceat verbis Sidonij Apollinaris? *Videre te crederes aut Grammaticales pluteos, aut Athenæi cuneos, aut armaria instructa bibliopolarum.* Illustre sanè monumentũ eruditæ, munificentiæ, iuxta ac religiosæ magnificẽtiæ. Ita vt qui in Bibliothecam tuam pedem inferunt, non tam in priuatũ vnius hominis musæum, quàm in publicam Musarum omniũ ædem, sese abdere videãtur. In hac tam locupleti Bibliotheca, tot inter armaria, ac loculamenta, si locum, esto vltimum, hic liber ære quidem meo expressus, tametsi marte non meo confectus, occupare possit, erit non tantùm ad cumulum, sed etiam præsidium. Hunc porrò librum velle exquisitis verbis commendare, esset operam perdere. Sic enim, sua recõdita quam complectitur, eruditione seipse commendat, vt omnis aliena commendatio sit magis superuacanea, quàm necessaria. Quocirca nullus dubito, quin pro sua quâ pollet prudentiâ, & pio quo ardet zelo, sibi subditos ad Christianã perfectionem promouẽdi, tantùm à te sit liber hic commendãdus, sacris præsertim qui ad populum dicunt oratoribus, quantùm cõmendari meretur liber, qui potest esse illis ad vsum, alijs ad fructum, omnibus ad salutem. Interim id mihi persuadeo, hoc opus, quod verè est pretium operæ, eo animo, quo illud repræsento, id est, beneuolo, prolixoque, à te acceptum iri. Lib. 11. epist. 9.

Perillustr. ac Reuerend.me D. Tua addictissimus
Cliens, & officiosissimus seruus,

HIERONYMVS VERDVSSEN
BIBLIOPOLA ANTVERP.

BENEVOLO LECTORI.

PRODIT denuo è latebris in lucem, vel potiùs redit à funere ad vitam, R. P. Franciscus Labatá, vir olim in Hispania de pluribus dicendo, bene; nunc vbique de Sacris oratoribus, scribendo, optimè meritus. Quia porrò hoc opus adeo est multiplex, varium, & copiosum, vt non tam è Bibliotheca liber vnus, quàm complurium librorum ipsa videatur esse bibliotheca, diu animi pendebam, quod ei nomen indirem: quem titulum præfigerem. Appellarem, Sacræ militiæ Panopliam? Rectè: hinc enim velut ex instructissimo armamentario, licet promere galeam salutis, loricam iustitiæ, scutum fidei, gladium verbi Dei, quibus Deo auctoratos milites indui, laureatus ille in Christi palæstra archistrategus Paulus exoptabat. Vocarem cœlestis conuiuij Triclinium? Appositè: quot enim sunt in hoc libro capita, totidem sunt velut selectissima fercula; quot in capitibus tituli, tot varij missus; quot in titulis sententiæ, totidem delicatissimæ cupediæ: quibus animus non tantùm nutritur, sed saginatur. Occurrebat & ille titulus quem bibliotheca suæ foribus, iussit decumanis characteribus inscribi Rex Ægypti Osimandua, Medica animi officina. Ex hoc enim libro hauriuntur salutaria collyria aduersus ignorantiam, panchrysta, antidota, alexipharmaca tuendæ virtuti, & prauis voluntatis affectibus depellendis. Sed placuit præ omnibus, (cuius desiderio capiuntur omnes) THESAVRVS. Optasses forsitan conspicuas oculis exponi, quæ in hoc Thesauro latent abditæ, opes & gazas? si quid apud classicos, ac neotericos scriptores subtiliter dictum, sententiosè prolatum, Symbolis, & apologis inuolutum, si quid ab oraculis responsum, à Principibus edictum, à legum latoribus sancitum, à sapientibus pronuntiatum, à SS Patribus conscriptum, à Diuinæ mentis interpretibus explicatum: illa omnia in vnum congesta cumulum, hic liber lectoribus suis obijcit. Quidquid arcani latet, vel in Stoa Zenonis, vel in porticu Chrysippi, vel in Academia Platonis, vel in lycæo Aristotelis, vel in Atheneo Minervæ, vel in Tusculano Ciceronis: ex hoc thesauro licet eruere. Hic delectat Ambrosius, pungit Hieronymus, tonat Chrysostomus, docet Augustinus, terret Basilius, mulcet Bernardus, instruit Gregorius, arguit Cyprianus. Et certè qui hunc librum non obiter sed pensiculatè euoluerit, & quæ complectitur, animo comprehenderit, cùm quæ per varios libros sunt sparsa, hoc sint collecta, omnia quodammodo nouisse censendus est. Si enim verum est illud Gregorij Nazianzeni Pronuntiatum: Præclarum est, mentem historiarum cognitione instructam, ac refertam habere. Historia enim conglobata quædam & coaceruata sapientia est, hominumque multorum mens in vnum collecta. Quasi dixerit ab historia sapientiæ aceruum, & summam, & quidquid homines de virtute, vel de Republica censuêre, rectaque eorum iudicia, ac sensa haberi. Hoc si sentiat de scientia, quæ ex solis historiarum monumentis hauriri potest: quid erit vbi quis librum vnum nactus fuerit, in quo aceruatim concurrunt, tum Sacræ, tum profanæ historiæ, & Philosophorum axiomata, & Oratorum pronuntiata, & naturæ oracula, & sapientum effata, & Ethicorum præcepta, & SS. Patrum

Ephes. 6. 17.

Epist. ad Nicobul.

Patrum dogmata Diuino afflatu infusa, qualia in hoc libro occurrent; nónne hunc meritò, qui tot, tantaque suggerit, dixeris esse conglobatam quandam, & coaceruatam sapientiam, hominumque multorum mentem in vnum collectam? In hoc igitur libro, velut in Schola, doctissimorum hominum vocibus continuò resonante, discere quilibet opportunè potest, quod, tum in propriam, tum in alienam vtilitatem, ac salutem queat deriuare. Hoc auctore, vel multos ad virtutem manuduces, vel non paucos è vitiorum seruitute manumittes. Vt autem Sacri oratores, dum è suggestu perorant, in promptu haberent argumentorum copiam, indicem contexui, variis, quæ pro temporis varietate per totius anni curriculum leguntur, Euangelijs, copiosè, distinctéque ad popularem intelligentiam exponendis, accommodatum. Deinde, quæ per quatuor tomos fuerant sparsa, in cumulum coëgi; quæ confusa, in ordinem redegi; quæ vaga, ad suas classes & patriam veluti sedem reuocaui. Denique, vt opus hoc esset non tantùm mutatum ab eo quod fuerat, sed aliud quàm fuerat, nouis subinde SS. Patrum sententijs illustraui: quæ hoc ad marginem signo („) exprimuntur; vt quæ à me sunt addita, ab alijs secernantur. Tu beneuole lector hunc tibi apertum Thesaurum perspicaci oculo inspice; Auctoris laborem suspice, & quam in illustrando eius labore, contuli operam, boni consule.

ELOGIVM
R. P. FRANCISCI LABATÆ.

FRANCISCVS LABATA, *natione Hispanus, patriâ Cæsaraugustanus, natus tamen ipse Monconij Oppido Aragoniæ, ingressus est in Societatem Salmanticæ die* XIV. *Nouembris, anno* MDLXVII. *penè puer; in eâ vitam ferè omnem habendis ad populum concionibus occupauit, ex quibus & laudem retulit eximiam, &, quod vnicè quærebat, fructum animarum. Rexit Collegia Montisregienſe, & Salmanticenſe, Domum etiam Professorum Vallisoletanam gubernauit, & Prouinciam Castellæ vice Præpositi Prouincialis. Vir fuit moribus sanctissimis, & candidissimæ mentis, tantæ innocentiæ, vt cùm ex se alios metiretur, planè sibi persuadere non posset ab vllo Sociorum regulam vllam infringi, cùm ipse fieri non posse crederet, vt vllam ipse violaret. Obijt ætate decrepitâ Vallisoleti die* XXVII. *Martij, anno salutis* MDCXXXI.

CENSVRA.

THESAVRVS hic *Moralis R.P. Francisci Labatæ Societatis Iesu, nouis commentationibus auctus operâ & labore R. P. Guilielmi Stanihurstij eiusdem Societatis*, nihil continet fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium. Luculentam verò succulentamque materiam ex S. Scriptura & Sanctis Patribus, aliisque Authoribus sacris & profanis, Verbi Dei præconibus suppeditat, ad pietatem sanctosque mores in auditoribus formandos, perutilem. Quare eundem luce publica dignissimum censui 26. Augusti. Anno 1651.

GVILIELMVS BOLOGNINO S. Th. L.
Canonic. & Lib. Censor Antuerpiæ.

INDEX

INDEX TITVLORVM TOMI PRIMI.

A

Abstinentia *continet.* 30 *Prop.* fol. 1
Acceptio personarum. 1 *Prop.* 36
Accusatio. 1 *Prop.* 36

Aduentus Christi, Vide *Incarnatio & Natiuitas Christi.*

Adulatio. 22 *Prop.* 37
Adulterium. 1 *Prop.* 45
Ægritudo. 5 *Prop.* 46
Affectus. 36 *Prop.* 48
Ambitio. 28 *Prop.* 64
Amicitia. 18 *Prop.* 84
Amor. 17 *Prop.* 90
Amor Dei. 37 *Prop.* 96
Amor Inimici. 60 *Prop.* 114
Amor proximi. 39 *Prop.* 172
Amor sui. 6 *Prop.* 197
S. Andreæ Laudes. 1. *Prop.* 199
Angelus. 9 *Prop.* 200
Anima. 6 *Prop.* 208
Apostolus. 7 *Prop.* 212
Arrogantia. 2 *Prop.* 214
Auaritia. 36 *Prop.* 215
Auditus. *Prop. vnica.* 227
Aula. 3 *Prop.* 227
Aurum. *Prop. vnica.* 230
Auxilium Dei. 18 *Prop.* 230

B

Baptisma. *Prop. vnica.* 235
Beatitudo *vide* gloria.
Bellum. 3 *Prop.* 236
S. Benedicti Laudes. *Prop. vnica.* 239
Beneficium. 8 *Prop.* 239
Beneuolentia. *Prop. vnica.* 240
Bona Spiritualia. 7 *Prop.* 241
Bona Temporalia. 42 *Prop.* 242

C

Caro. 17 *Prop.* 292
Cæcitas mentis. 11 *Prop.* 299
Castitas. 4 *Prop.* 308
Charitas. 15 *Prop.* 309
Christianus. 10 *Prop.* 314
Christus. 6 *Prop.* 320
Christi exemplar. 3 *Prop.* 324
Christi Incarnatio. 40 *Prop.* 328
Christi Natiuitas. 31 *Prop.* 354
Christi Circumcisio. 18 *Prop.* 374
De Iesu Christi nomine. 16 *Prop.* 384
Christi Epiphania. 6 *Prop.* 421
Christi Transfiguratio. *Prop. vnica.* 424
Christi Passio. 24 *Prop.* 424
Christi Crux. 27 *Prop.* 443
Christi Resurrectio. 20 *Prop.* 461
Christi Ascensio. 4 *Prop.* 473
Clementia. 2 *Prop.* 475
Cogitatio. 2 *Prop.* 475
Cognitio sui. 5 *Prop.* 476
Comœdia. 5 *Prop.* 482
Concionator. 6 *Prop.* 484
Concordia. *Prop. vnica.* 486
Confessarius. 2 *Prop.* 486
Confessio. 18 *Prop.* 487
Confidentia in Deum. 4 *Prop.* 502
Conscientia. 6 *Prop.* 503
Consilia Euangelica. 2 *Prop.* 506
Consilium. 7 *Prop.* 507
Consolatio Spiritualis. 3 *Prop.* 509
Consuetudo. 4 *Prop.* 511
Contemplatio. 2 *Prop.* 515
Contritio. 14 *Prop.* 515
Conuersio. 13 *Prop.* 521
Conuiuium. 3 *Prop.* 543
Cor. 2 *Prop.* 543
Cordis custodia. 2 *Prop.* 544
Correctio. 23 *Prop.* 548
Cultus Dei. 3 *Prop.* 559
Curiositas. 3 *Prop.* 560

D

Decimæ. 2 *Prop.* 561
Deliciæ. 32 *Prop.* 563
Desperatio. *Prop. vnica.* 579

Detractio.

Detractio. 25 Prop. 579
Desiderium. 3 Prop. 587
Deuotio. Prop. vnica. 589
Deus. 3 Prop. 589
Dei cognitio. 5 Prop. 591
Dei amor in nos. 2 Prop. 593
Dei bonitas. 2 Prop. 594
Dei liberalitas. Prop. vnica. 595
Dei misericordia. 7 Prop. 597
Dei excellentia. Prop. vnica. 618
Dei omnipotentia. Prop. vnica. 622
Dei prouidentia. 7 Prop. 622
Dei vnitas. Prop. vnica. 627
Diabolus. 10 Prop. 628
Dignitates mundi. 9 Prop. 631
Diuitiæ. 36 Prop. 635

E

EBrietas. 3 Prop. 661
Educatio. 19 Prop. 662
Electio. 10 Prop. 674
Eleëmosyna. 56 Prop. 680
Episcopus. 3 Prop. 724
Eucharistia. 28 Prop. 725
Eucharistiæ effectus. 26 Prop. 785
Eucharistiæ sumptio. 12 Prop. 810
Examen. 6 Prop. 836
Exemplum. 12 Prop. 898

F

FAma. 5 Prop. 844
Fames. Prop. vnica. 846
Familiares regis. 1 Prop. 847
Feruor spiritualis 6 Prop. 847
Festa Sanctorum. 7 Prop. 851
Fides. 19 Prop. 854
Filius. 3 Prop. 872
Fortitudo. 3 Prop. 872
Franciscus. Prop. vnica. 873
Fraus. 3 Prop. 874
Furtum. 2 Prop. 875

G

GAudium. 11 Prop. 876
Genus. 3 Prop. 885
Gloria. 23 Prop. 891
Gratia. 13 Prop. 922
Gratitudo seu gratiarum actio continet 21 Propositiones. 927
Gula. 10 Prop. 938

H

HErus. 7 Prop. 941
Homicidium. Prop. vnica. 944
Homo. 6 Prop. 944
Honor. 11 Prop. 953
Hospitalitas. Prop. vnica. 958
Humilitas. 34 Prop. 958
Hypocrisis. 10 Prop. 982

I

IActantia. 5 Prop. 990
Ieiunium. 14 Prop. 991
Infernus. 8 Prop. 996
Infirmitas. Prop. vnica. 1000
Ingratitudo. 5 Prop. 1001
Iniuria. 6 Prop. 1002
Inspiratio diuina. 2 Prop. 1004
Intellectus. 3 Prop. 1005
Intentio. 6 Prop. 1006.
Inuidia. 18 Prop. 1008
Ioan. Bapt. Laudes. 5 Prop. 1019
Ioan. Euangel. Laudes. Prop. vnica. 1035
Iosephi Christi custodis Laudes. Propositio vnica. 1046
Ira. 24 Prop. 1048
Iudex, Iustitiæ ministri. 1055
Iudicium finale. 43 Prop. 1068
Iudicium temerarium. 15 Prop. 1098
Iuramentum. 14 Prop. 1103
Iustus. 16 Prop. 1109
Iuuenis. Prop. vnica. 1118

L

LAcrymæ. 6 Prop. 1118
Laus. 10 Prop. 1123
Lectio. 2 Prop. 1127
Lex Dei. 26 Prop. 1127
Liberalitas. 2 Prop. 1141
Lingua. 9 Prop. 1141
Ludus. Prop. vnica. 1148
Lux Spiritualis. 2 Prop. 1148
Luxuria. 5 Prop. 1149
Luxus. Prop. vnica. 1150

FINIS INDICIS TOMI PRIMI.

SVMMA PRIVILEGII
CÆSAREI.

FERDINANDVS III. *diuinâ fauente Clementiâ, electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ &c. Rex: Archidux Austriæ; Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & VVirttembergæ, Comes Tyrolis. &c. Notum facimus tenore præsentium vniuersis, quòd quum Nobis noster, & Sacri Imperij fidelis dilectus* Hieronymus Verdussen, *humillimè exposuerit, quod* Thesaurum Moralem R. P. Francisci Labatæ auctum, & illustratum à Patre Guilielmo Stanihursto Societatis Iesu, *intra breue tempus bono publico per Dei gratiam in typum edituras sit. Demisse Nobis supplicando, vt ad eorum audaciam, qui fortè (vt aliàs factum) nudæ veritatis odio inimicam manum tali operi admouere præsumerent, reprimendam Priuilegio nostro speciali nè se inscio aut nolente quispiam eundem* Thesaurum Moralem *in quacumque littera, lingua, & forma in Sacro Romano Imperio & Regnis ac Prouincijs Nostris Hæreditarijs imprimere ausit, ipsi clementer succurrere dignaremur: Nos eiusdem precibus, vt quæ æquitate nitantur, benignè annuendum duxerimus, quemadmodum per præsentes annuimus, atque ideò omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis & aliis quibuscumque Librariam negociationem exercentibus firmiter inhibemus ac vetamus, nè quis prædictum* Thesaurum Moralem &c. *per decem annorum spacium à prima editionis die computandum, intra Sacri Romani Imperij, Regnorumque & Dominiorum Nostrorum hæreditariorum fines simili aut alio quouis typo, litterâ, linguâ, & formâ siue in toto siue in parte recudere, alio recudendum dare, vel alibi impressum vendere & distrahere, citra voluntatem & absque præscitu ipsius* Hieronymi Verdussen, *clam aut palam quouis modo præsumat: Si quis verò secus faciendo Priuilegium & interdictum hoc Nostrum Cæsareum spernere, negligere aut transgredi ausus fuerit, eum non modò huiusmodi libris perperam quippè recusis & adductis de facto priuandum, sed & pœna insuper decem marcarum auri puri Fisco Nostro Cæsareo fraudis vindici pendendâ, omni spe veniæ sublatâ decernimus mulctandum, vti latius patet in litteris datis* Viennæ 6. Martij Anno 1651.

Vt.

FERDINANDVS
Comes Cunerg.

Ad Mandatum Sac. Cæs.
Maiestatis proprium.

I. Walderode.

SVMMA PRIVILEGII
REGIS HISPANIARVM.

PHILIPPVS IV. Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus ac potentissimus Belgarum ac Burgundionum Princeps &c. diplomate suo sanxit nequis præter *Hieronymi Verdussij* voluntatem, *Thesaurum Moralem P. Francisci Labatæ cum additionibus R. P. Guilielmi Stanihursti Societatis Iesu*, vllo modo Imprimat, aut alibi terrarum impressum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemue habeat, qui secus faxit, Confiscatione Librorum & alia graui pœna mulctabitur, vti latius patet in Litteris datis Bruxellæ.

Signat

STEENHVYSE.

THESAVRVS MORALIS SEV LOCI COMMVNES AD CONCIONES.

A.

ABSTINENTIA.

1. *Propositio, De natura & qualitate Abstinentiæ.*
2. *Quàm sit rationi consentanea Abstinentia.*
3. *Quàm secundùm naturam sit Abstinentia.*
4. *Quàm excellens sit virtus Abstinentiæ.*
5. *Quàm grata sit Deo Abstinentia & Ieiunium.*
6. *Quantum valeat Abstinentia ad placandam iram Dei.*
7. *Ob Ieiunium & Abstinentiam remittit nobis Deus pœnas huius vitæ.*
8. *Quàm satisfactoria pro peccatis sit Abstinentia.*
9. *Quam meritoria gratiæ ac gloriæ sit Abstinentia.*
10. *Abstinentia & Ieiunium orationi impetratoriam amplius facit.*
11. *Quantum conducat Ieiunium & Abstinentia ad opera intellectus, sapientiam, meditationem, orationem &c.*
12. *Quantum Abstinentia castitatem iuuet.*
13. *Quantopere conducat Abstinentia ad carnem spiritui subijciendam.*
14. *Ieiunium ad vincendas tentationes conducit.*
15. *Ad superanda vitia conducit.*
16. *Abstinentia ad salutis & vitæ conseruationem iuuat.*
17. *Ieiunium & Abstinentia ad virtutem conducit: gula verò vitiorum radix est.*
18. *Abstinentia ad valetudinem conducit: gula morbos parit.*
19. *Quam perniciosus sit nimius cibus.*
20. *Quæ moderatio in Abstinentia & Ieiunio seruanda sit.*
21. *Quam moderatè sit sumendus cibus.*
22. *In diebus Ieiunij à ciborum delicijs abstinendum.*
23. *Abstinentia & Ieiunium sumptus moderantur.*
24. *Per Abstinentiam & Ieiunium tempus lucramur.*
25. *Abstinentia non solùm salubres, sed sapidos reddit cibos.*
26. *Abstinentia maximè temporibus nostris expediens est.*
27. *Ieiunandum cùm præcipitur, quia Dei præceptum est.*
28. *Abstinentiæ ciborum addenda est Abstinentia peccatorum.*
29. *Ieiunantem à vana gloria cauere oportet.*
30. *De laudibus & dictis Sanctorum circa virtutem Abstinentiæ & Ieiunium.*

PROPOSITIO I.

De natura & qualitate virtutis Abstinentiæ.

D. Tho. 2.2. qua. 146 ar. 1.

ABSTINENTIA, auctore D. Thoma, *est subtractio ciborum ratione regulata*: est enim moderatio quædam tam in cibo, quàm in potu: eiusmodi tamen, vt tantum cibi potusq; sumatur, quantum ad sustentandam vitam sit necessarium, præterea nihil. Quam moderationem sacræ literæ docent atque præcipiunt, vt cætera omnia, quæ ad rectos hominum mores honestamque pertinent vitam.

Eccles. 31. 19. I. Ecclesiasticus enim ita præcipit huiusce virtutis vsum: *Vtere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur, & non, cum manduces multum, odio habearis*; quasi dicat, eam cibis regulam esse tenendam atque seruandam, quam homo frugi ac temperatus tenet ac seruat, qui cibi sumptionem non appetitu, sed necessitate metitur: nam cùm quis plus cibi sumit, quàm sit necessarium, neque Deo, neque hominibus probatur; secus verò si in cibo capiendo modum adhibeat, ac teneat.

Labata tom. 1.

Diuus autem Paulus hoc ipsum magis explicat, cùm dicit: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Alimenta nobis præscribit Apostolus, quemadmodum iudices solent ijs, qui sunt ære alieno oppressi, neque habent, vnde debita soluant, quibus illi bonorum possessionem auferunt, eisque habita personarum ratione pecuniam certam assignant ad sumptus vitæ necessarios, vt ea parsimonia paulatim debitorum onere liberentur; ita nobis D. Paulus adimit affluentiam & copiam rerum fluxarum, & alimenta vitæ tantum reliquit. *Habentes*, inquiens, *alimenta*, quod id nimirum exigant nostra debita, & animorum necessitates, *Contenti*, inquit, præterea *simus*, non patientes aut tolerantes, vt ij, qui non inuiti, siue coacti, sed vltro ac sua sponte moderationem tam in cibo, quàm in vestitu, ac parsimoniam amplectuntur. 1. ad Tim. 6. 8.

Ezechieli Prophetæ præcipit Deus, vti se gerat vt homo quidam obsessus ab hostibus, & vt homini propter obsidionem fame compresso his verbis cibum præscribit: *Cibus tuus, quo vescetur, erit in pondere viginti stateres in die, & quasi sicinerittum comedes illud.* Glossa interlinearis hunc victum expendens, atque explicans: *Cibus*, inquit, *qui magis mortem prohibeat, quàm vires præbeat.* Quod erat sanè quam moderatissimum illi cibum præscribere, quo vitam sustentare vix posset, cibum videl. vncijs expensum: nam stater, vt Isidorus interpretatur, dimidiam vnciam significat. Itaque ad quotidianum victum panis illi vnciarum decem assignabatur. Neque verò solùm cibus, sed potus etiam parcissimus est eidem Prophetæ præscriptus. *Et aquam in mensura bibes, sextam partem hin*; sextam nimirum partem mensuræ cuiusdam Hebrææ, quæ appellabatur sextarius. Tantum igitur vtriusque rei præscribitur, quantum præbere solet ijs, qui obsidione aliqua tenentur oppressi. Vnde in hunc locum Lyranus dicit, nos hîc habere nostræ temperantiæ expressam quandam speciem, quâ vti debemus, dum spiritualium hostium obsidione tenemur constricti, dum viuimus in hac vita mortali periculorum ac miseriarum plena, in qua velut obsessi, & vehementer oppugnati nostræ salutis oppugnatoribus temperantiæ armis debemus acriter obsistere, quæ non minùs necessaria sunt nobis ad sustinendos atque adeò propulsandos impetus nostrorum hostium, quàm obsessis moderatio cibi ac potus ad obsidionem atque oppugnationem suorum hostium perferendam. Ezech. 4. 10. Isidorus Lib. 16. Eth. Vers. 13. II.

D. Augustinus ita de huiusmodi temperantia loquitur: *Sicut eger ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet quo accedere*, nequaquam scilicet in illis voluptatem appetens: quibus quidem verbis satis exprimitur qualis esse debeat temperantia Christiana, vt quemadmodum ægrotus necessitate coactus pharmaca potionesque sumit, & ea tantùm, quas ad recuperandam valetudinem intelligit esse necessarias; ita quisque nostrum existimare debet cibum esse medicinam quandam ad producendam vitam necessariam. Quapropter ex eo tantùm capessat, quantum necessitas postulet: quod verò superest id tum superuacaneum ducat, tum D. Augu. De conflictu vit. & vit.

etiam inutile sibi ac perniciosum.

Hugo de discalo monast.

Hugo: *In cibo hoc mihi mensura tenenda videtur, vt nec contra honestatem, nec supra necessitatem sumatur.*

Seneca Epist. 8.

Seneca: *Hanc ergo sanam & salubrem formam vitæ teneto, vt corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est. Durius tractandum est, ne animo malè pereat, cibus famem sedet, potio sitim extinguat, vestis frigus arceat, domus sit munimentum aduersus infesta corpori. Hanc vtrum cespes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil interest: scito te hominem tam benè culmo, quàm auro tegi. Contemne omnia, quæ superuacuus labor velut ornamentum ad decus ponit: cogita in te prætet animum nihil esse mirabile, cui magno nihil magnum est.*

Cato de senect.

Cato Maior: *Tantum cibi & potus adhibendum est, vt reficiantur vires, non opprimantur.*

Hæc itaque virtus abstinentiæ, est norma ac regula, qua & sancti viri & homines item sapientes vitam nostram metiuntur atque perpendunt, quam etiam secuti sunt ij, qui illustre nobis moderationis ac sanctitatis exemplum reliquerunt, vt eorum exemplo incitati ad omnem virtutis laudem adspiraremus: quorum exempla etsi innumerabilia in hoc virtutis genere sint, pauca tamen ex illis ad nostram vtilitatem & demissionem animi in præsenti perstringemus.

Exempli S. Ant.

D. Athanasius in vita magni illius Antonij, qui decus fuit & ornamentum Eremitarum, ita singularem eius abstinentiam prædicat. *Inedia, inquit & vigilarum in tantum patiens erat, vt crudelitatem viribus vincere, pernoctabat in oratione, sæpissimè edebat semel in die post Solu occasum, nonnunquam biduo triduoq; sic permanens, quarta demum die reficiebatur; sumebat verò panem & salem potumq; aquæ perparuum: de carnibus verò & vino melius tacere puto, quam dicere quicquam, quoniam neque apud plurimos monachorum huiusmodi esca habebantur in vsu. Sic Antonio impenetrabilia mentium & deserti interiora captanti introeuntes fratres vix magnis precibus extorserunt, vt oliuas, & legumen, & oleum quod post menses aliquot ministrabant, dignaretur accipere, & senili modicum laxaret etati.* Hæc Athanasius.

III.

Exempli S. Hilarion.

De diuo autem Hilarione ita scribit D. Hieronymus in eius vita: *Erat autem tunc annorum quindecim, &c. igitur sacco tantum membra coopertus, & pellicum habens Ependytem, quem illi B. Anton. dederat, lagumq; rusticum inter mare & paludem vasta & terribili solitudine fruebatur, quindecim tantùm caricas post Solu occasum comedens, à vicesimo primo anno vsque ad vicesimum septimum tribus annis dimidium lentis sextarium madefactum aqua frigida comedit, & alijs tribus panem aridum cum sale & aqua. Sed à vicesimo septimo vsque ad tricesimum herbis agrestibus & virgultorum quorundam radicibus crudis sustentatus est, à tricesimo autem primo vsque ad tricesimum quintum sex vncias hordeacei panis, & coctum modicè olus absque oleo habuit in cibo: sentiens autem caligare oculos suos, & totum corpus punicea quadam scabredine contrahi, ad superiorem victum oleum adiecit, & vsque ad sexagesimum vitæ suæ annum hoc continentia cucurrit gradu, nihil extrinsecus aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuslibet reigustans; inde cùm se videret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, à sexagesimo quarto anno vsque ad octuagesimum penè absti nuit incredibili mentis feruore, vt eo tempore quasi nouus accederet ad Domini seruitutem, quo cæteri remissius viuere solent. Fiebant autem ei de farina, & comminuto olere sorbitiuncula cibo & potu vix quinque vncias appendentes, & sic complens ordinem vitæ nunquam ante solis occasum, neque in diebus festis, neque in grauissima valetudine iciunium soluit.* Quod quàm singulare abstinentiæ exemplum sit, nemo est, qui non videat.

Exempli S. Pauli.

Idem Hieronym. in vita D. Pauli, primi Solitudinis incolæ, sic ait: *Cibum & vestimentum ei palma ferebat, à sextodecimo etatis suæ anno vsque ad sexagesimum palmæ fructibus vixit, deinde vsque ad centesimum decimum tertium, quo terris relictis migrauit ad cœlum, dimidiati panis fragmentum quotidie coruo alite deferente accepit, in aduentu Antonij integer allatus pro vtrisque, qui cùm comedissent ad fontem accedentes prono ore manibus cōcauis aquam hauriendo sitim expulerunt. Quod ne cui impossibile videatur, Iesum testor, & sanctos Angelos eius, in ea erem parte, qua iuxta Syriam Sarracenis iungitur, vidisse me monachos, de quibus vnus per triginta annos clausus hordeaceo pane & aqua lutulenta vixit: alter in cisterna veteri quinque caricis per singulos dies sustentabatur. Hæc incredibilia esse videbuntur ijs, qui non crediderint, quia omnia possibilia sunt credenti.*

Neque verò hoc solùm de Paulo, Antonio, & Hilarione narratur, sed de alijs etiam multis, vt de Scipione apud Arsenium, de Ethbino in quadam Hyberniæ sylua, de Abbate Stephano in monte Moreto, qui aqua & panc vitam sustentarunt, vt memoriæ proditum est à Palladio, & de Abbate quoque Pastumio, qui cùm panem & aquam solùm adhiberet ad victum, vtrumque mensura & pondere sibi præscribat, idque eo ipso faciebat, quod sibi ne panem quidem & aquam crederet, atque confideret, vt traditur in vitis Patrum. *Pallad.*

IV.

Ibidem de quodam monacho nomine Palemone qui in quadam Thebaidis solitudine cum Pacomio item monacho versabatur, inter alias vtriusque præclaras actiones, hoc illustre singularis abstinentiæ exemplum refertur, quod cùm Paschali quodam die Pacomio diceret Palemon, eo die licere atque adeò conuenire plus aliquanto cibi sumere, quàm solebant, ideoque coqueret ipse olus, idque oleo & sale ad vescendum condiret: vbi mensæ accubitum est, Palemon suspensus parum prætitit, ingemuit, & lachrymas fudit, & *Dominus*, inquit, *meus crucifixus scille & aceto potatus est, & ego oleum addam?* Pacomius autem hortabatur eum, vt sumeret, & illam olei lautitiam non tam sibi, quàm festi solennitati concederet, ille tantum effecit, vt nihil aliud vterque eo ipso die sumeret nisi solitum cibum panem scil. cum sale, & aquam frigidam. Vt consideremus nobiscum ipsi, quanta illi viri sanctissimi religione tenerentur, cùm ne Paschali quidem die herbas quasdam coctas cum oleo capiendas sibi esse arbitrarentur, & homines hisce diebus habenas laxant intemperantiæ, atque libidini, & omnibus quibus possunt, se dedunt epularum delitijs. *Vitæ Patrum.* *Exempli Palemonis.*

Multus sanè in huiusmodi disputatione essem, si proferre vellem ea omnia, quæ de admirabili Sanctorum abstinentia historiæ commemorant, quorum multi hominum frequentiam fugientes abdebant se in vastas solitudines, ibique nulla re alia vescebantur nisi herbis, & alijs rebus huiusce modi, quas sponte sua terra ipsa gignit ad pabulum animantium, ad quas pro potu aquam adiungebant, idque modicè, & rariùs etiam quàm possent, vt erubescant homines, qui ventri indulgent, & omnes corporis voluptates profequuntur.

Sed obijciet quispiam nimium hoc esse, quod tantopere commendamus abstinentiæ genus, neque temperantiæ cultum adeò debere esse seuerum, vt abstineat quis ab ijs rebus, quas Deus optimus maximus summa quadam beneficentia suppeditauit: nam si diuina liberalitas tot ciborum genera liberalissimè vnà cum cæteris rebus tribuit hominibus; cur homines abstinere debent ab illis? cur parcos etiam esse in ijs rebus fruendis, in quibus effundendis & copiosissimè ministrādis Deus extitit liberalissimus? quibus nam alijs Deus procreauit pisces, volucres, frúctus arborum, & animalia, quorum carnibus vescimur, nisi hominibus? quibus confecta sunt bellaria, & alia deliciarum genera nisi eisdem hominibus? quod si hæc & alia huiusmodi à natura genita, facta, dataque sunt à Deo ad humanum victum, atque vsum, cur igitur ab illis nos continere, & priuare huiusmodi rebus iubemur? Causas huiusce rei breuiter perstringam, quibus obiectio præsens facile diluetur. Primum quidem si rectè animaduerteris, cùm princeps quidam splendidum quoddam conuiuium parare cogitat ad suam magnificentiam atque amplitudinem ostendendam, vt rex olim Assuerus fecisse traditur, non tam habet rationem conuiuarum, vt quod eis sit satis solùm conquiratur, quàm fuæ amplitudinis atque magnificentiæ, quam decet magnam conquisitarum epularum varietatem mensæ apponere, ad conuiuarum verò moderationem ac temperantiam pertinet ex illis epulis non plus sumere, quàm quod ratio ipsa concedere videatur. *Obiectio.* V.

deatur. Ita planè Deus hanc rerum vniuersitatem condidit non solùm vt hominum rationibus prouideret, nam humana natura pauciſſimis, iſſque viliſſimis contenta eſt, ſed ad ſuam demonſtrandam immenſam potentiam, infinitamque liberalitatem; homines verò tanta magnificentia ac liberalitate vti debent moderatè, vt homines oportet ac decet. Altera ratio eſt ſimilis ei, quam Tertullianus reddit de cultu fœminarum. Nonne, inquit ille, ſapientes patresfamiliæ de induſtria quædam ſeruis ſuis offerunt atque permittunt, vt experiantur an qualiter permiſſis vtantur, ſi probè, ſi modeſtè, &c. ſic igitur Apoſtolus 1. Corinth. 10. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent, ſed*
1. Cor. 10 22. & 23. *non omnia ædificant*; ita Deus multa nobis largitus eſt, in quibus ipſe experiri voluit noſtram continentiam, moderationem, integritatem: ſed quamuis omnia nobis liceant, non tamen omnia expediunt.

Sed obijci præterea poſſet ad ea quæ dicta ſunt, hoc nimirum eſſe priuare naturam noſtram delicijs ſuis ac voluptatibus, eandemque cogere in copia & affluentia ciborum aliarumque rerum eſurire, fameque cruciari, quod durum eſt admodum atque difficilè; neque enim valenti cibus præſcribendus eſt vt ægroto, quod quidem eſt hominem efficere miſerabiliorem, quàm eum natura ipſa fecerit. Verùm ad hanc obiectionem tractatio ſequens reſpondebit.

PROPOSITIO II.

Quàm ſit conſentanea naturæ noſtræ abſtinentia ac temperantia.

NIſi rerum omnium opifex atque Auctor Deus cùm hominem finxit ex corpore & animo, virtutem ei, qua nutriretur & augeretur, finitam ac certis quibuſdam terminis circumſcriptam tribuiſſet, fortaſſis naturę humanæ non ita conueniens eſſet cibi potuſq; moderatio: ſed cùm vitalis calor & nutritiua po- VI.
tẽtia finitã habeant & terminatam virtutẽ, neque plus velint, quàm ferre poſſint, mirum non eſt, quod ad reficiendas corporis vires non ſibi poſcant niſi cibum moderatum. Si verò plus quàm concoqui poſſit, ſuppeditetur, tantum abeſt vt id ſalubre corpori ſit, vt ſit potiùs nociuum admodum ac pernicioſum, adeò vt ante tempus vita præripiatur, vt ipſa docet experientia: quod quàm verum ſit, & quàm paucis etiam maneat contenta natura, mox cognoſcetur. Quæ quamuis plus interdum efflagitet humana imbecillitate compulſa, id tamen eiuſmodi eſt, vt extra modum atque rationem non egrediatur, quo ita natura ſit ſatis, vt
Seneca. nihil aliud ad victum requirat: vnde Seneca epiſt. 21. *Venter præcepta non audit, poſcit, appellat, non eſt tamen moleſtus creditor, parto dimittitur, ſi modo das illi, quod debes, non quod potes.* Itaque vt aqua, quam terra poſcit ad eſſerendos fructus, non ea debet eſſe, qua eius virtus obruatur, qualis eſt nimia, ſed moderata, qua madeſiat, & temperatè ac modicè irrigetur, quæ vna terræ fœcunditatem, plantis verò hilaritatem affert: ita eodemque modo cibus, quem noſtra petit natura, non eſt is, quo vitalis calor opprimatur, ac repleatur ſtomachus, ſed modicus ac temperatus, qui ſatis eſſe videatur ad alendum corpus ac ſuſtentandum.

Seneca. Seneca epiſt. 4. *Parabile*, inquit, *& appoſitum eſt, quod natura deſiderat, ad ſuperuacanea ſudatur, ad manum eſt, quod ſatis eſt: nam ad tuendam & conſeruandam vitam ſatis nobis ſuperq; prouiſum eſt ab Auctore naturæ, qui ad victum neceſſaria ſuppeditauit ſine noſtro magno labore.* Quod ſi labores ſuſcipiuntur ac perferuntur ab hominibus, ſi curis ipſi ac ſolicitudinibus cruciantur, atque torquentur, non id quidem fit, vt illi ſibi comparent neceſſaria, ſed vt ſuperuacaneis abundent.

Ratio autem huiuſce eſt, quia prouida natura cunctis animantibus neceſſaria tribuit ad vitam, vt ſatis patet in piſcibus atque volucribus, cæteriſque animalibus, quæ neque ſerunt, neque colunt agros, vt vitam ſuſtentent, ſed natura ipſa cibum illis ſine eorum cura ac labore ſuppeditat: quod autem homini propter peccatum hæc pœna impoſita fuerit, vt ſui vultus ſudore panem ſibi compararet ad victum, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*: hoc idcirco dictum eſt à Deo, vt intelligeret homo ſibi laborandum ac deſudandum eſſe ſolum pro pane, non verò variarum conquiſitarumque epularum gratia, in quibus conſumptus labor, effuſuſque ſudor ſuperuacaneus planè videtur. Vnde idem Seneca epiſt. 17. *Facilè eſt*, inquit, *paſcere ventres benè inſtitutos, paruo fames conſtat, magno faſtidium; hoc videlicet* VII.
intemperatis, illud verò temperatis: nam, vt Plutarch. ait de *Plutarc.*
Poët. *Mali ideò viuunt vt edant ac bibant: boni verò cibum ſumunt ac potum, vt viuere poſſint.* Vnde profani homines adeò ſe cibis ingurgitant, vt diſrumpi velle videantur: ac probi homines in cibo ſolent eſſe moderatiſſimi, quia edunt ſolum, vt viuant, naturæque ſatisfaciant, quæ eſt quidem contenta pauciſſimis. Peracutè idem Plutarchus in conuiuio ſept. Sapien. Cibus, inquit, vt famis medicamentum ſumitur: ex quo ſequitur, vt quemadmodum ægrotus non plus ſumit ex medicina, quàm quod eſt neceſſariũ ad recipiendam amiſſam valetudinem; ita homo non plus cibi capiat, quàm quod ad explendam famem ſatis eſſe videatur, de quo etiam adhuc aliquid detrahendum eſſe Philoſophia præcipit Chriſtiana, & ex naturali præſcriptione parum etiã ad famem ſatiandam ſuppeteret, vt ſupra ex ſentẽtia Senecæ retulimus: Paruo fames conſtat, magno faſtidium.

Idem Seneca epiſt. 78. magis explicans hoc ipſum parum, quo natura contenta eſt: *Aqua*, inquit, *& panis naturæ ſatisfaciunt*; pane igitur & aqua contẽta eſt natura, tanquam eo, quod ſatis videtur ad victum, vt Sapiens ille ait naturæ lumine illuſtratus: ſi verò id vnus è Chriſtianis ſapientibus affirmaſſet, aut nimis ac religioſus habitus eſſet, aut certè quod ad illud idem affirmandum ductus eſſet ſuperiori aliqua ratione, cœleſtique conſilio, quod nimium aqua & panis naturæ ſufficiant: quod cùm quis exequitur, habetur quidem abſtinentiſſimus, & in vita ſeueriſſimus, atque adeo ſanctiſſimus, cùm tamen Philoſophus quidam, natura duce ac magiſtra, aſſeueret non plus ad vitam conſeruandam poſtulare naturam. Verùm hoc non ſolùm ita eſſe ex Sapientis cuiuſdam ſentẽtia, ſed ex diuinis etiam teſtimonijs planiùs liquidiuſque conſtabit.

Eccleſiaſtici 29. 28. *Initium vitæ hominũ aqua, & panis,* *Eccl. 29.*
& veſtimentum, & domus protegens turpitudinem. Initium 28.
dicit, & Græcè habetur ἀρχὴ, id eſt, *principium*, quaſi id, in quo præcipuè humana vita conſiſtit, in pane ſcilic. & aqua, hoc eſt, ad humanam vitam ſuſtentandam nihil eſt præter panem & aquam neceſſarium; reliquum verò eſt iudicandum ſuperuacaneum; vt plures habere domos quàm vnam ad habitãdum, plures veſtes quàm neceſſarias ad tegendum defendendumque corpus à temporis inclementia, & alia id genus multa.

Hoc autem, quod de huiuſmodi parſimonia dicimus, ipſa docet experientia: nam ipſo naſcentis mundi primordio, cùm amœniſſimum illum deliciarum hortum condidiſſet Deus, eumque varijs arborum generibus conſeuiſſet, ad alendos primos illos humani generis parentes, eorumque poſteros, primùm fructus arborum ad veſcendum, & ad bibendum aquam aſſignauit; deindè, illis è paradiſi ſedibus expulſis, conceſſum eſt non alia re niſi pomis, olere, & frugibus veſci, & frigidam bibere. Carnium verò & vini vſus ad Diluuij vſque tempora dilatus eſt, id eſt, poſt duo millia & ducentos quadraginta duos annos, quàm mundus conditus erat. Vnde ſi tot ſeculis harum rerum vſu carere potuit humanum genus, ſi nunc alicui earundem abſtinentia nimis difficilis videatur, gulæ, non rationi fauet. Poſt
hæc Noë primus vineam plantauit, & vinum bibit: ſed VIII.
qui primus etiam eius rei pœnam exoluit, ipſe fuit, propterea quòd inebriatus eſt, & iacens indecorè ſpectantibus ludibrio fuit. Deinde Iſraeliticus populus in deſerto per annos quadraginta alitur Manna, & aquâ potatur. Deſiderauit quidem carnes, non quidem quod neceſſariæ eſſent ad victum; ſed quod ipſi prauis mori-

bus essent, prauaque consuetudine ducti carnes efflagitarent; quapropter Deus vnà cum carnibus in eorum
Nu. 11.34. Psal. 77. 31. castra cladem intulit. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super illos.* Psal. 77. *& occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit.* In cuius nimietatis signum sepulchra eorum sepulchra concupiscentię sunt nuncupata, vt posteris notum esset huiusmodi carnium esus non necessitatis, sed concupiscentiæ caussa fuisse: propter necessaria enim nequaquam à Domino puniretur. Quapropter neque in veteri, neque in nouo Testamento hordeaceus panis despectus est. Sic enim Eliæus viginti panibus hordeaceis centum homines pauit. Et Eliæ subcineritius panis ab Angelo ministratur. In Euangelio autem quinque panibus hordeaceis
Ioan. 6. Luc. 6. 1. turbam quinque millium Dominus satiauit, Ioan. 6. Apostoli etiam ad esum proprium spicas vellebant, Luc. 6. 1. Pudeat igitur nos hoc panis genus vt nociuum respuere, quo & Prophetæ, & Apostoli, & cum Apostolis Christus Dominus vtebantur, & denique non à natura, sed à gula hæc nostra ciborum abundantia damnasse constat.

Quid autem dicendum est de ea viuendi ratione, quam Sancti olim, præsertim Monachi, & Anachoretæ Palestinæ, & Ægypti tenebant? qui cùm penè innumerabiles essent eorum plerique tam senes, quàm adolescentes, herbis crudis vescebantur, & aquam duntaxat adhibebant ad potum, & si quid aliud præterea sumebant, id erat sanè nihilo pretiosius aut delicatius: ac multi quidem ex illis aliquot traducebant dies sine eo quod quicquam gustarent: neque iccirco labefactabant naturam; quinimò commodiori valetudine vtebantur, diutiusque viuebant. At ne quis hoc temperantiæ & abstinentiæ genus vel miraculo potiùs tribuat, aut studio singularis cuiusdam religionis, quàm facultati naturæ, subiungendum erit, quod memoriæ proditum est de ijs, qui naturæ ductu atque impulsu ad abstinentiæ olim studium & cultum ferebantur.

IX. *Hieron.* D. Hierony. lib. 2. aduersus Iouinianum sic refert: *Sub Saturno primo aureo seculo, cùm humus funderet omnia, nullum carnes comedisse, sed vniuersos vixisse frugibus, & pomis, quæ sponte terra gignebat. Persas olim Xenophon in vita Cyri Persarum regis, polenta, & cardamo, & sale ac pane cibario eos asserit victitasse. Lacedæmoniorum frugalitatiu & Xenophon ipse, & Theophrastus, & omnes penè scriptores Græciæ testes sunt. Chæremon Stoicus, vir eloquentissimus, narrat de vita antiquorum Ægypti sacerdotum, ex eo tempore, quo cæpissent diuino cultui deseruire, carnibus & vino semper abstinuisse; pane rarò vescebantur, ne stomachum onerarent, olcum tantum in oleribus nouerant, verùm & ipsum parum. Quid loquar, inquit, de volatilibus, cùm ouum quoque pro carnibus victitauerint & lacte? quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebat colore mutato, bidui triduiq; inediam sustinebant. Præterea Eantes & Asclepiades tempore, quo Pygmalion in Oriente regnabat, scribunt esum carnium non fuisse. Eubulus quoque, qui historiam Mithræ multis voluminibus explicat, narrat apud Persas tria genera Magorum, quorum primos, qui sunt doctissimi & eloquentissimi, exceptis farina & olere, nihil amplius in cibo sumere. Apud Eleusinam etiam volucribus & piscibus, & quibusdam pomis abstinere solemne est. Bardesanus Babylonius in duo dogmata apud Indos Gymnosophistas diuidit, quorum alterum appellat Brachmanes, alterum Samaneos, qui tanta continentia sint, vt vel pomis arborum suxta Gangem fluuium, vel publico oryzæ vel farinæ alantur cibo. Euripides in Creta Iouis Prophetas non solum carnibus, sed & coctis cibis abstinuisse refert. Xenocrates philosophus de Triptolemi legibus apud Athenienses tria tantùm præcepta in templo Eleusinæ residere scribit; honorandos parentes, venerandos Deos, carnibus non vescendum. Orpheus in carmine suo esum carnium detestatur. Pythagoræ, Socratu, Antisthenis, & reliquorum frugalitatem referrem in confusionem nostram, nisi & longum esset, & propriꝰ operis indigeret.* Hæc D. Hieronymus ad eruditionem & modestiam nostram videtur scripsisse, vt facilè constet quàm sit consentanea naturæ abstinentia, quàm verò longè ab ea dissideat gula, & intemperantia. Sed iam cùm explicatum sit satis, cùm sit temperantia conueniens naturæ, de eius dignitate disputandum videtur.

Xenoph. in vit. Cyri.

PROPOSITIO III.

Quàm secundùm naturam sit abstinentia.

LAertius libro 2. refert Socratem dicentem: *Sapiens manducat & bibit vt viuat, stultus verò viuit vt manducet, & bibat.* Ita ille. Sapientis quidem est ordinare ad debitum finem debita media; finis autem cibi & potus est viuere; Vitæ autem finis, Deo seruire, & vitam consequi æternam. Laertius.

PROPOSITIO IV.

De nobilitate & excellentia virtutis abstinentiæ.

ITa virtus abiecta est apud plerosque hominum, vitium contrà ita amatum, tantoque in honore habitum, vt non modò anteponatur vitium virtuti, sed gula etiam & intemperantia in epulis atque conuiuijs habeatur magnificentia & amplitudo; moderatio verò nimia parcitas, atque adeò vilitas, angustiaque animi. Verùm vt intelligatur, quantus sit hominum error in tam praua peruersaque rerum æstimatione, supponendum est omnem dignitatem splendoremque vitæ in eo potissimùm consistere, vt cum animo rationis participe congruat, non autem cum corpore, quod animantibus eiusdem rationis expertibus simile est. Ex eo enim quòd rationis compotes simus, & animo fruamur immortali diuinarum mentium, quæ ab omni corporis concretione segregatæ sunt, excellentiam attingimus; ex eo verò quòd mortali corpore constamus, & animantium more sensibus ducimur, nostrisque appetitionibus obsequimur, brutorum animalium humilitatem & abiectionem imitamur. Quapropter in vsu earum rerum, quæ ad victum nobis necessariæ sunt, eo nobis ipsis inferiores simus, quo bestiæ & animantes inferiores sunt ipsis Angelis: nam vt belluæ cibum capessimus, eumdemque quæritamus, & vt illæ ad turpe horridumque præsepe accedunt, nos mensæ discumbimus, quæ quamuis lautissima ac nitidissima sit, esttamen instar cuiusdam præsepis aliquanto honestioris quàm illud, vbi belluis hordeum ad vescendum apponitur: vnde quamuis mensa præseferat nescio quid honestatis, negari tamen non potest, quin gerat vicem præsepis, cui accumbere quantum differt, quamque alienum sit ab animi natura & conditione, qui rerum contemplatione pascitur, nemo est qui non videat. Verùm hæc turpitudo & indignitas fugi non potest, dum corporis mortalitate premimur; potest tamen magna ex parte diminui, si temperatè viuamus, si Angelorum naturam æmulantes corporis pabulo quantum natura ferat neglecto, cœlestium rerum cognitionem & intelligentiam tanquam iucundissimum aptissimumque nostris animis pastum appetamus; qualis est sanè ille, quo diuinæ mentes pascuntur; inuisibilis nimirum & planè cœlestis, qui corporis oculis cerni non potest, vt Raphael Angelus dixit ad Tobiam, cùm ei se tandem indicaret: *Videbar*, inquit, *vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Sed quando vitari non potest hæc edendi necessitas, quod ex animo & corpore coagmentati simus, ita nos moderatos ac temperantes in cibo potuque præstemus, vt à nostra dignitate atque nobilitate minimè degenerare videamur. Quod quidem abstinentiæ virtute consequemur, cuius officium ac munus est, effrænatum edendi & bibendi appetitum coercere atque reprimere, ita vt cùm non sit opus, ei omnino cibum ac potum deneget; cùm verò corporis necessitas postulet, tunc illi tantum tribuat, quantum iudicet esse satis ad corporis onus sustinendum ac ferendum, dum in hac vita mortali versamur. Itaque sumendum est non quod appetitus quærit atque expetit, sed quod necessitas tantùm requirit. In quo temperantiæ ipsius præstantia excellentiaque cernitur. X.

Tob. 12. 9.

Matth.

XI. Matth. 22. cùm de feliciſſimo illo beatorum ſtatu Chriſtus Dominus verba faceret, & caſtitatis ibi excellentiam attingeret, qua omnes in cælo maximè floreb. bant, de iuſtis ita locutus eſt: *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicut angeli Dei in cælo.* Inter quos ſicut non ſunt nuptiæ, ita neque ibi erunt inter ipſos homines, vbi à mortuis exiterint; & glorioſi corpore & animo in cœlum euolauerint: hic enim eſt caſtitatis feliciſſimus ſtatus in illa vita immortali; in hac verò peritura caſtitas etiam, vt D. Ambr. ait, homines efficit diuinis mentibus ſimiles. *E cælo*, inquit, *accerſuit; quod imitaretur in terris.* Et quidem maior eſt quodammodo ſplendor caſtitatis in terris, quàm in cælo: nam quòd ibi caſtum ſe quis ſeruet atque integrum, angelicamque puritatem imitetur, quid mirum, cùm vitam iam viuat cœleſtem, ab omni impuritatis labe & contagione remotiſſimam? quòd autem in carne carnis motus contineat, carnis illecebras reſpuat, & ita caſtè pureque vitam traducat, vt nullum habeat cum carne commercium, hoc ſanè plurimi faciendum eſt: mirum enim minimè videri debet Angelum eſſe caſtum, purum atque integrum, quandoquidem talem eum eſſe conſtet ſuapte natura, quod videlicet omnino ſit carnis expers; ſed mortalem hominem carne circumdatum caſtum ſe præbere, ac neſcire contagia carnis, mirandum eſt maximè. Hoc autem, quod modo dictum eſt de caſtitatis maxima laude, dici etiam poteſt de temperantiæ virtute, quod quemadmodum in cœlo iuſti neque nubent, neque nubentur, ita neque edent neque bibent, ſed erunt in hac re ſicut Angeli Dei. Vnde D. Paulus: *Eſca*, inquit, *ventri, & venter eſcis; Deus autem hunc & has deſtruet*: quaſi diceret, Deum feciſſe cibum ad paſcendum ventrem, ventrem autem ad excipiendam eſcam & potum; huic tamen ordini, qui nunc inter ſtomachum cibumque cernitur, nullus eſt locus in cœlo, vbi non niſi diuinus cæleſtiſque cibus, ſpiritalis nimirum & incorruptus adminiſtratur, qualem cibum decet eſſe beatorum. Ex quo colligitur temperatos vt caſtos & puros imitari in hac vita in ſuo quemque genere naturam Angelorum, & quod pluris fit caſtitas in homine, quàm in Angelo, eò quòd ille potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; quod de Angelo prædicari non poteſt; ita etiam ſequitur eo pluris quoque faciendam eſſe temperantiam in homine mortali, atque adeò digniorem laude habendum eſſe temperatum & abſtinentem, quàm Angelum; quòd ſcilicet ille potuit non abſtinere, & abſtinuit; potuit indulgere ventri, & non indulſit, neque ſe dedit corporis voluptatibus, cùm tamen poſſet: quæ laus Angelo tribui nullo modo poteſt, propterea quòd eius natura non eſt capax huiuſmodi continentiæ.

Matt. 22. 30.

Hic locus Matt. ſic redditur Hiſpan. En el cielo no ay entre hõbres coſa de bodas y caſamientos, mas que entre angeles.

D. Ambr.

D. Paul. 1. Cor. 6. 13.

Theophil. Alexand. lib. 3. Chryſoſt. Homil. 1. de Ieiun. Quod autem temperati homines Angelorum naturam & conſuetudinem quodammodo imitentur in terris, Theophilus Alex. lib. 3. Paſchali illis verbis declarat: *Qui ieiunant, conuerſationem angelicam imitantur in terris.*

Athanaſ. de Virgin. Diuus item Chryſoſtomus homil. 1. de Ieiunio, *Ieiunium*, inquit, *Angelorum imitatio eſt.*

XII. Athanaſius etiam libro de Virginitate: *Ieiunium Angelorum cibus eſt, & qui eo vtitur, ordini angelici cenſendus eſt.*

Eccl. cap. 15. 3. Hinc exoritur illa Dei ad iuſtum per Eccleſiaſticum facta promiſſio: *Cibabit illum pane vitæ & intellectus, & aquæ ſapientiæ ſalutari potabit illum.* Pro cibo namque panem vitæ, pro potu aquam intelligentiæ Deus probo homini pioque tribuet, quòd nimirum velit eius victum eſſe omnino ſpiritalem. In qua quidem promiſſione nulla fit mentio earum rerum, quas ſolebat idem Deus promittere antiquo illi populo terreſtribus rebus dedito, ſi eius legem præceptaque ſeruaret: vt *Iſa. 1. 20.* per Iſaiam, *Si voluerit is, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Sed bona tantùm ſpiritualia hoc loco pollicetur pro cibo: quia iuſtos Dominus nobiliori quadam ratione tractat, eorumque dignitatem ac merita conſiderat, quapropter eis promittit ac tribuit res ipſorum ingenuitate dignas; hominibus verò humilibus & ad res caducas ac perituras tanquam pecudibus ad paſtum abiectis ac pronis terrena bona ſuppeditat. Exiſtimant homines voluptatibus dediti proborum pauperum miſeram eſſe infelicemque conditionem, quod ijs delicijs, epulis ac voluptatibus careant, quibus ipſi abundantiſſimè fruuntur. Quaſi verò felicitas & apud Deum gratia in eo poſita eſſet, neque animaduertunt miſeri bonos ali ac ſuſtentari à Deo præſtantiori atque excellẽtiori quodam cibo tanquam viros humana deſpicientes, diuinaque ſolum ſpectantes, quibus maieſtatis ſuæ tribuit cognitionem, eoſque ad ſpem erigit æternarum rerum, vt de fluxis atque labentibus nihil omnino curent: homines verò voluptuarios, natos abdomini ſuo, quales quidem ipſi ſunt, qui pauperum miſeriam ducunt, paſci tanquam pecudes quaſdam à Deo abundantiſſimo variarum deliciarum, ciborum ac voluptatum pabulo, quo ita pingueſcant, vt belluæ quædam opimæ eſſe videantur. In quo ita ſe gerit Deus cum illis, vt ipſi ſe gerunt cum ſuis equis, quos abundantiſſimè paſcunt, delicatiſſimeque tractant, vt cùm pingues & benè curata cute ſint, pulcherrimum ſui præbeant aſpectum. Sed longè tamen aliterſe Deus habet circa illos, quos Angelorum eſca nutrit atque alit; quippe qui Angelorum item virtutes ac mores in ſeipſis exprimunt, atque effingunt. Vtinam diuina lux aliqua oboriretur eorum oculis, qui cæci in epulis & in humanarum rerum affluentia ſitam arbitrantur eſſe felicitatem, vt diuino tandem lumine illuſtrati, ſuam miſeriam cognoſcerent, & erubeſcerent in ijs, de quibus antea gloriabantur, &, abiecta priori vita tanquam turpi, & hominum conditione indigna, ad alteram ſe meliorem honeſtioremque reciperent. Nabuchodonoſorem Babylonis Regem propter flagitia & ſcelera, quæ commiſerat, non ſolùm regno ſpoliatum ſuo, ſed rationis etiam vſu priuatum fuiſſe à Domino ſacræ Literæ teſtantur, qui inſtar quadrupedis cuiuſdam abiectus ad paſtum inter armenta boum aliarumque pecudum carpebat fœnum & herbas, quo ille pabulo aliquot annos alitus nutrituſque eſt, quoad Deus diuina ſua miſericordia commotus, illius humi proſtratam XIII. mentem illuminauit, vt indignitatem illam ſuam agnoſceret, & humanum ſenſum recuperaret, ac tandem illa belluina vita relicta ad rationis vſum regiamque dignitatem & amplitudinem reuerteretur; qui vbi ſe colligeret, & hinc ſe iam rationis compotem ac regem eſſe tenentem moderantemque omnia videret; illinc verò miſerum illum vitæ ſtatum, ad quem perduxerant eum peccata, ſecum ipſe conſideraret. Quid rogo huiuſmodi cogitatione ſentiret? quid diceret vtrumque vitæ genus perpendens? dubium non eſt, quin pudore ac rubore totus perfunderetur, quod tanquam bellua in campis degiſſet, & pratis cibum ex eis paſtumque more pecudis capeſſens: cui ſi Deus mentem ſenſumque reddidiſſet, dum velut bos pratulorum herbas tondebat, fœnumque ſectabatur, vbi ſe in terram ita depreſſum cerneret, ita proſtratum ad pabulum, adeò eum illius vitæ puderet, vt ſtatim illam repudiaret, & ab ipſo procul abijceret. Ita planè ſentiendum ac loquendum eſt de ijs, qui naturæ blandimenta voluptateſque corporis perſequuntur, quibus ſi Deus diuinam aliquam lucem obtuliſſet, quam mentis oculis aſpicerent, vt cognita cœleſtium rerum amplitudine, vbi eoſdem oculos referrent ad ea vitia, velut ad prata quædam, vnde ſuarum deliciarum paſtum petebant, non dubito quin vehementer erubeſcerent, atque adeò planè cognoſcerent hominis dignitatem non epulis aut corporis oblectationibus, ſed in cibo potuque ſpiritali, in pane ſcilicet intellectus, & aqua ſapientiæ conſiſtere, quo Deus optimus maximus alit in primis abſtinentiæ ac temperantiæ cultores: quorum ſimiles illos eſſe oporteret, ſi vellent & huiuſmodi ſpiritalem cibum ad victum, & temperantiæ laudem, ad bonam hominum exiſtimationem adipiſci.

Eccleſiaſtici 31. *Vtere quaſi homo frugi his, quæ tibi apponuntur,* *Eccl. 31. 19*

ponuntur, & non cùm manducauerit multum, odio habeatur. Vsa como hombre templado de lo que te ponen delante, y no comas, como dizen, mesa, y manteles, porque no vengas à parecer mal, y ser por ello aborrecido. In textu Græco non est illud vocabulum frugi, sed tantùm habetur, *Vtere quasi homo, quæ tibi apponuntur*: itaque alter textus habet, *Vtere quasi homo frugi*; alter verò, *Vtere quasi homo*, quia idem est planè vti quasi temperatum hominem ijs, quæ mensæ apponuntur, & eisdem tanquam hominem vti; vt idem etiam est vesci tanquam intemperatum hominem, & velut belluam & aliquam pecudem.

Vnde cùm Deus hominem procreauit in amœnissimo illo deliciarum loco, ei fructum arboris vitæ, quo veseretur, assignauit, aliarumque arborum suauissimos pariter fructus, fructuum cibum tenuem quidem atque subtilem, & aquam inde salientem atque manantem, quia hominem fecerat Deus ad vitam quandam altiorem, quàm hæc sunt humana, degendam, ad intelligendum & contemplandum; quapropter sapientiam homini, rerum cognitionem & intelligentiam idem infudit Deus, ingeniumque ad excogitandum, inueniendum, meditandumque tribuit, vt assiduis mentis exercitationibus se exerceret atque oblectaret, neque vlloterrestrium cpularum desiderioteneretur. Sed vt per peccatum degenerauit ab ea dignitate, in qua conditus formatusque fuerat, accidit ei, quod regius ille Vates cecinit: *Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Estando el hombre en cumbrado cayo de su estado por no saber entender se y asemejado a las bestias vino a parecer se a ellas.* Homo enim, quem Deus in altissimo dignitatis gradu collocauerat, cùm seipsum ignorans ad ea se amanda amplectendaque abijceret, quæ eius nobilitatem atque præstantiam maximè dedecerent, è statu virginitatis suæ deiectus, in quo vt Angelus humana indutus carne viuebat, conuersus est quodammodo in belluam, adeò vt eius immanitatem in humana forma feritatemque referat. Quod maximè dolendum esset, quantumuis nostram miseriam atque ruinam humana imbecillitas & indigentia excusset. Exempli gratia, si fortè Princeps quidam, quod interdum accidit, in bellooliquo caperetur, in captiuitatemque ductus, non vt Princeps liberaliter tractaretur, sed, vt seruus quidam humilis & abiectus, eique à domino equorum cura traderetur, quoties ad abstergendos equos strigileculam vel linteum in manibus sumeret, aut cribrum ad purgandam paleam, & hordeum, quo illos pasceret; quos rogo gemitus ac suspiria ederet? quas lachrymas funderet, dum suæ dignitatis, generis, & amplitudinis amissæ recordaretur, & præsentem consideraret indignitatem, abiectumque munus, quod excerceret tanquam vile mancipium? dum se cerneret inter pecudes in quodam stabulo horrido ac fœdo, qui antè se viderat in solio stragula veste ornato, asseclis circundatum suis inter pretiosa peristromata collocatum: Sic igitur, nos, qui principes huius vniuersitatis facti sumus à Deo, in maximo honore constituti, præpositi rebus humanis, cùm pristinam illam felicitatem in has miserias redactam esse cernamus, vt nimirum prospiciamus corporis commodis, eiusque mortalem vitam ab omni incommodo defendamus, ingemiscere sanè atque erubescere deberemus, quod in curando ac tuendo mortali corpore occupati, atque adeò distenti teneremur. Quod si huiusmodi cura circa tutelam corporis atque custodiam videtur indigna ingenuo homine & ad cœlestia nato; quanto indignior erit indulgentia eiusdem corporis & obsequium? cui ita plerique hominum dediti sunt, vt id molliter tractandum, delicatéque nutriendum, cibos ac delicias vndique conquirant, ita vt ad id tantùm nati esse videantur.

XIV.

Psal. 48. 13.

Exod. 16. XV. Exodi 16. Cùm Deus Israeliticum populum ab Ægyptiorum seruitute liberatum ad terram illam promissam, lac & mel manantem eduxit, noluit eum per loca Philistinorum, vbi erat magna frequentia oppidorum & vrbium, & qua patebat breuior via, traducere; sed per vastam Sinæ solitudinem, & alia loca deserta: causam verò si quæras, ea fuit, vt duplici miraculo ad suppeditandum illi cibum & potum edito significaret Deus, quemadmodum se gerere deberet ille populus in libertatem assertus, dum per vastitatem illam ad terram sibi destinatam incitato studio inflammatoque contenderet, vt manna videlicet diuinitus sibi dato pro cibo omnem suauitatem habente & aqua dulcissima educta de saxo durissimo sibi itidem suppeditata pro potu contentus esset, neque cùm talem tamque abundantem haberet commeatum ad victum, aut celebriorem breuioremve viam desideraret, aut Ægyptiorum ollas, crassiósve cibos requireret; sed cibo illo Angelorum manibus confecto, vnde ille nomen accepit, *Panem angelorum manducauit homo*, & potu diuinitus inuento refectus ac recreatus alacriter tenderet in terram Hierusalem ad pacatè tranquilléque fruendum libertatis suæ iucundissimum fructum. Potuisset Deus Hebræos illos in solitudine vario carnium tam cœlestium quàm terrestrium genere alere, si voluisset; sed noluit tamen nisi pane illo cœlesti & aqua dumtaxat, quod eos vellet liberatos iam non modò à seruitute Ægyptiorum, sed abductos etiam ab illis terrestribus escis, quibus vescebantur in Ægypto, subtiliori quodam alimento sustentari. Quocirca Manna illis fastidientibus, & efflagitantibus carnes, semel Deus coturnices concessit, in eorum tamen interitum atque perniciem. *Adhuc enim esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum, & electos Israel impeduit.* Quibus quidem magno stetit carnium auiditas, vt alliorum ac cæparum Ægypti desiderium: nam cùm Deus illos in populum sibi delegisset, noluit vt agrestibus & humilibus animis essent, sed generosis & benè institutis, ideoque ipsis Manna è cœlo demissum ad victum præbuit, ne se ad res terrestres abijcerent. Quæ omnia nobis exemplo sunt, vt libertatem, & dignitatem, ad quam vocati sumus, agnoscentes, abstineamus ab omni intemperantiæ genere, & tantùm id appetamus, quod rectum honestumque sit, ac nostram deceat ingenuitatem. *Psal.* 77. 31.

Ex ijs, quæ dicta sunt modò, colligitur planè quàm vehementer plerique hominum errent, qui honestum, liberale atque adeò magnificum esse putant, varia ciborum fercula mensis apponi, & in eis se ad vomitum vsque ingurgitare, quod pecudum magis est, quàm hominum, propterea quòd illæ modum in victu tenent. hi verò in suis epulis atque conuiuijs, neque illum sciant, neque feruent, cùm plerumque se totos in cibos effundant: quod quàm alienum sit, & abhorreat à nostra natura, & à vera magnificentia, quæ cum ratione coniuncta est, nemo est. modò mente sana sit, qui non videat, clarèque intelligat.

Discursus hic accommodari potest ad illud Lucæ 16. 19. *Homo quidam erat diues*, &c. quem non nominat Euangelium, Lazarum mendicum appellat: ratio est, quia sacra Scriptura eius solet nomen reticere, cuius dedecus atque infamiam aliquam attingit; vt cùm Christus Dominus de Iuda proditore loqueretur, *Vnus*, inquit, *vestrum*, &c. proditoris autem nomen, quod haberet infamiam, reticuit; & Lucæ c. 7. cùm sermo fieret de Magdalena, quæ erat vulgato corpore mulier, *peccatrix mulier* nuncupatur, neque vlla fit mentio eius nominis proprij. Sic de diuite illo epulone, quòd ipse fortassis epularum splendore gloriaretur, nihil nominatim dicitur, hoc est, nomen eius non declaratur, quod nomen esset heluonis; secùs verò nomen mendici Lazari quantumuis vlcerum pleni: nam pauperies & mendicitas vbique est, agnoscitur à Christo. XVI. *Luc.* 16. 19.

Diuus Ambrosius lib. de Elia, & Ieiunio, cap. 2. *Meritò*, inquit, *Eliam dignum cœlo diuina iudicauit sententia, vt cum ipso raperetur corpore, quoniam cœlestem vitam viuebat in corpore, & supernæ conuersationis vsum exhibebat in terris.* Dixerat antè Diuus Ambrosius de temperantia & ieiunijs Eliæ nonnulla omni prædicatione dignissima, & continuò inde colligens causam, cur eum Deus tam singulari *Ambros. lib. de Elia & Ieiun. c. 2.*

singulari munere affecisset, vt igneo curru raperetur in cœlum, quod nimirum cœlestem quandam vitam in terris ieiunijs maximis deditus egisset. Vnde idem Ambrosius eodem item lib. cap. 2. *Ieiunium* vocat *cœlestem imaginem*, quo in hac vita cœleste quoddam vitæ genus instituatur.

PROPOSITIO V.

Quâ explicatur quàm grata sint Deo nostra ieiunia.

XVII. EX superioribus disputationibus, præsertim ex hisce quatuor proximis, colligi optimè posset, quàm grata sint Deo iucundaque nostra ieiunia: sed quia beneficia illorum causa collata priuata sunt, hoc est, priuatis hominibus certis in rebus concessa, de quibus iam speciatim diximus; nunc generatim dicendum videtur de ijs donis, atque muneribus, quæ propter solum ieiunium tam priuatim quàm publicè diuersis in rebus impertita sunt.

Ac primùm explicemus gratiam illam, quam Elias ieiuniorum amator & cultor habuisse traditur apud Deum, cuius causa noluit per triennium solitam terræ pluuiam mittere: qui cùm misericors sit, tandem decreuit seueritatem illam remittere, ne plures tam homines quàm animantes fame perirent, eius tamen mentis atque consilij participem priùs Deus fecit Eliam, ne quidquam eo inscio in illa causa perageretur. Vo- 3. Reg. 18. 1. cat itaque Eliam Dominus, eumque sic affatur: *Vade & ostende te Achab, vt dem pluuiam super faciem terræ.* Sed quid opus est Deo, vt certiorem priùs ipse faciat Eliam eius beneficij, ac muneris, quod vult in terram conferre? quid etiam illius exspectat consensionem? nimirum, clauserat Deus cœlum, ne plueret, propter Eliam; quocirca illud referare nolebat quoad pluuiam idem precaretur Elias, vt qui supplicij ac pœnæ illius fuit causa, esset etiam, antequam fieret, consius misericordiæ. Sed cur Deus huiusmodi vbanitatis officio vsus est cum Elia, nihil vt eo inscio faceret? Quia Elias valebat & gratia & meritis plurimum apud Deum. Cuius causa idem Deus multa eaque insignia miracula fecerat, cùm etiam singularia ac planè diuina dona ac munera concesserat, inter quæ illud est maximè prædicandum, quòd missi sint è cœlo Angeli à Deo cum curru igneo, vt Eliam eriperent terris, eumque in voluptatis paradisum transferrent, vt ibi felicissima quadam vita frueretur, dum aliud de illo diuina prouidentia præciperet. Causam autem, cur Deus Ambros. Eliam adeò ornauerit atque auxerit, D. Ambrosius explicat lib. 1. de Elia, & ieiunio, cap. 1. cùm ait: *Magna virtus est ieiunij, & vt humanis magis quàm diuinis vtar exemplis, Eliæ ieiuni ore vox emissa cœlum clausit sacrilego populo Iudæorum. quid eius reliqua contexam? Ieiunus filium viduæ ab inferis resuscitauit, ieiunus ore pluuias deposcit, ieiunus ignes de cœlo, ieiunus raptus est in curru in cœlum, & quadraginta dierum ieiunio diuinam acquisiuit præsentiam: tunc denique plus meruit, quando plus ieiunauit. ieiuno ore flatuit fluenta Iordanis, & redundantem fluminis alueum repente siccatum pulueruleuto transmigrat vestigio, meritò illum dignum cœlo diuina iudicauit sententia, vt cum ipso raperetur corpore, quando cœlestem vitam viuebat in corpore, ac supernæ vsum conuersationis exhibebat in terris.* Hæc Ambrosius.

Prophetam quoque Danielem affecit Deus alio munere singulari, cùm proiectus est ad dilaniandum leonibus. Erant in illo lacu septem ferocissimi ac truculentissimi leones, quibus ad victum quotidie duo cadauera & totidem oues suppeditabantur: tunc verò temporis vt fame cruciati magis sæuirent, & vehementiùs ferrentur in omne id, quod obijceretur eis dilacerandum, ac deuorandum, per sex dies, quibus inter ipsos iacuit seruus Dei Daniel, nihil illis administratum est, vt Danielis corpore famem suam pascerent, quando nihil aliud ad vescendum suppeteret. Verùm Deus ope sua atque præsidio tutatus est Danielem, neque tulit, vt quicquam ei molestiæ ferè illæ sæuissimæ exhiberent; quinimò eius vitæ diligentissimè prouidit, ac ne fame periret, Angelus Domini Abacuch Prophetam in Iudæa degentem, deferentemque prandium messoribus suis, capillo capitis deprehensum Babylonem transuexit, vt Danieli subueniret, qui cibo illo sibi diuina opera allato & languidum corpus refecit, & reliquijs eius esurientes leones tanquam catulos quosdam vel feles pauit, cuius muneris ac beneficij singularis causam fuisse ieiunium grauis quidam auctor testatur. *Ieiunus*, inquit, *Daniel sacram vicit furentium leonum famem, ieiunus ipse fecit ieiunare leones: non enim illis concessum fuit contingere sacros artus ieiunij virtute* XVIII. *sanctificatos.*

Mosem item maximis muneribus exornauit Deus, sed illo præcipuè, cùm eum deduxit in montem, vt cum eo familiarissimè colloqueretur, & abditissima diuinæ suæ voluntatis consilia communicaret, eique Legis tabulas traderet, quod singulare & omnium maximum beneficium D. Basil. quadraginta dierum *Basil.* ieiunio à Mose antea peracta tribuit ac refert.

Iuditham præterea præ cæteris delegit Deus ad abscindendum caput Holoferni, eiusque exercitum fugandum, quod nimirum ieiunio & oratione ad Deum confugisset ad precandam incolumitatem populo suo.

Non est silentio prætermittendum illud, quod cap. 1. Danielis commemoratur, cùm eo tempore, quo Israeliticus populus captiuus ductus est Babylonem, rex Nabuchodonosor iussit ex pueris Hebræorum nonnullos eximia forma deligi, eosque regio cibo potuque nutriri, & bonis literis atque artibus erudiri, ac demum Chaldaicam linguam doceri, vt post triennium & nutriti molliter, & disciplinis liberalibus diligenter instructi ad illum introducerentur, iam digni habiti, qui ante regium conspectum adstarent. Verùm illi, inter quos erat Daniel, cùm à regijs cibis abhorrerent, quod eos immundos ac pollutos existimarent, nolebant se illis contaminare; quapropter Daniel sociorum nomine orauit principem Eunuchorum, cui regio iussu atque imperio traditi erant educandi, vt sibi legumina ad vescendum præberentur, quibus sperabant se nitidiores ac pulchriores cæteris adolescentibus post triennium euasuros: quod cùm recusaret præfectus, timens ne sibi inde aliquid periculi crearetur, si pueri illi sibi commissi post assignatum tempus graciliores, & macriores suis æqualibus inuenirentur, Daniel, qui gratiam diuina gratia inuenerat apud Eunuchum, obsecrauit, vt eius rei periculum faceret, tentaretque per decem dies vtrùm herbis & aqua ipsi speciosiores elegantioresque vultus haberent, quàm cæteri adolescentes, qui regio cibo vescerentur. Placuit consilium Eunucho, expertus est per id temporis, quid aqua, & legumina Hebræorum pueris proficerent, & transacto decem dierum spacio, contemplatus est vultus eorum, qui, vt sacræ Literæ testantur, post decem illos dies apparuerunt meliores & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio. Quid amplius? Pueris autem his, vt sacra Scriptura notat, dedit Deus scientiam, & disciplinam in omni libro, & sapientia. Duo solent ieiunia & cibi agrestiores & crassiores afferre, imbecillitatem corporis, & ingenij hebetudinem; verùm hi pueri diuino beneficio & ieiunijs vastiores atque ampliores facti sunt, & legumineum crassitudine ingeniorum acumen & intelligendi subtilitatem compararunt, de quibus ita loquitur Scriptura sacra, postquam Rex eos ad se introductos est allocutus: *Non sunt inuenti tales de vniuersis vt* Dan. 1. 19. *Daniel, Ananias, Misael, & Azarias, & omne verbum sapientiæ & intellectus, quod scisciatus est ab eis Rex, inuenit in eis decuplum super cunctos ariolos, & magos, qui erant in vniuerso regno eius.* Quod ita perpendit diuina Scriptura: vt non sit opus nobis ostendere, quid temperantia possit, quid efficiat tenuitas cibi, quàm que grata sit Deo moderatio victus, quando his honestissimis ac temperatissimis adolescentibus & sapientiam, & gratiam, & vale-

valetudinem corporis, & alia diuina dona propter temperantiam & integritatem illam suam, quam semper & corporibus & animis retinuerunt, dum in Babylone versarentur, cumulatissimè tribuit.

XIX. Satis celebris est illa gratia, qua vsus est Deus cum Elia Propheta, cùm post quadraginta dierum ieiunium se illi videndum in monte Oreb præbuit; quemadmodum etiam Moysi, qui totidem diebus ieiunio se totum dedidit, cui item Deus sui copiam fecit in monte Sina: sed longè præstantior atque admirabilior fuit illa gratia, qua idem Dominus vtrumque affecit in monte Thabor, cùm immortalis suæ gloriæ splendorem inclusum ac latentem in animo corpori communicauit, ad quod specioſum admodum spectaculum vtrumque adsciuit, è limbo alterum, alterum verò è paradiso voluptatis, vt ambos iucundissimo illo conspectu oblectaret, & illud suæ gloriæ suauissimum libamen præberet, nec non vt cum eis de sua morte, ac de nostra libertate ageret. Itaque solos Eliam & Mosem vocauit Christus ad contemplandam suam gloriam, in monte, & agendum de excessu illo, quem ipse facturus erat in Hierusalem, quia videlicet hi duo viri sanctissimi, cæteris Prophetis ac Patriarchis abstinentiæ laude antecelluerant. Ideoque eos Deus reliquis in hoc munere ac beneficio antepoſuit. Habuerat olim Deus seruos multos sibi admodum familiares, & charos, vt Abrahamum, Isacium, Iacobum, quorum se Deum esse prædicabat, eisque maximè gloriabatur, & Christus etiam quod ab eisdem suum genus profapiamque duceret; vnde Exod. 4. *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* & Matth. 1. *Liber generationis Iesu Christi filij Abrahami, &c.* Fuerant præterea alij Deo charissimi, vt Dauid, quem Dominus vocabat virum secundùm cor suum, & cuius se filium esse dicebat Christus, & alij multi, tam ex tribuum parentibus, quàm ex sacrjs vatibus, & tamen hi duo soli ex illis accersiti sunt ad conuentus regios, qui celebrandi erant à Christo in monte Thabor: quia in perferenda fame ac siti Dei causa insigniores cæteris extiterant, & quod nouem Apostolis sibi familiarissimis negauit, bis duobus concessit viris abstinentissimis, vt cognoscamus ex eo quàm grata sint diuinæ Maiestati ieiunia eius causa suscepta.

Exod. 4. *Matth. 1.*

XX. Quòd autem ieiunij præstantiam atque excellentiam summoperè commendat, est, ieiunium ipsum à Christo Domino susceptum fuisse eo quidem tempore, quo ieiunandi gratia Seruator noster se contulit in solitudinem, vbi quadraginta diebus & noctibus ita abstinuit ab omni cibo, & potu, vt nihil omnino sumeret, neque gustaret: cùm ea tamen esset natura & conditione corporis factus, vt vehementissimè famem ac sitim, cæteraque corporis incommoda sentiret. Et quamuis præter naturam factum est, vt diuturnum illud ieiunium Christus Dominus sustinaret, tamen indicatum est eo, quanti ille ieiunium faceret, quando tam seuerum asperumque ieiunium stabiliuit miraculo per quadraginta dies, & noctes, nullo planè cibo vescens ad vitam corporis sustentandam, quæ tamdiu sine cibo conseruari non potest, nisi diuina aliqua ope ac præsidio fulciatur. Quo Christi ieiunantis exemplo satis illustre & celebre, satis etiam dignum factum est ieiunium, quod ab hominibus studioſè colatur: quia semel in Iordanis flumine baptizatus est Christus, dicunt Sancti eius tactu mansisse Iordanis vndas & aquas sanctificatas; quanto potiori iure dicendum videtur quadraginta dierum ieiunio, quod amplexus idem est Christus, ieiunandi vsum & consuetudinem per eundem sanctitatis auctorem esse sanctam effectam? Neque verò negari potest, ieiunium amari valdè à Christo Domino, quandoquidem illud ipse susceperit, non necessitate aliqua coactus reprimendi aliquem corporis & carnis motum erumpentem contra rationem, aut alia causa compulsus, qua deberet ieiunium suscipere, sed vltrò ac sua sponte id fecit, vt ostenderet, quanta illud beneuolentia prosequeretur, & quanto etiam haueret in honore.

Quod si causam quis quærat, cur abstinentia tanti fiat apud Deum; respondeo iccircò id fieri, quia illa maximè amorem indicat erga Deum, & charitas in ea vehementer exercetur, quæ vna virtus præ cæteris diligitur & æstimatur plurimi ab immortali Deo: virtus autem abstinentiæ coli non potest sine maximo Dei amore; siquidem ipsa repugnat vehementissimè ei amori, quo vnusquisque seipsum amat, suamque vitam charissimam habet: vt in sacrificio cernitur Abrahami, qui vt in animum induceret Isacium suauissimum desideratissimumque filium ex Dei præscripto immolare, opus fuit, vt diuinus amor paternum vinceret, & huic illum fidelis seruus anteponeret. In quo egregio facinore tanto magis ostendit amorẽ suum erga Deum, quanto vehementiùs paterno amori mortem Isacio deprecanti resistebat, vt in ea re voluntas solùm diuina fieret. Amor autem, quo non sua, sed se quisque diligit, innatus est, & à natura insitus, cui qui contradicit, magnum quid præstat & contra communem hominum consuetudinem, qui sibi ipsis maximè indulgent. Quare ieiunijs suum corpus quempiam affligere, & abstinentia carnis appetitiones cohibere, tanto pluris faciendum est, quanto difficilior & fæuior est pugna, qua homo cum suo appetitu congligit, quàm alia, quæ extra ipsum sunt, quantumuis ardua ac difficilia videantur. Magnum sanè est facultates & opes pauperibus erogare, magnum etiam pietatis officia exercere, & alia huiusmodi munera præstare; sed nihil est, quod plus habeat difficultatis, quàm hominem sibi repugnare, quàm interdicere sensibus, quæ sibi grata iucundaque sunt, quod fit media abstinentia, & sensuum detestatione, qua amorem sui quisque afflictionibus corporis deditus adeo continet atque coercet, vt nullus eius motus paulò effrænatior contra rationem & honestatem impunis existat. Et verò hoc bellum suscipere ac gerere contra promptum amorem abstinentiæ armis ac telis, eò est laudabiliùs, quò difficiliùs homo sumit arma contra seipsum. *Carnem quippe suam nemo odio habet, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam*, ad Ephes. 5. Amplius exaggerari non potest amor, quem quisque erga se habet, quando amor Christi erga Ecclesiam sumitur ex comparatione amoris, quem homo habet erga carnem suam; ita Theophylactus & glossa interlinearis explicant amorem Christi erga Ecclesiam, quæ non secus ac propria caro amatur ab ipso, vt intelligatur ex eo quantopere suam quisque carnem amet. Ideoque fabricatus est Deus Euam ex carne Adami, dum somno esset consopitus, quod quamuis tunc temporis factum est, tamen vbi excitatus est illo sopore, & re cognita Euam aspexit: *Hoc nunc*, inquit, *os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, quocirca adeò illam amauit, vt eius causa diuinum præceptum negligeret, pomumque vetitum decerperet, atque gustaret, *qui comedit*, vt inquit Augustinus, *ne deliciis suas contristaret*. Ex quo satis apparet, quàm magnus atque ardens sit ille amor, quo suam quisque carnem prosequitur. Sed quid porrò aliud est ieiunium nisi tortor quidam & carnifex ipsius carnis, qui eam premit, affligit, cruciat, eneruat. Cùm igitur diuinus amor ita inualescit in proprium, vt bellum moueat, atque excitet inter hominem & eius carnem, vt carnem ille maceret atque debilitet abstinentia, & ieiunijs, vt fame & siti illam quantumuis charam idem ipse torqueat, signum profectò est & argumentum diuini amoris & charitatis maximum, ex quo quidem oritur, Deum sic amare ieiunium, quod eo indicamus tantò nos maiorem amorem erga Deum habere, quò magis nos ipsos affligimus, vt princeps quidam eo plurisæstimat aliquem è suis, quo vehementiùs hic illius causa laborat, & plures subit vitæ ac capitis dimicationes, quibus ostendit se principem ac dominum non ideo diligere, quòd aliquid expectet ab illo, sed verè, vt fidelem seruum decet. Sic Deus abstinentem & affligentem se plurimi facit, quòd videat illum sibi repugnantem, & contradicẽtem, vt diuinæ voluntati assentiatur.

XXI.

Ad Ephes. 5.30.

Gen. 2.23.

Ergo

Ergo si propter gratiam Principum ac Regum, qui terrarum orbem moderantur, nihil homines laboris ac molestiæ non ferunt libenter, quantò dignior atque
XXI. excellentior est gratia Dei immortalis, qui cœlum & terram sola gubernat, & propter ipsam exiguam temperantiæ molestiam libentissimis animis sustineamus, quandoquidem huiusmodi labore tantam gratiam adipiscimur.

3. Reg. 19. Ieiunauit Elias quadraginta diebus, & statim ad diuinam visitationem & reuelationem admissus fuit in monte sancto Oreb, quem cùm Dominus visitaret, sic allocutus est: *Quid hic agis Elia?* Expendit optimè Tertull. verba hæc, conferens ea cum his, quæ Adamo post cibum vetitum dixit, nempe, *Adam vbi es?* Ait er-
In tract. de ieiunio. go Tertullian. *Multò amicitior hæc vox: Quid hic agis? quàm illa, Adam vbi es? illa enim pasto homini minabatur, ista ieiuno blandiebatur.* Ita ille. Vnde videtur mihi dicere Dominus ad Eliam: *Quid hic agis?* hoc est, scio quid agas. Ieiunas per dies multos, placet hoc mihi, & gratulor tibi; Adæ verò: *Vbi es?* hoc est, eras in statu innocentiæ, & gratiæ Dei, nunc autem in peccato manes, peccato, inquam, gulæ, & inobedientiæ tuæ; væ tibi, &c.

Marc. 9. Obtulerunt Apostolis hominem à dæmonio vexatum; à quo tamen Apostoli exorcismis suis dæmonem eijcere nequiuerunt: adduxerunt eum ad Christum, qui imperij sui virtute illicò depulit dæmonem ab eo. Interrogauerunt autem postea Christum Apostoli: Quare non potuimus nos eijcere eum? Quibus Christus: *Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & ieiunio.* Potentissima quidem est oratio apud Deum, sed quam ieiunium comitatur efficacior multò. Vnde quamuis orationes adhibuissent Apostoli ad expellendum dæmonem, quia defuit ieiunium, defuit pro tunc impetratio, tantum apud Deum ieiunium valet.

PROPOSITIO VI.

Quantum valeat abstinentia ad diuinam iram placandam.

MVltum valet gratiâ apud Deum temperantia nostra & ieiunium; vnde cùm Deus est nostris sceleribus vehementer offensus, & ad vindictam ex eis sumendam prouocatus, ieiunium diuinam iram sedat ac lenit, & reconciliat homini Deum; qui cùm benignissimus sit, vbi videt peccatorem sese macerantem affligentemq; ieiunijs ad diuinum numen placandum, statim vt pijssima quædam mater filiorum lacrymis & afflictionibus mouetur ad eos amplectendos; sic Deus
XXII. quantumuis infensus, peccatorum ieiunijs & assidua inedia facilè flectitur ad misericordiam, & peccatores sic affectos in pristinam gratiam recipit.

Ambros. Vnde D. Ambrosius lib. de Elia, & Ieiunio, cap. 9. *Ieiunium est reconciliationis sacrificium: Est el aiuno vn sacrificio reconciliador del hombre con Dios.* Solebant olim Hebræi ad peccatorum suorum veniam consequendam, placandumque Deum vti varijs illis sacrificijs, quæ apud Leuiticum recensentur: quæ cùm illi adhiberent ad impetrandam scelerum veniam, & pro peccatis commissis varia animalium genera immolarent hircorum aut vitulorum profuso sanguine ita Deus commouebatur, vt continuò peccatoribus ignosceret, &
Idem. iniurias sibi illatas illis condonaret. *Quod si vetus*, inquit Ambrosius, *sacrificium quoddam grauissimum & acceptissimum Deo offerre, quod eius sibi gratiam conciliet, ieiunium te ipsum affige, quibus eum tibi iratum citiùs placabis, quàm placabatur olim sanguine taurorum, aut quorumuis aliorum animalium.*

Bernard. D. Bernardus sermone 4. de Quadragesima. *Primum quidem*, inquit, *fratres pro eo, quod ab ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis, quæ prius illicita commisimus, condonantur. Quid verò est condonari commissa nisi ieiunio breui ieiunia redimi sempiterna? Gehennam enim meruimus, vbi nunquam cibus vllus est, consolatio nulla, & terminus nullus, vbi guttam aquæ diues postulat, & accipere non meretur. Bonum ergo & salutare ieiunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur hoc modo peccata.* Hæc ille: qui non ideò id dicit, vt putemus solo ieiunio impetrari veniam peccatorum, sed vt eleemosyna dicitur huiusmodi veniam consequi, propterea quòd nostra misericordia diuinam flectimus ad gratiam adipiscendam, qua veram nostrorum peccatorum pœnitentiam agamus. Ita etiam dicendum putat D. Bernard. de ieiunio, ipsum videlicet obtinere veniam peccatorum, quod gratiam & opem diuinam impetret, qua verè nostrorum nos peccatorum ac scelerum pœniteat, & sic cum Deo redeamus in gratiam. Et verò quamuis ieiunium, vt Bernardus ait, non esset eiusmodi vt eius breui sensu atque afflictione sempiterna supplicia redimerentur quod sit præstantissimum quoddam remedium ad emergendum è peccatis, hoc sanè deberet nos maximè ad se allicere atque attrahere: nam de duobus malis, quæ sunt, aut propter peccata sempiternis flammis cruciari, aut die vna in peccato lethali esse, peius longè quidem est hoc posterius malum, quàm illud prius.

Diuus Athanasius lib. de Virginitate: Sicut propter esum XXIII. *& inobedientiam proturbatus est Adam ex paradiso, ita rursum per ieiunium & obedientiam in paradisum, qui volet, redibit. Nam per hominis intemperantiam ita offensus est Dominus, vt ipsum hominem è paradisi sedibus eiecerit: per temperantiam par est, vt idem Dominus ita leniatur, vt expulsum hominem in paradisum restituat.* Iustitiaà nobis abstinentiam & ieiunium exigit post illam primorum parentum gulam: & misericordia veniam nobis à Deo postulat post nostra ieiunia, quam clementissimus Deus abstinentibus & pro suis peccatis se macerantibus elargitur.

Huius rei illustre exemplum cernitur in Niniue, *Ion. 4. 11.* vrbe olim celeberrima, & ciuium atque habitantium multitudine refertissima, adeò vt in ea *plus quam centum & viginti millia* numerarentur, *qui nesciebant*, vt sacra loquitur Scriptura, *quid esset inter dexteram & sinistram suam*, cuius ciuitatis luxuries & intemperantia in omni vitiorum genere eò peruenit, vt diuinam iustitiam flagitiorum turpitudine & copia vehementer irritaret, vt iam Deus illius populi malitia prouocatus ad sumendas de illo debitas pœnas de Niniuitarum ruina & exitio cogitaret, nisi intra quadraginta dies à promulgatione huius sententiæ per Prophetam Ionam ad meliorem se vitæ frugem reciperent, & repudiatis omnibus vitijs suis ad Deum se quoque supplices per veram pœnitentiam conuerterent. Qui cùm Ionæ diuinam sententiam pronuntianti, & vrbis euersionem minitanti, nisi pœnitentiam agerent, omnes ad vnum crederent, & ad placandum diuinum numen saccos inducrent, omninò abstinerent à cibis, & clamoribus diuinam misericordiam precantibus cœlum compleret, misericordia permotus Deus, vt sacræ literæ testantur, *Et vidit opera eorum, quia conuersi sunt de via sua* *Ion. 3. 10.* *mala, & misertus est Deus super malitia, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.* tantum valet pœnitentia & ieiunium apud misericordem Deum, vt plurimorum grauissimorumque scelerum veniam impetrare mereatur. Debetur hoc diuinæ misericordiæ, quæ ad animorum vulnera curanda, & obtinendam salutem & gratiam à Deo, ieiunium tanquam præstantissimum quoddam remedium inuenit, vt D. Chrysostomus ostendit homilia 1. in Genesim. *Communis*, inquit, *nostri omnium* *Chrysost. Hom 1. in Genes.* *Dominus velut pater filios indulgenter amans, cupiens ea, quæ peccauimus, nos abluere, hanc nobis, quæ per ieiunium fit, curationem admouit.*

Vnde per Ioelem 2. 12. Dominus ait: *Conuertimini* *Ioel. 2. 12.* *ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, &c.* quæ sanè verba sunt benignissimo Deo dignissima, qui, cùm ipse sit iniurijs affectus, & iudex huiusce causæ vt nocentes damnet, æternisque cruciatibus addicat, quòd aut sint diuinam Maiestatem offendere, idem remedium consulit nobis & modum indicat, quo diuinæ iustitiæ

furorem declinemus: quod quidem argumentum est maximum diuinæ benignitatis, qua sic afficitur Deus, vt promptior sit semper ad ignoscendum, quàm ad castigandum, vt malit parcere, quod est sibi maximè proprium, quàm punire. Quocirca *Conuertimini*, inquit, *ad me in toto corde vestro*, hoc est, verè & ex animo, & quod primum omnium requirit in conuersione, est ieiunium: *in ieiunio*; vt intelligamus ieiunium va-
XXIV. lere quam plurimùm ad veniam peccatorum consequendam.

Hinc fit, vt cognita perspectaque virtute ieiunij sancta mater Ecclesia, cùm pœnitentiæ tempus designat ad placandum Deum, ieiunium simul indicat ac seruet, seruandumque curet ab omnibus, vt quadragesimali tempore ad pœnitentiam agendam, & peccatorum sordes abluendas destinato, antequam præcipiat Christianis hominibus confessionem omnium delictorum Ecclesiæ, ad eamque adultos obliget, præparat eos quadraginta dierum ieiunio, quod sciat optimè quantum possit ieiunium, quantumque gratiæ ac misericordiæ à Deo impetret ad dolendum verè de peccatis ac scelcribus commissis, ad confitendum integrè, & suscipiendum firmissimum quoddam propositum nunquam in posterum diuinam Maiestatem offendendi. Atque ita ad comparandos animos ad huiusmodi dolorem & expiationem peccatorum eum firma inductione nunquam amplius peccandi, Ecclesia vt mater pijssima, nostræque salutis cupidissima, sic quadragesimale tem-
Ioël. 2. 35. pus ingreditur: *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, &c.* hoc in epistola, quæ ex Ioële Propheta desumitur; postea verò in Euangelio iterum fit mentio ieiunij, vbi ieiunium supponitur, & ratio traditur ieiunandi. *Cùm*
Matth. 6. 16. *ieiunatis*, inquit Euangelista Matth. *c. 6. 16. nolite fieri sicut hypocritæ tristes, &c.* Qui modus ab Euangelista traditus cùm in ieiuniis seruatur quam pretiosum efficiat ieiunium ipsum, quamque gratum Deo & nobis salutare, declarat Diuus Bernard. sermone 4. Quadragesimæ suprà citato. At quale debeat esse hoc ieiunium, vt misericordiam consequatur, & gratiam veniamque peccatorum hominibus impetret, sequens discursus indicabit.

Hic discursus erit pro Euangelio, Cùm ieiunatis.

PROPOSITIO VII.

Quâ probatur, quemadmodum Deus propter ieiunium etiam pœnas huiusce vitæ remittat.

XXV. PVnit Deus nocentes homines non solùm inferni cruciatibus, aut Purgatorij pœnis in altera vita, sed in hac etiam multis laboribus, varijsque malis, vt fame, bello, pestilentia, alijsque miserijs & calamitatibus; huic namque propter scelera eripit filium, illi eandem ob causam parentem, alij adimit facultates & opes, alij honorem detrahit, alij valetudinem aufert, alij denique vitam, quia nostra peccata grauiora quidem supplicia merentur. Hoc igitur boni habent præterea ieiunia, vt propter ipsa misericorditer à Deo prætermittantur mala, quæ iustè propter peccata erant hominibus infligenda.

1. Reg. 25. 18. 1. Reg. 25. Cùm prudens Abigail audisset, quàm ingratum & agrestem se eius vir Nabal præbuisset circa Dauidem, cuius nuntios ac seruos inanes remiserat ad eum, à quo eius pastores & greges multa commoda & officia acceperant, cumque cognouisset propterea esse vehementer iratum Dauidem, & iam ad vlciscendam iniuriam festinare, munere quodam splendido esculentarum rerum comparato ex ijs, quas domi habebat, obuiàm processit ira percito, eumque munusculum offerens blandè ac leniter est allocuta, sua illi omnia deferens, ac petens suppliciter veniam stulto atque agresti marito; cuius verbis ita pacatus est Dauidis animus, vt furore deposito ad illam responderit: *Nisi citò venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal, &c. Vade pacifice in domum tuam: ecce audiui vocem tuam, & honorauit faciem tuam.* Mutauit sententiam Dauid, & inductionem animi, qua statuerat Nabali vitam adimere, eiusque domum euertere, vbi vidit mentem atque animum Abigailis munus illud vnà cum suis bonis omnibus sibi deferentis. Ita Dous diuino furore incensus contra peccata cùm vindictam vult sumere ex illis qui eis diuinæ se beneficentiæ ingratos præbuerunt, vbi homo respiscit, & supplex ad Deum accedit, eique per temperantiam & ieiunia suas delicias ac voluptates offert, & epulas sibi adimens eas Deo præbet in pauperibus, tunc Deus quantumuis iratus ad misericordiam flectitur, & citiùs quàm Dauid Nabali propter Abigailem, propter ieiunia peccatoribus ignoscit.

Ait D. Chrysost. sermone 1. de Ieiunio, *ieiunium* *Chrysost.* *diuinæ ire furorem à nobis arcere, atque ita reprimere, vt cogat quodammodo Deum sententiam iam in nocentes latam mutare.*

Exemplum huiusce rei 3. Regum cernitur cap. 21. *3. Reg. 21.* Regnabat in Israele rex Achab homo perditissimis XXVI. corruptissimisque moribus, qui cùm ad eorum improbitatem atque nequitiam adiungeret indignam mortem Naboth, vt ei vnà cum vita veniam & sibi & Iezabeli vxori suæ turpissimæ atque nequissimæ ardenter expetitam adimeret, illam adeunte Achab vocauit Deus Eliam Prophetam, vt iniquo Regi occurreret, atque ita loqueretur: *Hæc dicit Dominus: Occidisti, in-* *Vers. 19.* *super & possedisti. Et præterea; Hæc dicit Dominus: In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. Ecce ego inducam super te malum,* *Vers. 21.* &c. Quæ cùm audisset Achab, præ dolore scidit vestimenta sua, & cogitans qua ratione Deum sibi vehementer infensum placare posset, ad ieiunij perfugium accurrit, ieiunium amplexus est, cilicium induit, abiecit se coram Domino supplex, implorauit diuinam misericordiam, quæ præsto fuit precibus, lacrymis, & ieiunio cuocata, quapropter, *Factum est verbum Domini* *Vers. 28.* *ad Eliam, dicens: Nónne vidisti humilitatem Achab coram* & 24. *me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* O singularem Dei benignitatem! homini idolorum cultori perfido, bonis inuiso atque exoso, homicidæ, ac demum omnino nequam, propter exiguum quoddam ieiunium cum subiectione coniunctum ignouit Deus, vt intelligatur apud Deum non parum posse nostra exigua ieiunia, quando eum faciunt, vt prolatam sententiam mutet, ad cuius mutationem locus relictus erat, ieiunio, si fortè supplicium illud ac pœnam à diuina misericordia deprecaretur.

Sed non vnius Achabi exemplum proferatur, sed aliorum etiam plurimorum, quæ passim in sacris literis occurrunt, nec horum hominum sexcenta, sed vnum vnius ciuitatis frequentissimæ & celeberrimæ, cuius suprà mentionem fecimus, cùm de Niniuitarum pœnitentia & ieiunio loqueremur. Ipsius nimirum Niniue, in qua censebantur ex pueris, qui nondum sciebant quid inter sinistram & dexteram interesset, plusquam centum & viginti millia paruulorum, vbi adeò creuerat nequitia, & flagitiorum ac scelerum perpetratio; vt eorum clamor diuinam vltionem postulans ad cœlum ascenderet, & diuinam iustitiam ad sumendam continuò vindictam prouocaret. Misit eò Deus Ionam, vt prædicet intra quadraginta dies funditus euertendam esse Niniuem, quo calamitoso sibi ærumnosoque nuntio de remedio ad effugiendum exitium statim Niniuitæ cogitarunt. Imperatur communis omnibus pœnitentia, indicitur ieiunium tam hominibus, quàm animantibus, vt equis, & bobus, alijsque bestijs huiusmodi seruandum. Causam autem, cur XXVII. rex & principes ciuitatis imperarent tale tamque asperum ieiunium non solùm hominibus, sed brutis etiam animalibus, vt neutris quidquam gustaretur, post decretum hoc & imperium ipsi subiungunt: *Quis scit, si* *Ion. 3. 9.* *conuertatur & ignoscat Deus, & reuertatur à furore ire sue, & non peribimus?* qui iccircò non sibi promittebant veniam, qui iam videbant sententiam promulgatam, atque

que ita sub conditione de impetranda venia adhuc pronuntiata sententia loquuntur; sed spe illa quamuis dubia & ancipiti frustrati non sunt. Vix enim ieiunij illius triduum effluxerat, cùm Deus misericordia tactus est, *Vidit*, inquiunt sacræ literæ, *Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus, super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis.* Admiratus exijt ab vrbe Ionas, quòd tot tantaque scelera ac flagitia Deus tam facili negotio remisisset; quòd eius etiam minæ omnes, quæ non erant aliæ nisi diuinæ, ad nihilum recidissent. At quam ob causam? Ob ieiunium trium dierum, quod vix satis fuisse videretur triginta annorum, nisi Deus ea clementia & benignitate esset, vt non tam diuturnitatem perpenderet, quàm rem ipsam; quod nimirum esset ieiunium. Sed ne tua, summe Deus, sententia irrita omnino maneat, quando vt misericors Niniuitis propter ieiunium ac pœnitentiam tot scelerum culpas remisisti; maneat tamen ad satisfactionem diuinæ iustitiæ stabilis pœna, stet vrbis euersio firma, & quamuis non intra quadraginta dies fiat, at intra quadraginta annorum spatium, vt aliqua sumatur pœna tantorum scelerum ac peccatorum. Sed ne hoc quidem voluit Deus, quod ipsi de se Niniuitæ ieiunio illo seuerissimo trium dierum & pœnas & vindictam sumpsissent.

Ierem. 14. 5. 6. & 7. Ierem. cap. 14. loquens de siccitate sterilitateque terræ, quòd cœlum non plueret, ita Deum affatur: *Cerua in agro peperit, & reliquit; quia non erat herba, &* XXVIII. *onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba. Domine fac pro-* Chrysost. *pter nomen tuum.* Animaduertit Chrysost. hom. 3. ad pop. in huius Prophetæ oratione ad permouendam diuinam misericordiam, & auertendam illam calamitatem à terra, propositam esse à Propheta animantium famem terræque sitim ante Dei oculos. Quid si proponeret idem Vates preces, clamores, afflictiones totius populi fame ac siti pereuntis? dubium non est quin vehementiùs flexisset Deum ad misericordiam: sed satis fuit eum meminisse, quàm pecudes & animalia rationis expertia patiebantur: nam ieiunij ac famis afflictio etiam in brutis animalibus, quia procreata sunt à Deo, ipsius Dei iram sedant, furoremque leniunt, vt miseriæ tandem, qua nos affligit, modum adhibeat. Quocirca Niniuitæ non satis esse duxerunt, nihil ipsos gustare tribus illis diebus, sed eandem afflictionem bestias ipsas sentire ac pati voluerunt, vt illæ quoque famem sitimque perferentes, & vtriusque stimulis agitatæ clamarent ad Deum, veniamque suis dominis ac misericordiam tacitè precarentur. Quod ita factum est, vt exitium illud auerteretur ab vrbe. Quod si brutorum animalium ieiunium ita commouet Deum; quid rogo faciet illud hominum, quod Deus ad imaginem & similitudinem diuinæ suæ naturæ expressos in communionem diuinorum suorum bonorum asciuit?

Longum esset commemorare quæ Deus hominibus condonauerit propter ieiunium: cuoluendæ sunt sacræ veteris Testamenti historiæ, in quibus sæpissimè reperietur Deum exaudisse toties Hebræos illos in suis miseriis & calamitatibus, quoties ipsi se per ieiunia & pœnitentiam ad ipsum Deum verè & ex animo conuerterunt: verùm hoc sequenti disputatione amplius declarabitur.

PROPOSITIO VIII.

Quâ demonstratur quemadmodum abstinentia satisfaciat Deo pro peccatis.

Gregor. XXIX. GRegorius in illa verba 1. Reg. 9. 23. *Dixit Samuel coco*, &c. ita loquitur: *Non omnia nostra Chri-* *Paul. 2. Tim. 2. 12.* *stus expleuit: per crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, vt qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur: hoc profecto residuum videratur, qui dicebat; si compatimur, & conregnabimus*, 2. ad Tim. 2. *q.d. quod expleuit Christus, non valet nisi ei, qui id quod remansit, adimplet. Hinc* Paul. *idem Paulus* ad Colos. 1. *ait: Adimpleo ea, quæ desunt ad Col. 1. passioni Christi in corpore meo.* Hæc ille. Itaque quamuis 24. Christus infinito pretio sui pretiosissimi sanguinis redemit nos, ac liberauit debito peccatorum omnino, quod ad redemptoris munus perfectissimè exequendum attinebat, ita vt ab eo nihil amplius ad nostram salutem & libertatem requireretur; nonnihil tamen à nobis conferri voluit ad plenam vtrimque solutionem debitorum, quæ cùm nostra essent, ipse maxima ex parte persoluit, vt nimirum ex nostra parte adderetur dolor, & pœnitentia, qua plenè, quod ad nos attinet, diuinæ Maiestati pro peccatis eisdem satisfieret.

Diuus Bonauentura opusc. Dietæ salutis, tit. 2. *S. Bonau.* cap. 4. ait ad plenam curationem nostrorum peccatorum duo esse necessaria, vti ad curationes quoque nostrorum corporum, in quibus cùm in morbum quis incidit propter intemperantiam in cibo vel in potu, quod primum omnium præcipit medicus ad morbum illum expellendum, est inedia, vt temperantia curet morbum ac sanet, quem intemperantia attulit. Similiter quod primum omnium præcipit nobis Christus Dominus peritissimus medicus ac planè diuinus in curandis morbis animorum, est abstinentia à peccatis, vt cesset peccatum. Vnde apud Ioannem 8. mulieri adulteræ dixit: *Vade & noli amplius peccare.* Quod autem *Ioa. 8. 11.* secundo loco in corporis curatione præcipitur, atque curatur, est vel incisio venæ ad emittendam redundantiam sanguinis, vel sumptio potionis alicuius amaræ ad purgandum corpus humorum copia & prauitate, vt hac expulsa, humoribusque in suam temperiem redactis, ægrotum corpus ad pristinam redeat valetudinem. Sic etiam vult Deus, vt qui animi morbo spirituali laborat, quique peccatorum labe & contagione contaminatus est, se à peccatis purget per confessionem, vt satisfaciat, si fortè alicui damnum aliquod intulit, vt malè parta maleque retenta restituat, & hunc prauum corruptumque sanguinem ex se emittat, atque animum vitijs ac peccatis omnibus exoneret: sic enim fiet, vt salutem animi amissam recipiat. Ad quam consequendam non solùm satisfaciendum est etiam damnum hominibus illatum, sed restituendus est etiam aliqua ex parte diuinus honor, cui facta est maxima per peccatum iniuria. Quòd si huiusmodi satisfactio in hac vita non fiat, pœna pro illa debita seueriss. imè in altera exigetur. Neque verò existimandum est, Deum semper, etiam si possit, omnem pœnam vnà cum culpa remittere, cuius infinita in nocentes homines misericordia satis in eo cernitur, quòd æternam pœnam peccato lethali debitam cum temporali pœna in hac mortali vita commutat: quamuis hæc grauior sit atque acerbior interdum quàm illa, quæ apud inferas sedes perpetuò à damnatis exsoluitur.

Quòd autem post remissam culpam necessaria sit sa- XXX. tisfactio aliqua & pœna, apertè colligitur ex eo, quod accidit regi Dauidi, 2. Reg. 12. cùm reprehensus à Nathan Propheta & vehementer Dei nomine obiurgatus propter adulterium commissum & indignam cædem innocentis Uriæ ingenti quodam sensu ac dolore animi affectus, misericordiam implorans, illam protulit vocem: *Peccaui.* testem atque indicem doloris sui, qua culpæ veniam à Deo statim impetrauit, non tamen pœnæ remissionem, vt patet ex verbis subditis à Propheta: *Dominus transtulit peccatum tuum: veruntamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur*: quod pœnæ loco Dauidi impositum est remissa & condonata iam culpa. In quo quidem talem se Deus præbuisse videtur regi Dauidi, qualem ipse se præbuit filio Absaloni post sororis Thamaris incestum, 2. Reg. cui cùm iniuriam illam Amoni fratri illatam & culpam remitteret: *Reuertatur*, inquit, *in domum suam, &* 2. Reg. 14. *faciem meam non videat.* In gratiam pater filium recepit, sed illum loco pœnæ à suo conspectu remouit, ita benignissimus Deus, qui non vult mortem peccatoris,

sed vt magis conuertatur & viuat, verè pœnitenti peccati culpam condonat, eumque liberat ab exilio patriæ cœlestis, & in gratiam pristinam restituit; ab eo tamen exigit aliquam pro peccatis non solùm grauibus, sed etiam leuibus satisfactionem: nam in cœlestem illam ciuitatem, vt Ioannes inquit Apoc. 21. 27. non intrabit aliquid coinquinatum: à quo procul sunt omnes sordes, omnis labes atque impuritas peccatorum, tantaque in ea elegantia, munditia, ac puritas, vt si piorum animi corporis vinculis soluti cum aliqua peccati macula quantumuis minima cœli limen attingerent, recusarent ingredi, & deligerent potiùs in medias se Purgatorij flammas immittere, vt illa macula purgarentur, quàm ea deformati & inquinati diuinum conspectum subire.

Hanc satisfactionem aiunt Theologi 4. sent. d. 16. triplici actionum genere fieri, oratione, eleemosyna, ieiunijs, ad quas cæteræ satisfactoriæ actiones reuocantur: nam quemadmodum in tribus bonorum generibus offendunt homines Deum, videlicet in honoribus, diuitijs, voluptatibus, in eisdem planè conuenit eos offenso Dei numini satisfacere, in honore subijcientes ac prosternentes se coram Deo, vt rex olim Ezechias id fecit, petentes item supplices à Deo veniam peccatorum, oratione humili, & precatione; in diuitijs autem eleemosynam pauperibus elargientes; in delicijs denique ac voluptatibus carnem ieiunijs macerantes, aliisque afflictionibus intemperantiam illius coercentes. Et quamuis inter pœnas huius vitæ & alterius, qui vtrobique Deo pro peccatis fit satisfactio, nulla ferè cernatur æqualitas, propterea quòd ille longè hisce nostris grauiores ac diuturniores sunt, tamen quia vltrò ac sponte in hac vita ab hominibus dantur, & Deus etiam benignissimus & clementissimus est, illas vel acerbissimas atque grauissimas pro his voluntarijs & leuissimis remittit. Sed cæteris pœnis prætermissis institutam ieiunij disputationem prosequamur, vt
XXXI. videamus quemadmodum diuinæ iustitiæ pro nostris sceleribus satisfaciat.

S. Th. 2. 2. q. 147. art. 1. D. Thomas 2.2.q.147. art.1. *Assumitur*, inquit, *ieiunium ad satisfaciendum pro peccatis*; vnde dicitur Ioël. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio*, &c. *&*
Augustin. Tom. 10. de tempore, ser. 210. *hoc est quod Augustinus dicit in quodam sermone de oratione, & ieiunio: Ieiunium purgat animam, mentem subleuat, propriam carnem spiritui subijcit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatem verò lumen accendit.* Hæc D. Thomas loco suprà citato. Circa authoritatem verò Ioël dicit Deum vt nostræ salutis cupidissimum ac studiosissimum non solùm velle nos à culpa liberos, sed solutos etiam à pœnæ debito videre; quapropter nostras expetit lacrymas atque ieiunia, non quidem quod nobis dolores ac pœnas cupiat, sed vt post hoc miserum viuendi curriculum his pœnis maiores alias gra-
Ioël. 2. uioresque vitemus: atque iccirco dicit per Ioëlem Prophetam: *Conuertimini ad me in ieiunio.*

D. Augu. D. Augustinus, vbi suprà, propriè de ieiunio dixit: *Animam purgat*; quasi diceret ieiunium esse velut quoddam animi purgatorium; vt enim peccata saltem leuia vitari non possunt, ita neque pœna non poterit non solui pro illis siue in hac vita, siue in altera: purganda enim illa sunt vel expiali alterius vitæ igne, vel in hoc vitæ statu corporis afflictionibus; præsertim ieiunijs, quibus peccatorum labes ac maculæ eluuntur. In qua quidem expiatione non tam Deus respicit magnitudinem doloris ac pœnæ, quam in ieiunando & affligendo nostra corpora sentimus, quàm voluntatem, quia ieiunia vltrà suscipimus, & sensus nostros rescindimus atque mactamus: quod sacrificij genus eo gratius Deo est, quo magis voluntarium; vnde exiguum quid harum pœnarum plus pro peccatis satisfacit Deo, quàm multum earum quæ in Purgatorio sumuntur; quod nimirum voluntarium sit quod hîc datur; quod verò ibi penditur, necessarium, atque ita illud est gratius Deo, quàm hoc genus satisfactionis, quæ in altera vita necessariò exhibetur; vt qui iniuriam accepit ab aliquo, longè pluris facit voluntariam satisfactionem vltrò ac sponte sibi factam ab inimico veniam supplicitèr petente, quàm coactam & iudicis sententia atque imperio extortam, etiamsi sibi millies fiat; vt etiam Christus circa materiam fidei in credenda diuina cius anastasi dixit Thomæ: *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt, & crediderunt*; qui ni- *Ioan. 20. 2.*
mirum coactus credidit, & reipsa conuictus, iccirco eius fides non æstimatur à Christo, vt plurimi quidem habita fuisset, si pia quadam voluntate, antequam manibus vulnerum cicatrices tangeret, & digitum in perforatum latus immitteret, credidisset. Obsequium enim voluntarium charius multo acceptiusque est, quàm necessarium. Vnde propriùs dici potest satisfactio pœnarum solutio, quæ hic datur, quàm ea, quæ in altera vita perfertur: nam illa potiùs perpessio est, & tolerantia quædam necessaria pœnarum, hæc verò libera & voluntaria solutio; vel certè hic propriè per XXXII.
pœnitentiam fit satis Deo, ibi ipse Deus exigit ac sumit satisfactionem de commissis peccatis. Quare hoc nostrum propriè est satisfacere, illud autem in offenso Deo peccatorum malitia est quoddam satisfieri. Exempli gratia: Si quis debitor, cùm non sit soluendo, in vincula conijciatur à creditore, illiusque bona creditor ipse diuendat, vt sibi satisfaciat, tunc quidem non tam dicemus debitorem creditori satisfacere, quàm creditorem ex debitoris fortunis ac facultatibus sibi satisfactionem sumere; quod ei minùs gratum erit, quàm si debitor ante sua sponte de satisfactione illa, & de venditione suorum bonorum ad soluenda debita cogitasset, idque vel cum suo magno incommodo feciisset. Pari item ratione cùm Deus mittit aliquem in expiales alterius vitæ flammas atque ignes, vt ibi debitas pœnas luat, eum quasi in carcerem quendam contrudit, vt pœnis igneis ibi soluat vsque ad quadrantem nouissimum, quod quidem verè est Deum ab homine repetere & sumere pro satisfactione sibi debita meritas pœnas: at hominem, antequam eò deueniat, pœnas, dum viuit, voluntarijs ieiunijs ac laboribus dare, est sanè vltrò ac sponte Deo satisfacere, quod gratius multò accidit ipsi Deo. Quocirca sacer ille Vates hoc ipsum intelligens de se dicebat ad Dominum, Psalm. 53. *Voluntariè sacrificabo tibi*, non so- *Psal. 53. 8.*
lùm dicit, *sacrificabo tibi*, sed modum etiam adijcit, quo paratus ac promptus erat ad immolandum: propterea quod Deus tanquàm generosa aquila magis appetit amatque corda, hoc est, studia & voluntates, etiam sine operibus, quàm opera ipsa sine voluntate.

Est igitur abstinentia, & ieiunium vltrò susceptum magnæ satisfactionis, & ex ea quidem parte, qua satisfactio ex sensu & pœna operis oritur, neque eleemosyna, neque oratio ita satisfacit atque ieiunium: nam eleemosynæ spectat facultates, quæ cùm externæ homini sint, non tantum sentitur difficultatis præsertim à diuitibus in eleemosyna elargienda, ac sentiretur, si corpus ipsum affligeret, vel ei incommodum aliquod afferret. Quod si difficultas aliqua inesset in eo, qui ad satisfaciendum pro peccatis suis partem aliquam suorum bonorum distribuit pauperibus, non quidem nascitur difficultas illa & dolor ex virtute eleemosynæ, sed ex vitio auaritiæ, quæ eleemosynæ fructum atque satisfactionem minuit potiùs, quàm auget. At ieiunij difficultas, cùm interna homini sit, quippe quæ ex appetitus repugnantia & tergiuersatione proficiscitur, quò maiori ieiunij labore ac pœna corpus afficitur, & quò plus aufertur alimenti, quo eius vita sustentatur, eò plus etiam habet ieiunium satisfactionis, quàm eleemosyna; vel oratio, quæ quamuis aliquid etiam laboris pariat, & nonnullam corpori molestiam exhibeat, eiusmodi tamen est, vt nulla ratione sit cum ieiunij molestia ac pœna conferenda, præsertim cùm Deus sic soleat orandi laborem leuare, sic diuina quadam suauitate condire, vt laboris nihil, voluptatis verò multum in oratione sentiatur: at sensus famis ac sitis

sitis assiduus magnus quidem est, quo torquetur corpus vehementer, & interni appetitus solicitudine suggerentis necessitatem adeo crescit, eiusdemque appetitus importunitate, addo etiam improbitate, ita vrgetur, vt opus magna sit virtute acres ad illius stimulos retundendos: ergo ex eo quòd ieiunium appetitum reprimit, & pœna corpus torquet, & cruciat, eleemosynam & orationem, quæ solent esse homini faciliores, satisfactione superabit.

XXXIII. Sed considerandum est, quàm benè congruat ieiunio hoc satisfactionis munus, hæc prouincia satisfaciendi pro nostris peccatis. Solent iudices cùm aliquem in graui aliquo crimine deprehendunt, vt in alterius cædæ atque homicidio, ibi patibulum ad puniendum scelus constituere, vbi fuit homicidium ipsum commissum, vt eodem loco pœna detur ac sumatur pro sceleris culpa: ita etiam conuenit nostrorum scelerum pœnas in ea re sumi, in qua fuerunt illa commissa; quod ita factitatum videmus à diuina iustitia.

Exod. 1. Nam si Pharao in aquas demergi iussit Hebræorum infantulos, ne quisquam eorum superesset parentibus, atque ita illius gentis sobolem ac posteritatem extingueret, postea ipse vndarum molibus obrutus extinctusque est, vt qui in aquis immane illud scelus patrauerat, in aquis item eius debitas pœnas persolueret. In arbore quadam dæmon callidissimus hostis decepit primos humani generis parentes, eosque diuinæ grátiæ donis ac muneribus spoliauit, in arbore quoque decepta per Christum fuit calliditas dæmonis, & detracta ereptaque gratiæ spolia eidem homini restituta: *vt nimirum qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur per Christum Dominum nostrum*, vt præclarè canit Ecclesia. Aman domi suæ immeritò furcam erexit ad supplicium sumendum ex innocenti Mardochæo, & in eandem furcam meritò postea actus est ipse, incolumi manente Mardochæo: vnde æquum sanè est, vt quando homo voluptates ac delicias persequens peccat in carne, in carne quoque pœnas soluat flagitiorum, & hoc est, quod præstat ieiunium, vt hominem in corpore affligat, quo voluptates ille percepit.

Exod. 4.

Non autem dissentit ab hoc illud Chrysostomi, quo declaratur vox illa Ioannis Baptistæ digna planè Christi Domini præcursore, Matth. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ. Quo autem modo*, inquit Chrysostomus, *fructificare poterimus, si vtique peccatis contraria faciamus? Aliena rapuisti? incipe donare iam propria. Iniuriam sermone feciste? refer benedictionis verba conuicijs, & percutienti te nunc officijs, nunc etiam beneficijs placare contende. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem, tantummodò spicula de corpore euellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Deliuijs antè & temulentia diffluebas? ieiunio, & aquæ potu vtrunque compensa, cura, vt detrimentum quod ex anteactis accepisti, abigas.* Hæc ille.

Chrysost. Matt. 3. 8.

Sed verba illa Ioannis attende: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Inter fructus pœnitentiæ ieiunium meritò recensetur: quamuis enim corporis sit defectus, est tamen animi profectus; sic enim cùm Christus de mundi fine loqueretur, exitum eius atque ruinam arborum fructibus comparauit, quia tunc boni laborum suorum fructus erunt ieiunium, fames, & sitis, quamuis corporis sint detrimenta.

XXXIV. Quod si tantùm commodi & vtilitatis secum affert ieiunium, quis ipsum non libenter suscipit? non studiosè amplectitur? etiamsi nihil aliud efficeret, nisi nos vel vno duntaxat die expialibus alterius vitæ flammis atque ignibus liberaret; quod esset quiddam maximum, plurimúque faciendum, propterea quòd illorum cruciatuum pœna, quæ vno die persoluitur, est longè quidem maior, quàm tolerantia ieiunij centum annorum. Vnde D. Augustinus ait nullam esse in hac vita pœnam quæ conferri possit cum illa ignea, quæ pro peccatis in altera vita sumitur ad delictorum ac scelerum expiationem, etiam si cum illa Martyrum cruciatus atque tormenta, nec non & Christi Domini mors atrocissima comparetur. Et quamuis ieiunio nulla eiusmodi pœna redimeretur, satis esset, vt ipso peccatorum vulnera curarentur, expiarenturque maculæ ac lues eorum, ac demum pax inter Deum & hominem statueretur; quod maius quidem est bonum, quàm purgatorij pœnas vitare. Nam si ieiunio hominis animus à peccati sordibus expiatur, si mundus purusque redditur, quid maius quis poteit expetere ad purgandum omni turpitudine animum quàm ieiunium? quo perficitur, vt animi candorem ac munditiem assequantur, & nitidi diuinum conspectum post hanc vitam mortalem subeant. Quam ob causam diuina iustitia Purgatorij exigit pœnas, vt eis animi sic expientur à sordibus, vt sine vlla sceleris macula euolare possint in cœlum, quò nihil sordidum, nihil immundum aut coinquinatum ingreditur. Itaque si per ieiunium eum nitorem consequimur, quem Deus per Purgatorium requirit atque expetit in nobis, eò maiori in pretio erit habendum, quò pretiosior est res, quæ per ipsum comparatur, quæ est peccatorum expiatio, quam qui hic ieiunijs peragunt, alterius vitæ expiationem deuitant. Solent, qui multis variisque debitorum vinculis constricti tenentur, pontificium quoddam diploma quærere, quo se cum suis ipsi creditoribus componant. Quod igitur compositionis diploma inueniri poteit pretiosius, quàm hoc ieiunij, quo quis parum famis ac sitis sustinens, alterius vitæ cruciatus flammasque declinat, & Deo perfectè reconciliatur? Magnæ quidem liberalitatis fuit argumentum condonare Regem illum, de quo diuus Matth. 18. suo seruo, quòd se subiecisset, & supplex solutionis prorogationem postulasset, decem millia talenta; sed maior multò liberalitas ac beneficentia est commutare Deum grauissimas illas quidem Purgatorij pœnas cum his leuissimis nostrorum ieiuniorum, & horum tenuitate ita placari, vt grauissimorum scelerum culpam vnà cum earundem grauissima pœna omninò remittat.

Matt. 18. 24.

PROPOSITIO IX.

Quâ declaratur quanti meriti sit tam ad gratiam, quàm ad gloriam abstinentia, atque ieiunium.

Bernard. DIuus Bernardus sermon. 4. de Quadragesima, *ieiunium*, inquit, *non solùm est abolitio peccatorum, sed extirpatio vitiorum; non solùm obtinet veniam, sed & gratiam promeretur.* Diximus suprà quemadmodum ieiunium peccatori suorum peccatorum impetret veniam, nunc videndum est, quemadmodum pium & iustum gratia & meritis impleat.

XXXV. Sanctus Basilius hom. 2. de laudibus ieiunij; *Angeli*, inquit, *sunt, qui in singulis Ecclesijs scribunt, & recensent ieiunantes. Scribunt*, dicit: quia quicquid cibi Dei causa corpori denegatur, id totum, qualecumque sit, in vitæ libro scribitur, vt æternis præmijs afficiatur: nam pro fame, quam propter Deum vir probus perfert in terris, habebit in cœlo perpetuam sine vllo fastidio satietatem: prositi, torrentem diuinæ voluptatis. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos: non esurient, neque sitient amplius*, sed sempiternis quibusdam voluptatibus perfruentur. Quibus, quàm copiosè remunerentur nostra ieiunia, liquidò constat. Sed explicemus, si placet, rationem & causam huiusce meriti, quo ieiunium tantum gratiæ & gloriæ promeretur.

Basil. *Psal. 35. 9.* *Apoc. 7. 16.*

D. Thom. 2. Sent. dist. 29. art. 4. docet existente gratia in animo, sine qua nullum esse meritum potest, duplicem esse causam rationemque meriti: vnam ex parte voluntatis, alteram ex parte obiecti. Ex parte voluntatis, cùm vehementiori studio atque conatu fertur voluntas in rem, quam expetit, & in opus ipsum exit; ex parte verò obiecti, cùm actio illa voluntatis versatur circa rem arduam atque excellentem, quæ eò quidem erit maioris meriti causa, quò difficilior atque excellentior, quò etiam humanas vires ma-

S. Thom.

gis superauerit. Atqui ex hoc duplici capite sumitur ratio meriti, ex voluntatis vi atque impetu in proseguendo obiecto arduo atque difficili, & in superandis difficultatibus quibus ipsum est obiectum circumseptum. Sed videamus quanta sit difficultas obiecti in reprimendo & coercendo intemperantiæ & gulæ effræno appetitu, vt inde temperantiæ, & abstinentiæ meritum colligamus. Clarum est atque perspicuum eò rem esse magis arduam atque difficilem, quo magis repugnat eius naturæ, qui rem illam appetit, vel eius difficultates vincere ac superare conatur: nam vis naturæ atque propensio in rem aliquam ex se vehemens quidem est, & habentem ipsam rapit in obiectum, seu locum, cuius appetitionem ille innatam habet & insitam à natura; quod planè in ipsis cernitur elementis: nam ignis maximo impetu fertur in æthera, aqua concitato cursu influit in mare, quantumuis hæreat in salebris, terra magno pondere tendit in centrum, aëris circumfusi natura non eum patitur aut terræ aut aquæ subesse, sed ipsum impellit, vt vel è terra erumpat, vel ex aqua emergat, atque vtrique elemento insideat. Idem cerni potest in aliarum rerum appetitionibus ac propensionibus: inter quas omnes vitæ appetitio præcipua est, & omnium vehementissima; quapropter rerum omnium auctor & effector Deus dedit ijs, qui sensu vitaque fruuntur, auiditatem quandam viuendi, qua non solùm vitam appeterent, sed omnia etiam, quæ ad eam magnopere conducerent, & valetudinem corporis, lætitiam, quietem, alimenta, quæ si desint omnino, retineri vita non potest. Contrà verò idem Deus ingenerauit odium ac detestationem mortis eorum pectoribus, quibus vitam tribuit & sensum, ac proinde eisdem à natura dedit, vt
XXXVI. morbos detestarentur, mœrorem propellerent, labores declinarent, calorem & frigus arcerent, ac demum famem & ciborum inopiam tanquam incommoda vitæ pertimescerent. Vnde huiusmodi propensionibus & appetitionibus à natura insitis repugnare & contradicere, est sanè difficile, arduum, laboriosum valde, & magnam efflagitans virtutum & animi magnitudinem, vt perfectè constanterque fiat; quod cerni potest in eo, qui necem est obiturus, qui vt eam subeat, ferat-que fortiter, animi magnitudine indiget. Quando magnus ille Apostolus Paulus, qui labores, pericula, persecutiones, mortem denique ipsam ad certamen, pugnamque prouocabat, qui mori lucrum esse arbitrabatur, ardenterque cupiebat corporis vinculis solui, vt euolaret ad Christum; tamen cùm mortem esset oppetiturus, cùm iam carnificis gladium strictum videret cerucibusque impendentem, linteolo sibi oculos velari petijt, ne atrocem illum mortis ictum intueretur. Eodem planè modo reformidat homo à natura ipsa labores, & vitam amat tranquillam, quietam, mollem ac delicatam: qui cùm fame premitur atque cruciatur, adeò eam tanquam malum quoddam vitæ perniciosum fugit, vt ad illam expellendam nihil intentatum relinquat, nihilque non aggrediatur, quantumuis id sibi vel turpe, vel ignominiosum futurum esse videatur. Exemplo esse potest illud Esau, Gen. 25. qui fame cruciatus vehementer à Iacobo fratre germano petijt, vt partem sibi lenticularum præberet, quas
Gen. 25. 31. ipse sibi Iacobus condierat; qui cùm negaret se fratri esse am illam præbiturum, nisi pro lenticulis, Esau ius ei hæreditarium concederet, tunc ille fame compulsus: *En*, inquit, *morior, quid mihi proderunt primogenita? Cui Iacobus: Iura hoc mihi. Iurauit ei Esau & vendidit primogenita.* Videte, obsecro, quò Esau fames adduxerit, vt pro vili cibo pretiosum patrimonium venderet? Sed illud profectò quod quarto libro Regum cap. 6. narratur de duabus illis mulieribus, quæ in fœua illa fame Samariæ temporibus regis Ioram in filiorum occisionem conspirarunt, magis declarat ipsius famis vis, potestas atque immanitas, quando earum alteram maternæ pietatis oblitam coegerit filium proprijs manibus interimere, & in frusta ad retinendam vitam discerpere: quo quid immanius atque horribilius, de famis vi atque fœuitia commemorari potest? quæ vt truculenta quædam bellua in proprium & innocentem sanguinem grassatur. Cum hac igitur immani & indomita fera humanæ vitæ contraria temperantia congreditur, hanc ieiunium cohibere ac refrænare conatur, vt mirandum non sit, quòd ingenti roborè, maximis viribus, assiduis armorum exercitationibus indigeat temperantia & ieiunium ad pugnandum cum illa, ad illius impetus reprimendos. Quocirca sancti olim ad sustinendam famem, quam nos vix momento quodam temporis ferimus, quotidianis se ferè ieiunijs armabant, atque muniebant, vt quo diutiùs his armis se exercerent & compararent ad pugnam, cùm in eos fames impetum faceret, eo ipsi contra illam robustiores ac valentiores existerent, atque ita sæpè vt exercitatissimi quidam peritissimique milites, qui se agnoscunt hostibus superiores, despiciebant illam, atque adeò expectabant ieiunij, quoad vires reciperet, redintegraretque prælium, vt eò glorioſior esset ipsorum victoria, quò acriùs vtrinque dimicaretur. Quamobrem quidam, cùm esuriebat, cibum, cùm verò sitiebat, potum solitus erat ante oculos constituere, vt præsentia obiecti appetitus ipse incitaretur vehementiùs, vt quò maiorem ille vel sitim vel famem sustineret, eò maiora præmia mereretur. Quòd si cuiuslibet passionis victoria magni meriti est, quantum porrò erit temperantiæ meritum, quæ in fræuanda gula, tolerandaque fame ac siti, versatur? Sanè credendum est esse maximum, quandoquidem durum est admodum atque difficile id, quod oppugnandum atque adeò expugnandum euertendum- XXXVII.
que suscipit. Neque verò solum in re ipsa est maxima difficultas, ad quam superandam sit opus magno labore, assidua inedia, parsimonia, tolerantia famis ac sitis, sed erecto etiam animo atque excelso, ingentique virtute ex parte voluntatis ad exsorbendam eandem illam difficultatem.

Vnde D. Paul. 2. ad Corinth. 6. & 11. *Exhibeamus*, inquit, *nosmetipsos in multa patientia, in ieiunijs, in fame, & sitij*, dicturus de patientia, habenda in ieiunijs, & fame ac siti, *in multa*, inquit, *patientia*. Cur in multa? quia exigua non sufficiet, sed multa opus est, quia multa & magna difficultas. Solent Reges maioribus præmijs eos milites afficere, qui maiora pericula adierunt, qui aperto se vitæ discrimini obtulerunt, quique acriùs ac fortiùs, & cum acrioribus hostibus dimicarunt: ita Deus optimus maximus præstantioribus immortalis gloriæ muneribus ornat eos, qui vehementiùs in Christiana militia spiritali pugnarunt, quibus præcipuè gloria illa simpiterna victrix fuisse constituta, iuxta illud Scruatoris nostri, Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Violentum dicitur, quod sit reluctante atque adeò repugnante voluntate. Quid igitur aliud erit cum edendi bibendique appetitu temperatum hominem pugnare, nisi vim sibi maximam inferre? nisi violentia carnis auiditatem comprimere, eamque cogere atque compellere, vt famem ac sitim proferat, quantumuis repugnet, ac reluctetur? hoc itaque est violentum se præbere hominem appetitui suo; quod quidem durius est ac difficilius, quàm cum acerrimis hostibus immanissimisque confligere.

1. Cor. 6. 11.

Matt. 11. 12.

Plutarchus in suis Apoph. narrat Anteam Scytharum regem scripsisse in quadam Epistola, quam dedit Philippo regi Macedoniæ: *Tu quidem viru Macedonibus, qui bella gerere didicerunt, imperas, ego verò Scythis, qui cum fame & siti pugnare possunt.* Hæc ille, & quidem meri- XXXVIII.
tò: quia vt alius Sapiens sapienter dixit: *Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia.* Quòd si cœleste regnum violentis tribuitur, temperatis, qui tantam sibi vim faciunt, qui se vincunt, qui appetitiones carnis cupiditatesque continent, quantum gloriæ pro præmio tribuendum esse censemus? dubium non est, quin sit plurimum. Etenim si Christus Dominus apud Matth. cap. 10. *Quicunque*, inquit, *potum dederit, &c.* Matt. 10. *non perdet mercedem*, &c. quod nullum sit opus bonum 42.

Plutarch.

à viro

à viro probo peractum, quod careat in cœlo mercede ac præmio, quamuis minimum sit ac pro nihilo ducatur, vt poculum aquæ aut quid simile Christi causa præbere, quid rogo eis dabitur in altera vita præmij, qui in hac mortali, non aquam sibi, vinum, aut cibum eripuerunt, sed famem, sitim, frigus, & alia vitæ incommoda Dei gratia perpessi sunt?

Luc.6 21. Hinc idem Christus Luc.6, *Beati*, inquit, *qui nunc esuritis, quia saturabimini*, &c. *Beati*, inquit, *qui nunc*, idest, in hoc breuissimo vitæ tempore famen sustinetis: at qualiter beati? vsque ad saturitatem; *quia saturabimini*: mensuram Christus assignat superfluentem; *1. Cor. 4. 17.* nunc erit fames, sed id, *quod in præsenti momentaneum est ac leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur*; tunc enim erit saturitas. *Psal. 15. 16.* *Sattabor*, inquit facer ille Vates, Psal. 16. *cùm apparuerit gloria tua*; quæ quidem satietas non ventrem, sed mentem æternis gaudijs explebit: quod erit præmium temperantiæ atque abstinentiæ pro tolerantia famis ac sitis in hac miseriarum plenissima vita; in illa namque *Apoc.7. 16.* felicissima *non esurient, neque sitient amplius* temperati & abstinentes homines, vt Ioan. Apoc. 7. ait, sed qua ratione non esurient, neque sitient? quia non solùm sempiternis dapibus vescentur; sed etiam Christo testante saturabuntur, & quidem sine fastidio. Felix igitur fames, quæ talem ac tantam mereturgloriæ saturitatem. Sed secus tamen illis accidet, qui corporis obsequio & indulgentiæ se totos dedunt, qui ventrem pascunt, qui se nimio cibo & crapula replent atque *Luc. 6. 26.* onerant: *Væ autem vobis*, inquit Seruator noster apud Lucam cap. 6. *qui saturati estis*: *quia esurietis*; quasi dicat, fruimini nunc ista vestra felicitate in epularum copia, & suauitate constituta, comedetis nunc, sed esurietis in æternum; infelix saturitas, quæ, cùm corporea & momentanea sit, ad æternam corporis & animi famem perducit. Quis igitur nunc non libenter esuriet, vt perpetuò saturetur? quis contra saturabitur nunc, vt postea in perpetuum esuriat in eo tenebricoso carcere & loco, vbi dies non vas, sed aquæ guttam efflagitans, nequit eam impetrare, neque misericordiam & benignitatem patris Abrahami in re illa perexigua experiri.

XXXIX. *Ambros.* Denique D. Ambrosius sermone de Ieiunio sic ait: *Serpens suasit gulam, Dominus ieiunare decreuit: gula à paradiso regnantem expulit, abstinentia à paradiso reuocauit erantem.* Quod ita planè euenit. Gula enim intulit mortem, abstinentia instauravit vitam: gula nobis ademit gratiam, abstinentia eandem restituit: gula denique nos è paradisi sedibus exturbauit, abstinentia nos in sempiternas illas beatorum sedes perducit, & ad cœlestium bonorum communionem euehit.

Quis igitur non exardescit studio huius virtutis, & eius difficultates omnes exsorbet & ad labores quoscumque eius causa subeundos comparat? nam, vt Paulus ait *1. Cor. 9. 25.* 1. Cor. 9. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Præclarè sanè: nam si qui præmia caduca & exigua comparare volunt, ab ijs omnibus abstinent, quæ sibi possunt esse impedimento, vt victoriæ palmam obtineant: cur nos, qui amplissima ac sempiterna præmia expectamus, non abstinebimus ab ijs, quæ nobis obstare possunt, quo minùs immortalis gloriæ lauream assequamur? Considerate obsecro quemadmodum idem Apostolus se immortalitatis scipsum excitat, vbi comparationem illam ex palæstra depromptam protulit: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum:* *vers. 26. & 27.* *sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Attendite quid eiusmodi spes efficiat in Paulo, videlicet vt currat, pugnet, & corpus suum tanquam mancipium quoddam corrigat atque castiget. Causam autem huiusce seueritatis idem ipse subiungit: *Ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus* *Ibid.* *efficiar.* Nolebat nimirum pro humanæ vitæ commodis diuinas æternasque opes amittere, ideoque corpus fame, siti alijsque asperitatibus volebat affligere, ne, si molliter se ac delicatè tractaret, à cœlestium gaudijs, delicijs, ac voluptatibus excluderetur: longè enim præstat fame quempiam vehementem cruciatum, sitique pariter enectum ad cœleste regnum peruenire, quàm benè pastum, beneque potum in inferas sedes deturbari.

PROPOSITIO X. XL.

Quâ ostenditur, quantopere ieiunium adiuuet orationem, vt quod velit, ac petat, impetret.

MVltum valet oratio apud Deum, multaque ab eo impetrat: verùm cùm ad illam accedit abstinentia, & ieiunium, dici vix potest, quæ vi atque impetu feratur ad Deum, vt nullus sit tormentarius puluis, qui tormenti globum sic vehementer impellat ac ferat eò, quò ab ipso emissore dirigitur; sicut ieiunium impellit ac fert ad Deum orationem. Quòd si quis in suis laboribus ac rebus aduersis solatium quærat, si suis malis remedium optet, ieiunium cum oratione coniungat, & facili negotio impetrabit à Deo, quod postulat, si eius saluti expediens magis atque conducere videatur. Neque enim diuina misericordia ferre potest, vt qui ad eam & ieiunijs afflictus & lacrymis ac precationibus supplex orator accessit, ab ipsa discedat exorator, sed eius preces exaudit, lacrymas animaduertit, ieiunia respicit, vt postulata concedat. Vnde vir quidam sanctus ait oratione & ieiunio ita iam tritam esse ac frequentatam cœlestem viam, vt quod vtraque res cœli ianitoribus familiaris admodum notaque sit, iam liber vtrique ad tribunal diuinæ misericordiæ pateat introitus.

Declarat hoc diuinus Spiritus Eccle. 35. vbi sic ait: *Ecc. 35. Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet,* 21. & 22. *non consolabitur, & non discedet, donec Altissimus aspiciat: & Dominus non elongabit, sed iudicabit iustos, & faciet iudicium, & fortissimus non habebit in illis patientiam.* Sed consideremus primùm, de quonam hic diuinus Spiritus loquatur, & quem illis verbis intelligat. *Oratio humiliantis se.* Quis est, qui se humiliat? in Scriptura sacra ille se humiliare dicitur, qui se ieiunijs affligit ac macerat. Psalm. 34. *Humiliabam*, inquit regius ille Vates, *in ie-* *Ps. 34. 13.* *iunio animam meam.* dum se ieiunijs deprimeret: quod est in quodam sensu humiliare se, quamuis alij alijs se quoque vijs ac rationibus humilient; quod quidem non obstat, quo minùs humiliare se dicitur verè de ijs, qui se ieiunijs atterunt, atque conficiunt, quorum oratio vi & impulsu ieiunij non solùm nubes, sed cœlum etiam penetrabit. *Donec propinquet, non consolabitur.* Mos est in aula regia, vt ianitores atque custodes in ipso limine adstent, qui & custodiant aditum, & inde importunam turbam arceant negotiatorum, quoad Rex ipse sui velit copiam facere, & ad se illos intro- XLI. mitti; interim verò dant illis verba ianitores, eosque commodi atque opportuni introitus consolatione sustentant, ac retinent: sed oratio humiliantis se ieiunijs non quiescit, neque vllam consolationem admittit, donec propinquet, & ad ipsum Deum deducatur. Solent præterea Reges atque Dynastæ suorũ causas nullo ferè negotio audire, statimque illas cognoscere, sed non ita facilè ac citò easdem transigere, atque conficere, quin potiùs illarum decisionem vel protrahunt, vel apertè in aliud tempus longiùs, inuitis ipsis negotiatoribus, differunt: at *oratio humiliantis se* ieiunio non discedet, *donec Altissimus aspiciat.* Non dicit, *aspiciet*, de futuro, quod moras & cunctationem non ferat; sed *aspiciat*, de præsenti; nequeidcirco molesta & rustica iudicabitur, aut nimis audax habebitur, vt haberetur fortassis, qui cùm negotio aliquo Regem adijsset, neque vllo modo vellet ab eius conspectu discedere, quoad suum videret negotium confectum; hic verò non ita accidit, vbi *Dominus non elongabit*, & vt Græcè habetur, *μακροθυμήσει non tardabit*, seu non differet, non in longum tempus

tempus protrahet, sed mox faciet iudicium, & iustitiam. *Iustos*, inquit, *inducebat*: nimirum iustis faciet iudicium. Iustorum nomine etsi communi significatione sancti viri intelliguntur, non ita tamen hoc vocabulum est ad id genus hominum significandum accommodatum atque adstrictum, vt non etiam alios, præsertim ieiunantes & affligentes se comprehendat, quia vindictam de se sumunt, & exequuntur iustitiam, cùm ieiuniis & pœnis sæpiùs afficiunt, vt tanquam iusti pœnarum acerbitate deliciarum suauitatem dulcedinemque compensent. His igitur Dominus sine vlla mora iustitiam facit, adeò vt dicatur *Fortissimus*: non habebat in illis patientiam, Græcè habetur μακροθυμεῖ, quòd est *longanimem esse*, vt idem habetur in re non absimili Lucæ 18. in parabola illa de vidua importunè iudicem appellante. Itaque quamuis Deus in alijs rebus, quas protrahit; soleat esse longanimis, quòd eas producat, neque tam cito expediat atque concludat; in his verò, quæ ad iustos in se ipsis iustitiam exercentes pertinent, nullam moram interponat, quod satis declarat illud, *Non habebit in illo patientiam*: non enim adduci poterit, vt non continuò exaudiat, quem videt supplicem, ac fame sitique enectum, atque eius statim votis optatisque respondeat. Quod sine cunctatione ipsum efficit ieiunium diuinam euocans misericordiam, vt præsto sit pœnitentibus, cœlestem gratiam atque opem ad peccata imposterum vitanda posttulantibus.

XLII. Rectè diuus Basilius homil. 1. de laudibus ieiunij, *ieiunium orationi alam* appellat. *Cùm ieiunium*, inquit, *preces nostras subuehit in cœlum, dum illis alarum vice sit, quo sursum ferantur.* Duplicem alam dicunt sacri Doctores habere orationem, eleemosynæ vnam, alteram ieiunij: vt enim volucris alis se erigit, atque euolat celeriter in cœlum; ita etiam oratio eleemosyna atque ieiunio velut duabus erecta celeri atque arduo volatu cœlum ipsum transcendit. Preces fundit temperantiæ & eleemosynæ cultor suauitate quadam affectus, non vi impulsus, siue coactus, cuius oratio non est sicut motus lapidis sursum, qui tandiu sublime fertur, quandiu durat impetus, & impulsio proijcientis, qua cessante continuò ille ima petit atque descendit: huiusmodi est oratio minimè temperati, neque eleemosynæ dediti, quæ quamuis impetu aliquo nonnihil erigatur à terra, tamen naturali pondere & grauitate in terram ipsam inclinat. Secus verò oratio ieiunantis, & eleemosynas distribuentis, quæ duabus alis euehitur in cœlum ita leniter ac suauiter, vt quamuis velociter ascendat, vix tamen commoueri videatur. Ieiunium itaque & eleemosyna orantis animum maximè excitant, vt firmam fidem habeat in oratione, & sine vlla hæsitatione confidat: quæ firma, stabilisque confidentia vehementem & constantem efficit orationem: quod in eo, qui orat, summopere desideratur, vt nihil hæsitans in oratione perseueret, cuius oratio ieiunio & eleemosyna comitata eò accidit Deo gratior, quò vtrumque pietatis officium magis eidem placet, quàm alia officia quæ piè à nobis studioseque fiunt. Ieiunio igitur & eleemosyna quasi alarum remigio supplicantis oratio penetrat cœlum, & diuinæ gratiæ thesauros referat, cœlestesque opes perscrutatur, ex quibus petit, quæ nobis ad bene honesteque viuendum necessariæ futuræ sint, cassque secum in terram defert, quibus nostri animi instructi se castos, integrosque ab omni libidinis & intemperantiæ macula seruent. Sed quis poterit recensere diuinas illustrationes in rebus dubijs ac grauibus, solatia in aduersis, remedia in rebus penè desperatis, misericordias in miseriis, virtutes esse in vehementissimo conflictu ac pugna vitiorum, victorias in atrocissimis prælijs per temperantiam atque ieiunium ab immortali Deo impetratas.

XLIII. Cùm Daniel Propheta mœstitia & ægritudine animi affectus esset, quòd statum Israelitici populi perturbatum & quasi labantem cerneret, præsentiretque impendentes calamitates, quibus populus ille à Deo delectus affligendus erat per regem Antiochum Epiphanem, atque adeò quòd suspicaretur & quodammodo diuinaret id, quod postea accidit, vt ex illo populo tot tantisque beneficijs cumulato à Deo atque instructo existeret, qui sempiternum Dei filium hominem hominum causa factum & ex ea gente ortum in crucem ignominiosissimè agerent: cùm harum rerum tristissima cogitatione conficeretur, expectans aliquod è cœlo solatium, clamabat miserabiliter ad Deum, qui vt facilius exaudiretur, ad orationem adiunxit ieiunium, idque per viginti & amplius dies prosecutus est, vt ipse testatur: *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus: panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vncti sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies.* Dan. 10. 3. Prò Deum immortalem, quàm seuerum ieiunium seruatum est à Propheta, cùm neque carnem ederet, neque vinum biberet, neque panem desiderabilem sumeret! Theodoretus ait hîc panem desiderabilem vocari eum, qui communis est, & ab omnibus expetitur ac quæritur ad vitam sustentandam, de quo nihil omnino per illas tres hebdomadas gustauit: hoc ieiunij præsidio suam muniuit orationem facer ille Vates, & perduxit quoad Angelus quidam pulcherrimus ei apparuit, tanto tamque admirabili lumine splendens, vt Daniel quamuis cœlestibus esset illustrationibus assuefactus, penè concideret, vt ipse illis verbis fatetur: *Non remansit in me fortitudo, & species mea immutata est in me, & emarcui, neque habui quicquam virium.* vers. 8. Ad quem sic Angelus: *Daniel, ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos.* vers. 12. Mira res, quòd mittatur Angelus ad Danielem, vt ei arcana diuina patefaciat, propterea quòd in animum induxerit, longum illud ieiunium suscipere, idque amplexus sit: nam ex primo die, vt Angelus dixit, statuit Deus seruo suo Danieli & solatium & occultarum rerum intelligentiam tribuere. Quòd si ieiunium ad viginti & vnum dies protractum est, ideò intelligendum est esse factum, vt quò vehementiùs ille premeretur fame, eò magis eiusdem merita crescerent, & in dies augerentur; sic enim facilitari solet à Deo ad maiorem fructum suorum: at in impetratione non item, neque enim expectat Deus vt aliquot interfluant dies à precatione rei vsque ad eius concessionem, sed à primo die afflictionis & orationis exaudit gemitus, suspiria, & clamores iustorum.

4. Regum 20. cùm Isaias Ezechiæ regi mortem in sequentem diem ex diuina sententia denunciasset, ille, qui sibi diuturniorem vitæ vsuram concedi volebat, ad parietem versus, vt iacebat in lecto, magnam vim lacrymarum profudit, & antequam egrederetur Isaias mediam partem atrij, vt sacræ Literæ testantur, *factus est sermo Domini ad eum, dicens: Reuertere, & dic Ezechiæ: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymam tuam, & ecce sanaui te, & die tertio ascendes in templum.* 4. Reg. 20. 5. Quàm citò Deus mutauit sententiam illam mortis per Isaiam prolatam? vix Isaias pedem extulerat è cubiculo Regis, cùm Deus iacentis non lachrymas, sed lachrymam aspexerat: *Vidi*, inquit, *lacrymam tuam*, qua ita placatus est, non exspectans sequentes, vt longiorem illi vitam concederet. Itaque quod hic potuit vel vna lacryma Ezechiæ, vt vix fusa aspiceretur à Domino, ibi assecutus est dies primus ieiunij Danielis, vt ab ipso afflictionis illius ingressu Deum ad exaudiendam Prophetæ orationem alliceret atque attraheret. XLIV.

Esther 4. cùm Dei populus captiuus esset in Persida sub ditione ac potestate regis Assueri, parum abfuit, vt omninò tolleretur è medio propter vnius Amanis arrogantiam elationemque animi, qui quòd à Mardochæo negligeretur, exitium moliebatur Hebræis omnibus. Iamque communis illius occisionis edicta in singulis vrbibus atque oppidis, in quibus versabantur Hebræi, fixerat, pronuntiaueratque sententiam Regis inexorabilem, vt Israelitarum nemini ignosceretur, sed

sed vita omnibus, vti iussum imperatumque erat, eriperetur. Peruenit hoc ad aures reginæ Estheris ad quã suorum defensio pertinebat, quæ vt tanto malo obstaret, hoc mandatum dedit ad Mardochæum: *Vade & congrega omnes Iudæos, quos in Susam repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo.* Ita factum est ab Esthere, abstinuit à cibo & potu tribus diebus integris, & diuinam opem ad flectendum & ad se alliciendum Regis animum imploravit, quo assecutus est, quod vehementer optabat, ardenterque cupiebat: nam cùm regium subiret aspectum, ita gratiosa extitit Assuero, vt per illam non modò vitam concederet Hebræis, sed iusserit etiam Aman in eo patibulo suspendi, quod ille paravérat Mardochæo, eodemq; supplicij genere decem eius filios affici, ac magnificas eiusdẽ ædes Esthери tradi, vt eas ipsa possideret. Tantum trium dierum ieiunium in ea causa effecit diuina ope atque præsidio, vt desperatis atque adeò deploratis rebus Iudæorum præstantissimum remedium afferret, quo illæ deletis omnino contrarijs incolumes remanserunt.

Esther.4. vers.16.

Neque verò per Estherem solùm vnà cum populo ac gente sua deditam vitatum est commune illud periculum vitæque discrimen, in quod Iudæos adduxerat superbus ille & honoris percupidus Aman; sed per Iuditham etiam fœminam honestissimam, atque integerrimam, orationis & ieiunij præsidio liberatus est Hebræus populus ab Holofernis obsidione, ac dominatu: nam cùm se viderent Hebræi omni humana ope destitutos, neque posse amplius hostilibus copijs resistere, supplices confugerunt ad Deum, vt Iudith 4. commemoratur: *Clamauit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiunijs & orationibus.* Et quamuis Deus permisit, vel potiùs passus est eos hostium obsidione adeò vehementer premi, vt statuerent se dedere, nisi intra quinque dierum spatium diuinitus sibi allatum esset auxilium: tamen idem Deus, qui suos non deserit, quique orationes, & ieiunia respicit, neque ea patitur fuisse frustrà suscepta, intra illos dies oppressis subuenit per fœminam quandam in oratione & ieiunio vitam degentem; per Iuditham, inquam, cuius singularem pudorem ac pudicitiam vnà cum cæteris animi laudibus, quæ in castissima quadam fœmina requiruntur, satis indicant sacræ literæ, cùm dicunt: *In superioribus domus sua fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ præter sabbata, & neomenias, & festa domus Israel.* Hanc igitur quamuis mulierem & viduam intra priuatos parietes abditam, & cum ancillis suis deditam lanificio, multis viris fortissimis atque adeò exercitibus copiosissimis posthabitis delegit Deus ad abscindendum Holoferni caput, eiusque copias omnes fugandas non sine magno hostium dedecore ac turpitudine, vt maximus honor haberetur ieiunio & orationi vnius mulieris, quæ propter continuata ieiunia cum assiduis precibus fusis ad Deum merita est & insignem illam ex sui populi hostibus reportare victoriam, & ieiunantes ac sese Deo subijcientes Holofernis capite tanquam præclaro quodam & manifesto victoriæ trophæo adspem gloriosissimi triumphi erigere atque incendere, qui postea maxima totius populi frequentia celebratus est, in quo quidem ab omnibus communis eorum omnium salus, honor, lætitia Iudithæ secundùm Deum referebatur, vt videlicet dum victrici tantus honor & gloria ab vniuerso populo tribueretur: arma manerent posteritati satis commendata, quibus illa vicerat, quæ fuerunt oratio & ieiunium, quibus Iuditha multò magis, quàm dextera & gladio trucidauit Holofernem.

Iud.4.8.

Iud.8.5.

XLV.

Vide sup. in 1. propos. in fin. De ieiun.

S. Cyprian. *Quotquot viros virtutum vidimus, sine ieiunio non legimus ascendisse, neque aliquid magnum moliti sunt, nisi prius abstinentia præcessisset. Quoties à Deo aliquid obtinere conati sunt, ieiunijs incubuerunt, & pernoctantes in orationibus, cilicijs carni inhærentibus supplices beneficia postularunt, &c. nec defuit prouentus, vbi ad pedes Dei sacrificium contriti cordis offerens se prostrauit humilitas, sed propè fuit inuocantibus se Deus, & porrexit naufragis manum, & subuenit afflictis, efficax est oratio præcedente ieiunio.* Ita S. Cyprianus.

Nio Chrẽ-sti.

Est autem exemplum aliud apud Tobiam 3. satis ad hanc rem, de qua differimus, accommodatum. Sara virgo nobilis & honesta, antequam Tobiæ adolescenti nuberet, septem habuerat sponsos, quos sibi dæmon quidam nomine Asmodæus nuptiarum nocte in ipso thalamo occiderat; quapropter illa mœrore maximo iacebat affecta, & quod eandem ob causam ab ancilla quadam, quam ipsa acriter obiurgauerat, conuicio illa agitata esset: *Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. Nunquid & occidere me vis iam, sicut occidisti septem viros?* quâ contumelia sic illa commota est, vt ad declinandum illud opprobrium, ad Deum confugere decerneret, qui eius in obiecto crimine innocentiam indicaret. Itaque se in penetralia domus abdidit, ibique per triduum à cibo ac potu omnino abstinuit in orationem intenta atque infixa, quo tempore transacto hisce verbis institutam terminauit orationem: *Peto Domine, vt de vinculo improperij huius absoluas me, aut certè desuper terram eripias me,* cuius orationi non defuit Deus, propterea quòd non soleat ipse deesse supplicibus, & quod eiusmodi orationi sociatum fuit trium dierum ieiunium, quapropter datus est Saræ sponsus Tobias, à quo illa fortunatam fæliciemque sobolem suscepit.

Tob.3.

vers.9. & 10.

Vers 15.

Cùm Esdras dux Israelitici populi vehementer cuperet populum sibi commissum in libertatem asserere, eumque à Babylone eductum in Hierosolymæ sedes restituere, neque haberet vires aut facultatem ad illud exequendum; quod nimirum omnes humanas vias cerneret interclusas, humano præsidio destitutus ad diuinum confugit, quod vt impetraret, ieiunium indixit, vt idem ipse illis verbis testatur: *Prædicaui ieiunium, vt affligeremur coram Domino Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectam nobis & filijs nostris vniuersæ substantiæ nostræ. Ieiunauimus autem, & rogauimus Deum nostrum pro hoc, & euenit nobis prosperè.* Vide & pondera exemplum Niniuitarum.

Esdr.8.

XLVI.

vers.21.

vers.23.

Denique vt hoc de ieiunio cum oratione claudamus, verba illa Eliachim sacerdotis maximi proferemus, quibus ille allocutus est populum, cùm in eum suis copijs irruit Holofernes, Iudith. 4. *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiunijs & orationibus in conspectu Domini*, quibus verbis satis ostenditur, quantum sit fidendum orationi, cùm ad eam accedit ieiunium, quod illa corroborata magnam habet vim ad obtinendum, quod postulat à Deo. Quapropter ad orationem ieiunium adhibeat, qui à diuina supremaque maiestate voluerit aliquid impetrare.

Iud.4.12.

Venerunt gentes aduersus populum Israel cum exercitu valido: sed filij Israel ad Dominum confugerunt, *& ieiunauerunt*, inquit, *illa die, & induerunt se cilicijs & cinerem imposuerunt capiti suo*, &c. Vide quibus armis se aduersus hostes armauerint Machabæi: *por peto deacero vn silicio, por murion ceniza sobre sus cabeças, la refeccion para entrar en el trabajo de la batalla aiuno.* Quo manifestè demonstrarunt victoriam se à Deo expectare: vt autem illam à Deo impetrarent, pœnitentia se & ieiunio munierunt; hæc enim à Deo quid non obtinebunt?

1. Machab. 3. & 4.

Ieiunium à quibusdam sic pingi hieroglyphicè solet: *Columba in campo deaurato, ramum oliuæ rostro gestans*, ecce ieiunij symbolum. Columba quidem est auis celeriter volans, sic ieiunium volatu suo cœlos pertingit, & facit, vt oratio ieiunantis ad Dei tribunal facilè conscendat, in campo aureo, quia sicut aurum diuitem reddit possessorem suum, vt felicet habeat quo debitoribus suis satisfaciat, & necessitatibus suis prouideat,

deat, sic ieiunium: gula enim diuites reddit pauperes, omnia enim temporalia bona consumere solet: qui verò à sumptibus gulæ abstinet, facilè habet, quo creditoribus suis satisfaciat, imo & Deo ipsi, cui propter peccata debitores sumus, satisfacit nimis: & insuper habet abstinens bona quibus suis necessitatibus prouideat; vnde merito in aureo spatio pingebatur, denique rostro suo ramum oliuæ gestat, sicut columba Noë; sicut enim ramus ille Dei misericordiam significabat, sic etiam ramus hic: nam ieiunium quid non à Deo impetrabit? &c.

PROPOSITIO XI.

Quâ declaratur quantopere temperantia iuuet sapientiam, meditationem, & intelligentiam ad spiritales exercitationes.

ET ratio & experientia docent temperantiam aptissimam esse ad omnes mentis actiones, in quibus animus maximè, vt rectè exhibeantur, pendet à corpore; vnde quò quis moderatior est, eò est magis idoneus ad excogitandum, intelligendum, contemplandum, & cæteras mentis exercitationes peragendas. Temperatus autem humores alit subtiles, quorum subtilitas conducit maximè ad acumen ingenij: nam temperati hominis animus cùm actionibus corporis minimè sit occupatus, paratus semper est atque aptus ad mentis actiones exercendas, quia corpus ipsum cùm abstinentia subleuatum sit, nullum affert impedimentum animo, quo minùs queat spiritualibus se actionibus exercere.

Quemadmodum non satis est ad harmoniam suauitatemque sonitus, esse aliquem perdoctum in fidibus, si ipsi nerui, quos pulset, inter se discrepent, atque dissentiant; sic etiam ad concentum partium superiorum in animo non satis est mentem ipsam sagacem solertemque esse & suapte natura aptam ad modulandum, hoc est, ad moderandas & perficiendas internas actiones; nisi corpus, quo tanquam instrumento vtitur ad eiusmodi actiones, sit etiam rectè temperatum. Quod sanè non erit, si ciborum multitudine repleatur, quorum crassitudo mentis aciem retundat, & crapula intelligentiam impediat, ne se co-
XLVII. gitando, intelligendo ac perscrutando aliquid commodè exerceat.

De Daniele, eiusque socijs narratur Dan. 1. cùm erant delecti ad inseruiendum regi Babylonis, & ad eam rem ab Eunuchorum principe, cui commissi fuerant, omni disciplina instruebantur, recusasse vehementer conquisitos illos delicatosque cibos, qui eis è mensa regia ad victum iussu Regis erant præbendi, ac delegisse legumina, & alias herbas agrestes, quibus se ipsos alerent, temperatè, ne luxuriæ effœminati & molles redderentur, ne vè, quod potius erat, illis se cibis atque epulis contaminarent. Huius autem abstinentiæ præmium Scriptura sacra ibidem subiungit, cùm dicit:
Dan. 1. 17. *Pueris autem his dedit Deus scientiam & disciplinam, in omni libro & sapientia*; his, inquit, qui temperantiam in eo statu vitæque genere studiosè coluerunt. Et quamuis sacræ literæ dicant tribus illis pueris tributam esse sapientiam multam à Deo, hoc tamen non excludit ipsius temperantiæ effectum: nam per temperantiam concessa est illis tanta sapientia, vt intelligamus ad comparandam sapientiam inter alias vias atque rationes hanc abstinentiæ ac temperantiæ esse præcipuam: nam sine temperantia, vel assidua cura & diligentia in literis parum efficiet; vt si quis hebeti obtusoque gladio vellet aliquid abscindere, quamuis omnes in eo neruos contenderet, minùs post multum temporis faceret, quàm qui acuta acie illud idem per breue tempus efficere conaretur.

Hanc ob causam & viri olim sancti, & præcipuè veteres solitudinis cultores adeò erant lectioni, orationi, meditationi dediti, vt non solùm dies, sed etiam noctes in huiusmodi rebus consumerent, interdum à sensibus omninò abstracti, in raptu, & mentis stupore: nam cùm temperantiam sic colerent, vt parum cibi, vt sæpenumerò nihil ad sustentandam quotidie vitam capesserent, mens erat soluta quodammodo & libera à corpore, vt eius cura neglecta rationis & intelligentiæ actiones exerceret.

Quàm autem vtilis sit temperantia ad intelligendum, rectè patet ex eo, quod matutino tempore experimur, postquam natura ipsa cibum vitali calore decoxit, in sanguinemque conuersum per venas corporis distribuit: tunc enim aptiores se homines sentiunt ad cogitandum, quàm eo tempore, quo natura in prandij vel cœnæ decoctione ac digestione est occupata. Vnde exijt dictum illud vulgatum:

——— *Aurora gratissima Musis.*

Apud Ecclesiasten ita loquitur Sapiens: *Cogitaui in corde meo abstrahere à vitio carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitaremq; stultitiam*: qui quamuis sapientissimus esset, ita vt sapientiæ opibus circumflueret, expetebat adhuc sapientiæ absolutionem, ad eiusque vehementer contendebat fastigium, qui cùm de via & ratione cogitaret, qua ad summam sapientiæ laudem perueniret, nullam aliam inuenit magis accommodatam atque directam, quàm eam, quam temperantia commonstrat. Neque enim satis est euoluere libros, & magistros audire sapientes ad perfectam comparandam sapientiam, si intemperans sis, si vires animi nimio cibo oppressæ atque obrutæ sint; sed oportet vt in cibis modum adhibeas, vt temperantia & corpus & animum temperes, vnde nomen traxit hæc virtus, quia corpus temperat, ipsumque habile ad mentis actiones efficit. Dixerat autem Salomon, *Dixit in corde meo: Vadam & affluam deliciis, & fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas*: posteà verò quasi animaduertens quid esset optimum, quidque omnium præstantissimum, subiunxit verba, quæ suprà recitauimus, *Cogitaui in corde meo*, & quæ sequuntur: neque verò existimandum est solùm abstinuisse à vino sapientem, sed etiam ab aliis rebus ad victum comparatis, quarum abstinentia & temperantia necessaria esse videbatur ad meditandum sapientiam. XLVIII. *Eccl. 2. 3.* *Eccl. 2. 1.*

D. Gregorius, Christianæ reipublicæ Doctor egregius, cùm eodem sapientiæ studio, quo Salomon, exardesceret, eandem virtutem amplexus est, qui quibusdam herbis vescebatur, sibi à pia Syluia parente optima suppeditatis, quo temperantiæ genere assecutus est, vt & tot libros scribere, & tot tantarumque rerum intelligentiam & cognitionem adipisci posset. Diuus autem Hieronymus multa de se in hoc eodem abstinentiæ genere narrat, quæ in maximam legentes rapiunt admirationem, qui temperantiæ præsidio, diuinaque gratia sacrarum literarum occulta, arcana reconditaque mysteria explanauit egregiè. Notum est præterea, diuum Basilium concionatorem insignem eloquentissimumque Theologorum omnium extitisse, quem etiam constat abstinentissimum fuisse. Iam D. Bernardi singularis sapientia perspicua est, cuius ille causa neque frequentauit Gymnasia, neque vt Apollonius conquisiuit magistros, à quibus eruditetur ac doceretur sapientiam, sed diuino sibi beneficio tributam esse idem ipse confitetur: cuius temperantia adeò fuit etiam singularis, vt eum tanta parsimonia & abstinentia posse viuere mirum planè videretur. Denique nullus fere Sapiens inter Sanctos vel etiam philosophos extitit, qui vnà cum sapientia temperantiam non amaret, & coleret, quod videlicet intelligerent pernicioſam valde esse ciborum copiam & crassitudinem ad acumen ingenij, & subtilitatem intelligentiæ. *D. Greg.*

D. Chrysostomus hom. 1. in Genes. *Ieiunium*, inquit, *D. Chrys.*
animæ nostræ est alimentum, & sicut corporalis iste cibus impinguat

pinguat corpus, ita & ieiunium animam habiliorem efficit & valentiorem, leues ei pennas producit, vt in sublime feratur, vt summa contemplari queat, voluptatibusq; & omnibus, quæ in hoc mundo habentur, ipsa sit superior: & sicut leuiores naues maria velocius transeunt, contra multis oneribus grauatæ submerguntur; ita ieiunium quidem leuiorem reddens mentem efficit, vt facilius huius vitæ pelagus transmittat, & in cœlum, ac ea, quæ in cœlis sunt, respiciat, & nihil faciat præsentia, sed vt vmbras, & si quid minùs diffugere censeat.

2.Cor. 6. 4. D.Paulus 2.Cor.6. *Exhibeamus*, inquit, *nosmetipsos sicut Dei ministros*, &c. *in ieiunijs, in castitate, in scientia*, &c. Cùm autem rationem reddat D.Thom.2.2.q.147.art. 1. cur post ieiunium numerauerit Apostolus castitatem, *quia per ieiunium*, inquit, *castitas conseruatur*; deinde ieiunijs scientiam adiunxit, quia hæc illis comparatur, & tanquam effectus ex causa sequitur.

XLIX

D.Thom. D.Thom.2.2.q.147. art.1. sic ait: *Ad hoc assumitur ieiunium, quo mens liberiùs eleuetur ad sublimia contemplanda: vnde dicitur Dan. 10. quod post ieiunium trium hebdomadarum reuelationem accepit à Deo.*

Abulens. Abulensis Matth. 6. q. 174. *Ieiunium*, inquit, *eleuat mentem hominis disponendo eam ad Deum, & ista est causa, quare in precipuis solennitatibus sanctorum Apostolorum vigilias ieiunamus, scil. vt per ieiunium mens nostra disponatur & eleuetur ad dignè celebrandum solemnitatem illam, & percipiendum fructum ex ea, atque ideò in ieiunij prefatione dicitur Deo; Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas*, &c.

Iob. 18. 2. Iob 18. *Sapientia vbi inuenitur? & quis est locus intelligentiæ? nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium.* Quærit sanctus Iob in hoc capite, qua in re consistat sapientia, & priusquam ostendat id in quo illa sit posita, explicat, quibus in rebus sita non sit, ac primùm omnium, quod excludit à ratione sapientiæ tanquam quid à sapientia alienum atque remotum, est voluptuosæ vitæ domiciliũm. *Non*, inquit, *inuenitur in terra suauiter viuentium*, qui sunt homines epulis, conuiuijs, voluptatibus dediti, qui dies noctesque in pascendo atque replendo ventre consumunt, in quorum domibus non inuenitur sapientia, nisi in ædibus temperatorum hominum, quia sapientiæ non est locus, vbi intemperantia dominatur.

Sophocles Sophocles Philosophus ait magistram consiliorum prudentum frugalitatem esse: magistram eam appellat, quòd magistros efficiat bonorum consiliorum eos, qui ipsam coluerint, propterea quòd iudicium in eis sit magis solutum ac liberum ab omni redundantium vaporum crassitudine. Vt enim cœlum hoc, quod oculis cernimus, cùm è terra in ipsum non erumpunt neque exhalantur vapores, apparet clarum atque serenum: secus verò cùm illorum est magna copia, vel caligine seu nebulis oppletur, vel nubibus totum obducitur: ita planè ingenium nostrum, si ab stomacho vaporis crassi ex nimio cibo & crapula in ipsum ascendunt, ita offenditur ac perturbatur, vt nihil possit excogitare: si verò moderati excitentur vapores, quibus illius vires reficiantur ac recreentur potiùs quàm opprimantur, tunc serenitate quadam perfruitur, qua pacatè & cogitando cognoscit, & cognoscendo intelligit id, in cuius inuestigatione versatur.

Hieron. Diuus Hierony. in epistola ad Nepotianum; *Pulchrè*, inquit, *apud Gracos, Pinguis venter non gignit tenuem mentem.* Ratio huiusce rei est, quod nihil possit esse causa contrarij sui, quod cùm hebetudo & acumen, crassitudo & tenuitas opponantur, pinguis venter, vt Diuus Hieronymus ex Græcis refert, non poterit gignere tenuem mentem.

L. Idem Hieronymus ad Lætam. *Indorum*, inquit, *Bragmani, & Ægyptiorum Gymnosophistæ in polenta, & oryza, & pomis solummodo victitabant, vt animum transferrent ad sapientiam. Si ergo illi tanti vitrum comparabant, cur non maiori nos pretiosissimum æstimemus margaritum?* quasi diceret, si illi vt nonnullam naturalium rerum cognitionem assequerentur, parcissimè viuebant, quid nobis faciendum erit, vt diuinarum rerum intelligentiam assequamur? si illud ijdem illi fecerunt humanæ sapientiæ causa, cur nos non idem sustinebimus propter diuinam? ad sapientiam enim temperantia nos præparat, idoneosque facit; vnde idem Hieronym. ad Furiam ita loquitur. *Quando comedis, cogita quod tibi orandum & illico legendum sit*: vt autem illi temperantiam commendet atque suadeat, monet, vt secum cogitet sibi legendum postea esse ac meditandum, quæ munera intemperatus homo ciboque repletus commodè præstare non poterit.

Idem Hieronymus in suis epistolis ita loquitur: *Galenus, vel doctissimus Gulæ interpres, ait eos, quorum vita & ars sagina est, nec viuere posse diu, nec sanos esse, animasq; ita nimio sanguine & adipibus quasi luto inuolutas nihil tenue, nihil cœleste, sed semper de carnalibus eructare, & ventrij ingluuiem cogitare.* ex quo quidem intelligitur hoc, quod de ingeniorum hebetudine dicimus orta ex intemperantia cibi ac potus, non tam excogitatum quid habendum esse, quàm verum, quandoquidem id & doctrina doceat, & experientia.

Bernard. Bernard. super Cant. *Abstinebo*, inquit, *à vino, quia in vino luxuria est, aut si infirmus sum, modico vtar iuxta consilium Pauli: abstinebo & à carnibus, ne dum mihi nimis carnem nutriunt, simul & nutrianr vitia carnis. Panem etiam ipsum studebo sumere cum mensura, ne onerato stare ad orandum tedeat.* Hæc Bernardus. Et sanè meritò; nam cibis repletus aptior est ad dormiendum, & crapulam exhalandam, quàm ad vigilandum, atque orandum.

Denique vt accipiter benè pastus ciboque onustus non est ad aucupium aptus, propterea quòd cibo grauis non potest assequi celeres atque arduos auium volatus: contra verò eos assequitur, prædamque facit cum modico cibo, vel etiam nullo adhibito leuis est ad aucupandum, ita etiam homo cibo plenus ægrè se quidem erigit ad contemplationem rerum cœlestium: secus autem cùm vel ieiunus est, vel temperato cibo refectus, tunc enim altiùs euolat, & solertiùs veritates cogitando indagat atque exquirit.

PROPOSITIO XII.

Quanto: erè iuuet temperantia castitatem.

LI. INter ea, quæ temperantia efficit, tam in hominum animis, quàm corporibus, præcipuum locum tenet virtus castitatis, quam temperantia in primis gignit, nutrit atque conseruat; vt intemperantia & gula libidinem atque lasciuiam, quod vitium oritur ex carnis luxurie atque vigore, qui si temperantia adhibita subtrahatur, continuò deseruescit caro, non secus ac si igni materia subtraheretur, quo sensim vigorem amitteret; eò quidem magis, quò minùs comburendum haberet; sic quò minùs cibi corpori præbetur, eò minùs fouetur libido, & quo minùs est libidinis, eò plus est continentiæ & castitatis.

Climach. Diuus Ioannes cognomento Climachus, in hanc sententiam ita loquitur: *Qui dum ventri obsequitur, fornicationis spiritum vincere vult, is ei similis est, qui oleo incendium extinguere nitretur.* Et rectè quidem; quia cibus est velut oleum, quo fouetur ardor & flamma libidinis, & velle à se quempiam repellere libidinem nimio cibo, non secus est ac velle à se reijcere canem aliquem ei passim panem suppeditando: est enim importuna carnis libido, & crescit delicijs.

S.Thom. S.Thom.2.2.q.147. art. 1. Assumitur, inquit, ieiunium ad carnis concupiscentias reprimendas. Vnde Apostolus 2.Cor.6. ait. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, &c. in ieiunijs, in castitate &c.* quia per ieiunium castitas conseruatur. Vt enim Hieronymus lib.2. contra Iouinianum in fine, sine Cerere, & Baccho friget Venus, id est, per abstinentiam cibi & potus luxuria tepescit. 2. Cor. 6. 4. & 5. Hieron.

Iccirco antiqui illi solitudinis cultores temperantiam summopere colebant, quia videbant ex ea pen-

dere castitatem, quam se retinere posse perdifficile existimabant sine ipsius temperantiæ præsidio, quo muniti seruabant se castos atque integros: idque non sine magna difficultate propter assiduas corporis affectiones appetitionesque carnis, quibus vehementer oppugnabantur. Credi vix potest quod D. Hieronymus de se scribit, vt carnem domaret, eiusque emergentes cupiditates contineret. Quod si viri illi sanctissimi cùm non tam corpora, quàm simulachra quædam corporum gestare viderentur, carnis appetitiones cohibere vix poterant, quid rogo facient, qui eam molliter delicateque tractant, ac magna ciborum copia nutriunt? dubium non est, quin huiusmodi homines carnis impetu præcipites agantur, quandoquidem viri sancti ac temperati vix se continere possint, ne longiùs, quàm par est, in tuenda valetudine corporis excurrant.

Am. 6. 18. Amos 6. *Væ qui opulenti estis in Sion, &c. qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratu vestro, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, bibentes vinum in phialis*, &c Primùm Propheta locutus est de lasciuia, deinde sermonem subiunxit de gula, *qui comeditis*, &c. id est, optimum ac delicatissimum quidquam de grege; quod quidem ostendit esse causam lasciuiæ, quæ vnà cum libidine ex intemperantia cibi & potus proficiscitur.

Ezech. 16. 49. Ezechiel. 16. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia.* Scitum est Sodomam fuisse sentinam quandam flagitiorum, quorum causam hoc loco tradit hic sacer Vates superbiam fuisse, saturitatem, & abundantiam deliciarum: nam vbi abdomen & gula dominatur, ibi necesse est dominari quoque libidinem.

LII.

Sed vt sigillatim de temperantia in vino loquamur, expedit maximè, vt modicum adhibeatur ad potum, quod nimirum valdè noceat castitati. Vnde D. Paulus *Paul. Ephes. 6. 18.* ad Eph. *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria*: nam in illa suauitate, quæ ex vini hausti ab intemperante percipitur, planè latet virus luxuriæ.

Prou. 20. Prouerb. 20. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicunq; his delectatur, non erit sapiens.* Luxuriosum ac lasciuum inquit esse vinum, vt significetur eum, qui vinum moderatè non bibit, vnà cum vino luxuriam bibere.

Hieron. D. Hier. epist. 85. ad Oceanum. *Venter*, inquit, *mero æstuans, citò despumat in libidines*: vbi ebrietas, ibi libido dominatur, & furor: nam si qui modum tenet in potu, neque plus haurit vini, quàm quod sibi esse sentit ad valetudinem, vix se ab effrænatis corporis motibus defendit, quid porrò facit, qui modum nescit in vino?

Ambros. Diuus Ambrosius de Elia & Ieiunio, c. 4. & 5. de hac re ita loquitur. *Legimus, quod patrem Loth inebriauerunt filiæ in monte, ad quem timentes incendium Sodomitarum confugerant*, &c. Fuit itaque ebrietas origo incesti, pessimæ regenerationis partus deterior, vnde incestum, quem nunquam Loth ausus esset admittere, dum vteretur ratione, ex eius sede deturbatus per vinum, turpiter quidem commisit, & quod audaces filiæ alia via assequi non poterant, vt ex patre susciperent filios ad conseruandam posteritatem, id assecutæ sunt per vinum, quo patrem ebrium ad suum facinus reddiderunt.

Gregor. D. Gregor. ad Augustinum Anglorum Episcopum loquens de diebus ieiunij, sic ait: *Piscium esus ita Christiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium.* Ex quo sanè colligitur quid sibi velit Ecclesia, cùm filijs suis præcipit ieiunium. Quæ id quidem spectat, vt carnem coërceat, ideoque carnium esum interdicit tempore ieiunij, & quidquid præterea ad carnes pertinet, vt ea ratione frænetur caro, & subijciatur spiritui, ac rationi parçat appetitus.

Rom 13. D. Paulus ad Rom. 13. *Sicut in die*, inquit, *honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs*; coniunxit nimirum Apostolus hæc duo vitia gulæ, & luxuriæ, quia se identidem comi-

LIII.

tantur, & vnum præit tanquam libidinis causa atque principium, alterum verò subsequitur.

Ignis fouetur lignis, quem tamen si extinguere velis per ablationem lignorum, id facilè præstabis. Ignis est concupiscentia carnis animam ipsam adurens. Sicut igitur ignis extinguitur per ablationem lignorum, ita etiam carnis concupiscentia, & lasciuia per ablationem ciborum. Ideo sancti viri victoriam de carne reportarunt, quia cibos subtrahebant, quibus caro luxuriam nutrit & fouet: is enim, qui lasciuiam pellere se velle dicit, & epulis vacat, similis est illi, qui canem à se abijcere vult, & panem ei tribuit; vel, vt in eadem metaphora perstamus, similis est illi, qui volens extinguere ignem, oleum in ignem ipsum mittit; cibus enim huiusmodi oleum est lasciviæ. Quod si is, qui ieiunat, & perfectam seruat abstinentiam, bella frequenter aduersus castitatem patitur, quid de illo dicendum erit, qui delicatè & sumtuosè manducat & bibit? vnde Orig. *homil. 10. in Leuitic. Quomodo incorrupta seruabitur castitas, nisi arctioribus subsidijs continentiæ fulcita?* Ita ille.

PROPOSITIO XIII.

Quantoperè conducat abstinentia ad carnem spiritui subijciendam.

Caro, inquit Apost. ad Gal. 5. *concupiscit aduersus spiritum.* Magna hæc est superbia carnis: nam ancilla cùm sit spiritus, aduersus illum audet rebellare? superba est valde. *Carnis ergo terat superbiam potus cibiq; parcitas.* *Gal. 5. 17.*

S. Basil hom. 2. de laudibus ieiunij: *Sicut oleum obliuit athletam, ita ieiunium robur addit ei, qui ad pietatem se exercet.* Ita ille. Quantum igitur subtraxeris virium corporis superbientis, tantum superaddes spiritui reluctanti: quod si carni rebellanti, delitijs, & comessationibus places, facilè caro spiritum superabit; siquidem ipsa etiam castigata fœpiùs vincit. *Basil.*

S. Hierony. super Marcum: *Non sanat oculum, quod calcaneo adhibetur: ieiunio passiones corporis, oratione mentis pestes sunt sanandæ.* Ita S. Hierony. qui ad eos verba dirigit, qui oratiunculis quibusdam, absque vlla carnis maceratione, se facilè sanctos fieri confidunt, cædendus est hostis, qui cædere conatur. Oratio ad impetrandum diuinum auxilium, ieiunium verò ad carnem domandam ordinatur. *Hieron.*

Genes. 16. Agar ancilla Sarai post coniugium cum heroe suo Abraham erexit se, & Saram dominam suam despexit. At illa concepisse se videns, despexit dominam suam, ait ibi textus sacer, antea cùm veluti famula humiliter tractaretur, obediens & subdita erat; postea verò inobediens & contumax fuit. Idem prorsus de carne nostra dicendum, &c. ancilla est, &c. *Gen. 16.*

Deuter. 32. agens Moyses de fauoribus & beneficijs, quibus affecit Deus populum Israel: *Constituit*, ait, *eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleumq; de saxo durissimo: butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan, & hircos cum medulla tritici, & sanguinem vuæ biberet meracissimum.* Quid verò inde? *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus; dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Metaphora est sumpta à nutritoribus equorum; nutrit quis equum ingenti cura, cibaria optima suis temporibus ei tribuens, stabulum accommodans, & mundans, & nihil negligens eorum, quæ ad curam equi videntur necessaria, impinguatur sic equus, incrassatur, & dilatatur, vult herus ascendere super illum, equus autem vigore & robore corporis vigens, id non patitur, sed saltibus, & calcibus, & morsibus ascensorem expellit, & proijcit procul: ita recompensat beneficia à domino suo recepta. Cibauit Dominus Deus populum suum pane cœlesti, & ab Ægypto liberum in terram promis- *Deut. 32. 13.* LIV.

promissionis duxit, aquam optatissimam miraculosè, ex silice manare fecit, &c. incrassatus autem dilectus recalcitrauit, tanquam indomitus equus. Ita nimirum corpus nostrum delicatè nutritum, & educatum deliciosè, incrassatum recalcitrat, & aduersus spiritum nostrum rebellat, &c.

August. S. Augustinus. lib. de vtilitate ieiunij; *Nemo audiat tentatorem intrinsecus dicentem: Quid facis, quia ieiunas? defraudas animam tuam, tibi ipsi ingeris pœnam; tuus ipse tortor existis; crudelis est, qui delectatur malis tuis. Respondeo: Excrucio me, vt Deus parcat, do pœnas, vt illis subueniat: nam & victima excoriatur, vt in ara imponatur, & vt minus premat mentem meam caro mea. Si equo vtereris, qui te gestiendo posset præcipitare, nonne, vt securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres: & fame domares, quem fræno non posses? Caro mea iumentum meum est, iter ago in Hierusalem, & plerumque me rapit, & de via conatur excludere, hoc non ego cohibebo ieiunio?* Ita S. August. & lib. de salut. monitis, cap. 10. idem Sanctus: *Si equus (ait) frena sunt imponenda, sic corpora nostra ieiuniis, & vigiliis, & orationibus sunt frenanda: nam sicut auriga, si frena laxauerint, per præcipitia ducuntur; ita anima nostra, cum ipso corpore, si ei frena non imposueris, ad inferni præcipitia dilabitur.* Ita sanct. Augustinus.

Climac. S. Ioannes Climac. gradu 26. *Sicut est impossibile, vt serpens vetustatem exuat, nisi angustam rimam prius ingrediatur; ita nec nos vetustatem hominis veteris, nisi per angustiam ieiunij & ignominiæ viam transeamus.*

Idem gradu 48. *Sicut terra si moderatè fuerit irrigata, semen sparsum, quod excipit, cum multa fertilitate effundit, multis verò imbribus madefacta, spinas & tribulos producit; sic terra cordis, si moderato vtamur victu, semina sibi innata atque infita pura reddit: si verò potu madeat, ex omnibus cogitationibus suis tribulos procreat, & spinas.* Ita ille.

LV. Dices: Quamuis caro sit delicatè enutrita, tentationibus eius ego viriliter repugnabo. Vtinam, frater, carnem ieiunijs afflictam, & semimortuam vincas! est enim pugna quæuis carnis vehemens, & difficilis expugnatu. Vide Hieronymos, & Hilariones in eremo pœnitentijs & maceratione carnem vexantes, vix se ab illa defendere posse; quid tu delicate miles, qui delitijs vacas, præstare promittis? Quare Sancti qui luctantur, non solùm procurant inimico resistere, verùm etiam illum in terram deturbare? sic qui cum carne luctatur, non solùm ille resistere quomodocumque, sed subijcere conetur, ne illi eueniat, quod vulgò dici solet; *El que a su enemigo popa a sus manos muere.*

Venator qui herodium vult securè secum retinere, & ad manum redire, eum fame laborare finit; fames enim illum ad venatoris pugnum facilè reducit; sic qui carnem sibi subditam, & voluntati parentem habere desiderat, eam oportet fame afficiat.

Quemadmodum in obsidione dux curat ne cibaria ad obsessos deferantur, vt fame eos sibi subijciat, *Tomar los por hambre*; sic caro inimica fame vincenda est.

Quapropter sicut inimicis adimenda sunt arma, & omnia quæ illis opem & robur addere possint; sic carni animus & animi impetus retardandi, seu potiùs frangendi sunt, ne si magnos animos aduersus spiritum sumpserit, facilè vincat, & secum animam in infernum deturbet.

Tract. de ieiun. & tentat. Christi. S. Cypria. *Ieiuniis vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluptates, extinguitur ardentis Ætnæ incendium, & flammiuomi fornax Vulcani extincta intrinsecus montes conterminos non adurit. Ieiunium omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ exarmat. Ieiunium carnes azymas mundat, & solidat, & putredines, quæ ex adipe prodeunt, consumit & siccat.* Ita ille.

Inter tres animæ inimicos caro primum obtinet locum; est enim tantò maior, & acrior, quantò familiarior inimicus est; quem occidere non licet; imò quem alere & sustentare debemus, & eius conseruationis agere curam, quique tantò acriùs aduersus nos pugnat, quantò suauiùs eum foucmus: vnde ingemiscens dicebat Apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* *des dichado demi quien me librara de la guerra que me haze este cuerpo mortal que traygo cuestas?* vbi S. Anselmus: *Hæc est vox militis pugnantis, & gementis in labore certaminis.* Ita ille. Quòd si ille magnus & eximius Christi athleta, qui primitias spiritus accepit à Deo, sic sub onere gemit, quid nos miseri faciemus? Quid igitur est, ô Apostole Christi, quod te ita gemere facit? *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati.* S. Anselmus: *Video aliam legem, id est, prurigi-* *Ibid.* *nem peccati in membris meis, vt in auribus ad audiendum illicita, & in oculis ad concupiscendum, &c. repugnantem legi mentis meæ, id est, rationi, quæ est lex naturaliter scripta in corde hominum, captiuantem me in legem peccati, hoc est, captiuare conantem, & ad consentiendum me cogentem, & mouentem ad illicita desideria, quæ tantò periculosior est, quantò vicinior.* Ita S. Anselm. Denique idem Apostol. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem; hæc* *Ad Gal.* *enim sibi inuicem aduersantur.* Vbi S. Ansel. *Et hoc est grauc & intestinum bellum.* Ita ille. *5.17.*

Hinc quidam ex nostris Poëtis: *En la guerra que peleo do miser es contra si; pues yo mismo me guerreo, defienda me Dios de mi.* LVI.

Quid igitur nobis agendum, cùm adeo crudelis inimicus noster sit caro, & eam occidere nobis non liceat? non licet quidem eam occidere, licet tamen mortificare; imò opus est eam mortificare, vt sub potestate spiritus contineamus: quod quidem ieiunio maximè fit; ieiunio enim infirmatur hic inimicus, & potentior redditur spiritus noster. nam, vti asseruit de se idem Apostolus. *Cùm infirmor, tunc potens sum.* & *2. Cor 12.* loquitur de doloribus corporis, quos patiebatur, vt *Augusti.* ait S. August. Cùm igitur per ieiunium infirmatur ca- *Super Ps.* ro, tunc potens spiritus noster efficitur: qui autem de- *30.* licatè cibat & nutrit eam, inueniet eam contumacem, & repugnantem nimis rationis iugo, vt quidem quotidie experiuntur qui cibis potibusque vacant.

Dices: Debilis nimis fio, si ieiunauero. Respondeo: Carni semper similium videtur quod aduersus eam est: esto autem debilis inde reddatur, id quidem est, quod intendimus per ieiunia. nam debilitando carnem, subijcimus eam animæ. Vnde S. Hieron. *Multo melius est* *Hieron.* *stomachum te dolere, quàm mentem; gressu vacillare, quàm pu-* *Epist. 9.* *dicitia.* Ita ille *ad Sal-* *uian.*

Vnde Dauid: *Genua mea infirmata sunt à ieiunio*; quan- *Psal. 108.* tumuis rex, & magnis laboribus attritus, & curis, ieiunabat vsque genua eius tremore afficerentur: sciebat enim ieiunium ad hoc esse institutum, vt caro debilitetur. Id igitur quod in remedium institutum est à Deo, tu ne inconueniens esse causeris, imò sæpè ad ipsius corporis salutem conducit, & vtilitatem: vt patet in Daniele, & socijs: *Apparuerunt vultus eorum meliores* *Dan. 1.* *& corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio,* sæpè enim ex nimietate cibi prouenit debilitas & infirmitas: Vnde S. Athan. *Ne credas suadentibus ne ieiunes;* *Lib de* *istos enim diabolus subornauit.* Ita S. Athan. ille scilicet, *Virg.* qui Christum Dominum & Adamum de gula tentauit.

Duo maximè curare solent duces in bello; Primum est, exercitum suum armis rectè munire. Secundum est, inimicos armis priuare; armatus enim inermem facilè vincet. *Militia est vita* nostra *super terram*: omnes *Iob 7.1.* dum viuimus, militamus; *caro enim*, vti ait Apostol. *con-* *Ad Gal. 5.* *cupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Potens inimicus est caro, aduersus quam strategematibus conuenit pugnare, & maximè illam reddere inermem. Erit autem inermis, si vires & vigorem nimium ab ea tollas, hoc autem ieiunium præstat.

Luctabatur Iacob cum Angelo; & *cùm videret* An- *Gen. 32.* gelus se Iacobum superare non posse, *tetigit neruum fe-* *25.* *moris eius, & statim emarcuit*; & quidem non solùm tunc Angelus eum non vicit, verùm ab eo victus remansit;

tunc enim dixit illi Iacob: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*, & ſtatim benedixit ei. Quid eſt, quod tunc inquit, victor euaſit Iacob, cùm ab Angelo vulneratus fuit, vt ſcilicet innoteſceret nobis, tunc nos Dei benedictionem obtinere, & victoriam in bello ſpirituali, cùm fuerit caro vulnerata, & ſubiecta.

LVII.

Hinc Chriſtus Dominus, priuſquam in eremo manus conſereret cum hoſte, quadraginta diebus ac noctibus ieiunauit. Quid, inquies, opus erat Domino ſic pugnaturo ieiunare, quaſi non poſſet non ieiunus ſuperare? Reſpondet S. Ambroſius. *Dominus diabolum deuicit, poſtquam quadraginta diebus ieiunauit, non quòd ante ieiunia vincere non potuiſſet, ſed vt oſtenderet nobis, tunc nos diaboli poſſe eſſe victores, cùm per quadraginta dies victores ieiunando deſideriorum carnalium fuiſſemus.* Ita ille. Quare meritò S. Hilarius ieiunium hoc Chriſti expendens, ait: *Ab illo ſaltem require, ô homo, quid abſtinere poſſit, qui contra diabolum pugnaturus ad informationem tui, abſtinentiæ vti iure ſe præcinxit.* Ita ille. Solent periti artis militaris, cùm alios militare docent, manibus arma priùs capeſſere, & illis vtentes debellare inimicos docere; ſic Chriſtus Dominus militiæ noſtræ Dux ieiunio ſuo nos ieiunare & pugnare docuit, &c.

Ambroſ. Serm. 25.

Hilar. Tract. de ieiun.

Nabuchodonoſor rex Babylonis tres illos ſanctos adoleſcentes in fornacem ignis mitti iuſſit, & quamuis effunderetur flamma ſuper fornacem, cubitis quadraginta nouem, & erumpens incenderit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis; pueros tamen, qui intra forna cem erant, non tetigit omnino ignis, neque contriſtauit, nec quidquam intulit moleſtiæ, vt ibi narratur. Vnde mirum hoc tantùm? S. Ambroſ. virtuti abſtinentiæ hoc attribuit; abſtinuerant quippe à cibis regijs, quos illi adminiſtrabant iuſſu regis, & ob id ait S. Ambroſ. meruiſſe à Deo ſic liberari.

Dan. 3.

Ambroſ. vbi ſup.

De lapide Amiano ait Plin. & Dioſcorides, quod in ignem miſſum ignis non conſumit. Ecce igitur in fornace Babylonica tres Amianos diuinos, quos intra tantum ignem miſſos neque conſumpſit ignis, neque tetigit pilum veſtimentorum, nec quicquam intulit moleſtiæ. cur ita? Quia abſtinentes fuerunt, ait Ambroſ. Caro quidem noſtra fornax Babylonica eſt, quæ plurimos abſumit, & conſumit, cuius quidem remedium abſtinentia eſt, hæc nos in medio huius fornacis defendit & tuetur, non ſolùm ſcnes, ſed iuuenes quoque; ideò iuuenibus miraculum hoc voluit Dominus euenire.

Plin. Lib. 33. c. 19. Dioſc. Lib. 5. c. 93.

Refert Aulus Gellius Archelaum ducem exercitus Mithridatis turrem quandam ligneam fabricaſſe, qua ſe aduerſus Lucium Syllam tueretur; adfuit hoſtis; & hinc indeque ignem turri applicauit; ſed fruſtrà: nunquam enim eam tangere ignis potuit; nimirum, quia bitumine quodam ex lapide, quem *Alumbre* nominamus, munita erat; quo quidem bitumine ab igne prorſus ligna defendit. Lignum facilè conbuſtibile eſt caro noſtra, ſed tamen bitumine abſtinentiæ à Sanctis ita linitur, vt concupiſcentiæ igne optimè defendatur.

Gellius, Lib. 15. Noct. Atticarum, cap. 1.

LVIII.

Meritò ergo Eccleſia ſancta Dei quadrageſimę tempore ieiunium nobis indicit; tunc enim contra hoſtes noſtros capeſſimus arma. *Canite* (inquit) *tuba in Sione, &c. alarma toca la yglesia en el principio de la quaresma apelear nos ſunta.* Cùm rex Saul aduerſus hoſtes Iſraelis pugnare vellet, ieiunium militibus iniunxit. *Adiurauit* (inquit) *Saul populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis, & non manducauit vniuerſus populus panem.* S. Ambroſ. *Bonus*, inquit, *planè rex, qui hoſtes ſuos non tam armis, quàm deuotione vincebat, & plus dimicabat religione, quàm telis.* Ita ille. *O buen Rey dice S. Ambroſio, que puesto en campo contra ſus enemigos no pele aua tanto con armas quanto con deuocion, y mas guerra hazia con el ayuno que conſuetas lancas y eſpadas.* Et quidem in bello corporali cibus non prohiberi, ſed iniungi ſolet: nam corpus, & latera eius valida ad pugnandum requiruntur: at in bello ſpirituali non viribus corporis, ſed ſpiritu pugnandum aduerſus corpus eſt.

Ex Ioel. 2. 1. Reg. 14. Vbi ſup.

Aptiſſimum igitur ad bellum hoc ieiunium eſt, &c.

Vnde S. Cyprianus: *Ieiunium*, inquit, *omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ ſpoliat, & exarmat, ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit, & arctat, & ieiunio. appetitus vagos diſtringit, & ligat.* Ita ille. *El ayuno doma las rebelliones de la carne, deſarma la tirania de la gula, y la paſſiones pehementes, que tanta guerra hazen al alma, la templanza y el ayuno las reprimen dentro del corazon, como en vaſo cerrado; y los apetitos deſenfrena y ata paraque como fieras, atadas, no hagan mal al alma, &c.*

Cyprian Serm. de

PROPOSITIO XIV.

Ieiunium ad vincendas tentationes conducit.

POnderauit S. Leo Papa, quòd cùm populus Iſrael ſe à Philiſthæis opprimi videret, & ita in magno ſe eſſe periculo conſtitutum, ad ieiunium confugerunt, ieiunarunt, & ita vicerunt: Ait ergo S. Leo, *Abſtinentes à cibo & potu filij Iſrael ſeuerè ſibi caſtigationis adhibuere cenſuram, & vt hoſtes ſuos vincerent, illecebram gulæ in ſeipſis ante vicerunt, factum eſt hoc modo, vt ſaui aduerſarij eſurientibus cederent, quod ſibi ſaturos ſubiugarant.* Ita ille. Id ergo dicendum pariter eſt de animarum inimicis, tum quia domita carne parum nobis in ſpiritu nocere dæmones poſſunt; media enim carne nos tentare & vincere ſolent; tum etiam, quia Deus noſter ieiunantibus & humiliter ſe propter Deum affligentibus facilè fauet, & ita ieiunantes facilè quoque ſuperant tentationes. Vnde S. Leo ſubdit: *Et nos itaque, fratres, inter aduerſitates multas & prælia conſtituti, ſi ſimilibus remediis vti cupimus, ſimili obſeruatione curemur; eadem enim cauſa noſtra eſt; nam ſicut illi à carnalibus aduerſarijs, ita & nos ab ſpiritualibus inimicis maximè impugnamur.* Ita ille, quaſi dicat. *Eſtamos en frontera cercados de enemigos del alma, meneſter es velar no con menos cuydado de los que velan contra los enemigos corporales, pues nos va mas a nosotros en nueſtra victoria que ellos en la ſuya, y pues ellos ayunan por vencer a ſus enemigos que mucho es que noſotros ayunemos por vencer a los nueſtros.*

Leo Papa In ſerm. 1. Quadrag. LIX.

Ibid.

Non potuerant expellere dæmonem quemdam diſcipuli Chriſti, quem tamen poſtea ipſe Dominus effugauit, quæriturque igitur à Chriſto diſcipuli, cur non ipſi exorciſmis ſuis potuerint expellere illum. Quibus Chriſtus: *Hoc*, inquit, *genus dæmoniorum non ejcitur, niſi in oratione, & ieiunio*, quaſi dicat, oratio & ieiunium efficaciora ſunt remedia contra dæmonia. Qui ergo efficaciter dæmones vincere optat, oret, ieiunet.

Matt. 17. Marc. 9.

Acceſſit ad expugnandum ſanctum Iobum hoſtis, &, vti Origenes obſeruauit, in omnibus aduerſitatibus aderat dæmon, tentans, & pugnans; nam cùm ignis de cœlo deſcenderet, vt oues combureret ſancti viri, inter flammas ipſas inerat hoſtis ignem accendens. Cùm Sabæi & Chaldæi turmatim diuitias inuaderent eius, dux illorum diabolus erat; cùm ventus vehemens irrueret in domum filiorum, illum diabolus concitabat, & inſufflabat, vt euerteret domum, & filios Jobi pariter ſepeliret. His bellicis globis & tormentis oppugnatus vir Dei, quid fecit? poſt ſeptem dies locutus eſt Iob, & non comedit, neque bibit; ecce quomodo ſe ab hoſte defendit, non comedit, neque bibit ſeptem diebus, ſenſit vim inimici, ad arma cucurrit, induit ſe pro thorace ieiunio, & ita victor euaſit.

Origen. Lib. 3. in Iob.

Iob. 3.

Non timet hoſtis noſter homines ſaturos, & craſſos, ſed debiles, & ieiunos. Refert Suetonius Tranquillus, quòd cùm Vitellius Romanorum dux vellet aduerſum Imperatorem Galbam inſurgere, & imperium vſurpare, nuntius ad Imperatorem rem detulit, turbatumque Senatum ſic Imperator ſedauit: *Nonne*, inquit, *Vitellius homo guloſus & potator vini eſt? Ita, inquiunt, experimento id nobis compertum eſt. Non igitur eſt, ait Imperator, cur illius vires timeamus; nunquam enim vir intemperatus magnum quid aggreſſus obtinuit.* Sic de nobis diabolus ſentit, & ſicut Tullius dicebat: *Non timeo Craſſos, ſed Flaccos*; ſic hoſtes non timeo, inquit, craſſos, & voluptatibus

In vit. Vitellij c. 7.

LX. ptatibus deditos, sed temperatos, & ex ieiunijs debiles factos.

Lib. de oper. Car. Christi, ser. de iei. & ieiun. Christi. Vnde meritò S. Cyprian. siue alius sit huius libri author; *ieiunijs*, inquit, *vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluptates, extinguitur ardentis Æthnæ incendium, & flammiuomi fornax Vulcani extincta intrinsecus montes conterminos non adurit, omnem carnis rebellionem edomat, & vagos ligat appetitus.* Ita ille.

Denique sicut sapiens castellanus, qui ab inimicis obsessus seruos, quos apud se habet ex genere, seu factione hostium, priusquam ad hostes debellandos exeat, eos catenis astringit, & ligat, ne fortè dum foris inimicos expugnat, intus à seruis castellum tradatur, vel quid simile præstent. Sic nos cum carne nostra facere oportet, *militia enim*, vt ait Iob, *est vita nostra*, siue, vt altera litera habet, *tentatio*; est enim assiduus cum dæmonibus & tentationibus nobis conflictus: caro autem nostra ex factione quidem hostium nostrorum est; ergo hanc priùs ligare & mortificare debemus, ne fortè ipsa vel nos hostibus tradat, vel alia quauis proditione prodat. Hoc igitur ieiunium facit, domat enim carnem, & eius impetum frangit, &c.

ADDITIO.

D. Ambrosius, *fusè prosequitur laudes Ieiunij, dum hunc in modum differit.*

S. Ambr. serm. 15. mihi pag. 716. *Murus quidem est Christiano Ieiunium, inexpugnabilis diabolo, intransgressibilis inimico. Quis enim vnquam Christianorum ieiunauit, & captus est? Quis sobrius mansit & victus est? Temulentum aggreditur diabolus, luxuri osum oppugnat inimicus. Vbi autem ieiunum viderit, fugit, metuit, pertimescit, terretur pallore eius, debilitatur inedia, infirmitate prosternitur. Prosternitur, inquam, infirmitate, quia Christiana infirmitas, fortitudo est. Cùm infirmor tunc fortior sum. Sed requirit aliquis: Quomodo fortis infirmitas? Tunc enim fortis infirmitas, quando caro calescit ieiunijs, anima puritate pinguescit. Quantum enim illi ciborum succus detrahitur, tantum lustitiæ virtus augetur. Tunc quidem homo imbecillus est ad sæcularia, sed fortis ad Diuina opera. Christus diabolum postquam 40. dies ieiunauerat, euicit, non quod non & ante ieiunia, vincere eum potuisset: sed vt ostenderet nobis, tunc nos diaboli posse esse victores, cùm per 40. dies ieiunando, victores desideriorum carnalium fuissemus. Ille qui peccatum non habebat, 40. diebus ieiunauit, tu non vis 40. diebus ieiunare qui peccas? Quasi ergo apud conscientiam tuam Christianus es, cum Christo pro te esuriente, tu prandes? cum Saluatore pro te ieiunante, feiceris? Hæc Ambrosius: quibus verbis manifestè prodit, & virtutem Ieiunij, & vires ieiunantis: cui ieiunium est quasi panoplia, quâ redditur contra principes tenebrarum inuincibilis. Pallor, vt plurimum, signum est timoris: ieiunans dum pallet, adeo non timet vt à dæmone timeatur, Terretur, inquit, pallore eius.* Solent hostes prosterni ferro, telis, balistis, belli machinis, validis militum lacertis, inuadentium robore; dæmon *Infirmitate prosternitur.* Sic in pallido, ieiuno, infirmo corpore, victrix Anima eludit hostium machinas, colligit laureas, figit trophæa, agit triumphos. Idem Ambrosius mirificè exaggerat roburieiunij, cùm etiam ipsum quod ex ore ieiunantis emittitur sputum, sit quasi letale, quo dæmon perimitur, telum. Hæc eius sunt verba. *Ieiuni hominis sputum, si serpens gustauerit, mo-*

Ambrof. lib. 6. Hexam. c. 4. mihi p. 883. *ritur. Vides quanta vis ieiunij sit, vt & sputo suo homo terrenum serpentem interficiat, & merito spiritualem?* qui non est aliùs, quàm dæmon. Hinc, cùm ieiunantes tot clari sint victorijs, tot digni coronis, videtur olim non frustra fuisse magna inter Abstinentiam, & coronam affinitas, siquidem apud Hebræos, eàdem voce significabatur, & is qui abstemius, & is qui coronatus erat. Nam Nazaræi, qui temperantes, & abstinentes ex lege erant, *Nezirim* Hebraicè dicebantur. Sed hæc eadem vox etiam coronatum significat, vt Marinus Brixianus obseruauit in suâ Arcâ: vnde *Nezer* corona, & diadema vocatur, quo Reges, & Sacerdotes vtebantur. Sic tacitè innuitur, cum qui victor est intemperantiæ, ingluuiei, crapulæ, quasi iam in triumphum duceret Cererem, Bacchum, quin & Venerem, dignissimum esse qui victrici corona redimatur. Scitè de his coronis S. Basilius: *Scis quod caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Itaque cùm hæc sibi inuicem aduersentur, subtrahamus carni voluptatem, augeamus animæ robur, vt per ieiunium colleciis viribus, ad superandas concupiscentias,* CORONIS ABSTINENTIAE *repetitis congamur.* Denique quàm sit in omnem partem commendandum Ieiunium paucis docet D. Chrysostomus. *Ieiuna quia peccasti: ieiuna vt non pecces: ieiuna vt accipias, ieiuna vt permaneant quæ accepisti.* Quid est peccare, nisi à dæmone ad peccatum instigante vinci? Igitur ieiuna vt non vincaris. *Ieiuna vt accipias.* Quid? Gratiam. hoc est, victoriæ lauream. Quisquis ergo odit ieiunium, amat sui exitium.

Basilius. serm. 2. de Ieiunio *D. Chrys. serm. 1. de Ieiunio mihi pag. 910.*

PROPOSITIO XV.

Ad superanda vitia conducit.

SIc Dominus ad Noë: *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum.* Ante diluuium non concesserat Deus hominibus vsum carnium, nec piscium, sed tantùm olerum & arborum. Cur non? siquidem proprius hominis cibus est caro? Procopius in c. 9. Gen. *Fortassis non citra diuinam prouidentiam nec carnium, nec vini vsus ante diluuium frequentatus est; si enim, vt docet Scriptura, tanta fuit dementia illorum mortalium vt diluuio domandi fuerint, quid euenisset si carnium, & vini vsus cognitus fuisset?* ita ille. Hinc quanta sit ieiuniorum & quadragesimæ & quotidianæ temperantiæ necessitas, patet. *Gen. 9.* LXI. *Procop.*

ADDITIO.

Præclarè ad hanc rem D. Chrysostomus. *Chrysost. Hom. 1. de pœnit. mihi pag. 8. 9. Gen. 2. v. 16.*

Deus hominem à principio faciens, illico fræunum & Ieiunij, manibus imposuit, velut piæ matri, & magistro optimo committens. Nam de omni ligno quod in paradiso est, comedetis, de ligno verò scientiæ boni, & mali, non comedetis, species quædam ieiunij est. Si in Paradiso ieiunium necessarium fuit, extra Paradisum multò magis. Si ante plagam vtile medicina fuit, multò magis post plagam. Si necdum bello voluptatum insurgente, nobis arma fuerant opportuna, multò magis post tantum vitiorum, voluptatumque prælium, à dæmonibus nobis illatum.

Et D. Ambrosius. *Dulcis voluptas, amarum Ieiunium videtur. Solent amara etiam ipsis prodesse corporibus. Sicut enim cùm in intimis puerorum visceribus vermes ex cibi indigestione nascuntur, extingui nequeunt: nisi cùm amarior potus infundatur, aut medicamentorum vis inolescit asperior, quorum odore moriantur: Ita profundum Animæ vitium ingressa Ieiunij, culpam latentem interficit.* *S. Ambr. lib. de Elia & Ieiun. c. 11.*

PROPOSITIO XVI.

Quantùm temperantia valeat ad valetudinis ac vitæ conseruationem.

TEmperantia non solùm valet multum ad tuendam animi salutem, sed etiam ad valetudinem corporis conseruandam, vitamque producendam, quæ duo inter bona corporis maximi sunt. valetudinis nimirum firmitas, & diuturnitas vitæ. Ad vtramque autem conducit maximè temperantia: nam si præcepta omnia Galeni, cæterorumque excellentium Medicorum, qui de morborum curatione egregiè scripserunt; si herbarum etiam, radicum, ac pretiosorum lapidum virtutes ad valetudinem corporum accommodatæ, si alia quæuis remedia ex altera parte sumas, ex altera verò hanc vnam temperantiæ virtutem, omnes sanè Medici concedent tibi plus valere temperantiam ad tuendam valetudinem, & vitam diutissimè seruandam, quàm cætera omnia, quæ ab eis vel præcipi, vel adhiberi solent ad hoc ipsum de quo loquimur, assequendum.

Atqui vt alia testimonia, quàm Medicorum certio-

ra

ra proferamus, diuinus Spiritus Eccl. 37. de huiusmodi re ita loquitur: *Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam; in multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adijcies vitam.* Itaque in multis escis dicit futurum morbum, & incommodam valetudinem: neque cùm infirmitatem dixit, expressit qualem infirmitatem importaret crapula, quod in ea continentur omnes, nimirum febres capitis & stomachi dolores, cruditates, abundantia prauorum humorum, corrupti sanguinis copia, vnde multi varijque morbi gignuntur. Denique extremis ferè verbis significat crapulam esse causam, cur homines intereant citiùs, quàm naturæ præscripto deberent: nam, vt est in prouerbio, *Plures cibus, quàm gladius perimit.* Contrà verò *qui abstinens est, adijciet vitam*; præripiuntur enim tanquam cruda immaturaque poma hominis gulæ dediti ante tempus sibi ad exeundum è vita constitutum: at temperati diuturna vitæ vsura fruuntur, & quoquis moderatior est in cibo & in potu, eo frequenter longiorem vitam ducit.

Eccl. 37. 32.

Hispanè. A mas gentes imatan cenas, que Ianzadas.

LXII.

Et verò quamuis hoc neque ars medicinæ, neque sacræ literæ testarentur, id planè experientia ipsa quotidiè docet, cùm cernatur temperantes homines commodiori vti valetudine, ac diutiùs viuere, quàm intemperantes. Galenus Medicorum dux ac magister, traditur centum & viginti annos vixisse, cuius longissimæ vitæ ea fuit causa, quòd semper cum fame surrexit è mensa. Sed quod plus habet admirationis, est, quòd in historia de antiquis illis solitudinis ac vastitatis cultoribus commemoratur, quorum vita diuturnior fuit, quàm nunc est eorum, qui eam carissimam habent, & quam longissimam esse omni via ac ratione procurant. De diuo Hilarione narrat Diuus Hieronymus, eum octuagesimum ætatis annum attigisse, & à decimoquinto in solitudine degisse, cuius deliciæ hæ fuerunt, quæ sequuntur. *In solitudine extructa exigua casa, quæ vix ipsum caperet, humi cubabat, & saccum, quo semel amictus fuit, nunquam aut lauit, aut mutauit, cùm superuacaneum esse diceret, munditias quærere in cilicio, & in sacra lectione & meditatione multus erat.* Sed quî potuit in tanta vitæ asperitate tamdiu viuere? nimirum, vt de eo memoriæ est proditum; *panicas ficus & succos herbarum ad victum adhibebat, nec illi ante Solis occasum vescebatur.* Itaque hæc mira temperantia eius asperrimam vitam potuit incolumen tanto tempore conseruare.

Hieron.

Diuus Athanasius commemorat diuum Antonium Abbatem centum & viginti annos vixisse; de quo legimus nihil in eo continentius, nihil vigilantius fuisse, qui patientia, labore, studio diuinarum Scripturarum superabat omnes, humi iacebat; cùm eum necessarius somnus occupasset, sæpissimè in oratione pernoctabat. Ita se gerebat Antonius; de quo sic idem Athanasius: *Ieiunium adeo coluit, vt salem tantummodo ad panem adhiberet, sitim aqua extingueret, neque se ante Solis occasum cibo aut potu recreabat: sæpè etiam biduum cibo abstinebat: qui iccirco vixit tamdiu quia temperantiam coluit tantoperè.*

Athan.

Verum maiorem habet admirationem, quod de D. Paulo primo Eremi cultore refert Hieronymus in vita eiusdem. Vixit autem ille centum & tredecim annos, in solitudine nonaginta & octo, sine domo, sine vlla supellectile, sine vestitu, nisi quem sibi præstabat quædam palma. At quæ causa fuit longissimæ illius vitæ? quia videlicet initio illius vitæ solùm fructu illius palmæ vescebatur, ac seipsum sustentabat, postea verò septuaginta annos dimidio pane & aqua vitam traduxit, quo victu centum & tredecim ætatis annos compleuit. Quod si ad illam singularem temperantiam & incredibilem penè vitæ asperitatem nonnullam suæ valetudinis curam adiunxisset, quantò longiùs protraxisset vitam, quando in tanta asperitate tanto tempore vixit? At quis nunc eorum, qui conquisitis epulis delectantur, & delicias corporis persequuntur, hoc assequitur, vt ad tam longam, tamque diuturnam ætatem perueniat? Videmus enim in familijs nobilium illustriumque virorum paucissimos hac nostra tempestate peruenire ad senectutem, patrimonia, & hæreditates, bonaque patria adiri à filijs iam inde à pueritia plerumque, ne dicam infantia, quod parentes in ipso ætatis flore excedant è vita, etiamsi incredibilem rationem habeant valetudinis. Nihil agunt, quod eis molestiam exhibeat, subterfugiunt omnem laborem, otium amplectuntur, dormiunt in mollibus lectis, ludunt, spatiantur, splendida conuiuia celebrant, ac demum *ducunt in bonis dies suos*, sed semper infirmi incedunt, semper incommoda valetudine vtuntur, semper Medicorum præceptis atque opera indigent, & cum eis ætas longiorem vitæ vsuram polliceri videbatur, tunc repentè præter ipsorum opinionem atque expectationem *ad inferna descendunt.* Ex quo liquidò constat temperantiam esse causam commodæ valetudinis, diuturnæque vitæ: gulam verò & intemperantiam contra, & valetudinem & vitam minuere, ac tandem euertere.

Iob. 21. 13.

LXIII.

Ratio huius est, vt dicunt Philosophi, quia omne agens agendo repatitur; exempli gratia, lima limando ferrum conficitur, gladius scindendo hebetatur, atque consumitur: ita vitalis calor cibos decoquendo præsertim nimios, & plures, quàm coquere possit, minuitur atque sæpiùs opprimitur, quapropter vires sensim amittit, & quo minus habet virium, eo calor ciborum copia consumptus vitale munus deserit, & eo extincto vita ipsa, quæ illo fouebatur, etiam extinguitur. Verùm cùm moderati sunt cibi, & eiusmodi, vt facilè ab ipso calore coquantur, quales sunt temperatorum hominum, calor diutiùs durat, & cum eo vita in longum tempus producitur.

Sed alia quoque ratio est perspicua: nam clarum est, valetudinem corporis ac vitam pendere ex apta humorum proportione, qui si inter se rectè temperati mixtique sint, valetudo quoque recta erit, ac proinde vita etiam diuturnior: si verò temperamento careant, & alij in alios inualescant, præterquam quòd eorum pugna atque conflictu valetudo corporis affligetur, vita breui finienda erit necessariò. At vnde humorum temperies oritur, nisi ex temperantia, nisi ex moderato cibo, & potu? vnde humorum acerrima pugna, vnde corruptio, nisi ex gula, ex intemperantia? nisi ex comessationibus, & ebrietatibus? nisi ex crapula, & cruditate? nam crudum supra indigestum generat morbum; morbus autem valetudinem admittit, & sæpenumerò interimit; quod si non faciat, cùm corpus sit plenum prauorum humorum, quos ei intemperantia attulit, satis habet causæ in se, vt in morbos frequenter incidat, & infirma semper sit valetudine. Neque velit se excusare, ac purgare nobis, qui intemperatè bibit atque edit, quique sese conquisitis cibis ingurgitat, quòd pretiosa & delicata ea omnia sunt, quæ ad victum adhibet, & quæ facilè concoqui possint, etiamsi multa sint: quod quidem falsum est, vt periti in arte Medicinæ fatentur: nam cibi, potusque parcitas ita necessaria est ad tuendam valetudinem, vt minùs corpori noceat crassus cibus modicè sumptus, quàm delicatus & pretiosus intemperatè.

Hieron.

Quocirca Medicorum princeps Hipocrates aiebat, *Hipocrat.* præstantissimam omnium medicinam ad conseruandam valetudinem temperantiam esse, & corporis exercitationem, quamuis sit nonnihil molesta ac laboriosa. Cætera, quæ ad damna gulæ pertinent, dicentur à nobis, cùm de gula disseremus, in verbo, *Gula.*

Seneca: *Potest nostra prouidentia huic corpusculo longiorem prorogare moram, si voluptates, quibus maior pars perit, poterimus regere, & coercere.* *Seneca.*

PRO-

PROPOSITIO XVII.

Ieiunium & abstinentia ad virtutem conducit, gula verò vitiorum radix est.

LXIV. CVm de remedio peccatorum ageret Propheta Dauid, *In camo* (inquit) *& freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te, Sennor freno y lachima para estos pecadores que se apertande vos.* hic bestias vocat peccatores, vt versu antecedenti dixerat: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Equum & mulum hic peccatorem dicit, cui non est intellectus; non enim hæc duo posse conuenire videntur, peccatum & intellectus. & clariùs: *Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Remedium autem assignat: nam remedium huius metamorphosis possibile quidem est, non potest bellua in hominem commutari; homo tamen ex homine in belluam conuersus, Dei gratia potest ex bellua in hominem iterum transformari. Quodnam igitur remedium? *In camo*, inquit, *& freno maxillas eorum constringe.* Cur tantùm maxillas constringi petit, cur non manus, & pedes? siquidem manibus operando peccant peccatores, iuxta illud: *Manus vestræ sanguine plenæ sunt, & pedibus etiam, iuxta id, Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, & illud, Pedes eorum ad malum currunt: pues porque no corran tan sueltas a los pies para que no corran tan sueltamente a los pecados?* Denique oculis, & auribus, & naribus etiam homines mundani peccant; cur igitur remedium opponitur maxillis? num quia peccata oris plura & grauia solent esse? Iuramenta videlicet falsa, blasphemiæ, falsa testimonia? &c. bene. nam vti ait S. Iacobus: *Non refrenans linguam suam, huius vana est religio:* non refrenans, inquit: quare meritò ait Dauid: *In camo & freno maxillas eorum constringe, &c.* bene: sed non ad hoc tantùm postulauit frenum peccatoribus imponendum, sed in remedium quidem omnium peccatorum; non enim agit de solis his, qui verbis peccant, verum etiam de his, qui quomodocumque peccant, siue ore, siue opere, siue etiam corde. Quo, inquies, pacto? co scilicet, quo frenum ipsum equo impositum importat: nam frenum ori impositum equi, non impedit eum ambulare, nec saltare, nec currere, nec hinnitus emittere, sed comedere; alia potest equus infrenatus efficere, comedere verò non potest. Ecce quid in remedium vniuersale peccatorum Propheta exposcit, ieiunium, & abstinentiam; & merito quidem: nam vti ait S. Basilius, *corpus bene faginatum, & anima illi immersa, ad peccandum proclivis est.* Ita ille.

Pſal. 31.
Pſal. 48.
Pſal. 48. 21.
Iſaiæ 1.
Pſal. 13.
Prou. 1.
Iac. 1. 1.
Baſil. Homil. de paradiſo.

Cùm Rex Babyloniæ in seruos suos nonnullos filios Israelitarum elegisset, *constituit* (ait sacra pagina) *annonam per singulos dies de cibis, & de vino vnde bibebat ipse*; sic quidem rex ille Babylonicus infernalis his, quos in seruos sibi habere curat, ciborum & vinorum copiam parat, vt ita faginati, & absque abstinentiæ freno in inferna deturbet; vnde meritò Daniel, vti habetur, *proposuit in corde suo ne pollueretur de mensa Regis, neque de vino potus eius; & rogauit eunuchorum præpositum, ne contaminaretur*, in quo quæso hæc contaminatio consistit? Sunt qui dicant Regem aliquibus cibis idolis immolatis vesci: sed placet quod author quidam grauis asseruit, dicens: *Quia delicatorum ac suauium ciborum vsus offiere poterat integritati mentu, & cordis mundutiei.* Ita ille. Ecce qui timent peccare, timent etiam gulam, & quia seruire Deo volunt, abstinentiam & ieiunium etiam volunt, quia corpus abundè faginatum procliue est ad peccandum, *Ni Daniel, ni los demas Prophetas, ni Sanctos se tienen por seguros sin abstinencia y ayuno quien presumira que si.*

Dan. 1. 5.
Dan. 1. 8.
Pereira.
Marc. 6.

Herodias insidiabatur illi (nempe Ioanni Baptistæ) *& volebat occidere eum, nec poterat.* Cur quæso non poterat? nonne Herodias regina erat, Ioannes verò pauper quidam eremita, & subditus illi? Ioannes ergo erat qui Herodiam timere debebat, non verò Herodias Ioannem: quid igitur est, nec poterat? *Quitarale la vida si pudiera.* Quid igitur factum est? *Et cùm dies opportunus accidisset, &c.* & adfuit dies opportunus ad occisionem Ioannis. Itane ad occisionem illius Angeli; illius, quo inter natos mulierum non surrexit maior, opportunus accidere potuit dies? opportunus ad eum amplius venerandum, & ad regale conuiuium eum inuitandum, bene quidem, sed ad caput eius amputandum, sanctitas illa, quæ ita obstabat reginæ, vt licet antea vellet, non poterat, opportunum obuiauit diem, quo nihil obstaret, quo minùs necaretur, & de medio tolleretur. Quisnam hic est dies opportunus? Expressit hoc Euangelista: Dies *natalis* Herodis, in quo *canam fecit Principibus, & tribunis, & primis Galilææ*; dies sc. magni conuiuij, affirmassem ego diem conuiuij diem esse illum opportunum; nihil enim opportunius ad huiusmodi facinora perpetranda, quàm dies tanti conuiuij, dies gulæ, dies comessationis, & potationis multæ; *esse dia de gula en el del nacimiento de Herodes le Viene nacido à Herodias para quitar de la vida al gran Patriarcha Sant Ioan Baptista*; neque enim personam præcurroris, personam illius Angeli respuit gula, *todo lo atropella, con todo choca para tan gran maldad esse dia Viene muy apropositio, Viene muy aquenta, Viene nacido.*

LXV. E conuerso verò abstinentia omnium bonorum, omnium virtutum radix & principium est; vnde S. Ambros. *Ieiunium est continentia magisterium, pudicitiæ disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, norma virtutis, purificatio animæ, miserationis expensa, lenitatis institutio, charitatis illecebra, senilis gratia, custodia tuuentutis.* Ita S. Ambrosius. Breuius Ecclesia ipsa Dei in Quadragesimæ præfatione: *Deus qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutes largiris, & præmia.* Gula quidem vitia laxat, ieiunium vitia comprimit; gula mentem deprimit, ieiunium mentem eleuat: gula virtutem tollit, per ieiunium verò virtutem largitur Deus; & denique gula mercedem nostram euacuat, per ieiunium verò mercedem tribuit Dominus, quare gula omnium malorum caput est, abstinentia verò bonorum, &c.

Ambroſ. Lib de Elia & ieiunio c.8.

S. Chrysost. *Sicut leuiores naues maria velocius transeunt, & contra multis oneribus grauatæ submerguntur: ita quidem ieiunium leuiorem reddens mentem facit vt facilius vitæ huius pelagus transmittat, & in cælum, & in ea quæ in cælis sunt, respiciat, & nihil faciat præsentia, sed vt vmbras, & si quid minus est, diffugere censeat. Ebrietas autem & crapula, degrauans mentem & impinguans corpus, captiuum animam facit, vndique illam oppugnans, neque finit rationis iudicium firmum consistere, sed impellit, vt in præceps feratur, & omnia contra propriam salutem operetur.* Ita ille.

Chryſoſt. Hom 1. in Gen.

ADDITIO.

Spiritus Sanctus sæpè in sacris paginis, dum vult atrocia quorundam scelera, ad quæ dæmone instigante pellecti sunt, ac deinde grauium suppliciorum scelerationis inflictorum causam explicare, indicat tantum illos intemperanter in cibum, potumque fuisse profusos, quasi ingluuies & crapula, fontes fuerint, ex quibus, & tot immania flagitia, & quæ flagitia sequuntur, tam grauia supplicia profluxere. Patet id Matth. 24. 39. vbi Christus propositurus vniuerso mundo grandia illa flagitia, & enormia scelera, propter quæ cataractæ cæli apertæ sunt, 40. dierum, totidemque noctium præcepsque fusus est nimbus, totus terrarum orbis inundantium aquarum illunione submersus, vniuersum genus humanum (si octo exceperis animas) fluctibus haustum interierit, quam putatis tanti eum supplicij attulisse causam? Quæ hic expectatis scelera? Indubiè scelera ab omni retro memoriâ inaudita, ad quorum vel enuntiationem tinniant ambæ aures omnium hominum. Hîc prodibunt horrenda sacrilegia, incæstus, stupra, adulteria, furta, homicidia, blasphemiæ, denique quæcunque non tantùm confici, sed fingi possunt ab homine fanda, & nefanda. Audite quid Diuinam Iustitiam ad tam insolens supplicium prouocauerit.

» *Erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes,* inquit
» Christus duorum tantùm verborum complexu, cætera omnia vitia, quæ fingi possunt, comprehendit. Quasi
Matt. 24. 38. » dicat; nolite mirari si ante diluuium, *multa malitia hominum* fuerit, *in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta ad*
» *malum omni tempore.* Nolite mirari quod *corrupta* fuerit
Gen. 6. 5. Vers. 11. » *terra coram Deo & repleta iniquitate, & quod omnis caro corruperit viam suam.* Origo ex qua scaturijt tanta malorum copia, & scelerum vbertas, fuit nimis effusa in
» escam, & potum intemperantia. *Erant comedentes, & bibentes.* Quis ergo non horreat comedere, quis non metuat bibere, cùm quodlibet quod accipit ferculum, sit
» etiam quod inficit toxicum, quiuis haustus sit, & Animæ, & corpori tam infaustus? similiter Christus vo-
» lens extremam Sodomitarum peruerfitatem, cuius cumulus cælo æquatus, vindictam inde euocabat; expli-
» care, id tantùm expressit: *In diebus Loth edebant, & bibebant.* Et Deus ipse per Ezechielem: *Hæc fuit iniquitas*
Luc. 17. 28. » (hoc est totum malum) *sororis tuæ Sodomæ, abundantia panis: in diebus Loth edebant, & bibebant,* ideo iustitia Di-
Ezech. 16. 49. » uina furore accensa graditur per nubes, cælum omne rubet fulminatrici flammarum tempestate minax, nim-
» bus atrox sulphure permixtus voluitur ex alto super Pentapolim, domus omnes incendio pereunt, homines
» viui vstulantur, 5. vrbes antea florentissimæ in cine-
» rum rediguntur aceruum. Hæc omnia, quia *Edebant, & bibebant.* Non fugiebat Ethnicos ipsos in atra illâ ca-
» ligine gentilitatis, quàm esset noxium, nimiùm sibi edendo, & bibendo indulgere. Hinc quidam eorum
» ne quidem sitim extinguere voluerunt, nisi frigida; nec sic quidem, nisi effrœni appetitui priùs illusissent. Nam
» *Plato sæpius siti laborans, è puteo hauriebat aquam, iterumque* » *effundebat, vt ita cupiditatem castigaret,* vt scribit Stobæus.
Plato Stobæus. 6 lib. Amm. Marcell. lib 21. pag. 216. Plutarch. lib. de sanitate tuenda p. 125. c.

Constantinus Imperator nec pomorum quidem quidquam quoad vixit, gustauit. Rectè igitur Plutarchus: *Cum vescendum offertur rarum aliquid, aut nobile, abstinendo potius quam fruendo quærenda est gloria, cogitandumque, sicut Simonides dixit, nunquam se propter silentium, sæpe propter sermonem pœnitentia fuisse correptum: ita nobis nunquam pœnitudinem fuisse obortam ob repudiatum aliquod obsonium, aut haustum aquæ Falerno prælatum, sed contra.*

PROPOSITIO XVIII.

Abstinentia ad salutem conducit, gula verò morbos parit.

S. Chryss.

SAnct. Chrysost. hom. 10. in Gen. *Ex inguluie infinita morborum genera inducuntur; vnde enim podagræ? vnde capitis dolores? vnde corruptorum humorum abundantia? vnde innumeri alij morbi? nonne ab intemperantia & ingurgitatione vini?* Nam *sicut nauis quæ aqua sic impletur vt exhauriri nequeat, statim submergitur: ita & homo crapula, & ebrietate, in præceps vadit, & rationem submergit, & iacet sicut viuum cadauer, ad mala operanda sæpè potens, ad bona autem omnia nihil se melius habens quàm mortui.* ita Sanct. Chrysost. De Socrate ait Aulus Gellius lib. 2. noctium Atticarum cap. 1. *Socratem tantæ temperantiæ fuisse traditum est, vt omnia feré vita tempora inoffensa valetudine vixerit.* Ita ille. Macrobius lib. 7. Saturnal. cap. 4. *Socrates* (inquit) *dicebat: Vitandus est ille cibus, & ille potus, qui vltra famem, & sitim sedandam, producunt appetentiam.* Ita ille. Nimirum, quia appetentiam irritare, quando neque fames, neque sitis vrget, pernicios tam corpori, quàm animæ capiendi cibum occasio est, & quidem frequentissimum est, & maximè inter diuites huiusmodi condimenta & irritamenta, quærere.

Aulus Gellius.

PROPOSITIO XIX.

Quàm pernicios sit nimius cibus.

LIbro Numeri sic Dominus ad Moysen: *Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro.* & subdit ibidem Dominus; *Si quando habueritis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, &c.* Quid est, quod eisdem tubis voluerit Dominus clangere populum suum tempore belli, & tempore epuli? quid cum epulis bellum? Glossa ibidem ait, quia tam in prosperis, quàm in aduersis necessarium est verbum Dei per clangorem tubarum significatum. Bene; sed ad rem, quia dies conuiuij & epularum dies belli est; tunc enim bellum nobis indicitur aduersus gulam, quæ maiorem populi partem captiuam tenet, & principes supremos quotidie vincit, etiam in Ecclesia Christi; vnde licet super holocaustis tunc clangendum dicat, eodem tamen epularum die id agendum præcepit, & ob id specialem epularum mentionem fecit.

S. Ambrosius, *Lib. de Elia & Ieiunio, capite 18. Cùm de petra*, inquit, *biberent filij Israel, & manna manducarent, gentes validissimas superarunt, & nullus erat in eis infirmus; vbi verò carnes desiderare cæperunt, nequaquam ex tot millibus hominum in terram promissionis præter duos pervenire potuerunt.* Ita ille. *ayunando apan y agua vencian infieles.* Sic nos ieiunio & abstinentia vincemus vitia; imminet enim periculum ingens multorum peccatorum in crapula & ebrietate.

PROPOSITIO XX.

De moderatione in ieiunio & abstinentia adhibenda.

LXVIII. NE quid nimis, ait Philosophus: in virtutibus enim moralibus non solùm quod minus, sed quod amplius à medio est, à malo est. *Est modus in rebus*, &c. *In medio consistit virtus.*

Leuit. 2. 13. Leuit. 2. *Quicquid obtuleris sacrificij, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.* Vbi aduerte quòd non semel, nec bis nominauit sal, sed tertiò eam repetiuit. Quid igitur sibi voluit ista repetitio? Sal quidem ad condiendos cibos plurimum deseruit, & ad hoc potissimùm adhiberi solet à nobis in ciborum preparatione, vt scilicet sapiant. Nunquid potest comedi insulsum, quod non est sale conditum? Glossa igitur interlinealis sic interpretatur: *Sale condies; vt scilicet quidquid ad Christi honorem offerimus, sale rationis & discretionis condiamus.* Ita glossa. Nullum igitur ita obsequium Deo placet, quod non fuerit sale discretionis & prudentiæ conditum. Est quidem ieiunium Deo gratissimum, si tamen sit prudentia temperatum.

Scio perpaucis necessarium fore documentum hoc; sit tamen vel vni, ille animaduertat Apostoli dictum ad Rom. 12. *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Vbi obserua ieiunium, & carnis macerationem obseruatione magna postulari à nobis moderationem. Vide postea vno verbo insinuare; *Rationabile* (inquit) sit, non excedat rationis metas: sunt enim nonnulli, qui rapti feruore repentino, supra vires pœnitentiam arripiunt, hos oportet nihil sine patris spiritualis consensu egrediantur. *Rom. 12.1*

Vnde S. Hieronym. ad Lætam: *Displiceat mihi in Hieron.* *teneris immoderata ieiunia; experimento enim didici, aselum in via cum lassus fuerit, quærere diuerticula.* Ita ille. Vbi tangit metaphoram bestiarum, quæ labore itineris defatigatæ, in omnem populum, & domum, quæ in via se offert, facilè diuertunt, & difficilè auertuntur. Parum à iumentis differunt corpora nostra; si nimium fuerint defatigata, nimium exigunt remedia laboris, & doloris, & debilitatis suæ.

Et idem S. Hieronym. ad Furiam: *Melius est quotidie parum, quàm semel satis sumere. Illa pluuia optima est, quæ sensim descendit in terram. Subitus & nimius imber in præceps arua subuertit.* Ita S. Hieronym. vbi de his agit, qui multo tempore ieiunio vacant; postea verò, cùm *Idem.*

naturæ

naturæ & neceſſitatis corporalis vis violenta ſit, facilè in ingluuiem fertur, qui ſic indiſcretè ieiunat; quod non ſolùm animæ, verùm etiam corpori non leue nocumentum infert: *ſicut*, inquit S. Hierony. *pluuia immoderata terras inundat, & nocet illis*, &c.

Bernard. Hinc S. Bernard. in quadam epiſtola: *Duriùs tractandum eſt corpus, ne rebellet, ne inſoleſcat; ſic tamen, vt ſeruire poſſit: quia ad ſeruiendum ſpiritui datum eſt, neque ſic habendum eſt, tanquam ſi propter illud viuamus, ſed tanquam ſine quo viuere non poſſimus.* Ita S. Bernard.

Iſidor. Et S. Iſidor. lib. de ſummo bono: *Corporis debilitas nimia vires animi frangit, & mentis ieiunium areſcere facit, nec valet quicquam boni per imbecillitatem perficere.* Ita ille.

Lyra. Nicolaus de Lyra, ſuper illa verba Apoſt. ad Rom. 12. *Obſecro vos, fratres, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, &c.* Fit (inquit) *rationabile obſequium noſtrum, quando caro ſic maceratur, quod natura ſeruatur, & vitia excluduntur: ſicut enim ibi poteſt eſſe defectus, quando ſcilicet caro laſciuire permittitur; ita & ſuperabundantia, quando ſcilicet corpus redditur ineptum ad debita opera & officia exequenda. Vnde dicit B. Hierony. de rapina holocauſtum offert, qui auſteritate nimia corpus ſuum immoderatè affligit.* Ita Lyra. LXIX.

Et Gloſſa interlinealis ibi: *Rationabile obſequium veſtrum, hoc eſt, cum diſcretione, ne quid nimis*, Ita ibi.

Baſil. Item S. Baſil. lib. de vera virg. *Sicut guſtui ad omnes paſſim cibos liberè frena laxare noxium reuerà ac pernitioſum eſt; ita neceſſaria illi alimenta negando, corpus infirmum ac inualidum reddere, irrationabile prorſus ac ſtultum eſt;* extrema *enim* quæque, *ait Sapiens quidam*, periculoſa ſunt: *nam ſicut per ciborum abundantiam laſciuiens equus noſter aurigam quàcunque vult peſſimè præcipitem fert; ita & per nimiam abſtinentiam propoſitum impedit virtutis iter: & ſicut auriga non expedit ita affluenti ſaginare præſepio, vt illius laſciuia motibus & inordinatis ladatur, & quò ille voluerit circumferatur, dum feruidis eius ac nimijs viribus nequit obſiſtere; ita neque virtutis viam cum eo pergere inſtituenti conuenit, ex nimia neceſſarij victus indigentia, vires eius omninò deijcere, ne perpetuis infirmitatibus preſſo alligatus, inextricabiles ipſius cauſa labores ſubire cogatur; ſit enim ferè, vt dum prorſus lapſum erigere iam ad curſum nequit, per inſeparabile conſortium ſemper ei condolere compellatur.* Ita S. Baſil.

Idem. Item idem S. Baſil. ibidem: *Sicut venter pinguis non gignit tenuem ſenſum; ita nimium exilis & gracilis, in emortuo corpore tenuem quoque iam genitum prorſus extinguit. Quantitas ciborum vbique metienda eſt, quæ ſi excedat fragilitatu modum, idem ſolet quod nociua quæque operari, & qualitas quoque diſcernenda, quæ niſi ſolicitè diſcutiatur, non minus habet virium, quàm quæ aperiè ſunt noxia; quòd ſi proximum tanquam nos diligere iubemur, mandatum profectò non implet, qui cùm alteri curet opem ferre, ſeipſum infirmantem immaniter nocet.* Ita Baſil.

Idem. Qui rurſum ibidem: *Hù* (inquit) *qui adipiſcendi boni ſtudio corpus macerare pergunt, iteratò dictabimus, ne declinet ad dexteram, neque ad ſiniſtram* (Prouerb. 4.) Sicut enim in gula intemperantia non declinare graue ac periculoſum eſt; ita per nimiam, abſtinentiam corpus atterere, ac per infirmitatem inutilem reddere, omni profectò ratione caret.

Diadoch. Præterea Diadochus de perf. ſpirituali, cap. 45. *Vt corpus multo cibo onuſtum languidam & ſegnem efficit mentem; ſic nimia continentia victus, debilitatem facit, vt ea pars animæ, quæ in contemplatione verſatur, in mœſtitia ſit, & in ſermonis faſtidio, neque in infirmo corpore eſſe debet qui certat, ſed ita firmo, vt ſuſtinendo certamini par eſſe poſſit.* Ita ille.

PROPOSITIO XXI.

Quàm moderatè ſit ſumendus cibus.

Gen. 9. 2. GEn. 9. *Omnes piſces maris, manui veſtræ traditi ſunt, & omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradunturvobis omnia.* Quid eſt *quaſi olera?* *S. Ambr.* S. Ambroſ. de Noë & arca cap. 25. *Sicut olera, Labata tom. I.*

inquit: *vtantur igitur qui vtuntur carne tanquam oleribus, non ad diſſenſionem, non ad ruinam,* (.i. craſſitudinem) *corporis, quam epulæ carnis facere conſueuerunt, ſed ſicut oleribus.* Ita ille. Vbi nota quòd olera infirmantium eſcæ ſunt, ſicut Apoſtolus ait ad Rom. 14. *Qui infirmus eſt, olus manducet.* Sicut igitur ad medicinam, ſic ad cibum accedere, nos vult Dominus; ſicut ait S. Auguſt. ea tantùm ſumentes quæ neceſſaria ſunt; ex oleribus enim, & ex medicinis nemo ſuperflua ſumit. *Rom. 14.* *S. Auguſ.*

PROPOSITIO XXII.

In diebus ieiunij à ciborum delicijs abſtinendum eſt.

2. Reg. 12. REx Dauid pro infirmo filio Deum volens deprecari, *Ieiunauit*, inquit, *ieiunio.* quid ſibi vult modus iſte loquendi *ieiunauit ieiunio?* quonam pacto niſi ieiunio ieiunare valebat? ſicut enim album albedine album eſt, & dulcedine dulcedo dulcis eſt, & calidum calore calidum, &c. ſic ieiunio ieiunamus. Quid igitur opus fuit dicere, *ieiunio ieiunauit*, nonne ſufficiebat dicere, *ieiunauit?* Ita quidem: nam multi ieiunantes non ieiunant. ſicut enim dixit Chriſtus: *Qui habet aures audiendi audiat*; apertè innuens eſſe nonnullos, qui audientes non audiunt; ſic Scriptura diuina, *ieiunio*, ait, *ieiunauit Dauid*, innuens eſſe alios, qui ieiunantes non ieiunant; ita enim delicatè & abundanter comedunt, vt potiùs gulæ deditus horum eligeret ieiunia, quàm aliorum non ieiunantium menſas: hi n. vt minùs ieiunium ſentiant, vndecima hora è lecto ſurgunt, & varios piſces, & multam ouorum varietatem, & plura condimenta perquirunt, *Dan mil varrones al ayuno.* Dices: Eccleſiæ præceptum nihilominus ſeruo, Cruciatæ Bullam habeo; vnde nihil aliud mihi præcepit Eccleſia, niſi à carnibus abſtinere, & ſemel in die veſci. Ita eſt, ſed vna illa comeſtio tua æquiualet duabus, vel etiam tribus; eſt enim quaſi conuiuium delicatum: vnde licet ſatisfacias præcepto, non tamen fini præcepti; qui nempe eſt, carnem domare, & laborem ieiunij pati, quo ſatisfacere Deo pro peccatis valeas, & miſericordiam eius obtinere; tu verò intemperantia tua potiùs Deum offendis, & prouocas iram eius, & maximè cùm Chriſtianus ſis, qui à Chriſto carnis delicias fugere didiciſti: Chriſtus enim natus fuit hyeme, & reclinatus in præſepio, vt delicias vitare nos doceret. LXX.

S. Bernard. *Numquid credimus caſu factum, vt in tanta* *Bernard. Serm. 3. In Natali Chriſti.* *æris inclementia, cuius eſt hyems, & æſtas, Chriſtus naſceretur? Diligenter conſidera, ait Sapiens, quæ apponuntur tibi, & ego quidem agnoſco mea eſſe natiuitatis huius tempus, & locum infantilis corporis teneritudinem, & paruuli lacrymas & vagitus; mea ſunt hæc, pro me faciunt, mihi apponuntur, mihi proponuntur imitanda, non elegunt paruuli quando naſcuntur, quibus nullus ſubeſt rationis vſus, & nulla eligendi libertas; Chriſtus verò, etſi Homo, erat tamen in principio apud Deũ,* *Ioan 1. 2.* *& Deus erat eiuſdem, cuius nunc eſt ſapientiæ, & poteſtatis, vtpote Dei virtus, & Dei ſapientia. Naſciturus itaque Dei filius, cuius in arbitrio erat quodcumque vellet eligere, tempus elegit quod moleſtius eſt, præſertim paruulo, & pauperis matris filio, qua vix pannos haberet ad inuoluendum, præſepe ad reclinandum; & cùm eſſet tanta neceſſitas, nullam audio pelliuus fieri mentionem. Primus Adam pelliceis tunicis veſtitur, pannis obuoluitur ſecundus: non eſt tale iudicium mundi, aut iſte fallitur, aut mundus errat, ſed diuinam falſis impoſſibile eſt ſapientiam; meritò proinde carnis prudentia inimica eſt Deo, & ſæculi prudentia ſtultitia nominatur. Chriſtus igitur qui non fallitur, elegit quod carni moleſtius eſt: id ergo melius, id vtilius, id potius eligendum eſt, & quiſquis aliud docet, vel ſuadeat, ab eo, tamquam à ſeductore cauendum.* Ita S. Bernard. & meritò: nam rerum æſtimatio ex peritis in qualibet arte ſumenda eſt, quantum adamas, vel margarita, vel alius quiuis lapis valeat pretioſus, ex gemmarij alicuius periti iudicio deſumi ſolet, quale aurum, qualéue ſit argentum, ex argentarij & aurificis æſtimatione æſtima-

mus. Qualia igitur sint vera nostra bona, & quæ illorum vtiliora nobis, à quo meliùs quàm à Deo ipso rerum omnium artifice & creatore capere valemus? Ille igitur elegit labores, & cruciatus, & crucem, & proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, & diuitijs, & delicijs, & honoribus mundi huius pariter spretis. Vtiliores igitur nobis labores, & cruces, & mortificationes carnis, quàm sæculi bona.

Idem. *Malum ergo voluptas corporis* (ait S.Bernard.) *bonum verò afflictio est; siquidem & hanc elegit, & illam reprobat puer sapiens, Verbum infans.* Ita ille. Si colligere volens ficus, vides aliquam à passeribus esse tactam, eam maturiorem & dulciorem esse iudicabis, quia opus naturæ illud est; & opus naturæ opus est intelligentiæ, scilicet increatæ, quæ opera dirigit naturæ. Cùm igitur videas Deum ipsum eligere paupertatem, & negligere diuitias; eligere tabulum, & relinquere regiam; eligere præsepe, & relinquere cunas aureas; eligere frigus, & aspera carnis, & relinquere mollia, & preciosa mundi; quid iudicas, nisi quod hæc nobis vtiliora sint? maximè cùm Christus Dominus hæc omnia in exemplum nostrum fecerit; nam vti ait idem S. Bernard.

Idem, In sua natiuita-te. *Christus clamat exemplo, quod postea prædicaturus est verbo;* quare meritò inuehitur S.Bernard. in mundanos, qui non quæ Christus elegit, eligunt, sed contraria prorsus: *Vbi*, inquit, *sunt quæ tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos? Christus elegit quod salubrius iudicauit, & vos eligitis quod reprobat ille; quis prudentior è duobus? cuius iudicium iustius? cuius sententia sanior?* Ita S.Bernard. *Butyrum ergo, & mel comedit* Christus, id est, factus est puer sicut alij, qui talia comedunt, factus est homo sicut nos, *vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*, hoc est, scire faciat nos, quid à nobis eligendum, quid reprobandum à nobis sit; & qui sequitur Christum, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ; quid ergo tu Christiane in ieiunijs delicias quæris?

Isa. 7.15.

LXXI. PROPOSITIO XXIII.

Quemadmodum temperantia superuacaneos sumptus moderetur.

QVemadmodum temperantia efficit, vt tempus rectè conteratur, sic etiam vt opes atque diuitiæ rectè consumantur, quæ sæpenumerò in splendidis opiparisque conuiuijs, & in alijs corporis voluptatibus confici consumique solent. Quod si homines moderato cibo contenti essent, moderatæ quoque facultates satis superque essent ad vitam in honestate traducendam. Verùm vanitas & gula sunt *duæ* insatiabiles *sanguisugæ*, quæ sanguinem rei familiaris sugentes, semper dicunt; *Affer, affer*: si verò gutta cauat lapidem non vi, sed sæpè cadendo; quid rogo magnus ac vehemens impetus aquæ faciet, & vi & sæpè cadendo? Dubium non est, quin ad intemperantiam hominum non sint satis ingentes opes, quando huiusmodi vix satis sint ad vitam moderatè transigendam.

Prouerb. 30.15.

Prou.21. 17. Prouerb.21. *Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Experientia sanè docet homines nobiles, & primarios ciuitatum, etsi ditiores & opulentiores cæteris ciuibus sunt; esse tamen magis ære alieno oppressos, propterea quòd intemperantia & gula habet imperium in ipsos, exigitque ab eis minimè ferenda tributa, vt nimirum epulentur splendidè, neque habeant satis ad alendam ac sustentandam vnam familiam ijs opibus, quæ anteà satis erant ad sustentandas abundantissimè duas: quæ planè mala inter præcipuam hominum nobilitatem reperiuntur.

Prou.23. 20. Prouerb. 23. *Noli esse in conuiuijs potatorum, neque in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt; quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio*: quod ita Hispanè vertetur: *No te halles en los banquetes de gente comedora, y beuedora, ni de los que siruen en sus mesas platos de varias maneras de carnes, porque gastando en esto sus haziendas vendran a pobreza, y el sueño, y pereza de estos al fin se vestira de andrajos y remiendos*: quod quidem Hebraicè breuiter & eleganter dictum est, & latinè redditum ita habet: *Ne sis inter potatores vini, inter helluones carnis, quia potator, & helluo depauperabitur, & laceris vestiet sopor.* Est quidem in gula dulcis depauperandi modus, quia sensim bona consumit; & intemperatus homo voluptate illius allectus, non antè intemperantiæ damnum animaduertit, quàm videat se in paupertatem atque adeò egestatem deuenisse. Præterea gula vires debilitat, corpus eneruat, laborandi animum ac voluntatem adimit, affert otium, somnum, & risum eis, quos suo tenet constrictos amplexu: qui tandem vident se illius gratia confectos, in pauperiemque redactos. Quapropter rectè dictum est supra, quòd laceris vestiet sopor. E gula oritur segnities; ex vtraque verò paupertas & indigentia, sine vllo ferè sensu, quoad quis eius in se sentit atque experitur incommoda. *Luc.15, 19.* LXXII.

Id planè accidit filio illi prodigo Luc. 15. qui *peregrè profectus in regionem longinquam, ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè*: petijt patrimonium à patre, idque in conuiuijs & amatorijs leuitatibus consumpsit, quæ illum eò adduxerunt, vt porcorum gregem custodiret, adeò quidem miserè, vt eorum glandibus explere famen ac ventrem concupisceret, nec tamen id pro voluntate & auiditate posset.

Cicero. Marc. Tullius cùm de Catilina & cæteris coniuratis loqueretur, ait eos luxuriosè viuentes patrimonia comedisse: quapropter vnà cum illis & fidem, & bonam apud homines existimationem amisserunt.

Maxi. Maxi. serm. 61. refert etiam hoc de Platone, qui generosum videns adolescentulum patrimonio consumpto ad fores pandochij panem edentem, & aquam bibentem: *Si*, inquit, *sic moderatè prandisses, nunquam sic cænares*; quia intemperantia nimirum cibi in hasce angustias adduxit, in tantamque moderationem compulit. De quodam etiam adulatore Dionysij tyranni narratur, quòd cùm Philosophum quendam vidisset legumina quædam abluentem ad victum, cumque videretur sibi cibus ille nimis agrestis, sic est Philosophum allocutus; *Si tu*, inquit, *Dionysio adulareris, nunquam profectò eiusmodi cibo vescereris*; cui quidem sapienter Philosophus: *Si tu huiusmodi cibo contentus esses, Dionysio minimè assentarere*: si enim homines paucis contenti essent, neque ampliores fortunas concupiscerent, neque diuitias sibi toties malè compararent. Hinc sanè oritur, vt caritatis munera erga pauperes, aut parum aut certè remissè ac frigidè exerceant plerumque homines, eò quòd gula plurimos eosque immoderatos sibi sumptus deposcat. Minimè igitur mirum videri debet, diuites non habere, vnde possint pauperibus erogare eleemosynas; propterea quòd vix habent propter intemperantiam vitæ ad seipsos alendos ac sustentandos, qui si moderarentur superuacaneos sumptus, si conquisitas & splendidas epulas à suis mensis amandarent, si moderatis cibis contenti essent, dubium non est, quin & sibi satis superque haberent, & esset etiam vnde pauperibus possent subuenire: sed quia immoderatè viuunt, hinc fit, vt & facultas eis non suppetat non modò ad impertiendum aliquid egenis, sed etiam ad commodè viuendum. Vnde Amos c. 6. *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph*, quasi diceret, diuites ita voluptatibus corporis indulgere, ita sese delicijs & compotationibus tradere, ita seipsos curare, vt pauperes negligant atque contemnant, neque eorum vicem doleant. Ioseph enim appellat Propheta decem tribus Israel, quæ multis miserijs oppressæ tenebantur, quarum miserias atque ærumnas, multi ex illo populo, cùm possent, minimè subleuabant; imò nec compatiebantur super contritionem eorum: De quibus meritò *Prou.12.* Prouerb.12. *Non it iustus iumentorum suorum animas; viscera autem impiorum crudelia sunt*; id est, iustus etiam iu- 10.

Maxi. *Amos 6. 6.*

mento-

mentorum miseretur, impius verò nec fratrum: verificaturque in diuite epulone, Luc. 16. qui cùm vesceretur splendidè, & non quotannis, sed quotidiè, nec micas è mensa cadentes fame morienti Lazaro præstabat. Nunquid in montibus Hyrcaniæ immanior fera poterat reperiri? quid mirum, si epulabatur splendidè quotidiè, qui poterat pauperi dare, qui sibi quamuis diuiti vix sufficiebat. Dedicarunt hi diuitias suas sibi, quare tormento sunt puperesillis, nec pacificè voces
LXXIII petentium eleemosynas valent audire, vel quòd luxui suo, & pauperibus simul satisfacere nequeunt, vel quòd nihil non sibi reseruare volunt.

Chrysost. Quibus S. Chrysostomus rectè hom. 49. in Matth. *Et tu quidem* (inquit) *immoderatè deuoras, cùm Christus esuriat: Tu pretiosissimas placentas habes, Christus verò nec siccum quidem frustum panis: Tu vina bibis falerna, Christo verò nec frigidæ aquæ calicem sitienti dedisti: Tu in tenerrimo lecto atque ornato sternis, cùm Christus frigore laboret. Quare & si omni auaritia vaces, flagitiosa sunt hæc, quod cùm immoderatè omnia facias, nec necessaria Christo præbes, præsertim cùm lasciuies rebus Christi.* Ita S. Chrysost.

Præterea ex huiusmodi luxu & gula etiam consequitur huiusmodi homines semper alieno ære grauari, ita vt non solùm pauperibus subuenire nequeant, verùm nec creditoribus sint soluendo: comedunt & epulantur splendidè alienis expensis, verbis compositis, ac lenibus creditoribus satisfaciunt, præterea nihil. Væ vobis miseris Epicureis, soluetis tandem, & debita plusquam in septuplo in æternum reddetis.

PROPOSITIO XXIV.

LXXIV. *De temperantiæ lucro & commodo circa tempus.*

INter humanæ vitæ commoda, hoc magno in pretio habitum est ab hominibus, vt tempus rectè conteratur: nam magnum est lucrum rectè tempus consumere, vt contra magnum vitæ detrimentum tempus frustrà conterere; nam hoc est vitam malè traducere, aut certè inutiliter, & infructuosè; illud verò magna cum vtilitate, & fructu. Vnde quò plus quis habuerit temporis ad rectè viuendum, eò plus habebit vtilis fructuosæque vitæ, & quò minùs temporis, eò etiam minus huiusmodi vitæ: nam tempus & vita in nobis vnà prætersluunt atque labuntur.

Hoc itaque commodum nobis importat temperantia, vt plus temporis ad rectè agendum habeamus. nam qui moderatum cibum sumunt, minùs dormiunt. quod pauciores ad cerebrum ascendant vapores, qui efficiant soporem; atque ita sine valetudinis incommodo potest quis vigilare de nocte, & honestis lucubrationibus tempus id consumere, quod alij repleti cibo in eo per somnum decoquendo ponunt. Vnde quò breuior erit somnus, eò ad vigilandum atque adeo viuendum plus erit otij: nam quid aliud est somnus nisi dispendium quoddam temporis & vitæ, ac mortis quædam imago? quapropter antiqui illi Philosophi somnum morti dixerunt esse persimilem, & mortem esse somnum quendam, & somnum quandam item mortem; in eo tamen dissimiles, quòd mors est somnus, ex quo quis excitari non potest, somnus verò est mors, à qua quis tandem, consumptis capitis vaporibus, expergiscitur. Ab hoc igitur somni onere nos temperantia liberat, si minus omnino, ac certè magna quidem ex parte: nam moderato cibo ac potui moderatus quoque somnus respondet, vt contrà immodico cibo immodicus item sopor ac somnus.

De D. Basilio legitur, eum solitum esse pernoctare, nocteseque ferè insomnes ducere, quia singulari erat temperantia.

LXXV. D. Antonius Abbas, vt refert Athanasius, sæpissimè in oratione pernoctabat, quem Sol occidens relinquebat in oratione, & iterum oriens in diuinam contemplationem intentum reperiebat; hocque tanta cum animi voluptate ille præstabat, vt redeuntem Solem increparet, quòd ei suo lumine quietem mentis adimeret. Causam autem si quæras, cur sic vigilare posset, ea fuit, quod temperatissimus erat in cibo, vt discursu proximo dictum est. Idem de alijs Sanctis commemorare possemus, quibus etiam temperantia dedit, vt noctes ferè totas sine vlla molestia somni traducere possent in contemplatione. Quanta porrò est hæc fœlicitas, vt dum intemperantes dormiunt in vtramque aurem, ac stertunt, viri abstinentes vacent orationi, & dum illi iacent in lectis velut mortui sine sensibus, hi sensibus vigeant maximè eosque ad diuinarum rerum contemplationem accommodent? Quid, quòd nocturno tempore plus hi viri sancti faciebant, quàm illi poterant facere diurno, etiam si omnes intelligentiæ nerues contenderent? Propterea quòd intemperans, non solùm cùm somno indulget, mente ac ratione vti non potest, sed etiam cùm vigilat ita crapula obtusus atque oppressus est, vt ineptus omnino esse videatur ad cogitandum: at verò temperatus siue in vigilia, siue in somno aptior est simulatque excitetur, ad meditandum, quàm qui cibis onustus vult ad aliquam se exercitationem mentis conferre. Vnde quod hic propter suam intemperantiam amittit tam vitæ, quàm temporis, ille propter suam moderationem & abstinentiam assequitur.

Quid dicam amplius de toto eo tempore, quod amittunt intemperati homines non solùm noctu, sed etiam die, dum cibis se ingurgitant? nam præterquam quòd bonam temporis partem in conquirendis cibis consumunt, longa requiem post prandium cœnamue capiunt, propterea quòd stomachus cibo repletus non sinit hominem in mentis exercitationibus versari, neque lectionem orationemue exercere, aut cogitare aliquid homine rationis compote dignum, quoad exhaletur crapula, vel cibus in stomacho consideat: interim verò necesse est, vt vacet ab omni mentis actione. Deinde qui temperatè vescitur, valetudinem corporis tuetur, neque timet ne sibi cibus sumptus obsit, habetque tempus liberum ad cogitandum, vel quidquam simile peragendum; quo quid potest esse fœlicius? Atqui ex hoc quidem fiebat, vt sancti Patres tot libros conscriberent, quantumuis essent varijs negotijs occupationibusque distenti, vt D. Augustinus, D. Hieronymus, D. Gregorius, D. Thomas Aquinas, D. Chrysostomus, vt cæteros prætermittam, propterea quòd cùm plus temporis haberent ad scribendum & commentandum, plures etiam res se ipsis dignas in lucem edebant, ac præterea viuebant plures annos, quàm cæteri, quia nimirum quò plus temporis impertiebant eiusmodi actionibus, eò plus temporis viuere censebantur: qui tunc se maximè viuere existimabant, cùm in mentis exercitationibus erant occupati; secus autem intemperantes homines, qui tunc se viuere putant, cùm luculentè bibunt, ventremque pascunt, qui potiùs mori, vel bestiarum more viuere censendi sunt; quandoquidem ratione abutuntur, eiusque vsum ad corporis obsequium & indulgentiam accommodant, negle-ctis mentis actionibus, quæ hominem ingenuum & liberalem maximè decent: quas cùm temperantia curet, atque amet, ad calcem cum ingenti animi voluptate exercendas otium, ac tempus, & vitam quoque longam suppeditet, ardenter ab omnibus expetenda amandaque est.

PROPOSITIO XXV.

Quantopere sit necessaria abstinentia, vt cibus non solùm salubris, sed sapidus sit.

RAtio, propter quam guloſus comeſſationibus det operam, ea potiſſimùm eſt, vt voluptatem, quam vehementer appetunt, conſequantur, ſed nihil minus: cibi enim ſaporem & guſtum abſtinenti reſeruauit na-

tura; temperato enim etiam insuauia suauia sunt, guloso verò nec bellaria ipsa: epularum enim sapor, & suauitas cibi non tam in ipso cibo, quàm in palato & gutture bene disposito reperitur; vnde infirmo, qui tædio cibi laborat, auium epulæ, & rerum pretiosarum esus insipidus esse videtur: sano verò panis hordeaceus suauissimus apparet. Gulosus satiatus semper non esurit, esuries autem condimentum est optimum, quo deficiente deficit etiam gustus ciborum. Hinc dicere solemus, *Buey harto no es comedor.* Et quidem ad diuinam prouidentiam pertinebat, in eo cibi voluptatem constituere, quod ad animalis vitam & salutem requirebatur, superfluus cibus non saluti, non vitæ, sed infirmitati & morti deseruit. Sapor igitur, & cibi voluptas non in superfluo, sed in moderato cibo esse oportebat; quare ciborum repletio sanitatem & fastidium ac tædium gignit.

Chrysost. Vnde S. Chrysost. hom. 55. ad popul. *Vis corpus alere? tolle superflua, da quod satis est, & quantum concoquere potest, ne aggraues ipsum, vt non submergas, quod satis est cibus, & voluptas: nihil enim ita voluptatem parit, sicut cibus bene digestus, sufficiens cibus, & voluptas est, & alimentum, & sanitas: plus autem, & pernicies, & agritudo, & fastidium.*

Et idem S. Chrysost. homil. 2. ad popul. *Voluptatem in conuiuijs, non seruorum natura; sed conuiuantium dispositio facere consuevit, vt cùm fame quis mensam attingens, omni condimento & innumeris ciborum illecebris iucundiorem escam gustabit, etsi omnium vilissima sit: necessitatem verò & esuriem præueniens (quod faciunt diutes) etiam si placentas inuenerit appositas, non sentiet voluptatem, ipsius appetitu non excitante.* Ita S. Chrysost.

Iob, 12. 11. Hinc Iob. 12. *Nonne auris verba dijudicat, & fauces comedentis, saporem?* hoc est; sicut melodia & voluptas concentus non est in sonis & vocibus pulsantium & canentium, sed in aure audientis, qua non rectè disposita, Musicæ suauitas perit; sic palato non rite disposito nulla est suauitas ciborum.

Prou. 27. 7. Quare Sapiens Prouerb. 27. *Anima*, inquit, *saturata calcabit fauum: & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* Super quæ verba sic S. Chrysost. hom. 2. ad pop. *Quid dulcius fauo, & melle? sed iucundum non est non esurienti. Quid verò amaris iniucundius? dulcia tamen sunt in paupertate constituto.* Ita ille; & quidem veram esse hanc sententiam Salomonis, vel ipsa experientia docet; qui enim satur est cibo, & potu, mox fastidit omnem cibum, quantumuis delicatum: esuriens verò quemuis cibum etiam insipidum & vilem sapidè & auidè sumit. Rectè enim Socrates dixit: *Optimum condimentum est fames.* De quo & illud refertur, quod cùm in multam vesperam sæpiùs ambularet ante fores, & rogaretur, quid ageret? *Paro*, inquit, *condimentum in cœnam.*

Socrates.

Hinc prouerbium illud Latinum; *Fame crude fabæ saccarum sapiunt:* Cui consonat illud cuiusdam Poëtæ Græci: *Præter se ipsam cætera edulcat fames.* Hinc est quod diuites, cùm semper sint saturi, semper condimenta palatum & appetitum irritantia quærunt; quippe quibus propter saturitatem omnes cibi insipidi videantur: pauperes verò, quia esuriunt, siccum panem cum voluptate auidè sumunt, quod in pauperum consolationem natura prouidit. In huius confirmationem

Iob, 6. 7. quam plurima sunt exempla, Iob. 6. *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia spiritus cibi mei sunt,*

Lyranus. id est, vti explicat Lyranus. *Quæ tempore prosperitatis meæ nolebam non solum comedere, verùm etiam tangere in mensa mea, nunc tempore necessitatis & famis sunt mihi cibi accepti.* Ita ille.

LXXVI. Rex Darius è prælio fugiens, & præ labore vehementer sitiens, cui aquam turbidam obtulit miles quidam in galea sua; bibit, & illicò dixit: *Nunquam iucundius bibi*; nimirum quia nunquam sitim sic expectauerat ad bibendum. Refert hoc Tullius lib. 1. Tusc. Quo-

Cicero. ties quæso biberat priùs hic Rex aquas chrystallinas, & vina pretiosa in phialis aureis, nec tamen tali cum voluptate &c.

Rex etiam Ptolemæus, cùm Ægyptum peragrasset, & deficientibus cibarijs in casulam pauperis incidisset, panis vilis ei fuit exhibitus, quo accepto: *Nunquam*, inquit, *suauiorem cibum sumpsi.*

De filijs Israel, cùm per desertaiter agerent in terram promissionis, sic ait Dauid Psalm. 80. *Cibauit eos* (scilicet Deus) *ex adipe frumenti: & de petra melle saturauit eos.* S. Chrysostom. homil. 2. ad populum: *Nunquam* (inquit) *in Scriptura lectum est, quod mel de petra eduxerit Moses, sed vbique aquas. Quid igitur est, quod dicitur? neque enim sacra Scriptura fallitur. Postquam ergo sitientes, & indigentia defatigati, frigidioribus aquis inciderunt, ex potu voluptatem asserere volens, mel aquam appellauit, non tanquam mutatam in dulcedinem mellis, sed bibentium dispositione fluenta illa melle iucundiora faciente. Vides quomodo & potum suauem sitientium affectus reddere consueuit? Multò ergo pauperes sæpè laborantes, siti ardentes, cum dicta voluptate talia fluentia reddiderunt. Diuites verò vinum suaue, & floris odorem, & omnem virtutem habens, quæ in vino optari possent, haurientes, non eandem senserunt delectationem.* Ita Sanct. Chrysostom.

Similiter Plutarc. in Apophtheg. Regum & Impp. *Artaxerxes* (inquit) *cùm in fuga quadam diepto illius commeatu, hordeaceo pane cum aridis ficis vesceretur; Dij boni* (ait) *eiusmodi voluptatis hoc vsque inexpertus fui.* Ita ille. *Plutarch.*

Ego autem quæro, quid in cibo illo contemptibili inuenit, quod vinceret suauitate saporis cibos regios, quibus antea vescebatur? Manifesta verò est discriminis ratio, nunquam antea tale condimentum famis adhibuerat.

Item Cicero in 5. Tusc. quæst. *Cùm Dionysius Tyrannus* (inquit) *cœnasset, negauit se delectatum esse in cibo, tunc coquus eius; Minimè mirum, quia condimenta defecerunt. Roganti; quænam condimenta? respondit; Labor & fames; talibus enim Lacedæmoniorum epula condiuntur.* *Cicero.*

Refert etiam Ælianus lib. 2. de var. hist. quòd *Timotheus dux Athenienfis inuitatus à Platone, cùm frugaliter tractatus esset, postridie conueniens Platonem, dixisse fertur: Vos ô Plato, melius cœnatis sequenti die, quàm præsenti. Innuit iis, qui frugaliter cœnarent, sequentem diem multo latiorem esse, cùm nullo crapulæ vel ebrietatis dolore cruciarentur: Verum eos qui lautè cœnarent, postea grauari cibo, & potu, nondum cocto.* Ita ille. *Ælian.*

Plutarch. etiam de Alexand. sic: *Fertur autem Alexandrum dixisse, posteaquam coquos à se abiecisset, se longè commodiores secum producere coquos, scilicet nocturnam profectionem ad prandium condiendum; ad cœnam verò prandij tenuitatem.* Ita Plutarch. Et quidem Imperator erat ille & Imperatorum maximus, & ad voluntatem è terra marique dapes ei delatæ fuissent facile; intellexit tamen virnon solùm potens, sed prudens, si abesset fames, pretiosos cibos vilescere; si verò adesset, viles nobilitari, & suauissimos reddi. *Plutarch.* LXXVII

Hinc Epicuræorum secta, quæ in voluptate beatitudinem constituebat, parco & communiori cibo vtebatur. Mirum qui voluptatem venabantur, cur faciles & tenues cibos admittebant, & non altos: & quidem meritò; scicbant enim in multitudine ciborum, & maximè exquisitorum, non voluptatem, sed molestiam captari; voluptatem verò in temperantia & moderatione cibi reperiri: scipsum ergo non capit, qui voluptatem & ingluuiem quærit.

Eget quidem somno, qui lautè comedit, & tamen ipsa intemperantia impedit somnium. Vnde Eccles. 5. *Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.* Laborat interdiu mercenarius, sed noctu dulciter quiescit; qui tamen post laborem pane ferè tantùm accepto, thoro se recipit, dormit, vires reassumit, quibus facilè sequenti die labores nouos subire possit. Qui euit diues, cœnauit splendidè, lectum, vt dormiat, petit; sed noctem totam transigit insomnis, ructibus, & torsionibus stomachi ac ventriculi vexatus, surgitque crudi- *Eccl. 5. 11.*

tatibus & indigestione grauatus, &c. Cibus ille abundans

dans in ſomnium exibat, & cibus ipſe eſt ſomno impedimentum.

Eccl. 31. 22. Idem autem eſt de potu dicendum, Eccleſiaſt. 31. *Quam ſufficiens eſt homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabit ab illo, & non ſentiet dolorem. Vigilia, cholera, & tortura viro inſrunito: ſomnus ſanitatis in homine parco: dormit uſque manè, & anima illius cum ipſo delectabitur.* Tria mala hîc intemperato minatur Spiritus Dei: Primum eſt vigilia; ciborum enim ſuperfluitas impedit ſomnum. Secundum eſt cholera, id eſt, cruditas; calor enim naturalis nequit digerere tantam copiam eſcarum: Tertium eſt tortura, quæ ex vtroque prouenit; quare ſi fortè aliquantulum dormierit, terrebunt illum ſomnia ſua, &c.

LXXVIII. Vnde Rabanus ſuper hunc locum Eccleſiaſt. *Manifeſtũ eſt*, inquit, *quod parcus & tenuis victus tam corpori, quàm animæ vtilis ſit; & è contrario ſuperfluus cibus vel potus egritudinem generet, & minuat animæ ſenſum.* Ita ille. Infrunitum autem virum vocat intemperatum: ſic enim habet textus Græcus ἀπαίδευτον, id eſt, inexplebili. Nota etiam verba illa, *& anima ipſius cum ipſo delectabitur*, quia ſcil. gaudet, tum propter ſanitatem, & bonam corporis diſpoſitionem, tum propter conſcientię tranquillitatem; & denique, quia ſe homo aptum ſentit, & ad literarum exercitia, & ad ſpiritualia munia, & ad corporalia officia bene diſpoſitum.

Nota etiam verbum illud, *tortura*; quia pugnant intus ciborum qualitates inter ſe: frigida enim pugnant calidis, & humentia ſiccis, nec valet calor naturalis ea purificare, quia ſuperant eius vires: vnde ſicut in ventre Rebeccæ pugnabant Eſau & Iacob, ſic etiam in ſtomacho ſaturi pugnant dapes, &c.

Nota denique verba illa, *anima illius cum illo delectabitur*; vbi lectio Græca ſic, ἡ ψυχὴ αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ, hoc eſt, anima eius cum ipſo, in homine quippe intemperato non videtur eſſe anima eius cum ipſo: anima enim hominis ad opera rationis creata eſt, & quidem non videtur eſſe anima eius cum ipſo, ſed receſſiſſe, & loco ſui animam irrationalem ſubſtituiſſe; intellectus enim eius non diſcurrit, memoria non recordatur, voluntas nihil aliud vult, quàm vel dormire, vel otiari, vel à grauedine illa liberari, nihil de operibus homine dignis cupiens: vnde non videtur eſſe anima eius cum ipſo, ſed anima ſuis, aut alicuius bruti animalis; in homine verò temperato, & intellectus percipit, & memoria iuuat, & voluntas ea deſiderat, quæ recta poſcit ratio quia anima eius cum ipſo eſt, &, vt Latina lectio habet, *anima ipſius cum ipſo delectabitur*, quia gaudet propter bonam corporis habitudinem ad omnia munera rationis, *gozaſe por el buen temple cauſado de la temprança*, & gaudet propter ſanitatem corporis; quia vbi deeſt ſalus, quale gaudium erit, &c.

Plato. Conuenit rectè huic ſententiæ quod Plato Philoſophorum Patriarcha dixit: *Sapientum conuiuia vel hoc vno eſſe meliora, quàm intemperantium, quod ea poſtridie nulli dolores capitis aut corporis conſequantur, & ob hanc cauſam*
Timoth. Athen. *Timotheus Athenienſis de Platonico conuiuio aſſeruit, poſtride gratum eſſe.*

Plutarch. LXXIX. Vnde meritò Plutarch. comparat intemperatum nauclero, qui nauem mercibus onerat, quarum ponderę ita grauatur nauis, vt eas in mare proijcere opus ſit, quo ſit, vt lucri auaritia damni ſit occaſio; ſic intemperatus cùm corpus alimentis onerat, illud ſubmergit: vnde opus ſit ieiunijs, vomitibus & pharmacis illud alleuiare, tormenta tormentis ſuperaddendo.

Quòd ſi gula propter corporis voluptatem admiſſa ipſi corpori ita nociua eſt, ad quid proderit, quæſo? corpus lædit, ſalutem adimit, mortem accelerat, animæ nocet. Vbinam ergo emolumenta eius? palato placet, ita ſit, cùm & id non adeo verum eſſe probatum fuerit. Sed eſto: nunquid propter momentaneum guſtus ſaporem tot mala ſubeunda ſunt?

Seneca. De cupiditate diuitiarum agens Seneca; *Si diuitiæ*, inquit, *diuitiarum ſtitim non extinguunt, quid proſunt?* ſic de gula dicendum: Si cibi, quos appetit gula, corporis cauſa, corpori nocet, quid proſunt nobis? &c.

Chryſoſt. Dices, ſaturitatem nos à fame liberare, fames autem corpus torquet. Audi S. Chryſoſt. hom. 55. ad popul. *Quæ facit fames, hæc & ſaturitas facit, immò verò grauiora: nam illa quidem paucis abſoluit diebus, & hominem à fame, & alijs huiuſmodi corporalibus liberat malis; ſaturitas verò corporis abſumens & tabefaciens diuturnæ tradit egritudini, & demum atrociſſimæ morti, & velut multum humida terra vermes gignit; ab illa autem humiditate liberatus multos affert fructus; ita carnem ne reddamus inutilem, ſed vtiles fructus in ea plantemus. Etenim & illa vermes pro fructibus emittit, & ingenita cupiditas, ſi eam irrigaueris, malas parit voluptates.* Ita Chryſoſt.

His tamen omiſſis (cum homine Chriſtiano loquor) quidnam melius pro virtute famem, vel pro gula ſaturitatem pati? Addam & hoc notatu dignum; etiam ad famem ſedandam valet temperantia. Sanct. Thom. 2. 2. q. 146. art. 2. ad 2. *Per abſtinentiam*, inquit, *caſtigatur corpus, non ſolum contra illecebras gulæ, quia dum homo abſtinet, reddetur magis fortis ad impugnationes gulæ vincendas, quæ tanto fortiores ſunt, quanto magis homo eis cedit.* Ita ille. Quid nunc addendum reſtat? &c. *S. Thom.*

PROPOSITIO XXVI.

Docet abſtinentiam & temperantiam in cibo & potu, temporibus & ſaculis noſtris maximè conuenire.

IN ſtatu innocentiæ homo in paradiſo voluptatis fuit conſtitutus, quia tunc in iuſtitia originali & ſine crimine degebat; poſt peccatum verò è paradiſo voluptatis in vallem lacrymarum miſſus, iam non voluptas, ſed pœnitentia hominem decet, quare ad parentem noſtrum Dominus ſtatim poſt culpam: *Maledicta*, inquit, *terra in opere tuo: ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Meritò à floribus paradiſi in ſpinas eijcitur Adam, quia à ſtatu innocentiæ cecidit in peccatum. Status ergo noſter poſt culpam ſtatus eſt pœnitentiæ, pœnitentiæ autem noſtræ magna pars in ieiunio & temperantia poſita eſt, & quidem ieiunium eſt luctui ſocius. 1. Reg. 31. mortuum Saulem ſubditi ſepelierunt; vt autem dolorem necis proderent, ieiunarunt diebus ſeptem: quod in alijs Scripturæ locis videre licet, vbi tempore tribulationis & triſtitiæ ieiunijs homines vacabant. LXXX. *Gen. 3. 32* *1. Reg. 31.* 2.

Pſalm. 136. 3. rogabant Babylonij filios Iſrael: *Cantate nobis de canticis Sion*, quibus illi: *Quomodo*, dicebant, *cantabimus canticum Domini in terra aliena, in ſalicibus* (arboribus ſcilicet infructuoſis) *ſuſpendimus organa noſtra*, ac ſi dicerent, Cantent, qui remanſerunt in Sion, cantica Sion, nobis verò qui verſamur in exilio, non ea decent, quæ læta, ſed ea quæ triſtia ſunt; ſic etiam & nos, qui in hoc exilium mundi relegati ſumus, non decent conuiuia, & voluptates epularum, ſed ieiunia, abſtinentiæ, & afflictiones. Ad parentes in paradiſo Dominus. *Ex omni ligno paradiſi*, inquit, *comedetis*, &c. Eiecto verò de loco illo deliciarum, homini ait, *Herbas comedes*, &, *in ſudore vultus tui peſceris pane tuo.* Panis autem, & herbæ ieiunantium cibi ſunt. Ad ieiunia igitur nos Dominus vocauit, non ad epulas, & delicias: placare Deum oportet filios Euæ, placatur autem non comeſſationibus, & ebrietatibus, ſed ieiunijs, & ſobrietatibus. *Pſal 136.* 3. *Gen. 2. 16* *Gen. 3. 8.* & 19.

Vellem igitur eos interrogare, qui menſis, & delicijs vacant, norintne, in quo ſtatu ſe viuere arbitrentur? Eſtiſne adhuc in paradiſo voluptatis, an in exilio & loco pœnitentiæ?

Væ qui opulentieſtis in Sion, optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſrael. Qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti: bibentes vinum in phialis & optimo vnguento delibuti. Hæc Amos 6. ad filios Iſrael, *Amos 6.*

Israel. suntne inter nos, quibus congruant huiusmodi verba? Congruent pariter & illa, quæ ibi habentur: *Qui separati estis in diem malum*; in diem scilicet iudicij, dies malis mala; dies enim est illis damnationis æternæ, separati estis sensuales ad sinistram Dei vt audiatis: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Matt. 25. 41. Cur ita Domine? dicat Dominus Isa. 22. *Et vocauit Dominus Deus exercituum in die illa.* (scilicet in Isa. 22. 12. qua Deus Israelitis offensus erat) *ad fletum, & ad planctum: & ecce gaudium & lætitia occidere vitulos & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum*, &c. *si dimittetur iniquitas hec vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.* Nos etiam Christianos vocat Deus ad fletum, & ad planctum, ad ieiunia, & ad fructus dignos pœnitentiæ: sic enim Ioannes Baptista, sic Christus ipse à pœnitentia Euangelica prædicationem inchoauerant, & ecce iugulare vitulos & epulari; *Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestram*, &c. Luc. 6. 24.

Si damnatos ad triremes tripudiare & iubilare videres, nónne stultos reputares? Ad triremes diuina iustitia damnauit: quid enim vita nostra, nisi triremium est; lacrymæ ergo & pœnitentia decent nos, & non voluptas, & luxus. LXXXI.

Matth. 9. quæsierunt à Christo discipuli Ioannis Baptistæ, *Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* Quibus Christus: *Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab illo sponsus, & tunc ieiunabunt.* Matt. 9. 14. Aduerte quòd secundùm contextum, non lugere, sed ieiunare dicendum videbatur: de ieiunio enim, & non de luctu fuerat sermo; bene tamen, quia ieiunium & luctus non confunduntur, sed fraternè coniunguntur. Cùm igitur luctus & mœroris sit tempus præsens, ieiunio non crapulæ vacare debemus. Animaduertant hoc delicati amatores carnis, & suorum sensuum mancipia: *Si dimittetur*, inquit, *iniquitas hec vobis.* Est Apostolicæ sis; qualis est apud Comicum in Andria: *Quem ego si sensero*, & cet. Sensus ergo est, Non dimittam vobis hanc proteruiam, &c. Vnde recte S. Hieron. in hoc loco, nihil sic offendit Deum, quàm post peccata erecta ceruix, &c. Hieron.

Omnia denique tempus habent, ait Eccles. cap. 3. *Tempus flendi, & tempus ridendi*, ad risum, ad gaudium, ad conuiuia lautissima, seu assiduum, & interminabile, & excellentissimum conuiuium vita superæternæ, quòd in ista, ieiunijs, & pœnitentijs promerendum est. Nunc igitur tempus flendi, tunc ridendi; nunc ieiunandi, tunc epulandi: noli confundere tempora, ne tu pariter confundaris. Eccl. 3 4.

PROPOSITIO XXVII.

Ieiunandum cùm præcipitur, quia Dei præceptum est.

LXXXII. TImentibus Deum hæc sufficiens ratio est, vt non facilè ieiunio rationes leues opponant, præceptum de ieiunio est, & mortale contra Deum peccatum non ieiunare præscriptis diebus.

At, inquies, ego ieiunare non possum, quia statim capitis, vel stomachi dolore laborabo, debilis reddar, dormire non potero. His S. Bernard. respondit: *Delicata nimis est medicina priùs alligari, quàm vulnerari, & emplastrum adhibere, vbi scissura non est.* Ita ille. Intolerabilis est illa excusatio, quæ præcedit experimentum, aut quando experimentum leue fuit. Expertus, inquis, iam sum; experto credendum est: vtinam experimentum hoc in Dei iudicio sufficiens à iudice reputetur! fortè amor proprius decipit te, fames omnes fatigat, vnde qui timet Deum, non statim cedit labori. Ieiunabo nihilominus, inquies, ad hoc enim ieiunium institutum est, vt famem aliquam patiar, vtque debiliter aliquantum, vt non sicut antea dormiam; timeo enim ne excusationes prætendam ex effectibus ipsius ieiunij à Deo intentis. Quòd si verè damnum inde aliquod mihi prouenturum sit, nec ne, sub iudice lis est, an præponderet ipsi præcepto ieiunandi, & coram Deo sufficiens causa sit ad non ieiunandum, quantumuis præceptum Dei interueniat; in iudicio enim non iudicabit Dominus secundùm opinionem tuam, sed secundùm veritatem suam. *Iudicabit*, inquit Dauid, *orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua*; non in tua, sed in sua. Tu dices: Tunc in veritate mea iudicaui me non teneri; Dominus autem respondebit: Non ego iudico in veritate tua, sed in veritate mea. In veritate autem mea non est sufficiens excusatio tua. *Que burlados se allaran los que hechandose poluo a los ojos dicen andad que si on es crupulos, que no me comprehende este precepto, y es por cenar y comer carne y no padecer hambre y flaqueza y alguna falta de sueño.* Psal. 95.

Dices: Medicos ego consului, & me à ieiunando excusant. Vtinam Medici tui adulatores non sint, & si tibi magis placere, quàm veritatem dicere nolint; secundùm regulas medicinæ ieiunia, distillationes, ex quibus communiter infirmitates proueniunt, exiccant, & pessimos humores euacuant, calori naturali vim augent, quam mali humores & ciborum abundantia opprimunt, & extenuant. Semper ex se abstinentia moderata comes salutis fuit, & communiter loquendo abstinentiores longiori vita, & maiori salute fruuntur; qui verò multis cibis vescuntur, pallidi, & debiles, & febricitantes sunt. *Cada dia andan con medicos y medicinas y estos que tienen el remedio en la abstinentia y en el ayuno son los primeros que buscan medicos que les digan que no ayunen.* Væ illis, & væ Medicis eorum; timeo multos; dum enim necessitatem suam referunt Medico, exaggerationibus vti, & infirmitates augere solent, & ita seducere Medicum. Non dixi bene: seipsos enim, & non Medicum seducunt; Medicus enim est sicut Confessarius, qui iudicat secundùm relationem informantis. Vnde quando inquit: Fiat, idem est ac si diceret: Si ita est, fiat; quod si ita non est, & nihilominus fiat, imputabitur, non Medico, sed facienti, qui timorem Dei habet, & curam salutis suæ, in his dubijs in aduersam partem inclinabit, & sine exaggerationibus Medicum scientiæ & conscientiæ consulens veritatem cum timore Medico dicet, &c. hoc enim pacto securè & meritoriè edere carnes tunc poterit: ait enim Apost. *Curam carnis ne feceritis in desiderijs.* quod sic exponit S. Gregorius: *Cùm Paulus carnis curam fieri in concupiscentia non sinit, proculdubio in necessitate concedit.* Ita ille. Caue tu ne desiderium carnis necessitatem esse tibi persuadeas; in hoc enim hostis seductio interuenire potest, & fortè solet, qua seductione cessante, periculum animæ cessat. Denique non semper necessitas apud Deum est illa quam necessitatem esse iudicat homo, quod in parabola nuptiarum & magnæ cœnæ constat: nam inuitati cœperunt se excusare, & vnus eorum dixit: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam*, necesse, inquit, habeo, & tamen Deus non esse necessitatem sufficientem, quasi excusaret, iudicauit: examinare igitur oportet has necessitates, ne amor proprius eas nobis sufficientes esse suadeat, quæ verè in diuino iudicio insufficientes esse postea constet. Paul. Ad Rom. 13. 14. Prop. 4.

PROPOSITIO XXVIII.

Quâ ostenditur abstinentiam corporis à cibis debere coniunctam esse cum abstinentia animorum à vitijs.

PEr sacrum Vatem Isaiam cap. 58. conquestus est Hebræus ille populus de Deo, quòd cùm ieiunijs se dederet, & iacceret in sordibus, ciuis ieiunia Deus & squalorem ac cinerem minimè aspiceret. *Quare*, inquit, *ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti?* Quibus Deus ita respondet: *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Causa cur illorum ieiunium LXXXIII. Isa. 58.

iunium displiceret Deo, ac nulla ratione probaretur, ea erat; quòd in ieiunijs non tam diuinam voluntatem spectarent, quàm suam; imò diuinâ neglectâ, non sine magno grauique scelere, suam exequerentur. Quapropter ibidem subiungit Deus: *Nonne hoc est magu ieiunium, quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, omne onus dirumpe, frange esurienti panem tuum, &c. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & antecibit faciem tuam iustitia tua.* Quod enim Deus cupiebat maximè, ac volebat ab eis, id erat in primis, vt declinarent à malo, & facerent bonum, vt neminem lædrent, & egenis se pios beneficosque præstarent. Quod si fieret, dubium non est, quin Deus ieiunia illorum aspiceret, & precationes etiam audiret, cùm per eundem Prophetam dicatur, *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet te: clamabis, & dicet: Ecce adsum.* quasi dicat, cùm talem te, qualem cupio, præstiteris, tunc vix clamabis, quin dicam, vt seruus vocanti domino continuò respondet, Adsum, nimirum præsto sum ad opem tibi ferendam, ad recreandum & consolandum te, ad prouidendum tuis rebus atque rationibus, ac demum ad remedium adhibendum vulneribus ac malis animi tui. Ieiunium igitur Deo gratum atque iucundum non solum est abstinere à cibis corporis, sed multò etiam magis à vitijs animi, quæ impedimento nobis sunt, quò minùs nostræ actiones amentur & accipiantur à Deo. Quare euellenda sunt ex animis vitia, declinanda peccata, si immortali Deo summoperè placere seruireque cupimus.

Ecclesiast. 34. diuinus Spiritus ait: *Vnus ædificans, & vnus destruens: quid prodest illu nisi labor?* Fingamus quendam altera manu extruere domum, altera eandem demoliri atque euertere; quid rogo proficeret hic homo contraria operans in eodem opere persistens, cùm opus factum quasi telam quadam retexeret? nihil prorsus. Sic abstinere à cibis, & peccare, nihil prodest; est enim quasi ædificare hinc, & illinc euertere. Prodest ieiunium animæ ad expellenda peccata, sed obest atque obstat peccatum, quò minùs refispiscat animus, & ad Deum se per pœnitentiam conuertat. Quid conducit remedium sumere contra venenum, si cum ipso remedio hauriatur virus? ita planè quid proderit animi saluti ieiunium adhibere tanquam præstantissimam quandam contra peccatum medicinam, si ipsius peccati pestis simul contrahatur?

Vnde D. Hieronymus, *Tunc præclara*, inquit, *est apud Deum abstinentia corporis, cùm animus ieiunat à vitijs: nam cùm homo consstet ex animo & corpore, Deus ab homine duplex requirit ieiunium, vnum corporis à cibis, alterum animi à vitijs atque peccatis; sine quo illud corporis quid prodest?* Rectè D. Isidorus: *Qui à cibis abstinent, & praua agunt, dæmones imitantur, quibus esca non est, & malitia semper est.* Ne iactes te, quòd à cibis abstineas, si modò persistas in vitijs, quod dæmones quoque faciunt, qui ieiunia non frangunt, cùm cibum non sumant, & tamen persistant in peccato: qui verò diuinam legem custodiunt, & ieiunia frequentant, diuinas mentes, cœlestesque spiritus imitantur, qui neque cibum capessunt, neque peccant, sed ab vtroque abstinent.

Pharisæus ille, qui ad fundendas preces, vel ad laudandum se potius, templum adiuit, vt refert D. Lucas cap. 18. de se dixit, bis se in hebdomada ieiunare; *ieiunio bis in Sabbatho*, & tamen reiectus est ac repudiatus à Christo, quia vitijs abundabat, licèt abstinens ac temperatus esset in victu. Quo sanè significatur, non satis esse abstinentiam in cibis ad placendum Deo, nisi accesserit etiam abstinentia à vitijs atque sceleribus.

Hortatus est homines Deus per Prophetam Ioëlem c. 2. 15. vt se ad illum conuerterent, vt eos ipse in suam gratiam reciperet; atque vt illud facerent ex animo, admonuit præterea de ieiunio, sed vt modum traderet, quo ieiunium illud celebrandum esset, *Canite*, inquit, *tuba in Sion, sanctificate ieiunium.* Interlinealis glossa addit, explicationis gratia: *Sanctificate ieiunium bona voluntate, oratione, & opere.* D. Hieronym. lib. 2. aduersus Iouinianum sua vtens versione hoc ita explanauit: *Sanctificate ieiunium, prædicate curationem*, vt monstraretur ieiunium cæteris bonis operibus sanctificari, sanctificatumque curationi prodesse peccatorum. Idem sentit Theodoretus, *in ieiunium* inquiens *vos segregantes, sanctè, & purè id obite.* Itaque non dixit Propheta vt se homines sanctificarent ieiunio, sed vt ieiunium ipsum sanctificarent, quia tunc sanctificat ieiunium hominem, cùm ieiunium ipse sanctificat bonis actionibus atque virtutibus, cùm castum se præbet, submissum, patientem, obtemperantem diuinæ legi; quibus rebus adiutum ieiunium efficit, vt homo salutem animi consequatur.

Præclarè D. Bern. ser. 3. de Quadragesima: *Si gula sola peccauit, sola quoque ieiunet: si verò peccauerunt & membra cætera, cur non ieiunent & ipsa?* Ieiunet ergo oculus qui deprædatus est animam, ieiunet auris, ieiunet lingua, ieiunet manus, ieiunet & anima ipsa. Ieiunet oculus à curiosis aspectibus, vt coerceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa; ieiunet auris nequiter pruriens à fabulis & rumoribus, & quæcunque otiosa sunt, & ad salutem minimè pertinentia; ieiunet lingua à detractione, & murmuratione, & inutilibus & vanis verbis, interdum quoque ob grauitatem silentij, & ab ipsis quæ videri poterant necessaria; ieiunet manus ab operibus non imperatis; sed & multò magis anima ipsa ieiunet à vitijs, & à propria voluntate. Etenim sine hoc ieiunio cætera à Domino reprobantur, sicut scriptum est Isa. 58. *Quia in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.*

Existimabit fortasse quispiam, quamuis peccet, modò interdum ieiunet, id satis esse ad peccatorum veniam impetrandam; quod quàm falsum sit, & quàm vehementer erret, qui id cogitauerit, ostendit D. Paulus ad Roman. 14. *Non est*, inquit, *regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium, in Spiritu sancto.* Varie hic Apostoli locus ab interpretibus explicatur: sed sensus eius planior est, ieiunium & temperantiam circa cibum & potum non tam requiri & curari ab Ecclesia, quàm legis custodiam, & abstinentiam à peccatis: nam licèt ieiunium præstantissimum sit, & conducat maximè ad recipiendam animi salutem; tamen cum Ecclesia ad illud seruandum non semper obliget, sed ieiunare sæpiùs consilij sit aut perfectionis, quàm debiti atque præcepti, hinc sit vt minùs curandum requirendumque sit in hominibus, quàm diuinæ legis obseruatio, quàm declinatio & fuga peccatorum, quæ omnibus quocunque tempore præcepta est. Neque verò hoc dictum est, vt ieiunium non magni faciendum existimemus, aut nihil valere, cùm ab homine peccatore suscipitur: nam ieiunium suapte natura bonum est, quamuis à quouis homine, quantumuis nequam ac scelerato fiat; sed vt intelligatur satius esse non abstinere à cibis sine peccatis, quàm abstinere cum ipsis, ac præterea non tantùm esse fidendum ieiunijs, vt per ea quis putet iam sibi licere peccata, quæ nisi detestetur atque repellat, etiamsi assiduis se ieiunijs conficiat, eorum veniam minimè consequetur.

D. Maximus Taurinensis Episcopus homilia 3. de Ieiunio, sic ait, de ieiunio quadragesimali verba faciens, de eoque non minus ornatè, quàm vtiliter præcipiens, & admonens: *Nos verò fratres, quibus propugnator inuictus hanc venerabilem Quadragesimam dedicauit, repudiantes carnalia desideria, sic castigemus membra ieiunijs, vt animas virtutibus saginemus. Ieiunet in nobis perniciosa luxuries, ieiunet odiosa contentio, ieiunet omnis iniquitas. Abstineamus ab epulis, magis abstineamus à vitijs; sic nos temperemus, sic sobrij simus à vino, vt nulla nobis voluptatum dominetur ebrietas. Quid enim prodest obseruatione quadraginta dierum ieiunandi nos tempora custodire, & legem non tenere ieiunij? quid prodest vobis vacare à conuiuijs & diem totibus occupare? quid prodest proprium non edere panem, & victum diripere miserorum? Ieiunium Christiani egentis debet esse refe-*

Verſ. 6. 7. & 8.

Verſ. 9.

Eccl. 34. 29.

Iſidor.

Luc. 1. 12.

LXXXIV.

Hieron.

Theodor.

Bernard.

Iſa. 58. 3.

Rom. 14. 17.

LXXXV.

D. Max. Taur.

Helio, ieiunium Christiani pacem debet nutrire, non iurgia. Quale illud est autem quod non vescaris carnibus, & de ore tuo omni esca sordidius egreditur maledictum? quale est, quod sanctificatur vinter ieiunio, & pollitur lingua mendacijs? rectè contundes manibus pectus, si omnem inde furorem malignæ voluntatis excusseris, insite etiam dabis denarium pauperi, si alias illum paupertas non tulisset. Hæc ergò est charissimi religiosa esuries, vt ieiunium nostrum sanctificet castitas, ornet patientia, benignitas foueat, misericordia lætificet, commendet humilitas.

D Greg. D. Gregorius hom. 16. in Euang. *Per loelem*, inquit, c. 2. *dicit: Sanctificate ieiunium, ieiunium quippe sanctificare, est adiunctis bonis alijs dignum Deo abstinentiam carnis ostendere, cesset ira, sæpiùs iurgia* &c. Incassum enim caro atteritur, si à prauis suis voluptatibus animus non refrænetur.

Maxim. Lxxxvi. Et Maximus serm. 1. de Ieiunio quadragesimali, optimè persequitur hoc ipsum, dicens: *Ieiunia nostra religiosis sanctificamus obsequijs. Quid autem est aliud sanctificare ieiunium, nisi ieiunij causa sanctæ vellę, iustæ facere, iniqua vitare. Sanctificat ille ieiunium, cuius iustitia pretio non vilescit; sanctificat ille ieiunium, qui flammas seuientis iracundiæ mansuetudine restinguit; sanctificat ieiunium, qui lasciuientes oculos turpi ab aspectu habenis castitatis auertit: sanctificat ieiunium, qui conuiciorum iacula scuto patientiæ repercussa dispergit: sanctificat ieiunium, qui litigantium tumultus prudentia compescit: sanctificat ieiunium, qui consurgentes in semetipso vanarum cogitationum spinas Euangelico iuslanæ vomere velut quidam pectoris sui arator excidit: sanctificat ieiunium, qui inopias egenorum pro quantitate substantiæ sue solatur: apprimè sanctificat ille ieiuniuum, qui per omnia præceptis diuinæ legis intentus diabolica à corde suo repellit tentamenta. Et idcò, fratres charissimi, si volumus Deo placita exhibere ieiunia, sintus in fide fortes, in iudicijs iusti, in amicitia fideles, in iniurijs patientes, in contentionibus moderati, refugientes turpiloquia, aduersus iniqua consistantes in conuiuijs sobrij, in voluptatibus continentes, in charitate simplices, inter subdolos cauti, condolentes tristibus, contumacibus resistentes, in suspicionibus parci, inter maliloquos taciti, inter humiles coæquales. Si huiusmodi virtutibus nostra voluerimus sanctificare ieiunia, tributente Domino ad festiuitatem Paschalis gratiæ, & ad gaudia cœlestium promissionum indubitata fiducia, & conscientia lætiore veniemus.* Hæc ille.

Chrysost. Chrysostomus etiam optimè, vt solet, homil. 3. ad populum: *Non ieiunij*, inquit, *natura*, &c. vsque, *Videamus igitur.* Vnde colligitur actiones bonas ad ieiunium oportere adiungere, si velimus infensum Dei numen placare, idque nostris rebus propitium habere. Ninuitis traditur Deus ignouisse, quod vidisset opera ipsorum. *Vidit Deus*, inquit Ionas, *opera ipsorum*; non tamen dixit Propheta ieiunia, sed opera: sed qualia dicit fuisse huiusmodi opera? qualia? quod nimirum nihil cibi caperent, plorarent, dolerent de peccatis ac flagitijs vehementer, inducerent in animum veram morum correctionem, & alia id genus, quæ verum sensum ac dolorem animorum indicabant; quibus perspectis Deus supplicibus veniam incolumitatemque concessit. Itaque ieiunium cum bonis actionibus debet esse coniunctum, vt Deo gratum omninò sit, alioquin aut nihil, aut certè parum poterit apud eum: vnde bona opera oportet facere, & ieiunia non omittere.

Ion. 3. 10.

Chrysost. Idem Chrysostomus homil. 72. ad populum, *ieiunantem decet esse correptum, mitem, humilem, & sicut cibos asternatur, ita & inanem gloriam floccipendat oportet: nam malè congruit abstinere ab epulis vt temperatum probumq; virum, & indulgere vitijs, in eisq; vitam consumere vt improbum hominem & intemperantem.*

Eccl. 34. in fine. Lxxxvii. Hinc exortum est illud Spiritus sancti consilium, Ecclesiast. 34. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius? sic homo, qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet?* Vult enim Deus non modò vt non polluamus nostra ieiunia, cùm ieiunamus, aliquod intermiscentes peccatum, sed etiam vt post ieiunia reconciliationemque diuinam ad peccata superioris vitæ nulla ratione reuertamur, quæ iam sunt per ieiunium deleta. Quocirca diuinus Spiritus hac vtitur translatione ex tactu mortui desumpta, respiciens illud, quod Numerorum c. 19. præcipiebatur, vt si quis cadauer aliquod, vel quid simile mortuum tetigisset, immundus haberetur atque pollutus, quoad eo se lauacro expiaret, quod erat ad huiusmodi abstergendas sordes, eluendasque maculas constitutum. Sensu itaque huius loci ad nostram rem accommodatus est, quod quemadmodum si quis expiasset se ex legis præscripto quòd cadauer tetigisset, & iterum se alterius contactu contaminasset, nihil planè priori expiatione effecisset, quando ea sibi labes iterum abluenda esset, & si sæpiùs contraheretur, sæpiùs etiam abstergenda; ita prorsus qui pro peccatis se ieiunijs & abstinentia semel afflixit, si eadem postea peccata repetit, vel alia denuò committit, quid ei proderunt ieiunia suscepta? quid inedia tolerata? cum peccatis protinus ad nihilum reciderit. Excquor hominibus, pro Deum immortalem! accidit, vt post suorum scelerum expiationem impetrationemq; veniæ, post quadragesimalis ieiunij tolerantiam ad peccata redeant, quasi illorum eos minimè pœnituisset? Quos Salomon meritò confert cum canibus redeuntibus ad vomitum, Prou. 26. *Sicut canis*, inquit, *qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam.* Sed grauiùs ac seueriùs de eisdem loquitur D. Petrus 2. c. 2. *Facta sunt*, inquit, *eis posteriora deteriora prioribus: melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti. Contingit enim illu illud veri proverbij: Canis reuersus ad suum vomitum: &, Sus lota in volutabro luti:* quo quid potest esse fœdius, ac turpius.

Prou. 26. 11.

2. Pet. 2. sub fin.

ADDITIO.

Quam parum conferat abstinere à cibis, nisi quis abstineat, & à vitijs, non vno loco liquet ex D. Chrysostomo.

Chrysost. Hom. 3. ad populum mihi pag 41. Luc. 18.

Ne inter ieiunij labores (inquit) *à ieiunij corona excidamus, videamus quomodo illud negotium tractare debeamus: nam & Pharisæus ille ieiunauit, sed post ieiunium illud descendit inanis, & ieiunij fructibus caruit. Publicanus non ieiunauit, & Pharisæum ieiunantem præcessit, non ieiunans; vt discas quod ieiunij vtilitas nulla, nisi & reliqua omnia consequantur. Ieiunauerunt & Niniuitæ, & Dei misericordiam elicuerunt: ieiunauerunt & Iudæi, & nihil profecerunt: sed culpati abierunt. Quantum igitur tantum ieiunij periculum est nescientibus quomodo ieiunare oporteat, ieiunij leges discamus, ne in incertum curramus, nec aerem verberemus, neque pugnante scuum vmbra dimicemus &c.* Tum quibusdam interiectis. *Videamus igitur quomodo Niniuitæ ieiunauerunt, & quid tandem sit quod ineuitabilem iram Dei soluerit. Num ieiunium solum, & saccus? Neqtiaquam, sed totius vitæ mutatio. Vnde hoc manifestum? ex ipsis Prophetæ verbis. De Dei enim ira locutus, & illorum ieiunio, ideu conciliationem & conciliationis causam dicens, ait.* Et vidit Deus opera illorum: *Qualia opera? quòd ieiunauerunt: quòd saccum induerunt? Nihil horum, sed hæc omnia tacens intulit:* Quia conuersi sunt de via sua mala. &c. *Cernis quod non ieiunium periculo eripuit, sed vitæ mutatio? Hæc dixi, non vt ieiunium contemnamus, sed honoremus; honor enim ieiunij, non ciborum abstinentia sed peccatorum fuga. Itaque ciborum abstinentiâ tantùm ieiuniuum desiniens, hic est, qui maximè ipsum vituperat. Ieiunas? ostende hoc mihi per opera. Qualia, ais, opera? si patet perem vides, miserere; si inimicum, reconciliare; si amicum laudabiliter agentem, ne inuideas; si mulierem speciosam, præteras. Non enim os tantum ieiunet: sed & oculus, & auditus, & pedes, & manus, & omnia corporis nostri membra. Ieiunent manus à rapina, & auaritia mundæ; ieiunent pedes, ad illicita spectacula cursum reprimentes; ieiunent oculi, discentes nunquam formosis obtutibus insistere, nec alienam pulchritudinem curiosè aspicere. Cibus enim oculorum, spectatio: sed si illegitima sit, & prohibita, ieiunio nocet: si non legitima & concessa arnıat ieiunium. Nam absurdissimum esset, cibis abstinere per ieiunium, oculorum non prohibita attingere. Non comedis carnem?*

Ion. 3. 10.

cap. 3.

« carnem? Neque lasciuiam per oculos hauries. Ieiunet & auris: « aurium autem ieiuniũm, detractiones, & calumnias non fuscipere. Ieiunet quoque os à verbis turpibus, & conuitio. Quæ « enim vtilitas cum auibus quidem, & pisibus abstineamus, Gal. 3. Fratres verò mordeamus & comedamus. Detrahens fraternas « carnes comedit. Hinc Paulus: Si autem vos inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini. Hactenus Chrysost. Idem alio loco: Secundam ieiunij Idem. Hom. 16. septimanam expediuimus: sed non hoc consideremus: non enim mihi. p. hoc est expediusse ieiunium, si tempus praeterierimus, sed si 251. « transigerimus cum profectu. Morin est per Quadragesimam « petere, quot quisque septimanis Quadragesimæ ieiunauit? vnus « dicit, vnam, alius duas, alius tres, alius omnes. Et quod lucrum, « si profectibus carentes, ieiunium transigerimus? Si alius dicat: « tota ieiunaui Quadragesima; tu dic, inimicum habebam & « consiliatus sum: habebam detrahendi consuetudinem, & desiui: « iurandi tenebar vsu, & correxi. Nulla ieiunij vtilitas, si inuti- « liter tempus transigimus: si ciborum ieiunium seruemus, prætereamus, & transacto ieiunio illud remanet, & continuum « erit.

Eandem rem denuo inculcat, his verbis:

Idem. Hom. ad popul. 72. mihi p. 451.

Ideo ieiunium ciborum susceptum est, vt carnis impetum coerceat, vt equum nobis facilem reddat. Ieiunantem omnium maximè decet, iram reprimere, mansuetudinem, docere, & humanitatem, cor contritum habere, & absurdarum quoque « cupiditatum elimmare cogitationes: pecuniis esse superiorem, multam in eleemosynis largitatem ostendere, omnem ex corde « negotium in proximum expellere. hoc vero est ieiunium Ne- « que secundum multos temerè censeamus, in hoc contineri ieiu- « nium, si sine cibis ad vesperam vsque permaneamus: non hoc est « quod quæritur, sed vt ciborum abstinentiã, à noxiis quoque continentiam exhibeamus.

His non dissimilia docet alibi

Idem. Homi l. 8. de Pœnit. mihi p. 880.

Contendamus ne ieiunij laborem tolerantes. ieiunij amb tamus præmium: licet enim & ieiunij laborem sufferre, & ieiunij fructum non consequi. Quomodo scilicet? cum escâ abstinemus, peccato non abstinemus; cum carnibus quidem non vescimur, detractamus tamen pauperum domus: cum vino quidem non inebriamur, inebriamur verò desiderio prauo: cum quidem incidã « totam transigimus diem, atque eandem impudicis in theatris consummus. Ecce ieiunij labor, & ieiunij fructus nullquam est.

Ambros serm. 33. mihi p. 726.

Consentit cum D. Chrysostomo, S. Ambrosius. Abstinentiam (inquit) induamus corpori, vt à vitijs magis animam abstinere possimus. Frænum enim quoddam est luxurianti animæ corpus exhaustum. Quisquis enim ieiunat, & peccat, lucrum escarum fecisse videtur, non salutis; & parendo copiæ, repletæ cellarium, non mentem sagināsse virtutibus. Hoc est salutare ieiunium, vt sicut abstinet corpus ab epulis, ita & anima refrenetur à vitijs.

PROPOSITIO XXIX.

Ieiunantem à vanæ gloriæ periculo cauere oportet.

Matt. 6.

Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes. Vidit Dominus, & præuenit periculum vanitatis in ieiunio nostro, opus enim insigne est ieiunium, & supra carnem & sanguinem virtus; vnde S. Cyprianus: Ieiuniorum laboribus laus importuna se ingerit, & subtilissimis aculeis penetrans animam, dum extollit, emollit, & pungit, cùm vrgit. Virtutem in hypocrisim vertit, & simpliciter inchoata pertertit. Quasi tinea, quod integrum erat, rodit, & occupat, & sanctitatis fundamenta euellit, & dissipat. Subtilissimum malum proprio laqueo hypocritam jugulat, & propriis armis sanctitatem impugnat, castigatio carnis spiritum inflat: & mactes corporis extenuatum, arrogantem impinguat. Religio, fit superstitio, & succedit ei ambitio subornata, sola super est virtutis species examinis & sanctitatis simulacrum. Propter hoc solitudo carens arbitris, & eremus absentantorum satellitio vacua à ieiunante Christo eligitur, vt non cum carne & sanguine, & sed cum spiritualibus nequitiis dimicetur, & soli sint in palæstra Christus, & Antichristus. Ita S. Cyprianus. Vbi nota, Christum Dominum non eguisse solitudine illa ad vanæ gloriæ tela vitanda, nos tumus qui huiusmodi remediis egemus, nobis exemplum dedit Christus, vt ieiunij, sicut cuiusuis alterius pij operis, testes oculos vitemus, quantum possibile sit.

Labatæ Tomus I. R 2 vt

PROPOSITIO XXX.

De laudibus abstinentiæ & ieiunij ex dictis Sanctorum.

Quanta sit abstinentiæ dignitas, quanta excellentia, quantaque vtilitas, ex dictis & sententiis Sanctorum facilè patebit. Cypri.

S. Cypr. de ieiunio, & tentationibus Christi. Ieiunia (inquit) vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluptates. Extinguitur ardentis Æthnæ incendium, & flammiuomi fornax Vulcani extincta, intùs ecus montes conterminosnon adurit. Ieiunium, si discretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ spoliat & exarmat. Ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit & arctat, & appetitus vagos distringit, & ligat, sijunium, si humilitate ornetur, seruos Dei, mundi effugit contemptores. Ieiunium Scripturarum delitiis contemplatione reficitur, gratia stabilitur, cœlesti pane nutritur, & quotquot viros virtutum vidimus, sine ieiunio non legimus ascendisse, neque aliquid magnum moliti sunt, nisi abstinentia præcesisset.

Athanas. S. Athanas. l. de Virg. Vide (inquit) quid ieiunium faciat: mi hos sanat, dist. llationes exsiccat, dæmones fugat, & malas cogitationes expellit, & mentem nitidiorem reddit, & cor purgatius, & corpus salubrius, & ad thronum Dei hostem sistit. Sed ne existimes hæc temerè dici, habes in Euangelijs testimonium ab ipso Christo prolatum. Scisitati sunt ab eo discipuli, dicentes: Domine declara nobis, quonam pacto immundi spiritus propelluntur, quibus responsum est à Domino: Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in ieiunio & oratione, qui ergo ab immundo spiritu vexatur, certum habeat pharmaco ieiunij illos afflictos discedere, vim ieiunij metuentes: dæmones enim valdè oblectantur crapula, & corporis otio, magna vis in ieiunio & magna & præclara facturi per illud. Ita S. Athan. Matt. 17. Marc. 9.

Chrysost. S Chrysostomus hom 2. in Genes. Ieiunium (inquit) est animarum nostrarum tranquillitas, fenum decor, adolescentum padagogus, continentium magister, & omnem ætatem, quasi diademate quodam, ornat. Ita ille.

Item S. Chrysost. serm. 1. de ieiunio: Ieiunium est Angelorum imitatio, pro nostra virili contemptus præsentium, schola precum, animæ cibus, oris frænum, mutigat concupiscentias, & voluptates, (fciunt qui ieiunant) mollit furorem, compescit iram, sedat naturæ fluctus, excitat rationem, claram animam facit, alleviat corpus, fugat nocturnas intemperantias. liberat ab ebrietate, tollit capitis dolores, claros adfert colores, bene compositi ieiunij recti sunt gustus, lingua faciliș, cogitatio recta, abest risus ebriorum, est hilaris continentia, & serenitas inualescit. Ita sanctus Chrysostomus. LXXXVIII

Basil. S Basilius hom. 1. de laudibus ieiunij: Ieiunium (ait) Prophetas generat, potentibus addit vobur, ieiunium legumlatoribus sapientiam submistrat, est animæ custodia bona, corporis conditor tutus, armatura fortiter belligerantibus, athletis exercitium, tentationes depellit, ungit ad pietatem, vigilia familiaris comes, sobrietatis architectus, in bellis fortitudinem addit, in pace docet quietem; Nazaræum sanctificat, Sacerdotem reddit sacris idoneum. Ieiunium restrinxit vim ignis, obturauit ora leonum, orationes subuehit in cælum. Ieiunium est familiæ incrementum, sanitatis mater, iuuentutis padagogus, ornamentum senibus, bonis comes viatori, tutus conditor coniugatis. Adde, quòd non solùm ad futuri sæculi fugienda mala, & assequenda bona utile sit ieiunium, sed etiam hic carni conducibilius sit. Si vis mentem reddere validam, domã ieiunio carnem; hoc enim est, quod ait Apost. 2. Cor. 4. & 12. quòd quamvis externus homo corrumpitur, tamen internus renouatur. Item illud: Cùm infirmor, tunc potens sum, &, 2. Cor. 12. 10.

yt semel omnia dicam, reperies quotquot fuerunt Sancti omnes, per ieiunium ad vitam Deo dignam fuisse institutos. Ita S. Basilius Magnus, ille ieiunij, non solùm laudator, sed operator.

Idem. Idem Basilius hom. 2. de laud. ieiunij: *Sicut oleum oblinit athletam, ita ieiunium robur addit ei, qui ad pietatem se exercet, itaque quanum subtraxeris carni, tantò reddes animam habitudine spirituali nitidiorem: nam robur contra invisibiles hostes non superat corporis distensione, sed spiritus fortitudine, erga afflictiones tolerantiâ; neque enim assultus dæmonum quidquam audet aduersus ieiunantem, & vitæ nostræ custodes. Angeli diligentius adsunt his, qui ieiunio purgatam animam habent. Ieiunium paruulos seruat, sobrium iuvenem reddit, venerabilem reddit senem; venerabilior enim est canities ieiunio decorata, ieiunium fœminis est ornatus, ætate ac robore vigentibus est pro freno; ieiunium matrimonij custodia est, & nutritus virginitatis. Excipite hoc pauperes contubernale vobis, ac mensæ socium: excipite serui, ut respirationem à perpetuis seruitij laboribus; excipite diuites, quod noxæ è luxu contractæ medeatur, quodq; vicissitudine & nouitate vobis iucundiora reddat ea, quæ nunc ob lassitudinem fastidiuntur; excipite malè valentes sanitatis matrem, & qui bona est ia valetudine, excipite bona habitudinis custodem. Interroga Medicos & dicent tibi, nihil esse periculosius habitudine corporis extremi bona, eoq; qui peritissimi sunt artis, per ieiunium detrahunt redundantiam, ne vis naturæ pondere corpulentiæ fracta succumbat.*

Aug. Augustinus sermone de ieiunio: *Ieiunium purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subiicit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit.*

Ambr. Ambrosius lib. de Elia, & ieiunio, cap. 3. *Quid est ieiunium nisi substantia, & imago cælestis? Ieiunium refectio animæ, cibus mentis est ieiunium, vita est Angelorum, ieiunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis: hoc ad Deum gradibus perueniturr.*

Idem. Idem Ambrosius cap. 7. *Ieiunium virtutem ignis eximit, ieiunium ora obstruxit leonum, ieiunium maru fluenta solidauit; ieiunium petram soluit in fontes aquarum. Virtute ieiunij contra suam mutata naturam, & fluctus obriguit, & petra manauit.*

LXXXIX.

Idem. Idem Ambrosius cap. 8. *Ieiunium continentia magisterium est, pudicitiæ disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miserationis expensa, lenitatis institutio, charitatis illecebra, senilis gratia, custodia iuuentutis. Ieiunium est infirmitatis allcuamentum, alimentum salutis.*

Idem. Idem Ambrosius cap. 9. *Est ergo ieiunium reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam faminis fortiores augmento gratiæ.*

Leo Papa. S. Leo Papa sermone 2. de ieiunio Decimi mensis: *Quid potest esse efficacius ieiunio? cujus observantia propinquamus Deo, & resistentes diabolo, vitta blanda superamus. Semper virtutis cibus ieiunium fuit, de abstinentia prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubriaq; consilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus renouatur.*

Idem. Idem S. Leo sermone 4. *In omni tempore, omniq; vita huius sæculi, ieiunia contra concupiscentias veniunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt, si tamen in societate fibi beneuolentiam charitatis assumant, & in operibus misericordiæ se prudenter exerceant.*

Chrysol. S. Petrus Chrysologus serm. 8. de Ieiunio & Eleemosyna: *Est quidem ieiunium vitiorum mors, vita virtutum; est ieiunium pax corpori, membrorum dives ornamentum vitæ; est ieiunium robur mentium, vigor animarum; est ieiunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas sanctitatis; est ieiunium schola meritorum, magisterij magisterium, disciplinarum disciplina; est ieiunium Ecclesiasticæ viæ viaticum salutare.*

Climac. S. Ioan. Climac. *Ieiunium est nostræ naturæ violenta circumcisio suauitatu, faucium incentuorum omnium abscissio, malarum cogitationum amputatio, insomniorum liberatio, orationis munditia, insigne lumen animæ, mentis custodia, compunctionis ianua, loquacitatu abdicatio, quietis occasio, somni alleviatio, sanitas corporis, tranquillitatis author, peccatorum remissio, paradisi porta, & deliciæ.* Hæc ille.

Esto es lo que los sanctos dizen y sienten de la verdad de la abstinencia y ayuno que para ser estimando y exercitado vasta y sobra.

ADDITIO.

Chrysost. serm. de Ieiu. mihi p. 910.

D. Chrysostomus. *Dolet in ieiuniis caro, sed epulatur Anima. Quid melius in nobis corpus, an Anima? Hæc accepit non dolet; nutritur, & hoc pulchrius & melius, &c.* paulò pòst. *Ne putes parvum esse lucrum ieiunium. Ab uno ligno si abstinuisset Adam, si ab uno ieiunasset, mortua fuisset mors: imò non fuisset mortua, quæ non erat. Vides si hoc pharmaco fuisset usus Adam, non fuisset mortuum nostrum genus.* »

Idem ibidem. Idem. *Ieiunium Angelorum imitatio est pro virili nostrâ, contemptus præsentium, subola precum, alimonia animæ, frænum oris, mollit furorem, compescit iram, sedat fluctus naturæ, excitat rationem, claram facit animam, alleuiat carnem, fugat fœdas intemperantias nocturnas, liberat ab ebrietate, tollit capitis dolores. Bene compositi ieiunio sunt gestus, facilis lingua, abest risus ebriorum, recta est cogitatio, hilarior est contimentia, serenitas inualescit.* » » » » » »

ACCEPTIO PERSONARVM.

PROPOSITIO VNICA.

Vitanda est acceptio personarum.

Pſal. 117. 1.

SVscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. S. Bernard. serm. 1. in Purificatione, locum hunc intelligit de ingressu Christi Domini in templum Salomonis. In die Purificationis Mariæ, & Præsentationis suæ, ponderans illa verba, *In medeo templi tui*, ait: *Non*, inquit, *suscepimus misericordiam tuam in angulo, aut in diversorio, sed in medio, quia non est acceptio personarum apud Deum, in communi posita est, offertur cunctis, & nemo est illius expers, nisi qui renuit.* Ita S. Bern. In hoc ergo imitatores esse debemus Dei sicut filij carissimi. Christus Pater est sæculi nostri, filios nos exhibeamus ei, *que bien haya quien a les suyos parece.* ipse absque personarum acceptione nos omnes misericordiæ suæ participes facit, imò & iustitia eius æquè nos respicit. nam sicut omnium miseretur sine acceptione personarum, siue Rex ille sit, siue seruus; sic etiam punit iniquos, siue Alexandri illi sint, siue pastores; sic & misericordia miserantium, & iustitia punientium, omnes cum debita æqualitate respiciat. flos campi est, & non horti clausi; non solùm Reges, sed pastores vocauit, & admisit. quod si Deus cùm sit, personarum non est acceptor, homo ergo homines sibi natura pares, qua ratione talis erit?

TITVLVS NOVVS.

ACCVSATIO.

PROPOSITIO VNICA.

Accusatio silendo melius quàm loquendo refellitur.

Ambros. serm. 43. mihi p. 743.

S. Ambrosius. *Mirum quod arguatur Saluator, & tacet. Taciturnitas enim interdum pro consensu habetur. Videtur enim confirmare quod obiicitur, cùm non vult respondere quod quæritur. Accusationem ergo suam Dominus tacendo confirmat? Non planè sed despicit non respondendo. Bene enim tacet, qui defensione non indiget. Ambiat defendi, qui metuit superari, sestinet loqui qui timet vinci. Christus cùm condemnatur, & superat, cùm iudicatur, & vincit. Quid ergo ei opus erat loqui ante iudicium, cui ipsum iudicium erat plena victoria? Vincit* » » » » » » » »

Vincit enim cùm iudicatur sic Christus, qui sic innocens approbatur. Hinc Pilatus. Innocens ego sum à sanguine iusti huius. *Melior est ergo causa quæ non defenditur, & probatur. Plenior iustitia est quæ non verbis adstruitur, sed veritate fulcitur. Taceat lingua necesse esse vbi ipsa æquitas sibi adest. Taceat lingua in bono negotio, quia & malas causas obtinere consueuit. Nolo sic defendi iustitiam, sicut solet iniquitas excusari. Quod vincit Christus, non oratione est, sed virtute. Scit enim Saluator qui est sapientia, quomodo tacendo vinceret, quomodo non respondendo superaret; atque ideò causam suam mauult comprobare, quam dicere. Quid enim eum compelleret ad loquendum, cùm silentium sufficeret ad vincendum?*

Matt. 27. 24.

Ambros. serm. 49. mihi p. 744.

Idem agens de falsa accusatione duorum seniorum contra Susannam, hunc in modum loquitur. *Susanna inimicos suos tacuit, & vicit. Non enim apud Danielem Iudicem verborum se ratione defendit, non patrocinij sermone tutata est, sed in sanctâ fœminâ, tacente linguâ, pro eâ castitas loquebatur. Castitas enim Susannæ adfuit in iudicio, quæ eam & defendit in horto. Ibi enim pudori eius consuluit, hîc saluti: ibi ne macularetur pudicitia, hic ne innocentia damnaretur.*

Inuenies rara exempla eorum, qui cùm falsò fuissent accusati, & silendo dissimularent, magna deinde cum gloria fuerunt absoluti, apud Sanct. Iure de cognitione, & amore Iesv Tom. 3. c. 10. sect. 2.

ADVENTVS CHRISTI,

Vide *Incarnatio & Natiuitas Christi.*

ADVLATIO.

1. *Quàm perniciosa sit adulatio.*
2. *Quàm perniciosa sit laus adulatoria his qui laudantur.*
3. *Quàm perniciosi sint adulatores.*
4. *Adulator laudans decipere intendit.*
5. *Adulator exactat audientem illum.*
6. *Adulator facilè suadet malum.*
7. *Qui peccatorem adulatorie laudat, incurabilem eum reddit.*
8. *Adulator quomodo agnoscendus sit, & quomodo differat à vero amico.*
9. *Adulator fingit se amicum diuitis esse, sed nihil minus.*
10. *Adulator est amicus fictus & falsus.*
11. *Adulator non prodesse proximo, sed eum delectare cupit: amicus verò contrà.*
12. *Adulator amicitiam simulans non laudati, sed proprium commodum quærit. Adulator suum tantùm commodum quærit.*
13. *Adulator adulationibus suis commoda propria quærit, & non aliena.*
14. *Adulator non attendit bonum alterius, sed quid placeat ei.*
15. *Adulator non solùm vitia proximorum tegit, verùm etiam iustificare contendit.*
16. *Homo laudari etiam adulatorie cupit.*
17. *Principes & magnates plures adulatores circumstant, reprehensores verò pauci aut nulli.*
18. *Quàm indecorum sit adulatores admittere.*
19. *Stulti est adulatores audire.*
20. *Quanto odio prosequatur Deus adulatores.*
21. *Quomodo arcere adulatores debeamus.*

PROPOSITIO I.

Quàm pernicioſa ſit adulatio.

1. SToboæus ſerm. 12. *Antiſthenes*, inquit, *ſatius eſſe dicebat incidere in coruos, quàm in paraſitos; hi enim viuentis animum corrumpunt, illi ſolùm mortui corpus. Et vt meretrices*, aiebat, *bona omnia præter mentem & prudentiam ſuis amatoribus precantur; eodem modo adulatores his, quibuſcum agunt.* Ita Antiſthenes.

Falluntur autem diuites & primarij viri cùm ſe circumſeptos huiuſmodi adulatoribus vident, exiſtimantes ſe amicis abundare; hi enim non ſunt amici, ſed fures; non enim eum ſequuntur, ſed ſua. Quare ſi ad tenuem fortunam eum venire viderint, ſtatim recedunt: vnde meritò Crates Thebanus inſignis Philoſophus, cùm videret opulentum adoleſcentem adulatorum turba ſtipatum: *Adoleſcens*, inquit, *miſeret me ſolitudinis tuæ.* ita refert Stobæus ſerm. 12. Cenſebat adoleſcens hic ſe multos habere amicos, ſapiens verò vir ſolitarium hominem affirmauit, quia illi non comitabantur hominem, ſed diuitiis eius inſidiabantur.

Vnde Diogenes Cynicus, uti refert Laërt. libr. 6. orationem blandam, & non ex animo proficiſcentem, ſed ad gratiam compoſitam & adulatoriam, mellitum laqueum vocare ſolebat, eò quòd blandè amplectens hominem iugulet; quare meritò idem Philoſophus Cynicus amicitiam adulatorum inſcriptioni ſepulchri comparabat. Sicut enim in ſepulchro principis, v. g. ponitur honorificum nomen mortui. *Hîc jacet ſereniſſimus princeps*, &c. cùm tamen intus nihil ſereniſſimum, aut illuſtre ſit, ſed putredo, & vermes, & ſimus; ſic etiam adulator in fronte exteriùs quaſi ſcriptum defert: *Amicus tuus fideliſſimus*, & tamen intus nihil minus, amicus enim eſt, non tuus, ſed pecuniæ tuæ, & menſæ tuæ, & auxilii tui; non tamen tuus: nomen tantùm amici ſcriptum differt, non rem ipſam.

Vnde Ariſtonimus, ut refert Stob. ſerm. 12. dicere ſolebat: *Ligna, dum augent ignem, conſumi citiùs ab ipſo.* Sic opes, dum alunt adulatores, ab ipſis pereunt. Sapiens quidem à ſapiente viro comparatio, quæque experientia ipſa facilè comprobatur; ſicut enim tinea conſumit purpuram principum, cui adhæret, ſic etiam adulatores conſumere ſolent facultates diuitum quibus junguntur. Sicut enim hedera, dum arbori alicui adhæret, quamvis eam amplectatur, amplexus ille non eſt amplexus amoris hederæ, ſed amor ſui; adminiculum enim quærit, quo ſurſum aſcendat, & quo ſuſtentetur; ſic etiam adulator.

Culpabiles quidem ſunt adulatores, ſed fortè non minùs qui aures illis gratas præbent; deberent enim eos cohibere & tamquam amicos fictos, inimicos autem veros illos à ſe reiicere, ſicut feciſſe Peſcennium Nigrum Imperatorem Rom. refert Ælius: cùm enim is creatus eſſet Imperator, orator quidam panegyricum in laudem eius recitare publicè parabat. Ad quæ ſic Imperator: *Scribe laudes Marij, vel Hannibalis, vel alicuius ducis vita ſanctè & optimè, & dic quid ille fecerit, ut eum nos imitemur: nam viuentes laudare irriſio eſt, maximè Imperatores, à quibus ſperatur, & qui præſtare publicè poſſunt, qui proſcribere & necare.* Ita ille. Vbi obſerva vocaſſe hunc Imperatorem adulationem, irriſionem; & meritò, nam ipſimet adulatores, cùm, quod poſtulant aſſequuntur, rident, & intra ſe irridentes benefactorem, quaſi qui deceperint illum.

Denique receptiſſima eſt illa Quinti Curtij ſententia in lib. de geſtis Alexandri, ubi ait: *Regnum ſæpiùs ab aſſentatoribus, quàm ab hoſtibus euerti ſolet.*

ADDITIO.

Damna quæ pernicioſi illi gratores adferunt ijs quibus palpando adulentur, paucis perpinxit Philo Carphatius. *Terrima peſtis urbibus aſſentatorum vita, tabificus morbus eorum conſuetudo adoleſcentibus, domibus ruina, monaſterijs euerſio, Chriſtianæ religioni extrema calamitas, omnium, malorum ſeminarium atque origo.* Perniciosa eſt cuiuis adulatio, quia ementitur amicitiam & beneuolentiam; & ut Plautus in truculento dixit, *lingua eius in melle & lacte, cor autem in felle & aceto.* Hinc ſcite Diogenes appellat adulationem, *mellitum laqueum*: Plutarchus adulatorem, *patrie & virtutis inimicum.* Plato, *feram omni humano generi peſſilentem.* Rectèque comparat adulationem Petrus Bleſenſis cum calice meretricis Babylonicæ. *Illi ſoli*, inquit, *ad magnatum gloriam admittuntur, qui eos palpant blanditiis, & aures fama bibula calice Babylonis inebriant.* Audiendus hîc Auguſtinus. *Plus*, inquit, *perſequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris.* Acriùs adhuc perſtringit adulatorem Vgo Charenſis. *Adulator eſt quaſi nutrix diabolica, lactans parvulos Babylonis.* Verè ſicut ſcorpiones ore blandiuntur,

Carphat. in Cant. c. 5. To. 3. Biblioth. Patrum mihi p. 578.

Bleſenſis Epiſt. 77.

Augu. in Pſal. 69. Vgo Charenſis in c. 6. Prou.

Ps. 27. 3. sed cauda pungunt; sic isti : *loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Vno ore flare, & forbere volunt: in unâ manu ferunt lapidem, alterâ panem ostentant: in ore mel, in caudâ aculeum, ut apes gestant. Ideò autem perniciosus est principibus adulator, quia tot ingestis in aures eorum laudum illecebris, facit ut jam vel audire veritatem horreant, vel dici sibi à nemine sustineant. Vnde Henricus IV. Castellæ Rex veritatem quondam se monenti jussit linguam præcidi, & in exemplum ad patibulum ostendi populo. Ostendit tamen Deus miro prodigio dilectam sibi, quam homines oderant: nam elinguis ille, elatâ insonuit voce, contestatus linguam illam suam esse, veridici nomine gloriatus, & gloriosus. Quantam hic retulit ex veritate gloriam, tantam alius quidam ex adulatione ignominiam. Ostenditur Lutetiæ Parisiorum in foro frumentario os cloacæ, in quâ sæpeliri se jussit quidam, quem ferò pœnituit pravæ adulationis. Hic videbat Regem tristem, & sollicitum, propter angustiam rei pecuniariæ. Isquò Regem subleuaret, suasit ut ex minimis etiam rebus, quas rustici deferunt in urbem, unum aut alterum nummulum exigeret, idque in biennium dumtaxat, & ex eo, cùm viderent urbe frequentissimâ colligi pecuniæ vim non modicam, ad hoc exemplum plures exactiones excogitatæ sunt. Qui igitur dederat consilium, cùm videret se non idem auctoritatis habere in dissuadendo, quam habuerat in suadendo, in maximos animi mœrores incidit, adeò ut de salute quoque suâ desperaret. Et ut de seipso pœnas sumeret consultæ adulationis, simulque moneret alios, ne ad eumdem impingerent lapidem, testamento cauit, ut in eâ cloacâ, in quam totius fori sordes confluunt, sepeliretur: in quo manet etiamnum in hunc usque diem exactionis exequutio. Dignissimum profectò adulatoribus sepulchrum, quorum os est quasi *sepulchrum patens.*

Ps. 5. 11. Vide Theophrast. c. 8. in characteribus Ethicis, ubi graphicè depingit naturam adulatoris. Item Middendorpium, Imperatorum, Principum, &c. Quæstiones mihi p. 253. & 263.

Nieremb. Theopolitici par. 2. lib. 2. c. 7. mihi p. 441.

Chokier Thesaur. Politic. lib. 3. c. 3. mihi p. 209.

PROPOSITIO II.

Quàm pernicioſa ſit laus adulatoria his qui laudantur.

Sæpè sæpiùs mecum ipse consideravi, cur adversùs adulatores tot tantaque sacri ac prophani authores dixerint, & non solùm vanam, fallam & mendacem adulationem esse dicant, verùm etiam perniciosam, & magno totius Reipublicæ & singulorum expositam exitio, undenam tantum malum ex adulatione? qui falsò alium laudat, mentitur. Quid autem hic prætèr mendacium est? Qui gaudet se laudari, vanitatis notam solummodò incurrere videtur. Quid verò ampliùs, & quidem si in vniuersali & communi solùm adulationem sumamus, ita est, vanitas scilicet & mendacium est. Sed adulatores in speciali semper aut ferè semper vnum ex his duobus malis faciunt; vel enim laudant eos qui peccant, excusantes peccata, vel approbantes quod non decet; quod quidem nihil aliud est, quàm fouere peccata, & cùm reprehensionibus & correctionibus peccatorem à peccato eripere deberent, illum in peccato suo magis confirmant, secundùm illud : *Quoniam laudatur peccator in deſiderio animæ ſuæ, & iniquus benedicitur, &c.* Laudare autem peccata, & confirmare peccantes in peccatis suis, non humanum, sed diabolicum est; dæmones enim sunt qui homines ad peccandum excitant, & post peccatum intus peccatorem approbant, & in peccato confirmant; idipsum ergo adulatores efficiunt.

Pſal. 9.

Secundum genus adulatorum pessimorum est eorum, qui laudant aliquem, v. g. Principem, Regē, Prælatum, vel alium quemuis, & eum ad nubes attollunt, & se illis inseruire in omnibus fingunt & partes eius tueri, pro viribus coram, & in absentiâ se ostendunt, & amicum prorsus erga eos habere cor profitentur; eo tamen animo vt ab eo per fas, vel nefas, quod expetunt, extorqueant, & secundùm conscientiam, vel contra conscientiam faciant quæ ipsi volunt; *y para eſto tienen ya ganado el coraçon del liſonjeado que no le ſepa decir de no.* Nónne hoc perniciosissimum dices?

Bion.

PROPOSITIO III.

Quàm pernicioſi ſint adulatores.

Bion Philosophus, & unus ex septem sapientibus Græciæ, interrogatus, quodnam esset animal omnium maximè noxium? *Si de feris,* inquit, *percontaris, tyrannus; ſi de mitibus, adulator.* Ita refert Laërtius lib. 1. c. 6 & experientiâ confirmatur, maximè in adulantibus reges, regimen enim cùm potissimùm ex adhærentibus illi pendeat, si hi adulatores fuerint (qui non commune bonum, sed proprium quærunt) quod pereat Respublica consequens est: quod in consiliariis regis Roboam filij Salomonis notum est. Hedera arbori, cui adhæret, pulchritudinem viriditatis & venustatis suæ communicare videtur, non tamen hoc intendit, sed utilitatem propriam: ascendere intendit, & quia per se non valet, ideò amplectitur arborem, ut eius virtutem & substantiam fugat amplexu illo: sic adulator ornare, & amplecti alios fingit, cùm tamen honorem suum, commodumque intendat. Etenim pejor est adulatoris lingua quàm lingua canis: hæc enim vulnera lambendo sanat, lingua verò adulatoris lambendo vulnerat. Optimè S. Augustinus in illud Psalm. 9. *Laudatur peccator in deſiderio animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. Adulantium* (inquit) *linguæ alligant animas in peccatis, delectat enim ea facere in quibus non ſolùm non metuitur reprehenſor, ſed etiam laudator auditur.* Ita ille. Nemo igitur gratuletur homini qui prosperatur in viâ suâ, cujus peccatis deest vltor, & adest adulator: maior enim hæc Domini ira est, multùm enim irascitur Dominus, dum non exquirit, dum quasi obliuiscitur & non attendit peccata, & per fraudes & peccata ad diuitias peruenitur, dicente Psalmista de isto : *Irritauit Dominum peccator: ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret.*

Similit.

Diſſimile.

S. Augu.

PROPOSITIO IV.

Adulator laudans decipere intendit.

Nvllum aptius symbolum adulatoris quàm hedera est: hedera enim arborem cui adhæret ornat foliis, & pulchram reddit, & scutulis, velut vncis, tueri & defendere arborem videtur; denique amare arborem præ se fert, dum amplectitur eam brachiolis suis; sed tamen amplexus eius, amplexus Ioab est, seu potiùs Iudæ. Ille enim amplexus est Amasam, quem gladio interfecit; hic Christum quem tradidit inimicis. Hedera amplectitur arborem quam fugit, & deficcat, vt se ipsam alat, & ad suprema conscendat: sic adulator dum laudat, & ornat & amplectitur diuitem seu potentem, se alere vel ad alta conscendere satagit, non alteri prodesse, vel honorare illum.

Similit.

S. Ambr. lib. 1. offic. cap. 47. *Nemo adulantem ſe, neque adulandum cuiquam exhibeat; alterum enim calliditatis eſt, vanitatis alterum.* Ita ille. Calliditatis, inquit, est, *eſt moneda falſa la liſonja,* habet speciem amicitiæ, sed non veritatem; decipere vult adulator, non laudare. Plinius: *Non omnes piſces eadem amant eſcam, ſed alius alia delectatur; inde Piſcatores gnari quam quiſque maximè appetat, fallunt, ea potiſſima obiecta; ita adulator deprehenſo hominis ingenio, quibus rebus deliniatur, & à quibus abhorreat, quod illi gratiſſimum eſſe intellexerit, hoc potiſſimùm eum captat.* Ita ille. Qui simile adducit de Chamæleone exemplum; sicut enim Chamæleo varios mutat colores, juxta

S. Ambr.

Plinius.

Similit.

Simile.

iuxta colores rerum quibus adhæret, sic & adulator affectibus principis accommodat affectus suos, ut quod ab eo obtinere nititur, assequatur.

Apoc 9. Sic S. Ioannes Apostolus: *Vidi stellam de cælo cecidisse in terram; & data est ei clauis putei abyssi, & aperuit puteum abyssi, & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est Sol & aër de fumo putei, & de fumo putei exierunt locustæ, & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ.* Hîc de casu Luciferi sermo est, uti Rupertus & alij exponunt, & ideò de præterito ait *cecidisse*, illi *data fuit clauis abyssi*, hoc est, inferni potestas, ad torquendum scilicet damnatos: clauis enim in sacris Litteris potestatem importat, juxta illud: *Tibi*
Matt. 16. *dabo claues Regni cælorum*, id est, potestatem, &; *Dabo*
Isa. 22. *clauem Dauid super humerum eius*, id est, dabo Christo, ait Pater, potestatem super regnum Israel; locustæ verò quid significent, figura illarum id declarat: ait ergo Ioannes; *Facies earum tanquam facies hominum, & habebant capillos sicut capillos mulierum, & habebant caudas similes*
Vbi supr. *scorpionum, & aculei erant in caudis earum.* hæc quidem figura adulatorum est; hi enim faciem humanam præseferunt: nam suavitate quadam humana blandiuntur, sed in cauda venenum habent; nam aliud nihil præstant, quàm in superbiam inducere illum. cui adulantur; & ab eo aliquid sibi comparare: vnde meritò de fumo putei prodiisse huiusmodi locustas, ait Apostolus Ioannes, fumum vanitatis relinquunt. & in fumum elationis vanæ euehunt alios. Scorpio fronte videtur applaudere, & blandiri, sed postmodum cauda ferit. Sic adulator vultum blanditiæ ostendit, sed tandem solum fumum & vulnus vanitatis relinquit. Vnde sicut locustis nocentibus exorcismos maledictionis
Matt. 12. adhibemus, vt à nobis repellamus, sic & his ita Chri-
Matt. 12. stus, *Generatio prava, &c.* & *Quid me tentatis hypocritæ?* abijciendos esse adulatores docet.

VI. Decipit quidem adulator eum cui blanditur, dum v.g. prudentem eum esse dicit, cùm imprudens sit, & sapientem, cùm insipiens fortè sit, & rectè id egisse, quod fortè peccatum est, & se illi famulari velle, cùm dominari potiùs desideret, & denique bonum illum esse, cùm fortè malum esse cognoscat, &c quod quidem satis esse deberet ad hoc vt prorsus ab amicitia & conuersatione nostra hos arcere deberemus, decipiunt enim nos in nobis. Mercatores quidem & venditores & alij Reipublicæ ministri solent decipere nos in nostris rebus; decipiunt enim nos in his quæ emimus, aut vendimus, denique in his quæ ad diuitias, vel honores, vel ad bona temporalia spectant adulatores verò decipiunt nos, non in nostris rebus. sed in nobis ipsis, quæ intolerabilis deceptio est. Dicito mihi, si speculum haberes, quod te aliter quàm es repræsentaret, quid de illo diceres? quid de illo officeres? si v. g. tu cùm albus sis, nigrum, vel niger cùm sis, album redderet? vel si te deformem illud formosum repræsentaret, & cùm maculatus in facie esses, te mundum demonstraret, nónne illud statim frangeres? Frangerem, dices, quia decipit me, quò de me ipso falsum judicium habens & formans, ea faciam, vel dicam, quæ non facerem, nec dicerem, si me ipsum nossem. Idem igitur tibi de adulatore censendum est; quia quid aliud adulator est nisi speculum falsum, & deceptorium: te, qui niger fortè es, album dicit, te, qui errasti in opere aliquo, laudat, & nullam in eo maculam esse dicit, cùm fortè peccaueris grauiter, & damnaueris animam tuam. Si igitur proiicis speculum, quia mentitur circa colorem tuum, vel figuram tuam, vel mundi tiam faciei tuæ, cur non irasceris contra adulatorem illum qui te in his decepit, quæ pertinent ad animam tuam, & ad saluationem tuam? Verus amicus amandus est, quia sicut verum speculum, quod malum est, malum esse dicit, quod bonum, bonū, quod pulchrum, pulchrum, quod deforme deforme; & ita facilè poterit homo discernere atque de cernere quid sibi factu opus sit, quid expediat, & quid non expediat.

Aucupes, vt aves facilè venentur, voces imitantur auicularum, &, quantùm valent, cæteris earum rebus similes se fingunt, vt eo pacto eas alliciant, trahant, & venentur; sic adulatores regibus vel magnatibus se insinuant & commendant, seque eis accommodant verbis & factis, eisque se similes fingunt; si enim illi aiunt, aiunt, si negant, negant, vt ita eos venentur, & fauores sibi lucri-faciant, & ob eam causam probè tenere curant, & scire qua quisque maximè ratione adduci & capi possit.

Plutarchus lib. de vitiosâ verecundiâ. *Laudes*, inquit, *ab improbis procedentes, cùm sint fucatæ, modis omnibus cauendæ sunt. Etenim qui præbent aures adulatoribus, nihil differunt ab his qui pedes exhibent supplexantibus, nisi quòd turpiùs subuertuntur, & cadunt; itaque Bion tales similes esse dicebat amphoris, quæ auribus facilè circumferuntur.* Ita Plutarchus.

PROPOSITIO V.

Adulator excæcat audientem illum.

Refert Maximus serm. 52. quòd Epictetus Philosophus Stoicus cuidam adulatoribus facilè aures præbenti, dixerit: *Coruus mortui hominis oculos euellit, adulator autem hominis viui.* Ita ille. Vide quid perniciosius sit. Maximus. Dissimile.

PROPOSITIO VI.

Adulatores facilè suadent malum.

GRauem illum & nunquam satis deploratum casum primorum parentum manifestum satis est cunctis à serpente initium habuisse: mirum igitur est quomodo serpens Euæ potuerit suadere præcepti Domini transgressionem, quomodo non horruit cum serpente sermonem miscere, quomodo non obstupuit, cùm eum loquentem audiuit, quomodo ita ei facilè adhibuit fidem. Procopius in hunc Genesis locum: *Conijcimus*, inquit, *serpentem habuisse prudentiam, sicut reliqua bruta, verùm quod potuerit ratiocinari, & quid syllogismo concludere, negamus, nec volumus vt quis credat ex se ipso potuisse serpentem loqui, sed omnia referenda sunt ad dæmonem, qui per serpentem loquebatur.* Ita ille. Nunc autem superest examinare, cur dæmon ad suadendum mulieri, quod ipse optabat, præcepti videlicet transgressionem, vsus fuerit serpente potiùs quàm alterius animalis figura, v. g. columbæ, aut agni, aut canis, &c. Serpentis enim species ad deterrendum potiùs quàm ad suadendum apta videbatur; quis enim viso serpente non statim fugit & virus eius timet? Respondet Procopius ibidem. *Inter animantia bruta tres differentiæ habebantur; quadam enim alebant & recreabant hominem; quædam astabant, & quasi ei ancillabantur; quædam verò eum insignitèr exhilarabant, & oblectabantur suaui vocis modulatione & imitationibus variis: maximum autem solatium hauriebat homo ex serpente, quia mirabiliter varias res poterat imitari, nec non mirabiliter nouerat blandiri & adulari, licet nunc nobis infestus sit, & à nobis formidetur, sic ordinante Deo. Eo itaque vsus est diabolus ad id malum.* Ita Procopius. Quia igitur tunc serpens non horribilis, ut nunc erat, sed potiùs gratus & jucundus homini, & quia suis ambagibus, & circuitibus, & blanditiis mirabiliter, ut ait Procopius, noverat blandiri & adulari; ideò vsus eo hostis fuit, vt deciperet Euam. Sic igitur & modò eadem arte multos decipere solet diabolus, quærens scilicet adulatores, & qui blandiri norint, & grati & jucundi nobis sint, vt eorum blanditiis, & adulationibus facilè ad peccata, in quæ nos deturbare hostis cupit, ipsi nos trahant, & hinc maximè nobis adulatores suspecti esse debent semper, &c.

Gen. 3. VII.

PRO-

PROPOSITIO VII.

Qui peccatorem adulatorie laudat, incurabilem eum reddit.

QVi peccatorem in peccatis suis laudat, obsequium se ei præstare censet, sed in rei veritate non solùm iniquè & falsò eum laudat, verùm etiam eum incurabilem reddit, v.g. qui laudat eum qui de inimico vindictam sumit, vel adulterium, & luxuriosum, & superfluo ornatu vtentem, &c.

Gregor 4. Moral 29 Vnde rectè hoc comprobat S. Gregorius, dicens: *Cùm quis malè gesta laudibus exaggerat, sit vt incessanter culpa crescat, fauoribus enutrita; curari enim vulnus negligitur, quod dignum laude videtur. Vnde Redemptor noster puellam in domo, iuvenem extra portam, in sepulchro autem Lazarum suscitauit; adhuc autem quasi mortuus jacet in domo, qui latet in peccato, & jam quasi extra portam educitur, cuius iniquitas vsque ad verecundiam publicæ perpetrationis aperitur: sepulturæ verò aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ etiam vsu consuetudinis pressus grauatur: sed hos ad vitam miseratus reuocat Christus. quia plerumque diuina gratia non solùm in occultis, sed etiam in apertis iniquitatibus mortuos, & male praua consuetudinis pressos respectu sui luminis illustrat. Quartum verò mortuum Redemptor noster nunciante discipulo agnoscit, nec tamen suscitat; quia valde difficile est, vt is quem post vsum malæ consuetudinis etiam adulantium linguæ excipiunt, ab animæ sua morte reuocetur, de quo & bene dicitur,*

Luc. 9. Sine mortuos sepelire mortuos suos; *mortui enim mortuos sepeliunt, cùm peccatores peccatorem fauoribus premunt: quid enim aliud est peccare quàm occumbere, & sepelire quàm abscondere? sed qui peccantem laudibus prosequitur extinctum, sub verborum suorum aggere abscondit. Erat quidem & Lazarus sepultus, sed non à mortuis; fideles enim mulieres illum obruerant, quæ & eius mortem viuificatori nuntiabant; vnde & protinus ad lucem redijt; quia cùm in peccato anima moritur, citiùs ad vitam reducitur, si super hunc sollicitæ cogitationes viuunt.* Ita S. Gregorius, vbi hac mortuorum differentia rectè ostendit sanctus Pontifex, quam incurabilis sit peccator, qui laudatur in desideriis animæ

VIII. suæ.

Prou. x. Vnde meritò Sapiens: *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas illis.* quid est, lactare peccatores aliquem? S. Gregorius: *Peccatores lactant, cùm vel perpetranda mala blanditmentis inferunt, vel perpetrata fauoribus extollunt, secundùm illud, Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus, cùm iniqua egerit, benedicitur.* Ita ille. Ait ergo Salomon, *si te lactauerint peccatores*, hoc est, si te laudauerint peccatores, eò quòd aliquod peccatum commiseris, caue, fuge ab eis: hi enim vulnus tuum immedicabile reddunt, ut quasi absque remedio condemneris, &c. Væ igitur his, qui cùm peccauerint, non solùm non fugiunt assentatores, verùm etiam amant, & quærunt eos; qualis enim his superest pœnitentiæ locus, si, cùm lugere deberent peccata, hic gaudere & exultare in illis gestiunt?

Vbi sup.

Psalm. 9.

PROPOSITIO VIII.

Adulator quomodo agnoscendus sit, & quomodo differat à vero amico.

REs quidem ardua & difficilis est dignoscere ac discernere adulatorem à vero amico; est enim adulator amicus fictus, & aliquando sic artificiosè fictus, ut amicitior appareat adulator, quàm verus amicus, quare rectè Plutarch. lib. de discri. adulat. & amic. *Vt inter agrestia semina, quæ forma ac magnitudine similia sunt, frumentis admixta difficilè repurgantur; aut enim simul non excidunt per angusta foramina, aut simul excidunt per ampliora; sic adulatio difficilè separatur ab amicitia. Quippe quæ sese in omnem affectum, in omnem animi motum, vtilitatem & consuetudinem cum illa commiscens.* Ita ille. Sicut igitur difficile est nummum falsum à vero discernere, cùm vterque eandem effigiem habeat, eundem colorem, eundem sonitum, idemque pondus; sic etiam perdifficile est verum amicum ab adulatore distinguere, sæpissimè namque eandem effigiem & colorem habent, h.e. eandem apparentiam, & eundem sonitum, h.e. similia verba sonant, idem pondus, h.e. eundē modum procedendi: nam si veri amici proprium est consilium dare in dubiis amico, & cor suum illi aperire, accommodare illi, & sæpè dare ex bonis suis; idem etiam sæpè sæpiùs præstat adulator. Præterea quoniam adulator intelligit, familiaritatem, & loquendi ac conuersandi cum amico libertatem proprium esse valde amicorum, & non ita liberè agere, alienum, hanc in conuersando effingunt & præ se ferunt, vt fidentiùs te illi accommodes & confidas.

IX. Quomodo igitur agnoscendus est amicus & adulator, dicam. Primùm & potissimùm amicorum, maximè inter Christianos, est, icorripere & arguere amicum in defectibus eius, sicut enim pictor, qui effigiem, quam propriâ manu pingit, amat, & in pretio habet, curat, ne defectus aliquis in imaginem incidat, quod si inciderit, eam tollere statim conatur; & sicut pater, cùm videt filium deficere, statim eum arguit & castigat, non filium, sed defectum modio habens; sic verus amicus, cùm viderit amicum deficere ac peccare, vel aliquid indignum committere, interiùs vritur, & zelo interiori commotus, defectum illum emēdare procurat. Adulator timens, ne à gratia eius cadat, quam ob commoda sua quærit, dissimulat peccata eius, imò aliquando laudat, fouet, juuat, vt maiorem inde gratiam venetur. Non ergo ita amicus verus, qualis erat Apostolus Paulus, qui dicebat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Peccauerant Galatæ, & inuehitur in eos Paulus, dicens: *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, &c.* Acria nimis videntur verba ista; numquid auara amicitia alicna sunt? imò ideò verus amicus eorum, quia si correctione dignos correxit, & adulator nullo modo. Præterea adulator, non quæ tibi expediunt, sed quæ placent, docet, & consulet & approbabit; de quo sic Plutarchus ibid. *Adulatoris mutationes velut polypi pilcis facillimè deprehendere licebit, dum idem in diuersa versi videtur, vituperans quam prius laudauerat vitam, rursum approbans facta, vitæ rationem & dicta perinde quasi placeant, quibus anteà offendebatur; videbis enim illum haudquaquam flabilem, ac suum non proprio affectu diligentem, aut odio habentem, gaudentem, aut dolentem, speculi ritu externorum affectuum, vitarum ac motuum imagines in se recipientem; talis enim est, vt, si verbotenus amicum aliquem eius apud eum vituperes, dicat: Serò tu hominem pernosti: nam mihi nec initio placebat. Rursum si mutata sententia laudes, gratulor, inquiet, & illius nomine gratiam habeo planè vera credo, quæ dicis. Quòd si dixeris, diuersum vitæ genus esse suscipiendum, & à Reipub. negotiis digressus, & ad tranquillam vitam velis te conferre, jam olim, inquit, nos ab his tumultibus & inuidentiis liberari conueniebat. Quòd si rursus ad negotia, & ad causas agendas propensus videaris, statim acclamat, & dicit: Digna te cogitas. nam à negotiis abesse jucunda quidem res est, sed humilis & ingloria; in hunc igitur protinus dicere conueniet,*

Hospes nunc alius mihi quàm prius esse videris. Ita Plutarc. Denique illud commune dicterium competit adulatori: *Ais, aio, negas, nego.* est enim adulator velut vmbra. Sicut namque vmbra tua semper positionem & figuram tuam imitatur, si sedes, sedet; si surgis, surgit; si ambulas, ambulat; si sistis, sistit, &c. sic adulator ad omnia tua se accommodat & aptat, &c. Hoc igitur est discrimen notissimum inter verum amicum, & adulatorem; amicus enim non quæ amico placent affirmat, sed quæ cōueniunt; adulator verò dummodo placeat nihil aliud curat. Et quidem non solùm in dictis, sed etiam in factis similem se tibi præstabit adulator; talium enim hoc proprium est; sic ferunt Platonis familiares

2. Cor. 10. *Ad Gal.*

liares contractos Platonis humeros expressisse, & Aristotelis amicos balbutiem eius solitos imitari, & Alexandri M. familiares ceruicem inflexam, & in dicendo vocis asperitatem reddidisse. Denique adulatori id accidit, quod solet Cameleonti, qui omnium colorum similitudinem exprimit, præterquàm albi; sic assentator præterquam in virtute (cuius albedo symbolum est) in omnibus se his, quibus adulatur, similem præstat. Σ.

PROPOSITIO IX.

Adulator fingit se amicum diuitis esse, sed nihil minus.

Cratet. CRates insignis Philosophus (vti refert Stobæus) ad quemdam adolescentem opulentum, quem adulatorum turba comitabatur, dixit: *Adolescens, miseret me solitudinis tuæ.* Ita ille. Cur, inquit, *solitudinis*, cùm magna incederet caterua comitante? Nimirum, quia illi non comitabantur diuitem, sed diuitias Amici videbantur, sed non erant, nisi corui adulantes. Tolle ab huiusmodi diuitibus diuitias, & videbis hanc soli-
Plinius. tudinem dictam à Crate. Plin. lib. 9. c. 29. & lib. 37. c. 2. *Vitrum mirè crystallum imitatur, res vilissima rem longè pretiosissimam: ita assentatio amicitiam imitatur, res impurissima longè optimam.* Ita ille.
Simile.

PROPOSITIO X.

Adulator est amicus fictus & falsus.

DIogenes. *In assentatione*, aiebat, *velut sepulchro quopiam solum amicitiæ nomen scriptum est.* Ita refert Stobæus serm. 14. Etenim in sepulchro regio inuenies conscriptum, *Hic jacet Rex Carolus*, &c. & tamen ibi nec Rex, nec Carolus est, sed cadauer eius. Sic adulator se amicum tuum profitebitur, amici autem in eo nihil ampliusest, quàm quoddam cadauer, seu effigies sola.

PROPOSITIO XI.

Adulator non prodesse proximo, sed eum delectare cupit, amicus verò è contrà.

Lib. de Ioseph. PHilo hoc discrimen inter verum & fictum seu adulatorem amicum ponit, quod inter cocum & medicum intuemur; cocus enim ita cibos temperat, & condit, ut delectet & palatum mulceat, nec attendit quodnam stomacho cibis grauato medicamentum adhibeat, & ideò ad appetitum excitandum falsamenta & irritamenta quædam appetitus excogitat: medicus verò pharmaca & potiones amaras adhibere solet; denique insuaua medicamenta, quæ palato quidem ingrata sunt, stomacho verò apta, quia nō sicut cocus appetitum excitare intendit ad vescendum paratos cibos, sed excessui & damno ex nimietate ciborum prouenienti remedium adhibere; sic etiam adulator delectare tantùm, verus autem amicus proficere amico intendit, quapropter dulcia ille tantùm, quamuis nociua sint, proponit, hic salutifera, quamuis amara sint, monet.

Quòd si roges quodnam damnum adulatores efficiant, vel hoc vnum dicam, consiliis & monitis, imò mendaciis suis, excœcant quos laudant. Olim cùm quis minus malum aliquid esse affirmare volebat, dicere solebat hæc duo verba: *Ad corvos*, hoc est minus malum est, quod corui faciunt, quàm adulatores; quia corui oculos mortuorum eruunt, adulatores verò viuorum: nam dum falsò & adulatoriè aliquem laudant, illum magnum quid esse & æstimatione dignum persuadent, cùm fortè reprehensione & castigatione dignus ille sit; hoc enim manifestum est, omnes rerum suarum amantes esse, & vnicuique idem pulchrum esse quod suum, *à todos aplacen sus cosas, aunque sean defectuosas.* Pingit imaginem pictor, quamuis illa imperfecta sit, perfecta ipsi videtur, quia opus manuum suarum est: si ergo huic falsæ opinioni & æstimationi accedat laus, & commendatio alterius, affirmantis mirabilem esse picturam illam, confirmabitur error eius, & cœcutienti cœcitas plena superueniet: sic si cogitanti se aliquid perfectum effecisse opus, cùm verè imperfectum, & defectuosum sit, accedat adulantis elogium, cæco judicio errori suo firmiter adhærebit: ita igitur adulator adulando, quem laudat, excœcat. XI.

PROPOSITIO XII.

Adulator amicitiam simulans, non laudati, sed proprium commodum quærit.

RElert Theophrastus Anaxilaum Philosophum dicere solitum, quòd adulatores vermibus assimilentur, qui triticum nacti, non discedunt, donec redditerint vacuum. Sic illi diuitum substantiam rodunt, postea recedunt: decipiunt autem hi pruriendo auribus stultorum. *Theophr.* XII.

Hac etiam de re interrogatus Diogenes Cynicus, scilicet quænam bestia morsum haberet omnium nocentissimum? respondit: *Si de fera interrogas, est obtrectator; si de mansueta, est adulator*, refert Laërtius lib. 9. & ratio est, quia obtrectator quidem præ se fert odium: adulator autem sub amici persona multo lædit grauiùs; sic enim deripere quærit, & decipere quoque. *Diog. Cynicus.*

Ex Sicilia nauigans Rex Alphonsus, cùm vidisset garrulas aues, circumvolantes & attentas si quis bolus è triremi decideret, certatim illum arripere & statim au fugere, conuersus ad suos, dixit: *Perfimiles sunt his garrijs purpurati, & curiales aliquot mei: simul enim ac aliquod munus aut beneficium dimicantes inuicem, à me acceperint, profugiunt. Notauit eleganter assentatorum mores, qui vbique præsto sunt, dum quid à nobis accipiunt, habemus in promptu; quo ablato recedunt, fugiunt, nunquam nisi vrgente necessitate reditur.* Ita Panormitanus lib. 1. de rebus gestis regis Alphonsi. *Simile.*

Sed supposita & cognita hac adulatorum nequitia, nonnullum emolumentum ex illis capere possumus, si, quod fictè in nobis laudant, verum reddamus. Rectè quippe Papa Ioannes XXII. dixit: *Ad hoc profunt adulantium laudes, vt intelligat laudatus qualu debeat esse.* Ita ille.

PROPOSITIO XIII.

Adulator adulationibus suis commoda propria quærit, & non aliena.

DVo inter alia documenta Pythagoras Philosophus discipulis suis præbebat, vti refert Plutarch. lib. de nota Pythag. *Videlicet aduncæ vnguibus domi ne nutrito, & hirundinem in contubernio ne habeto.* Quid sibi symbolis istis voluerit sapiens ille, ignoro; sic tamen accommodari hæc duo censeo, aues & animalia quæ vncos habent vngues, sunt animalia ferocia, & prædę dedita. hirundo auis est, quæ intra domos nostras habitare & nidificare solet, & assiduo cantu hospites suos quasi mulcere velle videtur; quare animalia illa ferocia domi admittere nemo debet, quia scilicet quātumuis illis beneficeris, leoni, v. g. & aquilæ, aliquando occasione aliqua data irasc untur, & vngulas illas, quas beneficentia retraxerat, ira extrahit, & vulnerat benefactorem. Sic nec in amicitiam admittendi sunt

hi, qui pessimis sunt moribus imbuti, quia quamuis benefeceriseis, pro re nata vngulas obductas produnt, & ipsis benefactorem cruentant, *que quien malas manus ha, tarde, o nunca las perdera*; sic etiam, sicut hirundines non sunt domi admittendæ, quia nihil aliud quàm suum commodum suis cantilenis quærunt, quo semel potito recedunt; sic etiam adulatores suis adulationibus, velut cantilenis quibusdam, lenire & mulcere corda & aures tuas quærunt, vt à te, quod desiderant, obtineant, eoque obtento quamprimùm avolant, & recedunt, non enim te vel tua, sed sua quærebant. Cum his igitur non est amicitia contrahenda.

PROPOSITIO XIV.

Adulator non attendit bonum alterius, sed quid placeat ei.

HOc inter adulatorem & virum amicum interest, quod inter medicum & cocum: medicus enim pharmaca præscribens infirmo, non attendit an dulcia vel amara sint gustui ægrotantis, sed an salubria il-
Dissimile. li futura sint; cocus verò nihil de salubritate cogitans, id curat vt palato & voluptati apta sint: sic verus amicus velut medicus perspicit an vtilia sint, adulator an grata & jucunda. Quam differentiam optimè inuenies in 3. Reg. vltimo. inter falsos prophetas Regis Achab,
3. reg. vltim. & inter Michæam verum Dei prophetam. Vide ibi.

PROPOSITIO XV.

Adulator non solùm vitia proximorum tegit, verùm etiam justificare contendit.

QVi adulationis vitio laborat, omnia laudare cu-
XII. rat, etiam vitia ipsa & peccata aliorum ac vitia virtutum pallio tegere ambit: nam audacem fortem vocat; timidum, prudentem; auarũ, temperatum; prodigum verò liberalem; luxuriosum, vrbanum; gulosum, generosum; iracundum, magnanimum, & vilis, & abiecti animi hominem, humanum: sic hominem nigrum, virilem, album decorum, qui similis est naribus amabilem, qui adunco naso, regalem; sic palpant alios, sic decipiunt, & dum vitiosos apparenter, sed falsò laudant, vitia fouent & alunt: nam sicut virtus laudata crescit, sic vitium laudatum augetur, & vires maiores capit, &, vt ait Plutarchus libr. de discr. adulatoris & amici, *cùm vitia virtutum nominibus laudantur, peccabit laudatus sine dolore, imò cum gaudio, & detrahitur peccatis pudor.* Ita Plutarch.

Adulator ergo vt animum proximi sibi conciliet, ad ea quæ in suum commodum ab eo consequi vult, laudare eum in omnibus curat, & quia sæpè vitiosa sunt, quæ proximus ille operatur sub virtutum nomine, ea palliare procurat, & omnia mala proximi, quæ correctione digna erant, celat, & ita colorat vt propter illa, ille potiùs laudandus quàm vituperandus esse videatur. Quod quàm pernicio sum sit, facilè constat; hoc enim nihil aliud est quàm corrumpere affectum proximi, vt ea velit & faciat, quæ cauenda erant. Denique corrumpit affectum qui seminarium quoddam est omnium bonorum nostrorum; qualis enim fuerit affectus noster, talis etiam erit vita nostra. vnde meritò dixit Plutarch. adulatores similes esse his famulis, qui non de aceruo, sed de semine furantur. Fur quidem est qui triticum de aceruo agricolæ furatur, & illi damnum infert, sed maius multum qui de semine furatur: nam ex vnico seminis grano multa grana fuerant nascitura; vnde vnius grani furtum veluti multorum furtum est. Sicut ergo paruum nocumentum in semine magnum reputatur, sic quodcumque nocumentum in affectu pro magno habendum XIII.
est. Cùm igitur adulator affectum nostrum corrumpat, non leue, sed eximium nobis damnum infert. Exemplis autem hoc ostendit Plutarchus lib. de discrim. adulatoris & amici, dicens: *Ea nimirum res Siculos subuertit, quod Dionysij & Phalaridu crudelitatem, justitiam, & sceleratorum odium vocarent adulatores. Eadem Ægyptum perdidit, quòd Ptolomæi muliebritatẽ, eiulatusq;, & litiorum & tympanorum insculpturas, religionem Deorumq; cultum appellarent. Eadem Romanorum mores tam integros ad nihilum redegit, quòd Antonij delicias & libidines blandientes extenuarent, ita vt humanitatem & hilaritatem vocarent, indulgẽte illi potentia sua. Iam reges plerique nónne cùm sic cantillant, Apollines vocantur, cùm inebriantur Bacchi, cùm luctantur Hercules, & ita in omne dedecus gaudentes adulatione abducuntur? Quapropter in laudibus cauendus erit adulator, id quod nec ipsum illum fugit, sed miro artificio cauens ne suspectus sit, & sicut belluam manu contrectans & palpans tentat, interdum enim alterum de illo renunciat laudes, rhetorum exemplo, alienam interducens personam, dicens, in foro se hospitibus quibusdam aut senibus admodum libenter astitisse, multa & ea quidem bona referentibus de illo, & illius virtutes admirantibus. Rursum alij pictorum more, qui quò quædam illustriora reddant, ac splẽdidiora, addunt in propinquo quædam vmbrosa & obscura, ita hi clam laudãt & alunt vitia quibus adulantur, dum his contraria vituperant, insectantur, carpunt, ac derident; siquidem apud luxuriosos, & auaros, sceleratos, & improbos, quiq; his diuitias fœdis modis pepererunt, frugalitatem rusticitatis nomine vituperant, & sua contentum esse sorte justitiam hominũ nihil audentis esse dicunt, & imbecillis ad negotia capessenda: cæterùm vbi versantur cum inertibus, & otio deditis, & medium ciuitatis lucem fugientibus, non pudet illos Reipublicæ administrationem alienorum negotiorum laboriosam gestionem appellare, & magistratus honorem inanem vocare gloriam, ad nihil vtilem.* Ita Plutarchus.

PROPOSITIO XVI.

Homo laudari etiam adulatoriè cupit.

SAnctus Hieronymus epist. ad Sabi. *Naturali ducimur* *Hieron.*
malo, & adulatoribus nostris libenter faucimus, & quamquam respondeamus nos esse indignos, & calliduś rubet ora perfundat; ad laudem tamen nostram intrinsecùs latamur. Ita S. Hieronymus.

Quod S. Ambrosius lib. 3. de offic. ignauiæ tribuit. *S. Ambr.*
Emolliri (inquit) *adulationibus, non solùm fortitudinis non est, sed etiam ignauiæ tribui debet.* Ita ille.

Refert Æneas Sylvius libr. de dictis Sigismundi *Sylvius.*
Imperatoris, quòd cùm Sigismundus se assentatores, velut pestes odio habere dixisset, quidam aulicus, nomine Brunenius, respondit: *Nullum tamen genus hominum magis amas.* Tunc Sigismundus: *Vicisti sanè*, inquit, *ita enim natura comparatum est, ut cùm vitandos esse adulatores dicimus, tunc maximè illis hæreamus, quia nec tu mecum tamdiu fustes, nisi meis moribus blandiri assueuisses.* Ita XIV.
ille.

PROPOSITIO XVII.

Principes & magnates plures adulatores circumstant, reprehensiores verò pauci aut nulli.

DAn. 5. Quis quæso Regi Balthasari ausus est inter *Dan. 5.*
pocula, & sacrilegia denunciare mortem pecca- XV.
tis suis condignam? Quisquis ille fuit, caput & faciem abscondit, ne agnosceretur, manum tantùm protulit. Quid inquam manum? *Apparuerunt*, inquit, *digiti quasi manus hominis.* Cur non apparuit vultus & facies scribentis? quia scelera Regis, & pœnam eorum Regi denunciabat; & hoc illi quidem timendum. Sed hoc ænigmate significare voluit Dominus (sicuti doctus qui-

quidam auctor ait) hoc malú Principibus accidere, vt nemo ferè facie ad faciem audeat peccata eorum reprehendere, nisi fuerit quidem ille Ioannes Baptista, aut Esaias, quorum ille, capite damnatus, iste serrâ fectus fuit. Ecce mille viri assistebant Balthasari, & nemo regem monebat; quia adularentur autem fortè omnes, eſursum venit reprehendens, & mortem annuncians Regi, & eâ quidem formâ quæ dicta est.

Amos 7. Prophetauit Amos contra regem Ieroboam, & mortem eius miseram denunciauit: ad quem Amasias *Vers. 12.* Sacerdos, & minister Ieroboam dixit: *Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi. Et in Bethel non adijcies vltra vt prophetes: quia sanctificatio regis est.* Vide quid Sacerdos & minister Regis dixerit, qui prophetæ partes agere debebat, & pariter cum eo sacrilegia Regis damnare. Tales sunt vniuersaliter loquendo Regum ministri, imò & Sacerdotes, quibus ex officio competit corripere peccatores, quantumuis Reges sint, alioquin sacerdotum officio & nomine indigni sunt. Vnde de Azaria, qui sacerdotum gloria fuit, quique Oziæ regi sacrificanti in faciem *2. Par. 26. 1. Paral. 10.* restitit, vt scribitur 2. *Paral.* 26. dicitur 1. *Paral.* 10. *Ipse est, qui sacerdotio functus ist.* Nunquid non etiam alij sacerdotio functi sunt? Sanè, sed qui in faciem Regis ausus est eum arguere, is sacerdotij, & muneris sui partes rectissimè impleuit, & ideò per excellentiam Sacerdos nuncupatur. Hinc igitur constat quanta sit Dominorum, & Principum infælicitas, cùm vix inueniatur qui eos de his arguendo admoneat, quæ ad eorum saluationem spectant.

Plutarchus lib. de discrim. adulat. & amic. *Carneades* (inquit) *dicere solitus erat, diuitum & Principum filios nihil rectè nec bene discere, nisi equitare, quia in exercitatione literarum illis assentatur præceptor, laudans quidquid dixerint, adulatur & is qui colluctatur sedens & submittens sese. Porrò equus haud intelligens, nec cogitans, an sedens sit priuatus, an magistratus, diues an pauper, præcipitat quisquis ignarus sit equitandi.* Ita Plutarchus. Quo quidem significare voluit Carneades, quam sint expositi diuites & primarij adulationibus, qui enim adulantur, quærunt quæ sua sunt, non quæ alterius, & ob eam causam ad homines pannosos & pauperes non diuertunt, sed ad diuites ac potentes, vt ab illis diuitias, ab his fauores consequantur, &c.

Adulatores non pauperum domos adeunt, sed diuitum, & magnatum; inde quippe commodum, quod assentationibus quærunt, captare possunt. Quare principes, & prædiuites potissimùm ab illis cauere curent: tinea enim hæc non saccum, sed fericum vestimentum quærit. Qui vera principibus dicat, vix reperitur, qui eos reprehendat, rara auis in terris, qui adulentur, abundant.

Mar. 13. 11. Hinc Christus Dominus Marc. 13 sic ad Apostolos: *Cùm duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini, sed quod datum fuerit vobis in illa hora, id loquimini: non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus.* Quasi dicat: Veritatem coram regibus, ac judicibus pronunciare perdifficile hominibus est, ideò quidem, vt quamuis vos lacte veritatis enutriti fueritis, Spiritus sancti gratia egeatis ad hoc.

Sanctus erat Nathan Propheta, & nihilominus regi Dauid veritatem peccati sui non expressit, donec à Deo missus fuit, diuinoque Spiritu afflatus, ausus fuit illum commonere; quamvis Dauid Propheta tantus esset: vnde sermonem exorsus: *Hæc*, inquit, *dicit Dominus.* 2. Reg. 12. innuens se ad hoc fuisse à Deo inspiratum. Reges enim & principes inimicos sibi censent eos, qui vera illis annunciant: cuius rei exemplum sit XVI. Rex Achab, qui 3. Reg. 22. bellum quoddam aggredi desiderans, Prophetas priùs consuluit, & inventi sunt quadringenti circiter, qui ei adulantes, quæ corde Rex optabat nuntiarent, licitum scilicet non solùm esse bellum, sed etiam se victoriam de hostibus certò reportaturum. Solummodò Michæas Propheta verus inuentus fuit, qui rei veritatem regi manifestaret; sed huic aures applicare refugiebat: vnde Iosaphat regi Hierosolymitano consulenti Achab audire Michæam, respondit: *Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* Require quodnam hoc malum, & innenies veritatem sinceram esse. Et hinc etiam 3. Reg. 21. idem Rex Achab Eliæ sibi vera dicenti dixit: *Num inuenisti me inimicum tibi?* Inimicum hic Rex sanctum virum reputabat, qui vera ei nuntiabat, & amicos Prophetas illos falsos, qui in interitum suum falsa proferebant: hoc vitium regibus & diuitibus, &c.

3. Reg. 22 8. *3. Reg 21. 20.*

Quare principes sapientes, huiusmodi adulatores à consortio suo prorsus abijciant: sic Alexander Magnus cuidam Philosopho, qui cum eo diu fuerat commoratus, *Recede* (inquit) *prorsus à me, consortium tuum nolo.* Interrogatus ab eo: Cur ita? *Quod*, inquit, *cùm tanto tempore mecum degeris, nunquam me de vitio aliquo increpaſti; aut enim me erraſſe non perpendisti, quod ignorantiæ argumentum magnum est; me enim hominem erroribus expositum assiduè sum: aut me errare nosti, & tacuisti, quod infidelitatis est: quare consortium tuum nolo.* Quis modò inter magnates similem Alexandro reperiet? ideò rarissimi inter eos sancti, &c.

Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus: formicæ, populus infirmus, &c. & denique, *stellio manibus innititur, & moratur in ædibus Regis.* Septuaginta pro *stellio* posuerunt *lacerta*; est enim stellio lacerta quædam circulis quibusdam, & velut lucentibus guttis in modum stellarum depictus, de quo ait Plinius, nullum animal fraudulentiùs inuidere homini; vnde stellionum nomen aiunt tractum in maledictum, hinc & stellionatus vitium dicitur. Alij autem vertunt *Aranea*: nam & hæc in domibus Regum etiam telam suam orditur, & texit, vt quærat cibum sibi, conuenitque ei quod hic Hebræa, pro eo quod nos habemes *manibus nititur*, habent *manibus caput*; quia velut manibus quibusdam videtur texere telam suam: alij autem ex Hebræis transferunt *simia*: nam lacertæ & aranæ non solùm in domibus Regum, sed frequentiùs in domibus agricolarum & pastorum tuguriis versantur: quomodocumque sit, locus optimè congruit adulatoribus: simiæ quidem, quia simia facilè se accommodat factis domini sui, ea imitatur, & lusibus moribusque suis nihil aliud intendere videtur, quàm illi placere, & ab eo cibum obtinere, *à esso parece que tyrán todas sus monerias.* Sic etiam adulator facilè dictis factisque aliorum se accommodat; Ais, aio; negas, nego: nihil enim aliud quàm placere aliis quærit, vt voluntatem eorum venentur, & quæ desiderant ab eis obtineant. Aranea quoque ore suo suauia quædam fila texit, vt muscas in cibum venetur, sic adulator suauia verba quædam & fauorabilia texit, vt ab amicis, vel dominis cibum sibi acquirat: sed quia simia non adeò paruulum animal est, vti Salomon ibi insinuat, & aranea non ita in domibus Regum, sicut in aliis, vbi non reperitur tanta munditiei cura, versatur, de lacerta illa, quæ stellio solet nuncupari, meliùs intelligendus videtur hic locus. pictum animal est, pulchritudinem præseferens, sed fraudulentum homini esse dicit Plinius. Talis quidem est adulator, coloribus suis thetoricis, & dulcedine sui eloquij, quo alijs placere satagit, vel eos laudando, vel eorum placita sectando, & defendendo, vel grata illis consilia dando, pulchritudinem stellionis imitatur, sed dum placet, nocet: non enim quæ tibi expediunt dicit, sed quæ tibi gratiora esse cognoscit, siue profint, siue obsint; non enim tua, sed sua quærit.

Prou. 30.

Lib. 31. naturalis hist. c. 10

Denique in domibus Regum hæc commorari, ait Salomon, quia adulatores, de quibus nomine stellionis agit, non ad pauperes diuertunt, sed ad diuites so-

lùm, & ad eos, quibus opus habent; à pauperibus enim nihil sperant: quare diuites attendant quibuscum agant, facile.n. offendent adulatores; eos. n. adulatores ipsi quærunt; difficillimè autẽ reperient veros amicos, qui, non beneplacere eis quærant, sed prodesse.

Lib. 2. de imper. Vnde tamquam laude dignum refert Alexander insigne cuiusdam Principis, qui in scuto suo leonem depinxit, vngulis suis simiam dilaniantem, & inferiùs subscripsit, *Sic ego meis.* Simiam diximus esse symbolum adulatoris. Voluit igitur significare, se inimicum esse adulatorum, nec eos vllo pacto apud se velle commorari; nouerat enim, pernicioſos esse illos, & eorum periculum Principibus imminere.

ADDITIO.

Baron. in Annal. an. Christi 519. Iustiniano Imperatori Tribonianus Iurisconsultus prauè adulans, persuasit, *non mortuum ipsum, sed unà cum corpore in cœlum migraturum.* Vetus oraculum est noui Principis Aulam, mendacij, & adulationis gymnasium esse.

Plutarch. in Apoth. Antiochus Rex adeò adulatoribus circumseptus fuit, vt veritatem nunquam perceperit, nisi à rustico quodam, apud quem fortè diuersabatur, dum à ministris in venatione aberrasset. Nam hic super cœnam facto de Rege sermone, dixit, Regem quidem virum bonum esse, sed prauis consiliariis stipatum, quiq; seria regni negotia ob insanum venandi studium postponeret. Ibi Rex inpræsentia quidem tacuit: at primo diluculo aduolantibus ad tugurium ministris, tum Rex non dissimulanter dissimulatoribus dixit. *Ecce veritatem heri demum intellexi, nec à quoquam vestrum, à quotempore mihi adestis, liberiorem vocem audiui.* Eò se demittunt adulatores, vt ipsa etiam vitia Principum ænsulentur. Tradit enim Atheneus, Dionysium Siculum

Lib. 10. cap. 10. continenti ebrietate visum hebetasse, idcircò eius familiares per putidam assentationẽ idem affectasse: ita vt nihil se admodũ conspicari nisi propinquissimè admo-

Lib. 6. cap. 13. tũ fingerent. Idem refert apud Arabes, si quando Regi pars aliqua malè afficeretur, idem incommodum publicà assentatione ab omnibus æquè simulatum. Passim Reges colli flexionem indecoram in Alexandro Ma-

Lib 6. c. 6 gno æmulabantur. De Philippo hæc habet ex Satyro idem Atheneus. *Scribit Satyrus in Philippi vita, quod cùm oculus percussus fuisset Philippi, accedebat ad eum Cisophus, eundem ligatus oculum: ac rursum ubi vulnerata fuisset Philippi tibia, cum Rege claudicans incedebat; quare si quod acre edulium Philippus comedisset, ipse quoque vultum formabat, veluti idem edisset.* Hi veræ Magnatum sunt vmbræ: vt vmbra quidquid agas, respondet, & adest, sic isti quocumque te verteris, circumagunt se, & sui semper dissimiles, pro re nata sese adaptant. Adulator omnibus omnia fit, ut omnes decipiat.

PROPOSITIO XVIII.

Quàm indecorum sit adulatores admittere.

Erasmus. Erasmus lib. 8. Apoph. *Aristobulus* (inquit) *historicus, librum conscripserat de rebus ab Alexandro Magno gestis, in quo multa supra fidem adulantissimè consinxerat, quem cum in nauigatione quadam coram Alexandro recitasset, arreptum Alexander è manibus librum in fluuium Hydaspen demersit, & ad Aristobulum conuersus, Tu* (inquit) *digniori eras, ut eodem precipitareris.* Ita ille. Hoc quidem magnanimi viri proprium est, non scilicet adulationes admittere, sed reiicere prorsus, & non pro falsa opinione veritatem occultare.

Plutarc. Vnde Plutarchus in Apoph. Regum, & Impp. de eodem Alexandro, sic refert: *Validissima quadam rupe capta amicis dicentibus Alexandro, se egregium gestiu Herculem superasse. At ego* (inquit) *meas res gestas, ne verbo quidem cum his, quæ gessit Hercules, arbitror conferendas; adulabantur illi, sed huius animo nulla satisfaciebat adulatio.* Ita Plut.

Item Erasmus 4. Apoph. ex Suetonio *Augustus Romanorum Imperator, Tarraconensibus pro læto ostento ei nunciantibus, quòd in eius ara palma esset nata. Apparet* (inquit) *quam frequenter accendatis; quod illi Diis tribui volebant, ille tribuit illorum negligentiæ, qui nunquam in ara Cæsaris incensum adolerent.* Ita ille.

PROPOSITIO XIX.

Stulti est, adulatores audire.

Bion. Bion vnus ex septem Græciæ Sapientibus, vti refert Plutarchus dicere solebat: *Hi qui adulatores auscultant, similes sunt amphoris quæ auribus circumaguntur;* *Simile.* hoc est, facilè adduces adulatores quò volueris: quid ergo stultum magis quàm eis fidem adhibere qui solùm tuæ placere voluntati volunt? Plinius libr. 7. *Plinius.* c. 24. *Cupresse*, inquit, *non innascuntur nec adhærent cerasæ, propter amaritudinem, nec taxo propter durritiam: ita pestiu* *Simile.* *adulationis fugit seuera, & grauia ingenia, mollia verò & facilia captat.* Ita ille. Fugient & te adulatores si grauis fueris.

PROPOSITIO XX.

Quanto odio prosequatur Deus adulatores.

QVamplurima & varia fuerunt vasa in templo Salomonis, aurea & argentea, & ærea, vt constat ex 3. Reg. 1. & 2. Paralip. 4. sed tamen vitrea nulla admisit Deus in templo illo suo. Cur ita, cùm vasa vitrea pulchritudinem cristalli præseferant? ita, quia vas vitreum cùm expers coloris in se sit, facilè alienos refert; quibuscumque enim liquoribus imbuatur, statim concolor efficitur. Hâc igitur ratione ab obsequio suo omnes excludit adulatores; hi enim quasi vitrea vasa eum referunt colorem, quem habent hi quibus adhærent; ais, aio; negas, nego; placet tibi, placet & mihi; displicet tibi, & mihi: mores eorum denique imitantur quos decipere volunt. *XVIII. 3. Reg. 7. 2. Par. 4.*

PROPOSITIO XXI.

Quomodo arcere adulatores debeamus.

Generatio mala & adultera signum quærit &c. Cur Dominus, cùm manſuetiſſimus eſſet, & manſuetudinis Magiſter; *Diſcite*, inquit, *à me, quia mitis ſum, &c.* cur, inquam, adeò grauiter in Phariſæos hîc inuchatur, ſi cauſam petiſſemus, non adeò mirum: nam adulantes acceſſerunt ad eum, dicentes; *Magiſter, &c.* nam, vti ait S. Bernardus qui de amore non venit honor, non honor, ſed adulatio eſt. Cùm igitur adulatores hic ſe Chriſto Domino exhibuerunt Phariſæi; quid mirum, ſi in eos iram oſtenderit; non autem manſuetudinem magnam ſuam? quamuis enim non liceat conrra eos, qui nos afficiunt iniuriâ, iraſci, aduersùs adulatores tamen iraſci licet: nam ſicut ſapiens quidam dixit, *honoriſcum eſt exiſtimari, non verò ſtultum.* Sed rectiùs dicemus, quia magis nocet adulator, quàm perſecutor; perſecutor enim patientiæ nobis occaſio eſt, adulator verò, ſuperbiæ & ignorantiæ propriæ. *Matt. 11. XIX. Bern. ſer. 39. 1. Cant.*

Herodes à Chriſto videre miraculum optabat, *noluit autem illud Dominus patrare, magis eligens*, ait ſanctus Gregorius, *à ſuperbientibus deſpici, quàm à non credentibus vanè laudari.* Ita ille. *Gregor. 10. Moral. 1.*

Vana quidem eſt adulantium laus; fidelis ergo Chriſti diſcipulus & imitator eligat potiùs deſpici, quàm ſic laudari, &c. taciturnitas verò illa Chriſti, qua Herodem deſpexit, maius ſupplicium ei fuit, quàm ſi verbis negaſſet optata: ſic ergo deſpici merentur adulatores, *aſſi merecen ſer tratados coracones fingidos y pechos contra echos, que con capa de beneuolencia pretenden alcançar le que deſean.*

Quid

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Lingua dolosa est lingua adulatoris: nam dolosè aliud gestat ore, aliud occultat in corde. Quid igitur faciendum linguæ dolosæ? Respondet: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis, sactæ y brasas para ella*, hoc est, cum adulatoribus verbis acerbis agendum est, quæ penetrent velut sagittæ corda eorum, &c. Sic igitur Christus cùm diceret Pharisæi: *Magister, scimus quia verax es*, &c. respondit: *Quid me tentatis hypocritæ?* Quid hoc? te illi magistrum veracem, & minimè personarum acceptorem dicunt, & tu illos hypocritas vocas? ita; nam hîc conueniunt sagittæ potentis acutæ. Eodem ergo modo propositio loco ait: *Generatio mala & adultera*, &c. his autem acquiescamus qui vera nobis opponunt. *Psal. 119.* *Matt. 22.*

Refert Gotoscalcus rusticum quemdam Academiam Parisiensem ingressum fuisse, vbi cùm literatos illos multas ac subtiles quæstiones disputantes videret: Proponam, inquit, si licet, & ego quæstionem meam. Quid melius homini est, facere quod scit, vel addiscere quod nescit? Rusticus interrogator, sed non rustica interrogatio, & quæ non facilem solutionem illis habere videbatur, agitata fuit hinc inde quæstio; tandem visum omnibus fuit, meliùs quidem esse ea hominem facere, quæ nosset, quàm addiscere illa quæ nescit, & merito; ait enim Apostolus: *Non auditores legis, sed factores justificabuntur*, & Apostolus Petrus; *Melius erat eis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum conuerti.* Vnde S. Isidor. *Minus malum est nescire quod appetis, quàm ea quæ noueris, non adimplere.* Recte igitur Doctores Parisienses responderunt: Satius est facere quod scias, quàm inquirere quod nescias. Tunc sic argumentor, ait rusticus: ergo ignorantes & stulti estis omnes vos, qui omnem vitam vestram in addiscendo consumitis, & quæ didicistis numquam facitis. Conticuere omnes literati illi, & se verbo & argumento rustici captos esse confessi fuerunt. Sapienter autem sapientes isti correctionem illam quantumuis rustici admiserunt. Corrigentes igitur amplectendi, adulatores verò arcendi sunt. XX. *Rom. 8. 2. Pet. 2.* *Isidor. de summo bono.*

PROPOSITIO XXII.

Adulatio animi elationem parit.

SI superbia, & vana gloria perniciosa nobis est, méritò laudes humanas, & adulationes vitare debemus. Ea quippe sunt, quæ homines, etiam spirituales, in elationem tollunt, & in superbiam periculosam.

XXI. Hinc sapientes Ægypti, vt ait Horus Apollo, libr. Hieroglyph. cùm significare vellent hominem ab adulatoribus deceptum, ceruum coram homine citharam manu tenente depingebant: cuius hæc ratio erat; cervus adeò Musicæ auidus est, vt quamuis timidum valde animal sit, si Musicæ melodia illi contigerit, sic ab ea captus detinetur, vt vitæ periculi oblitus ibi immobilis perseueret, vbi tali concentu potiatur: quare venatores periti huiusmodi instrumentis musicis ceruos alliciunt, priusquam jaculis feriant. Sic dæmones venantur homines: sciunt enim eos non minùs vocibus adulantium seu laudantium allici, quàm ceruos musicis instrumentis; quare priùs quàm eos sagittis superbiæ & arrogantiæ feriant, adulantium linguis adoriuntur: Sic literatum sapientissimum appellant, genus & prosapiam nobilis attollunt, Prælati prudentiam, & solicitudinem exaggerant, mulieris pulchritudinem admirantur, studioli & spirituales viri virtutem & sanctitatem prædicant; tunc musicâ istâ captos, jaculo superbiæ facilè vulnerat dæmon, cùm suas, non Dei manus, sic miseri laudati oculentur. *Horus Apollo.*

Hinc B. Maria, cùm Angelum Gabrielem dicentem audiret: *Aue gratia plena*; &c. *turbata est in sermone illo, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Imò non solùm turbata fuit, sed etiam timuit: ideò Angelus: *Ne timeas* (inquit) *Maria*, &c. Quid turbare potuit pectus illud, omni virtute superius? quid timuit illa, quam omnes diabolicæ timent potestates, & cœlestes venerantur? Angelum ne timet? non Angelum timet, sed Angeli verba, ideò cogitabat qualis erat salutatio illa: laudes timebat humillima Virgo, & plus illa laudes, quàm vituperia superabat; quia elatio ex huiusmodi laudibus concipitur, educatur, augetur, & grauiter à Deo punitur, quod vel ex eo maximè colligi potest, quod sacra narrat Scriptura Actor. 12. vbi die quadam *Herodes rex vestitus regiâ veste sedit super tribunali, concionabatur inde Tyriis & Sidoniis; populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, & consumptus à vermibus expirauit.* Cur tam horribili plagâ percussus fuit rex iste? Eò (inquit) *quòd non dedisset honorem Deo.* Vbi aduerte, *Herodem hunc fuisse, qui sanctum Iacobum Apostolum occidit, & Petrum in carcerem misit, & catenis duabus vinxit, volens post Pascha producere eum populo*: & tamen ob hæc nullâ à Deo plagâ percussus fuit, sed quia non dedit laudem Deo, adulatione sic deceptus, percussus & occisus statim fuit. *Luc. 1. 28* *Act. 12. 21.*

Quare meritò Bernard. serm. 6. super qui habitat in illum versum: *Non timebit à sagitta volante in die. Time* (inquit) *hanc sagittam: leuiter enim volat, leuiter penetrat: sed dico tibi, non leue infligit vulnus, interficit citò, nimirum sagitta hæc vana gloria est* Ita S. Bernard. Hanc autem vanam gloriam adulatio alit; quare licet sanctus sis & ab Angelo Gabriele salueris, & laueris, time: nam à laudibus Maria etiam timuit.

ADVLTERIVM.

PROPOSITIO VNICA.

Quàm detestabile peccatum sit?

PLutarchus in Laconicis; *Temporibus Lycurgi Spartiatarum Legislatoris, tanta erat in Lacedæmonios pudicitia, vt incredibile censeretur reperiri in eis adulterij crimen. Vnde cùm Geradam Lacedæmonem interrogasset quidam eius hospes, quam pœnam darent apud Lacedæmonios adulteri; neque enim videbat legem aliquam pœnalem pro adulteriis statutam in Lacedæmonia: Respondit Geradas: Nullus*, inquit, *amice, apud nos adulter est. Cui hospes: Quid ergo si esset?* Respondit ille: *Quo pacto Sparta existat adulter, in quâ delicie, & diuitiæ, & corporis cultus habentur probro? Et è contrà verecundia & modestia, & obedientia magistratibus, decori, laudiq; dantur.* Ita ille. Pudet inter Christianos hæc referre. Etenim adulteros inter nos audies, quia deliciæ, & diuitiæ, & corporis cultus in pretio habentur: quòd si vitiorum hæ radices sunt, quid mirum si vbi hæ sunt, pullulent vitia? Quàm autem Deus adulterium detestetur, vide Iudicum historiam gravem. *Plutarch.*

Non solùm apud Christianos qui omnimodam pudicitiam profitentur, abominabile malum hoc est, verùm etiam inter infideles. Plutarch. in Apoph. Imperatorum: *Cùm Dionysius Rex intellexisset filium suum (cui relicturus erat imperium) in adulterum incidisse, iratus, interrogauit an vnquam tale quicquam in patre comperisset? Cui filius: Tu patrem regem non habebas. Nec tu (subiicit Dionysius) habiturus es filium regem, nisi talia desinas perpetrare. Tyrannus hîc dignum exheredatione regni crimen adulterij judicauit.* Ita Plutarch. Vbi nota indignam regiâ dignitate responsionem; *Tu patrem regem non habebas*, quasi eò Principibus liceat magis peccare, quò principes sunt, cùm potiùs hos aliis studiosos magis oporteat esse & inferiorum exemplaria probitatis. *Dionys.*

ADDITIO.

Magnitudo huius sceleris patet, ex supplicio quod in veteri lege voluit Deus adulteris infligi. Nam in Deuteron. voluit vtrumq; & adulterum, & adulteram, peccatum hoc morte luere. *Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque morietur.* Executus est hoc Dei mandatum Phinees, & Dei iram hoc facinore mitigauit, de quo S. Optatus, *Cùm Phinees filius Sacerdotis adulterum cum adultera inueniret, leuauit eum gladio manum, & inter duas voces Dei, dubius stetit. Hinc ad illum sonabat: Non occides, inde sonabat, vterque morietur, (sic enim mandat Deus Deuteron. 22. 22. vt inuenti in adulterio occidantur:) si feriret, peccaret; si non feriret, delinqueret. Elegit melius peccatum, vt percuteret. Et forte non defuerant qui huius rei vindicem, quasi homicidam notare voluissent; sed vt ostenderet Deus aliqua mala bene fieri, locutus est, dicens: Phinees, &c. auertit iram meam à filiis Israel; & placuit Deo homicidium, quia vindicatum est adulterium.* Nimirum quantùm illi displicebat adulterium, tantùm ei placuit sumptum de adulterio supplicium. Huic adtexo aliud insigne supplicium, priuatà licet Domini in mancipium auctoritate irrogatum: quod patefaciat ingentia mala, quæ illud assectantur. Rem aperio verbis Apulei, sic scribentis: *Seruus quidam cui cunctam familiæ tutelam, Dominus permiserat suus, quiq; possessionem maximam illam in quam diuersorum, villicabat, habens ex eadem famulitio conseruam coniugem, liberæ cuiusdam, extraneæq; multerum flagrabat cupidine. Quo dolore pellicatus vxor eius illicita, cunctas mariti rationes, & quicquid hortreo reconditum continebatur, admoto combussit igne. Nec tali damno thori sui contumeliam vindicasse contenta, jam contra sua sauiens viscera, laqueum sibi nectit, infantulumq; quem de eodem marito iam dudum susceperat, eodem funiculo nectit, seq; in altissimum puteum, appendicem puerum trahens, præcipitat. Quam mortem Dominus eorum agerrimè ferens, arreptum seruulum, qui causam tanti sceleris vxori suæ præstiterat, nudum, ac totum melle illitum, firmiter alligauit arbori siculneæ, cujus in ipso cariosa stipite inhabitantium formicarum nidificia turribant, & vltro citroque commeabant multiuaga scaturigine. Quæ simul dulcem, ac mellitum corporis nitorem perfensiscunt, paruis quidem; sed numerosis & continuis morticunculis pentus inhærentes, per longi temporis cruciatum, ita carnibus atque ipsis visceribus adesis, homine consumpto, membra nudarunt, vt ossa tamen viduata pulpis, nitore nimio candentia, cohererent arbori.*

Damna quoque oriri solita ex adulterio, in unum cumulum coaceruat his verbis Philo Iudæus: *Eádem certè operâ subuertuntur tres familiæ. Is cuius coniugium violatur, nuptialia vota perdidit, & spem prolis legitimæ. Nec minùs incommodi accipiunt reliquæ duæ domus, adulteri & adulteræ, quandoquidem ambæ replentur dedecore, contumeliâ, probrisq; turpissimis. Quòd si numerosæ fuerint istæ familiæ, multis cognationibus, affinitatibusq; implicitæ, totam ciuitatem accendet hoc flagitium, obambulans per ora ciuium: permolestum enim est dubitare de liberis. At quoties parum integrè seruatur vxoris pudicitia, verus pater certò cognosci non potest. Itaque dum res in obscuro latet, adulterini subrepunt pro legitimis: alienarum familiarum sinceritatem deprauant: hæreditatem, vt tunc videtur, paternam, alioqui nihil ad se pertinentem usurpant. Et adulter, postquam illusa muliere desmauit feruentem libidinem, & expleuit nefarium cupidinem, abit ridens lesi mariti ignorantiam. At ille tanquam cæcus, nihil sciens de fraude domestica, vt propriam sobolem indulgenter habebit natos ex insensissimis sibi hominibus. Quòd si detegatur iniuria, miserrimi erunt, licet insontes pueri, in neutro accensendi genere, nec mariti, nec adulteri.* Hactenus Philo.

Deut. 22. 22. Numer. 25. 8.

S. Optat. lib. 3. contra Parmenian. Exod. 20. 14.

Numer. 25. 11.

Apuleius lib. 8. Milet.

Philo lib. de Decalogo.

ÆGRITVDO.

1. *Ægritudo corporis ad salutem animæ conducit.*
2. *Ægritudo ad humilitatem conducit.*
3. *Ægritudo ab amore mundi nos liberat.*
4. *Quàm sit patienter ferenda ægritudo.*
5. *Quod propter salutem corporis non est adhibendum remedium illicitum, verbi gratia, veneficorum.*

PROPOSITIO I.

Ægritudo corporis ad salutem animæ conducit.

ÆNeas Syluius lib. 2. de gestis regis Alphonsi refert Sigismundum Imperatorem à Theodorico Colonensi sapientissimo viro quæsiuisse, fælicitatem quomodo consequi posset? *Inter mortales* (inquit) *frustrà requiru.* Petenti rursum ad cælestem illam, quo itinere pergeret? *Rectà*, inquit. Instanti tertiò, quid agens vaderet rectà? *Si vitam tuam sic instituerit, vt facturum te promisisti, cùm te valetudo aduersa actrius oppresit.* Docens morbum ad meliorem vitam capessendam prodesse. Æneas Syluius.

ADDITIO.

Huius tituli veritatem fusè probat, & confirmat Saluianus, dum hunc in modum differit. *Quæris quâ ratione infirmi sunt sancti viri? Respondeo breuiter, quia ideò sancti viri infirmiores se esse sciunt, quia si fortes fuerint, sanctè esse vix possunt.* Et paulò pòst exponens illa verba D. Pauli: *Cùm enim infirmor, & infirmitatem refugo: ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Subdit: *Si infirmitatem corporis appetendam sibi etiam Apostolus putat, qui sapienter euitat? si fortitudinem carnis Apostolus metuit, qui rationabiliter fortis esse prætimuit? Hæc ergo ratio est, quâ homines Christo dediti, & infirmi sunt, & esse volunt.* Et paulò pòst. *Infirmitas carnis, vigorem mentis exacuit, vt affectus artubus vires corporum in virtutes transferantur animorum; non turpibus flammis medullæ æstuent, non malè sanam mentem latentia incendia succendant, non vagi sensus per varia oblectamenta lasciuiant: sed sola exultet anima, læta corpore afflicto, quasi aduersario subiugato.* Et idem auctor scribens ad sororem suam, post redditam ei valetudinem, ait: *Quamuis ego ne hanc quidem tibi, quam pertulisti, terrestris vasculi infirmitatem obfuisse existimem, cuius fortitudo, vt scis, menti semper inimica est, vt te jure nunc tanto fortiorem spiritu putem, quantò imbecillior carne esse cœpisti. Vt mihi genus quoddam sanitatis esse videatur, hominem interdum non esse sanum.*

Saluian. lib. 1. de Prouid. Dei.

Corint. 9. 27.

Saluian. epist. ad Castam sororem.

D. Augustinus explicans illa verba: *Saluabit sibi dextera eius:* qui sic legit; *sanauit sibi dextera eius*, addit: *Multi sanantur sibi, non ei: ecce quàm multi ab eo sanantur, & non illi sanantur? Quomodo ab illo sanantur, & non illi sanantur. Accepta sanitate lasciuiunt; quis est qui sanatur eis qui intus sanatur.* Sed in hac materia paucis multa complexus D. Chrysostomus, sic loquitur. *Non terret te magister? non pater? non Princeps? non Legislator? non Iudex? non te confundit amicus? non te mordet inimicus? non castigat Dominus? non docet maritus? non corrigit conscientia, sed agritudo sæpè superueniens, omnia correxit.* Quod est igitur torcular vino, oliuis prælum, spicis tribulum, cælum ligno, hoc homini est ægritudo. Nisi prematur vua, non exprimitur vindemia: oliua teritur, vt oleum extorqueatur: messis tribulo tunditur, vt pura; putaque frumenti grana extrudantur: lignum cœlo sculpitur, vt elegans, piaque effigies exsculpatur. Imò quod est scopa setacea velli, quod lima ferro, quod lurido lixiuium panno, quod putrescenti carni sal, quod humido, & catharris obnoxio corpori cauterium, hoc est morbus homini.

D. Augustin. in Ps. 97. Psa. 97. 11.

D. Chrysost. hom. 13. ad populum. Mibi P. 125.

Fusè tractat de morbis P. Lobletius lib. de fortitudine Christiana to. 1. lib. 2. & cap. 1. mihi p. 22. &c.

Noua-

Nouarinus Risus Sardonicus mihi pag. 306.
Nierembergius Theopoliticus part. 1. libr. 1. cap. 11. mihi p. 77. &c.

PROPOSITIO II.

Ægritudo ad humilitatem conducit.

Plutare. PLutarch. in Apoph. regum. *Antigonus* (inquit) *postquam à graui conualuerat morbo, morbus* (hic dixit) *submonuit nos, ne animo efferamur, quum mortales simus.* Quis docuerat regem hunc Philosophiam animo Christiano dignam? morbus corpus extenuarat, sed animum reddidit modestiorem: corporis robori nonnihil detraxerat, sed animo insolentiam detraxit, morbum longè periculosissimum.

Seneca. Seneca epist. 60. *Alexander* (inquit) *cùm jam in India vagarètur, & gentes, ne finitimis quidem satis notas, bello vastaret, in obsidione cuiusdam vrbis, dum circuit muros, & imbecillissima mœnium quærit, sagitta ictus diutius perstitit ire, & incedere agere perseuerauit: deinde cùm represso sanguine sui vulneris crescret dolor, & cruor equo suspensum paulatim obtorpuisset, coactus absistere: Omnes* (inquit) *jurant, me Iouis filium esse, sed vulnus hoc me hominem esse clamat. Idem nos faciamus, cum pro sua quemque portione infatuat adulatio, dicamus; Vos quidem me diciis prudentem esse, ego autem video, quàm multa inutilia concupiscam, nocitura optem, nec hoc quidem intelligo, quis cibo debeat esse modus, qui potioni, quantum capiam adhuc nescio.* Ita ille. Sed ad rem; superbiam Alexandri se Dei filium suspicantis, quid represit? dolor & vulnus illud, &c.

PROPOSITIO III.

Ægritudo ab amore mundi nos liberat.

Bruson. BRusonius lib. 4. cap. 15, ex Plutarcho refert, quòd olim apud regem Antigonum militabat quidam miles nomine Itamus, qui infirmâ quidem valetudine degens strenuè pugnabat, & primus omnium inimicos aggrediebatur, & in periculis intrepidus flabat. Ob id eum Antigonus diligebat, & vocatum, infirmitatis causam requisiuit, & medicos vocari fecit, eisque huius strenui militis curam demandauit: paruerunt illi, & miles perfectè salutem recuperauit, qui deinceps non ita se periculis offerebat, nec sic strenuè, ac viriliter, vt anteà, pugnabat. Miratus rex, mutationis causam ab eo quæsiuit: cui miles: O Rex, tu me minùs audacè feci sti, quòd ab his malis me vindicasti, quibus meam contemnebam ipse vitam. Sensit miles ægritudinem ad hoc prodesse, ut omnia fortunæ bona, & vitam ipsam homines contemnant. Idem de reliquis vitæ laboribus est dicendum, de paupertate scilicet, & persecutione, &c.

PROPOSITIO IV.

Quàm sit patienter ferenda ægritudo.

Chrysost. SAnctus Chrysost. oratione de valetudine tom. 5. *Cùm in aduersam valetudinem incideris, ô homo, recordare sancti Iob. Quis enim ita ægrotauit vnquam? quis tantam plagam accepit? paulatim corpus eius consumebatur, & vermium fons ipsi è membris vndique scaturiebat, erat q; perennis hic effluxus, & multus vndequaque sæuor, & corpus paulatim fatiscens, talicq; putredine liquescens insuaues cibos reddebat: neque enim oblatis alimentis poterat vesci, & hoc maximè perturbabat hominem, quòd justum Deum putabat sibi infestum esse, neque vllam probabilem causam eorum, qua fiebant, poterat inuenire. Poteris tu hoc leuamen habere? neque enim quisquam bonus sine peccato est, neque malus quisque sine aliquo bono: vtriusque autem compensatio est, si quis justus malis quidquam egerit, & ægrotauerit, & supplicio addictus fuerit, dicito: Hic justus paulum quid mali si fecit aliquando, hic recipit, ne illud petiatur rursus. Si videas peccatorem jucundè viuere, ne commoueare, sed dicito: Hic peccator boni quid fecit aliquando, & recipit hic bona; illic verò non repetet mercedem. Hoc autem in diuite, ac Lazaro est videre: contigit enim, vt & Lazarus aliqua peccata, & diues boni quid haberet. Audi ergo quid Abraham dicat: Recepisti bona in vita tua, & Lazarus mala sua. Qualia? egisti quid boni? recepisti pro eo diuitias, bonam valetudinem, delitias, potentiam, honorem, & jam nihil tibi debetur. Lazarus aliquid peccati fecit, propterea dicit: & Lazarus mala sua.* Ita S. Chrysost.

PROPOSITIO V.

Quòd propter salutem corporis non est adhibendum remedium illicitum, verbi gratia, veneficorum.

Chrysost. SAnctus Chrysostomus tom. 5. oratione aduersùs Iudæos, inuehitur in eos, qui ad veneficos accurrunt, vt ab eis recipiant sanitatem, dicens: *Hi quidem venefici minimè vero medentur: quod si verè sanarent, satius tamen esset te mori, quàm ad Christi hostes accurrere, & sanari. Quid enim prodest curare corpus, animâ perdente? quid lucrifaceris, mox in ignem æternum coniiciendus?*

Est præterea verè amantis, etiamsi ad vitam reuocant exanimes illi, qui nos conantur ab amato distrahere, nequaquam ab amato desistere. Audi Dominum: Si extiterit Propheta *Deut. 13* in te, aut somnium somnians, ediderit que signum aut 3. prodigium, sicut loquutus est, & dixerit: Eamus & seruiamus diis alienis; ne auscultetis Prophetæ illi, quoniam tentat vos Dominus Deus vester, an diligatis ipsum ex toto corde vestro.

Sed afflixit te, ac primit corporis morbus, at nondum tanta passus es, quanta ille B. Iob, imò ne minimam quidem partem malorum eius, quem non modò natura calamitatum, verùm etiam perpetuitas deijcere posset; accepit vulnus lethale, & vidit vermes toto corpore vndique scatentes, & nudus sedit in sterquilinio, publicum his, qui aderant, calamitatis spectaculum, ille justus, ille pius, ille ab omni opere malo abstinens Athleta. Et neque hic quidem erat malorum finis, sed dolores addebantur diurni pariter ac nocturni, & noua quædam, & admirabilia illum fames oppugnabat. Auenam, inquit, video cibum meum, probra quotidiana, scommata, risus. nam famuli (ait) mei, & concubinarum mearum filij insurrexerunt aduersùm me, & in somnijs terrores, & cogitationum perpetuarum quædam fluctuatio. Atque sic vxor consilium dedit, vt ab his omnibus liberaretur. Dic (ait) aliquod verbum aduersus Dominum, ac morere, dic, inquit, blasphemiam, & ab his omnibus liberare malis. Quid igitur. Num suburtit sanctum illum virum mulieris consilium? imò contrarium fecit, & potiùs alas inde sumpsit, vt increparet vxorem: melius enim duxit maioribus affici, cruciarij q; doloribus, & innumera perpeti mala, quàm blasphemiâ tantorum malorum consequi relaxationem.

Lazarus etiam cum fame, & cum morbo per omnem vitam colluctatus est, & sic expirauit, in diuitis vestibulo jacens, contemptus, irrisus, esurienti canibus pabulum obiectus, & sic corpus eius debilitatu erat, vt nec canes irruentes, vlceraq; illius lingentes, posset abigere: haud tamen incantationem quærebat, nec veneficos vocauit, nec aliquid quicquam artium vetitarum tentauit, sed priùs habuit illis immori malis quàm vlla ex parte deserere pietatem. Quam igitur veniam impetrabit, qui ob febriculam, aut leue vulnus ad veneficos procurrit? Non audisti, quid dicat Scriptura? Fili accedens ad seruitutem *Eccl. 2. 10* Dei, sta in justitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. *Dirige cor tuum, & permane in morbo ac pauperate, in illo fidens esto. Sicut in igne probatur aurum, sic homo fit acceptus in camino detectionis. Alij denique acerbiora, quàm tu, passi sunt, & nihil tale ausi sunt, tu verò mollis, ac dissolutus animam tuam sic oppugnasti. Quoi si huiusmodi veneficos ex tuis ædibus cum multa ejecerit contumelia, protinus ab ipsa conscientia refrigerationem accipies, etiamsi millies*

exuras

exurat febrù, & anima tua quouis liquore, quàm irrotatione vtiliorem mitigationem adducet. Sicut si post incantationem sanus fueru factus, miserùis affectus eru hi, qui febre laborant, propter magnitudinem peccati. Repulsi ergo huiusmodi veuefuis, quouis sano melius affectus eru; gestiente pra gaudio conscientiâ laudante, & dicente tibi: Euge, euge, Christi serue, vir fidelis, athleta pietatis, qui maluerù molestijs, immorì quàm deserere pietatẽ, proximo secundùm Martyres loco ſtabis in illa die. Sicut enim illi præoptarunt flagris cedi, ac torqueri, ne abiicerent pietatem: sic & tu præoptasti torqueri à febri. Nam & si non te auferat hæc febris, alia prorsus auferet, & si modò non moriaru, posimodum morieris. Mortale corpus sortitis sumus, non vt illius cupiditatibus impiè obtemperemus, sed vt ipsius affectionibus ad pietatem vtamur. Hæc enim corruptibilitas, & mortale corpus, si sobrù fuerimus, nobis est materia probationis, & multam nobis in illo die fiduciam præstabit. Imò etiam in vita præsenti: siquidem cùm eiecerù ve.eficia è domo tua, multi hoc audito collaudabunt, mirabuntur, & inter se dicent: Maluit mori, quàm incantationibus vti, & stupentibus cunctis Deum glorificabunt. Quid hoc insignius honore? Præterea ipsi meliores fient & tuum exemplum emulabuntur, & fortitudinem imitabuntur, & tu mercedem accipies, qui exempli fucris auctor, neque solùm aderunt laudes rectè facti, verùm & celerrima morbi leuatio, quum ipsa tua præclarà voluntate tibi conciliante Deum ad maiorem beneuolentiam, tum sanctis omnibus gratulantibus tua promptitudini, & ex intimo corde pro te fundentibus preces. Quòd si hic talia sunt præmia sortitudinis eius, cogita quantas illic recipies coronas, cùm omnibus Angelis præsentibus, & Archangelis omnibus Christus aduenies prehensa manu tua, in medium te illud theatrum produxerit, & cunctis audientibus dixerit: Hic homo, cùm aliquando correptus esset febre, & veneficis exhortantibus, vt à morbo liberaretur, propter me, ne quid offenderet meam bonitatem, omnes, qui pollicebantur illi, damnatarum artium præsidio, sanitatem, repulit, & cum ignominia reiecit, & præoptauit emori potiùs morbo, quàm meam deserere beneuolentiam. Si enim eos, qui sibi potum dederunt, qui vestierùt, qui cibum dederunt, in medium adducet, multò magis adducet eos, qui propter ipsum optarùt obnoxij esse, & febre affligi: neque enim simile est panem dare, & morbum diutinum perferre, & quàtum laboris, & doloris plus toleratum fuerit, tantò etiam corona magnificentior erit. Sed molesta, inquies, est febrù: verùm oppone illi incendium gehennæ, quod effugies, si voluerù febrim cum omni tolerantia perferre. Reputa tu quàm multa sint Apostoli passi, considera justos perpetuò in afflictionibus fuisse, recordare S. Timothei, qui nunquam ab aduersa valetudine respirauit, sed ab adolescentiâ jugi morbo erat obnoxius, idq; Paulus declarans, dicebat: Vtere modico vino propter stomachum tuum, ac frequentes infirmitates tuas. Quòd si ille justus, ille sanctus, ille qui orbi præfecturam suscepit, qui mortuos suscitauit, qui dæmones abegit, qui morbos innumerabiles in alijs correxit, tam acerba passus est, quam excusationem habebit, qui tumultuatur, & deficit in temporarijs morbis. Non audisti Scripturam dicentem: Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Quàm multi optarunt frequenter coronam martyrij! Hæc est parata corona martyrij; non enim is solum martyrium peragit, qui jussu est sacrificare, & potiùs ducit emori, verùm etiam seruantem quod justum est, & sponte propter Deum mortem accersere manifestum martyrium est. At vt intelligas hoc esse verum, recordare quomodo Ioannes Baptista mortuus sit, & qua de causa, & quamobrem, & quomodo Abel? neuter enim horum, vel altare vidit incensum, vel posit am statuam, vel jussus fuit dæmonibus immolare; sed ille quidem, quia tantummodò Herodem reprehendit, decollatus est; hic verò, quia Deum meliori honorauit sacrificio, quàm frater, occisus est. Num igitur priuati sunt corona martyrij? quis hoc dicere audet, quandoquidem ipsum etiam mortis genus sufficiat ad suadendum, quòd inter primos martyres celebrantur? Quòd si etiam diuinam sententiam super his prolatam queris, audi quid Paulus dicit: nam quæ ille loquitur, sine dubio spiritus sunt: Puto enim, inquis, quod spiritum Dei habeam? Quid igitur his dicit? Exorsus ab Abel cùm dixisset, quod maiorem hostiam Abel præ Cain obtulisset Deo, & propter hanc mortuus, adhuc loqueretur. Deinde ad Prophetas digressus ac decursâ serie vsque ad Ioannem, dixisset: Occisione gladij mortui sunt, alij verò distenti sunt, multis & diuersis generibus mortis commemoratis, subiecit hoc modo: Itaque nos quoque tantam habentem circumdantem nos nubem martyrum, abiectâ omni segnitie, & tenaciter inherente peccato, per tolerantiam curramus. Sic & tu, si repulerù veneficia, & magicas artes, etiamsi morbo maiori, fueris Martyr; eò quòd alijs pollicentibus morbi leuationem cum impietate, præoptaris mortem cum pietate. Ita S. Chrysostomus.

1.Tim.5. 23.

Hebr.12. 6.

1.Cor.7. 6.

1.Cor.3.

Qualiter autem de martyrio, rigoreſcholastico loquendum sit, consule S. Thom. 2. 2. quæst. 124.

AFFECTVS.

1. *Affectuum moderatio quàm necessaria omnibus sit.*
2. *Quàm necessaria sit ad salutem æternam.*
3. *Ex moderatione affectuum pendet vniuersa vitæ nostræ ratio.*
4. *Affectuum moderatio quàm consona rationi sit.*
5. *Affectuum moderatio quomodo non tam politicè, quàm Christianè adhibenda sit.*
6. *Affectus regulandi sunt secundùm rectam rationem.*
7. *Quàm honorificum sit affectus moderari.*
8. *Quanta fortitudinis sit affectus superare.*
9. *Affectus immoderatus difficilè superatur.*
10. *Difficilis est affectuum moderatio.*
11. *Quàm facilis sit diuino auxilio affectuum mortificatio.*
12. *Affectuum moderatio necessaria est ad nimium desiderium terrenarum rerum extinguendum.*
13. *Affectuum moderatio quantùm conducat ad fruendum bonis temporalibus.*
14. *Affectuum bellum ad exercitium virtutum conducit.*
15. *Affectuum mortificatio necessaria est ad perfectionem Christianam.*
16. *Affectuum mortificatio ad superandas tentationes plurimùm conducit.*
17. *Ex affectibus moderatis pendanda est potiùs sanitas animæ, quàm ex vultu exteriori.*
18. *Affectuum moderatio conducit ad labores æquo animo ferendos.*
19. *Affectus nostri materiam tentandi dæmoni præstant.*
20. *Affectus moderati vtiles in nobis sunt.*
21. *Cur Deus aliquà passione nos aliquando vexari permittat.*
22. *Affectus in sui principio coercendi sunt, vt facilius excludantur.*
23. *Affectuum moderatio requirit vigilantiam & curam magnam.*
24. *Affectus amputati repullulant.*
25. *Affectus immoderati multiplicantur, & peiores indies fiunt, &c.*
26. *Affectuum mortificatio necessaria est ad conseruationem legis diuinæ.*
27. *Affectuum moderatio pacem veram animis pulchritudinem præstat.*
28. *Ad veram animi libertatem requiritur mortificatio, aliàs seruus erit.*
29. *Affectuum moderatio nos liberos facit, immoderatio verò è contrà.*
30. *Affectuum moderatio est signum gratiæ Dei.*
31. *Affectuum moderatio assidua prædestinationis signum est.*
32. *Affectus vehemens, & assiduus ad malum, reprobationis signum est.*
33. *Affectuum immoderatio radix omnium peccatorum est.*
34. *Affectus ad se intellectum trahit.*
35. *Affectuum immoderatio mentem excæcat.*
36. *Affectuum effrænatio ex peccato promanat.*

PROPOSITIO I.

Affectuum moderatio quàm necessaria omnibus sit.

ID vnusquisque nostrùm secum agere debet, quod agricola in feraci agro facere solet. nam primò omnes malas & inutiles herbas ab eo euellit, deinde non semel tantùm arat, sed & postmodùm binat; triticum in agro serit: at terra ex se producit tribulos & spinas, dicente Domino: *Maledicta terra in opere tuo; spinas & tribulos germinabit tibi.* Sicut ergo noueca

Gen.3.

non ita curat de aduentitiis filiis mariti sui, sicut de suis; ita terra, quia velut nouerca est bonarum frugum, mater autē spinarum, & carduorum, & huiusmodi inutilium herbarum, ideò eas fouet meliùs, & ideò malas herba citiùs & ampliùs crescit. Sic igitur humanitas nostra & sensibilis pars ex se spinas & herbas malas appetituum & passionum nociuarum producit, secundùm id, *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia.* Ex sua ergo pronitate & conditione malas ex se cogitationes & appetitus inutiles gignit. Sicut igitur agricola non solùm primâ illâ vice malas curat eradicare herbas, sed nato jam tritico iterum atque iterum ligone tollit spinas & herbas nocius tritico; sic etiam qui sui curam legitimam gerit, semper à se proiicere curat malas & inutiles cogitationes & noxios affectus; suffocant enim hæc seminis verbi Dei fructum.

Genes. 8. 21.

Laërtius in vita Chilonis, *Chilon Lacedæmonius*, inquit, *frequenter dicere solitus erat: Caue tibi ipsi, & caue te ipsum.* Ita ille. Primum quidem frequens apud homines est cauere sibi ab aliis; nā homini homo lupus: at cauere se ipsum, hoc est, cauere à seipso, hoc pauci admodum faciunt, cùm magis à se, quàm ab aliis, homo cauere debeat; verùm enim est paradoxum illud S. Chrysostomi: *Nemo lædtur nisi à se ipso.* Nemo te in infernum deiicere valet, nisi tu teipsum peccando deiicias; peccare autem nemo te sine te facere valet.

B

PROPOSITIO II.

Quàm necessaria sit ad salutem æternam affectuum mortificatio.

SAnctus Cyprianus de stellâ & Magis, *Per vias latas descensus, præcipites, itur ad inferos, per arctas verò & difficiles redtur ad superos. Propter verba labiorum Dei religiosus quisque vias duras ingreditur, & jugulator voluptatum stantem ex diuerso hostem securus aggreditur. Arcta via est castitas, trames strictus humilitas, semino affligi, & carnem redigere in seruitutem, scopulosæ sunt huiusmodi semitæ, sed ad patriam superiorem non nisi per meatus difficiles armati milites reuertuntur.* Ita Cyprianus.

Regnum cælorum omnes justi suis operibus bonis promerentur, sed inter hos alij sunt qui impetrant illud, alij verò qui mercantur illud; alij verò sunt, qui rapiunt illud violentia quadam. Impetrant quidem hi, qui orationibus instant, & sæpè Deum deprecantur, vt salvi fiant; hi enim adeò impetrant auxilia, quibus gratiam semper seruent, & tandem saluentur; alij autem mercantur; & hi quidem sunt, qui eleemosynas faciunt, sicuti docet S. Bernardus in suis sententiis, dicens: *Sunt, de quibus Dominus in Euangelio loquitur, dicens: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, & tales dicuntur mercatores, quia dant in præsenti pauperibus temporalia, quæ possident, vt in futuro recipiant ab eis æterna.* Ita ille.

Luc. 16.

C

Denique sunt alij, qui per violentiam quandam rapiunt cœlum; & hi quidem sunt, qui affectus suos mortificant & refrænant; de his enim Dominus dicit: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quos vocat hic Dominus *violentos*, nisi affectuum suorum moderatores? *Violentum enim*, vti Philosophi aiunt, *fit ab extrinseco principio, passo non conferente vim*, hoc est, quod fit, renuente passo; opponitur enim violentum naturali. Naturale autem est, quod secundùm propriam inclinationem fit, sicut lapidem descendere, ignem ascendere, &c. Violentum ergo erit, quod opponitur inclinationi naturali, vt lapidem adscendere sursum, & ignem descendere deorsum. Secundùm inclinationem naturalem appetitus nostri sunt affectus eius. Violentum igitur erit appetitui nostro, hos affectus refrænare, quod quia arduum valde est, & difficile nimis, atque adeò meritorium valde, *Regnum cœlorum*, ait Dominus, *vim patitur, & violenti rapiunt illud*, hoc est, tam meritoria est regni cœlorum affectuum moderatio, vt non tam mereri, quàm rapere videantur regni cœlestis gloriam, &c.

Matt. 11.

D

PROPOSITIO III.

Ex moderatione affectuum pendet vniuersa vitæ nostræ ratio.

TVllius in Tusc. l. 5. *Socrates*, inquit, *asserebat: qualis cuiusq; fuerit affectus, talis & homo ipse erit.* Ita ille, & ita quidem: nam hominem esse pium vel impium, honestum vel inhonestum, moderatum vel immoderatum, crudelem vel benignum, bonum deniq; vel malum, non ex carentia affectuū, sed ex moderatione pendet. omnes enim illas vndecim passiones, quas Philosophi assignant, habemus, sed bonū, aut malum esse ex eo prouenit, quod hic moderatur illas passiones, ille verò non. Quare quod iste saluetur, ille verò in æternum dānetur, ex huiusmodi moderatione vel immoderatione procedit. Damnatus est Iudas, quia cupiditatem pecuniarum noluit moderari; saluatus est Petrus, quia argentum & aurum noluit contra regulam suæ professionis habere. *Argentum*, inquit, *& aurum non est mihi, & quia hunc & alios affectus voluit moderari, ad salutem directus est*, &c.

B

Act. 3. 6.

PROPOSITIO IV.

Affectuum moderatio quàm consona rationi sit.

AIt Dominus in hominis creatione: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinē nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis vniuersæ terræ.* Quæ quidem verba ad mores reducens S. Greg. Nyss. ho. 1. de hominis procreatione, sic scribit: *Impera bestiis omnibus quæ sunt in te, quid inquies: Egone in meipso bestias habeo? Tu quidem bestias habes, & plurima est in te bestiarum multitudo; & ne me contumeliosum existimes, dic, paruáne bestia est iracundia, quando latrat in corde tuo? nónne ea est quouis cane crudelior? Quid in animo dolus latitans, nónne quouis vrso fraudulento sæuior est? Quid, nónne fera est hypocrisis, vel immanissima? Qui autem impetu rapitur ad contumeliam, nónne scorpius est? Qui præceps ad vindictam, & vltionem fertur, nónne vipera grauissima est? Quid auarus ipse, nónne lupus rapacissimus est? nulla non inuentitur in nobis ferat: sic in alicuius ferę conditionem quisque conuertitur, vbi aliquo animi vinciitur vitio. Credis igitur te ferarum esse dominum & principem, si illis quæ foris sunt imperes, eas autem quæ intus versantur, non domes ac regas? Quorsum tibi ratio qua leones vincis, cùm ipse fremitus, vt leo, & præiracundia vocem consusam & perturbatum clamorem emittas? Cùm ab aliqua affectione cordis victus est homo, non jam ipse imperat, sed in eius animo perturbatio dominatur. Tuum igitur animum moderare, eiq; impera, si vis rebus omnibus imperare, nemo quòd leonem non vicerit, condemnatur: at qui non superauerit affectum auaritiæ, aut iracundiæ, & reliquos, meritò condemnatur, & irridetur.* Ita S. Gregor. Nyssen.

Gen. 1.

C

Hinc, *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Etenim expugnator vrbium, & qui viribus præstat, corporalem meretur laudem, hoc enim à viribus & robore corporis habet, at qui dominatur animo suo, non à viribus corporis, sed à viribus animæ hoc habet, inde tantò laudabilior est, quantò præstat corpori anima nostra, &c.

Prou. 16.

D

PROPOSITIO V.

Affectuum moderatio quomodo non tam politicè quàm Christianè adhibenda sit.

SVnt qui moderatas affectiones habere videntur, & bona opera exercere, id tamen non præstant, nisi aut decoris sui causâ, & ornatus, aut ne offensionem aliis præbentes, in caput redundet proprium, aut vt bonum aliquod temporale inde venentur: hi quidem minimè gaudent mortificationi illâ, seu moderatione animi, quam Deus exigit à suis.

Apoc. 1. 13 14 &c. Vidit Apostolus Ioannes Christum Dominum *vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zonâ aureâ: caput autem eius, & capilli candidi erant tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti, & vox illius tanquam vox aquarum multarum, & habebat in dextera sua stellas septem, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius sicut Sol lucebat in virtute suâ.* Hic loqui dicitur similis Filio hominis, Christum Dominum esse communis expositio est sacrorum expositorum in hoc loco; omnia autem, quæ in eo se vidisse ait Ioannes, illa sunt quæ ad nos spectant, his enim significantur beneficia eius erga nos, & qualiter nobiscum gerat: ait ergo, vestitum illum esse podere, quod genus vestimenti sacerdotalis est; ostendere quippe voluit Christus, se Sacerdotis munus adhuc in cœlo pro nobis obire; adstat enim vultui Dei pro nobis. Capilli eius albi & candidi, cogitationes Christi candidas & pias in nos important; cogitat enim cogitationes pacis, & quæ ad nostrum emolumentum sint, in mente habet: oculos igneos habet, qui iram candidam præse ferunt, nimirum quia irascitur in nos, cùm delinquimus, sicut bonus pater in filios: pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti. pedes hos Anast. & Ambrosius Apostolos interpretantur, qui ad animarum salutem velut aurichalcum sonorum, igne charitatis inflammati orbem in Dei amorem incenderunt; hos mittere curat Dominus ad salutem nostram. Vox præterea illius sicut vox aquarum multarum, nimirum quia vox eius irrigatio quædam est nostrarum animarum, quia sicut terra aquis, sic anima fertilis redditur virtutibus, & abundans. habebat in dextera sua stellas septem, stellæ influunt in terram & ex tali influxu flores & arbores, & plantas, & fructus gignit; sic è manu Christi Domini influentiæ cælestes nobis proueniunt sanctarum inspirationum, quibus anima nostra gignit flores desideriorum sanctorum, & fructus meritorum, & plantas virtutum: vnde meritò Ecclesia canit, *Deus à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera, &c.* Sed gladius ille in ore Christi nescio quid nobis minatur; minatur quidem peccatoribus gladium & bellum, judicium & æternam damnationem, sed in his omnibus illud maximè considerandum est, quòd præcinctus erat ad mamillas zonâ aureâ. Zona quidem in lumbis, non autem in pectore constitui solet; cur igitur Christus ad mamillas præcinctus apparet? Aurea illa zona quid sibi velit, modus iste colligandi demonstrauit; aurum in sacris Literis charitatem & amorem importat, vti ait S. Augustinus *super Psalm. 67.* & S. Gregor. 18. *Moral.* 30. quia sicut inter omnia metalla aurum supremum tenet locum, & pretiosius est, sic inter omnes virtutes charitas major est. Præcinctum ergo habere Christum pectus suum, est ea quæ ex pectore eius erga nos in hac vita procedunt, ex charitate deriuari: si lucet vt Sol nostra luce illustrans, ex charitate hoc facit: si influit in nos sanctas inspirationes, si donis suis nos afficit, si ministros nobis ad ministrat, ex eius prouenit charitate: quod si in nos aliquando irascitur, si gladium vibrat, & minatur, à charitate quoque hoc dimanat: ideò enim pœnas minatur nobis, ne pœnas immittat: ideò irascitur in hac vita, ne irascatur in futura. Ecce Christum ad mamillas aureâ zonâ præcinctum. Eodem igitur modo erga Deum nos præcingere ad pectus aurea zona, hoc est, charitate debemus; vt omnia propter Dei amorem faciamus. Si eleemosynas damus, si ieiunamus, non ob vanam gloriam, & vt hominibus placeamus, id agamus, sed vt Deo placeamus. Si comedimus & bibimus, & corpori rationabiliter indulgemus, non tam nostri causâ, quàm Dei amore id faciamus, vt scilicet salutem & vitam tuendo, eam in Dei obsequium impendamus: si loquimur, si cogitamus, si amamus, si timemus, si desideramus, si lætamur, &c. omnia in Dei gloriam præstemus, & nos sicut Dominus ad mamillas zonâ aureâ præcingamus, & hâc ratione passiones moderemur.

Sic Pater æternus filio suo Christo: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferreâ, & tamquam vas figuli confringes eos.* Numquid acerbè subditos & Christicolas voluit Deus Pater Filium suum tractare, & gubernare, cùm Christus Dominus signem sui amoris mittere deberet in terram, cumque lex eius suauitate plena sit, & charitate, quæ dulcedo ipsa est? S. Augustinus sic exponit locum istum, *Reges eos in virga ferreâ, hoc est, inflexibili justitia, & tamquam vas figuli confringes eos, hoc est, conteres in eis terrenas cupiditates, & veteris hominis luculenta negotia.* Ita S. August. Quod igitur terrenum in nobis est, hoc moderaturus erat Christus, affectus scilicet inordinatos, amorem & cupiditatem nimiam diuitiarum, delitiarum, & bonorum, quòd & præstitit ipse, dicens: *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Qui vult post me, &c.*

Psal. 2. B

Apoc. 2. 27.

Matth. 5. 10. Luc. 9. 23.

PROPOSITIO VI.

Affectus regulandi sunt secundùm rectam rationem.

C PLutarchus lib. de profectu morum. *Temperatus* (inquit) *animus vndique est æqualis & placatus, inferiori animæ nostræ portione cum superiore consentiente, admirabili quiete ornatus, & compositus, in quem intuens dicas: Considerant venti iam, & tranquillus sine vento pontus erat, namque ipse Deus sedauerat vndas vehementes, insanos, rabidosque motus cupiditatis restringente ratione, & quibus natura indiget, eos sibi consentientes & obtemperantes in actionibus voluntariis parante, vt nec rationem præcurrant, nec terga vertant, nec ordinem turbent, nec dicto non sint audientes, verùm vt omnis motus quòcumque velit ratio ducere paratus sequi, ceu lactens pullus cum matre simul currat (sic cum ratione appetitus) confirmans Xenocratis sententiam dicentis: Quod verè philosophantes sponte agunt, quid cæteri metu legum faciunt inuiti, tanquam verberibus canes à voluptatibus repulsi formidine suppliciorum.* Ita Plutarch. *El mortificado ha de ser como vn caballo leal y de buena boca, que con sola la insinuacion de la rienda corre y para, buelbe rebuelbe à vna y otra parte segun y como cavalgador quiere assi el hombre mortificado ha de tener tan subicto y rendide el appetito à la rason, que corre y para, buelbe y rebuelbe à vna y otra parte segun y como la rason le gouernare con las riendas de su dictamen.*

D

PROPOSITIO VII.

Quàm honorificum sit affectus moderari.

PLutarchus in Lacon. *Agesilaus*, inquit, *Lacedæmoniorum Rex illud sibi cum primis gloriæ ducere solebat, quod Rex cùm esset, cæterisque consilio prospiceret, nihilo secius in laboribus obeundis nemini cederet, quodq; sibi imperaret, sibiq; Rex esset, id pulchrius ipse iudicabat, quam quod regnum in alios obtineret.* Ita Plutarch.

Et nunc Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram. Psal. 2.

Quos

Quos nam hîc reges vocat, nunquid eos qui regnorum mundi sceptra tenent? S. Augustin. Et nunc Reges, &c. id est, iam valentes regere, quidquid in vobis ferule ac bestiale est, & iam valentes pugnare: non quasi aërem cædentes, sed castigâtes vestra corpora, & virtuti subjicientes. Et erudimini qui iudicatis terram, hoc idem repetitum est, Erudimini, pro eo quod dictum est, intelligite. Qui iudicatis terram pro eo quod dictum est, Reges. Spiritales enim significat, qui judicant terram: nam infrà nos est quidquid judicamus, quidquid autem infra spiritalem hominem est, meritò nominatur terra, quia terrenâ labe sauciatum est. Ita S. Augustin.

Meritò autem qui affectus suos moderantur, Reges dicuntur: & meliùs multò quàm Reges orbis, quia esse Regem aliorum nullam in Rege laudem dicit, sed in subditis, qui subdi, & regi, & parere dignantur, in hac enim subiectione omnis difficultas consistit: qui verò dominatur animo suo, & seipsum regit, se sibi subdit, parens rationi, & veritati conceptæ: regere autem se difficilius multò est, quàm regere alios: nam alios regere auctoritas est, maiestas est, subdi verò rationi appetitus oppositos ipsi rationi, hoc opus, hic labor est. Quare hoc multò amplius honorificum & glorioſum est.

Et ideò meritò subdit Dauid his qui sic sibi Reges sunt, *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Vbi* S. Augustinus. *Ne in superbiam vertant, quod dictum est, Et nunc Reges intelligite.* Ita ille, tanta enim res est se sibi subditum esse, & sui Regem esse, vt elationi hoc expositum nimium sit, &c.

Hom. 3. in 2. ad Corinth.

S. Chrysost. *Reges efficimur, si improbas & absurdas cogitationes in potestate tenere voluerimus, multò magis, quàm qui diademate cinctus est. Nam multos ille exercitus habet, & nos quoque plures illis cogitationes habemus & innumerabiles, & in hac cogitationum multitudine multos habemus duces, tribunos, tormentorum præfectos, sagittarios, & fundibulatores. Præterea quid est quod Regem efficiat? vestisne? at hic quoque meliori ac præstantiori veste amictus est, quàm nec tinea exest, nec vetustas conficit. Quin multiplicem quoque coronam habet, nempe miserationem Dei. Benedic enim, inquit, anima mea Dominum, qui coronat te in misericordia & miserationibus, & gloria, gloria enim, inquit, coronasti eum, & constituisti super opera manuum tuarum, & iterum, vt scuto, inquit, bonæ voluntatis tuæ coronasti nos & gratiarum coronam, inquit, accipies capiti tuo. Videsne quàm variè textum, quantumq; gratius ac venustius sit diadema istud? Præterea ille stipatoribus suis dominatur, & imperat cunctis, omnesq; illi parent, & obsequuntur: at ne mihi eos in medium modò proferas, qui regiâ dignitate lapsi sunt, atque ab ipsimet satellitibus sunt trucidati: ne, inquam, eos in medium producamus, verùm de his agamus, qui pulchrè in vtraque parte regnum administrarunt. ac tu quidem quos libuerit pone, ego autem Patriarcham vnum cunctis oppono: nam cùm ipse filium mactare iuberetur, cogites vellem, quorumnam tum aduersùs eum insurrexerint cogitationes, & tamen omnes subegit, & omnes ei magis quàm satellites Regi parebant, vel solo enim obtutu eas omnes cõprimebat, ita vt nec hiscere auderet vlla earum, verùm cunctæ caput submitterent, ac velut Regi cederent, quamuis alioqui acerrimæ essent atque inprimis acerbæ: neque enim hastarum cuspides tam horrendæ sunt, cùm à multis militibus subigimur, quam tunc formidabiles erant illæ cogitationes, & naturali eius commiseratio, ac proinde animam illam magis quam præcuta cuspis exscindere poterant, & nihilominus ingens erat tranquillitas eius, & omnes compositæ stabant, ornautes potiùs quàm terrore afficientes. Eum igitur ante oculos pone gladium extendentem, & quos voluerit Reges, Augustos, Cæsares oppone, nihil enim simile dixerit: tunc enim vir ille de potentissima tyrannide triumphum egit; nihil enim quod maiorem vim, atque adeò maiorem tyrannidem habeat, quàm natura. Natura igitur cum armis suis humi iacebat, Abraham verò stabat extentâ manu gladium tenente, & Angelorum agmen applaudebat, & Deus è cœlis victorem eum pronunciabat. Quoniam enim in cœlis illi conuersatio erat, idcircò cœlesti quoque præconio cele-*

brabatur: quid hoc splendidius? imò quidnam cum hoc tropheo conferri queat? Nam si cum athleta victi, non præco quidam ex inferiori loco, sed Rex ipse è superiore assurgens victoris laudes prædicaret, an non hoc coronis ipsis illustrius & honorificentius sibi duceret esse, & omnium spectatorum oculos ad se conuerteret? Cùm igitur non mortalis quispiam Rex, sed Deus ipse, non in hoc theatro, sed toto orbe inspectante, & Angelorum grege, altâ voce de cælo clamans victorem ipsum pronunciet, vbinam quæso dignè iustum illum collocabimus? Abraham, Abraham, inquit Deus, non extendas manum tuam in Isaac, nec facias illi quicquam; nunc enim cognoui, quod timeas Dominum, quoniam non pepercisti vnigenito tuo propter me. Quid hoc esse qui omnia antequam oriantur nouit, nunc demùm cognouit? Atqui etiam hominibus experiora erat, plura enim erga Deum beneuolentia dederat argumenta, cùm Deus ad eum dixisset: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, cùm ob ipsum & honoris eius causa nepoti suo Loth primatu cessisset, cùm in Ægyptum ipsius iussu profectus fuisset, & cùm eum tot tantisq; periculis extraxisset, quibus rebus homo etiam, vt iam dixi, virtutem eius compertam habere potuisset, ne dum Deus. Quomodo autem illum iustum pronunciasset, si eum ignorasset? Credidit, inquit, Abraham, & reputatum est ei ad iustitiam. Quid igitur est dicere, nunc cognoui? Syrus quidem sic habet, nunc declarasti, subaudi hominibus: nam ipse iam prídem & ante omnia illa iussa id norat. cur autem nunc hominibus? an non ad declarandam ipsius erga Deum beneuolentiam illa sufficiebant? sufficiebant sanè, verùm hoc adeò illa omnia antecellit, vt præ eo illa omnia nihil esse videantur. Quare vt præclarè hoc facinus amplificaret, & reliquis omnibus præstantius esse doceret, his verbis vsus est, sicut & in rebus eximiis homines loqui solent, v. g. Cùm quis matus aliquod, quàm antea munus accepit ab alio, dicere soles: Nunc demum perspexi, quòd me ille amet, non quod his verbis dicere velit se antea hoc nescisse, sed vt ostendat, munus istud, quo nunc affectus est, cæteris omnibus præstare. sic Deus humano more loquens. Nunc, inquit, cognoui, nihil aliud his verbis, quàm certamnis magnitudmem quandam exprimere volens, non verò quod tunc dumtaxat timorem, aut timoris eius magnitudinem cognouisset, hoc autem ita probat ex eo quod subdit: Quia non pepercisti filio tuo dilecto propter me, non dixit dumtaxat, filio tuo, sed filio tuo dilecto; non enim aduersus naturam tantùm, sed etiam aduersus beneuolentiæ affectum, qui tum ob proprios mores, tum ob magnam pueri virtutem ingens erat, intrepidum se præbuit, quod si nec vt improbos filios aspernentur, facile addnci parentes queunt, sed eos lacrymis & luctu prosequuntur, cùm & filius fuerit, & vnigenitus, & dilectus; & Isaac, & ab ipso patre iugulandus, quisnam incredibilem eius animi magnitudinem vllis verbis complecti possit? nimirum hoc certamen mille diademata & innumeras coronas superat splendore, etenim ei qui regiam coronam gerit, plerumque mors superueniens eam aufert; & mille etiam ante mortem rerum infidia: hoc autem diademate quisquis fuerit redimitus, id ei nec post mortem quidem quispiam eripere poterit, non suorum, non alienorum.

Atque etiam huius diadematis pretiosissimum lapidem perspicias velim: vt enim pretiosus lapis, sic cum ad extremum vsq; cingit. quidnam autem hoc est quod ait, propter me? neque enim hoc est, quod admirationem meretur, quod nõ pepercerit filio, sed quod propter Deum. O dexteram beatam, quali gladio donata es, ô admirandum gladium! quali dextera donatus es! ô beatum, inquam, gladium, ad quod ministerium paratus est, quod munus obiuit, & cui figuræ subseruiuit, quonam pacto cruore tinctus est, & cruore non est tinctus? neque enim quo verbo vtar scio. non collum pueri attigit, nec sanctum illius guttur penetrauit, nec insti cruore rubuit, & immersus est, & non est immersus. Fortasse mentis errore affici vobis videor qui sic pugnantia loquar. certè afficior, dum iusti illius miraculum animo contemplor, sed tamen pugnantia non dico. etenim iusti manus gladium in pueri gutture desixit: at Deus etiam infixum non permisit pueri cruore contaminari, neque enim Abraham solus eum tenebat, sed etiam Deus, ille per voluntatem totum imprimebat, hic per vocem eum reprimebat: nam eadem vox dexteram illius & armauit, & compescuit, atque eo tan-

quam bellico Imperatori subdita, ad ipsius nutum exequebatur omnia, dixit, occides, & statim armabatur; dixit, ne occidas, & statim arma deponebat, siquidem omnia parata iam erant: & postea Deus offendit militem suum ac ducem orbis theatro illum coronatum Angelorum : illum, inquam, Sacerdotem, illum Regem gladio magis quàm diademate coronatum, illum, inquam, laureatum, illum fortitudinis laude præstantem, & sine conflictu victorem. Sicut si aliquis Imperator strenuissimum militem habeat, etiam ipsa armorum gerendorum dexteritate, ipsâ statione, ipso impetu, hostem metu percellat, sic Deus solâ iusti viri voluntate, solo gestu, solâ denique statione communem omnium nostrum hostem exterruit, & in fugam vertit : nam & illum exsilimo tunc tremebundum recessisse.

At dices, cur Deus dexteram cruentari non permisit, & postea potuerat mactatum ad vitam revocare, quoniam fas non erat, Deum huiusmodi sanguinem capere, sed pestiferis dæmonibus id conuenichat : & quia hic utrumque declarabatur, nempe Domini benignitas, & serui probitas. Tu verò da operam, vt non solùm illum admireris, sed imiteris. Nec mihi illud tantùm commemora, quod altare extraxerit, & ligna parauerit, sed pueri quoque vocem mentem reuoca, & tecum illud reputa, quanta excruciatum agmina impetum fecerint in eum, ipsi paniorem innocentia, cùm puerum dicentem audiret: Pater, vbi est victima holocausti? animaduerte quot quantasq; cogitationes commouerat tunc sinè, non ferro, sed ignem hastis armatæ, & vndiquaque pungentes, & conscindentes, nam si nunc quoque multi etiam, qui patres non sunt, dolore franguntur, quo tandem doloru cruciatu affectum eum fuisse probabile est, qui genuerat eum, qui in senectute educauerat, qui solum habebat, qui talem cernebat, & qui audiebat, & qui iam eum de medio sublaturus erat, eum, inquam, filium, qui piè & circumspectè loquebatur, cuius multa venustas in verbu efflorebat, & magna mellu copia è sermonibus manabat, & tranquilla illa & placida anima fluens, & cuius verba tantam vim habebant, vt vel saxeum pectus emollire possent, nec tamen adamantem illum peruerterunt, imò nec concusserunt; ecce vbique ingens tempestas, sed nusquam naufragium. Philosophia enim omnia vincit vbique bella, neque enim tam formidabiles erant barbari cùm Hierusalem aggrederentur, quàm huius viri iusti cogitationes, vndique ipsum circumcingentes, & tamen omnes fregit, & superauit Ita S. Chrysost. vbi flumen eloquentiæ eius vide, & quomodo locus aliquis ab exemplo amplificandus sit obseruabis enim nihil aliud probat, quàm fortissimi & gloriosissimi cordis esse passionum imperium, & naturæ nostræ vim in suis affectibus moderari, vt in S. Abraham constat, maximè in oblatione filij, seu in voluntate efficaci offerendi illum, Dei obediendi voluntati, ex quo gloriam est ingentem consecutus.

PROPOSITIO VIII.

Quantæ fortitudinis sit affectus superare.

SEneca epist. 4. *Alexander quidem Persas & Hircanos & Indos, & quidquid gentium in Oceanum extendit Oriens, vastabat, fugabat;; sed ipse modo occiso amico, modò amisso, iacebat in tenebris, iam scelus, iam desiderium suum mœrens victor tot regum atque populorum, iræ, tristitiæq; succubuit; id enim egerat vt omnia potiùs haberet in potestate, quàm affectus. O quam magnis erroribus homines tenentur, qui ius dominandi trans maria promittere cupiunt, felicissimos, se iudicant, si multas per milites obtinent prouincias, & nouas veteribus adiungunt, ignari quod sit illud ingens regnum, & quod paruum, imperare quidem sibi maximum imperium est* Ita ille.

S. Gregorius 8. Moral. 13. comparat concupiscentiam nostram latronibus itinerum, quos nos vocamus falteadores, & ait. *Quasi latrunculus est appetitus, recto itinere gradientibus ex latere iungitur, vt ex occulto educto gladio gradientium vita trucidetur.* Ita ille. Etenim huiusmodi latrones ex improuiso irruunt, & inuadunt viatorem, ita vt perdifficilem inueniteuasionem.

Præterea deceptionibus & mendaciis aduersus nos pugnat, vt ait S. Gregorius ibidem 8. Moral. 13. & Philo lib. 2. allegoriar. legis vbi ait: *Voluptatis decipere proprium est*, &c. Consonat S. Nazian. orat. 4. contra Iul. vbi ait: *Facilè impostiuram facit quidquid delectat.* Ita ille. quod inde prouenit, quia id quod amamus, facilè nobis conueniens iudicamus. sicut Eua quæ iudicauit pomum esse ad vescendum suaue, cùm tamen nunquam simile quid gustasset. Affectus in causa fuit, iudicauit suaue quod iam amabat, species decepit illam simul cum affectu.

Vnde Sapiens, *Inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum.* S. Fulgent. epist. 2. cap. 4. legit, *Instantia concupiscentiæ transuertit sensum*, vbi importunam solicitationem affectus videtur importare. Sed quomodocumque legat, deceptionem importat hominis ex appetitu suo. Lectio Græca sic habet: *Circumrotatio concupiscentiæ transuertit sensum*, rectè circumrotatio, quia semper quasi in gyrum ducitur appetitus noster, nunc id, nunc illud appetendum, & amplectendum proponit; nunc tanquam delectabile aliquid obiicit, nunc verò idipsum tanquam detestabile, *y assi trahe al hombre al reuortero su mesmo apetito.*

Hinc etiam S. Basil. hom. 6. ex variis, vbi de diuitiis agens, *Sicut*, inquit, *insani cùm res non videant ex affectione eas imagmantur, sic anima pecuniæ amore occupata, omnia aurum, omnia argentum imaginatur; optat cuncta ad auri naturam transmutari; quid enim non propter aurum machinatur, frumentum illi aurum fit, vinum in aurum congelatur, lanæ in aurum mutantur.* Ita ille.

Pondera deceptionem Euæ in esu pomi. Dixerat Deus: *In quacumque die comederis, morte morieris* Dixit serpens. *Non quidem moriemini, sed eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Illa amore illius conflictæ diuinitatis allecta, id quod serpens dixit, verum existimauit; & præposuit falsitatem serpentis veritati diuinæ. Quis eam sic decepit nisi nimius ille deitatis amor, & desiderium? *Serpens*, inquit, *decepit me*, rectiùs quidem dixisset. Affectus meus decepit me. Si Eua sic decepta, à proprio affectu decepta fuit, quis non millies decipi à suo non timebit.

Hinc etiam Seneca lib. de vita beata cap. 14. *Miserrimum est*, ait, *voluptate delectari, cuius aut inopia torquet, aut strangulat copia. sicut feras cum labore venamur, & ipsarum iam captarum solicita sæpè possessio est, cùm sæpè dominos suos lanient; quod quidem euenire solet iis qui propriis cupiditatibus se credunt, & incautè committunt.*

Hinc S. Chrysost. in Psal in fine; *Quacumque*, inquit, *sunt feræ gentes, non tam atrox bellum gerunt, quam improba & nefaria cogitatio, quæ versatur in penetralibus animæ intemperans libido & pecuniæ amor, & potentiæ vehemens desiderium.* Ita ille. vide S. Ambros. ser. 81. de diuite auaro, & S. Cypr. lib. de cupid. diuitiarum ad Donatum.

Vide Iudic. 4. quomodo Iaël vicerit Sisaram potu lactis, & videbis tanquam in imagine modum quo decepit concupiscentia mentem nostram.

Qui victoriam sui consequi cupit, exercere eum oportet vires, & viriliter contra seipsum dimicare; fortium enim est victoria ista, quia contra se certat.

Inde S. Petrus Chrysologus serm. 171. in ea verba Christi Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ*, &c. *Tolerabilis*, inquit, *est hostis, cùm muros arietat extrinsecus, cùm foris positus cedit aliquando conflictui; cui verò intus est inimicus, cuius aduersarius in ipsis penetralibus iam desedit, hic se oppressum sentit, hic se captiuum deplorat; iste suus expugnator esse non potest, suus esse non potest liberator, alterum requirit auxilium, quærit alterum defensorem.* Ita ille. Vnde rectè quidam Hispanus Poëta.

En la guerra que peleo
De miser es contra si,
Pues yo mismo me guerreo,
Defienda me Dios de mi.

Rectè quoque Tertull. lib. de monogam. cap. 15. *Rideo*, inquit,

A

B

C

D

Gen. 3.

Cap. 4.

inquit, *cùm infirmitas carnis opponitur, quæ summa fortitudo dicenda est.* Ita ille. Peccaui, inquis, ob debilitatem carnis meæ; ob fortitudinem potiùs dicere debuisses; nam fortissimi ac diuites hostes fortes vicerunt; non verò seipsos. Iulius Cæsar quot nationes superauit, se verò nunquam? Alexander reges subiugauit, *interfecit*, inquit, *reges terræ* 1. Machab. 1. *munitissimas occupauit ciuitates, & obtinuit*, inquit, *omnium munitiones*: denique terram vniuersam suo imperio subiugauit: *siluit*, inquit, *terra in conspectu eius*; se tamen nunquam deuicit. Inde *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* & Mantuanus.

1. Mach. 1. 2.

Prou. 16.

Ardua res viciſſe alios, victoria maior
Eſt animi ſtructus compoſuiſſe ſui.

Hinc S. Gregor. Nazianz. orat. 16. *Corpus vt inimicum odio habeo, atque auersor, vt vinculum fugio, hostis est blandus, & amicus insidiosus: semper namque est in insidiis, vt aggrediatur, incendat, & animam eripiat.* Ita ille. qui satis exposuit quàm pernicioſus & periculoſus ſithoſtis iſte, cùm hoſtem blandum & amicum inſidioſum vocat, hoſtis eſt acerrimus & crudelis, quia in animam ſæuit: alij hoſtes vitæ corporis inſidiantur, at corpus animæ vitæ, & vitæ non temporali, ſed æternæ vitæ, inque gratiæ, & vitæ gloriæ, quid autem vitæ corporali cum hac vita animæ noſtræ. Deinde eſt hoſtis blandus, quia blanditiis & delitiis militat contra nos, alij inimici armis ferreis, haſtis, enſibus & tormentis bellicis nos territant, & effugant: at caro blanditiis & voluptatibus allicit & attrahit nos. Vicit Dalila vilis, ac debilis fortiſſimum Samſonem, non ſagittis & globis ferreis, ſed blanditiis, eum deliniens & demulciens; ſic militat aduerſus animam caro, & ſic quàm plurimos Samſones deuicit. Vnde ſic Dauid; *Humiliasti nos in loco afflictionis.* S. Ambr. locum hunc explicans, ait: *Pulchrè interpretatio aquilæ, quemadmodum intelligere debeamus locum istum afflictionis, expressit dicendo: quoniam humiliasti nos in locum Sirenum. Sirenes verò quasdam fuisse puellas gentiles traditi historia, quæ vocis suauitates canendi, illecebris audiendi, studio illectos naufragantes ad litus admouere nauigia prouocabant, eoq; cùm gratiam vocu sequerentur, scopuloso in loco naufragium facere solitos, vetustas posteris tradidit. Ita ergo sæculi voluptas nos quadam carnali adulatione delectat, vt decipiat.* Ita S. Ambroſius. Ego quidem non ſolùm ſæculi obiectam voluptatem, ſed etiam noſtram carnem ad voluptates prouocantem Sirenem dicam; mundum autem locum Sirenum; locum, inquàm, in quo Sirenes huiuſmodi carnis & paſſionum eius vigent, & nos paſſim decipiunt, & perdunt. ita non immeritò locum Sirenum locum vocat afflictionis, quia alliciendo deſtruit nos: quare delitiæ huiuſmodi afflictiones potiùs & tribulationes dicendæ ſunt.

Ind. 16.

Pſal. 43.

Denique hoſtis qui diſtricto enſe nos inuadit, fugat; ſplendor enim ille mucronis nos deterret, & cauere facit: attamen affectuum blandities non fugat, ſed allicit, cùm ditus mucro ſit qui corpore intacto animam transfodit & necat. Sicut euenisse nouimus Euæ, in Geneſi, vbi ſic habetur: *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Vide peccati conſequentiam, affectus interior Euam ad ſcientiam illam boni & mali, quam in eſu pomi ſitam eſſe perſuaſerat ſerpens, ad comedendum pomum inuitauit, alliciens & demulcens cor illius, inde pulchrum ei apparuit, & ad veſcendum ſuaue iudicauit. Numquam guſtauerat: vnde ergo nouit eſſe ad veſcendum ſuaue? Et enim deprauatus ille cordis affectus ſic eam affecit, vt ſuaue iudicaret quod mortis corporis & animæ amaritudinem afferebat. Vnde Philo lib. 1. allegoriarum legis. *Voluptas*, inquit, *non quale est subiectum, tale id mente cognoscit, sed addit arte mendacium, & rem inutilem in ordinem vtilium transfert: ergo omni voluptati decipere proprium est.* Ita Philo.

Cap. 3.

A

Quòd ſi ſolùm ad nos in peccata deiiciendum vis prauorum affectuum eſſet, non adeò pernicioſum malum eſſet: attamen habet etiam vim ad retinendum fortiter in malo, quod S. Ephrem his verbis adnotauit, tractatu de linguæ malo, & aliis vitiis. *Probè*, inquit, *nouit callidus & perſutus hoſtis, quibus & qualibus nos vinculis adſtringat, & ſi nos in ſuos conſecerit caſſes, fore vt celeriter, confractis illis, mens noſtra iterum in libertatem ſe vendicet, quapropter iucunda & grata vnicuique vincula iniicit, in quibus libenter conquieſcat: poteſt enim mens noſtra Deo duce, ex inimici laqueis ſe eximere, nunc verò iiſdem obſtricti gaudemus, ipſaq; captiuitate ſuperbimus.* Ita ille. Prudens igitur quiſque ſciens concupiſcentiam mortiferum animæ noſtræ hoſtem ſe illi minimè credit, quantumuis ſimulato & amici latitet pallio.

B

Periculum hoc expreſſum fuit in ludo illo, quo vidit Sara filium ſuum Iſaac ludentem cum Iſmaele filio ancillæ, quæ ob id dixit ad Abraham virum ſuum: *Eiice ancillam, & filium eius.* cur ita? Miratur hic Origen. hom. 7. in Gen. & ait: *Non video quid mouerit Saram, vt filium ancillæ iuberet expelli. Ludebat cum filio ſuo Iſaac, quid laſerat? aut quid nocebat ſi ludebat quaſi non hoc in illa ætate etiam gratum eſſe deberet. Tum etiam miror Apoſtolum qui ludum hunc perſecutionem pronunciauit, dicens:* Sicut Ad Gal 4
tunc is, qui ſecundùm carnem natus erat, perſequebatur eum qui ſecundùm ſpiritum; ita & nunc, *&c. cum nulla vtiq; perſecutio Iſmaelis aduerſus Iſaac nota referatur, niſi ſolus hic ludus infantiæ. Sed videamus quid in hoc ludo intellexerit Paulus, & cur indignata ſit Sara. Superiùs iam exponentes ſpiritualiter, loco virtutis poſuimus Saram. Si ergo caro, cuius perſonã gerit Iſmael, qui ſecundùm carnẽ naſcitur, ſpiritui blandiatur, qui eſt Iſaac, & illecebroſis cum eo deceptionibus agat, ſi*

C

delectationibus illiciat, voluptatibus mollıat, huiuſcemodi ludus carnis cum ſpiritu Saram maximè, quæ eſt virtus, offendit, & hæc blandimenta acerbiſſimam perſecutionem iudicat Paulus. Et tu ergo ô auditor, ſi tibi ibidinis alludat illecebra, ſi virtutis es filius, tanquam perſecutionem maximam fuge, & intelli ge, quia ſub ſocie ludi blandam pateris perſecutionem. Ita Origen. Hoc etiam admouit Apoſt. Iacobus, dicens: Cap. 1.
Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Abſtractus, inquit Gloſſa, à recto itinere, & *illectus* ad commutabile bonum, peccatum enim eſt, ſpreto incommutabili bono, bono commutabili adhærere, ſecundùm S. Auguſtinum. ita S. Thomas. Abſtractio iſta vim quamdam importat, *es vn arrancarle de Dios al alma con fuerça poderoſa como quien arranca vn arbol de quaio*, tanta quidem eſt concupiſcentiæ vis, & illectus, *Cebado con la goſtna del guſto que en los bienes temporales halla el coraçon, eo modo quo piſcis allectus capitur eſca ſibi oblata*, &c. Hinc etiam S. Gregorius 5. Moral. 27. concupiſcentiam noſtram optimè tineæ comparauit, dicens: *Tinea de veſtena ſcitur veſtem, de qua oritur, & eandem oriendo corrumpit: Quaſi enim quadam veſtis animæ caro eſt, & veſtis hæc habet tineam ſuam, quia ab ipſa carnalis tentatio oritur, à qua lacteatur. Velut à tinea homo conſumitur, cùm de ſe oritur, vnde conteratur.* Ita S. Gregor.

D

Et S. Leo Papa ſerm. 11. de Quadrageſ. *Quis*, inquit, *non miſtrmatur in carne? quis non ſordeſcit in pulvere? beata mens quæ peregrinationis ſuæ tempore, caſtâ ſobrietate tranſcurrit.* Ita ſanctus Leo. Nos ex luto procreati ſumus. Sicut igitur mirum eſt inter lutum ambulantem mundum ſe conſeruare; ſic verè mirum eſt in lutea carne, & concupiſcentiarum puluere perſa, non coinquinari, *no ponerſe del lodo.*

Quid igitur agendum? quo pacto cum tali ac tanto hoſte pugnandum eſt nobis? Primò id mente concipere & iudicio firmiter nobiſcum ſtatuere debemus, corpus noſtrum cum ſuis paſſionibus noſtrum noſtrum eſſe: pauci enim ſunt qui hoc firmiter ſecum ſtatuerint, & plenè animaduerterint; atque adeò ſine vllo

metu carnem fouent, & quidquid appeterit illa, concedunt ipsi, nihilque ei negare audent.

Hinc Poeta quidam:

Quis maior, quàm qui debellat viribus vrbes?
Qui cupidos animos, rationis frena coercet.

Prou 16. Id ex illo desumptum est: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium*; id olim Romani iactabant, *fortia agere & pati, Romanum est*, id ego dixerim Christianum est, sanctum est, sed inter ea, quæ agimus, & patimur, nihil fortius, nihil sublimius, quàm impetum affectuum coercere. Qui affectus suos vincit, Alexandro & Hercule potentior est. Licet enim illi vrbes, & regna, & prouincias multas sibi subdiderunt, affectus tamen suos rationi subdere non valuerunt, quare sic de Hercule Mantuanus:

Omnia cùm domuit, Veneri seruiuit & iræ.

Lib. 1. ep. Ideò Horatius:

Animam (inquit) *rege, qui nisi paret,*
Imperat, hunc frænis, hunc tu compesce catenis.

Et Seneca: *Si vis omnia tibi subiicere, subiice te rationi, multos reges, si te ratio regat.* Ita ille.

Gregor. 37. Mor. Vnde S. Gregorius vltimò ponderans animi subiectionem, quam Dauid saltando ante Domini Arcam exhibuit. *Quid*, inquit, *de facto Dauid ab aliis sentiatur, ignoro ego. Dauid plus saltantem stupeo, quàm pugnantem: pugnando quippe subdidit hostes, saltando autem coram Domino seipsum vicit. Quem enim non extolleret, ora frangere leonum, vrsorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege Saule, ad regni gubernacula vngi, timendum cunctis vno lapide Goliã sternere, à rege proposita extinctis Allophylis numerosa præputia reportare; promissum tandem regnum percipere, cunctumq; Israeliticũ populum sine vlla contradictione possidere, & tamen cùm Arcam Dei in Hierusalem reuocat, quasi oblitus prælatum se esse omnibus, admixtus populis ante Arcam saltat, & quia coram Arca saltare, vt creditur, vulgi mos fuerat, Rex se in diuino obsequio per saltum rotat. Ecce quem Dominus singulariter prætulit cunctis, sese sub Domino, & exæquando minimis, & abiecta exhibendo contemnit, non regni potestatem ad memoriam reducit, non subiectorum oculis saltando vilescere metuit, non se prælatum ceteris ante eius Arcam, qui honorem dederat, recognoscit, coram Deo egit vilia vel extrema, vt illa, quæ coram hominibus gesterat fortia, ex humilitate foluderet. quem tamen Michol filia Saul Regis, adhuc ex tumore regij generis insana, cùm humiliatum despiceret, dicens: Quàm gloriosus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur vnus de scurris: protinus audiuit: Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potiùs quàm patrem tuum, & ludam, & vilior fiam plus quam factus sum; ero & humilis in oculis meis.* Ita Gregor.

Prop. IX. *Affectus immoderatus difficilè sanatur.*

Exod. 32. Petiit populus Israel ab Aaron idolum aliquod, vim populi timuit Aaron, & vt à scelere illo faciliùs auerteret gentem, inaures aureas mulierum postulauit ad illud conficiendum: existimauit fortè futurum sic ab incepto populum destituturum, ne scilicet se auro illo priuarent mulieres, & inauribus, quarum adeò sunt amantes: sed eo non obstante inaures obtulerunt libenti animo: tunc Aaron ex auro illo vitulum conflauit, hac forsitan de causa, vt bestiam huiusmodi adorare abhorrentes à peccato illos auerteret: sed

Psal. 105. neque eo modo profuit, sed, vti notauit Dauid, mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum, tanta quidem vis est affectus inordinati.

Prop. X. *Difficilis est affectuum moderatio.*

Seneca. Seneca epist. 86. *Affectus parere nescit, consilium non capit: facilius autem est intra eorum prohibere quàm impetum regere.*

A Et lib. 1. de Ira cap. 9. *Hic erit vtilis miles qui scit parere consilio, affectus quidem tam mali ministri, quàm duces sunt, ideò nunquam assumat ratio in adiutorium improuidos, & violentos impetus, apud quos nihil ipsa authoritatis habet, quos nunquam comprimere posset, nisi pares illis similesq; opposuerit, vt iræ metum, inertiæ iram, timori cupiditatem.* Hæc ille.

Idem Seneca lib. 1. de Ira cap 16. Aristoteles ait: *Affectus quosdam, si quis bene vtatur, pro armis esse, quod verum foret, si velut bellica instrumenta sumi deponiq; possent, arbitrio inducntis, hæc arma, quæ Aristoteles virtuti dat, ipsa per se pugnant, non expectant manum, habent, & non habentur.* Ita Seneca.

Idem Seneca 2. li. de Ira c. 35. *Illa velocitas placet, quæ, vbi incussa est, vestigium fixit, nec vltra procurata procurrit, & quæ flecti & à cursu ad gradum reduci potest, ægros scimus neruos esse, vbi inuitis nobis mouentur, senex autem corporis est infirmi, qui cùm ambulare vult, currit, animi motus eos putemus sanissimos ac validissimos, qui arbitrio nostro ibunt, & non ferentur suo.* Ita ille.

B S. Chrysost. hom. 22. ad popul. *Quæuis vitiosa passio sed ua & tyrannica est, dentes leonis, dentes draconum, quin & multò pejores: nam & leo quidem aliquando saturatur, & ab homine coram se prostrato abstinet se. Hæc autem neque saturatur neque absistit, donec captum hominem absumat. Tanta denique earum est potentia, vt seruitutem, quam Paulus exhibebat, propter Deum gehennam contemnens & regnum, eandem à captiuis ipsa etiam requirant. nam sine in corporalem amorem siue in pecuniarum aut gloriæ cupiditatem quis inciderit, iam gehennam deridet & regnum contemnit vt eorum impleat voluntatem.* Ita S. Chrysostomus. Chrysost.

Prop. XI. *Quàm facilis sit diuino auxilio affectuum mortificatio.*

Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Qui abnegationem & crucem audit, fortè timet, fortassis trepidauit. Ita post Christum abire abnegationis difficultate, & pondere deterritus crucis. Sed audiatis, quid sponsa de eodem Luc. 14.

C Domino dicat: *Mel & lac sub lingua eius.* id quidem dulce, quod sub lingua Christi est; nam quod in lingua est, durum sonat quid in lingua; *abneget semetipsum, tollat crucem suam*, hæc durè sonant; nec mirum, quia, vti Sapiens dixit, *Verba sapientis quasi stimuli.* Sapiens, imò, sapientia ipsa Christus Dominus est; quid mirum, si verba eius stimuli sint; stimulare enim nos Dominus ad magna faciendo & ferenda voluit ad negationem propriam & ad quamcumque ferendam crucem, sed tamen mel & lac sub lingua eius. quid ita? Audi quid ipse affirmet: *Tollite iugum meum super vos, iugum enim meum suaue est, & onus meum leue iugum.* Videtur esse molestum, abnegatio, quia nostri affectus subiugantur, & crux graue pondus, sed quia abnegationem & crucem iniunxit, ipse pariter dixit, *iugum meum*, &c. iugum autem à duobus portatur animalibus; non igitur solus tu à Deo tibi impositum iugum abnegationis & crucis portabis, sed Deus tecum. ideò non dixit, *iugum* legis meæ, sed *meum*; non vtique suum solummodò, quia imponitur ab eo, sed quia ipse adiuuat infirmitatem nostram, & adiutorio suo velut humeros supponit; vt subleuet crucis & mortificationis pondus. Audi Paulum: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Quid ais, Paule, omnia potes? numquid tu omnipotens es? non ego, sed Dei gratia mecum, omnia pati possum, ferre, & tolerare, & mihi iniuncta quantumuis difficilia præstare, non in me, sed in eo, qui me confortat. Potest Pygmæus onus suprà vires suas portare, si adminiculum ei præbet gigas fortissimus; sic quantumuis debilis homo sit, poterit cuncta ferre, si is, qui *exultauit vt gigas ad currendam viam* adiuuet illum. Non igitur tam ferox leo, sicut depingi solet, vocat eam abnegationem sui & crucem Christus, sed *mel & lac sub lingua eius.* Cant. 4. Matt. 11. Philip. 4. Psal. 18. 6.

Hinc 11.

Hinc Propheta regius sic ad Dominum: *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto.* Fingere laborem in præcepto est, iuxta S. Bern. in Sententiis, ita nobis proponere suam legem, vt grauis & laboriosa esse videatur. ait ergo Propheta, *Nunquid sedes*, id est, thronus tuus, Domine, ita iniquus & importabilis est, sicut tyrannorum esse solet, propter labores & impositiones, quas imponunt subditis suis? nequaquam; nam ista laborum apparentia, apparentia sola est laborum, & veluti fictio quædam; nam reuerà *iugum tuum suaue est. & onus tuum leue*: quomodo ergo non fictus labor, vbi requies inuenitur?

Psal. 93.

Matt. 11. 30.

Cur igitur, inquies, Deus ita fingit, seu dissimulat huiusmodi laborem? S. Bernardus in Sententiis in fine, sic respondet: *Tentat te Dominus Deus tuus; nam fidei exercitatio, & probatio dilectionis, est fictio ista laboris.* Ita ille. Difficilia soleta nobis exigere Deus, quia in aggressione difficilium probantur & exercentur supremæ virtutes, fides, spes, & charitas nostra: fides, dum credimus Dei promissis, quod, verbi gratia, non patietur nos tentari supra id, quod possumus, sed facict cum tentatione prouentum: spes, dum in arduis firmiter Dei protectionem & præmia diuina speramus: charitas, quia charitas patiens est, & omnia suffert. Nostrum igitur est intrepidè ardua pro Dei amore subire, Dei autem est ardua reddere nobis non solùm tolerabilia, sed etiam suauia dulciaque.

A

B

Prop. XII. *Affectuum moderatio necessaria est ad nimium desiderium terrenarum rerum extinguendum.*

MAgno & vehementi desiderio bonorum temporalium tenentur ferè omnes mortales, & quidem mortales esse, sufficiens & abundans causa esse deberet ad huiusmodi appetitus moderationem; sed quia nihil minùs cogitant, quàm se mortales esse & mortem non tardare, remedium aliquod ad hoc desiderium temperandum adhibere tenentur: est enim multorum peccatorum radix, & per consequens damnationis æternæ, imò quia talis rerum temporalium appetitus & desiderium animæ ac cordis assiduus tortor est, sicut enim sitis corporalis corpus grauiter cruciat & affligit, vt in febricitantibus videmus; sic etiam desiderium inexplebile bonorum temporalium, animum torquet & vexat. Sicut ergo sitim extinguere curamus, sic etiam & ampliùs multò sitim hanc cordis sedare debemus; sitis enim corporalis non inducit periculum peccatorum, sicut sitis ista cordis: sitim autem corporis, quam febri laborans habet, quo pacto sedatur? Etenim duplex remedium habet talis sitis, vel scilicet aquam bibendo, vel febrim & bilem, vel humorem purgando, qui illius sitis causa est: & quis dubitat, multò meliùs esse sitim extinguere causam tollendo, quàm solummodò potu aquæ illam sedare? nam hoc nec sanum remedium est, sed potiùs nociuum, nec ita plenè sitim extinguit: redit enim quamprimùm, quia radix sitis manet in corpore. Febris animæ nostræ est affectus immortificatus, amor, v.g. sui ipsius, ardet amor hic in animæ venis, & arteriis, & hic est qui sitim excitat & accendit, vnde perfecta huius sitis curatio, non est bonorum temporalium acquisitio, nam hæc sitim potiùs auget quàm extinguit, crescit enim amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. Et idem de honore & delitiis & cunctis temporalibus bonis dicendum est, augent enim desiderium sui dum ipsa augentur: antidotum ergo necessarium & omnino à siti bonorū horum liberās est amoris proprij extinctio, cum qua extinguitur pariter sitis hæc, vnde maius beneficium præstat Deus seruis suis, cùm amoris nostri in nos flammas temperat, quàm cùm eis bona temporalia confert; sicut meliùs prouidet medicus infirmo, quem à febre liberat, quàm ei cui frigidam ad satietatem vsque præbet.

C

Prop. XIII. *Affectuum moderatio quantum conducat ad fruendum bonis temporalibus.*

SEneca epist. 21. hanc sententiam Epicuri refert, & laudat, *Si vis aliquem diuitem facere, non pecuniæ adiiciendum, sed cupiditati detrahendum est.* Ita Epicurus. ille, inquam, Epicurus quem vulgus tamquam voluptatum defensorem vituperat, sed quem viri sapientes, inter quos S. Hieron. laudandum in multis Philosophum censent: non enim voluptatem absolutè laudauit, sed eam quæ animum decet; vnde & virtutes omnes sequendas esse docebat; ex his enim animus voluptatem haurit. sed de hoc satis. Laudat, inquam, Seneca sententiam hanc, quam priùs Plato cuidam rei augendæ semper cupido dixit, vt ait Stobæus serm. 10. Dixit ergo illi Plato: *O improbe, ne studeas possessiones augere, sed minuere cupiditates.* Ita ille. Similiter Socrates Platonis præceptor interrogatus quomodo quis diues fieri possit, respondit; *Si cupiditatū inops fiat.* Hoc igitur est quod Seneca confirmauit addens: *Non istud tantùm existimes de diuitiis dictum: nam quòcumque transtulerù, idem poterit; si vis honestum facere, non honoribus adiiciendum est, sed cupiditatibus detrahendum. Si vis esse in perpetua voluptate, non voluptatibus adiiciendum est, sed cupiditatibus detrahendum.* Ita Seneca. Quare toto errant cælo qui plenè bonis mundi frui optantes, bonis temporalibus inhiant, & solicitudine nimiâ diuitias, honores & voluptates inquirunt. Compendiosa via ad hæc obtinenda est affectuum refrænatio, ille enim diues, qui paucis est contentus; ille honoratus satis, qui despicere nouit mundi honores; ille gloriosus, qui mundi gloriam proterit; ille voluptate plenus, qui voluptatum appetitum moderatur; ille satur, qui ad naturam edit & bibit, & his contentus est; natura autem paucis est contenta.

D

Prop. XIV. *Affectuum bellum ad exercitium virtutum conducit.*

IN statu iustitiæ originalis quamuis homo affectus istos humanos, quos nos habemus, haberet, dono tamen Dei ita rationi subditi erant, vt tanquam horologium quoddam ordinatissimum homo esset, nihil prorsus amaret, nec odio haberet, nec desideraret, nec fugeret, nec gaudio vel mœrore afficeretur, nisi secundùm regulas rationis; post peccatum verò amisso gubernaculo & regimine iustitiæ originalis ita deordinati illi affectus remanserunt, vt dicat Apostolus: *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcumque vultis illa faciatis.* Ecce bellum, seu potiùs duellum intra hominem post peccatum; hinc caro, inde spiritus. Vnde Apostolus ibidem vtriusque ducis disponit aciem, & milites eorum, & primò carnis. *Manifesta*, inquit, *sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, &c.* Deinde aciem spiritus introducit, subdens: *fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, &c.*

Gal. 5.

Quale verò quantumq; sit bellū ex parte carnis aduersùs spiritum, exposuit idem Apostol. dicens: *Video aliam legem in membris meis, repugnantē legi mentis meæ, & captiuātem me in lege peccati, quæ est in membris meis*, & subdit admiratione dignam exclamationē: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ponderanda sint illa verba *repugnantem & captiuantem*, suppositō, quòd lex ista repugnans, & captiuans est concupiscentia ipsa carnis, & appetitus sensitiuus, diciturq; hic appetitus repugnans, hoc est, rebellans & contra spiritum pugnans, sumptā metaphorā à pugnantibus contra se mutuo, & ab his, qui, cùm subditi esse deberent, & obsequētes, rebellant aduersùs dominum & superiorē suum; sic cùm caro

Rom. 7.

caro inferior sit spiritu, & ei tanquã suo superiori pare-
re deberet, rebellat tamen aduersùs spiritum. Vt autem
huius rebellionis vim exprimeret, addidit verbum il-
lud, *captiuantem me in legepeccati*; quomodo captiuan-
tem? nunquid in propria persona? an in persona loqui-
tur peccatoris captiui, & venundati sub peccato? S. Au-
gust. in persona iusti & sui ipsius Apostolum ait loqui,
& est sensus iuxta Augustinum, inuitum me, & relu-
ctantem, facit appetitus meus sentire, & pati, cuius im-
pulsus & vitiosæ inclinationes ita me inuadunt, vt non
possim euadere huiusmodi luctam; & interiorem im-
pulsum, vel secundùm alios, qui ex mente eiusdem S.
Augustini dicunt, captiuare hic idem esse, quod capti-
uare velle & conari. Denique quomodocumque sit,
vehementiam insinuat, & exprimit huius plusquam ci-
uilis pugnæ. Quòd si magnus ille Dei Apostolus, ille
à Deo in tertium raptus cœlum, ille primitias Spi-
ritus sancti nactus, illud prodigium sanctitatis, sic
huius belli fortitudinem sentit, & exclamat, dicens;
Infelix homo, &c. quid erit nobis? Sed quid ais, ô felix
& beate Apostole? si tu infelix, quis felix ex nobis? in-
felicem se ait, quia grauissimum est, & pœna ac dolo-
re plenum hoc certamen.

Nunc igitur quæro, cur Deus Opt. Max. qui boni-
tate suâ nos redemit, & à peccatis nos sanguine suo li-
berauit, non etiam à deordinatione horum affectuum
nos eripuit? cessante enim causa, cessare quoq; debet effe-
ctus. Effectus autem primi peccati fuit passionum no-
strarum furor. Si ergo à peccato nos Deus redemit, cur
non etiam ab hac affectuum vehementia & turbatione?
Cùm Romæ in Senatu propositum fuisset, an delenda
esset prorsus ciuitas Carthaginensis, & pro parte affir-
matiua ea fuisset allata ratio, Carthaginem hostilem
prorsus esse Romano imperio, Scipio Africanus nullo
modo delendam esse affirmauit, eò quòd maius bo-
num, quàm damnum, ex bellis Carthaginensibus Ro-
ma reportaret: nam deletâ Carthagine, cessare bella
Romana oporteret: cessantibus autem bellis Romanis,
cessabat quoque armorum exercitatio, quo Romani
milites & duces segnes ac desides effici necesse erat.
Celebrat consilium hoc Scipionis S. Augustinus in lib.
de Ciuit. Dei, & eius veritatem confirmat experimen-
to rei: nam tractu temporis Respublica illa, quæ ar-
morum exercitatione creuerat, pace & delitiis fruens,
periit.

Confirmat hoc quidem quod Scriptura sacra nar-
rat Iudicum 3. vbi rationem reddens, cur Dominus
non deleuisset hostes populi sui in terra promissionis,
Iudic. 3. ait: *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt eruditet in eis*
Israelem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum, vt
postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & haberent
consuetudinem præliandi. Ecce cur permisit Deus Chana-
næos & Philisthæos in terra Israelis, *para que se sus hijos*
à las armas, y con el exercicio dellas diestros en pelear en oca-
siones mayores. Idem igitur dicendum est de affectibus
& passionibus nostris. sicut enim restituit nos Deus in
pristinam gratiam suam, ita poterat nos restituere in
pristinam iustitiam originalem, & concordiam illam
affectuum cum ratione recta; sed noluit, vt eruditet
nos. nam hæc affectuum inclinatio ad malum, docet
nos, quàm debiles & infirmi simus, & diuina egentes
ope, & sic timeamus, humiliemur, & suppliciter Deum
adeamus, & oremus, &c. Secundò, vt expugnantes hos
affectus, consuetudinem bellandi habeamus aduersus
peccata grauia, ne sicut Adam superbiamus, vel alio
modo cadamus. Et tertiò addit sacer Textus, vt in
ipsis Chananæis experiretur Israelem, vtrùm audiret
mandata Domini, quæ præceperat Patribus eorum
per manum Moysis, an non. ita ibi. Et idem etiam de
passionibus nostris dicendum est: nam qui passionibus
suis resistit, & affectus suos negat, fidelem se Deo de-
monstrat, & se in cunctis semper obedientem futu-

A rum; omnia enim peccata, quæ committimus, inde
proueniunt, quòd affectibus corporis vel animi potiùs,
quàm Deo parere velimus.

Hinc Paulus: *Libenter*, inquit, *gloriabor in infirmitati-* 2. Cor. 12.
bus meis, vt inhabitet in me virtus Christi, propter quod placeo
mihi in infirmitatibus meis. Infirmitates hîc appellat Apo-
stolus affectus vehementes, & passiones concupiscen-
tiæ, quas aduersus spiritum eius excitabat hostis, vti
explicat S. Thom. cum S. August. eodem loco, ad quas
superandas gratiam copiosam illi Dominus tribue-
bat. Videns igitur ex huiusmodi luctа & pugna se per
Dei gratiam magnam meritorum vtilitatem reporta-
re, dixit se in suis & de suis passionibus, bellum ad-
uersùs ipsum gerentibus, gloriari, non enim malum est
passiones repugnantes habere, sed eis assentiri: si enim
resistiterimus, & eos superauerimus, in coronam gloriæ
nobis cedent.

Hinc est, quòd repugnantiam interiorem sentire, &
pugnam inter carnem & spiritum, non est malum, sed
bonum. illud autem malum est, quod nullum bellum
B huiusmodi sentiamus; nam hoc quidem signum est,
spiritum à concupiscentia victum & superatum esse;
semper enim carnis concupiscentia molesta est spiritui,
si tamen spiritus reluctatur. quòd si spiritus nõ reluctа-
tur, nec repugnat, pax quidem est & concordia inter
spiritum & carnem, sed pax & cõcordia mala, seruitus
animæ, & non pax. Sicut in bello, dum quis cum ho-
ste pugnat, non habet pacem cum eo, nec captiuus
eius est: at si superatur ab eo, bellum quidem cessat, sed
seruus & captiuus manet is qui superatur; sic si animus
affectibus repugnat, bellum intestinum & molestum
intus est. Sed hoc argumentum est, non esse victum
animum à concupiscentia; si verò non repugnat, ca-
ptiuus profectò & seruus carnis est.

Qui vult venire post me (ait Dominus Matth. 16.) *abne-* *Matt. 16.*
get semetipsum: hoc primum exigit Christus à sequenti-
bus se, quia hoc primùm requiritur ad virtutes ca-
pessendas; primum enim est, *declinare à malo*, de-
inde *facere bonum*; sicut agricola priusquam triticum se-
C minet, agrum à spinis & tribulis purgat: ager, vbi se-
mina virtutum iacienda sunt, cor nostrum est, ibi
passiones oriuntur immoderati amoris, vel odij, vel
aliarum affectionum: ab his spinis priùs est purgandus
cordis ager.

Vnde ad Ierem. cap. 1. *Ecce* (inquit) *constitui te hodie* *Ier. 1. 10.*
super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & dispe-
das, & dissipes, & ædifices, & plantes. Priùs (inquit) *vt*
euellas, posteà *plantes*: priùs *destruas*, deinde *ædifices*,
inquit.

Hinc constat, cur plures eorum, qui sacramenta &
conciones frequentant, & sanctos libros legunt, imò &
nonnulli religiosi, post multum temporis nihil profe-
cisse inueniuntur, quia non oriuntur virtutes, vbi non
fuerint extirpatæ immoderatæ passiones.

Prop. XV. *Affectuum mortificatio necessaria est ad perfectionem Christianam.*

D Sanctus Bernardus serm. de S. Bened. *Iuxta radicum*
quantitatem rami prodere noscuntur, & quot radicibus ar-
bor innititur, tot ramis, sicut aiunt, decoratur. Ita sanctus
Bernardus. Radices sanctarum operationum sunt af-
fectus moderati, & rectè cum ratione compositi, pro
mensura huiusmodi affectuum erunt sanctæ & perfe-
ctæ operationes, &c.

S. Ambrosius lib. 2. de Virg. *Quid*, inquit, *dubitas car-*
nem macerare ieiuniis? nonne concupiscit aduersus spiritum? at
si illam per abstinentiam macerueris, ex inimica amicam fa-
cies, & quæ plurimùm profit & iuuet. Ita ille. Maceratio
autem hæc, de qua agit S. Ambros. non consistit in
carnis debilitatione, sed affectuum; ad hoc enim or-
dinandum est ieiunium, & cilicium, & alia huiusmo-

di

di. Quòd si passiones carnis sic fuerint mortificatæ, *tunc*, ait S. Ambros. *caro non obstabit, sed adiuuabit animam*, vti patet in sancto Rege Dauid, qui inquit: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Quòd exultauerit in Deum anima, non ita mirum; ducitur enim anima ratione, sed caro, quæ ducitur passionibus, quonam pacto in Deo poterit exultare? quia scilicet quando subditur rationi, eò tendit quò ratio & anima organum & instrumentum fit ad Deum collaudandum & glorificandum, & ad satisfaciendum pœnitentiis corporalibus pro peccatis. Vide, quantùm interfit carnis passiones moderari.

Psal. 83.

Hinc est, quod Dominus in Exodo byssum retortam ad suum obsequium adhiberi jussit; cur retortam, & non solutam? Origeneshomil. 13. in Exod. *Byssus*, inquit, *terræ formam habet, qualis est caro nostra: carnem ergo non vult offerri Deo, fluitantem luxu, & deliciis resolutam, sed torqueri iubet eam, & constringi. hoc ergo est offerre byssum retortam.* Ita Origenes. Indicare igitur voluit Dominus Dei obsequio non esse aptam carnem dissolutam passionibus, sed carnem edomitam & subditam spiritui.

At, inquies, difficile ac molestum id est. Esto, sed inde meritum consurgit copiosum: nam iugis mortificatio pro martyrio prolixo reputatur, vt docet S. Bernardus serm. 30. in Cantic. Vnde Dauid nomine sanctorum virorum, ait: *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut ouis occisionis.* Quid est, *tota die mortificari?* Cantor Parisiensis: *Quia tota vita Sanctorum*, inquit, *martyrium est, in compassione proximi, in macerazione carnis, vel etiam effusione sanguinis propriq.* Ita ille. Denique assidua passionum repressio & refrænatio appetitus, & abnegatio quotidiana sui, quid aliud est, nisi perpetuum totius vitæ martyrium?

Sic Deus ad Abraham: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, &c.* Quid est quòd de terra sua iubet hic Deus exire Abraham, cùm tamen iam exisset et extra terram suam? tunc enim in Chanaan degebat. Abraham autem non erat de Chanaan, sed de Chaldæa. S. Ambrosius: *Consideremus*, inquit, *ne forte hoc sit exire de terra sua, de huius terræ, hoc est, de corporis nostri quadam egredi commoratione*; *secum enim duxerat Lothum nepotem suum.* Ita S. Ambrosius. quasi dicat; fortè affectum cognatorum non adhuc dimiserat, ob id dixit illi Deus: *Exi de terra tua*, terrenum est corpus nostrum, terrenæ quoque sunt affectiones erga cognatos, à tali terreno affectu voluit Deus abscedere Abrahamum, nimirum quia dixit ei: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Perfectos ab affectibus terrenis libros esse exigit Deus, inde ad eos, qui per viam perfectionis ipsum sequi vellent, ait Christus; *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c.* Sunt enim qui volunt perfectos esse cum huiusmodi affectibus suis, sicut adolescens ille, cui dixit Christus. *Si vis perfectus esse: vade, & vende omnia quæ habes, & sequere me*, ille verò renuit, quia affectus erat diuitiis suis: affectus hic perfectionis iter impediuit, &c.

Gen. 12.

Ambr. li. de Abraham Patriarcha.

Gen 17.

Matt. 16. Luc. 9.

Matt. 19.

PROP. XVI. *Affectuum mortificatio ad superandas tentationes plurimùm conducit.*

SOlent se nobis quasi surreptitiæ quædam occasiones offerre, quæ valde animum commouere solent, aut ad odium, aut ad amorem indebitum, ad iram vel tristitiam nimiam, &c. à quibus ille animus liber euadere solet, qui in schola mortificationis & moderationis affectus bene fuerit versatus. Sicut enim iugales equi ab auriga recta via incedere edocti & instructi non deserunt viam, illo etiam habenas remittente; sic hi, quibus bruti affectus sunt domiti, & sub iugum rationis missi, certi sunt quòd nec in sanitate, nec in morbo etiam facilè recalcitrant, & in oblatis occasionibus, quæ rationem præuenire solent, à vero bonoque non deuiant.

PROP. XVII. *Ex affectibus moderatis pensanda est potius sanitas animæ, quàm ex vultu exteriori.*

SVrius I. tom. in vita S. Basilij: *Ephrem*, inquit, *vir memorabilis, cùm esset eremi cultor, quodam sanctis Spiritus edoctus lumine vidit hominem Basilij amantem, & eum percontatus cognouit ex illo admiranda illius sanctæ Viri opera: itaque sine intermissione petiit sibi à Deo reuelari, cuiusmodi esset Magnus Basilius. Vidit ergo in extasi columnam ignis, cuius vextex attingebat cælum, & vocem supernè allatam audiuit: Ephrem, columna ignis quam vidisti, Magnus Basilius est. Mox igitur adhibito sibi interprete (nesciebat enim Græcè) venit ad Ecclesiam Cæsareæ, & ingressus clanculo conspexit Basilium in Ecclesiam procedentem, indutum stolâ candidâ, & clerum, qui illum comitabatur, candidis amictum vestibus, dixit Ephrem socio suo: Fruſtrà nos, opinor, laborem hunc suscepisse, hic namque Basilius, cùm in tali sit ordine constitutus, non est talis, qualem didici per visum, & secum sic ducebat: Nos, qui portamus pondus diei & æstus, nihil consequuti sumus, & hic tantis stipatus turbis, tantaq; præditus dignitate, ignis columna est? id mihi prodigiosum esse videtur. Eo talia igitur cogitante, sanctus Basilius mittit ad eum suum Archidiaconum, dicens illi: Velis ingredi presbyterium; vocat enim te Archiepiscopus. B. Ephrem, vbi per interpretem cognouit quæ dicebantur, respondit Archidiacono: Erras frater, nos enim peregrini sumus. Abiens Archidiaconus retulit hæc Basilio. interea ille legente sacros codices, vidit S. Ephrem linguam igneam loquentem per os eius, rursus q; S. Basilius dixit Archidiacono: Vade, & dic ei: Domine Ephrem, velis te intrò recipere in sanctum presbyterium. Obstupuit Ephrem ad visionem, dedit gloriam Deo; & flexò poplite, dixit: Verè Magnus Basilius, verè columna ignis Basilius est, reuerà Spiritus sanctus loquitur per os eius, petiitq; ab Archidiacono, vt eum excusaret, & licet expleto ministerio in secretario eum saluturare. Obtinuit, & peracto ministerio in secretario salutauit Basilium, & ad eum Basilius: Quorsum Abba hunc laborem suscepisti? venisti videre hominem peccatorem, sed Dominus laborem tuum iuxta mercedem compenset. Petiuit S. Ephrem abeo, vt à Domino impetraret notitiam Græcæ linguæ, quod obtinuit, &c. ita Surius. Sic S. Ephrem certò cognouit, quod vera sanctitas non in cultu exteriori, sed in affectu interiori & virtute animæ consistat, &c.

PROP. XVIII. *Affectuum moderatio conducit ad labores æquo animo ferendos.*

LAnceæ illa quæ Christi Domini latus aperuit; sanguinem quidem è latere Christi deduxit, non tamen inde Christi corpus doluit, quia mortuum iam erat: vulnerare igitur potuit, sanguinem extrahere potuit, dolorem efficere non potuit, quia mortuum corpus sentire non potest: sic etiam de homine mortificato dicendum, si verè affectus mortificauerit suos, opprobriis velut lanceis poterit vulnerari in corpore, sine dolore tamen, quia mortuus est mundo; *mortui enim estis*, ait huiusmodi hominibus Paulus: Dices, num lapides insensibiles hi sunt, vt labores, & persecutiones, & tribulationes non sentiant? Neque fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea æneа est, ait patientissimus ille Iob. sentiunt quidem, non abnuo, sed tamen tanta cum moderatione, quantam in eodem S. Iob videre licet, qui cùm illi simul amissio omnium facultatum, & filiorum omnium annuntiata fuit, scidit quidem vestimenta sua, sed dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Vestimentorum scissio exterior quædam doloris manifestatio fuit, sed qualia extiterint eius interiora, ex verbis collige: nam de corde exeunt, quæ linguâ proferuntur, gratiarum actionem verba sonant: ex pacato igitur & cum diuino corde conformi corde promanant: quid ita? quia vir mode-

Ioan. 19.

ratus erat, & affectus moderatos habebat, idem in Tobia, & Ioseph, & Apostolis, maximè in Paulo, constat. S. Chrysost. *Nec paupertas tristitiam, nec diuitiæ voluptatem gignunt, sed hoc & illud opinio nostra parit: nam si eum qui in stercore cubat, & se in misera illa conditione esse dolet, liberis & necessariis rebus instructum reddas, rursus dolebit, quod non vltra necessitatem superfit aliquid. adde plus, & plura concupiscet, nec minus idcirò dolebit, etiamsi duplum & triplum addas. Æger enim erit, quod iam in Republica non sit: istud si concedas, miserum se quod inter primos non sit, putabit: sed & hoc affectus, dolebit, quod non sit Princeps, & si sit, quod non totius gentis, & si sit, quod non multarum, si multarum, quod non omnium, iam qui Princeps est, dolebit quòd non & Rex sit; & si sit Rex, quod non solus, si solus, quod non & barbarorum, quod non vniuersi orbis terrarum, & si vniuersi, iam orbem non esse alterum dolebit: in immensum itaque cupiditas progressa conturbare se nusquam intermittit. Vides arbitror, è vili mendico si Regem facias, etiam tristitiam extirpari non posse, nisi mentem ambitionis studio flagrantem ponat prius. Age igitur, nunc contrarium doceamus: nam vt maximè de summo ad imum cordatum virum deducas, tristitiam tamen incuties nunquam. Quòd si vis iisdem gradibus descendamus. Primatem igitur à sua dignitate exutum cogitatione deducamus, nihil ob eam rem dolebit, neque enim quid ablatum, sed quid superfit cogitabit, gloriam scilicet magistratu partam, sufficientiq; in consolationem opes interim relictæ. quòd si etiam his illum deturbes, statim ad sortem hominum mediocrium animum conuertet, quòd si hinc etiam illum deiicias, ita vt vltra necessitatem nihil illi concedas, eos reputare sciet, quibus nec ista quidem contigerunt, sed perpetuâ fame conflictantur, & carceribus tenentur: quòd si in carcerem hunc intrudas, acerbu doloribus, & immedicabilibus malis obnoxios cogitabit & conditionem suam intelliget esse multò meliorem, & sicut humi cubans ille, nec rex quidem factus frui latitiâ vllâ mentis potest. ita hic nec vinctus quidem dolebit vnquam. Igitur non sunt opes voluptatum causa, nec tristitiæ paupertas, sed animus & oculi mentis non puri: & sicut sana corpora, si solo victuent pane; nihilominus pinguia, & vegeta sunt, morbida verò etiam sumptuosâ mensâ imbecilliora redduntur, sic euenire in hominum animis solet. pusillanimes, etiam si diademate, & magnis honoribus potiantur, ad se redire nesciunt: Philosophi verò etiamsi in vinculis, & catena sint, voluptate meâ fruuntur.* Ita S. Chrysost. Hinc igitur constat lætitias, & tristitias in eucntibus mundi non ex ipsis rebus, sed ex qualitate animi proficisci: moderatus animus moderatè fert omnia, ea etiam, quæ grauia sunt: immoderatus autem animus, nec in prosperis rebus gaudium habet.

Hom. 38. in 1. ad Corinth.

In huius rei confirmationem exemplum huiusmodi adducit S. Chrysostomus: *Siccitas* (inquit) *inuasit quondam regionem nostram, trepidabant velut in extremis omnes: Deum inuocabant, & videre erat quod in Mose scriptum est, cœlum æreum redditum, & nihil iam quàm mortem omnium terrimam exspectari: verùm aliter visum benigno Deo, pluuia enim præter omnium exspectationem largissima, & immensa desuper ruebat, itaque omnes iam gaudio exultare, festum celebrare, vt qui ab ipso mortis limine reduces fe putarent. In his tantis bonis in communi omnium lætitia populentorum quidam tristiu, teter, & examinis pre dolore circuibat: rogantibus multis causam, cur ita in communi omnium lætitia solus ipse doleret, continere grauem animi dolorem homo non potuit, sed morbi sæuitiâ incitatus, causam in medium prorupit; mille inquit, modia frumenti domi cùm possideam, non reperio quo pacto faciam auctionem, nonne hunc ob talia verba lapidibus obrui, qualibet ferâ crudeliorem hostem publicum, oportebat? quid homo ais? dolet tibi non omnes periisse, vt tu faceres quæstum? non audis quid Salomon dicat?*

Prou. 11.

Qui abscondit frumenta, execrabilis omnibus est. *Vides quomodo aurum homines esse homines non sinat, sed in bellua, & damones mutet? quid autem obscero huiusmodi viro miserandum magis, qui famem precibus optet, vt auro potiatur. Equidem morbus illi in contrarium: cedit abundantia*

A *enim facultatum suarum non gaudet, sed ob hoc ipsum dolet, quod possideat immensa, quamquam multa possidentem gaudere oportebat, atqui hoc ipsum ille dolet. Vides quod dixi auaris è rebus præsentibus nunquam tantam esse voluptatem, quantum ex affectatu perturbationum? Nam qui myriades immensi frumenti habet famelico quouis mendico magis alget, sapius gemit: nam hic quidem victum necessarium adeptus triumphat, exultat, Deo gratias agit: ille verò, qui multùm possidet, indignatur, & se periisse putat. Non est affluentia igitur quæ voluptatem parit, sed animus rectè institutus, sine quo licet quis cuncta possideat, velut omnibus priuatus viuet: quando ille quoq; de quo disputamus, etiasi tanti quæ habebat vendidisset, quanti optabat, rursum doluisset tamen, quòd non pluris: si pluris, rursus amplius quiddam affectasset. quod verò à principio non tantum pretij affectauit, non est quod mireris: nam & ebrij non statim à principio incenduntur, sed vbi multum meri iam ingurgitauerint, tum flamma illa grauis se tollit: sic hi quantò supersit plus, tantò pluribus egent, vt qui plurimum faciunt lucri, iidem sint*

B *maximè destituti. Neque ad hunc quæ dico pertinent solum, sed ad omnes qui simili morbo laborant, pretia rerum intendunt, cæterorum egestatem negotiando procurant. Miserior diæ nulla omnino ratio est: excitat auaritiæ studium oblata lucri occasio.* Ita S. Chrysost. Lacrymarum vallis hic vbi degimus est, nullus quantumuis rex, quantumuis felix, expers laborum reperitur: illum enim dicimus felicem, non non qui aduersis caret, sed qui minoribus laboribus laceratur. remediis igitur aduersùs aduersa omnes indigemus, inter remedia verò à sapientibus assignata, non infimum locum tenet affectuum moderatio: nam dolorum nostrorum causa non tam est aduersus casus, quàm passionum animi intemperantia & immoderatio, impatiens, v.g. grauiter damna fert, patiens lenius dolorem fert, auarus paupertate valdè grauatur, sed pauper spiritu, seu diuitiarum contemptor facilè se

C *cum inopia componit: humilis non solùm facilè injurias tolerabit, verùm sæpè gaudebit, superbus si vel in pilo indumenti sui honoris detrimentum senserit, cælum manibus apprehendit, &c.*

Vnde Seneca, *Epicurus multis, inquit, paræ se diuitias non finis miseriarum fuit, sed mutatio. non hoc miror, non est enim in rebus vitium, sed in animo ipso, illud quod paupertatem nobis fectrat grauem & diuitias graues efficiet, sicut nihil differt vtrùm ægrum in folio aureo, aut in ligneo colloces, quòcumque illum transtuleris, morbum suum secum transfert, sic nihil refert vtrùm animus æger in diuitiis an in paupertate ponatur, malum suum sequetur illum.* Ita Seneca.

Epist. 17.

PROP. XIX. *Affectus nostri materiam tentandi dæmoni præstant.*

Hom. 39. in 1. ad Corinth.

D

CVm primos parentes tentare vellet hostis antiquus, serpentis formam assumpsit, dum per serpentem Euam tentauit, cur ita? cur inquam serpentem præ se tulit, cùm serpens ad terrendum potiùs, quàm ad alliciendum aptus esse videatur? Nimirum, quia vt ait S. Augustinus lib. 11. de Gen. ad literam c. 3. *Exist imandum non est quòd diabolus serpentem, per quem tentaret, elegerit, sed cùm decipere cuperet, non potuit nisi per animal quoddam: nocendi enim voluntas inest ei à se, sed potestas à Deo.* Ita S. Augustin. Quærendum igitur est, cur Deus non medio alio animali, sed mediante solo serpente hominem permiserit tentari. Hoc igitur sic permissile Deum dicimus, vt qualis hostis sit in nos exprimeret manifestiùs. nam primò serpens virulentus est, & veneno mortifero inficit, quos ferit: sic diabolus nobis tabificus, & virulentus est, & veneno mortifero afficere satagit nos. quid enim aliud est peccatum mortale, ad quod inducit homines, nisi mortiferum venenum? venenum, inquam, non ad occidendum corpus, quod minus est, sed ad occidendam animam, quod grauissimum est. Secundò, serpens animal insidiosum & callidum est, vnde *Tertullianus libro de Spectaculis: Colubrina*

Gen. 3.

vis

vis, inquit, *tenax est ad occupandum, tortuosa ad obligandum, liquida ad elabendum, talis est coluber infernalis, tenaciter occupat peccatores, & suis laqueis obligat, ligat & capit & quasi insensibiliter elabitur, dissimulans quò vadat, & vnde veniat.*

De cuius calliditate sic S. Leo serm. de Circumcisione, *Omnium ventilat turas, discutit consuetudines, animos scrutatur, & ibi quærit causas nocendi, vbi aliquem viderit studiosius occupari.* Ita ille. hoc est, ex affectibus, & inclinationibus nostris laqueos conficit ad capiendos nos. Quare nostros potiùs timere debemus affectus, quàm actus & conatus hostis ; sine his enim vix tentare nouit.

Vnde cùm primos parentes tentare voluit, & cùm (iustitiæ originalis beneficio) eos liberos ab omni deordinatione affectuum partis sensitiuæ esse prospiceret, ad partis superioris inclinationes recurrit. Vidit ergo illos sapientiæ studiosos, & excellentiæ dignos, & ea propter ex desiderio sciẽdi & essendi, ansam
Gen. 3. 5. capiens: *Eritis*, inquit, *sicut dij, scientes bonum & malum, si comederitis ex ligno.* non ait: Comedite ex ligno, quia fructus eius dulcissimus & suauissimus est: non enim ad huiusmodi corporales sapores eos affectos prospexit, sed ad scientiam & deitatem allexit, ad quæ naturæ nostræ excellentia tunc homines inclinabat, &c. Ecce ex nostris inclinationibus conficit laqueos nobis, &c.

Prop. XX. *Affectus moderati vtiles nobis sunt.*

SApientem nunquam moueri, dogma Stoicorum fuit: at dogma istud sapientium infidelium fuit, nos autem qui fidei lumine potimur, passionum vsum & motum non malum nec nobis nociuum seu inutilem iudicamus, sed potiùs vtilem, & vt ait Eusebius. Emissen. *ad æternam vitam consequendam aptissima sunt, si eas non super caput nostrum, sed sub pedibus constituerimus, velut scala. sunt, quibus in cælum ascendamus; sunt enim ad*
Psal. 4. *meritum gloriæ vtiles valdè.* Vnde Dauid, *Irascimini*, inquit, *& nolite peccare*, potentia enim irascibilis, si rationis fræno & regimine gubernetur ad multa animæ vtilia conducit: sicut enim in mari ventorum tempestates vehementes nociuæ & pernicioſæ quidem sunt, & naufragiorum causa, si verò ventus moderatus & temperatus fuerit, vtilis & ad nauigandum perneceſſarius est: sic passionum motus, si intempestiui & immoderati fuerint, in perniciem nobis erunt, si verò moderati & temperati, vtiles & neceſſarij animæ & saluti eius sunt.

Prop. XXI. *Cur Deus aliquâ passione nos aliquando vexari permittat.*

OPto, inquis, omnem affectum inordinatum moderari; sed tamen tali vel tali passione ita afficior, vt ab ea sæpè me superari conspiciam. Punctum hunc tetigit S. Gregor. 5. Moral. 21. & 22. & ait: *Sæpè mens quæ aduersa multa & fortia superat, vnùm in se & fortasse minimum, quamuis magnâ intentione inuigilet, non expugnat; quod diuinâ agitur dispensatione, ne ex omni parte virtutibus splendidis in elatione subleuetur. & dum in se parum quid reprehensibile videt, & tamen hoc subigere non valet, nequaquam sibi, sed auctori, victoriam tribuat, in his quæ subigere fortiter valet.* Ita S. Gregor.

In huius rei typum legimus Iosue 16. non omnino superasse populum Israeliticum omnes Chananæos: superauit quidem plures illorum Gentilium nationes,
Iosue 16. 10. & ita promissionis terram obtinuit, sed non penitus omnes deleuit. *Habitauit*, inquit, *Chananæus in medio Ephraim tributarius.* Cur non penitus extinctus, sicut populi alij? S. Gregor. 4. Moral. 22. *Quid*, inquit, *Chananæus, Gentilis videlicet populus, nisi vitium significat? & sæpè magnis virtutibus terram promissionis ingredimur, quia spe in-*
Labatæ Tom. I.

A *timâ de æternitate roboramur, sed dum inter acta sublimia vitia quædam parua retinemus, quasi Chananæum in terra nostra viuere concedimus, qui tamen nobis tributarius est, quia hoc ipsum vitium, quod subigere non valemus, ad vsum nostræ vtilitatis per humilitatem retorquemus; vt eo de se mens etiam in summis humiliter sentiat, quo suis viribus etiam parua, quæ appetit, non expugnat. vnde & bene tursum scriptum est:* Hæc Iudic. 3. *sunt gentes quas Dominus dereliquit, vt eruditet in eis Israelem. ad hoc namq; vitia quædam minima in nobis retinentur, vt sese nostra intentio solicita in certamine semper exerceat, & eo de victoria non superbiat, quo viuere hostes in se conspicit, à quibus vinci adhuc formidat. Israel ergo reseruatis Gentilibus eruditur, quando in quibusdam minimis vitiis elatio virtutis nostræ comprimitur, & in paruis sibi resistentibus discit quod ex se maiora non subigit.* Ita S. Gregor. vbi obserua aliam rationem à S. Gregorio hic affignatam; cur Deus permittat in nos bellum hoc passionum, nempe vt solicitiores in certamine spirituali simus, marcet enim sine aduersario virtus, vti Seneca dixit.

Prop. XXII. *Affectus sunt in sui principio coercendi, vt facilius moderentur.*

SEneca epist 117. *Non obtinebis, vt affectus desinat, si in-* Seneca.
cœpere permiseris, imbecillis primò est omnis affectus, deinde ipse concitat & vires, cùm procedit, parat, excluditur facilius, quam expellitur; intrantibus ergo resistamus, quia facilius, vt dixi, non recipuntur, quàm exeunt, aliquatenus, inquis, dolere, aliquatenus timere permitte: sed istud aliquatenus, longè producitur, nec vbi tu vis, accipit finem. Ita Seneca.

Idem Senec. lib. 1. de Ira c. 7. *Facilius est non admittere pernicioſa, quàm admissa moderari; nam cùm se in possessionem posuerunt, potentiora rectore sunt, nec recidi se minùs patiuntur; deinde ratio ipsa, cui fræni traduntur, tam diu potens est,* C *quam diu deducta est ab effectibus. Si miscuis se illis, & inquinauit. non potest continere quod submouere potuisset, commota enim semel & concussa mens ei seruit quo impellitur. quarundam rerum initia in nostra sunt potestate. vlteriora nos vi sua rapiunt, nec regressum relinquunt. Vt in præceps dato corpore, nullum sui arbitrium est, nec resistere vel sistere deiectum potest, sed omne consilium & pœnitentiam irreuocabilis præcipitatio abscidit, & non licet eò non peruenire, quò non ire licuisset. ita animus si in iram, amorem, aliósue se proiecerit affectus, nõ permittitur reprimere impetum, rapiat illum oportet, & ad imum agat suum pondus, etiam vitiorum natura procliuis. optimum igitur est iritamentum iræ: primum protinus spernere, &* D *ipsis repugnare seminibus, & dare operam ne incidamus in iram, nam si ceperit ferre transuersos, difficilis ad salutem recursus est; quoniam nihil rationis est, vbi semel affectus est inductus, & ius illi aliquod voluntate nostrâ datum est, facit de cætero quantum volet, non quantum permiseris. In confinibus hostis arcendus est: nam cùm intrauit & portis se intulit, modum à captiuis non accipit: neque enim sepositus est animus, & intrinsecus speculatur affectus, vt illos non patiatur vltra quàm oportet procedere, sed in affectum ipse mutatur: & ideo non potest vtilemillam vim & salutarem, perditam jam, & infirmatam reuocare.* Ita ille.

Prop. XXIII. *Affectuum moderatio requirit vigilantiam, & curam magnam.*

QVi equum ad prælium ducere vult, non in prælio ipso domare illum incipit, nec in cursu ipso iniicit frænum, sed ante prælium eum domat; & docet parere equitanti, & ante cursum frænum imponit, sic etiam cum appetitu nostro agendum est nobis, non enim tunc frænandus est affectus cùm surgit, sed ante occasiones omnes quæ excitare passiones solent, *es vn caballo de bacado nuestro apetito, y si no esta con tiempo domado con exercitio de mortificacion, y oracion pueſto en la occasion deſpennarlos ha.*

Magnam adhibet curam agricola circa fuorum

agrorum culturam, eò quòd terra vi & naturâ suâ ma- A
las producat herbas, bonas verò non nisi culturâ ni-
miâ, & solicitudine colentis eam. Etenim homo ter-
ra est, & ex terra procreatus, terram sapit, & sicut ter-
ra natura sua spinas & tribulos gignit, siccaro nostra
affectus animales. *Sensus*, inquit, *humani cordis in ma-
lum proni sunt ab adolescentia sua*, ad hoc inclinat appeti-
tus noster, hæc gignit terra corporis nostri. Sicut er-
go agricola magnâ solicitudine excolit terram, & pur-
gat eam; sic nos solicitudine magnâ oportet excolere
terram hanc nostram, à vitiosis affectibus eam expur-
gando, & virtutum semina serendo, &c. *Diligenter*, in-
quit Salomon, *exerce agrum tuum, vt postea ædifices domum.*
Quod vt suadeat, subdit: *Per agrum hominis pigri transiui,
& per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, &
operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destru-
cta erat.* Litteram hanc ad spiritum referre oportet, de
cultura enim spirituali potissimum agit sapiens. Vide
in rebus spiritualibus pigros, & maceriam animæ di- B
rutam inuenies, & vineam cordis perditam prorsus,
quia sicut dictum est, sponte vitia, cum labore virtutes
profert terra nostra. Vide S. Ambr. in Psal. 43. & S. *Ber-
nardum* de vita solitaria ad Fratres de monte Dei.

Prop. XXIV. *Affectus amputati repullulant.*

HOc discrimen est inter hortum pictum & verum,
quòd in horto depicto herbæ & virgulta non
crescunt, quia non habent intus vegetantem vim: at
herbæ in vero horto etiam si semel & sæpè ab hortula-
no amputentur, iterum ac iterum pullulant, & cre-
scunt: nam intus habent vitam vegetatiuam. *Veteys en
vn jardin hechos de arroyanes y mirthos vultos humanos con
pies y manos, y cabeças figuradas que si el gardinero no anda
siempre con la tigera en la mano cortando y ajustando las ra-
mas, luego se desfigura todo, y los labores y figuras que cortadas
y ajustadas pareçian bien, dexadas crecer pareçen mal.* Idem
etiam de nobis dicendum est, habemus enim vias in- C
teriùs passiones quas semper secundùm regulas ratio-
nis amputare & coaptare oportet; quas si neglexerimus
dum crescunt, deformem animum reddunt.

Prop. XXV. *Affectus immoderati multiplicantur, & peiores indies fiunt.*

SAnctus Leo Papa serm. 4. de Ieiunio Penit. *Terra
carnis nostræ, nisi assiduis fuerit subacta cultibus, citò de
segni otio spinas tribulosq; producit, & partu degeneri dabit
fructum non horreis inferendum, sed ignibus concremandum.*
Ita S. Leo, qui alludit ad naturam terræ post pecca-
tum, terræ, inquam, cui maledixit Dominus, dicens
Adæ: *Maledicta terra in opere tuo; spinas & tribulos germi-
nabit tibi.* in opere tuo, non in opere culturæ; quia in
hoc segetes bonas profert, sed in opere tuo, hoc est, in
opere tuo malo, comedendo scilicet ex arbore prohi-
bita, vti exponit S. Hieronymus, *per el mal que tu hiziste,* D
Gen. 3. opere tuo, non Dei; vnde in Hebræo habetur, *Maledicta
humus propter te*, & paraphrasis Chaldaica, *Maledicta ter-
ra in transgressione tua*, & concordant Aquila & Theo-
dotion. Sic igitur terra nostræ carnis spinas & tribu-
los passionum deordinatarum post peccatum producit,
sicut malo nostro experimur. Sicut ergo terram sem-
per colere oportet, vt germina bona producat, sic et-
iam cor nostrum semper colere operæ pretium est, ne
passiones proferat malas auaritiæ, ambitionis, gulæ,
lasciuiæ, & similium. Curam autem & solicitudinem
auget naturalis amicitia, & perpetua vnio corporis &
animæ nostræ, vnde S. Bernardus serm. 3. de fragmen-
tis. *Quàm domesticus hostis*, inquit, *& quàm perniciosa lu-
cta, quam intestinum bellum! hostem hunc crudelissimum, nec
fugere possumus, nec fugare, sed circumferre illum necesse est,
quoniam alligatus est nobis: nam quod periculosius est & mi-* A
*rabilius, hostem nostrum ipsum sustentare oportet, perimere non
licet. Vide ergo, quàm solicitè te custodire necesse sit ab ea, quæ
dormit in sinu tuo.* Ita ille. Quibus congruunt quæ docet
sanctus Hieronymus epist. 1. & S. Chrysost. homil. 24.
in Acta Apost. S. Gregor. 8. Moral. 13. S. Laur. Iustin.
de interiori conflict. c. 8.

Prop. XXVI. *Affectuum mortificatio necessaria est ad obseruationem legis diuinæ.*

EXod. 19. dicturus Dominus legem filiis Israel in
monte Sinai, sonitum buccinæ sonare fecit: *Clan-* Exod. 19.
gor buccina (ait) *vehementius perstrepebat*, & infrà, *& sonitus* v. 1. 6 &
buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixius tendebatur. 18.
Cur in sono huiusmodi tubæ dedit Dominus legem:
cur non potiùs in cymbalis bene sonantibus, in cym-
balis iubilationis, in cytharis & organis, quæ magis
Ecclesiasticam redolent religionem, ad quam lex spe-
ctat diuina, & non in tuba quæ ad castra pertinet, &
ad bella? quia qui legem hominibus dabat, eos ad bel-
lum, & ad castra vocabat. non enim obseruari lex po-
test, nisi quis cum mundo, & diabolo, & carne conferat
manum, & acriter pugnet, hi enim hostes animæ, ho-
stes diuinæ legis sunt: non enim aliter expugnant ani-
mas nostras, nisi eas à legis obseruatione deturbando;
& maximè bellum legis est contra cordis affectiones:
hæ enim sunt quæ militant aduersùs animam, & ad-
uersùs legem Dei, vnde si mundus, & diabolus bellum
aduersùs animam gerunt, est mediis affectionibus.
Quare qui legem Dei plenè obseruare contendit, ad-
uersùs passiones suas contendat, & pugnet: hæ enim
sunt, quæ obstant, &c.

Qui relictis in animo passionibus inordinatis opera
mala vitare curat, est quasi qui arboris ramos amputat,
radicibus prætermissis: tunc enim rami repullulabunt
amputati. Vnde S. Chrysost tom. 5. hom. 8. de Pœni-
tentia, expendens verba illa Christi, Matth. 5. *Qui vi-
derit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in
corde suo, Non modo* (inquit) *morbum, sed & morbi radi-
cem Christus euellit. Radix adulterij concupiscentia est impudi-
ca; quare non solùm plectit adulterium, sed & concupiscentiam,
matrem adulterij; sic & Medici faciunt, non ad morbos in-
stant solùm, sed ad causas etiam tollendas: quamuis enim ag-
grotantem oculum viderint rheuma desuper à temporibus com-
pescunt; sic & Christus facit. Cæcitas mala est; adulterium ocu-
lorum est morbus, non corporis solùm, sed animæ. Priùs idcirco
inde compescit rheuma impudicitiæ per timorem legis, quare
non solùm adulterium punit, sed concupiscentiam vlciscitur eti-
am, iam* (inquit) *mœchatus est in corde suo. Corde corrupto,
quæ dei ceps vtilitas in corpore reliquo?* Ita S. Chrysost.

Prop. XXVII. *Affectuum moderatio pacem veram animi, pulchritudinem præstat.*

PRouerb. 3. de virtute sub nomine sapientiæ, *Vias,* in- Prou. 3.
quit Salomon *eius via pulchra & omnes semitæ eius pa-* 17.
cificæ, per vias quibus graditur virtus, præcepta intel- Prou. 3.
ligit, secundùm id *viam mandatorum cucurri*, per semitas 32.
consilia, & quæ in lege nostra strictiora sunt. duo igi-
tur Sapiens inquit, primùm *via virtutis pulchra sunt:*
quænam pulchritudo hæc? nam pulchritudo de cor-
poribus, propriè dicitur, vel de corporum imaginibus,
sicut & deformitas, homo hic pulcher est, ille deformis
imago hæc formosa, illa turpis, &c. ita est: sed meta-
phora est ex corporibus desumpta, etiam pulchritudo
moribus attribui potest, pulchritudo autem in quadam
debita partium proportione cõsistit: vti commentator
Arist. Auerroes adnotauit 7. Phil. c. 18. & alij Philosop.
Si enim frons promineat oculi verò profundi sint, quã-
uis in se frons pulchra sit, & oculi per se pulchri, faciem
deformem reddet, & sic de partibus aliis, quarum tan-
ta exigitur ad pulchritudinem proportio, vt vel vnius
ima-

improportio totum deforme reddat corpus; sic igitur in moribus nostris quamuis quis aliquas, imò & multas actiones bonas eliciat, si aliquod malum fuerit operatus, omnem morum bonorum pulchritudinem deturpauit. Hinc intelligitur illud Iacobi, *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* quid ita? quia abstulit illam proportionem communem omnium actionum & viarum virtutis, & sic abstulit pulchritudinem, & per consequens, statum debitum virtuti: omnes enim viæ eius pulchræ, ob proportionem scilicet, quæ ex omnibus simul sumptis resultat. Luc. 2. 10.

Secundum, *& omnes semitæ eius pacificæ*, id est, strictiora virtutis, qualia sunt illa quæ Christus dixit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam. Beati pauperes*, id est, contemptores temporalium opum, *Beati qui lugent*, hoc est, pœnitentes: hæ semitæ strictæ virtutis sunt. de huiusmodi ergo ait, pacificas esse: pacificum autem idem est quod pacem faciens; quo ergo pacto semitæ virtutis, mortificationes scilicet cordis, & corporis, pacifici dici valent, cùm potiùs intestinum bellum ferant? tunc enim spiritus concupiscit aduersùs carnem, & caro aduersùs spiritum, quod in his qui suos sequuntur affectus, non reperitur: magno enim hi gaudio, & magnâ fruuntur pace. quomodo ergo semitæ virtutis pacificæ sunt? fateor, bellum contra carnem, huiusmodi semitæ secum ferunt, sed bellum hoc pacificum est, sicut bellum quod Rex aduersùs infideles infestos facit, pacificum dici potest, quia bellum ipsum ad pacem & securitatem ordinatur, nulla enim regnum pace frui potest, nec securitate perfectâ gaudere, nisi de medio vel de confinibus suis inimicos tollat, sic nisi spiritus carnis appetitus subdiderit sibi, pacē & securitatem spiritualem & Christianam habere non poterit. at dicis: si non spiritualem sic habuerit, habebit tamen corporalem, voluptatibus fruens iuxta appetitus exigentiam; quid, hanc tu pacem vocas? captiuitatem potiùs seu miseram seruitutem dicere debuisses. habētne pacem Christianus, qui apud Turcas captiuus est, quamuis ille voluptatibus sit delinitus? cui sensus captiuum spiritum ducit, qui Rex in homine constitutus est, hic captiuus in peccatoribus est, quomodo ergo ei est pax? illam ego pacem dixerim, quæ carnem spiritui subditam habet. Audi Augustin. lib. 1. de ser. Domini in monte ca. 2. exponentem illud Matthæi 5. *Beati pacifici*, &c. *Pacifici* (ait) *in semetipsis fiunt, qui omnes animi sui motus componentes & subiicientes rationi, id est, menti & spiritui, & carnales concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei; in quo ita sunt ordinata omnia, vt, id quod est in homine præcipuum, & excellens hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis cum bestiis communia, atque id ipsum quod excellit in homine, id est, mens, & ratio, subiiciatur potiori, quod ipsa veritas vnigenitus Dei filius est, & hæc est pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, & hæc vita consummati perfectiq; sapientis.* Ita S. Augustin. Quare meritò Sapiens de sapientia dixit, hoc est, de perfecta virtute, *semitæ eius pacificæ.* Luc. 11. 23. August.

Prop. XXVIII. *Ad veram animi libertatem requiritur mortificatio, aliàs seruus eris.*

Luc. 10. 24. Matth. 13. 16. Vc. 10. *Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis.* Apud Matth. 13. sic: *Multi Prophetæ, & justi voluerunt videre quæ vos videtis.* Igitur quos Matthæus justos appellat, Lucas Reges vocat; cur ita? quia verè justi, Reges sunt, & peccatores serui: da peccatorem, etiam si Rex coronatus ille sit, seruus est; cur ita? quia peccator tot dominis seruit, quot affectus in eo dominantur, auarus auaritiæ, quæ affectus nimius diuitiarum est, seruit; superbus ambitionis seruus; &c. at justus dominatur animo suo, & non ducunt eum passiones, sed ipse passiones ducit, non quod affectus appetunt, facit, sed, quod ipse vult, affectus faciunt. Iustus præit passionibus, peccator sequitur: justus præcipit affectibus, peccator obedit.

Seneca Epist. 115. *Animus noster modò est rex, modò tyrannus: rex, cùm honestâ intuetur, salutem sibi commissi corporis curat, & nihil imperat turpe, sordidúmve: vbi verò impotens, cupidus, & delicatus est, transit in nomen detestabile, ac dirum, & fit tyrannus; tunc illum excipiunt affectus impotentes, & infestant. Rex igitur noster sit animus, hoc enim iucolumi, cætera manent in officio, parent, & obtemperant, & cùm ille paulum vacillat, simul nectant; cùm verò cessit voluptati, artes quoque eius actusq; marcent, & omnis ex languido conatus est.* Senec.

Prop. XXIX. *Affectuum moderatio nos liberos facit, immoderatio verò è contrà.*

INter omnia naturæ bona libertas valdè æstimatur; nam vt sapiens quidam dixit:

Non bene pro toto libertas venditur auro,
Hoc cœleste bonum præterit orbis opes.

Vnde *ff. de regul. iur. Libertas*, dicit Iurisperitus: *Libertas inæstimabilis res est, & omnibus rebus fauorabilior.* quod apologio isto antiqui exposuerunt: Vidit lupus macer canem quemdam crassum & pinguem, & interrogauit eum: Vnde frater canis tam nitidus ac pinguis es? Cui canis: Domini mei custos sum, & ideò domestici eius amant me, & panem & ossa abundè tribuunt mihi, & inde pinguedo mea. Cui lupus: Cur, inquit, in collo annulum & collarium defers? Quia, inquit, totâ die catenâ ad collum mediante isto annulo ligor; nocte verò soluor. Tunc lupus: Abi igitur cum pinguedine tua; malo enim maciem meam cum libertate, quàm pinguedinem tuam cum huiusmodi captiuitate. B

Nunc ad rem. Inter captiuitates & seruitutes omnes nulla durior reperitur inter Turcas, Arabes, & Tartaros, quam seruitus affectionum, quando scilicet quis suis paret affectibus, & victus ac victus tenetur ab illis, dicente Domino: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Qui scilicet, seruit & deseruit vitiosis passionibus cordis sui; sic enim peccatorum suorum vinculis adstringitur peccator: vincula autem peccatorum affectus deordinati sunt; illis enim tanquam durissimis catenis ducit peccatores satanas quocumque vult. *A quo quis enim superatus est, huius & seruus est.* Superatus est ab amore diuitiarum; huius igitur affectus seruus est: superbus ab appetitu honoris superatus est; eius ergo seruus est, & sic de reliquis. Vnde etiam Apost. *Serui facti estis, cui obedistis.* Qui ergo affectibus suis obedit, seruus eorum est. C Ioan. 8. 2. Pet. 2. Rom. 6.

Eutropius in Romanorum historia narrat, Alexandrum Magnum in quadam sylua Diogenem Philosophum offendisse, ad quem accedens Alexander, dixit: *Pete quod vis Diogenes*: Cui Diogenes: *Vt paululum recedas, peto à te; nam tollis à me, quod mihi dare non potes.* Solis scilicet splendorem & calorem; *de reliquo*, inquit, *nihil à te postulo. nam maior est potentia mea, quàm tua, tu enim seruus es, ego verò liber.* Exponens autem sententiam, dixit: *Tu seruus es cupiditatum tuarum, diuitiarum scilicet, & delitiarum, & honoris, & famæ, & dominii, ac principatus; ego verò liber sum ab huiusmodi cupiditatibus: tu seruus es, ego verò liber, & potentior ego, quàm tu.* Eutrop. D

S. Bernardus: *Venit auaritia, & vendicat sibi sedem, jactantia cupit dominari mihi, superbia vult mihi esse Rex, luxuria dicit: Ego regnabo; ambitio, detractio, inuidia, & iracundia super Miserentur in me ipso de me ipso, cuius ego potissimùm esse videar. Ego autem quantùm valeo, resisto; tentor quantùm iuuor, Dominum meum Iesum reclamo; ipsi me defendo, quia ipsius me juris agnosco, ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo, & dico: Non habeo regem nisi Dominum meum Iesum. Veni ergo Domine, & disperge illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipse rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob.* Ita S. Bern. Bernard. Hom. 4. super Missus.

PROP. XXX. *Affectuum moderatio est signum gratiæ Dei.*

Isa. 16. super 2. cap. Matt. ASCendet Deus super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti. S. Chrysostomus affirmat hoc impletum fuisse, cùm Christus Dominus cum Maria matre sua, & Iosepho adhuc infans abiit in Ægyptum. idem ait Eusebius Cæsar. & S. Athanas. & tunc, ait Propheta, commouebuntur simulachra Ægypti. Procopius & Historia Scholastica, vt refert Lyranus, affirmant, ingrediente Christo Ægyptum Idola Ægyptiorum corruisse, neque enim fas erat, vt coram Domino in Ægypto existente idola sibi permanerent. Idola mundanorum sunt bona mundi, superbus honorem adorat, gulosus, & lasciuus voluptatem, auarus pecuniam, ideò Paulus auaritiam vocat idolorum seruitutem, qui passiones non moderantur, hæc idola adorant. qui ergo nosse à signo cupit, an Deum in corde habeat, attendat attentè; an hæc idola adhuc adoret in corde suo; vbi enim Dominus est, hæc corruunt simulachra, quæ enim conuentio Christi ad Belial? non patitur Deus secum idolum Dagon.

Lib. 6. c. 20. lib. de Incar. Verbi.

PROP. XXXI. *Affectuum moderatio assiduâ, prædestinationis signum est.*

PAulus ad Galat. 5. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis.* Id est, qui prædestinati sunt. hi, inquit, sunt qui crucifixerunt, &c. igitur qui non crucifixerunt, &c. hi non sunt ex numero prædestinatorum, & hoc in sanctis illis supradictis ostendit Chrysostomus Homil. 57. ad Popul. agens de Monachis; & Eremitis sanctis; ac si dicat: *Si qui prædestinatorum insignia gerant, hi sunt qui mundum relinquentes. statum religionis subeunt: hi autem carnem cum concupiscentiis semper crucifigunt. Hoc ergo prædestinationis signum: nec enim inter religiosos religiosius computatur, qui non ita passiones vincit.*

PROP. XXXII. *Affectus vehemens & assiduus ad malum, reprobationis signum est.*

Matt. 25. 32. IN diuina Scriptura peccator hircus solet nominari, sic Leuit 16. sic etiã Christus Dominus, *hædos*, inquit, *statuit à sinistris*, vbi scilicet reprobi constituentur. quid ergo in hircis est, quod reprobis conueniat? Primùm, hircus malè olet, semper enim pessimum odorem spirat; sic reprobi vbique malorum operum fœtorem spirant. Secundò, hircus pilos conuersos habet: si enim illos componere velis, manum non à capite ad caudam, sed à cauda ad caput ducere oportet, *tienen el pelo à posplo*, contra morem & naturam aliorum animalium: sic reprobos videas è conuerso se habere semper, si alij ieiunant, illi causas prætendunt, quibus se à ieiunio liberent, & ne à carnibus abstineant; si cæteri concionem audiunt, illi ad forum pergunt, vbi fabulosa inter se colloquantur, si alij pœnitentiam agunt, & indulgentiis vacant, ipsi delitias & ludos quærunt, quod magnum reprobationis signum est, ideò de hœdorum numero esse, videtur. Denique hircus, vt asserit *Plinius.* Plinius lib. 8. naturalis historiæ cap. 50. afficitur febri assiduâ, & sine intermissione, adeò vt febre deficiente, eius pariter vita deficiat; sunt quidem huiusmodi reprobi, semper ardent concupiscentiæ flammis, & veluti assidua febri, assiduâ aliquâ passione accensi, in aliquod illicitum aspirant: hic scilicet auaritiæ affectu, ille ambitionis, ille luxuriæ, ille iræ vehementis, ille gulæ, aut certè omnium simul, quodnam igitur maius reprobationis signum?

PROP. XXXIII. *Affectuum immoderatio radix omnium pectatorum est.*

ASCendet Dominus super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti a, qualis fuit hæc commotio simulachrorum Ægypti: Procopius b, Eusebius c, S. Athanas. d, & S. Augustinus e, affirmant omnia Ægypti simulachra corruisse, cùm primùm Christus Dominus Ægyptũ fuit ingressus. ingrediẽte igitur Domino super nubem leuem, humanitatem scilicet suam, ceciderunt omnia illa simulachra, eò quòd Deus cum huiusmodi simulachris & idolis habitare nollet, sicut f, bis Dominus idolum Dagon in templo Philisthinorum è loco suo deturbauit, quia introduxerant Philisthæi Arcam Domini in templum illud, Arca autem illa erat, super quam Dominus assistebat: ergo quia nolebat Deus cum Dagon cohabitare, idolum illud toties deiecit, quoties cum Dagon Arcam esse voluerunt. Sic igitur nunc Deus recusat eo in corde habitare, vbi idola admittuntur, idolorum autem seruitus est nimius affectus ad creaturas, idolum mundi est honor, idolum diuitiæ, idolum delitiæ, amor harum rerum, est genus quoddam idololatriæ spiritualis, vt igitur Deus per gratiam suam in corde tuo habitare dignetur, oportet huiusmodi idola priùs è corde deturbare, non enim cum eis poterit permanere, &c.

a Isai. 19. b Super c. 19. Isai. c Lib. 11. de Mos. c. 1. & 16 c. 10. d Lib. de Incarna. Verbi. e Lib. de Consens. Euang. li. 1. c. 16. & 7. f 1. Reg. 5.

Oportet quidem aduersùs insidias diaboli dimicare, sed tamen id valdè notandum est, quod asserit sanctus Ambrosius: *In castum contra exteriores inimicos bellum geritur in campo, si intra ipsa vrbis mœnia ciuis insidians habetur.* Ita ille. Ciuis insidians intra nos est appetitus noster cum exercitu affectuum suorum, hic militat contra animam nostram, dicente Apostolo, *Caro concupiscit aduersus spiritum, &c.* frustrà igitur aduersùs dæmones pugnat, qui proprium & internum appetitum non domat, &c.

Lib. 1. of ficiorum.

Ad Gal.5

PROP. XXXIV. *Affectus ad se intellectum trahit.*

CVm Christus Dominus discipulis suis apertè diceret: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, &c.* subdit: *ipsi verò nihil horum intellexerunt*, & tamen cùm diceret turbæ populari? *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, vbi Apostolus Ioannes per parenthesim, dixit: *Hoc autem dicebat, significans quâ morte esset moriturus*, obscurè quidem mortem suam ita significauit. & nihilominus subdit Ioannes: *Respondit turba: Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis?* quid est quod Apostoli non intellexerunt verba Christi, cùm manifesto sermone & speciatim de sua morte loquerentur, & tamen turba illa indocta, cùm Christus ænigmaticè, & obscurè de morte sua loqueretur, ita quamprimùm verborum sensum percep.t? nimirum quia Apostoli cùm maxima charitate, & tenero quodam affectu, Christum & vitam eius amarent, haud poterant intellectum suum ad intelligendum aliquid de morte illius applicare, turba verò illa, quæ Christum non ita amabat, imò nonnulli eum odio persequebantur, facilè quod de morte sua licet verbis obscuris proferebat, intellexit, sic affectus ad se mentem & intellectum trahit. *cada vno entiende conforme à su humor, y todos juzgan segun su affecion y passion predominante.*

Luc. 18. Ioan. 12.

Vnde sic de impiis Dauid, *supercidit ignis & non viderunt Solem.* vbi Cassiodorus: *Ignem*, dicit, *malæ mentis ardorem, qui tenebrat mentem, de quo iudicio dicturi sunt, Sol non est ortus nobis & iustitiæ lumen non luxit nobis.* Ita ille. Ardor igitur concupiscentiæ, & affectus deordinati excœcãt intellectum. Voluntas malè affecta facili nego-

Psal. 57.

negotio trahit post se voluntatem, similes enim sunt hæ duæ potentiæ aduocato & clientulo eius, cùm enim clientulus aliquid in sua causa allegandum petit, facilè consentit Aduocatus, & justum id esse judicat & affirmat, & id omne tuetur, defendit, & justum asseuerat, quod tueri vult clientulus eius, magis enim lucrum, quàm veritatem quærere nonnulli Iurisperiti solent. sicut igitur Aduocatus sequi suum clientem solet, sic intellectus voluntatem: intellectus enim est qui causam voluntatis suæ tuetur, quod enim per voluntatem appetit homo, hoc per intellectum judicat faciendum. item habent se voluntas & intellectus, sicut cœcus, & ductor eius: si enim cœcus ad sacra & res diuinas se propensum ostendit, ductor ad Ecclesiam eum ducit, si verò cibis & potibus eum deditum nouerit ad popinam ducet; sic intellectus qui est voluntatis ductor, si voluntatem ad diuina prospectam sciuerit, ad diuina illum feret, si verò ad humana, ad hæc illum ducet.

Hinc Pharisæi præcepto dilectionis proximi addi- *Matth. 5.*
derunt: *Odio habebu inimicum tuum*, vbi Glossa à S. Tho. in sua catena relata dicit: Sciendum est in toto corpore legis nō esse scriptum: Odio habebis inimicum tuum. Ita Glossa. Vnde igitur vel quare hoc addiderunt? nimirum, quia ad vindictam propensa erat voluntas eius, judicauerunt Dei voluntatem, & præceptum hoc esse, deducentes hoc ex illo, vbi ait Dominus: *Diliges* *Leuit. 19.*
amicum tuum sicut teipsum, arguebant à contrario sensu, sicut ait Lyra; *ergo inimicus est odio habendus.*

Hinc Christus Dominus Spiritum se missurum promisit ad Discipulos suos eruditendos, eum Spiritum *Ioan. 15.*
veritatis vocans: *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* cur illum spiritum veritatis vocat, cùm potiùs spiritus amoris dicendus videretur: est enim Patris, & Filij amor: deinde cur ad docendum mittitur Spiritus sanctus, cùm munus hoc ipsius Filij esse videatur? docere quippe ad intellectum & veritatem pertinet, veritas autem & quæ ad intellectū spectant, ad Filium pertinere videtur, quia procedit per intellectum? Respōdetur, voluntatem hominum deprauatam nimis eo tempore, & aliàs sæpè, quæ deprauatione sua, vti diximus, voluntatem peruertit, quapropter ad eum meritò reparatio veritatis spectare videbatur, cuius erat voluntatem reparare, cùm igitur voluntatis reparatio ad Spiritum sanctum spectaret, ideò ipsum spiritum veritatis Dominus nuncupauit.

Hinc etiam Caiphas: *Expedit*, inquit, *vt vnus homo moriatur, ne tota gens pereat*, imò ne tota gens Hierosolymitana periret, expediebat Christum viuere, ideò enim per Titum & Vespasianum destructa fuit Hierusalem. Omittamus interim sensum illorum verborum à Spiritu sancto prætensum, quomodo Caiphas tam impiè judicauit seruatorem & operatorem tantorum miraculorum mori expedire, nimirum quia voluntas eius, & eorum qui aderant in concilio, peruersa erat, & inde orta fuit peruersitas judiciorum eorum.

PROP. XXXV. *Affectuum immoderatio mentem excæcat.*

SIcut judex ille, qui amore vel odio affectus est, suspectus meritò esse solet; nam ita proferre solet judicium, sicut appetit ipse: sic de vnoquoque nostrum dicendum est. nam qualis vnusquisque est, talis finis ei videtur, &c. Reum mortis judicauit auctorem vitæ Caiphas, quia odio eum prosequebatur: & Caim etiam occidendum esse innocentem fratrem judicauit, quia inuidia eum excœcarat. Idem etiam de fratribus Ioseph, & de Saule erga Dauidem dicendum est.

Gen 3. *Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, dedit; viro suo, qui comedit, &c.* Quis, quæso, dixerat Euæ esse po mum ad vescendum bonum, cùm nunquam de illo antè præguſtasset? etenim quod pulchrum illud judicaret, non mirum; nam pulchritudo oculorum obiectum est. Videndo igitur lignum de pulchritudine judicare facilè potuit, at de sapore & bonitate eius quomodo? vnde ratio in promptu est, desiderabat scientiam, qua sicut Deus esset, sciens bonum & malum; & quia fidem serpenti adhibens, in esu illius arboris huiusmodi scientiam sitam esse concepe- A
rat, inde judicauit de bonitate cibi: nam passio cordis judicium post se trahit.

Expedit, ait Caiphas, *vt vnus homo moriatur pro populo,* *Ioan. 12.*
vt non tota gens pereat. consensere multi, qui cum illo in consilio erant, omnes, inquam, illi, qui odio Christum Dominum prosequebātur. Erat quidem Christus Dominus Reipublicæ illorum consolator, magister, medicus, & Saluator, idque ex verbis & factis, & miraculis eius facilè percipere potuissent, & tamen nihilominus
B dicunt, *Expedit*, vt moriatur, nimirum, quia odium in Christum conceptum eos expediens iudicare faciebat, quod illis maximo nocumento & damno erat.

Hinc fit, judicem illum suspectum esse, & jure recusari, qui aliquam partem litigantium prosequitur odio vel amore: nam quæuis affectio vehemens judicium ad se trahit.

Sicut pluuia super varia herbarum genera cadens, quamuis eadem & bona in se sit, in salutifera herba in medicinalem conuertitur succum; immortifera verò conuertitur in venenum, secundùm scilicet qualitatem herbarum: eodem modo de eadem re diuersi homines diuersa opinantur, & quamuis illa bona in se sit, & bonus beneque affectus bene de illa sentiat, malus de eadem re malè prorsus judicabit, quia passio judicium ad se trahit. inde S. Augustus. *Videat*, inquit, *vnusquisque, qualem radicem habeat, & quò trahat pluuiam bonam.* Ita ille. Miracula quidem Christi optima erant in se & multi propter ipsa ad Deum conuertebantur, Pharisæi verò ex eisdem miraculis mortem Domino ma-
C chinati sunt, dicentes: *Quid facimus, quia hic homo multa* *Ioan. 11. 47.*
signa facit? hoc est, quid facimus, morte non damnantes eum, qui tam multa miracula facit? radicem affectus infectum veneno mortifero hi habebant, &c.

Agar ancilla Saræ turbata & irata aduersùs domi- *Gen. 21.*
nam suam, quia eius consilio & persuasione eiecerat eam Abraham cum Ismaele puero suo è domo in deserto existens, licet coram haberet fontem aquę & puerum siti extinguendum, nunquam vidit fontem coram se patentem, donec Dominus aperuisset oculos eius: *Aperuit*, inquit, *oculos eius Deus, quæ videns puteum*, &c. *Vers. 19.*
Oculos quidem habebat, quibus videre fontem posset, patens erat fons, qui videri posset, sed passione doloris turbata nunquam eum vidit, nisi postquam Deus aperuit oculos eius. Ecce quid in nobis vehemens & immoderata passio intus operetur! habemus oculos mentis, sed vbi passio regnat, Dei ope opus est, vt quæ ad salutem animæ expediunt, hisce animæ oculis videre valeamus.

Hinc Dauid: *Reuela*, inquit, *oculos meos, & considerabo* *Psal. 118.*
D *mirabilia de lege tua*, q.d. Scio Domine legem tuam ma- *vers. 18.*
gna & sublimia secreta & mysteria continere, sed ego homo sum, circumdatus carne, & passionibus variis obnoxius, & noui quanta vis passionibus istis insit, quę mētem meam turbent, & excœcent; tuæ igitur pietatis sit aperire oculos meos: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*, &c.

Post mortem Regis Saul prælium erat inter do- *2. Reg. 3.*
mum Saulis, & Dauidis: contendebant enim super regiam dignitatem, Abner, qui princeps militiæ erat domus Saulis, tulit Isboseth filium Saul, & circumduxit eum per castra, Regemque constituit super Israel: accidit autem vt reprehenderet Isboseth Abnerum ob crimen quoddam, quam ob causam iratus Abner dixit:

Hæc

Vers 9. *Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat, nisi quomodo jurauit Dominus Dauid, sic faciam cum eo, vt transferatur regnum de domo Saul, & eleuetur thronus Dauid super Israel.* Quæro nunc ab Abner: Si tu ita noueras Dauidem à Deo electum esse in Regem, quare Regem facere Isbosethum conabaris? nunquid Dei voluntatem mutare te posse credebas, & electum ab eo te reprobare posse confidebas? In promptu ratio est, antequam Isbosethreprehenderet Abner, eum amabat, & affectus nimius, quo eum & domum Saulis prosequebatur, ita eum excæcarat, vt non animaduerteret, an à Deo Dauid esset in Regem electus, an non; sublata verò de medio reprehensione, facilè judicauit, Dei decretum esse, quòd non Isboseth, sed Dauid sedem acciperet regni.

Chrysost. S. Chrysostomus tom. 5. orat 5. aduersùs Iudæos: *Est absque vino ebrietas: aliter enim nequaquam dixisset Propheta*: Væ his, qui ebrij sunt, & non à vino, *& neque Paulus dixisset*: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *Nam sicut vino, sic alio modo potest quis inebriari, eoq; dixit: Nolite inebriari vino. est enim ebrietas in ira, in absurda concupiscentia, in auaritia, in amore gloriæ, denique in affectibus aliis. ebrietas enim nihil aliud est quàm excessisse à recta ratione, & deliratio, & sanæ mentis priuatio. Non solùm igitur qui multum exhaurit merum, verùm qui aliquem in animo alit morbum, vehementer ebrius judicabitur: & sicut is, qui multum ebibit merum, & sese ingurgitauit, illiberales voces effundit, aliudq; pro alio videt: sic & hic, veluti mero quopiam, sua cupiditate repletus, neque sana verba profert, sed obscura, sed illiberalia, & risus plena, & alia pro aliis videt, cæcutiens ad ea quæ cernuntur. Si quem tenet ira, ebrius est, vox enim illi asperior fit, oculi sanguinolenti sunt, mens obtenebratur, prudentia submergitur, lingua tremit, oculi intorquentur, aures alia pro aliis audiunt: nimirum irâ longè grauius quàm merum, percellente cerebrum, tempestatem concitante, turbationemq; gignente insedabilem.* Ita S. Chrysost.

Pub. Mimus. Vnde rectè Publius Mimus: *Animo dolenti nihil credere oportet.* Ita ille, quod non solum de tristitia, verùm etiam de quolibet alio affectu dicendum est. Præcedat semper ratio, affectus verò sequatur, & famuletur rationi, non autem dominetur. Caue igitur tibi cùm feruet in pectore passio, consule tunc prius rationem, & potiùs alienam, quàm propriam: sæpè enim ratio induit colorem prædominantis affectus, & rationabiliora videntur ea, quæ posсit passio mala, quàm quæ requirit ratio bona: vnde sapiens tunc continere se debet, vel deliberationem differre, vel consulere alios à tali affectu liberos & sanos.

PROP. XXXVI. *Affectuum effrænatio ex peccato promanat.*

Rom. 1. 24. AD Roman. 1. agens Apostol. de sapientibus huius mundi, in lege naturæ, & de peccatis eorum, subdit: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Vbi primùm quæri potest, quomodo dicatur Deum homines tradere in deordinatas passiones, & scelera? Respondet S. Chrysostomus ibidem? *Tradidit hoc loco, significat, permisit: sicut si aliquis præfectus exercitus præliograuescente retrocedens abscesserit, hostibus milites diceretur tradidisse, haud quaquam ipsos impellens, sed solùm eos suo auxilio priuans; sic & Deus eos dimisit, qui admittere eius præcepta noluerunt.* Ita sanctus Chrysostomus. Sed quænam est huiusmodi pœna dimittere illos post cupiditates abire, cùm hoc sit, quod ipsi cupiunt, & quærunt, sua scilicet perficere desideria? nimirum, quia nulla maior peccati pœna, quàm aliud peccatum, quantumuis voluntarium, & desideratum sit: nec diuitiarum amissio, nec contumelia, nec infirmitas vlla, nec mors acerba hominis peccati pœnæ potest comparari.

A

B

C

D

AMBITIO.

1. *Quàm periculosa res sit ambitio.*
2. *Ambitio vniuersale malum est, & animis infixum.*
3. *Ambitio quàm grauis culpa sit.*
4. *Ambitio quàm crudele vitium sit.*
5. *Ambitio seditionum, & rixarum causa est.*
6. *Ambitio hæresum radix est.*
7. *Ambitio fraudulentum hominem reddit.*
8. *Ambitio mentem excæcat.*
9. *Ambitio ex superbia, & amore proprio procedit.*
10. *Ambitio adulationis est mater.*
11. *Ambitio multis laboribus scatet.*
12. *Quàm difficile sit remedium Ambitionis.*
13. *Ambitiosus sæpè frustratur spe.*
14. *Ambitiosus nunquam sattatur honoribus mundi.*
15. *Gloriam quam ambitiosus in dignitatibus ambit, non inuenit.*
16. *Ambitiosus non est dignus dignitate quam ambit.*
17. *Qui alijs præesse vult, moribus iuuilis, & vitæ sanctitate illis præire debet.*
18. *Quàm præposterum sit dignitates ob proprium commodum ambire.*
19. *Quanta sit peruersitas eorum, qui dignitatem ambiunt ob lucra & prouentus, & honorem.*
20. *Qui dignitatem ambit, onera & pondera grauia quærit. vide Propos. 22.*
21. *Quam fragili fundamento inuitatur ambitio nostra.*
22. *Dignitates mundi sollicitudinibus, & anxietatibus plenæ sunt, & non delitijs sicut ambitiosus imaginatur.*
23. *Dignitates mundi in damnationis periculum multis cedunt.*
24. *Ambitiosus periculum & occasionem superbiendi ambit.*
25. *Dignitates & officia Superiorum, periculis animæ referta sunt*
26. *Sæpè mundus decepit ambientes bona eius.*
27. *Quàm fitultum sit supra vires ambire, & velle aliquid.*
28. *Quàm indecens sit, senem ambire dignitates.*

PROP. I. *Quàm periculosa res sit Ambitio.*

MAtth. 20. *Nescitis quid petatis*, sic Christus Dominus ad Discipulos suos primas in regno Christi dignitates postulantes. Sed cur, inquit, *Nescitis quid petatis?* Nunquid ignorabant quàm altum, quamque pretiosum esset sedes illas obtinere? S. Gregorius Moral. 7. de his qui ambiunt temporalia, quibus si rerum temporalium administratio præbeatur, semetipsos funditus deserunt, & ipsa fugitiua temporalia continuis cogitationum passibus sequuntur: *Pia autem mentes*, ait, *hæc & cùm desunt, non quærunt, & cùm adsunt, grauiter ferunt: quia per exteriorum curam à se exire pertimescunt.* Ita S. Gregorius, in cuius rei confirmationem, ait, quod bona illa duorum fratrum vita signatur, de quibus scriptum est: *Factus est Esau vir gnarus venandi & homo agricola, Iacob autem vir simplex habitans in tabernaculis*: vel sicut in alia translatione dicitur, *habitat domi. Quid enim per venationem Esau nisi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus fusi cernem sequuntur? qui etiam agricola esse dicitur, quia amatores huius seculi tantò magis exteriora colunt, quantò interiora inculta relinquunt? Iacob verò vir simplex in tabernaculis vel in domo habitare perhibetur, quia omnes qui in curis exterioribus spargi refugiunt, simplices in cognitione, & in conscientia sua habitatione consistunt, & intra mentis secreta se restringunt.* Ita S. Gregor. Meritò ergo ait Christus duobus Discipulis suis, dignitatem seculi desiderantibus, *Nescitis quid petatis.* Qui enim apud me versantur, interiora spiritus & non exteriora corporis & mundi quærere debent.

Matth.

Greg. 7.

PROP. II. *Ambitio vniuersale malum est, & animis infixum.*

BEatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Consilium impiorum, & via, peccatum est: hoc enim illis consilium est, peccare, & in peccatis semper ambulant: quid autem est cathedra pestilentiæ? S. Aug.

psal. 1.

Regnum

Ibid. *Regnum*, inquit, *terrenum cum superbia, quæ ideò cathedra pestilentiæ rectè intelligitur, quia non ferè quisquam est, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam: pestilentiæ enim morbus latè pervagatus, & omnes, aut penè omnes inuoluens.* Ita S. Augustinus. Sicut ergo pestilentia, postquam semel ferire homines inchoauerit, ferè nemini in populo parcit, ; sic postquam ambitio primos inuasit parentes, ferè nulli filiorum parcit, ideò cathedra seu thronus dicitur pestilentiæ.

In Apoc. Regum, & Impp. Plutarch. *Cùm Cæius Cæsar*, inquit, *oppidum quoddam exiguum agricolarum propè Alpes ingrederetur, interrogatus à quodam suorum familiarium, an in tali villula locum haberet ambitio?* Respondit: *Mallem hîc primus esse, quàm Romæ secundus.* Ita ille, eò quòd cùm in quouis loco præcedere alij aliis possint, vbique terrarum locum habebit ambitio.

Matt. 20. *Dic vt sedeant hi duo filij mei, &c.* Huiusmodi petitio non tam ex consilio matris, quàm ex filiorum studio & cupiditate prodiit. Quapropter alius diuinæ legis scriptor, Marcus nimirum: Accedunt, inquit, ad eum *Marc 10. 37.* Iacobus, & Ioannes dicentes: Magister volumus, vt quodcumque petierimus, facias nobis, vt vnus ad dextram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. Atque idcircò beatus Hieronymus: *Preces*, inquit, *matrii ex filiorum descendebant voluntate.* At quo pacto ambitio in Apostolorum animos cadere potuit, qui ita humilitatis virtute instructi erant? qui pluries eximiæ submissionis exemplum à Christo Domino petierant? & in humillimi IESV disciplinam & scholam tamdiu se tradiderant? Sanè ex hoc clarè perspicietis huius vitij vim, ac potentiam, cùm omnes etiam sanctissimos viros inuadat, & nullus ferè sit etiam in tuto securoque loco constitutus, quem aliquando non impetat, ac superet. Securi quidem videbantur esse primi illi humani generis parentes, cùm in amœnissimo Paradiso versantes cœlestibus donis muniti, iustitiaque originali instructi erant; victi tamen atque infeliciter superati sunt ab immanissimo hoc & fortissimo humani generis hoste, à superbia nimirum, & ambitione. Hac enim tanquam fortissimis quibusdam armis, aggressus est illos dæmon: *Eritis*, inquit, *sicut Dij, Gen 3. 5. scientes bonum & malum. At verò verbis serpentis mulier non crederet*, vt ait D. Augustinus, *nisi iam inesses eius menti amor propriæ potestatis. Quod*, inquit, Angelicus Doctor, *non est sic intelligendum, quasi superbia præcesserit suasionem serpentis, sed quia statim post suasionem serpentis inuasit mentem eius elatio.* Idem verò quòd D. Augustinus de peccato Euæ dixerat, fatetur etiam de culpa Adami. *Adam*, inquit, *& Eua rapere voluerunt diuinitatem, & perdiderunt felicitatem.* Idem asserit beatus Thomas quæstione citatâ, vbi ait: *Quantùm ad genus peccati, vtriusque peccatum* (Adæ scilicet & Euæ) *æquale dicitur, quia vtriusque peccatum fuit superbia.* explicans autem discrimen inter vtriusque peccatum, subiungit: *Mulier credidit verum esse, quod serpens suasit, scilicet quòd Deus prohibuerit ligni esum, ne ad eius similitudinem peruenirent, & ita dum per esum ligni vetiti Dei similitudinem consequi voluit, superbia eius ad hoc se erexit, quòd contra Dei voluntatem aliquid voluit obtinere. Sed vir non credidit hoc esse verum, vnde non voluit consequi diuinam similitudinem contra Dei voluntatem, sed in hoc superbiuit, quod voluit eam consequi per seipsum.* Hactenus D. Thomas. Itaque primum primorum parentum peccatum fuit superbia, seu ambitio, qua appetierunt diuinitatem. Hac enim via illos humani generis hostis inuasit, & tandem miserè superauit, quamuis illi tantâ sapientiâ essent præditi, vt Spi- *Eccl. 17.5* ritus sanctus asserat: *Disciplinâ intellectus replenit illos Deus.* Neque enim solùm tribuit illis sapientiam, sed replevit eos sapientiâ intellectus. At voluntati quid præstitit? *Vestiuit*, inquit, *eum virtute*, quòd à nonnullis sic exponitur, Deus condidit Adam in perfecto robore secundùm animam. Ambitio igitur vincit hunc homi-

A nem, adeò sanctum, fortem, ac sapientem, illumque ad infelicissimum statum deiecit, licèt in tuto loco Paradisi existere videretur. Sed quid Adami ruinam commemorando augeo?

In tutiori quidem loco supremus ille Angelus, in editissimo scilicet cœlo collocatus erat, & ab his hostibus, qui nobis insidias machinantur, longè rem otus, diuinarum rerum cognitione valdè illustratus, & cœlestibus cumulatus auxiliis, grauiter tamen cecidit, & ex altissimo dignitatis gradu præcipitatus est. At *quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* Quod fecisti scelus? Quod commisisti flagitium, cuius causâ ad tantam infelicitatem ac miseriam deueneristi? Ambitio sanè nimia, quæ diuini honoris cupiditas, tantam illi calamitatem ac perniciem intulit. Vt enim D. Thom. ait, *Angelus absque dubio peccauit, appetendo esse vt Deus.* Beatus item Augustinus: *Diabolus elatione inflatus voluit dici Deus*, sub cuius nomine dicitur apud Isaiam, D. Thomâ interprete, *Ascendam in cœlum, & similis ero Al-* *Cap. 14.* *tissimo.*

B Maiorem tamen in modum quodammodo admiror, cùm Christi discipulos ambitioni studentes intueor, quàm cùm primos naturæ parentes in Paradiso, diuinas mentes in cœlo eòdem vitio notatos audio. Quis enim locus aptior, quæ societas conuenientior ad mundi honores despiciendos, quàm Seruatoris nostri sodalitium? Qui quidem non solùm verbis, sed exemplis præcipuè, pluries veram animi submissionem discipulos suos edocebat: *Discite*, inquit, *à me, quia* *Mat. 11.* *mitis sum, & humilis corde.* Non solùm quia humilitatem *29.* doceo verbis, sed quia humilis sum, quia humiliter & demissè de me sentio, quia me omnibus abiicio, & eximiæ humilitatis exemplum præbeo. Neque tamen his omnibus permouebantur Apostoli ad honorum & dignitatum despicientiam, sed adhuc honoris cupidi regni Dei dextram, & sinistram petebant.

C Quòd si nec primi parentes iustitia originali in Paradiso muniti, nec Angeli in cœlis, nec Apostoli in collegio Christi, hâc ambitione caruerunt, quâ ratione nos tuti, ac securi erimus, non in iustitia, sed in peccato originali concepti, nati, in aliisque culpis educati.

Sed, ô detestandam hominum labem! ex qua totius hominum animos maculæ redundarunt. Ex hac enim ambitione plures inuidiæ, cædes, homicidia, fratricidia, & parricidia profecta sunt. Nónne Abimelech dominandi cupiditate permotus 70. fratres suos super lapidem vnum occidit? Miramur sanè, cùm legimus Cain vitâ priuasse Abelem fratrem suum: sed multò magis admirari possumus illius crudelitatem, qui 70. fratres simul interemit. Detestanda est illa & illorum decem fratrum maleuolentia, qui fratrem suum Ioseph um Ismaelitis vendiderunt, ne ei subiicerentur, sed detestabilius est vnum dumtaxat fratrem, mortem 70.
D fratribus intulisse, ne sibi dominatum affectanti impedimento essent.

Nónne Absalon patrem suum, à quo tenerè diligebatur, armis insecutus est, mortemque illi machinatus? Quod quidem præ nimia regnandi cupiditate excogitauit: nuntium enim misit (sacrâ Scripturâ testante) ad vniuersas Tribus Israel, dicens: *Statim vt audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnabit Absalon in Hebron.* *2. Reg. 15.* Vt autem huius cupiditatis compos euaderet, patrem *10.* suum eiusque sectatores perdere curauit.

Denique, nónne Achitophel videns quod non fuisset executioni mandatum consilium suum, quod Absaloni dederat, suspendio interiit? existimauit videlicet aliquam sui honoris jacturam factam fuisse, eò quòd Absalon eius consilio repudiato Achusai sententiam secutus est, & hâc ratione Echitophel cædem sibi mortemque parauit. Ecce quomodo nec fratribus, nec parentibus, nec sibi ipsis superbi & ambitiosi parcere

sólent. Has omnes & alias huiusmodi cædes nimia honoris cupiditas edidit, pluresque alias strages effecit, vt ex sequentibus constabit. A

Prop. III. *Ambitio quàm grauis culpa sit.*

MAgna quidem fuit semper & est dæmoniorum ambitio. volebat quidem Lucifer in cœlo principari, sed non valuit: voluit deinde in inferno dominari super reliqua dæmonia, nec tali principatu contentus, voluit etiam fieri princeps mundi huius, quo etiam nomine eum appellauit Christus Dominus *Ioan. 12.* & in cordibus nostris voluit dominari, imò & in corporibus, cùm cordibus eum Christus Dominus eiiciebat. Tanta verò dominandi ambitio dæmonibus inest, vt cùm Christus Dominus è corpore cuiusdam hominis eos eiiceret, Matth. 8. dæmones in corpore illius homines consistentes dixerint Christo, *Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.* Quid est, quod cùm dæmones Angeli per naturam, & essentiam, & itidem superbissimi sint, in viles porcos ingredi velint, & rogent? fortè quia, vti Anatomistæ asserunt, interior porci compositio corporis simillima est interiori compositioni corporis humani. petiuit hoc igitur dæmon, quasi dicens, si homini dominari non permittor, permittar saltem ibi dominari, vbi similitudo hominis inuenitur. Sic dæmon hominem odio habet, sic dominari cupit; superbus enim est valde, principari cupit, si non alibi, saltem in porcis. Ecce quanta sit dæmonis ambitio. *Matt. 8. 31.* B

Hunc imitantur homines ambitiosi, hunc sequuntur, imò vt verius dicam, ambitiosiores sunt homines quàm diaboli, eò quòd dæmon dominum se affectuum humanorum esse procurat: nam, vt ait S. Augustinus lib. de agone Christiano cap. 1. exponens quo pacto sit dæmon princeps mundi huius, & rector tenebrarum: *Princeps*, inquit, *est cupiditatum earum, quibus concupiscitur omne quod transit.* Ita S. Aug. Dominatur autem dæmon in cordibus hominum, dum affectus eorum mouet suggestionibus suis, vt id homo velit, id nolit, id amet, id odio prosequatur, id desideret, id fugiat, &c. quod suggerit, & imperat ipse: at homo ambitiosus subdit se, & subiicit affectibus alienis, & priusquam id quod ambit, acquirat, seruum se constituit aliorum. nam, vt ait S. Gregorius Nazianzenus orat. 3. de pace: *Libenter omnibus concedimus omnia, hac lege, & conditione, vt nobiscum insaniant.* Ita ille. Eapropter ambitiosi omnibus parent, vt quam optant dignitatem assequantur. vnde sanctus Ambrosius sermone 12. in Psalmum 118. *Prius subiiciatur ille, qui alios vult habere subiectos.* Ita S. Ambrosius de ambitioso agens. sicuti Absalon, qui blanditiis & adulatoriis verbis regni incolis placere gestiebat, vt commodè regnum obtineret. C

Prætereà dæmon non prius terrenum regnum ambiuit, quàm à spe cecidisset regni cælorum. si enim quod in cælo intendebat assequutus fuisset, minimè dignatus fuisset in terreno dominari regno: homo verò ambitiosus cùm cæleste regnum non solùm intendere, verùm etiam consequi possit, cœlo despecto terrenas & viles ambit dignitates. maiori ergo ambitionis morbo laborat ambitiosus homo, quàm dæmon, &c. D

Prop. IV. *Ambitio quàm crudele vitium sit.*

2. Reg. 1. MOrtuo Saule in prælio, miles quidam accepit diadema de capite Saulis mortui, & attulit ad Dauidem, dicens: *Saul & Ionathas interierunt.* Quærunt nonnulli, cur nuntius iste mortem Ionathæ nunciauerat Dauidi, sciens quia diligebat Dauid Ionathan sicut animam suam, atque adeò durum nuntium sic illi esse, & sufficiebat ei dicere Saulem mortuum esse, Abulensis ibid. quæst. 4. Quia iuuenis iste nuntius existimauit quod Dauid appeteret regni principatum, quem obtinere non poterat, saltem commodè, nisi mortuo Saule rege & filio eius primogenito Ionatha, erat enim Ionathas charissimus populo propter victoriam maximè, quam de hostibus Israel obtinuerat, 1. Reg. 14. & ideò expressam mentionem fecit de Ionatha, nec timuit se mali nuntij auctorem esse apud Dauidem, quantum vis amicissimus illi esset, quia appetitus regnandi, (vti videbatur illi, & communiter loquendo, ita se res habet) superare solet omne vinculum amicitiæ: ambitio enim amicitiæ jura non nouit, nec parentum obitum dolet, nec amorem quantumuis incensum reuereretur.

Exempla plurima sunt in sacris Literis, patet in Athalia quæ vt ipsa regnaret interfecit omne semen regium, & in Abimelech, qui interfecit super lapidem vnum septuaginta fratres, vt liberiùs ipse dominaretur in populo suo, & in Absalon, qui surrexit aduersùs patrem suum Dauid, vt eum à sede regni deturbaret, & ipse regnaret pro eo: quod expendens S. Chrysostom. homil. de Absalon, ait: *Vbi solatium patres & progeniores inuenire debent, inueniunt mortem, cùm bruta pecudes pietatis in parentes jura conseruent. Innocentem perimere nefas est, patrem occidere scelus. Ambitio docet id quod natura non nouit, quod pietas ipsa horruerit, audet perficere quod Deus non-nuo supplicio vindicare cogatur.* Ita S. Chrysost. *4. Reg. 11. Ind. 3.* *2. Reg. 15.*

Et S. Bernard ser. de conuers. ad Cler. cap. 31. *Propter ambitionem*, inquit, *paratos ambitiosos videas vniuersa pericula subire, scandala suscitare, sustinere odia, opprobria dissimulare, negligere maledicta.* Ita ille.

Prop. V. *Ambitio seditionum & rixarum causa est.*

ARistoteles vti refert Stobæus, *plurima*, inquit, *seditiones ambitionis culpâ oriuntur, de honoribus enim non quilibet, sed potentissimi quique contendunt.* Ita ille. Rixæ quidem & dissensiones inter pauperes & personas infimæ plebis facilè terminantur, non verò ita inter principes, & primarios viros. Sicut ignis in stupa & paleis facili negotio extinguitur, & breui tempore durat: at verò in quercu, vel ligno aliquo denso, sicut non facilè imprimitur, sic extinguitur cum difficultate maiori; ita etiam dissensiones inter pauperes, sicut faciliùs inchoantur; sic faciliùs finiuntur: at inter diuites & optimates difficiliùs inchoantur, & difficiliùs extinguuntur. cùm igitur ambitio primum locum in cordibus principum habeat, maiorum dissensionum causa est. *Ser. 43.*

Prop. VI. *Ambitio hæresum radix est.*

SAnctus Augustinus vocat ambitionem, *hæresum matrem*: nam multi vel vt id quod ambiunt, assequantur, vel eò quòd illud non fuerint assecuti, in hæresim prolabuntur, & adducit Sanctus exemplum de Aerio presbytero, qui propterea quod eum Episcopum non effecerant, seipsum Arianum fecit, & ad hæresim Arianorum hoc addidit dogma, quod nullum erat discrimen inter Presbyterum, & Episcopum. *Tom. 6. de Hæres. ad Quod. vult Deo haer. 53.*

Item Eusebius Cæsariensis refert, quod Theobolus hæreticus Ecclesiam Dei perturbauit, eò quòd in Episcopum eum eligere noluerunt. Item Pontanus collector actionum Concilij Ephesini refert, quòd Arius ideò Hæresiarcha pernicioissimus effectus fuit, quòd se spe Episcopatus frustratum vidit.

Idem refert Eusebius Cæsariensis de Nouato hæretico, dicens: *Episcopatus cupiditate in schisma & haresim decidit.* Ferè idem Luthero contigit. Quare meritò *hæresum matrem* ambitionem sanctus Augustinus appellauit. *Lib. 6. Eccl. hist.*

Prop. VII. *Ambitio fraudulentum hominem reddit.*

Prouerb. 11. *Non inueniet fraudulentus lucrum.* Vbi Septuaginta sic habent: *Non assequetur dolosus venationem suam.* Beda ibi nomine dolosi & fraudulenti intelligit ambitiosum, qui totus fraudulentus & versicoloreſt: fingit enim multa vt id acquirere possit, quod venatur, in cuius pœnam Deus illum à suo desiderio defraudari permittit: quod si aliquando intentum assequatur, tantò illi peius, nam in malum suum ambitiosus acquirere solet quod ambit; sed quomodocumque sit, fraudulentum illum dicit & eapropter quod quærit, venationem dicit: venator enim & piscator fraudulentiis ac dolis venantur, & piscantur; sic isti homines decipere, sicut illi animalia, solent.

Hinc S. Basilius in regulis breuioribus interrogatione 246. explicans locum illum Pauli, *Charitas non est ambitiosa. Tantumdem*, inquit, *est, ac si dicat, charitas non mutat habitum, & formam suam, quasi proprium sit ambitiosi se in varias formas transformare.* Quare rectè competunt ambitioso verba illa, *Eccl. 19.* *Est qui nequiter se humiliat. & interiora eius plena sunt dolo.* Solent enim ambitiosi se nimium humiliare his à quibus obtinere quod ambiunt quærunt, at interiora eius plena sunt fraudulentiâ & dolo, sicut patet in Absalon. Vnde S. Bernard. serm. 3. *Reg. 15.* exparuis: *Ambitiosi cùm honorem adipisci desiderant, cæteros sibi priùs per amorem acquirunt, cùm verò adepti fuerint, elati potestate eos ipsos per tumorem sibi postmodum subiiciunt, quibus prius privati, non terrorem, sed amorem exhibebant.* Ita S. Bernard.

Prop. VIII. *Ambitio mentem excæcat.*

Matth. 2. Matth. 2. cùm Rex Herodes à Magis audiret natum Regem Iudæorum, turbatus illum occidere decreuit. Quod non solùm crudele, & impium fuit, verùm etiam stultum nimis. Consuluerat enim scripturas & didicerat ex Michæa, c. 11. nasciturum Christum in Bethlehem Iudæ, & nihilominùs eum interimere statuit. Quærerem ego à Rege isto: Si fidem scripturæ adhibes, quomodo eum de medio tollere tu quæris? numquid prophetiæ veritati & decreto Dei derogare te posse censes? nónne cæci, & stulti hominis talis est cogitatio? Vnde igitur ortum habuit? ex ambitione, ait S. Leo Papa serm. 1. Epiphaniæ, dicens: *S. Leo. Herodes audiens Iudæorum Principem natum, successorem suspiratus, expauit, & molitus est necem salutis authori.* Italle. Vide quàm stultos ambitiosos ambitio reddat, vnde meritò ibi exclamat S. Leo, & ait: *O caca stultæ æmulationis impietas, quæ perturbandum existimat diuinum tuo furore consilium!* Ita ille. Vide Euthymium in ea verba Matth. 2. *Misit illos in Bethleem.* *Euthym.*

Prop. IX. *Ambitio ex superbia, & amore proprio procedit.*

Quantumuis quis indignus verè sit & impar ad munus, quod intendit, & ambit, semper aliis judicat se aptiorem. hi quidem similes sunt his, qui ludentes latrunculorum ludo, vel alearum, vident: errores enim ludentium facilè notant, hoc modo, inquit, ille, vel illo hic ludere debuisset, ego quidem latrunculum illum mutassem, &c. qui tamen, dum ludere incipiunt, in plures incidunt errores, quàm illi, quos emendabant; sic etiam in officiis, & dignitatibus Reipublicæ euenire solet, qui eas ambit, facilè eorum errata notat, qui possident illas. Ego, inquit, si judex extitissem, numquam talem sententiam protulissem, numquam tale arbitrium dedissem, &c. qui tamen judex effectus plura errata committit, hoc quidem, tum ex animi tumore & superbia prouenit: superbus enim dicitur, qui super alios se constituit; tum ex amore proprio, quo qui affectus est, quod in aliis damnat, justificat in seipso. meritò, inquit, ille in malam agitur crucem, quia latro est, & ipse occultus in sua mente latro, plura, quàm ille, furatus est. Ille, inquit, vagabundus & otiosus est, quare in exilium relegandus est: ipse verò à mane ad vesperam vsque, solis vanitatibus, ludis & detractionibus vacat, & cæt. his Paul. *Rom. 2.* *Qui prædicas non furandum, furaris, &c.*

Adduxerunt peccatores quidam mulierem adulteram ad Christum, vt aduersùs eam sententiam justam ferret, quibus Christus: *Qui ex vobis sine peccato est, primus in eam lapidem mittat,* & ne iniusta illis sententia videretur, in terra digito scribebat eorum peccata; quasi diceret: Quâ facie supplicium adulteræ postulatis, qui sine supplicio maiora delicta perpetrare vultis? sic ergo in Republica multi aliorum crimina damnant, quorum ipsi primi ac peritissimi artifices sunt: quod quidem ex amore prouenit proprio: amor enim sui delicta propria non sinit intueri, se enim cum suis malis amat; quia verò non ita quis alios amat, facilè in aliis peccata diiudicat, &c. *Ioan. 8. 7.*

Prop. X. *Ambitio adulationis est mater.*

Plinius lib. 18. cap. 27. *Sicut herba quæ dicitur Heliotropium semper in eam partem spectat, in qua Sol est, & eo reconditio florem contrahit: sic ambitiosi ad omnes Regis voluntates obsecundant, & in quodcumque viderint illum esse propensum, in id feruntur & ipsi.* Ita ille. Vtinam & cæli candidati in Solem justitiæ oculos iniicerent, vt quæ illi placita sunt, facerent semper. *Plinius.* *Simile.*

Prop. XI. *Ambitio multis laboribus scatet.*

Laudauit Iulij Cæsaris sententiam Scaliger Poëtâ lib. 1. cap. 16. vbi de diademate regio dixit: *O nobilem potiùs, quàm felicem coronam, plenam curis & periculis; ac miseriis multis, quam cognoscens non ambiat modò, aut partâ gaudeat, sed nec oblatam vltro recipiat, abiectámue humo leuet.* Ita ille.

Habet quidem honoris plurimum regium diadema, habet & consolationes & delitias multas, sed secundùm multitudinem consolationum in corde eorum tribulationes angunt animas eorum: quod vel in ipsa regia corona circumspicere licet: nam habent coronæ flores multos, at inter florem & florem dantur vacua multa; *entre flor de lu y flor de lu ay vn portillo, entre flor y flor de contento, ay vn gran portillo de descontentos,* &c. & ita denique vehementem gemitum emittit pectus purpura tectum, sicut pectus sacco amictum, tantò maiorem, quantò principum & dominantium cure. ac res maioris ponderis sunt. attendant hoc qui ambiunt mundi altitudines ac dignitates, quique solùm honores exteriores delitiasque intuentur, &c.

Postquam Iacob Patriarcha certò cognouit filium suum Ioseph totius regni Ægypti principatum tenere, & ab ipso filio in Ægyptum vocari, eò ire decreuit, priùs autem sacrificium obtulit Deo: eadem autem nocte apparuit ei Deus in somnis, & dixit: *Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere descendere in Ægyptum.* ergo timebat Iacob descendere in Ægyptum; quid timebat? Princeps Ægypti erat fidelissimus, & dilectissimus filius eius Ioseph, quem omnes timebant Ægyptij, ac venerabantur; quid igitur ibi timere poterat? Iacob etenim hoc jure timebat, videre, scilicet in domo sua principatum tanti regni, sciens principatus hujusmodi concomitari pericula grauia corporis & animæ, ideò sibi filioque meritò potuit timere, ne scilicet causâ, quam sine personarum acceptione filium exercere oportebat, à subditis odio haberetur, & ab eis persecutionem pateretur, neve ob talia pericula vitanda filius minùs Deo placeret. hoc sanctus vir vere- *Gen. 46.*

batur, cui Dominus: *Noli timere, ego enim sum fortissimus Deus patris tui*, obstruat titulum, quem sibi Dominus hic attribuit, *fortissimus*, inquit, *Deus*: quasi diceret, noui fortia esse pericula regiminis huiusmodi, sed fortissimus sum ego, vt ope mea possit filius tuus, & tu cum ipso possis euadere & superare pericula cuncta.

Vbique labores, vbique pericula, vbique timores laborum & periculorum sunt, sed tamen maiora multò & plura sunt pericula eorum, qui in dignitatibus, honoribus & muniis mundi constituti sunt. At, inquies, quin potiùs hi timeri solent qui dignitates obtinent mundi, & principatus. Respondet optimè Seneca epist. 14. *Multis attulit causas timendi, posse timeri.* Ita ille. Omnes, inquies, timemus, in quocumque statu & conditione positi simus, quid quæso inde inferendum est? dicam, si sani prorsus & temperati, ab intemperie corporis & à periculis ægritudinum minimè liberi sunt, quid de his dicendum est, qui infirma semper valetudine viuunt, & temperati non sunt? si hi, qui nihil appetunt rerum mundi, & in statu pacifico degunt, periculis multis corporis & animi expositi sunt, quid erit his qui cupiditatibus & affectibus suis omnia tribuunt, & multis obstare coguntur? Si arbores in vallibus plantatæ, vbi ab inclementia temporum protectæ sunt, sæpè ventorum & imbrium & fulminum vi quatiuntur & pereunt, quid de illis sentiemus, quæ in cacumine montis sine aliqua defensione constitutæ sunt?

Prop. XII. *Quàm difficile sit remedium ambitionis.*

Lib. 3. in Lucam. AMbrosius, *Quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subruere, facit sæpè ambitio criminosos.* Ita ille, & ita quidem est: nam multos videmus viros alioquin religiosos, castitatem & paupertatem religiosam sectantes, qui tamen honoris desiderio præsse optant, &c. quantùm verò non solùm virum religiosum, verùmetiam Christianum id dedeceat, Chrysostomus

Hom. 25. in Mart. asserit, dicens: *Quicumque desideraverit primatum in terra, inueniet cor fusionem in cœlo, nec inter seruos Christi computatur, qui egerit de primatu.* Ita ille. Ecce non solùm religiosi nomine indignus est, verùm etiam serui Christi, &c.

Prop. XIII. *Ambitiosus sæpè frustratur.*

1. *Reg* 18. PRomiserat Saul dare filiam suam maiorem nomine Merob in vxorem viro, qui percussisset Goliath, cumque Dauid percussisset eum, non statim voluit eam dare Dauidi, sed *Ecce*, inquit Saul ad Dauidem, *filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi vxorem: tantummodò esto vir fortis, & præliare bella Domini*, hoc est, non sufficit tibi gigantem expugnasse, & gloriosè interfecisse, adhuc tibi restat longa via, præliare priùs aduersùs Philisthæos. Numquid non promiserat Rex filiam pro interfectione gigantis? cur igitur rursum præliandum ei esse ait? nimirum, quia ita mundus cum prætensoribus suis esse gerit, differt semper adimplere promissa, imò, addit Scriptura sacra, *Factum est autem tempu, cùm deberet dari Merob filia Saul Dauid, data est Hadrieli Molathitæ vxor.* Ecce quid quærentibus bona mundi euenire solet. *Pretendeiu vna encomienda, mereceis la à puros seruicios, y quando menos os catais sale aculla otro con ella y dan os lo que no buscabades*, sicut etiam Iacob euenit, qui pro Rachel septem seruiuit annis, & data fuit postea ei Lia. Sic mundus ambientibus bona eius, & seruientibus sibi retribuere solet.

Quòd si tandem dona sua suis concedit, hoc adeò tardè & serò præstat, vt senectute vel etiam morte præuenti, eis gaudere vel potiri non possint. Quod in illo familiari Dauidis, nomine Berzelai, qui eo tempore, quo Rex Dauid ministerio eius eguit, libenter, & fideliter, facultate & obsequio filiorum suorum, & suo proprio ei ministrauit: iad quem postea Rex, *Veni*, 2. *Reg.* 19. inquit, *mecum, vt securus requiescas mecum in Hierusalem*, cui Berzelai: *Quot sunt dies annorum meorum, vt ascendam cum Rege in Hierusalem? Octogenarius sum hodie, nunquid vigent sensus mei ad discernendum suauc, & amarum, aut delectare potest seruum tuum cibus, & potus? vel audire possum vltra vocem cantorum?* Ecce, quando mundus regia munera offert ministrantibus, & seruientibus Regibus, & Principibus terræ, cibos regios tribuit, quando nec dentes habent vt comedant, nec vigorem gustus, vt suauitatem eorum percipere valeant, &c. *Dara os el mundo sus placas, quando os falta la vida para gocarlas, y jugar, quando os salten los dentes para comerlo, &c.*

Denique multi sunt ambientes mundi dona, dona verò mundi non multa, sed pauca. vnde id mihi illis euenire videtur, quod expectantibus aquæ motum *Ioan. 5.* juxta piscinam Hierusalem. erat enim juxta piscinam in quinque porticibus illis multitudo copiosa claudorum, cæcorum, & aliorum expectantium aduentum Angeli, quo adueniente vnus tantùm salutem optatam consequebatur: sic quamplurimi juxta piscinam regiam aduentum Angeli expectant: nunti is enim gratiæ esse Angelus nuncupatur, expectant hunc Angelum qui regale decretum deferat eis, qui tamen vni tantùm regale donum adfert, reliquis omnibus remanentibus jejunis, & spe suâ frustratis, &c.

Prop. XIV. *Ambitiosus nunquam satiatur honoribus mundi.*

CAndidati mundi, qui terræ dignitates, & honores quærunt, quantumuis multa ex illis consequantur, semper amplius quærunt, quos rectè Plinius *Plin.* Chamæleonti comparauit, dicens: *Chamæleon quamuis pascitur aura & non solido cibo, semper hiante ore procedit: sic qui gloriosis, & auris popularibus aluntur, semper aliud captant quod augeat famem.* Ita ille.

Prop. XV. *Ambitiosus gloriam, quam in dignitate quærit, non inuenit.*

Psalm. 36. PSalm. 36. de justo sic Propheta: *Cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.* Vbi Cassiodorus, *cùm ceciderit in manus hominum peccaturus*, (& idem potest dici de quacumque tribulatione, in quam ceciderit justus) tunc, inquit, *non collidetur. Quod est non colludetur? videlicet hominem in altum prorumpentem ad vitreum, cùm vitrum ad terram redit, si mente prudenti esset, in mille partes se confringendum exsilit mater: at homo, qui proiicit illud, manum artificiose supponit, & ita non collidetur.* Ita que yo hazer se mui pedagos, supo recogerlo con la mano, &c. Sic nimirum Deus justum proiici permittit, & cùm periculum timet, supponit manum suam, vt non collidatur. Exempla notissima, & ponderanda sunt in Iob, in Tobia, in Ioseph, in Elia, in Dauid, in Susanna, Daniele, tribus pueris, Saulo, &c. Non enim amicitia Dei ad modum amicitiarum inter homines censenda est: cecidit Iob in grauissimas tribulationes, in quibus jam constitutus dicebat, cap. 6. *Fratres meos pe-* *Iob. 6.* *terierunt me, sicut torrens qui rapidus transit in conuallibus.* alia litera sic habet; fratres mei fidem fefellerunt, sicut &c. Iter agens viator hiemis tempore, torrentem in via offendit, copiam aquæ multam dulcem & perspicuam ferentem: dum autem æstatis tempore idem iter perageret, siti fatigatus aquam ex illo torrente abundantem sibi promitti; at postea alueum siccum inueniens. Fefellit, inquit, me torrens ille, & tempore opportuno, qui affuerat tempore importuno. hic igitur Iob de suis amicis ait: tempore, quo illorum ope non egebam, torrentis copiam bonorum mihi offerebant: at

at tempore necessitatis pertranſierunt, ſicut torrens, qui raptim tranſit in conuallibus, velut Septuaginta legunt, non reſpexerunt me, *los que antes me reſpectauan, aora ni aun miran me quieren*, vel vt Pagninus legit, inuecti ſunt in me, *no contentos con diſpreciarme, han hecho iniuſtitias contra mi*, ſicut ex tribus eius amicis conſtat, qui de peccato eum arguere nimis voluerunt: talis eſt hominum amicitia. at Dei amicitia fideliſſima eſt, nullum in aduerſitate amicum derelinquit, vti ab omnibus derelictum Iobum ipſe recepit, adiuuit, reparauit, & non ſolùm in priſtinum ſtatum redegit, verùm duplicata ei reſtituit bona, &c. Hoc igitur attendant, qui in hominibus ſpem ſuam collocantes, ab eis ambitioſè honorari & promoueri quærunt, &c.

Prop. XVI. *Ambitioſus non eſt dignus dignitate quam ambit.*

2. Reg 15. CVm Abſalon ambiret regiam dignitatem dicebat: *Quis me conſtituat iudicem ſuper terram, vt veniant ad me omnes qui habent negotium, & juſtè judicem?* ponderat hæc verba Abulenſ. q. 5. ibidem. & ait: *Fallacia iſta non erat nimis latens, quia qui honorem deſiderat, non eſt dignus honore, & qui deſiderat ſtatum excellentem, non poteſt eum conuenienter ſuſtinere: quia onera grauiſſima huiuſmodi ſtatus habent connuncta, & qui eos ambit, non onus, ſed honorem & requiem quærit. & propter hoc Eccleſia inſtituit, vt quando ſuſcipierentur aliqui in Epiſcopos, quilibet reſpondeat his, nolo, & tertiâ vice reſpondeat volo, quo in primis ipſe oſtendat ſuam voluntatem, in tertia verò obediens alterius ſubiaceat voluntati.* Ita ille. Vnde S. Hieron. epiſt. ad Heliod. *Qui recuſabat facerdotium, inerebatur*, inquit, *negando quod eſſe nolebat, eò quòd dignior erat quo ſe clamabat indignum*, & S. Chryſoſt in imperfecto homil. 35. *Primatus fugientem ſe deſiderat, deſiderantem ſe fugit.* Ita ille. Vide S. Bern. ep. 126. & ſerm. 18. ex paruis, & S. Cyprian. epiſt. 52 & S. Gregor. 24. Moral. vltim. & lib. 4. in 1. Reg. c. 11 & 30. Moral. 15. & de cura paſtorali 1. p. c. 3. & S. Dionyſ. de Eccleſiaſtica Hierarch. c. 5. par. 5. & S. Baſil. in c. 3. Iſaiæ, & S. Ambr. epiſt 82. & S. Cypr. epiſt 68. & Nazianz. oratione 1 Apolog & S. Cyril. de adoratione in ſpirit. lib. 11. in prin. Vbi nota quod nonnulli non ambiunt ſibi, ſed filiis & conſanguineis, & in hoc idem inconueniens eſt, & maximè cùm pueri ſunt promouendi. De quibus ſic S. Bernard. epiſt. 42. *Scholares pueri & impuberes, ob ſanguinis dignitatem promouentur ad Eccleſiaſticas dignitates, & de ſub ſ. rula transferuntur ad principandum Presbyteris, lectores interim quod virgas euaſerint, quàm quòd meruerint principatum.* Ita S. Bern.

B

C

Prop. XVII. *Qui aliis præeſſe vult, moribus, & vitæ ſanctitate præire debet.*

Macrob. HInc, vti Macrobius ait, olim vt principem ſapientes hieroglyphicè ſignificarent, ſceptrum cum oculo pingebant. cur potiùs oculo, quàm manu principem ſignificabant, cùm princeps manus Reipublicæ ſit? in manu enim ſua eſt Reſpublica vniuerſa, & manu ſuâ eam gubernat. Quia oculus quâuis læſione afficitur grauiter, vulneraturque ſenſibiliùs, & acriùs, & faciliùs, quàm reliquæ partes corporis, & ob hanc cauſam natura tot eum munitionibus muniuit, palpebris, genis, ciliis, ſuperciliis, quia cùm nobilis vtiliſſimáque pars corporis ſit delicatiſſima, ex quauis percuſſione graue concipit nocumentum. Nam ſolus fumus, vel atomus inter palpebas ingreſſus, & nocet, & torquet multum. Hâc igitur ratione ſolâ potuerunt meritò non ſolùm profani, ſed ſacri Authores oculorum nomine, ſuperiores ſignificare, quęuis enim læſio in ſuperiore vniuerſo corpori valde nociua eſt: & ita Origenes in ſacris Literis affirmat, Prælatos oculos dici, ſicut Matth. 6. oculus ſimplex, vel neD quam eſt Prælatus bonus vel malus.

Et huius ratio eſt, quia, vti aut Spiritus ſanctus Eccleſiaſt. 10. *Secundùm judicem populi, ſic & miniſtri eius: & qualis rector ciuitatis eſt, tales & inhabitantes in ea. Rex inſipiens perdet populum ſuum, & ciuitates habitabuntur propter ſenſum prudentium.* Quod & Plato aſſeruit. Quales ſunt Principes in Republica, tales & reliqui ciues: ſi enim ſuperior fuerit venationibus deditus, omnes inferiores canes, & herodios habent; ſi luſor fuerit, omnes habent aleas, & de illis agunt; ſi literis deditus, omnes quærunt libros; ſi otioſus, omnes amant otia; ſi bellicoſus, omnes de armis tractant. Denique qualis Rector; tales & ſubditi ſunt, huiuſmodi commune proloquium. Eccl. 10. 2 Plato.

Regis ad exemplum totus componitur orbis, &,
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.

Hinc Iſa. 1. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas.* De quonam capite, & corde loquitur hic Propheta? S. Thom. Per caput, inquit, intelligitur populi princeps, juxta illud 1. Reg. 15. quod Dominus dixit ad Saul: *Cùm eſſes parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es:* & analogica ratio eſt, quia princeps primum locum obtinet in Republica, ſicut in corpore caput, & ſicut caput in corpus influit benè, vel malè ſecundùm quod benè vel malè ſe habet caput, ſic princeps influit in ſubditos ſecundùm quod ſe habet ipſe. Vnde S. Hieronymus ſuper hunc Iſaiæ locum: *Inter omnia corporis membra, principalem locum obtinet caput, in quo viſus, odoratus, auditus, & guſtus eſt. Cùm igitur caput doluerit, omnia membra debilia ſunt, & per metaphoram docet, quòd à principibus vſque ad extremam plebem, à Doctoribus vſque ad imperitum vulgus, in nullo ſanitas ſit, ſed omnes impietatem pari ardore conſectentur.* Ita S. Hieronym. vbi per caput principem ſæcularem, per cor principem Eccleſiaſticum intelligit. Quare meritò poſt enumeratam capitis & cordis infirmitatem, ſubdit. A planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo, hoc eſt, in populo, ſanitas. Vbi obſerua quòd non graues infirmitates capitis, nec cordis, annumerauit: ſed languidum eſſe caput, non vulneratum, non ſanie manans, ſed languidum ait, veluti dolore aliquo affectum; nec cor mortali accidenti languens, ſed mœrens, & tamen inde ſubdit omne corpus adeò malè affectum eſſe, vt à planta pedis, vſque ad verticem nulla fuerit ſanitas in eo ſicut, inquam, capite ægrotante oculi caligant, aures ſurdeſcunt, lingua obmuteſcit, manus langueſcunt, pedes dilabuntur; ſic capite, & corde Reipublicæ, hoc eſt, ſuperioribus languentibus, ſapientes, qui oculi Reipublicæ ſunt, caligant prædicatores, qui lingua ſunt, obmuteſcunt. confeſſarij, qui aures ſunt, ſurdeſcunt, miniſtri juſtitiæ, qui manus Reipublicæ ſunt, quibus ſuperiores operantur, deficiunt, & reliqui omnes inferiores, qui velut pedes Reipublicæ ſunt; ſicut enim pedes corpus omne ſuſtentant, ſic hi dilabuntur, cadunt, pereunt capite ægrotante. Hieron. Iſa. 1. 5.

Vnde ad Galat. 2. cùm Apoſtolus Petrus eſſet Antiochiæ, veſcebatur cum Gentilibus nullâ factâ differentiâ illorum ciborum, quam Iudæi ſecundùm legem veterem faciebant; ſed aduenientibus quibuſdam Iudæis timore eorum ſubtrahebat, & ſegregabat ſe à Gentilibus, nolens comedere cibos eorum, ſicut anteà: cui Paulus, *Quomodo cogis gentes judaizare?* Cogis? nunquid perſuadebat eis judaizare? nequaquam; quare ergo ait, cogis? S. Thom. ibi, quia validiora ſunt exempla, quàm verba. ita ille, maximè verò ſi exempla ſuperiorum ſunt. Gal. 2. 15

Vnde Petrus 1. Petr. 5. *Non dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo, paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei.* Vidiſti vnquam huiuſmodi paſcua, quis vnquam paſtorum per formam, quam exhibent gregi; paſcit illum? in corporalibus ita eſt, in ſpiritualibus autem 1. Pet. 5. 3

salubrior pastus, hæc forma exemplaris est, eâ enim pa- A
scuntur, & crescunt, & perficiuntur oues, magis enim
mouent exempla, quàm verba; quomodo enim suadet
humilitatem superior superbus? quomodo patientiam
iracundus? quomodo liberalitatem pauper auarus, aut
abstinentiam gulosus?

Tenetur igitur superior se formam gregis face-
re, & hoc ex animo vero, non ficto: nam fictio statim
seipsam prodit, & cùm apparuerit princeps pastorum,
percipietis immarcessibilem gloriæ coronam, aliàs *væ
vobis. Væ*, inquit, *pastoribus Israel: qui pascebant semetipsos*,
&c. Væ igitur, qui ambitiosè hæc munia quærunt, hi
enim non ouium commodum, sed suum quærunt.

Socrates. Obiectum fuit olim Socrati quod nimium esset
Philosophus. Socrates, *Philosophus*, inquit, *velut Magister
cantorum esse debet, qui aliquoties vocem eleuat plusquam cæ-
teri, vt ab illis audiatur, & dissonantes ad musicæ concentum
reducat, sic ergo superiorem esse oportet, & idem in operibus,
quod ille in vocibus, præstare, operando scilicet altius & sublimius, quàm reliqui omnes, vt in moribus dissonantes, vel re-
missos ad morum concentum, & debitam proportionem re-* B
ducat.

Scripsit epistolam quamdam Deus Episcopo Smir-
næ, illius inscriptio hæc erat, *Angelo Smirnæ*: quam
quidem inscriptionem & aliis Episcopis apposuit, *An-
gelos* eos vocitans: cur ita? nónne homines erant, sicut
& alij? erant, sed idcò Angelos eos vocat, quia Præla-
ti erant: Prælatos autem Angelos referre oportet,
mores scilicet Angelicos imitando, puritatem scilicet
Angelicam, zelum, charitatem, solicitudinem, vigi-
lantiam, sapientiam, prudentiam. Denique excessum
illum, quem super hominem Angelus habet, illum
ipsum, quantùm fieri possibile fuerit, habere Præla-
tus super subditos debet. Sed hîc morari non pos-
sum, quòd, cùm etiam Angelica perfectio in Prælato
requiratur, non desint quàm plurimi, qui Prælati esse
& appetant, & pro viribus procurent, & negotientur.
Nónne hoc aut stultitia nimia, aut præsumptio into-
lerabilis est? Sic est.

Isa. 58. 1. Isai. 58. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam,* C
*& annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata
eorum.* Hæc Deus ad eum, quem Prohetam & ducem
populi sui constituerat, vocem non cuiusuis instru-
menti, sed tubæ sibi postulauit, & requisiuit ab eo:
cur ita? Quia tuba ore & manu applicata pulsatur,
organum, & lyra, & alia huiusmodi instrumenta
musicæ, manus tantum requirunt. chorus verò ca-
nentium, os tantùm: at tuba, os, & manus simul: &
in hoc superiorum huiusmodi, & subditorum differ-
entia consistit nam inferiores sicut organum, & lyra
manus exigunt tantùm; tacendo enim & operando
ministeria sua implent: at superior, & concionator, si-
cut tuba, manibus, & ore sonare debent, non sicut Pha-
risæi, qui cantorum more, os tantùm applicabant. De
quibus Dominus Matth. 23. *Alligant onera grauia & im-*
portabilia super humeros hominum, digito autem suo nolunt ea D
mouere, dicunt enim, & non faciunt, hoc Pharisaicum est,
verus autem superior, sicut de Christo dicitur, *Cæpit
facere, & docere*, priùs opere, quàm voce docere de-
bet. Quare in montem eum ascendere iussit, Isa. 40. &
in fortitudine extollere vocem suam: in montem as-
cendit, qui ad alta spiritus conscendit, & in fortitudi-
ne exaltat vocem, qui vocem operibus iuuat, fortis
vox, quam opera ipsa extollunt.

Matt. 23. 4.

Apoc. 1. 10. Vnde Apocal. 1. Ioannes: *Audiui*, inquit, *post me vo-
cem magnam, tanquam tubæ, & conuersus sum, vt viderem
vocem, quæ loquebatur mecum.* Quo pacto potest videri
vox? non inquit, vt audirem, sed viderem vocem,
nimirum quia vox tubæ erat, tuba verò non solùm
audiri, sed videri etiam potest: sonus autem tubæ, vt
diximus, vox superiorum est, quorum vocem exaudiri
per verba patet, & videri per exempla debet.

Hoc ferè insinuant verba, in libris Prophetarum
Aggæi 1. & 2. *Verbum quod factum est in manu Aggæi Pro-*
phetæ, & Malach. 1. *Verbum quod factum est in manu Ma-*
lachiæ. & Zach. 7. *Verba quæ misit Deus per manus Propheta-*
rum. Quomodo in manu Prophetarum efficiuntur ver-
ba? Quomodo per manus Prophetarum mittuntur? di-
cendum enim videbatur: *Verbum quod factum est in ore
Aggæi, verbum quod missum est per linguas Prophetarum*,
quamuis ad Hebraismum te vertas, mysterium hoc
habere videtur, officina verborum non sunt manus,
sed lingua; mutorum enim est manibus loqui: at hic
fermo est de Prophetis, qui duces & concionatores
populi Dei erant. Hi ergo qui populum docebant in-
stinctu Dei, non solùm verba proferebant; sed opera
priùs præstabant, quam ea populo verbis suaderent;
quare meritò in manus eorum facta verba dicuntur.

Aggæi 1. & 2. Malach. 1. Zach. 7.

Seneca epist. 91. *Natura est potioribus submittere dete-* *Seneca.*
*riora, multis quidem gregibus, aut maxima corpora præsunt,
aut vehementissima; non præcedit armenta degener Taurus: sed
qui magnitudine alios cæteros mares vincit, Elephantorum
gregem excellissimus ducit, inter homines pro summo est opti-
mus animo, ita que rector olim eligebatur, ideoq; summa felici-
tas erat gentium, in quibus potentior esse non poterat, nisi me-
lior, tantùm enim quantùm vult potest, qui scilicet nisi quod
debet, non jubet posse. illo ergo seculo, quod aureum perhi-
bebatur, penes sapientes fuisse regnum judicat Possidonius. Hi con-
tinebant manus, & infirmiores à validioribus tuebantur, sua-
debant, dissuadebant q;, & vtilia, atque inutilia monstrabant,
horum prudentia, ne quid deesset suis, prouidebat, fortitudo
pericula arcebat, beneficentia subiectos augebat, & ornabat,
officium erat imperare, non regnum, nemo quantum posset ad-
uersus eos experiebatur, per quos caperat posse.* Ita Seneca.

Idem Seneca lib. 1. de clem. cap. 19. *Natura commenta
est regem, quod & ex aliis animalibus licet cognoscere, & ex
apibus, quarum regi amplissimum est cubile, & medio ac tutissi-
mo loco, nec vnquam plus quàm vnum patiuntur, & meliorem
pugnâ quærunt. Præterea insignis regi forma est, & dissimilis
cæteris, tum magnitudine, tum nitore, & cùm iracundissima
ac pugnacissima pro corporis capiu sint apes, & aculeos in vul-
nere relinquant, rex ipse sine aculeo est. Noluit illum natura,
nec sæuum esse, nec vltionem magno constaturam petere, &
telum detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplar
hoc magnis regibus ingens. Pudeat ab exiguis animalibus non
trahere mores, cum tantò hominum moderatior esse animus
debeat, quantò vehementius nocere potest.* Ita Seneca.

Ierem. 1. Dominus ad Ieremiam: *Quid tu vides Iere-* *Ier 1. 11*
mia? Virgam, inquit, *vigilantem ego video. Bene*, inquit,
vidisti, quia vigilabo ego, &c. Vnde virgam illam Deum
ipsum esse videmus. quid autem significet virga hu-
iusmodi vigilans, ex Hieroglyphicis Ægyptiorum
possumus commentari, illi enim ex Hebræis ad sua
Hieroglyphica mutuarunt. Valerianus ergo l. 33. tit. de *Valerian.*
justitia, *Vetustissimi*, inquit, *Sacerdotes moderatorem Hie-
roglyphicè significaturi, oculum super virgam facere soliti sunt.*
Ita ille. Virgam igitur oculatam vidit absque dubio
Ieremias, *vara con ojos, vara con ojos bien, pero con ojos.*
Quid sibi vult virga oculata? oculus quidem iste vi-
gilans, vigilantiam superiorum designat, quia vigilare
illum oportet super gregem sibi commissum, tanquam
rationem pro eo reddituram; virga verò rectitudi-
nem importat. Vbi nota, quod virga intra aquam po-
sita, fracta, vel distorta videtur, aquæ multæ populi
multi. Aqua in sacris Literis populum significat. Su-
perior ergo cùm virga sit, si inter populares se immer-
serit, vt sit sicut populus, sic superior, quamuis inte-
ger ibi sit, fractus, vel ad minus contortus apparebit:
supra reliquos vitæ illius sit oportet, qui super alios est
dignitate constitutus.

Iob. 29. inter alia quæ de seipso asseruit. *Si quando,* *Iob. 29. 24*
inquit, *ridebam ad eos, non credebant.* Princeps & guber-
nator fuit S. Iob, & tantâ seueritate apud suos ditos se
gerebat, vt vix ridentem eum vnquam viderent, idcò
ait,

ait, *si quando ridebam ad vos, non credebant.* In hæc verba sic S. Gregorius 20. Moral. Sæpè enim ad disciplinæ metum resoluimus subditos, si nostro regimine hilaritatis fræna relaxamus, quia dum nos quasi licenter lætos aspiciunt, statim ipsi ad illicita resoluuntur. Ita S. Greg. Sed dices, si licenter lætatur superior, cur sic lætari prohibetur? quia licita superiorum sæpè illicita videntur inferioribus, virga scilicet apparet in aqua distorta, quamuis in se integra sit; sic risus superiorum, & alia huiusmodi quæ licita sunt, illicita vulgo videntur.

Hinc Matth. 15. accusauerunt Pharisæi Apostolos, quod manus non lauarent, cùm manducabant, cùm tamen licitè id omitterent; quod si Apostoli non fuissent, id non ita illi notauissent.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Et S. Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 18. *Crescit* (inquit) *delicti cumulus iuxta ordinem meritorum, & sæpè quod minoribus ignoscitur, maioribus imputatur.* Ita ille. Et ratio patet, quia maiores maiori obligatione tenentur sanctè viuere, ac iustè; vnde sicut in magistro plus damnatur barbarismus, quam in discipulo solecismus, sic & in superiore plus veniale sæpè, quàm in inferiori mortale,

Hinc Ioannes Baptista speciatim Herodem arguebat, nec legimus ita in particulari alios reprehendisse, quâuis credibile sit maiora ibi commissa esse, sacrilegia videlicet & alia huiusmodi: erat enim tunc completa malitia in populo illo; solum igitur Herodem arguebat, quia rex erat, caput, & superior aliorum, tenebatur enim ille specialiùs bonum subditis exemplum dare; & quod minoribus ignoscitur, maioribus imputatur.

Prop. XVIII. *Quàm præposterum sit dignitates ob delitias & commoditates proprias ambire.*

Appetunt & ambiunt multi dignitates, vt diuitiis, & delitiis, & aliis mundi bonis, & commoditatibus, alios superent, & excedant, cùm tamen id omnino cauere debeant superiores, alioquin inuidiam, & odium inferiorum in se concitabunt: nam, vt ait Quintus Curt. in vita Alexandri, quòd Alexandro siti laboranti ob aquarum penuriam in profectione quadã, oblata fuit galea aquæ plena, sed galeam ille manibus quidem excepit, sed circumspiciens quos circa se equites habebat, fixis in potum oculis, ingustatam reddidit aquam, dicens: Si solus bibero, hos mœror instigabit. Vide quid Ethnicus ille fecit Imperator: pudeat igitur Christianæ religionis capita, delitias in dignitatibus exquisitas amare, &c.

Prop. XIX. *Quanta sit peruersitas eorum, qui dignitates ambiunt ob lucra, & prouentus, & honorem.*

Svnt qui gradus, & dignitates superiores ambiunt, non propter bonum gregis, sed propter bonum suum: vnde postquam ad dignitatem peruenerunt Ecclesiasticam, verbi gratiâ, in comparandis suppellectilibus pretiosis, & multitudine famulorum, & ædificandâ magnâ domo, & consanguineis ditandis patrimonium consumunt Christi crucifixi: pauperibus, orphanis, viduis, infirmis, religionibus, xenedochiis, & piis operibus prætermissis. Iuxta quid necessariò docendum, vel præstandum est, id per visitatores & alios præstant, dum ipsi otio, & fortè ludo vacant, & delitiis sæcularium.

Huiusmodi pastori quid Dominus dicat, audi, Zachariæ 11. vocat Dominus Zachariam, & ait illi, *Sume tibi vasa pastoris stulti*, hoc est, ait S. Hieronymus, *instrumenta pastoris stulti, baculum scilicet, peram, fistulam, sibilum*: Vatablus verò ad R. Dauid, vasa pastoris stulti, dicunt esse peram pertusam, ex qua decidant omnia. Possumus & alia huiusmodi vasa imaginari, vt baculum fractum, vestem leuem, calceos laneos, qui ad montium asperitatem ferendam inepti sunt, fundam sine lapidibus, cornu absque oleo curatiuo, &c. Hunc igitur intuens Dominus per Apostrophen, ait, *O pastor & idolum!* irrisio tali pastore digna. Idolum vocat, & meritò: nam huiusmodi pastores se adorari volunt à subditis: quid enim aliud, quàm honorem, gloriam, & venerationem populi quærunt? Idolum prætereà sacrificia exigit, sic hi decimas, & redditus, & dona, & munera, & restitutiones enixè querunt, & sicut idolum, nihil vltra: nullius enim vtilitatis est adoranti, & offerenti: sic hi adorari, & ditari quærunt, prodesse ouibus nequaquam, huic ergo Dominus: *O pastor & idolum*: tu non pastor ouium CHRISTI, sed idolum Iouis, aut Mercurij, aut Bacchi, & subdit, *Gladius super brachium eius, & super oculum dexter eius: brachium eius aridit ate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur*: Hoc est, hoc ipsum conuertet Deus in supplicium suum, ne inuideas pastori qui oculo dextro, hoc est, rectâ caret intentione, & brachio, hoc est, potentiâ suâ abutitur in malum, quâ nulla maior infelicitas accidere posset; quia suæ damnationis iudicium secum portat. Audi Dominum ipsum Ezechiel. 34. *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nónne greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis: quod perierat, non quæsistis. Et dispersæ sunt oues meæ, eò quòd non esset pastor.* His igitur ait Dominus, *Væ*: væ autem, vt ait S. Hieronymus, *æternam damnationem importat*, quasi diceret, væ vobis, quia pro temporalibus diuitiis, & delitiis, æternâ paupertate, & æternis cruciatibus torquebimini, & dicam tortoribus, quantùm glorificauit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentorum: iudicium enim sine misericordia his, qui præsunt, fiet, &c.

Ad Romanos 1. *Accepimus Apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus gentibus*: Quid ais, Paule, ad obediendum? Apostolatus quidem superioris, & Prælati dignitas est: prælatio autem non ad obediendum, sed ad imperandum, instituta est; ad imperandum ergo, & non ad obediendum dicere debuisti: sed nouerat rectè Apostolus loquendi phrasim, & prælationis naturam: non igitur ad jubendum, sed ab obediendum Deo in his, quæ muneris sui sunt, datur Prælatis dignitas prælationis. quod ad superiorem spectat, præcipere aliis, hoc ipsum præstare debet, quia sic iniunctum est illi: vnde meritò Apostolus, ad obediendum fidei, Apostolatum accepisse se fatetur, ac si diceret, vbicumque se obtulerit occasio plantandi, vel augendi fidem, ibo, & quæ ad fidem spectant, fideliter præstabo, quia ad hoc, non ad imperandum sum Apostolus effectus. *Rom. 1.5.*

Attendant hoc Prælati, qui primas cathedras amant, & eas possidere gaudent, vt dominentur in plebe: haud enim ad hoc vocati sunt, sed ad obediendum Deo in his quæ ministerium suum concernunt.

Vnde 1. Petr. 5. ad Prælatos Petrus, *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro, consenior, & testis Christi passionum*, hoc est, ne mihi obiiciatis, ideò hæc me Prælatos monere, quia ego Prælatus non sum, subditi enim ad suam voluntatem Prælatos sæpè trahere cupiunt potiùs, quàm eorum exequi voluntatem: Prælatus igitur sum, qui Prælatos moneo. Item passionum Christi testis sum, hoc est, meo experimento didici, qualiter Christus se exhibuerit superiorem, non quidem præcipiendo subditis in suum commodum proprium; sed potiùs pro subditis patiendo, & obediendo vsque ad mortem, *1. Pet. 5. 2*

mortem

mortem autem crucis; ego igitur sic consenior, seu Prælatus, & CHRISTI testis, obsecro, *Pascite, qui in vobis est, gregem: non turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo;* ac si dicat, non est vobis præfectura data, vt domini sitis, sed vt pastores. In hoc autem dissimiles pastoribus esse debetis, quod illi ob lucrum, *per el esquilmo, o salario siruen*, vos autem propter ouium lucrum, & Dei gloriam regere gregem debetis. nec mirum, quianon pastores propter oues materiales sunt, sed oues propter pastores suos: oues autem spirituales non propter pastores, sed pastores propter oues instituti sunt: non igitur turpis lucri gratiâ. Attende quale huiusmodi lucrum appellet, turpe, & abominabile, quia ad excelsiora vocantur Prælati, quàm ad huiusmodi lucra. Vnde subdit Petrus: *Et cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloria coronam.* Denique, *Non dominantes*, inquit, *in cleris, sed forma facti gregis*, hæc priùs vos præstare debetis, quæ aliis imponitis facienda: dominorum autem est, non quidem ea facere, quæ serui, sed ideò præcipere seruis multa, vt ab his immunes sint ipsi: ab sit hoc à vobis, non dominantes in clero, &c.

Vers. 2.

Vers. 4.

Sed quid egemus testibus? Christus ipse Luc. 22. cùm Apostoli contenderent, quis eorum videretur esse maior, ita cum Apostolis egit: *Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic, sed qui maior est in vobis fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator*: quasi dicere, dominari in subditos, non Christianorum est, sed gentilium, & paganorum: Prælati autem Christiani potiùs ad ministrandum, quàm ad imperandum cõstituuntur, & vt efficacissimo exemplo veritatem hanc Christus confirmaret, subdit: *Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat*, quod in vltima cœna opere ipso complens, discipulorum pedes, seruorum more, & aquâ lauit, & linteo extersit. Quis in Ecclesia Christi dominari audebit post tale ac tantum Christi exemplum? &c.

Luc. 22. 34

PROP. XX. *Qui dignitatem ambit, onera & pondera grauia quærit.*

LVcæ 15. Christus Dominus Princeps regum terræ, quem Petrus Apostolus Principem pastorum nominauit, cùm primùm ouem perditam inuenit, super humeros suos portandam suscepit, *imponit*, inquit, *super humeros suos gaudens*. Sunt nonnulli pastores, qui non oues super humeros suos, sed se super humeros ouium vehendos apponunt: hi non pastores, sed onus, & vexatio gregis sunt, extorquentes ab eis officia, non exhibentes beneficia, contra pastoris munus. Christus Dominus, tanquam bonus pastor, non raptando per terram, non flagellando, sed suauiter super humeros collocando, ouem ad gregem duxit, hoc nobis innuens, munus pastorum esse onus, non solùm honorem: & nõ esse datum ad gloriam mundi hauriendum ex eo, sed ad portandum subditos super humeros suos. Vnde Iob. 9. 3. Iob. 9. *Sub quo curuantur, qui portant orbem*: quinam sunt Greg. 15. hi Athlantes, qui portant orbem? S. Gregor. superiores, & capita communitatis exponit, hos non dicit portari, sed portare aduersùs eos, qui imponunt onera importabilia super humeros aliorum, ipsi verò digitis ea tangere nolunt; sic de Phariszis Dominus dixit. Superiores ergò, qui rectè munus suum obire volunt, portare super humeros subditos debent. Vnde Christus Dominus cùm videret pedes Iudæ Apostoli sui ad malum currere, accurrit & ipse ad pedes eius non solùm aqua, sed fortè lacrymis suis eos lauans, quasi exponens humeros ad eum portandum, & reducendum.

Luc. 15.

Num. 11. 11 Hinc Moyses Numer. 11. *Cur*, ait, *Domine imposuisti pondus vniuersi populi huius super me*; cur ita? nõne principem eum, ac ducem totius populi eum Dominus constituit? Ita: quare igitur super eum omnem populum imposuisse testatur? quia principem totius populi fecit: nam idem est, &c.

Vnde Græci Basileum vocant Regem, & Principem, quasi basis, & fundamentum populi, eò quòd princeps subiectum sibi populum super se, sicut basis columnam debeat sustinere.

Hinc etiam superiores in sacra Scriptura columnæ vocantur: quia sicut columna vniuersi ædificij sustinet pondus; sic & superior omnium inferiorum pondus super se debet sustinere: debet enim molestias inferiorum patienter supportare, eis in necessitatibus corporalibus prouidere, in spiritualibus verò remedium adhibere orando, exhortando, reprehendendo, sæpè puniendo, denique vigilando super gregem cum sollicitudine magna, vnde Paulus: *Qui præest in solicitudine, &c.* Rom. 12

Hinc 1. Reg. 9. cùm Samuel in Regem Saulem eligere Dei iussu vellet, priùs eum ad prandium inuitauit, & armum ei ad vescendum appositi, dicens: *Ecce, quod remansit, pono ante te, & comede: quia de industriâ seruatum est tibi.* Cur potiùs armus, quàm alia cibi pars, ex industria illi fuerat reseruatus? Armus idem est, quod humerus, aut scapula, quibus pondera portari solent. Rectè igitur, cùm in Regem eum vngere volebat, armum ei apposuit, quò nobis significaret armo & humero opus esse pastoribus ad inferiorum onera fortiter supportanda. 1. Reg. 9. 24.

Hinc ortum fortè habuit figura coronæ Regis, quæ nihil aliud, quàm murus cum suis pinnis apparet: *Vna muralla almenada*: muri autem munus nil aliud est, quàm ciuitatem intra se continere, ac defendere, & ictibus inimicorum se exponere, vt ab eis immunis ciuitas sit; sic superior esse debet murus, qui ictus laborum in se recipiat, vt ab eis communitas liberetur: sicut enim non ciuitas propter murum, sed murus propter ciuitatem; sic non regnum propter Regem, sed Rex propter regnum. Quare de Christo Domino sic prophetauerat Isaias *In illa die* (scilicet aduentus Christi) *cantabitur canticum istud in terra Iuda: Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator, murus ponetur in ea, & antemurale*, de Ecclesia militanti hoc interpretatur Glossa ordinaria: murum autẽ & antemurale vocat Dominum Christum, vti Procopius exponit. Sensus ergo est, Christus Dominus erit Ecclesiæ suæ murus, & antemurale. Ita quidem fuit: nam ictus diuinæ iustitiæ, quos nos merebamur, excepit, princeps & caput nostrum factus; ita nobis murus & antemurale factus. Isa. 26. Prouerb. 21. 15.

Vnde Actor. 9. ad Saulum Christus, *Saul, Saule, quid me persequeris?* Te, Domine, persequi nec vult, nec valet, sciebat jam te ex viuis excessisse, quomodo tu dicis, cur me persequeris? tuos quidem persequitur, non te. Ita est; sed bonus ille pastor suorum damnum, suum appellat, quia Prælatus, & superior damna suorum propria debet reputare, non damna sua super subditos onerare. Hinc 1. ad Timoth. 3. Apostol. ipecialiùs de Prælatis Ecclesiasticis agens, *Qui Episcopatum*, ait, *desiderat, bonum opus desiderat*: quod sic exponit S. Augustinus. Exponere voluit Apostolus quid sit Episcopatus, quia nomen operis est, non honoris, vnde animaduertant obsecro, qui ad dignitates anhelant, quid in huiusmodi dignitatibus exoptent: si enim honorem, gloriam & diuitias annexas solùm attendant, maius suprà se onus, quàm illud quod diximus, superponunt, quia illud est onus muneris, sed hoc est onus conscientiæ: *Si huyen la carga del cargo, sera para ellos el cargo, cargo de conscientia.* Act. 9. 4. 1. Tim. 3. Aug.

Matth. 8. sic Centurio ad Christum: *Homo ego sum sub potestate constitutus, habens sub me milites*, &c. Quid est, *sub potestate constitutus sum*? S. Chrysostom. hom. 27. in Matth. & S. Augustinus. serm. 6. de verbis Domini, Theophylactus & Beda super cap. 8. Matth. sic exponunt, *sub po-* Matth. 8. Chrysost. Aug. Theophil. Beda.

potestate; hoc est, in potestate. Cur ergo sub, & non supra dixit? Vir ille præferebat bonos mores, & dignitate non ad vanitatem vtebatur, nec ambitiosè in ea ferebatur, vnde sub ea tãquam sub onere se non considerabat.

Hinc de Christo Domino, Isa. 9. *Factus est principatus eius super humerum eius.* Solent Reges super thronos regios sedere, & principatu suo sustineri: à principatu enim suo pendet honor, majestas, dominatio, imperium, auctoritas judiciaria, diuitiæ, & delitiæ, quibus perfruuntur reges: in his non est factus principatus super humeros eorum; sed (vt ita dicamus) facti sunt ipsi super humeros ipsius principatus. At de Christo Domino, vice versâ, testatur Propheta: *Factus est principatus eius, super humeros eius:* communiter autem sancti Patres locum istum de trophæo Dominicæ crucis interpretantur, præcipuè sanctus Ambrosius libr. 3. de fide Catholica, cap. 4. sanctus Augustinus serm. 71. de tempore, & Tertullianus lib. 3. aduersus Marcionem. Vis igitur videre quomodo factus sit Christo principatus eius super humeros eius, vide illum in montem Caluariæ progredientem, crucemque super humeros suos baiulantem, crux illa thronus Christi regalis fuit, in ea factum est judicium mundi, inde princeps huius mundi judicatus est, & inde foras eiectus. vnde Leo: *O admirabilis potentia crucis, ô ineffabilis gloria passionis, in qua & tribunal Domini, & judicium mundi, & potestas crucifixi.* Ita ille. Hunc thronum, hunc principatum super humeros tulit tunc, imò per omnem vitæ decursum. Quare primùm Isaias dixerat: *Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis.* statimq; adiecit, *& factus est principatus super humerum eius:* quia statim principatus sui causâ in stabulo nasci, & in præsepio voluit reclinari. Ita vt meritò dicere posset: *Pauper sum ego, & in laboribus à juuentute mea,* potest & dicere, *à natiuitate mea,* imò *& ante natiuitatem, ab incarnatione ipsa*: cùm primùm enim incarnatus fuit, voluntatem suam Pater illi notificauit, & præceptum agendi, quæ egit, & patiendi, quæ passus postea fuit, ex tunc primò illi dedit: sic enim maximam Christi obedientiam & perfectissima eius merita decebat. Acceptauit præceptum Filius, in capite libri vitæ scriptum est de illo, vt faceret hanc Patris voluntatem. *Deus meus,* inquit, *volui, & legem tuam in medio cordis mei:* quamobrem ipse postea, jam passurus ait: *Sicut præceptum dedit mihi Pater, sic facio.* Cùm igitur sic à principio Incarnationis notam illi passionem, & mortem, & alia multa fecerit Pater, rectè dicere valebit ipse; *Dolor meus in conspectu meo semper*; & Isaias, *factus est principatus eius, super humerum eius.* Cùm autem omnium principatuum, ac superiorum Christus metrum & mensura sit, videant quid optent, quid quærant, qui dignitates optant.

Isa. 9. 6.

Psal. 70. 7. 16.

Isa. 9. 6.

Psal. 39. 9.

Psal. 37. 8.

Isa. 9. 6.

Prop. XXI. *Quàm fragili fundamento innitatur ambitio nostra.*

Psalm. 145. *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Obserua principem quidem esse, qui de principibus ista profert: *Nolite confidere in principibus.* Cur ita? Quia filij hominũ sunt, in quibus non est salus. Si super hominem infirmum, qui vix se continere valet, inniti velis, facilè cades cum illo; nolite ergo inniti super homines, quamuis principes sint, quia in illis non est salus, non est fortitudo: homo enim est imbecillitatis exemplum (ait Philosophus) sed sit ille quantumuis fortis: *Exibit* (inquit) *spiritus eius,* scilicet principis, & tunc *peribunt omnes cogitationes eorum*, scilicet confidentium in eo, vt exponit S. Hieronym.

Psal. 145.

Dan. 4. 7. Quod mirè in arbore illa sublimi, quam vidit Nabuchodonosor, Daniel. 4. optimè figuratum est: *Videbam,* ait, *& ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum: aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea: subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cœli: & ex ea vescebatur omne caro.* Quid de arbore excelsius dici potest? quid igitur de tali arbore factum est? Audi: *Et ecce vigil & sanctus de cœlo descendit, clamauit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius: fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius.* Siccine succiditur tam fortis & altissima arbor? sic quidnam hæc arbor adumbrat? explicauit Daniel, Monarcham illum orbis maximum Nabuchodonosor, altitudo illa, & latitudo ingens magnitudinem dominationis eius demonstrat: post Deum enim nullus hominum in terra sublimior agnoscebatur, vnde cacumine ad cœlos vsque protendebatur. Quid folia illa? Pulcherrimam gloriam eius, quæ pulcherrima omnibus videbatur. Quid fructus? diuitias, & bona temporalia honorum, & prouentuum, quibus eius imperium abundabat. Quid volucres? quid bestiæ significabant? eos scilicet, qui ad eum confugiebant: aues, proceres, & magnates, qui adulationibus, veluti cantibus eius aures demulcebant. si tanquam excelsiores in ramis alitis degebant. reliqui bestiæ appellantur, quia inferioris ordinis sunt, omnes ad vmbram, & fructus huius arboris currebant. Sed, cùm minùsid cogitarent, succisa est arbor, & bestiæ fugerunt, & aues auolarunt: in illa die perierunt omnes cogitationes, & conatus eorum. Nónne hoc quotidie sic euenire videtis? sublimatur quis à Rege, accurrunt propinqui, accedunt familiares cum filiis suis, sub vmbra eius viuere se desiderare aiunt, eique diligentissimè seruire, ac parere: vix vmbram eius attigerunt cùm morte adueniente fugere omnes, & aliunde remedium quærere coguntur, &c. Nolite ergo confidere in principibus, ait; in quo ergo? subdit, *Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt*: ac si diceret, *quæ os puede ayudar por mar y por tierra,* qui potest scilicet præcipere terræ vt tibi fructus & diuitias exhibeat, & cùm mare in te fluctus extulerit, præcipere potest fluctibus & mari, & fiet tranquillitas magna. Denique, *Qui custodit veritatem in seculum*, qui scilicet non est, sicut cæteri principes terræ, multa promittentes, pauca verò adimplentes. Deus verò, quia Deus est, nihil promittit, quod non adimpleat. *Cœlum,* ait, *& terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Custodit veritatem in sæculum: hic ergo est, qui promisit justis patrocinium suum in sæculo justo, gloriam verò in futuro. Quid tu desideras ampliùs? hæc promisit, hæc adimplebit: quia cœlum & terra transibunt, &c.

Psal. 145. 3.

Psal. 145. 4.

Psal. 145. 5.

Psal. 70. 7.

Matt. 24. 35.

Quod si Deus tibi contraire voluerit, quid prodesse poterunt principum terræ fauores? Vocauit olim Deus Ieremiam, & ait illi cap. 18. *Surge, & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et descendit,* inquit, *in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto manibus suis: conuertitque faciebat illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius, vt faceret.* Ita sanctus Propheta: sed ad quid hæc? quid sibi volunt? audi quid statim subdat Propheta idem, *Et factum est verbum Domini ad me dicens: Numquid sicut figulus iste, non potero vobis facere, domus Israel, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel.* Audisti dictum è cœlo; quid nos, nisi lutum, humus, ex luto confecti, in lutum conuertendi tandem? quis figulus noster, nisi Deus? *Manus tuæ fecerunt me* (ait quidam ex nobis) *& plasmauerunt me totum in circuitu.* Ita est, *ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Non igitur principes terræ sunt figuli nostri, sed Deus: in eius rota rotamur, non fortunæ, ex eius rota cecidit illud vas, quia eo permittente, vel ordinante, cadit, qui cadit: eius

Iere. 18. 2.

Verſ. 3.

Psal. 118. 73.

Psal. 99. 3.

manus leuauerunt lutum, quod ceciderat, & refecit vas pulcherrimum, sicut placuit eis quod si ille non subleuat, non poterunt cuncti potentes fæculi eum subleuare. Felix igitur, qui manibus Dei se tradit.

A

PROP. XXII. *Dignitates mundi solicitudinibus, & anxietatibus plenæ sunt, & non delitiis, sicut ambitiosus imaginatur.*

Ioan. 10. 11. IOannis 10. *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.*

Baptista Mantuanus Eclog. 5.

Omnem operam gregibus pastorem impendere oportet.
Ire, redire, lupos arcere, mapalia sepè
Visere, mercari paleas, & pabula, victum
Quærere.

1 Reg. 17. 34 Nota arcere lupos, &c. 1. Reg. 17 Dauid sic de se ad Saulem regem: *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum: & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamq; eos: nam & leonem & vrsum interfeci ego seruus tuus.* Quid cum vrso, & leone pugnam: inire ausus fuisti? Ita, quia pastor animam suam ponit pro ouibus suis, tantò quidem rectius, quanto grex animarum pretiosior est. Vis aliquem hujusmodi pastorem videre? Moses ille celeberrimus institutus est à Deo pastor populi Israel: grex quidem multus ille, cuius perdificilis custodia erat; peccauit denique grauiter in vituli adoratione, eumque Domi-

Exod. 32. 31. nus perdere decernebat, obstitit Moyses, dicens: *Aut dimitte Domine, eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Quid hic significare voluit nomine *libri vitæ*? multas hic locus expositiones habet: denique aut è vita deleri, aut cælo priuari, aiunt petiuisse, nisi vita, & venia gregi suo concederetur. O magnus, ô eximius pastor hic, pro ouibus suis vitam, aut plusquam vitam ponebat, & quamuis per hyperbolem dictum hoc fuerit, quàm bonus pastor extiterit, manifestauit. Audiant pastores qui solùm ex ouibus lanam & lac exquirunt, *A solo esquilino.*

B

Sunt autem pastores, qui curam in communi de ouibus habere videntur, prædicant, puniunt noxios, id est, publicari faciunt: at in particulari nullam, aut ferè nullam habent; animaduertere igitur debet pastor in particulari, quinam subditorum sint qui sacramenta frequentent, vel non frequentent, conciones audiant, vel non audiant, jurandi consuetudinem habeant, &c.

C

Iob. 10. 14. Vnde Christus Dominus noster, *Ego*, inquit, *cognosco oues meas*, hoc est, noui omnes eas intus, & in cute, &c. At dices, Deus ille erat, quid mirum? Ita est, nec à te tantam exigimus curam, non quia, si possibilis ea foret, non esset necessaria; sed quia impossibilis sit, non tamen, quia hæc omnimoda impossibilis sit, nullam habere debes.

Prou. 27. 23. Sed consilium Spiritus sancti cape, Prou. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera.* Pondera verba diligenter, & considera: non enim satis est pastori, si superficie tenus cognoscat subditos, quòd scilicet ille Ioannes, illeque Petrus nominetur, hunc ex facie, alium ex nomine noscat, sed si diligenter vitam, & mores consideret; vt qui animarum curam suscepit, animarum curam habeat, & non solùm noscat, sed consideret, qualis quisque sit, & qualiter ad salutem, & perfectionem possit promouere.

D

Matt. 16. 18. Hinc ad Petrum Dominus Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Cur Petrum vocat, qui Simon vocabatur, non Petrus? sanctus

S. Thom. Thomas super cap. 21. Ioan. lect. 3. Petrus (inquit) interpretatur agnoscens: meritò ergo, cùm illum caput futurum, & pastorem Ecclesiæ denuntiat, Petrum, hoc est, agnoscentem vocat, quia eo ipso, quòd pastor esse debet, & agnoscens oues pariter esse debet. vocabatur Simon, id est, obediens: hoc nomen jam finem accipiet in Petro, quia jam non obediens, hoc est, non subditus jam ylli hominum futurus erat, sed mutetur nomen Simonis, in nomen Petri, hoc est, nomen obedientis, in nomen cognoscentis; quia eo ipso, quod omnes alios subditos habere debet, omnes etiam illos (quantùm possibile fuerit) cognoscere debet.

Luc. 12. 13. Hinc Christus Dominus quinque virginibus fatuis dicturum se dicit, *Nescio vos*: quid est Domine, *nescio vos*? quis, quid vis esse potest, quod tu non perfectè cognoscas? per periphrasim est dictum hoc: dixerat enim ipse, *Ego cognosco oues meas*, nunc his dicit: Vos non agnosco. Idem ergo est, ac si dixisset; Non estis ex ouibus meis, ideò aperio vobis, vt in cælestes aulas ingrediamini: ac si diceret, hoc sibi persuadeat pastor nemini se posse dicere: *Nescio vos*, nisi ei, qui non fuerit ex grege suo.

Vnde in veste illa mystica summi Sacerdotis Exod. 29. mille mysteriis fœcunda, supra pectusrationale gerebat, in quo conscripta erant nomina duodecim Tribuum Israel, & super humeros etiam lamina duplicem gerebat, in quarum vna sex nomina tribuum, & in altera sex alia nomina reliquarum tribuum sculpta erant: quo illi significabatur, subditos, & super humeros, & super pectus habendos superiori esse. Super humeros quidem eorum pondus ferendo, super pectus verò eorum memoriam, & rationem præoculis habendo, ita vt nunquam in eius caderent obliuionem.

1. Tim. 3. 1. Ad Timoth. 3. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*: non ait bonam requiem desiderat, bonum honorem desiderat, bonas diuitias desiderat, vel delitias, sed bonum opus. S. Thom. sic optimè super hunc locum, Ex hoc, inquit, *aliqui sumpserunt occasionem ambitionis Episcopatus, & Prælationis, sed non rectè, quod hic dicitur, capiunt: Apostolus enim hic voluit ostendere, quid ad Episcopum pertineat: Episcopus enim est nomen Graecum, ἐπίσκοπος enim idem est quod intendens, ἐπί, id est, supra; Episcopus ergo dicitur, quasi superintendens. duo ergo sunt in Episcopo consideranda, gradus scilicet superior, & actio vtilis plebi: aliqui enim forte solum oculos coniciunt ad ea, quæ Episcopum circumstant, scilicet, quòd qui præest honoratur, & quod habet potestatem, &c. propter hoc desiderant Episcopatum, sed nesciunt quid Episcopatus sit, & ideò ait Apostolus*, bonum opus desiderat, *non dixit, bonum desiderium habet; sed bonum opus desiderat, scilicet vtilitatem plebis.* Ita S. Thom. *S. Thom.*

S. Anselm. sic interpretatur locum: *Opus* (inquit) *desiderat, non dignitatem, laborem, non delitias: Episcopus nomen est operis, non honoris, vt intelligat se non esse Episcopum, qui præsse dilexerit, non prodesse, nec desiderare Episcopatum existimandum esse, qui suum desiderat lucrum, vel honorem, & non salutem plebis. non enim dicit, qui Episcopatum desiderat, bonum gradum desiderat, sed bonum opus, eò quòd in maiori ordine constitutus, posset, si velit, occasionem exercendarum habere virtutum. Ipse ergo sibi testis est, quia Episcopatum non appetit, qui non boni operis ministerium, sed honoru gloriam querit.* Ita S. Anselm. *Anselm.*

Pondera rursus, quod non bona opera, sed bonum opus dixit, ne quis censeat inter opus & opus, requiem mediare, sed opus, quia opus continuum esse debet, ab initio Episcopatus ad finem vsque vitæ.

Rom. 12. Vnde ad Rom. 12. sic per diuersa munia Apostolus discurrit, *Habentes*, inquit, *donationes secundum gratiam, 6. quæ data est nobis, differentes.* vbi S. Anselmus, singuli sumus membra, alter alterius, non vno quidem modo, sed diuersas à Deo donationes habentes: vnde subdit, *Siue prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium, in ministrando. Qui exhortatur, in exhortando, qui tribuit, in simplicitate, qui præest, in solicitudine. Vbi quasi oculu visum, ita menti, quæ interior oculus est, prophetia ministerium assignat, & alteri, tanquam manui ministerium adscribit, &*

alij tanquam lingua, doctrinam tribuit: & addit, Qui tribuit, in simplicitate, *hoc est, qui tribuit indigentibus, in simplicitate cordis hoc faciat, & non vt ab omnibus videatur.* Qui præest, *inquit Apostolus,* in solicitudine, *vt solicitus vigilet super custodiam gregis sibi commissi à Deo, non in solicitudine rerum secularium: hæc enim solicitudo abiuienda est ab his, qui Ecclesiæ præsunt; sed in illa solicitudine, quam Apostolus habebat, solicitudinem gerens omnium Ecclesiarum.* Ita S. Anselm.

Hæc igitur pastoris pars in hac munerum distributione, solicitudo: solicitudo autem curam absque intermissione importat: sic enim interpretatur ibi Theophylactus, in solicitudine, hoc est, diligentissimum esse, & munus iniunctum exequendum absque intermissione. Ideò igitur non opera, sed opus ait Apostolus, quia licèt varia sint Episcoporum opera, ita tamen contigua, seu potiùs continua esse debent, vt non plura, sed vnum, & continuum opus esse videatur.

Vnde Christus Dominus coronam ex spiritu compactam capiti suo imponi permisit: Rex enim erat regum, & Dominus dominantium, pastor Ecclesiæ, & animarum Prælatus: & quamuis ministrorum intentio solùm fuit, vexandi & torquendi Dominum Christum, & dedecore illum afficiendi, *hazer mofa, y befa de Christo Señor nuestro*; Christi tamen intentio fuit, hoc hieroglyphico significare solicitudinem gubernantis. Spina quippe solicitudinis symbolum est, vti Saluator ipse in parabola seminis explicuit, dum partem seminis quæ inter spinas ceciderat, eam esse dixit, quæ inter diuitias & solicitudines sæculi reperitur. coronam igitur superioris spineam esse voluit, ac si diceret, qui præest in solicitudine. Hinc inter symbola sua Plutarc. *Plutarch.* A fabis (inquit) abstineto, hoc est, ab officio superioris: huiusmodi enim officia olim fabis fieri solebant, vbi sapienter adnotauit Marcus Varro in flore fabarum notulas quasdam nigras esse, quæ Græcis literis similes sunt, quas si bene consideres, idem Græcè significant, quod luctus: à fabis ergo abstinendum in electionibus huiusmodi: quia quantumuis floridum munus superioris videatur, luctum & vexationes secum affert, ob spinas solicitudinis requisitæ.

Munus prælationis non ad dormiendum, sed ad vigilandum solicitè, institutum est: vnde in sacris Literis multa nomina superioribus dantur, quæ huiusmodi vigilantiam important: vocatur enim speculator Ezechiel. 3. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel,* dicitur etiam vigil, Cant. 3. *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem.* Huiusmodi autem speculatores & vigiles adeò speculantur, & vigilant, vt dum alij dormiunt, ipsi non dormiant, sed totos se oculos reddant, vt quæ nociua subditis esse possint, comprehendant. vocantur etiam pastores, quorum munus est nocte vigilare, sicut pastores illi, quibus natiuitas Christi denuntiata fuit, vigilabant super custodiam gregis, & Iacob, *Die* (ait) *noctuq; æstu vrebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis.* Ideò ergo pastores dicuntur Præfati, non vt lac, & lanam arripiant.

Hinc Ierem. 1. Dominus ad Ieremiam, *Quid tu vides, Ieremia? Virgam,* inquit, *vigilantem ego video. Bene,* inquit Deus, *vidisti, quia vigilabo ego, &c.* Vbi supremus ille rerum omnium moderator virgam non dormientem, non somnolentam, sed vigilantem se dicit virgam, quia cœli terræque dominationem ac regimen habet; vigilantem, quia ille non dormiet, nec dormitabit qui custodit Israel: metrum igitur, & mēsura cùm Deus sit omnium qui gubernant, Princepsque pastorum, quomodo reliqui vigilare debeant, docet.

Hinc Matth. 26. cùm in horto tres illos supremos Apostolos Christus Dominus dormientes inuenisset, ad Petrum conuersus, *Simon,* inquit, *dormis,* &c. Cur non reliquos simul reprehendit? cur, si speciatim vnum reprehendere voluit, non potiùs Ioannem, quàm Petrum, qui etiam in cœna super Domini pectus dormierat, vnde reprehensibilior eius somnus videbatur. Cur denique Petrum, plusquam quemlibet aliorum accusat Christus? nimirum, quia pastor ille jam designatus erat.

Vbi nota, quod si vbique oculis apertis cuncta respicere oportet superiorem, tum verò maximè, cùm reprehendere & castigare subditos debet: Taurus, & vnicornis cornua quidem habent, taurus duo, vnicornis vnum: taurus supra oculos cornua gerit, vnicornis verò oculos supra cornu: taurus, dum ferit, oculos claudit, vnicornis cornu dum petit, vel tangit aliquid, oculos apertos habet. inter hæc cornua hoc discrimen est, quòd taurus cornibus suis inficit, vnicornis verò, quod cornibus tangit, sanat, sicut in aquis patet, vbi enim omnia syluestria animalia bibere solent, si aqua fuerit insalubris, expectant animalia vnicornem, vt cornu aquas illas contingat, quo sanentur, tunc cætera animalia securè bibunt. Simile quidem discrimē inter superiores inuenies, hic, seuerus nimiùm cùm sit, abundat cornibus ad feriendum, sicut taurus; ille temperatus, vnico, sicut vnicornis, contentus est; ille inferiùs oculos gerit, hîc supra cornu: ille, dum ferit, oculos claudit, hic verò aperit. Quid mirum, si ille inficiat, & occidat, hic verò sanet? Vnde, vti ait Valerianus, Ægyptij Hieroglyphici, moderatorem significare volentes, virgam, & super virgam oculum constituebant, non infrà virgam: virga correctionem & supplicium denotat, sic castigare superior debet, vt sint oculi eius super virgam, super supplicium, vt videat, quomodo feriat, non infra virgam, cum animaduersione, & circumspectione superior virga sit. Vnde Paulus sic ad Timoth. *Tu verò vigila,* ne dormias, pastor enim es, & lupi multi circumstant, maximè in nocte. vigila ergo super gregem Dei, & in omnibus labora: non enim ad requiem tuam, sed ad curam & laborem tibi à Deo datum est ministerium prælationis. quomodo autem reprehendere debeat, subdit: *Argue, obsecra, increpa*; nota inter arguendum, & increpandum, obsecrationis suauitatem misceri, vt videant interioris charitatis suauitatem, & sic faciliùs corrigentur. vnde Aristoteles lib. 2. de Rhetorica, illius adagij antiqui mentionem facit, Oleum & salem oportet emere. Vbi Manutius hoc superioribus dictum esse ait: sal enim mordet, & siccat, oleum verò lenit, & humectat: quasi dixerit: Magna prudentia & circumspectione superioribus opus erga subditorum correctionem, nec solùm mordere, & siccare, verùm etiam humectare, & lenire oportet.

Ad hæc omnia ita præstare, ita vigilare, ita laborare, ita reprehendere, quando oportet, & punire, & hoc maxima cum prudentia, *ne palo de ciego, vara con ojo, no à tontas, y à locas,* ita, inquam, omnia hæc præstare difficile quidem est: videant ambitiosi, quomodo id efficere possint, qui ambitiosè munera inquirunt: ad hoc tenentur, & de his strictè à Deo sunt judicandi: judicium enim durissimum his, qui præsunt, fiet.

Seneca libro primo, de Clementia, capite decimo nono, *Natura commenta est regem, quod & ex alijs animalibus cognoscere licèt, & ex apibus, quarum regi amplissimum est cubile, & medio ac tutissimo loco, nec vnquam plus quàm vnum patiuntur, & meliorem pugnā quarunt. Præterea insignis regi forma est, & dissimilis cæteris, tum magnitudine, tum nitore, & cùm vrasundissima ac pugnacissima pro corporis captu sint apes, & aculeos in vulnere relinquant, rex ipse sine aculeo est, voluit illum natura nec sæuum esse, nec vltionem magno constituram petere, & telum detraxit, & iram eius inermem reliquit; exemplar hoc magnis regibus ingens. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, cùm tantò hominum moderatior esse animus debeat, quantò vehementius nocere potest.* Ita Seneca. *Seneca.*

Idem Seneca libro primo de Consolatione, capite 25. *Non licet superiori nec somnum quidem extendere in partem diei, aut à tumultu rerum in otium ruru, gratiâ quietu, cõfugere, aut spectaculorum varietate animum detinere, aut ex suo arbitrio disponere diem. Multa illi non licent, quæ humilibus in angulo jacentibus licent. Magna seruitus est, magna fortuna. non licet illi ad arbitrium facere, audiunda sunt illi hominum millia, & multis debet respondere libellu, & occurentium turbæ.* Ita Seneca.

Mat.5.15. Matthæi 5. *Vos estis sal, &c.* Sal præseruat, & curat. Ecce munus superioris, præseruare subditos à peccatis, & postquam in peccatum inciderint eos curare.

Ps.87.11. Augustꝰ. Psalmo octuagesimo septimo, *Nunquid medici suscitabunt, & confitebuntur tibi, &c.* vbi sanctus Augustinus in Originali Hebræo, loco *Medici, Gigantes*, legi ait. Quid igitur cum medico Gigas? Gigas quidem ad bellum aptus est, Medicus ad sanandum ægrum requiritur. Sanctus Gregorius super caput vigesimum sextum,

Gregor. Iob, *Nomine Gigantum*, inquit, *Principes significantur.* & communiter expositores sic exponunt locum illum

Iob.26.5. Iob, *Gigantes gemunt sub aquis*, id est, superiores: meritò ergo Gigas, & Medicus eodem verbo nominantur, quia superior, medicus esse debet inferiorum: Medici est vigilare, præseruare, & curare: sic superior subditos à malis & præseruare debet, & curare.

Isa.3.6. Vnde Isaiæ tertio, cùm vellent nonnulli superiorem eligere, accedentes ad illum, *Princeps esto noster*, dicunt; quibus ille, *Non sum medicus, nolite me constituere principem.* Poterant quidem illi respondere: Non te ad xenodochia vocamus, vt infirmos cures, sed ad thronum, vt populum regas: sed tamen præoccupatione quadam rectè ille dixit: Non sum medicus, hoc est, ignoro, quomodo gubernare populum debeam. Prælatus enim quiuis à malis præseruare & curare populum debet, ego id præstare nescio, ineptus igitur sum ad principatum.

Quod supremi totius orbis moderatoris exemplo comprobemus, is se in Euangelio medicum dixit: *Non*

Mat.9.12. est, ait, *opus valentibus medico, sed malè habentibus*: id enim suis concionibus, orationibus, exemplis, & miraculis intendebat, vt scilicet & bonos in bono conseruaret, & malos à malitia sanaret.

Mat.16. 18. Vnde Matthæi decimo sexto, *Ædificabo*, inquit, *Ecclesiam meam, & porta inferi non præualebunt aduersus eam.* Architectus, cùm munus ædificandi aliquam Ecclesiam, verbi gratia, assumit, tenetur quidem tuta jacere fundamenta, rectà, & ad amussim parietes erigere, tecta debitè superponere, & omnia ordinatè construere; sed opere consummato, manum remouet, nec tenetur eam reparare, si hominum vel temporum iniuria passa fuerit Ecclesia ruinam: CHRISTVS autem non solùm construere, verum quia princeps est in æternum, Ecclesiam suam se conseruaturum promittit, vt qualem se superior exhibere debeat, manifestaret, conseruatorem scilicet non tam diuitiarum, & honoris sui, quàm gregis sibi commissi.

Hinc Exodi trigesimo secundo, cùm populus Dei in idololatriam incidisset eo tempore, quo sanctus Moyses fuerat absens, & Aaroni fratri suo, & summo Sacerdoti populum commiserat; reuersus Moyses sic cum Aarone loquutus est: Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum? nouerat quidem Moyses populum fuisse, qui vitulum petierat, & optauerat; cur ergo non potiùs à populo quærit, cur ipse peccauerit, priùs enim Moysi dixerat Deus

Exo.32.7 ibidem: *Vade, descende, peccauit populus tuus.* si populus est, qui peccauit, cur de peccato arguit fratrem? quia scilicet Aaron princeps, & dux fuerat, qui propterea populum cohibere, & curare debuerat: quare populi culpam in Aaronem iura retorsit.

Mat.14. 37. Hinc etiam Christus in horto ad Petrum: *Simon*, in-

A quit, *dormis*? dormiebant quidem pariter cum Petro discipuli alij, & tamen non duobus aliis, sed Petro ait: *Quare dormis?* his enim superior, & Prælatus fuerat jam à Domino consignatus, & vt ita significaret, quanta sit præsulibus opus vigilantia, ideò vnicum Petrum propter somnum reprehendit. Attendant superiores, peccatorum & perditionis populi ab eis exiget Dominus rationem, sicut Moyses à fratre suo. Ezech.3. *Ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de* Ezech. 18. *manu tua requiram*: si ergo peccauerit subditus, ipse quidem pœnas luet, sed væ superiori, cuius negligentiâ perit ille. Vide superiorum periculum.

Vnde Ierem.13. Iratus Dominus contra populum suum, interitum ei annuntiauit, dicens: *Non parcam,* Ier.13.14. *& non concedam, neque miserebor, vt non disperdam eos. no me ha de quedar hombre à vida, y no ay que pedir remedio, cerradas tengo las puertas del perdon, y no os ha de valer el sagrado de la misericordia*, & subdit. *Dic regi, & dominatrici: Vbi* Vers.18. *est grex, qui datus est tibi pecus inclytum tuum? Quid enim* & c. B *dices cùm visitauerit te? tu docuisti enim eos aduersùm te, & eruditi in caput tuum.* Ac si dicat, dicite Regibus: vos fuistis in causa, quod populus sic periret, quare meritò populi culpa in regentium recidet caput, *peca el pueblo, y toma se la residentia al Rey.* Denique propter hoc superiores in sacris Literis pastores nuncupantur, pastor verò strictam rationem gregis reddere domino gregis tenetur, cur ouis hæc mortua sit, cur illa à lupo capta, cur hæc infirma, cur claudia sit illa, &c. quòd si sufficientem non reddiderit rationem, soluere tenebitur pecoris damna. Sic etiam rationalis gregis pastor, & ampliùs multò, quantò scilicet obligatio maior est seruandi homines, quàm oues, &c.

S. Chrysost. lib.2. de Sacerdot. *Prodeant in medium,* Chrysost. *qui longè omnibus præstant, quique animi virtute tantùm reliquos excedunt, quantùm corporis magnitudine Hebræorum gentem vniuersam excelluit Saul, seu potiùs multò etiam magis. Neque enim hic nobis humerorum excellentia, ac proceritatis mensura quærenda, sed quantâ inter sese differentiâ omnes rationis vsum habentes, & bruta ratione carentia distident:* C *tantum sanè discrimen inter pascentes, & qui pascuntur esse pelim: vt ne maius etiam exigam, siquidem in multò etiam maioribus rebus periculum versatur. etenim qui oues perdiderit, vel lupis rapientibus, vel latronibus adorientibus, vel lue aliquâ, aut alio id genus casu seuiente, fortassis veniam nonnullam à domino gregis impetrabit: sin & pœnas ille exiget, damnum non nisi pecunia constabit. At verò illum, cui homines ipsi (rationalis Christi grex) concrediti sunt, hunc primùm omnibus deperditu, non pecuniarum, sed animæ propriæ jacturam facere oportet, tum verò & certamen longè maius, ac multò molestius sustinere; neque enim illi aduersùs lupos pugna est, neque à latronibus timet, neque anxius est de peste à grege abigenda. Contra quos ergo illi bellum? quibus cum luctæ? Audi, obsecro, B. Paulum*: Non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & Eph.6.12. sanguinem, sed aduersùs principes & potestates, aduersùs mundi dominos, & rectores tenebrarum sæculi D huius, aduersùs spirituales nequitias in cœlestibus. *Videsne terribiles aduersariorum copias? vides phalanges asperas? non ferro quidem circumseptas, sed quibus pro vniuersa armatura ingenium ipsis suum abunde satis est.*

Vis & alium exercitum spectare immanem ac crudelem graci huic insidiantem? Hunc ipsum de eadem specula spectare licebit: nam qui de illis, quos dixi, aduersariis verba facit, hic Gal.5.21. *idem & hos hostes indicat nobis, dicens*: Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio, immunditia, lasciuia, simulachrorum cultus, *& alia his longè plura, neque enim cuncta annumerauit.*

Adde his, quòd pecudum morbi aperti, ac manifesti sunt, si vel fames sit, vel pestis, vel vulnus, vel quid huiusmodi, quod non modico adiumento esse solet morbis à pecudibus abigendis. Est & aliud hoc ipso maius, quod præsentaneum affert illis agritudini remedium, quòd magna scilicet cum authoritate pastores pecudes cogunt capere medicinam: nam & eas vincire proclue

clinæ est, quoties vrert, quoties incidere, est opus. Item q̃ diutiùs asseruare facilè, quandocumque id conducit, & aliud etiam pro alio pabulum præbere, & arcere à fluentis. Præterea cætera omnia, quæcumque pastores probauerint pecudum saluti conferre, nullo ipsi negotio, nullo labore solent adhibere. Hominum verò morbi principio haud facilè se produnt: nam quæ intra hominem latent præter hominis spiritum, qui est in ipso, nemo certè intelligat alius. Quo modo igitur pharmacum ei morbo quis adhibere poterit, cuius genus nequaquam intelligat? cùm etiam persæpe usu veniat, vt ne intelligere quidem possit, morbus subsit ne, nec ne: qui quidem cùm se prodiderit, tibi tunc maius negotium facessit. Neque enim homini licet tanta cum authoritate homines curare, quanta oues pastor curat. Huic enim, vt dixi, liberum est & vincire, & à pabulo arcere, & vrere, & secare; hic verò medicinæ ac curationi suscipiendæ facultas posita minimè est in illo, qui curationem adhibebit, sed in cotuentium, qui laborat. Hoc enim admirandus ille vir, cùm intelligeret, sic alloquitur Corinthios: Non quòd dominemur vobis nomine fidei, sed adiutores sumus gaudij vestri: Christianis enim. minimè omnium licet peccantium lapsus semper vi corrigere. Exteri quidem judices cum facinorosos homines leges transgressos fuisse deprehenderint, magnâ se præditos authoritate ac potestate ostendunt, eosdemq̃ vel inuitos suos ipsorum mores mutare cogunt. Hic verò non vim afferre, sed suadere tantùm oportet, atque hâc ratione meliorem efficere, quem emendandum susceperit. Neque enim nobis à legibus tanta est data facultas ad coercendos delinquentes, & quamuis dedissent quidem, non haberemus vbi talem vim exercere possemus, cùm Christus eos æternâ coronâ donet, non qui coacti, sed qui certo animi proposito abstinent à peccato.

Quamobrem multa quidem arte opus est, vt qui laborant Christiani, vltro sibi ipsi persuadeant sacerdotum curationibus sese submittere oportere, neque id solùm, sed vt etiam curationis, ac medicinæ nomine gratias illis habeant: neque enim est, qui hic vim afferat, nec qui curare inuitum possit.

Quid igitur faciat? Etenim si blanditijs eum tractes, cuius affectum corpus sectione, eaq̃ magna indiget, ac nisi altam infixeris plagam ei, qui eâ opus habet; nunquam fiet vt ei vulnus partim sit resectum, partim relictum. Rursus si nulla ex parte parcere volens debitam adhibueris sectionem, fiet sæpè, vt animum ille doloris impatientia despondens, & omnia detrectans, tum pharmacum, tum vinculum, seipse præcipitem ferat, contrito jugo, ac contracto laqueo. Equidem complures recensere possem, quos constat in extrema mala adductos, non ob aliud, nisi quòd digna ab eis pœna, & quæ peccatis perpetratis par esset, exigeretur. Neque enim temerè ad delictorum modum oportet & mulctam ipsam adhibere: sed tanquam coniecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus: ne quà fiat, dum consuere vis quod interruptum est, scissuram deteriorem faciat; ac dum eum, qui lapsus est, erigere & emendare studes, casus maior per te reddatur. Illi enim qui infirmi ac remissi sunt, magna ex parte delitijs & illecebris mundi illaqueati, quique iidem à generis claritate, & à potentia atque opibus habere se putant vnde animos magnopere tollant, ij, si sensim ac paulatim peccatorum correctionem adhibeas, posse ut vtique, si non penitus, attamen parte aliquâ eximere se, ac liberare malis, & peccatis, quibus occupantur: quos si iustâ statim animaduersione emendes, fiet vt minori illa etiam correctione, quam sustinere poterant, priues. Humanus enim animus, postquam verecundiæ transgreditur fines, in indolentiam dilabitur, & tunc neque blandis verbis paret, neque flectitur minis, neque beneficijs mouetur, sed malitiâ ciuitatem illam superat, cui dictum est: Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.

Quare multa opus est pastori prudentia, sexcentis etiam, vt sic dicam, oculis, vt rectè vndique humani animi habitum circumspicere possit: nam sicut aliquoties visu venit, vt animũ plerique despondeant, & in suæ salutis prouiant desperationem non ob aliud, nisi quòd ab amaris acerbisq̃ medicamentis abhorreant: ita nonnullos reperias, qui hoc ipso quòd pœnas peccatis suis pares non luerint, in negligentiam & contemptum dilabuntur, ac longè deteriores fiãt, maiorem peccandi licentiam sibi vendicent. Itaque nihil horum relinquendum est, quod probè non excutiat, atque examinet Episcopus: quin omnia accuratè ac studiosè perscrutatum tum demum illum oportet sua ipsius remedia congruè, aptè, accommodatè asserre.

Ceterùm non iis solùm, quæ dixi, verùm etiam in abscissis Ecclesiæ membris committendis, coniungendisq̃, multis illum negotijs distringi videas. Etenim ouium pastor gregem habet è vestigio subsequentem, quacumque præierit: quod si quæ de recta via oues deflectant, ac feraci pabulo posthabito, sterilia & abrupta loca depascant; satis habet pastor altiùs aliquantùm inclamare, vt palantes, ac dispersas reducat, atque in gregem cogat. Sin verò à rectæ fidei Christianæ tramite aberrauerit quis, hic magnum certè pastori opus incumbit, magnum negotium, magna tolerantia. Neque enim vis illi inferenda, neque terrore ille cogendus: verùm suadendus tantùm, vt de integro ad veritatem redeat, vnde initio delapsus est. Itaque magnum ac generosum animum ad eam rem Episcopum afferre oportet: vt ne animo deficiat ac lassetur, vt ne errantium salutem desponderat, ac desperet; denique vt nunquam non illud secum cogitet ac dicat; Si quando det illis Deus veritatis agnitionem, ac resipiscant è laqueo diaboli. Propterea Dominus quum Discipulos alloqueretur? aut: Quisnam fidelis seruus, & prudens. Etenim qui sui vnius animum excolit, sibi dumtaxat vtilis est: at pastoralis functionis lucrum ad vniuersum populum manat, & qui pecuniam egentibus erogat, aut qui aliquos iniuria pressos subleuat, is & proximos quidem iuuat, sed tamen id tanò minùs præstat, quàm Episcopus, quantùm ab anima distat corpus. Non abs re igitur Dominus pastoris studium in gregem impensum amoris & charitatis erga se symbolum esse dixit. Ita S. Chrysost.

Idem Chrysostomus lib. 4. de Sacerd. Res hæc non est de frumento hordeove dispensando, de bobus ouibusve pascendis, aut aliis huiusmodi rebus disserendis: sed de ipsomet corpore IESV curando. Christi enim Ecclesia, B. Pauli verbis, corpus ipsius est Christi. Oportet ergo illum cui creditum corpus id fuerit, ipsum illud tum ad multam honestatem, tum ad pulchritudinem incredibilem perpolire, vndique circumspicientem, ne sit vbi macula, aut ruga, vitiumve aliquod huiusmodi pulchritudinem honestatem q̃ illam labefactet. & infra.

Neque nobis pugnæ species vna parata est, sed bellum nobis varium ac multiplex est propositum, variis multiplicibusq̃ aduersariis constans, & instructum, qui ipsi neque iisdem armis vtuntur omnes, neque vno tantùm artificio nos adoriri conantur. Oportet ergo decerraturum cum eis omnium artes notas habere, eundemq̃ & sagittarium, & funditorem, & centurionem, & manipuli ductorem, & militem, & ducem, & peditem, & equitem, & naualis & muralis pugnæ peritum esse. Etenim in militaribus præliis, quod quisque opus peragendum susceperit, hoc adorientes hostes defendit. Hic verò qui victoriam reportaturus est, omnes dimicandi artes percalluerit necesse est: nouit diabolus vel parte vnâ neglectâ pyratis, prædonibus suis introductis deripere gregem. quare omni ex parte munitissimos esse oportet. Nam & ciuitas, quamdiu muro vndique cincta est, eos irridet, à quibus obsidetur, haud aliter ciuitas Dei, dum pastoris solertia atque prudentia pro muro eam vndique cingit, aduersariorum machinæ artesq̃, in opprobrium ipsis cedunt, incolæ indemnes euadunt: si autem aliquam partem demolitur quis, aperte totum, vt sic dicam, labefactatur. Ita S. Chrysostomus.

Idem S. Chrysostomus libr. 6. de Sacerd. postquam multa de his, quæ Prælatus agere, pati, & cauere tenetur, disseruerat, subdit: Sed quousque immorabor in sequendis his, quæ oratione assequi non possum? Difficultates enim eas omnes recensere velle, quas Episcopum tolerare oportet, nihil aliud est quàm maris altitudinem emetiri. Item. Ponito ante oculos exercitum ex militibus, tum peditibus, tum equitibus, tum nauticis viris constantem, ac mare quidem obtegat triremium numerus. Rursus ipsas camporum planities, ipsos montium vertices, hinc peditum, hinc equitum phalanges contegant: ea item armorum oppositum. Hic verò qui splendorem reddat, atque solaribus radijs, & galearum, & clypeorum corrusçatio vibretur: hastarum fragor, equorumq̃ hinnitus in cælum fera-

tur, neque mare, neque terra appareat, vbique æs, vbique ferrum: Tum sint contra hos instructi armatiq; efferi quidam ac truces viri: infesti jam, & conflictus tempus: posteà rapiat quis derepente adolescentem aliquem in agro educatum, ac qui nullius prorsus artu alterius gnarus sit, quam lyræ pastoritiæ, eundemq; armaturæ area quum induerit, per totum illum exercitum circumiens deducat, ostendatq; manipulos, manipulorum ductores, sagittarios, funditores, centuriones, duces, cataphractos equites, jaculatores, triremes, triremium ductores, milites inibi consertos, naualium machinarum copiam: ostendat hostium procinctum aciem vniuersam, & auersandos formidolosos, quosdam in illa aspectus, & armorum apparatum ab aliorum apparatu diuersum, & immensam multitudinem, & conualles, & altæ præcipitia, & montium iniquitates: ostendat & aduersarios in equis volantibus incantatione quadam insidere, & cataphractos per aerem ferri, explicata etiam ei incantationis illius vi, ac forma: recenseat porrò & belli calamitates, missilium nubem, jaculorum, niuis instar, ingruentium impetum, multam illam caliginem, & tenebras, obscurissimam nostem, quam sagittarum multitudo efficiat, solis radios densitate sua auertens, pluuerem tenebris non minorem omnium oculos obiicientem, sanguinis torrentes, cadentium gemitus, stantium clamores, jacentium acerbos, rotas sanguine tinctas, equos præcaduerum multitudine vnà cum suis sessoribus in caput præcipites, terram vniuersam mixtim hæc omnia continentem, sanguinem, arcus, sagittas, equorum vngulas, hominum capita simul jacentia, & brachia, & collum, & tibiam, & pectus transfixum, cerebella ensibus traiecta, jaculi cuspidem effractam, cui hominis oculus, tanquam insibulatus hæreat. Recenseat item & classis mala, atque incommoda. Triremes alias in medijs aquis conflagrantes, alias cum cataphractis ipsis pessum euntes, fluctuum fragorem, nautarum tumultuationem, militum clamorem, spumam tum vndarum, tum sanguinis mixtam, eandemq; in naues simul omnes irrumpentem, cadauera alia super ipsa nauium transtra jacere, alia submergi, alia adnatare, alia ad littora æstuantis maris impetu eiici, alia intra ipsos fluctus sic obrui, vt nautibus iter veluti obsepiant. Postremò cùm exacte belli tragœdias omnes edocuerit, addat item & captiuitatis calamitates, & seruitutem nulla non morte duriorem. At secundùm hæc omnia iubeat illum continuò in equum ascendere, vniuersiq; illius exercitus ducem agere. Hîc adolescentulum illum censes vel nuda harum rerum narratioui suscipiendæ parem esse posse? ac non potiùs vel à primo statim aspectu animo defecturum? Proinde ne me ipse hîc putes rem oratione attollere, neque hoc ipso, quod corpore sic, vt carcere aliquo incluso, nihil prorsus rerum inuisibilium cernere possimus, magna ea esse ducas, quæ à me dicta sunt. Videas enim eo prælio longè tum maius, tum horribilius, si tibi fortè caligininosissimam illam diaboli aciem, conflictumq; infandum oculo istis cernere liceat. Non enim illic aut æs, aut ferrum, non equi, non currus, non rota, non ignis, non iacula ista, quæ cernimus, verùm alia quædam machinamenta iis, quæ dixi, longè terribiliora: certè aduersarijs istis nequaquam opus est thorace, non scuto, neque ensibus, neque hastis. Sed vel nudus execrandæ illius militiæ aspectus talis est, vt humanam animam à corpore ipso dissoluere possit, nisi ea admodum generosa fuerit, atque adeò antequam à viribus ipsa suis auxilium petat, diuina in se clementiæ prouidentiam senserit. At sanè si liceret corpore hoc exuto, aut vnà etiam cum ipso corpore perspicuè atque intrepidè vniuersam illius aciem bellumq; contra nos instructum ipsis oculis coram contueri, videres vtique non sanguinis torrentes, neque corpora demortua, sed animarum lapsus tam multos, sed vulnera sic grauia, vt tibi statim belli vniuersa illa pictura, quam modò expressi, puerorum deliramenta, & ludicrum potiùs quàm bellum videri possit: tam multi certè ac frequentes ij sunt, qui in dies singulos feriuntur, quorum vulnera non idem mortis genus pariunt, sed quantùm inter se dissident anima, atque corpus, tantùm est certè inter mortem hanc, atque illam discrimen. Nam quoties plagam anima accipit, eadémque cadit, hîc prostrata quidem jacet. malè jam conscientia cruciatu contabescens; posteà quàm verò separata à corpore hinc emigrarit, per judicij sui tempus æterno cruciandæ supplicio tradi-

A tur. Quod si quis existet, qui diaboli plagas non persentiat, nimirum illius morbus ex ea indolentia ingrauescit. Quemcunque enim plaga inflicta non mordet, neque attrisiat, is certè facilè & alteram excipit: itemque & hat accepta, tertiam; neque enim intermittit ad extremum vsque spiritum feriens nefarius ille, quoties inuent animam supinam, prioresque plagas contemnentem: qui si & congressus modum expendere velis, hunc verò longè actiorem, ac magis diuersum comperies. Neque enim quisquam est, qui tam multas fraudis, doli, artificij formes norit, quàm multas scelcratus ille hostis, qua quidem in parte maior illius vis, ac potentia inest: neque inimicitias quis tantas, támque inconciliabiles, aduersùs hostes sibi infensissimos gerere potest, quantas ille aduersùs humanam naturam gerit. Porrò si quis examinet quanta cum inhumanitate is depugnet, ridiculum certè fuerit homines hoc in loco conferre. Sin iracundissimas ac truculentissimas quasque feras delegeris, quas cum huius furore atque insania conferas, reuerà mansuetissimas humanissimásque eas hac comparatione comperies: tantum ille in animas nostras furorem spirans euomit. Adde quòd & pugna
B tempus breue quidem esse solet, qua etiam in temporis breuitate multa dantur inducia. Nam & natura sic comparatum videmus, vt & noctu superuentus, & jugulandi labor, & cibi capiendi tempus, & multa id genus alia, militi respirandi potestatem faciant, vt & armaturam exuere, tum verò paulùm respirare, sedq, & cibo & potu reficere, multisque rebus aliis priscimas vires recuperare valeat: aduersùs autem diabolum dimicanti, numquam licet arma ipsa ponere, somnumve vllum capere, ni præstertim, qui perpetuò invulneratus prælio excedere volet. Ex duobus enim necessariò alterum consequitur, vt aut cadat quis ac pereat armis spoliatus, aui continenter vigilet, armatusque stet. Siquidem ille continenter cum sua ipsius acie stat, socordias nostras obseruans, ac maius quidem asserens studium ad nostram internecionem, quàm ad nostram ipsi nos salutem asseramus. Postremò, vt semel finiam, quòd à nobis hostis ille minimè cernatur, quódque derepente atque improuiso nos adoriatur (quæ res iis, qui non assidue in excubiis vigilantes fuerint, infinitorum malorum causa esse solet) facit nimirum, vt bello hoc
C ægritis, ac maiore cum negotio, quàm illo defungi possis. In hoc ergo campo vis nos Christi militibus duces esse? Hoc ipsum verò quid aliud erit quàm diabolo potiùs duces esse? Quum enim is, qui ceteros debet tum in ordines partiri, tum militaribus armis instruere, omnium simul infirmissimus, simul imperitissimus fuerit, sit nimirum, vt sue fidei creditos prodat, & diabolo magis, quàm Christo ducem agat.

S. Chrysostomus hom. 66. ad popul. *Chrys.* *Nec ipse rex quidem procul à curis vitam agit, sed potiùs multis plenam tribulationibus & curis. ne diadema respicias, sed curarum tempestatem, nec purpuram intueatis, sed animam ipsâ purpurâ magis nigrescentem, non ita corona caput circumdat, sicut animam solicitudo: nec satellitum cateruam respicias, sed multitudinem molestiarum: neque enim priuata domus tot curis plena reperiri potest, quot regia suns mortes per singulos expectata dies. In noctibus autem ne dici quidem potest, quoties anima prosilit, & exilire se putat, & hæc quidem in pace. Si verò*
D *bellum ingruat, quid regia vita miserabilius esse potest? At non est talis; sed posiquam eam acceperis, pax, vita, gaudium, & lætitia. Quod si in regia seculari primus tantùs est plenus erumnis, quid censes in priuatis & quot alia mala? neque dici quidem potest, quot fabulæ frequenter ex his contextæ sunt.* Ita S. Chrysostom.

Hæc poteris confirmare ex cap. 5. Danielis. Vbi rex *Dan. 5.* maximus terræ Balthasar conuiuium grande fecit optimatibus suis mille, vbi supernaturalis quædam apparuit manus in pariete, ignotis quædam scribens verbis, obstupuit adeò rex, vt Scriptura dicat, *facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se ipsa collidebantur.* hæc quidem de rege, & de alio nullo. Cur igitur ampliùs rex conturbatus est, nisi quia rex? cor enim regis, sicut profundius mare, profundioribus procellis obnoxium est: sed hoc mirabile magis, quod ibi rex non leonis manum, sed hominis vidit

vidit, quòd si hominis, humanum quid de illa oportuerat suspicari, quid verò in manu illa? calamus scribentis: quid igitur à calamo timet Balthasar? si hastam mucrone diram conspexisset vibrantem, nihil mirum; aut virgam illam vigilantem, quam Ieremias vidit, videret, sed talia non vidit. quid ergo regem turbat? quid conturbat? quod si fortè Scripturæ sententiam legens, se mortis reum agnosceret, ingentis ansam timoris meritò haberet: at nec legere, quantò minùs intelligere, Scripturam nouerat: quare igitur sic vehementer timet? quia Rex erat, hæc satis superque sufficiens ratio: qui enim plus, vel honoris, vel potentiæ, vel dominatus, vel diuitiarum, quod amittere possit, habet, plus timet.

Quàm autem inanes, & doloribus anxietatibusque referti sint mundi principatus, & dignitates eius rectè Christus Dominus expressit, cùm sceptrum illud arundineum, & coronam spineam admisit. Arundo enim, licèt exteriùs aureum colorem & soliditatem præsefe- B rat, intus vana, vacua, & inanis est, solum aërem habens: corona autem spinis abundans erat, sic & corona, & gloria mundi spinis & tribulis referta est. nam solicitudo, & cura, & difficultates, & pericula, contradictiones, odia, inuidiæ, insidiæ & id genùs alia, quæ corda dominantium quasi spinis quibusdam pungunt, & torquent vehementer.

Nullum non lapidem mouent ambitiosi, vt ea quæ desiderant, consequantur. curias Regum adeunt, pecunias profundunt, regis familiares conueniunt, rogant, frequentant, & patienter sufferunt multa, & tamen vix aut nunquam obtinent, quæ sic optant. difficile quippe est omnibus, qui ad hæc obtinenda necessarij sunt, placere, omnes in suam trahere sententiam, omnes voluntates, quæ sæpè sæpiùs in varias pergunt sententias, adunare. C

Vnde cùm Abimelech suadere vellet Israelitis, vt se, non verò filios Gedeon eligerent in Regem: *Quid,* Iudic. 9. inquit, *vobis est melius, vt dominentur vobis septuaginta viri, an vnus vir?* quasi diceret: Septuaginta viris placere, & in commodum vniuscuiusque vestrum eorum simul voluntates conuenire perdifficile quidem erit; meliùs igitur est, vt me, non illos eligatis. nouerat ille plurium sententias difficulter in vnum conuenire: ambitiosus autem, vt quod intendit, & ambit, assequatur, non vnius, sed plurium placita & sententias copulare debet, & hinc labor, & difficultas multa.

Quare licèt ipsius met Regis voluntatem sibi conciliet, si optimatum, & eorum, qui sunt à consiliis Regis, & familiarium eius, non pariter conciliauerit, quod optat, nunquam assequetur. Quod facilè probat illud, vbi Dauid quem Saul persequebatur, ad Regem Reg. 29. Achis fugiens, & confugiens, animum quidem ipsius D Regis gratum sibi reddidit, sed non ideò in eius curia desideratum consugium inuenit, sic enim ad Dauidem Rex, *Viuit,* inquit, *Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo: sed satrapis non places, reuertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos satraparum Philisthim: Dixitq; Dauid ad Regem. Quid feci, & quid inuenisti in me seruo tuo, à die qua fui in conspectu tuo vsque in diem hanc, vt non veniam, & pugnem contra inimicos domini mei regis? Respondens autem Achis, locutus est ad Dauid: Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei, sed Principes Philisthinorum dixerunt: Non ascendet nobiscum in prælium. Igitur consurge manè tu, & serui domini tui. qui venerunt tecum, & pergite.* Ecce Regi quidem gratissimus erat Dauid: sed quia non placuit aliis Regis familiaribus, & Principibus, recedere è curia compulsus est.

Sic etiam, & perùs euenit Danieli in curia Regis Nabuchodonosor in Babylone; per calumniam quippe satrapæ, & Principes Babyloniorum accusauerunt Danielem, & dignum qui in lacum leonum mitteretur, iudicarunt, quod cùm audiret Rex, satis, inquit, A Scriptura, contristatus est, & pro Daniele posuit cor, vt liberaret eum, & vsque ad occasum Solis laborabat, vt erueret illum: sed tamen non præualuit, quamuis Dan. 6. potentissimus ille esset, & sic cor suum regium apponeret ad liberandum eum, quia hæc absoluta potestas soli Deo reseruata est. *Magna,* inquit, *opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* Nota, in omnes voluntates eius; quia si aliquis quærat (inquit ibi Lyra) *rationem operum Dei, intueniet, quòd omnia dependent ex eius mera gratia, & voluntate.* Ita ille.

Quare qui facilè & salubriter, & prorsus conuenienter, & vtiliter curat quod desiderat obtinere, spem suam non in Principibus, in quibus non est salus, sed in Deo ponat & reponat, illum suppliciter oret, & deprecetur. Si enim Dei solius voluntatem sibi conciliauerit, licet omnes Principes terræ illum oppugnent, licèt Rex ipse aduersetur, ad optatum perueniet portum, cor enim Regis in manu Dei, & non est qui eius possit resistere voluntati, Dominus enim vniuersorum est.

Sic Ioseph ad pincernam Pharaonis: *Memento, & fa-* Gen. 40.
cias mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere. Eadem penè verba dixit latro in cruce Christo: sed quàm dispar exitus vtriusque: Ioseph in carcere duobus remansit annis, latro verò eâdem die ingressus fuit Paradisum, *Hodie,* inquit, *mecum eris in Paradiso,* nimirum, quia ille ab homine, hic verò à Domino remedium postulauit.

Quamuis in piscina illa Hierosolymitana salutem omnes ægroti sperarent, vnus tamen & vnicus eam obtinebat, quando Angelus descendebat, sic in his quoque accidit, qui mundi dignitates, opes, & honores ambiunt, multi quidem solicitatores, sed vnus tantùm inter omnes optatum assequitur munus, hinc maior ambientium labor, & difficultas.

Quod quàm sapientiores sint, qui cœli bona quærunt, facilè ostendit: in quærentibus enim mundana id euenit, quod Paul. ait, *Hi qui in stadio currunt, omnes quidè currunt, sed vnus accipit brauium,* multi ad vnum Canonicatum, vel Episcopatum, vel consulatum, currunt, & concurrunt, sed vnus accipit brauium; est enim mundus pauper, non potest omnibus sequentibus se ad plenum satisfacere, mille sunt contendentes, vnus laureatus. De his qui cœlestia quærunt, ista dicere valemus, non tot, quin plures; non enim tot sunt, quin plures ea possint plenè obtinere. *Omnes* (inquit S. Augustin.) *qui rectè currunt comprehendunt, non sicut in agone bistrico,* Lib. de *vbi omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium.* Ita ille perfectia Et S. Chrysost. *Vniuersus mundus accedat, non enim con-* Iustitia. *sumitur gratia, neque deficit virtus, sed eadem semper manet, non enim alterius diuisimus damno.* Ita Chrysost. *Bien puede* Hom. 55. *todo el mundo llegar, apretender la gracia y la gloria del cielo,* in Ioan. *por que no es Dios como el mundo que se acaba dando à vno ni à muchos la gracia y la gloria, ni es Dios como el mundo que à manera de ropauestero no sabe dar à vno, sino lo que dexa otro y no sabe vestir vno, sino desnudando à otro.*

S. Bernard. *O ambitio ambientium crux! quomodo omnes torquens omnibus places. Nihil acriùs cruciat, nihil molestiùs* Lib. 3. de *inquietat, nihil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis* consideratione. *eius.* Ita ille.

PROP. XXIII. *Dignitates mundi periculo damnationis sunt multis.*

CAntic. 1. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me;* cur ita? *Posuerunt me custodem in vinea: vineam meam* Cant 15. *non custodiui.* Vinea est ipsa Ecclesia Dei: vnde superiores earum, vinitores, & custodes vineârum rectè dicentur. Ait ergo: Fratres, qui scilicet in me fraternum amorem præseferebant, pugnauerunt contra me: quo pacto? num ensibus & armis oppugnauerunt? non: sed ponendo me custodem in vineis, eligentes me in supe-

superiorem. Hanc tu inimicorum pugnam vocas? hoc quidem amicitia, & gratia, & beneficium appellari solet, non pugna. Ego verò, inquit, non beneficium, sed odium mihi reputo, quia dum me custodem aliarum vineārum, seu animarum constituerunt, vineam meam, animam meam, non custodiui: sunt enim tot tantaque periculain officio prælationis, ob plurimas occupationes & obligationes, quæ in prælatione concurrunt, vt vineæ animæ meæ detrimenta obuenerint magna. Hoc ego pugnam, & quidem sanguinolentam voco, animaduertant hoc, qui eos tantùm amicos reputant, qui huiusmodi prælationes & dignitates pro ipsis negotiantur, &c.

De Gaufredo Priore Clarauallis, in quo Abbas erat sanctus Bernardus, legimus, oblatum sibi Episcopatum Tornacensem respuisse, cogebat eum monitis suis S. Bernardus Abbas eius, illum acceptare, & summus Pontifex Eugenius Papa vrgebat nimis; tunc Gaufredus: Me à monasterio eiicere potestis. Episcopatum verò facere acceptare nequaquam. Obiit tandem beatus iste Gaufredus, & apparens cuidam monacho eiusdem ordinis, dixit: Saluus sum: si autem fuissem de numero Episcoporum, fuissem de numero damnatorum: sic enim mihi beata Trinitas reuelauit. At dices, multi sancti Prælati fuerunt, vti S. Ambr. Augustinus, Gregor. Basil. &c. ergo non repugnat Episcopum saluari. Ita est, non repugnat, sed pugnat: non enim hoc toliit, quin in statu lapsæ naturæ, venenosæ nobis sint dignitates: venenum enim non nocet ciconiæ, nec ceruo: comedunt enim colubros, & serpentes, nec idcò moriuntur, moriuntur alia animalia, quæ tali afficiuntur veneno. sic dignitates, licèt eas venenum dicere secundùm se fas non sit, aliquo tamen modo, vt dixi, in natura lapsa venenum sunt infirmis, non ex se, sed ex prauitate, vel parùitate nostra. Venenum ciconiæ, & ceruo non nocet, qui validum habent calorem, quo digerunt virus: reliqua verò animalia, quæ non tali calore pollent, digerere virus nequeunt, & ideò pereunt: sic quia sancti illi Pontifices charitatis calore polebant, ideò dignitatum pericula digerebant: non autem omnes tanto calore gaudent, & his dicimus esse quasi venenum.

1. Corinth. 11. 29. 1. Corinth. 11. *Iudicium sibi manducat*, &c. Iudicium, hoc est, condemnationem, vocat Apost. sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cùm sit in se salus & vita nostra; quia ex mala dispositione malè recipientis, ex antidoto fit venenum: sic quamuis Ecclesiastica, vel sæcularis dignitas in se bona & vtilis sit, ex indispositione nostra redditur nobis mala.

De herba insana, Hispanè dicta, veneno, dicitur, quòd homini venenum sit, passeribus tamen quibusdam cibus vtilis: cuius ratio est, quia passeres vias, quæ ducunt ad cor, habent strictas, angustas, & ob id venenum non penetrat in eorum cor: homines verò habent vias cordis latas, & propterea sanguis & humores facilè ducunt venenum in cor humanum; sic quia sanctorum conscientia angusta est, & stricta, eò quòd sint timoratæ conscientiæ venenum periculorum, & occasionum, quod in dignitatibus inuenitur, non peruenit ad eorum cor: aliis autem, qui conscientiæ, & cordis vias latas habent, huiusmodi dignitates nocivæ solent esse.

Chrysost. S. Chrysostomus libr. 3. de Sacerdotio: *Quis enumerare potest molestias doloresq; quas tolerare Prælatum oportet, dum necesse est amouere aliquem ab Ecclesia cœtu: magna enim diligentia hic opus est, ne, dum prodesse illi cupis, maiorus damni auctor sis: nam quæcumque ille post huiusmodi curationem peccata commiserit, futurum est, vt horum singulorum pœna cum medico sit communis, qui vulnus probè non incideriit. Quam multa igitur supplicia Prælatos manent, cùm ex eis vnusquisque non solum rationem redditurus sit suorum delictorum, sed eorum etiam, quæ commiserint alij: nam si horremus, dum iudicium nobis subeundum est, in quo peccatorum propriorum rationem reddituri sumus, ignem timentes eternum, quid illi expectandum est, qui tam multorum nomine sit reddituri?* A

Quod autem hoc verum sit, audi B. Paulum, imò Christum, ore Pauli ducentem, Parete his qui præsunt vobis, & cedite: nam illi vigilant pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri. Hiccine videtur tibi exiguus damnationis terror? equidem ille quantus sit, verbis exprimere non possum. Ita S. Chrysost. Heb. 13. 17.

Sed dices: Ego Prælaturam nec procurani, nec optaui, inuitus ad eam accessi, maiorum monitis parens. Ad hoc S. Chrysostomus lib. 4. de Sacerd. *A regno, cui-* Chrys. *jus quidem studium apud Deum tanti non est, quanti est Sacerdotiu, verborum meorum fidem faciam. Saul filius Cis, non suo ipse studio rex factus est, sed cum ambissset asinas vestigatum, & ne acciperet munus, deprecatus est dicens: Quisnam ego sum, & quænam domus patris mei? quid tandem, Saulus postquam non rectè vsus est honore à Deo sibi delato, potuero verba ista eripere ab eius ira, à quo rex creatus ipse fuerat.*

At qui ad Samuelem increpantem dicere potuit: Num ad B *regnum administrandum ipse accurri? num ad huius potestatis regimen profili? equidem in animo habui priuatam viuere vitam, & quietam, tu verò ad hoc me pertraxisti: in illa ergo vita humiliter versatus, facile offensiones huiusmodi deuitassem: nam si ex vulgarium atque ignobilium hominum numero vnus fuissem, mihi adversùs Amalechitas bellum Deus non credidisset, quo mihi non credito, peccatum huiusmodi nunquam perpetrassem. Verùm hæc, quæ dixi, omnia ad defensionem sunt infirma, imò quæ irata Dei irritent magis. Eum enim qui magistratum meritis suis maiorem assecutus est, vt errata sua ipse tueatur defendatq;, magistratus magnitudinem prætendere non oportet, quinimo in maioris virtutis sue profectum, magna illa Dei erga se benevolentia vti. Qui verò ob id peccandi licentiam sibi permittit, quod præstantiori dignitate ornatus sit, nihil aliud quàm Dei benignitatem, peccatorum suorum auctorem facere conatur. Id quod solemne quidem est hominibus impiis, ijsq;, quorum vita in ignauia socordiaq; versatur; nos ergo sic animatos nequaquam esse conuenit, sed omni ex parte operam dare, vt omnem vigilantiam exhibeamus, bene vbique de Deo omi-nantes, nunciantes, & cogitantes. Sed omisso regno, ad Sacer-* C *dotes, de quibus nobis sermo est, veniamus. Heli Sacerdos non studiosè ambitiosèpe dignitatem eam sibi parauit, & quid dico parauit, cùm nec illi quidem id muneris detrectare per legis necessitatem fas fuerit, vt qui vnus esset ex Tribu Leui, & quem ipsum oporteret dignitatem illam à maiorum suorum retro origine descendentem suscipere, qui tamen liberorum suorum petulantiæ non mediocres pœnas dedit.*

Iam quid dicas de primo illo Hebræorum Sacerdote, de quo tam multa cum Moyse Deus verba fecit? nonne hic, postquam vnus non potuit tanti populi insanie resistere, parum abfuit, quin periret, visi fratris patrocinium iram Dei auertisset?

Sed quia Moysis memoriam intulimus, consentaneum est ex his, qua ille obuenere, orationis nostræ veritatem demonstrare. Hic enim Moyses verè beatus, tantùm abfuit à sapienda Iudæorum præfectura, vt & oblatam reiecerit, & Deum etiam contra se irritaret, eò quòd iubenti illi non auscultaret: quod non D *solum tunc temporis fecit, verùm & postea, cùm iam præfecturam illam administraret: quâ vt explicaretur, lubens è viuis excessisset. Quid igitur postea quàm ad aquam peccauit? potuerene assiduæ recusationes illæ tutari illum, & Deo persuadere, vt veniam concederet ei? Quanam alia, quæso, de causa terra illa promissa priuatus est? certè non alia, quàm ex illo peccato, propterea viro illi admirando non licuit rebus ipsis potiri, quibus subditi eius potiti sunt, post diuturnum tempus insumptum, post multas afflictiones, post immensum illum errorem, post bella ac trophæa permulta, procul ab ea terra remotus est, cuius gratiâ tot tantosq; labores sustinuerat. & qui pelagi mala grauissima perpessus fuerat, portus tamen fructus nullos capere potuit. Videi, quomodo nulla peccatorum excusatio relicta sit, non solùm iis, qui rapiunt, sed neque iis, qui alieno studio huc euehuntur? nam ibi qui Deo decernente & eligente sapenumerò honorem ipsum recusauerunt, tantas tamen pœnas luerunt, & nihil*

nihil quicquam è periculo huiusmodi eximere potuit, neq; Aaron, neque Helt, neq; virum illū probatum, sanctum, Propheta admirandum, mortalium omnium humanissimum, eundemq; quasi amicum quemdam cum Deo colloquentem: & nos, qui ab illius virtute tantùm absumus, satis esse ad defensionem censemus consciosse nobis ipsis, ad honorem huiusmodi nullo nostro studio, nullâ ambitione nos aspirasse? Iudam Deus elegit, & in sacro-sanctum illud cooptauit collegium, dignitate Apostolicâ vnà cum aliis ornatum, cui quiddam maius, quàm aliis dedit, pecuniarum dispensationem. Quid igitur, num postquam duabus illis prærogatiuis contra quam debuit vsus est, eo scilicet quem prædicauerat prodito, & pecunijs illi hoc nomine creditis, vt recte eas administraret, malè impensis, impunitate donatus abiit? certè hoc potissimùm nomine grauius sibi accersiuit supplicium, idq; perquam meritò: neq; enim prærogatiuis à Deo acceptis sic abuti decet, vt per eas Deum offendas, quinimò vt magis Deo acceptus fias.

Cæterùm qui hoc nomine, quòd alios honore & dignitate aliquâ excedat, pro delictis pœnam commerentibus venia dignum se esse censet, perinde facit, vt, si quis ex infidelibus ludeis Christum audiens sic loquentem: Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent, ipsum Seruatorem optimè de humano genere meritum his verbis insimularet: Tu verò cur venisti, & loquutus es? cur & signa fecisti, vt grauioribus in nos supplicijs animaduerteres? at verò dementia, ac summæ adeò insaniæ verba hæc: neque enim medicus, vt te magis condemnaret, curatum accessit, sed vt prorsus à morbo liberaret, te autem vltro ipse ab illius manibus submouisti. Igitur & grauius supplicium sustineto. nam sicut, si curationi parauisses, futurum erat vt à pristinis morbis peccatorum liberareris; sic quandoquidem medicum, quem præsentem habuisti, auersatus es, maiores pœnas dabis: quia medicus tui causâ oleum & operam perdiderit. quo sit, vt non pares pœnæ sint, quas ante dignitatem à Deo acceptam damus, cum his, quas dignitate acceptâ luere cogemur, quia quem beneficia accepta à Deo meliorem non reddunt, grauius supplicium is commeretur. Ita S. Chrysost.

Item S. Chrysost. lib. 3. de Sacerd. *Sacerdotis animum honoris prælatura desiderio vndique vacare oportet: nam si ad eum principatum adipiscendum vehementi animi affectu rapietur, eo adepto impotentiorem hanc ambitionis suæ flammam accendet, ac vi tandem captus, vt sibi adeptum honorem stabiliat, nullo non peccato seruiet, seu adulando, seu seruile quid & indignum sustinendo, seu res magno pecuniæ sumptu tentando. Nam quod nonnulli cædibus Ecclesias compleuerint, huiusmodi honoris gratiâ depugnantes, ciuitates aliquot funditùs euerterint, dicere prætermittam, ne quibusdam videar ea in medium afferre, quæ fide maiora sint.*

Oportere autem existimo, tantam cum religione & cautione ad huiusmodi dignitatem accedere, vt illius molem magnitudinemq; primùm prorsùs detrectes, deinde honore adepto, aliorum iudicia sententiasq; non expectes, si quod fortè commissum deprehendant, propter quod oporteat te honorem illum deponere, quin potiùs illos anteuertens te ipse munere abdices. Sic enim par est, vt diuinam concilies impetrescq; misericordiam, qui si tibi honorem illum prætèr decorum, tanquam morbicilis, retinere studueris, indignus es, qui veniam consequaris, imò diuinam iram magis ac magis incendis, altero peccato. & eo grauiore, per te addito. At verò constantiam hanc præstare nullus valeat; tam pestilens est, tanquam lethale appetentiæ istius virus.

Neque id dico, cum S. Paulo pugnare volens, quinimò vt maximè cum illius verbis consentiam: ea verò eius modi sunt. Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: *at ego non operis ipsius, sed dominationis ac potentiæ desiderium pestilens esse dixi. Atque hoc ego desiderium sic toto studio ab animo abiiciendum esse censeo, vt ne animum ipsum ab illo prorsus permittas occupari, vt is rerum omnium liberè agendarum habeat potestatem: nam quem nulla cupiditas trahit, vt se in eo munere collocatum ostentet, ac tanquam digito ab aliis monstretur; is certè ab eo solio deturbari non formidat, & qui hoc non formidat, cum ea libertate, quæ mentes Christianas decet, omnia poterit exercere. Dura enim, & aspera, multisq;*

A *rerfera incommodis, illorum est seruitus, qui honoris huiusmodi casum reformidant, ob quem sæpenumerò sit, vt & hominum, & Dei Optimi offensionem subire cogantur. Sed quemadmodum in prælijs videmus generosos milites alacriter manum cum hoste conserere; tum si ita res ferat, fortiter occumbere: sic oportet animatos esse, qui ad functionem se conferunt ministerij huius, vt quod verè Christianos viros decet, & conferari & summoueri simul parati sint, cùm intelligant priuationem & summotionem huiusmodi non minùs præmium asferre solere, quàm afferat honor ipse. Nam quoties tale aliquid cuipiam euenerit ea ferre nolenti, quæ indecora, ac muneris sui dignitati minimè conuenientia putat, sit vt & illi, qui ipsum iniustè summouerit, grauius supplicium, pijs autem copiosiorem mercedem, paret:* Beati, *enim ait,* estis, cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersùs vos, mentientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. *Et hæc quidem magis locum habent cùm à conuictoribus, & sociis, aut per simultatem, atque inimicitias, iniustè quis loco suo depellitur; nam quoties id te ab aduersarijs pati contigerit, ne oratione quidem opus esse puto ad luctum id demonstrandum, quod illi malitiâ suâ tibi acquirunt.*

B *Illud igitur oportet vndique circumspicere, ne vsquam desiderij illius scintilla aliqua intus ardens lateat: nam si quis, nondum adeptâ dignitate, huius desiderij efferam belluam secum enutriat, verbis assequi non potest, in quantam perniciem accepto honore præceps iturus sit.* Ita S. Chrysost.

Mat. 5. 11.

Ioan. 15.

Prop. XXIV. *Ambitiosus periculum & occasionem superbiendi ambit.*

Hinc sanctus Paulus ad Rom. *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes,* hoc est, ne superbi sitis, *no se desuanezca nadie sintiendo de si altieças, que es tanto y que es quanto, &c.* Ita interpretantur locum hunc sanctum Ambrosius, & S. Chrysostomus, & Theophyl. Obserua ergo quomodo superbiam, & ambitionem C Paulus appellet, altum sapere, alta petere, quasi nullam distinctionem faciens inter alta appetere, & superbire, sicut & alibi dixit; *Noli altum sapere, sed time:* hoc est, noli euanescere, noli superbire, vti exponit S. Basilius in regul. breuioribus, resp. 56. *Sic sæpè altitudinem cum vanitate mentis confundit: sicut enim qui in locum altum conscendit, capitis vertiginem inde contrahere solet, dum ex illa altitudine infima cernit; sic qui se in alto situm, & alios inferiora occupare loca videt, elationis vanitatis vertiginem solet pati: noli igitur altum sapere, ne sic altum sapias,* &c. Vbi obiter pondera verbum illud. *Noli altum sapere:* noli, inquit, quasi dicat, nemo adeò ex illustri prosapia ortus est, qui habeat occasionem superbiendi, si nolit, *Nadie ay, tan de los Gedos, que tenga, porque enseberbeceise, si el no quiere.*

Rom. 12. 16.

Ambros. Chrysost. Theoph.

Rom. 11. 20.

Basil.

Hic ergo radicem superbiæ in ipsam voluntatem reducit Apostolus; quia ex se adeò miser est homo, & tot tantasque rationes humilitatis apud se habet, vt D quantumuis ab extra occasiones plures adueniant; & conueniat velle superbire, sola superbiæ suæ causa sit, locus tamen sublimis euanescere nihilominus hominem facit, &c.

Multa de ambitione habes in verbo, *Superior.*

Prop. XXV. *Dignitates & officia superiorum periculis animæ referta sunt.*

Svnt quidem omnes mundi status, & omnia officia difficultatibus & periculis referta, & ideò ne in illis salus nostra periclitetur, Dei voluntatem priùs cõsulere oportet, & nihil contra diuinam inspirationem vocationemve, aut voluntatem aggredi; quos enim suam exequi voluntatem Deus nouit, protegit & defendit: Deo autem protegente facilè se homo à cunctis

difficultatibus expediet, facilè à periculis cunctis liberabitur, sin minùs, facilè peribit in eis.

Luc.5.5. *Magister, per totam noctem laborantes nihil cepimus*, ait Petrus Christo, *sed in nomine tuo laxabo rete*, misit rete, Christo jubente, & cepit piscium multitudinem copiosam: quando propriâ voluntate misit rete, nihil cepit, licèt per totam noctem laboraret: & quidem nox aptissima est ad piscium capturam: per totam igitur noctem piscantes, & laborantes, nec vel vnum piscium ceperunt, ita est, & vno jactu Dei voluntate præstito, tantam piscium abundantiam ceperunt, vt duæ nauiculæ ita implerentur, vt penè mergerentur.

Mach.5. Duo ex viris præcipuis Israel, Iosephus & Azarias vocabantur, audierunt prælia & gesta præclara, quæ fecerunt Iudas Machabæus, & socij eius, & dixerunt: *Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare aduersùs gentes, quæ in circuitu nostro sunt*, sed tamen in primo conflictu cum hostibus fugati sunt *Iosephus hic, &. Azarias, vsque in fines Iudææ, & ciderunt illâ die de populo Israel*, de exercitu scilicet, quem ipsi congregauerunt, *ad duo millia viri, & facta est fuga magna in populo, quia non audierunt Iudam, & fratres eius, existimantes se fortiter facturos*: & subdit Scriptura: *Ipsi autem non erant de semine virorum illorũ, per quos salus facta est in Israel*, hoc est, non erant electi à Deo, ipsi se intromiserunt, & ambitiosè duces se cõstituerunt, ideò perierunt, &c. Iudæ, & fratribus eius Deus auxiliabatur, quia ad prælia illa erant electi à Deo, aliis verò noluit opitulari, quia non erant ad huiusmodi munus ab eo vocati.

Marc.6. In magno periculo erant Apostoli constituti, quando nauigantes per mare noctu, tempestate subortâ, erant in remigando laborantes: sed affuit statim Christus, & de magno illos mortis periculo liberauit: nimirum quia ipsemet Dominus eos in huiusmodi conflictu periculum. si ergo Dei nutu incurreris periculum, & tribulationes, ab ipso adminiculum & fauorem, quo liberari possis, obtinebis, sin minùs, te tibi derelictum videbis, & væ tibi, cùm tibi fueris derelictus, &c.

Cùm Christus Dominus suos mitteret Discipulos ad prædicandum, & præuideret labores, & tribulationes, & pericula eorum, dixit: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, hoc est, eo modo quo lupi agnos inuadunt, occidunt, ac deuorant, sic etiam infideles vos persequentur, & occident: illi tamquam feræ vos inuadent, vos sicut agni mansueti patiemini opprobria, carceres, verbera, cruciatus, & mortem. & qualis deinde consolatio, quale patrocinium, vnde protectio?

Io.15.16. *Ecce*, inquit, *ego mitto vos, ego posui vos, vt eatis, & fructum afferatis*: ego igitur, qui mitto vos, protegam vos: non enim mitto, & desero, ad me pertinet protectio vestra, cuncta prosperè succedent, & quamuis ab eis interficiamini, interfectio huiusmodi erit vobis in bonum, erit in palmam, erit in coronam, ego mitto, ego curabo cuncta dirigere, quæ ad vos spectabunt, &c.

Ierem.1.5. Vocauit olim Deus Ieremiam, *Prophetam* (inquit illi) *in gentibus dedi te*: cui Ieremias, *A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum*, & illi Dominus, *Noli dicere: Puer sum*, hoc est, ineptè respondisti, times, & & malè times; cur ita? *ne timeas* (ait Dominus) *quia ego tecum sum, dicit Dominus, & misit Dominus manum suam* (ait Ieremias) *& tetigit os meum, & dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constituti te hodie super gentes, & super regna: vt euellas, & destruas, & dispergas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Vide igitur quid sit, Dominum vocare aliquem, & munus illi committere, idem enim est ac dicere: Ne timeas, ego ad rectè munus tuum exequendum, & vt omnia in bonum cedant, propitius tibi & protector tuus ero. quod in eodẽ Ieremia, & in Apostolis, & discipulis Christi videre licet, quàm scil. felicem exitum res eorum habuerint.

Dicitur de Patriarcha Iacob: *Certamen fortè dedit ei, vt vinceret, & sciret, quantum omnium potentior esset sapientia.* 2 ap.10.12
Certamen hoc, luctæ illa fuit cum Angelo, quem ipsum Dei filium fuisse affirmat S. Cyrillus aduersùs Iulianum: certamen igitur cum Deo ipso initum, vel cum Angelo fuerit, nónne tibi certamen fortissimum & homini puro periculosum videtur: at vt vinceret, inquit, nimirum quia ipse est, qui dedit ei tale certamen. si ipse Iacob tale sibi certamen suscepisset, verè periculosum, imò & temerarium videretur: attamen à Deo datum, vt vinceret, fuit, & ita fuit. certauit enim & vicit mirabili quodam modo. *vt sciret* (inquit) *quantum omnium potentior est sapientia*, sapientiâ enim suâ Deus vincit in nobis, non ait, omnipotentiâ, quia sæpè Deus per potẽtiam inimicorum fæuire & exercere solet vsq; ad mortem seruorum Dei: sed sapientia Dei ex morte ipsa nouit victoriam reportare, & cùm jam omnia perire videntur, dieducere Deus nouit in portum voluntatis suæ, & vtilitatis & salutis nostræ. Illi timeant qui suâ solâ voluntate, & sine directione diuina se intromiserint, qui statum assumunt, & non à Deo, hinc infelicissimi casus. Cur ille, qui tale matrimonium diligentissimè procurauit, miserè & calamitosè eo peracto, vixit? & omnia eius in peius semper ruere videntur? quia certamina, quæ in huiusmodi statu crebra & magna sæpè accidunt, non à Deo illi data, sed à seipso fuerunt assumpta. & sic de aliis statibus dicendum, nempe sacerdotem, militum, judicum, &c.

Hoc etiam in Dauide & Goliath verificari potest. Erat quidem Goliath vir gigas fortissimus, diu in armorum exercitio versatus, & armis bene instructus: Dauid autem puer, inermis, qui nec bellandi vsum habebat, nec armorum: vnde Saulis armis indutus, nec incedere sciebat: & tamen in sola funda vicit acerrimum illum hostem, non propter fundam, sed propter adminiculum Dei. *Tu*, inquit Dauid, *venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel.* ita erat, ille suâ voluntate & vanitate aggressus est hoc singulare certamen: Dauid verò in nomine Domini, & inspiratus ab eo, idcò ille victus, hic victor euasit. Denique, *qui amat periculum, peribit in illo*; hoc est, qui se temerè periculo ingessit: non amat autem periculum, qui Dei voluntate subiit illud, &c. 1. Reg.17. Eccl.3.

S. Bernardus. *Longè grauiori & periculosiori debito tenentur astricti, qui pro multis animabus reddituri sunt rationem, quàm alij. Quid ergo infelix ego, quò me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum ijstud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius judicauit, contigerit negligentius custodire? si ille tantem in cruce sanguinem Domini collegissem, effetq; repositus penes me in vitreo vase, quod & portare sapius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? & certè id seruandum accepi, pro quo mercator non insipiens (ipsa vtique sapientia) sanguinem suum dedit, sed & habeo thesaurũ ijstum in vasis fictilibus, & quibus multò magis quàm vitreis immimere pericula videantur. Accedit autem ad solicitudinis cumulum, & pondus timoris, quòd, cùm meam & proximi conscientiam seruare necesse sit, neutra mihi satis est nota, vtraque mihi nox est, vtraque imperscrutabilis est abyssus, & nihilominus exigitur à me vtriusque custodia & clamatur: Custos quid de nocte? custos, quid de nocte? & non est mihi dicere cum Cain: Nunquid custos fratris mei ego sum? sed est humiliter fateri cum Propheta,* Quia nisi Dominus custodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui custodit eam. Ita sanctus Bernardus. Ser. 3. de Aduent. Psal. 126. Epist.

S. Cyprianus, *An tu illos tutos censes, qui inter bonorum insulas, & opes largas stabili firmitate securi? quos regalis aulæ splendore fulgentes, armatorum excubantium tutela circumstat? maior illis, quàm cæteris, metus est, tam ille timere cogitur, quàm timetur, exigit pœnas pariter de potentiore sublimitas, sit licèt satellitum manu septus, & clausum & protectum latus numeroso stipatore tueatur, & quàm securos non sinit*

finit esse subiectos ; tam necesse est vt non sit & ipse securus, A priùs ipsos territet potestas sua, quàm faciat esse terribiles, arridet, vt seruiat; blanditur, vt fallat, illicit, vt occidat, extollit, vt deprimat; fœnore quodam nocendi quàm fuerit amplior gloria dignitatis, tanto maior exigitur vsura penarum. Vna igitur placida & fida tranquillitas, vna solida, & firma, & perpetua securitas, si quis ab his inquietantis seculi turbinibus extractus, salutaru portus statione fundatus, ad cœlum oculos tollat à terris, & Deo suo mente proximus, quidquid apud cateros in rebus humanis sublime magnumq; videtur, intra suam jacere conscientiam glorietur, nihil appetere jam, nihil de seculo desiderare potest, qui seculo maior est. quàm stabilis, quàm inconcussa tutela est, quàm perennibus bonis affluens, cœleste præsidium implicantis mundi laqueis solui, in lucem immortalitatis æternæ de terrena face purgari. Ita ille,

Similes mihi videntur hi ambientes munia, honores & opes Reipublicæ, infirmis & ægris illis, qui iuxta piscinam versabantur, salutem præstolantes per descensum Angeli, &c. Infirmi quidem sunt hi ambientes aulas regias, & optimatum, & quidem peiores, quàm illi qui erant iuxta piscinam. nam illi corpore B infirmabantur, hi verò mente & anima sunt infirmi, & siti inexplebili, sicut hydropici vexantur, & passionum incendio plùs in corde torquentur, quàm febribus illi in carne sua, illi cæci & surdi erant in corpore, hi verò in anima. Sicut enim idola oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt, sic hi ad diuina, æterna, & seria, licèt oculos & aures habeant, nec audiunt, nec vident, &c. In piscina illa vnus ex pluribus solus & miraculosè optatam salutem consequebatur, sic in curia ex tot ambitiosis vnus inter plures est, & qui quasi per miraculum desiderata obtineat: in piscina grauis erat illa protracta motionis aquæ expectatio, vt in paralytico illo constat, qui triginta & octo annos habebat in infirmitate sua, expectans aquæ motum: sic molestissima est his ambientibus prolixa expectatio, sæpè quippe, vt vel aliquem regis familiarem, & apud eum pollentem conuenire & alloqui possint, pluribus diebus & hebdomadibus expectare coguntur, quo quid molestius? In piscina multi peiores egrediebantur ex porticibus illis, quàm fuerant ingres- C si: quis enim dubitat paralyticum supradictum grauiori morbo correptum fuisse in fine 38. annorum, quàm in principio fuisset? & sic multi ambitiosi post longam suam ambitionem pauperiores & indecori magis recedunt, *machos gastan mas en sus pretensiones, que sacan de prouecho.*

Denique, si, quod ita conquirunt, assequantur, malum sæpè animæ suæ conuerti solet. Cùm Iobin sterquilinio suo maneret, *testâ*, ait Scriptura sacra, *saniem suam radebat.* Attende qualitatem remedij, terrea testa illa maiora vulnera fricando reddebat, sic sunt terrena remedia, quæ desideriis nostris adhibemus, maiora & acerbiora vulnera cordis reddunt, quia tâtùm terrea sunt, &c. Non sic est de cœlestibus remediis, quæ vulnera cordis sanant, & salutem nobis conferunt sempiternam. Inuident quidem multi multis, eò quòd eos in excelso dignitatum, & gloriæ mundi D collocatos intuentur, ignorant tamen quantis laboribus & doloribus ad huiusmodi ascenderint status. Rectè ad hos inuidentes & ambientes Seneca, *Vtinam homines petituri cum ambitiosis, vtinam diuitias optantes cum diuitibus deliberarent, & cum summa adepti, statim profectò vota mutassent.* Ita Seneca, hi enim qui jam hæc obtabilia mundi assecuti sunt, experimento sciunt, quot quantisque laboribus & hæc assequantur, quibusque curis & anxietatibus conseruentur, &c. *Gastando la hacienda, y pacientia, que no tenian en la pretension, y el tiempo, y vida, y alma en la possession, &c.* profectò vota mutassent alienis damnis periti, *espermentando en cabeca agena*, profectò vota mutassent, à cupiditate scilicet & ambitione harum rerum temporalium insolicitudinem rerum æternarum, quæ obtinentur faciliùs, & possidentur feliciùs, &c.

Hinc est quòd qui verè sapiunt, hæc mundi alta & gloriosa non solùm non ambiunt, verùm etiam fugiunt: sic de se sapiens Tertullianus aiebat: *Vnum negotium mihi est, nec aliud curo, quàm ne curem. Esto solo procuro en el mundo, no procurar nada del mundo*, nimirum quia æterna curabat.

Item in sacris Litteris quid non fecerit Moyses, ne *Exod 3.* in principem populi Israel eligeretur, narrat histo- *& 4.* ria: & quidem electo Deus ipse erat, & qui facilè idoneum illum reddere posset, sed timuit principatum sapiens vir, &c.

Habemus autem plurima similia exempla in S. Ambrosio, S. Gregorio Magno, S. Martino, S. Thoma de Aquino, & pluribus aliis. E conuerso autem insipientes multos hæc optantes & procurantes munera reperies, lege cap. 9. Iudicum, & obserua parabolam illam, quam de arboribus proposuit Ioathan Israelitis, vbi nec oliua, nec ficus, nec vitis, quæ quidem suaues & vtiles arbores sunt, in Regem eligi acquieuerunt; sed solus rhamnus, arbor sine frondibus, sine floribus, sine fructu eligi consensit: sic sæpè in mundo qui minùs apti sunt eligi ad Reipublicæ munia optant, quærunt, ambiuntque solicitudine summâ, &c.

Quare animaduertant Reges, & electores, & qui pro aliis intercedunt, pro quibus intercedant, ne in caput suum alienum incommodum cadat. Mortuo Rege Saul, & jam Dauide regnante, quæsiuit Dauid, *2. Reg. 9.* an de domo Saul aliquis remansisset? cui nuntiatum fuit, filium quemdam Saulis nomine Miphiboseth superesse, claudum tamen. Quæri posset, quomodo cùm Regis filius esset, sic obliuioni traditus extitisset, vt an esset in regno quæreretur? In promptu ratio est, claudus ille erat: optimum tempus illud, quando claudi, quantumuis Regis filij, obliuioni tradebantur. vocauit quidem illum Dauid, & in aulam suam duxit, non tamen vt à consiliis suis esset, vel ad hoc vt munus aliquod Reipublicæ exerceret, sed vt comederet ibi panem, eò quòd filius Regis esset: bene, sed modò quot claudi, imò & cæci, & inutiles ad officia publica, & dignitates Reipublicæ vocantur? Væ electoribus istis.

PROP. XXVI. *Sæpè mundus decepit ambientes bona eius.*

VIdeas in curiis & plateis Principum, & Regum multos ambientes mundi bona, qui sæpè de mûdo quærunturi, quòd deceperit & frustrauerit eos, nec mentiuntur; nihilominus tamen nunquam à mundo diuelli volunt, semper mendaci mundo se fidunt, & nec ipsis euidentiis & demonstrationibus corriguntur.

Suspicabatur olim Sennacherib Ezechiam Re- *4. Reg. 18* gem Iuda velle sibi resistere in subsidio Regis Ægypti sperantem, *Quæ*, inquit, *est ista fiducia, qua niteris? ecce tu speras in baculo arundineo, & confracto Ægypti, super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius, & perforabit eam? sic est Pharao Rex Ægypti, omnibus qui confidunt in se.* Dicam nuncego, sic est mundus confidentibus in eo: vide quàm plures fractis ceruicibus in curiis & regiis cecidisse, qui omnem suam spem in mundo constituerant, in Regibus inquam, & Principibus mundi, ille diues erat valde, nunc verò pane caret, ille in dignitate quadam excelsa sublimatus ab omnibus adorabatur, nunc autem spretus ab omnibus jacet, &c.

Vnde, *Nolite confidere in principibus, in quibus non est sa-* *Psa 145.* *lus.* Si quis super aliquem valetudinarium innixus incedere vellet, quid mirum si, vterque simul caderet? In Principibus, ait Dauid, non est salus, mortales enim sunt, & sicut vnus de inferioribus populi cadent. Fragiles sunt, terrea vasa gestantes, debiles sunt, nihil enim humanum alienum est ab eis: qui ergo sibi debi-

lis, quomodo aliis fortis erit? Nolite igitur considere in Principibus, in quibus non est salus, sed in Deo, qui immortalis, & infinitè sapiens, & infinitè bonus & omnipotens est.

Ose. 7. 11. Hinc, *Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor.* curita? S. Hieronym. *Cæteræ enim aues pugnant, & pullos defendunt, sola columba ablatos pullos non dolet, nec requirit: ita Ephraim vastatum per partes populum non sentit, sed negligens est salutis suæ.* Ita S. Hieron. Ita ergo ambientes bona mihi esse videntur, nunquam ipsos casus proprij nec alieni cautos faciunt, nec peritos, *el mundo nos engaña, y no bastan desenganos para nuestros necios enganos, y assi ya no son enganos sino desatinos y locuras.* facti sumus sicut columbæ, quæ non habent cor, id est, prudentiam, & cautelam. Non igitur ad mundum, sed ad Deum nobis recurrendum est. Beatus qui ad Dei fores vigilat quotidie, & obseruat ad postes ostij eius, inueniet enim infallibiliter eum: *qui enim petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.*

4. Reg. 4. 26. Cùm mulier quædam filiolum suum mortuum videret, ad Elisæum protinus cucurrit, cui obuius Giezi famulus Elisæi, dicit: *Rectene agitur circa te, & circa virum tuum, & circa filium tuum?* Quæ respondit: *Recte*, veniens autem ad virum Dei, dolorem suum, ei manifestauit: cur quæso Giezi rem celauit? nimirum, quia non in Giezi, sed in Elisæi virtute confidebat, noluit à Giezi petere remedium, quia non apud Deum, sicut Elisæus, valebat. nec fefellit eam opinio sua: misit enim Elisæus seruum suum Giezi, vt baculo suo puerum excitaret, nec valuit: Propheta verò illuc pergens eum diuinâ ope resuscitauit. Ecce ad quem in nostris necessitatibus confugiendum est, non ad mundum, qui seruilis conditionis est, & nemini auxilium efficax præstare valens: ad Deum & seruos eius adeundum est, ille facilè poterit, quia omnipotens, & facilè volet, quia infinitè bonus, &c.

Prop. XXVII. *Quàm stultum sit supra vires ambire & velle aliquid.*

Plinius. PLinius libr. 34. cap. 5. meritò Accio Poëtæ iniustum ambitiosum comparauit, dicens: *Accius Poëta cùm esset ipse admodum brevis, tamen in ade Camenarum statuam maximâ formâ sibi posuit: sic reverâ viles & humiles ambitione suâ, & fuco dilatant sese.* Ita ille.

Simile.

Prop. XXVIII. *Quàm indecens sit senem ambire mundi dignitates.*

MAlum quidem, hominem, quicumque ille & iuuenis sit, ambire; sed peius multò est, senem sic ambitiosum esse, & dignitatem non habitam quærere, quam si haberet, relinquere eam oporteret: non enim senem, & citò moriturum decet de aliis, quàm de suæ salutis æternæ agere negotiis. Senex quidam nomine *2. Reg 19* Berzelai, qui fidelis semper Regi Dauid in suis persecutionibus fuit, à Rege vocatus fuit, vt propter fidelitatem suam munera acciperet regia. *Veni mecum*, dixit ei Dauid, *vt requiescas mecum securus in Hierusalem*, ad quē Berzelai: *Quot sunt dies annorum vitæ meæ, vt ascendam cum Rege in Hierusalem? Octogenarius sum hodie, nunquid vigent sensus mei ad discernendum suauc, aut amarum, aut delectare potest seruum tuum cibus, & potus? vel audire possum vltra vocem cantorum? obsecro vt reuertar seruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & sepeliar juxta sepulchrum patris mei. Est autem seruus tuus Chanaan, ipse vadat tecum, domine mi Rex, & fac ei quidquid bonum tibi videtur*, quasi diceret, *tarde acordastes señor para hacerme à mi merced en vuestra corte y palacio, ya no esta Berzelai para cortesano, porque tengo ochenta annos, y mas estoy para apresiarme para morir, que atender como viuir*, moriar in ciuitate mea, octogenarius sum, tempus ergo est, vt agam non de vita mea, sed de morte mea, habeo filium adolescentem, huic honoret & dignitates conueniunt, non mihi, &c. Hic quidem erat sapiens senex, quales non sunt multi, qui tunc vehementiùs ambiunt, cùm proximiùs morti appropinquant, quò quid stultius? hi enim nec vltimam vitæ partem Deo, animæ, & saluationi dare volunt, sed vniuersam vitam mundo, *no pueden acabar con sigo desperdirse del mundo, y con nuebos cargos de la tierra buscan nuebos cargos de consciencia.* De Simeone sene ait Luc. *Erat justus, & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo.* Ecce sapientem, cordatum senem, non expectabat togam, non thronum judiciarium, nō in palatio Regis officium regium, sed salutem Israel: nonenim spiritus huius mundi erat in eo, sed Spiritus sanctus, inquit, in eo erat, *ay viejos que son como ojas de alamo, por vna parte blancas, por otras verdes, blancos en las canas, verdes en sus pretensiones y vanidades.* Cap. 2.

Quod S. Bernardus optimè ad notauit, senem quem- *Epist. 42.* dam carpens legationis munus ambientem, *Vides*, inquit, *quid faciat amor gloriæ? legatio sarcina grauis est, humeris præsertim senilibus, & tamen honori senissimo grauior videtur pœna, reliquum id breue dierum suorum viuere sine hac pœna.* Ita S. Bernard. & quidem non solùm non assequuntur senes honorem, quem sic ambiendo requirunt, verùm etiam eum, quem senibus adhibere solemus, amittunt, eos fatuos & deliros jam judicantes, quantumuis sibi prudentes videantur, vnde merito subdit ibi S. Bern. *Etsi in facie benedicitur ab adulante, à tergo ab omnibus subsannatur.* Ita ille.

AMICITIA.

1. *Quantum bonum amicitia sincera.*
2. *Quomodo dignoscatur vera amicitia.*
3. *Amicitia vera in aduersitate dignoscitur.*
4. *Non est vera amicitia illa, qua non sanet proximo tempore necessitatis.*
5. *Amicitia vera non quærit quæ sua sunt sed quæ amici.*
6. *Vera amicitia non quærit ea quæ sua sunt, sed quæ amici, & ideò pauci sunt veri amici.*
7. *Vera amicitia cum æqualibus ineunda.*
8. *Amicitia non est ineunda cum maioribus & optimatibus.*
9. *Amicitia Principum inconstans est.*
10. *Cum senioribus potius amicitia contrahenda.*
11. *Attendenda est virtus futuri amici.*
12. *Amicus eligendus est prudens & virtute præditus.*
13. *Amicitia cum malis non est ineunda, sed cum bonis semper.*
14. *Amicitia inter malos quàm sit mala.*
15. *Falsus amicus verum amorem præsert, sed tandem in damnum amici vergit.*
16. *Amicorum omnia sunt communia.*
17. *Amico nihil est occultandum.*
18. *Amicus pro amico nihil contra conscientiam facit.*

Prop. I. *Quantum bonum Amicitia sincera*

DVberrimos Amicitiæ fructus summâ dicendi ubertate extulere, tum sacri, tum profani auctores, quos juuat ex parte adducere, vt Amicitiæ veræ & sinceræ bonis ritè expositis, & expensis, rem in terris raram, efficere frequentiorem cōnitamur. Ordior à Cassiodoro, qui sic eam effert, vt bonis propè omnibus præferat. Sic ergo ipse: *Amicitia est diuitibus pro gloria, pauperibus pro censu, exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute, pro medicina egrotis, mortuis pro vita. Sicut enim Tullius aiebat: solem videntur è mundo tollere, qui de vita hominum amicitiam tollunt. Amicitia enim quædam vita est hominum, sine qua nullum est vitæ humanæ solatium.* Plura, si non exquisitiora, in eiusdem commendationem adfert Xenophon, *Amicus bonus seipsum substituit ad quiduis, quod amico deest, siue ad constituendas res priuatas, seu munera publica. Idem siue quis adficiendo est ad beneficio, vires amico sufficit: seu quis metus perturbet, fert opem, partim sumptus impertiendo, partim operas mutuas tradendo.* *Cassiod. Xenophon.*

« dendo, partim vnà persuadendo, partim cogendo: & mox. « Quæcumque vel manus cuique subministrant, vel prospiciunt « oculi, vel aures ante percipiunt, vel perficiunt pedes, in eorum « nullo amici beneficij est inferior opera. Sæpè quæ quis à seipso « non elaborauit, non vidit, non audiuit, non perfecit: in iis ami- « ci ad amicos sufficere potuit opera. His planè similia habet Themistius, sic enim ipse, Cui audienda multa sunt, & vi- « denda multa, multorumq; simul capessenda cura est, huic pau- « ca admodum aures duæ fuerint, aut oculi duo, vnumque cor- « pus, & vnus animus. Sin amicitiæ sibi opes quæsierit, videbit « persæpè, audietq; minimè in propinquo posita: & longinqua pa- « tum, ac diuinorum instar, cognoscet, ac pluribus quemadmodum « ij faciunt interesse poterit.

Themist. orat. 3.

« Iuuat eadem quæ diximus SS. Patrum illustrare te- « stimoniis, vnus instar omnium erit D. Chrysostomus, « qui dubites fusiùs an eloquentiùs Amicitiæ commo- « da expressit: pauca è multis locis hic delibo. Sic ergo « ipse, Si quis amicum habet qualem dico, agnoscet verba mea. « Et si viderit illum quotidie, non tamen saturabitur. Eadem illi « imprecabitur quæ sibi ipsi. Nouj ego quendam qui cùm sanctos « viros amici sui gratiâ obseruaret, primùm pro illo, & tum de- « mum pro se orari obsecrabat. Tanti est amicus bonus, vt & lo- « ca & tempora illius gratiâ diligantur. Quemadmodum enim « splendida corpora, in vicino loco splendoris sui quasi vigorem « emittunt, ita & amici gratiam suam iis locu, quæ acceserint, « indunt. Et plerumque etiam sine amicis ad ea loca venientes, « illachrymamur, dierum illorum memores, quibus illuc vna con- « veneramus, & ingemiscimus. Nequit sermone comprehendi « quantam adferat voluptatem amicorum præsentia. Nouerunt « ij tantùm, qui experientiam ceperunt. Et paulò pòst: Quam « voluptatem mihi oppones siue turpem, siue honestam? omnes « excellit ea, qua amicitiæ est, etiamsi eam dixeris, quæ melliùs « est. Fit enim fastidiosum mel; amicus verò nunquam, donec a- « micus fuerit: quin potiùs magis crescit illius desiderium, ita vt « illius voluptas nunquam fastidium patiatur. Est & præsenti vitâ « suauior amicus: vnde & multi post mortem amicorum, deinceps « non optarunt viuere. Cùm amico tulerit quis extorris esse, sine « amico nec in propriis quidem ædibus esse volet. Cum amico & « paupertas tolerabilis est: sine illo & sanitas, & diuitiæ intole- « rabiles sunt. Alium pro seipso habet, qui amicum habet. Sed « illud ex eodem obseruandum (ne quis minùs probè « concipiat naturam amicitiæ, eaque abutatur) quid a- « micitiam gignat. Non manducate (inquit) & bibere facit « amicitiam (talem enim & latrones habent, & homicidæ) sed « si amici sumus, si verè inuicem pro nobis curam gerimus.

D. Chrysost. Hom 2 in 1. ad Thes. sub finem c. 1. mihi 2332.

B

C

D

Prop. II. *Quomodo dignoscatur vera amicitia.*

Res quidem ardua & difficilis est dignoscere ac discernere adulatorem à verò amico: est enim adulator amicus fictus, & aliquando sic artificiosè fictus, vt amicitiæ appareat adulator quàm verus amicus. Quare rectè Plutarch. lib. de discri. adulatoris & amici. *Vt inter agrestia semina, quæ formâ ac magnitudine similia sunt, frumentis admixta difficilè repurgantur: aut enim simul non excidunt per angustia foramina aut simul excidunt per ampliora: sic adulatio difficilè separatur ab amicitia, quippe quæ sese in omnem affectum, in omnem animi motum, vtilitatem & consuetudinem cum illa commiscet.* Ita ille. Sicut igitur difficile est nummum falsum à vero discernere, cùm vterque eandem effigiem habet, eundem colorem, eundem sonitum, idemque pondus: sic etiam perdifficile est verum amicum ab adulatore distinguere: sæpissimè namque eandem effigiem & colorem habent, hoc est, eandem apparentiam, & eundem sonitum, hoc est, similia verba sonant, idem pondus, hoc est, eundem modum procedendi. Nam si veri amici proprium est consilium dare in dubiis amico, & cor suum illi aperire, accommodare illi, & sæpè dare ex bonis suis; idem etiam sæpè sæpiùs præstat adulator. Præterea quoniam adulator intelligit familiaritatem, & loquendi ac conuersandi cum amico libertatem, A propriam esse valde amicorum, & non ita liberè agere, alienum esse prorsus ab amicitia vera, etiam libertatem hanc in conuersando effingit, & præ se fert, vt fidentiùs te illis accommodes & confidas.

Quomodo igitur agnoscendus est amicus & adulator? dicam. Primum & potissimum amicorum, maximè inter Christianos, est, corripere & arguere amicum in defectibus eius: sicut enim pictor, qui effigiem, quam propriâ manu pingit, amat, & in pretio habet. curat ne defectus aliquis in imaginem incidat: quòd si inciderit, eum tollere statim conatur: & sicut pater cùm videt filium deficere, statim eum arguit & castigat, non filium, sed defectum odio habens: sic verus amicus, cùm viderit amicum deficere, ac peccare, vel aliquid indignum committere, interiùs vritur, & zelo interiori cõmotus defectum illum emendare procurat: sed adulator timens ne à gratia eius excidat, quâ ad sua commoda quærit, & dissimulat peccata eius, imò aliquando laudat, fouet, juuat, vt maiorem inde gratiam venetur. Non ergo iste amicus verus, qualis erat Apostolus Paulus, qui dicebat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Peccauerant Galatæ, & inuehitur in eos Paulus, dicens: *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati:* &c. Acria nimis videntur verba ista, nunquid à vera amicitia aliena sunt? imò ideò verus amicus eorum erat, quia sic correctione dignos correxit, & nullo modo adulator: Præterea adulator non quæ tibi expediunt, sed quæ placent, docebit, consulet & approbabit, de quo sic Plutarch. ibidem, *Adulatoris mutationes, velut polypi piscis, facillimè deprehendere licebit, cùm idem in diuersa verti videtur, vituperans quam priùs laudauerat vitam, rursum approbans facta, vitæ rationem & dicta, perinde quasi placeant, quibus anteà offendebatur. videbis enim illum haudquaque stabilem, ac suum amicum non proprio affectu diligentem, aut odio habentem, gaudentem, aut dolentem, sed speculi ritu, externorum affectuum, vitarum ac motuum imagines in se recipientem. Talis enim est, vt si verbotenus amicum aliquem eius apud eum vituperes, dicat: Serò tu hominem pernosti, nam mihi nec initio placebat. Rursum si mutatâ sententiâ laudes: Gratulor, inquiet, & illius nomine gratiam habeo, planè vera credo quæ dicis. Quòd si dixeris diuersum vitæ genus esse suscipiendum, & à Reipublicæ negotiis digressus, ad tranquillam vitam velis te conferre, Iam olim, inquit, nos ab his tumultibus & inuidentiis liberari conueniebat. Quòd si rursum ad negotia & causas agendas propensus videaris, statim acclamat, & dicit: Digna te cogitas, nam à negotiis abesse jucunda quidem res est, sed humilis & ingloria. In hunc igitur protinus dicere conueniet:*

Hospes nunc a'ius mihi quàm priùs esse videris.

Ita Plutarch. Denique illud commune dicterium competit adulatori, *ais aio, negas nego*, sic adulator ad omnia tua se accommodat & aptat, &c. Hoc igitur est discrimen notissimum inter verum amicum & adulatorem, amicus enim non quæ amico placent affirmat, sed quæ conueniunt; adulator verò, dummodo placet, nihil aliud curat.

1. Cor. 11. 29.

ad Gal. 3. 1

Prop. III. *Amicitia vera in aduersitate dignoscitur.*

Cicero lib. 9. Epistolarum ad familiares: *Vt aurum igne, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici solet.* Ita ille. Vnde Plinius lib. 10. cap. 24. *Hirundo æstate ad nos euolat, hyeme verò auolat: ita infidus amicus lætis rebus præsto est, commutatâ fortunâ deserit amicum.* Ita ille. Hinc constat quis verè proximum diligat, & constat charitate gaudere illum qui pauperi necessitatem patienti succurrit, eâ verò carere qui tunc non subuenit ei.

Cicero.

Simile.

Simile.

PROP. IV. *Non est vera amicitia illa quæ non fauet proximo tempore necessitatis.*

Prou. 17. 17. *OMni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur.* Hoc Salomon asseruit eò quòd quamplurimi sint, qui se amicos esse mentiantur: non enim amorem præ se ferunt, nisi cùm aliquod emolumentum inde venari volunt. hi non veri, sed ficti amici sunt. *nam omni tempore*, inquit, *amat qui verus amicus est, omni*, inquit, *tempore*, non solùm tempore felici, sed etiam infelici. horum autem pauciſſimi sunt. nam, vt Poëta sapiens ait,

Tempore felici multos numerabis amicos:
Si fortuna velit, nullus amicus erit.

nullus, inquit, aut pauci quidem.

Probatio autem amicitiæ veræ est aduersitas occurrens. Ideò enim addit sapiens, *frater in angustiis comprobatur*, hoc est, quis sit verus amicus, & loco fratris habendus, in angustiis & aduersitatibus manifestatur. Originale Hebræum sic habet, *& frater in aduersitate nascetur.* Fratrem autem in aduersitate nasci, est illum velut fratrem fideliſſimum debere reputari, qui se fidelem amicum exhibet in aduersis, & veluti tunc nasci, quia tunc manifestatur fidelitas eius. vnde rectè Poëta:

Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Eccl. 6. 7. *Si possides amicum, in tentatione posside eum, & non facilè credas ei teipsum: est enim amicus secundùm tempus suum, & non permanebit in die tribulationis*, hoc est, qui rectam amici electionem facere cupit, probet priùs illum in tentatione aliqua. nam, vt sapiens quidam dixit, *amicus priùs est eligendus quàm diligendus.* Electio autem probationem fidelitatis præsupponit, fidelitas autem in aduersitatibus se prodit. nam qui in sola prosperitate diligit, se, non alium se diligere manifestat.

Hinc igitur constat quantum nostra interſit, cum Deo nos amicitiam inire, vt Dei gratiâ possumus. & falius quidem quàm cum hominibus aliis, nam Deus non quærit nostra, sed nos, & nos, inquam, in amicitiam suam admittit. *Iam*, inquit, *non dicam vos seruos, sed* Ioa. 15. 14. *amicos, &c.* & *mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus,* Psal. 138. 17. *&c.* Habet igitur amicos Deus, quales sunt omnes justi qui gratiam eius habent, amicus iste fideliſſimus est, non enim amat solùm cùm felices sumus, sed cùm infelices & miseri fuerimus, *cum ipso*, inquit, *sum in tri-* Psal. 90. 15. *bulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, &c.* sic Deus ad amicum suum sperantem in eum, sic se cum Iob, Tobia, Abraham, Dauide, Iosepho, Susanna, Daniele, & innumeris aliis gessit. denique de ipso Dauid, *adutor* Psal. 9. 10. *in opportunitatibus, in tribulatione.*

Imò etiam in morte, imò & post mortem, quando ipsi, qui amici & fideles sunt, amicis valedicunt, & abeunt post funus, eum obliuioni tradentes, tunc Deus suis amicis præsto adest, fauet, & fouet eos. Quod vt meliùs explicemus, hieroglyphicum illud amicitiæ veræ, quod antiqui assignarunt, in medium adducamus. Pingebant ergo sic amicum verum, hominem, scilicet, viridi veste indutum, titulis hisce circumdatum, *in æstate, & hyeme, morte, & vita* propè & longè. *vestis* hæc *viridis* est, quia vera amicitia nunquam arescit, nunquàm deficit, semper viret, & viget. Amat enim verus amicus amicum in *æstate*, & in *hyeme*, hoc est, in prosperitate, & in aduersitate, *in vita, & in morte.* Quia in vita conuersatur semper cum eo, & omnia quæ agere tentat, cum eo tractat & consilium eius requirit, & omnia, quę valet, in eum beneficia confert, in morte quoque illi assistit, & ab eo ipsum pro viribus liberare conatur, & illi consolatoria verba profert, quòd si obierit, cum sepeliri honorificè, & pro eius anima suffragia citò fieri curat, &c. & sic in vita & in morte amat. denique *propè & longè, Dizen què à muertes y ydos no ay amigos, y que la autencia causa ol oluido, eſo esen amiſtades de cumplimiento*, propè amat verus amicus, hoc est, in præsentia signa, & opera beneuolentiæ exhibendo & longè: quia licet absens amicus sit, literis & quibus potest beneficiis prosequitur illum, & sic propè & longè amat.

Hinc veriſſimam & fideliſſimam amicitiam Dei erga nos colligere licet. Amat Deus virum justum in æstate, hoc est, tempore prosperitatis. prosperitas à Domino Deo est, & sicut prosperitas malorum in malum eorum esse solet, ita vt Dei supplicium in eos dici possit, sic è conuerso prosperitas bonorum in bonum eorum cedit, & beneficium Dei in eos est. Amat etiam in hyeme, quia tempore aduersitatis eis adest vt soletur eos, & protegat atque defendat, hoc est nomen illi, *adutor in opportunitatibus in tribulatione*, vti dictum est. Præterea amat in vita & in morte: in vita quidem eorum vitam conseruando & tuendo, quantùm eos viuere judicat expedire, & in vita assiduis beneficiis eos afficiendo: & in morte, imò tuuc maximè, vniuersum enim statum eorum versat in infirmitate eorum, eos interiùs consolando, vt de manu Domini mortem patienter suscipiant: & quia tunc hostes animæ grauiùs eos infestant, & tentant, in tentationibus huiusmodi eos defendit. non enim patitur eos suprà id quod possunt tentari, sed facit cum tentatione prouentum. sic in vita & morte diligit suos Deus, imò sæpè post mortem. sic Lazarum amicum suum resuscitauit, dicens: *Lazarus amicus noster dormit* (hoc est, mortuus est) *sed va-* Ioan. 11. *do vt à somno excitem eum.* Quàm bonus amicus, qui post mortem sic amicorum recordatur. non sic amici huius sæculi, non sic: non enim eorũ amicitia transgreditur vitę metas, post mortem est obliuio: Deus autem etiam post mortem suorum amicorum recordatur. Quod si modò non resuscitat, sicut Lazarum, omnes resuscitabit tandem in nouiſſimo die cum gloria magna, & interim corpora eorũ in pace sepulta miraculis glorificat magnis, secundùm id quod de confeſſoribus sanctis canit Ecclesia, dicens: *Ad sacrum cuius tumulum frequenter membra languentum modò sanitati, quolibet morbo fuerint grauata reſtituuntur*, & præterea his honoribus, quibus Deus ipse honoratur à nobis, amicos suos honorari facit. Si enim Deus adoratur, & ipsos adorari & eorum ossa vult, imò cineres ipsos, & semicitia, & calceos eorum. si Deus in honorem suum templa erigi vult, similiter in sanctorum suorum honorem templa tot tantaque, vt videmus, erigi ordinauit, si festa in gloriam suam instituit voluerit, festa etiam plurima in sanctorum amicorum Dei honorem instituti fecit: & sicut diuina officia celebrantur in Dei cultum & laudem, sic etiam diuina officia in eorum cultum & laudem sunt instituta. Sic Deus sanctos & eorũ corpora in hac vita honorat, in alia verò quantùm & quomodo glorificet, & animas eorum beatificet, dici satis non potest, &c. Quare meritò dicere potuit Dauid: *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus* Psal. 138. *est principatus eorum.* Ecce quàm bonum & quàm pre- 17. tiosum sit hominem Dei amicum esse.

PROP. V. *Amicitia vera non quærit quæ sua sunt, sed quæ amici.*

CHaritas non quærit quæ sua sunt, hoc est, præcisiuè, vt ait S. Thomas, non quærit ea tantùm quæ ad se spectant, sed quæ ad alios quoque, vel in ostensione charitatis non quærit commoda sua, sed proximorum, non amat proximos propter suam vtilitatem, sed propter eorum gratiam. Idipsum de vera amicitia dicendum est, amicus non debet amare amicum propter se, sed propter ipsum. 1. Cor. 13. 5.

Similes sunt hujusmodi amici spongiæ, quæ aquæ ali-

alicuius vasis adiuncta, totam illam ebibit, & absumit A sibi, vacuum vas relinquens; sic tales amici substantiam amicorum absumunt, & consumunt, vacuosque amicos dimittunt.

Pythagoræ prouerbium fuit, *Hirundinem domi ne alito*, quod quidem de aue illa materiali minimè intellexit, sed de homine per hirundinem significato. hirundo quidem auis garrula est, & cantu suo domesticos allicere videtur, vt apud illos in æstate degere, nidificare, & alere filios permittant: at æstate jam transactâ, & filiis educatis, hospite insalutato recedit. Tales multi sunt, qui adulatorie diuites & potentes alliciunt, & vt sibi faueant & necessitati succurrant, dum æstas est, dum prosperè illi agunt, at hyeme transactâ, hoc est, prosperitate illorum cessante, vel dum eis non egent, recedunt, & sæpè nullâ gratitudinis habitâ ratione. Cum his igitur qui sua tantummodò lucra & commoda quærunt, nullo modo ineundam esse amicitiam affirmat Pythagoras, dicens, *Hirundinem domi* B *ne alito.*

Qui ad locum excelsum ascendere volunt, scalam aliquam adhibent ad ascensum, quam postquam jam ascenderunt, & rem optatam consecuti fuerunt, statim reiiciunt. Cùm igitur scalà egebant, ambabus manibus eam amplexabantur, cessante verò necessitate, scalam in terram proiiciunt, vel in angulum quendam domus; sic se homines gerere solent cum his quibus egent, si enim alicubi ascendere volunt ad dignitatem aliquam consequendam, & operâ tuâ egent, te facilè & amanter amplexabuntur, sed dignitate obtentâ, tanquam scalam sibi jam non amplius necessariam, reiiciunt in angulum negiectum, vbi perpetuæ obliuioni tradaris.

In conuiuio mala citrea in argenteo disco mundè & accuratè apponi coram principibus solent, sed postquam conuiuæ succum illorum expresserunt, ea inde reiiciunt, & in sterquilinium à famulis mitti solent. huiusmodi sunt amicitiæ mundi, dum succum C in te viderint, in magna te æstimatione & pretio habebunt; at postquam succum diuitiarum aut fauoris à te expresserint, in cloacam te facilè reiicient, *con quien no tiene jugo y substancia de bienes temporales no quieren amistad.*

Quando quis iter longum agere disponit, & temporis inclementias timet, inter reliqua necessaria vestem aliquam itinerariam parat, *vn fieltro o capa aguadera.* itinere autem finito, vestem illam deponunt, in frigore & pluuia, grãdine ac niue, eam amplectebantur, & corpori strictim applicabãt, & accõmodabant, necessitate verò cessante vestẽ illam pluuialem à se expellunt. Huius generis ergo sunt amicitiæ mundi, quæ secundùm Deum non sunt, quia non propter Deum, sed propter vtilitatẽ propriam quæruntur, in necessitate amplectuntur. hi amicos transactâ necessitate à se illos tanquam inutiles sibi reiiciunt.

Plutarch. lib. de Amicitia, *Quidam*, inquit, *felices prædicant, quibus agmen immensum contigit amicorum, sed longè falluntur opinione, quippe si popinæ principum multù cupediis instructas intrent, videbunt multa muscarum examinatore illuc attracta, & sicut illo cessante, mox omnes auolant; ita si illiu spes desit quæstus, protinus aula frequentia in solitudinem conuertetur. Non igitur æstimes illos amicos, qui solùm spectant lucrum, quando omnium ipsud est postremum.* Ita Plutarch. In apibus autem verum symbolum reperies huius amicitiæ fictæ. nam examina apum ad mellis fauum accurrunt; recedat mel, & videbis etiam apes omnes recedere simul. sic dum vtilitatis fauus durat, ſtabunt etiam ficti amici, finito illo, vel ablatâ vtilitate, recedent.

PROP. VI. *Vera amicitia non quærit ea quæ sua sunt, sed quæ amici, ideò pauci sunt veri amici.*

AMici veri, qui non, quæ sua sunt, quærant, sed quæ amici, pauciſſimi reperiuntur. Communiter amici vmbræ possunt compariri: vmbra quidem corpus solet comitari, & quocumque perrexerit corpus, pergit etiam vmbra, & quidquid facit corpus, id ipsum præstat vmbra: si corpus ambulat, ambulat, si quiescit, quiescit: si mouet manum, & non caput, non caput, sed manum mouet: quòd si corpus non mouet manum, sed caput, caput ipsa, & non manum mouet, in omnibus se corpori aptans, & conformans. hoc tamen hac lege, vt Sol corpus ipsum vestiat & circũdet, aliàs deficiente claritate Solis, disparebit & fugiet vmbra. Ecce naturam amicorum communium, cùm te viderint fulgentem, & clarum, & prosperitate lucentem, facilè tecum pergent quòcumque ieris, facileque se tuæ accommodabunt voluntati: claritate verò prosperitatis deficiente, sicut vmbra fugient, & disparebunt.

Rectè id Ouidius: *Lib. 1. Triſt.*

Dum fueris felix multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Sic sibi euenisse conquerebatur Iob: *Ecce*, inquit, *non est auxilium mihi in me, & necessarij quoque mei recesserunt à me*, necessarij dicuntur, tam consanguinei, quàm amici. hi tempore prosperitatis Iob, obsequia illi præstabant, & ipsi libenter adhærebant, sed in aduersitate constitutum deseruerunt, & subdit: *Fratres mei prætulerunt me sicut torrens, qui raptim transit in conuallibus.* Videas in æstate nubem quamdam copiam multam aquæ diffundentem, *vn aguacero recio*, qua torrens insurgit, & impetu magno fluit, videtur quidem perpetuum cursum seruaturus, sed breui pertransiens deficit prorsus, quia nubes cessauit illi aquam administrare: dum enim è nube aqua descendit, torrens fluit, pluuiâ cessante cessat cursus, & concursus torrentis. Hæc natura est amicitiæ falsæ, dum illi administraueris pluuiam fauoris, & diuitiarum, & bonorum temporalium, fluit, si hoc cessauerit, cessat. *Cap. 6. 13*

Seneca epist. 9. *Sapiens, licèt se contentus sit, habere tamen amicum vult, si ob nihil aliud, vt exerceat amicitiam, non ob hoc, vt Epicurus dicebat, vt habeat qui sibi assideat ægro, & inopi, vel in vincula conjecto succurrat, sed vt habeat aliquem, cui ipse ægroto assideat, quem ipse circumdatum hostili custodiâ liberet. amicum igitur paro, vt habeam, pro quo mori possim, quem in exilium sequar, cuius me morti opponam, & impendam. Nam quæ ex amico vtilitatem quærit, negotiatio est, non amicitia, ad commoda enim accedit, quæ consequutura sit, spectat.* Ita Seneca; vnde Publius Mimus, *Amicos prosperitas parat, aduersitas probat.* *Seneca.* *Pub. Mi.*

Crates Thebanus Philosophus, vt refert Stobæus, vidit opulentum quendam adolescentem, quem parasitorum turba comitabatur, cui Philosophus, *Adolescens, miseret me solitudinis tuæ.* Quid? turba comes erat, & solum vocat? Ita; quia amicos illi se simulabant, & tamen parasiti & adulatores erant, commodum quærentes proprium: & quidem meliùs illi foret solum, esse quàm malè incedere sociatum. *Crates Thebан.*

ADDITIO.

Multi, vt scitè dixit Seneca, dum amicos simulant, *Vultures reuera sunt, cadauer expectant.* Hos amicos tineis, ab Anaxilla collatos scribit Atheneus, quòd assidenat homini, quamdiu aliquid exhibet quo vescantur. Tamdiu enim tineæ frumento insident. Suidas hanc vocat amicitiam quæ feruerat quamdiu feruet olla. Sic enim loquitur, *Feruet olla, viuit amicitia.* Illi amant amicos, non vt de illis bene mereantur, sed vt illi ab ipsis consumantur. quod carpit egregiè D. Auguſt. verbis illis, *Non sic debemus amare homines, quomodo audimus gulosos dicere. Amo turdus. Quæris quare? vt occidãt, & cõsumant.* *Sen. ep 95* *Atheneus lib. 6. c 6.* *Suidas.* ” ” ” *Auguſt. Tract 8. in epiſt. S. Ioan.*

Et

" Et amare se dicit: Ad hoc illos amat, vt non sint. Ad hoc amat, vt perimat. Et quicquid ad cibandum amamus, ad hoc amamus, vt illud consumatur, & nos reficiamur. Nunquid sic amandi homines, tanquam consumendi? Non, sed amicitiâ quâdam beneuolentiæ, vt aliquid præstemus eis, quos amamus. Sed quàm altè consertum sit ferè omnibus vtilitatis studium, vt vix vlla sit amicitia, quam inde disturbari non contingat, illustrat appositè planè similitudine Epictetus. Catellos vidistine aliquando sibi mutuo caudis adblandientes, atque colludentes? Eo spectaculo nihil amicius, aut consentiens magis videtur. Sed vt cognoscas quid sit amicitia, in medium prouoce carnem, & intelliges. Inter te, & filiolum interpone agellum, & intelliges, quam ciò te sepeliri cupiat filiolus, & tu ipsum mori. Idem, licèt aliis verbis, asserit Themistius. Eos ipsos videmus qui amici dicuntur, quemadmodum anteà quidem dextras sibi inuicem jungant, simul deambulent, mutuaq; viuendi consuetudine vtantur: sed vbi paucos nummos fortuna aliqua in medium iniecerit, catulorum more prosilientes, se inuicem mordeant, ac dilanient.

" Vide fusè disserentes de Amicitia Theophilum Raynaudum de Virtutibus & vitiis lib. 4. sect. 2. c. 1. &c. mihi p. 313.

" Ianum Nycium Erithræum in Dialogis p. 218.

" Middendorpium Imperatorum, Regum, &c. quæstiones, mihi p. 352.

Ribadineram de Principe Christiano. lib. 2. c. 30.

Epictet. li. 2. c. 22.

Themist. orat. 3.

Prop. VII. *Vera amicitia cum æqualibus ineunda est.*

Senecæ epist. 105. *Potentibus expedit applicari, non implicari, ne pluris remedium quàm periculum constet.* Ita ille. Qui eget, prudenter se potentioribus applicat, vt ab eis iuuetur, hoc tamen debet esse sicut qui accedit ad ignem cùm frigescit, hoc est, eo modo vt calefiat, non vt cremetur. cum leone alia animantia inire amicitias nolunt (licèt ille nobilis naturæ sit) quia magnas vngulas habet, &c.

Prop. VIII. *Amicitia non est iucunda cum maioribus & optimatibus.*

Publ. Mi. Pvblius Mimus, *Si in clientelam felicis hominis peruenieris, aut veritas, aut amicitia perdenda est.* Ita ille.

Prop. IX. *Amicitia Principum inconstans est.*

Plutarch. Simile. Plinius, Plutarchus: *Sicut Arithmeticorum calculi aliquando valent millibus multis, aliquando nihil: sic Regum amici aliquando quiduis possunt, sed rursum mutatâ in fastidium gratiâ, nihil possunt.* Ita ille. Et ita in Aman constat, & quotidie experientia hoc verum esse docet. Hoc etiam notum est, quod Plinius lib. 2. cap. 9. ait: *Sicut Luna quò propinquior est Soli, eò minùs lucet: sic minus dignitatis, & splendoris est his, qui circa magnos Principes incedunt.* Ita ille. Quod in curia Regis patet. ibi enim inter primates & magnates regni, equites minores quasi pro nihilo habentur, qui alibi tanquam primi lucent, & pluris æstimantur. Adde his, quod Stobæus serm. 12. ait: *Acteon à canibus quos aluerat, interiit, parasiti eos, à quibus eleuantur, si à sua dignitate ceciderint, pessundant.* Ita ille. Quod etiam in Aman notum est, Esther cap. 7. Quapropter melius est in mediocritate transigere vitam, quam in sublimiori loco periclitari. Narrat Laërtius lib. 6. dicens, Cùm Plato Diogenem offendisset olera lauantem, dixit ei: *Si Dionysio regi morem gessisses, olera non lauares. Cui Diogenes: Si tu lauares olera, Dionysio non seruires.* Ita ille.

Esth. 7. 9.

Prop. X. *Cùm senioribus potiùs amicitia contrahenda.*

S. Ambr. Qvia prudentiâ, & experientiâ præstant. Vnde S. Ambrosius libr. 1. offic. cap. 43. *Sicut æqualium vsus dulcior, sic senum tutior est. Namque si hi qui sunt ignari locorum, cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt: quantò magis adolescentes cum senibus debent iter sibi nouum aggredi, quò minùs errare possint, & à vero tramite virtutis deflectere.* Ita ille. Si hoc Roboam filius Salomonis fecisset, decem Tribus Israel non amisisset. Vide 3. Reg. 12.

A

Prop. XI. *Attendenda est virtus futuri amici.*

Gen. 3. GEnes. 3. *Serpens callidior erat cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus.* Elegit hostis ad decipiendam Euam consultò serpentem: quod & permisit Deus, vt hostis nostri astutiam manifestaret, cui ad decipiendos alios, homines quærit acutioris ingenij; vt acumine illo faciliùs ad se alios trahant, & seducant, & perdant. Audi S. Chrysost. homil. 16. in Genes. *Vide,* S. Chrys. inquit, *maligni dæmonis tegnas, inuento serpente, qui cæteris animalia calliditate superabat, eo tanquam instrumento vsus est, per quod Euam in deceptionem prouocaret.* Ita ille. Non quòd serpens fuerit, qui Euam per se decepit cùm animal esset ratione carens, sed Dei prouidentiâ non aliud assumpsit, vt Deus prædictam ostenderet astutiam diaboli. Hinc sequitur quòd in eligendis amicis, non illi sint eligendi qui solertioris intellectus sunt, si prauis sint moribus affecti, quamuis ingenio magno polleant: nam hi tantò peiores amici sunt, quanto subtiliores, quia subtilitas eorum aptiùs ad decipiendum homines instrumentum diaboli est. non damno doctiores & acutiores inter bonos eligere in amicos, sed malos eligere. Vnde melior amicus est vir simplex & bonus, quàm sapiens, qui talis non sit. hoc dixerim propter eos qui facilè ineunt amicitiam cum his, qui intelligentiores videntur, non attendentes eorum mores: naturali enim pondere his afficimur, qui ingenio vigent.

B

Prop. XII. *Amicus eligendus est prudens, & virtute præditus.*

Seneca. Seneca: *Sicut stultus* (inquit) *qui empturus equum non ipsum inspicit, sed frænos & ornamenta eius: sic stultus est qui amicum ascisturus eum è vestitu, aut opibus, aut genere aspicit.* Simile Sen. ep. 3. ita Seneca. Debet igitur inspicere an prudens, & virtute præditus sit. potest enim vir pauper, & infimæ sortis, optimus amicus esse.

C

ADDITIO.

Socrates dicere solebat: Vt nemo sibi statuas sieri cupit, à quibus non viderit aliquot statuas eleganter fabricari; ita non sunt in amicitiam recipiendi, nisi quos cognouerimus erga alios fideles extitisse. Aristippus mirabatur quòd homines vasa non emerent, nisi diligenter inspecta: vitam illorum qui in amicitiam recipierentur, non priùs inspicerent. Diogeni Cynico indignum videbatur, quòd nemo ollam, vel oppercu-lum emeret sine tinnitu, & experimento: in seligendis amicis satis haberent aspicere. Hoc Stoicorum consilium sequebatur Sidonius Apollinaris, qui ad amicum scribens, prudenter ait: *Est consuetudinis meæ vt eligam ante, post diligam.* Vt autem quis qui sibi fidi sint eligat, necesse est eum aduersa pati. Hinc rectè Varro. *Vis experiri amicum? Calamitosus fias.*

Sidonius Apollin. li. 1. ep. 9. Varro.

D

Prop. XIII. *Amicitia cum malis non est iucunda, sed cum bonis semper.*

Anton. Serm. de amicitia. ANton. refert sapientem quemdam nomine Philisthio dixisse: *Fugienda sunt malorum amicitiæ, & bonorum inimicitiæ.* Ita ille. nimirum, quia qui sibi nequam est, cui bonus erit? amicitias autem ad bonum nostrum, non ad malum quærimus. Præterea qui Deo infidus est, cui fidelis esset: peccator Deo infidus est, tibi quo jure speras fidum illum fore? *quæ ay que esperar de vna mala conscientia que ha rompido con Dios,* qui verò

rò Deum timet; timebit etiam non solùm amico, verùm etiam cuiuis proximorum insidus esse, hoc enim in Dei redundat offensam, qui nobis maximè præcepit inuicem nos amare. *Diliges proximum tuum sicut teipsum, &c.*

Prop. XIV. *Amicitia inter malos quàm mala sit.*

HEdera complectitur arborem, & cum ea crescente pariter ipsa crescit: qui solum complexum hunc intuetur, amicitiam maximam judicat: vndequaque enim arborem ambit, & etiam foliis suis ornat & decorat, non solùm in Vere, & Æstate, sed etiam in Autumno aut Hyeme sicca. vnde non videtur amicitia hæc, sicut hirundinis, quæ æstate domum suam frequentat, & ibi nidificat, & cantus sui melodiâ tuas demulcet aures, hyeme verò discedit: non, inquam, videtur amicitia hederæ, sicut amicitia eorum, qui, quæ sua sunt, quærunt, & non quæ amicorum, sed eorum, qui, quæ amici sunt, velint: semper enim virens hedera arborem, quam ambit, condecorat, attamen arboris ruina prorsus est, dum enim serpit, & amplectitur ramos, & truncum, & eam debilem reddit, virtutem enim eius fugit, & Solis & ventorum adminicula tollit, vnde facilè siccitate pereat necesse est. Talis quidem est peruersi amicitia, sit ille vti apparet, ita fidelis, vt te numquam deserat, nec in hyeme dura; non, inquam, in necessitatibus tuis derelinquat, &c. Ex mali societate tandem malorum indues mores, & Solis diuini influxibus priuaberis, ad mala prouocabit: quid enim à malo, nisi colloquia mala? quando nihil aliud mali ab eo sit: scriptum est autem, *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Quid igitur ex eius conuersatione & familiaritate nisi morum corruptionem habebis?

1. Cor. 15. 33.

Prop. XV. *Falsus amicus verum amorem præsefert, sed tandem in damnum amici vergit.*

VIdit Apostolus Ioannes locustas quasdam è fumo putei abyssi procedentes, quæ faciem humanam habebant, caudas verò scorpionum: tales quidem sunt falsi amici, seu simulati inimici, locustæ sunt, quia sicut locusta adhærens spicæ non amplexum amicabilem intendit, sed rodere illam, & destruere; sic hi amplexari hominem videntur, sed amplexus huiusmodi est sicut amplexus locustæ, vt scilicet vel inde diuitias, aut honorem, aut vitam corrodant, & perdant, sic se habent amici falsi, ideò vultum humanum habent huiusmodi locustæ, hoc est, humanitatem præseferunt, suaui eloquio mulcent, laudant, offerunt, promittunt, sed nihil minus intendunt, respice caudas, respice finem, & sub facie humana, sub specie beneuolentiæ, videbis aculeum, & venenum scorpionis latere, sed tandem manifestari. Vnde meritò ex fumo procedebant huiusmodi locustæ, fumus visum perstringit, & aërem obnubilat, ne ea quæ coram sunt appareant; sic quidem hi adulantes, sic hi amici ficti inimici veri, primâ fronte omnia videntur amor, & sic obscurant malitiam cordis.

Apoc. 9.

Horum exemplum habemus in Pharisæis illis, qui signum à Christo quærebant, apparenter vt in eum crederent, simulate verò, vt tentarent. Sed etiam Pharisæi, *Magister, scimus quia verax es, &c.* videbantur eum tamquam Magistrum venerari, & ab eo discere velle, sed rèuerà capere in sermone eum volebant.

Matt. 12. Marc. 12. Luc. 22.

Exempla etiam habes in Ioab, & in Iuda proditore: de huiusmodi rectè Dauid, *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum: que traen pas en la boca, y guerra en el coraçon.* Quid merentur hi? certè quod locustæ, quibus exorcismus maledictionis adhibetur ad fugandas & repellendas eas; ita etiam hi repellendi sunt. Sic Christus Dominus, *Generatio,* inquit, *mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ, &c.* & *Quid me tentatis hypocritæ?* non ita quidem acerbè cum eis egit, quando Samaritanum & habentem dæmonium appellarunt, quia tunc apertè se hostes profitebantur, hîc verò occultè, & peior est amicus falsus, quàm inimicus manifestus, ab inimico enim manifesto facilius possumus cauere, ab amico vero ficto non ita, &c. Habes item exemplum in Iahel & Sisara, Iahel enim lacte potauit Sisaram, quod misericordiæ opus videbatur, sed veri inimici fuisse exitus comprobauit.

Matt. 12. 39. Matt 22.

Iudic. 4.

Prop. XVI. *Amicorum omnia sunt communia.*

LAertius lib. 6. refert, quod Diogenes Cynicus si aliquando pecuniis egeret, eas ab amicis recipiebat: at cùm à quibusdam ob id suggillaretur, quòd præter Philosophi dignitatem, mendicorum peteret more. *Imò,* inquit, *non peto, sed repeto quidem.* Repetimus autem debita nobis: amicus autem amico egenti dans, non donare dicitur, sed reddere potiùs id, quod amico debet, quoniam amicorum omnia sunt communia.

Laertius.

Prop. XVII. *Amico nihil est occultandum.*

SEneca epist. 3. *Si aliquem amicum existimas, cui non tantundem credis, quantum tibi, vehementer erras, & non satis nosti vim amicitiæ veræ: tu omnia cum amico delibera, sed de ipso prius: post amicitiam credendum est, ante amicitiam judicandum: diu cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit, & cùm placuerit fieri, toto illum pectore admitte; tam audacter cum illo loquere, quàm tecum.* Ita Seneca.

Seneca.

Prop. XVIII. *Amicus pro amico nihil contra conscientiam faciat.*

AMicus vsque ad aras tantummodò est sequendus, & non vltra: quòd si aliquando institerit, & molestè à te requirat amicitiæ jure, vt turpe aliquid, & contra Dei leges facias, hanc primam amicitiæ legem obiicias, Genes. 46. cùm primùm familia vniuersa Iacob Ægyptum habitatura ingressa fuit, hos ad fratres suos Ioseph sermones habuit: *Cùm vocauerit vos Pharao, & dixerit: Quod est opus vestrum? Respondebitis, Viri pastores sumus, servi tui, ab infantia nostra vsque in præsens, nos & patres nostri.* Mirum tale consilium dedisse fratribus suis Ioseph, dicentem, vt statim asserit Textus sacer, quòd detestantur Ægyptij omnes pastores ouium. si enim detestabantur, cur nō potiùs celare tale officium consuluit, ne ipsos detestarentur, subdit ibi causam: *Hæc autem dicetis, vt habitare possitis in terra Gosen;* hoc est, quia terra Gessen optima est in regno Ægypti, quæ separata aliquantulum est à reliqua terra Ægyptiorum, & in finibus seiuncta, & vt ego eam faciliùs à Pharaone valeā impetrare; dicite, quò vos detestati Ægyptij eò ire, & ibi degere sunt. Meliùs ita judicauit Israelitas odio haberi ab Ægyptiis, quam terram amittere Gessen. Prudentiam istam imitare, si terram illam viuentium, aut te detestari amicum, eligendum tibi sit, eligepotiùs eius detestationem, quam tuam damnationem: si enim illi, vt terram obtinerent, detestationem regis, & totius populi sic contemnunt; tu cœlestem patriam vt obtineas, vnius amici (vt rex ille sit) amicitiam non contemnes? &c.

Gen. 46. 33.

Reg. 20. sent. 26. Psal. 27.

AMOR.

Vide etiam *Amor Dei, & proximi.*

1. *Quanta sit vis amoris.*
2. *Omnia corda vincit amor.*
3. *Amor magnus excæcat mentem.*
4. *Amor pondere suo omnes potentias post se ducit.*
5. *Amor amore conciliatur.*
6. *Amor est unitivus cordium.*
7. *Amor est liberalis valde.*
8. *Amor celari non potest.*
9. *Verus amor non verbis sed operibus manifestatur.*
10. *Amor in adversis manifestatur.*
11. *Verus amor facile superat difficultates.*
12. *Qui amat nihil non agit & patitur pro dilecto.*
13. *Qui amat bonum amati reputat proprium suum.*
14. *Amans propria reputat quæ sunt amati.*
15. *Amor non sua sed qua dilecti sunt quærit.*
16. *Amor omnia de amico fidit.*
17. *Amor fons est omnium bonorum & malorum.*

PROP. I. *Quanta sit vis amoris.*

MAgna quidem est naturæ vis, sed vires naturæ viribus amoris comparatæ, inferiores longè sunt. Aër intra viscera terræ inclusus tremere & agitari terram facit, inde enim terræ motus procedunt terribiles, cum aër leuissima res sit, quia tamen naturalis locus aëris super terram est, ipsa aëris natura petit aërem, & inde formidabiles terræ motus: tanta vis est naturæ, etiam in leuibus & debilibus rebus. Quid de igne intra eandem terram clauso dicam? paruus ignis ex sulphureo puluere accensus (*de vn barril de poluore*) montem per aëra volare facit, quamuis leuis etiam res & parua ignis ille sit: nam tanta est vis naturæ; vt id facilè præstet: sed tamen maior est amoris vis, vincit sæpè naturam amor. Naturale quidem est filiis patribus parere, illis adhærere, & reliquis anteponere, at si amor accesserit, vincit naturam amor.

1. *Reg.* 18. Quod vel vno exemplo comprobemus. Filius Saulis Ionathas erat, Saul autem odio maximo prosequebatur Dauidem: mirum autem est hac in re quanta erat oppositio & contradictio inter Ionatham & Saulem: si enim Saul summo prosequebatur odio Dauidem, Ionathas diligebat eum velut animam suam, cõglutinata enim erat anima Ionathæ animæ Dauid. Saul quidquid honoris & vtilitatis erat, auferre conabatur à Dauide, Ionathas verò spoliauit se tunicâ suâ, & dedit eam Dauidi, & reliqua vestimenta sua, vsque ad arcum & gladium suum, & vsque ad baltheum. Saul omni solicitudine Dauidem occidere satagebat, Ionathas verò nullum non lapidem mouebat, vt Dauidem ab insidiis patris liberaret, & vitam eius tueretur. vnde hoc, cùm naturale sit filium patris voluntati pare-
1. *Reg.* 20. re? S. Bernardus lib. de gratia & libero arbitrio, Quia plus apud Ionatham amor erga Dauidem, quam auctoritas paterna valebat. Ita ille. Indignabatur quidem Saul adversùs Ionatham filium, ita vt eum transfigere hastâ vellet, sed nihilominùs Ionathas pergebat in officio, & semper Dauidi fauebat, non patris voluntati, quia vincit naturam amor. Sed quid mirum si in rationali natura, in qua vehemens amor est, tanta sit vis amoris, cùm etiam in natura irrationali talis reperiatur? Videas ouiculam agniculum suum tueri à lupo, & quamuis ipsa inermis sit, vires exerit, & intrepida lupum exspectat, & nescio quam insolitam & peregrinam fortitudinem præ se fert. vnde ouiculæ inermi audacia tanta? ex amore quidem erga filium suum, quia naturam vincit amor. Idipsum in gallina videre licet, quâ nihil debilius, nihil timidius: cùm autem miluus pullos eius inuadit, videas gallinam, quasi aquilam vel gryphum, se miluo opponentem, & quæ aliàs vel vmbram milui timet, vt pullos defendat, naturæ oblita, morti se intrepidè obiicit, quia vincit naturam amor.

Dionysius Syracusanus consobrinum quendam secum domi habebat, quem valde diligebat, consobrinus autem, nescio qua occasione motus, aduersùs Dionysium regem, & aununculum suum rebellauit, offensus quidem nimis fuit rex ingratitudine consobrini, sed absentiam eius amor regis ferre non valebat. scripsit ergo ad eum, obnixè rogans, vt præteritorum oblitus, ad ipsius regiam reuerteretur: quod facere debuerat consobrinus à rege humiliter veniam petens, fecit ipse rex, & mirantibus respondit: *Sanguinem quidem ex venis abstrahere possum, amorem verò ex corde nequaquam.* nam omnia vincit amor.

PROP. II. *Omnia corda vincit amor.*

B S. Augustinus: *Sola charitas, inquit, est quæ omnia vincit,* Lib. de virg. *No ay lança ni hierro contra el amor.* Idem Poëta magnus: Cirpia. *Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.* 10. & non ille solùm, sed alius ex illis in pretio habitus, *Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido,* Eleg. 6. *Attice, crede mihi, militat omnis amans.*

Neque id impropriè, quamuis amor suauitatem, militia verò asperitatem & laborem magnum importet: nam in sacris Literis hanc metaphoram militiæ amori attributam reperimus; *Ordinauit in me Rex charitatem.* Cant. Hebræa sic: *Vexillum posuit super me charitatem;* aliquis transferunt: *Statuit me sub vexillo charitatis, & fixit me in hoc ordine militare.* Hinc antiqui Herculem illum inuincibilem, ab amore superatum confinxerunt, de quo idem Ouidius,

Quem non mille feræ, quem non Stymphalia bestis, Epist. *Non potuit luno vincere, victit amor.*

C Denique, quanta sit vis amoris, expressit Spiritus Cant. sanctus, dicens: *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Fortitudo quidem mortis tanta est, vt nullum nostrum non vincat, nemini parcat, sic omnia vincit amor, imò fortiorem morte dicere possumus amorem: nam quem tu diceres fortiorem, illum, qui hostem inermem, & manibus ligatum expugnat, & vincit, an mortem, quæ hominem mortalem, & morti à Deo adiudicatum, & aduersùs mortem inermem aggreditur? quid mirum si victrix euadat? amor verò liberam voluntatem expugnat, quæ libertate suâ non solùm creaturis, sed etiam Creatori suo resistere valet: quod sæpissimè facit, dum eius præceptis contradicit. Hanc igitur tam rebellem voluntatem vincit amor, quamquam mors sæpè vincere non potest, vt in Martyribus patet: fortis igitur magis quàm mors est dilectio.

D Sed dices, quam voluntatem vincit amor, propriam an alienam? Propriam quidem, & alienam: licèt enim aliquis alteri nullum beneficium præstare velit, si eum cœperit amare, voluntatem prorsus commutabit, & nihil non pro illo efficiet: vnde rectè Petrarcha.

Mittit & in duo colla jugum, qui maxima parvis Lib. de Reg. *Æquat amor, regem servis humilemq; potenti.*

Vnde inuincibilis ille Samson, qui etiam mandibulâ solâ mille vicit viros, amore vnius fœminæ victus fuit. Amorem olim asserebant Poëtæ extorsisse è manu Iouis fulmen, & ex manu Phœbi sagittas: sed quid mirum, si amor Deos falsos exarmauit, & à Ioue fulmen suum abstraxit, qui à vero Deo sceptrum, seu judiciariam virgam è manibus suis extraxisse videtur? Audiamus ipsum, *Non enim misit Deus filium suum in mundum vt judicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Ioan. 3. hoc quidem asserit qui constitutus est à Patre Iudex viuo-

viuorum, & mortuorum; cur ergo fecit vt non iudicaret mundum amor? cùm igitur iudicium Christi fulmen sit, amor à manu huius veri Iouis abstraxisse videtur, imò tandem morti addixit: ideò enim mortuus est, quia hominem mirè amauit, quis igitur non verè dicat: Omnia vincit amor, si omnia vincentem Deum ita superauit.

PROP. III. *Amor magnus excæcare mentem solet.*

PVblius Mimus, *Amans, quid cupiat, scit, quid sapiat, nescit: honestius autem est, cùm iudicaueris, amare, quam cùm amaueris, iudicare.*

PROP. IV. *Amor pondere suo omnes potentias post se trahit.*

Filij hominum, vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Hîc ad peccatores suam orationem conuertit Dauid, & eos, *graui corde*, vocat: quæ nam est, rogabis, hæc grauitas cordis, hoc pondus cordis? sequentibus verbis respondit Dauid: *Diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Ecce in quo consistat hęc grauitas cordis, in vanitate, & in mendacio: at in vanitate quodnam pondus esse potest, cùm nihil leuius vanitate? id enim vanum esse dicimus, quod & mendacium; quod cùm priuatio sit veritatis, quid habet grauitatis? veritatem quidem maximi esse ponderis omnes fatemur, de mendacio verò ait Sapiens: *Qui nititur mendacio, ipse sequitur aues volantes*, vbi vanum quoque mendacem, vel amatorem mendacij esse ait. Vbi igitur est pondus & grauitas cordis peccatoris? pondus quidem, & grauitas hæc cordis est in illo verbo, *diligitis*: nam vt ait S. August. *Amor meus, pondus meum, illo feror quòcumque feror, donde va el peso del amor, alli carga el peso del juicio del entendimiento, del apetuto y de todo el hombre, es de gran peso el amor.* Quare videant omnes, qui amant, quid diligant, qui enim dilexerit terrena, grauitate amoris ad terrena defcretur homo, &c.

PROP. V. *Amor amore conciliatur.*

PLutarchus in Politic. *Apes quidem fumo vexatæ pœnas possessoribus temeritatis ac ferociæ dant, equi lasciuientes, & duri fræno junguntur, contumaces canes collaribus coercentur, & quòcunque vel muti aguntur. Hominem verò homini nihil aliud mansuetum & mitem reddit, quàm benevolentia amor, & probabilis opinio, armatq; & instruit bonos benevolentia cuiuis aduersùs obtrectatores & improbos, quandoquidem juxta illud poeticum, vt mater ab insante suauis somno sopito abigit muscas, ita liuorem atque inuidiam procul amor propellit & amolitur.* Ita Plutarchus. Duo igitur sunt, quibus amorem proximorum nobis facilè conciliabimus, virtus scilicet & amor: virtus, quia vitiosetiam vitiosi ipsi detestantur; amor, quia amor amore generatur.

PROP. VI. *Amor est vnitiuus cordium.*

CHaritas est quę nos vnit, ita vt non solùm vnum mediante charitate simus, sed vnus omnes homines per dilectionem simus. Vnde Paulus 1. Corinth. 9. *In stadio omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium: sic curnite vt comprehendatis.* Expende hanc similitudinem. Intentio Apostoli fuit dicere, quòd brauium fælicitatis æternæ, non solùm vnus tantummodò apprehendat, sed omnes justi, ideò in plurali dicit, *sic curnite vt comprehendatis*, & tamen comparatio est de vno qui consequitur præmium. Cur ita? quia loquitur de justis, qui quidem in charitate manent. animaduersio est hęc Origenis homil. de Elcana, dicentis: *Meritò omnes*

Labata Tom. I.

A *justi non solùm vnum sed vnus dicuntur, sicut Apostolus designauit, dicens: Omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam.* Ita Origenes.

Cantic. 6. sic Deus noster: *Vna est columba mea, perfecta mea.* De anima sancta hìc loquitur Deus. Cùm igitur plurimæ animæ sanctæ sint in Ecclesia Dei, cur vnam dicit? S. Gregorius in hunc locum, sic exponit: *Vna dicitur, quia multi fideles habentes cor vnum & animam vnam, in charitate se vniunt, & in vnitatis simplicitate viuentes, vna columba existunt.* Ita ille. Quasi dicat: multitudo magna justorum per mutuam dilectionem in vnitatem coalescit, ita vt idem sapiant, idem velint, idem nolint, idem dicant, idem quærant. Cant. 6. 7

Ezechiel 1. vidit Ezechiel currum oculis plenum, id est, vidit Ecclesiam Dei plenam oculis, id est, justis. Cur igitur justos per oculos expressit? tum quia oculus primus, & præcipuus est inter corporis sensus: sic justi præcipui & excellsiores sunt in orbe, non diuites, B non nobiles, non potentes, sed justi. quòd si inter diuites, nobiles, & potentes, etiam justi reperiantur, non hi excelsi sunt, quia diuites, nobiles, & potentes, sed quia justi: quòd si pauper & ignobilis justior fuerit diuitibus & aliis, ipse sublimior illis erit. Prætereà oculi totum corpus diriguntur, atque regunt; sic justi sunt, qui vias cæli speculantes, reliquos per vias regni in cęlum ducunt. Prætereà oculi sunt symbolum justorum, quia natura curà multà oculos custodit: sic Deus justos. Vnde Zach 2. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Sed tamen ideò justi, qui se inuicem amant, oculis comparantur: quia sicut oculi simul ita vident, vt vnus ab altero in videndo non separetur; ita qui charitate vniuntur, simul tendunt in vnum. Audi S. Anselmum lib. de similitudinibus cap. 36. qui agens de vnione beatorum, quorum charitas eadem est cum nostra, dicit: *Omnes justi concordiâ tantâ erunt, quantâ sunt in præsenti oculi nostri. Sicut enim oculus vnus verti non potest, quò non vertatur & alius, sed in eadem partem semper voluuntur: sic societas illa justorum, nihil enim poterunt velle diuersum, sed eandem vnionem semper habebunt.* Ita S. Anselmus. Quanta autem sit huius vnionis & charitatis excellentia, constat ex illis verbis Dauidis Psalm. 132. *Quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in vnum.* Dicergo nobis Propheta Dei, quàm bonum & jucundum hoc sit. rectè quidem vir quidam doctus in hunc locum: *Hanc*, inquit, *vnitatem admirari potuit Dauid, sed explicare non potuit.* Ita ille. Nimirum, quia inter tres virtutes Theologales, quæ cæteris sublimiores sunt, maior est charitas, sicut ait Apost 1. Cor. 13. Ezech. 1. 18. Zacha. 2. Anſel. Pſ. 132. 1. Cor. 13. 13.

PROP. VII. *Amor est liberalis valde.*

OLim antiqui amorem sic hieroglyphicè depinxerunt, pucrum nudum: vnde Augerianus Poëta,

Dic mihi te nudum cur tua mater alat. Emblemate 113.

Item Alciatus,

Conuenit hoc quod veste caret, quod corpore paruus.

Vbi duas amoris proprietates rectè expressérunt, in eo quòd puer paruus, quia non rectè conueniant, neque D in vna sede morantur maiestas & amor. Vide Christum in præsepio humiliatum, vide in pueri corpusculo diuinam maiestatem; quis Deum sic deiicit ad nos? Amor, quia non bene conueniunt, &c.

2. Nudum illum pingebant, quia amor liberalissimus est: qui enim verè amat, se nudum relinquet, vt dilecto beneſaciat; quod in Ionatha filio Regis Saul videre licet, qui in tantum dilexit Dauidem, vt dicat Scriptura sacra, *Conglutinata est anima Ionathæ animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas, quasi animam suam*, quid inde? *Spoliauit se Ionathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium, & arcum suum, & vsque ad baltheum.* Ecce quomodo amor spoliat amantem, dando vestem amato, &c. Sic etiam 1. Reg. 18.

pauperem Christum in præsepio videbis, ita vt non esset ei locus in diuersorio, vbi nulli non erat locus, & vix pannos matercius habebat, quibus inuolueret eum, nec mirum, quia amor spoliauerat eum, amor, inquam, in nos. Sit ille in sæcula benedictus.

Prop. VIII. *Amor celari non potest.*

Ægyptij olim (vti refert S. Augustin.) amoris Deum sine veste depingebant, Cupidinē scilicet Minerua autem, quam sapientiæ Deam nuncupabant, multis opertam vestibus, effinxerunt. cur ita? vt scilicet, sapientiam facilē dissimulari & celari posse dicerent, amorem verò non ita.

1. Reg. 21. 13. Quod in Dauide videre licet, qui cùm in curia Regis cuiusdam infidelis, nomine Achis, non sine vitæ suæ periculo versaretur, vt à mortis periculo se liberaret, stultum se & amentem esse simulauit: inconditè quippe brachia iactabat, ora torquebat, & spuma labefactabat, & inepta verba proferebat; quod cùm Achis Rex animaduerteret, eum tamquam stultum & insanum dimittì iussit. Hic Dauid sapientiam absconderenouit, itane amorem celare valuit? nequaquam, quod in dilectione filiorum videre licet: infirmatur filius eius ex adulterio conceptus, quem cùm pater à medicis desperatum vidit, ieiunauit ait Scriptura, deprecatus est Dominum, & ingressus secretum iacuit super terram, venerunt autem seniores domus eius, cogentes eum, vt surgeret de terra, qui noluit, nec comedit cum eis cibum. Vnde tantus pro puero dolor, & recursus ad Deum? quia dilectio celari non potest. Quis enim in sinu absconderе ignem valet? sic etiam in morte Absalonis amor patris in eum celari non potuit; quamuis enim proditor extiterit in patrem Absalon, & odio potiùs, quàm amore dignus videretur; patrem enim non solùm à regni dignitate expellere volebat, sed morti exponebat, & tamen in ipso bello, quod perficere conabatur, extinctus, à Patre miserè lugebatur, qui flens, vti ait Scriptura, dicebat: *Fili mi Absalon, Absalon fili mi: quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Absalon fili mi, fili mi Absalon?* potuitne tenerioribus ac dulcioribus verbis alterius fidelissimi filij mortem lugere? & iterum ait Scriptura, *Operuit caput suum Rex, & clamauit voce magna: Absalon fili mi, fili mi.* Ecce qui magnam sapientiam, quā præditus erat, potuit occultare, amorem nequaquam potuit, &c.

2. Reg. 12. Cap. seq.

Isai. 6. Imò in Deo ipso hoc quoque probari potest, vt hieroglyphicè videmus, vbi Seraphim alis suis, caput & pedes ipsius Dei contegebat, non verò cor eius; cur ita? quia altitudinem & profunditatem diuinæ sapientiæ neque alis suis acutissimi intellectus ita, sicut amorem cognoscebat. Latet sæpè Dei sapientia, vbi manifestatur amor, quod in Christo Domino videre licèt, qui dum apud nos ageret, infantia suā, & silentio suo, & aliis modis sapientiam adeò celauit, vt Herodes stultum eum veste verboque notarit: at dum celat sapientiam, manifestat amorem in nos, & infantiam, silentium & cætera omnia præstabat, omnia illa signa dilectionis in nos erant, quibus sapientiam suam occultabat.

Prop. IX. *Verus amor, non verbis, sed operibus manifestatur.*

1. Ioan. 3. 18. Svnt qui se alios amare iactant, an verò ita sit, non verba, sed opera manifestant. *Amor enim*, vti ait S. Gregorius, *operatur magna, si est: quod si operari renuit, amor non est.* Ita ille. Ioannes, *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.*

Lib. 4. ca. 26. Plinius hanc inter siculneam, & alias arbores fructiferas, constituit differentiam, quod aliæ arbores flores plurimos emittunt, qui plurimum etiam fructum promittunt, cùm tamen nec decimam partem posteà præstent; siculnea verò flores non producit, quæ tamen posteà vberem & copiosum fructum profert, & quidem non semel, sed bis. Ecce inter verum & falsum amicum differentiam: falsus enim multa promittit, sed pauca tandem præstat: verus autem promissiones dissimulat, operibus verò beneuolentiam manifestat.

Huc spectat parabola illa duorum filiorum, *Homo quidam*, inquit, *habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea. Ille autē respondens, ait: Nolo. Postea autem, pœnitentiā motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, Domine, & non iuit. quis ex duobus fecit voluntatem Patris? Dicunt ei: Primus.* Hinc patet quantùm præstent opera sine verbis, ipsis sine operibus verbis: Vnde rectè S. Hilarius: *Spes destituta plus dolet, nisi sorte poscentium voluntas sola sibi adulatione, spondentium blandiatur*; hoc est, *mucho mas affligе, si falta lo que con mas certidumbre se espera, saluo si cae en hombre que de solas palabras se paga.* Matt. 21. In Matt. can. 11.

Prop. X. *Amor in aduersis manifestatur.*

Sanctus Petrus Chrysologus serm. 14. *Verus amor non nisi passionibus probatur, verus amor est fouisse suas angustias angustiari.* Ita ille. Vnde Christus Dominus: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Exemplum veritatis huiusmodi Christo Domino præclarissimum est. Ioan. 15. 13.

Prop. XI. *Verus amor facilè superat difficultates.*

Luc. 22. 43. Lvcas 22. Sic de Christo Domino orante in horto instante eius passione: *Factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Mirabilis prorsus talis sudor vnde quæso promanauit? Expendere oportet priùs quid significet *agonia*; dictio Græca est & significat bellum, & pugnam interiorem in corde. Erat igitur in corde Christi pugna quædam, sed inter quos pugnantes? Colligitur quidem ex circumstantiis præcedentibus: *cœperat* enim *Christus pauere, & tædere*, sed tunc orans dixit: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste, verùntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: post hæc iterum orans factus est in agonia & pugna intrinseca cordis. Pugnantes ergo erant timor & obedientia; timor, vt constat ex illis verbis: *Pater si possibile est transeat à me calix iste*: timebat ergo naturali carnis timore mortem. Obedientia verò patet ex illis verbis, *non sicut ego volo, sed sicut tu.* Timor ergo mortis, & obedientia Patris, patiendi nempe & moriendi, litigabant in corde Christi. Quonam, inquies, modo? Accipe, timor sanguinem venarum deducebat ad cor, sic enim natura habet, vt cùm quis timore vexatur in corde, sanguinem ducat ad cor, vt faucat illi. Cùm enim sit cor præcipua hominis pars, vitæque principium, prouidens natura sanguinis auxilio cordi succurrit: at obedientia Patris in corde Christi existens vehementer ad passionem & mortem crucis Christum Dominum inclinabat, & vrgebat: sic facta est agonia, & pugna inter mortis timorem & obedientiam Patris in corde Christi: superans autem obedientia timorem, fauorem illum sanguinis, quem timor administrarat, sicà corde reiicit pariter cum timore, vt non solùm sanguinem ad venarum locum pristinum reuocaret, verùm spiritus vehementiā extra venas & vltra corpus ad terram vsque fortiter excluserit, & repulerit, tormenta passionis, & acerbitatem mortis toto corde amplectens. Et inde Christus factus est in agonia, & sudor sanguinis processit vsque ad terram. Excogitauit hæc S. Laurentius Iustinianus libro de triumphali Christi agonia, dicens: *Qualis conflictus, qualis pugna, quale spectaculum! impellebat spiritus Christi, reclamabat natura passibilis, pœnarum immanitate pertur-* S. Laur. Iustinian.

perterrita: in horum medio constitutus Christus tanquam strenuus ac insuperabilis miles, carnis non ferens blanditias, spiritus iussa implere curauit, & paternæ se voluntati subdidit, dicens: Non sicut ego volo, sed sicut tu. *Tali prolatione verborum, taliq; mentis assensu tenitentis carnis spiritus palmam obtinuit, huiusq; pugnæ celebrato triumpho ab oratione surrexit.* Ita S. Laurentius. Vides obedientiæ veræ legitimum exemplum? sic fic parendum est Deo, nullis obstantibus difficultatibus vsque ad mortem crucis. *ad Phil.2.* sic ponderat Paulus parüisse Christum, dicens, *Christus factus pro nobis obediens*, &c. Id autem quod de obedientia hic dicimus, amori quoque tribuendum est.

Igitur quia Paulus dixit, *pro nobis*, id est, amore nostri, obserua quòd in dicto agone Christi, non solùm contra timorem pugnabat obedientia, sed etiam amor Patris & nostri, atque adeò conceptus iste potest pariter amori accommodari, imò amori potiùs: in *Rom.5.8.* passione enim sua Christus, vt idem Apostolus ait, *commendat charitatem suam in nobis, quòm cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.*

Cuius amoris vim, in tali agone latentis, aliâ viâ manifestat S. Epiphanius in Anchorato, dicens: *Prouocat per hunc mundum Christus aduersarium diabolum, vt illo opinante timere Saluatorem, inferat illi mortem.* Ita S. Epiphanius. Stratagemate nempe bellico sic vtente Domino, quo desiderium pro nobis & pro Patre maximè moriendi manifestaret. Vnde qui se Deo parere & illum amare, verè nosse desiderat, attendat an vt obediat & amet, sic difficilia occurrentia vincat.

Prop. XII. *Qui amat, nihil non agit & patitur pro dilecto.*

Gen.41. Rex Pharao vt dominium & imperium Ioseph *44.* in vniuersa terra Ægypti declararet, & hyperbolicè augeret, sic eum affatus est: *Absque tuo imperio non mouebit quisquam manum, aut pedem in tota terra Ægypti.* Hyperbolicum dictum hoc, at si de amore Christi Domini in nos loquamur, sine hyperbole verè dicere possumus, quòd absque amoris imperio Deus ipse, qui pro nobis homo factus, nec manum, nec pedem mouit, nec facere destitit in toto vitæ Christi decursu. Voluit amor, vt manus suas extenderet ad pauperes, & ita cæcos & surdos, & mutos, & claudos sanaret, & ita factum est: voluit, vt pedester per ciuitates & vicos incederet, & ita similiter factum est: voluit amor eius, vt manus pedestque & crura stricta cingerentur fascia, & id quoque factum est: voluit, vt manus & pedes clauis traderet crucifigendos, & ita etiam factum est; quia absque amoris imperio nec pedem, nec manum mouit Christus. Amore namque factus est homo, *Sic enim* *Ioan.3.16.* *Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret,* *1.Ioan.13.1.* & Christus Dominus *cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos*, hoc est, quamuis tanta esset hominum ingratitudo, vt indignos se diuinis redderent beneficiis, numquam eos Christus Dominus destitit amare vsq; ad mortem, vsque ad finem vitæ. Et quidem necesse fuit Euangelistam hanc amoris Christi in nos magnitudinem explicare, vt eo pacto excessus humilitatis, & paupertatis, & laborum Christi excusati, vel potiùs honorati remanerent. *Conuiene que se nos declarasse el exceso del amor de Christo con nos otros, paraque de esa manera quedasen acreditados los exceios, que por nos otros hizo, de humildad, de probrosa, y de padecer afrentas, y trabajos.* Miraris Maiestatem diuinam in stabulo collocari, in præsepio reclinari, omnipotentiam fasciis & panniculis astringi? Miraris sapientiam infinitam Dei sub pueruli infantia occultari? Miraris diuitias Dei paupertate tantâ præpediri? Desines mirari, si rerum originem consideraueris: amor Dei in nos hæc operatus est, sic nobis opus erat Deum hominem fieri, & hominem quidem pauperem, humilem, & in laboribus à iuuentute sua, imò & ab incunabulis & infantia sua. Hinc constat, quàm exiguus, vel ferè nullus sit amor noster in proximos, & in Deum ipsum: quid enim simile operatur in nobis? quis propter proximos vel etiam propter Deum humiliari fuffert? quis pauper fieri? quis opprobria & labores tolerare? *Amor operatur magna, si est, quod si operari renuit, amor non est*, ait S. Gregor. Idem ego de patientia dico. Amor pati dignatur multa, si est, quod si pati dedignatur, amor non est. &c.

Rectè Plutarchus, *Amor*, inquit, *musicam docet.* Ita ille. In musica nunc eleuatur vox vsque ad summum, nunc verò demittitur vsque ad infimum. sic amor musicam docet: nam qui amat secundùm exigentiam dilecti, nunc eleuatur ad opera sublimia, nunc verò demittitur vsque ad humillima quæque. hoc in Christo Domino satis constat: nam secundùm exigentiam nostram nunc opera miraculosa patrabat, nunc vsque ad pedes Iudæ se demittebat, mortuos suscitabat, vt fidem, & spem, & charitatem nostram excitaret, nunc se eò vsque demittebat, vt nos humilitatem doceret.

Fortis est vt mors dilectio. Mirabilis est comparatio *Cant.8.6* ista: quid enim amori & morti? si vitæ amorem comparasset, aptior quidem comparatio foret valde: enim vita est amata, atque adeò amor consonat ei, mors verò abominabus odio habita: cum odio igitur potiùs mors, quàm cum amore comparanda videbatur. Præterea vita in viribus & robore consistit, mors verò defectus quidam est: nam cùm deficiunt spiritus vitales, cumque deficiunt vires corporis, tunc moritur homo, vnde & mortem ipsam debilem delineamus, *vn esqueleto flaco en los puros guesos.* Quid ergo fortitudini amoris cum morte? Multum quidem per omnem modum, nam mors omnia vincit animalia, quamuis illa fortissima sint: ita enim vincit leonem sicut agnum, & elephantem sicut formicam, & aquilam sicut culicem, & cete magnum sicut pisciculum paruum. Talis similiter est amor, quem enim non superat amor? Fortissimus erat Dauid, qui vrsos leonesque vincebat; sed amore Bersabeæ superatus fuit. Fortissimus Samson, & quem mille hominum vires superare nequiuerunt, vnius Dalilæ amor vicit. Sicut igitur mors Dauidem & Samsonem superauit, sic & amor: fortis ergo vt mors dilectio.

Præterea in hoc amoris vis demonstratur, quòd in his, qui naturâ suâ debiles sunt, exerit magnas vires, eximiamque potentiam habet. Quid pueris adolescentulisque debilius? & tamen horum amor fortissimus ita fuit, vt nec mors cum omnibus viribus suis ei valeat comparari. nam quod in eis mors efficere & perficere non potuit, amor fecit & perfecit, vt patet in Iusto & Pastore, pueris, qui prima literarum elementa in scholis addiscebant, & in Agnete, Prisca, Cecilia & aliis huiusmodi tenerrimis, quæ non solùm mortem, sed grauissima quæque tormenta & acerbissimos cruciatus ignium & flagellorum æquo animo tulerunt. vnde in tam debilibus subiectis tanta fortitudo? non quidem corporis, sed cordis hæc vis erat: amore prorsus hæc omnia superabant: fortior igitur quàm mors dilectio, nam quod mors efficere non potuit, amor effecit. Mortem minabatur tyrannus his sanctis martyribus, nisi Christum abnegarent: multum quidem præualuit pauor mortis, & maximè cùm mors cruciatus ingentes secum affert: pauor igitur mortis sanctos martyres inuadebat, nisi Christum abnegassent; sed amor Christi suadebat, vt firmiter eum confiterentur: præualuit autem intantùm amor, vt priùs tyranni torquendo superarentur, quàm martyres hi tormenta patiendo: fortior igitur quàm mors dilectio.

Times Deo seruire? times pro Deo pati? times amore Dei pœnitentiam pro peccatis agere? times, quia non amas, *perfecta enim charitas* (vt ait discipulus ille dilectus) *foras mittit timorem, no ay amor cobarde ni flaco,* *1.Ioan.4.*

que como el viuo calor echa fuera al frio, por grande que sea, assi tambien el fino y viuo amor echa fuera al temor, por muy grande que sea.

Sed quid mirum, quod erga homines ita fortis & potens sit amor, cùm in Deum talis fuerit, vt eum è cœlis ad terras luctando dimiserit, ligauerit & crucifixerit, & denique immortalem tradiderit morti. Recitè quidem modò dicere possumus amori, quod olim Angelus Iacobo Patriarchæ dixit: *Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis?* Gen. 32. 26.

Nec minùs id explicat, quod ibidem Spiritus sanctus subdit, *Dura sicut infernus æmulatio.* Æmulatio à sanctis Patribus hîc sumitur pro amore vehementi, & valdè accenso in cordis fornace: cur autem sicut infernum esse dicit huiusmodi amorem? Hugo de S. Victore in lib. de laud. charit. *Ideò dura sicut infernus,* ait, *est fortissima dilectio, quia dura patifacit pro dilecto.* Infernus quidem durissimas pœnas patifacit eos, quos semel apprehendit: sic perfecta charitas durissima patifacit, hoc solùm excepto, quòd infernus inuitos retinet, & patifacit malos, amor verò iste voluntariè eos patilibertè cogit. Audi ardenti charitate accensum quid dicat: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio an fames, &c. certus sum enim, quia neque mors, nec vita, &c. poterunt nos separare à charitate Dei.* Ecce æmulationem sicut infernus duram. Cant. 8. 6 B Rom. 8. 35

Vnde tres Patres, quos S. Theodor. citat super librum Cant. sic locum istum reddunt: *Æmulatio pro me non cedit malo, sed tanquam infernus repugnantes rationi motus vincat, & vinctos, ne progredi possint, coërcet.* Ita ille. quod non solùm in Apostolo Paulo, verùm etiam in sanctis martyribus videre licet.

Si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam. Nota est hæc Euangelica historia, quâ præsuppositâ sic Magdalenam interrogat S. Bernard. serm. in festo B. Mariæ Magdal. *Quem, inquis, ego tollam, Maria, cùm de nullo feceris mentionem? ad quem relationem facis? putasne, quia in omnibus cordibus versetur ita memoria dilecti tui, sicut in consistorio cordis tui? Ego, inquit, eum tollam. mira res hominem perfectæ ætatis vium, cuius corpori vix sufficiunt centum unguentorum libræ, tenera mulier tolles & portabis? ardens & affectuosa locutio, quæ de promitate amoris promittis, quod implere non potest: nihil enim amanti difficile esse videtur.* Ita S Bernard. Io. 20. 15.

Hinc est, quòd cùm mulieres illæ ad vngendum Domini corpus pergerent ad monumentum, in itinere jam existentes, dixerunt. *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* quomodo non præuiderant difficultatem istam, cùm adeò euidens esset? Quia verus amor oculos non habet ad præuidendas aut etiam videndas difficultates in his, quæ dilecto conueniunt. Diligebant ex toto corde Christum, & obid in obsequium eius emerant aromata, vt vngerent corpus eius. Impedimento magno erat lapis monumenti; sed quia impedimentum erat ad excquendum id, quod deuotè Christo exhibere volebant, ideò non præuidebant, modò cùm jam in itinere constitutæ impedimentum se illis offerret, dicebant quidem: *Quis reuoluet nobis lapidem,* sed non ideò ab itinere cessauerunt, quia nescit impedimentis cedere amor, maximè amor Dei, *sompe el amor por piedras, que si no amaran, al tropeçon de vna china se boluieran.* Mar. 16. 3

Et quidem animus sic amantis adeò gratus est Deo, vt propterea Deus ipse impedimenta sæpè auertat.

Vnde Dauid, *Qui perfecit pedes meos tanquam cerui, & super excelsa statuens me.* Quæ verba sic exponit S. Augustin. ibid. *Deus perfecit amorem suum ad transcendenda spinosa & umbrosa implicamenta seculi huius.* Ita ille. Psal. 17.

Inter orbis mirabilia cursus fluminum memoratur, mirum enim est valde in mare tendentia, quibus ambagibus, & quibus obstantibus impedimentis tandem iter suum peragant: amore enim quodam naturali, & inclinatione suæ naturæ suæ ad mare, tanquam ad centrum suum, properant, atque adeò cuncta superant impedimenta. Da mihi amorem verum, & ego tibi dabo omnia impedimenta sublata, quæ obstiterint amori: Deus enim huiusmodi naturali inclinationi fauet, multò autem melùs amori nostro in ipsum. Perge tu, qui Deum amas, nec lapides magnos, nec montes timeas perexcelsos: Deus, quem amas, scandala ista remouebit. Sic mulieres illæ supradictæ inuenerunt lapidem reuolutum. A

PROP. XIII. *Qui amat bonum amati, reputat proprium suum.*

CVm Deus Prophetam Isaiam mittere vellet ad prædicandum populo Israel, *Quem,* inquit, *mittam, & quis ibit nobis?* quid ais Domine, quis ibit nobis? quisibit illis? dicere debuisses: quid enim tibi hæc missio prodest? Vnde Eliphaz apud Iob, *Quid prodest Deo si iustus fueris, aut quid ei conferes si immaculata fuerit via tua?* ita cùm verè sit, cur ait: *Quis ibit nobis?* dicendum quippe videbatur, quis ibit illis? nimirum, quia Deus populum illum specialiùs diligebat, amans autem bonum dilecti reputat suum, & vocat suum. Isa. 6. 8 Cap. 22. B

Sic in judicio, *Esaiæ,* inquit prædestinatis, *& dedisti mihi manducare: situi & dedisti mihi bibere? &c.* & illi. 35. *Quando te vidimus esurientem, & paumus te? &c.* quasi dicant: Non te Domine, sed pauperes tuos pauimus, quibus Christus: *Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis, mihi,* ait, quia amor in eos hæc tibi data faciebat. Matth. 25. Vers. 40.

Et eodem modo mala, quæ electus patitur, amans sua esse dicit, hinc cùm Saulus Christi fideles persequeretur, dixit ei Dominus: *Saule, Saule, quid me persequeris?* non te Domine, sed tuos persequitur seruos. idem est, amor enim ex amante & amato vnum facit, atque adeò bona & mala ipsorum communia sunt. Act. 9. C

Et ob id quoque in judicio reprobis dicet: *Ite maledicti in ignem æternum, quia esurui, & non dedistis mihi manducare.* cui illi: *Domine, quando te vidimus esurientem? &c.* quibus Dominus: *Amen dico vobis, quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Obserua, cuiuscumque ex minoribus causam, suam Deum reputare: nec mirum, quia Deus charitas est, & amor per essentiam, & hæc est amoris natura in Philosophicis, *Amicus meus alter ego.* vnde cùm Alexander Magnus socium secum amicum quemdam ducens ad visitandam Reginam Asiæ pergeret, & illa amicum Alexandri ipsum Alexandrum esse censens, Alexandri honores illi tribuisset, erroremque suum deprehendens erubescerct, *Bene,* inquit Alexander, *factum est: nam & hic Alexander est.* Matt. 25. Ioan.

PROP. XIV. *Amans propria reputat quæ sunt amati.*

SCiens Iesvs, *quia venit hora eius vt transiat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos,* &c. Cur Christus Dominus suam horam illam vocat, cùm sit hora mortis & crucis suæ? Hora propria alicuius dicitur illa, quæ diu nimisque desiderata est, vnde Christus ad persecutores suos: *Hæc est hora vestra,* hoc est, hora à vobis valde desiderata. Ait ergo Ioannes, in morte Christi, quæ dedecore, horrore & crudelitate plena erat, nimirum quia hora mortis Christi hora vitæ nostræ erat, quia in tali morte redemptio nostra consistebat, suam vocat nostram, quia hora nostra erat; sic amor, quod valde alienum esse videtur, proprium facit, si ad dilectum spectat. Io. 13. 1. D

Et quod mirabile magis est, alias horas habuit Christus Dominus, quas horas suas dicere meritò potuisset, nam desiderabiles erant. Hora gloriosa Christi fuit, quando Reges Magi, qui depositis in terra coronis prostrati Christum Dominum adoraucrunt, gloriosius

riosius hoc sibi reputantes, quod sic procidentes in terram Christum in præsepio jacentem adorare mererentur, quàm quòd in suis regnis super aureos federent thronos. Honorifica hora Christo fuit, quando post victoriam tentationis venerunt è cœlis Angeli, & ministrauerunt ei: gloriosa item fuit hora, qua cum ramis & palmis receptus fuit Dominus in Hierusalem, & cum æclamatione communi populi Israel: mira denique & gloriosissima fuit hora transfigurationis Christi, cuius aspectu in tantam fuit admirationem raptus S. Petrus, vt mentis excessum patiens, loquens quid diceret nesciret, vbi etiam vt diuinitatem eius profiterentur, adfuerunt Moyses & Elias, sed nullam huiusmodi horarum horam Christi Prophetæ appellarunt, nisi horam mortis eius in qua opus redemptionis perficiens Saluator dixit, *consummatum est*, suam hanc esse dixit, quia nostra: amor enim quæ dilecti sunt, non aliena, sed propria ipsius amantis esse dicit.

Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis. Miratur S. Chrysost. in hunc locum, modum istum rogandi Apostoli, nam aliis rogare solemus, quæ nobis expedire videmus, non verò quæ ad ipsos pertinent, quos rogamus: monemus quidèm, si pares sint, iubemus, si inferiores; at rogare nequaquam, nisi quæ ad commodum & vtilitatem nostram spectant. *Quid rogas, dic quæso,* ait S. Chrysost. *quid rogas Paule? vt ipse aliquid assequaru? nequaquam, inquit, sed vt illis afferam salutem, atque qui rogant, rogant quæ assequi ipsorum interest, & mea, inquit, hoc interest. sicut etiam alibi scribens dicebat,* Nunc viuimus, si vos stetis in Domino. *Semper enim valde desiderabat suorum discipulorum salutem.* Ita S. Chrysost. Sic igitur Apostolus fideles diligebat, vt quæ ipsorum erant, propria reputaret, atque adeò quæ ipsorum erant, fic ab eis rogabat, at si propria eius essent.

PROP. XV. *Amor non quærit quæ sua sunt, sed quæ dilecti.*

Cantic. 1. *Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te*: adolescentulas vocat animas in virtute nondum perfectas sed incipientes, ita exponit Origen. in lib. duarum homil. in Cantica, ex interpretatione S. Hieronym. & S. Gregor. Nyssen. orat. 1. in Cantic. Hæ igitur sunt, quæ ideò diligunt Deum, quia sentiunt nominis sui efficionem, & suauitatem, & fragrantiam: nam quæ perfectæ sunt, non spectant huiusmodi suauitates, quæ Deum quærunt, amant, & sequuntur: amant enim Deum propter Deum, amant, vt amentur: amor enim verus non est mercenarius, sed liberalis, & absolutus: amor verus est ille, de quo Apostol. *Siue viuimus, si morimur, Domini sumus*, & ad Roman. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia?*

S. Chrysost. homil. 1. ad populum, *Sanctis hoc in remunerationem & retributionem sufficit, Deum venerari, quoniam & amanti hoc in remunerationem sufficit, se amantem amare.* Ita ille. Vnde licèt nullam in cœlis aliam retributionem expectaremus, hæc satis superque remuneratio esset, Deum venerari & amare.

Idem S. Chrysost. homil. 1. ad popul. *Amantis est nunquam ab his abstinere, quæ placent amato.* Ita ille.

PROP. XVI. *Qui amat de amato omnia considit.*

PYthagoras præcipuè docebat amicorum omnia debere communia esse, & ob id discipulis suis præcipiebat, vt omnia bona sua temporalia deponerent in communi. Quod quidem Philosophus alius, Epicurus scilicet, valde improbauit, dicens, id diffidentium esse potiùs, quàm amicorum: nam si quis verus est amicus meus, nihilo minùs habeo pro meis, quæ ille possidet, quàm si in communi deposuisset. Qui autem diffidit, aut non est verus amicus, aut saltem dubitat de animo alterius. ita refert Erasm. lib. 8. Apoph.

PROP. XVII. *Amor fons est omnium bonorum, & malorum.*

HAnc propositionem his verbis illustrat D. Augustinus. *Nec aliunde bonum est, si bonum est cor hominum, nisi quòd bene amat, quod bonum est. Nec aliunde malum est, si malum est, nisi quòd malè amat, quod bonum est: omne enim quod est, bonum est, sed in eo quod malè amatur, malum est.* Plenius Auctor libri de substantia dilectionis, *Ex eo namq; totum est, quod bonum est, & totum quod malum est, ex eo est. Vnde fons dilectionis, intus saliens, duos riuos infundit. Alter est amor mundi, cupiditas; alter est amor Dei, charitas. Medium quippe est cor hominis, vnde fons amoris erumpit. Et cùm per appetitum ad exteriora decurrit, cupiditas dicitur: cùm verò desiderium suum ad interiora dirigit, charitas nominatur. Ergo duo sunt riui, qui de fonte amoris emanant, cupiditas, & charitas: & omnium malorum radix cupiditas, & omnium bonorum radix charitas. Ex eo igitur totum est, quod bonum est, & totum quod malum est, ex eo est. Quidquid ergò illud est, magnum est, quod in nobis est, & ex eo totum est, quod in nobis est: hoc autem est amor.* S. item Augustinus latè demonstrat omnes virtutes ad affectum amoris latissimè sumpti, bene compositum, riteque sobactum, reuocari, &, vt concludit, *Non faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni, vel mali amores.* Quare quisquis amorem peruersum superat, suffocat quasi in fomite flammas, ne ardeant, elidit in semine fructus, ne excrescant, obturat in fonte riuos, ne effluant, amputat in radice ramos, ne pullulent: denique vincit in vno duce omnes milites, ne insolescant. Solus ergo amor vel inscribit, vel delet te ex libro vitæ.

Si amas non amanda, periisti, si amanda, in portu es. Amor te statuit ciuem vel Ierusalem, vel Babylonis, reddet te socium vel dæmonum, vel Angelorum facit te dignum æterno vel præmio apud beatos, vel supplicio apud inferos. Asscntitur his Augustinus, *Duæ ciuitates, duo faciunt amores, Ierusalem facit amor Dei, Babylonam facit amor seculi. Interroget igitur vnusquisque se quid amet, & inueniet vbi sit ciuis.* Nemo est in cœlo, nemo in orco, qui non amauit, & propter amorem quisque æternùm vel est beatus, vel miser. Amauit D. Franciscus, amauit & Sardanapalus: sed hic perit quia malè, ille cœlum acquisiuit, quia bene amauit. Bene ille amauit, quia amauit bonum: hic malè, quia amauit malum. Ille pedibus amoris tendebat sursum, hic deorsum. Poterat eodem amoris impetu tendere sursum, sicut iisdem pedibus, quibus tendit quis in Occidentem, potest tendere in Orientem: iisdem quibus errat, potest non errare, potest rectam tenere semitam. Non igitur mali sunt pedes qui errant, sed malus est homo, qui malè vtitur pedibus, sic non malus est amor, sed abusus amoris. Etiam tui ipsius amor potest rectus esse, & laudabilis. Audi Ambrosium, *Bene se amant, qui in se opera Dei amant. Nam & Deus hoc amat in nobis, quod ipse fecit, & hoc odit quod ipse non fecit.* Quid est quod non fecit is per quem facta sunt omnia? Peccatum. Hoc vnum si in te oderis, rectè te amaueris.

De natura Amoris prolixè agit Nirembergius lib. de Arte Voluntatis lib. 4. pr. 1. fol. 313.

Item Raynaudus lib. Disciplina Moralis distinct. 3. quæst. 11. art. 1. fol. 402.

AMOR DEI.

1. *Quàm gratus sit Deo amor noster in eum.*
2. *Amor Dei quàm meritoria opera nostra reddat.*
3. *Amor Dei necessarius est ad salutionem.*
4. *In dilectione Dei nostra consistit perfectio.*
5. *Amori Dei non est terminus limitationis constituendus.*
6. *Amor Dei liberum reddit animum nostrum.*
7. *Amor Dei alios amores excludit.*
8. *Amor Dei amorem proprium vitiosum excludit.*
9. *Amor Dei amorem mundi excludit.*
10. *Amor Dei præseruat à peccatis.*
11. *Amor Dei leue ac suaue reddit, quidquid pro eo patimur.*
12. *Amor Dei leues facit labores nostros.*
13. *Quod pro Dei amore cunctà pati debeamus.*
14. *Amor Dei fortis est, & omnes difficultates superat.*
15. *An sit in corde amor Dei, & quantus sit, ex moribus & affectibus ipsius cordis cognosci debet.*
16. *Amor Dei in aduersis demonstratur.*
17. *Amor Dei ad facilè obediendum Deo conducit.*
18. *Deus à nobis amari valdè optat.*
19. *Quantum Deus zelum amoris nostri habeat.*
20. *Deus amorem nostrum potiùs quàm bona nostra quærit.*
21. *Ad Dei gloriam spectat nos illum amare.*
22. *Quàm facile sit amare Deum.*
23. *Amandus Deus propter se, & non propter utilitatem nostram.*
24. *Amandus est Deus super omnia.*
25. *Deus amandus est, quia summè bonus.*
26. *Ad amandum Deum ipsius Dei ambitus nos.*
27. *Amandus est Deus valdè, quia ipse nos valdè amat.*
28. *Amandus est Deus, quia Creator noster est.*
29. *Amandus est Deus propter beneficia multa & eximia in nos.*
30. *Qui Deum amat, se & omnia sua ad eum ordinare debet.*
31. *Qui Deum amat peccata fugere debet.*
32. *Quanta sit ingratitudo nostra Deum non amare.*
33. *Amanti Deum plurima conferuntur à Deo beneficia.*
34. *Ea quæ pro nostris proximis facimus, pro Dei amore facere nos oportet.*
35. *Quomodo ex toto corde & ex totis viribus diligendus sit Deus.*
36. *Res luctu dignissima. Deum à tam paucis amari.*
37. *Qui Deum impensè amat, præ Deo omnia contemnit, præter Deum nihil æstimat.*

PROP. I. *Quàm gratus sit Deo, amor noster in eum.*

Cant. 5. 8. SPonsam sanctam, quærentem diuinum Sponsum suum, inuenerunt vigiles seu custodes ciuitatis, & percusserunt eam, & vulnerauerunt eam, & tulerũt pallium eius, & ſtatim vt hæc ipſa nunciauit, ſubdit: *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Cur non ait, nunciate ei, quia eius causâ, & quia quærebam eum, hæc mala mihi euenerunt, ſed ſolùm, quia amore langueo? nónne conſequens erat, vt iniurias ſuas referret ſponſo, vt quæ pro ipſo paſſa fuerat illas, cur ſolùm meminit amoris? Rectè, nam qui verè amat, quamuis multa pro dilecto patitur, quaſi nihil ſe pati cenſet, *quanto yno haſe y padece por quien mucho ama, le parece poco.* Tu ſi pro Chriſto iniuriam aliquam verbalem pateris, vel ſimile quid, ſupra modum paſſum te fuiſſe jactabis, hoc quidem amoris tui erga Deum ſignum eſt.

Chriſtus Dominus, cùm de ſua ageret paſſione, calicem eam appellabat, *Poteſtis*, inquit, *bibere calicem quem* *Matt. 20. 22. Ioan. 18. 11* *ego bibiturus ſum*, & *Calicem quem dedit mihi pater*, &c. non amphoram amaritudinis magnam, ſed calicem paruum dicebat, quia magnitudine amoris, quo pro nobis patiebatur, parum eſſe, quod in grauiſſima paſſione & morte crucis paſſurus erat, ei videbatur, imò quaſi nihil; ideò enim diſcipulis euntibus in Emaus & agen- *Luc. 24. 6* tibus de his quæ Chriſtus paſſus fuerat, dixit: Quæ ac ſi diceret: Quænam ſunt iſta, vt magna & memorabilia reputentur? Magnitudo ergo amoris minuit vim doloris, ſicut etiam in Iacobo Patriarcha videmus, cui præ amoris magnitudine pauci videbantur anni laborum ſuorum, ideò ergo ſponſa, quia vehementer amabat ſponſum Chriſtum, paruа omnia illa ei videbantur, quæ in inquiſitione eius fuerat paſſa.

A Sed ad rem; ideò non quæ paſſa erat, ſed amoris magnitudinem nunciari jubet ſponſo, quia nouit ingenium eius, quòd ſcilicet in operibus & paſſionibus noſtris plùs amorem reſpicit, quàm dolorem: vnde paruus dolor cum amore maximo maximum quid videtur ei, plurimus autem dolor cum minore amore, non ita. ideoque non vulnus, non perculſionem, non amiſſionem pallij nunciare jubet ſponſo, ſed vehementiam amoris, quia amore, inquit, langueo.

Origen. hom. 9. in Matth. *In datis non ipſum donum, ſed affectum dantis iudicat Deus.* Ita ille. Hinc ſequitur, quòd licèt pauperes & debiles ſimus, & non poſſimus magnas eleëmoſynas dare, vel jeiunare, &c. poſſumus multa merita gloriæ conſequi, ſi velimus: nam nemo eſt qui Deum ex toto corde amare non poſſit, quantumuis pauper, & cœcus, & paralyticus ſit. Exigua eleëmoſyna ex multo in Deum amore data magna apud Deum eleëmoſyna eſt.

B S. Chryſoſt. hom. 10 in epiſt. ad Roman. *Non ita*, inquit, *gaudet Deus vocari Dominus, ſicut vocari Pater, nec ſic amat habere ſeruum vt filium; magis enim hoc quàm illud quærit. propterea quippe fecit quidquid vnquam fecit, & vnigenito etiam filio non pepercit, quatenus nos adoptionis adipiſceremur, & ipſum non ſolùm vt Dominum, ſed vt patrem quoque diligeremus.* Ita ille. Pondera verba illa, propterea fecit quidquid vnquam fecit; ſi ergo cœlum & terram, & quidquid in cœlo & in terra eſt, Dominus produxit, id propterea fecit, vt nos eum diligeremus. Si homo factus eſt, & in terris cum hominibus conuerſatus eſt, id propterea fecit vt nos eum diligeremus, ſi miracula multa & magna fecit, ſi ad homines conciones multas, & cœleſti ſapientiâ plenas habuit, omnia vt eum diligeremus fecit. Denique ſi dira paſſus eſt, ſi flagra & clauos & ſpinas pertulit, & in cruce vitam cum morte commutauit, id propterea fecit vt nos eum diligeremus: nónne igitur ſic ſatis conſtat quantùm à nobis amari velit. Sed quid ampliùs admirabor, an C quòd tanta fecerit & paſſus fuerit Deus, vt nos eum diligamus, vel quod nos nihilominùs illum diligere nolimus? Etenim quòd ille amorem noſtrum pro nihilo duceret, quid mirum? cùm nec bonorum noſtrorum, nec dilectionis noſtræ egeat vnquam. Quid enim illi prodeſt amor noſter? quid ad illum obſequia noſtra? nos verò ab eo prorſus dependemus, *In ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus*, & tamen illum amare renuimus? Meritò S. Bernard. ſerm. 19. in Cant. *Patrem*, inquit, *ſe Deus exhibuit mihi, ſed non ego me illi vicißim filium: quanam ergo fróte attollo oculos meos ad vultum tam boni patris tam malus filius? Pudet indigna geſſiſſe genere meo, confundor, confundor audire, Si ego pater, vbi eſt honor meus?* Ita ille, &c. *El a mi me ha amado como buen padre, mas yo no le he amado à el como buen hijo, el ami me ha hecho obras dignas de padre, mas yo no le he hecho ſeruicios dignos de hijo, ni aun de buen eſclauo, quitças no es grande confuſion eſta?*

D

PROP. II. *Amor Dei quàm meritoria opera noſtra reddat.*

QVamuis opera noſtra parua ſecundùm ſe ſint, ſi ex amore magno in Deum procedant, magni meriti apud Deum ſunt. Origen. hom. 9. in Matth. *In datis non ipſum donum, ſed affectum dantis iudicat Deus.* Ita ille. Nos quia egentes ſumus, communiter loquendo, non affectum interiorem, ſed obſequium exterius penſamus: dominus enim qui ſeruorum obſequiis eget, obſequium ipſum attendit, & magnum illud & exactum eſſe gaudet, nec reſpicit an ex magno, vel paruo, vel etiam nullo amore in eum procedat: Deus verò non tam obſeruat menſuram obſequij, quàm affectus amoris in eum.

Hinc S. Petrus, *Ecce nos*, inquit, *reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Expendit optimè *Matt. 19. 27.* S. Hier.

S. Hieron. hæc verba. *Grandia fiducia*, inquit, *Petrus piscator erat, diues non fuerat, cibos manu & arte quærebat, & tamen loquitur confidenter: Ecce nos reliquimus omnia.* Ita ille. Reliquerat igitur retia trita, & nauiculam nullius momenti, & munus laboriosum, & nullius honoris: denique piscator erat, & ait, reliquimus omnia, *todo su todo era tanto como vn nada*, & quasi multa magnaque reliquisset, ait: *Ecce nos reliquimus omnia.* Respondet Origenes vbi suprà, *Magis confidebat D. Petrus de affectu suo, quam de quantitate rerum relictarum, & ideò fiducialiter dixit: Ecce nos reliquimus omnia.*

Hinc sic Deus ad animam eum diligentem, *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Mirum quod vnico ictu oculi, & vno crine sic vulnerauit anima omnipotentem: si gladio grandi, vel lanceâ forti, adhuc mirabile foret quod creatura Creatorem posset vulnerare; quomodo ergo in vno oculorum, & in vno crine huius animæ se asserit Deus vulneratum fuisse, & non quomodocunque, sed vehementer, hoc enim importat duplicatio illa, *vulnerasti, vulnerasti.* Ex Paraphrasi Chaldaica patet sensus, quæ sic habet: *Infixus est in tabula cordis mei amor tuus, soror mea.* igitur amoris vulnus est vulnus hoc. Sed quid est, *in vno oculo, & in vno crine?* Richardus de S. Victore per oculum meditationem, seu contemplationem rerum diuinarum, per crinem bonam animæ intentionem interpretatur. Denique paruis rebus nostris se vulneratum amore ait, quia cùm opera nostra ex magno amore procedunt, vnico oculi ictu, & vnico crine se vulnerari & detineri seu ligari, ait, ille, inquam, diuinus Samson, tantùm apud eum valet noster amor.

Hinc est quod pro leuissimis obsequiis cælestem & immensam nobis Deus promittat gloriam, ait enim, *Quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Scilicet in cœlo. Et, *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Vide quàm ingens bonum regnare cum Deo in æternum; cur ita? subdit, *Quia esurij & dedistis mihi bibere.* Ecce obsequia ob quæ Deus regna cœlorum tribuit nobis, non ait, quia propter me magnas pœnitentias suscepistis, aut trans maria peregrinati estis, & cruciatus & martyria grauia sustinuistis, sed, quia frustum panis & calicem aquæ frigidæ pro amore mei, pauperibus exhibuistis, quia non panem & aquam attendit ita Deus, sicut cordis amorem in eum; non est prodigus gloriæ suæ Deus, sed amator nostri amoris: ama homo, & amaberis, ama Deum, & quamuis nihil aliud possis, hoc apud Deum est multùm posse.

Prop. III. *Amor Dei necessarius est ad saluationem.*

QVamquam nullum amoris Dei præmium esset constitutum, adhuc tamen Deus amandus erat, quia Deus est. Sed tamen secundo loco secunda intercenit causa, salus scilicet nostra: qui enim non amat Dominum nostrum Iesum Christum, anathema sit, ait Apostolus; anathema, scilicet excommunicatus ab Ecclesia illa cœlesti.

Cantic. 4. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis.* Libanus vocatur Ecclesia Christi in terris, quia sicut ex Libano sumebantur ligna cedrina imputribilia, quibus ædificatum fuit celebre illud templum in ciuitate Hierusalem; sic ex Ecclesia militanti desumuntur justi, vt immortaliter & in æternum ædificetur ex illis templum illud sublime cœlestis Hierusalem. Deus igitur est, qui justum ex Ecclesia militanti ad triumphantem hic vocat, vt ibi coronetur: hîc enim militamus, ibi coronamur, si tamen hic legitimè certemus. Sed nota, tertiò vocat & dicit: *Veni, veni, ve-*

ni; nunquid sponsam Dei surdam, aut pigram esse dicemus? minimè: sed quia à sanctissima Trinitate vocabatur, ideò ter vocatur: quamuis enim solus Filius est qui nos redemit, & morte suâ nos ad vitam æternam emit, tota nihilominus Trinitas est, quæ nos coronat in cœlis: ideò Trinitas est, quæ ad coronam vocat.

At S. Gregor. aliam rationem, nec tamen dictæ oppositam, reddit, quia scilicet ad coronam istam tres in nobis virtutes Theologales maximè requiruntur, fides scilicet, spes, & charitas: fides ad patrem refertur, quia fides ad principium justificationis spectat: Pater autem in Trinitate principium nuncupatur: spes verò refertur ad Filium, qui propter Passionem eius salui fieri speramus: charitas verò ad Spiritum sanctum, qui amor est. Requiritur primùm ad salutem fides, *sine fide* quippe *impossibile est placere Deo*: ideò extra Ecclesiam non est salus, quia non est fides. Secundò, requiritur spes: beati quippe sunt qui sperant in eo, & non in se. Tertiò, requiritur charitas, & amor Dei: quamuis enim fide, & spe reliquis omnibus virtutibus se prædictum quis glorietur, careat verò charitate, non coronabitur in cœlis ideò ter ait: *veni, veni* per fidem, *veni* per spem, *veni* per charitatem. Nunquam eloquentiùs locutus est Paulus, quàm hoc affirmans, 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*, &c. Vide igitur quod non solùm Dei gloriam, sed etiam salutem nostram charitas erga Deum respiciat.

Hebr. 11. 9.

1. Cor. 13.

Prop. IV. *In dilectione Dei nostra consistit perfectio.*

GEnes. 17. Sic Dominus ad Abraham: *Ambula coram me & esto perfectus, ponamq; fœdus meum inter me & te.* Quodnam est fœdus hoc? Lyranus ibidem: *Ponam fœdus tecum per specialem amicitiam.* Ita ille. Quid ergo sublimiùs quàm amicum habere Deum? quid non habet qui Dei amicitiam habet? ad hoc autem quid Dominus requirit? *Esto*, inquit, *perfectus.*

Gen. 17. 2.

Lyra.

Quid est, vel quomodo eris perfectus? Glossa interlinearis, id est, vt non timore, sed amore seruias mihi. Ita Glossa. Sunt enim nonnulli qui seruire & obedire Deo conantur, ne damnentur in æternum: bonum hoc, sed non perfectum. perfectio enim nostra in hoc consistit, vt quamuis infernus non esset, vel per reuelationem quis noscet se saluum non futurum, nihilominus semper Deo seruire & obedire in rebus omnibus curaret.

Glossa interlin.

Prop. V. *Amori Dei non est terminus limitationis constituendus.*

INtroduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. *Puso se la esposa de Dios à hasar alarde en su coraçon de sus buenas dichas, y dar vn buen dia à su pensamiento de los fauores que Dios le hazia.* Voluit animo grato sponsa Christi, quæ à Deo illi donata erant, mente recolere, & inter reliqua hæc sic est effata: *Introduxit, &c.* quid hoc? in cella vinaria potest charitatis amor ordinari? imò cùm vinum deordinet mentem, & à suo judicio deturbet, deordinare potiùs, quàm ordinare amorem dicere debuisset. imò in hoc ipso vim huius charitatis præcipuè manifestauit: nam sicut vinum mentem alienat, ita vt modum rationis obliget, ita & Dei amor modum excedit omnem, neque enim rationis regulis humanæ & naturalis regulatur, sed sicut charitas virtus supernaturalis est, sic naturæ regulas superexcedit: non quia contra naturam aliquid præfert, sed quia supra naturam. Vnde in diligentibus Deum tot tantaque supra naturæ vsum videre solemus, vt judicio mundi ebrij esse videantur. Quare in die Pentecostes, cùm Spiritus sanctus Apostolorum corda huius cæle-

Cant. 2. 4.

stis amoris igne repleuisset, musto plenos esse illos A mandus judicauit. nimirum introduxerat eos Deus in cellam suam vinariam, & cùm deordinatam mentem eorum illi dicebant, ordinauit in eis Deus charitatem.

Prop. VI. *Amor Dei liberum reddit animum nostrum.*

Diogenes Philosophus in curia regia duo esse catenarum genera dicit, alterum eorum, qui in carcere detinentur, alterum verò eorum, qui ornatus causa colla catenis cingunt: hanc tamen esse differentiam, quòd illorum catenæ ferreæ sunt timoris horroriſque plenæ, optimatum verò catenæ aureæ, sunt decoris, honoris, ac gloriæ illorum insignia. S. Auguſt. miratur quòd Reges vinculis ferreis constricti dicantur: Reges enim catenæ aureæ & gemmis ornatæ decent.

Super Ps. 149 in illa verba. Ad alligandos Reges in compedibus. Ep. 1 c. 4.

Respondet igitur S. Auguſtinus: *Quare vincula ferrea & non aurea? ferrea sunt, quamdiu timent, ament, & aurea erunt. Audistis Ioannem, Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor pœnam habet, hoc est, vinculum ferreum.* Ita S. Auguſtinus. Bonus quidem est timor, sed est eorum qui captiui tenentur, ideò ait, pœnam habet, sicut pœnam habet qui ferreâ catenâ in vinculis detinetur. Vincitur quidem justus, ne faciat malum, sed catenâ aureâ, amore scilicet, qui est vinculum perfectionis, & vinculum magnatum regiæ diuinæ, est vinculum libertorum: ideò justo non est lex posita, non quia Deus non imposuerit legem ipsis justis, sed quia ita voluntariè, ac sine pœna & anxietate Dei legem seruant, quasi non ex lege, sed ex propria voluntate, quæ lex jubet, operaretur, &c.

Prop. VII. *Amor Dei alios amores excludit.*

Gen. 32.

Genes. 32. Luctans Iacob cum Angelo, claudicare cœpit. & tunc Angelũ viciſſe perhibetur: semper hæc luctа mirabilis mihi visa est. Quomodo enim cum Angelo homo luctari valuit, imò & prævaluit, & prævalens emeruit? Quid sibi vult peregrinum luctamen istud? S. Gregor. 4. Moral. 30. vel 34. *Iacob, qui Angelum tenuit, vno mox pede claudicauit: quia qui vero amore sublimia respicit, jam in hoc mundo defideriis duplicibus incedere nescit. Vno enim innititur pede, quisquis Dei amore roboratur, & necesse est vt alius marcescat: quia mentis virtute crescente, oportet procul dubio vt carnis fortitudo langueſcat.* Ita ille. Sicut enim vas aliquo liquore plenum, alium liquorem capere nequit, sic nec hominis cor duos amores.

S. Greg.

Gen. 22.

Genes. 22. sic Deus ad Abraham: *Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, & offeres eum in holocaustum,* &c. Graue præceptum & humanitati durum videtur. Credo quidem quòd facilius fuisset Abrahæ se in holocaustum tradere Deo, quàm dilectissimum filium occidere & cremare. Cur igitur fidelissimum amicum suum sic Deus affligere voluit? S. Ambrosius lib. 1. de Abrah. c. 8. *Volebat Deus immolari à patre filium, nec impleri hoc munus volebat, qui arietem pro filio immolandum obtulit. Sed patris tentabat affectum.* Ita S. Ambros. affectum, inquit, scilicet amoris, vt omnibus constaret, quantus esset amor ejus in Deum, qui filium, quem supra reliqua mũdi amabat, Dei placito sic postponebat, & offerebat: vt nos inde exemplum amoris diuini deduceremus:

S. Ambr.

Matt. 10. 37.

Qui enim (ait Christus Dominus Matth. 10.) *amat filium plusquam me, non est me dignus.* Ideoque dixit Abrahæ: *Tolle filium tuum quem diligis.* Quasi diceret: Tu valde amas hunc filium, jubeo tibi vt offeras eum in holocaustum, vt cæteri discant plus Deum amare quàm filios, & alia cuncta. Vnde S. Basilius in Psalm. 7. *Tentatum est cor Abrahæ, an Deum diligeret ex tota anima sua, quando Isaac jussus est immolare.* Ita ille. Non quidem quòd ignoraret quantùm diligeret Deum, ipse enim sciebat quid esset in homine, sed vt nos amare doceret Deum, & vt confunderet nos, videntes hominem in sola naturæ lege constitutum, sic amore diuino amorem vincentem humanum, &c. Vnde Tertullianus lib. de patientia cap. 8. *Absit, vt Dominus tentare videatur quasi ignoret cuiusque fidem. Diaboli est hæc infirmitas & malitia. nam & Abraham non tentandæ fidei gratiâ, sacrificare jusserat filium, sed probandæ: vt per eum faceret exemplum præcepto suo, quod mox præceptum erat, neque pignora Deo cariora habenda.* Ita ille. Pignora vocat filios, & alludit ad præceptum amandi Deum: propter quod dixit Matth. 10. *Qui amat filium plusquam me, non est me dignus.* Huic præcepto fecit seu præmisit exemplum Abrahæ, vt & nos similiter Deum diligamus.

Tertul.

Matt. 10.

Prop. VIII. *Amor Dei amorem proprium vitiosum excludit.*

Viuo ego, *iam non ego, viuit verò in me Christus*, ait Apostolus Paulus. Ænigmaticum autem est hoc dictum; si viuis tu Paule, quomodo non viuis tu? & Christus quomodo viuit in te? S. Chryſoſt. in hunc locum, sic explicat illum: *Cùm ait Apostolus*, viuo, &c. *iam non ego, significat sequentem vitæ rationem, per quam mortificantur membra? Quid autem est, viuit verò in me Christus, nihil, inquit, geritur à me, quod nolit Christus? quoniam ergo se Christo Domino præbuerat, & cuncta reiecerat temporalia, & ad illius voluntatem faciebat omnia, non dixit, viuo Christo, sed quod longè maius erat, viuit in me Christus. Sicut enim peccatum, si vicerit ipsum, est quod in homine viuit, animum ad quæ vult pertrahens; ita si ille mortuo, quæ Christo sunt placita, fiant, nec humana est deinceps huiusmodi vita ipso Christe viuente in nobis, hoc est, agente ac dominante.* Ita S. Chryſoſt. S. Bernard. ſer. 7. in Quadrageſima, sic elucidat locum istum: Viuo ego jam non ego, &c. *hoc est, ad alia quidem omnia mortuus sum, non sentio, non attendo, non curo: si quæ verò sunt Christi, me viuum inuiniunt, & paratum.* Ita S. Bernard. Itaque sicut talis est vita, qualis anima quæ in corpore viuit: si enim anima est serpentina, serpentina erit vita, si verò vulpis, vulpina, si autem hominis, erit humana: sic vbi Deus viuit, diuina erit vita illa, eo quidem modo, quo Deus viuit in nobis.

Gal. 2.

S. Bernard.

Denique quia vita quæ in Christo est, vita charitatis est, ideò enim ait Apoſtolus Ioannes, *Qui non diligit, manet in morte*, hinc est quod tunc viuit Christus in nobis, cùm nos eum diligimus ſuper nos ipſos, sicut ille viuit in se, qui se ſuper omnia alia amat. ait ergo Apoſtolus: non ego viuo in me, quia amorem in me reiecì, & in Deum meum transtuli: nam ipſum diligo plusquam me, & plusquam reliqua omnia. hinc colligere tu poteris, an viuat Deus in te, aut tu ipſe in te ipſo. amoris signa conſidera, & an sicut Apoſtolus vius reperies, ille enim quia Christum tanquam vitam ſuam diligebat, non viuebat in ſe, hoc est, amorem excluſerat ſui.

Prop. IX. *Amor Dei amorem mundi excludit.*

Incognitus: Dicit Magiſter de proprietatibus rerum (inquit) quod ſunt duo lapides pretioſi ſibi inuicem quaſi contrarii, ſcilicet Sardius, & Onyx. Sardius eſt rubei coloris, & ſuo ſplendore expellit timores, & ingerit lætitiam, & cordis ſecuritatem: Onyx autem niger eſt, & excitat rixas, & contentiones, & lites. Veruntamen Sardius in præſentia Onychis conſtitutus, ipſum totaliter à ſuis prohibet nocumentis. Ita ille. In his duobus lapidibus mihi videntur rectè expreſſi duo amores, gloriæ ſcilicet & mundi. Amor gloriæ viuus & efficax eſt, ideò rubeus dici poteſt, ſicut ignis

ignis lætificat cor, & pacificat id, vnde rectè Sardio A comparari potest: amor autem mundi niger est, *nigro amor y mal empleado.* Hic amor sicut Onyx excitat rixas, & contentiones, & lites, quia omnes mundi contentiones ex huiusmodi amore promanant, aut scilicet ex amore diuitiarum, aut honorum, aut voluptatum, hinc lites, hinc rixæ. Audi Iacobum Apostol. *Vnde bella, & lites in vobis? nónne ex concupiscentiis vestris quæ militant in membris vestris?* *Concupiscitis, & non habetis: occiditis, & zelatis, & non potestis adipisci: litigatis, & belligeratis, &c.* Ecce Onyx amor rerum mundi has omnes tragœdias excitat, quem S. Iacobus concupiscentiam vocat. Veruntamen amor Dei cœlestium huiusmodi amoris terrenorum remedium, & antidotum est, *es sus contraria herba?* qui enim amat Deum, facilè contemnit terrestria, quibus contemptis cessant lites, & contentiones, quæ ex æstimatione & amore eorum promanabant. Sic Sardius temperat Onychem, & moderatur, vt non diligat terrena, nisi magna cum moderatione.

Vnde S. Cyprianus, 1. Ioan. 2. *dicitur: Nolite diligere* B *mundum, neque ea quæ in mundo sunt. mundi enim amor, & Dei pariter in vno corde habitare non possunt, sicut iidem oculi cœlum & terram, pariter & simul conspicere non possunt.* Ita ille. Vbi nota, quòd sicut oculorum visio diuidi & separari non potest, ita vt vno oculo cœlum, alio verò terram aspiciamus: sic amor nequaquam diuidi potest, ita vt vno amore mundum, alio verò Deum diligamus.

Prop. X. *Amor Dei præseruat à peccatis.*

Est quidem amoris Dei signumà peccatis se continere, at verò amor Dei huius continentiæ fons, & causa est.

Apocal. 1. Vidit Ioannes Christum Dominum præcinctum ad mămillas: nouus quidem cingendi hominum modus, non enim ad mammillas, sed ad lumbos applicari cingulum solet. Ita est: sed & cinguli, & zonæ qualitatem attende: aurea illa erat, aurum autem C in sacris Literis charitatis & amoris Dei symbolum est, & meritò quidem: nam sicut inter metalla primum sibi locum vendicat aurum, sic inter virtutes Charitas. Qui autem præcingit vestem, illam sub mensura cinguli continet, ne superefluat: præcinctus igitur ad mammillas esse, denotat manifestè, eum qui charitate præditus est, extra charitatis & amoris Dei metas nunquam exire; qui enim Deum amat, in omnibus se continet, ne ad ea quæ contra Dei amorem sunt, superefluat. Vnde à peccatis se continet prorsus, quia peccata contra Dei charitatem sunt: vnde meritò ad mămillas præcinctus dicitur, qui zona charitatis se cingit, quia nec minimum cordis motum extra charitatem admittit, quin & zonam ipsam charitatis adimit, si motus illè mortalis sit.

prop. XI. *Amor Dei leue ac suaue reddit, quidquid pro eo patitur homo.* D

Moribundus in cruce Dominus dixit, *sitio.* Mirum, quòd, cùm Dominus grauissimos in cruce cruciatus & dolores pateretur, sitis defatigationem exprimeret, reliquas pœnas silentio premens. At dices, aquam sibi offerri volebat, & petebat. Id autem quoque mirum, sciebat enim sibi esse aquam denegandam, acetumque porrigendum. Mysterium igitur huius sitis explicauit S. Bernardus sic: *Adhuc plura & maiora sitio subire tormenta.* Ita ille. Etenim tormenta, quæ Dominus patiebatur, vel ipsam gehennam inferni extinguere sufficiebant: ad nostra autem tollenda tormenta minùs quàm vnica sanguinis gutta sufficiebat, vt quid igitur tormenta plura sitiebat? Quia Patrem suum impensè amabat, atque adeò pro eo sic pati desiderabat: nam amans pati pro dilecto desiderat. Nos igitur, quia tepidè Deum amamus, non pati, sed à passionibus & doloribus liberari desideramus.

Charitas patiens est, omnia sustinet, omnia sustinet, &c. quod quàm verum sit, in ipso Apostolo Paulo facilè verificari potest; qui licèt ingentes aduersitates, quas pertulit, facilè vitare potuisset, si voluisset, charitas tamen eum detinebat, & ligabat, ne pro Christo fugeret cruciari, vnde dixit, *Ego vinctus in Domino, &c.* Vinctus, vt Theologus quidam ait, non tam corpore, quàm corde & amore Dei, qui est vinculum perfectionis, plùs enim Paulum amor in Deum vinciebat, quàm catena, vt propter Christum omnia perferret, quantumuis grauia essent. 1. Cor 13. 7. Ephes 4. 1.

Vnde sic idem Paulus ad fideles quosdam: *Ecce ego alligatus spiritu, vado in Hierusalem, quæ in ea ventura sint mihi, ignorans: nisi quod Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens, quia vincula & tribulationes Ierosolymis me manent.* Ne pergas in Hierusalē Paule, fuge inde, & aliis ciuitatibus euangeliza. Esto, inquit, ego alligatus spiritu, scilicet amoris, vado in Hierusalem, hic igitur amor catena erat, cui liber ipse liberè collum submitto. Vide verbum, *Tribulatio iustorum.* Act. 20. 22.

Prop. XII. *Amor Dei leues facit labores nostros.*

Prouerb. 14. *In malitia sua expelletur impius, sperat autem iustus in morte sua.* Expellitur, ait, impius malitiâ suâ, hoc est, impellitur morbus conscientiæ suæ, ita vt nunquam & nusquam sit securus, nec animo tranquillo, secundùm id Isai. 57. *Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* & Psalm. 1. postquam de iusto, dixerat, *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum*, subdit: *Non sic impij, non sic; sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ.* Impellit enim cor impiis malitia sua in desideria varia, & sæpè contraria, & in timores multos, & passiones vehementes, sicut à vento impellitur puluis. Sic exponit Iansenius hunc locum Prouerbiorum, qui secundam expositionem adhibens, ait: *Impius ob malitiam suam repellitur à spe cuiuscunque boni post hanc vitam, aut à conspectu Domini mox abiiciendus in damnationem æternam: è contra verò iustus sperat in morte sua, quam scit finem esse omnium miseriarum vitæ huius, & post mortem vitam æternam se consecuturum sperat.* Ita Iansenius. Sed interim de impio tacentes, de spe iusti in morte dicamus. Prou. 14. 32. Isa. 57. 20. Psal. 1. 3. Num. 4. Iansen.

De iusti ergo morte sic S. Bernard. *Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert.* Ita ille: qui ad arborum naturam alludere videtur. Si enim arborem juxta radices scindas, ficcam reddes: si verò eum radicibus eam in meliorem transtuleris terram, vegetior & fructuosior reddetur. Etenim impius in morte sua scinditur, & à radice sua separatur: radicem enim suam habet in terra, & ita siccabitur, & in ignem mittetur & ardet: iustus verò radices in cælo habet, & ideò in cælum omnino transfertur, viuet in æternum vegetior & fructuosior in gloria. Meritò ait ergo S. Bern. *Bona mors, qua vitam non auferet sed transfert.* S. Bern.

Prop. XIII. *Quòd pro Dei amore cuncta pati debeamus.*

Matth. 27. Sic Christus Dominus in Cruce pendens ad Patrem: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* relinquebat eum pater, dum acerbos illos cruciatus, dolores ingentes, & opprobria tali ac tanto Domino indigna pati finebat. Vt quid? inquit, quasi dicat: Nihil mihi conscius sum, non peccaui, & in amaritudinibus versatur cor meum: cur igitur ó amantissime Pater, sic deseris amantissimum filium? respondet S. Ambrosius serm. 3. de Tempore. *Hæc Christus dicebat* Mat. 27. 46. S. Ambr.

Isac 53. cebat, qui secundùm Prophetam nesciebat peccatum, vt manifestaret se propter nos derelictum esse, quorum peccata portabat, ac videntes disceremus pro ipso sanctò & justo mori, cùm pro nobis peccatoribus ille moreretur. Ita S. Ambros. *Si Dios nos Padre. ama hasta morir assi desamparado de su, que mucho que nos tros amparados de Dios lo amemos hasta morir por el?*

Ego quoque etiam ex hoc loco elicio consequentiam hanc: Si propter nostra peccata sic in suis pœnis Pater diuinus Filium dereliquit, quid igitur mirum si vilissimus peccator & obstinatus in suis pœnis torqueri à Domino relinquatur.

PROP. XIV. *Amor Dei fortis est & omnes difficultates superat.*

REctè Virgilius,

Omnia vincit amor,

quòd si humanus, & naturalis amor omnia vincit, quid non vincet supernaturalis amor in Deum?

1. Cor 13. 7. Hinc Paulus, *Charitas omnia suffert, omnia sperat*, hoc est, non solùm patienter sustinet labores, & pericula pro dilecto, verùm firmam habet spem se de cunctis difficultatibus & aduersitatibus victoriam reportaturam. hinc ad singulare certamen omnes prouocat creaturas: *Quis*, inquit, *nos separabit à charitate Christi? &c. esta es vna carta de desafio, que scriue à todo lo criado, representando à todo lo que ay en el, y offreziendole campo franco. Quis*, inquit, *nos separabit, habra creatura, aliqua que se atreba à mantenerme ella.* Ecce omnia sustinet charitas, & vt videas quia omnia sperat, subdit, *certus sum quia neque mors, neque vita*, &c. vndenam homini carneo fortitudo tanta? à charitate Dei, ait ipse: Omnia vincit Dei amor.

Rom. 8. 35.

Cant. 1. 12 Optimus locus Cantic. 1. vbi sic sponsa Christi, anima, inquam, perfecta, perfectè diligens Christum: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur:* locum hunc sic exponit S. Bernard. serm. 43. in Cantic. *Myrrha*, inquit, *dura, & aspera, tribulationem significat: eam sibi sponsa dilecti causa imminere præscium, gratulabunda id loquitur, confidens se omnia virtuter subituram, & propterea non fascem, sed fasciculum dilectum dicit, quod leue pro amore ipsius ducat, quidquid laboris immineat, & doloris.* Ita ille. Sensus ergo est, quantumuis mihi ita cuncta acriter & abundè respondeant, & eueniant, vt ea, quæ Christus pro me passus est, flagella, spinas, clauos, crucem, opprobria, doloresque interiùs, exteriusque torquentes, me quoque pati eadem oporteat, pro ipso libenti animo ferre parata sum: veniant, supra dorsum tollam, imò inter vbera mea constringam. Quòd si quæras, vnde vis tanta? Respondet S. Bernard. *Non hæc ideò sponsa dicit, quia tale onus leue sit: neque enim leuis passionum asperitas, mortis amaritudo, sed tandem leuis amanti, & ideò non ait tantùm*, fasciculus myrrhæ dilectus, *sed addidit*, mihi, *mihi, inquit, qui diligo, fasciculus est. vnde & dilectum hic nominat, quem antea Regem nominauerat, monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam, & quia* fortis est, vt mors, dilectio. Ita S. Bern.

Bernard.

Quod exemplo Apostolorum confirmat, qui maximè sponsæ obtinent locum, de quibus Lucas Actor. 5. *Ibant*, inquit, *Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine* IESV *contumeliam pati:* contumelia autem fuit verborum acerborum, & quæ ignominiâ plena erant, gaudentes tamen ibant ex hoc: fasciculus igitur myrrhæ, non fascis illud erat illis, qui nimirum diligebant nimis Christum Dominum.

Act 5. 41.

Psalm. 98. *Dominus regnauit, iracsantur populi, qui sedes Psa. 98. 1 super Cherubim, moueatur terra.* Quid est, Dominus regnauit, iracsantur populi, num quia Dominus regnauit, consequens est ira populorum? S. Augustinus sic exponit: cœpit regnare, & prædicare Dominus IESVS Christus, postquam resurrexit à mortuis, & ascendit, in cœlum, & postquam impleuit discipulos suos fiducia Spiritus sancti, vt non timerent mortem, tunc cœpit prædicare Dominus IESVS, & cœpit regnare, & tunc irati sunt populi, qui idola colebant. Ait ergo Dauid, *iracsantur*: non justum est, sed prædictum, *iracsentur populi.* Dices, væ igitur fidelibus, si aduersùs eos iracsatur mundus: ad hoc subdit, *qui sedet super Cherubim*, supple regnauit, *moueatur terra.* Quid est qui sedet super Cherubim? Exponat & hoc nobis S. Augustinus. *Cherubim* (inquit) *sedes Dei est*, iuxta illud, *Qui sedes supra Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin, & Manass.* Item *Cherubim* idem *est quod plenitudo scientiæ: sit in te ergo plenitudo scientiæ, & erit tu sedes Dei. Sed forte dicturus es, quando in me erit plenitudo scientiæ, censes hoc velle Deum, vt sit in nobis ista plenitudo scientiæ, vt nouerimus quot sunt stellæ, aut grana arenæ, vel tritici, aut quot poma in arboribus pendeant: ille nouit omnia, cui capilli nostri omnes numerati sunt; sed alia est plenitudo scientiæ, quam voluit hominem nosse, ad legem Dei pertinet, scientiam, quamq, nos habere vult: & quis potest forte nosse legē Dei, vt habeat in se plenitudinem scientiæ legis, & possit esse sedes Dei? nolit turbari, breuiter tibi dicitur, quid facias. Si vis habere plenitudinem scientia, & esse Dei sedes, audi Apostolum ad Rom. 13.* Plenitudo legis est dilectio. *Perdidisti omnem excusationem, interroga cor tuum: si est ibi charitas, ibi est plenitudo scientiæ, ibi est Cherubim, quia ibi est plenitudo legis, iam in te habitat Deus, sedes enim Dei est. Iracsantur ergo populi contra te, moueatur terra, quid faciunt iracsentes populi? qui factus est sedes Dei? qui contra te sæuiant, attendo, & quid in te sæuiat, non attendo? Cœlum factus es, & terram times? Dicit en mihi alio in loco Scriptura*, Cœlum mihi sedes est: *si ergo tu habendo charitatem sedes Dei factus es, cœlum es, non vtique hoc, quod oculis videmus, sed cœlum Dei mentes sanctæ sunt. Ergo, iracsantur populi, & moueatur terra, quid facturi sunt sedi Dei, & cœlo, vbi sic Deus sedet?* Ita S. Augustin. Denique, Si Deus in nobis, quis contra nos? nónne perfectiùs nos poterit Deus defendere, quàm nos possint hostes oppugnare? *Fortis est, vt mors dilectio. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ipse ergo per charitatem, quam diffundit in cordibus nostris, expugnabit impugnantes nos. Quod, inquam, fortis est, vt mors, dilectio, non poterunt illi contra mortem, quia mortales sunt, nec poterunt contra Dei amorem, quia iterum fortis est, vt mors dilectio.

Rom. 13. *Psal. 138.* *Aug. in Psal. 95.* *Cant. 8.*

1. Corinth. 13. *Charitas patiens est*, hoc est, vbi charitas, ibi patientia, constantia: amor enim Dei hominem patientem, fortem & constantem facit, quid enim pro amore Dei non patietur, qui verè Deum amat? cùm pro mundi amore, qui mundum amat, nihil non æquo animo ferat. *1. Cor. 13. 4.*

Sapiens quidam, vt virum fortem describeret, adamantem inter incudem, & malleum ferreum finxit: cum litera ista, *Semper idem*: ac si dicat, quantumuis adamas grauibus ictibus feriatur super incudem malleis ferreis, incus & mallei lædi & frangi quidem citiùs poterunt, quam adamas, sic percussus. Si virum Deum amantem describere velis, hanc adhibe picturam: amans, adamas est, vt nomen ipsum significare videtur, percute, & ictibus percussionum feri, at semper idem est quod facilè in Laurentio, & Vincentio, imò Agnete, & Lucia, & Iusto, ac Pastore, puerulis & puellis verificari potest.

Isidor.

1. Corinth. 13. *Charitas omnia suffert, omnia sustinet.* S. Isidor. lib. 6. cap. 4. de lapidibus maioribus, lapidem quendam esse ait nomine, Asbestos, qui in Arcadia reperitur, cuius talis est natura, quòd semel accensus bene, nunquam amplius extinguatur, quamuis ventis, aquis & tempestatibus quatiatur: quod experimento confirmatum esse affirmat. hoc quidem ex ipsius lapidis & materiæ prouenit natura: at in habente charitatem firmam & validam hoc ipsum reperitur, non quidem ratione subiecti; homo enim fragilis est, & ad virtutum conseruationem difficilis, sicut ad vitia facilis: sed

sed charitatis hæc natura est quòd semel bene accensa in anima, quantumuis tempestates tentationum, persecutionum, & tribulationum exurgant, nunquam extinguatur.

Idē est de Asphalto, seu Traphta (*fuego de Alquitran*) qui ignis dicitur Babylonicus, qui in aqua missus ita in ea ardet, ac noster ignis in oleo: talis igitur est natura perfectæ charitatis: Cantic. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Can. 8. 7.

Quod patet in Paulo ad Rom. 8. *Quis*, inquit, *nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia?* &c. *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita*, &c. quod etiam in Martyribus, maximè in nonnullis, verificari potest. Rom. 8. 5.

Cantic. 8. *Fortis est vt mors, dilectio.* Quid cum morte amori? si vitę amorem comparasset, non ita mirum: vita enim suauis ac dulcis est; sic & amor: mors verò turpis, deformis, & horribilis est; non sic amor: vitæ ergo & non morti amor comparandus videbatur. Aduerte, non morti absolutè amorem comparauit, sed secundùm fortitudinem tantùm, & quidem mortis fortitudo eximia est, quæ nemini parcit, & omnes facilè vincit. Sue Samsones veri illi sint, sue Hercules ficti, sue leones illi sint fortissimi, vel dracones, omnes adoritur, & indemnis euadit, omnes deuincit: sic etiam omnia vincit amor, vincit sapientes, vt Salomones, vincit fortissimos, vt Samsones. Can. 8. 6.

In Martyribus amoris robur manifestatur, sæuiat licet tyrannus, sæuiant feræ, rugiant leones, accendantur in immensum ignes, liquefiat plumbum, acuantur gladij, & tandem fortitudine amoris mansuescent leones, cedent tyranni, & obstupescent acumina gladiorum, imò ibi mors amori cedit, moriuntur enim Martyres, quia amant, at qui vitam illis adimere potuerunt è corpore, amorem ex anima auferre non valuerunt. Positus est in craticula Laurentius, vt ignis vi, & mortis horribilis metu à Dei amore auelleretur: sed maiora inde incrementa accepit amor, quàm ignis.

Sunt quidem multa in lege Dei sensualitati nostræ repugnantia, atque adeò difficilia, sed omnia hæc facilia reddit charitatis amor in Deum, & proximos.

Difficile est onus lignorum, quod vix jumentum ferre valeat, asportare, sed adhibeto ignem, & in cinerem redige ista ligna, & facillimo negotio humero feres. Quid est quod onus importabile sic alleuiabit? Ignis: sic nimirum onus legis diuinæ leuissimum reddes, si charitatis igne combusseris, & obid asseruit Paulus, *Qui proximum diligit, legem impleuit*: nónne plura sunt mandata, quàm diligere proximum suum? sed quia in dilectione proximi dilectio Dei subest, propter quam est proximus diligendus, vbi autem dilectio Dei aut proximi est, facillima factu reliqua sunt: ideò qui diligit proximum, legem impleuisse asseruit sanctus Paulus. Rom. 13.

Quòd si amor hic absit, difficilis erit talis obseruatio legis: quamobrem cùm Christus Dominus de hac re Ioan. 14. verba ageret, *Qui diligit me*, ait, *sermonem meum seruabit.* Quid est, sermonem? cur non, sermones? siquidem præceptorum sermones plures in lege Christi sunt: quia diligens Christum omnes, ac si vnus esset, facilè adimplebit: agens verò de eo, *qui non amat me, ait, sermones meos non seruat*: cur non ait sermonem seruat, sicut de amante dixerat: quia sicut amor amantis multa, ac si vnum essent, ita facilè amplectitur; sic non amanti, vnum, ac si sint plura, videbitur. Ioan. 14.

Prop. XV. *An sit in corde amor Dei, & quantus sit, ex motibus & affectibus ipsius cordis cognosci debet.*

EX Physica experientia constat quòd omnia entia corporea inclinatione quadam naturali, quam Philosophi amorem naturalem vocant, ad centrum vel sphæram suam pergant. Lapis in alto loco positus, quantumuis in loco sit constitutus honorifico, & tanquam imago Dei honoratus, ibi grauitat semper, & cùm primùm inde remouetur, pondere suo ad ima fertur, licèt locum honorificum amittat, & cadens in mille partes frangatur: quia amor ille naturalis eum ad centrum defert. Similiter ignis per fornaces, vbi accenditur, pyramidaliter flammas sursum emittit, quòd si infra terram collocetur, rapida quadam & fortissima vi terram scindit, vt sursum in sphæram suam pergat, rupes & turres secum per aëra ferens, prout ex puluere sulphureo sæpe fieri visum est: aër similiter quamuis non ita actiuus videatur, si intra viscera terræ claudatur, terræ motus excitat graues, vt scilicet inde exiens in regionem suam ascendat: aqua etiam in continuo motu est vt ad mare perueniat, vbi locus illi est naturalis, sic denique omnia elementa & elementaria quoque iuxta qualitates suas faciunt amore illo naturali, seu inclinatione ad centrum suum ducta. Hinc philosophari libet ex naturalibus ad supernaturalia: nescimus quidem nos an amorem hunc Dei habeamus in anima; si enim hoc sciremus, nosse mus pariter quod in gratia essemus Dei: nemo autem hoc scit, nisi Deus reuelauerit ei; sed tamen coniectari inde possumus nos in charitate manere, si aliquam huiusmodi in Deum & res eius inclinationem sentimus, vt cum quis ad orationem propensus est, & ad cultum diuinum, & ad conciones audiendas, & sacra, & loquendum & audiendum diuina, ad visionem etiam beatificam: nam verum est proloquium illud S. Augustini, *Amor meus pondus meum, illo feror quocumque feror* Qui diuitias amat, diuitias quærit, de diuitijs loquitur, diuitias versat in mente: qui honores diligit, ad honores respicit, ad honores aspirat, honorari amat, dedecus timet & fugit, & in eos à quibus aliqua iniuria afficitur, acriter inuehitur; sic qui Deum amat, in Deum & in diuina propendet, de Deo cogitat, de Deo loquitur, Deo seruire gaudet, & quæ illi placita sunt quærit semper: mitte igitur tu manum in sinum tuum, & vide inclinationes, & propensiones animi tui, & inde colliges, quid diligas, quid ames. *Augustin. Epist. 9.*

Prop. XVI. *Amor in Dei aduersis demonstratur.*

SVnt qui Deum amant, cùm omnia eis prosperè succedant, & si necessitas aliqua occurrerit, confestim à Deo recedunt: de quibus dici potest illud Eccl. c. 6. *Est amicus secundùm tempus, & non permanebit in die tribulationis.* Hic tamdiu amat, quamdiu sibi hoc expedire viderit: quod quidem magis est seipsum amare, quam alium: vnde in die tribulationis, & necessitatis, recedit ab amico, vt sibi consulere possit. Sic nonnulli se Deum amare gestiunt, dum nulla necessitate premuntur; at si honoris, vel famæ, vel pecuniæ necessitas vrget, vt à tali necessitate liberentur, ad ea media currunt, quæ sibi expedire iudicant, etiamsi Deo offensioni sint. Eccl. 6. 8.

Petrus Apostolus, antequam à Spiritu S. in Dei amore confirmaretur, Passionis, inquam, tempore, videns Christum vnico verbo inimicos deiecisse, gladium exemit, auriculam abscidit; at cùm vidisset Christum Dominum captum ac vinctum, terga vertens, fugit.

Prop. XVII. *Amor Dei ad obediendum facilè Deo conducit.*

Exod. 32. 27. EXod. 32. Post adorationem vituli dixit Moyses ad filios Leui: *Hæc dicit Dominus: Ponat vir gladium super femur suum, ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum & proximum suum (brauo mandato.)* Nonne satius, Domine, fuisset fulmine quodam illos interficere, quàm præcipere Leuitis, vt proximos, & amicos, & fratres gladijs perimerent? Si inimicos occidere iussisset, facilius id Leuitis foret: at amicos & fratres? occidat, inquit, fratrem & amicum? ita quidem, quia *hæc dicit Dominus*, &c. Quod & Leuitæ illico executioni mandarunt. *Fecerunt*, inquit, *filij Leui iuxta sermonem Moysi, ceciderúntque in die illa quasi viginti tria millia hominum.* Quanta strages! quomodo non renuerunt tantum suorum effundere sanguinem? S. Ambr. Epist. 56. *Ea est enim vera pietas, quæ præponit diuina humanis. Denique sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Leuitarum, quorum portio Deus: nesciunt enim suis parcere, qui nihil suum norunt, quia sanctis omnia Deus est.* Ita ille. Id est, quia sancti Deum super omnia diligunt, idcò ad nutum illi parent, quamuis in fratres sic sæuire videantur: non enim est ista sæuitia, sed obedientia ex Dei amore orta.

S. Ambr.

Matt. 11. 30. Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Leue, inquit, sed quomodo leue cum inimicos amare præcipiat & bene facere persequentibus nos, & nos ipsos abnegare, & tollere crucem nostram, &c. S. Aug. lib. de bono viduitatis c. 21. *Nullo modo laboriosi sunt labores amantium: in eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor ipse amatur.* ita S. Aug.

Gen. 1. 2. Vnde Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Aquæ in sacris scripturis labores & aduersa significant, secundùm id Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Es el amor como el fuego de alquetran, que las aguas, por muchas que sean, no lo matan*: hoc est, labores, & tribulationes non valent extinguere verum Dei amorem. Et iuxta id Dauidis, *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*, id est, labores. Aquæ igitur symbolum sunt laborum. Super aquas ergo ferebatur Spiritus sanctus, quia amor, (Spiritus enim sanctus amor est) supernatat in laboribus, non suffocatur & extinguitur in eis. si Dei amorem habueris, non submergeris in laborum aquis, quia aquæ, licèt multæ, non possunt obruere & extinguere charitatem.

Cantic 8. 7.

Psal. 68. 2.

Prop. XVIII. *Deus à nobis amari valdè optat.*

S. Chrys. Hom. 10. in ep. ad Rom. *Propterea Deus omnia fecit, qua fecit, ac nec vnigenito quidem filio pepercit, vt adoptionem reciperemus, vt non tanquam Dominum solum, sed tanquam Patrem se amaremus, quod cùm à nobis assecutus est, ita sibi placet, vt qui glorificatur, idq; apud omnes præ se ferat, qui tamen nullius rei nostræ indigens est. Hoc in Abraham, Isaac, & Iacob fecit, vbique dicens*: Ego Deus Abrahã, Isaac, & Iacob. *At qui seruos oportebat in hoc sibi placere, nunc verò Dominum habemus hoc factitãtem. Idcirco Petro ait*: Amas me plùs quàm omnes hi? *ostendens se id à nobis primo quærere loco. Itaque & Abraham, vt filium sacrificaret, iussit, vt omnibus palam faceret, quod à Patriarcha magnopere amaretur: velle autem magnopere amari, ex eo nascitur, quòd & magnoperè amet. Propterea & Apostolis dicebat*: Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus: *quo nomine animam ipsam, rem nobis ante omnia propriam, iubet, vt charitati erga se, nostræ posponamus: ille maiorem in modum vult à nobis amari. Etenim & nos cùm non admodum erga aliquem afficimur, illius amore non magnopere indigemus, licèt præpotens ille ac illustris sit: sin verò aliquem feruidò prosequimur amore, licet tenuis & humilis ille sit, qui à nobis amatur, illius erga nos amorem magnæ gloriæ ponimus loco. qua de causa non solùm ille à nobis amari, sed & pro nobis probrosa illa perpeti gloriam vocabat, illa verò ob charitatem tantùm gloria erant. Quæ autem pro ipso nos passi fuerimus, ea non propter charitatem solùm, sed propter amati magnitudinem ac dignitatem gloria tunc vocetur. Ita S. Chrysost.* Hinc ergo constat quantùm sit Deus à nobis amandus, qui adeò amat nos.

Exod. 3. 6. Isaac, & Iacob

Ioan. 21. Gen. 22.

Matt 10. 37.

Prop. XIX. *Quantum Deus zelum amoris nostri habeat.*

Exod. 7. 5. EXod. 7. prima plaga, quam intulit Deus Ægyptiis, fuit conuersio aquæ in sanguinem. Cur ita? S. Theod. q. 19. in Exod. *Quia valde gloriabantur Ægyptij in flumine suo, & hunc pro Deo habebant, vt qui patrem vsum illis præberet, quem nubes.* ita ille. Deus enim zelator cordis & amoris nostri est, & non patitur sic nos diligere & æstimare creaturas.

S. Theod.

Prop. XX. *Deus amorem nostrum potiùs quàm bona nostra quærit.*

Gen. 4. 3. GEn. 4. *Factum est vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregũ sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel & ad munera eius: ad Cain verò & ad munera eius non respexit.* Vbi *respicere* idem est, quod acceptare, & complacere. Modus autem huius acceptionis fuit, mittendo ignem de cœlo, sicut fecit 3. Reg. 18. cùm acceptauit sacrificium Eliæ. ita S. Hierom. in quæstionibus Hebraicis dicens: *Vera huius loci interpretatio est Theodotionis dicentis: Et inflammauit Deus super Abel & super sacrificium eius, super Cain verò & super sacrificium eius non inflammauit.* ita S. Hieron. & idem affirmat Procopius in hunc locum. Cur autem ita respexerit Deus sacrificium, & personam Abelis, non Cain, videamus S. Chrysost. hom. 18. in Gen. *Quia Abel*, inquit, *obtulit primitias gregum suorum, Cain verò non obtulit primitias frugum suarum.* Ita ille. S. Ambr. in Psal. 35. post initium, *Quia Abel statim obtulit, Cain autem non nisi post multos dies.* Lyranus verò, quia Cain obtulit de peioribus, & corrosis: Abel autem de animalibus melioribus: & quia tales oblationes non erant acceptæ ex seipsis, sed ex bonitate offerentium, idcò *Dominus respexit ad Abel & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera eius non respexit.* Ita Lyranus. Animaduertant hoc, qui quæ peiora sunt in domo sua, Deo in pauperibus tribuunt, &c.

B

S. Hieron.

Procop.

Lyran.

Sed ad rem modò: Rupertus sic respondet quæsito, *Respexit Dominus ad Abel, &c. quia priùs cor suum obtulit Deo, deinde rem suam; Cain verò obtulit Deo rem suam, cor verò suum retinuit sibi.* Ita ille. Deus autem in obsequiis nostris cor attendit, sine quo, id est, sine amore nostro in eum, cætera non illi placent, ad meritum saltem, sicut Dominus ipse ait Matth. 15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me*: ac si dicat: Sine amore laudes eorum non sunt mihi acceptæ. Vnde peccatori dixit Deus: *Quare tu enarras iustitias meas?*

Rup.

Matt. 15. 8.

Psal. 49. 16.

C

Prop. XXI. *Ad Dei gloriam spectat nos illum amare.*

REctè sapiens quidam Theologus, Idem, inquit, videtur esse, Deum non amare, & Deum spernere, saltem priuatiuè, quia si tanti Deum faceremus vt par erat, impossibile quidem esset quin eum intensè amaremus. ex defectu igitur æstimationis legitimæ prouenit defectus amoris: defectus ergo amoris Dei debitum honorem & gloriam Dei debitam tollit. Amor verò ex opposito, honorem & gloriam Deo tribuit, nam æstimationis Dei signum manifestùm est. Vnde ipse Dominus *Isai.* spretum se queritur ab his qui

Auct. ap. Bern.

Isai. 1. 2.

D

qui ob beneficia illa præstita illum diligere valdè tenebantur, dicens: *Filios enutrui & exaltaui: ipsi autem spreuerant me*, hoc est, pro eo vt me diligerent contempserunt me.

Etenim contemptus Christi fuit præponere Barrabam Christo Domino, quando Iudæi Pilato dixerunt: Dimitte nobis non hunc sed Barrabam, tanquam si Barrabas eis beneficia magna contulisset, qui homicida & seditiosus erat, & Christus nihil eis profuisset. cùm tamen infirmos eorum sanasset, & vexatos à dæmone liberasset, & mortuos suscitasset, ecce proeo vt diligerent Christum, contempserunt illum. Ad hunc modum qui plùs diligit diuitias aut delitias, aut honorem quàm Deum, contemnere ipsum videtur.

PROP. XXII. *Quam facile sit amare Deum.*

MIrum quidem videtur, quantoperè Deus præceperit nos eum amare. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis*: potuitne ampliùs id Deus commendare? Quid tibi, Domine, cum amore nostro? quodnam tali amore commodum tibi accrefcit? quòd si tantùm amari desideras, nonne in cœlis nouem habes Angelorum choros, vbi te innumeri Angeli amant super omnia, vbi Seraphim innumeri tua dilectione ardent; quid apud nos frigidos, & algentes quæris? Non enim Dominus inde commodum refert, sed nos, non suam, sed nostram vtilitatem quærit: inde quippe salus nostra, inde fœlicitas & beatitudo nostra. Quare summè nostra interest eum amare.

Hinc non satis mirari possumus socordiam nostram, si adeò nostra interest, vt inde beatitudo pendeat nostra, cur eum vel non amamus, vel tepidè amamus? cur tot sunt qui in eum peccant, & grauiter peccant, & non solùm non amant? Itane, quia difficilè admodum sit eum amare? imò quid facilius? si ieiunare præciperet, infirmus se id præstare non posse, posset affirmare; si pecunias pauperibus elargiri, posset etiam se pauper excusare; si peregrinari, claudus, si laborare, paralyticus, si orare, capite laborans, excluderetur. At amare Deum & debilis, & pauper, & claudus, & paralyticus, & omnes à minimo vsque ad maximum possunt. In Deut. c. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positum, nec in cœlo situm est, vt possis dicere: Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus atq; opere compleamus? Neque trans mare positum, vt causeris, & dicas? Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire & facere, quod præceptum est? Sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Ita ibi. Vbi nota quòd de amore in Deum & in proximum agit: ad nihil enim aliud obligat Deus: licèt enim aliquando ad opera ipsa obligemur, non tamen cùm id præstare nequimus; tunc enim sufficit intus Deum & proximum amare: hoc simpliciter est necessarium, sed hoc facillimum est. *In corde*, inquit, *est*, quia ipsa natura proclamat, diligendum esse Deum super omnia, & proximum, sicut teipsum.

PROP. XXIII. *Amandus est Deus propter se, & non propter vtilitatem nostram.*

LAudamus omnes beatum Petrum Apostolũ quòd Christo Domino vocante reliquerit omnia, & secutus fuerit eum, sicuti dixit ipse, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Sed in hoc nonnulli non ita laudant eum quòd dixit: *Quid ergo erit nobis?* nam hoc sapere videtur amorem proprium, cuius est in omnibus operibus propriam respicere vtilitatem: ad amorem autem Dei spectat omni proprio commodo posthabito, Dei gloriam & eius honorem per se ac primariò respicere, licèt non prohibitum sit, sed licitum, secundà rió propriam quærere vtilitatem, quam etiam in Dei honorem ordinare debemus, sicut S. Petrus.

Hinc ansam diabolus sumpsit, vt sanctum Iob accusaret apud Deum, dicens: *Nunquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, &c.* S. Aug. *hom. 38. lib. 50. homiliarum tom. 10.* sic legit: *Nunquid Iob gratis colit Deum?* Sensus ergo est, nunquid Iob propter teipsum amat & colit te, & non propter teipsum, & propter vtilitates tuas proprias, vt scilicet Deus ei diuitias & honores & salutem & filios tribuat & conseruet. Vnde S. Augustin. *dicta homil.* expendens calumniam istam inimici, ait: *Ad hoc prouocamur hîc ab aduersario, vt gratis Deum colamus, quando ille quærens quod obiiciat, pro magno se putauit inuenisse, quia dixit*: Nunquid Iob gratis colit Deum? *non quia videret cor ipsius, sed quia videbat diuitias eius. Cautè igitur debemus ne ad præmium diligamus Deum. Quid enim? propter præmium dilecturus es Deum? quale præmium est quod tibi daturus est Deus? Quidquid aliud tibi dederit, minus est quam ipse. Colit, non gratis, vt aliquid ab eo accipias? gratis cole, & ipsum accipies.* Ita S. Augustin.

Deum igitur propter Deum purè amemus, & Deum ipsum cõsequenter in præmium habebimus, &c. Erant quidem virtutes sancti Iob eximiæ, & opera eius pia & sancta, quæ tamen omnia hoc vitio damnare voluit, quòd intuitu commodi sui ille præstabat. & quidem vitiat opera magna proprius amor, qui non solùm apud Deum non prodest, sed obest: nam Deus non præmiat eos qui propter præmiũ temporale solùm illi seruiunt, sed eos qui sine oculo primario ad hoc præmium illum colunt, & ei fideliter obsequuntur.

Hinc S. Chrysost. *homil. 3. super Matth. Satis*, inquit, *certus thesaurum rectè factorum est obliuio.* Ita ille, nam qui regibus seruiunt, quia præmij causà à illis obsequuntur, & reges quasi homines obliuisci solent, operæ pretium est obsequia illis ad memoriam reuocare. Sed tamen qui seruiunt Deo, & Deo propter se, & non propter præmium seruiunt, & obliuisci debent obsequiorum, quibus satis sit quod Deus obliuisci non potest nostrorum obsequiorum, *No es menester dar memoriales à Dios de nuestros seruicios, que Dios es su misma memoria, y en ella los tiene eternamente escritos para premiar los.*

Hinc est quod dixit Dominus Moysi, *Quid clamas ad me?* silebat quidem tunc Moyses, vti adnotauit S. Greg. 22. *moral.* 18. & tamen illum clamare ait Dominus, *quia*, vt alibi ait idem sanctus, *Moyses audiuit tacens, quia placet seruiens.* Ita ille. Ecce quomodo, licèt lingua nostra taceat, obsequia nostra semper in auribus Dei clamant.

Sic ratio postulat vt Deum diligamus, sicut ipse diligit nos, Deus autem non diligit nos propter aliquam vtilitatem inde sibi propenientem, sed amat vt amet. Rectè S. Chrysost. *hom. 30. in 2. ad Corint. Non satis est verbis nostrum erga Deum amorem testari, neque enim ipse verbis duntaxat, sed etiam rebus suum erga nos amorem demonstrat. Tu igitur per opera id ostende; etenim ille nulla re nostra indiget, id quod etiam veri ac synceri amoris indicium est, nempe quòd cùm nulla re ipse indigeat, nec in vllius rei penuria versetur, nihil tamen non faciat vt à nobis ametur, eaque de causa dicebat Moyses*: Quid enim Dominus à vobis quærit, nisi vt ipsum ametis, *ac prompto animo post ipsum incedatis? ex quo efficitur, vt quando ipse iubet vt eum amet, tum potissimum ostendat se tui affici amore. Vide quippe quòd omnia ipsius præcepta ad requiem nostram ac salutem & gloriam referantur. Etenim cùm ait, beati misericordes, beati mundi corde, beati mites, beati pauperes spiritu, beati pacifici, nihil quidem ipse hinc percipit, verum idcirco id præcepit, vt nos instituat & ornet: & cum ait, esurite, non eò id ait quòd ministerio nostro opus habeat, sed vt te ad benignitatem & misericordiam excitet. nam alioqui etiam absque tua ope pauperes alere poterat; verùm vt amplissimum tibi thesaurum largiretur, hæc edixit: nam cùm Sol ille, qui in rerum conditarum numero est, oculi nostri haud quaquè indigeat, neque enim ei quic-*

Matt. 22.

Deut. 30.

Exod. 14.

Deut. 10.

Iob. 1. 10.

quicquam de splendore decedit etiamsi nemo eum cernat, verùm ipsi sumus qui vtilitatem capimus, cum ipsius radios intuemur, quamdiù tandem magis in Deo id vsu venit? Atque vt hoc etiam aliunde noscas, quantùm inter Deum & nes. intersit vis? an quantùm inter nos & culices? liquet profectò quòd multò plus atq; adeò infinities amplius; proinde si nos, qui magnoglorię studio flagramus, nec vili, culicum minsterio, nec gloria indigemus: quantò magis Deus qui à turbulentis animi perturbationibus & egestate plurimùm abest. hactenus tantùm vtilitatem ex nobis capit, quatenus beneficijs nos afficit, ac salute nostra maiorem in modum oblectatur. Quo fit vt etiam plerumque sua nimia fa-

1 ad Cor. 7.12. cientes, tua quærat. Si quis, inquit, mulierem habet infidelem, & ipsa consentit habitare cum eo, non dimittat illam: qui autem duxit in uxorem excepta fornicationis causa, facit eam mœcha-

Matt. 19. 9. ri. Videsne bonitatem omnis sermonis facultate præstantio-rem? si adultera sit vxor, inquit, minimè te cogo vt habites cum ea: si autem infidelis, non prohibeo. Rursus si aduersus aliquem insano animo es, iubeo vt is qui te molestia affecit, oblationem meam relinquat, atq; ad te currat. Si enim offers munus tuum,

Matt. 5. 23. inquit, ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade reconciliare prius fratri tuo, & tunc veniens offeras munus tuum. Quid de debitoris illius parabola? nónne hoc etiam indicat? nam cum decem millia talentorum abliguriuisset, ipsius misertus est, eumque missum fecit: at cum idem centum denarios à conseruo suo exegisset, tunc nequam & improbum eum vocauit, tunc tradidit eum supplicio: tanta ipsi tuæ quietis ratio & cura est. In vxori vxorem barbarus inex flagitium admissorus erat, ac dixit Dominus: Peperci tibi ne peccares in me. Paulus persequebatur Apostolos, & ait ad eum, quid me persequeris? Alij fame laborabant, & ipse esurire se dicit, & nudum, & peregrinum oberrare, vt hac etiam ratione te pudore commotum ad eleemosynæ studium excitaret. Quamobrem illud cum animis nostris reputemus, quantam vbique erga nos charitatem ostenderit, atque etiam nunc ostendat: nam & sui cognitionem præbuit nobis, quod quidem præcipuum omnium bonorum caput est, & animi lumen, & virtutis doctrinam vitamque ipsi gratam veluti lata lege promulgauit, & omnia nostri causa fecit, & filium suum dedit, & regnum suum pollicitus est, & ad arcana bona omnique sermone sublimiora nos vocauit, & beatissimam vitam nobis præparauit. Quidlibet ergo faciamus & dicamus, vt ipsius amore ac beneuolentia digni videamur & futura bona consequamur. Ita S. Chrys. Vbi notanda & ponderanda sunt illa exempla dilectionis Dei erga nos. ideò vt bona nostra sua esse dicat, & mala no-

Matt. 25. 40. stra reputet sua; quod vni ex minimis meis, inquit, fecistis, mihi fecistis, non ait solummodo, ego retribuam vobis, tanquam pro bonis exhibitis famulis meis, sed tanquam exhibitis mihi, & Paulo dixit persequenti discipulos Christi, cur me persequeris? non ait, cur persequeris

Act. 9.8. discipulos meos, sed cur me persequeris? Quid ais Domine, nonne tu in tuto loco situs es? nonne ad dexteram Dei sedes in gloria patris tui? quomodo igitur ais, cur me persequeris? non te, sed tuos persequitur Saulus. ita est, sed persecutionem meorum reputo meam. Ideo dixi, cur me persequeris? nam meos persequi meipsum persequi est. Ecce quomodo Deus amat nos, amat & benefacit, nihil inde lucri sibi quærens, amat nos, vt amet nos, sic tu ama eum. Deinde bona & mala nostra quasi propria reputat Deus, & denique aliquando plus nostra quàm sua Deus curare videtur. Hæc igitur forma & exemplar sit amoris nostri erga Deum. multum ne hoc, vt sicut Deus diligit nos, nos, quibus multum est ei tanquam seruos seruire, eum diligamus?

S. Bern. *serm.* 83. *in Cant. Suspectus est mihi amor, cui aliud quid adipiscendi spes suffragari videtur. Infirmus est qui spe subtracta aut extinguitur, aut minuitur. Impurus qui & aliud cupit. Purus amor mercenarius non est: purus amor de spe vires nō sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit.* ita ille. Et *lib. de diligendo Deo, Non sine præmio diligitur Deus, etsi absque intuitu præmij diligendus sit. charitas vacua esse non potest, mercenaria tamen non est, quia non quærit quæ sua sunt. Affectus est, non contractus, neque acquiritur pacto, neque acquirit: sponte assistit, spontaneum facit. verus amor se ipso contentus est, habet præmium, sed id quod amatur, ita S. Bern.* Quamuis igitur charitas spem comitem admittat, non tamen tanquam finem suum, sed tanquam se consequentem, &c. iuxta illud Dauidis, *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificatio-* Psal. *nes tuas propter retributionem.* vnde in Concil. Trid. *sess.* 116. 6. *c.* 11. & *can.* 31. dicitur: *Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit,* &c. vide S. Ambr. *lib.* 5. *in Lucam*, & S. Augustin. *serm.* 234. *de temp. & sup. Psal.* 43. & S. Chrys. *hom.* 23. *in Gen.*

Nota verò duplicem esse amorem secundùm Philosophos, & Theologos; alium scilicet amicitiæ, alium verò concupiscentiæ. Amor amicitiæ est amare aliquid propter ipsammet rem amatam, amor verò concupiscentiæ est amare rem aliquam non propter ipsam, sed propter seipsum, aut propter aliquid aliud: vt cùm diligimus equos, victum, & vestitum, quatenus hæc nobis vtilia sunt; & ideò volumus hæc, & huiusmodi esse bona, vt earum bonitas nobis deseruiat. Deum igitur non amore concupiscentiæ diligere debemus, iniquum enim esset diligere Deum, sicut diligimus equos, & jumenta, & pecora campi, & alia cuncta, ob vtilitatem, vel delectationem, vel honorem nostrum. nec denique licet amare Deum relatiuè ob aliquid aliud, sed amore amicitiæ purè propter ipsum, debemus, inquam, velle Deum esse summè bonum, non solùm vt nobis benefaciat, sed vt sit ipse bonus: & vt sit omnipotens, non vt possit nobis benefacere tantùm, sed vt in se habeat omnipotentiam istam: & vt sit infinitè misericors, non solùm vt misereatur nostri, sed etiam & potissimùm, & priùs, vt talis ipse sit in se: nec denique velle debemus aliquam aliam perfectionem habere Deum propter aliquid aliud à Deo ipso: sic enim amare Deum esset velle vti Deo, quo frui debemus, & frui illo, quo nobis vtendum, quo vtrumque peruersitas est, & iniquitas magna. Vnde Augustin. *Omnis humana peruersitas, quæ vitium vocatur, ibi Lib.* fruendo velle vti, & vtendo frui. *quæ*

Debemus igitur amare amore amicitiæ, hoc est, sicut verus amicus amat amicum suum propter ipsummet micum, amans, v.g. diuitias eius non sibi, sed ipsi amico, & sanitatem, & prosperitatem, & sapientiam, & virtutes, non quatenus inde sibi aliquod bonum prouenire possit, sed quatenus sunt bona ipsius amici, ita vt velimus hæc eum habere, non vt nobis hisprodesse possit amicus, sed vt ipse amicus his bonis abundet, aut complacendo in illis, quod scilicet habeat huiusmodi bona, *dandole el para bien de tales bienes, y gozandonos que los tenga.* Sic igitur amare debemus Deum, vt scilicet absolutè velimus esse omnipotentem, omniscientem, æternum, infinitum, summè bonum, summè gloriosum, &c. Vnde ex ratione affectiua & vnitiua dicere debemus Deo: Gaudeo Domine mi, te omnipotentem esse, infinitamque habere sapientiam, bonitatem, & cætera attributa, habeto illa Deus meus in æternum, & vltra, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Sic nos amare Deum docent cœlestes ciues. vbi S. Apostol. Ioan. *Vidi*, inquit, *in cælo turbam magnam, quam Apoc. 7.* *dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, &c. & clamabant voce magnâ dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno, & omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum, dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.* Vbi nota horum bonorum, quæ Deo Beati ipsi volunt, alia esse bona interiora, alia esse bona exteriora. Claritas, sapientia, virtus, & fortitudo ad ipsum Deum spectant in se, benedictio, honor, & gratiarum actio

actio exteriora Deo sunt. Vtroque igitur modo amore amicitiæ ac beneuolentiæ diligimus Deum, vel dum ei dicimus: Sis Domine omnipotens, æternus, &c. & cùm dicimus: O vtinam Domine omnes benedicant tibi, obediant tibi, seruiant tibi, & amentē: sed amor respectu bonorum ipsius Dei altior est, quia amare est idem quod velle bonum alicui, vt sæpè docet S. Thom. vnde quantò maiora bona volumus alicui, æquali intentione, maiori eum diligimus amore. Cùm igitur bona illa prioris generis maiora sint, superiori quodam amore diligimus Deum, dum illi superiora illa volumus bona. A Altissimus igitur est amor hic, & ad virtutem altissimam spectans, ad charitatem scilicet, de qua Apost. Paulus: *Nunc manent tria hæc fides, spes, charitas: maior autem horum est charitas.* *1. Cor. 13*

Quare meritò actus huiusmodi charitatis exercere debemus: sunt enim in se, vti diximus, sublimiores, & nobis ad maximum meritum computantur: nam maius meritum ex maioris virtutis oritur actu, vnde secundùm se maioris meriti est amare sic interiùs in corde Deum, quàm pane tantùm, & aquâ ieiunare, & se flagris ad sanguinem vsque cædere, & cætera huiusmodi præstare, quia hæc ad pœnitentiæ virtutem spectant, amare verò ita Deum, ad virtutem charitatis, quæ omnium virtutum est suprema. B

Nec causari quis potest hoc difficilius esse, quid enim facilius quàm sic in corde amare DEVM nostrum omni modo amore dignum: non hoc est castigare carnem, & in seruitutem redigere, non transalpinare, non aspera illa pati, quæ sancti Anachoretæ in desertis patiebantur, sed amare illum, quem amare super mel, & fauum dulcissimum est: amor quidē ex se dulcis est, sed, amor Dei super omnes amores. Dicésne difficile amare hominem amicum suum esse? imò, quantumuis amicus homo non fuerit, sit tamen vir bonus, sanctitate, C rectâ indole, sapientiâ, & gratis moribus ornatus; iucundus & gratus est cunctis eius amor & amicitia chara. Cùm igitur in Deo omnes dilectionis rationes conueniant in gradu infinito, poteritne alicui Dei amor difficilis æstimari?

Hoc tamen animaduertere oportet, quòd, licèt huiusmodi amor meritorius valde sit, non ideò à nobis ametur Deus, quia sic meritorium sit, amare illum: ne dictis aduersemur. id enim nō esset purè amare ipsum, amore illo amicitiæ, ac beneuolentiæ, & sine relatione ad aliud. neque ideò meritum amittimus, sed potius augemus: nam, vt ait S. Bernardus: *Absque intuitu præmij diligendus est Deus. verus enim amor sui ipso contentus, & licet absque intuitu præmij diligatur, non tamen diligitur absque præmio.* Ita ille. Nostrum igitur est, diligere Deum D purè propter seipsum, Dei verò est, præmium magnum reddere sic amanti. Si tu famulum habes, qui in omni obsequio tibi exhibito nihil aliud quærit, nisi tibi placere, nullâ prorsus ratione habitâ præmij, nónne hunc supra cunctos alios famulos amares? Sic igitur se Deus erga se amantes gerit, &c. Hâc quidem ratione censeo Ægyptium illum dominum, Iosephum adeò dilexisse, vt cuncta sua bona in eius traderet manus, quia sciliicet nihil aliud in eius obsequio respiciebat, nisi solùm qualiter saluti, honori, famæ, & diuitiis eius prospiceret semper.

Præterea dilectio hæc amicitiæ requirit, vt nos & omnia quæcumque alia in Deum referamus, & in gloriam suam vltimatè, ita vt nos ipsos, & omnia quæ diligimus, diligamus propter ipsum, & quidquid agere volueri mus, sit propter Deum ipsum, secundùm illud Apostoli, *siue manducatis, siue bibitis, siue aliud aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, 1. Corinth. 10. nec nimium hoc videri debet, cùm Deus sit α & ω, principium, & finis omnium rerum. Cùm igitur finis sit, & in omnibus rebus intendatur, quid mirum si ad Deum A res nostras, & actiones nostras referamus, tanquam ad finem nostrum?

Quod etiam in tenore huius præcepti Dominus nobis iniunxit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Hoc est, nihil sit in intellectu tuo, nihil in voluntate tua, nihil in memoria tua, nihil in omnibus viribus & potentiis, quod in Dei amorem non dirigatur, & referatur, tanquam in suum finem, & hoc quidem meritò à nobis exigit Deus: naturalis quippe ratio poscit, vt arboris Dominus, fructibus eius potiatur, & cuius ager est, ipsius etiam seges sit. Cùm igitur Deus sit omnium rerum Dominus, potentiarum, sensuum, liberi arbitrij, & omnium operationum, quid mirum si quod eius est ad eum referamus? *In ipso*, ait Apostol. *viuimus, mouemur, & sumus*, ad ipsum igitur viuamus, moueamur, & simus. quid enim est in ipso viuere, nisi vitam nostram ab eo esse, & pendere in esse, & conseruari? Sua igitur est vita. *Matt. 22. 37.* *Act. 17. 28.*

Præterea omnia opera serui sunt domini eius, si enim ex operibus suis aliquod emolumentum percipit seruus, id totum domino debetur, ipsius enim est secundùm regulam illam iuris, *Quidquid acquirit seruus, acquirit domino suo.* Quare si seruus illud sibi vsurparet, ille fur esset & latro. Cùm igitur Deus Dominus noster sit, nos autem serui eius, titulo creationis, & titulo redemptionis, &c. imò altiori & potiori iure Dei serui sumus, quàm sit seruus emptitius ipsius ementis seruum, quia non minùs homo seruus est, quàm Dominus eius, nec dominium plenum super liberum arbitrium seruî dominus habet, Deus verò maximè. Nihil igitur in homine sit quod non Deo Domino referatur.

Hoc quidem tenentur concionatores populum do- *In lib. de virtutib.* cere, hoc superiores subditos suos: nam, sicut Guillelmus Parisiensis adnotauit, pauci sciunt, vel saltem animaduertunt, gloriam Dei finem esse omnium operum nostrorum: sicut enim vulgus minima bona solùm diligit, diuitias nempe sæculi, sanitatem corporis, honores mundi, voluptates carnis, & huiusmodi cætera: maiora verò bona, qualia sunt spiritualia, & cælestia, ac æterna, nec quærit, nec cogitat quidem, nec alia bona, bona esse cognoscit, nisi temporalia, & corporalia, more puerorum, qui solùm nuces & poma curant, & quærunt, non verò agros, domos, prædia, & alia bona, quæ inter temporalia maioris momenti sunt. Hoc igitur discat etiam vulgus, se ad diligendum Deum in omnibus & per omnia teneri, & ipsius gloriam in suis actibus omnibus inquirere debere.

Bonitas obiectum amoris est, in tantum enim aliquid amamus, in quantum bonum est: si paruum bonum est, paruo, si magnum, magno etiam amore dignum est: ideò enim magis salutem quàm diuitias amamus, quia maius bonum est salus, quàm diuitiæ, & magis vitam, quàm salutem & alia bona temporalia diligimus, quia maius bonum est vita, quàm reliqua nostra temporalia bona. Pro mensura igitur bonitatis est mēsura dilectionis: cùm igitur Deus sit bonum infinitum (*Veni*, inquit, *& ostēdam tibi omne bonum,*) denique cùm sit bonitas per essentiam, & bonitas ipsa, & omnis bonitatis eminens ratio, quali ergo amore dignum iudicas, qui infinita bonitas est? equidem si infinitum amorem habere possemus, infinito ipso & omnimodo amore illum amare deberemus. Quare solus ipse Dei amor Dei amabilitati satisfacit. Sicut enim amor eius infinitus est, sic & amabilitas eius infinita est: quidni ergo iustissimè illi omnem amorem tribuamus, qui amorem finitum habemus? cùm si infinitum amorem haberemus, infinito ipso amore eum amare deberemus. *Exod. 33. 19.*

Quid obstat? dicam: amori Dei amor proprius obstat, & sicut clauus clauo truditur: sic amor amore, amor, inquam, Dei amore proprio. Vnde qui in corde

suo Dei amorem inferere cupit, amorem sui priùs ab- dicare à se debet: non enim bene conueniunt, neque vna sede morantur hi duo amores. Nonnulli narrant auctores musicum quemdam insignem à parente quodam duplicem exegisse mercedem pro filio, quem illi pater in disciplinam tradebat, hæsit pater, & dixit: Filius meus jam antea musicæ operam dedit, & non exigua artis principia nouit. cui citharœdus: Imò hâc ratione duplicatam postulo mercedem, quia duplicem laborem subiturus sum, vt videlicet vetera aboleam, & noua tradam, quæ enim didicit ab alio opposita sunt documentis à me tradendis. Sic igitur qui scholam diuini amoris ingredi cupit, aboleat oportet, quæ in schola didicit mundani amoris.

Nec leue id quisquam esse putet, oscitanter procurandum, exercere oportet vires, & operi huic intendere vigilanter. Sensit olim hanc difficultatem S. Cyprianus, qui post conuersionem suam sic ad Donatum scripsit: *Ego*, inquit, *cùm in tenebris & nocte caca jacerem, difficile prorsus ac durum pro meis moribus opinabar, quod in salutem mihi indulgentia diuina pollicebatur, vt quis denuò renasci posset, & in nouam vitam animatum, quod priùs fuerat, deponere, & corporis licèt manente compage, hominem animo ac mente mutare. Quin impossibilis, aiebam, tanta conuersio est, vt repentè ac perniciter exuatur, quod vel geninum situ materia naturalis obduruit, vel vsurpatum diu senio vetustate inoleuit.* Ita S. Cyprianus.

Chrysost. Sanct. Chrysost. ho. 5. ad Rom. *Si quando nos vel tantillum boni officij erga Deum præstiterimus, ingratorum seruorum more, idq; certè accurata, ac veluti institorè cùm supputatione examinamus curiosè de ipsa remuneratione soliciti, quod mercenarij potiùs est quam grati serui, sunt enim omnia proter Deum agenda, non propter mercedem: amare quippe illum hoc magna merces est, & gloria & beatitudo infinita, quam nec oratio repræsentabit, nec mens comprehendet. Audi Prophe-*

Ps. 72. 25. *tam*: Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. *Ac si diceret: Nullius prorsus alterius rei, neque cœlestis, neque terrestris, sed tui vnius desiderio teneor. Hoc sanè amor est, hoc amicitia. Quòd si hoc modo amauerimus, nec præsentia bona, nec futura quicquam esse præ tali amore arbitrabimur.* Ita S. Chrysostomus.

PROP. XXIV. *Amandus est Deus super omnia.*

ITa charum Deum habere debemus, vt appretiatiùe eum super omnia, & plusquam omnia diligamus, ita vt si honorem, aut diuitias, aut famam, aut dignitates, aut salutem, aut vitam, vel Deum amittere peccando debeamus, priùs reliqua omnia simul, quam ipsum Deum amittere prorsus decernamus. Vnde S. Augustinus, exponens sententiam illam Christi Domini, *Qui*

Tract. 5. in Ioan. Ioan. 12. *amat animam suam, perdet eam. Cùm ergo*, inquit, *causa articulus venerit, vt hæc conditio proponatur, aut faciendum esse cõtra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum, quorum duorum homo si cogatur alterum eligere, commmante mortem persecutore, ibi eligat Deo dilecto emori, quàm viuere, offenso ibi odio habeat vitam suam in hoc mundo, vt in vitam æternam custodiat eam.* Ita S. Augustinus.

Hoc animaduertant Christiani, qui amorem Dei profitentes, ob vnicum honoris punctum mortaliter peccant, corde, vel ore, vel opere, vel omnibus simul: hi magis honorem, quam Deum amare conuincuntur, imò, quod magis dolèdum est, honoris punctum, quod non merentur supplicium hi? &c. Idem de his qui pro obolo vno iurant, periurantque, & proximo nocent, &c. vel ob voluptates, & delitias breues. Et si etiam Esau condemnamus, quia vili quadam lenticula maioratum vendidit fratri, quid de illo dicendum, qui cœli maioratum, & Deum ipsum pro rebus his caducis commutauit?

Cap. 8. 3. Qui se ita Deum amare demonstrauit, B. Apostolus

A Paulus fuit, qui Epistola ad Romanos, *Quis*, inquit, *non separabit à charitate Christi, tribulatio, &c. certus sum enim, quia neque mors, &c.*

Vnde Scotus, explicans hunc amandi modum, Homo, inquit, debet Deum amare super omnia extensiuè, & intensiuè, extensiuè, inquam, ita vt nullum aliud, nec omnia simul sint sibi æquè appretiabilia, sicut Deus, sed quòd omnia pariter vellet priùs non esse, quàm Deum non esse. Intensiuè autem, ita quòd faciliùs deberet inclinari ad contrarium dilectionis cuiuscumque alterius, quàm ad contrarium dilectionis Dei. contra quod faciunt, qui peccant mortaliter, præceptum aliquod transgrediendo: hi enim non diligunt Deum plusquam illud, propter quod peccant, &, saltem interpretatiuè, in illo actu magis volunt carere Deo, quàm ea re, ob quam peccant. Vnde ait Dominus: *Qui amat patrem, aut matrem, &c. plus quam me, non est me dignus*: nemo autem est indignus Deo, nisi qui mortaliter peccat. Deus enim est illa pretiosa margarita, pro qua prudens mercator vendidit omnia, vt compararet eam. Exemplum huius amoris in Martyribus habemus, qui vitam pariter cum honore, & diuitijs, & amicis, & cognatis reliquerunt, & grauissima supplicia toderarunt, ne amitterent Deum.

Apost. ad Rom 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia?* &c. & subdens ea quæ maiora sunt, ait: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita.* Quid sibi vult exaggeratio hæc? Dixerat iam quod neque gladius eum à charitate Dei separare posset: in gladio mors vitaque continetur? vt quid igitur nunc *neque mors*, inquit, *neque vita*, &c. S. Chrysostomus ho. 15. ad Ro. per hanc mortem & vitam, nõ hanc corporalem intelligit, sed eternã: ait ergo C. hrysost. quod Apost. inquit, hunc habet sensum: *Neq; si quis mihi mortem perpetuam illã nullo fine terminandam minaretur, vt à Christo separaret, neque si promitteret fore, vt vitam illam nullo fine terminandam producerem, nec hanc quidem conditionem admitterem. hoc igitur Paulo ipsa gehenna terribilius erat, sicut in Dei amore perfistere, etiam regno cælorum desiderabilius erat illi. Quid igitur de nobis dicendum, cùm ille nec ea quidem, quæ in cælo sunt, præ Christi amore admiretur: nos verò, quæ in cæno & luto sita sunt, Christo præferamus. Et ille quidem ob Christi amorem vel in gehennam decidere libens admitti, & paratus est vel à cœlorum exercere regno, si vtrumque huic proponeretur: nos autem, nec præsentem quidem vitam desiramus. Horreamus ergo qui nec pecunias quidẽ propter Deum contemnimus, imò nec propter nos ipsos. Paulus propter Christum omnia ingenuè ferret, cùm nos neque ipse Christus, neque regnum cælorum a rebus sæcularibus abducant, sed veluti serpentes, aut porci in limo reptamus.* Ita S. Chrysost.

Idem S. Chrysost. homil. 16. expendens illa Pauli verba ad Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*, &c. *Quid ais* (inquit) *ô Paule? à Christo illo, inquam, Christo, qui à te desideratur, à quo te nec cœlorum regnum, nec gehenna separabat, neque ea quæ videri, neque ea quæ cogitari possunt, ab hoc nunc precaris anathema esse? quid accidit? num desiderium illud deposuisti? Haudquaquam, inquit, ne vereare, sed illud intendo magis: qui igitur fit, vt precerù anathema esse, & alienationem quæras, ac diuortium tantum, post quod inuenire aliud non queas? Quoniam, inquit, etiam atque etiam vehementer illum amo. Qui obsecro, cùm anathema te esse à Christo velle dicas? Primùm igitur intelligamus, quid sit anathema, sic fiet vt arcanam hanc, & nouam hanc dilectionem perdiscamus. Quid igitur anathema est? Audi eundem Apostolum: Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, is anathema sit, hoc est, ab omnium commercio segregetur, alienus ab omnibus sit. Nam sicut donum quod Deo dicatur, anathema dicitur, & nemo est qui temerè manibus contingere audeat, neque ad id accedere propẽdit: sic & eum, qui ab Ecclesia separatur, ab omnibus abscissus & tanquam longissimè abductus, hoc nomine à contrario appellat. magno eum terrore omnibus interminatus, vt separentur ab*

1 Sco. 27.

Mat. 10.

B

C

D

Rom. 8.

Chrys.

Rom. 9.

eo. Anathemati enim honoris gratiâ appropinquare nemo audebat. ab eo autem qui ab Ecclesia abscissus erat, ex opposita sententia omnes separabantur. Quapropter vtraque separatio ex æquo à vulgo abalienatio erat, separationis verò modus contrarius. ab illo enim abstinebant, tanquam Deo dicato, ab hoc autem decedebant tanquam à Deo alienato, & ab Ecclesia abscisso. Propter hoc igitur Paulus dixit: Optabam ego anathema esse à Christo. Nec simpliciter dixit, volebam, sed optabam à Christo separari & alienari: attende autem, non solùm quod separatus esse vellet, sed causam, & videbis magnitudinem dilectionis illius. Nam nisi causas examinauerimus, & Etiam dicemus homicidam, & Abraham percussorem filij, & Phinees, & Petrũ rursus accusabimus cædis. Anathema à Christo pro Christo esse volebat: humilitatis enim causâ dixit, pro fratribus, vt numium affectum occultet: namq; quod quidquid hoc est, propter Christum vellet, audi quæ sequuntur. cùm enim dixisset cognatis meis secundùm carnem, addidit, Quorum est adoptio, & gloria, & testamẽta, & legis constitutio, & cultus, &c. Hæc dicit, quoniam multi Deum incusabant, quod qui digni habiti essent filij Dei vocari, & legẽ accipere, patresq; earundem tribuum, quodq; omnium maximum, ipsius Christi maiores essent, & electi atque inhonorati essent, pro illis autem introducti, qui nunquam illum agnouissent, hi scilicet qui à gentibus ortum duxissent: hæc igitur qui dicebant, quoniam Deum comitus afficerent, audiens hæc Paulus, ægrè ferens, & pro Dei gloria dolens, precatus est anathema esse, vt illi salui fierent, & conuitium huiusmodi contra Deum cessaret, nec videretur Deus maiores eorum decepisse, quibus pollicitus est dona: atque vt intelligas illum ab hoc angi, ne scilicet Dei promissio intercidere videretur, quâ Abrahæ dictum est, Tibi dabo terram hanc & semini tuo, idèo anathema esse optauerat: nam cùm hæc dixisset, addidit: Non autem hæc loquor quod exciderit verbum Dei, declarans quòd hæc omnia propter verbum Dei perferre sustinebat, hoc est, ob promissionem Abrahæ factam. Sicut ergo Moyses videbatur pro Iudæis legatione fungi, rem verò totam pro gloria Dei agebat, Dei enim iram sedaturus, dixit, ne dicant, quia seruare eos non posset, eosdem eduxit in eremo perdendos. Sic Paulus, ne dicant, quod Dei promissio excidit, & quæ promisit falsò promisit, & illius sermo ad opus non exit, optabam anathema fieri. Et idò non pro gentibus ait, neque enim ad illos promissum illud erat, neque illi erant, qui ipsum coluissent, propterea inquit discrucior, & si liceret, vellem ab eo choro separari & alienari, qui circundat Christum, non ab ipsius amore. Absit hoc: siquidem propter Dei amorem hæc faciebat. sed & illâ fruitione & gloriâ priuari sustinuerim, ne Dominus meus conuitio afficiatur, & malè audiat, vt ne exaudiam eos, qui dicunt, quòd res, velut scena, factæ sunt: alius enim promisit, & alius dedit, ex alijs gentibus est, & alios saluos fecit, illi in legis meditatione & in Prophetarum lectione laborauerunt, & qui ab idolis nuper rediere, hi facti sunt illis superiores. Vbi hæc prouidentia? vt ne igitur hæc, ait, de Domino meo efferantur, quamquam iniustè efferuntur, & à cœlorum regno libens exciderem, & ab illa arcana gloria, tum aduersa omnia tolerarem, maximam existimans consolationem mihi adfore, si amplius non audiam conuitijs eum affici, cuius amore tantopere ardeo. Sed quoniam procul ab hoc amore absumus, nec animi quidem cogitatione dicta hæc possumus complecti. Sunt autem qui hæc de temporariâ morte Paulum duere sentiant, quos quidem tantundem ignorare dixerim Paulum, quantùm cæcos solarem radium, seu veriùs dicam, multò etiam amplius. Qui enim per singulos dies moreretur, ac periculorum veluti grandinibus suppositis, dixisset, Quis nos separabit à charitate Christi? num afflictio, num fames, num persecutio? nec contentus sæculi huius rebus, sed supergressus cœlum, & cœlum cœli, & Angelos, & Archangelos, & omnia superiora circumcurrens, tum comprehendens simul præsentia, & futura, & ea quæ videri, & ea quæ cogitari possunt: itemq; & molesta, & suauia, & nihil prorsus omittens: ac nec sic quidem satiatus, sed, & aliam talem ac tantam creaturæ non existentem supponens, Is: obsecro, quo tandem modo, tanquam magnum quiddam post illa omnia proferens, mortis temporariæ mentionem faceret? non est ita, non est ita, imò lumbri-

A corum in simo latitantium huiusmodi fuerit opinio: nam si id diceret, quomodo anathema à Christo se esse precaretur? mors enim huiusmodi magis Christo coniungebat, & efficiebat vt gloria illa perfrueretur.

Sed sunt nonnulli, qui his ridicula magis dicere sustineant, non enim mortem, aiunt, sed donum Christi reconditum esse precabatur: & quis hoc vel hominum admodum tenuium ac supinorum non fuerit precatus? quomodo autem pro suis cognatis hoc faceret? fabulu ergo ac nugis amissis, ad eius verba redeamus: Optabam ego, *ait*, anathema esse pro Christo. *Quid est*, Ego? *Ego qui omnium magister sum effectus, qui tot merita coegi, qui coronas innumeras exspecto, qui sic illum amo, vt erga illum amorem omnibus rebus facilè anteponam, qui quotidie propter illum vror, neque enim illi cura erat, solùm à Christo amari, sed & illum magnoperè amare, & hoc in primis curabat, vnum per omnia considerabat, scilicet quomodo pulchrum hunc amorem expleret, & hoc quidem precatur.* Ita S. Chrysostomus.

B

Prop. XXV. *Deus amandus, quia summè bonus.*

IN tantum aliquid amabile est, in quantum bonum est. sicut in tantum est odio dignum, in quantum malum est: ideò enim peccatum summo est odio dignum, quia summum malum est, Deus autem est summum bonum, imò bonitas ipsa per essentiam. Vnde Christus Dominus cuidam se bonum appellanti, dixit, *Quid me dicis bonum: nemo bonus, nisi solus Deus.* quid? non ne ipse Deus erat? Erat, sed erat pariter homo, & in quantum homo se bonum dici noluit. Dices, si bonum, vt Philosophi aiunt, conuertitur cum ente, etiam in quâtum homo, bonus dici deberet CHRISTVS, cùm in quantum homo ens verum sit. Ita est, metaphysicè loquendo: sed tamen ita incomparabiliter diuina bonitas reliquas superexcedit bonitates, vt in eius comparatione nullum aliud ens bonum debeat appellari: est enim bonum infinitum: finiti autem ad infinitum nulla est proportio. Denique, vt dixi, est ipsa bonitas per essentiam, quâ nulla potest maior excogitari. *Luc. 18. 19.*

C Hinc est, quod si nos infinitè diligere aliquid possemus, infinitè Deum diligere deberemus, est enim bonitas diligibilis infinitè, quia est bonitas infinita; bonitas verò, vt bonitas est, diligibilis est: bonitas ergo infinita est diligibilis infinitè. Quare à nullo alio quàm à se, Deus diligitur, vt meretur: diligitur autem à se infinita dilectione, quia eius dilectio infinita est, & diligibilitas est pariter infinita. O Deus bone, gaudeo vehementer dilectionem tuam in te infinitam meæ finitæ dilectionis defectum perfectè supplere: diligi te, Domine in æternum infinitè, &c. *Tract. de diligendo Deo.*

Sed cùm non possimus DEVM infinitè diligere, restat, vt saltem prout possumus, eum sine limitatione aliqua diligamus: nam, vt ait S. Bernard *Modus diligendi Deum, est diligere sine modo*: nam in aliis rebus modus quidam est habendus,

D *Sit modus in rebus* (ait Poëta) *sint certi denique fines, Quos vltra citraque nequit consistere rectum.*

v. g. in cibo, in potu, in somno, & vigiliis, at quantò dilectio Dei fuerit intensior, tantò erit melior.

Sicut ergo Medicus non ponit terminum sanitati, quæ est finis curationis suæ, sed quantò meliorem potest eam efficere, conatur id præstare: mediis verò, scilicet pharmacis, dietæ, &c. modum adhibet, & omnia moderatur, secundùm quod ad sanitatem conducunt: sic in amore Dei non est limitatio aliqua adhibenda, sed quantùm possibilitas nostra consentit, tantùm sunt huiusmodi habenæ amori laxandæ.

Prop. XXVI. *Ad amandum Deum ipsius Dei amor urget nos.*

Seneca. Recte quidem Seneca: *Frustra queris maleficas ad amorem, ostendam tibi maleficum potens, ama & amabris.* Ita ille. Et meritò, nam nihil potentius ad eliciendum amorem, quàm amor: ad hoc igitur *Verbum caro factum est*, vti ait S. Augustin. in Manuali, cap. 26. tom. 9. dicens: *Vt familiaritiùs diligeretur Deus ab homine, in similitudine hominis apparuit Deus. Quis est tam durus, quem non emolliat amor Dei, sic hominem prævenientis? Et tam vehemens amor, quòd homo propter hominem dignatus est fieri.* Ita S. Augustin. addequoque quòd propter nos homines, & propter nostram salutem, passus est dira supplicia, & mortem, mortem autem crucis. Vide eundem S. Augustin. lib. 13. de Trinitate cap. 10. & 11.

Ioan. 1. 14 S. Aug.

Gen 22. 2 Genes. 22. sic Deus ad Abraham: *Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, & offeres eum in holocaustum,* &c. Cur quæso sic tentare voluit Dominus Abrahamum tentatione vehementi? quod si præcipuè holocaustum volebat, ad quid circunstantias illas appositit, *vnigenitum & quem diligis*, cùm hæc maioris doloris causam futuram esse sciret? Respondet Hugo de sancto Victore ibidem: *Omnibus illis verbis hoc intendebat Deus, vt magis accenderet amorem Patris in filium, vt posteà amorem Dei carnali præponeret amori, & cum si vinceret, gloriosior victoria esset.* Ita ille. Hinc constat, quàm Deus velit à nobis diligi super omnia, & constat zelus eius in nos.

Hugo de S. Victore.

Prop. XXVII. *Amandus est Deus valde, quia ipse nos valde amat.*

1. Io 4. 19 Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos: hæc inuiolabilis est charitatis lex, vt amor amore recompensetur, *amor con amor se paga, y assi amor se debe al amor.* Etiamsi dederis omnem substantiam tuam pro dilectione diligentis te, quasi nihil meritò despiciet illam, nisi amori eius tuo respondeas amore. Vnde S. Augustinus: *Nulla* (inquit) *maior est ad amorem inuitatio, quàm amantem amore præuenire: & nimis durus est animus, qui, si dilectionem nolebat impendere, nolit rependere.* Ita ille.

Lib de catechizandis rudibus.

Deus autem quali & quanto amore nos fuerit prosequutus, ac prosequatur, quis poterit explicare? & quidē cæteris omissis, ex ipso Incarnationis opere satis colligere licet, quam Christus Dominus his verbis vehementer auxit, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, charitatem hanc illâ dictione, *sic*, ponderatam maximè reliquit, sic, vt humanis verbis nequeat explicari, sic, vt in admirationem adduxerit ipsos cæli ciues, sic, vt nisi cùm in Verbo diuino, & statu gloriæ, id clarè & apertè viderimus, percipere nequeamus, sic, vt nisi hoc *Sic* sic indeterminatum relinquatur, melius dici nequeat. Vnde Apostolus Paulus nimiam vocauit hanc charitatem: *Deus ipse dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu.* Nimiam vocat hanc charitatem, quia si eo solùm nos saluare vellet, quod satis fuerat, morte Christi, & sanguinis eius effusione nequaquam opus fuisset: quocunque enim opere seu verbo Christi, propter nos Patri oblato, nos redimere potuisset. nimia igitur, hoc est, superabundans valde fuit hæc charitas Christi. Secundò pondera verba illa, *cùm essemus mortui peccatis*, hoc est, cùm essemus peccatores, in quo ad talem amorem nimia nostra indignitas declaratur: si enim peccatores, inimici Dei, & secundùm præsentem iniustitiam ad inferna damnati eramus, & omnibus reliquis mundi creaturis miserabiliores, & viliores. nos igitur tales diligere quanta quæso charitas fuit?

Ioan. 3. 16

Ephes 2. 4

Nunc ad rem. Si amor amorem non solùm requirit, sed extorquet, quanto nos huiusmodi amatorem amare, seu redamare tenemur? *Hoc*, inquit Dominus, *est præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos*, si proximum nostrum sic diligere debeamus, sicut Christus dilexit nos, cùm sæpè proximus non diligat nos, quantò magis ipsum Christum diligere debemus, sicut ipse dilexit nos, cùm adeò vehementer dilexerit nos, vt fuerit passus, mortuus, & crucifixus propter nos: *maiorem autem charitatem hac nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro alio.* Si ergo ad mortem Christus nos dilexit, mortem autem crucis, quanto nos eum amore prosequi oportet? S. August. *Quæ maior est causa aduentus Domini, nisi vt ostenderet Deus dilectionem suam in nobis si amare nolebas, redamare cura.*

Ioan. 15. 12

Lucæ 23. 46

Rom. 5. 6

Quanto Deus nos amore prosequitur, verbis exprimere nequimus, id dicere sit satis: *Sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Quid ampliusdiuino nos amore dici potest? quid igitur nos retribuemus Domino pro tanto in nos amore? quem amorem ostendemus? amore cuippe soluimus debitum amoris, *amor con amor se paga.* Quod si pro huiusmodi dilectione dederit homo Deo cunctam substantiam suam, quasi nihil despicietur eam Deus. Vnde S. Chrysost hom. 5. ad Roman. *Si certe qui sic nos, sicut Deus amat, vilis quispiam esset, qui vero sic amatur, Rex, nónne ab amoris magnitudine erubesceret? erubescret quidem admodum. nunc verò vbi è contrario se res habet, estq; eius qui nos amat, tanta, támque excellens pulchritudo, gloria, & opulentia, nostra verò tenuitas, vilitasq; tam ingens, nónne infinitis supplicijs digni sumus? vtpote qui sic tenues & abiecti, a tanto, tam magno, tamq; admirabili supra omnem quam adamemur modum, delictas tamen pluris facientes, illius erga nos amori sic illudamus? ille quidem nullius rei nostræ indigens est, ac nec sic quidem amare nos desinit, nos verò illius adinodum egemus, ac nec sic quidem illius adhæremus amori. sed tum fortunæ bona, tum hominum amicitias, tum corporis otium, tum principatum, tum gloriam præferimus illi, qui nobis tamen nihil quicquam antependendum sibi putat? Vnum enim cum habeat filium, nec huic quidem propter nos peperit: nos autem quam multa sunt, quæ illi præferimus. Nónne igitur meritò gehennam nobis commamur? quod supplicium si vel duplicatum, vel triplicatum, vtq; decies millies grauius foret, essémne quamobrem meritò conqueri possemus, quum diaboli mandata Christi legi anteponamus?*

Prop. XXVIII. *Amandus est Deus, quia creator noster est.*

Sanct. Damascenus, *Deus noster principaliùs nobis est pater, quam illi, qui nos genuerunt, quia nos de non entibus ad esse produxit.* ita sanctus Damascenus. Vbi ponderanda est differentia inter Deum, ac parentes: nam Deus creator est in solidum animæ nostræ, parens autem non est causa animæ nostræ, sed solius corporis, & adhuc corporis non totalis, nec principalis causa: nam Deus, qui animæ est totalis causa, corporis etiam est principalior causa. quòd si parentibus nimiùm debitores sumus, cò quod partiales & minùs principales causæ fuerunt, quantò magis Deo, qui totalis causa animæ & principalior corporis, imò sine quo parens nec corporis nostri causa esse potuisset, cùm Deus sine parente ad libitum producere nos posset? si ergo speciali quodam & vrgenti præcepto ita eximiè parentes amare debemus, quantò potiùs Deum.

Lib. 3.

Præterea, si cæcus vel mutus esses, quanto amore prosequereris eum, qui tibi visum, vel loquelam restitueret gratis ex amore? cùm igitur Deus tibi gratis & ex amore visum, auditum & loquelam, & reliquos sensus & potentias corporis & animæ contulerit, & vitam

tam ipſam, quantâ dilectione quæſo eum proſequi debes? illum, inquam, qui tibi animam rationalem ad Dei imaginem factam, & æternæ beatitudinis capacem, & integrum corpus dedit, & conſeruat ſine vllis meritis tuis, imò fortè cùm demeritis multis, & ſupra reliquas omnes corporales creaturas ditauit, & nobilitauit. Audi S. Bernard. in quodam ſermone: *Paruáne tibi hæc videntur? cogita qualem te fecit, ſecundùm corpus quidem egregiam creaturam, & ſecundùm animam pulchram magis, habentem inſignem imaginem Creatoris, rationis participem, & beatitudinis æternæ capacem.* Ita ille.

PROP. XXIX. *Amandus eſt Deus propter beneficia multa & eximia in nos.*

Cor. 3. OMnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura: omnia enim veſtra ſunt. Locũ hunc optimè illuſtrauit Magiſt. *1. 2.* ſententiarum. *Sicut*, inquit, *factus eſt homo propter Deum, id eſt, vt ei ſeruiret, ita mundus factus eſt propter hominem, ſcilicet vt ei ſeruiret. Poſitus eſt ergo in medio, vt & ipſe ſeruiret, & vt ei ſeruiretur, vt quidem acciperet vtrumque, & reſſueret totum ad bonum hominis, & quod accepit obſequium, & quod impendit. Ita enim voluit* DEVS *ſibi ab homine ſeruiri, vt eâ ſeruitute non* DEVS, *ſed homo ſeruiens iuuaretur, & voluit, vt mundus ſeruiret homini, & exinde ſimiliter iuuaretur homo. Totum ergo bonum hominis erat, & quod factum eſt propter ipſum, & propter quod ipſe factus eſt.* Omnia enim, vt *Cor. 2.* ait Apoſtol. noſtra ſunt, ſcilicet ſuperiora & æqualia & inferiora. *Superiora quidem noſtra ſunt ad perfruendum, vt* DEVS TRINITAS: *æqualia ad conuiuendum, ſcilicet Angeli. Qui etſi modò nobis ſuperiores ſunt, in futuro erunt æquales: qui & modò noſtri ſunt, quia ad vſum nobis ſunt. ſicut res dominorum dicuntur eſſe famulorum, non dominio, ſed quia ſunt ad vſum eorũ. Ipſi quoq; Angeli in quibuſdã Scripturæ locis nobis ſeruire dicuntur, dum propter nos in miniſterium mittuntur.* Ita ille. Obſerua igitur diuinam magnificentiam in nos: ſi terra flores, *d Heb. 1.* fructus, & herbas vtiles & ſalutiferas producit, eſt propter nos, ſi aqua piſces, aër ſuſtinet aues, eſt propter nos, ſi Sol, Luna, & ſtellæ cæleſtes lucem emittunt, & influunt in inferiora, eſt propter nos, ſi Angelos Deus creauit, eſt vt nobis eſſent adminiſtratorij ſpiritus, vt hæreditatem capiamus æternæ ſalutis, denique ſi Prophetas, ſi Apoſtolos, ſi Euangeliſtas & Doctores & Paſtores inſtituit in Eccleſia, eſt propter nos, *& ipſe*, ſcilicet Chriſtus, ait Apoſtolus, *dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij in ædificationem corporis Chriſti.* Nota, in opus miniſterij, in ædificationem, &c. ad hoc ſcilicet ſunt Prophetæ, Apoſtoli, &c. vt nobis miniſtrent, vt nos, qui Dei Eccleſia ſumus, ædificent, & in hæreditatem cæleſtem introducant. ideò ait Paulus in loco priùs citato: *Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Petrus, ſiue mundus totus, ſiue vita, ſiue mors.* quo, inquies, pacto mors noſtra eſſe poteſt, quæ animam noſtram tollit, quæque omnium malorum mundi caput eſt? Eſt quidẽ mors noſtra vtilis nobis, quia mori lucrũ, dũ per mortẽ ad vitam æternam tranſimus, ſic noſtra jam eſt mors. *Rom. 8. 28* Deniq; ſiue præſentia proſpera, vel aduerſa ſint, noſtra ſunt: *quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* & futura noſtra ſunt, quia æterna illa & incogitabilia bona præparauit Deus diligentibus ſe, &c. Sic igitur omnia noſtra ſunt, omnia nobis donauit. ſi ergo dona nos ad amorem prouocant, tot tantaque dona, quibus Deus nos ornauit, qualem quantumque à nobis amorem poſtulabunt, quaque fidelitate ei nos ſeruire cogent? Solicitanti Ægyptiæ quid reſponderit Ioſeph, attende. *Ecce*, inquit, *Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo ſua: nec quidquam eſt quod non in mea ſit poteſtate, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere?* ſi ergo dona, quæ Ægyptius ille tradiderat Ioſeph, ita deuinctum eum tenebant, vt ſibi eum offendere impoſſibile videretur, quantò magis nos fideles in Deum eſſe oportet, qui nobis cuncta, & ſeipſum donauit?

PROP. XXX. *Qui Deum amat, ſe & omnia ſua in eum ordinare debet.*

CAntic. 2. vbi nos legimus, *Ordinauit in me charitatem*, originale Hæbræum ſic habet: *Vexillum eius ſuper me amor*: verba ſponſæ ſanctæ ſunt, quaſi dicat: Deus in me vexillum quoddam poſuit, vexillum autem hoc eſt, amor meus in eum. cur igitur vexillum eum vocat? ſolet vexillum Rex ſuper aliquam ciuitatem collocare, vt victam à ſe illam ciuitatem eſſe oſtendat. & ſubditam jam ſibi, eamque debere inomnibus illi parere, & jam non contra illum pugnare, ſicut ſolebat priùs: hoc igitur etiam ſignificat amor Dei in animam illam, ſcilicet ſub Dei poteſtate eſſe redactam, & quæ illi anteà reſiſtebat, & obſtabat, & contradicebat, jam illi omnino ſubditam eſſe, vnde & ſubiectio hæc amoris in Deum ſignum eſt &c. *Cant. 2. 24.*

PROP. XXXI. *Qui Deum amat, peccata fugere debet.*

PRætereà vexillum belli contra hoſtes indicium eſt: tunc enim maximè vexillum erigitur, cùm aduersùs hoſtes pugnandum eſt: ad hoc autem Deus in animam amorem ſuum infundit, vt ſibi contra hoſtes pugnandum eſſe intelligat. quare rectè amorem ſuum ſponſa vexillum Dei vocat. Vnde qui reſiſtendo tentationibus & peccatis, aduersùs Dei hoſtes viriliter pugnat, ſe Dei amorem in ſe habere demonſtrat, & Dei vexillum contra hoſtes erexiſſe.

Vbi ergo videris aliquem viriliter reſiſtere peccatis, & fortiter repugnare, Dei verum amorem habere judica. ſicuti in S. Ioſeph videre licet, quem cùm Ægyptia illa mulier, velut diabolus in ſpecie humana, tentaret, reſpondit protinus: *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* cùm enim anima verè Deum amat, non ſolùm peccatum renuit, verùm etiam impoſſibile ſibi peccatum eſſe reputat. *Gen. 39. 9*

Sic etiam cùm ſancta Suſanna à peſſimis illis judicibus ſolicitaretur, & mortem ex vna parte, & peccatum ex alia videret, & vnum ex duobus ſibi eligendum animaduerteret, muliebrem animum exuens, & virilem induens, ſic reſpondit: *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini,* quaſi dicat, video præ oculis mortem, video inſamiam meam maximam, video, inquam, honorem meum, & famam meam, & vitam meã ſimul perire, ſed tamen, ne offendam Dominum Deum meum, & dedecus, & mortem potiùs eligo, quàm peccatum. O mulier, non mulier! vnde tibi tanta fortitudo? nimirum ex amore in Deum: *fortis autem eſt vt mors dilectio*, imò jam & fortior morte, ſiquidem mors, quam ei judices minabantur, & non quidem ſimplex mors, ſed ſimul cum ea comites eius, dedecus & infamia, quæ ſæpè mortem ſuperant, ipſam eius non valuerunt fortitudinem labefactare. Nónne igitur ſanctam hanc fæminam verè Deum amare dices, pro quo ita mori, & infamari voluit. *Dan. 13.* *23.*

Sed miram hac in re exaggerationem audi S. Anſelmi, qui, *Si hinc*, inquit, *peccati pudorem, & illinc cernem inferni horrorem, & neceſſariò vni illorum deberem incidere, priùs me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem: mallem enim purus à peccato, & innocens gehennam intrare, quàm peccati ſorde pollutus, cœlorum regna tenere.* Ita ſanctus Anſelmus. Hic, hic verè Deum ſe diligere demonſtrabat, hic in ſe amoris vexillum verè geſtabat. *In lib. de ſimilit. c. 190.*

Hinc etiam est, quòd qui verè Deum amat, quia Deo valde inuisum & contrarium videt esse peccatum, non solùm in se, verumetiam in aliis illud abominatur, vt patet in Dauide, qui, *Vidi*, inquit, *præuaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt*, tabescere affectum quemdam doloris vehementem importat. *En flaqueciame, deshaziame señor, quando veya que alguno te offendia: & Defectio*, inquit, *tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*, Agit hic Dauid de peccatoribus, qui eum persequebantur, & ait: *Defectio, &c. Señor desmajos de coraçon padecia, por ver que hubiesse quien se attreuiesse à offender os.* Vnde S. Ambrosius: *Dolebat Dauid, non quia contemnebatur, non quia ipse appetebatur, sed quia lex Dei relinquebatur, & eorum, qui hoc faciebant, damnum dolebat, quod perirent Deo, sicut bonus pater in phreneſi filij, cùm ab eo maledicitur, verberatur, & afficitur iniurijs, non suam, sed ægroti deflet arumnam, contumeliam dolet, non quia sibi sit irrogata, sed quòd per furorem id faciat, & æger ignoret. Ita vir bonus, cùm videt peccatorem non reuereri, non venerari canos senioris, & eo præsente facere aliquid indignum, & id non agnoscere quâdam insaniâ peccandi, quàm inhonora & inhoneſta committat, quasi desperatum à Medicis ingemiſcit, quasi moriturum dolet.* Ita S. Ambrosius. Pondera igitur charitatem in Deum, & in proximum, Dauidis. Dixerat de peccatoribus insestis sibi, *Superbi iniquè agebant vsquequaque: à lege autem tua non declinaui*, hoc est, quamuis inimici mei molestissimi mihi erant, ego nihil propterea contra legem feci charitatis, imò *defectio tenuit me*: ob id pondera verbum, *defectio. Causaba me des maios de coraçon, lastimaban me sus peccados en el coraçon*: Quod vt rectiùs intelligamus, notanda sunt verba illa sponsæ, *Ego dormio, & cor meum vigilat*, obscura verba, quo enim pacto, si sponsa dormiebat, cor eius vigilabat? num cor eius alium somnum, aliamve vigiliam, quàm ipsa, habebat? Duo igitur contraria asserere videtur se scilicet & dormire, & vigilare, ac si diceret: Ego dormio, & non dormio, si dormis, quomodo ergo non dormit etiam cor tuum? Nonnulli authores sic explicant locum hunc, vt per cor intelligatur sponsus eius, Deus. Sic enim qui vehementer amant loqui solent, vt dilectum cor suum vocent. Vita mea, inquiunt, anima mea, oculi mei, cor meum, &c. Deum igitur hîc sponsa cor suum vocat, hinc fit, vt qui contra sponsum peccant, cor sponsæ offendant, cor autem cùm nimium sensibile sit, & quouis tactu & pulsu vulneretur, graviter & deficiat, non mirum si sponsa dicat: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*, quia illa derelictio legis, offensa Dei est, offensa autem Dei, offensa cordis sponsæ est, quia cor sponsæ Deus ipse est. quare qui verè Deum amat, non solùm ipse à Dei offensa longè abesse debet, verùm etiam aliorum peccatis grauiter & in corde, offendi debet. Vtriusque rei exemplum illustre habemus, vbi Præses quidam missus à Rege Antiocho Gentili & tyranno in ciuitatem Modin, cogebat Iudæos sacrificare idolis. Qui accedens ad sanctum virum Mathathiam, dixit ei: *Princeps, & clarissimus, & magnus es in hac ciuitate, & ornatus filijs, & fratribus, ergo accede prior, & fac iussum Regis, sicut fecerunt omnes Gentes, & viri Iuda, & qui remanserunt in Ierusalem, & eris tu, & amici tui inter amicos Regis, & amplificatus auro, & argento, & muneribus multis. Et respondit Mathathias magnâ voce: Etsi omnes Gentes Regi Antiocho obediunt, ego, & filij mei, & fratres mei, obediemus legi patrum nostrorum, propitius sit nobis Deus, non audiemus verba Regis Antiochi, nec sacrificabimus transgredientes legis mandata.* Ecce quo pacto ipse sanctus vir, & verus Dei cultor & amator in se Dei offen'am vitauit: idem enim est, ac si diceret: etiamsi viuum comburi me iusserit Rex, non obediam Regi, sed legi Dei mei. Nunc qualiter in aliis offensam Dei horruerit, videamus: subdit Scriptura sacra: *Vt cessauit Mathathias loqui verba hæc accessit quidam Iudæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in ciuitate Modin, secundùm iussum Regis, & vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furore eius secundùm iudicium legis, & insiliens trucidauit eum super aram, sed & virum, quem Rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, & aram destruxit, & zelatus est legem.* Ita ibi. Attende hominis sancti seruorem, non potuit se suosque omnes maiori exponere periculo, præsertim cùm ciuitas jam à Rege impio illo capta esset, trucidauit idololatram, occidit præsidem, irritauit nimium regem, quia inquit, *zelatus est Dei legem.* Zelus autem nihil aliud est, quàm vehemens quidam amor, vehemens ergo amor in Deum & eum detinuit, ne in Deum ipse peccaret immolando, & vt dolore cordis sic afficeretur in eum, qui Deum suum & cor suum offendere ausus fuit. Idipsum videre licet in principe illo exercitus Dei Phinees, qui videns duos peccatores Deum offendere, pugione ambos interfecit, Num. 25. causam autem subiunxit ibi Deus, *Phinees auertit iram meam à filiis Israel, quia zelo meo commotus est contra eos.* Zelus autem, vti diximus, amor quidam intensus est: vide igitur quomodo, vbi amor verus Dei est, non solùm peccatum in se, verùm etiam in aliis odio habetur. Hinc ergo prouenit cura proximorum, illa, inquam, cura, quâ nonnulli curant proximos à peccato liberare: cùm enim proximum in peccatum lapsum sciunt, nullum non lapidem mouent, vt eum à peccato liberent, vel per se ipsos, vel per alios. Vnde hæc tanta solicitudo aliorum? multi quidem non solùm aliorum negligunt culpas, verùm nec de peccatis suis curam gerunt, peccant, & peccata peccatis addunt: nec priùs se peccasse animaduertunt, quàm à vita discedant: hi verò non solùm peccare toto cœlo refugiunt, verùm de aliorum peccatis soliciti, quiescere nesciunt, donec à peccato eos recedere sciant, nimirum, quia illa charitate carent, hi charitate præditi sunt.

Psal. 118. 158.

Eod. Psal.

Ibid.

Cant. 5.2.

1. *Mach.* 2.17.

Prop. XXXII. *Quanta ingratitudo sit nostra Deum non amare.*

Exod. 3.

VAdam, inquit Moyses, *& videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus, quæ este vna cosa ardiendo en fuego, y que ni vna oja se que me y consuma?* non minori admiratione dignum est, tot tantisque prunis & flammis diuinorum beneficiorum circumdari nos, & non comburi. & quidè si de rubo illo loquamur, causa nota est, quia Deus in illo erat: sic enim de rubo loquens, ait, *Ego sum Deus Abraham*, &c. at de ingratis peccatoribus, nempe quia diabolus exsistit, & commoratur in eis, qui beneficiorum Dei ab eis memoriam & considerationem tollit, ne dum grati fuerint noua deinceps à Deo beneficia consequantur.

Iac. 3.5

Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam facit malitiam suam. De ciuitate Ierusalem loquitur Prophetæ: cisterna verò frigidam facit aquam per antiperistasin, & quâtò magis calor & Sol circumdant cisternam, tantò magis ad interiora cisternæ confugit frigus & aqua frigefit, sic ingrati, quantò amplioribus beneficiis circumdantur, tantò frigidiores reddi videntur, omni calore charitatis erga benefactorem destituti.

Prop. XXXIII. *Amanti Deum plurima conferuntur à Deo beneficia.*

1. Ioan. 4.

QVi manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo 1. Io. 4. quenam hæc tam specialis charitatis prærogatiua, vt cùm generalis sit vnio hæc cum Deo? *In Deo enim viuimus, mouemur & sumus*: omnia in Deo sunt, imò quidquid factum est, in Deo vita est: Deus autem in omnibus rebus per potentiam, præsentiam & essentiam intimè inest. Cur igitur de charitate ait Ioannes, *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo?* Id ex eo deduci potest, quòd tanquam proloquium commune

Act. 17.

mune ex diuo adducitur Dionysio, *Anima magis est vbi amat, quàm vbi animat.* Quo pacto est anima in amato? Est quidem per intellectum & voluntatem: per intellectum, quia sui oblitus amans semper ea meditatur, quæ pertinent ad amatum, ea recogitat, in eis discurrit, illa considerat attentiùs. per voluntatem etiam est anima in amato, quia quæ amati sunt, amat, & quæ contra amatum sunt, odio habet: quæ autem desiderat, & ipse desiderat, & quæ fugit amatus, fugit: in quibus amatus gaudet, & ipse gaudet, & in quibus tristatur, dolet & denique per intellectum, quæ bona sunt dilecto, quærit, & per voluntatem eadem illa vult, & procurat. Sic igitur qui Deum amat: in eo est per intellectum: semper enim quæ Dei sunt, meditatur. Vnde Psalm. 1. de justo (is est qui manet in charitate) *In lege, inquit, Domini meditabitur die ac nocte,* & ipse Dauid: *Oculi mei semper ad Dominum*, &c. Per voluntatem verò similiter, quia nihil aliud vult, nisi quæ placita illi sunt semper. Vnde eodem Psalm. sicut de intellectu justi, ita de voluntate inquit, *in lege Domini voluntas eius*: sic qui in charitate manet, in Deo manet. Hinc intelliges quomodo in eo maneat Deus: manet enim specialiùs per intellectum, & voluntatem, quia oculi Domini super justos: hoc est, indesinenter attendit, quid justo conducat. Et habet maximam vim verbum illud *super*: sicut enim pictor, qui magnâ curâ pulcherrimam imaginem depinxit, intuetur, ac vultum suum tenero quodam affectu super vniuersam imaginem ducit, cunctas eius partes, etiam minimas, inspiciens, vt videat quid desit illi, an aliquid indecorum habeat, vel colore ampliori egeat, vel huiusmodi alio; sic Deus, conditor noster, vultum amabilem super justum, tanquam super imaginem sui pulcherrimam defert, quid illi opus sit, animaduertens in his, quæ ad corpus & animam eius spectant, &c. *Vultus*, inquit, *Domini super facientes mala vt perdat de terra memoriam eorum.* vultus hic seuerus & ferox est, & in malum malorum esse notatur. O vos beati justi, quibus oculi amabiles Dei, & aures benigni conceduntur. Hoc igitur ex amore in Deum prouenit, & hoc est, *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Cui consonat illud, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cantic. 2. quæ quidem verba, quamuis breuia, & concisa emphatica sunt, & amatoria valde: & quamuis sententia hæc, oratio sit sine verbo, & ob id nullum reddere sensum videatur, sensus multos, & altos habet. Vnde S. Bernardus hæc verba expendens serm. 68. in Cantic. *Pendet* (inquit) *oratio, imò non pendet, sed deficit, suspenditur, sed erigitur auditor.* Ita ille. *Dilectus meus mihi*, quid tibi dilectus, & tu quid illi S. Gregor. Nyssen. verbum supplet, *est meus, & ego sum dilecti mei*, hoc est, ipse possessio mea & hæreditas mea est, & ego, peculium eius: hinc quantam vterque vtriusque curam ad inuicem gerat, notum erit: omnem enim vel ferè omnem curam rebus nostris impendimus. Vbi S. Bernardus subintellexit verbum intendit, *Dilectus meus mihi intendit, & ego illi*, & subdit, *Ita ne sponsæ suæ intenta est illa maiestas, cui gubernatio incumbit vniuersi, vt ad eam solam transferantur negotia eius? Ita planè, prouidentiam cæteris non negamus: curam verò sponsa vindicat sibi.* Nunquid enim de bobus cura est Deo? *Nec dubium quin idem possumus dicere de equis, de camelis, & elephantibus, & cæteris bestiis terræ, & piscibus maris, & volatilibus cæli, & reliquis omnibus, quæ sunt super terram, exceptis his quibus dicitur*, Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis, *ideò non confunditur dicere*, Dominus solicitus est mei. *aut ergo sponsa*, Dilectus meus mihi, & ego illi. *Ego illi gratiam ex gratia, ille mihi gratiam ex gratia: ille meæ intendit liberationi, ego illius honori, ille saluti meæ, & ego illius voluntati.* Ita S. Bernard. Quæres vnde tantum bonum sponsæ? quia dilecta, qui enim manet in charitate, Deus manet in eo.

Vnde Apost. Paulus ad Galat. 2. *Viuo ego, jam non ego, viuit verò in me Christus.* Ita scilicet, quia vehementer eum Dominus diligebat, ideò in ipso viuebat, ad eum venit, & mansionem apud eum faciebat, & quidquid ad vitam corporis & animæ Paulo opus erat, illi Dominus tribuebat. *Gal. 2, 20*

Hinc patet sensus illius subobscuri loci Cant. 1. vbi sic ad sponsum sponsa: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum:* cui sic sponsus, *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum.* Quid cum interrogatione responsio ista? At quid sibi vult talis locutio, *si ignoras te*, &c. Rectè, nam illa interogauerat de loco, vbi sponsus manebat: locus autem hic cor ipsum, & anima erat, & *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: erat igitur in corde sponsæ. Talis igitur est sponsi responsio, Quæris vbi ego sim? quid quæris extra te, quod habes intra te? Regnum cœlorum, imò Rex cœlorum, intra te est: quod petis ergo, intus habes. Ita interpretatur hunc locum doctissimus Alanus super cap. 1. Cantic. Cùm igitur specialissima hac ratione Deus in amante resideat, quid non illi præstabit? quam eius orationem non exaudiet? quid non concedet, quod dilecto sit expediens? potestne Sol adesse, & non illuminare, vel ignis & non calefacere? Potestne Deus, qui lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ, non meliùs, quàm Sol cœlum, in quo est, mentem illuminare? potestne ipse, qui ignis consumens est, in anima residere, & non consumere in ea quidquid imperfectum est? Denique potestne illa summa bonitas, illa summa liberalitas, illa infinita charitas minui, qui dat omnibus affluenter, ita vt libentiùs ipse det, quàm nos accipiamus? Illa infinita perfectio, an non potest omnia perficere, vbi perfectè inhabitare decreuit? quid tantus in te non efficiet, & perficiet, si fuerit semper intra te? Intrauit vmbraticè domum Obededom, & benedictionibus illam repleuit, intrauit in domum Zacchæi semel, & salus illi domui facta est, intrauit in domum Marthæ & Mariæ, & mortuum Lazarum, quamuis quatriduanum, ad vitam reuocauit. vbicumque intrat, totum replet bonis; quid non efficiet in anima, vbi sedet, vbi residet, vbi tanquam in regia sua propria commoratur? O vtinam Domine diligam te, vt maneas ita in me. *Alanus.*

PROP. XXXIV. *Ea quæ pro nostris proximis facimus, pro Dei amore facere nos oportet.*

SVnt qui de ingratitudine aliorum conqueruntur, nec mirum, quia ingratitudinem omnes abhorrent: sed hoc mirum quod propter ingratitudinem ab operibus misericordiæ & charitatis cesse aliquis ex nobis: hoc enim signum est quod non pro Deo, sed pro respectu aliquo humano id ille faciebat. Vt igitur ingratitudo proximi non satis sit ad hoc, vt opera misericordiæ relinquantur, sursum corda habete ad Dominum, & ingrato dicite: Sufficit mihi pro Deo hæc tibi præstare. quod Magister noster Christus Dominus mirè nos docuit sæpè, & maximè Io. 14. vbi post cœnam instante passione sic discipulos affatus est: *Vt cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: surgite eamus hinc*, scilicet ad passionem, & crucem, *vt cognoscat*, inquit, *mundus quia diligo Patrem.* Quid ais Domine? imò vt cognoscat mundus, quia diligo homines, beneficium quippe passionis tuæ hominibus exhibebatur, sic enim redimebantur: cur ergo non ais, vt cognoscat mundus, quia diligo eos: nimirum quia videbat in corde suo, & certò sciebat, imò & experimento jam nouerat, quanta esset hominum ingratitudo, quæ de se sterilitatem operabatur in anima Christi: sed altiùs aciem mentis attollens, noluit propter ingratitudinem nostram pedem reuocare, sed liben-

Gal. 2, 20

Cant. 1, 6

Alanus.

Io. 14, 31.

benter eò properare, vbi passurus erat. Surgite, inquit, A camus hinc in hortum, vbi comprehendendus sum, & ad crucem ducendus, & hoc vt sciat mundus, quia diligo Patrem, *puso su grande amor la mira en su padre*, quòd doceret nos quid, & propter quid, nos facere deberemus. cùm proximi in nos bene illis facientes fuerint ingrati.

Prop. XXXV. *Quomodo ex toto corde & ex totis viribus diligendus sit Deus.*

Matt. 22. 37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Quid aliud sibi volunt tot hæc *tota*, nisi totum hominem? Etenim diuitias tuas diuidere poteris cum aliis, at amorem tuum totum sibi vendicat Deus, non quòd etiam nos proximos quoque diligere nolit, sed quia & amare proximos propter amorem ipsius Dei velit.

Hàc fortassè ratione in creatione mundi hominem vltimo die creauit, vt aërem auibus, aquàm piscibus, B terram animalibus, & mundum creaturis variis refertum videns, intelligeret altiorem esse locum suum, sphæram suam, hæreditatem suam, Deum scil. ipsum, & diceret: *Pars mea Deus in æternum.*

Cant. 8. 6 Hoc etiam est quod Cant. 8. ab anima sancta sponsus ille diuinus exigebat, dicens: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* S. Ambrosius super Psalm. 118. per signaculum figuram sigillo impressam accipit, & idem sentit S. Anselmus. sigillamus autem sic ea quæ nostra sunt, epistolas scil. nostras & scripturas nostras, & serras nostras, &c. ait ergo Christus nobis: Meum sit cor tuum internum, & meum sit brachium tuum externum, vt nihil exteriùs facias, nec interiùs velis aut consideres, quod meum non sit, hoc est, propter me, ac mei causâ.

Hinc etiam Dauid multis Psalmis inscriptionem hanc imponit, *in finem*, hoc est, in Christum, vti exponit S. Augustinus in Psalm. 4. Christum ergo vocat finem, C quia ipse tanquam finis omnium nostrarum operationum, tam internarum, quàm externarum, esse vult.

S. Augustinus in Manuali, *Perdit, quod vivit qui Deum non diligit.* Ita ille. nimirum, quia sine meritis gloriæ vita perdita est, merita autem à charitate procedunt.

S. Bernard. de diligendo Deo, *Modus diligendi Deum*, inquit, *est diligere sine modo.* Ita ille. Quare sicut de diuina laude S. Thomas asseruit, dicens: *Quantum potes, tantum aude, quia maior omni laude, nec laudare sufficis.* Sic de diuina dilectione dicendum est, quantum potes, tantum aude, quia maior est omni amore, nec amare sufficis. Etenim virtutes quodam in medio consistunt, habent enim extrema vitiosa: laudabilis virtus est ju- *Eccl. 7. 17.* stitia, sed nihil ominus habes: *Noli esse justus nimium.* nam nimius justitiæ rigor è justitiæ tramite justitiam educit, & in crudelitatem & tyrannidem deducit. Pœnitentia etiam corporalis virtus magni valoris est, po- D testque in vitium declinare, nisi rationabile obsequium sit, sicque de aliis virtutibus moralibus philosophandum est: at in Dei amore non ita, sed ex toto corde, ex tota anima, & ex viribus totis, quia modus diligendi Deum, est diligere sine modo.

Vnde qui plus aliquid aliud quàm Deum diligit, meritò id auferetur ab eo tanquam à latrone, furatur enim cor proprium, qui aliquid detrahit amori diuino, totum enim cor nimirum vendicat sibi diuinus amor.

3. Reg. 3. Ex illis duabus mulieribus, quæ ante tribunal Salomonis conuenerunt super causam pueri, quæ vera mater erat, diuidi puerum non consensit, sed integrum prorsus reseruari exigebat: quæ verò mater vera non erat, diuidi puerum consentiebat, & petebat, & in hoc cognouit Salomon eam non esse legitimam pueri matrem. Sic nimirum dæmon, & caro, & mundus diuisionem optant cordis nostri, non verò Deus, sed integrum sibi dari poscit: nimirum, quia conditor cordis nostri est, & ideò diuidi non assentitur.

Hinc *Conuertimini*, inquit, *ad me in toto corde vestro*: non *Ioel. 2.* ait, secundùm aliquâ partem cordis saltem, sed, in toto corde vestro. at dices, imò ait Ioel, *Scindite corda vestra*, non igitur integra, sed diuisa vult corda nostra. Obserua dixisse quidem Dominum, *Scindite*, sed non, *Eccl. 5.* diuidite in plures. *Quiere nuestro coraçon partido de dolor y tema por auer le offendido, mas no repartido en varios señores.* Vult cor nostrum præ dolore scissum, sed non diuisum in varios possessores. Vnde meritò ait: *Conuertimini ad me in toto corde vestro*, sicut qui pomum scindi & mundari posceret, & ita scissum sibi præberi. Denique vult cor nostrum præ dolore scissum, sed præ amore in eum integrum sibi donari.

Diliges, inquit, *Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Ne- *Matt. 22.* scio quid cor nostrum sit, quòd adeò illud & tam ar- *37.* denter diligat Deus, vt ex toto ipso se à nobis diligi quærat, & nihil aliud in orbe, quàm cordis nostri curâ gerere videatur. si respicit, in cor nostrum oculos dirigit suos, *Deus autem intuetur cor*: si examinat, & scru- *1. Reg. 16.* tatur aliquid & attentè circumspicit, id cor nostrum *Prou. 21.* est, *Scrutans corda, & renes Deus*: si familiariter agere vult cum corde nostro, sic ait, *Ducam eam in solitudinem, Osee 2.* *& loquar ad cor eius*: si mutationem aliquam in nobis requirit, ex plenitudine cordis hanc requirit, *Conuer- Ioel. 2.* *timini ad me in toto corde vestro*: quæ quidem conuersio, cùm Dei gratiam requirat, promittit Deus auxilium *Ezech. 36.* gratiæ suæ, *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor* *carneum*, id est, suaue: si aliquid à nobis exigit, cor est, *Prou. 23.* *Fili præbe mihi cor tuum*, quod vt obtineat, instat, *Ecce ego Apoc. 3.* *sto ad ostium, & pulso.* Denique si amati à nobis postu- *Matt. 7.* lat, non ex parte, sed, *Diliges*, inquit, *Dominum Deum* *tuum ex toto corde tuo.* & quidem aliarum rerum diuisionem facilè patietur, ex diuitiis potes partem amicis, partem consanguineis, partemque tibi reseruare, & partem tribuere Deo, ex corde verò nullam diuisionem admittit, sed integrum sibi postulat illud, dicens, *Diliges*, &c.

Hinc est, quòd si amore nimio quis quid diligat præter Deum, auferetur id ab eo: vbi enim homo cor apponit, ibi admouet Deus manum.

Diligebat nimiùm Abraham filium suum Isaac, *cui Gen. 22.* Dominus, *Tolle filium tuum, quem diligis Isaac*, quem diligis? at si tantùm eum diligit, serua Domine illum illi, ne crucies adeò cor serui tui, imò quia diligit eum vehementer, peto vt sacrificet eum mihi: nolo enim cordis amorem in alio nimis collocari, filius ille liceèt sit.

Exod. 23. Fecerunt filij Israël vitulum ex auro *Exod. 32.* quod illis dederat Deus, arripiens igitur Moyses (ait Scriptura diuina) vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit, vsque ad puluerem, & nos idola sæpè adoramus. Adorat superbus honorem, qui pro honoris puncto leges transgreditur diuinas: adorat auarus pecuniam, qui pro nummo animam vendit: adorat sensualis delitias, qui pro delitiis primogenita vendit: adorant creaturam peccatores, qui supra Deum eas diligunt: quid miraris, si abripiat eas ab eis, & adimat Deus, quia amorem sibi debitum in eas transtulerunt? vis bonis potiri tuis, caue ne vltra debitum diligas aliquid præter Deum. felix autem amor noster, si in Deo collocatus, felix cor, si integrum exhibitum Deo.

Sunt qui exteriori quodam cultu, & superficialibus quibusdam actibus studiosis, se satis Deo fecisse censent. Qui quidem similes mihi videntur homini cuidam irrisori, & illusori (*vn chocante*) qui Ioui promiserat ex omni à se inuento dimidiam partem se ci præbiturum, inuentoque nucum sacco, earum testas, & putamina Ioui obtulit, & nucleos sibi asseruauit: ita hi quæ intima virtutis sunt minimè, sed quæ superficie

tenus

tenus, & quæ virtutis tegumenta esse videntur, solùm A
offerunt Deo, verbi gratia, ore benedicere Deo, rosarium præ manibus ferre, Missam aliquoties audire, sine spiritus deuotione & attentione tundere pectus, & sicut Phariſæus ille, dicere, *Deus, tibi gratias ago, &c.* quibus Christus: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me*, quoſque ſepulchra dealbata & lupos ouium pellibus indutos vocat: hi ergo non diligunt Deum ex toto corde ſuo, imò neque ex corde ſuo Christiano, *de apparentijs*, væ illis.

Iudas Thadæus in ſua canonica, *Væ illis*, ait, *qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core perierunt: hi ſunt in epulis ſuis maculæ, conuiuantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes, nubes ſine aqua, quæ à vento circumferuntur, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ.* Hæc Apoſtolus. Videamus quinam hi ſint, quibus annuntiat væ. *Væ*, inquit, *his, qui in via Cain abierunt.* Cain offerebat Domino manipulos frugum, ſed non vt Abel agnos ſuos, ſelegerat enim Abel potiores agnos ad ſacrificium, qui ex toto corde offerebat, ſicut ex toto corde diligebat: at Cain quia non ita Deum ex corde diligebat, ita nec ex corde offerebat, & ideò meliores fruges ſibi aſſeruabat, peiores verò Domino dabat. tales ſunt, qui Deo quiſquiliàs virtutum exhibent, ſibi nucleum reſeruantes, in eleëmoſynam ea, verbi gratia, tribuentes, quæ ſibi prorſus inutilia ſunt: audiunt conciones, ſed vt curioſa colligant, &c. hi quidem in viam Cain abierunt. *Son Chriſtianos de ſolas aperiencias.*

Secundò, *& errore Balaam mercede effuſi ſunt.* Error Balaam fuit pro mercede impugnare veritatem, vt ait Gloſſa in cap. 23. Numerorum: benedixit quidem Balaam caſtra Iſrael, dicens: *Moriatur anima mea morte juſtorum*, &c. tamen ipſe fuit qui conſilium contra Iſraëlem dedit, vt à Madianitis mulieribus deciperentur: apparebat quidem exterius bonus Propheta, & Dei agere partes: ſed interiora eius peſſima, & plena dolo fuerunt: bonus erat apparenter, non tamen in corde: C
diligere Deum ſimulabat, ſed magis dilexit mercedem, tales ſunt hypocritæ, quiſſe Deum amare ſimulant, & tamen nihil minùs faciunt.

Tertiò, *Væ illis, qui in ſeditione Core perierunt.* Core quidem, vt habetur ex cap. 10. Numerorum, ſub prætextu boni communis, & juſtitiæ, æquitatiſque ſeditionem commouit: exteriùs ergo pietatem, & æquitatem præſeferebat, interiùs tamen amaritudine & ſuperbiâ plenus erat: quem imitantur, qui in conuentu, regimine, concilio, & hominum cœtu zelum boni communis oſtendunt, & tamen quæ ſua, vel amicorum ſunt, quærunt, vel fortè munerum & quæſtus causâ ad ea, quæ dicunt & agunt, incitantur. Denique hi omnes in exterioribus ſe Deum quærere & amare ſimulant, ſed in corde nihil minùs. Quos meritò comparat Apoſtolus cum nubibus ſine aqua, quæ à vento mouentur, quia ſicut huiuſmodi nubes promittunt pluuiam terræ opportunam, ſed à ventis diſſipatæ euaneſcunt, nullâ reddità pluuiâ: ſic & hi apparent vtiles, ſed in vanitatem reſoluti diſcedunt, à vento enim vanitatis aguntur. Secundò arbores eos autumnales vocat, quia, vt ait Gloſſa, & refert S. Thomas in Autumno, ſi aliquis in arboribus fructus ſupercreſcit, adulterinus & inutilis eſt: Sic Caietan. S. Thom. Si huiuſmodi homines aliquid fructus boni ferunt, qui bonus videatur, non bonâ intentione agunt, &c.

Sed quia huiuſmodi ſimulatores mundũ decipiunt: *ſon enganadores del mundo*, ſubdit, *Prophetauit autẽ & de his ſeptimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere judicium. Nihil enim opertum*, ait Chriſtus, *quod non reueletur.* Hi autem popularem venabantur ventum, ſicut Ephraim, paſcentes, ideò ſe alios quàm reuerà eſſent, oſtentabant. Veniet igitur Dominus, qui illuminabit abſcondita cordium, & tunc laus

erit, & vituperium vnicuique à Deo, & patefiet non ex corde opera huiuſmodi, quæ bona videbantur, emanaſſe, non eſſe opera plena coram Deo noſtro. Quid igitur nobis agendum, vt in illo tremendo tribunali opera noſtra plena, & Deo noſtro grata, & præmio æternæ vitæ digna inueniantur? Dilige Dominum tuum ex toto corde tuo, procedant opera tua non ex conſuetudine mera, non vt bonus hominibus videaris, vt ſuperficie tenus Deo ſatisfacias, ſed vt verè ex corde ſeruias ei, &c.

Diliges Dominum Deum tuum ex corde toto tuo. Exod. 30. præcipiebat Deus Thymiama quoddam ex rebus odoriferis confectum coram ſe cremari in honorem ſuum, & ſub pœna mortis interdicebatur, ne in alios vſus cremaretur. Thymiama illud cor noſtrum importat, quod Dominus ex aromatibus confectum requirit, hoc eſt, ex omni genere virtutum: nihil enim ei bene olet, ſicut virtus: non ſolùm enim apud Deum, ſed etiam apud homines fama diffunditur virtutis. *Deut.6.5*
B Quid enim ſanctos ita famoſos, & celebres fecit, niſi virtus? cor igitur virtutibus ornatum, Thymiama eſt ſuauiſſimi odoris Domino: quod cremari vult, quia amoris igne vult illud combiri: in nullos autem alios vſus diſtrahi voluit, quia, vt diximus, totum cor noſtrum, & amorem eius vendicat ſibi.

Prop. XXXVI. *Res vna luctu digniſſima, Deum à tam paucis amari.*

IAcobonus ex ſacra S. Franciſci familia, vir eximiæ ſanctitatis, die quodam incedebat per plateas mœſto vultu, caperatâ fronte, gemebat, eiulabat, genas lachrymis perpluebat, ſuſpirans, plorans, lamentans. Petunt obuij quid ita ploret, cur lugeat, vnde ille tam copioſus fletus? Die, inquiunt, quid ſiniſtri tibi accidit? quid actum tecum? ſuccurremus, habes qui te defendant patronos. Effare, quæ cauſa doloris? ſed fruſtra; non erat qui eum conſolarctur, vel qui tantillùm leniret dolorem. Tandem importunis multorum occurrentium verbis compulſus, educto ex imo pectore C
altogemitu, Petitis, inquit, cur plangam, fleam, lamenter? Accipite cauſam. *Amor non amatur.* Hoc vnum, ſiquid, lachrymis etiam ſanguineis lugeri dignum eſt. *Amor non amatur.* Quid hoc eſt? vbi judicium noſtrum? vbi fides? Amantur opes, pecuniæ, aurum. Quid periculoſius? Amantur honores, tituli, dignitates. Quid vanius? Amantur delitiæ, voluptates, illecebræ carnis. Quid fœdius? Amantur equi, canes, feles, porci. Quid vilius? Amatur mundus, amatur caro, amatur dæmon: omnia odio digniſſima amantur. *Amor non amatur*, is qui nos creauit, conſeruat, redemit, ab æterno dilexit, & ſic dilexit, vt filium ſuum vnigenitum nobis daret, qui nobis ſe amantibus, æternam gloriam certiſſimis ſponſionibus promiſit, qui nobis aëremquo ſpiramus, cibos quibus veſcimur, veſtes quibus operiD
mur, terram quâ ſuſtinemur, animam quâ viuimus, omnia denique gratis largitus eſt: qui quidquid vſpiam in rebus procreatis amabile eſt, condidit: à quo ſuauia, omnia dulcedinem, venuſta formam, ſplendida lumen, ſpirantia vitam, intelligentia rationem, res denique perfectæ omnes, perfectionem omnem hauſerunt: ille qui eſt illicium omnis amoris, conſummatio omnis deſiderij, terminus omnis motionis, ſatietas omnis appetitionis, centrum, & finis rerum omnium, vno verbo, *Amor non amatur.* O ſi nunc viueres Ieremia, jam meritò, vt olim, clamares: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo nocte, ac die*: quid? niſi quod maximè eſt deplorandum, *Amor non amatur.* *Ier.9.13.*

Prop. XXXVII. *Qui Deum impensè amat, præ Deo omnia contemnit, præter Deum nihil æstimat.*

Chrysost. in Acta c. 25 hom. 52. mihi p. 786.

D. Chrysostomus. *Qui amore Christi captus est, talis sit, qualis esset homo solus super terram habitans. adeò nihil ei est cura gloriæ, & ignominiæ: sed sicut si solus habitaret, nihil curaret, ita & talis nihil curat. Tentationes autem* « *sic contemnit, ac flagella, & carceres, quasi in alieno corpore* « *paterentur, vel quasi adamantinum haberet corpus. Ea autem* « *quæ suauia sunt in hac vita, ita ridet, & non sentit, sicut nos* « *mortui, corpora mortua.*

Idem homil. 64. mihi p. 418.

Idem alibi, *Nihil est quod non superet Amor cum desiderio. Cùm autem & Dei sit desiderium, omnium altissimum est, & neque ignis, neque ferrum, neque paupertas, non infirmitas, neque aliud quid tale, graue videbitur; talem amorem* « *possidenti: sed omnia deridens ad cælum volabit, & illic mo-* « *rantibus, nihilo se geret indignius, aliud intuens nihil, non cæ-* « *lum, non terram, non mare, sed ad vnam tantùm intentus pul-* « *chritudinem illius gloriæ, & nec cum præsentia vitæ tristia hu-* « *miliabunt, nec extollere suauia poterunt.*

S. Philippus Nerius solebat dicere: *Fierine potest vt homo credens in Deum, possit amare aliud, quàm Deum?* Vnde meritò idem suauiter conqueritur: *Deus cùm tam amabilis sis, & ita præcesperis nos amare te, cur dedisti nobis tantùm vnicum cor, & adhuc tam paruum?*

Axioma erat Pachomij. *Qui perfectè amat Deum, nihil amplius patitur in hoc mundo: Amor, & dolor non sunt simul in vno corde.* Vnde non miror dictum fuisse à S. Nicolao Tolentino. *Fierine potest, vt homo qui seruit Deo propter Deum, possit esse melancholicus in hoc mundo?* Nullus esset in mundo locus tristitiæ, si quisque in se experiretur, quod olim S. Scholastica, quæ de se hæc refert. *Nescio quid mihi Deus fecerit, sed scio quod nihil possim aliud amare, præter ipsum in hac misera vita.*

Solebat dicere S. Catharina Senensis: se, si posset cum intelligentibus sermones miscere de Deo, centum dies, & noctes sine cibo, & potu locuturam de Deo, non tantùm sine vlla fatigatione, sed meliori corporis valetudine, & dicebat nihil sibi in hoc mundo, maiori esse solatio, quàm loqui de Deo. Ita cor eius Dei amore ardebat, vt planè decumberet, nec posset surgere è lecto: omnis enim languor ex amore procedebat.

S. Clara post acceptam à Deo singularem gratiam, & consolationem. Anima eius adeò fuit in Deum absorpta, & amore eius illaqueata, vt multorum dierum spatio non potuerit cum attentione audire, quidquid illi dicebatur: coactaque fuit magna hîc vti violentia, eò quòd sensus eius omnes essent in Deum rapti.

Lancicius de præf. virtut. c. 8 gra. 5. p. 135.

Maria Magdalena de Pazzis, dicebat: *Si crederem me vno solo verbo dicto ob alium finem, quàm ob amorem Dei, etsi non esset eius offensa, posse euadere Seraphinum, tamen nunquam illud dicerem.*

AMOR INIMICI.

1. Prop. *Amandus inimicus, quia Deus præcipit.*
2. *Quàm secundùm rationem humanam & legem naturæ sit parcere inimico.*
3. *Amandus est inimicus quia homo & proximus est.*
4. *Amare inimicos tenemur, quia Christiani sumus.*
5. *Parcendum est inimico.*
6. *Magnanimi est parcere inimico.*
7. *Tenemur benefacere inimicis, cùm id postulauerit ratio.*
8. *Orandum est pro inimicis, & non aduersus illos.*
9. *Qui vindictam quærunt zelo iustitiæ, cauere debent, ne sub iustitiæ pallio odium abscondant.*
10. *Inimicis debemus compassionem, non iracundiam.*
11. *Amor inimici Christianum animum decet.*
12. *Amandus est inimicus exemplo ipsius Dei.*
13. *Amandus est inimicus exemplo Dei & Christi Domini.*
14. *Æquo animo ferre debemus proximi defectus, vt & ipsi nostros ferant.*
15. *Contra eos qui loqui & communicare cum inimicis nolunt.*
16. *Amandus est inimicus, quia eius persecutio à Dei prouidentia prouenit.*
17. *Quàm vtilis nobis sit inimicus ad rectè viuendum.*
18. *Amor inimici non est regulandus secundùm leges mundi, sed Dei.*
19. *Quàm difficile sit amare inimicum, & quàm rara sit præcepti illius amoris impletio.*
20. *Hi, qui ad iram propensi sunt, difficile est inimicum amare.*
21. *Quàm facile sit diligere inimicos*
22. *Amor inimici quàm gratus Deo sit.*
23. *Quantùm Deo placeat amor inimici, & displiceat vindicta priuata.*
24. *Quàm regium & diuinum sit parcere inimicis.*
25. *Quàm digna res sit Deo parcere inimico.*
26. *Amor inimici ad gloriam Dei spectat.*
27. *Amor inimici nos filios Dei facit.*
28. *Quanti valoris sit amor inimici.*
29. *Amare inimicum quàm meritorium sit.*
30. *Amor inimici Christianam fidem confirmat.*
31. *Patienter pati iniuriam, & amare inimicum quàm satisfactorium sit.*
32. *Amor inimici manifestat, quanta sit vis & charitas animæ.*
33. *Parcere inimico signum perfectionis est.*
34. *Amor inimici est signum gratiæ & prædestinationis.*
35. *Sapientis est inimicum amare.*
36. *Amare inimicum maior fortitudo est, quàm vincere hostes.*
37. *Deus amore suo compensat, & soluit amorem nostrum erga inimicos.*
38. *Deus parcit parcenti inimico.*
39. *Amor inimici plerumque conducit ad impetrandum in oratione à Deo.*
40. *Amor inimici pacem cordi affert.*
41. *Amor inimici corda omnia conciliat quantumuis diuersa sint.*
42. *Amor inimicorum ad pacem vniuersalem maximè conducit.*
43. *Patientia & amore nostro vincitur inimicus.*
44. *Inimicus amore placatur, & vincitur gloriosè.*
45. *Amor inimici ex inimico amicum facit.*
46. *Qui amat inimicum, non ideò honorem amittit.*
47. *Aduersus duritiem eorum, qui nullis precibus adduci possunt, vt parcant inimicis.*
48. *Vindicta de inimicis Deo incumbit, non nobis.*
49. *Aduersus eos qui pacem inter discordes impediunt.*
50. *Quàm graue peccatum sit odio proximum inimicum.*
51. *Qui vindicat iniuste, iusto Dei iudicio tradi solet dæmoniis pertestati.*
52. *Odium inimici ex defectu Christianæ charitatis procedit.*
53. *Periculosum & nociuum est inimicitias gerere cum homine.*
54. *Odium proximi mentis oculos excæcat.*
55. *Qui nocet inimico, sibi amplius nocet.*
56. *Inimicitiæ multorum peccatorum sunt causa.*
57. *Remedium ad vincendum inimicum est silentium.*
58. *Contra eos qui vindictam petunt à Deo.*
59. *Amor inimici potens præsidium ad succurrendum animabus in Purgatorio existentibus.*
60. *Quanti valoris sint, inimici in nos contumelia.*

Prop. I. *Amandus inimicus, quia præcipit Deus.*

Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, &c. Habet emphasim magnam verbum seu pronomen ego hoc, *ego*, ego scil. qui supremam auctoritatem ad discernendum habeo. Cùm quis iniuriâ est affectus, & debitam satisfactionem exquirit, solet causam alicui viro primario, & in huiusmodi satisfactionibus honoris experto, committere, & id se effecturum promittit, quod ille decreuerit: quod si ille dixerit, ego quidem hac in re hoc, illud ve agendum statuo, qui ei negotium commisit, libenter admittere tenetur. Nos autem Christiani omnem causam nostram Christo Domino commisimus in Baptismo, & in hoc Christiani obsequentes simus, quòd in omnibus & per omnia illi parati simus parere, & semper obedire. Ait igitur Dominus: *Ego autem dico vobis, ego*, qui omnem præcipiendi auctoritatem habeo, *vobis*. qui mihi parere tenemini, etiamsi ab inimicis grauissimâ fueritis iniuriâ affecti, diligite illos. ego sum qui hoc dico, qui omnium principum mundi auctoritatem meam & oppono & antepono. Quod si oppositum quis tibi consuluerit, quantumuis ille rex fuerit orbis, cuiusnam sensum ipsius, an Christi, sequendum censes?

Ego, inquit, *dico vobis, diligite inimicos vestros*: ergo hoc verum, hoc securum, hoc faciendum, *ego dico vobis*, ergo

ergo qui oppositum dicit, nescit: quid dicat, erratomnino, desipit omnino, *ego dico vobis*: ergo qui oppositum facit, contradicit Deo factori suo, & tanquam inobediens in re graui, æterno gehennæ dignus est supplicio. Vide quantum ex vindicta reportent lucrum scipsos vindicantes.

Ego, inquit, *dico vobis*: ergo quantumuis arduum & difficile tibi sit, inimicis parcere, parendum est Christo. Notum est olim homines filios & filias suas idolis suis immolasse, secundùm illud, *Immolauerunt filios* l.105. *suos, & filias suas dæmoniis, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.* Et, quod magis mirandum est, quòd, cùm esset horrendum & abominabile nimis, & naturæ ipsi adeò execrabile & inuisum, non coactè, non repugnanter, sed voluntariè & libenter id præstabant, iuxta id, quod Dominus huiusmodi hominibus dixit: *Nunquid non vos filij scelesti, semen* Ezech. 16. 57. *mendax, qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes paruulos in torrentibus super eminentes petras?* Pondera verbum, *qui consolamini in diis*, &c. non ait, qui colitis idola vestra, occidendo filios vestros in eorum honorem, sed, *qui consolamini*, hoc est, qui tam crudele facinus magna cordis consolatione patratis. O confusionem eximiam Christianorum! illi infideles & idololatræ, vt Deo suo falso placerent, non dubitabant filios suos magnâ animi alacritate sacrificare, & tu Christiane difficultatem opponis Deo, qui proximos inimicos præcipit amare?

Referunt nonnulli auctores minimè contemnendi Ægyptiam quandam mulierem nutriuisse in domo sua crocodilum quendam recenter natum, eò quòd Ægyptij crocodilum vti Deum venerabantur: crocodilus autem hic, postquâ adoleuisset, puerum quendam ipsius Ægyptij occidit, & deuorauit. Vidit hoc mater, & tamen non solùm non obstitit, sed nec doluit: non solùm nō doluit, sed etiam gaudio perfusa fuit, eò quòd Deus suus filium suum comedere dignaretur. & cæteræ vicinæ re notâ congratulabantur ei, quòd Deus ille sic voluisset filium eius deuorare. Sic hi Deo suo in readeò ardua & perdifficili placere studebât, & tu difficilius esse dicis parcere inimico, quàm quòd Deo parere velis? & quam excusationem in diuino præcendes judicio? surgent idololatræ isti, & condemnabunt te, &c. *Gran vergueça por la fee, gran confusion por cierto, que la infidelidad no dude tan à su costa seruir consolada y aligerumente à sus falsos Dioses, y que la fee no quiera seruir à su verdadero en cosa que tan bien le esta.* si Deus nobis vltionem præcepisset, hoc molestum, hoc graue, hoc periculosum esse videbatur: nunc autem, *diligite*, inquit, *inimicos vestros*, &c.

Præcipit quidem & sub æternæ damnationis pœna S. Chrysost. homil. 4. in Genes. *Dic oro, si rex aliquis terrenus legem tibi posuisset, vt vel inimico parcas vel morte puniaris, an non metu mortis corporalis omnes accurrerent ad implendam legē? Quāt à igitur accusatione digni erit is, qui ob corporalē mortem, quam alioquin naturæ necessitas afferet, omnia facere paratus est, proposita autem pœna mortis æternæ minùs curat legem ab vniuersorum Domino latam?* Ita ille.

Matth. 5. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros*, præmiserat Christus: *Audistis, quia dictum est antiquis,* Leuit. 19. 18. Deut. 23. 6. *diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* quod ex eo deduxerunt, quòd Deus præcepisset Chananæos interficere, qui Hebræorum inimici dicebantur: quod si inde omnes inimicos odio habendos esse inferebant, aliqualem excusationem prætendere poterant ex eo, quamuis non omnimodam, ex aliis enim locis præceptum hoc de dilectione inimicorum constabat, sed aliqualem, vt dixi, prætextum excusationis habebant, nos verò minimè, quippe qui adeò expressam hîc Dei mentem inspiciamus, ait ergo: *Ego autem dico vobis*, &c.

Cato ille inter Romanos sapientissimus vir, inter præclaras sententias hanc scripsit: *Amicus vnus, inimicus* Cato. *nullus*: non oportet multos habere amicos, solent enim sæpè inter se dissidere, & amicitiam ipsam turbare, neque etiam sine aliquo amico transigere vitam valemus. Væ enim soli, qui si ceciderit, non habet subleuantem se, & in dubiis non haberet consiliarium, cui fidere posset: amicus ergo vnus, inimicus verò nullus, quia vnicus inimicus sufficit inquietam reddere vitam. Dices, postquam meritò velimmeritò inimicus redditur aliquis, quid mihi agendum: Ad hoc Christus: *Ego autem dico vobis*, &c. Et quamuis nulla prorsus alia interueniret ratio inimicos amandi, hæc satis superque esset, quia ita expressè iubet Deus: *Ego autem dico vobis.*

Quæ vt clariùs constent, præmittamus, non ita expressè olim in lege antiqua voluntates suas Deum Israelitis manifestâsse, sicut nobis, quod illius verbis asseruit sponsa Cant. 2. *En ipse stat post parietem nostrum, re-* Cant. 2. 9 B *spiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Vbi S. Gregor. Nyssenus: *Duplicem modum, quo Deus hominibus se manifestauit, ostendit sponsæ, scilicet minùs & magis manifestè: qui enim post parietem, vel etiam per cancellos loquitur, non ita clarè videtur, nec percipitur, sicut qui per fenestram, nullo interposito impedimento loquitur.* Olim Deus loquebatur Patribus in Prophetis, quasi post parietem, & quasi per cancellos: vnde non ita clarè percipiebatur, & ob id lex vmbrarum appellata est lex illa: *Vmbram* (ait Apostolus ad Hebr. 10.) *habens lex futurorum bonorum,* Hebr. 10. 1 *&c.* quia licet vmbra aliqualem claritatem habeat, non tamen eam quæ in ea est parte, vbi lucet Sol. Sic lex illa, quamuis aliquam lucem haberet, figuræ quippe & prophetiæ lucem præbebant, sed tenebrosa aqua in nubibus aëris erat, sicut aqua in nube inclusa, quæ non ita apparet: erat vox sicut vox post parietem prolata, quæ non ita auditur. erat denique lex illa vmbra, vnde non adeò mirum quòd non omnia, quæ ad eam pertinebant, exactè obseruarentur à po- C pulo illo. Voluerunt aliquando famuli Alexandri frænum imponere equo domini sui, nec poterant, equus enim turbatus saltibus & morsibus repugnabat. *à bocados, y con respingos y corcobos recusaba el freno.* Aspiciebat hoc Alexander & mirabatur, erat enim equus ingenuæ naturæ, denique attentè causam considerans, animaduertit vmbram famuli, qui infrænare equum volebat, in causa esse. accepit ipse Alexander in manibus suis frænum, & eâ parte, quæ vmbram equo facere non poterat, accessit, & tunc sine perturbatione & resistentia aliqua frænum accepit equus. Voluerunt olim serui domini, Prophetæ populum illum frænare, sed vmbræ illæ oculis eorum exhibitæ, eorum intellectus perturbabant. verbi gratiâ, jusserat Deus occidere Chananæos, tanquam inimicos Dei, & populi, intulerunt inde, ergo habendus est inimicus odio, & quamuis aliàs in lege inimicorum amor insinuatus erat, non ita percipiebant: *Daban se por defendidos.* Nolebat po- D pulus frænum huiusmodi recipere, sed recalcitrabat, adfuit Sol justitiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & absque vmbris & obscuritatibus accedit, & ait: *Audistis quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* non rectè Dei voluntatem præcepistis, vmbra fuit, accipite hoc luce clariùs, *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite*, &c. Quid clarius? quam excusationem nunc prætendes? Vocabit Deus in judicio Hebræum, & dicet: Cur inimicum odio habuisti? respondebit ille, quia sic ab antiquis nostris dictum, vel interpretati illi sunt: aliqualem quidem excusationem hic habebit. Tu verò Christiane, cui expressè à Deo nostro dictum est: *Ego autem*, &c. quid respondebis? quam excusationem prætendes?

Ego autem dico vobis. Quid nobis opus alias excogitare rationes, vt vobis inimicorum dilectionem suadea-

mus, ipse dixit, sit pro ratione Dei voluntas. Possumus A id pressiùs persuadere, dicendo: si inimico non pepercerit, pœnas subibis æternas, damnaberis sicut Iudas: potuit ita proponere Christus hoc mandatum, sed nobiliùs id fecit: *Ego autem*, ait, *dico vobis*, dicere me vo-
Exod. 6 3 bis sit satis. Exod. 6. Deus Moysi, *Ego*, inquit, *sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, & nomen meum Adonai non indicaui eis.* Cur ita Domine Deus modò populo huic duræ ceruicis manifestas nomen Adonai, & non sanctis eorum Patribus, quorum te Deum esse gloriaris? nunquid maior est populus hic patre suo Abraham? Minimè quidem, sed attende nominis Adonai interpretationem, & causam huius percipies. Adonai idem est quod Dominus, vt sæpè ait sanctus Hieronym. ideò in plurali numero idem est quod Domini mei: nomen autem Domini mei, & maximè in numero plurali, nomen timoris & pauoris est. sicut nomen amici, patris, sponsi, & his similia, lenitatis. ita hoc nomen Dominus seueritatem importat: noluit igitur nomen Domini Patribus illis sanctis sic indicare & proponere, quia sancti erant, & ad diuinam B implendam voluntatem propensi. Vnde non illis opus fuit nomen timoris intimare, populo verò duræ ceruicis ita. vnde sæpè in legis promulgatione: *Ego*, inquit, *Dominus*, hoc & hoc facies, *ego Dominus, ego*, inquam, *Dominus*, quasi diceret, caue tibi ne transgrediaris legem meam, quia ego sum Dominus, qui seuerè exigam à te pœnas, vapulabis mihi sicut seruus inobediens & proteruus. domino suo. Nunc autem nobis Christus non ait, *Dominus* in promulgatione legis nostræ, sed, *Ego autem dico vobis*, simpliciter sine comminatione illa, quam nomen Domini præsefert: est enim lex nostra, lex, non timoris & seruorum, sicut lex Moysi, sed lex amoris, & filiorum, &c. *No seays vos villanos por tratar os Dios aydalgadamente.*

At dices, fortissima est passio ista odij. Ita est, sed in pectore Christiano amor fortior esse debet quàm o-
Cant 8.6 *Richard. Brixia. in comment. symb* 10.1. dium & rancor. Fateor, inquam vehementiam odij, sicut enim asseruit Deus, *Fortis est, vt mors dilectio*, sic etiam dicere possumus, forte est vt mors odium. vnde C olim antiqui, vt refert Richardus Brixianus, pinxerunt voluntatem humanam cum duabus sagittis, alteram scilicet in dextera, alteram in sinistra ferentem, pedes autem habentem grypheos: ferunt autem gryphum adeò fortiter retinere quod semel apprehenderit manibus, vt nisi gladio manus eius scindantur, prædam non dimittat. mira & propria est hæc nostræ voluntatis descriptio: habet quidem duas secum potissimùm sagittas, amorem scilicet, & odium: amorem in dextera, odium in sinistra (est enim res sinistra odium) quarum potentiam rectè exprimunt manus illæ gryphææ. Gryphus enim, vt diximus, quod semel manibus apprehendit non dimittit: sic quod voluntas semel amore vel odio vehementer prosequitur, dimittere renuit: potens & amor, potens & odium. Quod optimè asseruit Dauid Psal. 54. de huiusmodi voluntatem habentibus, *Non enim*, ait, *est illis commutatio: ex-*
Ps. 54.11. *tendit manum suam in retribuendo*, hoc est, vbi semel homines manum voluntatis extendunt amando vel odiendo, non est illis commutatio, scilicet voluntatis: quodnam igitur remedium? gladij quidem huiusmodi manus abscindentis, at gladius spiritus, ait Apost. est verbum Dei, nobis scilicet aliquid præcipientis. Hoc ergo Christus Dominus abscindere vult gryphi manus, dicens: *Ego autem dico*, id est, præcipio vobis. quis igitur Christi non cedat gladio, & dicat: Absit vt plùs in me odium quàm Christi præceptum valeat, plùs apud me possit mea quàm Dei voluntas, &c. Sic igitur quantumuis potens odium & rancor sint, nunquid apud te potentius esse velis odium proximi quàm amorem Dei? & odium tuum quàm eius obsequium.

Præterea obserua quantùm apud insensibiles creaturas potens sit verbum Dei, Psalm. 147. id animad- *Ps.* 147.
uertit rectè Dauid, *Qui emittit eloquium suum terræ: velo-* 15.
citer currit sermo eius. id est, *Embia Dios mandados à la tierra, y luego passa la palabra.* Metaphora videtur sumpta à militum exercitu, in quo cùm primùm supremus Dux reliquis publicá aliquid voce jubet, & ordinat, statim ad omnes currit sermo Ducis, illico hic vexilla tollit, ille tubá canit, ille lanceam rapit, &c. *Luego passa la palabra à Capitanes, Alferes, Sergentos, Cabos de esquadras, y los de mas, y todos al punto en vn pensamiento se aprestan y oman sus puestos*, &c. Sic mundus hic velut exercitus quidam est, respectu Dei, Deus verò Dux respectu mundi: emittit igitur Deus verbum suum, & statim ad omnes creaturas transit & currit sermo eius, & ita illico *dat niuem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit, mittit* *Ps.* 147.
crystallum suam sicut buccellas, &c. hoc est, nihil est in rerum natura quod non Deo libentissimè & promptissimè pareat, an nos solùm inter omnes creaturas tanto Duci parere negligemus?

At dices, hæc inanimata sunt libertate carentia, ego liber sum, illa non possunt, non parere ego verò possum, quid mirum, si illa statim obediant, cùm aliud efficere nequeant, & ego repugnem, qui repugnare possum? hæc ne tibi rationalis creaturę videtur rationabilis responsio? quia te Deus libertate condecoravit, ideò offendere illum & mandata eius conculcare tedicis? hæccine est gratiarum actio? id enim dicis quod ille quispiam, qui contra regem se insurgere diceret, eò quòd ab eo potentior omnibus aliis redditus sit, nunquid quia ille bonus, tu malus eris?

De Sertorio celebri Duce narrat Plutarchus in eius vita, quod, vt obedientes simul & audaces redderet milites exercitus sui, finxit sibi à Deo sæpè reuelari, quæ ipsum cum exercitu facere oportebat. Cum igitur se casus offerebat, in quo bellum periculosum aggredi oporteret, se à Deo hoc vel illud, accepisse referebat, cuius apud milites tanta erat auctoritas, vt dictis eius omnes crederent: credentes autem à Deo in incertum esse periculum illud subire, tanquam leones per ignes & lancearum cuspides non recusabant: vndegloriosa facinora perpetrabant. & tamen illi infideles erant, nos verò fideles, illi nullum aliud testimonium diuinæ voluntatis, nisi Ducis habebant, nos Christi Domini oraculo potimur, dicentis: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.*

Dices, ingratus ille & improbus est, pro beneficiis maleficia mihi reddit. Audi S. Chrysost. serm. de cha- *Chrysost.*
ritate tom. 5. *Si ita ingratum se ille & improbum reddat, non ita tibi accumulatè crescerent præmia, nisi magnum in modum illius augeretur improbitas: si enim adueršitatem sustuleris, & præmiorum causam tollas necesse est. Arbores spectari licet, quæ vt validioribus ventis agitantur, ita & maiori robore obfirmari solent, & ramis & frondibus densiores. Ita noš, si animi magnitudine præstamus, magis ac magis inualescimus: ait enim: vir constans animo longè sapit, timidus verò, flutuo admodum & vecors. Vides quem sit pusillanimitas truncando, non enim simplicem illi, sed ingentem asserit inesse solidatem.* Ita S. Chrysost.

Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros: Dices lex admodum est difficilis ista, & præceptum graue. Hoc quidem obiiciendum nullo modo erat, ait enim Chri- *Matth.*
stus, *iugum meum suaue est, & onus meum leue:* quod ergo 11.30.
Christus leue ac suaue asserit, tu asperum & difficile inde dicteris, &c. sed esto difficile, admodum sit, Deus ita jubet, parendum ergo, quantumuis grane sit.

Difficilis admodum erat via illa per quam filij Israel in eremo ducebantur, vbi jam panis, jam aqua illis deficiebat, jam per ascensus & descensus montium, jam per vias lapidibus refertas eundum erat, & tamen ait Scriptura sacra Num. 9. *Cumq; ablata fuisset nubes, quæ* *Num.* 9.
tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filij Israel, & in loco vbi stetisset nubes ibi castra metabantur. Ad imperium Domini

Domini proficiscebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum. Cunctis diebus quibus stabat nubes super tabernaculum manebant in eodem loco, & si euenisset vt multo tempore maneret super illud, erant filij Israel in excubiis Domini, & non proficiscebantur quot diebus fuisset nubes super tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant. Ecce quoties inculcat Scriptura resignationem populi juxta Domini voluntatem & imperium: vocat autem imperium directionem illam nubis. Si ergo illi Hebræi sic Dei ad imperium seu nutum fideliter parebant, quamuis per ardua, & inuia, & inaquosa loca ducerentur, tu quid difficultatem in diligendis inimicis opponis, & à via declinas, cum imperium Dei expressum audias, dicentis: *Ego autem dico vobis*, &c.

Psal.16.4 Dux Lyra.

Psalm. 16. dicebat S. Dauid: *Vt non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* Sic optimè explicat Nicolaus de Lyra, quia non solùm contra Saulem persequentem non extendit manum percutiendo illum, cùm posset, vt notum est, sed neque relaxauit os suum, irreuerenter loquens de ipso, sed reuerenter magis, vt patet 1. Reg. 26. vbi ait ad Saul: *Nunc ergo audi, oro, domine mi rex, verba serui tui*, &c. Ita Lyra, vbi nota summissionem Dauid in huiusmodi verbis ostensam, dominum vocat suum persecutorem & regem, impiè regentem, & se seruum eius quem veluti odibilem inimicum ad mortem vsque insequebatur: & insuper addit se ob id *vias duras* sustinuisse, alia litera habet, *vias latronis*, quia ac si esset latro Dauid, sic eum cogebat Saul per montes fugere, & per nemora se occultare à facie ministrorum justitiæ, & ab ipso rege, cur ita? *Propter verba*, inquit, *labiorum tuorum*. Lyra propter illa scilicet verba Leuit. *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* O virum verè Euangelio dignum! Erubescе Christiane, non audiuit Dauid, *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, ex ore Christi, sicut tu, & ille propter illa verba, *Ne quæras vltionem*, ita diligebat & venerabatur mortalem inimicum, tu verò causaris quod sine duritia viarum diligere inimicum jubearis, &c.

Leuit. 19. 18.

Theod.

Matth. 5. Theod. in theatro vitæ humanæ, vol. 1. lib. 2. Caius Caligula Imperator odio (inquit) prosequebatur Iuresconsultos, ita vt palam minaretur se effecturum propediem, vt de jure respondere non possent, nisi, Eccum, hoc est, ecce Principem, cuius voluntas loco legis esse debet. Ita ille. Superbus hic erat valde, homo enim cùm esset, veritatis & æquitatis regulam se faciebat. Deus autem cuius voluntas totius æquitatis & bonitatis regula est, cuiusque judicium totius veritatis est mensura, id sibi meritò potest vendicare, vt in his quæ statuerit ipse, satis sit dicere, Eccum, hoc est, ecce Deum qui hoc statuit.

Matt. 5.

Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, &c. habet emphasim, & vim magnam illud pronomen, *Ego*. Fratres Iosephi qui vendiderant eum, & immeritò occidere voluerunt, vt tantæ iniuriæ veniam impetrarent, sic ad eum loquuti sunt: *Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te*, hoc per internuntium fratres Iosepho dixerunt, quibus auditis, fleuit Iosephus. Non solùm ergo pepercit, sed insuper fleuit. vbi Rupertus sanctissimum parcendi modum esse dicit, quando petentes veniam lacrymantur, & qui veniam concedit à lacrymis se non valet cõtinere. Plorauit ille, nimirum, quia auctoritatem patris interpositam vidit. Christus Dominus Pater futuri sæculi dictus est ab Isaia, & fuit, & est verè Pater noster, ipse verò ait: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*. si ergo Iosephus tãtum nefas in se commissum fratribus remisit, quia id pater eius exigebat, tu inimico tuo non parces, qui audis Patrem supremum, & Deum tuum dicẽtem tibi, *Ego autem, &c.*

Gen. vlt.

Dices, vindictam mihi consulunt amici, & propinqui: hos tu amicos & propinquos vocas? extraneos & inimicos dicere debuisses: hi enim animam tuam sicut dæmones quærunt. Si consiliarios veros quæris, audi Dauidem, *Testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum justificationes tuæ*, hoc est, mandata tua, bene, optimè, quænam quæso meliora consilia quàm Dei præcepta? ait verò Dominus: *Ego autem dico, &c.* Ecce tibi legitimum consilium. Psal. 118

Sunt in sacris Literis præcepta quæ dicuntur affirmatiua, *Honora Deum tuum, &c.* sunt item & negatiua, *Non occides, non fur aberis, non falsum testimonium dices*, nullam denique iniuriam facies proximo tuo. Satis ostendit Dominus in his præceptis negatiuis quantùm exoptet, vt omnes inter se amicitiam contrahant: sed in affirmatiuis id apertiùs & clariùs indicauit. Vult enim vt quotiescumque frater noster deliquerit, si veniam petierit, nos paratos inueniat ad ignoscendum ei.

Accessit D. Petrus ad Iesum, & rogauit illum, *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei vsque septies?* Respondit Christus: *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* hoc est (vt D. Hieronymus exponit ibi) quadringentis nonaginta vicibus, vt toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ille peccare non posset. Exigit itaque Dominus, vt millies illi ignoscas, si millies deliquerit, & addit ad veniam amorem hodiernâ die, *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos.* Non solùm opus est, inimicorum iniurias æquo animo ferre, sed illos etiam amore & beneuolentiâ complecti, & animo, & corpore, & in his quæ ab hominibus cernuntur, & in iis, quæ Deo tantùm perspecta sunt. Hinc est illud D. Gregorij: *Virtus est coram hominibus aduersarios tolerare: sed virtus coram Deo, diligere.* Mat. 18. 21.

Et eo amore complectendus est inimicus, qui homines in admirationem rapiat, cuius rationem & modum præscribit Dominus, cùm ait: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Proximum dicit, non amicum duntaxat, vt perperam affirmabant Pharisæi, sed diliges proximum tuum, quicumque ille sit. Hoc est, præceptum meum, hoc mando vobis, vt diligatis illum, sicut vosmetipsos, satis commendatum est istud. Quid opus est, vt verbis augeatur? nam qui amorem illum postulat, quo se quisque diligit, maximum amorem postulat. Animaduerte, & cogita quo quis se amore prosequatur, quantum sibi indulgeat, quâ ratione peccata dissimulet. Vnde tanta liberalitas? tanta indulgentia, & misericordia? Rogas, quia seipsum in oculis fert, ac sibi charus est. Eumdem amoris modum præscribit tibi Dominus, & ideò non dixit: *Diligite inimicos vestros*, sicut amicus amicum diligit, quia hæc amicitia interdum remitti solet, aut omnino dissolui, vti dissoluta est inter regem Assuerum, & familiarissimum eius Aman. Nec dixit Dominus: Diligite inimicos vestros, sicut frater solet fratrem diligere, quia amor iste iniuidiæ & crudelitati subiicitur, vt indicat immanitas, & sæuitia Cain, & cædes innocentissimi Abel, inhumanitas & feritas filiorum Iacob, seruitus & calamitas fratris eorum Ioseph. Neque dixit: Diligite inimicos vestros, sicut mater diligit filium suum, quem in lucem edidit, & susceptit, quia hic amor licet maximus sit, non caret omnino insaniâ & crudelitate, vt videre est in obsidione illa Samariæ, quam adeò arctam fuisse commemorant sacræ Literæ, vt fœmina famis impatiens filium suum deuorauerit. Non absimilem historiam narrat Iosephus, cùm agit de ruina & exitio Ierosolymitano, de quadam fœmina quæ filium coxit, vt illius carnibus vesceretur. Hæ fœminæ filios trucidarunt, vt eorum quos genuerant carne fami satisfaceret, quia filiorum amor amori sui cedebat. Quis enim vnquam eò miseriæ & famis deductus est, Mat. 22. 39.

vt præ vitæ desiderio propriis carnibus vescereturˀ A Cùm igitur amor sui potentissimus sit, illum Dominus constituit, vt exemplar amoris, & benevolentiæ, quà proximus complectendus est, vt *Diligas proximum tuum sicut teipsum.* Satis hic Dominus rem commendat, quem imitatus Paulus eumdem amorem similem esse vult vinculo, & fibulæ, quâ eiusdem corporis membra connectuntur, & colligantur inter se, & ideò ait: *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.*

1. Cor. 12. 26. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Perpulchrum est hoc simile D. Pauli, videmus enim nec pedem ab altero pede conculcatum, nec manum ab altera manu læsam vindictam sumere, quia cùm eiusdem corporis membra sint, sibi inuicem ignoscunt, & iniuriam illatam remittunt, quia mutuo inter se amore copulantur, quem D. Paulus desiderat inter omnes Christi fideles, quia eiusdem corporis membra sunt, cuius caput Christus est. Quamuis proximus corpus tuum lædat, & maximum tibi detrimentum afferat, de honore & fama detrahat, eiusdem tamen corporis membrum est, illum dilige, ac ei peccata facilè condona. B

Neque his contentus Christus Dominus addit: *Et benefacite his qui oderunt vos.* Non solùm amorem & benevolentiam exigit, sed opera & benefacta, quibus amor confirmetur, & ostendatur. Si ille te iniuriis lacessat, tu illùm beneficiis prouoca, non secus ac si nulla te iniuria, sed maximis affecisset beneficiis. Quia

1 Cor. 13. 4. *charitas patiens est, benigna est, &c.* vt testatur D. Paulus: quem sic exponit D. Gregorius, *Patiens est charitas, quia illata mala æquanimiter tolerat, benigna verò est, quia pro malis bona largiter ministrat.* & Spiritus sanctus, vt id clariùs ostendatur, ait: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si*

Pr. 25 21 Ro. 12. 20. *sitierit, da ei aquam bibere.* Neque id solùm intelligas de pane & aqua, quibus corpus alitur, sed de omni ciborum genere: est enim phrasis Hebræorum, qui sub panis nomine omne cibi genus intelligunt. Vnde cùm

Luc. 14. 1. dicitur, IESVS *ingressus Sabbatho manducare panem*, intelligere debemus ingressum fuisse, vt se cibo reficeret. Eadem ratione apud Hebræos nomine aquæ, omnis potus designatur. Apud septuaginta Interpretes habetur: *Ciba illum, & pota illum,* & D. Paulus ait: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi.* Ac si diceret, non secus inimici necessitatibus prouidere debes, quàm si necessarius esset, & de te benemeritus. C

Exod. 23. 4. Hinc duxit originem præceptum illud, quod imposuit Dominus populo suo, *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad viam, si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.* Animaduerte, & considera quid præcipiat Dominus maiestatis, & quò descendat. Non illi fit satis si inimicum diligas, & illi benefacias, nisi eius asinum & bouem subleues, quia illius sunt: *Si occurreris,* inquit, *bovi, aut asino erranti, reduc ad viam, si oneri succumbit asinus, subleua illum.* O summam Dei erga hominum genus benignitatem! numquid Deo cura de bobus est? vtique, cùm id postulat proximi amor. D

Neque his exhauritur modus, & ratio amoris inimicorum, quia diuina sapientia fons perennis est, ex quo diuini amoris latices erumpunt, quibus inimicorum amor irrigatur, vt incrementa suscipiat, & in omnes partes vndàs extendat. Vnde tandem præcepit Christus Dominus, vt preces ad Dominum Deum pro inimico fundas. Vide quò tendat, & quò se extendat Christiana charitas, eò perfectionis peruenit, vt si extrahere non possis inimicum tuum à periculo, in quo versatur, vltimum remedium adhibere debeas: preces scilicet, quibus diuinam opem & auxilium implores, vt inimicus resipiscat, veniam impetret, & sempiternâ felicitatem assequatur, vti à diuo Iacobo, & Stephano protomartyre gloriosissimo factum est.

Si supremam Dei maiestatem attenta mentis consideratione contemplari vellemus (quamuis præceptum de diligendis inimicis difficillimum sit) ex eò solùm quod à Principe Deo, qui omnem hunc mundum regit, impositum est, facillimum redderetur. Quid enim maius fingi, aut excogitari potest diuinâ voluntate? cuius tanta est virtus, & præstantia, vt sola illa sufficiat ad euincendam, & superandam quamlibet difficultatem. Quid potest afferri, quod maiorem vim faciat, quàm verbum illud Domini, *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Magna est virtus diuinæ vocis, nihil non emollit, nihil non superat, nihil est quod illius est virtuti obsistere valeat.

Ps. 28. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia: vox Domini confringentis cedros: vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis desertum.* Non videtur Dauid posse finem imponere verbis, quibus diuinæ vocis virtutem augeat. *Vox,* inquit, *Domini in virtute,* non est instar vocis hominis, quæ ex aëre & in aëre conflatur. Vox Domini virtute præstat, & virtus est, sub qua Dei omnipotentia latet: vnde tantam vim retinet, vt cedros Libani confringat, flammam ignis interfecet, rupes deserti conterat, ac arbores communat, & eradicet. O singularem diuinæ vocis virtutem! B

Hinc Prophetæ, vt verba, quibus aperiebant ea, quæ animo præsentirant, vim haberent, verbum illud frequenter vsurpant: *Hæc dicit Dominus. Audite verbum Domini.* Nec solùm Prophetę, sed ipse Prophetarum Dominus, cùm præscribebat leges populo suo Israel, dicebat sæpè: *Ego Dominus.* Sic Reges, Principes, & Imperatores litteris, quibus aliquid præcipiunt, subscribere solent: Ego Rex. Quâ subscriptione munitæ literæ, tantam vim habent apud homines, qui sub Regis ditione & imperio sunt. vt nihil non assequantur. Omnes detecto capite annuunt, chartam osculantur, & capiti superimponunt, dicentes: Regiam voluntatem exequemur. Si igitur tantam vim habet: Ego Rex, si sensu & ratione duceremur, quantam habere debet, *Ego Dominus: Ego autem dico vobis?* C

Apud mentes illas cœlestes, quæ diuinæ Maiestatis solium circumsistunt, tantam vim habet imperium, & voluntas Domini, vt vel ad eius nutum, quem semper intuentur, omnes procumbant, & vento velociores aduolent, ad exequendam Domini voluntatem indicauit hoc Dauid illis verbis, *Qui facit Angelos suos spiritus,* Ps. 103. 4 *& ministros suos ignem vrentem,* hoc est, ministri Domini instar fulminis summâ velocitate feruntur, dicto audientes sunt, & quidquid ille præcipit, executioni mandant. Placuit Domino magnam Assyriis cladem inferre, & Angelus, cui res peragenda demandatur, vnius noctis spatio centum octoginta quinque hominum millia interemit in castris Assyriorum. Placet deinde Domino vt homines tueantur & defendant: Angeli supponunt manus suas, ne quid detrimenti capiant homines, colsque manibus ferunt, ne in salebram incurrant, aut ad saxum collidantur. *Angelis suis Deus* Ps. 90. 11 *mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* D

Sed quid mirum si Angeli, qui acri mente vigent, & Deum contemplantur, dicto audientes sunt, quando animantia rationis expertia diuinam vocem exaudiunt, & Dei voluntati parent? Coniectus est Daniel in lacum leonum, & erat ibi diebus sex: porrò in lacu erant leones septem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duę oues, & tunc non data sunt eis, vt deuorarent Danielem, quem circumiuerunt, non tamen ausi sunt contingere. Quid obstitit? Audierunt vocem Domini præcipientis, ne quidquam illi mali inferrent; & illicò parent, vngues contrahunt, dentes cohibent, sitim tolerant, edendi auiditatem reprimunt, & quamquam

quam inediâ acerbissimè cruciabantur, cibum sibi ob- A latum à longè intuentur, & suspiciunt, nec contingere audent.

3.reg.13. Immisit Dominus leonem, vt quendam Prophetam interficeret, eò quòd à præcepto sibi impositò discessérat, interdixit verò ne cadauer deuoraret: irruit leo in Prophetam, & interfecit eum, sicuti à Domino præcipiebatur, & stabat juxta cadauer, quod nequaquam contigit, vt Domini voluntati obtemperaret. Eidem paruerunt serpentes illi, quos immisit Dominus, vt necem afferrent filiis Israel, cùm illos morsibus dilacerabant, eò quòd multis se peccatis obstrinxissent in solitudine. Eandem exequebatur vipera illa quæ adhæsit manui D. Pauli, nec illum læsit, eò quòd vocem Domini audiuit præcipientis, ne venena diffunderet, obtemperauit statim, cohibuit se, & virus tabificum retraxit, ne Paulum interficeret. Minatur Dominus quibusdam peccatoribus coruos, qui eorum oculos eruant, & coruorum operâ alit Dominus E- B liam in desertis locis. *Coruis, inquit, præcepi, vt pascerent*
3.reg.17. *te.* Quid hoc est, nisi virtutem diuinæ vocis ostendere? cui vel animantia ipsa rationis expertia parent, & eius nutum in omnibus rebus intuentur.

Quin res etiã, quę sensu & vitâ carent, diuinæ vocis virtutem agnoscunt, ac Dei voluntatem exequuntur. Præcepit Dominus igni, vt Sodomam combureret: paruit, & omnia combussit, in cinerę sque redegit. Præcepit igni Babylonico, qui quadragintà ferè cubitos esse rebatur, ne tres speciosos iuuenes adureret, & illico vim continuit, ne illos vel leuis scintilla contingeret: vnde salui & incolumes euaserunt. Præcepit filici, ex quo ignis excutitur, vt aquas effunderet, & continuò ex illo erumpunt aquæ latices. Voluit vt mare rubrum in duas partes diuideretur, & viam faceret filiis Israel: diuisum est statim, & viam præbuit. Voluit denique vt aquæ Ægyptios inuoluerent, vt omnes in profundum descenderent: concluserunt illos statim, & occiderunt omnes, ita vt ne vnus quidem remaneret. Oborta est in mari repentina tempestas, jactabantur C Apostoli, & nauicula fluctibus operiebatur, excitatus Dominus imperauit ventis, & continuò magna tranquillitas subsecuta est, ita vt homines in admirationem
Iat.8.28 rapti dicerent: *Qualis est hic, quia mare & venti obediunt ei?* Cùm autem fugeret à facie Domini Ionas Propheta, & nauim conscenderet, præcepit Dominus ventis, vt fluctus maris commouerent: paruerunt illi, & subsecuta est in mari magna & turbulenta tempestas. Quid plura? in illo coalescentis mundi primordio, cum vniuersa rerum natura constituebatur, complebantur aquæ vniuersam terram: præcepit Dominus vt diuiderentur, & appareret terra, in qua versarentur animantia, & ita factum est. Deinde verò temporibus Noe, vt immania scelera, quibus omnia erant infecta, delerentur, præcepit Dominus aquis, vt cooperirent terram, & illicò sine vlla tergiuersatione paruerunt.

Vniuersus itaque terrarum orbis, & cuncta quæ ambit, & amplectitur, Dei vocem agnoscunt, & eius nutum & voluntatem intuentur. Sed quid mirum, D quandoquidem elementa consistant, plantæ vigeant, animantia sensu, Angeli verò mente & ratione ducantur: cùm in eo, quod nihil est & necdum consistit, præclaræ huius obedientiæ vestigium, non quidem adumbratum, sed penitus expressum reperiamus? Vocat Deus ea quæ non sunt, & voci eius respondent, vt
Ro.4.17. D. Paulus ait: *Qui viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Vocat mortem, quæ nihil est, vt vitam, quam ademit, restituat, & dicto audiens est.
ean.11. Vocat Lazarum jam extinctum quatriduanum, qui jam non erat Lazarus, cùm animus esset à corpore dissolutus, & exaudit vocem Lazarus, & egreditur ex sepulchro, obuolutus syndone, ligatus manus & pedes institis. Vocat Solem antequam esset Sol, & egreditur, & oritur hic Sol, cuius luce fruimur. *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* Mirum profectò quantam vim habeat vox Domini, verbum Domini, Ego autem dico vobis: Omnia penetrat, sepulchra reserat, & ad ea quæ non sunt pertingit. Ac denique dæmones, qui Dei voluntati resistunt, eamque ingrato animo & obstinatione quâdam sententiæ, repudiare vellent, audiunt, contremiscunt, & obediunt. Imperauit Chri- Marc.9. 25. stus Dominus, vt dæmon, qui Apostolorum virtute expelli non poterat, ab homine, quem vexabat, exiret, qui statim, licèt discerpens hominem, exiuit ab eo.

Siigitur vox Domini tantam vim habet, vt omnia quæ cæli ambitu continentur, & ea quæ non sunt, quòd velit, flectat, quantam necesse est vt habeat apud homines, qui sensu & ratione ducuntur, & eò maiori obligationis vinculo deuincti sunt, quò maioribus beneficiis cumulatur? Quid? erit nehomo truculentior leonibus & viperis crudelior? eritne vehemẽtior ventis, velocior & pugnacior fluctibus maris? Patietur se ab elementis, qui nullo sensu vigent, superari, & æquo animo feret, vt ea, quæ non sunt, vocẽ Domini exaudiant, ipse verò aures obturabit, ne tanti Domini vocibus respõdere, & voluntati obtemperare cogatur? O miser & infelix homo, si teipsum cognosceres, & abiectam & humilem naturæ tuæ conditionem agnosceres, quantam vim tibi afferret verbum illud, *Ego autem dico vobis.* Ego, cuius solium mentes illæ cœlestes circumsistunt, cuius nutum Angeli cœlum & astra intuentur, cuius voluntatem terra & maria exequuntur. Ego, qui vocis virtute ad vitam reuoco sepultos, & nullâ materiâ subministratâ omnia condo. Ego, qui vitæ & necis imperium habeo. Ego, qui eos, qui mihi obediunt, sempiternâ felicitate dono: illos verò qui mihi resistunt, sempiternis suppliciis addico. Ego, à quo quidquid boni rationem habet, tamquam ex aliquo perenni fonte, proficiscitur. Ego, qui vos in lucem edidi, atque suscepi, à multis periculis defendi, in libertatem asserui, ac tandem in cœleste illud regnum introducam. *Ego autem dico vobis, vobis,* inquam, quos tantis mihi beneficiis deuinxi, *vobis,* quos in populum mihi charissimum elegi, *vobis,* quos præ cæteris omnibus dilexi. Rationi valde consentaneum est, vt, quoniam omnia & singula, quæ cœli ambitu continentur, diuinis vocibus, naturâ ipsâ duce, parent, homines qui tantum officij sustinent, (cùm eos Deus libertate donauerit, quâ cæteris aliis rebus præstant & excellunt) diuinam etiam voluntatem exequantur, & ad eam se liberè fingant, & accommodent. si difficillimum videatur, ad alienam voluntatem propriam aggregare, & cum illa coniungere, difficultatem euincet, non quamlibet esse voluntatem, sed diuinam, cui humanam coniungere, non solùm vtile & speciosum est, sed etiam gloriosissimum.

Tanti ponderis & momenti est præceptum diuinum de diligendis inimicis, eò solùm quod à Christo Domino impositum est, vt quando alia non cogerent, illud per se sufficere debeat ad excitandum hominem, vt se totum illius obseruationi dedat. Nam, vt D. Bernardus ait: *Non attendit verus obediens, quale sit quod præcipitur, hoc solùm contentus, quòd præcipitur.* & illud obedientiæ genus Deo gratissimum est, cùm aliquam difficultatem superamus. Nam, vt D. Bernard. ait, *obedientia circa difficilia, gratior, inobedientia circa minima, damnabilior.*

Sed obiicies, hanc difficultatem tibi videri inexpugnabilem. Quis enim, dices, iniurias inimico remittat, cùm nec id ille promereatur, nec mihi conueniat, nec meo conducathonori: sed mihi potiùs dedecori apud homines, & ignominiæ sit? Arduũ & difficile est amore eum prosequi, qui me odio prosequitur, verbis honorificis illum appellare, qui me contumeliosis verbis lacessit

laceſſit, ac Deum pro illius ſalute & incolumitate deprecari, qui mihi omne malum imprecatur, id ferri non poteſt. potio enim amara eſt, quæ difficilè exhauritur: & pilula, quæ licèt inaurata ſit, ſine ſtomachi commotione non deglutitur: ſed ſaccharo illius diuini præcepti obuoluta, *Ego autem dico vobis: Diligite, &c.* palato arridet, & maximâ quâdam ſuauitate dilabitur.

Maximos labores in perferendis inimicorum iniuriis perpeſſus eſt Rex Dauid, omnes tamen inuictâ quâdam patientiâ ſuperauit: quia obuerſabatur ipſi ante oculos diuina voluntas, & voci Domini id præcipientis beneuolas aures accommodabat. *Propter verba labiorum tuorum* (inquit) *ego cuſtodiui vias duras.* Indicat quâ ratione ſe geſſerit in tolerandis iniuriis Sauli's, quibus paſſim afficiebatur, & ait: Tantum apud me valuit voluntas Domini, quàm expreſſit in Leuitico, dicens: *Non quæres vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*: vt ne ab illa vel tranſuerſum vnguem diſcederem, maximos labores pertulerim, maximis me obiecerim difficultatibus, & ſæpè in vitæ diſcrimen ſim adductus. Et vt id luce clariùs appareat, meminiſſe ſufficit in quantum odium Saulis venerit Dauid: tanto enim furore Saul agitabatur, vt odium penitus inſitum diſſimulare non poſſet; ſed quoties ſeſe offerebat occaſio, ſubitò erumperet. Arripuit aliquando haſtam, eamque contorſit in Dauidem: quam niſi feliciſſimè declinaſſet, eâ tranſuerberatus occubuiſſet. deinde illum eſt inſecutus vſque ad montium juga, & niſi ſe abdidiſſet in ſyluas, in antra, & terræ hiatus, Saulis manus effugere non potuiſſet: vexabat illum frequenter, & in vitæ diſcrimen interdum adducebat. Neceſolùm Dauidem, ſed & illos, qui ei ſubſidio erant, vſq; ad internecionem perſequebatur. Cuius rei extat illud ſingulare, quòd in vrbe Nobe Sacerdos Domini, nomine Achimelech, ignarus conſilij Saulis, Dauidis vicem doluit, & obtulit illi poſcenti ſanctificatum panem, quo veſceretur. Quod cùm Sauli fuiſſet renuntiatum, iratus valde, juſſit Achimelech, & octoginta quatuor Sacerdotes illius vrbis, interfici. Nec his contentus Saul, vrbem Nobe, in qua ſacerdotio fungebantur, inuaſit, omneſque qui in illa vrbe verſabantur, viros & mulieres, paruulos & lactentes, bouemque & aſinam & ouem, percuſſit in ore gladij, vt ait Scriptura. O execrandam crudelitatem! Quid enim mali fecerant huius vrbis incolæ? Quo ſe peccato aſtrinxerant pueri? Quid commiſerant beſtiæ, & animantia rationis expertia, vt tantam ſubirent calamitatem, eò ſolùm, quòd illius vrbis Sacerdos obtulit panes Dauidi, fame laboranti, & gladium, quo Goliath capite obtruncauerat, reſtituit, ac Dominum conſuluit? Tantam animo indignationem concepit Saul, & tantâ exarſit irâ, vt Sacerdotem cum ſuâ familia vniuerſa, & vrbis ſuæ incolis funditus deleuerit. Quid fecit, aut quid commeruit Dauid? Si rem rectè perpendimus, & ſuis momentis ſingula ponderamus, inueniemus profectò dignum fuiſſe maximis præmiis, quia maximis Saulem officiis ſibi deuinxerat. Nonnulla commemoremus.

Valentiſſimus ille gigas Goliath, dedecori & ignominiæ erat populo Iſrael: cùm illi bellum indiceret, & Saulem prouocaret ad ſingulare certamen, nemo inuentus eſt in fortiſſimo illo exercitu, qui ſe illi opponeret, & populi partes tuendas ac defendendas ſuſciperet. Dauid autem, cùm adhuc eſſet juuenis, auſus eſt ſinearmis cum ferociſſimo gigante, armis inſtructo, congredi, tantumque virtute valuit, vt turrim illam munitiſſimam vnius lapidis ictu labefactauerit, & opprobrium abſtulerit ab Iſrael.

Deinde cùm ſpiritu nequam vexaretur Saul, ac variis modis affligeretur, citharam pulſabat Dauid, cuius dulcedine & ſuauitate dolor ſenſim remittebatur. Quid plura? dux erat præſtantiſſimus Dauid, in rebus bellicis peritiſſimus, qui Saulis hoſtes arcebat ſæpè, & inuictâ quâdam animi magnitudine ſuperabat: & in tantis officiis fideliſſimo ſeruo, non ſolùm gratus non extitit, improbus ac ſceleratus Rex, ſed inuidiâ exagitatus, & irâ percitus illum ſæpè ad necem quæſiuit: quia fugæ ſe dederat Dauid: nolebat enim cum illo manus conſerere, ne Regem perimeret. Bis illum impunè poterat interficere, cùm ſub haſtæ cuſpide jaceret, vt ſceleratis Regis morte laboribus finem imponeret. Noluit tamen, manum retraxit, impetum coercuit, & vlciſcendi libidinem repreſſit. Iam veſtis Regis particulâ contentus, quam ipſe abſcidit, jam haſtâ ac vaſculo, quibus Rex vtebatur: quæ ſecum adduxit, vt illa Sauli oſtendens, & periculum, in quo fuerat verſatus, indicans, illum flecteret, & ad pacem ineundam induceret. Necid quidem aſſecutus eſt. nunquam tamen de vltione cogitauit, neque de vltione debita, cum periculo tamen vitæ, Saulis agere voluit. Adde etiam quòd, cùm primùm nuntiata eſt illi Saulis cædes, grauiter affectus eſt, & planxit ſuper eum, dicens: *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant ſuper vos: quia ibi abiectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul, Saul & Ionathas amabiles, & decori in vita ſua: aquilis velociores, leonibus fortiores. Filiæ Iſrael ſuper Saul flete, &c.* O illuſtrem animi magnitudinem, cui Saul amabilis & ſpecioſus videbatur, cùm hoſtis ipſe eſſet infeſtiſſimus, & improbus rex. Nec ſolùm ipſe flet, quod valde mirandum eſt, ſed virgines Sion ſuo fletu prouocat, vt vberes lacrymarum riuulos profundant.

Sed audiamus quid illi acciderit, qui Saulis necem renuntiauit. *Caſu* (inquit) *veni in montem Gelboe, & Saul incumbebat ſuper haſtam ſuam: & cùm me vocaret, ait: Interfice me: quoniam tenent me angustiæ. Steti ſuper eum, & occidi: ſciebam enim quod viuere non poſſet, & tuli diadema, quod erat in capite eius, & attuli ad te dominum meum huc.* His auditis, ſcidit Dauid veſtimenta ſua, & fleuit, juſſitque interfici nuntium, eò quòd auſus fuiſſet manus inijcere in Saul. Nec profuit illi excuſatio, quæ ſufficiens videbatur, id ſcilicet à Saule fuiſſe poſtulatum, qui mortis angustiis & vulnerum dolore premebatur, & viuere non poterat: nec aliquid valuit apud Dauidem, Saulem, non amicum, ſed inimicum fuiſſe, qui eius vitam & ſanguinem expetiſſet.

Hinc facilè perſpicitur animus Dauidis, qui non ſolùm odio & maleuolentiâ non laborabat, ſed atrociſſimum inimicum amore & beneuolentiâ proſequebatur. Quis dubitat (ſi hominis naturam & conditionem ſpectes) quin ægrè tulerit Dauid Saulis odium ſine cauſa ſuſceptum, offenſas, & iniurias quibus paſſim afficiebatur? Quis dubitat, quin vitam ſibi acerbam putauerit, tot periculis obnoxiam, toties in diſcrimen adductam, tantis laboribus circumuentam? omnia tamen æquo animo ferebat & ſingulari quâdam virtute tolerabat, nec vindictam expetebat, nec vltionem de inimico ſumebat, ne præceptum diuinum, quo id ſibi fuerat prohibitum, tranſgrederetur. *Propter verba*, inquit, *labiorum tuorum cuſtodiui vias duras.* Quaſi dicat, non aliquâ neceſſitate coactus, aut formidine deterritus, vlciſcendi impetum repreſſi, ſed ſolùm propter verba labiorum tuorum, vt tuam ſcilicet exequerer voluntatem.

Rationi ergo conſonum eſt, vt Dauidis veſtigiis inſiſtamus, ne propter obiectam difficultatem diuinũ præceptum tranſgrediamur. Vocauit Dominus Ieremiam Prophet. & ait: *Vade ad domum Rechabitarum, & da eis bibere vinum.* Abiit Ieremias, & vocauit eos, cùm autem confluxiſſent in locum proximum templo, poſuit coràm eis ſcyphos plenos vino, & dixit: *Bibite vinum:* Qui reſponderunt, *Non bibemus vinum, quoniam Ionadab pater noſter præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filij veſtri in ſempiternum, & domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineam non plantabitis, nec habebitis. Obediui-*

mus

mus ergo voci Ionadab patris nostri in omnibus quæ præcepit A nobis. Hæc respondentes, noluerunt voci Prophetæ acquiescere, nec vini pocula degustare. Tunc Dominus ait ad Ieremiam: *Vade, & dic viris Iuda, & habitatoribus Ierusalem: Nun quid non recipietis disciplinam, vt obediatis verbis meis? dicit Dominus. Præualuerunt sermones Ionadab, quos præcepit filiis suis, vt non biberent vinum, & non biberunt vsque ad hanc diem, quia obedierunt præcepto patris sui: ego autem locutus sum ad vos, de mane consurgens, & loquens, & non obedistis mihi.* Eodem argumento posset nunc Dominus Christianos homines conuincere: Præualuerunt sermones Ionadab, quæ præcepit filiis suis, neque ab illis deflectere voluerunt, nec potuit præcepti difficultas eos deterrere, nec à suo proposito retardare. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros*, præceptum cùm sit diuinum, cui charitas imponit fundamentum, quod dulcis amor suaue & facile reddit, præcepti tamen difficultatem obiicitis?

Si Dominum diligeremus, & illum cultu & ve- B
neratione debita prosequeremur, magni ponde-
ris & momenti apud nos esset verbum illud, *Ego autem dico vobis.* Regnum Dauidis per tyrannidem occupare tentauit Absalon, comparauit exercitum, vt illum regno expelleret, initum est certamen, prostratus est exercitus Absalonis, & accidit vt mulus, quò vehebatur, subter condensam quercum ingrederetur, cui cùm caput eius adhæsisset, remansit in sublimi suspensus. Quem cùm vidisset miles quidam Dauidis, nuntiauit Ioab: *Vidi Absalonem pendentem de quercu. Si vidisti* (inquit Ioab) *quare non confodisti eum cum terra? & ego dedissem tibi decem argenti siclos, & vnum baltheum. Si appenderes* (respondit ille) *in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis, audientibus enim vobis præcepit Rex tibi, & Abisai, & Ethai, dicens: Custodite mihi puerum Absalon.* Quid? nónne promeruerat Absalon truculentam cædem, vt hastâ traiectus (vt dicebat Ioab) finis imponeretur bello? C
quis dubitat? Sed optimus ille miles præcepti, quod imposuerat Dauid, recordatus, id tantùm obiecit promissionibus & præmiis Ioab: *Rex præcepit.* Quo verbo omnia illius argumenta facilè diluit: Si dixeris, inimicum, qui tibi iniuriam intulit, quolibet esse supplicio dignum, fatebor. Si addideris vindictam, quam posses ab illo sumere, honori & lucro tibi futuram, concedam facilè: sed præcepit Rex ille cælestis, ne quis vindictam de inimico sumeret, ne quis Absalonem gladio peteret. Quamquam contrarium sentiat Ioab, & omnes homines illius sententiæ adhæreant, licèt maxima tibi præmia proponantur, respondere debes: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in inimicum, quia Dominus præcepit mihi, ne vindictam expeterem, sed potiùs offensas remitterem, & iniurias condonarem, dicens: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, &c.*

Commorabatur Iacob in domo Laban, suorum D
manu collecta, Iacobum insecutus est, animo perdendi illum: sed occurrit ei Dominus in via, & dixit: *Caue ne quidquam asperè loquaris contra Iacob.* His verbis immutatus, suscepturam tamen iter profectus est, & Iacobum assecutus, apud quem sic conquerebatur: *Valet manus mea reddere tibi malum, sed Deus patris tui dixit mihi heri: Caue ne loquaris contra Iacob quicquam durius.* Nónne Laban ibat, cùm domo egrederetur, instar leonis sæuiens, animo voluens, quemadmodum atrocissimam de Iacobo vindictam sumeret: cùm autem illius conspectum subiit, omnem ferocitatem deposuit, & agno similis, non de vindicta sumenda, sed de feriendo fœdere cogitabat? Vnde igitur subitò tanta ista consilij mutatio? non video aliam causam, nisi illam: *Deus patris tui dixit mihi heri: Caue ne loquaris contra Iacob quicquam durius.* quis dubitat, quin Laban ardenter exoptauerit, Iacobum punire, fortunis spoliare, & cogere, vt in suam domum regrederetur? cuius tamen vires conciderunt, nec habuit manus, nec linguam, nisi ad agnoscendum ei: quia Deus manus & linguam illius reuinxerat, non funibus, sed verbo illo, *Ego autem dico tibi.* Si ergo tantam vim habuit verbum illud apud hominem Ethnicum, qui non dixit: Deus meus dixit mihi heri, sed *Deus patris tui, &c.* (quia ipse idolis inseruiebat, & nondum veram Dei cognitionem fuerat assecutus) quantam vim habeat necesse est præceptum diuinum à Christo Domino impositum apud homines illos, qui Christi nomine insignitisunt, & Christianam religionem profitentur? Quotidie in oratione Dominica verbum illud vsurpamus, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra*, hoc est, mandata quæcumque diuina exequamur, non secus ac mentes illæ cœlestes, quæ diuinæ maiestatis solium circumsistunt, cuius nutum & voluntatem attendunt semper, vt parent ei. Vtinam huius Ethnici exemplar nobis ante oculos proponeremus, & sicut ille dicto audiens fuit, sic etiam nos diuinam in rebus omnibus voluntatem sequeremur.

Voluit Absalon interficere Amnon, eò quòd vim intulisset sorori suæ Thamar, vocauit seruos, & ait: *Conuiuium parauit Amnon, obseruate cùm temulentus fuerit vino, & dixero vobis: Percutite eum, & interficite, nolite timere, ego enim sum qui præcipio vobis: roborammi, & estote viri fortes.* & ait Scriptura: *Fecerunt pueri Absalon adueršus Amnon, sicut præceperat eis Absalon.* O nefarium scelus! ô immanis crudelitas! maximis tamèn periculis se obiecerunt serui Absalonis, vt domini voluntati parerent, ausi sunt manus iniicere in filium Regis Dauid, qui semper iustitiam coluit, & nihil inultum reliquit: mortem sibi ob oculos obuersari videbant serui illi, omnes tamen difficultates superauit, & omnia pericula vicit verbum illud, *Ego autem dico vobis, ego sum qui præcipio vobis.* Vnde statim se ad scelus comparant, neque difficultatem, neque periculum obiiciunt, sed dementiâ capti, & furore atque audaciâ inflammati, Amnon pugionibus confoderunt. Immane facinus, & Christianis hominibus valde ignominiosum: habuit enim vim apud seruos illos impium Absalonis præceptum, quo scelus turpissimum ac valde periculosum imperabat: & vim non habet (quod maximè dolendum est) apud Christianos homines, qui legem Euangelicam profitentur, verbum illud Christi Domini, *Ego autem dico vobis, &c.* præceptum diuinum, non ad cædem quærendam, sed ad salutem hominibus dandam: non ad opus periculosum, sed valde securum, quo animæ saluti maximè consulitur: non denique ad turpe aliquod scelus suscipiendum, sed ad præstandum egregium opus. Tu autem cùm nec sensu, nec ratione ducaris, vindictam expetis multis periculis obnoxiam, eamque veniæ, quæ in tuto collocat, & omni metu ac periculo vacat, anteponis.

Sed dices fortasse, præceptum istud de diligendis inimicis, difficillimum est. Quid si fatear? Quamquam possem non immeritò reclamare. Sed esto difficillimum sit, ideò facilè violandum est? Difficilius esse deberet Christiano homini diuinam legem transgredi, quàm honori, vtilitati ac rebus omnibus nuntium remittere. Difficile est istud, at in rebus arduis & difficilibus honor & gloria consistunt, & quantum res habet difficultatis, tantum habet splendoris, & vtilitatis. Difficilia quæ pulchra.

Difficile videbatur Abrahamo præceptum illud de Gen. 22.
filio vnigenito propriis manibus interimendo, & adhuc difficilius visum est, quàm si præciperet Dominus, vt hostibus, quorum manibus esset interemptus, ignosceret. Sed constanti quâdam animi virtute, dolore minimè retardatus, de inferenda morte filio suo, qui vita sibi charior erat, cogitare cœpit, illum in montem duxit, super struem lignorum collocauit, gladium in

altum extulit, vt eædem faceret, nullâ alia re impul- A
sus, nisi Domini voluntate, qui sic fieri præcipiebat.
Hoc Patriarchæ sanctissimo exemplo excitatus, pote-
ris difficultatem, quam in diligendis inimicis senseris,
superare, & gratissimum hoc sacrificium offerre Deo.
Quis dubitat, quin maiorem honorem & gloriam a-
pud Deum & homines consequutus fuerit Abraha-
mus hoc præclaro facinore, quo Deo gratissimus extí-
tit, quàm omnibus eleemosynis, quibus sanctè & ho-
nestè vixerat? Si ergo vehementer exoptas eumdem ti-
bi honorem & gloriam comparare, in eisdem vesti-
giis insiste necesse est, & offerre Deo in sacrificium,
vltionis libidinem. Nec solùm offensas remittere, sed
inimicum tuum ad veniam accipiendam allicere. Nec
id fieri debet, vt importunis hominum precibus mo-
rem geras, sed potissimùm, vt Christi Domini volun-
tatem illis verbis expressam, exequaris, *Ego autem dico*
vobis, &c. Et ne difficultas operis hominem deterreat,
ipse Dominus, qui præceptum imposuit, voluit præce-
Io.10.18. pto subdi. *Mandatum*, inquit, *accepi à Patre meo.* D. Au-
gustinus, Ambrosius, & Cyrillus explicant impositum B
fuisse propriè Christo Domino ab æterno Patre præce-
ptum moriendi pro hominibus: quamquam D. Chry-
sostomus, & alij secus sentire videantur. Sententiam
tamen Augustini confirmant verba illa D. Pauli, *Humi-*
Psal.2.8. *liauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem*
autem crucis. Vnde non solùm ait, mortem subisse ne
obedientiam defereret, sed obedientem fuisse vsque ad
mortem. Vnde quidquid gessit, dum adhuc viueret,
quidquid loquutus est, & cogitauit, opus obedientiæ
fuit, quo præceptum, sibi impositum, adimpleuit. id
satis aperte indicant illa verba, *Qui misit me Pater, ipse*
Io.12.49. *mandatum mihi dedit quid dicam, & quid loquar*, & alibi:
Io.14.31 *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Potuit sempi-
ternus Pater Christo Domino, quâ parte homo erat,
præceptum istud imponere, & verè imposuit, vt se-
cundi Adami solutio, primi Adami debito respon-
deret. Vt, *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores con-*
Rom.5.19 *stituti sunt multi, ita & per vnius obedientiem iusti consti-*
tuerentur multi Primus eò quòd inobediens fuit, homi-
nibus attulit ruinam, secundus, eò quòd obediens fuit, C
ruinam reparauit: ille inter tot arbores, sibi liberaliter
concessas, ad vnam tantùm vetitam oculos adiecit, il-
lius fructum decerpsit, & degustauit: in quo peccati
grauitas consistit: eò enim grauiùs est, quò præceptum
leuius & faciliùs poterat adimpleri. At Christi Domi-
ni præceptum de morte in cruce subeunda arduum &
difficile fuit. Vnde Christi Dei obedientia eò fuit illu-
strior & excellentior, quò præceptum fuerat difficí-
lius. Impositum etiam est illud præceptum Christo
Domino, vt eius opera, non ex charitate solùm, sed
etiam ex obedientia proficiscerentur, quo hæc virtus
clarissima maximè condecoratur. Ac tandem, vt no-
bis exemplum proponeret, quod ob oculos obuer sa-
retur, ne quis obiceret præceptum ab illo imponi, cu-
ius difficultatem ipse non cognouerit experimento, &
alligare onera grauia, & importabilia, quæ digito suo
non contigerit. Præceptum habuit, & præceptum dif- D
ficile, non solùm de diligendis inimicis, & iniuriis
remittendis, quod nobis tantùm imponitur, sed de a-
trocissima morte subeunda pro inimicis. Ac tandem
in crucem raptus, vitam & sanguinem profudit ne o-
bedientiam desereret. Quid? Dei Filius, qui est splen-
dor Patris, & figura substantiæ eius, obedientiæ ju-
go collum submittit, vt asserat in libertatem crudeles
inimicos, quorum manibus illa exercebatur carnifici-
na: tu verò seruulus humilis, & abiectus, tanto exem-
plo excitatus, tumidumac perturbatum animum, se-
dare & flecteread ignoscendum recusabis? Quis jam
poterit inimicis suis veniam denegare, cùm Dominũ
videat in humano habitu tot labores & ludibria per-
peti, & se tam turpiter irridendum, tam crudeliter
excruciandum tradere, ac denique tam fœdam necem
subire pro inimicis, vt nos tanti præcepti obseruan-
tiam doceat? Quid poterit vehementiùs animos no-
stros ad ignoscendum flectere quàm illa in cruce con-
fixi, & animam exhalantis vox: *Pater dimitte illis, quia*
nesciunt quid faciunt. cruciabatur ab illis, & Patrem pro
eis supplicabat: eorum cernebat perfidiam, & igno-
rantiam excusabat: capitali in se odio laborantes ex-
periebatur, & veniam tam quam innocentibus preca-
batur. O singularem Domini charitatem! quo vultu
excipiet amatores, & iniuriam oblitos, qui crucifixo-
res tam clementer excusat, vt tanti sceleris impunita-
tem assequantur?

En ley del mundo dizen algunos obligados estamos à vn-
gar nos, &c. Miror esse aliquem inter fideles, & Chri-
stianos, qui in articulo dilectionis ad mundi leges con-
fugiat. Numquid mundi leges, an Christi Domini pro-
fiteris? quis est mundus iste, quem Christo præponis,
& cuius leges legibus Christi opponis? Pueri in scholis
suis canunt mundum vnum ex tribus esse animæ ini-
micis: inimicorum ergo tuorum leges allegas, inimi- B
corum animæ placita in medium profers, vt te liberum
dicas ab obseruatione nostri Euangelij? mundi lex ha-
bet, inquis, vt iniuria iniuriâ compensetur, quid tu
de illo iudicares, quid diceres de illo, qui affirmaret se
non posse seruare legem Christi, quia lex diaboli op-
positum mandat, nónne diabolus & mundus animæ
pariter sunt hostes? quid tu de illo censeres, quidcre-
ret se non posse parcere inimico, quia Mahometes in
suo Alcorano oppositum jubet? nónne de isto diceres:
Hic non Christianus, sed Maurus est, quid enim Chri-
stiano cum Alcorano Mahometis? quid igitur tibi
Christiane cum Alcorano mundi? numquid tu Chri-
stianus, an mundanus es? &c.

Denique lex Christi lex amoris est, in hoc enim
verbo instauratur lex Christiana, *Diliges Deum super om-*
nia, & proximum, sicut teipsum, & vt Paulus ait: *Ple-* *Rom.*
nitudo legis est dilectio, & qui proximum diligit, legem im-
pleuit.

Dices: ego quidem proximum diligo, licet non ini-
micum. Diligo proximum, amicum diligo, parentes
diligo, eos qui me diligunt: oblitus es, quæ dixerit
Christus Dominus, *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam Matth.*
mercedem habebitis? nónne publicani hoc faciunt: & si salu-
taueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis, nónne &
Ethnici hoc faciunt? qui sunt hi Publicani & Ethnici isti?
S. Augustinus: *Publicani sunt qui exigunt vectigalia pernis-* *Serm.*
gotiationes, & fraudes, & furta, scelera q, & periuria, Ethnici *Tomo*
verò ex Græco in Latinum interpretantur, Gentiles: ideò & e-
nim Græcè, gens dicitur. Ita ille. Sensus ergo est: amicos
& cognatos, & benefactores non solùm iusti, sed etiam
homines scelerati & infideles amant, quid igitur am-
plius Christi sectatores fideles facere oportet? nimi-
rum vt non solùm amicos, sed etiam diligant inimicos,
quod sic prosequitur ibidem S. Augustinus. *Filios, in-*
quit, & parentes amat latro, amat & leo, amat & draco:
quod si non diligimus parentes & filios, peiores latronibus, &
leonibus, & draconibus sumus: si verò amantibus viuem reddi-
mus, adhuc ab istis feris nihil distare videmur. Præterea si
Ethnici & Publicani erga dilectores suos, natura duce norunt
esse benefici, quantò magis nos, quibus vt gradus professionis
eximior, ita cura necesse est sit veritatis vberior, & lactors sinus
dilectionis amplecti debetis, etiam non amantes: nam diligere
inimicos præcipit Deus, & petulantes mentium humanarum
motus publicæ charitatis frangis affectu, non solùm iram ab vl-
tionedepellens, sed etiam in amorem mitigans iniuriosi: quia
Gentilium etiam est amantes amare, & commune est diligere
diligentes. Ita S. Augustin.

Magister histor. rationem reddit cur Rachel fura- *In ad.*
tos secum detulerit deos patris sui, cùm ipsa Deum *gen.*
adoraret, & respondit, ad placandum patrem cos se- *Cont.*
cum detulisse, si enim Laban ira permotus propter occu-

cultum discessum Iacob, & filios eius insecutus fuisset, A
potuisset Rachel deos ipsius Laban illi præsetare, & per
ipsos ab eo petere, ne vindictam sumeret de illis: tan-
tum apud patrem deorum suorum auctoritatem cen-
suit valituram: quod idolorum illorum auctoritas hoc
nostri Dei, veri summi, & altissimi Dei ad placandam
iram tuam in proximum, quacumque ex causa orta
fuerit, non valebit? Sed ex eadem historia aliud argu-
mentum depromamus: Magnâ commotus indignatio-
ne Laban insecutus fuit Iacobum, quem Deus noster
in itinere & in somnis sic affatus fuit: *Caue ne quidquam*
asperè loquaris contra Iacob, quid deinde? cùm jam ad Ia-
Gen. 31.24 cobũ Laban peruenisset: *Cur*, inquit, *ignorante me fugere*
voluisti? nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum,
sed Deus patris vestri heri dixit mihi: Caue ne loquaris contra
Iacob quidquam durius. Obserua: *Deus*, inquit, non meus,
sed patris tui obstat mihi, ideò parco tibi, & tu Chri-
stiane qui Dominum Christum colis, cùm audias eum
dicentem tibi, *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros*,
iram, quam aduersus fratrem concepisti, non vis depo-
nere, quid Deo hoc modo aduersus te arguenti re-
spondebis? Tu, inquam, qui fidelem te esse autumas, B
& dicis te credere in eum, cui parere recusas.

Nota est historia Absalonis, quam tetigimus supe-
riùs, qui volens interficere fratrem suum principem
Ammon per manus seruorum suorum, sic ad eos locu-
tus est: *Cùm dixero vobis: Percutite eum, & interficite, nolite*
Leg. 13. *timere, ego enim sum qui præcipio vobis.* Sic præcepit ille,
sic obedierunt illi: nobis autem non præcipit Deus
noster, vt interficiamus fratres, sed vt diligamus fra-
tres: quid horum justius? quid facilius? quid suauius?
& tamen ferui illi homini crudeli paruerunt, tu ve-
ro Deo pio parere repugnas? *Ego*, inquit, *dico vobis*, Pon-
dera *ego vobis*, ego Deus vester vobis fidelibus & Chri-
stianis meis. quid à Christianis Christus non obtine-
bit? Audi cùm mundus iniuriam passus fuerit, quærit
amicos, consulit mundanos alios, quid secundùm
mundi leges facere teneatur, & scrupulosius inquirit
leges, & decreta mundi, vt nec in minimo eas trans- C
grediatur, sed plenè vindicare se valeat, & cùm leges
diuinas circa hoc habeat, quibus se regulare debeat,
Theologos, & sanctos viros non adit, sed fugit, ne se-
cundùm Euangelium Christi parcere cogatur, huncne
Christianum dices? ad perniciem scrupulosus, ad sal-
uandam verò animã nullis scrupulis moueris, nulla sa-
lutis animæ tuæ duceris ratione? huius rei ratio est ve-
hementia passionis & affectus iræ & indignationis cor-
dis mundani, quæ mentem & judicium absorbet, &
intellectum excæcat, ita vt qui aliis in aliis rebus con-
silium dare sciat, in hoc, vel accipere saltem consilium
nesciat. *Los que se precian de poder vender sesso, estos en esta*
parte no lo tienen.

Prop. II. *Quàm secundum rationem humanam, & legem naturæ sit parcere inimicis.*

AD dignitatem suam & honorem spectare multi
censent, se de inimicis sumere vindictam, cùm
verè hoc, non hominum, sed ferarum proprium sit.
vnde Pittacus Mitylenus, sicut refert Stob. serm. 17.
cùm haberet potestatem puniendi hominem quem-
dam, qui contumeliosus in eum extiterat, dimisit, in-
quiens: *Venia vltione melior est, illa namq; mitis est ingenij,*
hac autem ferini. Ita ille. Id non Euangelio præcipien-
te, sed naturæ dictamine cognouit, & omnes approbamus, & tu Christiane Euangelicæ legis professor honorificum, & non ferinum dices de hostibus vindicari.

Etenim cùm quidem Theodosio Romanorum Imperatori aliquando ex suis familiaribus quidam dice-
ret: Neminem, ô Imperator, eorum qui tibi fuerunt

iniurij, morte mulctasti vsque adhuc, respondit, (vt
refert Nicephor. in Eccles. hist. lib. 4. cap. 3.) *Vtinam*
eos etiam ad vitam reuocare possem qui iamdudum mortui
sunt. Ecce vocem humanam, vocem regiam, honori-
ficum dictamen, non tuum, sanguinolentum & cru-
dele.

Similiter Democritus Philosophus (apud Sto-
bæum serm. 1. prudentia) *prudentis esse dicebat futuram*
iniuriam præcauere, indolentiæ verò, quod factum est non
vlcisci.

Prætereà Phocionem Athenien sium Ducem, &
Magistrum, cùm à Republica sua, de qua nimis bene
meritus erat, damnatus ad mortem esset, percontatus
fuit quidam, si quid morti proximus filio dicere vel-
let: *Ego*, inquit, *fili tibi præcipio, atque etiam obsecro, ne quid*
ob huius rei memoriam Athenien sibus malè velis. ita refert
Plutarch. in Apoph. Græcorum. Hi quidem non fidei
lumine, sed tantùm rationis luce præditi erant, & ta-
men non dedecus, sed honorem veniam reputabant,
& te Christiane non pudet honorem & gloriam in
vindicta collocare.

Ignoranter quidem existimarent, qui inimicis par- *Serm. 6.*
cendum, & eos amandum, solâ lege positiua Euange-
lica nos teneri censerent, hoc enim ipsâ lege naturæ
cautum est. Vnde hi etiam qui solo ductu naturæ præ-
diti fuerunt, sic nos in amicos benevolos esse debere
tradiderunt. Hinc, vti refert Maximus, Cresolindo-
rum Rege interrogato quid esset maximum & pretio-
sissimum ex regno consequutus, cùm respondisset, *vt*
hostes vlciscereturr, & amicos afficeret beneficio, adiecit So-
crates: *Multò melius feciſſet, si illos tibi amicos asciuisſes.* Ita
refert Maximus.

Publius Mimus: *Ridiculum*, inquit, *est odio nocentiu* *Serm. 17.*
perdere innocentiam. Vide quis asserierit, non, inquam
S. Hieronym. aut vnus ex Doctoribus sanctis, sed Pu-
blius Mimus Philosophus gentilis.

Item Plutarch. *Agesilaus*, inquit, *cùm audiret quosdam* *In Laco-*
clam sibi infensos esse, non tantùm de vltione non cogitauit, vicis.
sed in militium duces ipsos elegit, & apud Magistratum accu-
satos defendit, & hâc arte ex hostibus sibi reddidit amicissi-
mos. Ita ille.

Marcus Tullius 1. de Offic. *virum bonum esse eum,* *Cicero.*
dixit, *qui quibus potest prodest, & nulli nocet, nisi iniuriâ*
lacessitus. Quod reiiciens Lactant. Firmian. lib. diuinar. *Lactant.*
institut. *Hoc*, inquit, *est patientiam ab hominibus prorsus e-*
liminare. Et meritò hoc ille asseruit: ad quid enim pa-
tientia necessaria est, nisi quando lacessimur, vbi enim
nulla fuerit contradictio, quid opus patientiâ nobis est,
ille enim vir patiens est, qui lacessitus tolerat patienter.

At dices, irascibilem potentiam coercere, difficilli-
mum est, quippe cùm nobis à natura insita hæc sit vis,
vt aduersùs ea irascamur, quæ nobis opposita & nocia
ua sunt. Cùm igitur inimicus, & oppositus & nociuus
sit, consequens est vim naturæ inferre illum, qui re-
pressérit iram in illum.

Scio magnâ inter se familiaritate coniunctas esse D
has potentias, irascibilem & concupiscibilem, & hunc
esse inter eas ordinem à natura inditum, vt, si concu-
piscibili aliquid obstet, irascibilis irâ suâ partes con-
cupiscibilis agens, aduersùs eum, qui obstat, irascatur,
&c. Ita est, sed in superiori parte rationem etiam con-
stituit Deus, vt irascibilem moderetur, vt non vnde-
quaque ac quomodocumque irascatur, sed prout Deo
placitum sit. Quare meritò S. Basilius homil. 10. de In- *Basil.*
uidia, irascibilem cani seruanti gregem ouium com-
parauit. Videbis igitur canem huiusmodi inuadentem
hominem, qui ad gregem accedit, properantem vt eum
discerpat, tunc ouium pastor clamat, vociferatur, mi-
uatur cani, &c, Si lupus accessisset, non canem refræ-
nasset, ad hoc enim aluntur canes ouium, vt lupos &
feras arceant, at in hominem inuehi non debet per-
mitterę pastor. Mordax quidam & ferus canis est ira-

scibilis, hunc Deus constituit, vt animam à sibi nocentibus defendat, ouem hanc custodiat oportet irascibilis, à lupis tamen infernalibus, non à proximis, ita vt mordeat & dilaceret eos, in peccata quidem irascatur, & dæmones, mundum & carnem, inimici quippe veræ sunt animæ, si in proximos irruerit, irascibilis clamet pastor, clamet ratio, vociferetur, & cohibeat eius rabiem, aliàs non ratio, sed bestialitas erit. Cuius rei similitudinem expressit Laban, socer ille Iacob, qui cùm videret Iacobum cum duabus filiabus suis, hospite insalutato, recessisse, &, quod ille maximè dolebat, secum ferret idola, quæ ille vehementer diligebat, fremens insecutus est Iacobum. Cumque jam ferè consequeretur eum, vindictam de ipso sumere volens, apparuit illi Dominus nocte, dicens: *Caue ne quicquam asperè loquaris contra Iacob.* O verus justorum amator
Gen. 31. 29. Deus! Obstupuit Laban, sed ab itinere non destitit, abiit, & cùm illum consequutus fuisset, quid fecit? quid
Ibid. dixit? fecit nihil, dixit hoc: *Etiamne quidem valet manus mea reddere tibi malum, sed Deus patris tui heri dixit mihi: Caue ne loquaris contra Iacob quicquam durius.* Hebræa sic habent: *Caue tibi ne durius loquaris quicquam à bono vsque ad malum. Guardate no te digas bueno ni malo que te enoje.* Non solùm itaque Deus tangere personam Iacob prohibuit ei, verùm & asperè quid loqui: ipse verò Laban, quamuis vt ferox canis contra Iacob currebat, veluti eum dilaniare & discerpere volens, stetit & iram compescuit, quia summus ille pastor ita justit, quamuis in eum non crederet ipse. Vnde non dixit: Deus meus dixit mihi, sed Deus vester. Sic nimirum, quamuis irascibilis irasci velit, & vindictam sumere, ratio detinere tenetur illam, cuius imperio irascibilis subdi debet. Sed dices, ibi, non ratio hominis, sed Deus, ipse compescuit Laban. & hîc, nónne ipse Deus id jubet? *Ego*, ait,
Matth. 5. 44. *dico vobis, diligite inimicos vestros*, quòd si ad similem vocem ille, qui colebat idola, sic se cohibuit, tu qui, non à Deo, quem non colis, vt Laban, sed à Deo, quem colis, hoc audis, quomodo audes repugnare? &c.

Prop. III. *Amandus est inimicus, quia homo & proximus est.*

Lib. 5. Refert Diogenes Laërtius, Aristotelem aliquando eleëmosynam & beneficium exhibuisse cuidam homini peccatori, & pessimis quidem moribus corrupto, quòd cùm nonnulli ex familiaribus probro illi dedissent, & obiecissent, respondit: *Non mores misertus sum, sed hominem: non malitiæ eius dedi, sed humanitati.* Ita ille. Nimirum sapiens erat, & inter mores & naturam distinctionem facere sciebat, ne homini negaret, quod moribus non debebatur. Sic igitur & erga eos, qui nos iniuriâ afficiunt, facere oportet: iniurius ille & homo est, quòd si quatenus iniurius, amore indignus est, quatenus homo, amandus est: sic enim præceptum est nobis *Diligite inimicos vestros.* Sapientis est scire præscindere personam hominis à culpis eius.

Cuius rei exemplum in patre vnicum habentem filium, quem propterea charum habet, videre licet. Demus enim filium hunc malæ indolis esse, & furem, & insolentem, &c. videbis parentem anxium, filium sæpè monentem, & multis modis à prauis moribus eum auertere conantem, & omnia hæc ex amore procedunt, non ex odio: & propterea, quamuis iniquus ille sit, eum alit & vestit, & pro eo laborat, & excusat, & defendit, &c. qui licet mores eius detestetur, non tamen personam eius. Licet quidem nobis iniustitiam & malitiam inimici detestari, non personam: quòd si personam eius odio habes, non est charitas Dei in te, & similem te peccatorem & malum cum eo constituisti.

Prop. IV. *Amare inimicos tenemur, quia Christiani sumus.*

Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Matth. 5.
nónne & publicani hoc faciunt? & si salutaueritis fratres vestros, quid amplius facitis, nónne & Ethnici hoc faciunt? q.d. vos, qui fideles & Christiani estis, amplius facere debetis. argumentum est sumptum à statu & professione nostra, *Aora lo lleua Christo Señor nuestro por razon de estado.* ratio enim postulat, vt viuat & operetur vnusquisque secundùm exigentiam sui status. Christianorum status à lege ipsorum sumendus est: lex autem Christiana lex amoris mutui & charitatis est, dicente Christo Domino: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. hac mando vobis vt diligatis inuicem,* &c. & denique in hoc eodem capite Matth. 5. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros,* hoc est, lex Euangelica sic dilectionem amplectitur, vt nec ipsos excludat inimicos: ideò etiam dixit: *sicut ego dilexi vos.* Dilexit etenim Christus, non solùm amicos, verùm & inimicos, orans pro crucifixoribus suis, & dicens: *Pater ignosce illis, &c.* Qui ergo se Christianum esse dicit, inimicos tenetur diligere, ratione ipsius legis Christianæ, & status quem profitetur.

Præterea, quia Christiani maxima ad hoc habent adiumenta, Sacramenta videlicet, & auxilia diuina, & Martyrum, aliorumque sanctorum exempla, & Doctorum Catholicorum documenta, & exhortationes miris rationibus exornatas, &c.

Quòd si inter Ethnicos, & infideles, plures inueniuntur qui etiam inimicos dilexerunt, cùm pluribus ex his adminiculis caruerunt, quam excusationem habebit Christianus? Quod arbor in sylua seu monte arido plantata fructum agrestem ac syluestrem ferat, non mirum: at si illa quæ in valle fertili juxta fluenta & decursus aquarum plantata est, fructum meliorem non edat, quid promeretur?

Sunt qui timore pœnæ vim sibi inferre conantur, & iræ suæ opponunt Dei vindictam in eos, qui de inimicis vindictam sumunt: sunt & alij quià vindicta cessant, eò quòd non possint inimicis nocere, & alij aliis huiusmodi rationibus vindictam omittunt. Attamen ratio prima & formalis, ratio ipsa charitatis esse debet, quia scilicet charitas Christiana ita requirit: charitas enim patiens est, & omnia sustinet, hinc non metitur gratiam erga inimicum ex damnis propriis, nec etiam ex potestatis defectu, qui verè proximum amat, licèt facilè, & tutò posset se vindicari, paroit. Vnde *Matth.* 28. postquam Christus Dominus occisus, & in crucem actus ab inimicis suis fuit, & à mortuis resurrexit, vocatis discipulis suis, dixit illis: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Quid tunc? er- *Matth.*
go Domine huiusmodi potestate vtere aduersùs hostes tuos, interfice Pilatum, & Annam, & Caiphan, & Scribas ac Pharisæos, qui tam impiè te occiderunt. *Data est mihi omnis potestas,* inquit, *in cælo & in terra, euntes ergo,* ait, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris,* &c. Existimaret quis fortè aliter illationem illam Christi eliciendam esse, nempe, euntes ergo, occidite eos omnes, qui me iniustissimè occiderunt, mittite eos in tenebras exteriores: non inquit, sed ite, & docete eos, & baptizate, & ex inimicis meis amicos meos facite, &c. Sic Christus Dominus nos potestate vti, & non abuti, docet, &c.

S. Bernardus serm. 27. in Cantica, *Cœlum est anima sancta, habens solem intellectum, lunam fidem, astra virtutes. Stellas autem dixisse virtutes non me pœnitet considerantem similitudinis congruentiam. Quomodo enim stella in nocte lucent, in die latent: sic vera virtus, quæ sæpè in prosperis non apparet, eminet in aduersis, illud sanè cautela est, hoc necessitatis.* ita S. Bernard. Potest etiam per lunam voluntas

acci-

accipi, quia ſicut à ſole lumen accipit luna, ſic ab intellectu voluntas velut illuminatur ac dirigitur, & rectè etiam virtus juſti lunæ comparatur, quæ magis nocte quàm die lucet, latet in voluntate juſti patientia, latet dilectio proximi, & Dei, ſed in nocte aduerſitatis maximè reſplendet patientia, & lucet amor, &c.

Vnde qui iniuriâ affectus vindicari quærit, ſe ita virum non ſanctum oſtendit. At, inquies, nónne Abel juſtus erat, & tamen de eo dicit Dominus: *Vox ſanguinis fratri tui clamat ad me de terra?* Bene, ſanguis effuſus clamabat Abelis, ſed non ipſe Abel, hoc eſt, delictum ipſum fratricidij clamabat, juſtitiam petens à Deo, Abel tamen nequaquam, ſed fortè in limbo pro fratre ipſe Deum deprecabatur. Sic reſpondit S. Ambroſius lib. 2. de Cain & Abel cap. 9. dicens, *Bene*, inquit: *vox ſanguinis, non verò frater clamat, non vox ipſius, non anima eius, quaſi indecens omnino eſſet, vt juſtus qui occidenti non reſtitit, poſt mortem vindictam proclamaret.* Ita ille. de quo vide Tertul. de patientia cap. 6. & 8. & S. Cypr. lib. de bono patientiæ.

2. Reg. 21. Gabaonitæ vindictam à Dauide petiuerunt de Saule propter necem quandam Gabaonitarum. Quibus Dauid, *quid faciam vobu?* Non, inquiunt, *eſt nobis ſuper argento & auro quæſtio, ſed contra Saul, & contra domũ eius, virum qui attriuit nos, & oppreſſit iniquè, ita delere debemus, vt ne vnus quidẽ reſiduus ſit de ſtirpe eius.* Eccè qualem vltionem quærebant. Præmiſit verò Textus ſacer verba hæc, *Porrò Gabaonitæ non erant de filiis Iſrael*, quòd autem Gabaonitæ non eſſent de filiis Iſrael, luce meridianâ clarius erat: vt quid igitur id explicare tunc Scriptura curauit? Rabbi Salom. à Lyra citatus, ait: *Si Gabaonitæ fuiſſent de filiis Iſrael, fuiſſent magis miſericordes, & indulſiſſent factum Saulis contra eos, ſicut indulſerunt Sacerdotes, qui manſerant poſt mortem Abimelech, & aliorum qui fuerunt interfecti cum eo, vt habetur* 1. Reg. 12. ita refert Lyra quod aduertere maximè Chriſtiani debent: nam ſi Iſraelitæ, quia fideles erant, ita vindicari nolebant, quantò magis nolle deberent Chriſtiani, qui non legem timoris, profitentur vt illi, ſed amoris, quibuſque dictum eſt à Chriſto: *Ego autem dico vobis*, &c. Habet emphaſim magnam dictio illa *vobis*, vobis qui *non accepiſtis ſpiritum ſeruituris iterum in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.*

Vnde cùm Samaritani noluiſſent recipere Chriſtum in ſuam ciuitatem, dixerunt Apoſtoli Iacobus & Ioannes Domino: *Domne vis dicamus vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos? conuerſus increpauit illos, dicens: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis, filius hominis nõ venit animas perdere, ſed ſaluare.* & abierunt in aliud caſtellum, ecce ſpiritum filiorum Eccleſiæ Chriſti: ideò dicit Chriſtus: *Ego dico vobis*, qui talem ſpiritum manſuetudinis, lenitatis, & charitatis fortiti eſtis, *diligite inimicos veſtros.* hic enim ſpiritus charitatis maximè relucet tempore perſecutionis, & iniuriarum, & oppreſſionum.

Vnde S. Gregor. 11. Moral. 17. *In hoc mens juſta diſcernitur ab iniuſta, quod non cum rebus frangitur, non cum caſu glorie exteriori cadit, & in hoc magis qualis cum rebus fuerit demonſtrat, que & ſine rebus robuſtior eſt.* Ita S. Gregor. qui rurſus 12. Moral. 23. ponderans illa verba S. Iob ad amicos, jam non ita amicos, ſed infeſtos & iniurios ſibi, dixit: *Miſereminí mei, miſereminí mei, ſaltem vos amici mei. Hoc*, (inquit S. Gregor.) *habere proprium ſolet mens piorum, quòd cùm iniuſta ab aduerſario patitur, non tam ad iram, quàm ad preces mouetur, tantùm abeſt vt eis reſiſtat: vt ſi moderari eorum prauitas placidè plùs deprecari eligant quàm iraſci. vnde rectè nunc dicitur: miſereminí mei, ſaltem vos amici mei.* Ita S. Gregor.

Prop. V. *Parcendum eſt inimico.*

S. Chryſoſtomus epiſt. 3. *Patriarcha Ioſeph in carcere conſtitutus, cùm illic quoſdam perturbatos, ac mœrore af-*

A *fectos vidiſſet, ad eos ſtatim, vt cauſam intelligeret, acceſſit, & cùm hoc à nocturnis viſis in ſomnio profectum cognouiſſet, inſomnia diſſoluit, & poſtea cum vno eorum agens, vt pro ſua liberatione verba ad regem facere perſuaderet, & coactus cauſam commemorare, ob quam in carcerem miſſus fuiſſet, vt ſcil. is qui pro eo deprecaretur, juſtam ſui patrocinij cauſam haberet, nullius eorum, à quibus læſus fuerat, mentionem fecit. Furtim, inquit*, ſublatus ſum, & hîc innocens, in lacum miſſus ſum. *Cur autem tacet de meretrice? de adultera? de fratricidio? de iniuidia? de venditione? de machinationibus? de calumnia? de iniquo judicio? de nefaria ſententia? quare hæc occultat? Quia iniuriarum memoriam retinere neſcit. Vides animum Philoſophicum, & rebus aduerſis ſuperiorem: ſed furtim ait de terra Hebræorum ſublatus ſum, & hîc nihil ſceleris perpetrauí, nullius perſonæ meminit, nèc lacus, neque Iſmaelitarum.* Ita S. Chryſoſt. Gen. 40. 15.

Prop. VI. *Magnanimi eſt parcere inimico.*

Seneca lib. 1. de Clement. c. 20. *Sicut non magni animi eſt, qui de alieno liberalis eſt, ſed qui, quod alteri donat, detrahit ſibi, ita clementem vocabo, non in alieno dolore facilem,* B *ſed eum, qui cùm ſuis ſtimulis agitetur, non proſilit, qui intelligit magni animi eſſe iniurias etiam in ſumma potentia pati, nec quicquam eſſe glorioſius principe impunè læſo.* Ita Seneca. Seneca.

Diligite, ait Dominus, *inimicos veſtros.* At dices, me omnes puſillanimem & debilem judicabunt. *Diran que ſoy couarde, y que no ſoy hombre de ſangre en el ojo.* Malè hic decipitur ingenium humanum: non ita ſe res habet, quin potiùs ex puſillanimitate vindicta procedit. Attende ad huius rei elucidationem locum optimum Oſeæ 11. *Non conuertar*, ait Dominus, *vt diſperdam Ephraim: quoniam Deus ego, & non homo:* mala eximia minatus fuerat contra decem tribus, quas nomine Ephraim comprehendit, ſed miſericordiâ motus, Mutabo, inquit, ſententiam, ſi tu Ephraim mutaueris vitam. Cur ita? *Quia Deus ego*, inquit, *& non homo.* Vbi in Hebræo pro illa voce, Deus, habetur *El*, quæ ſignificat fortem, & maxima præditum virtute. ſenſus igitur eſt, Nolo jam de te Ephraim ſumere vindictam, ſed C parcam, quia non ego homo debilis, & puſillanimis, ſed Deus potens, & fortis. At quænam eſt ratio hæc? imò quia fortis, vindictam ſumere debes: potentium enim & fortium hoc proprium eſt, & non debilium, imò debilium hominum id proprium eſt, quia ſuarum affectionum habenas reprimere nequeunt, nec appetitum & paſſiones ſub rationis imperio continere, nec iram & cordis rabiem temperare. Vnde Sapiens Prouerb. 16. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium*: non dicitur hîc patiens melior à bonitate morali: quis enim dubitet, vt ſic meliorem eſſe, imò vt ſic non rectè procederet comparatio, quia fortis vt ſic non importat bonitatem aliquã, cuius comparatione dicatur melior, fortitudo enim corporalis, de qua loquitur Sapiens, non dicit virtutem animi, ſicut patientia: comparatio autem ſupponit poſſibilia eiuſdem ordinis, bonus verò, & melior à bonitate morali animi deſumuntur. Vnde hic melior D idem eſt, quod præſtantior: patiens verò hîc ex Hebræo, idem eſt, quod tardus ad iram, qui ſcilicet quantumuis prouocetur ab alio, ferre, & patienter nouerit tolerare: hunc forti viro præfert, quamuis fortitudo, & robur inter omnes corporis virtutes, maximam apud homines laudem habeat, maiorem ſcilicet, quàm pulchritudo, & agilitas, &c. Vnde qui ob talem fortitudinem in bello hoſtes ſubiugarant, à cunctis laudantur, & pluris habentur, & tamen à Spiritu ſancto præſtantior habetur, qui viuere iram nouit, quàm qui regna & prouincias ſubiugarint. Præſtantior, inquam, non ſolùm quia maiori laude dignus, ſed quia reuerà fortior illo eſt, juxta illud Virgilij. Matt. 5. 44 Oſee. 11. 9 Pr. 16. 32.

Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altiùs ire potest.
Ardua res vicisse alios, victoria maior
Est animi fluctus composuisse sui.

Et alius: *Latius regnes avidum domando spiritum, quàm si Libyam remotis Gadibus jurgas, & uterque Pœnus serviat uni.* Rectè igitur Sapiens: *Melior est patiens viro forti,* & subdit: *& qui dominatur animo suo expugnatore urbium.* Hebræa sic habent: *Et qui dominatur spiritui suo,* quod quamuis de repressione cuiusuis passionis intelligi possit, speciatim de ira interpretari possumus. Vnde & Græci legunt, *& qui dominatur iræ,* &c. Omnium enim passionum ira vehementior est, & difficillima superatu, à qua etiam sæpè sæpiùs qui fortes corpore, & robusti viribus sunt, facilè solent superari. Superauit ferè totam Asiam, Africam, & Europam Alexander ille Magnus, qui tamen iræ suæ sæpè succubuit, & iracundiâ victus charissimos sibi amicos, Parmenonem, Clitum, & Calisthenem trucidauit, vt alios taceamus vrbium domitores, qui suos affectus domare nequiuerunt.

Gregor. Pulchrè denique sic locum hunc exposuit S. Greg. homil. 35. in Euang. dicens: *Quanto culmine patientiæ virtus polleat, Salomon indicat, dicens:* Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium: *minor ergo victoria est vrbes expugnare, quia extra sunt, quæ vincuntur, maius est autem, quòd vincitur per patientiam, quia ipse à se animus superatur, & semetipsum subiicit semetipsi, quando cum patientia in humilitate stetit tolerantia.* & eadem habet S. Greg. in 3 part. Pastoralis curæ.

Seneca. Vnde etiam Seneca: *Magnorum virorum est contemnere lædentem.*

Hinc de viris animo insignibus multa de tolerantia eorum in opprobriis & iniuriis enarrantur. Plutarch. & Sabel. lib. 5. de Lycurgo Lacedæmoniorum Princi- *Plutarc. Sabel.* pe ac Legislatore asserunt, quòd cùm Alexander iuuenis Lacedæmonius in iurgio ei oculũ baculo excussisset, adolescentem à Republ. ipsi traditum, vt quo ipse vellet eum afficere supplicio, non modo supplicio non affecit aliquo, sed perhumanè & sapienter instituit domi, & non tantum insolentiæ & temeritatis secum attulit in Lycurgi domum, quantum inde prudentiæ, & humanitatis reportauit: & ad gubernatores adduxit, Ilsum, inquit, antehac iniurium, & violentum, qualem à vobis accepi, jam frugi, ac popularem restituo.

Seneca. Idem de Pisistrato vtro primario scribit Seneca lib. 3. de ira cap 11. quòd cùm eum probris affecisset quidam non infimæ plebis, nec deessent, qui vellent ei manus commodare, & alius hinc, & alius illinc faces subderent, eum placido animo id tulisse, & hoc irritantibus respondisse: Non magis illi se succensere, quàm si quis oculis captus in se incurrisset, & merito: irâ enim raptus à cæco nihil differt, nisi quod cæcus visu caret corporis, iratus verò animæ: sicut igitur nemo irascitur cæco impingenti, sic nec irasceris debet irasci.

Stobæus. Item Stobæus lib. de Potentia, refert Aristippum cuidam illi maledicenti dixisse: Penes te est maledicere, penes me verò patienter audire, rectè dicebat: nam ex eo quòd patienter audiebat probra, bona eius emanabat fama.

Quare meritò Fabius Maximus Dux Romanus, & strenuus, conuitia patienter & ipse ferens, dicere amicis solebat, vti refert Plutarch. in Apo. Romanorum: *Qui dicteria, & conuitia metuit, his videtur timidior, qui fugiunt hostes, quia scilicet tantò est turpius timiditatis vitium, quantò periculum leuius est, nihil autem leuius, quàm maledicentium lingua, quas qui formidat, quomodo sustinebit impetum inimicorum.*

Stephanus constantiam maximam in corripiendo iniquos demonstrauerat: quid enim acrius, & seuerius verbis his? *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres ve-* *Act 7.51.*

A *stri, ita vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de aduentu justi, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis: qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.* Verba hæc acerrima fuerunt. Vnde, *Audientes hæc,* ait S. Lucas, *dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum:* magnum igitur erat robur pectoris, animi Stephani. Vnde meritò præmisit S. Lucas verba illa cap 6. *Stephanus autem plenus gratiâ & fortitudine,* &c. Vir igitur fortissimusque, cùm lapidibus obrueretur, quid dicat, audi, *Domine* IESV *suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamauit voce magnâ, dicens: Domine ne statuas illi hoc peccatum. Et cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino.* Non inquit, Domine vindica sanguinem meum, qui justus es, judica justè causam meam, &c. sed, ne statuas illis hoc peccatum. Ille, inquam, fortissimus vir, vt videas patientiam fortitudini non esse contrariam, sed sociam, imò fortitudinis heroicum actum. Disce tu ergo
B inimicos Dei strenuus, erga tuos pius esse.

Sic Dauid, ille, inquam, qui cum vrsis & leonibus pugnabat & vincebat, ille sic strenuus, & nunquam timore perterritus, cùm Saulem inimicum ad mortem non semel sub hastæ cuspide contineret, parcere potiùs, quàm occidere maluit, & veluti armorum suorum insigne, id canebat: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Si nadie me la hizo, que no se la perdonasse.*

Item Paulus vas illud, vas electionis, ille, inquam, qui mortem, gladium & infernum ipsum in certamen vocabat, erga inimicos adeò clemens & benignus erat, vt diceret, *Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus.* Quid humilius? quid non hic patientiæ relucet?

C At dices, ita est, Deo parendum est, verùm nullam requiem inuenire valeo, nisi vindictam sumpsero de inimico: nec enim dormire, aut comedere, aut rem aliam peragere valeo, dum videro Mardochæum sedentem, & intactum, &c. De quibusdam militibus narrat Ezechiel, quòd occubuerint super gladios suos, ponentes scilicet eos sub capitibus suis. Aduerte quænam cerealia hæc, vt super ea requiescere rectè, & placidè possent dormire. Talis est ineptia vindictas quærentium: non enim, inquit, poterat quiescere nisi super vindictam, super ensem meum, nisi gladio transfodiam illum, tunc quiescam. Rectè deciperis, frater, in caput tuum. Vide quæso deceptionem Cain, quid ille fratris cæde intendebat? animi profectò requiem: patiens nequibat fratris sacrificia à Deo acceptari, non item sua: è medio igitur, ait, tollam fratrem, & auferam animi confusionem, & fratris gloriam euacuabo, vt non diminuatur mea, sic quiescam. sed nihil
D minus: gloria quippe fratris tunc maius accepit incrementum. Non enim, ait S. Chrysost. *Hâc tuâ cæde Cain sunt Abel honores imminuti: sed auctiores, & ampliati, quia etsi ante hac illum tibi subiecerat Deus, modo de te, vel extinctus, supplicium sumet, & tanto est modo apud Deum habitus honore, vt mortuum diligentiùs conquireret Deus, dicens,* Vbi est Abel frater tuus? *non enim Dei desiderium extinxit inuidia. Viuentem Abel nihil es veritus, mortuum ergo pertimesce: cum ferro eum esses inuasurus nihil trepidasti, formidine tamen sanguine perfuso perpetua capiere, hunc cùm in humanis ageret, tibi vel morigerum, haud toleraſti, mortui ergo huius acerbior in te erit dominatus.* Ita S. Chrysost. Vbi animaduerte quàm præter spem euenerit Cain, dum vindictam sumere de fratre voluit, quietem quærebat animi, & perpetuum inuenit tremorem, tum animæ, tum corporis, etiam pauide dicens, *Omnis qui inuenerit me, occidet me.*

Dices, imbecillem me, & sine potentia, si pepercero, judicabunt. Imò imbecillis, & debilis ille, qui non potest continere iram, & refrænare odium secundùm legem Dei.

Hinc

Hinc Sapient. 11. *Misereris omnium, quia omnia potes.* Quid ais: Misereris, quia omnia potes? imò quia omnia potes, omnes peccatores ad nihilum redigere vales, dicendum videbatur: hìc etiam de misericordia in peccatores agit Sapiens, vnde, misereris, quia misericors es, dicendum foret. Rectè, inquit, *quia omnia potes*, nostri quippe misereri, ex fortitudine & potentia Dei emanat. Vnde etiam Psalm. 61. *Potestas Dei est, & tibi Domine misericordia*: quasi dicat, & ideò ista, quoniam illa posse vleisci, satis sæpè est potenti. Et Eccli. 2. *Secundum magnitudnem ipsius, sic & misericordia illius cum ipso est.* Ex Dei ergo magnitudine oritur misericordia in nos. vnde secundùm paruitatem nostram, sic & ira & vindicta nobiscum est: hinc Poëta quidam.

------- Cùm vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.

Hinc Cicero oratione pro M. Marcello: *In hac parte, non solùm cum summis viris comparandus est Iulius Cæsar, sed similimus Deo iudicandus.*

Confirmat hoc Seneca lib. de Prudentia cap. 19. exemplo regis apum, qui sine aculeo est, cùm cæteræ apes minusculos aculeos ferant, & mox tangentes alueare, pungant. Adde leonis ingenium, qui stratis parcit, non ita lupus vilis, non araneus, sed rex animalium leo. Sic Romani olim potentes viribus ita gloriabantur parcere subiectis, & debellare superbos.

Item Paulus Rom. 9. *Volens*, inquit, *Deus notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ.* Hinc Ecclesia. *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas*, tram igitur tuam, non potentiæ & fortitudini adscribas, sed imbecillitati animi: quia non potest cohibere, & refrænare iram, eique imperare, hinc vindictas quæris.

Et Prouerb. 16. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* pro forti ex Hebræo intelige valentem robore, & pro *animo*, in Græco est, itæ. Tractat egregiè hunc locum S. Gregor. 3. p. Pastorali cap. 10. & hom. 35. in Euangel. & homil. 18. in Ezechiel. Vide S. Hieronym. Thren. 3. verf. 33. Locus optimus Oseæ 11. vbi ait Dominus. *Non faciam furorem iræ meæ: non auertat vt disperdam Ephraim: quoniam Deus ego, & non homo.*

S. Chrysost. homil. 30. ad popul. *Ab ira teneri, puerile vincere verò iracundiam, fortitudinis est. Non est quidem hominum contemptibilium ab ira non vinci. Contemptibilium autem ita timere risum extrinsecùs, vt propterea capiantur, & proprio vitio succumbant, & Deum offendant, seq; vleiscantur. Hæc verè risu digna sunt, hæc fugiamus.* Ita sanctus Chrysostomus.

Prop. VII. *Tenemur benefacere inimicis, cùm id postulauerit ratio.*

Benefacite his qui oderunt vos. Non solùm diligere, sed etiam benefacere debemus inimicis. Nunquid (inquies) teneor conuenire inimicum, & familiariter cum eo agere, & operibus meis ei fauere? Respondetur ad hoc nos teneri, non quidem semper sed cùm postulauerit occasio, hinc Apostol. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi.* imò & Dominus in veteri lege. *Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis eum*, hoc est, non attendas, quod inimicus tuus sit, neque quod asinus, non verò equus pretiosus qui ceciderit sit, sed necessitatem præsentem, & tunc benefac ei. Sic igitur pro ratione necessitatis & occasionis fauere inimicis debemus, etenim perfectionis est semper & vbique se hominem inimicis suis beneficum & familiarem exhibere. Ad hoc autem non tenetur homo, sicut non tenetur ex præcepto & obligatione præcisa perfectus esse. Sunt inter arbores fructiferas nonnullæ, quę semel in anno fructum reddunt, in æstate videlicet, in hyeme verò non solum fructum non faciunt, verùm nec folia quidem habent, sunt verò aliæ quæ semper viriditatem, & folia retinent, & fructum plurimum præstant, ita vt vix vnum reddiderint, cùm jam alium emittere incipiunt, qualis est malus citrea, seu malus medica, (*el naranio*, &c.) Sic inter homines alij quidem sunt, qui fructum bonorum operum etiam erga inimicos semper & vbique præstare conantur, hi malis citreis similes sunt: sunt verò alij qui non semper huiusmodi proferunt fructum, sed juxta id quod de viro justo ait Dauid, *fructum suum dabit in tempore suo*, tempore scilicet congruenti. Non igitur nobis præcepit Deus arbores citreas esse, sed vt sunt communiter fructifera ligna: perfectionis tamen erit magnę, sic copiosum semper fructum ferre, &c.

Prop. VIII. *Orandum est pro inimicis, & non aduersùs illos.*

S. Chrysost. lib. 1. de compunct. cord. *Non solùm iniuriam patiens, ait Christus, nihil iracundiæ motus aduersùm eum, qui iniuriam fecit, & non solùm pro hu quæ abstulit, non indigneris, sed quod tibi relictum est, largire illi. Cùm enim is qui ad deripienda quæ tua sunt, iniquo spiritu succensus aduenit, si te proniorem repererit in largiendo, quàm ille fuit in diripiendo, quamuis sit ille ferus & barbarus, erubescet bonitatem tuam, mitigabitur à furore, & respiscet continuò, & suum peccatum exhorrescens, mirabitur animi tui virtutem, & te amabit. Sed hunc ego vbi nunc inueniam? cuius tales actus reperiam? solùm hoc scriptum in diuinis Paginis potero fortè legere: geri autem, vel operibus impleri nescio si videbo. Fieri quidem potest aliquem iniuriam passum tulisse patienter, sed ideò fortassis, quia vicem reddere non potuit, aut si potuit, tempus tamen accommodatum non habuit, aut si tempus habuit aut potuit, propter Dei timorem continuit se: demus igitur ei patientiæ palmam. Quu autem est qui hoc præstet, vt cupiditatem nocentis non expleat solùm, sed superet etiam, & plus cedat quàm expetebatur: ac violenter qua sua sunt auferenti, offerat etiam reliqua, & voluntas etiam ea largiatur, quæ jam cupiditas non quærebat?*

Amplius adhuc aliquid & eminentius Christi Philosophus docetur à Christo. Hunc, inquit, qui diripuerit qua tua sunt, qui læserit, qui nocuerit, non solùm doni largioribus cumula, sed dilige quoque, & amicum habeto, & totâ charitate constringe, in tantum, inquit, vt & ores pro ipso, & Deo pro anima eius fundas preces: quod quidem indicium perfectæ charitatis est. Eccl. 28.3.

Et ne hæc cohortatorię magis, quàm verè dici videatur, causam Christus adiicit: Si enim, *inquit*, dilexeritis eos qui vos diligunt, quæ vobis merces est? nónne & publicani hoc idem faciunt? & si salutaueritis eos, qui vos salutant, quid amplius facietis? nónne & gentiles hoc faciunt? *Vides ergo quia volens Christus discipulos suos præstantiores esse cæteris hominibus, idcircò hæc illos facere docuit. Sed si nos in his publicanis & peccatoribus non effecimur meliores, nónne plangendi sumus?*

Sed tamen tantum nobis deest, & in tantum longè sumus à diligendis inimicis, vt ne amicis quidem vicè rependamus amorem, & charitatis: sed è contrario eos sæpè odio habeamus. Cùm enim amulamur, & inuidemus bonis, in dictis, vel in factis, eorum existimationem & laudes volumus obrui, & obscurari, quid aliud est nisi inuidiæ & odij in eum indicium? in quo etiam gentilibus inferiores sumus. Christus nos orare pro calumniatoribus jubet, nos insidias, & dolos etiam amicis concinnamus. Christus maledicentibus benedici jubet, nos è contrario aut priores maledicimus, aut maledicti alterius multiplicata maledicta restituimus. Nónne igitur tibi videntur modis omnibus contraria esse præceptis Christi, quæ gerimus nos, & magis nobis esse contra eum pugnam, quàm obedientiam? Ita sanctus Chrysostomus.

Prop. IX.

PROP. IX. *Qui vindictã quærunt zelo justitiæ cauere debent, ne sub iniustitiæ pallio odiũ abscondant.*

SVnt qui sub specie justitiæ & rationis, iniustitiæ & odij venenum tegant, in quo sæpè hi etiam cæcutiunt, qui istam volunt figere vindictam. Qua in re præ oculis id omnes habere vellem quod sancto accidit Dauidi, graui eum iniuria affecerat Semei, Dauidi à facie Absalonis fugienti impreperans, & dicens: *Egredere, egredere vir sanguinum & vir Belial. Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saul: quoniam inuasisti regnum pro eo, &c.* quam non hic quantumuis atrocem mortis pœnam merebatur, & maximè cùm Dauid rex esset, & facilè posset omnimodam sumere vindictam, imò tenebatur delictum illud inultum non relinquere: sed tamen vsque ad mortis horam distulit: tunc eum mortis pondus eum ab odio & mala voluntate securum reddebat: imò nec tum illum punire per se voluit, sed vocato Salomone, qui successor eius erat, dixit ei: *Habes apud te Semei, qui maledixit mihi maledictione pessimâ: tu noli pati eum esse innoxium,* noluit Dauid per seipsum vindicare, quia pars iniuriã affecta erat, sed tertio causam commisit, & quidem regi futuro, & postipsius Dauidis mortem, quando Salomoni beneuolentia subditorum necessaria magis erat, quam patris extincti vindicta, quò minùs patris amor ad supplicium sumendum inclinaret: quamuis enim ob fidem juramenti, quo se obstrinxerat, abstinendi à vindicta, ad id teneretur, ipsummet iusiurandum ad prædictam causam illum adhibuisse credendum est.

3. Reg. 1.

2. Reg. 16. 7.

PROP. X. *Inimicis debemus compassionem, non iracundiam.*

SAnctus Chrysost. serm. de laude Dei: *Fuit tibi quispiam iniurius, aut malo affecit, ingemisce, ne maledictũ incesserit: funde lachrymas, non iniuriæ gratiã, sed ob iniuriam insurrenti interitum: sicut & Dominus tuus tudam deplorauit, non quidem quòd cruci suffigeretur, deflebat, sed quòd se ille esset ad sui perniciem proditurus. Læsit te igitur quispiam, aut affecit contumeliã, Deum precare, vt mox illi concilietur, & parcat: frater enim est, tuum membrum est, & animi quãdam magnitudine fratrem vel mortuum è præsio subtrahe, & affixum ei spiculum auulsio: non enim malè pati, sed malè facere, est perpeti malum. Occidit Cain, Abel enecatus est, vter horum periit? illene qui post obitum ad Deum clamitans questus est?* Vox, *inquit*, sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: *an ú, qui vitam omnem transegit trepidus?* Ita S. Chrysostomus.

Gen. 4.10

A *aliquem horribiliter vexatum à bile, & vertigine laborantem, quique etiam malignum illum humorem vrgeatur euomere, porrigimus manum, & supportamus huc, illucq; jactatum. & si vestimenta ille nostra polluat, non auersamur, neque abicimus egrotum: sed illud tantummodo vnum requirimus, vt à tam grandi hãc eum angustiã liberemus. Hoc igitur etiam erga istos faciamus, vt & supportemus vomentes, & palpitantes: nec eos vspiam relinquamus, priusquam totam prorsus auersitudinem ponant, & tunc tibi gratiam, qui talis fuerit, exsoluat quando enim eiusmodi ager à passione requieuerit, tunc liquido cognoscet à quanta illum conturbatione sanauerit. & quid duo ab illo tibi gratiam referendam? Deus te illuc coronabit, & innumeris remunerabitur bonis, quia fratrem tuum grauissimã ægritudine liberasti: sed etiam ille te honorabit vt dominum, modestiam tuam per cuncta miratus.*

ADDITIO.

Chrysost. in Matt. & 5 Ho. ij. mihi p. 123. *At tu plurimùm omnino læsus es. verùm quid tandem tale perpessus es, quale tuus, imò omnium dominus? vinctus loru, verberatus flagello, palmo ora temeratus, consputus à seruis, mortem sustinens, & mortem omnium turpissimam, & hoc postquam beneficia eis mille contulerat. Sin autem omnino nimium læsus es, ò magis beneficium refer nocenti, vt & tibi facias maiorem coronam, & fratrem periculo grauissimi languoris liberes. nam & medici, quando iniuriis & calcibus cædunt furentum, tunc illorum potissimùm miserentur, tum maximè ad reddendam illis sanitatem parantur, scientes quod excellentiam morbi significat ea iniuria. Et tu igitur de inimicis eandem teneto sententiam, sicq; tractes iniurios: illi namq; sunt maximè egroti, & violentiam sustinentes. libera igitur eum à pessima læsione, & permitte vt iram in te expleat, atque ita libera eum à malo dæmone, furore exsilicet. nam & cùm aliquos à dæmone actos videmus, lacrymamur, non autem damnus operam vt & ipsi agitemur dæmone. Idem nunc quoque in ira percitis agamus. illorum enim sunt similes iracundi, imò illis longè miseriores, qui vtique sensibus adhuc integris insaniunt. propter quod & digna est venia eorum dementia. noli igitur insultare jacenti, quin imò miserere. etenim si videamus*

B

PROP. XI. *Amor inimici Christianum animum decet.*

SAnct. Francisus se inuidere terræ aiebat, quæ ab hominibus conculcata, & ab agricultoribus aratro & vomere scissa, & conscissa, & sæpè trita, & ab his qui aurum & argentum eius quærunt, euiscerata ligonibus & machinis, nihilominus calcantes sustinet, & super humeros defert, & agricolis pro scissuris fructus vberrimos reddit, & euiscerantibus eam aurum & argentum, lapides pretiosos, & omnes suos exhibet thesauros.

C

PROP. XII. *Amandus est inimicus exemplo ipsius Dei.*

VT sitis, ait Christus, *filij patris vestri, qui in cœlo est, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos*, &c. Cui quantum consonat ratio naturalis, hic Senecæ locus explicabit lib. 4. de benefic. cap. 5. *Si Deum imitari, da & ingratis beneficia: nam & sceleratis Sol oritur, & pyratis maria patent.* Ita ille.

Matt. 5. Senec.

Parentum exempla obligationes sunt filiorum: exempla enim bona patrum sunt veluti exemplaria quædam & originalia, ex quibus tanquam typus vitæ suæ deprompere tenentur filij boni. Vnde Christus Dominus Hebræos Ierosolymitanos reprehendens, dicebat: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite:* quasi dicat: Gloriamini, quòd filij sanctiillius Patriarchæ sitis: ne igitur opera eius in vestram sint condemnationem, libidem, obedientiam, tolerantiam, charitatem, & alias eius virtutes imitamini. Sic etiam Isa. 51. *Audite me, qui sequimini quod justum est, & quæritis Dominum. Attendite ad petram vnde excisi estis: attendite Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos. No degenereys de la nobleza y costumbres de tan santos Padres.* Attendite, ait, vt inde animos sumatis ad difficultates omnes superandas, qui in prosecutione diuini obsequij sese obtulerint, sicut Abraham & Sara fecerunt, è terra Chaldæorum Dei jussu egredientes, ad terras extraneas obedienter pergentes, & multa pericula ob illam obedientiam vincentes, &c. exempla enim bonorum parentum excitant corda bonorum filiorum. Quantùm autem placeat Deo huiusmodi sancta æmulatio, constat ex illis verbis Dei ad Salomonem 3. Reg. 3. *Si ambulaueris in viis meis, sicut ambulauit pater tuus, in simplicitate cordis, & in æquitate, & feceris omnia quæ præcepi tibi, &c. ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum.* Cur nam, sicut ambulauerunt, inquit, Abraham, Isaac, Iacob, Elias, Elisæus & alij huiusmodi? quia quæ maximè obligant & deuinciunt filios, exempla sunt parentum suorum, quorum imitatio Deo valdè placet. Nunc igitur ad rem, præcipit Christus nobis diligere inimicos Matth. 5. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.* Cur ita? ad hoc plurimas rationes adducere poterat Christus, hanc tamen inter omnes elegit,

3. Reg. 14.

Matt. 5.

D

&

& primo constituit loco, *vt scitis filij Patrũ vestri qui in cœlis est. Por que bien aya quien à los suyos parece*, vt scilicet hoc modo constet vos filios boni esse patris: nam ex bonitate filiorum cognoscitur bonitas patris, sicut ex nequitia filiorum, nequitia parentum, juxtà illud antiquum prouerbium, Mali corui, malum ouum. Vnde Eccli. 11. dicitur: *Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filijs suis agnoscitur vir.* Quod in S. Iob constat, cuius laudes exorditus fuit Spiritus sanctus ex bona filiorum suorum institutione. Vnde Aristot. 3. Polit. 8. *Ex bonis*, inquit, *parentibus boni oriuntur filij, & ex melioribus meliores.* vt igitur vniuersus mundus cognoscat Patrem vestrum cælestem optimum esse, & charitatem eius eximiam, ex vestra colligere possint; diligite vos inimicos vestros: sic enim paternum decet, & docet exemplar. nam Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & iniustos. non ait Soli, ne oriaris super inimicos meos, & nubibus, ne pluatis in agris meorum inimicorum, sed æquè vt bonis, benefacite malis. Hinc constat contra Christi honorem esse vindictas Christianorum, hinc colligere possunt infideles barbaram esse legem Christi, & similem nobis Christum fuisse, qui Pater futuri sæculi, id. est, nostri, dictus est.

S. Chrysost. de mansuetud. tom. 5. *Omnis*, ait Paulus, *amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia. Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis. Sitis igitur imitatores Dei. Videtis qualis sit mansuetus? cuius vocetur imitator? non Angelorum, non Archangelorum, sed Domini vniuersorum: tametsi etiam illi mitissimi sint, & omni virtute pleni. Paulus tamen nos Dei imitatores esse vult: quò proposita tanti honoris magnitudine, persuadeat audientibus, vt omnes qui contumeliâ afficiuntur, vel aliud quid graue patiuntur, moderatè ferant, imperanteq; iræ, Deum imitentur. Iam quænam sunt illa quæ Dei? In his enim quæ in superuis videmus & audimus, omnia diuina sunt: in his qua super terram & sunt & dicuntur, iniustitiæ multæ. Quippe sunt nonnulli qui in tantam perueniant impietatem, vt & Deum blasphement, si quando in re aliqua contristentur, & in cælum respicientes à nullo abstineant verbo. Deus tamen fert, quamuis tantam habeat potestatem. vt possit, si vellet, omnes peccatores punire: vnde & Dauid ait*, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? quoniam apud te propitiatio est: *in eo igitur ostendit misericordiam suam, quod non punit vt potest. Igitur qui Deo assimilari vult, pro virilis sit mansuetus ac mitis, feratque fortiter, si quid grauius ab alijs patiatur. Idèo Christus ait*, Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos: orate pro persequentibus vos, vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & iniustos. *Etenim ipse Dominus & Saluator noster contumeliâ affectus, verberatus, crucis clauis affixus, leniter tulit ludæorum furorem: & licet posset de eis vindictam sumere, non sumpsit tamen, sed suam virtutem ostendit, concutiens terram, suscitans mortuos & obscurans Solem, & noctem ex die faciens. Mansuetudinem autem & misericordiam declarauit, quæ nullum ex his qui egerant impiè, puniuit. Vt discerent omnes qui manus impias intulerant Domino, quàm non fuisset ei difficile ipsos punire, qui tam facilè terram commouit, & Solem repentè obscurari præcepit. Ipse verò adeò mitis fuit, vt non solùm mansuetè tulerit eos qui crucifigebant eum & blasphemabant, sed & Patrem obsecrauit, ne cælestibus aduersùs impios telis vteretur. Igitur cùm & tibi graue aliquid & durum ferenti, subrepunt furor & ira, recordare mansuetudinis Christi, & statim mansuetus eris & clemens.* Ita S. Chrysost.

Quantùm autem nobis interfit Deo similes esse, dicam. Et primò quidem quamuis nihil aliud nisi tantùm Dei imitatores & similes essemus, nihil nobis amplius desiderandum erat, quantumuis maiora in nos inimici committerent, quàm aduersùs alios omnes sunt commissa. quid enim gloriosius? gloria magna (ait Spiritus sanctus) sequi Dominum: quod sapientes antiqui, quamuis Gentiles, quos in hoc laudat S. Ambrosius ita dixerunt: Sequere Deum, in hoc sapientiam summam collocabant, & meritò quidem: nihil enim Deo ipso gloriosius. tu Deus esse per essentiam non potes, esto igitur eo modo quo potes, scilicet per assimilationem, & eris gloriosior, modo tibi possibili. *Ambr.*

Sed vlteriùs progredior, *Omne animal* (ait idem sanctus) *diligit sibi simile*: est enim similitudo causa amoris, vt testatur Philosophia: qui ergo fuerit similis Deo, diligetur ab eo, qui diligit inimicos benefaciens eis, assimilatur Deo, vt probatum est: igitur & diligetur ab eo, quid vtilius? si enim non diligentibus, sed blasphemantibus & offendentibus sic benefacit Deus, diligentibus quid præstabit? *Oculus non vidit* (ait Apostolus) *neque auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt eum.* Potestne sublimioribus verbis augeri, quantùm nobis interfit diligere Deum? Si ergo Deus speciali quâdam dilectione amat amantes inimicos, ipsis igitur præparauit bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Vides quàm gloriosum simul & vtile sit, diligere inimicos. Vulgò dicitur quòd non bene conueniunt, vtilitas & honor, *Honray prouecho no caben en vn saco.* fallit hoc in amantibus inimicos, &c. *Ambr.* *1. Cor. 2.*

Exod. 7. Deus ad Moysen, *Ecce*, inquit, *constituite Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Cur illum sic Deum constituit & appellat, cùm purus ille fuerit homo? S. Clemens Alexandr. hanc assignauit causam, quia scilicet priùs Moyses iracundiâ motus in Ægyptium qui percutiebat Hebræum, occidit eum statim: nunc igitur ait illi Dominus: Tanquam homo occidisti hominem Ægyptium, cùm primùm ille crimen commisisset, nunc in Ægyptum iturus, & regem Deo rebellem visurus, non sicut homo, sed sicut Deus cum eo acturus es, neque enim semel, sed bis & quinquies & decies eius proteruiam & & fidelitatis defectum patienter feres: hoc enim est ingenium Dei & natura. Ecce igitur ob hoc te Deum constitui Pharaonis, quod si posteà aqua maris est suffocandus, priùs tamen expectandus est & ei parcendum, &c. *Exod. 7. 1* *Clemens Alexand. Exo. 2. 22*

Hinc etiam est, quod fugiente Moyse in tabernaculum Domini, ob populi seditionem & tumultum in eum concitatum, cùm ingressus fuisset, statim nubes operuit tabernaculum, quæ latibulum quoddam Moysi fuit: at nubes latibulum dicitur Dei, *Posuit tenebras latibulum suum*, tenebras nubem esse dicit Nicolaus de Lyra, & alij. Nubis igitur latibulo absconditur Moyses, sicut Deus, quando patienter tulit populi indignitatem, & nec ideò à Deo vindictam in populum illum sibi immeritò infestissimum, sed misericordiam potiùs postulabat, vt in perpessione iniuriarum Deos nos esse per eminentem similitudinem demonstraret. *Ps. 17. 12.* *Lyra.*

PROP. XIII. *Amandus est inimicus exemplo ipsius Dei & Christi Domini.*

SIc ad Discipulos Christus, *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Olim, vti refert Alciatus, Gentiles Mercurium in biuiis vel in montibus collocabant, qui digito protenso viatoribus viam ostendebat, & subdit Alciatus: *Omnes in biuio sumus, atque hoc tramite fallimur. Ostendit Deus ipse viam.* Ita ille, & ita est, sed non Mercurius ille, sed Deus noster est, qui viam nobis æternæ vitæ demonstrauit. *Hic*, inquit Baruch, *est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersùs eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Conuersatus quidem eos *Ic 13 1.* *Embl. 3.* *Cap. 3 26*

non solùm verbis, sed exemplis docendo. Mercurius A
ille digito viam demonstrabat, & non tangebat pedi-
bus eam: at Deus noster, quæ verbis docuit, operibus
confirmauit, imò priùs opere quàm verbo. *cæpit enim* IESVS *facere, & docere.* Mercurius ille in biuiis constitu-
ebatur, sic Christus Dominus. in his quæ difficilia
sunt, qualis erat inimicorum dilectio, quasi in biuio
erat mundus, dum nonnulli amicos solos amandos, &
non inimicos, dicebant: alij verò omnes, siue amicos,
siue inimicos, amandos dicebant. Adest Christus dux
& antesignanus noster: *Ego autem dico vobis, &c.* hoc au-
tem etiam operibus docuit. Mercurius ille super mon-
tem collocatus, viam regiam digito demonstrabat: at
Christus noster in monte Caluario constitutus, vtram-
que manum extendens in formam crucis, crucem am-
plectendam esse, tanquam cæli viam, affirmabat: &
quia inimicos diligere ad crucem pertinet cordis, idcò
in cruce illa vocem attollens pro inimicis orauit, di-
cens: *Pater, ignosce illis, &c.* imò & pro inimicis crucem
Rom.5.8. mortemque ipsam patiebatur, sic Paulus. *Commendat,* B
inquit, *Deus charitatem suam in nobis, quoniam cùm adhuc*
peccatores essemus secundùm tempus, Christus pro nobis mor-
tuus est, & subdit: *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo*
per mortem filij eius, &c. docet nos quidem opere Deus
inimicos amare, dum Solem suum oriri facit super bo-
nos & malos, & pluit super iustos & iniustos: at se-
ipsum excessit, dum pro inimicis, & orauit, & pro eis
crucifixus & mortuus est.

Tribus autem mortis offendere proximum potest
inimicus, corde, verbo, & opere: corde, odio illum
prosequendo, verbo, illi mala imprecando, opere, ma-
lefaciendo. Aduersùs hæc sic Christus: *Diligite inimicos*
vestros: orate pro persequentibus & calumniantibus vos: bene-
facite his, qui oderunt vos, in hoc perfectio charitatis
consistit. Hæc etiam opere Christus docuit, dilexit
verè in corde, verbo pro eis orauit, opere pro eis pas-
sus est, & miracula innumera eorum gratia fecit, &
sanctissimum Eucharistiæ sacramentum instituit, in
quo nobis corpus & sanguinem proprium in cibum & C
potum dedit. Meritò ergo clamat: *Ego autem dico vo-*
bis: Diligite inimicos vestros. quonam pacto? *sicut ego dilexi*
vos, &c.

Hanc rationem adhibuit Christus Dominus, dum
de inimicorum ageret dilectione: *Vt sitis* (inquit) *filij*
Matt 5. *Patris vestri qui in cælis est,* hoc est, *Bien aya quien à los suyos*
parece. Quid igitur facit Pater noster? *Solem suum oriri*
facit super bonos, & malos, & pluit super iustos & iniustos.
Solè cælis procedit, pluuia verò ex terra, & aqua quæ
in terra est: voluit igitur significare cælestia terrestria-
que bona Deum inimicis suis impertiri, imò, quod
omnem superat admirationem. *sic Deus dilexit mundum,*
Ioa 3.16. *vt filium suum vnigenitum daret,* mundus autem quid a-
liud erat nisi peccatorum & inimicorum Dei coacer-
uatio? Vide igitur quid pro inimicis suis fecerit Deus,
Trinitas scil. tota. Pater filium suum dedit: *qui autem*
Rom.8.32 *filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quo-*
modo non omnia cum illo nobis donauit, vt Apostolus ait: D
Spiritus sanctus hanc filij incarnationem operatus est,
Filius carnem assumpsit, & in negotio redemptionis
nostræ triginta & tres annos insumpsit, & denique ho-
norem, & sanguinem, & vitam impendit. Quid vltra
pro inimicis debuit facere & non fecit?

Tradidit illum Iudas, & cùm Iudam nec pœnite-
ret, nec de pœnitentia cogitaret, Christus mille mo-
dos, vt eum conuerteret, excogitauit, ideò enim pedes
eius humiliter lauit, ideò delictum eius tacito nomine
personæ coram omnibus Apostolis reuelauit, ideò
comminatus est ei æternam damnationem, dicens: *Væ*
Ioan.13. *homini illi, per quem filius hominis tradetur: melius erat ei, si*
natus non fuisset homo ille, &c. ideò turbauit se coram il-
lo, & protestationem fecit, vt ait Euangelista, quod-
cumque horum sufficientissima causa erat, qua inimi-
cum illum mortalem ad mentem reuocaret, sed his
non contentus, cùm iam ad eum tradendum accede-
ret, & osculo eum salutaturus demonstraret, dixit:
Amice, ad quid venisti? Iuda, osculo filium hominis tradis? O
suauissime Saluator, amicum vocas crudelissimum
hostem: hæccine sunt amici opera, te triginta argenteis
inimicis vendidisse, & osculi signo to illis tradidisset
cur illum amicum vocas? vt scil. ad compunctionem
eum prouocaret, & ex acerrimo inimico redderet pœ-
nitentem, & amicum: sic se Deus cum inimicis gessit.

Et tandem jam in agonia mortis constitutus, clauis
affixus, sanguine exhaustus, & penè jam exspirans, pro
ipsis crucifixoribus exorauit, dicēs: *Pater, ignosce illis quia*
nesciunt quid faciunt. Patrem vocat, nomen dulce, non
judicem interpellauit, sed Patrem, q.d. Per viscera tua
paterna te rogo filius tuus pro crucifixoribus, vt
dimittas illis mortem & passionem meam, *no les pedas,*
Padre mio, esta muerta, ni esta passion, y pues es apeticion de la
parte perdonalos Padre mio. Graue quidem est delictum,
sed tamen ex ignorantia procedens, *nesciunt quid fa-*
ciunt: quare suppliciter à te peto, vt dimittas illis hanc
noxam. O pietas immensa! ô clementia digna filio
Dei! ô admirabile exemplum charitatis! discē à Deo
saltem, ô homo, qualiter cum inimicis tuis te gere-
re debeas. Si te graui iniuria affecit inimicus, nun-
quid maiori quàm illi Christum? Si persona illustris
& grauis es, numquid illustrior Deo? Si ingratitudi-
nem in te quereris commissam, nunquid maior hæc in
te fuit, quàm illa in Christum?

Præterea quotidiana hæc suppetunt exempla diui-
na: nam quotidie Deus peccatores (qui capitales eius
sunt inimici) ad se vocat, inuitat, & veniam offert, &
eam facilè concedit, tu verò vermiculus cùm sis, quia
vestis pilum attigit quis, non solùm non veniam offers,
verùm expostulatus & rogatus eam negas, & nullam
non lapidem moues vt vindictam sumas de inimicis
tuis, &c.

Quam igitur pœnam, quod supplicium decreuerit
Deus pro his, qui huiusmodi exemplum Dei non fue-
rint imitati, habes in parabola serui debentis decem *Matt.*
millia talenta, qui debiti remissionem à Domino suo
consequutus, noluit remittere debitum conserui sui:
quòd eam ob causam iratus Dominus, tradidit illum
tortoribus, quoadusq; redderet vniuersum debitum: &
concludens parabolam ait Christus: *Sic & Pater meus*
cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de
cordibus vestris, &c.

His verbis alloquebatur Dominum regius ille Va-
tes Dauid: *Exurge Domine in præcepto, quod mandasti, &*
synagoga populorum circumdabit te. Postulabat Propheta *Psal.*
vt Deus humanam indueret naturam, & factus homo,
humilitatis leges, quas Christianæ Reipublicæ impo-
suerat, exemplo suo confirmaret. Hic exponitur sic à
D. Augustino regius Propheta Dauid, & addit præ-
ceptum, de quo loquitur, esse præceptum humilitatis,
quia egregiæ huius virtutis voluit Christus dici & ha-
beri præceptor, magister, & doctor, & ideò ait: *Disci-*
te à me, quia mitis sum, & humilis corde, cui adiungit præ-
ceptum charitatis, de qua idem dici & prædicari vo-
luit, vt verba eius ostendunt: *Hoc est præceptum meum,*
vt diligatis inuicem, &c. sicut & alia Domini præcepta
singulari cultu & veneratione dignissima: sed peculia-
ri quadam ratione Domini præceptum dicitur præce-
ptum charitatis: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis in-*
uicem. Nec solùm complectitur amicos, & familares,
sed ad inimicos etiam se diffundit, *Ego autem dico vobis:*
Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos.
Optimum est hoc præceptum, sed arduum & difficile.
Posset quis obiicere infirmitatem hominis, & dicere:
O Domine, cùm tu in tuto & munito loco constitu-
tus sis, neque ab aliquo peti possis, facilè imponis præ-
ceptum, vt inimicos diligamus, locum habitas inac-
cessibi-

ceſſibilem, à nemine lædi nec vulnerari potes, quia ſi A quis immiſerit ſagittas, retorqueburtur ad illum, qui miſerit, vt eiſdem transfigatur. Si experimento cognoſceres quantæ calamitatis ſit exponi telis inimicorum, & quàm graue vulnus infligant eorum iniuriæ, num ita præciperes, vt inimicos diligeremus? Vt huic obiectioni ſe opponat, eamque præoccupet, clamat Propheta Dauid: *Exurge Domine Deus in hoc tuo præcepto quod mandaſti*, veni vt inimicorum iniurias experiaris; & ab illis opprobriis & contumeliis affectus, illos amore & benevolentia complectaris, vt tanto exemplo excitati homines, ſuos diligant inimicos. *Exurge Domine in præcepto quod mandaſti, & ſynagoga populorum circumdabit te.* Audiuit Dominus orationem Dauid, exurrexit è ſolio maieſtatis ſuæ, humanam induit naturam, & ea præbuit exempla amoris inimicorum, quæ homines in maximam admirationem raperent.

Vix in lucem editus ſuſceptuſque eſt eùm graues Herodis inimicitias pertulit, qui vt nàtum puerum interficeret, maximam innocentum puerorum multitudinem trucidauit. Potentiſſimus erat hoſtis regio diademate fulgens: at potentior erat puer, quia Deus erat, qui Regis conatus facilè poſſet irritos facere, tela retundere, & iram eius frangere intra priuatos parietes. Noluit tamen potentiæ & maieſtatis ſuæ ſignum oſtendere: ſed ceſſit Regis inſolentiæ, & temeritati, & fugit in Ægyptum, fugæ ſe dedit tamquam imbecillis, & timidus, qui erat potentia & fortitudo patris, vt illius exemplo docti, cognoſceremus quid nobis faciendum ſit, cùm inimicus tendit inſidias, & malum minatur capiti noſtro. Nam licèt tunc ſine vllo vitæ diſcrimine vindictam de illo ſumere poſſemus, nequaquam id fieri debet: ſed juri noſtro cedendum eſt, & iracundia reprimenda, vt D. Paulus admonet, *Non vos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ.*

Faciebat iter Chriſtus Dominus Samariam verſus, & miſit nuntios ante conſpectum ſuum, qui Domini aduentum Samaritanis renuntiarent: illi autem adeò ruſtici & agreſtes fuerunt, vt nuntios remitterent vacuos. Valde commoti Ioannes & Iacobus, quod repulſam paſſi eſſent, in hæc verba prorumpunt: *Domine, vis dicamus vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos?* Commeruerant Samaritani atrociſſimum illud ſupplicium: ſed quid Dominus? nunquid eorum ſententiæ adhæſit? *Converſus increpauit illos, dicens: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere ſed ſaluare.* Ecce tibi exemplum ſingulare. Non ſolùm iniuriam ſibi illatam vltus non eſt, ſed Apoſtolos, qui de hoc agebant, acriter obiurgauit.

Docebat Chriſtus Dominus Iudæos veritatis viam, vt ſe ad bonam viuendi frugem reciperent, tanto beneficio indigni ſuſtulerunt lapides, vt lapidarent eum. O execrandum facinus! ſed quid Dominus? *Multa* (inquit) *bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Animaduerte verborum ſuauitatem, ægrotis medicinam adhibebat, mortuos ad vitam reuocabat, à dæmone oppreſſos in priſtinam libertatem aſſerebat, beneficiebat denique omnibus & tantorum beneficiorum immemores ſuſtulerunt lapides, vt lapidarent eum. *Propter quod horum opus me lapidatis?* O miram Seruatoris noſtri erga inimicos ſuos benignitatem! ô patientiam prædicandam! Reliquum erat Domine, vt poſt tantam ingrati animi ſignificationem, imperares, vt terra dehiſceret, coſque adhuc viuentes in infernum deglutiret, vti factum eſt eum Datan & Abiron. Nihil minus ait Dominus, maximè enim exoptat, vt inimicorum iniurias æquo libentique animo perferamus, ideò ſeipſum nobis tanquam exemplar ad imitandum proponit. Cuius exemplo Martyres edocti patientiſſimi euaſerunt.

Subiungunt Iudæi: *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia.* Nihil jam ſupereſſe videbatur, niſi vt Chriſtum Dominum poſt tot probra & iniurias, blaſphemum appellarent, & hac ignominia afficitur, vt nihil jam in eo vltra deſideres. Lapides arripiunt, & blaſphemum appellant, addunt ad iniuriam dedecus. O petulantiam ſingularem! Dominus dabat operam diligenter vt eos deuios ad vitam reuocaret, illi autem deteriores effecit beneficio, occaſiones quærebant perdendi eum, & lapidibus obruendi, tanquam multa febri phrenetici, inſaniebant in medicum, qui venerat curare eos, illumque in vincula coniicere conabantur. Omnia Chriſtus Dominus inuicta quadam animi magnitudine toleraut: nullum verbum aſperum protulit, quod animi commotionem quantumuis minimam indicare videretur: vt ſibi ante oculos proponat homunculus exemplum hoc ſingulare, & diſcat vermiculus ſubiici omni creaturæ propter Deum, & aduerſariorum iniurias perpeti, quando ipſe Deus propter hominem tot inimicorum iniurias, probra, & contumelias, ſingulari quàdam animi virtute ſuperauit.

B Iterum atque iterum Dominus Hebræorum animos pertentauit, vt illos ſub diuinam poteſtatem redigeret: illi autem mente obdurata, & animo rebelli obſtiterunt, nec his contenti, probra illa jactarunt in Chriſtum Ieſum, *Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Ac ſi dicerent: Hæreſi infectus es, & cum dæmone rationem habes. Quæ maior iniuria inferri poterat tanto Domino? Ille autem ſingulari quadam animi ſubmiſſione reſpondit: *Ego dæmonium non habeo.* Tum homines illi lapidei, ſuſtulerunt lapides, vt jacerent in eũ: Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo. Quid magis admirer prorſus ignoro, huius populi pertinaciam, iram, & furorem, an Chriſti Domini ſubmiſſionem, patientiam, & manſuetudinem? Noluit enim inter tot iniurias vllam irati animi ſignificationem oſtendere, vt nobis patientiæ & charitatis relinqueret exemplum. *Ioan.8. 48.*

C Sed cùm aliàs ſæpè, tum maximè eluxit Domini patientia, cùm ſeruus Pontificis furore correptus illi alapam impegit, quæ adeò immanis fuit, vt cùm tot eſſet colaphis cæſus, de hac ſolùm tamquam ſingulari, mentionem fecerit D. Ioannes. Si igitur reliquæ crudeliſſimæ fuerunt, qualem hanc fuiſſe exiſtimabis? Conſidera alapæ immanitatem, qua totum Chriſti corpus commotum eſt, & nutauit, quę digitos in facie impreſſos reliquit, & dentes ſanguine reſperſit. Aſpice Chriſtum Ieſum dolore cruciatum, ſanguinem expuentem. Quid meruit ſacrilegus ille ſeruus, qui tantum facinus perpetrauit? Audi quid acciderit impio & ſcelerato homini, qui D. Thomam Apoſtolum alapâ percutere auſus eſt, irruit in eum ferociſſimus canis, & manum ſacrilegam dentibus detruncauit. Extendit manum Rex Ieroboam aduerſùs Prophetam Domini: & dixit: *Apprehendite eum*, & aruit ſtatim manus, ita vt eam contrahere non valuerit. Quo igitur ſupplicio plectenda erat ſcelerata illa manus illius, quæ non fuit extenſa aduerſùs Prophetam aliquem, aut Domini Apoſtolum: ſed ipſum Dominum maieſtatis alapa cõtudit immani? Audi vindictam Deo homine dignam, quæ cæleſtes illas mentes in admirationem rapit: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, cur me cædis.* Sic loqueris ô rex inuictiſſime? hanc ſumis vindictam de ſeruo illo ſacrilego, qui æternis ſupplitiis deberet addici? *Diſcite à me* (ait) *quia mitis ſum, & humilis corde.* O magiſter præſtantiſſime patientię, & charitatis, quam egregiè tuos inſtituis auditores. Nunc cognoui quàm pulchrè ſonat in ore tuo verbum illud: *Diligite inimicos veſtros*: præceptum imponis, ſed tu illud primus omnium executioni mandas. *Mat.18. 3.Reg.13. Ie.18.23.*

Addit etiam Dominus, vt benefaciamus his qui oderunt nos: ipſe autem vt nobis exemplo eſſet, ſemper beneficus & benignus extitit, &, vt alia exempla prę- *Ioan.18.*

teream, id reticere non possum quòd Christus Domi- A
nus exhibuit in horto Gethsemani: quo nihil illustrius, præstantius, & excellentius fingi aut excogitari poterit. Cùm Christus Dominus jam sibi à Iuda periculum creari, exitiumque moliri cognosceret, in Gethsemani hortum secessit, & dum preces fundebat ad Patrem, ecce tibi Iudas nequissimus proditor, satellitibus stipatus, hortum ingreditur. cui Christus placido serenoque vultu obuiam occurrit, & tanquam innocentissimus agnus, se illis nequitiæ ministris ligandum vinciendumque tradidit. Quis dicere queat, quot fuerit iniuriis affectus auctor ille totius sanctitatis, quot etiam verborum contumeliis laceratus, colaphis cæsus, pugnis fustibusque contusus? præuidens hæc D. Petrus, amore ardens seipsum cohibere non potuit, stricto gladio in mediam aciem se dedit, & ferui cuiusdam auriculam amputauit: ad quem conuersus Dominus ait: *Mitte gladium tuum in vaginam, omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* O inauditum mãsuetudinis exemplum! Quid vltro requiri aut desiderari potest? sed audi diuum Lucam: *Cùm tetigisset auriculam eius, sanauit eum.* Sanauit hostem illum, qui eius sanguine suos pascere oculos ardentissimè cupiebat, & vt sanaret illum, singulare miraculum edidit. Quid? promeruit ille seruus non solùm auricula denudari, sed capite etiam obtruncari, & tanto illum afficis beneficio? Nónne sufficeret obiurgatio illa, qua Petrum ab vltione debita reuocasti? Minimè, inquit Dominus, quia non solùm ferre debemus inimicorum iniurias, sed etiam illis benefacere, & huius cælestis doctrinæ exemplum præbet Christus Dominus, vt illius vestigiis insistamus. Optimo igitur iure præcipere potest: *Benefacite his, qui oderunt vos.* Luc. 22. 51

Neque his contentus, asserit preces esse fundendas pro his, qui calumniantur nos. Hoc Christus non modò suis præceptis seruandum docuit, sed suis quoque clarissimis exemplis imitandum proposuit. Pendebat B
in cruce inimicis suis circumcinctus, suorum præsidio destitutus, opprobriis & contumeliis affectus, virgarum plagis deformatus, extremum jam spiritum agens, & sui velut immemor, & memor inimicorum, oculos in cœlum erexit, & ab æterno Patre veniam suis inimicis deprecatus est, eos excusans? quod nimirum nescirent quid facerent, *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* O verbum sacrosanctum, cultu & veneratione dignissimum! Conquerebatur se à Patre derelictum & desertum, & ipse nec derelinquere nec deserere inimicos suos, cruciabatur ab illis, & Patri pro eis supplicabat, eorum cernebat perfidiam, & ignorantiam excusabat, capitali in se odio laborantes experiebatur, & veniam illis tamquam innocentibus precabatur. O singularem charitatem, ô amorem inuictum, atque inextinctum, ô inexplicabilem, imò incomprehensibilem diuinæ bonitatis magnitudinem! *Pater*, inquit, *ignosce illis.* Hoc est primum verbum quod Christus Dominus fecit in cruce. Quis illum patrem appellantem audiret, qui non existimaret C
vindictam grauissimæ illius iniuriæ, qua innocens afficiebatur, efflagitare? Quid aliud sperari poterat in tanta inimicorum licentia? quid ait? Pater consule honori & dignitati meæ, perpende laborem meum, innocentiam meam considera, perde inimicos meos? nequaquam: sed, *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt*, veniam petit, excusationem affert, ignorantiam obiicit, vt illos ab omni malo defendat. O summam Dei erga inimicos suos benignitatem! te Domine in crucem rapiunt, tormentis cruciant, doloribus afficiunt: & tu lacrymas & preces fundis, vt illi impunitatem assequantur: illi tuam vitam & sanguinem concupiscunt, & tu pro illorum vita vitam & sanguinem profundis: illi à Pilato cum clamore contendunt, vt te arbori infelici affigant, tu verò ab æterno Patre cum clamore & lacrymis postulas, vtimmane istud scelus condonet, & veniam liberalissimè largiatur. O liberalitatem inauditam, ô charitatem tali pectore dignam!

Sed intende oculos, & considera, quantum patiatur ille in cruce pro sceleratis hominibus, qui acerbissimi illius cruciatus causa extiterunt: & audi Apostolum. *Vix pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori? Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*, D. Ioannes Chrysostomus sic exponit D. Paulum. *Si pro viro probo ac virtute pradito, non statim emori quis velit, considera Domini charitatem, quem non pro virtute praditis, sed pro peccatoribus & inimicis crucifixum constat fuisse.* Hæc ille. *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro inimicis suis.* Summa igitur charitate complexus est Dominus inimicos suos, quãdo mortem subiit, vt illos à morte liberaret. Si solùm preces ad Patrem funderet, summam ostenderet charitatem, quia orabat pro inimicis suis. Quid ergo erit mortem subire, non qualemcunque, sed atrocissimam & cruentam, vt inimicos suos à morte liberaret? *exurrexisti Domine in præcepto quod mandasti*: reliquum est *vt synagoga populorum circumdet te*: hoc est, tuis vestigiis insistat, & te ducem clarissimum sequatur.

Et ne quis existimet, Christi mortem vitæ & mansuetudinis eius terminum fuisse, audiat quâ ratione se gesserit cum Paulo post suam resurrectionem gloriosam. Cùm adhuc erat spirans minarum & cædis in Discipulos Domini, cùm deferebat epistolas in Damascum ad Synagogas, vt si quos inueniret huius vitæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem, cùm expeditus in equo militibus stipatus, furore correptus, equo ferocitate exultante ferebatur, cùm promeruit vt Christus Dominus fulmen jaceret, vt illius ictu deflagraret, & in sempiternos cruciatus detruderetur; tunc nec fulmina, nec fulgura igne micantia emisit, sed illum cælesti luce & diuino splendore circumdedit. Circumfulsit eum lux de cælo, & suauem quandam Domini querelam auribus percepit: *Saul, Saule, quid me persequeris?* dat manus Paulus, & Domini manibus excipitur, ex equo deturbatur, & in Apostolatus culmine collocatur: ministrorum & satellitum princeps constitutus Damascum petebat & Apostolorum princeps creatur, vt cælum petat: ex inimico fit repentè amicus, ex persecutore concionator egregius. Dissolutum conflauit vas, blasphemum rapuit in cælum, vt audiret arcana verba, quæ non licet homini loqui. Animaduerte, obsecro, & considera, an ille, qui de diligendis inimicis præceptum imposuit, illud adimpleat, & inimicos suos arctissimo necessitudinis vinculo complectatur. D

Hinc duxit originem nomen illud, Filius Dauid, quo appellari voluit in populo Israel: dicebatur enim Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, & Filius Dauid. Quid habuit Dauid pulchrum, & speciosum, quod Domini oculos retineret? Sanctissimus fuit, sed semel & iterum in scelus grauissimum prolapsus est, Israelitici populi clauum tenebat, & habenas moderabatur, ac humili loco natus erat, parentisque sui pascebat greges, & singulari Domini beneficio ad regni fastigium euectus est. Quid eluxit in Dauid, vt illum Patre appellet, & Dauidis filius dici glorietur? Mansuetudo & patientia singularis, quâ iniurias sibi illatas facilè remittebat, id gratissimum extitit Dei oculis. Vnde gloriabatur ipse, quia virum inuenit secundùm cor suum, qui inimicis suis iniurias condonabat, eosque amore & beneuolentiâ prosequebatur, cuius filius & dici & haberi voluit.

Sed quid mirum vt homo ignoscat, & impunitatem

tem homini det, quando Deus ipse iniurias sibi illatas, A quæ diuinæ Maiestatis læsæ crimina sunt, remittit facilè. Deus ad lenitatem flectitur, tu verò vindictam sumere vis?

Maximè displicuit Regi, & asseclis ac pueris eius, facinus illud immane quod perpetrauit improbus ille seruus, qui nimis asperè tractauit conseruum suum, eò quòd soluendo non erat debitum parui momenti, quem colaphis & pugnis contusum in vincula coniecit, non sine magno aliorum seruorum animi sensu ac dolore; qui cùm tantum facinus ferre non possent, rem ad Regem detulerunt, à quo ille seruus eodem illo die maximo ære alieno solutus fuerat: vehementer commotus Rex seruum iussit accersiri, & vultum iratum ostendens, ait: *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut ego tui misertus sum.* Obmutuit seruus. Quid enim responderet? argumentum illud dissolui B non poterat. Quid hoc? Deus, qui potestate maximus est, suo iuri cedit, inimicis ignoscit, & in hoc gloriatur; & homunculus imbecillis, abiectus, & humilis, irâ agitatus, iniurias sibi illatas vlciscendas esse tetatur?

Si Rex & seruus eius eâdem iniuriâ, aut grauiori Rex afficeretur, & Rex iniuriam referre nollet, sed impunitum sceleris auctorem abire permitteret: seruus autem iniuriam sibi factam condonare nollet, nonne temeritatis & petulantiæ condemnaretur? in hanc incurrit salebram quicumque iniuriarum & memor, & vltor est. nam cùm proximum lædimus, audersùs Dominum peccatum committimus, cuius cõparatione iniuria proximi nulla est, vt satis ostendit Dauid illis verbis: *Tibi soli peccaui.* Cur dicit, *Tibi soli* nõnne Vriam virum præstantissimum interfecerat, & eius vxore abusus erat? verum est: sed peccatum ad- C uersùs Vriam ferè nullum est si cum iniuria Deo illata conferatur. Deus ergo peccatum liberalissimè remittit; quid homunculus de die in diem veniã differt, ac tandem iniuriam condonare non vult, sed punire & vlcisci parat? Væ tibi qui hęc non vereris committere, & tantum Domini exemplũ tibi ad imitandum propositum spernis, diuinam iram in te concitas, vt tandem aliquando indignationem ostendat, & debitum in te supplicium exequatur.

Sic de Christo Domino Apostolus Petrus, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius: qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo.* Solent multi, cùm ab alio maledicuntur, maledicere pariter illum, & cùm malum ab alio illatum patiuntur, si non D possunt opere vindictam illicò de illo sumere, commi- &c. imò quia homo es, ideò maximè misereri proximi nari illi vindictam: at Christus Dominus, quamuis ipse Deus esset, & facilè & justè posset de inimicis suis sumere vindictam, *pues tenia el mando y el palo, la cuesta y las piedras*, nec maledicentibus maledicebat, nec damnum inferentibus comminabatur, parum est hoc, tradebat iudicanti se iniustè, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, hoc est, se totum tradidit pro nobis in mortem, cùm eius inimici essemus, imò & pro crucifigentibus eum. & quia S. Thomas locum hunc rectè expendit, verba eius attexamus, *Christus*, inquit, *passus est pro nobis*, id est, amore nostri: maiorem autem charitatem nemo habet, quàm vt ponat animam suam, vobis relinquens exemplum, secundùm illud, *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Qui cùm malediceretur, id est, blasphemaretur verbo: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* non maledicebat, sed respondebat, *ego dæmonium non habeo.* & cùm pateretur, grauissimum scilicet crucis tormentum, non comminabatur, sed orabat pro eis: *Pater ignosce illis.* tradebat autem, hoc est, voluntariè tradi se permittebat, iudicanti se iniustè, scilicet Pilato & Pontificibus Iudæorum, ille, inquam, qui peccata nostra pertulit, hoc est, perfectè tulit in corpore, quod pro nobis omnibus expositum. Ita S. Thomas. Expendamus & nos amplius hoc exemplum Dei nostri. S. Ambrosius explicans locum illum, *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. In serpente*, inquit, *ergo figuratus est meus serpens. In ligno crucis exaltatus est meus serpens bonus. Bonus serpens, qui de ore suo remedia, non venena fundebat.* Ita S. Ambrosius. Pondera verba illa, *de ore suo remedia, non venena fundebat*, nónne ita fecit cùm percussus ab inimicis pro eis ore suo dixit: *Pater ignosce illis?* Ecce hîc non venena, sed remedia ex ore suo fundebat: remedium enim validum & excellens erat oratio talis filij ad talem patrem. Præterea, *sicut Moyses exaltauit, &c.* hoc est, sicut ipsimet, qui exaltabant in ligno serpentem, illum aspicientes per hoc sanabantur, & liberabantur à temporali morte: sic nos ipsi, qui peccatis nostris egimus Christum in crucem, si fide perfectâ & charitate aspexerimus in Christum, ab æterna liberabimur morte. dederunt illi crucifigentes fel, & acetum, sed eodem ore, quo ab inimicis amaricatus fuit, eodem protulit dicta verba: *Nestatuas illu hoc peccatum.* Ecce quomodo ore suo non venena sicut serpens, sed remedia effudit.

Ioan. 3. 14. Sup. Psal. 118. ser. 6 Num. 21.

Præterea, *Cùm eleuasset Moyses virgam, percussit bis silicem, & egresse sunt aqua largissimæ, ita vt populus biberet & iumenta.* Quid petra nobis significaret, habemus expressùm à B. Paulo, vbi agens de illa, inquit: *Omnes eundem potum spiritualem biberunt (bibebant autem de spirituali consequenti eos petra: Petra autem erat Christus.)* Vide igitur, figuræ optimè respondens figuratum: percussa petra percutientibus aquas dulcissimas & largissimas exhibuit: sic Christus Dominus virgâ crucis ad mortem percussus, sanguinem suum, & merita sua, & verba dulcissima nobis exhibuit. Ecce quonam pacto de inimicis suis Christus vindictam sumpsit.

Num. 20. 1. Cor. 10.

Item agnus ille Paschalis, notissima Christi figura fuit: agnus autem ille ab Israelitis occidebatur, excoriabatur, manducabatur, & eius sanguis super postes, & super limina domorum constituebatur, vt eo signo à cæde communi Ægypti, liberati Hebræi censerentur. Aduerte quàm vilis fuerit illis agnus sic percussus, sic manducatus: ita Dominus IESVS excoriatus, mortuus & crucifixus, sed nihilominus sanguine suo eos ipsos redemit, qui eum morte affecerunt, quantùm ex parte Christi Domini fuit.

Exod. 12.

At dices, Christus Dominus Deus erat infinitæ clementiæ, ac pietatis: ego verò homo sum, iniuriæ impatiens, & vitio meo plus miser quàm misericors, imò quia homo es, ideò maximè misereri proximi tui, & inimici tui deberes: miserum quippe decet miserorum misereri, & parcere eum conuenit, qui opus sæpè habet, vt Deus & homines parcant ei: ad diuinam autem maiestatem spectare videtur, vt vindictam sumat de inimicis suis: indecentissimum quippe est, vt creatura Dei Deum offendere audeat, &c.

Sed ne ad fragilitatem & imbecillitatem humanam recurras, & conditionis nostræ excusationem prætendas, oculos mentis ad alios tibi naturâ similes extende.

Ioseph Patriarcha grauissimam iniuriam à fratribus suis pertulit, notum est: quomodo autem de illis sumpserit vindictam, sic expendit Philo, *Adeò pœnam ab eis abstinuit, vt tamquam benemeritis daret munera reddito pretio.* Ita ille. *Sabeys como se vengo Ioseph de sus mortales enemigos, que los trato como bienechores, no como à deudores, sino como à creedores, dandoles trigo y el dimero, con el assentandolos à su mesa y regalandoles en ella.*

Lib. de Ioseph.

Homo etiam erat Dauid, de quo sic S. Ambros. *Fugiens Dauid augebat incrementa pietatis, qui & insidiatori*

Defuga seculi c. 4

pepercit, & patricidæ salutem rogauit. Ita ille. hoc est, volebat occidere eum Saul, & acriter sanguini eius insidiabatur, & cùm oblata occasione posset vindictam sumere Dauid, & se à tanto inimico immunem seruare, noluit: sed gratis illi pepercit, periculo mortis sibi relicto. Vnde S. Chrysost. *Sic pepercit Dauid Sauli, ac si depositum ac pignus aliquod suæ fidei creditum accepisset.* Ita ille. Et præterea pro parricida filio suo Absalon viuo intercessit, & mortuum ploravit, dicens, se potiùs mori voluisse. *Fili mi Absalon, Absalon, fili mi: quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te. Absalon fili mi, fili mi Absalon.* Dices hoc fecisse Dauid, quia filius eius erat Absalon, imò, vt sapiens quidam auctor affirmat hoc fecit Dauid, quia Absalon inimicus eius erat: si enim amor naturalis ad eum, tamquam filium diligendum, ipsum inclinabat, amor charitatis supernaturalisque vehementior ad inimicum diligendum inclinabat. amorem naturalem filij scelus refrigerauit, sed vbi abundauit iniquitas filij, superabundauit charitas patris, sic egit Dauid, licet homo esset sicut & nos sumus. Idem de S. Stephano dicendum, & de aliis: vnde Theophylact. *Moyses*, inquit, *& Paulus Iudæos contra se insanientes, sicut seipsos diligebant, & omnes Sancti inimicos suos.* Ita ille. Hoc, inquies, illi, quia Sancti, & amici, & electi Dei. Caue igitur, tu, qui ea, quæ Sancti fecerunt, non facias, ne tu non sanctus, sed peccator, non Dei amicus, sed inimicus, non electus Dei, sed reprobus inueniaris.

Hom de Dauid & Saule.

2. Reg. 18.

In cap. 5. Matth.

Quid est quòd Dominus in cruce pendens, cùm pro inimicis oraret, *Pater*, inquit, *dimitte illu, non enim sciunt quid faciunt*: cùm pro se ad Patrem loqueretur, *Deus, Deus meus*, inquit, *vt quid dereliquisti me?* cur cùm pro se orat, non nominat Patrem, cùm sit filius, qui orat, & pro quo orat? cur etiam non vocauit Deum, cùm pro inimicis oraret, cùm non illorum ita esset pater, sed Deus? imò vt dubium augeamus, cùm pro se orauit, *Eloi, Eloi*, dixit: Eloi autem significat, judex meus, pro inimicis Patrem interpellauit, pro se verò judicem, cur ita? quia parentum affectum illis optabat, ac si diceret, Pater non vt judicem te erga inimicos exposco, sed vt Patrem: sicut enim Pater erga filios se exhibet pium, ita erga illos pietatis paternæque viscera demonstra: erga me verò sis, si placet, judex, ego pro eis patiar, dummodo illis parcas. O charitas tanto Deo digna! O verè tu Pater æculi nostri Domine IESV. Eia Christiani tanti patris filij. imitamini filium, filium Dei imitamini patrem vestrum. exemplum enim dedit vobis, vt quemadmodum ipse fecit, & vos faciatis, tanto patre vos dignos filios exhibete, *bien aya quien à los suyos parece*, benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij patris, & filij. Videant verò qui sibi suaues, proximis verò scueri sunt, quantùm à Christo, & Christiana charitate distent.

Luc. 23. 34.

Marc. 15. 34.

Iu cap. 5. Matth.

Graue, inquies, est mandatum hoc, falsem haud dicere Christo valebis, jubes, quod minimè expertus es, &c. Vnde S. Chrysostomus homil. 7. ad Rom. *Sanguinem Christus pro nobis pretiosum dedit, qui grauissimis criminibus obnoxij eramus, & inimici eius, sic & tu erga fratrem te gerere debes. propterea enim inquit*, Nouum mandatum vobis do: sic vos amate, sicut ego dilexi vos, *& tamen quod ille facit, id nullo debito facit: tu autem cùm id facis, mandatum imples, quando & ille, cui decem millia talenta condonata fuerant, centum tamen denarios exigens, non ob hoc solùm condemnari meruit, quod exigeret, sed ob id quod ob beneficentiam sibi factam melior non euasisset, nec Domini exemplum sequutus fuisset.* Ita S. Chrysost.

Chrysost.

Io. 1. 34.

Chrysost.

Mirè ponderat S. Chrysost. modum, quo Christus Dominus Iudæ iniquitatem tulit: ait enim 5. tom. serm. *Ne scrutemur pauperes. Illius disciplinam sectare, qui cruci se suffigentium salutem concupiuit, eius, inquam, qui in patibulo ipso ita profatur*: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. *illius imitare seruitutem subinde, qui se manu cedentes mitiùs tulit, qui noxiorum cruce coronauit latronem, vtrique Christum maledictis insectabantur, horum tamen alteri paradisum, non dum cuiquam pactum, persuum fecit, & deflet eos qui sibi mortem sunt allaturi. Turbatur etiam & terretur proditore conspecto, non eo quòd esset ipse cruci suffigendus, sed quòd ipse esset ob tale scelus interiturus, & quæ ipsum suspendij laqueos præsciebat, & quæ supplicia illos sequerentur. Iudam tamen, etsi eius nequitiæ præscius, vsque ad extremam horam tolerauit, neque tanquam proditorem reiiciebat, quin amplexando osculabatur. Hunc itaque Dominus tuus labia admittit, qui mox sanguinem eius fusurus erat, & os illud impudentissimum fuit deosculatus, quod paraueras ei necem. Igitur & ipse lachrymis potiùs & commiseratione prosequere, quàm odio aut maleuolentiâ, qui fuerit in te quippiam machinatus: ipsius enim seruus es, qui se tradenti osculum dedit, & quouis osculo est meliora affatus verba. Siquidem non indignabundus, vt homines solent, talia inuehit: Facinorose proditor & omnium perditissime, bas enim pro meu in te beneficiu vices reddis? Quin Iuda (inquit) eum proprio nomine appellans, quod potius commiserantis est, & à scelere ad virtum reuocantis, quàm irascentis, nec magistrum suum aut Dominum dicit, aut bene de se merentem, sed hominis filium ait illum prodere. Sis bone Deus benedictus: quot enim nobis tradidisti, tum ad humanitatem, tum ad innocentiam exempla? talem se judicem præbuit Christus. Nónne præterea pari vsus est benignitate in eos qui se fuste & gladiis inuaserunt? maximè, quid enim dici mansuetius his verbis potest, quæ ad eos habuit, quos ipse perdere mox omnes pro voluntate licuisset, id tamen facere temperauit, quin prudentiùs sic eos alloquitur*, Quid me cum gladiis & fustibus tamquam ad latronem aliquem prodistis? *quibus protinus pauore deiectis, & supinis cadentibus, & stupiditate affectis, rursum se se obtulit vltro, cumq; manus sibi sanctissimas ligari vidisset, etsi confundendi omnis, & disturbandi facultatem haberet, patientissimè toleranit.* Ita S. Chrysost.

Idem S. Chrysostom. homil. 52. ad popul. *Antea vobis dicebam, charissimi, quod lingua nostra manus est, pes pedes apprehendens: nunc autem magis dico, quòd lingua nostra lingua est Christi linguam imitans, si loquamur sicut ipse, dicens* [illegible] *se contumeliâ prosequentibus*: Ego dæmonium non habeo, *& iterum in faciem percutienti*: Si mala locutus sum, testimonium perhibe de malo: *si tu ita diceris, si loquaris ad proximorum emendationem, linguam illi similem habebis, & hæc ipse Deus testatur*, Si scparaueris pretiosum a vili, quasi os meum eris. *Cùm itaque lingua tua tanquam lingua Christi sit, & os tuum quasi patris os sit, & sancti Spiritus templum sis, quis huic aqualu honor? nec enim, si exuro os tuum compositum esset, aut ex lapidibus pretiosis, ita fulgeret, vt nunc manfuetudine Christi illustratum. Audacia enim est os diabolo simile possidere, & linguam maligni dæmonis similem habere non oportet Christi manfuetudini sectatorem, & ipsi dominicæ carni communicantem. Te autem talem affectum diabolus nec contra quidem respicere poterit; regiam enim impressionem agnoscit, Christi nouit arma quibus superatus fuit, quæ verò sunt hæc? benignitas & manfuetudo. Etenim cùm in monte eum irruentem confregit, non agnoscentem quòd Christus esset, manfuetudine ac benignitate fugauit. Hoc tu quoque facias, si videris hominem diabolum factum, & ad te venientem, ita & tu vince, dedit enim tibi Christus potestatem vt spiritalibus pro tuis viribus efficiaris, secundùm illum igitur loquere, & in hoc factus es talis, qualis ille, quantùm homo fieri potest. & quidem ita loquens maior quàm Prophetæ factus es: illud enim donum Dei totum: hic autem labor tuus & sudor, animam componere, & os tibi simile Christi ori formare.* Ita S. Chrysostomus. Vbi notandum, quòd Christus Dominus & præceptor noster non solùm verbis, verùm & factis docuit nos, oculis suis instruxit oculos nostros, auribus aures, & manibus manus, & pedibus pedes, sic & lingua sua, linguam nostram, &c. Præterea circa locum Ieremiæ, *Si separaueris, &c.* obserua, quod Ieremias tunc à multis vexabatur, qui persequebantur & infestabant eum, cui Dominus, *Si separaueris pretiosum à vili*, Chaldæus sic habet, *Si reuocaris impios vt fint justi,*

Luc. 23. 34.

hoc

hoc est, si vice vindictæ loquutus fueris ad eos verba A salutaria, vt à prauitate conuertantur, quasi os meum eris, hoc est, imitaberis linguam meam, quod quidem gloriosissimum nobis esse debet. Addit sanctus Chrysostom. *Doceamus linguam, hoc enim nos cum multa fiducia ante tribunal eius constituet; nisi enim ita quis loqui sciuerit, neque iudex eum audiet: sicut enim si iudex fuerit Romanus, non audiet se defendentem, nisi Romanè loquatur: itidem & Christus nisi secundùm ipsius morem loquaris, te non audiet, nec intendet.* Ita S. Chrysost.

Matth. 21. & Marc. 11. maledixit Deus ficulneam quandam eò quòd ficus non haberet, sed folia tantùm, & radicitus exsiccata est: cur Christus ficulneam insensibilem, & culpæ incapacem, sic exsiccauit? & maximè cùm non esset tempus ficorum? respondet Beda in cap. 11. Marci, *quia vidit Iudæam habentem eloquia legis, & prophetarum, & venit eam probare docendo, corripiendo, & miracula faciendo: sed quia folia sine fructibus habere reperta est ficulnea, damnatur quia Iudæa, quæ verba scripturæ sine operibus sonabat, digna est vltione punita.* Ita Beda.

Aliam rationem adhibet S. Athanasius lib. qq. q. 58. B *Sic ficulneam Dominus exsiccauit, quia iam passurus erat, & ne existimarent eius discipuli eum omnipotentem non esse, sed infirmum, & ideò pateretur, in ea inanimata re suam ostendit potentiam, vt ostenderet se facilè posse omnes suos aduersarios ariditate percutere. sed quia, sicut ipse dixit, non venerat perdere mundum sed saluare, potentiam suam in ficu inanimata declarauit, suum verò erga homines amorem patientiâ exercuit summâ.* Ita S. Athanas. Ita quidem: nam vti ait Cor. 13. Apostolus, *Charitas patiens est, benigna est, omnia suffert.* Exemplum igitur dedit nobis bonus Dominus & magister noster, vt & nos ita faciamus, & inimicis parcamus, quamuis illi graui sint pœna digni.

ADDITIO.

Non vides quot diebus singulis Deus blasphemiis impetitur? quot iniurias sustinet, & à fidelibus, & infidelibus, verbis simul atque operibus? quid igitur? num idcircò solis extinxit radios? num idcò lunam solito cursu coërcuit? num disrupit cælum, & terræ fundamenta concussit? numquid exsiccauit " *mare, ac fontes aquarum arescere fecit? num aëra, & cætera* " *elementa permiscuit? nequaquam. Sed contra pentus, & so-* C " *lem oriri facit, & pluuiam, imbresq; largitur, atque ex humo* " *annua alimenta ministrat impiis, & blasphemis, sceleratis* " *perfectoribus, non vno tantùm die, vel duobus, aut tribus, sed* " *per omnem penitus vitæ. Hunc igitur imitare, hunc pro humanis* " *viribus æmulare. non potes solem oriri facere, maledictis abstine: non potes largos imbres effundere, conuitiis desiste: non potes alimenta indigentibus ministrare, violentiam fuge, sufficit si hæc Deo offeras munera: Dei nempe beneficia per opera in hostes ipsius emanant: tu vel verbo hoc facito, pro inimicis ora, ita patri tuo, quin cælo est, similis fies.*

PROP. XIV. *Æquo animo ferre debemus alios, vt & ipsi nostra ferant.*

APud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te, Domine. Quod apud Dominum sit propitiatio, notum est: sed quænam est hæc lex, propter quam sustinemus Dominum? & quid sibi vult Dominum sustinere? S. Augustinus hoc loco sustinere Dominum, idem esse ait, quod expectare Dominum venturum ad judicandum nos, & præmia redditurum pro meritis nostris: legem autem Dei illam esse ait, quam dixit Apostolus, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Omnes onera habemus, quæ à proximis portari desideramus: quis enim humanis oneribus & miseriis caret? *Factus sum*, inquit S. Iob, *mihimetipsi grauis*: quis non idem dicere potest? quòd si tibi grauis tu ipse es, qui magno teipsum diligis ac tenero amore, quid mirum, si aliis proximis oneri quoque sis? Vis igitur ab aliis portari, alios tu etiam porta. Placet exemplum ceruorum, quod ibidem adducit S. Augustin. *Dicuntur*, inquit, *cerui, quando transeunt freta in proximas insulas, pascuæ gratiâ, capita super se inuicem ponere, & vnus, qui ante est, solus portare caput suum. & non ponere super alterum: sed & cùm ipse defecerit, tollit se ab anteriore parte, & redit posteriùs, vt & ipse in altero requiescat, & sic portant omnes onera sua, & peruenunt ad quem desiderant locum, & naufragium non patiuntur, quia quasi nauis est illis charitas: itaque charitas onera portat.* Ita S. August. Sic igitur & nos similes ceruis esse debemus, aliorum errata & molestias portemus, vt & ipsi nostras velint portare molestias.

Psal. 129.

Galath. 6

Cap. 7. 20

PROP. XV. *Contra eos, qui loqui & communicare cum inimicis nolunt.*

EGo, inquies, nequaquam odio habeo inimicum meum, imò eum in Domino amo, communicare tamen cum eo non possum. Hi quidem seipsos decipiunt: haud enim fieri potest, vt aliquis amorem & cor suum non neget alicui, neget tamen vocem, vt det, inquam, quod maius est, neget autem quod minus est. Dic enim quæso, si fons aliquis perspicuam adeò fundat aquam, vt in eo faciem tuam clarè videas, riuus inde promanans turbidam aquam an perspicuam continebit? Perspicuam, inquies: nam qualis fons, talis & eius riuus. Fons verborum, & omnium actionum externarum cor est: si ergo in corde amorem proximi habes, in ore & in exteriore demonstratione cur oppositum apparet? timere quidem meritò debet, qui sic locutionem proximo negat, ne Deus quoque suam deneget ei: dictum est enim ab eo, *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis*, hoc est eodem modo, quo Matth. 7. vos cum fratribus vestris gesseritis, se Deus vobiscum geret: igitur, si tu locutionem proximo denegaueris, denegabit etiam tibi suam Deus. Quòd si hoc ita euenerit, væ tibi: quomodo enim orabis? quomodo in tribulationibus & necessitatibus tuis ad obtinendam consolationem, & remedia necessitatum, ad Deum accedes? *quæ maior desdicha, quæ quitar os el habla.*

Dices, loquatur ipse mihi prior: non enim par est, vt ego incipiam. Hæc sunt honoris puncta, non verò Christianæ charitatis: nam charitas cedit minori, vt jurgia vitet. Quamuis Abraham aiunculus esset Loth, & natu maior, & honore maiori dignus, electionem tamen terræ consobrino suo concessit, dicens: *Ecce vniuersa terra coram te est. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: sin dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam*, Gen. 13. vt ita? *Ne quæso*, inquit, *sit jurgium inter me, & te, & pastores meos, & pastores tuos.* Ecce vt jurgia vitaret, maior minori cessit: hæc enim est conditio & natura charitatis, *no es amiga de puntillos del mundo la charidad*, hinc vbi huiusmodi respectus humani vigent, argumenta & indicia sunt defectus charitatis in corde.

Cùm in ciuitate Ierusalem plures essent Christi aduersarij, ipse nihilominùs pacificè sedens super asellum Luc. 19. ingressus est ciuitatem, flens quidem, non tamen damna propria sua, sed quod nollet Ierusalem pacem recipere oblatam. *Quia si cognouisses*, inquit, *& tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* merebantur quidem Ierosolymitani illi, non quidem pacificum istum aduentum Christi, sed bellicum, & inimicum: Christus tamen inermem se illis offert, & pro hastis & gladiis ramos defert oliuarum: oliua autem pacis symbolum est. pacificus igitur fuit aduentus eius, & ad sacrificandum se pro illis Patri suo venit. Præuiderat Zacharias aduentum hunc, & dixit: *Dicite filiæ Sion: Ecce rex* Cap. 9. 9. *tuus venit tibi mansuetus.* Pondera verba, *tibi mansuetus*, & ideò non armatus super equum bellicosum, sed super asinam accedit inermis, *tibi*, inquit, non contra te, prout tu merebaris: sed *tibi* secundùm magnam misericordiam suam, *tibi*, vt veniam & salutem æternam accipias, non contra te, vt pereas, *tibi*, non expectans

te

te, vt tu prior ad eum accedas, sed præueniens te, quamuis ipse sit qui justam de te querimoniam habet. nam cùm te maximis & pluribus afficeret beneficiis, tu ingratissima ad omnia, ad crucem vsque persequeris benefactorem.

Denique fraternâ charitato honore secundùm Apostolum nos inuicem præuenire debemus, juri cedentes proprio: nam Apostolus Petrus nos lapides viuos Ecclesiæ vocat, dicens: *Ipsi tanquam lapides viui superædificamini, &c.* lapides verò, vt rectè possint coaptari, & coædificari, sciduntur, & artifex partem hanc ab ista, & partem illam ab illa tollit, & ita sibi rectè cohærentes, coædificantur: ita & nos, vt terrestris & cælestis Ecclesiæ structura simus, simul cædi & scindi oportet, &c. *Cortando vos vn poco de vuestra opinion, y derecho, y el otro otro poco de su derecho y opinion, os amoldareis para el edificio de Christo, y sereis piedras aprouadas, y no reprobadas en el, &c.*

Prop. XVI. *Amandus est inimicus, quia eius persecutio à Dei providentia prouenit.*

VT patienter persecutiones feras, considera Dei providentiâ cuncta nobis euenire, vel Deo scil. sic volente, vel sic permittente: permittit autem te ab aduersariis molestari justissimo judicio suo, quod quidem venerari debemus, & eius diuinæ providentiæ conformari. sicut Christus Dominus, qui sic Patrem orauit: *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Nolebat æternus Pater, quòd Iudæi filium suum crucifigerent, imò grauissimè inde offensus fuit: voluit tamen filium suum æquo animo ferre passionem illam, noluit actionem, voluit tamen à Christo acceptari: sic Christus se voluntati Patris conformauit, quamuis acerbissima & atrocissima fuit passio, & mors eius: sic & nos, qui sectatores Christi sumus, & filiationem eius participare desideramus, per adoptionem filiorum Dei, &c. *Luc.22. 42.*

Et quia nescíunt multi ita rem verè perpendere, impatienter iniurias & persecutiones ferunt, & aduersùs persecutores irascuntur. Quos S. Basilius similes esse dicit canibus, qui lapidibus petiti, relictis his, qui lapides mittunt, lapides ipsos insequuntur, & mordent: sic vltores hi, relicto Deo, cuius providentiâ persecutiones proueniunt, aduersùs eos se conuertunt, qui eos persequuntur.

Melius Dauid, quem cùm Semei insequeretur, & iniuriis afficeret, & familiaris quidam Dauid, nomine Abisai, diceret: *Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? vadam & amputabo caput eius;* respondit: *Quid mihi, & vobis filij Saruiæ? dimittite eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei vt maledicteret Dauid, & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Præcepit, i. permisit. Minatur S. Bernard patientiam, & longanimitatem, & nobilitatem animi Dauid, dicens: *O verè homo secundùm cor Dei, qui se vlciscenti potiùs quàm exprobranti succensendum putauit.* Ita ille. Vnde securâ conscientiâ loquebatur: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Vexuit itaque prohiberi maledicum conuitiantem, quæstum æstimans maledicta.* Ita ille. *2. Reg. 16 9. Serm 34. in Cant. Psal. 7. 5.*

S. Augustinus ponderauit verba illa patientissimi Iob, *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Non,* (inquit S. Augustinus.) *dixit: Dominus dedit, & diabolus abstulit. Intendat charitas vestra, ne fortè dicatis: Hoc mihi diabolus fecit, prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum: quia nec diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem.* Ita S. Augustinus. *In Psal 31. Cap 1.22*

Hinc etiam Dauid, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius,* q. d. siue calor nos exurat, siue frigus atterat, siue grando vineas & segetes perdat, verbum seu prouidentiam Dei adimplent: hoc est, non est malum in nobis, quod non à diuina prouidentia dimanet, &c. *Psal.148. 8.*

Quòd si à Domino factum est istud, quis non æquo animo ferat, quantumuis molestum sit, imò quis non cum benedictione & gratiarum actione aduersa sustineat? Quis non à sapiente medico potionem ordinatam amanter susc ipiat, quantumuis amara illa sit, cùm prouidè, & ad salutem suam tribui sibi cernat? & quidem nunquam ita sapienter, ita circumspectè, ita amanter medicus vllus medicinam ægroto suo ordinauit, licèt medicus ipse pater sit infirmi, & infirmus filius charissimus illi, sicut Deus noster, verè pater, verè misericors, verè pius, aduersa nobis propinat? Vnde cùm sanctus Iob diceret: *Dominus dedit, Dominus abstulit, &c.* subdit: *sit nomen Domini benedictum,* quasi dicat, *de tal mano no puede venir me, sino buen dado,* in manibus eius felices sortes meæ; licèt sit amara potio, dicam: *Calicem salutaris accipiam:* plus enim habet salutis, quàm amaritudinis. si autem grauatum me tali vel tali persecutione conspexero, nihilominus, *calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo, inuocabo,* inquam, vt mihi opem ferat: neque enim opem negabit qui persecutionem non solùm præuidet, sed & prouidet scienter, scilicet, & amanter, & prouidendo quod facilè poterat cuitare, ne prorsus eueniret, &c.

Imò & persecutionibus diaboli nobis Deus prodelse solet, eas ad nostram vtilitatem permittens, vt S. Basilius adnotauit, dicens: *Sicut medici vipera & venenum vruntur ad medicandum ægrotantium imbecillitatem, ita benignitas Dei erga nos, vtitur demonum immanitate ad animarum nostrarum medelam: quamobrem à Paulo Phygillus & Hermoneges traditi sunt satanæ, non vt deperirent, sed vt ex castigatione eruditerentur non blasphemare.* Ita S. Basil. de quo vide optimè S. Gregor. item, *Opprobrium insipientis dedisti me. Señor ando afretando y corrido hecho terreno de necios, però Señor sufro y callo, porque todo viene regulado por vuestra mano. Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.*

Prop. XVII. *Quàm vtile nobis sit inimicus ad rectè viuendum.*

PLutarch. lib. de vtilit. capienda ab inimico, *Pisis,* inquit, *mortalibus satu erat, si non laderentur à diuersi generis animantibus, & hoc siue cum bestijs noxijs depugnabant: at posteriores ratione deprehensa quâ feris vterentur, non solùm ab illis non offenduntur, verùm etiam vtilitatem capiunt, dum carnibus illarum aluntur, pilis vestiuntur, sit & lac ad morborum adhibeni remedia, & se pellibus earum vtarmant, vt periculum jam sit, ne, si fera deficiant, homines ma deficiant & alia. ita etiam licet alius satu sit, si nihil malí ab inimicis accipiant, sapiens tamen, ait Xenophon, etiam vtilitatem ex aduersarijs capere debet. Quare viam & rationem inquirere oportet, quâ commoditatem hanc consequi possint, quibus absque simultatibus viuere non licet. Non potest agricola effiere, vt omnis arbor exuat syluestrem naturam, nec venator omnem feram potest cicurem & manfuetam reddere, itaque ratio quæsita est, vt ad alios nihilominus vsus illi quidem arbores infrugiferæ, hinc autem immites bestiæ commoditatem afferrent. Aqua marina potus quidem inutilis est & insuauis, verùm alit pisces, & comimode transmittit quocumque velu proficisci, & importandis & exportandis rebus seruit. At verò Satyrus, cùm primùm ignem vidisset, eumq; complecti vellet & osculari, Prometheus, Heus, inquit, nisi cauet, hirce, profectò dolebit tibi mentum. vrit enim si quis attingat, non valet in istum vsum. sed lucem & calorem ministrat, & artium omnium instrumentum est, si quis nouerit vti. Videndum est igitur, num & hostis, alioqui nouus & inaccessus, aliâ quâcumque viâ possit attingi, vt peculiarem aliquem vsum præbeat sui, & nonnihil commoditatis valeat afferre. nam complures res sunt inuisæ ac graues, quibus inicidunt, ex quibus tamen vsus aliquis excerpitur.*

Primùm ergo quod est in simultate maximè noxium, id mihi

mihi videtur summam vtilitatẽ allaturum, si quis animum aduerterit. Quidnam est istud, inquis? nempe inimicus semper inuigilans, qui obseruat quid agas, & ansam captans calumniæ, lustrat & circumspicit vndique vitam tuam, non tantùm saxa penetrans acie oculorum, sicut de lynce narrant, verùm etiam amicum & familiũ, & quemcunque qui tecum consuetudinem habet, vt quoad potest, deprehendat quid agas, tua consilia scrutans, imo & somnia curiosè obseruans. quare ea alienum, dissidia cum vxore, & huiusmodi alia, citiùs eos ipsos, quorum sunt, fugiunt, quàm inimicum: nec secus ac vultures ad putridorum corporum odores rapiuntur, syncera & sana non sentientes, ita si quid morbidum est in vita, si quid vitiosum. si quid affectum, id demum excitat & monet inimicum, hæc contristat vellicatq;. An non est igitur conducibile ad hoc cogitẽ, vt per omnia cauẽ & attentè viuas, & nec facias quidquam, nec dicas ostitanter & incircunspectè: sed semper eorum more, qui suspicione morbi, diligenti & exacta vitæ moderatione cauent ne quid offendant valetudinem, inculpatos vsque mores & irreprehensos conserues? siquidem huiusmodi cautio dum & animi cohibet cupiditates, & cogitationem, cogit, & aduocat, & cognit studium & propositum integrè & inculpatè viuendi. Etenim sicut ciuitates, quas finitimus hostis & continens bellum sobrietatem & vigilantiam docuit, & leges obseruant, diligentiùs & rectiùs administrant Rempublicam, & vigilantiùs agunt. ita quos inimicitia tangit, compellit vt sobrij sint, & vigilantes, & vt vitent socordiam, & vt omnia comiter & citra neglectum agant, & paulatim, nec sentientes, ducuntur in consuetudinem non peccandi, & mores componendi, si modò vel paululum aduuerit ratio. Ita Plutarch.

Item Plutarch. lib. de vtilit. cap. ab inimic. *Rectè dictum est ab Antisthene Philosopho, ad tuendam salutem opus esse aut ingenuis amicis, aut acribus inimicis: propterea quòd illi admonent peccantes, hi, dum maledicunt, reuocant à vitiis. Sed quia ad liberè admonendum penè vocem amisit amicitia, loquax autem est assentatio, & admonitio muta, superest vt ab inimicis veritatem audiamus & vbi non adest beneuolus admonitor, maleuolentes inimici verba ferant oportet, quæ mala ipsorum redarguent castigentq; Quo quidem in tempore rem ipsam spectare conueniet, & non animum maledicentis. sicut enim is qui Prometheum Thessalum cogitabat occidere, casu ita percussit & discussit, vt hominem seruaret, ruptoq; tubere periculo liberaret, ita non rarò fit, vt conuitium per simultatem & odium impactum, medeatur animi morbo, vel ignorato vel neglecto.* Ita Plutarch.

Grauiter, inquis, mihi nocuit inimicus. grauiter ais, quia grauitatem damnorum minimè ponderare nosti, nullum huiusmodi damnum judicat qui pœnarum æternarum grauitatem æstimare nouit. sed esto grauia sint vulnera tua, iniuriæ, quas tibi intulit inimicus, graues, quid quæso magis inde incommodi an commodi referre velles? damnum quidem honoris, vel diuitiarum, vel famæ, vel corporis etiam damnum, temporale solummodò est, commodum verò, quod inde referunt hi, qui patienter hæc incommoda ferunt, non temporale, sed æternum, & incomparabile prorsus est. Vnde rectè S. Chrysostomus. *Si iniuriam*, inquit, *pateris, noli præsentem inspicere iniuriam, sed considera gloriam, quam pro mercede in judicio consecuturus es.* Ita ille. Tu autem cùm iniuriam pateris, nihil aliud quàm iniuriam imaginaris, & solùm damnum intus reuoluis in mente, & inde ira, inde vindicta: id ergo tibi agendum est, quod infirmo, cùm pharmacum, seu potionem amaram sumere debet, oculos corporis claudit, & oculos mentis aperit, cogitans intra se salutem, quæ ex tali prouenit pharmaco: & hoc quidem agit, licèt non ita illi certò de salute constet. multi enim sic medicamina recipientes, nihilominùs moriuntur. vtilitas, quæ ex venia & amore erga inimicos, procedit, certior & excelsior est: licèt ergo difficultas intersit, difficultatem vince, & ex perfectione inimici inæstimabile gratiæ & gloriæ meritum consequeris.

Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis. Verba Christi Domini sunt, vti S. Augustinus & alij affirmant, qui de inimicorum suorum obsidione agit: sed cur, inquies, eos apibus comparauit? apes quidem pungunt aculeo suo, sed tamen sauum etiam conficiunt dulcissimum, quo ipsimet, qui aculeis apum feriuntur, potiri solent. Idipsum de inimicis dicam, feriunt nos sæpè aculeis verborum & operum suorum, sed si patienter eos nos toleruaimus, sauum dulcissimum nobis exhibent, Christo quidem redemptionis generis humani, nobis autem gloriæ cælestis. Nec minùs ad rem facit, quod subdit: & *exarserunt sicut ignis in spinis.* Agricola cùm purgare agrum intendit à nociuis herbis, *quando este echa vn carriçalde cardos y malezas*, applicat ignem & spinas illas & pessimas herbas, quæ agrum occupant, comburit. nescienti videbitur fortè agrum perire, cùm tamen non solùm non pereat, verùm perditus restauretur, vt fructum optimum & plurimum ferat. Ignis quidem est tribulatio, qui virum justum comburit, sed dum vitia & passiones extinguit, aptiorem illum ad merita glorię reddit.

Hinc est quòd cùm Christus Dominus de modo ageret quo nos cum inimicis nostris gerere debeamus, dicit: *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos.* Dicendum quidem videbatur: benefacite his qui malefaciunt vobis. Ratio huius est, quia inimicus odio te quidem habere potest, malefacere autem minimè, si tu ipse nolueris: omnia enim malefacta eius bene tibi, si volueris ea patienter, & amicabiliter ferre, prorsus cedent, & coronam tibi cœlestem elaborabunt. *Matth. 5.*

Cur igitur non æquo animo inimicos & eorum persecutiones feremus? Si quis te lapidibus pretiosis & margaritis lapidaret, quid faceres? margaritas & lapides illos pretiosos colligeres, & pluribus certè sic lapidari optares: quid igitur sunt inimicorum persecutiones? quid probra? quid iniuriæ? quid maledicta? quid irrisiones? quid denique vulnera, & reliqua damna? jacienti quidem lapides sunt, & duriſſimi lapides quibus grauiter vulneratur; patienti verò quid sint, quære à sancto Stephano, qui à Iudæis lapidatus est: lapides, quibus lapidatus occubuit, lapides illi pretiosi fuerunt, de quo meritò dicere valemus: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Pretiosus fuit illi lapis, quo martyr Dei inclytus factus est: lapidibus illis illustrior reddita est corona eius, quàm adamantibus, & orientalibus margarits cuiusuis potentissimi Regis corona & Imperatoris diadema, &c. Denique persecutio inimici per se sumpta, sterilis res est: at cum patientia patientia coniuncta, gloriæ ingens meritum est, *es otra, tanta gloria.* *Ps. 20. 4.*

Sanctus Chrysost. homil. 10. ad Roman. *Age itaque, rem ita considera. Incommodat tibi aliquis & aduersatur, occasionem ille tibi affert vt Deo similis existas: nam si illum tibi vel insidias struentem amaueris, illius similis eris, quo auctore Sol super bonos juxta ac malos exoritur. Alius pecunias tuas interuertit, id si generoso animo pertuleris, eandem mercedem feres cum his qui omnia sua pauperibus erogant. Etenim rapinam bonorum nobis præcepit Deus cum latitia excipiendam, meliorem in cælo substantiam, eamq; permanentem habituris. Maledicta in te alius conijciet, ac probra, sint ea vera vel falsa, ingentem tibi lauream ille contexuit, si æquo animo tuleris conuitium: nam quisquis in nos sycophantam agit, is mercedem non paruam conciliat.* Gaudete, *enim ait Dominus*, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. *Rursus qui, quod verum est, exprobrat nobis, is magno vsui est, si æquo animo tulerimus. Etenim Pharisæus quæ vera erant proferebat, cùm malediceret publicano: sed tamen pro publicano justiũ effecit. Quid porrò me attinet singillatim de omnibus loqui? in certaminibus Iob hæc omnia accurate perdiscemus. Sicut ergo, si studium adhibuerimus, lucrum etiam ab his reportabimus, qui nobis fuerint molesti, ita socordia dediti, ne ab his quidem qui nobis fuerint præsidio, meliores euademus. Quid enim, ob-* Chrysost. Heb. 10. Luc. 6. 23.

fecerò, Christi consuetudo Iudæ profuit? quid autem Iudæi lex? quid Adamo Paradisus? quid autem his qui in Eremo erant Moyses? Ita S. Chrysost.

Idem S. Chrysost. homil. 12. ad Rom. *In nostra omnium manu est, ne quid mali patiamur, non in eorum, qui inferunt iniuriam, atque adeò, & in nobis quoque situm, non modò vt ne incommodo, sed etiam vt beneficio afficiamur. Et quidem id in primis admirandum est, quòd videlicet iniuriâ nequaquam afficiamur, si sapiemus, sed vel ab his iniuriis, quas nobis intulerint alij, beneficium feremus. Rem ergo considera, iniuriâ te quis affecit, potes ipse præstare, vt ea iniuria tibi laudi cedat: si enim iniuriam iniuriâ fueris remensus, probrum per te accreuerit: at si iniuriæ laudueris illatorem, tum videbis omnes, qui adfuerint, & laudem tibi imponere, & præconio laudes tuas ad cælum efferre. Item ab ipsis rebus, in quibus afficimur iniuriâ, etiam beneficium capere valemus. quod in pecuniis & plagis vsu venire videmus: nam si contraria illis rependerimus, fiet vt duplicem nobis laudem contexamus, alteram à malis perpessis, alteram à bonis, quæ malorum loco reposuerimus. Quum igitur quispiam tibi dixerit: ille te iniuriâ affecit, ne que finem facit de te apud quosuis obloquendi: tum demum laudato obloquentem, apud eos qui recitant tibi quæ ex illo audierint, & hoc modo qui te audierint, etiamsi sensu careant, te solùm collaudabunt: illum cõtrà, vtpote quauis noxiâ fera deteriorem, odio habebunt, quòd scilicet nulla prouocatus iniuria molestus tibi fuit, tu è diuerso vel malè ab illo habitus, beneficium pro iniuria reposuisti. Si verò illum pleisci cupis, omnia tibi contraria contingent: nam & ipse te infames, & assinis eris criminatori apud eos, qui audierint, & animum tumultuatione imples, & aduersarium delectas, & Deum irritas, & peccatis prioribus velut corollarium addis.* Ita sanctus Chrysostomus.

Et licèt nullum aliud commodum ex inimicis reportarenius, præter patientiam, quæ in tolerantia iniuriarum & nocumentorum maximè consistit, amandi à nobis essent. At, inquies, molestus mihi, & grauis nimiùm est, & nociuus valde. Esto. sed rogo, cur feras esse gaudemus, cùm nobis infensæ ac molestæ sint? quia scilicet ex illis commoda multa reportamus, tum ad salutem, tum ad delitias vitæ, necnon ad animi gratiam, vt constat ex libris de proprietatibus rerum, quare si feritatem earum tollere non possumus, rebus illarum nobis vtilibus potimur. Ideò igitur inimici non solùm tolerandi, sed etiam amandi sunt, quia licet feritatem exhibeant, multa ex illis commoda reportamus, verbi gratia, morum nostrorum curam, ne detrectandi materiam illis præbeamus, & virtutem patientiæ, & humilitatis, & charitatis, & orationis, &c. exerceamus. Quare ex iniquitate inimicorum æquitatem lucramur, ex feritate mansuetudinem, ex demerito non leuem segetem meritorum, & coronarum.

Prop. XVIII. *Amor inimici non est regulandus secundùm leges mundi, sed Dei.*

Iosue 7. Damnatus ad mortem fuit Achan, quia ex Iericho accepit sibi regulam auream, cum aliis bonis nonnullis. Iericho Luna interpretatur: Luna verò huius mundi symbolum est, sicut enim Luna, quæ passim mutatur (jam enim plena, jam semiplena, jam vacua videtur, jam in Oriente, jam in Occidente apparet) sic mundus mille subiacet mutationibus, nihil habens constans: regula verò auri Iericho, regulas mundi, plurishabitas & magnâ obseruantiâ seruatas, importat. Nunc ad rem, si mundano dixeris: Parce inimico, regulam hanc mundi auream opponet tibi? *En ley del mundo me deuo vengar.* Hac regula & lege regulant amorem proximorum mundani. Si dixeris illi, vide aliam regulam auream omninò diuinæ legis, dicentem: *Ego autem dico vobis, &c.* nihil efficies, quia mundanus est, & regulas mundi seruat, his regulat vitam, non regulâ Euangelij, quid de isto fiet? quod de Achan: damnatus ille fuit, quia regulam illam seruauit, & hic damnabitur, qui regulam mundi obseruat: cùm à Deo appolita fuerat illi regula ad obseruandum designata. Audiamus ergo consilium Pauli Roman. 21. *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis, quæ sit voluntas Dei, &c.* hoc est, non regulâ mundi reguletis vitam vestram, sed voluntate Dei, hæc sit regula vitæ vestræ: si enim conformamini huic sæculo, dissormes eritis Deo, vnde meritò ab eo proiiciemini, &c.

Prop. XIX. *Quàm difficile sit amare inimicum, & quàm rara sit precepti illius amoris impletio.*

S. Cyprianus lib. de spectaculis, in princ. *Non desunt vitiorum assertores blandi, & indulgentes patroni qui vitiis authoritatem præstant, vnde non jam vitiis excusatio, sed authoritas detur: nullum malum difficilius extinguitur quàm quod faciles reditus habet, dum & multitudinis consensu asseritur, & excusatione blanditur.* Ita S. Cyprian. Pondera, *nullum malum difficilius, &c. No ay vicio mas difficultoso de vencer, que el que no solo se funda en flaqueza particular, sino en opinion y authoridad, o exemplo comun.* Mala quæ mala esse nosciuntur, & mala esse judicantur, facilè curantur, sed mala quæ mala non esse censentur, quomodo curabuntur? *Tales vicios quedan por moneda corriente, que nadie la estranna y por sus peccados comunes se tienen por licitos, y assi como lo tienen por cosa justificada con la opinion comun, nadie trata de su remedio, y si alguno tratasse dél, siguarian del, y en el demonio que puede persuadir semejantes vicios con razones los persuaden con muchos hombres de deuotos pareceres.*

Sic seruus ille quem misit rex Achab, ad vocandum Prophetam Michæam, *Ecce,* inquit, *sermones Prophetarum ore vno Regi bona prædicant. sit ergo sermo tuus similis eorum.* Erant autem Prophetæ illi circiter quadringenti, homo hic non attendebat mendacium & falsum esse quod illi Pseudoprophetæ annunciabant, sed quòd multi erant, & in ore multorum stando esse verbum existimabat, & illis conformari justum esse censebat, cùm tamen iniquum, falsum & Regi perniciosum erat: sic enim multa vitia hodie sine spe remedij humani videmus, quia vulgi, non veritatis, authoritate siuciuntur. Huiusmodi sunt ordinaria murmuratio, comediæ profanæ, mendacia negotiatorum, & officialium, juramenta in vanum, gula, vindicta, & denique superfluus corporis ornatus: cùm enim videmus huiusmodi mundanos ornatus, mitamur, extollimus, & laudamus, quod secundùm religionis Christianæ regulas vituperare potiùs deberemus.

Sic, inquis, vsus habet, sic obtinuit antiquus mos: cur igitur ego contra omnes pugnabo, & meum multitudinis judicio anteponam? dicam, quia regula nostrorum morum non vulgi opinio, sed lex Dei est, recte Tertullianus lib. de velam. virg. c. 1. *Dominus noster* Iesvs *Christus veritatem se, non consuetudinem, nominauit.* Ita ille. Ergo qui secundùm Deum de rebus judicium justum habere vult, non quid consuetudo teneat, sed quid Dominus velit, attendat, veritas enim consuetudinis, non consuetudo veritatis regula esse debet.

Hinc Dauid, *Consilium meum justificationes tuæ.* quasi dicat: Cùm ignoro Domine quid in casu aliquo agere me oporteat, non vtilitatem meam consulo, non honorem, non voluptatem, non vulgus, non consuetudines mundi, sed justificationes tuas, hoc est, leges tuas: has enim vocat justificationes, quia qui secundùm ipsas operatur, justificatus manet: loquitur autem speciatim ibi Dauid de persecutione, qua eum inimicitius persequebantur, vti glossa ordin. & Hugo Cardin. interpretantur. videns autem mundi abusum quod

omnes

omnes ferè vindictam de inimicis sumunt, & inde gloriantur, & secundùm hanc vulgi consuetudinem se de inimicis sibi esse vlciscendum, intra se continens se, & contra leges Dei esse hoc attendens, in hæc prorupit verba, *testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum justificationes tuæ*, non vulgi opinio. meritò, nam in diuino judicio, cùm Deus examinauerit vitam tuam, non dicet tibi, quomodo seruasti consuetudines mundi, sed quomodo custodisti leges meas? nec admittet excusationes dicentis, sic cæteri faciebant, sed interrogabit, cur legem meam non consuluisti, &c.

Hinc Christus Dominus ad eos qui discipulos suos accusabant, eò quòd non lauarent manus cùm manducarent, *Et vos*, inquit, *quare transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* Nota est huius reprehensionis ratio, præcepit in quarto decalogi præcepto Deus, vt filij honorent parentes, & eis in necessitate constitutis subueniant: at Pharisæi secundùm antiquam suorum prædecessorum traditionem dicebant filiis: Offerte quod potestis in templo, etiamsi rebus sic obB latis parentes vestri egeant, quia prior & maior est Deus quàm parens: hoc autem dicebant, non propter Deum, sed propter seipsos, erant enim auari, auaritia excæcauit eos. ait ergo Christus, & vos quare transgredimini mandatum Dei propter hanc traditionem vestram? Domine in promptu est ratio, quia sic antecessorum traditio tenet. Admisitne Christus responsionem hanc? Absit, non admisit excusationem, sed adhibuit accusationem, quia contra mandatum Dei nulla traditio, nulla sententia, quamuis communis sit, nulla consuetudo, licèt totius sit vulgi, fic admitti debet, nec potest, &c.

Quid igitur agendum? Id quod Propheta ille Micheas in supradicta occasione fecit: famulo enim Regis Achab monenti vt juxta ea quæ illi quamplurimi pseudoprophetæ dicebant, diceret quoque ipsè. Respondit: *Viuit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar.* hoc est, nolo Regi quæ placita sunt illi nunciare, sed quæ vera sunt, & secundùm voluntatem Dei: ita qui saluari cupit, agere debet. Sic igitur de vindicta dicendum.

Surius in vita S. Vuoltani 1. tom. in mense Ianuar. Homo quidam nullo S. Vuoltani suasu nec rogatu pro fratris nece homicidæ veniam petenti voluit indulgere, huic in medium adducto dixit S. Episcopus Vuoltanus: *Beati*, ait Christus Dominus, *pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Constat ergo quod pacifici filij Dei sunt, & beati; discordantes verò sunt miseri, & filij diaboli: ei ergo, cuius tu filius es, committo & trado carnem tuam satanæ. statim autem ille mancipium diaboli factus est, & dentibus stridere, spumas jacere, & caput rotare cœpit: à Vuoltano verò tunc lanatus cùm pacem adhuc recusaret, iterum & tertiò arreptus est, quousque iniuriam & offensam ex animo remisit.

Sanctus Chrysost. libr. 1. de compunctione cordis: *Etsi nihil mali faciamus inimicis, & debitoribus nostris, habemus tamen sæpe intra nos insanabile vulnus offensæ. Christus verò non solùm vult nos ignoscere delinquentibus, verùm etiam vt amemus eos: nam si tantummodò non ledas eum, qui te læsit, auertas te tamen ab eo, nec libenter eum videas, manet sine dubio vulnus in pectore, & dolor augescit in corde. Quod si ita est, nondum, quod Christus mandauit, impletur. Numquid tu ita vis propitium tibi fieri Deum, vt non quidem te ledat, auertat se tamen abs te, & peccatorum tuorum memoriam gerat, & te videre nolit? Igitur qualem vu erga te Deum esse, cùm delictorum veniam poscis, talem te exhibere debes his, qui deliquerunt in te.*

Vnde Sapiens, Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur. Ipse cùm caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo quis exorabit pro delictis illius. Ita S. Chrysost.

Sunt qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, vt ait rex Propheta Psalm. 28. qui similes sunt leoni, in cuius ore Samson fauum mellis inuenit, viscera tamen eius corrupta: mortuus enim erat. Sic nimirum sunt, qui oretenus laudant, & salutant proximum, approbant, & benedicunt, corde tamen odium celant, & viscera eorum plena sunt dolo. A *Psal. 28.*

Prop. XX. *His, qui ad iram proponi sunt, difficile est inimicum amare.*

Matth. 5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Dices, grauiaffectus fui damno, vel iniuriâ; &c. Respondebo, non iniuriam, neque damnum quodquis aliud, sed passionem iræ immoderatam, nec fræno cohibitam, odij & vindictæ causam esse: iniuriam enim jam præuenit naturale hoc Dei præceptum, & secundùm rationem potentius est Dei mandatum ad veniam inimico concedendam, quàm damnum illarum. Aperiam igitur manifestam rationem, cur multi hanc legem amoris erga inimicum suum transgrediantur & conculcent. Est enim ira potentissima passio, ita vehementer obcæcans mentem. vt qui eam non seriò moderatus fuerit, sine fræno acriter vrget, & se præcipitem dabit, nec jussum Dei, nec suam saluationem attendet.

Hinc sæpè sacræ Literæ, vt quis aptus sit diuinæ legis auditor, mansuetudinem in eo priùs requirunt. Sic Eccl. *Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei.* Cur magis mansuetus, quàm pauper spiritu, quàm misericors in pauperes, & quàm alia quauis prædita virtute? quia scilicet lex Christi in hoc verbo instauratur. *Diligespro-* *Mat. 19.* *ximum tuum sicut teipsum. Qui proximum non diligit*, ait *Rom. 13.* Apostol. *legem non impleuit.* Quid autem difficile in lege hac de dilectione proximi intercedit? Præceptum hoc est, *Diligite inimicos vestros*, qui hoc adimpleuerit, fa- *Mat. 5.* cilè quod reliquum est percurret: hoc verò à passione iræ vehementer impeditur, iram verò mansuetudine moderamur & cohibemus, qui ergo Dei discipulus esse vult, hac illi præparatione opus est, mansuetudine inquam. Vnde meritò ait: *Esto mansuetus ad audiendum* *Eccl. 5.* *verbum Dei.*

Item Iacob. 1. *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* præmiserat Apostolus Iacobus: *Ira viri justitiam Dei non operatur*, iram viri vocat, ad distinctionem iræ pucrorum, quæ citò transit. *Ita igitur viri justitiam Dei*, hoc est, legem Dei, *non operatur*, minùs dicit, & plus significat. vti adnotauit hîc S. Thomas, ac si diceret: contra Dei justitiam operatur, & subdit: *In mansuetudine suscipite insitum verbum*, id est, *verbum Dei, quod inseritur animæ per inspirationem, vel prædicationem*, vt ait idem Angelicus Doctor. Cur non ergo dixit: Suscipite in fide, in spe, in deuotione spiritus? hæc enim maximè requiruntur, vt possit suscipi verbum Dei. Quia scilicet specialem difficultatem cõtra legis diuinę obseruantiam infert ira, quæ in aduersantes tendit facilè, & difficilè reuocatur est enim velut canis Alanus, qui semel in taurum emissus & auriculam eius apprehendens, vix auelli etiam vulneribus potest: talis est ira viri. quare in mansuetudine animæ operæ pretium est accedere ad Dei legem suscipiendam Christianum auditorem, quia lex amoris est, quæ iræ maximè contrariatur. *Y assi podemos dezir, que la mansedumbre es el bolo, sobre que assienta el oro de la charidad y amor con el proximo.*

Hinc Dauid Psalm. 24. postquam dixerat: *Vias tuas* *Psal. 24.* *Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me*, subdit: *Ibid. v. 9.* *Diriget mansuetos in judicio, docebit mites vias suas*, quasi dicat, noui jam quosnam Dominus doceat vias & semitas suas, mites quidem, & mansuetos. quænam verò sunt viæ istæ? quæ semitæ? Via lex Dei est, secundùm id Psalm. 118. *Beati immaculati in via, qui ambu-* *Ps. 118.* *lant in lege Domini*, si in lege Dei ambulant, ergo via est

lex Dei; semita verò in hac lege sunt ea, quæ difficilio- A
ra, & asperiora videntur. lex charitatis quædam est
via, charitas erga inimicos semita est, quia stricta res
est, ardua est. ergo & mansuetos docet Deus hanc
viam, & semitam hanc. Hinc qui sine mansuetudine
audit conciones, ineptus auditor est, quia sæpè sæpiùs
de dilectione agitur in concionibus, & maximè de a-
more inimicorum, quia in hoc charitatis difficultas
consistit: qui autem mansuetudine caret, difficillimè
percipiet hanc doctrinam: vnde impersuasibilem se
talis frequenter ostendit, vti experientia constat.

Dionys. Hinc S. Dionys. epist. ad Demophil. ait, *Moysen propter multam mansuetudinem, Dei apparitione dignum habitum fuisse*, verbi gratiâ, cùm in monte Sinai illi Deus legem tradidit. cur ergo potiùs illum, quàm alium elegit, vti legem acciperet, & populo daret? Respondebit sanctus Dionys. quia mitissimus erat, & lex illa charitatis erat, aliis poterat suadere legis illius obser-
uationem.

B
Isa. 61. 1. Item Isaias Propheta in persona Christi: *Spiritus Domini super me: ad annunciandum mansuetis misit me.* Nunquid, Domine, mansuetis tantum modò prædicaturus eras? nónne omnibus prædicasti, *Venite, dicens, ad me*
Mat. 11. 28. *omnes, qui laboratis, & onerati estis*, culpis scilicet, & pœnis, &c. Quomodo igitur ais: *ad annunciandum mansuetis misit me?* Ita est, ad annunciandum Euangelium cunctis missus est, sed non cuncti nuntium receperunt: quamuis enim magister in gymnasio lectionem in omnium auribus legat, solis his legisse videbitur, qui quæ legit perceperunt: nam aliis, tanquam si non legisset, sic legit. Sic quamuis omnibus prædicauerit Christus, his solùm prædicasse censetur, qui legem ab eo receperunt, multi autem non receperunt. *erat* quidem *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sed tenebræ eam lucem non comprehenderunt, & mundus eum non cognouit*; quare? quia ipse charitatem in omnes prædicabat, in aduersarios etiam, multi verò hoc recipere noluerunt. Quare sicut cæcus non percipit lucem, quantumuis lux meridiana eum vestiat, vnde nec C
ei talis lux orta videtur; sic quamuis Christus publicè coram omnibus prædicaret, solùm mansuetis prædicasse visus est: vnde hi solùm legem hanc dilectionis receperunt, immites verò non: vt patet in Pharisæis & Scribis, sicut ignis in spinis, exarserunt irâ in Christum, quamuis innumera miracula iam vidissent, & Christi sanctitatem perspectam jam habuissent, in crucem tandem illum irati egerunt, quia mansuetudine caruerunt: erant irâ & rabie in Christum obcæcati, cæci erant & duces cæcorum, quid mirum si lumen non viderunt?

Prop. XXI. *Quàm facile sit diligere inimicos.*

QVis suadere mundo valeat non difficile, sed facile esse parcere inimicis, & amare illos? difficillimum hoc, & rei causam reddit S. Hieronym. & eandem eisdem verbis S. Augustinus, vtriusque hæc sunt
Sup. c. 5. Matthæi serm 58. de temp. verba: *Multi præcepta Dei ex imbecillitate suâ, non sanctorum viribus æstimantes, impossibilia censent quæ præcepta sunt, &* D
dicunt sufficere non habere odio inimicos: cæterùm diligere illos plus præcipi, quàm natura humana patiatur. Sciendum est ergo Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta, quæ Dauid fecit in Saul, & Absalon: Stephanus quoque martyr pro inimicis se lapidantibus deprecatus est, & Paulus anathema esse cupit pro persecutoribus suis. Hæc autem Iesvs *docuit & fecit dicens in cruce: Pater, ignosce illis, quod enim faciunt, nesciunt.* Hæc S. Hieron. & Augustinus. quis illorum ab altero sumpserit, taceo, vterque verò in hoc conuenit, quòd ex imbecillitate nostra proueniat, difficilem judicare inimicorum amorem, qui sanctis & perfectis Christianis facilis apparet, vt in multis Sanctorum exemplis reperimus, qui cùm homines sicut nos essent, facilè suis inimicis pepercerunt, & beneficiis affecerunt, imò & inter Gentiles, quamplures Philosophos & reges reperies, qui hoc præstiterunt. qualis fuit Lycurgus Lacedæmoniorum princeps, qui sicut refert Plutarchus, *à ciue quodam iuuene altero oculorum orbatus, illum à populo accepit, vt, quo liberet modo, eum puniret. quod minimè fecit, sed optimè institutum, & boni viri moribus praeditum in theatrum produxit. Spartiatis autem rem mirantibus dixit: illum antehac iniurium & violentum à vobis accepi, iam frugi & popularem restituo.* Ita Plutarch.

Item Demosthenes, de quo Stobæus refert, quòd cùm à quodam esset conuitiis lacessitus; *Nolim*, inquit, *tecum in hoc certaminis genus descendere, in quo qui vincitur ipso victore melior est.* Ita ille.

Prætereà Rex Philippus (vt refert Plutarch.) aie- *Iulius.*
bat, *se his, qui in Republ. Athenien sium administranda primores essent, plurimam habere gratiam, quòd suis consultis efficerent, vt ipse tum oratione, tum moribus euaderet melior: dum conor, inquit, illos dictu pariter & factis conuincere mendacij. O verè philosophicum principis animum, qui nouit etiam ex inimicis capere vtilitatem, nec, quod vulgus solet, hoc tantùm solet spectare, vt maleducos afficeret malo, sed vt ipse minùs malus redderetur illorum admonitus maledictis* Ita Plutarch. Idem quoque de Socrate, Phocione, Diogene, & aliis Philosophis passim legimus. Non possum, inquis, parcere inimico, nec illum amare valeo; cur ita? quis à te abstulit libertatem? in reliquis operibus potest aliquis interdum qualemcumque prætendere excusationem, in habenda tamen dilectione nemo se potest excusare, ait S. Augustin. *Potest aliquis dicere: Non possum vsumare, nunquid potest dicere non possum amare? potest dicere: Propter infirmitatem corporis mei non possum à carnibus abstinere, numquid potest dicere, non possum diligere? non enim tibi laborant pedes currendo, aut aures audiendo, aut manus operando vt nos excusare possimus. Non nobis dicitur: Ite ad Orientem, & quærite charitatem: nauigate ad Occidentem, & inuenitis dilectionem: intus enim est in corde nostro.* Ita S. Augustin.

Prop. XXII. *Amor inimici quàm gratus Deo est.*

VT sitis filij patris vestri, &c. hoc est, rem adeò gra- *Matth.*
tam Deo ita facietis, vt vos propter ea in filios
velit adoptare, hoc diligentibus inimicos Christus
promittit.

Inueni (ait Dominus) *Dauid filium Iesse virum secun-* *Act.*
dùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Cur Da- 13.
uidem virum dicit secundùm cor suum Deus? S. Bernardus ob id maximè ait, quod mansuetum se erga inimicos gessit, vti constat in Saule, qui valdèinfestus hostis fuit Dauidis: illum enim insequutus fuit ad mortem, non enim semel eum lancea confodere tentauit, & in montibus & desertis lociseum ad internecionem militibus stipatus inquisiuit. *Persiguio Saul à Dauid hasta la mata, hasta matarlo si pudiera*, & hoc quidem iniustè: nullam enim ansam dederat ei Dauid, imò benemeritus valde fuit de illo, animam enim suam mortiexposuerat pro Saule ac regno eius, & tamen Dauid quamuis non semel eum occidere tuto potuisset, noluit, chlamydis eius partem abscindere contentus: quin & de hoc doluit, & cùm ex morte Saulis regni eius hæreditatem expectaret, maluit per abrupta mõtium fugere, ac latere, cum maximo discrimine vitæ suæ, quam vindictam de huiusmodi sumere hoste, imò cùm posteà nosset Saulem occisum à Philisthæis, vehementer doluit, & ingemuit, & virum, qui nunciauerat ei Saulis mortem, morte puniri iussit, eò quòd asseruisset iussu ipsius Saulis, se eum ad mortẽ jam vulneratum occidisse, & tandem lacrymis Saulis exequias celebrauit. O eximium patientiæ & mansuetudinis & dilectionis erga inimicos exemplum! vnde non immeritò cùm à Deo misericordiam postularet, inquit: *Memento Domine Dauid, & omnia mansuetudinis eius,* q. d. *pſal.*

nouì quàm grata tibi sit erga inimicos mansuetudo, A ob mansuetudinem ergo meam in illo peto supplicer à te vt mihi postulata concedas, &c. Vide quàm grata Deo sit erga inimicos dilectio.

Plutarch. in problem. *Cur ex omnibus quæ diis immortalibus offeruntur, sola spolia negliguntur ? an idcircò id faciunt, quòd signa inimicitiæ aduersùs hostes sint?* &c. Ita ille. Etenim quid de diis suis fictitiis & fabulosis senserint illi nescio, de Deo vero nostro viuo & vero id verè sentire licet, quod non solùm veras inimicitias abhorreat, verùmetiam inimicitiarum signa inuisa illi videantur. quod ex 1. lib. Paral. cap. 28. confirmatur, vbi sic Dominus ad Dauidem volentem ædificare templum Domino, *Non ædificabis domum nomini meo, eò quòd sis vir bellator, & sanguinem fuderis.* Quid? nonne sanguinem hostium, quem fudit Dauid, licitè & justè fudit? ita quidem, bella enim Domini gerebat, & placita illi erant huiusmodi bella, quomodo ergo ait nolle se à Dauide templũ ædificari, quia bellator erat, & sanguinem inimicorum Dei fuderat? Nimirum quia licèt licita esset talis sanguinis effusio, cùm Deus amantissimus pacis & dilectionis in proximos sit, illa quæcumque sanguinis effusio nescio quid horroris apud Deum habebat: quantùm igitur abhorrebit Deus veras inimicitias, & iniustam sanguinis proximorum effusionem.

1. par. 28.

Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris,* &c. Quis non miretur præcepisse Christum, inceptum, & imperfectum dimittere sacrificium propter huiusmodi cum proximo reconciliationem ? etenim in hoc vehementer Deus talem reconciliationem commendauit; apud omnes enim (etiam barbaras nationes) maximè obseruata est integritas & consummatio sacrificij. S. Augu. ser. 16. de verb. Matth. *Non irascitur Deus, quia differs imponere munus tuum, te enim quærit magis quàm munus tuum; offers munus tuum, & tu non es munus Dei? plus quærit te Christus quem redemit sanguine suo, quàm quæ tu inuenisti in horreo tuo. Idèo ait: Relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo.* Ita ille.

Matth. 5. 23

Augu.

Tantò quidem opera nostra Deo gratiora acceptioraq; sunt, quantò circa difficiliora versantur, capropter sacrificium Abrahę, quo filium Deo jubente sacrificare efficaciter voluit, Deo extitit peracceptum: *Quia fecisti,* inquit, *hanc rẽ, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, per memetipsum iurauì, dicit Dominus, benedicã tibi, &c.* inter difficilia verò hoc meritò computatur, quòd quis diligat inimicos. Nam vt dixit sapiens ille Publius: Quid est homini inimicissimum? Alter homo. Vnde hoc? vitio nostro comparatum est, non natura: hoc ex casu nostro prouenit, hæc miseria generis nostri. Vnde non solùm pacem seruare, sed inluper inimicos amare res diuina est, & superans naturam lapsam. Si ergo quod difficile, hoc Deo gratum, talis amor quàm gratus erit Deo?

gen. 22.

Publius.

S. Chrysost. serm. de laude Dei: *Fuit tibi quispiam iniurius, aut malo affecit, ingemisce, ne maledictis incesserit, funde lacrymas, non iniuriæ gratiã, sed ob iniuriam inferentis interitum: sicut & Dominus tuus ludam deplorauit, non quidem quod crucì suffigeretur, defleba t, sed quod se ille esset ad sui perniciẽ prodituru s. Lasit te igitur quispiam, aut affecit contumelia, Deum precare, vt mox illi concilietur, & parcat; frater enim est, tuum membrum est, & animi quãdam magnitudine fratrem vel mortuum è prelio subtrahe, & affixum ei spiculum auellito: non enim malè pati, sed malè facere, est perpetu malum. Occidit Cain, Abel enecatus est, vter horum perit? ille quidemne qui post obitum ad Deum clamitans quæstus est?* Vox, *inquit*, sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, *an is, qui vitam omnem transegit trepidus?* Ita sanctus Chrysost.

Chrysost.

Ierem. 15. *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Qua in re ait S. Gregor. quæri vtiliter potest, cur relictis tot antiquioribus Patribus, ad effundendam precem Moyses & Samuel tantummodò præstantiùs eligantur? non, inquit S. Gregorius, erit inutilis indagatio, cur relicto Abraham, verbi gratiã, Isaac, & Iacob, quorum se esse gloriabatur Deus, Moysis & Samuelis, qui posteriores illis extiterunt, tantummodò faciat mentionem? Cur relictis antiquioribus Patribus, &c. Respondet idem sanctus: Quod tamen facilè agnoscimus, si cius, qua præcipimur inimicos diligere, charitatis merita pensamus. *No sera tan difficultosa la respuesta, si en el peso de nuestra fee, pesamos los meritos que tiene el amor de los enemigos.* Cur autem sancte Doctor Moysen & Samuelem orasse pro aduersantibus inuenimus? *Porque hallamos en la sagrada Scriptura que Moysen y Samuel especialmente entre los otros padres antiguos amaron de tal manera à sus enemigos, que llegaron al supremo grado de charidad, que pone Christo en su Euangelio, para con los enemigos, que es, orate pro calumnian-* Luc. 6. 28 *tibus & persequentibus vos,* vnusquisque eorum fœuientis populi persecutiones fugit, & tamen pro vita sui persecutoris interuenit, *el vno que fue tan perseguido que vbo vez serle necessario el huyr, porque no le matassen,* & tamen pro vita persecutoris interuenit. *Y no solo no rogo à Dios le vengasse, sino que antes rogo à Dios, que en ninguna manera la vengasse, ni se vengasse, o que le borrasse del libro de la vida: y el otro.* Alter ex principatu populi deiectus. *Y el otro despojando lo de su casa y segnorio y principado del pueblo, cosa que sobre manera sienten los hombres de sangre en el ojo, que hizo? vengosse dellos?* Absit, inquit, à me hoc peccatum in Domino, quo minùs cessem orare pro vobis. *El otro viendo le assi de grado dixo, ni por essas dexare de encommendaros à Dios. Quid igitur est,* ait sanctus Greg. *in difficultate deprecandi Moysen, & Samuelem deducere, nisi apertiùs indicare: quia eius ira, neque illi si astarent, obsisterent, qui idcircò pro inimicis interuenire citiùs possent, quia apud Deum intercedere & pro inimicis solerent.* Ita S. Gregor. Est igitur, ac si diceret Deus: Si qui iræ meæ resistere possent, maximè sunt Moyses, & Samuel: quare? quia pro inimicis orarunt. Vide vim apud Deum dilectionis inimicorum, quantùmque placeat ei: quantum enim iræ implacabilis ostendit hic in populum illum, tantum æstimationis & pretij ostendit in eos, qui diligunt sic inimicos.

A

B

C

D

Actor. 7. *Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Verba sunt S. Stephani proximi jam morti; Christus ergo qui nouerat orationem, quam tunc habiturus erat pro inimicis, cœlos sic aperuit, & stantem se ostendit. Et sicut rex armorum ludos spectans aliquem equitem optimè pugnantem aspiciens, è solio surgens fenestræ propiùs accederet, & foras caput educens currentem equitem illum affectuosè oculis comitaretur, maximo afficeret gaudio equitem, & animos illi ad huiusmodi ludum & pugnam adderet; sic Deus sciens quàm fortiter, constanter, & optimè cum inimicis acturus esset Stephanus, quomodo flexo vtroque genu pro ipsis oraturus. quasi à throno, & dextera Patris surgens, stans ad ipsas cœlorum fenestras sese applicarit, vt militem suum intueretur. videns Stephanus sic Christum stantem, & animæquior in de factus, non solùm inimicis pepercit, nec solùm eos amauit, verùm etiam flexis genibus pro eis orauit. Vide autem quantùm Deus amat amantes inimicos.

Act. 7. 5. 6

PROP. XXIII. *Quantum Deo placeat amor inimici, & displiceat ei vindicta priuata.*

QVærunt sacri Auctores, cur Deus apes, & quæ apum sunt, à templo & sacrificiis suis eiecerit, & expulerit, ita vt nec apes in sacrificio, nec mel offerre possent, neque in templo cæræ lux appareret, sed olei, quamuis huiusmodi lux, & obscurior & immundior sit, & quidem sal admittebatur in omni sacrificio, non

Leu. 2. 13

verò mel, cur ita? quia apis vindictæ adeò auida est, A vt etiam morte sua vulnus cius appetat, à quo vindictam sumere quærit. Tales vindicatiui sunt, qui vel damno proprio vindicari quærunt: quod in Christi Domini persecutoribus patet, qui à Pilato mortem Christi expetebant, & instantes dicebant: *Sanguis eius*
Mat. 27. 25. *super nos, & super filios nostros, Mucra el por vna y si quiera nos cueste la vida à nuestros, y à nuestros descendentes.* Quare
Psal. 117. meritò Psalmista in persona Christi Domini, *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* cur non dixit, circumdederunt me sicut leones, & sicut vrsi: sed solùm, sicut apes, & sicut ignis? quia scilicet apes dum aculeo pungunt, & vindictam quærunt, subeunt mortem, & minùs nocent quàm sit nocumentum, quod inde prouenit eis: minùs agunt quàm patiuntur, aliis punctionem, sibi mortem incutiunt. Similiter ignis dum spinas vel aliud quid absumit, scipsum consumit, sic igitur persecutores Christi maius sibi nocumentum quàm Christo Domino contulerunt. quia igitur apis horum vindicantium symbolum est, à Domino reprobatur.

B Deo quidem & hominibus ingrata & inuisa est eorum gloriatio qui se jactant de inimicis se vindicasse. Vnde quamuis Ioab in multis seruiuisset, & placuisset
3. Reg. 2. Dauid, & propter eum, & regnum eius, magna in bellis pericula subiisset (dux enim exercitus Dauid fuerat) nihilominùs cùm in extremo esset vitæ articulo Dauid constitutus, *Tu*, inquit, *nosti, quæ fecerit mihi Ioab filius Sarviæ* (ait ad Salomonem filium) *quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel Abner filio Ner & Amasæ filio Iether: quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prælij in baltheo suo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamento suo, quod erat in pedibus eius: non deduces ergo canitiem eius pacifi.è ad inferos.* Aduerte quod maximè displicuit in oculis Dauidis gloriatio illa & iactantia, ex eo quod sanguine demortui inimici baltheum & calceos cruentauit, *Aquel tapetar los capatos con sangre de enemigo muerto*, quasi diceret, Ego, ego sum, qui me de inimico meo sic vindicaui, &c. *Esto acoro la mansidumbre de Dauid*: hoc, inquam, irritauit iram Dauidis, C quantumuis ille mitis esset, vt ad Dominum dicere posset: *Memento Domine Dauid, & omnu mansuetudinis eius.*

Pium etiam ferunt fuisse Æneam, & tamen (vti Virgilius canit) cùm Turnus inimicus eius coram eo petens veniàm staret, & iamiam illam ei concedere vellet, fortè vidit Turnum baltheum militare, seu quoddam aliud militum insigne gestantem, quod quidem ipse Turnus à Pallante Æneæ amico abstulerat, quemque ipse occiderat, tanquam inimicum, tunc supra modum iratus Æneas, & illâ naturali depositâ pietate, non solùm veniam illi non concessit, verumetiá illicò eum interfecit, hâc solâ ratione motus, quod ita de inimici nece gloriarctur, vt spolium defuncti in signum victoriæ suæ secum ferret.

Nosti cuiusnam victoriæ sit laudabilis gloriatio? illius quidem, quàm de peccatis reportamus, dummodò talis victoria primùm Dei gratiæ adscribatur. De huiusmodi victoria Deus ipse gloriatur, vbi Propheta introducit Angelos interrogantes Christum in cælum jam ascendentem post partam de inimicis victoriam, *Quis*, inquiunt, *est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, &c. Quare rubrum est indumentum tuum, &*
Isa. 63. *vestimenta tua, sicut calcantium in torculari?* Respondet Christus: *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum, calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, &c.* Tinxit Christus vestimenta sua sanguine inimicorum suorum, & gloriatur meliùs quàm Ioab: nam ille gloriabatur ob victoriam de proximo sumptam; Christus verò ob victoriam de dæmone morte & peccato reportatam. Hinc nos gloriari decet.

De Dauide, qui Goliam superauit, sic Ecclesiasticus:

In tollendo manum, saxo funda deiecit exultationem Golie, Eccl.
quid est, deiecit exultationem? cur non dixit, deiecit Goliam? siquidem ipsam personam Goliæ deiecit, & ipsum interfecit: sed eius, inquit, exultationem deiecit? Iansenius ibi duplicem arrogantiam adnotauit in gigante illo: prima fuit exprobrare agminibus Israel; sic enim gloriabatur ille. *Ego exprobraui hodie agminibus Israel. date virum mihi, & ineat mecum singulare* 1. Reg. 17. *certamen.* Secunda fuit dicere Dauidi volenti cum eo decertare: *Vent ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli,* 44. *& bestiis terræ.* ob huiusmodi ergo duplicem arrogantiam, & elationem, voluit Deus Dauidi fauere, & eamdem ipsam deiici & necari: vnde meritò quasi causam huius deiectionis assignans, ait Ecclesiasticus, *deiecit exultationem gigantis*; quasi dicat deiecit gigantem ob exultationem, seu superbiam & arrogantiam, quam in illa concertatione habuit. Sic igitur inuenies multos, qui aduersus inimicos suos exultant. Ego, ego, ait quidam, intelligere faciam, quis ipse, quis ego, quis & qualis vterque sit, ego animam eius tollam, &c. & ob id solum permittit Deus ipsum ab inimicis superari, *que vaya por lana, y buelua trasquillado.*

Mortales inimicitias gerebat Saul in Dauidem: his autem potuit Dauid facilè inimicum necare, & sic persecutionibus & periculis mortis suæ imponere finem: sed noluit, quia Dei voluntati parere potiùs voluit, quàm vitam propriam sic tueri: nec in malum fibi: nam propterea Deus semper illi opem tulit, & non solùm è manibus Saulis, & aliorum, qui partes Saulis tuebantur, liberauit, verùm etiam regni sceptrum abstulit à Saul, & domo eius, & tradidit ipsi Dauidi, & ipsemet Saul, quem manibus suis perimere renuit Dauid, manibus prò prijs, sic Deo permittente, se interfecit: meritò ergo fidem ei dare potes qui dixit: *Mihi* Rom. 12. *vindictam, & ego retribuam.* tuum est parcere, quod quidem facilius est: Dei verò est punire fontes, quod difficilius est. Tacet Moyses cùm soror eius aduersùs eum murmurabat, tacet dum Dathan, & Abiron, & Chore aduersùs eum insurgebat, imò non solum tacebat, sed pro huiusmodi orare solebat: Deus tamen & sororem pessimam quadam lepra puniuit, & illos à terra ipsa absorberi fecit. Tacet Christus cùm Iudæi eum opprobriis afficiunt, dicens: *Ego gloriam meam non quæro, est qui quærat, & iudicet*, orat in cruce pro crucifixoribus suis. Pater verò misit Titum, & Vespasianum, qui eos & regnum perderet eorum: sic verum est quod ait, *Mihi vindictam, & ego retribuam.*

Qui suas facilè remittit iniurias, Deum habet vindicem, & vltorem earum, quin etiam Deus ipse illum munit & custodit, ne quid detrimenti capiat. Id opportunè ostendit Abigail fœmina prudentissima, cùm obuiam processit Dauidi, & ad illius pedes accedens petit ne inimicitam sumeret de Nabal, quem his verbis flexit: *Si surrexerit in te aliquando homo persequens te, &* 1. Reg. 25. *quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi* 29. *in fasciculo viuentium, apud Dominum Deum tuum*: hoc D præmio afficiuntur illi qui vindictæ superfedent, quos Deus saluos & incolumes conseruat: qui verò reseruant iram, & vlciscendi libidinem explent, grauiprœna mulctantur. Nec immeritò: nam cùm Rex aliquis subortam inter aliquos rixam componere, & succensam iram restringere vult, & inter iratos ac discordes interuenit, ægrè fert si rem susceptam & inchoatam non absoluit, illamque jam vt propriam considerat, & illius iniuriam vlciscitur, qui facilè flectitur, & ad pristinam amicitiam redire vult: alterum grauiter puniens, qui in gratiam reuocari recusat. Hodie Christus Dominus inter iratos & discordes se initit vt pacem concilict, id petit & iubet, dicens: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos.* Id repetito sermone sapissimè inculcat, vt animis nostris firmiùs adhæreret. Vnde qui Domini voluntatem

tatem non exequitur, nec inimico suo reconciliatur, A Dei inimicus constituitur, & acerbissimo supplicio punietur.

Fratres Ioseph illum oderant, eò quòd accusassẽt eos coram patre suo, & quia somnia aperuit, quæ principatum eius indicabant, neque ab odio destiterunt, quoad illum Ismaelitis venderent, vt seruus in Ægyptum duceretur, vbi multa pericula obiuit, & vitæ discrimen aliquando subiit. Sed non impunè tantam fratres crudelitatem exercuerunt: Deus enim, quæ illius iustitia est, res ita disposuit, vt Iosephus in Ægyptum delatus ad regiam ferè dignitatem ascenderit, ipsi verò in parentis domo fame vehementi cruciarentur: vnde coacti sunt è domo parentis egredi, & in Ægyptum proficisci ad exportandum panem, quos facilè posset Iosephus, cùm ad illius pedes prouoluerentur, in vincula coniicere, & maximis suppliciis afficere, vt iniuriam sibi illatam vlciscereturredacti tamen sunt in maximas angustias, vt iniuriam, quam B fratri intulerant, in memoriam reuocarent: vnde ipsi sibi conscij dixerunt: *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum*, hoc est, à Deo iustè punimur ob vindictam nostram in fratrem.

Et interdum grauius malum solet Deus afferre ei qui vindictam sumpsit, quam attulit ipse inimico suo. Iratus est Cain fratri suo Abel, quia animaduertit Deo munera illius, & sacrificia esse gratiosiora, quàm sua. Ex fratre inimicus effectus est, & ita infestus, vt non conquieuerit quoad illum crudelissimè interfecerit. Iratus est Dominus in Cain, & maledixit ei: non contulit maledictum in terram, sicuti factum est, cùm Adamum expulit è Paradiso, sed in ipsum Cain maledictum iactauit. *Maledictus eris super terram: cùm operatus fueris, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris super terram.* Cœpit statim omnibus artibus contremiscere, timore concuti, ac dicere: *Omnis qui inuenerit me, occidet me*, & tandem infelicissimâ morte proreptus est, quâ immane illud scelus & necem innocentissimi C Abelis vltus est Dominus.

Summis in cœlum laudibus efferebatur à populo Dauid, id malè habuit Saul: tantam enim in illum indignationem concepit, vt hastam sæpè in eum contorserit, & perpetuò ad montium juga fuerit insecutus. Dissimulauit Dauid, Deus autem illius partes egit, cuius præsidio munitus Dauid, Saulis manus semper effugit, & ex omnibus periculis saluus & incolumis emersit. Saul autem Dei manus effugere non potuit, in manus hostium, cum quibus manus conseruerat, venit, & victus ac superatus tantum dolorem ex amissa victoria traxit, vt suis se manibus interemerit, & regio diademate spoliatus fuerit, quod capiti Dauidis & posterorum eius imponeretur.

Inseruum etiam improbum, qui penè suffocauit conseruum suum, quam non exercuit vindictam? maximo ære alieno solutus fuerat, ad decem millia talentorum summa peruenerat: ille autem rusticè vr- D gebat conseruum suum, cui parui ponderis & momenti debitum remittere noluit, & addidit ad improbitatem iniuriam. renunciatum est hoc regi, qui vehementer iratus, acta rescidit, repetiit debitum, & tortoribus tradidit debitorem, quoad vsque solueret vniuersum debitum. Animaduerte, quanti steterit illi vindicta, & vt intelligas ad nos omnes spectare parabolam illam, finem imposuit, dicens: *Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* O quanto in periculo versatur, qui fratri suo non ignoscit, cùm Dei inimicus constituatur.

Matth. 18. In Scriptura habetur, *Qui vindicari vult, à Domino, inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit.* His verbis describit Sirah talionis pœnam, qua nequissimi vltores & vindices puniuntur justè à Domino, qui potestate maximus est. Nam licèt dynasta sis aut princeps in supremo dignitatis gradu collocatus, nullius potestati subiectus; licèt nullus sit qui iniuriam quam proximo intulisti, vlcisci possit: Dei tamen judicium declinare non poteris, qui & Rex regum & Dominus dominantium est: à Domino inueniesvindictam, qui peccata seruans seruabit, hoc est, non obliuiscetur iniuriæ quæ proximo facta est: & repetitione illa sermonis, *seruans seruabit*, significant Hebræi maximam curam & diligentiam, quæ solet adhiberi. Simile est illud, *plorans plorauit*, hoc est, maximè plorauit, vberes lacrymarum riuulos effudit: sic seruans seruabit, non mandabit illud obliuioni, & si aliquo tempore dissimulaucrit, indignationem tandem ostendet, vt nocentem puniat.

Id satis ostendit supplicium illud quod sumptum est de Amalecitis, qui obuiam procedentes populo Israel cùm in terram ipsis promissam iter faceret, illi obsistere voluerunt, & viam intercludere. Tunc Dominus ad Moysen ait: *Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Iosue, delebo enim memoriam Amalech sub cælo.* & multis jam annorum curriculis deuolutis recordatus est Dominus iniuriæ quam fecerat Amalech populo suo, vocauitque Saulem, & ait: *Recensui quæcumque fecit Amalech Israeli, quomodo restitit ei in via cùm ascenderet de Ægypto: nunc ergo vade, & percute Amalech, & demolire vniuersa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum vsque ad lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum.* Quis non arbitraretur post quatuor centum annos, qui jam effluxerant, oblitum esse Dominum iniuriæ, quam Amelec intulerat Israeli. At Deus non obliuiscitur iniuriarum, sed seruans seruabit.

Exod. 17.

1. Reg. 15. 2.

Hoc vltionis genere vsus est Dauid aduersùs Ioab ducem sui exercitus, qui interfecit Abner, eò quòd ipse interfecisset fratrem Ioab. maximè doluit Dauid, & grauiter tulit necem Abner: dissimulauit tamen, quia opus erat tunc indulgentiâ. Nec his contentus Ioab, interfecit deinde Amasa: dissimulauit etiam Dauid. Qui rem superficietenus cõtemplaretur, existimaret Regem posteriori manticæ mandasse cædes illas, vt sempiternâ obliuione delerentur: falleretur tamen, quia non obliuiscebatur Dauid, sed tempus quærebat vltioni accommodatum. Vnde priùs quàm moreretur, *3. Reg. 2. 5.* iussit accersiri Salomonem, & ait: *Tu nosti quæ fecerit mihi Ioab, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, quos occidit: effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prælij in baltheo suo, qui erat circa lumbos suos, & in calceamento suo, quod erat in pedibus eius: facies ergo juxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacifice ad inferos.* Perpende, & considera, an oblitus fuerit ille, qui ita sigillatim commemorabat facinora Ioab. Decreuit igitur Dauid, & testatum reliquit, vt tanti scelerispœnas lueret Ioab. quod Salomon executus est, cuius manus effugere non potuit, & quamquam confugit in templum: & cornu altaris apprehendit, jussu & imperio Salomonis interfectus est. Sic Deus interdum dissimulat, tempus tamen & occasionem quærit, ac tandem punit iracundum, crudelem, & impium, qui nihil offensionis remittit, sed de omnibus vindicat. Væ illi, qui in supremo Dei judicio sumetur de illo vindicta, in quo nihil remittetur, & vbi nihil proderunt vota, & orationes, quia, vt ait D. Iacobus, *iudicium sine misericordia erit ei, qui non fecit misericordiam.* *Cap. 2. 13.*

Præcepit Dominus ne quisquam populi sui cuiusuis animalis sanguine vesceretur, *Sanguinem quoque omnis* *Leu. 7. 26.* *animalis non sumetis in cibo, tam de auibus, quàm de pecoribus. Omnis anima, quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis.* Qui huius præcepti corticem solùm aspexerit, mirabitur sanè cur Dominus mortem minetur illi, qui sanguine arietis, bouis, aut cuiusuis alterius animalis pascatur. Quid habet veneni sanguis ille? sanguis, quem terra imbibit, aut canes lambunt, quid intereſt, si illum

lum exhauriat homo? Quid in hoc mali est, vt mortis A pœnâ propositâ prohibeatur? Dicam, Sanguis in diuinis Litteris sæuitiam & crudelitatem significat, vt apertè indicant verba illa Isaiæ, *Manus vestræ sanguine*
Isa.1.15. *plenæ sunt*, hoc est, crudeles estis & inhumani: cùm autem Dominus tanto odio crudelitatem prosequatur, sanguinem interdicit, mortis pœnâ propositâ, quia sub sanguinis nomine crudelitas significatur.

Amos 1.5 *Super tribus sceleribus Damasci*, inquit Dominus, *& super quartum non conuertam eum, eò quòd triturauerint in plaustrù ferreis Galaad.* Maximum supplicium minatur his verbis Damasco: ait enim, *Non conuertam eum*, hoc est, non illi tribuam opem illam maximam, & auxilium singulare, quo maximè indiget animus eius perditus, & deprauatus, vt suis sceleribus nuntium remittat, & ad me conuertatur. semel, iterum atque iterum illius iniquitatem tuli, tria Damasci scelera dissimulaui, quartum autem ferre non possum, *Super quartum non conuertam eum.* Cur tantam Domine indignationem ostendis? eò quòd triturauerint in plaustris
B ferreis Galaad: quasi dicat, quia crudeles in proximos suos exiterunt, & vltores iniuriarum, qui vt vindictam de illis sumerent, inimicitias vsque ad interneciones persequebantur, vexabant, affligebant, & comminuebant: sicut comminuuntur paleæ in area, & tribulo teruntur, triturauerunt eos in plaustris ferreis. Huc vsque illis peperci, non parcam ampliùs, & quia Rex Azael, & filius eius Benadad,
Amos 1.4 tantam crudelitatem exercuerunt, *Mittam ignem in domum Azael, & deuorabit domos Benadad.* ille vltus est sese de Israel, ego me de illo vlciscar.

Nec solùm Damasco, sed aliis tribus regnis minatur Dominus exitium & ruinam: omnes delere vult, à maximo vsque ad minimum, Reges, & Imperatores, qui sceptra regia gestant manu, & pecudum custodes, qui pascunt vile pecus. Ignem minatur non solùm regiis arcibus, & turribus Imperatorum, sed pastorum etiam tuguriis, & huius comminationis causam reddit, quia crudeles fuerunt.

Eandem crudelitatem obiicit Dominus populo suo,
Ier.5.26. C dicens: *Inuenti sunt in populo meo impij insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros, & addit: Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem huiusmodi non vlciscetur anima mea?* Quid, nónne arbitrantur impij rem magnam se perfecisse, cùm in alios fæuiunt, & vindictam exequuntur, ac sese vlciscuntur? Existimant id impunè fieri, & neminem esse qui vindictam possit repetere; falluntur tamen, cùm Dominus dicat: *Nunquid super his non visitabo? aut super gentem huiusmodi non vlciscetur anima mea?* Væ tibi quicunque sis, qui proximum iniuriarum accersis, quia non tibi cum homine, sed cum Deo lis est. Væ tibi, qui recusas offensas remittere, despicere contumelias, iniurias condonare, quia Deum ipsum habebis tantæ iniquitatis vltorem.

Indulgebant sibi Samaritani, luxui & voluptatibus studebant, confidebant in pratis, adibant hortos, D lustrabant nemora, in se suaues erant & misericordes: in proximos autem asperi, crudeles, & inhumani: neque remittebant iniurias, neque odium & indignationem deponebant. Misit Dominus Prophetam Amos, qui hanc ad illos orationem habuit, *Audite verbum hoc*
Amos 4.1 *vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes. Iurauit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus.* Vocat illos Propheta vaccas pingues, quia indulgentiæ operam dabant, voluptatibus perfruebantur, ac pinguedine renidebant. Addit deinde: *calumniam facitis egenis*, eò quòd pauperes & imbecilles, qui nec dimicationem susc ipere, neque obsistere possunt, opprimebant. Audite maximum Domini supplicium. Ecce ego conflabo æneam ollam, illiáque candentes admouebo carbones, vt succendantur & ardeant, ac vos, qui vaccæ pingues estis, in feruentes aquas immittam. Aimaduerte atrox supplicium, quo Deus crudeles homines deterret.

Rex Achab, & vxor eius Iezabel, irati valdè propterea quod Naboth vineam regi tradere noluit, eum
3.Reg. 19 & vineâ & etiam vitâ per summam crudelitatem spoliarunt. peractâ nece pedem domo efferebat Achab, vt illum poneret in vinea Naboth; quando ei processit obuiam Elias, dicens: *Occidisti insuper & possedisti. & post hæc addens: Hæc dicit Dominus. In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum, & canes comedent Iezabel in agro Iezrahel.* Sic fieri oportet ne Principes per tyrannidem omnia vastent. Existimabat forsitan Achab, eò quòd esset Rex, & arbitrabatur Iezabel, quia regio diademate præfulgebat, impunè se posse sumere de quolibet vindictam, quia nemo erat, qui Reges posset iniuriarum accersere. Sed aduersùs Reges adest Rex regum, & aduersùs dominos
B Dominus dominantium, qui innocentium iniurias vlcisci tur & vindicat. Quid? Naboth interfectus est operâ Regis Achab, interficietur etiam Achab, & regius sanguis effundetur, quê canes absorbebunt, & lambent. Facta est cædes consilio & industriâ Iezabelis, dabitur & illa præceps, & canum dentibus dilaniata deuorabitur in agro Iezrahel, in quo plantata erat vinea Naboth. Nec his contentus Dominus, præcepit Iehu, vt omnem familiam Achab funditus deleret. Voluit ille vindemię operam dare, & vineam Naboth expoliare racemis: Deus autem priuauit familiam eius omni posteritatis fructu. vnde septuaginta filij regis interfecti sunt, quorum capita in cophinos immissa allata sunt ad Iehu: sicut afferri solent racemi in cophinis, cùm dant operam vindemiæ vinitores. Maximis se sceleribus astrinxerat Achab, simulacra coluerat, Prophetam Domini in vincula coniecerat, & dissimulauit Dominus: hoc autem noluit dissimulare, sed immisit Eliam, qui atrocissimum illi supplicium denuntiaret: vt inde intelligas quantum displiceat Domino crudelitas, & vindicta, & quantam in se Dei indignationem concitet, qui alteri iniuriam irrogat vt suam vlciscatur.

Voluit Aman vindictam à Mardochæo sumere, quia
Esth.7. sibi non genu flexit, & iussit parari patibulum, in quo tandem ipse Aman rebus à Domino immutatis, Regis Assueri iussu suspensus est: ad cuius dignitatem, honorem, & gloriam ascendit Mardochæus. Perpende igitur, & considera, an illi impunè steterit animus puniendi Mardochæum, animus, inquam, quia non solùm vindictam Deus vindicat & punit, sed & puniendi voluntatem: vt intelligas, quotiescumque inimicitias cum proximo geris, cum Deo tibi rem esse, qui te inultum abire minimè patietur, sed res ita inuertet, atque disponet, vt quidquid mali attuleris inimico tuo, in caput tuum conuertatur.

Id viuis coloribus expressum reperies in maximo
Iudith illo tyranno Adonibezech, qui cùm ab exercitu Israel superatus, comprehensus, & in vincula esset coniectus, extremitatibus manuum & pedum obtruncatus est: cùm autem membra sua cruore manantia cerneret, *Septuaginta* (inquit) *Reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddit mihi Dominus.* Cognouit tandem truculentus ille tyrannus, & confessus est, Deum esse vltorem, & vindicem iniquitatum, qui vindicat & vlciscitur illos, qui manibus obtruncantur, cùm suis ipsis manibus vindictam sumere non possint. Poteris igitur si præstas viribus, inimicorum manus & caput abscindere, Dei autem manus colligare non poteris, qui tandè vltor erit, ac punitor doloris proximi tui, & si iniquè cum illo egeris, idem malum tibi Deus reponet.

Si

Si autem Deus semper inimicitias aduersùs homines, crudeles vsque ad internecionem, prosecutus est, postquam humanam induit naturam; id præstat peculiari quàdam ratione, quia frater noster est, & æternum Patrem omnium parentem appellat. *Ascendo*, inquit, *ad patrem meum, & patrem vestrum.* Vnde qui Christi nomine insignitum in aliquo lædit, Christi fratriniuriam irrogat, & Christum ipsum vltorem & vindicem habebit.

Duo Reges Madianitæ quosdam Israelitas interfecerunt, & tandem à Gedeone Duce exercitus Israel comprehensi sunt: qui percontatus est eos: *Quales fuerunt viri, quos occidistis in Thabor? similes tui, respondent illi, & vnus ex eis quasi filius regis. Fratres mei fuerunt* (ait Gedeon.) *Viuit Dominus, quia si seruassetis eos, non vos occiderem, & surgens interfecit eos.* Animaducrte iracunde, & crudelis, Christi Domini fratres esse illos, quos iniuriis afficis, & contumeliis oneras, qui vindictam expetet, vt optimus frater, & parem aliquando referet fortem.

Cùm Saul persequeretur Dauidem, accidit, vt incideret in manus Dauidis, quem suadentibus etiam amicis, & familiaribus impunè, potuisset interficere, sed noluit, dicens: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Hoc Dauidi ante oculos obuersabatur, vnctum scilicet esse Saulem, & Regem à Domino creatum. Vnde ausus non est gladium stringere, vt Christum Domini percuteret. Omnes Christiani, cùm lustrali aqua in sacro Baptismatis fonte abluuntur, inunguntur oleo diuinæ gratiæ. Qui fuerit ausus in illos insurgere, iniuriis afficere, aut gladio petere, grauissimas persoluet pœnas, & atrocissimum supplicium subibit.

Potuit iterum Dauid manum extendere in Saulem, & interficere: retraxit tamen illam, & cohibuit se, dicens: *Quis extendet manum suam in Christum Dominum, & innocens erit?* quasi diceret: Iniquiùs mecum, quàm cum illo agerem, si illum interficerem. Nam si ego vlciscendi libidinem explerem, Deum, qui illius partes ageret, haberem vltorem tantæ iniquitatis. his verbis vlciscendi cupiditatem arcuit. Huius sanctissimi viri exemplo excitatus, ratione instructus, & disciplinâ imbutus, tu qui facilè commoueris, tumidum ac perturbatum animum sedare poteris, iniurias remittere, ac odium & indignationem deponere. Nam si vindictam expetieris, maius in te malum, quàm in proximum iniuria affectum, concitabis.

Propter scelera Israel immisit Dominus exercitum Assyriorum vt deuastaret eos, qui tantam stragem ediderunt, vt commotus Dominus dixerit: *Væ Assur, virga furoris mei & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea.* Si igitur virga furoris Domini est Assur, quid mali gessit cùm percussit? præcipuè cùm id Dominus præceperit? iratus est Dominus, quia modum non tenuit, sed excessit, *Ad conterendum* (inquit) *erit cor eius.* Si igitur minitatur Deus supplicium Assur, quia in puniendis Israelitis nonnihil excessit, quid tibi euenict qui diuinam voluntatem transgrederis, vindictam quæris, & vsque ad internecionem persequeris inimicos?

Adeò denique Deo displicet quodlibet genus crudelitatis, vt nec leuem eius adumbrationem ferre possit. Exoptauit maximè Dauid templum Domino ædificare, noluit tamen Dominus, dicens: *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me.* & id obiecit Dominus Dauidi, eò quod bella gesserat cum Ethnicis, & eorum sanguinè fuderat. Quid? quodlibet bellum à Dauide susceptum nonne fuit justum? nonne cessit semper in suæ religionis & populi vtilitatem? cur igitur profusum sanguinem obiicit Dominus, & prohibet ne Dauid templum ædificet? Non quia illud malum esset, sed quia Deus bonus est: cui non solùm crudelitas & inhumanitas displicent, sed humani sanguinis effusio, etiam inimicorum, non ita probari potest. Vnde non Dauid, qui plurima bella gessit, sed filius eius Salomon, qui regnum pacificè possidebit, templum Domino ædificet.

Hinc intelliges legè illam quam Dominus condidit: *Si quis per industriam occiderit proximi suum, & per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur:* ab altari meo (inquit) quasi dicat, ne confugiat ad me, tamquâ ad portum, & arcem, quia nullũ refugij locum inueniet. Solent Principes tueri & defendere illos, qui ad se cõfugiunt, & domos suas immunes esse volunt, in quibus perfugium & præsidium nocentes inueniant; Deus autem homicidas recipere non vult, sed à se repellit. Quo graui supplicio meritò puniuntur illi, qui nec iniurias relaxant, nec odia deponunt, sed vlciscendi libidinem explent: quos ab altari suo diuelli ac distrahi jubet, quamquam ad illud, tanquam ad arcem tutissimam confugerint, vti euenit Ioab cornu illius apprehendenti.

In persona Apostolorum sic Paulus, *Deus nos Apostolos nouissimos ostendit tamquam mortis destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus,* morti destinatos, ait Paulus, fuisse Apostolos, ad eum modum, quo tauri in taurorum ludo & agitatione destinantur stimulis, sibilis, & vulneribus, & morti: *Los toros, que se ande correr, encierranse en el toril para sacar lona la placa, à correr los agarrochear, los desjarretarlos y matar los;* sic Apostoli destinati erant ad mortem, ideò discipulis suis Dominus dicebat: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Ecce discipulos Christi morti destinatos: quid enim possunt agni inter lupos, nisi dilacerari? sic etiam Apostolis Christus dicebat: *Absque synagogis facient vos: sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo,* & ad eosdem: *Tradent vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos, &c.* Ecce Apostolos & Discipulos Christi, velut tauros ad agitationes, ad vulnera, ad mortem destinatos, subdit, *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Spectaculum quid est? S. Thom. *Quando aliqui sunt ad mortem damnati, conuocantur homines ad eorum occisionem, quasi ad spectaculum, & hoc maximè fiebat circa eos, qui damnabantur ad bestias: & quia Apostoli erant quasi morti destinati, ait Paulus,* spectaculum facti sumus mundo, *quasi totus mundus concurrat ad spectandam nostram occisionem.* Ita S. Thom. Quid autem Apostoli sancti effecerint, subdit: *Maledicimur, & benedicimus, &c.* Ecce spectaculum Angelis, imò & Deo, gratum: spectabat enim hoc Deus, sicut S. Stephanum patienter ferentẽ. sicut enim in bello gaudent qui spectant, dum aliquem fortiter pugnantem & vincentem vident, sic Deus & Angeli eius videntes nos æquo animo tolerantes inimicos, gaudent: hæc enim est victoria gloriosa. vnde docens Apostolus quonam pacto vincere facilè ac licitè inimicos valeamus, *Noli,* inquit, *vinci à malo,* quod scilicet tibi inimicus tuus infert: *sed in bono,* quod illi tu præstare poteris, *vince malum.* Apostolus ipse fuæ sententiæ expositor factus, quomodo sic vincere in bono possis hostem, explicauit. *Si esurierit,* inquit, *inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Vbi S. Thom. *Carbones ignis, charitatis videlicet, congeres super caput, id est, super mentem eius.* Ita ille. Nam qui nocenti nocet, non mentem eius vincit, sed corpus, aut honorẽ, vel diuitias: ipsum autem inimicum prouocat amplius contra se: at qui beneficiendo vincit inimicum, mentem eius vincit, imò conuincit, vt charitatem eius laudet, prædicet, & illum præferat sibi.

Hoc manifestè constat in Saule, qui cùm vidisset manifestè potuisse Dauidem occidere Saulem saluo, & noluisse, in hæc verba prorupit flens, vti ait Textus facer: *Iustior tu es, quàm ego, tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Tu indicasti hodie, quæ feceris mihi bona*

bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me. Quis enim, cùm inuenerit inimicum suum, dimittet eum, in via bona? Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo quod hodie operatus es in me. Vide quomodo non solùm victus, sed conuictus fuerit charitate inimici sui: hoc igitur est super mentem, super cor eius congerere ignem charitatis, & sicut tormentis interrogatus reus veritatem cogitur fateri, sic Saul charitate & beneficio Dauidis se reum, illum verò justum fuisse, confessus fuit.

Hom. 2. de mysteriis cœnæ Dominicæ, tom. 3. Quod etiam de proditore Iuda asseruit S. Chrysost. vbi mensam illam, in qua Dominus conuiuium Iudæ fecit, catastam nominat proditoris, dicens: *Cùm disciumberet Christus cum duodecim discipulis suis, & diceret: Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, turpe ascendit propriæ Deitatis tribunal, & illud conuiuium, velut catastam ante se consituens, conscientiæ tormento confiteri compulit reū, vt in auctionem posset reuocare peccatum.* Ita ille. Cùm igitur Iudas dixit: *Nunquid ego sum, Rabbi*, quid aliud fuit quàm in illa catasta, in illo tormento, confiteri, atque dicere: Fateor tibi, ego sum traditor iste, &c. neque enim id cognoscere & confiteri potuit meliùs, se scil. magnam committere proditionem, quàm cùm Christus ei & panis buccellam intinctam, & propriam carnem, & proprium sanguinem dedit, &c. sic beneficentiâ vincitur & conuincitur honestissimè inimicus.

Lib. de patientia. Imò non solùm beneficentiâ, verùm etiam patientiâ tuâ illum vinces, vti ait Tertullianus, *Fatigetur*, inquit, *improbitas* alterius, *patientiâ tuâ*. Ita ille. *Cansad la malitia agema con pacientia propria*, & subdit: *Improbum cædu sustinendo, grauiora mansuetudo vulnera refert*. Ita ille, quasi dicat: Vis inimicum vincere, & ad tuos pedes deuoluere illum? patienter tolera ejus improbitatem: nam nulla hasta melior ad illum deiiciendum, quàm patientia, nullus penetrabilior ensis.

Mat. 5. 39 Lib. 7. in Luc. Hoc ipsum docuit Christus Dominus, dicens: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram*, quem locum sic exponit S. Ambros. *Grauiora contumacibus mansuetudo vulnera refert, & hoc pugno repercussit Dominus verberantē, dicendo*: Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. *fit enim, vt judicio suo se ipse damnet, & quodam stimulo sui compungatur affectus, qui relatam sibi sedulitatem pro iniuria, quam fecit, aduerterit.* Ita ille.

In Paræ. Et S. Nilus: *In omnibus, in quibus afficeris iniuriâ, confugito ad patientiam, & super iniuriantes nocumentum deuoluetur.* Ita ille. Ecce modum, quo te facilè, piè, ac justè de inimicis poteris vindicare. Hæc igitur victoria gratissimum spectaculum Deo est.

Ier. 15. *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: eice illos à facie mea, & egredientur.* Verba sunt Dei contra populum suum peccatorem, ob eius scelera valde indignati: in quo loquendi modo manifestè demonstrat, & grauitatem indignationis suæ in peccatores illos, & quàm grati Deo essent Moyses & Samuel: idem enim est ac si diceret modò quis: Licèt pater meus & mater mea hoc à me exigerent, nequaquam hoc illis concederem ego, & in hoc quantum apud te pater & mater polleant, designares: idem enim est ac dicere: si qui à me hoc extorquere possent, parentes mei essent: sed adeò auersus sum vt nec parentibus hoc modò concederem. Sic igitur Deus, Adeò, inquit, auersus sum à populo isto, vt nec Moyses nec Samuel veniam à me modò obtinerent. Cur igitur tantùm apud Deum valere Moysem & Samuelem affirmat ipsemet Deus? S. Gregor. *Aliud ego* (inquit) *hac in re non inuenio quàm quòd Moyses & Samuel orarunt pro inimicis suis*. Ita ille, & quidem de Moyse id constat, vbi oranit pro populo Israel, quem Dominus delere se velle dicebat ob scelera eius: & quidem populus ille valde ingratum & inimicum se Moysi demonstrabat. De Samuele etiam notum est ex primo

9 Mor. 13 Exod. 32.

Regum, vbi Israelitæ abiecerunt Samuelem, ne dominaretur eis ipse, nec filij eius, & tamen cùm extimerent illi ne fortè ob hanc causam cessaret orare pro eis Samuel, dixit: *Absit à me hoc peccatum in Dominum, vt cessem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam.* Ecce igitur quam ob causam speciali quodam jure tanti fecerit Deus Moysen, & Samuelem, vt videant qui amauerunt inimicos, speciali quadam prærogatiua se amandos esse à Deo, &c.

Refert Sabellius dedicasse olim Græcos altare quoddam, quod *Altare gratiarum* nuncupabant, in quo iniurias sibi illatas Deo offerebant, profitentes se gratis & spontaneè parcere his, qui eos affecerant iniuriâ. cùm autem bello quodâ Lacedæmonij vicissent Athenienses, consuluerunt Athenienses Deum an tunc altare illud gratiarum destruere oporteret: quibus sic oraculum respondit: Communem aram gratiarum ne amoueatis, quasi diceret: Sit vobis vniuersalis & communis hæc ara, neque in præsenti, neque in quouis alio casu ab hac gratuita remissione iniuriarum cessetis: est enim sacrificium gratissimum Deo. Valuit autem ampliùs apud Athenienses Deorum suorum religio, & authoritas, quam vehementia passionis iræ & indignationis contra Lacedæmonios, & ita pepercerunt illis. Cùm autem Christum Dominum in cruce video pro suis crucifixoribus exorantem, & dicentem: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, in aram gratiarum crucem ipsam Patri suo consecrare mihi videtur, O quàm gratum & acceptum Deo tu offeres sacrificium, si acceptâ iniuriâ, ad Christi crucem accedens, dixeris: Pro charitate tua Christe, quâ in hac cruce pro iniuriis tuis exorasti, pro inimicis meis pariter oro ego, Domine IESV, parce illis, *quia nesciunt quid faciunt.*

Inueni Dauid (ait Dominus) *virum secundùm cor meum, de su humor, de su condicion*, cur secundùm cor Dei? S. Hilarius respondet: *Dauid patiens gratulabatur odio, & ideò vir secundùm cor Dei fuit.* Ita ille. Cor Dei, & ingeniū Dei, vt alibi diximus, est benefacere inimicis suis, *qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* vnde in vita Christi Domini clementia & beneficentia erga inimicos maximè relucet.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Pera micam Dei, animam justam S. Bernard. intelligit, per spinas inimicos justi: spinarum enim proprium est pungere, & torquere aculeis suis, sic etiam inimici pungunt, torquent, & cruentant honorem, famam, vitam: rosam verò seu lilium, quod inter spinas versatur, non solùm non lædunt spinæ, verùm eas decorant, venustant, & ornant. ait ergo S. Bernard. *Si his, qui odio habent pacem, pacificum & amicum te ipsum exhibeas, id tibi ad similitudinem datam de lilio jure quodam proprietatis specialiter vindicabit, quod ipsas vtique pungentes se spinas candori proprio illustrare & venustare non cessat*: an non proinde lilium tibi videtur implere quodammodo Euangelij perfectionem, *qua orare jubemur pro calumniantibus & persequentibus nos? Ergo & tu fac similiter & erit anima tua amica Christi, & laudabit te, dicens de te*: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Ita ille: Ecce cuius se Deus gloriatur amicum: quisnam verò speciali jure Dei se exhibeat amicum? ille qui amat inimicos & benefacit eis.

PROP. XXIV. *Quàm regium & diuinum sit parcere inimicis.*

HInc est quòd vindictam de peccatoribus inimicis suis Deum sumere, vocetur opus peregrinum & alienum ab eo Isa. 28. n. 21. & cum vindictam sumit, dicatur tactus dolore cordis intrinsecus. Gen. 6, n. 7. & quòd non ex corde suo humiliet & abiiciat filios hominum 3. Threnorum 3. n. 33. Vbi vide S. Hieron. & supe. Isa. 28. n. 21.

PROP. XXV.

Prop. XXV. *Quam digna Deo res sit parcere inimico.*

CVm Iacob in parriam suam reuerteretur, & obuiam sibi fratrem Esau haberet, timuit eum valde, quia ob primogenituram & benedictionem patris, quam ab eo sustulerat Iacob, ad mortem vsque persecuturum se Iacobum fratrem promiserat Esau. cùm igitur obuium fratrem haberet Iacob, & eum placatum & beneuolum intueretur, dixit ei: *Sic vidi faciem tuam quasi viderim vultum Dei.* cur ita? cur non ait, vultum Angeli: sic enim satis rem augeret. nimirum quia parcere inimicis, & obliuioni tradere contentiones, ita proprium Dei est, vt vultus hominis sic placati, vultum referat ipsius Dei.

Mirantur omnes mansuetudinem Mosis, quód cùm toties Pharao rex eum fefellisset verbis suis, quantumuis regalibus, quibus promiserat Moysi se id effecturum, quod tot prodigiis non solùm postulabat, sed etiam extorquebat. nihilominus cùm aliquam pœnitudinem in eo spiciprobat, ipse emendationem promittebat, statim Moyses à cædibus manum retrahebat, & pro illo Deum orabat. cur ita? nempe quia audierat à Domino, *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, &c. ideo tam facilè Pharaoni parcebat. ac si diceret: Deum Pharaonis me DEVS constituit; me igitur oportet Deum in mansuetudine & clementia referre ac imitari; quare quoties peccauerit, & me deluserit Pharao, si veniam petierit, parcam. id enim proprium est Dei, cuius vices gero.

Prop. XXVI. *Amor inimici ad Dei gloriam spectat.*

GRaue quidem est & difficilis obseruationis hoc Dei præceptum de inimicorum dilectione, omnes iniuria affecti hoc experimento norunt: sed quantò maiorem continet difficultatem, tantò maiorem Deo exhibet gloriam eius obseruatio: nam per hoc cognoscitur quanta sit dignitas iubentis, cum subditi nulla difficultate præpediuntur, quò minùs pareant & obediant imperanti.

Vnde cùm pro inimicis suis & actu lapidantibus oraret S. Stephanus, vidit cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei: tantæ quippe gloriæ suæ id Dominus iudicauit, vt aperitet cœlos, quasi hoc modo vellet athletam aspicere, qui pro ipso sic pareret inimicis aspiciebat. quidem clausis quoque cœlis, sed vt more nostro procederet, quàmque gloriosum sibi spectaculum illud & gratum esset, demonstraret, aperuit cœlos, & stantem ad modum vincentium, non iacentem ad morem victorum, se demonstrauit. & ob hanc causam Saul miratus nimiùm fuit, quòd cùm Dauid, quem ipse ad mortem quærebat, Sauli pepercisset, cùm facilè ipsum perimere potuisset; *Quis enim*, inquit? *cum inuenerit inimicum suum, dimittit eum in via bona?* quasi dicat, rara auis in terra. Ecce huius præcepti difficultatem, & hinc oritur, vti diximus, maior gloria Dei, &c.

Prop. XXVII. *Amor inimici nos Dei filios facit.*

VT *sitis filii Patris vestri*, ait Christus, qui enim alium imitatur, & mores eius refert, eius filius solet nuncupari. Vnde sic ad populum suum Deus: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* cur quæso horum filium vocat populum suum Deus, cum certò sciret non ex Amorrhæis, nec ex Cethæis originem duxisse, sed ex sanctis Patriarchis, Abraham, Isaac, & Iacob? Respondet sanctus Cyrillus Alexandr. *Moris Scripturæ diuine esse vocare hominem filium eius, cuius mores imitatur, & hac ratione dixit quibusdam peccatoribus Christus: Vos ex*

A *patre diabolo estis*: sic è conuerso, qui Dei mores imitatur, filius Dei dicetur.

Vt sitis filij, &c. Matth. 5. *Quòd si filij & hæredes, hæredes quidē Dei, coheredes autem Christi.* Vnde quando in Baptismo vox illa cœlestis insonuit, *Hic est filius meus dilectus*, &c. statim cœli aperti sunt Christo. Ad quid igitur eo tempore aperti sunt cœli, nisi vt ostenderent, apertam, & non clausam esse filiis Dei ianuam regni cœlorum, aditumque illis patere, vt in æternam illam regni cœlorum hæreditatem ingrediantur? cæteris enim non filiis clausa est ianua, eisque ait Deus, *Nescio vos.* Hinc etiam quando S. Stephanus dicere volebat: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*, aperti sunt ei cœli, quasi diceret Deus, qui diligit inimicos, filius Dei est, quòd si filius, & hæres. Tu Stephane adeò diligis inimicos, vt pro illis lapidantibus te, & sic immaniter vitam tollentibus à te, orationem fundas; tui sunt igitur cœli, tuahæc hæreditas regni cœlorum. Sic Moysi & Aaron, eo tempore quo pro inimicis oraturi erant, Numer. 16. apparuit gloria Domini, quasi diceret B eis: Gloriam meam ego libenter præstabo his qui diligunt inimicos.

S. Chrys. ho. 19. ad Rom. *Nunquam Christus dixit.* Vt sitis fili Patris vestri qui in cælis est, *nisi quando audiebat, diligite inimicos vestros, orate pro calumniantibus vos, tunc præmium illud subiungebat. Nihil enim adeò vicinum cũ Deo conformemq; facit, sicut ista virtus. Propterea & Paulus dicens, Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem sicut & Deus in Christo donauit vobis*, subdit, *Estote ergo imitatores Dei sicut filij charissimi.* Ita S. Chryso.

Prop. XXVIII. *Quanti valoris sit amor inimici.*

S. Efrem Syrus tractatu de margarita pretiosa: Margaritam (inquit) non concharum coniunctio format, sed fulgoris & aquæ commixtio. ita ille. Obserua vnde lapis hic pretiosus formetur, ex concordia scilicet & ex coniunctione duorum contrariorum, C ignis scilicet & aquæ, inde margarita resultat: sic quidem ex concordia & conuentione duorum inimicorum resultat margarita amoris inimici, quæ à Deo & hominibus tanquam pretiosus lapis æstimatur.

Vnde etiam Apoc. 21. in cælestis ciuitatis murò duodecim portas vidit Ioannes ex margaritis fabricatas, *& duodecim portæ*, inquit, *duodecim margaritæ sunt.* Cum ergo margarita symbolum sit concordiæ, ideo portæ cæli ex margaritis constant, quia amor inimici porta cæli est.

Hinc Dauid 1. Reg. 26. postquam vitæ Saulis inimici sui consuluit, potuit enim facilè eum tollere de medio, sed nolens occidere pepercit, & postea sic eum affatus est: *Si Dominus incitat te aduersùs me, odoretur sacrificium.* Quod sic exponit Lyranus: Patientia mea in persecutione hac accepta sit coram Deo ac si offeram holocaustum ante altare suum. ita ille. Ecce quid D sit in oculis Domini amor inimici, holocaustum suauissimi odoris & valde gratum.

Id ipsum S. Chrysost. hom. 2. de Dauid, & Saule: *In spelunca*, inquit, *obtulit sacrificium, non quidem mactato vitulo, aut occiso agno, sed quod his honorificentius erat, mansuetudinem, & humanitatem offerens Deo.*

Prop. XXIX. *Amare inimicum quam meritorium sit.*

DIfficile quidem est patientiam seruare in iniuriis, maximè quando maximæ sunt, sed tamen pro mensura difficultatis & sustinentiæ erit mensura remunerationis & præmii.

Quod in Christo Domino sic probat S. August. serm. 9. de verbis Apost. vbi agens de his qui Dominum occiderunt, *Isti*, inquit, *qui sanos se putabant, multo periculosiùs agrotabant, & ipsa agritudine qua mentes perdide-*

rant, etiam medicum cædebant. Parum est cædebant, non solùm cædebant, sed etiam occidebant. Christus autem etiam cùm occideretur medicus erat, vapulabat & curabat, patiebatur phreneticum, nec deserebat ægrotum, tenebatur, alligabatur, colaphis percutiebatur, arundine plagas accipiebat, irridebatur, insultabatur ei, damnabatur, ligno suspendebatur, vndique circum fremebatur, & medicus erat. Agnoscit phreneticos, agnoscè & medicum. Pater, inquit, ignoscè illis, quia nesciunt quid faciunt. Illi perdita mente sæviebant, & medici sanguinem sæviendo fundebant; Christus verò etiam de ipso sanguine suo ægrotis medicamenta faciebat, neque enim frustra dixit, Pater ignoscè illis, quia nesciunt quid faciunt, & exauditus est. denique patientiâ suâ passus est, vt patientiam doceret nos, & in resurrectione sua patientiæ præmium demonstrauit. ita S. Augustinus. Passus est itaque Dominus noster grauissimas iniurias, quales nec vnquam passus est homo, nec pati poterit vnquam, sed tamen non solùm patienter tulit, nullum proinde malum pro malo reddens, verùm etiam de iniuriis ipsis medicinam & antidotum fecit, quo ipsos hostes & occisores saluaret. quid inde? Pater proinde filium suum à mortuis gloriosissimum resuscitauit. Vide altissimum patientiæ præmium, disce tu à Christo quomodo cum inimicis tuis te gerere debeas, phreneticus est inimicus tuus, mente caret qui charitate caret, qui proximum afficit iniuria & damno, nam dum temporale damnum aliis infert, se morti æternæ addicit. vide insaniam, vide stultitiam. tu ergo Christum exemplar nostrum imitare, non de illis vindictam sumere cures, sed curare satage illos, & qui pro patientia iniuriarum Christum Dominum suscitauit ad gloriam, ad eam quoque te pro patientia tua suscitabit.

Luc. 23.

Amicos eos solet vocare mundus qui laudant & obsequuntur, & bona amici curare solent, inimicos verò illos qui è conuerso non solùm non laudant sed vituperant, & qui non obsequuntur, sed persequuntur, & denique qui nocent vel in bonis temporalibus, vel in honore & fama, vel in corpore ipso: at in dictionario Dei illi amici vocantur, qui in his, quæ ad salutem animæ sunt, iuuant, & prosunt, inimici verò hi qui licèt circa bona corporalia & temporalia alicuius inuigilent, in bonis animæ ei nocent. Exemplum ex sacris literis petamus, quæsiuit in horto Iudas Christum Dominum cum satellitibus suis, & osculo eum tradidit ei, cui dominus, *Amice ad quid venisti?* Quid enim Domine amicum appellas? te osculo tradit hostibus tuis, & tu eum amicum dicis? hocne opus amici est? imò crudelissimi inimici facinus quidem est. attendit Christus Dominus non animum Iudæ, sed rei effectum, quid ex traditione Iudæ consequutum est? Mors, inquies, Christi. quid ex morte Christi? vita nostra & salus ac redemptio generis humani, quam vehementi desiderio Dominus desiderabat, eum ergo qui de facto sic illi opem tulit ad humani generis redemptionem, non inimicum, sed amicum volnit appellare. Rursus cum Christus discipulis suis diceret, quia oporteret eum ire Hierosolymàm & multa pati à senioribus & scribis & principibus sacerdotum, & occidi, in medium prosiliens Petrus dixit: Absit à te Domine, non erit tibi hoc. cui Dominus: vade post me satana, scandalum es mihi. Confer nunc intentiones & facta Petri & Iudæ. Petrus intendebat Christum à morte, opprobriis & cruce liberare, Iudas intendebat eum hostibus tradere. Petrus ne iret Hierosolymam consulebat Christo, ne ibi ab hostibus caperetur, Iudas osculi signo eum tradebat, & tamen Petrum satanam vocat, hoc est, aduersarium & hostem, hoc enim significat Satanas: Iudam vero amicum appellat, nimirum quia Petrus salutem animarum pacto suo impedebat, non verò Iudas, sed nesciens potiùs faciebat, vt inde nos-

Matt. 26.

Matt. 16.

A scas inimicos amicos censere, qui persecutionibus suis tibi maiorem saluationis tuæ occasionem præstant. Inimicus quidem tibi nocere intendit, sed si tu sicut Christus patienter tuleris, & nocumentum in emolumentum conuertes, & quod ille infert in necem, tu conuertes in vitam.

Breuiter quæ bona hinc proueniant, sic concinnauit S. Chrysost. homil. 22. in epist. ad Rom. exponens illa verba Apost. *Bene loquimini de his qui vos insectantur, & ne malè precemini. Si ita*, (inquit) *feceris, tibi maior erit merces, & minor fiet tentatio, ille à persecutione abstinebit, & Deus glorificabitur. Delinquenti doctrina & exemplum patientiæ præstatur, vide quot hinc nascantur bona* ita S. Chrysost. quæ quidem facile amplificari possunt.

Est igitur meriti eximij proximis pecunias misericorditer dare, & benefacere indigenti: at propter Deum direptionem bonorum ferre multò magis magni meriti est alios laudare, vituperium autem amore Dei æquo animo tolerare, & laudabilius & meriti amplioris. Huius rei rationes assignat Sanct. Chrysost. hom. 68. ad popul. *Multò magis est cum quod auferatur alicui, propter Deum æquè ferre, quam benè mereri de alijs; quare? quia bene mereri voluntarium est, vnde facilè fit: hoc autem est infestatio, & violentia, & facilius aliquis mille talenta voluntarius amitteret, quam tribus obulis inuitè priuatus æquè ferre.*

B

C

D

Prop. XXX. *Amor inimici Christianam fidem confirmat.*

IOan. 13. dicitur: *in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Duplicem sensum hic locus habet. Primum discipulatus Christi signum esse, dilectionem proximi. Ita est, hoc voluit Christus significare, lex enim Christiana in proximi dilectione consistit: qui enim proximum diligit, legem impleuit: vnde sicut in Vniuersitatibus, vbi sunt Collegia multa, cuius Collegij collega aliquis sit, ex insigni quod gerunt, dignosci solet: sic etiam religiosos, cuius religionis quisque sit, ex habitu diiudicamus. Ecclesia Christi religio Christiana est, & omnes eam charitatem, vt diximus, profitemur: vnde ab infidelibus hoc charitatis insigni separamur: ex illo igitur dignosci debemus. Hic igitur primus sensus, *In* hoc cognoscent omnes vos meos discipulos esse, si dilectionem habueritis ad inuicem, id est, in habitu charitatis. Secundus sensus est, quia Christus erat verus Deus, in hoc cognoscent omnes, vos veri Dei sectatores esse, quòd videant mutuam charitatem: omnes enim, cùm vos intimè inuicem amare conspicient, dicent: *non est hic aliud nisi domus Dei*: non hoc humanum, sed diuinum est, verè Deus, quem isti colunt, verus Deus est. tanta enim est generis humani strages, vt homini homo lupus esse dicatur, vbique odia, vbique iræ, vbique dissensiones, vana loquuti sunt vnusquisque ad proximum suum, corde & corde loquuti sunt: vbi ergo regnauerit amor, regnabit Deus, omnes id confitebuntur. In hoc ergo cognoscent vos meos, id est, Dei veri esse discipulos. Hanc ad rem optimum deducit argumentum S. Chrysostomus hom. 27. ad Rom. *Si dilectio mutua discipulorum insigne huiusmodi est, perpende quantum sit odio persequentem amare?* Ita ille. Si enim non odientes amare, signum est nos Dei testatores esse, eò quod supra vires humanæ corruptelæ videatur esse, quantò magis si inimicos etiam dilexerimus.

Ioan. 13.

Prop. XXXI. *Patienter pati iniuriam, & amare inimicum, quam satisfactorium sit.*

S. *Chrysost.* hom. 23. in 2. ad Cor. *Etenim cùm ab hominibus detrimento aliquo mulctamur, & non parvo debito destituimur, si ea quæ nobis inferuntur, magno ac gene-*

generoso animo perferamus ; nunquid ladimur ? Deus enim vexationem nobis pro debito imputat , etiamsi non ab initio eum qui iniuria affectus est vlciscatur. Vnde hoc perspicuum est , inquites ? Iudei quondam à Babylonijs vexabantur , nec Deus prohibuit : verùm & pueri & mulieres in seruitutem adducebantur , sed postea hec captiuitas pro peccatorum salutione in consolationem ipsis fuit , & ob eam causam Isaias dicebat , Consolamini , consolamini populum meum sacerdotes, loquimini ad cor Hierusalem, quia suscepit de manu Domini duplicia , & aduocate eam, dicit Deus vester , quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius , suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. *& rursus*, Da nobis pacem , omnia enim reddidisti nobis. *& Dauid ait*, Vide inimicos meos , quia multiplicati sunt , & dimitte omnia peccata mea. *Et cum illum Semei dira omnia ipsi imprecantem ferret, aiebat* , Dimitte eum vt videat Dominus humilitatem meam , & reddat mihi pro hac die. *Nam cum Deus nobis iniuria affectis opem non fert , tunc maximam accepimus vtilitatem. nobis enim hoc pro virtutibus & rectè factis ascribit , cùm sic illatam ferimus iniuriam , vt ipsi gratias agamus. Denique hoc tantam vim habet, vt etiam solum Deum placarit, etiam si aliquin is qui malè multatur , subsidio sit indignus. nam cum supra modum quis vexatur , vel hoc solum Deum allicit ad veniam sibi dandam.* ita S. Chrysost. Vbi nota quod S. Chrysost. in his & aliis multis locis diuersimodè refert scripturam ac nostra nunc habet Vulgata ; locus igitur ille Psam. 24. sic habet in Vulgata nostra, *Vide humilitatem meam, & laborem meum , & dimitte vniuersa delicta mea , respice inimicos meos , quoniam multiplicati sunt* , &c. Sensus igitur idem est , quasi dicat Dauid: Noui Domine pietatem tuam, & quantum apud te valeat patienter ferre iniurias ab inimicis illatas , & quòd pro huiusmodi tolerantia peccata remittas. Vide igitur laborem meum in persecutione quam ab inimicis patior , & ob id parce peccatis meis.

Hoc etiam in ipsa dominica oratione Christus Dominus manifestè significauit in quinta petitione, *Dimitte nobis debita nostra , sicut & nos dimittimus debitoribus nostris* ; quasi dicat , hoc certò sciat quisquis dimiserit inimicis suis iniurias illatas sibi , quod inde rationem & ansam habet magnam ad exigendam à Deo remissionem peccatorum.

PROP. XXXII. *Amor inimici manifestat , quanta sit vis & charitas animæ.*

DE charitate agens Scriptura , *Lampades eius*, inquit *lampades ignis , atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Aqua quidem igem extingere solet , non tamen quando ignis vehementer accensus est , sed quando parum , vt ad oculum constat. sic igitur de charitate philosophandum est, quando charitas exigua est , facilè inimicorum operâ perit; at quando ingens est , nequaquam. quare si videris aliquem ob aliquam ordinariam occasionem contra hoc Domini præceptum irasci & se vindicare , scito vel nullam in eo charitatem fuisse , vel paruam : nam perfectam charitatem aquæ multæ , hoc est , inimicitiæ multæ extinguere nequaquam valebunt.

Addam occasione huius comparationis aquarum, quòd potiùs inimicitiæ charitatem augent. id ex aqua in fornacem coniecta coniectabis; nam aquâ illi hyssopo immissâ non extinguitur fornax , sed accenditur ampliùs : sic & charitas cùm fornacis instar viget , opprobriis & iniuriis lacessita non extinguitur , sed augetur suo contrario debiliori. Deinde aquis comparatur talis inimicitia , quia aqua ad radices arboris diffusa , arborem crescere ampliùs facit : sic etiam odium proximi , iniuria & persecutio , vbi charitas est , virtutum radix (dicente Apostolo , *in charitate radicati & fundati*, &c.) crescere arborem virtutum facit. Vnde enim imperfectus detericratur , inde perficitur , qui perfectus est in charitate.

Struthio ferrum digerit , nimirum propter eximium calorem naturalem , quem habet ; sic & perfectus in charitate, ferrum, seu errorem proximi digerit , & in bonum sanguinem virtutis conuertit , ob calorem supernaturalem charitatis. Vis struthionem aliquem spiritualem videre , memento Apostoli Pauli , qui quamplurima , & grauissimas persecutiones passus est, vide tamen quid dicat : *Maledicimur* , inquit *& benedicimur : persequutionem patimus , & sustinemus : blasphemamur , & obsecramus.* Ecce struthionem diuinum , qui maledictionem in benedictionem , persequutionem in patientiam , blasphemiam in obsecrationem conmutabat. *De los yerros de sus proximos que buena sangre sacava.* abundabat enim calore charitatis. Sic sanctus Stephanus lapides in orationem conuertebat. &c.

Si puero exiguum pondus subleuandum apposueris, nequibit illud sursum tollere , non quia graue pondus sit , sed quia puer ille est , & viribus caret. leuabit illud vir digito vno , quia vires habet. Dicet itaque puer: grande pondus est : dicet vir, nullum pondus est. sic qui viribus spiritualibus caret, graue dicit esse præceptum hoc de inimicorum dilectione ; sed qui vir in virtute est , & viribus spiritus præditus , quasi nihil faciet tale pondus. vires autem has charitas perfecta præstat : vnde qui difficultate hac victus parcere recusat , se charitate carere ostendit. quòd si charitate caret , væ illi. vide virum charitate perfectum , lapides graues facilè tollerantem, sanctum , inquam , Stephanum , & inter lapides hos dicentem: *Domine ne statuas illis hoc peccatum*, &c.

Magnanimum te existimas , cùm inimicum vincis, cùm de hoste triumphas , falleris prorsus , imò ille magnanimus , & regio solio dignus , qui nouit parcere inimicis. vnde cùm Dauid posset occidere Saulem, mortalem inimicum suum , qui actu Dauidem ipsum ad mortem quærebat, & nollet , ei libenter parcens; ita Saul ad eum dixit , *Nunc scio verè , quod regnaturus sis*, &c. vnde sic est locutus ? imò si te , ô Saul, Dauid occidisset , illico regnasset : sed & Regem , & eum semper ad mortem persequentem viuum dimittens , quomodo Rex propterea futurus est ? nimirum quia in hoc animum verè regium demonstrauit. Rectè Hugo Victorinus lib 6. de anima, Nobile , inquit, victoriæ genus ignoscere victis. non ait occidere, captiuare,& in seruitutem duram redigere , sed parcere victis , hoc nobilis & excelsi & regii cordis signum. quid est igitur mirum , si colligat inde Saul : hic regnaturus est, hunc absque dubio eliget Deus in Regem?

Hinc ipsemet Dauid de se ipso, *Scitote* inquit , *quoniam Dominus mirificauit sanctum suum.* Originale Hebræum sic habet : Scitote , quoniam elegit sibi Dominus misericordem , q. d. *Nadie se canse en procurar quitarme la corana de Rey, por que ya Dios me la tiene darla por auerme hallado misericordioso con mis enmigos.*

Plut. in Polit. *Non hi commendari solent , qui aliis inferunt iniuriam , quive pertinaciter , & obnixè superare contendunt ; sed hi , qui illatam iniuriam animo æquo & forti tulisse videntur. hi enim non modò mansuetudine & morum facilitate, verùm etiam prudentiâ & magnitudine animi præstant , propterea quod paruis rebus cedentes , maxima & pulcherrima obtinent , & euenium.* ita Plutarchus. Quomodo , inquies , animi magnitudine , cum pusillanimis sit , de inimico non sumere vindictam ? magnanimi, inquit Plutarchus, est parcere , & cedere irato , quia fortior est qui se quàm qui fortissima vincit mœnia: qui autem parcit, se ipsum vincit. pusillanimis quidem est qui virtutem non habet ad vincendam propriam iram; & appetitum vindictæ , à pusillanimitate hoc procedit , &c.

Non ex grauitate præcepti, sed ex defectu charitatis & amoris debiti in proximum, difficultas obseruandi hoc præceptum emanat. quod apto quodam exemplo explicabo, sumpto ex Plutarch. lib. de vtilitate capien. ab inimic. vbi, *Sicut*, inquit, *animantia, quæ plurimum stomacho valent, quæq; corporibus saluberrimis sunt, etiam & serpentes & scorpios edunt, & concoquunt: sunt etiam quæ saxis alantur, & hæc propter spirituum vehementiam, & calorem in alimentum vertunt, cùm interim graciles illi, & valetudinarij, panem etiam fastidiant. Ita stulti corrumpunt, & perdunt etiam amicitias: contrà qui sapiunt, etiam simultatibus commodè norunt vti.* Ita Plutarch, &c.

Seneca lib. 3. de ira cap. 5. & 6. *Ille ingens, inimicus & verus æstimator sui est, qui non vindicat iniuriam, quia non sentit, vt tela à duro resiliunt, & cum dolore cadentia solida feruntur: ita nullum magnum animum iniuria ad sui sensum adducit, fragilior, cò quòd ferit. Quanò pulchrius est, velut nulli penetrabilem telo, omnes iniurias & contumelias respicere? Vltio doloris confessio est. non est magnus animus, quem incurrunt iniuria. Aut potentior te, aut imbecillior læsit. si imbecillior, parce illi, si potentior, tibi. nullum est argumentum magnitudinis certius quàm nihil posse, quo insigniùs, accidere. Pars superior mundi & ordinatior, & sideribus propinquior, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem, omni tumultu caret, inferiora fulminant. Eodem modo sublimis animus quietus semper & in statione tranquilla collocatus, intra se premens, quibus ira contrahitur, modestus & venerabilis est, & dispositus, quorum nihil inuenies in irato.* Ita Seneca.

Cui consonat Publ. Mim. dicens: *Magnanimi proprium est, esse tranquillum, & iniurias & offensiones semper despicere.* Ita ille. Idem, *Ingenuitas*, inquit, *non recipit, contumeliam.* Ita ille. Magnanimitas enim hæc fortitudinem animi vel supponit, vel secum adducit, mollem quippe & magnanimum esse hominem eundem impossibile quidem est. paruum igitur pusillanimi mente ille se ostendit, qui vires ad ferendas iniurias non habet.

Prop. XXXIII. *Parcere inimico signum perfectionis est.*

3. Reg. 1. Matth. 5. 48.

CVm de dilectione inimicorum egisset Dominus subdidit, *Perfecti estote, sicut pater vester cœlestis perfectus est.* quasi dicat, qui amat inimicum, & orat pro eo, & benefacit malefacienti, hic perfectus est vir. Vnde sanct. Augustinus explicans verba illa, *Si reddidi retribuentibus mihi mala.* Hoc (inquit) *non potest verè dicere nisi perfectus. ait quippe Dominus, Estote perfecti sicut pater vester cœlestis perfectus est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos & iniustos. Qui ergo non reddit retribuentibus mala, perfectus est.* Ita S. Augustin. qui ponderat ibi verbum *retribuentibus. Et bene non ait,* (inquit S. Auguſt.) *si reddidi tribuentibus mihi mala, sed retribuentibus. Qui enim retribuit, iam aliquid accepera: maioris autem patientiæ est, nec ei mala rependere qui acceptis beneficiis reddit male pro bonis, quàm si ante nullo beneficio accepto nocere voluisset.* Ita S. Auguſt.

Prop. XXXIV. *Amor inimici est signum gratiæ & prædestinationis.*

Mat. 5. 45

VT *sitis filij patris vestri qui in cœlis est*, hoc est, sic indicium eximium præstabitis vos esse de numero filiorum Dei. De aquilis testantur Philosophi, quòd cùm filiorum veritatem & genus examinare volunt, eos ad Solis radios ducunt, vbi si Solis splendorem aspicere renuerint, tanquam degeneres eos abiiciunt, & repudiant; si verò in Solis rotam oculorum aciem intrepidè eos conuertere viderint, tanquam veros & legitimos filios amplectuntur. Sic igitur de filiis Dei legitimis philosophandum est: lux quidem est lex Dei, lex Euangelica Christi, Christus verò pater noster est: sic enim vocauit eum Isa., *Et vocabitur*, inquit, *pater futuri sæculi*, &c. Probat igitur Christus quinam sint generosi vel degeneres filij, ad radium Euangelicæ lucis. Radius quidem præcipuus huiusmodi lucis hic est: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.* Sunt verò nonnulli, qui ab huiusmodi luce oculorum aciem auertunt, dicentes: Ego inimicos diligere non possum, *No lo puedo recabar con migo.* non ergo tu filius Dei es, quòd si non filius, nec hæres, &c.

Vnde, *Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem.* induite vos, inquit, viscera misericordiæ, benignitatem, non ait, habete, sed induite. Indumentum quidem est, quo animum dignoscere solemus: nam qui animo dissolutus est, & incompositus, incompositum etiam gerere solet indumentum: qui vanus in animo est, vanam etiam vestem gestat: qui verò animum habet modestum ac compositum, vestem etiam modestam & compositam habet. Ait ergo Paulus: Appareat exterius misericordia vestra, appareat extra benignitas interior. Si enim benignitatem in anima possidetis; in exterioribus operibus constet: misericordia verò & benignitas in remissione & indulgentia iniuriarum maximè constat. vnde non immeritò addit Apostol. *sicut electi Dei:* licèt enim electio electorum res occulta & secreta sit, argumentum tamen electionis huius est misericordia, & benignitas, &c.

Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Sensus est, diligere inimicos etiam hi solent, qui Dei amore & gratiâ carent, quique nullum meritum gloriæ habent: huiusmodi ergo amor non est signum mercedis æternæ, in cuius assecutione saluatio nostra consistit: amare verò inimicos minimè solent, qui Dei amore carent. non hoc præstat caro & sanguis, sed gratia, & hoc est quod spem remunerationis æternæ excitat & alit. Sequitur igitur ex hoc manifestè, amorem inimici pignus & signum esse salutis æternæ, & consequenter prædestinationis. *Gran secreto es el de la predestinacion, caso à Dios y à su sabiduria infinitamente ocultado, però si algo ay, que descubra aca algo deste secreto, es el amor de los enemigos, pues este da Christo por sennal de merecimiento de vita eterna, en la qual consiste nuestra predestinacion, &c.*

Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, &c. & mox subdit, *vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est.* quod dupliceм sensum & verum vtrumque habet: primus est, vt sitis filij Dei per imitationem, filij enim similes parentibus esse solent, & eorum mores referre: pater autem noster cælestis facilè inimicis parcit, & eos recipit in amicos, & etiam dum inimici sunt, millia beneficiorum genera illis confert, vt ait hic Christus, qui solem suum oriri facit, qui ergo tanquam bonus filius, patrem cælestem imitari voluerit, sic se erga inimicos gerere debet, vt illis facilè parcat, & in amicos recipiat eos, & benefaciat eis. sicut Christus Dominus, qui tanquam verus filius Dei, facilè peccatoribus parcebat. hi enim propriè sunt, inimici eius, & eos amicos suos faciebat, & quàm plurimis beneficiis afficiebat, vt quasi docens nos diceret: Si quis filius Dei esse desiderat, sic illi faciendum est.

Secundus sensus est, *vt sitis filij patris*, &c. hoc est, vt hoc modo vos filios Dei esse ostendatis: hoc enim proprium filiorum Dei est. Quod vt ostenderet Christus Dominus, dum in cruce jamiam moriturus esset, sic pro suis inimicis & crucifixoribus orauit: *Pater dimitte illis, nec enim sciunt quid faciunt.* Obserua terminos, cùm pro se oraret, dicebat, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* cur quæso cùm pro crucifixoribus orat, ait, Pater dimitte illis, & cùm pro se loquitur, ait, Deus meus, Deus meus, &c. quia cùm pro crucifixoribus orat, pro inimicis orat, quod filiorum genuinum est, cùm verò pro se orat, non Patrem, sed Deum appellat: quia pro se oranti eum est, qui filij

Luc. 23.

filij Dei non sunt. Vnde meritò S. Augustinus inue- A hitur in hostes illos qui videntes & audientes Christum Dominum pro inimicis Deum orantem, non cognouerunt illum etiam post tot alia argumenta, filium Dei esse. vide illum sermon. 50. de verbis Domini.

Diligite inimicos vestros, &c. vt sitis filii patris vestri qui in cælis est. Cur filius Dei quis est, cùm diligit inimicos? Ponamus hominem in gratia ab eo tempore quo Baptismum recepit, hic antequam alicui parcat inimico, non ne est filius Dei? Est quidem. Cur igitur esse filium Dei tribuit Christus inimicorum dilectioni? Tribuitur quidem filiatio Dei primariò & per se gratiæ, quia per gratiam Dei filij efficimur Dei, sed tamen, quoad exercitium, & præxim, filiatio Dei specialem locum habet in his qui diligunt inimicos: talis enim dilectio à charitate interna, quæ propria filiorum Dei est, procedit, & à gratia radicaliter, à B qua formaliter quis dicitur filius Dei. vnde si qui parcit inimico & benefacit ei, & orat pro eo, & denique diligit & amat eum, gaudeat & lætetur vehementer: nam maximum signum hoc est, quòd sit filius, & hæres.

Secundò qui amat inimicum, filius Dei dicitur, sicut dictum est, propter specialem imitationem Dei in hoc quòd Deo valde connaturale illud est: Deus enim charitas est, vnde charitatis opera connaturalia dicuntur Deo, & eius esse & essentiæ valde conformia. conformari igitur Deo in eo quod ad esse Dei ita spectat, non mirum si nos filios Dei faciat. vnde cùm Dominus dixisset, *vt sitis filii patris vestri*, subdit, *qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iniustos*, quasi dicat, propterea qui benefacit inimicis, Dei dicitur filius, quia Deum imitatur. Hinc sequitur vindicatores & vltores filios diaboli dici debere, C quia diabolum imitantur. nec tacuit id Christus Dominus, qui sic ad hostes suos: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere.* cur ita Domine? *ille*, subdit, *homicida erat ab initio.* homicida cur diabolus dicatur, notissimum est: nam vindicare se de Deo volens qui se ad tartara damnarat, quia illi nocere non poterat, ad imaginem Dei, hominem, inquam, se conuertit, & illum in anima coporeque occidit: sic homicida fuit ab initio per talem vindictam. quòd si propterea Iudæi, qui Christum persequebantur, vlciscì se de eo volentes, quia eos arguebat, filij diaboli erant; similiter eos filios diaboli meritò dicemus, qui se de proximis suis volunt vindicare. Attendite & videte vltores cuius filij vocemini & sitis, diaboli filij estis. quòd si filij, & hæredes tormentorũ eius. Qui verò diligũt inimicos suos, hi filij Dei sunt. Pro inimicis orat Christus tamquam filius, quia in hoc speciatim se D Dei filium esse demonstrauit: sic qui diligit inimicos Dei, filius vocatur, quia Deum imitatur, *bien aya quien a los suyos pareze.*

Reg. 18. Sic Elias in sponsione contra Prophetas Baal, *Deus*, inquit, *qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus & respondit omnis populus: Optima propositio.* Nota est historia, quomodo sc. super sacrificium Eliæ descenderit ignis de cælo, qui non solùm carnes sacrificij, & ligna, sed etiam reliqua omnia combussit, *Cecidit*, inquit, *ignis Domini & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, & aquam, quæ erat in aquæductu, lambens. quòd cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est Deus.* Nota vim huius ignis, qui non solùm ligna & carnem sacrificij succendit, verùm etiam duros lapides, &, quod magis est, aquam ipsam, quæ prorsus igni opposita est, & quâ extinguitur ipse ignis, lambebat, *que semechanzæ en ella?* tantum abest vt fugeret & vitaret eam. talis ignis è cælo est, vnde meritò vocat Scriptura ignem Dei. Etenim in sacris litteris, ignis charitatis & amoris symbolum est, vt aiunt S. Ambros. in Prologo de spiritu sancto, & S. Augustin. serm. 108. & 255. Amor igitur ille, qui vsque ad inimicos & contrarios peruenit, amor profectò è cælis est, amor Dei est, non inuenitur in terris, plusquam humanus est, merè diuinus est, supernaturalis est: etenim parcere & benefacere inimicis, ex amore proprio oriri potest, propter aliquod scilicet commodum proprium, sed tamen ex corde amare & diligere eum qui te odio habet, argumentum eximium est, quòd Dei supernaturalis amor sit in te: nam de huiusmodi *Can. 8.* charitate dictum est, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Quòd si in Dei *1. Ioan. 4.* charitate manes, quid vltra? *Qui manet*, inquit, *in* 36. *charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Sic ad Corinthios Paulus, *Nolo vos ignorare patres,* 1. Cor. *quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes eã-* 10. 4. *dem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus,* &c. Nubẽ hanc, & escam, & potum hunc expendamus, etenim hæc tria aliquid figurant. subdit enim Apostolus, *hæc omnia in figura contigebant illi*, & tria hæc, si rectè perpendantur, figurant Christum Dominum: erat enim nubes illa; quia sicut nubes ducebat filios Israel in terram promissionis, sic etiam Christus Dominus ducit nos in terram illam cælestem, cuius figura erat terra promissionis: similiter manna figura insignis fuit Christi Domini in Eucharistiæ Sacramento. Petra etiam, vti Apost. ipse eodem loco explicauit, dicens, *petra autem erat Christus*: & cibus ille erat Christus, de petra vero expressit, *petra autem erat Christus*, cur non *Cap. 18.* de nube & manna? Ad huius quæstionis solutionem recolenda est historia ex Numeris, vbi Moyses percussit virgâ suâ bis silicem, & egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet & iumenta. si petra hæc Christi figuram gerebat, rectè mysterium charitatis Christi in cruce præfigurabat: nam cruce percussus tanquam virga bis fuit Christus, primò in horto, cùm mortem suam præmeditabatur, & ex tali meditatione exiuit sanguis pro aqua, ad extinguendam sitim salutis nostræ: & secundò in cruce ipsa, quando exiuit ex hac diuina petra sanguis & aqua, ob eandem rationem, in hoc, inquam, Christi Domini charitas relucet. nam si rei naturam solùm attenderemus, sicut ex petra illa percussa ignis, non aqua, educendus erat: silex enim erat; sic iniuriis affectus, & vulneribus quibus percussus fuit Christus, ignem emittere qui eos combureret, prout ipsi merebantur, debebat, sed aquam dedit ad salutem eorum, non iram, sed misericordiam protulit, dicens: *Pater ignosce illis.* petra igitur, quæ tantæ pietatis & charitatis erga inimicos figura fuit, speciali notâ figuræ Christi honoretur, & de ipsa, non ita de nube, nec de cibo, dicatur: *petra autem erat Christus.*

PROP. XXXV. *Sapientis est inimicum amare.*

PVblius Mimus: *Ridiculum, inquit, est odio nocentiũ per-* Pub. Mi- *dere innocentiam.* Ita ille. Sic è contrario sapientis est mus. ex alterius insipientia commodum comparare: desipit nocens, sapit æquo animo ferens.

S. Chrys. hom. 52. ad pop. *Inimicos habes, & non erubescis? nonne satis est nobis diabolus? Vtinam nec ille nobis bellum gerere vellet.* Ita ille. Hoc quidem præsupponit in nostra esse potestate inimicos conuertere in amicos, bona scilicet pro malis reddendo, quod viri valde sapientis est.

PROP. XXXVI. *Amare inimicum maior fortitudo est quàm vincere hostes.*

SEneca epist 114. *Alexander quidem Persas, & Hyrcanos & Indos, & quidquid gentium in Oceanum extendit Oriens vastabat, fugabatque, sed ipse modò occiso amico, modo*

modo amiſſo iacebat in tenebris, iam ſcelus, iam deſiderium ſuum mœrens, victor tot regum atque populorum, ira triſtitiaque ſuccubuit. id enim egerat vt potius omnia haberet in poteſtate quàm affectus. O quam magnis terroribus homines tenentur, qui ius dominandi trans maria promittere cupiunt, feliciſſimoſque ſe iudicant, ſi multas per milites obtinent prouincias, & nouas veteribus adiungunt, ignari quid ſit illud ingens regnum, & quod parum imperare quidem ſibi maximum imperium eſt. ita ille.

Num. 13. Num. 1. *Dominus patiens & magnus fortitudine.* Cur patientiam cum fortitudine coniunxit? Theophilac. ſic reſpondet: *Quòd Deus longanimis & patiens ſit ſemper in peccatores, non propter imbecillitatem hoc facit: eſt enim magnus fortitudine & ingens robur eius eſt*; ita ille. Et

S. Theod. idem ait S. Theodoretus, & hac de cauſa Propheta Naum dixit, Deum patientem & fortem eſſe: quaſi dicat: Apud homines multi iniuria affecti vindictam non ſumunt de inimicis ſuis, quia non poſſunt; Deus verò non ſic, cùm omnipotens ſit, ſed tolerat diu quia patiens eſt.

Imò in hoc fortitudinem ſuam manifeſtat, quòd non ita ſubitò iram ſuam oſtendat, vindicans ſe de

S. Hiero. inimicis ſuis. Vnde S. Hiero. ſic explicat hunc locum Naum, dicens: *Diu quidem ſceleris Aſſyriorum patiens fuit, & magnanimitatis ſuæ fortitudine iniquitates eorum ſuſtinuit.* ita ille, exponens hunc locum Prophetæ Naum, qui de Aſſyriis agit. Vbi etiam Vatablus ſic exponit, dicens: *Deus non ducitur ira impotente, more hominum, ſed poteſt iracundiam cohibere quamdiu velit, opportuno tempore*

Vatabl. *punturus.* ita Vatablus. Hæc igitur laus tribuitur Deo noſtro, quòd cùm fortis ſimul & omnipotens ſit, & iuſtè ac facilè poſſit plenam de peccatoribus ſumere vindictam, patienter, & longanimiter ferat, diſſimulans peccata propter pœnitentiam, & patientia hac ſua, oſtendens fortitudinem ſuam.

Vnde viri potentes in hoc laude digni iudicantur, quòd patientiâ & clementiâ iram & affectum vindictæ vincant. Vnde Marcus Tullius oratione pro Marco Marcello. *Hodierno* (inquit) *die te ipſum viciſti, vereor, vt hoc, quod dicam, non perinde intelligi poſſit, atque ego ipſe cogitans ſentio, ipſam victoriam viciſſe videre, cùm ea ipſa, qua illa erat adepta, victus remiſiſti: nam cùm ipſius victorie conditione, iure victi omnes occidiſſemus, clementia tua iudicio conſeruati ſumus.* ita Cicero.

Pſal. 7. 12. Hinc Pſ. 7. ſic ad Dominum Dauid: *Deus fortis & patiens, nunquid iraſcitur per ſingulos dies?* Vide quomodo Dei patientiam cum fortitudine collocauit: non enim oppoſita ſed compoſita ſunt, vnde meritò ait:

Caſſiod. *Nunquid iraſcitur per ſingulos dies?* vbi Caſſiodorus: *Patiens eſt, quia patienter ad pœnitentiam expectat, quos perdere pro ſuorum ſcelerum qualitate potuiſſet.* ita ille.

Num. 14. 17. Vnde Numer. 14. Moyſes petens miſericordiam à Deo, irato in populum Iſraël ob eius peccata, dixit: *Magnificetur fortitudo Domini*, &c. Quid ais Moyſes ſancte, clementiam poſtulas, & ad fortitudinem accurris? ita quidem, nam fortium, & potentium eſt propria virtus clementia.

Sed tamen caueat ſibi peccator, ne, dum ita pium & clementem Deum conſiderat, inde occaſionem peccandi, ſeu in peccato perſeuerandi, arripiat: quia ſcriptum eſt Eccleſiaſtici 5. *Ne dixeris: Peccaui, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor.* Quaſi dicat: Verum eſt, Deum patienter expectare ad pœnitentiam peccatorem, ſed ſimul eſt redditor, id eſt, iuſtus iudex reddens vnicuique ſecundùm opera ſua. Vnde ſubdit: *Ne dicas: Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum miſerebitur, miſericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius.* id eſt, ne dicas: Quantumuis peccem, & peccata multiplicem, ſcio Deum eſſe ita clementem, vt facilè ob id expectem me ab eo miſericordiam conſecuturum, quia in peccantes reſpicit ira illius, vt citò puniat, & meritò: nam eſt hic abominabilis de diuina miſericordia abuſus.

PROP. XXXVII. *Deus amore ſuo compenſat, & ſoluit amorem noſtrum erga inimicos.*

CVm iam morti proximus eſſet ſanctus Moyſes, & tribubus Iſraeliticis benediceret, cùm ad tribum Ioſeph accederet benedicendam, *Benedictio*, inquit, *illius, qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph. Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius.* Priùs vltima verba expendamus, cur pulchritudinem eius pulchritudini comparat vtuti primogeniti? Vitulus quidem ſibi nocentes ferire aggreditur, ſed aggreſſiones huiuſmodi, licèt furorem aliquem præferant, & animoſæ videantur, non ſunt nocuæ, *ſon vnos acometimientos, a ſomos de acometer gallardos, y ſon denuedo, però no dannoſos*, vnde & pueri cum illis ludere ſolent. Sic etiam Ioſeph cum fratribus ſuis ſe geſſit: nocentiſſimi hi fuerunt illi; & cùm in Ægyptum ipſi ad frumenta emenda deſcenderent, aggreſſiones quædam in eos in Ioſepho apparuerunt, dum eos & exploratores eſſe accuſabat, & in carcerem mittendos minabatur, & Beniamin in vinculis voluit detineri, & furti eos apparentis appellabat, &c. ſed nullum inde ipſi nocumentum perceperunt. Merito ergo pulchritudini vituli primogeniti, hujuſmodi aggreſſiones comparauit: pulchrè enim eos terrere voluit, ſed non ampliùs quam terrere. Deinde, *cornua*, inquit, *rhinocerotis cornua illius.* Rhinoceros cornu quidem habet forte, ſed eſt vtile contra venenum, quo non ſolum alijs animalibus non obeſt, ſed etiam prodeſt: cornua nociua in alijs animantibus eſſe ſolent, in hujuſmodi autem vnicorni profici reperitur. Hoc quidem ideo additum eſt, ne, cùm vitulo comparaſſet priùs imbecillitati Ioſeph attribueret quiſpiam, quòd non perfectam ſumpſerit de inimicis fratribus vindictam, nam cornua eius non ſicut cornua vituli debilia, ſed ſicut cornua rhinocerotis, fortiſſima erant: quippe cùm Dominus & gubernator potens eſſet in regno Ægypti; ſed non ſumpſit vindictam, quia noluit illis obeſſe, ſed prodeſſe. quare meritò ait: *cornua rhinocerotis, cornua illius.* Nunc ad priora verba deueniamus. *Benedictio*, inquit, *illius, qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph.* quænam illa benedictio fuit, niſi charitas benignitatis, & miſericordiæ? quid enim in rubo Dominus iſti de liberatione populi ſui ex tyrannide, quam in Ægypto patiebatur, cum Moyſe agebat; quam vt ex charitate & amore magno profectam oſtenderet, in rubo igne circumdato, & ardenti voluit apparere: ignis autem charitatis accenſæ ſymbolum eſt. benedictio ergo ſic apparentis in rubo quænam eſt alia, quàm benedictio charitatis: ac ſi dixerit: Ignem ſui amoris accendat Deus in corde Ioſeph, ſeu in capite Ioſeph, *Paguila Dios en la misma moneda*, vt ſicut Ioſeph charitate magna vſus eſt in fratres ſibi infenſos, & inimicos, ſic & Deus in eum copioſam benedictionem ſuæ charitatis infundat. Ecce premium eorum, qui charitatem exhibent inimicis: *Quamenſura enim menſi fueritis, remetietur vobis.* Dices, non eadem ratio videtur: nam illi fratres Ioſeph erant; quid ergo mirum ſi frater pepercerit fratribus ſuis. Mirum quidem, & valde mirum: quantò enim fraternitate illi erant propinquiores, tantò magis illum diligere tenebantur, & maius in eum peccatum commiſerunt. maior igitur gratia, & maior charitas fuit, parcere illis, &c. qui ergo charitatem conſequi optat, charitate in proximos inimicos vtatur.

Renuunt fæpe nonnulli diligere inimicum propter ingratitudinem eius. Ingratus, inquis, eſt, nec vicem amori meo rependit: amoris autem recompenſatio, amor eſt; ille verò non ſolùm me illum amantem non amat, verùm etiam me odio habet: quî ergo fieri poteſt,

test, vt ego odio me habentem amem. Optimè ad hoc cum beato Chrysostomo possumus respondere, quod non sine recompensatione amoris amabis inimicum: licèt enim ipse non redamet te, Deus vices inimici supplebit. Qui enim iubet me amare odientem me, remanet ipse veluti deuinctus ad amandum me: si quidem amore eius ego indignum amore amo. cùm igitur Deus, qui magnificentissimus remunerator & amator est, me jubet amare me non amantem, supplebit ipse vicissitudinem amoris, imò si ita est, vt verè est, quòd amor sit recompensatio amoris, si ego propter Deum amo inimicum, multò magis diligo Deum in eadem inimici dilectione: nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Si ergo magis diligo Deum, magis ego etiam diligar à Deo: *Ego enim*, ait Dominus, *diligentes me diligo*. Quid igitur ad te, quod inimicus tuus à te dilectus non diligat te? quid tibi melius, quòd diligaris ab inimico, an quòd diligaris a Deo? Diligar à te Domine, & pro nihilo reputabo quòd nulla creatura diligat me: sufficit enim mihi diligi à te. si enim tibi tuus sufficiens amor est, quamuis à nullo alio diligaris, quantò magis sufficiens mihi erit sola dilectio tua?

PROP. XXXVIII. *Deus parcit parcenti inimico.*

Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. S. Greg. Nyssen. de oratione Dominica, in hæc dicta verba, mirè explicat hunc locum, dicens: *Sicut Deus bene agentibus ad imitandum propositus est, vt dixit Apostolus*, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi; *ita vicissim tuam affectionem ad bonum, Deo esse vult pro exemplo: atque ordo quodammodo inuertitur, vt audeamus, quemadmodum bonum in nobis imitatione diuini nominis perficitur, ita sperare futurum, vt Deus facta nostra imitetur, cùm aliquid boni confecerimus, vt tu item ad Deum dicas: Quod ego feci, fac, imitare seruum tuum, Domine, pauperem & egenum, tu qui regnum vniuersarum rerum, obtines remissi ego debita, ne tu quidem exigas: supplicem repellere veritus sum, ne tu quidem supplicantem submoueas & repellas: lætum & alacrem remissi meum debitorem, talis item tuus fiat: ne tuum debitorem meo debitore tristiorem reddas: ambo pariter & æqualiter exigentibus gratias agant, par ab omnibus remissio decernatur tuo simul & meo debitori. ille meus est debitor, tuus autem ego, solui, solue, dimisi, demitte, imitare tu Domine serui tui humanitatem. At grauiora mea in te peccata quàm quæ hic aduersum me commisit, id ego non nego, at hoc reputa quantum tu excellas in omni bono: æquum est enim vt misericordiam conuenientem tuarum virtutum excellentiæ nobis peccantibus tribuas, exiguam humanitatum ego exhibui, quia exiguus sum, tua vero munificentia exiguitate potentiæ non prohibetur, quin quantum velit, tantum largiaris.* ita S. Gregor. Nyssen.

Qui verò non remittit proximo suo, qua fronte à Deo suorum peccatorum remissionem petere audebit? *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? in hominem similem sibi non habent misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse cùm caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis ipsius? Quod ita prosequitur Nyssenus* de oratione Dominica: *Dimittat homo proximo, ne à iusto iudice audiat: Medice cura teipsum. me ad humanitatem hortaris, dicendo, dimitte nobis debita nostra. Quam tu proximo non impertiris, remissionem debitorum petis, deleri tibi chirographum aduersus te scriptum precaris qui diligenter seruas obnoxiorum pacta & contractus tuus debitor est in carcere, & tu in oratione? exaudiri oratio tua non potest, superat enim sonus & strepitus vocis eius qui cruciatur.*

Multum quidem valet oratio iusti assidua, vti S. Iacobus Apost. ait; sed tamen si tu non peperceris inimico, licèt omnes sancti intercederent pro te, Deus minimè eos exaudiret. non inquam parcet nisi peperceris, imò nec inuenies qui pro te oret, si tu crudelis in proximum exiteris. Audi Ecclesiasticum, seu Spiritum sanctum eius ore loquentem. *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Si la guardais à vuestro enemigo, Dios os la guardara a vos muy guardada.* Quid igitur agendum? subdit: *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse cùm caro sit reseruat iram, & propitiationem petit à Deo?* Vis huius rationis est manifesta, homo cum puluis & terra sit, indignum iudicat parcere alteri homini, offensum qui reddidit, & audet petere remissionem culpæ cõtra Dei maiestatem infinitam illatam? & subdit quod ad rem nostram facit: *Quis exorabit pro delictis ipsius? quis?* Sed cur non inueniet qui oret pro illo, quia indignus omnino est, vel quia Deus non permittit, vel tandem, quia Deus nunquam exaudiret orantes. nisi sub hac lege, vt & ipse proximo parcat. quis, inquit, orabit pro delictis ipsius, hoc est, *No quieres tu à Dios por cercero, y esperas hallar torcero para Dios*, imò potiùs inuenies multos qui te coram Deo accusent; sicut constat in seruo illo parabolæ Matth. 18. vbi quia ipse noluit remittere debitum conserui, alij accusauerunt eum apud Dominum suum, &c. Hinc Dauid, *Si reddidit retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* q. d. *Que nadie me la bize que no se perdonase: este es el blason de los iustos. cõtra el del peccador, que dize: nadie me la bize, que no me la pagase.* Dauid *como santo de perdonar se preçia, y die a nadie decidam*, &c. q. d. *no me la perdone Dios ami, si yo no la perdone.*

Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. S. Cyprianus in hæc verba de Oratione Dominica: *Peccata debita Dominus appellat, sicut in Euan. suo dicit*, Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: *adiunxit ergo legem certa nos conditione & sponsione constringens, vt sic nobis dimitti debita postulemus, secundùm quod & ipsi nostris dimittimus debitoribus: scientes impetrare non posse, quod petimus pro peccatis, nisi & ipsi circa debitores nostros paria fecerimus. Idcirco & alio in loco dicit*: In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis. *Vnde seruus, qui post dimissum omne debitum, ipse conseruo suo noluit ipse dimittere, in carcerem relegatur, & quia indulgere conseruo suo noluit, quod sibi à Domino fuerat remissum, amisit. Quæ adhuc fortius Dominus in præceptis suis maiori censuræ vigore prædixit*: Cum steteritis, *inquit*, ad orationem, remittite si quid habetis adduersus alterum: vt & Pater vester, qui in cœlis est, remittat peccata vestra vobis. *Excusatio tibi nulla in die iudicij superest, cum secundùm tuam iustitiam iudiceris, & quod feceris, hoc ipse patiaris. Pacifícos enim & concordes atque vnanimes esse in domo sua præcepit Deus, & quales nos fecit natiuitate secunda, tales nos vult renatos perseuerare: vt qui filij Dei capimus esse, in Dei pace maneamus: quibus vnus spiritus est, vnus etiam animus & sensus sit. Sic nec sacrificium Deus recipit dissidentis, & ab altari reuertentem prius fratri reconciliari iubet, vt pacificis precibus Deus posit esse placatus. Sacrificium maius Deo est pax nostra: & fraterna concordia, & de vnitate Patris & Filij & Spiritus sancti, plebs adunata.* Neque enim in sacrificiis, quæ *Abel* & *Cain* primi obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda intuebatur, vt ille placeret in munere, qui placebat in corde. *Abel* pacificus & iustus, dum Deo sacrificat innocenter, docuit & cæteros quando ad altare Dei offerunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege iustitiæ, cum concordiæ pace. Merito ille, dum in sacrificio Dei talis est, postmodum ipse sacrificium Deo factus est, vt martyrium primus ostendens, initiaret sanguinis sui gloria Dominicam passionem, qui & iustitiam Domini habuerat, & pacem. Cæterum dissidentes & dissidens, & pacem cum fratribus non habens, secundùm quod beatus Apostolus & Scriptura testatur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissensionis fraternæ poterit euadere: quia sicut scriptum est, Qui fratrem suum odit, homicida est, nec ad regnum perueniet cælorum, aut cum Deo viuat homicida,

cida, non potest esse cum Christo, qui imitator Iuda maluit esse quàm Christi, quale delictum est quod nec Baptismo sanguinis potest ablui? quale crimen est quod nec martyrio potest expiari? Ita S. Cyprianus.

Quantum igitur nostra interfit proximis nostris, quàtumuis inimicis, parcere; breuiter dicam, *no ay perdon de dios para quien no perdona a su enemigo, quien no perdona perdone per el perdon.* hoc autem non coniecturis, & topicis argumentis probabimus, sed supradictis primæ Veritatis verbis manifestis; docēs nos Christus orare, inter reliquas petitiones hanc adiunxit : *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Vbi obserua reliquas petitiones simpliciter & absolutè posuisse, *Panem nostrum quotidianum, &c.* cùm autem de remissione ageret peccatorum, non absolutè, sed conditionatè locutus, dixit, *sicut & nos dimittimus*, & ne peregrinis interpretationibus esset locus, huic petitioni speciatim addidit comentarium dicens: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis peccata vestra. Que buen partido es este.* Si licitum esset, inimicos optare, mille inimici à nobis optandi essent, vt tanto bono frueremur: quid enim felicius quàm remissionem à Deo consequi peccatorem suorum peccatorũ? Quid tibi reliqua imaginabilia proderunt bona, si à Deo non obtinueris tuorum peccatorum veniam? quid mala omnia mundi nocere possunt, si obtineueris eam? Sed, inquies, non habeo delicta, confessus sui, & Deũ mihi iam conciliaui: non egeo hac remissione, non igitur ob hanc causam parcere tenebor. Ne igitur hanc excusationem prætendas, subdit Christus Dominus: *Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* vnde licet nullum aliud peccatum habeas, nisi veniam proximo denegare, hoc sufficiet, vt à Deo talis peccati veniam non assequaris : præceptum enim Domini est, *Diligite inimicos vestros.*

Dices, iniustè passus sum iniuriam, iniustè me ille persecutus est. Respondet S. Chrysost. *Quid quaso dicturus es? an quòd a proximo aliquid passus fueris iniuste? tunc quippe peccatum est; si vero iuste, nec peccatum quidem est. Fac te igitur aliquid iniuste perpessum, talia proculdubio sunt, quæ etiam tibi a Deo poscus remitti, multoque maiora.* Ita ille.

Dices, postea remittam : nunc enim non valeo cordis mei iram sedare, nec à me ipso hoc impetrare, vt inimico veniam concedam. S. Chrysost. *Non dixit Christus, vt oremus : Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittemus debitoribus nostris; sed demitte nobis, sicut & nos dimittimus : vt priùs nos dimittamus, & postea dimissionem nobis petamus, & sic remissionem nostrorum peccatorum à Deo accipiamus.* Ita ille. Quis igitur tali suppposito pacto, non libenter parcet inimico, & diliget eum? Si alicui tu mille deberes aureos, & ille tibi decem, & tale tecum ille pactum iniret, vt tu illi decem illos remitteres, & ille tibi mille, nonne gratias summas illi agens pactioni assensum dares? cùm igitur & tu Deo decem millium talentorum debitor sis, inimicus vero tuus vnius iniuriæ tibi illatæ tantùm, & Deus ipse sic tecum pacisci velit, vt tu proximo iniuriam remittens, tantorum talentorum remissionem accipias, quomodo tam piissimum pactum totis visceribus non admittes? cuius tu debiti debitor es, nisi damnationis æternæ? quid non pro tanti debiti remissione est præstandum? quid non agendum? quid non patiendum? quid non remittendum? profectò si rem grandem dixisset tibi Christus, si transalpinare, si flagris cædi, si cilicio indui, si pane & aqua semper ieiunare, pro negotio tanto facere debuisses, quantò magis, quia dicit tibi; *Dimitte & dimittetur?* alioquin nisi dimiseris, non assequeris à me tuorum peccatorum remissionem.

Quodnam peccatum hoc? Eò quòd incenderit ossa regis Idumææ vsque ad cinerem. Vbi sic S. Hieron. *Tradunt Hebræi ossa regis Idumæa iam sepulti, qui cum Ioram rege Israel, & cum Iosaphat rege Iuda ascendesset aduersus Moab, in vltionem doloris à Moabitis postea conuulsa, atque succensa: ob hanc, inquiunt, causam Deus missurum se dixit ignem in Moab, vel Metropolim Moabitarum, à qua tota ea appellata prouincia, vel vniuersam prouinciam, vt deuoret eam.* Ita S. Hieron. Ecce cur Deus se non conuersurum Moab, seu ei se non dimissurum testatur, quia filicet ipsi parcere noluerunt inimico suo, qui bellauerat contra Moab. *Non conuertam*, inquit, hoc est, patiar eum in sua obstinatione manere, & ita non aget pœnitentiam. Vnde Chaldæus sic legit: *Non parcam ei.* Graue supplicium, hominem sine pœnitentia mori in suo peccato obstinatum.

De S. Gregorio Magno refertur, quòd cùm in sancti Petri capella sacrum dicere vellet, precibus cuiusdam capellani sacrum illud pro quondam vita functo celebrare decreuit, cœpit sacrum, dicens: Requiem æternã dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis; vocem audiuit dicentem: Non faciam. illusionem dæmonis id esse censuit sanctus, repetiit ergo inceptum, dicens: Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis, & illico eandem vocem audiuit, dicentem: Non faciam, requiem illi non dabo, turbatur sanctus, sed nihilominus sacrum dicere pergit, & cùm ad secundum Memento etiam Domine, &c. quod pro defunctis dicitur, Dominum orauit, vt statum illius defuncti illi reuelare dignaretur, at ei Dominus: Scito, Gregori, animam defuncti, pro qua oras, æternis esse ignibus addictam: quia tenacitate quodam inimico suo vindicare volens, parcere noluit, sed assiduo illum odio prosecutus vita fuit. Quid tu ad hæc, qui leges duelli profi qui nulla ratione adduci potes, vt inimico parcas tecum dispensauit Deus, vt non similiter damneris?

Quia non solum vtile sed omnino necessarium est, iras odiumque susceptum deponere, vt iram suam Deus non retineat, sed ad misericordiam flectatur. Nam qui inimicorum iniurias non remittit, scelerum impunitatem non assequetur. Hanc condidit legem legislator ille cœlestis : *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

Cautum erat lege ne Amonitæ templum Domini adirent, cauetur etiam lege ne discordes cælum ascendant. via illis intercluſa est, & aditus interdictus, quia Dei inimicus constituitur, qui cum proximo gerit inimicitias.

Hanc ob causam in oratione Dominica connectuntur hæc duo : *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quasi dicat, duo hæc disiungi non debent : frustra enim contendit, vt sibi debita dimittantur, qui debitoribus suis non dimittit, licèt lacrymas sanguinemque profundas, nisi pacem cum proximo firmaueris, impunitatem non assequeris, Etsi Beati omnes ad Dei pedes prouoluerentur, illum exorare non poterunt, Vnde D. Augustl. præclarè ait: *Si pacem non diligu, si proximum odiu, quo iure quo pacto, qua fronte tibi petis dimitti, qui proximo tanorem non dimittis,* Ita ille.

Hinc illud Christi Domini : *Cum stabitis ad orandum dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Quòd si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra.* Deus facilè ignoscit, & in hoc gloriatur, quasi inde ad se, honor & gloria proficiscantur, & id tantùm exoptat, vt non immeritò affirmare possimus, illũ præ huius rei desiderio mori voluisse : raptus enim est in crucem, vulneratus & extinctus, vt nobis impunitatem daret: & nihilominus affirmat nemini peccata

Matt. 6. 14.

Matt. 6. 14.

Hem. 20. in Matt.

In imper. hom. 3.

Amos 2.

Super tribus sceleribus Moab, & super quatuor non conuertam eum. Amos dia esse pueblo de Moab que hasta tres pecados yo se los perdonare, que significa mucha dumbre de pecados, però el quarto pecado perdonen que no les perdonare.

re-

remissurum, qui iniuriam sibi illatam non remittat.

Magno verborum apparatu inculcatur hoc in diuinis litteris: *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse cùm caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo? Quis orabit pro delictis illius?* Expendamus hæc verba, *Iram* (inquit) *reseruat homini & petit sibi medelam?* Quasi dicat, ipse sibi veniam petit, & alteri supplicium deprecatur, qualis iste est modus iustitiæ? subdit deinde, *in hominem sibi similem non habet misericordiam? & de peccatis suis deprecatur*, hoc est, iniuria ab homine facta inter æquales versatur, & quæ Deo fit nom item: quia inter Deum & hominem magna inæqualitas reperitur: quæ igitur ratio, vt ipse iniuriam sibi ab homine æquali illatam, remittere recuset, & velit nihilominus, vt immania scelera, quibus summa Dei maiestas offenditur, facili negocio Deus remittat? Ac tandem, ipse cùm caro sit, id est, infirmus & mortalis, qui modò lacessitus contumeliis, mox ipse prouocat iniurijs: hodie pugno percutitur, & cras ipse alios fuste contundit: ipse cùm caro sit, quæ vix dum floret, & viget, conteritur, & exlicatur, reseruat iram: neque vt in gratiam inimicum recipiat, vllis precibus induci potest, & ne à sua sententia dimoueatur, sexcenta argumenta congerit & confingit, & propitiationem petit à Deo? O petulantiam inauditam! Aures intendat, sibi consulat, & id pro comperto habeat, se veniam à Deo non assequuturum, nisi dimiserit ipse proximo: quantumuis veniam petat, Deum adeat, ad illius pedes accedat, preces & lacrymas profundat, ac se Sanctorum deprecationibus & sacrificiis commendet. Nam *quis orabit pro delictis illius?* quasi diceret, nemo.

Mirabantur vehementer Israelitæ, cùm animadB 3. uerterent neque iciuniis, quibus se macerabant, nec precibus, quas ad Deũ fundebant, se posse aliqnid impetrare. Mirabantur: neque immerito, quia experimento cognouerant, quantùm valeat apud Deum ieiunium, & oratio. Deum tandem adeunt, clamantes: *Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti?* Respondit Dominus: *Ecce, in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce, ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem.* Perpende verbum illud, *omnes debitores vestros repetitis.* id primum obiicit, & conqueritur, eo quod creditores exigebant debita (vt exponit D. Hieronymus): cùm debitores non erant soluendo. Posset etiam Dominus hodierna die conqueri, & aures obturare, quia multi sunt homines adeo agrestes, & inhumani, vt non solùm debitum exigant, sed debitores, qui soluendo non sunt, iniuriis afficiant, contumelijs onerent, in vincula coniciant, vt fame excrucientur, & pereant. Hi homines lupis & tigribus longè sæuiores, Deum sibi iratum inueniunt, quia irritum fieri non potest verbum illud, *Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

Misertum profectò est, vt tot ieiunia, deprecationes, & pietatis opera, nullius momenti sint, vnius discordiæ causa. Erubuit Babylon, cùm Daniel fraudem & præstigias sacerdotum Baal patefecit: vidit enim laborem, quem susceperat, irritum, cùm ille, quem Deum arbitrabantur, truncus esset, qui nullis epulis pasceretur. sic erubescent plurimi in die iudicij, cùm intelligent nihil illis profuisse ieiunia, eleemosynas, orationes, & munera quæ Deo offerebant, quia vnius iracundiæ causa euanuerunt.

Maximum supplicium comminatur Deus, cùm ait: *Tu seminabis, & non metes: tu calcabis oliuam, & non inferes oleum: & mustum, & non bibes vinum.* Quid miserius & calamitosius labore & opera sine vlla mercede? si terram non proscinderes, nec agros seminares, nec vineas coleres, mirandum non esset, si nec fructus percipe-

A res, nec frugibus vescereris, nec dulcia vina degustares: sed labore adhibito, nullum fructum percipere, miserum profectò est. Quod Ethnici, qui in tenebris versantur, quibus Christianę fidei splendor nõ illuxit, qui orationi non vacant, nec diuinis mysteriis intersunt, mirandum non est si fructus non inferant, quia Ethnici sunt, & à vera Dei cognitione aberrant: sed si non inferant plantati in vinea Dei, qui eum habent cultorem, in cuius est potestate, non modò vitem colere, & imbribus cœlestibus irrigare, sed etiam feracitatem & quotidiana incrementa largiri, miserum profectò & calamitosum est, & tanto malo parua vindictæ & iracundiæ scintilla visceribus hærens occasionem præbuit.

Quid aliud indicat querela illa Domini? *Audite, principes Iacob, & duces domus Israel, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum, qui comederunt carnem populi mei, & pelles eorum desuper excoriauerunt, &c. Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos: & abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinuentionibus suis.* Vbi D. Hieronymus ait: Manifestè aduersùs principes Israel sermo est, & sub metaphora leonum, siue latronum, crudelitas eorum describitur, vt propter hæc inferatur eis posttea supplicium in die captiuitatis. Clamabunt in die vltionis ad Dominum, & non exaudientur, quia nec ipsi rogantes audierunt: extendentmanus suas ad Dominum, & Deus auertet faciem suam ab eis; quia & illi auerterunt à precantibus vultum: hæc patientur, quia leones fuerunt. Ecce, tibi quid facies Domine, cùm in suprema illa die causam tuam cognoscet, statuet, & iudicet, reddabit vnicuique secundùm opera sua, & qui in proximum crudelis est, Deum tantæ iniquitatis vindicem acerrimum experietur.

Iratus Dominus aduersùs populum Israel, æquam abstulit, ita vt per tres annos cœlum non pluerit, & ipsi fame perirent. Consuluit Dauid oraculum Domini, dixitque Dominus: *Propter Saul, & domum eius sanguinum, qui occidit Gabaonitas.* Animaduerte, & considera quam ob causam Dominus pluuiam subtraxerit: videlicet, quia Saul iam vitâ functus, cum vitam degeret, iniuriam fecit Gabaonitis, qui erant reliquiæ Amorrhæorum, ductus, vt ille arbitrabatur, optimo zelo, nec pluit Deus quoad Gabaonitis satisfactum est: quibus Dauid tradidit duos filios, & quinque posteros Saulis, quos Gabaonitæ in crucem rapuerunt, & repropitiatus est Deus terræ post hæc. Si tantam Dominus acerbitatem ostendit in eum, qui zelo, vt ipse putauit, barbaram gentem persequutus est; quid sperabunt illi, qui animo iracundo inimicorum sanguinem concupiscunt? Nec pluuiam, nec rorem de cœlo, nec misericordiam Dei expectet ille, qui proximo viscera claudit, & in illum crudelis est, neque à sua sententia dimouetur.

Nolebat Dominus populi sui precationibus beneuolas aures præbere, neque peccata remittere, & reddit rationem, dicens: *Manus vestræ sanguine plenæ sunt, &c.* D. Hieronymus vertit: *Nequaquam dimittam vestra peccata, & cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam vos.* Cur Domine tanta veteris acerbitate, cum ita clemens & misericors sis? quia *manus vestræ sanguine plenæ sunt*, & alibi ait, *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret: manus enim vestræ plenæ sunt sanguine.* vbi D. Hieronymus sic ait: Considerandum est quòd nequaquam eis obiicit idololatriam, qua Isaiæ temporibus tenebantur, sed sanguinis effusionem. Ita ille. Istæ manus (ait Dominus) quæ lapidibus obruerunt & interfecerunt Prophetas, & persecutæ sunt inimicos suos, & eorum sanguine mædent: istæ, inquam, manus displicent oculis meis. Cruentas habet

manus qui inimicum odio & iniuriis prosequitur: neq; Oceani aquis abluentur. Semper apparebunt aspersæ cruore: illas Deus cernere non vult, extensæ licèt sint, & cum lacrymis erigantur in cælum.

Operiebatis (inquit Malachias) *lacrymis altare Domini, fletu, & mugitu, ita vt non respiciam vltra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra, &c.* Exponunt D. Hieronym. Cyrillus, & Theodoretus: Operiebatis altare lacrymis eorum, quos iniuriis affecistis. Operiebatis, ait, sumpta metaphora ab eo, qui tegit aliquid ne possit cerni, lachrymæ illæ, quas inimici profundunt, instar veli sunt, quo altare tegitur, ne Deo cernere liceat quæ sibi offeruntur. In tempore Quadragesimæ, v.g. se homines Deo in sacrificium offerunt, ieiuni corpus macerant, confessione crimina expiant, cœlesti cibo animum reficiunt: sed si omnia hæc præstes, inimicum tamen lædas, & ex illius oculis lacrymas eruas, omnia velo tegis, & obuoluis, ne Deus illa possit intueri.

Cap. 2. 12.

Matthæ 5. 25. Id Deus in Euangelio mirum in modum auxit, cum ait: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Quæ isthæc Domine erit vrbanitas? sacrificium inchoatum necdum absolutum relinquere, & aram cum munere deserere? nonne erit melius vt tibi priùs, deinde verò fratri satisfiat? Filii Heli meritò sunt accusati, propterea quòd cibum capere voluerunt, priusquam Deo libaretur. Rustici sanè, serui agrestes, & inurbanit Elias Propheta, eò solùm quòd seruus Dei esset, viduæ dixit: *Mihi primùm fac de ipsa farina subcineritium paruulum, tibi autem & filio tuo facies postea.* Si igitur ille sibi priùs quam aliis panem fieri postulauit, rationi consentaneum esse videtur, vt priùs Deo sacrificium offeratur, deinde verò de iniuriis remittendis agatur. Minimè (inquit Deus) sed *relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Mirabile est hoc: sed inde intelliges nullum te Deo gratum munus præstare posse, dum inter te & proximum tuum grauis aliqua sit coorta dissensio, quæ amicitiam dirimat, quæ necdum sedata & restincta sit.

3. Reg. 17. 13.

Exod. 29. 26. Leu. 7. 30. Ex victima quæ mactabatur, peculiari quadam ratione pectusculum postulabat Deus. *Sumes pectusculum de ariete, sanctificabisque illud eleuatum coram Domino.* Hoc erat pulmentum & obsonium quod Dei palato maximè arridebat, sine quo non erat ei gratum sacrificium. Integer homo Deo debet offerri in sacrificium, quia oculis, auribus, linguis, manibus, & pedibus, Deus gaudet. Oculos exigit, vt lacrymas reddant, quas debent: aures, vt audiant diuinum verbum: linguam, vt de diuinis rebus loquatur: manus, vt pecuniam in pauperes distribuant: ac denique pedes, vt bonis operibus se exerceant. Sed, quod Deo maximè placet, & sine quo cætera displicent, pectus est ab omni iracundia & commotione liberum, pectusculum sanctificatum, in quo nullum irati animi vestigium reperiatur. Qui odium & iram aduersus proximum in pectore versat, pectusculum dæmoni offert, eius munera & sacrificia, licèt lacrymis respersa sint, Deo grata non erunt, neq; illum placatum reddent.

Opus igitur est, vt cum illo qui tibi iniuriam intulit, in amicitiam redeas, vt Deus te in suam gratiam recipiat: aliàs enim oleum & operam perdis, tuis te interimis manibus, ianuam veniæ & misericordiæ claudis, & simul etiam templi cœlestis valuas occludis.

2. Reg. 19. 6. *Vtiit Dominus* (inquit Saul) *quia non occidetur Dauid.* Nuntiatum est Dauidi iuramentum. quo se rex astrinxerat, qui gaudio & alacritate perfusus, in curiam regis profectus est, regiam intrauit, vt regis mensæ accumberet. Propheta Ezechiel defert ad eos iucundissimum nuntium, Deum scilicet iuramento firmasse, se nolle mortem peccatoris. *Viuo ego* (dicit Dominus Deus) *nolo mortem impij. sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* O lætum & inexpectatum nuntium! nullum iucundius afferri poterat peccatori, qui cum Deo inimicitias gerit, & mortis æternæ reus est. Iam tibi patet aditus ad curiam cœlestem, iam poteris regiam adire, & ad Domini mensam cùm principibus accumbere: exigit tamen vt iniurias tibi illatas, & æquissimè toleres, & libentissimè remittas; aliàs enim nec tibi Deus peccata condonabit, nec eius conspectum fubire poteris, nec cœlestium dapium particeps fieri.

Deus litem intendit peccatoribus (vt inquit Oseas) *Iudicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, &c.* Durum & asperum verbum hominibus. Deus qui omnipotens est, & à se habet iustitiam, illa intendit litem, si res ad sententiam deducatur, causam non obtinebunt homines, ab illa cadent. Sed iam ad nos defertur iucundissimum nuntium: Deus enim à lite desistit, & nobiscum pacem inire vult. Lætantur homines, cùm in negotiis quæ gerunt, in quib. repulsam pati pertimescunt, ad rationem aliquam venitur, qua res transigatur. Possunt similiter peccatores lætari, quia si res, in qua de eorum incolumitate & sempiterna felicitate agitur, ad sententiam vsque protraheretur, merito possent de sua salute dubitare. Gaudeant igitur vehementer, & grati animi significationem ostendant, quod Dei gratiam habeant, si sese ipsi extendant ad id quod in illorum potestate positum est.

Sed cùm Deus ipse huius decisionis transactor sit, primum caput esse vult, vt priùs peccator indignationem ponat, & inimico suo reconcilietur: deinde Deus iniurias relaxabit, vbi fœdus cùm illo factum viderit. Nam si illud non conceſſerit, nec hoc assequetur. *Relinque proximo nocenti tibi* (ait Dominus) *& tunc deprecanti tibi peccata soluentur*: peccata (inquit) non hoc vel illud, sed peccata omnia; vt inde conijcere possis, amplissimum esse iubileum à Deo Opt Max. concessum, in quo nullius sceleris absolutio interdicitur. Quis tanti beneficij particeps fieri recusat? quis odia non deponit, contumelias non despicit, iniurias non remittit, vt peccata sua omnia, tanti diplomatis beneficio & virtute remittantur?

Tu rem parui ponderis & momenti proximo tuo condonas, & animadueríonem diuinam ac sempiternos cruciatus effugis: dimitte igitur, vt dimittatur tibi.

Ostiola sanctuarij celeberrimi illius templi Salomonis, de lignis oliuarum fabrefacta erant: in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis oliuarum. Potuisset Salomon in illo illustri loco, valuas fabrefactas, de lignis cedrorum montis Libani collocare. Cur ergo ostiola fecit de lignis oliuarum? Autor & artifex illius templi Deus fuit, cuius summa sapientia factum est, vt nihil in templo reperiretur, sub quo mysterium aliquod non latitaret: & quod his foribus claudit, adeo perspicuum est, vt seipsum prodat & manifestet. Oliua in diuinis literis misericordiæ symbolum est. Vnde qui sanctuarij & propitiatorij ostiola ex lignis oliuarum construxit, indicauit facilem aditum ad Deum intercluſum esse, nisi misericordiæ fores aperiantur.

Vidua illa quæ excepit Eliſæum, vt æs alienum, quod contraxerat, solueret, oleum, quòd habebat in lecytho, multiplicauit Deus. Potuisset Dominus illius necessitati multis modis prouidere, potuisset argentum & aurum illi tribuere, quo & debita solueret, & dies sieret: voluit tamen oleo, quod domi habebat, ingenti edito miraculo, viduæ subuenire, vt intelligat ille, qui facilè inflectitur ad ignoscendum, qui oleum misericordiæ in cordis vaſculo retinet, quamuis parum sit, habere intra priuatos patietes, Dei misericor-

sericordia adhibita, vt inde possit debita omnia, quæ A peccando contraxit, soluere, & ex pauperrimo fieri repentè dives.

Gloriabatur in suis Psalmis regius ille Vates Dauid, quia Dominus exaudiebat eum, quòd cùm longo experimento comperisset, ipse sibi promittit fore vt semper exaudiatur, *Dominus*, inquit, *exaudiet me cùm clamauero ad eum.* Non dicit (audiet) sed *exaudiet me*, hoc est, concedet, & exequetur quidquid postulauero. Exaudiebat eum Dominus, quia patiens & misericos fuit, & præceptum de diligendis inimicis custodiebat, iniurias relaxabat facilè, despiciebat contumelias, & offensas condonabat. Nefarium & truculentum edidit scelus in Vriam, sed vix verbis expressit, *Peccaui*, cùm veniam adeptus est. *Si* inimicitias cùm aliquo gessisset Dauid, diuinas aures occlusas, & Deum sibi iratum reperisset; sed cùm iniurias omnes remiserit, & omne odium extinxerit, Deum sibi beneuolum reperit, & audire promeruit: *Dominus transtulit peccatum* B *tuum.*

Nihil non impetrabit ille, qui tumidum ac perturbatum animum sedare nouit, & flectere ad ignoscendum: quid non exoraret Stephanus inuictissimus Martyr extrema illa voce, quam saxa ipsa resonabant, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*, lapidibus cædebatur, ad necem saxorum crepitantium turbine quatiebatur: ille autem positis genibus clamabat voce magna, dicens: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*, & tantum gratiâ valuit apud Deum huiuscemodi oratio, vt Paulum impetrauerit Ecclesiæ, vt testatur D. Aug. & qui tot Apostolorum vocibus & miraculis ad veram veritatis viam reduci non poterat, vnius Martyris voce pro se lapidantibus, atque interficientibus supplicantis, reuocatus est. Acerrimus erat Ecclesiæ hostis qui illam fortiter oppugnabat, & Ecclesiæ propugnator egre- C gius constituitur, vt illam ab hostium incursionibus defendat. Neque vulgari quadam ratione Paulus conuersus & immutatus est, sed ingenti edito miraculo. Debebatur hoc deprecationi Martyris, quia inimicorum saluti prospiciebat: debebatur ardenti charitati, qua vitam eripientes complectebatur. Deum itaque sibi deuinctum habebit, qui non solùm inimicis pepercerit, sed pro illis etiam supplicauerit.

Sacerdos cùm Sanctuarium ingrediebatur, super humerali ornatus erat, ex auro, hyacintho, contortaque byssо, consecto, in cuius humeris duo erant onychini, in quibus filiorum Israelitici populi nomina præferebat insculpta, suis vt humeris populum sustineret, illiusque rationibus prouideret, atque consuleret. Voluit etiam Dominus, vt cùm munus aliquod oblaturus esset Sacerdos, non solùm pro se, sed & pro populo illud offerret; quia mutuum necessitudinis vinculum, D quo eiusdem populi membra colligantur, maxima conducit ad impetrandum à Deo quidquid petitur, & ad hoc vt munera illi placeant, & sacrificia grata sint.

Vnde cum Orationem Dominicam recitamus, dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra*: quia subintelligi debet omnes esse eiusdem charitatis vinculo colligatos, ita vt quod in vnius membri vtilitatem cedit, ad omnia se diffundat. Hæc virtus viam sternit quæ ducit in cœlum, semper illi aditus patet ad Deum, numquam repulsam patitur, & licèt homo in multis offenderit, si vnam sibi illatam iniuriam de corde condonet, & æquo animo remittat, huius clarissimæ virtutis beneficio, omnium scelerum impunitatem assequetur. Id Christus Dominus ostendit apertissimis verbis cùm ait, *Si dimiseritis hominibus peccata eorũ, dimittet & vobis Pater vester cæ-* *lestis delicta vestra.* Domine, & si veniam petierit aliquis homo perditus & sceleratus, hæresi infectus, nequissimus proditor, nunquid impetrabit? maximè (ait Dominus) dum ipse conuersus ad Deum iniurias sibi illatas remiserit. Quid igitur hæc audiens offensas obliuioni non mandat, vt omnium scelerum, quibus se astrinxit, obliuiscatur Deus?

Inuasit Ismael octoginta viros, quos cùm cepisset interficere cœpit, cùmque septuaginta eorum iugulasset, qui residui erant dixerunt: *Si nos omnes vita do-* *naueris, locum tibi ostendemus, in quo magnum thesaurum* *inuenies.* His auditis gladium in vaginam reuocauit ferocissimus Ismael, vt thesauro sibi promisso potiretur. Quis hodierna die ferrum, quod distrinxerat, vt inimicum peteret, non recondet in vaginam, cùm illi offeratur thesaurus diuinæ misericordiæ, & impunitas omnium scelerum, sub qua diuinæ gratiæ thesaurus latet? quid aliud requirit, aut desiderat qui tantum thesaurum reperit, & eruere potest?

Felix & fortunatus homo dici poterit peccator ille, qui iniuriis afficitur, & contumeliis onceratur, cum se illi offerat occasio veniam impetrandi peccatorum. Si Rex conderet legem qua caueretur, vt qui inimico suo pepercisset, ab omni scelere absolueretur, licèt reus esset criminis læsæ maiestatis, qui maximum facinus perpetrasset, & iam esset comprehensus & conjectus in vincula, vt plecteretur capite; felix haberetur, si quem haberet inimicum, quocum misericordiâ fungeretur, quæ illum in libertatem assereret, ac vindicaret. In eumdem modum peccator maxima debet alacritate perfundi, cùm aliquem nanciscitur inimicum, cui offensas libenter remittat: Sic enim viam suam in cœlum sternit, fores referat, vt aditus sibi pateat ad diuinam misericordiam.

Non sine magna spe ad Dei pedes accedere poterit, & hanc ad illum orationem habere: Domine, si ego, qui ex iracundia & bili coagmentatus sum, inimico meo peperci, tu qui suauis, & misericors es, mihi non parces? tua verba sunt: *Dimittite, & dimittemini.* Ecce, *Lu. 6.38.* ego dimisi, indignationem extinxi, odiumque deposui, vt tuam exequerer voluntatem. O Domine, fidem præsta, sta promissis, & dimitte nobis peccata nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Hinc denique oritur maxima illa fiducia, quam habere debemus, ad subeundum diuinum conspectum, & ad excelsum illud supremi iudicis tribunal adeundum. in hoc perfecta est charitas (inquit Diuus Ioannes) *vt fiduciam habeamus in die iudicij: quia sicut ille* *Cap. 4. 17.* *est & nos sumus in hoc mundo.* Nunnihil difficultatis habent ista verba, sed exponit D. Augustin. dicens: *Si ad hanc perfectionem nos vocat Deus, vt diligamus* *Super* *inimicos nostros sicut & ipse diligit nos, ea nobis fiducia est in* *hunc lo-* *cum.* *die iudicij: quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo, sicut enim ille diligit inimicos suos, faciendo Solem suum oriri super bonos, & malos, pluendo super iustos, & iniustos: nos quia inimicis nostris non possumus præstare temporalem Solem, & pluuiam, præstamus lachrymas, cum pro illis oramus.* Hactenus Augustinus. Non est igitur cur Dominum timeat, nec sibi inexorabilem arbitretur, qui proximo suo pepercit, & de corde condonauit. Iracundus, crudelis, ne dicam sceleratus, & impius, qui iniurias vsque ad internecionem persequitur, ille concutiatur formidine & timore; quia Deum suarum iniquitatum vltorem reperiet.

Dimittite & dimittemini, qua mensura, &c. & Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus*, &c. Exclamat hic Cassianus collatione 9. c. 21. dicens: *O* *Cassianus.* *ineffabilis Dei clementia, qua orantibus refert viam, quâ clemens ac pium erga se prouocent Deo iudicium! Et quodam modo potestatem tribuis quâ iudicio nostri possimus sententiam temperare, ad veniam delictorum nostrorum cum arctantes exemplo remissionis nostræ, dum dicimus ei: Dimitte nobis sicut dimittimus nos. Securus itaque huius orationis fiducia de suis admissis veniam postulabit, quisquis remissor erga suos extiterit debitores. Quisquis autem fratri non remiserit ex cor-*

de, non indulgentiam, sed condemnationem hâc deprecatione sibi impetrabit, dicens: Remitte mihi sicut remisi. Quare si clementer voluimus iudicari, nos quoque erga illos qui in nos delinquunt, oportet esse clementes. Ita ille. A

PROP. XXXIX. *Amor inimici plurimùm conducit ad impetrandum in oratione à Deo.*

Hom. 79. ad popul. Inimperf. Hom. 13.

S. Chrysost. *Si orauerit tu pro inimicis, licèt pro te nihil petus, omnia consequeris.* Ita ille, &c. *Magis*, inquit, *exaudimur à Deo orantes pro inimicis, quàm pro nobis.* Vnde eâdem lance metiri poteris beneficia diuina in te, & beneficium tuum erga inimicum tuum: beneficium enim tuum exhibitum inimico tacitè pro te orat, & quod optaueris obtinebit, tantùm valet amor inimici apud Deum.

In Apol. Dauid c. 6.

Et S. Ambrosius, *Patricida filius*, inquit, *patrium regnum inuaserat violenter: cedebat pius pater eius furori, & loco præsij declinabat, vt vel sic impius filius respiceret à furore, bello quoque noluit interesse, rogauit profecturos ad prælium, vt parcerent filio: securus erat victoriæ*, &c. Ita ille. Adeò placuit Deo hæc pietas in impium inimicum illum, vt eo facto certam redderet sibi victoriam, certum auxilium Dei ad vincendum exercitum hostis, quantumuis magnum, & validum, & potentem. B

Dices, fateor, indignus sum, qui veniam merear obtinere orationibus meis, crit tamen iustus & sanctus alius qui pro me oret. Sit quidem qui pro te oret, quis erit tamen qui pro te exoret? non enim hîc dicit Ecclesiasticus, quis orabit pro peccatis illius, sed *qui exorabit*, quis impetrabit, quantumuis clamet: licèt ergo omnes Sancti, omnis Ecclesia, omnes Angeli ad Deum clament, nisi remiseris odium & iniustam vindictam, nemo exorabit, seu impetrabit pro te. Sciat igitur qui parcere inimico renuit, quod quantumuis oret ore, renuntiat operæ quod orat ore.

In vitis SS. Patrũ

Hinc legitur, quòd cùm Monachus quidam nullâ ratione suadere posset cuidam homini, vt parceret inimico: Rogo igitur, inquit senex, vt simul mecum aliquid, quod tibi dicam, ad Deum ores. Adnuit ille. Dic igitur, inquit. Rogo, Domine, vt misericordias tuas tibi reserues, vel quibus volueris aliis: ego enim eis prórsus renuncio. Obstupuit homo hominis audiens orationem: tunc senex: Quid igitur aliud te facere credis, cùm non vis parcere inimico? facto dicis quod verbis dicere recusas, idem tibi dico, inimicitia & odio tuo, quantumuis taceas, DEVM deprecaris, vt de te vindictam grauem sumat. C

Oratione quinta in Oratione Domini.

Ideò Christus Dominus in Oratione Dominica, cùm de peccatorum venia ageret, dixit: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: vbi subtiliter admonuit S. Gregorius Nissenus, immutasse Deum in hac oratione, quod in cæteris rebus solet obseruare: se enim in exemplar nostrum constituit, vt sicut nos illum facere viderimus, sic & nos faciamus: vt tempore vltimæ cœnæ discipulis suis dixit: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, sic & vos faciatis.* Sed tamen in oratione pro remissione peccatorum velut exemplar remissionis diuinæ nostram posuit remissionem, & ideò, Orate, inquit sic: Tu Deus meus sic mihi inimico tuo parce, sicut videris me parcere inimicis meis: assentitur Deus, & ait: *Quâ mensurâ mensi fueritis fratribus vestris, metiatur vobis Deus*: si amaueritis eos, amabimini à Deo: si prosequuti eos fueritis odio, odio quoque & vos prosequetur Deus. Si igitur tu pepercris inimicis, securè dicere poteris Deo: Fac Domine quod ego pro te feci: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* D

Hinc constat inimicos plusquam mundi amicos communiter prodesse, si nos illorum ope, vt diximus, vti nouerimus, & iniurias & damna inimicorum, lucra inæstimabilis valoris nobis esse futura.

PROP. XL. *Amor inimici pacem cordi affert.*

SOlent, qui affecti sunt iniuriâ, opponere roganti pro venia, se non posse aliter corde quiescere, nisi vindictam de inimico sumendo. Qui similes sunt mi. Exod. litibus illis, de quibus dicitur, *Fossuerunt gladios suos sub 27. capitibus suis.* Sub capite ceruicalia blanda solent reponi, hos verò ait enses posuisse, quomodo super huiusmodi ceruicalia quiescere poterant? tales igitur sunt hi, qui in gladiis suis quietem sibi tranquillitatemque promittunt: quibus dicendum est, inquietudinem cordis potiùs ipsos inuestigare, quàm pacem. nam vitia quidem cordis tranquillitatem promittunt, sed non tribuunt. Adulter in adulterio gaudium sperat, sed inde potiùs timor & tremor & periculum corporis & animæ. Ambitiosus in honore, & dignitate honorificа gloriam quandam imaginatur, sed ipsa ambitio cruciat eum. Nam, vt inquit S. Bernardus, *ambitio est ambientium crux, & in ea, quam acquirit dignitate, mille offendit cruces.* Auarus in diuitiis felicitatem collocat suam, sed inde maior cura, solicitudo maior. Vnde de Diogene Philosopho legimus, quòd cùm pecuniam quandam consequutus fuisset, & latrones quosdam sciret sibi insidiari, pecunias illis tribuit, dicens: *Accipite, & quiescetis à cura rapinæ, quæ somnum tollit à vobis: quiescam & ego, qui propter pecuniam seruandam dormire non valeo.* Idem igitur dicendum est de eo, qui vindicari quærit. nam & ante vindictam turbatus incedit inter spem, curam, & timorem, & post vindictam torsiones & dolores patitur cordis, & aliorum malorum timores. Vnde cùm Abigail suaderet Dauidi, vt parceret Nabali, hanc inter alias adhibuit rationem. *Non erit hoc in singultum & in scrupulum cordis Domino meo, quòd effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te fueris vltus.* Erat quidem tunc Dauid iratus valdè contra Nabalem, & non solùm eum, verùm etiam omnes viros domesticos occidere pergebat: auditis autem sermonibus Abigaelis, quieuit animo, & respondit: *Benedictus Dominus Israel, qui misit te hodie in occursum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu meâ.* Valuit quidem plurimùm apud Dauidem, ratio illa Abigaelis, & animaduertit, quàm sibi perniciosum esset se manu propriâ vindicari, idque in singultum cordis perpetuum futurum. Vide igitur, quomodo decipiantur, qui in vindicta animi pacem, & tranquillitatem cordis constituunt.

PROP. XLI. *Amor inimici corda omnium conciliat, quantumuis diuersa sint.*

EGo autem dico vobis, &c. Ægyptij per lyram, quæ ex vocibus consonis constat, amicitiam significabant: hanc homines passionibus suis distemperauerunt. Nam Pharisæi chordam amoris proprij nimium attollebant, propria commoda aliis proximis & parentum amori præponentes: chordam verò amoris proximi à Deo submissam & lentam reliquerant, vt eius sonus ad inimicos vsque non pertingeret. Venit igitur Christus Dominus, & ita hanc lyram temperauit, vt fidium adæquata proportione optimam reddat consonantiam. Nam sui amorem moderatus est, & inimicorum amorem attollit, dicens: *Ego autem*, &c. Huiusmodi omnium hominum inæqualitas ad concentum redacta est: sicut in Musica, licèt voces non solùm diuersæ, sed etiam oppositæ sint, aliæ scilicet graues, aliæ acutæ, aliæ sublimes, aliæ submissæ, at per artem Musicæ, ad concordiam reuocantem, Musicæ concentum, omnibus gratum, reddunt; sic nimirum inter homines licèt varia & diuersa, & omnino oppolita sunt ingenia, & mores, & inclinationes, & passio-

passiones, & iudicia, & intentiones, & cæt. & per artem charitatis sic ad concentum & concordiam reduntur, vt ex iis omnibus grata cunctis consonantia sonet.

PROP. XLII. *Amor inimicorum ad pacem vniuersalem maximè conducit.*

FRustra, inquit Senecca, quæris maleficas ad amorem, ostendam tibi maleficium potens, ama & amaberis. ita ille. Et ita quidem est, si enim nos inuicem, ita, vt Christus præcepit, amaremus, omnes rixarum, & inquietudinum occasiones de medio tollerentur, si ita, inquam, vti Christus Dominus præcepit, faceremus, vt sc. amor noster ad inimicos vsque pertingat. hoc si a nobis obedientibus præstaretur, exuberans pax in Ecclesia Christi vigeret.

Vnde meritò Isaias sic de Christi Domini Ecclesia prophetauit, *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* cur ita? subdit: *Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.* q d. *Bien podran los Christianos hazer de sus espadas de guerra, rejas de arar, y de los yerros de sus lanças, ozes para segar, porque profesara tanta paz la iglesia, que no eran menester instrumentos de guerra.* Duplicem sensum locus hic habere potest, primus est, si Ecclesiæ Christi fideles Euangelio Christi se aptauerint, non illis opus erit bellum, nam vbi non est inimicorum odium, nullus erit armorum vsus.

Secundus sensus est, frustra erunt arma, vbi fuerit inimicorum amor: arma enim ad hoc deseruiunt, vt homines inimicos vincant: at inimici meliùs vincuntur amore quàm gladio: omnia quippe vincit amor. & quidem non solùm vincit; verùm etiam conuincit inimicos amor: vt videre facilè poteris in Saule, non solum victum esse, sed etiam conuictum beneuolentiâ Dauidis, quem capitali prosequebatur odio. si vis igitur vincere & conuincere inimicos, ama illos: te enim saluum facies, & fortè illos, &c.

Etenim huiusmodi amor inimicorum, non solùm pacem, sed gaudium & lætitiam secum affert. nam, vti Philosophus quidam dixit, iucundius est facere amicos, quàm habere illos: sicut iucundius est pingere imaginem aliquam pulchram, quàm habere illam solùm, sic delectabilius multò est ex inimico facere amicum, quàm illum talem amicum habere.

PROP. XLIII. *Patientia & amore nostro vincitur inimicus.*

Vide in PROP. XXIII. Fol. 145.

PROP. XLIV. *Inimicus amore placatur, & vincitur gloriosè.*

AD Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Idipsum habes Prou. 25. *si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere; prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.* Quid est, prunas & carbones, congregare super caput? S. Tho. id est, super mentem eius, (inquit) quia, vt Aug. dicit, in lib. de cattech. rud. *nulla est ad amandum maior prouocatio, quam amando præuenire: nimis enim durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere.* Ita S. Thom.

Quare meritò concludit Apost. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*: quod sic exponit & optimè, idem S. Doctor, *Naturale est homini vt vincere velit aduersarium, & non vinci ab eo: illud autem vincitur ab aliquo, quod trahitur ab illo, vt quando aliquid trahitur ad calorem ignis ab ipso igne: si ergo bonus aliquis bono propter malum quod ab alio infertur illi, trahitur ad hoc, vt ei malefaciat, bonum vinceretur à malo: si autem è contrario propter beneficium, quod bonus persecutori exhibet, eum ad suum amorem trahat, bonus vincet malum. Ait ergo Apost. Noli vinci à malo, eius nempe, qui te persequitur, ita vt & tu illum persequaris, sed in bono tuo vince malum illius, vt scilicet, ei beneficiendo, ad te amandum trahas: sicut Ierem. 15. Ipsi conuertentur ad te, & tu non conuerteris ad eos.* Ita S. Thom. Et potest hoc exponi in litterariis controuersiis, in quibus si duo contendant, alter alterum conuincere conatur, & qui alium ad suam sententiam trahit, ille vincit; sic qui odio & amore certant, si is qui odio pugnat, ad odium traxerit alium, ille vincet in malo; si verò qui amat alterum, ad suum traxerit amorem, vincet in bono. Vis igitur non vinci à malo? ama inimicum tuum, *sic congeres carbonem super caput eius*, hoc est, sic accendes mentem eius seu voluntatem & cor eius, vt qui te prius odio prosequebatur tanquam inimicum, te postea tanquam amicum amet.

Pierius Valerianus lib. 51. Olim (ait) sic antiquos finxisse concordiam, inter duos homines, alterum austerum, alterum verò pium, quercum scilicet depingebant iuxta oliuam plantatam, & quercum amplexantem oliuam, ita vt rami quercus & oliuæ essent velut inter se contexti, & fructum oliuæ à quercu emanare, & folia oliuæ esse folia quercus viderentur. Est quidé quercus arbor rigida, dura & spinis referta, oliua autem est arbor suauis, ex qua suauissimum emanat oleum, quod pietatis & misericordiæ symbolum est: amplexu igitur huiusmodi quercus, & oliuæ, significare voluerunt effectum amoris erga inimicum, quamuis enim inimicus austerus, & velut quercus quædam sit, si tu eum amore & pietate sicut oliua fueris amplexus, referet ille mansuetudinem tuam, & tua in eum pietas relucebit & charitas. quod in Esau & Iacob manifestè constat, Esau enim, vt ait Procop. super Gen. significat quercum, & verè quercus erat in fratrem suum Iacob, si quidem iratus in eum dixerat, Gen. 37. *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum*, quamobrem coactus fuit Iacob fugere à facie fratris sui in Mesopotamiam. Vides quercum? vide nunc oliuam quercum amplexantem: reuersus fuit Iacob in terram fratris sui, quod cùm nosset Esau, exiùit obuiam ei, qua mente, Deus scit. timuit quidem Iacob fratrem suum valde, & assumpto magno quodam munere, *Placabo* (inquit) *cum muneribus*. Gen. 32. & cùm accessisset iam Esau, adorauit eum pronus in terram septies: tunc amplexatus est eum Esau, & stringens collum eius & osculans, fleuit. Vide quercum amplexantem oliuam, & vide fructum oliuæ in quercu, lacrymas scilicet indices amoris, & vides quomodo amans inimicum, vincis in bono malum.

S. Chrys. ho. 31. ad pop. *Frequenter* (inquies) *inimicus longanimitatem meam nactus, peior factus est. At hoc non propter te, sed propter seipsum. vis discere qualia sit Deus passus? ipsius aliaria suffoderunt, Prophetas occiderunt, & omnia ferebat. Nonne superne fulmen emittere poterat? sed postquam Prophetas misit, & eos occiderunt, tunc misit filium, & cùm maiora aggressi sunt impietatem maioribus eos prosecutus est beneficiis. Et tu igitur cùm inimicum videris exasperatum, cede magis: maioris enim remedii indiget furor talis, quanto maiores infert contumelias, tanto maioris mansuetudinis eget. Et sicut febris, cùm vehementer efferatur, tunc eget cedente, sic & irascens. Bestiam, cùm maximè efferatur, tunc fugimus omnes, sic & irascentem. Hocne honorem esse censes? num bestiam, & furentes honoramus, cùm declinamus? nequaquam. sed nota est contumelia hec, imò verò neque nota, neque contumelia, sed misericordia & humanitas est. Non cernis nautas, cùi vehemens ventus spirauerit, vela demittente, ne submergatur nauigium? Ignis est, ira, & flamma velox indigens materia. Igni ergo fomitem ne præbeas, & statim extinxisti malum: non habet ex se foritudinem ira, nisi sit alter qui nutriat eam: nulla tibi*

tibi excusatio est, ille furore tenetur, & nescit quid agat, tu A bolo consecratis, ad eum modum vincunt qui decertant tibi: in stadio vero Christi non est talis certandi lex; sed contraria prorsus: hîc non percutiens, sed percussus coronatur. Si ergo mansuetudinem ostenderemus, insuperabiles essemus, nec esset vllus, siue paruus siue magnus, qui vel tantillum nobis nocere posset. siue enim quis maledicteret, te nullo, seipsum verò maximo afficeret damno. siue iniuriam inferret, incommodum in illius sinum redundaret, qui fecisset iniuriam. non vides quomodo in foro qui iniuriam passi sunt, splendidi appareant, & multa cum fiducia loquantur, qui verò iniuriam intulerunt, cum pudore & capite demisso. Et quid de iniuria dico? etiamsi gladium aduersum te acuerit inimicus, & dexteram suam in gutture immerserit tuum, te quidem neque sic aliquid læsit, seipsum verò occidit. & huic sermoni testimonium feret, qui primus fraterna dextera interfectus est. Nam ipse ad tranquillæ sedis portum concessit, immortalem gloriam adeptus, alter verò vitam quasi morte inferiorem vixit, sustinans ac tremens, & in corpore suo facti sui circumferens reprehensionem. qui ergo malè afficitur, non ipse malum peperit, sed alitunde acceptum patientia sua in bonum commutauit: malum verò facienti in seipso malum plagæ habet.

An non in carcere erat Ioseph, quæ verò illi tetenderat insidias adduxerat illa, in ædibus splendidis & illustribus? verum ego loco haberi velles? Nec modò de retributione loquor, sed quòd vtrumque per se facta perpendas, nam & sic millies carcerem cum Ioseph adibus illius mulieris præferes. Etenim si vtrumque animum perspexeris, videbis istum in latitudine summa, multâ fiduciâ fretum, illam verò in angustia pudore, mœrore, ac turbatione, tametsi videretur illa vicisse, non erat vera victoria. ita S. Chryſ.

tibi excusatio est, ille furore tenetur, & nescit quid agat, tu conspiciens eum cùm in eandem incideris, nec ex illo fueris correctus, quam veniam speraibis? Ita S. Chryſ.

PROP. XLV. *Amor inimici ex inimico amicum facit.*

PLut. *lib. de iracundia cohib. Homo,* inquit, *nomine Arcadion, maledictis insequebatur Philippum Macedoniæ Regem, cumq; regis amici eum hortarentur, vt maledicum illum grauiter puniret, Philippus cùm occurrisset homini, humaniter cum eo collocutus, mox etiam xenius ac donis ad eum missis, iussit amicos suos percontari quomodo iam de se Arcadion loqueretur: cunctis autem testificantibus eum hominem iam mitrum Philippi laudatorem esse factum; Ego igitur melior medicus sum,* inquit, *quam vos.* ita Plutarch. vbi nota ipsum seſe tamquam medicum & non tanquam hoſtem geſſiſſe. nam ille qui proximum perſequitur, infirmus, maiore quidem infirmitate laborans, eſt quàm qui magna corripitur febre. nam hic corde, ille verò corpore æger eſt: curatur autem amore ſui, & in priſtinam ſanitatem rediens ex inimico amicus eſt. quàm glorioſa curatio & victoria!

B

Et vt ab Ethnicis hac in re confundamur, addam & aliud quod ibidem refert Plutar. *Aristippo,* inquit, *poſtquam ipſi cum Æſchine neſcio quid iræ incidiſſet, & quidam illi diceret: O Ariſtippe, vbi nunc amicitia veſtra? Dormit,* inquit, *ſed eam ego excitabo, adienſque Æſchinem, Adeone,* inquit, *tibi videor modu omnibus infelix, inſanabilis, vt ne moneri quidem à te mereartar Æſchiner, Non mirum,* inquit, *ſi, cùm in omnibus me præcellas ingenio, hic quodque prior videris. quid eſſet facto opus.* ita Plut. qui hos verſus ibi addit.

Non tantum enim mulier non caprum horrentem jubâ,
Tenera puellus ſed quoque pruriens manu,
Quovis palæſtra faciliùs proſtraverit.

Feras igitur nos cicuramus, & luporum catulos manſueſacimus, imò catulos leonum in vlnis circumferimus, & tamen proximos irritamus, & reddimus feroces, iræque noſtræ in eos habenas laxamus.

Alphonſus Aragoniæ rex, vt refert Ponta. cap. 30. de Liberalitate, dicere ſolebat, oblatrantibus canibus C & obtrectantibus hominibus offulâ proiiciendâ eſſe, meritò maledicos & infeſtos homines canibus comparabat: canes enim ſine cauſa, ſine offenſione aliqua accepta, tranſeuntibus oblatrant; ſic ſæpe homines huiuſmodi, licèt nihil mali intuleris illis, nec malum aduerſùs eos dixeris, oblatrant & mordent, famam denigrantes. hos velut canes tractandos eſſe dixit ſapiens rex, ita vt, ſicut os proiicimus cani, aut fruſtum panis, vt latrare deſiſtat; ſic & his aliquod beneficium præſtandum, vt murmurare & detrahere ſinant. Etenim ſi homines perfectionem Chriſtianam amarent, non damna, ſed lucra, perſecutiones inimicorum reputarent, & materiam meritorum & lucrum etiam ad bonos mores. nam inimicorum eſt, aut fidelium amicorum, defectus noſtros arguere, vti dicere ſolebat Diogenes Philoſophus, amici fideles, qui non adulentur, ſed fideliter quæ de nobis ſentiant, dicant, perpauci ſunt. Opus igitur ad hoc inimicis nobis erat, ſed tamen quia perpauci ſunt, qui ſeipſos cognoſcere per detractiones inimicorum velint, ſi inimicis carere velint, eos beneficiis afficere curent.

D

Hinc Ageſilaus Lacedæmoniorum rex, vti refert Plut. in Lacon. cùm audiret quoſdam clam ſibi eſſe infenſos, non tantùm non de ultione cogitauit, ſed in multum duces elegit, & apud magiſtratum accuſatos defendit, & hac arte ex hoſtibus ſibi amiciſſimos fecit. ita Plut.

S. Chryſoſt. hom. 22. in ep. ad Rom. exponens illud Apoſt. *Si ſituerit inimicus tuus, ciba illum, &c. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. ſic ait: Ex diabolicis legibus eſt, vincere malefaciendo, ideo in certaminibus Olympicis dia-*

PROP. XLVI. *Qui amat inimicum, non ideo honorem amittit.*

POtiſſima cauſſa propter quam nolunt parcere inimicis qui aliqua ſunt iniuria affecti ab eis, eſt, quia ſe ita honori ſuo derogare videntur, & dedecus eſſe parcere.

Et in primis interrogare vellem, quinam ſint hi qui dedecus eſſe aiunt, aut ſentiunt? nunquid viri *boni*, iuſti & timentes Deum, an peccatores, & mundi, & C Dei inimici? etenim amicus Dei & iuſtus eſſe non poteſt, qui abſolutè dixerit eſſe contra verum noſtrum honorem, eſſeque dedecus & inſamiam, parcere propter Deum inimico, quia hoc ipſum dicere peccatum graue eſt, &, ſi rectè perpenderet, hæreſim ſaperet, quia hoc idem eſt ac dicere, quòd ſeruare Euangelium, & obedire Deo, dedecus ſit, ſed de hoc poſtea. Qui ergo dedecus hoc aſſerunt eſſe, mundani, & profani & peccatores ſunt; iuſti enim & timoratæ conſcientiæ viri, non dedecus, ſed glorioſum eſſe aiunt. Quid ergo ad te, ô Chriſtiane, quòd mali malè ſentiant de te, & de bono opere tuo? ſufficiat tibi bonos & ſanctos viros bene ac ſanctè de te ſentire ac loqui, & alióquin peius eſſet, ſi boni & prudentes te vanum & mundanum & Dei inimicum eſſe videant, ſi vindictam quæras, &c.

Sed præterea hoc animaduertas oportet, falſum eſſe quòd parcens honorem amittat: nam nunquam Deus id permittit: curat enim vt ſui cauſsâ nemo indecoratus recedat. Quærunt ſancti cur deſponſari voluerit matrem ſuam, quam puram & virginem ſemper eſſe volebat? reſpondent, vt nullus malè ſuſpicaretur adulteram illam fuiſſe, at in aliud inconueniens incidiſſe Chriſtum videtur, nam non ex Virgine natum reliqui cenſerent, & filium Ioſeph eum exiſtimarent, ſicut & de facto exiſtimarunt, & dixerunt nonnulli. Reſpondent S. Baſil. & S. Ambroſius, quòd maluit Chriſtus de ſua natiuitate quam de matris pudore dubitari. nolo ego huius rei modò diſputationem texere, hoc tantum hinc deduco, magnæ apud Deum eſſe curæ honorem ſuorum, & id maximè intendere, ne ſui cauſſa nos honorem amittamus.

Hinc

Hinc est quòd cùm de relinquendis sui causâ dissereret, dixit: *Omnù qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxores, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* attende hîc nullam factam esse honoris mentionem: non enim dixit, qui reliquerit honorem propter me, eò enim ipsò quòd propter Deum quis relinqueret honorem, esset honore dignus, vt patet in humilibus, qui quantò ampliùs se humiliant, & honorem reiiciunt, tantò magis à cunctis honorantur, & æstimantur: vt vndique verum appareat quòd Dominus dixit, *Qui se humiliat, exaltabitur.* quòd si apud malos malè audierit aliquando bonus ob bonum aliquod opus, non patietur Dominus honorem justi sic sepeliri, vt non resurgat, & non sine fœnore honoris & gloriæ.

Nunc ad rem, in oculis impiorum contra honorem est parcere inimicis, at est in oculis impiorum, non verò piorum, & in oculis Angelorum, & ipsius Dei: vnde ergo honorem magis exoptas, & quæris, in oculis malorum, an in oculis bonorum, & Angelorum, & Dei?

At, inquies, secundùm leges mundi, dedecus est parcere, honor vindicari. secundùm leges mundi ais? & tu quasnam leges profiteris, leges mundi, an Christi? si Christianus es, Christi dices: at lex Christi hæc est, *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, &c. vobis*, inquit, scilicet Christianis. nam licèt & hi qui Christiani non sunt, hoc adimplere præceptum teneantur, est quippe legis naturæ, vt quod tibi non vis fieri alteri ne feceris, &c. sed speciali ratione nobis ait, *dico vobis*. Turca enim & Sina non audierunt ita Euangelium legis charitatis, explicans & expendens, vos autem sic: vobis igitur dico tanquam Euangelij professoribus, diligite inimicos vestros. si mundanus vis esse & mundi leges seruare, in die obitus tui dicet tibi Dominus: Vade inuoca mundum, vt auxilietur modò tibi, vbi est mundus cui nomen dedisti? surgat & opituletur tibi, tu verò redde rationem Euangelij mei (*este sera el aranzel, aunque no las leyes del mundo*) cur non pepercisti inimicis tuis? an dices, quia secundùm leges mundi vindicari debebam.

Si, vti reuerà est, in peccato vera consistit turpitudo, & dedecus verum, non qui læsus est, & iniuriam passus, is deturpatus manet, sed qui lædit, & iniuriam infert. nam iniuriam pati sanctorum proprium est, inferre autem peccatorum & hominum iniquorum. quod non solùm Christiani viri, verùm etiam Gentilium sapientes assecuti sunt. nam de Crate Philosopho refert Diogenes Laërtius in eius vita, quòd cùm ab iniquo homine, nomine Nicomandro, in facie percussus fuisset, & deturpatus ore remansisset, nihil de vindicta curans, in fronte sua nomen percussoris inscripsit, dicens: Nicomandrus faciebat, more pictorum, qui imagine confecta nomen suum subscribere solebant: vti Appelles, qui ita in imaginibus suis scribebat, *Appelles faciebat*, Appelles quidem vt inde famam consequeretur, Crates verò, vt infamem illum ostenderet à quo læsus erat.

Romæ inter Iulium Cæsarem & Pompeium magnas intercessisse inimicitias notum est, cùm igitur Iulius Pompeium deuicisset, Romani statuas quas in laudem erexerant Pompeij deiecerunt, cumque Romam Iulius Cæsar deuenisset & Pompeij statuas deiectas reperisset, eas erigi jussit, & super bases suas honorificè collocari. aderat tunc Romæ Cicero, qui Iulium conueniens dixit: *ô Cæsar, cùm statuas Pompeij collocasti, tuas constabilisti.* ita refert Plutarch. lib. de vtil. cap. ab inim. Sensit Tullius non solùm fuisse indecorum sic honorasse inimicum, verùm etiam honorificum valde fuisse apud omnes, & æternâ memoriâ dignum, ad hanc enim memoriam statuæ illæ collocabantur.

Mirè expendit & auget S. Chrysost. hom. 2. de Saule & Dauide, factum illud Dauidis cùm inueniret Saulem in spelunca dormientem. quærebat Saul Dauidem ad perdendum eum, & in tali inquisitione in quandam se speluncam recepit, necessitatis causâ, in qua secretò latitabat Dauid cum nonnullis militibus suis. optabant igitur satellites Dauid tali datâ occasione occidere Saulem: sed non permisit Dauid, imò, ait Scriptura, confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos vt consurgerent in Saul: ait ergo S. Chrysostom. *Spelunca illa Ecclesia facta fuit, in qua Dauid sacrificium obtulit, haud quidem mactato vitulo, aut occiso agno, sed, quod honorificentius erat, mactatâ iracundiâ, & factus est idem tum victima, tum sacrificus, tum altare. Egressus autem post Saulem magis exultauit, quàm cùm Goliath deiecisset, & eius caput amputasset: si quidem hæc illa magnificentior victoria erat, hæc præda illustrior, hoc trophæum gloriosius. siquidem illic sunda & lapide & ense habebat opus, hîc verò prudentiâ & ratione peractæ sunt, & sine armis contigit victoria, ac inruentium trophæum erectum est. itaque rediit non barbari illius caput gestans, sed animi motionem mortificatam, sed iram enecuatam, & spolia hæc non reposuit Hierosolymis, sed in cælo. Nunc minimè in choris veniebant fœminæ excipientes illum cum laudibus, sed Angelicus cœtus & sublimis applaudebat, admirans eius Philosophiam & humanitatem, ascendit hostè innumeris vulneribus cruciato, vt qui tametsi seruasset Saulem, tamen re verâ diabolum hostem multis confixit plagis. sicut enim in nobis inter nos pugnantibus, per iracundiam, & multo conflictu collisis, ille tunc gaudet, tunc floret, ita nobis pacem habentibus, & concordibus ireq; moderantibus, contrahitur, & deiicitur, nimium hostis pacis, & inimicus concordiæ & inuidiæ pater est. Egressus itaque est Dauid non Saulis diadema gestans, purpuram regis, sed egressus est humanitate amictus, quod pallium est quauis stola regia magnificentius, egressus fuit ex spelunca tanta cum gloria, quanta tres pueri egressi sunt è camino ardenti. Nam sicut illos non exussit ignis, ita hic non conflagrauit iræ incendio. Et illis quidem nihil foris ignis, in quo versabantur, nocuit, hic verò, cùm intus in corde haberet carbones accensos, cùm foris videret diabolum caminum incendentem, id, variis modis, ab inimici conspectu, ab exhortatione suorum militum, à facilitate perficiendi eadem, à præteritorum memoria, & futurorum periculorum metu: siquidem hæc & sarmentis, & stipulis & cæteris omnibus, quibus caminus ille Babylonicus incendebatur, lucidiorem excitabant flammam, non tamen exarsit Dauid, nec vllo pacto sic fuit affectus, sicut consentaneum erat hominem affici tot modis irritatum.* Ita egregiè S. Chrysostomus, qui vt tandem factum augeret, subdit: *Haud intempestiuum fuerit, si quis etiam hic meminerit Danielis. sicut enim ille ascendit è lacu leonibus superatis, itidem hic ex specu prodiit aliis bestiis seuioribus deuictis. nam sicut justo illi leones hinc ac hinc assidebant, ita hunc omnibus leonibus ferociores animi motus inuaserunt. Hinc indignatio de præteritis, hinc futurorum metus, verùm vtrumque is coercuit, ora bestiis occludens, ipsis factis docens nihil esse potius & laudabilius quàm parcere inimico. Contrà verò nihil periculosius quàm velle vlcisci, & fumere vindictam. itaque Dauid prius quàm Deus ipsi rependeret mercedem, etiam in hac vita manus accepit præmium, ac illustriorem tulit victoriam, seruans Saulem, quàm si mactasset eum.* Ita S. Chrysostomus. Itaque persequebatur vbique Saul Dauid, & per montium abrupta quærebat ad perdendum illum, inuentâ verò occasione quâ Dauid in speluncæ poterat Saulem interimere absque vllo damno & periculo proprio, noluit. sed pepercit illi quod cùm Saul animadverteret, sic eum affatus est: *Quis, cùm inuenerit inimicum suum, dimittit eum in via bona? & nunc scio, quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel.* Vnde collegit? vnde inquam intulit Saul regem futurũ Dauid? Ex hoc, quòd cùm posset indemnem sumere vindictam de inimico suo, elegerit potiùs cum periculo proprio parcere illi: hoc enim regium est, & inde judicauit Deum electurum Dauidem in

regem, siquidem in pectore suo regium cor gerebat.

Vnde cùm mirarentur nonnulli quòd Dauid vindictam non sumeret de Semei, qui maledixerat, respondit Dauid eit : *Cur efficimini mihi hodie in satan? ergone hodie interficietur vir in Israel? & ait rex Semei, non morietur, iurauitque ei.* etenim quamuis iam antea rex fuisset constitutus Dauid, illa die confirmatum erat regnum eius, ideo dixit non esse diem illam vindictæ accommodatam. imò potiùs aptior alicui forte visa fuit, eò quòd plenam tunc potestatem haberet Dauid. sed quidem regale responsum illud fuit, regium enim est parcere inimico.

2. Reg. 19. 22.

Similiter Salomon cùm iam in regni thronum eleuatum se videret, & facilè posset Adoniam fratrem occidere, eò quòd eum se in regē elauasse priùs vidisset, nihil illi mali inferre voluit, postea verò alia ex causa capite illū damnauit. expendens hoc Abulensis quæst. 45. ait, *Hoc fecit Salomon vt iustificaret actus suos, maximè in principio regni sui. nam si propter primum delictum occidisset Adoniam, videretur hoc solum ex vindicta fecisse, quod regiam dignitatem minimè decebat.*

3. Reg. 1.

Et cùm præcepisset Salomon occidere Ioab, causam reddens ait, quia occidit duos viros meliores se, Abner & Amasam, cur etiam non enumerauit mortem Absolonis quem occidit contra præceptum regis Dauid patris sui? respondet Abulensis ibi quæst. 10. *Quia volebat*, inquit, *ostendere Salomon se procedere ex solo zelo iustitiæ : si autem mentionem fecisset Absolonu, videretur procedere ex affectu vindictæ, erat enim frater eius, & voluisse vindicare mortem fratris existimaretur.* idem prosequitur Abul. sup. 1. Regum. 2. q. 45.

3. Reg. 2.

De potentia nostra visiua ait Philosophus cæteris sensibus potiorem esse, quod deducit ex eo quòd visus non recipiat impressionem aliquam contrariam, sicut alij sensus, v.g. si gustus percipit sellis amaritudinem, etiamsi postea mel gustaueris, remanet nihilominus gustus ex amaritudine fellis, ita infestus, vt minimè ob mellis dulcedinem cesset amaritudinis affectio: at visus non ita recipit contrarias impressiones, nam licèt nigrum valde colorem videris, eo amoto statim album colorem poteris perfectè percipere, quia visus non manfit læsus ex visione nigri coloris, ex hoc deducit Philosophus nobilitatem visus. Ex eodem etiam possumus deducere nobilitatem hominis diligentis inimicum, quia inde constat cor eius non fuisse affectum ira & odio in eum. nam si odium & furor in eo remansisset, non ita illum facile amaret, neq; parceret ei, &c.

Hinc S. Ambrof. lib. 2. *de Iacob & vita beata*, ignobilitatem cordis Esau deducit, hic enim dolebat sibi à Iacob fratre benedictionem esse præreptam, & ideo se illum occisurum minabatur. ait ergo S. Ambrosius *Benedictionu paterna se dignum manfuetudine debebat probare, non scelere.* ita ille. quibus verbis ostendit S. Ambrosius indignum benedictione, & primogenitura fuisse illum qui vindicari quærebat, cùm parcere nobilioris animi sit.

Vnde S. Chryfost. hom. 3. in epist. ad Roman. *Forti*, inquit, *& generoso animo feramus, hic enim demùm est solidus honor.* ita ille. Vide S. Ber. de inter. domo, cap. 23. & S. Augusf. serm. 4. de sanctis & S. Ambro. serm. 7. in Psalm. 118.

Regale igitur facinus est parcere inimicis, imò & diuinum. 2. Regum. 9. cùm iam regni clauum fuscepisset Dauid, familiari cuidam Saulis, nomine Siba dixit: *Superest aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei?* cur non simpliciter dixit, vt faciam cum eo misericordiam, sed *misericordiam Dei?* nimirum, quia de misericordia erga domum & filios inimici illius infestissimi Saulis agebat : misericordia namq; hæc plusquam hominis, plusquam Angeli dici potest. Deniq; *Dei* dixit, quia Deus sic misereri solet & parcere inimicis, de quo & ipsemet Dominus gloriatur. Fuerat quidem iure irritatus contra populum Israel, sed misericordiā motus subdidit: *Non faciam furorem iræ meæ, non conuertar, vt disperdam Ephraim, quoniam Deus ego, & non homo.* vbi S. Hieronym. *Homo punit, vt perdat : Deus autem percutit, vt emendet.* ita S. Hieroym. Ait ergo Dominus ad populum Israel sub nomine Ephraim, non faciam furorem iræ meæ, hoc est, detinebo & continebo iram meam in misericordia mea: non conuertar, vt disperdam Ephraim. S. Hieronym. hoc est, *non commutabor de mea clementia, vt disperdam Ephraim, quia Deus ego sum, & non homo.* ita S. Hieronym. Placet autem paraphrasis Rabbi Dauid in loco, vbi ait: *Quoniam ego sum patiens non vt homo, qui nequit sustinere iram suam, sed agit cum inimicis iuxta iram & furorem suum.* ita ille, cui consonat expositio Rabbi Abraham, dicentis: *quasi dicat : Ego sum Deus, qui possum iram & indignationem portare, atque ferre, hoc est, non protumpo in vindictam, vt deleam prorsus eos, à quibus offendor, veluti homo debilis, qui non potest iram cohibere, sed feratum more in perniciem ruit eorum, quibus irascitur sine modo.* ita ille. vbi etiam notandum est, quod vbi legimus, *quia Deus ego*, in originali Hebræo est, *El*, quæ dictio significat Deum fortem, quò nobis Dominus insinuaret, non ex virili & fortu animo vindictam promanare, sed ex imbecillitate animi humani: Deus autem quia fortissimus, quoniam peccata mortalia grauia in eum delicta sint, fortitudine sua diuina parcere peccantibus solet. Audiant hoc, qui se magnos & fortes viros autumant, cùm se de inimicis suis vindicauerint. Vnde Seneca : *Magnarum virium est contemnere lædentem.* ita ille, & Salomon, *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Vide igitur & fortium virorum esse patienter sustinere, regium parcere, imò & diuinum, quia cùm facilè possit de inimicis vltionem capere, parcit, sicut Christus Dominus in passione fecit, qui, antequam caperetur, vno verbo hostes prostrauit, sed statim manum retraxit, & vtramque illis vinciendas præbuit. quasi diceret, videte, quàm facili negotio vos perdere possem, qui non ense, sed verbo deitio, sed nolo, quia Deus ego, & non homo.

Voluit autem exemplum dare his, qui de inimicis facilè vindictam sumere possunt, vt vires compriment, & non pro viribus noceant. quod tunc etiam significasse videtur, cùm discipulis dixit: *Qui non habet, Luc. 22. vendat tunicam suam, & emat gladium.* Expendit S. Ambrof. verba hæc, & ait : *ô Domine, cur me gladium emere iubes, qui ferire me prohibes?* (alludit S. Ambrof. ad id quod Dominus Petro dixit : *Conuerte gladium tuum in vaginam*, &c. cùm tamen priùs Christus emere gladium iusserat.) ait ergo S. Ambrosius: si prohibes ferire gladio, cur emere præcepisti? subdit: S. Ambrof. *Sorte vtili parata defensio, & non vltio necessaria, & videar potuisse vindicari, sed noluisse.* ita ille.

Quod Dei exemplum ante Euangelium Dauid sibi propofuisse videtur in oratione illa, qua sic Deum orauit, *Deduc me Domine in iustitia tua propter inimicos meos,* cuius sensus secundùm S. Chryfost. & S. Augusf. hic est, Ab inimicis circumdor, vitam quidem tueri desidero, nollem tamen inimicis nocere; quare precor, vt me tuæ iustitiæ imitatorem facias. tu enim, cùm iustus sis, iustitiam punitiuam reprimere soles, & solem tuum oriri facis super iustos & iniustos, & cùm iustitiam facis, misericordiæ nobis exemplum præbes, qui emendationem vitæ plusquam punitionem quæris, & potentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas. vnde S. Chryfost. hom 139. tom. 5. *In te commissorum remissor esto peccatorum, ne perdas in te insulas diuina potestatis.* ita ille. hoc est, ne transire permittas occasionem imitandi diuinam potestatem, cùm de inimico sumere vindictam potes, sed sicut ille : cùm potens sic punire & mittere inimicum in gehennam, elegit sæpè sæpius

sæpiùs parcere illi. *Que teniendo el mando y el palo, la cuella y las piedras para poderse vengarse de los peccadores que son sus capitales enemigos, quiere mas como piadoso padre perdonar, que como seguroso jues condenar.*

Argumentum eorum, qui veniam inimicis concedere nolunt, in honore consistit, per locum, inquam, ab honore probant, se non debere parcere inimicis, quia, inquiunt, indecorum est, & honori contrarium. Quid enim homines dicent, cùm me iniuria lacessitum cognouerint, nec me vindictam sumere conspexerint, nisi me imbecillem, inertem, & ignauum esse, qui propterea vindictam omiserim, quòd eam attentare non fuerim ausus, &c.

Imprimis quis Christianorum ignauiam & opprobrium esse dixerit, parere Deo, & Euangelium eius obseruare? At Christus Dominus non solùm vindictam prohibet, sed etiam amare inimicum jubet. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, &c.*

Dices, non ego absolutè contumeliosum & indecorum dico esse vindictam remittere, sed secundùm mundi leges: in lege quippe mundi si fistamus, ignauiæ notam incurrit, qui indemnem inimicum abire permittit. at tu, qui ista dicis, quam quæso legem profiteris, legemne mundi, an legem Christi? *sepamos en que ley viuimos.* & quidem si lex aliqua mundi esset, quæ legi Dei contraria non esset, non mirum si Christianus illam sibi seruandam proponeret, eam verò, quæ legi Dei repugnat, opponere illi, & anteponere Dei mandato, hoc non Christianorum, sed mundanorum prorsus est. & injudicio non exiget Deus à te, an mundi leges obseruaueris, sed Christianas, &c.

Secundò, si apud homines impios, mundanos, & profanos contumeliosum & indecorum reputetur, sic parcere inimicis, apud Deum & Angelos, & curiam cælestem honorificum prorsus est. Quod vel hoc exemplo constabit. Refert Surius Ioannem Gualbertum nobilem in sæculo virum inimicum quemdam habuisse, qui cognatum ipsius occiderat Gualberti: accidit igitur, vt die quâdam inimicum inermem obuium haberet Gualbertus, idque loco tam angusto, vt neuter posset deflectere à via, tunc hostis ille se sine armis coram armato inimico videns, nihil nisi præsentem mortem expectans, ab equo desiliit, & humi prostratus, vinctisque cancellatim ad pectus manibus, veniam sibi dari pro crucifixi amore postulauit. compunctus Gualbertus audito nomine crucifixi, pacem illi concessit, ob ipsius crucifixi amorem, qui pro suis hostibus ipsum crucifigentibus orauit, ne perirent, jussitque eum surgere à terra, & omnem deponere metum, quòd jam ex animo omnem illam culpam condonasset, vt posset ipse quoque propitium experiri Deum, fecitque ei copiam, quò vellet, recedendi: ipse verò vltra progressus in quamdam Ecclesiam monachorum, quæ in itinere illi erat, se contulit, vbi cùm coram imagine crucifixi flecteret genua, vidit Christum à cruce pendentem caput ad se inclinare, tanquam honorare illum volens, & gratum se illi præbere, qui pro eius honore & amore gratis hosti capitali pepercisset, & in tanti miraculi testimonium, hodie crux illa in monte propè Florentiam in monasterio S. Miniatis cum magna veneratione seruatur, & Gualbertus ea Christi vocatione tractus constituit sæculo valedicere, & monachus effectus, in tantum profecit, vt fundator ipse extiterit sancti Ordinis Vallis Vmbrosæ. Qui quidem Ordo multa monasteria in Tuscia, & in Gallia Cisalpina, quam Longobardiam vocant, habet constituta, & hic Ordo nunc Camaldulensis nuncupatur, & ipse Gualbertus posteà miraculis claruit, & inter Sanctos relatus duodecimâ die Iulij in Ecclesia celebratur. Vide quantum Deus illum honorauit, qui ob eius honorem pepercit inimico. Quid tu per inimicorum vindictas mundi vanos honores quæris, vbi pro venia illorum tantus à Deo adhibetur honor? Gualbertus inimico pepercit in reuerentiam & honorem Christi crucifixi, & Christus crucifixus Gualberti reuerentiæ signum illud mirabile exhibuit. Da mihi aliquem eorum, qui vindictam de inimicis sumpserunt, sic honoratum. & insuper Deus Gualbertum virtutibus cumulauit, spiritum Prophetiæ dedit, & donum magnum miraculorum, quo eximia miracula perpetrauit, Patriarcham etiam Camaldulensium fecit, & tandem inter Sanctos collocatum nunc in terris Ecclesia eius celebrat festum, & in cœlis gloria & honore coronatur. Satisne tibi hoc, vt videas, vnde maiorem honorem consequi possis, ex vindicta, an verò ex venia?

Hanc excusationem prætendere solent, qui parcere renuunt inimicis. Dedecus, inquiunt, est, & honori derogat non sumere vindictam: ignauum me & pusillanimem dicent.

Horum hominum causa Apostolus inquit, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.* Quid, inquies, est regnare in nobis peccatum? qui regnat imperat, & leges statuit, & monetam excudit, & valorem talem, vel talem monetæ assignat? sic etiam peccatum cùm iam in mente nostra regnat, & dominatur, imperat homini, & rebus eius valorem assignat. nam vindictam honorificam esse ait, murmurationem animi recreationem, otium nobilitatem, profanitatem gloriam mundi, & inimico parcere ignominiosum, &c. in his peccatum in corpore & mente regnat, quod quidem periculosissimum malum est. Quod exemplo isto manifestatur: iacet infirmus quis febre magna correptus, qui fastidio quodam ciborum ingenti laborat: apponis tu illi cibum optimum, & illi perneccessarium, illumque vt eo vescatur rogas. Scio, inquit ille, cibum hunc optimum esse, & vtilissimum mihi: sed tamen ex solo eius conspectu prouocor ad nauseam, sine me modò quæso: quamuis infirmus hic cibum non capiat, quia tamen vides illum & cibi bonitatem & suam intelligere necessitatem, spem inde concipis, quòd postea saltem secundò vel tertiò rogatus capiet cibum; si verò infirmitatis vehementia mentem turbet, & phreneticum illum reddens, cibum ille nocivum sibi & venenum esse duxerit, à spe tua cades, & frustra te illum, vt comedat, rogare cognosces. Sic etiam de morbis animæ, quales sunt morbi peccatorum, philosophandum est: nam dum peccator peccatum sibi nociuum, & virtutem sibi vtilem & optimam esse fatetur, spes quidem remedii est: at tamen si vitia rationi consentanea duxerit esse, vnde quæso & quænam spes sanitatis ei, qui tali mentis phrenesi laborat? vnde meritò exclamat Isaias, *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes*, hoc est, qui sapientes estis non verè, sed in vestro errore permanentes, erroremque veritatem esse credentes. Væ, inquit, vobis; quasi dicat, vnde vobis remedium & salus, cùm remedium animæ per ianuam intellectus ingredi oporteat, intellectus autem clausus errore ingredi veritatem in animam non permittat? *grande riesgo corre la salvation destos.* Væ, inquit, quæ dictio æternæ damnationis nota est.

Considera ergo quàm peruersum iudicium illorum sit, qui dedecus esse censent non sumere de inimicis vindictam: num dedecus est Christiano Euangelium Christi seruare? Hæreticus hoc dicet, non Christianus: at parcere, imò diligere inimicos secundùm Euangelium Christi est. ergo secundùm Euangelium Christi honor, non dedecus est, parcere inimico.

At, inquies, dedecus dicimus esse non sumere huiusmodi vindictam, non absolutè, sed secundùm mun-

Ad Rom. 6. 12.

Cap. 5. 20.

di leges, *en ley de mando.* Audi qui leges mundi in opositum legis Christi adducis, quam tu quæso legem profiteris, Christi, an mundi? *Sepamos en que ley vivimos,* vsquequo claudicas in duas partes, aut lex Christi vera sequenda est, aut mundi: si Christi, cur aduersus legem Christi Alcoranum citas mundi?

Sed esto contra legem mundi sit? pluris tu honorem, qui secundum mundum est, æstimas, quàm Dei facere voluntatem? *de manera que puesta en vna balanca la honrra del mundo, y en otra la ley y voluntad de Christo, que dice: Ego autẽ dico vobis, &c. mas pesa con tigo la honrra y ley del mundo, que la voluntad y ley de Dios.* & tu in nomine Christiano glorians, te mundanum, non Christianum voca, &c.

20. *Mor.* 6. Vnde meritò S. Greg. *Quid*, inquit, *iste faceret in dolore pœnarum, qui erubuit Christum inter flagella verborum?* Ita ille. *Parece os que padeceriades de guellos y de fuellos y grandes martirios por Christo, y no soi para sufrir por su amor vna palabrita en la honrra ni enllegar os al pelo de la ropa. si sois tan valiente que por Christo sufrireis martirios, vease que decis verdad en sufrir palabras por Christo, no tenciu animo para perdonar a un enemigo por amor de Christo, y despreciar la honrra, y decis que teneis animo para dexar os martirizar por Christo?* Sed quia tanti facis honorem, vt amittere velis Christum, ne amittas honorem, audi. Non solùm non amittis honorem, dum parcis, verum etiam illum auges, & gloriam nouam acquiris: gloriosum enim & regali animo dignum est, indignationem & iram vincere propriam, & veniam concedere delinquenti. Quod non solum sacri, verumetiam infideles attestantur Doctores. Seneca, *Principum est nullius rei veniam petere, multarum dare.* Ita ille, hoc est, nobilium virorum est nihil in alium committere, cuius gratiâ veniam petere sit opus illi: & aliis, à quibus iniuriam

Lib 6. de anim. fuerit passus, facilè concedere millies veniam. cui adstipulatur Hugo de S. Victore, *Nobile inquies, genus victoria est ignoscere victo.*

In cuius confirmationem sapiens quidam author obseruauit in genealogia Christi solummodo Dauidem regem nuncupari: *Ieße autem genuit Dauid Regem:*

Mat. 1, 5. *Dauid autem Rex genuit Salomonem, &c.* inseruntur quidem plures reges in genealogia Christi, & tamen soli Dauid conceditur cognomen illud, cur ita? Nimirum, inquit, eò quòd regalem animum erga suos gessit inimicos: pepercit Sauli inimico mortali, & non quidem semel pepercit Semei maledicenti, pepercit Nabal iniurioso aduersùs eum agenti. Denique gloriabundus

Psal. 7. dixit: *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis,* quidnam istud? subdit: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam, &c. acadirally lorq ahio, si nadie me la hico, que no me la pagase, però el blaſon de Dauid no es, sino este nadie me la hico, que no sela perdonase.* homo, qui tam regio est præditus corde, inter reliquos reges regis nomine insigniri meretur. quin & ipse Dauid ob

Psal. 4. hoc misericordiam à Deo exorabat, *Memento*, inquit, *Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius,* imò & regnum à Deo ob hanc in proximos & inimicos pietatẽ se obtinuisse fatetur. *Scitote,* inquit, *quoniam Dominus sanctum suum mirificauit,* originale Hebræum sic habet, *Scitote, & -quoniam elegit Dominus misericordem me*, q. d. finite me inimici mei, frustra vos persequimini me, quia consilium Dei labefactari haud potest: ipse enim decreuit me in regem eligere, quia misericordem ergo vos inuenit. Vides quam regia res sit parcere inimicis.

Quod in Deo ipso videre licet, qui de pictate & misericordia erga suos inimicos gloriatur, *Ego sum*, inquit, *ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & pec-*

Isa 43. 25. *catorum tuorum non recordabor.* Quid est, delere Dominum iniquitates peccatorum, nisi parcere inimicis suis? quid vero est, non recordari amplius peccatorum, nisi perfectam cum inimicis suis amicitiam inire? quid autẽ est duplicatio illa, *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo, &c.* nisi vehementiam affectus suæ charitatis exprimere, & quasi de venia ista gloriari: sic enim nos laudare & gloriari solemus: Ego sum, ego sum, qui hoc vel illud feci, &c. Quòd si Deus ipse gloriosum sibi reputat parcere inimicis suis, & diligere illos, quantò magis nos nobis gloriosum parcere nostris reputare debemus: quis enim meliùs potest, & meritò debet vindictam sumere, quàm Deus? cùm iniuriæ ipsi illatæ grauissimæ sint, & infinitam quandam malitiam contineant, eò quòd sunt contra infinitam Dei maiestatem. Si ergo Deus sic iniurias suas remittit, & gloriatur de huiusmodi remissione, quid te facere oportet, vermis & cinis?

Item, *Expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis.* Obserua, in quo ait Dominum exaltare se, in remissione peccatorum, inquit, & ideo parcendo inimicis suis: adeo enim regale, imò & diuinum est parcere, vt Deo ipsi exaltatio reputetur, &c. & tu dedecus esse audes affirmare.

Debilium, inquies, & pusillanimorum est, non sede inimicis suis vindicare; imò verò debilium, & effœminatorum est ita irasci & sumere vindictam: quia sc. homo fortis & potens est, qui potest fortiter suas comprimere passiones: fortior enim est qui se, quàm qui fortissima mœnia vincit: mulierum est, non posse vincere iram. Vnde, *Non est caput nequius super caput ululabri, & non est ira super iram mulieris*, nimirum, quia quantò magis subiectum ipsum debilius est mulieris, tantò magis passiones illam superant, & vincunt, &c.

Hinc Dauid, *Deus iudex iustus, fortis, & patiens, numquid irascitur per singulos dies?* quasi dicat, in hoc Dei apparet fortitudo, quòd cum Iudex omnium peccatorum nostrorum sit, & ad eum pertineat sumere vindictam de suis inimicis, ita fortis sit, vt patienter ferat, vt non sicut singulis diebus peccamus, ita per singulos dies irascatur, & puniat. Ecce veram animi fortitudinem, patienter ferre: duos enim actus fortitudinis Philosophi constituerunt, quorum primus est aggredi inimicos vsque ad occisionem eorum; alter verò ferre, & pati vsque ad propriam mortem, cùm fuerit opus. Ex his autem duobus actibus fortitudinis actum hunc patientiæ altiorem & nobiliorem esse affirmant: maior enim animi vigor & constantia requiritur ad ferendam, quàm ad inferendam mortem. tu igitur qui de vindictis gloriaris, ignoras gloriæ vocem. Mulierum & effœminatorum est vindicari, fortium verò, & regum, imò & Dei omnipotentis, est ferre iniurias æquo animo, & parcere inimicis.

At, inquies, me grauiter inimicus persecutus est: rectiùs dixisses, mihi valde obsecutus est: si enim patienter & amanter suffers, plus tibi inimici prodent per secutio, quã conducet amicorum obsequium. Ponderat S. Augustinus verba illa, quæ Deus de Esau & Iacob fratribus protulit, dicens: *Maior seruiet minori*, quomodo ita se res habuit, cùm potiùs videamus maiorem, sc. Esau, non solùm non seruisse minori, nempe Iacob, verùm etiam ad mortem vsque persecutum illum fuisse. minatus enim ei fuit mortem, & ob id in Mesopotamiam fugere compulsus fuit Iacob, & ibi viginti annorum spatio pastoris officio deseruire Laban: quomodo ergo verum est, *maior seruiet minori?* Respondet S. Augustinus ibi: *Maior seruiuit minori, eo vtique modo, quo mali seruiunt bonis, non quidem obsequendo, sed persequendo, quomodo mola seruiunt tritico, & quomodo in fornace aurificis palea deseruit auro, vbi sc. palea consumitur, aurum vero probatur: & denique quomodo Matybus tyranni seruiunt.* Ita S. Augustinus. qui subdit. *Sicut de vno & eodem vtero Esau & Iacob nascuntur, sic de vtero Ecclesiæ per Baptismum procreatur populus Christianus, qui tamen pro morum diuersitate in duas partes diuiditur, sicut Esau, & Iacob, & ex fructibus operum vna pars cognoscitur carnalis, altera vero spiritualis. Ideo autem dixit: Maior seruiet minori*

minori, quia semper maior est numerus malorum, quam bonorum: & sicut illi duo parvuli in ventre matris, sic hi duo populi in Ecclesiæ ventre vsque ad diem iudicii colliduntur, dum humilibus aduersantur superbi, adulteri castis, sobrius ebriosi, pacifici iracundi. Ita S. Aug. Sicut igitur ignis deseruit auro, sic persecutor & inimicus deseruit patienter perferenti: si quis ergo nesciret quantùm profit ignis auro, perire in igne aurum existimaret, cùm tamen indepurificetur, & perficiatur; sic qui solam persecutionem attendit, perire patientem persecutione existimabit: sed qui oculis Christianis rem voluerit contemplari, ignem auro illam esse homini patienti reperiet: inde quippe à maculis commissis, velut in quodam moderato purgatorio, purificatur, & in virtute perficitur, & meritis cœlestibus coronatur, &c.

A

At rursus dices, noli mecum modò de venia inimici agere, quia retens adhuc est vulnus, iniuria illata grauis & noua, sine modò, post temporis decursum de hoc ages, non modò vbi dolor est in principio incrementi. Nolim verbum hoc ab homine Christiano audire, ea enim, quæ Christi Domini sunt, decent Christianum, quid verò Christus: cum actu penderet in cruce, sic, ad Patrem conuersus, ait: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*, fuitne iniuria in Christum irrogata grauis? Grauissima: supra modum, erat præterea plaga recens, erat quidem in fieri & in actu acerbissima & mortalis, & tamen non postea, sed tunc dixit: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt*, non expectauit futurum tempus, quo dicere posset, nescierunt quid fecerint, sed de præsenti, nesciunt quid faciunt: vt discas & tu inimicos diligere, ita vt non solùm plaga recente sed plaga præsente eis parcere & pro illis Deum discas deprecari. rectè enim S. Aug. *Iis iam peccbat veniam, à quibus adhuc accipiebat iniuriam: non enim attendebat quòd ab ipsis necabatur, sed quia pro ipsis moriebatur.* Ita ille. Ita Christus, ita & tu, si nomine Christiano gloriaris.

B

Matthæum dum in telonio sederet vocauit, imò quotidie hoc Deum præstantem videmus: nam Petrum in ipso negationum feruore respexit, & Paulum adhuc spirantem minarum & cædis in discipulos suos mirabiliter conuertit, *vt ne peteretibus quidem* (ait Bern.) *sed etiam non petentibus, non innocantibus, sed prouocantibus, non solum non interpellantibus, sed etiã repellentibus, spiritum bonum, spiritum vitæ, spiritum adoptionis largitur.* Ita ille.

C

Quod & ipse Dominus in nostrum exemplum ponderauit, cùm populo peccatore Israelitico agens, *Vidi*, inquit, *te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi, cùm esses in sanguine tuo, &c.* Expende tu hanc reduplicationem verborum, & ponderationem Dei, *cùm esses in sanguine tuo*, hoc est, adhuc in peccato tuo: *Viue, dixi, inquam, tibi*: In sanguine tuo viue, hoc est, cùm adhuc te peccatis irretitum, & me ad iracundiam prouocantem videret, dixi: viue, conuertere, saluare: nolo mortem tuam, quàm merebaris, sed vt conuertaris, & viuas. Sic Deus recentes iniurias dimittit, & tu homuncio recentes iniurias esse causaris? &c.

D

Est quidem virtutis charitatis eminens & sublimis actus amor inimici, & remissio iniuriarum, quidni pariter honorificus actus sit? quis vnquam Philosophorum etiam infidelium negauit virtutis actum, honestum, & honorificum esse, & vitium oppositum dedecori esse? cùm igitur charitatis actus sit supremæ virtutis affectus, supremum sibi decus & honorem vindicabit, & maximè cùm talis actus in maximum Dei obsequium sit.

Hinc, *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me.* Ponderæ verbum *mentientes*, dicet tibi volèti parcere, nescio quis mundanus: Infamia tibi erit, si non sumpseris vindictam de aduersario tuo, mentitur tibi: namn fami a non consequitur virtutis actum sed peccati; parcere vero actus virtutis, & præcipuæ virtutis, charitatis sc. est. Ait alter, te degenerare à fortitudine progenitorum, & imbecilli animi esse remittere iniuriam; mentitur: nam filius Dei à Deo dicitur ille qui parcit, &c.

Parcerem ego libenter (inquies) sed me pusillanimem iudicabunt omnes. *Diran que soi cobarde, y que no soy hombre de sangre en el oio*, de his Tullius, *Nihil est turpius, quam sapientis vitam ex insipientium sermone pendere.* Ita ille. Nunc igitur quæro, quinam hi sunt, qui te ideo pusillanimem & imbecillum dicunt? num viri sapientes & iusti? viros enim bonos, vocat Tullius sapientes. Nequaquam, hi enim potiùs te laudabunt, hi enim eos laudant qui legem Dei obseruant: Cùm igitur parcere inimicis lex euangelica sit: ait enim Dominus: *Dimitte, & dimittemini*, non te ideo pusillanimem, sed verè Christianum virum appellabunt. imperitum ergo vulgus est, quod ita sentit, de quo etiam idem Cicero: *Qui ex errore imperita multitudinis pendet, is in magnis viris non est habendus.* Ita ille. Si ergo in magnis viris & sanctis, hi enim verè magni sunt, haberi vis, errorem imperiti vulgi ne attendas: dicant, loquantur, iudicent pro libito suo, saluer ego, & dicant ipsi, &c.

2 definitio.

1. de offic.

Seneca: *Propositum optimi viri & magnanimi est, tam diu ferre ingratum, donec fecerit gratum.* Ita ille. Pusilli autem animi est statim irasci, & ferre non posse: quia non posse imbecillum est, posse vero potentium & validorum.

Lib. 5. de benef. 12.

Postquam Christus Dominus inimicis suis innumera contulit beneficia, & pro ipsis amanter & affectuosè in cruce orauit, honorificum nobis reputare debemus inimicos amare. Si Rex sacco indutus incederet, omnes domestici & familiares eius, imò & omnes eius subditi, decorum & honestum sibi esse iudicarent eodem indui vestimento: cum igitur Christum Regem nostrum habitu charitatis erga inimicos indutum, in cruce maximo videamus, non indecorum & inglorioſum, sed honorificum, & glorioſum idipsũ nobis esse censere debemus. indueris sacco, eò quòd Rex terræ sic indutus incedit, & non indueris habitu charitatis dilectionis inimicorũ, cùm sic indutum Regem videas cœlorum. Refert Diodorus Siculus, Æthiopes olim adeò regum suorum imitatores extitisse, vt etiam defectus eorum imitarentur, ita vt si quando aliqua corporis parte rex debilitetur, domestici omnes sponte sua eandem partem debilitarent, turpe cẽsentes, rege claudo, aut monoculo, amicos omnes non monoculos, aut claudos esse. Ita ille. & quidem non voluntatis Dei est nos claudos, aut monoculos esse, sed sanctos & perfectos, & tanta præditos charitate, vt ab ea nec ipsi excludantur inimici. Quis igitur, ait S. Ambr. *lacessitus non discat ignoscere, quando pro persecutoribus crucifixus Dominus orauit.*

Lib. de fabul. antiq. c. 4.

Lib. 2. de fide.

Et S. Greg. Nazianzenus. *Relictis*, inquit, *omnibus, crucem vnam habeo, quæ clarissima columna est vitæ meæ, quare pro inuidis meis orationes fundam.* Ita ille, quasi dicat: Portio mea, patrimonium meum, iam mihi nihil aliud est quàm crux Christi, hæc thesaurus meus est, hanc dum tollo super humeros meos, omnia bona mea mecum porto, hæc meliùs quam columna illa, quæ illuminabat Israelem per desertum, cuius lumen gressus eius dirigebat: hæc, inquam, crux meliùs quàm columna illa gressus dirigit meos, vt sciam quà mihi in cœlum securo tramite eundum sit. Quare cùm in cruce videam Dominum dicentem: *Pater ignosce illis*, inimicis scilicet lethalibus suis, dicam & ego: Pater ignosce inimicis meis, quantumuis immanes mihi sunt, &c. Sic imitator Christi eris, sic referes Patrem tuum cœlestem.

De exter. hominis vita.

Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos demittimus, &c. Ponderat Sanctus Basilius illam particulam, *sicut & nos*: in aliis virtutibus Deum habemus in exemplum,

Matt. 6. 12. Basilius.

vt sicut ille facit & nos faciamus. Exemplum, ait Christus, dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, sic & vos faciatis, id est, vt sicut ego me humiliaui, lauando pedes discipulorum, sic & vos debetis alter alterius lauare pedes: in amore tamen inimici ipse Deus exemplum à nobis sibi proponere vult imitandum: ipse enim hanc petitionem ordinauit: & non dixit: Fac Domine, vt sicut tu dimittis & nos dimittamus, sed *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos*, &c. vide quanto honore prosequatur eos qui diligunt inimicos.

Chrysost. S. Chrysost. hom. 20. ad popul. refert Episcopum Antiochenum, cùm Imperatorem Constantinum ad preces inclinare conaretur, sic inter alia fuisse proloquutum. *Fertur* (inquit) *B. Constantinus Imperator effigie suâ quandoque lapidata, multis ipsum instigantibus ad supplicium de authoribus contumeliæ sumendum, & dicentibus, quòd omnem ipsius faciem saxis conuulnerassent, manu faciem palpans, & lenter ridens dixisse: Ego verò nusquam vulnus in fronte factum video, sed sanum quidem caput, & sana facies: illi verò reueriti & confusi ab hoc iniquo destiterunt consilio. Et hoc verbum hactenus canunt omnes, nec tantum tempus labefecit, aut eius sapientiæ memoriam extinxit. Quot non sit hoc tropheum splendidius? Multas vrbes ille condidit, & multos barbaros superauit: sed meminimus eorum nihil. Hoc autem verbum vsque in præsentem diem canitur, & nati natorum omnes hoc ipsum audient, & laudibus prosequentur. Quòd si apud homines tantâ potitus est gloriâ propter illud verbum, quot apud benignum Deum coronas assequetur?* Ita S. Chrysost. Cui exemplo subscripsit aliud Imperatoris Theodosij, cuiusetiam statuam quidam contumeliâ subuerterunt. Quam ob causam Imperatoris ministri ciuitatem Antiochiæ inimicè peruexabant, & ob id ad Imperatorem profectus Antistes Antiochenus humiliter supplicauit veniam concederet ciuitati, delinquentibus parcens. ad quod ipsum respondisse affirmat S. Chrysostomus eâdem hom. 20. *Quid admirabile, aut quid magnum est, si his qui nos contumeliù affecerunt, iram remittamus, homines hominibus, cùm mundi Dominus in terras descendens, & ab affectis beneficio crucifixus, pro crucifixoribus suis Patrem orauerit, dicens*, Pater ignosce illis, quia nescíunt quid faciunt? *quid igitur admirabile si nos conseruis ignoscamus?* Ita Chrysost.

Luc. 23. 34.

Prop. XLVII. *Aduersùs duritiem eorum, qui nullis precibus adduci possunt, vt parcant inimicis.*

Plutarc. PLutarch. apud Pierium lib. 2. verbo *Elephas*, refert Romæ adductum fuisse elephantem, cumque per vias publicas duceretur, pueri vrgebant & pungebant illum, iratus elephas promuscide (quam nos *trompa* vocamus) puerum arripuit, in altum leuauit, & cùm ad terram fortiter illidere vellet, eleuauerunt reliqui fletum & clamorem, dolentes pueri vicem: tunc elephas irâ depositâ fensim & mansuetè puerum deposuit indemnem: & mirati sunt omnes aspicientes elephantis clementiam, qui clamorem audiens, quasi preces suscepit, ne de puero sumeret vindictam. Imitentur illi bestiæ clementiam, ego hominis inclementiam miror, qui plures amicorum & religiosorum preces audiens, Euangelium, Dei voluntatem saluationemque illi proponentium, ita pertinaciter hæret, quasi lapis & non homo esset.

Reproborum hoc ingenium est, non prædestinatorum: prædestinati enim, quamuis aliquando pro re nata, iram subitò concipiant, preces & rationes audiunt, suscipiunt, veniam concedunt. Sit vnus inter multos exemplum Dauid, qui 1. Reg. 25. vehementer iratus in Nabal, ad eum de medio tollendum properabat, obuiam habuit Abigaelem vxorem Nabal, quæ vindictam illi dissuadere cœpit. audiuit mulierem Dauid, & quamuis illa idiota, non Tullius esset orator, & vxor inimici, non consanguincorum, vel notorum aliqua reginarum suasit, Dauid iram deposuit, pepercit Nabal, & re infecta recessit, benedicens Abigaelę, & dicens, *Benedicta tu quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, vt vlciscerer me de manu mea.* Vide viri sancti sanctam mutationem, vide clementiam, nimirum prædestinatus erat. percitus enim irâ, in oppositum, diceret: Maledicta tu quæ prohibes me, ne vlciscar me de manu mea.

Prop. XLVIII. *Vindicta de inimicis Deo incumbit, non nobis.*

AD Rom. 12. *Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ: scriptum est enim, Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* Quid est, dare locum iræ? imaginare te iter faciente equum ferocientem & infrænem maximo impetu & præcipiti cursu aduersùm te venientem, quid tu facies? fecedam, inquies, corpusque meum illi subripiam, & secus viam recedam, ne in me irruat, & ab eo conculcer, & peream. Quidni dixerim hominem iracundum infrænem & præcipitem belluam, quæ si ei obstiteris, te & se simul perdet? cede ergo furori, *Vedadle el cuerpo*; transeat ira illa præceps, aliter simul tu cum illo peribis. Nam (vt ait S. Chrysost.) *non perit patienter ferens, sed indignans & percutiens.*

Deut. 32. 35. Sed dices, delicta hoc pacto manerent impunita? nequaquam. ait enim Dominus Deut. 32. *Mea est vltio, & ego tribuam eis in tempore.* Relinquat igitur homo Deo, quæ Dei sunt: mea, inquit, est vltio; Deo igitur reseruatur hic casus, *Et casso reseruado, ea transe por Iurisdiction agena.* Non (inquies) video Deum sumentem huiusmodi vindictam: attendè verbum, *Ego*, ait *retribuam eis in tempore*, non est tuum scire tempora, vel momenta operum Dei, nouit ille tempus vindictæ, & sic vindictam faciet in tempore suo. Denique Deus vltionum in sacris literis, ipse vocatur, non vltionis, in singulari, sed vltionum in plurali. Omnis igitur vindicta ad Deum pertinet, non ad homines particulares, qui iniuriam passi sunt. Illi ergo relinquit vindictam, tuum autem erit pro tuo proximo illum deprecari.

Et vide quanta sit erga nos misericordia Conditoris: vindicta secundùm se acerba res est, misericordia verò dulcis & suauis; quod ergo acerbum est, sibi assumpsit, quod verò suaue, tibi concessit: ad te igitur parcere spectat, hoc fac, & viues: ne tu pariter cum inimico pereas, Deo suam relinque vindictam pro beneplacito suo.

Prop. XLIX. *Aduersùs eos qui pacem inter discordes impediunt.*

IOsue 10. Pugnabat Iosue aduersùs illos reges, qui contra Gabaonitas conspirauerant, eò quod Gabaonitæ pacem inierant cum filiis Israel: præstitit autem Deus auxilium Iosue; sed auxilij modum attende. Sol stetit, vt lumen ad pugnam præstaret, ne tenebrarum noctis occasione inimici se reciperent in tutum, & Deus ipse è nubibus mittens lapides pro Israelitis, aduersùs reges illos Cananæos pariter pugnabat, quo facilè Iosue victoriam reportauit. Obserua, quæso, ordinem rei. Deus ipse gloriatur, se ita clementer cum inimicis se gerere, vt Solem suum oriri faciat super bonos & malos, & pluat super iustos & iniustos. Vide nunc Solem & nubem contra hos reges militare, his scilicet rebus, hos Deo debellante, quibus aliis inimicis fauet, vt scilicet manifestaret quanto eios prosequatur odio, qui pacem inter dissidentes impediunt, vt contra ipsos, conuertat ea, quibus aliis, licèt iniqui sint, misericordiam præstat.

Prop. L. *Quam graue peccatum sit odio persequi inimicum.*

S Chrysost. *Non dicam si læseris inimicum, sed si tantùm eum habueris odio, amplius tibi nocuisti secundùm animam, quàm illi secundùm corpus.* Ita ille, quasi dicat, qui vindictam sumit de inimico, quamuis eum occidat, maius sibi quàm inimico intulit damnum: nam inimico nocuit in corpore, sibi verò in anima, inimico nocuit occidendo corpus, sibi autem occidendo animam. quodnam tibi damnum maius videtur? Philo Iudæus: *Cogitationes irati, partus sunt viperarum.* Ita ille. Cogitationes irati sunt aduersùs inimicum, concipit cogitationes vindictæ, partus viperæ habet: vipera enim, dum parit, pariter crepat media, & vitam amittit. sic sunt cogitationes irati: filij sunt occidentes animam, quæ tales concepit filios.

Quæ igitur stultitia maior, quàm tam graue sibi damnum inferre in anima, vt exiguum illud corporis inferat proximo? nonne stultissimum appellares illum, qui vt alteri vulnus quoddam leue & superficiale inferret, *vn rasguno*, sibi vulnus infligeret lethale? peiùs autem tu, qui vt corporali vulnere alium vulneres, spirituali & lethali vulnere te occidis, & peiùs multò est in mortale incidere peccatum, quàm mille corporis mortes subire, &c.

Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis, &c. Apes, vt notissimum est, vulnerant quidem hominem aculeo suo, verumtamen illico mortuæ cadunt. Vide quid in te lucrentur vindictâ suâ? Sic etiam his accidit, qui de inimicis vindictam sumere volunt, tumorem & dolorem paruum læso inferunt, suam verò animam occidunt, & in æternam ducunt damnationem. Loquitur autem de Christo Domino Psalmus ille. vti asserunt S. Auguſt. & alij, de passione & cruce ipsius, & cùm acerbissima fuerit passio Christi, vulneri, quod infligunt apes, comparauit, comparatione scilicet facta ad damnum animarum, quod passi sunt crucifigentes eum. Quòd si passio Christi Domini damno animæ comparata, velut punctiuncula fuit apis, quid de tuis passionibus dicemus, si cum morte animæ tuæ comparemus?

Prop. LI. *Qui vindicatur iniustè, iusto Dei iudicio tradi solet dæmonis potestati.*

Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanu: persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam Miratur S. Au. in hunc locũ execrationẽ istam Prophetæ, dicens: *Iurare videtur per execrationem, quod est grauissimum iurandi genus, cùm homo dicit, si hoc feci, illud patiar: sed aliud est iuratio in ore iurantis, aliud in significatione prophetantis. Hic enim dicit quid verè hominibus contingat qui reddunt retribuentibus mala, non quòd sibi aut alicui quasi iureurando imprecetur. Persequatur ergo, inquit, inimicus animam meam. illum magis magisque manifestat, quem superiùs leonem appellauit: ipse enim animam persequitur, & si deceperit comprehendet. nam homines vsque ad interfectionem corporis sæuiunt, animam verò post istam visibilem mortem in potestate habere non possunt: diabolus autem quas animas persecutus comprehenderit, possidebit. Et conculcet in terra vitam meam, id est, conculcando terram faciat vitam meam, cibum scilicet suum. non enim tantùm leo, sed etiam serpens appellatus est, cùm dictum est, Terram manducabis, & peccatori hominis dictum est. Terra es & in terram ibis.* ita S. Aug. sensus ergo est: Si ego vindictam de inimicis meis quæsiui, noui pœnam quam Deus vindicantibus se de hostibus sumere solet, quamque mihi etiam Deus iniunget, vt sc. tradar in manus dæmonis, & vt me persequatur, & capiat & ab eo deglutiar, fiamque cibus eius. Tremenda prorsus pœna: quia quod manducatur, in eum mutatur qui manducat: qui ergo à diabolo manducatur, diabolus efficietur, *el vengatiuo queda echo vn demonio encarnado.* Vnde non mirum si cum diabolo in æternum damnetur & pereat.

At, inquies, gloriosum apud homines est vindictam sumere hominem de inimicis suis, dedecus autem est id non præstare. Vtique qui de terra est, de terra loquitur: qui de mundo est, de mundo loquitur. mundus quidem, sicut & in multis aliis, in hoc errauit pernicioſè, quòd gloriam in vindictis collocarit. Quis mensuram & censuram honoris tribuit mundo? *Quien le ha echo el mundo calificador de honra y gloria?* Qualis quæso est ista gloria mundi? non tacuit, nec celauit ibidem hoc Propheta: subdit enim, *& gloriam meam in pulueremdeduxit.* Quid est gloriam in puluerem deducit? S. Auguſt. ibidem. *Hic est puluis ille quem proiicit ventus à facie terræ, superborum, scilicet vana & inepta iactantia inflata tanquam vento, elatus pulueris globus. rectè igitur hic posuit gloriam quam non vult in puluerem deduci, vult enim soliddm habere in conscientia coram Deo, vbi nulla iactantia est. Qui gloriatur, inquit, in Domino glorietur. ista solliditas in puluerem deducitur, si per superbiam quisque contemnens secreta conscientiæ, vbi solus Deus hominem probat, velit apud homines gloriari. hinc est quod alibi dicit Deus, Conteret ossa eorum qui hominibus placent.* ita S. Augustin. Vbi notandum est quòd supradictam imprecationem seu prophetiam maledictionis in eos qui vindicari quærunt de inimicis suis, non de vindicta quacumque est, sed de ea quæ infertur in ingratos, qui retribuunt mala pro bonis. nam, vti S. Augustinus, ibidem obseruauit, non dixit Dauid, si reddidi tribuentibus, sed retribuentibus mihi mala. Per retribuentes autem intelligit S. Augustin. eos qui pro bonis retribuunt mala. Quod si adeo graue malum est retribuere sic retribuentibus, quantò amplius erit in solùm tribuentes iraſci, & vindictam sumere de illis.

Prop. LII. *Odium inimici ex defectu Christianæ charitatis procedit.*

S Truthio, sicut experimento compertum est, ferrum digerit: vis autem aliquem ex huiusmodi struthionibus videre? Audi Paulum, *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur*, hoc est, non quomodocumque nos fidei nostræ inimici & hostes persequuntur, sed adeò vt nos colaphis cædant: quod, vt ait S. Thomas ibi, *magis fit ad opprobrium, quam ad pœnam. Vnde etiam de Christo Domino legimus, quòd colaphis eum ceciderunt.* Ita Sanct. Thomas. Vnde subdit infra Apostolus, *tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.* S. Thom. *hoc est, reputati sumus à Iudæis, & à Gentilibus quasi per nos mundus inquinetur, & propter nostram occisionem mundus purgetur, & tanquam simus peripsema omnium. Dicitur peripsema quodcumque purgamentum, verbi gratia, pomi, aut ferri, vel cuiuscumque alterius rei, & hoc, vsque adhuc, quia scilicet continuè patimur hoc.* Ita S. Thom. Nunc igitur videamus quomodo se gesserint Apostoli, *Maledicimur*, inquit, *& benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus.* Ecce struthiones. Vide Paulum hæc ista de se confitentem: *Propter nostram ædificationem maledicimur*, ait, &c. Ergo maledictionem in benedictionem conuertebat, persecutionem in sustinentiam, blasphemias in obsecrationes. Non vides struthionem ferrum in bonum sanguinem conuertentem? vnde hoc? nimirum ex abundantia caloris supernaturalis charitatis. Tu quidem vnico iniuriæ verbo oppilaris, nec illud digerere vales, quia calore charitatis cares, &c. Idem, & potiùs quam in Apostolis, in Christo Domino verificari potest, qui etiam in cruce pro crucifigentibus exorauit clauorum

uorum ferrum digerens, &c. calore nimiæ charitatis suæ.

Prop. LIII. *Periculosum & nociuum est inimicitias gerere cum homine.*

NOn solùm proximis, sed nobis etiam plurimùm conducit cum omnibus pacem habere: odium enim & vindicta non solum ei, quem tu persequeris, sed tibi maximè nocumentum inferunt, sicut ligna in ignem missa ignem augent, in suam tamen consumptionem: ibi. n. accenduntur & comburuntur: ira proximi, ignis quidem est, ea verò quæ tu contra proximum moliris, & iram eius augent, & in te fœuior fit in tuam perniciem & perditionem. Qui à tauro vel leone vulneratus, aduersùs taurum, verbi gratiâ, arma caperet, nonne stultum iudicares, vt qui contra feram bellare contendat? Est quidem omnium animalium etiam ferarum crudelior homo inimicus. Quod in Danielis persecutione videre licet, quem barbarus rex inuidorum & inimicorum hominum impulsu, ad leones misit, sed tamen ostium laci leonum claudere iussit rex, & obsignauit annulo suo, & annulo optimatum suorum: quod quidem non exiguam admirationem excitauit. quem verò finem habere potuit hæc obsignatio, aut causam? sacra litera assignauit, *ne quid* (inquit) *fieret contra Danielem.* Sed hoc mirabile magis, quod inter leones constitutum conseruare rex Danielem volebat. A quibus? manifesta res est, ab ira hominum eorum qui Danielem persequebantur. hos igitur plusquam leones timebat rex Danieli? ita est: crudeliores enim inimici homines quàm leones illi fuerunt: nam leones Danieli pepercerunt, non verò homines illi.

Vnde meritò Ecclesia in suis precibus orat: *Ab ira, & odio, & omni mala voluntate libera nos Domine.* Sicut enim orat: *Ab insidiis diaboli, libera nos Domine*, sic ab ira, inquit, hominum libera nos Domine. nec immeritò: neque enim minùs ab ira hominum, quàm ab insidiis diaboli nos cauere oportet. Vnde in parabola zizaniorum, vbi dæmonis insidias nobis Christus propalat, *Inimicus homo*, inquit, *hoc fecit*: homini inimico dæmonem persequentem nos, Dominus comparauit, quia nihil similius diabolo, quàm inimicus homo, imò & peior. Vnde cùm diabolus per se non potest nos in peccata inducere, id per homines efficere tentat, vt patet in Eua, in vxore Iob, & Tobiæ, & Pilati, & in Pharisæis. Rectè igitur. *Ab ira*, inquit, *& odio, & omni mala voluntate libera nos Domine.*

Matt. 13. 28.

Psa. 139. 1.

Psal. 139. Dauid, *Eripe me*, inquit, *Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me*, non semel, sed bis ab homine rationis frænò carente se postulat liberari. Et in Ps. 30. *Eripe me*, inquit, *de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me.* Mirum quòd cum leonibus & vrsis decertare solitus fuisset, nunquam à leonibus & vrsis legimus eum liberari postulasse, sicut ad homine inimico. Ita quidem, quia inimicus homo leonibus, & vrsis acrior & truculentior est: fer.æ.n. illæ corpus dilaniare possunt: at inimicus corpus, & honorem, & famam, & substantiam, & patientiam, & animam perdere solet. Vnde quem à feris liberari postulasse nescimus, ab hominibus inimicis eripi rogare videmus.

Psal. 139. 16.

Viderat rex Balthasar manum illam in pariete conscribentem, tantoque fuit timore, ac tremore correptus, vt scriptura dicat: *Tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur, & exclamauit rex fortiter.* Mira regis turbatio, sed turbatione dignus tremor. Quid est quod regem in tantum pauorem adduxit? Manum, inquit, vidit: quamnam manum? *Manum*, inquit, *hominis*: hominis ergo manum expauit rex? Si leonis manum vngulas exhibentem acres aspexisset, non ita mirum foret; at manum hominis cur timet? homo enim humanitatem dicit; quid igitur in manu illa vidit? calamum scribentis. Calamum timet? si hastam vibratam videret, aut gladium mortem minitantem, timoris causa pateret: at calamus quæ causa tremoris? fortè quòd manus illa conscribit, in causa fuit: quid igitur manus illa scribit? hoc mirandum ampliùs: rex enim nesciebat quid illa Scriptura contineret. quænam igitur pauoris huius ratio? Manus quidem illa fuit, nec obstat quòd manus esset hominis. Imò ideò: quid enim formidabilius quam hominis manus? *Custodi me Domine*, ait rex Dauid, *de manu peccatoris*, de manu hominis non timentis Deum, fortissimus ille Dauid qui leonum molas non timebat: non igitur mirum si à manu illa scribente in pariete tremebat rex Balthasar.

Vnde S. Iob in sua magna tribulatione constitutus, sic cum Deo agebat: *Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis?* ac si dicat (vt aliqui Patres antiqui interpretantur) num tu Domine Deus improbitatem hominum imitaris, vt eorum qui peccarunt, nunquam non memineris, & seueram vindictam quæras? *Sois vos, Señor, como el hombre, que à quien vna vez le ha offendido, siempre le trae entre los ojos.* Hoc enim est hominis ingenium, vti patuit in Saule, de quo 1. Reg. 18. sic habetur, *Non rectè oculis Saul aspiciebat Dauid*, vbi Chaldæus, *malo oculo aspiciebat*, quàm verò malo ex diuina constat historia: nullus enim leo, nullus draco in eremo, sicut Saul, prosecutus fuit Dauidem. ait ergo Iob: Si tu Domine homo quidem esses, non ita mirarer, quòd me tantis opprimeres malis.

Quod Dominus apud Oseam sic confirmauit. Cum enim iratus esset valdè contra Ephraim, id est, contra decem tribus, quas nomine Ephraim comprehendit, post graues minas subdit: *Conuersum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea, non conuertar vt disperdam Ephraim: quoniam Deus ego, & non homo.* quasi dicat: Statueram vos perdere, sed paratus sum mutare sententiam, si vos mutaueritis mores: rationem verò attende, *quoniam Deus*, inquit, *ego, & non homo*, vnde quæso huius rationis locus? si quidem assereret, quia Deus ego, & non serpens venenum euomens, non draco, non basiliscus, non vrsa catulis raptis, rectè procederet comparatio: quid autem vult sibi, *quia Deus ego & non homo?* Optimè, quia homo iratus omni est fera fœuior, & inhumanior: fœuit homo ita vt nullum iræ suæ sciat imponere modum, defœuit donec funditus euertat, quia eius fœuitia nescit habere modum.

Prop. LIV. *Odium proximi mentis oculos excæcat.*

CAtarius lib. de imaginibus Deorum, in tractatu de Vulcano, ait, hanc fuisse discordiæ & inimicitiæ, seu odii descriptionem, Mars gladio transfixum cor habens, & intra nubem quandam subobscuram, in qua veluti in compedibus caliginis pedes vinctos habebat. Talis est qui gerit inimicitias, primò enim eius cor veluti ferrum quoddam pertransit odium. Dicat qui odio prosequitur alium, fateatur verum, nonne cor vulneratum interius sentit? prosequebatur odio Mardochæum Aman, & tanto intus cordis vexabatur dolore, vt postquam amicis suis omnem suam fœlicitatem tam diuitiarum, quàm honoris exposuisset, subdidit: Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere censeo, quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias. Vide quàm lethali vulnere transfigebatur cor eius, quàm nullam consolationem habebat, nec ab amicis, nec à diuitiis magnis, nec à delitiis multis, nec à fœlicitate gloriæ suæ consolationem recipiebat, tanto cordis dolore intrinsecus cruciabatur. Quid de Saule referam, qui gratis Dauid-

Dan. 5.

Esth. 5.

Dauidem ad mortem vsque persequebatur, cùm tamen de illo benè meritus esset Dauid. Cùm igitur, Deo fauente, non posset Saul, illum occidere, audi quid dixerit 1. Reg. 22. *Non est qui doleat vicem meam ex vobis, nec qui annuncietmihi?* Verba quidem hæc maximum cordis vulnus doloris & anxietatis præ se ferentia sunt. Vnde iræ tantus dolor, nisi ex odio erga inimicum concepto? ecce Martem gladio transfixum.

Sed quid caligo illa nubis importat? caliginem quidem & obscuritatem intellectus ex odio promanantem, & hoc oculis videmus & manibus contrectamus, prædica inimicitias gerenti, prædica, inquam, verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, congere rationes mille: at ille nec intelliget, nec attendet, & idem erit illi dicere: Intellige, ac si cæco diceres: Vide. Habes hoc expressum in Literis sacris: Vrgebat Caim odium vehemens in fratrem suũ: prouideamus ergo illi optimum concionatorem, optimum consiliarium, ait Deus ipse. *Quare*, inquit, *iratus es, & cur concidit facies tua? nónne si benè egeris, recipies? Si autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Obserua à quo & quæ verba sint ista, quem adamantem non emollirent? Quid ergo Caim? immediatè subdit Scriptura: *Dixit Cain ad fratrem suum: Egrediamur foras. Cumq́, essent in agro, interfecit eum.* Hoccine operatus est Deus in te, ô Caim, sermonibus suis? nimirum, cæcus erat. Ecce igitur Martem in caligine nubis constitutum.

Odio etiam maximo (sicut dictum est) Saul Dauidem prosequebatur, & sine causa: volenti ergo Sauli de medio tollere Dauidem, adfuit Ionathas filius Saulis, & dixit patri suo: *Quare morietur Dauid, quid fecit?* quasi dicat, non est occidendus proximus sine causa, necà rege ipso, quia prohibet Deus, & ratio, & natura ipsa. Quid igitur fecit Dauid, homicidiúmne? vel furtum? vel adulterium? aut simile quid? nequaquam, imò potiùs Philisthæum illum, qui exprobrauerat agminibus Israel, interfecit, & vitam pro patria sua, pro rege, ac lege fortiter exposuit morti. Quare igitur morietur, qui propterea vitâ & honore, & gloriâ, & præmio dignus est? Quis non hâc ratione placaretur? Quid igitur Saul? arripuit lanceam vt percuteret Ionatham, & fugit filius à facie furoris patris: quod si filium dilectissimum ita occidere volebat, quid non faceret Dauidi? vides Martem in nube, caligine inuolutum.

Quodnam ergo huic Marti remedium? non equidem aliud quàm illud Spiritus Dei. Eccl. 2. *Deprime*, inquit, *cor tuum, & sustine & inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus, & ne festines in tempore obductionis.* Loquitur hîc Spiritus sanctus cum eo qui damnum passus est, & vócat hoc tempus obductionis. Obductio enim significat operturam aliquam, vnde cœlum nubibus dicimus obductum, quasi tectum nubibus, & in Græco hæc dictio calamitatem significat. Et ideò dicitur obductio, quia tribulatio obscurat mentem, ait ergo, cum aliqua iniuria, verbi gratia, fueris affectus, *deprime cor tuum, Sientese el coraçon embotijado que par el se quiere revengar, reprime entonces el impetu de su ira.* Tace tunc, ne prolilias, ne laxes cordi habenas, tempus tacendi tunc, quod enim eo tempore agitur vel dicitur, nihil aliud est quàm pœnitentiæ materia. *El cauerdo por no arrepentirse despues calla entonces, y el necio por no callar entonces se arrepentira despues.* Sustine, inquit, hoc est, patientiam habe, eo enim tempore patientia locum habet. Nam cùm in pace sunt omnia, patientia non est opus. Deinde: *Inclina*, inquit, *aurem tuam, & suscipe verba intellectus*, hoc est, si amicus fidelis, vel religiosus vir charitate motus te solatur, & monet, quid te oporteat facere, suscipe verba eius, non enim tunc tibi credere debes, tunc enim nõ regnat in te ratio, sed passio: si hoc feceris, remedium habes, sin minùs, peribis.

Prop. LV. *Qui nocet inimico, sibi amplius nocet.*

S. Chrysost. *Qui vlciscitur, & vindictam spirat, seipsum gladio suo petit.* Ita ille. Vbi rem consideratione dignam asseruit: imaginare igitur hominem ab alio læsum, qui vindicari optans, gladium stringit, & vt inimicum feriat, seipsum sciens & volens eodem gladio transfodit, & occidit: nunquid non hunc mente captum dices? Sic igitur & hic, imò & peior: nam ille in corpus suum nequam est, hic verò in animam suam, quam per vindictam occidit: homo enim per malitiam occidit animam suam. Attende furorem huius, inimico quidem mortem corporis infert, ipse verò animæ suæ, hanc tu vindictam de inimico dices, an de seipso? O crudelis vindicta, quæ vindicantis animam perdit! Igitur qui vindictam de inimico sumit, plus sibi quàm inimico nocet: inimico enim nocet in corpore, aut in diuitiis, vel in honore, & fama, denique in temporariis rebus: sibi autem in anima æternam ascisens & accumulans damnationem. Quamobrem vindictam quærenti potiùs dicere debemus: Miserere tibi, quòm miserere inimici tui. *Hom. 48. in 1. ad Corinth.*

Hoc probat optimè vbi agit de fuga Dauidis in quandam speluncam deserti, in quam intrauit etiam Saul nesciens interiùs latere Dauidem, hoc constat ex titulo ipsius Psalmi: tunc igitur Dauid potuit vindictam sumere de Saul, & adipsum enecandum suadebant socij ipsius Dauid, quod nullo pacto fieri consensit Dauid: ait ergo, *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas*, cur bis, & non semel ait: Miserere mei Deus? Lyra: *Secundùm*, inquit, *quod dicit Rabbi Salomon, semel dicit, Miserere mei Deus, petens ne occideretur à Saule, secundò petens ne Saul occideretur ab ipso.* Ita ille. Quid? non occidere Saulem misericordiam dei erga seipsum reputabat Dauid? misereré Saulis potiùs dicere debuisset? quia non occidi à Dauide Saulem, misericordia erga Saulem erat: cur igitur ait: *Miserere mei Deus*, & non potiùs, misereré illius? nimirum quia iniustum & contra Dei voluntatem reputabat Dauid, occidere Saulem, quia rex erat, & Christus Domini, & quia peccare in Deum, & occidere animam suam arbitrabatur, si occideret regem: ideò ait, *Misserere mei Deus*, quod ex verbis ipsius Dauidis constat, vbi agitur de eadem fuga Dauidis in speluncam, de qua agitur in dicto Psalmo 56. suadebant Dauidi socij eius, vt in illa opportuna occasione occideret Saulem, quibus sic Dauid: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Pondera verbum, non enim dixit: Propitius sit ei Dominus, sed *mihi*, quia occidere inimicum propriâ suâ auctoritate illicitum reputabat, vnde & in damnum animæ suæ. Vtinam omnes, qui habent inimicos, hoc animaduertant, & in seipsos recidere vindictas agnoscant. *Psal. 56.* *1. Reg. 24.*

Hoc in eo patet, qui Matth. 18. in conseruum insurrexit, & tenens suffocabat eum, non enim tam eum quàm se læsit, sibi enim lethale vulnus inflixit, vt qui ob eam animi rigiditatem, quam exercuit in conseruum, decem millia talentorum condonationem irritam fecerit: qui verò proximo parcit, Deus illi debita, quamuis ingentia remittet. Sed obserua quantò sibi ipsi crudelior conseruus ille fuerit, quàm conseruo: ille à conseruo centum denarios recuperare potuit, ipse verò condonationem decem millium talentorum amisit, & in carcerem iectus, & in tenebras exteriores ligatis manibus & pedibus proiectus fuit.

Sed dices, nunquid ille, qui me iniurià affecit, vel damnum intulit mihi, impunitus abire debet? Audi, tibi quidem nihil aliud incumbit, quàm ei parcere, &

tanquam proximum diligere, Deoque hoc iubenti A parere, de cætero ne inuideas ei, qui nocumentum infert, suo se ingulat gladio: non modò de anima loquor, nec damnis æternis, sed de temporalibus etiam; sæpè sæpius enim, Deo ita vel ordinante, vel permittente, qui lædit proximum suum, sibi nocumenta multa infert.

De Rubo ferunt Philosophi naturales, quod sine semine nascatur sic spinis refertus, suisque spinis seipsum implicat, & replicat, & connectit, ita vt qui se ingesserit intra illas, qua exeat parte vix inueniat, & cum exierit, spinis lacessitus, & cruentatus euadat. Habet præterea hoc rubus, quod cum natura sua nimium calidus sit, solo aere vrente percussus sine applicatione aliqua ignis accendatur, & comburatur. Optimum iræ, & nocumenti proximi Hieroglyphicum rubum huiusmodi esse asserit Sapiens quidam: inimicitia enim sine semine oriri solet, nescis enim, vnde, aut qua occasione sic quis in proximum irascatur. Cur Aman in Mardochæum ita fæuit, vt non solùm illum, B verùm & omne genus populi sui de medio tollere decreuerit? ex nihilo motus fuit: quid enim erat inter millia flectentes genua, & adorantes eum, vnum Mardochæum, & illum alienigenam, non ita venerari eum? Cur Cain ita fuerit in fratrem concitatus, quærę, & non inuenies, nisi quia Deo plus placeret; hæccine causa erat sufficiens fratricidij? Sic inimicitia sine semine nascitur, velut rubus.

Præterea sicut rubus spinas, ita & ira amaritudines multas ex se producit, quibus iracundus homo intexitur, & implicatur, *vanse entrando en los ramos de la ira, y enlazando se el hombre en ellos*, ita vt qua exeat parte nesciat totus difficultatibus & retibus implicatus; quod in eodem Aman facilè videre licet, qui nullum consilium inuenire valuit, quo se à suis intricationibus extricaret. Et tandem sicut rubus ignem ex se concipit, quo in cinerem redactus fuit, non solùm ipse, verùm tota familia eius, domus, & diuitiæ, omnia simul combusta fuerunt. Vides quàm sibi nocens sit, qui aliis nocere procurat. C

Id quod in Absalone pariter constat, gratis hic, & sine causa in patrem commotus, & à regno ipsum deturbare & è medio tollere tentauit, arma cepit, bellum incepit, totumque populum suis spinis implicauit, sed se maximè omnium, è quercu enim suspensus fuit, & tale incendium excitauit, vt ipse vna cum multis aliis perierit prorsus. D

Matth. 5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, hoc vita animæ quidem est, odio autem habere animæ interi-
1. Ioan. 3. tus est. Audi Ioannem Apost. 1. Ioan. 3. *Nos scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: qui non diligit, manet in morte.* Ponderat verbum
S. Augu. S. Aug. serm. 16. de verbis secundùm Matth. dicens: *Fieri non potest, vt qui odio alterum habet, non prius noceat sibi; illum enim lædere extrinsecus conatur, se verò intrinsecùs vastat; & quanto anima nostra corpore maior est, tanto magis ei prospicere debemus, ne lædatur: lædit autem animam suam qui alterum odio habet. tollit proximi pecuniam, nunquid fidem? lædit formam, nunquid conscientiam? quidquid nocet forinsecus nocet, sibi attendat quid noceat; intus enim sibi inimicus est. sed quia non sentit quid sibi mali faciat, in alterum sæuit, sed eò periculosiùs quo non sentit. sæuisti in tuum inimicum, te sæuiente ille nudatus est, sed tu iniquus es: ille perdit pecuniam, tu verò animam tuam: quare quis grauius damnum perpessus est; ille perdit rem perturram, sed tu factus es perturtus.* ita ille.

Quomodo hoc non vident odientes proximum?
1. Ioan. 2. 11. dicat idem Ioan. 1. Ioan. 2. *Qui odit fratrem suum, in tenebris est & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt animam eius.* Vide quoties replicat *tenebras*, quasi dicat: Is in maximis tenebris versatur. Et nota verba illa, *nescit quò eat*, quia de his tenebris ad tenebras pergit æternas; hoc nescit, quia si sciret, vtroque brachio amplecteretur inimicum; sed odio prosequitur, quia tenebræ eum comprehenderunt: odium enim est velut nubes in oculo eius visum obtenebrans; ora igitur tu pro eo, ad Dominum, vt tenebras istas expellat ab eo. Hoc illi superest remedium.

PROP. LVI. *Inimicitiæ multorum peccatorum sunt causa.*

SÆpe dum de malo vindictæ & inimicitiarum agimus, ad effectum earum recurrimus, v. g. ad iniurias, ad homicidia, &c. quanta hæc mala sint ponderamus, & de actibus interioribus odii & desideriis vindictæ interim tacemus, cum autem diabolus amplius amet hæc interiora peccata, quàm exteriora: *fuit enim hæc peccata illi foralia, pecados que la tentan cada dia mucho al demonio*, & ex quibus securiora deferat lucra sua, & damna nostra: quia hæc facilius, & crebrius sine incommodis multis, quæ ex effectibus odij sequuntur, perpetrentur. qui enim alium occidit, facilè inde turbatur, & in compunctionem & dolorem fœti ducitur, videns nempe graue illius damnum, vxorem, aut parentes, aut filios orphanos & orbatos, &c. at qui solum odium intus alit, mille peccata mortalia committit sine huiusmodi compunctione: nam dum non manus violentas infert, aut iniuriam irrogat grauem, parum se fecisse gestit, cum tamen interius odium & desiderium vindictæ eiusdem naturæ & speciei sint cum effectu ipso: quamobrem dæmon non ita vrget ad vindictam in re, quàm in voto interiori. quo ergo inimicitias gerit, si Christianus est timeat valde hæc interiora delicta, & audiat Dominum dicentem, *Quousque morabuntur in te cogitationes noxiæ? &c.* non audes de facto vindictam sumere, ne inde tibi aliqua temporale damnum accrescat, & toties mortaliter corde peccare non dubitas?

PROP. LVII. *Remedium ad vincendum inimicum est silentium.*

S. Ambr. lib. 1. offic. c. 5. 6. & 10. *Quando aliquis nobis conuitiatur, lacessit, ad violentiam provocat, aliquem vocat, tunc silentium exerceamus, tunc muti fiant non erubescamus. Peccator est enim qui nos prouocat, qui iniuriam facit, & nos similes sui fieri desiderat. Denique si taceas, si dissimules, solet dicere: Quid taces? Loquere si audes. Sed non audes, mutus es, elinguem te feci. Si ergo tacet, plus rumpitur: victum se putat, irrisum, posthabitum atque illusum. Si respondeas, superiorem se factum arbitratur, quasi parem inuenit. Si enim taceas, dicetur: Ille conuitiatus est huic, contempsit ille. Si referas contumeliam, dicetur: Ambo conuitiati sunt. Vterque comdemnatur, nemo absoluitur. Ergo illius est studium, vt irritet, vt similia illi loquar, similia agam. Iustè est autem dissimulare, nihil loqui, tenere bonæ fructum conscientiæ, plus committere bonorum iudicio, quàm criminationis insolentiæ: contentum esse grauitate morum suorum. Hoc est enim silere à bonis: quia bene sibi conscius, falsis non debet moueri, nec æstimare plus ponderis in alieno esse conuitio, quàm in suo testimonio. Ita fit, vt etiam humilitatem custodiat. Si autem nolit humilior videri, talia tractat, & dicit ipse secum: Hic ergo me contemnat, & in conspectu meo loquatur talia aduersum me; quasi non possim ego ei aperire os meum? Cur non etiã ego dicã, in quibus eum maßlum facere possim? Hic ergo mihi iniurias faciat, quasi vir non sim, quasi vindicare me non possim? Hic me criminetur, quasi ego non possim graviora in eum componere? Qui talia dicit, non est mitis atque humilis, non est sine tentatione. Tentator enim exagitat, ipse ei tales opiniones inserit. Plerumq; adhibet hominem nequam spiritus, qui hæc illi ducat. Sed tu in petra fixum vestigium tene. Et si seruus conuitium dicat, iustus tacet. Et si infirmus contumeliam faciat, iustus tacet. Et si pauper criminetur, iustus non respon-*

respondet. Hæc sunt arma iusti, vt cedendo vincat. Sicut periti iaculandi cedentes solent vincere : & fugientes grauioribus sequentem ictibus vulnerare. Hæc S. Ambros. c. 5. offic. qui c.6. subdit : *Quid enim est opus moueri, cùm audimus conuitia? cur non imitamur dicentem : Obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis? An hoc dixit tantummodo, non etiam fecit Dauid? imò & fecit. Nam cum ei conuitiaretur Semei, filius Gemini, tacebat Dauid, & quanquis septus armatis, non retorquebat conuitium, non vltionem quærebat, eò vsque, vt dicente sibi Saruiæ filio, quòd vindicare in eum vellet, non permiseriit. Ibat ergo tanquam mutus & humiliatus : ibat tacens, nec mouebatur, cùm vir appellaretur sanguinis qui erat conscius propriæ mansuetudinis. Non ergo mouebatur conuitiis, cui abundabat bonorum operum conscientia. Itaque is qui citò iniuriâ mouetur, facit se dignum videri contumelia, dum vult eâ indignus probari. Melior est itaque qui contemnit iniuriam, quàm qui dolet. Qui enim contemnit, quasi non sentiat, ita desinit : qui autem dolet, quasi senserit, torquetur.* ita S. Ambr. qui cod. lib. c. 10. ait : *Ergo Dauid tacebat, non semper, sed pro tempore. Non iugiter, neque omnibus, sed irritanti aduersario, prouocanti peccatori non respondebat. Et sicut alibi ait, Loquentes vanitatem & cogitantes dolum, non audiebat : quasi surdus, & quasi mutus non aperiebat illis os suum.* Quia & alibi habes. *Noli respondere imprudenti ad imprudentiam eius, ne similis illi sias.* ita S. Ambrosius.

Prop. LVIII. *Contra eos qui vindictam petunt à Deo.*

Psal. 7. *Domine Deus meus in te speraui : saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.* Persequebantur multi Dauidem, & quidem immeritò, imò contra meritum eius. erat enim bene meritus de Saule, & cæteris persecutoribus suis, & ideo Dei opem hic postulat, & ab eis liberari. Ponderat locum hunc S. Basil. in scholiis super hunc Psalmum, dicens : *Vide animum Philosophicum. non dixit : Deus omnipotens puni hostem, interfice inimicum meum, sed quid? id quod se concernebat, hoc solum quærit, dicens : Seruia me, non sinas me affligi.* ita S. Basil. non sic impij non sic, sed ira, & odio aduersus inimicum aiunt. O vtinam Deus eum fulmine percutiat, & mala perdat morte.

Non hoc docuit nos Magister noster Christus Matt. 5. sed potiùs pro eis Deum orare, dicens : *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Quod in Christo Domino ponderauit Dauid Psa. 108. Vbi in persona Domini (vti asserunt S. Chrys. S. Hiero. & S. Aug. S. Theodor. imò & S. Petrus in Actis Apostolorum c. 1.) sic ait : *Locuti sunt aduersum me lingua dolosa,* cum scilicet dicebant : *Magister volumus à te signum videre* : & id : *Magister scimus quia viam Dei in veritate doces* : sed & hoc dolosè, *Licet census dare Cæsari* : item ait Christus : *& sermonibus odij circumdederunt me,* scilicet in templo cum dicerent : *vsquequo animam nostram tollis? si tu es Christus, die nobis palam,* &c. *& expugnauerunt me gratis,* id est, oppugnauerunt me sine ratione, imò contra rationem, quia reddiderunt mihi mala magna pro bonis magnis. Vnde addit : *Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi.* Hoc est, pro multis & magnis beneficiis quibus affecì eos, detrahebant mihi, ita quidem, & insuper crucifixerunt : quid igitur ad eos Christus? *Ego autem orabam.* S. Hieronymus pro eis nempe. ita est, filiali affectu nàmque ad patrem orauit dicens, *Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt*, patrem interpellat, non iudicem, *ignosce*, ait, non damna : non enim verbo solo, sed opere docuit nos pro inimicis orare.

Quod etiam priusquam Christus verbo & facto hoc doceret, fecit Dauid Psal. 34. vbi de inimicis suis agens dixit : *Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio, & oratio in ea in sinu meo conuertebatur.* Quomodo induebatur tunc cilicio? Genebrardus, commiserando, vel pro eis pœnitentiam agendo, & etiam : *Humiliabam, inquit, in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertebatur*, Idem Genebrar. sic exponit : Pro eis etiam ieiunabam, & orabam pro eis in sinu meo, hoc est, apud me ipsum in corde intus orationem pro eis agitabam & repetebam. Sic Dauid, & in lege illa vbi Dominus, *Deus vltionum*, dicebatur : nunc verò inter nos multi qui legem amoris, qui legem Christi præcipientis pro persecutoribus orare & suo exemplo confirmantis, multi, inquam, qui talem legem profitentur, non solùm non orant pro inimicis, non solùm non amant eos, verùm odio inimicos prosequuntur, & vsque ad mortem prosequuntur, iudicent vel ipsimet quid de ipsis futurum sit in iudicio Dei.

Prop. LIX. *Amor inimici potens præsidium ad succurrendum animabus in Purgatorio existentibus.*

Non viuis tantùm sed & mortuis prodest amor erga inimicos : vt patebit ex eo quod sequitur exemplo quod refert Ioannes Osorius. *Osorius Conc. Feriæ sextæ post cineres.*

Vidua erat, cui vnicus filius, adeoq; in oculis, & amoribus, vtpote spes vna sui generis, familiæ columen, baculus senectutis, verboque vt absoluam, bonę matris corculum, ac deliciæ. Ei ad insignes naturæ dotes, ingenij vim, ac solertiam, formæ quoque decor, & elegantia accesserat; imo & auitus sanguis, majorum imagines, ac stemmata, indeque apud suos partum nomen, & existimatio. Verum vt is esset, è medio per summum scelus, sustulit nescio quis terræ filius, & sese patrato sacinore abscondit, ne tantum nefas aut cælum aspiceret, aut quisquis obuius esset mortalium. Patrati sceleris rumor primùm ad matris aures appellit, dein in oculos venit ipsum quoque exanime filij cadauer. exspectari hic potuit, imo & debuit ingens quidam naturæ sensus, lacrymæ, questus, lamenta, & fœminei eiulatus : nec illi modo, sed & querelæ graues, iræ, iusta indignatio, & vindictæ appetentia : quæ ab æquo iudice exspectari debuit, imo vrgeri, atque extorqueri. nihil tamen horum in matre visum : dedit illa plusculum naturæ, iustoque dolori; quod reliquum fuit, caritati & Christianæ indulgentiæ. Cùm enim intellexisset sicarium illum, ac filiicidam à prætore ad vincula, ad mortem quæri; hoc apud semetipsam cõsilium iniit ab amore, ac miseratione quæsitum : equum filii exanimis illico submisit, bursamque multo auro grauem, cãdidè monens atque opportunè, vt sibi, ac saluti suæ fugã consuleret, præsentique periculo eriperet. hoc pietatis, hoc matris facinus fuit, quod ibit in posteros, & sæcula : imo in cœlos ipsos ex tunc euasit, & pro filio, qui in ignibus expiatoriis erat, deum exorauit : eo quippe loci ac temporis concessu claue suum ingressa pia mater, Deo ter optimo, ter maximo supplex accidit, & pro filij salute non sine magno pietatis æstu, & lacrymarum imbre instare cœpit : nec oranti cælum defuit, & benigna Dei miseratio : mox enim in charissimæ parentis conspectum datus est filius clara circumfusus luce, sicque matrem affatus. Est quod tibi, Domina mater, gratias habeam immortales, ex vero enim mihi duplici nomine mater es, tum quia terris olim me genuisti, tum quia modo iam cœlis : dum enim inimico, & tuo, & meo veniam dedisti, mihi cœlum aperuisti, quod ad annos quamplurimos occlusum erat, erant illi in pœnis & ignibus exigendi, modo in gloria ac beatitate. Gaude igitur mater, & virtute tua, & bono meo. vix hæc eididerat, cùm in amantissimæ matris conspectu sublimis in cœlum abire visus, tantum apud superos potuit indulgentia, atque iniuriarum remissio.

PROP. LX. *Quanti valoris sint inimici in nos contumelia.*

HOc probè intelligebat Ioannes Fundator Ordinis Fratrum charitatis ; qui solebat dicere cùm quis eum calumniis infectaretur, *Dabo tibi duo talenta, hac condizione, vt hæc omnia proclames alta voce in platea.*

Idem dicebat inimicis suis, *Frater serùs, ocyùs, quærtet necessariò me tibi ignoscere, præstat id iam faciam.*

De odio inimici, & eius amore vide Raynaudum de virtutibus, & Vitiis. l. 4. sec. 11. c. 3. p. 336. La Cerda in Iudith. p. 593. 601. &c.

AMOR PROXIMI.

1. PROP. *Quàm diuina virtus, & Deo digna sit proximi dilectio.*
2. *Amor proximi Deo valde placet.*
3. *Quàm conformis naturæ sit amor proximi.*
4. *Quàm secundum naturam sit amor proximi.*
5. *Amor proximi est signum amoris diuini.*
6. *Amorem proximi tanquam hæreditatem nobis dedit Christus Dominus.*
7. *Sicut quis amat Deum, sic & proximum amabit.*
8. *Amor proximi fidei Christianæ veritatem confirmat.*
9. *Amor proximi animi feritatem tollit.*
10. *Vix verus amor proximi reperitur in terra.*
11. *Quàm excellens opus sit proximis fauere.*
12. *Amare proximum signum est gratiæ.*
13. *Qui amat proximum legem impleuit.*
14. *Amor proximi amanti vtilis est.*
15. *Quàm vtile sit Reipublicæ amor proximi.*
16. *Amare debet proximum sicut seipsum.*
17. *Amare debemus proximum exemplo Christi.*
18. *Amandus est proximus spontaneè & non vtilitatis gratia.*
19. *Omnis proximus est amandus, licet ille infime sortis sit.*
20. *Proximis benefacere debemus, quamuis ingrati sint.*
21. *Ad amorem proximi pertinet etiam ingratis benefacere.*
22. *Amandus est proximus, sicut membra se inuicem amant.*
23. *Amandus est proximus impensè, & intensè.*
24. *Amandus est proximus operibus.*
25. *Contra eos qui ore diligunt proximos, non verò corde.*
26. *Amandus est proximus, licet ipse non redamet.*
27. *Qui amat proximum, curat valde de his quæ ad eum spectant.*
28. *Qui verè amat proximum, ea quæ sunt proximi curat, etiam cum aliquo detrimento proprio.*
29. *Proximis fauere debemus plus in spiritualibus quàm aliis.*
30. *Ad amorem proximi spectat, peccatores conuertere.*
31. *Qui proximum verè amat, salutem animæ eius procurare debet.*
32. *Qui amat proximum, eius honoris curam gerere debet.*
33. *Ad morem proximi spectat, excusare defectus eorum.*
34. *Qui proximum amat, non male iudicat de illo.*
35. *Amandus est proximus, licet nos ille odio prosequatur.*
36. *Pro amore proximi iuri nostro sæpè credere oportet.*
37. *Ad amorem proximi pertinet flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus.*
38. *In proximos suaues, in nos seueros esse oportet.*
39. *Qui crudelis est in proximos pars pœnæ soles à Deo puniri.*

PROP. I. *Quam diuina virtus, & Deo digna sit proximi dilectio.*

Io. 17. 21. PAter sancte, inquit, Christus, *pro his rogo, quos dedisti mihi, & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint : vt credat mundus, quia tu me misisti.* Consequentiam hanc vltimam expendamus, vnde hic locus, *vnum sint, vt cognoscat mundus, quia tu me misisti?* Missus olim à Deo fuit Moyses: *Exod. 5.* at vt Ægyptij à Deo illum fuisse crederent, potestatem miraculorum dedit illi Deus, vti constat : vbi dicenti Moysi, *Non credent mihi, &c* dixit Dominus: *Quid tenes in manu tua? Virgam*, inquit, *Proice eam* (ait *Exo. 4. 2.* Dominus) *in terram. Proiecit, & versa est in colubrum, &c.* Huiusmodi miraculis fidem facere voluit Deus, Moysen & nuntium eius, nuntium Dei esse verum; sic et-

A iam ex miraculis multis, quæ operatus fuerat Christus, cognosci potuit, verè à Deo missum esse, & tamen hoc loco non ex miraculis, sed ex dilectione mutua fidelium Christi, hoc deducendum esse ait. Respondere ad hoc meritò possem, adeo esse mundum à charitate alienum, vt inter Dei miracula talis dilectio posset computari: vnde dicitur, *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia vsque ad finem terræ.* Quænam hæc prodigia? *Auferens bella vsque ad finem terræ. Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.* Loquitur Propheta de aduentu Christi, sicut omnes sacri Doctores interpretantur : tunc pax summa fuit, & constat ex descriptione orbis, quam facere Augustus iussit. de hoc loqui Prophetam, dicunt S. Hieron. & Cassiodorus. Prodigium autem est res obstupenda, & supra hominis cogitatum, *prodigium* enim, vt ait Hugo Cardinalis, *dicitur, quasi à digito procul* : pacem igitur inter homines, prodigium dicit. cur ita? quia adeo ad B bella & contentiones proclives homines sunt, vt prodigiosa sit inter eos pax: Quasi miraculum ergo à Deo reputatur. Meritò ergo hinc Christum à Deo vero esse comprobabitur, si pacem inter suos discipulos seruabam, & charitatis vnionem relinquat. Dicat ergo: *Vt credat mundus, quia tu me misisti, sint vnum inter tos discipuli mei &c.*

Sed tamen alio id modo exponamus : Adeo Deo propria charitas est, vt Deus ipse charitas ipsa nuncupetur, sic Apostol. Ioann. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo* : quare vbi charitas hæc, ibi Deum manere, dignosci facile potest: & hac ratione Christus Dominus ait. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* quasi dicat, Ego Deus sum, in hoc autem cognoscent omnes vos Dei discipulos esse, si vos inuicem dilexeritis. Sed C aliam huius loci expositionem assignari, sed vtrague vera & intenta est, à Christo Domino. Quærunt autem S. Chryso. Theophyl. & Euthym. hîc cur non potuis in huiusmodi signum, miracula futura esse dixit; Quia (inquiunt) multi dicent in illa die: *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* & respondebit illis Christus. *Quia numquam noui vos.* Certissego signum filiorum Dei, est charitas, quam miraculum, & quam miracula multa. Meritò ergo Christus ex charitate & dilectione suorum se à vero Deo in redemptorem mundi missum esse probauit, &c.

PROP. II. *Amor proximi Deo valdè placet.*

POstquam Cain fratrem Abel occidit, statim vocat eum Dominus, &, *Vbi est*, inquit, *Abel frater tuus?* D *vox sanguinis eius clamat ad me de terra*, vt scilicet grauem de ipso Cain sumeret vindictam, hæc ad illum Dominus, & vt magnitudinem cognosceret peccati sui, & iniustitiam in fratrem, sed quia hæc ad mentem illum non reuocarunt, subdidit Deus maledictionem, *Maledictus*, inquit, *eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Maledictio hæc respicit ne solùm Cainum? *Imò*, ait S. Chrysost. *terram etiam petit, quasi dicat : Maledictus es tu, qui fratrem occidisti, & maledicta terra, quæ hiauit ad suscipiendum sanguinem fratris tui.* Quis hoc audiens non iram & indignationem Dei purè in Cainum existimabit? sed quidem secretiorem huius rei causam, & altius facti Sacramentum commentatus est ibi S. Chrysostom. dicens, *Hæc verò Deus dicebat, vt vitiidam adhuc Cain sedaret iram in fratrem, persuaderetq; ad diligendum eum.* Ita ille. At dices, nónne jam de medio sublatus erat Abel? Erat: quomodo ergo ad mortui amorem monet? Respondet S. Chrysostom. *vt fratrem etiam morte sublatum amaret Cain. Vitam* (inquit Deus) *fratri extinxisti, inimicitiam vel jam modò extingue.* Ita S. Chryso. Quis vnquam

viuum

viuum cum mortuo reconciliare curauit? at tantum Deo nostri mutui amoris desiderium ineſt, vt etiam ægra mortuos viuum eſſe velit. At nec ſic Cain fratri ſe reconciliabat, nec ſe ab odio in fratrem reuocabat; pereat igitur, & pro delicti & contumaciæ magnitudine dignè puniatur. Puniuit, imò correxit quidem, immiſit illi, non mortem, ſed tremorem quemdam. cur ita S. Chryſoſt. ibidem: *Vt vel ſic ad fratris amorem reuerſus, ad diligendum etiam ſublatum fratrem induceretur: neque enim volebat illum inimicum fratri mortuo ex hoc ſæculo migrare.* Ita ille.

Genes. S. Athanaſius oratione de Cruce, & Paſſione Domini, obſeruat multùm, nullo modo permiſiſſe Dominum tunicam ſuam diuidi tempore paſſionis à militibus, qui inter ſe veſtimenta eius diuidebant: at, vt ait S. Ioannes cap. 19. *Cùm tunicam accepiſſent, dixerunt. Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit (con ſer ſoldados desgarrados, no la quisieron vasgar sino soltarla)* cùm tamen velum templi, vt ait S. Marcus cap. 15. ſciſſum ſit in duo à ſummo vſque deorſum. quid igitur eſt, quod tunica inter manus crucifigentium, & lacerantium carnes Chriſti, integra perſeuerat: velum autem, quod in Sancto Sanctorum diligentiſſimè Iudæi obſeruabant, ſic ſciſſum eſt? tunica quidem Chriſti Eccleſiam eius deſignat. Vnde cùm Arius Eccleſiam Dei ſcindere ſchiſmate, & hæreſi ſuâ vellet, Dominus IESVS noctu beato Petro Epiſcopo Alexandriæ apparuit veſte diſciſâ, cauſamque rei ſciſcitanti dixit: *Arius veſtem meam, quæ eſt Eccleſia, dilacerauit.* Ita refert Euſebius lib. 7. & Beda in Martyrologio, & Eccleſia canit in feſto eiuſdem S. Petri Alexandrini. Tunicam ergo nouiſſe Dominum ſcindi, eſt omnino velle vnitatem & charitatem mutuam in Eccleſia integrè conſeruari, quantumuis occaſiones ſciſſurarum & diuiſionum interueniant, ita vt priùs reliqua omnia quantumuis concluſa, & quæ ſecura videntur eſſe, pereant, quàm charitas & vnio fraterna diuidatur.

Sub arbore malo ſuſcitauit te. Sed quænam malus ſit, non explicauit. nonnulli ſub malogranato interpretantur, cui modò crux Chriſti comparatur, ſecundùm communem Sanctorum expoſitionem, quia in cruce Dominus nos viuificauit, ſeu ſuſcitauit. cur ergo malogranatum illam vocat? nimirum, quia malogranatum ſymbolum charitatis eſt mutuæ. Vides in malogranato, ſeu pomo, plurima grana rubicunda, & veluti ignita, miro quidè & vniformi ordine collecta & vnita, ſub tegmine vno, æqualiter diſtantia, & iuncta, æqualiter diſpoſita, & confœderata: quodnam ſymbolum pro charitate aptiùs? Crucem ergo malogranatum dicere, eſt fructum crucis ſignificare, charitatem ſcilicet erga proximos noſtros: hunc paſſionis ſuæ fructum voluit eſſe Chriſtus, & ideò clamat, *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos*, ego vos *Ioan. 15.* vſque ad crucem amaui, ſic amate vos inuicem. Amor Chriſti exemplar amoris noſtri eſt, ergo amor in cruce oſtenſus, eſt mutuus amor noſter. Quantùm igitur Deo charitatem fraternam placere credis, quam ſuæ paſſionis & crucis fructum eſſe voluit? Si emas equum, emas domum, & pro illis omnia, quæ à te exiguntur, libentiſſimè tribuas, manifeſtè oſtendis, quantùm cupias domum, ſeu equum illum. ſic à Chriſto Domino pro fructu crucis & paſſionis tormenta acerbiſſima Pater poſtulauit, conceſſit libenter filius. Cùm igitur fructus præcipuus crucis Chriſti charitas ſit, quanto deſiderio & amore ipſius teneretur, rectè manifeſtauit negotiator Euangelicus, qui margaritâ inuentâ, pro ea vniuerſa contulit, quæ habebat, ingentem æſtimationem illius propalauit: quanti ergo dices Chriſtum facere charitatem, qui totum ſuum ſanguinem pro charitate profudit, & vitam illam vniuerſis creaturis pretioſiorem, exhibuit.

Addam huic ſimilem exaggerationem. *Quid* (inquit S. Thom.) *Euchariſtiæ ſacramento mirabilius? quid ſalubrius?* ita eſt. Sed quiſ enim finis? quæ Chriſti intentio in eius inſtitutione? Finis quidem multiplex fuit, fines, inquam, in numero plurali plures, inter quos charitas & pax cum proximis noſtris fuit. hac enim de cauſa ait S. Auguſtinus, Euchariſtiam in pane & vino inſtitutam eſſe, vt pacem æternam cum Sanctis, quam habituri ſunt in cœlo, qui Euchariſtiæ ſacramentum percipiunt in terra, vti debent, ſignificarent. *Propterea* (inquit) *ſicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noſter* IESVS *Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum in his rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur: ex multis namq; granis vnus panis efficitur, & ex multis racemis vinum conſluit.* Ita S. Auguſt. Et quamuis de pace & vnione Sanctorum in cœlo exponat S. Auguſt. idem etiam ipſemet exponit de pace juſtorum in terris, ſuper illa verba, *Litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes: Quomodo poteſt hic carnem ſuam dare ad manducandum?* Litigabant (inquit) *quoniam panem concordiæ non intelligebant, nec ſumere volebant: qui manducant talem panem, non litigant ad inuicem, quia vnus panis, vnum corpus multi ſumus, & per hunc facit vnius moris habitare in domo.* Ita S. Auguſtinus, quod manifeſtè Apoſtolus confirmat, *Vnus panis, vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane participamus.* Vbi S. Anſelmus: *Sicut vnus panis ex multis granis & vnum corpus ex multis membris componitur, ſic Eccleſia Chriſti ex multis fidelibus, charitate copulante, connectitur: nam ideò Dominus corpus & ſanguinem ſuum in his rebus commendauit, quæ ad vnum rediguntur ex multis.* Ita ille. Voluit ergo Dominus inſtituere hoc Sacramentum admirandum ad mutuam charitatem præſtandam, ſignificandam, & commendandam. Vnde quæſo ampliùs potuit commendare, quàm ex paſſione Chriſti & inſtitutione talis Sacramenti?

Laudabat ſponſus Chriſtus ſponſam ſuam Eccleſiam, dicens in communi: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es!* cùm admirationis nota, & iterato ſermone, pulchritudinem ſponſæ auget Chriſtus, vt ſibi gratiſſimam eſſe pronunciet, & quia in genis reſplendet pulchritudo, ſubdit: *ſicut fragmen mali punici, ita gena tua.* vbi Septuaginta tranſtulerunt, *Sicut cortex mali punici gena tua*, qualis rogo laus iſta? cortex malogranati, ſeu mali punici, qui eſt idem, nullam ſpecioſitatem habet, quinimò deformitatem coloris, velut febricitantis, præ ferret, cur ergo ſpeciem ſponſæ cortici malogranati comparauit? oportet ab eius corticis cortice, ad nucleum ſpiritus tranſire. Malum punicum charitatis ſymbolum eſſe diximus, vnde ſicut malum hoc punicum coronam habet, ſic charitas, quæ Regina virtutum eſt, *Maior horum eſt charitas*, ait Paulus, id eſt, virtutum theologalium, de quibus ibidem: vnde & reliquarum omnium, quare meritò in malo illo coronato explicatur. Iam conſtat, cur pulchritudinem generum ſponſæ, malogranatis comparet, quia quod præcipuum in ea amat, laudat, & ſibi gratum oſtendit, charitas eſt.

Vnde in veſte illa ſacerdotali, myſteriis referta, in extrema eius parte & fimbria malogranata multa conſtitui iuſſit Deus, in qua quidem parte præcipuus & pretioſior ornatus ſolet adhiberi: tunica verò illa ſummi Sacerdotis præfigurantis Chriſtum; Eccleſia Sanctorum eſt. vnde Eccleſiæ, & Chriſto Domino, qui caput eſt Eccleſiæ, dicitur: *His omnibus, velut ornamento veſtieris.* in fimbria ergo malogranata conſtituuntur, quia in oculis Dei charitas eſt, quæ ornat Eccleſiam eius.

Hinc etiam comparauit Chriſtus Eccleſiam ſuam horto Paradiſi, & ait: *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum.* emiſſiones vocat propagines plantarum, & arborum, quæ quaſi emitti videntur ex magno matris ſinu. Senſus igitur eſt, ſecundùm Honorium & Guillelmum ibi, emiſſiones, & propagines Sanctorum variis

Opuſc. 57

Tract. 26. in Ioan.

Ioan. 6.

1. Cor. 10. 17.

Cant. 4.

1. Cor. 13. 13.

Exod. 28. 33.

Iſa. 49. 18.

Can. 4. 13.

virtutibus ornatæ, præsertim Apostoli, quorum nomen, vti Philo ait, missionem significat, & reliqui Sanctorum ordines efficiunt hortum quemdam, seu Paradisum ex malogranatis maximè consiti. Cur malogranatis Ecclesiæ perfectionem & pulchritudinem comparauit? Patet ratio ex dictis, quia pulchritudo & perfectio Ecclesiæ ex charitate præsertim constat: vbique igitur charitas Deo gratissima demonstratur.

Sic diuina sapientia de se: *Ego mater pulchræ dilectionis*, meritò se matrem pulchræ dilectionis diuina sapientia vocat, quia in omnibus creaturis, quæ quidem omnes ab ea gubernantur, & in suos fines dirigunturq; pulchra quædam dilectio, & ordinatissimus resplendet amor, etiam in his, quę naturalem oppositionem videntur habere. Habet cœlum oppositos motus ab Oriente in Occidentem, & ab Occidente in Orientem, sed tamen tali harmonia, vt in disparitate illa vniformitas mira resplendeat, & vt quidam sapiens dixit, cœlum innato mouetur amore. Habent elementa oppositas qualitates, vt in aqua, & igne constat: sed tamen ita diuina sapientia ea collocauit, vt non solùm non inter se dissideant, verùm etiam in bonum Vniuersi, mirè inter se cohæreant, & conueniant. Habet quodlibet animal in se quatuor humores contrarios, sed tamen sic attemperatos à diuina sapientia, vt eorum concursus ad vitam ipsius animalis necessarij sint. Habet natura hominis rerum omnium naturas agglomeratas, ob idque μικρόκοσμον nominatur à Græcis, & quamuis mille oppositiones in eo concurrant, ita diuina sapientia eas moderata est, vt admirabiliter cuncta concurrant in vnum; adeo vt, quantumuis anima & corpus sint inter se diuersa, vtpote spiritus, & corpus mortale, & immortale, materiale, & immateriale, &c. eorum separatio, mors, & interitus homini sint. Denique irrationabilia vnius speciei mutuo se amore prosequuntur. Vnde gregatim aues, pisces, apes, formicæ, & reliqua omnia degunt, & incedunt, imo feræ ipsę, quāuis immania sint, & in animalia specie diuersa ad mortem vsque sæuiant, inter se conueniunt, & pacificè cohærent, vnde iure diuina sapientia, quæ hoc pacto cuncta disposuit, mater pulchræ dilectionis dici potest.

Ecclꝛ. 24.

Hoc supposito, quis non miretur homines inter se non ita conuenire, nec seipsos ita amare, sicut reliquæ se amant creaturæ? imò inter eos semper esse odia intestina, bella, dissensiones, iras, rixas, vulnera, mortes, ita vt in prouerbium abierit. *Homini homo lupus*, ita vt neque inter viros, & vxores, neque inter consanguineos, neque inter fratres, neque inter patres, & filios secura pax & verus amor vix reperiatur, quo non solum bestiis, ac feris, verùm etiam dæmonibus deterior homo esse videatur. hac enim ratione conuicit Christus æmulos, qui in Beelzebub dicebant eiicere dæmonia Christum, *Omne regnum*, inquit, *in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & Satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius?* Vnde igitur inter solos homines discordia tanta? num à natura id hómo habet? Absit, imò inter omnes visibiles creaturas nulla ad mutuam dilectionem aptior, quàm humana, ita vt ab ea humanitatis nomen promanarit, quod pacis, & amoris, & benignitatis, ac clementiæ significationem habet. Præterea aliis creaturis natura instrumenta bellica & offensiua dedit, v.g. leoni vngues, tauro cornua, dentes apro, venenum serpenti, virus & vires magnas draconi, &c. hominē verò inermem natura creauit, vt se illum ad pacem, & concordiam, non ad rixam, & discordiam, creasse constaret. Hinc etiam animal sociabile dicitur homo, & societatem inter homines in tantum natura intendit, vt propterea, & mare nauigabile fecerit, & non omnia homini vtilia in quauis regione illi concesserit, sed ita distribuit, vt hoc in hac, illud in illa tantum reperiatur, quò mutua esset negotiatio, & conuentio nostra, & pax & amor foueretur & conseruaretur. Vides à natura homini amorem insitum esse: vnde igitur inter nos tantus amoris defectus? vnde tot ac tantæ dissensiones? ad pacem & amorem nati, ex visceribus terræ arma, quæ natura negauit, indagamus. Quòd si species aliqua beneuolentiæ inter nos apparet, apparens saltem & affectata, imo & falsa sæpe sæpiùs est. vnde Dauid, *Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum. Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde, & corde locuti sunt.* Diminutæ, inquit, sunt veritates, quia si quando veritatem loquuntur, non ita veritas se habet in re, sicut in verbis sonat, sæpiùs vana loquuntur: nam exteriùs verba dilectione plena videntur, sed interiùs nihil minùs. Labia dolosa sunt hæc, corde & corde loquuti sunt, duplici corde sunt: quia loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. *besan manos, que desean ver cortadas, trahen pas en la boca, y guerra en el coraçon.* Psal. 11.

Quod si inter insipientes tantùm hic pacis & amoris defectus reperiretur, non mirum: nam insipientia omnium malorum fons & origo est, reperitur autem, & inter sapientes. Ingredere quæso literarum vniuersitates, in quibus sapientes viri coeuniunt, & concurrunt, vt non solùm sapientiam profiteantur, sed eam doceant, & commendent. Vix inter huiusmodi sapientes concordiæ signum reperies, sed contentiones verborum, rixas, detractiones, oppositiones, non solum cathedrarum, sed mentium, & animarum, *cada qual por hacerse assi, deshace al otro*, vt, hic hunc laudat, alium vituperat, & siue verè vel falsè, infamat cæteros, vt se famosum efficiat, &c. & quamuis non gladiis pugnent, linguis, ensibus acutioribus, se vulnerant, & calamo, non atramento, sed sanguine, non sanguine, sed veneno tinctis, acriùs quàm milites lanceis se tranfodiunt. hosne viros sapientes dices? hos ego serpentes potiùs nuncupabo.

Vnde igitur tanta inter homines discordia, cùm cętera animantia concorditer viuant, & homo inter reliqua omnia ad pacem & amorem conditus sit? Dicam, quia inter animantia cuncta solus peccat homo, & vbi peccatum, ibi omnimoda naturæ subuersio, ac deordinatio. Seruant concordiam orbes cœlestes, quia non subsunt peccato: seruant elementa concordiam, quia peccatum ignorant: seruant animalia, etiam ferocia, pacem, quia sine peccato sunt: peccant homines, inde peiores rebus omnibus effecti, quid mirum si peiores in dilectione sint? sicut enim phreneticus, cùm semel à sensu & iudicio deficit, in rebus omnibus facilè delirat; sic peccator, qui semel à lege rationis recedit, à lege amoris facilè se retrahit, &c. qui ergo se sapere præsumit, amet, & qui à peccato declinat, facilè amabit.

Matt. 12. 25.

Hinc est, quòd Deus grauiter punit delinquentes in proximum, vti ait S. Chrysostō. in id Apostoli. *Si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & his consentit habitare cum illa, non dimittat virum: Quemadmodum*, inquit, *cùm de abiciendis meretricibus disputat, correctione facit rem faciliorem, his verbis, Non vtique fornicarius huius mundi, ita hoc in loco multa in consulendo vtitur facilitate, dicens: Si qua vxor virum, aut vir vxorem infidelem habet, non dimittat eam. Quid dicis, an infidelis manebit cum viro, fornicaria verò minimè? atqui minus vitium est fornicatio, quàm infidelitas. minus quidem fateor, sed Deus suis maiorem in modum parcit. hoc & in sacrificio facit, dicens: Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo. hoc idē in eo, qui decem millia talenta debebat, ostendit, etenim ille, cum tantū sibi deberet, non puniuit, cùm autē à cōseruo exigeret, totum debitū repetiit.* Ita S. Chrysost. vbi nota, quòd pro maiori peccato maiorē pœnam incutit Dñs in sæculo alio: at in præsenti, vt manifestiusostēdat, quānto illos, quę

qui proximo nocent, odio habeat, faciliùs parcit his, qui ipsum offendunt, quàm qui proximum suum, vt patet in his locis à sancto Chrysostomo citatis, & in illo, vbi pro inobedientia Adæ, *Maledicta*, inquit, *terra in opere tuo: spinas & tribulos germinabit tibi*, cùm verò Caimum punire vellet propter fratris necem, *Maledictus*, inquit, *eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua*, quid est, quod Adamum puniens, non illum, sed terram maledixit, cùm verò Caimum ipsum maledixit, & quidem maledictione grauiore, quia scilicet Adam in Deum, non in proximum, deliquit, inobediens enim Deo fuit? Caim verò in proximum, & fratrem suum, occidens illum: Deus autem grauiùs punit in hoc sæculo in proximos commissa.

S. Chrysostomus in id, *Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus*, inquit: *Nam sicut panis ex multis granis vnitur, vt minimè grana appareant, sed tamen grana sunt in certa discretione coniuncta, sic inuicem coniungimur Christo: non enim ex altero corpore ille educatur, sed ex eodem omnes*, ideò ait: *Vnus panis, vnum corpus sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Ita ille. Vis autem huius rationis in hoc consistit, quod, vti S. Augustin. ait, non nos in nos conuertimus Christum, quâdo summus Eucharistiam, sed nos mutamur in Christum: idcò quippe dicitur *panis viuus*. Si viuum quid sumeres, quod viuum intra te esset, & te sumeret, non tu mutares illud in te, sed tu mutareris in illud. sicut si, v. g. Ionas, quem viuum deglutiuit cete, intra viscera eius consistens, ciusdem cete carnem comederet, ipse Ionas cete in se conuerteret, & non conuerteretur ab illo. sic etiam dum panem hunc viuum accipimus, ab eo conuertimur in ipsum, & non conuertimus illum in nos. Quamobrem, dum benè communicamus, omnes in Christum conuertimur, & veluti vnum corpus efficimur omnes in illo, eius dcitatem, & humanitatem, & merita, & mores participantes. hinc charitatis vinculum inter nos manifestatur: charitas enim, quæ amor diuinus est, in vnione consistit, & separationem repellit: quare vbi odium est, vnio non est: quod si vnio non est, qui dissident inter se, non sunt cum Christo, & in Christo vnum: quòd si in eo vnum non sunt non rectè & benè participant de vno illo pane viuo. Videant igitur & attendant, qui proximum prosequuntur odio, quòd quamuis materialiter Eucharistiam sumant, non vniuntur vitaliter & spiritualiter Christo. vnde non dignè, sed indignè hi Eucharistiam sumunt: huius enim signum est amoris in proximum defectus, cùm amor hic effectus sit Sacramenti huius. Vnde in primitiua Ecclesia, quoniam fideles vnanimiter perseuerabant in fractione huius panis, multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.

S. Chrysostom. *Auctor ipse rerum Deus iam olim à principio sexcenta commentus est, quibus charitatem in proximos nobis inculcaret. Primum caput vnum omnibus dedit ipsum Adam. cur enim è terra non sumus? nisi vt ad concordiam flecteret nos: nam si nunc, quia locis dissidemus, alienos nos inuicem putamus, si generu nostri duo principia extitissent, quid esset? Et ob hanc causam nec mulierem ex terra fecit, sed ex costa viri, vt quia eiusdem substantiæ sumus, in vnum perducamur. & ex huiusmodi procreatione multi nascuntur affectionis modi hunc, quia frater, amamus, hanc, quod sit mater, illam, quia nutrix, hunc, quia filius, illum, quia nepos, & illum, quia pronepos, hanc, quia filia, illam, quia neptis, hunc, quia frater, illum, quia ex fratre nepos, hanc, quia soror, illam, quia ex sorore neptis, &c. Aliam autem coniunctionis formam commentus est, cognatorum connubio interdicto ad alienos nos eduxit, illos vicissim ad nos pellexit, quos naturali necessitudine copulari non licet, hos nuptiis conglutinauit, integras sæpè familias vnius nymphæ gratia conciliando, genus totum generi permiscet.* Non duces sororem tuam, inquit, neque sororem patris, neque aliam huiusmodi, ea generis necessitate coniunctam: vt nefas sit, commisceri. satis causæ sit, vt illas ames, ex eodem esse te vtero prognatum. Coniugem accipe, aliunde ductam, vt & per illam longam affinium seriem parentes, fratres, & illorum necessarios omnes conciliare tibi possis. *Vides quot nos modis colligauit Deus.*

At qui non fuit hoc illi satis, etiam vt opus nobis inuicem haberemus, fecit vt hinc quoque nos congregaret, quando conciliari amicitias vtilitate vel maximè videmus. Hinc non omnibus in locis omnia nascuntur, vt congredi & permisceri necesse haberemus, & dum mutuâ necessitate astringit, faciles etiam congressus dedit, quod quidem nisi extrassent, magna in difficultate, magna tristitia res humanæ constituerentur. nam si quis vel medico, vel fabro, vel quouis alio artifice opus habens, longam peregrinationem pro acquirendo suscipere cogeretur, necesse quidem esset sæpè interim rem perire. Hinc etiam Deus vrbes constituit, & in vnum nos collegit, vt his etiam qui procul sunt, faciliùs congrederemur. Mare in medium expandit, ventorum dedit celeritatem, & expeditas esse peregrinationes fecit. Vndique igitur nos Deus coniunxit à natura, à cognatione, ab affinitate, à lingua, à loco, & sicut nolebat nos excidere Paradiso, si enim voluisset, nec principio quidem ibi hominem collocasset, sed qui neglexit, est casus auctor, ita neque varilingues esse voluit, siquidem principio tales fecisset: tunc ergo terra vniuersa labium vnum & vox omnibus vna fuit, sicut ait Scriptura. Igitur quando deleri terram oportebat, nec tunc quidem ex alia nos materia fecit, aut iustum Noë transtulit, sed medius aquis, velut orbis scintillam quamdam superstitem sinens rursus hoc genus nostrum ex beato Noë suscitauit, & in tantam mutuæ necessitatis vim nos redegit, vt si quis omnes possideat opes, carere cæterorum consortio non possit, & non opus habere possit pauperiore se, vnde non solùm tenues opulentioribus egent, sed opulenti tenuibus, & hi quidè magis. Quod vt dilucidius cernas, conflituamus vrbes duas, hanc diuitum solùm, illam pauperum tantùm, in prima nullus sit pauper, in secunda nullus dives. Vtra quæso magis sufficere sibi potest? quod si posse pauperes deprehendamus, certum diuites magis egere. In ciuitate igitur diuitum nullus opifex erit, non domificator, non faber, non sutor, non pistor, non aratrius, nec funicularius, nec talium quisquam: nam quis diuitum obire ista vult, quando illi ipsi, qui hæc tractant, simul ac rem auxerunt, ab illa molestia laborum flatim recedunt, quomodo ergo ciuitas ista constabit? En igitur quo pacto necessitas ipsa nobis inuitis pauperes vocat, pauperes inducit. Vnde liquet constare sine pauperibus ciuitatem non posse, alioquin non ciuitas, sed citò erit. Pauperum verò ciuitas quare ciuitas ista egebit? non habeat aurum, neque argentum, neque lapides pretiosos, neque sericas vestes, & huiusmodi alia: attamen si domos exstruere oportet, non auro, non argento, non margaritis ad hoc opus est, sed arte, manibus, & manibus non quibuslibet, sed callosis, & labore induratis, robore, lignis, saxis texere vestes oportet. Rursus nec auro, nec argento, nec serico, sed manibus, & arte negotium obitur. Ad agricolandum autem, dic, quæso vtrorum opera quæratur magis, diuitum, an pauperum? ferrum verò, & cætera id genus instrumenta numquid efficere citra vulgi operam possunt? quam igitur ad rem diuitibus illis fuerit opus, nullam credo nisi euertere ciuitatem istam velis. Ita S. Chrysost. Vnde constat Deum Opt. Max. sic prouidisse cuncta, vt tali prouidentiâ mutuam foueret charitatem, & augeret.

In maximam disceptationem venit apud antiquos, vtrùm essent iniuriæ condonandæ: nec defuit qui diceret, iniuriam nemini inferri debere, licitum tamen esse illatam vlcisci: & cùm Philosophus ille haberetur sapiens, & Stoicorum disciplinam profiteretur, qui omnes animi motus vincendos esse affirmabat, numquam sibi persuadere potuit inimicos esse diligendos & eorum iniurias remittendas.

Nec mirum si Ethnicis, errorum & ignorantiæ tenebris implicatis, lux Euangelicæ veritatis non eluxerit, quando Israëlitici populi sapientiores, in sacrarum literarum studiis satis versati, ad tantam ignorantiam deue-

deuenerant, vt frequenti sermone vsurparent: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ac si dicerent: Eris amicorum amicus, & inimicus inimicorum. Quid mirum si Ethnici illi sapientes in hoc lubrico de inimicorum dilectione loco, prolabebantur, in quo Hebræi, diuini luminis splendore illustrati, & cœlestium præceptorum præsidio muniti, sine casu ac prolapsione non constiterunt?

Matth. 5. 43.

Subortam ergo contentionem Christus Dominus apertissimis verbis diluit, dicens: *Dictum est antiquis: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacit his qui oderunt vos.* Disputent Legisperiti, discerpent sapientes, hallucinentur Philosophi, sua proferant argumenta literati, quibus probare contendant, licitum esse iniurias vlcisci. & inimicos odio prosequi; *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos.*

Nec solùm in Euangelio, sed aliàs sæpe in lege veteri hanc inimicorum dilectionem, iam sub inuolucris, iam apertis verbis indicauit Dominus, præcepit in Leuitico ne populus vescretur immundis animalibus, & ea commemorat animalia quæ iniurias sibi illatas vlcisci untur.

Reprobauit camelum, qui iniuria lacessitus, tempus & occasionem quærit vlciscendi sese, vt intelligas acertimos iniuriarum vltores à Domino reprobari qui vindictam priuatam vetat. Interdicitur deinde chærogryllus, cui cutis inuersa mollis est, cùm illâ foueatur, conuersa verò spinis respersa, quibus pungit, & vulnerat. Sub nomine huius animalis reprobantur homines illi, qui sibi mites & suaues sunt, aliis verò asperi & immanes, sibi facilè ignoscunt, & peccata condonant, ab aliis verò pœnas repetunt, aculeos habent quibus vulnera infligunt, & lacessiti repungunt.

Præcipitur etiam vt in sacrificiis pacificorum nec sanguinem, nec adipem omnino comederent. Cur id? Quia adipe indulgentia, sanguine verò crudelitas, præfiguraretur. Vnde feroces homines sanguinolentos, eos verò, qui sibi indulgent, suaues & blandos appellare solemus. Sunt enim aliqui qui secum maxima lenitate, cum aliis verò incredibili quadam vtuntur asperitate: genio & voluptati indulgent ipsi, & dant operam diligenter, vt alij pœnitentiæ vacent: erga se misericordes & faciles, crudeles & difficiles erga alios. Id Dominus detestatur valde, cum maximè exoptet, vt erga alios suauis & blandus, in te verò asper & acerbus sis.

Amos. 6. Hanc Dominus querelam iactabat aduersùs populum suum: *Væ qui opulenti estis in Sion: qui dormitis in lectis eburneis, & comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti.* Vescebantur adipe sibi prohibito, in quo lenitas significatur, & vt ostendat etiam eorum crudelitatem, subdit Dominus: *Et nihil patiebantur super contritione Ioseph.* De hac morum immanitate & fœuitia conqueritur Dominus, & atrocissimum illis supplicium minitatur.

Sed videamus, cur Dominus reprobauerit etiam omnes genus accipitrum, quid habent vicij huiusmodi aues? quas Reges, Principes, ac Dynastæ, magno pretio coemunt, diligenter alunt, in manibus portant, pulchritudine excellunt, agilitate præstant, ita, vt, cùm in altum efferuntur, ad nubes pertingere videantur, & vbi descendunt, perdicem, aut leporem capiant: mira quadà velocitate deprimuntur in terram: ardeas interdum aucupantur, gratissimum Principibus aucupij genus. Quid mirum si Dominus reprobauerit eorum, cùm nullam habeat pulchritudinem, nigrum animal, & intersercora versatum: sed reprobare accipitres, onocrotalos, aquilas, butionem & nisum, mirum profectò: agiles sunt & pulchræ huiusmodi aues, fateor, sunt tamen rapaces, & cruentæ, vnguibus dilacerant, rostro discerpunt, displicent Domino cruentæ manus, quibus pulchritudo & decor cruore respergitur, & inficitur. Accipitres reprobat, columbam approbat, simplicem, candidam, puram, sine felle amaritudinis, hanc sibi voluit in sacrificiis offerri: diligit enim Dominus mansueos corde, & mites animo; illos autem reprobat, qui in alios maxima quàdam ferocitate exultant.

Nec solùm reprobantur à Domino crudeles, fer & inhumani, qui suam insatiabilem crudelitatem in proximos exercent, aut illos contumelijs verbis afficiunt, sed etiam illi qui quoquo modo illos mente aut cogitatione lædunt. Ideo dixit Dominus: *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Non ait, qui vltus fuerit sese, vt camelus, nec qui pupugerit, vt erinacius: sed qui iratus fuerit, licèt refrænet linguam, & cohibeat manus, si tamen cogitationem non arceat, reus erit iudicio. Et vt luce clarius appareat, quantùm Dominus detestetur hoc malum, audiamus Spiritum sanctum. *Noli*, inquit, *de mortuo inimico tuo gaudere.* Non solùm prohibet Dominus animi commotionem, & iram, sed gaudium etiam & lætitiam, quæ audito inimici obitu solet in animo suboriri. Prohibet etiam ne gaudium capias cùm detrimentum ceperit inimicus. Vnde: *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum, ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* Non dicit, cùm inimicus tuus interierit, noli gaudio & alacritate perfundi: sed si ceciderit inimicus, si pedibus offenderit, in falsebram incurrerit, aut quodlibet quantumuis minimum detrimentum ceperit, ne gaudeas, neque in ruina eius exultet cor tuum, ne fortè irascatur Dominus, qui mutatur cor, & odium, quo illum prosequebaris, quia tibi iniuriam fecerat, in te detorqueat, & inflectat, id enim indicare videtur verbum illud, *auferat ab eo iram suam*, in Hebræo habetur, *reuerti vel redire faciat ab eo*, iram scilicet, *in te*. Vnde clamabat Dauid: *Memor esto Domine filiorum Edom, in die Hierusalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* filij Edom oderant filios Ierusalem, & cùm ipsis renunciatum fuisset Ierosolymitanos victos fuisse à Chaldæis, lætabantur, & victores vrbis incendebant, inflammabant, & permouebant, vt vrbem funditùs delerent. Exinanite vsque ad fundamenta, euertite vrbem, turres labefactate, corruant muri, nec insideat lapis super lapidem, gaudebant, lætabantur, gestiebant in ruina, in exitio, & casu inimicorum suorum. Dauid autem qui diuino illustratus lumine cognoscebat, quantùm Domino displiceret huiusmodi gaudium, ad illum conuersus dicebat: *Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.*

Hinc est illud sanctissimi Iob, qui vt suam ostenderet innocentiam, hoc scelus auertit à se. *Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultani quod inuenisset eum malum*, non ait, si ferro & igni vltus sum iniurias mihi illatas: sed, si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat, sciebat enim patientissimus vir quantùm Domino displiceret huiusmodi gaudium.

Sed neque his contentus Dominus maiora quærit, cùm ait: *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*, hoc est non solùm vltio in te locum non reperiat, sed ne vltionis quidem cogitatio animum tuum subeat, & si sensim obrepat, protinus extinguatur, & ne iram excitet, animum inflammet, & ad vindictam impellat, sempiterna obliuione deleatur.

Denique vt vltimam Dominus imponat manum, & inchoatum opus felicissimè absoluat, concludit, dicens: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe*

Iob. 31.

præbe illi & alteram, non dixit, æquo animo tolera, & A tace, sed, præbe illi & alteram. Nam ita animum rationi subiectum habere debes, vt non solùm alapas ac porbra quælibet libenti animo perferas, sed quodlibet malum perpetiaris, priusquam iniurias vlcíscendi animum tuum subeat cogitatio.

Plutarch. Alexander, inquit, Darii matrem, vxores, & sorores captiuas inuisens vnà cum Hephestione, hunc, eo quod esset eodem ornatu quo Rex, corpore etiam maior, Darii mater pro rege adorauit, quæ ex nutibus astantium intelligens errorem perturbata, denuo salutauit Alexandrum, tunc Alexander: *Nihil est*, inquit, *ô mater, quòd turberis: nam & hic Alexander est*, sentiens amicum esse alterum ipsum. Ita Plutarchus. Hunc igitur amoris & amicitiæ modum Christus Dominus ab omnibus nobis exigit, dicens: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum: sicut viuentes, sic in ira absorbet eos. Loquitur hic Propheta de his qui proximos persequuntur, & assumit metaphoram rhamni: rhamnus autem est genus quoddam rubi valde spinosi, quod cruentare solet manus, & pedes agricolarum, & vestes, & carnes eorum dilacerare, quam ob causam priusquã arbusta huiusmodi in rhamnum, hoc est, in spinas duras & magnas crescant, igne solent ea comburere, & incendere. Sic igitur nunc Dominus ad eos, qui verbis & operibus duris solent persequi alios, priusquam intelligerent, hoc est, attingant spinæ vestræ rhamnum, vos igni æterno tradet, id est, priusquam concepta à vobis malitia in effectum deducatur, & antequam vires in vobis adolescant, & in immensum crescant, Dominus vos subito de vita abripiet, & absorbebit, velut si viuentes terra dehiscente faceret absorberi: nam in flore adhuc ætatis immatura vos hinc auferet morte, & tandem secundùm corpus & animam viuos infernis ignibus absorbendos dabit. Chaldæus sic legit: Priusquam impij teneri durescant, sicut spinæ, donec sunt sicut herba, hoc est, parum adhuc potentes, tempestate & turbine destruet eos Dominus.

Hinc de Antichristo, qui vltimis temporibus durissima & crudelissima spina futurus est, dixit Dominus, quod propter electos succidetur, & priusquam in rhamnum excrescat, subitò absorbebitur in ira Domini, quando, vt Apostolus ait, interficiet *illum Dominus Iesus spiritu oris sui.*

Iussit Dominus Moysi iuxta propitiatorium duos Cherubinos constituere, *& vt respicíant se mutuo versis vultibus in propitiatorium*, mutuus ille aspectus charitatis symbolum est amicorum, & se inuicem diligentium est se respicere mutuo, inimicorum vero aspectum mutuum vitare: vnde vulgò de inimicis dici solet, *no se pueden ver pintados.* mutuus ergo ille aspectus mutuum amorem designat, vbi autem hic mutuus amor est, propitiatorium Dei in medio illorum est, hoc est, Deum sibi propitium ad omnia sibi necessaria habebunt.

Hinc est, quod Deus inter nos necessitates & magnas illas quidem esse voluit, non quia non facilè eas à nobis tollere posset, vel ob defectum aliquem ineffabilis prouidentiæ eius; sed vt necessitates ad necessitudines nos vocarent. Audiamus hac in re S. Chrysostomum optimè differentem homil. 17. in 2. ad Cor. *An non cernis nos omnes ea conditione esse, vt alij aliorum ope carere nequeamus? Nam & artifice miles opus habet, & diues paupere, & artifex mercatore, & mercator agricola, & seruus hero, & herus seruo, & diues paupere, & pauper diuite. nisi enim pauperes essent, salus nostra magna ex parte prostigata & euersa esset. vbi enim pecunias ferere possemus non haberemus. Hoc autem ineffabilis Dei sapientia ita comparauit est, nam quia alij aliorum ope carere non possumus, hac necessitas mutui auxilii hoc efficit, vt amicitiæ vinculo inter nos adstrin-*

gamur. Quòd si seipso contentus quisque nullius opem desideraret, immanes profectò & truculentæ essemus bellue. Quocirca Deus vi ac necessitate inuicem subiecit, & tamen quotidie mutuis offensionibus colludimur inter nos. quòd si hoc frænũ abscidisset, quis proximi amicitiam prompto animo appetisset? ita ille.

S. Gregor. Nyssenus lib. de creatione hominis cap. 72 *Cur ita inermem creauit Deus hominem? cur non corpori humano quasi congenitæ sunt quædam ad tuendam vitam necessariæ vires? cur creatur homo ab omnibus naturæ præsidiis inermis, pauper, & omnium ad vitam necessariorum egens, non cornuum munitione armatus, non vnguium acumine, non dentibus, non aculeo venenato? cuiusmodi rebus instructa pleraque animalia vim ladentium se propulsare videmus, imò non pilis corpus tegitur. At verò eum, cui inter cæteras res imperium destinabatur, armis à natura propria munitum esse oportebat, ne ad tuendum sese ope aliena egeret. Leo, tigris, pardus, & cætera animalia necessarijs à natura viribus ad tuendam salutem suam egregiè sunt instructa; tauro cornua, lepori celeritas, capræ vis saliendi, oculorumque præstãtia, & aliis animantibus magnitudo, volucribus alæ, api aculeus, & denique omnibus aliquid, quo se conseruent, natura largita est, solus homo pernicibus tardior, corpulentis minor, & illis, quæ armis à natura datis tuta sunt, imbecillior est.* ita S. Nyssenus, qui huic quæstioni duas adhibet ibi solutiones, quarum alteram sic assignat, *quia*, inquit, *si omnia omnium animalium homo in se haberet, imperium in res cæteras non occupasset; siquidem eis imperio suo subiectis nullam ad rem egeuisset; nunc vero quasi mancipia nostra ad diuersos vitæ vsus destinauimus, ita vt necesse nobis sit ipsis cum imperio præsse, vnde cùm ob corporis exiguitatem loco non satis agiliter moueamur, equum domitum ad vsum nostrum adsciuimus. corporis nuditas, vt imperium in oues necessario vsurparemus, efficit, quo ex annuis earum lanis, quod naturæ nostræ deerat, sumeremus, quod alij ex regionibus quadam ad vitam sustentandam petenda essent, fecit, vt animalia, quæ ferendis oneribus essent, in hunc vsum sub iugo mitteremus. Quia vero fieri non poterat, vt instar reliquorum pecorum herbis & gramine vesceremur, idcirco bouem nobis subiecimus, quo pro nobis laborante efficeretur, vt nos iucundè & facillimè ageremus. dentibus ac morsu nobis opus erat ad expugnanda cætera animalia, prabuit ad hunc vsum Deus nobis canes & velocitatem eorum, vt non absurdè viuus hominis gladius dici possit. cornuum & vnguium loco ferro vtendum esse potius, homines animaduerterunt, quòd illa cum duritie, tum acumine longe vincit. præterea auium penne commodu hominum seruiunt, efficiente hominum industria, quo nec volucrum illa pernicitas à nobis desideretur; auium enim quadam factæ cicures venatoribus vsui sunt, earum namque operâ altas capimus aues. Quin & altas sagittas ars machinata volucrum pernicitatem ad vsus nostros in arcu imitata est.* ita sanctus Nyssenus.

Qui secundam addit causam ad rem, de qua agimus, spectantem, dicens: *si he hominis vires forent, vt equos celeritate præcurreret, & pedes vngulis solidis munitos, & nec cornua, nec aculei, nec vngues dressent, immanitate ferus & crudelis esset, rebus ad exercendam sæuitiam comparatis à natura instructus.* ita ille. Vt ergo manifestè ostenderet Deus se hominem non ad bella non ad discordiam & vindictam, sed ad lenitatem, pacem & concordiam procreasse, omni armorũ genere condidit destitutum.

Petiuit Petrus à Christo Domino mansionem illam in monte Thabor, dicens: *Domine bonum est nos hic esse*, &c. petierunt duo fratres Iacobus & Ioannes à Christo manum dexteram & sinistram, & tam illi, quàm istis denegatum est, quod postulabant, & quidem cum ignorantiæ nota: sic enim S. Lucas de Petro ait, *nesciens quid diceret*, & duobus fratribus Christus, *nescitis quid petatis* cur ita? quia non secundùm charitatis leges petierunt.

Matt. 17. 4.

Matt. 20. 22.

Luc. 9. 33.

Rursus Eliæus Eliæ dicenti sibi, postula quod vis vt faciam tibi, antequam tollàr à te. Respondit, *Obsecro, vt fiat in me duplex spiritus tuus.* quod obtinuit. Apostoli non fuerunt exauditi, maximè verò Eliæus. cur

4. Reg. 2. 9.

ita? S. Auguſt. lib. 2. de mirabil. ſacr. ſcript. *Non elatio-nu affectu ſuper magiſtrum eſſe voluit, ſed videns innumera peccata populi, non ſimplici ſpiritu Elia, ſed duplici compeſci poſſe præuidit.* Ita ille. poterat enim quis Eliſæo obiicere, cùm duplicem ſpiritum Eliæ poſtulas, nónne tibi ſufficiens erat ſimplex ſpiritus Eliæ? Reſpondit Auguſtinus, non pro ſe, ſed pro aliis poſtulabat, ideóque obtinuit, A poſtoli verò non, quia in eo, quod petebant, alios excludere volebant, quod non ſecundùm charitatem erga proximos eſſe videbatur.

Sic Dominus ad diſcipulos primas ſedes exigentes in regno ſuo, *Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dextram meam & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Quid ais Domine non eſt meum dare vobis? nónne tu Deus idē es cum Patre & Spiritu ſancto? nónne tu omnipotens Deus? quomodo ergo ais, nō eſt meū dare? S. Ambr. l. 5. de fide c. 10. *Notat*, inquit, *his, quos diligebat, videri denegaſſe ſactus & bonus Dominus, & ſic maluit aliquid diſſimulare de jure, quàm deponere de charitate.* Ita ille. Erat Chriſtus Dominus Deus pariter, & homo, inquantum homo potuit dicere, non eſt meum dare vobis, quia proprium & per ſe & independenter hoc proprium Dei erat, vel ideò dixit, non eſt meum, ſicut dixit, *mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me.* vbi S. Auguſtin. tract. 29 in Ioan. *Non ait Chriſtus, iſta doctrina non eſt mea, ſed mea doctrina non eſt mea. ſi tua, quomodo non tua? ſi non tua, quomodo tua? ſi ergo diligenter intueamur, quod ipſe Euangeliſta in exordio dicit*, Jn principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, *inde pendet huius queſtionis ſolutio. Que eſt doctrina Patris, niſi verbum Patris? ipſe ergo Chriſtus doctrina Patris, ſi verbum Patris: ſed quia verbum non poteſt eſſe nullius, ſed alicuius, ſuam doctrinam dixit ſeipſum, & non ſuam, quia Patris eſt verbum, quid enim tam tuum quàm tu, & quid non tam tuum quàm tui? ſi alicuius es quod es?* Ita S. Augu. ſic etiam de poteſtate Chriſti quod de doctrina dicendum eſt, ſed quomodocunq; ſit, manifeſtè hic relucet charitas Chriſti, cui cùm ſecūdùm diuinitatem ſuam competebat ſedes omnes dare quibus voluiſſet; modum illi non adeò honorificum loquendi adinuenit, quoniam charitati in diſcipulos ſuos illud congruere magis videbatur, quo nobis & exemplum diligendi proximos daret, & quantum illi charitas in fratres noſtros placeret, optimè declararet.

S. Antoninus 1. p. hiſt tit. 4. cap. 1. §. 4. Cyrus Imperator à Tamyri Regina Meſſagetarum victus & occiſus fuit, quæ caput eius præciſum in vtrem ſanguine humano plenum proiiciens, dixit, *ſatia te ſanguine, quem ſitiſti, & cuius per annos triginta inſatiabilis perſeuerasti.* Ita ille. Peregrinum hoc punitionis genus, quo Tamyris Cyrum puniuit, odium, quod aduerſùs illum Regina & Principes eius conceperant, manifeſtat, erat enim bellicoſus Rex ille, & veluti humanum ſanguinem ſitiens, crudelis & inhumanus: quantùm autem in eum iratus Deus eſſet, ex eo colligitur, quod eũ cùm tantus eſſe Imperator, & mundi Monarcha, à fœmina vinci & trucidari, & ſic puniri viliter permiſit.

Meritò S. Gregorius Nyſſenus Deum nobis ſpeculum cryſtallinum eſſe ait, in ſpeculo enim ea videmus, quæ in nobis ſunt. ſi aliquis pulchrā faciē accedit ad ſpeculum, pulchram effigiem videbit in ſpeculo, ſi turpis turpem, ſi placidā placidam, ſi iratā iratam. fideliter enim reddit vultum accedentis ad eum. talis nobiſcum eſſe Deus ſolet; ſi nos mites fuerimus, mitem eum reperiemus, ſi irati iratum, ſi parcentes proximis parcentem nobis, ſi vindicantes vindicantem, ſi miſericordes miſericordem, &c.

Sic Deo Dauid, *Cum ſancto*, inquit, *ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris.* Tertullian. lib. de pudic. cap. 18. & S. Clemens Roman. lib. 2. conſt. cap. 41. S. Hieron. in in cap. 7. Eccl. Nyſſenus homil. 9. in Cant. & S. Bernar. ſerm. de Natiuitate B. Mariæ, & ſermon. 69. in Cantic. & epiſt. 17. ſic explicant locũ iſtum. Vnicuique Domine Deus retribuis ſecundùm opera ſua, etenim circa illum, qui ſanctè viuit, ſanctum te & bonum exhibes, & circa moribus ſuis innocentem, quique charitate motus nemini nocet, innocens eris, neque enim nocebis ei. ſimiliter & cum electo, hoc eſt, ſecundùm textum Hebræum, & puro, electum & candidum te oſtendes. Sed quid eſt, cum peruerſo peruerteris? Qui fieri poteſt, vt Deus peruertatur? Peruerſus eſt, qui conſuetum ordinem mutat, vel ea facit, quæ illi ſecundùm naturam congruere non videntur: vt ſi quis nimis iraſceretur, vt leo vel præter morem ſicut ouis lenem ſe exhiberet, Deus quidem naturā ſuā pius, & clemens, & ſuprà modum miſericors eſt, & nos etiam, qui producti ad imaginem ipſius ſumus, miſericordes, & pios eſſe decet. quod ſi peruertimus hanc naturæ noſtræ cõditionem, & incrudeles & immanes euaſerimus, Deus etiam peruertetur erga nos, hoc eſt, non eum ita pium & clementem experiemur, ſed ſeuerum & terribilem nimis. ideò enim idem ait Pſalmiſta, *ſanctum & terribile nomen eius.* Sanctum lenitatem ſonat, ſed idem terribilis qui ſanctus Deus. nam cum ſanctus ſanctus eris, cum peruerſo terribilis quidem eris. hinc eſt, quod qualis in proximũ fueris, talis erit Deus in te, & ſi in proximos beneficus fueris, talis in te Deus erit: ſi contraxeris tu manum tuam, contrahet & Deus illã, &c. Vnde ſic Deus populoſuo, *Si ambulaueris ex aduerſo mihi, ego quoque contra vos aduerſis incedam*, &c. & iterùm ibi. *Si ambulaueritis contra me, & ego incedam aduerſis vobis furore contrario.* & iterùm ibidem, *Ambulauerunt ex aduerſo mihi, ambulabo igitur & ego contra eos*, cur toties idem verſat & repetit Dominus, nimirum, vt hoc nobis plenè notum ſit, quòd quales nos cum Deo erimus, talé & nobiſcum illum eſſe ſentiemus. *Si quieres ver que ſoys de vos hallareys en el eſpeio mirad la que lleuais al eſpeio, ſi quereis ſaber como eſta Dios con vos, mirad eſtais vos con proximo.*

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. *Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic. Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* S. Chryſoſt. homil. 23. ad Roman. *Quid huic poterit benignitati conferri, cum infinitis modis ab illo diſtemus, eam tamen dilectionem, qua nos viciſſim diligimus nos, juxta eam conſtituit, qua in ipſum tendit, & ſimilem dicit. ſicut nos, ſi quempiam dilexerimus, dicere ſolemus: ſi hunc diligis, me ipſum diligis. ita & Chriſtus, dum dicit, ſecundùm ſimile eſt huic & ad Petrum.* ſi diligis me, paſce oues meas. *Diligamus ergo nos ipſos tanquam eãdem dilectione Deum dilecturi. Apud homines quidem ſi dilexeris illum, quem alius diligit, repugnabit illius amator: hic verò dignatur te Deus amoris ſui communione, & non communicantem odio habet humanus amor zelo & inuidiâ plenus eſt; diuinus verò ab his affectibus liber, propterea quærit qui ſecum in amore communicet. Dilige, inquit, mecum proximum tuum, & tunc te magis diligam ego.* Ita S. Chryſoſt.

Ioan. 19. *Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum jam mortuum, non fregerunt eius crura.* In cuius typum Exod. 12. præcepit Deus olim ne agni oſſa frangerentur. Cur ita, cùm carnem ſuam dilacerare nimis perſæuiter flagellis, clauis & lancea? nimirum, quia oſſa Chriſti ſymbola ſunt Eccleſiæ Chriſtianæ, ex oſſibus enim Adæ, ex coſta, inquam, educta fuit ſponſa eius: ea propter dixit Adam cùm proximam vidit mulierem formatam, Gen. 2. *Hoc nunc os ex oſſibus meis.* Pondera verbum illud. *Nunc*, quid opus erat dicere, *Nunc*? non ne ſatis erat dicere, *Hoc os ex oſſibus meis eſt*? Pendet ſenſus ex verbis illis Apoſtoli ad Epheſ. 5. vbi agens Apoſtolus de deſponſatione Adam & Euæ, ait, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Dixerat priùs Paulus: *Membra ſumus corporis Chriſti, de carne eius, & de oſſibus eius*: Sacramentum ergo hoc magnum eſt, quia ſicut Eua de oſſibus Adæ, ſic Eccleſia de oſſibus Chriſti, de latere eius & de paſſione eius educta eſt.

Mat. 20. 23.

Ioan. 7. 16.

Ioan. 1. 1.

Pſ. 17. 26. Ier. 6.

Ioan. 19.

Exod. 12.

Gen. 2.

Ephes. 5.

est. Dixit igitur Adam: *Hoc nunc os ex ossibus meis.* Quasi A dicat: Nunc videmus ex ossibus meis sponsam meam, sed posteà videbimus quid significet hoc, nempe Ecclesiam sponsam Christi educi de ossibus secundi Adã. Hinc patet cur Christus Dominus, noluerit in passione frangi ossa sua, quia ossa repræsentabant Ecclesiam Christi, in Ecclesia verò noluit esse scissuras, & diuisiones contra charitatem, quam toties & intensè nobis commendauit, Ioan. 13. & 19.

Gen. 49. Cùm Patriarcha Iacob, jam morti vicinus, annunciaret filiis suis quæ ventura erant, & singulis prophetaret quæ illos attingebant, sic ad Iudam dixit: *Iuda adorabunt te fratres tui, non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Vbi S. Patriarcha annunciauit filio suo Iudæ ipsum futurũ regem inter fratres suos. Cur ita? nónne Ruben primogenitus erat? Illi ergo principatus inter fratres deberi videbatur. Respondet Hugo Victorinus ibidem: *Iacob filio suo Ruben dixerat: Effusus es sicut aqua, ne crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Id est, non ascendas ad dignitatem principatus super alios, quam lege natiuitatis debueras obtinere, si non peccasses.* Ita Hugo. Peccauerat Ruben propter illud adulterium magnum, ideò Deus è capite eius abstulit coronam, meritò quidem: sed cur illam dignitatem concessit Deus Iudæ pluſquàm aliis fratribus? Respondet idem Hugo, *quia eripuit fratrem suum Ioseph à morte quâ illum interficere volebant alij fratres.* Ita ille. Nota est historia ex cap. 37. Genes. Ecce quàm Deo charus sit amor & beneficentia in proximos, & maximè in fratres.

Genes. 1. primum diem benedixit Deus: non verò secundùm: cur ita? Quid peccauit secundus dies, vt ei Dominus benedictionem denegaret? S. Hieronym. in cap. 1. Aggei, *quia non poterat*, inquit, *secundus dies qui C numerum facit, & ab vnione diuidit, Dei sententia comprobari.* Ita ille. & lib. 1. contra Iouinian. ait, *non esse bonum duplicem numerum qui ab vnione diuidat.* Scio aliter posse explicari hunc Geneſis locum: sed non ideò reiicienda est tanti patris interpretatio, quia simul cũ aliis expositionibus stare potest, & quam ipsemet Hieron. defendit in Apologia pro suis libris contra Iouinianum.

Adde in hoc 2. die factam esse aquarum diuisionem, aquarum scilicet quæ erant sub firmamento ab his quæ erant super firmamentum: & secundùm rationem S. Hieron. meritò Deus illam benedictionem primo diei tribuit & non secundo. Ioan. 17. sic Christus ad Patrem de discipulis suis: *Pater sancte, serua eos vt sint vnum sicut & nos.* Quid est, *sicut nos?* Etenim non potuit altiùs commendari charitas fraterna, idem enim fuit ac si diceret, si fieri posset, vel, valdè multùm, &c.

Cantic. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno D oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Quid sibi vult hæc vnitas oculorum? S. Gregorius Papa, S. Anselmus, Beda, & Philo Carpatius & alij: per vnum oculum, aiunt significari vnitatem sanctorum Doctorum, per vnum verò crinem multitudinem plebis fidelium, qui simul in Ecclesia vniti sunt. Induci autem hoc sic potest, vt vnitas hæc in oculis sit vnitas illa visionis oculorum, ita vt licet oculi duo sint, visio tamen amborum vnica sit: hæc vnio quæ vnionem explicat charitatis ita grata Deo est, vt Deus asserat se vulneratum esse in corde, à charitate, & vnione nostrâ. Ecce quanto pretio æstimet Deus charitatem proximorum.

Sed vbi maximè ostendit quàm charus illi sit proximorum amor? sermo ille quem Christus Dominus ad discipulos suos habuit in supremę nocte cœnæ manifestat. Solent enim parentes instante morte vocare filios suos, & res maioris momenti, & desiderij sui præcipui illis non semel, sed iterum atque iterum cõmendare. Sic ergo fecit Christus morti vicinus, qui discipulis suis ter præceptum hoc charitatis commendauit, vbi modus quem Christus tenuit in vicibus his considerandus venit. Primo igitur c. 13. Ioan. dixit: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Cur *nouum* vocat hoc præceptum, cum in lege naturæ & à constitutione mundi naturæ nostræ insitum sit? item hoc præceptum in lege scripta traditum est. Ponderat hoc S. Aug. tractatu 65. in Ioannem dicens: Nonne erat iam hoc mandatum in antiqua lege, vbi scriptum est (Exod. 20.) *Diliges proximum tuum tanquam te ipsum?* Cur ergo *nouum* appellatur à Domino quod tam vetus esse conuincitur? & præscribet idem S. Aug. *An ideo est mandatum nouum, quia exuto vetere induit nos hominem nouum? Innouat quidem nos non omnis, sed ista dilectio quam Dominus mandat.* ita S. Auguſt. Nouum ergo præceptum vocat ab effectu, quia hominem peccatorem & ideo pannosum, & attritis vestibus indutum, denique malè vestitum, renouat charitas vera, & ornat habitus à Deo gloriosus, qualis est Christiana B dilectio. Idem quod S. Aug. asserit Beda, quia sic sumus in Christo noua creatura. S. Cryſoſt. hom. 11. in Ioan. *nouum* vocat hoc præceptum propter modum: ait enim Christus Dominus, *sicut ego dilexi vos*, id est, vt si opus fuerit etiam pro inimicis parati sitis crucifigi: quamuis enim secundùm præceptum naturale charitatis parati esse debeamus quando opus est pro nostris proximis animas ponere; non ita hoc erat in vsu vt renouatione non egeret: sed tamen ad rem, meritò Saluator ait *nouum* se dare *præceptum* charitatis proximorum, ac si diceret: Ita vobis hoc præceptum propono, ac si de nouo illud traderẽm, & quia ob malitiam hominum ita inueteratum est ac si non esset mandatum, nunc renouo illud, & quaſi nouum vobis commendo.

Denique S. Cyrillus, S. Chryſ. Ruper. Theodorus Theophylac. Euthy. & alij, *nouum mandatum* appellari dicunt, eò quòd in veteri lege iuberemur proximum noſtrum diligere ſicut nos; nunc autem nouum modum mensuræ huic præcepto imponit, ſcilicet, vt diligamus proximum ſicut nos dilexit Chriſtus, qui intenſiſſimè nos amauit, quantumuis inimici illi eſſemus, ſic ergo nos, &c. licet enim ad intenſionem amoris Chriſti peruenire non valeamus, faciamus quantum in nobis poſſibile ſit.

Tandem ex his omnibus conſtat quàm diligat Deus dilectionem iſtam, ſiquidem ſic enixè Chriſtus Dominus eam nobis commendat.

Item ſecundò commendat hoc præceptum Chriſtus Ioan. 15. dicens: *Hæc mando vobis vt diligatis inuicem.* Quid, quæſo, eſt quòd cum dilectio proximi vnicum & ſingulare mandatum ſit, quaſi de pluribus in numero plurali Dominus dicat, *Hæc mando vobis*, & non potius, *Hoc mando vobis?* Etenim cum quis noſtrum ab alio aliquid petit, quod ab illo concedi deſiderat, etiam ſi vnica res ſit, tanquam ſibi mille beneficia exhibere dicit: *Señor ſi eſto hazeis por mi hareiſme en ello mill mercedes*; quo ſignificare vult ſe tanquam pro mille illud æſtimare. ita Dominus *hæc* inquit in plurali, cum vnum ſit quod à nobis petit, quaſi dicat: Quamuis vnum ſit quod vobis iniungo, tanquam plura mihi exhibita obſequia æſtimabo. Ecce quàm Deo accepta ſit proximi dilectio.

Sed attende, quaſi non ſatis illi fuiſſet bis hoc præceptum diſcipulis & nobis commendaſſe, ait tertiò in eodem capite 15. Ioan. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Cur hoc præceptum ſuum ſpeciatim vocat, quaſi reliqua præcepta Decalogi eius non eſſent? S. Greg. hom. 27. in Euangelia, *quia*, inquit, *omne mandatum de sola dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt, quia quidquid præcipitur, in sola dilectione solidatur.* ita ille.

Sed ad inſtitutum noſtrum rectè Pater Maldonatus dicens: *Hoc mandatum suum vocat Dominus, non quòd alia*

Cita. 23. Ioan. 13. 34. S. Aug. Beda. S. Chryſ. S. Cyril. S. Chryſ. Ruperti. Theophy. Euthym. Ioan. 15. 17. Ioan. 15. 12. S. Greg. Maldon.

non habeat, quæ & ipsa à nobis seruari velit, sed quòd hoc maximè omnium commendet & maximè omnium seruari velit; sicut si pater multos habens filios, de vno aliquo qui sibi obsequentissimus & charissimus sit, dicat; hic est meus filius, non negans alios, sed significans hunc maximè suum esse: docet autem eos vt se inuicem diligant, non verbis solùm, sed etiam exemplo. Sicut ego dilexi vos. ita ille.

Simile.

Cur autem toties repetierit hoc mandatum, rectè idé pater Maldonatus respondet, *quia sciebat non satis pro sua dignitate posse commendari.* ita ille. Ecce quanti fecerit Dominus dilectionem proximi, & quàm grata sit ei. Ratio igitur postulat, vt & nos etiam illam magni faciamus & præceptum sic à Deo nostro nobis demandatum libentissimè & totis viribus obseruemus.

Num. 26. 54.

Num. 26. præcepit Deus, vt terra promissionis diuideretur inter tribus Israël proportione seruata; *Pluribus* (inquies) *maiorem partem dabis, & paucioribus minorem.* ita ibi. Et nihilominus ibidem præcepit, vt talis diuisio terræ per sortes fieret, *Sors* (inquit) *terram tribubus diuidat.* Quomodo, quæso, sors quæ de se incerta est, poterat diuidere pluribus maiorem partem, & paucioribus minorem? Lyranus ibidem & Abulen. in c. 18. Iosue q. 5. aiunt, *verè per sortes ita distributionem certam illam factam esse, Deo ita prouidente: voluisse autem Deum quòd media sorte id ita fieret ad tollendas discordias, quæ ex distributione humano consilio facta poterant suboriri.* ita ille. Ecce ergo quam amet Deus concordiam in populo sito, vt miraculo sortis partitio potiùs fieret quam discordiæ occasio interesset.

Lyra. Abul.

Ioan. 19. 23.

Item Ioan. 19. *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes,* &c. & subdit: *Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt autem ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit, vt scriptura impleretur, dicens:* (Psal. 21.) *Partiti sunt vestimenta mea & super vestem meam miserunt sortem.* Cur Christus Dominus hanc vestem diuidi noluit? S. Ber. Apologia ad Guillermum, hanc tunicam symbolum Ecclesiæ fuisse ait, & subdit: Hæc tunica polimita & inconsutilis fuit; politima, ob multorum ordinum qui in Ecclesia sunt, multimodam distinctionem, inconsutilis verò, propter indissolubilis charitatis indiuidam vnitatem. ita S. Ber. & S. Cypr. Epistola de vnitate Ecclesiæ, tunicam hanc figuram Ecclesiæ ait fuisse. Voluit igitur Dominus sic significare, quàm illi grata sit pax & concordia fidelium.

Psa. 21, 19.

S. Bern. S. Cypri.

Psal. 128. 3.

Psa. 128. sic Dauid de Christo in sensu mystico: *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam.* S. Hier. sic ex Hebræo legit: *Supra dorsum meum arauerunt arantes, prolongauerunt sulcum suum*, quasi Christi Domini nostri impresso vomere caro sulcari videretur, cùm tamen nullum vel minimum ossium frangi etiam post mortem pateretur, dicente Ioan. c. 19. *Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.* In cuius rei typum præceperat Deus, ne agni paschalis ossa frangerentur. Cur igitur Dominus suam carnem sic sulcari passus est, ossa verò frangi non permiserit? S. Thomas, *quia*, inquit, *ossa Christi robur eius in passione illa acerba significabant, quòd integrum & inuictum permansit semper.* ita ille. quo nobis exemplum patientiæ dedit in laboribus perferendis. Possumus secundò sic exponere, quòd sicut agricola agrum suum arat, vt fructum reddat, sic Deus Pater (quem filius agricolam vocauit) permisit filium sic arari, vt redemptionis nostræ fructum rederet copiosum. Sed tertiò & ad institutum nostrum, per ossa Christi fideles suos, in quibus eius Ecclesia consistit, intelligi voluit, iuxta illud Apostoli loquentis de productione Euæ ex costa Adam, ad Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Permisit ergo Christus carnem suam grauiter vulnerari, fideles verò suos quasi ossa non scissa esse; sed integra sine diuisione permanere: vt inde significaret eam non solùm vnitam, sed vnam esse debere sine scissura aliqua pacis & concordiæ.

Iosue 19. 49.

Exod. 11. 43.

S. Tho.

Simile.

Eph. 5. 32.

Prop. III. *Quam conformis natura sit, amor proximi.*

SEneca. ep. 96. *Quæ circa homines dabimus præcepta, vt parcatur sanguini humano, quantulum est ei non nocere, cui debeas prodesse? precipiemus ergo, vt naufrago manum porrigat, erranti viam monstret, cum esurienti diuidat panem, breuiter humani officii formulam tradat. Omne quod videmus, vnum est, membra sumus corporis magni. Natura nos edidit cognatos, cùm ex eisdem, & in eadem gigneret. hos nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit, Ex illius constitutione miserius est nocere, quam ladi: iste versus & in pectore, & in ore sit, Homo sum, humanum nihil à me alienum puto. Societas nostra lapidum fornicationi similima est, quæ casura, nisi inuicem obstarent, hoc ipso sustinentur.* Ita Sen.

S. Chrysost. hom. 12. ad pop. *Ab ape disce charitatem: etenim illa non sicut aranea sibi ipsi tantumodo laborat, quòd homini Christiano proprium est, non sua quærere, sed quæ sunt aliorum? Sicut igitur illa circumuolat omnia prata, vt promptam alteri præparet mensam; sic tu homo sine pecuniis congreges, in alios extraneos expende, siue doctrinæ verba habeat, ne desodias, sed apponas indigentibus in medium, siue aliud peculiare habeas, indigentibus laborum tuorum vtilis fias. Non cernis quòd propterea animalium gloriosissima est apis, non quia laborat, sed quoniam alios laborat? Aranea quidem laborat, & fatigatur, & tenues per parietes extendit texturas, omnem mulierum sapientiam excedentes; sed est ignobile animal, quoniam opus eius nobis nullatenus est vtile. Talis sunt sibi laborantes, & se defatigantes.* Ita S. Chrysost.

Tullius: *Homo natura obediens, homini nocere non potest.* Ita ille, nimirum, quia hoc est naturæ dictamen, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Vnde quamuis Euangelicæ legis professores non essemus, ob solam naturæ legem in iudicio damnaretur, qui proximo fuerit nociuus. Hinc Deus, qui animalibus arma tribuit, homini denegauit, &c.

Prop. IV. *Quàm secundùm naturam sit amor proximi.*

GEn. 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ.* Cur Deus nobilissimam omnium corporearum rerum creaturam ex terra & non ex altiori alio elemento formauit, cùm id facilè præstare posset? S. Ambro. lib. 3. offic. *Considera, ô homo, vnde natum sumpserit, ab humo scilicet, quæ nihil à te accipit, sed omnia largitur omnibus, & diuersos in omninm animantium vsum fructus administrat. Inde appellata humanitas, specialiù & domestica virtus hominiu, quæ adiuuet consortem.* ita S. Ambr. Auarus autem, non sicut terra, pium se ac liberalem exhibet, sed sicut ignis omnia consumere & in se conuertere quærit.

Gen. 2.

lib. 3. offic.

Id ipsum in sensibus, & partibus corporis nostri à Deo authore naturæ videre licet: vnumquodque enim eorum alteri prodesse curat, nocere nunquam. Qua quidem similitudine vsus est Apostolus Paul. in 1. ad Cor. 12. vbi ait: *Non est schisma in corpore, sed id ipsum pro inuicem solicita sunt membra: & si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: vos autem estis corpus Christi, & membra de membro*, Ita Apost. Infert hinc S. Ambro. 3. offic. & ait: *Vide quam graue sit, vt detrahamus nos aliquid ei, cui nos compati oportet, & vt debimus consortium ministerij, ne ei fraudi & noxæ simus: hæc vtique lex naturæ est, quæ nos ad omnem astringit humanitatem, vt, tanquam vnius corporis partes, alter alteri deferamus, nec detrahendum quidquam vnius corporis putemus, cùm contra naturæ legem sit non iuuare. Finge hanc & da oculo virtutem, vt possit detrahere, auditum auribus, odoratum naribus, ori saporem & conferat sibi? nonne omnem statum natu-*

Ioan. 19. 23.

Psa 21, 19.

S. Bern. S. Cypri.

Psal. 128. 3.

Ioan. 19. 33.

Exod. 11. 43.

S. Tho.

Simile.

Eph. 5. 32.

turæ dissoluet? Sic ergo nascimur vt consentiant membra membru, & alter alteri adhæreat, & obsequantur sibi mutuò in mysterio. ita. S. Ambrosf.

PROP. V. *Amor proximi est signum amoris diuini.*

TRahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum, hoc est, auxilio tuo forti ac vehementi adiua me, & amorem meum in te accende: sic enim curremus post te. cur non ait, curram ego post te, hoc enim consequens erat, cùm in singulari dicat, *trahe me*? si te Deus traxerit, tu sola ô sponsa curres, sed reliquę sodales, quæ non ita fuerint à Deo tractæ, cur, aut quomodo current? nimirum quia qui venit, dicet alteri, veni, & qui curret, dicet aliis, currite, ille, inquam, qui Dei amore per viam Dei currit, aliis etiam persuadet vt currant, sicut ille magnus Dei amator proximis dicebat: *Sic currite, vt comprehendatis.* non enim dilectores Dei sunt sicut amatores mundi, qui amantes pecunias, & honores & delitias mundi, non aliis, sed sibi amant ista, & quærunt: qui verò Deum verè amat, res cælestes & diuinas non sibi tantùm sed & aliis amat. Nam, vt idem Apost. ait, *charitas non quærit qua sua sunt*, hoc est, non quærit sibi soli, sed proximo quoque, vnde meritò ait sponsa: *trahe me, & curremus.* quasi dicat, si auxilio tuo grandi & amore traxeris me ad te, non solùm post te curram, tua vestigia sequendo, verùm etiam faciam, vt post te sodales meæ & proximi mei post te currant tum sermonibus meis, tum exemplis meis, &c.

PROP. VI. *Amorem proximi tanquam hæreditatem nobis dedit Christus Dominus.*

IN nocte illa, in qua Dominus morti iam propinquus condidit testamentum, patrimonium filiis suis assignans, sic ad eos ait: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Ac si diceret: hoc vobis patrimonium mando & relinquo. &c. Quod quidem sufficere prorsus debet, vt ex vero corde nos inuicem diligamus. 3. Reg. 21. *Petiuit Rex Acab vineam à Naboth, qui respondit: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.* Indignè tulit responsum istud Rex, indigniùs vxor eius Iezabel, quæ propterea mortem machinata est Naboth, qui denique ideo indignissimè ipsâ agente, interfectus fuit. Metuere hoc poterat Naboth, quare ergo non elegit potiùs concedere vineam Regi? Quia hæreditas, inquit, est, quam à parentibus in patrimonium accepi. Charitas & amor proximi hæreditas est, quam Christus Dominus nobis in patrimonium dedit.

PROP. VII. *Sicut quis amat Deum, sic & proximum amabit.*

QVamuis hoc Paulus Apostolus multis in locis manifestum in se fecerit; nobis tamen in eo loco manifestiùs ostendit, vbi ad Thessalonicenses sic scribit: *Nos autem, fratres, desolati à vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde, abundantiùs festinauimus faciem vestram videre cum multo desiderio: quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus & semel & iterum, sed impediuit nos Sathanas. Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra, & gaudium. Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis: & misimus Timotheum fratrem nostrum*, &c. quæ verba sic ponderat S. Chrys. epist. 2. *O quanta vis in singulis dictionibus inest? etenim reconditam in animo eius charitatis flammam manifestò demonstrat: non enim dixit, seiuncti à vobis, sed orbati à vobis. Vocabulum inuestigauit, quo animi dolorem æquè declaret: nam cùm ipse parentis loco esset, cunctis tamen pupillorum puerorum, qui ante maturam ætatem patrem amiserunt, vtitur verbis, quò singularem quandam tristitiam animi ostendat. neque enim præmatura orbitate acerbius quicquam, cùm nec ætas ad rem vllam idoneam ipsis opem fere possit. Hac igitur voce orbitatis vsus est, vt quo animo esset, cùm ab his, quos diligebat, abstraheretur, planum faceret, &c.* subdit, *Orbati à vobis, non quidem ad diuturnum tempus, sed ad tempus horæ; & non animo, sed sola facie disuncti, nec sic quidem conceptum animo dolorem possumus ferre, quia nimirum ipsam quoq; eorum faciem cernere incredibilem in modum cupit, abundantiùs, inquit, festinauimus faciem vestram videre. Quid ais, o magne & excelse vir? qui mundum in te crucifixum habes, & ipse vicissim mundo crucifixus es, qui ab omnibus mundi reb. te removisti, qui penè corporis expers effectus es, siccine captiuum charitas tenuit? Ita. Vnde abundantius, inquit, festinauimus: imo nec illa voce abundantius contentus, subdit, cum multo desiderio festinauimus faciem vestram videre. Quæ est enim nostra spes, & gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos? Sed nunc attende, quæ subdit: propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis. Proh! quantam hoc vim habet ad declarandam huius charitatem, quæ nullo freno coerceri potest. Et sicut cùm quis igni ardore desflagrans, & incendij solatium aliquod inuenire studens, nullum non lapidem mouet; sic Paulus cùm inflammaretur, prout licebat, consolationem excogitauit, non enim eam sustinentes, inquit, misimus Timotheum, socium, adiutorem, membrum necessarium à cœtu nostro auellentes, ac mœrorem mœrore commutantes, & placuit, inquit, nobis manere solis. ab vno fratre disiunctum, solum se esse dicit, idque cùm tot alios secum haberet.* Ita S. Chrysostom. *Vbi notandum est, quòd vbi nos legimus in hoc loco Pauli, desolati à vobis, S. Chrysostom. legit, orbati à vobis.*

PROP. VIII. *Amor proximi fidei Christianæ veritatem confirmat.*

IOan. decimo septimo, Christus Dominus ex hoc mundo ad Patrem recessurus, sic ad Patrem orauit: *Rogo Pater, vt omnes (scilicet fideles) vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: vt credat mundus, quia tu me misisti.* Sublimis hæc oratio est, & Christo Domino digna: maximam omnium virtutum charitatem pro nobis postulat à Patre, vt quantùm scilicet creaturæ possibile sit, inter nos vnum, in eodem Deo vnum per charitatem simus, quia vbi diuisio, non ibi charitas. Quid autem ex hoc præterea & valdè optandum consequatur, subiecit: *vt credat mundus, quia tu me misisti.* sed vnde consequens hoc? quia nullus adeò stupidus erit, qui non ex hac intima charitate & vnione, colligat de fide, quæ talem charitatis effectum habet, hæc vera fides est, hîc Deus, hæc veritas certa. Ioan. 17. 20.

In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Sicut in vniuersitatibus, vbi plura collegia literaria sunt, insignia quædam colleGæ ferunt, quibus abinuicem distinguuntur, quibusque cuius collegii sint dignoscuntur, & religiosi ex habitibus exterioribus cognoscuntur; ille quod ex religione sancti Benedicti sit, ille verò S. Francisci: sic etiam dignoscendum esse collegam Christi ex habitu charitatis, docet ipsemet Christus, non quidem ex eo quod miracula edant, non ex eo quod mortuos resuscitent, vel in nomine Christi dæmonia eiiciant, aut ex dono linguarum, &c. sed ex proximi dilectione. Vnde optimè S. Chrysost. *Paulum ob charitatem in proximos miramur, magis quàm ob mortuos suscitatos, leprosos mundatos. obstupenda enim vox eius est, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Sexcenta mihi miracula narra, nihil huic æquiparandum adduces. quare ipse magnam sibi mercedem expositam dicit, non quia ediderit* Ioan. 13. 35. 1. Thess. 2. 2. Cor. 11. 29.

diderit signa, sed quia cum imbecillibus fuerit imbecillis, & vbi se Apostolis præponit non dicit: Plura, quam ipsi, feci signa,
1.Cor.15. *sed plus omnibus laborauit: non quod glorietur ille quidem, sed ne exprobrare ipsis videatur, gloriatur de imbecillitate, de contumelijs, & de eo quòd condoleat oppressis, & ideo ait: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quæ verba amplius quiddam, quam communia pericula habent.* Ita S. Chrysf. Huius ergo sanctissimi Apostoli charitati nunc nostram comparemus, ille corpus vitamque cunctis malis, & se denique, morti obiecit, vt proximos lucrifaceret, quid inquam proximos? hostes suos infestissimos, & capitales: nos vero nec superflua propter proximum dare sustinemus. O charitas, & charitates! ô Christianus, & Christiani! qui sub eadem lege nos militare profitemur, in eundem credere Deum, eamdem in præmium gloriam sperare, eandem timere gehennam, quomodo legis Christianæ & charitatis ita nos dissimiles exhibemus?

Sed iam Paulum omittamus, & aliud præ oculis exemplar nobis proponamus, secundùm quod iudicandi
Hom. 32. in 1. ad Cor. sumus: Christum, inquam, quem proposuit nobis Pater, vt eum audiamus, & imitemur. Proponam igitur illud verbis sancti Chrysostomi. *Præceptum*, inquit, *nouum nobis reliquit Christus, quod factis expressit ipse. Rex enim cùm esset omnium, hic homines condidit, cùm ante non essent, mox affectus innumerabilibus beneficijs, vbi consputus, & reiectus, & contumeliosissimè ab ipsis tractatus esset, non est auersatus; illorum se consortio miscuit propter ipsos, diuertit ad*
Ioan.3. *publicanos, & peccatores, restituit obsessos, cælum annuntiauit, & propter hæc omnia hunc illi apprehendentes, colaphis*
Luc.23. 24. *cæciderunt, ligarunt, flagellarunt, irriserunt, denique crucifixerunt. At verò nec sic quidem est alienatus, sed in ipsa tunc pendens cruce, Pater*, inquit, *dimitte eis, & qui ipsum priùs accusauerat, latronem inducit in Paradisum, & Paulum persecutorem suum Apostolum fecit, & familiarissimos suos certæ obiecit morti, propter salutem eorum, qui crucifixerunt ipsum.* Ita S. Chrysf. Adde beneficium Eucharistiæ, & ea quæ cum hominibus, & pro hominibus post resurrectionem fecit. Si Christiani sumus Christum inimitemur.

PROP. IX. *Amor proximi animi feritatem tollit.*

S. Chrysf. SAnct. Chrysostom. hom. 32. ad pop. *Inimicos habes, & non erubescis? Nonne satis est nobis diabolus: Vtinam nec ille nobis bellum gerere vellet.* Ita ille.

PROP. X. *Vix verus amor proximi reperitur in terra.*

Senec. DEscripsit temporis sui scelera Seneca, ea scilicet, quæ inter Gentiles committebantur; videndum nobis erit an inter fideles, & Christianos talia reperiãtur Lib. igitur 2. de ira, c. 7. sic ait: *Cum videris forũ multitudine refertum, & septa concursu omnis frequentiæ plena, scito isthic tantundẽ esse vitiorum, quã hominum, inter quos togatos vides, nulla pax est, alter in alterius exitium leui ducatur compendio, fœlicem odio habent, insœlicem contemnunt, maiori grauantur, minori sunt graues, diuersis stimulantur cupiditatibus, & non alia quam in ludo gladiatorio vita est, cum ijsdem viuentium & pugnantium. Ferarum iste conuentus est, nisi quòd illæ inter se placidæ sunt morsuque similium abstinent, hi mutua laceratione sæuiunt: hoc vno ab animalibus mutis differunt, quod illa mansuescunt alentibus, horum rabies ipsos, à quibus est nutrita, depascitur. Omnia sceleribus plena sunt, maior quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est.*

Non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero, fratrum quoq; gratia rara est.
Imminet exitio hic coniugis, illa mariti,
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Adice nunc publica periuria gentium. & rupta fœdera, & in prædam validioris, quidquid non resistebat, adductum, circumscriptiones, furta, fraudes, inficiationes, quibus non sufficiunt fora. Ita Seneca.

S. Chrysost. hom. 8, ad Rom. *Mutuis inter nos seditionibus conflictamur. At fortè me videbit quispiam, dicetque: Quid ais? vides omnes nos incoactos, neminem depugnantem, sub vno eodemque pastore communiter, qua dicta fuerint, exaudientes, communiter preces fundentes, & tu hîc seditionis memoriam infers? pugnæ quidem mentionem infero, neque insanio aut mente alienata sum. Video enim, quæ video, nec me latet nos sub vnum locum coactos, vnum pastorem habere: ideo verò lamentor, quòd cùm nos tot res copulauerint, seditione tamen agitemur. Et quamnam* (inquis) *seditionem hic vides? Seditionem quidem nullam. Verùm concione hac soluta, hunc ille accusat, alius apertè iniuriam infert, alius inuidet, auaritia & rapacitati studens, alius vim affert, alius sexcentos consuit dolos. Quòd si nostras animas detegere daretur, tum demum hæc, quæ dico, omnia exactè perspiceretis. Veremini igitur, veremini mensam illam, cuius omnes participes sumus, Christum propter nos trucidatũ, sacrificium eidem mensa superpositum. Prædonesne illi salem eundem simul comedentes, prædones esse desinunt, duntaxat aduersùs eos, quorum contactu fuerunt vsi, mensa illorum mores eosque immutante, vt qui feris immaniores essent, eos ouibus mansuetiores reddat. Ipsi autem eiusmodi mensæ ac cibi participes aduersùs nos mutuo armamur, cum hoc ipsum aduersùs diabolum hostem communem facere conuenial, quod quidem nos efficit infirmiores, illum verò fortiorem. neque enim coniunctis viribus aduersùs illum munimur, sed nobis inuicem contrarij sumus, & eo duce ad huius modi acies conflictusq; vtimur: cum tamen conuenial aduersùs illum solum depugnare, eo tamen relicto aduersùs fratres dirigimus sagittas. Quasnam aũ sagittas? Eas, inquam, quæ à lingua exeunt, verba, inquam, quæ telis ipsis multò lethaliora inferunt vulnera.*

At, inquies, qui potsimus conficere hoc bellum? si cogitaverò, quòd fratri tuo dum obtrectas, cœnum ab ore tuo profundis (hæc de eu boca vna albanar de immundicias) si cogitaris, quòd membrum Christi calumniaris, quòd carnem deuoras propriam, quod iudicum tibi seuerius reddit, iudicium illud, in quam terribile, & incorruptum, quòd telum, non eum qui ictus est, sed te, qui eiaculatus es, occidit.

At me, inquies, iniuria quadam afficit, ac mihi damno fuit. Suspira igitur, & ne maledixeris, lacrymare, non ob tuam iniuriam, sed ob illius exitium, sicut & tuus Dominus lachrymatus est, non quia ille crucifigebatur, sed quia ille prodebat. Iniuria te & conuitio afficit? Deum obsecra, vt statum propitius illi fiat, frater tuus est, membrum tuum est, ille tecum nascendi initium cœpit, ad eandem tecum mensam vocatus est. Sed idèo, inquies, mihi magis insultat. Igitur hac ratione maior tibi merces, & hac ratione par est, vt eram ponas, qua lethalem accepit plagam qhoniam ipsum vulneranit diabolus. ne igitur insuper tu ferias, ne cum diabolo vna tu ipsum deiicias. Nam tantisper dum supersedes potes & ipse illum seruare: qui si iniuriam retalias, teipsum quoque dijcies. Vulneranit illum ira: ne vulneres & tu, sed prior iactum abiicito.

At tu iniuriam prior passus es? Verùm non quòd passus, fueris, sed quòd feceris, hoc ipsum est iniuriam passum esse. Trucidauit Cain, trucidatus est Abel, Vter igitur mortuus erat? is qui post mortem clamabat? (Vox enim inquit, sanguinis Abel fratris tui clamat post me,) an qui dum viueret, timidus & trepidus erat? hic enim, hic quouis mortuo miserabilior erat, percussit ille, & deiecit fratrem, verùm hic coronabatur, ille contra puniebatur. Abel moriens accusabat, damnabat, & mancipabat. Ille autem vel viuens obmutescebat, & pudore suffundebatur, & reus peragebatur, re ipsâ illi contra animi sententiam cedente. Interficiebat enim, quandoquidem dilectum videbat, expectans illum à dilectione turbare: extendit autem dilectionem magis ac magis, & ipsum sanè mortuum Deus magis inuestigabat, cùm diceret: Vbi est Abel frater tuus? non enim inuidentiâ amorem extinxisti, quin potiùs incendisti magis: honorem cede non imminuisti, sed eò intendisti magis: antea enim subdiderat illum tibi Deus, postquam verò illum interemisti, vel mortuus te vlciscetur. Gen. 4.

tiscetur, tanta est mea erga illum dilectio. Vter igitur est reus peractus, qui supplicium affert, an qui supplicium patitur? qui tantum à Deo honorem assequitur, an qui nouo cuidam & insperato addicitur supplicio. Ita S. Chrysost.

Item S. Chrysost. tom. 5. hom. *Quum Sartoninus, &c. Nihil est in rebus humanis stabile, nihil inconcussum; sed hominum vita imitatur mare vesanens, quotidie parturiens naufragia, naufragia, inquam, tum noua, tum periculosa. Omnia tumultuum ac turbarum plena, omnia scopuli, ac præcipitia, omnia rupes, sub aqua latentes, & sinuosæ cautes. Omnia terrores, discrimina, suspiciones, tremores & angores. Nemo cuiquam fidat, à suo quisque proximo timet, tempus illud fortè in propinquo est, quod Propheta depinxit his verbis: Ne fiduciam habeatis in amicis, & in principibus nolite spem ponere, à suo quisque proximo caueat à coniuge tua caue, ne quid illi credas. Quid ita tandem? quia tempus malum est, quia omnis frater insidiatur calcaneo vt supplantet, & omnis amicus dolosè incedit. Non est amicus tutus, non frater firmus. Sublatum est charitatis bonum, ciuile bellum habet omnes, ac neve id quidem apertum. sed obumbratum. Multa enim vellere ouium, innumeri vbique lupi sub his occultati: vt iam inter hostes quis tutius vixerit, quam inter hos, qui videtur amici. qui heri adulabantur, qui blandiebantur, qui manus exosculabantur, hodie cæperti sunt esse lupi, & abiectis personis facti sunt omnibus accusatibus acerbiores. Pro quibus hesterno die gratias agebant, pro his nunc incusant, & calumniantur. Quæ est igitur horum omnium causa? Pecuniarum amor, vesana diuitiarum cupiditas, morbus insanabilis, furnax quæ nunquam extinguitur, tyrannis quaqua versum per totum orbem terrarum diffusa.* Ita S. Chrys.

Marc. 11. Cùm vidisset Christus ficum à longè habentem folia, venit si quid fortè inueniret in ea, & cùm venisset ad eam, nihil inuenit præter folia, sciebat Christus non habere ficulneam ficus, sed solùm folia, voluit tamen graphicè sic describi morem temporis nostri. Sunt multi, maximè in regali curia, qui veluti ficulnea lata folia verborum habent, offerunt, promittunt, amplificant bonam voluntatem cum potestate coniunctam: hæc folia quidem à longè prospicientibus ea, credere faciunt fructum multum inde collectum iri, sed cùm jam propiùs accedunt, nihil minus maledixit Christus ficulneam illam, quid mirum si maledicat & has.

Eusebius papauer ait symbolum fuisse ciuitatum: papauer autè Hispanicè *dormidera*, multa grana intra corticem habet, sicut malogranatum, hac tamen differentia, quòd malogranatum fixa & ligata habet grana sua: at papauer grana dissoluta, & nullo inter se nexu colligata. cur igitur non malogranato, sed papaueri ciuitatem & oppidum antiquitas comparauit? quia, sicut in papauere plurima sunt grana disperti ta, & dissoluta: sic etiam in ciuitatibus multitudinem quidem hominum videbis, nullo tamen amoris vinculo colligatam. Vbi nullus ferè amor, nec inter eos, qui eiusdem ordinis ac muneris sunt, nulla ferè inter equitem & equitem vnio, nulla inter Ecclesiasticum & Ecclesiasticum connexio, quia vnusquisque, quæ sua sunt, quærit, non quæ proximi sui.

Rectè quidem de vero in proximos amore dicere possumus: *Rara auis in terris*, neque enim est hospes ab hospite tutus: licèt enim aliquando rixæ & malefacta cessent, non tamen inde pax vera & amor verus colligi possunt, Vnde optimè Seneca, *Ego*, inquit, *turpissimam excusationem dico esse homini, dicere: Non putaram, omnia sert natura, & vbi tranquilla tibi omnia videntur, tibi nocitura non desunt, sed quiescunt.* Ita ille. *No son pazes las que ay entre hombres en el mundo, sino treguas*, qui tibi hodie emit, cras teipsum vendet.

Subscripsit S. Augustinus, dicens: *Time mare, etiam quando tranquillum est.* Ita ille. Videas aliquando mare tranquillum, & quietum, sed cùm minùs tu cogitaueris, insurgit tempestas valida, quæ vel nauigantes submergat, vel in periculum adducat. mare est mundus, in quo degimus hîc, & post summam tranquillitatem, inopinatò, & vnde minùs times, insurget tempestas, quæ omnia sursùm deorsumque traducat.

Vnde sic ad Israelem Propheta: *Vnusquisque à proximo suo se custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. Et vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, vt iniquè agerent laborauerūt.* Pondera hæc vltima verba, in illis enim ratio prædictorum continetur, nō enim ad malefaciendum proximis occasiones expectant: ipsi enim non solùm quærunt malum proximis sine causa, verùm etiam laborant, hoc est, vt nonnulli interpretantur, omnem suam operam & ingenium ad hoc contulerunt. quis igitur à proximo tutus, quantumuis ille frater sit? Fratres quidem erant Abel, & Cain, & tamen Cain nullâ affectus iniuriâ fratrem sanctum, Deo charum & acceptum, & denique omni acceptione dignum, sine omni ratione, impiè & crudeliter occidit. Fratres erant Ioseph, Simeon, & reliqui filij Iacob, & tamen eodem prorsus modo in cisternam à fratribus missus fuit ipse Ioseph, & venditus in seruum, &c. & quidem tunc cùm eos fraternè & charè inuisebat, &c. Sunt & innumera huius generis exempla, & non solùm dicere valemus: Non hospes ab hospite tutus, sed nec frater à fratre suo tutus, &c.

Prop. XI. *Quàm excellens opus sit proximis fauere.*

S Chrys. *Nihil adeo potest nos Christi imitatores efficere, vt erga proximum cura: sed licet ieiunando, humi dormiendo, corpus macerauerit, nullam autem curam proximi habuerit, nihil egregium fecerit, & longè ab huiusmodi absuerit imitatione. Etenim nullum valde magnum potest esse officium, quando nullum in proximum lucrum confertur. quod ostendit, qui totum reddit talentum, & supplicio affectus est, quoniam illud non auxit. Tu igitur frater, quamuis fame conficiaris, quamuis cinerem comedas, quamuis lacrymis madeas, & nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis. Etenim antiquitus magnis & generosis illis viris hæc maximè cura erat, vt summa cum diligentia aliorum exquirerent vitam, & manifestè cognosces nullum eorum ad suam vmquam respexisse vtilitatem, sed proximi. Quamobrem maiorem in modum claruerunt. Moyses quidem multa & magna miracula operatus est, sed nullum tam magnum, vt illa vox beata: Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vita. Huiusmodi erat Dauid, & idcirco dicebat: Ego pastor peccaui, ego malè feci, hi qui oues sunt, quid fecerūt? fiat manus tua super me. Eodem modo Abraham, non suam, sed multorum quæsiuit vtilitatem, ideo se periculis exponebat, & Deum pro his, qui nihil sibi conferebant, obsecrabat. Hi quidem tantopere claruerunt, qui autem sibi consulunt considera, quantum acceperint detrimentum. Loth enim, cùm audiuit: Si tu dextrum elegerit, ego ad sinistram pergam, optione accepta suam quæsiuit vtilitatem; quam non modo non inuenit, sed ipsa etiam regio est incensa, & quæ obtigit Abrahæ, incolumis seruata est. Ad hæc Ionas non alijs, sed sibi ipsi prospiciens pene periclitatus est, & ciuitas conseruata, ipse verò agitatus, iactatus, & obrutus est fluctibus: sed cùm multitudinis saluti inuigilauit, suam inuenit. ita & Iacob in oubus proprium non quærens lucrum, plurimùm lucratus est; Ioseph fratrum studens vtilitati suam est consequutus, quia missus à Patre non dixit: Quid? non audisti, quòd prouisionibus & somnijs discerpere me aggrediebantur, & somnioruum, & amoris erga me tui pœnas dabam? quid non contra me molientur, cùm in eorum ero potestate? Nihil huiusmodi causatus est, nec cogitauit quidem, sed rebus omnibus fratrum salutem præposuit. Idcirco omnia postmodum bona adeptus est, quæ eum clarissimum gloriosumque reddiderunt. Magna quidem hæc, & angelica digna vita; verùm Paulus maximè in hoc excellit: alij namque suis omissis, alienis proximorum malis communicare non recusarunt: Paulus autè maiora est aggressus: non enim voluit aliorum calamitatibus solùm participare, sed*

Hom. 28. in 1. ad Corinth.

Exod. 32.

2. Reg. 24. & 2. Par. 21.

sed maximas ipse subiit, vt ceteri bene haberent. non enim par A est, vt qui fruitur delitijs, hu abiectu, malu sponte sua se obiiciat, & ipse tantùm calamitatibus affectus, ceteros in quieto & honore constituat. Magnum quidem est proximi gratia bona malu permutare, non tamen parum affert consolationis, si calamitatu socij habeantur: quòd autem velit quis miser esse, vt alij bona fruantur, id multò præstantioris animi est. hoc Paulus fecit. imò Abraham & reliqui periculis se in præsenti vita obiecerunt; Paulus autem optauit à futura gloria excidere pro aliorum salute.

Habeò tertiam, quam afferre possim, excellentiam, quamnam? quòd illorum quidam, quamuis insidiantium saluti inuigilabant, eorum tamen curæ illi commissa erat, & idem hi contingebat, ac si quispiam filij scelerati curam gereret, filii ta-
Gal. 1. *men. Paulus autem pro hu maledictum esse voluit, quorum non erat ei credita gubernatio: ad gentes enim missus erat. Animaduertù animi excellentiam? Hunc igitur imitare: quòd si non potes, saltem eos, qui in veteri Testamento claruerunt: ita enim tibi vtilitatem comparabis, non è contrario. Considera e-*
B *nim si quando domum aliquam exuri contingat, & nonnulli ex vicinis sibi cauentes, minimè se periculis obiciant, sed domi inclusi timeant, ne quis ingrediatur, qui aliquid ex rebus suis auferat, quantam tacturam facient? etenim ignis eos quoque comprehendet, & omnes eorum comburet facultates. Itaque cùm proximi facultatem non conspexerunt, suam perditurant, si quidem Deus cum inuicem omnes colligere vellet, talem rebus vtilitatem imposuit, vt in proximi vtilitate alterius vtilitas colligata sit, & vnuersus mundus hoc modo constitutus sit. Propterea si in mari tempestate orta gubernator, omissa reliquorum salute, suam tantùm quæreret, & seipsum & alios obrueret, & vnuscuiusque artu. si sua tantum quæratur vtilitas, numquam ars, neque vita constaret. Ideo agricola non tantùm frumentum seminat, quantum sibi satis sit: se enim perderet, & alios, sed quod multis sufficiat, terræ mandat, & miles, non vt sue duntaxat consulat saluti, se periculu obiicit, sed vt ciuitates in securitate conflituat, & mercator non eas tantùm merces comportat, qua sibi ipsi satis sint, sed aliis multis. Quòd si quis dicat non alterius, sed suam vnumquemque vtilitatem considerare, & ideo ita facere, vt pecunias sibi* C *& securitatem comparet, & gloriam, atque ita dum suam quærit, proximi quoque vtilitatem quarere; idem ego dico, hoc est, quod iam diu audire volebam, & ob id hunc omnem facimus sermonem, vt ostendere mus tunc sibi vnumquemque consulere, cùm consulit proximo: nam cum aliter commodum proximi non essent homines curaturi, nisi in hac constituti necessitate, propterea Deus ita ea coniunxit, & non permittit, vt in propriam priùs quis veniat vtilitatem, nisi transeat per alienam. Hoc igitur humanum est, vt hoc pacto proximo vsui simus. Verùm oportet non hinc, sed diuina voluntate ad hoc adduci, si quidem nemo salutem aliter consequi potest, sed quamuis summam amplectatur Philosophiam, proximi autem iacturam contemperit, nullam apud Deum fiduciam poterit ha-*
1. Cor. 13. 2. *bere. Vnde hoc consilat? ex B. Pauli verbis. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Vides quantum à nobis Paulus requirit? at qui pascit pauperem, non suam, sed proximi quærit vtilitatem: sed non sufficit hoc, inquit, cum charitate hoc fieri vult,* D *& plurima misericordia. propterea legem hanc statuit Deus, vt nos adduceret in vinculum charitatis.*

Sed dices, quomodo igitur ad Loth per Angelos Deus dicebat: Salua animam tuam? non ait aliorum? sed dic mihi, quando hæc, & quare? quando scilicet iam inferebatur supplicium, non quando corrigi oportebat: iam enim damnati à Deo erant, præterea non de vitio & virtute hoc dictum est, sed de plaga cœlitus demissa. Quid enim tunc faciendum erat, dic quæso, num supplicium expectandum? igitur cum vitijs proximus inquinatur, tunc dico vt in medium prosilias, & eius corrigas errata, ob proximi vtilitatem, & ob tuam. Ita S. Chrysost.

Prop. XII. *Amare proximum signum est gratia.*

In Oon. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, id est, *in Deo manet*, sicut palmes vitis recipiendo vitâ à vite, *& Deus manet in eo*, sicut vitis in palmite tribuendo vitam gratiæ. Vnde S. Leo serm. 10. in quadragesima. *Discutiant ergo se fidelium mentes, & intimos sui cordis affectus examinent, vt si repositum aliquid in sua conscientia ex fructibus charitatis inuenerint, Deum sibi inesse non dubitent, & vt magis magisque tanti hospitis sint capaces, fiant perseuerantes in misericordiæ operibus ampliores.* ita S. Leo. Hoc est, vt magis magisque Deus habitet in eis per amplioremscilicet gratiam a Deo recipiendo, opera misericordiæ multiplicent & amplificent.

Prop. XIII. *Qui amat proximum, legem implet.*

Dominus legifer noster, qualis vero, & qualis legifer sit, expositit Eliu amicus Iob, *Nullus in* B *similis in legislatoribus*, fuerunt quidem in variis nationibus varii & plures legislatores, sicut refert S. Isidorus: vt v.g. apud Hebræos Moyses qui legem à Deo in Monte Sinai acceptâ tradidit Hebræis, Foroneus legem dedit Græcis. Athenienſibus Solon, Ægyptiis Mercurius Trismegistus, Lacedæmoniis Lycurgus, Romanis Numa Pompilius, præclari quidem omnes isti Legislatores, sed leges grauissimas sanguineasque conscripserunt, vt hic sc. pro crimine hoc suspensus periret, ille capite plecteretur, ille vero flammis suffocaretur, &c. Christus, *Hoc*, inquit, *est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos.* amare nos inuicem statuit, amoris est ista lex: quid autem amore lenius, & iucundius? quis igitur in legislatoribus similis Deo nostro? Haud tamen aliam huius loci translationem omittamus quæ sic habet: *Nemo sicut ille docet*: quod quidem in verbis huius Euangelicæ legis facilè verificari potest, non enim solummodo præcipit amare, sed omnia, quæ naturæ & rationi nostræ consentanea C sunt, his paucis verbis docet. Celebratissimi quidem septem illi Græciæ Sapientes fuerunt, quorum vnicuique specialior quædam tribuitur sententia; qua sc. ab aliis discerneretur, inter quos primus Cleobulus dixit: *Optima est mensura.* sensit vir sapiens, omnes publicas facilè perire, quæ modum & mensurâ non seruant: nisi enim vnusquisque secundù mensuram possibilitatis & qualitatis suæ se cõtinuerit, pereat oportet.

Chilon vero dicebat: *Nosce te ipsum*, quam quidem sententiam tanti fecerunt Græci, vt in Apollinis templi porticu literis aureis iusserint conscribi, quasi Dei oraculum, & non hominis dicterium esset; ex eo quippe quod se quisque noscat, prouenit, vt in officio se contineat, & quæ de hominibus aliis & Deo ipso sentire debeat, innotescet illi.

Pitacus dicere solitus erat. *Nihil nimis*: laudarunt sententiam hanc Philosophi, & sapientes omnes, dum enim ad summum aspirant omnes, ad id quod nimium est, sæpe sæpius declinant, quod quidem extremum sublimia & excelsa omnia vitiat, hic dum sapere, curat plusquam oportet sapere, ille dum plures vincere, & supperditare, quam ratio ferat, ille quia plus detestcere, quã fuerit fas, &c. rectè igitur: Ne quid nimis.

Solon autem dicebat: *Respice in finem*, finem scilicet vitæ, sicut Alciatus interpretatur: optima siquidem viuendi ratio ex morte sumenda est, facilè contemnit omnia, qui semper se cogitat moriturum, rebus autem terrenis contemptis, facillimè cor ducitur ad æterna.

Bias aiebat: *Plena malorum cuncta*, hinc cautela oritur prudens, dum vndique mala oriri videt, timet, & beatus ille, qui semper est pauidus: sicut enim facilè in laqueum cadit auis incauta, sic & in mala cadit homo, nullum malum timens.

Deni-

Denique Thales dicere solebat: *Noli spondere*, quod cum grano salis accipiendum est: spondere quippe charitatis opus, & naturæ conforme quidem est, at temerè spondere, quanta mala pariat, experientia ipsa docet. Ecce potissima sapientium dicta, Deus autem dum legiferi munus exercet, nemo sicut ille docet. nã in hac eius vnica lege, *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*, ea omnia docet, quæ ad vitæ huius optimam rationem spectant. Diligenti proximum non est opus alias imponere leges, lex enim amoris cunctas quæ ad proximorum pertinent bonum, docet. Qui proximos amat, nullum eorum occidet, nullius bona diripiet, nullius thorum violabit, nemini iniuriam irrogabit, &c. Amor denique naturaliter proximis, & Deo debitus, quid in omnibus agendum, & quid non agendum sit, intimè docet. Meritò igitur Dominus, *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem*, hoc est, dicat Solon, dicat Bias, dicat Thales, & tales huiusmodi sapientes dicant, quæ, & quanta voluerint, ego autem dico: *Diligite proximos vestros, &c.*

Prop. XIV. *Amor proximi amanti vtilis est.*

S. Chrysostomus homil. 51. ad popul. *Si decem vnammes sint, iam non vnus vnusquisque eorum est, sed decuplus, & in decem vnum inuenies, & in vno decem. Vnde horum quisque viginti oculos habet, & viginti manus, & totidem pedes: non enim sui tantùm, verùm & illorum manibus operatur, & animas habet decem, non enim ipse tantummodò prospe, verùm & illi pro eo curam gerunt. Si verò sint & centum, similiter erit idem. Vidisti charitatis excellentiam, qualiter multiplicet vnum, & inexpugnabilem reddat, & qualiter vnus & idem in locis multis esse potest, in Perside, & Roma. Quare quæ natura non potest, charitas potest. Quousque igitur in vnum vel duos concludimus charitatem? Disce autem hoc à contrario: fit aliquis nullum habens amicum, quod est extremæ dementiæ: fatuus enim dicet, Non est mihi amicus; huiusmodi qualem vitam viuit? licet enim millies sit diues, licèt in opibus & delitiis, licèt infinita possideat bona, omnibus est priuatus, & nudus. In amicis verò non ita, verùm licèt fuerint pauperes, diuitibus sunt opulentiores, & quæ ipse pro seipso dicere non aggreditur, hæc amicus dicet, & quæcumque sibi non potest indulgere, hæc amicus potest, & multò plura. non enim malè pati potest, qui tot satellitibus custoditur: neq; enim huiusmodi sunt regis corporis custodes sedulij, qualis ille: nã ibi metu vel necessitate custodiam exhibent, iste verò beneuolentia, non verò necessitate. Hæc multò potentior est metu, & ille quidem custodes suos timet, hic autem his plusquam sibimetipsi confidit, & propter neminem insidiantium timet. Negotiemur itaque omnes negotiationem istam, pauper vt habeat paupertatis consolationem, diues vt diuitias possideat in tuto, princeps vt cum securitate dominetur, subditus vt principes beneuolos habeat.* Ita S. Chrysost.

Qui dicit se in luce esse & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc, hoc est, quousque odio prosequitur. Quid autem est, in tenebris esse? S. Augustinus tom. 10. lib. 50. homil. 40. per esse in tenebris, esse in carcere tenebricoso, intelligit, & ait: *Forte has tenebras esse censebis aliquis tales, quales patiuntur in carceribus inclusi. Vtinam tales essent, & tamen in talibus nemo vult esse: in his autem tenebris possunt meliùs retiam innocentes, in talibus enim tenebris inclusi sunt Martyres, tenebræ undequaque fundebantur, & lux fulgebat in cordibus eorum, in illis tenebris oculis non videbant, sed amore fraternitatis Deum videbant. Vultis scire, quales sint tenebræ istæ. Qui odio habet fratrem, ambulat, exit, intrat, procedit, nullis catenis oneratus, nullo carcere inclusus, tenetur tamen ligatus est.* Noli illum putare sine carcere esse, carcer eius cor eius est, & ne forte contemnas tales tenebras, adiungit, dicens: *Qui odio habet fratrem suum, homicida est.* ita S. Augustinus. Obserua igitur, quod inimicitias gerentem homicidam appellat Apostolus Ioannes, quia apud Deum voluntas pro facto reputatur, & odium volitũ & in corde alitum, voluntas nocendi proximo est. Carcer, ait S. Augustin. cor eius est, catena verò odiũ ipsum, quo ligatur: est autem carcer tenebricosus, quia odium & ira mentem excæcare notissimum est. Ecce quo pacto qui odio fratrem habet, tanquam homicida in carcere & catena positus manet, & cùm exierit ab hoc carcere, ad trirremes inferni deducetur. Quodnam igitur remedium superest huic, nimirum, vt sicut is, qui catenis vinctus est, curat catenas dissoluere. quòd si nequiuerit, rumpat eas eâ violentiâ, quâ adhibere potuerit. hoc remedium Dominus dedit Esaiæ 58. vbi nonnulli Israelitæ conquerebantur, quòd ieiunantes non respicerentur à Deo, *Quare, inquiunt, ieiunauimus, & non aspexisti, humiliauimus animas nostras, & nescisti?* Quibus Dominus: *Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè*, hoc est, inimicitias cum proximis geritis. Quod igitur remediũ? *Dissolue*, inquit, *colligationes impietatis.* vbi Glossa ordinaria, colligationes peccata intelligimus, quæ in die ieiunij proximis dimittere jubemur, vt nobis dimittat Deus, & securè dicamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. ita Glossa. Ecce remedium, dissolue catenam odij: quia tamen odium, maximè inueteratum, difficilè dissolui valet, si dissolui ita facilè nequiuerit, rumpe hęc vincula colli tui, sicut in catena detentus, hoc est, licèt magnam senseris difficultatem, rumpe & disrumpe odium nam liber es, & potestatem tibi dedit Deus. melius est tibi violentiam huiusmodi seu vim tibi inferendo saluari, quàm odio succumbens in æternum cum dæmonibus damnari.

Is. 58. 3.

Seneca epist. 105. *Qui timetur, timet. nemo potuit terribilis esse securus.* Ita ille. hinc sequitur quantùm nostra interfit omnes amare.

Prop. XV. *Quàm vtilis sit Reipublicæ amor proximi.*

Si verè charitate Christianâ nos omnes inuicem diligeremus, nec legibus, nec forensi strepitu, nec pœnis, nec minis, aut supplicio opus esset, nec iniuriis locus esset, procul abessent bella, & pugnæ, seditiones, furta, imò mali humani nomen prorsus eliminaretur, quia dilectis nemo nocere, nemo displicere vult. Vnde si charitate nos diligeremus, prout lex Christiana profitetur, summâ pace Respublica frueretur, pauperibus satis prouisum esset, & terra in cælum verteretur.

Prop. XVI. *Amare debes proximum sicut teipsum.*

Qvi proximum sicut seipsum amat, bonum proximi bonum suum proprium reputare debet, & malum proximi malum suum.

Quod vel à Deo ipso & Domino Iesv Christo discere valemus, Deus enim noster quæ nostra sunt, propter nimiam charitatem suam quâ diligit nos, tanquam propria reputare solet. hinc cùm de inuenta oue gauderet pastor noster bonus, se pastori inuenienti ouem comparauit, qui ouem inuentam super humeros posuit, & conuocatis amicis & vicinis ait: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.* Congratulamini, ait, mihi, imò ipsi oui congratulari oportebat, ipsa enim erat quæ perierat sibi; tu verò Domine quid amittis, ex eo quòd ouis humana pereat? quidve lucraris ex huiusmodi ouis inuentione? *Dios que pierde, o que gana para si, en que yo me pierda, o gane?* tui quidem interest, Deus autem non minùs diues & gloriosus est, licèt omnes homines & Angeli damnentur, quàm si omnes saluentur. Oui ergo congratulatio illa exhibenda videbatur. bene voluit autem Deus sibi congratulationem adhiberi, quasi commodum magnum ipse inde repor-

Luc. 15. 9.

reportaret, vt discamus nos commoda proximorum A
nostrorum nostra reputare.

Sic etiam in parabola vineæ, *Cum tempus* inquit, *fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas vt acciperent fructus eius.* Quis non redditus hos vineæ, redditus vtiles Domino vineæ iudicasset: at cùm Dominus ipse sit Deus, fructus non illius vtilitati, sed nostræ deseruiunt. ad gloriam & honorem quidem exteriorem Dei omnia hæc conducunt, ad interiorem verò nihil. *Tan glorioso y bienauenturado se estaua Dios sin hombres y sin Angeles, y sin los seruicios, que vnos y otros le hazen y pueden hazer como con ello.* Ad nostram igitur vtilitatem spectat hæc fructuum redditio, ita tamen eos accipere curat, vt pro eorum recuperatione seruos & filium suum charissimum Iesum Christum Dominum nostrum exposuerit morti, &c. quia quæ nostra sunt, sua propria vult reputare.

Sic cùm rationem à nobis in iudicio exigendam exponeret, dixit: *Tunc dicet rex hu qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Cur ita Domine? *Esurui enim, & dedistis mihi manducare. sitiui, & dedistis mihi bibere*, &c. *Tunc respondebunt iusti dicentes, quando te vidimus esurientem, & pauimus te, aut sicientem & dedimus tibi potum? & respondens rex dicet illis: Amen dico vobis quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ecce bonum quod nobis exhibetur sibi dari asserit Christus.

Idem de malo dicendum patet. nam cùm de malorum differeret iudicio, dixit esuriui & non dedistis mihi manducare. *Quando* inquiunt, *te vidimus Domine esurientem, & non ministrauimus tibi?* tunc, inquiet Dominus, *Amen dico vobis quandiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis.* vides quo pacto malum nostrum suum esse Dominus dicat.

Pergebat in Damascum Saulus, vt si quos inuenisset ibi Christianos, vinctos perduceret in Hierusalem: ad quem Christus Dominus: *Saule, Saule quid me persequeris?* Quid ais Domine? te in cœlis ad dextram Patris constitutum quis persequi valet? Quis est Saulus nisi vermiculus quidam, & reptile quoddam super terram; quo igitur pacto vermiculum talem per terram & lutum reptantem te in cœlo regnantem, & omnipotentem persequi dicis? nimirum quia seruos persequitur meos. O charitas omni admiratione superior! persecutionem seruorum suorum propriam dicit.

Imò quid amplius habet? *Qui tetigerit*, inquit Dominus, *vos, tangit pupillam oculi mei*, id est, oculi ipsius Dei, vt exponunt sanctus Hieronymus, Theodoretus, & alii plures. sensus igitur est, qui tangit seruos Dei, vehementer offendit ipsum Deum. nam similitudine pupillæ res vnicè dilecta, ac summâ curâ seruanda denotatur, vt, *Custodi me vt pupillam oculi.* &, *Custodiuit quasi pupillam oculi sui.* tangere autem est vel minimùm lædere. Decet igitur, qualiter Deus mala nobis illata tanquâ sibi illata dicat, vt ita nos bona & mala proximorum nostrorum nostra esse reputemus, &c.

Ait Christus Dominus: *Omnia quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis, hæc est enim lex & Prophetæ,* D hoc est, in hoc consistit perfecta lex charitatis proximi. Ponderat autem S. Chrys. hom. 17. in 2. ad Cor. verba ista, dicens: *Non dixit Christus Dominus, quæ non vultis vobis fieri, hæc ne quidem ipsi facite, sed quod magis est aut: omnia quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis illec enim à malis tantùm abstinetur, hic vero bona quoque efficiuntur, & huius complexu illud quoque coercetur. Ad hæc, non dixit, hæc vos quoque velitis, sed facite illis misericordiã: igitur si tibi eam adhiberi vis, adhibe ipse. veniam vis impetrare, ignosce ipse: non vis male audire, male ne dixeris: laudari expetis, lauda ipse: non vis tua per violentiam extorqueri, aliena tu non eripias. Quare si quod tibi fieri nolis, alteri facis, aut si quid tibi fieri velis, ipse minimè facias, timemet ipse cal-*

culo te condemnas. Quidnam autem illinc fructus exisit? in hoc, inquit, sita est lex & Prophetæ. Hanc in nobis legem exstantes, tales nos erga proximos nostros præbeamus, quales eos. ergo nos volumus esse. ita S. Chrysost.

Sicut corpus vnum est, & membra habet multa; ita & Christus. etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, &c. & subdit: *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra: vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Attende modum, quem inter se membra corporis obseruant. Pedi est infixa spina, & vniuersum corpus sentit, & cruciatur, inquietatur dorsum, & inclinatur caput, oculi accurate vulnus circumspiciunt, imò & mens ipsa attentè considerat, quonam pacto spina melius extrahi possit, volantas id optat, & curat, & manus velut satellites totius corporis, properantes vulnus contrectant, & breuiter ac cautè extrahunt spinam; & quidem cùm pus infima corporis pars sit, & quæ semper inter pulueres latamque versatur, & caput suprema corporis pars, in qua sensus vigent, nihilominus amicabiliter inhonatur in bonum pedis, nec dedignatur, nec erubescit, nec moras contrahit, nec excusationes adhibet, quàm primùm à reliquis vacans, ad pedis curam profsus demittit. Sic si patitur vnum membrum, licet infimum illud sit, compatiuntur reliqua omnia membra. quantamuis superiora sint. Sic nos erga proximos gerere debemus, vti monet Apostolus: quia sumus inuicem membra corporis Christiani: vnde si infimos & abiectior ex Christianis in aliqua fuerit necessitate constitutus, etiam qui in republica superiores & capita sunt, debent se amicabiliter demittere, vt inferis subueniant.

Præterea *si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* Ita est, coronatur solum caput, & totum corpus condecoratur, & gaudet: oculi enim magis clarescunt, os arridet, pedes grauiùs incedunt, & omnes hominis partes serenantur. Pes calceum pulchrum induit, oculi applaudunt, eum amicabiliter intuentes, caput ad eum inspiciendum libenter inclinatur, quantumuis pes ornatus infimus sit, sic igitur si inter nos illustri aliquo dono quis splendeat, licèt inferioris ordinis ille sit, non inuideamus, sed gaudeamus: nonum inuidet pes manui, nec manus pedi: hæc igitur lex charitatis nostræ sit, *flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus*: commemora quippe sumus corporis Christiani, cuius caput est Christus, & quantò corpus nobilius illustrius & excellentius est, tantò membra inter se generosiora & charioraesse debent.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis &c. cur nõ in singulari voluit Dominus petere nos panem, &c. sed vbique in plurali, nos, nobis, &c. S. Cyprianus: *Non dicimus: Pater meus, qui es in cœlis, da panem meum da mihi hodie, nec dimitte mihi, &c. sed pro toto populo oramus, quia totus populus vnum sumus.* Ita ille, Sumus inquit, ita est, sicuti debemus, Christiani sumus, nos ita inuicem amare debemus, ac si omnes vnus essemus nec aliter diligere alium, quasi ille alius esset, sed ac si esset idem ego. Vnde quæ volumus nobis, alteri velle debemus, & quæ non volumus nobis, nemini velle debemus; ideo dicimus: Da nobis, dimitte nobis, & ne nos inducas in tentationem, &c.

Hoc mandatum habemus à Deo, vt diligamus proximum sicut nosmetipsos, ita vt in necessitatibus eorum, ita illis sicut solemus nobis, succurramus. Et quidem Christus Dominus plus aliquando necessitatibus alienis, quàm suis occurrebat: nam cùm in deserto per dies quadraginta ieiunasset, & esuriret, noluit ex lapidibus panes facere, cùm facilè posset, & tamen cum turba illa in deserto cibo egeret, quinque panes & pisculos ita miraculosè multiplicauit, vt quinque millia hominum satiaret. Vnde rectè hoc expendens S.

Chry-

Matt. 21. 34.

Matt. 25. 34.

Matt. 25. 37.

Act. 9. 4.

Zach. 2. 8.

Psal. 10. Deut. 32.

Matt. 7. 12.

Chrysologus dicit: *Christus fibi homo, mihi Deus.* Ita ille. Homo vt sic debilis est, & egens, Deus vero est omnipotens, & summe diues: nobis igitur Christus Deus erat, quia in vtilitatem nostram mira quidem miracula faciebat, vt ab infirmitatibus, à periculis, à morte, & à dæmonibus liberaret. Nobis Deus erat, ipse vero in manibus traditus inimicorum, cum posset faciliùs, quam Samson, vincula disrumpere, & meliùs quam Angelus Petrum è manibus hostium seipsum eripere
27. noluit. *Si filius Dei est*, aiebant, *descendat de cruce.* poterat quidem id præstare, sed noluit, quia aliis Deus, sibi autem homo erat. Nos quidem è conuerso, aliis homines, nobis verò Dei esse solemus. Petit à te quis fauorem, aut eleemosynam, tu verò respondes, non possum, tibi verò omnia potes, & victum & vestitum emere, & fauorem aliorum ascisce re, quia tu tibi Deus, aliis vero homo: non te quidem ita docuit Christus: nam cum Deus ille, & homo esset, aliis Deum, sibi vero sæpe hominem se exhibebat.

A

Prop. XVII. *Amandus est proximus exemplo Christi.*

S. Chrysostomus homil. 51. ad popul. *Quoniam maiori perfectioriq; doctrina digni fumus habiti, non amplius per prophetas, sed per Filium Deo nobu loquente in nouissimis diebus, multò maiorem, & honore dignam conuersationem oportet exhibere. Absurdum enim est tantum descendisse, vt non amplius per seruos, sed per ipsum nos alloqui velit, nos verò prioribus nihil amplius exhibere. Nam Hebræi quidem Moysen, nos autem pro Moyse Dominum præceptorem habemus. Hoc igitur honore dignam præstemus conuersationem, & cum terra commune nihil habeamus. præterea supernè de cælo doctrinam detulit, vt eò mentem transferremus, & præceptoris fieremus imitatores pro viribus nostris. Quomodo verò licet imitatores fieri Christi? Si ad communem vtilitatem omnia faciamus, quæque nostra sunt non quæramus. ait enim Apostolus: Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est,* Opprobria
10. *exprobrantium tibi, ceciderunt super me: nemo igitur quod suum est, quærat.* Ita S. Chrysost.

Prop. XVIII. *Amandus est proximus spontanee, & non vtilitatis gratia.*

Vnt qui amare alium nesciunt, nisi cum inde vtilitem vel emolumentum aliquod sibi sperant. hi non amant proximum, sed seipsos: nam qui propter se alium amat, seipsum conuincitur amare. Deus autem non ita nos proximos amare iubet, sed propter ipsum independenter ab omni commodo nostro. quod illis
12. verbis insinuauit: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos. Sicut*, inquit. Obserua ergo quomodo Deus diligat nos, non quidem quia ex nobis vtilitatem aliquam sperat, sed diligit spontaneè, diligit vt diligat, diligit propter bonitatem suam, in hoc enim maximè se Deum esse demonstrat, sicuti Dauid
15. testatus est, *Dixi, Dominus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, hoc est, in hoc cognoui certissimè Deum meum te esse, quòd nullo ex bonis meis tu indigeas, quo enim, egere potest, qui omnimoda infinitate bonorum gaudet? non eget aliquo extra se, qui intra se infinitè bonus est, beatus est, diues prorsus est. Vbi obserua, quòd sicut ait S. Hieron. in hoc Psalmo loquitur Dauid in persona Christi, & quidem si aliquo egere Deus ab aliquo Deitatis naturam ignorante censeretur, maximè esset obsequio Christi, qui ad gloriam Patris tot tantaque fecit & passus est; & tamen neque his Christi hominis obsequiis egebat Deus, quia sibi ipsi sufficiens ipse sine illo beatus omnino erat & esset, cur igitur tot pro nobis operatus est? non quidem ob suam vtilitatem, sed propter nostram. Vtar hac in re similitudine sancti Chrysost. hom. 30.

C

10.

D

in 2. ad Cor. *Sol iste, qui in numero rerum conditarum est haud oculis nostris indiget, neque enim quicquam de splendore eius decedit, etiamsi nemo eum cernat, sed nos ipsi sumus, qui vtilitatem capimus, cum eius radios intuemur; quantò ergo magis in Deo id vsu uenret, ita ille. Sicut igitur Sol non radios suos nobis communicat ob suam vtilitatem, sed nostram; sic Deus dona sua & bona communicat nobis, non ob suam, sed ob nostram vtilitatem. Sic digilit nos Deus, sic igitur & nos proximos diligere debemus, ut eos spontaneè, gratis & sine oculo ad vtilitatem nostram diligamus, & diligendo benefaciamus.*

Prop. XIX. *Omnis proximus est amandus, licèt infimæ sortis sit.*

SOlent mercatores merces suas sub tegumentis sagorum inuoluere: qui saga intuetur, & nihil aliud, facilè despicit merces ibi contentas, cùm tamen, (vt dici solet, *Debajo de su sayal ay al,*) ibi sint panni serici, & aurei, & argentei, *damascos, terciopelos, granas finas, telas de plata y oro, y brocadas de tres altos*; sic sæpe inter nos homines sunt oculis nostris pauperes, infirmi, illiterati, ignoti, & ostiatim mendicantes, qui tamen intus gratiam habeant, charitatem & merita gloriæ multa, & denique sancti sint in oculis Dei, magni, sublimes, sicut è contra multi in oculis hominum diuites, nobiles, sapientes videntur, qui tamen in oculis Dei pauperes, ignobiles, insipientes, & pessimi sunt. quæ ambo in diuite, & Lazaro verificari facilè possunt: nam ille, &c.

B

Quamuis ergo pauper quis, idiota & contemptibilis esse videatur, despiciendus non est: qui enim in vno aliquo minor apparet, in alio fortè superior est. Vnde Prou. 20. *Exultatio iuuenum, fortitudo eorum: & dignitas senum, canities*: vbi Iansen. insinuat hæc sententia, iuuenes, & senes habere seorsum, vnde honorentur, & licèt in vtrisque aliquid aliorum desit, habere tamen quemque propriũ suum donum. Iuuenes enim licèt experientiâ, prudentiâ, & sapiẽtiâ senum careant, habent tamen vires, robur, & fortitudinem, quibus senes carent: reipublicæ autem vtrumque necessarium est, inuenum fortitudo, & senum prudentia, & sicut iuuenis eget consilio senis, ita senex eget adiutorio iuuenis, & adminiculo adolescentiæ. vnde nec iuuenis despicere debet senem, quia viribus caret: habet enim maiorem prudentiam; nec senex iuuenem despiciat maiorem fortitudinem habentem. *Prou. 20. 29. Iansen.*

S. Chrysost. *Ne mihi dixeris illum calceorum sutorem esse, alterum coriarium, sed considera fidelem & sortem in Christo illum esse, & quòd omnes discipuli sumus piscatorum, & tentoriorum opificis, & publicani. Fratrem igitur illum pauperem arbitrare, imò potiùs quàm diuitem. Nam meritò ille magis frater dicetur, qui similior Apostolis piscatoribus, qui quotidianis laboribus sibi quærit victum, & qui nec seruum habet, nec diuersorium, sed omnino indigens est, an ille, qui elatus superbiâ diuinas leges oppugnat? Nolt ergo eum, qui magis frater est, contemnere; qui scilicet imagini Apostolica propior est: cùm igitur fabrum, cùm malleatorem, & fuliginis plenum quempiam conspexeris, noli propterea eum contemptui habere: nam & Petrus seipsum præinxit, & rete tractauit, & post Domini resurrectionem piscatus est, & quid Petrum memoro? ipse Paulus post innumeras profectiones, & discursus, & post tanta miracula, in faciendis tentoriis pelles consuit, quem Angeli laudibus prosequebantur, dæmones contremiscebant, & non puduit eum dicere: In necessitatibus meis, & sociorum meorum, manus meæ ministrauerunt, & quid dico, non puduit, cùm etiam glorietur.* *Hom. 20. in 1. ad Cor.*

Præterea si Christi amore honorem exhibes proximo, licèt quia abiectissimus sit, modò fidelis sit, dignus est qui honoretur: nam si duce & patruo milite ad te venientibus, ambobus quæ Regis familiaribus, tu virique domum aperuisti, per quem magis Regem honorasti? sanè perspicuum est per militem: dux enim etiam sine Regis amicitia, habet multa, quæ sibi satis sunt

ad eum honorem consequendum: miles verò ille nihil aliud habet, quam regiam familiaritatem: Idcirco claudos, & cæcos, & qui nullam referre possunt beneficiorum gratiam, ad conuiuia & cœnas nostras aduocare præcipit Christus: quoniambuiusmodi opera maximè, & propriè propter Deum exhibentur. Quòd si virum aliquem magnum & insignem acceperis hospitio, id non tam pura electmosyna est, sed partem sibi sæpenumero inanis gloria vendicat, & spes alicuius boni consequendi, & vt clarior propter illum euadas. ita S. Chrysost. ad Dei ergo puriorem dilectionem spectat vilióris sortis homines non solùm non despicere, sed etiam plurisfacere, & plus amare, tum quia horum status similior sit Apostolorum statui, tum quia puriùs sic diligitur Deus, &c.

1. Cor. 13. 5. Hom. 33. in 1. ad Cor.

Charitas non est ambitiosa. S. Chrysost. legit, non est fastidiosa, quod sic exponit S. Chrys. *Charitas non est fastidiosa, sed æquo animo, quod turpe sibi ducit, perfert, & nullius ignominiæ sensus ad eam pertingit. Auari homines omnia contumeliosissima turpia illius lucri gratiâ sustinentes, non solùm ob eam rem non latent, sed etiam gloriantur; quantò magis laudabili præditus studio pro charæ rei salute nihil recusabit, pative turpe sibi ducet? Sed vt ne à vitiis exempla petantur, hoc in Christo Domino excutiamus. Christus ergo quod conputeretur, cadceretur à mancipiis, non solùm non turpe, sed etiam gloriosum sibi duxit, quod latronem, & homicidam in Paradisum secum duxerit, quod cum meretrice colloqueretur, rem neutiquam turpem existimauit, atque id quidem in medio inimicorum suorum hostiumque theatro; non est enim charitas fastidiosa.* Ita S. Chrys.

Dices, impius & peccator non amote, sed odio dignus est, illum auersor, quia in Deum & in homines impius est, nec eum alloqui valeo, &c. Rogo te à quo didiceris huiusmodi erga peccatores auersionem? non ab illo Apostolo, qui terrarum orbis constitutus est magister: hic enim ad Thessalon. sic scribit: *Rogamus vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes, quod bonum est sectamini inuicem, & in omnes.* Hîc amanter præcepit Paulus peccatores non despicere, non deserere prorsus. Imò & magister noster CHRISTVS, vide quomodo cum Iuda proditore se gessit, quid non fecit, vt ad sanam mentem eum reuocaret? monuit, pedes lauit, ad cœnam illam mysticam inuitauit, buccellam manu tribuit propria, corpus & sanguinem suum in escam & potum dedit, protestatus est coram eo, & proditionem eius proferens, minatus est æternam damnationem. *Væ*, inquit, *homini illi per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei si natus non fuisses homo ille.* cuius vel saxeum cor huiusmodi verba non lenirent? Denique nullum non lapidem mouit, vt eum à morte liberaret, & tu nescio quo sanctitatis fuco, te à peccatore auersum profiteris? non hoc à Sanctis, nec à Christo Domino didiciti. Dicam igitur à quo, à Pharisæo illo, qui cùm Christum Dominum admittere Magdalenam videret, dixit: *Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier quæ tangit eum.* ac si diceret, longè illam repelleret à se. Hunc igitur imitaris, & illos, qui de eodem Domino dicebant: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis*, reprehendentes, quòd in eo maximè laudare debuissent. Quid igitur agendum? quod Paulus monet: *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Pondera illa verba, *considerans, &c.* homo quidem tu es, sicut & ille, nec adhuc in gratia confirmatus, & quod vnus hominum facit, & alter facere potest, si à Deo paululum deseratur, sicut deseritur alius: & quidem tentari grauiter dignus est, qui fratres peccantes despicit, & derelinquit. Sed cur quæso illum reiicis? cur auersaris? quia impius est? imò verò ob hoc potiùs illi adhærere debes: tua enim ope hic indiget magis. Nam si medicus ægrum auersatur, & æger medicum fugit, quî poterit hic à morbo sanari? At nihil, inquies, illi medicina mea conducet, immedicabilis enim homo est? Nec sic etiam desistas: nam & Iudas immedicabiliter laborabat, & id Christus sciebat, & nihilominus quæ diximus remedia adhibere non omittebat. nam, vt ait S. Chrys. *Nec fatigeris in proximi correctione: nam licèt nihil profecerit, medici tamen referes mercedem.* Ita ille. Ita enim & in curatione corporum fieri videmus, si enim medicus operam suam studiosè apponit, vt infirmus recuperet sanitatem, licèt non id obtineat, mercedem non amittit, quia non exigitur à medico, vt infirmum sanet, sed vt curet sanare. Sic de medico spirituali dicendum est, non requirit à nobis Deus, vt peccatorem de facto conuertamus, sed vt id procuremus: quod si fecerimus, mercedem non minorem recipiemus, quàm si de facto illum conuerteremus.

A

Præterea fieri sæpe solet, vt qui prima, & secunda monitione non mutatur, tertia, vel quarta, vel sexta conuertatur: & in re tanta nulla non est diligentia adhibenda. Audierat Paulus ante conuersionem suam Christum Dominum aduersùs rebelles disputantem, viderat sublimia perfectionis opera exercentem, miranda miracula operantem, & tamen rebellis semper lumini exiterat diuino. Iam Christus altra ascenderat, sed nec ideo à Pauli correctione destitit: sed ierum descendens, cum conuertit, & ex maximo peccatore maximum Apostolum efficit. Quid non fecerat beata Monica, vt Augustinum filium ab hæresi moueret, & conuerteret ad fidem, & tamen nihil efficerat: perstitit admonendo, orando & curando eius salutem, & tandem feliciter obtinuit. sic perseuerantia vincit, &c.

B

Sæpe sæpiùs Paulus, & reliqui Apostoli sibi subditos, fratres vocare solent, sicut, *Nolo vos ignorare fratres*, & multis aliis locis, & vti S. Chrysost. animaduit, in eo loco Paulus non solùm diuites, & nobiles, liberos, & nobiles Corinthiorum, fratres nuncupauit, sed indiscriminatim omnes, pauperes, etiam & ignobiles, & seruos tali appellatione honorauit, nã vti Paulus ipse docuit, *Omnes filii Dei estis per fidem, quicèt in Christo Iesu: quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, nec Græcus, non est seruus, nec liber, omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu.*

C

Sed quid mirum si Paulus fratres vocauit proximos suos, cùm Christus Dominus sic vocauerit nos, *Nunciabo nomen tuum fratribus meis, &c.* quem locum adducens Apost. ait: *Non confunditur* (Christus) *fratres eum vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis.* audiant hoc, qui famulos & infimæ sortis homines, contemptibilibus appellationibus dehonestant, qui dedignantur, non solùm fratres, verùm & homines eos nuncupare.

D

Hinc etiam est, quod Ecclesia omnes tanquam æquè filios amplectens, æquè cum omnibus agit, æquè omnium fidelium dicitur mater, & æquè omnes illius dicimur filii, & æquè omnibus administrat Sacramenta sua, non enim diuites aquâ rosaceâ baptizat, pauperes verò communi aqua, sed æque omnes eadem vulgari aqua baptizat. nec Sacramentum Eucharistiæ ex adipe pro Regibus & Imperatoribus conficit, pro reliquis verò ex hordei farina, sed eodem prorsus pane magnos & paruos reficit omnes. neque ex pretiosiori balsamo oleum conficit, quo Principes, & quo eius setui sunt vngendi, sed ex eadem prorsus materia idem conficit oleum, idemque omnibus præstat. Quod Paulus Apostolus insinuauit, dicens: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari & omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Cur toties (inquit S. Chry. ho. in hæc Pauli verba) *omnes*, dixit? nonne sufficeret *omnes* semel pronunciasse, dicês: Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & per mare transierunt,

1. Cor. 10.

runt, &c. cur toties repetit *omnes, omnes*? Respondet S. Chrysost. *Hoc fecit, vt æqualitatem indicaret, volens indicare in nouâ lege (cuius vetus figura fuit) nõ esse discrimen serui, & liberi, neque ciuis, & aduenæ, neque senis & adolescentis, neque insipientis, & sapientis, neque Principis & priuati, sed omnis ætas, omnis dignitas, & vnaquæque natura, æqualiter in baptisterium descendit, & Rex, & pauper eâdem vtuntur purificatione, & similiter mendicus, & purpuram gestans, ad mysteria admittuntur, & in Sacramentis non ijsdem maior quàm illius est respectus. Sic & in veteri lege conuenienter omnes posuit: neque enim dicere potes, quod Moyses per aridam, & eius inferiores per mare transierunt, neque quod abundantes per vnam, & indigi per aliam viam, sed sub mari omnes, & sub nube omnes, & in Moyse omnes: nam transitus ille futuri Baptismi typus erat. oportebat igitur figuram illam bene omnia figurare, quod scilicet omnes eam tenerent, sicut & hîc omnes ex æquo participes sunt.* Ita S. Chrysost. Quòd autem figura nostra illa fuisset, Paulus ipse ibidem affirmauit, dicens: *Hæc autem in figura facta sunt nostri.* Hac igitur ratione æquè omnibus illi omnia euenerunt, vt æqualitatem nostram, & confraternitatem mutuam Deus explicaret.

A

B

Refert Marcus Marulus, dicens: *Frater Bernardus de Quintaualle Franciscanus, beati Francisci socius fuit, ab illius oculis veluti à lucidissimis duabus stellis miri splendoris radios promicare in visu conspexit frater Leo, & accepit, idcò ipsum habere fulgentes oculos, quod neminem vnquàm intuitus fuerat, quem se meliorem non judicaret. fertur enim si quem vili veste tectum aspiceret, sibimet dicere solitus: Hic patientius paupertatem tolerat, quàm ta Bernarde, & si quidem pretiosis indutum: Hic fortè sub veste delicata melior est, quàm tu Bernarde sub tunica rudi. meritò ergo oculi eius radiabant, quorum aciem nulla vnquam temeraty judicij hebetauerat lippitudo, & purum semper & integrum seruarat veræ sanctaq; humilitatis collyrium.* Ita ille. Ex.

C

Testè S. Chrysost. *Oculis charitatis vilia pretiosa videntur, & parua magna.* Ita ille. Qui conspicillis crystallinis ob tenuitatem oculorum vtitur, ea quæ in se parua sunt, magna esse judicat, licèt exigua ipsa sint, literas, v. g. Huiusmodi conspicillis similis charitas esse videtur: nam qui mediâ charitate Christianâ res proximi intuetur, ea quæ in proximo parua sunt, magna esse judicabit. *Las letras pequeñas del proximo pareceran letras de vn grande letrado, si se miran con ojos de charidad Christiana, y el poco valor de gran valia.*

Prop. XX. *Proximis benefacere debemus, quamuis ingrati sint.*

D

Seneca: *Numquam ne quærens quidem dicam: Electum & littore egentem excepi, hoc enim conuitium est, & in odium perducere beneficia: sed nihil (inquis) profecimus, dissimulat, oblitus est, quid facere debeo? Queris rem maximè necessariam, quomodo scilicet ingrati ferendi sint, nimirum placido animo, mansueto, magno, numquam te tam inhumanus, & immemor, & ingratus offendat, vt non dedisse delectet, numquam in has voces inuria impellat: Vellem non feciſſe tui beneficij, etiam infelicitas placeat. Perdidi, inquis, beneficium, numquid quæ Deo consecrauimus, perdidisse nos dicimus? inter consecrata beneficium est, etiamsi malè respondet, bene collocatum est, si non est ille qualis tu speraſti, esto tu qualis fuisti dissimilis ei.* Ita Seneca.

Prop. XXI. *Ad amorem proximi pertinet etiam ingratis benefacere.*

SVnt quidem beneficia ad comparandam beneuolentiam proximorum aptissima. nam, vti Philosophus quidam asseruit, qui beneficia inuenit, compedes inuenit. non enim sic corpus catena ligat, sicut animũ ligant beneficia. Vnde cùm Deus O. M. populum suũ sibi deuincire maximè vellet, *In funiculis*, inquit, *Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Vbi originale Hebræum sic habet, *In funiculis hominum traham eos*: tauri enim funibus, homines verò beneficiis trahuntur, beneficiis eos lucramur, & ad beneuolentiam nostram facilè adducimus.

Vnde Dauid, *Qui coronat te*, inquit, *in misericordia, & miserationibus.* Solent in bello duces, cùm ciuitatem aliquam capere, & in seruitutem redigere volunt, in modum coronæ eam cingere, & obsidere, ne aliqua ex parte obsessi euadere possint. Coronat igitur nos Deus, & obsidet vndequaque, vt nos sibi capiat, & in diuinam redigat seruitutem, in qua nostra & vera libertas consistit, non verò armis, & bellicis tormentis, sed misericordiis & misericordibus multis, & vinculis charitatis. Sic igitur & nos si corda proximorum capere, & captiuare delideramus, non pugnis & violentiis, sed beneficiis & amore id efficiamus. *Ps.* 102. 2.

At, inquis, multi adeò ingrati sunt, vt nec maximis beneficiis se deuinctos aut gratos ostendant. dicam tibi quod Seneca lib. 2. de beneficiis cap. 32. asseruit, *Non est magnanimi beneficium dare, & perdere, sed hoc est magni animi, beneficium perdere & dare.* Ita ille. Non est igitur præstandum beneficium propter gratitudinem, licet gratitudo adhibenda sit propter beneficium, sed beneficium, quia beneficium est, præstandum est: vnde nec ingrati à beneficiis nostris excludendi sunt. Huius rei exemplar ipse Deus est, qui pluit super justos & iniustos, & solem suum oriri facit super bonos & malos. Non meretur peccator beneficium, at Deus sibi (vt ita loquamur) debet, vt propter bonitatem suam infinitam malis benefaciat, licèt illi Deo ingratissimi sint. quid ni creatura creatorem suum imitetur? &c.

Prop. XXII. *Amare debemus proximum sicut membra se inuicem amant.*

SChrysost hom. 15. ad popul. Non solùm quantam amicos amicis exhibere necessitudinem decet, tantam nos in alterutrum vnionem præstare, sed quantam membrum membro: hoc enim amicitiæ & charitatis modò maiorem necessitudinem nullam quis vnquam inuenit. Sicut itaque non posses dicere: vnde mihi cum membro, & parte corporis mei necessitudo, & propinquitas? ita neque de fratre: ait enim Apostolus, *Omnes in vnum corpus baptizati sumus.* quid est, *in vnum corpus*? ne distrahatur, sed mutua inter se coniunctione, & amicitia corporis vnius consequentia conseruet, ne nos alterutrum despiciamus: *Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam.* Et propterea dominum vnam dedit nobis Deus, mundum, omnibus vnum Solem accendit, vnum extendit tectum, vnam apposuit mensam, deinde aliam hac multò maiorem mensam mysteriorum consortes norunt, quod dicitur, omnium vnum Baptisma, denique vna omnium patria, quæ est in cœlis, & de eodem calice omnes bibimus, non diuiti quidem ampliùs pretiosiùsque, pauperi verò viliùs & minùs. Vnde igitur tanta inter nos inæqualitas? *Chrysost.* *1. Cor. 12. 13.* *Eph. 5. 29*

C

ADDITIO.

In corpore membra, quæ parua sunt, haud paruum præbent vsum; sed auulsa magnis, ea vehementer obscurant. Quid enim pilis toto corpore vilius esse potest? at illos tamen ipsos quantumcumque viles, si vel à palpebris, vel ab oculo ipsis detondeas, omnem totius vultus gratiam deturpasti, oculusque iam ipse haud æque splendebit venustus: & quamquam incommodum leue sit, tamen elegantiam vultus omnem, neque elegantiam modò, sed vsum etiam præstantem illum, & animi ocluorum conturbat. Habet enim vnumquodque membrorum & propriam, & communem quandam virtutem: forma similiter peculiaru quædam in omnibus est, quædam communis. quæ quamquam discreta videantur, tamen ea lege naturâ copulata *Chrysost. in 1. ad Cor. c. 12. Hom. 30.*

sunt, vt altero pereunte, necessariò pereat alterum quoque, planeque totam rempublicam tangat, si quid accipit incommodi priuatus vnus. En igitur oculi clari sint, lucentesque, gena ridens, rubrum labrum, nasu rectus, supercilium procerum; horum quodcumque quomodocumque demutes, communi iam pulchritudini detraxisti: omniaque tristitia plena, turpia apparebunt omnia, quæ priùs erant venustà. nasum summum præcide, mox ingentem membris omnibus induxisti deformitatem. Ac in corpore per cætera pulcherrimo pedem vnum claudum, mancum videbitur corpus vniuersum, vnius sit membri hæc licèt orbitas. in manibus similiter vnum vnius digiti tolle vnguiculum, id ipsum, quod dixi, statim videbis. Lubet in membrorum viribus, officiisque id ipsum experiri; digitum vnum resica, cæteros ad opus senties cuncactores, neque pari iam strenuitate suum officium perfungentes. Communis igitur toti corpori turpitudo vnius membri damnum, ornamentum commune vnius membri salus cum sit, ne proximum fratres abiciamus, ne tam arctè nobis coniunctо temere insultemus. ab illo siquidem tam humili membro pulchrum illud, speciosumque, pulchrius, spectabiliusque euadit: & à ciliolis istis tantam oculi gratiam ceperunt. Itaque aduersùs se pugnat, qui aduersùs fratrem pugnat; non enim ad eum solùm redundat incommodum, qui accipit; sed is etiam, qui dedit, non minimam sustinebit partem.

Chrysost. in 4 ad Ephes. serm. 14. mihi 10. 1042.

Idem hoc argumentum prolixè alio loco prosequitur Chrysost. his verbis: *Num pedem fallit oculus, aut oculum pes? vtpote fictibi fouea profunda fuerit, quæ superne insperfis arundinibus, humoque occultè tecta, solidæ telluris speciem ipsa superficie ingerat oculis, numquid vretur hic pede, & cognoscet quale sit solum, num subsit vacuum, aut resultet, & repercutiat? non fallit pes, sed verum indicat. Quid vero si serpentem viderit oculus, aut malam bestiam, num fallit pedem? an non mox periculum annuntiat? & pes illud ex oculi indicio cognoscens vltra non progreditur? Quid verò si quando contigerit nec pede, nec oculo rerum cognitionem haberi posse, vtpote virum pestiferum sit pharmacum, nec ne? num ab odoratu fallitur os? nequaquam. quare? quia se ipsum simul perderet odoratus. Itaque quod sibi sentit aduersarium esse, hoc indicat. quid verò lingua? num illa stomachum seducit? non seducit, sed vbi amarum quid, & acerbum deprehenderit, proicit, dulce verò immittit. Vide ministerium, & vicissim ministerij retributionem. vide prouidentiam ex ipsa veritate, & sua sponte, vt dicitur. natam. ita & nos non mentiamur, siquidem membra sumus inuicem, amoris ipsud est indicium, contrarium verò inimicitiæ.*

S. Ambr. Lc 1. offi. 6. 7.

Non minùs vos diligo quos in Euangelio genui, quàm si coniugio fuscepissem. Non enim est vehementior natura ad diligendum, quàm gratia. plùs certè dilgere debemus, quos perpetuò nobiscum putamus futuros quam quos in hoc tantum sæculo.

Fundamentum. & initium est cultus Dei, amare Dei homines. Sextus Pythagorius in sententiis.

Prop. XXIII. *Amandus est proximus impensè & intensè.*

Rom. 13. 8.

AD Rom. 13. *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Exhortatus fuerat Romanos Paulus, vt debita persoluerent cunctis: *Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem*: cùm autem ad amorem venisset, huius eos per perpetuos vult debitores, amoris verò semper eritis debitores, cur ita, nunquid reliqua exhibenda sunt debitoribus, excepto amore? Absit; imò quod priùs solu-

vers. 7.

1. Pet. 4. 8.

endum est, amor est. Audi Apostolum Petrum, *Ante omnia*, inquit, *mutuam charitatem habete*, ante omnia, inquis, quomodo ergo hoc loco post omnia charitatem constituisti, & hanc nunquam censes persoluendam? Quiasi aliqualiter amorem proximi debitum possimus soluere, nunquam tamen persoluere: est enim supra vires solutionis nostræ debitum hoc. Vnde S.

Chrysost.

Chrysost. ibidem: *dilectionem Apostolus namquam reddi vult, imò semper reddi vult. Quomodo ista contradictionem non implicabunt? semper reddere, nunquam reddere, contradictoria videntur.* Subdit S. Chrysost. *quia non impleri, sed semper reddi debet, tale quippe debitum est dilectionis fraternæ, vt licet reddatur, semper debeatur.* Ita ille. Hoc autem sic expositit S. Tho. lect. 2. *Sunt debita quædam, à quibus homo nunquam se valet expedire, vno quidem modo propter excellentiam beneficij, cui æqualem recompensari non potest, sicut Philosophus de Deo & parentibus ait, quibus nostrum esse debemus, & Psalmist. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? alio modo propter ipsius debiti causam, quando semper manet.* Ita S. Thom. Ex duorum igitur horum principio facilè deducemus insolubile quidem esse debitum fraternæ dilectionis, quia scilicet debiti causa perpetua est. Primò, quia quantumuis proximo dilectionem exhibeamus, semper manet præceptum diligendi amplius, & semper proximum nostrum. Si quæ pecuniam debet, præceptum habet soluendi, at soluta illâ pecuniæ quantitate, cessauit præceptum: sed debitum charitatis, quantumuis quis amet, & faueat proximo in necessitate constituto, remanet præceptum amandi, & fauendi, quoties occurrerit occasio. Secundò, quia causa diligendi proximum, Deus est: *ille enim* (ait S. Greg. ho. 27. in Euan.) *vere citer charitatem habet, qui amicum diligit in Deo, & inimicum diligit propter Deum.* Quòd si amoris proximi Deus est in causa, quisnam est terminus eius amoris? Si rex alicui ex suis famulis, qui regi omnia, quæ possidet, & maiora debet, seruum committeret, dicens: Curam habe, & proprie illa, quæ mihi debes, illum tibi commendo: quis regi responderet? Domine, omnia, quæ habeo, à te accepi, imò & quæ soluere nequeo: si ergo propter debita tibi illum iuuare debeo, perpetuum me illi debitorem constituisti, licèt ille seruus emptitius sit. *Christus: Quamdiu fecistis vni, ex his minimis fratribus meis mihi fecistis*: q. d. propter me, ac si mihi tribuerem proximis fauete, & illos amate. Quisnam igitur hoc idoneus? quis item nostræ erga eum amandi dilectionis finis? Ideo ergo Apostolus: *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis*, quod cæteris debetis, satisfacerè soluendo potestis, sed amori nunquam: ergo quantum potes, tantum aude.

Attendant qui duobus obolis pauperi datis satisfacere superque charitati putant satisfactum, & non soluere sed Deum sibi debitorem iam esse: hi amoris Dei & proximi naturam ignorant, & se ipsos tantùm se amare demonstrant, &c. debetur ergo amor proximo, quia præceptum est, & insolubile debitum, quia propter Deum est.

Prop. XXIV. *Amandus est proximus operibus.*

DEut. 33. *Dominus de Sinai venit, & in dextera eius ignea lex. Dilexit populos, &c.* Item Moyses, dominum vidit in dextera sua legem igneam seu ignitam habentem. Dextera Domini in sacris literis filium Dei significare solet sæpissimè; cuius rationem assignat S. Gregorius, explicans illud Iob 14. *Operi manuum tuarum porriges dexteram, nomine dexteræ, Dei Filium designari, quia omnia per ipsum facta sunt.* Ita ille. Sicut igitur nos dexterâ nostra opera nostra facimus, sic Deus verbo diuino opera cuncta fecit, vnde meritò dextera dicitur Dei Patris. In hac ergo dextera vidit Moyses ignea lem legem, hoc est, legem Euangelicam amoris, amor enim ignis est. Nunc visioni huic visionem aliam Filij Dei videamus. Apoc. 1. Apostolus Ioannes vidit Christum Filium Dei habentem in ore gladium ex vtraque parte acutum, quid sibi vult in ore gladius, in manu vero ignea lex? manu solet accipi gladius, lex verò ore proferri; è conuerso igitur gladius in dextera, & lex in ore habenda videbatur. Mysterium accipe, ea quæ ad legem spectant, Deus in manu gerit, quia quæ amoris sunt, & ad charitatem nostram spectant, non

Deut. 33.

Gregor. lib.

non in ore solùm promittendo verbis, sed in manu A tribuenda defert: at quæ ad gladium, & ad supplicium spectant, in ore Dominus in vita gerebat, minitando, terrendo, verbis arguendo: *Væ vobis diuitibus, væ vobis Pharisæi, væ vobis hypocritis*, quæ verò charitatis erant, manu, & opere præstabat, sanando infirmos, consolando afflictos, liberando à dæmone oppressos, resuscitando mortuos, & peccatoribus parcendo. Quòd si aliquando in vita flagellum arripuisse eum audis, quo peccantes flagellaret, non flagellum, sed quasi flagellum; aduerte quia ex funiculis, qui vulnerare non possent, flagellum confecit, idque non tam ad supplicium, quàm ad correctionem & remedium. Exemplar quidem nostrum Christus est, maximè charitatis: vnde ait: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Ioan. 15. Ille ergo opere dilexit, non verbo, castigabat, non opere pernicioso: & tu fac similiter, exemplar imitare, & opere dilige. Quod si aliquando castigare ex officio, & charitate fuerit opus, ac verbo, aut quasi flagello, præsta secundùm quod ad fratris correctionem fuerit necessarium, non ad vindictam & B iræ executionem. Vnde Apostol. Ioan. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Vbi S. Chrysost. *Non diligamus verbo, scilicet tantùm, sed verbo tantùm diligit, qui tantùm promittit, sed non soluit: multi nobis ostendunt verbo amorem, sed opere nihil.* Ita sanctus Chrysostomus.

S. Thomas 2.2. q. 131. art. 1. *Illud* (inquit) *in quo homo excellit datur illi à Deo, vt ex eo alios prosit.* Ita S. Thom. quod eius expositores in illo principio fundari aiunt ex D. Dionysio. *Bonum est sui diffusiuum*: qui quidem terminus liquoribus quadrat: hi enim sunt, qui per diffusionem communicantur. Ait ergo bonum est sui diffusiuum, hoc est, de genere aquarum, aquam enim si comprimere intra manum velis, inter digitos diffluit: sic naturâ suâ est bonum, nõ fert comprehensionẽ vllam, sed eo ipso diffluit in alios. Ex hoc autem principio, aliud Theologi deducunt, quòd fœlicet superiora debent ad inferiora diffundi, sicut, verbi gratiâ, in artificialibus fontibus, qui in viridariis fieri solent, in parte superiori vas quoddam amplum solet apponi, C ex quo aqua diffluit in alia minora & inferiora vasa. *La copa superior de la fuente se derrama y esparce por las otras tazas inferiores, y perillos de aqua.* Sic Deus superiora potioribus ditauit bonis, vt ea inferioribus liberaliter cõmunicarent. sicut Sol, qui actionum omnium superior est, lucem suam sine inuidia diffusè communicat astris, & omnibus rebus. Sic ergo inter homines Deus aliquos ditiores, & locupletiores fecit, vt bona sua pauperibus communicent, & sapientiores alios, vt insipientes doceant, & prudentiores aliquos, vt alios dirigant prudentiâ suâ: quod in magnam ipsorum fœlicitatem cedit, non solùm quia propter hoc fœliciores erunt in cælo, sed quia beatius est ex se magis dare, quàm accipere: *Son los buenes en nosotros, como depositos generales y montes de piedad, y arcas de misericordia para remedio de menesterosos.*

Optima huius similitudo ex nostro sumitur stoma- D cho: recipit enim à te stomachus tuus cibum omnem, & quidem non vt sibi reseruet illum, sed vt in reliquas partes corporis distribuat, aliàs si tantummodò sibi cibos corporis asseruaret, periret corpus, periret & ipse. Ita diues velut stomachus Reipubl. est, recipit à Deo bona, non vt sibi reseruet, sed vt reliquis tribuat commembris, aliàs & ipse peribit in iudicio Dei, sicut in illo diuite constat, qui animæ suæ dicebat: *Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos*, non dixit posita tibi, & pauperibus, &c. Cui Dominus: *Stulte*, quid alis Domine, in annos plurimos nouit recondere bona, & stultum eum appellas? nos hunc prudentem & sapientem nuncupamus: ego verò, ait, stultum. cur ita? Primò, quia stultus est, qui ignorat, quod faciat, dies hic sibi thesaurizans, ignorauit thesaurorum finem, qui vt distribuantur etiam à Deo concessi sunt. Secundò quia si prodesse hoc cogitans, sibi valde nocuit. vnde ipse damnatus fuit, & generali sententia dictum à Deo: Sic erit, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives, hoc est, in pauperes: nam *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* *Matt. 25. 40.*

1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera 1 Ioan 3. 17. sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* & subdit, *Filioli mei, non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere, & veritate.* Sunt enim nonnulli, qui verbis sc. charissimos exhibent, & nimium amare alios prætendunt, & cùm possint operibus amorem comprobare, nolunt: hi fictè & verbotenus amant, non veritate. Nam vt ait S. Gregorius, *amor operatur magna, si est: quod si operari renuit, amor non est.* *Gregor.*

Moyses ille qui tot tantaque prodigia in fauorem filiorum Israel effecit, quique periculo se mortis exposuit pro filiis Israel, qui denique magnas & graues manus habebat, *Non sum eloquens*, dicebat, *ab heri & nudiustertius*: tales requiret amantes Dominus, qui parcè loquantur, & abundanter operentur. *Exod. 4. 10.*

Sic Dominus Christus, qui nobis amandi normam factus est, in passione sua vix verbum ex ore eius extrahere judices ipsi valebant, vnde Herodes stultum eum judicauit, cùm tamen honorem, & sanguinem, & vitam, profuderit pro nobis. Sunt autem, qui se sanctos existimant, quia orant, quia verbum Dei audiant, legantque libros sanctos, & denique diuina meditentur, & in hoc se amare Deum cognoscant, sed quidem amor Dei sine amore proximi esse non potest, idcò in superiori loco Ioannes conclusit, *Quomodo charitas Dei manet in illo?* cùm potius dicendum videretur, quomodo charitas manet in illo. Benè argumentatus fuit, quia charitas Dei & proximi, se ad inuicem consequuntur, ergo quantumuis quis oret, meditetur, &c. si charitati proximi desuerit, neque charitas Dei in eo est.

Hinc est quod Ezech. 1. animalia illa pennata sub qualibet ala manum hominis habebant, ita vt leo sub alis, & aquila sub alis: non vngues ad rapiendum, sicut leo & aquila solent, sed manus hominis, quæ humanitatem & benignitatem important, habebant, quia qui alis vere in altum volat, hoc est, qui vere & fideliter in diuina oratione, lectione, meditatione, & verbo Dei eleuatur, vt charitatem Dei habeat, manus sub pennis habere debet, alioquin non vere & fideliter orat, & meditatur, &c. sed fictè, seque ipsum vere decipit.

Filioli mei non diligamus verbo neque linguâ, sed opere & veritate, hoc est, quòd vulgari sermone dicere solemus, *obras son amores que no buenas razones.* Explicat autem S. Augustinus hunc locum tract 6. in epistol. Ioannis, dicens: *Non inquit Apostolus Ioannes, diligamus verbo tantùm, & linguâ, sed opere & veritate. Quæritur à nobis, in quo opere, & in qua veritate agnoscatur, qui diligit Deum, vel qui diligit fratrem suum: iam superiùs dixerat, quomodo charitas perficiatur; sicut, inquit, Christus animam suam pro nobis posuit, debemus etiam & nos animam pro fratribus ponere. Quod & Dominus in Euangelio ait:* Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. *Hæc est perfectio charitatis, & maior omnino non potest inuenirii. Sed quia non in omnibus perficta est, & desperare non debet, in quo perfecta non est, si iam nata est, perficiatur, & vtique si nata est, nutrienda est, & quibusdam suis nutrimentis ad perfectionem propriam perducenda. Quærimus ergo inchoationem charitatis, vnde incipit charitas, & vbi continuò inuenimus,* Si quis (*inquit Ioannes*) habet facultatem huius mundi, & viderit fratrem suum egentem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? *ergo hìc incipit ista charitas fratris, vt de sua perficiatur* *1 Ioan. 3. 18.*

perfluis tribuat egenti, & à tribulatione præsenti liberet fratrem. hinc exordium est charitatis, hanc ita cœptam, si verbo Dei in spe vitæ futuræ nutrieris, peruenies ad illam perfectionem, vt paratus sis animam tuam ponere pro fratribus tuis. Ita S. Augustinus. diligere ergo fratrem nostrum opere & veritate, est ei in necessitate & tribulatione succurrere, & cùm opus fuerit, animam & vitam ponere pro illo.

Sed ponderanda sunt verba illa, *non diligamus verbo & linguâ.* sunt enim multi, quos vidit & præuidit Apostolus Ioannes, qui linguâ & verbis magnam præ se ferunt amicitiam & charitatem, sed in lingua & verbis tantùm sistit & consistit talis dilectio. *Tienen palabras de cumplimiento, mas no cumplimiento de palabras.* Dicunt, sed non faciunt, hi sunt, qui verbo & linguâ diligunt proximum suum, non verò opere & veritate. Qui ergo verè diligere optat, operibus affectum debet firmare ac confirmare.

Mat. 7. 12 Vnde Christus Dominus, *Omnia quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc est enim lex & Prophetæ,* hoc est, in hoc consistit perfecta lex charitatis proximi. Ad hæc verba, ait S. Chrys. hom 17. in 2. ad Cor. *Vidisti quomodo ostendit naturæ legem esse, & nonegere nos externis legibus, & doctoribus: quæ enim volumus pati, vel non pati à proximis, ea ipsa imperemus nobis, & sic legem nobis ponamus. & ita si voluerus quidem non pati, faceris autem illud, aut contra velles quidem hoc fieri, nec tamen aliis feceris, reus factus es, & nullâ jam excusatione frueris quæ sis ignorans, & quæ facienda sint nesciens. Ideò oro vt excitatâ hâc lege in nobis ipsis, & per nos ipsos legamus hæc tam brevia & manifesta scripta, taleisq; finibus erga proximum, quales & illos erga nos esse volumus, vt in præsenti copia fruamur, & futura bona assequamur.* Ita S. Chrysost.

Ad Galath. 4. sic Paulus: *Testimonium perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis & dedissetis mihi.* Ponderans verba hæc S. Chrysost. ait: *Quem ita suscipiebant, & pro quo oculos erutos dedissent, quomodo non omnia quæ illorum erant possidebat?* Ita ille. Vide illum vbi infrà.

Gal. 4. 15. Est quidem optima consequentia: Eum valde Galatæ diligebant, ergo Pauli erant eorum bona. Ideò Apostolus 1. ad Corinth. 6. dicebat: *Nihil habentes & omnia possidentes:* quia se ab illis dilectum videns, bonorum illorum se dominum arbitrabatur. Sic locum hunc interpretatur Sanct. Chrysostomus. homilia 12. in 2. ad Corinth.

S. Chrys.

Prop. XXV. *Contra eos qui ore diligunt proximos, non verò corde.*

SVnt qui amorem exteriùs fingunt, cùm intus odium celent, *que tienen palabras de cumplimiento, mas no cumplimiento de palabras*, imò qui, sicut Iudas illum amanter salutent, & osculentur, quem verè ac realiter vendunt, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, qui eclant inimicitias sub amicitiæ pallio.

Ad hoc Apostolus Ioannes *Filioli*, inquit, *non diligamus verbo & lingua, sed opere & veritate*: hoc monet, quia

1. Ioan. 3. inuisus suprà modum est Deo fictus amor, sicut omnibus inuisi sunt, qui falsificant monetam, quos vel comburunt igne, vel acerbâ aliâ morte eos afficiunt, sunt enim Reipublicæ valde perniciosi. Moneta cæli est amor, amor, inquam, est qui operibus nostris valorem tribuit: falsificat ergo monetam cæli, qui fictè amat. quòd si falsificantem monetam terræ sic punit Rex terrestris, quidni falsificantem monetam cæli seuerè puniat Rex cælestis? Vnde cùm Iudas Christum traderet inimicis, *Iuda*, inquit, *osculo filium hominis tradis?* non ait: Iuda, cur me tradis quærentibus me ad mortem, sed osculo id facis? quod sic interpretatur sanctus Ambrosius: *O Iuda, amoris pignore vultus instigas, charitatis officio sanguinem fundis, & pacis instrumento irrogas mortem?* Ita ille. Sic Deus fictum abhorret amorem.

Sanctus Antonius de Padua explicans locum Ecclesiastici, *Va duplici corde, &c.* hominem duplicis cordis ait esse monstrum quoddam extrauagans, & peregrinum: natura enim permittens monstruositatem in membris, in corde nunquam admittit: videbis enim hominem quatuor manus, vel quatuor pedes, vel duo capita habentem, hominem verò duo corda tenentem nullquam & nunquam visum est, quia cor est principium vitæ. Vnde sicut non potest esse duplex vita in nobis, sic nec duplex cor: meritò igitur monstrum peregrinum dicemus hominem duplici corde, vnum fingentem in ore, aliud in corde gestans.

Rectè Cicero hominem fallacem describens, ait: *Fallax frontem aperit, & contegit.* Ita ille. Quo, inquit, tegit cor? tegit quidem cor interiùs, eò quòd detegit exteriùs, odium occultum tegit charitate quadam exteriore, mendacium veritate, vitium virtute, &c. Vnde jure in sacris Literis vulpes isti vocantur: vulpes enim, vt nonnulli adnotarunt, foliis vitis se contegunt, vt vitis deuorent vuas: ideò, *Capite*, inquit, *nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, &c.* sic etiam hi vitium foliis tecti virtutem ipsam deturbant. Vnde S. Chrysolog. *Virtutem necat mucrone virtutis, iejunium ieiunio, misericordia perimit misericordiam.* Ita iste. Sicut Iudas, cui meritò fallaces isti & deceptores comparantur, ille enim osculo occultauit traditionem, & salutatione venditionem Christi. *Aue*, inquit, *Rabbi, & osculatus est eum, cui Dominus: Osculo filium hominis tradis?* q.d. Magistrum vocas, quem hostibus tradis? aue dicis, cui mortem paras? osculaeris eum quem ipso osculo hostibus manifestas. *Quemcumque osculatus fuero, ipse est*, inquit, *tenete eum.* Ecce cui meritò assimilantur hi deceptores, non Gnatonem, sed Iudam huiusmodi hominem nuncupato.

Vnde jure optimo ordinauit Deus Iudam suspensum euiscerari, *Suspensus*, inquit, *crepuit medius.*

Prop. XXVI. *Amandus est proximus, licèt ipse non redamet.*

SI me proximus (inquies) non diligit, cur ego diligam eum? De hac re sic S. Chrys. ho. 27. in epist. ad Rom. *Si quis abs te seipsum auellere cupiat, tu vide ne, quantùm in te est, auellaris ab ipso. Neque frigidum istud, & imbecilli animi proferas verbum; Diligam, si dilexerit me, sed si quando amare te noluerit, tunc maiorem etiam dilectionem ostendito, quatenus ipsum attrahas. Membrum, siquidem est: membrum verò si necessitate quapiam à reliquo fuerit corpore abscindendum, nihil non molimur, quò illud iterum coniungamus & vniamus, ita vt nunquam maiorem curam impendamus, quam tunc; ita etiam tibi faciendum.* Ita S. Chrys. Supponit, quod alio in loco Apost, inquit, *nos esse membra corporis Christi, ipsum verò caput: quum igitur membrum à iunctura sua aliquantulùm recedit, vide quantum inde accipiamus dolorem, quamanique curam adhibeamus, vt in suum connaturalem locum reuocemus: sic si vnum corpus fuerimus, dolere vehementer debemus, & omnem solicitudinem adhibere, vt iterum reuniamur, alioquin indicium magnum exhibemus, nos à compage charitatis esse alienos: illud enim membrum à dolore corporis alienum est, quod à corpore ipso abscissum est.*

Aliam rationem ad hoc S. Cryf. ibi annectit: Tum enim maior tibi expectanda merces est, quando diligere recusantem attraxeris. Si enim eos potissimum ad prandium vocare iubet, qui vicem rependere nequeunt, quò aucta nos maneat retributio, multò magis circa dilectionem hoc nos facere oportet. Qui enim dilectus diligit, mercedem eò ipsò tam reddidit sibi: qui verò diligens non diligitur, Deum pro se ipso debitorem sibi constituit. Ita ille. Obserua loqui S. Chrys. à communiter

niter accidentibus : ille qui dilectus diligit, non ex charitate, sed ex gratitudine, vel amore quodam naturali communiter amat. quod ex eo patet, quia si alter non redamet, ipsum amare non vult : de quibus
Luc. 6. 46 etiam Christus Dominus Matt. 9. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? nonne & publicani hoc faciunt?*

Tertiam rationem adhibet S. Chrysost. ex maiori proximi necessitate. *Si te ille dilexit* (inquit) *non tuâ curâ opus erit illi; si verò non dilexerit, tum potissimum tuâ curâ iuuandus erit. Causam itaque cura & diligentiæ, ne causam fecerit negligentiæ atque socordiæ.* Ita ille. Sicut si quis diceret: Nolo illius curam habere, quia infirmus est : imò, quia infirmus est, oportet illius gerere curam : infirmus quidem est, qui non amat, & valde infirmus ad mortem quidem; quia qui non diligit, manet in morte; tunc igitur potissimum tua eget cura. Ideò Chri-
Matt. 9. 12 stus Dominus Matt 9. *Non opus est valentibus medico, sed malè habentibus*, hoc ideò dicebat, quia cùm propterea inepti quidam eum accusabant quòd cum peccatoribus manducaret, quasi hi non maiori cura & charitate aliorum egerent, & quasi ideò relinquendi, quia infirmi: tunc igitur Christus ideò se eos amare ostendit, quia ad amorem eos reuocabat.

Sic & Moyses quamuis sæpè eum auersati essent filij Israel, cùm ipsius ope illi indigerent, sic pro eis
Exod. 32. orabat : *Aut dimitte illu hoc peccatum, aut dele me de libro vitæ.* Hic hic verè amabat, hic non mercenarium amorem habebat, hic mercedem maximam propterà recepit à Deo.

Sic & Samuel, quamuis à populo ingrato reiectus, quum regem & gubernatorem alium erexerunt, absit inquit, vt cessem orare pro vobis, ideò hic etiam gratissimus Deo fuit, & mercedem etiam multam est consequutus. Ab his, ab his amare discе, non amandos, vbi charitas Dei non est.

Rectè igitur sic concludit S. Chrys. ibi, *Ne dicas auersantes me non possum accedere, sed die, quoniam auersantes me nequeo auersari, non digas, no puedo ver a los que no me quieren bien, sino no puedo dexar de querer bien a los que no me pueden ver.*

Prop. XXVII. *Qui amat proximum, curat valde de his quæ ad eum spectant.*

ERat Christus in magno vitæ discrimine constitutus, Patremque non semel orabat: at inter orandum quantâ discipulorum curâ, & solicitudine afficeretur, constat: nam ter orationem dimisit, vt ad discipulos pergens eos à somno excitaret. Cur eos ita excitabat? an quia omnino eos dormire nolebat? Minimè, quippe qui Ioanni pectus pro cruciali, vt dormiret, exhibuit. An vt seipsum ab inimicis defenderent? Non: cùm Petro sub interminatione mortis, ne id faceret, imperarit. Cur igitur? Quia vigilare quidem tunc illis maximè expediebat. Vnde & dicebat:
Matt. 26. 41. *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum*, hac ergo ratione
Ezech. 22. 31 toties orationem interrupit, *y lo dexaba con la palabra en la boca.* sicut enim Gilbertus Abbas asserit, charitati innata est solicitudo quædam, ideo tertiò orationem intermittens ad eos se conferebat.

Sic etiam Ioan. Baptista in carcere constitutus, quamuis sibi mortis periculum imminere prospiceret, vocans duos ex discipulis, misit ad Iesum, vt interrogarent eum, *Tu es qui venturus es?* quod idem faciebat, vti
Matt. 11. S. Chryso. & alij communiter asserunt, vt discipulos suos, assumpta occasione, ascisceret Christo. Quis non putaret id eum suâ causâ præstare? vt scil. vel regem pro eo rogarent, vel vt Christus sicuti aliòs à morborum & dæmonum potestate liberabat, sic ipsum ab Herodis eripere potestate? erat n. in magno vitæ periculo constitutus: at charitas Ioannis id efficiebat, vt sui oblitus, non quæ sua erant, sed quæ discipulorum curaret.

Sed illud hac in re mirandum valde, quòd cùm Absalom contra Dauid patrem suum insurgeret, præcepit (sicut Scriptura diuina inquit) Dauid Ioab, &
2. Reg. 18. 5 Abisai, & Ethai, dicens: *Seruate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Absalom.* Quid ais, rex, impium filium qui te à regno, vita deturbare conatur, seruare iubes? qui mille mortibus dignus est, in bello, qui te occidere intendit, indemnis abibit? ex illius morte tua vita cùm pendeat, à morte seruandum cupis, & mandas? Ita, quia valde eum diligebat, & charitati innata est solicitudo hæc.

Hinc colligere licet, quid de his sentiendum sit, qui omni suo periculo subnoto, nullam proximorum in necessitate aliqua existentium curam gerunt, siue, inquam, illi in xenodochio grauiter ægrotantes iacent, siue in carcere vincti doleant, siue domi suæ fame graui premantur, nihil ad eos spectare videatur, siue inter infideles captiui detineantur, & non sine salutis æternæ id fiat damno. Vbinam charitas? Audi Ioannem Apost. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera*
1. Io. 3 17. *sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* denique qui potest proximo in sua necessitate fauere, licèt aliqua interueniat difficultas, & non fauet, quomodo charitas Dei manet in eo?

Prop XXVIII. *Qui verè amat proximum, ea quæ sunt proximi curat, etiam cum aliquo detrimento proprio.*

CHaritas non quærit quæ sua sunt, hoc est, qui proximum charitate amat, non quærit per huiusmodi
1 Cor. 13. 5. amicitiam, quæ sua sunt, sed quæ proximi, cum detrimento etiã suo. Sic Ionathas amabat Dauidẽ: nam licet
1. Reg. 20. 30. grauiter Ionathas à patre suo Saule ob talem amicitiã increparetur, & ob id filiũ meretricis eum vocaret, dicens: *Fili mulieris virum vltio rapientis*, quæ verba opprobrij plena erant, & valde ignominiosa, ipse tamẽ nihil ideò quæstus est, nec quidquam indoluit, nec ob id destituit amicum, nec dixit: Graue quidem est me principem Israelis apud Regem & patrem meum ita malè audire pro vulgari quodam homine, ac vago, cui satis est inter famulos meos computari, nihil tamen tale dixit, nihil principem huius amicitiæ pudebat, nihil minus quàm pro sibi æquali pro illo fecit, quantumuis huiusmodi nocumentum experiretur, quia charitas non quærit quæ sua sunt, &, vt ait S. Chrysost.
Hom. 33. in 1. ad Corinth. *probrum & dedecus quid sit, ignorat charitas, & ob id de his rebus gloriatur, quæ propter despectum fugiunt alij. Amare nescire est periculum pro charo non sustinere. Amicus enim est cui vna proposita est salus, & vtilitas amici.* Ita ille. Idcò Ionathas nec opprobriis lacessitus, nec ictu lanceæ appetitus à dilectione Dauidis cessauit.

Gen. 27. 12. Sic etiam Rebecca diligebat filium suum minorem Iacob, quæ omnibus modis benedictionem patris illi procurauit, & non est vérita, quod in re adeò graui deprehenderetur, imò filio hæsitanti, & dicenti: *Timeo ne putet me pater sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionem pro benedictione*: hæc, inquam, dicenti filio respondit mater: *In me sit ista maledictio fili mi, tantùm audi vocem meam, &c.* Ecce vt benedictionem consequeretur filio, maledictioni viri seipsam offerebat, sic verus amor non quærit quæ sua sunt, sed quæ dilecti.

Prop. XXIX. *Proximis fauere debemus in spiritualibus.*

DIces, non ego concionator, non confessarius sum, non saccerdos, non religiosus, vt spiritualibus ministeriis proximis fauere queam, sed coniugatus, & temporalibus negotiis implicatus, &c. Huic ego his Senecæ verbis respondebo lib. 1. de tranquil. vitæ c. 3. *Non ille solus militat, qui stat in acie, & cornu dextrum defendit, sed etiam qui portas tuetur, & stationem minùs periculosa, non tamen otiosa, fungitur, vigiliasq; seruat & armentario præest. Quæ ministeria, quamuis incruenta sint, in numero tamen veniunt stipendiorum.* Ita ille. Ita ego tibi, non solùm enim proximorum æterna salus ab his iuuatur, qui concionantur, & confessiones excipiunt, sed ab his etiam, qui concionanti, & confessiones audienti, & religiosis opitulantur, hi eleemosynis & temporalibus subsidiis concionantur, & spiritualia ministeria administrant: quia sicut agentes, & consentientes pari pœnâ puniuntur, quia scipsos pariter juuant, sic qui recipiunt Prophetam in nomine Prophetæ, accipiunt mercedem Prophetæ.

Chrysost. S. Chrysost. tom. 5. lib. 3. aduersùs vituper. vitæ monast. *Iudex tunc nostram & proximorum salutem requiret à nobis. Idcircò Paulus monet singulos, non quæ sua sunt quærere, sed quæ proximorum. Ideò in Corinthios vehementer inuehitur, quòd nullam prouidentiam, nullam curam habuerant eius, qui in grauissimum inciderat crimen; sed magis eius vulnus tumidum, obduratumq; contempserant. Galatis quoque eadem*

Gal. 6. 1. *scribens, aiebat:* Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi corrigite. Et *Thessal.* Exhortamini inuicem, corripite indisciplinatos, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos, *ne quis scilicet, diceret: Quid mea interest aliorum curare salutem? qui perit, pereat: & qui seruatur, seruetur: nihil horum pertinet ad me. Itaque & si vitam omnem nostram diligentissimè composuerimus, hâc non euitatâ negligentiâ, nihil emolumenti consequemur: illa enim sola in gehenna profunda poterit immergere nos. Si enim is qui proximum in eis rebus, quæ ad corpus pertinent, adiuuare noluerit, nullâ ratione excusari poterit, verùm etsi virginitatem ille seruauerit extra gloriam proiicitur: is qui quod multò maius est omiserit, longè quippe maximum est animarum gubernatio & regimen, cur non mala maiora perpeti meritò dignus existimatur? hominem enim, nō vt sibi ipsi tantùm prodesset, creauit Deus, sed vt multis. Idcircò Paulus fideles vocat luminaria, ex ipsa appellatione manifestans, oportere fideles cæteris quoque vsui esse & luminare quamdiu seipsum tantumodo, luminare profectò non non est. Quare gentilibus quoque ipsis deteriores esse ait, qui proximi salutem neglexerint, sic dicens:* Si quis autem suorum, & maximè domesticorum prouidentiam non

1. Tim. 5. 8. gerit, fidem negauit, & infideli deterior est. *Quid autem hoc loco prouidentiæ nomine significari existimas? an fortassis necessariorum largitionem? Equidem reor ipsum hoc nomine curam animæ significare voluisse. Sin verò tu contentiosè sensum tuum asserre malueris, sic quoque sententia mea firmior ac validior manebit. Nam si de corpore hoc dixit, & eum qui vilem hunc & quotidianum cibum non præbet, tantis cruciatibus addixit, & gentilibus deteriorem esse ait, quonam tandem in loco statuemus eum, qui id quod longè maius & dignius est, & magis necessarium, contemnit.* Ita S. Chrysost.

Prop. XXX. *Ad amorem proximi spectat peccatores conuertere.*

Chrysost. S. Anctus Chrysostomus oratione 4. in 1. ad Corint. cap. 1. *Nullius rei pretium est cum anima conferendum, nec totus quidem mundus. Quare etiamsi diuitias innumerabiles pauperibus erogauerit, nihil tale efficies, quale si qui animam conuertit. Magnum bonum est, egenorum misereri, sed nihil tale est, quale ab errore liberare: qui ergo id facit, fit sicut*

A *Petrus & Paulus. licet enim vobis eorum suscipere prædicationem, non vt periculum adeamus, sicut illi, famem ac pestem sustineamus, præsens enim tempus pacis est, sed vt studium ostendamus, quod ex alacritate animi existit. Hæc ergo qui facit, erit sicut Petrus & Paulus. quid dico sicut Petrus? erit os Christi. qui enim pretiosum educit de vili erit tanquam os meum. Quòd si non persuaserit hodie, cras persuadebit, quòd si nunquam persuaserit multis, pauci ex multis poterit persuadere: nam & Apostoli non omnibus persuaserunt, locuti sunt tamen cum omnibus, & mercedem, quæ pro omnibus debetur, habituri. Non enim ex exitu eorum, quæ rectè fiunt, sed ex mente eorum qui rectè faciunt, solet Deus coronas desinere, etsi duo immiseru oboios, accipit, & quod fecit in vidua, hoc quoque faciet in docentibus. non ergo propter magnorum desiderium à paucis te subtrahas, aut paruis, si non potes, centum, decem curam habe, si decem non potes, quinque non desperes. quod si quinque non potes, vnum noli desperari, & si nec vnum possis, nolit animum deiondere. Nonne vides quòd etiam in contractibus, non solùm ex auro, sed etiam ex argento, exturent mercaturam, qui conuersantur in his? si enim parua non*

B *despexerimus, magna etiam apprehendemus: si vero parua despexerimus, nec magna facile accipiemus. ita & nos sæpenumero, vt cùm in omnibus diuites facti fuerimus, regnum cælorum assequamur, &c.* Ita S. Chrysost.

Prop. XXXI. *Qui proximum verè amat, salutem animæ eius procurare debet.*

QVid est quod Christus Dominus cùm pendens in cruce pro crucifigentibus se oraret, dixit: *Pater dimitte illis, &c.* cùm verò pro scipso: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* juxta illud, *Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* cur non ait: Pater, Pater mi, quare me dereliquisti? quia ad mouendas paterna viscera, & ad misericordiam ea flectendum, accommodatius est dulce ac tenerum Patris nomen, quàm Dei. Petebat autem pro se ea, quæ ad vitam temporalem spectabat, pro crucifigentibus autem ea, quæ ad vitam æternam, ideò in oratione pro illis verba, quæ de se magis ad misericordiam inclinabant, apposuit quò nobis significaret, pro rebus spiritualibus proximi maiori affectione, quàm pro rebus temporalibus nostris nos orare, & attendere debere.

C S. Chrysost. *Fratrum nostrorum salutis curam geramus: hæc nam hoc nostræ salutis argumentum erit, & occasio. Audi Prophetam Ierem. Qui eduxit pretiosum à vili quasi os meum erit. Quid hoc est? Qui ab errore ad veritatem, aut manuduxerit, vel à peccato ad virtutem proximum induxerit, pro viri: humano me imitatur: etenim ipse cùm Deus sit, propter nihil aliud nostram induit carnem, & alta humana plura sustinuit, & crucem quoque susceperit, nisi vt nos, peccato obnoxios, à maledicto liberaret. & hoc quoque Paulus clamat, dicens:* Christus nos redemit à maledicto legis, factus *Gal.* pro nobis maledictum. *Si ergo Deus, qui est impassibilis essentiæ, ob misericordiam ineffabilem hæc omnia propter nos, & propter nostram salutem suscepit, cur non & nos erga fratres justi sumus, & agnoscentes eos membra nostra, & eripientes ex faucibus diaboli in viam inducimus virtutis: nam vt anima corpore melior est, ita iis qui indigentibus pecuniæ & facultates suppeditant, maioribus præmiis digni sunt hi qui admonendo, & docendo in viam rectam supinos & desides inducunt, monstrando eis virtutum fragrantiam, & vitiorum malcolentiam.* Ita S. Chrysost.

D

Prop. XXXII. *Qui amat proximum eius honoris curam gerere debet.*

SIc in Christo Domino adnotauit S. Chrysostom. hom. 9. de pœnitentia tom. 5. *Negauit Petrus, & Christus respiciens in eum, vocem per intuitū dimisit: non enim ore loquutus est, ne ipsum fortè inter Iudæos redargueret, & proprium confunderet discipulum, sed per oculum demittens vocem*

cem, quasi diceret: *Petre, quod dixi factum est. Igitur Petrus* A *timens cœpit flere, & non flevit modò, sed amarè, secundùm Baptismæ per lacrymas ex oculis ostendens.* Ita S. Chrysost. Quod & in Iuda poteris verificare, quem licèt tartaro dignum, ipsum in cœna nominare traditorem noluit, sed solùm in communi & per signa dicens: *Unus vestrum me traditurus est*, &c.

Prop. XXXIII. *Ad amorem proximi spectat excusare defectus eorum.*

Sic Dominus ad Discipulos ambitiosè sedes primas ambientes: *Nescitis*, inquit, *quid petatis*, non dixit, vos ambitiosi & superbi estis, sed ignorantes, & nescientes postulare, vt nos proximorum nostrorum errata non aggrauare, sed extenuare discamus.

Sic in horto cùm desides & dormientes discipulos eo tempore videret; quo maximè eos vigilare oportebat, tum sui tum Domini sui causâ, sic ad eos Chri- B stus: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, infirmitati eorum desidiam attribuit, & spiritus promptitudinem laudat, ita de proximi defectibus judicandum Christus docet.

Imò cùm peccatum illud grauissimum occidentium filium Dei (quem tot argumentis adorare tenebantur, & Deum confiteri,) dignum quouis supplicio esset; etiam excusauit in cruce Dominus pro ipsis Patrem orans, & dicens: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* non dixit, Pater, puni illos pro facinore tanto, secundùm ipsius peccati exigentiam, sed, dimitte illis: & vt culpam tantam extenuaret, *Non*, inquit, *sciunt quid faciunt*, nesciunt quidem quid faciunt, si enim scirent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent, sed scire tenebantur, quis ille esset, qui talia ac tanta miracula edebat, qui verbo dæmones effuga- C bat, qui mortuos ad vitam reuocabat, qui diuinis virtutibus fulgebat, qui zelo summo animas à peccatis suis conuertebat, & fulgore vitæ suæ, vel ipsos illuminabat cæcos, qui cognoscebat abscondita cordis, futura prædicebat, & auctoritate maximâ miraculis confirmata, peccata dimittebat, hunc occidere, hunc crucifigere, quis excusabit? quis? Christus Dominus excusauit, & pro ipsis orauit: sic vbique Magister noster cœlestis nos proximos diligere docet, & eos excusare. Didicit hanc à Christo doctrinam B. Petrus, qui post resurrectionem Iudæis prædicans dixit: *Propter ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri*, non grauitatem scelleris attollit, sed grauitatem illam secundùm suam possibilitatem tollit.

Vnde S. Bernard. *Etiamsi perperam actum quid deprehendas, excusa intentionem si opus non potes, existima ignorantiam, existima subreptionem, existima casum. quòd si omnem dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominùs tibi, & dic: Vehemens fuit nimis tentatio, quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?* Ita S. Bernard. damnare enim absque delectu proximum, dæmonis est: ipse enim cùm Dominum audiret laudantem Iob, dixit id Iobum præstare, non Dei amore, sed proprio, nescil à Deo puniretur, si eum non coleret.

At, inquies, omnes oppositum sentiunt, & communis fama aliud sentire non patitur. imò vulgus sæpissimè errat, cuiusuis enim dicta & errores amplecti solet, & fama celebrare. quam ob causam id tunc faciendum esset, quod fecit Pausanias celebris pictor, qui jussus equum currentem pingere crines erectas habentem, è conuerso humi tergo jacentem & dimissis crinibus finxit, qui correptus respondit: Verte tabulam, & quod postulabas inuenies, vertit, & inuenit equum currentem, &c. id etiam de dictis vulgi dicendum, versa dicta vulgi, & quod verum est inuenies. Quod si euidens fuerit culpa, nullam excusationem admittens, tunc, inquit, S. Bernard. *dicito apud semetipsum: Vehemens nimis fuit tentatio, quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?* Ita ille.

Cùm S. Ioseph coram se fratres timentes ac tremen- *Genes. 45* tes videret, eos sic solari cœpit: Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. Ad prouidentiam recurrit, cùm nullo alio modo posset grauitatem delicti attenuare; sic charitas habentis illam resplendet.

Oritur autem judicium ex qualitate judicantis: ex malitia subiecti nascitur malum judicium, ex bonitate bonum, sicut metallum infusam illam sortitur figuram, quam proplastice (quod nos, *molde*, vocamus) in se habet: si enim in proplastice figuram, Angeli habet, metallum figuram Angeli sortitur, si verò dæmonis, quam nisi dæmonis accipiet? sic etiam de judicio judicandum, si homo qui judicat Angelus moribus fuerit, angelicum erit judicium eius, si verò diabolus, diabolicum prorsus.

Denique rectè sapiens quidam: Omnis res habet duas ansas, alludit ad ollas, & vasa, quæ igni applicantur, quæ duas solent habere ansas, & tunc eam sumimus ansam, quæ non comburit. sic omnes homines in factis suis duas habent ansas, opus scil. & intentionem: ad intentionem recurre, intentionem salua, & non peccabis.

Prop. XXXIV. *Qui proximum amat, non malè judicat de illo.*

Amanti omnia, quæ amati sunt, placent, non solùm quæ pretiosa verè sunt, sed etiam quæ despicabilia sunt. Quod enim in eo deforme est, pulchrum judicat, quod stultum, ingeniosum, quod vitiosum, studiosum, &c.

Sic mater, quæ filium deformem habet, nigrum, & scabiosum, & sordidum, sic in eo complacet sibi, vt eum dicat principem & regem suum pulchrum, & album, nitidum & splendentem, &c.

E conuerso autem, qui prosequitur alium odio, quod in eo pulchrum est, judicat deforme, & quod sanctum vitiosum, & quod sapientissimum est, stultum, &c. Christus Dominus spuit in terram, & ex sputo & *Ioan. 9.* puluere lutum fecit, quo liniuit oculos cæci à natiuitate, & quo tandem sanauit eum. cur luto? eo quidem potiùs cæcare videntem, quàm visum cæco tribuere posse videbatur. vt ita miraculi certitudinem demonstraret. si enim optimo collyrio sanasset, fortè virtuti collyrij sanitatem tribuissent: luto autem nullo modo. manifestum igitur miraculum fuit. Quid igitur de illo Pharisæi judicarunt? audiamus Ioannem, *Sabbatum Ioan. 9. 14.* *erat, quando lutum fecit* Iesvs, *& aperuit oculos eius: dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo,* D *qui Sabbatum non custodit.* Vides stultissimum horum Pharisæorum judicium, peccatum mortale esse dicunt miraculum tam insigne. In quo, dicite Pharisæi, consistit peccatum hoc? quid fecit modò Christus contra festi religionem? spuit in terram, hocne malum est? sanauit, & malum, id est? ita judicant, quia odio Christum prosequuntur, & qui alium sic odio habet, spuere in terram mortale peccatum esse dicit.

Prop. XXXV. *Amandus est proximus, licèt nos ille odio prosequatur, & noceat.*

Dices, numquid is, qui me iniuriâ affecit, vel damnum intulit mihi, impunitus abire debet? Audi, tibi nihil aliud incumbit, quàm ei parcere & tanquam proximum diligere, Deoque hoc jubenti parere: de cætero ne inuideas ei, quia qui nocumentum infert, suo se jugulat gladio. non modò de anima loquor, nec damnis æternis, sed de temporalibus, etiam sæpè sæpiùs Deo ita vel ordinante, vel permittente, qui lædit proximum suum, sibi nocumenta multa infert.

De rubo dicunt Philosophi naturales, quòd sine semine nascatur sic spinis refertus, suisque spinis seipsum implicat, & replicat, & connectit, ita vt qui se ingesserit intra illas, quà exeat parte vix inueniat, & cùm exierit, spinis lacessitus, & cruentatus euadat. Habet præterea hoc rubus, quòd cùm naturâ suâ nimiùm calidus sit, solo aëre vrente percussus, sine applicatione aliqua ignis, accédatur, & comburatur. Optimum iræ, & nocumenti proximi Hieroglyphicum rubus huiusmodi: sic enim illi euenit, qui inimicitiæ & iræ nociuæ causa est: inimicitia enim talis sine semine oriri solet: nescis enim, vnde, aut quâ occasione sic ille in proximum irascatur. Cur Aman in Mardochæum ita fœuit, vt non solùm illum, verùm & omne genus populi sui de medio tollere decreuerit? ex nihilo motus fuit. Quid enim erat inter millia flectentes genua, & adorantes eum, vnum Mardochæum, & illum alienigenam non ita venerari eum? Cur Cain ita fuerit in fratrem concitatus, quære, & non inuenies, nisi quia Deo plus placeret: hæccine causa erat sufficiens fratricidij? Sic inimicitia sine semine nascitur velut rubus.

Et sicut rubus spinas & amaritudines multas ex se producit, quibus iracundus homo intexitur, & implicatur, *vanse entrando en los ramos de la ira, y en lazandose el hombre en ellos*, ita vt quâ cxeat parte nesciat, tot difficultatibus & retibus implicatus, quod in eodem Aman facilè videre licèt, qui nullum consilium inuenire valuit, quo se à suis intricationibus extricaret. Et tãdem sicut rubus ignem ex se concepit, quo in cinerem redactus fuit, non solùm ipse, verùm etiam tota familia domus eius, & diuitiæ, omnia simul combusta fuerunt. Vides quàm sibi nocens sit, qui aliis nocere procurat.

Id quod in Absalone pariter constat, gratis hîc, & sine causa in patrem commotus, & à regno ipsum deturbare, & è medio tollere tentauit, arma cepit, bellum incepit, totumque populum suis spinis implicauit, sed se maximè omnium. è quercu enim suspensus tale incendium excitauit, vt ipse vnà cum multis aliis fuerit absumptus.

Prop. XXXVI. *Pro amore proximi iuri nostro sæpè cedere oportet.*

1. Cor. 13. 4. Prima Corinth. 13. *Charitas non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt*, hoc est, qui charitatem habet, non est adeò ambitiosus, vt suo honori attendens, fraternæ desit charitati, cùm eam viderit interesse. huius rei optimum exemplum adnotauit S. Ambros. libr. 5. de fide, ad Gratianum cap. 3. vbi expendens illa verba Domini Matth. 20. *Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, quasi non ipse simul par esset, ait: *Quàm patiens & clemens Dominus, quàm alta sapientia, & bona charitas; volens enim ostendere, quod non perfunctoriam rem aliquam discipuli postularent, sed eam quam impetrare non possent, prærogatiuam eis paternæ honorificentiæ reseruauit, non metuens, ne quid iuri proprio derogaret*, qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: *simul diligens discipulos, quia, sicut habes*, in fine dilexit eos, *noluit hu, quos diligeret videri, quod peterent, denegare bonus Dominus, qui mallet aliquid dissimulare de iure, quàm de charitate deponere.* Charitas *enim* patiens est, benigna est, non æmulatur, non inflatur, non quærit quæ sua sunt. Ita S. Ambros. Si ergo Deus ipse sic iuri suo cessit, ne charitati vel apparenter derogaret, quid nos vermiculos facere oportebit?

Ambros. *Mat. 20. 25.* *Phil 2. 6.* *Io. 13. 1.* *1 Cor. 13. 4.*

1. Cor. 13. 1. Corinth. 13. *Charitas patiens est, benigna est*: non satis fuit S. Paulo patientiam tribuere charitati, sed etiam benignitatem adiunxit. Benignitas autem idem est quod bonus ignis, scilicet interior dilectionis, & beneuolentiæ erga proximum. Si ergo aliquid horum A defuerit, deficiat pariter charitas oportet. Sic expendit locum istum S. Gregor. 8. Moral. 1. dicens: *Charitas patiens est, benigna est: cùm verò vnum ex vtroque defuerit, charitas non est, si videlicet malos tolerans, absque benignitate non amat, aut tursum si se sine patientia exhibens, negligit tolerare quos amat. Vt ergo à nobis charitas vera teneatur, necesse est vt benignitati patientia, & tursus patientiæ benignitas suffragetur.* Ita ille. S. Greg.

Plin. l. 16. c. 2. Abies (inquit) adeò cohæret glutino, vt prius ex ea parte scindatur, qua solida est, quàm qua glutino ferruminata: sic arctiùs cohærent quos copulauit mutua beneuolentia. Meliùs hoc charitati congruit: etenim sæpè sæpiùs qui se amicissimos iactant, cùm discordiæ se obtulerit occasio, amicitiæ valedicunt, & ex amicis inimici redduntur: hi verò qui vera se charitate diligunt in Deo, etiam rixæ occasione ortâ chari inter se manent, quia *Charitas patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia sustinet.* Id Apostolus affirmat 1. ad Corint. 13.

B Prop. XXXVII. *Ad amorem proximi pertinet flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus.*

Duo enim sunt charitatis actus, quos Apostolus tetigit ad Romanos 12. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*; *gaudere cum gaudentibus*, quia bona proximi bona sua æstimat charitas, & *flere cum flentibus*, quia mala proximi mala sua reputat, qui veram charitatem habet. hæc duo probemus. Et primò, qui vera charitate diligit proximum, non existimat alienæ bona eius, atque adeò non minùs gaudet, cùm prosperè aliquid proximo succedit, quàm si id sibi contigisset. S. Gregor. 12. Moral 7. agens de homine pradonis charitate, vt se cæteros diligens, inquit: *Per hoc quod rectum in alio conspicit, quasi de augmento propriy profectus hilarescit.* Ita ille. *Tiene por acrecentamiento propriosos bienes*, non ait, quasi de bono proximi, sed quasi de proprio bono hilarescit, & hoc in omni euentu bono. Idcò enim Apostolus Paulus dicebat: *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis*, quasi dicat, si pecunias debetis, soluite pecunias, vt illas non debeatis: si debetis panem aut vinum, aut huiusmodi aliud, itaque soluite, vt jam eius nihil amplius debeatis. At si amorem debetis, vti omnes omnibus proximis verè debetis, ita amorem persoluite, cùm se charitatis obtulerit occasio, vt semper vos debitores amoris censeatis ad reddendum charitatis officium, quotiescumque sese obtulerit occasio. Vnde pastor ille, qui oue inuenta congratulationem proximorum requirebat, & mulier illa, quæ inuenta drachma vicinas in id ipsum conuocabat, quasi debitum amoris ab eis exigebant: debebant enim illis secundùm leges charitatis congratulationem.

C

D Secundò charitatis est flere cum flentibus: vnde sanctus Fulgentius in prologo super libros ad Monimum, *Ecce*, inquit, *quantum boni charitas habeat, vt cùm dolet, quod accidit illi, quem amat, frequentiùs recordando magis ipsa sustineat.* Ita ille. Pondera verba, *magis ipsa sustineat*, tum quia quod semel proximus amisit, amans, non semel, sed sæpiùs doleat, tum etiam quia quod proximus in diuitiis vel honore, vel in corpore passus est, amans patitur in corde, tum denique, quia si amans excellentem charitatem habeat, ratione excessus charitatis excedit dolore suo proximi dolorem. Quod in Apostolo Paulo manifestum est, qui sic ad Corint. 2. Cor. 11. 29. *Quis*, inquit, *infirmatur, & ego non infirmor? quis non scandalizatur, & ego nõ vror?* parum in illa charitate infirmor sibi dixisse visum fuit, quapropter addidit, *quis scandalizatur, & ego non vror*, in prima autem parte suam fuisse infirmitatem proximi ostendebat, sicut ponderauit S. Chrysostom. *Non*, inquit, *dixit Apostolus: Quis infirmatur,*

tur, & ego non compatior; sed ego non infirmor, hoc est, tanquam ipsamet infirmitate circundatus, ita excrucior & angor. Ita ille. Qui secundam partem dicti Apostoli expedens addit: sed vide quanta sit excellentia doloris eius, quis, inquit, scandalizatur, & ego non vror, accendor, vror dixit, quod certè omnium maximum est. quod ampliùs extollit S. Anselmus sic exponens, *Valde mens mea cruciatur igne amoris zeli.* ita ille. quasi dicat: ignis, quo afficiebatur Apostolus, non erat ignis iste materialis, qui corpora cruciat, sed ignis spiritualis, qui animam & cor interiùs torquet. Ecce tibi naturam & conditionem veræ charitatis, *flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus.*

Hoc tamen malum secum ferre charitas videtur, quòd cruciet cor illam habentis. Si enim dolendum est nobis cum dolentibus, dolor ille tormentum cordis est. fomentum igitur doloris & cruciatus cordis erit charitas, imò sæpe frater, qui patitur laborem aliquem, seu necessitatem per patientiam, faciet ex necessitate virtutem, ego verò ex virtute eius necessitatem meam & laborem: non enim in compassione, sicut in passione patientia locum habet. Ita sit, sed non inde peior, sed melior est conditio charitatis, quia quantò tormentum hoc est maius, tantò est meritum sic dolentis maius, vt patet, quoniam à charitate procedit, quæ meriti origo & fons est: quare de hoc dolore minimè dolendum est.

Prop. XXXVIII. *In proximos suaues, in nos seueros esse oportet.*

Quid est quod Dominus, cùm pendens in cruce pro inimicis oraret, *Pater*, inquit, *dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*? Cùm pro se ad Patrem loqueretur, *Deus, Deus meus*, inquit, *vt quid dereliquisti me*; cur cum pro se orat, non nominat Patrem, cum sit Filius; qui orat, & pro quo orat, cur etiam nō vocauit Deum, cum pro inimicis oraret; cum non illorum ita esset Pater, sed Deus, imo vt dubium augeamus, cum pro se orauit, *Heli, heli*, dixit: heli autem significat, Iudex meus, pro inimicis patrem interpellauit, pro se vero iudicem: cur ita? quia paternum affectum inimicis optabat: ac si diceret, Pater non vt iudicem te erga inimicos expoſco, sed vt Patrem; sicut enim pater erga filios se exhibet pium, ita erga illos pietatis paternaque viscera demonstra: erga me verò sis, si placet, iudex, ego pro eis patiar, dummodo illis parcas. O charitas tanto Deo digna. O verè tu Pater sæculi nostri Domine Iesu. Eia Christiani tanti Patris filij, imitamini Filium; Filium Dei imitamini, Patrem vestrum, exemplum enim dedit vobis, vt quemadmodum ipse fecit, & vos faciatis, tanto Patre vos dignos filios exhibete; *bien aya quien alos suoyos parece*, benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij Patris, & Filij. videant verò qui sibi suaues, proximi vero seueri sunt, quantùm à Christo, & Christiana charitate distent.

Prop. XXXIX. *Qui crudelis est in proximos, pari pœna solet à Deo puniri.*

S. Antoninus, & Orosius, sic de Phalari scribunt. Phalaris Siculus Agrigentinos tyrannice depopulabatur, & duris tormentis subditos torquebat: ea propter Perillus quidam æris opifex, afficiens tyranni amicitiam aptum munus ratus crudelitatis Regis, taurum æneum fecit, cui adfabre ianuam è latere compoſuit, quæ ad contrudendos damnatos receptui foret, vt cum inclusus ibidem subiectis ignibus torrerētur, sonum vocis extortæ capacitas concaui æris augeret, pulsuque feraci compotens imagini murmur emitteret, nefario que spectaculo mugitus tauri, non hominis gemitus videretur: sed tamen Phalaris Rex factum amplexus, factorem execratur, & vltioni materiam tribuit & crudelitati: nam ipsum opificem in sua inuentione puniuit. Ita illi. Ecce iustum Dei iudicium, vt per quæ quis peccat, per eadem puniatur, & crudelitas in proximos in caput crudelis reuertatur.

Sic etiam dum ministri Regis Nabuchodonosor, tres pueros sanctos in fornacem mitterent ignis, & incendium fouerent, egrediens flamma deuorauit, Deo sic ordinante, vt eodem igne, quo alios comburere voluerunt, ipsi perirent. Sic Pharao in aqua perijt, qui aqua filios Israel peremerat.

AMOR SVI.

1. Prop. *Quàm difficilis curationis sit Amor sui.*
2. *Amor sui cæcat mentem.*
3. *Amor sui mentem excæcat ne sua homo peccata cognoscat.*
4. *Amor sui omnium peccatorum origo & radix.*
5. *Amor sui damnationis origo & causa est.*
6. *Amor sui inexplebilem sitim excitat bonorum temporalium.*

Prop. I. *Quàm difficilis curationis sit Amor sui.*

Demostenes ait, sicut refert Stobæus *Serm. 21.* omnium facillimum est decipere seipsum. quod enim vnusquisque cupit, id etiam in animum inducit, & sibi persuadet: res autem ipse frequenter non ita se habent. ita ille. Si ergo cupiditas, seu amor alicuius rei extrinsecæ sic animum seducit, quid amor sui, qui vehementissimus est, præstabit? Hinc difficultas oritur curationis amoris proprij: ad hoc enim, vt quis sanitatem obtineat, opus est, vt curationem admittat: amans verò seipsum, curari ab amore sui non vult, sed potiùs explere, quod proprius exigit amor.

Hinc Diogenes Cynicus interrogatus, quid in rerum natura difficillimum esset, respondit: seipsum nosse: multa enim ob amorem sui quisque sumere sibi solet. ita ille. vti refert Antonius in Melissa *parte. 2. serm. 75.* vnde patet prædictæ difficultatis ratio: nullus enim infirmus sanitatem quærit, nisi se infirmum agnoscat. qui se nimium amat, minime se cognoscit, quamuis superbus & auarus, & gulosus, & inuidus, & iracundus sit, ob amorem proprium se excusabilem censet, quî ergo poteris sanari?

Prop. II. *Amor sui cæcat mentem.*

Plut. *lib. de discr. adulatoris & amici.* Quisquis amat, hallucinatur in eo quod amat, nisi doctrina consueſcat ea magis habere in pretio & sectari quæ sint honesta, quàm quæ cognita sibi. vnde amor sui amplum locum præbet assentatori: per amorem enim sui haud grauatè admittit adulatorem, si eorum, quæ ipse appetit, & vult, sibi testis simul & adstipulator accedat. si quidem qui contumeliæ causſa dicitur Philocolax, hoc est, gaudens assentatoribus, is vehementer est amans sui, & propter beneuolentiam, qua se ipsum prosequitur, nihil non adesse sibi non solùm cupit, sed etiam arbitratur. ita Plut.

Prop. III. *Amor sui mentem excæcat ne sua homo peccata cognoscat.*

Dvbus ferè annis rex Dauid in suo peccato ita confedit, vt neque se peccasse animaduerterit, quousque Nathan Propheta in tertia persona illud depinxit. Tunc, quamuis solùm adumbratum, agnouit, & graue iudicans illud esse, dixit: *Vuit Dominus, quia filius mortis est vir, qui fecit hoc, quem reddet in quadruplum.* 2. Reg. 12. 5.

Ecce quomodo leue illud peccatum alterius & ponderauit, & aggrauauit, & puniendum grauiter iudicauit, qui grauissimum delictum suum eatenus, & tamdiu occultauerat. Curita? quia illud peccatum erat alterius, hoc verò proprium erat. Sic aliena peccata, quamuis leuia sint, notamus, prodimus, exaggeramus, qui grauiora nostra tacemus, occultamus, & tradimus obliuioni.

Idem in illa parabola vineæ Matth. 21. euenisse comperies, in qua Phariſæi agricolas, famulos Domini viuæ, percutientes, & filium occidentes, malè perdendos esse iudicarunt; *Malos*, inquiunt, *malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis*, & cùm illos homicidas iniustos, imò & Deicidas esse Christus ostendisset, non inquiunt: Malos malè perdet, sed cognoscentes, quòd de ipsis loqueretur, quærebant eum tenere, &c. Hæc igitur est amoris nostri erga nos natura cæca, vt nec delicta nostra grauia, delicta esse cognoscamus.

Exod. 22. Quod significasse videtur Moyses, cùm idolum vituli aureum in puluerem redactum, in potum tradidit adoratoribus ipsis. Cur non illud terræ mandauit? cur non vel in mare proiecit? quia aurum erat, quod subtus terram, diligenter homines quærere solent. Sicut rectè inquit Poeta:

Ouid 1. Metam.
——*tum est in viscera terræ,*
Quasque recondiderat stygiisque admouerat vmbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Vnde etiamsi in mare proiecisset aurum, non defuisset, qui se vndis traderent, vt ex ipso profundo illud recuperarent. *No saltaran buçanos que se cauylleran en lo profundo, para irlo buscar entre las arenas del abismo.* Cùm igitur Moyses vellet aurum illud prorsus abscondere, non in abyssis maris, sed in visceribus eorum illud ponere decreuit, nullus enim secretior homini locus, quàm ipse homo sibi: alia enim percurrere nouit, se autem ignorat. Ibi ergo reponsatur idolum aureum, quod occultum esse Moyses intendebat.

Prop. IV. *Amor sui omnium peccatorum origo & radix est.*

QVælibet res naturalis habet intra se formam, quæ illi dat esse, quæque seminarium quoddam est omnium rerum, quæ illud esse consequuntur: quod enim in arboribus radix, hoc in vnaquaque re naturalis forma est. Vnde sicut diuersæ radices diuersas quoque arbores producunt, proceritate, foliis, fructu, colore, sapore, cæterisque huiusmodi distinctas: ita dissimiles rerum formæ dissimillima in rebus accidentia pariunt. etenim quamplurima peccata in mundo videmus, radicem autem horum, & veluti formam, ex qua omnia ista procedunt, quid aliud, nisi amorem proprium dicemus? Hic enim amor sui verè omnium iniquitatum seminarium est: quisquis enim peccat, propter commodum aliquod captandum, aut incommodum fugiendum, peccat: quod vtrumque ex amore proprio ortum habet.

Quod cùm ita sit, consequens est, vt quisquis peccata vitare velit, ad radicem huius arboris lethalis securim ponat: radice enim amoris proprij abscisa, rami deinceps peccatorum arescent. Hoc autem typicè Dominus præcepit Num. 25. dicens Israelitis: *Hostes vos sentiant Madianitæ, quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos,* quando videlicet carnali illecebrâ inductos ad sacrificia sua illos vocauerunt. Hoc idem nobis dictum putemus contra amorem proprium, qui nos delitiarum illecebris, diuitiarum & honorum commodis ad vitia & peccata inducit. Sentiat igitur amor noster proprius nos hostes eius esse, quia & ipse hostiliter agit contra nos: quotquot enim perierunt, & apud inferos cruciantur, propter sui amorem perierunt, & cruciantur.

Num 25.17

Imò & in hac vita cruciatuum seminarium est amor proprius, sic enim diuina sapientia disposuit, vt eadem & culparum omnium, & pœnarũ radix. & origo esset: vt quia propter culpam pœna decreta est, quod parit culpam, simul pariat & pœnam. Et verè ita est: quisquis enim afficitur mœrore, ideò sic afficitur, quia non assequitur, quod optat: sicut enim voluptas ex fruitione alicuius rei vehementiùs appetitæ oritur, ita mœror omnis ex eo nascitur, quòd non sit concessum nobis potiri his rebus, quas ardenter desideramus. quare qui culpas, & pœnas huius & alterius vitæ desiderat euitare, amorem proprium moderetur, & cupiditatibus suis modum imponat: faciliùs enim est fic appetitum coërcere, quam assequi concupita: hoc enim Deo iuuuante in manu nostra positum est, illud verò minimè. Quapropter rectè Seneca, *Quare*, inquit, *à fortuna potiùs impetrem, vt det, quàm à me ne petam?* Et rursus idem Seneca inquit: *Nihil interest, an habeas, an non concupiscas, sicut idem est, vt vel comedendo fatteris, vel non comedendo non esuries.*

Denique quis proprium amorem non refrænat, non solùm in magna & multa peccata corruet, verùm etiàm omnem correctionem & remedium, quod illi adhiberi voluerint alij, & abhorrebit, & vitabit. Hæc enim amoris vtiosi natura est, cuius rei locupletissimũ exemplum exstat in Dauid, qui quoniam vehementi amore primogenitum diligebat, obiurgare fœdissimum eius incestum noluit, ne quemmaximè diligebat, obiurgatione contristaret. Sic enim ait Scriptura facta 2. Reg. 13. *Cùm autem audisset rex Dauid verba hæc* (incestum nempe) *contristatus est valdè, & noluit contristare spiritum Amnon filij sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.* Vide quid immodicus amor faciat.

Prop. V. *Amor sui damnationũ origo & causa est.*

IVdas Thadæus in Canonica sua: *Væ illi, quia via Cain abierunt,* agit hîc Apostolus Thadæus de nonnullis peccatoribus peruersis, & de his ait, *in via Cain abierunt.* Quænam fuit via Cain? lege c. 4. Genesis, & inuenies duos illos primos, fratres Cain sc. & Abel diuersas sibi viuendi vias elegisse, vti in sacrificijs suis manifestarunt. Abel obtulit sacrificium de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, hoc est, demelioribus pecoribus gregis sui. Cain quoque obtulit de fructibus terræ: hic enim agricola erat, Abel autem pastor; & respexit, inquit, Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain verò, & ad munera illius non respexit. cur ita? cur non eodem modo vtriusque munera susceptit? quia, vt ait Lyranus *ibidem*, Abel obtulit de pecoribus melioribus, Cain autem obtulit de frugibus terræ peioribus, & corrosis. Ecce diuersam fratrum horum viam. Abel tanquam qui plus Deum quàm seipsum diligebat, non curabat sibi meliora reseruare, sed Deo: Cain verò, tanquam sui ipsius amator, sibi meliora quærebat, non Deo. His igitur qui se supra cætera omnia diligunt, ait Apostolus Thadæus: Væ his qui in via Cain abierunt, hoc est, hi qui sicut Cain seipsos amant, & quærunt, in manifesto periculo damnationis degunt. Viam Cain ambulat, qui per viam proprij amoris pergens ad infernorum pœnas peruenit. talis est via amatoris sui ipsius.

Prop. VI. *Amor sui inexplebilem sitim excitat bonorum temporalium.*

MAgno & vehementi desiderio bonorum temporalium tenentur ferè omnes mortales: & quidem mortales esse, sufficiens & abundans causa esse deberet ad huiusmodi appetitus moderationem, sed quia nihil minùs cogitant, quàm se mortales esse, & mor-

mortem non tardare, remedium aliquod ad hoc desiderium temperandum adhibere tenentur. est enim multorum peccatorum radix, & per consequens damnationis æternæ, imò quia talis rerum temporalium appetitus & desiderium, animæ ac cordis assiduus tortor est. sicut enim sitis corporalis corpus grauiter cruciat & affligit, vt in febricantibus videmus, sic desiderium inexplebile bonorum temporalium animum torquet & vexat. Sicut ergo sitim extinguere curamus, sic etiam, & ampliùs multò sitim hanc cordis sedare debemus. Sitis enim corporalis non inducit periculum peccatorum, sicut sitis ista cordis: sitim autem corporis, quam febri laborans habet, quo pacto sedatur? etenim duplex remedium habet talis sitis, vt scilicet aquam bibendo, vel febrim & bilem, vel humorem purgando, qui illius sitis causa est; & quis dubitat multò melius esse, sitim extinguere causam tollendo, quàm solummodo potu aquæ illam sedare? nam hoc nec sanum remedium est, sed potiùs nociuum, nec ita plenè sitim extinguit: redit enim quam primum, quia radix sitis manet in corpore: febris animæ nostræ est affectus immortificatus, amor verbi gratia sui ipsius, ardet amor hic in animæ venis & arterijs, & hic est qui sitim excitat & accendit: vnde perfecta huius sitis curatio non est bonorum temporalium acquisitio: nam hæc sitim potiùs auget quàm extinguit: crescit enim amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit, & idem de honore & delitijs & cunctis temporalibus bonis dicendum est: augent enim desiderium sui, dum ipsa augentur. antidotum ergo necessarium & omnino à siti bonorum horum liberans, est amoris proprij mortificatio, febri enim amoris proprij extincta, extinguitur pariter sitis hæc, vnde maius beneficium præstat Deus seruis suis, cùm amoris nostri in nos flammas temperat, quam cùm eis bona temporalia confert. sicut meliùs prouidet medicus infirmo, quem à febre liberat, quàm ei cui frigidam ad satietatem vsque præstat.

A

B

C

D

ideò sanguis eius sanguis vuæ nuncupatur. Hinc igitur baptismum sanguis sui optabat, *tenia la vida en paciencia, y la muerte en deseo*, optabat, inquam, mori, & non quomodocumque, sed sicut illis verbis explicauit, *& quomodo coarctor vsque dum perficiatur.* illud *quomodo* aduerbium augmenti est, & idem significat quod valde, nimis, supra modum, sicut Ioan. 11. dixerunt de Christo nonnulli, videntes eum pro Lazaro mortuo flentem: *Ecce quomodo diligebat eum*, id est, vehementer eum diligebat, sic modò *& quomodo*, inquit, *coarctor.* Expende quoque verbum *coarctor*: coarctari enim idem est quod constringi, & coangustari cum afflictione quadam cordis: quo verbo vsus est Apostolus ad Philip. 1. *Coarctor*, inquit, *è duobus*, &c. Sensus ergo verborum Christi est, vehementer affligor præ desiderio patiendi mortem, & effundendi sanguinem pro animarum salute. Vnde rectè adnotauit ibi S. Ambrosius, anxius erat Christus, vt mortem perficeret, non propter mortem, sed ob perfectionem eius. igitur mors fuit illi absolutio anxietatis, non coacteuatio doloris id est, liberauit eum ab anxietate, & non anxietatem cumulauit. Ecce igitur vim perfecti amoris vsque ad mortem, mortem autem crucis, & libentissimè susceptam. *Ioan. 11.*

Hinc charitas in Deum S. Andreæ constat: nam vsque ad mortem fuit, & mortem quidem crucis, & libentissimè susceptam. nam cum ob prædicationem Euangelij ab Egeo proconsule ad mortem damnatus esset, & mortem crucis, & ductus ad martyrij locum, cum crucem vidisset, à longè exclamare cœpit (vt de ipso narrat Ecclesia) *ô bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, solicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando concupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo: vt per te me recipiat, qui per te me redemit.* Expendit verba hæc S. Bernard. *in serm. in vigilia S. Andreæ*, & ait: *Fratres, ignis vibrans est, non lingua loquens, & si lingua ignea quidem est, carbones sunt verba hæc ignis illius, quem de excelso miserat Christus in ossibus eius.* ita ille. vide igitur quàm libenter horrendum, immane dedecoreque plenum mortis genus subierit. S. Andreas amore Christi, nonne charitatem hanc magnam in Deum Andreæ concedes?

Quantus autem extiterit amor eius, & charitas in proximos, ex eo colligi potest, quòd cum in cruce biduo penderet, à prædicatione non cessauit, vt vel tunc in extremis constitutus, proximis prodesset, & eos duceret in salutis æternæ viam. sic enim de ipso canit Ecclesia, *Cruci affixus est, & in ea biduo pendens, & fidem Christi numquam prædicare intermittens, ad eum migrauit.* Etenim cùm quis aliquo graui dolore afficitur, vel loqui aliquid graue ei est: dolor autem hominis crucifixi quantus sit, manifestum est: tanto igitur dolore affectus, & inedia etiam vexatus, è cruce tanquam è suggestu prædicabat: tantus illi erat in proximos amor, tanta salutis animarum sitis. vide charitatis sanctæ huius Apostoli magnitudinem?

Qui vult venire post me (ait Dominus) *tollat crucem suam, & sequatur me. suam*, inquit, hoc est, quam vnicuique proprius status, & proprium officium affert. assumpsit S. Andreas propriam crucem, & sequutus est Christum, propriam, inquam, eam scilicet quæ officium Apostolatus secum ferebat, quæ non parua, & leuis fuit, sed magna, & grauis. Nam propriam relinquere patriam, fratres & propinquos, & in peregrinas, & barbaras pergere nationes, tot itinera conficere, & prædicare crucem, Iudæis scandalum, & gentibus stultitiam &c. non exigua crux erat: sed tamen hac propria cruce non contentus Sanctus Andreas, ad Christi crucem aspirauit, & tandem eam assecutus, non solùm non horruit, verùm etiam vtraquè manu apprehendit, vtroque brachio amplexus est, & in eius bra- *Matt 16. 24.*

S. ANDREÆ LAVDES.

P. 13. POtissima laus Sanctorum in charitate erga Deum, & proximos consistit: hæc enim virtutum omniũ maxima est, dicente Apostolo: *Nunc manent tria hæc, fides, spes, charitas, maior autem horum est charitas.* Quanta 13. verò fuerit charitas S. Andreæ erga Deum, videamus, *Maiorem hac dilectionem nemo habet*, (ait Christus Dominus) *vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Est quidem amor vehemens, efficacissimus, ideoque igni in sacris Literis comparatur, quia ignis efficaciam magnam habet, *y assi el amor es muy mal comentadico.* & sicut ignis nunquam dicit sufficit, crescit eum augmento materiæ; sic amor in his quæ pro dilecto agit, nunquam satiatur, non satiatur vsitatis, ad inusitata, & peregrina semper aspirat. Vsitatum est magna agere amantem pro dilecto, & etiam multa pati: peregrinum est pro dilecto mori, & peregrinum magis non solùm mortem, sed contumelias, & opprobria simul cum morte pati: & hæc etiam exigit ab amante verus, & perfectus amor. vti constat in Christo Domino, qui non solùm pro nobis concionari, vigilare, peregrinari, ieiunare quæ voluit, verùm etiam & pati, & mortem subire, mortẽ autem crucis, & hanc prompto ac libentissimo animo, vti verbis illis significauit: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur.* Baptismus hic mortem Domini importat, vti explicauit sanctus Ambrosius, quia in ea sanguinem suum profusurus erat Christus, & ipso perfundendum corpus suum, iuxta illud, *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Erat Christus botrus vineæ Engaddi, &

brachijs exſpirauit : nonne verè amatorem crucis Chriſti eum poſſumus appellare ? de Chriſto Domino ait S. Ambroſ. matrem dedit, crucem verò ſibi reſeruauit. ita ille. Reſeruauit ſed non ſibi ſolùm, ſed etiam ſancto Andreæ, cui ob ſpecialem prærogatiuam amoris, crucem ſuam communicauit. & Andreas non ingrato animo eam ſuſcepit, neque enim quis vnquam à rege crucem ſancti Iacobi, aut aliam huiuſmodi, quam in ſignum nobilitatis ſolet rex equitibus concedere, ita grato corde ſuſcepit, ſicut ſanctus Andreas crucem mortis ſuæ, & mortem crucis, ſeu potiùs Chriſti. Laudabilis eſt anteſignanus, ſeu ſigniſer qui prius vitam quàm vexillum è manibus deponit. S. Andreas manibus ambabus vexillum crucis tenens, & conſtringens, animam reddidit Deo. Vide quàm optimus vexillifer fuit. A

Verè demonſtrauit S. Andreas vehementiam amoris in Deum, vnde S. Bernard. *ſerm. 2. de S. Andrea* de hoc amore agens, Quid, inquit, non temperabit illa dulceda quæ mortem quoque ipſam dulciſſimam eſſe facit? ita ille. Dulcedo hæc amor in Deum eſt, vel quæ ex ipſo amore procedit. Vide igitur quantus amor erat ille ſancti huius, qui ſic mortem, mortem autem crucis, dulciſſimã illi effecit? Chriſtus Dominus mortem horruit, S. Andream mors gaudio perfudit; quid! ſi amor dulcem reddit crucẽ, defuitne amor Chriſto? abſit, amauit ſicut filius Dei, & amauit ita crucem vt diceret, quod dictum eſt, baptiſmo habeo baptizari, &c. ſed horror ille Chriſti quàm horribilis de ſe mors ſit, & maximè mors crucis manifeſtauit, vt eo pacto quantum illi debeamus conſideremus, gaudium verò ſancti Andreæ quantus extiterit amor eius in Deum declaraui, cùm ita horribilitatem vicerit mortis. Eia igitur, ſi nos Deum amamus, in hoc etiam manifeſtemus, quod libenter crucem pro Chriſto feramus, crux n. clauis cæli eſt, *la llaue del cielo es llaue de cruz.* Quis cælum intrauit, & nõn per crucem ex adultis? imo & infantes, qui cælum ingrediuntur, per crucem Chriſti ingrediuntur, & tu per delicias, & voluptates cælum te adire cenſes? &c. B

Præterea non minima laus hominis eſt, munus ſibi iniunctum fideliter, & perfectè obire, ita enim laus illi crit à Deo dicente, *fidelis ſeruus & prudens*, &c. munus ſancti Andreæ munus Apoſtolicum fuit, quod in reductione animarum ad Deum conſiſtit, hoc præclariſſimè præſtitit ſanctus Andreas: nam ex piſcatore piſcium, piſcator hominum factus ſanctus Andreas, primum & optimum piſcem piſcatus eſt Chriſto, fratrem ſuum Petrum, *inuenimus*, inquit, *Meſſiam*, & adduxit eum ad Ieſum. ſi Petrus piſcatus fuit piſcem in cuius ore moneta inuenta fuit, S. Andreas piſcatus eſt cete magnum, ipſum ſcilicet Petrum Eccleſiæ Dei primatem, in cuius ore inuenta fuit pretioſa illa fidei noſtræ confeſſio, *tu es Chriſtus Filius Dei viui*, &c. Poſtea verò, quot gentes conuerterit ad Chriſtum, ex eius conſtat hiſtoria. rectè quidem id in laudem eius dicere poſſumus, quod in laudem S. Athanaſij aſſeruit S. Gregor. Nazianzenus, reſiſtentibus adamas fuit, deſiſtentibus verò magnes: Verè S. Andreas reſiſtentibus ei, & perſecutoribus adamas fuit, nam ſicut adamas nullis ictibus cedit; ſic S. Andreas nullis perſecutionibus (magnas autem perſequutiones ſuſtinuit à Principibus terræ) vſquam ceſſit, ſemper integer, & immobilis in fide, & charitate Chriſti perſeuerauit vſque ad mortem crucis. deſiſtentibus, ſeu recedentibus ab eo magnes fuit, tanta enim erat ſanctitas vitæ, tanta verborum efficacia, tanta miraculorum excellentia, tanta ſuauitas eius, vt velut adamas hominum ad ſe traheret corda, *y bien ſe vio quando eſto diamante fino engaſtado en la cruz predicò dos dias en ella*, &c. *y como piedra iman robaba los corazones.* C

Præterea arborem vocat Eccleſia crucem Chriſti, *ſlectemus arbor alta*, &c. arbor autem qualis ſit, ex fructu dignoſci debet. nam arbor bona fructus bonos facit, ſicut arbor mala malos fructus: bona ergo, & valde bona eſt arbor crucis, quæ talem tantumque fructum attulit nobis, Chriſtum ſcilicet Dominum. Hinc ergo, ô beate Andrea, bonitatem tuam colligam ego, fructus enim crucis Chriſti Dominies. Nam ſicut Chriſtus, in crucem propter veritatem, & prædicationem Euangelij actus fuiſti, talis arboris talis fructus, & talis fructus talis arboris eſſe debebat. D

Ex his, quæ diximus, conſtat, quantum noſtra interſit in patronum, & aduocatum noſtrum accipere ſanctum Andream, & maximè cùm ipſe ex Apoſtolo Chriſti extiterit primus. Solent, qui negotium habent ad Regem, patronum quærere, qui apud Regem poſſit ipſis intercedat, & illum maximè ad hoc eligere ſolemus, qui plus apud eum polleat, qualeſhi ſolent eſſe, qui antiquiores Regis familiares ſunt. Primus omnium Apoſtolorum, & diſcipulorum Chriſti, ſanctus Andreas fuit: antiquior ergo inter familiares & domeſticos Chriſti, & chariſſimus illi, & primus ex his, qui deauratam clauem deferebant, *el primero de los la llaue dorada y de los de la camara del rey del cielo.* cùm nonnulli Gentiles Chriſtum conuenire deſiderarent, acceſſit ſanctus Philippus ad Andream, dicens: Hi Gentiles, *volumus*, inquiunt, *videre Ieſum.* cur cum ſancto Andrea id contulit Philippus? quia nimiam familiaritatem cum Chriſto ſancti Andreæ expertus erat. Aptiſſimus ergo eſt ſanctus Andreas, vt illius patronus & aduocatus exiſtat. O igitur beate Andrea te nomine omnium tuorum clientum rogo, vt precibus ad Dominum intercedas, vt nos ab omni peccato in hac vita liberet, ſanctos efficiat, in gratia confirmet, & ad gloriam perducat æternam. &c.

ANGELVS.

1. PROP. *Magna & excellens eſt natura & dignitas Angelorum.*
2. *Quàm excellentis natura ſit Angelus.*
3. *Quantum deſiderent Angeli ſaluationem noſtram.*
4. *Quantâ curâ & ſollicitudine, cuſtodiant nos Angeli.*
5. *Quàm rectè nos Angeli cuſtodiant & in quibus.*
6. *Quàm exactè nos Angeli cuſtodiant.*
7. *Angelus Cuſtos nos à diabolo defendit.*
8. *Quid nos præſtare oporteat erga Angelum Cuſtodem.*
9. *Quàm gratiſſe debeamus Angelo Cuſtodi.*

PROP. I. *Quanta ſit excellentia & dignitas Angelorum.*

DVo ſunt principia ſupponenda, vt quanta ſit excellentia & dignitas Angelorũ dignoſcamus. Primum deſumitur ex S. Tho. 1. p. q. 50. art. 4. nempe omnes inter ſe ſpecie differre, ſicut turtur differt ſpecie à columba, ab herodio, & herodius ab aquila, &c. ſic quilibet Angelus in ſuo genere differt ſpecie à quouis alio Angelo, ſic vt nec duo Angeli eiuſdem ſpeciei reperiantur in cœlo.

Secundum principium deſumitur ab eodem ſancto Thoma eâdem quæſt. 50. art. 3. numerum Angelorum numerum omnium aliarum rerum inferiorum ſuperare, ſicut in magnitudine cœlum reliqua omnia corporalia inferiora vincit, & ob id dicitur: *Numquid eſt numerus militum eius?* hoc eſt, Angelorum. vti S. Gregor. interpretatur: numera, ſi potes, omnes ſpecies animalium, reptilium, vermium, auium, piſcium, arborum, herbarum, lapidum, metallorũm, & rerum omnium corporearum, & videbis innumerabiles eſſe has Angelorum ſpecies.

His duobus principiis addendum eſt tertium ex Ariſtotele docente ſpecies rerum creatarum eſſe velut numeros: ſicut enim binarius numerus excedit vnitatem, & continendo illam excedit illam, & numerus

ternarius continet perfectionem binarij, & superaddit perfectionem ternatij, & ita in quouis numero superiori continetur perfectio inferiorum omnium, & superaddit ille super alios perfectionem suæ vltimę differentiæ: sic in Angelis, secundus Angelus continet perfectionem primi, & superaddit perfectionem suæ vltimæ differentiæ, quia differt à primo, & sic de reliquis, vsque ad supremum Seraphinorum. Cùm igitur ita innumerabiles sint, quanta erit superiorum ordinum pulchritudo, dignitas, & excellentia? Si minimus omnium Angelorum inexplicabiliter excedit omnes inferiores species, etiam naturam humanam, & inter infimum, & supremos Angelos sit penè incomparabilis excessus, quantam existimas esse sublimitatem superiorum Angelorum?

Daniel. 10. Vidit Daniel Angelum quemdam, qui pulchritudinis suæ fulgore ita Prophetam obstupefactum detinuit, vt penè remanserit exanimatus. *Non remansit in me fortitudo*, inquit, *sed & species mea minutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium*, quod si rustico viro, & homini rebus inexperto id accidisset, non mirum: at Daniel rebus diuinis & reuelationibus assuefactus erat, & tamen non solùm admiratus & trebundus remansit, verùm etiam emarcuit, & exanimis ferè redditus est.

Sic etiam Apoc. 19. Vidit Ioannes Apostolus Angelum quemdam, cuius admirabilē speciem ac pulchritudinem ita demiratus fuit, vt ante pedes eius se prosternens, illum voluerit adorare. *Et cecidi*, ait, *ante pedes eius, vt adorarem eum: obstitit Angelus, dicens: Vide ne feceris conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium* IESV, *Deum adora.* Scribit quidem Ioannes Angelum esse, & vti Angelum eum adorare voluit, tali tamen, ac tantā reuerentiā, vt id noluerit admittere ille: quid igitur Sanctus Ioannes in Angelo vidit, vt tantā eum reuerentiā voluerit adorare? nimirum pulchritudinem. nescio enim an aliquid supernaturale in Angelo viderit, hoc tamen certum est, pulchritudinem Angeli naturalem id efficere potuisse.

Prop. II. *Quàm excellentis naturæ sit Angelus.*

GEnes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, &c. Cur in hac rerum creatione tam exactè conscripta nullam Angelorum fecit mentionem Moyses, cum Angelus omnium creaturarum excellentissima sit? S. Theodor. q. 1. in Genes. sic respondet: *Qui lege antiqua regebantur, post plura, & ineffabilia miracula, imaginem vituli Deum designauerunt; quòd si tam facilè sibi Deos finxerunt, quid non perpetrassent inuisibilis naturæ notitiam assecuti?* ita ille.

Ex quo etiam constat, quàm oporteat peccatorum occasiones vitare: cùm enim valde conueniens esset Angelorum creationem nosse tum in Creatoris laudem, tum vt Angelorum opem homines implorarent, & maximè custodum, meliùs nos eos ignorare iudicauit Dominus, quàm inde peccandi occasionem subire. Inde de Moyse S. Chrysost. hom. 5. in Matth. *Non vtilis fuisset ingressus Moysi in Palæstinam: si enim quia per illum fuerant solum de Ægypto liberati, relicto Deo tantummodo Moysen requirebant; si introductorem in Palæstinam habuissent, in quæ impietatis præruptа non cecidissent?* ita ille.

Prop. III. *Quantùm desiderent Angeli saluationem nostram.*

GEnes. 19. ex tribus illis Angelis, quos tanquam peregrinos inuitauerat Abraham, Gen. 18. vnus cum Abraham mansit, cum quo Abraham de venia Sodomorum agebat, duo reliqui Sodomam pergebant ad gentem illam subuertendam. De his igitur duobus ait scriptura: *Venerunteque duo Angeli Sodomam vespere*, &c. Cur autem vespere potiùs quàm mane? Abulensis in hunc locum sic ait: *Dicunt aliqui quod venerunt vespere, quia per totam diem expectauerunt, vt viderent si Dominus parceret ciuitatibus illis propter Abraham. Angeli enim boni desiderant omnium hominum salutem, & hoc satis bene dicitur.* ita Abulensis. Vbi etiam patet misericordia magna Dei, ob eam enim Angeli expectabant.

Prop. IV. *Quantâ curâ & solicitudine custodiant nos Angeli.*

VIdit Iacob Angelos ascendentes & descendentes per scalam mysticam, & omnibus notam; manifestum autem est in hac ascensione & descensione Angelorum officium, & ministerium adumbratum esse. *Omnes enim sunt administratorij spiritus, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Hoc autem præstant ascendentes & descendentes ad nos: ascendunt enim nostris precibus onusti ad Deum, & à Deo ad nos descendunt, Dei dona ferentes. Hoc autem in hac visione animaduertisse dignum est, quòd priùs dicatur Patriarcham vidisse Angelos ascendentes, & postea descendentes, cùm è conuerso dicendum esse videatur. nam si terræ incolæ essent, priùs ascendere, & postea descendere rectè dicerentur: at cum cœlestes ciues sint, prius est ipsos descendere, quàm ascendere. quomodo ergo ait, vidit Angelos ascendentes & descendentes & non è conuerso? quia hoc pacto, vt supra dictum est, ministerium eorum in adminiculum nostrum sic meliùs expressum est: nam vt nostra negotia agant, à nobis priùs mittuntur: ideo ergo priùs ascendentes vidit, quasi à nobis ad Deum missos, & postea descēdentes, quasi à missione reuertentes, & responsa Dei donaque nobis ferentes. Præterea vt hoc pacto quanta sit promptitudo Angelorum in his quæ ad nos pertinent, intelligeremus. Nam priùs à nobis ad Deum ascendentes vidit, quam descendentes vidisset, assistentia sua præcedente notitiam descensus eorum: tam prompti sunt in nostra assistentia, *que quando echo de ver Angelos Iacob, primero los vio ir de aca, que los veiße baiar de alla.*

Cant. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* Equitatus hic, secundum S. Hier. super Isa. c. 66. Angelorum exercitus est, qui ad salutem nobis cooperatur. In cuius confirmationem citat S. Hieron. locum illum Abac. 2. *Qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio*: saluationi enim nostræ Angeli deseruiunt. ait ergo, *in curribus Pharaonis*, &c. ac si dicat, sicut per Angelos currus Pharaonis dissipaui, & omnes inimicos disperdidi Israelis; sic tecum me geram semper, per Angelos te custodiam, & iter aperiam per medios fluctus difficultatum, & periculorum, vt faciliùs possis in terram promissionis peruenire. Ecce ad quid nobis Angeli deseruiunt: ab inimicis nos protegunt, diabolo scilicet, mundo & carne, sicut Israelem liberarunt de manibus Pharaonis & Ægyptiorum. Secundò difficultates tollunt, & viam facilem inter pericula faciunt: sicut tunc temporis per medium maris viam Israelitis aperuerunt.

Angelorum curam exprimit satis Dauid Psal. 33. dicens: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Vbi ex Hebræo S. Hieron. *Circundat Angelus Domini in gyro timentes eum, & eruet eos.* Hazen cuerpo de guardia los Angelos, alos que temen a Dios. Sicut igitur rex milites secum semper defert, qui corpus eius tueantur, & fideliter custodiant; sic etiam Deus Angelos nobis prouidit, qui vbicumque armis suæ potentiæ nos custodiant, & tueantur.

Omnes enim, ait Apost. *sunt administratorij spiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Vnde Origenes: *Omnes*, ait, *secundùm diuersitatem suam, diuersa nobis bene-*

ficia impertiri. Nam Angeli nos semper comitantur, & custodiunt, Archangeli nos de diuina lege & ministerijs cœlestibus instruunt, Principatus gubernant, & ordinant vitam nostram, Potestates speciatim nos à dæmonum potestate defendunt, Virtutes ad bene operandum nos pronocant, Dominationes nobis ad vincenda vitia admicula præstant, Throni nos in bono confirmant, Cherubim intellectum nostrum illuminant, Seraphim denique nos in Dei amorem inflammant. Vnde ignei illi currus Elisæi, Seraphim ait Origenes *denotabant. Itaque sunt omnes administratorij Spiritus, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis, sic in circuitu nostro castrametati sunt.* A

Bern. ferm. 19. in Cant.

Qua vero cura, quaque solicitudine id præstent, obseruauit Sanctus Bernardus in illa Iacobi scala, in qua vidit Angelos ascendentes, & descendentes, nullum verò eorum sedentem, aut stantem, nunquam enim quiescunt in opere salutis nostræ. nimirum quia optimè norunt quantares sit in æternum damnari, vel saluari nos. Væ nobis, quorum interest hoc, & veluti irrationabilia animalia pro nihilo multi damnantur, pro rebus, inquam, nullius momenti. B

Ascendunt igitur Angeli, nostras orationes ad Deum deferentes, quibus suas intermiscent, Dominum deprecantes, vt nos exaudire dignetur. Descendunt verò, cùm à Deo impetrant, quæ nobis expediunt, & cum alijs diuinis misericordijs onusti, ad nos ipsos ditandos veniunt. Sed speciatim quæ sint hæc Angelica munia erga nos, videamus.

Vulgaris Theologorum sententia est, Deum moderari infima per media: per corpora igitur cœlestia supremus ille moderator, omnia hæc inferiora corpora gubernat: inde enim proueniunt pluuiæ, & serenitates, glacies, & niues, atque ros matutinus, dierum, & noctium vicissitudo, & quatuor temporum anni varietas, ad rerum procreationem accommodata. Sic etiam homines Deus per Angelos regit, & gubernat: corpora enim cœlestia in hominis animam nullam vim habent. Et quidem satis Deus bonitatis suæ diuitias in homines declarauerat, cùm hanc pulcherrimam mundi fabricam, cœlum nempe tot clarissimis luminaribus distinctum, terram tot fructibus & arboribus ornatam, aerem tot auibus plenum, maria tot piscium generibus referta, in solius hominis vsum condidisset, cuius beneficij magnitudinem Propheta C

Psal. 8.5 Ibid. 5 8. demiratus, exclamauit, Psalm. 8. *Domine, quid est homo, quod memor es eius.* & subdit: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues, & cæt.* non satis, verùm illi bonitati fuit, cœlum, & omnia, quæ cœli ambitu continentur, nostris vsibus addixisse, nisi etiam, quæ super cœlos sunt, Angelos scilicet ministros constituerit nostræ salutis: ita vt non solùm inferiores Angeli, sed supremi etiam, quales Cherubini, & Seraphini sunt, quorum est creatori suo semper assistere, nostris ministerijs sunt deputati, dicente Apostolo ad Hebræos 1.

Heb, 1.24 Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.

Quodque magis mirum est, non regnis & nationibus solùm, sed singulis quibusque hominibus à Deo suus Angelus ad custodiam deputatur. sic enim Saluator ait Matth. 18. D

Mat. 18. 10. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. Meritò hîc exclamat S. Hieronymus, dicens: *Magna dignitas animarum, vt vnaquaque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum.*

Primò igitur Angeli nos supra modum amant, tum propter charitatem eximiam, qua ipsi ardent, tunc etiam, propterea quod vident Deum nos vehementer amare, & propter nos carnem assumpsisse, & mortem ac ingentes cruciatus pertulisse: amant autem illi plurimùm, quos plurimùm Deum amare vident, propter perfectissimam vnionem suarum voluntatum cum voluntate diuina. Amant etiam nos eximiè, quia concines nos in cœlesti Ierusalem expectant, & denique, quia sic illis à Deo demandatum est, vt nos & seruent & ament. hinc est quòd adeò de peccatorum conuersione sic ipsi lætentur, vt dicat Dominus: *Ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nouaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentiâ.* Vide S. Bernard. *Lacrymæ pœnitentium Angelorum vinum sunt.* Hinc etiam est quòd nato Domino, gratias Deo pro tanto nobis exhibito beneficio reddiderunt, vocentes: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax,* &c. *Dicen à Dios las gratias, y à los hombres el parabien,* quod in suo, qui nulla adulationis labe labefactari possunt, ingentis amoris in nos iudicium est.

Secundò nos ab omnibus insidiis inimicorum visibilium, & inuisibilium Angeli defendunt, & pro ribus liberare contendunt, iuxta illud Prophetæ. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos,* hoc est, per circuitum timentium Dominum, Angelus eorum ad eorum auxilium & protectionem E putatus, sese immittet, & velut castrametabitur per circuitum illorum, ne possint ad nocendum illis accedere aduersarij. Immittet etiam Angelus, & timorem & terrorem in circuitu seruorum Dei uersarios, qui vndequaque circumdederunt eos, eripiet (inquit) eos, id est, non contrahet manus, quousque à periculis immunes eos relinquat. Vnde sic vertit, *Castrametatur Angelus Domini per tum,* &c.

Vbi obserua, quòd non à dæmonibus solùm, peccatis tantùm nos Angeli protegunt, & defendunt, sed etiam à periculis cunctis mentis, & corporis hæc in nocumentum nostrum nouerint esse. hoc est, quod illis à Deo demandatum est Psalm. 90. *Angelis suis Deus,* &c. *In omnibus,* inquit, *viis tuis,* non nullis tantùm, sed in omnibus viis tuis. sicut enim trices, vel fratres natu maiores, infantulos fratres minores, in vlnis gestant, ne in terra offendant, & cidant; ita etiam Angeli, qui fratres natu maiores sunt, manibus nos ducunt, ne fortè aliquod offendiculum incurramus.

Habes præclara & satis expressa exempla in Eliseo 4. Reg. 6. & in Iudith cap. 13. quæ cum iurament asseruit, *Viuit Dominus,* inquit, *quia custodiuit me Angelus eius, hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem.* Cantic. 3. *Ecce* inquit, *lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi.* Sit ita, vt litera sonat, & addè sexcentos alios mille plures, quid sunt ad hanc Angelorum custodiam? quorum vnus tantùm cœtum octoginta quinque millia Assyriorum nocte vnâ interfecit?

At dices, nihilominùs tamen multi etiam iustorum in tribulationes & labores incidunt magnos: vnde non adeò exacta hæc Angelorum custodia videtur. Respondeo, tribulationes homini non esse inter damna & nocumenta computanda: sæpè enim expedit nobis illa pati, per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum. quòd si supplicia illa sint pro peccatis nostris, nec sic inter mala nostra sunt reputanda, quia bonum nobis quòd hac in vita & non in alia puniamur: vnde non mirum quod in huiusmodi aduersitatibus ab Angelis custodibus non liberemur.

Tertiò, non solùm nos à malis liberare sancti Angeli curant, verùm ad bona inducere satagunt, & excitare, sicut Angelus Raphael non solùm à deuoratione piscis Tobiam liberauit, sed etiam quidquid Tobiæ vtile & conducens ad animum & corpus videbatur, illi suggerebat: Sic Angelus custos interiùs ad ea, quæ nobis necessaria vel vtilia sunt, libentissimè instigat.

Quartò in tribulationibus, quę inueniunt nos inimis, Angeli nos solantur, & proteguat, & sæpè quo-

que nos eripiunt. sic Danieli in lacu leonum esurienti Angelus prouidit, quando scilicet omni erat humano auxilio destitutus, & manibus suis inuisibilibus Abacuc duxit per capillos à terra promissionis ad Babylonem vsque. Sic tres pueros in fornacem Babylonis immissos Angelus & consolatus fuit & protexit, & vincula eorum dissoluit, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem. Sic Angelus Petrum duabus vinctum catenis, & inter multos milites custodientes constitutum, & iam capitis morte damnatum, cùm iam de illo actum esse omnes censerent, visitauit, excitauit, & quid illi agendum esset, monuit, & tandem illuso rege & custodibus, cunctis spe frustratis, è carcere illo eduxit, & à morte liberauit. Sic etiam Apostolis in vinculaconiectis, astuit Angelus, carcerem aperuit, & monuit, vt intrepidè templum adirent, & verbum Dei prædicarent. Sic Tobiam iamiam à pisce deuorandum & liberauit, & quænam ex illo emolumenta capere posset, manifestauit, & patrem eius à cæcitate sanauit, & domum eius fœlicem fecit, magnoque repleuit gaudio.

Quintò, Angelus etiam post mortem clientis sui, quando nos amici, famuli, consanguinei, parentes ipsi, & filij deserunt, & solos nos ad diuinum iudicium abire sinunt, tunc, inquam, adest Angelus Custos, & animâ ad Dei tribunal ducit, solatur & amicabiliter comitatur, & illi ante tribunal iudicis patrocinium promittit. Tunc, inquam, iterum, quando in diuino iudicio de tota æternitate sententia ferenda est, aderit quidem tunc diabolus, nullum non lapidem mouens, vt secum animam ad tartarum ducat: vnde tunc causam premet. Instabit enim ac dicet, Iuste iudex ad me iam & non ad te pertinet anima hæc: mihi enim obtemperauit, mihi seruiuit, iuxta meam & non iuxta tuam voluntatem vitam duxit, leges mundi, & placita mea, non tua seruauit: ego suggerebam illi, vt iuraret & peieraret, iurauit & peieravit: ego suasi, vt detraheret proximis, detraxit: suasi vt vindictam sumeret de lædente sumpsit: denique dicto citiùs meis monitis paruit, & non te, vti Deum venerata est, sed Deus illi erat pecunia, Deus honor, Deus voluptas, Deus venter, Deus ipsa sibi: non te, sed se supra omnia dilexit: vnde maluit te, quàm suis carere delitiis. Tu ergo qui iudicas omnes in æquitate, & reddis vnicuique iuxta opera sua, hanc mihi animam adiudicare debes. ita instabit hostis. Et quidem simile quid refert sanctus Ioannes Climacus de Anachoreta quodam, qui in agone mortis constitutus, iamse eo modo à diabolo accusari audiebat: qui aliquoties dæmoni respondebat: *Mentitus, nunquam enim tale quid commisi: aliquando verò dicebat: Verum est, sed huius rei gratiâ ieiunaui, & pœnitentiam egi: aliàs verò respondebat: Verum est, nec habeo, quid dicam, sed esse in Deo misericordiam magnam: atque in hac verba animam efflauit, & nullum aliud salutis sue signum reliquit.* Ita sanctus Climacus. Tunc autem adstabit & Angelus Custos, & quæ in laudem & obsequium Dei præstiterit anima, recitabit, & pœnitentiam, quam de peccatis illis egit, de quibus à dæmone accusatur, quòd si pro anima sententia à Deo prolata fuerit, eam in cœlestem patriam deducet, quòd si ad Purgatorium à Deo fuerit missa, illam comitabitur Angelus suus, & consolabitur in tormentis illam, & curabit, vt in terra suffragia à viuis pro illa offerantur, quibus à pœnis solutam secum deferat in paradisum, sicut animam Lazari in sinum Abrahæ Angeli deportauerunt. Sic sic custodiunt Angeli animam in omnibus viis suis.

Christus Dominus agens de pusillis, ac paruulis, ait: *Videte ne contemnatis vnũ ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* hoc est, non solùm magni & excellentes viri Angelos habẽt custodes, sed etiam paruuli quique. Ex quo loco S. Hieronymus deducit, vnamquamque animam habere ad sui custodiam deputatum Angelum cœlestem.

Hoc igitur præ oculis habere nos oportet: sunt enim fortè qui vix semel in anno, imò fortè nec in vita quidem sua Angeli sui boni auxilium implorent, aut etiam recogitent, se tantum à Deo præsidij habere: quod negligentię genus & ingratum est, & vehementer periculosum, ac pernicioſum in tam morosa vitæ huius militia, & malitia insatiabilium hostium nostrorum.

Ministerium autem Angeli Tutelaris incipit ab ipsa hominis natiuitate: nam dum in vtero matris est, ab Angelo matris custoditur: tunc enim mater, & filius vna eademque res debent reputari. Ab ortu igitur incipit Tutelaris Angeli custodia, & durat donec eò peruenerit homo, vbi maneat, & permaneat in æternum, siue in cœlo sursum, siue in inferno deorsum. Vnde quamuis quis præscitus, & malus sit, non deseritur ab Angelo, vt vel minùs peccet, vel aliquid boni faciat, & tamen vt Dei iustificet causam, qui nec hoc admiculo eum, quamuis eo indignum, priuauit.

Quæres quid nobis Angelus Custos profit in particulari? quid præstet specialiter nobis, dicam.

Primùm apud Deum pro nobis & nostris rebus intercedit, quod apertè dicto loco Dominus significauit, ait enim: *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillu*, hoc est, cauete ne illis molesti sitis, cò quòd paruuli ac despecti sint in mundo, ne illis iniuriam irrogetis: *nam Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*, id est, semper pro ipsis assistunt, & intercedunt coram Deo, parati suorum clientum contra vos agere causam, & vindictam, si opus est, exposcere, & clientes vlcisci, si vllam eis intuleritis iniuriam. *Matt. 18.*

Quod in scala illa Jacob præfiguratum fuit, *Vidit, ait, in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes.* Ad quid quæso ascendebant? ad quid descendebant? ascendebant quidem à nobis ad Deum; vt pro nobis intercederent ipsi, & nostras ei preces offerrent: descendebant rursus à Deo ad nos, vt impetrationes diuinas & misericordias ferrent nobis. Vide etiam in Apoc. & Tobia, vbi sic Angelus ad Tobiam: *Quando orabas cum lacrymis, & sepelibas mortuos, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.* Præterea in periculis Angelus nos defendit ac tuetur: quod pluribus in locis sacræ Scripturæ videre licet. Volebat Herodes occidere Christum Dominum, affuit Angelus Ioseph, & dixit: *Accipe puerum & matrem eius & fuge in Ægyptum.* sic cum Petrus in manifesto & proximo esset mortis periculo constitutus, affuit Angelus, & à vinculis eum liberauit, & è carcere eduxit, & in tuto collocauit. *Gen. 28.* *Cap. 8. 3.* *Cap. 12.* *Matt. 2.* *Act. 12.*

Hoc ministerium expressum habemus in Exodo, vbi Angelus, qui præcedebat castra Israel, stetit inter Ægyptiorum & Israel castra, & toto quidem noctis tempore ita Israelem ab Ægyptijs tuebatur, vt ad illum accedere non valerent. *Cap. 14.*

Iudas Machabæus Lysiæ prostrauit exercitum tali fretus præsidio: apparuit siquidem præcedens eos eques in veste candida armis aureis, hastam vibrans. Quisnam eques ille, nisi Angelus Dei in eorum auxilium delegatus? *2. Mac. 11.*

Sed quodnam illustrius exemplum Angelicæ custodiæ, quàm illud, quod refert sacra pagina circa horrificam illam Heliodori castigationem contra hostilem peruicaciam, quando sacri templi thesauros aduenerat spoliaturus? Vide ac narra. Præterea Angelus ad instar pædagogi monet, suadet, dissuadet, allicit, & terret: quod in Angelo illo, qui apparuit Baalam, adumbratum habemus, ense quippe euaginato minabatur illi mortem, & asinam impediuit, ne vltra progrederetur per viam, quam aduersus Dei placitum *2. Mach. 3.* *Num. 22*

profequebatur: non enim eo animo, quo Deus voluerat, pergebat.

Præterea Angelus clientem in peccato lapsum ad pœnitentiam excitat & mouet. quod in Angelo, S. Petrum in carcere constitutum & dormientem excitante, percutiente latus eius, & quà egrederetur, viam demonstrante, figuratum fuit. sic enim Angelus custos erga illum se gerit, qui catenis est peccatorum ligatus: excitat dormientem in culpa, & quantùm fieri potest, impedimenta removet, quæ conuersioni obstant, & qua via, quo etiam pacto conuerti debeat peccator, interiùs docet, &c.

Præterea in morte, quando scilicet hostes grauiùs nos infestant, & acriùs vrgent, tunc, inquam, accuratiùs Angeli custodes nos protegunt ac defendunt, & quæ hostes suggerunt, detegunt, & dissoluunt, & in cunctis quæ tunc nobis obesse possunt, patrocinantur, & denique nunquam nos ope sua destituunt, donec ad vitam perduxerint æternam. & quidem reprobis assistunt, donec tristem illam æternæ damnationis acceperint sententiam in iudicio particulari: electis verò donec in æternam requiem commigrarint. Huius exemplum in Lazaro habemus, de quo Dominus:

Luc.16.22 *Factum est, vt moreretur Lazarus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*, id est, in limbum: ibi enim iusti reponebantur, donec Christus Dominus morte sua mundum redimeret, & ad limbum descendens, secum in cœlum eos asportaret. Similiter Angeli iustorum animas, in purgatorio existentes, in pœnis comitantur, & consolantur, donec in cœlestem gloriam eos deducant, &c. vbi pariter cum illis æternas Deo referant actiones gratiarum.

Quid nostri erga nostros Angelos muneris sit, videamus. Et primò honorem illis & reuerentiam à nobis deberi certum est, ita vt nunquam indignum Angelico intuitu quidquam faciamus: si enim coram homine bono nihil huiusmodi perpetrare audemus, cur in oculis Angeli peccare non erubescimus?

Secundò nos erga Angelum gratos exhibere debemus: si enim beneficia deuinctum illum tenent, cui conferuntur, tot tantaque beneficia ab Angelo profecta, quam non merentur gratiarum actionem? Quòd si quæsieris, in quo nos Angelo custodi gratos exhibere valeamus? in eo dicam, quod quæ nobis suggerit faciamus: intus.n. huiusmodi suggestiones experimur ad bonum, & consilia quædam, quæ nos à malo retrahunt, & ad bonum inducunt: huiusmodi ductus nos sequi oportet, ne ingratitudinem in Angelum incurramus, & ne ob id debitas pœnas luamus. Audi Dominum ad Moysen sic loquentem: *Ecce ego mittam*

Exod.23. 20. *Angelum meum qui præcedat te, & custodiat te in via, & introducat in locum quem præparauit tibi. Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet, cùm peccaueris, est enim nomen meum in illo.* Nota, *non dimittet*, hoc est, non dimittam ego pœnam, quam promeretur, ei qui se Angelo exhibuerit ingratum: & quidem meritò; nam talis ingratitudo irrationabilis nimiùm est, & cætera.

Insignis locus de Angelorum custodia vulgaris ille,

Ps.90.11. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Quæres quænam sint omnes huiusmodi viæ, in quibus nos ita Angeli custodiunt. S. Bern. super hunc locum: *Via filiorum Adam in necessitate & cupiditate versantur, ab vtraque siquidem ducimur, & trahimur ab vtraque, nisi quod videmur magis necessitate vrgeri, trahi cupiditate. Et necessitas quidem specialiter corpori tribuenda videtur, nec simplex illa est, sed plurimos habens anfractus, plurimaque dispendia, nam compendia admodum pauca, si quæ tamen. Quis autem sufficiat quàm sit multiplex explicare? ipsa nos erudit experientia. In his quisque docetur quàm necesse habeat clamare ad Dominum, non de necessitate, sed de necessitatibus meis eruе me. Nec modò ab hac via necessitatis, sed ab ea quoq;*

Serm 11. in Psalm. Qui habitas.

A *quæ cupiditatis est, optabat educi quisquis non surdè monita veritatis excepit: quid enim ille ait?* A voluntatibus tuis auertere, & item: Post concupiscentias tuas non eas, *si quidem è duobus malu longè melius est in necessitate quam in cupiditate gradi: multiplex illa, sed ista amplius per omnem modum multipliciter inuenitur. Res cordis est cupiditas, propterea tantò maior, quantò anima plus est, quàm corpus. Denique hæ sunt viæ quæ videntur hominibus bonæ, sed finem non habent, nisi cùm demerguns hominem in profundum inferni. Si inuenisti vias hominum, illud etiam considera, ne forte de his dictum sit:* Contritio, & infelicitas in viis eorum, *vt sit contritio in necessitate, infelicitas in cupiditate, quomodo infelicitas in cupiditate? id est, non felicitas, vt putatur: eò enim infelicior homo est, quò vehementius ipsam prosperitate amplectitur. Væ filiis hominum ab hac felicitate falsa & fallaci. Necessitas igitur ex infirmitate carnis, cupiditas ex cordis inedia & obliuione procedit. Idcircò autem alienum medicat anima, quòd oblita sit comedere panem suum; propterea* B *terrenis inhiat, quòd minimè cœlestia meditetur.* Ita S. Bernard. qui has duas esse hominum vias dicit, necessitatibus & cupiditatibus suis vacare, vt scil. & à necessitatibus suis liberet, & cupiditates suas expleat. Multi dauit igitur Deus Angelis nostris, vt in his duabus viis, in quibus multa & grauia pericula intercedunt, custodiant nos, ne aut necessitatibus moti, aut cupiditatibus commoti, ad illicita declinemus.

Vnde meritò hinc S. Bernard. supra hanc conclusionem deduxit: *Quoties igitur grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca custodem tuum, ductorem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione inclama eum, & dic: Domine salua nos, perimus: non dormit, neque dormitat qui custodit te, ecce ad impus quandoque dissimulet.* Ita S. Bernard.

PROP. V. *Quàm rectè nos Angeli custodiam, & in quibus.*

C NOn mirum, si nonnulli diligentiam & solicitudinem Angeli Custodis ignorantes, nec illis sæpè gratias agant, nec eius implorent auxilium: quoc quidem negligentiæ genus periculosum, imò pernicio sum est in tam morosa vitæ huius militia, & multia hostium nostrarum animarum.

Ministerium Angeli Tutelaris, quo nos tuetur & iuuat, à nostra incipit natiuitate: nam quamdiu proles in vtero matris est, sub materni Angeli Custodis custodia est: durat autem, donec eò perueneris homo, vbi est æternaliter permansurus, siue in excelso supra, siue in inferno deorsum: quomodo autem nostri curam gerat, videamus.

Hoc mihi satis expressum videtur in iuniore Tobiæ de Angelo Raphaele agente, licèt ab eo ignoto cap.12. Tobiæ. vbi sic Tobias filius ad patrem suum: *Medo-Tobiæ xit ac reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit, vxorem ipse me habere fecit, & dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, meipsum à deuoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti sumus.* Ita ille. nunc singula videamus.

D Primò, *me*, inquit, *duxit ac reduxit sanum*, sic nos Angeli per huius peregrinationis viam & vitam ducunt & reducunt sanos, hoc est, per vias sanitatis & incolumitatis animæ. quod Exod.4. adumbratum est in Angelo illo, qui populo Israel ducatum præbuit, quousque eum per tot ambages, & anfractus deserti, quadraginta annorum spatio duxit, donec in terram promissionis introduceret illum. de quo Dominus ad Exod. Moysen: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, 20. & custodiat in via, & introducat in locum quem præparaui.* Angelus ergo Domini populum Dei ducebat per vastam illam solitudinem, noctu columnam ignis tanquam facem quandam præferendo, interdiu in columna nubis ducatum, cùm incedendum esset, præstando, & contra æstum vmbraculum, & metandorum castrorum

rum ac quiescendi indicium ministrando. sic Angelus A noster custos in via vitę huius, qua pergimus in terram illam promissionis cælestis patriæ, per horridam mũdi huius solitudinem, pergentibus nobis præstat, sic cum salute animæ nos ducit atque reducit. Hâc igitur ratione suggerunt nobis consilia salutaria, vt noxia vitemus & profutura sectemur, intellectum nostrum illustrant, voluntatem ad bonum mouent, memoriam Dei excitant, cor ad diuina inflammant, in dubiis docent, in periculis auxiliantur, in difficultatibus corroborant, & sic in reliquis auxilium nobis præbent, vt aliquando etiam corripiant, & interiùs reprehendant ac minentur. sicut Angelus ille fecit qui Balam apparuit in via, euaginato ense comminatus ei mortem, nisi iuxta Dei voluntatem iter illud aggrederetur.

Secundò, *pecuniam à Gabelo ipse recepit*, sic nos Angelus non solùm in æternis, sed etiam in temporalibus rebus iuuat, quatenus ad saluationem nostram conducunt, ne fortè necessitatibus tẽporalibus oppressi, amittamus æterna, vel minùs de ipsis debitam curam geramus. & sicut ipse illius Gabeli pecuniam ad victum Tobiæ recuperauit, sic Angelus Custos de pecunia nostra solicitus est, vt victum sufficientem habeamus, non quidem superfluum, hoc enim potiùs in nocumẽtum quàm in emolumentum nostrum cedit, sed necessarium, vt alimentum, & quibus tegamur, habeamus. B

Tertiò, *vxorem*, inquit, *me habere fecit*. sic Angelus Tutelaris nos ad illum statum eligendum allicit, qui nobis ad salutem æternam conducibilior sit: hunc ad statum sacerdotalem, illum ad laicum trahit, hunc ad religionis statum impellit, illum, vt ducat vxorem, monet, secundùm vniuscuiusque naturam & conditionẽ: non enim cuncta cunctis expediunt. Hostis noster ad oppositа inducit, & bellum intra cordis nostri caueam cum Angelo nostro init, sed si quis rectè consperexerit, facili negotio, fauente Deo, quænam sit suggestio hostis, quænam verò boni Angeli inspiratio, dignoscet. C Sunt autem nonnulli, qui, veluti equus & mulus, non quæ sibi potiora sunt eligunt, sed quæ secundùm appetitum iucundiora. hi, si in statu suo se posteà infelices clament, non mirentur: nam prauæ electionis pœnas luunt, *Tienen su merecido, pues no siguieron lo que entendian estar les mejor, que era lo que el buen Angel les dictaua, sino lo peor, como el mal Angel les persuadia*. Sanctus itaque Angelus Raphael Tobiæ suasit vt duceret Saram filiam Raguelis in vxorem, atque adeò felicem exitum matrimonium illud sortitum fuit.

Quartò, *damonium ab ea compescuit*, inquit Tobias. Ecce aliud Angelorum custodum officium, dæmonia compescunt ne nobis noceant. Vellet aliquando dæmon occidere hominem in peccato dormientem, vt ita in tartara duceret, sed tamen Angelus eum repellit, nec sinit tangere illum. Vult aliquando hostis offendiculum & scandalum peccandi alicui ponere, & Angelus Dei offendiculum illud tollit, ne cadat cliens eius, & ita de pluribus aliis. Sicut ergo Angelus prohibuit dæmonem, vt ait Tobias, ne ampliùs Saram & parentes eius infectaretur, aut se, sicut alios viros, occideret; sic modò bonus Angelus noster dæmonem compescit à nobis, & maximè, cùm nos impugnat, enim eos expugnat, pro nobis nobiscum pariter certans. Quod in bello illo Lysiæ contra Machabæos & populum Dei adumbratum est, vbi Iudas Machabæus ferocis Lysiæ prostrauit exercitum: tunc enim (vt inquit sacra historia) apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis, hastam vibrans: quem videntes Machabæus & milites eius, animos sumpserunt, & tanquam leones in hostes irruerunt, & prostrauerunt ex eis vndecim millia peditum, & equitum mille sexcentos, reliquos in fugam conuerterunt. Ecce opitulante Angelo (Angelus enim erat eques ille) qualem de hostibus victoriam reportauit, sic in spirituali militia Angelus noster præstat, cuius ope iusti viri sæpè sæpiùs gloriosè vincunt.

Fatemur fortissimos nos habere hostes, non dubium, sed plures & fortiores sunt pro nobis quam contra nos, sicuti Giezi famulus Elisæi, qui videret exercitum magnum contra Prophetam Domini congregatum, aperiente Domino oculos eius, vidit pauidus montem vbi erat Elisæus plenum equorum & curruum igneorum in circuitu Elisæi, vt notum illi & omnibus nobis esset, quòd maius sit auxilium Angelorum pro nobis quàm sit persecutio dæmonum contra nos. *4. Reg. 6. 15.*

Simile quid legimus in vitis Patrum, vbi refertur grauem quandam tentationem intulisse dæmonem Abbati Moysi, ob quam quietus in cella sua non poterat permanere; quapropter contulit se ad Abbatem Isidorum, cui defatigationem suam, & hostis pugnam enarrauit, cumque ex sacris Scripturis Abbas Isidorus testimonia proferens, consolarctur eum, & vt in cellam suam reuerteretur rogaret, ipsque vt id faceret non posset induci; tunc illum Abbas Isidorus secum ad suæ mansiunculæ superiora perduxit, & dixit, respice ad Occidentem. respexit ille & vidit circa illam mundi plagam innumerabilem dæmonum multitudinem, vehementerque illos furore perturbari, & quasi ad prælium præparatos in conflictum turmatim irruere, atque pugnare. Dixit autem ei iterum Isidorus, respice iam ad Orientem, cumque in eam partem respiceret, vidit innumerabilem sanctorum Angelorum frequentiam splendentem super lucem Solis, tunc ad eum Isidorus: Ecce quos in Occidente vidisti, hi sunt qui sanctos viros impugnant; quos verò versus Orientem conspexisti, hi sunt quos in adiutorium seruis suis mittit Dominus exercituum. Cognosce igitur, quòd plures sint pro nobis quàm contra nos. his auditis & visis confortatus Abbas Moyses reuersus est in cellam suam, glorificans Dei nostri potentiam & bonitatem. Et quidem minimè opus est tanto Angelorum exercitu: vnus enim Angelus, Dei ope fultus, potens est omnes diabolicas debellare potestates, sicut vnus tantùm Angelus percussit & occidit in castris Assyriorum nocte vnâ centum octoginta quinque millia eorum. Eâdem facilitate Dei ope omnem exercitum dæmoniorum vnicus Angelus poterit effugare. Sic ergo à dæmonis vexatione S. Raphael Angelus Tobiam iuniorem & vxorem eius liberauit. *4. Reg. 19.*

Præterea, *gaudium*, inquit, *parentibus eius fecit*. Ecce aliud bonum ab Angelis in nos deriuatum, nam si successu rerum huiusmodi tristamur, Angelus Custos nos interiùs consolatur, & mœrorem in gaudium cõuertit, & eorum nobis occasionem & opportunitatem administrat, quibus tristitiam expellamus, & gaudio vero fruamur, sicut pastores gaudio magno repleuerunt & alios plures. D

Præterea, *meipsum à deuoratione piscis eripuit*. nota est historia quomodo non solùm ab eo Angelus & à morte Tobiam eripuit, sed etiam plurima ex eo emolumenta reportauit. sic etiam sæpè Angelus nos à periculo mortis eruit, & in bonum ea conuertit quæ nobis noxia videbantur. Sic beatum Petrum à carcere & morte liberauit, sic Danielem à deuoratione leonum, quorum ora Angelus Dei conclusit. sic liberauit Ismaelem & matrem eius à siti mortali, ostendens fõtem scaturientem, & Iosue vidit in agro Hierochuntino Angelum euaginato gladio stantem in auxilium eius accinctum. *Actor. 9. Dan. 14. Gen. 21. Cap. 5.*

Denique *te videre fecit lumen cæli*. quod mihi adumbrare videtur lumen interiùs cordis, quod nobis Angelus administrat, vt quæ sequenda & quæ fugienda sint, facilè videamus.

Sunt insuper & alia purima, quæ his addi possunt,

inter quæ non inferiorem habet locum, quòd A orationes nostras Deo repræsentant, orantes pro nobis, vt ea obtineamus à Deo, quæ nobis expedierit obtinere. quod in scala illa Iacob præfiguratum fuit, per quam Angeli ascendebant, & descendebant, nimirum ascendebant à terra in cœlum, nostras ad Deum preces deferentes, & descendebant ad nos, Dei responsa & concessa ferentes.

Inde ad Tobiam seniorem sic Angelus Raphael:

Tob 12. *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquiebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas; ego obtuli orationem tuam Domino.* imò non expectantes preces nostras ipsi sponte sua pro nobis ad Deum fundunt preces, vti constat *Zachar. 1.* vbi pro ciuitate Hierusalem, nullo interpellante, sic Angelus orabat: *Domine exercituum vsquequo tu non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est.* & respondit Dominus Angelo; *qui loquebatur in me verba bona & consolatoria.* ecce quomodo nostris & suis precibus auxilientur nobis Angeli sancti. B

Præterea in tribulatione nostra Angelus nos confortat, & eam ob causam, cùm Christus Dominus proximus passioni contristaretur, affuit Angelus confortans eum. nunquid Dominus Christus Angelica egebat confortatione? nonne Angelorum Dominus & creator est? Quid igitur necesse fuit eum ab Angelo confortari? nempe quæ in Christo Domino facta sunt, ad nostram doctrinam facta sunt. Voluit igitur Dominus in hoc ostendere nobis quale sit in nos Angelorum munus, afflictos scilicet consolari, & eos qui in omni pressura sunt confortari. cùm ergo te labore aliquo videris oppressum, inuoca tutelarem Angelum, qui te confortet, aderit absque dubio, quia ad hoc tibi à Deo datus est.

Præterea si quando in Dei obsequium & gloriam facere aliquid aggrediмur, ipsi nobis Angeli opitulantur, & fauent, vt ad optatum finem cœpta perducamus. sicuti in facto illo mirabili Iudith vidimus, rem valde arduam aggressa illa fuit, notum est, & quæ impossibilis effectu videbatur, vt scilicet mulier vna debilis & inermis exercitum potentissimum inimicorum adeat, & occidere magnum eiusdem ducem excogitet, & caput eius per medios hostium cuneos secum tollat, & in ciuitatem suam indemnis ferat, & illæsa omnino. quomodo hoc factum est? dicat ipsa

Iudith. 13. quæ fecit: *Viuit Dominus, quoniam custoduit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem.*

Tandem nos Angeli non solùm in vita, verùm etiam in morte custodiunt: assistunt morienti, & quia tunc temporis ampliùs nos dæmones infestant, ampliùs nos Angeli seruant, & hostes propulsant, in fide confirmant, spem augent, & contritionem nos habere suadent, ac docent, & nullum non lapidem

2. Matth. 3. mouent, vt salui simus: & tandem post mortem in cœlum animas nostras ducunt, sicut olim animam Lazari, quantumuis pauperis, quantumuis leprosi, quantumuis abiecti, & ab omnibus derelicti, in sinum Abrahæ post mortem asportarunt. quantum autem pro hac custodia debeamus honoris, & deuotionis, & orationis, &c. dicemus Prop. 8.

Prop. VI. *Quàm exactè nos Angeli custodiant.*

Cant 3. 6. CAnt. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israël.* Qui sunt fortes isti? & quæ custodia ista? & cur lectum ambiunt Salomonis?

S. Athan. S. Athan. in libro quæstionum, q. 122. *Fortes hi Angeli Dei sunt, qui perfectum virum circumeunt, & circa ipsum incedunt.* ita ille. In eo autem quòd lectum circumstant, intelligi datur eximia illa cura, qua seruos Dei Angeli seruant, ita vt, dum nos somno damus, ipsi vigilent nos custodientes. Quod etiam significatur in somno illo Iacob, Genes. 27. cum dormiens vidit scalam in cælum protensam & Angelos Dei ascendentes per eam: dormiebat quidem ille, sed Angeli ad eum missi non dormiebant, sed circa illum vigilabant: venturum nobis esset, quòd nec vigilantibus nec dormientibus nobis, deserunt nos Angeli sancti.

Prop. VII. *Angelus custos nos à diabolo defendit.*

MAtth. 4. *Accedens tentator*, &c. Tentatorem dæmonem vocat quasi ab officio: hoc enim quasi officium proprium sibi præscribit hostis noster, tentare videlicet nos, & inde tentatoris nomen habet: sicut enim artifex, verbi gratia pictor, picturas artificiosè facere curat, sic hostis pessimas tentationes. Vnde 1. ad Thessalon. 3. Paulus, *Ne forte tentauerit vos qui tentat.* vbi Glossa, id est Diabolus, cuius officium est tentare. ita Glossa. Quærit igitur S. Thom. 1. p. q. 114. art. 1. cur Deus bonus, qui supra modum nostram saluationem sitit & perfacilè illos compescere posset, non prohibet? Arguit ergo sic S. Thom. ibi in argumento 2. *Non est aqua conditio pugnæ, vt infirmus contra fortem, ignarus contra astutum exponatur ad bellum; sed homines sunt infirmi & ignari, dæmones autem potentes & astuti; cur ergo permittit iustitiæ author vt homines à dæmonibus impugnentur?* Respondet idem sanctus: *Ad hoc, vt non sit inæqualis pugna conditio inter homines & dæmones, fit ex parte hominis talis recompensatio, principaliter quidem per auxilium diuinæ gratiæ, secundariò autem per custodiam Angelorum.* Vnde 4. Reg. 6. Eliseus dixit ad ministrum suum: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam contra nos.* ita ille. Quare in diuino iudicio nulla erit excusatio peccatoris dicentis: *Peccaui*, quia pugnaui contra C hostem fortiorem me, sicut nihil profuit Euæ, Gen. 8. cùm dixit: *Serpens decepit me.*

Prop. VIII. *Quid nos præstare oporteat erga Angelum custodem.*

CVm tanta sit Angelo custodi cura nostri, æquum est, quid nos erga illum agere debeamus pro tanto beneficio, & qua ratione & ex eius custodia debitum emolumentum capere valeamus, videre. S. Bern. *serm. 11.* super Psal. *Qui habitat.* exponens & expendens verba illa, *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Quantam*, inquit, *tibi debet hoc verbum reuerentiam inferre, deuotionem afferre, fiduciam conferre, reuerentiam pro præsentia, deuotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia.* ita ille. Tria ergo Angelis debemus, D reuerentiam, deuotionem, & fiduciam. de his figillatim aliqua obseruemus.

Primò igitur Angelo nobis præsenti & assistenti reuerentiam debemus, *cautè ambula* (ait ibidem S. Bernard.) *vt videlicet, cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus vijs tuis, in quouis diuersorio, in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiam habe, tunc audeas illo præsente, quod me vidente non auderes?* ita ille. Consilium nobis omnibus præbet Seneca, vt, ne quid etiam in occulto indebitum faciamus, semper tanquam præsentem virum aliquem grauem & iustum imaginemur, vt quasi ab eo aspecti, id facere recusemus, quod illo præsente agere minimè auderemus. Sit igitur pro tali viro imaginario Angelus custos, qui plusquam homo, grauis est, & qui non imaginariè, sed verè ac realiter adest nobis, & à custodia nostra oculos non auertit, & gaudet plurimùm, cùm omnia sanctè & purè facere videt, irasciturque in nos, & veluti dolet, cùm videt non

non ita nos agere iustè. Cum igitur animum tuum pulsauerit aliquid, quod non ita rectum sit, præsentem Angelum tuum considera, aspicientem, ac aspectantem, qualiter in eo conflictu te geras, &c.

Secundò debemus Angelo deuotionem: licèt enim mandauerit illi Deus de te, vt custodiat te in omnibus vijs tuis, libentissimè & eximio eius in te amore mandatum exequitur Dei, & hac charitate, hac benevolentia, hac prouidentia & assiduitate, adsunt tibi non modò tecum, sed etiam pro te adsunt, vt prosint. Vnde S. Bernard. ibid. *Simul igitur*, inquit, *tantis custodibus deuoti simus, grati redamemus eos, honoremus eos, quantùm valemus, quantùm debemus.* ita ille. Quare quotidie oportet obsequium aliquod Angelo præstare, vel coram imagine eius aliquoties genu flectendo, vel saltem orationem eius recitando, auxillium ab eo postulantes, vel in obsequium eius eleemosynam aliquam exhibendo, & indies ad cultum & festiuitatem Angeli custodis peccata confitendo & sacram Eucharistiam sumendo, & officium eius recitando, vel aliud pium opus in eius honorem faciendo.

Denique fiduciam & confidentiam magnam Angelo custodi debemus, non dubitantes quin nobis præ inuocati adsint in periculis, in tentationibus, in necessitatibus nostris. nam præceptum est illis à Deo vt custodiant nos in omnibus vijs nostris; præceptum inquam, posuit illis Deus, non præteribunt. parent enim Deo ad nutum, & libentissimè parent, & minùs facere non valent. Quare meritò subdit Psalmista: *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* quæ verba sic expendit S. Bernard. ser. 12. in eumdem Psalmum. *Nunc filij Dei sumus, etsi nondum apparet quid erimus, eò quòd adhuc paruuli sub actoribus, & tutoribus simus, tanquam nihil interim differentes à seruis. caterùm etsi tam paruuli simus, & tam magna & tam periculosa restat via, quid tamen sub tantis custodibus timeamus? nec superari, nec seduci: minùs autem nos seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus vijs nostris, fideles sunt, sapientes sunt, potentes sunt, quid trepidemus? tantùm sequamur eos, adhæreamus eis. Vide autem quàm necessaria sit ista custodia in vijs tuis.* In manibus, *inquit*, portabunt te, *in tuis quidem vijs custodient te, & deducent paruulum qui potes paruulus ambulare. Cæterùm non patientur tentari supra quam sustinere potes, sed in manibus tollent, vt pertranseas offendiculum. Quàm facilè transibit qui manibus illis portatur, quam suauiter, iuxta commune prouerbium, natat cuius alter sustinet mentum. Quoties ergo grauiu cernitur vrgere tentatio & tribulatio, inuoca custodem tuum, ductorem tuum, & adiutorem tuum, in opportunitatibus, in tribulatione, inclama eum, & dic*: Domine, salua nos, perimus. *Non dormit, neque dormitat Angelus, qui custodit te, & si ad tempus disimulet quandoque, ne forte periculosiùs ab illius manibus teipsum præcipites, si te eis ignoraueris sustentatum, in manibus vtique portabunt te. Vultis scire quas intelligam duas manus? duplicem vtique demonstrationem, dum videlicet hinc quidem tribulationis breuitas, inde retributionis eternitas ostenditur, aut magis imprimitur cordi, vt intimo affectu sentiat, quoniam* momentaneum hoc, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *Quis verò istas tam bonas per bonos non credit immissiones, cùm certum sit, quòd è contrario male vtique fiant per Angelos malos? Habetote ergo familiares Angelos vestros, fratres, frequentate eos sedulâ cogitatione & oratione deuotâ, quia semper vobis adsunt ad custodiam & consolationem.* Ita S. Bernard.

Audiant hoc, qui dies, annos præterlabi sinunt, Angelo Custode nè semel salutato, neque vllam ei gratiam pro tanto ministerio habentes, imò nec considerantes se tale habere præsidium, tantùm corporea attendentes, & ampliùs nihil sciunt.

Denique addamus tribus illis debitum quartum. debemus itaque Angelo nostro obedientiam, vt scilicet id eligamus, & id exequamur, quod suggerit ipse. Sic enim Deus ad populum Israel: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paraui, obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cùm peccaueris, & est nomen meum in illo. Quòd si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & præcedet te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum & Chananæum, &c. quos ego conteram.* Ecce quam obedientiam præstare nos velit Dominus Angelo nostro, vt introducat nos ipse in terram illam promissionis cœlestem. Vbi nota verba illa, *est nomen meum in illo.* vbi sic Chaldæus, *quoniam in nomine meo est verbum illius*, quasi dicat: Quidquid tibi dixerit, id à me dictum puta. Admonitiones ergo bonæ interiores Angeli Custodis admonitiones Dei sunt. Obserua etiam verba illa, *nec contemnendum putes.* quis, inquies, contemnit Angelum Custodem? ex paraphrasi Chaldaica colligi potest. ait ergo Chaldæus, *non sis ei rebellis*, & Septuaginta legunt, *ne sis incredulus illi*, itaque non obedire illi est contemnere eum, sicut Christus Dominus dixit Apostolis, *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit me spernit.* Oppositi contemptú obedientiæ, cùm inobedientia opponenda videretur, quia non parere veluti contemnere est. At dices, quomodo agnoscere possum, quando mihi aliquid dicat Angelus? dicam, nónne apud te aliquando sensisti conflictum & pugnam cogitationum, quarum altera suggerit malum, alia verò bonum? suggerit tibi cogitatio: fac hoc vel illud peccatum: sentis autem aliam suggestionem veluti dicentem: Caue tibi, peribis si tale quid feceris: attende mortem instantem, attende cœli gloriam quam amittis, judicium Dei, & rationem, quàm strictè exigit Deus, memento ignis æterni, & esto fortis in hoc bello, ne succumbas, &c. Conflictus iste inter bonum & malum Angelum est, malus suggerit mala, bonus bona: si ad mala declinas, diabolum audisti, Angelum tuum neglexisti, & exacerbasti. Et quidem in malum tuum, nam quem modò patronum Angelum habes, postèa reperies accusatorem tuum, & aduersantem, & sententiæ judicis seuerè subscribentem, eam iustam & dignam asserentem & confirmantem. Obserua ergo eum, & audi vocem eius, dicit Dominus: horrendum namque erit videre Angelum pacis, ex custode veluti in hostem conuersum, iustè tamen, quia qui eum neglexerit adiutorem, meretur illum tunc habere desertorem & repulsorem.

Qui autem Angelo suo gratus esse desiderat, & ei gaudio esse, ea operetur quæ Angelis chara & grata sunt. huiusmodi est charitas, temperantia, grauitas, modestia, mansuetudo, patientia, pietas, deuotio, oratio, eleemosyna, sobrietas, veritas, & maximè quæ ad pudicitiam & Dei cultum & amorem spectant.

Quadrat hìc, quod de Paulo simplici discipulo S. Antonij Abbatis refertur in vitis Patrum, quòd cùm die quâdam hic Paulus prę foribus templi sederet, & ingredientes diuinâ quâdam luce interiùs collustratus obseruaret, vidit multos splendidâ facie & læto vultu accedentes, Angelo cuiusque custode comitante, & collætante: vnum verò considerauit tetro & nigro vultu venientem, duobus comitatum dæmonibus, de malo eius statu gaudentibus, Angelo autem ipsius Custode facie tristi procul sequente. sed iste in templo efficacia verbi diuini motus, & pœnitentiâ peccatorum mediante, in alium mutatus, ab eodem sancto lætus & candidus, Angelo iam bono sociatus ex templo egredi visus est. Quare licèt ex pura vita præter Dei gloriam nihil aliud commodi reportares, nisi lætum reddere Angelum tuum, id pro magno pretio habere deberes.

Exod. 23.

Luc. 10. 16

Psal. 90. 12.

PROP. IX.

PROP. IX. *Quàm gratè esse debeamus Angelo Custodi.*

Leuit. 23. 34. LEuit. 23. Iussit Dominus singulis annis, mense septimo, celebrare filios Israël festum solemne Tabernaculorum, diebus septem: *& dies primus horum vocabitur*, inquit, *celeberrimus atq; sanctissimus.* Quare hoc festũ celebrari sic iussit? Respondet S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 10. *Ad commemorandum beneficium diuinæ protectionis, & deductionis per desertum, vbi in tabernaculis habitauerunt. vnde in hoc festo debebant habere fructum arboris pulcherrimæ, id est, citrum, & lignum densarum frondium, id est myrtum, quæ sunt odorifera, & spatulas palmarum, & salices de torrente, qua diu retinent suum virorem, quæque inueniuntur in terra promissionis, ad significandum quòd per aridam terram deserti eos deduxerat Deus ad terram delitiosam.*

S. Thom.

Ita S. Thom. Hinc colligere licet quantùm Angelis custodibus debeamus, cùm duces nostri fidelissimi sint, ducendo nos nõ in terram promissionis, vbi quàm plurimi perierunt, sed in cœlestem patriam, vbi in æternum salui cum Deo viuamus atque regnemus.

B

ANIMA.

1. PROP. *Quàm excellens sit anima rationalis.*
2. *In his quæ ad animam spectant magna cura & diligentia adhibenda est.*
3. *Quanta maior cura adhibenda sit pro anima quam pro corpore.*
4. *Quam indecens sit animam corpori seruire.*
5. *Anima laboribus & bonis operibus ditatur.*
6. *Anima à plerisque negligitur.*

PROP. I. *Quàm excellens sit anima rationalis.*

SAnctus Isidorus *liber 1. sent. capit. 15. Pro rebus corporeis sufficit sensus corporalis, sed non pro spiritualibus capiendis. Præcellunt autem sibi corporei sensus diuersitate locorum, & eodem modo sentiendi virtute. Nam sicut præstantior est odoratus sapore, & positione loci, & sentiendi longinquitate, sic auris odoratu, longius enim audimus quam odoramus. & sic etiam oculi auribus: longiùs enim videmus quam audimus?* Animus autem loco & merito his vniuersis sensibus superfertur, in arce enim capitis constitutus, quod illi corporaliter non attingunt, ille intellectualiter contuetur. Ita S. Isidorus.

C

S. August. lib. 10. Confess. cap. 8. *Homo qui miratur sydrum altitudinem, & maris profunditatem, animi tui abyssum intra, & mirare si potes. Multa quidem intelligimus sensu, quæ non possumus explicare linguâ.*

Matt. 16. 26. Mat. 16. *Quid prodest homini*, ait Christus Dominus, *si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Qui capite damnatur, vitam redimere solet pecuniarum pretio, quia corporis vita secundùm leges ciuiles, vel secundùm hominum æstimationem pretio aliquo æstimari potest: pro anima verò, quam commutatio-

D

nem poterit dare? Ita (ait Christus) quid prodest homini, verbi gratiâ, Alexandro Magno, quòd totum mundum lucratus fuerit, animæ verò suæ detrimentum patiatur? hoc est, tanti anima facienda est, vt damnum, quod peccando patitur, in ratione damni maius fit, quàm in ratione commodi, totius mundi lucrum. Dices damnum huiusmodi animæ pœnitentiâ resarciri posse. Ita est, sed solùm peccasse, quamuis pœnitentiâ gratia recuperetur, maius malum est, in ratione mali, quàm possessio totius mundi in ratione boni, non solùm quatenus peccatum offensa Dei est, sed etiam quatenus nocumentum animæ fit: tanta res anima nostra est. Vnde meritò Christus suspensas has interrogationes reliquit, *Quid prodest homini? quam commutationem dabit?* &c. quasi dicat, nullam: superat A enim dignitas animæ reliquas omnes dignitates mundi.

Hinc Seneca in Suasoria 6. *Animus*, inquit, *diuinæ origine hausit, cui nec senectus vlla, nec mors, ponderosi corporis vinculis exolutus ad sedes suas & cognata sidera recurret.* Ita ille. Põdera verba illa, *animus diuinâ origine hausit*, videtur quidem Seneca legisse illud Genes. 2. *Inspiauit Deus in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Sic anima hominis diuinâ origine hausta est verè, quid nobilius, quàm sic ex genere diuino, & origine emanasse? cæteræ quidem animæ, vti aiunt Philosophi, de potentia materiæ educuntur, anima vero hominis ex diuino illo spiraculo vitæ, & quidem cum spiritio huiusmodi ex corde procedat, quàm ex ore Dominus, quanto inquam amore, & quantâ æstimatione animam nostram amauerit, & æstimauerit, illa inspiratio vitæ facilè manifestauit.

Verum quidem est corpus hominis parui momenti esse, ex luto nimirum confectum: at non idcò anima parui momenti est reputanda. sicut vas aureum omato lapide pretioso ornatum, quamuis in funda quadam vili, ex corio nempe confecta, recluditur, non ideò amittit pretium, & valorem auri, & cælaturæ nec imago pulcherrima, quam mille argenteis vendi gratiâ appretiamur, non ideò valorem amittit, quod in tabula, quæ duobus argenteis non est digna, sit depicta; sic etiam anima, quæ imago Dei sublimis est, non ideò valorem suum amittit, quod in corpore terræ luti inclusa, & veluti depicta.

B

ADDITIO.

S. Ambr. *Non caro potest esse ad imaginem Dei, sed anima quæ libera est, & diffusis cogitationibus, atque consiliis huc atque illuc vagatur, quæ considerando spectat omnia. Ecce nunc sum in Italia, & cogitemus quæ ad Orientales, aut Occidentales spectare videntur, & cum illis versari videmur, qui in fide sunt constituti, & illos videmus, qui in africa sunt, & quos cognatos nobis ea terra susceperit, sequimur proficiscentes, prosequimur peregrinantibus, copulamur absentibus, alloquimur separatos, defunctos quoque ad colloquium resuscitamus, & quos viuentes complectimur, & tenemus, & vitæ officia hospitibus deferimus. Ea igitur est ad imaginem Dei, quæ non corpore existimatur, sed mentis vigore, quæ absentes videt, transfunditur visu nouit, percurrit aspectu, scrutatur abdita, huc atque illuc vno momento sensus suos, per totius orbis fines, & mundi spacia circumfert, quæ Deo iungitur, Christo adhæret, descendit ad infernum, atque ascendit ad sidera, versatur in cœlo.*

C

Lactantius, *An potest aliquis non admirari, quod sensus ille viuus, atque cælestis, qui mens & animus nuncupatur, tanta nobilitatis est, vt ne tunc quidem cùm sopitus est, conquiescat, sed tantæ celeritatis est, vt vno temporis puncto, cælum omne collustret, & si velit, maria peruolet, terras ac vrbes peragret, omnia denique quæ ibuerit, licèt longè, latèq; submota sint, in conspectu sibi ipse constituat.*

D

PROP. II. *In his quæ ad animam spectant, magna cura & diligentia adhibenda est.*

ERat Dominus Iesvs *eiiciens dæmonium*, &c. Non poterimus non sanctissimum Lucam egregium Ecclesiæ Euangelistam, magnoperè mirari, & per illius cælestẽ doctrinam excitari, si priùs modũ animaduersione dignissimum, quo in prælenti Euangelio vtitur, attentè consideremus. Qui profectò diuino spiritu afflatus, non dixit: Eiecit Iesvs dæmonium, sed erat Iesvs *eiiciens dæmonium*, non vtitur tempore præterito perfecto, sed imperfecto. Nec illi vnquam in mentem venit dicere à Christo dæmonium non esse eiectum: id enim satis apertè paulò post significauit, sed id fecit vt facilimè intelligeremus, Christum dæmonium nõ celeriter se paulatim expellere. Poterat quidem ille, ad cuius nutum columnæ cæli contremiscunt, vno verbo

verbo expellere non vnum , sed & omnia dæmonia, A quæ æternis pœnis in inferno excruciantur, si omnia huius hominis animum occuparent; sed hoc dæmoniũ efficiebat Christus paulatim , quippe qui rem magni ponderis agebat, & vt nos etiam modum eiiciendi dæmonia doceret, & quomodo non cursim , sed sensim, paulatim, & considerate eiicienda sunt. Iam hoc damnum omni curâ vitandum, ita in hac lugubri vita ferpsit, vt res ad animum pertinentes celeriter & inconsideratè homines faciant: at verò quæ ad corpus attinent, diligenter & considerate præstent. Si enim aliquando rem sacram audiunt,eam quidem non longam, sed perbreuem exoptant, qui si corpore in templo adsunt, animo absunt: si verò paulisper orationi vacant, festinè & sine vlla attentione: habent enim se ac si quibusdam stimulis pungerentur, & ab aliquo viro cogerentur, vt quàm citissimè finem orandi faciant. Quos certè nullus alius nisi dæmon excitat atque commouet: vt illi monacho accidit, teste diuo Benedicto, qui quidem dixit non se audisse,sed propriis oculis vidisse monachum quemdam, quem dæmon ipse à con- B templatione extrahebat. Hâc desidiâ & inconsideratione huiusmodi sectatores effeiunt ea, quæ ad animum pertinent, quæ verò ad corpus summâ curâ , ac diligentiâ. Quàm prolixè loquuntur, si fortè ad aliquem sermonem deueniant, qui turpis sit, & proximo perniciosus! Quanto tempore ludum exercent ! qui quidem totam noctem, sine vlla intermissione ludent, nec ad id tempus, nec patientiam desiderant , sed ad horarium Virgini Mariæ recitandum & tempus, & patientia deficit, cùm in eo recitando, dimidia tantùm hora consumatur. Quàm denique diligenter illa omnia faciunt, quæ in se aliquid vtilitatis,& commodi habent. Eodem quidem modo huiusmodi homines se in confitendis criminibus gerunt. Incunctanter enim se aliquo scelere astringunt, & in eodem diu perseuerant: at verò celeriter & cursim illud Confessario suo aperiunt. Totum annum in suis scelcribus velut in tenebris jacent, neque illos vlla cura solicitat, vt à turpi ad optimam viuendi normam se recipiant. Et eùm hebdomadam illam aduentare vident, in qua nostra salus recu- C perata recolitur, finem priùs quàm initium confessionis inquirunt. Citò enim ad rem tantam, tamque necessariam se parant, citiùs scelera , propter quæ in Dei offensionem venerunt, confitentur, & illud illo tempore magis ex animo exoptant vt breuiter absolutionem adipiscantur, neque graues aliquæ pœnæ sibi subeundæ à Confessariis imponantur. Ignoras sanè frater harum rerum dignitatem & pondus. Neque omnino intelligis quantum vtilitatis præ se ferant. cùm de rebus cœlestibus agis rem magni ponderis tractas , cùm de confessione, nihil aliud facis quàm vt dæmonia de animo tuo eiicias, & id celeriter, & quasi præteriens facies? At Christus aliter res ad animum pertinentes 6.33 gerit. *Quærite* (inquit) *primum regnum Dei , & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Primùm , inquit, vt regnum Dei quæramus, posteà res humanas & caducas. Et tu res humanas regno Dei anteponis. Vt au- D tem immortalis Deus nos in hoc erudiret , & animæ salutem circumspectè & ex professo curandam esse doceret, dæmonia paulatim eiicit; est enim ea res magni momenti. Non erat tanti ponderis cœlos creare, quanti dæmonia expellere, & ita Scriptura cùm de creatione loqueretur, dixit : *In principio creauit Deus cæ-* 1. *lum & terram.* Non dixit, erat creans, neque enim de eo opere diu, multumque cogitauit; secus autem in hoc de quo dicitur: *Erat* Iesvs *eiiciens dæmonium.* tu tibi persuade nihil esse difficilius, nihil magis arduum, nihil maioris negotij quàm dæmonia de animo tuo expellere. si aliquod in eo esse agnoscas, expelle, nempe, peccata quæ nihil aliud sunt nisi dæmonia , quæ animum non Deo, sed dæmoni similem reddunt. Quod quidem vtilius tibi esse existima, quàm magnam pecuniarum copiam coaceruare, & quàm plurimùm apud reges valere, & reliquis omnibus dominari. *Quid enim* Mat.16. (ait Dominus) *prodest hominì, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur ? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Quid prodest(inquit) dicunt & ipsi priùs qui extiterunt in mundo felices: *Quid nobis prodest superbia nostra , & diuitiarum iactantia* Sap.5.8. *quid contulit nobis? Talia dicunt ij in inferno qui peccauerunt*; ac si dicant, nihil. Non dissentit in hac re Scriptura sacra ab ipsa experientia, quin potiùs inter se conueniunt. vtraque enim docet nihil prodesse homini, si vniuersum mundum lucretur , animæ verò suæ detrimentum patiatur. Non dicit Christus , nihil prodest homini si nimis sit diuitiis potens, si multas prouincias gubernet, sed, si vniuersum mundum lucretur, id quod nullus Rex, nullus Imperator, etsi potentissimus , adeptus est vnquam. Sed demus te posse id assequi, quod fieri non potest, si his comparatis in inferos amandaris? quid tibi prodest ? Quid nunc Alexandro Magno sua potentia? Quid dignitas? Quid gloria,quæ velut vmbra jam transiit? Sed pœnæ, quibus nunc dignissimè afficitur, nunquam transibunt , sed in æternum manebunt: ergo quod magis prodest, non est, diuitias & honores quærere, sed animæ salutem, ad quã comparandam dæmonia ex animo expellenda sunt, peccata Sacerdoti aperienda, animusque diuina gratia purgandus. quæ cùm ita sint, vide quæso, an tuà refert hoc diligenter facere, cætera verò celeriter,& quasi præteriens;tu verò hoc quod ad animũ pertinet inconsultò, & temporeimportuno , quod autem ad corpus maturè, & cogitato opportuneque exequeris, & quidem Christus Iesvs quod ad nostram salutem pertinet accuratiùs & ex professo gerit.

Erat (inquit Euangelista) Iesvs *eiiciens dæmonium.* Hoc quidem modo Deus quæ ad nostri animi salutem attinent peragit,& ita Apostolus cùm de humani generis reparatione loqueretur , vtitur eodem modo loquendi, *Deus* (inquit) *erat in Christo mundum reconcilians* 2.Cor.5. *sibi*: non dixit, reconciliauit , sed erat reconcilians. 19. quod quidem summam illius in hac re diligentiam studiosumque animum significat. Optimè poterat Deus filium suum de cœlo in terram mittere , vt humanum genus suppliciis addictum æternis,à tam sæua tyrannide vindicaret intra vnius horæ spatium. voluit tamen vt in hoc negotio perficiendo tres annos supra triginta consumeret, à cibo abstineret, preces ad Patrem effunderet, conciones plures haberet , mare terramque lustraret, corpus suum sanctissimum macerarer, ignominias & contumelias ab hominibus sibi obiectas perferret, & denique mortẽ crudelissimam subiret. Quod cùm audieritis attentè, considerate,quanta curâ ac diligentia res ad nostram salutem pertinentes agat. Concionabatur humani generis seruator cœlestique doctrinâ homines imbuebat , idque non cursim, & quasi præteriens, sed diu sæpeque faciebat. *Erat* (inquit diuus Lucas) *docens quotidie in templo.* Et licèt *Luc.19.* nullam Iudæi gratiam pro tanto beneficio Christo 47. haberent,sed potiùs pro beneficio illum lapidibus imperarent, non tamen ob eam caussam ab hoc docendi munere supersedebat. *erat* (inquit) *docens*, non dicit, docuit, sed erat quotidie docens. Assiduè enim & accuratè in eis edocendis perseuerabat. Tu autem celeriter & negligenter de tua salute curabis, & semper in rebus non ad animum, sed ad corpus pertinentibus versaberis? Cùm sanctissimus Paulus Timotheum discipulum suum in prædicationis munere institueret, 2.ad Tim. ita eum alloquitur: *Testificor coram Deo, & Christo* Iesv, 42. *qui iudicaturus est viuos & mortuos, & per aduentum ipsius, prædica verbum , insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* Horum verborum exordium significat quanti momenti illa sint. Horta-

tur diuus Paulus Timotheum grauioribus quibuſdam verbis quam ſoleret, vt ſcilicet conciones habeat, in eoque concionandi munere perſtet & opportunè ac diligenter inſtet. Inſta opportunè, & quia de rebus ad animum pertinentibus agit, & ſi in eo aliquid difficultatis inuenerit, vt patienter ferat *in omni patientia*, ac ſi diceret, licèt in ipſa prædicatione vincula, ærumnæ, defatigationes, aliique labores ſuperandi ſint, omnes illos patienter tolera, id quidem ſibi vult illud *in omni patientia*. At quo pacto cùm Apoſtolus requirat patientiam & perſeuerantiam in concionatore, qui te docet tuamque ſalutem procurat, tu in ea curanda iners ſis, breueſque conciones deſideres? admonetur Concionator, vt quemuis laborem ferat, te inſtanter erudiat, & tu, de cuius ſalute diligenter agit, nullum ſuſtferes laborem, nihil patienter feres? Et verè dæmon hoc modo de animo expellitur: neceſſe eſt enim vt id diligenter fiat, arctiſſimè namque animum oppreſſum tenet. Itaque non curſim & quouis modo, ſed diligenter de illo ciiciendus eſt, perſeueranter in eo expellendo inſta, & à Deo ſummis precibus contende, vt opem & auxilium præſtet ad rem tam difficilem, tamque arduam & neceſſariò agendam, cuius auxilio adiutus, ſi pro te ipſe, quod in te fuerit, præſtiteris, animi ſalutem maximè ab hominibus optatam aſſequeris, &c.

Eccl. 30. 24. Eccleſ. 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Miſericors ergo & pius eſt in ſe, qui ſeruit Deo, & è conuerſo impius & inſe crudelis eſt peccator.

Expendit S. Auguſt. ſerm. 31. de verbis Domini ſecundùm Lucã, verba illa Luc. 11. ad Phariſæos dicentis: *Luc.* 11. 41. *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Phariſæi iſti: Baptiſmo Chriſti abluti non erant, nec in Chriſtum credebant: quomodo ergo aut Dominus*: Date eleemoſynam & ecce omnia munda ſunt vobis? *Attende quid ſit*, facite eleemoſynam; *quid eſt*, facite eleemoſynam? *Vtique facere miſericordiam. Si ergo intelligis, incipe à te ipſo, fac tibi eleemoſynam, fac tibi miſericordiam: quomodo ergo miſericors es, ſi crudelis es tibi? Audi ſcripturam*: Miſerere animæ tuæ placens Deo. *Quicumque malè viuit, redi ad conſcientiam tuam, & ibi inuenies egentem, & mendicantem animam tuã. Fac ergo eleemoſynam animæ tuæ, & ecce omnia munda ſunt tibi.* Ita S. Auguſt.

Prop. III. *Quanta maior cura adhibenda ſit pro anima, quàm pro corpore.*

SAnctus Chryſoſtomus tom. 5. epiſt. 5. *Pulchritudinem corporis intra naturæ vim deſcripſit Deus, decorem autem animæ à neceſſitate exemit, veluti lucem corporis meliorem, & eius potiundæ copiam omnem nobis attemperauit. Si enim pulchritudo corporis in noſtra poteſtate ſita eſſet, mox curæ nimiæ fuiſſent, & ſemper rei infructuoſæ operam impenderemus, & animæ dotes vbique negligeremus, cùm negatâ ea facultate, iam nunc omnia facimus, omnia molimur, pigmentis formam à natura, quaſi ab inuitis aſſerimus, cùm veram nequimus, coloribus, tincturis, concinnatione capillorum, veſtium circumdatu, ocularum lubricitate, multiſq; eius generis inepiis, falſam affingimus: quod ſtudium rebus frugi tribuiſſemus, ſi potuiſſemus ad bonam formam aliquid adiungere? Omnia tempora ſimul in hoc conſumpſiſſimus, & venuſtaſſemus abiectiſſimam ſeruam infinitis ornamentis, relictâ nobiliſſimâ dominâ inculta quouis mancipio magis. Quare Deus adempta infelici curâ, meliori rei artem indidit nobis, per quam qui corpus ex deformi elegans reddere nequit, is animam vel vltimæ turpitudinis in ſummam ſpeciem reducere poſſit, adeoq; amabilem reddere, vt Deum Regem omnium in ſuam pelliciat dilectionem, nedum viros bonos, iuxta ea quæ Dauid de huiuſmodi pulchritudine animæ dicit*: Et concupiſcet Rex decorem tuum. *Pſalm.* 44. 12.

Idem S. Chryſoſt. Hom. 8. ad popul. *Non circa pecunias ſtudeamus quæ pereunt, neque circa gloriam quæ extinguitur, non circa corpus, quod ſeneſcit, neque circa pulchritudinem, quæ marceſcit, non denique circa delitias quæ deſluunt, ſed circa animam omnem curam impendamus. neque enim difficile eſt. Corpora quidem languentia non omnibus curare facile, animam verò laborantem eſt cuique facillimum medicare. Corporis item curatio, & medicamine indiget, & argento, animæ verò, parabilis eſt, & impendito caret. Carnis etiam natura multo cum labore ab inſeſtantibus curatur, vulnerium etenim ferrum ſæpè, & amara medicamenta adhiberenecceſſe rium eſt: in anima verò nihil eſt tale, ſed velle ſufficit, & omnia correcta ſunt, & hoc fuit diuinæ pronidentiæ, quoniam ex corporis imbecillitate, non multum ſieri nocumentum potuit. Nam etſi non ægrotemus, mors ſuperuenientes ipſum corrumpet & omnino diſſoluet, totum verò in animæ ſalute nobis ſitum eſt. Multò verò vtilioris, & magis neceſſaria patis curationem facit facilem & impendio & dolore carentem. Quamigitur excuſationem habebimus? quam veniam? cum corpus quidem, vbi argentum erogatur, & medici accerſuntur, & multus dolor ſuſtinetur, tantam geramus curam, præſertim non adeò graue damnum ex illius nobis prouenitat egritudine animam verò contemnamus, cùm pro ea nec argentum erogare, nec alios perturbare, nec dolores ſuſtinere debeamus: & optime ſciamus, quod niſi hoc fecerimus, extremam ſubibimus pœnam.*

Idem S. Chryſoſt Hom. 42. ad popul. *Rei quidem militaris curam habemus magnam, nec enim domum veteranum ſcientem cernere patimur, nec tutentem. nec profectu patrimonii animæ verò ratio nulla. Iumenta ſi habeamus, eorum quamrationem habemus, & veteranis commendamus, ne ſarcinas imponant nimias, ne noctibus reducant intempeſtiue, nec alimenta deſint; animæ vero ratio nulla. Et ſi quis conuitiando huic dixerit: canis, dolemus: nos autem nobis ipſis conuitiantes inferentes, non verbo, ſed opere, nec tantam impendentes animæ curam, quantam canibus, nihil graue nos patiuntur canum antem maximam curam habemus, ne plus quam oportet impleantur, vt venatici ſint & veloces, ſe verò non curamus homines, ne crapulentur, bruta verò temperanter aere docent. Ænigma, inquies, hoc eſt, vbi enim bruta temperanter aguntˀ an quaſo non tibi videtur opus eſſe temperantiæ? canem fami moderari, vt poſtquam venatu aliquid ceperit, præſenti ſe contineat eſca, & appoſitam cernens miſeram, ſuæ vrgenti fames, dominum ſuũ expectet? Reueremini voſmetipſos, obſecro, veſtros docete ventres ita tẽperare: non enim eſt nobis excuſationi, cùm irrationali naturæ nullam rationem intelligenti tantam inſerere Philoſophiam poſitis; quidni & vobis ipſis ſitu quam canibus veſtris non inferiores. Vos me cogitis talia exempla mere, cùm illa ex viris cœleſtibus accipere oporteat: ſed magnos illos fuiſſe dicetis. Præterea ſi Paulum commemoraro, illum Apoſtolum ſu ſſe dicetis: propterea Paulum tam, nos hominem refero, ſed beſtiam, & beſtiam hoc à natura habentem, ne reſpondeatis quod naturaliter, & non voluntate hoc effecit. Et quod admiratione dignum, voluntate non priuâ, ſed curâ tuâ. Non quòd fatigatus ſit, non quòd curis attractus, non quòd proprtu cepcrit laboribus, computat: ſed omnibus poſthabitis, domini præceptum cuſtodit, & ventre ſuperior efficitur. Expectat enim laudari, expectat mercedem aſſequi mendam. Canis ergo futuræ voluptatis ſpe præſentem contemnit, tu verò non vis futurorum bonorum ſpe præſentia contemnere? canis quidem nouit, quòd ſi intempeſtiue illum cibum guſtauerit, & ipſo priuabitur, & ſtatutum non accipiet, ſed verbera pro cibo. Tu verò nec hoc intelligere potes, & quod ex conſuetudine didicit ille, hoc ex ratione tu non perſuadeberis? Dicam & aliud, equos ſylueſtres, immanſuetos, calcitrantes cum cæperint pertſi, ſic breui tempore docent, vt nullo iam ſplendente greſſus compoſiti ita ſint, vt delitiis ſeſſor delectetur: animæ verò negligenter ambulantis curam non ſuſcipit homo, ſed ſaltat quidem, & calcitrat, & infinita ſubit dedecora, & nullus repagula imponit, nullus trucas & frena, nullum pertum inducit ſeſſorem, Chriſtum dico. Cùm ergo canis ventrem continere docetur, & in equis procaciem demes, imò & in immanibus etiam linguæ gratiam ponas; quemodo non abſurdum in brutis rationalia præſtare efficia, in te verò, hominem rationalem, brutorum inducere vitia? Præterea ſi domum edificaueris ſplendidam, domus vtilitatem vidiſti, non verò animæ tuam: ſi veſtimentum acceperis, corporis, non verò animæ quam-*

quomodo enim bona sit anima non consideras, cùm illorum nihil sit opus, si anima bona fuerit; si verò non fuerit, nulla sit illorum vtilitas. Quid enim vtilitatis, quod equi pulchri sint, & habitudine bonâ præditi, si anima ita macilenta fuerit atque deformis? quod verò lucrum, cùm equus quidem compositè gradiatur, choream agenti similior quàm ambulanti, & sponsali quodam decoratus mundo, insidens autem claudus, & manibus pedibusq; diuaricatus sit. Dic mihi si quis bonum tibi dedisset equum, corpus verò tuum peruertisset, quid vtilitatis? nunc verò peruersam habes animam, & nihil est tibi curæ. Quod denique commodum, cùm suppellex decora fuerit, & mira varietate, & arte spectabilis, si anima sit pannosa & turpis? Ita S. Chrysost.

Idem S. Chrysost oratione de anima tom. 5. *Fertur externorum Philosophorum quidam splendidam domum, multò splendentem auro, multoq; marmorum, & columnarum ornatu coruscantem ingressus, cùm & solum tapetibus stratum vbique cerneret, in faciem domini domus insuisse, deinde appellatus dixisse, propterea se faciem illius contumeliâ affecisse, quòd nusquam alibi in domo illa id facere liceret. Vides quam sit ridiculus qui exteriori cultui tantoperè studet, & apud omnes, qui mentis compotes sunt, contemptibilis? & meritò sanè. Nam cùm parietes quidem, & solum, & cætera omnia tam accuratè exornet, animam tamen sordidatam plenam vulneribus negligat: pecuniam enim si perdas, si mancipia, si quid huiusmodi, poteris recuperare: animam verò semel damnatam nequaquam. Etsi enim mundum habeas vniuersum, animam emere non potes. Alia quidem duplicia contulit Deus, duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes, vt si alterum horum læsum fuerit, altero indigentiam releuemus. Animam verò vnicam iledit, quam si semel perdiderimus, quanam viuemus?* Ita S. Chrysost. vbi nota dictum illius Philosophi, idem enim fuit, ac si diceret, ideò conspui in faciem eius, ipsum despiciendo, quia cùm tantam rerum externarum curam haberet, sui tantùm ipsius obliuiscebatur.

Idem S. Chrysost. lib. 1. de compunctione cordis: *Etenim si in corpore parum aliquid pulsauerit morbi, flatum & medicos adhibemus, & pecunias profundimus, & omni obsirquantiâ, quod competit, gerimus: nec prius cessatur, quàm quæ molestia sunt mitigentur. Anima verò, cùm quotidie vulneretur, & præcipitetur, & modis omnibus pereat, nec parua prò eo nos solicitat cura.* Ita S. Chrysost.

Prop. IV. *Quàm indecens sit animam corpori seruire.*

Gen. 2. 7. Genes. 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*, hoc est, creata est anima per spiraculum illud vitale, & sic factus est homo viuens. Hinc S. Chrysost. hom. 12. in Genes. colligit quanta sit supra corpus humanum dignitas animæ: per animam quippe eleuatur caro ad esse quoddam sublime, & ad imaginem Dei, & omnium visibilium dominium. Ait igitur S. Chrysost. *Ille de pulvere formatus, inspiratus spiraculo vitæ*, Factus est, inquit, in animam viuentem. *hoc est, efficaciter operantem, cui membra corporis seruiant. Cæterùm haud scio, quomodo nos hunc iuberterimus ordinè, & vsq; adeò inualuerit malitia, quæ intantum cogit carnis concupiscentias obsequi, vt deturbetur à throno suo regina, cuius erat præsidere, ordinare, & imperare. Cogimus, inquam, animam parere carnis voluptatibus, ignorantes generositatem ipsius animæ, & quantam præ carne eminentiam sortita sit. Expende igitur tecum, antequam anima inspiraretur à Domino, quis erat formatus ille: erat inanimis quædam imago, operatione carens, & ad nihilum vtilis, & totum id quod in tantum honorem ipsum prouehit, non est nisi anima nostra. Et vt hoc non solum ex his quæ tunc facta sunt, sed ex præsentibus videas, cogita tecum quomodo post animæ migrationem, corpus hoc tam insuaue, & iniucundum appareat: sed quid dico insuaue & iniucundum? Quomodo fœtore impletum, & deformitate horrendum est, quod anteà speciosum, & amabile, & ad bona*

A *opera facienda valdè amabile erat. hæc cogitanda sunt, ne quid indignum animâ operemur, & ne sub carnis seruitutem animâ subiugemus.* Ita S. Chrysost. Qui hoc ad amplificandum subdit eâdem homil. *Nos qui corpore inuolui sumus, si veltimus, propter animam, possumus cum incorporeis virtutibus, adiuuante nos diuinâ gratiâ, certare, & in terra obambulantes quasi in cœlo viuere, & nihilominùs quàm cælestes facere, & quodammodo aliquid ampliùs, & quomodo hæc? dicam, quàdo enim quis inuentus fuerit corruptibili hoc corpore circumdatus, eodem modo vitam agens vt superna illa virtutes, quomodo non propensiorem Dei gratiam sortitus erit? quia & corporeis necessitatibus obnoxius incorruptam, & inuiolabilem animæ generositatem seruauit, sicut sancti fecerunt, qui eandem quam nos naturam habuere, & isdem corporis necessitatibus obnoxij fuere.* Ita S. Chrysost.

Prop. V. *Anima laboribus & bonis operibus ditatur.*

Gen. 2. 7 B Genesis 2. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ.* Et infrà. *Tulit Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis vt operaretur & custodiret illum.* Qualem agricolam esse voluerit Deus hominem, adnotauit S. Chrysostomus, dicens: *vt operaretur non ad victum comparandum, sed ad honestum exercitium, ita vt nec* S. Chrys. *fatigaretur, nec otiaretur.* Ita ille. Deus igitur hominem de terra formauit, & terram colere voluit. Cur non ex materia cæli, vel ex aliquo alio terrâ superiori elemento hominem formauit? si quidem homo inter omnia visibilia potior, & sublimior est. & cur illi agricolæ officium iniunxit; cùm tale officium dignitate hominis adeò inferius sit? Etenim de terra hominem formauit, vt notum nobis esset eo modo fructus ab eo reddendos esse, sicut à terra: terra enim ligone, & aratro culta, & comminuta fructum edit: sic etiam vt homo bonorum morum, & virtutum fructum ferat, oportet vt ligone & aratro mortificaitonis, & pœnitentiæ & bonorum operum exercitatione colatur & exerceatur. Alioquin sicut terra inculta tribulos & spinas, & herbas profert: sic homo nisi agriculturæ subdatur, pessimas vitiorum herbas dabit: *sensus enim & cogitatio humani cordis ab adolescentia sua prona sunt in malum*, vti Deus ipse dixit Genes. 8. Gen 8. 21

Hinc est quod Deus ipse, cùm videt nos ab huiusmodi muncre agriculturæ vacare, laboribus & aduersitatibus nos afficere solet, vt sic vexati, & attriti, fructus vtiles proferamus. Ideoque Christus dixit: *Pater meus agricola est*: quid est agricola, nisi terræ cultor? & quid homo nisi terra? cuius autem terræ, nisi huius maximè, Deus cultor est? Te igitur ipsum cole, si vis à tribulationibus liberari.

Prop. VI. *Anima à pleriſque negligitur.*

Chrys. in Mat. c. 8 Hom 60. mihi p. 508. His similes sumus, qui cùm malè materiatam, ac ruinosam videant domum, ipsam quidem restituere negligunt, amplos autem et hortos in circuitu præparant: aut illis, qui quamuis morbo conficiantur, curâ tamen valetudinis neglectâ, aureas sibi vestes contexunt: ac mulieri, quæ cùm aduersâ valetudine nimium laboret, nullum ægrotationis remedium, sed ancillas, & ornamenta, cæteraque eiusmodi sibi studeat comparare. Non aliter sanè nos, cùm anima nostra modò iræ furore, modò cupiditatis ardore, nunc maledicendi studio, nunc inanis gloriæ iactatione, mirabiliter vexetur, ac humi iacens, & secum ipsa dissidens, ab innumeris laceretur feris: non vt ipsam curemus, sed vt magnificas ædes construamus, & gregem seruorum, cæteraque huiusmodi acquiramus. omni studio, atque cura vigilamus. Et si vrsa fugam è cauea ceperit, domus præcludimus, vicos obsidemus, vt intercepta nemini noceat: nunc verò cùm non vna bestia, sed multæ, atque obscenæ cogitationes, omni bestiâ ferociores, animam nostram lacerent,

nec sentire quidem videmur. Et vrbium sanè habitationi adeò A prouidemus, vt in desertis locis, vel in vallatu, atque munitu atrocem feram coerceamus: in anima verò nostra, vbi locus consilij est, vbi regia sedes, vbi iudicium, eò immanes bestiæ ad mentem ipsam, ad regale solium, omnia perturbantes, magna licentia conscendunt. propterea ad inferiora depellunitur, quæ superiùs stare debebant, omniaq; simul turbâ conquassantur, vrbana, suburbanaq; quæ intus, quæ foris sunt.

Chrysl 3 aduersùs vituperatores vitæ monasticæ mihi p. 1295.

Idem D. Chrysostomus deplorans hominum erga animæ salutem supinam negligentiam, dicit: *Ad ligna vsque, & lapides hoc studium producitis, animam verò nec minima quidem huius diligentiæ parte dignam iudicatis: cumq; vt in domo statuæ, antiquo opere admiranda consistant, & tecta aurea nitrent, cunctæ molimini, pretiosissimam omnium statuarum animã, vt auream faciatis, nullã curam gerere vobis.*

Chrysost. Hom. 12. mihi p. 215

Tamen totum bonũ hominis dependet ab anima: quia si illa perit; simul & corpus perit, vt idem pulchrè: *Omnia nobis duplicia Deus dedit, duos oculos, duas aures, duos pedes, duas manus. Si igitur horum alterum ladatur, per alterum necessitatem consolamur. Animam verò dedit vnam nobis, si hanc perdiderimus, quãnam viuemus?*

APOSTOLI.

1. Prop. *Quanta dignitas Apostolatus sit.*
2. *Apostoli quàm sublimes extiterint.*
3. *Apostolis sunt decus & ornamentum Ecclesiæ*
4. *Quàm vtilis nobis fuerit Apostolorum prædicatio.*
5. *Cur Deus tales elegerit Apostolos.*
6. *Cur elegerit Christus piscatores in Apostolos.*
7. *Fidei veritas confirmatur ex conuersione mundi per Apostolos.*

Prop. I. *Quanta dignitas Apostolatus sit.*

Chrysost. S. Chrysostomus hom. 1. ad Rom. *Apostoli munus res est bona infinitis exundans, gratiis omnibus maius, ac dona cuncta complectens. Quid enim amplius dixerimus, quàm id quod Christus hoc ipsum Apostolis commiserit, quod nobiscum, dum viueret, ipse fecit, ac sic demum à nobis abisse?*

2. Cant. 5 20. *Id quod Paulus exclamans, Apostolorum, dignitatem extollens, ait,* Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, *hoc est, Christi vice.* Ita sanctus Chrysostomus.

ADDITIO.

Varia varij SS. Patres in eorum laudem.

Hilar. in Mat 4.3. v. 1. 138 Cbry. in Psal 45 mihi p. 802. S. Hilarius, *Apostoli sunt rerum cælestium prædicatores, & æternitatis veluti satores.* Idem alibi. *Apostoli sunt Ecclesiæ, id est, Christi corporis oculi.*

D. Chrysostomus exponens illa verba Dauidis: Quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt. *Quinam sunt fortes Dij, nisi Apostoli, fideles omnes? Rectè autem eos appellauit fortes, qui aduersùs vniuersum orbem terrarum astem construxerunt, aduersùs dæmonem, aduersùs diabolum, aduersùs populos, aduersùs ciuitates, aduersùs gentes, aduersùs tyrannos, aduersùs tormenta, ac supplicia, aduersùs sartagines, aduersùs fornaces, aduersùs consuetudinem, aduersùs naturæ tyrannidem; & omnia diruebant, & omnibus superiores euadebant, & à nullo vincebantur. Quomodo non fortes, qui vel post mortem, tantam ostendunt fortitudinem? Quomodo non fortes, quorum verba sunt adamante duriora?*

Chromat. in conc. 2. de 8 Beatis. tud. Chromatius exponens illa verba Christi: Vos estis sal terræ Matth. 5. sic loquitur. *Natura salis per aquam, per calorem Solis, & per flatum venti conflat, & ex eo quod fuit, in aliam speciem generatur. Sic & Apostoli, & omnes credentes, per aquam Baptismi, per fidem Christi, qui Sol iustitiæ est, & per inspirationem Spiritus sancti Deo renati, ex terrena in cælestem natuitatem transiere. Vnde Apostoli à Christo sal terræ vocantur. Et cuius terræ? Terræ corporis nostri, quam dudum insipientem, & sensu vanitatu insulsam, Euangelicæ prædicationis sale condierunt. Ipsi sal terræ facti sunt, quia per illos, & verba sapientiæ accepimus, & per cælestem natuitatem, in spiritualem sumus mutati naturam. Sicut ergo sal indifferenter omnibus opus est, id est, regibus, diuitibus, pauperibus, seruis, dominis: sic & cælestis sapientiæ verbum, quod per Apostolos prædicatum est, necessarium est omnibus ad vitam. Quia sicut præsentem vitam sine salis vsu non habemus, ita vitam æternam sine dono Diuinæ sapientiæ adipisci nequimus.*

Prop. II. *Apostoli quàm sublimes extiterint.*

HÆc ingens Apostolorum laus est, quod fundamentum ipsi fuerint Ecclesiæ Dei, vt ait Ephesiis Paulus cap. 2. *Superædificati estis supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum,* &c. At dices fundamentum esse exigua laus est: nam in fundamentis multi lapides, & deformiores reliquis mitti solent. In ædificiis quidem materialibus ita se res habet, at in spiritualibus nequaquam, sed quæ potiora sunt ibi collocantur, vt constat Isaiæ 28. vbi de ædificio Ecclesiæ Catholicæ agens Deus, *Mittam,* inquit, *in fundamenta Sion, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamenta fundatum,* hoc est, Christum Dominum, vt interpretatur Apostolus Petrus 1. Petr 2. & Apostolus Paulus B 1. Corinth. 3. vocat Christum fundamentum nostrum. *Fundamentum aliud,* inquit, *nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus* Iesvs. Sunt autem post Christum Apostoli eius fundamentum Ecclesiæ, vt diximus ex Paulo. Pretiosa igitur hæc fundamenta fuerunt.

Quod adumbratum fuit 3. Reg. 5. Vbi de Salomone sic habetur, *Præcepit Rex vt tollerent lapides grandes, pretiosos in fundamentum templi, vt quadrarent eos, quos dolauerunt,* &c. Templum autem illud Salomonis figura fuit Ecclesiæ Christi, & fundamenta illa fundamenta Ecclesiæ præfigurabant, & pretiosa illa fuisse, Ecclesiæ nostræ fundamenta pretiosa futura esse innuebatur.

Vnde S. Thom. 1. 2. quæst. 106. a. 4. *Non est excludum quod sit aliquis status futurus, in quo perfectius quàm Spiritus sancti habeatur, quam hactenus habita fuerint in Ecclesia, & maximè ab Apostolis, qui primitias spiritus acceperunt, id est, & tempore prius, & cæteris abundantius,* vt ait Glossa ad Rom. 8. C

Prop. III. *Apostoli sunt decus & ornamentum Ecclesiæ.*

EXod. 25. Iussit Dominus Moysi facere candelabrum in tabernaculo Dei collocandum: Faciesque, inquit, *candelabrum ductile ex auro mundissimo,* &c. Et ibidem: *& facies lucernas septem, & pones eas super candelabrum, vt luceant ex aduerso.* Omnia hæc in figura contingebant illis. Mysterium igitur huius candelabri vberius. S. Thom. 12. qu 102. art. 4. ad 6. *Candelabrum* (inquit) *institutum erat ad honorificentiam tabernaculi, pertinet enim ad magnificentiam domus quòd sit bene luminosa. Habebat autem septem calamos, vt Iosephus dicit lib. 2. Antiq.* D *cap. 7. & 10. ad significandum septem planetas, quibus totus mundus illuminatur, & idò ponebatur candelabrum ex parte australi, quia ex illa parte est nobis planetarum cursus.* Ita S. Thom. Vbi obserua quod in dicto cap. 25. sex tantùm calamos habebat candelabrum tres ex vna parte, & tres ex altera, sed septem luces continebat, vti habetur ibidem: quare in medio ex parte superiori erat alius calamus, & ita erunt septem. Hoc suppositò certum est Ecclesiam Christi domum Dei appellari, Apostoli autem lux mundi sunt, vti Dominus eis dixit Mat. 5. *Vos estis lux mundi:* sicut ergo lux decus, & ornamentum domus est, sine luce enim nihil in domibus nostris lucet, ita in Ecclesia Dei, Apostoli decus & ornamentum eius sunt. Et licèt duodecim sint, recte per septem lucernas, septem planetas significantes, designantur, nam sicut illi septem planetæ vniuersum mundum luce suâ illustrant; sic etiam Apostoli vniuersum orbem luce veritatis Christianæ illustrarunt. Si ergo

ergo sic mundum honorificarunt, meritò & nos illos honorificare debemus, vt debito nostro respondeamus, &c.

Prop. IV. *Quàm utilis nobis fuerit Apostolorum prædicatio.*

INstituit olim Deus festum tubarum, vti constat ex cap. 29. Numerorum, vbi sic: *Mensis septimi prima dies venerabilis & sancta erit vobis omne opus seruile non facietis in ea, quia dies clangoris est atque tubarum.* Vbi etiam iussit Dominus magna sacrificia in festo illo sibi offerri. Quid igitur nobis hæc tanta solemnitas tubarum innuit? S. Thom. 1.2.q.102.art.4. ad 10. *Per festum tubarum*, inquit, *prædicatio Apostolorum significatur.* Ita ille. Etenim mundi illuminatio & ad Deum conuersio, Apostolis debetur, per ipsos illuminati fuimus, & Christianam accepimus religionem, sit Deus in sæcula benedictus. Meritò igitur Apostolorum festa celebramus: ipsi enim nos docuerunt legem Christi, & per illam in saluationis via collocati sumus, per eos à potestate tenebrarum liberati sumus, & salutem speramus consequi æternam, &c.

Præcepit Dominus Iosue vt Arcam fœderis viri bellatores armati præcederent, Sacerdotes autem septem buccinis clangerent, & sic per septem dies mœnia Iericho circuirent; & ita septimo die, vbi vociferatio populi tubis clangentibus admiscetur, Iericho protinus mœnia à fundamento collapsa subuersa sunt. Ponderemus hoc pugnandi genus, & hanc victoriam: non enim ad hanc vrbem sic capiendam educitur gladius, non tela vibrantur, non iaculum mittitur, non acies militaris cunei ad irruptionis murorum impetum cõstipatur, sed tubis tantùm Sacerdotum clangitur, vt sic victoria obtineatur: quis non mysterium aliquod diuinum hic odoretur? Etenim deliramentum hoc fuisse gentes iudicarent, si non vidissent victoriam subsecutam. Mysterium facti huius explicuit S. Petrus Damianus serm. 57. dicens: *Per Iericho quæ dicitur Luna, non incongruè mundus significatur, qui per momenta temporum labentium tanquam per menstrua detrimenta finitur: arca autem Ecclesia sanctæ signum erat: tubæ verò Apostoli sunt, vel etiam Doctores Ecclesiæ, quorum admonitionibus semper contra illecebras carnis & hostis insidias pugnamus, & velut tubarum clangoribus incitamur. quæ nimirum tubæ septem fuisse referuntur, quia prædicatores sancti septiformis Spiritus gratiâ sunt repleti, septem quippe dierum vicissitudine tempus nostræ mortalitatis euoluitur. Vrbem ergo Iericho Sacerdotes, Arcam ferentes, & tubis clangentes septem diebus circumeunt, & muri eius per Arcæ præsentiam, & tubarum sonitum cadunt, quia in huius mortalis vitæ decursu, dum circumquaque per orbem sanctæ dilatatur Ecclesia, per sanctæ prædicationis instantiam omnis elati mundi superbia, & cunctæ peccatorum obstacula subruuntur.* Ita S. Petrus Damianus.

Vbi aduertit non ab hoc genere militiæ sæculares excludi, dicens: *Notandum est quòd armati milites cum Sacerdotibus ire iubentur; vt hi qui non prædicant contra occulti hostis insidias, armati nihilominùs, & circumspecti esse semper incedant.* Ita ille. Non enim sufficit eis audire verbum Dei, nisi audita executiõni mandent: *beati enim qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Sicut enim in corporali militia non sufficiunt exhortationes optimæ Ducum, nisi milites viriliter pugnent, ad victoriam obtinendam; sic etiam non sufficiunt concionatorum documenta ad victoriam spiritualem, si auditores audita non exequantur.

Prop. V. *Cur Deus tales elegerit Apostolos.*

PVgnaturo Dauidi cũ gigante Goliath, obtulit Saul arma sua; quæ quidem assumpsit Dauid, & induit ea, sed cùm sic armatus incedere nequiret, proiecit ea, & inermis, funda tantùm & lapide contentus, ad pugnam processit, & vicit. S. Chrysost. hom. 1. in Psalm. 50. mysterium hîc latere affirmat, noluisseque Deum, ait, Dauidem Saulis armis vincere gigantem, ne victoria armis Saulis ascriberetur, & diceret Saul: arma mea vicerunt, vel, propter arma mea vicit Dauit. Voluit igitur Deus sic ostendere speciali Dei ope vicisse Dauidem, & sic Deo tribuendam esse victoriæ gloriam. Sic etiam noluit Deus potentes & sapientes & gloriosos mundi in Apostolos eligere, ne potentiæ aut sapientiæ, aut nobilitati mundi gloria conuersionis mundi, & progressus felix Ecclesiæ Dei tribueretur, sed Deo, qui per homines inermes talem victoriam reportauit.

Prop. VI. *Cur elegerit Christus piscatores in Apostolos.*

POtuit quidem Deus in Apostolos viros sapientes, potentes & nobiles eligere, noluit tamen, ne mundi per eos facta conuersio eorum sapientiæ, potentiæ & nobilitati tribueretur.

Daniel. 3. Iussit Nabuchodonosor tres pueros Hebræos in fornacem mitti, quia statuam suam adorare noluerunt. Cur igitur pariter Danielem eodem supplicio non affecit? Siquidem nec ipse adorauit statuam. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 14. respondet Babylonios Danielis nomen mutauisse in nomen Balthasar, quod quidem nomen proprium erat Dei Chaldæorum; vel certè continebat nomen Dei sui Baal: vnde si Daniel missus fuisset cum sociis in fornacem, miraculum quo Deus eos liberauit, & eius gloriam, tribuerent Chaldæi nomini Dei sui. Ne igitur gloria tãti miraculi tribueretur alij quàm Deo nostro, non permisit Dominus Danielem cum sociis mitti in fornacem. Ait igitur Isidorus Pelusiota: *Ne impij flammæ extinctionem nomini ascriberent Dei Babylonici, noluit Rex Danielem tradi fornaci.* Ita ille. Sic etiam noluit Deus eligere in Apostolos viros in sæculo gloriosos, ne gloria quam Apostoli consequuti sunt in mundi conuersione, eis tribueretur. *Dan. 3.*

Eadem ratione noluit Christus Dominus inter viros innocentes, aut martyres crucifigi, sed inter infames latrones, ne miracula quæ in passione Christi intercessere, aliis quàm Christo tribuerentur. ita sentit S. Chrysost. homil. 84. in Ioan. Vbi ait: *Crucifixi sunt tres, claruit vnus* IESVS, *vt intelligeretur, eius virtute, miracula & prodigia illa prouenisse.* Ita ille. Vbi nota verbum *claruit vnus*, id est, clarus erat Christus verbis, & exemplis, & miraculis vitæ suæ. Vnde nemo aliis quàm Christo miracula illa tribuit, nimirum, quia dicit Dominus: *Gloriam meam alteri non dabo.* Hinc constat quàm Deo iniurij, atque adeò inuisi sunt superbi: nam vti ait S. Bernard. *Dicente Domino*, gloriam meam alteri non dabo, *superbus tacitè ait, eam licèt mihi non dederis, vsurpabo.* *S. Chrys.* *Isa. 42. 8.*

1. Corinth. 1. *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes*, &c. Cur in Doctores orbis homines piscatores illiteratos elegit? quonam pacto indocti doctos docere valent? nimirum, quia prædicationis Euangelicæ vim, & infidelium conuersionem ad fidẽ, facilè poterant multi sapientiæ tribuere Apostolorum. Quærit & disputat Abulensis in ca. 7. Exodi. cur Deus voluerit ad executionem miraculorum, & plagarum Ægypti, virgam illam, qua mediante miracula illa efficiebantur, manu Aaronis applicari, cùm Moyses præcipuus nuntius Dei ad Pharaonem esset? Respondet Abulensis: *Ne crederent quòd Moyses artem magicam nouerat, & per illam, miracula illa stupenda faciebat, faciente autem Aaron suspicio cessabat.* Ita ille. Supponendum est, quòd Ægyptij arti magicæ vacabant, & nouerant Moysen inter eos versatum fuisse, & virum peritum *1. Cor. 1. 26.* *Abul.*

esse valdè, & ideò in ipso magicas incantationes facilè poterant suspicari. Sic ergo Dominus noluit prædicationem Euangelij doctis viris committere, ne eorum sapientiæ, & non Dei virtuti, gentium conuersio tribueretur.

Mat. 4. 19 *Venite post me* (ait Christus ad Petrum & Andream piscatores) *& faciam vos fieri piscatores hominum*, Matth. 4. Cur piscatores ignobiles & idiotas in Apostolos elegit Christus Dominus, cùm Apostolicum munus supremum in Ecclesia sit, & maximam requirat sapientiam?

S. Hieron. S. Hieronym. in cap. 4. Matth. *Piscatores & illiterati mittuntur ad prædicandum Euangelium, ne fides credentium non virtute Dei, sed eloquentiâ & doctrinâ fieri putaretur.* Ita S. Hieronymus. Vide ad Corinth. 1. v. 16. & sanctum Chrysost. ibi.

Prop. VII. *Fidei veritas confirmatur ex conuersione mundi per Apostolos.*

In rebus minimis ostendere solet Deus magnitudinem potentiæ ac sapientiæ suæ, vti constat ex cap. 7. Exod. vbi cùm Pharao Deo parere nollet (se enim potentiorem Deo Hebræorum arbitrabatur) volens Deus ostendere potentiam suam, dedit Moysi potestatē miracula patrandi. Fecit igitur Moyses cum fratre suo Aaron tria miracula ingentia, & portentosa. Primum conuertendo virgam in serpentem, secundum conuertendo aquas Ægyptij in sanguinem, tertium fuit productio ranarum. Sed hæc tria, vel, vt meliùs dicam, alia tria apparenter similia, fecerunt Magi Pharaonis incantationibus suis: quapropter noluit se Deo submittere Pharao. Adiecit propterea Deus quartum signum, nam percusso puluere terræ, factæ sunt sciniphes innumerabiles, quod Magi Pharaonis efficere nequiuerunt: & tunc dixerunt illi Magi ad Pharaonem, *Digitus Dei est hic.* Ecce quomodo tribus præcedentibus signis sapientes Pharaonis non fuerunt conuicti, quamuis maiora mirabilia essent, seu de maioribus rebus esse viderentur, & per minimos sciniphes victos se demonstrant, quò manifestaret Deus potentiam suam. Nam quantò debilius est instrumentum, tantò magis magna eluceat potentia agentis per ipsum. Sic igitur muribus deuicit Philisthæos, sciniphibus Ægyptios, & eodem pacto piscatoribus illiteratis & debilibus mundum superauit, & ditioni suæ subiecit, vt Deum huius operis authorem omnes facilè esse viderent.

Exod 8.

Iudit 9. 15 Orauit Iudith Dominum, auxilium ab eo humiliter & deuotè postulans, & inter reliqua dixit: *Erit enim hoc memoriale nominis tui, cùm manus fœminæ deuicerit eum: non enim in multitudine est virtus tua Domine*, ita orauit illa, & ita quidem est: non enim est in multitudine, nec in fortitudine magna militum virtus & potentia Dei ad hostes superandos: in hoc autem apparet virtus & potentia eius, quòd leuissimis instrumentis vincat validissimos hostes, & mediis debilibus fines attingat à se intentos. Exiuit magno cum exercitu Pharao aduersùs populum Israel, aperuit autem Dominus viam latam in mari Rubro, per quam tutò incedere posset populus ille Dei: ausus autem fuit Pharao intrare simul persequens Israelem, pugnauitque Dominus contra Pharaonem & exercitum eius, & omnes hostes illos suffocauit. Sed quonam pacto? Audi Moysen id canen-

Exod. 15. 3 tem, *Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius, currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare. Electi principes eius submersi sunt in mari Rubro, abyssi operuerunt eos, vnus ex eis non remansit*; quid ita? *flauit spiritus eius, & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Quasi dicat, non armorum potentiâ, non tormentorum bellicorum vi, sed flatu quodam venti leuissimo id præstitit Deus, idque omnipotentiæ suæ signum fuit. Sic igitur victoria contra magnum illum Principem & Ducem exercitus Assyriorum Holofernem per manum debilem fœminæ signum fuit potentiæ Dei, ideò dixit, *Erit hoc memoriale nominis tui, cùm manus fœminæ deuicerit eum.* Vnde cap. 14. eiusdem libri, *Videns Achior* (ait Scriptura) *virtutem quam fecit Dominus, relicto Gentilium ritu, credidit Deo, & appositus est ad populum Israel.* Nunc igitur ad rem nostram veniamus: conuertit Dominus mundum ad fidem Christi, & religio cultu Gentilico Deorum jugum Christi super se tulerunt. Difficile quidem & arduum relinquere filiorum, patrum, & maiorum suorum cultum, & religionem, & crucem Christianam sic libenter amplecti, & fidem supernaturalem; sed quonam pacto id præstitum est? *Videte vocationem vestram, fratres*, ait Apostolus, quasi dicat, attentè considerate modum quo Deus vos in Ecclesiam suam duxit, prædicatione scil. Euangelij, & hoc non quidem per ministros & concionatores eloquentissimos, *quia non multi sapientes secundum carnem*, &c.

ARROGANTIA.

1 Prop. *Arrogantia ex mentis inopia procedit.*
2. *Quàm pernicioſa ſit arrogantia.*

Prop. I. *Arrogantia ex mentis inopia procedit.*

Plutarchus in Laconicis, *Menecrates medicus, inopiâ cùm desperatæ quædam curationes ipsi feliciter cessissent popularí adulatione Iupiter dictus est, hoc cognomento vti arrogans delectatus insolentiùs eo titulo vsus est. tandem cum Agesilao Lacedæmoniorum regi scriberet, hâc salutatione vsus est. Menecrates Iupiter Agesilao regi salutem. Rex tali arrogantiâ offensus nihil vltra salutationem dignatus est legere, sed remisit in hunc modum: Rex Agesilaus Menecrati bene valere. Verbum Græcum originale*, bene valere, *idem sonat, quasi vnâ mente ac iudicio præditum esse, quasi diceret, tu mihi non precaris corporis salutem, ego tibi precor mentis salutem, quæ maioris pretij & æstimationis est. Notauit autem stultitiam eius propter arrogantiam eius: nam omnis superbus mente captus à sapientibus reputatur.*

Prop. II. *Quàm pernicioſa ſit arrogantia.*

Etenim nec Deum, nec se agnoscit, qui bonaquæ habet, vel agit, sibi & non Deo attribuit. Vnde prorsus est quod Iacobus Apostolus ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.*

Hinc Exod. 4. missurus Dominus Moysen ad Pharaonem, dixit Moysi: *Mitte manum tuam in sinum tuum, quam cùm misisset, protulit leprosam*; cur ita? Quid manus illa peccauerat, quòd ita leprâ percusserit eam Deus? Dicam, manus illa magna operatura erat miracula, & prodigia in Ægypto, ea propter sic eam deturpauit Dominus leprâ, ne cùm operaretur mirabilia illa, ipse alterue manui Moysi tribueret illa. quid enim ex se manus illa infecta leprâ posset efficere sine Deo, qui sanam ei restituit? ideoque in sinum missam lepra inuasit, eductam dimisit, vt notum omnibus esset, quòd è sinu Moysis, siue è corde Moysis, & persona Moysis, lepram quidem bene deducere posset, sanitatem verò à Deo retraxit quidem secundò è sinu sanam, sed quod processerit hoc ex sinu, id rectè demonstrat, quod primò euenit; si enim ex sinu sanitas permansset, non inde priùs infirmitas processisset.

Docuit hoc Theodo. quæst. 10. in Exod. vbi ait, *dextera priùs leprosa signis diuinis seruiuit, & elementa mutauit. quæ res etiam admonuit Moysen, non superbire debere, sed agnoscere naturam cum recordatione dextere priùs leprâ infectæ.* Ita ille.

Hinc

Hinc etiam S. Bernard. serm. 13. in Cantic. alludens ad verba illa, *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Si copiæ,* inquit, *aquarum secretis subterraneis, recursibus incessanter aquora repetunt, vt inde ad nostros vsus infatigabili erumpant obsequio; cur non etiam spirituales viui, vt arua mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraudt, & sine intermissione reddantur? Ad locum, vnde exeunt flumina gratiarum, vt iterum fluant, remittantur, ad cœleste profluuium, quò vberiùs terræ refundantur. Qualiter, inquis? qualiter dicit Apostolus, in omnibus gratias agentes Deo. Quidquid ergo sapientiæ, quidquid virtutis habere te confidis, Dei virtuti & Dei sapientiæ Christo deputa* Ita ille, quando igitur in nobis bonum aliquod conspexerimus, manum nostram ne adoremus, non nobis, inquam, non nobis, sed nomini Dei gloriam demus.

1. Tim. 1. 7.

AVARITIA.

1. PROP. *Quanto odio auaritiam prosequatur Deus.*
2. *Auaritia quàm contra naturam sit.*
3. *Quàm indigna sit homine auaritia.*
4. *Auaritia quàm infame vitium sit.*
5. *Auaritia est fons & origo omnium peccatorum.*
6. *Propter auaritiam multi damnantur.*
7. *Quàm pauci à vitio auaritiæ immunes sint.*
8. *Auaritia mentem excæcat.*
9. *Auaritia amorem rerum cælestium impedit.*
10. *Auaritia defectum confidentiæ in Deum præ se fert.*
11. *Auaritia dissentionum causa est.*
12. *Auaritia labores & pericula multa corporis & animæ parit.*
13. *Auaritia inopem reddit hominem etiam diuitem.*
14. *Auaritia animum auari cruciat.*
15. *Auaritia Deo negat quod pauperi negat.*
16. *Auaritia quàm inexplebilis sit.*
17. *Auaritia quàm difficile sit remedium.*
18. *Auaritia non sinit auarum frui deliciis suis.*
19. *Auaritia minuit opes.*
20. *Quàm auarè & malè parta malè dilabuntur.*
21. *Maleparta destruunt licitè comparata.*
22. *Auarus curationem & salutem recusat.*
23. *Auarus propriè dicitur malus.*
24. *Auarus honorem Deo debitum tribuit diuitiis.*
25. *Auarus nec sibi nec alijs bonus est.*
26. *Quàm crudelis sit auarus.*
27. *Quàm iniustus in pauperes sit auarus.*
28. *Auarus quo alijs defraudare & nocere intendit, sibi nocet.*
29. *Auarus non est Dominus, sed seruus diuitiarum.*
30. *Quàm stultum sit audè requirere quod alijs relinquendum est.*
31. *Auari acumen ingenij totum situm est in acquirendis opibus.*
32. *Auari, æstuti, & palliati esse solent.*
33. *Quam difficile sit auaro restituere debita*
34. *Quod Auarus non excusetur multitudinem & necessitatem.*
35. *Quod auarus non excusetur ob honorem inde adquirendum.*
36. *Aduersùs eos qui necessitatis caussa illicitè aliquid comparare queunt.*

PROP. I. *Quanto odio auaritiam prosequatur Deus.*

LEuit. 11. aues rapaces Deus immundas haberi voluit, vt aquilam (quamuis auium regina dicatur) & haliætum, & miluum, &c. Cur ita? Theod. q. 11. in Leuitic. *Erudit nos Deus, vt ab auaritia nos abstineamus.* Ita ille. Immundi ergo in conspectu Domini sunt auari, & maximè fures. Vnde Apostolus 1. Corinth. 6. speciatim de his, ait: *Rapaces regnum Dei non possidebunt.*

PROP. II. *Auaritia quàm contra naturam sit.*

S. Chrysost oratione de auaritia tom. 5. *Propterea pecuniæ vocantur Græcè χρήματα, hoc est, vtilia, vt vtamur quemadmodum par est, non vt custodiamus: hoc enim non est possidere, sed possideri. Nam si semper hoc spectemus, vt eam augeamus, non vt sicut par est, ipsa fruamur, peruersus est ordo: & illa nos habet, non nos illam.* Ita S. Chrysost.

Genes. 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ.* Cur Deus nobilissimam omnium corporearum rerum creaturam ex terra, & non ex altiori alio elemento formauit, cùm id facilè præstare posset? S. Ambrosius lib. 3. offic. *Considera ô homo, vnde nomen sumpseris, ab humo scilicet quæ nihil cuique accipit, sed omnia largitur omnibus, & diuersis in omnium animantium vsum fructus administrat, inde appellata humanitas, specialis & domestica virtus hominis, quâ adiuuet consortem.* Ita S. Ambros. Auarus autem, non sicut terra pium se ac liberalem exhibet, sed sicut ignis omnia consumere, & in se conuertere quærit. S. Ambr

Idipsum in sensibus, & partibus corporis nostri à Deo auctore naturę videre licèt. Vnumquodque enim eorum alteri prodesse curat, nocere nunquam. Quâ quidem similitudine vsus Apostolus Paulus. in 1. ad Corinthios. 12. vbi ait: *Non est schisma in corpore, sed id ipsum pro inuicem solicita sunt membra, & si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra; siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra: Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Ita Apostolus. Infert hinc S. Ambr. 3. offic. 3. & ait: *Vide quàm graue est, vt detrahamus nos aliquid ei cui nos compati oportet, & cui debemus consortium mimsterij, ei fraudi & noxæ simus. Hæc vtique lex naturæ est, quæ nos ad omnem stringit humanitatem, vt alter alteri tanquam vnius corporis partes inuicem deferamus, nec detrahendum quidquam putemus, cùm contra naturæ legem sit, non iuuare. Finge hanc & da oculo virtutem vt possit detrahere auditum auribus, odoratum naribus, ori saporem, & conferat sibi; nónne omnem statum naturæ dissolues? sic ergo nascimur, vt consentiant membra membris, & alter alteri adhæreat, & obsequantur sibi mutuo ministerio.* Ita S. Ambros. Cor. 12. 1. S. Ambr.

PROP. III. *Quàm indigna sit homine auaritia.*

PYthagoras dicere solitus erat: *Imaginem Dei ne geras in annulo.* Sicut modò in annulis gemmas lapidesque pretiosos celare solemus nos, sic olim in annulis imagines celare solebant antiqui. Ad hanc consuetudinem alludens Pythagoras, dicebat: *Imaginem Dei in annulo ne feras,* imaginem Dei animam dicens, & meritò: nam quoad animam rationalem, homo ad imaginem Dei dicitur esse: annuli verò exauro, vel saltem ex argento esse solent. Voluit igitur manifestiùs dicere Pythagoras, animam non debere apponi, curâ & solicitudine suâ, in auro, vel argento, sicuti facere auari solent, qui nihil aliud curant, nihil aliud cogitant, de nullo alio loqui norunt, quàm de pecuniis, auro, & argento.

PROP. IV. *Auaritia quàm infame vitium sit.*

CIcero lib. 1. Officiorum, *Nihil,* inquit, *est tam angusti animi, tam q; praui, quàm amare pecuniam.* Sed à Spiritu sancto id accipiamus, *Nihil,* inquit, *est iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet.* Pro pecunia habenda fiunt rerum venditiones, hic pro pecunia panem vendit, ille vinum, ille aliud huiusmodi ex rebus corporalibus & temporalibus: auarus autem, cùm pecunias inter bona humana infimum teneat locum, non solùm panem & vinum pro pecunia, verùm etiam animam suam vendit, & pro pecunia exigua. Nam pro vno obolo sæpè auarus peccatum mortale committit: qui autem mortaliter peccat, dæmoni vendit animam suam pro eo pro quo peccat. Eccl. 10. 10.

Hinc est quod diabolus auaro non offert multum pro peccato etiam graui, sed parum quid pecuniæ, quia nouit optimè vilitatem cordis eius. Beato Ioanni Baptistæ obtulit munus excelsum Messiæ, Christo Domino obtulit omnia regna mundi pro vnico peccato mortali; Judæ verò pro grauissimo peccato & sacrilegio, imò & deicidio, non obtulit nisi triginta argenteos: quia auari huius animum vilissimum esse diabolus

lus agnouit, & hic quidem pro pecunia non solùm a- A
nimam suam venalem habuit, verùmetiam Deum ve-
nalem habuit. *A qui se echa bien de ver, que los auarientos
hasta con el mesmo demonio han perdido el credito , y assi los
trata como à viles y ruines, vil y ruinmente,* &c.

Prop. V. *Auaritia est fons & origo omnium peccatorum.*

Eccl. 10. 10. *Nihil est iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet: quoniam in vita sua proiecit intima sua.* Venalem, inquit, animam suam habet auarus, quia scil. peccare idem est quòd venundare animam suam diabolo: ideò enim solet in Scriptura peccator dici, *venundatus sub peccato.* Dicere igitur quòd auarus habet animam suam venalem, est clariùs dicere, paratum illum esse ad perpetrandum omne peccatum propter pecunias, *lugando à vna desuentura la gana pierde, pues ganando pierde , ganando dinero pierde el alma.* Ideò Apostolus cupiditatem hanc radicem omnium malo-
1 Tim. 6. 3. rum appellauit, *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide.* Imaginatur hic Apostolus congerierm omnium peccatorum, veluti arborem quandam ex multis ramis constantem, & radicem eius esse auaritiam. Nam sicut ex radice arboris pullulant rami eius, sic ex auaritia prodeunt & oriuntur omnia peccata , & quantò radix in se fortior fuerit, maiores quoq; & crassiores nascuntur rami. Vt autem noscceremus quanta sit huius radicis vis ad malum, ait, *quam quidam appetentes errauerunt à fide.* Vide quàm pessima sit radix hæc, siquidem ex ea prodeunt hæreses & errores contra fidem. Cur ita ? Nònne Christianus quis fidem habens potest esse auarus ? Reddit huius rationem S. Thomas ibidem dicens: *Quia per doctrinam sanam fidei prohibentur multa illicita lucra , à quibus desistere nolunt, & inueniunt sibi aliam doctrinam , vbi eis sit spes salutis, & hoc specialiter faciunt vsurarij* . Ita S. Thom. Sicut enim miles sub alicuius ducis vexillo militans, à quo prohibetur furta & rapinas facere , vt suum expleat appetitum, ad exercitum alterius transfugit, à quo nouit non ita prohiberi furta & rapinas, sic auarus, qui sub vexillo Christi militat, quia videt Christum iniusta lucra prohibere, & punire illos qui talia perpetrauerint, ideò ad hæreticos illos se transferre satagit, inter quos impunè & sine conscientiæ remorsu possit talia perpetrare. loquitur autem Apostolus de præterito, dicens, *quam quidam appetentes, errauerunt à fide*, vt non per hyperbolem, sed per facti experimentum ipsũ loqui perpendamus. Quòd si tanti mali radix est auaritia, quorum non erit? Meritò igitur ait Ecclesiasticus, *hic animam venalem habet.*

Sed aliud peius audi, non solùm suam animam venalẽ hic habet, sed Deum ipsum. memento proditoris Iudæ: notum est, quòd Christum, quem Deum non solùm confessus fuerat, verùm etiam prædicauerat, vendidit hostibus suis: & quanti vendidit illum? Triginta argenteis. Vide hominis diabolicum facinus, vide incredibilem auaritiam: nónne esset auarus qui emptium tam vili venderet pretio? sed quia auaris vendebat & timebat se non amplius ab eis accepturum , ne perderet paruam illam pecuniæ quantitatem, vendidit tanti filium Dei, imò non vendidit eum acceptâ statim pecuniâ, sed creditâ , *aun no lo vendio al contado, sino al fiado.* nam, vti constat ex sancto Marco cap. 14. & ex sancto Luca cap. 22. obtulerunt ei hostes pretium, sed non statim dederunt, *promiserunt*, inquit, *pecuniam se daturos*, non ait, dederunt. Obtulerunt Iudæi Ioanni dignitatem Messiæ, dummodo Messiam se esse affirmaret; & quamuis tantum munus tam seuj pretio dabant, noluit. Obtulit dæmon Christo vniuersum mũdum, si cadens adoraret eum, & eum à facie sua fortiter reiecit. Noluit Christus, quia peccatum exigebat, A
noluit Ioannes ob eamdem causam : at cùm diabolus
mitteret in cor Iudæ vt traderet Deum, tam immane
facinus illicò perpetrauit, quia auarus nullum non pec-
catum faciet pro pecunia , & exigua pecunia, non e-
nim illi dignitatem Messiæ vt Ioanni , nec omnia re-
gna mundi pro tanto peccato obtulit dæmon, sed so-
lùm argenteos triginta, & quidem nec hos obtulit
ei emptores, sed ipse potiùs requisiuit eos. Matth. 6.
ad eos dixit: *Quid vultù mihi dare , & ego eum vobis tradam,* non illi dixerunt Iudæ , trade tu eum nobis, &
tibi pecuniam persoluemus, sed è conuerso, spon-
neam mercem fecit, quamuis nosset quòd merces
tronex vilescent: *y basto para esso vn soplo del demonio,* Cum
diabolus mississet in cor, &c.

Et enim videturne ampliùs augeri posse auari
perueršitatem? sed habeo quòd addere possim, Iu
vendidit Christi vitam temporalem pecuniarum
tio , sed Iudæi vitam Christi æternam vendiden
quonam pacto? Resurrexerat à mortuis Domin
à vita temporali ad vitam transierat æternũ, quod a
minati sunt Iudæi, & præ dolore cordis, id negat
B volebant, nec valebant. Inierunt igitur tunc cons
principes Sacerdotum, ait S. Mat. ca. 28. & custo
(qui tanquam oculati testes resurrectionem Chri
nunciarant) pecuniam copiosam dederunt dic
*Dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum
nobis dormientibus.* pecuniam igitur dabant cust
vt resurrectionem Christi negarent & occulta
hoc autem quid est nisi vendere resurrectionem Chr
sti, & vitam eius gloriosam, & auari illi milites
pecunia illa vili illam vendiderunt ? *Auri sacra fames
quid non mortalia cogis pectora?*

Primæ ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, in
in tentationem, & in laqueum diaboli.* Non ait ab
diuites incidunt in laqueum diaboli , sed qui v
cum auiditate scilicet, & cupiditate, & auaritia,
enim ibi importat, velle fieri diuites. Vnde S. Aug
stinus hic: *Cupiditas accusatur, non aurum.*

S Chrysost. homil. 63. ad popul. *Qui pecunias diligit,*
C *innumera proximo mala parabit, & sibi pariter cum illis
& facilè irascetur, & conuitiabitur; vocabit stultum, & iniu-
bis, & peierabit, & nec antiqua legis seruabit mensuras: non
enim diliget proximum, qui diligit aurum, cùm nos, & nummos diligere propter regnum iubeamur. Qui pecunias amat, non
tantùm inimicos non diliget, verùm & amicu, tanquam inimicis vtetur. & quid amicos dico? talis consanguinitatis nom
nouit, familiaritatis non reminiscitur, amicum habes nunquam,
sed in omnes inimicè se geret.* Ita S. Chrysost.

Idem homil. 11. ad Rom. *Radix omnium malorum, ait*
Apostolus, *est auaritia. Hinc inimicitiæ, hinc pugnæ, hinc
contentiones, hinc bella, hinc suspisiones, hinc conuitia, hinc
furta & cædes, hinc sacrilegia. Propter hanc non ciuitatis solùm, non regiones solùm, sed & vias ipsas, & qui habitatur &
qui non habitatur orbis, & montes, & colles, & saltus, vnaquæ verbo, omnia sanguinis ac cædis plena sunt , & nec amari quidem malum hoc temperatur, & eò vsque insanè debachant,
irrepsit, piratis illud vndique obsidentibus. Propter hanc natura
leges subuersæ, & cognationis iura conuulsa: hinc fere in domo, fere in foro, fere in iudicijs, fere in curijs, fere in regijs, fere
vbicunque vis, omnia mala pullulare videbis. Hoc, inquam,
hoc malum est, quod omnia tum sanguine , tum cæde complet, & ipsius gehennæ flammam incendit, hoc effecit, vt ciuitates ipsæ nihilò melius, imò multò deteriùs habrent, quam locæ vastæ, ac deserta. Nam qui obsessis vijs insistas nobis struunt,
ab his cauere perfacile, vtpote qui non contenter nos adoriantur, qui verò in medijs vrbibus illorum exemplum imitantur,
tantò sunt illis pestilentiores , quantò difficilius fuerit ab his,
quàm ab illis cauere. Quod enim illi fœdus clam & obscurè audent, hi palam ac fidenter aggrediuntur. An non, obsecro, cædes, & cædes etiam deteriùs , efferi pauperem adijcere, in carcerem conijcere, atque adeò vnà cùm fame , qua tu illum conficeris, multis malis afficere , ita vt millies mortem pauper sibi pre-

precetur. & hæc quidem tu, non quia paupertate pressus, non fame ad id te impellente; sed quò equi tui frænum, domus tota, columnarum capita, copiosè inaurentur. Hoc autem quantam gehennam meretur, cùm fratrem tuum, diuinorum arcanorum secum participem, & à Domino tuo honoratum, in innumeras calamitates præcipitem agu, vt lapides, vt domus tuæ pauimentum, vt animantium ratione caruentium corpora exornes? Tene tam solicitam alendi canis curam gerere, hominem autem, vel, vt verius dicam, Christum ipsum propter eum, & ea, quæ diximus modò, ad summam famem adigi? Quid hác consultione pestilentius: quid hác iniquitate lethalius? Quot tandem ignei fluuij ad huiusmodi animam depascendam satis esse possunt? Heu qui ad Dei similitudinem factus est, pannosus, indecorusq; iacet per inhumanitatem tuam, multi autem vxorem tuam portantes, & ligna quibus rectum texitur, multo splendescunt auro: quòd si sedile consistendum est, vbique argentum, vbique aurum: Christi autem membrum, & is, propter quem cæli Deus ad nos descendit, & sanguinem suum pretiosum effudit, auaritiâ tuâ nec cibum necessarium habet. Lecti tui argento, & auro vndique cincti, & seruorum Dei corpora vel necessario operculo carent. Minoris sit tibi Christus, quàm famulorum grex, quàm muli, quàm lectus, quàm sedile ipsum. Radix igitur omnium malorum auaritia. Malitiæ igitur radicem ab imo extirpemus: nam malam arborem, si à summo excideris, nihil profecteris, radice in fertilis adhuc manente, & germen iterum producente.

Item S. Chrysost. orat. de auaritia, tom. 5. Quod furenti gladius est, hoc cupido sunt diuitiæ, imò verò longè acerbius quiddam: nam is qui furit, accepto & adacto sibi gladio, furore se liberat, & alteram plagam non accipit: cupidus verò dena, millena grauiora illò vulnera quotidie accipit, non liberans sese furore, sed intensiorem eum efficiens: & quò plura aperit vulnera, eò magis alijs materiam præbet grauioris plagæ.

ADDITIO.

Rectè igitur Apostolus ait: Radix omnium malorum est cupiditas: hæc enim mare, eádemq; magistrà vniuersa, quæ diximus, sed & alia multa, imò omnia vndique sine pausa, quæ scaturiunt, mala nascuntur, atque celebrantur: quæ condemnare falsò humanitas gestit. Camelum enim glutiens culicem liquat: reuelat stillas criminum, & auritiæ, vnde criminum fluenta funduntur, ebibit fontem. huic non iura, non leges, non honor vllus obsistit: quia quidquid aut emitur, aut distrahitur, libertim non est: non nobilitas, quia per hanc credit, hanc excolit, per hanc hoc sibi nomen inuenit: non sanctitas, non muuitio; quia nihil est tam sanctum, quod non violari, nubil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit: non necessitudo sanguinis, non amicitia; quia non suo merito, sed auri, argenti, facultatumq; beneficio quis aut amatur, aut odio est. Denique hæc est causa, quòd fratrum pia nomina plerumque magu gladijs amica videmus esse, quam sibi: quòd parentes opulenti abolitâ sui nominu sanctitate, suos suos non sine virtusque dedecore patiuntur errare, stipi trriuiali subiectos: quòd liberi parentum vitam sua damna iudicantes, iniectâ violenter manu ipsi naturæ, inuasis hæreditatibus ante tempus, parentes suos compellunt viuere miseriæ, facultatibus mori. Proh nefas! quid tibi tua tollis infelix? quid extraneo facias, qui tibi auarus es? ô detestabili detestabilius malum, inuicem dum exsbolant, persequuntur, fallunt, hostes probant, prædones laudant, latrones excusant: nec sui vmquam venit in mentem, non esse humanæ potestatis crastinum diem, ac ne ipsum, quo res agitur, quia quod voluitur semper, in momento quid afferat, dubium est: sed oculis parentibus cæci dilatant horrea; terras angustant, iungunt saltibus saltus: & si orbem possideant, fines oderunt: illicitum putant habere vicinum: construunt prædia; sepulchra defodunt; timent omen, qui non timent mortem: si sic interempti, plerumque iacent canibus, altilibus, feriscq; donati, vbique dispersi, vtrobique deperditi, semesis ossibus etiam suis carnibus nudi. Conspicite rem auaro condignam: ille, amplum qui habuit censum, exiguum non habet tumulum; quos Prophera egregius hactenus increpat, dicens: quid prosuit nobis superbia? aut quid diuitiarum ambitio contulit nobis? transierunt ista omnia tamquam vmbra. Sed & Dominus ipse dicit:

Quid prodest vnicuique lucrari mundum, & animæ suæ pati detrimentum? Nunc insatiabilis homo, & in detestabilis congestionis lucra letifera etiam ipsa elementa nouis artibus coge. Licèt radiuet tibi pretiosorum lapidum discoloribus formis referta penetralia, gemat terra sub pondere argenti, auro ardens tota domus pugnet suâ flammâ cum sole; honorum que à te exinanitus gradus non inueniat, quod tibi præstet, meminisse tamen debes, quia mors non timet nec diuitias, nec honores. O cæca mens hominum! quàm variè, vnam tamen contendit in mortem pauper, cùm opes insaciter quærit, quas feliciter non habet. Diues cùm diuitias putat se non habere, quas habet, in vno nititur auaritia, bacchatur in alio, in vtroque crescit, in vtroque non desinit: verumtamen eos vno momento exigua humus, & peraquat, & satiat, quod cum tota ambitione sua non potest aurum. Hinc vnus pecuniam suam tamquam hamum proponit, vt facultates ad se attrahat alienas, quam pe regrinantem feralis suppuratione nutrire non desinit, vt summa quærat, non quam commodatio dedit, sed quam ei peperierint auaræ numero dies, mensis, & digiti. At plerumque cùm sua sibi industria fœnerator etiam ipse nudatur, ei cùm casu aliquo fraus, inopia, fuga, mors extorserint debitorem. Auaritiæ enim naturale est, vt auariorem faciat; plerumque plus tulit auaro, quam præstat; ac sic sæpè contingit, vt meritò perdat etiam sua, qui desiderat aliena. Illic alius vias viantibus claudi, arcet ab hortus, arcet à siluis, arcet ab aqua. & quidem copiosus vacantibus pluribus negat hominibus, quod auibus, pertinibus, feris non potest denegare. Mera profectò vesania est beneficijs inuidere naturæ. Alius inde rerum omnium captat annonam, aucupatur distrahendi tempus, minor in mensura, maior in pretio: negat se habere quod distrahat, vt rogetur, vt iugulet. atque vtinam incorrupta species videretur! ingemiscit præterea si annus est sterilis, multò magis si fertilis fuerit; illic, quia parum distrahit; hic, quia non solus Vultus scire, quantis sit tenebris obuolutus? irascitur Deo, si non semper fiat publicis luctibus dues. Bene bene, cùm quis quærit aurum inuenit gladium. Inter hæc nemo considerat conditionem fragilitatis humanæ, nemo hostem, nemo fiscum, nemo latronem, nemo domesticum, qui cognitione secreti est omnium peior: nemo imminentes dei iudicij flammas, per quas omnes nudi transitueri sumus. Solum colitur, de quo dictum est, idola gentium argentum & aurum, pro quo quis aut iugulatur, aut iugulat. Vellem scire tamen tanta eius rabies quid voluptatis habeat? suo cultori quid præstet? fibrem non extinguit, morbos non discutit, vulneribus non medetur, dolores non tollit, mortem non repellit, nisi quod sanos occidit, nec manducatur aliquando certè, nec bibitur, nec in infernum cum suo prædone descendet: solùm quòd oculos infelices, inanemq; conscientiam ad hoc in maligni fulgoris cupidinem diram spe potiundi præcipitat, ne gratis homo videatur occisus. Sed nos non ad auaros, sed de auaru sermonem fecimus, fratres; alioquin solis diuinis exemplis oporteret percurrere, esset si quis hic talis; sed quia in vobis fides, & pietas, quæ est idonea expultrix auaritiæ, manet, atque gloriatur; digna estis viuuersi aurum, argentumq; non tam habere, quàm esse. Nam vos estis aurum viuum Dei, Christi vos argentum, vos Spiritus sancti diuitiæ: vos, si terrena metalla contempserstis, longè his vitæ vestræ thesauris maior, vobis auro constructa ætheria illa ciuitas destinata est. Nulla intrare volentibus mora: patent duodecim portæ: habitacula præparata sunt infinita: nemo sit de mansione sollicitus: certè gloriæ nostræ insignis res erit, si Dei ciuitatem felicitate nostris numeri fecerimus angustam.

PROP. VI. *Propter auaritiam multi damnantur.*

QVæsiuit sanctus quidam à dæmone, quodnam esset maius peccatum? cui diabolus: Duo sunt inter reliqua maiora peccata, luxúria sc. & auaritia, replicauit sanctus: Quid ais? nónne maius peccatũ est periurium & blasphemia? tunc dæmon: Quantùm ad Theologiam quidem, maiora peccata sunt ista, sed quantùm ad reditus, maiora sunt illa. *Maiores pecados son periuros y blasphemias que auaricia y luxuria, però en renta maiores son la auaricia y la luxuria, que el periurio. y la auaricia*

tienen el demonio por renta suia nuestros pecados, y entonces se tiene el por mas rico, quando nos otros mas pecamos, y como estos dos generos de peccados son los que mas gente llevan al infierno, por esto dixò el demonio, que eran los mayores, &c.

A

ADDITIO.

Greg. Turonens. lib. 1. de gloria Mart. c. 106

Quàm sit animæ perniciosa auaritia, ex vna procliue erit intelligere historia, quam refert D. Gregorius Turonensis. *Mulier quædam sub specie religionis vacabat ieiuniis, orationibus insistebat, vigilabat pertinaciter, ac loca sancta deuotione simulatà circuibat assidue, cumq; in hoc colore iusta vita duraret, immensas opes à multis suscipiebat, congregabat aurum quotidie, & quod deuotio Christiana pro redimendis porrigebat captiuis, loculis abdebatur occultis: & quæ dabantur inopum necessitatibus profutura, iniquis mancipiis condebantur. nam essosse mulier humo in medio cellulæ, ollam immensam imposuit; ibiq; cùm aliquid datum esset, recondebat diligenter, lapide superimposito claudens, vt nulli pateret occultum. O terq; quaterq; & obiter execranda cupiditas, quæ luce fraudans, homines demergis in tenebras! quid plura? cùm ella impleta fuisset nummis, huic mulieri tempus resolutionis aduenit. mortua verò Deo migrans, in inferno sepulta est. Post cuius exequias Sacerdotes, qui aderant, puellam eius familiarem interrogant, quid de tanta fecisset pecunia, aut si ea erogare temporibus sui permisit spatium: at illa respondit, nunquam se vidisse quòd vlla inopum manum misericordiæ porrexisset: aut quod pecunia data deuenisset, ignorare se confiteur: vnum tantùm scio, ait, quod in cellula deportatam, regressam foras vltra non vidi. Hæc audientes Clerici, stupent, & quid ex hoc factum fuisset diligenter exquirunt, totumq; crebris ictibus parietum tundentibus, locus. in quo occulta iacebat pecunia, tremitum dedit impulsus, cauoq; resonans prodidit, quæ latebant: & statim remoto lapide inuentur auri congeries & Clerici stupentes tantæ subtilitatem peruersitatem, Episcopo, quid actum fuerat, indicant. ille verò commotus, iussit referato sepulchro pecuniam super examine corpus proijci, dicens: sint tua tibi, quæ congregasti; pauperibus verò Christi non decrat, vnde sustententur. Nec mora, cùm prima quies nocturno tempore data fuisset, audiuntur voces à tumulo, fletus, & vlulatus immensus: inter quas voces hoc maximè resonabat, se miseram, se inf.licem, quæ auri consumebatur incendio. denique cùm per triduum hæ voces aduenient nocte resonarent, populus non durantibus, ad Sacerdotem venitur. At ille accedens iubet tumuli operitorium amoueri; summotoq; videt aurum quasi in fornace liquefactum in os mulieris ingredi cum flamma sulphurea. tunc Sacerdos orauit ad Dominum, vt, qua malitia eius fuerat populo declarata, tandem Dominus pœnam cessare iuberet à corpore. & cooperto tumulo discessit, vocesq; mulieris amplius non sunt audita.*

Multa in auaritiæ vituperationem habet Lacerda in Iudith p. 46. n. 2. parte 2. ibid. p. 372. & 368.

PROP. VII. *Quàm pauci à vitio auaritiæ immunes sint.*

Chrysost. S. Chrysostomus lib. 1. de compunctione cordis: *Quid dicam de mandato illo, quo iubemur non thesaurizare super terram? quod fortè quidem faciunt pauci, cæteri verò quasi è contrario audierint præceptum, & quasi dictum sit ad eos: Thesaurizate vobis omni modo super terram, ita relinquentes cælum, adhæserunt terræ, & insaniunt circa pecunias congregandas, & non Deum diligunt, sed mammonam. Quod autem dictum est: Nolite cogitare de crastino, nes audire aliquem scio, nec omnino seruare, & propterea de hoc mandato aliquid dicere erubesco, sed cum confusione prætereo. etenim oportibat nos, quocumque pacto loquente Christo, & pronunciante, non dubitare, sed credere. Nunc verò cùm & causas, & rationes adhibeat mandatorum suorum, & exemplis ea validissimis muniat, nec sic quidem erubescimus nos. Propter hoc enim & auium, quæ non arant, neque seminant, & liliorum, quæ non nent, similitudines posuit, vt nemo dubitaret. Et tamen nos sicut gentes, aut fortè aliquid despicabilius gentibus, de his consumimur cogitantes.* Ita S. Chrysost.

Et lib. de compunct. cord. ait: *Conuenienter Deus temporà, quæ ad requiem dedit, tenebris inuoluit: sicut mos pa quæq; matres, aut nutrices, cùm fortè natos suos ad quietem prouocant, in gremiù positos complectuntur brachiis, & tutiùs operire faciem, & oculos solent, vt obscurior ei redditus aër, somnum per quietem facilius inuiteret: ita & Deus, tanquam velamen quoddam per vniuersum mundum tenebras obducens, hominum genus, ad silentium gratissimæ quietis inuitat. quod si non ita tempus illud munisset Deus, vt est hominum genus negotiis, & cupiditatibus, & omni auaritiæ semper intentum, non solum subiectos, sibi laderent, sed & semetipsos laboribus operibusq; consumerent.* Ita S. Chrysost.

B

C

D

PROP. VIII. *Auaritia mentem excæcat.*

BAlaam cupiditate mercedis & auaritia motus, vocatus à Rege Balac pergebat; assuit Angelus euaginatum gladium ferens contra Balaam, qui tamen nec Angelum, nec gladium vidit. Asina quidem, cui Balaam insidebat, gladium vibrantem vidit, & ob id transire renuebat, & à Balaam percussa, Domino ita volente, & linguam eius mouente, locuta est, & dixit: *Quid feci tibi cur percutis me, &c.* Miratur S. Augustinus qu. 50. super Numeros, quòd Balaam nullum signum admirationis ostenderit, videns asinam loquentem, imò sermonem miscens, dixit: *Quia commouisti, & illusisti mihi.* cur non potiùs obstupuit, & de facultate loquendi asinam interrogauit? Respondet S. Augustinus ibidem, *Tantà cupiditate ferebatur, vt nec tanti monstri miraculo terreretur.* Ita ille. Hinc igitur constat, quanta vis auaritiæ ad obcæcandam mentem, siquidem tanti miraculum tantum & prodigium ita potuit oculos aperire, quos clauserat auaritia.

PROP. IX. *Auaritia amorem rerum cælestium*

QVi visco venantur aues, cùm primùm alis suis isco adhærent illæ, ad superiora volare nequeunt. Sic ait S. Aug. ser. 33. de verb. Dom. secundùm Lucam: *Amor terrenorum viscum est spiritualium pennarum: ecce ficupisti, hesisti; Nolite, inquit Iaonnes, diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt; quisquis dilexerit mundum non est charitas Patris in illo, quia omnia quæ sunt in mundo concupiscentia carnis sunt, & concupiscentia oculorum & ambitus vitæ: Concupiscentia carnis, vxorem duxi; concupiscentia oculorum, quinque iuga boum emi; ambitio sæculi, villam emi.* Ita S. Augustinus. Adde sicut per illa tria impedimenta ponati illi fuerunt à Dominica cæna, id est, gloria cælestis sic per has tres concupiscentias terrenorum: sicut enim impossibile est vno oculo cælum videre, & alio terram; sic impossibile est, moraliter loquendo, cælum terramque amare.

S. Nilus de octo vitiosis cogitationibus: *Auarus in cælum contendens, huic simulo est qui pedibus vinculis constrictus, currere conatur.* Ita ille. Sunt quidem vincula auari argentea aureaque, sed nunquid compedes aurei minùs cursum quàm ferrea vincula impedirent?

PROP. X. *Auaritia defectum confidentiæ in Deum præfert.*

EXod. 16. Moyses ad populum Israel agens de Manna: *Nullus relinquat ex eo in mane, qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex iis vsque mane, & scatere cœpit vermibus, atque computruit, & iratus est contra eos Moyses.* Cur hi præceptum hoc non seruauerunt? Hugo de S. Victore ibi, *Diffidentes*, inquit, *ne in crastino Manna non inuenirent.* Ita ille. Hæc auaritiæ hominum causa, & nimis solicitudinis rerum temporalium, diffidētia quidem est diuinæ prouidentiæ, ex qua oritur non seruari præceptū illud Dñi: *Quærite primùm regnū Dei, & iustitia eius, & hæc omnia adiuuētur vobis.* Imò hinc vsurę, & simoniæ, & furta, & debitorū retctiones, & alia huiusmodi peccata, & iniustitiæ proueniūt: si enim prouidētia diuinæ

tuinę confidentiá homines haberẽt, haud ista perpetrarent, qui hac inter alias solent pœna puniri, vt malè parta malè pereant, sicut de Manna Hebræis euenit.

Prop. XI. *Auaritia dissensionum causa est.*

Mira fuit inter primitiuæ Ecclesiæ fideles pax, amor, & concordia. Audi S. Lucam, *Multitudinis*, inquit, *credentium erat cor vnum, & anima vna.* Potuitne efficacioribus verbis concordia fidelium extolli? & quidem non adeò pauci erant tunc fideles, jam enim duabus concionibus sancti Petri ferè octo millia receperant fidem Christianam, & ante hos multi jam erant fideles noti: & in his omnibus tanta inerat pax, tãta inter eos concordia intercedebat, vt cor vnum, & animam vnam omnes habere testaretur S. Lucas. Vnde hoc? S. Chrysostom. *Huius tantæ charitatis vinculum erat opum contemptus: nullus enim illorum dicebat suum aliquid esse ex his quæ possidebat, sed erant ipsis communia omnia: omnia etenim bona statim proueniunt, vbi malorum radix, dico auaritia, sublata fuerit. Igitur cohærebant inter se, & nihil erat quod diuellere poterat: jam enim frivola verba illa, meum & tuum, quæ tot bella mundo inuexerunt, ex sancta illa Ecclesia erant exterminata, & inhabitabatur non aliter terra, quam ab Angelis cælum, non inuidebant diuitibus pauperes, neque enim erant diuites, verum communia erant omnia, & nemo quod habebat proprium dicebat.* Ita S. Chrysost. & quidem eãdem rationem insinuauit textus ipse: nam postquam dixit, *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna,* illicò subdit: *nec quisquam eorum, quæ possidebat, suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia,* quasi dicat, hinc illorum concordia, hinc cor vnum, & anima vna, quòd illis omnia essent communia, & dicere non erat meum & tuum, auaritiæ seminarium: quare vbi auaritiæ locus est, paci locus non erit.

Prop. XII. *Auaritia labores, & pericula multa corporis & animæ parit.*

Sanctus Chrysostomus ad popul. *Qui pecuniæ amat, in omnes se gerit inimicè, & ante omnes alios, in semetipsum, non eò tantùm, quòd animam suam perimat, verùm & innumeris semetipsum affligat solicitudinibus, laboribus & tristitiis: nam & peregrinationes, & inimicitias, & pericula, & insidias, & quidlibet sustinebit, tantùm vt omnium malorum penes se raduem habeat, pecuniam. Quid igitur hâc peste grauius? nam & deliriis & omni voluptate, propter quam multa peccant homines, & gloriâ & honore caret. Qui namque pecunias diligit, innumeros habet suspectos, & multos accusatores, inuidos, calumniantes & insidiantes. Qui namque propter pecuniam ab eo patiuntur iniuriam, odio eum prosequuntur; nondum verò passi, timentes ne patiantur, & passis condolentes, idem inducunt bellum. maiores autem & potentiores, dolentes, & agrè ferentes pro humilioribus, insuper & inuidentes, similiter inimici sunt, & detestantur, imò & Deum hostem habet. Quæ iam igitur illi spes, quæ consolatio? quæ refrigeratio?*

Præterea qui pecunias diligit, non earum dominus, sed seruus erit, & custos: plures enim eas efficere studens, nequaquam impendere volet, sed semetipsum cruciabit, & omnium pauperum parcissimè viuet, nullum faciens terminum cupiditatis: cùm certè pecuniæ sint, non vt custodiamus, sed vt vtamur. Si verò illas aliis custodire, & seruare debeamus, quid miserius? qui circumuersamur, aliena comprehendere quærentes, vt intus includamus, & communem præcidamus vsum.

Idem S. Chrys. ho. 13. in epistad Rom. *Quid esse pestilentius potest, quàm ab omnibus pæsim odio haberi? quam omnes habere odio, quàm semper ringi, nemini se comem, nemini suauem præbere, nunquam sattiari, nunquam non sitire, famem perpetuam, & quidem eam, quam omnes asseuere grauiorem, pati, & cum ea colluctari, angoribus quotidianis affligi, & nunquam sano & tranquillo animo esse, assiduè in tumultuationibus, & perturbationibus versari? Hæc omnia, & his item plura, sustinent auari: etenim lucrum, & capturam aliquam dum faciunt, etiamsi pluriuna bona habeant, nullam inde capiunt voluptatem, plura semper appetentes, & iacturam dum faciunt, vt vel obolum perdant, grauissimè omnium se affligi, ac vitam amisisse arbitrantur. Quænam oratio hisce calamitatibus repræsentandis par esse queat? Quòd si quæ hîc illos pati videmus, eiusmodi sunt, expedito vite cursu alterius vitæ mala, quæ sint futura, considera, regni calorũ priuationem gehẽnæ tormenta, vincula perpetua, tenebras exteriores, venenatum vermem, fremitum dentium, pressuram, loci angustiam, igneos fluuios, fornaces nunquam restinguendas: & hæc omnia simul vbi composueris pecuniarum voluptati opposita, radicitus morbum exstirpato, vt veras tandem opes adeptus, pestisę à hâc paupertate liberatus, bona tum præsentia, tum futura assequaris.* Ita S. Chrysost.

Prop. XIII. *Auaritia inopem reddet hominem, etiam diuitem.*

Pvbl. Mim. *Desunt*, inquit, *luxuriæ multa, auaritia verò cuncta: in nullum auarus bonus est; in se autem pessimus.* Ita ille. Et ratio est, quia liberali desunt ea quæ non habet, auaro verò tã deest quod habet quàm quod nõ habet: non enim audet habitis vti, licèt esuriat, licèt algeat, licèt infirmus sit, quo quid infelicius? quid iniquius? liberalis autem, siue etiam prodigus luxu suo eget non habitis, quia omnia illa habere vellet ad sumptus suos, potitur verò, & gaudet possessis. vnde subdit Publius: *Auaro quid mali optes, nisi vt viuat diu?*

Si auaritia solùm esset concupiscentia, seu cupiditas rerum, quas homo non habet, auarus dies fortè dici posset qui possidet multa: quamuis propriùs ille pauper nuncupari deberet; quippe cùm pauper animo sit: tantò enim quis pauperior est, quantò plura illi desunt ex his, quæ ipsi necessaria sunt: inter necessaria verò meritò numeratur desiderij complementum. si enim illum egere dicimus, qui famè laborat, & quo famem sedare possit, non habet, quantò magis illum egentem dicemus, qui desiderio (quod fames cordis est) vexatur, & quod desiderat, non valet obtinere. Cùm igitur auarus non tot obtineat, quin plura concupiscat; semper in fame, & consequenter semper in egestate erit: quare licèt obtineat diuitias multas, non diues, sed pauper appellari meretur.

Sed tamen non solùm pauper ob ea, quæ non habet, & optat, dici potest: sed etiam propter ea, quæ jam possidet & secum habet, secundùm illud S. Hieronymi epist. 103. ad Paulinum, *Antiquum dictum est* (inquit) *Auaro tam deest quod habet, quàm quod non habet.* Ita ille. Ænigma verò videtur hæc S. Hieronymi sententia: quomodo enim dici potest, quòd mihi desit id, quod habeo? si enim mihi deest, quomodo habeo? si habeo, quomodo id mihi deest? In auaro, ait S. Hier. vtrumq; verum est; habet, quia in arca reconditas diuitias habet, & non habet, quia non magis vtitur illis, quàm si prorsus ipsis careret. Quare meliùs depositarius illarum, dici posset, quàm dominus, & custos meliùs quàm possessor: sicut enim depositarius custodit pecunias aliis, ita vt earum vsus & consumptio, non ad illum, sed ad alios pertineat; sic auarus, non sibi, sed hæredibus suis pecunias seruat, & conseruat. illi enim sunt, qui de illis pro libito disponent: illi ergo domini dicendi sunt illarum pecuniarum, auarus verò depositarius & custos.

Seneca epist. 14. *Qui eget diuitiis, timet pro illis. Nemo autem solicito bono fruitur. Adiicere illu aliquid studet, dum de incremento cogitat, oblitus est vsus, rationes accipit, forum conterit, kalendarium versat, sit ex domino procurator.* Ita ille. Vbi notandum est peioris quidem conditionis esse diuitem auarum, quàm pauperem nihil habentem: nam pauper eget quidem, sed non torquetur illâ solicitudine acquirendi, quâ vexatur auarus (nisi fortè & ipse

ipse pauper fuerit etiam auarus) nec timore & curâ il- A
la ingenti seruandi possessa, quâ cruciatur auarus, quia illis caret, & sic

Seneca. *Cantabit vacuus coram latrone viator.*

Pub. Mi. Hinc etiam Publius Mimus, *De sunt*, inquit, *luxuriæ multa, auaritiæ verò cuncta. Instructa inopia est cupiditas in diuitijs, tam deest auaro, quod habet, quam quod non habet.* Ita ille: qui sententiam illam S. Hieron. hîc apponit: & quidem verissima illa est, siquidem idem est non habere, quàm habere cum auaritia. Imaginemur regem alicui pecuniam magnam conferre. hâc tamen lege, ne inde quicquam consumat, sed integram illam pecuniæ copiam asseruet, hunc ne tu diuitem diceres? imò potiùs miseriorem, quàm fuerit anteà, quia sola seruandi cura & solicitudo superaddita illi est. Id igitur quod rex ille, hoc auaritia facit: tanquam domina enim auaro præcipit, ne quicquam tangat, nec in vsus etiam necessarios pecuniam insumat: augere quidem curet, & omni solicitudine parta conseruare, ne fures suffurentur eam, nec aliis accommodet, nec in pauperes distribuat, nec etiam contra conscientiam acquisita restituat, licèt anima eius propter ea sit in infernum detrudenda; sed per fas & nefas lucris attendat, & thesauri asseruationi, & omne tempus, quod saluti animæ impendendum erit, huic vni rei dicatum agnoscat. præcepta quidem immania, sed tamen ea auari melriùs & exactiùs, quàm Dei legem obseruant. hunc ne diuitem dicemus, an verò pauperem, infelicem, miserum prorsus, & indignum denique nomine Christiano? &c.

Seneca. E contra contemptus diuitiarum diuites reddit. Seneca: *Is minimo eget mortalu, qui minimum cupit. Quod vult habet, qui velle quod satis est potest.* Ita ille. Et rursus: *In animo diuitiæ sunt, non in patrimonio, & ille locuples, qui paupertati suæ se aptat, hic paruo se diuitem facit.* Ita ille.

Laert. Laërtius lib. 2. *Aiebat* (inquit) *Socrates: Maximè Deo propinquus ille est, qui paucis eget.* Ita ille. Qui enim multa quærit, multis se indigere fatetur; qui autem multis eget, pauperior illo est qui paucis eget: Deo autem tâto is propinquior est, quia Dei proprium est re nullâ

Psal 15.2 egere. Dauid: *Ego dixi: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Consonat dictum Biantis, qui vnus fuit ex septem sapientibus Græciæ, dicentis, vti refert Maximus serm. 1. de Castitate: *Beatus is qui cùm diues sit, possessis vtitur; sed ille beatior, qui nihil concupiscit.* Ita ille. *Concupiscit* dixit, nam qui sine concupiscentiæ immoderatione præcisè necessaria quærit, non ideò non illo beatior qui concupiscit multa.

S. Cyprianus Epist. 2. ad Donatum, hominem auarum sic depingit: *Nulla in clientes eius largitio est, cum indigentibus nulla partitio; pecuniam suam dicunt, quam velut alienam domi clausam solicito labore custodiunt, ex qua non amicus, non liberis quicquam, non denique impertiunt sibi: possident ad hoc tantùm, ne alio liceat possidere.* Ita ille. D

Prop. XIV. *Auaritia animum auari cruciat.*

Hom. 14. in 1. ad Corinth. S. Chrysost. *Qui pecunias concupiscit, & permultas acquisiuit, is est effectus perinde ac si nihil habeat: hocne morbo potest aliquid esse magis perplexum? neque hoc solùm est graue & intolerandum, sed etiam quòd cùm habeat, non videtur ea habere quæ habet, & cruciatur tamquam nihil habens: & si omnium bona acceperit, angitur magis, & si centum possidet talenta, dolet quòd non acceperit mille: & si mille, quòd non decies mille, & ita maior acquisitio fit ei maior accessio paupertatis. nam quò plura acceperit, eò plura concupiscit: quò ergo plura acceperit, eò magis fit pauper. cùm enim accipit centum talenta, est magis pauper: mille enim concupiscit, & cùm mille accipit, fit magis pauper: nam tunc decem millium se dicit egere.*

Si autem concupiscere, dicis voluptatem, valde mihi videris ignorare naturam voluptatis, & quòd non sit voluptas, sed cruciatus, examinemus. Quando sitimus, nonne ideò voluptate afficimur, quia sitim bibendo sedamus? propterea enim bibere est voluptas, eò quòd nos à magno liberat tormento, à bibendi, inquam, appetitu, hoc cuius perspicuum est: si autem in hoc appetitu essemus semper mansuri, quòd ad supplicij rationem attinet, nihil minùs cruciamur, quàm dives ille non misertus Lazari. nam illi quoque hoc erat cruciatus maximus, paruam aquæ guttam concupiscentem non assequi. Quod quidem quotidie auari mihi videntur pati, & esse sicut ille, qui rogabat, vt ea frueretur, & non assequebatur. & rectè quidam dixit, auaros sicut hydropicos esse: quomodo enim illi multam aquam ferentes in corpore, magis vruntur, ita etiam auari multas circumferentes pecunias, plures sitiunt & concupiscunt. Causa autem est, quia neque illi, in quibus conuenit locis, aquam habent, neque isti cupiditatem, in quibus conuenit cogitationibus. Fugiamus ergo hunc morbum, fugiamus hanc gehennam: est enim gehenna cupiditas ista. Explica vtrinque animam, & eius qui desipit pecunias, & eius qui non desipit; & videbis B *quod hic quidem est similis furentibus, nihil volens videre, nec audire: ille autem est similis portui liberato à fluctibus, & ei omnium amicus, sicut ille inimicus. & hic quidem omnibus est ostentui simulare necesse habet, ille autem nulli. si ergo auarus est pauper, & timidus, & simulator & dissimulator, & multa plenus, & cruciatu, & supplicijs: qui autem desipit pecunias, fruitur omnibus contrarijs; an non est perspicuum, quod hæc virtus est iucundior?* Ita S. Chrysost.

Prop. XV. *Auaritia Deo negat, quod pauperi negat.*

MAtth. 25. agens Christus de operibus misericordiæ, vt altiùs ea nobis commenderet, dixit: *Quod vni ex minimis meis feciste, mihi feciste.* Potuitne ampliùs opera misericordiæ exaltare & suadere? Cur, quæso, tantoperè ea nobis commendat? Diceremus ergo hoc Christum fecisse, vt excellentiam misericordiæ commendaret: sed S. Augustinus serm. 64. de tempore, aliam C affignat rationem, dicens: *ô benignissimum Dominum, qui ad edomandam hominum auaritiam, sibi dari dicit, quod vel minimo pauperum fuerit datum!* Ita S. Augustinus. in quo habet se Deus nobiscum sicut amans pater, qui videns in manibus filij sui pomum viride, cuius esus nociturus sit puero, diceret: fili, da mihi hoc pomum, non quia ipse pomo illo vesci velit, sed propter filij bonum: sic Deus videns quàm sit nobis auaritia nociua, petit sibi pauperum eleemosynam, non quia nostris egeat bonis, sed in bonum nostrum, &c.

Prop. XVI. *Auaritia quàm inexplebilis sit.*

S. Augustinus in quadam epist. *Auarus*, inquit, *inferno similis est: infernus enim quantoscumque deuorauerit, numquam dicit, satis est. sic auarus, etsi omnes thesauri confluxerint in eum.* Ita ille. In multis quidem inferno comparari auarus potest: etenim sicut in inferno tormentis cruciantur damnati, sic cor auari auaritiâ suâ torquetur; aut quia amisit possessa, aut non acquirit desiderata, aut timet damna, aut appetit difficilia, &c. & sicut in inferno nulla quies, sic nec in pectore auari; cùm omnibus bella gerit, omnibusque inuisus est, sicut infernus, denique insatiabilis est.

Vnde meritò idem S. Augustin. de verbis Domini: *Quæ est ista auiditas concupiscentiæ, cùm ipse bellua habeant modum? tum enim rapiunt quando esuriunt, parcunt verò prædæ, cùm senserint satietatem. Insatiabilis est sola diuitum auaritia, semper rapit, nec Deum timet, nec homines reuerentur, nec patri parcit, nec matrem cognoscit, nec amico, nec fratri fidem seruat, viduas ac pupillos opprimit. Quæ est ista auarorum insania, amittere vitam, & amittere cœlum?*

Et Seneca epist. 37. *Vidisti aliquando canem missâ à domino fruſta panis aut carnis aperto ore captantem, quidquid accipit, protinus integrum deuorat, & semper ad spem futuri inhiat.*

inhiat. Idem euenit nobis, quidquid expectantibus proiicit fortuna, id fine vlla voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius erecti & attenti. Ita ille.

Sanctus Chrysostomus oratione de auaritia, tom. 5. *Auari, nisi omnes denudauerint, & quæ omnes habent domi suæ recondant, nunquam satiantur. Quin ne eo quidem explentur, eoq; non modò ferarum manus, manus ipsorum quispiam esse dixerit, sed his etiam truculentiores multò & acerbiores. Vrsi enim, & lupi, vbi saturati sunt, abstinent se cibo: illi verò non satiantur.*

Prop. XVII. *Auaritiæ quàm difficile sit remedium.*

RAdix omnium malorum est cupiditas, &c. Mirè Apostolus vim expressit auaritiæ, dum eam radicem, non ramum malorum omnium esse dixit: nam si ab aliqua arbore ramum abscindere velis, facilè id præstabis: at si radicem euellere tentas, cùm scilicet jam radix alte defixa est, difficillimè id efficies, quid igitur auaritia est? *Radix*, inquit Apostolus, *omnium malorum.* alia mala velut ramos esse considerat, auaritiam verò tamquam radicem esse ait: faciliùs igitur alia mala, quàm auaritiam tolles: nam hoc idem est quod radicitus arborem eradicare. B

9. Vnde parabolam villici Dominus sic concluſit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, hoc est, conuertite auaritiam in pietatem & eleemosynam, vt cœlestem gloriam consequamini, & subdit Euangelista: *Audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant auari: & deridebant illum.* Quid ampliùs de incorrigibilitate auarorum dici potest? quis efficaciùs euellere poterat auaritiam quàm Christus Dominus? quæ verba penetrabiliora poterat quis proferre? quis meliùs corda, vel lapidea etiam mouere? & tamen de facto non solùm non efficit, verùm etiam deridebatur ab ipsis auaris, deridebatur sapientia Dei, deridebatur veritas Dei, deridebatur remedium Dei, & ab ore ipsius exhibitum & prolatum. Quis nostrorum sibi promittere audebit cohibiturum se auaritiam aliorum, quantumuis ille Tullius seu Demosthenes sit? C

Audi nunc rei huius aliud manifestius argumentum. Ambitionem duorum fratrum Iacobi, & Ioan-20. nis temperauit Dominus, dicens: *Nescitis quid petatis*, negationi remedium adhibuit aspectu suo. *Respexit* (inquit) *Dominus Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixit: Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis: & egressus foras Petrus fleuit amarè.* Facilis hæc medela, lasciuiam & petulantiam Magdalenæ vnica Christus concione sanauit, incredulitatem Thomæ Dominus tactu illo vulnerum Christi curauit: verùm tamen auaritiam Iudæ Iscariotis numquam, cùm quidem nullum non videretur lapidem mouere Christus: primò enim miracula innumera Christi Domini videbat Iudas, quę maximum terrorem & horrorem illi incutere debuissent, ne tam immane facinus in eum perpetraret: secundò, pedes eius magnâ charitatis & dulcedinis suâ demonstratione lauit, *como quien la atrahia el mal humor de la auaricia del coraçon à los pies, y quando para lauarselos pondria Christo el pie de Iudas sobre su pecho que latidia tan efficaces subrian por la planta del pie del coraçon de Christo al coraçon de Iudas:* & fortè Christus non solùm aquâ, verùmetiam lacrymis oculorum suorum pedes lauabat Iudæ. Sed nihil obtinuit; surrexit Christus à 26. pedibus Iudæ, & sedens, dixit: *Vnus vestrum me traditurus est*, hæc verba eo fine protulit Christus, vt intima cordis Iudæ se penetrare perpenderet ipse Iudas, & illum tradere formidaret, qui tamquam verus Deus arcana nosset cordis, sed auaritiâ obcæcatus lucem nequaquam vidit. Poterat hîc Dominus manus suas lauare, & à remediis Iudæ cessare, sed charitas, quæ nûquam excidit, iterum ad medendum ægrum istum nouo medicamine processit: *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Verba hæc, non verba, sed verbera cordis, & tonitrua & fulmina sunt, adeò tamen obduratum reddiderat auaritia cor Iudæ, vt nec fulmine istopetitus, motum ediderit pœnitentiæ. A *Matt. 26. 24.*

Hinc apud Thebanos lege cautum olim fuit, nullum mercatoriam exercerentem posse munus aliquod publicum obire; nisi per decennium priùs ab omni se abstineret contractu. Sicut is qui ex oppido aliquo pestè infecto recedit, per dies triginta, vel quadraginta extra oppida solet detineri, vt ab omni contagionis labe purgatus, sine aliorum periculo cum eis possit conuersari. sic Thebani mercatores ab omni labe cupiditatis per decennium purgari consueuerunt, vt munus Reipublicæ aggrederentur, scientes auaritiæ vitium, velut Epidemiæ morbum, intra viscera grassari.

Vnde Christus Dominus eiecit è templo ementes & vendentes, & mensas nummulariorũ euertit, dicens: *Feciſtis domum meam ſpeluncam latronum*, bis Dominum *Mat. 21. 13.* Christum sic iratum in Euangelio inuenies, & peccatores flagellantem, & tamen non ob aliud quam propter auaritiam in templo inuentam, vitium hoc tam peregrinum & à Domino ipso exhibitum exigit remedium, & sicmansuetum agnum irasci.

Prop. XVIII. *Auaritia non sinit auarum frui delitiis suis.*

PLutarchus lib. de cupitate diuit. *Illud auaritiæ proprium est, quòd hæc cupiditas ipsa sibi repugnet, ne satietur, cùm reliquæ cupiditates magis ad id inuent. Nemo quidem ab obsoniis abstinet, ob hoc ipsum quòd sit auidus obsoniorum, nec à potu, eò quòd sit auidus potus; sicut auarus à pecuniis abstinet, ob pecuniæ cupiditatem. Nónne morbus hic insaniæ simile est, vt si quis non vtatur veste, eò quòd algeat, neque pane, eò quòd esuriat: sic qui neque diuitiis vtitur, eò quòd diuitiarum auidus sit.* Ita ille.

Et subdit Plutarch. *Itaque cupiditas diuitiarum tanquam grauis & acerba domina, cogit quidem vt pares diuitias, cæterùm vetat ne fruaris: & cupiditatem quidem acuit auaritia, voluptatem autem ex diuitiis subducit. Auari ergo parant opes tanquam sordidi: labores tolerant cùm careant voluptate. Quis verò te non admiretur, infelicissime, si cùm possis ad ipsum modum viuere, vitam adeò sordidam & ab homine alienam degas, nemini quidquam impertiens, tam incomis in amicos, tam immunificus erga Rempublicam? & tamen affligeris, vigilas, operaris, capias hæreditates, submittis te, cùm tamen tantùm habeas viaticum, nempe sordidam parsimoniam.* Ita Plutarchus.

Prop. XIX. *Auaritia minuit opes.*

AVarus auaritiâ suâ illicitis modis diuitias acqui- *Luc. 15.* rens, censet se opes suas augere, sed nihil minùs; eò enim ipso permittit Deus diuitias illum amittere, qui malè congregat eas. Petiit prodigus à patre portionem quæ illi contingebat, accepit, abiit in regionem longinquam, peccando scilicet, quia longè à peccatoribus salus; consumpsit patrimonium, & cæpit egere, adeò vt cibum desideraret porcorum. Vnde diuiti miseria tanta? S. Petrus Chrysol. serm. 1. de duobus filiis. *Filium*, inquit, *data fecit egere substantia, quæ diuitem negata seruabat, vt penes se deficeret habendo, qui penes patrem abundauerat, non habendo.* Ita ille. Vbi per filium prodigum peccatorem intelligit, qui cum Deo Patre degebat, priusquam ab eo recederet peccando. Cùm igitur auaritiâ suâ in aliquod incidit peccatum auarus, à patre recedit pecuniis suis; sed quia recedit (judicio Dei) quæ lucratus malè fuerat, amittit, & ad famem magnam inde peruenit. D *S. Petrus Chrysol.*

Prop. XX. *Quòd auarè, & malè parta malè dilabuntur.*

Iob 27.18 IOb 27. agens de homine iniquo, qui accumulat diuitias, *Iniustè*, ait, *ædificauit, sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit umbraculum.* Duplicem hîc S. Iob tangit similitudinem, primà, quæ est ad rem, tineæ, seu quod idem est, vermiculi lignum corrodentis: animalcula hæc, dum rodunt, non solùm cibum sumere, verùm habitationem sibi parare intendunt, vt ex hoc deducitur loco. fed tamen, præterquam quòd breuissima est, & vana talis domuncula tineæ, hoc habet proprium, quòd quamuis corrodendo videtur ædificare sibi domum, & latibulum quærere, corrodendo etiam diruit domum suam. Nam cùm lignum nimiùm carioſum est, vel cùm vestis jam nimiùm attrita, & lacerata, tunc tandem perit tineæ domus, & ex suo excutitur latibulo. Tinea igitur ipsa molitur exitium suum, & suam demolitur domum. Tales igitur sunt auari, qui dum alienas res mordendo & vorando, domum suam erigere, & stabilire nituntur, suum ipsi exitium quærunt. Idem de verme serico dicendum est. Deus optimus maximus, & judex justus, per quæ quis peccat, per hæc & punit. Vnde, sic disponente justitiâ diuinâ, ibi dolorem inuenit, & ruinam auarus, vbi quæstum quærit. Sic malè parta, malè cum possessore pereunt Sicut enim tinea, quæ aliorum iniuriâ domum quærit, & cõstruit, domo sua citò eiicitur, excussâ veste, sic auari excutientur opibus, quas aliorum iniuriâ comparauerant. Consonat huic locus Ieremiæ: *Væ qui ædificat domum suam in iniustitia, & cœnacula sua non in judicio: amicum suum opprimet frustrà, & mercedem eius non reddet. Qui dicit ædificabo mihi domum latam, & cœnacula spatiosa: qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina, pingitq; sinopide.* & addit clariùs. *Tui verò oculi, & cor ad auaritiam, & ad cursum mali operis. Propterea* hæc dicit Dominus: *Non plangent eum. Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.* Vides hîc impium in his puniri, in quibus ipse peccat, & cùm ipse tinea sit, aliorum rebus ipse consumetur velut tinea: Deus enim in cum judex, & vindex est.

Ierem. 22. 13.

Ib. v. 17.

Prop. XXI. *Malè parta destruunt licitè comparata.*

S. Chrysost. exponens illud, *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, in auaris id verificari ait: *Etenim auaritia*, inquit, *vetus fermentum est, & in quamcumque domum ingreditur, eam immundam reddit: & licèt partus iniustè lucretur, ex his tamen vniuersam substantiam tuam corrumpes. panca enim malè parta, multa benè comparata perdiderunt. Quamuis ergo claues arcæ tuæ imponas, quamuis ostiũ, quamuis vectem, omnia frustrà contendis, si auaritiam intus, latronem grauãmunt, & qui omnia auferre potest, incluseris.* Ita S. Chrysost. Vbi duas similitudines attende. Prima est fermenti: sicut enim parum fermenti corrupti vniuersam massam corrumpit, sic modica pecunia iniustè comparata, vniuersam substantiam perdet: dignus enim est huiusmodi auarus vt amittat sua, qui rapit aliena. Secunda similitudo est latronis: licèt enim quis ostium domus claudat, si latronem admiserit intus, ille quæcumque potuerit, furripiet; sic igitur quantumuis auaras curam adhibeat, id, quod iniustè acquisiuit, tamquam pessimus latro, dissipabit, &c.

Hom. 15. in 1 ad Corinth.

Prop. XXII. *Auarus curationem, & salutem recusat.*

PLutarch. lib. de cupidit. diuitiarum. *Eos*, inquit, *qui nihil insumunt, possident autem permulta, & semper desiderant plura, maximè mirabitur qui meminerit Aristippi. Nam*

A *is solitus est dicere: Si quis multum ederit, multumq; biberit, nec vnquam expleatur, adit medicos, & percontatur quid sit morbi, quæ sit affectio, quâ ratione queat leuari? At si quis habens quinque lectos, requirat decem, ac decem possidens mensas, alteras totidem coemat, cumq; multum adsit agrorum, multum pecuniæ, non tamen expleatur, sed in alia inhians vigilat, & nullis omnino rebus potest satiari, an non is existimabit sibi opus esse à quo curetur, quique ostendat quibus ex causis morbus iste sit ortus? sanè eum qui cùm nondum biberit, sitit, futurum expectas, vt is simul atque biberit, sitiat: ita biberetur; eum verò qui continenter bibat, nec vllum faciat finem, huic non expletione, sed purgatione judicamus opus esse, vomitu, vomere. quippe qui non perturbetur inopiâ, sed calore, qui præter naturam inest. Eodem ergo modo de his qui in rebus comparandis sunt, pauperem & inopem apparet finem facturum, si domum nactus fuerit, aut thesaurum inuenerit, qui egeat & inopiâ laboret, ex eorum numero est qui parant facultates, fortasse quiescet paratâ domo, aut inuento thesauro. At qui plura quam sat est, possidet, plura nihilominus concupiscens, hunc nec aurum, nec argentum sanare potest, nec equi,* B *nec boues, sed jactura ac purgatione opus habet. neque enim huius morbi causa est inopia, sed insatabilitas, & amor diuitiarum à prauo judicio proficiscens. Id nisi quis reuellat ab animo, ceu malum transfuerfum inhærens non desinit immodicus esse, hoc est, desiderare ea quibus non est opus. Medicus ad hominem ingressus lecto affixum, suspirantem, & cibum capere recusantem, simulatq; tetigerit eum, atque percontatus fuerit & deprehenderit, non teneri febri, animi morbus est, inquit, & sic discedit. Nos igitur cùm videremus hominem lucru in sumptus ingementem, à nulla turpidine molestiaq; temperantem, cùm domos habeat, agros, armenta, mancipia, vestes, quo tandem morbo dicemus hunc teneri, nisi animi paupertate? quandoquidem pecuniarum inopiam, sicut ait Menander, vel vnus amicus sustulerit, at illam animi penuriam nec vniuersi quidem expleant. qua in re elegantur dictu est à Solone:* Hinc est finis opum fixus mortalibus vllus. Ita Plutarch.

Prop. XXIII. *Auarus propriè dicitur malus.*

C BOnum, vt ait S. Dionysius, est sui diffusiuum: vnde sic de Deo, Dauid: *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius*, in Hebræo, pro *suauis* habetur *Tob*, hoc est, bonus, & pro *super omnia opera eius*, habetur, *in omnia opera eius*, vt legit S. Hieron. hoc est, Deus est bonus, & ideò misericors erga omnia opera sua. Vide vnde probauit Dei bonitatem, quia misericordiam scilicet exhibet omnibus rebus suis: à contrario igitur sensu, malus ille meritò dicetur, qui non miseretur, nec est diffusiuus, seu communicatiuus suorum bonorum. talis autem est auarus, qui sua communicare renuit, & licèt proximos in necessitate videat constitutos, eorum nescit misereri.

Prop. XXIV. *Auarus honorem Deo debitum tribuit diuitiis.*

D AVarus, *quod est idolorum seruitus, non habet haredi-*
tatem in regno Dei. cur auaritiam idololatriæ Apostolus comparauit? Caiet. sic explicat: *Auarum dicit Paulus idolorum cultorem, eò quòd conuenit vterque in colendo vnam & eandem rem: idolorum siquidem cultor, argentum & aurum colit, auarus itidem argentum & aurum veneratur.* Ita ille. Hâc tamen differentiâ, quòd idololatra in auro formam, auarus materiam quærit.

Ponderat Philo lib. 1. de Monarchia, præceptum illud, *Non facietis vobis Deos argenteos & aureos: Videtur mihi*, inquit, *subesse præceptum, auaros valdè arguens, vndecumque argentum & aurum sibi quærentes, & acquisitum tanquam Numen recondentes in penetralibus, totam suam felicitatem acceptam illi referendo.* Ita ille. Exod. 20.

Et S. Chrysostomus in cap. 5. ad Galatas, *Diuitias*, inquit, *colit auarus vt idola, veneratione quâdam eas prosequens,*

quens, attingere tanquam sacrosanctas verens, & neque in extrema necessitate positus, inde ad sustentationem suam aliquid audet expendere. Ita ille.

Denique idololatra est auarus, quia amorem super omnia debitum Deo, transfert ad pecuniam. amat enim eam super omnia, ac si Deus suus esset. quare meritò Deus auarum detestatur: & vt dicit Apostolus Paulus supra, *non habet hæreditatem in regno Dei.* regnum enim diligentibus Deum datur, non ita diligentibus pecunias.

Hinc infelicitas auari constat, quia cùm possit pecuniis suis gloriam magnam promereri, si in pios vsus illas distribueret, damnationem ex illis malè seruatis promeretur. sicut igitur damnatus est Saul eò quòd pepercerit ouibus, & armentis, & vestibus, & his quæ pulchra erant, sic & auarus damnationem meretur, quia fructibus & vestibus, auro & argento parcit.

S. Gregor. 10. Moral. 17. sic explicat hoc: *Sicut cibus ad sustentationem vitæ datus est, si quis tamen per edacitatis ingluiem plus quàm par est saturetur, ex eo quo viuere pane debuit, moritur; sic si quis bona quæ à Deo accepit vt aliis bonus esset, in se retineat, mala ex bonis sibi acquiret.* Ita S. Gregor. Vis similitudinis in hoc consistit, qui plus edit quàm par est, non valens digerere cibum, remanet in stomacho eius cibus indigestus, nec ad alias corporis partes transit, atque inde morbus sequitur, atque mors; sic quia auarus diuitias, quas à Deo accepit, vt in pauperes & egentes & pia distribuat opera; si ea retinet sibi, velut indigestus cibus eum occidet: morbum enim auaritiæ, & mortem æternam incurret, quando scil. tenetur sub mortali ea distribuere, & non distribuit, &c. Vnde rectè S. Ambros. libr. de Nabuch. cap. 7. *Diuitias seruare tibi, si dispertires alii.* Ita ille. Seruatæ autem diuitiæ, nec tibi, nec aliis prosunt.

Prop. XXV. *Auarus nec sibi, nec aliis bonus est.*

S. Cyprianus: *Non intelligit auarus miser speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, & possideri magis quam possidere diuitias. O detestabilis cæcitas mentium, & cupiditatis insana profunda caligo! cùm exonerare se posset, & leuare ponderibus, pergit magis fortunis angentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere, nulla in clientes inde largitio est, cum indigentibus nulla portio, & pecunism suam dicunt quam velut alienam domi clausam solicito labore custodiunt, ex qua non amicis, imò neque liberis quicquam, imò non sibi denique impertiunt: possident ad hoc tantùm ne possidere alteri liceat. O nominum quanta diuersitas! bona appellant, ex quibus nullus illis nisi ad res malas vsus est.* Ita S. Cyprianus.

Prop. XXVI. *Quàm crudelis sit auarus.*

Iacobus sic ad diuites, maximè ad auaros: *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris quæ aduenient vobis.* quid est *vlulantes*? cur non ait, plorantes, lugentes, seu plangentes, sed vlulantes? Vlulare quidem proprium est ferarum, sicut de lupis dixit Virgilius 1. Georg.

Per noctem resonare lupi vlulantibus vrbem, &c.

Meritò ergo vlulatum attribuit auaris: auarus enim est velut immanissima fera, cùm nec pauperum misereatur, neque misericordiæ viscera ad egenos & miseros habeat. in hoc autem auarus à fera differt, quod feræ ferè semper gregatim incedunt: auarus verò solitarius esse vult, timet consortium, ne amicitia & sodalitas eum ad aliquid sodalibus dandum inclinet.

Aliud discrimen inuenit inter auaros & feras S. Augustinus lib. de verbis Domini, dicens: *Quæ est auiditas illa concupiscentiæ, cùm & ipsæ belluæ habeant modum: tunc enim rapiunt, cùm esuriunt, parcunt verò prædæ cùm sensérint satietatem: diuitum verò auaritia semper rapit, & nunquam satiatur.* Ita ille.

S. Chrysost. hos non inter homines, sed neque inter feras, imò nec inter dæmones numerandos censet, sed omnibus peiores esse affirmat, dicens: *Hominum oculi solent intueri humanè homines afflictos, & dolere, & misereri: isti autem raptores vident homines pauperes, & effrantur. Hominum oculi non vident alienas facultates, tamquam proprias, sed potiùs proprias tamquam alienas, & ideò non desiderant quæ data sunt aliis, sed in alienos sua quoque effundunt. Isti autem non desiliunt nisi res omnium acceperint: non enim humanum, sed belluinum habent visum. Quare neque eorum manus dixeris solùm esse ferarum manus, sed his feriores, & immaniores. nam vrsi quidem, & lupi, vbi eos cæperit satietas, ab huiusmodi alimento recedunt; isti numquam satiantur. Atqui Deus propterea nobis fecit manus, vt alijs opem feramus, non vt eis insidiemur: sed si his ad hæc vsuri sumus, melius esset eas abscindi, & eis carere. & ty quidem, si ouem dilanies & discerpat fera, dolesi si autem id facias in eum, qui eiusmodi generis est, non existimas te facere aliquid intolerabile, vel indignum. Et quomodo homo es? Non vides quòd eum vocamus humanum, qui misericordiâ plenus est, & benignitate: quando autem fecerit quispiam aliquid sæuum, & crudele, id inhumanum vocamus? hominis ergo describimus figuram à commiseratione: feræ autem ab immanitate describimus. stem fera tales sunt à natura, homines à natura mansueti, & præter naturam transeunt ad mores belluinos.*

Præterea ora eorum sunt ora ferarum. imò verò feriora: loquuntur enim verba quæ magis, quàm illorum dentes, virus emittunt. Quod si quis omnia perspiciatur, tunc rectè videbit quemadmodum ex hominibus feras faciat inhumanitas.

Quod si quis eorum mentes rectè examinauerit, non vtique solùm feras, sed etiam dæmones eos appellabit: neque enim in eis est amor regni, neque metus gehennæ, neque hominum pudor: denique bellum gerunt cum homine, non cum dæmonibus, qui sui generis sunt: auarus autem cognatos & necessarios omnibus modis affligere contendit, & non reuereatur naturam. Ita S. Chrysostomus.

Item oratione de auaritia tom. 5. *Vultis liquidò nosse, quo pacto diuitiæ homines non sinant esse homines, sed feras, sed dæmones. Succitas occupauerat quondam ciuitatem nostram, & videre erat cælum æneum factum, & mortem omnium grauissimam in dies exspectari, & Deum inuocari, vt metu illo nos liberaret: cuius benignitate, præter omnem spem, multa & immensa pluuia decidit superne. Omnibus igitur celebritatem, & festum agentibus diem, quippe qui ab ipsis portis mortis reuerterentur; dies quidam tristi decreto animo, mœrore mortuus obambulabat: cumq; multi eum causam rogarent, nec continere quidem potuit intus, sed cùm tyrannide auaritiæ pungeretur, causam protulit in medium: decies enim mille, inquit, frumenti mensuris deincepi quid faciam, non habeo. Quid ais? quòd non omnes perierunt vt tu aurum accumules? an non præcidi linguam illam oportuit? an non extingui cor, quod talia peperit verba? quid enim miserius esse potuit tali homine, propterea dolente, & indignante, & periisse se censente, & optante famem, vt aurum ipsi augeatur. At non audisti miser, quid Salomon dicat:* Qui ad pretium augendum asseruat frumentum, vulgò execrabilis est? *Chrysost.* *Prou. 11. 26.*

Prop. XXVII. *Quàm iniustus in pauperes sit auarus.*

Stomachus datus est animali, vt cibos recipiat & decoquat, & posteà eos in reliquas corporis partes distribuat. Quòd si eos sibi tantùm retineret, iniustitiam quandam omnibus partibus faceret corporis. Diuites sunt veluti stomachus Reipublicæ, ad hoc enim Deus illis pecunias tribuit, vt cæteris non habentibus impertiantur, vnde si auarè intra se diuitias contineat dives, non immeritò de illo conqueri possent: nam velut iniustitiâ cõmittit in eos, dum contra regulas charitatis, quæ aliis diuidere debet, sibi soli referuat, &c.

Prop. XXVIII.

PROP. XXVIII. *Auarus, qui alios defraudare & nocere intendit, sibi nocet in eo ipso quo nocere vult.*

Cap. 59. 5. ISaias sic de peccatoribus & filiis sæculi huius, ait: *Ova aspidum ruperunt, & telas aranearum texuerunt: qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod confotum est, erumpet in regulum. Tela eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.* Duplicem similitudinem continet hic locus: priùs desecunda dicamus. *Telas*, inquit, *aranea texuerunt*, mirabile planè artificium, & ingenium, quo aranea us perficit telam, & opus suum, non immeritò Dauid meditationem huiusmodi artificium *Ps. 81. 10.* appellauit. *Anni nostri* (ait) *sicut aranea meditabuntur.* vbi Septuaginta habent, *meditati sunt*; ita vt meditatio tribuatur annis nostris, in hunc modum: dum viuunt homines semper meditantur, & machinantur telas, & inuentiones subtiles ad modum araneorum. Obserua igitur, quàm ingeniosè ac subtiliter annectit fila sua, & texit retia sua, impiger araneus: quis eorum qui texendi arte pollent, ita subtilem & compositam telam vmquam texuit, miris circulis & gyris & circumuolutionibus intextam? & quamuis fila delicatissima sint, & aëri ac ventis expósita permaneant, durant, & per illas ingreditur, & egreditur, & incedit araneus, & muscas capit, retibus illis delicatissimis indemnibus permanentibus. Attendo quoque miram in hoc opere aranei solicitudinem, intra retia sua antrum suum collocat, & ibi absconditus prædam machinatur, & spectat, & inde contemplatur escam: & cùm primùm innocens musca pedem in tela fixerit, illicò velut viscо detinetur, nesciens se ab illo vinculo expedire: cùm tamen araneus tot pedes & manus habens, innoxiè & expeditè huc illucque super telam ipsam currat, & discurrat. denique vt huiusmodi opus efficiat, cuiscerarum, & extenuatur, & assiduis timoribus cruciatur: dum enim residet in arce cubilis sui, dimidio, corpore in foramine absconditо, quasi excubias semper agere videtur, vt quamprimùm paulò fortiùs telam senserit contactam, se ad interiora recipiat, & ibi protegat se, donec experiatur plenè, verumne periculum immineat, an non. & pulsu cessante, iterum caput effert cautè, nō sibi fidens, & ita inter spem, curam, & timorem inter & iras, transigit miseram vitam suam. Et quidem tunc ille minùs securus est, cùm jam orsus fuerit telam suam, & domunculam illam ædificarit: nam anteà mox vbi vel flatum leuem persenserit, magnà celeritate longè aufugit, & periculum euadit: at post opus telæ perfectum, & domum consummatam, multò minùs liberum ei est fugere, sed coangustatus magis, facilиùs potest comprehendi, & vel non sine periculo è domicilio suo fugatur, aut scopa per parietem circumducta abripitur simul cum tela, & coniicitur in rogum. Quí expressiùs auarorum & ambitiosorum hominum facies exponi nobis potest? Rectè Origenes: *Omnia* (inquit) *quæ texit, & agit peccator, tam nihil scias esse, quàm sint illa, quæ texit araneus, licèt varia videantur & compósita, & exquisita quádam arte digesta. Quanta texuerunt illi diuites qui ante nos fuerunt, qui diuitias variis artibus & callidis adinuentionibus congregabant, qui Magistratus, qui consulatus, qui honores ambitione quærebant; isti omnes telas aranearum texuerunt: tam enim vana, tam friuola, quàm est araneæ textrina, fuerunt omnia quæ gerebant, & propterea tabefactæ sunt sicut aranearum animæ eorum.* Ita Origenes. Sed singula singulis conferamus. Araneus nihil aliud intendit, quàm viles muscas, & exiguos capere culices: sic auarus, non bona sublimia cæli, sed vilia bona quærit terræ, diuitias, pacunias, cibos corporis, supellectilia, temporaliaque bona. nihil hic sublime, nihil hic Christiano, ne dicam homine, dignum: Prætereà araneus subtilissima texit retia ad huiusmodi capturam, & mundanus vt velopes vel dignitates mundi acquirat, subtilissimas quærit adinuentiones & fraudes, & sæpè tales componit vsuras ac fœnera, vt vix sapientissimus Theologus vsuræ & iniqui contractus malitiam inueniat, & sicut araneus expeditè per telas suas incedit, vbi facilè intexuntur & inuisi cantur muscæ; sic tales ordiuntur hi telas, vt pauperes facilè in illas incidant, & ipsi facilиùs sua nequitiæ nota expediant. *Sapientiores* enim *sunt filij huius in generatione sua*, ait Christus Dominus. Sed sapientia huiusmodi, stultitia est apud Deum: opera enim hæc subtilia, sed inutilia & pernicioſa sunt, & dum ipsi alios decipere conantur, seipsos seducunt, *y no ay mas tu cio engaño, que engannarse vno á si mesmo.* Prætereà araneus semper in timore versatur, & timet sæpè, vbi non est timor; sic auarus & ambitiosus: semper enim paua & perturbata est mala conscientia, & vbi pax est, ibi insidias suspicatur: timet enim ne fraudes eius detegantur, ne accusetur, & puniatur, ne, dum lucrum quærit, damnum incurrat.

Prætereà araneus in maiori periculo versatur post domum ædificatam, quàm antea: ne enim deseratur mum, capi solet; sic auarus priusquam domum ædificet, faciliùs nocumenta vitat & fugit; sed postquam jam texuit telam suam, ne oleum & operam amisisse videatur, non ita damna & pericula occurrentia vitat.

Denique araneus tandem aut domicilio suo effugatur, aut scopâ abripitur, & necatur: inuisus enim & diosus omnibus est; sic auarus, quia hominibus & Deo inuisus est, aut fugatur & eiicitur, & bonis in vita liatur, aut Deus mortis scopa eum verrit, & eucrit in rogum mittit æternum, quid infelicius?

PROP. XXIX. *Auarus non est dominus, sed seruus diuitiarum.*

S. Chrysost. hom. 2. ad popul. *Aliud est auarus, aliud seruus: auarus non est diues, auarus custos est, non dominus diuitiarum, seruus, non possessor: facilius enim aliquis ex propriis carnibus, quàm ex defosso auro communicauit, nisi iussu nihil de repositis tangere; sic cum omni diligentia seruat auarus, suis abstinens, tanquam ab alieno, & certè sua.* Quæ enim neque aliis erogare, neque in necessarium impendere audet, licet multas sustineret pœnas, quomodo propria sunt & quomodo eorum habet possessionem, quorum nec usum, nec fructum cum libertate habet? Diues est, non qui multa possidet, sed qui multa expendit. Diues erat Abraham, sed non auarus, qui egredienti contemplabatur, num alicubi hospites, num aliquis pauper, vt peregrinum excipere, & pauperem refocillare. non auro tectum limuit, sed apud quercum tabernaculum figens, sectorum vmbra contentus erat, & tam splendidum eius erat seruitorium, vt nec Angelos apud ipsum manere puderet. Non enim querebant domus splendorem, sed animæ virtutem. Ita S. Chrysost.

Iob 31. de diuitibus auaris, ait: *Quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me*: quomodo non in manu sua habent auari diuitias suas? in cuius igitur manu sunt? sic locum exponit S. Gregor. *Quisquis temporalia nimiù diligit, se magis illis supponit, quàm illa sibi.* Ita ille. Hoc facit auarus (hic enim est qui nimiùm diuitias amat, auaritia enim nihil aliud est, quàm amor nimius diuitiarum:) auarus ergo subdit se diuitiis, sicut seruus domino suo. Serui enim est dominis sui facere voluntatem, potiùs quàm prospicere sibi: sic auarus non vtitur diuitiis ad proprium emolumentum, sed id facit quod diuitiæ volunt: & sicut seruus laborat nimis in obsequium domini sui, sic etiam diuites laborant & defatigantur in obsequium diuitiarum, curis torquentur, meditantur, negotiantur, itinera plura peragunt, & desudant, vt opes acquirant, seruent,

Hom. 2. in Psal. 38.

seruent, & augeant, & eis vti non audent: nónne hanc A duram seruitutem dicemus? Sic igitur ait Iob: Bona auari in manu eius non sunt, sed ipsi potiùs sunt in manu diuitiarum, hoc est, sub imperio eorū: hoc enim est esse in manu alterius, vt constat ex cap. 16. Genes. vbi dixit Abraham Saræ vxori suæ: *Ecce Agar ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet*, hoc est, sub imperio tuo est. Sub imperio igitur diuitiarum auari sunt: quare meritò concludit S. Iob: *Quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium eorum longè sit à me.* Quodnam consilium? consilium scilicet hominis auari, qui inutiliter desatigatur in opibus accumulandis, & fortè damnabitur pro sua auaritia, & nec bonis fruetur temporalibus, nec fructibus æternis. O stultissimum consilium! vtinam longè sit à nobis: sint opes tuæ in manu tua, ita vt de te id dicatur, quod dicitur de muliere forti Proverb. vltimo: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem*, hoc est, non manu & pugno clauso eleemosynas præbet, sed manu apertâ, imò palmis extensis; nec tamen ideò in pauperiem incidit. Vnde subdit: *Non timebit domui suæ à frigoribus niuis: omnes enim domestici sui vestiti sunt duplicibus*, nimirum, quia duplicata, & ampliora multùm tribuit Dominus misericordi, non solùm in hac vita, verùm etiam in alia; *Beati*, enim *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Prop. XXX. *Quàm stultum sit auidè requirere quod altus relinquendum est.*

SVnt qui, vt aliis diuitias relinquāt, auarissimè pecunias quærant, qui cupiditati suæ fortè imponerent modum, si eorum ingratitudinem animaduerterent, quibus hæc bona relinqui solent. Communiter enim accidit quòd vix testator obiit, quin illi solius testamenti memores, ipsius testatoris penitus obliuiscantur.

Cùm Dauid à facie Absalonis fugeret, de his conquerebatur qui prius ei fideles videbantur. & tunc eum reliquerunt, dicens: *Qui videbant me, foras fugerunt à me*, hoc est, multi ex notis meis, qui videbant me afflictū, & nudis pedibus, sine vllo insigni regio, fugientem *foras*, id est, longè, *fugerunt à me.* & subdit, *Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Cor eorum non recordabatur mei, neque de me cogitabant, non secus quàm si jam mortuus & sepultus essem. Nouit Propheta & Rex sapiens homines facilè mortuorum obliuisci, etiam notos suos, & eos qui beneficiis ab eis affecti fuerunt.

Martha fratrem suum Lazarum non mediocriter diligebat, vnde vnà cum sorore sua Magdalena nuntium misit ad Christum, vt infirmitati fratris remedium adhiberet: cùm autem audiret Dominum dicentem, *Tollite lapidem*, ait Euangelista, *dicit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat: Domine iam fœtet.* Cur, quaso, Euangelista verba illa conscripsit, *soror eius qui mortuus* D *fuerat*? nónne per se notum id erat ex historiæ contextu? Hîc enim de nulla alia Martha fuerat mentio facta, nisi de Martha sorore Lazari. Quid ergo opus fuit circumstantiam illam sic explicare? Rectè ait quidam auctor grauis, quia talis esse solet affectus noster in mortuos sepultos, illos recondimus, & oculos ab eis auertimus, & prorsus tradimus obliuioni, tamquam fœtentes. Quid? obliuiscimur mortuorum quasi fœtentium. quamuis fratres illi & parentes sint? Quid ergo stultum magis quàm ita desatigari, & vniuersam vitam expendere in quærendis & acquirendis diuitiis pro his qui nec recordari, & in memoriam nos reuocare velint? Quantò hi prudentiores sunt qui alienis curis aliis relictis, de sua soliciti salute, diuitias sibi æternas negotiantur. Charitas bene ordinata incipit à seipsa.

Prop. XXXI. *Auari acumeningenij situm est in adquirendis opibus.*

TElas aranei texuerunt. hoc quidem multis generibus peccatorum adaptari potest, potissimùm tamen auaris. Aranea enim omnem subtilitatem artificij sui ad insidias & fraudes ordinat & disponit: sic auarus ingeniosè quidem & artificiosè opera sua disponit (nam pecuniæ amor ingenium acuit) vniuersum tamen artificium eius insidiosum est, vt scilicet decipiat alios, & lucrum ipse artificiis suis imperceptibiliter & subtiliter acquirat. hic scopus negotiationum auari: nec enim, an liceat, vel non liceat sic lucrari, attendunt, sed per fas & nefas pecunias & diuitias cumulare meditantur, huic rei student, ad hoc ingenia sua acuunt, & omnia attentant auari. *Isa. 59. 5.*

Psalmista sic de auaro: *Oculi eius in pauperem respiciunt, insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua, insidiatur vt rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum.* Pondera hîc, quæso, ingenium auari, primò oculi eius in pauperem respiciunt, hoc est, vt hîc notauit Glossa ordinaria, oculos pios & misericordes in pauperes, seu in eos qui necessitate aliquâ oppressi ad eos accurrunt, iniicere videntur, ita vt eos affectu misericordi respicere videantur. Secundò, insidiatur in abscondito; occultant enim intentionem, quam habent rapiendi & decipiendi, vel dandi ad vsuram: palliant enim & mentem & pactum, fallâm compassionem prætendunt, verba sua pietate liniunt, blandè loquuntur, operam suam offerunt: sunt autem quasi leo in spelunca occultè insidians ad prædam; sic isti considerant, vt rapiant, rapere pauperem, dum attrahunt eum blanditiis suis, & sub specie beneuolentiæ & pietatis, qua fingunt se optare remedium eius necessitati adhibere, ampliùs pauperem depauperare satagunt & spoliare. *Psal. 10. 9* B

Vnde S. Chrysost. homil. 46. imperfecti: *Si auarus viderit aliquem orphanum substantiam paternam habere, ducit eum frequenter ad prandium, & loquitur illi dulces sermones, donec tollat eius facultates.* Ita ille. C

Caue igitur à viris auaris, & à blanditiis & promissionibus eorum: non enim tuam, sed suam vtilitatem quærunt. Author lib. de naturis rerum. Vulpes inquit, cum lepore ludere solet, deinde dentibus leporem tentat, & tandem rapit & occidit: & ideò quidam lepores instinctu naturæ astutiam eius agnoscentes, fugiunt ludum eius. sic nos facere oportet cum huiusmodi auaris: ludus enim & blanditiæ eorum fraudes sunt, &c.

Plinius lib. 9. cap. 29. *Polypus*, inquit, *stupidum aliquin animal, in captandis cunctis incredibili vtitur solertiâ: ita quidam ad solum quæstum suum sapiunt, aliàs pecudes meræ sunt.* Ita ille. Polypus vulgò dicitur *Pulpo*, piscis est quiplures manus habet ad piscandos pisces, quos postquam ceperit, fortissimè retinet & astringit; sic multos inuenies homines, qui ad accipiendum plures habent manus, ad dandas verò eleemosynas ne vnam manum habent. Habet etiam hoc proprium Polypus, quod mutat colores iuxta colores rerum quibus adhæret. Quod etiam auari habent: hi enim, vt optata capiant lucra, adhærere solent aliis, & eorum accipere colores, dum se illis adulatoriè iungunt, vt ad se faciliùs illos trahant, & vt sic possint *rapere pauperem, dum attrahunt eum.*

Prop. XXXII. *Auari astuti & palliati esse solent.*

OLim, vt hominem cupidum & auarum effingerent antiqui, Mercurium claues manibus tenentem depingebant, in clauibus auarum hominem significantes. nam auarus valde attendit, quomodo obseruentur portæ, & thecæ, vt prorsus pecunias diuitiasque

obseruet: per Mercurium autem hominem acutum, & ingeniosum, scientemque denotabant, Mercurium enim Deum scientiæ, seu eloquentiæ esse fingebant, Mercurium igitur cum clauibus hominem auarum intelligebant, qui seruandis & abscondendis pecuniis curam adhibet plurimam, in acquirendis verò se sapientem exhibet Mercurium. Artificiosè quippe vsuras palliat, & illicitos actus communiter licitos esse ptætendit, & denique ad lucra ingeniosum se exhibet & acutum, licèt ad diuina & æterna hebes sit, ac ineptus.

Prop. XXXIII. *Quàm difficile sit auaro restituere debita.*

Hab. 2. 6. HAbac. *Væ ei qui multiplicat non sua? vsquequo & aggrauat contra se densum lutum?* Quid est *contra se?*

S. Remig. S. Remigius, contra auaros hic sermo dirigitur: *Omnis enim auarus multiplicat non sua, quia diuitiæ quas per fas vel nefas coadunauit, cum eo persecuerare non possunt.* Ita ille. Hinc eorum stultitia damnatur, qui cùm facilius in æternum permansuras acquirere possint, perituras quærunt diuitias, quæ difficiliùs comparantur. Ideò non nostra huiusmodi bona temporalia dicuntur, quia velimus nolimus, ea morientes relinquere cogemur. Sed tamen simplicius hic diuitiæ non sua dicuntur, quando iniustè acquiruntur: tunc enim etiam cùm eas possidemus, non nostræ dicuntur, quia aliorum à quibus eas iniustè extorquemus, sunt, vti explicat S. Gregor.

S. Gregor. 3. p. pastoralis adm. 21. quæque, vti explicat Tyranus, hîc lutum densum nuncupantur. Cur ita? *lutum* quidem, quia terræ sunt, *densum* dixit, vt exprimeret tenacitatem harum diuitiarum iniustè acquisitarum. Sic explicauit Stanislaus Hosius, & Catechismus Concilij

Stanisla. Tridentini. Sicut enim qui pedem super lutum valde condensum figit, extrahere illum inde vix potest, sic qui animum adhibuit diuitiis malè partis, difficillimè potest se ab eis expedire. Verba Catechismi sunt: *Restitu-*

Simile. *tio (cùm quis assueuerit ex alieno locupletari) quantam habeat difficultatem, ex aliorum consuetudine & ex testimonio Abacuc licet intelligere:* ait enim, *Væ ei qui multiplicat non sua, vsquequo & aggrauat contra se densum lutum? appellat densum lutum, rerum alienarum possessionem. inde enim emergere, & expedire se homines difficile possunt.* Ita ibi.

Prop. XXXIV. *Quòd auarus non excusetur ob familiæ multitudinem & necessitatem.*

Chrysost. SAnctus Chrysost hom. 68. ad popul. contra auaros agens, ait: *Sed qua honesta multorum ratio? pueros, inquit, habeo, & timeo, ne quando famis, indigentia constringar necessitate, ne quando alienis egeam. Mendicate quippe erubesco. Non est filiorum cura, quæ pecuniarum amorem facit. sed morbus auaritiæ: propter hoc & multi non habentes filios, circa pecunias insanunt. aly verò filiis affluentes, diuitias contemnunt, & illi te redarguent in illa die: nam si te filiorum necessitas ad illam pecuniarum accumulationem cogebat, oportebat & illos tantam habere cupiditatem. Nónne duodecim filios habebat Iacob? nónne mercenariorum vitam degebat? nonne à socero pastichatur iniuriam? nónne frequenter eum spreuit? nunquid eum copiosa soboles aliquid indignum deliberare coegit? sunt autem & multi huiusmodi alij in locis. Quid filios tuos accusas? nónne propterea Deus filios dedit, vt auarè agas. Vide ne Deum irrites, hoc dicens: nam si dicu, quòd ipsi auaritiæ tuæ sint auctores, vereor ne eis tanquam tibi nocentibus præcurro. Deus filios dedit, vt in sinecluse te pascant, & vt à te virtutem discant; propter hoc ita voluit consistere hominum genus, duo magna comparans, vnum quidem patrem præficiendo magistros: alterum verò charitatem magnam infundendo, propter hoc filios dedit. Ne igitur filios accuses. Quòd si filios habentes, nullam habent excusationem auaritiæ, non habentes, & circa diuitiarum accumulationem laborantes, quam proferent rationem?* Ita S. Chrysost. & serm: 69. ait: *Iob pro filiis hostias offerebat, ne fortè, inquiens peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Non dixit, vt plurima relinquam eis patrimonia, non dixit, vt gloriam eis conferam, non ait, vt agros acquiram; sed quid? ne fortè cogitauerint, &c. quasi diceret: Regem omnium eis reddam propitium, & nihil illis amplius deerit: hæ quidem magnæ sunt opes.* Ita S. Chrysost.

Prop. XXXV. *Quòd auarus non excusetur ob honorem inde acquirendum*

SAnctus Chrysost. hom. 68. ad popul. *Diuitiæ, inquies, accumulo, vt memoria immortalia sit gloria mea. Non gloriæ tuæ homo, sed auaritiæ tuæ monumentum erit. An non vides nunc, quam multi splendidas domos pertranseuntes inter sese talia diunt: Quantum ille vsurpauit, quantum rapuit, vt domum hanc ædificaret? & ille quidem nunc facilius est cinis, & pulvis; hæc autem in aliorum hereditatem transiit. Non ergo gloriæ tuæ monumentum relinquis, sed auaritiæ tuæ. Et corpus quidem tuum terrâ conditum est; auaritia vero tua corporis longitudine, cùm latere possit, non permittit, sed per clamum & resultare, & refodi facit. Vides quòd multò melius est nihil habere, quàm hanc accusationem sustinere.* Ita S. Chrys.

Prop. XXXVI. *Aduersùs eos qui necessitatis causâ illicitè aliquid comparare quærunt.*

SInt mores sine auaritia, contenti præsentibus: *ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam.* Vnde refert S. Augustinus agens cum his, qui modis & mediis illicitis fugere necessitates volunt: *Nutrichat te Deus deserentem se, & deseret te timentem se?* Ita ille. Certum enim est, quòd cibus & potus peccatoris à Deo creante & producente sunt: qui suâ prouidentia vult omnibus gentibus esse, & nouit peccatores illis nutriendos esse: ergo, si pauit te deserentem se, quomodo non nutriet te amantem se? Vnde cùm populus Ægyptius Israeliticum populum persequeretur, & ad mortem perclitaretur, sic Deus Moysi locutus est: *Quid clamas ad me? loquere filijs Israel, vt proficiscantur: tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud.* Pondera verba illa, *quid clamas ad me?* non enim ibi legimus clamasse ad Dominum Moysen: cur igitur ait, *quid clamas ad me?* S. Bernardus: *Moyses foris tacens, intus auditur, clamorem enim magnum magnitudo necessitatis extorsit.* Ita ille. Ecce quo pacto necessitas seruorum Dei vrget Deum ipsum, etiamsi ipsi taceant, & nil il prætensus dicant, *Moyses* (ait S. Gregor.) *quia placet seruiens, etiam tacens, cùm silenti dicitur, quid clamas ad me?* Ita ille. Tu igitur Deo in omnibus seruire & placere cura, ita quæque cogitatum tuum in illum, & ipse te enutriet.

Obseruatione digna est illa obseruatio S. Chrysost. vbi super verba illa, *Nondum pluerat, &c.* sic ait: *Offendit Deus quòd neque hominis operatione habuit opus; non enim erat homo qui coleret terram, nec aliorum elementorum cooperatione eguit, sed terram conditoris mandato contentam fecit.* Ita ille. Ita est, ipse enim mandauit, & creata sunt. *Non in solo pane viuit homo*, ait Christus Dominus, *sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Ipso aëre nos alere Deus potest, causa prima est, non eget causis secundis; omnipotens est, nihil non potest: quòd si potest, quis dubitet velle quoque suis in necessitate iuuare: si enim hic non, quibus igitur? &c.

Vnde Sapiens agens de Manna illo mirabili, quo Deus in deserto pauit filios Israel, ait: *Vt scirent filij tui, quos dilexisti Domine: quoniam non naturalis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderunt, conseruat.* Quid igitur timidi estis modicæ fidei? quare dubitatis? iniuria quidem in Deum est diffidentia vestra: nam de potestate, vel de bonitate eius dubitatis, si enim omnipotens est, potest, si bonus, vult his, qui ei seruiunt, prouidere.

AVDITVS.

AVDITVS.

PROP. VNIC. *Magna cura seruandus est auditus.*

SEnsum disciplinæ vocant Philosophi auditum, audiendo enim addiscimus disciplinas omnes, & scientias. Deseruit etiam ad verbum Dei audiendum, quod maximè ad salutem æternam assequendam conducit. *Fides*, inquit, Apostol. *ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Ad fidem ergo & ad bonos deseruit mores auditio: magnum igitur beneficium Dei fuit nobis auditum tribuisse.

Verumtamen sicut in portis ciuitatum custodes adhibentur, vt caueant ne per eas aliquid ciuibus nociuum ingrediatur; sic etiam cùm auditus ianua quædam sit per quam plurima conducticia ingredi possunt; sic etiam nociua plura intrare valent, vti experientia constat. adhibenda est igitur custodia, & tanto magis quàm in portis ciuitatis, quando hæc nociua sunt animæ nostræ magis. Vnde *Sepi aures tuas spinis, & linguam, neque noli audire.* nam sicut ager munitur vepribus. ne bestiæ ad ipsum ingrediantur; sic etiam aures obseræ sunt, ne pateant detractoribus, maledicis, lasciuis, &c. ideò ait, *& linguam*, neque noli audire, hoc est, sic ægrè ac molestè ferre debes linguam, neque vt qui verba perniciosa coram te loqui ausus fuerit, veluti spinis punctus & vulneratus, iterum loqui talia vereatur.

Quis autem est, qui sic contineat aures suas? Exod. 30. Hebræorum mulieres inaures ad idolum conficiendum protulerunt, vereor ne multi sint qui idolis suas inaures, aut, vt simpliciter dicam, aures præbeant: qui mulieres meritò dici possunt; non viriles aures habent spinis septas, sed muliebres, non audentes malè loquentibus obsistere, vel repugnare, ad audiendum verò verbum Dei & animæ conducibilia, auribus carent. ad quos proinde Christus: *Qui habet aures audiendi*, scil. me, *audiat*, multi enim aures habent, sed non audiunt quæ recta sunt, sed quæ praua, vt sicut ciuitas quæ tempore pestis custodiã non habet in portis, facile perit, ingrediuntur enim peste vulneratisic cùm tempus hoc peste vitiorum abundet, si quis oculorum & aurium januas non custodit, facilè peribit, &c.

AVLA.

1. PROP. *Aula seminarium peccatorum est.*
2. *Quot quantiq; sint casus in aula.*
3. *Quot in aula, & miseria & salutis pericula.*

PROP. I. *Aula seminarium peccatorum est.*

S. Ambrosius in cap. 22. Luc. libr. 10. *Vbi negauit Petrus? non in monte, non in templo, non in sua domo, sed in prætorio Iudæorum, in domo Principis Sacerdotum: ibi negat, vbi veritas non est, ibi negat vbi Christus captus, vbi Christus ligatus est; in prætorio denique Iudæorum, vbi est disciplina innocentia.* Ita S. Ambr.

PROP. II. *Quot quantiq; sint casus nostri in aula.*

DAniel apud reges Babylonicos non paruam inuenit gratiam, & meritò, qui tamen non semel, sed bis ab aula in lacum leonum missus fuit, & more nauis marinis fluctibus iactatæ, nunc in aulam ejectus, nunc in lacum deiectus fuit.

Moses in aulam regis Pharaonis deductus adhuc infans, & à filia regis adoptatus, & regio apparatu educatus, in summum rerum fastigium sublimatus fuit, & nepos regis eiusque successor, designatus est, imò & rex iunior appellatus, & sicut ait Iosephus lib. 1. de

A Antiquit. cap. 6. & 7. cùm aliquando filia regis infantem in manu regis poneret, eum blandè ad pectus applicans, in gratiam filiæ suę diadema suum super caput infantis collocauit, deinde cùm primùm per ætatem licuit, Dux & Imperator exercitus sui constitutus fuit, qui strenuè munus suum exercebat. sed tamen quis vnquam felix ab inuidis tutus fuit, videntes reliqui aulici, vti refert Philoli. de vita Moysis, in administrandis rebus bellicis eum strenuum euasisse, calumnias in eum seminauerunt, asserentes regi non esse fidum nepotem, sed ante suum tempus ad regni coronam illum aspirare, & hac de causa plurima moliri, & non eos amare quos rex amabat, nec eos odio prosequi, quos rex odio prosequebatur, & insuper in fauorem hostium regis præfectum quemdam operum regis occidisse. quare regis animum aduersùm se commotum videns, in Arabiam fugere coactus fuit, & ibi factus ouium pastor est, qui rex nouus paulò ante vocabatur. Vide rotæ aulicæ inconstantiam, vide familiarium regis vicissitudines, ille quem rex prius brachiis gestabat, cui diadema imponebat, quem solij sui successorem declarabat, jam vt hostem persequitur, & interficere medi- *Exod. 2.*
B tatur, vt ait Scriptura, & fugere cogit, & pascere oues. O infida & inconstans principum aula à pluribus quęsita, à paucis verò cognita, & percepta!

Id etiam in beato Ioanne Baptista videre licet, qui aliquando à rege Herode dilectus fuit, & in veneratione habitus, & consiliarius illi gratus, sic enim habet S. Marcus Euangelista, *Herodes metuebat Ioannem, sciens* *Cap. 6. 20*
eum virum iustum, & sanctum, & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. No era hasta
primauera esta? custodiebat eum ab ira, scil. suæ Herodiadis, quæ ad necem eum expectabat, & sicut Pilatus Christum flagellandum tradidit, vt iram Iudæorum mitigaret, sic etiam Herodes, vt Herodiadis aliquo modo satisfaceret voluntati, in carcerem coniecit, sed tandem coniectum impiè occidit. Ecce familiaritatis
C & beneuolentiæ, & reuerentiæ aulicæ finem.

Sed demus, feliciter cuncta in aula succedere aulicis, quid tandem? audistis sæpè animalis Ezechielis quatuor illas figuras, bouis, leonis, aquilę & hominis, non dissimiles in aulicis ego figuras video, in his, inquam, qui timoratæ conscientiæ non sunt. quare prima bouis est? bos iugo inseruit, & laborat, & hi cùm primùm aulam ingrediuntur, vt regi & primatibus grati fiant, laborant & defudant, quidquid sibi impositum fuerit exequendo, & sæpè vt scopum suum attingant, indigna subire ac pati non recusant. cui fortè congruit quod S. Hieronymus in cap. 3. Abac, ait: *Qui in hoc sæculo*, inquit, *propter diuitias laborant, pro iniquitate videbis illos plurima sustinere; & in atris denigratisq; tentoriis Æthiopiæ infamem gerere vitam.* Ita ille. Sic bos aulicus in principio est, deinde postquam sic laborando diuitias & honores consequi cæperit, leo ex boue fit, exprimit vngulas, quas prius intra se colligebat & abscondebat, &
D seruitutem in tyrannidem conuertit dum per fas & nefas ad maiora aspirat: contra quos sic Dominus per Michæam: *Comederunt carnem populi mei, & pellem eorum* *Cap. 3.*
desuper excoriauerunt. sic ex boue fit iste leo.

Postea in aquilam commutatur. sicut enim aquila ad sublimia volat, sic isti alis, quas ex suo temporali profectu acceperunt, ad munia sublimiora, & honoribus altiores volare contendunt, & qui heri nihil erant, hodie cuncta esse volunt, & super omnes eminere. De aquila autem sic Dominus: *In arduis ponit nidum suum,* *Iob 39.*
in inaccessis rupibus commoratur, inde contemplatur escam, & de longè oculi eius prospiciunt, pulli eius lambunt sanguinem, & vbiunque cadauer fuerit, statim adest. Ecce viuis coloribus mores aulici depictos; sicut aquila in arduis ponit nidum suum, hoc est, domum suam, qui enim paulò antea domum propriam vbi maneret non habebat, jam de domo sumptuosa ædificanda cogitat, in inaccessis-

querupibus commoratur, quia ambulat in mirabilibus super se, & inde contemplatur escam, quia vt multa & pretiosa comedat, vnde diuitias ampliores obtineat meditatur. Pulli eius lambunt sanguinem, quia qualis pater, talis filius, pater sanguinem pauperum fugit, & filij patrem imitantes sanguinem sitiunt: & sicut aquila vbicumque cadauer fuerit, statim adest, sic aulicus huiusmodi nullam occasionem acquirendi honores & diuitias prætermittit. quare cùm sentit cadauer aliquod obiisse, à quo spolium aliquod, vel dignitatis, vel officij regij, vel redituum sibi vendicare possit, statim adest, & nullum non lapidem mouet, vt illud obtineat. Sed adsit facies quarta hominis, quam vtinam aulici considerarent, vt ita ad se redirent, siue boues, siue leones, siue aquilæ sitis, mementote vos homines esse sicut gentes, quia homines sunt mortales, non Angeli immortales. Principes ô aulici estis, sed audite
Psal. 81.6. Dauidem aulicum regem, *Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini.* cadet lapis ille qui nemini parcit, & statuam auream argenteamque inuadet; percutiet luteos pedes, non aurum, neque argentum, sed mortalitatem inuadet, non metalla. & sic quantumuis statua à cæteris adorata sitis, sicut homines moriemini. hic finis thesaurorum istorum, hic terminus honorum, hæc mala omnium delitiarum mundi.

Hic si attendere vellent aulici, facilè cognoscerent quàm nihili facienda sint aulica bona, siquidem ca vix multo tempore multoque labore parta impræmeditata superueniente morte, cuncta sicut fumus euanescunt. nec mirum quòd fumum ego dixerim Principum fauorem, siquidem & qui ex ipsis sapiunt, idem sentiunt. vnde Alexander Seuerus Imperator, vti refert Manutius in adagiis, Thurinum Verionium capite damnauit, ecò quòd gratiam eius vendidisset, in foroque eum ad stipitem ligari jussit, & præconem dicere: *Fumo punitur qui vendidit fumum.* Ecce Imperator ipse gratiam suam fumum appellauit, imò & ipsos aulicos Spiri-
Psal. 36. tus sanctus fumum vocauit dicens: *Mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient*, nónne Aman sicut fumus defecit cum omni gloria sua, & Clitus Alexandri Magni collaterancus, & chariſſimus ille, quem ob leuissima quædam verba, in conuiuio Alexander ipse spiculo confodit? Abundant huiusmodi fumi exempla, quæ ad nihili faciendum aulicorum magnalia satis superque esse deberent.

Sed vt speciatim dictum sit, hoc malum vigere solet in aulis, nihil scil. aliud valere apud principes nisi adulationem ais, aio, negas, nego, qui hoc præstant, diligi à principibus sæpè solent, quamuis nihil boni habent. quo si careant, licèt quis in bellis Hector, in consilio Achitophel, in regimine Dauid, in sapientia Salomon, in sanctitate S. Ioannes Baptista sit, à principe reiici solet, imò adorari volunt, & recusantes ad mortem vsque persequuntur. Sicut Nabuchodonosor tres pueros, quia statuam eius adorare noluerũt, in fornacem ignis accensam proiici jussit. Similiter Alexander Magnus, cùm in tantam superbiam deuenisset, vt tanquam filius Iouis coli ab omnibus voluisset, Calisthenes Philosophus nullo modo assentiri voluit, sed acerrimè contradixit. Quod Alexander adeò ægrè tulit, & ob id amputari aures & nares & labia eius imperauit, vt ita eum deforme redderet monstrum.

Vnde Seneca lib. 2 de Ira, *Notissima*, inquit, *est vox eius qui in cultu regum consenuerat, cùm quidam illum interrogaret, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem, respondit: Iniurias accipiendo, & gratias sæpè agendo.* Ita Seneca. Hinc promanauit aulicorum adagium, *Dando gratias por agrauios, negocian los hombres sabios.*

Sed tamen hæc prima lex Christiani aulici esse debet, vt nec pro vita tuenda in hoc principibus aut regibus placere decernat, quod contra Dei leges & voluntatem sit. nam, vt ait Philoso. libr. *quod omnis probus*, &c. *Inuictus & generosus animus cedit nemini.* Ita ille. Esto priùs Dei martyr, quàm principis confessor inuictus, illumque imitetis qui dicebat: *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus.* Animam in manibus portare est vitam in periculis magnis versare, iuxta illud, *Posui animam meam in manibus meis*, hoc est, graui me vitæ discrimini obiici. Vnde S. Ambrosius serm. 14. super Psalm. 118. *Anima mea in manibus meis semper*, hoc est, *periclitor ab his, quos arguo, quos reuoco, periclitor pro veritate & iustitia, ego tamen nec pericula territus legis tuæ sum oblitus.* Ita S. Ambros. Ecce bonum aulicum, & regiâ dignitate dignum. Quòd si tres pueri à rege honorati in aula Babylonica, ne in Deum peccarent parendo regi temporali, honores & vitam amittere, & in fornacem illam terribilem potiùs proici, quàm quidquam contra Deum facere firmiter statuerunt, & hoc ante Christi Domini aduentum, & ex lege Christi notitiam, imò si Calisthenes, ne consentiret impietati Alexandri, se potiùs truncari sustinuit, quid nos Christianos, Christi sectatores, & perfectionis professores, facere oportebit? quid aulicos Christianos? Refert ad confusionem nostram cuiusdam sapientis, gentilis Philosi. lib. *quod omnis probus*, &c. vbi ait.

Combure carnem hanc, repleto te
Meo cruore, nam vel sydera
Terram subibunt, terrave scandet polum,
Quàm mollis à me extorqueatur vox tibi.

Vox hæc potiùs Sebastiani Martyris, aut Laurentij quàm viri gentilis esse videtur, pudeat aulicos nostros nec à gentibus scire trahere mores.

Denique si tedebilem & pusillanimem ad hostes præstandum sentis, fuge aulam. nec enim Princeps oberit, cui tutiùs & fœliciùs valeas adhærere. Manuquit Rex ille sapiens) *adhærere Deo bonum est*, bonum, hoc est, *melius est sperare in Domino, quàm sperare in principibus*, si aulam desideras, habes cælestem aulam omni desiderio appetendam, omni solicitudine procurandam. Audi aulicum sanctum, *Quàm dilecta tabernacula Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Nota desiderij ardorem vsque ad deliquium *concupiscit*, inquit, *& deficit anima mea.* cur, quæso, ad atrium & aulam Dei sic optas? ob tria quidem. Primùm, quia misericordiam & veritatem diligit Deus S Hieronym. ex originali Hebræo sic legit, *quia Sol est Deus.* Sol quidem in hoc à Luna differt, quod Luna mutabilis & variabilis est, jam plena, jam semiplena, jam verò vacua est: at Sol immutabilis semper in splendore perseuerat. Etenim reges terræ more Lunæ mutantur, jam suaues, jam seueri apparent, jam illos mansuetos vt agnos, jam furentes sicut leones videbis, jam liberales, jam tenaces, jam beneficos, jam iniuncos, &c. At Deus Opt. Max. semper pius, semper misericors, semper clemens, semper beneficus, ac magnificus indefinenter est, nisi nos culpâ nostrâ eum ad justitiam prouocamus, si semel ad eius peruenieris gratiam, haud illam amittes, nisi lethali culpâ eum offendas.

Secundum est, *quia gratiam & gloriam dabit Dominus.* Quærunt aulici aulas regum, vt diuitias & honores ab eis obtineant, sed quid mortales mortalibus, nisi mortalia, seu peritura, præstare possunt? at dona Dei qualia sunt? gratiam & gloriam dabit Dominus. Seruiunt aulici Regi noctu diuque plurimis annis, & sæpè sæpiùs absque optato munere muriuntur, quamuis illustres & diligentes in regis obsequio sint. at qui Deo seruiunt, obtentâ semel Dei gratiâ, pro quouis seruitio gratiæ augmentum & gloriam consequuntur, licèt pauperes sint, & abiecti. Quis non talem aulam quærat? quis non tanto regi seruire contendat?

Tertiùm, *qui non priuabit bona eos qui ambulant in inno-*

centia. Principes terræ nonnunquam vel imperij impul-
sũ, vel iniqua inuidorum relatione decepti, innocen-
tes priuant his bonis quibus priùs affecerant, & ab of-
ficiis & dignitatibus, in quibus ab ipso constituti erant,
deponunt, sed tabernaculum Dei, aula Dei, expers est
huius deceptionis, nimirum quia Deus est princeps qui
nec decipi, nec decipere valet. absit, non priuabit bo-
nis eos qui ambulant in innocentia, nisi semetipsos le-
thaliter peccando priuauerint ipsi, vt dictum est. vnde
meritò concludit Propheta dicens : *Domine virtutum,*
2. *beatus homo qui sperat in te*. Dixit alibi: *Nolite confidere in*
principibus, in filiis hominum in quibus non est salus. Si super
hominem infirmum seu valetudinarium inniti volue-
ris, cum eo simul cades, quia non habet vires ad susti-
nendum alios. Sicut si hedera arbori casuræ adhæreat,
cadet simul cum ea, sic cùm de principibus dictum sit:
Et vos *sicut vnus de principibus cadetis*, cadet etiam caden-
te principe, qui confidit in eo : at Deo Dauid, *Domine*
virtutum, inquit, *beatus homo qui sperat in te*, nempe quia
Dominus virtutum, fortitudinis & omnipotentiæ
Deus est, nec dicetur de eo, *in quo non est salus*, ac proin-
de beatus & felix qui sperat in eo.

Explicemus iterum locum illum Dauidis, *Nolite cõ-*
fidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.
consilium hoc, si aliquis de media plebe illud nobis ex-
hiberet, non mirum, quia de aliis liberiùs quàm de no-
bis sentire solemus : at loquitur hîc aulicorum prin-
ceps, & curiæ mores rectè agnoscens, & in sacris Li-
teris est eius sententia conscripta, ait ergo non esse fi-
dendum in principibus mundi, quia in eis non est salus.
Quid est, non est salus? nunquid omnes principes mun-
di infirmâ vtuntur valetudine? Metaphora hæc est ab
ægrotis sumpta, etenim ægrotantes nunquam quie-
scunt, jam ad hanc, jam ad illam lecti conuertuntur
partem, imò sæpè lectum ipsum, si per locum licet, mu-
tari faciunt, jam ad angulum istum, jam ad alium, jam
illis placet hic cibus, jam illum abhorrent, & alium
poscunt. ita se res habet, *infermos todos en antoios*, vas vi-
treum ad bibendum poscunt, jam displicet vitrum, vas
terreum petunt, jam loqui, jam tacere libet, *gouiernan*
se por gusto y antoios. Rex igitur de regibus loquitur, &
eos similes esse dicit infirmis, *nolite confidere in principibus*
in quibus non est salus. hoc est, similes enim sunt, non sanis,
sed ægris, in perpetuis mutationibus versantur, jam fa-
nuli obsequia illis placêt, jam displicent, jam diligunt,
& quem paulò ante amore, nunc odio prosequuntur,
&c. hinc aliquorum exaltationes in aula, hinc etiam
casus.

Prætereà nota illa intermedia verba, *in filiis homi-*
num, quasi dicat, sint illi quantumuis principes, homi-
4. nes quidem sunt, atque adeò mortales. Vnde rectè
subdit: *Exibbis spiritus eius, & reuertetur in terram suam:*
in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Pereçeran sus
tracas y torres de viento. Vbi Hugo Cardinalis: *Frustra-*
buntur omnes cogitationes eorum, principum scil. & eorum et-
iam (vt ait S. Hieronym.) *qui in ipsis confidebant, peribunt*,
ait Cassiodorus, *cogitationes quæ se in diuersos sæculi ambi-*
tus extendebant. Ita ille. Sicut enim euisceratur araneus,
telam suam texens, & filahuc & illuc extendit, & ta-
men scopâ famulus domus eam implicat, & replicat,
& rumpens telam araneũ occidit, & perit omnis labor,
& solicitudo eius, sic & telas aranearum texuerunt hi,
simul cum telis peribit labor eorum, veniente mortis
scopa, quæ omnia verrit. Quare rectè subdit Dauid:
Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo
ipsius, qui facit cælum & terram. cur non Deum absolutè
posuit, sed Deum Iacob? nimirum quia Iacob speciali
quâdam prouidentiâ Dei obtinuit benedictionem pa-
ternam, & in ea permansit, & fuit benedictus in cor-
poralibus & spiritualibus, temporalibus & æternis. *Ec-*
ce sic benedicetur homo qui sperat in Domino.

At qui sperant in principibus terræ ad libitum do-
minantium, si modò aliquid, illicò nihil sunt. vnde re-
ctè Polybius lib. 5. *Exiguo*, inquit, *tempore homines qui-*
dem exaltare solent, & rursus humiliare, sed aulicos maximè:
reuerà enim hi similes sunt abaculorũ calculis: isti enim secun-
dùm computantis arbitrium, modò ærei sunt, modò aurei: &
aulici ad nutum principis, nunc beati sunt, nunc verò miseri.
Ita ille. Possunt etiam comparari ludo latrunculo-
rum, in quo, dum ludentes volunt, hic rex, ille eques,
illa regina, ille famulus est, sed post ludum nihil sunt,
ludunt principes in aula, & etiam illudunt; cùm vo-
lunt, magnos aulicos suos faciunt, cùm nolunt, eos si-
ne honore dimittunt, cùm placet.

PROP. III. *Quot in aula & miseria, & salutis pericula.*

NOn modò confinia, sed affinia sunt magna fasti-
gia, & alta præcipitia. Si enim verum est illud
Christi oraculum: *Dues difficilè intrabit in regnum cælo-*
rum; Quid si ad hunc cumulum accedat amplissima in
homines quos sibi subiectos regat, potestas, pro qui-
bus reddenda est ratio? fastus & arrogantia, quæ ho-
minem supra hominem attollit : libidinis lenocinia,
quæ mentem eripiunt : peccandi impunitas, quæad
peccandum frena laxat; aliaque fexcenta quibus ma-
gnatum ac principum conditio obnoxia est, vitiorum
fomenta, ac scelerum inuitamenta? Non fugiebant
hæc pericula clarissimum Alberti I. Imperatoris Ora-
torem, de quo hęc scribit Æneas Syluius. Cùm Orator
ille ad amplissimam procerum coronam, præsente ipso
Cæsare Alberto, totaque Cæsareæ aulæ nobilitate, è
suggestu diceret, illoscue ofcitanter audientes, parum-
que attentos obseruaret, exeruit quos reconditos ha-
bebat, vt illos pungeret, quosdam verborum aculeos,
& quàm poterat contentissimâ voce exclamauit in
hanc quæstionem, *Quæritur, saluarine possint Principes?*
Hæc verba altissimum excepit silentium : stabantque
omnes partim stupore attoniti, partim timore pauidi;
hâc fulminatrice interrogatione, quam Orator ex ca-
thedra, tanquam Iupiter è machina, euibrauerat, con-
sternati. Orator vt videt auditoribus excussum esse
somnum, arrectisque auribus omnes ab ore suo pende-
re: cùm propositam à se quæstionem, in vtramque par-
tem neruosissimis allatis argumentis, agitasset, tandem
his amarulentis verbis concluſit: *Quidni saluari possint*
Principes, si modò suscepto Baptismo, in cunis vagientes mo-
riantur? Quomodo? itane accisa res est, salus princi-
pum, vt non nisi à cunarum vagitu subsilire illis in cæ-
lum liceat? Adeone quæ excelsa videntur, prærupta
sunt, vt illis necessarius insit, aut certè subsequatur ca-
sus? Expertus fuerat has aulæ ærumnas, & aulicorum
pericula D. Norbertus, cui posteà vbi aula exierat,
& mundum res suas habere iusserat, familiare e-
rat dicere : *In aula nunquam sui quietus, extra aulam nun-*
quam inquietus. Quàm parum illis licet esse quietis,
ostendit festiuâ suâ comparatione Alphonsus Rex: qui
interrogatus qualis esset conditio boni Regis, & Prin-
cipis; respondit, asinorum esse meliorem, quòd illis co-
medentibus Domini parcerent, Regibus nemo. Nam
inter cœnandum à difficili & importuno quodam ho-
mine vsqueadeò interpellabatur, vt vix edendi pote-
stas esset. Optabat ergo vt populares sui vno die Reges
extitissent, vt eorum curas cognoscerent.

Multa de aula, & eius periculis inuenies apud Gaspa-
rem Ens in Pusylipo p. 203.

Matt. 19. 23.

Æneas Sylu. li 3. *comment. in Panor. mitan.*

AVRVM.

PROP. VNICA. *Aurum multorum malorum origo, cùm tamen ex se sit vile.*

Lib. 5 ep. 31. DIuus Ambrosius: *Aurum si diligenter tractes, foris pretium, intus metallum est.* Cùm ergo non sit nisi metallum, vnde tantùm sibi acquisiuit pretium? » Intelliges ex eodem Ambrosio. *Aurum & argentum non* *S. Ambr. serm 39.* » *pretiosum natura instituit, sed hominum voluntas effecit.* Quod ergo natura fecit cum reliquis metallis commune, vana hominum æstimatio fecit singulare. Quòd sæcula nostra sint ferrea, debemus auro. Hinc enim tot redundant peccata, & inde in nos fœuiunt Dei flagella. » Audi Eusebium Gallicanum: *Argento & auro appetitur veritas, expugnatur æquitas, Iustitia vincitur, innocentia pro-* *Eusebius Hom 4 d.* » *ditur, pietas fides q violatur.* Plus ergo timendum aurum in crumena, quàm ferrum in vagina: illud enim occidit *Epiphan.* animam, hoc corpus. Non hoc latebat Lacedæmonios, quare illi, vt cives suos ab omni quæstu abducerent, & ad agriculturam, remque militarem impellerent, aurum, & argentum, tamquam pestem ciuium, ex ciuitate sua ciecerunt, & ferream quandam pecuniam grauioris ponderis instituerunt. Quàm perniciosum necesse sit esse aurum, cùm tot hominibus adferat perniciem! Testatur id Ecclesiasticus illis verbis, auro, & cedro dignis: *Multos perdidit aurum, & argentum.* Cùm multi au- *Eccl. 8. 3.* ro fiant perditissimi, nihil tamen ægrius, quàm aurum perdunt. Cur putatis aurum pallere? Respondet Diogenes: ideò pallere aurum, quòd multos habet insidiatores.

AVXILIVM DEI.

1. PROP. *Quàm semper nobis necessarium sit Dei auxilium.*
2. *Quàm necessarium sit auxilium Dei ad opera nostra.*
3. *Ad perfectionem obtinendam magno Dei auxilio opus est.*
4. *Quàm necessarium sit auxilium Dei ad recta agenda quæ expediunt.*
5. *In tentationibus necessarium est nobis diuinum auxilium.*
6. *Auxilium Dei facilia facit quæ difficilia nobis sunt.*
7. *Dei auxilio facilis redditur virtus.*
8. *Quàm efficax sit auxilium Dei.*
9. *Deus auxiliatur nobis in his quæ ad saluationem pertinent.*
10. *Quàm promptus sit Deus ad auxilium nostrum.*
11. *Quàm facilè ac promptè Deus nobis auxilietur ad salutem.*
12. *Iustis opem specialem tribuit Deus.*
13. *Deus in tentationibus & periculo nobis auxiliatur speciatim*
14. *Hominis cooperantis gratiæ, Deus auget auxilia.*
15. *Auxiliatur Deus bene dispositis.*
16. *Deus in aduersis auxiliatur suis.*
17. *Vnicuique auxiliatur Deus secundùm necessitatem suam.*
18. *Ita Deus peccatores conuertit, vt viues ad perseuerandum præstat.*

PROP. I. *Quàm semper nobis necessarium sit Dei auxilium.*

Psal. 7. 2. PSal. 7. cùm Absalon patrem suum ad necem vsq; persequeretur, sic Deũ orabat pater: *Domine Deus meus in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me, nequando rapiat* (Absalom nempe) *vt leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.* Quid ais Dauid? nónne & tu exercitum ducis valde potentem, quo te defendere potes ab eo? Cur igitur ais, *quia non est*, &c. Ita quidem & rectè orat, quia sine Dei auxilio quid prosunt fortia castra? Ita perpendit locum hunc S. Basil. in eodem Psalmo, *S. Basil.* dicens: *Quia tametsi & ipse exercitum collegisset, & milites multos secum haberet, non tamen auxilij loco ducebat etiam mundum vniuersum, nisi cælesti auxilio potiretur; sed orabat,* A *ne sibi id accideret vnquam, quod Absaloni, qui propter maestiam diuino auxilio destitutus, victus fuit.* Ita S. Basilius. Discę in vtroque, in Dauide patre, inquam, & in filio, euentus discrimen, & quàm oportet diuino auxilio adiuuari.

Magnam nobis ipsis mentimur fortitudinem, quia debilitatem nostram ignoramus, ad studiosè & fideliter viuendum. Dixerat Christus Dominus Matth. 26. discipulis: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Tunc Petrus, etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor. Cui Christus: Amen dico tibi, antequam gallus cantet, ter me negabis.* At Petrus imbecillitatem suam ignorans, respondit: *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Decepit se Petrus fiduciâ suâ, negauit non semel, nec bis tantùm. Expendens locum hunc S. Augustinus serm. 49. de verbis Domini secundùm Iohannem, ait: *Non se nouerat hîc Petrus, & quam esset infirmus nesciebat; quomodo re verâ sæpè ægrotus ignorat ægritudinem suam, medicus autem scit, cùm ille ægritudinem patiatur, & medicus non patiatur, magis dicit medicus quid agatur in æstero, quàm ille qui ægrotat quid agatur in seipso. Petrus infirmus erat, Dominus autem medicus; dicebat Petrus se habere vires quas non habebat, Christus tangens venam cordis sui, videbat, quòd ter eum esset negaturus; & ita factum est quemadmodo dixit medicus, non quomodo præsumpsit ægrotus.* Ita sanctus Augustinus.

Psalm. 118. sic Dauid: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Cui dicere possemus: Auerte tu illos, ne quid nõ oculi tui sunt? nunquid non sub tua potestate? nunquid tu liber es ad eos auertendos? Etenim experimento cognouit debilitatem suam, cùm oculos vxorem Vriæ conuertit, & ideò de seipso diffidens, auxilium ad auertendum eos, à Domino postulat.

PROP. II. *Quàm necessarium sit auxilium Dei ad opera nostra.*

Trahe me post te. Hoc diuina sponsa ad Deum sponsum suum, cui dici posse videbatur: Vade tu præ illum: quis enim prohibet te post illum non solùm ire, sed currere quoque. C

Obserua, duplicem in creaturis perfectionem constituere valemus, alteram quam vnaquæque res iuxta naturæ consequi potest, alteram verò, quam extrinsecus admiculo adipisci tantummodò queat. Exempli explicemus, appetunt equus & bos pabula, & stramina, & loca suis operibus apta, & huiusmodi alia: atqui is est illis à natura intrinsecus finis præstitutus: sed non in hunc solum finem natura hæc animalia procreauit, sed extrinsecum alium finem adhibuit: nam sicut humani corporis membra ad varia sunt opera à natura data; sic in hoc mundi corpore variæ sunt in varios vsus productæ creaturæ. habent igitur hæc animantia pro extrinseco & altiori fine, hominis obsequium, equus ad equitandum, nobis est datus, bos ad agricultu-ram: duplicè ergo finem habent, alter ad propria commoda illorum, & propriam vitam spectat, alter verò D ad obsequia pertinet nostra. Priorem illum finem sine hominis adminiculo ipsâ per se consequi valent, non verò secundum: ad hunc enim equus fræno, sella, calcaribusque eget, & bos aratro, & jugo, & vinculis opus habet; sic ergo & homo duplicem finem habet, alterum naturalem, alterum verò supernaturalem. naturalem voco eum, qui naturalia tantùm respicit, videlicet seipsum sanum viuumque conseruet, damna vitæ fugiat. Taceo nunc de moralibus: num ad hæc etiam in natura lapsa, gratiâ indiget, vt v. g. ad seruanda omnia præcepta Decalogi, & mortalia cuncta peccata similiter vitanda, quamuis hæc ad naturalia morum pertineant, &c. habet autem homo finem alium supernaturalem, ad hæc quidem auxilio Dei eget, & obid ait sponsa: *Trahe me post te, &c.*

PROP. III. *Ad perfectionem obtinendam magno Dei auxilio opus est.*

TRahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum, &c. Triplex quidem est facultas, qua per viam mandatorum & consiliorum Dei incedere valemus. Prima est naturalis, illa scil. quæ in facultate animæ nostræ sita est, qua scil. & intelligimus ea quæ nobis expediunt, & ea volumus & amamus: sed quia viribus solius naturæ ea non possumus effectiuè præstare, vti oportet, auxilio gratiæ indigemus. Hoc autem auxilium duplex est, aliud est commune, & non ita vehemens, sed lentum & tenue, quo Dei præcepta possumus implere: sed non ita consilia sublimia, & quæ ad perfectionem pertinent, adimplere solemus. Est aliud auxilium gratiæ, quod sanctis à Deo præstari solet, quo sanctissimi & perfectissimi viri euadunt, quale præstitum fuit Apostolis, Martyribus, & fundatoribus religionum, &c. ex quorum numero erat sponsa Christi, quæ dicebat: *Trahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum*, non ait: voca me, vel adiuua me solùm, sed trahe me, quod vim magnam & vehementiam importat auxilij, quo *post te*, inquit, *curremus*. non ait: ambulabimus, sed curremus: hoc enim auxilio perfecti viri per viam sanctitatis & perfectionis, non solùm ambulant, sed currunt.

Hanc autem facultatem sic currendi tribuendam esse huic auxilio excellenti, confirmauit regius Vates, dicens: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Cùm dilatasti, inquit, cor meum, id est, cùm hanc animi amplitudinem & dilatationem mihi tribuisti, cæpi non solùm ad te leniter ire, quod multorum est, sed etiam cucurri, hoc est, incredibili quadam animi alacritate & feruore tua sum placita executus. ideò enim sanctus Franciscus & alij non pauci, mundi sarcinas proiecerunt, quò expeditiores & celeriores essent ad cursum.

Nec mirum: perfectiorum enim est Deum amare: amor autem verus nescit molimina tarda, velox prorsus est, & ob eam causam antiquiores Philosophi amorem alatum finxerunt, eò quòd in actionibus suis mirâ sit præditus agilitate. Itaque non solùm currit, sed volat quisquis verè amat, iuxta vaticinium illud, *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, vt aquilæ, volabunt, & non deficient. Qui sperant*, inquit, *in Domino*, quod periphrasis est iustorum, & amantium Deum, quasi dicat, iusti qui Deum verè amant, & intensè, vt par est tantùm Deum amare, primò, *fortitudinem mutabunt*: nam si priùs fortes erant ad malum, illam fortitudinem augebunt, & mutabunt in bonum: amor enim vires auget, & amor Dei multò magis. Secundò, *assument pennas, vt aquilæ*, quæ celeri volatu ad sublimia conscendit; sic qui Deum amat, celeri volatu ad cælestia tendit. Curremus igitur, ait sponsa, quæ dicere rectè potuit, volabimus, sed humilitatis causâ, curremus tantùm dixit. Ad hoc autem, *trahe me*, inquit, hoc est, auxilio vehementi, quo soles fauere sanctis tuis, auxiliare mihi, &c.

PROP. IV. *Quàm necessarium sit auxilium Dei ad rectè eligendum quæ expediunt.*

TAnta quidem peruersitas humanæ voluntatis sibi relictæ, esse solet, vt nisi diuinâ ope iuuetur, enormiter eligat sæpè quod iniquum est. *Pete* (inquit Herodes puellæ saltatrici) *à me quod vis, & dabo tibi. Et iurauit illi, quia quidquid petieris, dabo tibi, licèt dimidium regni mei*; opportunissimè nacta magnæ dotis, quâ nubere regaliter posset, consuluit illa interim matrem, & post consultationem maturam: *Volo*, inquit, *vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* O scelus, plusquam diabolicum, enorme! ô consilium immane! dimidium regni postposuit tantæ impietati, tanto delicto quid enim scelestius excogitari potuit, quàm maioris & excellentioris viri inter natos mulierum caput postulare? Ecce quid sit voluntas humana sine gratia Dei, qualis erat voluntas huius matris, & huius filiæ.

Sed attende aliud, & quidem multò scelestius, Matthei 27. Pilatus ad populum Ierosolymitanũ ait: *Quem vultis dimittam vobis, Barrabbam, an Iesum, qui dicitur Christus?* Quis non jam liberum à morte Christum Dominum, tunc existimasset? quis enim, quamuis stolidus, Christum mortuos excitantem, Barrabbæ homicidæ non facilè anteponeret? Quid igitur populus ille, quid duces eorum? *Exclamauit* (ait S. Lucas) *simul vniuersa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabbam, qui erat propter seditionem quamdam factam in ciuitate, & homicidium, missus in carcerem.* Ita S. Lucas. Et ne fortè dicas, imperita illa turba erat, & quid eligeret, ignorabat, addit S. Matthæus, *Principes autem Sacerdotum, & seniores persuaserunt populis, vt peterent Barrabbam, Iesum autem perderent.* Itane Pontifices, quorum judicio, sapientiæ, & prudentiæ, Reipublicæ gubernaculum commissum erat, & seniores, quorum experientia, & maturus sensus populi stultum impetum cohibere debuerât? ita; quia, vbi Dei gratia deest, nec ratio, nec scientia, nec experientia, nec muneris obligatio satis fuerunt ad illam humanæ voluntatis prauitatem de facto cohibendam. Denique aît sanctus Lucas: *Iesum verò tradidit Pilatus voluntati illorum*, traditur Dominus noster, crucifigetur absque dubio, &c. Vide igitur quid præua hominis voluntas Dei gratiâ destituta operetur: quotidie autem peruersitas humanæ voluntatis in eligendo cõstat, dum quæ Deus præcipit, respuit, & quæ prohibet amplectitur, quamuis inde sempiternum capiat detrimentum.

Matt 27. 17. Luc. 23. 18. Mat 27. 20.

Quod vt augeamus, obserua quod sæpè etiam diuinitus adiuta humana voluntas, quæ sibi nociua. & Deo inuisa sunt potiùs eligat, quàm quæ Deo grata, & sibi salutaria sunt. Vnde Matth. 23. *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Pondera illa duo verba: *volui, & noluisti. volui*, hoc est, curam adhibui, & auxilia ad hæc præbui, tu verò, nec talibus auxiliis adiuta voluisti, sed renuisti; communis est Sanctorum expositio. imò magnum hoc auxilium, & sæpè Iudæis Deũ tribuisse denotat Christus, dum dicitur, *sicut gallina*, &c. Vbi S. Chrysost. homil. 75. in Matth. *Amorem suum ab imagine significauit Christus, seruenti namq; amore aues filios diligunt suos. Crebrò autem hoc imago auis, & alarum apud Prophetas, & in Psalmis inuenitur, mirabilem denotans prouidentiam.* Ita ille. Vnde ibi Christus Dominus, non quamuis, sed mirabilem ostendit prouidentiam erga Ierosolymitanos, & tamen, *noluistis*, inquit. Adeò rebellis est humana voluntas. quòd si auxiliis Dei adiuta, talis est, qualis absque illis erit?

Matt. 23. 37. Chrysost.

Quare orandus est sæpè Deus Opt. Max. vt nos adiuuare dignetur, & illud frequenter ore versandum, *Adiutor meus esto. Ne derelinquas me, ne despicias me, Deus salutaris meus.* & illud, quòd sæpè Ecclesia repetit: *Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me festina*, &c. Sicut enim voluntas à Deo destituta nefanda decernit, sic à Deo adiuta sanctissima opera præstat.

PROP. V. *Intentationibus necessarium est nobis diuinum auxilium.*

DOmine, Deus meus in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequentibus me. Quinam erant hi persequentes, num homines inimici? Minimè quidem homines solùm, sed multò magis satanas, & socij eius, vt

Psal. 7. 2.

ex verbis sequentibus constat, *Ne quando rapiat vt leo a-* A
Psal. 7.3. *nimam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.* Quem hic leonem vocat? S. Augustinus ibidem, *Dicit Apostolus* (inquit) *Aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circumit, quarens quem deuoret. Itaque cùm diceret per pluralem numerum: Saluum me fac ex omnibus persequentibus me, singularem postè intulit, dicens, Ne quando rapiat vt leo animam meam. Non enim ait: ne quando rapiant, scien; quis resisterit inimicu, dum non est qui redimat, neque saluum facu. Si enim Deus non redimat, neque saluum faciat, ille rapit.* Ita S. Augustinus.

Prop. VI. *Auxilium Dei facilia facit quæ difficilia nobis sunt.*

S Cypr. SAnctus Cyprianus Epist. 2. de Baptismo suo, quem in adulta jam acceperat ætate, ait: *Postquam celitus spiritu hausto, nouum me hominem fœcunda natiuitas reparauit, mirum in modum protinus sensi confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare, quod priùs difficile videbatur, & geri posse quod impossibile videbatur.* Ita ille. B

Prop. VII. *Dei auxilio facilia redditur virtus.*

CErtum quidem est virtutem circa difficile versari, sed Dei gratiâ, quam nemini facienti quod in se est, denegat Deus, facilis redditur virtutis via. Imaginare in mari nauim ferro multo onustam, hanc leui vento facilè moueri, & quasi per aquas volare videbis, velis tamen expansis. Vento assimilatur in sacris Literis Spiritus sanctus, vnde in aduentu Spiritus sancti, in
Actor. 2.2. die Pentecostes dicitur, *Factus est repentè de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis*, &c. Si ergo aura hæc & ventus iste diuini Spiritus insufflauerit in nos, quamuis quis onustus pondere passionum, imò & peccatorum sit, facilè eum ad Deum conuertet, & per virtutis viam incedere faciet, dummodo sinus & vela voluntatis suæ expandat, hoc est, faciat quod in se est.
Psal. 142.6. Vnde Dauid: *Expandi manus meas ad te, defecit spiritus* C *meus.* Sanctus Gregorius super hunc Psalmum sic verba ista expendit. *Quasi terra sine aqua, est anima sine* Dei *gratia. Nam sicut terra, qua imbre non perfunditur, non vestitur herbis, non venustatur floribus, non abundat messe; sic anima gratiâ carens, non operitur virtutibus, non cogitat de cælestibus, non insistit vtilibus, expandit ad hoc manus suas Psalmista. Quid autem est manus expandere ad Deum, nisi operationem ad Omnipotentem leuare? Et idèò additum est, ad te, quia hi verè ad Deum manus expandunt, qui per opera sanctitatu, Deum, non mundi gloriam, quærunt.* Ita ille. Vel vt exponit Innocentius III. *Idèò manus meas ad Deum in oratione expandi, quia anima mea sicut terra sine aqua tibi, quæ carens humore virtutum, germen boni operis non producit.* Ita ille. Vtrumque igitur dicamus, quòd ille scil. ad Deum manus suas expandit, qui operibus bonis & orationibus affectuosis ad Deum accurrit, auxilium poscens ad virtutem assequendam. Quid verò inde speret, subdit: D
Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, in quam terram rectam? Innocentius III. *Spiritus tuus bonus*, inquit, *in se, quia est ipsa bonitas, & bonus in nobis, quia nos efficit bonos, deducet me in terram rectam, id est, in viam mandatorum tuorum, per quam rectè itur ad patriam.* Ita ille. Vel, vt ait, Cassiodorus, *tunc deductur homo in terram rectam, quando corpus eius subditur regulæ Dei, quod peccatorum fuerat prauitate distortum.* Ita ille. Corpus quidem nostrũ aggrauat animã passionibus suis, *aperga el alma, como el plomo al nauio*, impedit incessum nostrum in cælum põdus corporis nostri, sed Spiritus Dei bonus, flatu suo potenti, expandentẽ manus, seu vela sua, per laboriosam virtutis viam, facilè in cæli optatum portum perducet. Nemo igitur animum despondeat, nemo corde suo deficiat. Omnia enim possumus in eo qui nos confortat.

Prop. VIII. *Quàm efficax sit auxilium Dei.*

INvocatione Apostolorum constat quàm efficax auxilium Dei sit: vocauit Christus Matthæum, cùm adhuc in telonio sederet, & statim nullum impedimentum obiiciens, secutus est Dominum. Mirantur autem nonnulli quo pacto homo teleonarius potuerit ita facilè se expedire: impossibile quippe erat (moraliter loquendo) quin plurima obstacula haberet ad Christum Dominum sequendum. erat enim telonij officium illud vel saltem in rationibus dati & accepti, valde implicatum, &c. Respondet S. Hieron. *Cerè fulgor ipse & maiestas diuinitatis occulta, quæ etiam in humana Christi facie reluebat, ex primo ad se videntes trahere poterat affectus. Si enim in lapide magnete hæc esse vis dicitur, vt annulos sibi copulet, quanto magis Dominus omnium creaturarum, ad se trahere poterat quos vocabat?* Ita S. Hier. A fortiori igitur auxilio, quod hominis animum interiùs mouebat, id præstare valebat, quod fulgor & aspectus ille admirabilis exterior. Ita respondet Abul. in ferè simili vocatione Apostolorum Petri & Andreæ, Iacobi & Ioannis, qui, cùm primùm audierunt vocem Domini dicentis: *Venite post me*, &c. statim relictis retibus & rebus omnibus, secuti sunt eum. Ait ergo Abulensis: *senserunt ipsi in se aliquid diuinum.* Ita ille. In quæstione 99. super Matth. 4. & rursus in quæstione 100. ait: *Mutauit Christus voluntates eorum ad promptè obediendum.* Ita ille. Non quia abstulerit libertatem vel derogauerit ei, sed quia creator libertatis erat, efficaci auxilio gratiæ suæ (quod congruum esse præsciens donat) rebelles voluntates nostras immutat, & saluâ libertate, efficaciter ad se trahit.

Hinc est, quòd qui verè ad Deum conuerti desiderat, Deum humiliter deprecari debeat, vt efficacem auxilium conferat, quopeccandi affectum deponat, & fortiter, ac viriliter peccatorum vincula rumpat. Peccabat Petrus, negans Christum Dominum, non semel, nec bis, &c. & in ipso feruore negationum respexit Dominus Petrum, & illico fleuit amarè. Ponderat S. Ambrosius ibi, factum hoc, & ait: *Negauit primò Petrus, & non fleuit, quia non respexerat Dominus; negauit secundò, & non fleuit, quia non respexerat Dominus adhuc; negauit tertiò & respexit* Iesvs, *& ille tunc amarissimè fleuit. Respice Domine* Iesv, *vt sciamus nostrum deflere peccatum.* Ita S. Ambrosius. Respectus ille quidem inspirationem & auxilium Dei efficaciter includebat, quo sic repente & potenter conuertit animum Petri. Si ergo vis efficaciter ad Deum conuerti, roga Deum vt sic te misericorditer aspiciat & respiciat.

Et quia post conuersionem perseuerantiâ opus est ad salutem æternam consequendam, instet conuersus, petens auxilium efficax à Deo: ipsius enim Dei est perseuerantiæ donum. Audi Dominum ipsum ad conuersum id dicentem Psalm 31. *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* responsio est Dei ad Dauid petentem auxilium à Deo. Sensus ergo est: Egò docebo te interiùs, quod consilium tibi approximatum sit, ne errres in via salutis, & dirigam te in exterioribus actibus tuis, & denique firmum auxilium dabo tibi ad perseuerandum. Ita exponit Cardinalis Bellarminus.

Prop. IX. *Deus auxiliatur nobis in his quæ ad salutionem pertinent.*

REg. 3. 16. præcepit Deus Eliæ in montem Horeb longè a. distantem ire, periculum autem imminebat illi deficiendi in via, eò quòd viatico careret; prouidit autem illi Dominus, &c. Quod expendens S. Bernard, *b. Ser.* serm. 4. super Psalm. *qui habitat*, ait: *Quid tibi homo plus afferet damon ad tentandum, nisi quod tibi longa restat via? fed*

sed cur hoc timeas, cui fortis cibus datur, ne deficere possis in via? Elias vtique cibus allatus est ab Angelo, quo nullus in humana consuetudine victor inuenitur, scilicet panis & aqua; tanta verò fortitudo ei collata est, vt quadraginta diebus ambulans nec fatigaretur, nec esuriret. Ita S. Bernard. Voluit igitur Deus in facto illo nobis fuadere in via, quâ pergimus in cælum, non defuturum nobis diuinum auxilium, in omnibus quæ ad iter hoc peragendum nobis fuerint necessaria.

Quod etiam adumbratum fuit in itinere illo filiorum Israël per desertum in terram promissionis; defuit illis panis, sed panem Angelorum exhibuit illis Dominus; defuit aqua, sed de silice durissimo eduxit eis aquam dulcissimam; commiserunt bella infideles populi aduersùs eos, sed pugnauit aduersùs illos Dominus, & liberauit eos, &c. Id ipsum dicendum est de itinere quo pergimus in terram promissionis cælestis patriæ: quamplurima quidem sese offerunt impedimenta nobis, sed fauente Deo innumeri sancti illuc quoque peruenerunt, &c.

B

Prop. X. *Quàm promptus sit Deus ad auxilium nostrum.*

S Anctus Cypr. Epist 2. ad Donatum: *Vt sponte Sol radiat, dies illuminat, fons manat, imber irrigat: ita se spiritus cælestis infundit.* Ita ille.

Prop. XI. *Quàm facilè ac promptè Deus nobis auxilietur ad salutem.*

PRouerb. *Nunquid non sapientia clamitat, & prudentia dat vocem suam?* De diuina loquitur sapientia, & de cura, & sollicitudine, quam erga nos gerit; quàm quidem optimè expressit per verbum illud, *clamitat*, quod apud Latinos dicitur frequentatiuum, & importat affectionem quamdam frequenter repetitam, clamorem C scilicet frequentem diuinæ sapientiæ, quo vocat, monet, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. in clamore quidem vehementiam vocationis ostendit: non enim, ait, loquitur, vel ad aures leniter susurrat, sed *clamitat*. Hos vocibus magnis vocat, quò etiam magno sopore defides valeat excitare. In verbo autem frequentatiuo frequentiam clamorum horum importat: non enim solùm clamat aliquando, sed clamitat frequenter, & cum sollicitudine assidua. quod sequentibus verbis magis explicauit, dicens: *In summis excelsis q, verticibus supra viam, in medijs semitis stans iuxta portas ciuitatis, in ipsis foribus loquitur, dicens: O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum*, hoc est, non clamo semel, nec vno in loco, sed vbique, in populo, extra populum, *en plobado, y en despoblado*; in viis regijs, & in semitis exquisitis & occultis, juxta ingressum ciuitatis, & longè alibi in montibus semotis, nullibi non clamito, ad vos ô filij hominum, suadens, docens, monens opportunè, importunè, vt salui esse possitis.

D Hanc eamdem sollicitudinem expressit Christus Dominus in parabola illa vineæ Matth. 20. vbi Dominus summo mane, & hora tertia, sexta, & nona exit conducere operarios in vineam suam. id quidem est clamitare vocando nos ad cultum animarum nostrarum, quo denarium æternæ vitæ lucremur. Vocat primo mane, hoc est, cùm primùm rationis vsus incipit elucere, & hora tertia, hoc est, in iuuentute, & hora sexta, hoc est, in ætate virili, & hora nona, hoc est, in senectute: semper nos vocat, qui semper nos amat, qui semper desiderat omnes homines saluos fieri. Vnde qui damnantur, imputent sibi, non Deo ita solicito pro nobis.

Nunc igitur ad vos, peccatores, cur tales ac tantas Dei voces ita despicitis? nunquid non vestra res agitur? nunquid non de vestra agitur salute? Deus est qui cla-

A mitat, Deus est, qui talem exhibet sollicitudinem, & curam. Sed quid ille lucrabitur, si vos salui fueritis? quid amittet si vos damnaminì? vestrum est negotium hoc tàm eximium, cur igitur, dum ille adeò sollicitus est de salute vestra, vos adeò desides estis?

Audi Dominum Ierem. 7. *Misi ad vos omnes seruos meos Prophetas, per diem surgens diluculò, & mittens, & non audierunt me, nec inclinauerunt aures suas, sed indurauerunt ceruicem suam*, hoc est, *Yo madrugue à llamar por mis Prophetas, y vos otros no solo no quisisteis oir, los obedeciendo, però ni quisisteis dar muestra de gratta audiencia, como suele hazer el que inclina sus oydos: al fin no rendisteis vuestras cabeças à mi yugo.* Ecce tibi eausam, & rationem, cur peccatores renuant audire verbum Dei, quia scilicet nolunt super ceruices suas tollere Dei iugum, sed, sicut filij onagri, se liberos natos putantes, Euangelij onus refugiunt. *Quieren andarse cerrilos à su albedrio y sin orden alguna.* Nolunt iciunare, sed epulari, nolunt cilicium, sed sericum indumentum, nolunt pœnitentiam, sed voluptates, excutiunt iugum Christi, qui delicias quærunt mundi.

Audite rebelles, audite ignari, audite Christum dicentem: *Tollite iugum meum super vos*; ne recusetis, ne timeatis à nomine *iugi*: *nam iugum meum suaue est, & onus meum leue*, suaue, quia parit suauitatem æternam; suauitas autem mundi acerba est valde: nam parit amaritudines sempiternas. O felix dulcedo, onus Christi leue, quia ipse leuificat iugum suum, ideò dicitur iugum, iugum enim à duobus portatur, quòd si alter, v.g. bouum grandior fuerit, & fortior, ille est, qui maiorem oneris partè portat: sic Deus, qui nobiscum iugum portat, fauendo & adiuuando, ita nos exonerat, vt hâc ratione dixerit Paul. *Iusto non est lex posita.* Cur non? nónne lex Christi pariter obligat iustum, sicut iniustum? ita; sed quia iustus tantâ facilitate, & suauitate leges omnes Dei seruat, vt nullum legis grauamen sentiat, ideò dicitur, non esse ei positam legem. *Matt. 11. 29.* *1. Tim. 1. 9.*

Sed fit quidem lex Dei quantumuis grauis, sit aspera, difficilis eius obseruatio; hoc vnum scio, quòd si à Deo sic vocatus & adiutus recusauerit respondere, væ illi erit. Audi Dominum ibidem: *Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum in principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel. Et nunc quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus, & loquutus sum ad vos, mane consurgens, & loquens, & non audistis, & vocaui vos, & non respondistis: faciam domui huic sicut feci Silo.* Peccauerunt enim habitatores Silo, vbi erat Tabernaculum, & Arca Domini, & abstulit ab eis Arcam, & permisit per manus Philisthinorum occidi plusquam triginta millia hominum. Sic igitur vobiscum agam, ait Dominus. Vbi nota causam, non inquit quia peccatis, sed quia post peccatum vocaui vos ad pœnitentiam, & audire, & respondere noluistis. Hæc vltima, & consummata ratio fuit grauissimi supplicij eorum. *Ierem. 7. 12. 22.*

Prop. XII. *Iustis opem specialem tribuet Deus.*

PSalm. 96. *Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia.* Cur, quæso, iusto, & non iniusto, cùm maior necessitas lucis sit in peccatore, quàm in iusto? Deus igitur, qui dies est in misericordia, cur non emittit lucem suam, & veritatem suam in mentem iniusti, vt saluum faciat eum, qui vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire? Primò igitur constituamus hoc certum esse, omnibus Deum lucem & auxilium præbere sufficiens, quibus possint salui fieri: deinde etiam certum est, particularia, & sublimiora, & frequentiora auxilia, verbi gratia, lucis præbere Deum iustis, quibus perseuerare, & progressus in virtute maiores indies facere possint: & obiit ait Dauid: *Lux orta est iusto*, non quia & iniusto orta non sit, sed quia non datur iniustis huiusmodi augmentum lucis. Cur verò Deus ita faciat, dixerim ego, quia indignos se quotidie magis *Ps. 96. 11.*

præstant iniusti fauoribus diuinis: sed arcani quid proferamus ex huiusmodi sententia Dauidis: *Lux*, inquit, *orta est iusto*. Felix sic legit, *Lux sata*, vel *seminata est iusto*. quid sibi vult hæc satio, & seminatio lucis? Audi, agricolæ non seminant super rupes & lapides, sed super terram cultam & præparatam: nam in rupibus esset terere tempus, & semen, oleum & operam perdere; in terra verò arata semel & bis culta, seminat prudenter, quia inde colliget fegetem copiosam. *Pater meus*, ait, *agricola est*, seminat verbum suum, semen suum, lucem suam in cordibus nostris: at quia corda peccatorum multorum, rupes sunt, lapides sunt; ideò in eis seminare renuit lucem suam; etsi enim aliquādo etiam partem seminis huius in terram petrosam mittit, hoc ideò facit, vt iustificetur in sermonibus, & vincat, cùm iudicauerit. ne dicat impius: Sol iustitiæ non est ortus nobis. at ista non est satio, sed ex parte hominis perditio, ex parte Dei iustificatio suæ causæ. Communicatio verò diuinæ lucis in corde iusto, in corde bono, & optimo, hæc satio, hæc seminatio quidem est; quia sicut ex semine fato copia exuberat fructus; sic ex satione luminis diuini fructus colligit vberes in cordibus iustorum. *Fructus autem lucis*, ait Apostolus, *est in omni bonitate, & iustitia, & veritate*. Hos fructus colligit Deus ex semine lucis, quos non colligit in malis, sed in bonis. Mali enim hæc vox est:

——Video meliora proboq́,
Deteriora sequor;

ideò sæpè Deus subtraxit ab eis lucem, tum quia inutilis sit donatio hæc, tum quia in perniciem fit malorum. luce huiusmodi abuti.

Felix.

Ioan 15.1

Eph. 5.9

Prop. XIII. *Deus in tentationibus & periculis nobis auxiliatur speciatim.*

EXpetiuit Iob à Deo diabolus, vt cribraret sicut triticum; ad quem Deus Iob 2. *Ecce in manu tua est, verumtamen animam eius serua*. Cur non absolutè concessit, vel non absolutè negauit Deus, quod dæmon postulabat? S. Gregor. ibi: *Sic Deus pius adiutor noster innotuit, quia tenuit quem concessit, & dando non dedit, in manu aduersarij. Sanctus vir traditur, sed tamen in manu Dei adiutorij sui retinetur: diuina igitur disposito fatto custodiendo deserit, & deserendo custodit*. Ita S. Gregor.

Iob 1. 6.

S. Gregor.

Hinc Apostol. 1. Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed facit cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere*. vbi S. Augustin. citatus à S. Thoma lect. 3. ibidem. *Qui* (inquit) *dat diabolo tentandi licentiam, ipse dat tentatis misericordiam, ita vt possitis sustinere & vt non desiciatis in lucta, sed vincatis*. Ita S. Aug. Misericordia autem, quâ nobis cum Deus vtitur in tentationibus nostris, est dare nobis patientiam & fortitudinem, quâ tentationes superemus; & sic etiam faciet cum tentatione prouentum, quia tali victoriâ, gloriæ coronam promeremur, & maiores vires acquirimus ad cæteras tentationes superandas. Vnde S. Anselm. super hunc locum Apostoli, *Piâ*, inquit, *dispensatione, Deus hostem nostrum nos tentare permittit, & detinet, relaxat & refrænat, vt & tentemur ad profectum nostrum, & non superemur ad hostis desiderium: fidelis autem est, & ideò facit vt citò cesset tētatio, aut si fuerit prolixa, det ipse virtutem tolerandi*. Ita S. Ansel. Dicitur autem Deus fidelis sic ferendo auxilium, quia ad fidelitatem promittentis pertinet, seruare & adimplere quod promisit: Deus autem huiusmodi auxilium promisit, cùm dixit Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*. Quod sic exponit S. Anselmus vbi supra dicens: *Fidelis est Deus, id est, verax in hac promissione*, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, *vt videlicet sit semper nobiscum in omni tentatione, & non sinat nos vltra vires tentari, sed tentationem leuiget, vt vincamus*. Ita sanct. Anselmus. Similiter dicitur quis fidelis amicus, v. g.

1. Cor. 10. 13.

S. Aug.

S. Anselm.

S. Anselm.

A qui videns amicum in aliquo periculo constitutum, succurrit illi pro viribus suis. maximum omnium periculorum est tentatio, quia est periculum peccandi, atque ideò periculum est damnationis æternæ: Deus autem est fidelis amicus, quia cùm videt nos in periculo peccandi secundùm potentiam suam præbet nobis auxilium ad vincendam tentationem necessarium.

Prop. XIV. *Homini cooperanti gratiæ, Deus auget auxilia.*

SAnctus Chrysost. serm. ne scandalum ponam tom. 5. *Cùm ea quæ facta nobis facilia sunt, perfuere recusamus, nec Deum sumus adiutorem habituri, quod & iudex accidit*. Ideò enim, *inquit Christus*, eis in parabolis loquor, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. *Dicet aliquis, quomodo visu carebunt, qui videre maximè, siquidem cùm spectarent abigi per Christum dæmonia, nec tamen temperabant ibi obiectæ: Dæmonium habet: & cum à mortuis cernerent excitatos, non eum adorabant, quin morte afficere conabantur. Cornelius verò nihil istorum fuisse videbatur, cui pro viribus omnia facilitanti supplebat Deus, quod defuisset.*

B

Neque id quæras, quo pacto ex gentibus aliquem, cum prius fuit, & simplex, aspernetur Deus? principio dixerim, nihil hominum posse, nisi creatori, cuiuspiam patere probitatem: deinde nullum genitorem illum curam adhibuisse, vel studium Dei notionem haberet. Dices forsan, quonam pacto qui cognitionem assequetur, qui nulla sit institutus sapientia? At barbarum quem nec sapientem iudicas, nec prudentem, sed incautum expellas, & inutilem, si fuerit in bonis externis periclitatus, teneres rei suæ longè maximè intentum, & circa huiusmodi primè diligentem: qui si spiritualibus rebus incubuisset, quanto terius solet, non esset adeò despectus à Deo. Nam cùm sol splendidior Sole, quocumque se quisque contulerit, videbit: si paulò fuerit attentior, salutem inueniet. Quod sanè sequentia nouem videri debet, siquidem & Christi res gestæ, barbaræ quam Palæstinæ locis, vel angusto aliquo orbis terrarum angulo circumscribuntur.

C

Nónne & ipse Prophetam audiuisti hoc de Christo predicantem? Ierem. 31. Me omnes visuri sunt à minimo vsque ad maiorem. Quæ dicta veris confirmata sunt rebus. Quem ergo ventam sunt habituri, qui cùm videant veritatis lucem, tu eam esse ad perdiscendum expositas, nec tamen his indulgendeant?

Dicet aliquis ab homine rusticano, & barbaro, hæc duriora exigenda? non equidem à barbaro solo & ruri versato, quæ ab eo exegerim, qui omnes barbarie superet asseritate. Cum enim, dic mihi, si qua de re agatur, rusticanus is, si rem sat, & obiecta confutere nouit, & aduersario, si vim patitur, obsistere, facilitareq́, omnia æstu, & viribus, ne damno vel tenui afficiatur; verùm ad ea, quæ spiritus sunt, non pari vtitur prudentia: at cùm verus conquirendus est Deus, tunc mihi hominem hunc, nec sanum satis, nec frugi esse commemoras? non ita se habet, non ita.

D

Abrahæ temporibus non erat nomen Dei vulgatum, sunt modò, nec à Prophetis præuuntiatum: nec tunc temporis erant homines veritatis cognitione instructi, & scelera sua detinta effecerant vniuersi, nec vlla erat lex ad castigationem ita promulgata, Propheta nullus, miracula nulla, doctrina nihil, & qui eius cognitionem haberent, non multi, nec aliud huiusmodi: quin erant omnia, tanquam in tenebris profundis confusa; & tamen rebus aduersantibus mirandus ille, & ingenio animi Abraham, qui Dei notionem habens, & virtutem exercens, plures ad se imitandum induxit. quod eò magis mirandum videri debet, cùm esset externæ huius, & humanæ sapientiæ prorsus ignarus. Nondum enim fuerant elementa literarum inuenta: verùm conanti illi pro sua virili omnia, Deus opem, & auxilium tulit. Neque enim dici potest Abraham tam à sui maioribus accepisse religionem, quippe qui idolis inseruissent: nihilominus cùm talibus esset ille progenitoribus ortus, barbarus etiam natione fuisset, & inter barbaros enutritus, neminem habuisse

habuisset diuinæ legis institutorem: tantùm reliquos, qui vel leges accepissent, & Prophetas probitate anteiuit; quantùm nec dici sat potest. Cur illud? quoniam spiritui prorsus intentus, præsentibus bonis nec cura minimùm impendebat. Ita sanct. Chrysost.

A

PROP. XV. *Auxiliatur Deus bene dispositis.*

OMne agens (aiunt Philosophi) *agit in patiente dispositio.* Ignis non agit in lapidem, sicut in lignum, & quantò lignum magis dispositum fuerit, celeriùs & meliùs in se conuertit. Sol est omnium metallorum causa, cur igitur hîc argentum, illic plumbum, hîc aurum, illic gignit ferrum, hîc gemmas, illic lapides viles producit, cur non vbique aurum vel argentum & gemmas? Varia quidem dispositio terræ in causa est: vbi enim dispositionem argenti vel auri inuenerit, aurum, vel argentum producet, vbi autem plumbi, plumbum, &c. Sic nimirum Sol ille diuinus secundùm exigentiam & dispositionem nostram, beneficia sua nobis conferre solet, lucem, auxilia, vocationes, virtutes & sancta dona. Hoc rectè adumbratum fuit in vasis Eliæi: dum enim vasa non defuerunt, nec oleum defuit; cùm primùm verò defuit vas, stetit oleum, (ait Scriptura) in qua oleum misericordiæ symbolum est, hæc a Deo abundè nobis infundetur, si non defuerit in nobis dispositionis vas. 4. Reg. 4. 32.

Fregit Moses tabulas illas mirabiles, in quibus digito suo Deus inscripserat legem populo Israeli promulgandam; quis non miretur id effecisse Mosen? Nónne donum erat maximum lex illa? Quare ergo populum priuari voluit tanto dono & bono? Vidit quidem Moses populum illum indignum & ineptum, qui reciperet legem, cuius initium erat, Non adorabis deos alienos, & tamen ipse tunc temporis de facto vitulum adorabat, quia igitur intuitus fuit Moses non esse rectè dispositam plebem ad recipiendam legem, ideò fregit tabulas legis. Si ergo vos Dei donis orbatos videritis, hoc vobis imputare debetis. Si enim animaduerteret Deus vasa in vobis ad sua dona recipienda apta, & cor ad legem eius adimplendam, quid non bonitas illa præstaret? Exod. 32. 10.

Alexander Rex, non ille magnus, sed nobilis supranominatus, famâ Ionathæ Israelitæ auditâ, sic ad eum scripsit: *Audiuimus de te quod vir potens viribus sis, & aptus es vt sis amicus noster, & nunc constituimus te summum Sacerdotem gentis tuæ, vt amicus vocetis regis, & quæ nostra sunt, sentias nobiscum, & conseruas amicitias ad nos.* Et misit ei purpuram & coronam auream; cur ei potiùs quàm alteri? *Quia,* inquit, *aptus es vt sis amicus noster:* sic ille Rex regum, qui nos in amicos plurimùm optat, si aptos inuenerit, quid non pro nobis efficiet? &c.

PROP. XVI. *Deus in aduersis auxiliatur suis.*

AD Roman. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* De iustis hîc agit Apostolus, vti constat ex contextu. At obiicit sic S. Chrysost. ibid. dicens: *Quis contra nos, inquis Apostole? Etenim terrarum orbis contra nos, tyranni, populi, & ciues & cognati; sed tamen hi cùm contra nos stent, tantum abest vt nobis incommodent, vt vel nolentes coronarum auctores nobis existant, & infinitorum bonorum procuratores, ipsâ Dei sapientiâ ipsorum insidias in nostram salutem, & gloriam conuertente. Etenim Iob hoc ipsum splendidum reddidit, quòd videlicet diabolus, & vxor, & amici eius, & vulnera contra eum militarunt; nihil tamen contra illum effecerunt, sed omnia illi felicem exitum attulerunt: siquidem Deus pro illo stabat,* Ita sanctus Chrysostomus, & subdit: *Si iustum morti tradiderit, coronam martyrij illi texuerit.* Ita ille loquitur de persecutione principum tyrannorum contra fideles. Propterea ait Apostolus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. 31.

B

PROP. XVII. *Vnicuique auxiliatur Deus secundùm necessitatem suam.*

MAgna est solicitudo diuinæ pietatis in nos, vigilas tu, vigilat & ille (ait S Bernard.) ser. 69. in Cant. *Consurge in nocte, in principio vigiliarum tuarum, accelera, quantumuis etiàm ipse anticipare vigilias, inueries eum, sed non præuenies.* Ita Bern. & licèt vniuersalis sit hæc diuina prouidētia, ibi tamen maiorem fauorē adhibere solet Deus, vbi maiorem cēserit debilitatem nostram: sicut cor nostrum omnibus corporis partibus fauet; sed quia sinistrum latus debilius est, eò magis propendet, & in eo maiorem cordis pulsum experimur; sic etiam spiritus Domini suauis in medio Ecclesiæ Dei assistens, eò propendet etiam, quò maiorem videt debilitatem humanam esse. Vnde Apostol. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Quare qui debiles se & infirmos spiritu suo seipsos sentiunt, sentiant quoque de Domino in bonitate. Nam ipse compatietur infirmitati eius, & secundùm suæ necessitatis exigentiam fauebit ei. Oret & speret, &c. Rom. 8.

C

PROP. XVIII. *Ita Deus peccatores conuertit, vt vires ad perseuerandum præstet.*

SVnt nonnulli peccatores qui conuerti ad Deum detrectant, eò quòd desperent, se posse à peccatorum consuetudine & affectus videntiâ liberari: ignorant hi quomodo Christus sanet nostrarum animarum infirmitates, non quidem sicut medici corporales, qui ita infirmos sanant, vt non statim illi à febre liberentur, robur & vires pristinas recuperent, & vigorem, semper enim reliquiæ morbi supersunt, & paulatim ad perfectam peruenient sanitatem; non sic sanat nos Deus, non sic, sed simul cum salute animæ & peccatorum remissione, vires ad perseuerandum præbet, quod in socru sancti Petri Christus Dominus significauit, quæ cùm magnis febribus teneretur, à Christo Domino miraculosè sanata, quamuis prouectæ esset ætatis, & graui morbo detenta, statim è lecto surgens, Domino ad mensam sedenti ministrauit, & vires omnes extempore recuperauit. Quod expendens S. Petrus Chrysol. serm. 18. ait: *Christus sic fugat morbos, vt vires pristinas mox reducat. vbi curat ars, ibi infirmitatis remanet lassitudo; sed vbi sanat virtus Dei, ibi languor vestigium non relinquit.* Ita ille. Sic igitur vbi Deus animam peccatricem sanat, ita perfectè sanat, vt integras ei vires ad perseuerandum tribuat. quòd si ex vitiorum consuetudine debilitas aliqua remansisse videatur, & pronitas ad malum, auxilia diuina ad ea superanda sufficientissima non deficient, ita vt cum Paulo dicere quiuis sanatus possit: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Luc. 4. 38. Phil. 4. 13.

D

B.

BAPTISMA.

PROP. VNICA. *Quanta bona homini proueniant ex Baptismate.*

SAnct. Optatus, *Quis fidelium nesciat singulare Baptismatis virtutum esse vitam, criminum mortem, natiuitatem immortalem, cælestis regni comparationem, innocentiæ portentum, peccatorum naufragium?* S. Optat. lib. 5. contra Parmenianū.

S. Cyrill. Hierosolymit. *Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos Martyres, qui (vel sine aqua) regno cælesti potiuntur. Redimens enim terram Saluator per crucem, & in latere vulneratus, sanguinem, & aquam emisit, vt alij quidem pacis tempore in aqua baptizarentur, alij verò tempore* S. Cyrill. Catech. 3.

Idem Cateches. Mystag. 2.

persecutionis in propriis sanguinibus baptizarentur. Et idem alibi. *Sicut qui in nocte versatur, nihil videt, & qui est in die, in lumine est: ita in submersione, tanquam in nocte, nihil videbatur, in emersione contra, quasi in die eratis, simul mortui, & regenerati, atque ita illa salutaris aqua, & sepulchrum vobis, & mater effecta est: & quod Salomon dixit de aliis, hoc in vos optimè quadrat tempus parendi, & tempus moriendi & tempus generandi: illud enim vtrumque vnio, eodemq; fit tempore, simulq; mors, & generatio vestra concurrit.*

Eusebius Hom 3. de Epiphan.

Eusebius item Gallicanus de eodem hoc argumento, loquens de aqua in vinum à Christo conuersa, sic disserit: *Aquis intra hydrias permanentibus idem est liquor, sed non idem est sapor, &c. Stat in quantitate mensura, & in qualitate additur gratia: visibiliter nihil crescit ad augmentum, & inuisibiliter adductio occulta fit. Meritò modus non augetur, & profectus acquiritur, aquæ suam retinent plenitudinem, & alienam accipiunt secretâ infusione virtutem. Ita & homo per aquam Baptismi, licèt assoris idem esse videatur, intus tunc alter efficitur: prioribus perit, succedentibus proficit, deterioribus exuitur, in melioribus innouatur, persona non contingitur, & natura mutatur, occisisse nihil creditur, & tamen quod accessit, fide, tamquam mentis gustu, ac sapore sentitur: homo præteritâ vilitate deposità, nouâ indutur dignitate.*

Quanta ex sacro hoc latice Baptismatis emergat homini Christiano dignitas, probè intelligebat B. Ludouicus Francorum Rex, hic à Palatinis suis rogatus, quonam gestorum suorum cognomine vellet insigniri. Victoriâ, inquit, Possiacâ contra diabolum, cùm baptizarer: vt enim prima, ita & clarissima mihi obtigit. In hac sola glorior, & triumpho: ab hac Ludouicus Possiacus denominari volo. Alij Imperatores, ac Principes à subacta à se regione, sibi nomen adsciscunt: vt Scipio Africanus à subacta Africa, Scipio Asiaticus à subacta Asia, at hic pissimus Rex, quia in Possiacâ cituitate fuerat baptizatus, adeoque in fonte Baptismatis, dæmoni, & pompis eius renunciauerat, quæ victoria erat, vt prima ordine, sic princeps dignitate, vocari Possiacus.

Beatitudo, *vide* Gloria.

BELLVM.

1. PROP. *Quod Deus nos ab infidelibus vinci permittat ob peccata nostra.*
2. *Quantùm valeat oratio ad superandos hostes.*
3. *Ob peccata permittit Deus insurgere bella.*

PROP. I. *Quòd Deus nos ab infidelibus vinci permittat ob peccata nostra.*

ADmiramur sæpè, cur Deus fideles ab infidelibus vinci permittat: si enim vincerent fideles, jam infidelium multitudine sublatâ, omnes fideles essent: sed dubium soluit, quod optimè S. Chrysostom. asserit homil. 40. ad popul. *Quæram* (inquit) *vtilitas multum esse fœnum, potiùs, quam pauios lapides pretiosos? non in numeri multitudine, sed in virtutis probitate multitudo consistit. Elias vnus erat, sed totus mundus non erat dignus, qui rependeretur ei: melius enim est vnius Dei voluntatem facientes, quàm decem millia peccatorum: nam decem millia nondum ad vnum perueniunt. Hoc & in bello quispiam videre potest, melius esse decem peritos, & generosos milites, quàm innumeram multitudinem inexpertorum: hi enim præter hoc, quod nihil efficiunt, etiam operantes impediunt. Hoc & in nauigatione videas. Melius esse duos peritos nautas, quàm innumeros inexpertorum: hi enim nauim submergent. Sicut arena maris erat multitudo populi, sed vnus saluauit eos, vnus erat Moyses, & omnibus plura potuit, vnus Iosue, sed vnus sexcentis millibus plus potuit. Neque fatagamus hoc, vt multi dumtaxat fiant, sed vt probabiles potiùs sint. cùm hoc comparatum fuerit, tunc & illud. Et cùm sint qui in Ecclesia fulgere possint, velocitèr eius & multitudo: cùm verò huiusmodi desint, multitudo nunquam probabilis erit. Ne igitur mihi dicas, quòd multa turba sumus, hoc signum est hominum: & coram hominibus hoc congrue dici posset. at coram Deo, qui non indiget nostri, nequaquam: multos enim habens seruos, si corruptos habeat, quot mala patiatur? Apud eum enim qui nihil habet, hoc esse graue videtur, quòd et non ministratur, qui verò malos habet, & seipsum perdit, & maior est iactura: multò enim grauius cum seruis pugnare, quàm sibimetipsi ministrare.* Ita S. Chrysost.

Deuter. 28 cùm Deus pactum legis cum populo iniret, subdit: *Quòd si audire noluerit vocem Domini Dei tui, vt custodias, & facias omnia mandata eius, & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie; tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos: per vnam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias, & dispergaris per omnia regna terræ, plenum inimicis, & non vindemies eam.* Ecce in pœnam peccatorum, & transgressionum legis Dei, minatur Dominus belli ruinam.

Sicut è conuerso pax obseruanti legem promissa est Isai. 48. *Vtinam*, ait Dominus, *attendisses ad mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua.* Nota *sicut flumen* est, abundans, sicut aqua.

Quod si fortè insurrexerint hostes, quid? audi Deuteron. 28. *Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius, dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt aduersùm te, corruentes in conspectu tuo: per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua*, hoc, inquam, promittit Deus obseruanti legem, frangenti verò quod oppositum est.

Vnde Ierem. 25. *Pro eo*, inquit Dominus, *quòd non audistis verba mea, ecce ego mittam & assumam vniuersas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor regem Babylonis, seruum meum, & adducam eos super terram istam, & super habitatores eius, & super omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt, & interficiam eos, & ponam eos in stuporem, & sibilum, & in solitudines sempiternas, & erit vniuersa terra hæc in solitudinem.* Vbi nota quomodo vocat Nabuchodonosor *seruum suum*, cùm tamen infidelis ille esset, & idololatra gentilis, quasi dicat: *To me dare in ello assolar os a todos muy bien seruido de Nabuchodonosor, quando à el echo enfs foto mi mando tanto sera mi desseo de destruyr.*

Et quidem si diuinas & humanas legeres historias, facilè reperires vnius gentis delicta per alterius gentis arma puniisse Deum. Assyrij Israelitarum carnifices fuerunt, Assyriorum Chaldæi. Chaldæorum Medi & Persæ Medorum, & Persarum Macedones, Macedonum Romani, &, quod mirabilius videtur, nunc Christianorum carnifices facit Deus Turcas, Mauros, & Hæreticos multos. Dices, nónne illi peiores sunt? cur igitur non ab eis puniri, & non eos per nos eligit Deus? quia quidem magis abominatur Deus peccata Christianorum (ea teris paribus) quàm infidelium: nos enim qui cognoscimus verum Deum, quique eum confitemur, quia maiora ab eo recepimus beneficia, maiori & potiori ratione Deo fideliter seruire tenemur, ideò magis multò Deus nos peccatores, quàm illos abominatur. Quare dum peccata in nobis aspexerit Deus, à verbere non abstinebit; lacrymis ergo peccator ab eo misericordiam petat, & obtinebit. Quod 1. Reg. 4. manifestè Dominus demonstrauit, cùm enim Israel aduersùs Philisthæos pugnaret, ab eis victus terga vertit, & à Philisthæis cæsa fuerunt quasi quatuor millia virorum Israel, & dixerunt maiores natu de Israel: *Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim, asseramus nos de Silo Arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum.* Tulerunt igitur Arcam Domini, sed nihilominùs secundò victi sunt Israelitæ, & ceciderunt ex illis triginta millia virorum, & quod magis mirandum est, ipsa Dei Arca tam celebris, & veneranda, capta fuit à Philisthæis,

sth vis, illa, inquam, Arca, quam nec oculis carneis nu- A
dam videri Dominus permittebat. cur ita? & tunc ma-
xìmè cùm deuotè in suum patrocinium Israelitæ eam
deduxerunt? manifesta est ratio, quia peccatis populus
abundabat. vnde Samuel Arcâ jam recuperatâ, & ad
Dominum populo conuerso, dixit ad populum vniuer-
7.3 sum, 1.Reg.7. *Si in toto corde vestro reuertimini ad Domi-*
num, auferte deos alienos de medio vestri, & præparate corda
vestra Domino, & seruite illi soli, & eruet vos de manu Phi-
listhim, quasi diceret: si nosse vultis, cur ita vobis in-
feliciter cesserint bella contra Philisthæos, scitote pec-
cata vestra in causa fuisse; cessent peccata, & indigna-
tio Dei erga vos pariter cessabit, & facilè Philisthæos,
Dei adminiculo, vincetis. obedierunt Israelitæ, & con-
uersi omnino ad Dominum, hauserunt (de more) a-
quam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiuna-
uerunt in die illa, & dixerunt ibi: Peccauimus Domi-
no, hoc est, debitam pœnitentiam egerunt. Reuersi
ergo cùm Philisthæi ad prælium contra populum Is- B
rael fuissent, intonuit Dominus de cælo fragore ma-
gno super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à
facie Israel, & ita fugati, vt asserat Scriptura ibi: *Hu-*
miliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt vltra, vt venirent in
terminos Israel. Vide quantum referat ad victoriam ex
inimicis reportandam, virtus, & ab omni labe peccati
nos mundos esse, alioquin etiamsi peccatores clament,
& orent cum lacrymis, & sanctissimum Sacramentum
è custodia deducant, & processiones multiplicent, nisi
à peccatis cessent, peribunt.

Idem etiam probari potest ex diuina historia Ma-
chabæorum, 2. Machab. 12. vbi prælium iniuit Israel
cum inimicis, & ceciderunt ex Israel nonnulli, sequen-
ti verò die venit Iudas Machabæus cum suis vt corpo-
ra prostratorum sepeliret; & inuenerunt sub tunicis in-
terfectorum de donariis idolorum, à quibus prohibet
lex Iudæos; omnibus ergo manifestum (ait) factum est,
ob hanc causam eos corruisse. vnde Iudas hortabatur
populum conseruare se sine peccato, videntes, quæ fa- C
cta fuerant pro peccatis eorum, qui prostrati sunt. Eia
peccatores, qui sinus peccatis geritis refertos, quid à
Domino speratis vsurarij, qui pauperum absconditis
pignora? quid tu, qui vindicari conaris, & proximi san-
guinem fugere intus anhelas? quid tu luxuriosè, qui
ignem in sinu abscondere procuras? quasi Deus corda
nostra non manifestè intueretur, &c.

Item similem etiam ad rem habes historiam Iosue 7.
vbi pondera verba illa ipsius Dei ad Iosue, causam in-
11. quirentis, cur inimici vicerant Israelem, *Peccauit*, in-
quit, *Israel, & prauaricatus est pactum meum, nec poterit sta-*
re ante hostes suos. hoc autem totum factum est, quia miles
vnus peccauit; quid si plures? Mirantur multi, cur, cùm
tot sint boni Ecclesiastici, boni religiosi, boni sæcula-
res, nihil ominùs sinistros, & infelices bellorum euen-
tus experiamur, & non animaduertunt vnius delictum
sæpè Deum ad iram prouocare, vt ex isto constat loco.
Quare plurimùm attendere oportet reges, gubernato-
res, duces, & capita Reipublicæ Christianæ, qualis sit
militum disciplina, non solùm militaris, sed Christia-
na, qualis eorum vita: quòd si mala fuerit illa, non mi-
rentur bellorum infelicitatem. Et quidem non solùm
13. mala, sed pessima sæpè quidem est 1. Reg. 13. vbi nos
legimus: *Egressi sunt ad præliandum de castris Philisthinorum*
tres cunei, alia translatio sic habet: *Egressi sunt ad prædan-*
dum, & in textu Græco, & in Periphrasi Chaldæa:
Egressi sunt ad corrumpendum, quod quidem de multis no-
stris militibus dici potest, egrediuntur non ad prælian-
dum, sed prædandum: non inimicos, sed nostros agri-
cultores, & pauperes, quos miserè vexant, quando eo-
rum adeunt domos, & ad corrumpendum, & luxurian-
dum, &c Per huiusmodi ergo peccatores, & feces mun-
di, victorias expectamus?

Quòd si fideles ac bonos inuenerit Deus, quis, quæ- A
ve potentia contra eos? Ezechias rex virtute præditus,
totam fiduciam suam in Domino collocauit, & ad
hoc etiam induxit populũ suum, quòd propterea, vt ad-
no tauit Lyra sup. c. Isa. 31. liberauit eum Dominus mi- *Lyra.*
rabiliter de potestate Sennacherib Assyriorum regis,
4. Reg. 19. quam quidem protectionem diuinam sic *Isa* 31. 4.
scribit Isaias cap. 31. *Hæc dicit Dominus: Quomodo si rugiat*
leo, & catulus leonis super prædam suam, & cùm occurrerit ei
multitudo pastorum, à voce eorum non formidabit, & à multi-
tudine eorum non paucibus; sic descendet Dominus exercituum
vt prælietur super montem Sion: sicut aues volantes sic protteget
Dominus exercitum Ierusalem, protegens & liberans, transiens, &
saluans. Leo quidem fortissimus bestiarum ad nul-
lius pauet occursum, maximè cùm prædam vorandam
ducit, tunc enim quantumuis multitudo pastorum ad-
uersùs illum insurgat, & vociferetur, intrepidus per-
git: sic igitur ait Deus, quamuis omnes nationes ad-
uersùs populum meum insurgant, sic ego non deseram
Ierusalem, quam pro mea habeo præda. *& sicut aues vo-* B
lantes, quod passiuè sic aliqui interpretantur, hoc est,
sicut protectæ sunt aues, dum volant, à sagittis, quas
venatores jacere possunt, sic protegam Ierusalem. alij
verò actiuè sic, sicut aues volantes protegunt pullos
suos, sic protegam & ego Ierusalem. Mirum quomodo
aues protegant filios rostro, & vnguibus, & clamori-
bus, vt videre licet in gallina, quæ cùm adeò inermis
sit, vires ex debilitate capit, quia amor filiorum ei ar-
ma & vires præbet, quas natura denegauit. vbi mirè
docet Dominus, quàm acriter defensurus esset suos:
nam leo viribus pugnat, aues amore; sic igitur ait Do-
minus: potentia & amore meo protegam Ierusalem,
id est, omni modo defendam, quia scilicet Ezechias
sanctus & populum suis exemplis & exhortationibus,
& regimine sanctificabat. Vide igitur quomodo bo-
nos & iustos faueat in præliis aduersùs hostes Deus.

In horum confirmationem maximè facit, quod in
historia Iudith legimus cap. 5. de Achior. vide & nar-
ra, vbi notanda sunt verba illa, *Vbicumque egressi sunt fi-* *Iud.* 5. 16.
ne arcu, & sagitta, & absque scuto & gladio, Deus eorum
pugnauit pro eis, & vicit, & non fuit qui insultaret populo isti,
nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui, &c. & addit: *vs-*
que dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illo bo-
na: Deus enim illorum odit iniquitatem. Nam & ante hos an-
nos, cùm recessissent à via, quam dederat illi Deus, vt ambu-
larent in ea, exterminati sunt prælijs à multis nationibus, &
plurimi eorum captiui abducti sunt in terram non suam. Nunc
ergo, mi Domine, perquire, si est aliqua iniquitas eorum in cō-
spectu Dei eorum: ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet
eos Deus eorum tibi: si verò non est offensio populi huius coram
Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorum de-
fendet illos, & erimus opprobrium vniuerse terre. Ita ibi: ex-
itus autem veritatem comprobauit, nota res est.

Si ergo in populo Christiano peccata vigent, quid
mirum si ab inimicis superemur, licèt multi sint qui
orent? clamant orantes, clamant & peccantes: *Clamor,*
inquit, *Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & pec-* D *Gen.* 18.
catum eorum aggrauatum est nimis: quorum autem clamor 20.
præualere debeat, oratorum, an peccatorum, Deus
scit, &c. adulteria, inimicitiæ, periuria, homicidia,
furta, insidiæ, ac doli clamant quotidie, & prouocant
iram Dei. Væ nobis, non cessabit tempestas, donec Io-
nas mittatur in mare. Meritò ergo Dauid Psalm. 107.
In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribu- *Psal* 107.
lantes nos. 14.

S. Hieronymus epist. 3. *Nostri peccatis barbari fortes* S. *Hieron.*
sunt, nostris vitiis noster superatur exercitus. Infelices nos qui
tantùm displicemus Deo, vt per rabiem inimicorum illius in nos
ira desæuiat. Proh pudor & stoliditas vsque ad incredulitatem
mens! Romanus exercitus victor orbis, & dominus, hos pauet,
ab his vincitur, qui ingredi non valent, qui si terram tetige-
rint, se mortuos arbitrantur, & non intelligimus Propheta-
rum voces, Fugient mille vno persequente, *nec am-*

putamus causam morbi, vt ipse morbus pariter auferatur. A Ita ille.

PROP. II. *Tempore belli quantùm valeat oratio.*

Cant.7.1 Aponius. CAnt.7. *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?* Chorus, vt Aponius ait, est multitudo simul canentium, castrum verò est multitudo simul præliantium: quid igitur choris cum castris, aut castris cum choro? chorus sacerdotum, & religiosorum est, castrum verò militum sæcularium. Quid igitur choro cum castro? quid? multum per omnem modum, quia si fidei nostri hostes, non solùm spirituales, sed etiam corporales, nos impugnare contenderint, chori orantium sunt, qui contra eos acriùs pugnant, orationibus suis auxilium à Deo impetrando, ad eos expugnandos & vincendos.

Exod.17. Quod quidem in bello illo, quod Amalec intulit Israeli, patuit, tunc enim cùm exercitus Israel pugnaret, Moyses orabat manibus in cælum eleuatis, & *cùm Moyses leuaret manus*, ait sacer Textus, *vincebat Israel: sin autem paululùm remisisset, superabat Amalec*, vbi Origenes

Origen. homil.11. in Exod. *Eleua & tu manus in cælum ad Deum, imple Apostoli mandatum, sine intermissione orato, & tunc fiet, quod scriptum est: Quia sicut ablingit vitulus in campo herbam virentem, ita ablinget populus hic populum qui super terram est, Per quod indicari dicitur, quia populus Dei, nõ tam manu & armis, quàm linguâ & voce pugnabat, & oratione inimicos profligabat. Eleua ergo actus, insta orationi, hæc Christiani pugna est, quæ superat inimicum.* Ita Origin. Qui de inimicis potissimùm spiritualibus hoc moralizat, sed de vtrisque loquitur, & nota locum illum Num.22. Plùs igitur orationes, quàm arma tempore belli profunt: vnde meritò principes, cùm bellum instat, ad Ecclesias & monasteria currunt, & pias ad Deum preces ab Ecclesiasticis, & religiosis requirunt: in his enim vis totius consistit prælij, vnde non ita inutiles, etiam ad temporalia bona, sunt Ecclesiastici reputandi.

PROP. III. *Propter peccata permittit Deus insurgere bella.*

Hom. 18. in 1. ad Corinth. Dan.5. SAnct. Chrysostom. agens de tribus pueris, qui missi fuerunt in caminum ignis ardentis. *Quánam ratione* (inquit) *non sit incredibili admiratione dignum, cùm ille Nabuchodonosor orbis terrarum Rex tantis armis, & exercitibus, ducibus, præsidibus, & consulibus stipatus, terram & mare subiecta habens, à captiuis pueris contemnatur, & ligati colligantem superent, & eius exercitum vniuersum. Considera quantum sit, tot spectantibus oculis à tribus captiuis pueris contemni. Ostendit autem se ciuitatem eorum cepisse, non suis viribus, sed propter multitudinis peccatum: nam si victos superare non potuit, & maximè in fornacem intrusos, quonam pacto cùm tales essent, lege belli superasset, ex quo perspicuum est multitudinis peccata ei ciuitatem tradidisse.* Ita S. Chrysost.

BENEDICTI LAVDES.

PRimam beatitudinem, quam inter octo Christus Dominus assignauit, hæc est, *Beati pauperes spiritu*, hoc est, beati sunt hi qui ex toto corde, & spiritu suo contemnunt pro Deo temporalia bona. Cur primum locum ei tribuit Christus? Sanct Ambrosius lib.5. in Luc. cap.6. respondet: *Primam beatitudinem hanc vtique Euangelista posuit: ordine enim prima est, & parens quædam generationis virtutum.* Ita ille. Et subdit: *qui contempserit secularia, ipse meretur sempiterna.* Hinc igitur sanctus Benedictus, cùm nobilis, & diues esset, paternam domum, sicut Abraham, patriamque dereliquit, nimirum quia sicut voluit Deus, Abraham fieri parentem multarum gentium; sic sanctum Benedictum parentem spiritualem innumerabilium monachorum & sanctorum voluit esse. Reliquit paternam domum, & patriam, & diuitias, & delitias, & quod magis est, literas, ad quas aptissimus erat, magno quippe ingenio polebat. hoc, inquam, maius fuit quàm bona reliqua reliquere mundi, quod Socrates, & Crates, & Democritus, & alij Philosophi fecerunt; valediceres verò literis, non ita. quia omnis homo naturaliter scire desiderat, nec ita ad diuitias sicut ad sapientiam natura inclinat. Omnia hæc pro Christo reliquit S. Benedictus, vt ita etiam mereretur bona sempiterna: hoc enim est verè sapere, *Pues aquel que se sabe, sabe, que el otro no sabe nada.*

Et, quod magis mirandum est, hoc præstitit sanctus Benedictus cùm adhuc adolescentulus esset. sunt enim nonnulli qui mundo valedicunt, cùm mundus valedicit eis; sed sanctus Benedictus tunc mundum deseruit, cùm mundus eum inuitabat. Considerauit enim id quod posteà filius eius S. Bernardus dixit: Relinquo magis expedit quàm relinqui, *El mundo nos ha de dexar al fin, mas vale genarle por mano.* Hoc mirè præstitit sanctus Benedictus, qui puer adhuc mundum contempsit, & ad eremum se contulit, & in antro quodam, omni humanâ commoditate destituto, abdidit se, & vixit, S. Gregor. lib.2. Dialogorum, despexit mundum cum flore. Despicere hortum aliquem amœnum, tempore hyemis, quando nullus apparet flos, nec fructus, nec folium, sed omnes plantæ in eo, velut mortuæ apparent, non mirum: at in vere, cùm flores redolent, & plantæ virent, & vigent, amœnitas animos allicit, & ad se trahit; tunc, inquam, recedere ab eo mortalionis gratiâ laudabile quidem est. relinquere mundum in senectute, quando mundus jam non placet, parum est: at in iuuentute, quando iuueni mundus flos, & ad vastam se conferre solitudinem pœnitentiæ causa, multum est. Hoc igitur præstitit sanctus Benedictus. Maluit enim esse pro Christo in eremo pauper, & egenus, quàm pro voluntate sua in mundo diues, & abundans.

Qui autem quid post conuersionem egerit, & postquam fuerit pro Christo, & quanta pro sancto Benedicto fecerit Deus mirabilia, nosse voluerit, legat S. Gregor. in lib. Dialogorum, latissimè quippe in toto libro vita de mirabilibus S. Benedicti agit. Neque parum accrescit laudibus Benedicti, habuisse talem historiographum, qualis S. Gregorius Magnus fuit. Inuidebat olim Alexander Magnus Achilli, quòd suarum laudum habuisset præconem Homerum. Ecce plusquam Homerus hic in laudibus S. Benedicti, totius scilicet Ecclesiæ Pontifex, & Ecclesiæ Doctor egregius, & admiram sapientiam & sanctitatem merito cognominatus Magnus Gregorius. Laudauit etiam S. Bernardus, maximè ob mirabilem regulam quam instituit ad regulandam Monachorum suorum vitam, cuius regulæ censuram hanc adhibuit S. Leo libro de conflictu vitiorum cap. vlt. dicens: *Non declines ab ea, nec illi addas quippiam, nec minuas, totum enim quod sufficit habet, & nullum quam minùs habet, cuius verba & iussa sectatores suos perducunt ad regni palatia.* Ita ille. Et quidem regula hæc adeò præclara est, vt non solùm ad stabiliendam, & propagandam, & perficiendam religionem sancti Benedicti deseruierit, verùm etiam aliæ religiones ad suam perfectionem in plurimis rebus eam sibi vsurpauerint. Hinc constat quàm vtilis atque proficuus Ecclesiæ Dei fuerit S. Benedictus, & quàm Deo charus. Solent quinam venantur, aues aliquas in caueis includere, quas Hispani *reclamos* vocamus, & has venatores curiosè alunt, quæ si præclarè canunt, & cantu suo alias alliciunt aues, in magno pretio à venatoribus habentur: hac quidem ratione in magno pretio apud Deum habitus est sanctus Benedictus. auis enim sublimis fuit, quæ in arduis ponebat

nebat nidum suum, & orationibus suis ad sublimia A peruolebat, quâ mediante, & cantu suæ regulæ, disciplinæ, ac vitæ quamplurimas alias aues Deus lucratus est, & quotidie lucratur, cùm tot retro sæculis hâc venatione vsus fuerit Deus. Quis autem non miretur copiam sanctorum, & virorum illustrium, quos Deo lucratus est sanctus Benedictus? Viginti quatuor summos Pontifices dedit Ecclesiæ, duo millia Cardinalium & Episcoporum, quadraginta millia Sanctorum, sanctorum, inquam, qui ab Ecclesia in cathalogo sanctorum conscripti sunt. Quòd si ex fructu dignoscitur arbor, vide qualis extiterit arbor illa, ex qua talis tantusque fructus promanauit. Ad Thessalonicenses sic Apostolus Paulus: *Quæ est corona gloriæ nostræ, nónne vos? Reposita est mihi corona iustitiæ.* In hac corona lapides pretiosi erant hi quos Deo lucratus fuit. sic corona sancti Benedicti tanquam lapidibus pretiosis condecoratur his, quos Deo in sua religione, & per suam religionem lucratus B est. Cùm igitur hi tot sint, qualis, quæso, & quàm decora in cælis erit corona gloriæ sancti Benedicti? *En ora buena nacio san Benito, pues nacio para bien de tantas almas, y para tanta honrra y gloria de Dios, y de su Iglesia Catholica.*

Hinc est quòd Deus non solùm in cælis, verùm etiam in terris, plurimùm honorificauerit illum: nam multa magnaque miracula patrauit, spiritum prophetiæ habuit, intimaque cordis cognoscebat, quod nec Angelicæ naturæ, vt ita loquar, concessum est: hoc enim diuinæ naturæ reseruatum est, mortuos suscitabat, & mortuos terra non recipiebat, quibus sanctus Benedictus benedictionem denegabat, & ipse jam vitâ functus, cùm ob deuastationem Italicam corpus eius alibi deferendum esset, in naui quadam constitutum, sine gubernatore alio, prospero flante vento nauis progressa fuit feliciter, & ad optatum peruenit portum, in quo C arbores, quæ hyemis causâ velut mortuæ videbantur, reuixerunt, & viriditate resumptâ sancti aduentum celebrarunt. Celebremus & nos gloriam tanti viri, & in patronum eligamus, vt qui tot animas Deo lucratus est, & nostras pariter lucretur, & ad sempiternam secum gloriam perducat.

BENEFICIVM.

1. Prop. *Quàm potens sit beneficium ad honorem & amorem conciliandum.*
2. *Beneficiendum est sine intuitu retributionis.*
3. *Beneficium libenti animo conferendum est.*
4. *Quomodo beneficium anticipandum sit.*
5. *Beneficium non est differendum. sed statim tribuendum.*
6. *Non solùm gratus, verùm etiam ingratis benefacere debemus.*
7. *Beneficia Dei ad eius amorem nos deuinciunt valde.*
8. *In beneficiis Dei pro amore quo nobis benefacit, præcipua reddenda sunt gratia.*

Prop. I. *Quàm potens sit beneficium ad honorem & amorem conciliandum.*

DEuter. 34. *Mortuus est Moyses, & non cognouit homo sepulchrum eius.* Cur Deus absconditi reliquias Moysi, cùm potiùs dignæ essent, non solum ab omnibus visitari, sed etiam venerari? S. Augustinus lib. de mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 35. *Ne sepulchrum*, inquit, *eius populus Israel, si cognouisset vbi esset, adoraret: vnde & virgam, in qua signa fecerat, (vt plurimi censent) ne adoraretur, secum abstulerat: quia & serpentem, quem fecerant filij Israel, postea adorabant.* Ita ille. Hinc constat quàm conducant beneficia ad beneuolentiam comparandam. Receperant filij Israel plurima beneficia à Moyse, propter quæ in periculum inciderent adorandi eum.

Prop. II. *Benefaciendum est sine intuitu retributionis.*

SEneca lib. 1. de benefic. cap. 1. *Demus beneficia, non fæneremus. Hoc enim & boni & magni animi est, non fructum beneficiorum sequi, sed ipsa. quorum fructus à viro egregio statim perceptus est, etiamsi mihi spes præcidatur reperiendi hominem gratum, malim non recipere beneficia, quàm non dare. Dicam quod sentio, qui beneficium non reddit, grauiùs peccat; qui non dat, ciuius.* Ita ille. Qui in exemplum nobis Deum proponit, dicens: *Quàm multi indigni luce sunt, & tamen oritur dies.* Ita ille. Beneficium igitur, vt beneficium sit, ideò dandum est, vt detur. Quòd si retributionem requiras, non beneficium, sed pactum & veluti contractus quidam est. *Seneca.*

Prop. III. *Beneficium libenti animo conferendum est.*

SEneca lib. 1. de benef. cap. 7. *Magis nos obligat qui dedit parua magnificè, qui Regum aquauit opes animo, qui exiguum tribuit, sed libenter, qui occasionem quæ prodesset, occupauit, & quæsiuit, quàm qui specie magnâ dat. si dantis, aut extorquentur, aut exciduntur; & multò gratiùs venit, quod facili, quàm quod plenâ manu datur.* Ita ille. *Seneca.*

Vbi subdit Senec. *Exiguum est quod in me contulit, sed ampliùs non potuit. At illud quod dedit, magnum est: sed dubitauit, sed distulit, sed cùm daret, gemuit, sed superbè dedit, sed circumtulit & placere, non ei qui dedit, voluit; ambitioni dedit, non mihi. non igitur quantum, sed à quali detur, perspiciendum est.* Ita ille.

Prop. IV. *Quomodo beneficium anticipandum sit.*

SEneca lib. 1. cap. 11. de benefic. *Lenocinium est muneri antecedens metus.* Ita ille. *Es vna manera grande el beneficio, el soluitar el coraçon, el temor ageno.* *Seneca.*

Aduertit tamen rectè ibi Seneca: *Nec tamen ideò debemus tardiùs quemquam seruare, quàm possumus, vt muneri nostro timor imponat pondus.* Ita ille. Imponere pondus muneri, est munus & beneficium augere. Hocenim est magis sibi, quàm proximo prospicere.

Prop. V. *Beneficium non est differendum, sed statim tribuendum.*

HOmines ab hominibus in mundo pendent; in hoc enim *magnificaut Dominus facere nobiscum*, vt sicut ipse, qui omnium bonorum fons, & origo est, benefacit nobis, tanquam prima bonorum omnium causa; sic voluit inter nos esse aliquos, qui concausę cum ipso sint; vt sicut in Deo hoc excelsum & sublime quiddam est, sic & nos cum illo in bonorum collatione subleuemur. *Beatius enim*, inquit, *est magis dare quàm accipere.* D

Sed tamen hoc in beneficiorum collatione obseruandum est, cùm benefacere possimus, beneficium non differamus. Qui enim citò dat, bis dat. Et vt, sicut in datione beneficiorum Deo similes sumus, sic etiam in celeritate dandi: Deus enim citò dare beneficia solet, Sic Ioan. 9. videns cæcum à natiuitate, lumen oculorum illi dare decreuit, rogatus à discipulis tunc, an ob peccata sua, vel parentum, lumine priuatus fuisset: illico respondit, & subditur: *Hoc cùm dixisset, exspuit, &c.* hoc est, cùm primùm causam expofuisset, cur eum sanare vellet, illico illuminauit eum, nullas nexuit moras, quia hic mos illius est.

Sic etiam, corripiente Nathan Dauidem ob peccatum adulterij, tactus dolore cordis Dauid dixit: *Peccaui Domino.* Cui statim Nathan: *Dominus transtulit peccatum tuum.* Quid ais Nathan? vix ille culpam confessus est, & confestim dicis: *Dominus transtulit peccatum tuum?* 2. Reg. 12.

tuum? Ita, quia ita est. Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Sic Deus beneficia citissimè confert. Bone Deus! vt homini homo parcat, quot ambages & circumloquia necessaria sunt, quot itinera, quot sollicitationes, quot preces & supplicationes, quanta denique tèporis requiritur mora. *Señor aor la llaga esta reciente, la memoria del agrauio fresca, el dolor es en crecimiento, no es tiempo, no es sazon, despues*, &c. Non sic Deus, non sic, sed ftatim veniam concedit, quamuis concessio veniæ res tanti momenti sit, quod non solùm in Dauide, verùm etiam quotidie in Sacramento Confessionis videmus. Nam vix ille, qui plurima peccata perpetrauit, confessus illa est, cùm ftatim à Sacerdote, vices Dei gerente, audit: Ego te absoluo. Sic, sic Deus se habet in beneficiis conferendis. A

Quàm aliter benefactores mundi erga supplices suos habent se! audiant hoc regum & principum familiares, à quibus egentes, vel qui regibus seruierunt, fauores expetunt, qui audiunt, offerunt, promittuntque operas suas, & opem suam, & tamen per longa differunt tempora id implere, quod promittunt. & dum spes illius qui petit differetur, differetur etiam & extendetur adoratio. adorant enim potentes, & hi de adoratione huiusmodi gaudent, sicut Aman. caueant, ne & illis eueniat, quod Aman. Nam Deus solus vult adorari, nobis sufficit orari. Denique adoratione hâc interim prætermissâ, hoc tantùm dicamus, horum multos similes esse Labán, de quo sic Iacob: *Circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus.* Hoc autem cur Laban efficiebat? Vt scil. prolongaret obsequium ipsius Iacob; sic & hi principum familiares, vt obsequia petentium multiplicent. Vtinam non & dona multis vicibus defraudent, fauores suos, his quibus eos obtulerunt. *Gen. 31. 7.* B

Etenim satius esset eis ab initio quod postulant denegare, quàm sic eos promissionibus longissimis detinere. Nam, vti ait Seneca li. 2. de benef. c. 5. *Æquiori animo quidam ferunt præcidi spem, quàm trahi.* Ita ille. C

Prop. VI. *Non solùm gratis, verùm etiam ingratis benefacere debemus.*

SVnt quidem beneficia ad comparandam beneuolentiam proximorum aptissima. Nam, vti Philosophus quidam asserit, qui beneficia inuenit, compedes inuenit. Non enim sic corpus catena ligat, sicut animum ligant beneficia. Vnde cùm Deus Opt. Max populum suum sibi deuincire maximè vellet, *In funiculis*, inquit, *Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Vbi originale Hebræum sic habet, *In funiculis hominum traham eos.* Tauri enim funibus, homines verò beneficiis trahuntur. Beneficiis eos lucramur, & ad beneuolentiam nostram facilè adducimus. *Ose. 11.*

At, inquies, multi adeò ingrati sunt, vt nec maximis beneficiis se deuinctos aut gratos ostendant. Dicam tibi quod Seneca lib. 2. de beneficiis cap. 32. asserit: *Non est magnanimi beneficium dare, & perdere, sed hoc est magnanimi, beneficium perdere & dare.* Ita ille. Non est igitur præstandum beneficium propter gratitudinem, licèt gratitudo adhibenda sit propter beneficium; sed beneficium quia beneficium est, præstandum est: vnde nec ingrati à beneficiis nostris excludendi sunt. Huius rei exemplar ipse Deus est, qui pluit super iustos & iniustos, & solem suum oriri facit super bonos & malos. Non meretur peccator beneficium, sibi (vt ita loquamur) debet, vt propter bonitatem suam infinitam malis benefaciat, licèt illi Deo ingratissimi sint, quidni creatorem suum imitetur? &c. D

Prop. VII. *Beneficia Dei ad eius amorem nos deuinciunt valdè.*

SAnct. Chrysost. hom. 9. in Genes. *Cordatos famulos non tam supplicia, quam beneficia solent emendare.* Ita ille.

Prop. VIII. *In beneficiis Dei pro amore quo nobis benefacit, præcipuè reddenda sunt gratiæ.*

SEneca lib. 1. de benefic. cap. 6. *Debere se dicit qui quantum quam accepit, altus consulatum, altus sacerdotium, altus prouinciam; ista potius sunt meritorum signa quam merita: non potest beneficium manu tangi, animo gestur: multum interest inter materiam beneficij & beneficium. Itaque non argentum, nec aurum, nec quidquam eorum quæ à proximo rapiuntur, beneficium est, sed ipsa tributentis voluntas, & beneficium etiam, amisso eo quod datum est, durat: est enim benefactum, quod irritum nulla vis facit.* Ita Seneca. Quod si temperare libet, dicamus donum esse id quod datum est materiale beneficium, pro quo etiam Deo debitas gratias reddere debeamus: sed formale beneficium est eximium, Dei voluntas est & amor, quem repræsentatis docuit Christus, dicens: Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, vbi non solum datum, sed dantis amorem attendere nos voluit, cuius sit vtrumque infinitum, & pro vtroque immensæ agendæ sint gratiæ.

BENEVOLENTIA.

Prop. vnica. *Varia Beneuolentiæ commoda.*

COpiosè in laudem beneuolentiæ disserit Ambrosius: *In beneficio reddendo plùs animus quàm ipsa res operatur, magisq; præponderat beneuolentia, quæ possibilitas referendi muneris. Magna igitur beneuolentia est, etsi nihil conferat, plùs exhibet, & cùm in patrimonio non habeat, largitur pluribus, idq; facit sine vllo suo dispendio, & omnium. Et ideò præstat beneuolentia super ipsam liberalitatem; ditior hæc moribus, quàm ista muneribus. Plus enim sunt qui indigent beneficio, quàm qui abundant. Et post. Hæc* (nimirum beneuolentia) *in consiliis fida, in prosperis læta, in tristibus mœsta, vt vnusquisque beneficiis magis quàm sapientis credat consilio. Tolle ex vsu hominum beneuolentiam, tanquam Solem è mundo tuleris, ita erit. Quis sine ea vsu hominum esse non potest, vt peregrinanti monstre viam, reuocare errantem, deserre hospitium. Beneuolentia etiam gladium iracundiæ extorquere solet. Beneuolentia facit, vt amici vulnera vtilia magis, quàm voluntaria inimici esse sint. Beneuolentia facit, vt vnus fiat ex pluribus, quoniam plures amici sint, vnus fiunt, in quibus vnus spiritus, & vna sententia est.* Sic ipse.

Beneuolentia principi est panoplia: hac tutior est, & securior, quàm quàuis militum custodiâ. Hinc Periander apud Laertium, *Qui tutò*, ait, *regnare volunt, danda opera, vt beneuolentiâ non armis stipentur.* Agasicles, Lacedæmoniorum Rex interrogatus: Quo pacto posset aliquis tutò imperare, nullo stipatus satellitio; respondit: *Si sic imperaret suis, vt pater imperat liberis.* Antigonus Rex consulentibus vt captas Athenas egregiè muniret, ne aliquando deficerent: se in hac sententia semper fuisse respondit; nullum esse regni præsidium firmius, quàm ciuium beneuolentiam. Alphonsus Rex, authore Panormitano, reprehensus ab amicis, quòd absque satellitio inambularet, respondit, se innocentiam secum habere, & ciuium beneuolentiâ frerum, nihil prorsus extimescere.

BONA

A

BONA SPIRITVALIA.

1. Prop. *Diabolus in spiritualibus præcipuè, nobis nocere intendit.*
2. *Sola bona spiritualia merentur nomen bonorum.*
3. *Maior sollicitudo adhibenda est pro bonis spiritualibus quàm pro corporalibus.*
4. *Bona spiritualia trahunt secum nobis bona temporalia.*
5. *Bona spiritualia sollicite quæsita, signa sunt prædestinationis.*
6. *Bona spiritualia anteponenda sunt bonis temporalibus.*
7. *Bona spiritualia peccata excludunt.*

Prop. I. *Diabolus in spiritualibus præcipuè, nobis nocere intendit.*

PSalm 90. sic Dauid ad virum spiritualem & iustum in bello spirituali cum diabolo: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*; à latere tuo, id est, in parte sinistra, vti explicat S. Bernard. serm. 7. in hunc Psalmum. Quid igitur est quod legitimè pugnante iusto cũ dæmonibus, à sinistra eius victi B cadunt mille hostes, à dextris verò decem millia? Cur nõ cadunt tot à lęua, quotà dextera? num quia dextera manus fortior est quàm sinistra? S. Bern. ibidem, per sinistram bona temporalia, per dexteram spiritualia intelligit; eo quòd sicut dextera potior pars est quàm sinistra, sic bona spiritualia potiora bona sunt quàm corporalia. Vnde cùm potiora bona alicui desideramus, dicere solemus: Deus optimam manum dexteram tribuat tibi. *Dios os de buena man derecha.* Ait ergo: *Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis.* S. Bern. *Quia longè ampliore sollicitudine, & calliditate pars aduersa hostium vulnerare in nobis dexteram satagit, quàm sinistram, nec tam corporis quàm cordis laborat auferre substantiam; vtramq. nimirum prosperitatem humano generi inuidere nouerunt; vtraquenos felicitate priuare contendunt, cœlesti videlicet & terrena: sed longè amplius rore cœli quàm pinguedine terræ.* Ita S. Bernard. Et ideò vir iustus aduersùs diabolicas potestates pugnans & vincens, plures vincit à dextris quàm à sinistris. Quid igitur inde? S. Bernard. ibidem. *Illuc igitur studiosius repugnandum vbi grauior necessitas vrget, vbi totum belli imminet pondus.* Ita ille. Etenim cùm hostis cum Iobo pugnabat, substantiam ab eo abstulit corporalem, intentio verò eius auferre gratiam Dei ab eo satagebat. Vnde & Deo dixit: *Tange vniuersa quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi*, id est, sine dubio maledicet tibi, ecce eius intentum; ideò dixit sanctus vir: iustificationem quam cæpi tenere, non deseram, hoc est, noui dæmonis astum, amisi substantiam, sed iustitiam seruare curabo, &c.

Prop. II. *Sola bona spiritualia merentur nomen bonorum.*

12. PSalm. 12. sic Dauid: *Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi & psallam nomini Domini altissimi.* Quænam sunt hæc bona, pro quibus laudes canit Propheta Deo? S. D Aug. Aug. ibidem: *Bona spiritualia sunt, & non ad humanum diem pertinentia.* Ita ille. Cur igitur non dixit Dauid: Qui bona spiritualia tribuit mihi, sed solùm *bona?* Nimirum quia per antonomasiam, & excellentiam bona spiritualia, bona absolutè dicuntur, bona autem temporalia & transitoria, bona sunt secundùm quid, bona diminutiuè, quæque comparatione bonorum spiritualium, nomine bonorum non sunt digna. Quid ad hoc? qui spiritualia bona spernentes, solummodo bona temporalia in pretio habent, & auidè quærunt, & sæpe, vt illa acquirant, mortaliter peccant.

Prop. III. *Maior sollicitudo adhibenda est pro bonis spiritualibus quàm pro corporalibus.*

GEnes. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*, &c. Cur priùs, inquit, cælum creauit, & non potiùs terram, cùm terra totius creaturæ corporalis velut fundamentum sit? à fundamento autem ædificatio initium sumere debet. Vnde Psalm. 101. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli,* hîc recto quidem ordine Psalmista procedit. Cur igitur non ita Moyses in creationis narratione? Procopius Gazeus hîc, Docet (inquit) *Creator vt primo loco cælum, deinde terram curemus.* Ita ille. Quod & Dominus Iesvs Matth. 6. asseruit: *Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius*, quod pauci, imò plerique Deo oppositum faciunt, quærunt primùm terrestria, deinde ac vix cælestia, tanquam animalia bruta quæ terrestria sollicitè & tantummodo curant. Genes. 1. Psal. 101. 26. Vers. 33.

S. Ambrosius 1. offic. 45. *Non mediocre est rebus singulis modum seruare & ordinem impartiri.* Ita ille.

Item 1. offic. 43. *Quò præstantior est causa, eò debet esse attentior cura.* Ita ille. Hinc constat discrimen in bonis temporalibus & æternis procurandis. Vnde Apostol. 2. Corinth. 4. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ non videntur, æterna.* Nota verbum, *non contemplantibus*, non ait, nullo modo quærentibus, nam humanitas nostra bonis temporalibus eget, sed, *non contemplantibus*; contemplari enim vehementem quandam & profundam considerationem importat. Mediocris igitur cura rebus temporalibus, maxima verò æternis est adhibenda.

Prop. IV. *Bona spiritualia trahunt secum nobis bona temporalia.*

QVærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius & hæc omnia adiicientur vobis, hoc est, *nolite solliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur*, quasi dicat, nolite cum sollicitudine animi quærere hæc temporalia bona, sed primo loco & principaliùs spirituales diuitias: quia ita facientibus promittuntur in additamentum hæc mundi bona. *hæc*, inquit, *adiicientur vobis.* Videtur metaphora sumpta à rebus nullius, vel tam parui momenti, quòd in rerum pretiosarum emptione non computantur in pretium, sed pro corollariis dantur. Est illustre Salomonis exemplum, cùm enim ille à Deo, non opes, non potentiam, non gloriam, sed sapientiam ad regendum populum Dei, hoc est, solum Dei regnum quæsiuisset, cætera bona temporalia data sunt ei 3. Reg. 3. hic quæsiuit primùm regnum Dei, & hæc omnia adiecta sunt ei. quod affirmauit etiam pater eius Dauid, dicens: *Diuites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, nimirum, quia quærentibus regnum Dei hæc omnia ita adiicientur, vt priùs desint fœculi principibus quàm eis; si tamen eis necessaria sunt, hæc enim omnia corporalia, Dei prouidentia ita disponente, sic sequuntur & consequuntur bona spiritualia, sicut vmbra consequitur corpus solidum. Matt. 6. 33 Psal. 33.

Quo pacto dic, quæso, vmbram stabilem, & permanentem facies? Corpus, inquies, ex quo vmbra emanat, fixum retinendo: si enim illud recesserit, recedet pariter cum eo vmbra. cùm igitur hæc bona temporalia illa bona spiritualia sequantur, vt temporalia non amittas, caue ne spiritualia perdas. noli ergo vana bonorum mundi esurire, parce tibi, *quare primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur tibi.*

Prop. V. *Bona spiritualia sollicitè quæsita, signa sunt prædestinationis.*

VTerque latronum qui cum Christo crucifixi erant, à Domino aliquid petiuit, malus: *Si tu es Christus, saluum fac temetipsum & nos*; bonus verò ita orabat: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Ex harum petitionum differentia, vti adnotauit S. Ambrosius, colligitur, quis eorum tanquam prædestinatus petit, quis verò tanquam reprobatus? nam reprobus solùm temporalia petit, vitam scil. temporalem: *Saluum fac temetipsum, & nos*, hoc est, te, & nos à morte hac contumeliosa & atroci libera; alter verò, qui prædestinatus erat, nequaquam vitæ temporalis & honoris sollicitudine sollicitum se ostendit, sed saluationis æternæ. *Memento*, inquit, *mei*, non vt à morte & infamia liberes me, sed *dum fueris in regno tuo*, vt me in illud introducas. Ecce discrimen inter reprobos & prædestinatos, reprobi tota cordis auiditate quærunt temporalia bona, in horum acquisitione mentem & curam omnem apponunt; prædestinati verò nequaquam, sed habentes alimenta, & quibus tegantur, his contenti sunt, cæteram curam & sollicitudinem suam pro bonis reseruant æternis, &c.

Prop. VI. *Bona spiritualia anteponenda sunt bonis temporalibus.*

IVxta regulas prudentiæ præferendum semper est id quod melius est ei quod peius, vel non ita bonum est. exemplum huius sit, quod narrat Scriptura sacra
Gen. 33. 2 fecisse Iacob, vbi, cùm à Mesopotamia in patriam rediret, & obuiam haberet fratrē suum Esau, timuit valdè: iurauerat enim olim Esau se occisurum fratrem Iacob, quia furatus fuerat benedictiōnē, &c. quamobrem diuisit in tres turmas familiam suam, in quarum prima posuit ancillas, & filios earum, in secunda verò Liam,
Gen. 32. 8. & filios eius, Rachel autem & Ioseph nouissimo loco & tutiori collocauit, dicens: *Si venerit Esau ad vnam turmam, & percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, saluabitur.* Vbi obserua, quòd quæ minoris pretii erant periculo exposuit maiori, quæ autem maioris, tutiori posuit loco. hoc prudentia vera requirit, vt quæ maioris valoris sunt, maiori cura custodiantur. Cùm igitur temporalia bona incomparabiliter inferioris ordinis sint quàm spiritualia, si alterum horum bonorum amittendum sit, secundùm regulas veræ prudentiæ, bonum temporale amittendum est, ne spirituale amittatur.

Sic quidem nauigantes, si suborta graui tempestate, periculum immineat naufragij, omnes diuitias & reliqua omnia, quæ opera mortua nuncupantur, in mare proiiciunt, aurum, & si quid aliud pretiosius deferunt, vt vitas saluent, & à morte liberentur. præstare enim diuitias amittere quàm vitam. Igitur si occasio id deposcat, diuitias à fortiori & honorem & famam & vitam ipsam amittere potiùs debemus quàm peccare, hoc enim maius malum est, quàm sit talis rerum omnium amissio.

Matt. 10. 16. Hanc regulam prudentiæ nobis tradidit Dominus, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes.* prudentia serpentis hæc est, vt ferienti totum corpus obiiciat, vt caput seruet indemne. caput nostrum Christus est, ne igitur caput hoc amittamus, more prudentis serpentis, corpus omnium reliquorum bonorum exponere periculo debemus, &c.

Psal. 61. 10. *Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, &c.* quænam sunt hæ stateræ, in quibus mendaces esse dicit filios hominum? S. Basilius in hunc locum: *Vnicuique nostrum intus statera quædam à Conditore nostro apparata est, in quo naturas rerum discernere ac diiudicare possumus. Posui, inquit, ante faciem tuam vitam, & mortem, bonum, & malum, duas inter se contrarias naturas: has tu apud tuum tribunal & iudicium examina & diligenter expende, quid vtilius tibi sit, an momentaneam eligere voluptatem, per quam mortem apprehendas eternam, an in virtutis exercitatione afflictionem malorum, quâ perpetuas delicias consequaris. Mendaces ergo homines habentes animæ iudicia corrupta, quos & Propheta miseros prædicat, dicens:* Væ dicentibus tenebras lucem, & lucem tenebras, amarum dulce, & dulce amarum. *Mihi, inquis, præsentia dantur, quæ nouit futura? malè libram expendis, mala pro bonis eligens, vana verò anteponens, momentanea perpetuis potiora ducens, transitoriam denique voluptatem pro lætitia nunquam desitura præligens. Mendaces igitur homines in stateris iniquitatis. Nec quæ etiam in die iudicij liceat tibi dicere, quia nescisi quid esset bonum, tibi nam, propria datur libra, quæ sufficiens de vtrumque boni ac mali demonstrat. corpora nam, ponderata in lancibus librę probamus, quæ verò ad instruendam vitam eligenda veniunt, per liberum arbitrium discernimus, quod etiam stateram nominauit, eò quòd momentum æquale ad virambus partem capere possit.* Ita sanctus Basilius.

Prop. VII. *Bona spiritualia peccata excludunt.*

MVndanum hominem & profanum duabus comparatum inuenimus, primò statuæ illæ aureæ quam in somnis vidit Nabuchodonosor Daniel. Secundò bestiæ feræ quam vidit Daniel ca. 7. Et hæc duo simul reperiuntur. Videbis enim iuuenem aliquem nobilem, argento auroque fulgentem, vbi statuam Nabuchodonosoris, & infra illum ornatum bestiam fortè inuenies secundùm mores & vitam. Videbis etiam mulierem profanam ornatam, sicut in lustrum templi, & infra ornatum illum, animam habet basiliscī, turpem & abominabilem, similem demoni: stare enim possunt peccata cum huiusmodi bonis temporalibus. Potest quidem homo esse diues, nobilis, in dignitate constitutus, literatus, & ab omnibus honoratus, & simul in peccato, & pariter reprobatus à Deo. cum gratia autem & charitate & virtutibus, quæ gratiam concomitantur, nequit peccatum stare potest, nec cum perseuerantia finali gratia reprobatio.

BONA TEMPORALIA.

1. Prop. *Bona temporalia non sunt vera bona.*
2. *Bona & mala huius mundi, nec bona nec mala sunt reputanda.*
3. *Bona temporalia exigui valoris sunt.*
4. *Bona temporalia breui tempore pereunt.*
5. *Bona temporalia inconstantia sunt.*
6. *Bona temporalia non sunt nostra.*
7. *Bona temporalia non satiant corda nostra.*
8. *Bona temporalia plus laboris quàm gaudij secum nobis ferunt.*
9. *Quanta sit difficultas in acquirendis bonis temporalibus.*
10. *Quàm incerta sit bonorum temporalium consequutio.*
11. *Bona temporalia non sunt sollicitæ quærenda.*
12. *Excelsi animi est contemnere temporalia.*
13. *Quàm indecorum homini sit nimis diligere & sollicitè quærere bona temporalia*
14. *Bonorum temporalium amor ex peccato emanare solet.*
15. *Spiritualium & cælestium bonorum cura præponenda est temporalium bonorum curæ.*
16. *Bona temporalia impediunt effectum verbi Dei.*
17. *Bona temporalia impedimento esse solent nobis ad bona spiritualia consequenda.*
18. *Bona temporalia impedimenta sunt ad virtutem.*
19. *Bona temporalia decipiunt suo fulgore.*
20. *Bona temporalia mentem excæcant imprudentium.*
21. *Bona temporalia occasiones sunt sæpe peccatorum.*
22. *Bona temporalia superbum hominem reddunt & intractabilem.*
23. *Bona temporalia hominem crudelem reddunt.*
24. *Bona temporalia pacem auferunt cordis.*
25. *Bona temporalia animum hominis captiuant.*

26. *Bona*

26. *Bona temporalia nociua nobis sapius sunt, & causa damnationis.*
27. *Adhærere nimis bonis temporalibus signum reprobationis est.*
28. *Abhorret Deus amatorem magnum rerum temporalium.*
29. *Bonorum temporalium possessio probat an verè Deum diligamus.*
30. *Tollit Deus bona temporalia ab his qui nimis diligunt ea.*
31. *Bona temporalia qualiter despicienda sunt.*
32. *Quam natura nostra consentaneum sit contemnere bona temporalia.*
33. *Bona temporalia nimis diligere, exigui animi iudicium est.*
34. *Qui bona temporalia contemnit omnibus tribulationibus superior euadet.*
35. *Bonorum temporalium contemptus spem bonorum æternorum parit.*
36 *Bonorum temporalium possessio in morte animum pungit.*
37. *Ex bonis temporalibus solum illa sumenda sunt, quæ necessaria præcisè sunt.*
38. *Bona temporalia inuidiæ hominum patent.*
39. *De bonis temporalibus qualiter Deo in iudicio rationem reddituri simus.*
40 *Bonis ipsis temporalibus nimiùm amatis solet Deus punire nos.*
41. *Bonis temporalibus solet Deus remunerare bona opera peccatorum.*
42. *Negat & tollit à nobis Deus hæc bona, ne amori Dei, amorem eorum præferamus.*

PROP. I. *Bona temporalia non sunt vera bona.*

SAnct. Greg. Nazianz. orat. 3. refert Philosophum quemdam Christianum vocatum Heron, dicentem bona hæc temporalia indigna esse nomine bonorum; eò quòd dominos suos haudquaquam meliores, imò sæpè deteriores efficiant, diuitem illum epulonem bona temporalia perdiderunt, &c.

Item S. Cyprianus epist. 2 ad Donatum, *O nominum quanta diuersitas! bona homines appellant, ex quibus nullus fit nisi ad res malas vsus est.* Ita ille.

Item S. Bernard. serm. de primordiis, &c. *non tam bona quàm minora mala sunt, & plus molestiæ quàm iucunditatis habent.* Ita ille.

1 Item S. Basilius in Psalm. 33. explicans verba illa, Diuites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. *Ne mihi*, inquit, *necio qui interlitus afferens pio indifferenti habendam rationem boni, & mali, bonum eum nominet qui hæc perfruitur temporaria voluptate & quæ simul cum corpore euanescit. qui enim has diuitias & dignitatis mundanæ prærogatiuas corpus corruptionem spectantes, in boni alicuius ordine constituit, is venerabile ac sanctum & Deo soli conuenientem nomen ad res nullius momenti traducit, & incidet in contrarietatem. vel enim Apostolos dicet propterea quòd Dominum non inquisierunt, corporalibus bonis destitutos esse, vel scripturam ipsam culpabit asseruentem nullo bono destituti eos qui Dominum exquirunt, verùm sancti exquisierunt Dominum, & quæsiti Domini perceptione non sunt imminuti, neque repositorum in sempiterna fruitione bonorum thesauro priuati sunt. De illu enim bonis propriè dici potest illud* omni bono, *oblectatio namq; corporea voluptatis plus doloris habet, quàm iucunditatis, nuptiæ sæpè sterilitatem sunt, viduitates continent & stupra agricultura sterilitatem, mercatura naufragia, diuitiæ insidias patiuntur, sed & deliciæ & satietas & continens voluptatum fruitio, multos ac varios secum trahunt morbos & affectionũ varia genera. Paulus sanè Dominum inquirebat, & nihil ei bonorum defuit: quamquam quia corporis ipsius diuexationes ad numerum reuocet? ter flagellu cæsus, semel lapidatus, ter naufragium passus, nocte & die in profundo maris fuit, in labore, & in molestissima defatigatione, in necessitatibus sapius vsque ad extremam horam, & esuriens, & colaphizatus, & stiens, & nudus. Quonam modo bonis corporis non est diminutus? Mihi mentem attolle ad illius veri boni contemplationem, quò scripturæ sententiam bene sibi concordem agnoscere queas.* Ita S. Basilius. Nihilominùs non solùm infideles, verumetiam fideles, relictis veris bonis ad hæc adumbrata bona currunt. omnes studium (ait S. Chrysost. hom. 8. in epist. ad Hebr.) in his quæ ad vitam hanc pertinent euacuatur, de spiritualibus autem nulla est ratio, &c.

A Item S. Gregor. 2. Moral. 16. *Propterea*, inquit, *terrena nobis pro voto non proueniunt. Christus quippe dixit, quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis, hæc scil. temporalia in adiectionis parte tanquam adiectitia dicit datum iri, nos autem ordinem peruertimus, & quærimus terram, & bona terrena, quasi cælestia adiectionis loco nobis danda sunt? idcirco neque ista habemus, neque illa. Enigitemus aliquando, & efficiamur futurorum desideratores, sic etiam ista sequentur.* Ita S. Gregor.

Hinc S. Augustin. in Psalm. 36. *Argentum non potest tibi esse aurum, vinum non potest tibi esse panis, lux non potest tibi esse potus, Deus tuus totum tibi erit.* Ita ille.

PROP. II. *Bona & mala huius mundi, nec bona, nec mala sunt reputanda.*

SEneca lib. 2. de Ira cap. 10. *Heraclitus quoties prodierat, flebat, & miserebatur omnium. Democritum contra aiunt, nunquam sine risu in publico fuisse, adeò nihil illi videbatur seriũm eorum, quæ serò gerebantur: aut ridenda omnia, aut flenda sunt.* Ita Seneca. *Seneca. Heraclit. Democr.*

B

PROP. III. *Bona temporalia exigui valoris sunt.*

SAnct. Chrysost. hom. 23. in 2. ad Corinth. *Non mihi florem oris commemores, nec erectam ceruicem, nec vestem egregiam, & equos & assecl as, sed vbinam hæc omnia terminantur. ostende mihi hunc hominem elata ceruice febre laborantem, & extremum spiritum edentem, & cùm te alloquar, & percontabor, quò ingens ille ornatus recidrit, quò ingens illa assentatio & seruorum obtrectatorum, & omne & prædiorum copia, qui ventus obortus flatu suo exusserit omnia illa. At, inquit, in feretro iacens opum & fastus signa circumsert, impositus nimirum ipsi veste luculentâ, pauperibus & diuitibus iuxta funus prosequentibus, populus fausta omnia illi precantibus. Risus maximus quoque hæc omnia sunt, nam & ista protinus instar floris diffluere constat. nam simulatq; ex templi portis exesserimus, & tradito cadauere vermibus, redierimus, rursus ex te quæram quónam ingens illa turba se contulerat, quò clamor ille & tumultus euaserit, quò fasces & comitantium cœtus.* Ita S. Chrysost. Defunctus autem quò abiit? corpus quidem vermibus tradunt, omnes derelinquunt, & abeunt vnusquisque in domum suam; anima verò ad horrenda ducitur loca: horrendum enim est incidere in manus Dei viuentis. Ad has igitur manus Dei viuentis properat defuncti anima. Quid tunc illi proderunt primogenita sua? quid opes alus dimissa? quid honores præteriti? quid voluptates fugaces? quid bona temporalia in testamento relicta? proderunt quidem opera bona: opera enim illorum sequuntur illos.

C

Vidit Rex Nabuchodonosor statuam illam magnam, in qua, iuxta explicationem Danielis, quatuor regna & imperia mundi expressa fuerunt, nempe Chaldæorum, Medorum, Græcorum, & Romanorum. hæc quatuor regna in figura illa & statua vidit & præterea non in vigilia, sed in somniis, in figura, inquam, vtita exiguitates bonorum mundi cognoscamus. hæc enim bona figura potiùs bonorum, quàm bona dicenda sunt. Vnde Apostol. *Qui habent vxores tanquam non habentes sint, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Viuan los casados como si no los fuessen, y los que tienen mucho deste mundo, como si no tubiesen nada.* Cur ita? *præterit enim*, inquit, *figura huius mundi*: omnia in figura in hoc mundo fiunt. Adhibeamus exemplum, repræsentatur aliqua tragœdia, in qua hic regis personam gerit, ille verò serui, hic diuitis, ille pauperis, hic sapientis, & ille stulti, & tamen nec hic rex, nec ille seruus est, sicut nec hic diues, nec ille pauper, nec hic sapiens, nec ille stultus; sed fiunt cuncta in figura, hic huius, ille verò illius figuram gerit. Talis est vita nostra, tragœdia propriè dicenda est. nam vitæ finis tristis mors, ille

D *Dan. 2.* *1. Cor. 7. 29.*

rex dicitur, hic seruus eius, &c. sed tamen figuram regis ille potiùs gerit. Vnde cùm rex quidam gentilis morti proximus esset, à circumstantibus familiaribus quæsiuit, dicens: *Rectène personam meam gessi? be dicho bien mi dicho, hizæ bien mi figura?* Meritò ergo ostendit Deus Nabuchodonosori omnia regna præcipua mundi in statua & figura illa. Et eam quidem in somniis; iam sicut qui somniat, dum somniat, potiri sibi videtur somniatis bonis; esuriens somniat se comedere, pauper thesaurum se inuenisse, cæcus somniat se videre, vnusquisque id somniat, quod desiderat, & durante illo somno gaudet & lætatur, & cùm à somno surrexerit famelicus, famelicum se inuenit, & pauperem pauper, & cæcus cæcum. sic dum in hac vita viuimus, bonis temporalibus frui nos censemus, dies diuitiis gaudet, dominus ditione sua: at morte interueniente, quid amplius habent, ac si expergiscerentur à somno? Quod vt meliùs intelligas, ad ea, quæ in vitæ decursu habuisti & fecisti, cogitationem conuerte, & dicito, quid tibi de ludo, musica, conuiuiis transactis videtur? somniata bona dicis. talia quoque erunt cuncta in die mortis, quando ab isto somno tibi surgendum erit.

Matth. 27. Inter opprobria Christo Domino illata opprobrium arundinis numeratur, quando in derisum eius, purpureo indumento eum quasi regem fictitium induerunt, & arundine quasi sceptro quodam caput eius percusserunt; sceptrum illud in derisum Christo attulerunt, & in derisum sceptri Christus illam arundinem admisit. nam, vt ait S. Laurentius Iustinian. sceptrum illud sceptrum regum mundi repræsentabat: arundo enim aureum colorem foris habet, intus verò nihil; vacua enim est & inanis, talia sunt imperia mundi, foris quidem lucent ac nitent, & aurum præ se ferunt, intus verò non est substantia, vacua & inania sunt. arundine quoque illâ percutiebant caput Christi: sic etiam mundus sceptris suis regum capita ferit, & frangit, capita, inquam, nam si capita regum intus aspicere posses, fracta, confracta que videres, nimietate scil. curarum, & sollicitudinum, & timorum, & suspicionum & imaginationum, quas secum regalis dignitas adfert. Talis est spectatissima regum dignitas, hæc bona mundi, illa, inquam, etiam quæ sublimiora & excellentiora in orbe sunt, & ob eandem causam coronam spinarum Christus in capite suo admisit, vt ea pariter significaret, quales sint regum huius mundi coronæ: spinæ sunt, nam pungunt cerebrum dictis, curis & pœnis.

Genes. 1. Priusquam Deus hominem creasset elementa, & ea quæ in elementis sunt, produxit, quærunt auctores sacri, cur Deus hominem principem in principio nõ formauerit? Respondet Philo lib. de opific. mundi, vt cùm homo terram animalibus refertam viderit, & aquas piscibus, & aërem auibus, & omnia sic aliis animantibus & rebus occupata, intelligeret se locum in cælis, non in terris, nec in aliis rebus inferioribus, quærere debere. Sed alij aliam rationem non minùs ad rem assignant, nempe vt homo cuncta sibi necessaria in terra & in mari, & in aëre parata à Deo inueniens, sollicitudinem suam ad ea lætitia transferret.

Dices, quamuis multa Deus condiderit, & omnia subiecerit sub pedibus hominum, oues, & boues, &c. nihilominùs plurimis rebus egemus quotidie, quæ nostram sollicitudinem requirunt. curam, non sollicitudinem dicere debuisses, nam sollicitudo omnibus à *Matth. 6.* Christo Domino interdicta est. *Ne solliciti, inquit, sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini, &c.* curam moderatam non prohibet, & quidem necessitas humana sollicitudinem non requirit, sed cupiditas, vanitas, superbia, & gula: nam gula superfluos exigit cibos, superbia indumenta vana; paucis verò natura est contenta, &, vt Seneca dixit, *ad manum est, quod satis est, ad supernacanea fastidium.* Ita ille. Si ergo non superuacanea & superflua, sed necessaria desideramus, cura moderata satis est, excessus verò est sollicitudo. nonne verò anima in immensum plus est, quàm corpus? in immensum ergo maior sit sollicitudo erga animam, quàm erga corpus.

Id etiam significare voluit Dominus, cùm hominem dominum ac regem omnium rerum temporalium fecit: *Dominamini, inquit, piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram;* dominamini, inquit, non seruite, seruiunt autem, qui vana acquirendis bonis temporalibus sollicitè laborant. hoc enim seruorum est, dominorum autem imperare, & superiores se subditis exhibere, & res inferiores sub se collocare, & non supra caput.

Hinc S. Bernardus libr. 4. de consideratione, & Eugenium Papam: *Transiterta ista fac vt à te transeant, non per te.* Ita ille. Metaphora sumpta ab iis, qui viam inimicis intercludunt, vt non per eorum terras pertranseant, ne forte hostiliter terram deuastent. In natura lapsa bona hæc transitoria vitio quidem nostro hostes facta sunt: nos etenim maius nutumentum in illis accipimus, quàm ab exercitu inimicorum. non exercitus hominum inimicorum terras & facultates nobis eripere possunt, non verò animi virtutes & etiam: vnde, amissis his omnibus, cum Biante dicere possumus, omnia mea mecum porto; si tamen virtutes quidem & etiamque seruamus.

Sed dices, opes & diuitiæ & bona temporalia, quæ non sunt, sed potiùs multorum bonorum materia? enim pauperibus eleemosynas possumus dare, & requis proximis benefacere, & in Dei obsequium pauperes exercere. ita est, bona temporalia ad bona operis conducunt, malum verò non in re, sed in cupiditatibus est. nam, vt inquit S. Aug. *cupiditas vitium est, cupisti, hæsisti, non prohibet Deus diuitiarũ possessionem, sed cupiditatẽ.* Ita S. Aug. vera hæc sunt, sed in natura lapsa bona temporalia irritamenta ipsius cupiditatis prohibita sunt: ex possessione quippe diuitiarum oritur cupiditas tenax, & *Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit,* sicut crescit ipse ignis, quantùm ligna in eo concesunt sicut igitur, cùm volumus ignem extinguere, ligna ipsa amouemus; sic cùm voluerimus amores omnium temporaliũ extinguere, bona ipsa temporalia amouere debemus amouere: amor autem horum bonorum est cupiditas ipsa: qui ergo voluerit se liberum esse ab amore cupiditatis prohibitæ, bona hæc concessa contemnat.

Præterea bona hæc visus etiam sunt; nam ligant animæ alas, intellectum scil. & voluntatem, quæ duæ potentiæ alæ animæ sunt, quibus ipsa in alta volat. nam qui bona temporalia possidet, aut quærit, de illis semper cogitat: & sicut diues ille qui fructus plures collegit, nec somnum quietum habere potuit, nec placide dormire, sed cogitabat quomodo horrea sua dilataret, & reconderet fructus, vt eis posteà vteretur; sic & alij hæc bona possidentes vim intellectus sui ad conseruationem & augmentum & vsum eorum applicant, & nec dormire eos sinit sollicitudo ista, sic intellectum ligant. ligant similiter & voluntatem: nam facilè efficitur voluntas, vbi hæret intellectus, maximè cùm ex his bonis voluptas, & honor pendeant, quibus facilè omnes adhæremus, nisi occasiones procul tollamus. sic visus animæ sunt bona temporalia: transeant igitur à nobis, & non per nos.

Sed quia non possumus prorsus bona ista dimittere: necessaria enim sunt vsibus humanis, cauendum est valde ne illis cor adhæreat, siue multa, siue pauca illa sint: quod in confusionem nostram plures Philosophorum præstiterunt. Vnum audi Senecam: *Reõm hum scauli non me trado, sed commodo, & à me fortuna ista abstulit, non auulsit.* Ita ille. Metaphoram sumpsit ab arboribus radicatis in terra, quæ propter inhærentiam radicum difficillimè eradicari possunt; sic diuitiæ, cùm per sui amorem radices in corde altas emittunt, per-

difficilè possunt eradicari & auelli. Similiter quæ donantur, reuocari non possunt, quæ verò commodantur, possunt. ait ergo Seneca, diuitiis & rebus temporalibus mundi non me trado, sed commodo, vt me mihi ab eis restituere facilè possim: non mittit in meo corde radices earum rerum amor, vnde facili negotio me ab eis valeo expedire. Discе, ô Christiane, vel ab ethnico homine amare cum inculpata tutela animæ, bona hæc temporalia.

Adolescens ille, qui, quomodo vitam æternam consequi posset, à Domino quæsiuit, cùm à Christo audisset: *Si vis perfectus esse, vade, & vende, omnia quæ habes, & da pauperibus, &c.* recessit tristis, nec Christum sequi, nec dare diuitias suas pauperibus voluit. cur sic saluari cupiebat, & non perfectus euadere? cur, inquam, Christi consilio non acquieuit? S. Basilius hom. 7. in diuites auaros, *Tristis, inquit, inde discessit, ob eam solum causam, quòd diuitias nimium amaret.* Ita ille. Hic radicatum in corde amorem diuitiarum habebat, hic non se diuitijs cómodabat, sed tradebat, quid inde? & Dominũ sequi (quod gloria magna est) & perfectionem amplecti (quod sublime bonum est) recusauit. Vide, quàm pernicios sit nimius amor temporalium.

Seneca epist. 92. irridet Alexandrum, qui cognomen Magni assecutus, sic magnum se nominari gaudebat. *Infelix*, inquit, *ob hoc, quòd intelligere debebat, falsum se gerere cognomen: quis enim magnus in pusillo esse potest?* Ita Seneca.

Beati pauperes spiritu, hoc est, beati hi, qui bona hæc temporalia despiciunt & contemnunt. Miratur sanct. Greg. & quærit, cur tam pulchra & optima creauerit Deus temporalia, si ea nos despicere velit? *Vidit*, inquit, *Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* cur igitur, quæ valde bona sunt, nos despicere sic debemus? Respondet Euseb. Emissen. *Bona quidem esse bona hæc temporalia, sed eo in loco velle Deum nos ea tenere, in quo ipse collocauit.* Vbi, inquies, collocauit Dauid? *Omnia*, inquit, *subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cæli*, &c. Deus sub pedibus nostris hæc bona collocauit, noli tu supra caput tuum constituere illa; quamuis volent volatilia super capita nostra, secundùm æstimationem & affectum nostrum illa sub pedibus ponamus.

Cur autem infra pedes collocanda hæc sint, rogas? quia cor nostrum sibi totum vendicat Deus. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* non capit cor nostrum Deum & creaturas: vt igitur Deum in corde nostro habeamus, creaturas à corde reiiciamus. Voluit etiam Deus veritatem amoris nostri erga eum sic probare: amor enim Dei, qui non expellit concupiscentiam, & nimium amorem bonorum omnium, non est verus Dei amor: tunc autem ostendimus nos verè Deum amare, cùm eius causà cuncta huiusmodi despicimus amabilia.

Et quidem tunc nobis prosunt valde temporalia bona, cùm despicimus illa. Cùm vis in locum altum ascendere, scalam adhibes, & vt ascendas, pedes supra gradus scalæ constituis, & tunc ad suprema peruenies, cùm altiores scalę conculcaueris gradus. Sic igitur ad astra, sic ascendes in cęlum, si ex bonis temporalibus scalam feceris, & ad alta cęli tantò citiùs peruenies, quantò magis gradus supremos calcaueris horum bonorum. hæc enim sunt, quæ nobis ascensum impediunt, honores sc. & dignitates. diuitiæ atque deliciæ sæculi huius.

Verum quidem est, dedisse Deum olim bona temporalia homini, dicens: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli*, sed pondera verbum *dominamini*, dedit nobis hæc visibilia, vt dominemur eis, non vt seruiamus illis, neque vt vim amoris nostri in illis collocemus.

Præterea dedit hæc omnia nobis Deus in statu innocentiæ, quia tunc securiùs illis vti potuissemus: at in natura lapsa periculum ingens nobis in illis inest; adhærent enim nimis cordibus nostris: neque enim vim illam ad resistendum concupiscentiæ nunc habemus, sicut tunc habuissemus. Nauis valde onusta per medium maris incedens, si tranquillum fuerit mare, securè procedit, sed tamen si aliqua grauis tempestas insurrexerit, opus erit alleuiare nauigium, & onera illa mortua proiicere in profundum; sic in statu innocentiæ nauis cordis nostri per tranquillum pergebat mare, vnde licèt bonis temporalibus onusta incederet, non ita periclitabatur conteri: nunc verò suborta peccatorum & concupiscentiarum tempestate alleuiare oportet cor, ne pereat, & in profundum cadat infernum.

Quod aliâ familiari magis similitudine explicabo. cùm quis sanus est, panem & cibos communes facilè digerere potest, *entrate en prouecho la sardina arencada, y el tasajo de baca*; si verò inciderit in febrim, aues, & cibi delicati, ac suaues nocere possunt, & vix leuia digerere potest; quare tunc ab eis abstinere illum oportet. Idem nunc dicendum est de nobis, in natura integra, & sana status innocentiæ, facilè digerere poterat cor nostrum vsus harum rerum temporalium, sed modò post lapsum infirmata est, & nec leuia horum digerere valet, & grauiùs ex illis infirmatur, quare meritò Christus Dominus medicus animarum nostrarum, ab huiusmodi bonis abstinere iniungit, sicut medicus ægrotis dietam assignat. Ideò sancti valedicentes mundo, & bonis eius, ad deserta olim se conferebant, sic modò sapientes ad claustra currunt, &c.

Nulli vnquam contigit ita mundi bonis frui, vt nihil ex illis defuerit ei, *siempre ay vn fino*, nemo vndequaque felix. Felix videbatur Naaman Syrus; familiaris enim regis erat, & Princeps Syrię, & diues valde, sed leprosus. Aman super omnes terræ principes exaltatus à mundi monarcha, sed tandem ab eodem suspensus est. Alexander Magnus, magnus vndequaq; videbatur, sed duodecim tantùm annis imperio mundi potitus est, & in duodecim illis, sicut ipse mundum turbauit, ita turbationibus mundi, & magnis laboribus cruciatus, vixit: *como el turbò al mundo, el mundo le turbò à el.* ecce felicitatem mundi, nunquam ex integro constat.

Sed quamuis omnia, quæ desiderauerit homo, adeptus fuerit, nunquam contentus & satiatus viuet. nam, vti S. Thomas expendit, non sine causa Deus cor nostrum à parte superiori, quæ respicit cælum, amplum, à parte verò inferiori, quæ respicit terram, strictum & quasi in puncto terminatum, fecit; quò nobis significaret, in terra cor nostrum non habere situm & basim, quâ firmiter collocaretur, sed in cælo. nam figura pyramidalis nõ potest situari & collocari pro ea parte, quâ in puncto terminatur, sed pro ea, quâ amplior est.

Miratur S. Gregorius in li. 2. Dialogorum, quomodo S. Benedictus totum mundum, velut sub vno Solis radio collectum, viderit, & respondet: *Quia animæ videnti Creatorem, angusta est omnis creatura, quantumlibet enim parum de luce Creatoris aspexerit, breue ei fit omne quod creatum est.* Ita ille. Nos, quia ad lumen exiguum lucernæ rationis naturalis & offuscatæ, bona mundi videmus, magna esse miramur, *miramos los con antoios de vidrio, que hazen lo poco mucho, lo pequeño grande.*

Orig. hom. 12. in Ierem. ponderans verba illa diuitis, *Anima mea habes multa bona*, &c. *Frumentum*, inquit, *& vbertatem terrenorum fructuum, arbitratus est bona esse, nesciens, quia vera bona non nascuntur in terra maledicta, sed in cælestibus regionibus, thesaurizauit sibi in terra, quia in terra esse thesauros arbitratus est.* Ita ille.

In primitiua Ecclesia fideles multi facultates suas vendebant, & afferebant pretia eorum quæ vendebant, & abiiciebant ea ad Apostolorum pedes; cur non ad manus, sed ad pedes? S. Hieronym. tom. 1. epistol. ad Paulinum: *Quando Domini nostri adhuc calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vendebant omnes*

possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes, vt ostenderent pecunias esse calcandas, & nihili faciendas. Ita S. Hieron.

Matt. 25. 21. Pater ille familias, qui talenta sua seruis suis ad negotiandum distribuit, reuersus rationem exegit ab eis, & ei, qui duo talenta duobus talentis lucratus fuerat, dixit: *Quia in pauca fuisti fidelis*, &c. similiter ei, qui quinque talentis alia quinque fuerat lucratus, dixit: *Quia in pauca fuisti fidelis*, &c. cur similiter dixit in pauca fidelem eum, qui quinque talenta lucratus erat, sicut & eum qui duo? cùm quidem apud nos quinque talenta non ita leuis nummorum aurcorum summa sit. Sanctus Hieronym. in hunc locum, *Notandum*, inquit, *quòd omnia, quæ in præsenti habemus, licèt magna & plurima videantur, comparatione futurorum parua & pauca dicuntur.* Ita ille. *A vn pobre que esta en vn hospital, vn real le parece mucho, al principe, que esta en la corte, le parece nada: en el hospital deste mundo vn poco de hacienda nos parece riqueza, à los que estan en la corte del cielo pobreza.* Vide S. Gregor. 16. Moral. 9. vbi hoc ipsum docet.

Vnde Seneca lib. 3. de ira cap. 34. *Crede mihi*, inquit, *leuia sunt, propter quæ non leuiter excandescimus, qualia pueros in rixam & iurgium concitant: nihil ex his, quæ tam seriò agimus, serium est, nihil magnum.* Ita Seneca.

S. Chrysost. explicans id Psalm. 4. *Filij hominum vsquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Vantum illud dicitur, quod est inane, quod nomen quidem est, res verò nequaquam; ita nomen diuitiarum, nomen potentiæ in mundo, res autem nequaquam, & ideò remanet solum nomen.* Ita ille. Ecce pro quo laborant mortales, pro bonis vanis, quæ nomina bonorum habent, non verò rem. imò neque nomen bonorum meretur: sicut nux vana, quæ nucleum non habet, non est nux, sed cadauer nucis, sicut homo sine anima non est homo, sed hominis cadauer, figuram hominis habens, non rem. imò & vita ipsa vana dici potest, adeò enim breuis est & misera, vt apparentiam potiùs vitæ, quàm veram rationem vitæ habere videatur. Vnde S. Iob,

Cap. 7. *Sicut ceruus desiderat vmbram, & sicus mercenarius præstolatur finem operis sui, sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas numeraui mihi.* Quid sibi vult, *habui menses vacuos*? S. Thomas sic exponit: *Menses præteritos meæ prosperitatis, omnibus mundi bonis refertissimos, ego semper existimaui vacuos, vtpote sine potissimo fine ac beatitudine, quæ homini post hanc vitam proposita est, atque adeò nunquam acquieui bono vitæ huius, sed instar mercenarij præstolor finem, & præmium meorum operum in alia vita.* Ita interpretatur S. Tho. Iob igitur vitam bonis huius seculi relictam, vacuam vocat, quia comparatione vitæ sempiternæ hæc vita nostra nec vitæ nomen promeretur, aut certè vitæ vacuæ & inanis. quòd si vita hæc nostra ita vacua vita est, bona quæ in ea nobis contingunt, quomodo plena dicere valebimus?

Nunc igitur quis non miretur curas hominum vehementes, & sollicitudines assiduas? meritò hos à terra deuoratos esse, ait Origenes hom. 6. in Exod. ex-

Exod. 15. 12. plicans illud, *Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra. An*, inquit, *non tibi videtur terram deuorare illum qui semper de terra cogitat, qui semper terrenos actus habet, qui de terra loquitur, terram desiderat, de terra litigat, & omnem spem suam ponit in terra, qui cælum non respicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei non metuit, nec beata eius promissa desiderat, sed semper cogitat de præsentibus, & terrena suspirat. talem cùm videris, dicito, quia deuorauit eum terra.* Ita Origen. etenim cùm terra deuorauit Dathan, & Abiron, & alios Dei hostes, sic deuorati pericrunt, quia terra deuorans perdidit illos; sic hi qui terrena sola sapiunt, pereunt in æternum. De his etiam dicere valemus, cecidisse super eos maledictionem illam, quâ

Gen 3.14 Deus serpenti maledixit, dicens: *Maledictus eris inter omnia animantia, & bestias terræ, super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Sic est, super pectus suum gradiuntur, pectus super humum gerunt, quia in pectore suo nihil præter terram veritatis & terram comedunt, quia sola terrena illis sapiunt; in diuinis autem rebus nullum gustum, nec saporem meueniunt. sapit illis comœdia, sed non concio, sapit illis detractio, sed non oratio, &c. nónne super hoc ces cecidisse maledictionem illam serpentis?

S. Augustr. tract. 10. in Ioannem, in nomine Adam hoc mysterium esse ait, quòd in se quatuor li continet, quæ in quatuor verbis Græcis quatuor tes mundi significantibus sunt literæ initiales, Anatole, Dysis, Arctos, Mesembria, id est, Or Occidens, Septentrio, Meridies. Quatuor litter tiatiuæ horum verborum Græcorum compon men Adam, vti obseruauit ibi S. Augustin Ada tem idem est, quod terrenus, quòd igitur in bis voluit Spiritus sanctus? nihil profectò esse ctis terræ partibus, nisi quod terrenum sit. pars Orientalis aurum, & Occidentalis argentum Meridie ac Septentrione merces magni valoris, ctus terræ sublimes nobis adducantur, quid terrea à terra nobis prouenire potest? etenim si tantùm & temporales tantùm essemus, non si terrena & temporalia quæreremus; at spiritual simus ex parte animæ, & æterni, quid nobis turis ten poralibus bonis? qui diuites esse sat nihil nisi diuites esse considerant, vlteriùs homo siderat. oinem tuam extendere debes, nam ad recipientes de facili paralogizantur, vt ait Pl sophus. Quid igitur vltra hoc quod est diuitem considerandum est. nimirum postea morien est, & in morte omnia quæ magnis curis ac la assecutus fueris relinques; *Relinquent*, ait, *alienis suas, & sepulchra eorum domus eorum in æternum.* A inquies, non relinquam alienis diuitias meas, sed quos tuos dicis, alienos vocare debes; nam pos tem non amplius tui fortè memorabuntur, ac quam fuisses natus, &c. relinques illis domum magnam, & illi te in angusto sepelient sepulchro; linques illis pretiosas vestes, & illi sindonem ve ad inuoluendum corpus tibi dabunt; relinques horrea & officinas cibis plenas, & illi te sepul vermium cibum tradent, &c. Hæc post tuas tanquam certò cuentura, considerare debes, imo riùs cogitatio tua procedere debet ad æternit scilicet in qua vel in æternum saluus, vel in æter damnatus eris: nónne hæc amplioris curæ digna quàm solùm cogitare diuitem esse? &c.

Beatus vir qui non respexit in vanitates, & insanias falsas. *Dichoso el, que no pone la mira en estas vanidades y locuras fallas del mundo*, non ait, aspexit, sed *respexit*: sunt enim qui res mundanas aspiciunt, non verò respiciunt. *estas à su mira, però no ponen ellas su mira*, aspiciunt, sed despiciunt, sed sunt alij qui non solùm aspiciunt, sed respiciunt, *miran las con buenos ojos.* Quid est quod sic respiciunt vanitates? vanum dicitur, quod foris plenum apparet, intus verò vacuum est, sicut nux quę exterius magna est, & corticem integram habet; interiùs verò nucleo caret. talia sunt mundi bona, bona vana, quia exteriùs nitent, & magna esse apparent; interiùs verò nucleo carent; bona sunt secundùm apparentiam, non verò secundùm existentiam, nisi tantùm diminuta & exilia, (*bien ciquitos*) bona secundùm quid. Addit autem Dauid, *& insanias falsas*. hæc mundana sunt insaniæ falsæ, *locuras fallas*. Verùm hæc duo non rectè videntur cohærere; si enim sunt insaniæ falsæ, erunt seria vera. nam insania falsa non est insania, fed oppositum: sicut si dictum aliquod diceres mendacium falsum, & non verum, mendacium non esset quidem mendacium, sed verum; quomodo ergo bona mundi vocat insanias falsas? Sunt quidem bona mundi insaniæ verę, quia verè insanum est eas feruenter quærere, sicut ea quærunt mun-

mundani: ab insania quippe sic quærentium ea, insaniæ nuncupantur, falsæ verò dicun ur, quia carent eâ felicitate & bonitate, quam promittit in eis nobis mundus. Vnde meritò S. Laurentius Iustinianus, non semel, sed bis ait mundum decipere nos in promissione bonorum suorum. Primò quando negat, secundò quando dat. Primâ vice fallit, cùm negat quod promisit, vt sæpè solet; vt quando promisit Absalon regnum, dedit autem suspendium, negauit regnum, & dedit mortem. Secundò fallit, cùm dat idipsum quod promittit, quia id quod tribuit caret eâ bonitate quam promisit. Sunt igitur mundana ista insaniæ veræ & falsæ: veræ quia vera stultitia est pro inquisitione eorum cœlestia bona relinquere; falsæ, quia non habent in se id quod mundus fingit inesse illis. existimare enim nos facit magnam inesse illis felicitatem, suauitatem, honorem magnum, delicias ingentes, &c. & nihil minus. Beatus igitur & felix ille, qui non respexerit in vanitates has & insanias falsas. Inde meritò Seneca de bonis istis agens: *Æstimemus*, inquit, *singula. fama semotâ, quæramus quid sint, non quid vocentur. Ay en el mundo estima de buenes, però no bienes de estima, ay precio de bienes, però no bienes, però son bienes de sola aprehension, y de sola estimacion, ay al fin nombre de bienes, però no bienes dignos de nombre.* Vacuum nomen habent dinitiarum, deliciarum & honorum. furatus est mundus hæc nomina à bonis æternis cæli, sunt nomina hæc in mundo sine re. nomina quidem à Deo imposita sunt, at non nomina vana, & vacua, sed plena & solida; quidquid enim in nomine sonat, verè in reipsa continetur.

Sic ad inuicem post diluuium filij Noe, *Venite*, inquiunt, *faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen nostrum.* Ecce in quo & pro quo celebre nomen quærebant. in ciuitatis & altissimæ turris ædificatione, non in virtutibus & operibus sanctis. hæc sunt mundanorum studia, hæ curæ, celebre nomen habere, & rebus mundanis, vel ciuilibus illud acquirere, videlicet, fortiter in bello gestis, literis, diuitiis, ditione, & imperio; non verò patientiâ, humilitate, pœnitentiâ, & his similibus operibus sanctis. At Deus non propter hęc infima mundi celebrat suos, sed propter virtutes, & morum perfectionem. vnde sic sacra Pagina de Noe: *Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulabauit.* non laudauit eum à diuitiis, à fortitudine, à victoriis in bello partis, vel à gęneris splendore, sed à justitia, & perfectione sãcta, & à diuinis obsequiis filij, Noe à fundatione ciuitatis, & turris ingentis verò volunt laudari, ideò filij reprobantur, pater verò approbatur.

Laudauit Christus Ioannem Baptistam, non ex generis splendore, & quia magni Zachariæ filius erat, sed quia constans in sanctis operibus erat, & non mollibus vestitus. nec principum fores pulsans, sed pilis camelorum indutus, in desertis degebat, denique quia reliquos sanctitate vitæ antecedebat, idcò & laudauit eum, & nomen ejus grande fecit in omni terra, &c.

S. Chrysost. serm. de laude Dei: *De loco inferiori infert dæmon nobis bellum, qui humi serpsit, cuius figuram anguis præfert. Quòd si ignoras quid sit de loco inferiori pugnare, enitar bellardi genus eius interpretari. bellum itaque de loco inferiori gerere, à rebus infimis est aliquem impugnare, vt à voluptatibus, diuitiis, & præsentibus his vitæ bonis: vnde si quem videris subuolantem ad cælum, & superiora tenentem, hunc subsequi non poterit. Quòd si saltendo id fuerit enixus dæmon, celerrimè casurus est. caret enim pedibus, caret alis, humi repitat, terrenis in rebus versatur, in quibus si nihil tibi fuerit commune cum eo, eris sanè labore vacuus.* Ita S. Chrysost. vbi nota causam, propter quam Deus permisit hostem serpentis induere formam, cùm primos parentes aggressus fuit, non autẽ formam aquilæ vel colũbæ volantis, vt sc. significaret eum per hęc terrestria nos inuadere, &c.

Agens Iob de homine impio, qui domum suam amplissimam & prædiuitem facere curat, sic ait: *Ædificauit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit umbraculum.* Duas similitudines assignat, prima est tineæ seu vermiculi lignum rodentis, quæ putrida & vilis admodum est, & rodendo & destruendo quæ aliena sunt, construitur à tinea; sic nimirum est domus, & supellex, & res ampla familiaris diuitum mundi: rodendo & destruendo alios (non disputo nunc iustè vel iniustè hoc fiat) ædificantur & acquiruntur hæc, & quamuis ampla nobis & magnifica videantur, Deo tamẽ vilia & putrida sunt. vnde meritò subditur similitudo secunda de custodis vmbraculo, vbi primùm obserua, meritò diuitem hîc custodem vocari; ea enim quæ diues summâ curâ & vigilantiâ conquirit, & acquirit, & custodit sibi, vt existimat, sed hæredibus custodit, sicut vineæ custos, qui custodit vineas, non sibi, sed aliis custodit. vnde meritò subdit ibi Iob: *Dives, cùm dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos suos, & nihil inuenet.* Secundò, vmbraculum vocat domum diuitis, bonis licèt temporalibus refertam. sicut enim vmbraculum ad breue tempus construitur, & vile quoddam tugurium est; sic domus nostræ, quamuis palatia regum sint, iudicio Dei rectè de cunctis rebus iudicantis, vmbracula vilia sunt.

Exempla satis superque suppeditant nobis sancti, qui variis cruciatibus & iniuriis affecti, æquo & libenti animo ea tulerunt, imò *ibant gaudentes Apostoli à concilij quoniam digni habiti sunt pro nomine* IESV *contumeliam pati.* Ecce tibi ad viuum expressum exemplar contemptus mundi. Refert Plutarchus pictorem quemdam, in ore cuiusdam equi à se depicto, voluisse exprimere spumam, quod cùm non semel tentasset, & efficere nequiret, arripuit spongiam illam, in qua huiusmodi pictores penicilla mundare solent, & versus pictum equũ proiecit, percussoque illâ ore equi, casu spumam expressit optimè, quam consultò depingere nesciuit. sic quidem sanctis euenit: erant quidem in primitiua Ecclesia veluti spongiæ pictorum, sic enim de ipsis Paulus: *Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema.* peripsema autem inter alia spongiam illam importat, quam manu sinistra continet pingens, vt ipsa penicillum expurgent; sic mundus, quæ immunda erant, in Christi sanctos proiiciebat, sed huiusmodi immunditiis veluti casu factum est. Dei tamen consilio, vt mundi contemptus sic nobis in ipsis exprimeretur, dum cum patientiâ & gaudio sic pati mala nouerunt.

Telas aranea texuerunt, tela eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Fructraneum mundanorum hominum laborem hîc notat Deus; telas vocat retia, quibus piscari contendunt bona temporalia. Videas tumultum magistrorum in vniuersitate literaria, & discipulorum, & aliorum, qui ad gradus honorificos, & cathedras, & collegia aspirant: hi omnes piscatores sunt, telæ seu retia sunt oppositiones, lectiones, ostentationes, contentiones literariæ: tunc discipuli huiusmodi telas texunt in capturam posteà exercendam, magistri verò, dum eos satagunt docere, retia sua mittunt, &c. Idem in curia regia, & in curia Romana videre licet: nam innumeros ibi reperies, sibi inuicem inuidentes, sibi inuicem aduersantes, piscari volentes: hic dignitatem sæcularem, ille Ecclesiasticam venari conatur. Retia sunt negotiationes, adinuentiones, munera, retributiones, adulationes, mendacia, & huiusmodi alia, quibus quæ appetunt, consequi studeant. De huiusmodi telis, seu retibus duo testatur Propheta, scilicet, *opus iniquitatis in manibus eorum.* Quid ita? dicam: jacet piscator, & expandit rete suum super fluminis aquas, & sæpè nihil aliud educit, quàm lutum, & cœnum, & amphorarum frusta, quæ

ab

Iob 27.

Act. 5. 14.

1. *Cor.* 4. 13.

Vide supr. proximè. & etiam propositi. prima.

Isa 59. 5.

ab aquæ ductoribus fracta ibi remanserunt, & carnem jumenti, vel etiam carnem mortuorum, & huiusmodi alia; sic sæpè mundani mundana studiosè quærentes, dum piscari mundi bona conantur, immunditias peccatorum educunt, vsuras repetendas, mendacia, periuria, æmulationes, detractiones, odia, & innumera peccata, & nihil aliud fortè eorum quæ desiderabant.

Sed concedamus illos suis retibus ea quæ desiderant, obtinuisse, quid inde? *Opera eorum, opera inutilia*: quia omnia huiusmodi bona temporalia tam exigui momenti sunt, vt opera, quæ in illis acquirendis homines impendunt anxiè, inutilia dici possint. Pisciculi sunt nullius valoris, & ideò meritò telis, seu retibus arancorum jure Propheta hæc opera comparauit. Videbis araneum ita miro artificio telam suam texentem, quale humanus textor imitari nesciat, hinc in directum dirigit sila, illinc in obliquum, & in circulum illa reflectit, & sic filis fila intexit, vt intelligentia & arte illa confecisse videatur. Sed quid inde? quid venatur his retibus, quibus se euiscerauit? muscas, & cinifes, & culices, & aliud nihil. Vide quid tanto illo artificio, tantâ sollicitudine, tantâ euisceratione, sit araneus venatus. Sic mundanus homo suis artificiosis adinuentionibus suique euiscerationc, assequetur honores terreos, dignitates terreas, diuitias & voluptates etiam terreas, & ampliùs nihil.

Simile.

Dices, non hæc parui momenti apud homines judicantur, sed magni: quod quidem constat ex gaudio & lætitia, quam in horum bonorum consecutione præseferunt, *y en los parabienes que se le dan, &c.* Sed quidem gaudium hoc non ex bonis ipsis, sed ex sua propria eorum imaginatione procedit. Vide canem os aridum & nudum dentibus arripientem, mordet, rodit paulatim, & ob duritiem eius, os, maxillas canis vulnerat, & sanguinem excutit: canis verò sapore delectatus, rodere non cessat. vndenam sapor ille? nunquid ex osse? nequaquam: quisnam ex tam duro osse poterit percipi sapor? Non igitur sapor ex osse, sed ex proprio sanguine maxillarum canis. Sic mundus quasi ossa quædam mundanis suis proiicit, dignitates & bona mundana, quæ maximâ quidem delectatione mordent mortales, sed sapor & gustus ille, non ex natura horum bonorum procedit, sed potiùs ex ipsismet mundanis, ex imaginatione propria eorum, ex imaginatione huiusmodi, velut ex proprio sanguine elicitur gustus ille.

Simile.

Dicam hoc meliùs. Heraclides Ponticus apud Theodorum refert, Trasilaum, siue, vt alij volunt, Trasellum Azonensem hoc insaniæ genere correptum fuisse, vt existimaret naues omnes, quæ in Piræum appellerent, suas esse, quas summa cum voluptate recipiebat, & prosequebatur, & se diuitiis & bonis, quæ naues deportabant, diuitem & felicem gaudens reputabat, & aliis fortunam suam jactabat, donec Crito frater eius è Sicilia reuersus, correptum hominem tradere t medico. cæterùm is ad se reuersus, negauit vmquam suauiùs se vixisse, quàm cum eo mentis errore teneretur: siquidem cùm tantâ potiretur voluptate, & nihil vmquam molestiæ persensisset. Nunc ad rem: fateor magnâ hos mundi felices teneri voluptate, sed sicut ille errore ductus, quòd sua & magna illa bona essent, felicem se jactabat, lætus erat; sic & errore eodem affecti, quia scilicet sua & magna hæc mundi bona existimant, gaudent: at mundi bona non eorum, sed mundi sunt. Quòd vel in die mortis eorum patet: si enim eorum bona sunt, secum ea tollant: quia verò mundi sunt, mundus quod suum est tollit: non ergo sua, nec magna quidem, nisi animo pusillo, bona corporis sunt. Non ergo magna, cùm nec corpus ipsum magnum quid sit; illa igitur bona magna sunt dicenda, quæ animæ sunt, quia anima ipsa magnum quid, & immortale, & spirituale, & æternum, & ad Dei similitudinem factum est, hæc quæramus, &c.

Simile. Vol. lib 3. Theatr. vitæ humanæ.

Vidi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, & montes, montes ærei. In quadriga primaqui rufi, & in quadriga secunda equi nigri, & in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij & fortes. Quid igitur sibi volunt illæ quadrigæ? S. Hieronymus & S. Cyrillus, Comiunis aiunt, tam Hebræorum quàm nostrorum magistrorum, sententia est, per has quatuor quadrigas intelligi quatuor monarchias imperia mundi, Chaldæorum scil. & Persarum, & Græcorum, & Romanorum, & in quatuor illis monarchiis apertiùs significantur. Color rufus congruit Persis, eò quòd tempore Regis Assueri edictum exierit, vt omnes Iudæi apud Persas degentes interficerentur, ex quo luctus & tristitia magna Hebræorum emanauit. Color albus congruit Græcis, propter Alexandrum Magnum, qui clemens fuit: albedo autem benignitatis & clementiæ symbolum est. Color varius Romanorum quartæ quadrigæ, congruit Romanis, *Color de caballos remendados, o toradllos*: Romani enim partim ex gentibus, partim ex Iudæos & alias nationes fuerunt, partim ex variis populis, vt tempore Titi & Vespasiani notum orbi est. Ecce illarum quadrigarum expositio: sed tamen dum Angelum audiamus, quem ibidem sic Zacharias interrogauit: *Quid sunt hæc, Domine mi?* cui Angelus respondit: *Hi sunt quatuor venti cæli.* Cur Angelus ventos esse dixit sublimes hos mundi principatus? quia quæ mundi sublimiora sunt, nihil aliud quàm ventus & aër sunt, *Es vn poco de ventolera.* Vidit quidem eos è medio montium prodiisse: montes autem æreos esse dicit: æs autem sonorum est, & ob id cymbala ex eo fiunt, & ob causam æs famæ symbolum est. Exitus igitur horum imperiorum per orbem ad nationes debellandas ex montibus æreis fuit, quia ex famæ & honoris effectu promanauit, & ob id maximè ventis comparantur, quia huiusmodi fama, quid aliud quàm aër seu ventus est? Ecce in Dei vocabulario quòd sublimiora mundi, & ea quæ in admiratione bonum sunt.

Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Somniat pauper se diuitum quemdam inuenisse, quo sibi vestes coëmere, pretiosas, & cibos ad famem sedandam copiosos: somniat se abundè comedere, bibere, ac epulari, &c. at cogitans se pannosum circumspicit, & esurientem, debilem, pauperem reperit, & egenum. Sic, inquit, diues, dum in hac vita degit, se pretiosis vestibus indutum contemplatur, & ad mensam epulis optimis refertam sedentem attendit: at cùm mors illum inuaserit (inuadet autem citò, quia mors non tardat) tunc ita cuncta illa mundi bona sic euanescent, vt se potiùs illa somniasse quàm possedisse judicaturus sit. Addam quod hîc addit sapientissimè S. Chrysostom. cuius hæc sunt verba, *Veritatem abiicitis, vmbras verò sequimini & somnia: an non vmbræ & somnia sunt omnia? priusquam sint auolauerint, licèt inexhaustas opes habeas, veniente mortis nocte, nudo tibi migrandum hinc erit. Et rectè quidem: nam qui somno diti sunt, postquam euigilauerint, nihil amplius habent ex his quæ habere videbantur. Par diuitum ratio, imò deterior: nam qui per somnum diti sunt, sicut opibus quibus vti videbatur, non potitur, etiam malis aliis surgens caret: diues autem, & pecuniâ caret, & vitiis, quibus opes conuiantur, plenus ad iudicium Dei pergit. item opulentus mala, quæ secum opes ferunt, imaginatu, eâ non jam imaginatione, sed reuera experitur. Rursus in somnis pauperis voluptas quædam est, quam non sequitur pœna hîc: at voluptatem (si qua est) pœna sequitur, & non in somnis, sed quàm diues experiatur. Quin ante pœnam illam etiam in vita mille perturbationibus, curis, accusationibus, conuitiis, tumultibus, turbisq; afflictus contorquetur.* Ita sanctè Chrysost. Quare melioris conditionis est pauper, se diuitem somnians, quàm verus hic diues, &c.

Hoc

Hoc inter imagines depictas discrimen inuenitur, A quod earum nonnullæ ita depictæ sunt, vt à longè eas inspicere opus sit: si enim cominus aspiciantur, turpes deformesque apparent, eminùs verò inspectæ pulchritudinem quidem præseferunt, eam tamen quam minimè habent. *Estas se llaman pinturas al fresco*: sunt verò aliæ, quæ cominus videri debent: eminus enim conspectæ non ita pulchritudinem, quam habent, ostendunt; si verò cominus aspiciantur, pulchritudinem suâ manifestant. Hoc igitur idemq; discrimen inter bona æterna temporaliaq; reperitur: nam bona temporalia, si eminus prospiciantur, pulchritudinem magnam præseferunt, si verò proximè circaque conspiciantur, infirma, vilia, nulliusque momenti esse facilè se demonstrant; bona verò cælestia quantò proximiùs ea conspexerimus, tantò potiora, pulchriora, maiorisque esse momenti cognoscemus.

17 *Taduit me vitæ meæ, videntem mala vniuersa esse sub Sole, & cunctam vanitatem, & afflictionem spiritus.* Quid est quòd ea quæ in hoc mundo videt Salomon, mala, & B vana, & afflictionem spiritus esse ait, cùm dixerit Scriptura sacra: *Vidit Deus cuncta quæ fecit, & erant valde bona?* quomodo, inquam, ait vniuersa mala esse sub Sole, vel, vti alij legunt, odio habui vitam, quia malum super me opus quod factum est sub Sole, quia omnia vanitas & pastio venti? Respondet S. Hieron. *Si mundus in maligno positus est; & in tabernaculo isto Apostolus ingemiscit, dicens*: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, *rectè Salomon odio habet omne quod sub Sole factum est: ad comparationem quippe Paradisi, & illius vitæ beatitudinem, in qua spiritualibus pomis & virtutum deliciis fruebamur, nunc quasi in ergastulo & carcere sumus, & valle lacrymarum, in sudore vultus nostri comedentes panem.* Ita S. Hieronymus. Quòd si Salomon, qui in maximis deliciis & diuitiis fuit, ita de hoc sæculo sensit, & vsque ad tædium vitæ peruenit, quid de misero dicemus, qui in assiduis laboribus & miseriis versatur? Vbi pondera verba illa, *Omnia vanitas, & pastio venti.* C Dixerat in principio libri, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, vbi S. Hieronym. *Sicut in Cantico Canticorum inter omnia carmina excellens carmen ostenditur, ita in vanitate vanitatum vanitatis magnitudo monstratur.* Ita ille. Magna ergo vanitas omne id quod in mundo floret, vel ex hoc maximè quod subdit, *& pastio venti*, quod pascit ouem, in ouem, quod pascit bouem, conuertitur in bouem; sic quem pascit ventus, in quid nisi in ventum is conuertetur? quid igitur aliud faciunt, ait Salomon, qui mundi huius rebus inhærent, nisi ventum saginare? *Engordar el viento*: quid igitur diuites? quid voluptuosi, quid honorum mundi sectatores, quid mortales, qui sollicitudine summâ temporalia quæritis bona, nisi ventus & aër? quid ex imperio suo Magnus Alexander? quid ex triumphis suis Iulius Cæsar? quid ex pulchritudine sua pulcherrimus Absalon? D quid ex diuitiis suis ditissimus Cræsus? quid ex omni gloria sua gloriosissimus Salomon nisi ventus & aër? Dicat vel ipsemet Ecclesiastes, *Magnificaui, ait, opera mea*, &c. quid inde? *cumq; me conuertissem ad vniuersa quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem*, hoc est, ventum. Pondera verbum illud *frustra*, frustra tot & tam magnifica opera? O nos felices viri sancti, quorum opera non frustra: *opera enim illorum sequuntur illos*, ait vox de cælo.

14. Cicero: *Sapienti nihil potest videri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis totius temporis mundi nota sit magnitudo.* Ita ille. Vnde licèt in mundo aliquid in se magnum esset, vt v.g. regnum, vel imperium alicuius specialis regni, vel etiam totius orbis, vti Alexander Magnus rex fuit; sed tamen eo ipso quòd breui naturæ termino comprehenditur, ob tam exiguam durationem, & parui temporis possessionem, quasi nihilum à sapienti viro reputandum est.

Magni quidem faciunt homines bona temporalia, sed talis æstimationis magnitudo, non ex valore & magnitudine horum bonorum, sed ex apprehensione nostra procedit; sed sicut turrim Babylonicam in parvo papyro depictam, iuxta dominculam paruam incredibilis magnitudinis eam esse iudicamus, cùm tamen palmi quantitatem in rei veritate non excedat, quia scilicet apprehendimus sic turrim illam; ita etiam bona hæc temporalia ex apprehensione nostra magnitudinem, non ex rei veritate, habent, quia scil. cum vitæ miseriis ea metimur: ideò pauperi diuitiæ apparent eximiæ, seruo libertas, famulo dominatus, infirmo salus, & vita temporalis.

At quàm exigua ista sint, manifestauit sic Ezechieli *Ezec. 41.* Deus: *Et tu fili hominis, fume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Ierusalem.* Vbi Lyranus, *Lyra.* laterem scilicet crudum, vt possint tibi protrahi figuræ. Quid Domine ais, ciuitatem opulentam, domus, & palatia ingentia, regias ædes, muros excelsos, turres, & capitolia pulchra & alta, ciuitatem denique regalem, & eximiam, in paruo quodam luto, in laterculo vili describere jubes? Ita, vt sublimiora terræ quàm contemptibilia sint videatis, vtpote quæ in latere possint contineri. vide qualia sint, pro quibus mortales laborant, defudant, tumultuantur, pugnant, quibusque æterna bona postponant. *Sobre vn ladrillo cerudo y desmoronadizo se funda y cabe todo.*

Publ. Mim. *Nihil magnum est in rebus humanis, nisi animus magna despiciens.* Ita ille. *Pub. Mi.*

Seneca epist. 119. *Tu ista credis excelsa, quia longè ab illis sumus, ei verò, qui ad illa peruenit, humilia sunt. Mentior, nisi ea adhuc ascendere quarit illud. Illud quod tu summum putas, gradus est. Omnes autem malè habet ignorantia veræ tanquam ad bona feruntur rumoribus decepti. Deinde mala esse, aut inania, aut minora quàm sperauerunt adepti, ac multa passi vident, maiorq; pars miratur ex interuallo sallentia, & vulgo bona pro magnis sunt.* Ita ille. *Seneca.*

Item lib. de Ira cap. 3. *Ego nihil magis suaserim, quàm sumere ingentem animum, & hac, propter quæ litigamus, discurrimus, anhelamus, videre quàm humilia, & abiecta sint, nulli, qui altum quiddam aut magnificum cogitat, respicienda.*

Circa pecuniam plurimum vociferationis est, hac foræ desatigat, patres filiosq; committit, venena miscet, gladios percussoribus, & legionibus tradit, hæc est sanguine nostro delibuta, propter hanc vxorum, maritorumq; noctes strepunt litibus, & tribunalia magistratuum premit turba, reges sæuiunt, & ciuitates longo sæculorum labore constructas euertunt, vt aurum argentumq; in cinere vrbium scrutentur. Quòd si totam mihi ex metallis omnibus pecuniam proferas, si in medium proiicias, quidquid thesauri tegunt, omnem istam congeriem dignam non censeam, quæ viri boni contrahat frontem. quanto risu prosequenda sunt, quæ nobis lacrymas eduxit. Crede mihi leuia sunt, propter quæ non leuiter excandescimus, qualia quæ pueros in rixam, & iurgium mouent. Nihil ex his, quæ tam tristes agimus, serium est, nihil magnum. inde, inquam, nobis ira & insania est, quòd exigua magna existimamus. iter angustum rixas concitat transeuntium, diffusa & latè patens via ne populos quidem collidit. Ita quæ appetu, quia exigua sunt, nec possunt ad alterum, nisi alteri erepta, transferri, eadem affectantibus pugnam & iurgia excitant. Ita Seneca. *Simile.*

Item epist. 32. ad Lucillum, virum illustrem & amicum, sic scribit: *Quorum tibi parentes copiam, ego contemptum opto.* Ita ille.

Hinc Psalm. 90. *Scuto circumdabit te veritas eius*, vbi *Psal. 90. 5* S. Bernard. serm. 5. super illum Psalm. *Non incongruè* (ait) *scuto comparatur gratia diuinæ protectionis, quod in superiori parte amplum & latum est, vt caput humerosq; custodiat; in inferiori verò strictius, vt onerat minùs, maximè quòd graciliores sint tibiæ, nec tam facilè vulnerentur, sed neque adeò periculosum sit illis in partibus vulnerari; sic omnino, sic militibus suis Christus ad inferiora tuenda, hoc est, carnem, ma-* *Bernard. Simile.*

gnam, vt ita dixerim, strictitatem & penuriam rerum temporalium donat, neque vult eos earum multitudine praegravari, sed vt victum & vestitum habentes, sicut Apostolus ait, his contenti simus: *in superioribus verò maiorem latitudinem, & ampliorem abundantiam gratia spiritualis: sic enim habes:* Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. *De victu vtique dixit, & vestitu, vnde & dixerat sollicitos esse non debere, & quantò hac in parte strictius, tantò melius.* Ita S. Bernard.

Mat 6 33

Marc. 6. saltauit Herodiadis filia, placuitque adeo regi Herodi, vt dixerit ei: *Pete à me quod vis, & quodcunque petieris dabo tibi, licèt dimidium regni mei: & iuravit ei.* Quid ais, ô Rex, pro vnica saltatione eaque transacta, dimidium regni promittis? igitur si saltauerit secundò, totum ei offerres regnum, *si dierè otra buelta essa dan cante quedaros eis apeado del Reyno?* Quid secundò facturus esset nescio, hoc vnum scio, quòd pro eo quòd saltauerit semel dimidium obtulerit regnum. Videquàm nullius momenti temporalia bona sint, vt pro saltatione vna dimidium regni ab his offeratur qui tanto amore illa ipsa prosequantur.

Mar. 6. 23

B

Mirari quis posset, cur Deus optimus maximus, qui liberalissimus est, bona nobis ita strictè donat, vt vix quæ ad vitam necessaria sunt, tribuat nobis, & non nobis peccatoribus dico, verùm neciustis. Sæpè enim quantò homines iustiores, tantò pauperiores, & aliis bonis temporalibus minùs præditi: vnde & de Apostolis legimus, quòd discipuli esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare: quod summam necessitatem præsferebat. Cur igitur ditissimus, & liberalissimus Dominus sic se cum suis gerit?

Mat. 12. 1

Quires, & bona temporalia admirantur, & in maximis bonis ea ducunt, hanc admirationem inueneruntque verò qui ea despectu digna meritò arbitrantur. Quis vnquam miratur, quòd rex amicis, & priuatis suis non multas donet paleas, & fimum ex stabulo suo multum? quid apud sanctos hæc bona sunt; dicat vnus & magnus, Apostolus, inquam, ad Phil. 3.

Simile.

C

Propter Christum omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam. Scio ibi loqui Apostolum de legalibus veteris Testamenti, quæ iam finita erant, & detrimentum animabus, & stercora coinquinantia conscientias, sed tamen etiam loquitur de donis honorificis mundi; dixerat enim se esse ex genere Israel, de tribu illa honorabili Beniamin, quæ semper adhæsit regno Iudæ, & Iusuper Pharisæum, hoc est, inter Hebræos in Pharisaica dignitate sublimis. Hæc quidem ad mundi bona honorifica pertinent, hęc igitur, vt stercora se ait, despexisse: adeò parui momenti esse reputabat, quatenus bona transitoria erant; imò detrimentum reputabat, quia hæc bona temporalia, quantò sublimiora, tantò nocere solent magis animæ nostræ: vnde hæc ad liberalitatem Dei non spectant per se primò.

Phil. 3. 8.

D

Quęnam igitur illa bona sunt, quæ magna à nobis reputari debent, nobis quidem Christianis? bona spiritualia, qualia sunt virtutes, gratia, merita, & dona Spiritus sancti. Paulus ibidem, *Hæc omnia,* inquit, *existimo detrimentum esse propter eminentem scientiam* IESV *Christi Domini mei,* hoc est, propter scientiam Christianam Euangelij, quam de Deo à Deo ipso habemus. quasi dicat: Barbari, qui Deum, & verba bona ignorant, hi bona temporalia magnificant, nos verò, qui à Deo illuminati sumus, hæc vt stercora reputantes, æterna & cælestia bona omnino æstimanda censemus, & in his Dominus noster liberalissimè nobiscum agit. Vnde Ezech. 16. Dominus ad Ecclesiam suam Hebræam: *Vestiuit te discoloribus, & calceaui te hyacintho, cinxi te byssо, & indui te iubtilibus.* Vestitus ex discoloribus, variarum virtutum habitus designat, byssus quæ interiùs ornat, gratiam significat, quæ in animo latet, *subtilia,* ad cognitionem rerum sublimium pertinent: derat enim populo suo rerum supernarum notitiam. denique *calceaui te hyacintho. Hyacinthum* cæli colorem habentem, cælestia bona significare in Scriptura sacra frequentissimum est; cur ergo calceos hyacinthos vocat? Colligamus hoc pedum iustorum ornamentum ex manibus sponsi, Cantic. 5. vbi sic de sponso sponsa diuina: *Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Vnas manos tiene mi esposo lindissimas, como hechas à torno, vnas manos de oro,* hoc est adeo pulchræ manus sunt, vt torno elaboratæ esse videantur: denique aureæ sunt, nihil supra; quid autem in eis gerit? *plenæ* (inquit) *hyacinthis.* Hyacinthus, colorem cælestem habens, vti diximus, bona cælestia repræsentat. hoc inter manus liberalis & auari distat, quòd auarus nihil ad manum habet omnia bona inclusa, & recluſa habet, & infra septem vt aiunt, claues occulta. At liberalis ad manus omnes semper videtur habere; sic ergo sponsi manus, non vacuas sibi, sed plenas sponsa vidit, non quidem temporalibus bonis, sed hyacinthis, hoc est, cælestibus bonis: in his ergo adeo se liberalem erga sponsam exhibet Deus, vt vsque ad pedes, & infra pedes sponsæ perueniant. *Calceaui te,* inquit, *hyacinthis.* Nos per calcationem abundantiá exprimere solemus: tãtá igitur liberalitate bonorum cęlestium copiam spõsæ tribuit Deus, quanta ad pedes eius peruenire potuerit, vt non solùm capiti, & collum bonorum cælestium excellentia ornaret, verùm & pedes, hoc est, à capite vsque ad pedes.

Ezec. 16. 10.

Quod quidem mirè expressit mulier illa quam Apocalypsis 12. vidit beatus Ioannes Sole amictam, & Lunam sub pedibus eius, & in capite eius coronã stellarum duodecim. Mulier illa Ecclesiam Christi significabat, vti asserunt sanctus Gregor. 34. Moral. 7. Rupertus, Beda, Richardus de sancto Victore, Primasius, Methodius, Andreas Cæsariensis, Pannomus, Ioachimus, denique in sensu literali Ecclesiam significare, communis sacrorum Doctorum expositio est, Sol verò, Luna & stellæ pro ornatu ibi posita, ornatum denotant spiritualem: hic enim ornatus esse potest Ecclesiæ. Attende igitur ornatum, quo Ecclesiam ornat Deus, & videbis ornatum esse cælestem, Solem scilicet, Lunam, & stellas, quid aliud cælum ornat? quid aliud cælo est? cælestia igitur bona sunt, quibus Deus animam sponsam suam ornat, & hoc vsque ad pedes: nam Luna (inquit) sub pedibus eius, sic dicere potest: Calceaui te hyacintho cælesti.

Apoc. 12.

In his ergo se nobis Deus exhibet liberalem: nam bona mundi palæa, & stercora sunt, vt non in his liberalem se demonstrare Deum deceat, sed in cęlestibus bonis, &c.

Epictetus Philosophus dicere solebat, non esse mundi res quæ nos perturbant, sed de eis opinionem: appetit quis diuitias, honores, dignitates, delicias, & turbatur in earum inquisitione, non diuitiæ, neque deliciæ, neque dignitates sunt, quę illum turbant, sed apprehensio, & opinio, quam habet de huiusmodi bonis apprehendit ea pro magnis, ideò quærit, & negotiatur, & turbatur in huiusmodi negotiatione. Sed alius, qui huiusmodi bona interiùs parui pendit, nullo modo turbatur illa quærens, & negotians. similiter in malis, qui paupertatem, infirmitatem, iniuriam, & mortem magna mala esse imaginatur, cùm aliquid eiusmodi accidit ei, dolet, tristaturque vehementer, quòd si parui fecerit ista, non turbatur.

Ibid.

Hinc Prouerb. 12. *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo.* Cur iustus non tristatur? num quia nulla accidit aduersitas, nulla tribulatio? nequaquam; multæ enim tribulationes iustorum, sed quia omnia huiusmodi mala pro nihilo reputat, solùm illud verè malũ existimans, quod æternũ est, & quod separat à Deo, quale peccatũ est, & pœna damni: mali autem, quia æstimãt hęc mala esse maxima, cùm aliquid tale euenerit, dolent, tristantur, lacry-

mantur,& omnino turbantur; ideò ait: *impij autem re-* A *plebuntur malo*,quia replẽtur triſtitia,& anguſtia cordis.

Iniungis argentario, vt in annulo formet Herculis effigiem, leonem interficientis, & diſcerpentis; annullo ſic perfecto, videtur tibi ibidem Hercules gigas quidam,cùm tamen in minimo quodam annuli ſpatio contineatur. Vnde igitur magnus ille tibi apparet? ex imaginatione, non verò ex imagine illa, tu imaginaris Herculem magnum, fortem leonem emandibulantem.

Ierem. 4. *Aſpexi terram*, ait Ieremias, *& ecce vacua erat, & nihil*; quomodo vacua, quæ plena erat bonis mundi? quomodo nihil, vbi tot & tanta, argenti, auri, lapidum pretioſorum, &c? quia omnia hæc imaginabatur meritò tanquam nihil eſſe.

Pſalm. 80. agens Pſalmiſta de aqua illa, quam de petra eduxit Moyſes populo ſitienti, *De petra melle*, inquit, *ſaturauit eos*, ſcilicet Deus. Quare ait, *melle*? aqua non mel erat, quod eduxit Dominus de petra illa deſerti. ratio huius eſt, quia populus ſiti maximâ laborabat, ideò aqua illa ſimplex mel illi videbatur, *pareciale vn* B *dulciſſimo almibar*. Sic quia magna ſiti bonorum temporalium mundus laborat, bona ipſa mundi magna, pretioſa,& dulciſſima videntur, ſitis autem huiuſmodi ex apprehenſione bonitatis magnæ oritur, non ex re ipſa, &c.

Iob 1. cùm hoſtis antiquus facultatem à Deo expoſceret contra Iob, *Extende*, inquit, *paululùm manum tuã, & tange cuncta quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi* Si cuncta, quæ poſſidet, quomodo (inquis) *paululùm*? quomodo ais, *tange*? erat ille dives, & vir magnus inter omnes orientales, decemque filios habens, & auferre ab eo omnia ſua bona vocas *paululùm tangere*? Ita quia cùm dæmon eſſet angelico intellectu pollens, cuncta illa, quæ multa & magna videntur nobis, parua & pauca illi videbantur.

In pagis & oppidulis ſolent agricolæ Hiſpani in introitu domus ſuppellectilem omnem ſuam collocare, catinos, ſcutellas, ſartagines, verua, & alia huiuſmodi, omnia quidem ad oſtentationem; quaſi dicant: Habeo cuncta hæc. Ingreditur curialis quidam ex curia C regis aduenies, interrogat, quid ſibi velit ruſticus ille apparatus, cui, ad oſtenſionem (reſpondent) ſuppellectilium fit; ridet ille, hæc (inquit) qualia vaſa auri, & argenti, quænam ſuppellectilia regia hæc, vt in frontiſpicio, & ingreſſu domus, oculis omnium offerantur? vilia hæc in angulis potiùs domus detrudi oportebat. nimirum hæc dicet ille, quia aſſuetus eſt maiora & excellentiora regis curiæ & magnatorum videre; ſic Angeli, imò & dæmon, qui in cælo aliquando fuit in medio lapidum pretioſorum, paulùm extẽdere manum, & ſolùm tangere vocat, auferre ab homine prædicto omnes diuitias, & decem filios, quia, quæ apud nos homunciones in oppidulo mundi natos, nutritos, educatos, magna ſunt, apud ſpiritus incorporeos, quaſi nihilum reputantur.

14. Sap. 5. *Talia*, inquit Spiritus ſanctus, *dixerunt in in-* D *ferno hi, qui peccauerunt*: quæ? neque enim otioſa, & inutilis curioſitas noſſe, quæ in inferno damnati verſant, & aiunt: ſi enim quæ in curia, vel in regia, vel apud exteras nationes fiunt, noſſe adeò curamus, quæ apud inferos fiant, ſcire, non erit ingratum; præſertim cùm non incerta ſit horum relatio, ſicut eſſe apud nos ſolent nouitatum mundi relationes. quæ igitur dixerunt 16. in inferno damnati? *Ergo errauimus à via veritatis & iuſtitiæ lumen non luxit nobis. ergo errauimus*, nota conſequentiæ eſt, illa dictio, *ergo*, vbi nam eſt antecedens? eſt ſupra in 2. cap. vbi ſic peccatores ſe mutuo conuocarant: *Venite, & fruamur bonis, quæ ſunt: vino pretioſo, & vnguento nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra*: ad prata ſe inui-

Labatæ Tom. I.

tant, quid ampliùs facerent iumenta? Ecce igitur antecedens, & vide horum ignorantiam. Antecedens hoc dixerunt in hoc mundo, dum adhuc viuerent, conſequentiam verò in inferno. Peſſimi dialectici fuerunt hi: hîc enim, vbi poſuerant antecedens, deducere conſequentiam oportebat, dicentes: *Venite* *Sap. 2. 6.* *fruamur bonis*, &c. & ſtatim inferentes: ergo in hoc erramus, quia in hac vita pœnitere, non peccare oportet, crucem, non delicias indagare: at poſt mortem, & in inferno iam conſtitutis conſequentiam inferre, ſera eſt, & inutilis conſequentia. Sed jam verba conſequentiæ conſideremus: ex damno enim maximo orta, ſi illis non prodeſt, nobis prodeſſe poteſt, ne in illud incidamus. Quid igitur? *Lumen iuſtitiæ non luxit nobis*, omnis infelicitas noſtra & huiuſmodi damnatio ex defectu eſt lumini juſtitiæ. Sed quodnam vocant *lumen iuſtitiæ*? lumen Solis nouimus, lumenque Lunæ, ſiderum, ignis & lucernarum: at lumen iuſtitiæ quodnam eſt? luſtitia, vti aiunt legiſlatores, eſt jus ſuum vnicuique tribuere, cui vectigal debetur, vectigal, cui honorem, &c. Sic etiam debitam æſtimationem rebus tribuere, iuſtitiæ eſt. Lumen igitur illud interius, quod vnicuique rei debitam æſtimationem dare docet, lumen iuſtitiæ meritò dicetur. hoc igitur eſt, quo ſe caruiſſe damnati conqueruntur. Cognouerunt quidem vina pretioſa palato ſuauia eſſe, coronas roſarum gaudia ferre, deliciosis prata eſſe quoque delectabilia, ſed hæc non eſſe anteponenda æternis, prout iuſtitiæ ratio poſcit non perceperunt, ideò meritò aiunt: *lumen iuſtitiæ non luxit nobis*, ideò errauimus, & damnati ſumus. Nunc igitur ad nos: vis, frater, videre, an ex numero horum deceptorum ſis? attende an in te ſit hoc lumen iuſtitiæ, an bonorum debitam habeas æſtimationem; qui enim honorem legi diuinæ anteponit, dum inimico parcere renuit, ne honorem amittat, huic lumen iuſtitiæ non luxit: qui deliciarum causâ peccat, aut diuitiarum, hic bona æterna bonis temporalibus poſtponit, lumen iuſtitiæ non luxit ei. Si ergo illi damnati ſunt ob defectum luminis iuſtitię, caue tu, frater, ne huiuſmodi lumine careas: peribis enim ſicut & illi, ſi tibi iuſtitiæ lumen defuerit, ſicut & illis, qui verò hoc lumine iuſtitiæ præditi ſunt, & debito pretio æſtimant cuncta, iſti abſque dubio ſaluabuntur, &c. Qualiter, inquies, hoc lumen iuſtitiæ mihi comparaboz ne ſis ex numero eorum, qui prata petunt, dum alij ad conciones audiendas properant, ne libros prophanos legas, dum alij ſanctos conſulunt libros, interroga viros ſanctos & probos: ſapientia enim obuiat quærenti ſe, & qui manè vigilauerint ad illam, inuenient eam.

Sunt autem multi, qui nolunt intelligere, vt bene agant, ignorant, quia volunt, volunt, quia nolunt prata relinquere, nec vina pretioſa, nec roſas vanitatis: amant neſcire, quia ſcire impedimentum voluptatum, quas amant, aiunt ſibi eſſe. ignorantia hæc non excuſat, ſed accuſat. Væ huiuſmodi hominibus ignorantibus: eos enim, qui ſic ignorant, ignorabit Deus, & dicet, *Neſcio vos.*

Seneca epiſt. 96. *In ſuperuacaneum præcepta iactabimus,* *Seneca.* *niſi præceſſerit illud, qualem de quaque re habere debeamus opinionem, de diuitiis videlicet, & paupertate, de gloria & ignominia, de patria, & de exilio æſtimemus ſingula, famâ remotâ, & quæramus quid ſint, non quid vocentur.* Ita ille.

Quanti autem facienda ſint hæc bona temporalia, 1. ſubdit, dicens: *Quæ maxima inter vos habentur, diuitiæ, gratia, potentia, feſtertio nummo æſtimanda ſunt.* Ita ille. feſtertio dicit, quaſi diceret, *no valen vna blanca, no merecen mas eſtima, que lo que no lo tune.* at Chriſtus Dominus multò magis hoc exagerauit, dum non ſolùm in bonis, ſed in nociuis, ſuppoſitâ fragilitate naturæ noſtræ, collocauit, dum ait Luc. 6. *Væ vobis diuitibus*, &c. & ideò pauperes flentes, perſecutionem pro veritatis

defensione patientes, beatificauit, Matth.5. *Beati pauperes*, &c.

Luc.6.24 Psalm. 16. *De abscondito adimpletus est venter eorum.* Ecce quæ viliora sunt nobis, abscondere domi solemus, tapetia vilia in angulis obscuris collocamus, pretiosa verò in locis præcipuis, & conspicuis, vbi ab omnibus videri facilè possint, constituimus; abscondita ergo Dei non spiritus bona sunt: hæc enim in publico Dominus collocauit, sed temporalia. vbinam enim argentum, & aurum, & lapides pretiosi, nisi in terræ interioribus, recondita sunt à Deo? hæc sunt Dei occulta, de his adimpletus est venter mundanorum, de quibus ibi agit Psalmista, *de esso hizeron buche los mundanos*; quod non leue argumentum est exigui valoris horum bonorum. Statua illa, quam in somnis vidit Nabuchodonosor, ex auro & argento præcipuè constabat: quæ quidem statua mundi principatus designabat, in his hæc bona reperiuntur. Vide Principes Turcarum, & Maurorum, & infidelium his bonis abundare, cùm tamen Christus Dominus & Mater eius augustissima, & Apostoli glorioſi pauperrimi fuerint, &c. quòdſi bona hæc alicuius momenti fuissent, cur Christus Dominus se fuoſque his priuasset? *Maria,*

Luc.10. 42. inquit, *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quænam illa pars, nisi ſpiritualium bonorum; tu verò ô homo, peiorem eligis partem, quæ auferetur à te, &c. Zeuxis pictor excellens, in tabula quadam vuarum botros ita propriè & ad viuum expressit. vt volucres cæli deceptæ, veras vuas esse censentes seſe dimitterent ab alto, arte deludens illas: non enim veræ, sed fictæ erant. sic dæmon bona temporalia, delicias, honores, & iucunditates mundi depingere nouit, vt homines ex alto ad ea capienda faciat se dimittere, & ita nos facilè capiat.

Sic Adamum pomis deiecit, sic quotidie filios eius capit, sic venatur honore ſuperbos, pecuniis auaros, voluptatibus ſenſuales, cùm tamen nullius momenti sint.

Sanctus Chryſoſtomus homil.39.ad popul. *Præterit figura huius mundi,* ait Apoſtolus, *oſtendens, quòd humanorum quodlibet in figura tantum eſt, & velut vmbra, & ſomnium præterlabitur, nihil habens verum, nihil ſtabile. quomodo igitur nõ puerilis ſit mentu, circa vmbras attonitos eſſe? & in ſomnio alium ſapere, & in his tabeſcere, quæ paulò poſt tran-*

1.Cor.7. 31. *ſeunt? ait enim:* Præterit figura huius mundi; *cùm igitur audieris quòd tranſit, quid amplius iam queris? Cùm audieris, quòd figura tantùm ſunt omnia humana, veritate carentia, quare ſponte fuſtines deceptionem? neque eorum mutabilitatem cogitans, neque inſtabilitatem, hæc quidem præcurris, ad illa verò deſiderium non tranſfers in æternum manentia, & mutationem non admittentia? Sed videtur ſum. quá vſus dictione*

2.Cor. 4. 18. *ſit Doctor Gentium:* Non contemplantibus, *inquit,* nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ non videntur æterna; *ſiue enim diuitiarum dixeris copiam, ſiue gloriam, ſiue claritatem, ſiue principatum, ſiue regnum ipſum, & diademate redimitum, omnia hæc, quæ videntur, temporalia ſunt, breui tempore permanentia, nec multum nobis fructum exhibentia. quid igitur hæc inquiris, ſi omnia ſunt ad tempus? illa ergo (inquit) quæ hic non videntur, inquire, quia æterna ſunt, perennem habent ſtatum, finem ignorant, terminum non admittunt, neſciunt mutationem, ſed ſtabilia, æterna, & immota ſunt.* Ita ſanct. Chryſoſtomus.

Prouerb.1. *Pro.1.10.* Prouerb.1. *Sapientia,* ait Sapiens, *foris predicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vbu profert verba ſua.* Pondera loca, vbi diuina ſapientia ſuggeſtum ſuum ad concionandum hominibus collocauit, *in plateis,* vbi mercatores, & negotiatores præcipui conueniunt; *in capite turbarum,* vbi maior pars ciuium adeſt; *in portis,* vbi judices, & ſapientes, & primates concurrebant; denique ad ſapientes, & ſenes verba dirigebat. quid igitur ad hos? *Quousque*

A *paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſunt ſibi noxia cu-* *dio-*
pient. Itaque potentes, ſapientes, diuites, negotiatores, mercatores, & ſenes ciuitatis, pueros vocat; curita? Audiamus ſanct. Chryſoſtom. homil.47.ad populum Antioch. *Si nondum vilitatem rerum temporalium conſpi-* *Cæ-*
cimus, nondum viri facti ſumus, ſcientes quòd hæc ſunt puerilis: pueri autem cùm ſimus, ſeria eſſe putamus tecta, & lutum coagmentantes. & ſicut nos pueros in ſubuerſione horum lugentes ridemus, ſic & calites nos hæc ingemiſcentes, non tantum ridebunt, verùm & deflent; quoniam & miſericordia ſunt vſurea ipſorum, & hinc multum eſt damnum. Quouſque ludemus? & vtinam tantùm luderemus: nunc autem & noſtram profligamus ſalutem. & ſicut paruuli, cùm in his ſtudium agunt, literas negligentius, multa ſuſtinent verbera, ſic & nos in hu omne ſtudium impendentes, dum ſpirituales exigemur diſciplinas, extremam dabimus vltionem, nec vllus erit, qui nos eruat, ſiue pater, ſiue frater, ſiue quicumque. Sed hæc omnia quidem tranſibunt, ea his autem oriens tortura manebit in æternum. Ita ſanctus Chryſoſtomus.

Idem homil.50.ad popul. *Nidus eſt præſens vita, tha-* *riſſimi, ex feſtucis & luto coagmentatus: licèt mihi magnas ædes oſtendas, ſiue regias ipſas auro multo fulgentes, & gemmis, nihil ab hirundinum nido differre cenſebo: hyeme ſiquidem inſtante, omnia ſponte corruent, hyemem verò diem illum vocat, non omnibus hyemem, quoniam & Deus noctem ſimul, & diem vocat: illud quidem quantùm ad peccatores, hæc autem quantùm ad iuſtos. Sic ego nunc hyemem ipſum voco. Tanquam rudum enim, imò facilius quàm nidum, omnia Deus tunc deſtruet, delens & tranſmutans omnia.* Ita S.Chryſoſt.

Idem homil.in Eutrop.tom.5. *Vanitas vanitatum, dicit* Eccleſiaſtes, *vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Dicam hoc in parietibus, in veſtibus, in foro, in ædibus, in via, in peregrinatione, in lanuis, ſed potiſſimùm in cuiuſque conſcientia, ubi conuenter ſcriptum eſſe oportet, & omni tempore cogitatum ruminari, quia negotia fraudulenta, & perſonatæ, & minime veritatis optimonem apud pleroſque ſibi parauerunt, hoc dicit in prandio, in cœna, in hominum cœtu, quemque proximum ſuum compellere oportebat; idemq; viciſſim ab illo audire, nempe quòd omnia vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Ita C Chryſoſtomus.

1.Corinth. *Præterit figura huius mundi.* Quæ verba exponens & expendens S.Chryſoſt.homil.20.ad Romã.12. *Per figuram, nullam habere mundum ſubſtantiam declarat: Cognam etiamſi diuitias obiecerit, ſi gloriam, ſi delicias, ſine ullo quodcumque ex his, quæ magna eſſe videntur, figura tantummodo ſunt ipſius. quæ in rebus eſt virtutis demonſtratio, ipſius quadam ſcenica, non conſiſtens rerum ſubſtantia.* Ita ſanct. Chryſoſtomus.

Idem S Chryſoſtom.tom.5.orat.de diuitiis & paupertate: *Non aduertimus diaboli dolum, qui pauorem obijcit, & admixit nobis magna, lutum dat, vt cælum rapiat, vmbram oſtendit, vt veritatem excludat, in ſomniis imagines obuiat, quæ enim ſunt præſentes diuitiæ) vt, adueniente die, pauperrimos oſtendat; ne igitur magnum bonum diuitias arbitretur.* Ita S.Chryſoſt.

Pſalm.9. ſic Dauid: *Factus eſt Dominus refugium pau-* D *peri,* id eſt, mihi qui pauper ſum. Cur ſe pauperem vocat cùm rex & ditiſſimus eſſet? S. Baſilius in ſcholio in hunc locum: *Sæpenumero ſe ipſum pauperem & egenum vocat, tametſi regiu eſſet facultatibus præditus: ſciebat enim omnia humana quaſi vmbrã eſſe imbecilliora.* Ita S.Baſil.

Admiratione digna ſunt verba illa S. Petri Chryſologi ſerm.25. *Satis inuidet ſibi, qui eleuatus ad ſummas, ipſe ad humilia ſe detuit, & ad egena deponit.* Ita ille. Expendamus verba illa, *ſatis inuidet ſibi* [mucha embidia tiene de ſi] quî fieri poteſt vt quis inuideat ſibi? Inuidere aliis quia in re aliqua nos ſuperant, & excellunt, quotidie videmus; at ſibi quo pacto quis inuidere poſſit, non ita conſtat. Quomodo igitur ait S. Chryſolog. ſatis inuidet ſibi? Vt autem ſubtilitatem huius dicti percipiamus, Cognoſce quod in regum regiis euenire ſolet conſideremus. Cùm quis apud regem magis quàm cæteri pollet & valet,

quando

quando, *Vèn en la corte, que vno priua mas con el Rey que A los demas familiares suyos*, id pro viribus satagunt familiares reliqui, vt rex illum aliquo munere condecoratum aliò mittat, quò de medio illo sublato plus ipsi apud regem valere possint, & posse *procuran hecharle de la corte con algun officio honroso, para que no les estorbe sus pribanças*. Nunc ad rem, si Christianus qui ad æterna & cælestia à Deo vocatus, ad quærenda & obtinenda bona temporalia se dimittit, quò se à diuinis & cælestibus rebus abdicat, ipse inuidet sibi: facit enim ipse sibi quod inuidi in curia faciunt in eos qui præcedunt: quid autem miserius quàm sic inuidere sibi?

14 Ad Galat. 6. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Obseruauit S. Gregor. 5. Mor. hanc Apostoli gloriationem dicens: *Quia nec Paulus gloriam mundi quærebat, nec à mundi gloria ipse quærebatur, & se mundo & mundum sibi crucifixum esse gloriabatur.* Ita ille. Etenim crucifixum esse, opprobrium magnum censetur. Gloriatur igitur Paulus se à mundo inglorium, & vilem reputari, sicut & mundus apud Paulum vilis & abiectus habebatur. Etenim mundani in hoc maximè gloriantur, quod mundi opibus, & honoribus, & deliciis potiantur; sancti verò in hoc gloriantur, quòd huiusmodi bona sæculi despiciunt: gloriantur autem in cruce Christi, sicut Apostolus, dicens: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri* IESV *Christi*, [*De lo que se glorian los mundanos, se afrentan los sanctos, y de lo que se glorian los sanctos, se afrentan los mundanos.*] Nunc abs te rogo, quinam horum errare videntur tibi, quinam verò sapere? Si ergo vis more sanctorum, vt te mundus despiciat, est mundo & crucifixus & mortuus: optimè enim concludit S. Gregor. caput illud secundum suprà citatum, dicens: *Mare viua corpora in semetipso retinet, mortua verò extra se protinus expellit.* Ita ille. Sic etiam mundus, qui meritò in sacris Literis mare nuncupatur, eos in se retinet, & amplectitur, qui non sunt mortui sæculo, eos verò qui mortui sunt cum Christo, reiicit à se: sed felix reiectio talis.

Psalm. 51. *Quid gloriaris in malitia qui potens in iniquitate? tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum.* Loquitur hîc Dauid aduersùm Doeg, Idumæum, qui causa fuit interfectionis Sacerdotum Domini, & gloriabatur in hac iniquitate sua. Ait igitur Dauid: Quid gloriaris in hac tua malitia Doeg, cuius lingua fuit nouacula dolosa? Cur linguam hanc nouaculæ comparat? S. August ser. 6. de verbis Domini ex Matt. *Quare* (inquit) *dolum potentu mala nouacula non comparauit? Quia admittitur nisi ad superflua nostra, sicut capilli in corpore nostro tanquam superflui videntur, & sine detrimento carnis raduntur; sic quidquid potest facere tibi iratus potens, inter superflua tua numera. Tollit paupertatem tuam, numquid tollit diuitias tuas? Paupertas tua, diuitiæ tuæ in corde tuo. Superflua tua potuit tollere, damno potuit afficere, permissus & vsque ad tedendum corpus. Etiam ista vita cogitantibus aliam vitam, ista tanquam vita inter superflua deputanda est. Nam & martyres contempserunt illam. Non vitam perdiderunt, sed vitam acquisierunt.* Ita S. August. Sic igitur amittere bona temporalia, est velut amittere capillos, quos nouacula radit, superflua scilicet adimendo: omnia enim bona temporalia, æternis bonis comparata, tanquam superflua & paruipendenda videntur, & sicut capillos sine detrimento capitis tollit nouacula, sic lingua vel manus aduersa, quæ temporalia tollit, sine detrimento nostro tollit, quia solùm quæ ad animam, & Dei obsequium pertinent, cum detrimento auferuntur.

S. August. serm. 12. in Euang. secundùm Matth. *Quid mussitant, vel contendunt homines inter se dicentes: Quid est bonum? ô si scires quid sit bonum! quod habere vis, non est. valde bonum; quod esse non vis, hoc est bonum: vis enim habere corporis sanitatem, non tamen existimes esse magnum bonum, quod habet & malus. Aurum & argentum habere vis? Ecce & hoc dico bonum, sed si bene fueris vsus, & per hoc aurum & argentum, malis malum, bonis autem bonum est. Honorem habere vis? bonum est, si eo bene vtaris; quàm multis honor exitij fuit occasio!* Ita S. August. Potest in huius rei explicationem prodesse id quod Iosephus ait de aquis illis, quas in Ægypto in sanguinem Moyses conuertit. Quæ (inquit) in manu Israelitæ non sanguis, sed aqua munda erat, in manu verò Ægyptij sanguis. Sic diuitiæ, & bona temporalia in manu peccatoris sanguinea peccata sunt, in manu autem viri justi, virtutes & merita gloriæ sunt. quod patet in bonis temporalibus diuitis auari & sancti Iob. *Iosephus.*

Ioan. 16. *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* S. Augustin. legit: *Gaudete, ego vici mundum*: & subdit serm. 21. de verbis secundùm Matthæum. *Domine, quia tu vicisti, gaude; nos verò quare? Quare nobis dicit, gaudete, nisi quia vicit nobu, nobis pugnauit.* Ita S. August. Vicit Christus mundum contemnendo ea quę mundi sunt, diuitias, delicias, & honores: vicit autem nobis, quia nobis reliquit exemplum, vt sequamur vestigia eius: tali autè armati exemplo facilè & nos mundū vincere valemus. Quis enim mundum sic à Christo proculcatum, non viriliter (si Christianus est) & ipse calcabit? Confidite igitur, meo exemplo munitos vos victuros esse mundum, & ea quæ in eo sunt; tūm etiam confidite, quia qui dedit exemplum, dabit & auxilium, quo facillimo negotio mundum superemus. Quòd si mundus insurrexerit in vos, confidite, videntes quomodo Christus patienter sustinuit eius persecutiones *vsque ad mortem; mortem autem crucis. Christus enim passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, & vos eadem cogitatione armamini*, ait S. Petrus; non ait *induimini*, sed *armamini*; impenetrabilis enim est armatura ista, & prætereà cùm Christus sic vicerit, confidite, quia victoriā suā fauorem & gratiam à Deo Patre promeruit, vt & nos pariter persecutiones & tentationes mundi vincamus. Ioan. 16. 33. 1. Pet. 3, 4.

Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, *vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Paradoxum videtur sententia ista, & præter omnium opinionem: licèt enim de temporalibus mundi bonis loquatur Salomon; sunt tamen pretiosa multa in mundo, aurum scilicet & argentum, & lapides pretiosi, honor, diuitiæ, & delicię, pulchritudo, salus & vita, quæ, vt constat, in magno pretio habentur; cur igitur vana appellat ea Salomon, imò vanitatem ipsam in abstracto? & quidem non semel aut iterum, sed vicibus quinque. Etenim aut mundus errat, aut Salomon ipse; at Salomonem errare nefas est dicere: eius enim lingua in hoc sacræ Scripturæ loco calamus est Spiritus sancti: mundus igitur errat. Quomodo autem vera sit sententia ista, videamus. Sunt in humanis multa in pretio habita, dignitates, videlicet, Comitum, Marchionum, Ducum, Principum, Regum, Imperatorum, diuitiæ, &c. Cur ergo vana hæc vocat? Titelmannus in hunc locum: *Quia nihil est in humanis ad hominis desiderium satiandum.* Ita ille. Rectè quidem, nam vanum id dicimus, quod ad desiderium nostrum non est satis, nec ad finem intentum assequendum. desiderat, & intendit quis Episcopatum, vel Reipubl. ducatum, apponit omnia sibi possibilia media ad ea obtinenda, sed frustrà; is rectè dicere valet; in vanum laboraui: non enim ad finem optatum & intentum peruenit. finis hominis est felicitas & beatitudo, ad hoc per assecutionem creaturarum peruenire non potest. Vana igitur sunt omnia ista, in sola enim visione Dei requiescere potest desiderium nostrum. Quare à quocumque monarcha roges, an desiderium suum plenum, & satiatum sentiat, negabit vtique, quia, vti S. Augustin. asserit: *Fecisti nos Domine adte, & inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te*: sicutde acus horologij dicimus, nunquam eam quiescere posse, donec directè stellam magnetis, à quo tacta est, aspiciat, &c. Subiecit sibi Alexander Magnus regna & reges terræ, Eccle. 1. 2. S. Aug.

& quia à Philosopho quodam dictum fuit ei alios esse mundos extra hunc quem videmus, tristis effectus, tristitiæ suæ causam esse dixit, quia ad eos obtinendos peruenire non poterat. Etenim si omnes illos reliquos ementitos mundos assecutus fuisset, eandem passus fuisset famem. Vana igitur omnia bona mundi nostro sunt cordi. Vnde rectè subdit ibi Titelmannus: *Nihil aliud est quæuis creatura in hominis animo, quàm guttula paruæ in immenso maris aluco, vel atomus in toto ambitus cæli spatio: nam inter finitum, & capax infiniti, nulla est proportio.* Titelm. A

S. Hieron. in Epitaph. Paulæ. *Sæculi homines suspicuntur eos qui bonis temporalibus pollent; nos verò laudamus eos qui pro Saluatore ista despexerint: non enim laudu est possidere diuitias, sed pro Christo contemnere illas.*

Prop. IV. *Bona temporalia breui tempore pereunt.*

Isa. 40 6. AVdiuit Isaias vocem dicentem sibi: *Clama*, hoc est, quod tibi dicturus sum, non in angulis, sed in publico, non submissâ voce, sed clamosâ debes hominibus annuntiare. Quid igitur hoc? *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini insufflauit in eo*; hoc est, leuis aura venti insufflauit in illo, hoc est, adeò futilis est homo carneus in hac vita, vt facilè ipse cum gloria sua flatu venti dissoluatur. quod quidem & oculis cernimus, & manibus contrectamus. quod ita prosequitur ibidem S. Hieronym. dicens: *Qui dudum infans, subitò puer, qui puer repente iuuenis, & vsque ad senectutem per spatia mutatur incerta, & anteà se senem intelligit, quàm iuuenem se non esse miretur. Pulchra mulier, quæ adulescentulorum post se trahebat greges, aratâ fronte contrahitur, & quæ priùs amori, postèà fastidio est. Quod apud Græcos egregius scribit Orator, speciem corporis, aut tempore desiere, aut languore consumi.* Ita S. Hieron. Cùm igitur homo sic subitò euanescat, gloria bonorum suorum, quæ in ipsa hominis duratione & vitâ fundatur, qualis & quanta erit? B C

Id etiam S. Iob his verbis confirmauit: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* vbi S. Gregor. 11. Moral. 26. *Homo enim more floris procedit, & ex occulto in publicum, & statim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. & quia per momenta homo quotidie compellitur ad mortem, rectè adiungit, fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Ita ille. Cap. 14. 1.

S. Thom. 3. p. q. 45. a. 2. agens de gloria transfigurationis Christi. *Ad corpus* (inquit) *gloria ficatum redundat claritas ab anima, sicut qualitas quædã permanens corpus afficiens, vnde fulgor corporalis non est miraculosus in corpore glorioso, sed ad corpus Christi in transfiguratione deriuata est à diuinitate & anima eius, non per modum qualitatis immanentis, & afficientis ipsum corpus, sed magis per modum passionis transeuntis, sicut aer illuminatur à Sole. vnde ille fulgor in corpore Christi apparens miraculosus fuit, sicut quòd ambulauit super vndas maris.* Ita S. Thom. Vbi notanda est differentia inter gloriam Beatorum, & gloriam viatorum, seu gloriam mundi, quòd gloria beati temporalis esse non potest absque miraculo: sicut è conuerso gloria mundi diu permanere sine miraculo non potest. *Que como es milagro las glorias del cielo durar poco, assi es milagro las glorias del mundo durar mucho.* id voluit significare Dominus. D

Imò non solùm quia vita hominis breuis est, ideò & gloria eius in hac vita etiam breuis est, sed quia in hac breuitate vitæ gloria ipsa mundi inconstans quidem est. Ambulauit Petrus supra vndas maris, sed exiguo temporis interuallo orta est tempestas maris, & qui feliciter vndas priùs calcabat maris, & abyssum eius sub pedibus terebat, posteà cœpit pauere & submergi in eo ipso quod calcabat mari. nec mirum, quæ enim constantia serenitatis & tranquilitatis esse potest in mari? Mare quidem est mundus iste, & nonnulli vndas & pericula eius calcare videntur, & quasi de ipso triumphare; sed tamen cùm securiores esse videntur, ortâ inopinatâ quâdam tempestate submerguntur, & naufragium patiuntur ab eo quod calcabant mare, & à periculis fluctuum eius. Matt. 14.

Omnis caro fœnum & omnis gloria eius tanquam flos fœni, S. Bernard. serm. 1. in Dom. in Ramis, sic explicat, & exemplo Christi confirmat, dicens: *Non sine causa spiritum sponsi, pariter & Dei sui habens Ecclesia, in Dominica Palmarum processionem nouã quãdam & mirã consuetudine addidit passioni. Nam processio plausum habet, passio planctum. Videat anima & intelligat, quoniã extrema gaudij luctus occupat. Propterea quæ cœpit cætera facere & docere, nõ solùm verbis, sed exemplis etiam prædicans, quòd ante prædixerat per Prophetam.* Quoniam omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni; *etiam apparens in carne mea, studuit probare in semetipso. Vnde & processionis gloriã voluit solemnari in ciuitate Hierusalem, qui paulò post sibi noueret imminere diem ignominiosissimæ passionis. Quis ergo speranti non debeat in incerto gloriæ temporalis, cùm videat in ipso quoque, qui peccatum non fecit, creatore temporum, post exaltationem tantam, tantam nihilominùs humiliationem sequi? In eadem enim ciuitate, ab eadem plebe, & eodem tempore, nunc quidem processionis gloriã, & diutinã est laudibus honoratus: posteà verò interrogatus contumeliis & tormento, & cum scelératis deputatus. Hic est transitoriæ lætitiæ finis, hic fructus gloriæ temporalis. Propterea prudenter orat Propheta. Precantet Domino gloria eius, & non compungatur, id est, processionem habeat, quam passio non sequatur.* Ita S. Bern. E

Iterum locum Isaiæ expendamus, audiuit Propheta vocem dicentis, clama, *da grytos que los pongas en el oreja dixe Dios à Esaias, clama*, magni ponderis ac momenti oportet id sit, propter quod Dominus clamare tantùm & tam grauem Prophetam iubet, quid igitur hoc? *Omnis caro fœnum.* Audiant qui omnem curam suam & sollicitudinem carni fœ addicunt, *Omnis caro fœnum.* Estne fœnum magni momenti res? similemergo sino, ait Dominus, esse carnem. Fœnum cibus est bestiarum, & caro est vermium cibus. Cui igitur mortales animæ curam suam transferunt? nónne meritò per hoc Prophetas suos clamare præcipit Deus? Quæ vlteriùs: & *omnis gloria eius quasi flos agri.* Pulcher apparet flos, verbi gratiã, lilij aut rosæ, sed fragilis est pulchritudo hæc, sicut rectè subiunxit Isaias, dicens, *exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo*, hoc est, ad leuem auræ flatum exsiccatur iste flos, non opus est in eius exitum desudare, aeris flatus ad hoc est satis. Vnde Christus Dominus, *fœnum hodie est, & cras in clibanum mittitur*; sic hodie homo est, & die crastino sepelitur. Talis est igitur gloria mundi, quo igitur non facilè despiciet eam? F

Sic Eliphas amicus Iob: *Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim.* Stultum hic vocat mundanum peccatorem, qui solùm curat in mundo mittere radices, & in eo prosperari, æternarum rerum oblitus, prospexit pulchritudinem & felicitatem mundanam illius, & maledixit pulchritudini tali, hoc est, contempsit eam, vti ait Sanct. Gregor. 6. Moral. 3. & hoc statim, & quamprimùm illam vidit. Quod sic expendit S. Gregor. ibidem, *Gloriam mortuorum nihil esse, in ipsa morte pensare infirmi quilibet possunt. Tunc enim ei etiam illi derogant, qui hanc & vsque ad mortem sequentes amant; nam plerumque nonnulli, dum quorumdam gloriam cernunt, eiusdem gloriæ aspectibus delectantur, ac magnum aliquid æstimant, seq; vt talia mereantur, exoptant. Cùm verò gloriosos quosque, aut deiectos subitò, aut fortassè etiam morientes aspiciunt, quia humanæ gloriæ omni modo nihil sit, cum gemitu fatentur: ita vt proinde dicant: Ecce quàm nihil est homo.* G

Qui

Qui hoc nimirum rectiùs dicerent cùm in gloria hominem cer-
nerent, tunc eius interitum cogitantes, transeuntem potentiam
nihil esse sensissent. Tunc quippe est humana elatio pensanda,
quàm nihil sit, cùm sese super cæteros successibus extollit. Tunc
considerandum est quo cursu felicitas transuolet, cùm ante hu-
manos oculos quasi permanens pollet. Bene itaque dicitur: Ego
vidi stultũ firmã radice, & maledixi pulchritudini eius
statim. *ac si apertè diceret: Cõtra stulti pulchritudinem, moram*
in maledictione non habui: quia cùm hanc cernerem, simul etiã
pœnam sequentem vidi. Ita S. Greg. Vbi obserua, hanc esse
inter sapientem, & insipientem differentiam, quòd insi-
piens iudicat de rebus præsentibus solùm vt præsenti-
bus nihil de statu futuro illarum attendens: at verò sa-
piens, dum præsentia cernit, quid de illis futurum po-
stea sit, animaduertit. Quod his verbis expressit Sa-
piens, *Sapientis oculi in capite eius, stultus in tenebris ambu-*
lat. Quid sibi vult parabola ista, nónne oculos in capi-
te habent, stultus pariter & sapiens? cur ergo speciatim
sapientem oculos in capite habere testatur? nimirum
quia natura oculos in capite constituit, vt ea quæ lon-
gè distant, faciliùs prospicere possit homo. nam si in
pedibus illos haberet, ea solùm videret quæ propè
ipsos pedes haberet; sapiens ergo in capite oculos ha-
bet, quia ad ea quæ distant mentem extendere nouit,
& quid post mortem de pulchritudine, diuitiis, & de-
liciis, & honoribus mundi futurum denique sit, anim-
aduertit; non verò sic stultus. hic enim oculos in pe-
dibus habet, quia ea solùm prospicit quæ præsentia
sunt, & ad finem & terminum harum mentis oculos
non protendit. vnde terrena sic appetit quasi æterna
futura essent, & non tanquam finienda, & morte ter-
minanda. hic non maledicit pulchritudini mundanæ
statim, sed cùm in morte hominis glorioſi gloriam
conspicit iam perire, tunc philosophatur, & ait, vani-
tas vanitatum, & omnia vanitas.

Alexandrum Magnum adulatores Iouis filium ap-
pellabant, & stultus ipse tali se appellatione honorari
gaudebat, neque enim futuram sibi mortem, quâ glo-
riâ eius exterminanda erat, considerabat: percussus
igitur interim sagittâ quâdam in bello, dolorem, &
stuporem corporis sentiens, ad adulatores conuersus
ait: vos me filium dicitis Iouis, vulnus autem hoc me
hominem passibilem & mortalem esse demonstrauit;
si saperet hic gloriosus: non vulneratus iam, sed sanus
antcà id perspicere debuisset, non in capite oculos, sed
in pedibus habebat, non maledixit statim pulchritu-
dini suæ, sed cùm eam perire cernebat: *qui ergo se sa-*
pientem gloriatur, in hoc glorietur, quòd omnia hæc
mundi bona citò sint morte abolenda, citò cognoscit.

Spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, &
tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tan-
quam fumus, qui à vento diffusus est, & tanquam memoria
hospitis vnius diei prætereuntis. Viuis coloribus Spiritus
sanctus hic depingit bona mundi, & gloriam eius, in
his enim collocat impius spem suam, his comparatur
in hoc loco spes mundanorum, nimirum, quia talis est
spes, qualia sunt, in quibus fundatur hæc spes, & tales
denique sunt sperantes in ea, talis denique gloria mun-
di, lanugo: lanugo autem est flosculus similis leni la-
næ, quæ ex floribus vltimò cadit, *los gualenes que salen*
de la flor, quando tallexe y se acaba con que juega los mucha-
chos soplandola y haciendo la bolar por el ayre, salen comunemente
de vnas algarchofas que crian los cardos. videbis in
carduis coronam quandam spinis septam, quæ velut
regia corona ex militibus constipata, *parecen archeros*
y alabarderos de guardia, & corona illa florem quendam
producit, cæruleum cæli colorem præferentem, regius
flos videtur, & quasi cælestis; sed quid inde? lanugo
puerilis. vide, quid in se claudebat corona illa regia,
lanuginem, quæ à vento tollitur, & facilè dissipatur.
videas regem gloriâ & honore coronatum, magnâ co-
mitante cateruâ, *con su corona cercada de flores de lis*, aureâ,
inquam, coronâ circumdatâ liliorum floribus, cæleste
quid hoc apparet, & immortale, sed quid intus includit
nisi lanuginem & flosculos pueriles, si quæ terrena
sunt ibi, conspiciamus, cibos scilicet regios, vestes re-
gias, honores illi exhibitos, & reuerentias regias, aulam
regiam, & huiusmodi alia; cælestia, inquam, ad pauca
respicientibus apparent, sed quid illa sint mors inopi-
nata adueniens declarat, ita enim omnia illa illi cuã-
nescunt, vt lanuginem à vento raptam meritò dicas.

Secundò, tanquam spuma gracilis, in qua quid in-
uenies nisi aquæ superflua, & bullas quasdam aquæ val-
de inflatas, quæ intus solùm aërem continent, & quæ
facili negotio rumpuntur, & euanescunt: talis est glo-
ria mundi in superfluis terræ producta, & nihil aliud
quàm bulla intus inanis, & nihil præter aërem in ea
magnum quid apparet, sed inflatio sola est. & ideò Sa-
lomon ait, post enarratam gloriam suam, vidi in om-
nibus vanitatem, & nihil permanere sub Sole. talis et-
iam est gloriosus mundi, inflatus gloriâ suâ, quasi bul-
la intus vanitate plenus incedit, inde prouerbium, ho-
mo bulla.

Tertiò, *tanquam fumus.* fumus quidem molesta res
est, semper alta petit, sed leuissima res cùm sit, vix
alta aëris obtinet, cùm iam à paruo vento dissipatus
euanescit; sic gloriosus mundi omnibus molestus esse
solet, quia superbia comes gloriæ mundi omnibus est
inuisa, surgit in altum, sed in altum regionis aëris.
quia nih il aliud attingit gloria mundi præter aërẽ, &
vix ad altum locum peruenit, cùm iam disparet, fortè à
flatu quodam venti. *Señor de que murio fulana aquel gran*
caballero, vn poco de ayre frio que le dió, o vn iarro de agua
que bebio. Ecce quàm fragilis sit gloria, siquidem à re-
bus adeò fragilibus dissipatur, *fuben en letras, en armas,*
en plaças, en priuanças, riquezas, en señorias, y en vn momen-
to, en vn pensamiento desaparecen. Meritò proinde dixit
Dauid, *Vidi impium superexaltatum sicut cedros Libani, &* *Psal. 36. 35.*
transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuen-
tus locus eius. quasi dicat. *Via vn triano sentado en vn tro-*
no de oro corca de los grandes de su corte, vestido de seda y oro, y
con vna corona de oro de martillo, sembrada de muchas piedras
preciosas sobre su cabeça, y vn sceptro riquissimo en su mano, mã-
dando al mundo, espantando à todos, qual el rey asseuro con su
authoridad. Pase adelante, volui la cabeza, y vi que toda a-
quella grandeza huuise parecido como humo en vna buelta
de cabeza? meritò ergo ait Sapiens, *& sicut fumus à vento* *Sap. 5. 15.*
diffusus.

Quartò denique, *tanquam memoria hospitis vnius diei,*
altioris considerationis, hoc est, hospiti, cuius memoria
vnius dici est, comparatur hic quilibet homo, quan-
tumuis diues & gloriosus sit, hospiti, inquam, cui in
hospitio ea, quæ petit, pro viribus administrantur, sed
postea carum rerum, quæ sumpsit, exacta reponitur
ratio, & requiritur solutio, nec inde exire permittitur,
donec soluat nouissimum quadrantem. sic diuitibus &
sæculi gloriosis, quidquid ad voluptatem & gloriam
suam exigunt, exhiberi solet, sed tandem cùm ab hu-
iusmodi hospitio recedendum est illis, exactissima exi-
gitur ratio eorũ, quæ sumpsere, & consumpsere, vt om-
nia, quæ debuerit, soluat vsque ad nouissimum qua-
drantem, *sue el gasto à su gusto, la cuenta sera al de Dios.* me-
moria autẽ eius sicut hospitis vnius diei, cùm enim in-
numeri sint, qui in communibus hospitiis recipiantur,
nulla hospitis vnius diei vel noctis remanet memoria.
Quæris à domino hospiti, recepisti fortè talem vel
talem hominem in hospitio? tot quidem, ait ille, sunt
hospites, vt recordari minimè valeam huius vel illius;
scribant & sculpant in marmoreis lapidibus nomina
sua principes terræ ad libitum, & stemmata sua hono-
rifica in sepulchris apponant, memoria tamen eorum
sicut hospitis vnius diei erit. hæc est gloria mundi,
hic bonorum mundi valor, & hoc pretium.

Ostendit dæmon Domino omnia regna mundi. ad-
dit

Mat. 4.8. *Luc.* 4.5. *Cap.* 4. dit S. Lucas, *in momento temporis*, expendit S. Ambros. lib. 4. in Lucam verbahæc, & ait: *Bene*, inquit, *in momento temporis tertena demonstrantur, non enim tam celeritas conspectus indicatur, quàm fragilitas potestatis exprimitur; in momento enim illa cuncta prætereunt, & sæpè bonor seculi abiit, antequam veneris; quid enim seculi potest esse diuturnum, cùm seculo ipsa diuturna non sint.* Ita S. Ambrosius. Obserua igitur, quàm stultum sit, pro temporali vtilitate, aut voluptate breui, sempiterno affici cruciatu, & pro citò transeuntibus bonis perdere sempiterna?

Ps 91.8. Vnde Psalmista: *Cùm exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem, vt intereant in seculum seculi.* S. Hieronym. sic legit: *Germinauerunt impij quasi fœnum, & floruerunt omnes, qui operantur iniquitatem, vt conterantur vsque in sempiternum.* Vbi S. Augustin. sic interpretatur: *Attendunt, qui recta non sentiunt, florem temporalem peccatorum, & imitantur illos, & volentes cum illis florere ad tempus, intereunt in æternum: exoriuntur sicut fœnum peccatores, quid est, si.ut fœnum virent, cùm hyems est, sed æstate arescunt: attendis florem fœni; quid citius transit, quid viridius, quid lucidius, non te delectet viriditas ipsius, sed time ariditatem ipsius.* Ita sanct. Augustin.

Qui etiam Psalm. 53. expendens eandem similitudinem fœni & floris, ait: *Isti florent felicitate seculi, & pereunt in virtute Dei, non enim quomodo florent, sic pereunt; florent enim ad tempus, & pereunt in æternum; florent falsis bonis, & pereunt veris tormentis.* Ita S. Augustin. Vide igitur quàm falsi sint filij hominum in statteris suis; quid ergo stultum magis quàm propter bonum temporale æternis addici tormentis?

Iac 1.10. *Dies sicut flos fœni transibit, exortus enim sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit, ita & dies in itineribus suis marcescet.* Accidit quidem nobis idem quod flori. *Hodie*, inquit, S. Ambrosius lib. 1. hexam. cap. 7. *Videas adolescentem validum, pubescentem, ætatis virtute florentem, gratâ specie, suaui colore, & craßinâ die tibi facie & ore mutatus occurret, &c.* Ita ille. Idem igitur diuitiis & prosperitatibus nostris cõtingit, hodie hic dies, cras egens; hodie aliis subuenire potens, cras ab aliis si subueniri quærens; hodie felix, cras nescio quâ oppressus calamitate miser & infelix, & tandem quantumuis vsque ad mortem in sua perseueret felicitate, morte præuentus omnem prosperitatem cum vita simul amittit, & fortè miser à felicitate temporali ad infelicitatem transit æternam, iuxta

Psal. 91.8 illud, *Cùm exorti fuerint peccatores*, &c.

Rex Pharao sicut flos manè cum exercitu magno ortus ex regia sua ciuitate vespere decidit, & submersus in mare, factus est piscium esca. Rex Babyloniæ Balthasar, dum dapibus regiis & vino pretioso se in-

Daniel. 4. gurgitaret, eodem die ab hostibus captus, & occisus est. Nabuchodonosor nunc exultat in aula, & illicò inter boues pascit in campis, & vlulat tanquam fera. Aman hodie ab omnibus principibus regis Assueri adoratur, & cras in ligno infelici pendens interit. He-

Esther. 12. rodes tanquam Deus honoratur, & statim à vermibus consumptus perit. Vide S. Chrysost. sermon. in Eutropium, vbi ait: *Vbi nunc est refulgens consulatus ambitio? vbi respondentes ad inuicem syderum toto orbe lampades? vbi coronæ, & patriæ totius orbis ornatus? vbi tubæ, & theatralis populi adulantis acclamatio? repentini venti flatu tanquam folia cuncta decussa sunt, & arbor nuda derelicta est, & non solùm nuda, sed ab ipsis auulsa radicibus. vbi conuitia? vbi paropsides? vbi denique omnis illa potentia? & clientum greges ad gratiam cuncta loquentium? euanuerunt omnia illa, velut somnium, & die exorto nusquam apparuerunt.* Ita sanctus Chrysostomus.

Idem Sanctus homil. *Quòd nemo lædatur nisi à seipso*, tom. 5. *His, qui mundi vinculis alligati sunt, hæc carnis & seculi bona vera videntur, è manibus tamen eorum tanquam ventus & vmbra effugiunt ac labuntur. Tanta autem stultorum, qui sic decipiuntur, stoliditas, vt cùm eos ratio nulla ab hoc interitu reuocet, nec euidentia quidem indesinenter peruentium exempla deterreant. Nónne ergo illos stoliditatis merito quàm pueros iudicem, quos puerilis ludus, vbi aut circulus vel uitur, aut turbo seu trochus verberibus agitatur, & longis particibus per curuæ spatia rotantur, ita intentos & hiantes tenet, vt auelli inde nullatenus queant, ignorantes penitus per ea vtilitatem, nihil in lado illo vtilitatis, nihil perfectæ opus haberi; sed tamen pro illis satisfacit ætas immatura; illis vero quid habent excusationis, qui in ætate perfecta puerilem, imò & puerili imbecilliorem sententiam tenent.* Ita S. Chrysost.

S. Bernard. ferm. 1. de aduentu Domini: *Infelicis filij Adam, omissis veris & salutaribus studiis, caduca potius & transitoria quærunt. Quibus assimilabimus homines hos, quos videmus à terrenis & corporalibus consolationibus auelli, spiritualibus, non posse? profectò similes sunt his, qui submersi penitus tantur in aquo, nimirum videas eos tenentes tenere, nec vllatenus ratione deserere, quod primùm occurrerit manibus, quodcunque illud sit, licèt prodesse non possit, vt sunt radices barbarum, ueteraq, similia. quòd si qui ad eos fortè veniant, vt subuenant, nonnunquam solent apprehensos inuoluere secum, adeò, vt cum nec sibi, nec illis auxilium ferre præualeant. sic pereunt in mari magno & spatioso, sic pereunt miseri, dum peritura sectantur & solida omittunt, quibus apprehensis emergere & saluare possent animas suas, neque enim de vanitate, sed de veritate ducitur, cognoscet eam, & liberabit vos* Ita S. Bernard. Stat ergo similitudo, seu applicatio similitudinis: hoc quòd propter peccatum cecidit homo in hoc mare magnũ miseriarum, & mortalitatis mundi: homo autem miseriis oppressus arripit mundi bona quæ nihil nisi paleæ sunt, quæ cùm à miseria tandem mortis & perditionis nos eripere non valent tempore mortis, in quo maior necessitas vrget, deferunt enim, & verum supernatant, vt ab aliis arripi inaniter iteruni possint, &c.

Ad Hebr. 11. *Fide Moyses grandis factus negauit se filium filiæ Pharaonis, eligens magis affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improbrium Christi, aspiciebat enim in remunerationem.* Vbi primùm obserua quod Moyses non negauit se filium filiæ Pharaonis quando puer erat, sed grandis factus; pluris enim æstimare mundi huius diuitias & potentiam, puerorum est non integro iudicio de rebus iudicantiũ. jam igitur grandis factus, & iudicio pollens, puerorum lusus, & pupillæ in mundo magna sunt, nihil esse iudicauit. Vnde meritò ad hos sapientia Dei clamitat: *Vsquequò paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupientes* responderem ego: vsquequò paruuli sint. Grandis igitur effectus Moyses, negauit se filium filiæ Pharaonis, & ó Moyses, si principatum huiusmodi respicis, & populi Dei societatem eligis, affligi te cum populo Dei afflicto oportebit, ita est, & hoc elegit, eligens, inquit, magis affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati. quid? iucunditatem vocat temporalis peccati? nimirum diuitias, & delicias, & honores, & imperium mundi? sed cur hoc temporale peccatum vocat? temporale, quia non æterna bona hæc, sed temporalia & peritura sunt peccatum, quia innumerabilium peccatorum cauſſæ & fontes sunt: inde quippe superbia, gala, & luxuria, & inuidia, odia, rixæ, dissensiones, ambitiones, vanæ gloriæ, proximorum clades, & omnia peccata scaturire videmus. valeant, ait Moyses, huius mundi bona, si bona dici possunt quæ tantorum malorum sunt origo.

Quare meritò S. Chrysost tom. 5 serm. de vanitate præsentis vitæ, scenæ & somnio meritò vitam comparat nostram. *Non secus*, ait. *se habet hæc vita quam somnium ac scena; qua sublata rerum illæ omnes varietates dissoluuntur, & sicut cessante somno tolluntur in scenia, eodem pacto cùm finis cuiusq; venerit, resoluta cuncta euanescunt, & qui-*

quidem diu præstat, quod plantaueris lignum, & quam ædificaueris manet domus: faberauetum & agricola abeunt, & corrumpuntur. Nunc audi Salomonem qui huius rei experientiam cepit, quid de præsentis vitæ bonis dicat. AEdificaui, (inquit) mihi domos: &c. hunc sanè nemo vnquam delitijs, gloria, sapientia, dominatu, omniumque rerum ad voluntatem succesu anteiuit; quid igitur hic, Vanitas, (inquit) vanitatum, & omnia vanitas. cui vanitatis non simplicitatem, sed excessum expressit. credamus obsecro ei qui rerum hunsmodi experientiam consecutus est, & his rebus incumbantus, in quibus nihil est inane, sed vera & omnia certa & stabilia sunt, in quibus nihil senescit, nec ad tertium tendit. nonne persæpe terrena hæc incusamus, & nihil esse hanc vitam dicimus, quid ergo tam nixè in hoc nihilo incumbis? quousque erimus his rebus affixi? siquidem terrenis hisce adeò detinemur, vt non sæpius ac vermes luto obuoluti. Corpus è terra Deus nobis effuxit, vt illud subleuaremus ad cælum, non vt per id animam ad terram traheremus.

A

S. Basilius in Psa. 1. in illa verba, in via peccatorum non stetit, per viam, vitam intelligens, ait ? *Omnes in via sumus, transibunt omnia, post tergum relinquentur omnia: vidisti de via plantas & herbas? aquam aut aliud quidvis non indignum spectatu. Non nihil hinc oblectationis decerpsisti, deinde illa præteristi. Rursus in lapides incidisti, in conualles, præcipitia, scopulos, aut fortè in feras incurristi, reptilia, spinas, & alia permolesta; hinc nonnihil contraxisti mœroris, sed mox ista reliquisti. talis igitur est vita nostra. quæ nec delectabilia, nec rursus acerba, & tristia retinet diu. sed nec via hæc tua est, neque præsentia tua sunt. in viatoribus primus vestigium mouet, & post eum alius & item alius insequitur. considera nunc paruuper num res humana consimiles sint. Hodiè terram colui sti, cras alter colet, & post eum alius. Vides agros hos, & domus sumptuosas, quot nomina iam vnumquodque horum permutauit. dicebantur alicuius esse, & postea in alterius denominationem transierunt, & post illum rursum ad alium, nunc quoque alterius esse dicuntur nam ergo vita nostra non dicetur via, quæ continuò modo hunc, modo illum sortitur statum? Beatus ergo qui in via peccatorum non stetit.* ita S. Basilius.

B

C

Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis: qui quasi flos egreditur, & conteritur, & nunquam in eodem statu permanet. In hac hominis descriptione non solùm quid sit homo, sed quæ sint bona eius, quibus in mundo hoc vtitur, & vti poteſt, vsus coloribus Iob expressit: nam si homo ipse breui tempore viuit, & breui tempore bonis mundi necesse est quoque priuari, non enim fecum ducere bona hæc hominem morientem licet, imò quia nunquam in eodem statu permanet, sed iam dies, iam pauper efficitur, iam sanus, iam ægrotus redditur, iam honoratus, iam sine honore, reperitur, vti Iob ipse, qui hæc protulit, expertus fuit, ob hoc, inquam, bona hæc mundi quàm instabilia sint facilè patet, cùm non solùm morte finiantur, sed ante ipsam mortem sæpe quoque amittantur.

Vidit Nabuchodonosor statuam illam ingentem ex auro, argento, ære, ferro lutoque constantem, quæ quatuor illas glorioſas mundi Monarchias figurabat, vidit (inquam) eam in somnis, & cum primum expergefactus fuit, obliuioni ita tradidit somnium, & imaginem illã, vt à Magis vi extorquere contenderit quid in somnis vidisset. Ecce in imagine illa imaginem mundi, & potentatuum eius optimè depictam. Primò imaginem regnorum vidit, non regni; quia mundi bona non quasi vera sed quasi depicta bona censenda sunt. Præterea in somnis illa vidit, qui hæc vident potius somniare quam videre videntur. Denique statim oblitus fuit regnorum illorum, quia licet supremæ quidem extiterint hæ monarchiæ, omnia eius optima obliuioni prorsus, & in breui dantur. Duret licet mundus & historiographi eius literis, quæ alta sunt mundi, mandent, tandem obliuioni tradentur, & tunc quasi non fuerint, sic reputabuntur. quòd si regnorum & imperiorum memoria adeò breuis & nullius durationis reputatur, vt somno ſtatim auolanti comparetur, ipsa regna, & imperia, quantæ durationis esse iudicabis? quod si regna, quid reliqua inferiora bona?

D

S. Chryſ. *Res subitò inclinans, & omnigenis casibus quàm maximè obnoxia, hominum natura est, ad senectam iuuentus festinat, d labitur gratia in deformitatem, ad imbecillitatem robur decrescit, sanitas deficit in languorem, in contemptum gloria, diuitiæ in penuriam, præcipiti flumini, nec vsque consistenti, sed ad propria continuò & per omnia ruenti nostra simulia sunt.* Ita S. Chryſ. Nota similitudinem fluminis, & exemplis ad hoc comprobandum abundant historiæ tam humanæ quàm diuinæ, & continuus rerum euentus. *Hom. 30. in 1. ad Cor.*

Alex. ab Alexandro refert, Babylonios super thronum regium quatuor aues depinxisse, quibus quatuor mundi imperia, & monarchias designabant, illasque sicut aues auolasse, & nullum de se vestigium reliquisse tandem, sicque omnem mundi principatum leui volatu præterire. Qua quidem similitudine vsi etiam sunt illi, de quibus Sapiens ait: *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt. Quæ? quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra, &c. aut tanquam auis, quæ transuolat in aere, cuius non inuenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans leuem ventum.* Sic est supremus mundi huius principatus tanquam volatus auis velocissimus. *Lib 3. c. 5. Sap cap. 5. 14.*

Vnde dæmon promittens Christo Domino regna cuncta orbis, nihil aliud fecit quàm ostendere illa illi, *assumpsit eum in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum:* sic regnorum mundi possessionem ostensionem solummodo illorum possumus appellare, vix enim apparent, cùm iam ab oculis nostris recedunt. *Este poseer de bienes es como vn solo dar lo a uer de los ojos* *Matth. 4.*

Quantumuis firma & ſtabilia bona mundi esse videantur, tandem temporis tractu consumuntur: quod in superba illa Babylone videre licet, de qua sic S. Anton. *Cepit, inquit, Babyloniam Cyrus, quam vel humano opere extru potuisse, vel humana virtute destrui posse vtrumque planè incredibile apud mortales erat: denique quidquid est opere vel manu factum labi & consumi Babylon capta confirmat.* S. Hieron. exprimens excellentiam Babylonis, ait, *Babylonem fuisse potentissimam, in campestribus per quadrum sitam, ab angulo vsque ad angulum muri sexdecim millia passuum tenuisse, & per circuitum quadringenta octoginta quatuor stadia, vt refert Herodotus, & alii multi, qui Græcas historias conscripserunt, arx autem, id est, capitolium illius vrbis, & turris quæ ædificata est post diluuium in altitudine dicitur tenere tria millia passuum paulatim de lato in angustias coarctata, vt ingens pondus facilius à latioribus sustentaretur. Describunt ibi templa marmorea, aureas statuas, plateas auro lapidibusque pretiosis fulgentes, & alia multa, quæ pene videntur incredibilia, & hoc totum narrauimus, vt ostenderemus quòd ad iram Dei omnis potentia nostra puluis sit, & fatella comparetur. Si liceret introire barbaras nationes, & huius vrbis ruinas videre, videremus possessionem hereticy, & paludes aquarum, & verè esse completum illud de illa, Scopabo eam in scopa terens; exceptis enim muris coctilibus, qui ad bestias concludendas post annos plurimos instaurati sunt, omne in medio spatium solitudo est.* Hæc S. Hieronym. & ita sanctus Antoninus. *2. part. hist. tit. 4. c. 1. §. 8. Sup. Isa. lib. 5. Isa. 14. 23.*

S. Bernardus: *Infelices filii Adam, omissis veris & salutaribus curis, caduca potiùs & transitoria quærunt.* Ita ille. Pondera verbum *infelices*, sicut si hi qui ex nostris ad Indos se conferunt, vbi argentum aurumque abundat, & his omissis, illis acquirendis operam darent, quæ nullius momenti apud nos essent, vel ludis & otio vacarent, infelices illos diceremus, cùm ad nos redirent: quia cùm possent diuitias multas secum *Ser. 1. de aduentu. Simile.*

asportare, oleum & operam interim perdidissent. In- A dia meritorum cœlestium est mundus iste, hîc sancti Martyres, Monachi, Eremitæ, Anachoretæ, sanctique omnes diuitias illas, quas modò in cœlo possident, sunt assecuti, & cùm mundani ea facilitate, qua & illi, possint huiusmodi acquirere opes, ludis & ludicris rebus vacantes, pauperes à Deo huiusmodi recedunt, vt æterna fame ac siti in æternitate crucientur. Sicut contigit diuiti illi, qui hic quidem epulabatur quotidie splendidè, & inducebatur purpura, & byssо, his vacans mortuus est, & sepultus est in inferno, vbi tanta inopia laborat, vt vel solam aquæ guttam postulans, nunquam eam potuerit inuenire.

In suis moralib. Hinc solicitudo rerum temporalium damnatur. Refert Plut. Ægyptios olim in domorum constructione fuisse negligentes, cùm sepulchra interim ma- B gnificentia, & sumptu multo ædificarent, & Pyramides ad hoc erigerent magnitudinis miræ: rogati cur id facerent, quia sc. respondebant, virorum domicilia, vitæ in momento transeuntis diuersoria sunt, sepulchra verò sunt defunctorum domus æternæ. Rectiùs nos dicemus his, qui magna solicitudine bona temporaria quærunt: Quærite, ô mortales, cœlestia bona, quia hæc æterna sunt, temporalia verò breui reliquenda, ibique domos sumptuosè construite, vbi anima est sine fine victura, nó verò hic vnde statim est recussura.

Hom. 1. in Gen. S. Chryf. *Humana & corporalia omnia nondum rectè aduenerunt, & iam anolarunt. Tale quidem sunt delitiæ, tale diuitiæ, tale humana gloria, & potentia, tale vniuersa prosperitas vitæ huius, nihil firmum habens, nihil subsistens, nihil fixũ, sed magis quàm fluminum fluenta pretercurrit, nubesque ac solos relinquit illos, qui inhiant illis: atqui spiritualia non sunt talia, sed contraria: sunt enim firma, & stabilia, & vicinũ studium non admittentia, & ad seculũ omne se extendentia. Quãta igitur fuerit insipientia, nutantia cum immobilibus collocare, temporalia cum æternis, perpetuò permanentia cum his quæ anolant, & ea, quæ illic nobis graue supplicii parturiunt, cum his quæ in futuro seculo felicitatẽ afferunt summam.* Ita ille.

Pſ. 48. 11. Agens Dauid de his, qui bonis temporalibus corde adhærent, *Relinquent*, inquit, *alienis diuitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum. Tabernacula eorum in progenie: vocauerunt nomina sua in terris suis.* Quid est quod horum sepulchra domos vocat, domos verò illorum tabernacula dicit? tabernaculum quidem à domo in hoc differt, quòd tabernaculum ad breue constructur tempus, citò conficitur, & citò deponitur, quale quidẽ est tabernaculum pastorum, & tabernaculum militantium, domus verò in tempus ædificatur longum. Meritò igitur vita humana habitatio & duratio nostra tabernaculo comparatur, quippe cùm sæpe vix domus, seu palatium Regis construitur, cùm iam inde habitator per mortem reuocatur, *la casa echa y el huerco a la puerta, edificò el Rey para si vn palatio, à penas ẽstaua el edificio* D *acabado quando al Rey sele acabo la vida.* Sed tamen sepulchrum meritò dicitur domus, quia ibi per longissimũ tempus moratur mortuus homo. Vnde Apoſt. Petrus, *Scio quia velox est depositio tabernaculi mei*, imò & Ezechias, quamuis Rex; *Vita mea conuoluta est à me, quasi tabernaculum pastorum:* hinc Iob, *Militia*, inquit, *est vita hominis super terram.* Si vita nostra est militia, quidni domus nostræ non domus, sed tabernacula nuncupentur?

2. P. 1. 14. Iſa. 38. 12. Cap. 7. 1.

Vtinam ego in altissimo atque editissimo loco constitutus, possem hæc verba magna vocis contentione omnibus illis proponere, qui terrena ac peritura bona nimis exquirunt: O vos inſcios & ignaros homines, qui apud Regũ & Pontificis curiam summos honores & dignitates aucupamini, nescitis quid petatis. Qui in Academiis primas cathedras primariosque honores & dignitates appetitis, nescitis quid petatis. Qui præcipua Reipubl. munera magno studio summaque diligentia exquiritis, nescitis quid petatis. Neque mirum est hæc verba vobis obiici, cum ea Scriator noster discipulis suis dignitatem appetentibus obiecerit. Sed vt clarè cognoscamus, iure illa proponi posse omnibus his, quitales dignitates affectant, inquiramus qua de causa Christus Iesus ea discipulis proposuerit. & quidem idcirco factum esse arbitror, quia existimabant illi se aliquid petere, cum nihil peterent. Accessit mater filiorũ Zebedæi petens aliquid, & tandem nihil petebat, quia caduca & peritura bona postulabat, quæ quidem nihil sunt.

Vide (inquit Sapiens) *cuncta quæ sub sole fiunt, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.* Quamuis enim in hac rerum vniuersitate amplissimæ facultates, diuitiæ, dignitates, plurimiq; honores & dominatus inueniantur, quia tamen ista omnia exigua ac pæne nulla bona sunt, sapienter à Sapiente dictum est, esse vana & nihil: apud sapientes enim parum pro nihilo reputatur, vanum verò illud dicitur quod aere dumtaxat plenum est. Atque idcirco exponens D. Hieronymus illa Sapientis verba, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, Pro Vanitas, inquit, vanitatum, secundum quosdam interpretes, possumus dicere, *vaporem fumi, & auram tenuem, quæ citò soluuntur, vnde vniuersitas caduca ostenditur.* Hæc ille. Cuncta igitur imperia, dignitates, honores, dominatus, ac munera, quæ tam auidè & ardenter ab hominibus expetuntur, nihil aliud sunt, quàm vapor fumi, & aura tenuis; quæ quidem licèt in hac vita specie quadam boni, ad se hominum animos alliciant, nullum tamen ex eis commodum reportatur. Quod planè fatentur hi, qui huiusmodi bonis abundarunt. *Quid* (inquiunt) *profuit nobis superbia? & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt.* Neque verò dicunt: quid modò nobis prodest, sed, *quid nobis profuit*, videlicet, quia nunc nihil illis prodesse perspicuum erat. Hæc dicunt Alexandri, Cæsares, Pompeii, reliquique Romani Imperatores, qui suorum criminum pœnas apud inferos acerbissimè soluunt. Quibus fua imperia, & bona, adeo exigua videntur, vt ea nullius fuisse momenti, nullius que vtilitatis ferò tandem cognoscant. *Quid* (inquiunt) *nobis profuit superbia?* id est, nihil profuit, quia omnia illa bona nihil erant. Sed demus ea aliquid esse, fueruntne diuturna? *Transierunt*, aiunt, *omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus, aut auis quæ transuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, sed tantum sonitu alarum verberans leuem ventum & scindens per vim tenuem aerem: commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenitur itineris illius, sic & nos nati continuò defuimus esse.* Perpende singula hæc Salomonis verba, & manifestè perspicies stultos omnino atque ignaros esse omnes illos qui petunt, & quasi arcessunt huiusmodi peritura bona: *Transierunt* (inquiunt) *omnia illa sicut vmbra*: illa enim potiùs sunt vmbræ bonorum, quàm vera bona. Vmbra verò corporis similitudinem gerit, sed non est verum corpus, ita etiam terrena bona speciem bonorum præ se ferunt, non tamen sunt vera bona, sed quædam quasi vmbra, & similitudo bonorum, *& sicut nuncius percurrens*, qui quidem læta ac iucunda nuncia afferre solet, quasi præteriens tamen, sic etiam illa bona, non tam bona quàm bonorum nuncii, qui citissimè euanescunt, dicenda sunt: *& tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam*, &c. celeri enim cursu, & quasi vno ictu omnia mundi bona, omnesque fortunæ currunt, ac pereunt. *Vidi impium* (inquit regius Vates) *superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani: & transiui, & ecce non erat, quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Ecce auis, cuius non est inuenire viam. Hæc, dixerunt impii, fuit vita nostra, & denique sic nos nati continuò defuimus esse. Tam breuiter enim suæ vitæ curriculum transactum esse iudicant, vt primũ suæ vitæ diem conjungi,

&,

&, vt ita dicam, cùm supremo continuari fateantur. Quamobrem ea omnia somniata bona in sacris literis nuncupantur. *Dormierunt* (inquit Dauid) *somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Vbi Hieronymus sic ait: *Verè hæc vita somnus est, & diuitiæ, quando enim videmur eas tenere, flatim amittimus.* Esaias verò eadem metaphora vtitur, cum iuxta D. Hieronymi explicationem de diuitiis à Romanis in Ierosolymæ excidio partis, sermonem habet: *Sicut somniat* (inquit) *esuriens, & comedit* (scilicet in somnis) *cum fuerit expergefactus, vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens, & bibit, postquam euigilauerit, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: sic erit multitudo omnium gentium: quæ dimicauerunt contra montem Sion.* Fingite animo egenum quendam hominem fame sitiq; enectum, somniantem, se diuitiis affluere, & victu potuque suauissimo frui. At quamprimum à somno ille excitatus est, cum formæ earum rerum, quæ sibi in quiete obiectæ erant, re ipsa nullæ essent, pecuniis cibisque vacuus, dolet, maximeque tristatur: eodem sanè modo se habent huius vitæ bona, videntur enim in somnis, & licet vana bona non sint, boni magni speciem offerunt dormientibus, cum vero post huius vitę curriculũ excitati fuerimus, ea vana prorsus & nugatoria esse comperiemus.

Præterea non solum illa Apostolorum petitio reiicitur, quia illi arbitrantes se aliquid petere, nihil petebant, sed quia in hoc regno dignitates permanentes postulabant. *Dic vt sedeant*, loquitur mater filiorum nomine, *hi duo filii mei vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram in regno tuo. Dic vt sedeant* (ait) non sedendo, sed cursim transeundo ijs bonis terrenis frui datur. Non enim mundi honores, & dignitates constantes esse possunt, sed fluxæ & instabiles. Nunc etenim hominem in amplissimo dignitatis loco positum, & postmodum de pristimo statu ad infimum ordinem deiectum contuebimur. Hodie Daniel tantum gratia valuit apud Darium, vt constitutus sit ab illo caput ac princeps super centum viginti Satrapas, & cras ab eo in leonum lacum mittetur. Hodie Doctor ille gentium Paulus, adeo apud Lystrios æstimatione sanctitatis, sapientiæ & virtutis floruit, vt voluerint Lystrenses ciues ei honorem deferre, cras tamen ab eisdem idem conuiciatus, lapidibusque petetur. Hodie Princeps Aman exaltatus est à Rege Assuero, qui posuit solium eius super omnes principes, quos habebat, & cuncti serui Regis qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: sic enim, ait Scriptura, præceperat eis Imperator. Sed cras ex tam sublimi statu felicique fortuna deiectus Regis iussu suspendetur Aman in patibulo, quod paraucrat Mardocheo: ac demum humani generis vindex, ac Redemptor Iesus, Dominico quodam die Ierosolymam gloriosissimè triumphans ingreditur, & lætis acclamationibus à Iudæis excipitur, à quibus quatuor post dies ignominiosissimè actus est in crucem, quod egregiè ac luculenter D. Bernard. expendens, *In eadem*, inquit, *ciuitate, à plebe eadem, & eodem tempore, nunc quidem processionis gloria, & diuinis est laud. bus honoratus, postmodum verò interrogatus contumeliis, & tormento, & cum sceleratis deputatus. Hic est transitoriæ lætitiæ finis, hic fructus gloriæ temporalis.* Hæc ille, & addit. *Ab eodem populo in eodem loco, & ipso tempore pauciss. mis diebus interpositis primo cum tanto triumpho susceptus, postea crucifixus est. O quam d. s. m. le est.* Tolle, tolle, crucifige eum: &, Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis. *Quam d. s. mile, Rex Israel, & non habemus Regem nisi Cæsarem. Quam dissimiles rami virentes & vetus, flores & spinæ: cui prius sternebantur vestimenta aliena, ecce sua exuitur, & fors mittitur super ea; & absoluens concionem inquit: Quis ergo sperare iam debeat in incerto gloriæ temporalis, cum videat in ipso quoque, qui peccatum non fecit, creatore temporum, & conditore vniuersitatis post exaltationem tantam nihilominus humiliationem sequi.* Hactenus Bernardus.

Cùm ergo nihil sit in mundo firmum, stabile, & perseuerans, immeritò atque impropriè dicimus aliquem in aliquius status hęreditatẽ peruenire: non enim status esse potest qui non constans, sed mobilis, ac facile labens: vt testatur sapientissimus Salomon, cum ait: *Vide nihil permanere sub sole.* Beatus etiam Iob: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis.* Quod si quis nõ multis miseriis, sed plurimis bonis repletus fit, saltem breui viuit tempore, neque diu poterit ciusmodi bonis perfrui. Quocirca aptè subiungit Iob: *quasi flos egreditur, & conteritur, & numquam in eodem statu permanet.* Rectè hominem cum flore comparauit, quia, vt Esaias etiam clamat, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. & numquam in eodem statu permanet* (ait) quomodo ergo status erunt immutabiles?

Eccl 2. 21. Cap. 14. 2.

Cap. 40. 6.

Vos igitur qui caduca hæc & peritura bona tanto studio quæritis, tantaque ambitione petitis, nescitis quid petatis. Quærite regnum Dei, & iustitiam eius, hæc enim diuturna sunt. *Non contemplantibus* (inquit Apostolus) *quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna.* Hæc veræ diuitiæ à B. Gregorio appellantur. *Si fratres*, inquit, *charissimi, diuites esse cupitis, veras diuitias amate: si culveri honoris quæritis, ad cœleste regnum tendite: si gloriam diligitatemq, diligitis, in illa suprema Angelorum ciuitate adscribi festinate.* Ita Gregorius. At diuitiæ huius sæculi, assérente D. Chrysostomo, *in vita cruciant, in morte deserunt, & in diuino tribunali diuites ipsos accusant: lignum enim de pariete contra diuitem clamabit. Animi vero diuitiæ in vita lætificant, in morte comitantur, & in Dei tribunali homines defendunt, illisque æterna beatitudo comparatur.*

2. Cor. 4. 18.

Hom. 15. in Euan.

Quis non miretur sollicitudinem, quâ mortales temporalia hæc, quasi æterna essent, curant, & procurant. *Iustitiuen grandes maioraz gos, ed. fican palacios sumptuosos con artesones y techos dorados, labran iardines artificiosos co mil curiosidades y primores de fuentes, surtidores, estanques cercados de corredores sustentados en pilares de marmol cubiertos de yedras y lazmines y flores que suben trepando, fundan rentas y memorias eternas, &c.* Quid amplius efficerent hi si & ipsi æterni essent in hoc mundo? & tamen vix summis labijs hæc attingunt, cùm iam mors ex labijs eorum illa omnia tollit, & quod magis mirandum est, cum hæc omnia omnibus notissima sint, & quotidiano experimento comprobata, vix hominem reperies, qui ab huiusmodi vanitatibus contrahat manum.

Hinc tamen sapientes viri, pauci quidem, se aduenas & peregrinos iudicantes, ne opus & oleum perdant, tempus & opes suas non nænijs istis, sed in his, quæ ad veram æternitatem conducunt, libenter insumunt. Sic Dauid, *Aduena ego sum, & peregrinus, sicut omnes patres mei.* Vbi S. Augustinus adnotauit, haud Dauidem dixisse, *Aduena ego, & peregrinus sum*, sicut alij reges, quia hi vt plurimum tamquam huiusmodi perpetui habitatores se gerunt: sed *sicut patres mei*, ait, qui pauperes & velut peregrini fuerunt. Vbi notanda sunt originalia verba ex Hebræo: *Aduena ego sum tecum*, vti Lira. & Caiet. adnotarunt: quid autẽ sibi vult *tecum*? nũquid Deus, qui cum Dauid loquebatur, aduena & peregrinus dici potest, qui habitat immortalitatem, & æternitatem? Præuidit quidem prophetico Spiritu Dauid filiũ Dei in carne venturum, qui verè tamquam aduena & peregrinus se gessit, & in forma factus mortalíũ pauperem vitam egit, ita vt non haberet vbi caput suum reclinaret, qui Dominus omnium erat, & in cuius ditione reposita cuncta erant, & sunt, vt nos ita doceret de rebus mundi sentire, &c. Tecũ igitur aduena & peregrinus sum, ait Deus: par igitur est, vt & nos, qui nos Christianos esse gloriamur, sicut ille ambulauit, ambulemus, & quilibet nostrũ dicat cum Dauide: Aduena ego tecum sum, bonum enim mihi, si tecum ita sim.

Pſ. 38. 13.

Prima Corinth. 7. *Reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint, & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur; præterit enim figura huius mundi.* Dialecticorum more enthymemate vtitur hoc loco Apostolus ex quodam per se noto Antecedenti, manifestam deducens consequentiam, Antecedens in vltimis verbis. hoc est, *præterit figura huius mundi.* Figuram vocat mundum, & omnem eius supellectilem, seu omnia eius bona, ad tria capita reducta, diuitias scilicet, delitias & honores, hæc non vera, & legitima bona, sed figuram bonorum appellat. Diuitiæ. n. mundi, non veræ diuitiæ sunt, sed figura quædam diuitiarum; sic & delitiæ figuram habent delitiarum, & honores honorum, non vero ipsam existentiam & veritatem. Sicut enim figura regis aliquid habet regis, figuram scilicet, & apparentiam eius; sic bona huius mundi. Et sicut homo pictus homo est tantum, secundum quid, sic bona hæc, bona secundùm quid, & illorum, quæ in cœlo sunt, perfectorum bonorum aliquam similitudinem habentia. Quid enim diuitiæ, nisi terrea quædam bona? quid delitiæ corporeæ, quę brutis communes ferè sunt, nisi figura delitiarum? quid honores præter ventum, & apparentiam habent? quid respectu cælestium bonorum, nisi bona secundum quid? denique figuram vocat Apostolus.

Quod si bona esse contendas, transitoria esse non negabis. Ideo ait, præterit figura huius mundi; nulla hîc, sicut in cœlo, permanentia bona. Vbi Cræsi diuitiæ? vbi Heliogabali delitiæ? vbi gloria Salomonis? vbi Alexandri Magni dominium? vbi Augusti Cæsaris triumphi? vbi Absalonis pulchritudo? vbi Mathusalem duratio vitæ? vbi fortitudo Samsonis? Hæc omnia sunt? bona huius mundi, ecce eorum permanentiam. *Transierunt*, inquiunt eorum possessores, *tanquam vmbra.* Idem hi quod Paulus, ille figura, hi verò vmbra. Quid autem vmbra, nisi figura corporis: non corpus ipsum? Paulus ait, *præterit*, hî, *transierunt.* Talia dixerunt in inferno hi, qui propter hæc bona peccauerunt, & perierunt, per experientiam docti, quod Paulus verbis asseruit. Transierunt etiam, aiunt, tanquam nuntius percurrens. Sunt hæc bona nuntius bonorum æternorum, & nihil amplius. Vt. n. notitiam aliquam bonorum cœli haberemus, hæc nobis à Deo tradita sunt. Placent diuitiæ? attende igitur quantùm æternæ placebunt. Si hæc earum figura tantùm placet, quid res ipsa? idem de honoribus, & delitijs, transierunt hæc, tanquam nuntius, & non qualiscunque, sed percurrens: *Correo que va por la posta, porque a posta se criaron para dar nos alguna notitia de la Soberania de los bienes del cielo, no mas, y no para hazer dellos cielo y gloria en este mundo.*

Hoc igitur Antecedente constituto, *reliquum est*, ait Apostolus, *vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint*, hoc est, *No se casen con sus casamientes*, non ducant vxores tamquam statum accipientes. Sic. n. nuptias considerant homines, vt vocant accipere statum. At homo nunquam in eodem statu permanet; quomodo igitur status hic stabit matrimonij? Qui ergo habent vxores tanquam non habentes sint: *Ha gan cuenta que no estan casados, pues tan presto los ha de descasar la muerte.*

Item, *qui flent, tanquam non flentes*, id est, qui laboribus & tribulationibus vexati flent, fleant, ac si nihil paterentur, quia transeunt etiam velocissimo cursu tribulationes, sicut reliqua omnia, sicut vita ipsa. Vnde *& qui gaudent, tanquam non gaudentes sint*, id est, qui prosperitatibus gaudent, mortis reminiscantur. Vbi omnia luctus & mœror. *Todo es allí luto y lloros*, & quod parum distat, nihil distare videtur. Denique, vt vno verbo cuncta dicam: *qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur*, quia, si mundus est figura bonorum, hoc est, parum boni habet, & parum pro nihilo reputatur, & tanquam non vtentes sint.

1. Cor. 7. 29.

Quam quidem conclusionem, vel illo solo verbo, *figura*, satis superque Apostolus significauit. Figura ad scenam tragicam spectat, ibi alter figuram regis, alter vero serui gerit, hic episcopi, ille vero scriptæ, sed tragœdia finita, vbi rex? vbi seruus? &c. Omnia subitò euanescunt, nec rex imperat, nec episcopus benedicit, imo nec in ipsa scena vera, sed ficta, & figura videntur, & prætereunt in figura. Sic de mundo Paulus *præterit figura huius mundi*, huius non alterius, ibi damnatus non figuram damnati, nec beatus figuram beati geret, sed rem, hîc verò non rem, sed figuram. Quis ergo adeo insensatus, vt veritate relicta figuram amplectatur? Sed hoc alia similitudine rectiùs explicabo. In alearum ludo, quem *Primera* vocant, figura, quamuis regis sit, infimum punctum, & locum obtinet, & potior est quiuis alius. Vnde cui figura fortè obuenit, hic transeo, inquit, & figuram dimittit. *Descartase de la figura diziendo paso.* Sic tu, si bona tibi mundi obtigerint, illa dimitte, saltem in corde. *Descarta os diziendo, paso yo, y pase conmigo todo, pues de mi la figura.* Ludus est vita præsens, multum quippe interest huius lusus scientiam habere. Qui enim in hoc ludo perdit, perit, quia non pecunias, sed animam perdit. Sic ergo sancti, ne perderent vitam æternã, hæc omnia à se facilè abdicarunt, ea omnia pro nihilo reputantes. Dices, quomodo ergo hæc bona tanti faciunt homines? hæc Dei querela, huiusmodi quidem miti admiratio ingens. Dicam ergo non ex bonis, sed ex nobis hæc bonorum æstimatio. *Digo que en el mundo ay estima de bienes, però no bienes de estima, ay precio de bienes, mas no bienes de precio, ay codicia de bienes, mas no bienes de codicia.* Vnde ex falsa quidem apprehensione nostra hæc bonorum æstimatio procedit, illuminet igitur Deus sensus, & corda nostra. Quotidie huiusmodi amissionem rerum temporalium experimur, vel aliquo inopinato casu, vel denique morte, vbi cum vita, reliqua vitæ bona discedunt, quod, si sapimus, satis nobis temporalium contemptum persuadet. Olim Moyses, vt ab adoratione vituli Israelitas reuocaret, illum comminuit, & in potum illis dedit, quasi diceret: Este quem colebatis Deum, ego comminui, num adoneus est ab homine quem comminuere, & dissipare velet homo? Num ergo corde amanda sunt, quæ calice aquæ frigidæ, & venti flatu simul cum vita finiuntur?

Sap. 5. 9.

Se magnum mundi rectorem & adorandum cessuit Nabuchodonosor, cui Dominus omnia mundi regna in statua quadam ostendens, lapidis ictu illam comminuit, quamuis & auro, & argento, & alijs metallis constaret. Cur ita? vt in his spem non collocandi, doceret, quæ ita facilè poterant dissipari, quamuis præcipua mundi essent, & redigi in fauillas, sic sublimes honores, dignitates, & opes. Vnde meritò Sanctus Augustin. *Illa bene considerata, ad Deum nos reuocant, que male electa ab eo nos separauerunt.*

Quid est mors? terminus finisque totius huius prosperitatis, & gloriæ. Videas proceram arborem, viridem, floribus primò vestitam, & fructibus ornatam, deinde copiosam, & prædiuitem, foliorum amœnitate gratam, ramorum sublimitate & concinnitate conspicuam, pulchram & amœnam, hoc tamen vere & æstate, quà quidem transacta, & hyeme superueniente, illam frondibus, floribus, & fructibus spoliatam videbis. Vbi amœnitas illa? vbi fructus? abijt decor, discessit, erupit, euasit. Sic prosperitas mundi, dum vel huius vitæ decurrit, placidam præsefert amœnitatem. Quo recedente & mortis hyeme superueniente, folia dignitatum & appellationum, flores vestimentorum subtilium, fructus omnis diuitiarum recessit, euanuit, imo nec sic omnino; lignum quippe habet spem iterum recuperandi amissa, homo verò morte abreptus, quæ semel

semel amisit, nunquam recuperabit. Principem igitur A in vita florentem, post mortem attende, & dicito: Vbi iam dignitatis, & principatus splendor? vbinam inclytæ illæ faces? vbinam illustris applausus? vbi fausta acclamationes? vis illa, ac tempestas valida mortis, arborem proceram spliauit, & radicitus euellit. Omnia ergo illa somnium erant nocturnum, apparente die euanescens fumus & euanuit, vmbra erant omnia illa, & præterierunt.

Laertius in vita Diog. Dixit (ait) Diogenes Alexandro Magno: *Haud potentiam tuam metuo, aut enim præterita est, aut præsens, aut futura. Si præterita est, iam non est, si futura est, adhuc non est, si præsens, tantùm est momentanea, & transiens in nihilum: nihil igitur est quod in tua potentia timendum sit.* eam in omnibus bonis temporalibus rationem habes Bona præterita, bona iam non sunt, futura nihil adhuc sunt, præsentia momentanea, & labentia sunt.

Romæ Constantinus Imperator, vti refert Fulgosius, Persianorum Regi Romanam amplitudinem & B gloriam ostentauit, magnitudinem scilicet curitatis, situm, ædificiorum sumptuositatem, antiquitatis superbiam, nemorum, hortorum, & viretorum magnitudinem, & amœnitatem; cui eximias laudes expectanti Persicus Rex: *Mira quidem hæc, sed, vt video, sicut in Persia, sic Romæ homines moriuntur.* Ita respondit, acsi diceret, præclara sint licet hæc & qualia in Persida non reperiantur, at cùm vbique mors æqualiter regnet, parum interest, his vel frui, vel carere.

Ezech. 4. *Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Ierusalem.* In latere opulentam, & sumptuosam illam curiam, & ciuitatem metropolitanam describere iussit, ab hostibus dissipandam, quò rectiùs perciperemus, quòd bona hæc temporalia in nobis sunt, est quidem homo lateritiæ materiæ, sicut ex luto fit later, sic & homo ex limo terræ. Vnde sicut fracto latere illo, in quo amplitudo, & magnificentia Ierusalem, erat simul consumpta in latere fuit, sic con- C sumpto corpore isto omnia bona mundi huius pereunt; diuitiæ scilicet, dignitates, possessiones, delitiæ, & alia huiusmodi. Quod quidem in bonis spiritualibus non contingit. Post mortem enim illa animam comitantur; opera enim illorum sequuntur illos.

Vnde Apostolus: *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ non videntur, æterna*, id est, nos non attendimus ad hæc bona, quæ videntur in mundo; quia hæc temporalia & transitoria sunt: sed ad ea quæ manent in æternum. Attendant, qui omnem animæ attentionem rebus applicant transitorijs, qui non diuina, sed temporalia contemplantur, adueniente morte intelligent rationem hanc Pauli; modò enim absorpti sunt in mundanorum rerum contemplatione, sicut sancti viri in contemplatione rerum diuinarum: & sicut Sancti sola quærunt cœlestia, sic isti caduca, in morte aperient oculos, quos in vita claudunt. D

Psal. 36. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani. Transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* S. Hier. ex Hebræo sic legit, *Vidi impium robustum, & fortissimum sicut indigenam viuentem*, hoc est, vidi potentem quendam mundi diuitem, nobilem, dominantem, cui cæteri parebant, & obsequia cuncta præstabant: & paululum cum transissem ab eo, conuertens caput, vt potentem illum, cuius potentia, & fœlicitas me in admirationem rapuerat, iterum viderem, sed iam nec vidi eum, nec locum in terra in quo esset, quia iam transierat, & vita iam aberat. Paraphrasis Chaldaica, *Transiui* (inquit) *de mundo & iam non erat.* Quid est non erat? non erat iam eius fama, quia iam obliuioni traditus erat: non erat eius corpus, quia iam in cineres redactum: non erat anima, quia impius hic damnatus fuit, & anima eius non erat, quia non erat in cœlo, sed in inferno, vbi damnati ita sunt, quasi non sint, quia pro nihilo prorsus habiti sunt. At de viris virtute prædictis, non dicemus quòd non sint, quia eorum fama est, vt patet in sanctis, quorum memoria in benedictione est. Vnde de multis recitat Ecclesia, & templa erigit, & cæt. Item eorum corpus manet pro reliquijs magna veneratione, & anima eorum etiam est, quia anima eorum in cœlo gloriosa regnat in æternum. Vide quantùm distet bonum virtutis, à bonis peccatorum.

1. Cor. 7. *Tempus breue est, reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint, & qui flent tanquam non flentes, & qui emunt tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur, præterit enim figura huius mundi.* Figuram vocat bona mundi; cur ita? quia sicut figura non est res ipsa, sed eius similitudo, figura auri non est aurum, sed similitudo eius, &c. sic bona huius mundi adeo tenuia, & nullius momenti sunt, vt potius bonorum apparentia, quam existentia dici possit. Hinc non esse digna inuidia nostra hæc bona constat. Die mihi si videris in pariete depictos homines, diuites sæculos aureorum manibus gestantes, coronis redimitos, hilares, iuuenes, sanos, robustos, delitijs fruentes, potentes in sæculo, inuideres illis? nequaquam; picta enim hæc felicitas est: picta ergo cum sit omnis fœlicitas mundi, quid inuides fœlicibus mundi? illa ergo, illa fœlicitas omnibus modis appetenda, quæ nec figura est, nec transit, fælicitas scilicet virtutis, quę omnino realis, & vera est, & manet in æternum. 1. Cor. 7. 29.

Dan. 2. vidit Nabuchodonosor statuam illam mutabilem, in qua imperia quatuor mundi potentissima vidit, Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum: in statua vidit, quia non aliud quam figuram & statuam vidit, omnia enim imperia mundi in figura prætereunt. Præterea in somnis vidit, quia hæc bona nullum aliud esse habere videntur, quam habent illa phantasmata, quæ habent somniantes, & denique omnia illa imperia, omnes illæ famosissimæ monarchiæ lapidis ictu abolitæ fuere, & in cinerem redactæ, talia sunt bona pro quibus in æternum pereunt peccatores: bona verò virtutis nulla delebit potestas.

Quamuis temporalia bona multa, magnique pretij essent absolutè, hoc minima & exigui valoris ea redderet, quod temporalia & breui tempore duratura sint; quia homo breui tempore viuens est.

Vidit igitur, vt dictum est, in somnis Nabuchodonosor rex statuam illam ex auro, & alijs in pretio habitis metallis, constantem: at pedes partim ex luto erant: pedes autem hominis sunt fundamenta, super quæ hoc ædificium humanum sustentatur; aurum igitur illud & argentum super lutum illud: percussi ergo pedes lutei, cuncta illa aurea, & argentea statua in cinerem fuit redacta. Ecce quid bona ista sint, quid aurũ, quid argentum: res quædam peritura, quia semper lutum fundatur super humanitatem hanc mortalem. Attende in huius confirmationem nostrum loquendi modum, cum de aliquo huiusmodi bonis abundante loqui solemus, sic dicimus, homo diues, homo honoratus, homo nobilis, homo sanus, homo iuuenis, homo primarius, homo rex, quia diuitiæ, honor, nobilitas, sanitas, iuuentus, principatus, & quæcunque huiusmodi alia humanitati annexa sunt, super humanitatem fundantur: homo igitur cum mortalis sit, mortalia sunt homini omnia hæc, quia finitis nobis finiuntur omnia, quę sunt in nobis, & cum in breui moriturus sit homo, bona hæc breui etiam finientur; quale igitur bonum hoc, quod tam breui terminandum est.

Leuit. 1. de aue in holocausto oblata agens Dominus, *Vesiculam*, inquit, *gutturis & plumas proiicies*, scil. Sacerdos, *prope altare ad orientalem plagam, in loco quo cineres effundi solent.* Quid gutturi & plumis cum cinere? Leuit. 1. 16.

Multum quidem: nam vesicula gutturis est velut crumena, in qua auis, quæ ad sustentationem vitæ, & delectationem gustus colligit, recolligit; quare per vesiculam rectè diuitiæ, & delitiæ significantur; hæc enim sunt, quæ homo quærit, & seruat ad fuam conseruationem; plumæ verò sunt, quibus in altum aeris volat auis, tales sunt honores, & dignitates, & principatus mundi, quibus mundani in altum vanitatis volant; huiusmodi ergo vesiculam, & plumas inter cineres apponi iussit Deus, quò significaret nobis diuitias, voluptates, & honores in cinerem terminari.

Quid igitur ó mortales, tanta solicitudine hæc peritura negotiamini, æternis obliuioni datis?

Iob 6.18. Greg. Iob 6. S. Iob, de mundanis agens: *Ambulabunt*, inquit, *in vacuum, & peribunt*, vbi S. Greg. *in vacuum ambulat, qui nihil secum de fructu fui laboris portant: alius namque ad piscendis honoribus desudat, alius multiplicandis facultatibus æstuat, alius promerendis laudibus anhelat; sed qua cuncta hæc quisque moriens deserit, labores in vacuum perdit, quia secum ante iudicem nihil tulit.* Ita S. Greg. Quo quid infœlicius dici potest? si ex Indis ad nos per mare nauigans quis auro & argento diues properaret, & post totius maris cursum in portu naufragium pateretur: nónne miserum illum affirmares, & in vacuum apud Indos laborasse diuitias accumulando? Id igitur formaliter contingit diuitibus sæculi huius: anhelant enim adhæc mundi bona conquirenda, & acquirenda, cùm tamen in fine vitæ, & cùm alterius vitæ portum iam iam ingrediuntur, omnia, quæ hic acquisierunt, amittunt, ita vt nec obulum, nec filum sibi superfit. O infœlix labor totius vitæ! omisit miser pro bonis æternis laborare, vt acquireret temporalia, & tunc sine æternis & temporalibus remanet: sine temporalibus quidem, quia omnia tollit mors ab eo: sine æternis, quia nihil eorum negotiatus est: nónne de huiusmodi rectè ait Iob: *Ambulabunt in vacuum & peribunt?* & quidem maior huius est miseria, quàm illius, quia ille, qui naufragium passus est, ignorauit quidquam huiusmodi die sic futurum: at nos omnes hoc rectè scimus, esse omnia scilicet in morte dimittenda, & amittenda; quid igitur stultius? si homo ille naufragus naufragium certò sciuisset, laborassetne ita in vanum? & tu qui certò nosti naufragium huiusmodi mortis, non cessas pro relinquendis laborare.

Psa. 125. 6. Quanto sapientiores iusti; qui non pro dimittendis, sed pro deferendis laborant: Psal. 125. *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Metaphora est ab agricolis sumpta, qui per anni decursum laborant, arando, fodiendo, ferendo, expurgando, metendo, frigore & ardore nimio afflicti gementes, & fæpè flentes; sed Autumni, & Augusti tempore colligunt fructum laboris copiosum. Sic ait Dauid, iusti euntes ibant, & flebant mittentes semina bonorum operum, venientes autè venient tempore mortis, portantes manipulos meritorum. Sic interpretatur S. Gre. 7. Mor. 17. *Ad examen (inquit) diuini iudicij portantes manipulos veniunt, qui in semetipsis recta opera, quibus vitam mereantur, ostendunt.*

Greg.

Psa 23.3. Psa. 23. *Quis ascendet in montem Domini?* & subdit: *qui non accepit in vano animam suam*: in vanum aliquem dicimus laborare, qui nullum commodum ex labore suo reportat; sic igitur mundani in vano habent vitas suas, quia nullum nec æternum, nec temporalem, vt diximus, fructum reportant.

Dices, comedisse & bibisse, & delitijs fruitos fuisse, nónne fructum aliquem esse dicemus? minimè gentium: quia comedisse & bibisse, præterita dicunt, quæ autem præterita sunt, tam nihil sunt quàm si nunquam fuissent. Vide tu modò, quid habes ex delitijs, & voluptatibus, quibus hucusq; potitus es? nihil: sic in morte de omnibus temporalibus bonis vitæ tuæ; vt quid igitur in vacuum laboras, qui ad diuitias pores æternas laborare?

Prou. 8. sic Deus sub nomine Sapientiæ: *Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Vbi licet ex Hebræo nonnulli transferant, delitians in orbe terrarum, *quæ se anda deliciendo y sola çãdo ensus criaturas*: sed enim rectè vulgata editio, *ludens*, inquit, quia dicitur terrarum ad modum pilæ orbicularis, ab vno in alium transferri loco solet: regna enim & imperia mundi ad modum ludentis pilà transferre, & mutare solet de gente in gentem, quod erudite persequitur Philo in lib. quod Deus sit immutabilis, dicens: *Ante Macedonum imperium inclyta fuit Persarum fœlicitas, sed vna dies tam ingenti regno finem attulit. Fuit AEgyptiorum perampla & magnifica potentia, sed in modum nubis eius fœlicitas præterijt. Quid Carthago? quid Assiria? quid Pontici reges? quid Asiæ? quid Europa? & vt compendio quid dicam, totus habitabilis orbis, nónne ad modũ nauis, instum deorsumque iactatæ marinis fluctibus, nunc aduersis venit, nunc verò secundis? nam verbũ diuinũ choreas in orbe ducit, & omnes gentes circumlatrando nunc his, nunc illis imperia vel admit vel tribuit; nihil igitur in humanis rebus præter vrbram & leuissimam auram, sine mora præterualantem.* Hæc Philo.

S. Chrys. tom. 5. ep. 5. *Vbi nunc sunt qui quidem per forum tumidi superbia cum multis assectatoribus se mouebant? qui sericis induti, vrgentum olentes, parasito antecedentes, & semper assixi scenæ, vbi nunc illorum est phantasia? sublata est. Cœnarum sumptus, immodicus risus, animi quies, cogitationis diffusio, vita mollis, otiosa, luxu perdita, vbi nunc? Euolarunt omnia. Quid autẽ ex corpore factum est, quod prius tanto fastu litis, tam exquisita munditia abundabat? abyssum ad sepulchrum. Contemplare puluerem, cineres, vermes, eius formæ speciem, & amare fuspires. Atque vtinam ad puteretem tantum pertingeret huiusmodi damnum. Verum interim à sepulchro & his vermibus deduc oculum mentis ad vermem illum immortalem, ad ignem illum inextinguibilem, ad fremitum dentium, ad extremas tenebras, ad afflictionem & angustiam. Vbi diues amictus purpura, & tot nummorum dominus? factus est omnium verum adeo indigus, vt nec vnius gutulæ aquæ dominus est, & sub acerrima tormentorum necessitate constitutus; quid? censesne somnio præsentis huius peritura sæculi bona? Sicut enim qui ad metalla damnati, aut aliam pœnam luunt hæc grauiorem, si quando sub duris illis laboribus & acerbissima vita consopiuntur, se videre in deliciis ac lata rerum affluentia; experrecti autem à somno nihil oblectamenti reliquum inueniunt; sic diues ille, tanquam in somnio tantùm diues fuisset, postquam hinc emigrauit, amaram suam pœnam persoluit. Equidem opinor, non plures annos tibi, quàm quinquaginta expectandos, imò nec hoc quidem nobis certum est; quia de nostra vita nescimus an vesperum imminens assequatur, qua fronte super tot annos asseuerabimus? Præterea aliarum rerum vicissitudo, & inobseruabilis, nedum temporis: quandoque enim dum vita in longum producitur tempus, quæ oblectant non, æqualiter producuntur, modo adsunt, modo elabuntur. Verum vt demus sermonis gratia ita fore, teque tot victurum annos, neque vllus casus felicitatem intercipiat, quantulum hoc ad fecula infinita & sempiterna erit, quantulum ad fæna flagella, & inenarrabile cœlorum gaudium? hic tam iucunda quàm trista finem habent, eumque celerrimum, illic fæculu extenduntur vtraque immutabilibus, nec dici potest, quantum virtute, & potentia differant à præsentibus rebus.* Ita S. Chrysost.

Idem epist. 6. tom. 5. *Non est theatralibus scenis vita nostra dissimilis: nam vt in illis ille Imperatoris, hic Iudicis, alter mil tu implet officium: vbi autem consequuta nox fuerit, nec Imperator agnoscitur Imperator, nec Iudex qui fuerit Iudex videtur, nec miles qui miles; sic vnusquisque nostrum in illius fœculi dæmon personis, sed rebus & actibus competentem accipiet dignitatem. Hæcne gloria iudicanda est, quæ sic ab homine destruit, vt cadere dominus sermo dixerit florem à fœne? Hinc multi priori auo in solitudinibus & periculis consumpto,*

tuno

tunc cum recepisse immensi sudoris putauere mercedem, subita morte preuenti, nihil secum ex his, quibus neque hic vti potuerunt, abstulerunt. Ita S. Chrys.

Matth. 7. *Spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem: arcta est via, quæ ducit ad vitam.* Verba hæc expendens S. Chrysost. epist. 8. *Illud* (inquit) *aduerte, res omnes huius vitæ tam iucundas quàm molestas præterire: nam est sit arcta est via, quæ ducit ad vitam, via tamen est; & si spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem, via tamen est.*

Si fugacem bonorum mundi naturam agnoscerent homines, haud quidem in eis amorem, aut spem suam collocarent, sed in summo illo bono quod semper in eodem permanet statu. hinc Dauid Psa. 9. *Sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum.* Quodnam est nomen hoc, cuius cognitio facit vt in Deum spem nostram reponamus? S. Aug. ibi sic respondet: Dominus dixit ad Moysem; *Ego sum qui sum, & dices filijs Israël: Qui est misit me ad vos; sperent ergo in te qui cognoscunt nomen tuum; ne sperent in his rebus quæ temporis volubilitate præterfluunt; nihil habentes nisi erit & fuit, quoniam quod in illis futurum est cum venerit, fit statim præteritum, expectatur cum amore, sed amittitur cum dolore; in Dei autem natura non erit aliquid quasi nondum sit, aut fuit quasi iam non sit, sed est tantum id quod est, & ipsa æternitas est. Desinant igitur sperare, & diligere temporalia, & se ad æternam spem conferant, qui cognoscunt nomen eius qui dixit, Ego sum, & de quo dictum est, qui est misit me ad vos.* ita S. Aug.

Luc. 4. *Duxit Diabolus Christum Dominum in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.* Non sine causa hanc ostensionem bonorum orbis in monte fuisse, explicauit Euangelista, vt innueret nobis momentanea esse omnia mundi bona. Ita Paschasius Abbas in 4. c. Matthæi dicens: *Bene in momento, quia omne quod in mundo est, breue conuincitur esse, ac momentaneum.* Ita ille. In varias terrarum ac marium partes homines peregrinantur; hic vt variarum gentium ritus noscat, ille vt diuitias acquirat, alter vt scientiarum, vel artium abdita pertingat, sicut Apollonius ille apud Hieronymum in Epist. ad Paulinum, *qui intrauit* (inquit) *Persas, pertransiuit Caucasium, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetrauit, & ad extremum peruenit ad Brachmanas, vt Hierotheam in throno sedentem aureo inter paucos discipulos de natura, & de motibus syderum ac eorum cursu audiret docentem.* ita S. Hieron. Hic & alij plures non in momento, sed in tempore longa mundi bona videre voluerunt: at Christus in momento ea sibi repræsentari voluit, vt momentanea esse significaret omnia, quæ hostis in pretium suæ adorationis offert & promittit.

Sap. 5. talia dixerunt de rebus mundi huius in inferno hi qui peccauerunt: *Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius percurrens.* Etenim vmbra in se nihil est nisi luminis priuatio, videtur figuram habere, ac motum, sed vade & apprehende illam & nihil esse inuenies; apparentiam, sed non existentiam habet, & insuper in momento disparet. Talia (inquit) sunt mundi bona, apparentiam aliquam boni habent, sed ferè nihil aliud. & tanquam nuncius percurens; velut nuncius sunt bona hæc mundi, quia qualia, qualia sunt, aliquid nobis annuntiant de bonis æternis: si enim sic nobis placent hæc exigua & parui momenti, & ferè nullius durationis bona, quid præstabunt bona illa cælestia, quæ nec in cor hominis ascenderunt, nec finem sunt habitura?

Animaduertant hoc qui terrenis ita adhærent ac si æterna bona essent, quæ quidem nec particularibus hominibus æterna sunt, cum nec ipsi æterni sint, nec etiam vniuerso generi humano vel ipsa & imperia permaneant. Quod optimè expendit S. Aug. serm. 29. de verbis Domini secundùm Lucam, dicens: *Habent mutationes regna terræ, & veniet ille de quo dictum est, & regni eius non erit finis. Qui verò hoc regnis terrenis promiserunt, non veritate adducti sunt, sed adulatione mentiti sunt. Poeta illorum induxit Iouem loquentem & de Romanis dicentem:*

Virgilius.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi.

Non planè ita respondet veritas: quod si vellemus insultare Virgilio quare hoc dixerit, responderet nobis: & ego scio, sed quid faceremus qui Romanis verba vendebam, nisi hac adulatione aliquid promitteremus quod falsum esset, & tamen in hoc cautus fui quando dixi, imperium sine fine dedi, Iouem ipsorum induxi, qui diceret hoc, non ex persona mea dixi rem falsam, sed Ioni imposui falsitatis personam (sicut Deus ille falsus erat, ita & vates falsus erat:) nã vultis nosse quia & ista nouerant? alio loco quando non Iouem lapideum induxi loquentem, sed ex persona mea loquutus sum, dixi, non res Romanæ, perituræque regna. Ecce non tacuit peritura regna, peritura veritate non tacuit, sed semper mansura adulatione præmisit. ita S. Aug qui ideo subdit: *Non ergo deficiamus nos fratres, finis erit terrenis omnibus regnis, figite spem in Deum, æterna concupiscite, æterna expectate.* ita ille. *Georgicorum.*

Abulensis super cap. 19. Genesis ex communi Chronistarum sententia refert in terra Sodomorum, quam Dominus quasdam gigni, quæ poma producunt exteriùs pulchra, intus verò nihil aliud habentia quàm cinerem; cinis autem mortis symbolum est, & finis vitæ. Talia quidem sunt omnia hæc temporalia bona, exteriùs enim apparent pulchra, quo nobis arridents, aurum, argentum, honor, imperium, delitiæ, &c. intus verò omnia sunt peritura, cinis, & fauilla, omnia denique finè habent: non ita cælestia. Quid ergo stultius quàm temporalia præponere bonis ineffabilibus & æternis? *Abul.*

S. Gregorius Naz. orat. de pauperibus amandis: *Nihil est in rebus humanis stabile, nihil æquabile, nihil sufficiens, nihil in eodem statu permanens: sed omnia quãdam veluti rotã circumvoluuntur, diuersas sæpe diebus singulis, etiam horis vices sortiuntur, & aliud sæpe diebus singulis, etiam horis vices sortiuntur, & aliud atque aliud. Quæ sunt hæc? diuitiæ, honores, potentia, gloria, nobilitas, & quæcunque alia mundus ostentat. Quæ omnia sunt fluxa, & instabilia, & ventis, & fluctibus similia, & nauigijs mare secantibus vestigijs, & fallacibus noctis insomnijs, quorum breuis est gratia, & his quæ per ludũ in arenã fingunt pueri, magis fidendum sit, quàm præsenti humanorum prosperitate. Quare prudenter faciunt, qui propterea quòd nõ fidunt rebus præsentibus, rationibus suis consuluntin futurum: & propter instabilem humanæ felicitatis conditionem, misericordiam & benignitatem, quæ nunquam deficit, complectuntur.* *S. Greg.*

PROP. V. *Bona temporalia inconstantia sunt.*

QVi homines in hac vita fortunæ seruos appellaret, non valde aberraret, nam seruorum symbolum & hieroglyphicum olim pila erat, & ob eam causam, vti Cartarius affirmat *l. br. de imagimbus Deorum*, gentiles olim penatibus suis pro seruis pilas offerre solebant; similis enim est pilæ seruus, pila enim à ludentibus percuti solet, & hinc inde iactari, & iam eam in altum eleuant, iam in terram deprimunt &c. sic mundus erga homines se gerit, variis enim tribulationibus & aduersitatibus eos percutere solet, & iam eos ad alta eleuat dignitatum, iam eos ad miserias deuoluit; quidni ergo pilas fortunæ homines dixerimus.

Plinius lib 33. cap. 1. mentionem facit triumphi Caij Romani principis, de quo inter alia fertur, triumphatorem in curru illo glorioso & sella regali sedentem manu gestasse annulum ferreum qui captiuis imponi solebat, in signum seruitutis, in curru verò seruum captiuum partiter ductũ manu coronam auream defe-rentem, sicque triumphum peregisse. insignia hæc ordine turbato delata videntur, corona quippe illa triumphantem decebat, annulus ille ferreus (quem nos *argollon* vocamus) seruum; cur igitur hîc commutabatur ordo; &c. Ratio huius fuit vt sic sapiens ille senatus ostenderet rerum vicissitudines; qui enim hodie

trium-

triumphatus gloriosè incedit, cras fortè seruitutis premetur iugo, & econuerso, &c. quod videre licet in Aman, in Crœso, in Adonizebel, &c.

In Laconicis. Plutarchus, Cùm Pylij decretum edidissent, quo Theopompo summi honores tribuebantur, rescripsit: *Mediocres honores tempus auget, immodicos aufert.* Itaille. Meritò Pylij viro adeò sapienti summos honores deferebant, qui sic summos honores nouerat repudiare, & quidem cùm non Christianus, sed Gentilis esset: sed rationem huius repudij attende. Mediocres honores, inquit, tempus auget, immodicos aufert, hoc enim bonis temporalibus commune est, vt cùm ad summum peruenerint incrementum, decrescant, cuius similitudinem in plantis ibidem adhibuit Plutarchus, dicens: In omni re modus est optimus, quæ enim subitò crescunt non sunt diuturna, quòd genus sunt betæ, & cucurbitæ: quæ verò paulatim augescunt, ætatem faciunt, veluti quercus & buxus. hoc quidem ex-
Prou. 13. 11. perientia constat, & sacra Scriptura confirmat dicens, *Substantia festinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.* Ratione ailignat Iansenius, quia opes festinanter acquisitæ ferè semper illicitè acquiruntur; illæ verò quæ licitis medijs acquiruntur, paulatim crescunt: sed tamen in vniuersum verum habet, quod sicut qui ad summum montis verticem peruenerit descendere inde eum iam oportet, sic qui ad multa huius mundi felicitatè peruenerit (si multa felicitas in rebus mundi esse potest) descendere inde oportebit, &c.

Refert Plutarchus olim Romanos consueuisse lunas quasdam in pedibus deferre, & hoc non omnes, sed magnates, & gloriosos eorum: quo quidem significare voluerunt inconstantiam & breuitatem gloriæ mundi? nam luna mutabilitatis est symbolum, hodie enim plenam luce, cras verò semiplenam, postea omni luce priuatam intuemur. Talis quidem est gloria mundi, hodie domum diuitijs plenam videbis, cras verò dimidiatam, postea verò omni priuatam luce, & claritate sua. cur verò in calceis eam deferrent, si ratione consulamus, iure: nam pedibus ambulamus, & paulatim iter conficimus. Non est permanens gloria mundi, in metu & transitu est, tandem transit, & pertransit. Talis gloria mundi, &c. & ideo in pedibus, quibus pertransimus, collocatur, & hac quidem ratione gloriam, quam Christus Dominus in transfiguratione sua suis demonstrauit, exiguo tempore durare
Mat. 17. 4. voluit: volebat autem Apostolus Petrus eam permanentem, & dicebat: *Domine bonum est nos hîc esse; faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, &c.* hoc est, hîc maneamus, hac dulcissima gloria fruentes: sed noluit Christus, quare? vt ostenderet nullam hominis viatoris esse gloriam permanentem in hoc mundo, quamuis ex radice gloriæ veræ ac supernaturalis oriatur.

Chrysost. San. Chrysostomus hom. 22. ad pop. *Velut somnium sunt cuncta visibilia, generationi corruptionique obnoxia; licet enim corporis fortitudinem habeamus, ipsam deinde ægritudo, lætitiam excipit tribulatio, pulchritudini succedit senectus, si mensa lauta fruamur, superueniens vesper voluptatem dissoluit, & generaliter præsentia sunt aranea imbecilliora, &*
Simile. *somnijs fallaciora.* Ita S. Chrysostom. Vbi nota has duas comparationes, telæ aranea, & somnij. Quanta cùm difficultate aranea seipsam euisceranda tempore multo telam suam conficit, quàm venti flatus in momento excutit; somniat pauper diuitias, æger salutem, miser fælicitatem, & dum somniant, gaudent, sed citò euigilantes dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt in manibus suis.

Eutrop. Fuit tempore S. Chrys. princeps quidam, Eutropius nomine, cubicularius Imperatoris Arcadij, dines multum, & Imperatori gratissimus, & ab omnibus honoratus, Patricius & Consul, hic offenso Imperatore dimissis, & amissis cunctis diuitijs, & gloria, ad sacrum Ecclesiæ asylum se receperat; ad quem sic S. Chrysost. *Vbi nunc inclytus ille consulatus splendor? vbi illustres illæ faces? vbi applausus, & chorea? epulæ, & festi conuentus? vbi strepitus vrbis? vbi fausta acclamationes, & adulationes? omnia illa perierunt, procella vehemens folia decerpsit, arborem spoliatam reddidit, iam radicitus vacillantem, & tanta venti vis impacta est, vt cùm neruos eius vniuersos euicuerit, tum ipsam funditus prosternere minetur, vbi nunc fucati amicitiæ? vbi compotationes, & cœnæ? vbi parasitorum examen? vbi nam varia coquorum artes? omnia illa nihil, nisi nocturnũ somnium fuerunt, flores verni, & vere exacto enumerunt omnia. vmbra erant, & præterierunt, fumus & solutæ sunt: bullæ erant, & disruptæ sunt; araneæ & lacerata sunt.* Vanitas ergo vanitatum, & omnia vanitas.

Hoc quidem sapientis Salomonis dictum in parietibus, in vestibus, in foro, in ædibus, in vijs, in fenestris, in ianuis, sed potissimum in ipsa cuiusq; conscientia continenter scriptum esse oportet, & omni tempore cogitationi obuersari: quia negotia fraudulenta, & personata, & inimica veritatis omnibus apud plerosq; sibi paruerunt. hoc dicto in prandio, in cœna, in cœtu hominum quemque proximum suum compellare oportebat, & vic ßm ab illo audire, quòd vanitas vanitatum, & omnia vanitas. An non aßduè tibi dicebam fugitiuus esse domini? tu verò non ferebas nos. ecce experientia docuit, quia non fugitiuus, & ingratus, sed homicida quoque sum, vt qui te mortis metum te concuterint. nõne dicebam tibi, quam indecenter obsurgares vera monentem, quòd ego potius tibi amicus essem, quam adulatores? ego redargitor mauorem tuam curam gererem, quam bi qui tibi per omnia obsequerentur: nõne & hoc addebam fore digniora esse vulnera ab amico, quam vitio ingerentia oscula inimicorum? si mea vulnera tolleres, haud dubiam tibi oscula eorum hoc exitium attulissent. Vbi nunc pollicitatores tui? vbi qui in foro populum de tua decedere cogebant, & tuas laudes passim apud omnes prædicabant? transierunt de cruentum amicitiam tuam, & suam securitatẽ tuis periculis quærunt, & hæc, non vt prostratum insultem, deo, sed vt ajantes tutiores reddãmec vt plagas vulnerum refrigem, sed vt nondum vulneratos in sanitate conseruem: non vt tactatum fluctibus demergã, sed vt eos, qui secundis auris vagant, euadam; ne forte cum ipso naufragio in profundum deferantur. Quo autem modo caueri posset? Nimirum si rerum humanarum mutabilitates considerẽmus. Si enim iste mutationem verè timuisset, nunc eam non pateretur. Ita S. Chrys.

PROP. VI. *Bona temporalia non sunt nostra.*

EA quæ nostra sunt, nobiscum ferre possumus, vel saltem pretium earum. Hinc collige bona hæc temporalia non nostra esse, sed mundi. Cùm enim primùm hinc discesserimus, mundus ea sibi reseruabit, nos verò hinc decedentes, nihil nobiscum tollimus, nisi opera bona, & meritoria mundi: ergo non sunt hæc bona temporalia nostra, opera autem meritoria nostra sunt. Mundi sunt diuitiæ nostræ, quia mundo remanent, nostræ verò sunt eleemosynæ, quia illæ nos comitantur, &c.

Cicero *in Paradoxis*, & Val. Max. lib. 7. cap. 2. referunt, quòd cùm ciuitatem Prienem hostes inuasissent, ciues inde fugientes, ea quæ poterant bona secum asportabant: solus Bias Philosophus nihil secum inde tulit; interrogatus ergo à quodam cur nihil asportaret, respondit: Imò ego omnia bona mea mecum porto. Pectore illa gestabat, non humeris, sicut cæteri, non oculis videnda, sed animo æstimanda, quæ domicilio mentis incluſa, mortalium manibus eripi non possunt. Id sentire nouit sapiens quidam infidelis, quidni idem sentiat sapiens Christianus?

Hinc Antisthenes Philosophus, vt refert Laërtius lib. 6. cap. 1. *Ea*, inquit, *paranda viatica sunt, qua simul cum naufrago enatent.* Ita ille. Qui naufragium patitur, quamuis in naui secum haberet pecunias multas argenti & auri, relictis omnibus, imò & vestibus reiectis, nudus se vndis natando committit, nihil præter se secum

secum ferens, nihil, inquam, ex bonis temporalibus: A cæterùm sapientiam, & virtutem; & bonorum operum merita secum defert. Hæc igitur bona, quæ cum naufrago enatant, ait sapiens ille, acquirere debemus, non ea quæ naufragio pereunt. Naufragium commune omnium, est mors, dum nudi, seu denudati ab omnibus mundi rebus hinc abimus, folummodo opera nostra deferimus, siue bona, siue mala illa sint, mala in malum, bona in bonum nostrum. Hæc igitur viatica sapiens parat, &c.

S. Bern. *Filij Adam genus auarum & ambitiosum audite: quid vobis cum terrenis diuitiis & gloria temporali, quæ nec veræ nec vestræ sunt? Aurum & argentum quid sunt, nisi rubra & alba terra, quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam, denique si vestra sunt hæc, tollite vobiscum ea, sed homo, cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Vera ergo diuitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, vt in perpetuum diues fiat. De gloria quoque dicit Apostolus:* Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ: *hæc est vtique vera gloria, quæ est à spiritu veritatis. Ipse enim spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quòd sumus filij Dei: gloria verò, quam ab inuicem accipiunt, qui gloriam quæ est à solo Deo non requirunt, vana quidem est,* Quoniam vani filij hominum. *Insipiens tu, qui merces congregas in saccum pertusum, qui thesaurum tuum alieno in ore constitutis: ignoras, quòd arca ista non clauditur, nec seras habet?* Ita S. Bern. Seneca: *Quod bonum est, bonos facit: nam & in arte musica quod bonum est, bonos nuscios facit, fortuita bonos non faciunt; ergo non sunt bona, quod contemptissimo cuique contingere ac turpissimo potest, bonum non est, opes autem lenoni & lanistæ contingunt: ergo non sunt bona nostra.* Ita Seneca. Alioquin bonum diceres Neronem, & Heliogabalum, & Sardanapalum, & diuitem illum epulonem, qui sepultus est in inferno. quare sepultus est in inferno? quia malus fuit, & tamen diues fuit. Sic enim de illo ait Christus: *Homo quidam erat dives,* & honoratus fuit: purpuratus enim incedebat, purpurâ enim & byssо tamquam rex quidam induebatur: & delitiosus etiam: nam *epulabatur quotidie splendidè.* Habens ergo diuitias, & delitias, & honores, malus & non bonus fuit: ergo temporalia hæc non sunt in bonis nostris computanda.

Senec. epist. 41. *Quid stultius, quàm in homine laudare aliena? quid eo dementius qui ea miratur, quæ in alium protinus transferri possunt? Non faciunt meliorem equum aurei frani. Vitem laudamus, si fructu palmites onerat, & cum ipsa ad terram pondere eorum, quæ tulit, adminiculo deducit. nunquid huic illam præseres vitem, cui aureæ vuæ, aurea folia dependent? Propria virtus est in vite fertilitas, in homine quoque id laudandum est, quod ipsius est, familiam pulchram habet, & domum pulchram: multum ferit, multum fœnerat, nihil horum in ipso est, sed circa ipsum lauda in ipso, quod nec eripi potest, nec dari. Quid proprium hominis sit, quæris? animus, & ratio in homine perfecta. homo enim rationale animal est, consummatumque eius bonum, si id impletur, cui natus est. Quid est autem quod ab illo exigit hæc ratio? rem facillimam, secundum naturam suam viuere, sed hanc difficilem facit communis* D *insania.* Ita Seneca.

S. Chrys. hom. 7. de pœnit. tom. 5. *Ne timueris,* ait S. Dauid, *cum dues fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius. Vidisti dictionis subtilitatem: non enim dixit, cum multiplicata fuerit gloria eius; sed gloria domus eius; ostendens sanè alteram esse gloriam hominis, alteram domus eius; domus quidem gloria, porticus, deambulatoria, laquearia pulchra, pauimentum, gemmarum ornatus, prata, hortuli, seruorum multitudo, sumptuosa quæque supellex, quorum nihil ad hominem: hominis verò gloria, fides recta, zelus in Deum, charitas, humilitas, mansuetudo, oratio assidua, eleemosyna, & cætera omnia virtutis membra. Et illa quidem temporalia possidens, haud inde gloriam consequitur, neque inre quis cognominabitur bonus, sed contrà vniuersæ malitiæ indicium. Nam & crudeles, & inhumani, sordidiq; & Philosophiæ ex-*

pertes, excitantur in comœdijs, qui huiusmodi sunt, & suas in his opes ostentant. Igitur non eadem hominis, & domus est gloria: qui verò sese castitate ornatos, & mansuetudine, & humilitate accuratè deuouent illos, admiramur, prædicamus, laudamus, quoniam quidem ea potissimùm est hominis gloria. Ita S. Chrys.

Idem tom. 5. oratione Kalendis habita: *Cur dives beatus est, num quia admirabilem equum auro exornatum, aut quia magnum famulatum, aut præclaram vestem habet, & delitijs soluitur quotidie; imò propterea miser & infœlix est, & multis lacrymis prosequendus. nullam illius partem laudatis, sed externas res omnes, equum, frænum, vestes, quæ omnia nulla illius pars existunt. Dic ergo quid miserius, quàm vt equus, & equi frænum, & vestium splendor, & famulorum bona corporis constitutio laudetur, & ipse illaudatus prorsus præteratur? quid eo homine pauperius, quàm cùm nullum habeat proprium bonũ, aut domesticũ, alienis vt rebus totus exornetur? Proprium enim & domesticum ornamentum, & diuitiæ nostræ sunt, non famuli, non vestes, &c. sed animi virtus & bonorum operum abundantia. Quid enim incommodi, quod pecunijs quis egeat, si cœlestium hæreditatem adeturus est.* Ita S. Chrysost. *Chrysost.*

B Eccles. 1. *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat.* Ita quidem. Sed quid his verbis sibi Salomõ voluit? Titelman. sic respondet, ac si Salomõ dicat: *Prætereuntibus patribus filij succedunt, & filiis morte decedentibus, posteri aduenient: terra autem inuariata persistit. similis amplo diuersorio, quod idem manens, quotidie hospites d uersos egrediente vno, & ingrediente altero, suscipit transeuntes; sic non est nostrorum singulorum mora, nisi quasi noctis vnius, & vbi paulùm hic egerimus, erit nobis è terra emigrandum. Qua de causa Patres antiqui (* vti Paulus ait ad Hebr. 11.) *peregrinos se testati sunt super terram, dicente etiam* Dauid Psa. 38. *Aduena ego sum apud te, sicut omnes patres mei.* Ita Titelm. Vbi nota beatorum & peregrinorum morem, qui tanquam citò ex diuersorio egressuri, nihil in eo quærunt exeo, nisi qualem qualem victum, & lectulum, solùm de itinere, & termino eius cogitantes. Sic nos terram hanc hospitium censeamus, & tanquam citò ab ea egressuri & ad terram viuentium profecturi, vbi habemus permamentem ciuitatem, & domum non manu factam, *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus,* semper hospites, & peregrinos nos existimantes. *Eccl. 1. 4* *Similo.* *Hebr. 11.* *Similo.*

PROP. VII. *Bona temporalia non satiant corda nostra.*

SEuerinus Boëtius *lib 2. de consol. Philosophiæ metrico 2.*

Si quantas rapidis flatibus incitus pontus versat arenas,
Aut quot stilliferis edita motibus cœlo sydera fulgent.
Tantas fundat opes, nec retrahat manum pleno copia cornu.
Humanum miseras haud ideo genus cesset flere querelas.
Quantumuis vota libens excipiat Deus multa prodigus auri,
Et claris auidos ornet honoribus. Nil iam parta videntur,
Sed quæsita vorans æua rapacitas, alios pandit hiatus.
Quæ iam præcipitem frœna cupidinem certo fine retentent.
Largis cùm potiùs muneribus fluens sitis ardeſcit habendi.

Magna est capacitas cordis nostri, licèt paruum in se sit: cuius argumentum est, quòd omnia mundi bona illud satiare non valent. Rectè de se Alexander Quintus, *Episcopus*, inquit, *dives eram, Cardinalis pauper, Papa verò mendicus.* Cur ita? ipse nouit. Nos ita in rebus humanis experimur, vt sicut in pecuniis crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit; sic in reliquis mundi bonis crescit amor bonorum, quantùm ipsa bona crescunt.

Vnde sic Dominus ad Samaritanam: *Qui biberit ex hac aqua sitiet iterum.* Puteus ille altus erat, & cum difficultate hauriri poterat aqua, & insuper aqua illa non satiabat: nam *qui biberit*, inquit, *ex hac aqua, sitiet iterum.* Talis est mundus hic, cum difficultate bona mundi *Ioan. 4. 13.*

mundani assequuntur ; & postquam optatis fuerint A potiti, sitiunt iterum. sic Alexan. Magnus , postquam vniuersum mundum expugnauerat , à Democrito Philosopho audiret alios præter hunc mundos esse, tristis, effectus est; iam percontatus, respondit : Qui vix hunc subijcere mihi potui, quando reliquos obtinebo? vni homini totus non sufficit orbis , quid humanum poterit satiare cor?

Prou 13. Rectè igitur Sapiens: *Iustus comedit, & replet animam, venter autem impiorum insaturabilis est.* Nimirum quia iustus, cùm bona mundi contemnat , non sitit ea , sitit

Ps.16.19. æterna, quæ in æternum satiabunt. *Satiabor*, inquit, *cùm apparuerit gloria tua* , omnes à maximo vsque ad minimum in terra famelici sunt : vnusquisque enim dicit

Luc.15. quod prodigus filius: *Ego hîc fame pereo.* Contemnamus igitur temporalia, quæramus æterna.

Hinc præterea fit , vt mundani varias mundi recreationes & occupationes quærant, vt inquit Sanctus Greg. lib. 8. Mor. *Quia qualitate rerum cor non potest, saltem varietate satietur.* Ita ille. *Todo enſada à poco rato per bueno que ſea , y aſi andamos variando occupationes y recreationes , para que la variedad ſupla lo que le falta de qualidad , à eſtes bienes de mundo enganamos à nos otros, pues con eſos varios entretenimientos \dexamos lo que ſiendo vnico es lo neceſſario.* Porro vnum est necessarium, &c.

Psa.41.4. Dauid inquit : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Vbi est Deus tuus ? Quasi dicat* , inquit Hugo Card. *flebo quia abest , quod desiderio, flebo, quia adest quod non amo.* Ita ille. Causa igitur huius tanti fletus, carentia patriæ cælestis erat , sed non videtur hoc loco metaphoræ proprietatem seruasse Dauidem : sitim enim non extinguit panis , sed potiùs auget. Cur igitur non ait: Fuerunt mihi lacrymæ meæ æquæ potus , sed cibus panis? Sic enim meliùs significasset se nullum aliud solatium habere in hoc mundo ad temperandam sitim cælestis gloriæ , nisi fletum, sed tamen consultò Dauid, non aquam , sed panem lacrymas istas appellauit , primò vt ita assiduitatem fletus significaret: panis enim cibus quotidianus & assiduus est ; sic fletus iste Dauid assiduus erat, sicut ipsemet explicuit, dicens : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*, hoc est, semper aut certè sæpe. Secundò, vt eo pacto exprimeret nec lacrymas ipsas dolorem eius & desiderium temperare. Nam qui sitiens panem manducat , non sitim extinguit , sed auget, vt dictum est ; sic quantò magis flebat , magis sitim augebat, nullumque solatium absentiæ gloriæ sentiebat.

Ps.16.19. Vnde rursus, *Satiabor* , inquit , *cùm apparuerit gloria tua.* Quasi dicat , nihil aliud Domine præter gloriam tuam satiare poterit cor meum. Equidem multa illi satis superque fuisse videbantur , & prospera in vitæ suæ decursu euenisse , quibus facilè animum satiare potuisse videbatur : eius igitur desideria inquiramus. Pastor fuit , quid tunc optabat ? Vires, quibus infestos vrsos & leones , qui oues eius occidere volebant , necaret. Accipe igitur vires & potentiam, quâ eos interimere possis , & fiat tibi sicut vis. Vrsum leonemque , velut caniculam paruam , occidebat. Quid ampliùs optas ? Domine, gigantem quemdam aspicio hostium nostrorum ducem & antesignanum, qui opprobrio est populo tuo , & ad singulare certamen prouocat nos , vellem ego interimere illum. Fiat , & ita factum est : gloriosè quippe gigantem deiecit , & interfecit , & abstulit opprobrium ex Israel. Visne aliquid vlteriùs? Domine, vellem præmium mihi exhiberi , quod pro hac victoria mihi à rege promissum est , vt scil. mihi in vxorem detur filia regis. Detur, ait Dominus , & gener efficiaris regis. Num ampliùs quid desideras ? Factus sum à rege militiæ Princeps , victoriam hostium nostrorum cupio. Victor igitur euadas : euasit. Quid amplius velles ? Vellem vnctionem à te præstitam mihi effectum sortiri , in regem populi tui electus à te sum, me nunquam taliæ cogitante , perfice Domine quod cœpisti. Esto igitur Rex , ait Dominus , & rege populum meum electum Israel. Ecce Dauid ad regni fastigium ex pastore paupere abiectoque ascendisti , iam quid insuper quæras non habes. Satiatum igitur nunc remanet cor tuum ? satiatum ? inquit , nequaquam , *satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

Item , *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo , delectationes in dextera tua vsq; in finem.* Pondera verbum , *adimplebis* : sola enim Dei visio adimplet gaudio & lætitia cor nostrum , & satiat mentem humanam. vnde Sanct. Augustinus sic explicat locum istum : *Adimplebis lætitia in cœlo sanctos tuos , vt vltra non quærant aliud , cum facie ad faciem viderint te.* & Sanctus Hieron. *videbit, Adimplebis me lætitiâ , quia tunc erit plena lætitia , vbi erit Deus in omnibus omnia.* Ita ille. Et optimè Hugo de Sancto Victore lib. sententiar. cap. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, quia in hac vita aliquando possimus lætari , sed implere lætitiâ non possimus, quia etsi quædâ sunt quæ lætificant , plura sunt quæ contristant.* Ita ille. In cœlo autem nulla sunt quæ contristent, & omnia sunt quæ nos lætificabunt. Vnde meritò addit Propheta : *Delectationes in dextera tua vsque in finem* Dextera , in qua electi collocantur, est fælicitas æterna , *aquella ſi qui es buena man derecha.* In hac dextera sitas esse ait delectationes, quas ? Delectationes absolutè , hoc est , omnes delectationes simul , quæ quidem in vena huius vitæ nec tales nec tot reperiuntur ; quales verò & quantæ sint delectationes illæ , nec dici nec concipi mente hoc seculo potest : inexplicabiles enim sunt , ac si nescienti qualis sit dulcedo mellis , & saccari , dulcedinem exprimere velles. Sufficiat ergo dixisse adeò ingentes esse delectationes illas , vt linguam captumque humanum, imò & angelicum , excedant , nisi actu fruamur illis. de duratione verò illarum subdidit , *vsque in finem.* Sanct. Hieronym. hoc est , *sine fine* , Cassiodorus verò ; *vsque in finem , vt simul significet perfectionem & æternitatem illarum delectationum , quæ nullis erunt temporibus finendæ.* Ita ille. Vsque in finem ergo sunt, quia tam in intensione quam in extensione , vsque in finem & vltimum terminum interminatum peruenerunt, *es lo vltimo quen excellentia y duracion pueden tener los gozos.* Vnde meritò Hugo de sancto Victore lib. de sententiis cap. 10. *In temporalibus bona delectationes quædam sunt , sed non vsque in finem ; quia in hac vita semper gaudium nostrum sequitur dolor , & omnis delectatio amaro fine terminatur : in dextera autem Dei delectationes vsque in finem ; quia in vita æterna nec gaudia , in mœrorem , nec delectationes in dolorem mutari possunt.* Ita ille.

Item sic ad Dominum regius Propheta. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram ?* hoc est , vti explicat Lyranus, quid in terra , imò quid in cœlo , præter te Domine est , quod mihi satis sit ? quid ? Multa quidem & sublimia supra modum , in terra quidem copia ingens est argenti , & auri , & lapidum pretiosorum, & diuitiarum multarum , & honorum , & dominiorum , & delitiarum magnarum : in cœlo autem cælestia sunt , & tantò bonis terrenis excellentia, quantò à terra distat cælum. Quomodo igitur ait Dauid : *Quid mihi est in cœlo* , &c. Nimirum loquitur quasi homo quidam edax, & helluo ac vorax, cui modicus apponitur ad vescendum cibus, qui fame laborans , & cibi exiguitatem aspiciens, dicit : quid mihi paruus hic cibus est ? Sic cùm homo eximiæ capacitatis bonorum sit , capax , inquam , beatitudinis diuinæ , & hinc eius fames honorum , & insufficientia rerum creatarum , quamuis cælestia illa sint : solus enim

enim Deus, ad cuius imaginem homo creatus est; sa- A tiare & implere potest eius capacitatem. *las grandezas del mundo podran os hinchar, mas no hinchir.*

Optima comparatio sigilli, si fuerit in sigillo impressa & expressa imago Regis, nihil præter ipsum sigillum, quo efficta & facta est imago in cera, poterit illam implere, sic cùm homo ad imaginem Dei factus sit, solus Deus implere poterit illum, &c.

Præterea, quia sitis bonorum intus in anima est, hæc autem bona corporalia exteriora bona sunt, sitit infirmus febri magna correptus, adest medicus & sitim infirmi allenare optans, adhibeatur, inquit, infirmo aqua rosacea, quâ pulsus brachiorum & capitis lauentur. cui infirmus: Domine, non mihi satis est; quid igitur vis? bibere, inquit, fiat hic manualis aliquis fons, quo aqua fluat, & infirmum oblectet, ait medicus. At B infirmus, Domine: volo bibere, satis, inquit medicus, erit os aquâ abluere & hyssopitulo caragotomæ os humectare. minimè, ait infirmus, sed bibere, nimirum quia sitis intus vexat, hæc autem remedia exteriora sunt, & ad eam partem, in qua sitis est, non pertingunt. Talia quidem sunt mundi bona, ablutiones exteriores sunt, fontes quæ visui deseruiunt, caragotoma est, quæ tantùm gustum humectat. sitis bonorum intus in corde est, quò bona hæc non pertingunt. Sitiit anima ad Deum fontem viuum, quid sitis anima? Deum. accipe honores, non hæc sitio, sed Deum. accipe delitias, ac diuitias, non, sed Deum, hunc sitio, hic solus mihi satis ad sitim est. satiabor igitur, ô Domine, cùm apparuerit gloria tua, &c. in cœlo nulla fames, nulla sitis bonorum, sed satietas in æternum. Sed cum satietatem audis, ne fastidium imagineris, sicut in satietate ciborum corporalium euenire solet; nam cœlestis beatitudo ita satiat, vt simul famem satiatus experiatur. *Es la gloria vna hartura ambruenta, y vna hambre harta, vna sed satisfecha, y vna satisfacion sediента, vn deseo cumpl do, y vn cumplimiento de seoso, vn siempre desear lo que siempre se posee, y vn siempre poseer lo que siempre se desea*, hæc est beatitudo cælestis gloriæ.

Sic Dauid: *Benedic anima mea Dominum*, &c. & subdit: *Qui replet in bonis desiderium tuum*, vbi S. Aug. *Omnes creaturæ habent quoddam bonum suum integritatis suæ & perfectionis naturæ suæ; quare tu bonum tuum, summum bonũ hoc est tuum bonũ.* Ita ille. & alibi ait Domino: *Domine, si vis me recedere à te, da mihi alium te, aliquin non recedam à te.* Ita ille. nimirum quia solus est qui replet in bonis desiderium nostrum. Quærant creaturæ corporales satietatem in bonis corporalibus, nos autem merè corporales non sumus; cur ergo non erubescit, qui velut pecus, merè corporalia quærit? Quære tu, quod satiet te, non inuenies nisi Deum, ne igitur quæras nisi Deum.

Refert Socrates in historia Ecclesiastica de Abbate D quodam sancto, qui nunquam vescebatur, nisi cibo insipido, quòd cum ab eo quæreret quidam, cur non comedebat sapidos cibos, respondit: *Ne vlla res, præter Deum mihi suauis & iucunda sit, in quo omnem meam felicitatem & iucunditatem collocaui.* Ita ille. Reuera omnes qui de sua perfectione verè tractant, exemplum hoc præ oculis semper habere deberent, & confusione assidua perfundi, quòd in omnibus ferè rebus consolationculas quærunt: quo pacto enim hi suam omnem fælicitatem & iucunditatem se collocasse in Deo poterunt affirmare? Qui ad perfectionem aspirat, similis esse debet columbæ illi quam emisit ex arca Noe, quæ, quia non inuenit vbi requiescere pes eius, in sola arca requieuit: multa quidem morticina corpora in terra erant, super quæ requiescere potuisset, sed, tanquam auis munda, noluit super aliquid morticinum requiem habere. Talis debet esse vir iustus, respuat morticina mũdi & peritura, & solùm in eo requiescat, qui viuit in sæcula sæculorum, siquidem & ipse in sæcula sæculorum victurus est. requieuit columba in arca vnde exiuit, & quo reuersura erat; à Deo existi, & ad Deum vadis, ad eum reuersurus es, non quiescat pes tuus, non quiescat affectus tuus, nisi in Deo. Vnde meritò sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* hoc est, ille nihil à me quærit præter me, & ego nihil quæram ab eo præter illum. *Cant. 2.4*

Vt diuinus spiritus à mundi epulis hominem auocet, eum ita alloquitur: *Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.* Sed quid dicitur panis mendacij? Mendacium dicimus, quando interiùs non est illud quod exteriùs apparet, & sic illum mentiri censemus, qui ore aut verbis id negat, quod in corde & animo affirmat. Atque hinc fit vt ea mendacia, & vana dicantur, quæ re & interiùs non sunt, qualia in specie & exteriùs indicantur. falsum & fallacem leonem dicimus, qui cum re leo non sit, leonis tamen speciem præ se fert. Eodem igitur modo *panis mendacij* vocabitur, qui cùm extra alere, ac fatiare homines videatur, id tamen nulla ratione faciat. Hæc igitur bonorum temporalium proprietas & quasi natura est, vt satietatem, quam ostentant, nullo pacto efficiant, sed eos, à quibus habentur, potiùs esurientes quàm saturos reddant. Quamuis enim hi pecuniis abundent, pecunias tamen auidissimè exoptant: etsi honore maximo afficiantur, maxima adhuc cupiditate honores sitiunt & exoptant: licèt denique magnis perfruantur voluptatibus, maiores etiam delitias diligentissimè insequuntur. Atque ita quod etiam Pocta de pecuniis cecinit, dicens: *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit*, idipsum de reliquis mundi bonis affirmare verissimè possumus: eò enim eorum amor ac cupiditas magis augetur, quò illa etiam magis ac magis crescunt. *Pro. 23.3.*

Execratio autem illa Dei populo facta, in hos mundi sectatores videtur etiam conuecta: *Seminastis*, inquit Dominus, *multum, & intulistis parum: comedistis & non estis satiati: bibistis & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti, & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.* Sed quàm aptè hæc execratio iis, quos modò diximus, conueniat, quis est, qui non videat? quanta cura ac solicitudine illi seminant, vt fructus colligant exiguos quidem ac perituros. Quàm anxiè ac sollicitè literatus in studiis, mercator in commerciis, ambitiosus in pompis elaborant, & tamen exiguam ex tanto labore ac studio vtilitatem decerpunt, satietatem verò omnino nullam. Quibus obiici rectè potest: *Seminastis multum, & intulistis parum* semper hi seminant, dum semper student, negotiantur & mundana quærunt; at tempore messis flaccidos manipulos colligunt, vel omnino vacuos & inanes. Alij verò sunt, qui licèt diuitiis ac deliciis honoribusque affluant, abundent famulis, supellectili vasisque aureis & argenteis circumfluant; adhuc tamen diuitias quærunt, honores aucupantur, neque eorum cupiditas & desiderium expleri satiarive potest. quibus meritò etiam obiiciemus: *comedistis, & non estis satiati.*

Hoc enim morbo hominis appetitus affectus est, simili quodam morbo hydropici, cuius sitis nunquam expletur: sed potiùs quò ille plus bibit, plus sitit, & auidiùs aquam exoptat. eodem etiam modo hominum in terrenis illis bonis desiderium satiari nequit, etsi multis magnisque diuitiis ac voluptatibus abundent: sicut ignis, qui quò plura illi ligna applicantur, eò magis crescit eius vis, atque calor, neque eis extingui vlla ratione potest, sed augetur potiùs. Rectè igitur huiusmodi hominibus illud Prophetæ carmen conuenit, *Eamem patientur vt canes & circuibunt ciuitatem.* *Psal. 58.*

Verum quidem est, mundum quietem ac satietatem hominibus polliceri, illâ tamen efficere aut talibus stare promissis, nequaquam potest. Quis vnquam

putaret magni illius Alexandri desiderium totius A ferè orbis dominatu non esse satiandum ? Non enim eius dominandi sitis expleta erat, licèt ipsius potestas & dominium plures orbis terrarum prouincias complecteretur. O desiderium hominum inexhaustum!ô insatiabilis humani cordis cupiditas ! erras insanè homo,ac vehementer erras , si caducis ac perituris bonis tui cordis cupiditatem saturandam esse censes:quamuis enim Salomonis sapientiam , Samsonis fortitudinem , pulchritudinem Absalonis , fortunam ac fœlicitatem Alexandri, Crœsi diuitias, Sardanapali voluptates tibi compares , simulque valetudinem atque annos Mathusalem , ad iis omnibus fruendum habeas , adhuc tamen ardentissima plurium bonorum siti vexaberis , neque lacrymas , vt olim Alexander, poteris continere , quòd aliis etiam orbibus dominari non possis. O miseram horum hominum conditionem! Et quid infelicius , quàm post tot corporis labores animiq; angores ac molestias , quas homines suæ B cupiditatis explendæ causa suscipiunt, sitiant adhuc,& inexhaustum illorum desiderium neque in hac , neque in altera vita satietur?

Felices profectò iusti ac beati meritò nuncupandi, qui exiguo victu, cultuque tenui contenti , illud tempus , quod alij in terrenis bonis perquirendis conterunt,quibus saturari non poterunt , in sui animi salute procuranda consumunt , quæ ipsis satietatem est allatura. *Satiabuntur* enim *cùm apparuerit gloria Dom.ni* , eò quòd *torrente voluptatis* suæ potabit illos Dominus, cuius quidem voluptatis vel guttula quædam sufficit ad omne hominum genus penitus saturandum. Tu ergo Christiane, si satietatem desideras , caue ne illum in huius sæculi rebus quæras , ne postea sempiterna siti, vt ille alter auarus , premaris , sed illam in cœlestibus bonis inquire , vt tibi illud idem quod egentissimo Lazaro contigit,eueniat , qui licèt summa paupertate ac tenuitate in terra premeretur , in cœlo autem C satur,diuinisque bonis circumfluens , immensæ gloriæ thesauris ac diuitiis abundat.

Hanc ob rem clementissimus Deus in illas voces *Isai.55.1.* erupit : *Omnes sitientes venite ad aquas , & qui non habetis argentum , properate , emite & comedite. Quare appenditis argentum vestrum & non in panibus , & laborem vestrum & non in saturitate? Audite audientes me,& comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.* Omnes sitientes inuitantur à Deo , quod idem est ac omnes homines inuitari. nullus enim est , qui , dum huius lucis vsura fruitur , non sitiat aliqua bona , eorumque desiderio maximè teneatur. *Omnes* igitur *sitientes*, ait , *venite ad aquas* , sed ad quas aquas? Diuus Hieronymus ; *De his aquis*, inquit,*clamat in templo Dominus : Si quis sitit , veniat ad me,& b.bat, qui b.berit de aqua quam ego dedero ei , flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ ; significans Spiritum sanctum,quem credentes accepturi erant.* Hæc ille.

Hæc ergo aqua, gratia est , quâ cœlestis gloriæ diuitiæ comparantur, quas nec difficilè quidem , aut cum D eo labore,& sudore consequentur , quo terrenæ solent obtineri , quæ nec vllam satietatem animis afferunt. subdit igitur:*Quare appenditis argentum vestrum & non in panibus,& laborē vestrum & nō in saturitate.* &c.cur igitur vitæ tempus conteritis in eis bonis quæ saturare non possunt inquirentes ? sed quî satietatē facient ea commoda,quæ vana omnino sunt atque caduca ? Et verò intuens ac considerans illa Ecclesiastes dixit,ea esse falsa,ac vanita vanitē tatum,& omnia vanitatē.Quare infare illa poterunt;implere autem & satiare non poterunt,sed vacuum, inanem atque sŭrientem hominem relinquent. Quapropter audite audientes me , estote prudentes , & ad bona illa cœlestia , quæ satietatem ac fœlicitatem maximam afferunt , toto animæ studio, diligentia & cogitatione contendite.

S. Chrysost. Qui in stercore cubat misera & ignominiosa conditione se esse dolet , quem si haberes , & necessarijs rebus instructum reddas,rursum dolebit , quòd non vltra necessitatem superfit aliquid. Adde ergo illi plus,plura concupiscet , nec minus ideirco dolebit:ægre enim illi erit , quòd iam in Repub. non sit,mox ipsud si concedas , miserum se, quòd inter primos non sit,existimabit:sed & hoc assecutus, dolebit , quòd non sit princeps ; & si sit , quòd non totius gentis ; & si totius, quòd non multarum;si multarum , quòd non omnium. Iam qui praeterea est,dolebit quòd Rex non sit,& si Rex sit , quòd non solus,si solus,quòd non orbis terrarum vniuersi ; & si vniuersi, non esse orbem alium dolebit, in immensum denique cupiditas progressa conturbare se nusquam intermittit. Vides arbitror e vita meditato Regem facias , cupiditatem & tristitiam extorpari non posse , nisi mentem ambitionis studio flagrantem prius ponas. Ita S.Chrysost. Cuius doctrinæ & theoricæ praxim in Alexandro Magno videmus , qui à Philosopho quodam falsò admonitus & suasus alios præter hunc mundos conditos esse,fleuit, & de causa fletus interrogatus, respondisse fertur : Qui adhuc mundum vnum non sum assequutus , quando reliquos ditioni meæ subiugabo ? sic iuueni Peleo totus non sufficiebat orbis , quia cupiditas & ambitio in immensum procedunt.

Valerius Maximus sic rem narrat : Anaxarchus Pholosophus (inquit) ex authoritate Democriti Philosophi, & præceptoris sui , innumerabiles mundos esse Alexandro Magno asseruit : tunc Alexander, *Heu me miserum* , inquit , *quod nec vno quidem mundo adhuc potitus sum.* Ita ille. Videsne humani cordis insatiabilitatem?multorum regnorum, & prouinciarum , Alexander Dominus erat , & tamen gemit se non iam totius mundi regem esse, qui ad infinitos illos imaginarios mundos aspirare videbatur ; quid ergo humanum cor in hac vita poterit satiare?

Promisit Christus Dominus Petro culmen & thronum summi Pontificatus , & nihilominus postea ad Christum Dominum accedens,dixit: *Ecce nos reliquimus omnia,quid ergo erit nobis ?* Quid hoc,beate Petre ? nonne pro nauicula & retibus tuis satis superque retribuit tibi Christus,cŭ tibi supremam sui Pontificatus dignitatem promisit,dicens: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cœlorum, &c.* cui igitur de nouo quæris?quid ais : *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te , quid ergo erit nobis ?* erit tibi suprema omnium dignitas, supremæ fcilicet sedis,quid amplius desideras,æterna sc. bona,his satiabatur,reliquis verò nequaquam vnde, cùm in monte Thabor Christi Domini gloriam intueretur, dixit:*Domine, bonum est nos hic esse*,non recordatur iam summi Pontificatus, quia gloria sola est,quæ cor humanum satiare potest, quod si illa gloriæ guttula sic eum impleuit , vt velut extra se eum eueheret, dicente Euangelista Luca , illum verba illa protulisse, nesciendo quid diceret , quid essentialis cœli gloria præstabit?

Seneca : *Discedant aliquando ista insidiosa bona , & spe- B rantibus meliora quam assequutis. Si quid in illis esset solidi, aliquando implerent. Quare igitur potius à fortuna impetrem, vt det,quàm à me,ne petam.* Ita ille. Insidiosa vocat bona, quia gaudium & satietatem promittunt,numquam verò quod promittunt adimplent : nam qui ditior est diuitiis,ditior est curis,& anxietatibus assiduis; vbi ergo gaudium,& quies , quam diuitiæ promittunt ? Non ita magister noster docuit , qui diuitias sentibus & spinis comparauit. Insidiosæ igitur diuitiæ meritò dicuntur, quia non adimplent quod appetentibus se promittunt, deinde vanæ , inquit , & non solidæ sunt, si enim in illis aliquid solidi esset , aliquando implerent. Quando tu vidisti diuitem plenum?quem Crœsum ? quem Alexandrum magnum?numquam:nam

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Cant.2.*Ego flos campi,& lilium conuallium*, ait , Sponsus diuinus , ac Deus noster , vbi alia litera sic habet: *Ego*

Ego flos saturitatis & vbertatis, quî autem fieri potest, vt flos saturitatis, & vbertatis sit: si verò dixisset: Ego fructus saturitatis & vbertatis, rectè saturitatem, & vbertatem adaptasset: qui enim famelicus hortum ingreditur, non saturatur visu florum, sed cibo pomorum, nec vbertas animi ex floribus prouenit, sed ex fructibus ipsis: quid igitur est: Ego flos saturitatis & vbertatis? Hoc equidem ad differentiam possuit bonorum huius mundi, quæ quamuis omnem mundi contineant fructum, nunquam satiant, nec vbertatem nobis pariunt? Quantumuis enim quis Alexander Magnus sit, & dominus fiat vniuersi mundi, pro alterius mundi ditione plorabit. At Deus Opt. Max. ita cor nostrum satiat, vt vel odor eius, & fœlicitatis suæ, plus nobis satisfaciat, quàm reliqua vniuersi vniuersa bona. vnde Dauid: *In die tribulationis Deum exquisiui manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus. Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Imaginare Dauidem in aliquo graui animi conflictu versari, & varias ei consolationes mundi repræsentari, verbi gratiâ, amicorum conuersationes, quæ solari animum afflictum solent, musicæ suauitatem, & ludorum, venationum, &c. huiusmodi recreationes sese animo Dauidis ingerebant, quibus licitè pro animi gratia vti potuisset: at ille renuit sic consolari, nimirum quia vir spiritualis erat, & non ita temporalibus consolationibus addictus, & prætereà quia experimento comprobarat, nihil esse inter humana, quæ planè animum satiare & consolari possint. Quare ad Deum totius consolationis fontem conuersus, in ipsa noctis caligine Deum exquisiuit, nec frustra: nam statim, vt Deum adiit, consolationem plenam, quam desiderauerat, inuenit, quonam pacto? non in tertium cœlum illum raptus, & ibi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui: sed *memor*, inquit, *fui Dei, & delectatus sum*, sola Dei memoria illum consolari valuit, quem vniuersa reliqua mundi gaudia non potuerunt. Ecce cur florem saturitatis se Deus vocat, quia vel odor bonorum suorum, seu memoria, sic recreat afflictos. Quòd si solus odor & sola memoria id præstat, quid Dei plena visio, & fruitio præstabit? attendant qui mundi consolatiunculas toto animo, Deo relicto quærunt.

A

B

C

Cùm Philippus Macedoniæ Rex, & Alexandri Magni pater, cibum sumeret, iussit? Philosophis adstantibus disputare, quænam mundi res maior esset; & Primus: Olympicus mons mihi inter res mundi maior esse videtur, quia intantum supereminet, vt nulla naturæ inclementia, nec nubium, nec ventorum, ad eius verticem perueniat vnquam.

Alter verò: Mihi aqua maior apparet, cum propter vtriusque maris immensitatem, tum propter abundantiam fontium perenniter scaturientium, & fluminum indesinenter currentium.

Tertius: Mihi lux Solis omnium rerum maior apparet, quia mundum vniuersum, cœlum, terram, aerêm, vbique illustrat, & cooperit vndequaque.

D

Quartus verò: Mihi hominis cor omnium rerum maius videtur, quia potest cuncta, quæ in mundo sunt, vilia reputare & despicere, tum etiam, quia omnia, quæ à Deo creata sunt, eius capacitatem non explent: quantumuis enim multa possideat, plurium capax est. Hic Philosophus scopum attigit, nihil in hac visibili rerum natura corde hominis maius nec sublimius: vniuersus quippe mundus minor est corde nostro, quod quidem sola Dei possessio potest satiare. Hinc Dauid Psa. 72. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* quid tibi est in cœlo & in terra? multa per omnem modum, in cœlo nouem Angelorum chori sunt, qui innumerabilia tibi bona conferre valent; in terra omnia regna mundi, aurum, argentum, lapides pretiosi, honores, diuitiæ, delitiæ, & alia, quæ homines auidè quærunt. quid mihi hæc omnia, ait Dauid *à te*, hoc est, sine te, Domine, tu solus cordis mei capacitatem implere vales. Vnde subdit: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*, hoc est, solus Deus, & hic in æternum possessus. Probat autem S. Thom. à priori 1.2. q. 2. art. 8. *Obiectum* (inquit) *voluntatis est vniuersale bonum, sic obiectum intellectus est vniuersale verum; ex quo patet, quòd nihil potest quietare voluntatem hominis, nisi bonum vniuersale, quod non inuenitur in aliquo creato, sed solum in Deo: quia omnis creatura habet bonitatem participatam: vnde solus Deus voluntatem hominis implere potest, secundùm illud, Qui replet in bonis desiderium tuum.* Ita S. Thom. vbi non solùm, vt sublimis Theologus, sed vt excellentissimus Philosophus, loquutus est, hac enim ratione quemuis Philosophum, quantumuis infidelem, conuincere posset.

Ib v. 26.

Thomas.

Ps 102.5.

Hinc Alexander Magnus, vniuersi Dominus factus mundi, alios mundos, quos Philosophus quidam somniauerat, appetebat, nimirum quia mundi magnitudo angusta est magnitudini, & amplitudini cordis humani.

Alexand. Magnus.

Filius prodigus *cupiebat saturari de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* In parabola hæc locutus est Dominus. Sed quid, inquies, sibi vult parabola ista? itàne parui pensus esse potuit homo præditus ratione, vt porcorum cibo indignus iudicaretur? Respondet S. Petrus Chrysologus serm. 2. *quæ Diabolus non sinit peccatores ex ipso porcorum cibo pastuque saturari, vt esurientes vitia, plus delinquant.* Ita ille. Qui enim ex aliquo cibo saturantur, statim est illis fastidio cibus ille, vti exemplo Hebræorum id probat S. Hier. Epist. 12. ad Gaudentium, dicens: *Cupientibus Hebræis AEgyptias carnes, vsque ad nauseam, & vomitum, prouidit Deus examina coturnicum, vt eas postea satiati contemnerent.* Ita Sanctus Hieron. Ideo igitur Diabolus recusat satiare peccatores peccatis & bonis temporalibus, ne satietas odium & fastidium eorum pariat.

Luc. 15. 16.

S. Petrus Chrysol.

S. Hieron.

Vnde S. Bern. lib. de diligendo Deo: *Stultum & extremæ dementiæ est, ea semper appetere, quæ nunquam, non dico satient, sed nec temperent appetitum.* Ita ille.

PROP. VIII. *Bona temporalia plus laboris, quàm gaudij secum nobis ferunt.*

SBernardus Epist. 113. *Mundi gloria flos fœni est, vapor est ad modicum parens, & ipse eius qualiscumque status nonne plus anxietatis quàm incunditatis, habet? dum vindicas, dum defendis, dum inuides, dum suspicaris, dum semper ambis quæ non habes, & nonnullis adeptis, acquirendi non tepescit ardor. Quæ requies in gloria tuâ? si qua tamen est, præterit iucundi tas, non reditura, & manet anxietas, non relictura.* Ita S. Bern. qui breuiter hîc attingit labores & anxietates, quas hi patiuntur, qui gloriam & bona possident mundi.

S. Aug.

Rectè S. Augustinus serm. 15. de diuersis: *Omnis terrena possessio supplicium est cupiditatis, vt in ipsis bonis crucietur animus, cui viluit, qui tanta largitur.* Ita S. Augustinus qui hoc dixit de diuitibus, qui cupiditate magna acquirunt, & possident bona mundi, qui quærentes in huiusmodi bonis gaudium & quietem cordis, tormenta & dolores animi reperiunt.

Impossibile quidem est sine dolore amittere quæ cum amore possidentur, & rursum impossibile etiá est non sæpe diminutionē bonorū temporaliū pati, in diuitiis scilicet, vel in honore, vel in fama, vel in salute, vel in filiis, vel in amicis, vel in voluptatibus, &c. Huius igitur remediū est, animū & amorē à temporalibus vindicare, & in rebus diuinis, & æternis collocare. Sicut enim abscissionem capillorum non sentimus, quia eos anima non animat, aliarum verò partium corporis incisio dolorem magnum parit, quia eas anima informat; ita quidem si animum & amorem

in rebus mundi constituimus, in earum amissione valde dolemus. Amissio autem earum velut amissio capillorum est.

Prop. IX. *Quanta sit difficultas in acquirendis bonis temporalibus.*

Licèt magna & ingentia essent bona temporalia, propter hoc ab eorum inquisitione cessandum esset, quòd sæpe difficiliùs acquirantur quàm cæstia. etenim mundus magna promittit, sed sæpe fæpius sola spe sequentibus se labores & sudores eorum satisfacere & soluere solet. Narrat Plut. *lib. de auditione*, quòd cùm cytharœdus quidam præclarè coram rege Dionysio cecinisset, inter audiendum magna donà ei promisit Dionysius, sed tamen postea nihil illi tribuit. Rogatus cur non adimpleret promissum, *Quia*, inquit, *quanto tempore me ille musicâ oblectauit, tanto ego spe præmij eum delectaui.* Ecce quomodo etiam mundus labores suorum perfoluat. promittit magna, sed non perfoluit, nisi spem bonorum. Sic Absaloni regnum promisit, sed suspensus è quercu nihil tulit, spe magis, quàm quercu, suspensus, vitam finiuit, *quedo colgado de sus vanas esperancas, como lo quedo de sus cabellos.*

Tot quidem sunt, qui bona hæc temporalia optent, quærant, & omni diligentia procurent, vt vel hac sola ratione difficillima sit eorum acquisitio: dum enim alij sibi ea conantur applicare, alijs obstaculo esse necessarium est. Quærunt sacri authores, cur Sara tanta cum efficacia Ismaelem filium primogenitum viri sui Abrahæ, è domo sua eijcere fecerit, & Vatablus sic respondet: *Dicunt quidam docti Hebræi, quòd cùm Abraham magnum faceret conuiuium, & omnes congratularentur ipsi Abrahæ, quod Dominus in senectute dedisset illi Isaac, Ismaelem filium ancillæ derisisse, & subsannasse illos, idque Saram indicasse Abrahæ.* Ita Vatablus. *Indicasse*, inquit, quia derisio illa ad hoc tendebat, vt nullo modo Isaac maioratum obtineret, quasi diceret Ismael: quàm stulti sunt isti, qui ita gaudent & congratulantur patri meo ob natalem Isaac, quasi ille primogenitus & hæres eius futurus sit, non verò ego. Sic author quidam grauis, addens propterea rogasse postea Saram maritum suum, vt eiiceret è domo sua Ismaelem cum matre eius.

Sup. cap. 21. Gen.

Gen. 21. 10.

Abulensis autem explicans rationem, ob quam petierit hoc Sara à marito suo, ait, lusum illum, quo vidit Sara Ismaelem ludentem cum Isaac, fuisse eiusmodi, quòd in eo Ismael tamquam filius Abrahæ maior & primogenitus se gerebat, & ob id rogasse maritum, vt è domo sua eijceret Ismaelem cum matre eius. Noluit itaque Sara, vt vel ioco & lusu de primogenitura ageret Ismael contra filium suum: *non enim*, inquit, *erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac*, quo manifestè constat, quanto studio, non solùm mundani & peccatores, verùm etiam probi & iusti solent hæc mundi bona quærere & tueri, & quanta difficultate consequantur. S. Ioseph somniauit se principem inter fratres suos futurum, & in eum conspirantes direxerunt: *Ecce somniator venit: venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, &c.* cur, ô filij Iacob, fratrem innocentem & sanctum sic interimere deliberatis? quia, inquiunt, somniauit se principem nostrum futurum. Rogo vos; hoc ne prophetiè nouit, an solùm id somniauit? si prophetiè id nouit, quonam pacto voluntatem Dei fraudare valetis? si somniauit tantùm, nolite fidem somnijs dare. Somnium si est, vanum est, pro nihilo ducite, quod dormiens somniauit. Occidatur, inquiunt, quia principatum hic nec per somnium imaginari debuit. *No auia de imaginar se mas que nos otros, ni a vn por fuennos.* quòd si nec fratres fratrem præponi sibi patiuntur, quid facient extranei? Hæc igitur causa est cur difficillimum sit bona pertingere mundi; obstant enim inuidentes plures &c.

Gen. 37. 19.

Promittit quidem mundus abundè bona sua temporalia inquirentibus ea: sed fallit, & decipit credentes illi. Hinc voces illæ Dauidicæ: *Filij hominum vsque quo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quonam, inquies, pacto quærunt vanitatem & mendacium? quis non vanitatem & mendacium abhorret? Respondit S. Augustinus. *Cum de terrenis & de his, quæ vana sunt, vultis esse beati, tunc quæritis mendacium, & diligitis vanitatem.* Ita ille.

Et quidem omnes, & ipsi etiam, qui mundum sequuntur, & mundana optant & quærunt, mundum accusant, & illum fallacem & mendacem esse fatentur, & nihilominus eum sequuntur, & in eo confidunt & sperant. velut infirmus ille, qui 38. annos habebat in infirmitate sua, & dicebat: *Hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum enim venio, alius ante me descendit.* Hæc ille, & tamen hoc non obstante, piscinæ adhærebat, & nolebat ab ea separari; diu inani quadam spe ibi perseueraucrat, cùm homine ad opem necessario careret, & tamen perseuerabit semper, nec dicebat: Quid ego hic expecto? quid moror? hominem adiutorem non habeo, sine illo salutem sperare stultum est: ego per meipsum ad piscinam prior alijs accedere nequeo, recedam ergo, &c. Hic mihi mundanorum hominum typus esse videtur, videas in curijs regum & Pontificis summi, homines mundi bona ambientes sæpissime à spe sua frustratos, desperantes & sperantes simul, dicentes: *Nolite confidere in principibus, in quibus non est salus*, & tamen hærent & adhærent principibus ipsis, & veluti fascinati, amentes ambiunt ea quæ ambire stultum esse fatentur.

At dices, licèt spe mundus multos fallat, & decipiat, aliquando tamen fauet, & inter fallacias & mundacia eius aliqua solet veritas relucere. Sit ita, quid hoc quòd aliquando, ne dicam sæpe sæpius fallat potiùs fugiendum mundum esse dicam, quàm propterea sequendum, quòd aliquando verum dicat. Quod vt intelligas, locum illum animaduerte, vbi, *Si surrexerit*, inquit, *Propheta in medio tui, aut, qui somnium vidisse dicebat, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, &c. Propheta ille, aut fictor somniorum interficietur.* Pondera id & euenerit. Rogo igitur: si non euenisset, quid? nihil super hac re decreuit, sed solùm si euenerit, quia hæc maior ratio est populum seducendi: nam si apertè falsum esse constat, quod ait, non immittet periculum sequendi consilium prauum eius, vtpote manifesti seductoris; at verò si quod dicit opere confirmat, tunc maior est causa decipiendi populum. Sic ego de mundo iudico esse iudicandum: nam quod aliquando mundus id quod promittit præstet, maior est causa fallendi, & seducendi sequaces suos, &c. *Si nunca tratasse verdad el mundo, ya fuera conocido y tenido por enuaidor, però como a vezes dize verdad, y da algo a los que le siguen, con eso los trahe tras si enganados.*

Sapiens igitur non à mundo, vt det, sed à se, ne à mundo exigat, impetrare conatur; iuxta illud Senecæ: Quare à fortuna potiùs impetrem vt det, quàm à me ne petam?

Seneca ep. 83. *Quæ latebra est, in quam non intret mortis metus? quæ tam munita & in altum subducta vita quies quam non territet dolor? quocunque te abdideris, mala humana circumstrepunt: multa extra sunt, quæ circumeunt nos, quæ aut fallant aut vrgeant: multa intus, quæ etiam in media solitudine exæstuant; at insuperabili loco stat animus qui externa deseruit, & se sua vendicat arce, infra illum omne telum cadit. Non habet, vt putamus, fortuna longas manus, neminem occupat nisi hærentem sibi.* Ita Seneca.

Hoc inter alia malum in bonis temporalibus reperitur, quòd non ita facilè ea possint omnes adipisci, sed alius quidem esurit, & alius ebrius est: hic abundat nullo adhibito labore, ille verò in sudore vultus sui vesci-

vescitur pane suo, & per totam laborans vitam, vix A victum assequitur necessarium: at in bonis spiritualibus omnes quotquot voluerint, diuites esse possunt, quia non est acceptor personarum Deus in huiusmodi bonis. Si vis, potes beatus esse, quid optabilius?

Prop. X. *Quàm incerta sit bonorum temporalium consecutio.*

Sanct. Chry. epist. ad viduam iuniorem, ad quam dolentem virum suum frustratum spe certa consulatus ex morte, sic scribit: *Quoniam verò id grauiter percellit, & concutit animum tuum, quòd sæpè speraſti fore vti is ad consulatus dignitatem eueheretur, ideoq; magistratum illi quodammodo ereptum doles. Primùm quidem fac tecum cogites, licet valdè explorata esset hæc spes, attamen humanam spem fuisse, quæ sæpè fallere solita sit, & multa huiusmodi in hac vita quotidiè cernimus euenire, vt cum ea quæ valdè sperantur, minimè exitum inueniant, ea quæ neque in mentem venerunt, ad finem sæpenumero perducan-* B *tur, siue ad imperia, siue ad regna, siue ad hæreditates, siue ad matrimonia, siue aliò animum intendamus. Quare licet propè adesset tempus, tamen, vt in prouerbio est, multa inter calicem, & summum labrum & sanè Scriptura ipsa inquit, à mane vsque ad vesperam immutatur tempus; & rex qui hodie est, moritur cras, ac rursus quàm incerti, & inexpectati rerum exitus sint, nobis declarans idem Sapiens, inquit, Multi tyranni sederunt in solio, & insuspicabilis portauit diadema. Non igitur exploratum omnino erat, quòd si vixisset, ad eum dignitatis gradum peruenturum; qui enim futuri sint, incertum nobis est. Vnde igitur manifestum erat, si vixisset, ad Magistratum illum enectum iri? & quòd nec morbo correptus, aut inuidia, aut malevolentia eorum, qui prosperitatem illius non ferrent, circumuentus, vel aliqua calamitate affectus præsenti etiam dignitate priuaretur. sed demus ad illud fastigium peruenturum, quantò maior dignitas, tantò maioribus* C *periculis, curis, insidijs necessariò fuberat: sed quod sine periculo; & summa tranquillitate illud nauigaret pelagus, quis huius finis? an non idem qui nunc? & forte peior, & quidem tardius vidisset cælum, quòd non minimum damnum est, deinde necessitas in talem magistratum incurrens non æquè parum abire permisisset, & illud incertum, an fortè immutatus, & negligentiæ deditus perisset; publica enim negotia tractans multas fortè ad se traxisset sordes.* Ita S. Chrys.

Prop. XI. *Bona temporalia nõ sunt solicitè quærenda.*

Valer. Max. *lib.* 8. c. 7. de Anaxagora Philosopho, quòd cùm post diuturnam peregrinationem in patriam remeasset, possessionesque suas desertas & deperditas reperisset, dixit: *Perissem ego, nisi ista perissent*, peregrinatus enim fuerat ad quærendos philosophiæ & virtutis magistros. Quod hoc enim peregrinari solebant Philosophi illi morales, vt à moralibus magistris, optimos addiscerẽt mores; ideo ergo ait. perissem ego, nisi perissent ista. non enim compatibilia sunt magna D solicitudo rerum temporalium, & solicitudo magna bonorum morum.

Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Matth. 4. vbi refert locum hunc, legit, *sedebat*, & *sedentibus*, &c. quonam pacto hæc sibi constant, si ambulabant, quomodo sedebant? S. Basilius sic conciliat lectiones istas, *qui in regione vmbræ mortis ambulant, negotijs mundi huius occupati, quamuis ambulent, & currant, sedent, & nullum grẽssum, nec progressum faciunt, quia quidquid acquirunt, quicquid lucrantur, inutile & fictile prorsus est. todo su trabajar es estarse mano sobre mano, todo su negocio es puro ocio*, &c.

Hucusque humana vanitas peruenit, vt ampliùs homines honorem, quàm animæ salutem optent & quærant, & ea pro honore faciant, quæ pro anima sua facere detrectant, & similiter pro aliis temporalibus bonis. Probat optimè dictum hoc, quod pagina sacra narrat *Num. c.* 10. vbi cùm populus Israel in terram promissionis pergeret per desertum, Madianita quidam nomine Hobab, cognatus Moysi tunc ibi aderat cum Moyse, & reuerti in patriam suam volebat: ad quem sic Moyses: *Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis, veni nobiscum, vt benefaciamus tibi, quia Dominus bona promisit Israel.* etenim bona hæc non solùm temporalia, sed etiam spiritualia ad salutem animæ spectantia & conducentia erant, quod facilè percipere valuit Hobab; quid igitur ipse respondit? *Non vadam*, inquit, *tecum sed reuertar in terram meam, in qua natus sum.* Ita ille, quia dulcis amor patriæ, sed doluit Moyses, quia salutem animæ eius sitiebat, & timebat, quod reuersus Hobab in patriam, vbi idololatræ homines erant, simul cùm ipsis periret; quare alio medio ac modo retentum prosequutus, dixit: Noli, inquit, nos relinquere, tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster, cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis tradituras est Dominus, dabimus tibi, quid hoc? egebátne Moyses ducatu illius, sciens & videns, quòd Dominus ductor populi esset in nube per diem, & in columna nubis per noctẽ? Rupertus Abbas sic respondit *super lib.* 1. *Num. cap.* 28. Plerumque persuadere elatis vtilia melius possumus, si profectum eorum nobis potiùs, quàm illis dicamus profuturum, facilè enim ad bonum elatio flectitur, si eius inflexio prodesse & aliis credatur, neque enim Moysem ignorantia itineris angustabat; quem & ad Prophetæ scientiam cognitio veritatis extenderat, quem exterius columna præibat, quẽ de cunctis interius per conuersationẽ cum Deo sedulâ loquutio familiaris instruebat. Sed tamen prouidus vir elato auditori colloquens solatium petiit, vt daret, ducem requirebat in via, vt dux fieret ad vitam suam; egit itaque vt superbus auditor qui voci ad meliora suadenti eò magis fieret deuotus, quò censeretur necessarius, & vnde se exhortatorem suum præcedere crederet, inde se sub verbis exhortationis inclinaret. ita Rupert. Esca verò, qua Moyses hominem istum gentilem allexit, honor ille ducatus fuit, & adeò potens ad eliciendum eum, vt quòd amor salutis animæ non effecerat, honoris perficerẽt amor, & temporalium bonorum.

S. Chrysostomus *lib.* 2. *de compunct. cord.* Quum beatus Paulus dicit, mihi mundus crucifixus est, & ego mundo, emortuam mihi videtur in semetipso corporaliũ sensuum efficaciam protestari, imò non solùm hoc, sed duplicare in semetipso, istam, vt ita dicam, insensibilitatem, non enim dixit hoc solùm, quia mihi mundus crucifixus est. sed addidit, & ego mundo: ingentis namque Philosophiæ est, vt hunc ipsum mundum sibi putet aliquis mortuum, multo autem maioris est, vt & seipsum quis mortuum censeat mundo, quem sibi mortuum iam esse crediderat. Hoc ergo in semetipso Paulus ostendit, quia non tantum abesset à terrenis sensibus, quantum viuentes homines à corporibus mortuis, sed quantum absunt, nec sentire possunt mortui mortuos. Qui enim viuit, etiamsi ipse non possit mortuum conspicere, sentire tamen potest, vel mirari adhuc speciem decoris defuncti, vel misereri potest, vel lachrymas fundere; qui verò & ipse defunctus est, erga mortuum neq; hunc habet affectum, & hoc est, quod mihi dixisse videtur Paulus, mihi mundus crucifixus est & ego mundo. vides ergo, quàm longè peregrinabatur à terris. & quàm altè tenebat verticem cæli. Anima igitur, nisi prius didicerit terrena contemnere, cœlestia mirari non poterit, & econtra, dum terrena miratur, necessariò spernit cœlestia. & hoc est, quòd B. Paulus aiebat, *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Ita S. Chrys. Ad id etiam facit, quòd ipsemet Paulus de se in 2. ad Corint. 4.

Num 10. 30.

1. *Cor.* 2. 14.

non

2. Cor. 4. 18. *non contemplantibus nobis*(ait) *quæ videntur, sed quæ nō videntur, quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ non videntur, æterna*, non dixit non amantibus, vel non quærentib. sed non contemplantibus, non considerantibus, non cogitantibus; ita denique abiicienda nobis sunt temporalia bona, vt nec in mentem nostram ea venire sinamus, nec cogitatum nostrum attingant, sed tanquam mortua illa nobis, & nos illis, nec illa nos respiciant, nec nos illa. Sunt enim, quib. quidem mundus mortuus est, quia mundus eos in obliuionem tradidit, sed ipsi non sunt mortui mundo, quia tanquam viui sentiunt, & cogitant, quæ mundi sunt, sicut filij Israel, quibus Ægyptus mortua erat, quippe quæ eos abieceratà se, & persecutus fuerat; ipsi verò non erant mortui Ægypto, quia cupiebāt & desiderabant iterum vesci cepas, carnes, & allia Ægypti.

Fecit quidem Deus hæc bona temporalia in obsequium nostrum, non verò vt illis adhæreamus mente, vel corde: vnde S. Chrysostomus oratione 1. de prou. *Cur Deus bestiis omnibus deorsum in terram fabricauit deiectos oculos, tibi verò in capite tribuens eos in corpore erecto quasi in arce collocauit? an non, quia nihil illis cum cælo commune est, tibi verò tum à Deo, tum à natura, vt maximè fuspiceres cælestia, lege à principio sancitum est. quare etiam tibi corpus celsum & rectum fecit, illis verò contra ad terram deiectum. an non hac via instruit te, vt nihil habeas cum terra, neque fluxis adhæreſcas rebus? Non igitur nobilitatem nostram prodamus, neque ad bestiarum ignobilitatem d. labamur,* Ps. 48. 13. *ne de nobis dicatur illud*, Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. *delitis enim atque opibus, & gloria, & rebus mortalibus vitæ modum terminare, hominum est non suam nobilitatem inquirentium, sed eorum, qui equo asinoq; efficiuntur.* ita S. Chrys.

Apoc. 2. Data fuit S. Ioanni Apostolo mensura quædam, quâ metiretur templum Dei & altare, & omnes, qui intra templum Deum adorabant. & subdit, atrium autem, quod est foris templum, eiice foras, & ne metiaris illud. Templum hoc, in quo Deus æternaliter adoratur, cælestis Ecclesia primitiuorum est, vbi tantummodò sunt prædestinati, & etiam Ecclesia militans, vbi pariter prædestinati sunt hi, qui Deum in spiritu & veritate adorant, cæteri enim bestiam, & eius adorant imaginē. hos igitur mēsurari voluit Deus, hi enim sunt, qui semper & in omnibus mensuram seruant: in cibo, non enim sumunt, nisi quæ iustos & prædestinatos decet, in vestitu etiam, non enim induunt, nisi quæ decent, in sumptibus, non enim insumunt nisi quantum necessitas poscit, vt Christi pauperibus in piis operibus saucre possint, &c. Qui verò extra sunt, id est, præsciti qui bestiam adorant, & ipsam vsque ad inferna sequuntur, hi mensurati non sunt; hi, inquam, sunt qui nullam in vllo mensuram seruant: comedunt, & bibunt vsque ad satietatem, & vltra, induunt profanè superflua sumptus eorum sine mensura, vnde semper ære alieno incedunt graui, dormiunt sine mensura, cùm enim prædestinati sacro, & concioni assistunt, dormiunt & somniant ipsi, &c. Videat igitur vnusquisque ex mensura huiusmodi ad quem spectet numerum, prædestinatorum, an reproborum.

S. Clemēs Pap. epi. 1. ad Iacobum. Id tibi circa bona temporalia sentiendum est, quod de Ecclesia S. Clemens Papa disseruit, & asseruit. *Similis* (inquit) *est status Ecclesiæ magnæ naui, quæ ex diuersis regionibus viros portat per vndosum pelagus ad securum portum, & ciuitatem magnam, quo omnes ire contendunt, sicut nauis peramplа est, ac patens in parte superiori, quæ respicit cælum, qua verò parte aquas tangit, angusta, clausa, beneq; b. tumine limita, ne æquæ subintrare possint, eamque demergant; sic est Ecclesia: qua namque parte cælum respicit, aperta est; ampla est, vt inde recipiat omne bonum, quod desursum est descendens à patre luminum*: Ita S. Clemens. Quæ quidem verba commentaria videntur illius loci Apostoli: *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*: sicut enim Ecclesia ad superiora respiciens ad illa coelos latitudinem protendit, & aperit, ad inferiora vero claudit, & angustatur, sic etiam qui filium se huius Ecclesiæ profitetur; latitudinem cordis cœlestibus reseruet; de inferioribus autem id sentiat, quod idem asseruit Paulus: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* In temporalibus ergo sit modus in rebus; modus verò appetendi cœlestia sit quidem simodo, & quantum Christiana patitur discretio, sine modo quærantur. *Diuitiæ si affluant*, ait Dauid, *nolite apponere*; sed potiùs claudite, & obserate; si verò supputant cœlestia, cor apponite, &c.

Asserunt Anatomistæ cor in nobis in sinistram partem declinare. Cur ita natura disposuit? S. Bern. ser. 7. super Psal. 90. *Meritò quidem in sinistro latere positum dicitur hominis cor, quòd affectio eius prona sit semper & procliuis in terram: nec sanè ignorabat hoc qui miserabiliter ingemiscens, Adhæsit* (inquit) *pauimento anima mea, viuifica me secundum verbum tuum.* Ita S. Bern. Vbi supponit sinistrum latus intelligi bona temporalia, quæ comparatione bonorum spiritualium sinistrę bona sunt, spiritualia verò bona dexteræ partis.

S. Greg. 4. Matth. 2. *Qui hic multiplicandis deuitiare hiant, quâ alterius vitæ gaudia sperant?* Ita ille. quasi diuitis. Difficillimum est hos saluari, qui ita inhiant & nimis solicitudine diuitias quærunt.

PROP. XII. *Excelsi animi est contemnere temporalia.*

PLut. *lib. de exilio*, Cùm vidisset Alexander Diogenem in sole sibi obsistentem, stetit, & an re aliqua indigeret percontatus, accepit, nihil aliud se velle quàm vt paulisper obumbrare solem desineret. Cuius animi celsitudinem stupefactus, ad amicos Alexander dixit. *Si Alexander non essem, Diogenes vtique esse m.* Ita ille. Erat quidem Alexander hic magnus, non tam imperio quàm magnitudine cordis, videns autem in Diogene celsitudinem illam animi, qua cuncta hæc temporalia contemnebat, nullum post se ita sublimem corde agnouit quàm illum.

PROP. XIII. *Quàm indecorum homini sit nimis diligere & sollicitè quærere bona temporalia.*

INquirit S. Bernardus, cur Deus condiderit hominem rectum corpore, cum alia cætera prona in terram crearit, & respondet: *Coporis staturam dedit Dominus homini rectam, forsitan vt ista exterioris viluisque vestitudo figmenti, hominem interiorem illum, qui ad imaginem Dei factus est, spiritualis suæ seruandæ rectitudinis admoneret, & decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius, quam cutuum recto corpore gerere animum? Peruersa & fœda res est luteum vas, quod est terra, oculos habere, sursum cælos liberè suspicere, cælorumque luminaribus obtectæ aspectus: spiritualem verò cœlestemque creaturam suos è contrario oculos, id est, internos oculos, & affectus trahere in terram deorsum, & quæ debuit in crocesis enutriri, luto, tanquam vnam de subius, hærere, & stercora amplexari. Erubescite anima mea diuinam in pecorinam similitudinem commutasse, erubescite voluptari in cœno, quæ de cælo es. erubescite anima (aut corpus) in mei consideratione creata similis creanti rectæ, me quoq; aduitore accepisti, aduitorii similè tibi, vtique secundum lineamenta corporeæ rectitudinis: quòcumque te vertas, siue ad Deum sursum, siue ad me deorsum, vbique occurrit tibi species decoris tui, vbique pro statu tuæ dignitatis habes de magisterio sapientiæ familiarem admonitionem. Me ergo meam, quam tu quomodo non consideres amisisse tuam? cur suam in*

in te conditor intuetur abolitam similitudinem , cùm tuam in me tibi conseruet & repræsentet assiduè ? iam omne adiutorium , quod tibi ex me debebatur , tibi in confusionem vertisti , abuteris obsequio meo , indigne corpus humanum inhabitas, brutus & bestialis spiritus factus. Ita S. Bernard. & subdit : *Quærere & sapere , quæ super terram sunt , curiositas animæ est , è regione, meditari & desiderare quæ sursum sunt, rectitudo.* Ita ille.

Dixit Deus , *Producant aquæ reptile animæ viuentis , & volatile super terram sub firmamento cœli,&c.* hinc constat cessasse Deum ex aqua pisces, & aues. vnde hymnus S. Ambrosij : *Magnæ Deus potentiæ , qui ex aquis ortum genus, partim remittis gurgiti, partem leuas in aera , &c.* Cùm igitur aues à Deo productæ fuerint , statim ad alta se volando contulerunt, pisces verò ad ima & ad profunda abyssi se receperunt. Ecce discrimen virorum spiritualium , & animalium hominum. omnes quidem ex eadem materia,ex eodem elemento formati sunt , sicut pisces,& aues,& sicut pisces ad ima, & aues ad superna euaserunt,sic ex hominibus illi ad cælestia volant , qui cum Apostolo dicunt: *Conuersatio nostra in cœlis est*,illuc cogitatus, illuc curas, illuc desideria ,illuc voces & opera , illuc dirigunt intentiones; carnales verò & animales homines ad ea,quæ terræ sunt, in omnibus tendunt,quia *statuerunt declinare oculos suos in terram.* Quòd si aues ratione præditæ essent;& ab eis quæreres , cur non cum piscibus in aquis natent; responderent ,suarũ alarum naturam id postulare , & indecens esse auem alas habentem , non in altum euolare. Habemus & nos alas excellentiores illis, intellectum sc.& voluntatem, quibus altiùs volare valemus: nam aues ad nubes vsq; volatu suo pertingere ad summum valent ; nos verò mediante intellectu & voluntate ad cœlum vsque,imò ad Deum vsque volantes possumus peruenire. Quid igitur indignius , quid igitur turpius , quàm homines huiusmodi alis præditos,reptando super terrã incedere per lutosa,cùm supra cardines cœli possit sublimari?

Cum diabolus nostros primos tentaret parentes,*Eritis*, inquit,*sicut dij,scientes bonum,& malum.* Optabat eximiè hostis hos euertere homines , & ad peccatum allicere,quò vniuersum perdet genus humanum:quod vt assequeretur non argenti copiam , non auri , non gemmarum , non lapidum pretiosorum , sed diuinitatem ipsam , seu eius æqualitatem proposuit , dicens : *Eritis sicut dij : armò les con deidad como a gente de quien tenia tan alto concepto,que con menos,que con ser vnos dioses, no se tenderian:* tantam enim tentationem tantis hominibus necessariam esse iudicauit : nos autem à parentibus his ita degenerauimus, vt quod cœlestibus & æternis bonis Deus non obtinet, mundus suis, vt ita dicam,boniculis facilè obtineat. *Lo que Dios no acaba de nos otros con todos sus grandes bienes , acaba el mundo con sus poquedades y nonadas.* Ostendit hostis Christo omnia regna mundi, & dixit:*Hæc omnia tibi dabo,si cadens adoraueris me:* Christus autẽ nec cecidit, nec adorauit eum,sed respondit: *Vade retro Satana,scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis , & illi soli seruies.* Sic nobis agendum erat , si non etiam degeneres filij eius essemus ; at , ficuti ait S. Bernardus, *d.abolus offert nobis pomum, & surripit Paradisum.*

Denique hic mos dæmonis est,parum dare , & multum postulare : sicut Iacob, qui pro lenticulis maioratum & primogenituram à fratre suo Esau depoposcit. Quare meritò hanc de hoste querimoniam peccator habere potest,quam de Saul Ionathas habuit , dicens: *Gustans gustaui paululum mellis , & ecce ego morior.* Magno dolore cordis,& anxietate animi id asseruisse videtur Ionathas,quod pro exiguo mellis cibo sic periret, quid nisi idipsum hi dicant, qui pro huius mundi delitiis, vel diuitiis, vel honoribus pereunt : quid enim hæc nisi parum mellis sunt?

Cùm Gedeon filio suo adhuc puero præciperet ocdere gladiolo suo duos illos reges Zebee & Salmana, dixerunt ipsi ad Gedeonem : *Tu surge & irrue in nos,quia iuxta ætatem robur est tibi hominis*,quasi dicerent, *ô Gedeon ya que nos quereis quitar la vida, no sea à manos de un rapaz, que es afrenta nuestra , siendo nos otros gente tan honrrada,y casa y linaie de reyes,matadnos vos mesmo, que asi moriremos mas honrrosamente , que reyes ya que ayan de morir à manos honrrados es razon que mueran.* Vtinã in re salutis æternę honorificum hunc animũ & nos gereremus,vt à puerilib.mundi rebus nos vinci minimè pateremur,& à solo Deo & bonis sempiternis nos vinci sineremus,&c. *Iudic.8. 21.*

Quanti momenti sint apud mundanos temporalia, & nullius ferè pretij spiritualia bona , ex hoc maximè constat, quòd ferè nullus inuideat alteri sanctitatem: diuitias verò & honores & delicias ferè omnes inuident alijs. nemo enim ferè dolet quòd alter humilior, vel temperantior , vel denique sanctior sit ; nisi fortè dicas,quòd haberi sanctior quis optet , non tamen esse, quia haberi sanctior honorificum est. Vnde qui ita inuidet, non sanctus vult esse , sed haberi , quod non sanctum,sed vanum est.

Celebris est ad hoc illa Senecæ sententia epist. 66.' *Maior sum , & ad maiora natus quàm vt sim mancipium corporis mei.* Ita ille. Pondera verba illa,*mancipium corporis*, hoc nomen est illi qui delitiis & voluptatibus vacat, & ad temporalia & corporalia bona anhelat.sicut enim mancipium domino suo indesinenter seruit , & illi soli placere studet ; sic mancipium hoc corporis nihil aliud cogitat, quàm quomodo corpori suo placere possit, Deique curã relictã , hoc solùm curat , quo pacto cutem aptet,& voluptatibus vacet. Erubescat , dum audit ethnicum dicentem : *Maior sum , & ad maiora natus:* tu verò Christiane,quisnam es , & ad quæ natus ? hoc factis asserere mihi videris, ad hoc natus sum , vt sim mancipium corporis.

Seneca epist 115. *Contemnenda miramur, similimi pueris, quibus omne ludicrum in pretio est , & fratribus ac parentibus præferunt , paruo ære mendacia empta. Quid ergo inter nos & illos interest, nisi quod nos circa tabulas , & statuas insanimus , cariius ineptiis illos reperti in littore calculi leues & aliquid habentes varietatis, delectant ; nos ingentium maculæ columnarum,siue ex AEgyptijs arenis,siue ex Africæ sol.tudinibus aduectæ,quæ port.cum aliquam,vel capacem populi cœnationem ferunt:miramur parietes tenui marmore indutos, cum sciamus quale sit , quod abconditur , & cùm auro tecta perfundimus, quid aliud,quàm mendacio gaudemus?scimus enim sub illo fulgido auro,fœda ligna latitare.* Ita Senca. Vbi pondera bene comparationem puerorum ; quamuis enim hæc miramur, à puerilibus tamẽ rebus nõ multũ distare videntur. cũ res omnes corporeæ magnæ nõ sint,non ex magnitudine earum,sed ex paruitate nostra tale discrimen emanat. *Somos pues nos otros ninos grandes,o grandes nesios.* *Seneca.*

PROP. XIV. *Bonorum temporalium amor expeccato emanare solet.*

CVm primum Adam & Eua peccauerunt , *Statim*, inquit,*aperti sunt oculi amborum , & consuerunt folia fici,& fecerunt sibi perizomata.* Ecce ad quid aperti fuerũt oculi primorum parentum statim post peccatum , ad quærenda perizomata. ea sc. quæ ad corpus spectabant , ante peccatum autem nihil horum cogitarunt. cuius oppositum in conuersione Apostoli videre licet , qui vbi eo tempore , quo Dominus illum conuertit , clausi eius oculi fuerunt , apertis oculis nihil videbat , & post hanc oculorum clausuram quid fecit ? quid cogitauit ? quid intendit ? valedicit mundo, & curis eius & ad Deum conuersus dixit , *Domine quid me vis facere ?* obserua igitur oculorum horum antithesim , & oppositionem primorum parentum , oculi ante peccatum velut clausi erant ad ea omnia quæ mundi sunt , & ea tantum respiciebant , quæ cœli & *Gen.3.7.* *AEt.9.*

Dei erant, post peccatum verò aperti sunt oculi eorum ad quærenda illa quæ corporis erant. Paulus autem ante conuersionem quæ mundi erant cogitabat, post conuersionem autem ad Deum, quæ Dei erant, non quę mundi, prosiciebat, vt hinc videre liceat quòd hi qui Dei gratia carent, oculos in terram, declinant; hi verò qui gratiâ præditi sunt, in cœlum ipsos habeant erectos. Qui ergo nimis terrena quærunt; timeant, hoc enim signum est amissæ gratiæ, qui verò cœlestia quærunt, & cœlestia cogitant, gaudeant; signum enim magnum habent gratiæ in anima existentis.

Vnde S. August. *ser. 1. de conuersione B. Pauli*, ponderans ea quæ de Paulo diximus, ait: *Eo tempore quo Saulus cætera non videbat, Iesum videbat, in cuius cæcitate mysterium efformabatur credentium, quoniam qui credit in Christum, ipsum intueri debet & cætera nulla computare, cætera creatura vilescat, vt creator in corde lucescat.* Ita ille. Hoc autem donum gratiæ diuinæ, vt diximus, est: nam qui de terra est, de terra loquitur; qui verò de cœlo est, de cœlo loquitur, de cœlo cogitat, de cælo curat, &c.

B

Prop. XV. *Spiritualium & cœlestium bonorum cura præponenda est temporalium bonorum curæ.*

HOc natura ipsa significasse videtur in cordis nostri formatione, cor etenim nostrum à parte superiori, quâ respicit cœlum, amplum & apertum est, à parte verò inferiori, quâ respicit terram, strictum & constrictum est, & in acumine quodam terminatum: quò nobis naturæ author significaret, cor nostrum rebus cœlestibus patere debere, & amplitudinem & capacitatẽ suam cœlestibus exhibendam esse, terrena verò veluti puncto solum attingere debere, & veluti indiuisibiliter tantùm, & vix ea contingere amore suo.

Hoc etiam idem author naturæ in ipsa hominis figura pariter explicasse videtur: non enim hominem sicut cætera formauit animalia. Sic Poeta.

Ouid. 1. Metam.
Pronaque cum spectent animantia cætera terram,
Os homini sublime dedit: cœlumque videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

C

Cur ita pedes infra, quibus terram calcet, caput verò, in quò auditus, & visus, & gustus & alij sensus vigent, in suprema parte hominis, quæ versùs cœlum est, constituit? quò nobis significaret, terram, & argentum, & aurum, & lapides pretiosos, quantumuis illi pretiosi fuerint, infra pedes habendos, & omnia hæc à nobis calcanda, non verò diligenda esse; cœlestia verò, & maximè Deum, omnino amanda, de his dissérentes libenter audire, hæc studiosè videre, & contemplari, in his gustum saporemque nostrum collocare, & sensus omnes adhibere conuenit: ideo enim Christus Domi-
Mat. 22. 37. nus ait: *Diliges Dominũ Deum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in omni mente tua.* omnes nos & omnia nostra sibi vendicat Deus, seque amandum, & quod reliquum est, despiciendum esse docet.

Hinc in primitiua Ecclesia fideles, qui possessiones pro Christo relinquebant, pretia ad pedes Apo-
Act. 4. 35. stolorum deferebant, vt ait S. Lucas. Cur non ait ad manus, sed ad pedes? vt sc. locum designaret, qui huiusmodi bonis debetur: non enim super caput, nec in corde collocanda sunt, sed sub pedibus, quia non tenerè diligenda, sed verè negligenda sunt: inde Dauid,
Ps. 61. 11. *Diuitiæ si affluant, nol. te cor apponere*, nimirum, quia si ex toto corde amandus est Deus, sicut præcipit ipse, non superest in corde diuitiis locus, nisi ex eo excludatur. Deus: ne igitur excludatur ex corde Deus, excludantur ex eo diuitiæ, & reliqua terræ bona.

Ps. 8. 8. Hinc etiam est quod dicitur, *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, &c* nónne aduertis, semper ad pedes nostros huiusmodi bona temporalia collocari, vt sc. ea contemnamus, ne nos ipsi contemnamur, si eam non contempserimus.

A *Omnia*, inquit, *subiecisti sub pedibus eius*, quia *gloriâ, & honore coronasti eũ*, hominẽ sc. hoc enim gloriosum homini est vilipendere corporalia, qui spiritualis est, & se maiorem reputare, quàm quod amare debeat hæc, siue aurum, siue quid auro maius sit, quia ad maiora natus est quàm vt sit seruus seu amator alterius, quàm ipsiusmet Dei, *ha de tener el hombre essa Sasobra, solo Dios hedar lugar en mi coraçon, a lo tẽporal sobrale estar baio los pies.*

Secundùm mundi sapientiam, non despicere, sed respicere & adipisci nosse hæc bona terrena, sapientia & prudentia iudicatur: at veniet tempus, quando etiam hi, qui modò iustos viros hæc despicientes despiciunt, hanc veram esse sapientiam protestentur: vnde S. Aug. *Erubescant, & conturbentur omnes inimici mei.* Vocat inimicos, peccatores intelligens, ait: *Quòd peccatores erubescant, non video quomodo euenire possit, nisi in illo die, quando manifesta erunt præmia iustorum, & supplicia peccatorum; quia modò adeò non erubescunt impij, vt nobis insultare non desinant, & plerumque tantùm valent irrisionibus suis, vt infirmos homines de Christi nomine erubescere faciant. Vnde dictum est:* Quisquis me erubuerit coram
B hominibus, erubescam eum coram Patre meo. *Iam verò quisquis sublimia illa præcepta implere voluerit, vt dispergat, det pauperibus, quò iustitia eius maneat in æternum, & omnibus suis terrenis rebus venditis & indigentibus erogatis, Christum sequi voluerit, dicens:* Nihil intulimus in hunc mundum, verùm nec auferre quid possumus, victum & tegumentum habentes, his contenti simus, *incidit in ifforum sacrilegam dicacitatem, & ab eis qui sanari nolunt, vocatur insanus: & sæpe, ne hoc vocetur à despectu hominibus, trepidat facere, & differt quod omnium fidelissimus & potentissimus medicus imperauit. Non ergo nunc ipsi possimus erubescere, quibus ne & nos erubescamus optandũ est, & à proposito itinere reuocemur, vel impediamur, vel retardemur. Sed veniet tempus vt illi erubescant, dicentes, vt scriptum est: hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorũ sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Ergo erravimus*
C *à via veritatis, & iustitiæ lumen & sol non luxit nobis. Repleti sumus iniquitatis via, & perditionis, & ambulauimus per solitudines difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactatio quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra.* Ita S. Aug. facit ad hoc parabola diuitis stulti à Deo sic vocati.

Cant. 2. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Quonam pacto? Sanctus Augustinus *ser. 7. de verb. Domini* secundùm Matth. *Quid est ordinare in me charitatem? facite gradus & cuicumque debetis restituite; nolite anteriora posterioribus subdere, amate parentes, sed præponite parentibus Deum.* Ita S. August. qui in confirmationem adducit, quòd Christus respondit ei, qui Matth. 8. vocatus à Christo dixit: *Permitte me primum abire, & sepelire patrem meum.* Cui Dominus: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Etenim sepelire mortuum & maximè patrem, opus est misericordiæ
D non contemnendum: primum enim Dei mandatum secundæ tabulæ *in repromissione*, vt ait Apost. ad Eph. 6. *est, Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Cur ergo non id permisit illi Christus? S. Aug. vbi suprà, sic locum istum interpretatur: *Ego, inquit Dominus, ad Euangelium te voco, manus est hoc quàm quod tu facere vis; sequere me, & sine mortuos sepelire mortuos suos.* Ita ille. Cùm igitur bona spiritualia incomparabiliter superiora sint temporalibus & corporalibus bonis, stultissimum est his illa non anteponere.

Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram,* &c. Obserua ordinem narrationis: non enim dixit: *In principio creauit terram, & cælum*, sed econuerso, Cur ita? Rectè Doctor quidam: Terram Deus condidit, & homini tribuit in vsus: sed primùm, & supra condidit cælum, quia pluris ab homine æstimandum,

&

& quærendum esse voluit cælum, & qui priùs terram quàm cælum quærit, & iustitiam Dei, ordinem peruertit. ita ille.

Quàm rectè consonat quod Dominus dixit, Matth. 6. *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Ponderat eleganter S. Chrysost. locum hunc hom. 23. in Matth. dicens: *Ethnicorum studium erga præsentem vitam consumitur, quorum nulla cælestium, & futurorum cogitatio est; ideo Dominus dixit: Hæc omnia temporalia gentes inquirunt, nobis autem non sunt ista principaliter quærenda, sed illa.* Ita S. Chrysost.

Vbi etiam obserua verbum illud, *adijcientur vobis*, quod sic etiam expendit ibidem optimè S. Chrysost. dicens: *Non dixit, dabuntur vobis, sed, adijcientur, vt disceremus horum quæ in præsenti dantur, nihil esse magnum, si futurorum magnitudini comparentur:* & idcirco nec peti illa iussit Deus, *sed adicienda esse dixit.* Ita S. Chrysost. Vbi nota verbum, *adijcere*, adiectiua esse hæc bona mundi significare, adiectiua verò, accidentia important secundùm Latinos, vt paries albus, carbo niger, &c. Quo significatum est, quàm parui momenti sint bona temporalia, qualia scilicet accidentia sunt comparatione substantiæ, qualia cælestia bona sunt. *En el cielo esta la substantia de nuestros bienes, en la tierra los bienes son como accidentes sin substanzia, que son de poquissimo ser.* Cùm igitur ita sit, *quærite primùm regnum Dei*, &c. Insuper attende verbum illud *quærite*, & subintelligè, à Deo: donum enim Dei est affectus iste quærendi primò, & principaliter regnum Dei, sicut indicauit Dei sponsa Cant. 2. dicens: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*; amoris ordinem tribuit Deus sponsæ suæ, vt nempe ordinatè diligat diligenda, secundùm exigentiam rerum, amando videlicet primo & præcipuo loco cælestia, deinde moderatè terrestria: id enim est quod religio & virtus Christiana requirit. *Virtus enim*, vti asserit S. Aug. *nihil aliud est, quàm ordo amoris: qui enim ordinatè res amat, ille quidem virtute pius dicitur est: qui scilicet Deum amat super omnia, proximum sicut seipsum, & temporalia tanquam temporalia, &c.*

Apoc. 12. *Signum magnum* (ait S. Ioannes Euangelista) *apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & in capite eius corona stellarum duodecim, & Luna sub pedibus eius.* Etenim Sol, & stellæ bona immutabilia sunt, atque adeò symbola sunt bonorum cælestium, quæ immutabilia sunt; Luna verò, quæ assiduè mutatur, mundi symbolum est, & ideo sub pedibus Ecclesiæ collocatur, stellæ verò supra caput, & Sol supra cor Ecclesiæ. Ecce debitus amoris nostri ordo, & situs, vt terrestria pedibus teramus, cælestia verò supra capita nostra constituamus, iuuante Deo, à quo ordo iste procedit. Vnde quatuor illa animalia Ezechielis super capita sua firmamentum ferebant, nimirum, quia *vbi erat impetus spiritus, illic gradiebantur.* Postula igitur à Deo hunc Dei spiritum, vt supra caput, non terram, sed firmamentum cæli reponas.

Prop. XVI. *Bona temporalia impediunt effectum verbi Dei.*

Simile est regnum cælorum grano sinapis. S. Ambros. serm. 1. & 2. de Tempore, per granum sinapis seruba fidei nostræ intelligit; Euangelium scilicet, & sacram Scripturam, quia sicut granum sinapis cum exiguum sit, efficacissimam virtutem, si atteratur, habet, sic verba diuina, cùm à concionatoribus explicantur, maximam & efficacem virtutem manifestant, vt ex multis peccatorum conuersionibus constat. *Lex deniq; Domini immaculata conuertens animas. Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, &c. Quo ergo pacto sæpè non hoc præstat? Christus Dominus in parabola seminantis id explicuit, & inter cætera spinarum nomine diuitias sæculi id impedire asseruit, quodque in grano sinapis etiam tacitè significauit. Ait enim S. Ambros. ser 2. *Sicut cum sinapi caput fortè curandum est, iubemur abrasos capillos demere, impedimenta cutis vniuersa deponere, vt nudo capite perfectius medicina proueniat, ita & cum anima per fidē curanda est, præcipimur substantiam à nobis sæculi auferre, impedimenta auri argentiq; deponere, vt nudæ, & soli animæ congruentius spiritualis proueniat medicina: quisquis enim rebus mundi, & diuitijs sæculi obuolutus est, huic fidei medicina non proderit.* Ita S. Ambr.

Prop. XVII. *Bona temporalia impedimento solent nobis ad bona spiritualia consequenda esse.*

CVm Dominus septuaginta duos discipulos ad prædicandum mitteret, *Nolite*, (inquit) *portare saculum, neque peram, neque calceamenta*, &c. Si dignus est operarius mercede suâ, sicut Dominus ipse in eodem capite discipulis suis dixit, cur Iacum ad victum necessaria ferre prohibuit? nunquid ad gentes sibi cognitas & familiares mittebat, quæ ob familiaritatem illis facilè ea suppeditarent? nequaquam. num ergo ad fideles, qui fidelibus magistris libenter sua impertirent? minimè, sed ad infideles, errantes fortè mites, ac pij? non, sed tales, vt de illis diceret Christus: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, cur ergo sic imparatos & indigentes iubet abire? quia ad agendum de regno Dei eos mittebat: *Dicite* (inquit) *appropinquauit in vos regnum Dei.* Aduros ergo de regno Dei, & de iustitia eius, oportebat temporalium rerum curæ valedicere, & nuntium ei remittere, & de rebus tantùm agere diuinis: ad hoc autem impedimentum ingens est terrenarum cura. Huius ratio est, quia rerum diuinarum tractatio intellectum & voluntatem exigunt vacantes, & à cæteris curis liberas: at temporalia ita mentem occupant, vt spiritualibus rebus nullum relinquât locum: totam enim sibi vendicant mentem.

Luc. 10. 4

Luc. 10. 3.

Luc 10. 9.

Hac similitudine rem explicabo, qui viscо venantur aues, eas sic capiunt, vt non solùm pedes, verùm & alas simul viscо inuoluant: cùm primùm enim auis pedem infigit viscо, simul etiam alas apponit, & quæ priùs pennis in altum eleuari solebat, minimè iam volare valet, & tunc capitur & necatur. Habet homo alas suas, quibus ad cœlestia surgat, intellectum scilicet, & voluntatem, intellectu vsque ad intelligentiam, voluntate vsque ad amorem Dei eleuatur. Diabolus venator animarum est, viscus autem est temporale bonū, siue diuitiarum, siue delitiarū, siue honorū; huiusmodi viscо animæ capiuntur, eiúque intellectus & voluntas ita inhærent, vt ad diuina nequeant volare. Quod in proditore Apostolo videre licet, hic priùs spiritualis erat euangelicusque prædicator, sed postquam munus pecunias tractandi, & emendi cæteris Apostolis necessaria, sibi commissum fuit, ita mente inesatus est, vt, quamuis sæpe magistrum diuinum de rebus regni Dei altissimè differentem audiret, nec mente capere, nec voluntate diligere eas valuerit, intellectu & voluntate pecunijs obligatis. Vide quid de illo Apostolus Ioannes, *Fur* (inquit) *erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.* Quid, ô Ioannes sancte, coapostolum furem dicere non vereris? minimè, vt notum omnibus sit, quàm pernicio sa sint hæc bona temporalia incautè illa tractantibus. Si enim Apostolus Christi ita viscо pecuniarū irretitus & captus à dæmone, & peremptus fuit, quid de illo sperabis, qui non Apostolus, qui non collega Christi, sed communis & forensis homo sit, mille implicitus sæculi curis? Fur ille erat, & ideo suspensus fuit, qui Apostolus fuit: quis non paueat pecunias? vnus inter Apostolos Iudas pecunias cōtrectabat, & vnus ille inter Apostolos perijt: quis nō in pecunijs periclitetur? tunc *la plata y el oro muncha liga, mirad, no asenteis en ello que se os pegaran y pederan las alas del alma*, &c.

Simile.

Cap. 12. 6.

Simile.

Quòd si aliquando alas in sublime erigere horum A aliquis tentet, illico in terram cadere solet, vi ac pondere amoris bonorum mundi pressus. Cùm herodius pedicis vinctus perticæ adhæret, & ardeam in sublimi volantem intuetur, volare in eam contendit, sed pedicarum impedimento detentus, dum nititur volare, cadit; sic aliquando euenire mundi amatori solet: si enim vel librum sanctum legens, vel concionem aliquam audiens, rerum diuinarum amore affectus, iam alta petere nititur, amore mundi pressus & oppressus, illico ruit. Quod iuueni Christum interroganti euenis-
Mat. 19. 16. se videmus, *Domine, quid (*inquit*) boni faciam, vt vitam aternam habeam? Cui Christus: Serua mandata. Omnia*, inquit ille, *seruauiab iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? tunc Christus: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo. Cùm audisset adole-* B *scens verbum, abijt tristis* Cur ita? quare tam citò desiderium deposuit, & à cœpto desistens, terga vertit? nimirum ait Matthæus: *erat enim multas habens possessiones.* Ecce pedicas, quibus irretitus dum volare in altum cœperat, cecidit in terram reuersus.

Quid igitur agendum? dicat ipse, qui vult omnes
Ps. 44. 11. nos fieri salvos, *Audi filia, & vide, & inclina autem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum.* Verba Dei ad animam Deum quærentem sunt. Si vis te Deo gratam exhibere, *audi* Deum interiùs inspirantẽ; & exteriùs per euangelicos ministros monentem, & *vide* diuina meditando: quid vlteriùs? *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui*, hoc est, terrenis valedic, si vis cœlestia obtinere. Eia qui saluari desideras, nosti remedium: hoc igitur fac & viues. Nec propterea timeas vitæ necessaria tibi defutura: ad diuinam enim prouidentiam pertinet C vitæ tuæ cura, &c.

Matt. 11. 5. Apud Matth. ait Christus: *Pauperes euangelizantur*, volens discipulis Ioannis signa illa exhibere, quæ Messiam se esse comprobarent, & ideo miracula illa fecit, *Cap. 35.* quæ à Messia præstanda fore, ab Isaia fuerat prænuntiatum: & inter vera signa prædicationem euangeli-
Isai. 61 1. cam ad pauperes futuram prophetauit? Idem; *Spiritus Domini super me: euangelizare pauperibus misit me, &c.* Sed hinc oritur quæstio, cur ad euangelizandum pauperibus dicat missum se esse Christus, cùm ad oues, quæ perierant domus Israel, vniuersaliter miserit eum Pater? Verum quidem est, ad omnes Israelitas missum Dominum fuisse, & ideo non solùm pauperibus, & hominibus infimæ plebis, prædicauit, verùm etiam diuitibus, & primariis viris, veluti, Scribis, Pharisæis, Archisynagogis, & principibus Ierusalem: sed tamen ideo pauperibus dicebatur missus, & non diuitibus, quia eius prædicatio, & eius miracula, & mira vitæ eius exempla, non tam diuitibus quàm pauperibus
Ioan. 7. 47. profuerunt, sicut iidem ipsi principes fassi sunt. *Numquid*, inquiunt, *ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, &c.* ideo ergo pauperibus tantùm dicitur Christus prædicasse, quia illis maximè ad salutem profuit Christi doctrina, non verò ita diuitibus: quo manifestè constat, bona hæc temporalia impedimenta saluationis nostræ esse magna. Si enim Christi doctrina diuitibus non proderat, cuius proderit doctrina? si exempla efficacissima Christi, si miranda miracula Christi, ferè nullum ex diuitibus & principibus profectum reportabant, quibus adminiculis, qui bonis mundi abundant, saluabuntur? O infelix felicitas felicium mundi! &c.

Multos legimus Gentilium Philosophorum diuitiis ac deliciis mundi valedixisse, & non propter æter-
Hom. 8. epist. 1. ad Cor. na: de quibus sic S. Chrysost. *Homines quidem externam exercentes sapientiam, & qui futurorum nihil nouerant, cum cognouissent, quam viles & abiectæ sint res præsentes, propter hoc solum eas reliquerunt. Dic quæso, quas diuitias expectantes, venerunt ad paupertatem? Nullas, sed ex eo quòd scirent hmiusmodi paupertatem esse diuitiis meliorem. & quammam vitam sperantes, delitias reliquerunt & diræ asperaque vita agenda se dediderunt? Nullam, sed scientes ipsam rerum naturam, & intelligentes hoc esse aptius ad animæ Philosophiam, & ad corporis sanitatem. Quamnam ergo consequeris veniam tu Christiane humi reptans, & parua non despiciens pro æternis & bonis magnis? qui, inquam, Deum audis hæc indicantem, & reuelantem, & à quo has promissiones habes.* Ita ille.

Dimidia tribus Manassæ transiuit Iordanem, vt Ioan. cum aliis decem tribubus Israel Terram possideret promissionis, alia verò media tribus Manassæ remansit citra Iordanem, & noluit ad Terram promissionis peruenire: quid in hoc mysterij lateat videamus. Manasses, nomen Hebræum, idem est quòd Latinè oblitus, quo suppositio sic B. Bern. *Non totus Manasses Iordanem transiit, sed nec totus citra Iordanem elegit mansionem sibi: nam est qui oblitus est Domini creatoris sui, & est qui proinde est in conspectu suo semper, oblitus populum suum, & domum patris sui, & ille quidem obliuiscitur cœlestia, hoc verò quæ super terram sunt; iste præsentia, ille futura, iste quæ videntur, ille quæ non videntur: postremò, iste quæ sua sunt, ille quæ Iesu Christi. vterque Manasses, vterque obliuiosus: sed alter Ierusalem, alter Babylonis oblitus.* Ita S. Bern. qui vniuersum genus humanum, velut tribum Manassæ imaginatur, quia omnes obliti sunt; sed diuersimodè: nam altera pars hominum, quæ retro sunt oblita, ad superiora & futura bona mentem extendit; altera verò, quæ futura sunt, obliuiscens, sola præsentia curat, & procurat, qui ergo quæ citra Iordanem sunt, pecoribus autem apta, obliuiscens, ad vlteriora procedit, hic ad Terram promissionis peruenit, qui manet non peruenit. Videat igitur vnusquisque ad quam duarum harum pertineat partium, &c.

S. Gregorius; *Solet terrum abundantia tanto magis ad* D *uno timore mentem soluere, quanto magis exigit hanc diuersa cogitare: nam dum per multa spargitur, flare in minis prohibetur, quod per semetipsam Veritas asserit cum parabolam seminantis exponeret, dicens: Quod in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur.* Ita Sanctus Gregorius.

Et hinc colligit sanctitatem B. Iob, dicens, *Ecce huius Iob & multa possidere dicitur, & paulò pòst: domus sacrificijs instanter deseruire perhibetur. Consideremus ergo eius sanctitatis vir iste fuerit, qui ad tam sedulæ Dei obsequia sic occupatus vacauit.* Ita S. Greg.

De viris mundanis sic Dauid: *A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt.* Quid sibi vult multiplicatio ista? S. Augustinus. *Non semper multiplicatio vbertatem significat, sed plerumque exiguitatem, cum dedita voluptatibus temporalibus anima semper exardescit cupiditate, nec saturari potest, sed multiplici & erumnosa cogitatione distenta, simplex bonum videre non sinitur, qualis est illa, de qua dicitur,* E Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. *Talis ergo anima temporalium bonorum de cessione, & successione, à fructu frumenti, vini, & olei sui innumerabilem completa phantasmatibus, sic multiplicata est, vt non possit agere, quod præceptum est in libro Sapientiæ.* Sientite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum: *ista enim multiplicitas illi simplicit ati vehementer aduersa est.* Ita S. Aug. Multiplicati ergo, i. multiseris, & multis variisque cogitationibus distracti sunt, &c.

S. Antoninus (vti ex eius gestis constat) cum pervenit Florentinæ ciuitatis pertranfiret, supra domum quamdam exiguam Angelos nonnullos existentes mira claritate fulgentes vidit, miratus domum illam ingressus, quinam domum illam incolerent requisiuit, & viduam pauperem cum tribus filiabus virginibus, ibi commorantem inuenit, omnesque illas sanctè viuere nouit, & ex labore manuum suarum victum sibi comparantes: paupertatem autem harum miseratus;

&

& maximè cùm tantâ essent virtute præditæ, copio- A
sam eleemosynam illis tribui fecit: post aliquot verò
dies eundem vicum pertransiens supra tectum eiusdem
domus non iam Angelos, sed dæmones existentes vi-
dit. Quid, inquit, hoc? vnde tanta mutatio? quæsiuit
causam, & inuenit, propterea ibi dæmones tunc com-
morari, quia fœminæ illæ pecuniarum illarum copia
vestes pretiosas & profanas emisserent, & ab honesto ma-
nuum labore cessassent, & mundanè iam viuerent illæ,
quæ in paupertate constitutæ honestè sanctèque vixere.
tunc domum illarum iterum ingressus, quæ primo &
secundo viderat, cis patefecit; & quomodo ipsis de re-
liquo viuendum esset, monuit, & quantum vtilior sit
paupertas, quàm prosperitas hominibus, intellexit.

Ratio, propter quam plures Christiani tentationi-
bus superantur, est, quia tentationes minimè tentatio-
nes esse credunt, sed potiùs eas vtilitates & commoda
esse arbitrantur: diuitiæ, deliciæ, honores, & regum
amicitiæ, multorum & innumerabilium peccatorum
causa sunt. atque ideo inimicus noster his rebus Chri- B
stum Dominum tentauit, & oblationem illarum, ten-
tationem Euangelista vocat: mundi verò sectatores
perditè illa quærunt, & sectantur, & amant, quia non
tentationes, & occasiones peccatorum illa esse cogi-
tant, sed vtilia sibi bona. Auarus diuitias, non vt in-
centiuum suæ auaritiæ & profanitatis considerat, sed
vt felicitatis suæ argumentum aspicit. Superbus ho-
nores non vt vanitatis materiam animaduertit, seu
gloriæ suæ necessarium fundamentum, &c.

Obseruandum igitur est, quod Epictetus Philoso-
phus dixit, nempe *vnaquæque res duas habet ansas, vnam
tolerabilem, aliam verò intolerabilem.* Ita ille. Ad vasa hic
Philosophus alludit, quæ ad ignem applicantur, quæ
duas habent ansas, quarum vna reseruatur in exteriori
parte ignis, qua possit apprehendi & abstrahi ab igne,
altera igni applicita immediatè, nec tangi potest. Prima
vocatur ab Epicteto tolerabilis, secunda verò into- C
lerabilis. Sensus autem huius sententiæ hic est, in
omnibus huius seculi bonis duos esse respectus a-
nimaduertendos, quorum primus est bonum corpo-
ris, secundus est malum animæ, quod in eis reperitur:
iste quidem est intolerabilis, quia malum maximum
est animæ malum, &c. Vt igitur à tentationibus mi-
nimè vincamur, quid tentare sit, vel non sit, priùs a-
nimaduertamus.

2. Dixit Deus Moysi: *Quid est quod tenes in manu tua?*
qui respondit: *Virga*, virga scilicet, qua veluti baculo
sustentabatur Moyses. *Proiice eam in terram*, ait Domi-
nus. *Proiecit, & versa est in colubrum ita vt fugeret Moyses.*
cui Dominus: *Extende manum tuam, & apprehende cau-
dam eius. Extendit, & tenuit, & versa est in virgam.* Si Deus
Moysen interrogasset: Cur fugis à facie virgæ tuæ?
respondisset ille: Nónne fugere me oportebat? existi-
mabam ego, me in manu virgam gestare, cui inniti
possem fatigatus, & nunc video virgam meam colu-
brum esse, quasi à facie colubri ergo fugio à virga D
mea. Quid tu bona huius mundi existimas esse? bacu-
lum, inquies, vitæ meæ: quo enim pacto vitam ego
transigere valerem, nisi bonis temporalibus innixus.
Diuitiis mihi opus ad cibum, potum, & vestitum, de-
litiis ad salutem, honoribus ad honestatem vitæ. Tu
quidem hoc modo solummodo bona respicis tempo-
ralia, dum manu illa tenes, & inniteris illis, mente
quæso amoue à te paululum illa, & non quatenus sic
vtilia solùm considera, sed quatenus peccatorum sunt
incentiua, & colubrum tibi esse videbis, ita vt, si sapue-
ris, ab eis tamquam à facie colubri fugias.

6. *Vidit mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, &
pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu eius,
& comedit.* quomodo ausa est comedere, cùm antea
17. dixisset Deus homini, *De ligno scientiæ boni & mali ne
comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte mo-*

rieris. Ita quidem præceperat Deus, sed non id animad-
uertit Eua, sed quod erat pulchrum visu & ad ve-
scendum suaue. Ecce causam, ob quam innumeri ex-
tendant ad iniquitatem manum suam: non enim ini-
quitatem esse cognoscunt, sed vtilitatem, non atten-
dit auarus in pecuniis fraudes, sed diuitias ad vsus v-
tiles vitæ huius. Qui ob cibos ieiunium frangit, non
attendit culpam gulæ, sed voluptatem, & gustum
cibi, &c.

Rectè igitur consuluit S. Nilus, dicens: Cùm di- *In Parae-*
uitias videris, aut gloriam, vel mundanam potentiam, *nesi.*
considera labilitatem ipsarum, & illecebram effugies.
Ita ille. Cognosce malum illarum, &c.

Hinc, *Agnosce, quòd in medio laqueorum transis.* Sanctus *Eccl 4.*
Chrysost. optimè verbum illud *agnosce*, expendit: *non* *Hom 15.*
enim dixit, vide, sed agnosce, quia occultus est laqueus, & non *ad popul.*
*apertè mors, quæ in eo consistit, apparet, neque manifesta est
ille clades: sed obtectà ideo dixit: agnosce, hoc est, multa tibi
opus est consideratione, & diligenti scrutatione. Sicut enim pue-
ri laqueos tegunt, sic diabolus peccata voluptatibus tegit: si
ergo tibi lucrum occurrerit, ne lucrum solum aspicias, sed
agnosce, & scrutare diligenter, ne fortè peccatum intra lu-
crum absconditum sit, & si videris refugè statim, & cum oc-
currerit voluptas, non solum voluptatem respicias, sed iniquita-
tem in profundo latitantem, & si inueneris ita esse, resilito
quamprimum, & sine consulat quisquam, sine aduletur, sine
obsequatur, sine honores polliceatur, sine quodcumque aliud,
omnia cum diligentia examinemus, ne fortè periculum a-
liquod lateat tibi.* Ita S. Chrysost. *Todo nuestro mal esta en no
tomar las tentationes por tentaciones, &c.*

Item Rupertus Abbas explicans verba serpentis, *Lib 3. in*
Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. Considera, inquit, *Gen c. 2.*
quanta sit excellentia iuxta sensum eius, qui decipitur; quanta *Gen. 3.5.*
*verò sit dejectio iuxta sensum eius, qui decipit: hæc sapientiæ
altitudinem, ille cogitat conscientiæ confusionem, hæc principium
dinem scientiæ, illè verò experimentum miseriæ.* Ita ille; ac
si dicat, in esu illo duo intercedebant, & promissio
serpentis, & comminatio Dei. Noluit attendere ho-
mo Dei comminationem, sed falsam illam hostis pro-
missionem. hinc eius & totius mundi ruina. Non ac-
cepit tentationem, quasi tentationem, sed quasi con-
silium quoddam magni ponderis, & propterea periit,
&c.

Est quidem hostis noster sicut pharmacopola, qui
pilulas amarissimas auro & sacchar o desuper tegit, vt
infirmus dulcedine illa exteriori veluti deceptus il-
las absumat intrepidè: sic hostis amarius absynthio
peccatum auro, & honore, & voluptate exteriùs tegit,
vt faciliùs à peccante sumatur, hac tamen differentiâ,
quod illa pilularum ad vitam, hæc verò amaritudo
peccati ad mortem ordinantur, &c.

Id igitur nos præstare oportet, quod Christus Do-
minus fecit, cum à dæmone in deserto tentatus fuit,
obtulit illi lapides hostis, vt in panes eos commutaret,
quo famem sedaret: sed noluit Christus, quia nouit
tentationem eam esse, & vt tentaret, non vt faueret,
obtulisse dæmonem panes. Petiit iterum hostis à Chri-
sto, vt miraculosè à pinnaculo templi se demitteret,
quò se filium Dei omnibus demonstraret, noluit, quia
honorem hunc non tamquam honorem, sed tamquam
tentationem inspexit. Denique omnia regna mundi
Christo diabolus promisit, si cadens illum adoraret:
at Christus à dominio mundi totius mentem amo-
uit, & diaboli suggestionem illam esse videns, *Vade,* *Matth. 4.*
inquit, *retro Satana, &c.* Sic sic nos rerum omnium fa-
cies considerare docuit, & bona mundi nobis oblata
non tam in vtilitatem, quàm in tentationem esse co-
gnoscamus.

Creaturæ Dei factæ sunt in odium, & in tentationem ani- *Sap 14.*
malibus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium. 11.
Loquitur hic Sapiens de auro & argento, ex quo simu-
lacra Idolorum conficiebantur. Metalla hæc creaturæ

quidem sunt Dei, facta in odium creaturis, non secundum se, sed secundum quod ex illis Idola fiebant, & in tentationem hominum, quia occasionem præbuerunt idololatrandi, & in muscipulam insipientibus, qui verum Deum ignorant. Id quodammodo nunc de auro nostro & argento dicere possumus: nam eo vsque amantur, vt potiùs adorari videantur à sectatoribus mundi, & sic de bonis huiusmodi possumus affirmare, quod facta sint in muscipulam nostram. Metaphora sumpta ab his, qui mures venantur, qui occultato dolo, caseo, vel suilla carne intus imposita mures decipiunt, & capiunt; sic hostes nostri bonis his temporalibus nos venantur.

Sed aduerte; quod non quoscumque decipiunt, sed stultos, *pedibus*, inquit, *insipientium*, qui sc. tentationes non vt tentationes accipiunt, sed tamquam vtilitates, & commoda sua magna.

Prop. XVIII. *Bona temporalia impedimenta sunt ad virtutem.*

Luc. 8.7. Luc. 8. *Aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud.* De semine significante verbũ Dei hic agit Christus Dominus. Nota est parabola, quid hoc significet ipse Dominus explicauit. *Quod in spinas cecidit, inquit, hi sunt, qui audierunt, & a sollicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ suffocantur, & non referunt fructum.* Ecce quem vitæ huius bona præstent animæ fructum, impediunt, imò & plurimorum peccatorum materia sunt: hinc Sancti ea velut pestem fugiunt. Quid (inquam) Sancti? Sapientes Gentilium naturæ ductu id præstiterunt. Aristippus Philosophus (inquit Stobæus serm. 55.) cùm ei quidam obiiceret: *Culpa tua peruit ager tuus. Atqui melius est, respondit, agrum propter me, quam me propter agrum perire.* Ita ille.

Aristipp. Stobæus.

Zeno. Stobæus. Item Zeno Philosoph. (ait ibidem Stobæus) cùm videret familiarem quendam ex agri laboribus incuruatum & incircumflexũ? *Nisi tu agrum perdidisti* (inquit) *ipse te perdes.* Ita ille. Quod non solùm ob damnum corporis, sed potiùs ob incommodum animi dixit: quia scilicet simul cum corpore animus incuruabatur ex nimia cura & solicitudine rei familiaris, & quidem in corpore recto plures animum deferunt in terram incuruatum, dum de solis terrenis rebus cogitant, loquuntur, negotiantur; multò autem pcior est curuitas animi, quàm curuitas corporis.

Quàm autem difficile sit hominem sic ad terrena procliuem sanari, rectè ostensum est in muliere illa in terram inclinata, quæ non poterat cœlum respicere. *Luc. 13. 11.* Luc. 13. hanc Christus Dominus sanauit; & modum attende: Priusquam illa quidquam à Christo peteret, eam ipse respexit, secundò imposuit illi manum suam. Vtrumque præter assuetum modum, quo Christus Dominus infirmos curare solebat; priùs ènim infirmi salutem petebant, & solo verbo solebat sæpè, vel saltem sine manus impositione curare illos. Cur igitur Christus modò præuenit petitionem, & manum imposuit? quia scilicet huiusmodi morbus spiritualis inclinationis in terram speciali eget Dei misericordiâ ad sui curationẽ, *es menester que especialmente à qui ponga Dios su mano, y mire con especiales ojos de misericordia*; huiusmodi enim homines hi sunt, de quibus Psa. 16. *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Statuerunt (inquit) decreuerunt, & firmiter proposuerunt, non cœlum, sed terram respicere, obstinato animo id statuerunt: obstinatum huiusmodi animum speciale Dei requirere auxilium quis dubitat? vnde qui sic perditè temporalia quærunt, vix sanantur, vix (inquam) ex mille vnus, ideò inter plures, quos sanauerat Christus, specialem mulieris huius ad terram inclinatæ mentionem Euangelista fecit. Cùm igitur bona temporalia sic oculos mentis, & cordis affectum ad se trahant, meritò inter impedimẽta virtutis & saluationis computantur.

Plutar. lib. Apophtheg. in Apophtheg. Phocionis, refert Alexandrum magnum parta victoria Parthorum, ex diuitiarum spolijs magnam summam auri misisse ad Phocionem insignem Philosophum Athenien-sem, miratus Phocion magnitudinem doni, interrogauit, curad se potiùs quàm ad alium Philosophum Alexander tantam misisset copiam auri: responsum est à nuntijs fuit; hoc effecisse Alexandrum, quia inter reliquos Philosophos ei primas dabat Alexander. Tunc Phocion, *Accipite* (inquit) *aurum, & reducite ad Alexandrum, & dicite illi: Si me existimas esse talem, sine me esse talem*, hoc est, si me bonis moribus & virtute præditum censes & laudas, cur aurum & diuitias mihi offers, quæ sunt irritamenta vitiorum: sine esse me, quod laudas esse me.

Matth 6. *Non potestis seruire Deo, & mammonæ.* Sunt qui bona æterna, & temporalia simul acquirere cupiant, volunt (inquam) hîc diuites esse, & in cœlo; hîc honorem habere, & in gloria, hîc delitijs mundi frui, & in cœlo, &c. & hîc Deo seruire, vt in cœlo hæc illi tribuat; & mundo, vt temporalia obtineat eius. At Christus Dominus: *Nemo potest duobus Dominis seruire*, scilicet Deo & mundo, Deo enim virtutibus deseruimus, mundo verò vitijs & peccatis: auaritiâ acquiruntur diuitiæ mundi, liberalitate verò diuitiæ cœlestes, superbia acquiritur honor mundi, humilitate verò honor cæli. gula & lasciuia acquiruntur delitiæ mundi, pœnitentia verò delitiæ cœli quare impossibile est bona terrestria, & cœlestia simul negotiari, & Deo ac mundo pariter seruire.

Sicut enim impossibile est altero oculo terram aspicere, altero verò cœlum; sic etiam est impossibile attendere rebus terrenis & cœlestibus.

Voluerunt quidem Philistæi Arcam Dei cùm dolo suo Dagon simul possidere, at Deus nequaquam id concessit, sed è consortio suo Dagonem eiecit semel & iterum non. n. bene conueniunt, neque in vna sede morantur Deus & idolum, volunt idololatræ mundi, hi, inquam, qui & ea, quæ in mundo sunt, colunt & adorant, idolum pecuniæ & gloriæ mundi & voluptatis mundi adorare, & simul orationi vacare, communionem sæpè recipere, ornatus prophanos induere, ab omnibus honorari, imò & adorari, gulæ, & luxui, & musicæ, & alijs huiusmodi voluptatibus simul frui, & spiritualibus rebus etiam locum dare. Ideo enim conciones audiunt, libros spirituales aliquando legunt, eligunt confessariũ doctum, & virũ graue, agunt cùm eo, & alijs viris religiosis de rebus animæ, cùm tamen, vt dixi, puncta honoris, & mundi vanitates intensè ament, sequantur, prosequantur: hi duobus dominis seruire volunt, Deo scilicet & mundo, &c. Sed puluere oculos proprios aspergunt, ipsi se decipiunt.

Leu. 19. sic Dominus ad Ierusalem: *Agrum tuum non seres diuerso semine. Veste quæ ex duobus texta est, non induēris.* Quid intereſt Domine agrum diuerso semine seminari? quid ad te Domine quod ex duobus non sit texta vestis? quid hoc mali habet? quia nemo (ait Interlinealis) potest duobus dominis seruire, ager est cor nostrum, & semen est verbum Dei, habet & mundus semen suum, doctrinam suam, disciplinam suam, ritus suos: non possunt simul esse verbum Dei, & verbum mundi, vestis est animæ virtus, habitus mentis est, non debet esse texta duplici textura, cœlestibus scilicet filis bonorũ morum, & mundanis malorum morum: sic denique affectus simplex, non compositus esse debet ex affectu cœlestium & terrenorum bonorum.

Voluerunt olim Israelitæ Deo & Baal pariter seruire; vel iam Deo, iam Baal placere, quibus Elias: *Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini*

mini illum: si autem Baal, sequimini eum. Idem etiam de Deo & mundo dicendum est: si Dominus Iesus Christus est verus Deus, sequimini illum, si autem mundus, sequimini eum; vsquequo claudicatis in duas partes? vsquequo mundani, & Christiani esse vultis, cælestia & terrestria coniungere volentes; oppositi sunt domini isti, oppositas leges habent, aut vnus est sequendus, aut alius, vtrumque sequi, vtrique seruire, vtrumque amplecti, fieri nequit.

1. Cor. 9. sic Paulus ad Corinthios: *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ demoniorum. No es posſible comer a la meſa del demonio y tirar gajes de Dios.* Idem de Deo & mundo, non potestis participes esse mensæ Domini, participes & mensæ mundi; sicut enim dæmon est Dei & animæ nostræ inimicus, sic & mundus: hoc & pueri in scholis suis canunt, mundum, dæmonem, & carnem inimicos animæ nostræ esse: ergo sicut nemo potest seruire Deo, & dæmoni, sic nec Deo & mundo, Deo & carni; ergo nec mercedem eorum simul accipere, *no se pueden lleuar los gajes y bienes de todos ellos*, sicut multi Christiani mundani volunt.

Exod. 7. nolebat Pharao facultatem concedere filijs Israel pergendi in desertum ad sacrificium offerendum Deo: permittebat quidem offerre eos sacrificium Deo, sed ea lege, vt etiam seruirent sibi in luteis illis operibus Ægypti, quòd nullo modo admisit Deus; non enim Deo & Pharaoni parendum & seruiendum erat. Mundi figuram habet Ægyptus, sicut Pharao diaboli, nec diabolo ergo parendū, nec mundo adhærendum est ei, qui Deo vacare desiderat, & saluari, &c.

Cur (inquies) boni s mundi potiri nequeo, licèt Christianus sim? non quia bona mundi secundùm se mala sint, sed quia nos in statu naturæ lapsæ sumus, & quæ sano profunt, infirmo nocere solent. 4. Reg. 5. Giezi diuitias Naaman concupiuit & accepit, cui Elisæus: *Accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas, sed & lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo vsque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.* Et tu Christiane mundanorum bona cupis, & accumulas diuitias, delitias, honores, voluptates, &c. Lepra igitur mundanorum adhærebit tibi, superbia scilicet, auaritia, ambitio, gula, inuidia, acedia, & alia plura vitia. Crede mihi, imò crede Apostolo: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem*, quòd si diuitiæ concupitæ hoc efficiunt, quid honor, & voluptas, & alia mundi bona simul, quæ simul multi quærunt viribus totis? bona mundi congeris? lepra mundi adhærebit tibi & semini tuo: his scilicet qui ad huiusmodi peruenient bona.

Denique id his dicere possumus, quod Ose. 10. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt*; amant scilicet Deum & mundum; bona æterna, & temporalia, interibunt ergo: quia Deus ex toto corde amari vult; & bona æterna totum cor requirunt. Hinc præclarè constat quid nobis quærendum aut inquirendum sit. Gen. 30. Iacob seruierat Laban quatuordecim annis; quod ipse perpendens sic Laban affatus fuit: *Iustum est, vt alia quando etiam prouideam domui meæ.* Quàm prudens consideratio: vtinam in mentem caderet eorum, qui diu mundo seruierunt, & ei valedicentes dicerent: Iustum est, vt aliquando prouideam domui meæ, hoc est, prouideam ea quæ ad me pertinent, ea quæ mecum in domum illam æternam ducturus sum, seruiui honori, mundo, vanitati, corpori, amicis, &c. tempus est, vt prouideam mihi, &c.

Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis*, & reliqua. Expendens S. Ambros. serm. 1. locum illum, ait: *Mouet fortasse sensus vestros, cur regnum Dei tam præclarum, atque magnificum, grano sinapis exiguo comparetur: sed si diligenter intendamus, inuenietis vtique à Domino hanc similitudinem comparatam.* Ita S. Ambros. qui serm. 2. sic rationem similitudinis huius explicauit, dicens: *Sicut enim cum sinapi caput curandum est, iubemur abræſos capillos demere, & impedimenta cutis vniuerſa deponere vt nudo corpori fortius medicina proueniat: ita & cum anima per fidem curanda est, præcipimur à nobis subſtantiam ſeculi auferre, & impedimenta auri, argentique deponere, vt nudæ & ſoli animæ congruentius ſpiritualis medicina proueniat; quiſquis enim rebus nundi, & diuitijs obuolutus non est, huic fidei Chriſtianæ medicina non proderit. Ergo quod ſuccus ſinapis in corpore, hoc fides Chriſtiana operatur in anima.* Ita S. Ambros. qui per granum sinapis fidem prædicatam, & auditam interpretatur, iuxta illud Christi Domini: *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, nihil impoſſibile erit vobis* Matth. 17. Et consonat parabola seminantis Luc. 8. in qua sic inter alia Dominus de semine diuini verbi; cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud: quod sic est interpretatus Dominus ipse, dicens: *Quod in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum.* Ecce quid diuitiæ & bonorum mundi copia præstet.

Videmus nihilominus Christianos impensè optantes & quærentes hanc bonorum abundantiam, ac si nihil tale Dominus docuisset illos, propterea decipiuntur, quòd magnā fælicitatem in horum bonorum possessione sitam esse arbitrentur. Audi Christum Dominum Matth. 13. *Fallacia diuitiarum ſuffocat verbum Dei, & ſine fructu efficitur.* Hic Dominus diuitias mundi fallaces vocat. Cur ita? S. Greg. hom. 15. in Euan. respondet: *Fallaces ſunt diuitiæ mundi, quia diu nobiſcum durare non poſſunt; fallaces ſunt, qua mentis noſtræ inopiam non expellunt: ſolæ autem diuitiæ veræ ſunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt. Si ergo fratres diuites eſſe vultis, veras diuitias amate; ſi culmen veri honoris quæritis, ad cæloſte regnum tendite.* Ita S. Greg. Ecce in quo fallacia, & deceptio diuitiarum mundi consistat: promittunt enim magnam fælicitatem nobis, magna autem quomodo esse potest quæ hac breuissima vitæ clauditur morā? *Anima mea* (dicebat diues ille Lucæ 12.) *habes multa bona repoſita in annos plurimos*, &c. Et tamen eadem nocte mortuus describitur. Ecce fallaciam. Fallaces sunt, quia magnam animæ fatietatem promittunt, & fallunt; quia anima non satiatur corporalibus bonis, sed spiritualibus, quia ipsa non corporalis, sed spiritualis est. Veræ igitur diuitiæ animæ sunt virtutes: hæ quidem non fallunt, sunt enim bona quibus vitam acquirimus gloriosam, & sempiternam. Fallit honor mundi, quia vanus est & vento similis, & denique gloria vana: culmen autem veri honoris & veræ gloriæ in cælesti gloria consistit.

Vitis non amputata quantò magis extendit palmites suos, tantò magis minuit fructum suum: sic qui desiderio bonorum temporalium ardent, quantò ampliùs in curas temporales mentem suam distendunt, tantò ampliùs spirituali fructu carent. Sicut enim vitis illa virtutem fructificandi in pampinis, & foliis inutilibus consumit: sic etiam animi virtus in curis rerum temporalium consumitur, & ad fructum animæ non progreditur.

Probans hanc rationem S. Augustinus tomo 9. lib. de contemptu mundi ait: *Si mundana bona vera bona eſſent, Chriſtus Dominus ſequacibus ſuis non ea diceret contemnenda*: ait autem: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet; *nec ſe abſcondiſſet, cum turbæ eum regem facere voluerunt. Si vera bona eſſent, non improperaret poſſeſſoribus, dicens: Væ vobis diuitibus*, &c. & alibi: *Faciliùs eſt camelum per foramen acus tranſire quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Ita S. Aug. Quæris vnde oriatur periculum damnationis ex diuitiis? explicuit id Christus Dominus Matth. 6. dicens: *Non poteſtis ſeruire Deo & mammonæ*,

Similis.

S. Aug.

Luc. 9 58.

Luc. 8. 14.

Luc. 6. 24. Matt. 19. 24.

Mat. 6. 24.

mona, id est, Deo & diuitiis. At dicet aliquis diues; Ego non seruio, sed possideo; quis est diues iste, & laudabimus eum? Qui nempe *post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia thesauris: & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua.* (Esse tal haze milagros en vida, tenedlo por vn Sancto, vesad le la Ropa como a tal.) Nota verba illa, *post aurum non abiit*, quæ scripta sunt in Ecclesiastico c. 31. Abire enim post alium, famulorum, & seruorum est: quare diuitem illum beatum, spiritus Dei esse ait, qui habens thesaurum, non seruit ei, cui scilicet non dominetur pecunia, & ipse non amanter famuletur ei. Vnde meritò præmisit: *Beatus, diues, qui inuentus est sine macula*: nam ex amore diuitiarum sequuntur maculæ animæ, superbia nempe, & ambitio, & gula & vitia plurima. ideo Christus Dominus, *non potestis seruire Deo & mammonæ*, quia non possumus amare Deum & simul diuitias: nam amore amor, sicut clauo truditur clauus: non capit cor Deum, quod pecunias capit.

Ecclꝛ 31. 8. Luc. 31.

Hinc est quod diuiti quærenti Matth. 19. *Magister bone quid faciam vt habeam vitam æternam?* respondit Christus: *Serua mandata.* Cui dixit: *Omnia mandata Dei seruauì ab adolescentia mea, quid adhuc mihi, deest?* *Si vis*, inquit Dominus, *perfectus esse, vade, vende quæ habes & da pauperibus, & sequere me.* Renuit diues, *& recessit tristis: erat enim, multas habens possessiones.* Tunc Christus ad discipulos suos conuersus dixit: *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cælorum.* Tremendum diuitibus verbum, & amplius si ad dictum, de camelo exemplum addas. Sed pondera consequentiam verborum Christi, diues non quærebat perfectionẽ cum paupertate coniunctam, sed solùm saluus fieri, & Christus ad relinquenda omnia illa inducebat; & quia talem amplecti perfectionem noluit, subdit, quàm difficilè saluatur diues. Videbatur ex dictis non deducendum, quòd diues difficilè saluetur, sed difficilè esse diuiti perfectionem profiteri: nam hoc detrectauit diues ille. Sed attende sapientiam verbi: videbat Christus perdifficile esse diuitem saluari, qui diuitias possidere mauult, quàm eis valedicere: ideo volenti saluari & præcepta Dei seruare perfectè, consulebat dimittere diuitias, ea propter ex eo quod nolebat eas relinquere, subdidit esse difficile valde diuitem saluari; non quia nolebat perfectus esse, sed quia nolens talem perfectionem, inter venena diuitiarum permanebat. Ecce quare dixerit Dominus: *Nemo potest seruire Deo & mammonæ*: nam veluti miraculum est, possidere diuitias & non possideri ab eis, & talem sic possessum non damnari.

Matt. 19. 16. Mat. 19. 23. Luc. 16. 13.

S. Ambros. 1. de offic. c. 5. *Illa quæ videntur bona, diuitiæ, satietas, latitia doloris expers, non solùm admiculo non sunt ad vitam beatam, sed etiam dispendio sunt.* Ita ille. qui sententiam hanc verbis Saluatoris confirmat: dicentis: Luc. 6. *Væ vobis diuitibus qui habetis hic consolationem vestram: væ vobis qui saturati estis, quia esurietis: væ vobis ridentibus, quia lugebitis, &c.*

Luc 6.24

Prop. XIX. *Bona temporalia decipiunt suo fulgore.*

Iob 31. 26. Simile.

IOb 31. Sic S. Iob: *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè*, &c. quasi dicat, magni flagitij reus habear, si videns Solem fulgentem & Lunæ claritatem, & vtriusque sideris pulchritudinem adorauerim. Alludit S. Iob ad eorum errorem, qui Solem & Lunam adorabant, pulchritudine horum syderum decepti, quibus alrquo modo similes sunt, qui auri, & argenti, & lapidum pretiosorum splendore capti, & cæterorum mundi bonorum vtilitate seducti, ita perditè amant illa, ac si magna, & excelsa bona essent, & veluti ipsa adoratione digna videantur. quapropter diuinorum bonorum obliti, & salutis animæ, ea plusquam Deum desiderant, quærunt, ambiunt, & denique propter ea pereunt, & damnantur.

Huius periculi & damni remedium tetigit ibidem S. Iob dicens: *Si vidi*, &c. hoc est, nolui splendorem Solis, nec Lunæ claritatem aspicere, ne ab aspectu ad cultum eius deuenirem; etenim mundi sectatores diuitias, & delitias, & honores veluti adorant, quia animi aciem his bonis vehementer applicant. Vnde Apost. 2. Cor. 4. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna.* Non ait, *omnino non videntur nobis*, sed, *non contemplantibus*, quasi diuina quædam bona, sed quasi post tergum reiecta illa contemplantur vti par est.

Hinc in structura illa tabernaculi Dei Exod. 37. Ianua ad orientalem plagam spectabat, cuius structuræ mysterium sic expendit S. Theo. q. 60. in Exo. Aperit (inquit) orientis ostium construi præcipit, vt Sol oriens quasi modo quodam adorans vestibulum tabernaculi, radios suos illuc confestim emitteret, hi verò quibus solùm Deum adorare mandatum erat, à tergo Solem haberent ad tabernaculum conuersi, & ita non Solem, sed eius creatorem adorarent. Ita S. Theodor. Ratio igitur hæc in hoc consistit: Sol inter omnia visibilia creata splendoris primũ tenet locum, quo facilè homines decipi possunt, pro Deo illum habentes: quare sic ostium tabernaculi (in quo Deus adorabatur) constituebatur ad ortum Solis, vt Sol cùm oritur quasi adorans Creatorem suum illico per ostium illud ingrederetur, antequam suum apud nos cursum inciperet: vt talem adoratorem homines non adorarent, sed adoratum à Sole. & præterea vt hominem qui in tabernaculum ingrediebantur, Deum à fronte haberent, & à tergo Solem, ne fortè illius pulchritudine capti, censerent Soli diuinos esse tribuendos honores. Nunc ad rem, lucent in oculis hominum bona temporalia hæc, & animos eorum ita alliciunt, vt Deo debitum amorem in eiusmodi transferant bona, & quasi adorare illa videantur. Qui ergo sapit, in æterna & ineffabilia bona aciem conuertat, & terga in hæc bona caduca vertat, ne deceptus ab eis ea amet & quærat, vt propter ea damnetur.

A B C D

Pereunt & damnantur homines decepti rerum temporalium nitore & apparentia; sic Eua in primi peccati perniciem incidit, dicente scriptura Genes. 3. *Vidit igitur quod bonum esset lignum ad vescendum, pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit deditque viro suo*, &c. Ecce vnde ortum habuit mundi vniuersi perditio. Sic etiam Genes. 13. cum optio daretur Loth ad eligendam terram in qua simul cum familia sua habitaret, elegit terram maledictam Sodomæ, quã postea Deus propter maxima peccata habitantiũ in ea igne sulphureo de cælo misso consumpti. Quomodo igitur terram illam elegit? Audi sacrum textum Gen. 13. *Vidit Loth circa regionem Iordanis sicut paradisum Domini, & elegit eã sibi Loth.* Pulchritudo & vbertas & amœnitas terræ fefellit eũ. Sic duobus iudicibus Babyloniæ qui adulteriũ Susannæ adoriri non fuerunt veriti, & delictum falso testimonio crudeliter operari tentarunt, euenisse asserit scriptura, dicente Daniele vni eorum quod ad vtumq; pertinebat. Dan. 13. *Semen Canaan & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* Etenim ex tali specie imprudenter inspecta, oritur concupiscentia, ex vtraque autem perditio, *mire pues el cuerdo como mira, mire que no es vn todo loque reluce.*

Luc. 6. 24. Luc. 16. 13. Ecclꝛ 31. 8. Dan. 13.

Prop. XX. *Bona temporalia mentem excæcant imprudentium.*

VIdit Apostolus Ioannes mulierem inter solem & lunam. per solem S. Bernard. Christum Domi-

Apoc.

num significari affirmat : est enim lux vera, quæ illu- A
minat omnem hominem venientem in hunc mundum.
Iuna verò, inquit, est Ecclesia eius, quia sicut luna à
sole claritatem recipit suam, sic Ecclesia Dei à Chri-
sto. Luna autem hæc corporalis eclipsari solet non-
nunquam, cùm scilicet inter solem & lunam inter-
ponitur terra, tunc enim terra impedit lucem solis,
ne illa ad lunam ipsam pertingat, & inde promanat
eclipsis : sic etiam nos, qui Ecclesia Dei sumus, pati-
mur eclipsim, cùm terrena hæc bona inter nos &
Deum interponuntur : cùm enim diuitias terræ, aut
honorem, aut delitias nimiùm diligis, & sollicitè quæ-
ris, eclipsatur mens tua, & lux veritatis non refulget
in te. Quod in Scribis & Pharisæis patet. sæpe enim
Christus Dominus tum doctrinâ, tum miraculis suis
eos illuminare conabatur, quos tamen cæcos Domi-
15. nus, appellauit. *cæci, inquit, sunt, & duces cæcorum.* vnde,
vti rectè adnotauit S. Chrysost. *cum Christus verbis eru-*
diebat, ad miracula confugiebant. Quod signum (inquiunt)
ostendis nobis quia hæc facis ? cùm verò miracula B
quamplurima edidisset, circundederunt eum in tem-
plo, & dixerunt, quousque animam nostram tollis ? si
tu es Christus, dic nobis palam. *¿apellaban, dize san Chri-*
sostomo, de los milagros à la doctrina y de la doctrina a los
milagros. Nónne hæc cæcitas erat eximia mentis, vnde
igitur hæc ? quomodo viri alioquin literati & sapien-
tes sic desipiebant ? nimirum quia, vti Euangelista as-
seruit, audiebant omnia hæc Pharisæi (nempe ea,
quæ Christus Dominus docebat) qui erant auari, &
deridebant eum, hoc est, quamuis doctrina Christi
splendidior esset sole ad illuminationem mentis, Pha-
risæi illi non solùm non percipiebant eam, verùm
etiam deridebant, quia auari erant; quia, inquam, terra
inter solem & lunam interposita erat, &c. *Operibus enim*
Christi clamantibus (ait S. Chrysost.) *ad verba, à verbis*
autem ad opera confugiunt, & contrariis semper instiunt. C
Ita ille.

Quamuis ex intellectu pendeat voluntas, ita ad
amandum præcognitio boni requiratur ; nihil enim
volitum, quin præcognitum, sæpè etiam ex amore
resultat in intellectu vel lux, vel obscuritas : quia hæ
duæ potentiæ sunt ad inuicem causæ. Videmus enim
quòd ex affectu existente in voluntate iudicat de re-
bus intellectus benè, vel malè, si amor diuinus fue-
rit in voluntate, inde iudicium rectum certè procedit.
Vnde Eccle. 2. *Qui timetis Dominum, diligite illum, & il-*
luminabuntur corda vestra : non ait, qui illuminata habue-
ritis corda, diligetis eum ; sed è conuerso, qui Deum a-
mat, in cunctis recto iudicio decernit, quid agendum,
quidque non agendum sit. Ea enim quæ ad Dei amo-
rem expediunt, agenda, quæ verò secus, fugienda sunt.
Qui temporalia bona diligit, ea, quæ ad consequenda
huiusmodi bona conducunt, agenda iudicabit, quæ ve-
rò minimè, fugienda. Quare sæpe sæpius bonum malũ,
& malum bonum esse dicet. quod quàm pernicio sum D
sit, illa satis explicant verba Isai. 5. *Væ qui dicitis bonum*
malum, & malum bonum : ponentes tenebras lucem, & lucem
tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

Huius infœlicitatis exemplum ponit S. Hieron. su-
per hunc locum Isaiæ in Iudæis : *Posuerunt* (inquit)
Iudæi bonum malum, & lucem tenebras, & dulce amarum,
suscipientes Barabbam latronem, & seditionis auctorem, &
crucifigentes Iesum ; qui non venerat, nisi ad oues perditas
domus Israel, vt quod perierat, saluaret. Ita S. Hieron. Quo
verò pacto in tantam deuenerint caliginem, vt auctor-
em vitæ occidendum, & occisorem viuificandum
iudicarent, ex amore bonorum temporalium ema-
nauisse constat ex concilio illo Ioan. 11. vbi hanc huius
causam protulerunt ipsi : *Si dimittimus eum sic, venient*
Romani, & tollent gentem nostram, & locum. Amantes lo-
cum & primatum gentis, ineptè errauerunt in
cogitationibus & consiliis suis.

Vnde contingit sæpè homines illiteratos & idiotas
rectiùs de rebus salutem animæ spectantibus iudi-
care, quàm viros doctos ac sapientes, vt S. Augustinus *S. Augast.*
vitam S. Antonij perlegens asseruit. Surgunt, ait, indo-
cti, & rapiunt cœlum, & nos cum nostris scientiis mer-
gimur in infernum. Meliùs igitur de agendis ad vitam
consequendam huiusmodi indocti, quàm docti iudica-
bant ; vnde hoc tex diuerso amore, illi enim indocti
Deum, illi verò docti mundum, & ea quæ in mundo
sunt, potiùs diligebant.

Hanc autem vitam hostis valde in nobis optat &
procurat, ea enim nos ad peccata & inferos nos præ-
cipites ducit. Notum est quod de Aquila ceruali asse-
runt naturales. Hæc (inquiunt) vt ceruum venetur,
priùs se in terra vel arena inuoluens, & alas puluere
onustas ferens, cerui caput inuadit, & super eius ocu-
los pulueremexcutiens, ceruum obcæcat; qui oculis
captus huc, & illuc discurrens, facilè in præceps cadens
perit : tunc Aquila vngulis eum discerpit, & deglutit:
sic nimirum hostis rerum temporalium puluere oculos
excæcat hominis, dum harum rerum amore & vo-
luntatem capit, & intellectum obnubilat. Vnde facilè
per mundi & peccatorum præcipitia ruens, vulneratur
& perit, & ab hoste dilaceratur.

Quando magna pulueris copia per aërem diffundi-
tur, ita visum obnubilat, vt nihil præter puluerem
videre possint oculi nostri : sic bona hæc temporalia,
cùm nihil supra puluerem & terram sint, oculos men-
tis sic occupant, & turbant, vt nihil, præter terrena ipsa
bona, liceat videre vt in mundanis patet, qui in amore
harum rerum captiui tenentur, nihil de cœlo, de æter-
nitate, de gloria, de inferno, de Deo, de salute animæ,
nec de alia cogitat vita. Comedamus (inquiunt) & bi-
bamus, coronemus nos rosis, nullum sit pratum quod
non pertranseat luxuria nostra, ecce terminos cogita-
tionis istorum, nunc plus vltra.

S. Chrysost. hom. 39. ad pop. *Nihil præsentia ducamus, vt* *Chrysost.*
ad futurorum bonorum posimus excitari desiderium : neque
enim præsentibus adfixus homo illorum vnquam potest arca-
norum bonorum admittere desiderium, tanquam lippitudine
quadam in oculis corporis, sic præsentium concupiscentia ra-
tionem obtenebrante. neque tursus in contrarium circa cæle-
stia bona desiderium habens, quodpiam horum corruptibilium
concupiscentiam capere potest : pio namque erga Deum desi-
derio vulneratus, futurorum nactus desiderium, præsentium sta-
tum alys oculis cernit & nouit, quod est figura tota vita præ-
sens, & fallacia, & à somnio nihil differat. Ita S. Chrysost.

PROP. XXI. *Bona temporalia occasiones sunt peccandi.*

AD Colos. 3. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sur-* *Colo. 3. 1.*
sum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei se-
dens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Pome-
rium quis ingressus, & poma colligere volens, si super
terram cecidisse ex arboribus aliqua viderit, ea dimit-
tit, & oculos ad superiora arborum eleuat, vt ex illis
quæ sursum in illis sunt, colligat : nam quæ in terram
ex arbore decidunt, vermibus maculata, & mala af-
fecta esse solent. Nos igitur intra Ecclesiam Christi,
quæ hortus Dei est, inducti, bona quædam supra ter-
ram intuemur, diuitias scilicet, honores, & delitias:
at hæc bona vermibus plena sunt, à quibus pessimè
afficiuntur. Diuitiarum vermis auaritia, honorum &
dignitatum superbia, delitiarum gula & luxuria pessi-
mi vermes, qui huiusmodi vitia in infernum vsque
comitantur, & animas damnatorum corrodunt in æ-
ternum. Quid igitur nobis agendum ? quod Paulus
ait : non quæ super terram cecidерunt, sed quæ sursum
sunt quærite, & gustate, cœli scilicet diuitias, cœli
honores, cœli delitias sempiternas.

Hinc est quod piè Dominus huiusmodi creaturarum

copiam denegat nobis, non quia non ille in se liberalissimus sit, neque enim Sol ita radios suos liberaliter nobis communicat, neque ignis calorem, sicut Deus bona cuncta nobis possibilia communicare desiderat; sed quia illa nobis nocitura cognoscit, manum contrahit, ea nobis cùm magnificentia concedens, quæ vtilia esse nouit. Hunc ad locum expende Apocal. 1. Vidit Ioannes Christum Dominum inter aurea candelabra præcinctum ad mammillas zonâ aureâ: *Et habebat*, inquit, *in dextera sua stellas septem.* Quæ aliis dare volumus, manibus gestamus, dextera verò fœlicitatis symbolum est, ideò enim Hispanè dicere solemus: *Dios os de buena man derecha.* In manu igitur habet Dominus stellas, in manu (inquam) dextera, quia huiusmodi dono affiere nos vult, tanquam fœlix & beatum nobis hoc futurum beneficium; quodnam verò istud? stellarum, quæ cœleste quid sunt, & lucens. Lucem igitur nobis & cœlestia bona confert libenter & munificentissimè Deus; ideò septem defert in manu stellas, septenarius quippe numerus vniuersitatis symbolum est: septem enim diebus vniuersum tempus metimur. & denique cœlestia sunt, quæ in dextera nobis defert, quia bona cœlestia, quæ nobis impertitur, quæque ad fœlicitatem nostram spectant; aurum verò in pectore habet, zonam scilicet auream, non in manu, quia licet etiam aurum & thesaurum materiale nobis optet exhibere, quia nobis in musicipulam esse cognoscit, in pectore, in desiderio, non in manu, non opere habet.

Apoc. 1. 16.

B

C

Ecce igitur totius oraculi huius expositionem. Quid stellæ important? Lucem & bona cœlestia vniuersa. Cur in manu ea Deus habet? Quia illa satagit nobis dare dummodo accipere nos velimus. Cur in dextera? Quia in huiusmodi bonis fœlicitas nostra consistit. Quid zona illa denotat aurea? Aurum & thesaurum materialem. Cur in pectore, & non in renibus? Quia ibi cor, & secundum cor & desiderium Dei omnia (tanquam liberalissimi) etiam bona temporalia dare optat: sed quia non expedit nobis, illa in corde, non in manu, desiderio, non opere sæpè confert: *çinneſe en dar nos eſſo, por que no nos conuiene tenerlo aca: ſolemos dezir al que es muy liberal en dar ceninas. S. à ſi ſo cinne Dios por que nos importa aſi a noſotros.*

Gant 5. 14 Greg.

Hinc etiam Canticorum 5. de Sponso diuino sic sponsa: *Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Quid significant manus Dei: S. Greg. ibid. Opera eius (inquit) cur tornatiles? quia perfectissimæ sunt. *Como ſi ſe ſacaran por vn torno*, hoc est, in operibus Dei nihil non perfectissimum est. *Dei*, inquit, *perfecta ſunt opera*; quid igitur huiusmodi continet manus? *Plenæ*, inquit, *ſunt hyacinthis.* Hyacinthus cœli figuram gerit, eius enim coloris est. Cœlestem beatitudinem significat, ait S. Greg. quare cœlestia bona in eo significantur. Hisi- D gitur bonis diuinæ manus refertæ sunt, non auro, vel argento, vel lapidibus pretiosis, vel alijs terræ bonis; dedignatur cœlestis sponsus talibus bonis plenas afferre manus, cœlestes manus cœlestia dona decent, his plena vtraque manus, his enim abundat ille, hæc quidem exhibet abundanter, in his se valde liberalem ostendit. Vnde hæc præ manibus ita habet.

Hoc attendat qui Deo seruiens pauperem vitam agit, imò despectum se & in magnis laboribus se versantem, intuetur, non miretur. Deus enim suos gratiâ & virtutibus & donis remunerat spiritualibus. Hæc occulta sunt: in his se tamen diuitem credat, si fideliter seruiat illi.

Seneca.

Sen. ep. 85. *Relinque ista ad quæ iam dudum diſcurritur, relinque diuitias, aut periculum poſt dentium, aut onus relinque; atque animi voluptates mollunt, & eneruant; relinque ambitum, tumida res eſt, vana, ventoſa, nullum terminum habet, tam ſollicita eſt, ne quem ante ſe videat, quàm ne alium poſt ſe; labor at inuidia, & duplici quidem. Videt autem quam miſer ſit ſi ſi us cui inuidetur, etiam inuidet: confragoſa item in faſtigium dignitatis eſt via, at ſi conſcendere hunc verticem libet, cui ſe fortuna ſubmiſit, omnia quidem ſub te, quæ pro excelſiſſimis habentur, aſpicies, ſed tamen venies ad ſumma per planum.*

A

Vna ex his plagis, quibus Deus Ægyptum verauit, aqua in sanguinem conuersa fuit, Iosephus aquam istam in manibus Ægyptiorum sanguinem quidem, in manibus verò Israelitarum aquam mundam fuisse affirmat, vnde sanguinem abominandum, vel aquam mundam, & potabilem esse ex manu eam accipientiu proueniebat. Idem mihi de pecuniis dicendum videtur, ipsæ enim in se nec bonæ nec malæ sunt, quod verò tales sint, è manu illas possidentis emanat: in manu quippe misericordis misericordia sunt, in manu verò auari auaræ diuitiæ sunt, in manu pii, piæ, in manu verò crudelis crudeles, &c. In manu lobi erant, pes claudo, & oculus cæco; in manu diuitis epulonis, erant purpureum indumentum, & byssinum, & inhumanitas in Lazarum sanctum.

Hoc tamen certum est quod modo rebus sic se habentibus, & prout de facto se habent diuitiæ & reliqua huiusmodi temporalia bona, occasiones peccatorum sunt multorum: nam hostis noster his nos seducit, sicut enim piscator escam offert gratam pisciculo, qui accurrens eam auidè sumit, in cibum vitæ sibi congruentem, at hamum intus offendit, quo capitur, extrahitur, perimitur: sic hostis nobis opes, amores, voluptates (que amabiles effert, sed latet anguis sub herba, latet hamus sub esca, quò capimur, peccamus, perimus.

Eccles. 10. *Cor ſapientis in dextra eius, & cor ſtulti in ſiniſtra illius.* Quid sibi vult parabola hæc, nunquid stultum diuersum habet cor in corpore sapientis, quàm in corpore stulti? Nequaquam, sed eundem pariter in vtroque. Cur igitur sapientiam in dextera, stultú in sinistra dicit cor habere: Dextera in sacris literis bona importat spiritualia, vt adnotauit hic author quidam grauis: sinistra verò bona temporalia, quia bona spiritualia ad fœlicitatem conducunt æternam, bona verò temporalia obstant magis & impediunt illius fœlicitatis æternæ consecutionem communiter loquendo: vnde infelicia nobis sunt, & propterea Deus ea denegare solet prædestinatis suis, & id eis consulere, quod quærenti quid ad vitam æternam consequendam faceret, respondit, *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, &c. Et quidem infausta per manum sinistram significare solemus, per dexteram fœlicia, vnde dicere consueuimus, *Dios os de buena man derecha*, hoc est, prosperè, ac fœliciter tibi cuncta succedant: ait ergo Salomon, *Cor ſapientis in dextera*, hoc est, cor hominem prudentis & optimo præditus ingenio in rebus spiritualibus, & ad vitam æternam conducentibus ponit hoc est, affectus, amorem, desiderium, intentionem, conatum, denique cor ipsum cum omnibus suis affectionibus, quia vt verè sapiens eligere scit bonum, & reprobare malum. At insipiens, qui non quærit æternum, habet enim obtusam aciem mentis, & non valet illa longè collocata in cœlo respicere, sed quærit temporalia, quæ pro oculis habet, & delectant sensus, & carnem in sinistra collocat cor, hoc est, in rebus temporalibus, quia carnalis est, & quæ carnis sunt sapit, eligit, quærit.

B

C

D

Obserua igitur qualiter bona temporalia manú sinistrá vocet Spiritus sanctus, spiritualia verò dexteram.

Refert Laertius lib. 6. quòd cum Plato Diogenem offendisset olera in cibú sibi lauantem, & dixisset illi Si regi Dionysio morem gessisses, profectò non lauares olera, Diogenem autem illi respondisse; Si tu lauares olera, profectò Dionysio non seruires. Rectè: sed rectius hoc de mundi sectatoribus dicere possemus, profectò si paucis contenti essetis, sicut natura paucis est contenta, profecto mundo seruire vobis opus non esset. quan-

quando faciliùs Deo seruiretis, & cæt. Eadem ratione Aristonymus sapiens (vt refert Stobæus) dicere solebat: Sicut ligna dum augent ignem consumuntur ab ipsis, sic opes dum alunt adulatores, consumuntur ab eis.

Plutarch. in Laconicis, Lycurgi temporibus (inquit) tanta erat apud omnes vxorum pudicitia, vt esset incredibile adulterii crimen apud Spartanos inueniri, ferturque dictum cuiusdam antiqui Spartani nomine Geradas, qui rogatus ab hospite quodam quam pœnam darent apud Spartanos adulteri, neque enim videre se quicquam super hac re sanctum à Lycurgo; Nullus (inquit) ô amice apud nos adulter est; cumque illud subiecisset, quid igitur si existat? dabit (inquit) bouem adeò grandem, vt porrectus vltra Taygetum montem collo bibat ex Eurota; cumque ille ridens diceret: Fieri non potest, vt tantus bos inueniatur; Et quo pacto, ait Geradas, Spartæ existet adulter, in qua diuitiæ, & delitiæ, & corporis ascitus cultus probro habentur? Contra verecundia, modestia, & obedientia magistratibus debita, decori, laudique dantur? Prudenter intellexit Geradas ibi non posse vitia nasci, vbi non admittuntur vitiorum seminaria; & hæc est clementissima ratio medendi moribus prauis, & virtutis studium excitandi. Ita Plutarch.

Publius Mimus, *Bonum est* (inquit) *fugienda aspicere in alieno malo, es lo que solemos dezir, bueno es escar mentar en cauença agena.* Reuelauit nobis Christus Dominus damnationem diuitis cuiusdam, cuius nomen reticuit Christus Dominus, quia apud Deum nomen & famam non merentur iniqui. *Homo quidam dines erat, & induebatur purpurâ & byssô, & epulabatur quotidie splendidè,* & denique, *sepultus est in inferno: damnatus est.* Cur ita? non plenè asseruit Christus, non dixit clarè ob hoc, vel ob aliud, sed delitias, & diuitias enarrauit, & in pauperem inhumanitatem, quæ ex suis delitiis emanauit: nam ideo Lazaro non subuenit, quia auferre à se ea censebat, quæ alteri dabat, cuius proinde damnatio ex delitiis, ac diuitiis, ideo non recensuit Christus alia peccata, quia omnia inde fuerunt orta. Huiusmodi nos experimentum capiamus, si sapientes sumus: nam, vt ait idem Publius Mimus, ex vitio alterius sapiens emendat suum; cùm igitur videamus ex temporalibus bonis diuitem illum damnationem incurrisse, ea nos fugiamus, &c.

4. Reg. 18. *Ezechias* (bonus rex populi Dei) *confregit* inquit, *serpentem aneum quem fecerat Moyses.* Cur ita? Nonne Deus tanti serpentem illum fecit, vt ad eius intuitum sanaret homines à veris serpentibus lethaliter percussos? Denique nonne iussu ipsius Dei Num. 21. factus fuit? Cur ergo eum confregit Ezechias? Ibidem diuinus textus respondet: Siquidem vsque ad illud tempus filij Israël adolebant ei incensum. Quod exponens Sanctus August. 10. de Ciui. Dei. c. 8. ait, *serpentem illum propter facti memoriam reseruatum, cum postea populus errans tanquam idolum colere cæpisset, Ezechias Rex, religiosa potestate Deo seruiens cum magna pietatis laude contriuit.* Ita S. Aug. & ob eandem causam vocauit Ezechias illum serpentem, *Nohestan. Nohestan* autem interpretatur cuprum siue cupreum. Vnde Interlinearis ait: *Nohestan, hoc est ex eorum*, non Deus. Ita ibi. Nunc ad rem, sicut ad optimum finem Deus confici & erigi serpentem voluit, abutentes autem filij Israël serpentem adorabant: sic bona temporalia Deus in optimum finem produxit, vt scilicet in necessitatibus nostris remedio nobis essent & decori, nos autem tanto abutentes beneficio veluti adoramus ea & quasi idola amamus illa. Quam ob causam sicut Ezechias serpentem æneum contriuit ne illum adorarent Israelitæ: sic Deus à nobis bona temporalia tollit, vt à nobis indebitam æstimationem, & amorem nimium simul tollat, & hoc nos tribulationem & plagam vocamus? Etenim maius nobis Deus beneficium confert cùm tollit, quàm exhibuerat cùm conferret, est enim velut ab infirmo tollere nociuum cibum vel potum, seu potius è manu phrenetici gladium auferre ne se perimat ipsum.

Gen. 3. sic Dominus ad serpentem: *Maledictus es inter omnia animantia, terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Hîc, vti explicat Liranus, dæmoni in serpente maledicit Dominus: quo verò pacto dæmoni conueniat comedere terram, sic idem Lirannus explicauit: *terram comedes*, id est *homines terrena diligentes incorporabis tibi eos decipiendo* Ita ille. Incorporantur autem homines Diabolo peccando, quia eo modo adhærent ei & serui eius efficiuntur, terrena igitur bona diligentes incorporat sibi hostis, quia eos facilè ad peccandum inducit: qui enim honorem mundi amat, facilè in superbiam incidit & ambitionem, superbia autem initium est omnis peccati: qui verò diuitias amat, facilè in auaritiam cadit, & auaritia quoque omnium peccatorum fons est: qui verò delicias terræ quærit, facilè luxuriæ & gulæ deseruit, & aliis vitiis multis, inde rectè dicitur Diabolus pasci hominibus terrena diligentibus.

De tauro syluestri qui Latinè *Vrus* dicitur, sic scribit Physiologus: Vrus animal omnium maximum, similis boui, duo habet cornua in modum serræ, pascitur non longè ab Oceano, vbi nascitur arbor quædam nomine *Tamus*, similis viti & alba ramis, quos cum vrus capite concutit, eis cornu ligatur, tunc accedit venator, & cornibus alligatum deprehendit, & ita opprimit illum. Ita Physiologus. S. Epiph. lib. de Physiologo ad mores hoc referens, ait: Oceanus copiam diuitiarum significat. Tamus verò vitæ huius voluptatem, quâ implicitus homo, virtutem negligit, & Diabolus tanquam animarum venator tunc illum aggreditur, quem voluptatibus mancipatum in suam dirigit potestatem. Ita S. Epipha. Quod autem de voluptatibus seu delitiis dicit, de diuitiis & honoribus, & aliis huius vitæ bonis dicendum est: nam per diuitias capitur auaritia, per honores superbia, per diuitias gula, & luxuria: sic ergo infernalis venator homines capit & secum ad tartara ducit. Præcipuè tamen ad voluptatem & sensualitatem hæc pertinent: nam Tamus idem est quod Adonides amasius Veneris, sicut constat ex Tertulliano, qui vbi nos legimus in Ezech. c. 8. *Ecce illic mulieres plangentes Adonidem*, legit *plangentes Tamum.* Congruit quod de Samsone legimus, captum scilicet fuisse à Philistæis Dalidæ suæ dilectæ causa.

Videas piscatorem qui magnâ curâ cibos quærit, piscibus gratos & eos piscibus tacitè & placidè offert; attamen vide quid intra lumbricum, & escam illam piscibus lateat, hamus scilicet & mors piscis: ita quidem hostis quæ nobis grata, & optata sunt quærit, & ea nobis tentando defert & offert; sed latet anguis sub herba, latet hamus, latet mors æterna, & multi qui se ingenio pollere mentiuntur, latentem hamum, & anguem non aspiciunt, sed fine discursu honores, diuitias, delitias, & bona temporalia sibi iucunda, deglutiunt, & damnationē suam simul. Vnde sicut pisces capiuntur à piscatore hamo, sic capiuntur isti à Diabolo in tempore malo.

Gen. 3. 14. Liran.

Ezech. c. 8. 14.

Simile.

PROP. XXII. *Bona temporalia superbum hominem reddunt, & intractabilem.*

PLut. *lib. de doctrina principum*, Plato, inquit, rogatus à Cyrenensibus vt sibi leges scriberet, scriptaque relinqueret, & statum reipublicæ componeret; recusauit, dicens esse perdifficile condere Cyrenensibus leges, eò quòd felices essent, nihil enim tam superbum, nihil tam intractabile, ac morosum esse quàm hominem quem felicitas corripuerit, quapropter difficile est, his qui geruntimperium, consulere de imperio, reformidant enim rationem seu principem admittere, ne potentiæ bonum quod habere videntur, impediat,

si id astringat, & seruire cogat honesto. Ita Plut. A

Plut. *in Laconicis* refert Philippum Macedonum regem post partam de hostibus suis victoriam, epistolam quandam ad Archidamum regem Lacedæmoniæ filium Agesilai, amarulentam, & insolentem scripsisse, ad quem Archidamus sic scripsit: Si metiaris vmbram tuam, haud quaquam reperies illam maiorem factam, quàm erat ante victoriam. sic grauiter admonens non esse prudentis viri propter huiusmodi euentus prosperos intumescere, cùm non propterea fiat quis maior, aut melior. Sicut enim phaleræ, aurea fræna, & reliqua ornamenta pretiosa equi, non faciunt equum meliorem quàm antea sine ipsis erat, quia externa hæc sunt, *caenle al caballo por de fuera*; sic nec diuitiæ multæ, nec ornatus vestimentorum, nec familiaritas regum, nec munia excelsa, nec generis splendor, nec quæuis prosperitas mundi, meliorem hominem reddunt, quia externa bona sunt, *caenle al hombre por de fuera*; imo non B
solum non faciunt hominem meliorem, sed sæpe peiorem reddunt, magis sc. superbum & tyrannum, & gulosum, & luxuriosum, & multimodis vitiosum. Vt autem in officio te contineas, & non superbè sapias, cùm prospera tibi succedunt, noli te metiri prosperitate extrinseca tua, sed virtute & sanctitate tua; bonum enim intrinsecum quo efficimur boni, bonitas animæ & sanctitas est. ille magnus & beatus, qui bonus, ille vilis, abiectus & infelix, qui malus est.

Prop. XXIII. *Bona tem oralia hominem crudelem reddunt.*

Amor. proximi. OLim Romani cum taurum aliquem ferocem esse videbant, inter cornua fasciculum fœni colligabant, quo monebant homines à tauro illo sibi debere cauere, quia fœni & pabuli abundantia taurum natura sua ferocem ferociorem reddit; sic hominem bonorum abundantia ferocem, & crudelem reddit, C
maximè si aliàs potens sit, in potestate scilicet aliqua
Horatius. constitutus. Vnde Horatius huiusmodi hominem demonstrans aiebat, *Fœnum habet in cornu, fuge, fuge.*

Vnde Hicinius Romanus, quamuis in reliquos Satyricus esset, Marco Crasso parcebat. Interrogatus, cur ita præspondit: *Fœnum habet in cornu.*
Psal.21.13. Vnde Christus Dominus de inimicis suis, seu Dauid in persona Christi, *Tauri pingues obsederunt me.*

Prop. XXIV. *Bona temporalia pacem auferunt cordis.*

HInc multi non solùm fidelium, verumetiam infidelium, magnis mundi dignitatibus, diuitijs, & honoribus valedixerunt, imò & imperio mundi, vt pace & tranquillitate vitæ potirentur. Sic magnus ille Romæ & orbis Imperator Diocletianus, post insignes victorias, post illustrissimos triumphos, post magnificas illas conditas thermas, quæ septem mundi D
mirabilibus haud inferiores fuerunt, sicuti Eutropius & Pomponius Lætus affirmant, post omnia hæc imperium contemnens, in villam quandam humilem se recepit, in qua priuatam vitam degens, dicere solebat, se numquam splendidiorem vidisse solem, quàm cum imperio renunciato sic secum solus morabatur.

Sic etiam dux ille Romanus Illustrissimus Marcus Curio, qui postquam de Sabinis & Samnitis à Pyrrho Epirotarum rege victorias insignes reportarat, relicta Roma, & omni qua in ea gloria fruebatur, ad villulam etiam ruralem se contulit, ad quem Samnitæ magnis donis & muneribus onustos nuntios miserunt, vt illum inuiserent, & salutarent, & dona illa offerrent ei, quæ quidem Curio accipere recusans remisit, gratiam illis debitâ reddès. pauperè enim vitâ transigere decreuerat vt optata pace & animi tranquillitate gauderet.

Sic quoque magnus ille Athenienſium Dux, & Princeps Pericles, qui egregius fuit in scientia Philosophus, in dicendo Rhetor, in consiliis sapiens, in bellis strenuus, in pace quietus, in prosperis humanus, in aduersis patiens, & constans, hic, inquam, tantus vir, relicto Athenienſum principatu, ad solitudinem se contulit, vbi fabricata domo in eius vestibulo inscriptionem hanc superposuit:

Inveni Portvm, Spes et Fortvna Valete.

Et ibi à mundi fluctibus liber reliquum vitæ sue tempus peregit. Quid Ethnici hi hac mundi & bonorum fæculi fuga quærebant? numquid sicut Eremitæ, & Anachoretæ cœlestem patriam & perfectam religionis nostræ vitam? nequaquam, id enim illi prorsus ignorabant: sed vitæ huius tranquillitatem, & pacem cordis requirebant, quam inter mundi opes & felicitates fæculi reperiri non posse certissimè cognouerant, &c.

Rectè Sapiens quidam: *Ingens onus magna fortuna.* Quod facilè diuites & mundi principes experiuntur, quos curarum pondus gemere sæpe sæpius facit, & follicitudo administrationis, quæ fugere somnum de oculis eorum facit, sicut in parabola illa diuiti contigit, qui dicebat: *Quid faciam? destruam horrea mea,* Dormiebat tunc temporis agricola pauper in vtraque aurem, ille verò sollicitudine diuitiarum dormire nequibat. maximè verò diuites & primates viros nunquere solet metus diuitias & honores amittendi: difficilis enim est harum rerum conseruatio, nam, vt quamè Publius Mimus dixit, *fortunam citius inuenias quam retineas*, quòd difficile dixeris opes & mundi acquirte bona, difficilius quidem est ea retinere & conseruare.

Pondus autem hoc diuitiarum, pondus, inquam, cordis, & animæ, ob sollicitudinem & curam illorum quam secum ferût, optimè expolita nobis fuit in transitu Israelis per mare rubrum: tunc enim vt transirent valerent Israelitæ, mare Dominus diuisit; cur non quoso, super aquas eos transire fecit? numquid non æque miraculum fuit diuidere aquas maris, sicut eos super aquas deducere maris? maximè, cùm & ipse Dominus & Petrus Apost. super mare quoque transierint, ac si super solidam petram ambularent. Dicam, exierant Israelitæ ex Ægypto diuitiis onusti: *Eduxit eos cum argento & auro*: & vt ostenderet Dominus res graues & ponderis eximij esse diuitias, noluit super aquas incedere illos, quasi diceret: Non valent debiles aquæ tantum sustinere pondus: at Christus Dominus nullas opes habuit. *Vulpes*, inquit, *foueas habent, &c.* Petrus quoque dixit: *Ecce nos reliquimus omnia*, hos facile super dorsum suum sustinet quantum vis debilis aqua. Sed diuitiarum pondus expressit Deus, pondus, inquam, non tam corporis quàm cordis, &c. Vide Sanctum Bernar. super id, *Ecce nos reliquimus omnia* Rectè, inquit Petre, & non ad insipientiam tibi: non enim potest Christum sequi oneratus. Ita ille, oneratus scilicet mundi curis.

Prop. XXV. *Bona temporalia animum humanis captiuant.*

INtellectus & voluntas in nobis nobilissimæ potentiæ animæ sunt; quidquid his prodest proficuum valde reputare debemus; quòd verò his nocet, valde nociuum absolutè iudicandum est: tunc autem potentiæ istæ proficiunt, cùm à rebus his inferioribus & temporalibus liberatæ, ad cogitanda & amanda æterna & diuina sese dicarint; hinc quàm nociuæ opes & bona temporalia sint, constat: hæc namque ita mentem captiuant, vt nec intellectum altiora cogitare, nec voluntatem diuina & æterna amare sinant.

Dices curabo ego ita bona hæc possidere, vt non

me ipsis seruire sinam, sed ipsa mihi obtemperare fa- A
ciam. Multum tibi promittis. Seneca. Ille, inquit, in-
gentis animi est, qui diuitias circumfusas sibi multum
diuque miratus quòd ad se venerint, suas esse audit,
magis quàm sentit. Multum est non corrumpi diuitia-
rum contubernio. Magnus est ille, qui in diuitijs pau-
per est, securior tamen qui diuitijs caret. Ita Seneca.
Pondera id, *multum est non corrumpi diuitiarum contuber-*
nio, dixit hoc prius sapientior Seneca & Spiritu sancto
ductus Ecclesiasticus, *Beatus dines qui inuentus est sine*
macula, & qui post aurum non abijt. Quid est, post aurum
non abire? non semper cogitare aurum, non semper
amare, cùm possidetur, hunc tantum beatum dicit:
quasi dicat, multum est non corrumpi intellectum &
voluntatem diuitiarum contubernio. *Fecit*, inquit Ec-
clesiasticus, *mirabilia in vita sua. Ese tal hace milagros en*
vida, rico y bueno milagro dice Dios, rico y no pegarsele el
toracon a las riquezas milagro. Solet auicula visco capta,
postquam pedes visco ligatos sentit, simul alas exten-
dere, & visco eas pariter ligare; sic accidere diuitibus B
solet, primum pedes super diuitias ponunt, dum eas
incipiunt possidere: sed quia aurum & argentum visco
abundant, *tienen el oro y la plata mucha liga*, pedes ligant
insipientium: pedibus autem, hoc est, affectibus ligatis,
ligantur duæ animæ pennæ, intellectus videlicet, &
voluntas; his enim potentijs velut alis anima nostra
volat ad summa: nihil enim qui affectus est tempora-
libus, intelligere & diligere nouit, nisi diuitias, vel
propter diuitias. Quare sapienter Seneca, *Nemo alius,*
inquit, *est Deo dignus, quàm qui opes contempsit.* Ita ille.
Nimirum, quia nemo potest duobus dominis seruire,
quòd de præsenti casu testatus est Christus: vnde sub-
didit ibi, *Non potestis seruire Deo, & mammonæ, &c.*

Genes. 8. Emisit Noë coruum, qui amplius non
est ad eum reuersus, sicut reuersa fuit columba cum
ramo viridi oliuæ. S. Augustin. in quæstionibus super C
Gene. Quæritur, inquit, vtrùm coruus mortuus sit, an
aliquo modo viuere tunc potuerit; si enim esset terra
vbi requiesceret, similiter columba requiem inueniss-
set: vnde coniicitur quod cadaueri potuit coruus in-
sidere, quod naturaliter refugit columba. Ita S. Aug.
Coruis ergo similes sunt homines, qui missi à Deo in
hunc mundum, vt ab eo tamen recedant & re-
uertantur, ipsi verò bonis huius mundi inuentis, ita il-
lis adhærent vt ad Deum reuerti nolint, *hazen la ida*
de el euerbo, & ita pereunt & propter bona temporalia
amittunt æterna. Sic locum istum expendit Strabus,
dicens: Arca continet coruum, & columbã, sic Eccle-
sia bonos & malos; coruus emissus non reuertitur,
quia reprobi illecebris mundi inhærentes pereunt; co-
lumba verò redit portans ramum oliuæ virentibus
foliis in ore suo, quia sancti columbina simplicitate
gaudentes munus pacis in ore portant. Ita ille.

PROP. XXVI. *Bona temporalia nociua nobis sæpius sunt, & causa damnationis.* D

PAnem nostrum quotidianum da nobis hodie. Orationem
Dominicam composuit & ordinauit Christus Do-
minus, vt nos omnes sciremus, quæ & quo ordine à
Deo bona poscere deberemus. & primo loco tres illas
constituit petitiones, quæ ad Dei honorem, & gloriam
spectabant, quarto loco ea quæ ad nos pertinent collo-
cauit tam spiritualia, quàm corporalia. De corporali-
bus ergo speciatim agens, Dicite, inquit, patri vestro
cæsti: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quid
est quòd de solo pane mentionem facit, cùm de peten-
dis temporalibus tractet Christus? nunquid in solo
pane viuit homo? S. Gregor. Nyssenus *lib. de oratione*
Dominica, Panem, inquit, *da, non luxum, neque delitias,*
neque diuitias, nec floridas vestes, nec ornamenta aurea, non
lapidum fulgores, non argentea vasa, non agrorum copiam;
non equorum greges, non boum armenta, & reliquorum pe-
cudum multitudinem, non mancipiorum copiam, non splen-
dorem in foro, non imperium, nec quidquam tale, per quæ ani-
ma à diuina & potiori cura abstrahatur, sed panem. Vnde per
hanc orationem clamat Christus intelligentibus: Desinite, ô
homines circa res vanas diffundi, desinite laborum causas ad-
uersus vosmetipsos accumulare, exiguum, homo, quod natura
debes, cibum debes carnicinæ tuæ, rem modicam, & facilem
paratu, si vsum & necessitatem intueris. cur contra te ipsum
multiplicas tributa? cur tot debitis obligatus & subiectus es?
ad Indos negotiandi causa ille proficiscitur, & in barbarico
mari periclitatur, vt rebus illinc importatis cibum acquirat,
non considerans, quòd id, quod palato & visui & odoratui
gratum est, momentaneam quandam gratiam & voluptatem
sensui præbet. Panem igitur pete, propter vitæ necessarium
vsum: huius te corpori natura debitorẽ fecit; catera quæ præter
hoc solertia excogitata & inuenta sunt, de zizaniorum semi-
ne sunt. semen patrisfamilias frumentum est, ex frumento
panis conficitur, at luxus atque delitiæ zizanium est, quod ab *Matt. 13.*
inimico iuxta frumentum satum est. Sed tamen homines,
omisso ministerio naturæ necessario, reuera suffocantur vana-
rum rerum sitibus, vt alicubi Christus dicit, & infrugiferi ma-
nent, dum in his anima sese perpetuò exercet, & occupata est.
Ita S. Nyssenus.

Obsecro vos, tanquam aduenas, & peregrinos, abstinere à 1. Petr. 2.
carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam. Car-
nalia desideria vocat Apostolus appetitum bonorum
mundi, honorum &c. & diuitiarum, & delitiarum. hæc
enim desideria & bona sic desiderata, militant aduer-
sus animam; hostes ergo animæ sunt. experiuntur hoc
omnes qui huiusmodi appetitui habenas laxant. Quid
igitur agendum? docet hic Apost. monens nos absti-
nere ab his desideriis tanquam aduenas & peregrinos.
Quid est, tanquam aduenas & peregrinos? S. Bern. ser.
7. Quadrag. *Peregrinus, si via regia incedat, non declinat*
ad dexteram, neque ad sinistram; si fortè iurgantes viderit,
non attendit, si nubentes aut choros ducentes, aut aliud quod-
libet facientes, nihilominus transit, quia peregrinus est, & non
pertinet ad eum de talibus, ad patriam tendit, vestitum & vi-
ctum habens, non vult aliis onerari. Beatus plane qui suum
sic agnoscit, sed deplorat incolatum, dicens Domino:
Aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres Psal. 36.
mei. Ita S. Bern. & subdit: *Magnum hoc quidem, sed fortè*
gradus aliquis altior est: nam peregrinus, etsi non admisce-
atur coetibus, aliquando tamen delectatur videre quæ fiunt, aut
audire ab aliis, aut ipse narrare quæ viderit: & his & huius-
modi, etsi pentus non retinetur, detinetur tamen, & retar-
datur, dum minus memor patriæ, minori accenditur desiderio.
nam & tanto tempore potest in his delectari, vt iam non so-
lum remoretur, & minus citò veniat, sed & remanens ex toto,
nec tardè quidem perueniat. Quis igitur alienus magis est à Colo. 3. 3.
sæculi actibus? Profectò quibus dicit Apostolus: Mortui enim
estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.
Peregrinus numirum, potest occasione viatici plus quàm opor-
teat, detineri quærendo, & prægrauari portando: mortuus verò,
etsi desit sepultura, non sentit. & sic vituperantes vt laudan-
tes, sic adulantes audit vt detrahentes, imò verò nec audit, quia
mortuus est. Omnino felix mors, quæ sic immaculatum seruat,
imò penitus alienum ab hoc sæculo facit, & necesse est, vt qui
non vinit in se, viuat in illo Christus. Hoc est enim quod ait
Apost. Viuo ego, iam non ego; viuit autem in me Chri- Gal. 2. 20.
stus, ac si diceret: ad alia quidem mortuus sum, non sentio, non
attendo, non curo: si qua verò sunt Christi, hæc viuum inue-
nient & paratum.

Magnus quidem gradus est iste. At fortassè poterit aliquid
aliud superius inueniri. In quo ergo quæremus? in quo putas, ni-
si in eo de quo nunc loquebamur, qui raptus est vsque ad ter-
tium cœlum? Quis enim prohibet, tertium cœlum dicere, si
quem gradum supra istos poterit inuenire? Audi igitur ipsum
de hac tanta altitudine, non in se gloriantem, & dicentem:
Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Gal. 6. 14.
Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego

mundo. *Non solùm*, inquit, *mortuus mundo, sed & crucifixus: quod est ignominiosum genus mortis. Ego illi, pariter & ipse mihi. Omnia quæ mundus amat, crux mihi sunt, delectatio carnis, honores, diuitiæ, vanæ hominum laudes. Quæ verò mundus reputat crucem, illis affixus sum, ipsis adhæreo, illa toto amplector affectu. An non maior est iste primo & secundo gradu? Peregrinus, si prudens est, & non obliuiscitur peregrinationis suæ, licet cum labore, transit, & non magnopere sæcularibus implicatur: mortuus æquè blanda huius sæculi sicut aspera spernit. Qui verò raptus est vsque ad tertium cælum, crux illi est omne cui mundus adhæret: & his adhæret quæ mundo crux esse videntur. Pensemus singuli in quo gradu quisque sit positus, & studeamus proficere de die in diem, quoniam de virtute in virtutem videbitur Deus Deorum in Sion.* Ita S. Bern.

Licèt bona temporalia bona quidem naturâ sint, & ad bonum finem ea Deus creauerit, si in manus illa deuenerint hominis mali, mala fiunt ex vsu malo. Plinius lib. 16. c. 11. *Vina*, inquit, *infusa vasis è taxo ligno venenoso factis, mortifera fiunt, quamuis vina ipsa secundum se mortifera non sint*; sic bona temporalia licet bona sint, & ex eis bona plura effici possint, si in hominem inciderint malum, mala redduntur: quia in multos, & pessimos vsus ea diffundunt. nam prodigus & mundanus in rebus profanis eas consumit, superbus in sui gloriam vanos honores amat, voluptuosus in voluptatibus suis expendit cuncta quæ habet, &c.

Plut. lib. de vitanda vsura, *Crates ille Thebanus, quamuis nullo ære alieno obstrictus, & à nemine molestatus, obscurus tamen, domesticus, & molestus familiæ substantiam octo talentorum reliquit, & sumpto baculo ac pera, in Philosophiã & paupertatem confugit. Anaxagoras etiam propter Philosophiam non insertili abdicauit se fundo. Et Philonimus Melopæus vitam & domum opulentissimam in colonia Sicula hæreditate nactus, & cùm delicias, voluptates, ac indigenam consideraſſet inelegantiam: Per Deos*, inquit, *bona hæc haud me perdent; sed ego illa, absque hæreditate relicta emauigauit.* Ita Plut. Si ergo hi propter philosophiam moralem, quàm incompatibilem cum diuitiis & delitiis temporalibus cognouerunt, sic ea omnia contemserunt, & liquerunt, & paupertatem implexati fuerunt; quantò magis nos decet ea omnia propter Christum & saluationem nostram relinquere. maximè cùm sciamus hæc omnia saluti animæ nimium obstare. O si videre nobis daretur in inferno damnatos, quot ibi nosceremus propter bona hæc damnatos esse: etenim non opus esset nobis ad temporalia deferenda aliis rationibus & argumentis.

Si à peccatoribus quæras, cur tanto affectu bona diligant, & quærant temporalia; respondebunt, quia ad vitam istam transigendam necessaria sunt. quibus id tantùm dicam, quod breuiter sanctus vir Eucherius dixit: *Vide ne contradicat amor vitæ veræ vitæ.* Ita ille. Sententia quidem est quam omnes mercatores, & reipublicæ ministri, & reliqui omnes amatores vitæ huius, in parietibus domorum suarum inscribere deberent: Caue ne amor vitæ contradicat veræ vitæ, caue ne dum fugis mortem temporalem, quam tandem fugere non valebis, incurras mortem sempiternam, quam modò fugere vales, &c.

Immunda duxit Deus habenda reptilia & animalcula illa, quæ multos habent pedes, illa, inquam, quæ corpore reptant, & ea quæ multis pedibus terram attingunt. cur ita? Philo lib. *de migratione Abrahæ, Non*, inquit, *est abominanda anima illa quæ aliqua parte sui reptat, sed quæ omnibus, aut pluribus; & non valet ad diuinos cœli cursus caput attollere.* Ita ille. Is autem sic per terram reptat homo qui nihil aut ferè nihil, de cœlestibus curat, fed bona terrenis ita adhæret, ac si nihil ad eum cœlestia pertinerent, ista quærit, ista diligit, ista mente reuoluit, &c. Huiusmodi ergo immundos reputat Deus, quia qui sic terrenis bonis adhærêt, solent multis peccatis maculari. Vnde amorẽ nostrũ à rebus creatis in earum creatorem transferre debemus; sicut anima illa quæ ait: *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* S. Bern. *ser. de natiuit. B. Mariæ*, expendit hunc locum, dicens, *Non ait; sub vmbra quam desideraueram sedi, sed illius quem desideraueram sedi: neque.n. ipsius expetierat vmbram, sed ipsum:* Ita S. Bern. ipsum scilicet Deum: etenim vmbra protectionem significat in sacris literis, vt aiunt S. Hilar. *in Psalm. 56.* & S. Hieron. *in Psalm. 16.* & S. Greg. 33. *mor.* 3. Placet vmbra Dei, placet protectio Dei, sed amorem & desiderium nostrum, non in vmbra, sed in Deo collocare debemus, non Dei bona, sed Deum ipsum diligere & optare debemus, optare, inquam, præcipuè, sed secundariò & quasi à longè ac remotè, quatenus subseruiunt nobis sint, non dominio, &c.

Hoc inter alia plura incommoda bonis temporalibus inest, quòd sæpenumero in nostrum exitium cedant. *Est*, inquit Salomon, *alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui.* Etenim imprudentes nihil aliud in diuitiis attendunt, nisi commoda externa, quæ ex illis prouenire solent: diuitiæ quippe amicos, honores, gaudia, voluptatesque, & ad vitam tuendam emolumentum pariunt. vnde *Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius.* Las cosas de mi rico son fu ciudad de refugio, en ellas se guarece con ellas se defiende de todo lo que le haze contradicion, &c. *Redemptio animæ viri diuitiæ suæ.* cur redemptio? Intelligendum ibidem. *Quia opes hoc afferunt commodi possessori suo, quod ipsum redimunt frequenter à captiuitate, à calumnia, ab inuitis, à paupertate, à morte.* Hęc quidẽ in diuitiis animaduertunt homines, & ideo magna cum auiditate eas amant, quærunt, seruant, non tamen attendunt, quod idem Salomon ait; sæpe scilicet esse conseruatas in malum Domini sui: quot enim ob diuitias suas occiduntur, non solùm in solitariis montibus, sed etiam in ædibus suis? quoties contingit principem aliquem, non ob aliud plures habere infestantes, quàm quòd sciant alij eum diuitias habere? sic enim thesauri Regum & prouinciarum bella excitarunt. meritò ergo ait, *diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui.* Quare Christus Dominus iure diuitias fallaces nuncupauit.

Idem igitur de aliis mundi huius bonis dicendum est. illa enim, licèt amata & in magno habita pretio, exitio solent esse possessoribus suis, v. g. Asael, inquit Scriptura, velocissimus cursor fuit, quasi vnus de capris quæ morantur in syluis: hic igitur velocitate sua persequebatur die quadam ducem quemdam, nomine Abner, monuit autem Abner illum vt recederet à se; noluit. iratus igitur Abner hastâ quam manu gestabat percussit, & interfecit eum. Vide quid velocitas huius attulit ei, vulnus & mortem.

Similiter Absalon cæsariem suam valde magnificabat, qua pulchritudinem suam augere, & fouere censebat, vti constat. illa tamen sic dilecta cæsaries, miseræ & infelicis mortis eius extitit causa, vt patet.

Sic etiam cibi, quos ad voluptatem & vitæ conseruationem sumere solemus, mortem præmaturam pariunt; sic ignis quem in commodum nostrum accendimus domi, domum ipsam accendere & consumere solet, &c. Sic denique bona mundi quæ valde amamus, in perniciem nostram sæpe cedunt, &c.

Reprobat Dominus, sicut tetigimus supra, omnia reptilia & animalcula illa quæ multos pedes habent. cur ita? Philo *lib. de migratione Abrahæ*, explicans hunc locum: *Immunda*, inquit, *censentur omnia reptilia, & qua multos habent pedes propter adhæsionem, quam sc. habent cum terra.* Symbola igitur sunt huiusmodi animalia hominum illorum, qui terrenis bonis nimis adhærent: animalia enim quæ ibi reprobantur, hominum reproborum symbola sunt. Sunt quidem bona hæc terrena peccatorum scandala, atque adeo damnationis causa: & ea propter dixit Dominus diuiti: *Amen dico vo-*

Leu. 11.

vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum, non quia diues, non enim est peccatum ex se, diuitèm esse, sed quia ex diuitiis multa oriuntur peccata.

14. Agit Sapiens de idololatris & ait; *Creaturæ factæ sunt in muscipulam pedibus insipientium*, quia scilicet aurum & argentum, quæ Deus ad hominum vsum & vtilitatem præbuit, ipsi in idololatriam conuerterunt, adorantes ea quæ homini data sunt, non in adorationem, sed in obsequium. Idipsum de bonis temporalibus dicendum est: nam veluti adorant ea peccatores, tantus est in ea eorum amor. Sicut igitur muscipula latentem habet illicem delectationem, sic etiam bona temporalia sunt velut esca in capturam insipientium, qui, sicut mures, muscipulam non attendunt, sed caseum aut escam aliam sibi gratam.

Tribus Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasses cùm vidissent in itinere terræ promissionis, terram Iazer & Galaad aptam, ad alenda pecora sua, quamuis terra illa extra terram esset promissionis, dixerunt Moysi: *Terra hæc vberrima est ad pastum animalium: nos* B *serui tui habeamus iumenta plurima, precamur vt des nobis eam in possessionem, nec facias nos transire Iordanem.* Obserua causam, propter quam extra terram promissionis manere voluerunt, quia vberrima erat, & pastu animalium abundabat: & ecce causam propter quam extra terram illâ promissionis cælestem mundani & peccatores manere volunt, propter bona hæc mundi, quæ pro alendis corporibus animalibus à Deo creata sunt, ipsi inri suo cedunt, & cælestibus bonis valedicunt, & renunciant eis pro temporalibus bonis. O infelicia & misera bona, quæ tanti boni impedimenta sunt! Vide Origenem *hom. 26. in Numeros.*

Hinc, *Recti diligunt te.* Recti dicuntur, qui ad cælestia aspicienda erecti sunt, ad differentiam eorum qui curuantur versùs terram, quod de anima intelligendum est, sunt enim nonnulli, quorum interior mentis visus in terram procliuis est, dum scilicet terrena cogitant, terrena diligunt, terrena quærunt; hi non recti, C sed curui sunt, *Andan encoruados y agouiados hazia la tierra.* Sunt verò alii, qui mentis visum erigunt in cœlum, quia intellectum, & voluntatem versùs cælestia vertunt; hi recti vocantur, reliqui in corpore recto animum curuum gerunt; hi animum rectum ferunt in corpore curuo. Ait ergo: *Recti diligunt te*, id est, hi qui ad superna mentem eleuant, & terrena despiciunt, hi sunt qui diligunt te, & iusti sunt & prædestinati, qui verò statuerunt oculos suos declinare in terram, seu ad terrena, hi scipsos miserè diligunt, & in perniciem suam. Vide igitur, an ex numero rectorum, an verò curuorum sis. Rectè Clemens Alex. *Oratione ad Gent.* ait: *Ego calcare terram did. ci, non adorare.* Ita ille. Vide tu, ne terram, quam tibi calcandam Dominus dedit, adores: etenim argentum & aurum & lapides pretiosos, non supra caput nostrum Dominus dedit, sed sub pedibus nostris, quasi diceret Deus: quæ ego infra pedes vestros posui, tanquam conculcanda, vos supra capita D vestra ne ponatis tanquam veneranda.

Hinc est quòd Dominus pecuniosos homines, qui sc. lucris vacabant, è templo eiecit, non solùm quia domum Dei domum negotationis faciebant, sed etiam vt significaret, è templo illo cælesti eiiciendos illos esse, qui diuitiis & mundi bonis inhærent: hi enim regno cœlorum non sunt apti.

S. Chrys. ser. de laude Dei: *De loco inferiori infert dæmon nobis bellum, quin humi serpit, cuius figuram anguis præfert; quod si ignoras quid sit de loco inferiori pugnare, enitar bellandi genus eius interpretari. bellum itaque de loco inferiori gerere à rebus infimis, est aliquem impugnare, vt à voluptatibus, diuitiis & præsentibus huius vitæ bonis. vnde si quem viderit subuolantem ad cœlum & superiora tenentem, hunc subsequi non poterit. Quòd si faltendo id fuerit enixus, celerrimè casurus est: caret enim pedibus, caret alis, humi reptat, terrenis in rebus versatur, in quibus si nihil tibi fuerit commune cum eo, erit sanè labore vacuus.* Ita S. Chrysost. vbi nota causam propter quam Deus permisit hostem serpentis inducere formâ, cùm primos parentes aggressus fuit, non in forma aquilæ, vel columbæ volantis, vt scilicet significaret per hæc terrestria ipsum nos inuadere, &c.

PROP. XXVII. *Adhærere nimis bonis temporalibus signum reprobationis est.*

GEnes. 3. sic Dominus ad Diabolum in serpente: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*: quomodo cibus terræ dæmoni conuenire potest, qui spiritus cùm sit, corporeo cibo vesci nequit? Respondet Glossa ordinaria, quasi dicat Dominus: Ad te pertinebunt quos terrena cupiditate decipis. ita Glossa. *Decipit autem homines cupiditate terrena, tum eos lethale peccatum committere faciens, tum eos adhærere ita faciens rebus terrenis, vt moraliter loquendo, impossibile sit non ita cadere*: ea propter dicimus hanc nimiam animi adhæsionem ad bona temporalia reprobationis signum esse. *Gen. 3. 14.* *Glossa ordin.*

Gen. 4. de Cain, qui prauorum & reproborum figuram gerebat, & ipse reprobatus, dicit S. Bern. serm. 62. in Cant. hic ædificauit primus ciuitatem quam vocauit Henoch, quod interpretatur dedicatio; secundùm naturæ ordinem Adam ciuitatem ædificaturus erat qui priùs creatus & parens omnium erat. Cur igitur non ille, sed Cain talis fuit ædificator? S. Isido. in hunc locum: *Figurate*, inquit, *progenies impiorum in ipsa origine fundamentum quærens in hac vita, ciuitatem struxit quam vocauit Henoch, id est dedicatio, quia in primordiis se dedicant, dum in hac vita quæ ante est radicem cordis plantant, vt hic ad votum floreant & à futura gloria arescant. Abraham verò in casis habitabat, quia sanctus in hac vita hospites & peregrinos se esse cognouit, expectantes ciuitatem habentem fundamentum, cuius artifex Deus est.* Ita ille. Sicut qui ad Indos proficiscuntur, non vt ibi remaneant, sed vt diuitiis ibi acquisitis ad propria reuertantur, negotiantur hi in India, non bona radicalia quærunt, sed monilia quæ secum in patriam ferre possint: sic electi in hac vita non bona radicalia mundi satagentes quærunt, sed monilia quæ secum ferre in cælestem patriam possint, merita scilicet & opera bona, &c. *S. Bern.* *S. Isidor.* *Similes.*

PROP. XXVIII. *Abhorret Deus amatorem magnum rerum temporalium.*

LEuit. 11. ex piscibus illos immundos reputari voluit Deus qui squammis & pennis carent, quales sunt Anguillæ, & alij huiusmodi qui ad ima aquarum descendunt, & inter lutum morantur; mundos verò illos qui squammas & pennas habent, & aquis superantant. Huius rei rationem adhibens Theodor. q. 11. in Leuit. ait: *quia inter homines mundi sunt illi, qui animum ad terrena non appellunt.* Ita ille. *Leuit. 11.*

PROP. XXIX. *Bonorum temporalium possessiones probant an verè Deum diligamus.*

GEn. 22. sic Deus ad Abraham: *Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, & offeres illum in holocaustum*, &c. Cur præceptum istud adeò seuerum dilecto suo Abrahæ iniunxit Deus, & aggrauans illud dixit, *Tolle filium tuum vnigenitū quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum*, &c. Omnia verba hæc circunstantias continent aggrauantes, esse scilicet filium vnigenitum, dilectum, & Isaac, quod imortat *gaudium patris*, & non Ismaelem eiectum è domo sua, & non domi, sed, *in terram visionis*, vt tribus diebus dolor protenderetur, & denique vt ipsemet pater non manu alterius, sed propria eum occideret, *Gen 22. 2.*

cideret,& cremaret in holocaustum. Cur ita dolorem, & afflictionem cordis sancti huius sic augebat Deus?

Hugo. Hugo de S. Victore annotatione 22. in Genes. respondens ait : *Intendebat Deus his verbis magis ac magis accendere amorem humanum patris in filium ; vt posteà proponens amorem Dei amori filij, victoria gloriosior esset.* Ita Hugo. Etenim sic manifestauit Abraham magnitudinem amoris sui in Deum, pro quo talem filium non dubitauerit immolare. Vnde S. Ambro. paraphrasticè sic auget has circumstantias aggrauantes , amorem , & simul dolorem patris , dicens : *Tolle filium quem vnicum suscepisti tanquam fidei tuæ præmium & remunerationem operum tuorum , quem suscepisti ex promissione Dei , & non ex coniugis facunditate , & ex quæ alium habere non speras.* Ita S. Ambros.

S. Ambr.

Prop. XXX. *Tollit Deus bona temporalia ab his qui nimis diligunt ea.*

Matth.8. 30. Permittit Christus dæmones in gregem intrare porcorum, *& ecce,* ait S. Matt. *impetu abiit totus grex præceps in mare , & mortui sunt in aquis :* cur Domine permisisti intrare in porcos dæmones , sciens stragem futuram?tu qui miracula tua semper in hominum vtilitatem faciebas , cæcos illuminando , & dæmones effugando, &c. Ratio huius est , quia plus illi porcos possidere quàm ipsum Christum amabant , sicut exitus ipse probauit. *Ecce*(ait)*tota ciuitas exiit obuiam Iesu , & viso eo rogabant vt transiret a finibus eorum.* cur hoc rogauerunt, nonne melius illis Iesum habere? quia sc. timebant ne sicut propter eorum peccata porcos abstulerat , auferret & alia bona eorum , vt Iansenius exponit. Sciens hoc & præuidens Christus meritò porcorum gregem tulit ab eis,quia per quę quis peccat,per hęc & punitur, diligis plus diuitias,vel honorem,vel salutem, &c. aufert hæc à te Deus.

Lib.34.

Attendat valde qui bonis huius sæculi potitur , ne erga illa cor apponat , nec immoderatè diligat illa: nam vbi sic homo cor apponit , Deus malum graue admouere solet. Centurio quidam seruum habebat infirmum,& malè torquebatur, & secundum Lucam, erat moriturus : de quo ipse Lucas ait,quòd erat Centurioni pretiosus , veluti digito monstrans infirmitatis eius & mortis causam : nempe , quia erat illi adeò pretiosus,hoc est,valde illum amabat : quare non mirum, si tali eum Dominus infirmitate percussit.

Matt.8.

Cap.7.

Ideo enim Deus in sacris literis zelotes vocatur, *Dominus zelotes nomen eius , Deus est æmulator.* Cur zelotes, cur æmulator ? quia sc. nos valde amat , se ab eo, quem amat , valde quoque vult amari : sicut sponsus qui sponsam amat nimis , nullo modo eam ab alio patitur amari , & multò minùs eam alium diligere hominem. Sic Deus , qui animarum nostrarum sponsus sæpe in Canticis vocatur, intensè nos amans , à nobis ita amari cupit , vt nullum & nihil præter eum , nisi propter eum , diligamus: sic enim ait apud Mathæum,*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , & ex tota anima tua , & ex tota mente tua.* Marcus addit, *ex tota virtute tua,ex tota fortitudine tua.* Lucas , *ex omnibus viribus tuis.* Quid?non sufficeret dicere, ex toto corde tuo ? cur tot exaggerationes inculcantur , nimirum vt se supra modum Deus nostrarum animarum & amoris nostri zelatorem ostendat.

Exo.34. 14.

Deut.6.5.

Cap.22. 37.

Cap.12. 19.

Cap.10. 27.

Vnde , cùm primum præceptum de dilectione Dei traderet Dominus Hebræis , & ne creaturas adorarent iuberet , sic intulit : *Non adorabis ea,nec coles. Ego sum Dominus Deus tuus,fortis , & zelotes , visitans iniquitatem patrum in filios , in tertiam & quartam generationem,* hoc est , eorum qui amorem mihi debitum in creaturas commutant. Visitat eos Dominus,hoc est, grauiter punit,sicut Centurionē dictum puniuit in seruo , quia nimirum erat illi charus & dilectus.

Luc.20. 5.

Hinc , *Pone me vt signaculum supra cor tuum,vt signaculum super brachium tuum:quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Alij pro signaculo sigillum transferunt , idem quidem est , quasi dicat , signa me in tuo corde,& in tuo brachio : in tuo corde vbi cogitatus & interni affectus sunt , & in brachio vbi opera nostra exteriora exercentur. Solemus autem aliquando sigillare epistolas : nempe scripturas & technas , &c. vt hæc nostra esse constet : tu igitur (ait sponsus)meipsum in tuis operibus, cogitationibus & affectibus signa , vt te meam esse, ô anima, omnibus constet. Non igitur in sola apparentia operationum exteriorum, sed etiam in corde interiùs,nos Dei prorsus esse demonstremus, ubi eius amorem cuncta exteriùs faciendo , & interius cuncta cogitando, & volendo , & amando · & subiugando rationem, *quia fortis est vt mors dilectio , dura sicut infernus æmulatio.* Dilectio Dei fortis est , vehemens,& acris vt mors. Mors omnes vincit, etiam victores omnium hominum fuorum, nec Dauid , nec Samsoni pepercit, qui leones fortissimos trucidabant. æmulatio zelum importat, hoc est,zelus meus, qui vehementiam inuidiæ amoris,non patitur præter me aliū admittere amatorem. quòd si admiseris alium, sicut zelator sponsus punit sponsam & adulterum, ita & ego : dura enim sicut infernus æmulatio , hoc est , zelotypia , dura , seuera , & vindex est in eos qui Deo amanti amando non respondent.

Ego quasi tinea Ephraim , & quasi putredo domui Iudæ. Expendamus similitudinem istam. Tinea vestes rodere,& rerere,& perdere prorsus solet,& eas maximè, quæ à nobis chariores & maiori in pretio habentur, quale est purpureum, & delicatius aliud indumentum, ait igitur Dominus : Ego ero populo Israel velut tinea:quia ea,quæ ipsi cariora & pretiosiora sunt, quæque ipsa ampliùs amat , ego teram & perdam , nec vult enim Dominus aliud secum amatum admittere quod non propter ipsum diligatur. amas inordinatè filium , tollet filium tuum à te , ne amorem Deo ipsi debitum filio reddas. quod manifestè Dominus demonstrauit,vocauit enim Abraham , & dixit ad eum, *Abraham , tolle filium tuum quem diligis Isaac, & offerto illum in holocaustum , &c.* Quid quęso necesse fuit dicere, *quem diligis Isaac,* nónne satis fuerit dixisse, tolle filium tuum Isaac ? Voluit quidem patris dilectionem specialem meminisse,vt tacitè causam innueret, ob quam filium sibi offerre præcipiebat : potuerat enim dicere Abraham: Cur Domine filium , quem tu ipse miraculosè dedisti , & in quo posteritatem mihi promisisti, dicens,*In Isaac vocabitur tibi semen.* Cur , inquam, hunc filium modò à me tollis ? imò & proprijs manibus meis illum occidere iubes?quòdnam peccatum meum, aut filij mei , propter quod illum capite plectendum iudicasti ? Ad hanc igitur tacitam obiectionem sic respondet Dominus , *quem diligis* , hoc est , quia plurimùm amas illum ideo à te mihi præcipio immolari, &c. Vide igitur ne immoderatè filium tu ames , alioquin auferetur à te , quod in reliquis omnibus dictum puta, fi videlicet nimium amaueris diuitias, aut delitias,aut honores,aut vxorē,aut salutē, aut vitā,in diuitijs delitiis, &c. punieris : in his enim rebūs tibi noluit Christus parcere, quarē? vt ostenderet nullam hominis viatoris esse gloriā permanentē in hoc mundo , quamuis ex radice gloriæ veræ ac supernaturalis oriatur.

Exod. 3. *Apparuit Dominus Moysi in flamma ignis, in medio rubi.* Cur quæso in rubo ,& non in alia pretiosiore arbore Deus apparuit Moysi ? v. g. in cedro vel in cupresso,&c. S. Theodoretus, q. 6. in Exod. Nonnulli dicunt Deū in rubo & nō in alia plāta apparuisse, ne quis posset ex rubo Deum effingere ; erat enim verisimile Iudæos hoc ausuros esse , si in alia planta apparuisset. Ita ille. Nunc ad rem, sicut Deus occasionem idololatriæ ab eis hoc pacto auferre voluit , sic etiam negando

negando nobis temporalia bona, idololatriæ spiritualis A
à nobis occasionem aufert, dum nobis temporalia bona
negat: sic enim temporalibus hæremus, sic illa ama-
mus, vt adorare ea videamur; melius autem nobis est
pauperes cælum adire, quàm diuites factos perire.

PROP. XXXI. *Bona temporalia qualiter despicienda sint.*

OVidius,

Pronaque cùm spectent animantia cætera terram,
Os hominis sublime dedit, cælumque tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Vbi differentiam habitus & compositionis hominis
ab habitu & modo incedendi aliorum animalium as-
signauit: non quidem homo, sicut serpens, graditur su- B
per pectus suum, reptans super terram, neque qua-
tuor pedibus graditur, sicut equus & mulus, sed stans
super pedes suos rectus pergit, & erectus, oculos non
in terram defixos, sicut quadrupedia, defert, sed su-
blimis ad sydera prospiciens. at non huius rationem
assignauit Poeta, nimirum non erat Propheta, nec Do-
mini creatoris sensum nouit; ad nos Christianos hæc
pertinet indagatio, cur ad cælum oculos erectos no-
bis dedit Deus: nimirum ipse est, qui dixit: *Thesaurizate*
vobis thesauros in cælo: quid ergo mirum, si vbi est the-
saurus noster, ibi etiam velit & oculos nostros esse? pe-
des verò in terram & super terram ducere nos voluit,
vt quæ terrea sunt pedibus calcanda à nobis esse co-
gnosceremus, & nec oculis aspicienda, sed sicut sursum
corda, sic sursum oculos haberemus: sed tamen plures
reperies qui in corpore erecto, curuâ animam gerunt,
&c. C

PROP. XXXII. *Quàm natura nostra consentaneum sit contemnere bona temporalia.*

IN sacris literis iusti & sancti vocari solent recti
corde, seu recti. *Letamini in Domino, & exultate iusti, &*
gloriamini omnes recti corde, & *Recti diligunt te*, hîc *recti*,
ibi *recti corde* nuncupantur. cur ita? dicam, cor huma-
num non est ex omni parte æqualis figuræ: nam in su-
periori parte amplum & apertum est, in inferiori parte
strictũ & clausum est: igitur pyramidalis figuræ: talis
autem est situs eius in corpore humano, vt pars amplior
& aperta sursum respiciat, strictior terram: & hic est
naturalis situs cordis in corpore humano. Quòd si ali-
quis inter nos esset, qui è conuerso cor ita in pectore
suo gestaret, vt pars illa ampla & aperta respiceret ter-
ram, pars verò stricta & clausa cælum, hic non posset
dici rectus corde, sed tortuosus corde, meritò ergo
iusti recti corde nuncupantur, quia eorum cor respi-
cit cælum ea parte quâ latum & patens est; eâ verò D
parte, quâ strictius est, terram. Nam tale iustorum cor
ad cælestia aspirans, amplitudinem suam in cœlum
protendit, & ad ea quæ cœli sunt, aperitur, ad terrena
verò clauditur, & velut in puncto solo terram contin-
git; econuerso verò peccatores ideo graui corde nun-
cupantur, quia terrestre cor habent, &c.

Præterea iusti dicuntur recti, nam figura naturalis
hominis est pedibus terram contingere, supra caput
verò cœlum solùm habere, iusti ergo qui secundùm
naturam degunt, recti incedunt, quia terram & ea quæ
terrestria sunt, sub pedibus habent, pro nihilo ferè ea
ducentes; quæ verò cælestia sunt, supra caput collo-
cantes maximi faciunt, & in summo pretio habent.
ideo recti dicuntur, quia rectitudinem istam naturalem rectè seruant; peccatores verò non recti, sed curui
dici valent, quia terram supra caput gestant, & cælum
sub pedibus habent, contra naturam nostram quæ ta-
lem peruersionem abhorret. Cùm igitur eo modo, quo
explicatum est, natura cor & corpus nostrum erga cæ-
lum constituerit, consequens est esse secundùm natu-
ram contemptum terrenorum, & amorem cælestium
rerum, & bruta meritò dici possunt hi qui versus ter-
ram oculos & cor conuertunt, cor autem eorum (ait
de his Dauid) non erat rectum cum eo, & *oculos suos* *Psal. 77.*
statuerunt declinare in terram. *Ps. 16. 11.*

De his verò quid Dominus sentiat hieroglyphicè
exposuit *Leu.* 11. vbi inter animantia immunda, & re- *Leuit. 11.*
probata constituitur chamæleon; quid habet chamæ-
leon ad hoc vt reprobetur? Naturales de hoc animali
asserunt nimis tenacem esse, si enim alicui rei adhæreat,
priùs illud in frusta concides quàm euellas: vnde o-
lim antiqui sapientes in symbolum amoris violenti
assumpserunt illud: deinde cor non eo modo habet in
pectore situm sicut cætera animalia, nam omnia par-
tem illam amplam cordis versus caput habent, & par-
tem illam compressam versus terram, chamæleon ve-
rò econuerso, quamobrem chamæleon hieroglyphi-
cum eorum est, qui terrena sapiunt, & ideo à Deo in
lege reprobatur, quia reproborum est non habere cor
rectum cum Deo, & oculos in terram declinare, sicuti
electorum ex oppositio est, ibi corda fixa habere, vbi
vera sunt gaudia.

PROP. XXXIII. *Bona temporalia nimis diligere, exigui animi indicium est.*

QVàm plures in mundo videmus qui maiori sol-
licitudine diuitias terræ, quàm cælestes inquirant, contra id quod Christus Dominus nos apertè
docuit Matth. 6. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in* *Matt 6. 19.*
terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures furantur: the-
saurizate autem vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, nec
tinea demolitur, nec fures furantur. Cur igitur Christianus
qui hæc à Domino audit, relictis cælestibus thesauris,
hæc mundi vilia tota auiditate quærit? Sanct. Petrus *S. Petrus*
Chrysolog. ser. 22. hoc pusillanimitati cordis attribuit, *Chrysol.*
dicens: *Detecta mentis est, qui familiaris rei memmit cùm*
vocetur ad regnum: iacens animus nummulũ thesauris regali-
bus anteponit, paruus sensus paruis incubans perdit magna, &
inhians temporalibus deserit sempiterna. Ita ille.

PROP. XXXIV. *Qui bona temporalia contemnit, omnibus tribulationibus superior euadet.*

QVid est quod populo Israel viam Deus per me-
dium maris aperuit, quâ sicco vestigio iter agere
posset, Petrum verò super maris vndas ambulare fecit?
nónne potuit Deus vel Petro similem exhibere viam,
vel populo Israel ambulandi super aquas tribuere fa-
cultatem? Ita quidem, sed tamen populus Israel diui-
tiis onustus ex Ægypto in terram promissionis perge-
bat; S. Petrus: *Ecce*, dixit, *nos reliquimus omnia, & sequuti* *Mat. 19.*
sumus te, quid ergo, &cæt. Aquæ in literis sacris, tribula- *27.*
tionis symbolum sunt: *Intrauerunt*, ait, *aquæ in animam* *Ps. 68. 2.*
meam, &: *Aqua multæ non potuerunt extinguere charita-* *Can. 8. 7.*
tem: Populus verò Israel tunc eos repræsentabat, qui
bona mundi contemnunt. Petro ergo, vt super aquas
gradiatur, conceditur, quia qui mundi bona contem-
nunt, & cum Petro dicunt: *Ecce nos reliquimus omnia*,
omnibus tribulationibus superiores euadunt, omnes
aduersitates calcant; qui enim diuitias spernit, pauper-
tatem non timet, qui honorem, & salutem, & vitam
contemnit, contumelias, & infirmitates, & mortem
non pauet, at qui prosperitatem amat, quæ aduersita-
tem sapiunt, fugit. Vnde, vt Israel per medias
tribulationes transeat, viam illi complanare oportet;
aliter enim transire non audebit.

Prop. XXXV. *Bonorum temporalium contemptus spem bonorum æternorum parit.*

Isai.18 1. ISai. 18. *Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ qui mittit in mari legatos, in vasis papyri super aquas. Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem expectantem, & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius, &c.*

S Iustin in dial. cõtra Tryphonẽ, & Oecumenius in prologo ad Romanos.

Ad huius loci intelligentiam supponendum est quod Iustinus Martyr, & Oecumenius asserunt, Prophetam hîc agere de Scribis, & Phariſæis Ieroſolymitanis, qui poſt Chriſti paſſionem miſerunt legatos quoquo terrarum, vbi Iudæorum Synagoga reperiretur, monentes, ne Chriſtum ab eis interfectum venerarentur, neque Euangelicæ legi auditum præſtarent, imò vt toto cœlo Chriſticolas perſequerẽtur. Ad hoc igitur in terras nuntios miſerunt, in maria verò naues, quas vaſa papyri vocat, quia ex ligno papyri arboris fabricabantur. Nuncupatur autem Ieroſolyma cymbalum alarum Metaphorâ ſumptâ à cymbalo, quando in conuerſum pulſatur, quod Hiſpanè dicitur, *tener abuelo.* tunc igitur Ieruſalem cymbalum alarum rectè vocari potuit, quippe quòd talem in orbe ſonitum emiſit. Notum eſt quod de rege Hiſpaniæ Ramiro hiſtoriæ produnt: hic aduerſus multos regnicolas & proceres indignatus, multos ad ſe vocauit, vt campanam à ſe mirabilem fabricatam & audirent, & viderent. Qui parentes imperio regis adfuerunt curiæ, & circulo multa magnatorũ capita ſuſpenſa à rege illo viderunt, non ſine ingenti ſtupore, & quia factum hoc mundo longè inſonuit, Cymbalum nuncupauit. Sic quia Ieruſalem in perſecutionem Chriſtianorum tunc ſonitum multum emiſit, *dio vna gran campanada por el mundo*; ideo cymbalum alarum Propheta vocauit. Vel fortè Scribas & Phariſæos cymbalum vocauit, quia ſicut cymbalum alios ad diuina conuocat officia, ipſo foris remanente, ſic hi alios ad veritatis legiſque notitiam & Dei obſequium plures trahebant, foris ipſis remanentibus, vti fecerunt cum Magos in Bethlehem direxerunt, vt Chriſtum inuenirent, & ipſi Ieroſolymis remanſerunt. Væ igitur cymbalo (inquit) alarum; & ſtatim ad Euangelicos prædicatores orationem conuertens, ait: *Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam & dilaceratam, ad gentem expectantem, & conculcatam.* Cur Angelos illos vocet, notum eſt: qui Angeli, cum exercent miniſterium, angelicam debent vitam exercere. ſed cur fideles gentem conuulſam & expectantem dicit? eſt Chriſtianorum genus, auulſum quidem ab vberibus

Iob 28. 9. mundi, nec mirum; *Quem enim docebit scientiam?* ait Propheta Iſai. *auulſum ab vberibus* vel auulſum ad modum arboris, quam ſtatuarius euellit, vt ex illa Sancti conficiat ſtatuam: ſi enim in arbore non euulſa imaginem figuraret, ſtatim creſcens figuram immutaret ac deleret, euulſa verò nullum periculum tale. Sic Chriſtianus auulſus eſſe dicitur, & ideò expectans, imò poſtea bis expectantem dicit, quia ſi euulſus à mundi fuerit rebus, animum & ſpem in Deo collocabit, tum reſpectu bonorum æternorum, tum temporalium: & ideò bis dicitur expectans. Væ illis qui ſic non fuerint auulſi, hi neque ſperantes in Deo erunt, ſed in multitudine diuitiarum ſuarum, & bonorum temporalium, potentiæ, dominii, ſalutis, & roboris ſui, & ſic præualebunt in vanitate ſua.

Hinc primò eſt quòd pauci, quos mundus ſapientes habet, ſe à mundi huius bonis auellunt, ſcientes quam difficile ſit bona illa poſſidere, & Deo

Eccl.13.8. ſeruire, & in eo ſperare, *Beatus*, ait, *diues qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, neque ſperauit in pecunia & theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua.*

Hinc etiam eſt, Deum ſuis dilectis hæc bona denegare, & eos in paupertate & infirmitate, & laboribus multis degentes, ita relinquere, ne bonis huiuſmodi allecti obliuiſcantur Dei, & in bonis ſuis ſpem collocent ſuam.

Actor 16. habetur quod Thyatiræ puella quædam habens ſpiritum pythonẽ obuiauit Paulo, quæ quæſtu magnum præſtabat dominis ſuis diuinando, eius miſertus Paulus præcepit dæmoni, vt exiret ab ea, & exiit eadem horâ. Videntes autem domini puellæ, quod ſpes quæſtus eorum ceſſaſſet, apprehenderunt Paulum & Silam ſocium eius, & duxerunt ad Principes & Magiſtratus, dicentes: Hi homines conturbant ciuitatem noſtram, cùm ſint Iudæi, & annunciant morem, quem non licet nobis ſuſcipere. Apprehenderunt tunc Magiſtratus, & multis plagis eos cæciderunt. Vide quid effecerit hic quæſtus & lucri amor, dæmonem potiùs quàm veritatem Chriſti amabant, & obid tragœdiam illam excitarunt: cùm tamen Deo gratias agere debuiſſent, quòd famulam à dæmone liberaſſet, & viſo tanto miraculo conuerti. Sed nihil minus, ploret enim auarus pecuniam, quàm Deum quærit, ſpes quæſtus, in quo, non vero in Deo ſperabant.

Prop. XXXVI. *Bonorum temporalium poſſeſſio in morte animum pungit.*

SPinis Chriſtus Dominus diuitias comparauit in parabola ſeminantis, quis mihi vnquam credet, ait S. Gregorius homil. 15. in Euangelia, *ſi diuitias ſpinas interpretari voluiſſem: maximè, cùm illæ pungant, ſi delectent; & tamen ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum punctionibus lacerant mentes, & cùm vſque ad peccata pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant.* Ita ille. Hæc autem punctionem in morte præcipuè homines ſentiunt: ſicut enim ſpinæ non in principio, non in medio ſed in fine cuſpidem habent, ſic diuitiæ nunquam vel ferè nunquam in principio, vel in medio vitæ, ſed in fine pungunt, tunc pauperes ſe quàm diuites extitiſſe peccatores affirmant, &c. Idem de cunctis temporalibus eſt dicendum.

Fieri quidem poteſt, vt vitæ curriculo aliquam temporalem vtilitatem, vel conſolationem temporalia ferant, ſed tandem vitâ ſemel peractâ, quid indeſ ſapientis quidem eſt, non initia, non media tantùm, ſed etiam finem conſiderare. Laertius in vita Diogenis refert Diogenem in foro Athenienſi ſapientiam in actionem duxiſſe, nouit hoc rex quidam vicinus, qui ſtatim præfectum ærarij ſui miſit, vt nullo non pretio à Diogene ſapientiam compararet. Tandem hanc ab illum egregiam ſententiam Philoſophus miſit: *In omnibus reſpice finem.* Quam ſententiam rex tanti fecit, vt in veſtibulo aulæ ſuæ ingentibus & præclaris litteris eam ſcribi iuſſerit.

Prop. XXXVII. *Ex bonis temporalibus ſolum illa ſumenda ſunt, quæ neceſſaria practicè ſunt.*

PRima ad Tim. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid poſſumus: habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his cõtenti ſimus.* Alimenta nobis præſcribit Apoſtolus: ſicut ijs qui æreo grauantur, & ſoluendo non ſunt, præſcribi ſolet. debitores Deo ſumus, ideo quotidie clamamus: *Dimitte nobis debita noſtra*, & quidem ſoluendo non ſumus, tot tantaque ſunt debita noſtra, alimentis igitur, & quibus tegamur, his contenti ſimus, & ne inde cauſemur, rationem præmiſit efficacẽ Apoſtolus: *Nihil intulimus in hunc mundum, & nihil ex illo nobiſcum auferemus.* Quid igitur tempus conſumis in his rebus cumulandis, quæ alijs relinquere debes? nónne tibi melius eſt ea congregare, quæ tunc

tunc auferre valebis : omitte ergo bonorum huius mundi superflua, quæ necessaria sunt habe; *alimenta ergo, & quibus tegamur habentes, his contenti simus*; hæc autem simplicia sufficiunt : nam (vt hîc ait S. Anselm.) frigus & fames simplici vestitu, & cibo expelli potest.

Nautæ id curant, ne nauis omnino natet super vndas, ideò partem nauis debito pondere submergi faciunt, non tamen magnam, maior enim nauis pars alta petit, & extollitur super aquas, sic fecura incedit, aliàs si multum sub aquis mergeretur, ad ima dilaberetur, & periret, si verò cum moderamine aquas intrat, fecuriùs procedet. Sic viri iusti & prudentes, dum mare huius fæculi nauigant, non quidem omninò in eo se submergunt, sicut mundani faciunt, qui modum tenere nescientes, se omnino intra mundana demergunt, vnde ad abyssum descendunt æternum suffocati, sed boni ex bonis temporalibus, quod bonum est capientes, ad superiora eleuantur, quæ sursum quærentes, quare fœlici cursu suam peragunt nauigationem.

PROP. XXXVIII. *Bona temporalia inuidiæ hominum patent.*

STobæus : *Fauorinus* (inquit) *homines asseruit, partim esse ridiculos, partim miserabiles, partim odiosos: ridiculos quidem, qui ambitiosè ad maxima aspirant; odiosos, qui ea consequuntur; miserabiles autem, qui spe falluntur.* Ita ille. Ridiculi autem meritò dicuntur, qui velut canes, ore aperto, semper bona temporalia quærunt; quod maximè de nobis Christianis dici potest, quibus proposita sunt bona cœlestia. sicut igitur ridiculi sunt pueri, qui relictis solidis bonis, ludis & puerilibus lusibus vacant, sic & Christiani, qui relictis animæ bonis negotijs secularibus, congerendis pecunijs, & acquirendis honoribus studeant. Deinde vnum è duobus eucnit aspirantibus ad tẽporalia: aut enim ea assequuntur, vel non : si non, semper se inter miserabiles annumerant: si verò illa assequantur, odiosi redduntur, quia statim reliqui, qui hæc etiam appetunt bona, inuident eis, dolentes quod illi assequuti sunt. Dices, quæram mediocria : etiamsi tantùm mediocria bona fueris consequutus, inuidiam aliorum excitabis : quia semper sunt alij qui minus habeant, & hi mediocribus his inuidere solent, &c. quare semper temporalia bona inuidiæ hominum patent, & cætera.

PROP. XXXIX. *De bonis temporalibus qualiter Deo in iudicio rationem reddituri sumus.*

SChrysost. epist. 8. *Diues ille atrocem in modum cruciatur, non solum causa crudelitatis in Lazarum, sed etiam florentis status, quo per omnem vitæ cursum fruens, nec hinc quidem melior effectus est.* Ita ille.

Et ibidem. *Si verus malos suis vrbibus frui, & honoribus affici, & satellitum gregibus stipari, hoc verbum accine, lata est porta, & spaciosa via, quæ ducit ad perditionem, & eos ob hoc ipsum magis deplora, nam qui hic sceleris aliquid perpetrat, ac propterea non modò nullas pœnas luit, sed etiam honorem ab hominibus consequitur, ita discedet vt huiusmodi honor maxima sit illi supplicij materia.* Ita S. Chrys.

PROP. XL. *Bonis ipsis temporalibus nimium amatis solet Deus punire nos.*

IOan. 19. sic Pilatus ad Pharisæos instanter petentes Christum crucifigi : *Regem vestrum crucifigam? Cui illi. Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Pro Cæsare hi Christum Dominum reliquerunt, quid inde? Optimè id expendit Sanctus Basilius in scholiis super Psalmum secundum : Quia Christum regem propter Cæsarem abnegarunt, Deus illis Cæsarem imposuit quem petierant, & per Cæsaris exercitum de illis pœnas impietatis sumpsit. Ita ille. *Et mismo Cesar por qui entrocaron à Dios, se vengò Dios de ellos.* Idem quod de Cæsare, dicendum de bonis temporalibus, quando pro ipsis Deo valedicunt peccatores. dimisit Iudas pro pecuniis Christum, pecuniæ igitur illum suspenderunt, & triginta denarij laqueum illi confecerunt, vt illi dicere possimus, pecunia tua tecum fuit in perditionem; propter honorem. primus homo Deum offendit, & ob id, cùm in honore esset, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. propter delitias & voluptatem subiecit se Dalilæ Samson ; propter Dalilam visu vitaque orbatus interiit, *T asi los mesmos bienes, por los quales, dexan los peccadores à Dios se venga Dios de los peccadores.* *Simile.*

PROP. XLI. *Bonis temporalibus solet Deus remunerare bona opera peccatorum.*

GEn. 15. sic Dominus ad Abraham : *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Hoc dixit Deus Abrahæ statim postquam insignem quandam de inimicis victoriam reportauerat. Curigitur tunc dixit: *Ne timeas?* ante pugnam hoc dicendum videbatur, & non post victoriam partam; quid enim tunc poterat timere? Respondet Nicolaus de Lira ibi secundùm doctores Hebræos : Ex victoria tam excellenti de quatuor regibus timuit, ne foret ex hoc iustitia eius remunerata esset, & propterea dixit ei Deus, *Ne timeas, quia ego merces tua magna nimis.* ita Lirannus. Nimirum, quia solet Deus bonis temporalibus remunerare obsequia nonnulla. *Gen. 15. 1.* *Lira.*

Hinc Luc. 16. sic Abraham ad diuitem ex inferno paululum aquæ postulantem : *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Vnde quæso locus iste? nunquid hic diues non poterat ibi etiam & hîc simul cruciari, cùm esset iniquus, & Lazarus non poterat ibi & hîc consolari, cùm esset iustus? Respondet S. Chrysost. hom. 6. in Epist. ad Hebræos : *Fieri non potest in hac vita, vt malus sit ex omni parte malus, sed potest ipse quoque habere aliqua bona; & bonus sit ex omni parte bonus, sed potest ipse habere aliqua peccata. Vt ergo malus paucorum bonorum accepta hic remuneratione, illic deinde perfectè puniatur, ea de causa hic accipit: at ille est maximè beatus qui hic punitur, vt omnibus depositis peccatis, probatus hinc abeat. Audi igitur Abraham dicentem diuiti, recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala : dicens hîc recepisti, non autem accepisti, ostendit, vtrumque affectum pro debito, & illum cui fuerunt res secundæ, & illum cui aduersæ. Ne ergo tristes simus, cùm videmus peccatores hic bonis affici, & quando nos videmus hîc malè affici latemur: ea enim res peccatorum exsolutio est.* Ita S. Chrys. *Luc. 16. 25.* *S. Chrys.*

PROP. XLII. *Negat & tollit à nobis Deus hæc bona, ne amori Dei amorem eorum præferamus.*

EXod. 27. Tabernaculi Dei structura talis erat, vt illius ianua ad orientem spectaret. Cur igitur potiùs ad orientem quàm ad occidentem? S. Theod. quæstione 60. in Exod. A parte, inquit, orientis ostium tabernaculi Deus apponi iussit, vt Sol oriens quasi modo quodam adorans vestibulum tabernaculi radios suos confestim illuc emitteret, ij verò quibus solùm Deum adorare mandatum erat, à tergo solem haberent, ad tabernaculum conuersi, & ita non Solem, sed Solis Creatorem adorarent. Ita ille. Ne igitur Hebræi Solis pulchritudinem intuentes, ipsum tanquam Deum adorarent, architecturam tabernaculi sic ordinauit Deus, vt Sol primùm exoriens veluti Deum verum in tabernaculo adorans & orans, ipsius tabernaculi fores *Exo. 27. 13.* *S. Theod.*

pulsaret, & Deum eius factorem recognosceret, & ita A intelligerent Hebræi, non esse adorandum quem adoratorem viderent. Hoc ipsum ego de bonis temporalibus dico, splendorem gloriæ mundi, honores, diuitias, & delitias videntes homines neament, imò ne adorent temporalia, propterea ab oculis eorum tollit ea Deus, & quasi à tergo constituit, ne amorem Deo debitum ipsis temporalibus rebus tribuant; ideo parcum se nobis in largitione horum bonorum exhibet Deus.

Simile. Qui viscо venantur aues, cum primùm alis suis viscо adhærent illæ, ad superiora volare nequeunt: sic

S. Aug. ait S. August. serm. 33. de verbis Domini secundùm Lucam: *Amor terrenorum viscum est spiritualium pennarum. Ecce si concupisti, hæsisti: Nolite, inquit, diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt; quisquis dilexerit mundum, non est* B *charitas patris in illo, quia omnia quæ sunt in mundo concupiscentia carnis sunt, & concupiscentia oculorum, & ambitio vitæ: concupiscentia carnis, vxorem dixit; concupiscentia oculorum, quinque iuga boum emi; ambitio seculi, villam emi.* Ita S. Aug. adde: Sicut per illa tria impedimenta priuati illi fuerunt dominicâ cænâ, id est gloria cælesti, sic per has tres concupiscentias terrenorum; sicut enim impossibile est vno oculo cælum videre & alio terram, sic impossibile est, moraliter loquendo, cælum terramque amare.

CARO.

Prop. I. *Caro castiganda ne nos in peccatum inducat.*
2. *Quàm conducat ad veterem & vitam malam commutandam in melius carnis mortificatio.* C
3 *Carnis castigatio ad salutationem animæ & corporis necessaria est.*
4. *Carnis mortificatio quantum animæ prosit.*
5 *Quàm necessaria sit carnis mortificatio ad virtutem obtinendam.*
6 *Carnis mortificatio ad virtutem & sanctitatem consequendam necessaria est.*
7. *Carnis castigatio non solùm religiosis, verùm etiam secularibus necessaria est, imò his magis necessaria.*
8. *Carnis mortificatio pax animæ & Cordis est.*
9. *Ad vincendas tentationes conducit.*
10 *Quàm pernitiosa anima sint carnis delitiæ.*
11. *Caro nostra vehementer pugnat aduersus nos.*
12. *Dum viuimus pacem cum carne non debemus habere, sed assiduum bellum.*
13 *Quàm asperè tractanda sit caro.*
14 *Quàm difficile sit carnem domare.*
15. *Carnis cura moderata esse debet.*
16 *Carnis cura postponenda est animæ curæ.*
17. *Caro in multis deseruire potest spiritui nostro.*

Prop. I. *Caro castiganda est, ne nos in peccatum inducat.* D

SAnctus Irenæus *lib. 3. contra hær. c. 37.* non minus antiquam, ait, esse pœnitentiam & castigationem carnis, quàm peccatum, nam cum primum peccauit Adam, consuit sibi folia ficus, vt faceret sibi perizomata. cur non ex aliis arboribus paradisi folia sumpsit, quæ non ita aspera & ingrata carni essent? neque enim credibile est, non fuisse in paradiso alia suauiora folia. Causam huius esse ait, quia illa erant quæ peccatorem decebant, & ipsi expediebant: Deus autem, qui sic fieri ordinauit, iudicio meo id significare voluit, nobis peccatoribus necessariam esse castigationem carnis, tum ad satisfactionem pro peccato commisso, tum ad præseruationem futurorum.

Dices, amor corporis nostri à natura ipsa & à Deo ipso insitus est. quòd si amandum est corpus, non igitur est affligendum flagellis, ieiuniis, ciliciis, & vigiliis debilitandum. Seneca epistola 14. *Fateor insitam esse nobis corporis nostri charitatem, fateor huius nos gerere tutelam; non ergo nego indulgendum illi, seruiendum nego.* Ita ille, quasi dicat, *tened cuenta con el cuerpo, no seruiendole como esclauo, sino gouernando le come señnor* Quid, inquies, est corpori seruire? vide quo pacto serui famulentur dominis suis, voluntati, imò & voluptati eorum parentes, nihil negantes, sed omnia concedentes; sic etiam nonnulli parent corpori suo secundum eius appetitum & concupiscentiam sua facientes. quod quidem non solùm homine Christiano, verùm etiam ethnico & barbaro indignum est. Audi ethnicum; *Ad maiora*, inquit, *natus sum, quàm vt sim mancipium corporis mei.* Ita Seneca. Et tu Christiane, ad quæ, obsecro, natus es? non legerat Seneca illud, *Factamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Si enim hoc legisset, & sic nos credimus, credidisset, meritò dixisset: *Ad maiora natus sum*, &c. sicut quidem imaginem Dei decet, nosciebat filiationem Dei; non enim legerat, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, neq; nouerat nos ad cœlestia regna peruenire posse: neque enim legerat, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* solum se hominem rationis participem sciebat, & ob id dicebat: *Ad maiora natus sum*, &c. Qui ergo appetitui seruit, corporis sui seruus est: qui autem corpori seruit, multis dominis seruit, cunctis scilicet affectibus & passionibus suis. quòd si nemo potest duobus dominis seruire, quàtò minùs poteris pluribus obtemperare?

Quot autem mala inde sequantur, asseruit Seneca epistola 14. dicens: *Corporis mimicus amor, timoribus inquietat, solicitudinibus onerat, obruit contumeliis, honestum est ei vile, cui corpus carum est.* Ita ille. Primò, inquit timoribus inquietat; timet enim amator corporis sui non solùm mortem, verùm etiam morbos, paupertatem, dolores, famem, frigus, calorem, & labores omnes corporales. Secundò sollicitudinibus onerat, nam sollicitudine magna curat & procurat diuitias, delitias & quidquid ad corporis voluptates spectat. Tertiò obruit contumeliis, quia virum sensualem omnes detestantur, & contumelioſe de rebus eius loquuntur, detrahentes illi & semper obmurmurantes, &c. Denique honestum est ei vile, quia cùm ipse vilis sit, quæ vilia sunt, appetit, & quæ honesta sunt, despicit, & pro nihilo habet, virtutes scilicet & Dei dona spiritualia, & gratiam ipsam pro edulio vt alter Esau, facilè commutat. Vide propositionem 9.

Ne igitur in hæc tam grauia mala incidamus, id saltem præstemus, quod idem ibidem consulit Sapiens. *Agatur*, inquit, *corporis cura, ita tamen, vt cùm exiget ratio, cùm dignitas, cùm fides, mittendum in ignem sit.* Ita ille. Miraris Christum dicentem: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quid mirum, si hoc dicat totius sanctitatis & perfectionis nostræ magister, si Seneca dicat igne corpus esse potiùs comburendum, quàm illicitum aliquid esse ei concedendum? non licet quidem se occidere, licet tamen & decet, & ad id tenemur, corpus prius obiicere tyrannis, vt illud igni tradant, quàm peccare.

Prop. II. *Quàm conducat ad veterem & vitam malam commutandam in melius, carnis mortificatio.*

SAnct. Epiph. in Physiologo sic de serpente: *Serpens cùm senio grauatur, iterum iuuenescere parat. Quadraginta diebus abstinet à cibo, & tandem emollita cute, pertram quærit, per cuius foramen nisu contendens, nititur transire, & ita exuit cutem: quâ depositâ gaudet, atque iterum iuuenescit. Et tu spiritualis homo, si per angustam, & arctam viam, veterem mundi senectutem deponere vis, corpus tuum macera ieiunio: est enim angusta porta, & arcta, qua ducit ad regnum cælorum.*

Prop. III. *Carnis castigatio ad salutionem animæ & corporis necessaria est.*

Matth. 7. *Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam.* Si verba hæc aliquis Sanctorum protulisset, vel ex metu, & pusillanimitate spiritus, vel ex terrore ex dictis Prophetarum incusso, vel fortè ex humore aliquo malancholico, eo enim affici aliquando & Sancti solent, vel quia non adhuc plenam rei notitiam habebant, nec infinitam diuinæ misericordiæ vim penetrarint, vel denique ex hyperbole nimia ad peccatores terrendos ea oriri, fortasse nonnullus dicere auderet; at verba quidem ipsius Dei sunt, de quo nefas esset & blasphemia sic loqui: veritas ipsa est, nec falli, nec fallere potest; ita res igitur se habet, sicut ipse affirmat. Arcta est via, quæ ducit ad vitam, æternam B scilicet; quàm arcta rogatis? dicam.

Alexander ab Alex lib. 2. dierum genialium, c. 20. hoc discrimen inter viam, actum, iterque assignat, quod via est, quæ octo pedibus constat, actus verò quatuor, iter autem duos tantum pedes latitudinis habet. Marcus Varro horum discrimen sic assignat, quòd via dicitur à vehendo, & ideò lata erat, quia per eam merces vehebantur, actus verò quo homines agebant, iter quo ibant, & insuper quartum addit genus itineris, scilicet semita, id est, semis iter, seu dimidia pars itineris, constituitur semita vno tantùm latitudinis pede. Vis igitur nosse quàm arcta via sit, quæ ducit ad vitam? semita est, vnius pedis transuersum tantùm habens, quare in sacris literis frequius semita nuncupatur lex Domini, & via iusti, qua itur ad astra. Psalm. 16. *Perfice gressus meos in semitis tuis.* Vbi Cassiodo. Per gressus, inquit, humanas significari actiones, quibus in hoc mundo, quasi quibusdam passibus ambulamus; C in semitis tuis, hoc est in mandatis tuis, quasi deuotè sequimur, ad cœlestis patriæ munera peruenimus. Ita ille, & Psalm. 22. *Deduxit me super semitas iustitiæ.* Vbi sanctus Hieronymus & S. Augustin. hoc est, deduxit me per semitas mandatorum suorum. Ita illi. Item Prou. 2. *Tunc intelliges iustitiam, & omnium semitam bonam.* Isa. 26. *Semita iusti recta est.*

Qualiter autem semita sit iter in cœlum, nulla meliori & aptiori similitudine explicari potest, quàm ea, quâ ferè ad hoc ipsum vsus fuit Esdras lib. 4. cap. 7. *Ciuitas, verbi gratiâ, est ædificata in loco campestri, plena omnium bonorum, introitus eius angustus, & in præcipiti positus, vt esset à sinistris quidem ignis, à dextris autem aqua alta, semita autem est vna inter eos posita, hoc est, inter ignem & aquam, vt non capiat semita, nisi solummodo vestigium hominis: si autem debitor homini ciuitas in hereditatem, si nunquam antepositum periculum pertransierit, quomodo accipiet ciuitatem suam?* Ita ibi; per ciuitatem, vt ibid. D expressit Esdras, cœlestem intelligit gloriam, per semitam, labores communes vitæ, nos verò laboris virtutis & sanctitatis nunc imaginemur, quia Deus hos nobis proposuit, quibus saluemur, si per hos transire oportet, quia arcta (inquit Dominus) est via, &c. quomodo illuc peruenimus, si per latam vitiorum viam incesserimus? iter igitur & arctum, introitus angustus, & in præcipiti positus, & inter ignem & aquam; inter difficilia, inquam, semita pedalis constituta, quâ gradiendum est. quid quæris latitudines, & amplitudines, qui te dicis salutis æternæ desiderium habere?

Si caro pœnitentiæ acerbitatem sentit, id quidem expedit ei ad gloriam futuram: non enim gloria illa solùm anima potietur, verùm & corpus etiam. Sic S. Thom. 3. p. in addit. qu. 8. art. 3. *Sicut corpus cooperatur animæ ad meritum, ita cooperatur ei ad peccatum, sed propter cooperationem prædictam non solum anima, sed etiam corpus post resurrectionem præmiabitur; ergo simili ratione corpora damnatorum punientur.* Ita ille.

Si rationibus cum carne nobis agendum esset, hac sola eam ad tolerantiam laborum & pœnitentiarum corporalium facilè duceremus, quòd ingens & incomparabile præmium pro suis laboribus repositum illi sit.

Vidit Ezech. c. 1. Cherub quendam in pariete templi depictum duas facies habentem, alteram hominis, alteram verò leonis, & ante faciem illam leonis erat palma, & ante faciem hominis palma. Quid Cherub iste significat? quid vtraque facies? quid palmæ? Cherub Hebræum nomen est, & idem significat, quod quasi pugnans, quod viro iusto conuenit; hic enim rebellione carnis mortificans, & iciunijs, ac pœnitentiæ asperitate domans, quasi pugnans dicitur, quia ad modum pugnantium in bello se gerit, carnem quasi inimicam puniens & in seruitutem redigens. hic talis Cherub duas præfert facies, alterâ leonis, quia ad hoc, vt carnem suam quis sic mortificet fortis sit oportet, & constans: fortior enim est qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia. Habet tamen nihilominus faciem hominis, qui tanquam verè homo dolorem & asperitatis aculeos sentit; neque enim fortitudo eius fortitudo lapidis, neque caro eius ænea est, dolet, sed mortificationem non ideò cohibet, mortificat carnem, sed nihilominus dolet. habet autem ad vtramque partem palmam; quia ex eo quòd fortis eius anima est ad carnem macerandam, & subdendam spiritui palmam recipiet, ex eo autem, quòd caro sic subditur rationi, & patitur propter iustitiam, palmam etiam consequetur. Patienter igitur te habeas, ô caro, tecum enim quasi libertatem habente, loquor: sustine viriliter, quia salua tibi sunt præmia tua, palmam habebis, gloriam scilicet corporis corporeis dotibus mirè condecoratam. Quam autem comparationem habet mortificatio tua cum ista palma & gloria? mortificatio perexigua & naturalis; gloria verò magna supra modum & supernaturalis, mortificatio tua breuis, nec enim vitæ breuitatem excedere potest, gloria verò præmium æternũ. Quòd si ergo momentaneum & leue tribulationis tuæ æternum gloriæ pondus operatur in te, quid ni patienter agas & viriliter sustineas in hac breui temporis duratione?

S. Chrys. hom. 1. ad populum: *Timotheus discipulus Pauli deliciis sic afpernabatur, & lautam mensam, vt in morbum caderet ex victus asperitate, & ieiunio nimio; quòd enim naturalis non esset, sed ieiunio & potu aquæ stomachi vim prostrasset, Paulum hoc diligenter manifestantem audite, non enim simpliciter scripsit ad eum,* Vino modico vtere, *sed prius dixit,* Noli, adhuc aquam bibere; adhuc, *verbum est significantis, quòd eò vsque aquam bibebat, & propterea imbecillis factus esset. Quis ergo non admiretur eius disciplinam: ipsos attingerat calos, virtutis consummauerat cursum, quòd ipsi Præceptor attestatur.* Misi, inquit, vobis Timotheum, qui est filius meus dilectus & fidelis in Domino. *quando autem Paulus ipsum vocat filium, & filium dilectum & fidelem, hæc verba omnem eius virtutem demonstrare sufficiunt, non fuisset tam beatus Timotheus, si Pauli filius à natura fuisset, quàm nunc est admirabilis: quoniam secundum carnem nihil ad ipsum attinens, per cognationem, quæ est secundum religionem, in ipsius se adoptionem induxit, cum sedulitate disciplinæ illius characteres in omnibus seruans. Sicut enim vitulus tauro coniugatus, sic iugum cum illo trahebat vbique terrarum, & nihilo propter ætatem deficiebat, sed studium, vt cum laboribus Præceptoris contenderet, præstabat. Et horum testis est ipse Paulus sic dicens,* Nemo ipsum contemnat, opus enim Domini operatur sicut & ego. *& mox, ne hoc ad gratiam dicere videatur, ipsos auditores filij virtutis testes facit, sic inquiens:* Probationem ipsius nostis quòd tanquam patri filius, sic mecum

Chrysost.

1. *Tim.* 5. 13.

1. *Cor.* 4. 17.

1. *Cor.* 16. 10.

seruierit in Euangelio, experientiam vos cepistis A virtutis ipsius, & probatæ animæ. *Veruntamen cum ad tantam officiorum altitudinem ascendisset, neque sic considerabat, sed in certamine, & in timore erat, ideoque cum iustantia ieiunabat, neque illud passus est, quòd multi, qui decem tantùm, vel viginti menses ieiunio se tradentes, repente dissoluunt omnia; sed ille nihil tale passus est, neque intra seipsum dixit: Quid mihi denique opus est ieiunio, victor euasi, cupiditates superaui, corpus meum mortificaui, dæmones terrui, leprosos mundaui, mortuos resuscitaui, quid mihi amplius ieiunium, & vlterior cautela? nihil tale dixit, nec cogitauit, sed quanto magis innumeris affluebat meritis, tanto magis timebat, & tremebat.* Ita S. Chrys. & subdit.

Et hanc à Præceptore disciplinam discebat, etenim ille in tertium raptus cælum, & auditis ineffabilibus verbis, & cum talium mysteriorum particeps factus orbem totum percurrisset, tanquam alis quibusdam fultus, ad Corinthios scribens, dicebat; *Castigo corpus*
1. Cor. 9. 27. *meum, & in seruitutem redigo, &c.* & subdit, *Vereor ne forte* B *cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Paulus post tot & talia officia timet, qui dicere potuit, *Mihi mundus*
Gal. 6. 14. *crucifixus est, & ego mundo*, quantò magis nos timere oportet, & eò magis quantò maiora fuerimus beneficia consequuti.

Deinde assignat Sanctus Chrysost. causam, quare Paulus & Timotheus, & qui magna gratiarum beneficia à Deo sunt consequuti, corpus mortificare debeant; & semper cum maiori timore, & tremore suam salutem operari, dicens: *Tunc enim diabolus sæuior efficitur, tunc magis efferatur, cùm videt nos cum diligentia vitam nostram disponentes, cùm viderit virtutis onera composita, & magnos aceruos, tunc grauius inferre naufragium studet.* Ita S. Chry. Vbi per verba illa, *virtutis onera*, alludit ad piratas, qui tunc accuratiùs nauem inuadunt, cùm eam maioribus diuitiis refertam esse norunt. Et subdit aliam causam, cur dæmones potiùs C potiores & sanctiores viros inuadant, dicens: *Vilis, & abiectus homo, etiam si ceciderit, non tantam cladem infert communi vitæ; virtute tamen clarus & omnibus manifestus, & qui omnibus admirationi habeatur, quando tentatus ceciderit,*
Simile. *magnam ruinam facit, & iacturam, non tantùm quoniam ex alto cecidit, sed quia alijs multis scandalum est, & sicut in corpore alio quidem membro corrupto non magnum est damnum, capite verò læso totum corpus inutile redditur, sic & in sanctis, & magna meritis dicendum est, cùm maculam admiserint: reliquum enim corpus intolerabile patitur detrimentum. Hæc omnia nota habens Timotheus, vndique se muniebat.* Ita Sanct. Chrysost. Idem dicendum de Paulo, &c.

Aliam possumus adhibere causam corporalis mortificationis, & castigationis, propter contumaciam
Rom. 7. 23. scilicet carnis, dicente Apostolo, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem*
Anselm. *me in lege peccati. Infœlix homo; quis me liberabit de corpore mortis huius?* Vbi S. Anselmus: Video alam legem, id est, peccati pruriginem, vt in auribus ad audiendum illicita, in oculis ad concupiscendum, &c. & nota ver- D bum illud, *captiuantem*, id est, quasi vim inferentem: licèt enim libertatem non tollat, impellit ad peccata, quasi per vim nimiam alliciendo animum ad consensum. Quòd si tantus Apostolus, maximis Dei donis spiritualibus affectus, magister orbis, & qui, ipso attestante, primitias Spiritus habebat, tantam corporis repugnantiam patiebatur, vt exclamare cogeretur, & dicere, *Infœlix homo*; quid nobis de nobis fatendum? qualis itèerit in corporis castigatione adhibenda cura?

Prop. IV. *Carnis mortificatio quantùm animæ prosit.*

Mat. 4. 3. ACcuratissimè procurat hostis nos à pœnitentiis corporalibus auocare, vt in prima Domini tentatione patet, *Dic vt lapides isti panes fiant*, hoc est, cur tantâ consumeris pœnitentiâ, & immoderato ieiunio maceras corpus tuum? sufficiat præteritus labor, impone pœnitentiæ finem. Hoc ait S. Antonius de Padua voluisse tunc hostem: lapides duræ pœnitentiæ in panes delitiarum satagit commutare, compassionem erga nos simulat, qui damna nostra quærit: sicut pessimus quidem hostis Hebræorum, nomine Triphon, vt Ionatham ducem populi Dei caperet, & perderet, se illius amicum simulauit (narra historiam.) *Credatur* (inquit) *illi Ionathas, &c.* & inde eius perditio ortum habuit. Sic dum negotium nostrum hostis agere videtur, nostram damnationem operatur, nimietatem pœnitentiæ accusat, numquam verò voluptatum. Cur, inquit, sic plus æquò carnem tuam torques? nunquam autem dicit; Cur tam superfluis cibis, & potibus, & vestimentis, & lusibus, & vanitatibus vteris?

Quid igitur nobis agendum? quod egit Christus Dominus, qui nullo modo voluit illi assentiri, sed in ieiunio suo perseuerauit, vsquequo Pater cœlestis illi cibum misit, numquam de carne fidas.

Vidit Saul potuisse Dauidem illum interficere, si voluisset, noluisse tamen, quantumuis tunc Saul eum ad mortem vsque persequeretur: quare in hæc verba prorupit Saul: *Iustior tu es quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala, &c.* hæc quidem verba securum reddere videbantur Dauidem, ipse verò minimè se credidit Sauli. Vnde subdit Scriptura: *Abiit Saul in domum suam, & Dauid & viri eius ascenderunt ad tutiora loca.* cur quæso Dauid quoque non abiit in domum suam? siquidem iam pacatum sibi videret inimicum, nimirum, quia non ita facilè credere [illegible]bet homo inimicis suis. Inimica est animæ caro: nunquam ergo se carni anima credat, &c.

Prop. V. *Quàm necessaria sit carnis mortificatio ad virtutem obtinendam.*

LEuit. 1. sic Deus ad Moysem de auium sacrificio C agens: *Confringet sacerdos ascellas eius, & non secabit, neque ferro diuidet eã, & adolebit super altare, lignis igne suppositò.* Quid ad sacrificium holocausti hæc alarum confractio? Hisichius ibi, holocaustum hoc eorum esse ait, quise Deo dicant, iuxta id Apostoli ad Rom. 12. *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum: Ergo* (ait Hisichius) *placens sacrificium Deo, corporum nostrorum mortificatio est.* Ita ille. Quid autem sibi vult, *ascellas frangere?* Hisichius: *Quas oportet membra conterere, & affligere eum qui Deo sacrificium fieri cupit.* Ita ille. Attendant hoc religiosi, hanc enim carnis mortificationem speciatim exigit religionis status, cuius est perfectionem profiteri, primus autem ad perfectionem gradus est mortificatio carnis.

Prop. VI. *Carnis mortificatio ad virtutem & sanctitatem consequendam necessaria est.*

TAm pictor, quam sculptor imagines conficiunt. Pictor super tabulam rasam depingens colores coloribus addit, at sculptor non addendo, sed adimendo, ex aliquo trunco statuam facit. Duo sunt in nobis, quæ hunc duplicem modum pingendi requirunt, anima, scilicet, & corpus: anima quidè (vt ait Philosophus) est tanquam tabula rasa; vt igitur in ea Dei imaginem perficiamus, addendo procedere debemus, addendo, inquam, habitum habitui, & virtutem virtuti: at corpus perfici debet adimendo, tollendo scilicet, eius crassitiem: est enim velut truncus quidam vitiis abundans, *Gal. es vn tronco de arbol lleno de nudos y racas. Omnis enim sensus* 11. *& cogitatio eius ab adolescentia sua prona est in malum*, tollendo igitur malitiam cogitationum, & superfluas passionum, sanctitatis effigiem fortietur.

Prop. VII.

PROP. VII. *Carnis castigatio non solùm religiosis, verùm etiam secularibus necessaria est, imò his necessaria magis.*

SAnctus Chrysost. lib. 3. aduersus vituperatores vitæ monasticæ: *Etenim cùm Christus dixit:* Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, *non monachos tantùm alloquitur, sed & omne prorsùs hominum genus. Item cùm iubet per angustam portam ingredi, non istos modò, sed omnes omnino homines hoc imperio conuenit; cùm verò odio habere animam suam in hoc mundo, atque cætera huiusmodi iubet, nullum hominum genus excepit.* Ita S. Chrysost. Hoc dictum sit pro his, qui ad monachos pœnitentias corporales pertinere credunt, quasi non maiori munimine sæculares, quàm regulares egerent. Sicut enim qui in platea, dum tauri agitantur, existunt, cautiores esse oportet, quàm illos qui super tabulatum sedent, quia maius illis periculum imminet sic qui in sæculo sunt, in maiori sunt periculo constituti, quàm qui in monasterio versantur.

PROP. VIII. *Carnis mortificatio pax animæ & cordis est.*

PRou. 3. de virtute sub nomine Sapientiæ: *Viæ*, inquit Salomon, *eius viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ.* Per vias, quibus graditur virtus, præcepta intelligit, secundum id: *Viam mandatorum cucurri.* Per semitas, consilia, & quæ in lege nostra strictiora sunt. Duo igitur Sapiens inquit. Primum, *Viæ virtutis pulchræ sunt*; quænam pulchritudo hæc? nam pulchritudo de corporibus propriè dicitur, vel de corporum imaginibus sicut & deformitas. homo hic pulcher est, ille deformis, imago hæc formosa, illa turpis, & cæt. ita est, sed metaphorâ ex rebus corporalibus desumptâ, etiam pulchritudo moribus attribui potest: pulchritudo autem, in quadam debita partium proportione consistit, vti commentator Arist. Auerroes adnotauit. 7. Phys. c. 18. & alij Phil. Si enim frons promineat, oculi verò profundi sint, quamuis in se frons pulchra sit, & oculi per se pulchri, faciem deformem reddent, & sic de partibus aliis, quarum tanta exigitur ad pulchritudinem proportio, vt vel vnius improportio totum corpus deforme reddat: sic igitur in moribus nostris, quamuis quis aliquas, imò & multas actiones bonas habuerit, si aliquod malum fuerit operatus, omnem morum bonorum pulchritudinem detrahet. Hinc intelligitur illud, *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Quid ita? quia abstulit illam proportionem communem omnium actionum, & viarum virtutis, & sic abstulit pulchritudinem, & per consequens statum debitum virtuti: omnes enim *viæ eius pulchræ*, ob proportionem scilicet, quæ ex omnibus simul sumptis resultat.

Secundò, Et omnes semitæ eius pacificæ, id est, strictiora virtutis, qualia sunt illa, quæ Christus dixit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucē suam. Beati pauperes spiritu*, ideſt contemptores temporalium opum: *Beati qui lugent*, hoc est, pœnitentes, &c. hæ semitæ strictæ virtutis sunt. do huiusmodi ergo ait, pacificas esse: pacificum autem idem est, quod pacem faciens. Quo ergo pacto semitæ virtutis, mortificationes scilicet cordis, & corporis pacificæ dici valent, cùm potiùs intestinum bellum ferant? quia tunc spiritus concupiscit aduersus carnem; & caro aduersus spiritum, quod in his, qui suos sequuntur affectus, minimè reperitur: magno enim hi gaudio, & magna fruuntur pace. Quomodo ergo semitæ virtutis pacificæ sunt? fateor, bellum contra carnem huiusmodi semitæ secum ferunt, sed bellum hoc pacificum est, sicut bellum quod rex aduersùs infideles infestos gerit, pacificum dici potest, quia bellum ipsum ad pacem, & securitatem ordinatur. Nulla enim regnum pace frui potest, nec securitate perfecta gaudere, nisi de medio, vel de confinibus suis inimicos tollat; sic nisi spiritus carnis appetitus subdiderit sibi, pacem & securitatem spiritualem & Christianam habere non poterit. At dices, si non spiritualem sic habuerit, habebit tamen corporalem, voluptatibus fruens iuxta appetitus exigentiam. Quid hanc tu pacem vocas? captiuitatem potiùs, seu miseram seruitutem dicere debuisses? Habētne pacem Christianus, qui apud Turcas captiuus est, quamuis ille voluptatibus sit delinitus? captiuum sensualis ducit spiritum, qui rex in homine constitutus est, captiuus in peccatoribus est, quomodo ergo pax? illam ego pacem dixerim, quæ carnem spiritui subditam habet. Audi Augustinum. lib. 1. de ser. Domini in monte, c. 2. exponens illud Matt. 5. *Beati pacifici*, &cæt. *Pacifici(ait) in semetipsis fiunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subiicientes rationi, id est, menti, & spiritui, & carnales concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei, in quo ita sunt ordinata omnia, vt id quod est in homine præcipuum, & excellens, hoc impetret cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisque communia, atque ipsum quod excellit in homine, id est, mens & ratio subiiciatur potiori, quod ipsa veritas vnigenitus Dei filius est. & hæc est pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, & hæc vita consummati perfectique sapientis.* Ita S. Augustinus. quare meritò Sapiens de Sapientia dixit, hoc est, de perfecta virtute, *sim.ta eius pacificæ.*

Similo.

Matt. 5. 9. S. August.

PROP. IX. *Ad vincendas tentationes conducit.*

SAnct. Nilus de octo vitiosis cogitationibus: *Sicut obtruncatus hostis nemini terrorē incutit, sic etiā corpus per contentiam domitum, animam non perturbat.* Ita ille. Per continentiam intelligit abstinentiam: sed id ipsum dicendum est de quauis corporis virtuosa castigatione flagellorum, & cilicorum, & vigiliarum & duritiei lecti.

S Nilus.

PROP. X. *Quàm perniciosæ animæ sint carnis delitiæ.*

GEnes. 21. *Cùm vidisset Sara filium Agar AEgyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Ejice ancillam, & filium eius*, &c. Magnus Saræ rigor esse iste videtur, quid enim mirum quòd pueri sic ludant? hic delicientur? itāne propter hoc solùm eiicienda est Agar, quæ iam vxor secunda erat Abrahæ, & eiiciendus Ismaël, qui legitimus erat filius eiusdem Abrahæ? ita quidem, & Deus ipse Saræ consilium approbauit. Cùm enim durè acciperet Abraham quod Sara dicebat, facta est vox Domini ad Abraham dicentis: *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua; omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Quid igitur mali lusus ille continebat? Apostolus Paulus huius rei mysterium indicauit ad Galat. 4. dicens: *Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera; sed qui de ancilla, secundùm carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta.* Ex loco isto constat Isaac spiritus formam tenere, Ismaël verò carnis; lusus ille Ismaëlis cum Isaac lusum carnis cum spiritu significabat; ludit autem cum spiritu caro, quando caro suis blanditiis, ac delitiis delinire, & mollem reddere spiritum contendit; blanditiæ verò istæ persecutiones aduersùs animam sunt. Quapropter subdit Apostolus, ibidem: *Quomodo tunc is qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita & nunc.* Ecce ludum illum persecutionem vocat Apostolus, quia tunc caro spiritum nostrum persequitur, cùm ad voluptates & delitias suas

Gen. 21. 9.

Ibid. 12.

Gal. 4. 22.

suas trahit. Obseruatio & expositio hæc Origenis est hom. 7. in c. 21. Gen. dicentis: *Si ergo eius personam gerit Ismaël, qui secundùm carnem nascitur, spiritui blandiatur, qui est Isaac; huiusmodi ludum carnis cum spiritu persecutionem iudicat Paulus.* ita Orig. Ideo igitur eiiciendum seu reiiciendũ esse Ismaëlem asserit Dominus, quia blandimenta homini, quæ ex Agar nascuntur, (hoc est ex carne) reiicienda sunt tanquã in animam persecutiones.

Origen.

S Bern. Ponderat S. Bern. serm. 3. in natiuitate Domini tempus natiuitatis Christi, quòd scilicet fuerit in asperiori tempore totius anni, & ait: *Hyeme, & nocte natus est Christus. nunquid credimus casu factum, vt in tanta aëris inclemẽtia & in nocte nasceretur, cuius est hyems & æstus, dies & nox? non eligunt cæteri paruuli hæc quando nascuntur, quibus quippe nullus sit rationis vsus, nulla eligendi libertas; Christus tamen, etsi puer erat, & Deus erat & eiusdẽ cuius nunc est sapiẽtia & potẽtatis. Nascituras itaq; Dei filius, in cuius arbitrio erat, quodcumque vellet eligere tempus, elegit quod molestius erat, præsertim paruulo, & pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad inuoluendum, præsepe ad reclinandum, & cùm esset tanta necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem. Non est tale iudicium mundi; aut iste fallitur, aut mundus errat; sed impossibile est diuinam sapientiam falli, Christus autem, qui non fallitur, elegit quod molestius est carnisid ergo melius, id vtilius, id potius eligendum, & quisquis aliud docet, vel suadeat, ab eo tanquam à seductore cauendum.* Ita S. Bern. Vnde conuersus ad mundi amatores idem S. ibidem ait: *Christus eligit quod salubrius iudicat, vos eligitis quod reprobat ille; quis prudentior è duobus? cuius iudicium iustius? cuius sententia samor? ipse est paruulus, qui, vt ait Esaias, scit reprobare malum, & eligere bonum: malum ergo voluptas corporis, bonum verò afflictio est.* Ita ille.

S. Bern.

Ioan. 12. Ioan. 12. Vitam corporalem vocat Dominus animam, quam illi amare dicuntur, qui carnis curam nimiam habent, & indulgent, corporis deliciis vacantes, hi perdent vitam corporis, & similiter animæ.

Vnde rectè S. Bern. serm. 10. in Psal. *Qui habitat*, ait: *Dicunt nobis carnales homines, crudelis est vita vestra; non enim parcitis carni vestræ. Esto, sed in quo ei magis parcere poteramus? sed simus crudeles interim non parcendo, at vos placendo crudeliores; siquidem, & caro nostra nunc requiescit in spe. Videte vos interim quid vestram maneat in futurum.* Ita S. Bern. & meritò: qui enim pro Christo corpus mortificant, & carnem suam crucifigunt cum vitiis suis, magnam inde mercedem sperant: qui autem deliciis vacant, quid inde sperant? audi quid de Babylone & mundo dicitur à Deo Apoc. 18. 7. *Quantùm glorificauit se; & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Ecce, ecce, inquam, delitiarum, & superbiæ mundanorum præmium, & mercedem.

Fugiunt dæmones à præsentia crucis Domini, veluti canes cùm vident baculum quo vulnerati sunt; vnde sic ad eos Ecclesia: *Ecce crucem Domini, fugite partes aduersæ.* Eademque ratione nos cruce signantes dicimus: *Per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.* Hinc S. Chrysost. oratione in adoratione S. Crucis: *Crux armatura Domini est insuperabilis.* & addit: *Vides quomodo Rex cælorum milites suos armat? Non dedit scutum, non galeam, non arcum, non thoracem, sed quod his omnibus firmius, & valentius præsidium est, hoc gladius est, hoc clypeus, hoc galea, hoc thorax, hoc propugnaculum tutum.* Ita ille. *Armamur autem cruce Christi, cum Christum crucifixum imitamur, & carnem nostram cum vitiis suis crucifigimus: & bostis sicut horret Christum crucifixum, sic etiam horret Christianum eo modo crucifixum.*

Chrysost.

1. Pet. 4. 1. Imò sola crucis Christi, & passionis eius cogitatio dæmones, & tentationes fugat. Audi Apostolum Petrum: *Christo in carne passo & vos eadem cogitatione armamini*: non dixit, *eadem passione*, vel *cruce*, sed *eadem cogitatione*: quam enim tentationem peccandi non vincet, qui attento animo Deum pro peccatis nostris crucifixum confiderat? Vnde Hugo Cardinalis locum hunc Petri exponens, ait: *Sola memoria seu cogitatio passionis & crucis Christi, maxima est fortitudo, & armatura contra dæmonis potentiam.* Ita ille, & addit hanc sancti Bernardi sententiam, quam priùs protulit Origen. lib. 6. in epist. ad Romanos. *Tanta est virtus crucis Christi, vt si mente fideliter habeatur, continuò ad solam memoriam eius totius peccati fugetur exercitus.* Ita Hugo & S. Bern. & Origenes.

PROP. XI. *Caro nostra vehementer contra nos pugnat.*

SAnct. Chrysost. tom. 5. serm. ad concubinarios: *Sanctus Iob, cùm omnem transcenderet virtutem, ex omnibus diaboli retibus extractus, tantam fortitudinem demonstrauit, & omne ferrum, & adamantem suâ continentiâ prætergressus, subneruauit omnem diaboli potestatem, sic veritus erat omnem pugnam: hic, inquam, tantus, non solum à cohabitatione virginis procul seipsum, sed ab aspectu prorsus, & occursu subduxit, & legem posuit oculis suis omnino in virginem ne respiceret quidem. Sciebat enim manifestè quòd non solum cohabitantem, sed & videntem curiosè in faciem virginis, difficile sit, effugere damnum, quod oritur inde.* Propter quod & dicebat, ne cogitem quidem de virgine. *quod si parum videtur tibi Iob ad certamen, quamus reuera nec fœtercore illum digni simus, licèt, inquam, minus tua magnanimitate puros hoc exemplum, cogita vocalissimum præconem veritatis, qui totum circuit orbem, & dicere potuit verba illa multa sapientiâ plena: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus, & iterum, Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Post tantam spiritus gratiam, post tanta certaminum specimina, post tam innumera pericula, post tam exima sapientiæ studium, declarat nobis, quòd donec carne hac circumdati fuerimus, certaminibus nobis opus est, & laboribus: hoc enim trophæum parandum sic dicebat:* Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne, dum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar. *Hæc autem dicebat declarans seditionem carnis, & concupiscentiæ rabiem, prælium continuum, vitam semper in agone constitutam.* Ita S. Chrys. Obseruat igitur Iobum, ideo nec aspicere mulierem voluisse, quia vim & potentiam carnis agnoscebat, & Paulum eadem ratione castigasse corpus suum, quamuis Apostolum se & diuinâ gratiâ præmunitum videret.

Notabilis est illa sententia Iob c. 7. *Militia est vita hominis super terram*; vbi obseruandum est, haud dixisse in vita hominis aliquam vel multas militias esse, sed vitam ipsam in se & intimè in suo esse, & in natura ipsa suâ, militiam esse: & meritò, quia vita nostra in vnione animæ & corporis consistit, & in hac ipsa vnione bellum imminet singulare, atque perpetuum: nam, vt ait Apostolus ad Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæ cumque vultis, illa faciatis.* Cùm igitur vita nostra consistat in vnione animæ & corporis, *este embraço de alma y cuerpo*, in hoc intimo amplexu, & amplexus hic ad luctam & pugnam sit, meritò non in vita militiam, sed vitam ipsam militiam esse dixit.

Mira quidem hæc & stupenda militia est, imò valde periculosa, ac pertimescenda. Primò, quia in aliis militiis alius est, qui offendit, alius qui se defendit: at in militia ista aduersarius sum egomet mihi, ego interior mihi exteriori, & ego exterior mihi interiori, *el yo de alla dentro hace guerra, al yo de aca fuera, y el yo de aca fuera al yo de alla dentro*; quomodo ergo me à me liberabo? quomodo ego à me cauebo? Quando inter se duo aduersantur, non semper pugnant, non semper adoriuntur, &c. at caro, & spiritus semper in acie sunt, semper amplexati ad luctam hanc periculosissimam, non

non licet vsque ad mortem ab inuicem recedere , non licet inducias exquirere, imò eo ipso quod hi duo inimici , vel ad momentum ab inuicem separentur, mors intercedat oportet:iuge , perpetuum , & assiduum bellum est. præterea difficilis victoria requisita ex parte animæ , quia contra inimicum dilectum bellum gerit,& ab inimico facilè vincetur , etiam fortissimus homo,quis Samsone fortior , qui leones fortissimos discerpebat ? & tamen à Dalila muliere illa debili victus & in hostium manus traditus fuit , &c. Vide quàm facile sit ab inimico amaro vinci;caro inimica animæ est,at inimica dilecta.ait enim Apost. Ephes. 5. *Nemo vnquam carnem suam odio habet, sed nutrit , & fouet eam.*pondera,*fouet eam,* solemus autem dicere , *quien su enemigo popa,a sus manos muere.* si ergo victoria contra inimicum difficilis , victoria contra carnem,valde ab anima dilecta , nónne tibi ardua atque difficilis videtur?

Adde bellum hoc de re grauissima esse ; non enim hic de diuitiis,vel de honoribus,vel de dominio mundi agitur,sed de Regno cœlorum, de gloria sempiterna,de inferno,& gehenna illa horrenda,& in æternum duratura ; caro igitur dum concupiscit aduersùs spiritum , tandem nos à gloria deturbare , & in infernum ducere conatur.O bellum verè tremendum! &c.

Denique militia hæc ex parte carnis efficacissima est:vim enim maximam animæ insert , acriter pugnat aduersus animam. Audi Apostolum ad Rom.7. *Infœlix homo,quis me liberabit de corpore mortis huius ?* in persona propria, ait Sanctus Anselm.loqui Apostolum hîc : O me infœlicem ! quid ita sanctissimæ Apostole Christi, tu qui bellum aduersus omnem creaturam indixisti, ad Rom.8. *Quis nos,* inquit, *separabit à charitate Christi? tribulatio ? an angustia ?* & cur igitur modo exclamas, times,ingemiscis,quid sentis? *Sentio*(inquit)*aliam legem in membris meis , repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* hoc est, sentio carnis meæ bellum aduersùs animam,suis affectibus ita repugnantis rationi mentis meæ,vt me maxima quadá vi ita oppugnet, vt videatur iam iam animam meam captiuare , & in damnationem ducere , nisi me gratia Christi manuteneret,&c. Quòd si Apostolus ille sanctissimus , & fortissimus , ita in hoc bello aduersùs carnem gemit , & timet , quid de nobis erit debilibus , ac miserabilibus peccatoribus,&c?

Quando aliqua Christianorum arx expugnatur à Turcis,& in arce sunt aliqui Turcæ captiui , illi priùs vinculis alligantur , ne ipsi interiores hostes hostibus exterioribus admiculo sint. Hostis animæ dæmon est,& etiam caro nostra , ille exteriùs nos tentationibus oppugnat: caro verò interiùs affectibus suis ; ne igitur vna concurrant dæmon & caro , oportet semper carnem domare ieiunio , vigiliâ , & pœnitentiis alijs, ne dæmoni fauere possit.

Publius Mimus : *Inimicum quamuis humilem docti est metuere.* Ita ille:cui causam huius dedit;*Etiam*(inquiens) *capillus vmbram suam habet , vmbra quidem metus causa est.* Voluit igitur asserere, nullum esse inimicum , qui non habeat aliquid , propter quod timeri possit ; si ergo parui inimici ita timendi sunt , quid de huiusmodi magnis inimicis dicendum est ? quod igitur maximè mirandum est , qui ab huiusmodi inimicis horrendis scil.diabolo & carne victi sunt;& in eorum potestatem & obsequium redacti, hi sunt , qui minùs eos timent, *por que les parece que los tratan bien ,* quasi eorum tyrannidem propter hoc sæculum , & non propter æternum timere deberemus.

PROP. XII. *Dum viuimus, pacem cum carne non debemus habere , sed assiduum bellum.*

CReauit nos Deus ad delitias quidem , & non ad labores,ad pacem, non ad bellum ; sed non est hîc & nunc locus , vel tempus delitiarum , sed laborum: æternitatem Deus ad delicias assignauit , tempus verò vitæ huius ad illas æternas delitias promerendas. At dices ; quonam pacto sunt delitiæ huiusmodi promerendæ? Oraculum Christi habes : *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* , hoc est , eo modo expugnandum est regnum illud cœlorum, sicut expugnantur regna mundi. Vide milites , quid agant , induunt arma,arripiunt clypeos,& hastas, vel strictis gladijs in acie pugnant,& dum à conflictu cessant , excubias obseruant ; armati recumbunt , imò hastis innixi stantes vigilant , &c. partá verò victoriá tunc pace , gaudio , quiete , diuitiis & delitijs gaudent, & fruuntur: sic regnum cœlorum vim patitur , hoc armis expugnandum est. Nimirum vidit Ioannes Apocalyps. 21. ciuitatem illam cœlestem , quæ habebat murum magnum , & altum ; rogo , quid cum illa ciuitate murus hic magnus , & altus ? in nostris ciuitatibus nos muris huiusmodi egemus;qui inter hostes versamur : at ciuitas illa Ierusalem,hoc est,visio pacis nuncupatur , quia ibi nihil præter pacem videtur , ad illam nullum tormentum bellicum pertingere potest , nullus accedere hostis,ad quid igitur murus ille altus ? Ita est , sed hoc innuere voluit Spiritus sanctus , ita pro illa acquirenda nobis militandum esse, ac si vi armorum esset obtinenda,ideo *regnum cœlorum* , inquit , *vim patitur.* Quomodo igitur nobis pugnandum sit , audi : *violenti* , inquit,*rapiunt illud*,non(inquit) fortes, & viribus potentes, seu animo pollentes , & vigentes , sed violenti. Quid est *violenti*? Violentia, inquiunt, Philosophi , est passio.quæ fit nullam passo conferente vim , sicut motus lapidis sursum & motus ignis deorsum : violenti motus sunt , quia ad motum deorsum ignis , nec ad motum sursum lapis aliquam vim confert ; sic igitur mortificatio passionum , castigatio carnis, abnegatio sui,crux spiritualis, & huiusmodi carni,appetitui nostro violenta dicentur , quia ad hæc ex se in natura lapsa non conferunt opem , sed repugnant. Hi ergo, qui sic seipsos abnegant, & affligunt, violenti sunt, hi, inquam,sunt,qui regnum rapiunt, *Los que dan sacomano al cielo.*

Mat. 11. 12.

Apoc. 21. 12.

Nec ideo miseri , & infœlices , sed fœlicissimi omnino , qui breuissimi temporis labore cœlestem gloriam in æternum consequuntur. latet quidem in tempore quies,& gloria in æternitate : vnde rectè quidam ex patribus antiquis : Quid graue potest esse in præcepto,vbi salus est in promisso ? sic ego,quid graue potest esse in tempore, vbi æternitas gloriæ est in promisso?*que puede hazer contrapeso donde el peso es gloria eterna. Tunc sedebit populus meus.* Sedebit (inquit ,) nunc enim standum nobis hastæ innixis & galeatis , tunc in multitudine pacis , nunc in multitudine belli. Non rectè dixi , nunc in multitudine belli , quia pauci dies hominis sunt , & in diebus paucis non potest esse multum , nunc in Ecclesia militanti sumus , & in Ecclesia militanti militádum nobis est: illa est Ecclesia triumphans , in illa triumphandum est , non hîc, denique. *Militia est vita hominis super terram* , non (inquit) in vita est militia , sed ipsa vita militia est , & ipsum viuere militare, hoc est , à pedibus ad verticem capitis vsque, vita hæc laboribus plena est:nulla vita , licèt regis illa sit , laboribus vacat. Si ergo nobis laborandum quomodolibet est , pro vita laboremus æterna , ne incassum laboremus;hîc carnem mortificemus , vt in æternum viuamus.

Isa 32. 18.

Iob 7.1.

Prop. XIII. *Quàm asperè tractanda sit caro.*

Iob 2. 7. EGressus Satan à facie Domini, percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem eius: qui testâ saniem radebat, sedens in sterquilinio. Obserua, quo instrumento vulnera talia tergebat, non gossipio, non delicato quodam linteo, sed testâ quadam, ex fragmento, v. g. alicuius tegulæ duræ, & quidem quantumuis pauper remanssisset, non illi linteum defuisset quo saniem radere posset, sed quia sanctus vir erat, sic tractandum corpus censebat. Quod si cum tali ac tanto morbo laboraret, lepra scilicet illa, quá à pedibus ad verticem vsque coopertus erat, sic se cum corpore suo gerebat, quid valetudinis tempore feciſſe illum di-
3. Mor. 4. cemus? quod his verbis expendit S. Greg. *Quo facto patenter ostendit corpus suum, quomodo sibi subdidit sanum, quod & percussum, sic despiciens curauit.* Ita ille. *como os parece que trataria a su cuerpo sano, quien asi lo trataba estando tan enfermo? quan rendido le tenia al espiritu pues ni aun tan necessitado mostraba reueldia a vn tan aspero tratamiento* Animaduertant hoc hi, qui cùm peccatores sint, & valido corpore præditi, delitias omni quærunt conatu, &c. Item nota, quomodo S. Iob sedceret in sterquilinio, quod non rerum necessitati sed eius voluntati adscribendum puto: licèt enim corruissет domus fratris maioris, non corruerat domus eius, nec aliorũ filiorũ: vnde minimè illi defuissет cubiculũ aliquod honestũ, nec thorus vbi corpus suũ potuissет collocare; hoc igitur idem fecit, vt pœnitentiam ageret, *in fauilla & cinere*, sicut ipse dicebat. Væ nobis, qui peccatis onusti pœnitentiam recusantes, quærimus voluptates, pretiosis vestibus corpus tegimus, cibis delicatis nutrimus, odoribus fragrans gerimus, & nullum delitiarum genus illi denegare audemus.

Prop. XIV. *Quàm difficile sit carnem domare.*

Gen. 3. 17. SIc Dominus Adæ post peccatum: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi.* Duo hîc Dominus ait, primũ quòd homo laborare deberet circa terram, eam colendo, & ex colendo, & sicuti modo agricolas videmus in sudore vultus sui, ex terra colligere panem suum. Secundum est, terram post huiusmodi culturam non ita reddere fructum purum, & copiosum, sed pullulare simul spinas, & tribulos, & herbas malas. Nec enim adeò grauis esset terræ labor, si terra gratissimis fructibus responderet: hoc tamen molestum nimis, quòd post sudores & labores multos & magnos, pro tritico referat spinas. Hoc ipsum de carne mihi dicendum videtur: nam non solùm, cùm ab eius cultura cessamus, verumetiam cùm eam ieiunijs, ciliciis, & flagellis & mortificationibus aliis colimus, terræ maledictæ similis caro hæc spinas affectuum prauorum profert assiduè.

Prop. XV. *Carnis cura moderata esse debet.*

CArnem mortificandam esse sæpe docemus: at dices, non mihi Deus corpus tradidit occidendum, sed reficiendum, & sustentandum; hinc ansam sumunt carnales, vnde carni liberè indulgeant, sed qui non errare in re tanta cupit, audiat Apostolum,
Rom 13. 14. *Carnis curam ne feceritis in desiderijs.* vbi sanctus Chrysostomus homilia 25. *Sicut non bibere, sed inebriari prohibuit, ita neque carnis curam agere simpliciter prohibuit; sed addidit, ad concupiscentias, quale est, dum necessarius excedit ur vsus, alioquin quod moderatam curam agere præ-*
1. Tim. 5. 23. *cipiat, audi, quid Timotheo scribat,* Vtere modico vino propter stomachum tuum, & crebras infirmitates tuas, *ita & hic curam illius habet quidem, sed ad sanitatem,*

A *non ad lasciuiam, quia non erit vera carnis cura, siquando flammam accenderis, & caminum grauem feceris. Vt verò clarius perdiscatis, quidnam sit carnis curam ad concupiscentiam agere, & eam, quæ talis est, fugitare, ebrios ventriculos, & delicatulos, eos videlicet, qui vitam mollem vsuunt, & laxam, considerate, & intelligetis quid quod dicitur sit. illi enim nihil non faciunt, non vt sani sint, sed vt lasciuiant, & concupiscentiam inflamment, Christum verò induite, vnacum huiusmodi amputatis, vnum hoc solum quærit, vt sana sit caro, & ideo curã illius habet, & non vltra, sed omnẽ diligentiam reliquam ad spiritualia curanda insumit.* ita ille. Et subdit: *Tantum comede, quantum ad tollendam famem sit satis; ita induere, vt nihil quæras quam tegumentum, non eã vestibus ornanda caro, ne ornatu illam perdas, nam molliorem illam deinde facies.* Ita ille.

Prop. XVI. *Carnis cura postponenda est animæ curæ.*

B VIde in verbo, *Bona temporalia*, Propositionem decimam quintam.

Prop. XVII. *Caro in multis deseruire potest spiritui nostro.*

SAnct. Chrysost. hom. 13. ad Rom. exponens verba illa Pauli, *Nous quod non habitat in carne mea bonum:* C *Non hoc* (ait) *carnis crimen est, quia non habitare in ea bonum, non declarat eam malam esse. Nos quidem carnem animæ imbecilliorem, & inferiorem esse fatemur, non vero malam: imò seruire eam animæ decimus, sicut cithara citharœdæ, & gubernatori nauis deseruit. Sicut igitur, non in nauis vitio det ars, neque in cithara, sed in gubernatore, & in citharœdo, nec tamen ideo hæc tustrumenta calumniamur, sed declaramus, quantùm interſit inter artificem, & artemita & Paulus cùm ait:* Non habitat in carne mea bonum, *corpus non fugillauit, sed excellentiam animæ declarauit: ea enim est, cui gubernationis, & cantus totum negotium concreditum est, quod & Paulus hîc declarat, animæ authoritatem ponens. & hominem in ista duo diuidens, animam & corpus, ait eam magis brutam esse & prudentiâ nudatam, & inter eas annumerandam, quæ agantur, non quæ agant, animam verò sapientiorem, & valentem intelligere, quid agendum, & a quibus abstinendum, non tamen sufficientem ad equum sub arbitratu regendum.* Ita S. Chrysost.

Sed dices, quibus in rebus corpus animæ deseruire D potest? in multis quidem, verbi gratiâ, in ieiunio; anima enim sine corpore ieiunare nequit: sicut neque Angelus potest; item flagella & cilicia tolerare, & cæteræ corporales exercitationes sine corpore qui poterunt exerceri? item martyrium pro Deo sine corpore subire anima non posset, & huiusmodi alia.

Ad Rom. 12. *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Quomodo inquies, exhibere potero Deo corpus hostiam viuentem? S. Chrysost. hom. 20. in epist. ad Rom. *Nihil mali respiciat oculus, & factus est hostia Deo, nihil turpe loquatur lingua, & facta est corporis oblatio, nihil inquinet manus, & facta est holocaustoma. imò non sufficiunt ista, sed vt bona etiam faciamus, opus est. nimirum vt eleemosynam faciat manus, calumniam inferentibus benedicat os, audiat continuò diuinis sermonibus vacet. Nihil habet immundi hostia hæc, noua lex huius nostri sacrificij est, atque adeò mirabile est huius ignis genus. neque enim ignis opus est, aut alia huiusmodi materia subiecta, sed in se ipso noster ignis viuit, nec victimam comburit, sed viuificat magis. Si igitur membra tua Deo sistenda, tanquam hostia sunt, omnem ab illis maculam auferto: nam si maculam habuerint, iam hostia Deo esse non possunt, neque enim offerri Deo poterit oculus*

ficrtationi seruiens, neque manus rapiens, aut desraudans, neq; A pedes claudicantes, theatraque visitantes, nec venter deditis seruiens, voluptatumque desideria inflammans, neque cor iram aut amorem lasciuum fouens, neque lingua turpia loquens. Opus igitur erit corpus nostrum ab huiusmodi maculis custodire, vt hostia placens Deo sit: nam si, qui veteres hostias offerebant, inhebantur prius omnia considerare, nec quod auribus esset incisis, aut cauda mutilata, aut scabiosum, aut impetiginem habens, permittebantur offerre; multò magis nos, qui non irrationales oues, sed nosipsos offerimus, maiorem oportebit impendere diligentiam, & ex omni parte mundos esse, vt cum Paulo dicere possimus: Ego enim iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat: erat enim hostia quasi hostia purior, vnde & libamen sepsum vocant. Erit autem hoc, si veterem hominem sustulerimus, si membra nostra, quæ super terram sunt, mortificauerimus, si mundum nobis crucifixerimus; si proprij corporis fuerus sacerdos, sic rationalem cultum offeres. Ita S. Chry.

Si caro spiritui subdita fuerit, fœlix societas inter corpus, & animam. Ps. 62. *Sitiuit in te anima mea, quàm* B *multipliciter tibi caro mea*, quid est, *multipliciter caro mea?* hoc est, mille modis seruit tibi, non solùm anima mea, sed etiam caro mea: quia, verbi gratiâ, si anima vult orare, caro bene est composita, genua flectit, manus & oculos in cælum eleuat, lacrymas fundit, sensus exteriores claudit, interiores aperit, & species, ac imagines rerum administrat ad res spirituales percipiendas, lingua orationes vocales profert.

Præterea si pœnitentiam agere velit, corde dolet, lacrymas administrat, pectus manu tundit, terga verberibus afficit, linguâ peccata confitetur.

Si verò operibus misericordiæ vacare voluerit, manus suas extendit ad pauperem, pedibus ad xenodochia incedit, misericordiam & compassionem verbis manifestat, quò misericordiam recipiant, &c.

Sic ergo caro sitit, & seruit multipliciter Deo. Vide hoc caro? *de quando aca la carne tan espiritual?* nónne C ipsa est, de qua Paul. ait: *Caro concupiscit aduersùs spiritum?* ita est, si habenas illi laxauerit anima; si verò semel se spiritui subdiderit, nullum inuenies seruum Domino suo ita parentem, sicut ipsa spiritui tuo.

Doctrina hæc ex Diuo Ambros. sumpta est lib. 2. de Virginitate: *Suya es la trama deste pensamiento. Quid dubitas* (inquit) *carnem iciunis macerare? nónne concupiscit aduersùs spiritum? nónne ipsa inimica est animæ? at si illam per abstinentiam maceraueris, ex inimica amicam facies, & quæ plurimùm profit, & iuuet.* Ita ille.

Peccauit quidem Dauid cùm carni habenas laxauit: at postquam ad Deum conuersus fuit, ipsa caro eum plurimùm iuuit, plorauit, ieiunauit, orauit: quare meritò dicere potuit: *Quam multipliciter tibi caro mea.*

Hinc est quòd cùm tres sint animæ hostes, diabolus, mundus, & caro; si caro in societatem spiritus transierit, erunt duo aduersùs duo, & quidem caro & spiritus in vnum si conueniant, facilè mundum & dæ- D monem superabunt, quia omnes ferè tentationes eorum media carne fiunt, & quia fortior ex *inimicis caro est; hac igitur de medio sublatâ, & in fauorem spiritus redactâ, facilè vincit anima hostes alios duos. aliter quidem tres erunt aduersùs vnum spiritum, &* 18. erit ferè impossibilis victoria: *Frater* denique *qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma*; anima & corpus fratres dici possunt, cùm in eodem ventre sint procreati, & simul nati: si ergo mutuò conuenerint nulla ciuitas munita illis inexpugnabilior erit.

CÆCITAS MENTIS.

PROP. I. *Quanta sit cæcitatis vis ad malum.*
2. *Cæcitas mentis multorum peccatorum fons & origo est*
3. *Ex cæcitate mentis proueniunt plurimi lapsus in peccatum.*
4. *Cæcitas mentis, obdurationis & perseuerationis in mala causa est.*
5. *Magnum Dei supplicium ob peccata solet esse cæcitas mentis & de aliis eius causis*
6. *Per mentis cæcitatem dæmon homines in peccatum detinet.*
7. *Cæcitas mentis reprobationis signum est.*
8. *Ex cæcitate mentis non solùm proueniunt damna spiritualia, sed etiam corporalia.*
9. *Multi in rebus temporalibus perspicaces, in spiritualibus verò cæci sunt.*
10. *Mali ad mala sapientes. ad bona verò insipientes sunt.*
11. *Peccatores in rebus parui momenti sapientes sunt, in rebus verò magni momenti cæci sunt.*

PROP. I. *Quanta sit cæcitatis mentis vis ad malum.*

INcredibilis quidem esset vis & potestas cæcitatis & tenebrarum mentis, nisi exemplis constaret scripturæ sacræ, v. g. Matth. 2. percontantibus Magis, *vbi* *Mat. 2.2.* *est qui natus est Rex Iudæorum*, consuluit Herodes scribas & sapientes Iudæorum, & ipsi Scripturas, & inuenientes hanc apud Mic. c. 5. Prophetiam, *Et tu Bethle-* *Mich. 5.2.* *hem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iudæ: ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Israël*; responderunt rectè iuxta hanc Prophetiam: Magi autem cum hoc responso abierunt, quæsierunt Christũ, & inuenerunt, ipsi tamen consultores cum Herode non quæsierunt, remanserunt, cùm primos ad Christum quærendum & adorandum esse oporteret. Ponderat rem S. Leo Papa ser. 1. de Epiphania Domini, dicẽs: *Quæ ista,* *S. Leo.* *ô Iudæi, tam imperita scientia in vobis est, & tã indocta doctrina? Interrogati vbi Christus nasceretur, veraciter & memoriter dicitis, quòd legistis in Bethlehem Iudæ hunc principem natum, & pastoribus Angeli, & vobis nuntiauere pastores, & postea vestra eruditio prodidit, quod stella non docuit. Cur igitur viam quam alius aperuisti, vobis obstruxisti? cur in vestra infidelitate residet dubium, quod ex vestra responsione fit manifestum? locum nativitatis Domini de Scripturarum testimonio demonstrastis, præsentiam temporis de terra ac cœli attestatione agnoscitis, & tamen ad non credendum vester sensus obduruit, & ad persequendum Christum Herodis animus exarsit.* Ita S. Leo. Vnde igitur hoc, nisi ex intima, & eximia animi cæcitate? Vide tu quanta sit vis & potestas tenebrarum & cæcitatis mentis. Si orto iam sole, nulla interposita nube, nebula aut obstaculo aliquo, videres nihilominus vniuersum hemisphærium ita obscurum, sicut media nocte esse solet, quando nec Luna nec lux alia fulget, quid de hisce tenebris diceres? Ortus fuit Sol diuinus Christus Deus noster, qui Magos longè distantes illuminauit, & nihilominus in tenebris hi Hierosolymitani, vti diximus, remanserunt, nónne horribiles dices tenebras has mentis eorum?

Meritò quidem dixit Apost. ad Col. 1. Deo gratias *Col. 1. 13.* esse reddendas, *quia eripuit nos de potestate tenebrarum*, non ait, *de tenebris*, sed de earum potestate: quæ enim maior potestas, quàm quæ intellectum & sapientiam illorum sapientum Israël sic vicit, sic obscurauit, & quæ modò infideles ita subdit & ligat, vt nec rationibus, nec miraculis eos vincere valeamus?

Habemus & aliud huius cæcitatis exemplum Exo. 32. vbi filij Israël videntes Moysen moram in monte Sinai facientem, vitulum fabricantes, eum tanquam Deum adorauerunt, dicentes. *Hi sunt Dij tui Israël, qui* *Exod. 32.* *te eduxerunt de terra AEgypti.* Quid ineptius? quid stolidius? quæ maior cæcitas mentis? Qui veri Dei tantam habuerant cognitionem, qui magnalia viderant, 4.

quæ Dominus paulò antè pro ipsorum redemptione fecerat in Ægypto, vitulo operi manuum ipsorum, vitulo, inquam, fœnum comedenti diuinos tribuunt honores, adorantes & dicentes istum vitulum eduxisse eos de Ægypto. Quomodo vitulus hic vos eduxit, quem modo vos in lucem eduxistis, quique tunc non erat? Vide potestatem tenebrarum & cæcitatis mentis.

Nec minor fuit cæcitas Iudicum Hierusalem, quando collegerunt concilium aduersùm Christum Dominum, & dixerunt: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* vbi signa proposuerunt contra Deum, propter quæ eum admirari & venerari debuerunt; & quidem concilium erat Pontificum, Theologorum & sapientum illius reipublicæ, & tamen in publico iudicio, non in angulo, proponere talia non erubuerunt, quia cæcitate mentis laborabant, cæcitas autem mentis ab stultitia quid differt?

Ioan. 11. 47.

Orate igitur, fratres, Dominum, vt non permittat vos in has incidere tenebras, quia æternæ damnationis indicia sunt. Attendite quid de his cæcis Dominus dicat Mat. 15. *Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum.* Pondera verba, *sinite illos.* O Domine, si illos sinimus, peribunt; *sinite*, inquit, *illos*, pereant. Itàne, illos perire videbimus & finemus perire? Ita, quia cæci sunt, *y quando vno llega a estar de esa manera ciego, bien podeis doblar por el.* Deo quidem omnia sunt possibilia, sed tamen secundùm legem ordinariam hos inter præscitos numeramus.

Mat. 15. 14.

PROP. II. *Cæcitas mentis multorum peccatorum fons & origo est.*

CVilibet animali valde necessarium est visus, quamobrem Philosophorum princeps Arist. 2. de anima, com. 9. ait: *Ita se habet visus in oculo, sicut anima in in corpore.* Quod licèt à Philosopho dictum sit propter similitudinem vtriusque, in dignitate conueniunt tamen illa inter sese, eò quòd, sicut animus corpus decorat, ita visus oculum mirum in modum perficit. Quare idem philosophus inquit visum esse omnium sensuum præstantissimum, & ea ratione eius priuatio maximum animi mœrorem infert. Quod sanctissimus ille Tobias sensisse videtur, cùm Angelo, qui ipsi salutem attulit, dicenti: *Gaud um sit tibi semper*, respondit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video.* Non enim putabat ille gaudium esse posse ei, qui visu careret. Neque verò visus solùm est ad animi lætitiam necessarius, sed etiam ad omnia illa, quæ animalium vita requirit, vt idem Aristoteles testatur. *Visus*, inquit, *ineſt animal bus salutis caussá, vt moueantur ad alimenta, & fugiant nocua.* Quapropter idem de luce necessariò dicendum est. Ad visionem enim æquè necessaria est lux atque ipsa potentia visus. Hinc patet quàm sit lumen necessarium, quantæque præstantiæ, cùm ad vitam conseruandam ita deseruiat. Sicut ergo visus magni ponderis est ad vitam corporis tuendam; ita etiam ad salutem animi conseruandam plurimùm refert. Mens quidem visus animi est, cuius lux nihil aliud est, quàm lumen illud interius, quo animus videt, ac cognoscit, quid vnaquæque res sit, quid æternum, quid temporale, quid sibi prosit, quid noceat, vt alterum eligat, alterum verò repudiet.

Tob 5. 11.

Ex quo cognosci potest, quantum sit Dei beneficium erga eum, cui cœleste lumen redditum est, quantumque supplicium in illum, qui ejusdem expers existens, tenebris animum obductum habeat.

Ac primùm, cùm homo in tenebris versatur, nullum opus perfectè exequi potest: si enim velit scribere, pingere, aut aliquid eiusmodi facere, lituris omnia obliterabit, cùm luce priuetur. Hinc igitur tot ineptiæ in re spirituali proficiscuntur. Vates ille Euangelicus, loquens de antiquis Israelitis, *Oua aspidum*, inquit, *rapperunt, & telas aranea texuerunt: qui comederit de ouis eorum, morietur. Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Pedes eorum ad malum currunt, &c.* Quorum malorum rationem subdit Prophe ta, dicens: *Viam pacis nescierunt, & non est iudicium in gressibus eorum.* Ex hac enim caussa ea opera emanare rum non est. *ruperunt* igitur *oua aspidum, & telas aranea texuerunt.* Considerate, quæso, duplex malum. Primum inutili quadam occupatione, nempe telis aranearum, distenti erant. Discerpitur visceribus araneola in texendo reti ad culices aucupandos, quod quamprimum texuerit, sæpenumero à vento disrumpitur, & dissipatur sic etiam illius antiquitatis, nec non & plures nostræ tempestatis homines, quamplurimùm laborant in congregandis diuitiis, multorumque aureorum annuis redditibus congerendis, sesèque ipsos euisceant, vt culices, hoc est, exigua quædam mundi bona aucupentur; sæpe tamen, dũ adhuc ordiuntur, tela succiditur morte, nec aliquem fructum ex his omnibus reportant, eò quòd vanis occupationibus impediti fuerunt. Neque verò hoc primum malum adeò magnum iudicandum esset, si cum altero non conjungeretur, nimirum, quia *oua aspidum ruperunt.* Virus ac venenum manibus contrectant suis, omni flagitiorum generi seipsos tradendo. O illos miseros atque infelices, qui breue vitæ curriculum ad cælum comparandum concessum, inferorum suppliciis promerendis consumunt, & tempus ad Dei cultum destinatum in sceleribus contra ipsum Deũm perpetrandis consumunt! Sed quænam est tantorum malorum caussa, nisi cæcitas mentis? Viam enim pacis nescierunt (id est, viam boni) & non est iudicium in gressibus eorum, caruerunt lumine intellectus, & ea ratione tot sunt criminibus obnoxii.

Vnde optimè D. Climachus dixit: *Omnes demones primum intellectum nostrum obnubilare contendunt, atque ita demum ea quæ sibi sunt amica suggerunt, nisi enim mentis nostræ claudantur oculi, thesaurum nostrum furari non poterunt.* Hæc ille. Vt enim latrones, vt tutiùs furentur, in noctis tenebris latent, lucemque extinguunt, sic dæmones vt meliùs animi diuitias subripiant, gratiam, scilicet, & virtutes, quæ pretiosiores multò sunt quàm quivis alij thesauri, conantur internum mentis lumen opprimere, & veritatem cælesti luce cognitam, funditus ex animo delere. Quo lumine extincto, facilè omnes animi diuitias inuadunt, & hac ratione tot à mundanis scelera committuntur, vt qui incolunt Ielsen cum maxima admiratione dicant, suntne mentis compotes homines isti? Vtunturne ratione aut consilio? An ignorant appropinquare sibi esse extremum vitæ diem? Num vltimi iudicij, inferorum, beatitudinisque notitiam ac fidem simul amiserunt? Qui ergo tam facilè Deum offendunt, eiusque leges ac præcepta tam frequenter violant, quo pacto temporalia æternis anteponunt? Et beatitudine cælesti contempta in mortem, æternamque damnationem delabuntur. Mentis profectò cæcitas ac diuinæ lucis priuatio tantam illis intulit calamitatem.

Quod quidem in filio prodigo expressum esse videmus. Accepto enim patrimonio, parentis domo egreditur, & aliquas terrarum vrbes perlustrans, sese totum deliciis ac voluptatibus dedens, dissipauit substantiam suam, viuendo luxuriosè: famemque vehementer stimulatus, ac pene confectus, cupiebat saturari de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat, cuius miseriæ ac calamitatis caussam videntur sacræ litteræ significare, cùm inquiunt: *In se autem reuersus* (scilicet prodigus) *dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo,*

Luc. 15. 17.

fur-

ſurgam, &c. In ſe dicitur reuerſus ; ergo antea erat extra ſe. Ecce igitur cur ita ille deſiperit, in tantamque miſeriam deuenerit: erat enim extra ſe. Cùm aliis quis rationis ac mentis lumine priuatus eſt, plerumque id obiicimus : Ille eſt extra ſe. Idem etiam de iniquis hominibus, quorũ ſimulachrum exiſtit filius prodigus, dicendum eſt. Si enim in ſe eſſent (vt ita loquar) lumineque rationis vterentur, non filium prodigum, ſed eius fratrem maiorem natu imitarentur, qui in ſui parentis domo remanens, diuitias ac fortunas tueri conſeruareque curauit.

Hanc animi cæcitatem, quæ, vt diximus, maximum eſt ſupplicium, Deus Opt. Max. permittit, cùm animus noluit vti illo lumine quod cælitus fuerat immiſſum. Quapropter egregiè D. Aug. inquit : *Illa eſt pœna peccati iuſtiſſima, vt amittat vnuſquiſque illud, quo bene vti noluit, cum ſine vlla difficultate poſſet, ſi vellet, vt qui ſciens, recte non facit, amittat ſcire quod rectum eſt.* Ita Aug. Vide ergo ne id feceris, mortalis homo, ne tanta à Deo ſupplicio puniaris. Dum lucem habes, operare bonum, ambula & ſequere ductum eius : ipſa enim ducet te in æternam fælicitatem, illudque Prophetæ carmen in ore tuo verſetur : *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum & in tabernacula tua.* In gloriam ſc. cæleſtemque beatitudinem.

Graue quidem malum eſt cæcitas corporalis, ſed incomparabiliter maior eſt cæcitas mentis ſpiritualis: externus enim viſus communis nobis eſt cum muribus, & veſpertilionibus, & reliquis vilibus vermiculis : at in ſpiritualis mentis viſu ſimiles effecti ſumus Angelis & ipſi Deo ; quare non immeritò ſponſus oculos ſponſæ ſuæ laudat, dicens : *Oculi tui columbarum*, & rurſus, *Vulneraſti me ſoror mea ſponſa in vno oculorum tuorum.* Quiſnam oculus eſt qui vulnerare cor tanti Domini valet ? Non quidem exterior hic viſus eſt, neque enim Domini ſic allicit cor, ſed interior.

Quantò autem pretioſor hic viſus eſt, & plurium bonorum cauſa, tantò cæcitas interior peior eſt, & plurimorum malorum origo.

Inter alia verò interioris cæcitatis incommoda illud profectò magnum eſt, eam ſcilicet ab hominibus non cognoſci : ille namque qui offuſa oculorum caligine laborat, nouit ſe oculorum lumine orbatum eſſe, & hac de cauſa quærit, qui eum rectà ducat & cautè ac pedetentim graditur, ne labatur, & cadat. At qui mentis lumine priuatus eſt, non ſolùm ſuam cæcitatem ignorat, ſed cùm planè cæcutiat ſæpe exiſtimat ſe videndi acumine vigere, & animi, ingenij conſilijque lumine reliquos omnes ſuperare. huiuſmodi erant hi, de quibus ita humani generis ſeruator locutus eſt: *Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea parunlis.* Inſtituebat tunc Chriſtus ſermonem de his, qui cùm cæleſtia & ea quæ ad animi ſalutem pluriùm faciunt, ignorarent, vel ſibi ſapientes eſſe videbantur ; vel ſaltem huius mundi ſapientiâ florebant, cuius rei exempla abundè nobis ſuppetunt.

Quàprimùm ab Adamo ſcelus illud commiſſum eſt, *abſcondit ſe*, Scriptura ita teſtante, *à facie Domini, in medio ligni paradiſi*, ſed qua ratione homo ſapientiſſimus, & excellenti ingenio inſtructus, perſuadere ſibi potuit, quòd inter arborum folia ita occultari, adeoque in latebris & occulto latere poſſet, vt Dei, qui vbique præſens eſt, oculos & obtutum ſubterfugeret ? Sed certè peccati caligine oppletus, mentiſque lumine priuatus, id non agnoſcebat. Quis non inſanum ac dementem Pharaonem iudicaret, cùm illo ad mare rubrũ itinere Iſraelitas inſequebatur? Nõ vides Pharao mira illos Dei virtute protegi ac defendi ? Cur ergo quos Deus ita tuetur, perſequeris ? Cur non times, ne tu tuique omnes in aquas à Deo deprimamini ? *Perſequar*, inquit, *& comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Cùm tamen præpotens Deus Pharaonem eiuſq; milites inuaderet: Fugiamus, inquiunt; Iſraelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Sed nunc Ægyptij poſt tot Iſraelitis facta beneficia, torquè in vos calamitates à Deo profectas, animaduertitis Deum pro eis & contra vos pugnare?

Magna ſanè cæcitas, ſed non minor fuit illorum amentia, qui cùm idolum in ſolitudine effeciſſent, dixerunt : *Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Ô amentiam & cæcitatem incredibilem ! quo pacto Dij veſtri ſunt, quos manibus veſtris formaſtis? Nónne hi, quos modò Deos appellatis, nuper inanes erant, vt quid dicitis ab his vos eductos eſſe de Ægypto ? quo iure aſſeritis vos eductos eſſe de terra Ægypti à vitulo, quem multos poſt dies ab egreſſu Ægypti finxiſtis? *Exod. 32. 4.*

Sed quid de offuſa illorum ſacerdotum caligine dicam? *Cogitauerunt*, inquit Euangeliſta, *principes ſacerdotum vt & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum.* Quos aptè & acutè carpit D. Aug. *O ſtulta*, inquit, *cogitatio, & cæca ſanitas! Dominus Chriſtus, qui ſuſcitare potuit mortuum, non poſſet occiſum ? Quando Lazaro inferebatis necem, nunquid auferebatis Domino poteſtatem?* Ita S. Aug. *Ioan. 12.*

Sed perpendite in quos incidant errores ac ineptias hi qui mentis lumine orbati ſunt, ineunt præterea concilium aduerſus humani generis ſeruatorem Ieſum, &, vt ſacra refert hiſtoria, dicebant : *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Nónne clarè perſpicitur eorum cæcitas & amentia, licèt omnis populi ſapientiſſimi, quippe qui reipublicæ iudices, ac moderatores erant, vt Chriſtum Dominum condemnent, miracula illi obiiciunt. Qui ſi hoc, de quo loquimur, lumine illuſtrati eſſent, deberent potiùs ad illum ipſum ſequendum, colendumque permoueri ob eam cauſam. *Ioan. 12.*

Illud deinde eoſdem planè caligare probat, quod in Chriſti Domini reſurrectione ab eis factum eſſe percepimus, cùm cuſtodes affirmarent ad vitam Ieſum, quem cruci illi affixerant, rediiſſe, congregati cum ſenioribus (ita D. Matthæo referente) *conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes : Dicite quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus. Vere defecerunt*, inquit D. Auguſt, *ſcrutantes ſcrutationes. Quid eſt quod dixiſti ô inſelix aſtutia ? Tantumne deſeris lucem conſilij prætatis, & in profunda verſutia demergeris, vt hoc dicas : dicite quia vobis dormientibus venerunt diſcipuli eius & abſtulerunt eum. dormientes teſtes adhibes, vere & tu ipſe obdormiſti, qui ſcrutando talia feciſti.* Hæc D. Auguſtinus. Nónne hos cæcos ac planè dementes appellabimus, qui putantes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt? *Matt 28.*

Sed omiſſis antiquorum erroribus, quibus ſe cæcutire oſtendebant, veniamus ad præſentes, & clarè etiam cognoſcemus, adhuc mentis tenebris multorum animos oppleri. Vidit Propheta Deum egredientem ex Hieruſalem, ſecumque ſuam gloriam educentem, quod populus neque vidit, neque vllo modo animaduertit, quoniam cæcus omnino erat. ſed magis cæcutiunt modò, qui, cùm propter ſua flagitia Deum ab eorum animis diſcedere certò ſciant, ſimulque cognoſcant æternis pœnis ac cruciatibus ſua crimina fortè punienda, hoc nihilifacientes, omni ſe turpitudini dedunt, & cùm ſint Chriſtianæ religionis profeſſores, eiuſque leges, & præcepta teneant, ita operantur ac ſi in offuſa caligine tetriſque tenebris verſarentur.

Quos quidem conferam cum idolis, de quibus regius Vates illud carmen ſcripſit: *Simulacra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum, os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt.* Habent enim oculos ad videndum nociua, ſed illis carent, vt

quæ ad animi salutem prosunt, aduertant.

Quare noctuæ, ac bubonis similitudinem etiam illi gerunt: ea enim animalia noctu percipiunt omnia, diu verò videre non possunt; ita etiam hi acerrimis acutissimisque oculis vident, vt tenebrosa opera deterrimaque flagitia perpetrent, vt tamen clara & studiosa munia exequantur, cæci omnino sunt. Scit optimè auarus fœnus, vsuramque facere, & magnam pecuniæ summam congerere, nescit tamen ablatum restituere, nec egenis opem, auxiliumve ferre. Superbus item, vt dignitatem obtineat, sapienter se gerat, vt nullam dignitatis comparandæ occasionem prætermittat; insipiens tamen & planè ignarus erit in cælestibus honoribus, diuinaque Dei filij dignitate

Ier. 4 22. curanda. De his autem loquutus est Dominus per Ieremiam, dicens: *Stultus populus meus, me non cognouit, filij insipientes sunt, & vecordes: sapientes sunt, vt faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Ecce in quo illi sapientes sunt, in malo; in bono verò nescientes. Hos Deus vecordes & insipientes iure optimo appellat: scire enim malum, non tam scire, quàm ignorare, ac desipere est. Ille vero sapiens dicendus est, qui ea cognoscit, quæ ad animi salutem consequendam attinent.

Hinc fit, vt sæpè illiteratus & exigui ingenij, sapientior sit in diuinis rebus quàm literatus, & acutissimus ingenio, quod satis expressum est in eo quòd Balaam & eius asinæ contigisse nouimus. Cùm enim Balaam insidens asinæ iter faceret, occurrit illi obuiam Angelus habens gladium cuaginatum aduersùs illum, & Scriptura sacra ita referente, *Cernens asina Angelum*

Num. 22. 23. *stantem in via euaginato gladio, auertit se de itinere, quam verberabat Balaam & volebat ad semitam reducere.* O rem admiratione dignam! Asina videt gladium cuaginatum, propheta verò, qui futura præuidet, & cui gladius mortem minitari videbatur, ipsum gladium non cernit. Sed quoties idem hominibus euenit, vt homo rusticus consuetudinisque mundanæ, Dei gladium æternumque supplicium pertimescat, cùm de his rebus sermonem haberi videt; vrbanus verò, solers & ingeniosus, qui velut Propheta futura scire tentat, nihil de illis curans, sine vllo prorsus Dei timore culpas suscipit, sceleraque nefaria committit. Hi ergo animi lumine orbati dicendi sunt, hos certè dementes & offusa mentis caligine affectos putabo. Hanc vos cæcitatem per Deum immortalem à vestris animis expellite, vt cælestia aspicere, eisdemque frui cum lumine & splendore possitis.

Prop. III. *Ex cæcitate mentis proueniunt plurimi lapsus in peccatum.*

Psal. 12. Psal. 12. sic Dauid Domino: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus: Preualui aduersùs eum.* Supponamus hìc agere Dauidem de hoste spirituali dæmone, vt exponit S. Basil. Vt igitur à tali ac tanto hoste liber euaderet Dauid, illuminari à Deo petit. non petit à Deo gladium vel hastam, sed lucem internam animæ; innuens eam ob causam homines à dæmonibus vinci, quia mentis cæcitatem patiuntur; qui verò à Deo illuminantur, facilè vincunt tentationes, consensum negantes impietati: vident enim lumine illo, quàm malum & amarum sit peccare. Ideo dicit Dauid, *ne vnquam obdormiam in morte.* Quam mortem? ait Basil. & respondet, *Non communem illam, humanum genus dementem, & peccatores perdentem, nam ea propriè est mors, quæ animam separat à Deo, ne quando inimicus videns me in mortem peccati deiectum, dicat: Preualui aduersùs eum.* Ita S. Basil.

S. Aug. Ps. 10. 5. S. Augustin. in id Psal. 10. *Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*, ait: Cùm magnũ malum homines censeant oculorum corporalium cæcitatem, quâ lux corporea retrahitur; quantam ergo

A patietur pœnam qui secundis rebus peccatorum socium eò perducitur, vt non sit Deus in conspectu eius, & contaminentur viæ eius in omni tempore, id est, cogitationes eius & consilia eius immunda sint?

Prop. IV. *Cæcitas mentis obdurationis & perseuerantiæ in mala causa est.*

EXplicuimus magnum quoddam incommodum, quod interior caligo secum affert, siquidem plurimorum errorum ac ineptiarum causa est: aliud modò, si placeat, vobis ante oculos proponam, illam admirum efficere vt iniquus pertinaciter persistet in malitiis.

B Cùm Samson captus est à Philistheis, *statim illi effodiunt oculos eruerunt* (sacrarum literarum verbis vtar) *& clausum in carcere molere fecerunt, præceperuntque, vt ante eos ludaret.* Eodem sanè modo se cum improbis gerit humani generis hostis. Primùm enim illorum oculos, quæ cælestem lucem aspiciant, effodit. Deinde eos in miseri pistrina ad molendum detrudit. Quamobrem adeò lassi ac defatigati sunt mundani, terrenis occupationibus distenti, vt neque aliqua horæ pars illis à Deo vacandum superfit, ex quo fit vt impius in sua prauitate obstinatè permaneat. Non curat Samson de suo reditu in Israelem, quippe qui, cùm cæcus sit, & in aliena patria versetur, neque cognoscit viam qua redeat ad propriam, atque ita in pistrinis Philistæorum ludens, molamque versans, perseuerat, si chi qui animi lumine priuati sunt, ne quidem contendunt amissa bona recuperare, ad Dei gratiam & amicitiam redire, neque scire petunt quo pacto illam possint conciliare,

C & hac de causa suis erroribus, quadàm animi peruicaciâ, addicuntur. Et quod magis deplorandum est, in ipsa peccati seruitute capti, ludunt ac delectantur, quibuscum ita se mundus gerit, atque olim Rex Nabuchodonosor se habuit, de quo sic loquitur Habacuc: *Ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt.* D. Hieronymus ait: *Ducet ante currum suum captiuos reges, & habebit irrisui.* Hebræus legit, *principes risui illi*, id est, habebit secum Reges captiuos, qui sibi seruiant, & risum moueant. Itaque sicut hi principes in regis seruitute erant, ac parasiti munus obire videbantur, ita in dira mundi tyrannide hi cæci premuntur, illique tamquam vilis scurra deseruiunt; scurræ enim munere funguntur hi qui pecunias, quæ pauperibus erant distribuendæ, in lauticiis, ludis, aliisque profusis sumptibus consumunt, qui, vt mundo placeant, in nugis, lætitiis, ac detractione tempus conterunt.

Deinde cùm rex Nachuchodonosor imperauit Sedechiam regem incustodiam coniici, iussit etiam, vt D ait Scriptura, vt illius oculi effoderentur. Hæc est singularis dæmonis calliditas ad homines capiendos, priùs illorum lumina effodit, vt hac ratione quâ illis fugiendum sit nullo modo videant.

Hos cæcos videntur expressisse Ægyptij, cùm densissimis oppleti sunt tenebris, quibus non solùm lucem ad videndum, sed etiam virtute ad ambulandum priuati sunt. Sic enim Sapiens loquitur de illis, *Vinculis tenebrarum, & longæ noctis compedibus*, itaque illis tenebris, tanquam vinculis, ac catenis capti tenebantur, vt nec gressum quidem facerent: quibus quamdiu obducti fuerunt, nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco, in quo erat, vt sacræ litteræ testantur. Ecce vobis interiorem tenebrarum effectum. Nam quasi vinciunt ac detinent hominem, ne gradum faciat ad Deum, non tamen ita vt turpem vitam detestari, & ad Deum se conuertere vllo modo possint (ad id enim semper lumen auxiliumque sufficiens à Deo suppeditatur) sed quia huiusmodi cæcitate affecti, abutuntur libero arbitrio, quo nihil de mentis lumine curantes eli-

effigunt in vitæ turpitudine perſiſtere. Ad eum penè modum quo Eſau, poſtquam primogenituram viliſſimo pretio fratri ſuo vendidiſſet, abiit paruſi pendens, quòd primogenita vendidiſſet. In qua re duo ſunt mala perpendenda. Alterum pro vilibus lenticulis tam amplum patrimonium Eſau commutaſſe. Alterum verò tam graue incommodum paruipendiſſe. Primum à fame, quâ premebatur maximâ, ſecundum à cæcitate, quâ eius animus laborabat, effectum eſt. Eoſdem effectus ab eiſdem etiam cauſis in mundanis hominibus reperiemus: primò enim viliſſima terræ bona ampliſſimis cæli diuitiis anteponunt. Quod quidem prouenit ex fame, ſitique ardentiſſima, quâ honores, diuitias, ac voluptates deſiderant, *famem patientes vt canes*. Deinde verò paruſi huiuſmodi commutationem ducunt; ſed illud in eorum ore verſatur, *peccaui, & quid mihi accidit triſte?* quid feci? quod ex priuatione lucis ac cognitionis bonorum æternorum proficiſcitur. Ex quo denique fit, vt quadam animi obſtinatione in flagitiis perſeuerent, quæ cùm illi non clarè cognoſcant, ea deteſtari, & ad meliorem ſe vitæ frugem recipere, nulla ratione curant. B

At illud maximè dolendum eſſe arbitror in his, qui interioribus tenebris offunduntur, quòd licèt ſacras audiant conciones, fateanturque ſe deuios eſſe à via veritatis, adhuc tamen in flagitioſa vita perſtant, neque illam audent relinquere. ſed væ illis; *Reuelatur enim*, teſte Apoſtolo, *ira Dei de cælis, ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.* At iuxta mentem D. Hieronymi illi veritatem Dei in iniuſtitia detinent, qui ſcientes delinquunt, qui Dei veritate cognita iniuſtè agunt; ſuper hos ergo reuelatur ira Dei. & meritò quidem: cùm enim quis ex ignorantia ſcelera committit, illaque cognoſcens, ab eis non ſe abducit, quo erit afficiendus ſupplicio?

Irâ quidem Dei & æternâ pœnâ multandi ſunt huiuſcemodi peccatores, illi verò, quia licèt peccent, aliquando reſpiſcunt tamen, & animi dolore ſcelerum maculas confeſſione delent, leuiter à Deo temporali C aliquo ſupplicio puniuntur. Quod non tam ira quàm miſericordia appellandum eſt, cùm ipſi eâ pœnâ Deo ſatisfaciant, & à turpi vita diſcedant: ſuper eos autem qui veritatem detinent in iniuſtitia, ira Dei, vt expliciuimus, ſuperuenit.

Idem à Sapiente dictum eſſe arbitror, cùm ait: *Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit, ſed ſequitur eum ignominia, & opprobrium.* Sunt nonnulli qui non ſe totos peccatis tradunt, & reſurgunt, ſceleribus immerguntur, ſed citò ex illis emergunt; culpas committunt, ſed eas à ſeſe diligenter emittunt, ſuntque quaſi in prauitatis initio, ſeu medio. Alij verò ita ſe impuritati, ac flagitiis dederunt, vt omnino illis adhæreant, & in eis obſtinati permaneant, qui quidem dicuntur in profundum peccatorum veniſſe. Et qui ad hunc impietatis gradum peruenit, contemnit omnem correctionem, & pœnæ comminationem, vt quædam gloſſa interpretatur. Obturauit enim iam aures ſuas lucemque reſpuit, & veritatem Dei in iniuſtitia detinet. Hunc, Spiritu ſancto atteſtante, ſequitur ignominia, & opprobrium. Quibus verbis huius ſupplicij naturam explicuit Salomon, ſupplicium enim pœnitentiæ honorificum atque glorioſum eſt. Nam illo peccata teguntur, ac latent, & eorum ſimul ignominia ceſſat, proculque depellitur. Beati profectò dicuntur, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: ſupplicium autem illud, quod in Dei iudicio ſumitur, ignominiam, & contumeliam parit, & de hoc locutus eſt Sapiens. Quem locum explicans diuus Hieronymus, ait: Qui peccandi ſic frena relaxat, opprobrium æternæ damnationis nulla ratione euadit. Quapropter A exiſtimo hoc genus tenebrarum ſignum eſſe reprobationis.

Hinc tremenda illa verba in Phariſæos prolata ſunt à Chriſto Domino, diſcipulos ſuos alloquente: *Sinite*, inquit, *illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* Ecce in quas anguſtias prædicta cæcitas homines adducat: Sinite illos, inquit Ieſus, quia cæci ſunt. Hoc eſt, nè defatigemini in eorum ſcandalo auferendo, ne in inſtruendis illis tempus conteratis. Relinquite eos, neque fruſtra in eorum ſalute curanda laboretis; ſinite illos, ô ſinite illos, ô verba, non verba, ſed tonitrua, ſed fulgura! Domine nec ſic derelinquas me in ira tua, &c. Agite ergo fratres, & totis viribus intendite, ne ſic à Deo deſtituamini. Ne, rogo, patiamini in profundum peccatores venire, ſed aſpicite cæleſtem lucem, Deum ſequimini, qui lumen vobis auxiliumq; præbebit, quo & gratiam & gloriam denique ſempiternam aſſequamini.

PROP. V. *Magnum Dei ſupplicium ob peccata ſolet eſſe cæcitas mentis, & de aliis eius cauſis.*

DE ſapientibus mundi dixit Apoſt. *Cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum, glorificauerunt*, &c. & ſubdit: *obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*, & infra, *tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*, ob peccata ſcilicet eorum. Expendit locum iſtum Sanct. Bernar. Epiſt. 18. dicens, *Meritò obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, quia cùm veritatem cognoſcerent, & contemnerent, iure receperunt in pœnam vt nec cognoſcerent eam. Quid autem iuſtius quàm contemptoribus ſubtrahi ipſam cognitionem? quid, inquam, iuſtius quàm quòd iam de eius cognitione gloriari non poſſint qui cognitam non glorificauerunt.* Ita Sanct. Bern. *Que pues temiendo conocimiento de la verdad no la glorificaron, no puedan ya gloriar ſe de ſu conocimiento.* Rom. 1. 21.

Inter omnia flagella ac ſupplicia, quibus Deus Opt. Max. populum ſuum mulctauit, illud extat grauiſſimum, quod eos ſcilicet templi candelabro ſpoliauerit. quod quidem crudele, & hoſtile ſupplicium eſt; cùm enim Deus in luce ac ſplendore punit, vtiliſſimum eſt huiuſmodi flagellum; illo namque ſalutis remedia impiis pateſiunt, at verò cùm homines terræ obſcuritatis verberibus afficit, inflicta vulnera, liuoremque ſigna non perſpicit iniquus, atque idcirco medicinam ſaluti neceſſariam ſpernit. Ier. 5. 22.

Sed vnum iam à Deo extat in Eccleſiam maximum beneficium, quòd in medio eius luciduſſimum iubar conſtituerit, quo illa vndequaque ſplendiſſimo lumine compleretur. Zacharias propheta: *Vidi, & ecce candelabrum aureũ totũ, & lampas eius ſuper caput eius.* Magna inter ſacros Doctores ſuſcepta eſt diſputatio, quod ſit hoc candelabrum, & quid lampas deſuper collocata. D. Cyrillus ſuper hunc locum, & cæteri auctores Eccleſiaſtici, teſte D. Hieronymo, in hoc candelabro intelligendam eſſe Eccleſiam cenſent, vnde ſacra Scriptura ſeptem Eccleſias ſeptem candelabrorum nomine appellat. Neque verò vocatur lucerna, ſed candelabrum, quod quidem ſicut non eſt ipſum lumen, ſed luminis domicilium; ita etiam Eccleſia non tam lux ipſa, quàm lucis domus appellanda eſt. lampas autem ſuper candelabrum quid eſt? D. Athanaſius & Cyrillus aliique doctores, vt refert D. Hieronymus, hanc lucem affirmant eſſe Chriſtum, qui eſt caput Eccleſiæ. De quo etiam idem Hieronymus interpretatur illud Euangeliſtæ, *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum*; vbi docet Chriſtum Dominum vocari lucernam. Hoc ergo ſeruator noſter denuntiat, cùm in hodierna hiſtoria inquit: *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi*, & ſimiliter diuinus ſcriptor Ioannes, cùm ait: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Atque idemmet Chriſtus de ſe ipſo ait: *Ego ſum lux mundi*: Singulare Apoc. 1. Matt. 5. Ioan. 9. Ioan. 1.

pro-

profectò beneficium, & grauissima recordatione dignum, à Deo in homines profectum est, cùm mundo densissimis tenebris, tetraque caligine circumfuso, ipse æterni Patris filius, sol iubatque splendidissimum factus, lumen attulit salutiferum. Videnti Ioanni immensas cæli diuitias, demonstrata fuit simul lux illa quâ nobilissima Dei ciuitas illustratur, cuius lucem
Apoc. 21. Agnum esse testatur, *Et lucerna eius*, inquit, *est Agnus.* Contemplamini igitur quantum sit Dei beneficium, vt Agnus, qui cælestem vrbem illuminat, idem nobis datus sit ad mundũ sua luce, & splendore collustrandũ.
Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Hoc igitur tãto lumine haud poterit Ecclesia tenebris circumuolui.

At si intueri libet, quàm sit confusus atque perturbatus mundus, constituite Christum Dominum intermedium, tanquam splendidissimam lucernam cunctas hominum functiones, eorumque vitas illuminantem, & tunc clarè mundi perturbationem, dementiamque cognoscetis. Animaduertite, quid Christus dixerit, quidve fecerit contra splendida conuiuia, pretiosos corporis ornatus, aliasque vanitates, quibus mundus deditus est, & reperietis hanc hominum insipientiam, & confusionem luce clariùs manifestasse. Ipse enim crucem, abnegationem propriam, submissionem, veramque bonorum temporalium despicientiam commendauit: illa verò bona, quæ cum ab hominibus maximè æstimabantur, cælesti quadam luce, vilissima esse ostendit, & magnam æstimationem in virtute ac sanctitate sitam esse monstrauit. Quare cùm de acerbissima sua morte, (in qua maiori lumine, ac clariate hanc veritatem manifestam reddidit) verba faceret Iudæis, dixit: *Ambulate, dum lucem habetis,*
Ioan. 12. 35. *vt non vos tenebræ comprehendant.*

Sed quæres cùm Christus Dominus hanc lucem mundo attulerit, quo pacto mundus oppositam viam sequitur? si humani generis vindex cælesti suæ doctrinæ, ac vitæ lumine docuit, inutile, & vanum esse, homines diuitiis, honoribus, voluptatibus, aliisque fluxis, ac perituris bonis se ipsos tradere, qua ratione huiusmodi bona tanto studio, ac diligentia ab hominibus inquiruntur, cruce, pœnitentiâ, corporisque castigatione contemptâ? *At mundus errat*, ait diuus Bernardus, serm. de Nat. Dom. *aut Christus fallitur; sed impossibile est diuinam sapientiam falli; ergo mundus errat; quòd si mundus in errorem rapitur, quomodo in illo tantâ constantiâ persistit.*

Ioan 3. 19. Huius rei causam hominum Seruator explicuit, *Dilexerunt*, inquit, *homines magis tenebras, quàm lucem.* cui
Ps. 35. 4. consonat illud Psalmi, *Noluit intelligere vt bene ageret.* sed cur amore odiosas tenebras, odio verò amabilem lucem prosequuti sunt in illis Christi verbis subditur, *Erant enim eorum mala opera.* Ille enim qui flagitiis studet, lucem odit, neque ei sermones de diuinis rebus habiti, neque libri sacri, neque studiosorum hominum familiaritas aut obiurgatio placebunt: sicut enim qui somno se dat oppilatis foribus, clausisque fenestris, lucem fugit, vt sedatè, tranquilleque dormiat, quia lumen quasi contrariatur somno quem ille diligit; sic flagitiosus, qui scelerum amore tenetur, odio habet Christi lucem, quippe suis flagitiis atque sceleribus aduersatur. Qui magni animi affectu ac desiderio honores & dignitates aucupatur, iniquo animo feret eum qui ea contemnenda esse dicat, & illius doctrinæ lucem oculis fugiet. Qui pecunias summo studio, & amore prosequitur, qua ratione Christum Dominum
Mat. 5. 3. Luc. 12. 33. audire volet, cùm ait: *Beati pauperes spiritu. Vendite quæ possidetis*, &c.

In delitiarum tenebris iacebat Herodes, cùm lucerna illa ardens, & lucens Baptista illum illuminare
Mar. 6. volens, dixit: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Cui quidem adeò hæc splendidissima lucerna displicuit, vt eam extingui iusserit; *qui enim malè agit, odit lucem.* Dilexit tenebras Herodes, quia erant opera eius mala, tollit è medio lucernam Ioannem, vt securiùs dormiret in tenebris.

De huiusmodi hominibus præclarè scribit Iob: *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas illius. Rebelles* ait; rebellis ille proprie dicitur, qui voluntati, ac subiectioni maioribus debitæ, resistit; homo verò, cùm ex propria sua natura rationis particeps, quasi iure naturæ debet sequi lumen ipsum rationis, cui cùm resistit, rebellis meritò nuncupandus est. *ipsi*, ergo, ait, *rebelles fuerunt lumini*, id est, noluerunt obedire lumini. quo pacto nescierunt illi. Præclarè D. Greg. 16. Moral. capit. 26. respondet, dicens: *Quia prius sciendo rebelles sunt, postea cæcantur, vt nesciant. contingit sæpe homines clarè cognoscere veritatem aliquam: nouit enim quis maximam esse amentiam, Dei mysterium voluptati, lucroque vili postponere, aut in obiectu libidinæ persistere, mortis, ac damnationis æternæ periculo pendere habito; cui veritati sæ resistat, tam est rebellis lumini, cuius rebellionis pœna ea est, vt illa quam antea habebat, omnino careat cognitione. De quo vias luminis nescire recte dicitur. Iob. ex quo illud præterea sequitur, quod maximè timendum est:* Nec reuersi sunt per semitas illius. *Solent namque aliquando homines radius cognitæ veritatis illuminati, abscepto flagitiorum vsu timere desistere. Hi verò qui rebelles sunt lumini, in tenebris iacentes, nec huiusmodi radios conspicientes, in sceleribus ad mortem vsque persistunt, damnationique sempiternæ addicuntur. Cauete igitur, fratres, ne mimi rebelles sitis, sed siquando animus diuinæ lucis radio illustretur, hanc sequamini lucem, ea enim æternæ salutis patefiet, quod si susceperitis, sicut sol in cælesti beatitudine fulgebitis.*

Illi qui animi lumine priuati sunt in æternam damnationem properare planè videntur, & quidem cum præpotens Deus Eliæi precibus commotus, oculos perstrinxisset militibus Syriæ, qui Israelitarum hoberant, duxit illos Deus in Samariam, cùmque in media vrbe versarentur, tunc eorum oculos Dominus aperuit, sed hi suæ caliginis causã in medio hostium constituti sunt, quos cùm oculis cernerent, quid dicerent? quas voces emitterent? quove animi sensu afficerentur? Hoc idem euenit iis qui spirituali cæcitate laborant. gradatim enim ad inferos descendunt, & in crudelium hostium conspectum deueniunt. Quid verò inter medios dæmones collocati, dicturi sint, prædictum est iam à Salomone: *Ergo errauimus à via veritatis*, dicent, *& iustitiæ lumen non illuxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* En suæ damnationis causã, priuatio nimirum lucis, ac cognitionis. iure igitur huius priuationis causam perquiram, vt illas omnes effugiamus.

Prima igitur est graue Dei supplicium, quo impios propter nefaria sua scelera punit aliquando. Hanc pœnam minitabatur Moyses diuinæ legis violatoribus, eos exercans in hunc modum, *Percutiat te Dominus amentiâ, & cæcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.* Non tamen Deus ita flagellat vt hominum mentibus tenebras immittat, sed permittit hominem cæcutire, & sine lumine ad inferos detrudi. quod quidem ab horribili & pertimiscenda Dei ira fieri videtur. Vnde B. Cyprianus epist. 3. ait: *Ira Dei est, non intelligere delicta, ne sequatur pœnitentia, sicut scriptum est, Et dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant.* ait ille. Quem locum apud D. Paulum inuenio, qui illum ex Esaiæ vaticinationibus deprompsit, & veritatem habuit in Israelitis, qui adeò obcæcati sunt, vt Deum ac Saluatorem suum crucifixerint. *Dedit*, inquit, *eis spiritum compunctionis.* Circa quod D. Pauli testimonium ita D. Chrysostomus loquitur: *Compungi nihil aliud est, quàm quasi incusso clauo ad aliquid infigi solideque configi: sicut enim is qui impietate com-*

compungitur, non facilè in aliud transfertur: sic & qui in malitia compungitur, non facilè commutatur. Vt igitur immedicabilem mentis illorum morbum immutabilemq; expr. meret, spiritum compunctionis posuit. Ita Chrysostomus. Hoc autem eodem supplicij genere, quo mulctati sunt Iudæi, Gentiles etiam affecti fuerunt, ipso Apostolo ita attestante: *Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt facerent ea quæ non conueniunt.* De huiusmodi ergo cæcitate dixit Cyprianus, *Ira Dei est*, &c. est enim graue Dei supplicium propter grauissima scelera hominibus inflictum. Obsecro igitur te Domine, ne in hoc furore arguas me, neque in tali ira tua corripias me.

Rerum item ignorantia huiusmodi caliginem infert, ex qua oritur sæpe, vt homo tanquam amens, ac vecors, nihil, quod sibi expediat, exequatur. his tenebris circumfusi erant ethnici, qui, cùm nondum veritatis lumen aspexissent, ligna, lapides, aliosque quos ipsi effinxerant Deos, diuinis honoribus prosequebantur. Cui malo vt homines remedium adhibeant, necessarium est, vt exquirant, quæ ad ipsorum pertinent statum, consiliumque petant, an hæc vel illa opera, quæ efficiunt, diuinæ sint voluntati conformia.

Aliqui tamen sunt qui in errorum tenebris iacere gaudent, neque volunt lucem aspicere, aut studiosos & sapientes consulere, vtrum hoc vel illud commercium, cui dant operam, liceat, an verò diuinis legibus aduersetur. quibus rectè illud Prophetæ carmen conuenit: *Noluit intelligere vt bene ageret.* In eius Psalmi explicatione ita loquitur D. Augustinus *ibid. Aliud est quando quisquam conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non potest, sicut ait alio in loco Scriptura: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et aliud est, quando possest intelligere, si bona voluntas accederet, & non intelligat, non quia difficile est, sed quia voluntas aduersa est. Sunt igitur homines qui volunt intelligere, & non possunt, & sunt homines qui nolunt intelligere, & ideo non intelligunt.* Hæc D. Augustinus. Sicut igitur deteriores surdi sunt qui obsurdescunt, ne ea quæ monentur audiant: ita & illi cæci peiores, qui nolunt lucem aspicere, qui scire non curant, quibus sint obligationibus Deo, hominibusque deuincti, qui consultò volunt ignorare quid Deus, quidve leges præcipiant, ac si ea ratione culpam à se dimouerent, sicut illi qui occlusis fenestris & clausis foribus in tenebris idola colebant, dicentes: Non videt Dominus nos: si hi existimant Deum non condemnaturum esse ea opera, quæ ab ipsis in illa caligine, & ignorantia fuerunt effecta. Sed vt intelligant hi quanto in errore ac fallacia versentur, audiant Vatem sanctissimum ita loquentem. *Dixit: forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis, quia tenebræ nō obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Quorum verborum sensus est, si stimulatus ab appetitu & cupiditate mea dixero: Effrenatæ me libidini ac voluptatibus tradam, quia fortè tenebræ operient me, deprehensum me planè videō, quia nox in tuis oculis, Domine Deus, est velut lampas illuminans peccata mea, non enim tenebræ obscuræ sunt tibi, cui nox idem est ac dies. Non igitur purgabit vos ea excusatio, neque culpam amouebit, sed augebit potiùs, quia noluistis intelligere, vt rectè ageretis, & vos ipsi animum obcæcastis vestrum ignorantiā quadam, quæ à Theologis affectata dicitur, & ideo, vt ipsi fatentur, non excusat, sed accusat aggrauatque peccatum.

Aliud deinde principium interioris cæcitatis est ægritudo animi; motus enim appetitionis excæcat mentem: sicut enim densi terræ vapores, qui à terra in cœlum ascendunt, solent cœlum nubibus tenebrisque obducere; ita motus, & affectus qui ex terra appetitus sensitiui sursum in superiorem rationis partem ascendunt, solent mentem caligine & obscuritate obtenebrare.

Quanta offusa fuit Salomoni caligo, qui, cùm omnium sapientissimus esset, Deoque optimo & maximo magnificam, & sumptuosam domum dedicasset, idolis tamen templa ædificans, diuinum honorem cultumque exhibebat, & hoc quidem ob turpissimum fœminarum amorem. vt enim sacra refert historia: *His copulatus est Salomon ardentissimo amore, cumque iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos.* Videte ergo quo pacto à nimio amoris motu obcæcatus sit Salomon. 3. Reg. 11. 2.

Sed, quantis etiam tenebris offusus est Herodes, cùm sanctissimum Baptistam impudentis fœminæ causâ, quam turpiter diligebat, occidi iubet. Quantâ item caligine Susannæ accusatores cæcutiebant, qui, cùm ætate, sapientiâ, consilio pollerent, quippe qui senes erant, ac reipublicæ iudices, fœminam sanctissimam accusarunt, fictumque in illam crimen inferentes, capitis damnarunt, libidinis sanè tenebris obcæcati. Sic enim Daniel quemdam illorum alloquutus est: *Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* Dan. 13. 56.

Idem etiam odij ægritudo præstat, quod amoris affectionem effecisse vidimus, vt notum sit in Saule, qui iniustè quidem octoginta quinque sacerdotes interfecit. Post quorum necem addit Scriptura: *Nobe autem ciuitatem sacerdotum percussit in ore gladij, viros, & mulieres, & paruulos, & lactentes, boues, & asinum, & ouem in ore gladij.* Quam ille stragem, clademque fecit, eò quòd sacerdos quidam ibi hospitio accepisset Dauidem, quem summo prosequebatur odio Saul. Animi ergo affectiones, si dominentur, mentem ad se trahunt, illique tenebras offendunt, adeò vt quod iniquum & iniustum, æquum & rationi consentaneum esse iudicet. Quoties auarus pecuniæ auiditate permotus, censet commercium esse iuri conforme, quod omni lege, tam diuinæ quàm humanæ contrariatur. Quoties iracundo videtur rationi consona vltio de inimico, quam sitit. Quoties denique sui amatores sibi ipsis in multis indulgent, & ieiunium ac corporis castigationem respuunt, fingentes hoc suæ valetudini esse necessarium. O summam hominum cæcitatem! Considerate obsecro, reddendam esse à vobis rationem Deo, qui decipi nequaquam potest. Nec cupiditates, appetitionesque vestras sequamini, sed lucem, quam humani generis vindex nobis attulit, aspicite. Eâ enim lucernâ pedibus vestris existente, non deflectetis à recta via, quâ ad gratiam gloriæque domicilium peruenitur. 1. Reg. 21. 19.

Duritiem cordis & mentis cæcitatem grauium peccatorum pœnam esse, testantur S. Chrysost. & Primasius, & S. August. Alex. Alens. S. Thom. & S. Bonauent. hi omnes asserunt cæcitatem mentis, & duritiem cordis esse pœnam à diuina iustitia inflictam propter peccata grauia priùs commissa, & de infidelibus id affirmauit S. Paulus, *Deus* (inquit) *excæcauit mentes infidelium.* id est excæcari permisit propter peccata eorum, & de quibusdam peccatoribus, qui sapientes se esse autumabant: *Obscuratum est insipiens cor eorum,* & numeratis eorum peccatis, subdit, *& sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, &c.* Pondera verbum *tradidit*: *Entregolos al braco infernal paraque los demonios tentasen mas sueltamente a su apetito dellos, paraque sin freno corriesen por el camino de sus pecados.* Hæc autem pœnam non effectiuè, sed permissiuè est à Deo, dum eos non ita illuminat, & punit, sicut illis opus erat, vt à peccatis liberarentur; sicut patrem peccatorum filij causam dicimus, dum non illum ita monet, & punit, sicut eius insolentia opus habet: sic Deus, qui iusto suo iudicio peccatores secundùm peccatorum suorum exigentiam punire solet, deserere solet nonnullos, iuxta illud, *Et non audiuit populus meus vocem,* Epist ad Rom. In eadem Epi. c. 11. Lib. 2. cōtra Faust. Man. c. 9. 1. p. q. 29. memb. 4. 2. 2. q. 79. art. 3. 2. d. 36. q. 2: 2. Cor. 4. 4. Ad Rom. 21. Psal. 80. 12.

cem meam & Israel non intendit mihi, &c. & dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Sic Deus tradit impios, non in manus vrsorum, & pardorum, sed desideriorum suorum. Sed tu Domine, quomodo hac pœnâ punis illos? hoc illis non pœna sed gratia videtur. desideria sua sequi, & pro libitu adimplere, absque aliquo impediente gratia hæc illis modò videtur. sed in pœnis gehennæ non gratiam, sed atrocissimam pœnam fuisse cognoscent, id modò non agnoscunt, quia traditi sunt in reprobum sensum. Aperiet oculos pœna, quos culpa clausit, & tunc quàm grauis fuerit huiusmodi pœna, videbunt, & dicent: *Ergo errauimus, &c.* *Sap. 5.*

Obserua etiam huiusmodi pœnam ex incorrigibilitate sæpiùs oriri: cùm enim interiùs per se, ac per Angelum custodem, & exteriùs per concionatores, labores, mortes aliorum, & varios casus nos Dominus monuet, ad vitæ commutationem obligat nos: quòd si surdos nos tantis vocibus præstiterimus, iure optimo manum & operam retrahit Deus, & deserit contumaces. Vbi etiam secundò notandum est, sæpè Dominum, peccatorem sic admonentem, ad certam peccatorum periodum, & determinatum numerum peccatorum, hominem expectare, semper auxilia specialia exhibendo, vltra quæ gratia huiusmodi non procedat: sed induratum ex tunc miserum relinquat, vti obseruauit S. Augustinus & Caietanus. *Lib. 2. de doct. Chr. c. 3 & 4. q. 1. de pœnitentia. Tentaculo 8 q 3.*

Prop. VI. *Per mentis cæcitatem dæmon homines in peccatum detinet.*

Simile. Herodius naturâ suâ per aërem volitare, & aues alias venari optat, captus autem à venatore, in pertica ligatur detinetur: ne autem nimiùm crocitet, & volare contendat, capitio quodam eius oculos præstringit venator; sic anima nostra naturâ suâ in alta volare cupit, & quæ superiora sunt captare; at infestus ille, ac tartareus venator captam per peccatum animam capitio cæcitatis obruit, quo in peccato religata quiescat.

Prop. VII. *Cæcitas mentis reprobationis signum est.*

Lenit. 11. Leuit. 11. reprobauit Deus olim aues quæ tenebris gaudent, quas nos aues nocturnas appellamus, has Deus inter immundas numerauit, & reprobauit. cur ita? Theodor. q. 11. in Leuit. *vt tenebras,* inquit, *odio prosequamur.* Ita ille. Tenebras videlicet mentis. Homines igitur qui tenebras mentis patiuntur, signum secum ferunt reprobationis. nec mirum: nam hi, veluti cæci & ignorantes, saluationis suæ remedia nec vident, & per consequens nec quærunt. Vnde Matth. 15. de Pharisæis illis cæcis sic Dominus ad Apostolos: *Simite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. O terrible palabra, dexad los, Señor, que estan en peccado mortal: Dexad los en su peccado, pues tan porfiadamente se quieren estar en el,* finite illos, *Señor que se van al infierno? Dexad los ir al infierno, pues no basta razon con ellos de querer ir al cielo,* finite illos, &c. quando *a esa cequedad llegan, dad los por desauciados, bien podeis doblar por ellos,* finite illos. Verum autem est, quòd, licèt talia signa reprobationis dentur, si aliquando tales immundi conuerti vellent, non est impossibile, dum viuunt, conuerti, quia apud pium nostrum Deum omnia possibilia. sunt vt Act. 10. in linteo illo à cœlo dimisso, in quo animalia immunda continebantur, significatum est Apostolo Petro, ad quem Dominus ibi: *Occide,* inquit, *& manduca,* hoc est, recipe intra viscera Ecclesiæ, si conuerti voluerint, &c. nemo desperet. difficilis tamen est horum conuersio: ob hoc enim, finite illos (ait Dominus) non vt desperemus de eorum remedio, sed vt magnam salutis horum difficultatem explicaret. *Matt. 15. 14.* *Act. 10. 13.*

S. Epiphan. in Physiol. c. 23. *Est* (inquit) *auis Charadrius dicta, quàm Physiologus ait albam esse totam, absque vlla prorsus nigredinis nota. Porrò, si quis morbo laboret, siue hominis ægritudo lethalis, propellectum suum Charadrius ab illo auertit; sin verò non auertit, vitæ securitatem promittit, tum nempè Charadrius in ægrum visum intendit, & vicissim æger in Charadrium. Sic Christus Dominus candidus est, & iustus, absque vlla nigredinis nota, qui à reprobis vultum suum auertit, in sanctorum autem faciem respicit.* Ita S. Epiph. Atqueres, quid est respicere Deum aliquem? Cardinalis noster Bellarminus in illa psalmi 12. verba, *vsquequo auertis faciam tuam à me?* *Quando* (inquit) *tenebræ obscurant intellectum, videtur Deus auertere faciem suam ab anima; ipse enim est lux, & ideo illuminat, cùm faciem auertit, & in tenebris relinquit, cùm auertit.* Ita ille. Fauet expositio S. Hieronymi dicentis: *Vsquequo auertis faciem tuam à me, vt non habeam intelligentiam, neque sim in lumine cogitationis tuæ ante terminum vitæ huius?* Ita ille. Et similiter S. Augustinus dicens: *Auertere faciem tuam dicitur Deus, dum non dat animæ notitiam sui, quæ adhæret purum mentis oculum non habet.* ita S. Augustinus. huiusmodi est cæcitas mentis illius, qui audiendo non audit vt faciat ea quæ audit, & illius qui legendo non operatur, quæ legit, & ad salutem animæ conducunt, hic mortuus quodammodo, audit quasi non audiret, ille legit quasi non legeret, & intelligit quasi non intelligeret: hunc diuinus ille Charadrius non respicit, quod mortis æternæ & reprobationis signum est. A B C D

Prop. VIII. *Ex cæcitate mentis non solùm peruenient damna spiritualia, sed etiam corporalia.*

Psalm. 3. *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum.* Ecce quid de quibusdam peccatoribus dicat locus iste, *contritio in viis eorum,* quia vexantur, & conteruntur, quærentes diuitias, & delitias, & honores mundi per fas & nefas, vt concupiscentijs suis satisfaciant, & tamen *infelicitas,* inquit, *in viis eorum,* quia satisfactionem & satietatem, quam sic quærunt, minimè inueniunt. vti in Absalone videre licet, qui labore magno exercitum comparauit, vt impiè debellaret parentem, & regnum eius sibi vsurparet; pugnauit, exercitum & se crudeliter vexauit, & tandem suspensus & telis confossus, infeliciter animam exhalauit, sic *contritio & infelicitas in viis eius.* Et subdit: *viam pacis non cognouerunt.* Via pacis via virtutis est, quia, *Pax multa diligentibus legem tuam,* (ait Dauid Psalm. 118.) *& non est illis scandalum,* id est, *non est infelicitas in viis eorum,* sed felicitas, sed beatitudo, sed gloria. hanc non cognouerunt impij, quia excæcauit eos malitia eorum, & merito cæci non cognouerunt, dum viuerent, cognoscent in Gehenna. Sic S. Basil. in hunc Psalm. super hæc verba, *Nónne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem?* (inquit) *cognouerunt admoniti, cognoscent doluere.* Ita ille. Etenim verum sic esse ostendunt verba ipsorum damnatorum in inferno, dicentium Sap. 5. *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Ecce quomodo *contritio & infelicitas in viis eorum,* sed serò sapiunt Phryges.

Prop. IX. *Multi in rebus temporalibus perspicaces, in spiritualibus verò cæci sunt.*

Hi similes dicuntur primò noctuis, & vespertilionibus, qui in tenebris nocturnis rectè vident, & volant, & in luce dici cæcutiunt; sic multi in tenebris peccatores minutissima quædà perspiciunt puncta, scilicet honoris, quæ vix cerni posse videntur, & vsuras palliatas, quæ vix vsuræ, sed iusti contractus apparent, &c.

Item

Item similes dicuntur talpis, quæ per meatus terræ occultos discurrentes inter obscura terræ videre dicuntur ad lumen verò deductæ, cæcæ omnino sunt; sic mundani peccatores in rebus terrenis intelligunt, discurrunt, percipiunt cuncta, quantumuis intellectu difficilia sint, in his verò, quæ luce clariora videntur, quæque ad animæ salutem conducunt, ita cæcutiunt, vt vix rudimenta Christianæ religionis attingant; quo quid infælicius? A

Præterea similes sunt miluis; miluus enim velocissimè volat, & acutè ac perspicaciter videt, sed tamen volatus eius, & visus acies ad quid, quæso, illi deseruiunt, nisi ad capiendos pullos paruos, & lacertas viles seu mures? ardeas verò vel perdices & alias similes aues nequaquam; sic etiam mundani peccatores ad honores, diuitias & delitias & bona mundi, quæ comparatione rerum spiritualium minima & vilia bona sunt, perspicaces & acutissimi sunt, ad spiritualia verò vespertiliones sunt, &c. B

Præterea similes sunt piscibus, qui per semitas maris natant velociter, imò volare videntur; ad hoc enim eis natura tribuit alas, sed tamen ad ripam eductos palpitare eos videbis, & è loco se mouere non valent: sic sapientes sæculi huius in his quæ mundi sunt, volare mente & ingenio videntur, *yeden el cabello, matan las en el ayre, saben lo que no se sabe*, at in rebus spiritualibus omnino cæcutiunt, sciunt peccare, & confiteri peccata, cùm ad confessionem accedunt, ignorant; imò quæ pueri in schola ex doctrina Christiana sciunt, ipsi nesciunt: interroga eos de fide Trinitatis & articulis alijs, & eos torpere videbis, &c.

Prop. X. *Mali ad mala sapientes, ad bona verò insipientes sunt.* C

Sed *& serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* S. Augustl. *lib.* 11. *de Gen. ad lit. cap.* 2. *&* 3. & alij, inquit, *prudentissimus* leguntur translatiuè dictum; quidam codices habent *sapientissimus. Serpens non rationali anima, sed diabolico spiritu, potest sapientissimus dici, quia mali Angeli superbia deiecti, naturâ suâ sunt excellentiores omnibus animalibus propter eminentiam intellectus. Non ergo mirum si diabolus spiritu suo implens serpentem, sicut vates implebat, sapientissimum reddiderat omnium bestiarum.* Ita S. Augustl. sic igitur de malis & peccatoribus philosophandum est, sapientes sunt vt faciant malum, non ita bonum, quia diabolus, qui dominatur in corde eorum, sic eos docet, suggerens astutias malas in corde, docet auarum lucra iniusta quæ bonus nunquam nouit, superbos ambire & acquirere dignitates, iratum quomodo se de inimicis possit vindicare, &c. Nesciebat serpens loqui & decipere Euam, sed tamen per dæmonis assistentiam id efficit; sic & mali qui aliàs nesciunt aliqua perficere, dæmonis ductu & suggestione perficiunt, &c. D

Prop. XI. *Peccatores in rebus parui momenti sapientes sunt, in rebus verò magni momenti cæci sunt.*

12. Scribæ & Pharisæi magistri erant & doctores in populo: quomodo ergo non cognouerunt, miracula à Christo Domino edita sufficere ad probandum illum Messiam: petebant vt opus aliquod miraculosum exequeretur de cœlo: quid habent efficaciæ maioris miracula in cœlo edita, quàm in terra? tanta quidem virtus requiritur ad restituendum visum cœco, quàm ad Solis cursum retardandum. & ipsi (quando doctores erant) si in gymnasio ih hanc Theologiæ difficultatem inciderent, dicerent ad quodlibet opus miraculosum, infinitam Dei virtutem requiri, quodlibet enim opus miraculosum super vniuersam naturam est, & ad illud edendum virtus supernaturalis necessaria est: quomodo ergo miracula de cœlo petunt, cùm ea viderint in terra? Cùm sapientes in terra sint, quomodo toto aberrant cœlo? quomodo per miracula à Christo edita, non ascendunt tamquam per quosdam gradus, ad eius diuinitatem agnoscendum & summo cultu, & veneratione prosequendum?

In his Scribis & Pharisæis illorum calamitatem & miseram conditionem cognoscimus, qui in rebus nullius ponderis & momenti sapientes sunt, in rebus autem maximi momenti omnino ignari: alijs præclarè consulunt, & illorum malis medicinam adhibent: sibi autem quod peius est eligunt, id exemplis confirmemus.

Antiqui illi Philosophi, in philosophicis studiis, Metaphysicis, astrologicis, mathematicis versati erant, in moribus autem & viuendi ratione omnino perditi: vt pecudes, sine vlla ratione & prudentia vagabantur, in rebus autem, quæ moribus conducebant, oretenus eruditissimi erant, vt ait Diuus Augustinus: *Fuerunt quidam Philosophi de virtutibus & vitiis subtilia multa tractantes, diuidentes, definientes, ratiocinantes, acutissimè concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis concrepantibus ventilantes, qui etiam dicere auderent hominibus: Nos sequimini, nostram sectam tenete, si vultis bene viuere.* Ita S. Augustl. Si autem eorum mores & viuendi rationem attendas, nihil laude, sed vituperio dignum, inuenies. Honestatis naturam formamque cognouerant, sed honestatem minimè colebant. Turpitudinis vitium omnino declinandum esse docebant, turpitudinem autem amplectebantur. De submissione animi multa dictabant sæpè, illi autem superbi erant, & elati: in definitionibus, & diuisionibus ingenij acumen ostendebant, in vitijs autem & sceleribus voluntatis infirmitatem declarabant, ad res inutiles & noxias acuti, ad vtiles & salutares hebetes, ignaui. *Trac. 45. in Ioann.*

Multi etiam in Academijs & gymnasijs publicis versantur hodie, qui ingenuas & liberales artes didicerunt, & vtriusque iuris peritissimi sunt; rerum autem, quæ ad animi salutem conducunt, ignari sunt: diuitias congregant, honores quærunt, dignitates assequuntur, principibus inseruiunt, corporis luxui & voluptati vacant, & in his rebus peritissimi sunt: at nec cœlestia bona quærunt, nec animæ saluti vacant, nec dant operam vt apud Deum gratiosi sint, & Sanctorum familiaritatem assequantur: nec vllis bonis operibus se exercent: sed illam sapientiam assequuti sunt, quam Ieremias Propheta reprobat, cùm ait: *Sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Vsurarius mille vtitur præstigijs & argutijs, vt vsuram virtutis habitu contegat: vt autem rem alienam Domino restituat, omnium rerum ignarus esse videtur. Iurisconsultus etiam omnia iura quòcumque vult, inflectit, nescit autem prima rudimenta Christianæ religionis. Iudex etiam cùm iniustam sententiam profert, illam tot coloribus fucat, vt apud homines illa iustissima & ipse integerrimus iudex videatur. Nesciet autem modum & rationem inuenire, ne in diuino iudicio iniustus iudex appareat, & sempiternis supplicijs deputetur. Hæc est Pharisæorum natura, qui in sacris literis versatissimi sunt, & signa, quæ verum Messiam præcedere debebant, nosscebant, & docebant, cùm autem ipse ob illorum oculos versaretur, nec illum, nec vera signa nouerunt, nec illi debitum cultum & veneration em exhibuerunt. *Cap. 4. 22.*

Alij sunt qui ea, quæ alijs vtilia sunt, noscunt, ea verò, quæ sibi essent profutura, ignorant: similes Prophetæ Balaam, qui cùm in montem ascenderet, vnde omnes intueri posset, & magnum exercitum hominum prospiceret, sensit, & annunciauit illis quæ ventura erant, & pericula quæ post mille annos erant subitu- *Num. 24. 5. & 17.*

ri: cumque ipse post paucos dies esset interficiendus, A nec periculum præcauere sciuit, nec necem declinare. Alijs sapiens, sibi autem insipiens.

2. Reg 16. 23. Achitophel etiam in rebus bellicis exercitatissimus erat, & tantæ prudentiæ, tantique consilij, vt dicat Scriptura: *Consilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi quis consuleret Deum: sic erat consilium Achitophel.* Hic autem, cuius consilium instar oraculi habebatur, qua ratione sibi consulit? Exigebantur sententiæ in Senatu de bello peragendo: cùm autem ipse suam sententiam protulisset, & itum esset in alterius consiliarij sententiam, tantam indignationem animo concepit, vt consilium inierit, de collo laqueum inferendi, & vt

2 Reg 17. 23. eiusdem Scripturæ verbis vtar, *Achitophel videns quòd non fuisset factum consilium suum, strauit asinum suum, surrexitq;, & abijt in domum suam, & dispositis domo sua, suspendio interijt.* Quantùm aberrauit à recta via in suis rebus proprijs, qui in alienis semper attingebat scopum. Domum suam disposuit, testamentum scripsit, hæredes instituit: erga alios sapientissimus & B magni consilij vir, erga se autem nullo consilio & ratione vsus est, sed, laqueo in collum inserto, suspensus est.

Huic erant similes Scribæ, & Pharisæi. Herodis tempore sacræ Scripturæ volumina euoluerunt, & cùm in illis versati essent, tempus & locum, in quo Christus natus est, Magis indicarunt: cùm autem Christus Dominus inter illos versaretur, & præclara signa, quæ illum ostendebant, & veluti digito indicabant, oculis cernerent, illum non agnouerunt sed signa

Matt. 12. 38. petunt de cœlo. *Magister volumus à te signum videre.* Similes illis, qui arcam Noë construxerunt, qui artem & industriam suam collocarunt in constructa arca, in qua Noë diluuij influentis tempestatem superaret, quo ipsi submersi sunt. Sic legisperiti alios docebant veritatis viam, vt Messiam agnoscerent, illumque cultu & C veneratione prosequerentur: illi autem nec illum agnouerunt, vt oportebat, ad salutem, nec, vt par erat, debito cultu & veneratione prosequuti sunt.

Rom 1.21. Omnes isti sapientes stulti possunt appellari: *Quia obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Aut, si magis placet, horum sapientiam peccatorum sapientiam dicamus, quæ intra intellectum solum consistit, nec se ad voluntatem diffundit: at iustorum sapientia non solùm inhæret menti, sed in operibus cernitur. *Scientia Sanctorum, prudentia*

Prou. 9. 10. (ait Sapiens.) Maximum verfatur discrimen inter sapientiam & prudentiam: illa enim speculatiuam rei cognitionem assequitur, hæc autem praxim, vt docet

Aristot. 6 Ethic. c. 6. & 8. Philosophus: vnde idem Aristoteles ait: Prudentia non potest esse comes iniusti.

Hæc iustorum sapientia, quæ prudentiam complectitur, nobis necessaria est; & hanc Deus in nobis requirit: vt satis indicauit in libris illis, quos Ezechieli & Ioanni deuorandos tradit. Mirabilia valdè hominum oculis abdita illis patefecerat, deinde singulos libros in cibum præbet, hoc ferculum illis ministrari præcipit Dominus. & quidem mirabilis est cibus iste, pane & carne vescuntur homines, non autem chartis librorum. Quid dapes illis indicant? dicam: quod homines comedunt, in eorum substantiam digestum conuertitur: vt autem intelligamus doctrinam, quam Deus tradit, in nostram vtilitatem conuertendam esse, præcipit vt libri, in quibus scripta erat, deglutiantur. Sunt enim aliqui, qui sanam doctrinam in codicibus eleganter scriptam seruant, alij eam primoribus labijs deguſtant, & in lingua seruant, vt eâ in concionibus & collocutionibus vtantur: vnde non sibi sed aliis prosunt. Necessarium igitur est, vt in stomachum delabatur, ibique charitatis ardore concocta, digeratur. Nehis Pharisæis similes simus, quorum doctrina non illis, sed alijs proderat. in memoriam reuocate consiliũ Christi Domini: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate, & facite: secundum verò opera illorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.*

CASTITAS.

Vide verb. *Virginitas.*

PROP. 1. *Castitas virtus Deo valdè grata.*
2. *Quàm gloriosa & delectabilis sit victoria castitatis contra luxuriam.*
3. *Ad seruandam castitatem vitanda est communitatio & conuersatio periculosa.*
4. *Castitatis præconia.*

PROP. I. *Castitas virtus Deo valdè grata.*

BEati mundo corde, *quoniam ipsi Deum videbunt.* S. Chrysost. & Theophylact. hanc munditiem cordis, castitatem interpretantur, quæ non solùm corpore, sed in corde seruanda omnino est. Cui Dominus visionem diuinam promittit, in qua essentia ipsa beatitudinis consistit. Promiserat quidem pauperibus spiritu regnum cœlorum, lugentibus consolationem, misericordibus misericordiam, mitibus possessionem terræ: & quamuis his promissionibus gloriam spoponderit Deus; cæteris tamen quasi per circumlocutionem beatitudinis & periphrasim, mundis autem & castis expressè & formali nomine beatitudinis, *quoniam ipsi Deum videbuntur*, in qua visione formaliter ratio beatitudinis & gloriæ consistit.

Hinc Apoc. 14. eos qui hoc præditi sunt munere, ait comites esse Christi in cœlo. *Hi*, inquit, *sequuntur agnum quocunque ierit*, eos quidem nobis comites pertuos habere solemus, quos diligimus valde; ex huiusmodi ergo magna societate Christi cum his, qui castitate præminent, quantùm Deus castos amet, & magnifaciat, constat: *Hi*, inquit, *sequuntur Agnum, quòcunque ierit.* Quod & in hac vita verum habet: sequuntur quidem per imitationem reliqui iusti, Confessores scilicet, suis pœnitentijs, Doctores, suis verbis docendo alios, Martyres, tormenta patiendo, &c. hi scilicet in hoc illi in alio: at castimoniam sectantes quòcumque ierit sequuntur, sicut doctores, docendo, non verbo, sed exemplo, quæ doctrina omnium efficacissima est; sequuntur, sicut confessores pœnitentiâ, & corporis mortificatione, quia nulla maior corporis mortificatio, imò sequuntur sicut Martyres, quia castitas perpetua dicitur modo quodam martyrium: denique *sequuntur hi, agnum quòcunque ierit.*

Genes. 5. *Ambulauit Enoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*, Chaldæus interpres sic: *Ambulauit Enoch cum Deo, & non ipse, quia non mori fecit eum Dominus.* Cur ita? Doctus quidam Author, *Castitatem*, inquit, *coluit Enoch, sic mortem ignorauit.* ita ille.

Idem de Elia quod de Enoch factum esse scimus. Cur ita? Etenim eadem ratione. Ita S. Hieron. lib. 2. contra Iouinianum, *Vbi Elias*, inquit, *virginitas demonstratur, in Moyse nuptiæ. Moyses mortuus, & sepultus est; Elias verò igneo curru raptus, ante immortalis esse cæpit, quàm mortuus.* Ita ille. Immortalem dicit, quia vsque ad finem mundi viuet sicut Enoch. Propter puritatem illam tantum Deus diligit castos, &c. Vide S. Ambros. lib. 1. de Virginib.

PROP. II. *Quàm gloriosa & delectabilis sit victoria castitatis contra luxuriam.*

S. Cyprianus lib. de bono pudicitiæ: *Nihil animum fidelem sic delectat, quàm integra immaculati pudoris conscientia, voluptatem vicisse voluptas est maxima, nec vlla maior est victoria, quàm ea, quæ de cupiditatibus refertur. qui hostem*

hostem vicit, fortior fuit altero ; qui verò libidinem repressit, seipso fortior fuit : qui inimicum prostravit, externum hostem percussit ; qui cupiditatem depressit, hostem domesticum superavit. malum omne facilius vincitur quam voluptas, quia illud quidquid est, horridum est, hoc verò blandum est, nihil tam difficilè opprimitur, quam quod per illud armatur. Qui cupiditates vicit, pacem sibi perpetuam acquisivit. Ita S. Cyprianus. Vbi nota verba illa, *qui libidinem repressit, seipso fortior fuit*, hæc enim est maxima omnium fortitudo: nã, vti ait Salomon ; *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* vbi melior pro fortiori sumitur, vti adnotauit Iansenius. Sensus ergo est, fortior est patiens quàm vir qui magnis corporis viribus præstat, & rursus fortior est qui dominatur animo suo, hoc est, qui affectus cordis sui moderatur, quam qui ex pugnat, & vi armorum capit vrbes. Vnde rectè Poëta.

Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit.
Mœnia & idem.
Ardua res vicisse alios, victoria maior
Est animi fluctus compositisse sui.

Et alius: Latiùs regnes avidum domando
Spiritum, quàm si Libyam remotis

Gadibus iungas, & vterque Pœnus Seruiat vni. Potuit Alexander mundum ferè vniuersum subiugare, affectibus verò suis non nouit dominari. Inter reliquas verò animi affectiones lasciuia potissimùm locum habet vnde qui talem affectum moderatur, fortissimus vir censetur.

Hinc igitur delectatio & gaudium magnum cordis post passionis & tentationis huius victoriam, hinc gloria apud Deum & homines, hinc etiam approbatio Dei ; placet enim maximè Deo hæc victoria. vt patet in Iosepho, quem, vti adnotauit S. Cyprianus vbi supra, ideo exaltauit Deus, & custodiuit ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & exaltauit eum, non solùm in Ægypto, sed in Orbe toto. & patet etiam in sancta Susanna, quam ob eandem causam miraculosè à falso testimonio senum liberauit, & iam morti capitali damnatam, eripuit, & reddidit gloriosam, &c. Oportet autem ad hoc delitias fugere. nam, sicut ait Laurentius Iustinianus in sua vita *cap. 9. Pudicitiam cum carnalibus blandimentis sectari nihil aliud est quàm ignem extinguere velle, & superimponere ligna.* Ita ille. Meminisse etiam oportet illius sententiæ S. Ambros. *libr. 1. offic. cap. 1. Si pro verbo otioso reddet vnusquisque rationem, quanto magis pro verbo impuro & turpi.* Ita ille. qui ergo vincere curat tentationes carnis, vincat & huiusmodi delectationem, & sic delitias corporis pro delitijs spiritus commutabat : nam ingens gaudium acquirit anima huiusmodi tentationes vincens. Iudicum 14. interfecit Samson leonem, & postea in ore leonis fauum inuenit mellis, ex quo ipsi & parentes eius comederunt. quid dulcius melle? leonem autem vincit, qui carnis tentationem vincit, ex cuius victoria prodit dulcedo maxima victori & Ecclesiæ & Christo Domino.

Prop. III. *Ad seruandam castitatem vitanda est communicatio & conuersatio periculosa.*

S Anct. Hieron. ad Nepotianum: Ne in præterita castitate confidas, neque enim tu Dauide es sanctior, neque Salomone poteris sapientior esse : memento semper, quod Paradisi colonum de possessione sua ejecit mulier, solus cum sola, absque arbitro & teste non sedeas, etiam si secretum aliquod interfit, & quidquid probabiliter fingi potest, crebra munuscula, & fudariola, & fasciolas, & degustatos cibos, & blandas dulcesque literulas, sanctus amor non habet. Ita S. Hieron.

Ponderanda sunt illa exempla Dauidis, Salomonis & Samsonis, & quotidie huiusmodi exempla administrat hominum incuria, nulla virtus ita opus habet occasiones fugere, sicut castitas, & continentia, & superbum se nouerit, qui se inter huiusmodi occasiones credit esse securum. Hic, hic qui amat periculum, peribit in illo.

Prop. IV. *Castitatis præconia.*

PVdicitiam qui colit, quantæ nobilitatis sit, facilimè cognoscit : *Est enim tanta virtutis, vt sit honorabilis etiam hostibus suis. Hæc totius generis humani fundamenta continuat : hæc nominum proprietates vniuersis asseruit. hæc præstat : hæc parentum, coniugum, liberorumq; fauet iura custodit. hæc in vtroque sexu conspicua, in omni ætate miranda, in quauis conditione non dubia, soli sibi deuota, semper bene conscia, prorsus nulli res subiecta, vnum tantummodo metuens, ne sit amplius, quàm volatur. Denique in solicitudine, quæ à metuentibus vocatur ocyalio, se tamquam arbitrum timet ; omnemque secretum plus, quam publicum, reuereatur. pestiferas odit blanditias carnis inimicæ : & quod quod ingesserit mundus voluptatis, aut muneris, totum respuit, præsumens totum se habere, si pura sit. nematem fœdè desideravit : nec vlli similiter se desiderabilem præstat : in suo statu omni loco, omni tempore manet, plus honestati consulens, quam veritati.* S. Zeno serm. de Pudicitia.

Beata, cum adhuc in pueris ; beatior, cum in adolescentibus lapsus feliciter timet ; beatissima, cum in iuuenibus carnalia extinguere incendia laborat. sane in senibus vt est honoranda, ita miranda non est, quia licet victrix, tamen triumphi sui palmam senectutis cum vigore partitur : cessat enim concupiscentiæ pugna, vbi subcrebescentibus morbis ipsa necessitate etiam impudicorum pudenda sunt membra.

O quantum est miranda pudicitia, quæ aliter laudari te non vis, quam vt custos auis, solo bonæ conscientiæ ornamento contenta. Tu in virginibus felix ; in viduis fortis, in coniugiis fidelis, in sacerdotibus pura, in martyribus gloriosa, in angelis clara, in omnibus verò regina. Tu numquam carni, nunquam vllis subiaces legi. De voluntate nasceris, sed bono puritatis voluntatem ipsam paris ; quia voluntas sit voluptas posse mediam tua, cum per eam quotidie tricenos, sexagenos, centenosque collegis fructus. tu in pauperibus dines, in diuitibus ditior, æqualis in omnibus consummatis. tu es honor corporum, tu thesaurus animarum. tu fundamentum culmen, ac fructus omnium coæquarum, tu tui propositi insolubilis nodus æternus. Per te legitima iejunia celebrantur. Per te allegatæ, priusquam fundantur, acceptantur preces. Tu es sacrificium Deo earum : tu legitimum Dei templum : sacratum pudoris. Te corruptio intrare non nouit. Per te sæculum vincitur, concupiscentia omnis elidituir, diabolus subiugatur, Antichristus non timetur, Spiritus sanctus inducitur, glorificatur Christus, Deus Pater omnipotens propitiatur. Posteremo ille felix in futurum regnabit, qui tecum illo peruenerit. Hactenus S. Zeno.

Varia Castitatis Elogia habet Lacerda in Iudith p. 10. Dom. Sans Oeuures Spirituelles p. 277.

CHARITAS.

Prop. 1. *Multiplex charitatis elogium.*
2. *Omnia ob Dei charitatem facere debemus.*
3. *In charitate christiana omnis includitur eminenter virtus.*
4. *Charitas in anima fructus magnos producit.*
5. *Charitas est antidotum peccatorum.*
6. *Charitas inæstimabilem valorem operibus nostris confert.*
7. *Charitas facilem reddit virtutis viam.*
8. *Charitas nos Dei amicos facit.*
9. *Charitas nos Deo vnit.*
10. *Charitas est Epilogus, & finis religionis Christianæ.*
11. *Charitas non quærit quæ sua sunt sed quæ aliorum*
12. *Qui charitatem habet, pœnis proximorum torquetur.*
13. *Charitas patiens est.*
14. *Quàm propria virtus Christianorum charitas sit.*
15. *Ille omnium sapientissimus est qui charitatem habet.*

Prop. I. *Multiplex charitatis elogium.*

D Zeno serm de Fide. Spe, Charitate. Tom. 3 Biblio. SS. Patrū vsibi p. 115.

Laxat omne eloquentiæ habenas in efferenda charitate D. Zeno Veronensis Episcopus. Accipe eius verba. *Non quenquam pro persona diligit, quia adulari nescit, non pro honore, quia ambitiosa non est. non pro sexu, quoniam illi vnus est ambo. non pro tempore, quia varia non est. non amulatur, quia inuidia quid sit, ignorat. non inflatur, quia humilitatem colit. non malum cogitat, quia simplex est. non irascitur, quia etiam iniurias libenter amplectitur. non fallit, quia fidem ipsa custodit. non vlla re indiget, quia ei præter quod est, nihil est necessarium. hæc rura, vrbes, ac populos composita pace conseruat: hac circa regum latera securos glad.os facit: hæc bella premit: l tes tollit: iura euacuat: fora compescit: odia eradicat: iras extinguit: hæc mare penetrat: vrbem circuit: commercia nationibus necessaria subministrat. Potentiam, fratres, citò eius edicam. quidquid locis natura negauerit, charitas reddit. hæc coniugalis affectus duos homines sacramento venerab.li vnam cogit in carnem. hæc humanitati præstat esse, quòd nascitur. huius est munus, quod cara vxor: quod generosi liberi: quod veri sunt patres. huius est munus, quod alij, vt nos, aut plusquam nos, proximi vel amici sint nobis. huius est munus, quod diligamus seruos vt filios, ac nos illi colunt libenter vt dominos. huius est munus, vt, non dicam notos, aut amicos, sed sæpe etiam eos, quos numquam vidimus, diligamus. Huius est munus, quòd antiquorum aut virtutes ex l.bris, aut ex virtutibus libros agnoscimus. Sed quid ego diutius demorer in humanis, quasi sola ista affectu sint prædita? nónne videmus omne animantium genus congregatione, concordiâ testari charitatem? atque ita omnis motus, quasi vno sensu, magistrâ dilectione, conuertit: vt quius intelligat hoc fieri non posse sine naturalis amicitiæ disciplina? Quid autem pro se in necessitatibus gerant, omnibus nota porcorum quotidiana propemodum, tam iucundi certaminis exempla declarant. quia aliquis eorum cùm fortè de numero audacis lupi rabie rotatus in præsens periculum caperit infestationibus tyrannicis duci, omnes repentè concelerant: laboranti subueniunt: penè armis ipsis inimici certatim se crebrò subijciunt: ingenti fragore confundunt: exertisque mucronibus sordidis, velut testudine quadam, resistunt: vincuntq, facilius charitate, quòd sigillatim nuda vix possunt superare virtute. Elementa quoque ipsa, fratres, satis diuersa, satisque repugnantia olim deprehendisset interitus, nisi ea inuicem mutuis, æqualibusque temperantiæ dotata muneribus, perennis connubij fideli propagine benigna charitas illigasset. Nihil est prorsus, quod sine hac gratum, sine hac pacificum, sine hac fidele, sine hac securum, sine hac glorioſum, sine hac Deo iunctum, sine hac posit esse perfectum.*

His deinde adtexit hæc quæ sequuntur.

O charitas, quàm pia, & quàm opulenta, ô quàm potens! nihil habet, qui te non habet. Tu Deum in hominem demutare valuisti. Tu eum breuiatum paulisper à maiestate suæ immensitate, peregrinari fecisti. tu virginali carceri nouem mensibus religasti. Tu Euam in Maria redintegrasti. tu Adam in Christo renouasti. tu sacram Crucem in salutem, perdito iam mundo, prouidisti. tu mortem, Deum mori docendo, euacuasti. Tuum est, quòd cùm ab hominibus occiditur Deus omnipotentis Dei Filius, nullus irascitur de duobus. Tu populi cælestis animam tenes, cùm ornas pacem, fidem custodis: amplecteris innocentiam: veritatem colis: patientiam diligis: spem repræsentas. Tu diuersos homines moribus, ætatibus, ditione, ex vna natura vnum spiritum, vnum efficis corpus. Tu Martyres glorioſos à Confessione Christiani nominis nullis tormentis, nulla nouitate mortis, nullis præmijs, nullis amicitijs, nullis affectibus, omni sanè tortore pietatis mordacitate peioribus separari permittis. Tu, vt nudum vestias, nuda esse contenta es. Tibi fames sagimatio est. Si panem tuum inops esuriens manducauerit, tuus census est, totum in misericordiam habere, quod habes. Tu sola rogari non nosti. tu oppressos vel cum dispendio tui incunctanter eripis in qualibet angustia constitutos. Tu cæcorum oculus. Tu pes claudorum. Tu scutum fidelissimum viduarum. Tu melior pupillorum plus, quam vterq; parens. Tibi oculos numquam siccos es-

A *se aut misericordia permittit, aut gaudium. Tu tuos ita diligis, vt inimicos, vt inter eos, caroſque tibi quid distet, nemo discernat. Tu, inquam, cælestia humanis, humana cælestibus iungis atque nata. Tu diuina custodis. Tu in patre imperas. Tu in filio obtemperas. Tu in Spiritu sancto exultas. Tu, cùm in tribus vna sis, nullo pacto diuideris: nullâ humanæ curiositatis calumnia commoueris. A paterno fonte in filio tota refunderis: & tamen tota vbi refunderis, nec recedis. Rectè Deus diceris, quia trinitatis potentiam sola conuertis.* Hactenus ipse.

Prop. II. *Omnia ob Dei charitatem facere debemus.*

Svnt, qui moderatas affectiones habere videntur, & bona opera exercere; id tamen non præstant, nisi aut decoris sui causa, & ornatus, aut ne offensionem alijs præbentibus in caput redundet proprium, aut vt bonum aliquod temporale inde venentur: hi quidem minimè gaudent charitate quam Deus exigit à suis.

Vidit Apost. Ioan. Christum Dominum *vestitum podere & præcinctum ad mamillas zonâ aureâ, caput autem* B *eius, & capilli candidi erant, tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti, & vox illius tanquam vox aquarum multarum, & habebat in dextera sua stellas septem, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius sicut sol lucet in virtute sua.* hunc qui dicitur similis filio hominis Christum Dominum esse, communis expositio est sacrorum expositorum in hoc loco: omnia autem quæ in eo se vidisse ait Ioannes: illa sunt quæ ad nos spectant, his enim significantur beneficia eius erga nos, & qualiter nobiscum se gerat, cui ergo vestitum vidit esse podere, quod genus vestimenti sacerdotalis est: ostendere nempe voluit Christus sacerdotis munus adhuc in cœlo pro nobis obire: aliàs enim vultui Dei pro nobis: capilli eius albi & candidi, cogitationes Christi candidas & pias in nos important. cogitat enim cogitationes pacis, & quæ ad nostrum C emolumentū sint, in mente habet: oculos igneos habet qui iram quandam præ se ferunt, nimirum quia irascitur in nos cùm delinquimus, sicut bonus pater in filios: pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti: pedes hos Aretas & Ambrosius, Apostolos interpretantur, qui ad animarum salutem veluti aurichalcum, hoc est, sonori igne charitatis inflammati orbem in Dei amorem incenderunt, hos mittere curat Dominus ad salutem nostram. vox præterea illius sicut vox aquarum multarum, nimirum quia vox eius irrigatio quædam est nostrarum animarum, qua velut terra aquis, sic anima fertilis redditur virtutibus & abundans. habebat in dextera sua stellas septem, stellæ influunt in terram, & ex tali influxu flores & arbores & fructus gignit; sic è manu Christi Domini influentiæ cælestes nobis proueniunt sanctarum inspirationum, quibus anima nostra gignit flores desideriorum sanD ctorum, & fructus meritorum, & plantas virtutum. Vde meritò Eccl.sia canit, *Deus à quo sancta desiderna, recta consilia, & iusta sunt opera;* &c. Sed gladius ille in ore Christi nescio quid nobis minatur, minatur quidem peccatoribus gladium & bellum, iudicium & æternam damnationem, sed in his omnibus illud maximè considerandum est, quòd præcinctus erat ad mamillas zonâ aureâ. zona quidem in lumbis, non autem in pectore constitui solet, cur igitur Christus hîc ad mamillas præcinctus apparet? Aurea illa zona quid sibi velit, modus iste accingendi demonstrauit. aurum in sacris literis charitatem & amorem importat, vti ait S. Augustinus *super Psal. 67.* & S. Greg. 18. *Mor.* 30. quia sicut inter omnia aurum supremum tenet locum, & pretiosius est, sic inter omnes virtutes charitas maior est. præcinctum ergo habere Christus pectus suum, est omnia quæ ex

pectore

pectore eius erga nos procedunt à charitate cuncta es- A se, & ex charitate in Ecclesiam deriuari: si lucet vt sol nos sua luce illustrans, ex charitate hoc facit; si influit in nos sanctas inspirationes, si donis suis nos afficit, si ministros nobis administrat, ex eius prouenit charitate; quòd si in nos aliquando irascitur, si gladium vibrat, & minatur, à charitate quoque eius hoc dimanat; ideo enim pœnas minatur nobis, ne pœnas immittat, ideo irascitur in hac vita, ne irascatur in futura. Ecce Christũ ad mammillas aureã zonã præcinctum; eodem igitur modo erga Deum præcingere ad pectus aureã zonã, hoc est, charitate debemus, vt omnia propter amorem Dei faciamus. si cleemosynas damus, si ieiunamus, non ob vanam gloriam, & vt hominibus placeamus, id agamus, sed vt Deo placeamus; si comedimus & bibimus, & corpori rationabiliter indulgemus, non tam nostri causã, quàm Dei amore id efficiamus, vt scilicet salutem & vitam tuendo eam in Dei obsequium impendamus, si loquimur, si co- B gitamus, si amamus, si timemus, si desideramus, si lætamur, &c. omnia in Dei gloriam præstemus, & sic nos sicut Dominus, ad mammillas zonã aureã præcingamur.

Prop. III. *In charitate Christiana omnis virtus includitur eminenter.*

QVi charitatem non habet, nihil habet; nihil est. Nota est exaggeratio Apostoli Pauli, *Si linguis,* inquit, *hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens,* hoc est, quamuis excellentior verbi Dei prædicator sim, quàm omnes Prophetæ minores, & maiores mundi, & quàm omnes Angeli cœli, si charitate careo, ero sicut cymbalum, quod homines ad Ecclesiam vocat, ipso foras remanente; sic & ego alios in cœlum adducam, & ego foris remanebo. Item, *Si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* C

Quid ais, Apostole sancte, si illa haberes, non esses Propheta? non esses doctus, non esses Christianus, & Catholicus? cur ergo dicis, quia sine charitate, nihil esses? quia scilicet, quamuis illa haberem, essem in peccato sine charitate, & qui in peccato, & sine gratia est, pro nihilo reputatur, quia omnia sine charitate parum sunt, & parum pro nihilo reputatur.

Denique auget hoc Apostolus, *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest,* hoc est, quamuis omnia misericordiæ opera perficiam, & pro fidei defensione mortem ita subeam, vt me comburi, & consumi in craticula patiar; si charitate carerem, perirem, non conscenderem in cœlum, sed descenderem in infernum. Vide si ad saluationem nostram opus nobis sit charitatem habere, vi- D de si meritò dixerimus charitatem esse virtutem omnem.

E conuerso ergo qui charitatem habet, nihil non habet, omni abundans virtute; vnde meritò ibi subijcit Apostolus: *charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Quid amplius de charitate dici potest, quàm quæ de ipsa magnus hic charitatis Prædicator affirmat? ac si diceret, omnia est charitas, amplectitur quidquid bonum est, caretque omni malo; ratio huius est, quia charitas essentialiter est amor Dei verus, qui autem Deum verè amat, omnia illa amat, quæ Deus ipse amat; & vult ab eo amari, & ea odio habet, quæ Deus odio habet, & vult ab eo odio haberi: hæc enim est natura amantis, vt voluntatem suam voluntati conformet amati. Inde charitas patiens est, quia Deus vult nos omnia patienter ferre, benigna est erga proximos, quia Deus vult nos erga proximos benignos & pios esse, & sic de reliquis omnibus rebus, quæ hic Apostolus numerat, & quæ poterat connumerare.

Vnde eruditè Sanct. Augustserm 39. de Tempore: *Aug.* *Fratres (inquit) sectamini charitatem, sine qua diues pauper est; & cum qua pauper diues est, hæc in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus tũperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres latissima, inter falsos patientissima, in Abel per sacrificium grata, in Noë per diluuium secura, in Abrahæ peregrinationibus fidelissima, in Moyse inter miurias lenissima, in Dauid tribulationibus mansuetissima, in tribus pueris blandos ignes innocenter expectat, in Machabæis fortes ignes fortiter suffert, casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria præter virum, libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, diuina in Christo ad ignoscendum.* Ita Augustt.

Prop. IV. *Charitas in anima fructus magnos producit.*

MIrabili quadam ratione agricolæ ex vna eademque planta varios fructus percipiunt, id autem assequuntur inserendi artificio, quod eiusmodi est: pusillum aliquod ex arbore aliqua germen decerptum, vnà cum cortice arboris illius subiecto in alterius arboris prioris aliqua parte, sic incisa vt ei cortex quadret, includunt, vt naturali melioris arboris humore germen illud enutritum coalescat; & ramus fiat; sic nos media gratia diuinè inserimur naturæ, per illam enim, vt ait Apostolus Petrus, consortes efficimur di- *2. Petr. 1.* uinæ naturæ. Vnde sicut ramus oleastri insertus oliuæ participans virtutem illius oliuæ fructum affert dignum oliuâ, cui fuit insertus; sic qui per gratiam & charitatem inseritur Deo, diuinos & supernaturales fructus profert, & meritorios vitæ supernaturalis, & æternæ.

Prop. V. *Charitas est antidotum peccatorum.*

EST quidem charitas peccatorum omnium antidotum. qui enim aliquem verè & ex corde amat, illum semper, & in omnibus offendere recusat; sic qui Deum amat, & proximum ex corde amat, nec Deum, nec proximum offendere audebit: vnde immunis à peccatis erit grauibus, nam peccata omnia vel in Deum, vel in proximum sunt; charitis autem est verus & cordialis amor. Vnde, *Fortis est vt mors dilectio,* *Cant. 8.* hoc est, id in anima facit amor, quod in corpore facit *6.* mors, mors autem in corpore quid? S. Gregor. Nyss. *tract. de Baptismo, Mortuus corpora non amat, mortuus non capitur diuitijs, mortuus non mentitur, non rapit ex quæ ad se non pertinent, nec conniciatur sibi obuiam factis.* Ita ille. Denique mortuus non peccat, hoc igitur præstat verus & legitimus charitatis amor; quamuis enim vitam hanc sine aliquibus peccatis veniabilibus minimè transigamus, licèt iusti simus, ope tamen huius eximiæ virtutis à maioribus facilè abstinemus.

Vnde Apost. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non* *1. Ioan. 3.* *facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Quis est hic quem dicit ex *9.* Deo natum? S. Augustt. *tract. 5. in epist. Ioan. Si quis habet charitatem, dicat natus sum ex Deo; habeat charitatem? & aliter non dicat se natum ex Deo.* Ita ille. Qui ergo charitatem veram, & perfectam habet, non peccat, quid est,

non

non peccat; cùm priùs dixerit S. Ioan. Si dixerimus, A quia peccatum nos habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. prætereà quomodo ait, non potest peccare, cùm liberi simus ad peccandum licet charitatem habeamus? S. Thomas. *Intelligendum est cùm reduplicatione, inquantum scilicet ex Deo natus est, vel intelligendum est coniunctim quamdiu natus ex Deo est, id est, natiuitatis gratiam custodit, peccatum non facit mortale, & non potest peccare de potentia disposita, & propinqua, non verò de remota; potest enim potentia naturæ, sed non potest potentia habitus gratiæ; sicut diceretur, bonus scriptor non potest malè scribere.* Ita S. Thom. Ex qua interpretatione hæc duo colligimus: primum est quod charitas vbi est mortale peccatum esse non potest, sicut nec gratia. secúdum est quòd charitas perfecta ita disponit animam ad bonum, vt omni mortifero peccato ingressum obstruat, non quidem physicè, sed moraliter loquendo; qui enim perfectè diligit Deum eum offendere nimis cauet, &c.

B

Prop. VI. *Charitas inæstimabilem valorem operibus nostris confert.*

MVltum quidem apud Deum valent opera nostra bona, sed veluti anima & vita illorum est charitas, sine qua mortua illa sunt, & de illis dici potest quod Apostolus Iacobus de fide dixit *c.2. Fides sine operibus*, scilicet in charitate factis, *mortua est*, vti exponit S. Thomas. sic etiam ipsa bona opera sine charitate, vt
1. *Cor.* 13. eloquentissimè, inquit, Apost. Paulus, *si linguis hominum*
1. *loquar, & Angelorum*, &c. vnde quantò charitas fuerit maior, quæ in opera influit, tantò erit maius meritum apud Deum, licèt opera minora sint, minora enim opera virtutum plus valent cum ex maiori charitate procedunt, quàm maiora, si ex minori procedant charitate.

Imò charitas ipsa cùm solo interiori desiderio sine operatione solet maioris meriti apud Deum esse quàm C opera exteriora, si talis charitatis intensio desit. Vnde S. Aug. *diuites & pauperes non interrogat Deus in arca, sed in corde.* Ita ille, hoc est, licèt diues multas pecunias eroget pauperibus vel in gazophylacium Dei, & paupercula vidua duo minuta, plus ait Christus, tribuit hæc, quia maiori ea præstitit charitate.

Hinc etiam S. Chrysost. *Voluntas tua satis est, quod si hæc adsit, totum impleuisti, & hæc vna ostendit quomodo Deo similis esse possis.* Ita S. Chrysost. Deus quidem facit voluntate sua quidquid vult, velle enim suum efficax operatio est. ad hunc modum loquitur S. Chrysost. de voluntate nostra. *Nam quodámodo quoad opera bona & meritoria omnia potest. nam apud Deum voluntas pro facto reputatur, non potes mille aureos dare pauperibus, voluntate tamen as desiderio illos tribuisti. apud Deum iam illos dedisti, non potuisti ieiunare, sed voluisti vere, iam apud Deum ieiunasti. Vide bona voluntas quantum valeat: hoc igitur de valore Charitatis & amoris Dei dicimus, nam charitas in voluntate supplet* D *commodo operum nostrorum impotentiam, & in operibus tantò magis operum meritum auget, quantò ipsa altior fuerit in se.*

Vnde Philos. *lib. de victim. offer.* obseruauit, duo Deum in templo suo altaria habuisse, alterum aureum, seu auro textum, in quo vota & desideria sancta fidelium offerebantur; alterum verò in quo animalia, oues scilicet & boues, & arietes, & agni offerebantur, hoc non aureum erat. quo apprimè significauit Deus aurea & pretiosa esse illa vota nostra, & desideria quæ ex interno voluntatis affectu & charitate proficiscuntur, & acceptabiliora ei quàm oblatio multorum taurorum pinguium.

Meritorum nostrorum mensura non est operum nostrorum difficultas, seu labor, sed potiùs charitas, amor in Deum, & in proximos nostros, etiam si labore ac difficultate careat, sicut enim in ædificiorum constructione ei, qui toti operi præst, maior multò assignatur merces, quàm cæteris qui ministrant, quamuis sedeat, & solùm circino quodam fabricam & eius partes circinet & metiatur, alii verò sub onere lapidum & lignorum laborent, & desudent. *Ganara el arcbitecto dos y quatro ducados cada dia en la fabrica de vn edificio grande, aunque no aga mas que estandose asentado con su compas en la mano estar compassando y niuolando la obra, y los peones que andan sudando y tebentando de bazo delas cargas, no ganaran ni quatre reales,* quia non datur merces secundùm operis laborem, sed secundùm operis qualitatem. sic etiam in meritorum ratione philosophandum est, non enim adeò meretur, qui pane, & aquâ ieiunat, & flagellis, & cilicio se torquet, & macerat, sicut is qui charitatis elicit actus, licet hi interiores tantùm sint, sine charitate autè nihil mereri potest. *Si tradidero corpus meum,* ait Apostolus, *ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* magnum hoc charitatis encomium.

Prop. VII. *Charitas facilem reddit virtutis viam.*

FErreus globus magnus & ponderis magni, vix aut nullo modo à terra homo, licèt magnarum virium sit, poterit eleuari, in machina tamen bellica constructus, & viginis & pulueris sulphurei impulsus, magno impetu ad nubes pergit. sic cor humanum graue solet esse ac ponderosum, vt in peccatoribus patet, quibus Propheta *filij hominum vsquequo graui corde, &c.* at supposito ueniente charitatis igne corda illa quæ ad ima sunt plumbum tendebant magno impetu, ad spiritualia & superna pergunt, quòd in multis ad Deum conuersis facilè videre licet.

Prop. VIII. *Charitas nos Dei amicos facit.*

QVi quantum nobis interfit Dei esse amicos cognouerit, quanta solicitudine procurandi sit, charitas agnoscet, etenim verus amicus maximè, si potens ille sit, eximium hominis bonum est. Valerius Max. *l.b.4.cap.7.* Damon, inquit, & Pythia Pythagorici tam fidelem inter se inierant amicitiam, vt cùm alterum Dionysius Rex Syracusanus interficere vellet, atque hic tempus ab eo, quo, priusquam periret, domum profectus, res suas ordinaret, impetrauisset, alter vadem se pro eius reditu tyranno dare non dubitauit, solutus mansit periculo mortis qui paulò antè subiectas gladio ceruices habuerat, eidemque gladio caput subiecit is cui securè viuere licebat. igitur omnes, & imprimis Dionysius nouæ atque ancipitis rei exitum speculabantur. appropinquante igitur diffinita die, neque illo redeunte, vnusquisque stultitiæ tam temerarium sponsorem damnabant: at se is nihil de amici constantia metuere prædicabat; eodem autem momento & hora à Dionysio constituta, qui eam acceperat, superuenit. Admiratus amborum animum tyrannus, supplicium fidelitati remisit, & insuper eos rogauit, vt se in societatem amicitiæ & tertium sodalitij gradum reciperent. Ita Val. Maxim. Nunc ad rem, si fidelis amicus tanti faciendus est, vt nec eum in amicum eligat, quem iam capitalis sententia damnauerat, propter fidelitatem, quam cum amico seruauit, vsque ad mortem, cùm quidem ipse ad ipsam subeundam teneretur, & etiam infimæ sortis homo esset, (vide quantum fidelis amicitia conducat) quanti igitur facienda est amicitia diuina Dei, qui fidelissimum se nobis amicum exhibuit, & Pythagoricum illum vtrumque facto facilè superauit; ille cùm reus esset, amicum quæsiuit, qui se vadem præstaret; ad mortem vsque Christus se pro nobis vadem patri dedit, ad mortem vsque, inquam, mortem autem

autem crucis, ille pro amico spopondit, & obtulit vitam, Christus verò pro inimico. Audi Apostolum id
5 2. optimè ponderantem, *Vix pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori? commendat autem charitatem suam Deus in nobis. quoniam cùm adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est*, hoc est, secundùm Anselm. pro bono & iusto viro vix aliquem ita bonum & iustum reperies, qui ad liberandum eum mori velit, Christus autem Dominus noster, cùm immortalis esset, & Deus, pro nobis mortalis factus est, & vt nos à morte æterna reuocaret secundum tempus, hoc est, temporalem illam mortem crucis subire voluit, & hoc non pro amicis, non pro bonis & iustis viris, sed pro inimicis, & malis, & peccatoribus hominibus. Quid tale Pythagoricus ille fecit? ille pro amico, hic pro inimico. ille fortè pro innocente, hic pro peccatore. ille cùm homo esset pro homine, hic cùm Deus esset pro homine; ille cum spe mortem euadendi, sicut verè euasit, Christus verò sciens quia venit hora B eius, &c. Quid cum hoc amico ille? alter verò Pythagoricus fidelissimus prædicatur, quòd fidem amico ita seruauerit, vt cùm facilè posset non reddere, & sic se à morte liberare, noluit talem suo nomini inurere notam. Bene, sed id facere tum vinculo fidelitatis, tum amicitiæ tenebatur, vt fideiussorem seruaret, amicum & vadem, & innocentem, & fidelissimum sibi, Christus verò Deus cùm esset, offensorem suum, inimicum, hominem, nó Angelum, nocentem, peccatorem, reum, à morte, quam non promeritus erat, & morte acerbissima & indignissima liberauit; meritò ergo ait Apost. commendat in hoc Deus charitatem suam in nobis. Commendat, ait. Vbi S. Thom. in hoc quod dicit, commendat, immensitatem quandam diuinæ charitatis assignat, quia hoc non fecit nostris meritis prouocatus: Vnde *ad Eph. 2. Propter nimiam charitatem*, ait, *quæ dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo.* Ita S. Thom. & S. Anselm. cùm indebitum aliquid C redditur, tunc charitas commendatur, & quid tam indebitum quàm vt sine peccato Dominus pius pro peccatoribus seruis impijs moreretur? &, cùm Deus esset, alijs nos potuisset medijs liberare. Ita S. Anselmus. Quis igitur non talem amicum libentissimè eligat sibi? Charitas ergo in Deum nos eius facit amicos, charitas enim, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 113. art. 1. est amicitia inter nos & Deum: charitatem ergo seruare totis viribus satagere & procurare debemus. hoc autem fiet, si te ab omni culpa & peccato seruare & custodire volueris; qui enim sine peccato est, in gratia est, & qui in gratia est, in charitate est: qui autem in charitate est, amicus proculdubio Dei est. Quid autem fælicius? Quid optabilius nobis?

Prop. IX. *Charitas nos Deo vnit.*

QVi manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, ait Ioannes. Quàm verò necessaria sit hæc cum Deo coniunctio, rectè S. Cyprianus explicauit, epistola de vnitate Ecclesiæ, dicens: *Sic nos à Deo dependere, sicut radij solares à sole, & sicut rami arboris à radice, & sicut riuuli à fonte. Ita ille. Vide quomodo subsistere posit ramus separatus à radice, & riuus à fonte, & radius solaris à sole: sic separatus iustus à Deo, iustus permanere non potest.*

Prop. X. *Charitas est epilogus, & finis religionis Christianæ.*

INterrogauit Dominum quidam legis Doctor: *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* cui Dominus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc est primum & maximum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum*, & subdit: *In his duobus man-* A *datis vniuersa lex pendet, & Prophetæ*; hoc est, nihil in sacris literis vel secundum literam, vel secundùm Spiritum continetur, quod in hac charitatis lege ac serie non comprehendatur: omnia enim ad hoc tendunt, ad hoc sunt à Deo instituta, & ordinata, vt Deus & proximus diligatur, à principio Geneſis vsque ad vltimam literā Apocalypsis: imò cuncta quæ à sanctis Doctoribus scripta sunt, quantumuis multiplicia sint, magnisque voluminibus digesta, ad hunc charitatis scopum spectant. Vnde meritò, *Finis præcepti est charitas*, hoc est, 1. ad Tim. sicut finis architecti in omni apparatu & artificio parantis, & adducentis lapides, lateres, calcem, ligna, aquam, & machinas multas, est constructio domus; sic omnia, quæ in diuinis præceptis, & legibus, & cæremonijs, & figuris, & consilijs, & prophetijs continentur, ad charitatem ordinantur.

Hinc S. Auguſt. *Si non potes*, (inquit) *omnes paginas* Lib. de laudib. *sacras scrutari, si non potes omnia involucra sermonum reuoluere, & omnium Scripturarum secreta penetrare, tene charitatem, vnde omnia pendent.* ac si dicat: Si non es in Academijs & literarum gymnasijs versatus, si non legere didicisti, non doleas inde, sufficit tibi Deum & proximum diligere posse: ad hoc autem non est opus vniuersitates literarias adire, non Aristotelis Metaphysicam profiteri, Platonis Ideas scire, sine studio literarum hoc addiscere valet quiuis idiota. Ama Deum super te, & proximum sicut te, & omnia nosti: quia ad hoc omnia, quæ noscuntur, diriguntur.

charitatis, & in lib. de doctrina Christiana.

Prop. XI. *Charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum.*

EXod. 32. Cùm Moyses Dominum deprecaretur, ne populum Israël deuastaret, propter vituli erectionem & adorationem, sic Dominus ad eum: *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam*, id est, in sobolem magnam, ita vt non solùm sis dux, sed etiam pater populi mei magni. Quid autem ad hoc Moyses? *Recordare Abraham, Isaac & Israël seruorum tuorum, quibus iurasti per te metipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli. & inferiùs: aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti*: mira res! decernit populo Deus supplicium iustum, & offert Moysi ingentem mercedem, si supplicio non obstet, & renuit ille. Cur ita? S. Bern. serm. 30. in Cantic. *Renuit Moyses ob nimiam dilectionem quâ fortiter populo illi deuinctus tenebatur; non enim requirebat, quod sibi vtile foret, sed quod multis.* Ita sanctus Bernar. Quos nunc reperies qui legem hanc charitatis sic obseruent? omnes quæ sua sunt quærunt, &c. Exod. 32. 10.

Prop. XII. *Qui charitatem habet, pœnis proximorum torquetur.*

COrint. 11. *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis* 2. Cor. 11. *scandalizatur, & ego non vror?* Ponderans verba hæc sanctus Chrysost. & simul cum eo S. Theod. aiunt, non dixit *compatior*, aut *misereor*, sed *infirmor*; tanquam enim ipsa infirmitate circundatus ita excrucior & angor. Ita illi. & addit Chrysost. *vide quanta excellentia doloris, accendor & vror, dixit, quod certè omnium maximum est.* Ita ille. non enim ait Apost. *ego scandalizor*, sed *vror*; aduſtio autem & maximè in anima, dolorem vehementem, & tormentum maximum insinuat. In hoc igitur charitatis suæ veritatem manifestauit Apost. quòd scilicet ampliùs in anima ipse torqueretur quàm proximi torquerētur laboribus suis. Vnde S. Fulgentius in prologo ad Mononimum, qui propter pœnas ipsius sancti Fulgentij compassionem magnam præ se ferebat, dixit: *Ecce quantum boni charitas habeat, ecce quantam laudē coram Deo & hominibus possideat, vt, cùm dolet quod accidit illi*

quem amat, frequentius recordando magis ipsa sustineat. Ita A ille. Hinc colligere licet, quomodo & quantùm quis proximum diligat. & consonat quod Ioannes ait 1. Ioan.3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Obserua verba illa, *& clauserit viscera sua ab eo*, non ait, *& non dederit ei eleemosynam*, sed, *clauserit viscera*, id est, non habuerit compassionem interiorem mali proximi, quomodo charitas Dei manet in illo? vnde meritò subdit: *Filioli, non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate*; parum enim refert dicere, amo, cupio tibi fauere, si cùm possis non faues; imò nec sufficit dare, nisi dederis, motus charitatis compassione, vt signum veræ charitatis in te colligere possis.

1. Ioan 3. 18.

Prop. XIII. *Charitas patiens est.*

Plinius. PLin. lib. 16. c. 2. Abies, inquit, adeò cohæret glutino, vt priùs ea parte scindatur qua solida est, B quàm qua glutino ferruminata; sic arctiùs cohærent, quos copulauit mutuæ beneuolentiæ glutinum, quàm quos natura coniunxit. Ita ille. Sed quod ille beneuolentiæ tribuit, meliùs charitati congruit: etenim sæpè sæpiùs, qui se amicissimos iactant, cùm discordiæ se obtulerit occasio, amicitiæ valedicunt, & ex amicis inimici reddunʒur; hi verò qui vera se charitate diligunt in Deo, etiam rixæ occasione orta, chari inter se manent, *quia charitas patiens est, benigna est, omnia sustinet, omnia sustinet*, vti Apost. affirmat 1. ad Cor. 13. 4.

Prop. XIV. *Quàm propria virtus Christianorum charitas sit.*

Chrysost. SAnctus Chrysost. tom. 5. homil. 1. de incomprehensibili Dei natura: *Charitas discipulorum Christi in-* C
Ioan.13. 35. *dicium est, & magnus seruorum Dei character.* In hoc, inquit, omnes cognoscent quod mei discipuli estis; *in quo? num in eo, vt mortuos suscitent? vt leprosos purgent, vt dæmonia expellant? Minimè (inquit) sed illa missa faciens omnia, in hoc vno dicit omnes cognoscent, quòd mei discipuli estis, si* charitatem ad inuicem habueritis: *nam illa miracula superne gratiæ munera sunt, hoc humani studij officium est, animum autem probum, & generosum, non tam ea, quæ Deus præbuerit munera, quàm suorum laborum officia commendant. Quare Christus non à signis, sed à charitate suos discipulos asserit cognosci.* Ita Sanct. Chrysost.

Prop. XV. *Ille omnium sapientissimus est qui charitatem habet.*

INter eximia huius vitæ bona Sapientia enumeratur: sicut enim stultitiam & ignorantiam omnes fugiunt, omnes abhorrent, tanquam malum ingens; sic etiam tanquam eximium bonum sapientiam amant: D hæc autem sapientia in cognitione Dei consistit; quid enim scit qui legem Dei ignorat? ille autem sapientissimè legem Dei nosci qui opere implet, hæc enim est practica sapientia, & hæc denique est sanctorum sapientia, ille autem legem hoc pacto nouit qui charitatem habet. Vnde S. Augustin. serm. 29. de Temp. Diuinarum Scripturarum multiplicem abundantiam latissimamque doctrinam fratres mei sine vllo errore comprehendit, & sine vllo labore custodit, cuius cor plenum est charitate, dicente Apostolo: *Plenitudo legis est dilectio.* Et alio loco, *Finis autem præcepti est charitas*; quid est autem finis præcepti adimpletio? quid est præcepti, adimpletio, nisi legis plenitudo? totam latitudinem, & magnitudinem diuinorum eloquiorum secura possidet charitas; sic enim docet cœlestis Magister, *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & ex toto anima tua & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut teipsum: in his duobus præceptis vniuersa lex pendet, & Prophetæ. Si ergò non vacat omnes pagimas sacras perscrutari, omnia inuoluera sermonum euoluere, omnia Scripturarum secreta penetrare, tene charitatem, vnde pendent omnia, ita tenebis, quod ibi didicisti, & tenebis etiam, quod nondum didicisti. Si enim nosti charitatem, aliquid nosti, vnde & illud perdet quod adhuc non nosti, & in eo, quod in Scripturis intelligis, charitas patet, in eo quod non intelligis charitas patet. Ille itaque tenet, & quod patet, & quod latet in diuinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus.* Ita S. Aug. Vnde concludimus illum omnia nosse, qui charitatem habet, quia omnis diuina doctrina ad hoc tanquam ad finem tendit, vt charitatem doceat, & suadeat. Qui ergo charitatem tenet, non eget doceri, non eget suaderi. *Aunque no sepa el a.b.c.es sapientissimo.*

Rom. 13. 10. 1. Tim. 1. 5. Matt. 22. 37.

CHRISTIANVS.

Prop. I. & II. *Quàm ingens Dei beneficium sit esse Christianum.*
3. *Quàm ingens dignitas sit Christianum esse.*
4. *Christianum decet virtus & sanctitudo.*
5. *Quàm super infideles teneatur rectè viuere Christianus.*
6. *Christianus ad perfectionem aspirare tenetur.*
7. *Ad maiorem perfectionem sequendam tenentur Christiani, quàm olim fideles in veteri lege.*
8. *Ad quantam perfectionem aspirare debeat Christianus.*
9. *Christianus qualis sit, opera manifestant.*
10. *Quàm grauiter Deum offendat Christianus peccator.*

Prop. I. *Quàm ingens Dei beneficium sit esse Christianum.*

PSalm. 8. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.* Cur Dauid Dominum nomen bis nominauit? nunquid ex abundantia interioris affectus solummodo? S. Basilius in scholijs huius Psalmi. *Est*, inquit, *Deus Dominus etiam eorum qui in eum non credunt, hac vna ratione & nomine, quòd condidit eos; noster verò duplici nomine Dominus est, tum quòd ex non existentibus nos fecit, tum quod à nobis cognoscatur.* Ita ille. Hac igitur de causa & nos duplici nomine & ratione illum colere, seruire, & amare debemus, quòd nos ex nihilo & creauerit, & Christianos regenerauerit, quod *non fecit vlli nationi, nec iudicia sua manifestauit illis.*

Prop. II. *Quàm ingens beneficium fuerit nos fideles esse Christianos.*

ET *nos sorte vocati sumus, &c.* Christianitatis statum sortem vocat; in sortibus quippè nulla ratio habetur eorum, inter quos agitur de sorte: non enim sors alicui contingit, eò quòd sapiens ille sit, vel diues, vel iudex, vel etiam rex; sæpè enim sors cadit super idiotam illiteratum, vel pauperem, vel ignobilem, vel etiam seruum captiuum: sola enim interuenit Dei voluntas quare ceciderit sors super Matthiam, & non super Barsabam, quia Deus ita voluit. *Sorte* igitur, ait Apostolus, *vocati sumus*, hoc est, quare ille inter Mauros natus sit, ille verò inter Turcas, alius verò inter Schytas vel Garamantas, tu verò inter Christianos, nulla reddi alia potest causa, quàm quia Deus ita disposuit, ita voluit; eo enim die, quo tu natus fuisti, plura millia hominum per vniuersum mundi spatium nati fuerunt, & ex theca omnipotentiæ suæ Deus omnes illas animas deprompsit, & hanc inter infideles, illam inter idololatras, aliam verò inter hæreticos, aliam inter schismaticos, &c. tuam verò inter Christianos collocauit, & Christicolam effecit. cur autem non vices commutauit? cur potiùs tuam, quàm alias sic elegit? quis pro te magis quàm pro alijs orauit? aut quæ me-

rita in te potiùs quàm in alijs præceſſerunt ; quid potiùs in te quàm in alijs proſpexit Deus, vt alijs in tanta perditione relictis, te in Chriſtianorum numero conſigneret, & in viam ſalutis æternæ ſic duceret bonitas eius ? qui fieri poteſt, ſi rectè ac recto animo id contemperis, vt non immenſas illi gratias agas ?

Hinc primùm quantopere Deo gratias agere debeamus conſtat: periſſemus quidem, ſi inter infideles animas noſtras creaſſet, ſicut & pereunt illi. Beneficium hoc ingens eſſe conſtat, ſed habet quamdam penſionem ſibi annexam, ita ſcilicet nos viuere debere, ſicut decet Chriſtianos, & legem Chriſtianam obſeruare oportere: aliter enim peioris erimus conditionis, quàm infideles. *Melius erat eis* (ſcilicet ad fidem adductis) *non cognoſcere veritatem quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſanctо mandato.* Pondera, *melius erat, &c.* quia ſcilicet in diuino iudicio, non ſit in fideles, ſicut infideles peccatorum ſuorum excuſationem prætendere poſſunt: infideles enim, ſe fidem & legem noſtram ignorauiſſe, poterunt in ſui fauorem allegare, nos verò quonam pacto ? &c.

Sæpè Deus Opt. Max. in ſacris literis vtitur metaphorâ vineæ, ſcilicet in Pſal. in Canticis, apud Iſaiam, Ieremiam, & Ezechielem, & Matth. vt autem certò cognoſceremus, quid vellet ſignificare nomine vineæ, per Iſaiam loquitur in hunc modum: *Vinea Domini exercituum, domus Iſraël eſt, & viri Iuda germen eius delectabile.* Olim ergo populus Dei, nunc verò Chriſtiana Eccleſia vinea Domini dicitur, cuius nos vites ſumus : cùm autem nullus extra vineam hanc ſempiternam animi ſalutem comparare poſſit, magnum ſanè Dei in nos beneficium extat, quòd nos huius vineæ vites effecerit : hoc enim illi ſoli & eius gratiæ tribuendum eſt. & ideo aſſerit : Homo erat pater familias, qui plantauit vineam. Ego, inquit, non homo, non Angelus, aut creatura alia. Nec tu fortè fortuna natus fuiſti : Deus ergo ſcuit nos, & populus Chriſtianus plantatio eius eſt ad gloriſicandum Deum. At verò eò beneficium eſt maius, quò ille, cui confertur, indignior. Hoc ponderauit regius ille Vates, cùm gratum ſe immortali Deo oſtendens, propter regiam dignitatem ſibi delatam, *Elegit* (inquit) *Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium : de poſt fætantes accepit eum, Paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael, hæreditatem ſuam.* Planè fatetur Dauid tenuitatem & paupertatem ſuam, vt plus diuinum beneficium eluceat. Paſtor, inquit, eram, ac vilis pecuarius, cùm præpotens Deus me ad regiam dignitatem euexit: non eram in prælio contra Dei hoſtes fortiter dimicans, neque in templo preces ad Deum fundens, vt alter ille Samuel, ſed in agro oues paſcens, ibique me Deus Opt. Max. multis alijs fortiſſimis ac præſtantiſſimis viris relictis regem deſtinauit. Huiuſmodi beneficium gratis à Deo in diſcipulos ſuos collatum, Chriſtus Dominus Apoſtolis commendauit : *Non vos* (ait) *me elegiſtis, ſed ego elegi vos, vt eatis, fructus veſter maneat & fructum faciatis.* Ac ſi diceret, magni facite vos nullis veſtris meritis ad Apoſtolatum vocatos eſſe, & hanc gratiam gratuitò vobis factam, grato animo colite. Atque idcirco ipſe Seruator noſter æterno ſuo Patri pro hoc in diſcipulos beneficio gratiam habet in hunc modum: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater : quoniam ſic placitum fuit ante te.* Cauſa quidem vocationis, & electionis Apoſtolorum ea fuit, quia ſic placitum fuit ante Deum. Sic etiam noſtræ vocationis beneficium, per quod in vinea Domini conſtituimur, eò gratiſſimâ memoriâ dignius eſt, quò magis gratuitò nobis collatum. quod præclarè expendit Apoſtolus, cùm ait: *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine : qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ. In partem* (inquit) *ſortis ſanctorum*, id eſt, *in notiam ſui*, ait Interlinealis. Agit ergo in hoc loco D. Paulus de vocatione noſtra ad fidē: in hac dignos nos fecit ipſe, id eſt, non ex meritis noſtris, vt exponit D. Thomas. Quapropter rectè dixit, *in partem ſortis*: quia vocatio ad fidem Chriſtianamque religionem quaſi ſortitione videtur facta. cùm verò mittuntur ſortes, nulla poteſt dari ratio, cur huic potiùs quàm illi ſorte aliquid obueniat. At verò non in omnibus vocatio noſtra ſortibus comparari poteſt, ſortes enim non ſolùm non obueniunt ex meritis, ſed neque ex electione eius, in quo ſortes continentur. At verò noſtræ vocationis ſortes ex diuina volūtate prouenium, vt fatetur regius Vates, cùm ait: *In manibus tuis ſortes meæ.* Seruator etiam noſter: *Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.*

Cuius rei exemplum quotidie præ manibus nobis eſt : contingit enim principem in domo regis; abiectum verò hominem in tuguriolo naſci. Ille quidem quamprimum in lucem ſuſcipitur, ſtragulis ſericis inuoluitur, & in aurato cubat lectulo, delicateque nutritur, & cùm illi prudentia ac conſilij lumen oboritur, ſe famulis ſtipatum videt, à quibus ad nutum obtemperatur, & ſingulari veneratione colitur, & tādem Orbis imperium atque regnum tenet. Alius verò abiecti hominis filius, vbi primùm in hanc lucem prodit, in paleis iacet, vilibus pannis inuoluitur, & tenuiſſimo victu poſtea enūtritur, & per totum vitæ tempus laboribus atque ærumnis premitur. At cur ille princeps natus ſit, & in ſumma indulgentia atque honore educatus, hic verò, ex quo lucis vſurā frui cœpit, magnā indigentiā ac penuriā vexetur, diuinæ dumtaxat voluntati tribuendum eſt. Ita etiam cogitandum eſt, eodem die, quo nos ingreſſi ſumus in hanc vitam, plures alios in lucem editos eſſe, quorum plures inter barbaras atque Ethnicas gentes nati, fidei lumine carent, & ad inferos propero curſu deſcendunt : nos verò inter Chriſtianos orti ſumus, & cœleſtis lauacri aquā conſperſi, veritatis lumen aſpicimus, Chriſtique Domini meritis ac Sacramentis fruimur, & ad cœleſtem beatitudinem contendimus. Hoc autem ideo factum eſt, quia ſic placitum fuit ante Deum, cuius iudicia incomprehenſibilia ſunt, cuiuſque viæ inueſtigabiles. Huiuſmodi tamen beneficij memoria in noſtro animo cum grata recordatione verſari debet, & pro eo immortales ſunt nobis gratiæ agendæ immortali Deo. Qui quidem diligentiſſimè hanc ſuam vineam, cuius nos vites ſumus, excolit, eamque in optimo terræ ſitu fructiferis vitibus abundanti ſeuit : *Ego plantaui te vineam electam, omne ſemen verum.* Hebræus legit Soreck, quod genus eſt vitis optimæ, vt explicat Hieronymus, apud Iſaiam etiam, *Facta eſt* (ait Dominus) *vinea dilecto meo in cornu filio olei.* Vbi Septuaginta legunt : *in loco pingui*, ſiue vberi. vt autem hanc vineam in hunc mundum ſereret, priùs infœcundas & inueteratas arbores euellit: in hac enim vinea plantanda, inquit D. Chryſoſtomus, *habuit ſe Deus ſicut vinitor ſtudioſus, qui primùm omnes in circuitu infructuoſas ſyluas excidit, & ſic poſtea plantat, ne fortè arbores laſciuientes, dum hinc & illinc per longa ſpatia ramos ſuos exporrigunt, adhuc tenerum ſuffocent malleolum.* Hæc ille. neque ſolùm infœcundas arbores extirpauit, ſed etiam lapides elegit ex ea : ſepem circumdedit ei, & ædificauit turrim in medio eius. In hac ſepe Angelorum cuſtodiam ſignificari tenet D. Thom. Hieron. & Baſilius. *Nam immittet ſe Angelus* (inquit Baſilius) *in circuitu timentium Dominum : quemadmodum enim erat mons equorum & currurum igneorum plenus, id eſt, Angelorum, in circuitu Eliſæi ; ſic modo in circuitu Eccleſiæ noſtræ innumeri cœlites aſtant.* Diuus item Ambroſius, & Origenes dicunt hanc ſepem eſſe quandam protectionem diuinam, quā Deus cuſtodit vineam. *Dominus enim in circuitu populi ſui. Niſi Dominus cuſtoderit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Beatus Hilarius ait : *Sepes hæc eſt ſanctificatio patrum, & nobilitas vt Abrahæ, Iſaac, &c.*

Ibid. Simile.

Pſal. 30 16. Matt. 11 26.

Ier. 2. 21.

Cap. 5. 1.

In imp. ſuper hūc locum.

Hoc loco. Hom 5. in exam. 4 Reg 19.

In cap 5. Luc. Hom 19 in Matt.. Pſ 124. 2. Pſ 126 1. Can 2.

mtra quam, tamquam in septo peculiaris custodiæ, Deus Iudæos includit. Alia etiam in hoc septo significari possunt, vt explicat D. Thomas & Basilius in locis modò citatis.

In explicando verò quid *turris* huius vineæ significet, est etiam inter Doctores opinionum dissensio. *Hier. Vbi supra. Locis supra allegatis.* Nam diuus Hieronymus, S. Thomas, & Origenes censent, in turri augustissimum Ierosolymæ templum indicari. At beatus Ambrosius & Hilarius diuinæ legis celsitudinem, alij Dei cognitionem, alij denique altitudinem fidei Christianæ in ea turri significari affirmant. De *torculari* autem non vnus omnium, sed varius est sensus. *Torcular enim*, inquit D. Hieronymus, *est altare Dei.* Beatus Ambrosius illud Psalmis accommodat, qui inscribuntur de Torcularibus diuinæ prouidentiæ. D. Thomas Martyribus, qui pro Christo vitam sanguinemque fuderunt, D. Hilarius Prophetis, in quos mustum Spiritus sancti defluxit. Origenes denique, *Torcular est* (inquit) *locus libationum.* Coloni verò sunt Sacerdotes. Tandem hæc omnia sunt beneficia à summo Deo in vineam suam collata, quorum nos etiam, vtpote illius vites, participes sanè sumus, atque idcirco pro illis meritam ipsi gratiam persoluere debemus.

Prop. III. *Quàm ingens dignitas sit Christianum esse.*

Matt. 6. Matth. 6. sic nos orare Christus monuit: *Pater noster*, &c. Cur non, Domine Deus noster, cùm verè Dominus noster sit, & nos verè serui eius? *Cassian.* Cassianus coll. 9. de oratione: *Quia cùm vniuersa fabricatio Deum ac Dominum Patrem nostrum esse voce propria confitemur, profectò de conditione seruili in adoptionem filiorum Dei nos profitemur adscitos.* Ita ille. Adde non solùm voce propriâ nos Deum Patrem nostrum confiteri, verùm etiam ipsius Dei ordinatione sic Deum appellare, sicut mater Ecclesia in Missæ officio adnotauit, dicens: *Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere: Pater noster*, &c. Cùm igitur Dei præceptis nos Deum Patrem nominemus, nos in filios ex seruis eleuatos esse gloriemur in Domino.

Adiecit deinde: *qui es in cælis, vt commorationē vitæ præsentis, quæ in hac degimus terra, velut peregrinam & à nostro patre nos longissimè separantem, toto horrore vitantes, ad illam potius regionem, in qua patrem nostrum commorari fatemur, summo desiderio properemus, & nihil admittamus, quod indignos nos hac nostra professione, ac nobilitate adoptionis tantæ faciat, & hæreditate paterna velut degeneres priuet, & iram nos faciat iustitiæ eius incurrere.* Ita Cassianus. Si igitur nos Dei filios agnoscimus, & hæreditatem ac patrimonium in cælis esse, quid nobis cum terra? cur non ad cælestem patriam tanquam ab ea peregrini non anhelamus?

Prop. IV. *Christianum decet virtus & sanctitudo.*

Chrysost. S. Anct. Chrysost. hom. 21. ad pop. *Si commune generis nostri nomen cogitaueris, magnam ad virtutem capies disciplinam, & exhortationem, quia hoc nomine, homo, non secundùm Philosophos externos nos definimus, sed vt diuina habet Scriptura: nam homo non est solùm, qui caput & manus & pedes habet humanos, nec quicumque tantum rationalis est, sed quicumque pietatem, & virtutem cum fiducia exercet. audi namq; quid de Iob dic. tur:* *Iob 1.1.* Homo erat in terra Hus, nomine Iob. *Homo dicit, non quod manus hominis haberet, & latos vngues, sed indicia virtutis eius præbens, dicit:* simplex & rectus, & timens Deum, & recedens à malo, *demonstrans, quod hoc est hominem esse, sicut scilicet & alius dicit, Deum time & mandata eius custodi;* quoniam hoc est omnis homo.

Si autem hoc nomen homo *tantam ad virtutem præbet exhortationem, multò magis* fidelis; *fidelis enim propterea vocaris, quoniam & credis Deo, & ab eo creditam sustinam habes, sanctitatem, munditiam animæ, in filium adoptionem, regnum cœlorum, & hæc tibi commendauit: tu verò vt sibi mandauisti, orationem, eleemosynam, modestiam, & omnem alium virtutem; hoc ergo te secundum potentiam tuam facere oportet in his quæ tibi credita sunt, sanctitatem, quam accepisti, intendere, & ex lucro sustinam reddere clariorem; quanto enim maior gratia; tanto maior posteæ peccantibus erit pena.* Ita S. Chrysost.

S. Chrysost. hom. 23. ad pop. *Fidelem non ex solo nomine Deum cognoscere Dei, verùm & ex vitæ nouitate videri oportet, honoris enim magnitudo, pro honoris dignitate, viuere nolentibus, fit maior supplicij accessio; fidelem igitur, non tantum ex his, quæ à Deo sumpsit, verùm & ex his, quæ ipse præstet, par est effulgere, & ex omnibus esse partibus manifestum; ex incessu, ex aspectu, ex habitu, & ex voce, non ad ostentationem, sed ad prouidentium vtilitatem. Nunc autem vnde te queam agnoscere? nam siue à loco te discere voluero, in theatris, & locis impudicis commorantem intueor, in malignantium consilijs, in foro, & in conuenticulis hominum perditorum; siue ab aspectus forma, vel deo te cachinnantem, & dissolutum; siue à vestitu, cernens nihilo melius compositum à verè fantibus in scena; siue à furore video te mundanis, & peccatoribus stipatum; siue à verbis, nihil sanum, aut necessarium, aut vitæ nostræ conferens loquentem audio; siue in mensa, & hinc maior apparebit accusatio. Vnde igitur potero te fidelem agnoscere? quid verò fidelem dico? imò vel hominem? cùm scilicet tanquam iumentum recalcitres, lasciuias, vt taurus, & tanquam equus hinnias, ventri tanquam vrsus indulgeas, & vt mulus carnem impinguas, & malorum memoriam teneas, velut camelus, rapias, vt lupus, iracæris vt serpens, feras vt scorpius, subdolus sis vt vulpes, nequitiæq; venena velut aspis & vipera serues, imò siue malignus dæmon fratres impugnes, quomodo te cum hominibus valeam connumerare, si humanæ in te naturæ signa non intueor? fidelis namq;, & infidelis in te differentiam quærens, ne vel hominis, & ferè à differentiam inuenire possim. Quod enim te nunc putem? feram? sed ferè vno eodemq; vitio tenetur, tu verò omnia vitia pariter circumferens, ad maiorem, quàm illæ feritatem progrederis. dicam te dæmonem? at dæmon neque ventri seruit, neque pecuniis amat. Cùm igitur plures, quàm feræ & dæmones, habeas defectus, quomodo te hominem appellabo? si verò te non licet hominem appellare, quomodo te fidelem salutabimus? & quod peius, non tam vnde dispositæ animæ nostræ deformitatem cogitamus, nec ipsius animaduertimus turpitudinem, sed tondens cæsariem, accepto speculo crinium compositionem diligenter examinas, & astantes, & tonsorem consulis, an bene quæ circa frontem sunt, composuerit, &, cùm sis plerumq; senex, huiusmodi vanitatibus iuuenilibus insanire non erubescis: anima verò nostra non tantùm deformitatem non aspicimus, verùm neque bestialem inductam speciem, & Chimeram quandam, iuxta Poëtarum figmentum, effectam, vel paululum consideramus, licèt habeamus speculum illo multò melius, & vtilius; neque enim deformitatem solum ostendit, verùm & informam incomparabilem, si velimus, transmutat: hoc autem est bonorum virtutum imitatio, lectioq; Scripturarum, & leges tradita à Deo. si semel enim velis in illorum sanctorum imagines inspicere, & deformitatem tuam videbis, &, cùm videris, faciem habitio correctionem. In brutorum igitur forma nemo remaneat: non fit fera domum patris non ingreditur, cùm & tu fera sis, qualiter tu ingrederis? sed quid dico iterum fera cùm sis? dicam amplius, feris est hic omnibus peior, illæ siquidem, licèt agrestes sint, humanam artem nactæ, mansuetæ frequenter efficiuntur, tu verò cùm in præter naturalem feritatē mutauerit mansuetudinem tuam, quam excusationem habebis? quod naturæ quidem ferum est exhibens mite, temetipsum verò naturæ ordinem contra naturam bestialem constituens, & leonem quidem reddens mansuetum, verò animum, tuum leone exhibes sæuiorem. Et illic quidem duo sunt, quæ obstant, tum quòd ratione careat bestia, tum quòd naturâ sit ad iram facilis, & tamen ex sapientia tibi à Deo data naturam illarum superas. qui ergo fac naturam*

naturam bestiarum vincit, quare in temetipso bonum liberum corrumpis arbitrij, & naturam? quod si iussissem, vt alium hominem redderes mansuetum, nec ita quidem vires tuas excedent: demandatrem, attamen potuisses excusari, quòd non sis alienæ dominus voluntatis, nunc verò tua est voluntas, quæ-lem ergo excusationem habes? qui ex leone hominem facis, temetipsum verò negligens, ex homine leonem, & illi quidem supernaturalia largiens, tibi verò neque naturalia conser-vans, sed in illarum impellens furorem & feritatem. Ita S. Chrysost. A

Prop. V. *Quàm super infideles teneatur rectè viuere Christianus.*

AD Roman. 2. *Tribulatio & angustia in omnem ani-mam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci; tribulatio*, scilicet exterior; *& angustia* animi & cordis *erit operanti malum*, ait Apostolus. sed cur, quæso, primùm Iudæo, deinde Græco? Ratio est, quia Græ-ci tunc gentiles erant, & carebant lege scripta, & sola naturæ lege ducebantur; Iudæi verò vltra legem na-turæ, scripta lege gaudebant, & hac ratione ampliori B obligatione tenebantur rectè operari. Expositio hæc S. Anselmi est, dicentis ibidem: *Iudæus Gentili in culpa præfertur, quia præter naturalem legem, legem scriptam ha-buit, quam præuaricabatur.* Ita ille. & S. Thom. lect. 2. *Di-cit Paulus, Iudæis primùm, quia Iudæis maior pœna debeba-tur, tanquam cognoscentibus Dei voluntatem per legem. Vnde* Luc. 12. *dicitur: Seruus sciens voluntatem Domini sui*, &c. *Similiter Christiani quantùm ad idem peccatum, grauiori pœna punientur, quàm infideles, iuxta id ad* Hebr. 10. *Quantò magis putatis deteriora meteri supplicia*, &c. Ita S. Thom. Hinc colliges, quantò magis Christianus teneatur san-ctè viuere quàm reliqui Gentiles, seu Israëlitæ, cùm non solùm lege naturæ & scriptâ fruantur, verùm et-iam lege gratiæ, & etiam Euangelicis consilijs, in qui-bus summa totius perfectionis continetur.

Hinc etiam infertur, maiori & grauiori pœna dig-num esse peccatorem Christianum quàm Gëtilem, & C quàm Israëlita olim erat, sicut subdit ibi Paulus, di-cens: *Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peri-bunt; & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudi-cabuntur: non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Quid est, *sine lege peccasse*? S. Anselm. ibidem, id est, *sine legis transgressione, hi sine lege peribunt, id est, minùs punientur.* Ita ille.

Prop. VI. *Christianus ad perfectionem aspirare tenetur.*

DE sapientibus Gentilibus dicitur; *Inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta con-spiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles: quia cum agnouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt*, hoc est, non quia Gentiles sunt, ab impietate sua excusantur, quia licèt per fidem non co-gnouerunt Deum, cognouerunt tamen illum per ra- D tionem naturalem ex cognitione rerum naturalium. Quòd si rationis lumen ita obligat infideles, quantò magis supra ipsum lumen rationis, fidei, & Euangelij lux, & alta cognitio, & insuper tot tantaque beneficia à Christo Domino Christianis collata?

Sic Propheta Ieremias ad Hierusalem: *Quis mise-rebitur tui Hierusalem? aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?* hoc est, cùm Hieruſa-lem ciuitas sancta Dei, plus quàm reliquæ Orbis par-tes, ad Dei obsequium tenereris, eò quòd ex sacris lit-teris maiorem Dei cognitionem fueris assecuta, & ma-ioribus ac cumulatioribus Dei beneficijs fueris potita, & nihilominus in varia fueris peccata prolapsa; cùm à Deo fueris pro merito punita, quis miserebitur tui? ne-que enim digna commiseratione eris, nec contristatio-

ne sodalium, imò nec oratione iustorum. quis enim au-debit orare Deum pro adeò ingrata ciuitate? Rogo ergo Christianos omnes, quantò maior sit ingratitudo peccatorum Christianorum quàm Hebræorum? fa-teor illos maximè ad Dei obsequium deuinctos fuisse ob maiorem Dei notitiam, & sublimiora accepta à Deo beneficia, plusquam reliquæ mundi nationes, quæ non ita Deum agnoscebant, nec tot tantaque beneficia recipiebant; sed comparatione nostri quid illi hac in parte fuerunt? Etenim si in die iudicij super contri-tione, & infælicitate damnatorum compassio nostra cadere posset, maiore compassione digni fuissent Gen-tiles, & Hebræi (cæteris paribus) quàm Christiani: hi enim tantò maiori supplicio digni sunt, quantò ve-ritate Euangelica, & lege gratiæ, & gratia Dei ampliori nunc gaudent. *Tu* (inquit Dominus ad Hierusalem, vbi supra,) *reliquisti me, retrorsum abijsti, & extendam ma-num meam super te, & interficiam te: laborani rogans.* Pon-dera verba illa, *laborani rogans*, continent enim ratio-nem iustæ indignationis Dei aduersùs Hierusalem: pu-niam, inquit, te grauiter, quia cùm laborauerim rogans te, neque sic mihi obsequi voluisti. Attende, Christiane, quoties te Deus ita rogauerit, tum per concionatores, tum per confessarios, tum per superiores & prælatos, tum per Scripturas sacras, tum per cordis inspirationes secretas, &c. Sic pro te laborauit Dominus rogans, tu verò obturasti sicut serpens aures tuas, & audire no-luisti. Ier. 15.

Tunc cœpit (Christus Dominus) *exprobrare ciuitati-bus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egis-sent pœnitentiam: Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Veruntа-men dico vobis: Tyro, & Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis.* Verba hæc non verba, sed fulmina esse videntur, Christianorum pectora ferientia; si enim Corozainos & Bethsaidos ita inexcusabiles reddit euangelica prædicatio, quid nos de nobis futurum speremus? quam, quæso, excusationem nos poterimus adhibere? Matt. 11. 20.

Sic Dominus vineæ ad eos qui in platea seu foro ciuitatis suæ otiosi stabant, *Quid*, inquit, *hic statis tota die otiosi?* Ponderandum est verbum illud *hic*, cui simile videtur id quod cuidam operario dixit Dominus per Isaiam: *Quid tu hic, aut quasi quis hic?* Sic otiosis in Ecclesia Christi, qui nullis spiritualibus, & sanctis operibus, vel ferè nullis vacant, dicere possumus: Quis tu hic, aut quasi quis hic? Sum, inquies, opera-rius in vinea Christi; cur igitur non laboras? quid hic stas tota die otiosus? Quis tu hic? Ego, dices, arbor, seu vitis sum in vinea Dei: vbi igitur fructus? non est in te botrus ad comedendum; expectauit Dominus vineæ, vt faceres uvas, tu autem fecisti labruscas, nónne times vocem dicentem tibi: *Pater meus agricola est, om-nem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & in ignem mittet, & ardet?* vel illam: *Scindite arborem, vt quid enim terram occupat* otiosè? Quid igitur tu hic, aut quasi quis hic? Ego, ais, hic aduena sum, & peregrinus; *non enim habemus hic permanentem ciuitatem, sed futu-ram inquirimus*; si ergo peregrinus, cur non properas in patriam tuam? quid hic stas? cur non ambulas? imò cur non curris, vt comprehendas? si peregrinus, cur tanquam ciuis, & naturalis terræ huius hic diuitias, & domos, & bona terræ huius tantâ cum solicitudine quæris, cur non futuram ciuitatem inquiris? Quid igitur tu hic, aut quasi quis hic? quasi miles, inquis, nam militia est vita hominis in terra: si ergo te mili-tem confiteris, cur non sumis arma, cur non milites aduersùs diabolicas potestates, quæ te captiuare sata-gunt, & in æternum detrudere carcerem inferni? cur non militas aduersùs mundum, qui vanitatibus, & oc-casionibus suis te dæmonibus tradere conatur? cur Matt. 20. 6. Cap. 22. 16. Ier. 5. 5:

mundum ipſum diligis, & ea quæ mundi ſunt? ſi tu A
miles? cur non militas aduersùs carnem tuam, cùm
illa militet aduersùs animam tuam die ac nocte? ſi mi-
les tu, cur te ab inimicis capitalibus tuis vinci, & con-
culcari permittis? Quis igitur tu hîc, aut quaſi quis
hîc? nunquid tanquam mercator, & homo negotiator,
qui quærit bonas margaritas, & optimos theſauros?
cur igitur theſaurizas in terra, *vbi ærugo, & tinea demoli-*
tur, & fures effodiunt & furantur? cur non theſaurizas
tibi in cœlo, vbi neque tinea, neque ærugo demolitur,
nec fures furantur? cur non emis margaritam illam
pretioſam gloriæ, quam tibi vendere vult Chriſtus
abſque argento, & abſque vlla commutatione? nam
ſapiens ille negotiator Euangelij, *inuentâ vnâ pretioſâ*
margaritâ, dedit pro ea *omnia bona ſua, & comparauit*
eam. Denique quis tu hîc? Chriſtianus, inquies. Si
Chriſtianus, cur ergo non Chriſto Domino fideliſſimè
ſeruis? Chriſtianus enim idem eſt, quòd Chriſti ſer-
uus. ſi Chriſtianus, cur non operibus Chriſtianis va-
cas? cur non agis pœnitentiam, qui contra Dominum,
teſte conſcientia tuâ, peccaſti? cur non iejunas; cur non
cilicium induis? cur non xenodochium adis, & opera
exerces pietatis? ſi Chriſtianum te eſſe gloriaris, cur
non orationibus incumbis? cur non ſacramenta con-
feſſionis, & communionis frequentas? hæc enim ſunt
propria opera hominis Chriſtiani.

At dices: operarium Chriſtianum me eſſe fateor,
ſed quia debilis, & viribus deſtitutus ſum, non ita vt
par erat, operari valeo, audias igitur, tibi & ſimilibus
tui loquentem Paulum: *Humanum dico propter infirmi-*
tatem carnis veſtræ, ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſer-
uire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita tunc exhi-
bete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Peneis
por achaque los achaques y flaquezas del cuerpo para no hazer
penitencias y obras pias, pues yo condeſciendendo con vueſtra
flaqueza, dize san Pablo, digo que me contento ſiruais de aqui
adelante à Dios en obras virtuoſas, como haſta aqui aueis
seruido al mundo, y al demonio en coſas vicioſas. Etenim, vt C
Cap. 9. ait Ieremias, *vt iniquè agerent, laborauerunt*, ita eſt, auarus
vt pecuniam acquirat, ſuperbus, & ambitioſus vt ho-
nores & munia conſequatur, & cæteri peccatores, vt
optatis potiantur, nullum non lapidem mouent, vt ini-
què agant laborant, nec ſumptibus, nec laboribus par-
cunt: vt autem bene agant, debiles, & pauperes ſunt, ad
eleemoſynas pauperes, ad ſumptus profanos diuites
ſunt, &c. *Humanum ergo*, ait Apoſtolus, *dico*, ſicut ſerui-
uiſtis mundo ſeruite Deo, &c. Præterea *ſicut exhibuiſtis*
membra veſtra ſeruire iniquitati, ad iniquitatem, ita, &c.
hoc eſt, ſicut linguâ ſeruiſtis detractionibus, & iura-
mentis in vanum, & mendacijs & maledictionibus,
& verbis otioſis, & malis; ita nunc eâdem linguâ lau-
date Deum, & proximos, & orate, & verba ſanctæ pro-
ferte; & ſicut linguâ detraxiſtis famæ proximi, ita et-
iam linguâ ſatisfacite eius famæ, & ſicut viſu ſeruiuiſtis
vanitatibus, & laſciuiæ, ita nunc claudentes oculos va-
nitati, & aperiete eos rebus cœleſtibus, & diuinis; & D
ſicut aures exhibuiſtis detractationibus, & verbis
otioſis, & malis, ita nunc exhibete concionibus, & ver-
bis ſanctis, idemque de manibus, & pedibus, & corde
ipſo philoſophandum eſt.

Epheſ. 4. 19. Agens Apoſtolus de infidelibus, *deſperantes*, inquit, *ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immundi-*
tiæ omnis, in auaritiam: vos autem non ita didiciſtis Chriſtum, &c. hoc eſt, quia carent ſpe gloriæ cæleſtis (erant enim
infideles) tradiderunt ſe peccatis multis in auaritiam,
id eſt, auarè; ſicut enim auarus quærit anxiè pecunias,
ſic hi peccatorum immunditias; vos autem non ita
edocti eſtis à Chriſto Deo noſtro, fidem enim Chri-
ſtianam profitemini, & ſpem vitæ cæleſtis habetis, &
ideò renouamini ſpiritu mentis veſtræ, &c. hoc eſt,
ſiquidem fideles eſtis, viuite vos tanquam verè fide-
les, & prout exigit fides Chriſtiana. monſtroſa namque
res eſt fidem profiteri Chriſtianam, & vitam degere
paganam.

Sic Deus ad Epiſcopum Laodiceæ: *Vtinam frigi-* *Apoc.*
dus, eſſes aut calidus, ſed quia tepidus es, incipiam te euomere *16.*
ex ore meo. Quiſnam eſt frigidus iſte, qui ſic ad nauſeam
prouocat Deum pluſquam frigidus homo? Sanct. Am-
broſ. *ſerm. 2. in Pſalm. 118. Frigidus*, inquit, *eſt qui fidem*
neſcit, calidus eſt qui feruore Spiritus ſancti ſuccenſus eſt,
qui enim calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerat fi-
dem non accepiſſe, quàm neglexiſſe: eſt enim tepidus frig-
do peior, quantò tolerabiliorem cauſam habet gentilis qui
dicere poteſt, non cognoui legem, ideò non credidi. Ita S.
Ambroſ.

Cur potiùs tepidum quàm frigidum euomit Deus,
nónne peius eſt frigidum quàm tepidum eſſe? Tep-
dus calorem aliquem habet virtutis; de hoc enim ca-
lore agitur hîc, & de affectu in Deum: peius autem eſt
omni affectu erga Deum carere, & aliquem habere;
ſicut tepido euenit. Obſeruandum igitur eſt, eum hîc B
dici tepidum, qui fidem & cognitionem Dei habet ſine
operibus, & ſine Dei charitate, vti explicant S. Am-
vbi ſuprà *in Pſalm. 118. ſerm. 2.* & S. Bernard. *ſerm. 3. de*
aſcen. S. Gregor. *lib. 3. paſtor. cap. 35.* S. Thom. *de malo, q.*
art. 13. ad 1. & alij plures *in hoc cap. 3. Apoc.* vnde frigi-
dus is erit qui fide, & Dei cognitione caret. Ait ergò
Dominus: vtinam frigidus eſſes potiùs quàm tepidus,
quia tepidus per fidem ſaltem cognoſcit me, frigidus
verò non: offendere autem me notum grauius pecca-
tum eſt, quàm offendere me ignotum. Hoc igitur om-
nes Chriſtianos tangit, nam, cæteris paribus, grauius
offendunt ipſi Deum quàm infideles, qui Deum
non agnoſcunt: ſicut grauius eſt regi maledicere cum
qui regem illum certò eſſe cognoſcit, quàm eum qui
eum non agnoſcit; vnde meritò in inferno grauiùs pa-
niuntur. & ratio huius eſt, quia qui cognoſcit Deum,
& tamen eum non amat, dicere videtur ſe quidem
cognoſcere Deum, ſed non eſſe Deum tam ingens bo-
num, vt mereatur diligi ſuper omnia, & ſatis illi eſſe te-
pido quodam affectu, ſeu velleitate quadam eum pro-
ſequi. ideo ait Euſebius Emiſſenus *hom. 3. ad monachos.*
Non vult Deus in opere ſuo tepidum, deſpicit laſtidioſum. Ita
ille. Non cognoſcere Deum nullum defectum arguit
in Deo, ſicut cæcum non videre Solis ſplendorem, nul-
lum in ſole defectum importat, ſed in cæco ipſo; ſi quis
verò ſolem videret, & deſpiceret illum, quantam iniu-
riam ex ſe irrogaret Soli, qui propter eminentem lu-
cem ſuam ab omnibus eum inſpicientibus laudari me-
retur; ſic cognoſcere Deum, & deſpicere Deum pec-
cando, in magnam iniuriam Dei reſultat, hoc enim
eſt fateri Deum talem eſſe vt facilè offendi poſſit, fa-
cilè quippe eum offendit, qui pro mundi bonis peccat
in eum.

PROP. VII. *Ad maiorem perfectionem ſequen-*
dam tenentur Chriſtiani, quàm olim fideles
in veteri lege.

SAnctus Chryſoſtomus, *lib. de virg. cap. 84. tom. 5.* *Ma-*
iori nos virtute nitamur oportet, quam qui in veteri Teſ-
tamento viuebant, eò quòd magna nunc effuſa ſit Spiritus ſancti
gratia, & magnum nobis Chriſti aduentu munus impertitum
ex infirmis perfectos reddidit. Vt igitur nos à liberis noſtris, *Simile.*
cùm iam creuerint, multò maiores virtutis actiones requirimus,
& quæ ab illis prima ætate rectè facta priùs laudabamus, ta-
dem poſtea, cùm ſe ætas corroborarit, ab eiſdem non ita admi-
ramur, ſed longè maiora inbemus efficere; ſic & Deus primis
illis temporibus, tanquam ab infirmorum hominum natura,
haud magna facinora requiſiuit, vt verò illi Prophetas, & A-
poſtolos audiuerunt, & Spiritus ſancti gratiam ſunt aſſecuti,
iure ipſis maiorem conſtituit rationem factorum. nam & ma-
ior nunc merces propoſita eſt, & ſplendidiora multò certamina
præmia conſtituta ſunt; non enim iam terra, aut terrena,
ſed

sed cælum, & quæ mente non consequimur, bona propo- A *nuntur. Quid ? nónne absurdum est, cum simus ætate confirmata, in illa nos exiguitate continere ?* Ita Sanct. Chrysost.

Prop. VIII. *Ad quantam perfectionem aspirare debeat Christianus.*

PSal 4. *Filij hominum vsquequo graui corde ? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium ? Et scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum.* Vbi S. Augustus. per *sanctum suum* intelligens Christum Dominum, ait: *Dominus magnificauit sanctum suum, iam Christus venit, iam magnificatus est, iam surrexit, & ascendit in cælum, iam nomen eius in toto mundo prædicatur; quousque igitur graui estis corde, vt quid diligitis vanitatem ? Adhuc vana ? Adhuc mutila, & volatica ? ita Christo iam magnificato, adhuc ista requiruntur ? iam clamat veritas & adhuc quæritur vanitas ?* B *Quousque graui corde ? meritò fortiter flagellatur hic mundus; cognouit enim iam verba Domini, & seruus, inquit, nesciens voluntatem Domini sui, & faciens digna plagis, vapulabit paucis. Quare ? vt quærat voluntatem Domini sui seruus nesciens voluntatem Domini sui erat mundus, anteaquam magnificaret Dominus sanctum suum, & ideò vapulabat paucis; seruus autem iam sciens voluntatem Domini, hoc est, modo mundus, ex quo magnificauit Dominus sanctum suum, & ideò non faciens voluntatem eius, vapulabit multis. Quid ergo mirum si modo multis vapulet mundus, cùm sit seruus sciens voluntatem Domini sui, & faciens digna plagis ?* Ita S. Augustin. Non igitur mirum, si ante Christi Domini aduentum mundus imperfectus erat: non enim ita manifesta illi perfectio erat, sed iam à tali ac tanto magistro edoctus, si perfectione careat, vapulare multis valdè meretur. *Ipsum audite,* ait pater, audiuimus ab eo magnos humilitatis fructus, quid igitur meretur superbus Christianus ? & sic de reliquis. C

Prop. IX. *Christianus qualis sit, opera manifestant.*

QVæsierunt quidam Iudæorum à Domino, vt palàm diceret an verè ipse Christus esset, *Quousque,* inquiunt, *animam nostram tollis, si tu es Christus, dic nobis palam;* quibus Christus, *Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me;* verba quidem testimonia quoque sunt, nam ex abundantia cordis os loquitur: sed tamen exilia sunt argumẽta virtutis animi, facilè quippe est bene loqui, difficile verò est viuere piè, ac sanctè, ideò Christus Dominus non ad verba, sed ad opera, interrogantes remisit.

Sic etiam de nobis dicendum est, qualis enim quisque sit ex operibus eius deducendum est. *Si filij Abrahæ estis,* ait Dominus, *opera Abrahæ facite.* Vnde meritò subdidit: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis* D *facere. Ille homicida erat à principio. Vos facitis opera patris vestri. &, Nunc quæritis me interficere, hominem qui vera vobis locutus sum.* ecce ex qualitate operum eos, quales illi in se essent, probauit Dominus. Sed omissis illis, ad nos veniamus, Christianos esse nos omnes fatemur: si ergo Christiani sumus, operibus id probemus; multorum enim Christianorum opera, non Christianorum, sed paganorum sunt, imò & dæmoniorum: sic enim continenter peccant, ac si non homines, sed dæmones essent. Apparere quidem Christiani volumus nos, esse tamen nequaquam. Vnde S. Bern. *serm. 3. de aduentu. Videmus pauperes aliquos, qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, vt nihil eis desit, & sic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur. Sunt & alij mites, sed quamdiu nihil dicitur, vel agitur, nisi pro eorum arbitrio: patebit autem quàm longè sint à vera mansuetudine, si leuis oriatur occasio. alios quoque lugentes video, sed si de corde procederent lacrymæ illæ,* A *non tam facile soluerentur in risum: nunc autem, cùm abundantius verba otiosa, & scurrilia ab eis effundantur, quam prius lachrymæ, lachrymas huiusmodi de illis esse non arbitror, quibus promittitur diuina consolatio, quandoquidem tam facile post illas consolatio velis admittitur. Alij tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, vt videri possint esurire, & sitire iustitiam, si esset apud eos de scis quoque peccatis iudicium idem, (quasi dicat, quieren iusticia, mas no* Dent 25. *por su casa.) sed nunc pondus, & pondus abominatio est apud Deum. Sunt alij misericordes de his quæ non pertinent ad ipsos, qui scandalizantur, si non datur omnibus abundanter, sic tamen vt ipsi nec in modico quidem grauentur, qui si misericordes essent, de suo facere misericordiam deberent* Ita S. Bern. Hi omnes, & alij similes his, Christiani dici, & apparere volunt, ac seducunt non solùm alios, verùm etiam seipsos, opera enim illorum Christianos secundùm quid, non autem absolutè, & completè tales esse demonstrant, Christianos, inquam, secundum apparentiam, & non secundùm existentiam. Christianum igitur secundùm nomen eius sanctum esse oportet, vnde S. Bern. *in sententiis, Christiani,* inquit, *à Christo nomina acceperunt; operæ pretium ergo est, vt, sicut sunt hæredes nomine, ita sint imitatores sanctitatis.* Ita ille. Meritò ergo nobis dicet Deus quod olim Leuit. 19. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum;* & similiter, fortes estote, & iusti estote, &c.

Prop. X. *Quàm grauiter Deum offendat Christianus peccator.*

DIonysium Syracusanorum Regem percussit alapâ quidam, qui eum Regem esse ignorabat, sed alienum quemdam esse censebat: captus ille & in vincula missus fuit: à Rege autem nonnulli eius necessarij postulabant, vt insolentiam illam, & crimen illud maiestatis læsæ grauiter puniret: quibus Rex: *Non ille me iniuriâ quidem affecit, quia me aliumi esse existimauit, sed illum, quem me esse credebat, illi satisfacere debet, non mihi.* Si igitur homo ille percussor Regem cognouisset, reus meritò læsæ maiestatis censeretur: at quia illum non agnoscebat, à tali reatu immunis iudicatus fuit. Idem suo modo de homine fideli ac infideli philosophandum est: nam Maurus, v.g. qui in Christum peccat, non in Deum ex animo peccat, nam Deum illum esse ignorat: at Christianus, qui Christum Dominum nouit, quam quæso prætendet excusationem in iudicio.

Agens Apostolus de graui quodam peccatore, ait: 1. Cor. 5. *Iam iudicaui vt præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine* 3. *Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini Iesu, tradere huiusmodi Satanæ.* S. Chrysost. ait, quosdam sic legere: *Eum qui sic operatus* Hom. 15. *est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & puncto hic facto,* in 1. ad *vel connate, prosequuntur, congregatis, &c. & dicunt hanc* Cor. *esse huius lectionis sententiam; eum qui sic operatus est in nomine Christi tradere Satanæ, hoc est, qui Christi nomini iniuriatur postquam factus fuerit fidelis, & illo nomine cognominatus, eiusmodi crimen facere fuerit ausus.* Ita S. Chrysost. Secundum hanc lectionem ideo specialiter inuchitur Apostolus in hunc peccatorem, quia factus iam Christianus, tale perpetrauerit peccatum, ideò, inquam, eum tradidit Satanæ in interitum carnis, vt videas quàm grauis sit circumstantia Christianitatis in peccatis Christianorum.

CHRI-

CHRISTVS.

Prop. I. 2. *Christus est verus Deus.*
2. *Christus diuinitatem suam quomodo probauerit.*
3. *Christus redemptor.*
4. *Christi amor in nos.*
5. *Quanta bona in Christo habeamus.*
6. *Christus est exemplar nostrum.*

Prop. I. *Christus est verus Deus.*

FInxerunt olim Gentiles Poëtæ Deos suos imperia mundi inter seipsos diuisisse, vnde Apollinem Deum scientiarum esse dicebant, Martem armorum, Cupidinem amoris, Cererem terræ, Neptunum maris, Æolum ventorum, Iouem cœlorum, &c. Vnde si quis eorum aliquid ad iurisdictionem alterius pertinens attentasset, statim inter eos discordiam oriri Poëtæ fingebant. Vnde Virgilius fingit Neptnum sic de Æolo conquestum, quòd sine eius facultate ventorum vi maris vndas conturbasset. B

Virgil. 1. Aenid.
Non illi imperium pelagi saeuumq; tridentem,
Sed mihi sorte datum, tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos, illa se iactet in aula
Aeolus, & clauso ventorum carcere regnet.

Fictitia & poëtica sunt hæc, & digna hisce dijs : at Christus Dominus omnium imperiorum huiusmodi se Deum esse manifestauit; maris cùm supra vndas eius securus, ac veluti supra terram, fixis pedibus ambulauit: ventorum, cùm imperauit ventis, & mari, orta illa magna tempestate, & statim facta fuit tranquillitas magna : cœlorum, cùm tenebræ factæ fuerunt in vniuerso mundo in Deitatis signum, cùm in cruce penderet: terræ cùm ex corde terræ se iam mortuum suscitauit : vitæ, ac mortis, cùm mortuos ad vitam reuocauit, nec obtam extensum imperium conquestus est alius de ipso, quia nullus est præter ipsum alius Deus; est enim C verus Deus cum Patre & Spiritu Sancto.

Chrysost. Sanct. Chrysost. hom. 66. ad pop. *Romanorum Senatus sibi potestatem tribuebat Deos creandi, & discernendi, vnde tertiumdecimum Deum esse putauit Alexandrum. cùm igitur ei omnia Christi opera renunciata fuissent, misit gentis Princeps interrogatum an eis videretur, & ipse Deus decernendus? Illi verò non annuerunt, indignantes, quòd ante decretum, & sententiam suam effulgens Iesu Christi virtus vrbem terrarum in sui traxisset veneration em. Hoc autem & ipsis nolentibus dispensatum est, ne mortali decreto Christi prædicaretur diuinitas, nec vnus de multis esse putaretur, qui ab eis fuerant instituti. Nàm & pugiles Deos esse putauerunt, & exoletum Adriani : vnde & ciuitas Antinous dicitur. Quoniam enim mors naturam conuicit mortalem, aliam adinuenit diabolus viam, animæ immortalitatem superantem post mortem, assentationem, per quam in impietatem multos induxit, quod quidem in illo Alexandro Macedone fecit : ait enim : Multa magna viuens gessit; nam & ciuitates subegit, & gentes, & multa bella profligauit, & pugnas, & erexit trophea : & quid hoc? Non enim hæc sunt diuinæ argumenta naturæ : sed quæ Christus fecit magna sunt illa & admirabilia & inenarrabilia : nec vlli quidem hominum, nec vlli Angelorum, at soli Deo possibilia. Quæ autem sunt hæc? Quæ totus terrarum orbis per opera clamat, & per singulos prædicat dies. Et id quidem est admirabile, quòd post crucem Christus hæc operatus est per vndecim mendicos & piscatores. Nam quod rex viuens expediat bella & victorias, cùm sit rex, & exercitus habeat, & pecuniarum copiam, nihil est mirandum, inopinatum nihil, & nouum : quòd verò post crucem & sepulturam tanta facta sint vbiq; terrarum & maris, hoc est, præcipuè multa plenum admiratione, diuinam & ineffabilem prædicans virtutem. Alexander quidem post mortem suam distipatum imperium suum, & penitus exterminatum non reparauit, neque aliud gessit, sine* A *magnum siue parum : quemodo namque factura erat mortuus purus homo? Christus autem tunc omnem terrarum orbem ad se traxit adorandum, cum mortuus fuisset. Sed quæ de Christo loquor, cùm & discipulos, postquam obierunt, tum effulgere fecerit? Quid d. co discipulos, cùm & eorũ loca, & sepulchra, simul & tecta perenni memoriã celebrari curauit? Et verò mihi sepulchrum ostendas Alexandri, & profer diem, quo vitam finiuit : sed nihil horum insigne, sed omnia destructa sunt, & exterminata : Christi verò seruorum & sepulchra clara sunt, regiam assequuta ciuitatem, & dies notissimi mundo festam afferentes latitiam. Alexandri quidem loculum etiam propriꝰ nescimus, horum autem etiam Barbari sciunt. Seruorum crucifixi sepulchra regijs aulis sunt clariora. Et magnitudine & ædificiorum pulchritudine (nam & in hoc quidem superant) sed quod multò maius est, conuenientium studio. Nam & ipse, qui purpurã indutus est, accedit ad complexurus sepulchra, & fastu deposito, stat Sanctis seruaturus, vt pro se apud Deum intercedant : & scenarum ludibrum, & piscatorem, etiam mortuos, vt protectores, orat, quos diademate redimitus incedit. Audebis igitur, quæso, horum dominum mortuum nuncupare, cuius seruꝰ, vel mortui, potentiores Orbis regum sunt protectores? Nec hoc tantum quia mæ fieri vedit, sed etiam Constantinopoli. Nam & hic constantinum magnum eius filius honore magno censuit habere, pro foribus piscatoris paternum corpus collocaret. Et quod regis sunt iamtores regibus, hoc sunt in monumento piscatoribus Christi reges : & illi quidem vt domini, loca tenent victoria, hi verò tanquam inquilini, & vicini aula tanto gratum habuere deputari, & infidelibus ex his ostenditur, quòd in resurrectione maior erit piscatoribus dignitas. Sic enim in sepulchris, multò magis & in resurrectione, ordo commutatus est. Reges quidem minis trorum, subditi verò regum vicem induerunt, quinimò & splendidiorem.*

Quòd autem hoc assentatio non sit, ipsa veritas ostendit : ex illis enim & hi illustres facti sunt. Multò namque cæteris regalibus sepulchris hæc monumenta sunt clariora. Nam illic quidem magna solitudo, hic autem maximus concursus.

Quòd si velis, & regalibus aulis monumenta comparari, rursum & hic victoria. Nam ibi quidem multi deterentes: hic verò multi vocantes, & attrahentes, viros, & mulieres diuites & pauperes, liberos & seruos. Ibi magnus timor, hic inexplicabilis consolatio. Sed dulce spectaculum est, inquies, regum aureis indutum, & coronatum spectare, & statuas ducis, & principes, ductores, tribunos, & militum magistros : verum hæc tanto sunt illis illustriora, & honestiora, & magis venerenda, vt illa fabulæ sint, & ludicra. Simul ac enim pannamenta calcaueris, ad cœlum mentem locus transmiserit, & ad supernum regem, & sublimem thronum, & Angelorum exercitum, inaccessibilem gloriam.

Et hic quidem regnans alicui subiecto præcipit, vt hunc quidem soluat, illum verò liget, Sanctorum autem ossa, non hæc habent miserabilem & abiectam potestatem, sed hæc multò maiorem. Dæmonas enim sistunt & torquent, & victos ab illis soluunt sæuissimis vinculis. Quid hoc loco magnopere dicendum? quamuis enim dæmones non videantur, voces sentiuntur, & lacerationes, flagella, & tormenta, ac lingua ardens, terribilem vim illam dæmone non ferente, & corpus induti, incorporeas opprimunt potestates. Imò eorum ossa, & cinis, & fauilla, inuisibiles illas potestates dilaniant.

Itaque quò regias quidem aulas videat, nullus nunquam peregrinatus fuerit : multi verò reges pleruncq; huius spectaculi gratiã peregrinati sunt. Futuri namq; iudicij vestigia & signa, Sanctorum ædes exhibent, vbi dæmones flagellantur, corriguntur homines & liberantur. Vidisti vel mortuorum, hominum virtutem? Vidisti peccatorum & viuentium imbecillitatem? Fuge malitiam itaque vt talia consequaris, & omni studio virtutem sectare. Nam si præsentia sunt huiusmodi, cogites qualia sint futura : & horum amore iugiter detentus, æternam vitam apprehende. Ita S. Chrysost.

Prop. II. *Christus diuinitatem suam quomodo probauerit.*

MAtt.9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se : hic blasphemat.* Nimirum, quia hoc pro indubitato illis erat, neminem posse dimittere peccata, præter Deum ipsum: quo supposito optimè Christus Dominus se Deum esse probauit, cùm illico in confirmationem eius quod dixerat, paralyticum sanauit, dicens : *Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam : qui surrexit & abyt in domum suam.* Cùm igitur miraculo probauerit se posse dimittere peccata, & miraculum fieri non possit nisi in confirmationem veri, non verò falsi, consequens manifestum est, potuisse Christum dimittere peccata : peccata verò non posse dimittere, nisi solùm Deum, ipsi Scribæ, qui doctores & legis periti erant, confitebantur. Posset autem aliquis in contrarium opponere, quòd de Ioanne Baptista ait Euangelista Marcus cap. 1.4. *Erat Ioannes prædicans baptisma pœnitentiæ in remissionem peccatorum, & egrediebatur ad eum omnis Iudæa regio & Hierosolymitæ vniuersi, & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata sua.* Ecce Ioannem etiam peccatorum remissionem concedentem; non igitur hoc Dei ita proprium est, vt ex hoc Christi Deitas probari sufficienter possit. Theoph. in cap. 1. Marci. *Prædicauit baptismum pœnitentiæ, nempe in remissionem peccatorum, vt quando dicimus: Venit quidam satelles Regis prædicans ciborum præparationem, vt bene fiat, his, qui præparant cibos Regios, non dicimus ex hoc, quòd satelles benefacturus sit his qui præparant cibos Regios, sed quòd ipse prædicarit præparationem ciborum, vt hi qui illos præpararint Regemq; susceperint, beneficia consequantur. Sic igitur Præcursor prædicauit baptisma pœnitentiæ, vt hi qui pœnitentiam egerint, suscepto Christo, remissionem peccatorum consequantur.* Ita Theop.

A

B

C

Prop. III. *Christus Redemptor.*

GEnes.8. *AEdificauit Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare.* Vbi Rupert. lib. 9. in Genes. cap. 27. *Altare quod ædificauit Noë, & holocausta, quæ obtulit Domino, gratiarum actiones fuerunt, beneficiorum memoriam recolentes, vt dignum erat.* Ita Rupert. Ob id nempe quòd à diluuio liberauerat Deus Noë, & familiam eius, & in arca aluerat eos. Quòd si propter salutem corporalem ita gratus fuit Noë, & acceptum fuerit Deo sacrificium illud gratitudinis; quantò magis nos grati Deo esse debemus, quos à diluuio peccatorum nostrorum, & à morte æterna Christus Dominus liberauit? & quantò ipsi gratior erit gratiarum actio propter excellentiam beneficij redemptionis?

D

Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret,* &c. Poterat quidem alio modo, seu per aliam tertiam personam, hominem redimere, sed amor in nos effecit, vt per seipsum Deus hoc præstaret; etenim ab ipso hominis exordio Deus huiusmodi beneficij genus cœpit manifestare. Cùm enim fructuum terræ productionem terræ commendasset, & piscium auiumque, aquæ; productionem tamen hominis sibi reseruauit. *Faciamus* (inquit Deus Pater Filio ac Spiritui sancto) *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Sicut enim Pictor regiam quandam imaginem depingere volens, licèt circumdantem ornatum discipulis suis fidat, & committat; imaginem tamen Regis nequaquam, sed propria manu illam effingit; sic Deus mundum hunc visibilem propter hominem produxit. est enim homo imago Dei, reliqua visibilia sunt velut huius imaginis Regiæ ornamenta: hæc ideò alijs creaturis commisit, *Poner perlas, orlas, pagaritos, flores y frutas*; imaginem verò suam, qualis homo est, sibi soli formandam reseruauit: *Formauit,* inquit, *hominem de limo terræ, & inspiraut in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Sed insuper aduerte, imaginem istam post peccatum deformatam fuisse; & quamuis eius reformationem Angelo committere potuisset, noluit tamen, sed sicut formauerat ipse solus, sic etiam solus voluit hominem reformare. quod Isaias multò antea vaticinatus est c 63.3. dicens nomine Christi: *Torcular calcaui solus,* &c. & c.53.4. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit* &c. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Pondera repetitionem illius pronominis, *ipse*, quasi diceret, ipse & non alius cum ipso, sed ipse solus. Vnde tempore passionis, militibus volentibus capere illum, dixit: *Si me quæritis, sinite hos abire*; nolens Apostolos secum pati, ne redemptio passioni eorum pariter tribueretur: latrones secum admisit, quia tam excelsum opus scelestis illis tribui minimè poterat.

Gen.2 7.

Ioan 18. 8.

S. Theodor.q.24. in Exod. sic quæstionem proponit super cap. 12. Exodi, Quare præcepit Hebræis ad fugam ex Ægypto præparatis, Pascha celebrare? & respondet: *Perpetuum voluit seruari salutis memoriam, propterea dum leges conderet, inquit, cùm interrogauerit te filius tuus dicens, quid est Pascha? Respondebis quòd hodierna die Dominus Deus eduxit patres nostros ex AEgypto, & redemit primogenita nostra, quando perdidit & percussit primogenita AEgyptiorum; hac de causa præcepit festum hoc celebrari.* Ita ille. Vbi nota in vulgata nostra non eodem modo locum hunc haberi, sed ita legere Theodoret. si ergo eductionem ex Ægypto & profectionem in terram promissionis, sic Deus voluit obseruari, & tanquam Pascha celebrari; quali nos obseruatione oportebit celebrare eductionem & liberationem ex captiuitate peccati & profectionem in cœlum, &c. Subdit idem sanctus: *Cum lactucis agrestibus agnum manducari iussit, in memoriam durissimæ seruitutis, & acerbissimæ vitæ in AEgypto transactæ.* Ita S. Theodoretus. O quantâ nos deuotione, & in Deum amore, beneficium redemptionis nostræ celebraremus, si acerbitatem seruituris peccati, à qua nos Dominus liberauit, consideraremus attentè, & cælestis gratiæ & gloriæ iacturam.

S. Theod.

Grande quidem opus cœlorum: *Cœli* enim *enarrant gloriam Dei:* sed tamen in Scriptura sacra vocatur opus digitorum Dei, Psal. 8.4. *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum.* cur non ait: *manuum tuarum, sed digitorum?* quia sicut cereæ figuræ facilè digitis fiunt, *Con los dedos de zera se hazen digos y cosas menudas*; sic, quamuis cœlorum opus, magni momenti respectu hominum sit, in ordine tamen ad Deum parui momenti est, sic exponit locum hunc S. Basil. in scholijs in Psal. 18. dicens: Non dixit. *opera manuum tuarum,* sed, *opera digitorum tuorum*, vt quæ videntur maxima, minimæ operationis esse ostendat. Ita S. Basil. Verumtamen opificium hominis, non *digitorum*, sed, *manuum* dicitur esse, Iob 10.8. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me,* &c. Ita quidem, nam illustrius opus est hominis creatio, quàm cœlorum. Sed ad rem, opus incarnationis & redemptionis, non opus solùm digitorum aut manuum esse dicitur, sed brachij Dei, Luc.1. sic Beata Maria in suo Cantico: *Fecit potentiam in brachio suo,* opus scilicet incarnationis, vti exponunt S. Augustinus in expositione huius Cantici, & S. Cyrillus apud S. Thomam in catena. Dicitur autem opus nostræ redemptionis per Christum, opus brachij Dei, quia in eo maximè omnipotentiam suam manifestauit, &c.

Psal.18. S. Basil. Psal.18. Luc.1.51.

Prop. IV. *Christi amor in nos.*

IN tantum diligit nos, vt discedere à nobis etiam in cœlum peregrè se proficisci sentiat. quod ex eo
Matt. 21. 33. constat Matth. 21. vbi, postquam in parabola talentorum diuisisse hominem talenta, dixisset, *peregrè*, subdit, *profectus est*. Quid hoc? ad Patrem vadit, in cœlum pergit, & peregrinum se dicit? Cùm in terram descendit, meritò se peregrinum poterat appellare: at in cœlum pergens, cur ita? S. Chrysost. in imperfecto hom.
S Chrys. 52. *Homo peregrè profectus, Christus est, post victoriam passionis ad Patrem iturus: commendat autem Christus dilectionem suam, quam habet in sanctos; ad regna enim celestia ascensurus & ad Patrem suum iturus, peregrè se iturum dixit, propter charitatem sanctorum, quos relinquebat in terris, cum magis peregrè esset in mundo.* Ita ille. Sit Christus in sæcula benedictus. Hinc intelligere licet Eucharistiæ mysterium: si is qui ad peregrina ducitur, posset simul inter dilectos remanere, absque dubio remaneret; peregrè Christus proficiscebatur in cœlum, habens dilectos suos in terris, potuit simul ire & remanere; remansit, ne amori suo in nos aliquo modo deesse videretur.

Luc. 22. 43. Luc. 22. sic de Christo Domino (orante in horto instante eius passione) *Factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Mirabilis prorsus talis sudor, vnde quæso promanauit? Expendere oportet prius quid significet *agonia*; dictio Græca est, & significat bellum & pugnam interiorem in corde. erat igitur in corde pugna quædam, sed inter quos pugnantes? colligitur id ex circumstantijs præcedentibus, *coperat enim Christus pauere & tædere*, sed tunc orans dixit: *Pater, si possibile est transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Post hæc iterum orans, *factus est in agonia*, & pugna intrinseca cordis. Pugnantes ergo erant timor & obedientia; timor, vt constat ex illis verbis, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*; timebat ergo naturali carnis timore mortem. Obedientia verò patet ex illis verbis, *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*; timor ergo mortis & obedientia patris, patiendi nempe & moriendi, litigabant in corde Christi. Quonam, inquies, modo? Accipe: timor sanguinem deducebat ad cor: sic enim natura habet, vt, cùm quis timore vexatur in corde, sanguinem ducat ad cor, vt faueat illi. Cùm enim sit cor præcipua hominis pars, vitæque principium, & timore nimis vexetur, prouidens natura sanguinis auxilio cordi succurrit. at obedientia Patris in corde Christi existens vehementer ad passionem & crucem Christum Deum inclinabat, & vrgebat. Sic facta est agonia & pugna inter mortis timorem & obedientiam Patris in corde Christi; superans autem obedientia timorem, fauorem illum sanguinis, quem timor administrarat, sic à corde reijcit pariter cum timore, vt, non solùm sanguinem ad venarum locum pristinum reuocaret, verùm spiritus vehementiâ extra venas & vltra corpus ad terram vsque fortiter excluserit & repulerit, tormenta passionis, & acerbitatem mortis toto corde amplectens. Et inde Christus factus est in agonia, & sudor sanguinis processit vs-
S. Laurēt. Iustin. que ad terram. Excogitauit hæc S. Laurent. Iustinianus lib. de triumphali Christi agones dicens: *Qualis conflictus! qualis pugna! quale spectaculum! impellebat spiritus Christi, reclamabat natura passibilis, pœnarum immanitate perterrita: in horum medio Christus constitutus, tam strenuus ac insuperabilis miles, carnis non ferens blanditias, spiritus iussa implere curauit, & paternæ se voluntati subdidit, dicens:* Non sicut ego volo, sed sicut tu. *Tali prolatione verborum, talique mentis assensu, tenitentis carnis spiritus palmam obtinuit, huiusque pugnæ celebrato triumpho, sub oratione surrexit.* Ita S. Laurent. Vides obedientiæ veræ optimum exemplum? sic sic parendum est Deo, nullis obstantibus difficultatibus vsque ad mortem crucis. Sic ponderat Paulus paruisse Christum, dicens: *Christus factus pro nobis obediens*, &c.

Sed quia Paulus dixit, *pro nobis*, id est, amore nostri, obserua quòd in dicto agone Christi, non solùm contra timorem pugnabat obedientia, sed etiam amor patris & nostri; atque adeò conceptus iste potest illi pariter accommodari, imò amori potiùs: in passione enim sua *Christus*, vt idem Apostolus ait, *commendat charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Amor ergo piè expellebat timorem à corde Christi.

Cuius amoris vim in tali agone latentis, alia via manifestat S. Epiphanius in Ancliorano, dicens: *Promeat per hunc modum aduersarium Christus diabolum, vt illo euanente timere Saluatorem, inferat illi mortem.* Ita S. Epiph. strategemate bellico sic vtente Domino, quo desiderium pro nobis, & pro Patre moriendi, maximè manifestaret. Vnde qui se Deo parere & illum amare, vere nosse desiderat, attendat an vt obediat & amet, sic difficilia occurrentia vincat.

Proposuit Christus Dominus in quadam concione parabolam hanc: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam?* Nota est parabolæ huius explicatio: Christus est pastor hic, ouis quæ perierat, homo, desertum quo reliquit nonaginta nouem oues, cœlum, in quo, veluti relictis Angelis, venit in mundum ad quærendum hominem. Sed cur, quæso, desertum vocat cœlum, in quo innumerabiles sunt Angeli? etenim in parabola ista multa sunt quæ amorem Dei in nos manifestant, primum quòd se pastorem nostrum esse gloriatur, sicut & Ioannis 11. *Ego*, inquit, *sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis*, hoc est, qui bonus pastor animarum est, ita diligere debet animam sibi commissam, vt pro eius salute æterna vitam amittere temporalem aliquando debeat. hoc mirè præstitit Christus; mirè ergo diligit nos. Secundò, *& vadit*, inquit, &c. Venit Christus, qui facilè poterat mittere Angelum ad quærendam ouem perditam, noluit tamen saluatoris nostri munus committere Angelo, sed, sicut læta canit Ecclesia, *propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis* ipse Dominus Angelorum, quia scilicet nimia nos charitate diligebat. Denique dimisit nonaginta alias oues in deserto, hoc est, Angelos in cœlo: desertum igitur appellauit cœlum. cur ita cùm refertum illud sit agminibus Angelorum? vt huius verbi metaphorâ amorem erga nos maximum demonstraret. Nam cùm quis aliquem nimium amat, & ille abest, dicere solet, absque dilecto solus eram, *sin fulano me hallaba solo*, & hoc, licèt cum aliis multis conuersaretur; sic etiam, licèt quamplures cum in cœlis Angelos Deus habebat, quasi se solum in gloria illa reputabat, quia cum eo ibi homines non erant; ideo ergo cœlum desertum appellauit.

Prop. V. *Quanta bona in Christo habemus.*

S Anct. Chrys. *hom. 25. ad Rom.* Est quidem Christus in nobis omnia: est sponsus; *despondi enim*, ait Apost. *vos vni viro*, &c. Est etiam vita, *Viuo autem* (ait idem Apost.) *iam non ego, viuit verò in me Christus.* Est *via*, *veritas & vita*, est aduocatus noster apud patrem, & *interpellat*, inquit, *pro nobis.* Est domus, simul & hospes. *In me*, inquit, *manet, & ego in eo.* Est etiam amicus, *Vos amici mei estis*, &c. Est fundamentum nostrum, & lapis angularis, & nos ipsius sumus & membra, & agricultura, & ædificatio, & palmites, & cooperarij. quid enim nobis esse non vult? Ita S. Chrysost. ex his nominibus

Christus

Christi, & alijs multis facilè amplificare, & latè probare possumus, quot quantasque in Christo diuitias habeamus.

Diuitias etiam, quas in Christo Domino habemus, explicuit seu potiùs implicuit Apostolus, dicens: *Christus Iesus factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Vbi S. Anselm. *sapientia, vt eius participatione sapientes efficeremur; iustitia, vt eius participatione iusti efficeremur per opera virtutum; sanctificatio, vt nos in baptismo sanctificaret, faciens immunes à peccato; & redemptio vt nos redimeret pro nobis seipsum dando.* Vide illum ibidem.

Prop. VI. *Christus est exemplar nostrum.*

Genes. 49. *Dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius, per manum potentis Iacob: inde pastor egressus est Lapis Israel,* vbi loco *lapu,* ponitur à Chaldæo *Elen,* hoc est, lapis funiculi mensorum. Loquitur autem de Christo Domino, vt nonnulli expositores asserunt. Et Rabbi Moyses Gerundensis. De lapide, inquit, loquitur: de quo Psalm. 117. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli:* quem lapidem mensorum appellat, & ait: dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum Ioseph, per manus Dei potentis, qui Deus Iacob est. Et inde egressus est Christus lapis funiculi mensorum, funiculus autem mensorum adhiberi solet, vt paries, qui ædificatur, rectè ac ordinatè fiat à tali funiculo mensuratus. Ad hoc igitur Christus Dominus venit, vt nostrarum operationum, verborum, & cogitationum sit exemplar, vtque opera nostra operibus eius, & verba verbis, & cogitationes cogitationibus commensurentur. Vnde in iudicio ex vita Christi vita regulabitur nostra, *sera la vida de Christo arancel de la nuestra.* Animaduerte igitur frater, an opera tua tali funiculo conueniant.

Romanorum 13. *Induimini Dominum nostrum,* id est, Christum. Qui fieri potest, vt tali nos indumento induamur? quid hac metaphorâ Apostolus sibi voluit? Aduerte; dixerat paulò antè Apostolus, *nox præcessit;* tempus scilicet legis, quæ obscura erat, nimirum, vmbram habens futurorum bonorum, &c. ex vmbra quid, nisi tenebræ ac nox; nox igitur præcessit, & dies legis gratiæ appropinquauit, vbi etiam omnia in luce clarescunt, nimirum quia ortus est nobis Sol iustitiæ Christus Deus noster. Quid igitur inde? *Abiciamus ergo tenebrarum opera,* non adeò mirum quòd in tenebris ambulantes opera faciant tenebrarum. Nos igitur, ait Apostolus, *induamur arma lucis.* arma lucis? quis vnquam tale armorum genus vel vidit, vel audiuit? arma ex ferro & argento & auro confecta bene; hæc enim facta sunt ad defensionem in bello. Nos, fateor, milites sumus, *quia militia est vita hominis super terram:* sed tamen hæc Apostoli arma non intelligo. Sed arma lucis, inquit, quia contra principes tenebrarum nobis imminet bellū, & contra tenebras lux est: hostes nos tenebris oppugnant, nos igitur eos luce debemus expugnare. Quonam pacto? induendo quidem Dominum Iesum Christum, ipse enim lux est, *Erat,* inquit, *lux vera,* &c. Quomodo hanc lucem induemur? eius exemplis nos armantes, his enim facilè vincemus. contra superbiam tibi militandum est semper, & sæpè; ne igitur thorace humilitatis Christi exuas te, præ oculis semper habens, quomodo se Deus tuus humiliauit vsque ad mortem, mortem autem crucis. Discè ab eo, quia humilis fuit corde, vel illum pedes Apostolorum lauantem considera, vel in præsepio iacentem, &c. & cùm te iaculis superbiæ aspexeris oppugnari, dicito: Dominus meus humiliatur vsque ad præsepium, vsque ad pedes Iudę, vsque ad mortem crucis, & ego honorari non erubescam? &c. Ecce quomodo indueris Dominum Iesum Christum, quomodo geres arma lucis. Idem enim in reliquis virtutibus dictum esto, quia nulla est virtus, cuius exempla in Christo non reluceant, &c.

Vide S. Chrysostomus homil. 25. ad Romanos, exponens locum hunc, *Appareat,* inquit, *in nobis Christus, sicut indumentum, & quomodo (dices) apparebit? si quæ illius sunt feceris: quid verò ille fecit?* Filius, *inquit,* hominis non habet, vbi caput suum reclinet, *istud æmulare; si quando cibus fumendus fuit, hordeaceis panibus vsus est; si peregrinandum illi fuit, nusquam equi, nusquam iumenta, sed tantum itineris pedestris confecit, vt etiam fatigaretur; dormiendum si quando fuit, super puluinari in nauis iacuit prora, accumbendum fuit, in fœno prosterni iussit, vestimenta verò tenuia erant. Deinde quantùm ad crucem, quantúmque ad conuitiá pertinet, & omnia illius in summa perdiscens, æmulare. Ita scilicet Christum indutus es.* Ita S. Chrysost. *Chrysost.* *Matt. 8. 20.*

Idem S. Chrysostomus ad Rom. 15. homil. 27. super illa verba: Nam & Christus non sibi placuit. *Semper* (inquit) *nobis Christum in exemplum Apostolus proponit: nam & cùm de eleemosyna loqueretur, ipsum adducebat, dicens; Cognoscite gratiam Domini, quoniam cùm dives esset, propter vos pauper factus est: & cùm ad dilectionem adhortaretur, dixit: Sicut & Christus dilexit nos. De ferenda etiam confusione, & periculis consulens, ad eundem confugit, dicens: Qui pro gaudio sibi proposito crucē sustinuit, cōfusione contempta. Ita & hic, quoniam magnum quid præceperat Paulus, se scilicet dimittere ad alterius instaurandum infirmitatem, Vnusquisque (inquit) vestrūm proximo placeat in bonum ad ædificationem: nam & Christus sibi ipsi non placuit. Quid autem est, non placuit sibi ipsi? poterat nulla ferre opprobria, poterat, quæ passus est, non pati; si quæ sua sunt spectare voluisset, verum noluit, sed quod nostrum erat respiciens, quod suum erat neglexit.* Ita S. Chrysost.

Rom. 13. *Induimini Dominum Iesum Christum.* Quid, inquies, est, *induere* Iesum Christum, aut quomodo quis indui potest Christo? estne vestimentum Christus, vt Christo nos induere possimus? Sunt quidem virtutes vestimenta, & ideo habitus dicuntur; sicut enim corpus vestimentis, sic anima virtutibus induta, & ornata incedit. Vnde S. Anselmus sic locum istum exponit, *Induimini Dominum nostrum Iesum Christum:* Christus enim est sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & veritas, & omnes simul virtutes, quas qui assumpserit, Christum dicitur indutus esse. Cùm veste induimur, ex omni parte circumdamur; Christum igitur est indutus, qui vndique opere protegitur bono, vt nullam partem actionis suæ nudam peccato relinquat. qui ergo vndique Christianus apparet in cunctis operibus, hic Christum indutus esse dicendus est. Ita S. Anselmus. S. Thomas, *Iuduimini Dominum Iesum Christum,* per imitationem, secundùm illud ad Colossen. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis & induite nouum,* &c. dicitur autem induere Christum, qui Christum imitatur; quia sicut homo continetur vestimento, & sub eius colore videtur; ita in eo qui Christum imitatur, opera Christi apparent. Ita Sanctus Thom. Ait ergo Apostolus, *induimini,* &c. id est, Christi imitatores estote. Hinc sequitur, quàm Deo gratus sit, qui Filium eius imitatur. Qui bene indutus incedit, oculis videntium placet, sic Christo indutus Deo Patri valde placebit; quia Christus filius eius est, in quo bene sibi complacuit. Quòd, vt exemplo quodam constet, referam, quod grauis author Incognitus Doctor, super illa verba Psal. 37. *Domine ne in furore tuo arguas me,* &c. refert (fides sit penes authorem) Legitur (inquit) de Pilato, quòd, cùm propter Christi mortem, à Tiberio Cæsare Romam fuisset vocatus, ne vindictam subiret tanti furoris, quia contra ipsum furebat vehementer, Pilatus induit se tunicam Christi inconsutilem, & Tiberium adijt; qui Pilatum videns, ei assurrexit, & ipsum multo affecit honore, nihilque mali ei vel fecit, *Rom. 13. 14.* *Anselm.* *Thomas.* *Rom. 13. 14.* *Coloss. 3. 9.* *Psal. 37.*

vel dixit. Cumque sic honoratus recessisset Pilatus, iterum Imperator in seipsum iratus, quòd Pilatum non increpasset, vocari iussit illum, sed renocatus, secundò Pilatus eodem modo, quo primo, receptus benignè, & honorificè à Cæsare fuit, quia eamdem tunicam induitus coram illo apparuit. sed eadem irâ, & furore, quo antea, tertiò vocari eum iussit Cæsar; tunc Pilatus seiam securum iudicans, tunicam exuit Christi, & sic præsentatum, in eum Tiberius nimiùm excandescens, capite damnauit. Hæc Incognitus. Obserua igitur quantùm intererat Pilato tunicam induere Christi erga Imperatorem; tantùm enim nostrâ interest, induere Christum: si enim Christum indutus coram Deo iudice in die mortis apparueris, non est quòd æternæ mortis sententiam verearis; sed habebis vnde vitæ æternæ concipias spem, &c.

Superbiæ humanæ magnitudo eò tandem peruenit, vt Dei similitudinem appetierit: *Eritis*, inquit, *sicut Deus*. hinc humanus casus, hinc diuina vltio hominem humilians & deijciens, & proijciens in hanc lacrymarum & miseriarum vallem, hinc irrisio illa Dei de homine lapso & deiecto: *Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis*. Sed fortem nostram miseratus Dominus, sicut ex appetitu essendi sicut Deus, vidit hominem cecidisse, sic per appetitum essendi sicut Deus, voluit eum reparare. factus igitur homo similis nobis, ita apparuit, vt verè & sine irrisione dicere valeamus: Ecce Deus factus est sicut vnus ex nobis, ita scilicet pauper & nudus, & frigori, & calori, & fami, & siti, & alijs temporum & creaturarum iniurijs subiectus. Cur ita? quia scilicet homo appetens similitudinem Dei, ita modò id appetat: *vt fiat, sicut ait* S. Bernardus, *emulatio ista in bonum*.

Sed væ nobis, quam non oportebat Dei similitudinem appetebamus, eam verò, quæ nobis perneceſſaria est, abhorremus, &c.

CHRISTI EXEMPLAR.

Prop. 1. *Christus exemplar nostrum.*
2 *Quàm efficax sit exemplum Christi.*
3. *Quomodo Christum nos imitari debeamus.*

Prop. 1. *Christus exemplar nostrum.*

1. *Mach.* 16.6. 1. MAchab. 16. sic refertur de Ioanne filio Simonis Machabæi, qui aduersùs exercitum Regis Antiochi pugnaturus, properabat: *Vidit populum trepidantem ad transfretandum torrentem, & transfretauit primus, & viderunt eum viri & transierunt post eum.* Ita ibi. Offenderant enim fluuium, quem ad pugnandum pertransire oportebat. recusante populo (timebat enim aquæ periculum) dux ipse Ioannes primus pertransiuit, vt sic ad sequendum se milites permoueret: quod & fecerunt, & tanto duce præeunte, hostes superarunt. Ingens torrens fuit passio Christi, sed fortissimo corde pertransiuit eum Dominus, quamuis *intrarent aquæ vsque ad animam eius; de torrente in via bibit*, sed inde *exaltauit caput*. neque enim inter vndas perijt, sed inde exiuit vincens, vt vinceret dæmones, mundum, mortem & peccata: præiuit autem & præcessit nos, vt exemplo suo nos ad sequendum se prouocaret. Trepidabant quidem milites Machabæi, & recusabant transire per torrentem illum, priusquam viderent ducem suum transire; sed postquam ipse in aquam se egit, animos recuperantes, ducem viriliter sequuti sunt. Sic Apostoli, antequam Christus Dominus passionis torrentem pertransisset, pati trepidabant, &, duce in acie relicto, fugiebant: sed post Domini passionem, timore deposito, virili animo labores, tormenta & mortem subiere: similiter & martyres, &c. Sequuti quidem sunt Ioannem Machabæum viri, sic & apud nos, qui viri sunt & virilem animum gerunt, sequuntur Christum; cæteri autem, tanquam pusillanimes & effœminati, Christum Dominum sequi reformidant. Quid times, ô Christiane, vbi præcedit Christus, cùm tuam vt agat causam, talem pertransiuerit torrentem anima eius? &c. Vnde Prælati discant præire in his quæ præcipiunt, & ab inferioribus executioni mandari optant. Præstat opus sermone. Rectè S. Chrysost. super c. 1. de Act. Apost. *hil* (inquit) *doctore frigidius, qui verbis dumtaxat philosophatur; neque enim hoc doctoris est, sed histrionis & hypocritæ.* Ita S. Chrysost. item S. Greg. lib. 1. epistolarum, epist. 24. *Illa*, inquit, *vox fortius auditorum cor penetrat, quam docentis actio commendat*, Ita S. Greg.

Ioannis 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Etenim non solùm cùm discipulorum pedes lauit, se nobis Dominus in exemplar dedit, sed in omnibus virtutum operibus; quæ operatus est à præsepio ad crucem vsque: væ autem nobis talia exempla non imitati fuerimus, meliùs nobis fuisset illa nescire.

S. Bernard. serm. 3. de Natali Domini, agens de iusmodi exemplis Christi, quæ nobis exhibuit in nuitate sua Dominus. *Obsecro*, inquit, *vos fratres, considerate quantum fecerit Deus pro vestra exhortatione & salute, infructuosus inueniatur in vobis sermo tam vnus & efficax, sermo fidelis, & omni acceptione dignus, sermo, non tam vox, quàm operis. Existimatu fratres parum mihi molestum esse, hoc ipsum verbum, quod nunc loquor ad vos, vacuum, & inutilitate deperire in cordibus vestris nolsem? Quòd si hunc tantillum vocis laborem inutilem esse doleret homo pusillus, mo & mihi; quàm iustius indignabitur Dominus maiestate, si tanta eius opera, nostrâ aut duritiâ, aut negligentiâ contingat euacuari? auertat hoc à nobis Christus Dominus.* Ita S. Bernard.

Mirum quidem est, quòd antiqui gentiles passiuerint diis suis tribui scelera & facinora magna; hos enim non ad eorum venerationem, sed ad eorum detestationem faciebat; & similiter quòd dæmones id ita fieri curauerint, imò & sibi ipsis talia imputari. Sanctus Augustinus lib. 2. de Ciuit. cap. 10. sic respondet: *Maligni spiritus, quos gentiles deos censent, etiam flagitia, quæ non admiserunt, de se dici voluerunt, dum tamen humana mentes his opinionibus, velut retibus, inuoluant, & ad præstitanum supplicium secum trahant, siue homines ista commiserint, quos Deos haberi volebant, qui humanis erroribus gaudebant; siue etiam nullorum hominum illa crimina vera sint. quæ tamen de numinibus fingi libenter accipiunt fallacissimi spiritus, vt ad scelesta & turpia perpetranda, velut ab ipso cælo, traduci in terram satis idonea videatur authoritas. Cum igitur Græci talium numinum seruos se esse viderent, vel his sua sic consimilari voluerunt, vel metuerunt, ne honestiorem famam ipsi requirendo, & eis se hoc modo præferendo, illos ad iracundiam prouocarent.* Ita S. Augustinus. Fuit itaque dæmonum adinuentio, flagitia magna dijs gentilium adscribere, vt hoc pacto vitia honorata & sanctificata essent, & nemo illa committere erubesceret, videns exemplaria deorum esse: *Quisieron los demonios prohisar a los dioses. de los gentiles los peccados, paraque con eso quedasen los vicios accreditados en las personas desos dioses, y aun la preciassen de cometerlos, por ser semelantes a ellos.* Ideo luxuriam adulterium esse dicebant. Martem crudelem, Mercurium vsurarium, Bacchum gulosum, Venerem inficiuam, &c. Nunc ad rem, quia deorum mores ita honorabiles & imitabiles videntur, voluit Deus nostrè fieri homo, & in exemplar se nobis exhibere, vt, quemadmodum ille fecit, & nos faciamus. sanctificauit in se humilitatem summam, vt nos humiles esse non erubescamus; paupertatem spiritus professus est, vt & nos pauperes spiritu esse non dedignemur; obediens vsque ad mortem fuit, vt inde nos obedire vsque ad mortem addisceremus, pepercit inimicis, vt nos parcamus. Quòd si gentiles illi inhonesta & turpia & detestabilia

testabilia (secundùm rectam rationem) vitia adeò A amplectebantur, quia illa dij eorum fuerant amplexati; quantò magis nos mores sanctos amplecti debemus, quos à Deo nostro vero amplexatos videmus?

Matth. 4. sic de Christo Domino : *Cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esurijt.* Cur, quæso, Christus Dominus ieiunauit? nos quidem ieiuniis indigemus, vt carnem spiritui subijciamus, & passiones eius moderemur, & pro peccatis satisfaciamus; at Christus Dominus, cùm Deus sit, & nihil horum indigeat, cur ieiunat? S. Basil. ferm. 1. de ieiunio, sic respondet: *Dominus Iesus, qui carnem humanam causâ nostri assumpsit, ieiunans prius diabolum vicit, prosectò nos instruere volens, vt ieiuniis ad certamen cum inimicis paratos nos reddamus.* Ita ille. Christus enim, non solùm verbis, sed etiam exemplis docuit, sicut in lotione pedum discipulis suis dixit : *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum* B *ego feci, & vos faciatis.* Vnde Dauid Psalm. 143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Gratias ibi agit Dauid Deo, quia docuit eum pugnare, & vincere gigantem Goliath. non ait, quia robur mihi dedit ad superandum viribus, sed, *quia docuit* me in funda & lapide militare, & occidere illum. quòd si tanti fecit, & tales refert gratias Deo Dauid, quia è cœlo docuit sic corporaliter militare; quales nos dignas Deo gratias reddere valemus, qui, factus homo in terra, opere & exemplo suo docuit nos contra diabolum, & contra mundum, & carnem pugnare, & facilè eos superare? vicit in deserto diabolum, non consentiendo tentationibus eius, & opponendo voluntati eius voluntatem Patris sui: docuit nos vincere mundum, recedens ab eo in desertum: docuit nos vincere carnem ieiunio suo: restat vt nos eius sumamus exemplum, & practicam doctrinam, vt facilè & nos victores euadamus. Con- C cludit igitur ad rem S. Basil. ibi: *Si mentem robustam ac valentem tibi esse voluerit, carnem per ieiunium subiugabis: hoc enim est quod Apostolus ait, Quantùm exterior homo corrumpitur, tantò interior de die in diem renouatur.* & rursus : *Quando infirmor, tunc potens sum.* Ita S. Basil.

Genes. 28. Iacob in itinere constitutus requiescere volens, tulit lapidem quendam, & capiti supponens, dormiuit, & vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen eius tangens cœlum. Omnes sacri expositores mysterijs refertum asserunt esse somnium istud: nos verò quæ ad præsens intentum agunt consideremus. Lapis ille capiti suppositus quid designat? S. Greg. 5. Mor. 22. *caput in lapide ponere, est mente Christo inhærere.* Ita ille. Et meritò, in sacris enim literis Christus Dominus lapis nuncupatur, in lapide illo figuratus, ex quo Moyses aquam eduxit. Vnde Apostolus ait: *Petra autem erat Christus.* Caput igitur super lapidem ponere, est mentem Christo applicare. quod quidem fit, cùm mente nostra opera eius mira consideramus; tumque scalam in cœlum facilè eleuatam aspiciemus; hoc est, facilè vias, quibus in cœlum ascendamus, inueniemus. Si enim v. g. natiuitatem eius perpendimus, & in præsepio Dominum iacentem expendimus, cùm omnis actio eius nostra sit instructio, vti ait S. Gregor. *paupertatem, & humilitatem & carnis mortificationem viam esse cœli reperiemus.* Et sic de reliquis operibus Saluatoris, Circumcisionis scilicet, & Passionis, &c.

Psalm. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, S. Ambros. ferm. 1. in hunc Psalm. quærit: Quis est *immaculatus in via?* Respondet: *Non vtique qui in quacumque via ambulat, sed qui ambulat in Christo. Ipse enim dixit: Ego sum via: in hac via qui ambulat, errare non nouit, si tamen ab hac via nunquam recedat.* Ita ille. *Ambulare autem in Christo* nihil aliud est, quàm imitari in humilitate, charitate, obedientia, & sanctitate, &c.

S. Leo Papa ferm. 1. de Natiuitate Christi : *Nisi Christus esset Deus verus, remedium nobis non afferret; nisi esset homo verus, nobis non præberet exemplum.* Ita ille. *S. Leo.*

Prop. II. *Quàm efficax sit exemplum Christi.*

Sic ad filium Dei Dauid : *Exurge Domine in præcepto quod mandasti, & synagoga populorum circumdabit te;* quid est, exurge Domine in præcepto quod mandasti? S. Augustinus sic exponit: *Quia humilitatem præcepisti, humilis appare, & tu prior imple quod præcepisti, vt exemplo tuo vincentes superbiam non possideantur a diabolo qui superbiam persuasit, dicens: Manducate, & eritis sicut dij.* Ita S. Augustinus. Sed non opus est ad humilitatem hoc præceptum coarctare, sed illud extendere possumus ad omne præceptum Dei, quod in carne sua Christus adimpleuit, quasi dicat: Tu Domine legem nobis dedisti, quam pauci sunt qui obseruent: difficilem enim eam censent. vt facilior ergo reddatur, exurge in lege tua, veni, & tu operibus imple, quod nobis operari præcepisti. Magna & ardua postulatio, sed tanta bonitas est Dei, vt, quod ita arduum videbatur, & humano iudicio minimè impetrabile, Deus exactissimè adimpleuerit. Venit in præcepto quod mandauit, mandauit humilitatem & obedientiam vsque ad mortem, & ipse humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Præcepit etiam inimicorum dilectionem, *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, & benefacite illis*, orate pro persequentibus & calumniantibus vos; dilexit & ipse inimicos suos: nam maiorem dilectionem nemo erga inimicos habet, quàm vt animam ponat pro illis : posuit autem suam Christus pro nobis. quod mirè ponderauit Apostolus, dicens: *Vix pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori? Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus*, hoc est, inimici, *secundùm tempus Christus mortuus est.* Vnde inferiùs eodem *capit. 5. ad Roman.* ait: *Cùm adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* Benefecit eis, quia non solùm in fauorem iustorum, sed etiam peccatorum, miracula operatus est: orauit pro persequètibus se, quia pro crucifixoribus exorauit. nónne optimè sic descendit in præcepto quod mandauit? sic de alijs præceptis dicendum est. quid igitur inde? *Et synagoga populorum circumdabit te*, hoc est, homines tui erunt imitatores. Ita in humilitate secutus est eum S. Augustus. & multi alij; in paupertate S. Franciscus, & multi alij; in dilectione inimicorum S. Stephanus, & multi alij, &c. *Psal. 7.* *Rom. 5. 7.* *Rom. 5. 10.*

Sunt quidem Sancti omnes exemplaria nostra, nam sicut verba eorum exhortatoria erant, sic etiam opera ipsorum exemplaria nostra erant; sed supremum exemplar nostrum Christus Dominus est, vti significauit Dei sponsa, dicens: *Species eius vt libani; Et mi esposo dixit como como todo el monte Libano junto.* Habent alij montes arbores nonnullas, hic cinamomum, ille basamum, ille verò cypressum &c. at in Libano quam non istarum arborum pretiosarum inuenies? refertus erat mons ille aboribus pretiosis. Ait ergo sponsa : *Species dilecti mei* est *sicut* totus *Libanus.* nam in alijs sanctis aliquæ speciatim resplendent maximæ virtutes, v.g. in Ioseph castitas, in Abrahamo fides, in Iob patientia, in Isaac obedientia, in Francisco paupertas, in Augustino humilitas, in Hieronymo pœnitentia, &c. iuxta id quod Ecclesia canit: *Non est inuentus similis illi qui conseruaret legem Excelsi*, hoc est, non est inuentus similis illi, in ea scilicet virtute, in qua maximè resplenduit. At Christus Dominus in omni virtute floruit, claruit & resplenduit, in humilitate, in paupertate, in patien- *Cant. 5. 15.*

tia, in obedientia, in tolerantia, in charitate, &c. Vn- de si alij sancti specialia nostra exemplaria sunt, Christus Dominus vniuersalissimum exemplar omnium est.

Olim sapientes Philosophorum Iouem refertum vndequaque oculis depingebant. *Hechon vn Argos*, forte vt hoc symbolo qualis debeat esse superior, delinearent. debet enim superior ita vigilans, & oculatus esse, vt nihil eum lateat eorum, quæ inferiores faciunt, aut dicunt: sed tamen Marcianus *libr. 1. de nupt. Philog.* vestem Iouis ideo plenam oculis esse dicebat, vt eius gesta adeo admiranda esse omnibus constaret, vt meritò cunctorum oculos ad se traheret. Hinc Ouidius de ipso Ioue,

Iuppiter è cœlo spectat, sua facta notamus.

Verùm nos Christum Dominum ita oculis vndequaque refertum depingere valemus, non solùm vt per admirationem omnium nostrûm oculos ad se rapere significemus, sed etiam per imitationem; sic enim Christum respicere debemus, vt exemplar nostrum à Patre nobis datum intelligamus.

Hinc *Exod.* 28. in extrema parte tunicæ talaris summi sacerdotis plura tintinnabula aurea Deus constitui iussit, *vt audiatur*, inquit, *sonitus*, &c. audientes autem sonitum cymbalorum, naturali quodam motu oculos ad summum sacerdotem conuertebant. Tintinnabula aurea, & bene sonantia, sunt opera Christi Domini, cuius summus ille sacerdos figura erat: aurea quidem, quia charitate fulgebant, sonantia, quia illustria, & omni famâ & gloriâ digna sunt.

Matt. 26. 40. Cùm Dominus in oratione vigilaret, & discipulos dormire videret, sic eos affatus est: *Sic non potuistis vnâ horâ vigilare mecum?* Ponderat magnus quidam Euangeliorum commentator verbum illud, *mecum*, dicens: *P. Maldonatus.* *Incredibilem hæc dictio vim habebat ad pungendos animos discipulorum, quasi dicat, me non solùm vigilante, sed etiam orante, sudante, & pugnante cum morte, vos, qui, me dormiente, pugnare debebatis, nec vigilare quidem momento temporis potuistis?* Ita ille. Magna quidem confusio fuit discipulorum, tanto Christi exemplo non fuisse saltem ad vigilandum permotos; sed & nos etiam hæc confusio comprehendit. vigilauit pro nobis Dominus, orauit, sanguinem sudauit, opprobria & irrisiones sustinuit, alapas, flagella, spinas, clauos, crucem, mortem passus est, pro nobis, inquam, saluandis & nos pro tanto Saluatore aliquid pati detrectamus, imò & pro nobis nostraque salute? *Que mala correspondencia con Christo: que mala cuenta y cuidado de nos otros mesmos!*

Prop. III. *Quomodo Christum nos imitari debeamus.*

S Anct. Greg. Nyssenus de perfecti Christiani forma. *Ea fuit negotiatio filij Dei, vt effectus homo, se ad exemplaris pulchritudinis figuram effingeret, vt esset id, quod ab æterno erat, imago inuisibilis Dei. proinde vt nos etiam simus imago Dei, ad propositum nobis exemplar vitæ nostræ viuendi ratio exprimenda est, eo nimirum pacto, vt in carne viuentes minimè secundùm carnem viuamus. Sicut ergo, si artem pingendi disceremus, magister aliquam pulcherrimè depictam formam nobis proponeret in tabula ad imitandum, sic quia suæ vitæ quisque pictor existit, artifex autem huiusce operis voluntas est, colores verò ad exprimendam imaginem virtutes sunt; non mediocre periculum est, ne à pulchritudine exemplaris ad turpem & deformem aliquam personam recedat imitatio, & pro Domini forma, effigiem vitij sordidis coloribus adumbremus. itaque pro nostra virili nobis enitendum est vt virtutum colores puri sint, & peritè apponantur, vt imaginis Dei imago simus, & quoad eius fieri poterit, imitatione perfecta pulchritudinis exemplar exprimamus: vt faciebat Paulus, qui ex virtute vitam instituens, Christi fuit imitator.*

Quòd si clariùs ea sigillatim persequi volumus, quibus imitando imaginem repræsentemus, vnus color est humilitas, Discite, inquit, à me, quia mitis sum, & humilis corde. *Matt. 11.* *Alter est patientia, qua quot modis in imagine Dei perstiterit? 29. vbi gladij & fustes, & vincula, verbera, alapis maxille percussæ, facies sputis oblita, humeri verberibus traditi, iudicium impium, crudelis sententia, milites subsannationibus, irrisionibus, contumelijs, & calami percussionibus immitem sententiam per delitias exacerbantes, claui & fel, & acetum, & grauissima quaque ipsi sine causa illata, imò verò pro innumerabilibus beneficijs reddita. & tunc Christus quomodo in ista patrantes vltus est? Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Nónne poterat contra eos superius cœlum perfringere, vel dimouere ex propriis terminis mare, & voragimbus terram submergere? vel ipsos terræ hiatibus absorbere, vel Sodomitarum ignis imbrem demittere vnico verbo, vel aliquod aliud acerbum supplicium irrogare? Attamen hæc omnia miti, ac patienti animo pertulit, & sic vitæ tuæ per septem leges patientia dedit; sic alia omnia in illa imagine Dei inuisibilis licet intueri, ad quam qui respicit, & ad eius similitudinem formam exornat suam, ipse quoque fit imago Dei inuisibilis per ipsam imitationem.* Ita ille. *Luc. 23. 34.*

Sic Christus Dominus discipulis suis, & omnibus: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Sequatur*, inquit, non gressibus corporalibus, sed spiritualibus, non corpore, sed corde. quod quidem nostra interest, res agitur nostra, non Dei: Deus enim sibi quid inde lucratur? *Exod.* 33. petiuit Moyses à Domino, dicens: *Ostende mihi gloriam tuam:* cui Dominus: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet. videbis posteriora mea, ver me has por las espaldas.* quid ita? Gregorius Nyssen. *libr. de vita Moysi*, ait, periphrasim esse ad significandum quòd Moyses imitaturus esset Dominum. vnde sic exponit locum: *Posteriora mea videbis, hoc est, terga mea videbis*, & subdit: *Vides quantum est vt aliquis discat Deum sequi?* Ita ille. Cuius ratio in hoc consistit, cùm Deus Moysi misericordissimè cuncta quæ postulabat concedere dignaretur, ne tam mœstus à facie recederet Dei, velut in recompensationem illius quod postulabat, id illi concessit, vt gratiâ suâ Dominum sequeretur. Videigitur quantum bonum hoc sit, vt in recompensationem tanti boni hoc ei largiretur. imò si rectè rem perpendamus, vtilius hoc Moysi fuit, quàm ad horam faciem aspicere Dei; nam sequendo Dominum, merita consequebatur, quibus in æternum, & non ad horam, Dei faciem & gloriam videret in cœlis. Etenim qui sequitur Christum, recto tramite tendit in cœlum, quique sic sequi perseuerat, absque hæsitatione aliqua in cœlestem gloriam peruenit: eò enim tendit Christus, eò peruenit. Verùm rectè S. Bernardus *sermone 21. in Cant. Domine Iesu*, inquit, *quàm pauci sunt qui post te venire volunt, cùm ad te nullus sit qui peruenire nolit, cupientes consequi, sed non sequi.* Ita S. Bernardus. Fateor, difficile arduumque esse Christum sequi, sed qui ob hanc difficultatem eum sequi detrectat, non adhuc mente concepit, quid sit id quod idem Dominus ait: *Vbi ego sum illic, & minister meus erit*: hoc enim adeò glorioſum & bonum est, vt leuissimum sit, pro tanto bono Christum sequi, & imitari. cumque Christus Dominus pro nobis eiusmodi arripuerit iter, (pro se enim minimè indigebat) quid ergo ais, serue piger? Deus, vt tibi ducatum præstet, has difficiles ambulat vias, & tu post illum, & in cœlum ire detrectas? *Ioan. 12. 26.*

Profectò si nihil aliud in præmium tribueret Deus his qui sequuntur eum, quàm ipsum sequi, & præterea nihil, dignum præmium esset ad illum ita sequendum, vt nusquam, & nunquam ad dextram, vel ad sinistram declinaremus. quod ex ipsis literis sacris constat, 1. *Regum* 12. vbi sic Deus populo suo: *Si timueritis Dominum, & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exasperaueritis os Domini, eritis & vos, & rex*

cut

qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum. cur non ait: eritis felices interra, & beati in cœlo, sed, *eritis sequentes Dominum?* quasi hoc ingens, & sufficientissimum præmium sequelæ sit Christum Deum fuisse sequutos. Quòd si vel propter hoc solùm Christum Dominum sequi deberemus, quantò magis cùm simul nobis gloria promittatur? *St qui mihi minisſtrat, (ait) mè sequatur, & vbi ego ſum, illic & minister meus erit.* cur non ait: & vbi ego ero? quia Christus ab instanti incarnationis suæ fuit beatus & gloriosus in anima, &c.

Primò Christum Dominum sequi debemus propter ipsummet Christum: ratio enim ipsa postulat, vt seruus sequatur Dominum suum, discipulus magistrum suum, ciuis regem suum, miles ducem suum, filius patrem suum, & creatura creatorem, & Deum suum: Christus autem Dominus noster est, nos autem serui eius, Christus magister noster est, *Vos*, ait, *vocatis me magister, & bene dicitis*, nos autem serui emptiij eius sumus. *Empti enim estis pretio magno*, &c. Christus rex noster est; *Ecce*, inquit, rex tuus venit tibi, *&c. nos autem populus eius, & oues pascuæ eius*; Christus dux noster est, nos autem milites militiæ eius, cui dedimus nomen; Christus quoque pater noster est, sic appellatur *Isaiæ* 9. nos igitur filij tanti patris fælicitèr sumus; denique Christus creator & Deus noster est, nos autem creaturæ illius. Quidnì ergo serui sequamur Dominum nostrum, discipuli Magistrum nostrum? ciues Regem nostrum? milites ducem nostrum? filij patrem nostrum? & creaturæ creatorem, ac Deum nostrum? *Qui mihi minisſtrat, me sequatur*, ait Christus Dominus, quasi dicat, ratio ipsa postulat, vt qui se minisſtrum meum esse gloriatur, mihi minisſtret, mihi seruiat & obsequatur, alioquin, nomine tantùm seruus meus erit, non re ipsa. obsequium autem, & minisſterium, quod ego maximè à seruis, & minisſtris meis quæro, est vt vestigijs meis insisſtant & me sequantur, &c. Et quidem si nullum inde præmium in terris, & in cœlis expectaremus, hoc solum quod sequi Deum est, gloriosum valdè à nobis reputandum esset. Audi Ecclesiasticum, *Gloria*, inquit, *magna est sequi Dominum.* Scio additum esse ibi: *longitudo enim dierum assumetur ab eo*, hoc est, longitudinem æternitatis obtinebit in cœlo, sed tamen, licèt nullum accederet præmium, gloria magna secundùm se est sequi Dominum.

Hinc Dauid sic ad Deum: *Exurge Domine Deus in præcepto quod mandasti, & synagoga populorum circumdabit te.* S. Augustin. locum hunc interpretatur de aduentu Christi, & propterea petit Dauid, quod Deum facturum sciebat circa adimpletionem præceptorum diuinorum: nam Christus Dominus ea quæ nobis facienda præcepit, adimpleuit, vt suo exemplo ad idem faciendum excitaret. ideò ait Propheta, si tu Domine quæ iubes operaris, synagoga populorum circumdabit te, hoc est, sequetur te per imitationem operum tuorum; quis enim, si sapit, non libenter sequetur te Deum nostrum, creatorem nostrum, & saluatorem nostrum? si enim sancti exemplo suo nos trahere solent, & ad ea bona opera, quæ ipsi faciunt, nos veluti compellunt, quantò magis id efficient in nobis opera tua, Domine?

Hinc Christi Domini argumentum illud sumptum ab exemplo suo, quando lauit pedes discipulorum suorum, dicens: *Scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim: si ergo ego Dominus, & magister vester, laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pedes*: quis nodum argumenti huius soluere valet?

Secunda ratio, quæ nos ad imitationem Christi inducit, est excellentia, & sublimitas ipsorum operum Christi: opera enim illustria, & excelsa mouere solent animos nostros ad similia præstanda pro viribus nostris. sic fortiter in bello gesta animos addere solent militibus ad ea imitanda, & literarum exercitia virorum sapientium, ad illa subeunda prouocant alios, & mira sanctorum opera, etiam peccatores ipsos excitant ad alia similia efficiendum: opera autem Christi Domini excellentissima, & illustrissima erant, opera, inquam, humilitatis, obedientiæ, patientiæ, pietatis, mansuetudinis, charitatis, perseuerantiæ, & aliarum virtutum; quem igitur ad sui imitationem non facilè inducent, & prouocabunt? Hinc sponsa Dei, *Trahe me* (inquit ad Dominum) *post te, in odorem curremus vnguentorum tuorum.* Ponderat S. Bernardus *sermone 21. in Cantica*, verba illa *post te*, quòd scilicet non dixerit, ad te, scilicet fruendum, sed post te, scilicet imitandi; ait igitur S. Bernardus. *Quàm pauci post te Domine Iesu ire volunt, cùm tamen ad te peruenire nemo sit qui nolit, hoc scientibus cunctis, quia delectationes in dextera tua vsque in finem. propterea volunt omnes te frui, at non ita & imitari, conregnare cupiunt, sed compati nolunt. Et ex his erat ille qui dicebat;* Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia. *Optabat sibi extrema iustorum, sed non ita & principia, mortem virorum spiritualium sibi etiam carnales optant, quorum tamen vitam abhorrent, scientes pretiosam esse in conspectu Domini mortem sanctorum eius; quo-niam cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, & quia beati mortui qui in Domino moriuntur. Cùm è contrario, iuxta Prophetæ sententiam, mors peccatorum pessima sit. Non curant quærere, quem tamen desiderant inuenire, cupientes consequi, sed non sequi; sed sponsa Dei optat, & dicit: Trahe me post te.* Ita Sanct. Bernardus. Sed notanda sunt ad rem nostram verba illa, *In odorem vnguentorum tuorum curremus*; quænam sunt vnguenta ista? certum est virtutes Christi esse: virtutes enim ex se fragrantiam magnam spirant, ideò quippe dicebat Apostolus: *Bonus odor Christi sumus in omni loco*, quia scilicet ita sanctè & perfectè viuebant Apostoli, vt odore suauissimo virtutum vbique redolerèt. Ait ergo sponsa: Domine adiuua me gratiâ tuâ, vt te sequi, & imitari valeam. nam te adiuuante curram, non solùm ego, sed & multi alij odore tuarum virtutum attracti: tantum enim bonum est virtus, & opera sancta propter seipsa tam amabilia sunt, vt facilè quisque imitari gaudeat illa.

Tertia ratio sit, propter finem & terminum, ad quem tendunt, & peruenient, qui sequuntur Christum. *Si quis mihi minisſtrat, me sequatur, & vbi ſum ego, illic & minister meus erit.* nota, *vbi ego ſum*, erat ab instanti incarnationis anima Christi in gloria; *illic*, inquit, *erit*, qui sequutus fuerit me. Quis non libentissimè Christum sequetur quòcumque ierit, si talis terminus est? Gaudeat qui sequitur Christum, paueat qui non sequitur Christum: nam ille in cœlum, hic in gehennam pergit. etenim plurimum Christo Domino debemus, qui tanto cum labore suo dux cœli nobis factus est. vnde Sanct. Cyprianus *libr. de laude Martyr. Quid*, inquit, *amplius nobis potuisset* Christus Dominus *largiri, quàm vt in se primus ostenderet, quid in alijs coronaret?* Ita ille. Quidigitur difficilius iudicas Deum ducem tuum fieri, aut te illius ducatum sequi? Ille igitur vt te in cœlum duceret, dux tuus factus est, tu verò cuius tantum negotium est, sequi Dominum dubitas?

At, inquies, difficilis & ardua est via, per quam Christus incedit, *exultauit* ille *vt gigas ad currendam viam*, nos pygmæi sumus: quis igitur eum sequi currentem potest? ille, inquam, per abrupta crucis iter fecit, nos debiles, & infirmi sumus; quo ergo pacto eum valebimus sequi? etenim licèt hac in re saluationis nostræ negotium non intercederet, Christum Dominum sequi & imitari libentissimè deberemus, quantumuis innumeræ in hac via difficultates interuenirent, ac labores, hocenim ad fidelitatem seruorum spectat, iuxta id quod habetur 1. *Regum* 14. Ionathas pro-

Cant 1.3.

Num. 23.

Psal. 33.

2. *Cor.* 2. 15.

Ioan. 12. 26.

1. *Reg.* 14.1

profecturus aduersùs exercitum Philistinorum dixit armigero suo : *Veni, transeamus vsque ad stationem incircumcisorum horum. cui armiger : Fac omnia quæ placent animo tuo, perge quò cupis, & ero tecũ vbicumq; volueris.* Fidelis hic seruus, ac prudens fuit, & maximè cùm per arduũ, periculosumque montem Ionathas ascensurus esset. *Ascendit,* inquit, *Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius post eum* : viam arduam crucis aggressus est Christus Dominus. Et vnicuique nostrùm ait: *Sequere me,* quis adeò segnis, & ignauus seruus erit, qui talem ac tantum Dominum sequi recusет ? & maximè cùm omnis hæc difficultas, quæ in via, & imitatione Christi reperitur, terminetur ad gloriam. Assumpsit Iesus tres illos maximos Apostolos, duxit eos in montem excelsum, *por vn reuenton arriba, por vna cuesta mucho subirla,* sed in alto montis illius transfiguratus est ante eos. dic, quæso, cùm gloriã illã discipuli potirentur, nunquid pœnituit eos iter illud molestum fuscepisse ? sic igitur de ascensu acerbo cælestis beatitudinis philosophandum est. arduum quidem fuit Martyribus per cruciatus grauissimos incedere, & confessoribus per ieiunia, vigilias & pœnitentias, sed nunc in cœlo quid aliud dicunt, nisi, *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Ecce quantum nostrã interest Christum Dominum imitari, ac sequi, quantumuis per vias perdifficiles ac duras incedat.

Psal. 89. 15.

Solent perfecti pictores tyronibus suis figuras aliquas perfectas exhibere, vt eas imitentur, & tunc tyrones hi perfecti euadunt, cùm perfectè imagines illas referunt. Dedit nobis æternus Pater filium suum, primò, vt tanquam magistrum discipuli, eum audiamus. *Hic,* inquit, *est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui, ipsum audite* Secundò, vt ipsum imitemur, *Exemplum,* inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* perfectissimum omnium exemplar est Christus, qui pro viribus illud perfectè fuerit imitatus, perfectus quidem euadet. Refert Blosius in suo monili spirituali, rogasse personam quandam sanctam Mechtildem, vt pro ea Dominum oraret, vt eam mundo corde, & spirituali faceret; orauit illa. cui affuit Christus Dominus, & dixit : *Omnia quibus indiget illa, & quæ vult, inueniet in me : suppleat igitur ex bonis quæ sunt in me, & conuersationem meam sibi vsurpet.* Cui S. Mechtildis : quomodo potest homo bona tua Domine vsurpare sibi ? Respondit Saluator : *Offerat patri meo, vel mihi, pro sua impuritate, meam puritatem, pro superbia sua, humilitatem meam, pro tepiditate sua charitatem meam, & similiter desideria sua, cogitationes, orationes, lacrymas, dolores, angustias, & opera sua, offerat in vnione desiderium meorum, cogitationum, verborum, orationum, lacrymarum, dolorum, & operum meorum, & ita omnia summè Deo placebunt. licèt enim oratio penetret cælos, illa tamen, quæ meis orationibus vnitur, longè excellentior, & dignior est.* Ita ibi. Sed ad rem nota quæ Christus subdit ibidem : *Studeat etiam virtutes meas pro modulo suo imitari, & mores actusque suos dirigere iuxta mores, & actus conuersationis meæ.* Ita Christus Dominus. Ecce modum quo, si vis, perfectus & sanctus esse, possis.

Matt 17. 5.

Ioan. 13. 15.

A

B

C

D

7. *Necesse fuit Verbum carnem sumere, vt Sacerdos pro nobis esset.*
8. *Necesse fuit Verbum carnem assumere, vt esset qui perfectè Deo seruiret.*
9. *Deus per Incarnationem factus est noster.*
10. *Incarnatio Christi Deo gloriosissima fuit*
11. *Quàm admirabile fuerit Christi Incarnatio.*
12. *In Incarnatione resplendent attributa diuina.*
13. *In Incarnatione Christi, Dei attributa resplendent, maximi bonitas.*
14. *In incarnatione verbi relucet sapientia Dei.*
15. *Incarnatio Christi amorem Dei erga nos ostendit.*
16. *Per incarnationem factus est Deus nobis propitius.*
17. *Per incarnationem Deus ad se omnia reduxit.*
18. *Excellentissimum opus Dei fuit Incarnatio.*
19. *Quàm digna bonitate Dei fuerit incarnatio.*
20. *Per incarnationem Deus magnitudinem misericordiæ suæ manifestauit.*
21. *Quomodo per incarnationem suam Deus Iustitia & misericordia sua simul satisfecit, concordans eas*
22. *Quomodo per incarnationem Christus datus est nobis.*
23. *Christus aduentu suo pacem cum Patre nobis reconciliauit.*
24. *Christi incarnatio nostram conciliat amicitiam.*
25. *Quàm ingentes diuitias attulerit nobis aduentus Christi.*
26. *Quàm eximium in nos beneficium fuerit, pro nobis carnem assumere.*
27. *In incarnatione Christi sublimata est natura humana.*
28. *Incarnatus est Christus, vt in sponsam acciperet sibi Ecclesiam nostram.*
29. *Per incarnationem Christi data est nobis potestas vt simus Filij Dei.*
30. *Per incarnationem Deus dux nobis in cœlum factus est.*
31. *Quàm vtilis sit diuina incarnatio ad excitandum amorem nostrum in Deum.*
32. *Quàm bonis in bonum cedat incarnatio & malis in malum.*
33. *Maiorem gratiam contulit nobis Deus per Christum in natura lapsa quàm exhibuisset in statu innocentiæ non incarnatus.*
34. *Per incarnationem Christi perfecit Deus omnia creata.*
35. *Quàm honorificum fuerit nobis Deum pro nobis carnem fieri*
36. *Quanta gratitudine digna sit incarnatio.*
37. *Quanta sit fœlicitas nostra frui incarnatione & admiratione Christi.*
38. *Cur secunda persona, & non prima vel tertia assumpserit carnem.*
39. *Quàm læta & grata sit festiuitas incarnationis.*
40. *Ob incarnationem Christi Angeli protectores nostri sunt.*

PROP. I. *Quàm conueniens opus fuerit nostra redemptioni.*

LVc. 24. *Nonne hæc oportuit Christũ pati, & ita intrare in gloriam suam ?* Pondera verbum *oportuit* : nunquid non alijs modis poterat Christus redimere genus humanum ? S. Thom. 3. p. q. 1. art. 1. quærit, an fuerit necessarium ad reparationem generis humani, Deum incarnari, & respondet : *Ad finem aliquem dicitur aliquid esse necessarium dupliciter ; vno modo, sine quo aliquid esse non potest, sicut cibus est necessarius ad conseruationem humanæ vitæ ; alio modo, per quod melius & conuenientius peruenitur ad finem : sicut equus necessarius est ad iter. Primo modo Deum incarnari non fuit necessarium ad reparationem humanæ naturæ : Deus enim per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis alijs modis reparare. Secundo autem modo necessarium fuit Deum incarnari ad humanæ naturæ reparationem.* Ita S. Thom. consonat S. Augustinus, lib. 13. de Trinitate cap. 10. dicens : *Sanandæ miseriæ nostræ nullus alius modus conuenientior fuit, quàm incarnatio.* Ita S. Augustinus.

Quænam autem conuenientia hæc fuerit, ostendit S. Thom. ibidem in solutione ad secundum argumentum, dicens : *Quia peccatum contra Deum commissum, quandam infinitatem habet ex infinitate diuinæ maiestatis : tantò enim offensa est grauior, quantò maior est ille, in quem delinquitur. vnde oportuit ad condignam satisfactionem, vt actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, vtpote Dei & hominis existens.* Ita S. Thomas. Conueniens insuper fuit ad fidei nostræ conseruationem, & spei nostræ in Deum maiorem firmitatem, & etiam ad charitatis nostræ

INCARNATIO CHRISTI.

PROP. I. *Quàm conueniens opus fuerit nostra redemptioni*
2. *Necesse fuit Verbum carnem assumere, vt nos Deo reconciliaret*
3. *Necessarium fuit Deum hominem fieri, vt pro superbia primi hominis planè satisfaceret.*
4. *Necessaria fuit Incarnatio ad satisfactionem pro primo peccato, quatenus inobedientia magna fuerit.*
5. *Necessarium fuit Deum hominem fieri, vt satisfaceret pro peccato primi hominis, inquantum furtum & rapina fuit.*
6. *Diuina misericordia exigebat Deum pro nobis hominem fieri.*

nostræ in Deum augmentum. Vti docet S. Thomas ibidem in corpore articuli, & q. 45. art. 1. & 2.

S. Bernard. serm. 7 de aduentu, de Incarnatione Dominí agens, ait: *Indigentiæ nostræ quantitatem ipsa dignationis Dei indicat magnitudo, & periculum ægritudinis ex ipso pretio medicaminis innotescit.* Ita ille, vbi nota metaphoram ægritudinis & medicinæ quam tangit.

PROP. II. *Necesse fuit Verbum carnem assumere, vt nos Deo reconciliaret.*

ERamus naturâ filij iræ, & inimici Dei propter peccatum; solùm enim peccatum est quod nos Deo inimicos reddit, &c. at Christus Dominus homo factus, passione, & morte sua nos Deo reconciliauit. Vnde Apostolus ad Ephes. 2. de Christo agens. *Ipse*, inquit, *est pax nostra, qui fecit vtraque vnum; & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso, in vno nouo homine faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Ita Apostolus. Vbi obserua, quòd non dicit Christus fecit pacem, sed, *ipse est pax nostra.* Vbi S. Thom. *Emphatica est locutio, ad maiorem rei expressionem, est pax nostra, id est, causa pacis nostræ: vnde dicebat.* Ioan. 14. *pacem meam do vobis. Hic autem modus loquendi fieri consueuit, quando totum, quod est in effectu, dependet ex causa: sicut cùm dicimus de Deo, quòd ipse est salus nostra, quia quidquid salutis est in nobis, causatur à Christo, &, per consequens, quidquid est appropinquationis: quia homo, quando pacificatus est cum alio, securè potest appropinquare ad ipsum: ideò dicit, quòd est pax nostra. Vnde in eius natiuitate annunciauerunt Angeli pacem.* Luc. 2. *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax,* &c. Ita S. Thom. sed quomodo soluerit, subdit: Apost. *Interficiens inimicitias in semetipso.* sic ait idem Apostolus 2. Corinth. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*; non ait, per Christum, vt magis rem exprimeret. Si solùm Christus per quandam intercessionem, vel aliquod exterius obsequium impetrasset à Patre pacem nobis, per Christum, illam haberemus. Dicit autè in Christo, & *interficiès inimicitias semetipso*: quia in seipso pœnas nostras nobis debitas, recepit; &, sicut qui inter duos rixantes intercedens, ab altero eorum, qui fuerat iniuriam passus, mortale vulnus reciperet, & ob mortem suam exigeret à vulnerante pacem pro altero, qui intulerat iniuriam, concessa pace, rectè potuit dicere mediator ille, quod in seipso inimicitias interfecit: sic mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui se inter Patrem & nos interposuit, mortem interim ferens pro pace nostra, in seipso inimicitias interfecisse meritò dici potest. Vnde ad Rom. 5. idem Apostolus ait: *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius.*

Nunc autem quanta fuerit hæc pax, & quàm ingens beneficium per eam nobis exhibitum, expendamus. Ad Phil. 4. *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu.* Originale Græcum pro, *sensum*, habet *intellectum*; quæ igitur est pax ista, quæ omnem superat intellectum? Theoph. ibi. *Reconciliatio* (inquit) *quam Deus cum hominibus fecit, excedit omnem intellectum, nedum humanum, sed Angelicum etiam.* Sic Theoph.

Sed audi huiusmodi pacem ponderantem S. Chrys. serm. 14. in Epist. ad Phil. *Omnem intellectum superat pax Dei, quam erga homines operata est. Quis enim expectasset? quis vam sperasset tanta futura bona? omnem humanum animum, non solùm rationem excedunt. pro inimicis, pro aduersantibus, pro his (inquam) filium tradere vnigenitum non recusaut, vt pacem faceret nobiscum.* Ita S. Chrysostom. *En que pensamiento cayerè, que Angel tal pensará, que hombre tal imaginara, que el Hyo de Dios, para ponernos en pas con su Padre, encarnasse, padeciesse,*

A *y mueriesse, de cruz. Esto a qualquier entendimento criado se la gana.*

Item serm. 3. in Epist. ad Colos. *Magnum quidem est, reconciliari, quod verò per ipsum Deum factum est, maius est; atque hoc quoque ipso manus est istud, quod per sanguinem eius factum est, & non simpliciter per sanguinem, sed, quod amplius etiam est, per crucem.* Ita S. Chrysost.

Hinc inter reliqua nomina, quæ ab æterno Patre per Isaiam 9. Christo Domino assignantur, vnum est, *Princeps pacis.* Princeps alicuius regni, vel prouinciæ dicitur ille, qui iure belli eam acquisiuit: Christus Dominus bello cruento passionis suæ, pacem hanc nostram cum Deo acquisiuit; quare iure optimo belli, Princeps pacis meruit nuncupari.

PROP. III. *Necessarium fuit Deum hominem fieri, vt pro superbia primi hominis plenè satisfaceret.*

B GEnes. 3. diabolus ad primos Parentes: *Eritis sicut Dij*, inquit, *scientes bonum, & malum, hoc virus superbiæ à serpente in Euam, ab Eua in Adam transfusum est.* Vnde S. Thom. 2. 2. quæst. 163. art. 2. *Primus homo* (inquit) *peccauit appetendo similitudinem Dei, quantùm ad scientiam boni, & mali, sicut serpens ei suggessit, vt scilicet per virtutem propriæ naturæ determinaret sibi quid esset bonum, & quid malum ad agendum: vel etiam, vt per seipsum ipse cognosceret, quid sibi boni, vel mali esset futurum. & secundario peccauit appetendo sim. Iitudinem Dei, quantum ad propriam potestatem operandi, vt scilicet virtute propriæ naturæ operaretur ad beatitudinem consequendam. vnde quantùm ad aliquid Deo æquiparari appetiuit, inquantum scilicet ad aliquid sibi inniti voluit, contempto ordine regulæ diuinæ.* Ita Sanctus Thom. Refugit ergo homo debitam subiectionem sub Deo, à quo instruendus, & dirigendus erat, nolens ab eo edoceri, nec dirigi, sed à se; sicut Deus à se habet notitiam boni, & mali, & scit à se, quomodo cuncta debeat dirigere, ac gubernare. Hoc præsupposito, vt iniuriæ illatæ Deo ex parte hominis, sufficiens subiectio redderetur, oportuit Deum subijci Deo; quia in superbia hominis hæc duo reperiebantur, quòd seruus à debita seruitute, & subiectione recessit: & secundò, quòd seruus ad summam voluit dominationem ascendere. Vt ergo pari passu procederet satisfactio diuini honoris, oportebat quòd ille, qui in suprema erat dominatione constitutus, ad subiectionem descenderet serui. quod quidem carnem assumendo præstitit filius Dei, vti aitipsemet Christus Luc. 22. *Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat.* Et Matth. 20. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Vnde Apostolus ad Philip. 2. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Vbi mirè alludit Apostolus ad rapinam Adæ, qui, cùm in forma serui esset, rapinam aggressus est, volens æqualis Deo esse, & sic semetipsum exaltauit, scientiam & sapientiam Dei furripiens. Vide igitur remedium Dei aptissimum, homo in forma serui erat, filius Dei in forma Domini erat, homo rapinam meditatus est, volens similis esse Deo, filius Dei semet à forma Dei in forma serui se exinaniuit: ergo sufficienter superbiam hominis reparauit. Vt homo vsurpatam dominationem deponeret, sufficiebat redire ad infimum serui, & seruitutis gradum, sed tamen, (vt rectè ait Gulielmus Parisiens. libr. Cur Deus homo, cap. 6.) hoc non erat amplius, quàm restitutio rei ablatæ, dum seipsum, quem malè vsurpauerat sibi à Deo, restituebat Deo, sed vsurpationis huiusmodi iniuriam & contumeliam, quam exhibuerat Deo, sic superbiendo in Deum, non emendabat. Manifestum est enim, quòd aliud est quod Domino irrogatur in vsurpatione rei suæ, aliud res

Gen 3. 5.

Thom.

Mat. 20. 28.

Phil. 2. 6.

Guil. Par.

ipsa,quæ aufertur,& damnum, quod irrogatur. quiuis A ergo peccator redeundo ad statum pristinum, seipsum Deo vtique restituit, sed iniuriam, quam intulit Deo, recedendo ab eo,& iactura subiectionis,& seruitutis Deo debitæ,per peccatum factam,eo ipso quòd ad pristinum statum redit,nullatenus emendat. & hoc patet, quia se totum Deo debebat, debebat insuper iniuriæ satisfactionem : quare duorum factus fuit debitor, & propter hoc soluto altero solo, pro reliquo manet obligatus. Primi ergo Parentes per restitutionem suæ pristinæ seruitutis,& subiectionis, pro iniuria Deo illata nullatenus poterant satisfacere : sed neque etiamsi magis serui, & magis subditi Deo redirent, quia impossibile erat, vt tantùm per humilitatem descenderent,quantùm per superbiam ascenderant super se, quæ quidem erat condigna satisfactio. Hoc autem solus Deus poterat præstare ; nihil enim tam infra primos Parentes, & eis inferius, quantùm illi superbiendo ascenderant supra se, & quantùm Deus , cui iniuriam irrogauerant,erat superior illis. Solus ergo Deus potuit tantùm descendere humiliando se, quantùm Adam ascendit supra se.per superbiam eleuando se. Hoc autem non poterat præstare nisi factus homo ; ergo ad hanc debitam satisfactionem subiectionis,oportuit incarnari filium Dei.

Confirmemus rationem hanc:Homo peccauit, appetendo similitudinem diuinam , vti dictum est ex S. Thom. & docet Augustinus. Thom. & docet Auguſt. ſuper illud Pſal 34. *Domine quis ſim.iu t.bi ?* peccauerunt ergo Dei altitudinem ambientes. Ergo, si appetendo altitudinem deitatis se extulerunt per superbiam, emendatio , & satisfactio huiusmodi eleuationis iniuriosæ Deo, esse debebat ab alto deitatis, vita sibi inuicem operarentur, & mutuo sibi responderent transgressio, & satisfactio. Vt sicut homo ab infimo subiectionis Deo debitæ, & humanitatis suæ,in celsitudinem deitatis superbiendo se extulerat,emendatione ab illa altitudine deitatis ad humilitatem humanitatis & subiectionis descenderet per C satisfactionem.

Thomas. Auguſt. Pſ.34.10.

B

D

PROP. IV. *Neceſſaria fuit Incarnatio ad ſatisfactionem pro primo peccato, quatenus inobedientia magna fuit.*

PEccatum primi Parentis,inobedientiam fuisse notum est : tenebatur autem homo omnimodè obedire Deo : vnde peccatum illud inobedientiæ non habuit contrarium sibi adæquatum , nisi obedientiam eius,qui nullo modo tenebatur obedire: inobedientiæ enim nihil opponitur directè, & formaliter , nisi obedientia,sicut ex Topicis Aristotelis constat : igitur inobedientia eius, qui omnino tenebatur obedire , non potuit per aliam emendari, & solui , nisi per obedientiam eius,qui omnino non tenebatur obedire. Hic autem est solus Deus; ergo solus Deus obediendo potuit pro nostra inobedientia directè & formaliter satisfacere:at,inquantum Deus,non potuit , ergo oportebat Deum hominem fieri,vt,inquantum homo,posset obedire pro homine,& inquantum Deus , valorem omnimodum daret obedientiæ.

Præterea quælibet creatura ex toto suo posse , & ex totis viribus per seipsam pro se ipsa tenebatur obedire Deo,tanquam authori suo, ratione creationis , & conseruationis sui ; ergo quantumcunque obediret,etiamsi totum posse suum in obedientiã expenderet Creatoris,non exolueret, nisi debitum proprium , debitum, inquam , quo tenebatur ratione propriæ creationis. non ergo posset per suam obedientiam soluere debitum primæ transgressionis , quia per quæ quis debet , non soluit debitum creditori.

Dices , posset ipsemet transgressor obediendo reparare inobedientiam suam. Respondeo , quòd neque ipse transgressor id possit , quia quamcunque obedientiam Deo impenderet, ad illam, etiam sine inobedientiæ suæ debito,tenebatur ; ergò alio debito tenebatur ad illam ; illud ergo debitum , & non aliud , solueret Deo.

Confirmatur hæc ratio, quia esse sub lege, & esse liberum à lege.sunt contraria , & eum,qui sub lege est, liberum se gerere ad legem , & liberum fieri sub lege, contraria sunt adæquatè. Cùm ergo contraria contrarijs curentur,vt transgressio eius,qui tenebatur,omnino sub lege curaretur,& deleretur,oportebat eum, qui omnino erat liber à lege , tantum dare , quantum ille abstulit.Homo autem à Deo abstulit obedientiam; ergo qui reparare debebat illud, debuit se sub legeconstituere:hic autem erat Creator ipse; ergo ille solus potuit pro transgressione huiusmodi satisfacere.Et hæc est ratio Apostoli:*Vbi venit plenitudo temporis , misit Deus filium ſuum factum ex muliere* (id est,hominem) *factum ſub lege, vt eos qui erant ſub lege,redimeret.*

Dices , potuit creatura aliqua per commissionem à Deo habere aliquid , quo satisfaceret pro hominis transgressore.Respondetur,si haberet commissionem , ergo non ex propriis satisfaceret. Tantum ergo à propria & perfecta satisfactione deficeret, quantum ex alienis,& aliunde acceptis,satisfaceret : & quidem omne id,quod à Deo habet,Deo debet,quia Deus naturaliter Dominus omnium hominum , & omnium rerum est : nec potest à se abdicare dominium, sicut nec sapientiam, & deitatem , & omnipotentiam , & cætera.

Vnde totum hîc discursum complectens Apostolus ait : *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem ; ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi ; ita & per vnius obedientiam iuſti conſtituuntur multi.*

Deus ab Auſtro veniet,& ſanctus de monte Tharan. Hîc dicit incarnationem Christi agere Prophetam , omnes conueniunt : veniſſe autem, ait , filium Dei , hominem factum,de Austro,& de monte Pharan. Auster hîc idem est quod meridies:meridies autem in hoc ab aurora & à vespere differt , quòd aurora & vesper cum luce habent tenebras aliquas admixtas ; meridies verò tota sine tenebrarum admixtione lucet. Quare meritò hi nonnulli asserunt , per meridiem beatissimam Virginem intelligi debere , quæ in hoc à cæteris humanis personis differt,quòd hæ,quamuis sanctæ , aliquatenus tenebrarum peccati partem habuerunt, saltem per originalem culpam : Beata Maria verò nihil omnino de tenebris peccati commune habuit , sed omnia illius in luce clarescunt,conceptio, natiuitas , incarnatio filij, partus,vita,mors,&c.nihil in operibus,nihil in verbis, nihil in eius cogitationibus obscurum,&c. Quare meritò hîc meridies nuncupatur. Secundò vocat eam montem Prophetæ;montem,inquam,Pharan,id est,gloriam,sicut ex Hebræo,linguæ illius valde peritus Pagininus interpretatur. mons gloriæ rectè dicitur Maria sanctissima , quia in eius vtero glorificata fuit anima Christi. Sicut igitur cœlum locus dicitur gloriosus, quia in eo glorificantur Beati, sic à fortiori beata Virgo,cùm gloria Christi reliquorum omnium hominum & Angelorum superet gloriam. De hoc igitur monte de hac meridie venit Dominus Christus. Sed aduerte quod Rupertus Abbas hîc , vbi nos legimus , *Deus ab Auſtro veniet*,legit : Ipse Deus ab altitudine iudiciorum veniet. Vocatur igitur hîc B. Virgo altitudo iudiciorum Dei: quid ita ? quia scilicet Deus altissimum iudiciorum suorum habuit in ea : altissimum quippe iudicium fuit,de quo Christus dixit : *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Hoc autem iudicium in visceribus Virginis factum fuit : ibi enim præceptum Pater imposuit filio , vt in remedium peccatorum

catorum pro vniuerso genere humano pateretur, & mortem subiret. ibi præceptum hoc filius amplexus fuit & ab initio incarnationis ita præceptum implere cœpit, vt si quod in vtero matris passus est, solummodo pateretur, id sufficientissimum extitisset, vt de rigore iustitiæ Patri satisfaceret pro omnibus nobis. Quare iure B. Virgo altitudo iudiciorum dici potest, cùm altissimum hoc iudicium in ea repertum fuit.

PROP. V. *Necessarium fuit Deum hominem fieri, vt satisfaceret pro peccato primi hominis, inquantum furtum & rapina fuit.*

NOn solùm vt pro iniuria Deo facta per superbiam debita ei fieret satisfactio, oportuit filium Dei carnem assumere, verùm etiam pro iniuria per furtum, & rapinam ei illata.

Supponamus ergo peccatum primorum Parentum rapinam verè dici posse, secundùm illud S. Augustin. Psal. 68. super id, *Quæ non rapui tunc exsoluebam. Adam*, inquit, *& Eua rapere voluerunt diuinitatem, & perdiderunt felicitatem.* Ita ille, quæ quidem rapina, & furtum, vt ait Guilielmus Parisiensis in quouis peccato reperitur: quod spirituale furtum vocat, dum id quod Dei est, appropriat homo sibi peccando, & applicando sibi contra voluntatem Dei, qui omnium nostrarum rerum Dominus est. Si ergo furtum fuit peccatum, necesse fuit, vt plenè satisfaceret homo, quòd largiendo id præstaret, & quanta rapina fuit, tanta & largitio esset: rapina autem peccati primorum Parentum fuit rapina deitatis: illam enim ambierunt; ergo restitutio fieri debebat diuinitatis, & sicut, quantùm erat ex se, deitatem suffurati erant, deitatem reddere oportebat Deo: nam apud Deum velle malum facere, malitiam facti habet: diuinitatem autem dare solus Deus poterat; solus ergo ille homo factus se Patri donans, id efficere valebat.

Præterea homo pauper omnino, dicit omnino fieri decreuit, ergo vt reparatio ex æquo responderet, necesse fuit, vt omnimodè dicit omnimodè pauper efficeretur: omnimodè autem pauper erat primus homo, nihil enim proprium habebat, quia totum quod erat, Dei erat: vnde nec se occidere, manum abscindere, licitum ei erat. omnimodè autem diues Deus erat, quia Dominus vniuersorum est, & in ditione eius cuncta sunt posita: vnde solus Deus ab omnimoda ditione, & abundantia in omnimodam paupertatem deueniens, iniuriam omnimodè pauperis, in omnimodas diuitias ascendere rapiendo cupientis, potuit reparare. hoc autem per solam deitatem præstare non poterat; oportuit ergo, vt fieret homo, huius omnimodæ paupertatis capax. Vnde Guilielm. Parisiensis lib. Cur Deus homo, cap. 7. *Sicut* (inquit) *Adam per furtum, & rapinam factus est, quasi diues, cùm nihil haberet; sic oportuit, vt Deus fieret, quasi pauper, cùm haberet omnia. Et hoc videtur præduxisse.* Salom. Prou. 13. *Est quasi diues, cùm nihil habeat, & est quasi pauper, cùm sit in multis diuitijs.* Ita Guiliel. Parisiensis.

Hanc autem rationem tetigit Apost. 2. Corinth. 8. dicens: *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quia propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt inopiâ eius vos diuites essetis*, hoc est, sic nos verè & iustè reparauit. Præterea peccatum primi Parentis fuit quædam vsurpatio sui, & suorum qui se totum, & suas res vsurpauit, & vsus est propria voluntate contra voluntatem, & imperium Dei, illum iure plenissimo possidentis: & hæc vsurpatio non habuit contrarium adæquatum, nisi omnimodam sui ipsius largitionem; quia qui erat omnimodè, & iure plenissimo possessus, iniustè se faciebat sui & suarum rerum possessorem, & quantùm fuit in se, & se & sua à suo legitimo possessore vsurpauit. Ad huiusmodi ergo æqualem satisfactionem, oportuit quòd ille, qui est dominantissimus possessor, fieret omnino possessus, & pro eis omnino non habentibus collatus eisdem ipsis, qui omnino ius non habebant; hoc enim est ex opposito reddere æquale. Talis autem est Incarnatio Verbi, per quam Deus, qui est omnimodè possessor & dominus hominis omnino possessi, & serui, datur ipsi homini, vt eo possit satisfacere Deo. & hoc est quod ait Isaias: *Paruulus datus est nobis, & filius natus est nobis.* & illud Psal. *Redemptionem misit Dominus populo suo*: redemptio enim perfecta est, quando pro captiuo æquiualens solutio datur. Attende igitur contrarietatem horum, quod est possidere, & possidendi auferre ius, omnimodam solutionem, & omnimodam iniuriam, vsurpationem, & largitatem termini à quo, & ad quem, & videbis perfectissimam debiti hominis erga Deum solutionem, & satisfactionem per Verbi diuini Incarnationem. *Isai 9 6* *Ps. 110. 9.*

PROP. VI. *Diuina misericordia exigebat Deum pro nobis hominem fieri.*

ECcli. 2. de Deo sic: *Secundum magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius cum ipso est*, hoc est, sicut magnitudo deitatis in Deo infinita est, sic & misericordia eius infinita est: sicut ergo diuinam decebat magnitudinem magna operari, quo magnitudinis eius magnitudo demonstraretur; sic decuit eam etiá miseria aliquam maximam exhibere, quá eius infinita misericordia demonstraretur, nulla verò excellentior, quàm Deum pro nobis hominem fieri, pati, & mori pro nobis peccatoribus. Hæc igitur misericordia, erat, quæ Deum decebat. *Eccli. 2. 32.*

Præterea inter dominum, & seruum conuenire decet, quòd seruus, si opus fuerit, pro domino suo vitam exponat, dominus verò seruum à morte, si possit, liberet, & à quauis alia miseria, maximè si absque vllo sui detrimento id facere possit, imò quemcunque decet alij, in necessitate maximè, si maxima illa fuerit, succurrere, quando indemnis id facere, ac facilè potest, quamuis inimicus sit. Vnde Exod. 23. *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo*, non ait, *si videris ipsum inimicum iacere sub onere*, sed *asinum eius*, iumentorum scilicet vilius quòd si secundùm rationis regulas talis debetur homini misericordia, maximè si homo seruus fuerit, qui domini deuinctus est obsequio; nónne igitur dominum illum supremum decebat hominem à morte æterna liberare, si id absque proprio detrimento poterat præstare? Deus enim in passionibus, & morte Christi nec mori, nec pati aliquid potuit in diuinitate sua, omnia enim huiusmodi in humanitate pati debebat, vnde à parte humanitatis patientis nihil Deo accessit, quod detrimentum dici possit, imò inde maximam consequutus est nominis sui gloriam, & celebritatem. humanitas assumpta in se mortem ac passiones recepit; imò nec humanitas ipsa in damnum vocari potest, cùm anima Christi ab instanti conceptionis semper fuerit beata; & corpus ex passione, & morte summam lucratum fuerit exaltationem. Vnde Paulus: *Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Denique inde gloriam corporis sui promeruit Christus. Ecce misericordia hæc summa & Deo gloriosa fuit, & Christo vtilissima, simul & gloriosa, & nobis ad redemptionem nostram perne-cessaria. *Exod. 23. 4.* *Phil. 2, 8.*

At, inquies, misericordia huiusmodi indignus erat homo qui adeò pessimus Dei seruus fuit, vt potiùs supplicio, quàm veniâ fuerit dignus. Ita est, sed per passionem Christi sufficienter satisfactum fuit diuinæ iustitiæ. Si enim dominus qui à seruo iniuriâ affectus *Simile.*

fuit, posset satisfactionem recipere sine morte, & amissione servi, æquum esset satisfactionem hujusmodi velle. Peccauit homo in Deum; merebatur proinde pœnam æternam: sed per Incarnationem Verbi Iustitiæ diuinæ plenè satisfactum fuit; & insuper servi damno misericorditer prouisum. Hoc igitur Deo dignius, & congruentius fuit, ita vt dicere possimus: Bene omnia fecit, quia sibi satisfecit & nobis bene fecit, peccatum dimittendo, gratiam restituendo, & gloriam æternam tribuendo. A

Fateor, tantâ misericordiâ homo non erat dignus, at Deus illam exhibere dignus fuit, & quantò nos tantâ misericordiâ indigniores, tantò maior misericordia fuit illa exhibentis: & quantò maior misericordia, tantò Deo dignior, quia misericordia eius infinita est.

Simile. Quam ergo misericordiam imaginaberis in actu? adæquantem ipsam essentiâ diuinæ misericordiæ, sicut igitur, si infinitus daretur ignis, infinita ei congrueret calefactio, sic infinitam Dei misericordiam, quæ videlicet infinita est, decet miseratio infinita. B

Sic igitur respexit Deus, cùm opus incarnationis ordinauit, non merita nostra, non solam congruentiam nostram; omnia enim propter seipsum operatus est Dominus.

Oportet igitur de Deo in bonitate sentire, & secundùm magnitudinem diuinæ misericordiæ de opere Incarnationis iudicare, & non secundum angustiam cordis nostri: Dei autem perfecta sunt opera, perfecta igitur debet esse iustitia, nulla autem perfectior, quàm Deum ipsum incarnatum soluere pro peccatis nostris, & misericordia debuit esse perfecta: nulla autem perfectior, quàm Deum, vt nos à tanta miseria peccati, & damnationis æternæ, liberaret, hominem fieri, pati, & mori, &c.

Guiliel. Par. Rectè autem Guilielmus Parisiensis, lib. cur Deus homo. *Verissima*, inquit, *ratio bonitatis est, quod sit virtus associatiua aliorum ad percipiendum bona sua, sui autem ad percipiendum eorum mala.* Ita ille. Hæc autem ratio bonitatis maximè resplendet in verbi Incarnatione, vbi bona sua excellentissimè communicauit, & mala nostra copiosissimè sibi vsurpauit. C

Præterea, quia non solùm Dei bonitas, sed necessitas nostra, & ipsa peccati natura, ita requirebat, infirmitas scilicet nostra talem medicinam, & tanta iniuria tantam satisfactionem, tanta superbia tantam humiliationem, tanta inobedientia tantam obeditionem, tanta miseria tantam misericordiam, talis necessitas talem Sacerdotem, talis causa talem patronum, talis captiuitas talem redemptorem exigebat. Sit ille benedictus in sæcula.

Prop. VII. *Necesse fuit Verbum carnem assumere, vt Sacerdos pro nobis esset.*

CVm tot tantaque sint humani generis peccata, necessarius nobis erat Sacerdos, qui pro nobis interrederet ad Deum precibus & hostijs, quibus illum nobis redderet placatum: ad hoc enim constituit Dominus Sacerdotes. Vnde post diluuium, *Noë*, Sacerdotis D

Gen. 8. 20. vicem gerens, *ædificauit*, ait Scriptura, *altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suauitatis, & ait: Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines.* Vide quanti momenti sit intercessio Sacerdotis offerentis pro nobis victimas gratas Deo, *Nequaquam maledicam vltra terræ propter homines*, non erit vltra diluuium dissipans terram. Itáne Domine? quid si fuerint eadem peccata in terra, quæ fuerunt priùs, cùm propter ea dissipasti terram? Non maledicam vltra sic terræ, quia odoratus est Dominus odorem suauitatis illius sacrificij Noë. Nostra igitur interest Sacerdotem gratum Deo habere, qui pro nobis oret, & offerat, gratum, inquam, Deo quia si fuerit ingratus, non accepta- A
bitur sacrificium. Ideo enim ait Scriptura, quòd *respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain vero, & ad munera eius, non respexit.* Cur non ad Cain? Glossa interlinearis, quia cordis munditia debuit ea condire. Ita ille. Vnde priùs dixit, respexisse Dominum ad Abel, & postea ad munera eius, quia ea acceptione offerentis, acceptat Deus munus oblatum. Hinc Isaiæ 1. Dominus ad peccatores: *Ne offeratis vltra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi.* Cur ita Domine? subdit: *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*, id est, peccatis. Egebamus ergo nos omnes Sacerdote quodam sancto, qui pro nobis opponeretur diuinæ iustitiæ, & diuinam nobis impetraret misericordiam, qui scilicet non esset peccator, sed omnimodè iustus. Vbi verò inter puros homines talis inuenietur Sacerdos, cùm nec infans vnius diei sine peccato inueniatur?

Ad hoc igitur oportuit venire Christum, vti mihi B
docuit Apostolus: *Præcursor pro nobis introiuit Iesus, vt-que ad interiora velaminis, secundùm ordinem Melchisedech, Pontifex factus in æternum:* & subdit: *Alij quidem sunt iurerurando sacerdotes facti sunt: hic autem cum iureiurando per eum, qui dixit ad illum: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum, in tantum melioris Testamenti sponsor factus est Iesus. Et alij quidem plures facti sunt Sacerdotes, id eo quòd morte prohiberentur permanere: hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo. Lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, filium in æternum perfectum.* Ita Apostol. qui perfectum appellat Sacerdotem Christum, quia filius patri æqualis erat: reliqui Sacerdotes, ait, opus habent priùs pro se offerre sacrificium. Vnde in lege Moysi pro sacerdote sacrificium assignabatur Leuit. 16. *Immolabit*, inquit, *vitulum pro se, & hircum pro populo.*

Et quamuis Christus Dominus mortuus fuerit & se in cœlestè receperit regnum, sacrificium sui corporis incruentum in Ecclesia sua reliquit, quod pro nobis iugiter immoletur, & pro delictis nostris, & sacramentum pœnitentiæ, quo ab ipsis toties, quoties opus fuerit, mundemur. Vnde perfectus nobis stetit, & est sacerdos, qualis nostra necessitas exigebat.

Habet etiam ex dictis aliam sacerdotij sui eminentiam Christus, quia reliqui sacerdotes non poterant sacrificium offerre, quo de rigore iustitiæ satisfacerent Deo, quia quidquid Deo possunt puri homines offerre, debitum Deo per se est. Sicuti Deo confessus fuit David: *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi: &, Omnia operatus es in nobis, Domine: &, Deus est tu, qui operatur in nobis velle & perficere pro sua bona voluntate.* Vide quàm ipsius Dei sacrificia, quæ offerimus, sint, vt & ipsa voluntas offerendi non sit à nobis ipsis principaliter, sed à Deo: vnde super ipsum velle nostrum plenum & absolutum dominium habet; ideo præcepit nobis eum diligere super omnia. Redditio ergo debiti est Deo quidquid in obsequium offerimus illi; quia cuius est arbor, eius est fructus: ergo non poterant ex se deiustitiæ rigore satisfacere sacerdotes: sicut per pecuniam, aliàs debitam creditori, non potest quis satisfacere illi. Denique ad placandum Deum pro toto genere humano per sacrificia de rigore iustitiæ virtus infinita requirebatur in offerente; quia debitum erat infinitum: hanc autem solus Deus habet, ergo nullus humanus Sacerdos, præter Deum, poterat hoc præstare, præter Dominum Christum. *Vide prop. præcedentem.*

Prop. VIII.

A

Prop. VIII. *Necesse fuit Verbum carnem assumere, vt esset qui perfectè Deo seruiret.*

AD hoc Deus homines, & Angelos creauit, vt ab ipsis cognosceretur, amaretur, coleretur, glorificaretur, & denique vt omne illi à nobis possibile obsequium præstaretur. quamuis enim illa superexcellentissima deitas seipsa contenta esset, nec extra se aliquo egens; decuit tamen ipsam non solùm intrinsecâ gloriâ suâ potiri; sed etiam extrinsecâ nostrâ, ita vt in se infinitè gloriosus esset, & à nobis extrinsecè quoque glorificaretur, & Deus gloriosus esset in sanctis suis. Vnde Prouerb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum.* Duplicem sensum habet hic locus, primus est, *Omnia propter semetipsum fecit Dominus*, hoc est, non propter merita alterius, sed ex suamet bonitate prouocatus: secundus est, omnia fecit Deus propter gloriam suam, vt inde glorificetur: & B quia multæ sunt creaturæ intellectu carentes, quæ ideo Deum glorificare nequeunt, idcirco creauit homines & Angelos, qui omnia circumspicientes, ament, laudent & glorificent conditoris sapientiam, omnipotentiam, bonitatem, &c. & perpetuò colant eum, & obsequantur ei. At dicere quis posset: quænam, ex hominibus, & Angelis malis gloria prouenit Deo? subdit: *Impium quoque in diem malum*, non quòd fecerit Deus hominem impium, nec voluerit hominem esse impium, qui omnia, quæ fecit, vidit quòd essent valde bona: homo autem peruersa voluntate sua seipsum malum facit: malum autem fieri permittit Deus, & hoc in gloriam suam permittit, quia in iudicio manifestabit iustitiæ suæ æquitatem, puniendo pro meritis illum: ex qua punitione, æquitate, & iustitia glorificabitur Deus ab omnibus prædestinatis, hominibus, & Angelis, di- 1. centibus: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum*, sicut C Pharaoni dicit Apost. ad Rom. 9. *Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra*; alia litera habet, *in hoc ipsum seruaui te*, &c. alia verò, *posui te*, &c. *quod permissiuè*, ait S. Thomas, *intelligendum esse*; & subdit: *posui te*, id est, *ordinaui malitiam tuam ad gloriam meam. Deus enim malitiam ordinat, sed non causat.* Ita S. Thom. Glorificatus enim fuit Deus in Pharaone, quatenus ex eius contumacia potentiam, & iustitiam suam manifestauit, eum in mari cum omni exercitu submergendo. vnde omnes nos ad suam gloriam creauit.

Sed quia tanta maiestas non ita glorificatur in omnibus, nec ab hominibus, & Angelis, sicut digna est glorificari; ideò misit filium suum, & ipsum voluit incarnari, vt ab eo cognosceretur, amaretur, coleretur, glorificaretur, & obsequia digna tanto Deo haberet ab eo. Quod exactissimè præstitit ille homo, qui simul erat Deus, cuius opera, secundùm quod à persona infinita procedebant, infinitum valorem continebant. vnde nec ab omnibus hominibus, & angelicis spiritibus D simul sumptis, ita honoratur, & colitur, & glorificatur Deus, sicut à solo Christo Domino. Christus enim est, qui eum ita amat, colit, & glorificat, sicut à voluntate creata amari, & coli, & glorificari dignum est. Sicut igitur dignum fuit vniuersum creare, vt à creaturis suis cognosceretur, amaretur, &c. sic & multò magis oportuit filium Dei hominem fieri, vt meliùs, quàm à toto Vniverso, &, sicut par erat, tanta deitas cognosceretur, amaretur, coloretur, & glorificaretur, &c. & hæc est altissima ratio Dominicæ Incarnationis.

Prop. IX. *Deus per incarnationem factus est noster.*

SAnct. Cyprianus sermone de ascensione Christi, *Participes*, inquit, *Dei sumus per creationem. noster Deus est per incarnationem. dicit Deus: meus est homo, dicit homo: meus est Deus, homo, cuius Deus est, quid amplius quæris? si sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus.* Ita ille. Vbi nota, quòd per creationem sumus nos Dei: fecit enim nos Deus sibi, per incarnationem. Deus est noster, quia *nobis datus, nobis natus ex intacta virgine.* vide quantùm beneficium beneficio præstet: dicit Deus, per creationem homo, dicit homo: per Incarnationem meus est Deus; quid vltra desiderandum restat homini? si inter omnia tua tu sufficis Deo, & à te, præter te, ex omnibus tuis nihil sufficit Deo, quid tu, præter Deum, inter omnia, quæ Dei sunt, quæris? nónne tibi Deus sine reliquis omnibus sufficiens erit?

Prop. X. *Incarnatio Christi Deo gloriosissima fuit.*

GLoria in altissimis Deo, &c. Non solùm, inquit, nobis vtilissimus fuit Christi aduentus, quippe quibus pax illa, *quæ exuperat omnem sensum*, nobis restituta sit; pax, inquam, & reconciliatio cum Deo, &c. sed etiam Deo gloriosissima fuit. *Luc. 2. 14.*

Vidit Iacob scalam cœlos à terra pertingentem, per quam Angeli à cœlo ad nos, & à nobis in cœlum ascendebant, & Deum innixum scalæ. Scala hæc Christum Dominum præfigurabat, vti S. Augustinus & Beda exponunt; per quem, id est, per cuius meritum, Angeli ad nostra commoda descendunt, Dei donis onerati; & à nobis ad Deum ascendunt nostras orationes offerentes. Sed quid est quòd Deus huic sit scalæ innixus, cui potiùs ipsa Christi humanitas innixa est? omnia enim Deo innituntur: quæ est ista, quæ ascendit de deserto innixa super dilectum suum? vt Ecclesia sic, & humanitas Christi innixa est Deo in quo omnia, ex quo omnia, per quem omnia, ipse verò independens omnino est. Quomodo igitur innititur scalæ? Audi: cùm *Simile.* quis torrentem aliquem transire vult, innixus alicui baculo, id faciliùs facit, vbi mutuam quandam dependentiam vides: nam & homo innititur baculo, & baculum sustentatur à transeunte; sic Christus vt homo, innitebatur deitati, at Deus innitebatur Christo, vt cœlo, vbi regnabat, vt mundo vt in eo regnaret, vt modo regnat, & vt modò glorificatur, glorificaretur; quare meritò Angeli, *Gloria*, inquiunt, *in excelsis Deo*, &c. *Augustin. Beda.*

Prop. XI. *Quàm admirabilis fuerit Christi Incarnatio.*

SAnct. Cyprianus *de natiuitate Christi: O Domine quàm admirabile est nomen tuum, verè tu es Deus, qui facis mirabilia. Non tam mundi huius structuram admiror, non stabilitatem terræ, cùm eam complectatur volubile firmamentum, non lunæ defectum, non solem semper integrum, & perpetuum cursum eius, non temporum vicissitudines, in quibus quædam arent, quædam virent, & quæ modo mortua videntur, demeeps reuiuiscunt; miror Deum in vtero virginis, miror omnipotentem in incunabulis, miror quomodo verbo Dei adhæserit caro, quomodo incorporeus Deus corporis nostri tegumentum induerit; miror in hac dispensatione tanti dispendia temporis, & tam lentos processus ad obedientiam Saluatoris. in breui poterat peragi negotium, & tantus labor poterat abbreuiari ad solum Christi verbum, sicut factus est mundus, & disposita cuncta ad eius imperium, in cæteris rebus quecumque modo aliqua satisfaciunt rationes, hic solus me complectitur stupor, & cum Abacuc cano,*

Cap 3. Cap 31. 22. Consideraui opera tua, & expaui : *Hæc sunt noua mira quæ prædixerat Ieremias*, Nouum faciet Dominus super terram, mulier circumdabit virum. *Opus suum faciet, & peregrinum opus eius ab eo. nouum est, & inauditum, quòd in materni ventri augustia circundedit intra se fragilis caro virtutem altiß mi, & ordinem rerum, & cursum naturæ mutauit sapientia Dei, & vbique diuinitas dilatata, sic est circundata mulieb ri vtero, cum vniuersa ambiret implens omnia, & excedens cuncta, intra se omnia continens, & extra vniuersa complectens : opus igitur suum fecit quod creauerat, saluans quod perierat, ad vitam reuocans quod mortuum erat, sed peregrinum opus fuit in Deo, quod Verbum factum est caro, quòd sanctus est visibilis, passibilis & mortalis, peregrinum à maiestate puer sugens vbera panniculis inuolutus.* Ita Sanct. Cyprian.

Ier 31.22. Hom. 2. super Missus. *Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum.* Locum istum sic expendit S. Bern. *Quæ est hæc fœmina ? quis verò iste vir ? si vir, quomodo à fœmina circumdatus est ? & vt apertius dicam : quomodo potest & simul esse vir, & in vtero matris ? hoc enim est à fœmina circundari virum. Si adesset fœmina circumdare insantem, vel fœmina circumdabit paruulum, nec mirum videretur, nec nouum. Numquid non facile tibi est intelligere fœminam virum circumdantem, cùm Mariam videas Iesum vtero suo complectentem ? Vir erat Iesus, necdum etiam natus, sapientiâ, non ætate, animi vigore, non viribus corporis, maturitate sensuum, non corpulentiâ membrorum. Neque enim minus habuit sapientiæ, vel potius non minùs fuit sapientia Iesus conceptus, quàm natus, paruus, quàm magnus. Cur denique dubitem virum fuisse in vtero, quem inibi Deum fuisse non*

Cap 7. 14. *ambigo ? minus enim est fuisse virum quàm Deum.* Ecce, inquit, *Isaias*, Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, *id est, nobiscum Deus. Ecce virum à fœmina circumdatum.* Ita S. Bernard. Sed quæres, quid nouum super terram vocat Ieremias ? numquid Deum hominem factum ? Ita quidem super omne mirabile est admirabile hoc, sed tamen ex hoc mirabili, ex hac nouitate, mira alia millia prouenerunt, ex hoc, inquam, quod B. Maria Deum ita circundederit, vt in vtero suo & circumdederit carne humana, quam filius

Ibid. à matre desumpsit. Audiamus S. Bernard. de his mirabilibus sic disserentem. *Ibi* (ait) *agnoscitur longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana : ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum lactentem, sed Angelos reficientem, vagientem, sed miseros consolantem : videas, si attendas, tristari lætitiam, pauere fiduciam, salutem pati, vitam mori. ibi cernitur tristitia lætificans, pauor confortans, passio saluans, mors viuificans, infirmitas roborans.* Ita S. Bernard.

Luc. 1. 5. Hom. 4. sup. missus. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altißimi obumbrabit tibi.* S. Bernardus. *Ac si dicat Angelus, modum illum, quo de Spiritu sancto concipies, Dei virtus & Dei sapientia Christus, sic in suo secretißimo consilio obumbrando conteget & occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur & tibi. Quid igitur à me requiris, quod in te mox experieris ? Sciens scies, & feliciter scies, sed illo doctore, quo & auctore : ego autem missus sum annunciare virginalem conceptum, non creare, nec potest doceri, nisi à donante, nec potest addisci, nisi à suscipiente.* Ita S. Bernard. Quòd si Angelus, & tantus Angelus mysterium hoc incarnationis explicare nequiuit, quantò minùs nos hebetes homunciones, & ingenio tardi ? Vnde S. Hieronymus : *Quod vsus nescivit, ignorauit ratio, mens non capit humana, hoc est per Gabrielem Archangelum Mariæ annunciatum.*

Hinc est quod in sacris literis mysterium incarnationis absolutè dicitur opus Dei, per excellentiam & antonomasiam, *Domine audiui auditum tuum, & timui. Do-*

Hab 3.1. *mine opus tuum, in medio annorum viuifica illud.* Quem locum etiam ipsi Hebræi ad Christum Dominum spectare affirmant, vti asserit S. Hieron. Domine, inquit, opus tuum; quare igitur non ait : Domine opus incar- A nationis perage, sed opus tuum ; nónne alia sunt innumerabilia opera Domini? Sunt, sed per antonomasiam, hoc inter omnia dicitur absolutè ac simpliciter opus Dei. Vnde sicut cùm dicimus absolutè Philosophum, intelligimus Aristotelem, & cùm dicimus Poëtam, Virgilium, & cùm dicimus Oratorem, Ciceronem, & cùm dicimus Apostolum, intelligimus Paulum, sic cùm dicimus opus Dei, intelligimus opus incarnationis & redemptionis.

ADDITIO.

VArias ob rationes admirabile est Incarnati Verbi Sacramentum. Primò, Quòd tot res discordes, in eo concordent : quæ disconueniebant conueniant; vti patet ex illis D. Chrysostomi verbis. *Tanta bonitatem non possimus enarrare, vt Deus indueret carnem, virtus fragilitatem, impassibilitas passionem, tota lætitia voluisset tristitiam, & vsque ad passionem Crucis venret.* Secundò, quòd assumendo naturam humanam, nil amisit B natura Diuina, testante id D. Isidoro. *Assumpsit humanitatem, non amisit diuinitatem, manens quod erat, suscipiens quod non erat.* Itemque S. Hilarius: *Erat Verbum Caro factum : non amisserat quod erat, cœperat esse quod non erat. Non de suo desisteret, sed quod nostrum erat, acceperat.* Denique S. Zeno : *Factus est quod non erat, nec tamen desijt esse quod ante erat.* Illustrat hoc ipsum clarissima solis à nube obscurati similitudine D. Ambrosius, *Vt sol cum nube tegitur, claritas eius comprimitur, non cæcatur, & lumen illud, quod toto orbe diffusum, claro splendore cuncta perfundit, paruo admodum obstando nubis includitur, non aufertur : sic & homo ille quem Dominus Iesus, id est Deus, Deique filius induit. Deum tamen in illo non intercepit, sed abscondit. Vt ergo claritas solis, cum vsque ad nostros emicat visus, sibi salua est, quia quod non videtur, infirmitatis est nostræ, quorum oculos nubium texit obscuritas : ita probat se non suo detrimento proprij latuisse fulgoris, sed carnis beneficio, cuius causâ filius Dei, filius hominis esse sustinuit.* Et idem ibidem admirabilem illam in Deo incarnato immutabilitatem his verbis exponit. *Cùm hominem induit, non statum vertit, non ordinem perdidit, non substantiam immutauit, sed exuuiæ eiusdem corporis, æterno charitatis suæ lumine illustrauit, vt ad nos per tramitem corporis eius, lux S. Spiritus, & æterna vita gratia redundaret.*

Alia in eodem hoc Mysterio mirabilia recenset D. Ambrosius alio loco. *Ex nobis accepit quod proprium offerret pro nobis, vt nos red meret ex nostro ; & quod nostrum non erat, ex suo nobis dignatus est largitate conferret : secundum naturam igitur se obtulit nostram, vt vltra nostram operaretur naturam. De nostro sacrificium, de suo præmium est. Multaque in eodem secundum naturam inuenies, & vltra naturam. Secundum conditionem enim corporis, in vtero suus natus est, lactatus est. Sed suprà conditionem Virgo concepit, Virgo generauit ; vt crederes quia Deus erat, qui innouabat naturam, & homo erat, qui secundum naturam nascebatur ex homine.*

C Cùm attentè secum expenderet Verbum sic pronobis abbreuiatum S. Franciscus de Paula, exclamabat. *O quàm magnus est Deus, & quàm paruus est homo : sed cùm Deus se fecerit parvum, vbi se ponet homo ?*

PROP. XII. *In Incarnatione resplendent attributa diuina.*

SAnct. Ioan. Damascenus lib. 3. c. 1. *Per incarnationis mysterium simul bonitas, & sapientia, & iustitia, & Dei potentia demonstratur; bonitas quidem, quia non despexit proprij plasmatis infirmitatem ; iustitia verò, quoniam homine victo, non alio quàm homine fecit vinci tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem ; sapientia verò, quoniam inuenit difficillimi pretij decentißimam solutionem ; potentia verò infinita, quia nihil est maius, quàm Deum hominem fieri.* Ita sanctus Damascenus.

PROP. XIII.

PROP XIII. *In Incarnatione Christi, Dei attributa respléndent, maximè bonitas.*

MAtth.21.cùm Christus Dominus discipulos mitteret, vt asinam & pullum ei adducerent, *Dicite*, inquit, *quia Dominus his opus habet*. Nónne Christus Dominus rerum omnium creator, & Dominus erat? quomodo ergo iumentis, aliáve re creatá potuit indigere? *Ego dixi, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, hoc est, in hoc cognoui quòd Deus tu sis, quia bonorum meorum nullam habes indigentiam. Vbi nota, quòd hic psalmus de Christo loquitur, vti S. Augustinus, & S. Hieronymus aiunt, & patet ex cap. 2. Actuum Apostolorum, vbi S. Petrus de Christo psalmum istum interpretatur. & hoc mirandum magis, quòd Christus Patri dicat, ipsum non egere operibus, & obsequijs suis. vnde S. Hieronymus ibidem: Nam vniuersa opera (inquit) quæ Dominus secundum formam serui in carne monstrauit, non Patri, sed humano generi profuerunt: bona autem Christi hæc sunt, Incarnatio, Passio, Resurrectio, & Redemptio nostra: ista Patri necessaria non sunt, sed cui? sequitur: *Sanctis qui sunt in terra eius*, &c. & hæc maxima Dei laus, & exaltatio, quòd neque operibus Christi, quæ ex deitate eius valorem habent infinitum, non indiguerit. Quòd si non his, quibus?

Dices, ad equitandum his Christus exigebat, at habet Christus hîc vtique vehicula nobiliora. Psal.67. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium*, habet Deus decem millia curruum. Alia littera sic: *Currus Dei innumerabiles*, & Psal.17. *Ascendit super Cherubim, & volauit: volauit super pennas ventorum*: qui talia vehicula habet, quomodo eget his duobus iumentis ad equitandum? Quænam sunt iumenta hæc videamus, & quomodo his Deus indigeat faciliùs inspiciemus. Orig. tract. 14. in Matth. 21. & S. Hieron. in Matth. l. 3. cap. 21. S. Hilarius in d. c. 21. Matth. can. 2. Theophyl. & alij in his iumentis peccatores intelligendos esse aiunt, neque mirum: *Homo* enim *cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, quia scilicet homo peccator quid aliud quàm cõedere, bibere, lasciuireque curat, quod iumentorum proprium est. his ergo iumentis, hoc est, peccatoribus, quomodo egeat Deus, videamus, non quidem sibi, sed ad sua nobis attributa sublimia manifestanda. Eguit enim summa Dei sapientia summâ nostrâ stultitiâ, vt hac occasione suæ sapientiæ magnitudinem declararet. hinc Apostolus Paulus: *Quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes*, hoc est, per prædicationem Euangelij, quam stultam homines stulti iudicabant: sed in hoc maximè Dei sapientia reluxit, quòd huiusmodi prædicatione, quæ inepta mundo videbatur, sapientissimè mundum ad se conuertit: sic ergo necessaria fuit nostra insipientia, vt sic Dei sapientia demonstraretur. Denique sicut Medicus eget grauibus ægrotorum infirmitatibus, vt artis suæ ac scientiæ peritiam ostendat, tantò scilicet esse maiorem, quantò maiores morbos scit sanare; sic Deus, vt sapientiam sanandi animas declararet, magnis peccatorum infirmitatibus egebat. Præterea eguit summa illa misericordia summâ nostrâ miseriâ; vt quò nobis misericordiæ, ac pietatis suæ viscera paterent: maxima autem omnium miseriarum peccatum est, &, vt ita dicam, miseria quædam infinita, quâ non solùm maior nulla alia esse potuit, verùm neque excogitari. neque enim tanta miseria est æternis ignibus cruciari, sicut vnicum tantùm mortale committere peccatum; vt igitur diuina misericordia pleniùs reluceret, eguit Deus his spiritualibus iumentis, peccatoribus scilicet, vt eorum peccata delendo, quanta esset pietas, & misericordia Dei pateret. Hinc Dauid: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam*; quid est; *secundùm magnam misericordiam?* numquid *magnam* dixit ad differentiam alicuius exiguæ misericordiæ Dei, cùm in Deo misericordia vnica, & magna, imò infinita sit? rectè *magnã misericordiam* illam appellat Dauid, quâm ad remissionem peccati sui postulabat, ad differentiam earum misericordiarum quæ circa alia damna temporalia versantur: misericordia enim ad miseriam relationem & respectum dicit: vnde quantò miseria maior, tantò misericordia potest dici maior. quamuis ergo in Deo vnica & infinita sit, respectu tamen miseriarum corporalium, vti paupertatis, infamiæ, infirmitatis & cæterorũ, potest dici, vt sic, parua: at quæ peccatum maximum omnium malorum respicit, magna merito dici valet. Rectè igitur ait, dum pro peccatis misericordiam petijt Dauid: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Vt ergo hanc magnam misericordiam manifestaret Deus hominem redimendo, & à maxima miseria hac liberando, factus est homo: sicut ergo misericors homo eget pauperibus hominibus, vt eis subueniendo misericordiam suam magnam exhibeat, sic Deus peccatoribus egebat, in quorum subuentione misericordiæ suæ specimen daret. Ps.50.1.

Præterea egebat eius clementia infinitâ nostrâ summâ in eum malitiâ & nequitiâ, vt parcendo ei, detegeretur nobis, quantò enim crimen læsæ maiestatis crimen est maius, tantò clementia regis parcentis est maior. Est autem distincta ratio malitiæ, & miseriæ in peccato, nam peccatum dicitur miseria, quia nos miseros facit, malitia verò, seu crimen, quatenus respicit Deum, in quem offensa, & crimen tendit. Cùm ergo non minus sit peccatum nostrum in ratione criminis in Deum, quàm miserię in nobis, sicut in remedio huius miseriæ magnam exhibuit misericordiam suam, sic in remissione huius criminis clementiam magnam ostentauit. Vnde Dauid: *Propter nomen tuum propitiaberis peccato meo: multum est enim.* Quid ais Dauid? veniam peccati requiris, & culpam eius aggrauas? imò extenuare potiùs debuisses: quis enim à rege veniam criminis læsæ maiestatis, postulans, dicit: Parce mihi princeps, quia maximum est crimen meum? nónne potiùs dicet: quia ignorans feci, seductus ab alijs, vel necessitate aut passione motus, & cætera? Cur igitur Dauid peccatum aggrauans, ait: *multum est enim.* Attende verba eius, *propter nomen tuum*, ait, hoc est, vt hinc nomen & famam clementissimi Dei acquiras. quasi dicat, si clementis nomen exoptas Domine, ecce adsum peccator in te, hic habes in me occasionem dilatandi nomen clementiæ tuæ; quia quantò crimen maius; tantò clementia in eum maior, & quantò clementia maior, tantò nomen clementis tuum celebrius erit. *Propter nomen tuum* ergo *propitiaberis peccato meo, multum est enim.* Egebat ergo summa Dei clementia summâ hac nostrâ malitiâ. Vnde Ecclesia in officio hebdomadis sanctæ. *O certè*, inquit, *necessarium Adæ peccatũ, quod Christi morte deletum est*: mirus loquendi modus, necessariam vocat pestimam peccati malitiam, non quatenus in se malitia est, sed quia inde clementia diuina motiuum sumpsit Incarnationis, & mortis Christi, vt sic ita clariùs, quanta sit, manifestaret. Ex quo quidem quanta sit peccati malitia colligere licet, quòd inde Deus magnam sibi gloriam acquirat, homini peccatori parcendo, sicut magnam colliges fuisse ægritudinis labem, si inde Medicus, qui ægrotum ab eo liberauit, magnam inde sibi nominis sui gloriam vindicauit; sic tanta est peccati pestis, vt nisi Dei homo facti sanguine curari nequiuerit. vnde S. Bern. *Agnosce* (inquit) *ô homo, quàm grauia sunt vulnera illa, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari.* Bernard.

Sed iam ad diuinæ bonitatis attributum veniamus. *Bonum*, ait S. Dionysius, *est sui diffusiuum*, hoc est, proprium Dyonys.

prium bonitatis est seipsam communicare: cùm ergo Deus summa ipsa bonitas sit, summè oportebat eum se communicare.

Dices, ita est, sed non deerat summo illi bono summa hæc communicatio: inter diuinas siquidem personas perfectissimè reperitur, vbi summus ille Pater vnigenito filio plenissimè totam substantiam communicauit, & rursus Pater, & Filius eandem Spiritui sancto pariter communicarunt, & communicant semper. Summa itaque communicatio in summo bono inter diuinas personas reperitur. Ita sanè: sed adhuc restat alia communicatio summa, summo bono digna: in hac enim summa sanctissimæ Trinitatis communicatione adhuc restat, quòd communicari ibi nullo modo potest; substantia enim ibi communicatur, persona verò ibi communicari nulla ratione potest: nam si persona pariter, & substantia communicaretur, nulla esset in diuina Trinitate personarū distinctio: si enim quia natura ibi communicatur, non sunt ibi tres naturæ, sed vna natura; ita si personæ communicarentur, non essent tres, sed vna; quare persona in sanctissima Trinitate prorsus incommunicabilis est ad intra. Restat ergo vt ad extra persona communicetur, ne summo bono talis communicatio desit. Hoc igitur præstitum est in admirabili Verbi Incarnatione; quando enim Verbum caro factum est, diuina Verbi Dei persona vnita fuit humanitati Christi, vnde & creaturæ communicata persona, quæ creatori communicari non poterat. in diuinis manet communicata substantia, & in humanis persona: & ita nihil in illo summo bono superest, quod non sit communicatum. O ineffabilis Dei sapientia, prudentia, & prouidentia! ô admirabilis Dei bonitas! verè Domine his opus habes, vt summa tua bonitas omnibus modis reluceret. verè si quis oculos mentis haberet, quibus hanc tantam bonitatem perfectè consideraret, continere se non posset, quin totus amore in Deum flagraret, totus præ gaudio gestiret, totus in diuinas efflueret laudes, & in admirationem tantæ bonitatis raperetur, & noctes diesque in hanc diuinæ bonitatis abyssum se immergeret totum. Væ nobis, qui sic cæcitate laboramus, vt neque attendere, vel cogitare tanta velimus.

Non quidem solius bonitatis, vel charitatis suæ specimen Deus se incarnando dedit, sed reliqua omnia eius attributa mirè relucent: in operibus alijs diuinis, vnum alterumve attributum splendere solent, in creatione scilicet Omnipotentia, quia ex nihilo aliquid facere neque Aristoteles Deo concedere voluit, adeò ingens opus est: ibi ergo omnipotentia Dei lucet maximè, cùm solo verbo cuncta creauerit. Psalm. 148. *Ipse dixit, & facta sunt.* In ordinatione causarum cæterarum rerum Sapientia, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, in gubernatione Prouidentia, in diluuio Iustitia, in remissione aliarum pœnarum, verbi gratiâ, in Ninive ciuitate illa magna & ad subuersionē ob sua delicta damnata, Misericordia: at in Incarnatione sua omnium suorum attributorum ostensionem fecit. *Hizò vna rasenna y alarde de sus attributos diuinos, y sus grandes grandezas;* bonitatis scilicet, quia plus homini sic communicauit, quā cæteris omnibus rebus in creatione; Charitas, quia *sic Deus dilexit mundum, vt filium vnigenitum daret.* quam quidem charitatem, miram Apostol vocat: *Propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos.* Omnipotentia, quia potuit hominem adeò sublimare, vt Deum faceret, quod quo pacto fieri potuit fides docet: sed ratio non attingit. Sapientia, quia in re adeò graui, cùm homo Deo satisfacere nesciret, Deus rationem, qua homo satisfaceret, adinuenit; Misericordia, quia è maxima nos miseria sic liberauit, à peccato scilicet & inferno; Iustitia, quia sic de iustitia Patri satisfecit offenso. Denique sicut in horologio priùs quam hora sonet, hæc, vel illa rota mouetur; at cùm hora sonat, omnes rotæ simul concurrunt; sic antequam Deus fieret homo, hoc vel illud attributum ostendebatur, at cùm venit hora eius, *vbi venit plenitudo temporis,* omnia simul sonant attributa.

Hinc Apostol. *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* Quid est, *exinaniuit? exinanire*, ait ibi S. Thom. *idem est, quod euacuare,* sicut euacuatur vas, cum effunditur aqua, quâ plenum erat; at Deus non ita exinaniri omnino potuit, quia non potest amittere aliquid eorum quæ habet; fed dicitur se exinaniisse, quia sicut qui exinanitur, communicat totum id quod habet; sic Deus se suaque omnia attributa in sua Incarnatione velut euacuasse, & inanisse dicitur.

Hinc S. Damascen. lib. 3. fidei orthodoxæ: *Non potest Deus maius aliquid facere, quàm Deum fieri hominem.*

Genes. 28. Iacob in Mesopotamiam pergens, requiescere volens, *tulit* (ait historia diuina) *de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo, dormuit in eodem loco,* vbi mirabilem illam vidit scalam, & Dominum innixum scalæ, dicentem illi: *Benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ:* cumque euigilasset à somno, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo & erexit in titulum. Quid est, quòd cùm dormire vellet, lapides numero plurali dicitur posuisse, postea verò, cùm surrexit, lapidem, inquit, tulit, quem supposuerat? Petr. Gal. diligens author lib. 3. de Arcanis Catholicæ veritatis, cap. 2. quandam citans authenticam traditionem ait: Iacob quidem à Deo scire optasse mysterium Incarnationis, & ob id accepisse duos lapides capiti supponendos, & dixisse: Si ex his duobus lapidibus vnus tantùm effectus fuerit, reuelatum mihi à Deo intelligam mysteriū Incarnationis. Dormiuit itaque, & in somno lapides in vnum conuersi sunt, & sic Deus illi reuelauit mysterium hoc Verbi incarnati, vbi Deus & homo in vnam conuenere personam. Obserua igitur, quod in somnis, vbi sensus ligantur, & discursus, & vsus liber cessat rationis, hoc illi manifestatum fuit, quo innuere Deus voluit mysterium Incarnationis supergredi omnino sensum, & rationem naturalem.

Receptum axioma Theologorum est ex S. Dionysio sumptum, *Bonum est sui diffusiuum,* hoc est, communicatiuum, quod inductione hac optimè probat S. Bernard. *Vide in bonitate Dei quàm benignè suprema infimis connexa sint tam amabili quàm mirabili charitate. Nihil vmbrae limo, & tamen Deus huic limo terreno vim vitalem communicauit, vt patet in arboribus, in quibus est in foliis vemstas, in floribus pulchritudo, in fructibus sapor & medicina. Nec hoc contentus, adiecit huic limo insensibilem vim, vt patet in pecoribus, quæ non solùm vitam habent vegetabilem, sicut plantæ, sed & sentiunt. Addidit autem adhuc honorare limum istum & ei vim rationalem immisit, vt in hominibus, qui non solum viuunt & sentiunt; verùm etiam discernunt inter commodum & incommodum, inter verum & falsum, inter bonum & malum. Quid vltra? voluit quoque Deus infirmora nostra abundantiori gloria sublimare, & contraxit se miseras, vt quod melius habebat, videl. cet seipsum, coniungeret limo nostro, & in vna persona sibi inuicem vnirentur Deus & limus, maiestas & infirmitas, tanta vilitas, & sublimitas tanta. nihil enim Deo sublimius, nihil vilius limo, & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, vt quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur, quidquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili quàm incomprehensibili sacramento.*

Et attende, quia sicut in illa singulari diuinitate trinitas est in personis, & vnitas in substantia: & sicut ibi persona non scindunt vnitatem substantiæ, & vnitas non minuit trinitatem: ita & hîc persona non confundit substantias, nec ipsa substantiæ personæ distinant vnitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit trinitatem, opus mirabile, opus singulare, inter omnia & super omnia opera sua: Verbum enim anima & caro in vnam conuenire personam, & hæc tria vnum,

Ioa. 3. 16.

Eph. 2. 4.

Simile.

vnum, & hoc vnum tria non confusione substantiæ, sed vnitate A
personæ. Ita S. Bernard.

Hinc contra pusillanimitatem nostram spem concipere in Deum licet, scilicet in oratione Deum, non verò nos attendentes, maiora consequi speremus, quàm pusillanimitas nostra meretur. Deus enim est quę oramus, & à quo speramus: & genus quoddam injuriæ in Deum est, non in hac bonitate de illo sentire, &c.

Prop. XIV. *In incarnatione Verbi relucet sapientia Dei.*

In lege, *Omnis res, ff. de regulis iuris*, sic habetur: *Omnis res, per quascumque causas agitur, per easdem dissoluitur.* Ita ibi. vt si, v.g. verbis quis proximum offendit, verbis ei satisfactionem adhibeat: si opere ipso pecunias ab eo furatus est, pecunias ipsas restituere debet, &c. In B
casu nostri casus multa simul acciderunt, & primam Angelus malus Euam ad hoc conuenit, vt eam induceret in peccatum: in opere incarnationis, & redemptionis, Angelus bonus missus est ad secundam Euam, Virginem scilicet Mariam, vt ei remedium annunciaret. vnde S. Chrysologus: Agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eua Angelus egerat de ruina. Ita ille. Adam causa ruinæ fuit, hic secundus Adam causa nostræ reparationis fuit: *sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Cecidit homo dum Adam voluit esse sicut Deus, releuatus est homo, dum secundus Adam, cum verè esset Deus, voluit fieri homo, ille per inobedientiam perdidit, hic autem per obedientiam genus reparauit humanum. Sic Paulus, *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam iusti constituuntur* C
multi Primus Adam in ligno peccauit, secundus Adam in ligno satisfecit: peccatum primi Adam commissum fuit in horto, passio secundi Adam, per quam satisfecit, ab horto incepit: primus Adam peccauit vigesimaquinta die Martij mensis, eadem die 25. Martij incarnatus est Christus, &c. Vnde optimè Apostolus Ioannes, *Vent filius Dei, vt dissoluat opera diaboli*: & quia, vt diximus, omnis res per quascumque agitur causas, per easdem dissoluitur, per easdem quas diabolus nostram ordinatus est damnationem, per easdem Filius Dei eas dissoluit;

Sic ars deluditur arte,
& sapientiorem se Deus, & superiorem machinationibus eius ostendit.

Prop. XV. *Incarnatio Christi amorem Dei erga nos ostendit.*

At dices: non solùm propter me, sed propter se venit, fecit, & passus est, *propter nos homines, & pro-* D
pter nostram salutem descendit de cœlis. Ita est, ita Catholica fides tenet, sed negari non potest, quòd in hoc gloriam suam, imò & potiùs gloriam suam, quàm nostram quæsierit salutem & vtilitatem; quid igitur? claudicabitne inde beneficij magnitudo? nolo iam Theologicas adhibere solutiones, & rationes, sed physicas & morales.

Seneca libro 6. de beneficijs, cap. 12. & 13. hanc mouet quæstionem. *Si quis* (ait) *suâ causâ nobis profuit, eine (inquis) debetur aliquid? dicam: sed prius diuidam quæstionem, & rem æquam ab inqua separabo. multùm enim interest, vtrum aliquis beneficium nobis det suâ causâ, an nostrâ, an suâ & nostrâ. Ille qui totus ad se spectat, & nobis prodest, quia aliter sibi prodesse non potest, eo loco mihi est, quo qui pecori suo hybernum & æstiuum pabulum prospicit, & eo loco, quo captiuos suos, vt commodiùs vaneant, pascit. Multùm (vt ait Cleanthes) à beneficio distat negotiatio. Rursus non tam iniquus, vt nihil ei debeam, qui cùm mihi vtilis esset, fuit & sibi: non enim exigo, vt sine respectu sui consulat mihi, imò etiam opto, vt beneficium mihi datum, vel magis danti profuerit, dummodo id, quod dabat, duos intuens dederit, & inter me seq, diuiserit. licet id ipse ex maiore parte possideat, si modò me in consortium admisit, ingratus sum, non solum iniustus, nisi gaudeo hoc illi profuisse, quod prodeorat mihi. Summa malignitatis est, non vocare beneficium, nisi quod dantem aliquo afficiat incommodo. non sum iniquus beneficij interpres, nec desidero illud mihi tantùm dari, sed & tibi.* Ita Seneca. Nunc igitur ad rem: si quòd sibi prospiciat benefactor, dummodo & accipienti benefacere intendat, non minuit magnitudinem beneficij; cùm filius Dei propter nos homines, & propter nostram salutem descenderit è cœlis, quid interest, quòd & gloriam suam respexerit etiam? imò & nos hoc ipsum optamus semper, vt gloria eius primum semper obtineat locum; id enim ipsa naturalis ratio poscit, nec aliter nobis à nobis nostra erat desideranda salus, neque Deum aliter operari, & pati decebat. Quid igitur minus habet hoc excellentissimum beneficiorum, quòd id in se contineat, quod ratio postulat, quod nobis optandum erat? quod Deum ipsum decebat? Vnde meritò canunt in Christi natiuitate cœlicolæ, gloriæ Dei primum dantes locum: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus*, &c.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Quantus sit amor hic, quo Deus nos amauit, vnige- *Ioan. 3. 16.*
nitum suum nobis dando, quis poterit explicare? *Sic Deus dilexit*, ait Apost. Ioannes, imò Christus ipse: sed non explicuit, quantus fuerit hic amor, quo nobis tribuit filium. *Dixò tanto, mas no dixò quanto.* Audi Apost. *Electo genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det* *Ad Eph.*
vobis secundum diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spi- *3. 14.*
ritum eius in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati, & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi. Vbi S. Ambros. dicit Apostolum loqui de charitate, quam Deus nobis exhibuit in aduentu & passione sua. Verba eius sunt: *Christi vult Apostolus nos agnoscere charitatem, quia supereminens est scientiæ humanæ dilectio Christi: quis enim potest colligere mystery huius rationem, vt & Deus homini causa homo nasceretur, & deinde pro hominibus moreretur? nunquid non charitas hæc super scientiam hominum est?* Ita S. Ambr. vnde ly *scientiæ* in dativo casu situm est, & quamuis in Græco in genitiuo ponatur, non obstat: quia apud Græcos verbum *supereminere*, casum regit genitiuum, apud nos dativum. Est ergo hæc Dei charitas in nos, vincens scientiam nostram: ergo inexplicabilis est, quis enim potest explicare quod nescit?

Ait ergo Christus Dominus ad Nicodemum: *Sic* D
Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Si ex dono amor cognoscendus venit, ex tanto hoc dono, quo Deus filium suum in saluatorem & hostiam pro peccato nostro nobis dedit; facilè magnitudo diuini erga nos amoris deduci potest. At, inquies, quantum est dedisse nobis ob nostri amorem filium? quantum donum sit hoc, interrogas? Sicut inenarrabilis est Dei amor in nos, sic & donasse nobis filium indicibile donum est. Sed pro modulo nostro indagemus illud, & videamus quantus hic amor sit, quo nos Deus Pater, & ipsemet filius amauit. sed melius est, vt sanctos hoc indagantes audiamus. Gratissima solet ea venatio esse, in qua herodij ardeam insectantur. ardeam dimisit Ioannes, dicens: *Sic Deus dilexit mundum*, sed quantùm, non explicuit, *Dixò ama nos Dios asi, que nos dió a su hijo, y dexò selo asi: però no es raçon que este asi se nos quedo asi, veamos como buelan esta garça los nebles y sacres sagrados.* S. Athan. Magnus Ecclesiæ Græcæ Doctor, *Ponamus*, ait, *magistrum* in cathedra sua discipulos docentem, v.g. astrorum cœli cursus & concursus, *Lib. de incarnatione Verbi.*
qui, vt meliùs id præstet, de cathedra descendens, di-

gito in terra cœli artificium describens, ea quæ voce A docebat, manu demonstrat. Sic Deus è cœlo docens per Prophetas suos, vel, vt verbis Apostoli mentem S.

Ad Hebr. 1. 1. Athanasij exponamus, *Multifariam, multisque modis Deus olim loquens patribus in Prophetis; nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio.* hoc est, non solùm verbis, sed etiam operibus, hoc egit. *Sic*, inquit, *Deus dilexit nos.* bene: sed longè ille ab hoc amore differt. Quòd enim magister è suggestu descendat, parum illi constat: at quòd Deus ipse ad nos, non solùm ad docendum, sed etiam venerit ad saluandum, multum supra modum. Quare non sic nos Deus dilexit, sed ampliùs multò.

Epist. 27. S. Ambros. id nobis ita explicat, *haciendo vna punta a quello del.* 4. Reg. 4. cùm Propheta Elisæus refuscitaret filium Sunamitidis, se cum puero ita commensurauit, vt posuerit oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, &c. mirum in hoc circa puerum amorem ostendens. *Sic*, igitur, ait S. Ambrosius, *Deus dilexit mundum, quòd, vt eum viuificaret, se ita commensurauit, vt non solùm manus, & os, & oculos super puerum posuerit, sed miro modo se illi adaptauerit.* B Rectè, sed non adhuc sic: nam Elisæus commensurauit se quidem cum puero, sed non fuit factus puer: Deus verò ita se cum homine commensurauit, vt factus fuerit homo.

Hom quadam depassione Christi. S. Chrysost. *Imaginare*, ait, *Regem super thronum regium considentem, qui videns exercitum suum aduersùs hostes pugnantem, & in magno periculo constitutum, equum & arma postulans, in conflictum se immittens, ibi pugnando pro suis vitam cum morte commutaret. Sic*, ait, *Deus dilexit mundum: nam videns illum cum hostibus spiritualibus pugnantem, & in tanto periculo periclitantem, in arenam descendit, & pro nobis pugnans interfectus est.* Optimè, sed non sic adhuc: quia Rex ille ex iustitia tenebatur populum suum ita defendere, vt, si opus esset, pro illo exponeret vitam: non enim est regnum propter Regem, sed Rex propter regnum. at Deus noster ad hoc ex iustitia non tenebatur, imò secundùm iustitiam nos morti addicere debebat: C sed, *cùm sit dives in misericordia*, ait Apost. *propter nimiam charitatem quâ dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos.*

Super Matth. 7. S. Hieron. Obiter tangit mutuum illum & memorabilem amorem inter illos duos amicissimos Pythagoricos, Pythiam, & Damonem, quorum alterum Dionysius Rex Siciliæ capite damnauit, qui cùm à Dionysio peteret sibi inducias temporis dari, dum ad negotia quædam pergeret componenda, & vadem ab eo exigeret Rex, vadem se pro eo alter obtulit amicus, concessit Dionysius, abijt damnatus: sed ita se fideliter gessit, vt statuto tempore ad carcerem rediret, vt amicum vadem relinqueret indemnem. Mirabatur adeò Rex horum amicorum charitatem, & fidelitatem, vt non solùm mortis sententiam reuocaret, verumetiam se in eorum amicitiam recipi postularet. Sic igitur videtur Deus mundum dilexisse, quia cùm capitali sententia esset à Deo secundùm præsentem iustitiam damnatus, D vadem se pro eo obtulit Patri. Verùm non ita quidem: nam ille pro amico se vadem & fideiussorem obtulit, certò moraliter sciens, quòd à tali periculo amicus eum liberaturus esset: at Deus pro nobis ita spospondit, ita se vadem exhibuit, vt de facto pro homine sibi moriendum esse certò sciret. Præterea illud inter amicos, hoc verò inter Deum & peccatorem, inimicum eius maximum. Vnde Apostol. *Vix pro iusto quis moritur, &c. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*, &c. non vides disparitatem?

Ad Rom. 5. 7.

Adsit S. Augustinus ingenio suo altissimo, qui, Imaginare (inquit) regem seruum ægrum habentem, quem nullo modo sanari posse asserant medici, nisi ex sanguine principis, vnicique filij Regis, balneum conficiatur, in quod ingrediatur, in quo foueatur seruus: si Rex omnem principis sanguinem fundi præciperet, quo tale balneum fieret, nonne immensum amorem Regis diceres in seruum? Talis igitur fuit Dei in hominem amor, qui, vt eum à morte liberaret, filij sui sanguinem libenter obtulit, cùm homo seruus, & Christus vnigenitus Dei filius esset. Mira comparatio, meritò exclamauit S. Gregorius dicens: *O inæstimabilis dilectio charitatis, vt seruum redimeres, filium tradidisti*, &c. Sed non adeò sic, quia Rex ille filium hominem mortalem & passibilem obtulit, Deus verò filium, Deum immortalem & impassibilem. *y assi nuestro assi aun se nos queda assi, pues que deste assi que mi ay comparacion, a que se compare, ni exemplo, con que se explique, ni razon con que se prueue.* Solùm ergo dicendum superest: *Sic Deus dilexit mundum.* Sit ille dilectus, & in sæcula benedictus, Amen.

Dices, adeò magnum hoc donum esse fatemur, vt meritò quærere valeamus, cur Deus tanto sit mundum prosecutus amore, vt pro eo filium dederit vnigenitum? Audi, refert Seneca, & Lycostenes, quòd cùm Alexander cuidam vrbem donaret, dicente eo, cui donabatur, non conuenire fortunę suæ tantum donum, *Non quare* (inquit Alexander) *quid te accipere deceat, sed quid me deceat dare.* Ita ille. Sic igitur in hoc tanto Deo dono, quo filium suum donauit nobis Deus, non quod nos merebamur, sed quod tantum decebat Deum, Dominus attendit, &c.

Finxit Claudius Minoe olim Deos bellum quoddam indixisse, & vnumquemque eorum ad propria accurrisse arma. Bromius thyrsum accepit suum, Mauorsenem, Neptunus tridentem, Iupiter fulmen, Vulcanus malleos suos, & sic reliqui omnes: sed tamen, cùm iam illi armati ad bellum procedere vellent, apparuit coram eis amor, pharetrâ, arcu, sagittisque suis armatus, quem cùm reliqui viderent diu, arma deposuerunt sua, & ab incepto desiterunt bello. quod breuiter Augerianus Poëta his versibus describit,

At cum visus amor fuit in fulgentibus armis,
Priuatur thyrso Bromius, Mars ense, tridente
Neptunus, fulmine dextra Iouis.

Quid verò nostro Deo & diuinis personis euenerit in mysterio incarnationis, hîc depictum videmus: bellum quippe indixerant aduersùs nos personæ diuinæ, at in diuinum amorem oculos conuertentes, iram, & indignationem, quàm ob peccata nostra conceperant in nos, in amorem conuerterunt, & *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, &c. filius autem omnia, quæ fecit & passus est, ob amorem in nos fecit, & passus est. Vnde S. Laurent. Iustin. inquirens, quomodo Iudæi vinculis tenere potuerunt Samsonem hunc fortissimum, & clauis cruci affigere? Respondet: *Nullum vinculum filium Dei tenere potuisset, si charitatis vinculum defuisset, nullum ferrum in cruce tenuisset, nisi charitas adfuisset.*

PROP. XVI. *Per incarnationem factus est Deus nobis propitius.*

FErũt qui de astris agunt, quòd Sol à signo Leonis ad signum Virginis transiens, clementiùs influat in terras: cùm enim regnat in signo Leonis, forti æstu & accenso quodam calore terram vrit, sicut in mense Augusto videmus; tunc enim in signo Leonis regnat sol: at in mense Septembri in signum intrans illud, quod dicitur Virginis, rigorem illum temperans, suauiùs influit. Deus in diuinis literis Leo solet nuncupari, vt patet, *Dominus de Sion rugiet*: rugire autem Leonis est, & clariùs, *Leo rugiet, quis non timebit?* &, *Vicit Leo de tribu Iuda*, & quidem ferocitatem Leonis in tempori-

Amos 3. 8.

Apoc. 5. 5.

bus

bus antiquis Deus præseferebat, ideoque Deus vltionum, & Dominus exercituum dicebatur, & comminationes illæ graues in veteri Testamento conscriptæ, & supplicia magna, quæ in peccatores adhibuit, ab origine mundi, id facilè comprobabant : sed postquam in B. Virgine cárnem assumpsit, tunc stylum & procedendi modum mutauit, & legem gratiæ amorisque condens, clementiùs in nos influit, & placatior nobis redditus, maiora dona & plures nobis gratias concedit.

A niret hoc diuinum consilium, quòd scilicet secunda Trinitatis persona fieret homo, & pauper, & pro nobis pateretur, & in patibulo crucis moreretur, &c. quis enim vnquam tale quid vel imaginari auderet?

Fuit adeò ingens beneficium huiusmodi nobis exhibitum, vt secundùm graues authores, hinc emanauerit casus, & ruina Angelorum: nam, vti docent S. Basil. serm. de inuidia, & S. Cyprianus serm. de Sapientia, & Tertullian. libr. de Patientia, Deus, cùm primùm Angelos creauit, Verbi Incarnationem eis manifestauit, quo supremus omnium Angelorum cum sequacibus suis inuidere vehementer cœpit hominis dignitatem. Quid hoc? aiebant, Deus homo, & non Deus Angelus? de homine dici aliquando poterit: homo est Deus, & de nullo Angelorum dici vnquam poterit: Angelus est Deus? quid prodest Angelum naturâ esse homine superiorem, si gratiâ huiusmodi in immensum homo angelicam omnem superet naturam? Huiusmodi in inuidiam delatus, & in superbiam elatus, *Ascendam*, inquit, *in cœlum, similis ero Altissimo*, siquidem Altissimus mihi similis effici noluit. *De aqui, como dizen, le nacio el pico al grauanço* : imò quia superbia eorum, qui Deum oderunt, ascendit semper, eâdem, quâ priùs, post suâ damnationem inuidiâ commotus, hominem tentauit, huiusmodi consilio motus, *o mal me han de andar las manos, o he de hazer, que Dios no se haga hombre.* Efficàm (inquit) hominem peccatorem, & inficiam naturam humanam: Deus autem, cùm peccatum supra modum odio prosequatur, naturam sic infectam assumere recusabit. tentauit, vicit, infecit. quamuis nihil illi profuerit malitia, & solertia sua: Deus enim sapientiâ suâ infinitâ nouit naturam mundissimam sibi parare, & ex virgine, omni culpa, etiam originali, carente, sumere carnem: at quantùm ad dæmonem attinet, tali versutiâ Incarnationem Verbi conatus est impedire.

Basil. Cyprian. Tertul.

Isa.14.14.

Vnde Sapient. 2. *Inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum*, mors scilicet corporis, & animæ, vtramque enim nobis vitam inuidit, & maximè propter Incarnationem Christi. Vide igitur quantum fit nobis exhibitum beneficium, vt tot tantique Angeli tantâ in nos inuidiâ fuerint affecti, vt æternam damnationem prope incurrerint omnes, & quamuis iam flammis addicti gehennalibus, ab inuidia desistere noluerint miseri.

Sap.2.23.

Præterea adeò ingens beneficium hoc Incarnationis quòd potiori iure, quàm Hercules columnas, &, *non plus vltra*, hic apponere potuerit Deus. vnde Genes. 22. Deus post obedientiam illam Abrahæ, qua filium suum de facto immolare decreuerat, *Quia fecisti hanc rem* (ait) *in semine tuo benedicentur omnes gentes* : quem locum exponens Apostol. ad Galat. 3. expendit verba illa: *in semine tuo Abrahæ*, inquit, *dicit æ sunt promissiones, & semini eius, non dicit & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, in semine tuo, qui est Christus.* Postquam igitur hoc illi promisit, ne vllum verbum ampliùs ad illum legimus fuisse locutum. quid ita? nunquid interrupta fuit amicitia inter Deum & Abraham? aut aliquid Abraham operatus fuit, quo à se auerteret Deum? nequaquam, sed quia, postquam illi promiserat, & confirmauerat incarnandum Verbum ex semine eius, nihil vlteriùs ampliùs poterat promitti, quasi diceret, nec tu à me amplius vales postulare, neque ampliùs. quod amplius sit, ego tibi possum exhibere. *Ne tu tienes mas que me pedir, ni yo no tengo mas, que te dar, que sea mas.*

Gen.22.18.

Gal.3.16.

Hinc cùm Ecclesia in Officio Missæ Incarnationem Verbi in Symbolo profitetur, magna cum deuotione, ac reuerentia genu flectit Sacerdos in altari, & canentes omnes in choro, ac cæteri omnes Christi fideles, cùm audiunt: *Et homo factus est*, se terræ inclinant omnes

Prop. XVII. *Per incarnationem Deus ad se omnia reduxit.*

SIc de Domino sponsa: *Manus eius tornatiles aureæ*, &c. quid est tornatiles? rotundæ. *Has manos redondas, como si fueren hechas a torno.* Id autem quod rotundum est, ad eidem punctum redit, à quo exit, vt in circulo constat. Deus autem, *Ego*, inquit, *sum α, & ω*, principium & finis. α, quia est principium omnium rerum, sicut littera α est principium in alphabeto Græco, & ω est littera finalis in eodem alphabeto. hæc tamen littera ω, est symbolum Dei sicut enim in hac littera finis redit ad initium; sic in Deo, à quo procedunt cuncta, sic cuncta ad eum redire par est. & hoc innuit sponsa, dicens, *manus eius tornatiles*. Per manus in sacris litteris opera designantur, iuxta id, *Leuani manus meas ad mandata tua quæ dilexi*; quod nos Hispani dicere solemus: *poner manos a la obra.* manus ergo Dei tornatiles sunt, quia opera, quæ ab eo procedunt, ad eum tandem reuocantur. hoc autem in mysterio Incarnationis maximè relucet: nam è manibus Dei omnia creata prodiêre: omnia autem in homine, veluti in compendio quodam, continentur. & ideo Christus Dominus hominem omnem creaturam vocauit, dum Apostolis dixit: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quod sic exponit S. Gregorius *homil. 29. in Euangelia: Omnis creatura nomine signatur homo. sunt lapides, sed nec viuunt, nec sentiunt, sunt herbæ & arbusta, viuunt quidem, dicente Apostolo,* Tu quod seminas, non viuificatur, nisi priùs moriatur. *viuunt quidem arbusta, sed non sentiunt, animalia bruta sunt, & viuunt & sentiunt, sed non discernunt. Angeli quidem sunt, & viuunt, & discernunt: omnis autem creatura aliquid habet homo, esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis: ergo iuxta aliquid omnis creatura est homo.* Ita S. Gregorius. Cùm igitur in Incarnatione sua Dominus naturam assumpserit humanam per hypostaticam vnionem cum Verbo, omnem creaturam ad se ipsum, tanquam ad proprium principium, reuocauit, & circulum fecit. sic ipse α, & ω, est, sic principium, & finis, sic manus tornatiles verè habet, dum omnia opera, quæ fecerat, per vnionem hypostaticam in se ipsum duxit, & reduxit.

Prop. XVIII. *Excellentissimum opus Dei fuit Incarnatio.*

MAgna opera Domini, *exquisita in omnes voluntates eius*, ait Dauid. Hebræa habent: *in omnes voluntates eorum*, scilicet iustorum, de quibus in præcedenti versu. Vnde relatiuum *eius*, in nostra editione referri potest ad eum, qui exquirit, & considerat huiusmodi opera. Magna igitur consideranti bene, sunt omnia opera Dei, ita vt nihil amplius desiderari possit: at inter omnia opera Dei nullum ita magno dignum nomine, sicut opus Incarnationis. Ita quidem magnum, vt si omnes mundi sapientes, tam Philosophi naturali lumine pollentes, quàm Prophetæ, & Doctores diuino & supernaturali lumine illustrati, inter se conuenirent, & consilium inter se inirent, quomodo genus humanum reparari posset, nunquam in eorum mentem ve-

nes geu u flectunt. *como quien cae en tierra no pudiendo te-* A
nerse en pie , con la carga y peso de tan grande beneficio aro-
dillan.

Dicam quod ad rem hanc maximè facit, narratque author quidam grauis : Cùm in Missa , *Et homo factus est*, diceretur, quidam stetit, nec pro more, sicut cæteri, genu flexit (sunt enim nonnulli de genere elephantum, qui etiam Deo genu flectere recusant) aderat ibi dæmon ; (adest enim, dum Sacra facimus, & audimus, vt, si iam corpus auertere à Sacro non potuit , ibi saltem animum auertat) & alapam ingentem illi irreuerenti incussit, dicens: O ingrate, audis Deum pro te hominem factum, & non te inclinas ? si pro me hoc Deus fecisset, in æternum ego me illi inclinarem. Quis non miretur hoc dæmonem præstitisse ? quid dæmoni , & reuerentiæ , ob id quòd Deus sit pro nobis homo factus, qui potiùs de huiusmodi irreuerentijs gaudere solet ? Fecit hoc quidem, aut quia Dei iussio instabat, & nihil aliud facere potuit ; aut quia, cùm intellectu magno polleat, & magnitudinem huius beneficij perci- B
piat, paci non potuit tantam in homine ruditatem , & tarditatem. Tanta igitur est huius beneficij magnitudo, vt dæmones ipsi, vel inuiti, fateantur æternâ esse reuerentia dignum. Vnde iuxta Propitiatorium duo Cherubini hinc inde astabant Exod. 25. versus vultibus in Propitiatorium se mutuò respicientes, veluti obstupefacti. Quid ibi contemplabantur ? quid tantos spiritus in huiusmodi admirationem rapere posset ? Propi-
1. Ioan. 2. tiatorium Christum Dominum præsignabat : *Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris*, vt ait B. Ioannes Apost. sicut ergo duo eximij pictores, raram alicuius imaginis videntes pulchritudinem, tacentes , & se mutuò respicientes, & caput mouentes, imaginis raritatem manifestant, sic Cherubini, &c.

Ioan. 5. Ioan. 1. *& homo factus est* ; breuis sermo , sed stupore dignus, deficiunt quidem verba ad exprimendum
Ioan. 1. 14. hoc, *Verbum caro factum*, & omnè superat eloquentiam, non dicam Demosthenis, seu Ciceronis, sed etiam An- C
gelorum : ineffabile quippe est mysterium Incarnationis. Dixi omnem superare intellectum , ita vt non solùm explicari non possit, verùm nec cogitari ; etenim priusquam fieret, cui vnquam in mentem veniret tale Dei consilium ? si alicui post peccatum Adæ dictum esset , nullum illius peccati remedium superesse, nisi Deum ipsum hominem fieri , & pro nobis pati , & in crucem tolli, quis fide humana crederet sic futurum ? excedit ergo eloquentiam , excedit humanam fidem; excedit cogitatum res ista, excedit denique omne meritum creaturæ. Quis enim hominum vel Angelorum operibus suis , quantumuis excellentibus, incarnationem Verbi poterat promereri ? Quapropter id nobis
Similes. agendum , quod de Alexandro magno eius narrat historia , qui in templo quodam Persidis laqueum quendam miris quibusdam inuolucris confectum inuenit, sub quo talis erat inscriptio : *Qui nodum istum soluerit,* D
totius Asiæ Princeps erit. Alexander igitur regnandi cupidissimus, aspexit, respexit , iterum atque iterum attentè considerans , quomodo laquei inuolucra dissoluere valeret ; cumque modum non inueniret , accipiens pugionem, laqueum interfecuit, dicens : *Tantumdem est, tanto monta cortar como desatar.* Incarnatio verbi, in qua Deus & humanitas conueniunt, tam admirabili connexione facta est , vt nodum soluere mysterij tanti impossibile prorsus sit humanæ sapientiæ : solùm igitur superest nobis pugionem fidei diuinæ arripere, & eo nodum, credendo firmiter, incidere , quia modò sufficit credere id Deum præstare potuisse , & de facto præstitisse. Tanta est huius articuli celsitudo, tantum in eo nobis præstitum beneficium , vt supra meritum nostrum , supra eloquentiam, supra intellectum & cogitatum nostrum sit, in quo ad firmandum cor sincerum sola sufficit fides. Sit Deus benedictus in sæcula.

Hinc est quòd in formatione hominis Deus ipse Gen.
voluerit lutum nostrum manibus suis diuinis contrectare, corpus formare, & in illud insufflare, & altissimo illo flatu vitam homini dare. etenim cùm reliqua creabat, non nisi *fiat* dicebat ; *fiat lux , fiat firmamentum*, Gen.
&c. At cum ad hominis formationem deueniret , non dixit *fiat homo in animani viuentem* , quamuis sufficeret hoc, *producat terra hominem* ; sicut dixit , *producat anima-*
lia viuentia, sed per se & ita speciatim hominem formauit. Cur ita ? quia hominem formabat & primum Adamum, qui secundi Adami figura erat. Cogitauit hoc Tertullian. lib. de resti. carnis dicens; *Recogita , totum Deum illic occupatum ac dedicatum, manu, sensu, opere, consilio , sapientia, prouidentia, & ipsa in primis affectatione , quâ lineamenta ducebat ; quotumque enim limus exprimebatur Christus cogitabatur homo futurus. Ita limus ille tam tot imaginem Christi induens in carne futuri , non tantum Dei opus erat, sed & pignus.* Ita Tertull. in quibus verbis illa nota , & *ipsa in primis affectatione* , id est affectu dilectionis, quo lineamenta Christi iam illic ducebat, quia videlicet, quasi pingens Christum , ibi lineamenta illa faciebat in limo. & meritò addit : *non tantum Dei opus erat , sed & pignus* nobis præstabat Christi futuri Saluatoris nostri ; ideo tam accuratè limum ineffabili consilio & modo tangebat & subigebat , & honorabat : res enim tanta tantum artificem exigebat. Tale igitur ac tantum est Incarnationis mysterium , vt tanto honore figuram illam adeò remotam & antiquam Christi, in ipso infimo luto volucrit Dei maiestas glorificare.

Prop. XIX. *Quàm digna bonitate Dei fuerit Incarnatio.*

Verbum caro factum est, Ioan 1. Cur Deus carnem nostram assumere dignatus est ? Etenim ab æterno in se habuit, quidquid ad nostram fœlicitatem , & essendi integritatem pertinebat , ita vt nihil boni vel perfectionis accrescere posset illi. Cùm ergo ab æterno sine assumptione humanitatis esset ita fælix & perfectus vt dixi , cur incarnari decreuit ? Respondet S. Thom. 3. parte q. 1. art. 1. *Vnicuique rei conuenit id quod competit ei secundum rationem propriæ naturæ , sicut homini conuenit esse rationicinari , quia hoc conuenit ei inquantum est rationalis , secundùm naturam suam ; ipsa autem natura Dei est essentia bonitatis , vt patet per Dionys. c. 1. de diuinis nominibus. vnde quidquid pertinet ad rationem boni, Deo conuenit esse ; pertinet autem ad rationem boni se aliis communicare, vt patet per eundem Dionys. c. 4. de diuinis nominibus. vnde ad rationem summi boni pertinet , quòd summo modo se creaturæ communicet : quod quidem maximè fit per hoc quòd naturam creatam sic sibi coniungit. Vnde manifestum est , quòd fuit conueniens Deum incarnari* , Ita S. Thom. Vide ad hoc S. Augustl. lib. 13. de Trinitate cap. 17. non procul à principio illius capitis . & hinc patet solutio ad propositum argumentum ; etenim non assumpsit Deus ad vnionem personæ suæ naturam humanam, vt inde accresceret ei aliqua perfectio, cùm fuerit ab æterno perfectissimus , sed vt perfectionem suam naturæ humanæ communicaret, sicut summa bonitas eius requirebat : & hæc ratio S. Thomæ probat quòd etiamsi homo peccasset, Deus nihilominus incarnatus fuisset, non vt redimeret hominem , sed vt se homini communicaret.

Et, vt ad mores nostros doctrinam hanc deriuemus, hinc constat quàm meritò dixerit Spiritus sanctus de homine auaro, Eccles. 10. *Auaro nihil est scelestius.* Quid ? nónne alia peccata maiora sunt, v.g. quæ sunt contra virtutes theologales ? sunt quidem: ergo scelestior erit qui contra eas delinquit, quàm auarus. Iansen. ideo di- Iansen.
ctum censet, tum quia *auaritia est Idolorum seruitus* , vti ait Apost. ad Ephes. 6. tum quia *est imitum omnis peccati*, sicut

sicut ait idem Apostol. 1. ad Timoth. 6. *radix omnium malorum est cupiditas.* Ita ille. Adam ergo, si præcisè sumatur auaritia in ordine ad bonum, vt bonum est præcisè, est directè maximum malum, quia de natura boni est esse communicatiuum, vt dictum est ex S. Thom. & S. Dionysio, auarus autem est, qui nullo modo est communicatiuus eorum, quæ habet, alijs, imò nec sibi, ideo dixit Ecclesiasticus, *Auaro nihil est scelestius.* A

Et eadem ratione S. Thom. 1. contra Gentes c. 93. ratione 6 ait, *Liberalitatem esse maximè propriam eius, qui bonus est, & quodammodo soli Deo conuenire, quia solus ipse se communicat, quia ipsum communicare est ei conueniens, sicut fonti bonitatis, nulla inde expectata commoditate.* Ita S. Tho. Sed vt ad institutum reuertamur, adeò naturæ nostræ honorifica & gloriosa est hæc communicatio incarnationis Christi, vt excellentior dici posset, quàm communicatio gloriæ cœlestis, quâ fit Deus hominibus beatis, & Angelis communicat, per modum obiecti proximi, tum influendo, tum etiam terminando: vnde tota illa coniunctio & communicatio Dei per seipsum dicitur accidentalis: at verò in mysterio incarnationis, ita Verbum diuinum communicat se naturæ humanæ, vt verè & substantialiter se illi vniat, vti docet Pater doctor Franciscus Suarez in commentario primi articuli totius tertiæ partis. vnde meritò dicit S. Augustinus. lib. de prædest. Sanct. c. 15. *tanta & tam excellens est hæc humanæ naturæ subuectio, vt quò attollatur altius non habeat.* Ita S. Augustinus. B

Denique fuit hæc communicatio incarnationis quasi complementum totius communicationis, quæ Deum & eius bonitatem decebat: communicauit Pater *ad intra* diuinam naturam Filio & Pater cum Filio Spiritui sancto: at personæ diuinæ *ad intra* communicabiles erant; igitur, ne incommunicata omnino remaneret persona diuina per incarnationem communicata est persona verbi naturæ humanæ, per assumptionem ad personam verbi; natura igitur diuina communicata est *ad intra* personis, persona verò naturæ humanæ *ad extra*, ita vt iam desiderari nequeat à Deo communicatio Dei in se amplius; per creationem autem ac productionem ac conseruationem creaturarum communicauit bona sua, bit bonitas eius in sæcula benedicta. Adde communicationem gratiæ & gloriæ. Rursus S. Thom. 3. p. q. 1. art. 1. *Ad rationem boni pertinet vt se alijs communicet, vt patet per Dionysium c. 4. de diuinis nominibus. Vnde ad rationem summi boni pertinet, quod summo modo se communicet creaturæ: quod quidem maxime fit cum naturam creatam sic sibi coniungit, vt vna persona fiat ex tribus verbo, anima, & carne, sicut dicit* Augustinus. 12. de trinit. c. 17. Ita S. Thom. C

At dices inconueniens esse videtur, quòd Dei magnitudo in vnius humanitatis includatur angustijs. Respondet S. Thom. ibidem ad vltimum: *Deus non mole, sed virtute magnus est, vnde magnitudo virtutis eius nullas in angusto sentit angustias, neque est incredibile, si verbum hominis transiens simul audiatur à multis & à singulis totum; quòd verbum Dei permanens simul vbique sit totum: vnde nullum inconueniens sequitur verbo Dei incarnato.* Ita S. Thom. D

Prop. XX. *Per Incarnationem Deus magnitudinem misericordiæ suæ manifestauit.*

Secundùm altitudinem cœli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se. Licèt hoc vniuersaliter dici possit de diuina misericordia, specialiter tamen verificari potest in magna Dei misericordia, in assumptione humanitatis nostræ. vt aliqui adnotarunt, ostenderat sæpe Deus in mundo misericordiam suam, nimirum quia *miserationes eius super omnia opera eius*: sed comparatione illius misericordiæ, quam incarnando exhibuit, reliquæ antecedentes, velut debiles extiterant, & imbecilles. Corroborauit ergo per incarnationem suam, & mirificauit super nos misericordiam suam. Vbi notandum est, quòd in Hebræo originali pro *corroborauit*, ponitur verbum *geber*, quod violentiam sonat: fuit igitur misericordia illa, quam in assumptione carnis humanæ nobis exhibuit Deus, misericordia quædam adeò fortis, vt violenta dici possit, sicut & amor violentus: quia omnes, quæ interponebantur, difficultates superauit, illas, inquam, quas homines suis iniquitatibus & sceleribus opponebant, quæ ex se maximè tanto & tam gratuito beneficio nimium obstabant. corroborauit ergo tunc misericordiam suam Deus, quatenus tot tantaque flagitia mundi non possent tantam pietatem impedire, sed potiùs pietas & misericordia Dei omnium peccatorum demeritis restitit, & omnia impedimenta deduxit. In cuius explicationem similitudinem illam cœli appositè, quasi dicat, sicut nullæ mutationes, quæ in terra & in vniuersa actiuorum & passiuorum sphæra fiunt, perueniunt ad altitudinem cœlorum, quin potiùs cœli secundùm altitudinem & distantiam à terra, firmi & stabiles in sua firmitate & immutabilitate perseverant, quantumcunque inferiora immutentur & perturbentur; ita diuina pietas, & amor Dei erga nos, in suo robore & perseuerante determinatione perduraüit, nec ob scelera hominum, & malitiam dæmonum subijt mutationem. adeò excelsa & eminens est, & plusquam cœlum à terra sublimis diuina misericordia super omnem malitiam nostram. Dicatur igitur Deus *geber*, hoc est. violentus in Incarnatione sua: quia corroborauit tunc misericordiam & amorem suum in nos. Vnde S. Bernard. Itáne (inquit) *summus omnium vnus factus est omnium? quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, & quatione diues, affectu potens, suasu efficax: quid violentius? triumphat de Deo amor. quæ est ista vis tam violenta ad victoriam?* Ita ille. Pondera illa verba *vis tam violenta ad victoriam*: amor enim Dei erga nos violentus fuit in eo, quòd ita Deum humanauit, & in eo etiam, quòd omnia impedimenta, & difficultates, quæ ex demeritis magnis hominum promanabant, superauit. Quare iure ait Dauid, *secundum altitudinem cœli à terra corroborauit misericordiam suam*: pari enim passu hîc misericordia & amor currunt. C

Serm. 24. in Cant.

Prop. XXI. *Quomodo per Incarnationem suam Deus Iustitiæ & misericordiæ suæ simul satisfecit, concordans eas.*

Misericordia & iustitia diuina in causa nostræ reparationis, oppositæ inter se videbantur, dum misericordia absolutionem à culpa, iustitia verò punitionem propter culpam, exigere videbatur. Quod eleganter prosequitur Sanctus Bernardus serm. 1. de Annuntiatione Domini. Sed in summa iustitia iustitiam exigebat, ne delicta mancant impunita. *Iustus Dominus, & iustitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius*; æquitas autem poscit, vt pro mensura delicti, sit & punitionis modus; qui ergo contra omnipotentem roboratus est, omnimodam meretur pœnam, scilicet apud inferos æternam. Si ergo in quauis republica bene institutus iudices secundùm regulas iustitiæ fontes punire debent, Deus, qui essentialiter iustus est, iustitiam in hominem non præstabit? Misericordia verò sic: *Nunquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira misericordias suas? Nunquid in æternum proijciet Deus, aut non apponet, vt complacitior sit adhuc.* Si sic cum homine agendum erat, *melius ei erat, si natus non fuisset homo ille.* Magnum Domine peccatum eius, sed maior est misericordia tua. Miserere igitur eius Deus secundum magnam misericordiam tuam. Secundùm iustitiam quidem, æternam meretur pœnam, sed misericordia tua super omnia opera tua. Sit igitur & super opera iustitiæ, quantò peccatum

Bernard.

Ps. 102.

Ps. 76. 10.

Ps. 10. 8.

Matt. 26. 24.

eius grauius, tantò etiam maior erit gloria misericordiæ tuæ. Propter nomen tuum ergo propitiaberis peccato eius, multum est enim.

Quid igitur ad hæc iustus, & misericors Deus? Misericordiam, inquit, & iustitiam erga hominem exhibebo, vt iustitiæ, & misericordiæ pariter satisfaciam. Verbum caro fiat, & fiet vtrumque: caro enim factum poterit pro peccatis satisfacere ex iustitia, quia satisfactio culpæ, est pœna: carnem autem assumens in carne poterit pœnas & mortem subire. satisfactum sic erit & misericordiæ meæ, quia quæ maior homini à Deo misericordia poterit adhiberi, quàm quòd Deus pœnis suis pro homine satisfaciat, qui pro se satisfacere nequibat? sic iustitiæ, ac misericordiæ meæ satisfactum est perfectissimè, dum pro crimine læsæ maiestatis diuinæ, maiestas ipsa diuina morte sua satisfaciet ex iustitia. O altitudo diuini consilij! ô misericordiæ miraculum stupendum! ô iustitiæ seuerissimum iudicium! Verè sic satisfactum est misericordiæ diuinæ, quia misericordia est remedium miseriæ alterius adhibere; quænam verò miseria maior, quàm peccatum? excedit in infinitum miseria peccati reliquas omnes mundi miserias quantùm offensa Dei maius malum est, quàm reliquæ nostræ miseriæ. imò maior est miseria peccati, quàm inferni cruciatus, quia talis cruciatus malum ipsius creaturæ est purè: at verò peccatum malum creaturæ est, &, vt ita dicamus, malum creatoris, quatenus contra eum tendit, & eius est offensa, & iniuria. Non ita igitur misereretur Deus nostri, si ab ipsis inferni cruciatibus liberaret, quàm nos à peccato liberando: quare hæc magna Dei misericordia in sacris literis nuncupatur, vti in Psal. 50. *Miserere mei Deus* (ait Dauid) *secundùm magnam misericordiam tuam.* Cur *magnam* dicit? nunquid ad differentiam exiguæ misericordiæ id asseruit? Ita, quia cùm misericordia respectum ad miseriam dicat, tantò maior dici potest misericordia, quantò miseria, à qua liberat, fuerit maior. vnde misericordia, quâ nos liberat ab infirmitate, & paupertate, & alijs vitæ necessitatibus, morte etiã ipsa, parua misericordia dici posset, quatenus omnia temporalia exigua sunt, bona scilicet, & mala: at miseria peccati adeò grauis est, vt grauior nequeat cogitari; infinita est, quia quantò persona iniuria affecta sublimior est, tantò grauior est iniuria. Iniuria facta Sacerdoti magna est, quia magna dignitas sacerdotij; facta verò Episcopo maior, quia Sacerdos Episcopus maiorem habet dignitatem, quàm simplex Sacerdos: at facta summo Pontifici, grauissima, quia dignissima persona est; ergo facta Deo, infinita est, quia infinita est dignitas Dei, & in infinitum excedens reliquas dignitates: ergo peccatum infinitum malum est ex illa parte. Misericordia ergo, quæ huiusmodi malo remedium adfert, verè magna dici potest. Eapropter ergo meritò ait Dauid: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam*: misericordia ergo Dei redimentis genus humanum, infinita misericordia est: at modus miserendi misericordiam istam auget in immensum: hìc se ipsum Deus excessit; misericordia enim, quæ misericordem miserijs ipsius miseri inuoluit, admiranda misericordia est. Magna quidem misericordia est diuitem diuitijs suis pauperi, & infirmo subuenire; at diuitias omnes pauperi dare, & paupertatem eius, & infirmitatem, & vilitatem sibi assumere, hæc admirabilis misericordia est. Hac igitur vsus est Deus, cùm carnem pro nobis assumere dignatus fuit. *Cùm enim diues* omnimodè *esset, egenus pro nobis factus est, vt nos eius inop. a diuites essemus*: & ita egenus quidem effectus est, vt non haberet vbi caput suum reclinaret. Item mortem nostram assumpsit; vt mortem moriendo destrueret, & vitam resurgendo repararet &c. potuitne sublimiùs diuinæ satisfieri misericordiæ?

Iustitiæ verò nónne plenissimè ac perfectissimè satisfactum fuit? Rogo, si Deus homines cunctos pro suis peccatis ad æternos inferi cruciatus damnasset, itáne de peccatis eorum vindictam sumpsisset, ac modò de facto sumpsit, cùm filius eius pro illis incarnatus, passus, & mortuus est? denique neque Dei intellectus rigorem maiorem iustitiæ, quo sibi satisfactum esset, potuit excogitare, quia nihil Deo maius, nihil satisfactione ipsius maius. denique sicut misericordia hæc est infinita, ita & iustitia infinita.

Hinc S. Dauid: *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi; iustitia, & pax osculatæ sunt.* Vbi Nicol. de Lira, quia scilicet misericordia & veritas conuenerunt in persona Christi, quia ex Dei misericordia Verbum assumpsit carnem ad complendam veritatem promissionis factæ Patribus veteris Testamenti in Incarnatione filij Dei, subdit: *Iustitia & pax osculatæ sunt.* Vbi S. Hieron. idem, ait, est hìc, quod misericordia. Misericordia igitur, & iustitia in Christo osculatæ sunt: iam nulla inter eas controuersia, conuenerunt in vnum, quamuis nulla cesserit iuri suo. Deus enim omnipotens, & omnispiens medium tale adinuenit, vt quæ opposita exigere viderentur, remissionem scilicet & punitionem, eas miro modo fecerit conuenire. Iustitia igitur, & misericordia osculatæ sunt; nos verò misericordiam, & iudicium cantabimus Domino, & præcipuè misericordias eius cantabimus in æternum, quia in tempore non sufficiemus, imò neque in æternum. Sit ille in sæcula benedictus.

Prop. XXII. *Quomodo per Incarnationem Christus datus est nobis.*

Isai. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Magnam vim & emphasim habet pronomen illud *nobis*, & non semel dictum, sed iterum repetitum. Quod ponderans S. Bern. hom. 3. *super missus est*, ait: *Nobis datus, nobis natus, non sibi, qui vtique ante tempora multo nobiliùs natus ex patre, nasci temporaliter non indigebat ex matre: non Angelis quoque, qui cùm illum magnum iam haberent, paruulum non requirebant; nobis ergo natus, nobis datus, quia nobis necessarius.* Ita ille. Cùm igitur nobis datus sit, videamus, quæ sit vtilitas in aduentu eius. S. Bernard. ibidem: *Vt nos faceret magnos, ipse factus est paruulus.* Ita ille. Magnificauit igitur facere nobiscum: magnitudo autem nostra ex eo est, vt nos efficeret filios Dei, factus est filius hominis, qui verè est filius Dei, vt tu fieres filius Dei, qui es filius hominis. Ecce quare datus & natus sit nobis, nobis, inquam, qui puluis & cinis sumus: nobis, inquam, qui peccatores & inimici eius eramus, denique nobis, qui nonsolùm sic extolli digni non eramus, sed insuper æternam damnationem merebamur. Sit ille in sæcula benedictus.

Præterea nobis natus & datus est, in præceptorem scilicet & magistrum, qui doceret nos, non Physicam seu Metaphysicam, sed sanctitatem vitæ & omnimodam perfectionem. Isai. 55. *Ecce* (ait æternus Pater) *testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. testem*, inquit, Septuaginta interpretum translatio habet, *testimonium gentibus dedi eum.* Quonam pacto Christus testis, seu testimonium est? August. in Psal. 118. con. 6. in illa verba. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum*, ait, viam hanc testimoniorum, Christum esse, qui testimonia Dei sunt, inquit, quibus quantùm nos diligat nobis probare dignatur: commendat enim Deus charitatem suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Ita ille. Etenim verbis amoris Dei in nos, testis fuit Christus dicens: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, Ioan. 3. & factis etiam: *commendat* enim *charitatem suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, ipse pro nobis mortuus est*, vt ait Apostol. ad Rom. 5. Quæ quidem

quidem magna nobis consolatio est. quid enim felicius, quàm sic diligi à Deo? *qui enim proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia cum illo nobis donauit?* Vti asserit idem Paulus. A

Præterea præceptorem talem se quidem esse affirmat & confirmat Christus, dicens: *Vos vocatis me, magister, & bene dicitis. sum etenim.* Ioan. 13. Ipse enim docuit nos salutis viam. Isai. 30. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Manifestauit autem Christus viam hanc caelestem, vt iam vel idiotæ & rudes facilè eam & norint, & per eam incedere valeant, sicut ipsemet Isaias prædixit c. 35. agens de Ecclesia Christi, & dicens: *Erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita vt stulti non errent per eam.* Aurea verba & considerationedigna, quæ sic facilè explicat Liranus. *Erit ibi semita quantum ad obseruationem consiliorum, & via quantum ad obseruationem mandatorum.* Ita ille. sicut enim semita strictior & laboriosior est quàm via communis, sic etiam iter per consilia Euangelica difficilius est, quàm via communis mandatorum. Et subdit: Via sancta vocabitur, quia sanctitatis via est; vnde non transibit, inquit, per eam pollutus: polluti hîc dicuntur, qui per immaculatam sanctitatis viam non incedunt, quæ ad cœlum ducit, sed per viam maculatam delictorum, quæ ad infernum tendit. subdit Isaias: *& hæc erit vobis directa via, ita vt stulti non errent per eam.* Liranus, hoc est, directa via peruenienti ad beatitudinem, ita vt stulti, id est simplices, & illiterati sciant eam. Vnde Augusst. cùm legisset vitam sancti Antonij monachi simplicis dixit: Simplices & illiterati rapiunt cœlum, & nos cùm litteris nostris trahimur ad infernum. Ita Liranus. Docuit autem nos Christus, non solum verbis, sed etiam factis, & exemplis, vnde postquam Apostolis dixit, *sum etenim magister vester*, subdidit, *exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*, hoc est, non sum vester magister, vt solùm me audiatis; neque vt solùm videatis opera mea, & admiremini; verùm etiam vt, sicut ego feci, & vos faciatis; non enim doctrina mea speculatiua tantùm est, sed practica etiam; ad hoc igitur Christus datus & natus est nobis. B C

Vnde concludens S. Bernard. in dicta hom. 3. ait: *Studeamus ergo effici sicut paruulus iste; discamus ab ipso, quia mitis est & humilis corde; amplectamur eius dilectionẽ, & communicemus passionibus eius, ne magnus Deus sine causa factus sit paruus homo, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus.* Ita sanctus Bernardus.

Prop. XXIII. *Christus aduentu suo pacem cùm Patre nobis reconciliauit.*

HOc ex ipsis Angelis, pacem hominibus nunciantibus, nouimus, & maximè ex illis verbis Luc. 2. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax*, &c. Quid cum militia cantus? si videres sacerdotes, & religiosos arma gestantes, ingentis belli signum coniectares: sic è conuerso cùm militiam ipsam cœlestem canentem, & pacem annuntiantem audimus, abundantiam pacis oportet concipiamus, pacem, inquam, cùm Deo; cuius inimici ex peccato eramus, & quantò inimicitia huiusmodi perniciosior, tantò pax ista pretiosior est, &c. D

Prop. XXIV. *Christi Incarnatio nostram conciliat amicitiam.*

SImilitudo (vti sapiens quidam asseruit) est causa amoris. Vnde Ecclesiasticus: *Omne animal diligit sibi simile, & sic omnis homo proximum sibi.* Ob hanc igitur rationem Deus, qui amor per essentiam suam est, cùm amare & amari simul ab homine vellet, eum ad imaginem, & similitudinem suam creauit, & statim amicitiam cum eo contraxit, & charitatem supernaturalem ei tribuit: homo verò (dæmone interueniente) in Deum peccauit, & ita charitatem & amicitiam illam amisit, & similitudinem illam Dei, quæ veluti fundamentum amoris erat Dei in illum, & ipsius in Deum, obduxit, & obliteratuit. Deus autem iterum amicitiam hominis optans, similitudinem, quæ, vti diximus, velut causa seu fundamentum amoris & amicitiæ est, reparare decreuit, miro quodam artificio ac modo: in hominis quidem formatione, hominem ad imaginem & similitudinem suam fecit, in reformatione ipse Dei filius ad similitudinem nostram factus est homo. S. Augusst. obseruatio ista est serm. 4. de natiuitate Domini, *Ab initio*, inquit, *virent, & quæ modo mortua videntur, deinceps reuiuiscunt; miror Deum in vtero virginis, miror omnipotentem in incunabulis, miror quomodo verbo Dei adhæserit caro, quomodo incorporeus Deus corporis nostri tegumentum induerit; miror in hac dispensatione tanti dispendia temporis, & tam lentos processus ad obedientiam Saluatoris. In breui poterat peragi negotium, & tantus labor poterat abbreuiari ad solum Christi verbum, sicut factus est mundus, & disposita cuncta ad eius imperium. In cæteris rebus quocumque modo aliquæ satisfaciunt rationes, hîc solus me complectitur stupor, & cum Abacuc cano,* Consideraui opera tua, & expaui: *Hæc sunt noua mira quæ prædixerat Ieremias*, Nouum faciet Dominus super terram, mulier circumdabit virum. *Opus suum faciet, & peregrinum opus eius ab eo, nouum est & inauditum, quòd in materni vteri angustia circumdedit intra se fragilis caro virtutem altissimi, & ordinem rerum, & cursum naturæ mutauit sapientia Dei & vbique diuinitas dilatata, sic est circumdata muliebri vtero, cùm vniuersa ambiret implens omnia, & excedens cuncta, intra se omnia continens, & extra vniuersa complectens. Opus igitur suum fecit quod creauerat, & saluans quod perierat, ad vitam reuocans quod mortuum erat. sed peregrinum opus fuit in Deo, quòd Verbum factum est caro, quod factus est visibilis, passibilis & mortalis. Peregrinum à maiestate puer sugens vbera panniculis inuolutus.* Ita Sanct. Augustinus. *Eccl. 13. 19.* *Cap. 3.* *Cap. 31. 22.*

Prop. XXV. *Quàm ingentes diuitias attulerit nobis aduentus Christi.*

SAnctus Bernard. serm. 1. in vigil. Natiuitatis Christi ponderans verba huius vigiliæ in eius Kalenda, *Iesus Christus filius Dei nascitur in Bethlehem Iudæ*, singula verba expendens, maximè illa tria priora, *Iesus Christus filius Dei*, sic ait: *Ecce Dominus venit cum salute, venit cum vnctione, venit cum gloria; neque enim sine salute Iesus, neque sine vnctione Christus, neque sine gloria venit filius Dei; siquidem ipse salus, ipse vnctio, ipse gloria. Respirate ergo perditi, venit enim Iesus saluum facere quod perierat; morbidi conualescite, venit enim Christus qui contritos corde sanat vnctione misericordiæ suæ; exultate quicumque estis grandia concupiscentes, descendit enim ad vos filius Dei; vt regni sui faciat coheredes. Hæc tria, dilectissimi, sapit mihi quod audio nasci Iesum Christum filium Dei.* Ita Sanctus Bernardus. *S. Bern.*

Nos igitur modò hæc tria maxima beneficia expendamus; nos enim plenè respiciunt, quæ quidem tribus quibus maximè egebamus respondent. Indigebamus enim primò remissione peccatorum: ò quanta hæc indigentia! ponderet qui rectè nouit qui sit in pecca-

peccato & sine gratia esse; essene potest miseria maior? A
In huius igitur remedium venit Iesus, hoc enim im-
Matt. 1. 25. portat hoc nomen, dicente Angelo ad Ioseph: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Secundò per peccatum manfit in nobis debilitas, & infirmitas magna cordis, propter vehementes appetitus passionesque; mittat vnusquisque nostrum manum in sinum suum, & qualis sit lepra interior ipse testetur. In huius mali antidotum venit Christus: Christus enim vnctum significat.: vnctione igitur spiritus sui sanat omnes infirmitates nostras. Tandem post remissionem peccati, post sanationem passionum, æternâ egebamus gloriâ, hanc secum attulit nobis filius Dei, qui potens est depositum nostrum seruare in illum diem, &c. Hæc tria sunt de quibus & pro quibus Dauid Psal. 102. ingentes gratias referebat,
Psal. 102. 1. dicens: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Quænam sunt B
hæ retributiones? Subdit: *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui coronat te in misericordia & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum*; in gloria scilicet quam spero; ecce tria hæc immensa beneficia, quæ Christus attulit nobis. Noli ergo tu obliuisci retributiones tantas.
Gen. 3. 14 Genes. 3. sic Dominus ad serpentem, *maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ.* Obserua quàm aliter Deus cum homine peccante se gessit: non ei, sicut
Ibid 17. serpenti, maledixit, sed dixit, *maledicta terra in opere tuo.* Sicut enim pius Pater, qui virgâ minatur percutere filium, & tamen non filium sed terram percutit; sic etiam Deus pius hominis Pater, non ipsum, sed terram maledicens cædit, dicens, *maledicta terra in opere tuo:* & quidem tunc homo propter peccatum suum maledictione dignus erat. Cur igitur non ei personaliter maledixit? Oleaster ibi sic respondet: Nouerat omnipotens Deus quòd aliquando esset naturam humanam C
assumpturus, ideoque maledicere eam noluit. Ita ille. vide quot sæculis antecedentibus Deus mysterio Incarnationis suæ detulerit honorem.

PROP. XXVI. *Quàm eximium Dei in nos beneficium fuerit, pro nobis carnem assumere.*

Leo. SAnctus Leo Papa. hom. 9. de Natiuitate Christi, Excedit (inquit) *multumque supereminet humani eloquij facultatē diuini operis huius magnitudo, & inde oritur difficultas fandi, vnde adest ratio nō tacendi.* Ita ille. Et ratio dicti huius est, quia ratio loquendi est magnitudo beneficij nobis exhibiti, & ex eadem magnitudine beneficij oritur
Psal. 105. 2. Isa. 53. 8. difficultas loquendi. *Quis enim loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* &, vti ait Isaias: *Generationem eius quis enarrabit?* quod non de sola generatione D
æterna, verùm etiam de temporali esse intelligendum, vidit, & litteram hanc subscriptam: Qui soluerit laqueum istum, totius Asiæ dominus erit. Voluit igitur nodum istum soluere, aspexit, animaduertit, & iterum atque iterum considerauit, quonam pacto eum soluere posset; sed nec initium, nec finem reperiens, nec normam, quâ illum soluere, reperiret, manu pugionem suam arripuit, & laqueum abscidit, dicens: Idem est, *Tanto monta cortar como desatar*, sic modò caret intellectus nostер digitis, quibus soluere laqueum istum hominis Dei soluere possit, sed fidei pugione, si non digitis soluimus, abscindamus, & dissoluimus, *con la fee cortemos y acortemos, que tanto monta.* Vnde S. Leo Pap. hom. 9. de *Leo.* Natiuitate Domini, *vtramque substantiam in vnam conuenisse personam, nisi fides credat, non expl cat sermo.* Imò nobis plus interest credere quam intelligere modo in via, quod in patria visuri sumus: quia hi *c beati qui non vide-* *Ioan. 20.* *runt, & crediderunt.*

rentiam caput aperire, corpus inclinare, genua flectere, & alia huiusmodi congruere videbantur, at soluere calceamenta, cur ita? Audi Deut. 25. lege Moysi cautum erat, vt qui vxorem fratris demortui ducere nollet, eius calceamentum solueretur. vnde calcei solutio, cedere iuri suo importabat. Nunc ad rem; habet quidem ius homo ad inuestigandum intellectu, quod percipit sensu: ad hoc enim nobis à natura sunt insiti sensus, vt per eorum administrationem rem percipiat intellectus; cùm igitur Moyses rubum ardentem non comburi videret, intelligere non immeritò volebat, quod sensu percipiebat. Vadam, & videbo, id est, vt ita telligam rem hanc, at solue, inquit Deus, calceamentum. hoc est cede iuri tuo; mysterium enim hoc superat omnem intellectum. Videbis oculis, sed non percipies mente.

Hinc S. Ioan. Baptista, cùm interrogatus fuisset an esset Christus, se non esse Christum respondit, imòneque dignum, vt soluere corrigiam calceamenti eius. qui superficietenus responsum huiusmodi considerauerit, humilitatis actum esse dicet, & nihil amplius: at humilitatis quidem responsum fuit, sed aliquid etiam amplius. S. Greg. Papa. hom. 7. in Euang. sic: *Quis inquit) nesciat, quòd calceamenta ex mortuis animalibus sunt. incarnatus verò Dominus veniens, quasi calceatus apparuit, quia in diuinitate sua morticina nostræ corruptionis assumpsit. Vnde etiam per Prophetam dicit:* In Idumæam extendam calceamentum meum: *per Idumæam enim Gentilitas, per calceamentum verò assumpta mortalitas designatur. In Idumæam ergò Dominus calceamentum suum se extendere asserit, quia dum per carnem Gentibus innotuit, quasi calceata ad nos diuinitas ait; sed huius Incarnationis mysterium humanus oculus penetrare non sufficit; inuestigari enim nullatenus potest, quomodo incarnatur Verbum, quomodo summus, & viuificator spiritus intra vterum matris animatur, quomodo is, qui initium non habet, concipitur. Corrigia ergo calceamenti est ligatura mysterij: Ioannes itaque soluere corrigiam calceamenti eius non valet, quia Incarnationis mysterium nec ipse inuestigare sufficit, qui hoc per spiritum prophetiæ cognouit. Quid est ergo dicere:* Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius, *nisi apertè & humiliter suam ignorantiam profiteri? ac si patenter dicat: Quid mirum, si ille mihi prælatus est, quem post me quidem considero natum, sed natiuitatis eius mysterium non apprehendo.* Ita S. Gregorius. Quòd si Ioannes, qui ad hoc natus fuit, vt testimonium huius veritatis perhiberet, *Fuit*, inquit, *homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes, hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine*, &c. si is (inquam) mysterium Incarnationis, & Natiuitatis Christi ignoraut, cuius nostrûm mentem non excedet?

Quid igitur nobis faciendum est? Audi, vidistine aliquando laqueum depictum cum hac subscriptione, *Tanto monta*, nosti originem huius? dicam. Cùm Alexander Apollinis templum fuisset ingressus, laqueum quendam mille modis implicatum, & complicatum

Sed

Sed inde forsitan doles, quòd intelligere hoc perce- A
ptum beneficium non possis; imò inde gaudere potiùs debes, quia plus tibi datum est, quàm intelligere possis. Dicito mihi, si tanta tibi pecunia daretur, quòd eam numerare non valeres, doleres ne? imò inde gauderes, quod tanta tibi data sit, vt eam non valeas numerare: sic tibi datus est Christus. *Nobis* enim *datus, nobis natus ex intacta virgine. Puer natus est nobis.* Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, &c. si tibi datus, inde tibi lætandum est, quod donantium adeò ingens sit, vt nec humanus nec angelicus intellectus illud assequi possit. Vnde sanctus Leo ibidem: *Gaudeamus igitur quòd ad eloquendum tantæ misericordiæ sacramentum impares sumus, & cùm salutis nostræ altitudinem promere non valeamus, sentiamus nobis bonum esse, quòd vincimur.* Ita ille.

Sic igitur ille benedictus in fœcula, quia plus nobis carnem assumendo dedit, non solùm quàm nos meremur, verùm quàm intelligamus, superans non solùm meritum, sed intellectum. *Ha excedido aqui, no solo nuestro merisimiento, sinò tambien nuestro entendimiento.*

Ioan. 3. Christus Dominus Nicodemo: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* hoc est, in- B
tantum dilexit, vt in finem porrexerit amorem, donando nobis, quod maximum in se est, filium scilicet suum. Magnum quidem donum est remissio peccatorum; sic enim nos ab æterno liberat inferni cruciatu: sed maius quidem est suam nobis gratiam conferre, quia gratiâ diuinæ efficimur consortes naturæ. Sublimius est dare nobis gloriam, quia est gratia consummata, & beatitudo nostra, sed sublimius est multò, hypostaticè nostræ naturæ vnitam dedisse personam diuinam Verbi. hinc ascende vlteriùs, si vales.

Vnde Paulus: *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo cum illo non omnia nobis donauit?* non ait: donabit de futuro, sed de præterito; quia in Christo sunt omnes thesauri Dei, & in eo habemus dona Dei naturalia, & supernaturalia, remissionem, gratiam, & gloriam; quia per Christum iam datum hæc omnia dabuntur ineffabiliter nobis, si Christum quis non amiserit culpâ suâ. C

Hinc Christus Dominus Samaritanæ de se loquens: *O mulier si scires donum Dei, & quis est qui loquitur tecum:* donum Dei absolutè dixit, quia in hoc dono quid non donatum?

Osee. 2. *Ego lactabo eam, & ducam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Apostolus ad Rom. 9. exponit locum hunc de Ecclesia Christi. *Lactabo*, inquit, *ego eam.* quid est, *lactabo eam?* hoc intelliges ex illo Isaiæ 60. *Suges lac Gentium, & mammillâ regum lactaberis*; hoc est, bonis & diuitijs magnis, & regno Gentilium potieris: est enim lac in nutrice subtilior pars sanguinis, & corporis eius: vnde lac regum promittere populo suo, idem est, quòd, altiora bona illi offerre, sic hic: Lactabo ego eam lacte, non regum, sed mammillarum mearum, hoc est, dabo ei sublimia bona, sanguinem scilicet filij mei, & corpus, & vitam, & mortem, & merita eius: denique filium ip- D
sum, quia *sic Deus dilexit mundum*, &c. Vbi aduerte, quòd Septuaginta ibi legunt, non *ego lactabo eam*, sed, *seducam eam*; quid est, *seducam eam?* quid cum lactatione seductio? aut quomodo potest Deus seducere quemquam? O quàm bona seductio ista! quippe Dei seductio nostra est eruditio. *Engannos de Dios son desengannos nuestros.* Vides aliquem ludo nimis esse addictum, ducis eum aliò, prætextu aliquo illi conuenienti, seduxisti eum, sed in bonum illi. Videt nos Deus auiditate nimia mundi huius appetere bona, adducit nos ad se dono isto ineffabili filij sui, exemplisque, ac promissionibus Christi seducit nos, sed in bonum nobis. Vnde Sanctus Bernardus: *Propter hoc Verbum carne vestiri voluit, vt homines, qui nihil nisi carnalia sapiebant, mirare in carne delitias inuenirent.* Ita ille. Quo quidem Deus clauum clauo pellit, delitias mundi delitijs humanitatis suæ, sic seducit seductor ille, amator diuinus, &c.

Quis non Dominum sic amantem redamabit? *si amare nolebas*, vti ait Augustinus, *redamare cur detrectas?* Osee. 11. *In funiculis Adam*, vbi Septuaginta, *in funiculis hominis, traham eos, in vinculis charitatis.* vincula charitatis vincula hominis dicit, quia trahitur homo amore, taurus fune, homo dilectione. *Augustin. Osee. 11. 4.*

Sic etiam Ezech. 20. *Subijciam vos sceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis*, hoc est, pacis & charitatis. Qui huiusmodi vinculis non trahitur, non homo, sed fera est. Quòd si amore trahimur, quo potiùs amore, quàm Christi, qui pro nobis homo factus est, vt nos faceret filios Dei? Quis autem in Deum peccare poterit, postquam sic nos dilexit, vt filium suum nobis vnigenitum daret? quid solicitanti Ægyptiæ respondit Ioseph, Gen. 39. *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* hoc est, hîc duo mala contemplor, alterum est malum facere contra Dominum meum, cui seruio; alterum verò in Deum meum, cui magis seruire debeo, & ex toto corde meo amare, cur ita? quia Dominus meus me valde amat: cuius signum est, quòd omnia bona sua meæ commiserit fidelitati: in Deum præterea peccare non valeo, quia creator meus est, vnde maluit, se mortis periculo tradere, quàm peccare. Quòd si amor Domini Ægyptij sic deuinctum tenebat Ioseph, amore Dei, qui creator est, quid nos facere oportet, quos ita deuinctos tenet charitas illa immensa, quâ nobis filium suum vnigenitum dedit? Si Ioseph, quia Deum, vt creatorem amabat, in eum peccare renuit, quid nos facere conuenit, qui iam Deum non solùm creatorem, sed redemptorem habemus? *In funiculis ergo hominis traham eos*, vbi Rupertus, Deum ait promittere mundo Incarnationem filij sui. Paraphrasis Chaldaica sic legit: *Sicut moris est trahere filios dilectione, sic traham eos fortitudine charitatis.* sic Chaldaicus, & meritò: nam *fortis est vt mors dilectio.* *Gen. 39. 9.* *Rupert.* *Cant. 8. 6.*

Multifariam multisque modis olim Deus ad se homines trahere studuit, sed parum proficiebat: vnde Dominus, *Quid*, inquit, *faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda?* quasi dicat, *Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci?* quid Domine? fiat caro Verbum tuum, & facilè hominum, eorum, inquam, qui homines sunt, lucraberis corda. Vnde S. Ambrosius explicat verba illa ad Phil. 2. *Qui cùm in forma Dei esset*, &c. *Quanta fecerat Dominus, & non flexi genua, sed postquam se humiliauit, genua flexi.* Ita ille. Et hæc quidem consideratio in primitiua Ecclesia populos è ciuitatibus in deserta ducebat; vbi soli Deo amando vacarent. Nam, vt ait S. Hieronym. *Recens Christi sanguis feruebat in cordibus eorum*, quia omnis feruor huiusmodi ad debitum diuinæ dilectioni feruorem, & amorem non pertingit; imò Seraphicus amor inferior multùm maneret. *Osee. 6. 4.* *Isa. 5. 4.* *Ambr. Phil. 2. 6* *Hieron.*

Quare meritò Dauid: *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.* vbi Cassiodorus, & S. Augustinus, *in excessu*, hoc est, in ecstasi, quæ contemplatio diuinarum excellens est. quasi diceret Dauid, cùm superficietenus considero Sanctorum opera, miror feruorem illorum, & magnû in Deum amorem; at cùm mente excedo, & rectè, quantùm Deum diligere debeamus, contemplor, omnem hominem mendacem, hoc est, deficientem ab eo, quem in Deum amorem habere debeat, iudico. Quòd si Deum, vtcumque consideratum, sic amare debemus; quid secundùm quod nobis filium suum in redemptorem dedit? *Psal. 115. 11.* *Cassiod. August.*

4. Reg. 4. cùm Elisæus se cum puero metiretur, caro pueri calefacta est, & vitam miraculosè recepit mortuus, quod mysterium illud præ se tulit? notum est, Incarnationem Domini illa coniunctio præfigurabat: nam, cum se hominem fecit, cum puero ita se coniunxit, vt puer factus sit. Ad hæc, cum homine coniunctio hominem mortuum ad vitam reuocauit, & calefacta *4. Reg. 4. 34.*

est caro pueri, quia homines, qui in primo parente (vti pueri) amore pomi ceciderunt & fruguerunt, calefacti nimiùm sunt, diuini scilicet amoris calore; sicut in Sanctis constat. Quòd si in alijs, cur non in omnibus nobis? nunquid pro illis tantùm Deus factus est homo?

Simile. Quid est, quòd Ecclesia, cùm Christum Dominum deprecatur, per mysteria redemptionis petit? *Per mysterium,* inquit, *Incarnationis tuæ, per Natiuitatem tuam, per crucē & passionem tuā:* nónne enim ista Deus misericorditer pro nobis effecit? quis vnquam pro beneficijs sibi, & alijs exhibitis eum deprecatur? Dedit tibi rex officium aliquod honorificum, & diuitias multas simul cum cœlo, nunquid si aliquid aliud ab eo obtinere desideras, dices: Domine per beneficium illud, quod mihi diebus præteritis, & per diuitias, quas mihi dedisti, da mihi modò hoc, vel illud? imò propter hoc non debes tu petere, neque ille dare; quia satis tibi iam tribuit, obsequia quidem à te illi exhibita repræsentare debes, non accepta beneficia. *En los memoriales del Rey, no se ponen los beneficios recividos, sino los seruicios hechos.* Ita est: sed beneficia illa, quæ nobis præstitit Christus Dominus, quamuis merita Christi sunt, nostra reputantur: nimirum quia Christus Dominus no-
Isa. 9.6. bis datus, nobis natus. sic Isaias: *Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis;* ergo si Christus noster iam est, & Incarnatio eius, & natiuitas, & passio eius nostra est, obsequium eius pro nobis Patri oblatum, nostrum est, merita sua nostra sunt. igitur non immeritò Ecclesia per Incarnationem, natiuitatem, passionem & crucem, tanquam per obsequia, si non propria, saltem appropriata, petere alia beneficia potest. Hinc ergo constat quantum fuerit beneficium, Deum pro nobis nasci, & pati, &c. siquidem tam excelsa, & sublimia beneficia Christi, cuius sunt propria, ita sunt nobis appropriata, vt per ipsa Deum ita obsecrari ad alia obtinenda valeamus.

Heb. 2. 16. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Obserua verbum *apprehendit*, apprehendere, propriè loquendo, est, cùm quis fugere volentem capit. Verbi gratiâ, fugit seruus, insequitur eum dominus, consequitur, apprehendit eum, vt reducat eum, etiam renitentem, & inuitum. Non igitur ait Apostolus, assumpsit hominem, sed apprehendit, ad modum serui fugitiui: sic enim ait Sanct. Gregor. *Carnem Deus assumens, fugitiui sui vestigia sequebatur.* Ita ille. Et meritò fugitiuum dicit hominem, amens enim cæcus homo ita à Deo fugiebat, vt nullis Prophetarum clamoribus voluerit à cœpto erroris itinere reuocari, ideo Dominus ipse in carne veniens, insequitur, & apprehendit fugientem. Sic, dum humanitatem assumpsit, hominem fugientem apprehendit, & quasi per vim ad se reduxit, hoc est, adeò excellens fuit beneficium Incarnationis, vt eo non solùm hominem deuinctum sibi teneat, sed quasi violenter eum sibi faciat deseruire, se amare, ac sequi: apprehendit humanitatem, apprehendit & fu-
Cant. 1.3. gientes nos.

Ibid. v. 1. Vnde Cant. 1. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Agebat sponsa de Incarnatione Verbi sub illis verbis, *Osculetur me osculo oris sui*, &c. & tunc subdit, *Trahe me post te*, id est, sic carnem assumendo, non solùm attrahes dulcedine tua, sed etiam trahes, quasi per vim, & adeò fortiter, vt non solùm sequamur, sed curramus post te in odorem tanti beneficij, &c. Ea igitur, quæ Christus Dominus in carne pro nobis gessit, ac passus est, nos, quantumuis à Deo fugientes, ita reuocant, & quasi violenter id efficiunt, propter eximiam charitatem, quæ in eis relucet, & propterea quòd in se immensa beneficia sint: nam dicere solemus: *Qui beneficia meunit, catenas inuenit.*

Postquam Christus Dominus ad nos venit, & pro nobis nasci, & mori dignatus est, facilis iam ad Patrem patet accessus, facili negotio veniam per Christum impetrabis: *Nam copiosa apud eum redemptio, &c.*

Luc. 2. in natiuitate Christi, *Facta*, inquit, *est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis exercitus laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus.* Quid hoc? multitudo exercitus cælestis ad canendum canticum gloriæ descendit? cur non, inquit, chorus Angelorum? chori enim proprium est canere, non verò exercitus. Cùm igitur in cœlo chori Angelorum, & exercitus Angelorum sint, non sub nomine exercitus, sed chori, mittendus videbatur; sed tamen non potuit sublimiùs id explicari. quod Dauid optimè explicuit Psalm. 71. *Orietur in diebus iustitia & abundantia pacis.* Iustitiam, fidem Christianam, quæ perfectam continet iustitiam, explicauit Lira. Potest etiam intelligi iustitia, quâ iusti sunt iusti: hæc enim maximè floruit in Christi aduentu. *& abundantia pacis*, quasi dicat, quia tunc orietur abundantia pacis inter Deum, & homines: loi-
B qui enim de diebus Christi Prophetam, omnes fatentur. quanta verò fuerit hæc abundantia pacis, recte cantus ille exercitus cœlestis annunciauit. Die enim mihi, si videres in aliqua prouincia, non solùm sæculares homines, sed etiam clericos, sacerdotes, & religiosos, & monachos omnes arma gestare, quid diceres. quid sentires? Magnus iste belli est apparatus, Mars hic sanguinolentus apparet. E conuerso autem, si videres non solùm ciues, sed etiam milites omnes, depositis armis, lyris, & citharis, & alijs musicis instrumentis omnibus, canere & psallere tripudiantes, quid assereres? Hîc summa est pax; siquidem milites etiam cantibus, & musicæ vacant. Sic igitur, vt quanta fuerit temporis gratiæ pax inter Deum, & homines, manifestiùs constaret, & iam esse ortam in ortu Christi abundantiam pacis, ideo *facta* (inquit) *est multitudo cœlestis*, non chori, sed *exercitus laudantium*, &c. vnde cantici litera id confirmat: aiunt enim; *Et in terra pax, &c.*

C Non immeritò vocatum est nomen eius *Iesus*, à redemptione nostra nomen accipientis. Habebat quidem & alias honorificas appellationes, quales illæ illius sunt apud Isaiam, *admirabilis, consiliarius*, &c. sed his omnibus omissis vocatum est nomẽ eius *Iesus*. Cur ita? quia inter omnia Dei opera hoc primum obtinet locum, ita vt nec totius Orbis creatio, nec conseruatio, nec gubernatio, quamuis Orbis nomine, etiam Angelos comprehendas, huic valeant comparari.

Quòd si huius sublimitatis rationem quæras, distantiam personæ redimentis ab ipso redemptionis opere; attende, id præmittens, quòd qui priùs gustauit dulcia, amariora illi postea sunt amara, & qui priùs in excelsa dignitate fuerat constitutus, magis postea sentit humilia, & qui priùs diues, postea factus est pauper, magis torquetur inopiâ, quàm reliqui pauperes ab initio, &c.

D *El que nunca solio de la mano el arado del campo, mas facilmente sufre el remo de la galera, y el que siempre anduuo mantenido de çenteno y dormiendo en poyos, y siruiendo de peon, menos siente la esclauitud, y que le hechen en vna taberna a molercibera al fin de vn mal grande a otro mayor, no ay mucha distancia: y assi no le siente mucho el que de vno passa a otro; però el se criò toda su vida la sombra comiendo algunques y melindres, no es mucho que los haga, y que sienta mucho passar de la cama blanda y del pluma a ser galeote, &c.* Quis igitur hîc non miretur diuinam Christi dignationem, qui *cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ Patris, & imago bonitatis illius, qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, in similitudinem hominum factus, habituque inuentus vt homo, serui formam accepit*, in stabulum se receperit, & in præsepio passus sit reclinari, vbi lachrymas fundat, vbi frigore crucietur, vbi ab omnibus despici facilè possit, vbi manus, & pedes eius stricta cingat fascia. *No hizo mucho vn Dios tan essento de males, ponerse de golpe a tantos.* Ille ditissimus ad talem

talem ac tantam paupertatem deueniat, vt nec vbi na- A
scatur habeat? ille qui supra Cherubim adoratur, inter bestias iaceat in loco vilissimo; qui in paradisi delitijs versatus ab æterno, pœnas sustineat, quas nec nos, nec patres nostri, qui semper in eis versati sumus, nunquam portare potuimus? nónne opus hoc opus est brachij diuini? nónne *fecit potentiam in brachio suo?* Me-
9. ritò igitur clamat Isaias: *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini*: fortitudo enim brachij omnipotentis tantummodo id efficere posset. Meritò etiam ad hoc, non Michael, non Raphael, non Vriel, non alius, quàm Gabriel nuntius Incarnationis aduenit, qui fortitudo Domini interpretatur, vt magnitudinem operis significaret. quid enim omnipotentiâ Dei dignius, quàm ita extrema infinitè distantia copulare? Deum scilicet, & hominem, cœlos & terram, omnipotentiam & debilitatem, Deum & lacrymas, Deum & paupertatem, Deum & stabulum, Deum & præsepe, Deum & pannos, Verbum denique & infantiam. Vide propositionem 18.

B Sanctus Patriarcha Iacob, morti iam proximus, adorationem quandam consideratione dignam exhibuit. Textus verba expendamus: *Cùm* (Iacob) *appropinquare* (inquit) *cerneret diem mortis sue, vocauit filium suum Ioseph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo, & facies mihi misericordiam, & veritatem, vt non sepelias me in Ægypto, &c. quo iurante, adorauit Israel Deum, conuersus ad lectuli caput.* Quid sibi vult conuersio hæc ad lectuli caput ad Deum adorandum? si templum ibi aliquod adhæreret, non mirum: hoc enim Ezechias etiam fecit, cùm ad orandum Deum, in lecto existens, ad parietem conuersus fuit, quia ibi templum Domini situm erat: at in capite lectuli Iacob quid adorauit? S. Augustinus, magnum hac in re odoratus est mysterium. Similiter & S. Chrysost. Procopius autem id accuratiùs venatur. Sed Apo-
4. stolus Paulus id nobis clariùs aperuit, dicens: *Fide Iacob,* C *moriens, singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius.* Erat igitur ad lectuli caput virga Ioseph, & adorauit tunc Iacob fastigium illius: erat enim Ioseph totius Ægypti præses & gubernator, & ideo virgam iudiciariam manu gestabat, quid autem in cacumine illius virgæ erat, quod Iacob adorauit? id nobis sanctus Isaias explanasse videtur, dum dicit: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, &c.* Per virgam debere B. Mariam intelligi, affirmant S. Chrysost. & Aug. & alij; florem verò Christum Dominum interpretantur ibidem S. Augustinus & S. Chrysost. S. Ambros.
1. Tertul. & alij. Hinc igitur constat quid adumbrauerit virga illa, quam adorauit Iacob, scilicet sanctam Mariam Virginem, summitatem autem adorauit, quia ibi flos noster Christus Dominus continebatur. Adorauit igitur Iacob tunc temporis Christum, in flore tamen. Ecce mysterium, nos Christiani adoramus eum, non in flore, sed in fructu, dicentes: *Benedicta tu in mulieribus,* D *& benedictus fructus ventris tui.* at patres antiqui adorauerunt in flore: flos autem initium est fructus, & eius spes. in spe adorauerunt illi, nos in re. Obserua distantiam, illi habuerunt florem, nos fructum, illi vmbram (*lex enim vmbram habens futurorum bonorum, &c.*) nos corpus, illi figuram, nos figuratum, illi promissum, nos complementum, illi denique spem, nos possessionem. *Iuxta fidem* (ait Apost.) *defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutantes.* Imaginare nautas quosdam in mari naufragium longè à portu patientes, qui, dum ad portum peruenire nequeunt, eum à longè salutant, nimio illius flagrantes desiderio. Sic patres antiqui, & Patriarchæ, Christum maximo affectu desiderantes, à longè fide & spe eum prospicientes, salutarunt, & tanquam florem odorauerunt, & adorauerunt: non autem viderunt; nos ve-

ro adoramus Christum iam fructum præstitum nobis. Sit ille benedictus in sæcula. quidni incarnationem & aduentum eius totis viribus celebremus? Cùm primùm Troiani oras Italiæ videre, cœperunt, vti refert Virgilius, lætis clamoribus gaudium exprimere: sic enim Virgilius:

Cùm procul obscuros colles, humilemque videmus
Italiam, Italiam primus conclamat Achates:
Italiam socij læto clamore salutant.

Cùm igitur Orbis Christum Dominum tanto desiderio expectaret, vt ideo *desideratus cunctis gentibus* Cap 11. 2.
diceretur, & nos existentem nobiscum videamus, clamemus omnes, quod Isaias: *Ecce Deus Saluator meus, &c.*

S. Chrysost. *Beatus Paulus mortem Domini Saluatoris,* Lib 2. de
quæ pro vniuerso expensa est mundo, sibi soli præstitam dicit, compūct.
& quasi de se solo loquens, ita scribit: Quod enim nunc vi- cordis.
uo in carne, in fide viuo filij Dei, qui tradidit semetip- Gal. 2. 20.
sum pro me: *hæc autem dicebat, non coangustate volens am-*
B *plissimæ, & per orbem terrarum diffusa munera Christi, sed*
quasi pro omnibus se solum iud caret obnoxium. Et reuera quid
interest, si Deus præstitit aliis, cùm quæ tibi præstita sunt, ita
sint integra, & perfecta, quasi aliis præstita non essent? ideo-
que in parabola illa pastoris non dicitur, quia venit oues multas
quærere, sed vnam: vna est enim, quia sic omnibus, quasi
vni, diuina hæc beneficia conseruntur. Ita Sanctus Chrysostomus.

Item S. Chrysost. *Cùm iam totus orbis peccati tyrannide* Lib 1. de
premeretur, & cum extrema iam luenda pœna esset, cùm de- prouiden-
lendum ob peccata totum mortalium genus, & ipsum homi- tia Dei.
num nomen, tunc maximum omnium beneficium, & clemen-
tiam ostendit Deus, vnigenitum suum pro inimicis, pro alienatis à se, pro auersantibus se, morti tradens, & per mortem re-
conciliationem operans, cælorumque regnum, & vitam æter-
nam, & alia innumera bona nobis se daturum spondens, quæ
nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascende-
C *runt. Quid igitur huic dispensationi, huic bonitati comparari*
potest? propterea & ipse dicebat: Sicut exaltantur cœli à Isai. 55.
terra, tantùm distant viæ meæ à vijs vestris, & cogita- 9.
tiones meæ à cogitationibus vestris. *Dauid quoque mi-*
tissimus, cùm de clementia illius loqueretur, aiebat: Secun- Psal. 102.
dùm altitudinem cœli à terra corroborauit Dominus 11.
misericordiam suam super timentes se. Quantùm distat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo misereatur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: *Quod non comparans dixit: quæ enim humana clementia diuinæ bonitati conferri possit? sed quia exemplum summæ affectionis nullum nos nouimus maius, quàm patris ad filios. Nisi fortasis Isaias maius*
aliquid docuit, qui matris potius exemplo vsus est, quæ erga na-
tos suos longè misericordius afficitur, quam pater. Dixit enim: Isai. 49.
Numquid obliuiscetur mulier infantuli sui, vt non 15.
misereatur filio veteri sui? Sed si illa eius fuerit obli-
ta, ego tamen tui non obliuiscar, dicit Dominus: *ostendens Dei misericordiam omnes affectus naturales longissimè excedere. Et Propheta quidem sic: Ipse autem Dei filius, cùm Iudæis loqueretur, aiebat:* Si autem vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis Pater vester cœlestis dabit bona petentibus se? *tantam esse diuinæ prouidentiæ, & gubernationis paternæ differentiam interest, quantùm mihi profectò aliud per ista significans, nisi inter bonos & malos.* Ita S. Chrysost.

Prop. XXVII. *In Incarnatione Christi sublimata est natura humana.*

Et *homo factus est.* Verte & conuerte propositionis extrema: nam ex diuina incarnatione per legitimam consequentiam inuersionem admittunt. Si enim Deus factus est homo, ergo homo factus est Deus; si Deus enim descendit vt esset homo, homo ad hoc ascendit vt sit Deus: quid de homine sublimius dici po-

test? huiusmodi sequitur de homine dici posse, Domi- A
num illum esse omnium rerum. sicut cum Esther regi
Assuero nupsit, quæ antea pauper & captiua Hebræa
mulier erat, facta est suprema omnium Reginarum:
vnde si quæreres, cuius est regia ista Assueri? respon-
derent tibi, Reginæ Esther. cuius hæc curia? Reginæ
Esther. cuius Persarum excelsum imperium? Reginæ
Esther, &c. Sic etiam, quamuis natura humana prius
paupercula erat, & miserabilis, postquam eam assumpsit
Deus, rerum omnium homo Dominus factus est. Vnde
si quæreres, cuius est cœlum? hominis signando Chri-
stum, cuius terra & omnia, quæ in terra & cœlo sunt?
hominis, cuius vitæ mortisque imperium? hominis,
cuius omnium Angelorum principatus? hominis. Vn-
de hoc illi? ex hoc quòd Deus factus est homo, &c.
huc vsque homo imago Dei erat, nunc vero Deus
ipse.

Prop. XXVIII. *Incarnatus est Christus, vt in sponsam acciperet sibi Ecclesiam* B *nostram.*

Cap. 5. 32. APostolus ad Ephesios, de amore agens, quo spon-
sus prosequi sponsam debeat, ita vt propter eam
relinquat homo patrem & matrem, subdit: *Sacramen-
tum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*
Ibidem. 10. Ioan 16. 28. Dices, quomodo Christus propter Ecclesiam suam re-
liquit patrem & matrem? Respondet S. Thomas: Re-
liquit Christus Patrem, inquantum missus est in mun-
dum, & incarnatus, secundùm illud: *Exiui à Patre, & ve-
ni in mundum*, & reliquit matrem suam, nempe Synago-
Ier. 12. gam, iuxta illud, *Reliqui domum meam, & dimisi hæreditа-
Matt. vlt.* *tem meam.* adhæsit Ecclesiæ suæ, sicut dixit: *Ecce vobis-
cum sum omnibus diebus, &c.*

Tract 8. in Ioan. Sed tamen quàm felices in hoc matrimonio Chri-
sti fuerimus, optimè ponderauit S. Augustus. *Habet* (in-
quit) *Christus sponsam, quam redemit sanguine suo, & cui
pignus dedit Spiritum sanctum. erubescat eam de mancipatu diabo-* C
*li, mortuus est propter delicta eius, & resurrexit propter iusti-
ficationem eius. Quis offerat tanta sponsæ suæ? offerant homi-
nes qualibet ornamenta terrarum, aurum, argentum, lapides
pretiosos, equos, mancipia, fundos, prædia: nunquid aliquis offe-
ret sanguinem suum? Dominus autem moriens dedit sanguи-
nem suum pro ea.* Ita Sanctus Augustinus.

Prop. XXIX. *Per Incarnationem Christi data est nobis potestas vt simus Filij Dei.*

Ioan 1. 12. QVotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem
filios Dei fieri, &c. & subdit, *& Verbum caro factum
est.* Vbi S. Chrysost. & Theophylactus affirmant sumi,
&, pro quia, hoc est, eò quòd Verbum caro factum est,
inde data est nobis potestas, vt filij Dei esse possimus,
hæc omnis felicitas nostra, hæc thesaurorum Christi
summa, &c. Eramus naturâ filij iræ, sed iam, Chri-
sto immensas gratias, factum est per incarnatum Chri- D
stum, vt filij Dei nominemur, & simus. Videte qua-
lem charitatem dedit nobis Pater ait S. Ioannes Apo-
stol. *Esta charidad es digna de ser vista de espacio y con-
siderada con atencion*; serui esse Dei digni non sumus,
& Filij Dei nuncupamur, & sumus? vnde nobis hoc?
ex Incarnatione Verbi diuini, quia Verbum caro fa-
ctum est.

Prop. XXX. *Per Incarnationem Deus dux no-bis in cœlum factus est.*

Isai. 55. 4. ECce testem in populis dedi eum; ducem ac præceptorem
gentibus. S. Hieron. de Christo Domino asserit
Prophetam hoc affirmare in persona Patris æterni, &
satis hoc ex contextu constat: ait ergo Christum testem
esse, quia diuini erga nos amoris sufficiens testimo- A
nium perhibet eius incarnatio. Vnde ipse Christus
Sic, ait, *Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum de-
ret.* Septuaginta sic legunt: *Ecce testimonium in gen-
dedi eum*, quia scilicet non solùm testis ipse fuit amo
Dei in nos, id verbis prædicando, sed etiam tacendo
ipsemet homo factus maximum testimonium fuit di-
cti amoris: in quo enim sublimiùs manifestari pote
quàm quòd propter nos homines & propter nostram
salutem descendit de cœlis, crucifixus etiam pro o-
bis, passus & sepultus est? iam non egemus testim
Sanctorum, nec Prophetarum: nam ipse satis supe
de se testimonium sic perhibuit. Vnde meritò au
ter: *Ecce testem dedi eum.* Secundò, ducem ac præcep
rem: præceptorem verbis, ducem exemplis. Vtrum
mirabile, vtrumque maximè nobis necessarium
quippe mundus algebat, vt non solùm docer
ci eum oporteret. Mouent quidem plurimùm
diuina, sed exempla cogunt: ait enim Psalmista, Ex
*Domine in præcepto quod mandasti, & synagoga popul
circumdabit te.* Eusebius, S. Hier. & S. August. de Chr
Domino locum istum interpretantur. Quid igitur
Exurge Domine in præcepto, quod mandasti? S. Augusti
id est, *quia humilitatem præcepisti, humilis & tu appare
tu prior imple, quod præcepisti, vt exemplo tuo vincentes
bam, à diabolo non possideantur: & synagoga populorum
cumdabit te, quia per Christi humilitatem credentium mu
tudo, ita eum circumdedit, vt verissimè diceretur: Cæcit
parte in Israel facta est, vt plenitudo gentium intraret.* Ita
Augustinus. Potest autem latiùs explicari illud
bum, *Præceptum*, hoc est: Eia Domine veni, & o
quæ nobis facienda præcipis, tu priùs fac, & sic m
tudo populorum, tuo exemplo deuincta, circumda
& sequetur te.

Sed dices: nónne satis fuisset Moysen, aut A
ham, aut vnum ex Prophetis nobis in ducem dari
hoc rectè S. August. *Homo sequendus non erat, qui
poterat: Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Vt
exhiberetur hominis, & qui videretur ab homine, & quem ho
mo sequeretur, Deus factus est homo.* Ita S. Augusti
quem ad hoc ipsum refert S. Thom dicens: hanc
ex rationibus esse, ob quam voluit Deus incarnari. Ra
tio igitur in hoc consistit. Egebat homo duce aliqu
qui exemplis suis, non solùm doceret, sed induceret
eum ad rectè sanctèque viuendum: ad hoc autem lo-
mo purus nequaquam sufficere videbatur, tum quia
homo naturâ suâ fragilis & defectuosus est, tum qu
de rectitudine ducatus nequaquam essent homines
curi & certi, tum quia qui alios regit, altioris ordi
esse debet. Vnde Plato ait, quòd sicut oues, non ab
bus, sed ad homine duci debent, qui habet superiorem
conditionem; sic etiam homo ab habente superiorem
intellectum, quàm homo habet, regi debet. Deus igitur
ad hoc aptissimus erat: sed Deus videri non poterat,
quod ad ducendum nos visibilibus exemplis necessa-
rium erat: ideò ergo factus est visibilis homo, & non so-
lùm docuit verbis, sed etiam suasit exemplis: *Cœpit
enim facere & docere*, &c.

Prop. XXXI. *Quàm vtilis sit diuina Incarna-tio ad excitandum amorem nostrum in Deum.*

AD hoc homo creatus fuit, vt Deum ex toto cor-
de amaret: cuius quidem amoris innumera sunt
obstacula in mundo post originale peccatum, & in-
riùs caro ipsa plurimùm obstat, & dæmones suis tem-
tationibus & conatibus nihil aliud curant & procu-
rant, nisi quomodo amorem nostrum à Creatore trans-
ferant in creaturas: id enim ex odio, quod in Deum
habent, optant vt Deus scilicet à nullo ametur. Deus
autem, qui bonitas ipsa est, se amari à nobis optat, &
mandat: id enim & ratio ipsa, & saluatio nostra requi-
rit: amor

rit: amor autem amore generatur, sicut calore calor, & igne ignis. Amor ignis spiritualis est, amore igitur facilè extorquemus amorem. Vnde Seneca, *Frustra quæris maleficas ad amorem, ostendam tibi maleficium potens; ama, & amaberis.* Vt igitur nostrum in se amorem inflammaret, oportuit amorem suum erga nos exhibere: exhibitionem autem huiusmodi per aliquam exteriorem demonstrationem fieri oportebat. Nam licèt Deus amore quodam infinito amaret nos, amor iste latebat: vt igitur amore digno quidem Deo nostrum accenderet amorem, voluit incarnari, & pro nobis pati, & mori, vt ita amor eius in nos constaret, & amorem nostrum in eum excitaret.

A

At dices: Nónne satis per nostri creationem, & mundi, cuius hominem principem fecit, satis superque suum in nos amorem manifestarat? Quid opus erat incarnari? Respondetur primò, quòd summum illum amatorem, summum à nobis exigentem amorem, summam sui amoris ostensionem facere oportebat summa autem amoris ostensio est pro dilecto mori, secundùm illud ipsius Christi Domini: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* vnde cùm aliquis nostrum probare, & augere dilectionem alicuius vult: pro me, inquit, moreretur ille, si oporteret. Decuit igitur perfectissimum illum amatorem, tali probandi dilectionem ratione, & facto tali vti de facto.

B

Præterea non decebat infinitam Dei charitatem, & Deum, qui essentialiter charitas est, talem homini inungere charitatem, qualem ipse non præstaret: ad magisterij enim dignitatem pertinet, nihil aliis iniungere, quod non ipse priùs opere quàm verbo doceat. vnde Paulus: *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Christus.* Vbi S. Thom. & S. Chrysost. non solùm loqui, aiunt Apostolum, de miraculis, sed etiam de operibus sanctis: vnde cùm Deus à nobis requirat dilectionem vsque ad mortem, ita vt pro dilectione diuina mori debeamus, quando id postulauerit ratio, & occasio, & item pro inimicis nostris, si opus & ratio id exegerit; oportebat Deum talem nobis dilectionem exhibere opere, & facto, quo magisterium suum penitus condecoraret, ac perficeret. omnino, alioquin daretur hæc perfectio dilectionis in homine, quæ eodem modo non daretur in Deo, mori scilicet pro Deo, & pro hominibus, & inimicis. Vnde Paulus: *Vix pro iusto quis moritur. nam pro bono forsitan quis audeat mori? Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Decuit igitur vt ille, qui à nobis diligi vult vsque ad mortem, & in hoc perfectionem dilectionis nostræ collocauit, & eam nos Verbo docuit, eandem carnem assumendo, & moriendo ostendere, docere, & commendare. & cùm ipse sit amor, & charitas per essentiam (Deus enim charitas est) nullum genus perfectæ charitatis debuit reperire in riuo, scilicet in nobis creaturis eius, quod non reperiretur in eo, qui est fons, & essentia ipsa charitatis. Cùm ergo Martyres pro ipso, & pro alijs moriantur inter nos, ob charitatem in Deum, & proximos etiam inimicos; oportuit Deum, & amorem ipsum per essentiam, naturam assumere humanam, in qua pro patre, & pro nobis, etiam inimicis, moreretur, propter infinitum suum amorem. Hinc Paulus: *Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo.* Vnde Guilielmus Parisiensis. lib. Cur Deus homo, cap. 7. *Essentialis (ait) amor copiosiùs ardet & augetur in fonte, & ideo necesse est, vt si augeatur amor, augeatur & fluxus: quod enim essentialiter calidum est, maiores habet caloris fluxus in alia: ergo quod essentialiter amans est, copiosiores habet redundantias amoris, id est, dona & beneficia in amicos. Sicut ergo in supremo est copiositas in se, sic & in fluxu oportet ad maximum venire: maximus autem fluxus amoris est, susceptio mortis pro amico, secundùm illud, Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Sic igitur ab essentialiter amante necesse est, vt sit maximus fluxus amoris, sc. licet operatio, & hæc est mortis pro amico susceptio.* Ita ille.

C

Ioan. 15. 13.

D

S. Augustinus in Manuali c. 26. tom. 9. *Vt familiarius diligeretur Deus ab homine, in similitudine hominis apparuit Deus; quis est tam durus, quem non emolliat amor Dei sic hominem prænoscentis? tam, inquam, vehemens amor, quòd homo propter hominem dignatus est fieri.* Ita S. August. Adde, qui propter nos homines & propter nostram salutem, passus est dira supplicia & mortem, mortem autem crucis. Vide eundem S. August. lib. 13. de Trinitate cap. 10. & 11. & S. Thom. 3. p. q. 45. art. 1. & 2.

S. Aug.

PROP. XXXII. *Quàm bonis in bonum cedat incarnatio & malis in malum.*

LVc. 2. sic Simeon ad virginem: *Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum.* in resurrectionem? id quidem non mirum: *venit* enim *saluum facere quod perierat,* & ipse Ioan. 11. in hoc gloriatur, dicens: *Ego sum resurrectio & vita:* hoc autem mirum, quòd in ruinam positus sit is, qui suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. Beda in hunc locum: *Quomodo,* inquit, *in ruinam est Christus Dominus, nisi quia lapis offensionis est his, de quibus ipse dixit: Si non venissem, & locutus non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Ita Beda.

Luc. 2. 34.

Beda.

Expendit Rupert. Abbas locum illum Genes. 18. vbi Dominus, antequam euerteret Sodomam & Gomorrham, Abrahamum conuenit, & filium illi promisit, nomine Isaac, & in eo Christum Dominum, & inde in Sodomam progressus, eam incendit igne de cœlo misso, tam suauis in domum Abrahæ, tam seuerus & terribilis in Sodomam. Ait ergo Rupert. *Promissio filij Dei, seu aduentus eius, sicut est electis in multitudine misericordiæ, sic reprobis est in abundantia iræ atque vindictæ: ideo penes tabernacula iustorum casilia delitijs indulget, & eam confirmat risus æternus, & deinde Sodomam diuertens, terribilem super peccatores iram pluit, in similitudinem ignis æterni; illic mansuetudinem, hic iustitiam præostendit.* Ita Rupert. vbi risum fecisse in domo Abrahæ Dominum dicit, quia dedit Abrahæ filium Isaac, Isaac autem risus interpretatur, & significat Christum ex progenie eius venturum, qui bonis risus, malis verò luctus est; & ideo Simeon dixit, futurum Christum in ruinam & resurrectionem multorum.

Rupert.

PROP. XXXIII. *Maiorem gratiam contulit nobis Deus per Christum in natura lapsa quàm exhibuisset in statu innocentiæ non incarnatus.*

VErum quidem est, quòd in statu innocentiæ, homines propensiores fuissent ad bonum, & ad bene agendum promptiores & aptiores, quia tunc natura erat integra. &, adminiculo iustitiæ originalis & donorum, quæ illam comitabantur, fortissima, & quia caruissent multis impedimentis, quibus nunc præpediuntur, nunc verò in natura lapsa amisimus vigorem illum pristinum, & iustitiam originalem, & concordiam illam mirabilem inter corpus & animam, appetitum & rationem. Sic igitur vitiata & labefactata natura humana, & plurimis insuper impedimentis irretita & debilitata, non ita ex se mereri & gratiam augere potest, etiamsi gratia aliqua supernaturali adiuuetur: sed tamen per Christi Domini aduentum ac meritum plus gratiæ acquirunt homines in statu naturæ lapsæ, quàm in statu integræ naturæ & primò beatissima Virgo virtute & merito Christi ad tantam gratiam peruenit, qualis nunquam pura creatura peruenisset in statu

illo aureo primitiuo. Hoc certum esse ambigit nemo. A quin etiam S. Ioannes Baptista & Apostoli tales numquam fuissent in eo statu, quia status Ecclesiæ Christi Domini altior & dignior est, quàm status legis illius naturalis. In hoc statu Ecclesiæ caput est Christus Dominus, in illo Adam: ex quonam igitur capite ampliora dona & ampliorem gratiam descendere oportebat? Vnde, si propter primum Adam in iustitia se continentem, donis diuinis filios eius ditasset, quantò magis per Christum Christianos illos excellentissimos? Meruissent quidem suis operibus filij Adam in statu innocentiæ, sed tamen virtus Christi omnino perfecta, Christi passio, Christi merita, quantò magis ad huiusmodi gratiam Christianorum conducunt?

Vnde non solùm huiusmodi sanctis, & alijs inferioris ordinis, sed etiam ipsis infantibus per Baptismum renatis maior confertur gratia, quàm infantibus illius status innocentiæ: quia nunc datur gratia infantibus propter merita Christi, tunc autem daretur illis ob decentiam & dignitatem illius status: illud autem infinitis partibus apud Deum præponderat. B

Sed dices, secundùm probabilem opinionem, Christus Dominus, etiamsi homo non peccasset, fuisset incarnatus, tunc igitur interessissent merita Christi: igitur conuenientibus in vnum statu illo & meritis Christi, amplior hominibus tunc quàm nunc gratia communicaretur. Hoc primò certum non est, Deum scilicet tunc assumpturum fuisse naturam humanam, imò communior sententia sancti Thomæ, & discipulorum eius hoc negat. Si tamen id concedamus, nihilominus negamus tunc absolutè maiorem gratiam hominibus conferri, quàm nunc: quia nunc intercedit Christi Domini passio, quæ non intercederet tunc. Item nec labores alij Christi tunc fuissent: quamuis enim quæuis actio Christi, etiam in statu innocentiæ, infiniti meriti esset, propter infinitam personæ Verbi dignitatem, nihilominus Pater ob decentiam passionis, mortis, pau- C pertatis voluntariæ, iniuriarum tolerantiam habitam vsque ad mortem, frigus, famem, sitim, vigilias, & alios plurimos labores, qui secundùm se altioris meriti sunt, à persona diuina nunc abstrahendo (quis dubitat) maiorem nobis tribuit gratiam, quàm tunc daturus erat, quando Christus immortalis & impassibilis fuisset. Sicut etiam modò, licèt quæuis actio Christi sufficiens ad nostram esset redemptionem, quia erat valoris infiniti ob infinitatem personæ, eam tamen Scriptura merito passionis, crucis & mortis Christi attribuere
Phil. 2. solet. Vnde Paulus obedientiæ Christi vsque ad mortem crucis, attribuit Christi exaltationem super omnem creaturam, & ipsemet Christus Dominus: *Sicut*
Ioan 3. 14. *Moyses*, inquit, *exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari*
Ioan. 12. 24. *oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* &, *Nisi granum frumenti cadens in terram, &c. si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Cur passioni & morti suæ tribuit Christus, quod cuiuis operi suo tribuere potuisset? vnica enim D genuflexione mundum perfectissimè redimere valebat. nimirum, quia sicut pluris stetit Christo passio & mors, sic pluris eam fecit Pater, non quia valor & dignitas meriti maior, sed quia pluris stetit filio huiusmodi passio, &, *Si posuerit pro peccato animam suam,*
Isai 53. 10. *videbit semen longæuum*, & denique Dominus, *Nonne hæc*
Luc. 24. 26. *oportuit Christum pati, &c.* quare meritò S. Augustinus.
In Ench. c. 7. *Melius iudicauit Deus de malis benefacere, quàm nulla esse mala*
Ad Rom. 5. 20. *permittere.* Ita ille. Nota *melius*, quodnam autem hoc melius fuerit, adnotauit Apostol. dicens: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* abundauit quidem delictum, eò quòd iustitiam abstulit originalem, sed superabundauit gratia, quia plùs gratia reparauit, quàm abstulit culpa, & reparatio hæc à Christo Domino promanauit. Sit ille in sæcula benedictus. Iure igitur dice-
Ioa 10. 10. re potuit Christus: *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant*, abundantiùs quàm non peccante homine, non veniente in carne passibili Verbo, homo habuisset.

Hinc S. Gregor. O felix (ait) culpa quæ talem & tantum meruit habere redemptorem! Vnde quæso felicitas culpæ, quæ ipsa prorsus infelicitas est, per quam infeliciores damnati sunt, quàm per cruciatus æternos? Vnde, nisi ex merito & gratia Christi Domini? felicitas, inquam, gratiæ nobis per Christi merita datæ, illicitatem culpæ facilè vincit, ita scilicet felix ideo culpa illa nuncupatur.

Vnde S. Bernardus, *Vehementer*, inquit, *nobis vir non & mulier vna nocuêre, sed gratias Deo, per vnum nihilominus hominem & mulierem vnam omnia restaurantur, & non fœnore gratiarum. neque enim vt delictum ita & donum, non excedit damni æstimationem beneficij magnitudo. Sic nimirum prudentissimus artifex quod quassatum fuerat, non refregit, sed vtilius omnino refecit, vt nouum hominem non formaret ex veteri Adam, & Euam refunderet in Mariam.* Ita S. Bernard. hoc autem stare non posset, si non maior per Christum consequeremur, quàm in statu innocentiæ essemus habituri, &c.

Prop. XXXIV. *Per Incarnationem Christi perfecit Deus omnia creata.*

Consummationem, & abbreuiationem faciet Dominus exercituum in medio vniuersa terræ. Hæc verba intelligenda esse de aduentu Christi, Apostol. ait. *Quæ* (inquies) *est consummatio & abbreuiatio* hæc? & quidem *abbreuiatio* quid sit, patet, *consummatio* verò, vita S. Thom perfectionem operum Christi significat, abbreuiationem & perfectionem summam in operibus Christi facilè reperies, & primò doctrina Christi abbreuiata est, quia in duobus præceptis charitatis vniuersam legem & prophetias comprehendit, iuxta illud, *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ.* Præterea abbreuiauit omnia illa sacrificia legis Antiquæ in vnico & singulari sacrificio Missæ. Vnde Paulus: *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Quæ quidem oblatio in cruce tuncfacta, in Missa quotidie incruentè celebratur. abbreuiauit igitur Christus doctrinam & sacrificia, & similiter perfecit; quia legem Euangelicam perfectissimis consilijs ornauit, & perfecit etiam sacrificia, quia sacrificium passionis & crucis Christi infiniti valoris est. Vnde Apostol. *Omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem vnum pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet, vnica enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Hic Apostolus differentiam assignat inter sacerdotes veteris legis sacrificia multiplicantes, & Christum, qui vnicum sanguinis, & vitæ suæ obtulit sacrificium: & nota verbum illud *consummauit*. S. Thom. id est, *perfecit quod fecit reconciliando & coniungendo nos Deo, tanquam principio perfecit autem sanctificatos in sempiternum, quia hostia Christi, qui Deus & homo est, habet virtutem æternam sanctificandi.* Ita S. Thomas. Sic igitur Christus Dominus leges & sacrificia Veteris legis & abbreuiauit, & consummauit, seu perfecit; sic etiam carnem nostram assumendo vniuersa Christus abbreuiauit, & perfecit. Erat quidem homo microcosmos, hoc est, mundus abreuiatus, quia omnes gradus essendi in homine redegit in vnum Deus, vt notum est. habet enim esse cum elementis, viuere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis; sed non erat consummatus omnino, quia perfectior erat Angelus. Cùm ergo Verbum diuinum carnem assumpsit, abbreuiationem & consummationem verè fecit super terram: abbreuiationem quidem, quia *exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens*, & infinitam Dei maiestatem in angusto corpore, & corpus

corpus & diuinitatem in angusto præsepio collocauit: A consummationem autem, quia Christus Dominus omnimodam perfectionem, & omnes gradus essendi in se Dei & creaturarum habet. Hinc altitudo beneficij nobis exhibiti constat, qui naturam nostram humanam sic consummauit, sic perfecit, sic sublimauit, vt, quæ Angelicæ antea cedebat, nunc in immensum eam antecedat, &c.

In principio creauit Deus cœlum & terram, &c. meritò quis poterit interrogare, quis finis immediatus fuerit creationis Orbis? quia licèt tandem veluti mediatè seu vltimatè, Deus propter gloriam nominis sui condiderit vniuersas creaturas, non obstat ipsum aliquem immediatum finem etiam intendisse. Ad cuius intelligentiam nota, quòd in hoc loco Genes. nomine *principij* intelligitur Dei filius. Sic habet S. Augustinus, qui ait: B *In principio, id est, in Dei sapientia, quæ filius Dei est, quique se principium asserunt Ioannis 8. de se dicens: principium, qui & loquor vobis.* Item S. Ambr. in Hexaëmeron c. 4. *In principio*, inquit, *id est in filio.* Anastasius Sinayta in Genes. & Origen, expendens hunc locum, ait: *Quodnam est omnium principium nisi Dominus noster Iesus Christus primogenitus omnis creaturæ?* Idem sentit hìc Rupert. & denique S. Hieron. quem Doctorem maximum in exponendis sacris Scripturis vocat Ecclesia, qui in quæstionibus super Genesim ait: *Magis secundùm sensum, quàm secundùm verbi translationem, de Christo accipi potest, qui tam in ipso fonte Geneseos, quàm in ipso principio Ioannis cœli & terræ conditor approbatur: vnde & in psalterio de se ipso ait in Psal.* 39. *In capite libri scriptum est de me, id est, in principio Geneseos, qui liber caput librorum omnium est: & in euangelio Ioannis dicitur, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, sic S. Hieron. Ait ergo scriptura: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, hoc est, propter principium: nam præpositio Hebræa hìc significat *propter*. Cùm igitur per principium Christus Dei filius intelligatur, sensus legitimus erit, propter Christum Dominum creauit Deus cœlum & terram, cum omnibus rebus, quæ in cœlo & in terra conditæ sunt. Vnde eleganter S. Irenæus dixit lib. 4. c. 23. *Dei filius vbique insemi-natus est in scripturis.* Ita ille. quia scilicet germen & fructus & finis omnium creaturarum, seu creationis rerum omnium Christus noster est, sicut fructus arboris finis & radicis & ramorum, &c. Hac etiam ratione Paul. ad Colos. c. 1. vocat Christum Dominum primogenitum omnis creaturæ, *qui est*, inquit, *primogenitus omnis creaturæ.* vbi S. Hieron. & S. Anselm. & Concilium Sardicense, accipiunt hæc verba de Christo secundùm quod homo est, quia scilicet Christus, vt homo, finis est, quem Deus primò intendit, & propter quem omnia creauit. Christus enim, vt Deus, non propriè dicitur primogenitus, sed vnigenitus. Ait ergo Apostolus: *Ipse est primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita* D *sunt vniuersa in cœlo & in terra.* Et subdit iterum: *omnia per ipsum & in ipso condita sunt.* vbi præpositio, *per*, non denotat causam condentem & creantem, quia, quatenus homo, Christus non condidit vniuersa in terra & cœlo; sed (*per*) idem erit, quod *propter*, tanquam per causam finalem, *& in ipso*, inquit, vbi lectio Græca ait *in ipsum*, id est in ipsius honorem & gloriam. Videndus est Doctor noster Pater Franciscus Suarez 3. p. disp. 5. sect. 2. vbi doctè & piè docet Deum primaria intentione & prima voluntate, qua voluit se creaturis communicare, voluisse mysterium incarnationis, & Christum Deum simul & hominem esse caput & finem omnium operum diuinorum sub ipso Deo. Idem tetigit Rupert. Abbas 13. de Trinitat. cap. 20. vbi ait: *Religiosè dicendum & accuratè est audiendum, quia propter Christum hominem gloriâ & honore coronandum, Deus omnia creavit*; & subdit: *Rectiùs dicitur, non hominem propter Angelos, sed Angelos propter quendam hominem esse quoque factos.*

Hac igitur ratione in sacris litteris Christus Dominus dicitur *germen*, vt videre est apud Isaiam c. 4. & 5. & 60. & Ierem. 23. & Ezech. 34. & Zachar. 34. *Isa. 4. & 5 Ier. 23.*

Huius autem discursus ratio est, quia Deus in rerum creatione, non alicuius boni sui incrementum intendebat, cùm infinitum bonum ipse sibi sit, cui additio fieri non possit. Creauit igitur omnia, non vt reciperet bonum aliquod in se, sed bonum suum creaturis communicaret, eo modo quo creaturæ capaces sunt, vti asserit Prosper in sententijs, dicens: Si quæris cur creauerit creaturas Deus, nulla causa melior, quàm vt bonum crearetur à bono: cùm autem ordo bonitatis sit inter res factas, dicendum est bona naturæ ordinari ad bona gratiæ, bona autem gratiæ ad incarnationem Verbi, quæ summa communicatio Dei bonitatis Dei est. Incarnatio igitur filij Dei, cum summum bonum inter effecta à Deo sit, ipsa finis operum Dei est, tanquam suprema communicatio bonitatis Dei. *Ezech. 8. 34. Prosper.*

Ex quo excellentia humanæ naturæ constat: non enim inter Angelos, vel supremos etiam, aliquis Angelus reperitur, qui Angelus & Deus sit: sicut inter homines reperitur qui homo & Deus sit. Quod ponderans Apostolus ait: *Nusquam Angelos apprehendit*, &c. sit Dominus à nobis in æternum benedictus. *Hebr. 2. 16.*

Ecce igitur incarnationis Christi vrgens & iustissima ratio. Celebramus Deum, non Angelum sed hominem factum, in quo mundi perfectio & fælicitas nostra gloriosa consistit.

PROP. XXXV. *Quàm honorificum fuerit nobis Deum pro nobis carnem sumere.*

EXod. 33. Dominus ad Moysen, & ad populum Israel, *Mittam*, inquit, *præcursorem tui Angelum: non enim ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis est, ne forte disperdam te in via. Audiensque populus sermonem hunc pestimum* (ait ibi Scriptura sacra) *luxit, & nullus ex more indutus est cultu suo, & ait Moyses: Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto: in quo enim scire poterimus ego, & populus tuus, inuenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscum, & glorificemur ab omnibus populis, qui habitant super terram? Dixit autem Dominus ad Moysen: Verbum istud, quod loquutus es, faciam.* Vbi plurimùm obserua illa duo, quæ ex Dei ducatu populo proueniebant, & notitia diuini amoris in populum, & magna gloria: nam Angelus quidem rectè eos ducere, ac reducere posset, & ab inimicis per Angelum facilè poterat eos liberare; at propter illa duo flebat populus, & brauit Moyses. Poterat quidem Deus Angelum ad nos saluatorem destinare, at neque hoc nobis ita gloriosum fuisset, neque ita Dei amorem erga nos cognouisse-mus, neque ita perfectè salutem nobis Angelus; sicut Christus, assequutus fuisset. Secundò obserua, quòd si tanti fecerint Israelitæ illum Domini comitatum propter illa duo, vbi neque Deus carnem assumebat, neque aliquid patiebatur, quid, cùm carnem assumperit, & tot tantaque passus fuerit, vt, non ad terram promissionis, sed ad cœlestem duceret, & à peccato liberaret, & in pristinam reduceret gratiam, & innumera alia beneficia præstaret? Hæc igitur gloria nostra, quòd Deus-met venerit nos saluare, ac inde gloriabatur Isaias dicens: *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse saluabit nos*: de Christo loquitur; quasi dicat: Ipse Christus iudicabit pro nobis contra aduersarios nostros, ipse, non Angelus, legem Euangelicam nobis feret, ipse regnabit super nos, & non aliquis ex Seraphinis, vel Cherubinis; ipse saluabit, non Moyses, nec creatura vlla; ipse ait, & non alius. Vt cap. 35. iterum iugiter gloriatur, *Deus*, inquit, *ipse veniet & saluabit nos.* Habet emphasim pronomen illud, *ipse*, Deus non *Exod. 33. 1. & 5. Isai. 33. 22. Isai. 35.*

mittet nobis Raphaëlem, sicut Tobiæ, vt sanet nos; non mittet nobis Gabrielem, aut Michaelem, sicut populo Israeli, aut Moysen & Iosue, qui educat, vel inducat ex Ægypto in terram promissionis populum, sed filium suum : *Sic enim Deus dilexit mundum*, &c.

Ioan. 3. 16.

Cant. 1. 1. Obtinuit Sponsa quod voluit, *Osculetur me osculo oris sui*, nolo pro me carnem sumat, & crucem subeat Angelus vllus, Deus ipse veniat, & saluet me : neque hoc mihi satis erit, quòd loquatur ad me Angelus Dei, *osculetur me* Deus *osculo oris sui*. Vbi S. Bernardus; *Non audio iam Moysen, impeditioris siquidem linguæ factus est mihi; Isaiæ labia immunda sunt, Ieremias nescit loqui, quia puer est, & Propheta omnes elingues sunt. Ipse, ipse, quem ipsi loquuntur, ipse loquatur, ipse me osculetur osculo oris sui, cuius vtique sermo viuus, & efficax osculum mihi est.* Ita S. Bernardus.

Bernard. serm 2. in Cant.

Omnes Theologi fatentur cruci Domini nostri adorationem latriæ deberi, & ita omnes realiter præstamus; adoratione quippe latriæ crucem adoramus : quæ quidem adoratio suprema omnium est, & solùm ipsi debita Deo. Mirum quòd infami ligno, & omnibus modis dedecori habito, talis ac tantus honor tribuatur; sed huius adorationis legitima causa fuit dignitas sanctæ humanitatis Christi, quæ suo contactu lignum sanctificauit, & decorauit, vti sanctus Andreas Apostolus, videns crucem, in qua suspendendus erat, asseruit, dicens : O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, &c. Quòd si crux & patibulum illud latronum & homicidarum, propter solum contactum carnis Christi, quæ vnita verbo erat, ita digna tanto honore, cultu & adoratione reddita est, quid de ipsa carne & humanitate, quæ sic hypostaticè vnita personæ diuinæ erat, dicemus ?

B

S. Damasc. *lib. 4. fid. Nihil maius, quàm quòd Deus homo factus est.* Ita ille. *Nihil*, inquit, *maius*, hoc est, nihil sublimius nobis, nihil excellentius, nihil vtilius, nihil honorificentius est. Et S. August. *Certa veritas est, quòd in rebus per tempus ortis, nulla maior gratia, quàm quòd Deus fieret homo, & homo Deus.* Ita ille. Etenim meritò dixit Dauid:

C

Ps. 39. 6. *Cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi:* cui enim, quæso vnquam in mentem venisset, quod, vt hominem à peccato saluaret, vellet ipse homo fieri, pati & mori ? Quò autem, quæso, altiùs extolli valuit natura humana, quàm vt in eo supposito diuino suppositaretur, in quo diuina subsistit natura ? Poteruntne ita gloriari Angeli, sicut nos, ac dicere, Angelus est Deus, sicut, signando Christum, nos dicere valemus : homo est Deus ?

Hinc sic natura nostra ad Deum sub nomine sponsæ eius: *Cant 8. 1.* *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ* (hoc est, hominem factum) *& iam nemo me despiciat.* Poterat quidem in peccato constitutus despici, & irrideri: nam, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus proinde est iumentis insipientibus, & similis factus est illis; quidni millies irrideretur in tali statu constitutus ? quidni ab omnibus Angelis despiceretur ? at homine facto Deo, *nemo*, inquit, *me despiciet*, sed honorificabit, & glorificabit, & extollet in cœlum.

D

Hinc S. Leo, *serm. 1. de natiuitate Domini : Agnosce, ô homo, dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.* Ita ille, quasi dicat : *Con vna sancta soberbia y estimacion propria en Dios estima os en tanto, que se beche de ver, que haueis emparẽtado con Dios, y que sois de naturaleza vnida personalmente a la persona, en que esta la naturaleza del mismo Dios.* Noli esse per peccatum mancipium diaboli, postquam per incarnationem Dei data est tibi potestas, vt sis filius Dei: quòd si filius & heres, heres quidem Dei, coheres autem Christi.

Quantum autem extiterit beneficium hoc, Apostolus explicuit, vbi ait : *Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Pondera verba *in omni benedictione spirituali*, quasi dicat, non contulit nobis bona terrena, scilicet honores mundi, opes mundi, delitias mundi : hæc enim non venit nobis conferre Christus, non enim tantam maiestatem decebat, tam infima bona, mundi scilicet & terræ, aduentu suo, & sanguine suo præstare. ne quidem expediebant nobis, occasiones enim nobis sunt, & scandala peccatorum, & mundi pula pedibus insipientium, denique innumeri sunt, quæ ob hæc damnantur. Non igitur benedixit nos Deus omni benedictione corporea & terrena, sed spirituali & cælesti; hæc enim bona sunt æterna, & sublimiatomi autem huiusmodi benedictione nos benedixit Deus in Christo, hoc est, propter Christum : id est, contulit nobis per incarnationem & passionem Christi fidem, spem, charitatem, gratiam, adoptionem filiorum Dei, remissionem peccatorum, amicitiam Dei, virtutes, auxilia efficacia, & prædestinationem ad vitam æternam: à Christo enim emanauit valor meritorum nostrorum, quibus gloriam promeremur, hoc est, quod ait *omni benedictione in Christo*, propter quam benedictionem dicet Dominus in iudicio: *Venite benedicti patris mei percipite regnum*, &c. Hinc colligit S. Aug. *lib. de prædestinatione sanctorum, c. 19.* Christo Domino nos debere omnem gratiam nostram, & omnia dona Dei & salutionem nostram, quales igitur quantasque gratias Christo Domino referre par erit ? maximè cùm benedictio, de qua hîc in sacris litteris, copiosa & magna importet beneficia. si pro quouis etiam exiguo beneficio ab homine nobis impenso, magnas gratias referre solemus, quantas Christo Domino pro talibus, tantisque bonis referre nos oportebit ?

Hoc autem inter cætera beneficia maximè ponderandum est, quòd Christus Dominus placabilem se & mitissimum nobis fecit: ante incarnationem enim terribilis erat nobis Deus, vti ex nominibus eius, quibus tunc nominabatur, constat. vocabatur tunc Deus exercituum, Deus vltionum, nunc verò eum Apostolus vocat, patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis; nec mirum, si filius Saluator nuncupatur, cùm pater eius pater misericordiarum nominetur, & Deus totius consolationis. Vocabatur olim leo, *Leo rugit, quis non pauebit?* nunc verò agnus appellatur. *Ecce Agnus Dei.* Denique Dauid, *Ostende*, inquit, *nobis misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Vbi Cassiod. & Hugo Cardin. *misericordiam*, id est, Christum. nam, vt ait Cassiodorus, Saluator noster misericordia patris est, *es Christo la mesma misericordia para nos otros.* Vide quanta bona attulerit nobis Christus. sit ergo benedictus in sæcula.

Cùm flumen per alueum suum currit, lentè ac placidè incedit, at cùm extra alueum suum currit, magno impetu ac fragore, & magno cum detrimento frugum, oppidorum, & personarum. vadit; inuadit enim impetuosè cuncta. sic Deus olim extra matrem & alueum erat: vnde mirè nos nostraque deuastabat, nostris ita exigentibus peccatis: at postquam Saluator alueum ventremque matris intrauit, per mirum suam incedit, & ita placidè & mansuetissimè procedit. tantus nobis Christus fuit.

Sanct. Bernard. *Propter nos Dominus venit, ad quærendam Sarā ouem centesimam, quæ errauerat, de montibus properauit. Mi- animā ra quærentis Dei dignatio, & magna dignitas hominis, si quæsiti. in qua si gloriari voluerit, non erit insipiens, quòd tanta eum fecerit ipse qui fecit: Omnes enim diuitiæ, omnis gloria mundi, & quidquid in eo concupiscitur, minus est ad gloriam hanc, imò nec aliquid est in eius comparatione. O Domine, quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum ?* Ita ille.

Ecclesiastici 36. sic ad Dominum sapiens ille: *Innoua signa, & immuta mirabilia, glorifica manum, & brachium dextrum;* Eccl. 36.

dextrum; de incarnatione Christi intelligit Glossa interlinearis locum istum, & Glossa ordinaria ex August. *Optat*, inquit, *vt diuina maiestas per manum & dextrum brachium, id est per Christum, per quem antiqua miracula facta fuerit, innouet tempore gratiæ.* ita gloss. vbi nota quòd non solùm Dominus innouauit miracula antiqua, tot & tanta miracula faciens, quæ in Euangelio continentur, verùm etiam immutauit mirabilia, v.g. vidit Iacob scalam Genes. 28. in qua suprà Dominus erat gloriâ & maiestate plenus, inferiùs verò homo, Iacob nempe fatigatus ex itinere, & à facie fratris irati fugitiuus: veniens autem Christus immutauit hoc signum incarnatione sua. Quod similitudine hac constat: Cùm faber aliquid ponderosum eleuare optat instrumento quodam, quod Hispanè *alçaprima* vocatur, eleuat illud; dum autem eleuat pondus istud, ipse artifex illud eleuans in tantum inferius descendit, in quantum eleuat illud: sic immutauit Deus miraculum scalæ: dum enim eleuare voluit hominem, factus est Deus homo, & ascendit homo vsque ad Deum per ipsam incarnationem. Sic immutata sunt Dei mirabilia per Christum. Sit ille in sæcula benedictus. Hoc autem significare voluerunt Euangelistæ Matthæus & Lucas, dum Matthæus descensionem Christi narrat ab Abraham vsque ad Iosephum fabrum lignarium virum matris, & Lucas ascensionem eius à Iosepho vsque ad Deum ipsum: ad Iosephum, inquam, qui pater putatiuus Christi fuit, & vir eius, quæ verè mater Christi fuiti vt eo pacto & descensionem Dei ad nos, & ascensionem hominis ad Deum per incarnationem demonstrarent.

A

B

Prop. XXXVI. *Quantâ gratitudine digna sit incarnatio Verbi.*

C

Rom. 8. *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Expendens hunc locum S. August. serm. 15. de sanctis tom. 10. ait: *O miræ pietatis affectus, &c. O inæstimabilis ardor charitatis! quis vnquam sperare posset, vt ex Deo ante tempora natus, pro hominibus nascereturex fœmina homo factus? Quis ante charitatem tam ineffabilem non contremiscat?* Cur ait: *non contremiscat*, cùm beneficium hoc redemptionis nostræ, & charitatis Dei, gaudij potiùs ac lætitiæ materia & occasio esse videatur? nimirum, quia munere tanto ita nos deuinxit charitas Dei, vt meritò pauere debeamus ingratitudinem nostram. Quis enim pro eo debitas Deo gratias poterit referre? quòd si quas reddere possumus non præstiterimus, quâ non grauissimâ pœnâ digni erimus? Meritò ergo S. August. ait: *Quis ante charitatem tam ineffabilem non contremiscat?* & subdit: *Quis vnquam posset æstimare, vt portaretur manibus fœminæ portator orbis, & panis Angelorum aleretur, & omnium vita moreretur?*

D

Prop. XXXVII. *Quanta sit felicitas nostra frui Incarnatione & aduentu Christi.*

Isaiæ 38. Nunciauit Isaias Regi Ezechiæ propinquam mortem, & propterea lachrymas fundens dixit: *Dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viuentium.* Quid? expectabatne Deum in terra videre? Ita quidem, sciebat enim ex diuina promissione Deum carnem assumpturum ex genere Dauidico, quem ardenti desiderio, non solùm ipse, verùm & sancti illi Patriarchæ & prophetæ videre optabant, dicentes: Isai. 64. *Vtinam diffumperes cœlos & descenderes!* Ægrè igitur ferebat Ezechias præcidi sibi spem videndi Deum hominem factum, ideo plorans ait: *Non videbo Dominum Deum in terra viuentium:* vel, vt clariùs Septuaginta vertunt, *nequaquam vltra videbo salutare Dei in terra viuentium.* Quod sic in hanc sententiam interpretatur sanctus Hieron. dicens: hoc est omne quod metuit, ne ductus ad inferos salutare Dei nequaquam aspicere mereatur. Ita S. Hieron. Vel, vt emphaticè magis transfert Complutensis: *Dixi, non iam, non, non videbo salutare Dei in terra viuentium.* Notum autem est in sacris litteris sumi *salutare Dei*, pro Deo saluatore. Vnde August. in serm. 3. de verbis Apostoli explicans illud Psalm. 95. *Annuntiate de die in die salutare eius*; Quid est (inquit) salutare eius nisi Christus eius? Ita ille. Nec mirum cùm ipsemet Dominus prædicauerit visionem hanc beatam esse, dicens, Luc. 10. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis: dico enim vobis quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Luc. 10. 24.

Vnde Simeon, cùm primùm vidit in vlnis suis Christum Dominum, exclamauit, dicens: *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum*, &c. Quasi dicat, iam lætus moriar, quia vidi Christum saluatorem meum. Luc. 2.

Imò de supremo illo Patriarcha Abraham dixit Christus Dominus Ioan. 8. ad quosdam Hebræos: *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est*; vidit quidem spiritu, & ita gauisus est; quòd si eò quòd spiritualiter viderit venturum, ita gaudio repletus est, quid nos facere oportet, qui iam veniſse & inter nos eum in Eucharistia esse confitemur, & fructibus incomparabilibus aduentus eius fruimur? Ioan. 8.

Prop. XXXVIII. *Cur secunda persona, & non prima, vel tertia, assumpserit carnem.*

Rationem huius assignauit sublimem S. Bernard. *Quia*, Lucifer ille, *qui manè lucidissimus oriebatur, pro eo quod Altissimi similitudinem vsurpare tentauit, & rapinam non arbitratus est esse se æqualem Deo, præcipitatus illico è cœlo corruit, sedes illas superiores dimittens manes magna ex parte. caudâ enim sua tertiam secum traxit partem illarum stellarum. Lucifer autem hic se ita deiectum dolens, inuidens homini, quam conceperat in semetipso, in eo producere voluit iniquitatem, suadens, vt pomum vetitum sumens, fieret sicut Deus: Consensit homo. cui rectè dici potuit Dauidicum illud*: Si vidisti furem, currebas cum eo; *& de vtroque parente dicere valemus illud*: Principes tui infideles, socij furum: *vel, vt alia translatio habet*: Principes tui inobedientes, socij furum. *Reuera principes generis humani Adam, & Eua: quia principia propaginis nostræ, & quia illis conceßit Deus Orbis principatum, cum dixit*; Dominamini piscibus maris, & volatibus cœli. *Illi ergo principes infideles fuerunt, eò quòd debitam fidelitatem Deo non seruauerunt; & inobedientes fuerunt: quia contra Dei præceptum pomum gustauerunt. Rectè quoque socij furum: nam Angeli mali fures fuerunt, dum altitudinem Dei sibi vsurpare voluerunt. voluerunt & primi parentes sibi de statu altitudinem vendicare, & furripere de facto tentarunt: sed sicut diuitiis has diabolicè accipere decreuerunt, sic lepra diaboli adhæsit illis. Ceciderunt sicut Lucifer à gratia Dei, & morti æternæ, secundum præsentem iustitiam, addicti fuerunt.* Ita Bernardus. *Serm. de aduentu Domini.* Psal. 49. 18. Isai. 1. 23. Gen. 3. 28.

Sed iam obserua peccatum hoc contra Dei Verbum, secundam Trinitatis personam, fuisse, tam, inquam, Angeli, quàm hominis crimen: quia licèt quoduis peccatum contra omnes Trinitatis personas simul sit, quædam tamen Patri, quædam verò Filio, quædam Spiritui sancto speciatim aduersari dicuntur, secundùm quod aduersùs specialia personarum attributa committuntur. Peccata igitur Angelorum, & primorum parentum, contra personam Verbi militarunt, quia similitudo, quàm appetijt Angelus, Filio Dei tribuitur, & scientia boni & mali, quam homini hostis fuasit, eidem tribuitur filio. Sicut igitur Pater, quia di-

ligit filium, honorem eius zelans, perdidit Angelos, & plagâ insanabili eos percussit, & homines, è Paradiso eijciens, morte damnauit: filius etiam, vt cognoscat mundus, quia diligit Patrem, ne perderet prorsus, quos condiderat Pater, satisfacere Patri decreuit. Ecce (inquit filius) altitudinem meam Angelus affectauit, & ideò perijt. Scientiam quoque, quæ ad me spectat, furripere voluit homo, & ideo è Paradiso eiectus, & cœlo priuatus est. Duas has tantùm nobiles fecerat Pater creaturas, intellectuales, & beatitudinis capaces, & ecce propter me Angelos multos perdidit, hominesque vniuersos: ergo vt sciant, quia sicut me diligit Pater, & ego diligo Patrem, per me recuperet, quos per me quodammodo amisisse videtur. Si ergo propter me orta est tempestas hæc, tollite me, & mittite me in mare. saluabo iam homines, impleboque illis ruinas Angelorum. Meritò quidem, Domine, vocaris admirabilis, & consiliarius, qui tam admirabile consilium adinuenisti, quo & Deo fiat debita satisfactio, & homo remedium obtineat, & Angelorum sedes repleantur.

A 9. *Christus in natiuitate sua docuit nos humiliari.*
10. *Christus in natiuitate sua docet nos spernere delicias*
11. *Christus natiuitate sua nos ad salutem nostram procurandam vrget.*
12. *Christus natus pœnitentiam nos agere docet.*
13. *Christi natiuitas nos ad pœtendum & sperandum inuitat.*
14. *Christus natus nobis non temporalia bona nobis adduxit, sed spiritualia.*
15. *Natus est Christus, vt nos à potestate dæmonis liberaret,*
16. *Per natiuitatem Christi attenuata sunt vires Satanæ.*
17. *Christus in natiuitate sua quomodo diabolum superauerit.*
18. *Deus natiuitate sua & amorem suum ostendit, & assumatiuem nostram.*
19. *Quàm gloriosa Deo fuerit natiuitas Christi.*
20. *In natiuitate Christi diuina resplendent attributa, & maximè omnipotentia.*
21. *In natiuitate Christi resplendet amor Dei*
22. *In natiuitate Christi benignitas & misericordia eius apparuit.*
23. *Amor Christi in nos eum humilem & pauperem fecit.*
24. *In natiuitate sua Christus pœnas suas pro nobis subire cœpit & peregrinus esse.*
25. *Quàm amabilis sit Christus natus.*
26. *Cur in stabulo nasci, & in præsepio reclinare voluerit Deus.*
27. *Dies natalis Christi quam latus sit.*
28. *Aduersus eos qui in festo natalis Christi indebitè gaudent.*
29. *Quomodo nos ad festiuitatem natiuitatis præparare debeamus.*
30. *Quanta anima puritate sit celebranda natiuitas Christi.*
31. *Variæ causæ cur Christus natus est & varia pro moribus documenta.*

B

C

D

Prop. XXXIX. *Quàm læta & grata sit festiuitas incarnationis.*

5. Polit c. 1. A Rist. *Principium*, inquit, *est dimidium totius.* Ita ille. Vnde iam in prouerbium abijt,

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.

& in lege prima. ff. de origine iuris : *Cuiusque rei potissima pars est principium.* Hinc constat, quanta sit huius festiuitatis solemnitas : est enim totius nostræ reparationis principium, & reliquorum omnium Christi Domini mysteriorum inchoatio. Si enim natus, si mortuus, si ab inferis suscitatus, si ascendens in cœlum nostri effectus est ibi aduocatus, omnia hæc ab incarnatione principium acceperunt. Hinc est quòd inter omnia mysteria huic speciali adorationi adhibet Ecclesia reuerentiam. cùm enim in sacrificio Missæ audimus, *Et homo factus est*, omnes genua flectimus, & Deum pro tanto munere veneramur, quod nec circumcisioni, nec passioni, nec resurrectioni adhibemus. Est etiam lætissima Angelis cœli, quia hinc ortum habuit eorum reparatio : est denique lætissima Mariæ Virgini, hodie quippe Mater Dei effecta est, & matrem se Dei nunc læta miratur, &c.

Prop. XL. *Ob Incarnationem Christi Angeli protectores nostri sunt.*

Simile. S I, iacente in luto paupere, rex è curru descenderet, vt pauperem subleuaret, quisnam equitum & magnatum non simul cum rege ad illius pauperis fauorem accurreret? Sic igitur, cùm homo in peccatorum & miseriarum luto iaceret, Filius Dei è solio maiestatis suæ descendit; sic enim Ecclesia : *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis.* Quidnî ergo omnis ille Angelorum chorus, pariter cum rege suo, descendat in adminiculum nostrum? *y así en el Nascimiento vinieron a dar nos el parabien*, dicentes : *Et in terra pax hominibus*, &c.

CHRISTI NATIVITAS.

Prop. I. *Christus natus est nobis.*
2. *Quàm excellens beneficium sit Christum pro nobis nasci.*
3. *Natus est Christus ad salutem nostram.*
4. *Natus est nobis Christus vt nos à peccatis sanaret.*
5. *Christus natus vt amicitiam nostram contraheret.*
6. *Christus natus est filius hominis, vt nos filios efficeret Dei.*
7. *Christus natus est, vt dux vitæ nostræ esset.*
8. *Natiuitate sua Christus mira nobis tradidit exempla recte viuendi.*

Prop. I. *Christus natus est nobis.*

I Sa. 56. de Christo Domino recenter nato, *Paruulus* inquit, *natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius. Nobis*, inquit, *natus est, filius nobis datus. Que nos ha hecho el padre eterno donacion de vn hijo à nosotros*; & ne aliquis existimaret donatio nobis esse in regem nostrum (dictum enim est à Zacharia, *Ecce rex tuus venit tibi, &c.*) addidit Isaias, *& factus est principatus super humerum eius*, hoc est, rex quidem erit, & regnabit super nos, sed non sicut alij reges, quorum principatus fit super humeros subditorum, ob munia tributa, & subsidia regalia, quibus subditi regum onerantur; sed factus est in Christo principatus eius super humeros eius, &c. Hoc est, tributa & subsidia peccatorum, qualia quidem peccata nostra merebantur, non super nos cadent, sed super humeros Christi, qui de facto super humeros suos crucem tulit, in quo homo peccator crucifigi merebatur; & tamen innocens Christus crucifixus est vt nos liberi remanerenus. Ait ergo Isa. *nobis datus est* Christus, res nostra, & possessio nostra est, natiuitas eius nostra, circumcisio eius nostra, verbum eius nostra, opera & miracula eius nostra, vita eius nostra, & mors eius, imò etiam nostra est resurrectio eius & similiter ascensio eius. Videbantur saltem resurrectio & assumptio solius Christi esse, vt scilicet à morte liber, per resurrectionem gloriosus, per ascensionem exaltatus esset; sed tamen & resurrectio, & ascensio nostra quoque sunt, nimirum, quia, vti ait de resurrectione Apostolus, *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Quo, inquies, pacto? S. Anselm. & S. Thom. & Orig. sic exponunt : Christus resurrexit propter iustificationem nostram, tanquam causa exemplaris nostræ iustificationis, secundùm illud Apostoli : *Vt quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Et subdit, *scientes quod Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. ita & vos existimate, vos quidem mortuos esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro*, quasi dicat, iustificamur nos ex eo quòd à morte peccati ad vitam gratiæ transeamus, cuius mutationis exemplar in Christo habemus, qui prius mortuus fuit, sed illico resurrexit, sed nunquam ampliùs mortuus fuit, nec morietur. sic, ait Paulus, & nos resurgere debemus, vt nunquam ampliùs peccati morte moriamur; similiter propter nos ascendit in cœ-

lum, vt assistat vultui Dei pro nobis, sicut idem Apost. A ait *ad Heb.* 9. Quòd si resurrectio & ascensio, quæ ad gloriam & vtilitatem Christi ordinari tantùm videbantur, sic etiam ad nostram vtilitatem ordinatæ sunt, quid de reliquis Christi rebus dicemus?

Sed interim datum esse nobis in saluatorem consideremus: omnia enim opera Christi opera saluatoris sunt, illis enim omnibus nostrâ promeruit saluationẽ; quo fit quòd ad obtinendam à Deo remissionem peccatorum nostrorum, & saluationem nostram, egregium & excellentem titulum habeamus in titulo, & nomine saluatoris. & quidem ad hoc non contemnendus titulus est ille, quem Sapiens assignauit, dicens: *Etenim Deus noster, si peccauerimus, tu sumus*; ac si dicat: Si filius in patrem peccat, si seruus in dominum suum, hoc quidem vtrique non leuem spem tribuit, quòd hic seruus eius, ille filius sit; sic etiam, cùm in Deum peccamus, ne desperemus, imò vt valde speremus, hoc plurimùm iuuat, quòd Deus Dominus noster sit, imò & pater noster: non enim solis iustis facultatem tribuit dicendi, *Pater noster, qui es in cælis*, &c. sed peccatoribus quoque. B Nam & prodigus filius, *Vadam*, inquit, *& dicam*; *pater peccaui*, &c. magnus, inquam, & efficax est titulus hic ad impetrandam veniam & salutem animæ à Deo, sed tamen, postquam saluator noster effectus est, habemus profectò firmiorem, & efficaciorum alium, nempe quòd non solùm nos eius simus, verùm etiam ipsemet Deus noster sit, *nobis natus, nobis datus*, noster, inquam, saluator, & nobis in remissionem nostrorum peccatorum datus, noster est, & thesauri eius nostri sunt. At, inquies, quinam sunt thesauri eius, qui pauper adeò est, vt non habeat vbi caput suum reclinet? pauper quidem est sibi, sed ditissimus mihi, pauper adeò fuit, vt moriens aquâ indigens, & dicens: *sitio*, felle & aceto fuerit potatus; sed qui sibi aquâ sic carebat, mihi aquam, & sanguinem pretiosissimum in potum animæ administrauit. *Ioan.* 19. *Continuò*, inquit, *exiuit sanguis, & aqua.* pro nobis scilicet ac nobis, pauper fuit, scilicet qui toto vitæ suæ tempore nec digitum terræ in suum C commodum possedit, nobis tamen adeò diues, vt terram in sepulturam hominum suo sanguine voluerit emi (ideo enim *ager sanguinis* vocatus est) in sepulturam peregrinorum, &c. Quòd si terram post mortem nobis peregrinis coemi sic voluit, quo pacto nobis cœlum negabit, qui non ad terram nobis exhibendam, sed cælum, qui non vt terram, sed cœlum daret, descendit de cœlis? Ne desperes igitur peccator, sed dic, ô bone Iesu mi, esto mihi Iesus, &c.

Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem. Ecce rex tuus venit tibi iustus, & saluator. Venit dicebant olim Prophetæ, sed fælices nos, quibus contigit audire quod illi non audierunt: illi enim Antiquæ legis patres de futuro audierunt: Ecce rex tuus veniet, nos ab Angelis & Euangelistis audimus, *natus est vobis saluator*, &c. sed quare illum regem appellauit Zacharias? Si rex, vbinam sunt regis insignia? Itáne in stabulo solent nasci D reges? Et in præsepio reclinari & in casulis & tugurijs pauperculis parere solent regum matres? Siccine tractari in partu solent editi regum filij, vilibus scilicet inuolui pannis, & inter paleas reclinari? Audiuimus nonnunquam eos, qui in infima conditione, quasi in stabulis & casulis nati fuerant, tempore procedente tandem ad regni fastigia conscendisse; à sæculo autem non est auditum, regis filium in ipso suo ortu ita in vili loco, & tantâ cum paupertate natum fuisse. Quid enim in hac natiuitate regium videmus? Quis credet auditui Prophetæ dicentis: *Ecce rex tuus.* Si rex hic, qui in Bethlehem nascitur, vbi regia? vbi palatium regale? Hic enim non videmus nisi stabulum, & præsepe? Si rex est, vbi serici panni? Nam hîc non apparent nisi pauperes panni, vix ad eum inuoluendum sufficientes. si rex est, vbi turba seruorum? vbi nobilium caterua? nam solummodo comitantur Ioseph & Maria. vbi equorum multitudo? nam solùm bos, & asinus adsunt. Denique si rex est, vbi tapetes & magna pompa regum? nam hîc non reperiuntur nisi telæ aranearum, & totius apparatus carentia, & priuatio, quomodo ergo ait Propheta; *Ecce rex tuus?* Attamen rex est, & quæ regis sunt, copiosissimè reperies in eo; regum enim non est superba supellex, nec ambitus iste consuetus, nec pompa mundi, sed subditos magna cum prouidentia gubernare, & eximia cum vigilantia eis necessaria prouidere. Vnde *Isa.* 3. cùm tempus futurum prædiceret Isaias, in quo Israelitæ in magna necessitate constituti, quæsituri sibi erant regem, dixit: *Apprehendet vir fratrem suum domesticum patris sui. Vestimentum tibi est, princeps noster esto, ruina autem hæc sub manu tua, respondebit in die illa, dicens: non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite me constituere principem populi.* Ecce quæ sint propria regum, & ad quæ sibi reges regna elegerint: vt scilicet in paupertate subditorum velut pater panem, & ad victum necessaria prouideat eis, & similiter in infirmitate illorum velut medicus eis sit: ideo enim dicit, non sum medicus, &c. Hinc constat, quam meritò Christus Dominus noster nuncupetur rex, quantumuis in stabulo, & sine pompa venerit regia; ipse quippe non venit tamquam rex temporalis ad temporalia ista, ideo quippe, cùm eum in regem eligere, & constituere vellent, ad huiusmodi temporales prouisiones, fugit ab eis, & insuper dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* quamuis negandum non sit, cœli, terræque ac omnium, & vniuersorum ipsum semper esse, ac fuisse regem, vtpote qui in femore, ac vestimento suo scriptum gerat, *Rex regum, & Dominus dominantium.* in spirituali autem gubernatione, quàm exactè munus suum impleuerit, quis verbis augere valet? cùm dies, nocteque eas ad hoc munus insumpserit, ad munus, inquam, saluatoris. sic enim asserit Zacharias: *Ecce rex tuus veniet tibi iustus, & saluator*, iustus vt iustificet nos, secundùm illud Apost. *ad Rom.* 3. *vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui ex fide Iesu Christi*; & saluator, vt saluet & redimat nos à seruitute peccatorum: nam *qui facit peccatum, seruus est peccati.* Vt autem munus hoc perficeret, triginta tribus annis omnia quæ fecit, & passus est, ob id fecit, atque passus est vsque ad mortem, mortem autem crucis. ideò speciatim dixit Zacharias, *Venit tibi*, non sicut solent nonnulli regum terræ, qui venire sibi solis videntur: rex enim noster cæleſtis venit nobis, quia. vt ait Sanct. Bernard. *totus in nostros vsus expensus est, nobis datus, nobis natus ex intacta virgine*, &, *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Non ait, *Isai 9.* natus est sibi, sed *nobis.* Paupertas eius thesaurus noster est. 2. *Corinth.* 8. *Scitis*, ait Apostol. *fratres, gratiam Domini nostri Iesu Christi, quia cùm diues esset, propter nos egenus factus est, vt illius inopiâ nos diuites essetis*; sic etiam humiliatio eius exaltatio nostra est, panni eius indumentum gloriæ nobis sunt, stabulum eius cœlum nobis est, &c. sic nobis dicitur natus, non sibi, ideoque non cum ambitu, & pompa regali natus est, sed eo quidem modo, quo nobis magis expediens erat.

Adeò mirabilis extitit seruatoris nostri aduentus, vt non solùm per Euangelistam, sed etiam per sacrum vatem Zachariam prædictus & enunciatus fuerit. & meritò inculcandus & repetendus erat nobis, quippe qui magnæ vtilitatis esset nobis. At quid sibi vult, *venit tibi?* Filiam Sion alloquitur Propheta, in qua omnes Christianæ religionis professores intelliguntur. *Venit ergo nobis*; sed qua ratione *nobis?* Quia pro nobis & propter nos. Etenim propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus, ac mortuus est, & propter nos etiam ad vitam redijt, cœlumque conscendit, & sedet ad dexteram patris, vt ibi interpellet pro nobis, tanquam aduocatus idem qui & saluator est noster; omnino ergo venit nobis, & nostri

causâ in terras descendit. Quapropter, vbi primùm in hanc lucem editus ac susceptus est, Angelus pastoribus dixit: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator. Vobis*, inquiunt, natus est, quia vobis salutem & medicinam attulit. Quod quidem multis ante annis euangelicus Propheta prædixit, *Paruulus*, inquit, *natus est nobis, & filius datus est nobis*. Quâ loquendi formulâ vsus est ipse Christus in sacro beati Ioannis Euangelio, cùm ait, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Vtrobique vocatur donatio. Non enim dixit Iesus, vt filium suum vnigenitum mitteret, sed daret. Neque Isaias, filius missus, sed datus. At quo pacto datur nobis? Nam quod donatur, in illius omnino ius, & potestatem deuenit, cui donatur; an ea ratione donatus est nobis filius Dei? Ita sanè nobis datus, nobis natus ex intacta virgine. *Nobis*, inquit Bernardus, *non sibi, non Angelis quoque, qui cùm magnum habeant, paruulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis datus, quia necessarius nobis, totus mihi datus, & totus in meos vsus expensus est.* Magnum profectò Bernardus, sed aliquid maius Apostolus asseruit: *Dilexit*, ait, *me, & tradidit semetipsum pro me.* Vbi hanc non donationem, sed traditionem appellat. Solent enim donationes fieri, quæ non statim ac factæ sunt, emolumentum afferunt ei cui asscribuntur, sed post plures dies, vel etiam post mortem donatoris; Christus verò ita datus est nobis, vt non solùm post mortem, quæ vius comparauit nobis tradiderit, sed in ortu, & in ipso suæ conceptionis exordio: omnia enim quæ effecit, ac perpessus est, atque etiam ea quæ cogitatione comprehendit, æterno patri in nostrum commodum, & vtilitatem obtulit. Meritò ergo, optimoque iure tam vates quàm Euangelista dixere: *Ecce rex tuus venit tibi.*

Luc. 2. 10.

Isai 9.

Ioan. 3. 16.

Sed iam explicandum est, quo pacto speciatim nobis venerit, & quæ nobis in huiusmodi traditione præstiterit. Sanè omnia nobis bona tradidit. *Qui enim pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Rectè quidem hæc ab Apostolo dicta sunt: cùm enim Deus bonorum omnium sit auctor, & Dominus, imò cùm ipse sit omne bonum, non possunt non illo dato, omnia nobis bona donari.

At sigillatim hæc bona commemoremus, & quidem cælestis ille nuncius, *natus est*, inquit, *vobis saluator*; in saluatorem igitur datus est nobis Deus. cui præclarè consonat nostri Prophetæ testimonium, dicentis: *Ecce rex tuus venit tibi iustus, & saluator*, id est, iustificans & saluans. Captiuine tenebamur, & saluatore indigebamus? Tenebamur sanè, & dira tyrannide oppressi, illius subijciebamur seruituti, de quo ad Iob dictum est *Iob 41. 24* à Domino: *Non est potestas, super terram quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret.* Miseranda quidem seruitus, quæ tam diro, & crudeli tyranno exhibebatur, adeoque potenti, vt nullus in toto terrarum orbe reperiri posset, qui eam ab hominibus depelleret? *Non fugabit* (ait Dominus) *eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ, quasi stipulam æstimauit malleum, & derisibit vibrantem hastam.* Quis nos, Deus optime, à crudelissimo & validissimo hoc hoste liberabit? Gratia Dei per Iesum Christum. *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum*, vobis gaudium magnum, *quia natus est vobis hodie saluator*, Christus Dominus, *qui eripuit nos de potestate tenebrarum*, inquit Apostolus, *& transtulit in regnum filij dilectionis sua.* De potestate tenebrarum, id est, de potestate dæmonum, ait D. Anselmus, *qui dominabatur nobis, ne nos in nocte fuæ damnationis sine fine possideret.* Neque prætermissum hoc est ab Isaia: in eodem enim capite subiungit, *iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian.* Quod interpretatur D. Hieronymus in hunc modum; *Tu Domine atque saluator, iugum oneris eius, hoc est, diaboli qui grauissimo seruitutis iugo colla omnium deprimebat, & vigam, quâ percutiebat vniuersos, & peccata sibi quasi quoddam tributum reddere compellebat, detraxisti de humeris eorum, & in abscondita manu, sicut quondam sub Gedeone, populo Israelis de Madianitis victoriam præbuisti.* Hæc ille. Iam ergo iugum diaboli depulsum est, & nos liberati sumus: quapropter meritò Angelus asseruit: ecce euangelizo vobis gaudium magnum.

Luc 1.

Neque verò solùm à dæmonis tyrannide, sed etiam à peccati seruitute, quæ durior & acerbior est, nos humani generis vindex liberauit, in qua quidem miserè detinentur ij, qui peccati labem contraxerunt, *omnis enim qui facit peccatum seruus est peccati.* Gloriabantur Iudæi eò quòd patrem haberent Abraham, at Christus Dominus docet nihil referre ex semine Abrahæ esse, si peccatum dominetur: nam qui peccat, ex filio Abrahæ efficitur seruus peccati, & omnis, inquit, qui facit peccatum, siue ex infima, siue ex honesta familia natus, siue egentissimus, siue ditissimus, siue imperitus & ignarus, siue sapiens & prudens, seruus est peccati. Tum quia vnum peccatum vi sua in aliud vehementer pertrahit, quod Apostolus regnare vocat: *Non regnet*, inquit, *peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs vestris*; tum etiam, quia sicut seruus à domino ligatur, catenâque vincitur, ne in fugam se dedat; sic peccatum hominem ligat, & quasi reuinctum astringit, ne fugiat: quem quidem solus Deus liberare potuit. Et in hoc præcipuè nobis saluator extitit Iesus, quocirca Angelus Iosepho dixit: *Vocabit nomen eius Iesus. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Non à dæmonibus, inquit, sed à peccatis, quæ grauiora & vehementiùs hominum animos diuexant, ideò Angelus ait: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum*, quia sicet datus est nobis Deus in saluatorem. Qui, sicut nos eripuit à potestate tenebrarum, ita & à seruitute peccatorum vindicauit, & in libertatem asseruit. & ideo cum Christus Dominus dixisset: Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati, subdit: *Si ergo filius vos liberauerit, verè liberi eritis.* Illi enim qui in peccati seruitute sunt, licèt naturali libertate fruãtur, multisque dominentur, non sunt verè liberi, sed serui dæmonis & peccati: magnum ergo Dei in nos beneficium existit, quòd nos à dira hac seruitute liberauit.

Rom. 6.

Ioan. 8.

Matth. 1.

Dicamus igitur filiæ Sion: *Ecce rex tuus venit tibi iustus & saluator.* Vos ecce, ait Apostolus, in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo; iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Quod à diuo Bernardo sic explicatur: *Factus est nobis Christus sapientia in prædicatione, iustitia in absolutione peccatorum, sanctificatio in conuersatione quam habuit cum peccatoribus, redemptio in passione quam sustinuit pro peccatoribus.* Diuus verò Hieronymus: *Factus est nobis sapientia, iustitia, & sanctificatio, vt scilicet faceret nos sapientes, iustos, & sanctos.* Item B. Anselmus, *Factus est*, inquit, *nobis sapientia, vt eius participatione sapientes efficeremur, percipientes ab eo sensum prudentiæ, & iustitia, vt eius participatione iustificaremur per opera virtutum; sanctificatio, vt nos sanctificaret in baptismo, faciens immunes à peccato; redemptio, vt nos redimeret, pro nobis semetipsum dando.*

Iob 41. 19.

Luc. 2.

At quis commemorando attingat omnia dona, quæ Christus Dominus nobis cælitus attulit? Cùm Salomon congratulatur sibi de sapientia, Omnia, inquit, bona venerunt mihi pariter cum illa. Idem nos potiori iure dicemus, nobis enim datus est Christus, cum quo omnia nobis bona pariter venerunt, libertas scilicet à dæmone, & à peccato, salus, & vita nostra, sapientia, iustitia, & iustificatio nostra, & bona cuncta, de quibus, si placet, aliqua prosequamur.

Quid est homo (quærit à Deo Iob) *quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Magnificauit quidem hominem Deus, cùm illum rerum omnium principem, & moderatorem effecit, appositúsque verè

erga

erga eum cor suũ, quia eũ summo quodã amore prose-
quutus est. Huic interrogationi, vel potiùs admiratio-
5. ni, consonant illã Dauidis verba: *Quid est homo quod me-
mor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti
eum paulò minus ab Angelis, gloriâ & honore coronasti eum,
& constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subie-
cisti sub pedibus eius*, &c. Plurimum sanè Deus homini
tribuit, de quo idem, quod de ipso Deo dictum est,
quodam modo prædicare possumus, nempe: *Dominus
vniuersorum tu es, siquidem omnia subiecta sunt tibi. Sed iam
excellentius, & præstantius donum illi* datum esse audimus.
ei enim proponitur: Ecce rex tuus venit tibi. Tibi, in-
quam, donatus & traditus, vt in proximo explicuimus.
Et quidem in huiusmodi dono plus homini defertur,
quàm in omnibus alijs rebus: in hoc enim ipse rerum
omnium effector donatur. Quapropter meritò præmi-
sit Prophera: *Exulta satis filia Sion, quia ecce rex tuus venit
tibi*: exultatione enim, iocunditate, incredibilique lætì-
tiâ dignum est eiusmodi donum. iure igitur optimo,
Deus optime, admirabor, quia sic magnificas homi- B
nem, & apponis erga eum cor tuum: cùm omnia sub
pedibus eius subiecisti, minueras illum paulò minùs
ab Angelis, sed postquam te illi humanã naturã in-
dutum tradidisti, eum super naturam angelicam ex-
tulisti.

At aliquod verbum in læto isto nuntio pertime-
scendum audio. Ecce, inquit Vates, rex tuus venit tibi:
maiestas quidem & auctoritas regia timorem homi-
num animis incutit, ipsumque regis nomen molestum,
& odiosum est pluribus, qui præ illius odio, & timore
obijcient: Nolumus hunc regnare supra nos: scimus
enim quia homo asperus est. Graue ergo & molestum
videtur illud verbum, Rex tuus.

Vt tamen omnis formido, & molestia depellatur
procul, audite obsecro quid de nostro rege proferat
Isaias, cùm de Christo Domino præmisisset: *Puerulus
natus est nobis, & filius datus est nobis*, subiungit, *& factus
est principatus super humerum eius*, id est, regnum insigne
potestatis suæ humero præfert (vt ait Tertullianus) & C
non aut capite diadema, aut manu sceptrum. O nouum
& inauditum regnandi modum! Exulta ergo, lætare
filia Sion, quia principatus eius non super humerum
tuum, sed super humerum eius. Solent quidem Reges
capiti suo diademata imponere, & principatum suum
super subditorum humeros ponere: illis onera, sibi ve-
rò honores deferre. Secus autem fecit humani generis
vindex, cœli terræque Rex ac moderator Deus: quippe
qui honore, præmijs atque solatio nos affi-it, se verò
contumelijs & laboribus obruit. Posuit enim super
humerum suum crucem suam, hæc namque est insigne
principatus illius: super nos autem gratiam, & merita
sua, in ipsa cruce acquisita. *Factus est* etiam *principatus
super humerum eius*, quia nos super humeros suos tulit, &
verò nos principatus eius sumus, cui promissum est à
8. Deo: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Huiusmodi
principatum super humerum eius portasse indicat pa- D
stor ille, qui ouem inuentam imposuit gaudens super
humeros suos. Rex igitur venit, sed pacificus; princeps
quidem est, sed princeps pacis. Idcirco non hinnienti,
& feroci equo, sed miti ac mansuetissimo animali infi-
dens, Hierosolymam ingrediebatur. Quocirca consul-
tò subiungit Propheta: *Ecce rex tuus venit tibi mansue-
tus.* Quæ verò hominibus attulerit, continuò subiun-
gam.

Ac primùm vniuersum hoc oppletum erat tenebris,
tetraque caligine circumfusum, *Ecce tenebræ operient
terram, & caligo populos*, inquit Propheta. Quã quidem
cæcitate cùm caligarent homines, lapides, ligna, ani-
mantiaque rationis, & humanitatis expertia colebant,
eaque diuinis honoribus prosequebantur. O offusum ac
tetram caliginem, quam nec Platonicorum Academia,
nec Peripateticorum Lycæum, nec Stoicorum Philo-
sophia discutere potuit. Hi enim dicentes se esse sapien-
tes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorrupti-
bilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis, &
quadrupedum, & serpentium. Quòd si sapientes ita cæ-
cutiebant, in tantisque erroribus versabantur, quã cæ-
citate, quibusve ciroribus insipientes laborabant? Mi-
sertus igitur Deus Opt. Maxim. cæcitatis nostræ, misit
splendidissimum quoddam lumen, quod luce ac splen-
dore suo tenebras omnes effugaret. Erat enim Christus
Iesus splendor patris, & lux vera quæ illuminat om- *Ioan.1.*
nem hominem venientem in hunc mundum, quam
qui sequitur, non ambulat in tenebris. Quod etiam
tanquam eximium beneficium, prædixit Isaias, *Populus,* *Isai.9.2.*
inquit, *qui sedebat in tenebris, videt lucem magnam, habitan-
tibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Zacharias *Luc 1.*
item gratias pro huiusmodi beneficio persoluens, ait: *68.*
*Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit re-
demptionem plebis suæ.* explicans verò quo pacto nos visi-
tauerit, *Per viscera*, inquit, *misericordiæ Dei nostri, in quibus
visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris, &
in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam
pacis.*

Deinde vehementi in nos irâ antea incendebatur
præpotens Deus: peccata enim nostra diuiserant inter
nos, & Deum nostrum. Quod quidem ipsa nomina,
quibus tunc nuncupabatur, Deus exercituum, Deus
vltionum, Deus zelotes & omnipotens, id præsefere-
bant; atque ita grauissimis supplicijs, acerbissimisque
pœnis tunc homines afficiebat, modò aquarum eluuio-
ne, modò etiam vehementissimis ignibus eorum oppi-
da, & ciuitates euertens, quapropter prisca illa lex, lex
timoris dicebatur, & qui ei obtemperabant, serui vo-
cabantur. *At postquam venit plenitudo temporis, misit Deus
filium suum*, non vt puniret homines, sed vt eos qui sub
lege erant redimeret, non iracundum & vltorem, sed
mitem & mansuetum. *Ecce*, inquit, *rex tuus venit tibi
mansuetus.* Qui patrem etiam suum mansuetum & pla-
catum reddit: vt enim D. Paulus asserit, *in eo complacuit
omnem plenitudinem inhabitare, & reconciliare omnia in ip-
sum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris,
siue quæ in cœlis sunt.* Et ne putaret aliquis ipsum semel
dumtaxat nostram cum patre æterno amicitiam con-
iunxisse, idem Apostolus scripsit: *Erat Deus in Christo* *2.Cor.5.*
mundum reconcilians sibi, non dixit, fuit, sed *erat*, quæ vox *19.*
indeterminatam significationem habet. Ac si diceret:
semper reconciliat nos Patri, semper eius merita per-
stant, quæ nos æterno Patri gratos, & amicos reddunt:
atque idcirco Christus Dominus, tanquam iuge sacrifi-
cium, in Sacro quotidie offertur, vt quotidie nos Patri
reconciliet.

Eam ob rem, seueris illis omnibus prætermissis, qui-
bus Deus olim nuncupabatur, suauissimis iam appella-
tur nominibus. Non enim iam Deus vltionum, sed
Deus consolationis, neque Deus exercituum, sed pater
misericordiarum nominatur. Lex item nostra, non lex
timoris, sed amoris dicitur, & nos etiam non serui, sed
filij Dei nuncupamur, & clamamus: Abba pater. iam
apparuit arcus in nubibus cœli, & recordatus est Do-
minus fœderis initi. non est nobis pertimescendum
diluuium, neque ignis deuorantis flamma, aut mors ip-
sa formidanda. *Ego enim*, (inquit seruator noster Iesus,) *Ioan.10.*
veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. Non equi-
dem inficior aliquos mori, & infeliciter perire, sed non
tam propter iram Dei, sed propter peccata sua, suique
animi peruicaciam: Deus enim sæpe clamat: *Conuerti-
mini ad me, & ego convertar ad vos.* Quapropter si Dei ani-
mum spectemus, non erit difficile nos in eius gratiam
ac beneuolentiam, depositis offensionibus, redire. *Pro
Christo*, inquit Apostolus *legatione fungimur, tanquam Deo
exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini
Deo.* Perpendite hæc Apostoli verba, quæ in hunc mo-
dum à D. Thoma explicantur. *Pro Christo legatione fun-*

gimur, id est, *Christi legati sumus, ab eo missi ad exhortandum pro Christo*, id est, *per viscera Christi, pro amore Christi, reconciliamini Deo.* O suauissimum & dulcissimum verbum! Nos quidem, qui diuinam maiestatem læsimus, nos, inquam, debebamus ad Deum legatos mittere qui ab eo summis & supplicibus precibus rogarent: Reconciliare Domine nobis, quippe nostris te sceleribus atque offensis ad iracundiam prouocauimus, & tuam in nos benevolentiam, atque amicitiam dissoluimus; sed cùm iam æternus Dei filius Patrem placatum reddiderit nobis, nos hortatur Apostolus: *reconciliamini Deo.*

Deficiet me tempus enarrantem reliqua beneficia, quæ per Christum nobis præstita sunt: ipse enim pastor noster est: *Eratis enim*, ait S. Petrus, *sicut oues errantes, sed conuersi nunc estis ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum*, scilicet Christum Dominum. quocirca iure illud Dauidis carmen vnusquisque vsurpabit: *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit*: Deus enim est vigilantissimus pastor: *Ego sum pastor bonus*, ait, *ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam*, dicit Dominus: *quod perierat requiram, & quod abiectum erat reducam, & quod cõfractum erat, alligabo, & quod infirmum erat, consolidabo, & quod pingue & forte, custodiam. Et pascam illas in iudicio.* Sanè nihil aliud à vigilantissimo & studiosissimo pastore, requiri ac desiderari potest.

Præterea, quid nobis non est Christus Iesus? Ego sum via, veritas & vita, ego α, & ω. principium scilicet, & finis omnis nostræ felicitatis, ipse pater noster, ipse omnia in nobis omnibus, ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

1. Petr. 2. 25.

Psal. 22. 1.

Ioan. 10.

Prop. II. *Quàm excellens beneficium sit Christum pro nobis nasci.*

Ser. 2. de natali Domini.

Pf. 110. 2.

Sanct. Bernard. *Magna*, inquit, *opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius*, ait Propheta Dauid. *Magna quidem opera eius, fratres, siquidem magnus & ipse: sed ad nos maximè spectant, quæ in eis maxima esse videntur. Hinc est quòd psallit idem Propheta, dicens: Magnificauit Dominus facere nobiscum. Denique quàm magnificè nobiscum agat, tria spectaliter eius opera clamant. Primum nostræ creationis, secundum nostræ redemptionis, tertium nostræ glorificationis.* Ita ille. Sed nunc relicto beneficio glorificationis, & creationis, de secundo secundùm temporis & festiuitatis nostræ exigentiam disseramus.

Magnum quidem fuit beneficium creationis nostræ, vbi nos Deus ad imaginem & similitudinem suam creauit; sed quid, quæso, maius & sublimius, nos ad imaginem suam Deum creasse, aut Deum imaginem nostram per suam incarnationem accepisse? illud quidem maiestatem suam decebat, hoc maiestati suæ oppositum videbatur: *Cùm enim in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se æqualem esse Deo: sed semetipsum exinanuit, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus est vt homo.* Illud mirum: sed hoc mirabile magis, illo quidem beneficio nos paulò minùs ab Angelis minorauit, hoc ipse ab Angelis nonnihil minoratus, nos super Angelos exaltauit. nusquam enim Angelos, sed hominem apprehendit, & ad liberandum suscepturus hominem, Virginis vterum non abhorruit, &c.

Phil. 2. 5.

Fuit Christus promissus patribus antiquis, nobis autem exhibitus, nobis datus, nobis natus. S. Augustinus. 32. de verbis Domini secundùm Lucam: *Non dictum est Ecclesiæ: Vide filia & audi, sed, audi & vide: audi prædicta & vide completa, non erat Christus natus de virgine, promissus est, & natus est; non erant miracula eius, promissa sunt, & fecit; nondum erat passus, promissum est, & factum est; non resurrexerat, prædictum est & impletum est.* Ita S. Augustinus. & similiter S. Bernard. expendens hoc speciale Dei beneficium in nos, ait serm. 2. de Epiphania: *Multifariè, multisque modis loquebatur Dominus in Prophetis: Ego, inquiens, cogito cogitationes pacis & non afflictionis. Sed quod respondebat homo afflictionem sentiens, & pacem nescires? Quousque dicitis: pax, pax, & non est pax? Ecce nunc non promissa sed missa; non dilatata sed data; non prophetata sed præsentata.* Ita S. Bernard.

S. Aug.

S. Bern.

S. Theod. q. 24. in Exod. quæstionem proponit super c. 12. Exodi: *Quare Deus præcepit Hebræis, ad fugam ex Aegypto præparatis, Paschа celebrare?* Et respondet: *Perpetuam seruari voluit salutis memoriam. Propterea dum leges conderet, inquit: Cùm interrogarit te filius tuus dicens, quid est Paschа? Respondebis, quòd hodierna die Dominus eduxit Patres nostros ex Aegypto, & redemit primogenita nostra, quando perdidit, & percussit primogenita Aegyptiorum: hac de causa præcepit festum hoc celebrari.* Ita ille. Vbi nota in Vulgata nostra non eodem modo locum hunc habere, sed ita legit Theodoretus ex Hebræo. Si ergo eductionem ex Aegypto, & profectionem in terram promissionis, sic Deus voluit obseruari, & tanquam Paschа celebrari, quali nos obseruatione oportebit celebrare eductionem & liberationem ex captiuitate peccati, & profectionem in cœlum? &c. Et subdit idem sanctus: *Cum lactucis agrestibus agnum manducari iussit, in memoriam duræ ac seruitutis & acerbissimæ vitæ in Aegypto transactæ.* Ita S. Theod. O quanta nos deuotione, & in Deum amore beneficium redemptionis nostræ celebraremus, si acerbitatem seruitutis peccati, à qua nos Dominus liberauit, consideraremus attentè, & cælestis gratiæ & gloriæ reparationem!

Prop. III. *Natus est Christus ad salutem nostram.*

Sic Ecclesia in symbolo canit: *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis*, &c. Vnde S. Bern. *serm. 2. de Circum. Non est* (inquit) *quærere Christi, cur voluerit Christus Dominus circumcidi, propter hoc scilicet circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus, nihil horum propter se, sed omnia propter electos, nec enim in peccato genitus, nec à peccato circumcisus, nec mortuus est pro peccato suo, magis autem propter delicta nostra.* Ita S. Bern. Sic igitur natus, & in præsepio reclinatus est propter salutem nostram.

Et hinc soluitur illa quæstio communis de connexione circumcisionis, & nominis Iesu, quam sic proponit idem sanctus *serm. 1. de circumc. Circumciditur puer, & vocatur Iesus. Quid sibi vult ista connexio? circumcisio nempe magis saluandi quam saluatoris esse videtur, & saluatorem circumcidere magis decet quàm circumcidi.* Ita ille, qui *serm. 2. eiusdem festi* sic respondet: *Meritò sanè, dum circumcidi tur puer, qui natus est nobis, Saluator vocatur, quòd videlicet ex hoc iam cœperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens.* Ita ille. Hinc sequitur nos maximè teneri hanc sanguinis effusionem, & tantos Christi labores non irritos & cassos facere, sed potiùs intentos à Christo Domino fructus percipere. Vnde S. Bernard. *sermone 3. in natali Domini: Obsecro* (inquit) *vos dilectissimi, considerate diligentiùs quantum fecerit Deus pro vestra exhortatione, & salute, nec infructuosus inuentus in vobis tam viuus & efficax sermo, non tam oris, quam operis. Putatis, fratres, parum mihi molestum esse, si hoc ipsum verbum quod nunc loquor ad vos, sermonem vacuum, & sine aliqua vtilitate deperire in cordibus vestris nossem? & quis sum ego aut quis est hic sermo meus? si hunc tantillum vocis laborem inutilem esse doleret homo pusillus, imò & nihili; quam iustiùs indignabitur Dominus maiestatis, si tantam eius operam, nostrâ aut dwitiâ, aut negligentiâ contingat euacuari? Auertat hoc à seruis suis, qui pro eorum salute induere formam serui & sanguinem fundere dignatus est.* Ita ille.

PROP. IV. *Natus est nobis Christus vt nos à peccatis sanaret.*

PAssionem Christi excessum vocat Euangelista Lucas. excessus hic exitum significat, exitus fuit à vita ista, seu mundo, & à Hierusalem in montem Caluariæ, & ab eo quod tantam maiestatē decere apud homines videbatur: & ideo iure excessus dici potest. Excessit enim ibi amor Christi in nos, quatenus plùs nimiùm fecit, quàm nobis ad redemptionem opus erat. Vt si quis pro lapide pretioso, qui mille nummos aureos valet, centum millia exhiberet, excederet in tali pretio; sic licèt anima nostra gemma pretiosa sit, vnica tamen sanguinis Christi gutta, seu lacryma vna eius sufficiens erat ad totius generis humani redemptionem. cùm igitur Christus Dominus pro nobis omnem effuderit sanguinem, & honorem, & vitam amiserit, excessum meritò eius passionem possumus nuncupare. Imò & ea omnia quæ in natiuitate, & in circumcisione, & in reliquo tempore vitæ suæ egit, excessus etiam dici potest: nam vnico vagitu suo tempore natiuitatis nos redimere potuisset. voluit autem excessus huiusmodi adhibere vt excessibus suis nostros sanaret excessus, & vt faciat opus suum redemptionis nostræ, peregrinum est opus eius ab eo quod diuinitas requirere videbatur. Cùm enim esse per essentiam suam sit ab æterno, fieri homo in tempore voluit, vt confunderet superbiam nostram, qui cum heri nati fuerimus, & ex nihilo procreati; sic superbimus, ac si ab æterno, & ex natura nostra esse haberemus. præterea cùm immortalis Deus ipse sit, mortalis fieri pro nobis dignatus est, vt confunderet nos, qui cùm mortales naturâ simus, tanquam immortales nos gerimus in hoc mundo. Excessus item in Christo fuit, quòd cùm ipse vbique sit per essentiam, & potentiam, & præsentiam, & à nullo possit capi loco, in præsepio voluit reclinari, & in arcto virginis aluo esse, vt confunderet excessum hominis, qui cùm paruo quodam loco contineatur, iam eum totus non capit orbus. Excessus fuit in Christo, quòd cum diues in omnibus sit (ipsius enim omnia sunt) ita egenus factus est, vt non haberet vbi caput suum reclinaret, vt excessum nostrum sanaret, qui cum nudi nati simus, terras mariaque penetramus, vt diuites efficiamur. Præterea excessus Christi videtur, quòd cum sit Dominus vniuersorum & rex Regum, & Dominus dominantium, se ita demiserit, vt dicat: Non veni ministrari, sed ministrare, & ita ad pedes Apostolorum genuflexus, eorum lauerit pedes. itáne hoc diuinam decebat maiestatem, & dominationem? ita, vt tali excessu, excessum nostrum dominandi temperaret, nos serui inutiles sumus, & super alios volumus dominari. sic igitur Deus noster sua humilitate nostram superbiam, & sua paupertate nostram auaritiam, & sua patientia nostram iracundiam, & sua charitate nostram inuidiam, & suis laboribus nostras delitias, & solicitudine sua nostram de salute nostra negligentiam voluit sanare.

In tribus nostra consistit perfectio, in Dei videlicet cognitione, dilectione, & imitatione: qui enim bene Deum agnoscit, amat, & in actionibus suis imitatur, perfectus est vir. Ad hæc autem tria maximè Dei aduentus ad nos conducit.

Primùm ad Dei cognitionem plurimùm rerum creatarum prodest cognitio: *Inuisibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Sed tamen scientia hæc diuinorum non omnium est, sed philosophorum, & sapientium virorum, qui sciunt rerum causas: felix autem qui potuit rerum cognoscere causas. Rudes autem & simplices homines, quorum magna turba est in mundo, minimè causas rerum attingunt: hanc igitur ob causam Deus homo fieri voluit, vt in homine homines meliùs cognoscerent Deum. Vnde Apostolus, *Manifestè*, inquit, *magnum est pietatis sacramentum, quod* 1. *Tim.* 3. *manifestum est in carne.* Quod alij sic transtulerunt, Deus 16. manifestatus est in carne. Quomodo, ais Apostole sancte, manifestatus in carne? imò verò tectus, & velatus magis sub velamento carnis fuisse videtur: hæc enim de caussa, inquit Isaias: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Iſrael saluator.* & rursum, *Quasi absconditus vultus eius, &* 15. *&* 53. *despectus, vnde nec reputauimus eum.* Quid enim maiestari 3. Dei cum præsepio, & cruce? quid sapientiæ diuinæ cum infantia? quid omnipotentiæ cum fascijs puerilibus? quid gloriæ Dei cum stabulo, & ignominia passionis? quid diuitijs diuinis cum paupertate Christi? quid Deo impassibili, immortali cum temporali? quid denique Deo cum homine vt homo factus melius à nobis cognoscatur? & tamen ita est, dicente & canente in præfatione Ecclesia, quia per incarnati Verbi mysterium noua mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit: nam cognoscitur bonitas in maiestate occultata.

PROP. V. *Christus natus vt amicitiam nostram contraheret.*

SImilitudo (vti sapiens quidam asseruit) est causa amoris. Vnde Ecclesiasticus: *Omne animal diligit si-* Cap 13. *bi simile, & omnis homo proximum sibi*, ob hanc igitur ra- 19. tionem Deus, qui amor per essentiam suam est, cùm amare & amari simul ab homine vellet, cum ad imaginem, & similitudinem suam creauit, & statim amicitiam cum eo contraxit, & charitatem supernaturalem ei tribuit: homo verò, dæmone interueniente, in Deum peccauit, & ita charitatem, & amicitiam illam amisit, & similitudinem illam Dei, quæ veluti fundamentum amoris Dei in illum, & ipsius in Deum erat, obliterauit. Deus autem iterum amicitiā hominis captans, similitudinem, quæ, vt diximus, velut causa, seu fundamentum amoris, & amicitiæ est, reparare decreuit miro quodam artificio ac modo. in hominis quidem formatione hominem ad imaginem & similitudinem suam fecit; in reformatione ipse Dei filius ad similitudinem nostram factus est homo. Sancti Augustini obseruatio ista est, *sermone* 4. *de Natiuitate Domini, Ab initio*, inquit, *nascentis mundi, creauit nos Deus ad similitudinem suam; ecce in hac die, mutata vice, factus est Deus ad similitudinem nostram. in primis de suis contulit meliora, in secundis de nostris inferiora suscepit.* S. Augustinus & Apost. *Hoc Philip.* 2. *sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei* 5. *esset, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus est.* Meritò quidem Isaias dixit: *Notas* Cap. 12. *facite in populis adinuentiones eius.* Nónne adinuentio mi- 4. rabilis fuit exinanitio ista Dei vsque ad similitudinem nostram? Quid eā Dominus intendebat? quid intendere poterat, qui amor est, nisi amare simul, & amari? *Deus*, inquit Ioannes, *charitas est*: quid potest intendere lux nisi lucere? quid ignis, nisi accendere? quid charitas, & amor nisi amare, & amari? Et quidem quod est amare, verè ac plenè assecutus est, tot tantaque eius præstitit amor in nos postquam pro nobis homo factus est, vt Iudæis scandalum visum fuerit, gentibus autem stultitia. Denique *maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis*: hoc pro nobis efficit amator noster Iesus. Secundum restat, vt & nos eum ex toto corde amemus, qui similis factus est nobis, quique vsque ad mortem amauit nos, mortem autem crucis. Vę nobis miseris, quis, quæso, ex nobis est, qui, vt par est, tantùm diligat dilectorem? quod ante incarnationem, & mortem eius, non ex toto corde homo diligeret Deum, grauissimâ pœnâ dignus erat; at post incarnationem Dei, & mortem crucis pro nobis,

nobis, cum non diligere, imò eum lethali offendere peccato, quibus infernorum cruciatibus dignum non erit?

A

Prop. VI. *Christus natus est filius hominis, vt nos filios efficeret Dei.*

S. Leo. Sanct. Leo Papa serm. 6. de Natiuitate Domini: *Ideo filius Dei filius hominis factus est, vt nos filij Dei esse possemus; nisi enim ille humilitate descenderet, nemo ad illum vllis suis meritis peruenire et.* Ita S. Leo. Pondera verbum illud *possemus*, non ait, vt de facto eo ipso quòd filius Dei factus sit homo, nos omnes per gratiam Dei iam etiam simus filij Dei, sed *possemus*; qui loquendi modus est Euangelistæ Ioannis c. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Recipimus eum per fidem, sed vt simus filij Dei per gratiam, non satis est fidem habere, sed oportet nos ex parte nostra requisita præstare, per Sacramentorum perceptionem, & vitiorum expulsionem, & virtutum operationem, &c. Ideo quamplures effectu natiuitatis Christi minimè fruuntur, quia quod in se est, non præstant.

Ioan 1. 12.

B

Prop. VII. *Christus natus est, vt dux vitæ nostra esset.*

Celebris fuit apud Priscos, breuis illa Græcorum Sapientum sententia, quæ sic se habet: *Sequere Deum.* Viderunt enim Sapientes illi hominem ita inconsideratum, rationis inopem, expertemque consilij, & in his omnibus quæ ad ipsum valde pertinebant, adeò temerè & imprudenter se gerentem, vt iudicauerint necessarium, præbere ei ducem, cuius ille consilio, doctrinâ, atque institutione regeretur. Ad hoc autem munus præstandum, nullum alium aptiorem, quàm Deum inuenerunt. quapropter hoc consilium homini datum est à Sapientibus: *Sequere Deum.* Antequam verò immortalis Deus humanam naturam indueret, difficile quidem erat homini illum sequi, cùm corporeis oculis cerni non posset, eiusque consilia, & arcana abstrusa essent omnino atque abditissima, sed diuinâ iam clementiâ, ac misericordiâ permotus Deus, sciens ad nostram salutem habere multum ponderis ac momenti, si ipse exemplar ad imitandum nobis proponeretur, decreuit nostram humanitatem assumere. Quod non minùs venustè, quàm acutè D. Aug. his verbis explicuit: *Deus sequendus erat, qui videri non poterat; homo sequendus non erat, qui videri poterat. Vt ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* Hæc ille. Sed plurimum profectò Deo Opt. Max. debemus, qui propter hominum commodum, & vtilitatem, tam arduum, ac laboris plenum negotium suscepit.

C

Serm. 9. de Nat. Dom.

Mirum sanè est videre Deum, factum hominem ducem; ipsos verò homines deuios, & à recta via desistentes, ac remotos incedere, eò quòd sequi nolint tanti tamque diuini ducis vestigia. Multi sunt ex Christianæ religionis assertoribus, qui se Christum sequi iactant, sed perpauci sunt qui reuera illum sectentur. Qui quidem nomine Christiani, sed re mundani potiùs appellandi sunt, cùm opere, ac factis ipsum mundum insequantur, eidemque studiosissimè inseruiant. Sed huius rei causam si inquiras, illam esse reperies, quòd Christus Dominus per vias asperas ac difficiles ducit; mundus verò per semitas voluptatum ac deliciarum plenas; Christus per egestatem, mundus per diuitias; Christus per lacrymas, mundus per risus; Christus abstinentiam suadet, mundus ad ebrietatem mouet; ad vestes asperas Christus, mundus verò ad lenes, ac molles hortatur; Christus opprobria, iniurias atque ignominias ostentat, gloriam autem, honorem & dignitates mundus pollicetur. Quibus ante hominum oculos positis, maior eorum pars Christum Dominum, ac seruatorem nostrum deserit, & mundum subsequitur cum principibus illis, quos D. Ioannes se vidisse refert sectantes Babylonem. Quippe quia circumdata erat purpura & coccino, & inaurata auro & lapide pretioso, & margaritis, habens populum aureum in manu sua.

D

Quòd si homines ratione, ac consilio ducerentur, non admodum difficilè iudicarem, eis persuadere, multò meliùs cum illis esse agendum, si Christi inopem & egenum, quàm mundum diuitem ac locupletem sequantur, cùm mundus terrena, & caduca; Christus verò æterna, ac cœlestia bona promittat. Videns sanctissimus Elias Israelitas modò Deo, modò Baal cultum, veneration emque adhibere, congregato omni populo, inquit: *Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* Vt deturpanè Elias, tanquam firmum & constans fundamentum habuisse illud, quod nos initio huius discursus proposuimus, nimirum, sequi Deum: quis tam erit insanus, ac mentis expers, qui repudiato Deo, eius hostem, ac aduersarium sequatur? Mundus verò contrarius Deo est, quem ipse Deus se oppugnasse dicit, cùm ait: *Ego vici mundum.* Si ergo mundum superauit, aduersarius illi profectò est. quis igitur tam à sanitate mentis erit alienus atque ita obcæcatus reperietur, qui Deum deserat, vt contrarium illi subsequatur? *Si Baal Deus est*, inquit Elias, *sequimini eum, & si Dominus Deus est, sequimini illum.* Idem ego in præsenti auditorium propono: Si mundus Deus est, insequamur eum; si autem Christus, sequamur, & amplectamur illum. At Christus ingreditur viam difficilem, asperam, multisque difficultatibus plenam; sed certè satis est, Christum huius viæ ducem se præbere, vt quilibet forti ac constanti animo dicat: *Magister, sequar te, quocumque ieris.* Id enim tutum, id ad vitam est.

E

Insequebantur Israelitæ columnam, & nubem illos ducentem per iuga aspera & auia, montesque præruptos, eò quòd summus Deus nubem & columnam illam regeret, & ad promissionis terram dirigeret eos: nos verò Christum Dominum ducem, ac præceptorem nostrum non sequemur, qui ipsemet Deus est, & in cœlum ducit?

Excellens fuit illud promissum in Esaia à Deo factum, *Et erunt*, inquit, *oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures audient vocem post tergum monentis; hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Non promittit Deus ductorum se Israelitas per vias voluptatis, honoris & lætitiæ, sed illos habituros esse magistrum, ducemque cœlestem, qui eos rectà ad beatitudinem dirigat. Dices, mundi iter à pluribus susceptum esse, illudque, tanquam expeditum, ac facile, à pluribus initum fuisse: sed certè magnæ imprudentiæ est, aggredi viam eorum, qui, licèt plures sint, aberrauerunt tamen, & de via recesserunt: mundus autem ad mortem æternam suos ducit.

Esai. 30.

Monuit olim supremus Dominus suum populum, *Non sequaris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiescas sententiæ, vt à vero deuies.* Prudentum consilium est, multitudinem, si errauerit, non esse sequendam; satius enim est, rectam viam inire cum paucis, quàm cum multis ab illa discedere, & alteri latebrosæ & grassatoribus infectæ, nos ipsos committere. Neque verò Christi Domini via adeò est deserta ac solitaria, vt non sit trita ac conculcata à pluribus Martyribus, Christianæ fidei professoribus, virginibus, aliisque multis fortissimis viris, atque etiam à fœminis admodum delicatis: quorum omnium speciem, ac naturæ similitudinem cùm nos ipsi geramus, cur eorum etiam tutum ac expeditum iter non suscipiemus?

Sum-

Summæ igitur prudentiæ est, metam ac terminum A
vtriusque vitæ considerare, qui à Salomone rectè ita
12. describitur : *In semita iustitiæ vita, iter autem deuium ducit*
ad mortem. vbi duplex iter nobis ostenditur, alterum
virtutis, cuius terminus vita est; alterū vitij, cuius finis
mors est. Cōiungamus igitur in vnum omnes studiosæ
vitæ labores, ærumnas, vigilias, ignominias, dolores, ie-
junia, ac reliqua huius generis incommoda, & in earum
extremitate æternam vitam ac fælicitatem collocemus,
aliunde verò copulemus omnia mundi bona, di-
uitias scilicet, honores, opes, delitias, dignitates, vasa
pretiosa, libidines, aliasque huiusmodi voluptates, scia-
mus tamen illa omnia æterna morte summaque misé-
ria terminari. Quodnam eligendum est? Christi labo-
res cum vita æterna, an mundi voluptates, quæ perpe-
tua morte conficiuntur, seligemus? alteruter um am- B
plectendum est semel, vel æterna vita cum Christi cru-
ce & labore, vel perpetua mors cum mundi voluptati-
bus coniuncta. Sed quàm multos reperies (quod qui-
dem maximè deplorandum est) qui, vt voluptati-
bus temporalibus, ac perituris fruantur, mortem eli-
gunt sempiternam. Quid tua interest, mortalis homo,
vel quòd commodum reportas fimile, vt pluribus an-
nis magis te delitijs dedas, &c. æternos postea crucia-
tus ac dolores maximos perferas? Quid autem pon-
deris, aut incommodi tibi est, quamuis longissimo vi-
tæ tempore in tormētis ac laboribus vixeris, si tandem
perpetuam ac sempiternam gloriam consequaris. præ-
sertim cùm humani generis vindex, ac seruator Iesus,
non solùm nos ducat, viamque quasi digito demon-
stret, sed ipse etiam præcedens, semitas, quas nos su-
mus ingressuri, priùs conculcet? Si enim nobis ostendit
viam inopiæ, ac dedecoris plenam, inopiā ille affectus C
est, & dedecore; si crucis ac laboris iter nobis suscipien-
dum proponit, priùs illud à Christo Domino calca-
tum est, & tritum. Et certè etsi Deus Optimus Maxi-
mus à cœlo & beatitudine sua viam hanc nobis mon-
straret, ac diceret : *Hæc est via, ambulate in ea*, satis
a. hoc esset, vt libenti & grato animo illam ingredere-
mur; quantò magis cùm ipsum Christum intueamur
portantem crucem, ac dicentem : *Qui vult venire post*
6. *me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequa-*
tur me?

Minatur Deus Israelitas non fruituros esse terrā pro-
missionis, quam sub iuramento pollicitus erat Abrahā,
Isaac, & Iacob, sed in itinere vitam amissuros: huius au-
tem rei causam explicuit ipse Deus, dicens: *Noluerunt*
sequi me. Meritò & iure optimo damnati sunt, ne ter-
ram promissionis intrarent, qui Deum ad illam ducen-
tem, insequuti non sunt. Christus Dominus ab editissi-
mo ac cœlesti suæ maiestatis domicilio descendit, ma-
gistrum, & ducem se hominibus præbens, in hoc cœli
itinere perficiendo : quem qui sequi noluerit, dignus D
profectò est, qui in fœlicissimam cœli patriam, Christi
sectatoribus promissam, pedem non inferat. Fexit
Deus Optimus Maximus, ne tanto afficiamur sup-
plicio : ab ipso ergo Deo illud summis contendamus
precibus : Trahe nos post te, & curremus, & salui eri-
mus, &c.

Prop. VIII. *Natiuitate sua Christus mira nobis tradidit exempla rectè viuendi.*

Solet in aurora Solis ortus mundum lætificare. no-
cte quidem tenebris cuncta obscurantur, silent,
tristantur, horrent; at oriente Sole nubes, quæ noctem
tristiorem obscuritate sua efficiebant, nouo quodam
splendore rubicundè lætari, & lætificari videntur,
Quando sale el Sol bordando los Cielos, recamando las nubes, y
esmaltando los ayres, y al fin illustrando la tierra, y todo el
hemispherio : sic cœlum, & elementa lætantur, flores iti-

dem, quæ nocte marcescunt, in aurora veluti reuiui-
scunt, aperiuntur, virescunt, quo hilaritatem præ se fe-
runt arbores rore aspersi : *Como sembrados de aliofar,*
nouo quodam ornatu apparent, aues item, & passerculi,
è ramis pendent canentes, ac iubilo aërem & cantibus
mellifluis replent, infirmi, qui per totam noctem febre,
ac dolore laborantes, diem peroptabant, in Solis ortu,
quantùm ægritudo id ferre potest, lætantur, homines
reliqui fenestras, & portas, quas nocte clauserant,
aperiunt dici, & se mutuis salutationibus consalutant:
Buenos dias di, omnia luce videntur exultare. denique
oriente Sole claritate sua rerum omnium species, &
formas reddit lætiores, & nitidiores, omnia nitent,
omnia splendent, vrbes, agri, montes iucunditate
quadam suauitateque perfusi, multò nitidiores gestire
videntur.

Tunc multitudo, & varietas, & pulchritudo rerum,
quæ latebant in tenebris, ornatus camporum, amæ-
nitates vallium, oblectamenta hortorum, & aqua-
rum cursus, Solis splendore nostris oculis gratissima
sunt.

Sed quæ nos ita lætificat lux solis, ad laborem pari-
ter vocat, & euocat à nocte : audi Psalmist. *Posuisti te-* *Psf.103.*
nebras, & facta est nox : in ipsa pertransibunt omnes bestiæ *20.*
syluæ, catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo
escam sibi. Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus
suis collocabuntur. Quid vltra? *Exibit homo ad opus suum, &*
ad operationem suam vsque ad vesperam. Ecce quid propter
lucem Solis teneatur efficere homo, exire debet ad
opus suum, & ad operationem suam vsque ad vespe-
ram; agricola ad excolendos agros suos, pastor ad pa-
scendum gregem, viator ad perficiendum iter, merca-
tor ad mercium negotium, &c.

Nunc ad rem nostram veniamus. Ortus est Sol iu-
stitiæ Christus Deus noster, & hæc ipsa duo per ipsum
præstita sunt; lætitia magna perfusa est vniuersa terra,
ait Angelus ad Pastores, *Euangelizo vobis gaudium ma-* *Luc.2.*
gnum, quod erit omni populo. Optimè hoc sic interpretatur
S. Leo : *Non est fas locum esse tristitiæ, vbi natalis est vitæ,*
quæ consumpto mortalitatis timore ingerit nobis de promissa
æternitate lætitiam. Ita ille. Rationem lætitiæ obserua:
gaudemus nos in principis nostri natali, quia regem il-
lum fore speramus; qui regnum nostrum in pace
regat, & ab hostium nos incursibus tueatur, & ita vi-
tam agamus tranquillam. Sed qualis tranquillitas hæc
vitæ breuissimæ, & ærumnis plenæ, quantumuis eam
reges tueantur? gaudium autem plenum in natali
Christi, à quo æterna vita nostra, qui mortem nostram
animæ, & corporis moriendo destruet, & vitam corpo-
ris & animæ resurgendo reparabit: vnde rectè subdit S. *Leo.*
Leo, *Exultet sanctus, quia approximat ad palmam, gaudeat*
peccator, quia inuitatur ad veniam. Ita ille.

Expressit etiam gaudij rationem Isai. 9. *Lætabuntur,* *Isa 9.3.*
inquit, *coram te sicut lætantur in messe, sicut exultant victo-* *Simile.*
res capta præda, &c. Agricultores non gaudent in seren- *Psa125.6.*
dis agris, *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua*, sed
gaudent dum *veniunt portantes manipulos suos.* Christus
Dominus panis noster est: olim in patriarchis erat in
semine. *Dar nos Patriarchas fue sembrar nos a Christo,*
que se llama grande trigo. Nunc iam in messe Chri-
stus est: olim hostis genus vexabat humanum, sed iam à
duce Christo nato victus est, Igitur gaudere nos opor-
tet, & sicut agricolæ in messe lætantur, & sicut victores
captā prædā, iam enim annuntiatur ab Angelis pax, vi-
ctoria ab hoste mirabiliter reportata.

Sed non nobis in solo sistendum gaudio, sed sicut
orto Sole exibit, ait, homo ad opus suum, & ad opera-
tionem suam vsque ad vesperam; sic Christo iustitiæ
Sole orto, exeamus oportet. Opera nostra voco ea,
quæ ad vitam conducunt æternam: hæc enim nobis-
cum hinc proficiscentur, reliquis cum mundo rema-
nentibus. Homo, cùm interierit, non sumet omnia,

nihil, nec filum vllum ex omnibus, quæ habet : non igitur hæc tua voces, sed mundi : nostra sunt, quæ nobiscum deferre poterimus, vnde opera nostra sunt, quæ ad huiusmodi bona acquirenda conducunt. Exeat igitur iam, orto Sole nostro, ad opus suum : *Nox præcessit*, ait Paulus, in quo bestiæ, & feræ, Scribæ & Pharisæi, agnum Dei dilaniauerunt. *Nox præcessit* ; sicut enim in nocte ad summum stellæ & planetæ lucent, quæ tamen non valent fugare noctem, & efficere diem ; sic vsque modo nox præcessit, in qua stella fuit Abel, qui religionis radium emisit, dum ita accuratè obtulit sacrificia, vt respiceret Dominus ad ipsum, & ad munera eius. Stella fuit Noe, quæ radios timoris Dei emisit, dum inter innumeros peccatores ad eum Dominus ait : *Te vidi iustum coram me ex omnibus gentibus*. Stella Abraham, in quo fides eluxit, stella patientiæ Iob, stella castitatis Ioseph, stella mansuetudinis Dauid, qui dicere valuit: *Si reddidi tribuentibus mihi mala*, quod & operibus confirmabat : stella zeli diuini honoris Moyses. Sed adhuc nihilominus nox erat : nunc verò ortus est Sol, Sol lucet, dies igitur est, præcessit Lucifer Ioannes Baptista, super montana Iudææ apparuit, & Solis nuntiauit ortum, orta est aurora Maria, denique ortus est Sol, dies est.

Rom. 13. 12.

Gen. 7. 1.

Psal. 7. 5.

Iam dies est, *induamur arma lucis*, non arma ferrea, sicut nocte deferre solent viatores, qui ferarum timent incursus, sed arma lucis, quia cum principibus tenebrarum nobis res est, luce veritatis pugnandum est. Tenebræ sunt arma hostis, & maxima est potestas tenebrarum : vide quid non apud infideles obscuritas mentis possit, armis lucis tibi pugnandum est : ad peccatum te hostis impellet, scuto verò *te circumdabit veritas eius*. Dic tu inimico, quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum, qui pro me homo fieri, & in stabulo nasci, & in præsepio reclinari hodie pro me voluit ? Quomodo pro vilibus mundi bonis bonum gloriosum & æternum commutabo ? & cætera.

Psal. 90. 5.

Exeamus igitur ad opus nostrum : ad quod opus nostrum ? intuere Christum, qui pro te nasci dignatus est, ipse qui Saluator, ipse & Præceptor, qui docet manus tuas ad prælium, & digitos tuos ad bellum, & qualia debeas opera perpetrare. Vides quàm humilis in præsepio, & vili stabulo iaceat, cui cœlorum thronus vilis reputari deberet. Fac tu similiter : humilis esto : quid enim abominabile magis, quàm pro te regem gloriæ humiliari, vt te humilem esse doceat, te verò vilem homunculum, cinerem cras futurum, superbire ? Vides in media hyeme trementem frigore Deum tuum, & tamen patientissimè ferentem humiliationem, & pœnam, patiens & tu esto. Vides illum pannis inuolutum, cuius indumentum decor, & fortitudo ; tu igitur ne vestes pretiosas quæras : non enim Christi discipulo hæc conueniunt sed luciferi potiùs. Denique ortus est Sol, lux veritatis abundat, recedant opera tenebrarum.

Simile.

Constituerant olim Athenienses ædificium quodam construere sumptuosum, vocati sunt ad hoc præstandum architecti, & artifices periti, inter quos duo potissimùm interfuere, quos de methodo & arte, quæ ad huiusmodi opus requirebantur, publicè coram Senatu dicere iusserunt Senatores. ascendit in suggestum primus, & multa præclarè & eruditè de norma, & artificio illius ædificij disseruit ; alter verò, Cantabrorum more (vt ita dicam) in suggestum ascendens, hoc solum dixit : Patres conscripti, quod iste longa oratione, & multis verbis disseruit, ego exactissimè opere præstabo : quo dicto è suggestu descendit, & omnes rectiùs eũ orasse, & plus obtulisse asseruerunt. Nunc ad rem, Ecclesiam Deus ædificare sibi in terra voluit, omni virtutum genere ornatam : de virtutibus autem & bonis moribus plura & pulchra Philosophi disserunt, definientes, diuidentes, arguentes & concludentes : at in terris apparens Christus Dominus in præsepij suggestum, imò & crucis ascendens, Ego, inquit, opere complebo, & insuper multò plura, quod hi verbis multis disputarunt : quod & perfectissimè adimpleuit. Dicebât enim Philosophi, ad veram virtutis Philosophiam honores mundi & fastus calcandos esse, & Christus Dominus, adeò sine fastu mundum ingreditur, vt Paulus dicere valeat ad Philip. 2. *Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo ; sed semetipsum exinanuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, ac si diceret Deus cùm sit, in tali forma & modo apparuit in mundo, vt homo despectus, & seruilis videatur. Docuerat illi diuitias esse relinquendas ; Christus verò, cùm adsit dies, pro nobis egenus factus est, ita vt vbi necessarium naretur, præter præsepium non haberet. Docuerunt iam Philosophi, delitias ad huiusmodi Philosophiam fugiendas esse, & Christus, vt delitias vitaret, consuluit in hyemis rigore, in frigore & nuditate, & in præsepij duritia nasci voluit, & reliquum vitæ tempus simile fuit. quare merito dicere valuit : Quod illi agendum asseruerunt, ego opere perficiam.

Quòd si Christum ita operantem videmus, quis nostrum illum non libentissimè imitando sequetur ? *Exurge Domine* (ait Dauid Christo Domino) *in præceptum quod mandasti, & synagoga populorum circumdabit te*, hoc est, veni Domine carnem assume, & operare tu, quæ nos operari iubes, & tunc omnis synagoga populorum circumdabit te, omnes populi per imitationem sequentur te. Ita exponit, explicando speciatim humilitatis virtutem, S. Augustinus : Tu Domine iubes nos humiliari, & mundi honores contemnere, exemplo id nos rectiùs persuades, exemplum te nobis humilitatis exhibe, & habebis populum sectatorem. Et quidem id nos facere decet : cuius enim faciem confusio non operiret, si talem non sequatur ducem ? Humiliatur Deus, & non humiliabor ego ? qua fronte me Christianum esse profitebor ? eligit ille paupertatem, & aspera carnis, & ego diuitias, & delitias quæram ? *Vade* (inquit Dauid ad Vriam) *in domum tuam, & ille : Arca Dei & Israël habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab super faciem terræ manet, & ego ingrediar domum meam ; vt comedam & bibam ? per salutem tuam non faciam rem hanc.* Si ergo Vrias delitias renuit, quia Ioab suum ducem extra delitias esse videbat, quid nos facere oportebit, qui Christum dominum in acie militantem, & laboribus, ac doloribus nostri causà circundatum intuemur ?

A

B

C

D

Prop. IX. *Christus in natiuitate sua docuit nos humiliari.*

Gedeon à Domino petijt in signum liberationis populi sui, vt pluuia descenderet super solum vellus : quod & præstitit Deus. quo aduentum Christi Domini significatum fuisse docet Ecclesia, dum dicit in hoc festo : *Sicut pluuia in vellus descendisti, vt salui facres genus humanum*. Quid igitur signum istud nobis significauit ? dicam : pluuia, cùm super nudam terram cadit, strepitum facit, maximè cùm cadit super lapides ; at super lanam insensibiliter cadit. Proculdubio igitur significare voluit Deus, se ad nos sine strepitu, & tacite venire, non sicut principes, quorum si aliquis de nouo ciuitatem aliquam ingrediatur, magno cum strepitu, & honorifico apparatu in ciuitatem intrat, maxima seruicet stipante caterua, multis curribus deauratis, &c. Non verò ita Dominus noster, sed eo modo, vt asserre potuerit Isaias ; Verè tu es Deus absconditus : quomodo enim magis potuit abscondere copiam, & abundantiam diuitiarum suarum, quàm sub illa panni papertate, qua erat inuolutus, & maiestatem, quàm sub humilitate, & vilitate stabuli, & præsepij, & omnipotentiam,

tentiam, quàm sub infantilibus brachijs fascijs alliga-
tis, & infinitam sapientiam sub infantili silentio, & de-
nique diuinitatem suam sub humanitate nostra? quis
Deum illum existimasset humano iudicio ductus? il-
lum, inquam, quem ita pauperem, humiliatum, solum
cum Maria & Iosepho, & puerulum recenter natum, &
inter arcta conditum præsepia, vagientem vidisset; vt
nos absconderemus, & nostra dissimulare disceremus.
Commune quippe vitium est, quæ honorifica sunt vel-
le ostentare, diuitias, sapientes sapientiam, nobiles genus suum, potentes potentiam suam; vt ab om-
nibus in admirationem habeantur, laudentur, & glorifi-
centur, quod venenum humilitatis est, & superbiæ fulcimentum, & totius vanitatis occasio. Vnde & anti-
qui sapientes hoc sæpe monebant: *Ama nesciri*: illi qui-
dem verbis, Christus verò Dominus operibus id nos docuit.

Sed tamen obserua, quòd propter huiusmodi humi-
lationem non amittitur honor. vnde S. Bernardus
serm. 45. in Cant. sic de Christo ponderans illa verba
sponsæ. *Ecce in pulcher es, dilecte mi, ecce tu pulcher es*, du-
plicem Christi pulchritudinem considerans, naturalem
scilicet & per amorem in nos, ait: *Quàm pulcher es An-
gelis tuis Domine Iesu in forma Dei; sed quàm mihi decoris
es Domine in ipsa depositione decoris! Etenim, vbi te exinani-
sti, ibi pietas magis emituit, ibi charitas plus effulsit, cadit fa-
stus, vbi præualet affectus.* Ita ille.

Reclinauit eum in præsepio, &c. S. Bernard. *Cœlum* (in-
quit hoc Verbum apud Ierem.) *ego impleo, & ter-
ram, nunc verò caro factum, in angusto præsepio locatum est.*
A sæculo, ait Propheta, & in sæculum tu es Deus, & ecce
*factus est infans & vnus. Ad quid hoc fratres? aut quæ ne-
cessitas fuit, vt sic exinaniret se, sic humiliaret se, sic abbre-
uiaret se, Dominus maiestatis, nisi vt vos similiter faciatis?
iam clamat exemplo quod postea pradicaturus est verbo*: Dis-
cite à me, quia mitis sum, & humilis corde. *vt verax in-
ueniatur qui dicit:* Cœpit Iesus facere & docere. *Obsecro
proinde, plurimumq, rogo, fratres, non patiamini sine causa
tam pretiosum exemplar vobis exhibitum esse, sed conforma-
mini illi, & renouamini spiritu mentis vestræ, studete humilita-
ti, quæ fundamentum est, custosque virtutum. Quid autem ma-
gis indignum, quid detestandum amplius? quid grauius pu-
niendum, quàm vt, videns Deum cœli paruulum factum, appo-
nat vltra homo magnificare se super terram? Intolerabilis
impudentiæ est, vt vbi sese exinaniuit maiestas, vermiculus in-
flietur, & intumescat. Hoc igitur est propter quod exinaniuit se,
formam serui accipiens, qui in forma Dei Patri æqualis erat.*
Ita Sanctus Bernardus.

In præsepio Deum reclinari, quis non miretur, quis
non obstupescat? *Domine*, ait Habacuc, *audiui auditionem
tuam, & timui*: vbi Septuaginta legerunt, *Domine audiui
auditum tuum, & timui: Domine consideram opera tua, & ex-
paui: in medio duorum animalium cognosceris*, hoc est, in sta-
bulo, vbi hæc animalia commorabantur, in præsepio
quodam iuxta duo animalia. Hinc stupet Propheta,
hinc in quandam ecstasim raptus, expauit, tam humili
loco iacentem illum, quem viderat Isaias sedentem su-
per thronum excelsum & eleuatum, illum, inquam,
quem cœli capere non possunt, cuiusque thronus esse,
cœlum empyreum in tota amplitudine & pulchritudi-
ne sua, dignum non est, in stabulo exiguo commoran-
tem, & in angusto præsepio recumbentem. cur ita Do-
mine? cur sic humiliari voluit maiestas tua? Nolo mi-
hi rationem assignent Ambrosius, vel Hieronymus, seu
Augustinus, vel alij ex Doctoribus sacris, loquatur ip-
se, qui fecit, & dicat: *Discite à me quia mitis sum, & humi-
lis corde*, vt discamus, vel à Deo ipso. humiliari: sic hu-
miliari voluit ipse, vt mundi honorem, & ab alijs co-
gnosci, & æstimari fugiamus. Vnde rectè S. Bernard.
*In stabulo nascitur Christus, & in præsepio reclinatur: nonne
ipse est, qui dicit: Meus est orbis terra, & plenitudo eius?
Quid ergo stabulum elegit? Planè vt reprobet gloriam mundi,
damnet sæculi vanitatem. Necdum loquitur linguâ, & quæ-
cumque de eo sunt, clamant, prædicant, euangelizant.* Ita S.
Bernard.

Sed tamen non ideo existimare debemus, nos ideo
omni honore & gloria fore priuandos, quia gloriam
& honorem mundi vitamus: honor enim verus ex hu-
militate procedit: contemnit vel etiam ipse mundus
superbos, & humiles honorat. meritò enim vmbræ
comparatur honor, quæ sequentes se fugit, sequitur fu-
gientes. Quod in hac eadem Christi natiuitate idem S.
Bernard. obseruauit. *Tacet, inquit, Christus, non se extollit, non magnificat se, & ecce, & annunciat eum Angelus, & lau-
dat multitudo cælestis exercitus. & tu ergo, qui Christum se-
queris inuentum absconde thesaurum, ama nesciri, laudet te os
alienum, sileat tuum.* Ita Sanctus Bernardus. *Eodem serm. 3.*

Psal. 17. *Inclinauit cœlos & descendit, & caligo sub pedi-
bus eius.* S. Hieron. & alij locum hunc de aduentu Chri-
sti interpretantur. vbi duo notanda occurrunt, Pri-
mum est, quòd quando Christus Dominus carnem as-
sumpsit, secum cœlos inclinauit, ipse se in terram inclinauit & secum cœlos. quomodo cœlos inclinauit? S. Hieron. sic respondet: *Cœli sunt Angeli, qui inclinati sunt, quando venit Christus carne velatus.* Ita ille. Ita quidem, quia tunc facta est multitudo cælestis exercitus can-
tantium & dicentium: *Gloria in altissimis Deo*, &c. Inclinauit igitur Christus tunc ad nos velocitatem Angelo-
rum, Principatuum excellentiam, Thronorum maie-
statem, Cherubinorum scientiam, & Seraphinorum cha-
ritatem. Inclinauit ad nos etiam potentiam Patris & amorem Spiritus sancti: inclinauit ad nos sedes illas, quas præ altitudine contingere non poteramus. Quid igitur cælestium secum ad nos non inclinauit? Sit ille in sæcula benedictus. *Psl 17.10. S. Hier.*

Sed non contenta maiestas illa tanta, quòd sic se per
incarnationem voluerit inclinare, iterum se inclinauit
magis. Audi Euangelistam: *Et reclinauit eum in præsepio:*
non ait, *inclinauit*, sed *reclinauit*: reclinare autem idem
est, quod iterum inclinare, & quidem non solùm ite-
rum, sed amplius se inclinauit, quàm per incarnatio-
nem, quando vsque ad vile tugurium, & vsque ad præ-
sepium, se inclinauit. Cur se adeò inclinauit? etenim
vt nos pariter inclinaret: clamat exemplo quod postea
prædicaturus est verbo, humiliat se modò, vt nos se-
cum humiliet, vti ait Sanctus Bernardus. *S. Bern.*

Prop. X. *Christus in natiuitate sua docet nos spernere delicias.*

Sanct. Bernard. *Diligenter considera, ait Sapiens, quæ ap-
ponuntur tibi. Et ego quidem agnosco mea esse natiuitatis
huius tempus & locum, infantilis corporis teneritudinē, & par-
uuli lachrymas & vagitus. Mea sunt hæc, pro me faciunt, mihi
apponuntur, mihi proponuntur imitanda. Hyeme natus est, nocte
natus est. Nunquid cred. mus casu factum, vt in tanta aëris in-
clementia & in tenebris Christus nasceretur, cuius est hyemis
& æstas dies & nox? Nūquid eligunt paruuli cateri? Non eli-
gūt paruuli quādo nascuntur, quibus nullus subest rationis vsus,
& nulla eligendi libertas: Christus verò, etsi homo erat, erat ta-
men in principio apud Deū, & Deus erat eiusdē, cuius nunc est,
sapiētiæ, & potestatis, vtpote Dei virtus, & Dei sapiētia. Nasci-
turus itaque Dei filius, cuius in arbitrio erat quodcumque vellet
eligere tempus, elegit quod molestius esset, præsertim paruulo, &
pauperis matris filio, quæ viles pannos haberet ad inuoluen-
dum, præsepe ad reclinandum, & cum esset tanta necessitas,
nullam audio pellium fieri mentionem. Primus Adam pellicea
tunicis vestitur, pannis obuoluitur secundus. non est tale indu-
cium mundi, aut iste fallitur, aut mundus errat: sed diuinam
falli impossibile est sapientiam, meritò proinde carnis pruden-
tia inimica est Deo, & sæculi prudentia illudit ita nominatur.
Christus igitur qui non fallitur, eligit quod carni molestius est:
id ergo melius, id vtilius, id potius eligendum est, & quisquis
aliud docet, vel suadeat, ab eo tanquam à seductore cauen-
dum.* Ita S. Bernard. & meritò: nam rerum æstimatio *Eodem serm. 3.*

ex peritis in qualibet arte sumenda est. quantum admas, vel margarita, vel alius quiuis lapis valeat pretiosus, ex lapicidæ alicuius periti iudicio desumi solet: quale aurum, qualeve sit argêtum, ex argentariorum & aurificum æstimatione æstimamus. Qualia igitur sint vera nostra bona, & quæ illorum vtiliora nobis, à quo melius, quam à Deo ipso rerum omnium artifice, & creatore capere valemus? Ille igitur elegit labores, & cruciatus, & crucem, & propositò sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, & diuitijs & delitijs & honoribus mundi huius pariter spretis: vtiliores igitur nobis labores, & cruces, & mortificationes carnis,

Ibid. quàm sæculi bona. *Malum ergo voluptas corporis* (ait S. Bernard.) *bonum verò afflictio est: siquidem & hanc elegit,*

Simile. *& illam reprobat puer sapiens, verbum infans.* Ita ille. Si colligere volens ficus, vides aliquam à passeribus esse tactam, eam maturiorem & dulciorem esse iudicabis, quia opus naturæ illud est, & opus naturæ opus est intelligentiæ, intelligentiæ scilicet increatæ, opera quæ dirigit natura. Cùm igitur sine ambagibus his videas Deum ipsum eligere paupertatem, & negligere diuitias, eligere stabulum, & relinquere regiam, eligere præsepe, & relinquere cunas aureas, eligere frigus, & aspera carni, & relinquere mollia & pretiosa mundi, quidni dicas, hæc igitur nobis vtiliora sunt, maximè cùm Christus Dominus hæc omnia in exemplum nostrum fecerit? nam, vt ait idem S. Bernard. *Christus cla-*

In sua natiuitate. *mat exemplo quod postea prædicaturus est verbo:* quare meritò inuehitur. S. Bernard. in mundanos, qui non quæ Christus elegit, eligunt, sed contraria prorsus, *vbi* inquit, *sunt qui tam impudenter ostentare gestiunt semet ipsos, Christus elegit, quod salubrius iudicauit, & vos eligitis quod reprobat ille. Quis prudentior è duobus? cuius iudicium iustius? cuius sententia famor?* Ita S. Bern. Butyrum ergo, & mel comedit Christus, id est, factus est puer sicut alij qui talia comedunt: factus est homo sicut nos, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum, hoc est, scire faciat nos quid à nobis eligendum, quid reprobandum à nobis sit, & qui sequitur Christum, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

Omnis Christi actio nostra est instructio, sicuti ait S. Gregor. & quidem non solùm actiones Christi, quando iam homo erat in virili ætate constitutus, id præstabant, verùm etiam cùm adhuc infans & recens natus esset: quare quid Christus infans fecerit, & passus fuerit, & elegerit, videamus. Quid igitur in præsepio Christus agebat? *Vagit infans, inter arcta conditus præsepia*, canit Ecclesia: cur vagiebat, cur plorabat? S. Bern.

Supra. Serm 3. in natiu. Christi. *Plorat Christus infans sed non sicut cæteri, aut certè non qua ratione cæteri solent, in aliis pueris sensus, in Christo prænulet affectus: patiuntur illi, non agunt, vtpote ne ipsius voluntatis vsum habentes: illi ex passione lugent, Christus ex compassione; illi iugum graue quod est super omnes filios Adæ, Christus filiorum Adæ peccata deplorat, & certè pro quibus nunc lacrymas fundit, postea & sanguinem fundet.* Ita S. Bern. Propter peccata igitur nostra plorat Christus, vt lacrymis suis pro peccatis nostris satisfaciat Patri: tales enim culpæ, talem luctum exigebant, *con tales lagrimas está llorado el pecado como el merece.*

Sed non solùm vt pro peccatis nostris satisfaciat Christus plorat, verùm etiam vt lacrymis suis lacrymas

Ibid. excitet nostras. Vnde S. Bernard. *Age pœnitentiam homo, quia per hanc appropinquat regnum Dei: hoc tibi prædicat stabulum, hoc clamat præsepe, hoc lacryma & vagitus Christi euangelizant. O duritia cordis mei, vtinam Domine, sicut verbum caro factum est, ita & cor meum caru fiat: siquidem & hoc pollicitus es per Prophetam.* Auferam à vobis cor

Ezech. 11.19. lapideum, & dabo vobis cor carneum. *Fratres, lacrymæ Christi mihi & pudorem parinnt, & dolorem. Lugebam ego foris in platea, & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur indicium mortis: audiuit hoc vnigenitus eius, & exiit vestitus sacco, aspersus cinere caput, nudus pedes & flens, & eiulans,*

A *quòd morte damnatus esset seruulus eius. Intuetur illum sub-ò procedentem, stupeo notitatem, causam percunctor, & audio. Quid facturus sum? adhuc ludam & deludam lacrymas eius? Plane, si infantus sum, & mentis inops sum, non sequar eum, nec simul cum lugente lugebo. Ecce vnde pudor, dolor, & timor. Compatitur filius Dei, & plorat, homo patitur & videbit.* Ita S. Bernard. Pudeat igitur nos fratres Christi-

ibid. stum pro nobis lugentem, siccis oculis considerare, plorat ille pro me, & ego pro me non plorabo? & quidem si lacrymæ eius absque lacrymis meis sufficerent ad salutem, non mirum me non plorare: at satisfactio eius pœnitentiam meam non excludit, sed includit: siquidem qui creauit me sine me, non saluabit me sine me. Plorat igitur Christus, vt ploremus, & sequantur vberes gia eius: aliàs enim iustissima erit in nos Christi querela. Vnde S. Bernard. *Obsecro vos dilectissimi, considerate diligentius quantum fecerit Deus pro vestra exhortatione, vestra salute, ne infructuosus inueniatur in vobis sermo Dei: vnus, sermo fidelis, & omni acceptione dignus, sermo non tam verus, quam operis. Putatis fratres parum mihi molestum esse, si hic ipsum verbum, quod nunc loquor ad vos, perire in cordibus vestrus nossem? & quis ego sum? aut quis est hic sermo meus? quòd si hunc tantillum vocis laborem inutilem esse dolerem homo pusillus, quam iustitus indignabitur Dominus maiestatis tantam eius operam nostrâ negligentiâ euacuari contingat?* Ita Sanctus Bernardus.

Prop. XI. *Christus natiuitate sua nos ad salutem nostram procurandam vrget.*

Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Idipsum Angelus pastoribus: *Natus est vobis hodie Saluator mundi.* Locum hunc Isaiæ sic expendit Bernard. No-

B bis natus est, non sibi, qui ante tempora multò nobiliùs natus ex patre, nasci temporaliter non indigebat ex matre. Non Angelis quoque, qui cùm illum magnum haberent, paruulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis & datus: quia nobis necessarius. Iam de nobis nato & dato faciamus id, ad quod natus & datus est. Vtamur nostro in vtilitatem nostram, de Saluatore salutem operemur. Ecce paruulus coram nobis statuitur. O paruulus paruulis desideratus! O verè paruulus, non malitiâ, sed sapientiâ, Studeamus efficisicut paruulus iste, discamus ab ipso, quia mitis est, & humilis corde; ne magnus videlicet Deus sine causa nobis factus sit homo paruulus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus. Discamus eius humilitatem, imitemur mansuetudinem, amplectamur dilectionem, communicemus passionibus, lauemur in sanguine eius, ipsum offeramus propitiationem pro peccatis nostris: quoniam ad hoc ipse natus, & datus est nobis, Ita S. Bernard.

Prop. XII. *Christus natus pœnitentiam non agere docet.*

Christus Dominus, non solùm redemptor, verùm etiam præceptor noster fieri voluit. *Venit* (inquit S. Bernardus *sermone 3. de Circumcisione,*) *Dominus præpter nos, non solùm redimendos sanguinis effusione, sed & docendos verbis, & exemplis nihilominus instruendos. Sicut enim penitus erat inutile viam scire, si detinerenur in carcere, sic redimi non prodesset, si viæ ignaros qui primus inuenisset, primus reduceret in carcerem retrudendos.* Ita ille. Vbi imaginatur sanctus aliquem hominem apud hostes captiuum, quem diues aliquis pius fuis redimeret pecunijs, vt liber in patriam redire posset, si is viam in patriam ignoraret, egeret quidem duce aliquo qui viam illi demonstraret. captiuus detinebatur homo, & vinculis peccatorum suorum constringebatur, sed misericordiâ motus

motus Dominus, ad eum à captiuitate liberandum ve- A
nit; sed quia viam patriæ cœlestis homo ignorabat, operæ pretium fuit ductorem aliquem illi assignare, qui viam cœli ostenderet illi; hoc etiam propter bonitatem suam eum Dominus ipse docere verbis voluit & exemplis, sicut itineris dux, qui simul cum comite quem dirigit, & coram ipso vadit, iter gressibus suis ostendens; sic Dominus noster cœli viam nobis manifestat.

Ideo quidem, cùm primùm natus est, in præsepio voluit reclinari: *homo enim cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis*, iumenta autem fœno, in præsepe misso, aluntur: Verbum autem, dum caro factum est, fœnum pariter factum est. Nam *omnis caro fœnum*, vnde Christus in præsepio est fœnum: nobis positum ad vescendum: vescimur autem & alimur illo, cùm eius exempla sectamur, in præsepio autem plorans, & frigus & duritiam illam patiens pro peccatis nostris, quid nos in satisfa- B
ctionem peccatorum nostrorum oporteat facere, docet. Si enim Deus ipse pro te sic pati non dubitat, pro te ipso quid facere te oportet?

Prop. XIII. *Christi natiuitas nos ad petendum & sperandum inuitat.*

S Anct. Bernard. *serm. 1. de Epiphan. Ad orandum Christum recenter natum inde nos prouocat, quòd Christus Dominus puerulus pro nobis factus apparuit. Quis, inquit, nesciat quod puer facile donet?* princeps puer ferre quidem præ manibus solet puerilia quædam, quæ nos Hispani *diges* appellamus: in principe autem hæc solent esse argentea, aurea, & lapides pretiosi. hæc si ab eo postulaueris, facilè tibi concedet: quis enim nesciat, quòd puer facilè donet? Hodie cœlorum princeps puer apud nos demonstratur, iocalia eius, quæ manibus defert, quænam sunt? Ecclesia respondet in hoc festo, dicens: *Regnum in manu eius, & potestas, & imperium*, regnum scili- C
cet cœlorum, *potestas*, quam nobis confert, illa est, de qua Ioan. 1. 12. *Quotquot autem receperùt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri*, &c. *imperium* autem, quod Christus attulit nobis, est super dæmones, mundum, & carnem, vt scilicet supra diaboli vires, & tentationes, & supra mundi vanitates, & occasiones, supra carnis cupiditates & passiones, imperium, & dominium habeamus. Sic enim reges, & imperatores erimus in terra, & in cœlo. nihil minus à tanto principe exigere debemus; & quia princeps tantus puer est, obtinebimus. quis enim nesciat quia puer facilè donat?

Prop. XIV. *Christus natus nobis non temporalia bona nobis adduxit, sed spiritualia.*

A Varum genus humanum temporalia potiùs, quàm spiritualia bona desiderat, quærit, & postulat à Deo. Venit ad nos filius Dei, & mundus eum D
non recepit, sed abiecit *nolumus*, dicebat, *hunc regnare super nos*. Cur ita? Nónne videtis miracula, quæ operatur, sapientiam, quam docet, æterna bona, quæ promittit, quique peccata dimittit? Respondet S. Chrysost. homil. 2. in Acta Apost. *Meßiam quærebant, qui eos daturi, non qui eos sanare posset*. Ita ille. Quærite primùm regnum Dei, iubet Christus, illi verò, non primùm regnum Dei, sed opes terræ volebant; eadem ergo ratione mundi & sæculi huius filij in oratione maiori feruore terrena postulant, quàm æterna.

Prop. XV. *Natus est Christus, vt nos à potestate dæmonis liberaret.*

A Duenientibus Magis Hierosolymam *turbatus est Herodes Rex, & omnis Hierosolyma cum illo.* Cur ita? Si enim sic à Deo statutum est, & in sacris litteris sic prophetatum, cur Herodes vsque ad necem crudelissimam innocentium, imò & ipsius Christi Domini turbatur? qui posset ille Dei decretum infirmare? Et id magis mirum, quòd Hierosolyma omnis cum illo turbetur, cùm illos gaudere oporteret, cùm Christum redemptorem suum crederent futurum. Respondet S. Chrysost. homil. 2. in imperfecto: Existimo quòd non tantum hæc turbatio ab Herode, quantum à diabolo procedebat: Herodes enim timebat, quod suspicabatur, diabolus autem timebat, quia iam audierat Angelos clamantes in aëre, *Gloria in excelsis Deo; & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; ideo magis timebat diabolus potestatis suæ destructionem; Iudæi verò turbabantur timentes, ne fortè iratus Herodes Iudaico regno genus eius vexaret. Nam sicut certantibus ventis mare concutitur, sic certantibus Regibus populi turbantur; vnde & ipse diabolus fecit vt scribæ interrogarentur. vbi secundùm scripturas Christus nasci deberet. Vt quid enim sic interrogaret Herodes, qui scripturis non credebat? sed instigabat diabolus, qui credebat quòd scripturæ non mentirentur. Denique hæc turbatio à diabolo promanauit instigante Regem & populum eius: timebat enim imperij sui destructionem à Christo. *Matt. 2. 3.* *S. Chrys.* *Luc. 2. 14.* *Simile.*

Prop. XVI. *Per natiuitatem Christi attenuata sunt vires Satanæ.*

N Icephorus Callistus, Suidas, Cedrenus referunt, tempore natiuitatis Christi, Apollinem Delphicum, qui sæpiùs oracula reddere solebat, (quibus scilicet homines dæmon ille decipiebat) tunc, inquam, ab his responsis cessauit. Augustus Cæsar, qui tunc temporis Imperij Romani clauum tenebat, interrogauit ab ipso Apolline causam, cur ita à solitis abstineret responsis? cui dæmon: *Lib. 1. c. 17.* *In Arag.* *In cap. hist.*

Me puer Hebræus, duos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemq; redire sub orcum:
Aris ergo dehinc tacitis abscedite nostris.

Miratus inde Augustus Romam abijt, & libros Sybillarum consuluit, in quibus Christum ex populo Hebræo nasciturum inuenit. Tunc quidem cognouit puerum illum Hebræum, qui Apollinem tacere & recedere fecit, Deum esse: quamobrem aram illi Romæ construxit in Capitolio, cuius erat inscriptio,

ARA PRIMOGENITI DEI.

Ecce dæmon ille, qui mundum ante miserè seduxerat, à tempore natiuitatis Christi cessauit; quo notum fieret nobis, hunc inter alios effectum natiuitatis Christi fuisse, dæmones sic compescere & cohibere. Vnde B. Antonio Abbati interroganti dæmonem, cur adeò grauiter & intensè homines tentaret? Respondit, post Christi aduentum vires ad tentandum diminutæ sunt nobis, sibi verò homines sibi ipsis inferunt tentationes.

Prop. XVII. *Christus in natiuitate sua quomodo diabolum superauerit.*

G Enes. 3. sic Dominus ad serpentem antiquum: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum*, vel, *ipsum conteret caput tuum.* Cur ita? S. Leo Papa serm. 1. de natiuitate Christi: *quia gloriabatur diabolus hominem sua fraude deceptum, diuinis carnisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis subisse sententiam, & se in malis suis,*

quoddam de præuaricatoris solatium consortio inuenisse; Deum A *quoque iuste, seueritatis exigente ratione, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, antiquam mutasse sententiam, opus fuit dilectissimi secreti dispensatione consilij, vt incommutabilis Deus (cuius voluntas non potest sua benignitate priuari) primam pietatis sua dispositionem, sacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis verfutiâ actus in culpam, contra Dei propositum non periret.* Ita S. Leo.

Prop. XVIII. *Deus natiuitate sua & amorem suum ostendit, & æstimationem nostram.*

PSal. 16. Dominum orauit Dauid: *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me vt pupillam oculi.* Quis non miretur ausum fuisse Dauid id à Deo postulare, vt scilicet eum ab inimicis custodiat, vt pupillam oculi sui? quis vel à rege homine, quantumuis illi familiaris esset, id petere ausus vnquam fuit? & hic à Deo non veretur rogare: *Custodi me, vt pupillam oculi tui*; nónne tibi satis superque fuisset dicere: custodi me sicut oram vestimenti tui? *O como la suela de nuestro capato?* non, inquit, sed, vt pupillam oculi? *à resistentibus*, inquit, *dexteræ tuæ*. Hos S. Hieronym. dæmones interpretatur, & meritò: hi enim sunt qui resistunt dexteræ Dei. Dextera Dei locus electorum est; ad dexterâ quippe Christi collocabuntur in iudicio: huic dexteræ resistunt dæmones, dum totis viribus conantur saluationem nostram impedire, & id præstare, vt minimè ad dexteram Christi deducamur. Ab his igitur petit se Propheta liberari vt pupillam oculi: nec mirum quòd id petere ausus fuit, non tam quidem ex eo quòd saluatio nostra tanti momenti sit; sed ex eo quòd nouerat Deum amare suos, sicut pupillam oculi sui, sicut Deus ipse testatur per Prophetam Zacharíam, *Qui tangit vos*, inquit, *tangit pupillam oculi mei.* Quod & opere ipso incarnationis suæ optimè manifestauit. Etenim nos, quia valde pupillam oculi amamus, cùm quis infligere vulnus oculis nostris vult, brachium nostrum opponimus, vt brachio vulnus reci- C piente, oculus à vulnere liberetur: ita præstitit Deus. Nam cùm vultus diuinæ iustitiæ nobis minaretur æternam mortem, opposuit misericordia eius brachium Domini: filius enim Dei in litteris sacris, brachium Domini nuncupatur, vti ait Cyrill 8. *super Ioan.* 20. sic enim Isa. *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini, consurge sicut in diebus antiquis.* Quid est brachiú Domini? Tertullianus, & alij plures cum eo, per *brachium Domini* hîc Christum intelligunt: quod inuocat Propheta, vt adsit, & mundum saluet. Id præstitit Deus, secundùm illud *Psal.* 97. ait Tertullianus, vbi ait Psalmista: *Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius*, hoc brachium exposuit Deus vulneri iustitiæ suæ, sicut nos opponimus brachium vulneri oculorum, vt nos salui ab illa tremenda iustitia Dei & liberi euademus. ergo sicut oppositio ista brachij nostri dilectionem, & æstimationem indicat, quam de oculis nostris habemus, ita oppositio ista diuini brachij, vt liberet nos, nónne dilectionem & æstimationem Dei maximam indicabit? D

Zach. 2. 8.

Cap 51. 9.

Prop. XIX. *Quàm gloriosa Deo fuerit natiuitas Christi.*

VErbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis. Quam quæso consequentiam habet gloria vnigeniti Dei cum eo quòd Verbum factum sit caro, vt statim postquam dixit: *Verbum caro factum est*, subdat: *vidimus gloriam eius.* Imò vidimus humilitatem eius, paupertatem eius, & plures labores eius. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*: vbi habitauit in nobis, vbi habitauit? In humili diuersortio, in abiecto præsepio, pannis inuolutus, non sericis vestibus, in frigore & nuditate lacrymas fundens, vagit inter arcta conditus præsepia: sic vidimus eum. Quomodo ergo ait: *vidimus gloriam eius?* Itáne ista sunt gloriosa Dei? Scio aliquos dicere, ad gloriam transfigurationis allusisse Ioannem, alij verò de gloria operum & miraculorum Christi intelligendum esse aiunt; sed tamen de ipsamet incarnatione, & natiuitate rectè intelligi potest, & debet. Nam ad Dei gloriam spectat se bonum, misericordem, sapientem & omnipotentem manifestare. Hæc enim sunt attributa Dei gloriosa: hæc autem in ipso etiam stabulo, in quo natus est, & in præsepio, in quo reclinatus est, manifestauit his qui oculo fidei eum contemplantur. Bonitas quidem hîc relucet, quæ si bonum est, quod sui diffusiuum est, hoc est, quod liberaliter alijs communicat: quænam communicatio maior, quàm quæ his exprimitur verbis: *Verbum caro factum est?* Vnire humanitatem nostram personæ suæ diuinæ, & nostræ humanitati deitatem sic communicare, nónne bonitatem summam eius demonstrat?

Misericordia similiter hîc relucet: ad misericordiam enim spectat, misereri, succurrere miseriæ. Miseria summa est Dei visione priuari & inferno cruciari, sed quia *Verbum caro factum est*, iam ab hac duplici, & summâ miseriâ liberamur. quotquot enim receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri; quòd si filij, & hæredes. Denique illa summa est misericordia, quando is qui alterius miseretur, miseri miserias sibi assumit, vt ab eis miserum liberet: sic fecit nobiscum Christus: nam miserias nostras assumpsit, vt à miseriis nostris nos vindicaret. pro nobis egenus factus est, vt nos eius inopiâ diuites essemus, vt ait Apostolus, similiter Dei filius homo factus est, vt nos faceret filios Dei, lacrymas nostras assumpsit, vt nos à lacrymis temperaret, humanitatem nostra assumpsit, vt nos ad cœli excelsa sublimaret. Nónne ingens hæc misericordia est? B

Ioan. 1. 14.

Sapientia quoque Dei maximè hîc resplendet quòd ita misericordiæ suæ plenè satisfecit, vt iustitiæ suæ vices non minùs plenè fecerit. Fingit Sanct. Bernardus *Serm. de Incarnatione*; litem magnam inter misericordiam & iustitiam Dei, dum veniam de peccato misericordia, punitionem verò pro peccato iustitia apud Deum iustum iudicem postulauit: Deus autem vt satisfaceret vtrique, *Verbum*, inquit, *caro fiat*, vt Deus homo, inquantum homo, pro homine patiatur, inquantum Deus, valorem operibus suis præbeat infinitum: vt eo pacto & misericorditer homini subueniat, & pro hominis culpa iustè satisfaciat. Sic sapientia in negotio redemptionis, attigit à fine vsque ad finem fortiter, & disposuit cuncta suauiter. C

Omnipotentiam verò quomodo, inquies, hîc ostendit, cùm Deus homo factus potiùs potentiam occultauerit, & debilitatem infantilem, & humanam præ se tulerit? dicam: nam fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia. Ostendebat Deus olim fortitudinem & omnipotentiam suam in eo, quòd mundum diluuij aquis suffocabat vniuersum, & igne sulphureo de cœlo misso Pentapolim Sodomæ combussit, & alia grauissima supplicia, se saluo, semper hostibus suis inferebat: at in redemptione generis humani, vt more nostro loquamur, seipsum deuicit, cùm se è diuite pauperem fecit, se excelsum humiliauit, se impassibilem, & immortalem, passibilem præstitit, ac mortalem, & de facto, nemine cogente, bonitate, & misericordia huius motus, pati crudelissima, & vilissima, & in cruce mori, vt nobis vitam conferret, dignatus est. Alios quidem deijcere, & perimere, fortitudinis est, sed melior, seu potentior est patiens viro fortiori. sic igitur maximè, dum *Verbum caro factum est*, suam omnipotentiam manifestauit. Quòd si in ostensione horum attributorum gloria Dei relucet, gloriam Dei cum incarnatione Verbi Euangelista rectè iungat, & dicat: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius*, gloriam quasi vnigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis. Quam quæso consequentiam habet gloria vnigeniti Dei cum eo quòd Verbum factum sit caro, vt statim postquam dixit: *Verbum caro factum est*, subdat: *vidimus gloriam eius.* Imò vidimus humilitatem eius, paupertatem eius, & plures labores eius. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*: vbi habitauit in nobis, vbi habitauit? In humili diuersortio, in abiecto præsepio, pannis inuolutus, non sericis vestibus, in frigore & nuditate lacrymas fundens, vagit inter arcta conditus præsepia: sic vidimus eum. Quomodo ergo ait: *vidimus gloriam eius?* Itáne ista sunt gloriosa Dei? Scio aliquos dicere, ad gloriam transfigurationis allusisse Ioannem, alij verò de gloria operum & miraculorum Christi intelligendum esse aiunt; sed tamen de ipsamet incarnatione, & natiuitate rectè intelligi potest, & debet. Nam ad Dei gloriam spectat se bonum, misericordem, sapientem & omnipotentem manifestare. Hæc enim sunt attributa Dei gloriosa: hæc autem in ipso etiam stabulo, in quo natus est, & in præsepio, in quo reclinatus est, manifestauit his qui oculo fidei eum contemplantur. Bonitas quidem hîc relucet, quæ si bonum est, quod sui diffusiuum est, hoc est, quod liberaliter alijs communicat: quænam communicatio maior, quàm quæ his exprimitur verbis: *Verbum caro factum est?* Vnire humanitatem nostram personæ suæ diuinæ, & nostræ humanitati deitatem sic communicare, nónne bonitatem summam eius demonstrat?

Misericordia similiter hîc relucet: ad misericordiam enim spectat, misereri, succurrere miseriæ. Miseria summa est Dei visione priuari & inferno cruciari, sed quia *Verbum caro factum est*, iam ab hac duplici, & summâ miseriâ liberamur. quotquot enim receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri; quòd si filij, & hæredes. Denique illa summa est misericordia, quando is qui alterius miseretur, miseri miserias sibi assumit, vt ab eis miserum liberet: sic fecit nobiscum Christus: nam miserias nostras assumpsit, vt à miseriis nostris nos vindicaret. pro nobis egenus factus est, vt nos eius inopiâ diuites essemus, vt ait Apostolus, similiter Dei filius homo factus est, vt nos faceret filios Dei, lacrymas nostras assumpsit, vt nos à lacrymis temperaret, humanitatem nostra assumpsit, vt nos ad cœli excelsa sublimaret. Nónne ingens hæc misericordia est?

Sapientia quoque Dei maximè hîc resplendet quòd ita misericordiæ suæ plenè satisfecit, vt iustitiæ suæ vices non minùs plenè fecerit. Fingit Sanct. Bernardus *Serm. de Incarnatione*; litem magnam inter misericordiam & iustitiam Dei, dum veniam de peccato misericordia, punitionem verò pro peccato iustitia apud Deum iustum iudicem postulauit: Deus autem vt satisfaceret vtrique, *Verbum*, inquit, *caro fiat*, vt Deus homo, inquantum homo, pro homine patiatur, inquantum Deus, valorem operibus suis præbeat infinitum: vt eo pacto & misericorditer homini subueniat, & pro hominis culpa iustè satisfaciat. Sic sapientia in negotio redemptionis, attigit à fine vsque ad finem fortiter, & disposuit cuncta suauiter.

Omnipotentiam verò quomodo, inquies, hîc ostendit, cùm Deus homo factus potiùs potentiam occultauerit, & debilitatem infantilem, & humanam præ se tulerit? dicam: nam fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia. Ostendebat Deus olim fortitudinem & omnipotentiam suam in eo, quòd mundum diluuij aquis suffocabat vniuersum, & igne sulphureo de cœlo misso Pentapolim Sodomæ combussit, & alia grauissima supplicia, se saluo, semper hostibus suis inferebat: at in redemptione generis humani, vt more nostro loquamur, seipsum deuicit, cùm se è diuite pauperem fecit, se excelsum humiliauit, se impassibilem, & immortalem, passibilem præstitit, ac mortalem, & de facto, nemine cogente, bonitate, & misericordia huius motus, pati crudelissima, & vilissima, & in cruce mori, vt nobis vitam conferret, dignatus est. Alios quidem deijcere, & perimere, fortitudinis est, sed melior, seu potentior est patiens viro fortiori. sic igitur maximè, dum *Verbum caro factum est*, suam omnipotentiam manifestauit. Quòd si in ostensione horum attributorum gloria Dei relucet, gloriam Dei cum incarnatione Verbi Euangelista rectè iungat, & dicat: *Verbum caro factum est, &*

est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam A *quasi vnigeniti à Patre:* in hoc enim & bonitatem, & misericordiam, & sapientiam & omnipotentiam diuinam demonstrauit.

Hinc colligi potest ratio, cur in die natiuitatis Angelus pastoribus pro signo ad cognoscendum Christum Dominum, & saluatorem dederit pannos, & præsepe, *Hoc* (inquit) *vobis signum, inuenietis, infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Dixerat priùs: *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid,* & subdit: *& hoc vobis signum,* &c. imò ad occultandum Christum apta hæc signa esse videbantur, non ad cognoscendum: quid enim cum maiestate diuina panni? quid præsepium? sed tamen angelica sapientia hæc fuit: ipsi enim, qui Dei essentiam & attributa contemplantur, & intuentur, quantum in his gloriæ resplendeat conditoris, agnoscunt, atque adeò per huiusmodi dignoscendum proponunt, &c. B

Hinc etiam Angeli, qui simul cum Angelo supradicto canere tunc in Christi laudem cœperunt, dicebant: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax,* &c. qui cùm de natiuitate Domini agerent, manifestum est quòd de gloria pro sua natiuitate Christo referenda tractabant. Cùm igitur Dominum pro nobis humiliatum, & pauperem, & lacrymantem, & pannis inuolutum, & in stabulo natum, & in præsepio reclinatum vidissent, gloriam propterea illi dantes, canebant, dicentes: *Gloria in altissimis Deo,* hoc est, si gloriam Dei nosse vultis, quanta scilicet sit gloria operum eius, non iam ad creationem cœli & terræ, nec ad mundi gubernationem & imperium, nec ad Angelorum gloriam recurratis, sed ad stabulum & præsepe, inde gloria in altissimis Deo apud Angelos, quidnî etiam apud vos?

Et similiter Ecclesia, cùm canticum istud Angelorum in officio Missæ prosequitur, postquam *Gloria in excelsis* pronunciauit, subdit: *laudamus te, benedicimus te,* C *glorificamus te, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* quænam est hæc magna gloria Dei, propter quam gratias referunt ei? ex subiecta materia constat. agitur de gloria illa, propter quam Angeli tunc canebant, hæc autem fuit gloria natiuitatis. propter hanc igitur laudamus, inquit, & benedicimus, imò & glorificamus, & denique gratias agimus propter hanc magnam gloriam tuam. magnam gloriam vocat, sic natum Deum pro nobis fuisse, humilem & pauperem & patientem, &c.

Prop. XX. *In natiuitate Christi diuina resplendent attributa, & maximè omnipotentia.*

Transeamus vsque in Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est. Luc. 2. Verba sunt pastorum illorum, quibus Angelus Christi Domini natiuitatem annuntiauit; qui quidem ideo videre mysterium Christi nati voluerunt, quia ipsis Christum natum esse Angelus perhibuit, *Natus,* inquit, *est vobis saluator.* Natus D est etiam nobis saluator: subdidit enim, toti populo futurum esse gaudium natalis Christi, nimirum quia toti populo nascebatur. Transeamus igitur & nos in Bethleem, & videamus Verbum, quod factum est. Quid autem videndum in stabulo & præsepio, & pauperculo puero, ibi reclinato? quid ibi dignum visu?

Quid? Primò videamus in verbo hoc, quod factum est, quod Verbum hoc factum sit, oraculum enim extat Ioannis, quod factum est Verbum. *Verbum caro factum est. Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum?* quid ita? quia *minuisti eum paulò minus ab Angelis,* &c. & de hoc miraris Propheta sancte? transi cum pastoribus in Bethleem, & his maiora videbis, hominem scilicet iam non minoratum paulò minùs ab Angelis, sed exaltatum super omnes Angelorum choros, & ad Deum ipsum peruenisse, iam non homo paulò minùs, quàm Angelus, quia Deus factus est homo. Miraris gloria, & honore coronatum hominem, eò quòd principem eum constituerit Deus super mundum vniuersum? Hodie princeps cœlorum homo constitutus est, quia Verbù caro factum est, Verbum autem caro factum, Dominus vniuersorum, cœlestium, & terrestrium est. Miraris, quòd omnia subiecerit homini Deus, oues, & pecora campi. Hodie cunctos cœlorum ciues, etiam Cherubim, & Seraphim ad pedes hominis subiectos videbis: nullus enim in cœlo Angelorum remansit, qui non osculatus fuerit pedes infantis, sic nati. Verbum caro factum est, mirantur Philosophi machinam mundi, & factorem eius laudant, qui verbo sic tanta taliaque potuerit procreare. quòd si verbo hæc fecisse mirum, quid Verbum ipsum factum esse carnem inter omnia opera Dei? adeò hoc excellens est, vt opus Dei antonomasticè nominetur: sic Isaiæ 28. *Stabit Dominus, vt faciat opus suum; alienum opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Quodnam opus hoc, *Isa. 28. 21.* quod absolutè opus suum vocat: fecit enim magna, & mirabilia multa absque numero, quid fecit? fecit cœlum, fecit terram, & quidquid intra terræ, ac cœli ambitum continetur. Quodnam igitur opus hoc, quod suum vocat? S. Gregor. homilia 16. super Ezech. opus Incarnationis esse ait, quod quidem adeò sublime, adeò supra excelsum est, adeò Deo dignum, vt per antono- *Greg.* masiam, & excellentiam solùm inter innumerabilia, & excelsa opera Dei, opus eius nuncupetur. Cur igitur peregrinum vocat, quia vt faciat opus suum, redemptionem scilicet, quam solus Deus efficere valuit, peregrina multa fecit, & passus est: Nónne peregrinum regi stabulum, & maiestati diuinæ præsepium? nónne peregrinum igni frigus? Deus enim noster ignis consumens est. quomodo ergo ignis alget in præsepio? peregrinum est opus eius ab eo. Nónne item peregrina res est Verbum infans: infans enim dicitur, qui adhuc fari nescit: Verbum igitur, & infantia quomodo possunt conuenire? *Inuenietis,* ait, *infantem.* Verbum, & in- *Luc. 2. 12.* fans; peregrinum est opus eius ab eo. Nónne peregrinum quid est infantem hunc pannis esse inuolutum, illum, inquam, qui amictus est lumine, sicut vestimento: peregrinum est opus eius ab eo. quid autem peregrinum magis, quàm quod de infante isto canit Ecclesia: *Vagit infans inter arcta conditus præsepia?* &c. si Deus est infans, Deus quomodo vagit infans? quis vnquam lætitiam flentem dicat? denique peregrinum est opus eius ab eo: peregrinum opus, sed tamen opus eius, qui propter nos homines, & propter nostram salutem, ita voluit à se in se peregrinari. Transeamus igitur in Bethleem, & videamus hoc peregrinum Verbum, & opus quod factum est,

Quid igitur de Deo desideras intelligere? potentiam? Transi in Bethleem & videbis Dei omnipotentiam: *fecit* enim hic *potentiam in brachio suo,* vt ait bea- *Luc. 5. 51.* tissima Virgo: at hîc debilitatem ego potiùs video, infantilem scilicet humanitatem: siste, *ibi abscondita est* *Haba. 3.* *fortitudo eius,* ibi summa potentia omnipotentis. Dicito, si videres hominem à tribus inimicis fortissimis inuasum, qui nihilominus aduersùs eos gladium eximere dedignatus, colum è manibus alicuius arriperet mulieris, quo tres illos fortissimos debellaret inimicos, quos retro cedere, & fugere cogeret victos, *que con la rueca en la mano los llebasse a todos tres la calle a baxo, mal pareciendo*, y *dandoles de palos los dexasse corridos y vencidos*, nónne fortitudinis, & potentiæ magnæ hominis illius opus hoc iudicares? sic ergo Christus Dominus aduersùs tres pugnauit inimicos, peccatum scilicet, diabolum, & mundum. *quo in conflictu* (ait S. Leo Papa) *pro nobis inito,* *S. Leo. magno & mirabili æquitatis iure certatum est, dum omnipo-* *serm. 3. de tens Dominus cum sæuissimis hostibus, non in sua maiestate,* *natiu.* *sed in nostra congreditur humilitate, nostram illis obijciens formam*

mam, nostramque naturam. Hoc S. Leo Papa. Humanitatem autem nostram quidni dixerim colum è collo virginis sumptam? hac igitur inimicos expugnauit, fugauit & vicit. Quid enim mirum, si in sua deitate cum illis congressus, victoriam reportasset? hoc igitur insigne omnipotentiæ Dei fuit, quòd humanitatis nostræ debilitate eos superauit. sicut denique infans cum hodie sit, manibusque reuinctis iaceat in præsepio, inimicas debellat potestates, &c. Transeas igitur cum pastoribus in Bethleem, & videbis in Verbo hoc, quod factum est, potentiam, scilicet, Dei: vicit culpam pœnâ, diabolum humilitate, mundum paupertate, &c.

Vis autem & Sapientiam videre, quod stultum hic est Dei, sapientius hominibus est, consiliarius appellatur infans iste, & admirabilis simul. quòd si alicubi, hic maximè admirabilis dignoscitur consiliarius.

Primò quidem eò quòd diabolum sapientissimè illusit, & delusit, qui se omnium callidissimum autumabat. Sponsionem inter sese olim Zeuxis, & Parrhasius, insignes pictores, fecerunt, quisnam eorum pulchriorem effingeret imaginem, & ad viuum exprimeret rectius. depinxit igitur Zeuxis uuarum racemos ita propriè, vt passerculi ad aere se ad uuas vsque demitterent, veras esse putantes: depinxit verò Parrhasius in tabula quadam velum, ipsam tabellam cooperientem, ita subtiliter, vt accedens Zeuxis, & verum existimans velum, ipsum amouere tentauerit; qui deceptus erubuit, & à iudicibus Parrhasio adiudicata sponsio fuit. & meritò: Zeuxis enim proprietate picturæ suæ auiculas, Parrhasius verò artificem peritum, & industrium decepit. Ad rem: astutissimus & sagacissimus est hostis antiquus, cui nomina mille, mille nocendi artes, quibus ita nobis apta depingit hæc bona temporalia, vt, veluti auiculas Zeuxis, decipiens nos, ab alto nos virtutis ad ima vitiorum demittere nos faciat; sed sapientior Christus, qui delusit illum: ita quippe humanitatis velum, quo diuinitatem celauit, depinxit, vt eo deceptus hostis, consilium redemptionis ignorans, purumque hominem Christum iudicans, mortem eius, quâ mortem sibi conscium, procurauerit. Sic ars deluditur arte, sic sapientia Dei sapientiam hostis superauit in hoc Incarnationis mysterio.

Zeuxis, Parrhasius.

Præterea, sapientissimè hîc redemptionis ordinem texuit, non solùm respectu nostri, verùm & in ordine ad patrem: satisfacere quippe Deo pro nostris peccatis de rigore iustitiæ solus, qui Deus est, poterat: at Deus non debitor, sed creditor erat. Homo igitur, qui debitor erat, Deo creditori satisfacere debebat, sed non valebat, quia vnde redderet æquiualens non habebat: erat quippe infinitum: quantò enim maior est persona læsa, tantò maior est læsio, & iniuria ipsa: si affectus iniuriâ est aliquis de primaribus, maior est iniuria, quàm si eâ fuisset affectus homo de media plebe: quòd si rex fuerit, multò erit grauior offensa, quia quò persona, quæ iniuriam passa, est maior, eò iniuria est maior. Offensa igitur in Deum infinitum erit hac ratione infinita: satisfactio autem creaturæ finitæ, qualis est hominis, satisfactio est finita: non igitur redderet æquiualens Deo, prout diuinum decebat honorem. Quomodo igitur fiet istud, vt homo sit, qui Deo satisfaciat sic perfectè? O altitudo sapientiæ Dei! transi homo in Bethlehem, & vide Verbum, quod factum est homo, ibi sapientissimè intueberis hominem, satisfacientem Deo satisfactione infinita: est enim simul Deus, & homo, &c.

Leo.

Ratio est Pontificis summi S. Leonis Papæ serm. 2. de Natiuitate. *Verax*, inquit, *misericordia Dei, cùm ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei suppeterent multa, hanc potissimùm viam elegit, quâ ad destruendum opus diaboli, non virtute vteretur potentiæ, sed ratione iustitiæ.* quod sic explicauit S. Thom. 3. p. q. 1. art. 2. Homo purus non poterat pro toto genere humano: Deum autem satisfacere non debebat: vnde oportebat Deum & hominem esse Iesum Christum, & multò ante S. Athanas. 1. de humanitate Verbi, *Cùm videret* (inquit) *Deus malitiam intolerabilem nostram, neque mortale genus idoneum esse, quod resisteret morti, neque pœnam malorum perferret suorum: nam excessus malitiæ transcendebat omne suppetentium, vidensque simul Patris bonitatem, & quam ipse decens esset, & potens; commotus fuit sua humanitate, & misericordia: fuit nostræ imbecillitatis.* Et S. Fulgent. lib. de Incarnatione, & gratia, c. 4. *Nullatenus humana natura ad auferendum mundi peccatum sufficiens, & idonea esset, nisi vnione Verbi Dei.* Idem Sæpius Aug. maximè lib. 13. de Trinitat. c. 1. tom. 3. Sic igitur sapientissimè prouidit prouidere de la summa, vt homo factus Deus, & in quantum homo satisfaceret pœnis, quarum Deus in capax erat, & in quantum Deus valorem tribueret infinitum satisfactioni, cuius non erat capax homo.

Denique transeamus vsque in Bethlehem, & eadem infinitam Sapientiam in ordine ad nos mirè videbis refulgere. Sic enim ad directionem, & instructionem nostram Deum hominem fieri oportebat: enim, vt præcisè nobis redemptor esset aduenit, verum etiam, vt doctor & magister esset, *qui enim creauit te, non saluabit te sine te*, vt ait S. August. Nos quidem oportet nostram salutem operari Dei voluntati parendo, Deique vestigijs adhærendo, sequendo Deum. Ad hoc igitur necesse fuit Deum nostrum fieri hominem, vt nos doceret, non solùm verbis, sed multò magis operibus, & exemplis.

Dices, vt homo diuinæ pareret voluntati, & sectas perambularet iustitiæ, nónne satis erat Euangelia prædicatio per Apostolos Dei? ad hoc autem fuit Deum hominem, vt exemplis nos doceat, multum magis nobis, multum nimis. si nobis nimium sit non despicere modò, hoc vnum scio, quòd neque ita sequimur Deum. Tu miraris Deum operibus, & passionibus & laboribus eximiis viam nobis cœli præparasse; ego verò miror hominem viam hanc, tanta dignatione, tantoque labore paratam, non ambulare, cùm facilis sit, quæ ducit ad vitam: sed potiùs viam, quam ipse verbis & operibus dissuasit, quæque ducit ad mortem, ferè omnes arripere. Quid facerent miseri, si Deus non præstitisset? quam autem excusationem adhibebit Christianus in die mortis suæ, cùm interrogauerit illum Deus: Cur diabolum ducem, non me habere voluisti? non ille pro te homo factus, non aliquid passus est, ego verò, cùm Deus essem, pro te homo fieri, & multa grauia pati non recusaui. Ille te ad inferna ducebat, ego ad cœlestia; cur igitur non me, sed illum sequi maluisti? &c.

Fœlices iusti, qui sequimini Christum, vos intuens maximè Deus factus est homo, vt eius vestigijs inhærentes salui essetis. In hoc igitur relucet plurimùm sapientia Dei, tali enim adminiculo nostra egebat negligentia.

PROP. XXI. *In natiuitate Christi resplendet amor Dei.*

NVnc iam transeamus in Bethleem, & videamus Verbum, quod factum est, quantùm scilicet in verbo hoc charitas eius, & eximius resplendeat amor: vnum enim ex mirabilibus Dei attributis hîc amor est, quique in natiuitate Christi lucet amplius: hic enim Deum intra vilia stabuli, & arcta inclusit præsepia, nos enim amore quærebat, at nos, cùm in honore essemus, non intelleximus, comparatique ideo sumus iumentis insipientibus, & similes facti sumus illis. Vbi ergo iumenta nisi in stabulis, & præsepijs quærenda erant? at erat Deus infinita maiestas. Ita sed erat

erat charitas ipsa: quod si maiestas eum in cœlos euoca- A
bat, amor ad stabula efficaciùs duxit: amabat verè nos
Christus.

Sed vt amoremistum clariùs explicemus, amoris le-
ges examinemus.

Aristot. in Ethicis has expressit. Prima veri amoris
conditio est, vnio inter amantium animas: quam etiam
assignauit S. Dionys. cap. 4. de diuin. Nomin. vbi,
amor, inquit, *virtus vnitiua est*. Item S. Thom. 1. 2. q. 28.
art. 1 & S Augustl. lib. 4. confess. cap. 6. *Bene* (inquit)
quidam dixit de amico suo: Dimidium animæ, imò, vt ait
S. Thom. bene quidam sapiens dixit: *Amicus, alter
ipse*. vnde amici frequentissimè conueniunt, & simul
deamb lant, simul consabulantur, simul comedunt &,
cùm semper vnitos aliquos videmus, amicos dicimus
esse.

Quod vt expressiùs olim quidam sapiens explicaret,
duo inquit, amicissimi inter se Vulcanum adierunt,
quem Deum artis fabrilis ferri esse dicebant: *Dios de la
fragua*, & ab eo obtinere contendebant, vt in fornacem B
mitteret vtrosque, vt ex duobus vnum depromeret, &
efficeret. tanta est, tamque vnitiua amoris vis. Vnde
Arist. 2. Polit. c. 2. ait: Aristophanes dixit, quòd aman-
tes desiderant ex ambobus fieri vnum, sed quia hoc fie-
ri nequit, quærunt simul colloqui, & simul conuersari.
Denique celebris iam sententia est, *Anima potiùs est, vbi
amat, quam vbi animat*. Vide igitur quantus sit amor
Dei erga nos. Quod ille Philosophus imaginatus est,
quod Vulcanus efficere non valuit (sola enim imagi-
natione id apprehendi potuit, vt ex amante & amato
vnus efficeretur) hoc præstitit modò Deus ex Deo. &
homine. Vnus præstitus est Christus in fornace sacro-
sancta viscerum Mariæ: diuinus ille Vulcanus vnum,
qui Deus simul, & homo sit, eduxit. *Tu ad liberandum
suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterum: &*
rursus: *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo,* C
ait S. Athanas. *ita Deus, & homo, vnus est Christus.*
Attende vim amoris Christi: *quien jamas tanto amò
à otro que se hizieße el*: hoc autem præstitit Deus;
tantum dilexit hominem, vt fieret homo. Si ergo
vnio amoris indicium est, talis vnio qualis amoris in-
dicium erit?

Secunda conditio amoris, quæ ex prima emanat,
est mutua conuersatio. qui se odio prosequuntur à
mutua se abstinent colloquutione: quòd si aliquid
inter se agere volint, id per epistolas præstare solent,
sicut inter absentes fieri consueuit; qui verò se verè
amant, sæpissimè conueniunt, & arcana cordis ad inui-
cem manifestant. Sicuti ex Aristophane docet Philo-
soph. 2. Polit. 2. olim igitur Deus hoc dilectionis si-
gnum minimè præstabat, quippe qui, cùm vbique sit,
per internuncios nos alloquebatur, per Prophetas sci-
licet & sanctos Patres. loquebatur quidem cum Mose,
sicut loqui solet homo ad amicum suum, reliquos iu-
bebat secedere, & vel montis crepidinem tangere sub
mortis pœna interdicebat. Vbinam hîc amoris diuini D
argumenta? *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus fi-
lium suum factum ex muliere, factum sub lege*. Non iam per
internuncios agit nobiscum, sed immediatè, & per se.
Oh, ait Apostolus, *loquens Deus Patribus in Prophetis, no-
uißime diebus istis loquutus est nobis in filio*. quod mirè ex-
pendit Euangelista S. Matth. cap. 5. vbi sermonem Do-
mini in monte mirabilem narrare incipiens, *Aperiens*,
inquit, *os suum, docebat eos dicens: Beati pauperes*, quasi
dicat, qui olim aperire solebat ora Prophetarum, nunc
aperiens os suum, non per Prophetas, sed per seipsum
edocet nos.

Et quidem ita humaniter, ita piè, ita familiariter,
vt non dedignaretur cum Samaritana illa paupere, illa
vili, & infami fœmina, ita dignanter loqui, vt discipuli
mirarentur, quòd ita cum illa sermonem haberet. Si
ergo ita familiariter agere, amoris indicium est, con-

uersatio huiusmodi Christi, qualem nobis indicabit
amorem?

Hinc (licèt obiter) videre licet, quodnam in nobis
erga Deum amoris signum sit oratio nostra: si enim
amicum sæpius conuenire gestimus, vt familiariter
cum eo conuersemur, qui Dei fuerit amicus, cum eo
colloqui frequenter optabit: qui verò id non desiderat,
& præstat, cùm facilè possit. non ita se Deum amare de-
monstrat, &c. Tertia deinde amoris conditio, quam
Philosophus lib. 8. Ethic. c. 9. assignat, est mutua quæ-
dam inter amantes rerum suarum omnium communi-
catio. Notum est proloquium: *Amicorum omnia sunt
communia*. Ita scilicet omnia, vt alterius onera, & vti-
lia participet, bona, & mala, quæ quis eorum patia-
tur: ita vt si alter diues, alter verò pauper sit, diues
diuitias amico, & à paupere aliquid paupertatis sibi as-
sumat, &c.

Quàm perfectè hanc Christus amoris legem imple-
uit nobiscum. Ille quidem supra modum diues erat,
homo supra modum pauper, Deus fœlicissimus erat,
omnisque miseriæ expers, homo verò infœlix, reple-
tusque multis miseriis. Vide communicationem mira-
bilem Deus nobis suam deitatem, fœlicitatem, & diui-
tias tribuit, nos illi humanitatem nostram, & miserias
multas nimis, paupertatem, lacrymas, frigus, stabulum,
præsepium, pannulos viles, & his similia. *Dilectus meus* *Can. 2.*
mihi, & ego illi, dicere possumus Christo: ille quidem *16.*
mihi panem, & pabulum in præsepio offert, ego illi fa-
mem, & sitim paro; ille mihi diuitias gratiæ suæ, ego
verò illi paupertatem meam; ille mihi lætitiam in cor-
de meo, ego illi fletum & planctum; ille mihi stolam
gloriæ, ego panniculis eum inuoluo; ille mihi cœlestem
aulam, ego illi porticum dirutam, stabulum, & præse-
pium: quia non est illi locus alius in diuersorio; ille mi-
hi pacem, ego illi bellum; denique ille mihi gloriam &
delitias omnes, & vitam, ego verò illi ignominiam,
dolorem, & laborem, & passionem, & crucem, & mor-
tem. Mirabilis communicatio hæc. Solent mercatores *Simile.*
inter se contrahere societatem, hic diuitias apponit, in-
dustriam ille: lucrum verò diuidunt inter se; sic Deus
& homo, homo, inquam, diuitias suas exposuit, labo-
res scilicet & dolores alias enim non habet, Christus
industriam suam apposuit: & quamuis nullius in se va-
loris erant hæc, quæ nos exhibueramus, Christus illis
deitate sua valorem tribuit infinitum, & his maxima
lucratus est lucra, pacem scilicet inter homines, & Pa-
trem, remissionem peccatorum, Spiritus sancti dona,
gratiam, & gloriam. Mihi omnia hæc: honor illi, &
gloria pro beneficio tanto, & gloria corporis sui, &
satisfactio pro peccato in se commisso: sic enim satis-
factionem offensarum recepit nostrarum. Sit ille bene-
dictus in sæcula. Aduerte autem, charissime, quòd so-
cietas hæc nos à peccato immunes requirit. Audi Ioan.
Apost. *Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & 1. Ioan. 1.*
in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus: si 6.
*autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem
habemus ad inuicem*.

Attende verò aliam mutuæ communicationis ra-
tionem, inter nos, & Christum, quam emblema illud
Alciati exponit. Claudus quidam, & cæcus inter se ita
conuenerunt, quod cæcus super humeros claudum ba-
iularet, claudus verò, quia rectè videbat, cæcum rectâ
duceret viâ, quò duci volebat; sicque vterque illuc per-
uenerunt, quò desiderabât. Desiderabat Filius Dei ho-
mo fieri vt meritis humanitatis ipse ad gloriam saltem
corporis sui perueniret, homo item in eandem gloriam
corporis, & animæ simul deuenire, Deus pedes non ha-
bebat, quibus hanc perficeret viam bene tamen oculos,
quibus quâ eundum esse sciebat; carebat, inquam, hu-
manitate, & passibilitate, passione quippe gradiendum
illi erat diuino decreto: homo autem huiusmodi pedes
habebat, sed viam ignorabat, oculis carebat; conuene-

runt igitur inter se, dum factus est homo, Deus tunc homo illi pedes ad ambulandum accommodauit, humanitatem, scilicet, passionum, & aduersitatum capacem, Deus verò homini oculos suos, dū illū, quâ via esset eundum, docuit, scilicet, lacrymarum, & voluntariæ paupertatis, patientiæ, famis, nuditatis, crucis, & mortis. Vide, Domine, quam mihi exhibes viam, eandem enim tu ingressurus es, idem peracturus iter. animæquior esto, ait Dominus Deus, quà te deduco, proficiscor & ego, quod de te, idem erit de me. vidisti hanc mutuam, & mirabilem communicationem inter Deum, & nos. Ecce igitur exhibitam operibus hanc vltimam amoris conditionem, omnia nobis communia sunt cum illo, ille mihi suas misericordias præstitit, ego illi miserias meas exhibui, &c. Vtinam sicut ille miserias non est dedignatus subire, nos misericordias eius non recusemus accipere. Hoc vnum exigit à nobis, vt à peccatis lauemur. Certè si rem grandem nobis dixisset Propheta, facere deberemus, quantò magis quod tantum ait: Lauare, & mundare, &c. O Domine
Psal. 50. tu *laudabis me, & super niuem dealbabor*, & licèt iam semel à peccatis laueris me sanguine tuo, *amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*, quia iterum inquiuaui pedes meos, sed *iniquitatem meam ego cognosco*, & humiliter confiteor, quia peccaui nimis. Sit meus iste dolor, tuum autem erit iterum me leuare, & parcere mihi, quia tibi proprium est misereri semper, & parcere, vt ita tecum, quamuis cæcus, tuo ductu ad vitam perueniam sempiternam.

Alia de Natiuitate Christi, vide in propositionibus, quæ agunt de Incarnatione Christi, omnia enim, vel ferè omnia possunt applicari Natiuitati eius.

Prop. XXII. *In natiuitate Christi benignitas & misericordia eius apparuit.*

AD Tit. 3. 4. agens Apostolus de aduentu Christi, *Apparuit*, inquit, *benignitas & humanitas saluatoris nostri Dei*. quod sic exponit S. Bernardus *sermone 1. in Epiphania Domini*: *Priusquam appareret humanitas, latebat benignitas, siquidem & priùs erat. nam misericordia Domini ab æterno est, venit in carne vt apparente humanitate, benignitas cognosceretur, vbi enim Dei humanitas innotescit, tam benignitas latere non potest, in quo enim magis poterat commendare benignitatem suam, quam suscipiendo carnem meam, meam, inquam, non carnem Adam, id est, non qualem ille habuit ante culpam (scilicet immortalem & liberam à miserijs nostris.) Quid tantopere declararet eius misericordiam, quam quòd ipsam susceperit miseriam? Quid ita pietate plenum quàm quod Dei verbum propter nos factum est fœnum? Domine quid homo, quia sic reputas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Hinc attendat homo, quanta sit cura eius Deo. hinc sciat quid de eo cogitet, aut quid sentiat. Non interroges, ô homo, ea quæ pateris, sed quæ passus est ille quanti te fecit, vt appareat tibi benignitas eius ex humanitate eius; quantò enim minorem se fecit in humanitate, tantò se maiorem exhibuit in bonitate, & quantò pro me vilior, tantò mihi carior.* Ita S. Bernardus. Vnde meritò Apostolus nomen Dei hic apposuit, non enim solummodo dixit: *apparuit benignitas saluatoris nostri*, sed addit *Dei*, vt dignam Deo talem diceret benignitatem. immortalem mortalem fieri, & impassibilem passibilem, & infinitam maiestatem in præsepio iacere, vt hominem, imò inimicum saluum faceret, non cuiuscumque saluatoris, sed saluatoris Dei. Rectè igitur Paulus: *Apparuit benignitas saluatoris nostri Dei*. O verè benignitas digna Deo, &c.

Duo, inquit, apparuerunt, cùm apparuit Christus, humanitas scilicet & benignitas. vbi S. Anselm. hanc inter benignitatem & humanitatem differentiam assignat, vt benignitas dicat effectum, & exhibitionem ipsam diuinæ bonitatis, & misericordiæ Dei in nos; humanitas verò ipsum affectum misericordiæ dicat. Vnde S. Hieron. pro *humanitate* transtulit *clementiam*, *apparuit Dei clementia in nos*.

Primò igitur, *apparuit benignitas*, id est, donum dignum Deo, cùm nobis dedit filium suum. multa quidem nobis dederat antea, cœlum, & terram, & omnia quæ in terra, & in cœlo sunt, & ipsos etiam Angelos, quatenus omnes sunt administratorij nostri, vti idem Apostolus *ad Hebr. 1* & denique dederat nobis, qui antea nihil eramus. sed in his omnibus dabat Deus nobis sua, *y para Dios era como dar vna gota de agua quien está par de vna fuente caudalosa*: nunc autem dedit nobis semetipsum in saluatorem, quod tantò excellentius est, vide, si videri, vt par est, potest, quanta intersit inter nihil & donum hoc sit distantia. Sit ille benedictus in æcula: meritò ergo ait Apostol. *apparuit benignitas*, &c.

Secundò, apparuit, inquit, *humanitas*, hoc est, clementia. antea quidem nimis latebat humanitas inter severa supplicia, quibus peccatores puniebat, & ter appellationes illas, Deus vltionum, Dominus cuncta, Dominus quasi vir pugnator, &c at modò apparuit prorsus humanitas. Cùm aliquem hominem rigidum & rigidum videmus, dicere ei solemus, *vno humanum reddat, humanaos sennor, que sois terrible*. Terribilis Deus olim dicebatur, prout in Psalmo, Dominus dixit Dauid: *Terribili, & ei qui aufert spiritum principum. Sennor humanaos, que os mostrais terrible, humano tanto, que se hizò por nos otros, hombre, y muy humano mas humano lo quereis?* Olim nō audebant homines audere ad Deum, imò nec audire vocē eius. vnde Isaiæ Moysi dicebant: *Loquere tu nobis, non loquatur nobis minus, ne forte moriamur: nunc autem & vocē & gemitum audiuimus & quidem vocem decentem nobis: Simite parvulum nire ad me*. Et rursus, *Vende ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Et iterum, *Non venit iustos, sed peccatores*, &c. Quis non laudibus cœlestibus repleat? Domine, misericordias tuas in æternum cantabo, nam vniuersum hoc tempus ad hoc exigitur est.

S. Thomas hîc per *humanitatem* intelligit singularem illum amorem, quo Deus dilexit nos, quando nobis sit filium suum in mundum saluatorem nostrum, & in quo circumstantiæ tunc valde obseruandæ. Primùm quòd nos ita gratis amauerit, nam, vt ait S. Cyrillus *lib. 1. Thesaur. cap. 6. Superflua est Deo productio creaturarum, quantum ad perfectionem Dei attinet: hoc enim erat Deus antequam nos creati essemus, quod nunc etiam est, nec ei attulimus, à nihilo ad esse producti. quòd si ad nihilum redigeremur, nihil ei detraheremus*. Ita ille. Secundò, quia absque meritis nostris ita dilexit nos Deus, imò cum multis demeritis nostris, propter quæ odio nos digni eramus, & non amore, tali ac tanto.

Vnde Paulus, *Commendat*, inquit, *Deus charitatem suam in nobis*, id est, in hoc valde exaltat, magnificat, & amplificat Deus charitatem suam in nobis; in quo? *quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*. qui dicit peccatores, dicit Dei inimicos: vnde & subdit ibi Paul. *Cùm adhuc inimici essemus*, &c. fuit ne exigua charitas ista? Tertiò, quia cùm posset vel vnâ lacrymulâ pro nobis satisfacere Patri, & reconciliare nos ei, tot tantaque pro nobis passus est, factus homo. Pondera igitur hanc circumstantiam. quod pro nobis ex tali amore motus fecerit, & hinc colliges eximium Dei amorem: & vtinam tantus amoris ignis accendat in cordibus nostris ignem amoris nostri.

At, inquies, vnde & quare intantum Deus dilexit nos, cùm peccatores inimici, miseri, & rei æternæ mortis essemus? cur tanto nos dilexit amore? estne obiectum hoc tanto amore dignum? Responsio in promptu est, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus, processit hic

hic amor, ait Apostolus; sed secundùm misericordiam suam ait, & secundùm bonitatem suam, & secundùm esse, & essentiam suam: Deus enim charitas est. quidni? ignis lignum comburat? non quia illud lignum est, & viride fortè, & non aptum ad ignem ex eo producendum, ignis quà ignis est, calefacit & ignescit. sic quia Deus Charitas est, quia amor est, per essentiam miros amoris hos producit effectus. sit ille benedictus in sæcula. *Letabitur* Dominus *in operibus suis*: habet enim in eis, quòd possit benignitatem suam exercere, & infinitam charitatem suam.

Magna in aduentu Christi Dei misericordia relucet, magna hodie nobis cum Christo recenter nato, nata est misericordia Dei; quia ad liberandum nos à peccato, & ab æterna morte. & reducendos in gratiam & vitam æternam, de Virgine nasci dignatus est: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere.* Cur *fidelis*? quia de summa illa bonitate, quid non in bonum nostrum redundans credibile est? imò quantò mirabilius, tantò credibilius: mirabilia enim opera Dei. mirabile quidem quòd Deus ipse veniat, & saluet nos, & iustus pro iniustis & inimicis nasci, & mori velit. *Fidelis sermo*: si de homine hoc diceretur, infidelis sermo forsitan appareret: vix enim pro iusto quis moritur, quomodo pro peccatoribus aliquis mori volens reperietur? *Fidelis* autem *sermo*, si de Deo dicatur; summæ quippe misericordiæ, summæ miseriæ remedium Quidni fidamus? *fidelis* ergo *sermo, & omni acceptione dignus, digno de ser recindo con palio*, quid enim nobis optabilius? quid vtilius? quid honestius? quid iucundius, &c. ad hoc igitur venit: *Deus* enim, *qui dives est in misericordia, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo: dives*, inquit, *est in misericordia*, tu pauper es in misericordia, ideo facilè à misericordia deficis: Deus verò ita dives est in misericordia, vt infinitè dives sit: est enim eius misericordia infinita: nihil enim non infinitum in Deo est, ex infinita misericordia hoc prouenit modo. *Transeamus* ergo *in Bethlehem & videamus verbum, quod factum est*. Quid factum est in verbo hoc? audi Paulum, *Christus factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Vides quomodo & quid factum est. Primò, sapientia, quia ipse eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in lucidam sapientiam Dei. potestatem tenebrarum vocauit Paulus ignorantiá mundi, qui lapides & ligna adorabat; potestatem verò, quia ignoratio illa potens erat ad eos in suis erroribus detinendos, adeò vt neque miraculis prodigiosis, neque prodigijs mirabilibus à tenebris in lucem eos transferre Dei concionatores valerent. Factus est autem Christus nobis sapientia, quia eripuit nos misericordiá aduentus sui à tali potestate tenebrarum. Secundò, factus est nobis iustitia: si enim iusti sumus, Deo gratias per Iesum Christum, in quo gratificauit nos sibi Pater. præterea factus est nobis sanctificatio, quia si sanctè vitam degimus, Christus hoc effecit aduentu suo: *Apparuit* enim *gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè & piè & iustè viuamus in hoc seculo*: sic factus est nobis sanctificatio. Denique factus est nobis redemptio, quia redemit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Vide quatenus sit nobis factus propter misericordiam suam.

Sed nolo hinc tantùm colligas misericordiam Dei in aduentu Christi: non solùm enim magna hinc constat misericordia, quia à magna nos miseria liberauit, sed quia, vt nobis misereretur, misi rias nostras in se recepit. Maxima quidem est illa misericordia, cùm miser, vt miserum saluet, eisdem, miseriis inuoluitur, eisque valde afficitur: *misericordia que embuelue al misericordioso en las miserias del miserable, por sacarlo dellas, gran misericordia es.* Quis dies, vt pauperem à paupertate liberet, paupertatem illius sibi assumit? porrigit quidem illi partem aliquam diuitiarum suarum, neque parua hæc æstimabitur misericordia. Quis infirmum curans infirmitatem ad se transferre satagit, vt ille sanus reddatur? quis mortuum ad vitam recuperare sua morte curauit? id igitur præstitit misericordia redemptoris, qui egenus factus est pro nobis, vt nos inopiâ eius diuites essemus, & mortem nostram moriendo destruxit: ideo nunc plorat, & vagit in præsepio, vt sic abstergat lacrymas ab oculis nostris, &c. Transeamus ergo in Bethlehem, & videamus misericordiam, quæ in Christo nobis facta est.

A

B

C

D

PROP. XXIII. *Amor Christi in nos eum humilem & pauperem fecit.* Vide in Verbo Amor.

PROP. XXIV. *In natiuitate sua Christus pœnas suas pro nobis subire cœpit & peregrinus esse.*

GENES. 28. *Vocauit Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaan; sed vade & profiscere in Mesopotamiam Syriæ*, &c. Quid sibi vult missio ista, quâ Isaac misit peregrè filium suum ad vxorem ducendam? Sanctus Augustinus serm. 29. de tempore respondet hoc loco: Dei Patris typum Isaac præfigurabat, Iacob verò Christum Dominum designabat. Ita sanctus Augustinus: & meritò. nam Deus Pater filium suum in terram misit, vt sibi Ecclesiam desponsaret; & sicut Iacob duodecim Patriarchas filios habuit populi Israël, qui totius populi capita fuerunt, sic, vt ait sanctus Irenæus 4. contra hæreses 38. Christus duodecim Apostolos instituit, qui Patriarchæ & capita totius populi Christiani fuerunt, & sicut Iacob baculo suo transiuit vndas Iordanis, sic Christus Dominus, vt ait S. Augustin. vbi suprà, baculo crucis suæ vndas passionis suæ transiuit. Sed quid est quod peregrinus tunc fuit Iacob? Christum autem quomodo peregrinum in aduentu suo dicemus, cùm Deus vbique sit? Nusquam (ait S. Augustin. Psal. 149.) peregrinus est qui condidit omnia: sed tamen sicut Iacob Christum peregrinum dicere valemus, quia ab statu nostrarum pœnalitatum & humanitatis & mortalitatis quam assumpsit, longè distabat.

Gen. 28. 1.

S. Aug.

S. Iren.

S. Aug.

PROP. XXV. *Quàm amabilis sit Christus natus.*

AD Titum 3. *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei.* Pondcrans verba hæc S. Bernard. serm. 1. de natiuitate Domini ait: *Apparuerat antea potentia in rerum creatione, sapientia in rerum gubernatione, innotuerat Iudæis potestas in ignis atque portentis; vnde in ea lege sæpius inuenies, Ego Dominus, ego Deus. Philosophis etiam maiestas innotuit, quoniam iuxta Apostoli verba*, quod notum est Dei, manifestum est in illis. *Sed nunc apparuit nobis benignitas Saluatoris. Quid tu times ô homo? quid trepidas à facie Domini quoniam venit? venit non iudicare sed saluare terram. Olim tibi persuasum erat ab infideli quodam seruo, vt furtum tolleres, & imponeres regium diadema capiti tuo, deprehensus in furto quidni timeres? quidni fugeres à facie Regis? fortè iam gladium vibrabat ignitum: sed nunc noli fugere, noli timere, non venit cum armis, non venit ad puniendum sed saluandum requirit. & ne dicas nunc: Quia vocem tuam audiui, absconditme: ecce infans est ac sine voce, & vagientis vox miseranda magis est, quam tremenda.* Ita sanctus Bernardus.

Ad Tit. 3. 4.

S. Bern.

Prop. XXVI. *Cur in stabulo nasci, & in præsepio reclinare voluerit Deus.*

Luc. 2. SI Euangeliſtam interogaueris cur Chriſtus Dominus in ſtabulo naſci voluerit; *quia non erat ei locus in diuerſorio*, dicet: ſed non defuiſſet Chriſto in diuerſorio locus, ſi voluiſſet ipſe in diuerſorio naſci. Conſultò ergo & in diuerſorio voluit deeſſe locum, &
Simile. in ſtabulo naſci, quia hominem quærebat. Qui iumentum quærit, non in regiis illud quærere debet, ſed in
Pſ. 48. 13. ſtabulis: *Homo* autem, *cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis, & ſimilis factus eſt illis.* Vbinam ergo quærendus eſt niſi in ſtabulo, & præſepio? Ideo igitur in ſtabulum ſe recepit Chriſtus, quia nos quærit, venit quærere, & ſaluum facere quod perierat.

Neſcio autem quid potiùs mirer, vel quòd Deus ipſe nos ita quærat, vel quòd ab eo ſic quæſitos non inueniat; multos enim non inuenit. Cur ita? quia fugiunt B ipſi, nec inueniri volunt: Deus autem inuoluntarios
Matt. 16. 24. non ſaluat. *Si quis vult venire poſt me*, &c. non ait, *velis, nolis, venire te oportet*; ſed, *ſi quis vult venire*, &c. A te igitur, ô homo, quæro, cur ita à Domino fugis? cur ab eo refugis inueniri? nónne te ad cœleſtia regna vocat? nónne à damnatione deſiderat liberare? nónne à mor-
Ioan. 10. 10. te eripere, & vitam largiri? *Ego*, inquit, *veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*; vitam ergo cur fugis? cur mortem quæris?
Simile. Cur, dicito, ouis paſtorem fugiens vetita petit, niſi vt virentibus paſcatur herbis? non reſpicit luporum periculum, ſed paſtus guſtum attendit: ſic nimirum inſenſatus homo, dum pratorum cibos optat, lupo-
Pſ. 118. 176. rum infernalium periculum non curat, &c. O igitur Domine, *Erraui ſicut ouis quæ perijt, quære ſeruum tuum*, &c.

Prop. XXVII. *Dies natalis Christi quàm latus ſit.*

Gen 17. 10. GEneſ. 17. ſic Dominus ad Abraham: *Omne maſculinum in generationibus veſtris: tam vernaculus quàm emptitius circumcidetur, & quicunque non fuerit de ſtirpe veſtra.* Si circumciſio ſignum fœderis ſeu amicitiæ erat inter Deum & Abraham, cur non ſolùm Abraham circumcidi, verùm omnes circumcidi iubet? Reſpondet Gloſſa ordin. *Seruos etiam vernaculos & emptitios circumcidi præcepit Dominus, vt doceret ad omnes pertinere redemptionis gratiam.* Ita gloſſa, quæ in ſenſu allegorico ſupponit datum fuiſſe circumciſionis ſignum, in ſignum redemptionis noſtræ per Chriſtum, quam ad vernaculos & ad emptitios ſeruos & ad gentiles extendi voluit Dominus. Quare huius diei lætitia ad vniuerſos pertinet Adæ filios: vnde Angelus ad paſtores Luc. 2.
Vers. 16. *Euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo*, &c. non ait, *vobis tantùm*, ſed *omni populo*. Ecce qua- D lis quantaque ſit (nemine excepto) lætitiæ ratio; etenim non omnibus Deus diuitias conceſſit, nec generis claritatem, nec aliorum bonorum mundi copiâ, quæ quid referunt, ſi homo nõ ſaluetur? quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animę verò ſuæ detrimentum patiatur? Sic etiam dicam ego: quid obeſt homini quod rebus omnibus mundi careat, ſi ſaluatur? Deo igitur æternas gratias qui pauperes & ſeruos & reliquos omnes in redemptionis & ſalutationis cauſa pares & æquales fecit.

Geneſ. 21. vocauit Abraham nomen filij ſui, quem genuit ei Sara, Iſaac. Iſaac autem interpretatur *riſus*, ſiue *gaudium*. Iſaac (ait S. Chryſoſtom. in Imperf. hom. 1. fuit per omnia myſterium Chriſti: *ſicut Iſaac ligna portabat vbi fuerat incendendus, ſic & Chriſtus lignum portauit vbi erat crucifigendus: & ſicut Iſaac non reſtitit Patri* A *cùm eum occidere vellet, ſic nec Chriſtus contradixit Patri paratus reſpondit.* Pater mi, ſi poſſibile eſt tranſeat a me calix iſte, ſed non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Si *etiam ſicut vocatus eſt Iſaac, quia ſuis parentibus gaudium fuit, ſic & Chriſtus natus eſt in gaudium multis, ſicut* Angelus ad paſtores: *Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis ſalua-* Ita ille. Vbi nota exaggerationem in ore Angeli *gaudium*, inquit, *magnum*; nimirum, quia in huius paratione cætera gaudia mundi non magna, ſed exigua ſunt; gaudia multa habuit diues ille auarus, non magna; & ſicut magna eſt infelicitas eius & magnus in inferno dolor, &c. Talem ver tantum ſaluatorem habere, gaudium ab A appellatur, quia gaudium magnum in ſal conſiſtit. Quid enim prodeſt homini ſi vni mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimen tiatur? Conatur quidem hoſtis inutiles nobis c iſtos.

S. Leo ſerm. 3. de ieiunio: *Inimici noſtri, qui sanctificatione torquentur, in his debus quos ad maiorem ſeruantiam nobis diſpoſitos eſſe nouerunt, vehementius ſ & ſubtiliori inſidiantur aſtutiâ.* Ita S. Leo, qui lo ibi de quatuor temporum diebus, ſed tamen ide eadem ratione de feſtiuis diebus natalis Dom dicendum.

S. Leo Papa ſerm. 2. de Chriſti natiuitate. magno Dei munere agitur, magnus Eccleſiæ gaudij celeb Ita ille.

Prop. XXVIII. *Aduersùs eos, qui in festo natalis Christi indebitè gaudent.*

LAertius *libr. 2. cap. 8.* cùm quidam Ariſtippum bro daret, quod lautè, & ſplendidè viue reſpondit: *Si hoc vitium eſſet, in celebritatibus deorum fieret: in his enim feſtiuis diebus magnificè veſtiri, & lautiùs epulari homines ſolent.* Ita ille. Excuſatio hæc accuſatio noſtra eſt: nos enim Chriſtiani, cùm in diebus lemnioribus tam Chriſti Domini, quàm ſanctorum eius, officijs diuinis deuotè intereſſe deberemus, & cra attentiùs audire, & concionibus, orationibus vacare, tunc, inquam, his omiſſis, ſtudioſiùs ludis, & dicris rebus, & epulationibus, comœdijs & vanitatibus mundi operam damus, & multi plùs in vno die ſ peccamus, quàm in reliquis omnibus hebdomadæ diebus, vt ſpeciatim in feſto natalis Domini adnotat S. Bernardus dicens: *Multi gaudent in hoc feſto, non de Chriſti natiuitate, ſed de vanitate.* Ita ille. Et ita eſt, quia lætantes in comeſſationibus, & ebrietatibus, in ornatu veſtium, in ludis & mundanis conuerſationibus, hócne celebrare eſt Chriſti Domini natale? hæcne Chriſti ſolemnitas dicenda? Notauit optimè Origenes *homil. 23. ſuper Numer.* quòd aliquando ſabbata, & feſtiuitates diuinæ in ſacris litteris dicuntur Sabbata Dei, vt, *Sabbata mea custodite.* Idem *Exod. 31.* aliquando verò, non Dei, ſed noſtra dicuntur, vt, *Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras oduit anima mea.* cùm de cuſtodia feſtorum ait Deus, ſua illa vocat, cùm verò de celebratione culpabili noſtra, ea vocat non ſua. ſic igitur feſtum natiuitatis, diuinum ſecundum ſe maximè eſt, at verò ſi modum qui à multis nunc celebratur, non Dei, ſed noſtrum eſt. Quid enim his prodeſt tapetibus Eccleſias ornare, & pauimenta eorum floribus aſpergere, &c. *De que les a prouecha a eſtos tanto entoldar igleſias, adornar altares, cubrir el ſuelo de iuncias, eſpadanas, y roſas, repicar las campanas, y taner mil inſtrumentos de muſica?* ſic in die ſancto feſti ineunitur voluntas veſtra, & vanitas veſtra: hæc non ſunt ſabbata Dei, ſed veſtra, de quibus Dominus dicit: *Calendas veſtras & ſolemnitates veſtras oduit anima mea.*

Iubilate Deo omnis terra, ſeruite Domino in lætitia, in trate

troite in conſpectu eius in exultatione. S. Chryſologus *ſermone 6.* explicans Pſalmum iſtum, per Dominum hîc Chriſtum intelligit, & in conſpectum eius venientis in mundum, cùm iam factus eſſet homo, inuitare nos prophetam vt intremus, & coram eo lætemur; hoc, inquam, ſic expendit ſanctus Chryſologus. *Quid exultas ante maieſtatis ſuperuæ terrorem? Archangeli tremunt, in faciem cæl proruunt ſeniores, elementa fuguntur, ſoluuntur ſaxa, montes deſiunt, terra tremit, homo ergo terræ quomodo intrepidus intrabit & conſiſtet exultans? vnde igitur eſt quod Propheta hoc nos debere facere ſic præſumit? vnde eſt? ex hoc* 3. *quod ſequitur:* Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, *hoc eſt, quia Dominus Deus ille eſt, qui fuit carne noſtra puſillus: hinc eſt quod ille Dominus Deus eſt, qui fuit in cunabilis noſtris capax: dulcis in gremio, mitis in habitu, in noſtro contubernio blandus, & ideo intrate in conſpectu eius in exultatione.* Ita ille. A

PROP. XXIX. *Quomodo nos ad feſtiuitatem natiuitatis præparare debeamus.* B

SAnct. Bern. Non omnium eſt, quod ait Propheta: *Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt: ſiquidem* 4. *nec omnes hoc memoria pacti. Sane nemo quod non guſtauit, ſed neque quod tantum guſtauit, eructat. Ructus quippe non niſi de plenitudine & ſatietate procedit. Propterea quorū ſeculariis eſt mens & vita, memoriā hanc exſi celebrant, non eructant: ſine affectione & deuotione dies iſtos, aridaquadā conſuetudine, obſeruātes. Denique quod dānabilius eſt, ipſa quoque maſtimabilis huius d gnationis memoria datur in occaſionē carnis, vt videas eos tāta ſolicitudine d ebias iſtis veſtium gloriā, c borum parare delitias, ac ſi hæc & huiuſmodi quærat in natiuitate ſua Chriſtus, & ibi ſuſcipiatur dignius, vbi hæc accuratius exh. bentur.* 5. *Sed ipſum audi, dicentem: Superbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam: quid tanta ambitione veſtes paras in natale meum? Deteſtor ego ſuperbiam, non amplector. Quid tanta ſolicitudine ciborum copias reponis in tempus illud? Damno ego carnis delitias, non accepto. Planè inſatiabilis es corde tanta parans & ex tam longo: nam vtiq; & corpori pauc ora ſufficerent, & quæ poſſunt opportunius inueniri. Celebrans ergo aduentum meum labys me honoras, cor autem tuum longè eſt a me. Non me colis, ſed Deus tuus venter eſt, & gloria in confuſione tibi Infeliæ omnino, qui voluntatem corporis & ſæculariis colt gloræ vanitatem. Beatus autem populus, cuius eſt Dominus Deus eius,* Ita S. Bernard. C

Sed dices, quid faciam ergo, vt me in Chriſti præparem natiuitatem? dicat ipſe S. Bernard. *Quis eſt in vobis, fratres, qui deſiderat in anima ſua ſedem Chriſto parare? ecce quanam illa ſerica, quæ tapetia; quod puluinar, oportet* 5. *præparare. Iuſtitia* (inquit Pſalmiſta) *& iudicium præparatio ſedis eius.* Ita S. Bernard. Videamus igitur, quomodo iuſtitia iudicium debeat præparari. Incognitus in 2. illa verba in principio Pſalmi, *Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis, Secundum Grammaticos* (inquit) *differentia eſt inter iudicium, & iuſtitiam, quia* D *iudicium dicitur à iure, quaſi iuriſdictio, & eſt iudicium, cùm diſcutitur cauſa: ſed iuſtitia cum cauſa determinatur, ſicque Chriſtus Dominus in iudicio vltimo faciet iudicium, cum di-* 15. *cet: Eſurini, & dediſtis mihi, &c.* Sed iuſtitiam, cum dicet: *Venite benedicti Patris mei, &c.* Hinc conſtat, quomodo iudicio & iuſtitia debeas præparare ſedem Chriſto venienti, faciendo ſcilicet iudicium de teipſo, te, inquam, tamquam iudex reum diſcutiendo, & examinando vitam, opera, verba, & cogitatus, & ſi quid ſupplicio inueneris dignum faciendo iuſtitiam de te ipſo, ita mundabis animam, & anima munda ſedes eſt ſapientiæ, &c.

Quid eſt quòd in Bethlehem naſci voluit Dominus noſter? cur non in oppido regio Ieroſolymitano? ſiquidem Rex ipſe eſt. Primò, quia humilitatis magiſter, vt nos humilitatem priùs opere, quàm voce doceret, omnia humilia ſibi elegit, humilem ciuitatem Nazareth, in qua conciperetur, humilem ciuitatem Bethlehem, in qua naſceretur, humilem in ea domum; imò neque domum, ſed e iguum quoddam tugurium, quia non erat ei locus in diuerſorio: humile incunabulum, præſepium ſcilicet beſtiarum, pauperes pannos, quibus indutus fuit, pauper mater, pauperes diſcipuli, pauper vita, pauper finis: denique nihil non humile in Chriſto Domino redolebat. Ideo igitur, qui Ieruſalem elegit ad mortem, vt opprobrium crucis tantò eſſet illi magis ad humilitatem, quantò celebrior & illuſtrior illa erat, idem ipſe ciuitatem Bethleem elegit ad natiuitatem, vt quantò illa deſpectior erat tantò natiuitas eſſet humilior.

Secundò elegit ita Bethlehem, vt naſceretur in ea, propter nominis eius myſterium. Bethlehem quippe *domus panis* interpretatur, quo ſignificaret, cor illud natiuitati ſuæ aptum eſſe, quòd domus eſſet panis, in quo ſcilicet panis ipſe cœleſtis ſit. Quod in eo verificatur, qui recipit panem ſanctiſſimum Euchariſtiæ, ille quippe domus panis meritò dicetur, & optimè paratus erit ad puerum Ieſum in die Natalis ſui recipiendum, ſecundùm illud, *Paratum cor eius ſperare in Domino, confir-* Pſ. 111. 7. *matum eſt cor eius.* Super quem locum S. Bernard. *Paratum cor eius ait, haud dubiū quin de iuſto loquens. Confirmatum* Ser 6. vig. *cor eius, non commouebitur. Non eſt paratum cor, quod non* nat. Do- *eſt confirmatum. Scimus autem, eodem ipſo teſte Propheta,* mini. *quòd panis cor hominis confirmet: non eſt ergo paratum, ſed* Pſal. 103. *aridum, & exangue cor eius, qui oblitus eſt comedere panem ſuum.* Ita S. Bernardus, qui per *panem ſuum* verbum Do- Pſ. 118. mini intelleexit, ſecundum id, *Confirma me in verbis tuis,* 28. & merito quidem: verbum enim Dei & cor hominis in bono confirmat, & diſponit hominem ad Chriſtum Dominum in domo animæ recipiendum. Sed meliùs hoc de pane vitæ & intellectus interpretabimur, de pane, inquam, de quo ipſe, qui panis eſt, dixit: *Hic eſt panis* Ioan. 6. *qui de cœlo deſcendit.* Hic quidem eſt panis, qui cor homi- 50. nis confirmat. Vnde & diſponit, vt paratum ſit recipere Chriſtum pro nobis natum, qui Euchariſtia ſacra deuotionem excitat, & cor deſiderijs replet habendi non ſolùm per gratiam Chriſtum, ſed etiam per gloriam. Item confeſſio eſt optima præparatio ad natiuitatem Chriſti, ideo naſcitur in Bethlehem Iudæ: Iuda verò confeſſio interpretatur: ſi ergo in te Chriſtum naſci optas, inuenit in te confeſſionem. Vnde S. Bern. Ser 6. in *Præoccupemus faciem Domini in confeſſione, vt ſanctificati pa-* vig. nat. *rites & parati inueniamur eſſe Bethlehem Iudæ, & ita Chriſtum naſcentem videamus in nobis.* Ita ille. Quis ergo modò non confiteatur? &c.

S. Bernard. *Non te oportet, homo transfretare maria, non* Ser. 1. de *penetrare nubes, non tranſalpinare neceſſe eſt. Non grandis,* aduentu. *inquam, tibi oſtendatur via, vſque ad temetipſum occurre Deo tuo! prope eſt enim verbum in ore tuo, & in corde tuo. Vſque ad cordis compunctionem, & oris confeſſionem occurre, vt ſaltem excæs de ſterquilinio miſeræ conſcientiæ tuæ: quia indignum eſt illud authorem puritatis intrare.* Ita S. Bernard. loquitur de aduentu Chriſti. Idem etiam dicendum eſt volenti recipere illum in Euchariſtia.

PROP. XXX. *Quanta animæ puritate ſit celebranda natiuitas Chriſti.*

FEſta principaliora præcipua ſunt deuotione, & animæ puritate celebranda. Audi S. Leonem ſerm. S. Leo, 3. in Quadrageſima: *Semper nos, dilectiſſimi, ſanctè viuere decet, & in id voluntates noſtras, & actiones dirigere; ſed in his diebus, quos illuſtriores nobis ſalutis noſtræ Sacramenta fecerunt, diligentiori ſolicitudine cunctæ noſtra mundanda, & ſtudioſius eſt exercenda diſciplina virtutum; vt ſicut ipſa myſteria maiora ſunt, ita & noſtra obſeruantia ſuperet in aliquo conſuetudinem noſtram: & cui feſtiuitas eſt celebranda ſublimior, ipſe quoque in ea reperiatur ornatior. Si enim ratio-*

nabile,& quodammodo religiosum videtur in die festo in vesti- A tu nitidore prodire, & habitu corporis hilaritatem mentis ostendere, & Dei templum propensiore cura & ampliore cultu quantum possimus adornamus; nónne dignum est vt anima Christiana, quæ verum & viuum Dei templum est, speciem suam prudenter exornet, & nulla eam macula inquinatis offuscet? nam quæ prodest homini cultus exterior, si eius interiora sordeant contaminatione peccati? Scrutetur igitur quisque conscientiam suam, seq; ante se statuat, & censura iudicij videat in secreto cordis sui, si humilia non spernit, si alta non appetit, si iniquo non delectatur lucro, & quàm citò ab his, quæ noxie blandiuntur, animum abducit. Ita sanctus Leo.

Prop. XXXI. *Variæ causæ cur Christus natus est & varia pro moribus documenta.*

S Hilar. lib 2. de Trinitat. mihi p 8.

Sanct. Hilarius. *Inenarrabilis*, inquit, *à Deo originis* » *vnus vnigenitus Deus in corpusculi humani formam S.* B » *Virginis vtero misertus accreuit. Quis omnia continet, & intra* » *quem, & per quem cuncta sunt, humani Spiritus lege proser-* » *tur; ad cuius vocem Archangeli, & Angeli tremunt, cælum,* » *& terra, & omnia mundi huius resoluuntur elementa, vagitu* » *infantiæ auditur. Hæc si quis indigna Deo recolat, tantò se ma-* » *iori beneficio obnoxium confitebitur, quantò minùs hæc Dei* » *conueniunt maiestati. Non ille eguit homo effici, per quem homo* » *factus est, sed nos eguimus vt Deus caro fieret, & habitaret in* » *nobis, id est, assumptione carnis vnius, membra vninersæ carnis* » *mederet. Humilitas eius, nostra est nobilitas, contumelia eius,* » *honor noster est.* Et paulò post *Parit Virgo, partus à Deo est:* » *infans vagit, laudantes Angeli audiuntur: panni sordent,* » *Deus adoratur. Ita potestatis dignitas non amittitur, dum car-* » *nis humilitas adoratur.*

S. Ambr. serm 12. mihi p. 702.

S. Ambrosius: *Ecce cùm nascitur Christus, exultant An-* » *geli, pastores peruigilant, Magi aduenium, stella præcedit, &* » *cuncta quæ sunt in cælis, terris, pulcherrima deferuntur. De-* » *feruntur enim illi gloria per Angelos, claritas per stellam, religio* » *per Magos, simplicitas per Pastores.* C

Idem serm. 13.

Idem: Gloria in excelsis Deo. *Digna planè, & iusta sen-* » *tentia, quæ in natiuitate Christi, & Deo honorem repræsentat* » *in cœlis, & hominibus pacem præsentat in terra. Ante Saluato-* » *ris enim ortum, nec cælestia reuerentiam deferebant, nec terre-* » *na requiem possidebant. Sed videte, quid dicat ipsa sententia.* » Pax hominibus; *non quibuscumque*, sed bonæ voluntatis. » *Vt intelligas Pacem Christi, non debiti esse, sed meriti.*

Chrysost. in c. 1. Matth.

D. Chrysostomus: *Natus est secundum carnem, vt tu* » *nascereris spiritu, natus est ex muliere, vt tu desineres esse filius* » *mulieris.*

Hom 2. mihi p. 21. S. Zenon. serm 3. de Natiu Christi

S. Zenon: *In hominem coaptatus, in tegumento carnis in-* » *cluditur Deus, humanamq; naturam mutuatur de tempore qui* » *præstat temporibus æternitatem. Mira res, concipit Maria de* » *ipso quem parit, tumet vterus maiestate, non semine &c. Nasci-* » *tur Filius sine Patre, non totus Matris, sibi debens quod conce-* » *ptus est, donans matri quod natus.*

S. Maximus serm 1. de Natiui

Sanct. Maximus: *Hodie, Fratres charissimi, Christus natus* » *est, nos renati. Hodie Saluator mundi per matrem nascendi* D » *tempus accepit, qui de patre natiuitatis non habet tempus. Ho-* » *die per hominem Filius Dei ingressus est mundum, cuius manu* » *ante hominem factus est mundus. Hodie habitator cœli venit ad* » *terras, qui terrarum incolas euocaret ad cælum.* Et paulò post.

Abac 3.

» *Ait Sanctus Abacuc prophetæ: Domine audiui auditionem* » *tuam, & timui; considerani opera tua, & expaui. quis non &* » *paueſcat & metuat tanti profunditatem mysterij, quandoquidē* » *de vnus idemq; fine conceptione natus est Deus, & sine generan-* » *te factus est homo? duas in Corpore generationes legimus, fra-* » *tres charissimi; sed in vtraque incomprehensæ diuinitatis est* » *virtus. Ibi enim illum ex semetipso genuit Deus; hic eum Virgo* » *Deo cooperante concepit. ibi sine initio, hic sine exemplo. ibi* » *natus vt conderet vitam, hic factus vt tolleret mortem. ibi pa-* » *tri natus, hic hominibus procreatus. Illa natiuitate hominem* » *fecit, hac generatione hominem liberauit. Vtramque, fratres,* » *generationem eius non posse narrari, sententia hac vna com-* plectitur: *illa enim est ante hominem, ista supra hominem: illa* » *incogitabilis, ista mirabilis. Cum autem duas docemur Christi* » *natiuitates, non his asseritur Dei Filius natus, sed gemina in* » *vno Dei Filio confirmatur esse substantia. ibi, quòd erat, natus* » *est; hic, quòd non erat, factus est.*

In aduentu dominico, fratres charissimi, solutus est omnis » *paterna prænunciationis metus, quem diabolicus dirum fraud-* » *bus incurrit circumuenta mortalitas. Adest enim nobis con-* » *terraque iudex, qui, rescisso chirographo delictorum, reatu* » *nostrum miseratus absoluit. Adest ille Dominus, qui tugurio* » *ptiuitatis antiquæ nostris à cernicibus soluens, mœrorem mu-* » *di æterna libertate lætificat. Adest rex ille mansuetus, qui* » *spatia totius orbis, cælestis institiæ gressibus incedens, inspi-* » *bientem furentis mimici confregit tyrannidem. Hodie non-* » *parturiente Maria, natus est nobis Dei Filius, vt germana* » *stræ carnis conceptione productus, creato à se homini* » *ternam pietatem, & fraternum largiretur affectum. Et na-* » *sanè ab intacta est fœmina, vt eum pariter & hominem te-* » *retur partus humanus, & Deum probaret æterna virgi-* » *Nam sicut non poterat nisi caro de carne nasci, ita non po-* » *Dei caro de fœmineo vtero nisi sine generante prodire. Et* » *lò post. Sed fortassis hunc, qui natus prædicatur ex femina* » *vilibus obuoluitur pannis, dum tacere contentus est in præ-* » *dum lacrymosis vagitibus concrepat, dum materni lactis* » *uberibus, Deum esse dissidis? imò per istæ, frater, adiuuate eum* » *& vt hominem infirma pro infirmis pertulisse, & vt Deum po-* » *tentiam exercuisse cælestem. Hic namque, qui sordent bus cō-* » *cumdatur pannis, regijs per Chaldæos munus honoratur.* » *Hic, qui in præsepi humilis iacet, lumine noui sideris coruſca-* » *cælo. Hic, qui vagitus edit infantiæ, angelici exercitus voc-* » *collaudatur. Hic, qui fœmineo lacte nutritur, multa hominū* » *milia paruissimo pane satiauit.*

Tenerrimus erat D. Francisci erga Christum affectus; vnde solemne erat ipsi dicere: Si cui inquiebat. totius mundi Monarcha, præciperem nibus omnium regnorum, prouinciarum, & vr vbique moderatoribus, vt quantâ possent maxi pompâ, & sumptuosissimo apparatu, Christi Nasc noctem, diemque celebrarent. Hunc in finem iuberem illos vbique per vias, & compita, & campos, & semita grana frumenti, & tritici spargere, vt ipsæ auiculæ pu sent communis huius participes esse lætitiæ. Et q hic Infans natus est inter bouem, & asinum, mandare omnibus, qui haberent istiusmodi iumenta, illo die at satim subministrarent illis pabulum, nimirum scen & auenam, & lautissimè tractarent. Quid verò no egit, facta sibi à summo Pontifice potestate, celebran illam solemnitatem in campo? Ipse in amplissi campi æquore struxit è stramine, paleis, & fœno h mile tuguriolum in morem stabuli, in eoque colloca uit præsepe, in præsepi Infantem, ab vno latere Deipa ram, ab altero S. Iosephum. nec deerat bos, & asinu Inuitauerat ad spectaculum omnes vicinos paganos, & rusticos, quorū innumerabilis cò accurrebat multitu do, nocte ipsâ intempestâ: qui fistulis, & tibijs, & carmi nibus, & sambucis & lyris suauissimum concinebant melos: ita vt vicini vndique colles, & valles, pia per sonarent echone. Ipse deinde S. Franciscus in solemn Sacro canebat Euangelium; quo finito, instituebat con cionem de Bethleemitico Infante (sic Christum ap pellabat) auditoribus omnibus partim præ gaudio partim præ amore vbertim lachrymantibus.

CHRISTI CIRCVMCISIO.

Vide etiam in Verbo *Christi Natiuitas & Christi Passio.*

Prop. 1. *Circumcisio Christi ad salutem & saluationem nostram fuit.*

2. *In circumcisione factus est nobis Christus fons salutaris.*

3. Quam-

3. *Quantum conflixerit Christo redemptio nostra,*
4. *Christus sanguine suo nos redemit.*
5. *Quàm libenter Christus pro nobis sanguinem fuderit.*
6. *Quàm eximium beneficium fuerit Christum pro nobis sanguinem suum effundere in circumcisione*
7. *Quantum Christo debeamus pro effusione sanguinis sui.*
8. *Christus fundendo sanguinem pro nobis quantus sit homo manifestat.*
9. *Ex effusione sanguinis Christi peccati gravitas constat.*
10. *Circumcisio Christi amorem eius in nos manifestat.*
11. *Christus circumcisione sua legem antiquam impleuit.*
12. *Quàm decens fuerit circumcisio Christi.*
13. *Circumcidi voluit Christus, vt diutius atem suam diabolo celaret redemptionis nostræ causa.*
14. *Christus circumcisione sua exemplar nostrum fuit.*
15. *Circumcisio Christi ad Confessionem nos adhortatur.*

De Circumcisione nostra.

16 *Spirituali.*
17. *Circumcisio corporalis Christi in circumsionem spiritualem commutata est.*
18. *Qualiter nouum annum incipere debeamus.*

PROP. I. *Circumcisio Christi ad salutem & saluationem nostram fuit.*

SIc Ecclesia in Symbolo canit : *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis*, &c. Vnde S. Bernard. *serm.* 2. *de Circumcis.* Non est (inquit) *quærere Christianis, cur voluerit Christus Dominus circumcidi, propter hoc scil. cur circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus, nihil horum propter se, sed omnia propter electos : nec enim in peccato gentium, nec à peccato circumcisus, nec mortuus est pro peccato suo, magis autem propter delicta nostra.* Ita S. Bernard.

Et hinc soluitur illa quæstio communis de connexione Circumcisionis, & nominis Iesu, quam sic proponit idem sanctus *ser.* 1 *de circumcis. Circumciditur puer, & vocatur Iesus, quid sibi vult ista connexio ? circumcisio nempe magis saluandi, quam saluatoris esse videtur, & saluatorem circumcidere magis decet, quàm circumcidi.* Ita ille, *qui serm.* 2. *eiusdem festi sic respondet : Meritò sanè, dum circumciditur puer, qui natus est nobis, saluator vocatur, quòd videlicet ex hoc tam cœperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens.* Ita ille.

Hinc sequitur nos maximè teneri hanc sanguinis effusionem, tantosque Christi labores non irritos, & cassos facere, sed potiùs intentos à Christo Domino fructus percipere. vnde S. Bernard. *serm.* 3. *in natali Domini : Obsecro* (inquit)*vos, dilectiss. mi, considerate diligentius, quantum fecerit Deus pro vestra exhortatione, & salute, nec infructuosus inueniatur in vobis tam viuus & efficax sermo, sermo fidelis, & omni acceptione dignus, sermo non tam oris, quàm operis*, &c.

Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Secundùm omnes expositores hîc agit Propheta de Christo Domino, pro eo tempore quo venturus est mundum iudicare: tunc orietur velut sol iustitiæ & in pennis, seu radijs suis adducet salutis perfectionem bonis. Sed tamen, cùm ipsemet sit qui in omni vita sua salutem contulit iustis, non solùm de secundo aduentu, sed etiam de primo idipsum possumus affirmare. Primò, quòd tanquam sol ortus fuerit in nativitate sua, in pennis autem sanitatem adduxit, quia velociter quasi volatù quodam sanguinem suum fudit octauo die.

Quoniamigitur secundùm diuinam ordinationem, & decretum sanctissimæ Trinitatis, sine sanguinis effusione non fit remissio, vix natus Christus sanguinem per circumcisionem effundere voluit, vt simul vitam & redemptionem nostram inchoaret. quantùm nos tali adstrinxerit beneficio, quis valeat explicare ? si Rex pecunias tribueret in redemptionem alicuius apud Mauros captiui, quantí hoc faceret captiuus ille ? quantí ergo & nos facere debemus, quòd Deus cœli, non Rex solius terræ, sanguinem, non pecunias tantùm in redemptionem, non corporum, sed animarum & corporum simul sit elargitus. Vnde meritò S. Bernardus : *In creatione me mihi Deus dedit, in secunda verò reformatione seipsum, & vbi se dedit, me reddidit mihi : datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo.* Ita S. Bernard. & similiter Eusebius Emissenus *homil.* 6. *in Pascha : Magnum*, inquit, *mihi Dei beneficium, quod esse me sentio opus suũ, sed multò quidem amplius, quòd transisse ipsum video in pretium meum, quandoquidem tam pretioso munere ipsa redemptio agitur, vt homo Deum valere videatur.* Ita ille. Quis non pro tam immenso beneficio gratias agat sempiternas?

Vnde S. Petrus Chrysologus *serm.* 70. *Homo redi ad Deum sic amatus à Deo, & ad illius gloriam. da totum te, qui se totum propter te ad suam deduxit iniuriam, & voca patrem fidens, quem tanto amore tuum probus esse gemtorem.* Ita ille.

Et S. Anselm. *lib. de mensuratione Crucis* §. 4. cum Deo agens, ait : *Sic totum cor nostrum tuo debemus amori, vt quid quid alteri damus, tibi subtrahamus.* Ita ille. Expressiùs autem sanctus Iacobus, quantùm nos beneficio isto deuinxerit, dicens : *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*, hoc est, per Christum nos genuit beneficio redemptionis, vt simus initium aliquod creaturæ eius Vbi Beda affert quandam transiationem, quæ sic habet : *Volens genuit nos, vt simus primitiæ creaturarum eius*, primitiæ, inquit, scimus autem primitias Deum sibi consecrasse & dedicasse. Primitias ergo nos facit beneficium redemptionis, quia propter ipsum nos Deo dicatos prorsus & consecratos esse oportet : etenim de populo Israel dixit Ieremias : *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum eius.* vbi Vatablus legit, *Sacrosanctus erat Israel Domino, & frugum eius primitiæ*, & subdit. tanquam res Deo dicata, quę pollui non debet. Volebat autem Dominus populum illum sibi consecratum esse, & velut primitias ipsi soli dedicatum, quia eum in populum suum elegit ex omnibus gentibus mundi, vti exponit S. Hieronymus, & quia à tyrannide Ægyptiaca ipsum liberauit. Quid ergo nos esse oportet, qui in populum Christianum electi sumus, & à tyrannide dæmonis sumus liberati ?

Cap. 1, 18.

Cap. 2.

Hoc autem in his duobus beneficijs creationis, & redemptionis considerandum est, quòd prima est veluti via ad secundam, &, vt Tertullianus dixit, est pignus eius. verba Tertulliani sunt *lib. de resurrect. carn. c.* 6. *Quocumque limo illo, quo formatus est homo, exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus. limus ille iam tum imaginem induens Christi futuri in carne, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus.* Ita ille. Etenim cùm Deus præsciret hominem peccaturum, & in eius reparationem & redemptionem Filium Dei carnem ex limo illo sumpturum, non mirum, quòd cùm Deus lineamenta humana in limo illo duceret, id amore quodam eximio præstaret, Christum sic præ oculis habens. Sed tamen quid sibi vult verbum illud Tertulliani, *Limus, non tantùm*, inquit, *opus Dei erat, sed etiam pignus?* Quomodo limus ille, seu opus illud formationis hominis, pignus fuit ? mirè expressit Tertullianus causam, propter quam ex ipsa creatione nostram spem redemptionis concipere nos possemus. nam sicut qui arborem manu sua in horto suo plantat, si spem arbor illa concipere posset (si spei capax esset) futuræ prouidentiæ erga illam, quòd scilicet is ipse, qui plantat eam, rigaret suo tempore illam, & culturam debitam illi adhiberet ; id enim ad eum, qui plantat, spectat ; quare plantationem illam pignus culturæ dicere possemus. Sic etiam hominis plasmationem pignus redemptionis dicere valemus. ad eum quippe, qui nos amore & charitate infinita creauit, pertinebat reparatio nostra, ob eamque causam meritò limus ille plasmationis nostræ, pignus redemptionis appellatur, tum etiam maximè quia in limo illo

fragi-

fragilitatem nostram Dominus agnoscebat. Ob id A
Ps 102. 14. enim asseruit Psalmista, *ipse cognouit figmentum nostrum.* Sicut enim figulus, qui ex luto vasa format, & non ex ferro, eo ipso ad reparationem vasis deformati facilem se exhibere debet, videns massam illam ex se facili negotio deformari. sic Deus noster agnoscens figmentum nostrum ex fragili materia compactum, facilis ad veniam, & reparationem fuit. Quare cùm te peccata obruere videntur, & veluti in desperationem inducere, conuersus ad conditorem dicito: Memento quòd sicut lutum feceris me, tu cognouisti figmentum meum, non ferreus sum, vel Angelus, sed fragilis homo, parce mihi Domine, &c. Denique ex creatione nostra redemptionis nostræ pignus nobis exhibitum est, & insuper misericordiæ Dei, ac veniæ peccatorum.

B

Prop. II. *In Circumcisione factus est nobis Christus fons salutaris.*

Isai 12.3. HAurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Hodie Saluatoris nomen Christus Dominus accepit, olim enim priusquam fieret homo, non ita Saluator, sed omnipotens vocabatur. *Omnipotens nomen eius*, dixit Moyses, imò Dominus exercituum nomen eius, & Deus vltionum Dominus vocabatur, & leo rugiens, & alia huiusmodi nomina habebat, quæ terrorem hominibus incutiebant: iam verò oleum effusum est nomen eius, oleum, inquam, lene ac suaue. quare pro tempore, quo vocatum est nomen eius Iesus, hoc est, Saluator, ait Isaias: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, hoc est, fiet vobis Christus Dominus fons salutis in Ecclesia sua. Qualis autem, & qualiter nobis sit iste
Ser 1 de natal. Domini. Apoc. 1. 5. C fons, sic S. Bernard. prosequutus est: *Fons est Christus Dominus qui numquam poterit exhaurire, fons est Christus Dominus nobis, primùm vnde lauemur, sicut scriptum est:* Qui dilexit nos, & lauit à peccatis nostris. *Verumtamen non iste solus aquarum est vsus, nec tantùm sordes abluunt, sed & sitim extinguunt.* Beatus, *ait Sapiens*, qui in sapientia moratur, & qui in iustitia meditabitur, *& post pauca:* Aqua *(inquit)* sapientiæ salutaris potauit illum. *bene* sapientiæ salutaris, *quoniam sapientia carnis mors est, & sapientia mundi etiam ipsa inimica est Deo: sola quæ ex Deo est sapientia, salutaris est, quæ secundùm* B. Iacobi *definitionem*, primùm pudica, deinde pacifica est: *nam sapientia carnis voluptuosa est, non pudica, sapientia mundi tumultuosa est, non pacifica. Sapientia verò quæ ex Deo est, primùm pudica est, non quærens quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, vt non quisquam suam faciat voluntatem; sed consideret qua sit voluntas Dei. Deinde pacifica, non abundans in suo sensu, sed alieno magis consilio acquiescens, vel iudicio.*

Ecel. 4. 22.

Isai. 3.

Tertius aquarum vsus est irrigatio, quam profectò maximè D
habent necessariam nouellæ plantationes: alioquin aut minùs proficient, aut ex toto peribunt præ siccitate. Quærat ergo deuotionis aquas quisquis seminauerit bonorum operum semina, vt rigatus fonte gratiæ, bona conuersationis hortus non arescat, sed in perpetua viriditate proficiat: *orat enim pro huiusmodi Propheta.* Et holocaustum tuum pingue fiat. *Sic & in laud. bus Aaron legis, quoniam quotidianus ignis sacrificium eius absumpsit, in quibus omnibus nihil aliud intelligendum videtur, nisi vt bona opera feruore deuotionis & dulcedine spiritualis gratiæ condiantur.*

Psal 19.4 Eccl 45.

Ioan. 3 12

Poteritne inuentri quartus fons, vt Paradisum recuperemus quatuor fontium irrigatione amœnißimum? nam si terrenum Paradisum denuo nobis reddendum non speramus, quomodo regnum sperabimus cœlorum? Si terrena, *inquit*, dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis? *Sed Paradisum habemus multò meliorem & delectabiliorem, quàm primi parentes habuerunt. Paradisus noster Christus Dominus est, in quo tam tres fontes inuenimus, quartum quæramus. Habemus de fonte misericordiæ ad diluendas culpas, aquas rem ßionis: habemus de fonte sapientiæ ad sedandam sitim nostram, aquas discretionis: habemus de fonte gratiæ ad irrigandas plantas bonorum operum, aquas deuotionis ad coquendos cibos à quas feruentes: hæ nimirum sunt quæ affectiones nostras, & ebulliunt de fonte charitatis. Vnde ait Propheta:* Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis, *& alibi:* Zelus domus tuæ comedit me: *siquidem ex dulcedine deuotionis ad iustitiam, ex feruore æmulationis odio habet iniquitatem. Videne forte de fontibus ißis prædixerit Isaias:* Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris? *nam vt de passione hanc vitæ præsentis esse nouerit, & non sufficere, attende quod sequitur:* Dicetis in die illa: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: *inuocatio quippe sentis temporis est, sicut scriptum est:* Inuoca me in die tribulationis. *Porrò ex his quatuor fontibus tres quidem continuò videntur tribus Ecclesiæ Ordinibus, singulis nam primus quidem communis est omnibus: in multis enim offendimus omnes, & necessarium habemus misericordiam, tam ad diluendas offensionum sordes. Omnes, inquam, peccauimus; & egemus gloria Dei, & Prælati, & continentes, coniugati: & si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos seducimus. quia ergo nemo mundus à sorde, necessarium omnibus fons misericordiæ, & pari voto debent ad hunc fontem properare Noë, Daniel, & Iob. De cætero maximè quidem fontem sapientiæ quærat, quoniam ipse magis inter ambulat laqueos, ita vt magnum v. deatur, si à malo declinet. Danieli verò currendum est ad fontem gratiæ, cui nimirum pœnitentia opera, & labores, abstinentiæ, deuotionis gratia cesse est impinguari: oportet enim vt religiosi maximè in humilitate omnia faciamus, quoniam* hilarem datorem diligit Deus: *nam terra nostra nequaquam fertilis est semine bonæ scilicet conuersationis: ideoque sæpe exaresci, crebris irrigationibus adnuetur. Vnde & in oratione Dominica huiusmodi gratiam sub quotidiani panis nomine postulamus. Meritò sanè, ne super nos cadat terribilis illa maledictio Prophetica imprecationis:* Fiat sicut fœnum tectorum quod priusquam euellatur, exaruit. *Fons verò æmulationis conuenit Noë specialiùs, quia maximè Prælatis conuenit zelus. Quatuor itaque fontes ißos adhuc in carne viuentibus in Christus exhibet in semetipso. Quintum, qui est fons vitæ, post hoc seculum repromittens, ad quem sitiebat Propheta, quando dicebat:* Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. *Fortassis etiam propter hos quatuor fontes, quatuor in latere vulneratus est Christus adhuc viuens in cruce, propter quatuor, cùm iam tradidisset spiritum, transforatus in latere fuit, vt in se quintum fontem post obitum aperiret.* Ita S. Bernard. Vbi amplificari facilè possunt hi quinque fontes Saluatoris, & de proprietatibus aquæ latiùs disputari: quamuis enim ex fontibus Christi sanguis fuerit exhibitus, in se quidem sanguis, nobis autem aqua dici potuit, cùm in nobis effectus habuerit aquæ.

De primo igitur, v.g. quòd abluerit nos Christus, habes: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt illas in sanguine agni.* ibi albescunt vestes Sanctorum, in cœlo, inquam: sed hic in hac vita lauantur, quònam pacto? Christum Dominum imitando, & sacramentum eius recipiendo, & meritis eius fruendo: sunt enim multi peccatores, quibus sic est Christus, quasi non sit, &c. Vbi etiam obserua, quòd quamuis Christus Dominus pro nobis sanguinem fuderit, nos à peccatis mundarit, oporteat nos eius cooperatores esse, vt de facto à peccatis mundemur: ait enim Ioannes: *Hi sunt, qui lauerunt, & dealbauerunt*, non ait, hi sunt, quos solus Christus lauauit, dealbauit, &c. vnde etiam dicitur Ioan. c. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri:* non ait, statim vt fide quis Christum recepit, & adorat, iam filius Dei est: sed potestatem habet, vt cooperando talis fiat. Nec hoc nobis desolationi esse debet, sed consolationi: siquidem potestatem, inquit, nobis dedit, vt simus filij Dei. & sic reliqua amplificari possunt, vt de

nomine

nomine Saluatoris & circumcisionis sanguine concio integra fiat.

A

Prop. III. *Quantùm constiterit Christo redemptio nostra.*

SI Christus Dominus nullo incommodo interueniente, & absque vllo damno, sola oratione sua nos ab æterna damnatione liberasset, omni nos obligatione deuinctos tenuisset, ad quid cum tot pœnis, doloribus, &c. id præstitit? Audi Prophetam Isaiam: *In illa die*, tempore scilicet Ecclesiæ, *cantabitur canticum istud in terra Iuda: Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in ea murus & antemurale*, murus quidem ciuitatem defendit, dum ictus recipit tormentorum; sic nos Christus Dominus saluauit, &c. 1.

Genes. 9. cùm Deus pacis pactum cum Noë, & eius posteris inire vellet, *Statuam*, inquit, *pactum meum vobiscum, & nequaquam interficietur vltra omnis caro aquis diluuij.* quodnam pactum hoc? *Arcum meum*, inquit, *ponam in nubibus cæli, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Mirabile pacis signum: arcus enim belli, non pacis signum est: si enim omnes; vel plures homines arcus, & pharetras, & aliorum genera armorum, gestantes videres, nónne belli signum esse diceres? cur igitur in pacis signum arcus iste datur? Ita quidem, sed arcus istius modum attende: nam ex ea parte qua sagitta emittitur, cœlum respicit. *La parte de la punteria mira al cielo, la de la Sien pulgeras hazia nosotros.* Signum igitur istud pacis bellum inuoluere videtur, at non contra nos, sed contra cœlum ipsum. Ita est: pax enim nostra ex bello illo procedit, quod Christus pro nobis passus est: vnde in eius ortu facta est militia cœlestis exercitus cantantium, & dicentium: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus*, pax ista hominibus prædicatur, non Deo, non cœlo; imò ex cœlo militiam oriri audimus: *facta est multitudo cœlestis exercitus.* non ait cœlestium cantorum, & chororum, quod canentibus congruebat, sed exercitus: exercitus autem bellum importat. ipse est pax nostra, ait Paulus de Christo, quomodo verò id præstet subdit: *Interficiens inimicitias in semetipso*, id est, sui interfectione, qua interfectus est, interfecit ipse in se nostras inimicitias cum Deo, non interfecit in nobis interficiens nos. Cùm igitur nunc sanguinis eius effusionem videamus, arcum fœderis, & pacis intuemur, bellum hoc sanguineum est, sed tamen bellum illi, nobis autem pax. Sit ille benedictus in sæcula. 9. B C

Attamen attende, quòd pax ista hominibus bonæ, voluntatis demandatur. Vide an homo tu bonæ voluntatis sis, alioquin nihil tibi, & paci huic, &c.

Exod. 12. præcepit Dominus vescentibus agnum Paschalem: *Os illius non confringetis.* In Christi Domini typum hoc dictum fuisse testatur Apostolus Ioannes, dicens: *Venerunt ergo milites & primi quidem*, scilicet latronis, *fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura. facta sunt enim hæc, vt impleretur Scriptura: Os non comminuetis ex eo.* Quid igitur mysterij hîc latet? Cur qui clauis transfigi & lanceâ, & alia plurima tormenta pati dignatus fuit, non comminui os aliquod eius passus est. Dicam, ex ossibus Adæ formata fuit Eua sponsa eius, vt constat Gen. 2. quod attendens beatus Paulus ad Ephes. 5. exclamauit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia*, hoc est, sicut ex ossibus Adæ formata est eius sponsa, sic ex ossibus & costis Christi formata est Ecclesia sponsa eius. Nónne hoc constat satis hodierna die? solemus dicere quando pluris aliquid constat: *facado se lo hande las costillas.* Cum igitur Ecclesia tanti Christo constet, vt iam octauo die pro ea sanguinem fundat, & dolore vulneris crucietur, rectè dicere, 9. D 32.

possumus, ex costis Christi eâ exiuisse. Sunt igitur ossa Christi fideles eius, sumus, inquam, nos. iam lucet mysterium. *Os*, inquit, *illius non confringetis*, carnem dilacerare poteftis Agni Christi, non eius fideles: ideo enim ipse in carne sua dilacerationem patitur, vt ossa seruentur illæsa.

Hac enim ratione Christus Dominus mediator Dei & hominum vocatur ab Apostolo; nempe sicut qui inter dissidentes, & pugnantes medius intercedit, vulnera recipere solet, quæ alter eorum recepturus erat, illo intacto manente. Dissidebant inter se Deus, & homo, constitutus est mediator Christus Dominus, ipse vulnus accepit, & hodie sanguinem fundens, è medio circumcisionem à nobis arceri vult, vt nos suis vulneribus liberos esse velle demonstret. Sit ille in sæcula benedictus. Iam quid sibi voluerit constat, cùm dixit in passione: *Si me quæritis, sinite hos abire.* Volebat siquidem se propter nos pati, nos verò saluos permanere: vnde meritò, cùm circumciditur, vocari voluit nomen suum Iesus, id est, Saluator, quasi diceret, ideò circumcidi sustineo, quia vos liberos & saluos esse à peccatis, à morte & pœnis, quæ pro delictis debebatis, volo. *Simile.* *Ioan. 18.8*

Prop. IV. *Christus sanguine suo nos redemit.*

PSalm. 27. sic ad Dominum Dauid: *Protector meus*, &c. Vbi sanctus Hieron. sic ex Hebræo traducit. *Sol & clypeus Dominus.* Eodem modo transfert Psalm. 30. num. 5. & Psalm. 83. num. 12. quod de Domino nostro Iesu Christo proprijssimè dici potest. Ipse nobis sol; quia sicut sol mundum vniuersum illustrat, sic Christus, Ioan. 1.8. *Illuminat hominem venientem in hunc mundum.* Et vsque hodie nos Euangelio suo illuminat & illuminabit vsque in finem sæculorum. Est etiam scutum nostrum: sicut enim scutum hominem protegit & defendit ab ictibus ferientis, & tamen manet confractum, *quteda quebrantado y hecho rasas*; sic cùm diuina iustitia aduersùs nos peccatores militaret, se Christus mediatorem opposuit, tanquam scutum, vt protegeret nos, quo ipse attritus mansit propter scelera nostra, nos tamen eo protecti salui manemus. *Ps. 27. 7.* *S. Hier.* *Simile.*

Prop. V. *Quàm libenter Christus pro nobis sanguinem fuderit.*

IVgum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Nota est historia Gedeonis Iudicum 2. ad quam alludit hic Propheta: vicit Gedeon hostes suos, & populum suum liberauit à tyrannide illorum; sic Christus Dominus peccata (quæ hostes grauissimi animæ nostræ sunt) passione sua interemit, & hostes tartareos superauit, & à tyrannide eorum populum suum liberauit; sic sicut in die Madian. Sed in bello contra Madianitas superauit Gedeon nulla sui sanguinis effusione, imò sine labore vllo. nam Madianitæ, Deo sic prouidente, mutua se cæde necarunt: Iesus verò (cuius Gedeon figuram gerebat) nullum non sanguinem fudit, & non solùm totius sanguinis pretio, verùm etiam honoris, & vitæ suæ, victoriam suam obtinuit. quomodo igitur ait: *Sicut in die Madian?* nimirùm, quia Christi Domini amor tantus fuit, vt quasi pro nihilo reputaret quæ passus fuit, hoc attendens, quod nos à peccatis nostris liberarit: amor enim perfectus velut oculis carct ad ea videndum quæ amans facit, & id considerat quod dilecto expediens est. *Isai. 9. 4.*

Hinc constat quàm imperfectus sit amor noster in Deum, & in proximos nostros: magis enim attendimus quanti nobis constet, quod pro Deo, & proximo sfacimus, quàm quid pro Deo, & proximo agere debeamus.

sicut ille Pharisæus qui orans aiebat: *Ieiuno bis in sabbato, decimas do ex omnibus quæ possideo*, &c. hic, si verus Dei amans fuisset, quasi nihili feciſſet omnia illa, & dixisset: parce mihi, Domine, seruus inutilis sum, nec adhuc quod debeo facere facio, &c.

Prop. VI. *Quàm eximium beneficium fuerit Christum pro nobis sanguinem suum effundere in Circumcisione.*

1. Pet. 1. 18. NOn corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paterna traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi. Solent quidem captiui fratres, qui apud infideles detinentur, argento & auro redimi: at nos, qui apud hostes spirituales captiui infeliciter detinebamur, non argento, non auro, non thesauris humanis, sed sanguine Iesu Christi redempti feliciter sumus: quasnam, quæso, gratias Deo pro tanto beneficio referemus? Si qui à captiuitate corporali redimitur, velut captiuum se remanere putat apud eum, qui pecunijs suis gratis eum liberauit; qui sanguine Dei gratis omnino à tam graui & omnino perniciosa seruitute peccati in libertatē filiorum

1. Cor. 6. 20. Dei adscitus est, quid præstabit? dicat Apostolus, *Empti, inquit, estis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Quid est glorificare & portare Deum in corpore nostro? Qui seruus alicuius est, solet in facie stigmata quædam gestare, quibus domini sui seruus esse dignoscitur. v.g. literam S, & clauum I: stigmatibus istis glorificat, & portat hic seruus dominum suum in corpore suo, dum se domini seruum & captiuum pro-

1. Cor. 6. 20. fitetur vel inuitus. Sic igitur ait Apostol. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro*, hoc est, seruos emptitios & Christi Domini captiuos vos profiteri debetis, nec satis hoc pro tanto beneficio censendum est.

Vis vnum aliquem huiusmodi seruum videre? vide illum ipsum, qui nos in Christi seruos adsciuit, *Ego* (inquit) *stigmata Domini mei Iesu Christi in corpore meo porto.*

Ad Gal. 6. 17. Vbi optimè S. Thom. *Stigmata* (inquit) *propriè sunt quædam notæ impressæ alicui cum ferro candenti: sicut cum seruus à domino suo signatur in facie, vt nullus eum vendicet sibi, sed quietè seruire sinat domino suo, cuius stigmata portat. Hoc etiam modo ait Apostolus se stigmata Christi portare, quasi insignitus sit Christi seruus: & hoc quia portabat insignia passionis Christi, patiens pro eo tribulationes multas in corpore suo, secundùm illud, Semper mortificationem Domini in corpore nostro circumferentes.* Ita S. Thom. Vbi duo notanda

2. Cor. 4. 10. sunt. Primum, hanc Domini seruitutem in hoc consistere, quòd fideliter Christianus seruiat Christo, & nulli alteri vmquam; ideò præmiserat Apostolus: *De cætero nemo mihi molestus sit*, & subdit: *Ego enim stigmata*, &c. hoc est, vti explicat ibidem S. Thom. nemo mihi molestus sit: nam ego porto insignia Domini mei Iesu Christi in corpore meo, v.g. cicatrices flagellorum, quę pro Christo passus erat) & sic nullus super me ius habere contendat, nisi Christus Dominus meus. O efficacissimum remedium ad tentationes omnes superandas! Si mundus tibi obtulerit diuitias suas, vt illi seruias, dicito illi: Nolo diuitias tuas, habeo Dominum, cui me totum debens, totum me reddo. Si caro proponens tibi delicias sibi te subijcere velit, respondе illi: Iam ab alio Domino præuentus sum, cui plusquam delicias debeo, nec vmquam ob eas recedam ab illo. Denique si te diabolus in excelsum tulerit montem, & ostendens omnia regna mundi dixerit tibi: *Hæc omnia tibi dabo, si*

Matt. 4. 9. *cadens adoraueris me*, spue in faciem eius, & dic: *Vade retro Satana, Dominum Deum meum adoro, & illi soli seruio.* Dedit mihi Dominus totum sanguinem suum, cuius vel gutta vna pluris mihi est quàm omnia regna mundi: & quamuis seruus eius emptitius sum, & illi seruire tantùm, sufficiens merces pro quibuscumque obsequijs, & martyrijs reputandū est, cœlesti tamen regno, & immarcessibili corona remunerat seruitia nostra, nam *quod momentaneum est, & leue tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Hoc igitur primum ex Apostolo inferendum. Secundum, verè nos Christi seruos reputari debere, cùm pro eius gloria aliquid passi fuerimus, *esse es la S. y el clauo*; hoc quidem est stigmata Domini nostri in corpore nostro portare. Sunt enim plerique Christianorum, qui seruire Christo volunt, ea tamen lege, vt sine labore aliquo id fiat; aliqualem pro Christo eleemosynam dare, sacrum audire, nonnullas oratiunculas recitare, hæc non recusant, at iniurias libenter ferre, pro illatis nullam sumere vindictam, se flagris cædere, cilicium carni applicare, sæpe ieiunare, & alia huiusmodi, quæ molesta esse possunt, omnino fugiunt: & tunc sæpe, non Christi, sed mundi & carnis & diaboli seruos se esse manifestant. Qui ergo Christi esse vultis, carnem cum vitijs crucifigere debetis, & quascumque iniurias, quascumque labores pro gloria Christi ferre, & ita glorificabitis & portabitis Christum Dominum in corpore & corde vestro.

Prop. VII. *Quantum Christo debeamus propter circumcisionem sanguinis sui.*

SAnct. Bernard. *serm. 2. de Circumsione, Meritò sanè*, inquit, *dum circumciditur puer qui natus est nobis, saluator vocatur, quòd videlicet ex hoc iam cœperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundēs. Neque enim iā quærere est Christianis, cur voluerit Christus Dominus circumcidi, propter hoc fuisse circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed omnia propter electos. Nec in peccato genitus, nec à peccato circumcisus, nec mortuus est pro peccato suo, magis autem propter delicta nostra.* Ita S Bernard. Etenim non hic primum Domini labor pro nobis assumptus, nam in natiuitate sua cœpit iam pro salute nostra pati, vti præsepe clamat, & rigor temporis, in quo nasci voluit, & ante natiuitatem in ventre matris suæ iam cœperat pati & hospitij illius angustias, cùm ad liberandum suscepturus hominem non horruit virginis vterum, cùm non sicut nos, in vtero genitricis iudicio & vlu careret rationis, & quia dolor eius in cōspectu eius erat semper, ab ipso initio conceptionis: nec vltimum etiam fuit vulnus hoc, & dolor circumcisionis, cum omnis eius vita acerbitatis, & sollicitudinis extiterit plena.

Neque vnam diei horam omnino fatam, ac iucundam egit, cùm in ipsa etiam gloriosa transfiguratione, vbi sanctissimum eius corpus cælesti circumamictum est lumine, de doloribus ac tormentis, quibus illud ipsum corpus erat cruciandum, sermonem instituerit. Ita se gessit Christus cum hominibus, ac regius ille Vates habere se voluit in domo supremo Deo consituendā, atque etiam in loco quieto & tranquillo ipsius Dei arcæ acquirendo, *Si introiero*, ait, *in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum stratu mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Magna certè fuit cura, ac sollicitudo Dauidis, sed satis debita illi, cuius causā eam habere statuit. At multò maiori admiratione dignum est, æternum summi Dei filium noctes insomnes ducere, cùm erat pernoctans in oratione Dei, neque requie aut leuamine corporis recreari. Fatigatur enim ex itinere, tōdque ea solùm de causa, vt cælestę pacatissimumque nostris animis domicilium in beatitudine præpararet. V trum mirabilius, terrenam ac peritaram domum immortali Deo ab homine parari, an ab ipso Deo cælestem æternamque habitationem mortali homini quæri? quid prædicandum magis, hominem Dei causā, vel Deum hominis causā defatigari? ibi Dauidis labor, hic sempiterni

piterni Dei opera ac lassitudo perspicitur; ibi Dauid pro vno rerum omnium effectore Deo lassatur. hîc vniuersi conditor ac demolitor pro ipso quem formauerat Dauide fatigatur; ibi denique rei familiaris sumptibus vtebatur Dauid, hîc verò labore ac sudore confectus Iesus vsque ad vitæ, & sanguinis effusionem elaborauit. Quis ergo ficut Dominus Deus noster, qui, non solùm in altis habitans respicit humilia, sed inclinans cœlos, & descendens, amplectendo humilia, fatigatur & patitur in terra, vt suscitet à terra inopem, & de stercore erigat pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Sed quâ grati animi beneuolentiâ prosequimur eum, cuius in nos tanta merita extitere?

A

Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; neque Deus pro gratia à te illi referenda liberos tuos, ouium greges, aut alia huiusce modi exigit, neque vult vt aliquid ei reddas, sed vt ab eo multa accipias, vt bene eius opera, sanguine, sudore, ac lassitudine vtaris. Leue profectò, atque exigui laboris est, quod à nobis fieri postulat Deus, licèt magnam nobis afferat vtilitatem. At si rem grandem dixisset nobis, certè facere debuissemus, in tanta erga nos promeriti recordationem.

B

Hinc Paulus, quippe qui gratus, beneficijque memor: *Ad impleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Sed quid sibi vult Paulus, cùm ait: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi?* Nónne satis affluens ac redundans sanctissima eius passio extitit? Extitit sanè & copiosa fuit apud eum redemptio. Quæ ergo est illa adimpletio de qua loquitur Paulus? quid quod deesse possit passioni Christi? hoc deerat (respondet D. Thomas ibid.) quòd, sicut Christus passus erat in corpore suo, ita pateretur in Paulo membro suo, & similiter in alijs, defuit etiam passioni Christi, vt quæ in illis humani generis vindex promeritus est, hominibus communicarentur, & ea ratione nostræ salutis parens instituit, vt Apostoli eius vestigijs insistentes, labore, ac fatigatione hominum salutem procurarent, vt sicut ille dolorum tolerantiâ nobis merita comparauit, ita Apostolorum opere, ac labore eadem etiam nobis merita conferrentur. Atque ita fidelissimus Dei Apostolus Paulus nullum subterfugit periculum, vel difficultatem, sed pro corpore Christi (quod est Ecclesia) paratissimus fuit corporis molestias, ac lassitudines sustinere. à vobis autem non postulatur, vt eadem quæ Christus Dominus, & diuus Paulus passi sunt, perferatis, sed vt Christi & Pauli laboribus in vestrum commodum, atque vtilitatem vtamini. Sed videamus, si placet, rationes, quibus ad aliquid emolumenti ex tam vberi Christi ac sanctorum labore, fructum capiendum permoueamur.

C

Ac primùm quidem, si plurimos Seruatoris nostri sudores, nocturnasque vigilias consideremus, dubium non est quin ad fructum ex his percipiendum, homines incitentur: sed lamentatione dignum est, non vnum solùm hominem, sed plures esse, qui nullam ex his fibi comparant vtilitatem. Quòd si misericordiâ commoueamur, cùm videmus agricolam terræ semina mandantem multo cum opere, ac sudore, & nullum postea ex eis fructum colligentem; quantò dignius erit lamentatione, vt cælestis æterni patris agricola pretiosissimum sui honoris, sanguinis, ac vitæ semen spargat, vbertimo fructu dignum, ex eo tamen pereximum ac tenuissimum, hominum culpâ, percipiat.

D

Execrabatur olim Deus eos, qui diuinam legem violabant, in hunc modum: *Fruſtra ſeritis ſementem, quæ ab hoſtibus deuorabitur.* Magnum est supplicij genus, sed quid dicam, cùm videam Deum mandantem diuinum semen hominum animis, (quos Christus Dominus magno corporis sudore ac lassitudine excoluit) expectatum tamen fructum ab humani generis hoste surreptum esse?

16.

Sed cariùs Deus æstimat hominum labores, quàm ipsius Dei opera ab hominibus æstimentur. vnde alloquens iustos per Isaiam ait: *Ædificabunt domos, & habitabunt & plantabunt vineas, & comedent fructus earum: non ædificabunt & alius comedet: ſecundum enim dies ligni erunt dies populi mei, & opera manuum eorum inueterabunt: electi mei non laborabunt fruſtrà.* Quo in loco iuxta D. Hieronymi sententiam sermo est de æterno ac cælesti præmio, quo cælestis remunerator iustos afficit in beatitudine, vbi illa multarum mansionum domus parata est, vinea proferens fructum pretiosissimum. Ex quo clarè perspicitur quanti Deus faciat iustorum opus, cùm illud cœlesti gloriâ immortalique decore efferat. id est, quod ex mente Hieronymi significatur, cùm inquit Propheta, secundùm dies ligni, id est, ligni vitæ, ac si diceret: vitæ gloriosæ, & immortalis tantum Deus tribuit hominum ærumnis, ac doloribus Christi causâ perpessis: homines verò nihili ducunt Seruatoris nostri labores. Quin potiùs eos pro puerilibus ludis mundique delicijs ac vanitatibus aspernari videntur. *Iſai 65. 21.*

Querimoniam habuit Deus quondam, dicens: *Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt.* Quòd si Deus queritur eò quòd fruſtra supplicium de hominibus videretur esse sumptum, neque ex flagellis ab eo illatis aliquam vtilitatem secutam; quantò meliori iure conquereretur, quòd nullum homines fructum ex flagellis ipsi Deo inflictis decerpserint. Si querelas iecit propterea quòd fatigatione ac molestia flagitiosos homines vexans, nollent à turpi via discedere, & ad Deum se conuertere; magis profectò cònqueretur. quòd dolore ac lassitudine ipso Deo laborante, haud flagitiosam vitam homines relinquant, nec piam honestamque sequantur. *Ieremi. 2. 30.*

Deplorauit item Deus per Ieremiam prophetarum labores pro hominum salute susceptos fruſtra fuisse consumptos, *Defecit*, inquiens, *ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflauit conflator: malitiæ eorum non ſunt conſumptæ.* Verba hæc Ieremiæ dicta sunt, cui paulò ante dixerat Deus: *Probatorem dedi te in populo*, id est, examinatorem. quo munere aurifex vtitur, qui auri, vel alterius cuiuscumque metalli pretium, aut valorem æstimat: & continuò subdit: *defecit ſufflatorium in igne*, &c. Ac si diceret, fruſtra lassus ac fatigatus es in docendo ac increpando Iudaico populo, cùm nullus ex tua doctrina fructus sit perceptus, vt interpretatur D. Hieronymus. Si autem deplorandum est Ieremiæ concionibus ac laboribus homines non reddi meliores, acerbiori fletu ac lacrymis lugendum est, nec ipsius Iesu Christi sermone, lassitudine, sanguine ac morte ad honestam vitam rationemque viuendi homines seconferre. Quid maius aut mirabilius, Ieremiam concionari, an humani generis vindicem pati? si ergo vobis ratio reddenda est, quòd nullam vobis vtilitatem ex sanctorum præconum opere ac sermone perceperitis, strictior à vobis ratio exigetur eò quòd Christi Domini verbis, ac laboribus nullum fere emolumentum in vestris animis redundauerit. *Argentum*, inquit, *reprobum vocate eos.* Iure quidem optimo in nouissimo illo supremi iudicij die reijcientur ij, qui ex tantis Seruatoris nostri operibus ac doloribus nullum suis animis commodum compararint. *Ieremi. 6. 29. cap. 6.*

Hac de re idem Dominus lamentatur, inquiens: *In vacuum laboraui, ſine cauſa & vanè fortitudinem meam conſumpſi; ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo.* Diuus Hieronymus & Procopius hunc locum de Christo Domino interpretandum esse asserunt, in quo nostræ salutis autor deplorat ac lamentatur duros ac ingratos hominum animos, qui, cùm facilè laboribus iam ab ipso Christo perpessis vti possent ad beati- *Iſai 49. 4.*

tudinem comparandam, nulla habita suæ salutis, Christique meritorum ratione, ita viuunt, ac si nihil Deus eorum causâ pertulisset. Quapropter iudicium meum, inquit Iesus Christus, cum Domino. Quasi diceret, ab æterno meo patre de hac re iudicium fieri posco, vt ipse de hominibus, meis beneficiis ac laboribus ingratis, vindictam sumat, meaque in illos promerita tueatur. Quòd si homines ad æquissimum hoc iudicium veniant, omnis iniquitas oppilabit os suum. A

Neigitur tam iusté damnemur, summis ab immortali Deo precibus efflagitemus, id quod Ecclesia in Missa pro defunctis, solita est postulare, cùm ait: *Quærens me, sedisti lassus, redemisti crucè passus, tantus labor non sit cassus.* sed cùm à te, summe Deus, tot sint in nos beneficia profecta, à te etiam eorum nobis fructus conferantur.

Magnum præterea incommodum, summaque nostra esset infælicitas ex perenni, inexhausto que meritorum Christi fonte nihil aquæ ad animos nostros reficiendos, ac recreandos haurire, maximæque dementiæ nobis meritò verti potest, si animi nostri salus, quam, diuino auxilio freti, facilè obtinere possumus, tantis Christi Domini laboribus frustratis, omnino pereat. Notum omnibus est illud Spiritus sancti consilium: *Ecclæ. 14. 14.* *Ne defraudaris à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* Diem bonum appellat ibi fælicissimum gratiæ tempus: donum autem bonum Christus est, qui iuxta *Ioan. 4. 10.* Euangelij historiam ita Samaritanam alloquitur: *Si scires donum Dei, & quis est qui loquitur tecum.* Vult ergo diuinus spiritus nobis significare: ne ita tibi infestus sis, vt optimam promerendi occasionem, quam hac tempestate (quæ tempus gratiæ appellatur) nacti sumus, frustra, ac sine fructu prætermitti patiamur: ea enim frui multi roges ac Prophetæ vehementer optarunt: inter quos sanctissimus ille Patriarcha Abraham, qui exultauit vt videret diē illum, & illum in spiritu dum taxat videns, magnopere gauisus est. Hoc tamen maximum bonum, quod illi, licèt maximè optauerint, nunquam tamen sunt consecuti, ante tuos oculos versatur, ne ergo defrauderis à die bono, qui, si inaniter, & incassum fugiat, alius malus, atque infælicissimus tibi succedet. *Et particula boni doni non te prætereat,* vel, iuxta aliam trāslationem, *bonæ dici.* licèt conformior sit Græco sermoni nostra vulgata, quæ ait, boni doni. Ac si diceret, ne parcus sis in Christi bonis, etiam minimis accipiendis, tempus & occasionem, vel audiendi concionēs, vel fundendi ad Deum preces, vel crimina ritè expiandi, si quando dabitur, arripe, vrge, tene, nec vlla vnquam ratione elabi sinas. Id enim est, non te prætereat particula boni doni.

Sed quid respondebunt ij, qui, cùm commodè possint scelerum maculas confessione delere, & augustissimum Eucharistiæ sacramentum frequenter sumere, (quo conuiuio Iesu Christi meritis ac laboribus copiosè & affluenter animi perfruuntur) neque confessionis Sacramento se expiare volunt, nec ad sacram Christi corporis mensam, nisi singulis annis accedere. Qui quidem, non solùm particulam, sed magnam partem huius boni doni prætermittunt: quibus optimè il- *Prou. 19. 24.* la Salomonis sententia conuenit, *Absconsit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam,* id est, tantâ pigritiâ laborat, vt nec manum ad capiendum cibum extendat, fame penè confectus, ac perditus concidat. magna quidem huiusmodi dementia, sed maior stultitia illorum est, qui, cùm se cælesti pabulo, sacroque Eucharistiæ pane possint reficere, præ nimia ignauia fame miserè premantur. Et cùm inexhaustas Christi diuitias in sacrosanctis Ecclesiæ sacramentis reconditas habeant, tam sunt pigri ac negligentes, vt in summa indigentia, rerumque spiritualium inopia viuant.

Animaduertisne curam ac diligentiam, quam mercatores adhibent eo tempore quo nundinæ celebrantur? quàm solicitè negotia gerunt, iam emptoris, iam venditoris munus exercent. Modò pactum celebrant, modò vsuram faciunt, nunc pecunias numerant, nunc verò eas exigunt, vel recuperant, ciboque ac quietè sepositā. omnem operam ac studium ponunt, ne vel minima pars illius diei prætereat, in qua suas non tractent rationes, suaque negotia procurent. At verò cùm his diebus amplissimus, ac opulentissimus mercatus totutus sit cælestibus, & diuinis opibus refertus, in quo sancti ditiores, ac opulentiores multò, quàm ditissimus ille Crœsus effecti sunt, iustum, & rationi consentaneum est, vt summo studio ac diligentia, nostræ salutis negotia peragantur, & breui hoc tempore nobis ad negotium concesso, cœlestes ac sempiternas opes acquiramus. Hoc enim redemptor noster Christus admonuit, cùm dixit: *Negotiamini dum venio.* B

Quàm copiosis lacrymis posthac deploranda est horum amentia, cùm Deus sui consilij causam afferens, illis proponat, quod olim Israelitis, quibus per Oseam dixit: *Perditio tua, Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Hæc præposuit Dominus Deus Israeli, prænuncians illa mala, quibus à suis hostibus erat afficiendus. Sic iam, cùm impius à dæmone acerbis torquetur cruciatibus, eadem verba illi Deus obijciens, dicet: *Perditio tua,* tuis meritis digna perfoluis, tuâ culpâ huiusmodi tormentis cruciaris. At si hæc euitare vultis, nec ista pœnitentiâ & frustra affligi, curá, studio ac solicitudine nunc opus est, antequam statutum merenditempus præteruolet. Expellenda est pigritia, & diligenter elaborandum, dum huius vitæ cursus nobis ad gerendā animi nostri negotia conceditur: vita enim breuis est, post quam nec vllum erit momentum, in quo Christi laboribus frui possimus, aut sempiternam gloriam promereri. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, &c. C

PROP. VIII. *Christus fundendo sanguinem pro nobis quantus sit homo manifestat.*

DOmine, quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Admirabatur Propheta considerans ingentia Dei beneficia erga hominem, cùm homo ex luto fuerit procreatus, quid, inquit, est homo iste? ac si quis regem videret aliquem hominem de media plebe plurimùm honorantem, & magni facientem, meritò interrogaret, quisnam est hic, cui rex tantum honorem defert? &c. sic ergo Dauid æstimationem, qua Deus æstimat hominem, animaducrtens, in magnam admirationem raptus, *Quid est homo, inquit, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum?* Responsionem huius interrogationis in ipsamet interrogatione sitam esse ait S. Augustin. in hunc locum: sicut enim resonante echo in monte, per eadem verba respondet, quæ homo ibi pronunciat; sic per eadem verba quibus Propheta interrogat, responsum est ei. quid ergo ait? *Domine, quid est homo quia innotuisti ei? ecce responsum. Ecce quid est homo, homo,* inquit, *est is cui tu innotuisti, totum quod est homo, hoc est, quoniam innotuisti ei* (ait S. Augustin.) etenim principes, & reges terræ suarum rerum notitiam, & maximè illarum quæ ad ipsius regiæ personam spectant, non omnibus manifestant, sed magnatibus, & valde familiaribus sibi. Quòd si alicui regem videmus sic se manifestantem, sic prodentem, grauem illum, & magnæ æstimationis virum esse coniectamus. Hinc quantus sit homo cognoscemus, quòd Deus è cœlis ad terras descendit, & homo fieri voluit, vt sui suarumque rerum notitiam homini communicaret: sic enim & bonitatis suæ, & charitatis, & sapientiæ, & omnipotentiæ, & misericordiæ, & iustitiæ, & prouidentiæ, & aliorum attributorum specimen dedit. Ecce quid suo aduentu fecit Deus, se homini D

mini cognoscendum dedit, & quantus sit homo, demonstrauit.

Vnde in natiuitate Christi sic canit Ecclesia: *Quia per incarnati Verbi mysterium noua mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit, vt dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur.*

Præterea quid est homo quia reputas eum? is, inquam, est qualem eum esse respondet echo, tantus scilicet, vt Deus reputet eum, æstimet eum: *æstimatio enim est* (ait ibidem S. Augustin.) *quanti pretij sit quidquam. Quanti æstimauit hominem, qui pro eo vnici filij sanguinem fudit! Quid ergò est filius hominis quia æstimas eum, quoniam tantum eum pendis? pretiosum quiddam sit eum esse ostendis. Non enim Deus sic æstimat hominem, quomodo homo æstimat hominem. Quando inuenit homo seruum venalem, carius emit equum quàm hominem: Deus autem quanti æstimauit, qui pro te filio proprio non pepercit.* Ita S. Aug. Cùm ergo Deum vides pro te hominem factum, in præsepio pro te reclinatum, pro te circumcisum, pro te flagellatum, pro te crucifixum, dic, & animo intimo perpende, quantus sit homo, pro quo tanta fecit Deus. non quidem tanta faceret pro homine Deus, si non esset tantus homo: non agnoscitur ab homine homo, nisi agnouerit quanti fecerit hominem Deus.

Dilectus meus mihi, mi esposo anda desuelado en lo que me toca à mi. S. Bern. *serm. 68. in Cant.* hæc verba expendens ait: *Dilectus meus mihi, insolens verbum aut sponsa in immensum gloriatur, aut Deus in immensum amat. Vna de dos es, muy demasiada o en estimar sela esposa, o Dios en immenso en amar nos.* Ita est, in immensum nos amat, & inde constat quàm magna res sit homo.

Prop. IX. *Ex effusione sanguinis Christi peccati grauitas conflat.*

NOstri peccati remedium Christi extitit sanguis & passio. Sed quæres quid ex hoc meliùs deduci possit, ex damno remedium, vel ex remedio damnum? & quidem ex grauitate damni grauitas remedij optimè deduci valet: est enim peccati damnum supra modum graue: quippe si omnia mala in lance vna constituas, in alia verò peccati damnum, hoc quidem arenâ grauius appareret, neque omnium damnatorum pœnæ in vnum collectæ simul, cum vnius peccati damno comparari meritò possunt; quia pœnæ huiusmodi malum pœnæ sunt, & peccatorum supplicia: & puniri quidem non est malum, sed fieri pœnâ dignum, vt ait S. Dionys. Dignus autem pœnâ illâ æternâ nemo est, nisi ratione peccati: hoc ergo malum, non ita illæ pœnæ. Ex hac igitur consideratione mali deducitur remedij celsitudo: quantam enim hanc censes, vbi remedium tanto malo sufficientissimum est? quantò enim persona offensa maior, tantò etiam iniuria maior: maior enim iniuria est alapâ percutere virum nobilem, quàm vulgarem, maior autem percutere virum primarium, quam nobilem communem, & adhuc maior percutere Proregem, quàm primarium illum: quòd si regi talis iniuria fiat, nimirum offensa grauissima erit, quia quantò dignitas personæ crescit, tantò crescit & iniuria. Si ergo iniuria Deo fuerit irrogata, cùm ille infinitus in esse & excellentia sit, iniuria etiam erit infinita. quòd si iniuria fuerit infinita, remedium, & satisfactio congruens quanta erit? talis igitur sanguis Christi, talis circumcisio.

Sed tamen è conuerso ex remedio ipso colligitur adhuc meliùs vulneris magnitudo: si remedium ex diuina sapientia congruenter applicatum, passio, sanguis & mors ipsius Dei est, quantum censes damnum illud esse, cui tale remedium congruè adhibetur? Meritò igitur S. Bernard. serm. 3. in Natiuit. Domini: *Ecce filius Dei iubetur occidi, vt vulneribus meis pretioso sanguini illius balsamo medeatur. Agnosce, ô homo, quàm grauia sint vulnera illa, pro quibus necesse est Christum Dominum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur.* Ita S. Bernard. Si prudens & sapiens medicus medicinam eximij valoris ordinaret, & nimiùm violentam, & efficacem, & morbum grauem, & infirmum magni pretij hominem facilè iudicares. Quis Deo sapientior? Cùm igitur Deus sanguinis Christi effusionem, & mortem in remedium nostri ordinauerit peccati, quantum bonum salutem hominis esse iudicabis?

Prop. X. *Circumcisio Christi amorem eius in nos manifestat.*

ANgelus quidem occidere voluit Moysen, quia non circumciderat filium suum Eleazarum, sicut interpretantur ibidem Eusebius Emissenus, Theodoretus, Diodorus, Rupertus, & alij: tunc occurrens Sephora vxor Moysis, circumcidit filium, & videns effusionem sanguinis filij sui, dixit ad Moysen conuersa: Sponsus sanguinis tu mihi es: *vuestra vida, esposo mio, caro me cuesta, no menos que sangre de las venas de mihi loco,* in hoc Sephora amorem in virum suum se demonstrasse ait, quòd pro vita eius filij sui sanguinem fudisset. Si filij sanguinem fundere in circumcisione filij tam efficax amoris signum esse voluit, quantò magis id nobis dicere Deus noster in sua circumcisione potest: Sponsa sanguinis es mihi ô Ecclesia, siquidem pro tuenda vita tua, & vt te à morte liberarem, circumcidi, & sanguinem, non alienum, sed proprium effundere decreui, &c.

Matt 1. 3. S. Chrys.

Matth. 1. *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.* Miratur hîc sanctus Chrys. & ait: Quid agis ô Euangelista? Quid nobis infers talis historiæ recordationem, in qua turpe adulterium continetur? Respondet illico sanctus: *Si nudi hominis genus quis referret, meritò id reticuisset; si verò de genere incarnati Dei, non modò tacere ista, verum ostentare debet: venit enim, non vt nostra fugeret opprobria, sed vt tolleret ea. Sic etiam mirabilis iudicatur, non tam ex eo quòd mortuus est, quàm ex eo quòd crucifixus est: quanquam res ista sit exprobratione plenissima: sed quantò magis exprobrabile istud est, tantò magis ostendit illum esse hominum amantem. Sic etiam in generatione Christi dici potest, quòd non solùm quia suscepit carnem & homo factus est, admiratione sit dignus, sed quia etiam tales cognatos habere dignatus est, nihil ob mala nostra erubescens.* Ita ille. Idem etiam de circumcisione dici potest: habet enim abiectionem magnam circumcisio, ampliùs quidem quàm ex his progenitoribus descendisse: illud enim opprobrium generis est. hoc personæ: supponere enim videbatur peccatum originale in Christo. Cuiusuis autem peccati dedecus & maius & grauius est secundùm se, & secundùm æstimationem veram, quàm quæuis generis nota, imò & quàm fuisse Christum crucifixum, eo modo quo fuit: licet enim crucifigi titulo malefactoris res indigna valde sit, in cruce tamen Christi prodigia talia interuenerunt, & miracula, & mirabilia, vt & latro conuersus sit, & Centurio dixerit: *Verè filius Dei erat iste*, & alij reuerterentur percutientes pectora sua. In circumcisione verò nihil tale visum est, quòd circumcisionis notam refarcire videretur.

Matt. 27. 54.

Psalm. 101. *Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio*: locum hunc de Christo Domino interpretantur S. Epiphan. in Physiologo, & S. Augustin. in hoc Psalm. in quo duabus se auibus Christus Dominus comparauit, pellicano & nycticoraci. *Nycticorax* (ait Cassiodorus) *Graco vocabulo dicitur nocturnus coruus, quem quidam noctuam esse dixerunt, quia nocte quærit escas.* Ita Cassiod. Hoc supposito, *Christus* (inquit S. Augustin.) *dicitur nycticorax, quæ à Iudæis, tanquam ab stantibus in nocte ignorantiæ, & nescientibus quid facerent,*

Psal. 101. 7. S. Epiph. S. Aug. Cassiod.

occisus est. Ita ille. *Pellicanus* autem Ægyptia auis est, quę sanguine suo mortuos filios reuocat ad vitam. Vnde S. Aug. *Pellicanus Christus dicitur, qui sanguine suo viuificauit nos*. Ita ait S. Auguſt. Pellicani amorem erga filios, omnes mirantur, quia vt eis tribuat vitam, sanguinem ſuum effundere non detrectat: ſic Chriſti in nos amor hinc mirè pateſcit, quòd ſanguinem ſuum etiam vix natus pro nobis effundere non dubitauerit, pro nobis, inquam, non filijs amore dignis, ſed inimicis ſupplicium promerentibus: nónne charitatem ſuam eximiam in nos ſic valde commendat?

Prop. XI. *Chriſtus Circumciſione ſua legem antiquam impleuit.*

Matt. 5. 19. MAtth. 5. *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere*, ait Chriſtus Dominus. At, inquies, omnino videmus Chriſtum, abſtuliſſe legem Circumſionis & Purificationis, &c. Ablata quidem eſt huiuſmodi lex, ſed non reiecta, aut de medio ablata ob ſuam aliquam indignitatem; ſed quia ad ſuum peruenerat finem: ſicut ſagittæ motum ceſſare oportet, cùm ad deſtinatum ſcopum iam peruenit, & ſicut lapis, cùm centrum ſuum attigerit, quieſcit, & non mouetur ampliùs: ſic lex Moyſis, quæ ad Chriſtum Dominum deſtinabatur, ad Chriſtum cùm peruenit, & ipſum attigit, ceſſauit, ſiluit, quieuit. Vnde Xixtus Papa III. in epiſtola de diuitijs, Adimplet Chriſtus (inquit) legem, cùm eam veram eſſe oſtendit, quando per ſe ceſſare facit illa, quæ iam ceſſatura prædixerat, & de antiqua lege legem nouam produxit, & nouum Teſtamentum promulgauit ex vetere, vt magis ac magis legis, ac Prophetarum prædicta ſuppleret, in quibus continebatur: *Sixt. III.* *Iſai. 2. 3.* nam *de Sion*, inquit, *exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.*

Simile. Denique finito ædificio, verbi gratiâ, arcu, teſtudine, ſeu fornice perfecta, tollitur ambulatorium ligneum, & cymbria & finito cymbalo tollitur modellum, in quo fuerat infuſum. Adueniente Chriſto, & noua eius lege, ceſſauit vetus, quæ cymbria, & modellum erat legis nouæ.

Durant, & obſtinatè perſiſtunt in ſua pertinacia multi Iudæorum credentes nondum Meſſiam aduentaſſe, nec finem legem Moyſis accepiſſe; aduerſùs hoc Pauli, *Rom. 11. 7.* *Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſequutus: electio autem conſequuta eſt; cæteri verò excæcati ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Dedit illis Deus Spiritum compunctionis, oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant vſque in hodiernum diem. Et Dauid dicit: Fiat mensa eorum coram ipſis in laqueum & in captionem & in ſcandalum, & in retributionem illis. Obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua.*

Chryſoſt. Vbi S. Chryſoſt. hom. 19. *Compungi nihil aliud eſt, quàm quaſi incuſſo clauo ad aliquid infigi, & ſolidè compungi: vt igitur immedicabilem mentis illorum morbum, & immutabilem ſignificanter exprimeret, ſpiritum poſuit compunctionis. & præterea Dauid non ſimpliciter dixit*, dorſum eorum incurua, *ſed* ſemper incurua; *ſi igitur de fine tui & ſupplicij & diſperſionis contenderis, ô Iudæe, vel ex præteritis præſentia diſce. In AEgyptum olim deſcendiſti, ſed ab iſta ſeruitute ſtatim, ducentis annis elapſis, liberauit te Deus, idque agentem impiè: liberatus ab AEgypto vitulum adoraſti, filios tuos Beelphegor immolaſti, templum violaſti, omnem malitiæ ſpeciem attentaſti, naturam ipſam ignoraſti, montes, ſaltus, colles, fontes, fluuios, hortos neſandis hoſtijs impleſti, Prophetas trucidaſti, altaria ſubruiſti, omnem exceſſum nequitiæ oſtendiſti. attamen cùm ſeptuaginta annos te Deus Babylonijs tradidiſſet, priſtinæ rurſus libertati reſtituit, templum reddidit, & patriam, & ſimul vetus inſtitutum viuendi, rurſus Prophetæ, & ſpiritus gratia. Imò in ipſo captiuitatis tempore derelictus non fuiſti, ſed ibi dati ſunt tibi & Daniel & Ezechiel, & in AEgypto Ieremias, & in ſolitudine Moyſes, poſt illa rurſus ad priorem reuolutus malitiam, & debacchatus, & ad Gentilium conuerſionem ſub Antiocho impio auerſus es, ſed tunc quoque tribus tantum annis, & paulò amplius in manus Antiochi traditi ſplendida rurſus trophæa per Machabæos ſtatuiſti. Nunc verò nihil horum eſt, ſed contrarium euentum habent omnia; & quod patiuntur admiratione dignum eſt, quæ ad malitiam pertinent, ſarunt quidem, quæ verò ad ſupplicium, creſcunt adhuc, nec ullam mutationis ſpem habent. Non enim ſeptuaginta ſolum præterierunt anni, neque etiam centum ſolum, aut tot decem plo, ſed trecenti: iam, ac multò plures, & tamen nec vinculum quidem ad cuius ſpei adhuc datur inuenire, idque cùm nec idolatriam committatis, nec alia faciatis, quæ olim auſi eſtis. Quænam ergo ſupplicij huius cauſa eſt, niſi quòd typum excepit veritas, legem excluſit gratia: Hæc itaque prædixit olim Propheta, cùm inquit: Et dorſum eorum ſemper incurua.* Ita S. Chryſoſt.

Prop. XII. *Quàm decens fuerit Circumciſio Chriſti.*

PSal. 92. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt: indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.* S. Hieron. Caſſiodorus & alij de Chriſto Domino locum illum interpretantur, & S. Ambroſ. qui lib. I. offic. cap. 45. *Qui venerat*, inquit, *in forma ſerui, & in hominis ſpecie, aſſumpſit decorem, & ideò dixit Propheta: Dominus regnauit, decorem indutus eſt.* Ita S. Ambroſ. Sed exurgit nunc dubium, quomodo Chriſtus Dominus carnem aſſumens, fuerit decorem indutus, cùm potiùs de ipſo Iſaias dicat cap. 53. *Non eſt ſpecies ei neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus.* Quo igitur pacto ait Dauid, quia induit decorem? Caſſiodorus reſpondet: Decorem induit Chriſtus, quando transfiguratus eſt in Monte Thabor. S. Hieron. *cùm reſurgens a mortuis, Sanctorum ſibi chorum adunxit.* Ita ille. Ita quidem, ſed audeat dicere etiam decorem induiſſe Chriſtum, non totùm in transfiguratione ſua & reſurrectione ſua, & cùm miracula operabatur; ſed etiam in humiliatione ſua, cùm ſcilicet in præſepio iacebat, & cùm in Circumciſione habitum, non ſolùm ſerui, ſed etiam peccatoris præferebat, & in paſſione in cruce inter latrones pendens, vbi ait; Iſaias, *non erat ei decor*. Duplex enim diſtinguenda eſt Chriſti Domini conſideratio, inquantum ſcilicet Deus omnipotens & rerum omnium creator eſt, & Iudex noſter: & in hac conſideratione præciſa alienum, & peregrinum eſt ei humiliari, & pati, & nihil ad decorem eius pertinens. In quantum verò Saluator noſter eſt, decebat illum ſic humiliari, ſic pati, ſic mori: vnde talis humiliatio & paſſio ad decorem eius valde pertinens eſt. Sicut ſi Rex ſedeat in ſolio gloriæ ſuæ, ſceptrum, corona & purpura congruunt ei: ſi verò ad bellum procederet, arma offenſiua & defenſiua illi conuenirent: ſi autem mutata veſte vellet ignotus pergere ad redimendos captiuos, ac ſi eſſet homo communis & mercator, veſte communi, & mercatori congruente, incedere illum oporteret. Cùm igitur Chriſtus Dominus inter Angelos, in throno maieſtatis conſtitutus glorificatur, maieſtas & gloria illum decet: at cùm ad debellandas aëreas poteſtates arma bellica, & cùm ad redimendos captiuos ignotus venire dignatus eſt, oportebat illum humiliari, pati & mori. Hæc enim ſunt media redemptionis noſtræ; quare hoc præſtans decorem indutus eſt, & fortitudinem etiam, quia humiliatione, & paſſione, & morte ſua, mortem, & peccatum, & diabolum vicit; victoria autem ad fortitudinem ſpectat. Dicat ergo de Chriſto Domino Dauid: *Dominus regnauit, decorem indutus eſt: indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.*

Prop. XIII. *Circumcidi voluit Christus, vt diuinitatem suam diabolum celaret redemptionis nostræ causâ.*

INter varia Christi nomina, leonis nomen cõnumeratur: de eo quippe dictum est Apoc. 5 5. *Vicit leo de tribu Iuda,* & Genes. 19. 9. *Catulus Leonis Iuda,* &c. In quo, inquies, assimilatur Leoni Christus? S. Epiphan. in Physiologo: *Cum Leo,* inquit, *in monte oberrat & venatorem odoratur, sua vest ig.a cauda obtegit, ne illis insistentes venatores lustrum inuentant, atque ipsum capiant. Sic Dominus noster Iesus Christus spiritualis Leo, qui vicit, ex tribu Iudæ radice Dauid à Patre missus, sui ipsius spiritualia vestigia cooperuit, id est, diuinitatem suam. se enim exinaniuit, vt saluaret deceptum hominum genus.* Ita ille. Etenim Dominus Iesus exinaniuit se in circumcisione sua: exinaniuit se in baptismo, sed ibi & columba super caput eius constituta, & vox Patris eum manifestauit: exinaniuit se in cruce, sed ibi eclypsis Solis, & terræ motus ingens, & lapidum collisio, & veli scissio, & mortuorum resurrectio diuinitatem eius propalabant: at in circumcisione sua, non solùm formam serui, sed etiam peccatoris ipso assumente, nullo miraculo diuinitas eius apparebat. Ibi ergo se maximè exinaniuit. Cur ita? nimirum vt diabolum, qui vestigijs eius insistebat, vt eum agnosceret, & an verus Deus esset, sciret, opera eius considerabat, sic celaretur. Visurus erat hostis miracula Christi, quæ Deum illum esse præseferebant, ne igitur ex miraculis deitatem agnosceret, peccatoris vestem in circumcisione induere voluit; vt ita diceret hostis: Si Deus esset, formam peccatoris non accepisset: abhorret enim prorsus peccatorum vmbras Deus.

A superbiam nostram, qui, cùm heri nati fuerimus, & ex nihilo procreati, hæc superbimus ac si ab æterno, & ex natura nostra esse haberemus. Præterea cùm immortalis Deus ipse sit, mortalis fieri pro nobis dignatus est, vt confunderet nos, qui, cùm mortales natura simus, tanquam immortales nos gerimus in hoc mundo. excessus item in Christo fuit, quòd cùm ipse vbique sit per essentiam, & potentiam, & præsentiam, & à nullo possit capi loco, in præsepio voluit reclinari, & in arcto virginis aluo, vt confunderet excessum hominis, qui cùm paruo quodam loco contineatur, iam eum totus non capit orbis. Excessus fuit in Christo, quòd, cùm dies in omnibus sit: ipsius enim omnia sunt, ita egenus factus est, vt non haberet vbi caput suum reclinaret, vt excessum nostrum sanaret, qui, cùm nudi nati simus, terras, mariaque penetramus, vt diuites efficiamur. Præterea excessus Christi videtur, quòd, cùm sit Dominus vniuersorum, Rex regum, & Dominus dominantium, se ita demiserit, vt dicat: *Non veni ministrari, sed ministrare,* & ita ad pedes Apostolorum genuflexus eorum lauerit pedes. Itáne hoc diuinam decebat maiestatem, & dominationem? ita, vt tali excessu excessum nostrum dominandi temperaret: nos serui inutiles sumus, & super alios volumus dominari. Sic igitur Deus noster fua humilitate noftram fuperbiam, & fua paupertate noftram auaritiam, & fuâ patientiâ noftram iracundiam, & fua charitate noftram inuidiam, & fuis laboribus noftras delicias, & foliciturine fua noftram de falute noftra negligentiam voluit fanare.

B

At dices: Cur diuinitatem suam diabolum celare voluit? Quia si diabolus Christum Dominum Deum agnouisset, nunquam eum crucifigi procurasset: Christus autem pro nobis crucifigi volebat, ideò ab illo deitatem suam occultabat. O charitas! ô amor verè Deo dignus! sic Christus nos dilexit, vt modos, & inuentiones adinuenerit, quibus crucis mortem pro nostra redemptione subiret. Vtinam & nos pro eius amore aliquid pati desideremus.

C

Prop. XIV. *Christus Circumcisione sua exemplar nostrum fuit.*

PAssionem Christi *excessum* vocat Euangelista Lucas, excessus hic exitum significat: exitus fuit à vita ista seu mundo, & à Hierusalem in montem Caluarium, & ab eo quod tantam maiestatem dedecere apud homines videbatur, & ideo iure excessus dici potest: excessit enim ibi amor Christi in nos, quatenus plùs nimiùm fecit quàm nobis ad redemptionem opus erat. vt si quis pro lapide pretioso, qui mille nummos aureos valet, centum millia exhiberet, excederet in tali pretio, sic, licèt anima nostra gemma pretiosa sit, vnica tamen sanguinis Christi gutta, seu lacryma vna eius, sufficiens erat ad totius generis humani redemptionem. cùm igitur Christus Dominus pro nobis omnem effuderit sanguinem, & honorem, & vitam amiserit, excessum meritò eius passionem possumus nuncupare.

D

Imò & ea omnia quæ in natiuitate, & circumcisione, & in reliquo tempore vitæ suæ gessit, excessus etiam dici possent: nã qui vnico vagitu suo tempore natiuitatis nos redimere potuisset, voluit excessus huiusmodi adhibere, vt excessibus suis nostros sanaret excessus, & vt faciat opus suum redemptionis nostræ, peregrinũ est opus eius ab eo, eò quòd diuitias requirere videbatur. Cùm enim esse per essentiam suam sit ab æterno, fieri homo in tempore voluit, vt confunderet

Prop. XV. *Circumcisio Christi ad Confessionem nos adhortatur.*

SAnct. Bernard. *ser. 1. de Circumcis. Domini: Ad quid tibi, Domine, circumcisio necessaria, qui peccatum non commisisti, nec contraxisti? Quod ipse non feceris, ætas manifestat; quòd non contraxeris, multò certius probat diuinitas patris. Sed tamen, etsi non eguit, voluit nihilominus circumcidi. Nec vestigium vllum vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris. Non sic impij, non sic, non sic agit peruertitas elationis humanæ. Erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus etiam interdum gloriamur. Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium & verecundum pariter & austerum sine vlla necessitate suscepit, nec repulsultrum lapideum, in quo solo vetus illa quæ raderetur rubigo non fuit. Nos è contra inuerecundi ad obscœnum culpæ erubescimus agere pœnitentiam, quod extremæ dementiæ est, male proni in vulnera, pœnis in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatur se peccatorem reputari, nos & esse volumus, & nolumus æstimari. Itáne sano opus est medicina, & non potius malè habentibus?* Ita S. Bernard.

Prop. XVI. *De Circumcisione nostra spirituali.*

GEnes. 11. præceptum circumcisionis dedit Deus Hebræis, causam verò assignans, ait: *vt sit in signum fœderis inter me & vos.* vbi Liranus: *Circumcisio signum fuit Israelem à gentilibus distinguẽs.* Ita ille. Sed à circumcisione corporali ad spiritualem ascendo: dixerim ego esse quidem signum prædestinatos à reprobis distinguens: est enim circumcisio spiritualis cordis circumcisio, quâ affectus deordinatos circumcidimus & moderamus, reprobi autem effrænatè appetunt corporalia bona & voluptates, sicut equus & mulus quibus non est intellectus. Quis non dicat hoc reproborum signum esse? predestinati autem sensus & potentias interiores circumcidentes, ita moderantur passiones, vt rationi obediant.

Genes. 11. *Liranus.*

Gen. 17. Imponit Deus præceptũ circumcisionis, & rationem huius institutionis reddit Abrahæ, dicens: *vt sim*

vt sim Deus tuus & seminis tui post te, hoc est, erit circumcisio hæc signum inter me & vos, quòd ego sim Deus vester. Cur non aliud signum benignius apposuit, & non circumcisionis, in qua sanguis effundebatur? Respondet Glossa ordinaria: *Non intendebat Deus vt tantum præputium carnis circumcideretur, sed cordis. Circumcidamus ergo labia, ne aliquid indecens dicamus: circumcidamus ergo manus, ne mala faciant: pedes, ne in malum currant: visum, ne illicita concupiscat: gustum, vt ad gloriam Dei manducet & bibat: & sic reliquos sensus & potentias, vt in officijs suis seruiant Deo.* Ita Glossa. Gloss.

Prop. XVII. *Circumcisio corporalis Christi in circumcisionem spiritualem commutata est.*

Sanctus Cyprianus *de Circumcisione Christi* ideo censet olim cruenta sacrificia instituta fuisse, vt cruentum Christi Domini in cruce sacrificium præsignarent, & eadem ratione institutam fuisse circumcisionem etiam cruentam, *vt primitias* (inquit S. Cyprian.) *sanguinis proprij ei qui totum sanguinem suum oblaturus erat, offerrent, & communia singulorum sacrificia, singulare Christi præcederent holocaustum. Vbi verò Christus Dominus venit, de quo in capite libri scriptum erat, vt in morte sua patris voluntatem impleret, cessarunt sacrificia, & iam circumcisionem cordis, & omnem affectionum petulantiam gladio spiritus resecari immutabili decreto mandauit. A diebus igitur redemptionis nostræ regnum cælorum vim patitur, nec iam in expoliatione carnis agitur circumcisio, sed Spiritus sancti virtute vetustatis antiquæ sanies expurgatur.* Ita S. Cyprian. B

Ad patres ergo & ad populos antiquos sacrificia illa cruenta, & circumcisio corporalis spectabat: ad nos verò spiritualis nostrarum passionum cordis circumcisio, & mortificatio. Locus de moderatione affectuum in verbo *Affectus*.

Prop. XVIII. *Qualiter nouum annum incipere debeamus.*

Sanct. Chrysost. tom. 5. oratione habita Kalendis, &c. *Si puram habes conscientiam, festum diem agis perpetuò, bona semper spe nutritus, & futurorum bonorum perfusus expectatione. Si verò animo perturbatus, & sceleribus multis fueris obnoxius, quamuis sexcentæ feriæ, & celebritates sint, nihilo melius his, qui lugent, constitutus es. Quæ enim splendidum dici vilitas esse potest, si ego mihi animæ meæ obscuratæ conscius sim? Si fructum ergo percipere è nouo anno vis, hoc facito, vbi annum expletum videris, gratias age Domino, qui te ad hanc annorum circuitionem perduxit, extimula cor tuum, vitæ tuæ tempus tecum reputa, tecum ad hunc modum facito verba: Dies prætereunt, anni finiuntur, magnam vitæ nostræ partem confecimus, quid boni à nobis factum est? iudicium Dei præ foribus est, & reliquum vitæ tempus ad senectutem vergit. Hæc de annorum concursionibus reuolue, ne aduersum te loquatur quis illud, quod aduersum Hebræos dictum est à Propheta:* Abierunt dies eorum cum vanitate, & anni eorum cum festinatione. *Has feriæs perpetuas tum diues, tum pauper ex æquo agere potest.* Ita Sanctus Chrysost. C

Psal. 77. 33

DE CHRISTI IESV NOMINE.

Prop. 1. *Quàm proprium sit Christo hoc nomen & quàm perfectè adimpleuerit Christus quod nomen Iesus importat.*
2. *Quanta cum perseuerantia exequutus fuerit Christus id quod ad nomen Iesus pertinebat*
3. *Quàm perfectè fuerit functus Christus munere Saluatoris.*
4. *Quàm suauiter & efficaciter nos Christus Iesus saluet à peccatis.*
5. *Quanta sit excellentia nominis Iesu.*
6. *Quàm gloriosum Christo sit nomen Saluatoris.*
7. *In nomine Iesu dilectio Dei erga nos manifestatur.*
8. *Quàm suaue & multæ consolationis sit nomen Iesus.*
9. *Nomen Iesus continet omnia nobis ad salutem necessaria, & multa alia nomina eius.*
10. *Quàm latum nobis sit nomen Iesus ob redemptionem quam importat.*
11. *Nomen Iesus promeruit Christus sanguine suo.*
12. *Cur nomen Iesus simul cum circumcisione acceperit Christus.*
13. *Quàm ingens beneficium Dei fuerit in nos, nostrum fieri Saluatorem.*
14. *Quàm honorificum, & gloriosum nobis sit Christum esse Saluatorem nostrum.*
15. *Quanta sit fit ierit Christus salutem nostram*
16. *Quàm sollicitè salutem nostram procurare docuerit nos Saluator noster Iesus.*

Prop. I. *Quàm proprium sit Christo hoc nomen, & quàm perfectè adimpleuerit, Christus quod nomen Iesus importat.*

Nomen Iesus remissionem peccatorum nostrorum includit, rectè igitur Christi Domini personæ congruit. Quid enim Deo gratius, quàm misericordiam hanc remissionis peccatorum nobis impertire.

Super *cap.* 2. *Genes.* quærit S. Ambros. cur dixerit Scriptura, quòd post hominis creationem requieuerit Deus? *Lego* (inquit) *quod fecerit solem, & non lego, quod requieuerit Deus; lego, quod fecerit cœlos, & non lego, quod requieuerit Deus; lego, quod fecerit hominem, & tunc legi quod requieuerit Deus.* Ita expendit locum hunc S. Ambrosius, quasi dicat, fecit solem, vas scilicet admirabile opus excelsi, & nihilominus non ita sibi placuit in eo, vt ideo requiescere dicatur, fecit cœlos in intellectu opus, inquam, diuino intellectu dignum, & nec ita requieuit in opere tam insigni, fecit hominem, & tunc requieuit. cur ita? num quia homo factus est ad imaginem, & similitudinem suam? non: Angeli enim quoque ad imaginem Dei facti sunt, quantùm ad naturam intellectualem & tamen non legimus, in Angelorum creatione Deum requieuisse. Cur igitur requieuit in hominis formatione? Respondit sanctus Ambrosius *ibidem: Fecit Dominus hominem, & tunc requeuit, habens eum peccata dimitteret.* Ita ille. Mirum hoc, sed verum, non gaudet Dominus super hominum peccata, gaudet verò super pœnitentem, habens cui remittat; nam Dei proprium est misereri semper, & parcere: inter opera verò misericordiæ diuinæ, supremum locum tenet remissio peccatorum: nam misericordia ordinem, & relationem dicit ad miseriam, inter miserias autem nulla maior, quàm peccatum. Etenim si ex inferno Dominus damnatum aliquem è cruciatibus eriperet, non verò à culpa liberaret; alterum verò à culpis omnibus, non verò à cruciatibus liberaret, maiorem misericordiam exhiberet illi, quem à peccato liberaret, quàm eum, quem à cruciatu, & gehenna. Hinc cùm Dauid in celebri illo pœnitentiæ psalmo à Deo misericordiam peteret, & veniam peccatorum, dixit: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Nunquid est in Deo aliqua misericordia parua, ad cuius differentiam petat hîc misericordiam magnam? non agit hîc propheta de ipso attributo misericordiæ: nam id apud eum vnicum, & infinitum est, sicut ipsa essentia Dei; sed loquitur de opere misericordiæ, quod non vnicum, sed multiplex est, secundùm multiplicem misericordiam, vt dictum est. Vnde minor misericordia est, mortuum resuscitare, quàm remittere peccata, ideò de remissione peccatorum agens propheta, ait: *secundùm magnam misericordiam tuam.* Hinc constat, quantùm interfit Deo (vt more nostro loquamur) dimittere peccata, siquidem remissio talis sit exhibitio misericordiæ magnæ Dei: vnde pluris æstimat Deus remittere peccata, quàm nos æstimare valeamus quoduis emolumentum nostrum. D

Hinc

Hinc est, quòd in diuinis litteris peccata nostra debita nuncupentur: *Dimitte* (inquit) *nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Cur non ait: dimitte nobis peccata nostra, sed debita nostra? quia debitum, cùm creditori exhibetur, in commodum creditoris cedit, non ita in commodum debitoris: & quamuis Deo nihil in se accrescat ex remissione peccatorum, quia tamen Deus se misericordem præstare, & opus tale misericordiæ exercere, pro magno reputat thesauro, ideo secundùm se maioris momenti est, quàm vtilitas ipsa, quam nos inde reportamus. Nam bonum hoc remissionis, secundùm quod misericordia Dei est, ad Deum spectat; secundùm autem quod vtilitas nostra est, ad nos respicit. plus autem incomparabiliter est bonum, quod respicit Deum, quàm quod respicit nos. Ideo debiti solutionem Deo factam vocat ipse remissionem nostram, & peccata nostra debita dixit.

Et hinc affectum quendam mirabilem sancti Iob intelligimus *capit. 7.* vbi, cùm se maximis tribulationibus affectum videret, & tanquam homo timeret, ne propter aliqua occulta peccata illæ sibi euenissent, ad Deum conuersus, dixit: *Peccaui, quid faciam tibi, ô custos hominum?* quasi dicat secundùm S. Thomam, dato quòd propter culpas meas sic meruerim puniri, quid iam ego facere possum tibi, qui custos hominum es? incumbit tibi parcere mihi, parce igitur Domine, & illico parce: vnde addit: *Cur non tollis peccatum meum? & quare non aufers iniquitatem meam? vsquequo non parcis mihi? Ecce nunc in puluere dormiam, &, si mane me quæsieris, non subsistam.* Quasi dicat, cur tardas remittere mihi peccata mea? vsquequo differs veniam? profectò si ampliùs differs remissionem, iam non me inuenies super terram: morti enim iam proximum me prospicio? Quid hoc, sancte Iob? itáne decet diuinam petere veniam, & non humiliùs agere cum Deo, & ore super terram collocato, dicere: Parce mihi Domine, obsecro, & miserere mei secundùm magnam misericordiam tuam, licèt veniâ indignus sim? &c. Hoc pacto remissionem petere oporteret, & non quasi queremonijs illam extrahere, & quasi per iustitiam postulare. Sed tamen quo cum ageret, rectè nouerat Iob. quod similitudine hac explicabo: si medicus aliquis huc aduentaret, & famam acquirere magni medici desideraret, & infirmatus aliquis ad mortem mitteret famulum ad eum, & non illico ad eum properaret, non mirum si secundò infirmus ad eum famulum mitteret, dicens: Vsquequo non venis ad me? cur ita moraris, & tardas venire curare infirmitatem meam grauem? Etenim, si venire tardaueris, cùm veneris, ego iam non subsistam, & occasionem amittes magnam, quâ famam tuam celebrem efficere potuisses. *Que si a mi me va la salud, a vos la honrra y gloria y fama de gran medico en sanar me.* Sic Iob. *Vsquequo non parcis mihi Domine?* nónne tu medicus es animarum nostrarum, & magni medici nomine gaudes? *Pues como sennor dexais pasar vna occasion tan buena, en que podais mostrar las qua lidades de vuestra misericordia, en la qual deseais ser afamado? si a mi me va mi remedio, a vos va vuestro nombre,* Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim. *y mas os va a vos, que a mi, pues a uos os va vsar de misericordia, y a mi mi remedio, y mas va sennor en el uso de vuestra misericordia, que en ser yo remediado.* Sit Dei misericordia benedicta in sæcula.

Hinc magnam spem concipere debemus diuinæ erga nos pietatis, & remissionis peccatorum: cùm enim veniam à Deo postulamus, id ab eo petimus, quod illi, non solùm gratissimum, verùm etiam honorificum nimis est: vnde licèt nos indigni veniâ simus, digna est misericordia eius, dignum nomen eius, digna gloria eius, propter quam misereatur nostri.

A *tate vitæ ambulemus, hoc scientes quòd vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato.* Notanda sunt hìc ad rem verba illa; *vt destruatur corpus peccati*: quodnam est hoc corpus peccati? In arbore reperitur corpus arboris, truncus videlicet, & reperiuntur etiam membra quædam ipsius corporis, rami nempe, qui ex illo procedunt: sic in peccato reperitur corpus ipsius peccati, culpa videlicet, & reatus peccati, & secundò membra, pœnæ scilicet, & miseriæ, quæ ex ipsa culpa pullularunt. Ab huiusmodi pœnis homines ipsi seipsos, vel etiam alios sæpe liberare possunt, sicut populum Israel aliquando liberarunt Moyses, Iosue, Gedeon, Samson, & huiusmodi alij: à corpore autem peccati, seu ab ipsa culpa, nos perfectè liberare, & saluare solummodo potuit Deus.

Vnde Targus Hierosolymitanus explicans verba illa *Genes.* 49. quæ protulit Iacob moriens, *Salutare tuum expectabo Domine: Domine* (inquit) *non expecto redemptionem Gedeonis, quia est salus temporalis, neque redemptionem Samsonis, quia est salus transitoria, sed expecto redemptionem Messiæ filij Dauid, qui venturus est.* Ita ille.

Quare rectè Iulianus Episcopus Toletanus, *Leonem* (inquit) *istum ante aduentum Christi non fuit qui exterreret, donec superuenit fortior illo, qui alligauit illum.* Ita ille.

B Id ergo significare voluit Iacob in supra dictis verbis: *Salutare tuum expectabo, Domine*: tunc enim benedicebat iam moriturus tribùm Dan, ex quo orituri erant Gedeon, & Samson, quorum alter insignem de Madianitis victoriam reportaturus erat, alter vero de Philisthæis. Videbat hoc in spiritu tunc Iacob, sed quia huiusmodi victoriæ temporales, & corporales erant, quibus à corpore peccati non poterant homines liberari, sed solùm à ramis, hoc est, à pœnis, & malis corporalibus, ideò ad Dominum conuersus dixit: *Salutare tuum expectabo, Domine*, quasi diceret: Domine, cùm venerit Christus Dominus, victoriâ suâ, quàm de morte, ac dæmone, & de peccato reportabit, in obliuionem deducet reliquas omnes, quantumuis Gedeonis, & Samsonis fuerint. Nam iste de Madianitis, & Philistæis fuerunt, quas postea obscurarunt victoriæ Ægyptiorum & Babyloniorum, qui populum Israeliticum vicerunt; Messias verò ita inimicos suos, & nostros vincet, vt nullam huiusmodi vicissitudinem eius victoria patiatur.

C Cùm Christus Dominus dæmonium eiecisset è corpore cuiusdam muti, & loquelam ei restituisset, accesserunt nonnulli, qui, vti S. Matthæus ait, Scribæ, & Pharisæi erant, accesserunt, inquam, ad Iesum, dicentes: *Magister volumus à te signum videre*, hoc petebant signum, scilicet de cœlo, hoc est, vt ait S. Hieronymus super cap. 4. Matthæi, vel in morem Heliæ ignem de sublimi venire cupiebant, vel in similitudinem Samuelis tempore æstiuo mugire tonitrua, corruscare fulgura, & imbres ruere. Ita S. Hieronymus. Sic igitur miracula in aëre isti petebant à Christo, quibus ipse: *Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei.* Mirum cur Dominus, qui adeò magnificus erat in miraculis patrandis, noluerit modò huiusmodi miracula facere, & maximè rogatus, qui nec rogatus miracula edere solebat, verbi gratiâ, cùm hominem triginta, & octo annos habentem in infirmitate sua, sanauit spontè: & similiter cum cæco à natiuitate visum restituit proprio motu; cur igitur nunc rogatus negat, quod non rogatus ita liberè, ac libenter faciebat? Ratio in promptu est, quia signum de cœlo, hoc est, in aere quærebant: *Querian milagros en el aire, que no fuesen de prouecho, como lo eran los que Christo Sennor nuestro solia hazer.* Paulò ante hominem cæcum, mutum & energumenum sanarat, & plura miraculo vno in opere fecerat, quia simul miracula, & opera misericordiæ, & bo-

Luc. 11.

Matt. 12. 38.

nitatis erant: opus autem quod in aere postulabant, *y que para ellos auia de parar en ayre*, præstare noluit. Vbi manifestè demonstrauit quàm in nos beneficus esset, vt simul vellet, & intellectum nostrum illuminare, voluntatem allicere, & corpus sanare. Nam quatenus opera eius mira & miraculosa erant, intellectum illustrabant, vt deitatem eius agnoscerent homines, & fidem inde haberent; quatenus autem beneficia erant, per ea voluit homines ad sui allicere amorem, & à miseria eos liberare. sic Deus gloriam suam cum nostra vtilitate coniungit, sic nobis bonus est.

Rom. 3 23. Hinc Paulus, *Omnes peccauerunt* (inquit) *& egent gloriâ Dei.* Impropria hæc videtur locutio, & propriùs dici videbatur: & egent veniâ, & remissione suorum peccatorum, & gratiâ Dei. Cur inquit, *gloria Dei?* propria quidem, & æqua est locutio ista, nimirum quia ab Spiritu sancto est; rectè ait, peccatores egere gloriâ Dei, quia egent veniâ Dei, quâ illis peccata remittat; veniam enim & remissionem peccatorum, & gratiam suam concedere nobis, gloria Dei est: gloriosum enim reputat sibi Deus, parcere, & beneficere nobis. bene igitur Paulus ait: *omnes peccauerunt, & egent gloriâ Dei.* B

Hinc etiam Ecclesia in cantico gloriæ, *gratias*, inquit, *agimus tibi propter magnam gloriam tuam*, quis vnquam propter gloriam gratias alicui retulit? propter gloriam quidem gratulatio adhiberi solet: at gratiarum actio propter beneficia rependi solet; quomodo igitur canit Ecclesia: Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. In promptu ratio est, quia agitur hîc de redemptione nostra: vnde infrà subditur bis: *qui tollis peccata mundi*, &c. Hæc autem redemptio, quamuis pluris constiterit Christo Domino, & opprobria multa in redemptionis nostræ prosecutione fuerit passus, adeò fuerunt ipsa gloriosa illi, vt gloriam magnam ea voluerit appellare.

C Hinc S. Gregorius Nyssenus *lib. de Beat.* differentiam assignauit inter veterem Hebræorum legem, & nostram, quòd, cùm illa timoris, hæc amoris sit, signa illius legis mirabilia, nostræ verò amabilia sint: omnipotentem se Deus in illa demonstrauit, vt in signis & prodigijs in Ægypto patratis constat: at in lege nostra Deus se misericordem, bonum, & amabilem ostendit. vnde signa, quæ Christus Dominus fecit, hæc fuerunt, quæ ipse retulit discipulis Baptistæ, dicens: *Caci vident, surdi audiunt, leprosi curantur, mortui resurgunt,* &c. Hinc Christus Dominus, non omnipotentis nomen, sed Iesus accepit, quòd redemptionem nostram importat. *Matt. 11. 5.*

Nihil nobis acerbius esse potuisset, quàm si Deus se nobis morosum, & difficilem in dimittendis peccatis nostris exhiberet: quid enim infelicius, quàm in æternum perire? quid felicius, quàm saluari? quòd si peccando gratiam amittimus Dei, quid iucundius quàm Deum non incxorabilem, sed præstabilem, & facilem ad veniam inuenire? *Misericordia miseris dulciùs sapit*, ait D S. Bernard. *serm. 4. de Assumpt. Virginis*, quasi dicat, placet quidem audire Deum omnipotentem adeò esse, vt ex nihilo cœlum, terramque verbo creauerit, placet etiam quòd sapientiæ eius non sit numerus, placet maiestatem eius nosse, sed tamen peccatoribus, qui ad salutem animæ suæ veniâ opus habent, hoc iucundius, hoc suauius, quòd Deus libenter dimittat peccata nostra. *Ioël. 2. 13.* Ita igitur se res habet. Audi prophetam Dei Ioelem, *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, & misericors est, patiens, & multa misericordiæ, & præstabilis super malitiâ.* Pondera verbum *præstabilis super malitiâ*; non ait, super hac vel illâ malitiâ, sed absolutè super omni malitia remissibili.

Vnde S. Bernard. *serm. 12. in Cant. Audi*, inquit, *quo modo ipse Deus contriti cordis temperet amaritudinem, quomodo pusillanimem à desperationis barathro reuocat: ait enim per prophetam.* Ego infrænabo os tuum laude mea, ne intereas, *hoc est, ne interitu facinorum tuorum nimiam incurras tristitiam, & instar efferanis equi desperatus in præceps ruas, & pereas, frano te (inquit) inhibebo indulgentiæ meæ, & meis laudibus erigam, respirabisque in bonis meis, qui de tuis confunderis malis, dum me sanè benigniorem, quam te culpabilem inueneris.*

Hoc fræno si infrænatus fuisset Cain, nequaquam desperando dixisset: *maior est iniquitas mea, quam vt veniam mereat*, abfit, absit: maior est enim pietas Dei, quæ iniquitas quæuis, ideò iustus non continuè, sed tandem in principio sermonis accusator est sui. Si ergo vos de vobis in humilitate sentitis, sentite quoque de Domino in bonitate: sic enim legitis apud Sapientem: *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.*

Consonat illud, *Derelinquat impius viam suam & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum: quoniam multus est ad ignoscendum.* In quo, quæso, Deus multus non est? multus est in potentia, multus in sapientia, multus in iustitia, multus in maiestate, multus ad omnia; cur igitur speciatim multum dicit ad ignoscendum? nimirum quia miserationes eius super omnia opera eius. Eadem igitur pacto hîc dicit propheta, multum esse ad ignoscendum, sicut Apostolus dixit esse diuitem in misericordia, *Deus qui dives est in misericordia.* in quo Deus dives non est? in omnibus attributis suis Deus dives pariter est: dicitur autem dives in misericordia, quia in operibus misericordiæ se diuitem speciatim ostendit.

Ob hanc igitur rationem nomine Iesu voluit Christus nominari, quia ad miserendum, & parcendum peccatoribus speciatim venit, vti asseruit Paulus: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venerit hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Non ait, venit adorari, venit ministrari, venit punire peccatores, prout ipsi quidem merebantur, sed venit peccatores saluare, quasi dicat, non mirum, si vocatum sit nomen eius Iesus. Solent enim qui ad munus aliquod obeundum mittuntur à rege, ex munere ipso nomen accipere: si ad visitandam communitatem aliquam, visitator, qui mittitur, nuncupatur: si ad vices regis gerendas, prorex: si ad ducendum exercitum, dux. Sic quia Christus Dominus missus fuit à Patre ad saluandum peccatores, Saluator voluit appellari. Fidelem hunc sermonem appellauit Apostolus, quia dignus quidem est fide nostra, & credibilis nimis, quippe cum misereri semper, & parcere proprium sit naturæ diuinæ, & misericordia sit digna tanto Deo. Secundò dicitur omni acceptione dignus, *cosa digna de ser recebida con palio, con Te Deum laudamus*, quid hoc? quoniam Dominus Iesus venit peccatores saluos facere. Et ideò meritò dicitur Iesus, quòd venerit peccatores facere saluos.

Qui verò, aut quantâ clementiâ, & misericordiâ exercuerit munus Saluatoris, ex hoc, verbi gratiâ, constat, quòd omnes similitudines, quibus explicare voluit huiusmodi munus, rei punctum non attingunt. Comparatur pastori, qui amissam ouem quærens, & inueniens, super humeros suos positam refert ad ouile; magna hæc pietas est, sed quæ minimè Christi erga peccatorem pietatem declarat: nam pastor, qui ouem perditam sic quærit, & super humeros ducit, quod suâ interest facit, quę sua sunt quęrit: Christus attè Dominus pastor bonus in ouem amissam quærendo, non quæ sua sunt, quærit, sed quæ ouis: quidenim Deus lucratur ex recuperatione ouis? propter nimiam ergo charitatem, quâ dilexit nos, quæliuit, & redemit nos de ore leonis.

Comparatur etiam parenti filij prodigi, qui venientem, & redeuntem filium, non solùm non reiecit, prout ille

ille merebatur, verùm etiam, cùm à longè eum videret, misericordiâ motus fuit, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus fuit eum, & dixit seruis: *Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius & adducite vitulum saginatum.* Magna hæc pietas parentis, sed quæ æquari non potest pietati Saluatoris erga peccatores: nam pater hic recepit filium redeuntem, non verò ipse filium quæsiuit; at verò Saluator noster, non solùm peccatores ad se venientes recipiebat, imò fatigatus ex itinere, remansit in Samariæ puteo, quærens peccatricem illam. Denique venit Iesus in hunc mundum peccatores saluos facere, *bizò iornada del cielo a la tierra, para buscar, y perdonar, y saluar a los peccatores.*

A *que viene todos los bienes de las puertas a dentro,* quid necesse habet conducere nouaculam istam? nimirum, vt ostendat, quàm peregrinum opus ab eo sit punire, ideò enim punitionis instrumenta se non habere in domo sua significauit. Vnde cùm Dominus puniturum se minaretur grauiter eos qui prophetarum oracula irridebant, ait: *Sicut in valle, quæ est in Gabaon, irascetur Domi-* Isai. 28.
nus, vt faciat opus suum, alienum opus eius: vt operetur opus 21.
suum, peregrinum est opus eius ab eo. Ponderalla duo verba, *alienum, peregrinum*, non satis fuit semel, sed & iterum idem inculcatur. vbi Septuaginta: *Cum furore faciet opera sua, amaritudinis opus, furor eius alienus, & perditio eius aliena.* Quomodo perditio hæc hominum aliena sit à Deo, ostendit Oseæ 13. *Perditio tua Israel, tantum-* Oseæ 13. 9
modo in me auxilium tuum, hoc est, tu ipse, ô Israel, es causa punitionis, & perditionis tuæ, à me autem emanat auxilium tuum, à te perditio, à me verò salus tua.

Præterea comparatur medico, qui ad infirmum sanandum pergit. *non est opus*, inquit, *bene habentibus medico, sed malè habentibus*, &c. medicus quidem animarum fuit Dominus noster Iesus Christus, quia, vti ad ipsum ait Augustinus, *magnus de cælo aduenisti medicus, quia magnus* B
in terra iacebat ægrotus, & hoc ipsum importat nomen Iesus. at non sicut cæteri medicorum mundi, nam apud nos medici propter lucrum visitant ægrotos, & cùm eos curarint, remediorum tormenta nõ ipsi patiuntur, sed infirmi, infirmus est qui sanguinem fundit, & qui potiones amaras & pharmaca sumit: at Christus Dominus non ita sanat infirmos suos, sed primò gratis munere fungitur suo, *Gratis*, inquit, *venundati estis, & absque argento redimemini*, & potionem amaram calicis sui ipse bibit, & sanguinem suum fudit, & denique, vt salutem, vitamque conferret infirmo, vitam ipse suam cum morte commutauit. Sic, sic latissimè patet misericordia Saluatoris, vt omnes similitudines & comparationes, quas ad exprimendam suam misericordiam adduxit, minùs exprimant eam, quàm ipsa in se sit.

5. *Fat gatus Iesus ex itinere sedebat sic supra fontem.* quanti momenti sit fatigatio ista, ex illis verbis Ecclesiæ in prosa defunctorum constat, vbi ait: *Quærens me sedisti* C
lassus, tantus labor non sit cassus. Quę verba Samaritana rectè dicere potuit, quærendo quippe illam sedit lassus: quod quidem nobis magnam admirationem adfert. Mira fuit pietas Christi in remissione peccatorum Magdalenæ, cui verba illa dixit: *Remittuntur tibi peccata tua*: at non ita mirabilis Christus in remissione illa Magdalenæ, sicut in remissione Samaritanæ. Magdalena quippe nobilis erat, Samaritana verò de media, vel infima plebe: Magdalena Christum quæsiuit, Samaritana nec cogitauit, quin potiùs ipsa à Christo quæsita fuit: Magdalena fleuit, & doluit, Samaritana nec doluerat, nec fleuerat: Magdalena Christo Domino vnguentum illud pretiosum exhibuit sponte sua, Samaritana neque aquam Christo dabat, cùm tamen eam ab ea
9. exigeret Christus: sed accusabat Christum eò quòd ab ea peteret aquam, dicens: *Quomodo tu, Iudæus cum sis, bibere à me poscis?* Denique Magdalena veniam requirebat, Samaritana verò nullum signum dederat talis D
desiderij, & tamen Christus, qui Magdalenam non quæsiuit, Samaritanam, non solùm quæsiuit, verùm etiam quærendo fatigatus fuit. O inæstimabilis dilectio Christi! hîc, hîc, quanto desiderio teneatur salutis nostræ, patefecit.

Deus (inquit Ecclesia) *cui proprium est misereri semper, & parcere.* Multa quidem ei propria sunt, sed tamen misereri, & parcere sic Deo proprium est, quasi inter reliqua omnia diuina hoc magis proprium esse videatur: (licèt in Deo omnia vnum & idem sint) opera quippe qui misericordiæ excedunt, reliqua Dei opera. *Que si bien Dios en todos es excellente, en Nazer misericordias parece que se excede a si mismo.* punit quidem peccata, sed punitio hæc quasi ab extrinseco est, vt habet *Isa.* 7. agens de quodam à Deo supplicio: *Radet*, inquit, *in nouacula conducta.* quid est, *conducta*? nostrum est conducere res, quia plurimis rebus caremus: at Deus, cui nihil deesse potest,

habet conducere nouaculam istam? nimirum, vt ostendat, quàm peregrinum opus ab eo sit punire, ideò enim punitionis instrumenta se non habere in domo sua significauit. Vnde cùm Dominus punieturum se minaretur grauiter eos qui prophetarum oracula irridebant, ait: *Sicut in valle, quæ est in Gabaon, irascetur Domi-* Isai. 28.
nus, vt faciat opus suum, alienum opus eius: vt operetur opus 21.
suum, peregrinum est opus eius ab eo. Ponderalla duo verba, *alienum, peregrinum*, non satis fuit semel, sed & iterum idem inculcatur. vbi Septuaginta: *Cum furore faciet opera sua, amaritudinis opus, furor eius alienus, & perditio eius aliena.* Quomodo perditio hæc hominum aliena sit à Deo, ostendit Oseæ 13. *Perditio tua Israel, tantum-* Oseæ 13. 9
modo in me auxilium tuum, hoc est, tu ipse, ô Israel, es causa punitionis, & perditionis tuæ, à me autem emanat auxilium tuum, à te perditio, à me verò salus tua.

Vnde Ioan. 2. vt vapularent ab eo, qui templum Domini suis negotiationibus maculabant, flagellum fecit ex funiculis, ex funiculis scilicet eorum, qui ibi delinquebant. Non videtur Dominus habere in domo sua flagella, aliunde illa quærit. apud Dominum quidem misericordia, & copiosa apud eum redemptio, apud ipsum quidem miseratio: nam punitio apud nos, hoc est, ex nobis initium sumit.

Pondera item verbum illud supra adductum *Isa.* 38. ex Septuaginta, *amaritudinis opus*: nam si amaritudinis capax Deus esset, ex peccatis nostris huiusmodi amaritudinem sentiret, & ex pœnis, quas nobis infert. Vnde Isa. 1. *Heu*, inquit, *consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meus. Heu*, inquit, heu dolentis interiectio est. Cur igitur doles, Domine? num quia vindictam sumis? inde potiùs gaudere debuisses, cùm sic hostes tuos vincas, & gloriosam inde victoriam reportes. Dolorem prodit, quia misericors est, & miserationes eius super omnia opera eius, & quia proprium ei est misereri semper, & parcere: non enim delectatur in perditione nostra, non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat.

Sic etiam, cùm Orbem aquis diluuij propter exorbitantia hominum peccata punire vellet, *Tactus*, inquit, Gen. 6. 6.
dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, *hominem, quem formaui, a facie terræ. Como Iuez piadoso, que firma la sentencia de muerte con lagrymas sobre el papel, donde firma.* imò *dolore*, inquit, *cordis tactus intrinsecus.* quibus num verbis pietatem suam erga nos potuit meliùs significare? ita, quia illi proprium est misereri.

S. Augustin. *in quæst. veteris testam. quæst. 8. tom. 4.* expendit miraculum illud *Exod. 4.* vbi virga Moysis versa fuit in colubrum seu serpentem. Cur non in Leonem, vel tigridem, aut pardum, aut draconem? nimirum, quia leo, & alia huiusmodi, cùm irascuntur, aut venantur, velocissima sunt ad prædam capiendam, & dilacerandum: at serpens lentè incedit & quasi per ambages, & sic, licèt iratus pergat coluber, non ita properat ad vindictam. Irascebatur in Pharaonem tunc Deus, sed tamen ita lentè pergebat, quasi gressum imitaretur, non Leonis velocissimè currentis, sed colubri tortuosè, & pigrè incedentis.

At è conuerso Genes. 3. *Cùm audissent* (inquit) *vocem* Gen. 3 8.
Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, &c. qui Deum sic lentè ad auram post meridiem deambulantem non agnoscerent, aliquem existimaret, qui animi gratiâ sic deambularet: sed tamen Deus erat, qui ad puniendos primos parentes veniebat, ob transgressionem præcepti sui. Cur ita lentè? quia ad puniendum: si enim ad benefaciendum solùm venisset, venisset, saliens in montibus, transiliens colles: quia proprium ei est misereri semper, & parcere. vnde non solùm in beneficijs, sed etiam in supplicijs misericordiam in nos facilè manifestat.

Genes. 1. *Sex diebus perfecit Deus mundum vniuersum:* A at vt perderet aquis diluuij, vltionem de die in diem, imò de anno in annum differebat : nam postquam decretum fuum de mundo perdendo Noë notificauit, centum annis ad fabricandam arcam Noë concessit, vti adnotauit S. Augustinus in quæstionibus ex vtroque testamento, *quæst.* 102. Cur ita? vt videntes peccatores resipiscerent, & spatium pœnitendi satis superque haberent. imò adueniente iam tempore diluuij, quadraginta dierum, & noctium diluuio assignauit, qui sex diebus condidit orbem : nimirum quia proprium illi est misereri semper, & parcere.

Vnde S. Chrysostomus *hom. 5. de pœnitentia,* Nos, inquit, multo tempore ædificamus domum, & breui destruimus, è conuerso verò Deus, cùm struit, velociter struit, cùm verò destruit, tardè destruit. velox est Deus B struens, tardus autem destruens, illud quidem potentiæ, bonitatis istud potentię excellentiâ velox, multa de bonitate tardus. Octauo die cecidit murus Hiericho. Mundum vniuersum sex diebus construis, Domine, & vrbem vnam septem diebus soluis, quid tuæ potentiæ impedimento accidit? quare non repentè destruis? Montes in mare transferre potes, & vnam vrbem destruere non vis repugnantem, sed, septem dies excidio tribuis? quare? num potentiâ imbecillior modò es? absit, sed clementia tolerat diutiùs. Septem huic addis dies, velut triduum Niniue, si fortè pœnitentiæ fusciperet prædicationem, & saluaretur. Ita ille, & ita Deus, quia proprium illi est misereri semper, & parcere.

Propter hanc etiam causam tempore iudicij signa multa, & magna præcedent iudicium ipsum, in sole, & luna, & stellis, in ipsis, inquam, luminaribus, vt cla- C riùs elucescant orbi vniuerso, & in terra, & in mari & vbique: vt impleretur illud, quod Propheta dixit: *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* Per arcum S. Greg. 15. *Mor.* 14. *& lib.* 19. *cap.* 28. intelligit iudicium Dei. Monet ergo mundum, cùm eum destruere vult, & monet homines, ad quos iudicandos properat, ne condemnet, quia proprium Deo est misereri semper, & parcere.

Hinc quidem colligi potest, quanto iure Saluatoris nomen sibi vendicet Christus, cùm adeò illi proprium sit misereri semper, & parcere: quod etiam ex facilitate veniæ, quâ peccatoribus peccata remittit, comprobari optimè potest. Apud nos quidem, quàm longo tempore, quot annis opus est, vt veniam ab homine, quem læseris, consequaris, & consequutâ veniâ, vix ille te vnquam oculis adspiciet rectis: maritus si adulteræ vxori veniam concedat, vix vnquam illatam iniuriam ab animo deponit: at Deus simul cum vera peccatoris contritione peccatum remittit. quod in Dauide constat: vix enim illud verbum *peccaui* protulit, cùm à Na- D
2. *Reg.* 12. 13. than propheta audiuit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Quid ais, Nathan? ita illico veniam annuncias? sine peccatorem pœnitere diu, sine priùs illum orare, flere, ieiunare, dolere, & stratum suum lachrymis suis rigare. Minimè quidem, quia libentiùs illi peccata remittit Deus, quàm ipse pœnitentiæ opera præstet. Idem in Magdalena constat, quæ eâdem horâ, quâ ve-
Luc. 7. niam postulauit, impetrauit, & audiuit: *Remittuntur tibi peccata tua,* cùm illa esset, quæ septem capitalibus delictis præpediretur, illa erat, vt ait Marcus, à qua septem eiecerat dæmonia Christus, hoc est, septem peccata mortalia, vt interpretatur S. Gregorius.

4. *Reg.* 21. Quid iam de Manasse dicam, qui sanguine Prophetarum repleuit Hierusalem vsque ad os? propter cuius impietatem Hierusalem euersa fuit? cui Dominus (vbi verè illum pœnituit) non solùm veniam, & libertatem concessit, sed etiam regnum, quod amiserat, restituit? Quid hac lenitate, & misericordiâ mirabilius? Quid de latrone bono dicam? vix pronunciauerat: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum,* cùm à Christo Domino audiuit: *hodie mecum eris in paradiso* &c. O misericordia infinita! &c. Latro ille, qui ob scelera sua in cruce suspensus animam iam agebat, qui pro grauissimis sceleribus suis ad crucem damnatus erat, ita facilè veniam omnium peccatorum impetrauit, imo eodem ipso die in paradiso cùm Christo fuit. Quis non hìc excellentiam diuinæ bonitatis, & pictatis agnoscat?

Matth. 9. sic Dominus ad sibi oblatum paralyticum: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* quis horum peccatorum à te, Domine, veniam postulauit? salutem hic quærebat, sicut & portitores eius, & de venia peccatorum nec verbum audimus, cur igitur Dominus à nullo requisitam concessit veniam? vt ita melius cognoscamus, quàm proprium illi sit misereri semper & parcere.

Sic Dominus ad discipulos: *Pax vobis, sicut misit me pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Nonnullas hìc circumstantias animaduertere oportet, & primò, post resurrectionem suam dicere quis poterat Christo Domino: pacificus est aduentus tuus? quippe cùm eum vsque ad mortem, mortem autem crucis homines persecuti fuissent, nónne digni erant quouis etiam æterno supplicio? Quia Dathan, & Abiron, & Chore aduersùs Moysen insurrexerât, iubente Domino, absorbuit eos viuos terra, & ita descenderunt in infernum viuentes: grauissimum planè supplicium. Si ergo persequentes Moysen Dei seruum, sic puniuit Dominus, quantò magis hi puniri merebantur, qui Dominum Christum filium Dei persecuti fuerunt? & quidem illi in Moysen manus mimè iniecerunt, Christum autem Dominum hi crucifixerunt. Meritò ergo post resurrectionem Iudæi furore suo adueniße Christum à mortuis suspicari potuißent: sed ne tale quicquam cogitarent, sic incipit visitationem suam Christus: *Pax vobis,* & subdit: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Vbi S. Cyrilus: Hoc est, vt sicut Christum Dominum, non ad iustos, sed ad peccatores quærendos miserat pater, sic etiam Apostoli ad peccatores quærendos mittebantur.

Vnde Apostolus Paulus: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Rupertus Abbas missionis Apostolorum similitudinem cum missione Christi, non ad solum refert munus docendi, & monendi peccatores, sed ad potestatem etiam, remittendi peccata dicens: *Quomodo, & ad quid misit filium pater, nisi vt inter Deum, & homines pacem faceret? quomodo itidem, vel ad quid suos in vniuersum mundum filius mittit prædicatores, nisi ad hoc, vt inimicos homines reconciliaret Deo? Hoc nempe sc. ens Apostolus, ait: Omnia autem ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis.* Ita ille. Vnde Christus Dominus in hoc loco Ioannis statim, *Quorum remiseritis peccata,* &c. vtrumque igitur hìc concessit Christus discipulis suis, & magisterium scilicet docendi, prædicandique, & potestatem remittendi peccata, reconciliando hoc pacto peccatores Christo.

Præterea expende insufflationem illam: quid enim opus erat ad communicandum eis Spiritum sanctum spiratione illa? Docuit quidem hac ceremonia Christus, quod in prima hominis formatione insinuauit, cùm *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Spiraculum ab intimo cordis procedit: innuit ergo Deus, ex intimo cordis amore vitam illam communicare se homini. Sic vitam supernaturalem, quam communicandam committebat Apostolis, & ipsam commissionem, ex intimo cordis sui affectu emanare significabat: quid diceret: Libèter vobis hanc potestatem tribuo, libenter & vos

& vos peccatores absoluite à peccatis, & reconciliate eos patri meo.

Denique ait: *Quorum remiseritis*, &c. hoc est, nullum peccatorem excipio, omnibus, qui ad veniam petendam accesserint, capaces remissionis esse volo, omnibus parcite. Quid ais, Domine? Si Pharisæi, & Scribæ, qui te ad mortem vsque persecuti sunt, venerint, remittemusne illis hoc peccatum? Quorum remiseritis peccata, remissa erunt: non excipio Pharisæos. si Caiphas ille pessimus Pontifex, qui te ad mortem damnauit, & tradidit brachio seculari? nec hunc excipio. si Pilatus ipse, qui sententiam in te protulit mortis, & crucis, & quidem sciens, & videns, quòd te per inuidiam tradidissent? Quorum remiseritis, *a el, y a quantos con el vinieren a pedir perdon, se lo podeis conceder.* Si ille qui te alapâ percussit? & hunc etiam. Denique si traditor ille, nec dignus nomine, Iudas ab inferis rediens veniam peteret? & hunc vellem vos absoluere à peccatis. O ineffabilis Dei clementia! ô misericordia in æternum prædicanda! Quis de venia desperet? quis non tam bonum Dominum totis visceribus amet? Sit ipse in
B
sæcula benedictus, Amen. S. Dionysius *epist.* 8. *Christus à se auersos, & resilientes amatorie sequitur, contendit que, & deprecatur, ne se deserant, quos tanta vis amoris exquirit. Quid, quòd venire differentes benignissimè tolerat, promissionibus leuat, blandit que demulcet.* Ita ille.

Quærit author quidam grauis, explicans verba illa, Ioan. 18. *Sciens omnia quæ super ipsum ventura erant*, &c. cur Christus Dominus, sciens obstinationem Iudæ proditoris, ab applicandis remedijs non cessarit? nam & pedes eius lauit, & proditionem suam illi prædixit, & verba illa horrenda dixit: *Vnus vestrùm me traditurus est. Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur, melius erat ei, si natus non fuisset homo ille*, &c. Et in ipsamet traditione verba illa protulit: *Iuda, osculo filium hominis tradis? Amice ad quid venisti?* Omnia hæc scintillæ quædam erant ex vehementi igne charitatis Christi promanantes, & remedia peccati Iudæ. Si ergo sciebat Christus nihil hæc profutura Iudæ, cur illa sic adhi-
C
bebat? dicam: Hoc inter medicum, & patrem alicuius ægri distat, quòd medicus, cùm primùm videt remedia nullius esse momenti, statim à medicaminum applicatione manum retrahit, & infirmum deserit: pater verò, licèt sciat medicinarum inutilitatem, nunquam à curatione filij cessat: amor enim paternus eum vrget. Sic Christus Dominus, non solùm tanquam medicus, sed etiam tanquam pater, Iudæ se exhibuit, charitas eum vrgebat, & ideo, licèt nosset certò, nullius tandem momenti Iudæ futura medicamenta ad salutem suam, nihilominus tamen à remedijs, velut pius pater, non cessabat. Quòd si erga Iudam sic se Christus habuit, quid in eis taciet, qui illum diligunt, & ei seruire optant? Non prorsus adiunctum, & ab extrinseco tantum nomen hoc aduenit filio Dei, sed ab intrinseco, & naturâ suâ propriâ habet, esse Saluatorem nostrum.

Hinc consolatorium illud, & generale præconium
D
7. per prophetam: *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Todos los pecadores que dexaren los malos passos de su erado camino, y limpiaren este su coraçon de sus malos pensamentos, y assi se conuerteren à Dios, sepan que la hallaran con los bracos abiertos, por que es mucho, y grande Dios en perdonar. In hoc multo* (inquit S. Fulgentius *epist.* 4. & 7.) *nihil deest, in quo omnipotens misericordia, & misericors omnipotentia est. Este todo, que dixe Isaias, es vn todo en misericordia, que nada le falta, por que ay se halla vna misericordia omnipotente, y vna omnipotentia misericordiosa.* Apud nos multos reperies, qui cùm aliquâ fuerint iniuriâ, vel damno corporali & temporali affecti, se non posse parcere inimico affirmant. *No lo puedo recabar con migo el perdonar a mi enemigo, dize el vengatiuo*, nimirum quia imbecillis est, & paruus, aut nullus ad ignoscendum. Omnipotens Deus, qui potentiam tuam parcendo maximè, & misserendo manifestas, canit Ecclesia. ita, quia proprium, & naturale hoc illi est: Deus cui proprium est misereri semper, & parcere, ait rursus Ecclesia.

Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? dicebant discipulis Christi Pharisæi. Sis, ô redemptor, & Iesus noster, benedictus in æternum, quia adeò pius, & misericors es in peccatores, vt nimius propterea ab istis iudiceris, vt vincas, cùm iudicaris, vt vincas, inquam, conceptam æstimationem, quam de tua misericordia ipsi etiam peccatores habent, qui tuâ egent misericordiâ. *Quare* (inquiunt) *cum peccatoribus manducat*, & conuersatur Christus? quare, dicite mihi, medicus cum infirmis conuersatur? quare misericors diues ad xenodochia pergit? quisnam Deus est, nisi diues in misericordia? quis, nisi medicus animarum nostrarum? quid sunt peccatores, nisi pauperes, cùm sint Dei gratiâ destituti? quid, nisi infirmi ad mortem æternam? quid ergo detraxisti ei, quòd cum peccatoribus ambulet, cùm inde potiùs benedicere, & glorificare ipsum, & immensas ei gratias agere deberetis? *Tolle morbos* (ait S. Augustinus *serm.* 9. *de verbis Apostol.*), *tolle vulnera, & nulla erit causa medicinæ. Si vent de cælo magno medicus magnus, per totum orbem terræ iacebat ægrotus: ipse ægrotus genus humanum est.* Ita S. Augustinus. Quis vnquam diuitem damnauit, quòd ad xenodochium se conferat ad consolandos pauperes infirmos, & ad eis eleemosynas faciendas? quis medicum, eò quòd ad sanandos ægros pergat? quid aliud Christus Dominus inter peccatores agebat, hinc à cæcitate sanabat, illum à surditate, ab hoc dæmonia expellebat, alium à mortuis ad vitam reuocabat, & tandem peccatoribus indulgentiam concedebat. Displiceant hæc Pharisæis, damnent te propterea illi damnati, ego tamen, Domine Iesu, propterea te laudabo, & glorificabo in æternum.

Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus (maximus, ait Sanct. Augustinus, vbi supra) *ego sum. Vna cosa digna de ser creyda, y aun de ser recebida con palio, quero dezir, y es que vinò Christo Iesus à este mundo, que hizò, digo, jornada el hijo de Dios del cielo à la tierra, à saluar peccadores.* Quòd homines à terra in cœlum proficiscerentur, vt à Deo veniam suorum peccatorum postularent, non mirum: ipsi enim sunt; qui peccauerunt, & egent gloriâ Dei, ipsorum interest, de sua agebant salute, reconciliatione, & vita æterna. at Deus, in quem peccauerat homo, qui nihil lucrabatur in se ex eo, quòd hominem lucraretur, qui nihil amittebat, quamuis homo in æternum damnaretur, cur ita in mundum venit ad omnes factus homo? nónne summè mirandum hoc? nónne omni acceptione dignum est? nónne mirè pietatem, & charitatem, & misericordiam Dei commendat? *Quia quò venit medicus* (ait Sanct. Augustinus *serm.* 9. *de verb. Apostol.*) *quærit aliquem ibi desperatum, & ipsum sanat, & si & pauperrimum inuenit, tamen desperatum inuenit, non ibi quærit mercedem, sed commendat artem.* Ita ille, agens de Christo medico ad sanandum nos veniente. Sic igitur venit ille magnus medicus, non vt à nobis aliquid commodi sibi reportaret, sed vt suę satisfaceret misericordiæ, & eam mundo manifestaret. ideo Saulum conuertit, qui se primum, hoc est, maximum vocat peccatorem & Magdalenam, à quâ, inquit Marcus, septem eiecit dæmonia, hoc est, septem peccata mortalia, vti asserit S. Gregorius, & latronem in cruce, in quam ob crimina sua dignè actus fuit, sicut ipsemet latro confessus est, &c. Quis peccatorum à spe tam pij, ac misericordis Domini cadere potest? latret conscientia præcedentium delictorum, vrgeat dæmonum tentatio qui in despera-

tionem animam peccatoris inducere conantur : ego autem in te, Domine, sperabo, non confundar in æternum.

Pondera verbum illud, *fidelis sermo :* tanta enim est malitia peccati, vt qui in eam solummodo oculos conijceret, facilè in desperationem incideret : ob id enim Cain desperauit, quia grauitatem criminis sui tantummodo considerauit, & ideo dixit: *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear :* ideò etiam desperauit Iudas, quia solam peccati sui iniquitatem aspexit. ideò quippe dixit : *Peccaui tradens sanguinem iustum*, & tamen veniam non postulauit : neque enim excellentiam diuinæ misericordiæ cognouit, neque existimauit tantam esse, vt, non obstante tanto peccato, locum haberet. & ob hanc causam Ecclesia inter articulos fidei remissionem peccatorum constituit. Ardua enim res est Dei offensam remitti, sed tamen qui in celsitudinem diuinæ misericordiæ oculos coniecerit, facilè credet peccatorum remissionem, ideò de hac verba facturus Apostolus, præmisit verbum hoc, *fidelis sermo*, &c. *quòd Christus Iesus venit.* Venientem Dominum poterat quis interrogare, quod olim Bethlemitæ Samuelem : *Pacificusne est aduentus tuus ?* nam tot, tantaque tunc hominum peccata erant, vt iure timere possent, non pacificum, sed belligerum, & inimicum esse aduentum Dei. Sed nolite timere *quia Christus Iesus*, inquit Paulus, *venit in hunc mundum peccatores saluos facere*, vt in me facilè videre licet, qui primus, & maximus peccator cram, & non solùm mihi pepercit, verùm & in Apostolum suum vocauit, & elegit. *Quis sicut Dominus Deus noster ?*

Requieuit Deus ab vniuerso opere, quod patrarat. Ponderatimus locum hunc supra in principio, sed denuo ipsum expendamus. Quid sibi vult requies ista Dei ? requies laborem præuium præ se fert, vt, cùm quis laborans defatigatur, à labore cessans, dicitur requiescere. Nunquid Deus in rerum creatione defatigatus erat, vt cessans à creatione dicat : *Requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat ?* Absit, quia ipse dixit, & facta sunt, & dicto obedientes omnes creaturæ in lucem prodibant : Vocat enim ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Cur igitur ait : Requieuit ? Sanct. Ambros. *lib. 6. Hexam. cap. 1 6. Fecit Deus cœlum, & non lego, quòd requieuerit: fecit terram, nec sic lego, quòd requieuerit: fecit Solem & Lunam & stellas, nec ibi lego quòd requieuerit. Lego quòd fecerit hominem, & quòd tunc requieuerit, habens cui dimitteret peccata* Ita S. Ambros. Ecce igitur in quo requieſcat Deus, hoc est, quid illi gratissimum sit: sicut enim grata solet esse laboranti requies; sic gratissima est Deo remissio nostrorum peccatorum.

Dicebat Dominus populo suo : *Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est refrigerium meum*, nimirum quia reficere lassum opus est misericordiæ : at inter opera misericordiæ supremum locum obtinet remissio peccatorum. Si ergo requies, & refrigerium est Deo, reficere nos lassos, cò quòd hoc opus aliquod misericordiæ sit, quantò magis requies, & refrigerium Deo dici poterit remissio peccatorum, cùm opus maximum misericordiæ sit ? ideò enim Dauid propter hanc remissionem dicebat: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, quia magna miseria peccati magnam Dei misericordiam exigebat.

Hinc dicebat Dominus : *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* vbinam deliciæ istæ, Domine ? nam cùm apud filios hominum commoratus es, non delitias, sed potiùs spinas & sentes expertus es laborum, & iniuriarum, & dolorum, &c. at quia filij hominum remissionis, & saluationis tibi materiam suis peccatis, & pœnitentia subministrabant, spinas, & sentes delitias reputabas, & ideo dicebas : *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum.*

Cur potiùs nomen Iesu Christus assumpsit, quàm aliud ex pluribus, & sublimibus, quæ poterant assumi ? Nota sunt illa sex, quæ Christo Domino attribuit Isaias : *Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Hæc & alia sublimia Christus assumere potuit. nec mirũ, quia Deus est solo nomine Iesu cõtentus. cur ita ? dicam. Iesus est idem, quòd Saluator, Saluator, scilicet respectu peccatorum nostrorũ, & ob saluationem huiusmodi tali voluit nomine insigniri. Asseruit hoc Angelus ille, qui sancto Iosepho Christi incarnationem annunciauit. Matth. 1. *Vocabis* (inquit) *nomen eius Iesum : ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Hoc autem nomen speciatim assumpsit, quia illi valde proprium, & connaturale est, misereri semper, & parcere, & naturâ suâ ingenti desiderio tenetur parcendi, quod ipsi maximam consolationem nostram vergit. Fecit quidem Deus solem, vt tanta luce & splendore in sui admirationem raperet hominum mentes : nam *Sol*, vt ait Ecclesiasticus, *est vas admirabile, opus excelsi.* Fecit cœlum veluti regiam suam, in qua Angelos & beatos collocaret, & gloriam suis manifestaret, & communicaret, & tamen non super hæc dicitur requieuisse Deus. imo scitet etiam Angelos, & nec super ipsos legimus requiem Dei. Fecit homines, & tunc requieuit Deus. cur ita ? *Habens*, ait S. Ambrosius, *cui peccata dimitteret.* Quid hoc ? imò tunc defatigari Deum debuisse videtur, quia creauerat creaturam, quam in ipsum peccaturam sciebat, non, inquit, fed requieuit, quia misericordiam suam maximam tunc in opus deducere se posse sciebat. O misericordia Dei verè immensa & infinita, qui summo peccatum odio habet, & in cuius detestationem mori in cruce decreuit, vt misericordiam suam exercere posset, cùm hominem creasset. Licèt enim misericordia eius super omnia opera eius, nihilominus si homo non esset, cui peccata dimitteret, quasi repressa, & ligata videretur remansisse illa magna misericordia Dei, de qua Dauid : *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, id est, secundùm misericordiam, quâ dimittit peccata.

Misit Deus olim Isaiam ad regem Achaz, Isaiæ 7. vt diceret regi : *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra*, qui peruersa quadam intentione, vt aiunt S. Hieron. & S. Cyrillus, respondit : *Non petam, & non tentabo Dominum.* In Hebræo pro *tentabo*, est hoc verbum *nasac*, quod significat *extolleo*, id est, *non petam, & non extollam Dominum.* Sciebat (ait Hieronymus) quòd fortè, si peteret signũ, id acceptum esset, & sic glorificaretur Dominus, quod tãquam idolorum cultor, refugiebat. Quid igitur, dictante Domino, Isaias respondit ? *Audite*, inquit, *domus Dauid, nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis, & Deo meo ?* Hoc est, nunquid non satis est molestos fuisse prophetis Dei, nisi etiam Deo ipsi molesti pariter sitis in non petendo ? secundùm quam interpretationem, (quòd, scilicet, molesti fumus Deo, cùm id ab eo nõ postulamus, quod ipse nobis concedere optat, quando quidem Deus optet nobis concedere misericordiam, molesti ei fumus, si eam ab ipso non postulamus.

Hinc sic sancta sponsa Dei ad sponsum ipsum : *Meliora sunt vbera tua vino.* Mira hæc sponsæ locutio : neque enim ab vberibus laudatur vir, neque cum vino vbera proportionem habere videntur, vt inter illa fieri possit comparatio. Origenes hoc in loco mysterium inuenit. Solent vbera matrum lacte grauari, natura sic prouidente, vt facilè, imò optanter, lactent pueros, vt vel ab illo onere, ac grauamine lactis liberentur : ita vt sibi expediens iudicent filios nutrire & lacte illos pascere, atque adeò sæpe videmus, deficiente filio proprio, matrem quærere extraneos filios, vt eos lactet. Laudat igitur sponsa sponsi vbera, quia ita Deus libenter lactat nos beneficijs, & donis suis, ac si non tanti nobis, quàm sibi interesset, & expediẽs, dona sua impertire : ideò me-

Gen. 4. 13.

Matt 27. 4.

1. Reg 16. 4.

Gen. 2. 2.

Isaiæ 28. 12.

Prou 8. 31.

Cant.

liora

liora vino ait esse vbera eius, quia vinum in vase mi- A
nui solet; lac verò indies, & per horas augetur. in vbe-
re, & ponderesuo mater inuitat, vt illud impertiatur
alicui puero. Sic ergo tam ingens est copia, & pondus
diuinæ munificentiæ, & liberalitatis, vt, veluti grauet,
& cogat diuinam misericordiam ad bona & dona sua
nobis exhibenda, & sicut mater quærit, quem lactet: sic
7. Deus quærit, cui tribuat, dicens: *Petite, & accipietis, quæ-
rite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. &, Aperi os tuum,
& implebo illud.*

Malach. c. 4. agens de secundo aduentu Christi in
ordine ad iustos, ait: *Orietur vobis timentibus nomen meum
Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Solem alatum facit hîc
propheta Christum Dominum, & ait salutem deferre
in suis, non pedibus, sed in alis, quia ad saluandum
suos, non solùm ambulat, nec solùm currit, sed etiam
volat. *En materia de saluar dexa Dios de andar, y aun de
correr, y poneſe a volar; & sanitas in pennis eius.* Vidit
sponsa Christum Dominum ad salutem nostram ve-
nientem, & *ecce*, inquit, *venit ipse saliens in montibus, tran-* B
*siliens colles. Viene Christo al mundo atrabençando monte,
saltando y saluando collados, y todo por saluar nos a nos
otros.* sed parum hoc, *sanitas in pennis eius*, & non in pe-
dibus eius, non solùm saliens, sed volans ad salutem
nostram venit.

Meritò inter innumera nomina, quæ sibi assumere
poterat Christus Dominus, nomen Iesu elegit: hoc
enim, quod nomine Iesu significatur, valde gaudet di-
uina maiestas, remissione videlicet peccatorum, & ani-
marum saluatione. hanc enim ob causam Christus in
Euangelio filius Dei nuncupatur, cùm de hac remis-
sione agitur, non verò ita, cùm de supplicio, & iudicio
peccatorum. Ioan. 3. *Sic* (inquit ipsemet Christus) *Deus
dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, & rursum
*eodem cap. Non misit Deus filium suum in mundum, vt iud:-
cet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Ecce vtro-
bique filium Dei se nominat Christus, cùm de aduentu
suo ad saluandum agit, cùm verò de aduentu ad iudi- C
cium, *Tunc*, inquit, *videbunt filium hominis venientem in
nubibus cœli, cum potestate magna & maiestate.* Et rursum:
Dedit illi (scilicet pater æternus Christo) *potestatem iudi-
cium facere, quia filius hominis est.* Ecce cùm de iudicio
agit, filium hominis se dicit, & ob id dari sibi iudica-
riam potestatem, quia filius hominis est; cùm verò de
redemptione nostra agit, filius Dei vocatur. cur ita?
nónne cùm ad iudicium veniet, cùm potestate magna,
& maiestate adueniet, sicut ipse testatur Angelis cun-
ctis, & sanctis omnibus eum comitantibus? cùm verò
ad saluandum venit, vt pauper in tugurio quodam vili,
& humili præsepio se manifestauit. ergo tunc, cùm
ad iudicandum veniet, filius Dei potiùs dicendus erat;
filius verò hominis, cùm ad saluandum. Sed è conuer-
so factum est, quia in iudicio multos ad tartara dam-
nabit, quod est alienum opus à Deo: cùm verò ad redi-
mendum venit, *non venit*, inquit, *vt iudicet mundum, sed vt* D
*saluetur mundus per ipsum, erat lux vera, quæ illuminat om-
nem hominem.*

Hinc constat, quam ob causam Christus Dominus
in cruce, cùm pro inimicis oraret, dixit: *Pater ignoſce illi*;
27. cùm verò filialem illam querimoniam proferret de-
relictionis suæ, dixit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dere-
liquiſti me?* quòd si Hebræam dictionem consideremus,
Eloi vocauit patrem, quæ dictio, *Iudæam* significat. &
quidem tunc pater potissimùm appellandus videbatur,
cùm ad pietatem mouendus erat erga filium sic dere-
lictum: nimirum, quia, cùm pro inimicis orabat, remis-
sionem peccatorum postulabat, & ideo ipse id postu-
lans, filium se dicit, & Deum patrem diuinum, qui ea in
re Christum Dei filium agnosceret; cùm verò de iu-
dicio seuero crucis agit, non se filium dicit, quia non
remissionem pro aliquo postulabat, neque remissionem
pro se à pœna crucis, & mortis, ideò iudicem interpel-

lat. vt manifestè nobis constaret, remissionem, & ve-
niam, & salutem ac saluationem nostram, Dei pro-
priam prorsus esse, Deumque, quatenus Deus est, ad
huiusmodi remissionem promptissimum esse naturâ
suâ diuinâ.

Hinc Tertullianus *lib. de patient. cap.* 3. de hac ora-
tione Christi in cruce pro crucifixoribus orantis, ait:
Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere de-
buissis, quòd patientiam huiusmodi nemo hominum
perpetraret. Ita ille, *Tal patientia raſtro daba de ſer Chriſto
Dios*, cùm scilicet, adeò proprium illi sit, misereri sem-
per, & parcere.

Hinc ad misericordiam nostram eliciamus, quam
alienus à Deo, & à filiatione diuina ille sit, qui inimi-
cis remittere iniurias recusat: plùs ad similitudinem
dæmonum ille accedit, quàm ad similitudinem Dei,
cui sic naturale est parcere, non perdere, saluare, non
damnare.

Psal. 68. *Sustinui qui simul contriſtaretur, & nõ fuit: & qui* Pſ. 68 21.
consolaretur, & non inueni. Miratur hîc S. Auguſt. quia S. Aug.
tempore passionis discipuli, valde contristati sunt cum
Christo, & piæ mulieres flebant cum eo: quomodo er-
go ait, *& non inueni?* Respondet S. Augustin. *Non ait Chri-
ſtus, ſuſtinui qui contriſtaretur, ſed, qui ſimul contriſtaretur,
id eſt, ex ea re ex qua ego contriſtabar, & non inueni.* Ita ille.
Contristabantur discipuli, contristabantur & mulie-
res, sed non sicut Christus; quia discipuli & mulieres
contristabantur propter cruciatus & dolores Christi;
Christus verò, non propter cruciatus suos, sed propter
peccata eorum, qui eum cruciabant, pro quibus orabat
in cruce. Non enim consolatur patientem qui plorat,
eò quòd ploret, sed quia pro ea re, pro qua & ipse pa-
tiens plorat; sicut nullum solamen sentit portans ma- *Simile.*
gnum pondus, eò quòd alius quis æquale pon-
dus portat: sed qui alleuiat pondus suum. Sic Chri-
stum non consolabantur flentes eius mortem, quia ipse
non dolebat mori, sed quia peccata illorum flebat,
pro quibus Christus flebat & dolebat. Ecce igitur
quo ardore Christus Dominus damnationem pec-
catorum lamentabatur, vt quæreret consolan-
tem se, simul dolentem pro condemnatione anima-
rum.

Hoc nomen Iesus remissionem peccatorum nostro-
rum & redemptionem nobis promittit: sic enim An-
gelus ad Ioseph: *Vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum* Matt. 1.
faciet populum ſuum à peccatis eorum. Videamus ergo, & 21.
perfectè fuerit nostram redemptionem executus: *Sine* Ad Heb.
ſanguinis effuſione (ait Apostolus) *non fit remiſſio.* Cùm 9. 22.
primùm igitur nomen Iesu accepit, sanguinem circum-
cisionis emittere voluit: & sicut in prima eius effusione
nomen accepit Saluatoris, sic etiam in vltima, quæ in
cruce fuit, nomen cruci affigi voluit: quasi diceret, vt
cognoscat mundus me, non inane ac vacuum nomen
Saluatoris habere velle, si ad salutem mundi opus est
huiusmodi sanguinis effusione, nec sanguinis effusio-
nem refugio, ne, dum sanguinem & vitam simul cum
sanguine non perdo, nomen Saluatoris abhorream. Ad-
sit igitur, dum morior, nomen, sub quo vltimam san-
guinis guttam exhibeo, ita vt nulla alia prorsus in cor-
de meo remaneat, &c.

Hinc Christus Dominus inimicos suos, qui sangui- Pſal. 21.
nem eius profuderunt, & vitam tulerunt, vnicornes 22.
vocat, *Et à cornibus*, inquit, *vnicornium humilitatem meam.*
De vnicorne Philosophi aiunt, eum occidere quidem
hominem, sanguinem eius cornu extrahendo, sed non
inficiendo, sicut taurus, qui, veluti veneno quodam in-
ficit hominem, quem cornu petit; sic Christus Domi-
nus ab inimicis occisus sanguinis amissione & vulne-
rum acerbitate obijt, sed non infectus, *no murio encontra-
do*, sed dulci velut somno oppressus, in pace in idipsum
dormiuit & requieuit: & ideo pro persecutoribus in
cruce orauit, *mostró que no eſtaba encontado contra ellos*,

non

non sẽ aduersùs illos indignatum ostendens. Præterea
Ad Hebr. 12 24. ob eamdem causam Apostol. *Accessistis* (inquit) *ad sanguinis asperſionem melius loquentem, quàm Abel.* Vbi S. Thomas : *Quia ille clamat vindictam, sed sanguis Christi*
Luc. 23. 34. *clamat veniam, Pater ignoſce illis.* &, *Hic est sanguis noui Testamenti, qui pro multis effundetur.* Ita S. Thom. Hoc dis-
Matt. 26. 28. crimen est inter offensas amicorum & extraneorum, quòd extraneus ad iudicium crimen deducit, & vindictam postulat ; amicus verò facilè veniam concedit, & pacem seu reconciliationem cum amico quærit. Sic sanguis Abel, quasi extraneum fratrem attendens, vindictam à Deo postulabat ; sanguis verò Christi, non nos ad iudicem detulit, sed ad nos nostramque reconciliationem conuertebatur. Quapropter rectè subiungit Apostol. *Videte ne recusetis loquentem*, quasi dicat, sanguis Abel, non ad fratrem prouenit, sed ad Deum pro vindicta processit ; sanguis verò Christi conuersionem adducet ad vos, vt scilicet, reconciliationem à vobis impetret : quare non recusetis ita clementer loquentem.

Cùm igitur Christum Dominum in cruce pendentem videris, & quinque illa vulnera, non tam à ferreis clauis, & lancea ferrea, quàm à peccatis nostris accepta considera. *Más hizieron aquellas heridas yerros de hombres, que yerros de clauos, ni de lança.* Omnia illa vulnera, quasi ora quædam sunt clamantia nomen illud, quod super illa constitutum fuit, & dicunt: Iesus : quia Iesus ideo sic vulneratus, & sanguine exhaustus. *O buen Iesus, muerto, si, però enconado, esso no. Sangrado, si, però con baſcas y con indignacion contra el hombre, esso no. Sea para siempre loado el sanctiſsimo nombre de Iesus.*

Nomina quidem ad hoc indita sunt rebus, vt quæ propria & naturalia ipsis sunt, per nomina exprimantur : ideò initio mundi animalia cuncta adduxit Dominus ad Adam, vt videret, quid vocaret ea ; hoc est, quia scientiam omnium rerum tribuerat ei Deus, & nouerat qualis esset vniuscuiusque animalis natura, qualesque eorum proprietates, imponeret cunctis propria nomina, prout vnicuique eorum consonum erat.
Gen. 2. 19. Vnde subdit Scriptura : *Omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius.* vbi Nicolaus de Lira : Ipsum est nomen eius, scilicet secundùm veritatem. Ex quo patet, quòd habuit notitiam proprietatum naturalium viuentium, quia nomina bene imposita à proprietatibus rerum imponuntur. Ita ille. Sic etiam Deus imponere hominibus nomina solet secundùm aliquid speciale, quod conuenit illis, vt patet in ipso Adam, & Abraham, & Samsone, & Ioanne Baptista, & B. Petro Apostolo, &c. Cùm igitur nomen Iesus, non hominum inuentum sit, nec Angelorum : ait, enim Euangelista,
Luc. 1 21. *quod vocatum est ab Angelo*, non ait impositum, sed *vocatum* : quia à solo Deo impositum fuit illi. Quòd si Adam nouit, & voluit vnicuique viuentium proprium & connaturale nomen imponere, quantò magis Deus filio suo ?

Sed quia in Christo Domino duæ naturæ concurrunt, diuina scilicet & humana, verus Deus & homo cùm sit ; videamus quàm perfectè hoc nomen illi conueniat quatenus Deus, & quatenus homo est. Nomen autem hoc, vt dictum est, idem est, quod Saluator & Redemptor noster. Saluatorem autem esse optimè conuenit Christo secundùm vtramque naturam. & primò secundùm diuinam Christo propriè competit esse Saluatorem, ideò quippe inter articulos diuinitatis ponitur articulus sextus Saluatoris. Dicitur autem Deus, in quantum Deus, Saluator noster, tum quia solus ipse potest nos à peccatis eripere, & gratiam suam infundere, in quo saluatio nostra consistit ; tum quia naturâ suâ procliuis est ad propitiationem nostram, se-
Psal. 129 4. cundùm illud, *Apud te propitiatio est*, & infrà, *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* q. d. *para-*

A *que Dios aya misericordia de mi, y me perdone mis peccados, no es menester, que acuda a nadie, que de sus puertas adentro mora la misericordia, y el perdon.* De iustitia possumus dicere aliquo modo, quòd non ita resideat apud Deum, vti colligere est ex ijs quæ diximus suprà hoc titulo circa illud Isa. 7. *In illa die radet Dominus in nouacula conducta, &c.* Item circa illud capite 28. *Irascetur Dominus, vt faciat opus suum, alienum opus eius.* &c. Vnde canit Ecclesia : *Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere.* Legisne alicubi, Deus cui proprium est irasci semper & punire ? Ecce nouaculam conductam ; ecce peregrinum opus ab eo. Misericordia verò & redemptio in sinu Domini requiescunt, apud eum intus manent. Saluatorem igitur nostrum esse, proprium & natiuum est Deo.

Quod experimento ipso facilè possumus comprobare, quantopere scilicet, Deus noster curet, & procuret nos, quantumuis peccatores, saluare : nullum enim lapidem mouet, vt peccatorem conuertat, & saluet. Primò enim ipse est, qui peccatorem excitat, & ad pœnitentiam vocat, & inuitat ad veniam inquirendam : B
secundò ignarum docet quo pacto debeat pœnitere, ut veniam assequatur : tertiò timidum confirmat : quartò prostratum & ferè desperantem erigit : similiter deliquentem, tum præmiorum promissis, tum suppliciorum minis conuertere satagit : & denique si nihil horum prodesse conspicit, conqueritur, & lamentatur, quasi de damno sibi illato, vt vel sic prouocet ad conuersionem peccatorem. Quæ omnia ad maiorem diuinæ bonitatis fuæ gloriam facit, & vt spem nostram in ipso collocemus.

Primò igitur Deus peccatorem excitat, & vocat ad conuersionem suã : sic per Isaiam : *Conuertimini ad me, & salui eritis, omnes fines terræ.* Quid clementius quàm audire : salui eritis, si volueritis, ô peccatores, ad me conuerti ? quasi dicat, mea est vobis parcere, & vos saluare : vestrum autem est conuerti, & pœnitere : agite quod vestrum est, & ego faciam quod meum est. quod C
vestrum est, minimum est, quod meum est, maximum est : facite quod minimum est, & assequemini quod maximum est. Nónne meritò Saluatoris meretur nomen, qui saluandos sic saluat gratis ? sic igitur Deus peccatores vocat, excitat & inuitat ad salutem : *Conuertimini*, inquit, *ad me & salui eritis.* Fidelis sermo hic, & omni acceptione dignus. Promeruerant peccatores indignationem Dei, & illius acerbissimi verbi imprecationem : *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, & ecce propter singularem Dei misericordiam audiuerunt verbum hoc suaue, *Conuertimini ad me. Misereri profectò vult & parcere*, (vt ait Ambrosius) *qui peccatores ad se vocat.* Iudices sæculares, quamprimum flagitium aliquod perpetratum est, sceleris authorem inquirunt, & comprehensum in vincula coniiciunt, vt suam in illum potestatem exerceant. Nihil illi lacrymæ, nihil gemitus, & suspiria prosunt : pœniteat reum commissi sceleris, promittitque futurum vt in posterum respiciat : sed non iuuat, inquiruntur facinora diligenter, testes adhibentur, congeruntur, confessionem excipiunt tabelliones eamque litteris mandant, non vt reus impunitatem assequatur, sed potiùs vt, flagitijs ac sceleribus exploratis, capite damnetur. Latâ verò sententiâ, aut illum ex arbore infelici suspendunt, aut iugulant, aut in diuersa tractum strangulant, aut in frusta discerpunt, aut igne supposito comburunt. & quidem hæc omnia iustè fiunt, & ita necesse est fieri : sic enim expedit Reipublicæ à sceleratorum hominum fæce purgari. Suauiora & faciliora sunt Dei nostri iudicia. Nefarium & immane scelus peccator suscipit, & cùm Deus illum dignè possit æternis addicere supplicijs, quamprimum illum ad pœnitentiam vocat, confessionem exaudit, dolorem perpendit, vt, dum illum facti pœnitet, & inposterum proponit abstinere à peccato, Dei misericordiam

D

promereatur, ac omnium scelerum remissionem assequatur, *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & sic humilia respicit in cælo & in terra? Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem: vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* Nimirum, *quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Ex hac Dei nostri misericordia, tanquam ex aliquo perenni fonte, pulcherrimi diuinarum gratiarum lactices erumpunt, quibus eiusdem misericordiæ semina procreantur.

Ne verò quis vocatus venire renuat, dicens: Pœnitere nescio, ignarum docet illis verbis: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Quibus verbis perfectæ pœnitentiæ partes ostendit. Primò verbum illud, *in toto corde*, constantem ac firmum animum indicat, quo deprauatæ peccandi consuetudini nuncium remittimus. Dolor deinde ostenditur illis verbis, *in fletu, & planctu*, ac si diceret, tantus sit animi dolor, quo peccator exardescat, vt foras conetur erumpere, & lacrymæ sint doloris indicium. At confessio exprimitur illo verbo, *Scindite corda vestra.* cùm scindis aliquid, quod intus latet, ostendis: capsulam frangis, quod tabulis erat inclusum apparet. Scindite igitur corda vestra, vt per propriam oris confessionem, flagitia, quæ in cordis recessibus latitabant, manifestentur. Satisfactionem denique declarat verbum illud, *in ieiunio*, quo cruciatus corporis imperantur: vt enim scelerum veniam & remissionem promereatur peccator, corporis oblectamenta respuens, afflictionem sectetur, fame, vigiliis ac dolore crucietur. Ecce tibi qua ratione pœnitentiæ ignarum Doctor ille cœlestis docet pœnitentiam.

Sed ne adhuc difficilis videatur, eam facilem reddit illis verbis: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Peccatores vocat, & illos præcipuè, qui peccatorum suorum sarcinâ grauantur. Ad onus vocat, & ad iugum inuitat. Quid? ad onus leue, iugumque suaue. Iugum est pœnitentia: at est iugum peruentum ac delinitum oleo suaui diuinæ misericordiæ. Iugum est, sed iugum, cui non solus collum supponis, cùm Deus te iuuet, vt illud facilè suauiterque portes.

Quòd si adhuc te graue pondus in terram depresserit, extollit, dicens: *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitiâ,* & alibi: *Lauamini, mundi estote, &c. & venite, & arguite me, dicit Dominus: Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Fuerint licet immania scelera* (vt ait glossa) *omnium impunitatem assequemini.* Ac si diceret, ne vos scelerum fœditas & turpitudo deterreat, vt accidit Cain: nam si vos eorum pœniteat, omnia Deus liberalissimè condonabit. O singularem Dei erga homines misericordiam! ô liberalitatem prædicandam!

Et, ne adhuc peccator dubitet, id Deus iureiurando confirmat. Nam cùm populus Israel fuorum peccatorum pondere oppressus, abiecisset spem consequendæ salutis, voluissetque Dominus mederi tanto malo, accersit Ezechielem Prophetam, & ait: *Tu ergo, fili hominis, dic ad domum Israel: Sic locuti estis, dicentes: Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo viuere poterimus? Dic ad eos: Viuo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Quis adhuc trepidat formidine, cui potest iam obrepere dubitandi cogitatio, cùm hanc Deus indulgentiam iuramento firmarit?

Sed erit fortasse quispiam, qui, non formidine deterritus, sed corporis illecebris irretitus, noxiæ peccandi consuetudini nuncium remittere non audeat. Hunc vt Deus ad se alliciat, & à peccandi consuetudine abducat, omnia tentat, maxima illi dona pollicetur. Quid te retardat infelix homo? Quid animum tuum à vera pœnitentia deducit? suauis ac blanda humanæ vitæ voluptas? ego tibi æternam felicitatem polliceor, conuertere ad me, & age pœnitentiam. *Si enim impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vitâ viuet, & non morietur.* Non solùm ait, *viuet* sed *vitâ viuet*, hoc est, ducet vitam quæ verè vita est, nullamque mortis adumbrationem patietur. Vita, quâ viuimus, non est vita sincera, sed vita admixta morte: vt præclarè Seneca attigit vno verbo, dicens: *Nullam vitæ particulam apprehendis, quam subitò mors è manibus non eripiat. Viuimus, sed viuendo morimur, & quò longiori vsura vitam producimus, eò effluit vita cursu velociori.* Non hanc Deus vitam promittit, cui punctum quidem temporis est cum morte commune, sed vitam æternam. *Vitâ viuet*, æternâ scilicet. O singulare pœnitentiæ præmium! Si solùm Deus peccatori crimina & supplicia illis debita propter pœnitentiam remitteret, vel hoc vno verbo, *non morietur*, præmium quâcumque pœnitentiâ maius proponeret pœnitenti; verùm non hoc contentus, adhuc æternam felicitatem pollicetur, vt præ illius desiderio caducam & mobilem felicitatem peccator deserat, & ad illam, quæ altissimis & permanentibus est defixa radicibus, oculos adijciat.

Et si hæc non sufficiunt, vt ad se reuersus aliquando sapiat, maxima illa supplicia minitatur: vt si minùs amore tantæ Dei beneficentiæ, præ timore saltem & formidine conuertatur. *Nisi conuerſi fueritis, gladium suum vibrauit: arcum suum tetendit, & parauit illum. Et in eo parauit vasa mortis, &c.* Non verba hæc, sed tonitrua & fulgura videntur. Nisi bonam viuendi rationem instituas, ê vagina gladium extrahet Deus, illumque in omnes partes verſabit. Parauit sagitas mortifero veneno infectas, tetendit arcum, ac tandem eas, nisi conuersi fueritis, iaculabitur. Terrorem damnationis incutit Deus, pericula intendit, minas iactat, formidines opponit: sed omnia hæc è visceribus misericordiæ proficiscuntur. Ne vulnus infligat, clamore & minis peccatorem insequitur, vt formidine deterritus, mortem fugiat, & ad viscera diuinæ misericordiæ confugiat. Quod maius fingi aut excogitari posset misericordiæ genus? Hinc Tertullianus explicans illud. *Age pœnitentiam, alioqui veniam tibi, & mox bo candelabrum tuum de loco suo, sic ait: Inaudituum misericordiæ genus est, quòd, cùm summo Dominus iure misericordiam & veniam negare posset, non modo non neget, sed eam ipse expetat, dum rogat, & minatur, nisi ad eum recurras. Tanto salutis nostræ amore tenetur, vt omnino patrum vincat affectum in filios ac pietatem.* Ita ille.

Et quasi adhuc hæc omnia satis non essent, si peccator induratur, conqueritur, & dolet, non secus, ac si ipse damnum aliquod pateretur, & ait: *Conuertimini à viis vestris pessimis: & quare moriemini domus Israel?* quid aliud clamaret ille, qui per vim & iniuriam suo pallio denudaretur? nónne conqueretur, dicens? Cur pallium meum eripis? quare mea me spolias veste contra ius, & legem? Sic Deus: *Quare moriemini domus Israel?* Quid ad te Domine? ipsi sibi inferunt mortem, ac se suis manibus iugulant. Quid deperit tuæ immensæ felicitati, si omnes pereant? etsi ne vnus quidem saluetur, sibi imputent peccatores. Sed tanta est dei meritò Christus Dominus, secundùm quod Deus est, nomen Saluatoris mereatur.

Nunc igitur quàm illi congruat, secundùm quod homo est, videamus. Et primò ad Saluatorem hominem spectat, propter animarum salutem vigilare, &

sollicitè attendere omnibus ad huiusmodi salutem necessarijs: sicut ad medicos, qui curam salutis corporalis suscipiunt, sollicitè & vigilanter attendere, quid præscribendum, quid prohibendum sit infirmis, ne ob huius curæ defectum moriatur infirmus: & sicut pastor vigilat super curam gregis sui. vt pastor ille magnus Iacob, qui gregis sibi commissi curam sic expressit socero
Gen. 31. 38. Laban: *Viginti annis fui tecum: oues tuæ & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam: quidquid furto periebat, à me exigebas: die noctuque æstu urebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Sicque per viginti annos in domo tua seruiui.* Ecce legitimam pastoris curam. Christus Dominus eò ipsò quòd Saluator noster esse voluit, pastorem se ipsum nominauit, imò eo nomine gloriabatur, dicens: *Ego sum pastor bonus:* vnde minus est quod
Ioan. 21. 14. Iacob pro ouibus suis fecit, quam Christus pro nobis: nos autem oues pascuæ eius sumus. Vide vigilantiam
Luc. 6 12. eius, *Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Quare orabat? quare pernoctabat? nisi quia bonus pastor erat, &, vt nos seruaret, fugabat somnum ab oculis suis, orabat pro nobis, non dubium, sicut orauit pro
Ioan. 17. 11. discipulis suis, dicens: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* sic orabat, & ad hoc pernoctabat vigilantissimus noster pastor, & Saluator.

Hanc eandem curam manifestant crebra itinera
Matt. 4. 23. Christi Domini, *Circuibat Iesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium Regni, & circui-*
Matth. 9. 35. *bat Iesus omnes ciuitates, & castella, docens in Synagogis eorum, & curabat omnem languorem, & omnem infirmitatem:* denique iam mare, iam terram peragrantem Dominum videbant; *per mar y por tierra nos buscaua, y procurauaua nuestra saluacion.* Nec minùs sollicitudinem istam ma-
Marc 6. 31. nifestant verba illa, *Erant qui veniebant & redibant multi,* scilicet ad Christum, & discipulos eius, *& nec spatium manducandi habebant. Eran tantos los yentes, y venientes a Christo, y a sus discipulos, que no les daban espacio de tomar vn bocado en el dia.* Exaggeratio est hominum, qui pluribus negotijs oppriuntur: non superest, inquiunt, nobis tempus sumendi cibum: sic diuinus hic noster negociator salutis nostræ negotio ita vacabat, vt edere iuxta naturæ indigentiam illi non vacaret. Denique tanto studio saluationi animarum intendebat, vt per spatium totius vitæ suæ hoc sibi negotium crederet solum dari. Quare cùm sic homo quidam rogaret eum:
Luc. 12. 13. *Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem,* respondit Christus: *Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?* Quis, Domine? nónne verum est,
Act. 10. 42. quod Apostolus Petrus ait: *Qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum?* cur ergo in minima illa hæreditatis diuisione se iudicem negat? quia nimirum de solo salutis nostræ negotio agere decreuerat, & se Saluatorem nostrum in omnibus & per omnia exhibere volebat. ad hoc prædicabat, ad hoc tacebat, ad hoc miracula edebat, ad hoc fæpe à miraculis abstinebat: ideò quippe rogatus è cruce descendere noluit: ad hoc ieiunabat, ad hoc edebat, ad hoc vigilabat, ad hoc dormiebat, ad hoc moriebatur, ad hoc viuebat, & denique ad hoc cuncta opera sua ordinabat. Sit ille in sæcula benedictus. Vide igitur an illi rectè nomen Saluatoris conueniat: *Vocatum*, inquit, *est nomen eius Iesus.*

Secundò, ad Saluatorem spectat nullum respuere peccatorē, quantumuis abominandis criminibus sit ille irretitus: sicut ad bonum spectat chirurgum, nullum vulneratum abominari, etiamsi fœtidis & putridis vulneribus sit affectus. Hoc autem quàm exactè adimpleuerit Christus Dominus, Euangelica historia satis manifestat: quem enim vmquam, quantumuis abominabilem, despicit peccatorem?

Act. 11. 7. Nota est visio illa Apostoli Petri, vbi ostensum illi fuit linteum quoddam plenum reptilibus venenosis, scilicet serpentibus, bufonibus, lacertis, &c. cui dictum fuit: *Petre, occide, & manduca.* renuebat Petrus: *Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum.* cui Dominus: *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Hoc autem factum est per ter.* Quid sibi voluerit visio hæc, statim agnouit Apostolus, nullum scilicet respuendum esse peccatorem ad Deum venientem. Hoc autem perfectissimè Christus Dominus adimplebat. quem enim vmquam respuit peccatorem, licèt ille bufoni, aut colubro, aut serpenti, aut draconi similis esset? Erat Magdalena velut coluber depictus, *vna culebra pintada*, erat Matthæus velut bufo, qui vescitur terra, *vn sapo come tierra*, erat bonus ille latro sicut lacertus montis; *como vn lagarto del monte, pordonde andaba saltando*, erat Saulus spirans minarum, velut quidam draco, æuus in discipulos Domini. Hos tamen Christus non est abominatus, nec reiecit, sed recepit amanter, & non a stomachum Ecclesiæ suæ collocauit. Meritò ergo vocatum est nomen eius Iesus, qui sic saluat eos, qui abominabiles videbantur, &c.

Præterea, ad Saluatorem spectat, non solùm agere, sed etiam pati pro saluandis, & redimendis animabus: nam *sine sanguinis effusione non fit remissio*, vt ait Apostolus. pati verò iure hi tenebantur, qui peccatores erant. Christus autem quid fecit? sed quia passio peccatorum, imò & iustorum, imò & Angelorum, non erat sufficiens ad satisfaciendum pro peccatis (ad hoc enim requiritur valor infinitus, siquidem culpa est offensio Dei infiniti, & in creaturis non reperitur huiusmodi valor infinitus) hinc necesse fuit Deum esse illum, qui Saluator futurus esset, & sua passione saluare peccatores deberet. Passus igitur quid fuit? imò quid non fuit passus? tribus possumus nos homines pati, in opibus, in honore, & in nobis ipsis: Christus Dominus in his omnibus maximè & grauia passus est. primò in honore, dum magnis afficitus fuit iniurijs, pro beneficijs opprobria sustinens. & morte turpissima damnatus, per vias publicas Ierusalem cruce onustus, & funibus ligatus, tamquam facinorosus homo ductus fuit, & tandem nud us cruci affixus in conspectu innumerabilis populi. Diuitias non quidem amisit, quia eas non habuit: sed eas non habuit, quia pro nobis egenus factus est, vt nos eius inopia diuites essemus: hoc ipso autem pro nobis eximias diuitias amisisse dicam, quia omnes diuitiæ eius erāt, & possedem reputamus, pro nobis eas amisisse, & voluntarie caruisse. Tandem in corpore & corde suo quanta pro nobis fuerit passus, & vita, & mors, & acerbissima eius passio ostendit, præsertim corpus habens delicatissimum, ab ipso Spiritu sancto organizatum. Omnia hæc cur passus fuerit, canit frequenter Ecclesia, dicens: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, &c. crucifixus etiam pro nobis, passus & sepultus est, &c.* crucifixus, inquit, pro nobis, passus & sepultus est, &c. si ergo ad Saluatorem nostrum pertinet pro nostra salute labores pati, qui omnia quæ nos pati possumus, ita copiosè pertulit, meritò Iesus & Saluator potest nuncupari.

Denique si à pedibus ad verticem vsque Christum contemplatus fueris, eum in omnibus & per omnia Iesum esse cognosces: nam oculis suis peccatores ad salutem ducebat, vti patet in Petro, quem negantem respexit, qui in se reuersus, fleuit peccatum suum: *Conuersus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis: & egressus foras Petrus, fleuit amarè.* Quod perpendens S. Greg. dixit: *Nunquam Petrus fleuisset, nisi Dominus eum respexisset:* vnde rectè oculos Christi Saluatores possumus appellare.

Similiter lingua eius saluatrix erat: omnia enim verba eius salutifera audientibus erāt. *Verba vitæ æternæ habes*, dixit Domino Petrus. Manus etiam eius salutares: nam infirmos tactu manus sanabat. Pedes quoque: omnes

hes enim gressus suos ad salutem animarum dirigebat. Similiter vestis ejus: nam fimbriam vestimenti eius tetigit mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, & sanata illico fuit: imò & sputum eius: nam cæcum à natiuitate sputo sanauit, & sputo linguam muti aperuit. vnde meritò dicere possumus, quòd à pedibus ad caput vsque Saluatorem se Christus exhibuit: nam etiam salutem corporis, quam ita conferebat, ad salutem animæ ordinabat.

A

Prop. II. *Quanta cum perseuerantia exequutus fuerit Christus id quod ad nomen Iesus pertinebat.*

CHristo Domino cruci iam affixo dicebant Iudæi: si rex Israel est, descendat de cruce, & credimus ei: magna quidem promissio, & quam Christo gratissimam fore non irrationabiliter iudicabant: id enim erat quod tantis miraculis Christus intẽdebat, attamẽ noluit descendere Christus, cur ita? S. Bernard. *serm. 1. de resurrectione Domin.* Imò *quia rex Israel est, titulum regni non deserat, virgam imperij non deponat, cuius imperium super humerum eius, sicut præmit Isaias.* Noli, *inquiunt*, scribere, rex Iudæorum, *& Pilatus*: Quod scripsi, scripsi. *si Pilatus quod scripsit, scripsit, Christus non perficiet quod incæpit? ipse enim cœpit, & saluabit nos. Sed dicunt, alios saluos fecit, se ipsum non potest salumm facere: imò verò si descendet, nemmem faceret salvum: cum enim saluus esse non posset, nisi qui perseueraverit vsque in finem, quanto minùs poterit esse Saluator.* Ita S. Bernard. sic enim in supremo sanctissimæ Trinitatis tribunali tunc decretum fuit, vt per mortem Saluatoris in cruce mundus saluaretur: hoc enim verba illa important, Psalm. 95. *dicite in gentibus, quia Dominus regnauit*. vbi Hugo Cardinalis ait, alia littera habet, Dominus regnauit à ligno, per trophæũ, scilicet, crucis, in quo deuicit dæmonem, & ipsam mortem. ita etiam legit S. Augustinus, & S. Bernard. *serm. 1. in die sancto Paschæ*, & sic etiam legit antiquum psalterium Romanũ: Dicite, inquit, in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno, atque ita Ecclesia in illo hymno triumphali mortis Christi, qui incipit, *Vexilla regis*, &c. sic canit: Impleta sunt, quæ concinit Dauid fidelis carmine, dicens in nationibus: Regnauit à ligno Deus. & S. Iustinus *in dialogo cum Tryphone* affirmat, hanc lectionem fuisse olim in interpretatione septuaginta virorum, & ab Hebræis fuisse abrasum, & sublatum. Regnauit autem à ligno Deus, quia per lignum crucis Christus Dominus de diabolo triumphauit, & mundum de potestate illius liberauit, & sibi regnum comparauit; denique, quia nos in ligno saluauit, sicut per lignum, quod Noë fabricauit, mundum à diluuio liberauit, hanc igitur salutem in ligno consummandam voluit impedire diabolus: ille enim fuit, qui per os Iudæorum dixit, descendat de cruce, vti asserit Sanct. Bernard. suprà, vbi ait: *Quos instigauerat antea ad crucifigendum Christum; instigat nunc ad suadendum, vt de cruce descendat, hoc est enim quod dolet venenati serpentis astutia exaltatum in deserto serpentem aneum, cuius intuitu sanentur vulnera, quæ influxit. Alioquin quonam alio instigante missse credimus vxorem Pilati ad ipsum, dicentem: Nihil tibi, & iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum propter illum. timebat iam tunc, sed posteà maximè virtute crucis eneruari se sentiens inimicus.* Ita S. Bernard. Sed tamen descendere noluit Christus, etiam si omnes, qui astabant illi, fidem suam in eum offerrent, quia saluari per crucem mundum à Deo decretum erat: vnde non priùs se à cruce tolli voluit, quàm diceret: Consummatum est. sic perseueranter ad mortem vsque Saluator noster salutem nostram prosecutus est.

B

C

D

Nobis quidem relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius: sic enim oportet nos salutem nostram operari: qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Sunt enim qui ad hostis suasionem de cruce descenduht, &c. non sic Christus, non sic, sed vsque ad mortem perstitit in cruce. sit ille benedictus in sæcula.

Cant. 5. sic ad animam Deus: *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Pondera epitheta quibus hîc vtitur Christus, vt nos illi aditum in animas, & corda nostra præbeamus. *Soror, columba, amica, immaculata mea*, quis vel deperditè amans sponsam suam, dulcioribus verbis eam compellare possit; quid igitur ita quærit? ingressum in cor eius, & ingressum istum qua de causa? qua, quæso, alia de causa, nisi vt salutem suam operetur in ea? quid Saluator nisi quæ salutis nostræ sunt quærit? Hac igitur ratione cognomina hæc excogitauit, & insuper, *Aperi*, inquit, *mihi, quia caput meum plenum est rore*, (qui tempore auroræ cadit) *& cincinni mei guttis noctium.* Ergo pulsando, & ita rogando, & suauissimis cognominibus sponsam demulcendo, noctu, diuque eam vocauit, *de la noche hasta la mannana, y des de la mannana hasta la noche*, hoc est, perseuerantiâ, & longanimitate nimiâ inuocando, & tradendo nos ad se, durat ac perseuerat. ita est, ita Deus salutem animarum nostrarum curat, & procurat. sit ille benedictus in sæcula, solicitior est in vocando, quàm nos in respondendo.

Prop. III. *Quàm perfectè fuerit functus Christus munere Saluatoris.*

QVantumuis quis munere ac officio sibi iniuncto rectè in hac vita fuerit functus, morte adueniente, cessat omnis conatus, & omnis illius officij operatio. Christo Domino commissum fuit à Deo munus, & officium Saluatoris: quod quidem adeò perfectè prosecutus est, vt non solùm vita ista mortali comite, verùm etiam post mortem eo fungi non desiterit. quod ex his, quæ post mortem gessit, facilè possumus comprobare: nam anima eius statim in Limbum sanctorum patrum descendit, vt educeret vinctos illos de carcere, & secum duceret in cœlum: resurrexit tertia die, & quamuis secundùm exigentiam sui status ad dexteram patris consedere deberet, quadraginta dierum spatio in multis argumentis apparuit suis, & non solùm ijs, qui in fide, ac spe permanserant firmi, verùm etiam illis qui in fide vacillarunt, apparuit, vt S. Thomæ, & etiam ijs qui nonnihil à spe cecidisse videbantur: quales erant illi qui in castellum Emaus proficiscebantur.

Quod per Apostolum Paulum, non sine mysterio, asseruisse videtur Spiritus sanctus illis verbis: *Bibebant de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus.* Nota est historia ex capite 16. *Numerorum*, vbi ad tactum virgæ, quâ tetigit Moyses petram, exiuit è petra aqua ad populi vitam tuendam, nam siti peribat. sic postquam virga Crucis, & hasta petram, Christum, inquam, Dominum tetigit, exiuit aqua è latere eius, aqua pietatis suæ ad vtilitatem Ecclesiæ suæ. & sicut petra illa consequebatur Israelitas, sic Christus discipulos suos: siquidem cuntes ad Emaus secutus, & assecutus est, vt eos à diffidentia liberaret, & saluaret. Ecce, post mortem etiam officium Saluatoris executus est, imò in cœlo modò prosequitur munus exercere Saluatoris: nam officium aduocati, quo fungitur in cœlo, ad munus Saluatoris spectat. 1. Cor. 10. 4.

Magnum & excelsum fuit beneficium illud, quo filios Israel ex Ægypto in promissionis terram duxit Deus, maximè ob circumstantias in exitu illo concurrentes: sed incomparabiliter maius, & sublimius nostræ redemptionis beneficium: illos enim à seruitute Pharaonis liberauit Deus, nos verò Christus à seruitute dæmonis. dura illa, sed durior & dirior supra mo-

dum ista : illi operibus lateritijs miserè vacabant iussu Pharaonis: nos verò operibus peccatorum, quæ viliora, & miserabiliora sunt, quid enim vilius, quid peccato miserabilius? sit luto, & paleis infixus iustus, mundus ibi, & Deo & Angelis & hominibus spectabilis, & amabilis est: sit peccator auro, & gemmis condecoratus, infamis, & abominabilis Deo, & Angelis, & hominibus erit.

Moyses. Præterea, vt eos educeret Moyses, magna, & prodigiosa miracula fecit: sed quænam illa, si cum his, quæ Christus effecit in redemptione nostra, comparentur? lucem in densissimas tenebras commutauit, Christus tenebras mundi horribiles in admirabilem commutauit lucem: *Eripuit nos*, ait Apostolus, *de potestate tenebrarum.* Magna quidem erat ante Christum tenebrarum potestas, similis illi, quam habebant tenebræ Ægypti. de quibus Exod. 10. *Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra AEgypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco, in quo erat.* Tales erant mundi tenebræ ante Christi aduentum, & redemptionem: non videbat homo fratrem suum: ita enim perierat charitas, vt Cain occideret fratrem suum Abel, & Iosephum venderent fratres sui, & Esau Iacobum interficere vellet. Ecce tenebrarum obscuritatem, *non videbat vir fratrem suum.* item nemo valebat se à loco vbi erat dimouere. Ecce potestatem tenebrarum: erant omnes ex vi peccati Adæ tenebris obnoluti, & in statu peccati, à quo recedere per se nequibant. Adfuit Christus lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & dissoluta est potestas tenebrarum: omnes iam, qui credunt in Christum, & Deum, & viam ad Deum nouerunt.

Præterea, per mare rubrum iter populo illi præbuit in exitu de Ægypto; at nobis per mare rubrum sanguinis sui nos in terram promissionis cœlestem Christus duxit: in mari illo omnes Israelis persecutores simul perierunt, in mari rubro sanguinis Christi omnes infernales inimici, peccata scilicet nostra: hæc enim sola sunt, quæ nobis nocere possunt: vnde illa solùm inimicantur nobis. hæc omnia in sanguine Christi suffocata fuerunt. *Dilexit nos* (ait discipulus dilectus) *& lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Tunc cecinit Moyses, & filij Israel: *Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius, currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare.* quantò potiùs nos gratias agentes Deo, cantare poterimus: Gloriosè Christus magnificatus est, peccatum, & diabolum ascensorem eius, proiecit in mare rubrum sanguinis sui.

Deinde columnam ignis prouidit illis, vt luceret eis per noctem, & nubem, vt ab ardore solis defenderet eos per diem: quod meritò inter Dei delicias computarunt, & argumentum magnum diuinæ erga eos prouidentiæ reputarunt: at sublimior Dei erga nos prouidentia est in hoc itinere cœlestis patriæ. in remedium quippe tenebrarum ignorantiæ, nobis verbi Dei maximam exhibuit copiam: est enim lucerna pedibus nostris verbum Dei, vt ait Dauid. Et iam non est fames audiendi verbum Dei, vti olim fuit, vbique affluunt, imò & superfluunt concionatores: adest igitur columna ignis refulgentis, adest etiam, quin adsunt nubes multæ, quæ protegant nos. Nubes, Sanctos vocat Apostolus, *nubes testium.* habebant olim Hebræi aliquos sanctos, qui eos protegerent, vti S. Ieremiam, qui multùm orabat pro populo Israel, & Moysen, qui oratione sua iram placauit Dei, volétis delere populum illum in deserto, propter vituli adorationem, & alios: non tamen ita multos, sicut habet populus Christianus, quorum non est numerus, Martyrum, Confessorum, & Virginum, præter Apostolos, & Euangelistas, Pastores, & Doctores Ecclesiæ, qui suo patrocinio, velut nubes, protegunt nos.

Pluit illis Deus manna de cœlo, panem Angelorum omne delectamentum in se habentem, & aquam ibus sitientibus de petra eduxit, tantæ quidem suauitatis, vt mel appellauerit eam Dauid: *De petra melle saturauit nos, erà vn amibar del cielo.* bene, sed hæc in figura contingebant illis: manna illud figura fuit Eucharistiæ nostræ, notissima est figura aqua illa de petra, figura fuit sanguinis sanctissimi Christi: *Petra* enim *erat Christus*: quem etiam sanguinem nobis in hoc diuinissimo exhibuit Sacramento. *Va pues de lo vno a lo otro, lo que de lo vno a lo pintado.* Vide tu quid inter figuram differat, & figuratum.

Legem deinde illis in monte Sina apparatu magno promulgauit, quam tanti fecit Dauid, vt assereret Psal. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis*; quantùm verò supra illam est nostra lex! ubi timoris, hæc amoris: illam, ait S. Petrus, *nec patres nostri neque nos portare potuimus*, de hac verò Christus: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*: illa intabulis lapideis, hanc in tabulis cordis nostri conscripsit Deus.

In terram quidem fluentem lac & mel introduxit eos Dominus, terram desiderabilem, fructiferam, & omni bono temporali refertam: at Christus Iesus introduxit nos, non in terram, sed in cœlum: nos enim ad cœlestia regna vocauit, & vectes, plusquam ferreos, quibus antea claudebantur, fregit.

Denique redemptionem tunc misit Deus populo suo, sed nullo suo labore, multo verò populi illius, qui quadraginta annis deserta illa inhabitauit, & bella multa sustinuit: Deus verò immunis, & ab omni labore liber, hæc perficiebat: at in redemptione Christus Dominus triginta tribus annis incola fuit in terra nostra, & supra modũ in nostra redẽptione à natiuitate vsque ad mortem, à præsepio vsque ad crucem, laborauit. grauissima passus est. *Pauper*, inquit, *sum ego, & in laboribus à iuuentute mea. no supo de dia bueno, y descansado*, fudauit vsque ad sanguinem, expostuit, & amisit negotio redemptionis honorem, sanguinem, vitam. quid vltra debuit facere, & non fecit? quid redemptioni populi illius ex Ægypto cum redemptione nostra peccatis?

Quòd si tanti eam fecit Moyses, vt propterea dicat: *Dei perfecta sunt opera.* quid ita? *pars enim Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius: circumduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila prouocans*, &c. confer hæc omnia beneficia redemptionis illius cum beneficijs redemptionis nostræ, & quanto hæc æstimare amplius debeamus, videbis.

Voluit autem Dominus solemniter celebrari diem illum, quo filios Israel eduxit de Ægypto. Ait enim: *Habebitis autem diem hunc in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Si tantam animi gratitudinem voluit Deus eos exhibere pro redemptione illa vmbratica, & figurativa nostræ redemptionis; quid nos, obsecro, facere oportebit? illi quidem propterea agnum illum celebratissimum singulis annis celebrarunt, &c.

Hæc igitur dies est, quam hodie celebramus: quo gaudio, qua exultatione festum Agni nostri celebrare dignè poterimus? hodie Agnus ille, qui tollit peccata mundi, sanguinem pro nobis fudit, hodie redemptoris nomen Iesus imponitur illi. Hodie igitur gratias immensas agamus Domino Deo nostro: verè enim dignum, & iustum est, æquum & salutare, &c.

Prop. IV. *Quàm suauiter & efficaciter nos Christus Iesus saluet à peccatis.*

Si remedia malorum nostrorum nobis semper grata & accepta sunt, tantò nobis gratiora esse debent, quantò mala ipsa sunt grauiora. Maiorem lætitiæ & gaudij rationem habet qui lethali & insanabili vulne-

Exod. 10. 22.

Apoc 1. 3.

Exod. 15. 3.

Ps. 118. 105.

re, aut morbo laborans, remedium inuenit, quàm qui A leui tantùm: inter omnia verò vulnera, peccatum mortale primum obtinet locum, quia, secundùm nomen eius, lethale ac mortale quidem est: mortem autem non corporis, sed animæ inducens. Denique inter omnia mala grauissimum est peccatum: imò si cum rigore loquamur nullum est malum præter peccatum. Id notum est: hoc enim malos reddit. Hinc quantum Christo Domino debeamus, constatinam ad hoc è cœlo suo ad terram nostram venit, vt nos sanguine suo mundaret à malitia peccatorum nostrorum, & vt nobis omnibus notum esset, quod Saluatoris nomen & insigne assumpsit. *Vocatum*, inquit, *est nomen eius Iesus. Este es el blason, este el timbre de sus armas. Sea el para siempre glorificado.*

At dices, gratulor quidem nobis ob talem tantumque Saluatorem, sed remedij seueritatem timeo: vbi enim morbus grauissimus est, remedium asperum acerbumque solet esse. Audiamus S. Bernardum hanc ob- B iectionem, eiusque responsionem adhibentem, qui verba illa Calendarum expendens: *Iesus Christus Filius Dei nascitur in Bethleem Iudæ. Iesus*, inquit, *interpretatur Saluator: quid tam necessarium perditis? quid tam optabile miseris? quid tam vtile desperatis? aliquam vnde salus vnde vel tenuis aliqua spes salutis? At tu forsan salutem optas, sed curationis acerbitatem form. das. Ne timeas: nam Saluator ipse Christus est, vnctus scilicet oleo lætitiæ præ partic ipibus suis, ein murum, qui licet non ipsam plenitudinem, de plenitudine tamen huius accipiunt partic ipium vnctionis. Suauis, inquam, & mitis, & multæ misericordiæ Christus est. Sic nimirum vsque hodie multi pereunt, medicum fugientes, quòd Iesum quidem nouerint, sed Christum nesciant: humano sensu de multitudine & magnitud ne morborum paratæ sibi medelæ molestiam æstimantes. Christum igitur esse cognosce, non vrentem cauterio, sed vnguento: non vstione, sed vnctione curantem. Ne verò suauem audiens, inesficacem autuma. Saluatorem, additur etiam.* Filius Dei: Iesus Christus Filius Dei nascitur in Bethleem Iudæ. *Qualis Pater, talis Filius, cui subest, cùm voluerit,* C *posse. Et vide, si non euidentius hæc tria ad pastores loquens Angelus commendauit, gaudium magnum, quod euangelizabat, exponens:* Quia, *inquit*, natus est vobis Saluator, qui est Christus Dominus. Ita S. Bernard. Vbi nota, in quo hæc suauitas curationis consistat: & quidem si grauis illa esset, & acerba, gratissima nobis esse deberet: pellem enim pro pelle, & cuncta quæ possidet libenter dabit homo pro vita sua; quantò magis pro anima sua. Cùm Naaman ille princeps leprosus audisset oportere septies se in Iordane lauare, vt à lepra sua acciperet curationem, id facere detrectauit, cui famuli eius: *Pater, si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras, quanto magis, quia nunc dixit tibi: Lauare, & mundaberis?* Id quidem sic illi, quia malum lepræ magnum esse iudicabant. Sed quid malum lepræ ad malum peccati? Si igitur pro lepræ sanatione nihil non præstandum est, quid pro peccatorum remissione? Certè si rem grandem præciperet nobis Deus, facere facilè debere- D mus; quantò magis, quia dicit Deus peccatori: *Lauare, & mundaberis* à lepra hac pessima peccatorum. Et quidem negare non possumus, magno constare pretio remissionem peccatorum: sed pretium hoc grande, non nobis constat, sed Christo Domino. Ille pro nobis sanguinem fudit, vt pretioso balsamo isto vulneribus nostris medeatur. Vnde vidit Ioannes innumeros illos beatos in vestitu dealbato, & glorioso, & audiuit vocem dicentem sibi à quodam Regni cœlestis ciue: *Hi sunt qui lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.* non ait, in sanguine suo, sed, *in sanguine Agni.* Sanguis quidem exigitur ad remissionem peccatorum, &, secundùm rationis tramitem, peccator, qui peccauit, sanguinem pro remissione huiusmodi fundere debuisset: sed hæc immensa Dei charitas, hæc misericordia infinita, vt, cùm nos simus qui peccauimus, ille sit qui in A remissionis nostræ pretium sanguinem vitamque profundit. Iam igitur, vt video, non est quòd curationem peccatorum subire trepides: parata sunt omnia: nihil superest, nisi vt laueris, ingredere balneum sanguinis Christi, *lauare & mundaberis.* Quid enim aliud est sacramentum Baptismi? quid aliud sacramentum pœnitentiæ? Ideo igitur Christus in die, quo nomen Iesus assumpsit, sanguinem fudit, vt scilicet, intelligeremus seueritatem & asperitatem nostræ curationis, non super nos, sed super ipsum medicum cecidisse, &c.

PROP. V. *Quanta sit excellentia nominis Iesu.*

TAnta quidem est huius nominis Iesu excellentia, vt sine Spiritus sancti gratia, seu fauore, nemo eam, vti decet, exprimere possit. Ita Paulus: *Nemo potest* 1. Cor. 12. 3. *dicere Domine Iesu, nisi in Spiritu sancto.* Super quem lo- B lum Silicetus ait, quòd, sicut ad recipiendum in pectore sanctum Domini nostri Iesu Christi corpus, requirit Apostolus puritatem conscientiæ, dicens: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, &c.* sic ad debitè nominandum Christi nomen, oportet, quòd homo seipsum probet, & sic in ore suo illud sumat, præsumens scilicet per coniecturam sufficientem, se gratiam Dei habere. Nolo nunc sensum huiusmodi examinare, sed hoc pro certo ex hoc loco tenendum est, quòd nemo cum debita reuerentia & deuotione & æstimatione hoc nomen profert, nisi Spiritus sancti fauore: tanta est nominis huius excellentia. *Lib de nomine Iesu, c. 1. 1. Cor. 12. 28.*

Quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur. Aurum, argentum, margaritæ, & lapides pretiosi ex suo principio, & origine, ac loco, vbi procreantur, pretium & æstimatione accipere solent: aurum ex Arabiæ regione concupiscitur magis, quia in terra illa melius generatur: margaritæ ex orientali plaga quæruntur, argentum ex prouincia Peruana, &c. *La concha y madre perla, donde se produxo el sancti ßimo nombre de Iesus, es el pecho mejmo de Dios padre.* ex abysso multa diuinæ misericordiæ ortum est hoc superexcellens nomen, cælatura eius auris Deiparæ fuit, & eius cor (*Esse fue su esfogido, y rico engaste*) qui ad nos illud detulit de cœlo, Angelus & Archangelus supremus omnium Archãgelorũ Gabriel fuit: hoc enim est quod sanctus Lucas Euangelista inquit, *quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur.* Vnde S. Bernard. *Vocatum*, inquit, *ab Angelo, non impositum, nempe hoc ei nomen est ab æterno.* Ita ille: quasi dicat, non Angelus huius nominis inuentor & impositor fuit, sed nuntius, qui è cœlo ad terras detulit illud, *el que ganò las albricias de nombre tan importante al mundo.* *Luc. 2. 21.* *Serm 2. de Circumcis.*

Isaias, *Propter Sion*, inquit, *non, tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius, vt lampas accendatur,* & conuersus paulò pòst per apostrophen ad Christum (vt interpretantur S. Cyrillus & alij) subdit: *& vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit*, hoc est, à Deo ipso adinuentum est nomen ipsum, in mente diuina originem habet. Solet parentibus committi munus imponendi nomina filijs suis: sicut Adamo tributum fuit rebus omnibus sibi subditis nomina designare: at nomen hoc nulli commissum est, nec Ioseph o, qui pater eius putabatur & dicebatur, nec Mariæ matri eius: sed sibi asseruauit & reseruauit Pater æternus huius nominis impositionem, *quod os Domini nominabit.* Et cur, inquies, non reuelauit illud mundo Isaias, qui alia multa Christi nomina exposuit, vbi de Christo Domino prophetans, *Paruulus*, inquit, *natus est nobis, & filius datus est nobis*, subdit, *& vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis*: & cur verò non hîc etiam apposuit nomen Iesus, cùm hoc potissimùm *Isai 62. 1.* *cap 9. 6.*

elegisset Deus, vt imponeretur ei? quia nimirum voluit Deus honorem hunc Angelis referuare, vt supremus scilicet Angelorum, imò Archangelorum, id ex ore Dei desumptum, mundo annuntiaret. *que el supremo Archangel ganasse las albricias de tan glorioso y dichoso nombre.*

Solent Imperatores à deuictis hostibus nationibusque subactis honestissima sibi cognomina vendicare: sic Scipio Africanus ab Africa deuicta sic est nuncupatus, Nero Germanicus, Traianus Dacus, &c. Sic etiam Dominus Deus ab eo facinore redemptionis Ægyptiacæ, non solùm accipere voluit triumphalis pompæ insignia & trophæa, sed etiam honorificum cognomentum, & vocari Redemptor Israel, vt patet: *Hæc dicit Dominus Redemptor vester, sanctus Israel, &, Redemptor noster à sæculo nomen tuum,* hoc est, iam inde à vendicato Israel de tyrannide Ægypti, hoc tenomine compellari voluisti, Redemptor Israel. *Isai. 43. 14. Isai. 63. 16.*

Et quidem ab illa memorabili redemptione Ægypti, non solùm cognomen, sed etiam nomen Dominus mutauit, nomen, inquam, illud quod proprium vocant: nam incommunicabile illud nomen Iehouah ab eodem facinore patrando imposuit sibi: cum Mose quippe loquens, *Ego* (inquit) *sum qui sum: sic dices filijs Israel: Qui est, misit me ad vos,* vbi originale Hebræum sic habet: *Ero qui ero, misit me ad vos*, id enim sonat nomen Iehouah. Cur, quæso, Dominus à tempore futuro hoc nomen quæsuit? Quia non præterita, nec præsens, sed futura adhuc erat redemptio illa à captiuitate Ægypti, & à futuro facinore futuri nomen accepit, *Ero qui ero*, quasi hæc sit nominis etymologia, Sum qui futurus sum, sum quem iam experiemini vestræ libertatis vindicem, & Redemptorem, vocor scilicet, futurus assertor vester, is qui futurus sum Redemptor Israel. Et quia hoc videbatur ænigma potiùs, quàm nomen, vt se & Moysi & Israeli proderet agnoscendum, subiecit aliud cognomen antiquum, dicens: *Sic dices filijs Israel: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos.* nomen hoc non significat essentiam, & subsistantiam ad intra, sed factum, & beneficium foris impensum, quod patet ex his verbis ibi sequentibus, *Nunc videbis, quæ facturus sum Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, &c.* & subdit: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Iehouah non indicaui eis.* Quibus verbis declarauit primò redemptionem populi sui, deinde nomen quod ab eo sumpturus erat: nam alioquin quorsum mentionem interserit nominis sui, nisi quia inde sumere illud volebat? Et confirmatur ex verbis illis ibi subiectis: *Ideo dic filijs Israel: Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute, ac redimam in brachio excelso.* Ecce, inde Dominus nomen Iehouah, & nomen Domini, & nomen redemptoris voluit sibi specialiter adscribi, ex illa redemptione populi ex Ægypto. *Exod. 3. 13. Ibid 15. Exod. 6. 6*

Quòd si redemptio illa corporalis à tyrannide Pharaonis, tam fecit Deo nomen redemptoris; quid, quæso, redemptio animarum omnium à peccato, quod tyrannidem summam importat? O superexcellentissimum nomen Iesus, literis pluſquam aureis in cœli culmine dignum conscribi, quàm gloriosum te Deo nostro esse manifestas: imò, vti sapientissimus pater Pradus, in his supradictis locis, in quibus se Deus Redemptorem vocat, non tam propter redemptionem illam à seruitute Pharaonis id fecit, quàm propter redemptionem generis humani, quæ in redemptione illa præfigurabatur: nomen enim Iesuah, id est Iesus, in illo nomine Iehouah continebatur & repræsentabatur. Ita ille. *Super Ezech. in 2. p. sect.*

Hoc autem moraliter ad nostram eruditionem huiusmodi deriuemus. Voluit Dominus illustrissimum nomen Iesus ex facto ipso, & facinore summo operis redemptionis nostri sibi dari: vnde priusquam imponeretur de facto illi, sanguinem in nostram redemptionem effudit: talis enim Dei mos semper fuit, ex factis suis optimis desumere nomen. Sic, *Dominus nomen ei.* cur Dominus? ab effectibus & operibus probat se vocari Dominum dici debere: *Patris*, inquit, *orphanorum, & iudicis viduarum.* Vbi loco illius dictionis *Dominus* ex Hebræo verti potest *Iehouah*, id est, Redemptor Israel. Probat igitur Deum redemptorem esse ex operibus redemptore dignis: esse videlicet patrem orphanis, & iudicem viduis. Sic qui nomina, & cognomina honorifica, vel habent, vel quærunt, in hoc gloriari debent, non quòd assequantur illa, sed quòd factis adimpleatur ne vacua in ipsis reperiantur. Christianus vocaris; glorioſum quidem est hoc nomen, & angelicis spiritibus appetendum: sed non in nomine, sed in factis Christianis debes gloriari: aliàs dicetur tibi, quòd Episcopo illi seducto, & seductori: *Nomen habes quòd viues, & mortuus es.* nomen iudicis seu gubernatoris habes, sed sacerdotis, seu religiosi; secundùm exigentiam nominum horum viue: alioquin melius tibi fuisset talibus appellationibus non insigniri, & talibus munijs non decorari. in diuino quippe iudicio, non exiget Deus te solùm, qui appelleris, sed quomodo iuxta huiusmodi appellationes institueris vitam, &c. Iesus quidem nō vacuū sibi nomen vendicauit, sed iuxta nominis rationem Saluatoris munus exactissimè perfecit. quid enim hoc exigit nomen, quod non perfecerit ille? Primò quidem curam & sollicitudinem requirit; & quamquæso, ille in animarum exquirenda salute non adhibuit? noctu diuque huic operi inuigilabat, fugiebatque somnus ab oculis eius, pernoctans in oratione Dei vsque ad diem; in die verò ita huic operi vacabat, vt aliquando nec spatium ipse & Apostoli manducandi haberent. Sic enim habes apud Marcum, *Erant qui veniebant, & redibant multi, nec spatium manducandi habebant, &c.* Exemplum dedit nobis, vt quemadmodum ille fecit, sic & nos faciamus, vnusquisque in suo munere exercendo, quod diuinâ prouidentiâ obtigerit illi. *Ibid 20.*

Prop. VI. *Quàm glorioſum Christo sit nomen Saluatoris.*

Psal. 50. *T. tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Expendamus verba illa, *Tibi soli peccaui*: etenim cùm prodigus ille veniam à patre postularet, non dixit: *pater, tibi soli peccaui*, sed, *pater, peccaui in cælum & coram te*: & in Matth. 18. dixit Dominus: *Si peccauerit in te frater tuus*, hîc autem Dauid non ait: *in te, sed, tibi soli peccaui*: etenim diuersa inter se sunt, *tibi soli peccaui*, (vel vt originale Hebræum habet, *tibi solum peccaui*) & *in te peccaui*. Nam peccare in aliquem est contra eum deliquisse: peccare verò alicui, potiùs dicit aliquid expediens ei, cui peccauit, vt in hunc locum obseruauit Rupert. libro 2. victoria verbi Dei, cap. 18. cui fauet Origen. hom. 1. in Ezech. Ait ergo Dauid: *Tibi soli peccaui*, hoc est, ego quidem peccaui contra vxorem Uriæ, quia eam in peccatum incidere feci, & peccaui in Uriam quem interfeci, & in animam meam, quam occidi, & in subditos meos, quibus malum exemplum præbui, & etiam contra te Domine tunc peccaui; sed postquam à Propheta tuo Nathan audiui: *Dominus transtulit peccatum tuum*, vocem muto & assero: *T. tibi solùm peccaui*, contra alios peccaui, sed modò affirmo, quia *peccati tibi*, in tuum scilicet honorem, & gloriam tuam, quatenus in venia & remissione peccatorum meorum misericordissimi & clementissimi Saluatoris mei nomen acquisiuisti, atque adeò hoc mihi solatij causa est, quoniam *tibi peccaui.* Ecce quanta Dei gloria sit misericorditer parcere peccatori. Ne igitur animum despondeat pœnitens,

nitens, cùm peccatorum suorum grauitatem attendit, quia si verè pœnitens est, iniuriam Dei misericordiæ irrogaret, si non firmiter speraret omnium suorum delictorum remissionem.

Cùm nomen Iesus remissionem importet peccatorum, ex ea quippe desumptum est, vti Angelus Gabriel exposuit Matth. 1. in tantum nomen hoc gloriosum erit Christo Domino, in quantum gloriosa illi est huiusmodi remissio peccatorum: quàm verò gloriosa hæc illi sit, videamus.

Sic Dauid Deo: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cùm iudicaris.* Mirus hic videtur loquendi modus: quo enim pacto ex peccato Dauid iustificatur, in sermonibus suis Deus? & quomodo vincit, cùm iudicatur? In sacris litteris, vti obseruauit S. Damascenus *lib. 4. cap. 20.* aliqua proferuntur causaliter, aliqua, non causaliter, sed consequutiuè intelligi debent secundùm rei euentum, vt verbi gratiâ, *Ecce* (ait Christus) *ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem: vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram.* Hoc est, & sic, vel ob id veniet super vos omnis sanguis, &c. Et: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam*, hoc est, ex hac infirmitate, & morte Lazari sequetur Deo magna gloria, ob resurrectionem scilicet eius, qui consequitur illam mortem. Sic ergo, vti S. Theodoretus adnotauit, ait Dauid: *Tibi soli peccaui, vt iustificeris*, hoc est, ex peccato meo sequitur tibi, ô Deus meus, iustificatio, & victoria: nam ad peccatum meum subsequetur remissio eius, & venia, quam ob magnam misericordiam tuam mihi præstabis, & ex hac remissione sequetur iustificatio tua, quia iustitia tua hinc constabit, quòd, cùm promiseris veniam peccatori pœnitenti, mihi eam concesseris pœnitenti: & item victoria, quia tunc verè misericordia Dei vincit, cùm Deus peccata remittit. vincit, inquam, quodammodo iustitiam Dei vindicatiuam, quæ quidem victoria Deo gloriosissima est, sicut illi gloriosum est misereri semper, & parcere. Vincit ergo cùm iudicatur à nobis Deus pius, & misericors, dum veniam huiusmodi concedit, & tunc vincit humanam existimationem: quis enim non existimaret, si humano more id consideraret, Deum peccantem mortaliter infallibiliter damnaturum. Videmus enim reges crimina in se commissa seuerè punire, quamuis supplicter rei veniam petant, &c. Victoria ista Deo nonne gloriosissima est? *vnde expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis.* non ait, ideo misebitur parcens vobis: sed exaltabitur: idem enim est Deum parcere nobis, & ipsum exaltari.

Hinc dum Moyses exaltare, & laudare multùm Deum vellet, cùm coram ipso Moyse Deus transiret, ait: *Dominator Domine Deus, miserator, & clemens, patiens, & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata.* Pondera verbum, *qui aufers*, &c. non ait, qui aufers iniquitatem cum iniquo: hæc enim est differentia inter iudices terræ, & Deum, quòd iudices terræ, cùm iniquitatibus remedium adhibere volunt, tollunt ipsos iniquos de medio, eos videlicet suspendentes, vel decollantes, aut comburentes; at Deus, sicut medicus pius & sapiens, infirmitates, siue peccata tollit, peccatoribus parcens, *Ecce*, inquit, *qui tollit peccata mundi.*, &c. igitur, in quo Moyses Deum laudat: *Qui aufers* (inquit) *iniquitatem & scelera, atque peccata.*

Nec mirum, cùm & ipse Deus in hoc ipso glorietur: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Ac si Alexander ille Magnus, postquam mundum vniuersum superauerat, diceret: Ego sum, ego sum, qui constitui prælia multa, & interfeci reges terræ, & siluit terra in conspectu meo; sic gloriatur Dominus noster dicens: ego sum, ego sum, non qui deleo reges, qui deleo iniquos, sed qui deleo iniquitates tuas, *propter me*, hoc est, propter gloriam nominis mei, &c. Poterat quidem sic gloriari: ego sum, ego sum ipse, qui vnico verbo terram, cælumque creaui; ego sum, qui iudicaturus sum viuos, & mortuos, & cæculum per ignem; at his omissis modò: *Ego sum, ego sum ipse*, inquit, *qui deleo iniquitates.*

Hinc etiam Psal. 78. *Propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum*, non ait, propter redemptionem nostram, & ne in æternum pereamus, &c. sed se, & reliquis post terga relictis, *propter nomen tuum.* aç si dicat: *Ea, Sennor, si quereu ganar renombre de muy clemente, piadoso, y misericordioso, buena occasion teneu entre manos, perdonad nos nuestros peccados, y ganareis renombre eterno en la tierra, y en el cielo.* *Ps.78.9.*

Gloriosum ergo valdè est nomen Iesus Deo nostro, quia remissionem, & veniam importat peccatorum: parcere autem nimis, honorificum nimis, ac gloriosum est.

Psalm. 24. sic Deum orabat Dauid: *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim.* Quid ais Dauid? Deum ad misericordiam prouocare contendis, & grauitatem exaggeras tui peccati? imò attenuare debuisses. Si quis hominem alium offendisset, & abeo veniam impetrare contendens, sic deprecaretur: Domine, obsecro te, parce mihi, quia magna est offensa, quâ te affeci iam, grauis iniuria, quâ intuli tibi, &c. imò diceret, quia adeò grauis culpa est, tu veniâ indignus es. minuere culpam debebas: Domine, parce mihi quia ignorans feci, à dæmone impulsus, & stultè nimis tecum egi. Sic culpam attenuando, & se dimittendo facilius obtinetur venia. Cur igitur ait Dauid: *multum est enim?* causam dicti in dicto ipso animaduerte: ait enim: *propter nomen tuum*, hoc est propter gloriam nominis tui, veluti ait Cardinalis Bellarminus, vt manifestetur misericordia tua. Ac si diceret: Tu Domine Deus in misericordia rectè gloriaris, & misericordiæ nomen apud omnes habere desideras, ecce oblatam occasionem in me: si misericors dici, & haberi apud omnes optas, opportunè accedo. peccaui ego nimis, misericordia in miseria abolenda manifestatur, miseria verò nulla maior, quàm peccatum, & quantò peccatum fuerit maius, tantò erit misericordia remissionis maior: peccatum meum multum est, multa sunt peccata mea quantitate, multa qualitate; multa igitur erit misericordia tua, si pepercris mihi, & inde magnum misericordis, & clementis nomen consequeris. Quare *propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.*

Carolus V. in bello quodam aduersùs Gallos Francisçum Francorum regem cepit, & captiuum duxit, tunc celebrem hanc vocem emisit Franciscus rex: Non inuideo Imperatoris triumphum, quòd scilicet de Franciæ rege possit Carolus triumphare, sed quòd parcere vitæ eius, & libertatem præstare tanto regi possit. Rectè quidem, nam triumphare forti fælici, vel etiam fortitudini exercitus Imperatoris tribui potuit: parcere verò, & liberum reddere, clementiæ, & magnanimitati Imperatoris dandum erat. Sic igitur in Deo, quòd de inimicis suis triumphet, quid mirum? quòd autem hostibus suis veniam concedat, & ad gratiam suam reuocet, & in gloriam admittat. Hoc illustrissimum est, & Deo dignum.

Gladios emere præcepit Christus discipulis suis. *Qui non habet vendat tunicam suam, & emat gladium.* Hoc asseruit Christus, quia instabat bellum passionis suæ, & tamen, cùm in ipsa passione Petrus gladium eximeret, & aurem cuiusdam inimici abscinderet, audiuit *Luc. 22.*

Matt. 26. 52. diuit à Domino: *Conuerte gladium tuum in vaginam*, &c. Quærit S. Ambros. *lib.* 10. *in Lucam*, & ait: *O Domine, cur tubes emere gladium, quem vetas promi?* Respondet idem sanctus, *vt sit parata defensio, non vltio necessaria, vt videat vindicari potuisse, sed noluisse.* Ita ille. Hoc enim ad Dei gloriam maximè spectat, quòd, cùm facilè possit vindictam de omnibus inimicis capere, parcere potiùs clementer velit, quàm perdere illos.

Psal. 86. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Agit hîc propheta de cœlesti Hierusalem, & regno illo cœlesti, & glorioso Dei nostri, vti S. Augustinus, & Cassiodorus, & alij aiunt. De illo regno, inquit, glorioſa dicta quidem sunt, & gloriosa valde, ac meritò: quid enim gloriosum magis, quàm gloria. Sed quid est, quòd subdit: *Memor ero Raab, & Babylonis scientium me.* Itáne, cùm de gloria agitur Hierusalem, memoria fit meretricis Raab, & barbaræ ciuitatis; quid cælesti gloriæ cum Babylone, & meretrice Raab? Cassiodorus sic respondet: *Quid gloriosius quàm vt tanta sæditas prius seruantium populorum, in vnam ciuitatis pulchritudinem conueniret?* ita Cassiodorus. Qui ex hoc cælestis gloriæ pulchritudinem colligere prophetam ait, quòd in ea barbaros etiam Babylonios, & meretrices Dei bonitas, & misericordia introducat, inde gloriosus Deus, inde gloriosum cœlum.

Perpendit hoc rectè S. August. *tom.* 10. *serm. de cruce & latrone*, vbi ait: *Nemo regum aliquando passus est latronem hominem, aut quemquam alium eiusdem naturæ conseruum secum assumens, intra curiam suam introducere. sed Christus hoc fecit, qui mortis, & diaboli victor, & sacrat. sinam ingrediens patriam, secum latronem introduxit, non concilcans paradisum tantæ pietatis opere, sed honorans, non confundens latronis introitu, sed illustrans. Honor namque paradisi est, talem habere Dominum, qui etiam latronem illum dignum facere posset paradiso Dei. Etenim cùm publicanos, & meretrices introduceret in regnum cœlorum, non confudit, sed extulit regnum cœlorum, non dehecit, sed potiùs honorauit paradisum. Honor enim paradisi est, vt dixi, talem Dominum habere, qui & latronem dignum facere posset delicijs & possessione paradisi. Sicut enim medicum tunc maximè admiramur, cùm viderimus eum difficiles hominum valetudines curantem, & mortis pericula medendi arte vincentem; ita & Christum admirari iustum est, quando insanabilia vulnera in mentibus curat, & quando publicanum, & meretricem ad tantam sanitatem perducit, vt etiam cælo dignos ostendat.* Ita S. Augustinus. *Honrra se el cielo conque le pise vno que tiene prenda de la soberna misericordia de Dios, que quisó asi perdonarle, asi sanarle, asi iustificarle, que fuese digno del cielo.*

Vnde S. Chrysost. *hom.* 84. *in Ioannem*: probat Iudæos non dedecorasse, sed ornasse Christum Dominum, dum eum inter duos latrones crucifixerunt: *quod enim in dedecus parauerat malitia, innocentia conuertit in gloriam.* Ita ille.

Etenim, si secundùm philosophos tantò maior ostenditur potentia agentis, quantò de minori, & remotiori potentia materiæ perfectiorem extrahit formam; ergo tantò maior potentia, & misericordia Dei relucebit, quantò maior est malitia peccatorum: longè enim à peccatoribus salus, longiusque quantò peccata fuerint grauiora: ergo quantò à maioribus delictis extraxerit peccatorem, & communicauerit ei formam gratiæ suæ, tantò magis eius misericordia, & potentia commendabiles nobis erunt.

Auget autem gloriam Christi curationis modus: etenim medici, & chirurgi non ita corporis vulnera sanant, quin multas in eis relinquant vulnerum cicatrices, & signa: at Christus Saluator noster sic vulnera, quantumuis grauissima, peccatorum sanat, vt nulla cicatricum vulnera in anima dimittat. Conceptus S. Chrysost. est, *hom.* 3. *de pœnitentia*, vbi ait: *Deus, cum deleuerit peccata, sic delet, vt neque cicatrix, neque cicatricis perstit indicium, nec vestigium quodquam, sed potius cum sanitate decorem elargitur.* Ita S. Chrysostomus, vide illum *hom.* 18. *ad populum*, & S. Gregor. *lib.* 9. *epistolarum, epist.* 39. & S. Petrum Chrysologum *hom.* 3. *de prodigo.* Laudabat quidam Philippum Macedoniæ regem (vti refert Plut. *in Apophthegm.*) quòd ciuitatem quandam Thraciæ solo æquasset, quasi potentiam suam sic manifestasset, aderat audiens Philosophus quidam, & dixit: atqui non potuit tam bellam struere, rectè ac sapienter à sapiente illo obiectum id fuit. Vnde potiori iure gloriabatur Augustus Cæsar, dicens se Romam latericiam accepisse, & marmoream reliquisse. Gloriari prorsus Deus optimus maximus potest, qui hominem in peccatum lapsum (quod quidem peius est, quàm in gehennam incidisse) sic erigere & reædificare volut, vt pulchrior post ruinam appareret, quàm antea fuisset. Vnde meritò ad gloriam Dei sic canit Ecclesia: Deus qui potentiam tuam parcendo maximè, & miserendo manifestas. Vnde meritò expendit Sanct. Ambros. *serm.* 30. Samaritanæ conuersionem, dicens: *Nouo admirationis genere, mulier, quæ ad fontem Samariæ aduenerat meretrix, pudicitiam reportauit, & relinquens aquæ vasculum ad ciuitatem non fert hydriam, sed refert gratiam, vacua onere, sed plena sanctitate, & quæ aduenerat peccatrix, reuertitur prædicatrix.* Ita S. Ambros.

Et quia conuersio peccatoris inter opera Dei apud nos primum obtinet locum, ideo primum miraculum à conuersione aquæ in vinum incepit: nam per aquam frigiditas peccatoris significatur, per vinum, feruor charitatis. conuertere igitur peccatorem frigidum in sanctum, feruidum charitate, meritò in primo miraculo Christi adumbratum est.

Vnde cùm Christus Dominus conuersam perfectè ad se Magdalenam vidisset, & Pharisæum eam tanquam peccatricem damnantem, dixit Pharisæo: *vides hanc mulierem?* nimirum quia multum erat, quod in ea videndum erat, quia miraculum conuersionis multum erat in tanta peccatrice, quæ in tam sublimem, sanctam, & amore Dei refertam, immutata fuerat. nam dilexit tunc multùm, & multum ad videndum obiectum erat.

Hinc intelligitur locus ille Dauid, *Congregans, sicut in vtre aquas maris: ponens in thesauris abyssos*, quid est *ponere in thesauris abyssos? parece que se apalabre aqui Dauid.* si dixisset: ponens in abyssis thesauros, intelligeremus in abysso, & profundo maris Deum thesauros habere; at in thesauris quomodo abyssus potest esse? Hugo Cardinal. *super hunc Psal.* per abyssum intelligit peccatorem ad Deum conuersum: at cùm in sacris litteris abyssus sæpe peccatum ipsum significet, vt notauit, & docet S. Hieronym. *super* 3. *cap. Abacuc.* hîc per abyssos peccata ipsa intelligere valemus. At dices, quomodo peccatum in thesauris Dei computari potest? Potest quidem, non quia peccatum est, sed quia sine peccato remissio peccati fieri nequit. Sicut ergo pharmacopola venena nonnulla inter medicinas seruat, non eò præcisè, quòd venenum sit, sed eò quòd ad medicinas aliquas deseruit; sic Deus inter diuitias suas computat peccatum, non quatenus peccatum: nam odio est Deo impius, & impietas eius, sed quatenus materia est veniæ, misericordiæ, clementiæ, pietatisque diuinæ, & iustificationis, & redemptionis nostræ: ex qua non exigua prouenit Deo gloria, & nomen æternum. Quantò enim peccatum grauius est, tantò venia, & misericordia Dei parcentis, maior erit, & misericordia Dei nonne ad thesauros Dei valde spectat?

Rom. 9. *Volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*, hoc est, vt S. Thomas, & S. Anselm.

Anselm. exponunt, malis, & damnatis ostendet Deus iram, & potentiam suam eos damnando: in bonis verò, & electis ostendit diuitias magnas gloriæ suæ, parcendo eis misericorditer. Pondera in quo diuitias, id est, magnitudinem gloriæ suæ ostendat: in misericordia, quam exhibet nobis, remittêdo peccata: hinc enim glorificari vult, & gloriosissimus apparere. in rerũ creatione, & miraculorum perpetratione ostendit omnipotentiam suam, in ordinatione rerum sapientiam, in gubernatione prouidentiam, in redemptione mundi charitatem. *Sic* enim *Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* denique in remissione peccatorum ostendit magnitudinem gloriæ suæ, quia hinc meretur maximè glorificari. A

Iosue 6. narratur, quomodo filij Israel ciuitatẽ Iericho cæperunt, quomodo etiam Achan transgressus fuit secretò præceptum nihil assumendi ex bonis illius ciuitatis, denique missa sorte voluit Deus per eam delinquentem manifestari; cecidit enim sors super Achan. Cui Iosue, *Fili mi da gloriam Deo, & confitere*; quid est, da gloriam Deo, qui fieri potest, vt homuncio Deo gloriam tribuat? Dei quidem est nobis gloriam dare, nos qualem Deo gloriam possumus dare? Si igitur dixisset, confitere, vt tibi gloriam Deus præstet, rectè; quid autem est da gloriam Deo, & confitere? Ita quidem: quia confessioni nostræ Dei venia, & peccati remissio correspondet, Psalm. 31. *Dixi: Confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Ecce vnde Achan dare potuit gloriam Deo. Confitere, inquit, id est, confitendo glorificabis Deum, quia si confitearis, parcet Deus, parcendo autem manifestat Deus diuitias gloriæ suæ. B

Sed dices, cur tam gloriosa Deo hæc peccatorum nostrorum remissio? quia parcere peccatis nostris opus arduum, & excelsum est valde, res enim grauissima est peccatum contra omnipotentem, & gloriosissimum, & infinitæ maiestatis Deum perpetratum, vnde eius remissio grauis. C

Hinc inter Articulos fidei, remissio hæc collocatur, *Credo sanctorum communionem, remissionem peccatorum*: Articuli autem ab Ecclesia in Symbolo collocantur, propterea quòd eorum fides naturam nostram, & captum excedant. Est igitur peccatum adeò indignum venia, adeoque æterno supplicio, & inferno dignum, vt etiam ad credendam eius remissionem articulus fidei fuerit necessarius.

Hinc Dauid Psalm. 50. *Miserere mei Deus*; ait, *secundùm magnam misericordiam tuam.* Cur secundùm magnam misericordiam? nónne sufficiebat dicere, secundùm misericordiam tuam? si enim in Deo esset magna, & parua misericordia, habere locum posset huiusmodi locutio. Cùm autẽ vna eademque sit misericordia Dei, cur *secundum magnam misericordiam*, ait? Huius ratio est, quia misericordia Dei ad miseriam nostram relationem dicit, vnde quantò in nobis miseria maior, D tantò in Deo misericordia maior, quæ illi correspondet. Sunt autem in nobis quædam exiguæ miseriæ, sicut paupertas, infirmitas, tristitia, amissio alicuius boni temporalis, denique mala, quæ ad corpus nostrum solùm pertinent, miseriæ paruæ dici possunt, cùm ipsum corpus res parua sit, quę verò ad animam spectant, miseriæ magnæ dici possunt; est enim anima nostra magnum quid: cùm autem peccatum omnium miseriarum animæ maxima sit, illa misericordia, qua Deus peccata nostra tollit, magna misericordia meritò dici potest Ait. igitur Dauid, *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, hoc est, non peto infirmitatis corporalis, vel paupertatis, vel mortis remissionem, sed peccati, hæc mea magna miseria est; misereregergo mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam. Cùm igitur Deus in remissione peccatorum magna sua misericordia vtatur, & opus adeò heroicum pietatis præstet, meritò in hoc ipse maximè glorificatur.

Hoc etiam confirmari potest ex nomine Iesu, quod inter innumera nomina, & sublimia, quæ sibi assumere potuit, tantùm sibi adscripsit. Vocatum est nomen eius Iesus, quasi dicat, hoc mihi nomen gloriæ meæ in æternum, & vltra, &c.

Refert Athenæus lib. 13. quòd, cùm Alexander Magnus ciuitatem Thebeorum obsideret, muros eius solo æquauit, quos postea mulier quædam diues in eadem ciuitate habitans, nomine Phrine, reparare suis sumptibus promisit, hac tamen lege quòd in eisdem muris hoc solum conscriberetur: *Alexander magnus hæc mœnia diruit, Phrine verò reparauit*, quia tantò maiorem inde gloriam se adepturam sperabat, quàm Alexander, quantò illustrius reficere, quàm destruere quidquam sit. Destruxerunt genus humanum principes Tartareæ regionis, ecque inde magnam gloriam aduersùs Deum reportare sunt visi, aduenit Christus, hoc sibi asciuit munus, vt quod euerterant illi, reficeret ipse, quod adeò illustrius iudicauit, vt inde sibi nomen voluerit imponere, & ideo vocatum est nomen eius Iesus. *Athen.*

Vocatum est nomen eius Iesus: nunquid non alia excellentiora, & sublimiora nomina erant, quæ huic puero sancto imponi potuissent? *Omnipotens*, inquit, *nomen eius*, hoc nomen excelsum quidem poterat Christo dari, est enim omnipotens ipse. Vocauit olim Dominus Moysen, vt mitteret eum ad filios Israel, cũ Moyses, *Ecce ego vadam ad filios Israel, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: quod est nomen eius; quid dicam eis? Sic*, inquit, *dices filijs Israel. Qui est, misit me ad vos*, hoc nomen magnificauit Theologi, quia fuit dicere: Ego sum ipsum esse; & plus quàm ipsum esse per essentiam, quid potest esse? reliqua habent esse contractum, Deus verò ipsum esse in sua omnimoda perfectione. Hoc igitur etiam potuit sibi assumere Christus Dominus, potuit & alia huiusmodi plura, quæ per magnifica sunt. Cur non igitur illa, sed Iesus? Quia nomen hoc admirabile quidem est in vniuersa terra. Possem quidem hoc affirmare, nomen Iesus alia Dei sublimia nomina in se includere, & reliqua non ita nomen Iesus, Si omnipotens nomen eius, Iesus omnipotentiam Dei præsefert; quia in saluandis nobis à peccatis, eius omnipotentia manifestatur. Nónne id sæpiùs canit Ecclesia, *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & in miserando manifestas*, &c. Magnum nomen Dei, *Sum qui sum*, seu ipsum esse: hoc tamen & nomen Iesus includit; solus enim ille, qui ipsum esse est, esse potuit & Saluator mundi: omne quippe aliud esse, oportet sic esse per participationem, vnde & creatum; creatura verò redimere, & saluare per se mundum haud poterat, quia offensa, & peccatum nostrum contra ipsum esse diuinum, & increatum fuit; quis autem offensam Dei, nisi Deus remittere, & delere potuit? Denique quia Deo ad saluandum mundum, sicut Christus saluauit, opus fuit, vnde qui Saluatorem dicit, omnia illa dicit. Vnde meritò sponsa. *Oleum*, inquit, *effusum nomen tuum*, de nomine Iesu hoc dixit, vti S. Bernardus interpretatur, effusum scilicet, & diffusum per omnia Dei essentialia attributa. Sed his omissis, nomen ipsum Iesus, secundùm suam formalem rationem, admirabile quidem est in vniuersa terra: quia propitiationem mundi in se includit. *Omnes* (inquit Dominus per Ieremiam) *cognoscent me à minimo vsque ad maximum. Yome haré famoso por todo el mundo, haré que mi nombre suene y truene por toda la redundez de la tierra, veamos con que o como.* Quid ita Domine? *quia propitiabor iniquitati eorum.* S. Hieron. S. Theod. & S. Thom. Hugo, & alij locum de Christo Domino interpretantur, vnde Apostolus Petrus Act. 10. hunc locum no- *Cant. 1. 2. Bern. Ier. 31. 34. Hieron. Theod. Thom. Hugo. Act. 10. 43.*

tans ait: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Nota *per nomen eius*, hoc est, secundum nomen Iesus, quod talem propitiationem importat, per hanc remissionem se cognitum, & nominatum, & famosum per omnem terram, à minimo vsque ad maximum, se futurum, ait Dominus; quia in hac propitiatione continebatur quidquid vniuersus desiderabat orbis, scilicet gratiæ infusionem, adoptionem filiorum Dei, amicitiam diuinam, ius ad hæreditatem, & gloriam.

Isa. 27. 9. Simile. Vnde Isa. 27. *Hic*, inquit, *est omnis fructus, vt deleatur iniquitas*, quia sicut in radice arboris trûcus, & rami, & folia, & fructus, & omnia continentur: sic in hac peccatorum remissione reliqua omnia beneficia tanquam in radice includuntur: & quia *sine sanguinis effusione non fit remissio*, authore Paulo ad Hebræos 9. ideo simul cum nomine suum sanguinem Christus effudit; meritò igitur Christus hoc nomine gloriatur. Vnde in diuina Scriptura remissio, & salus peccatoris gloria Dei nuncupatur, Isa. 46. *Dabo in Sion salutem, & in Ierusalem gloriam meam.* Sion, & Ierusalem idem sunt, & eadem est promissio; ac si diceret, dabo gloriam meam Ierusalem, quia dabo ei salutem meam, & Paul. Rom. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*, dicturus veniam, & propitiationem, gloriam dixit, quia hoc sibi magnam reputat Deus gloriam suam, parcere peccatoribus. Vnde Christus Dominus nomen Iesus accepit, tanquam sibi gloriosum; istud autem in ordine ad remissionem peccatorum accepit. Vnde Angelus: *Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum.* Hinc igitur magnam veniæ spem concipere oportet, & dicere: Domine propter gloriam nominis tui parce mihi. Si enim Iesu nomen tibi gloriosum est, & esse Iesum de facto veniam exigit peccatorum, propter hanc gloriam nominis tui parce mihi, &c.

Isa. 46. 13

Rom. 3. 23.

Matt. 1. 21.

Quòd si huius sublimitatis rationem quæras, distantiam personæ redimentis ab ipso redemptionis opere attende, id præmittens, quod qui priùs gustauit dulcia, amariora illi sunt amara, & qui priùs in excelsa dignitate fuerat cõstitutus, magis etiã postea sentit humilia, & qui priùs diues, postea factus est pauper, magis torquetur inopiâ, quàm reliqui pauperes ab initio, &c.

El que nunca solio de la mano el arado del campo, mas facilmente sufre el remo de la galera, y el que siempre anduvo mantenido de çenteno y durmiendo en poyos y sirviendo de peon, menos siente la esclauitud. y que le hechen en vna tahona a moler cebera al fin de vn mal grande aetro mayor no ay mucha distancia: y assi no lo siente mucho el que de vno passa a otro, però el se crio toda su vida a la sombra comiendo alfiniques y melindres no es mucho que los haga, y que sienta mucho passar de la cama blanda y de pluma a ser galeote, &c. Quis igitur hîc non miretur diuinam Christi dignationem, qui cùm sit splendor Patris, & figura substantiæ eius, & imago bonitatis illius, qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, in similitudinem hominum factus, habitu quoque inuentus vt homo, serui formam acceperit, in stabulum se receperit, & in præsepio passus sit reclinari, vbi lacrymas fundat, vbi frigore crucietur, vbi ab omnibus despici facilè possit, vbi manus & pedes eius stricta cingat fascia: *no bizo mucho vn Dios tan essento de males ponerse de golpe a tantos?* Quòd ille ditissimus ad talem ac tãtam paupertatẽ deueniat, vt nec vbi nascatur habeat? ille qui supra Cherubim adoratur, inter bestias iaccat in loco viliſſimo? qui in paradiſi delicijs versatus ab æterno, pœnã sustineat, quas nec nos, nec patres nostri, qui semper in eis versati sumus, nunquam portare potuimus? nónne opus hoc opus est brachij diuini, nónne fecit potentiam in brachio suo? Meritò igitur clamat Isaias: *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini*: fortitudo enim brachij omnipotentis id tantummodo efficere posset. Meritò etiam ad hoc, non Michael, non Raphael, non Vriel, non alius, quàm Gabriel nuntius Incarnationis adeuenit, qui fortitudo Domini interpretatur, vt magnitudinem operis significaret; quid enim omnipotentia Dei dignius, quàm extrema ita distãtia copulare, Deum scilicet, & hominem, cœlos & terram, omnipotentiam & debilitatem, Deum & lacrymas, Deum & paupertatem, Deum & stabulum, Deum & præsepium, Deum & pannos, Verbum denique & infantiam?

Isa. 51. 9.

S. Anselm. lib. 1. cur Deus homo, *Ne scilicet creatura vlla gloriam sibi nostræ redemptionis vsurparet, nèue nos illam tanquam redemptricem veneremur, & non soli Deo tantæ operis gratias referremus, & gloriam, ipsemet Saluator noster esse voluit.*

Hoc S. Propheta Isaias confirmat, qui postquam redemptionis nostræ opus attigit, & Filij Dei Incarnationem, & nomina scripserat, subdit: *zelus Domini exercituũ faciet hoc.* Cur zelus? Zelauit, inquit, Deus, ne vlla creatura Saluatoris nomen, & munus, & gloriam vindicaret sibi, & ne amorem nostrum, debitum Saluatori, vel vsurparet in totum, aut in partem. est enim malus. opus redemptionis, quàm creationis, maius, inquam, beneficium recepimus saluati quàm creati. Æquúmne igitur fuerat, vt Dei creatoris gloria creaturæ tribueretur? non quòd tunc Deo gloria redemptionis non deberetur, sed ne fortè homines videntes Angelum, vel hominem pro salute sua crucifixum, plus quàm Deum, vel Deo in obliuionem relicto, amarent hanc enim ob causam serpentem illum æneum confregit rex Ezechias 4. Reg. 18. quia filij Israel adolebant ei incensum, memores scilicet beneficij accepti, cùm ex eius aspectu serpentium liberarentur veneno. Ecce quia medio serpente illo salutis beneficium exceperant, serpenti debitum Deo obsequium præstabant, quamuis serpens, & quamuis æneus esset. Quid igitur erga hominem, vel Angelum Saluatorem facerent redempti? zelus igitur Domini exercituum fecit hoc. Hinc videre licet, quo digni sint supplicio, qui Saluatorem, (Deus cùm ille sit) non toto diligant corde, & plus viles alias creaturas, quàm illum amant &c.

PROP. VII. *In nomine Iesu dilectio Dei erga nos manifestatur.*

MIlle, ac miris modis, quantùm nos Dominus dilligat, manifestauit, sed inter cætera in hoc sanctissimo nomine Iesu satis superáque constat; primò in eo, quod tali voluerit nomine insigniri, habebat ille nomina valde præclara, nam omnipotens nomen eius, Dominus exercituum nomen eius, Dominus nomen illi, qui est Adonai, Sadai, tetragrammaton. Denique Deus est, Deus igitur potuit nuncupari, at his omnibus omissis, nomen illud assumpsit, quod nobis gloriosius videretur: quid enim nobis gloriosum magis, quàm illum Saluatorem nostrum nuncupari? possunt Angeli dicere glorificatorem nostrum, quod & in cœlo quoque dicemus, possunt viuentia cuncta dicere Deo, tu es viuificator noster, quod & nos dicere valemus, possunt creaturæ omnes dicere illi, tu es creator noster, quod & nos de nobis etiam testamur: at dicere dulcem Saluatorem nostrum, nec inanimata nec animata, nec Angeli dicunt, sed nos tantùm; magnum igitur in nominis huius assumptione amorem Christus in nos demonstrauit. sed tamen ampliùs multò in eo, quòd in præmium suorum laborum passionis, & mortis suæ Christus id accepit: ait enim Apostolus de Christo Domino: *Humiliauit semetipsum, &c. propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Quod nomen est hoc, quod in remunerationem est Christo Domino datum? Sanct. Bernard. *in declamationibus:*

nibus: nomen Iesu, inquit, *obedientiæ Christi remuneratio est.* A Ita ille. Ille igitur nomen, quod nobis glorioſiſſimum eſt, ſibi in præmium paſſionis, & mortis ſuæ ſibi dari voluit, quia hoc proprium amantium eſt: vt id ſibi in præmium pro exhibitis in commodum dilecti detur, quod ipſi dilecto glorioſum eſt: & quia talis nuncupatio nobis glorioſiſſima erat, ideo eâ voluit condecorari, & quidem in ipſamet circumciſione id conſiderare: nam præmium immediatum eorum, quæ pro nobis Chriſtus patiebatur, ipſamet paſſio eſt.

Quod verba illa oſtendunt *Luc.* 19. vbi agens Euangeliſta de his, quæ loquebantur Moyſes, & Elias tempore transfigurationis Chriſti, ait, *dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Hieruſalem,* vbi Euthymius aſſerit exemplaria Græca duas habere lectiones, vna eſt, exceſſum, ſiue exitum, alia verò gloriam, & hanc poſteriorem ſequitur S. Chryſoſtomus *hom.* 53. in Matthæum. Vtroque autem nomine paſſio, & mors Saluatoris noſtri ſignificata eſt: cur igitur gloriam illam vocat? nimirum quia pro nobis dilectis ſuis illam paſſus eſt, & glorioſum pro nobis pati reputabat, imò & ipſum pro nobis pati, & mori præmium ipſiuſmet paſſionis, & mortis cenſebat: nam finis operum Dei gloria ſua eſt. ſi ergo gloriam vocat mortem, ergo & præmium, nec mirum, nam ardenter Deum amans pro Deo mori non dubitat, & ipſum mori pro præmio habet, nam licet nunquam cœleſtem gloriam ob id eſſet aſſecuturus, hoc ſibi ſufficiens præmium cenſet, pro Deo dilecto mori: hic Chriſtus Dominus, cùm vehementer dilexerit nos, & noſtri amoris cauſa mortem ſubierit, ipſum mori pro gloria, & præmio reputauit. ſic ille benedictus in ſæcula. Quod enim homo pro Deo mori loco gloriæ ſuæ & remunerationis habeat, non mirum: Deus enim & creator hominis eſt, homo verò creatura ipſius, & cùm obiectum, quod terminat obſequia noſtra bona, ſit Deus, ob excellentiam, & infinitatem ſuam poteſt ſic nobilitare obſequia, vt ipſummet mori noſtrum in obſequium Chriſti, ſit ſufficiens præmium talis mortis, ſed cùm nos adeò humile obiectum ſimus mortis, & paſſionis Chriſti, quod voluerit ipſe mori pro nobis & in præmium mortis ſuæ ſibi dari, hoc inæſtimabilis amoris Chriſti manifeſtiſſimum indicium eſt. quòd ſi mori pro nobis præmium, & gloriam ſibi reputabat, circumcidi pro nobis eodem modo reputauit: nam eadem ratio eſt, & quidē aliquo modo in circumciſione magis paſſus eſt, quàm in cruce: nam in cruce quidem reputatus fuit peccator, quod ſumma Chriſti humiliatio fuit, ſed tamen Solis obſcuratio, & eclipſis, terræ motus ille magnus, lapidum inter ſe quaſſatio, veli templi ſciſſio ſepulturarum apertio, & mortuorum ſuſcitatio pro Chriſti gloria militarunt, & deitatis patientis Chriſti teſtimonium reddiderunt; at in circumciſione, in qua peccatoris ſignum accepit, nihil in Chriſti gloriam ceſſit, & tamen ita pro nobis circumciſus eſt, vt ipſum circúcidi, & ipſam D ignominiā circumciſionis pro præmio & gloria reputarit, quo, quæſo, amplius amorem in nos potuit manifeſtare? quis non talem amatorem intensè redamet? *Tales finezas de amor no os parece que mereçen vn retorno de amor?* magnum nobis erat nos Deum diligere vſque ad mortem: maiorem enim hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, ſed quod ipſum mori præmium ſibi reputet mortis, & amoris ſui, hoc in nobis flammam diuini amoris maximè excitare deberet. Si homo purus pro homine alio talia fuiſſet paſſus, quo animo, quo affectu, quo amore illum proſequeretur? quantò igitur maiori Chriſtum proſequi debemus, qui Deus eſt, & ea pro nobis fecit, & paſſus eſt, qualia nunquam pro homine homo paſſus fuit, neque patietur vnquam.

Et quidem quantum emolumentum noſtrum in

charitate noſtra in Deum, & in alijs virtutibus intercedat, ſic per Iſaiam prædixit Dominus: *Sciet, quia ego Dominus ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob, pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro ligno æs, & pro lapidibus ferrum.* Loquitur hic Dominus cum Eccleſia Chriſtiana, quaſi dicat, *yo haré que tus coſas, y-gleſia, vayan de bien en mejor, y que las minas, que dauan piedras, den minas de yerro, y los Bos que ſques lleu auan made, a llenan meta! y las venas que daban yerro, den plata, y las que dauan cobre den oro.* Hoc eſt, vigebit in Eccleſia virtus, charitas, perfectioque Chriſtiana, hoc ego præſtabo, nimirum talia noſtri amoris cauſa efficiendo, & patiendo, vt charitas mea, vrgeat te ad hanc perfectionem in gratiam mei, qui pro te tanta feci. Quod in Apoſtolo Paulo patet, vbi, *Quis* (inquit) *ſeparabit nos à charitate Chriſti? tr. bulatio? an anguſtia?* &c. quaſi dicat, nihil vnquam, cur ita? quia charitas Chriſti vrget nos, &c. qui adhuc, qui adhuc aduerſùm Dominum noſtrum peccabunt? Pſ. 68. qui incipit, *Saluum me fac Deus,* &c. agit de paſſione Chriſti, & titulus eius eſt, *pro hu, qui immutabuntur,* hoc eſt, ſecundùm Hilarium, pro his quia à peccato ad ſanctitatem mutabuntur. nimirum agit de paſſione Chriſti, quæ cauſa huius commutationis, & conuerſionis eſt. Quis enim, quamuis lapideus ſit, tam ingenti amore deuinctus ad eum non conuertetur? imò non ſummo in eum amore flagrabit? *Cap. 60. 16.* *Ad Rom. 8. 35.*

Sicut in omnibus operibus ſuis ſuum erga nos amorem oſtendit Chriſtus Dominus (*nam propter nos hominēs, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, incarnatus, paſſus, & ſepultus eſt,* hoc eſt, omnia quæ fecit, & quæ paſſus eſt, propter nos, hoc eſt, noſtri amoris cauſa fecit, & paſſus eſt) ſic etiam in appellationibus, & nominibus ipſius quæ habuit, eundem in nos amorem manifeſtauit; ideò enim Chriſtus, hoc eſt, vnctus dictus eſt, vnctus ſcilicet oleo lætitiæ, & miſericordiæ, & ſuauitatis, quia in nos miſericordiam, & ſuauitatem, & non C ſeueritatem exhibere veniebat; ſic vocatus eſt agnus Dei, quia oblatus pro nobis Deo Patri, tollit peccata mundi, & dicitur etiam leo, quia terribilis in noſtros fuit hoſtes, & eos pro nobis deuicit; ſic etiam vocatus eſt paſtor bonus, quia nos ſuo corpore & ſanguine paſcit; via etiam, quia nos in cœlum ducit & ab inferis reuocat; veritas, quia nos à tenebris vindicauit, & luce veritatis ſuæ nos perfudit, vita, quia nos à morte redimit æterna & vitā nos donat ſempiternā; Pontifex, quia pontem à vita iſta mortali ad illam gloriæ immortalem fecit; denique ſpeciatim nomen Ieſus ſibi aſſumpſit, hoc eſt, Saluatoris: nam vti Angelus Ioſepho dixit, ipſe nos ſaluos facturus erat à peccatis noſtris. Cùm igitur omnia hæc nomina & alia, Chriſti Domini beneficia nobis exhibita dicant, omnia amoris noſtri cauſa illum aſſumpſiſſe conſtat: ſed ſicut ſpeciatim voluit ſibi accipere nomen Ieſus inter reliqua nomina, ſic ſpecialiùs in eo amorem ſuum in nos voluit manifeſtare, non enim quomodocumque illud aſſumpſit, ſed etiam in præmium omnium laborum vitæ ſuæ, & paſſionis, & mortis ſuæ. hoc enim eſt quod Apoſtolus ait: *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis,* hoc eſt, quidquid ad crucem in obedientiam Deo Patri fecit Chriſtus (nihil autem non fecit) ob illam pro nobis id fecit. quid inde? propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. quodnam hoc nomen? rectè Haymonius, nomen Ieſus: & ideo ſubdit Apoſtolus, *vt in nomine Ieſu omne genu flectatur.* quis non miretur tantorum operum Chriſti præmium eſſe nomen? ſi dux quidam ſtrenuus in obſequium regis inimicum exercitum impeteret, & magna fortitudine irruens in eum, hoſtes vinceret, & profligaret, & poſtea regi interroganti, quodnam ob illam victoriam præmium vellet, reſponderet, nihil aliud, quàm nomen *Ad Phil. 2.*

ducis, & serui tui, nónne hunc valde amantem regem esse diceres. Venit Christus Dominus ad saluandum nos, & ad hostes salutis nostræ debellandos: in præmium quidem tantæ victoriæ meruit à patre exaltationem suam, & gloriam corporis sui, sed tamen in præmium datum est illi quoque nomen Saluatoris. Hoc sibi sic dari voluit Christus, ac si diceret, etiamsi in præmium passionis, & mortis meæ nihil aliud mihi daretur, nisi fuisse hominum Saluatorem, hoc mihi sufficiens esset præmium, namgloria corporis ex alio titulo iam illi debita erat, nempe ob hypostaticam vnionem, & gloriam animæ suæ, ex qua veluti per naturalem quandam resultantiam illi danda erat in resurrectione sua, quando iam omnino comprehensor, & non viator erat, &c. Hinc igitur colligere amorem eius in nos licet: si enim dux ille, qui regi tenebatur obsequi suo, propter obsequium illud amatorem regis se apertè demonstraret, nullum præmium inde quærendo; quid de Christo Domino dicemus, qui ob passionem, & mortem crucis hoc sibi præmium esse voluit, vocari scilicet Saluator noster?

Hinc facilè colligere valemus quàm obstricti, & deuincti simus ad Deum ex toto corde amandum, maximè cùm salus ista, nostra tantum interfit nobis, & tantum conferit ipsi in vita, & in morte dira crucis propter nos homines, & propter nostram salutem assumptam? Ioan. 12. *Ego si exaltatus fuero, omnia trahàm ad me ipsum. hoc autem,* ait Ioannes, *dicebat significans, qua morte esset moriturus*, morte scilicet crucis. mirum autem, quod morte crucis omnia ad se trahere dicat Christus, quin potiùs à se reijcere hoc modo videbatur; *prædicamus Christum crucifixum,* ait Apostolus: *Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam* (quia scilicet capere hi non poterant, quomodo tam infame genus mortis admitteret is, qui Deus esset) *ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem,* & *Dei sapientiam.* adde quoque, Dei charitatem, & bonitatem: in quo enim magis Dei charitas, & bonitas potuit relucere? maiorem charitatem nemo habet (ait Christus) quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Amplioris autem charitatis signum est, animam ponere pro inimicis, sicut intensioris caloris, & ignis est comburere ligna viridia, & indisposita ad formam ignis, quàm ligna sicca. Et disposita ad receptionem formæ ignis. Et ideo hanc Christi charitatem expendens Apostolus, ait: *Vix pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori? Commendat autem Deus charitatem suam in nobis, quoniam, cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est:* peccatores autem inimici Dei sunt. In hoc igitur maximè commendat, hoc est, probat, & exaltat, atque amplificat Deus charitatem suam, quòd pro peccatoribus inimicis suis in cruce mori dignatus est. Postquam ergo homines tantam Dei charitatem, & bonitatem Dei agnouerunt, in Dei amorem rapti, pro eo libenter contumelias passi sunt, & martyria dira, & sic per crucem omnia attraxit ad se Dominus omnia, id est, omnes homines, non solùm vulgares, & de media plebe, verùm etiam potentes à sæculo in viros famosos & sapientes, & nobiles mundi.

Quod mirè expressum fuit in ipsa cruce Christi Domini, in qua speciali Dei prouidentia scripsit Pilatus titulum illum, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Ægrè quidem tulerunt inscriptionem hanc Iudæi, & eapropter à Pilato petierunt. *Noli scribere, Rex Iudæorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorũ,* quibus Pilatus: *Quod scripsi, scripsi,* quasi dicens, qui me id scribere fecit, ipse meas ligauit manus, ne titulum delerem, *el que me lo hizo escribir, me ato los manos para no lo borrar.* Hoc, nesciens quid diceret, asserebat Pilatus. Videamus ergo quid titulus iste contineat, & quo pacto. Duo quidem continet nomina Christi, alterum Iesu, alterum Regis: id autem scriptum est Latinis, Græcis, & Hebraicis, Latinis scilicet, Romanorum, apud quos imperium mundi versabatur: Græcis, quia apud Græcos sapientia vigebat: nam Athenis docebant sapientes mundi: Hebraicis etiam, quia apud Hebræos nobilitas clarebat: originem enim ducebât Hebræi ex nobilissimis illis Patriarchis, Abraham, Isaac, & Iacob, & denique hi erant ex quibus Christus secundùm carnem erat, qui totum Hebræorum genus ortu suo nobilitauit. Ex his tribus ergo constat titulus ille, in quo nomen Iesus, & Rex cõtinebatur. quo significare Dominus voluit, potentes & sapientes, & nobiles mundi trahendos esse ad Christum regem, & Saluatorem, tanta charitate illa, quâ pro nobis omnibus in cruce illa voluit mori: ad Iesum tanquam ad portum salutis, ad Regem, tanquam ad legitimum Dominum omnium. Ita cum S. Ambrosio dicere possumus: *Creasti me, Domine & non genui tibi flexi, seruasti, & nutriuisti me, & non genu flexi, crucifigi voluisti pro me saluando, tanquam charissimus Iesus, & tunc libenter genua flexi, pondere charitatis & bonitatis tuæ compulsus.*

Psal. 95. *Commouebatur à facie eius vniuersa terra, dicite in gentibus, quia Dominus regnauit.* De Christo agit, sicut asserunt S. Hieron. & S. Augustin. & communis sententia expositorum. Regnum, autem, de quo agit, spirituale regnum est, quo regnat Christus Dominus in cordibus Christianorum: potentia autem sua, & dominio diuino semper, & vbique regnat in terra, & in cœlo: per fidem autem, & amorem speciatim regnire cœpit Christus, eijciendo foras principem tenebrarum, prout ipse dixit: *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.*

Prop. VIII. *Quàm suaue & multæ consolationis sit nomen Iesus.*

Matth. 1. sic Angelus ad Ioseph de Christo nascituro: *Vocabis nomen eius* IESVM, *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* O quàm gratum & amabile nuntium! Rectè ponderat hunc locum S. Bernard. *hom. 3. super Missus est,* dicens: *Duos Iesus legimus typo huius, quem nunc in manibus habemus, præcessisse, ambos populo Dei præfuisse. Quorum alter populum de Babylone eduxit, alter in terram promissionis introduxit. & illi quidem illos quibus præerant ab hostibus defendebant: sed nunquid saluabant a peccatis eorum? Noster autem Iesus & à peccatis saluat populum suum, & in terram viuentium introducit. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ita S. Bernard. Felix igitur populus qui populus Dei est, siquidem venit vt saluet eum, felices quidem nos, siquidem sumus de populo eius. Bene, sed audi quid S. Bernard. subdat: *Vereor ne multi se profiteantur de populo eius, quos tamen ipse non habeat pro populo suo; vereor ne plerisque, qui quasi in populo meliores esse videntur, ipse aliquando dicat:* Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me: *nouit enim Dominus Iesus qui sunt de eius populo eius. Fac quæ dicit Iesus, & computabit te in populo suo: ipse enim ait: Quid me vocatis Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Ita S. Bernard.

Sic ad virginem Angelus Gabriel: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Cur non ait, vocabis eum filium Dei, seu altissimi filium, siquidem, vt ipse Angelus subdidit ibi, *filius altissimi vocabitur;* si ab alijs vocandus est filius Dei, is cur non etiam ab Angelo ipso? neque hoc semel Angelus fecit, sed iterum ad Iosephum: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ecce iterum non ait, vocabis altissimi filium, aut Deum, sed Iesum, & vt nomen salutare nobis futurum exponerer, subdidit: *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Vers. 31.

1. Cor. 1. 23.

Ad Rom. 5. 7.

Ioan. 19. 19.

Matth. 1.

Luc. 1.

eorum. Similiter Angelus ad pastores, *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator*, &c. Vbique Angelus de aduentu Domini agens, Saluatorem eum appellat, & non Dominum maiestatis. Cur ita? S. Bernard. *serm. 1. de Epiphania Domini: Dulce nomen Iesus Angelus non tacuit, quia hoc mihi maximè necessarium fuit. Alioquin quid agerem audiens Dominum venientem? nunquid non fugerem sicut Adam, qui à facie eius fugit, sed non effugit? nonne desperarem, audiens quia venit ille, cuius legem præuaricatus sum, cuius patientia abusus sum, cuius beneficijs tam ingratus inuentus sum? Quia verò maior consolatio poterat esse, quam in dulci vocabulo, in nomine consolatorio Iesus? propterea & ipse dicit:* Non venit filius hominis, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. *Iam confidenter accedo, iam fiduciatiter supplico: quid enim timeam, quando Saluator venit ad me? ei soli peccatu, donatum erit, quidquid indulserit ille. Vtique enim licet illi quod vult facere Deus est, qui iustificat, quis est qui condemnet? propterea nos gaudere oportet, quod in nostra venerit Deus Saluator.* Ita S. Bernard.

Haec eadem ratione in eodem Euangelio, in quo vocatum est nomen Iesus, *puer* nuncupatur Dominus Iesus; *Postquam consummati sunt dies octo*, inquit, *vt circumcideretur puer.* Itáne Euangelista sacer de diuina loqueris maiestate? puer quidem est non nego, & octo dierum puer, sed puer hic magnus Dominus est, & laudabilis nimis. cur igitur non ais, vt circumcideretur Dominus Deus, vel Christus filius Dei, *dando la corteſia denda a tan alto rey?* Reges quidem illi, *Vbi*, inquiunt, *est qui natus est rex Iudæorum?* nonaiunt, vbi est puer natus. Tyrannus ille ita loquitur, *ite & interrogate diligeter de puero &c.* Reges enim magis pie de Christo Domino sentiebant, Herodes verò impiè. cur ergo Euangelista *puerum* illum, sicut Herodes vocat, non verò Regem Iudæorum, sicut Magi? S. Bernard. vbi suprà: *Quis*, inquit, *nesciat, quia puer facilè donat, puer paruulus venit Christus, leuiter placari potest: paruulus enim natus est nobis.* Ita ille. Non igitur sicut Adam in Domini aduentu fugiamus, non enim tanquam iudex contra nos venit, sed sicut Iesus seu Saluator pro nobis, non tanquam vir pugnator ad pugnandum aduersùs nos, sed tanquam puer paruulus ad plorandum pro nobis.

Cum inopinatè Samuel Propheta Dei ciuitatem Bethlehem adiret, admirati seniores ciuitatis, dixerunt illi, *Pacificúsne est aduentus tuus?* quibus ille, *pacificus, ad immolandum Domino veni.* Interrogemus & nos Christum modò, pacificúsne est aduentus tuus? Merebamur quidē nos propter crimina ineū commissa, vt non pacificus, sed iratus esset ad nos aduentus eius, sed tamen pacificus est prorsus aduentus eius, vnde & in ipso aduentu eius Angeli canunt, *in terra pax*, &c. Pacificus est aduentus eius: nam ad reconciliandum nos Patri suo venit, pacificus est aduentus eius, & ad sacrificandum Domino Patri suo venit, ad sacrificandum, inquam, non sanguinem taurorum, aut vitulorum, sed proprium sanguinem pretiosum, quo redimat & saluet nos à peccatis nostris. Propterea & ipse dicit: *Non venit filius hominis vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Ideo nomen accepit Saluatoris, & vocatum, inquit, est nomen eius Iesus, & eadē ratione nomen, & carnē pueri assumpsit, vt facilem se ad veniam, & nostram reconciliationem exhiberet. *O dulcissima reconciliatio!* (ait S. Bernard. *ibidem*) *ô satisfactio suauissima! ô verè reconciliatio facilis, sed perutilis!* Ita ille. Nostrum est, fratres, tantæ reconciliationis opportunitatem non amittere; nam, vti ait S. Bernard. vbi suprà, *Quam facilis est modò reconciliatio cum Christo, tam difficilis erit postea, & sicut modò nemo est, qui reconciliari non possit, ita postea nemo qui possit, quoniam sicut nunc benignitas apparuit vltra omnem spem, vltra omnem existimationem, similem expectare possumus iudicij districtionem. Noli ergo contemnere modò misericordiam Dei, si non sentire vis iustitiam, sed iram, sed indignationem, sed æmulationem, sed furorem. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Vt enim scires, quanta districtio succedet, tanta illam mansuetudo præuenit: ex magnitudine indulgentiæ magnitudinem vltionis attende. Immensus enim est Deus & infinitus in iustitia, sicut & in misericordia: multus ad ignoscendum, multus ad vlciscendum, sed misericordia prior ira vendicat sibi, vt si voluerimus, districto inuenire non possit, in huem sæuiat, propter hoc enim benignitatem præmittit, vt per eam reconciliati seueritatem eius securi videamus.* Ita S. Bernard.

Oleum effusum nomen tuum, Cant. 1. Oleum in sacris litteris suauitatem importat: est enim oleum suaue in se, atque lene, vsque adeò enim mollis & suauis est oleo natura, vt mari infusum mare ipsum, quantumuis sæuum, & furens illud sit, facilè mulceat, & tranquillet, & ob eam causſam vrinantes solent in mari oleum gestare, & aspergere, eò quòd oleum mitiget elementi sæuitiam, & tempestatem, lucemque præstet, vti docet Plinius *lib. 2. cap. 103.* Vnde hominem placidum, & mansuetum prouerbialiter dicere solemus, oleo tranquilliorem esse. Est igitur oleum nomen Domini, nomen scilicet Iesu, quia suauitatem & dulcedinem cordis secum affert. Senserunt & experti sunt hoc viri sancti. Apostolus Paulus vix sine nomine Iesu nouerat loqui, vnde, vti adnotauit Genebrardus *lib. 3. Chronic.* in epistolis suis, nomen Iesu quingenties vsurpauit, vsque adeò Paulo dulce, ac suaue nomen Iesus erat.

S. Franciscus, sicut S. Bonaventura affirmat *in vita eius*, cùm exprimeret ipse nomen Iesu, vel illud ab alijs audiret, iubilo quodam repletus, interiùs in corde, & exteriùs afficiebatur, ac si mellifluus sapor gustum, vel suauissimus sonus ipsius immutasset auditum.

Præterea S. Bernardus *serm. 15. in Cant.* exponens verba supra dicta, *Oleum effusum nomen tuum*, hoc est, nomen Iesus, vt interpretatur ipse: *Aridus*, inquit, *est omnis animæ cibus, oleo isto si non infunditur, insipidus est, si hoc sale non conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Iesum, si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonet ibi nomen Iesus, Iesu mel in ore, melos in aure, iubilum in corde. Tristatur aliquis nostrum; veniat in cor Iesus, & inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen nubilum omne diffugit, & serenum reddit; cui aliquando stetit ante faciem salutare nomen Iesu duritia cordis? cui fons fortè siccatus lacrymarum, nuncato Iesu, non continuò erupit vberior, & suauior fluxit? cui in periculo palpitanti, & trepidanti, nuocato virtutis nomine non statim fiduciam præstitit, & depulit metum? cui, quæso, in dubijs æstuanti, & fluctuanti, nō subitò ad inuocationem clari nominis emicuit certitudo? cui in aduersis diffidenti, iam iamque deficienti, si nomen aditurij somuit, deficit fortitudo? denique hoc probare licet:* Inuoca me, inquit, in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. *nihil ita impetum cohibet iræ, tumorem superbiæ sedat, vultus liuoris sanat, libidinis flammam extinguit, sitim auaritiæ temperat, sicut nomen Iesus inuocatum. Siquidem cum nomino Iesum, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, misericordem, & omni sanctitate conspicuum, eundemq; Deum omnipotentem, qui suo me & exemplo sanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia mihi sonant, cum insonuerit Iesus; sumo itaque mihi exemplar de homine, & auxilium à potente.* Ita S. Bern. Hanc ex nomine Iesu suauitatem, & vtilitatem sancti hauserunt.

Qui, quanti momenti sit saluatio nostra, nouerit ponderare, hic, quantæ consolationis sit nomen Iesus, facilè cognoscet. Quis verbis augere valet gaudium, & consolationem captiuorum in vinculis & catenis detentorum, cum redemptorem aliquem vident, qui ad eos è vinculis liberandos, & secum in patriam liberos deducendos aduenerit? quid autem hoc, si cum beneficio redemptionis nostræ conferatur?

Scio quidem multos inter nos reperiri, qui non ita propter redemptionem animæ gaudeant, sicut gaudent captiui propter redemptionem corporis sui, hos autem quibus poterimus comparare? Similes sunt, ait S. Chrysost. *hom. 2. in Acta Apost. c. 3.* perfidis illis Hebræis, qui Saluatorem quidem expectabant, non qui à peccatis eos saluaret, sed qui à paupertate eos vindicaret, & diuites redderet. *Tales*, inquit S. Chrysostomus, *erant Iudei claudicantes, quibus opus erat petere samtatem, ipsi verò opes petebant, & Messiam quærebant, qui ditare, non qui sanare posset.* Ita ille. Alludit Sanct. Chrysost. ad claudum illum, qui *Act. 3.* sedebat mendicans ad portam speciosam templi: qui ab Apostolis non salutem, sed pecuniam petebat, & expectabat: tales inter nos multi sunt, qui temporalia tantùm quærentes, & optantes, in his solùm lætantur, & gaudent, non in his quæ ad salutem animæ spectant. Hi verò qui distantiam inter animam, & corpus inter bona corporalia & spiritualia, & inter vitam temporalem & æternam nouerunt, incomparabiliter magis lætantur, & gaudent, cùm filium Dei in redemptorem animarum suarum venisse audiunt, quàm qui in Africa à Mauris, vel Turcis capti, & in terræ cauernis inclusi, & catenis vincti redemptorem illum aduentasse vident.

S. Bernard. *serm. 6. in vigilia natalis Domini*, verba illa explicans, *Iesus Christus filius Dei nascitur in Bethlehem Iudæ: Iesus*, inquit, *Saluator interpretatur, anima mea liquefacta est in sermone ipso. Quid tam necessarium perditis, quid tam optabile miseris? alloquim vnde salus, vel salutis spes in isto afflictionis loco?* Ita ille. Quid, inquit, tam necessarium perditis? perditi quidem eramus perditione non quacumque, sed perditione sempiternâ, remedium autem in Christo Domino Saluatore constitutum erat. *Neque enim est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi hoc nomen Iesus*, vti ait S. Petrus: hoc est, nisi Deus ipse veniret, tanquam Saluator noster, omnes perissemus. Quid igitur lætius, & iucundius tali, ac tanta perditione perditis, quàm sub nomine Iesu, hoc est, Saluatoris nostri, Deum ad nos venisse? Quid igitur tam necessarium perditis? quid deinde tam optabile miseris? magnis quidem miseriis in hoc sæculo fatigamur, hic paupertate premitur, ille infirmitate graui, assiduaque vexatur; ille sibi anxiè panem quærit, & in sudore vultus sui vescitur eo; ille cruciatibus, & doloribus medicamentorum salute prouidere conatur; denique omnes laboramus, & laboribus medemur laboribus, & miseriis miseriàs à nobis expellere nitimur: inter omnes autem miseriàs peccata primum obtinent locum; ab his tamen solus Iesus Saluator noster nos valuit liberare. is si volebat, valebat; voluit, & homo factus, vocatus est Iesus, ac si diceret: ecce medicus tuus, adsum, noli vexari, noli timere, salus tua ego sum quis non gaudeat nostrùm? quis non exultet, laudans, & dicens: Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.

Act. 4. 12.

Ps. 34. 2. Sic ad Dominum sanctus Dauid, cùm à Saule & aliis inimicis grauem persecutionem pateretur: *Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi: effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me, dic animæ meæ: Salus tua ego sum. Ea señor que me veo apretado de enemigos tomad las armas en mi fauor, vestí os vn arnes tancado, embracad el escudo, empûnad la espada, y armado de punta en blanco, pone os ami lado y decidme, ea que yo te librarèy sacarè, a pas y salvo, yo soy tu saludy remedio.* Rationabilibus multo id homo à Deo postulare potuit post lapsum suum, cùm, non à Saule & confortibus eius, sed à diabolo & Angelis eius sæuissimam persecutionem patiatur, cum quibus, non de vita corporali, sed spirituali, non de temporali, sed æterno agatur Regno. Quare meritò sic clamat Isaias nomine totius generis humani, dicens: *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis? qui posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati.* Quem hîc brachium Domini dicit? Tertull. Per brachium Domini Christum intelligit, quia brachium est per quod Deus omnia creauit. Sic enim in Symbolo canit Ecclesia, *Per quem omnia facta sunt*, & iuxta illud: *Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.* hoc brachium magna emphasi & illa replicatione verborum inuocauit: *Consurge, consurge, induere fortitudinem*, & in memoriam reduxit victoriam, quam de Rege Pharaone & exercitu suo reportauit olim, quando per medium maris iter aperuit populo suo, & sicco vestigio illum transire fecit, interfectis & suffocatis cunctis Ægyptijs: quia vnus ex eis non remansit. Sic igitur infernales hostes nos persequuntur, & iter in Terram promissionis cœlestem impediunt, & mortem æternam nobis satagunt inferre. Tu igitur Domine, qui potentiâ brachij tui superbum illum deuicisti, veni & salua nos. *Dic animæ nostræ: Salus tua ego sum.* Audiuit quidem, & exaudiuit Dominus Deus, adest brachium Domini, non tamen in fortitudine sua, sed in debilitate nostra. nam Verbum caro factum est, *el arnes trancado? que trabe, es nuestra flacca humandad*: quid autem debilius carne nostra, ingressus est pro nobis bellum, aggressus est hostes: sed hodie vulneratum eum videmus, & sanguine consperfum. Victus, non victor apparet. Quodnam igitur auxilium hoc? Maximum quidem, & quale diuinam bonitatem diumamque omnipotentiam decebat. Quid enim mirum si fortitudine diuinæ suæ naturæ hostes expugnaret & superaret? Hoc mirabile magis, quod imbecillitate nostra vicerit. quem diceres fortiorem, illúmne, qui omni ex parte armatus, & diro mucrone tres hostes vinceret simul, an eum qui eosdem tres arundine seu mulieris colo superaret? Tres aduersus nos inimici pugnabant, diabolus, mundus, & caro: hos tres aggressus est modò Christus Dominus, & assumpto ex sinu mulieris colo, eos omnes deuicit: & quamuis arundo fracta videatur, fracti potius remanent hostes. Petebat denique in sui solatium, & tutamen Dauid: *Die animæ meæ, Salus tua ego sum.* Sic igitur hodie Christus nobis: Ecce ego salus vobis sum; quid enim aliud sonat nomen Iesus; *Vocatum* (inquit) *est nomen eius Iesus*, Saluator: quid igitur hoc aliud fuit quàm dicere: Salus, & Saluator tuus ego sum, noli timere: ego te facilè ab inimicis tuis saluabo, *yo te sacarè a pas y a salvo.* Qui enim pro te sanguinem fundit, quid pro te non præstabit? Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo: ita inquit Isaias, quod dicturi essent Ecclesiæ Christifilij: *Quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Leuate ergo capita vestra fideles Christi: quoniam appropinquauit redemptio vestra, &c. Quid igitur aliud est, vocatum est nomen eius Iesus, quam dicere: Salus tua ego sum? Sit ille benedictus in sæcula.

Cap. 51. 9.

Solent nonnulli indagare cur Christus Dominus ingentes quosdam peccatores vocarit, & conuerterit, & denique saluarit, relictis interim alijs multis, qui non ita peccarât, vti Matthæum teloncarium, quem S. Ambros. vsurarium fuisse testatur, & Magdalenam, de qua Lucas Euangelista, *erat in ciuitate peccatrix*, vno verbo grauitatem peccatorum affirmans, & Saulum acerrimum Christi & eius Ecclesiæ inimicum, & latronem in crucem malam actum ob grauia scelera sua; & alios plures: quare, inquiunt, hos perditos peccatores sic efficaciter vocauit, alijs omissis, qui non adeò perditi erant? Quibus primùm possumus respondere quod S. Augustinus: *Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli iudicare, si non vis errare.* Ita ille. Qui à Christo Domino didicit ita hoc in casu respondere, qui cùm causam redderet, cur mysteria fidei reuelasset Apostolis illiteratis, non verò Scribis, & Pharisæis sapientibus, dixit:

dixit: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater; quoniam sic placitum fuit ante te.* quasi diceret, in huiusmodi electionibus & vocationibus ad diuinum beneplacitum recurrere oportet: sed nihilominus harum mirabilium vocationum singularem aliam, & eximiæ consolationis plenam rationem reddidit Apostolus Paulus, *Fidelis* (inquiens) *sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturí sunt illi, in vitam æternam.* Expendamus hunc locum. *Fidelis*, inquit, *sermo*, hoc est, valde conformis fidei nostræ, agit enim de misericordia Dei erga peccatores: fides autem nostra semper & vbique commendat misericordiam Dei. *& omni acceptione dignus. Digno de ser recebido con palio*: nam misericordiam Dei quis non vtrisque acceptet vlnis? quid ergo? quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere venit quidem contra peccata, sed non contra peccatores. *Ecce*, inquit Ioannes Baptista, *qui tollit peccata mundi*, non ait peccatores mundi, sed *peccata mundi*. Refert Ambros. Calep. de quodam viro Cretensi nomine Alcon, in arte sagittandi adeò perito, quòd cùm filium eius Draco inuasisset, & secum volando traheret, tanta arte direxit sagittam, vt eam in serpentis defigeret vulnere, nec transiret in filium. Sit quidem hoc poetarum figmentum, id tamen gratiam & misericordiam eximiam Christi in nos manifestat. hominem certè arripuit serpens ille antiquus, & secum iamiam ad infernas ducebat, venit autem Dominus Iesus, & sagittis potentiæ ac pietatis suæ Draconem vulnerauit, & hominem ab eius vnguibus liberauit: peccatum interfecit, & peccatorem, quem peccatum amplexatum tenebat, saluauit. Quid ni Saluator & Iesus meritò nominetur? *Venit* igitur, ait Apostolus, *peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Primus* ait S. Thom. inter eos, qui vsque ad illud tempus peccauerant, eorum scilicet qui salui facti sunt: vt Iudam & alios excludamus, qui damnati sunt. Sed cur ita Paulum vocauit, & ex tanto peccatore in tantum conuertit Apostolum, & sanctum? *Ad informationem*, inquit, *aliorum*, vt scilicet videant quanta sit in peccatores misericordia Dei, & inde sperare in eum discant. Solent qui antidotum & theriacam confi-ciunt, venenum filiolo vel alteri dare, & cùm inflari & deficere incipit, theriacam illi exhibere, & ita sanare, quò qui vident, antidoti valorem, & veritatem agnoscant, & emant, & peritum medicum illum fateantur. Venenum serpentis mortiferum fuit peccatum, quo infecti homines fuerunt: sed sanguis Christi, & misericordia eius, antidotum illis fuit. Experimentum autem huius factum est in Matthæo, Zachæo, Magdalena adultera, bono latrone, & Paulo, aliisque multis non infimæ classis peccatoribus. Quis igitur, quantumuis peccator, desperet? imò quis peccatorum se sanctum euasurum non speret, cùm tantos peccatores, tales ac tantos sanctos Christi Domini gratiâ videat euasisse?

1. Tim. 15.

Sic ad peccatores Deus: *Dabo eis vallem Achor ad aperiendum spem.* quid, quæso, spei, & valli Achor? Achor vallis est, vbi Achan sufuratus nonnulla ex Anathemate Iericho, turbauit populum Israel: Achan autem, vt ait Lira, secutus Rabbi Salomonem, significat idem quod tribulatio vallis: ergo illa tribulationem importat. Vallis igitur Achor, in quo tribulatus fuit valde Israel, datur ad aperiendâ spem: quia tribulatio spem aperit nobis diuinæ misericordiæ: ideo enim nos hic Deus tribulationibus quatit, vt in æternum parcat.

Sed ad rem S. Hieron. aliter ex Hebræo transtulit hunc locum, dicens: *Dabo eis vallem peruersorum ad aperiendam spem.* quid sibi hoc vult? quonam pacto vallis peruersorum ad aperiendam spem esse potest? Si vallem bonorum & iustorum dixisset, non mirum: boni enim & iusti sunt, qui bonitate sua, & iustitia sua spem nobis aperiunt: peruersi verò quonam pacto? Imò quidem peruersi, non quicumque, sed hi qui post peruersionem suam conuersi, sancti & salui facti sunt, spem nobis conciliarunt. non enim mihi ita spem consequendi misericordiam Dei aperit Ioannes Baptista, qui priùs sanctus, quàm natus fuit, quique ab incunte ætate eremum adijt, & austeram illam pœnitentiam egit: nec sanctus Antonius, qui octoginta & his ampliùs annis solitudinem incoluit, & arctissimam pœnitentiam egit, nec Hilarion, aut Paulus primus Eremita, sicut Paulus Apostolus, Magdalena, & bonus latro. Quid enim mirum, si illi, qui post innocentiam vitæ tantam abhibuerunt pœnitentiam, saluati sunt? cùm autem peccatores illos ad tantam sanctitatem & gloriam considero peruenisse, congratulor illis, & mihi facilem promitto ad salutem viam: neque enim minor est misericordia Dei nunc, quàm olim fuit, quum illos sic vocauit, & sanctificauit, & glorificauit, &c.

Sic de capillis sponsæ diuinus sponsus, *Capilli*, inquit, *tui sicut greges caprarum, quæ ascendunt de monte Galaad.* Mirari libet, cur pulchros sponsæ capillos capris comparauit: & quidem similitudo videbatur accersenda ex radijs solaribus, aut filis aureis, aut sericis manipulis, *a vnus hebraus de oro, o madexas de seda amarilla*, quàm capris. Quòd si ab huiusmodi animalibus comparationem petere volebat, cur non magis ab ouibus, aut agnis, quàm à capris? Respondet S. Theodoretus hîc per capras peccatores intelligi: in iudicio enim peccatores damnandi hœdi nominantur: comparantur autem hîc capris, non peccatores quicumque, sed peccatores pœnitentes, ideo non quibusuis capris, sed ascendentibus de Galaad assimilantur. Erat autem mons Galaad abundans balsamo, & resina, quæ quidem ad medicamina deseruiebant, secundùm id, *Numquid resina non est in Galaad? &c.* Capreæ igitur ascendentes ex monte Galaad, symbola sunt peccatorum, qui medicinâ pœnitentiæ curati sunt à peccatis suis. his igitur comparat Deus capillorum pulchritudinem sponsæ suæ, quia in his peccatoribus verè pœnitentibus, pulchritudo relucet diuinæ pictatis & clementiæ, ex qua spei nostræ quoque specimen promanat, &c.

Cant. 4. 1.

Ierem 8. 22.

PROP. IX. *Nomen Iesus continet omnia nobis ad salutem necessaria, & multa alia nomina eius.*

ISaias sic de Christo Domino prophetauit: *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humeros eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Quærit S. Bernard. *serm. 2. de Circumcisione Domini*, explicans locum istum, & ait: *Magna quidem nomina hæc, sed vbi est nomen quod est super omne nomen? vbi est nomen Iesus, in quo omne genu flectatur?* Respondet idem sanctus ibidem: *Forte in his omnibus vnum illud inuenies, sed expressum quodammodo, & effusum. Nempe ipsum est, de quo sponsa in Canticis Canticorum, Oleum* (inquit) *effusum nomen tuum.* Ita S. Bernard. Quomodo autem in illis effusum sit, & in ipsis contineatur, & contineat, ea exprimamus, prout dederit Deus.

Cap. 9. 6.

Primum nomen est, *admirabilis.* In nomine Saluatoris continetur hoc nomen; in opere quippe saluationis nostræ mirabilis fuit Christus Dominus: si enim cæcos illuminauit, si mutis loquelam restituit, si surdis aures aperuit, si mortuos ad vitam reuocauit, si oppressos à dæmone liberauit, & miracula, & mirabilia operatus est magna, quam ob causam illa effecit, nisi propter nostram salutem? *Imò quia Saluator noster semper adhuc mirabilia operatur in nobis, nunquid* (ait S. Bernard. suprà)

non

nónne verè admirabile eum singuli fumus experti in mutatione voluntatum noſtrarum ? Hoc nempe eſt ſaluationis noſtræ principium, cùm incip mus reſpuere, quod diligebamus, dolere, vnde delectabamur, amplecti quod timebamus, ſequi quod fugiebamus, & optare, quod contemnebamus, admirabilis profectò eſt qui hæc mirabilia operatur. Ita S. Bernard. Mirabilis quidem fuit mutatio illa aquæ in vinum in Cana Galilææ, ſed mirabilior multò eſt mutatio malæ voluntatis, *Quoties* (inquit) *volui congregare pullos tuos ſub alas, & noluiſti.* Pondera illa duo verba, *volui, & noluiſti*, volui te ad gratiam, & amicitiam meam conuertere & noluiſti. Cùm igitur rebellis admodum ſit voluntas noſtra, meritò, dum eam mutat, & commutat Deus, mirabilis appellatur. *Matt 23. 27.*

Secundum nomen eſt, *conſiliarius*. Hoc etiam in nomine Ieſu continetur : ad ſalutem enim noſtram pertinebat, non ſolùm præcepta nobis, & legem dare, verùm etiam euangelica conſilia : ea namque ſunt, quæ obſeruationem mandatorem Dei. & faciliorem reddunt, & efficaciorem; qui enim conſilia nititur ſeruare, facilè quidem præcepta Dei ſeruabit, & facilè tentationibus, quibus tentat nos hoſtis, reſiſtet. Ad hoc igitur exhibuit nobis Ieſus noſter conſilia multa, & ſublimia, qualia ſunt illa, quæ in Euangelio habemus, *Beati pauperes ſpiritu, beati qui lugent*, & reliqua cunctis nota, quibus hi qui fideliter ea cuſtodiunt, facili negotio ſaluabuntur, & perfectè euadent viri. Præterea *conſiliarius* dici Dominus poteſt, quia ea nobis ſemper conſulit interiùs, quæ ad ſalutem animæ conducunt ; inſpirat enim nobis in dubijs noſtris, quid nobis agendum, quidque fugiendum ſit. *Matth 5.*

Tertium nomen eſt, *Deus*. In opere ſalutis noſtræ verè ſe Deum exhibet Chriſtus, & in multis quidem, ſpeciatim tamen in peccatorum remiſſione. Quis enim poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus ? & quid magis diuinæ conſonum naturæ ? *Deus* (inquit Eccleſia) *cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere*, &c. Rectè igitur in nomine Ieſu, ſeu Saluatoris, hoc nomen Deus intelligitur : Saluator enim ideò ſpecialiter nuncupatur, quòd ſaluum facit populum à peccatis, vti Angelus ipſe, qui è cœlis nomen ipſum detulit, interpretatus eſt. Et quidem ſecundùm nomen eius, ita & laus eius. *Luc 2. 21.* *Neque enim* (ait S. Bernard. *ſerm. 1. de Circumſ.*) *admiſtar priorum, meus iſte Ieſus nomen vacuum, aut inane portat. non eſt in eo magni nominis vmbra, ſed veritas ; cælitus ſiquidem indutum nomen teſtatur Euangeliſta, quod vocatum* (inquit) *eſt ab Angelo priuſquam in vtero conciperetur.* Ita ille.

Quartum nomen eſt, *fortis*. Quod quidem prima facie minimè Chriſto conuenire videtur : nam in quo, quæſo, fortitudinem ſuam demonſtrauit ? *Todos ſus emulos hazian fuertes en el, y el a nadie tocaua en el hilo de la ropa*, paſſus eſt opprobria, iniurias, alapas, ſputa, verbera, clauos, mortem, mortem autem crucis : ipſum verò nec ſe defendiſſe videmus. Vnde igitur fortis nominatur ? Dicam : Philoſophi morales, (& maximè Zeno) duos eſſe fortitudinis actus affirmant. Primus eſt, viriliter aggredi hoſtes vſque ad mortem, & occiſionem illorum : ſecundus verò patienter ferre vſque ad mortem propriam. ex his duobus ſecundus actus fortitudinis ſuperior, & excellentior eſt, quàm primus. Vnde Salomon : *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. Maior es vn hombre paciente, que vn fuerte, y el, que ſe vence aſi miſmo, es mas valiente que el que vence ciudades.* Melior hic non dicitur à bonitate morali, ſed à virtute fortitudinis animi, *es de animo, y pecho mas valeroſo*, maior virtus animi, & maior fortitudo cordis eſt patienter ferre, quàm mortem inferre. Meritò igitur Chriſtus Dominus, & Saluator noſter, in quantum Saluator, fortis nuncupatur, quia in proſecutione redemptionis noſtræ inuicto animo, & alacri, indigniſſima, & grauiſſima tulit, in honore, in fama, in corpore, & in anima, ſecundùm inferiorem eius partem, in qua mœrorem, & triſtitiam eximiam paſſus fuit. *Cæpit* (inquit Marcus) *pauere, & tædere, & dixit : Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Denique propter nos homines, & propter noſtram ſalutem crucifixus, & mortuus eſt, quæ omnia æquo animo, & fortiſſimo tulit, vt ſaluaret nos : iure igitur fortis nominatur. Vtinam in hoc eum nos imitemur, vt inuicto corde aduerſùs aduerſa pugnemus, & nulli ſalutis noſtræ impedimento cedamus, quamuis maiores & grauiores ſe nobis offerant cruciatus, quàm ſe Laurentio & Vincentio & alijs martyribus obtulerunt. *Marc 14. 33.*

Quintum nomen eſt, *pater futuri ſæculi*. Quod etiam nomen Ieſus importat : nam vt nos Saluator noſter ſaluaret per Euangelium, & per paſſionem ſuam regenerauit nos. Patris etiam eſt alere filios ſuos : quis autem ſicut Dominus Deus, noſter, qui non, ſicut alij patres, pane ſudore ſuo acquiſito, filios alit ; ſed pretioſo corporis, & ſanguinis ſui alimento nos quotidie ſaginat, quod ſudore ſanguinis ſui acquiſiuit. Parentis denique eſt filios ſuos omnium honorum ſuorum hæredes inſtituere : & Chriſtus nos regni ſui cæleſtis cohæredes ſecit : nónne igitur rectè Ieſus pater futuri ſæculi propter ea nuncupatur ?

Denique, *princeps pacis* dicitur Saluator noſter, quia ſalus noſtra in hoc ſita erat, vt nos patri ſuo reconciliaret : eramus enim naturâ filij iræ, eramus inimici Deo veniens autem Saluator noſter peccatores ſaluos facere, patris iram placauit, inimicitias de medio tulit, & Dei amicos nos reddidit, & gratos. 2. Cor. 5. *Erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi*, quaſi dicat : Si quæras, quid Saluator noſter in præſepio ſtens agebat ? reſpondebo tibi : *Erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi* : verò quæſieris, quid in monte orans ? quid in mari nauigans ? quid in terra caſtella, & vrbes perambulans ? quid Euangelium prædicans ? quid tot, tantaque miracula efficiens ? id etiam reſpondebo : *Erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi*. denique ſi rogaueris, quid Cruci affixus agebat, tot cruciatibus affectus ? dicam : *Erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi*. Vnde meritò idem Apoſtolus vocat Chriſtum pacem noſtram. *Ipſe* (inquit) *eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum*, hoc eſt, populum Iudaicum, & gentilem coadunauit, & pacificauit cum Deo patre ſuo. Vocat autem Chriſtum, non pacificatorem noſtrum, ſed pacem ipſam, per hyperbolem, & exaggerationem, quaſi dicat : fuit tam excellens, & efficax pacificator noſter, vt ipſamet pax valeat appellari. Hoc autem quomodo effecerit, ſubdit : *& medium parietem ſoluens, inimicitias in carne ſua*, hoc eſt, tollens è medio impedimentum, quod, velut murus quidam, obſtabat. Quiſnam erat hic murus ? S. Chryſoſtomus & S. Hieronymus : Peccatum noſtrum (inquiunt) tulit de medio, quod inimicitiarum cauſa erat, & ita pacem reddidit nobis. Et denique *in carne* (inquit) *ſua inimicitias aboleuit*. Alij pacificatores ita pacificare ſolent alios, vt incolumes ſeipſos priùs ſeruent : at Seruator noſter, vt pacem inter nos, & patrem conſtitueret, in carne ſua cruciatus, & mortem, & Crucem ſubire non recuſauit. quod ita cœleſtibus ſpiritibus exititit gratum, vt in die natiuitatis eius pacis canticum annuntiarent, dicentes : *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax*. Quapropter meritò Iſaias per antonomaſiam, & excellentiam, principem cum pacis appellauit. Principem alicuius rei illum vocare ſolemus, qui floruit maximè in ea : in reconciliatione autem ac pace dicta floruit maximè Chriſtus, quid mirum, ſi princeps pacis appelletur ? Ecce quid nomen dulciſſimum Ieſus importet, quot, quantaſque diuitias in ea habeamus. *Prou 16. 32.*

PROP. X.

Prop. X. *Quàm letum nobis sit nomen Iesus ob redemptionem, quam importat.*

PSalm. 125. *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati.* Loquitur hîc Propheta de liberatione populi Israel ex Babylonica captiuitate. In persona ergo populi sic liberati ait Propheta : *facti sumus sicut consolati*, Hugo Cardinalis, Lyra, *sicut, idem* (ait) *significat, quod verè, vere, seu vera, & cordiali sumus latitia perfusi* : Euthymius, id est, *valde consolati sumus*, id ex originali Hebræo deducit : alia verò lectio habet, *facti sumus sicut somniantes*. Solent qui aliquo magno, & insolito gaudio afficiuntur, quasi non credere sibi : sicut discipuli Christi in eius resurrectione, cùm se Christus illis manifestauit, & diceret : *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum : adhuc*, inquit, *non credentibus, & mirantibus illis*. Sic Israelitæ tanto gaudio tenebantur, vt dicerent : Numquid nos libertatem nostram somniamus ? an verò ita se res habet ? Vide quantam lætitiam attulerit redemptio illa. quod si tantam illa, quantam par erit conferre nobis redemptionem nostram per Christum ? illa corporum fuit, hæc animarum : illa temporalis, hæc æterna : illa ex Babylone, hæc ex inferno : illa ex tyrannide Chaldæorum, hæc dæmoniorum : illa vt in Ierusalem redirent, hæc vt in cœlestem gloriam eamus. Si ergo tantâ sunt illi perfusi lætitiâ propter illam paruam redemptionem, quali, & quanta nos perfundi oportet propter hanc nostram incomparabilem liberationem à peccato, & condemnatione sempiterna ? quidnî facti nos modò simus sicut somniantes ?

Genes. 3. post peccatum primorum parentum fecit Dominus eis tunicas pelliceas, & induit eos, vbi pro *induit eos*, in textu Hebræo sic, *vail besam*, ex cuius litteris transmutatis nullâ earum demptâ vel additâ, componitur hæc dictio *Iesulabem*, hoc est, *Iesu cor eorum*. Et quidem tunc primi parentes summâ tristitiâ affecti fuerunt : nullum autem refugium, & solatium, & remedium habebant pro peccato suo, nisi Christum Dominum, quem iam Deus constituerat suo tempore futurum redemptorem. Vestis igitur illa ex pelle animalis mortui, quâ eos est Dominus consolatus, Christum Dominum præfigurabat, qui nuditatem animarum suarum tegere sanguine suo debebat : hinc illis solatium, ne in æternum perirent, hinc etiam peccatoribus cunctis. Cùm igitur te, homo, peccati conscientia torquet, induere Dominum Iesum Christum, sit Iesus cor tuum, solatium, inquam, tui cordis : plus enim sanguis Christi ad reconciliationem tuam potest, quàm ad condemnationem tuam vniuersa peccata, &c.

Prop. XI. *Nomen Iesus promeruit Christus sanguine suo.*

NOmina gloriosa gestis præclaris, & etiam sanguinis effusione conquiri, & acquiri solent. in cuius rei typum cùm Abrahæ à Deo iniuncta circumcisio fuit, & sanguinis effusio, littera quædam nomini eius à Deo superaddita fuit. nam priùs Abram, postea verò Abrabam fuit nuncupatus : vxori verò eius non addita, sed potius dempta fuit : priùs enim Sarai, postea verò Sara dicta est. quò innueret Deus, nomina digna laude ac gloria, non otio delicisque, sed labore ac sanguine esse comparanda. Sic igitur in Christo Domino videre licet, cuius nomen Iesus gloriosissimum adeò fuit, vt in illo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & nomen super omne nomen meritò ab Apostolo prædicetur. Hoc igitur nomen Christo Domino impositum fuit à Deo Patre, & sua etiam, vti dicemus, habuit incrementa, non tamen sine sanguinis effusione. Et primò in sua impositione, tunc impositû illi, seu vocatû fuit, cùm in circumcisione suû sanguinem fudit. Auctum verò fuit hoc nomen in horto, cùm vel hostes eius etiam dixerunt, interrogati quem quærerent ? *Iesum* (inquiunt) *Nazarenum*, id est, Iesum florentem. floruit igitur in horto, *sed quando ?* quando scilicet sanguine suo, dum oraret, horti humum iam rigauerat. in cruce denique vltimum recepit incrementum, cùm in titulo crucis sic inscriptum fuit : Iesus Nazarenus Rex Iudæorum : supra Nazarenus additus est titulus Regis nomini Iesu : vnde in cruce, velut in regio throno, à Patre voluit collocari, ac tunc omnem prorsus sanguinem fudit & vitam cum morte commutauit. Ecce, quomodo gloriosum nomen Iesus Christus Dominus acquisiuit, non deliciando, sed patiendo, sanguinem fundendo, & denique moriendo.

Ioan. 18. 5.

Sic igitur (vt hinc aliquod morale documentum nobis eliciamus) sic, inquàm, excelsa & gloriosa nomina sunt à nobis comparanda. Magnum quidem Apostoli nomen : vide tamen quanti constiterit Paulo, qui Apostoli nomen, quasi per antonomasiam & excellentiam, sibi vindicauit. *Ministri Christi sunt* (scilicet alij) *plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas, &c.* sic promeruit nomen. Sic etiam Stephanus Protomartyris cognomen sortitus est, non sorte, sed sanguine suo, dum primus in acie Christiana pro Christo se occidi passus est. Sic Antonius magni nomen adeptus est, potiori iure, quàm Alexander magnus : quia miram illam & diuturnam vitam, & magnis laboribus, & tentationibus refertam, in vasta solitudine transegit, &c. Sic igitur Christiane, si in cœlo tibi nomen grande comparare cupis, non otiando & delicijs vacando, sed orando, & corpus macerando, & cum vitijs dæmonibusque belligerando illud consequere. Quòd si vitia secteris, vitiosa pariter cognomina consequeris : si cibis potibusque indulges, hellùo & gulosus nuncupaberis : si in quærendis opibus insudaueris, auarus diceris : si honores & mundi gloriam insectaris, ambitiosi ac superbi nomen consequeris, &c. si verò sanctis operibus operam dederis, sanctus etiam vocaberis à cunctis, &c.

2. Cor. 11. 23.

Prop. XII. *Cur nomen Iesus simul cùm circumcisione acceperit Christus.*

NOn bene conuenire videntur circumcisio, & nomen Iesus : vnde S Bernard. *Magnum & mirabile sacramentum : circumcidetur puer, & vocatur Iesus. Quid sibi vult ista connexio ? circumcisio nempe magis saluandi, quàm saluatoris esse videtur, & saluatorem circumcidere magis decet, quàm circumcidi.* Ita ille : & rationem dubitandi assignat eodem sermone S. Bernard. quia circumcisio in remedium peccati à Deo fuerat instituta : in Christum autem nullum cadere peccatum potuit, quia Deus est; cur igitur voluit circumcidi ? & cur cum circumcisione, quæ in alijs peccatum præsupponit, nomen Saluatoris coniunxit : quod omne à Saluatore peccatum excludit ? Huius ergo ratio est, quia heroes viri heroicis factis, quibus vsque ad sanguinem pugnabant, illustria nomina acquisierunt, & tantò nominibus suis addebant, quantò magis sanguinem detrahebant. sic in circumcisione Abrahæ additum & auctum est illi nomen : priùs enim Abram dicebatur; postea verò appellatus est Abraham, quia sanguinem tunc propter Domini præceptum exhibuit animo libenti. Saræ verò vxori suæ, quæ sanguinem non fudit, non solùm non fuit auctum nomen, verùm etiam diminutum : quia quæ priùs Sarai vocabatur, postea Sara nominata fuit. Sic igitur Christus Dominus, in circumcisione quidem, in qua sanguinem pro gloria Patris fui, & pro sa-

Serm. 1. de circumcis.

lute nostra profudit, illustrissimum nomen Iesus acce- A pit. Postea quidem in morte copiosiorem sanguinem effudit, & statim, Deo sic disponente, à Judæis ipsis additum fuit cognomen Nazareni : cùm enim vt eum caperent in hortum abiret, & diceret Christus : Quem
Ioan. 18. 5. quæritis: Responderunt, Iesum Nazarenum. cùm verò in cruce omnem prorsus sanguinem pro nobis exhibuisset, super caput eius hunc titulum apposuerunt, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Ecce qualiter cum sanguine sublime nomen Iesus accepit ; & vbi auxit sanguinis effusionem, nominis augmenta percepit. Quò nobis etiàm innueret, si Sanctorum excelsum nomen consequi desideramus, laboribus & passionibus id assequendum esse, &c.

Hinc est, quòd, cùm Christus Dominus diuitis epulonis, & Lazari texeret historiam, diuitis nomen tacuit, Lazari verò expressit. & quidem secundùm consuetudinem & morem mundi, diuitis, non pauperis nomen apponendum videbatur: diuitum enim nomen gloriosius est quàm pauperum : sed quia epulo nullum B illustre facinus in Dei obsequium perpetrarat, sed byssso, & purpura, & epulis quotidianis, suam, non Dei gloriam quærebat, ideò nomen eius à Deo sublatum è medio est, pauperis verò expressim : quia apud Deum non meretur nomen, qui factis generosis illud non promeruit.

Prop. XIII. *Quàm ingens beneficium Dei fuerit in nos, nostrum fieri Saluatorem.*

NOmine Iesu se Christus Dominus redemptorem nostrum esse profitetur, & ad hoc se in mundum venisse, vt saluet nos à peccatis nostris, & ad regnum cœlorum, quod per peccatum amiseramus, reducat. sic enim Angelus interpretatus est nomen hoc sanctissimum Iesus, Matth 1. cùm eius natiuitatem prædicens Iosepho, dixit : *Vocabis nomen eius Iesum : ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* In memoriam C ergo tanti beneficij nos reducit celebritas nominis Iesu : quanti autem beneficium hoc facere debeamus, quis verbis explicare, vel mente concipere pro dignitate valet ? Apostolus Paulus sic illud augebat : *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, palabra digna de, se y de ser recebida con palio.* Quid ? quod *Christus Iesus venit in hunc*
1. Tim. 1. 15. *mundum peccatores saluos facere.* cur fidelem sermonem hunc dicit ? num quia mysterium redemptionis, cùm tantum sit, egeat fide supernaturali ? fit ita quidem: res enim adeò mirabilis est, vt rationem excedat humanam, & fide egeat supernaturali, quòd Deus scilicet, vt nos saluaret, venerit in hunc mundum, factus homo, & in cruce mori dignatus sit. verumtamen ob id fidelem sermonem esse credo, quia tanto Deo tanta res ita congruens, & condecens est, vt meritò fides adhibenda à nobis sit, magna enim magnum decent: quis autem magnus, sicut Deus noster ? sequitur, *& omni acceptione dignus* : quid enim nobis acceptum magis esse debet, quàm Deum nos saluare, & vt hoc præstaret, vitam in cruce cum morte commutare ? imaginaberisne aliquid dignius acceptione, & gratitudine nostra ?

At dices, beneficium hoc commune est vniuerso generi humano. Itáne quia commune est, minùs illud æstimas, quàm si pro te solo Deus id præstitisset ? quasi tu pro tali beneficio, quantumuis communi, sufficienter gratias reddere possis. Sed quid tibi deperijt redemptionis, ex eo quod redemptio vniuersalis sit ? nunquid non ob sanguinem Christi nunc ita perfectè redemptus es, ac si solus tu redemptus fuisses ? etenim quia vniuersalis est redemptio maiores illi gratias debemus, si charitatem erga proximos habemus : nam beneficium proprium reputare debemus, quòd Christus Dominus, non solùm in particulari, verùm etiam omnes in generali voluerit saluare : referre enim debeo gratias, primò, quia me redemit, secundò quia proximos meos redemit. Sed tamen beneficium hoc redemptionis ita in communi factum est cunctis, vt Christus Dominus pro vnoquoque in particulari illud præstiterit. quod Apostolus indicauit, & grato animo confessus est, dicens : *Christo confixus sum cruci, qui dilexit Ad Gal. me, & tradidit semetipsum pro me.* Quid hoc, Apostole 2. 19. sancte, nónne tu dixeras priùs : *qui pro nobis omnibus tradidit illum* ? scilicet pater ; quomodo ergo modo ais, *tradidit semetipsum pro me* ? Respondeat S. Augustin. lib. 3. conf. cap. 1. vbi sic ad Deum : *O tu bone omnipotens, qui sic curas vnumquemque nostrum, velut solum cures, & sic omnes tanquàm singulos curares, atque diligeres.* Ita ille. Cuius rei exemplum in sole habes, qui sic omnes homines illuminat, vt nullum prorsus excipiat, sicque etiam vnumquemque in particulari, ac si nullum alium : si enim vnus tantùm esset homo in mundo, illi soli expanderet radios lucis suæ.

Hinc est, quod se pastori comparauit, qui relictis Luc. nonaginta nouem ouibus, ad vnam quærendam properauit. Scio hic nomine vnius ouis totum comprehendisse genus humanum, sed tamen pariter video quòd totum genus humanum vnicam ouem appellauit: quia ita pro omnibus mortuus est, vt speciatim pro vnoquoque voluerit mori. quod exemplo illo notissimo Carpi confirmatum esse à S. Dionysio Areopagita manifestum est.

Osee 13. sic Dominus ad populum Israel : *Ego Dominus Deus ex terra Ægypti.* Cur non ab æterno ? *à seculo, & in seculum tu es Deus,* & semper vniuersorum Dominus tu es, cur ergo ex Ægypto, & Dominum Deum Israel solùm dicit ? dicam : In Ægypto Israelitæ miseræ seruituti subiacebant, Pharaoni tyranno in operibus luti, & palearum seruiebant : Deus autem ex tam misera seruitute, & captiuitate liberauit Israelitas, & in terram promissionis destinauit. quod beneficium mente retinere Israelitas Deus volebat, & pro tanto beneficio illos segratos ei exhibere : propterea se maximè ex Ægypto illorum Deum ac Dominum se esse dicebat. Quapropter, vt tanti beneficij iugis apud eos memoria vigeret, Exod. 12. cùm iam iam in procinctu esset Israel ad exitum ex Ægypto, sic Dominus per Moysen ad eum : *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni :* & tunc temporis instituit Dominus solemnitatem agni paschalis in tanti muneris recordationem. Si ergo tanti fecit Deus liberationem illam à seruitute Pharaonis, & missionis in terram promissionis, quanti, quæso, facienda est ereptio de potestate diaboli, & de seruitute peccati, quæ omnium grauissima est, & promotionem, non ad terram promissionis, sed ad cœlum glorificationis ? tale enim est beneficium iustificationis.

Ioan. 4. cùm Ioannes Apostolus conuersionem Samaritanæ enarrare vellet, circumstantias loci exactissimè conscripsit, dicens : *Venit Iesus in ciuitatem Samariæ, D quæ dicitur Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob filio suo; erat autem ibi fons Iacob, Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Cur tam exacta locorum adnotatio ? non contentus terram Samariæ dicere, addidit nomen ciuitatis, & prædij, & fontis seu putei, & positionis loci Christi prope fontem. Quid tibi vult harum circumstantiarum, & locorum enumeratio tam specialis ? nimirum, iustificationem Samaritanæ narrare volebat ; tanta autem res est iustificatio peccatoris, vt meritò locus, in quo facta est, tanta cum obseruatione adnotetur. *Suelen poner vn padron en los lugares, donde ha acaeçido alguna cosa notable. es cosa tan notable el perdonar Dios a un peccador, que en el lugar, donde vn peccador se confiessa, y oye el Ego te absoluo, de boca de el que esta en lugar de Dios, hauia de poner vn padron de marmol fino,* ad æternam rei memoriam, *y eferi-*

uit en

uir en el con letras de oro, aqui me perdonaron mis pecados.

Animaduertant hoc hi, qui difficillimum æstimant peccata confiteri. Etenim si in medio plateæ ciuitatis omnia crimina, quantumuis grauissima, & in medio omnium platearum mundi voce magnâ confiteri oporteret, quasi nihil nos facere censeremus, si quanti momenti solutio à peccatis sit, plenè agnosceremus.

1. *Cum circumcideretur, vocatum est nomen eius* Iesus Miratur S. Bernard. hanc circumcisionis & nominis connexionem. *Magnum*, inquit, *& mirab. le Sacramentum: circumcid. tur puer, & vocatur Iesus. Quid sibi vult ista connexio? circumcisio nempe magis saluandi, quam Saluatoris esse videtur, & saluatorem circumcidere magis decet quàm circumcidi.* Ita S. Bernard. Sed tamen salutis nostræ sollicitudo, quæ animum Christi sollicitabat, dubium soluit, & nomen ipsum Iesus, circumcisionis rationem reddit. Solent qui hastiludijs vacant, varias adinuentiones adhibere, quæ cùm ænigmaticæ sint, difficilè capiuntur: quam ob causam litteris nonnullis, quæ Hispanè B *litteras de las diuisas* appellantur, huiusmodi adinuentiones aperiunt. Christus Dominus aduersùs hostes nostros pugnaturus, quasi ad hastiludijs accessit, & adinuentionem adhibuit, habitum scilicet humanum, sanguine circumcisionis conspersum; litteræ verò adinuentionis hæc fuit, *Iesus*, quam quidem adinuentionem (seu adinuentiones potiùs has: nam prima in natiuitate apparuit, habitu scilicet inuentus vt homo, hodie habitum sanguine conspersit) prospiciens Isaias Propheta, ait: *Notas facite in populis adinuentiones eius.* q.d. non ad hoc, vt occultè semper remanerent, has adinuentiones adhibuit Christus Dominus; sed vt innotescerent nobis. At dices, occultæ illæ cùm nimiùm sint, quis eas dignoscere valet? subdit: *Mementote, quoniam excelsum est nomen eius*, quasi dicat, si eius omnes adinuentiones nosse desideratis, recordamini excelsi nominis eius Iesus: hoc enim ænigmata cuncta dissoluit. Baptismus Christi ænigma est: quid enim Deo, & Bapti- C smo peccatorum? Baptismus ad mundandum ordinatur, Christus ipsa mundities cùm sit, cur ad Baptismum accessit? Adinuentionis litteram attende. *Hic* (ait Ioannes Baptista digito eum ostendens) *est qui tollit peccata mundi*: quod quidem idem est ac dicere, Iesus, &c.

Denique Deus cruci affixus, ænigma est, & tantæ quidem difficultatis, vt dixerit Paulus: *Nos præd. camus Christum crucifixum Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam*: nec enim mente concipere poterant, qui fieri posset, vt impassibilis & immortalis Deus pateretur & moreretur morte crucis: sed adest in cruce super caput Christi nomen Iesus, quòd Deo sic ordinante ibi iussit Pilatus affigi. nec sine mysterio titulum 27. hunc causam vocauit Euangelista, dicens: *Posuerunt super caput eius causam ipsius scriptam*: Hic est Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Cur causam appellat titulum istum? nimirum, quia nomen Iesus, quod titulus ille D continebat, causa erat mortis illius; quasi diceret, si videtis Deum in cruce pendentem, ne miremini: est enim Iesus, est Saluator, & ideo patitur, vt saluet nos, &c. *Esta es la letra de la diuisa.*

Hinc magnitudinem beneficij. Saluatoris nostri considerare licet: vt enim saluaret nos, nullum non lapidem mouit, nulli opprobrio, nulli dolori, imò nec morti crucis pepercit. Eximium quidem beneficium fuit hominum rerum omnium viribilium Dominum constitui; *Quid* (inquit Domino Dauid) *est homo quod memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum? minuisti eum paulo minùs ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, &c.* hizo Dios al hombre vn casi Angel, pusole sobre su cabeça la corona de Rey del mundo vniuerso, y mando a los animales que

A *le veniesen a besar el pie y, a reconocer vasallaie, como a su Señor.* Multum hoc: sed id omne parum constitit Deo. Dicere solemus: Hoc duobus verbis factum est. vt facilitatem explicemus, qua res aliqua facta est: duobus quidem verbis hæc omnia facta sunt, fiat lux, & facta est. magna res lux, sed duobus verbis eam creauit Deus: fiat firmamentum, & his duobus verbis factum est. *Este cielo estrellado, tachonado de oro, y sembrado de tantas piedras preciosissimas, quantas estrellas tiene, sin gastar en tan grande obra Dios mas, que dos palabras.* Ipse dixit & facta sunt: at in opere redemptionis nostræ non solùm dixit Deus, sed fecit, non solùm fecit, sed passus est: & quidem tot ac tanta tormenta, vt qui solo naturæ ductu de huiusmodi opere iudicarunt, ridiculum & blasphemum reputarint: & qui id crediderunt, lumine fidei supernaturalis id fuerint confessi. Hoc igitur eximium beneficium nomen Iesus comprehendit, & ob oculos nostros proponit: statim enim vt Iesum audimus, menti se nostræ offert homo ille Deus, qui, vt nos saluos faceret, sanguinem fudit, & mortem cum vita commutauit, &c.

B *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua.* Fecerat quidem Dominus ab origine mundi eximia beneficia nobis, sed beneficium reparationis nostræ ita reliqua superauit, vt, si cum hoc vno illa conferantur, velut exigua lucerna ante splendidissimam solis lucem euanescere videantur, vel sicut ante ipsius solis iubar reliquæ stellæ cœlestes obtenebrari videntur. *Esai* 43. 8.

Magnum planè creationis nostræ extitit beneficium, quo Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam fecit, & vniuerso mundo, tanquam Deum quemdam præfecit, & omnia, quæ sub cœlo sunt, eius obsequio mancipauit: sed quale hoc, si cum redemptionis beneficio conferatur? Illic enim Deus nos ad similitudinem suam fecit, hic verò Deus factus est ad similitudinem nostram: illic nos bonorum suorum Deus participes fecit, hìc Deus malorum nostrorum particeps factus est: illic nos condidit absque vllo suo labore: de vniuersa enim mundi fabrica dictum est: C *Ipse dixit, & facta sunt*, hic verò non solùm dixit multa, sed fecit multa, & mirabilia magna, & pertulit dura, imò & indigna: illic assumptum de limo hominem inter paradisi amœna collocauit, hìc verò eumdem hominem è profundo barathro euocatum, ad cœlestia regna perduxit: illic nobis immortalitatem concesserat viuens, hìc verò hominem iure morte damnatum, morte sua restituit vitæ corporis & animæ in æternum. *Mortem enim nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit*, &, vt verbo vno dicam, illic sua nobis dedit, hìc verò seipsum contulit nobis. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quanta igitur inter creata & Deum increatum est differentia, tanta (proportione seruata) inter hoc & reliqua est beneficia. Qua igitur animi gratitu- D dine pro huiusmodi beneficio dignas Deo gratias exhibebimus? Præcepit in lege Deus, vt septimum quemque diem, id est, sabbatum consecratum Deo, homines obseruarent, in quo homines ab operibus seruilibus feriati, creationis beneficij considerationi vacarent, & quiete sua quietem conditoris, finitâ mundi fabricâ, repræsentarent. Quòd si pro beneficio creationis tantam animi nostri gratitudinem Deus postulauit, quid pro beneficio redemptionis, quod, vti diximus, est incomparabile? si tanti apud nos esse voluit, quod naturæ dederit ornamenta, quid erit quòd summa contulerit gratiæ præsidia? si tanti est quòd nos hominum fecerit filios; quanti erit, quòd nos effecerit filios Dei, & instituerit hæredes regni sui? *Ioan* 3. 16.

Præterea, si per primum parentem grauissima damna in nos prouenerunt, ex illis quantum extiterit re-

demptionis beneficium aliqualiter cognoscemus. Vt enim Philosophi docent, vnius contrariorum cognitio ad alterius cognitionem viam parat. Primus igitur Adam fuit de terra terrenus, secundus verò de cœlo cœlestis: ille parens, & hic etiam parens; *Pater* enim *futuri seculi*: ab Isaia fuit Christus Dominus nuncupatus: sed parente parens quantùm præstat! Ille superbus, hic verò humilis valdè: ille inobediens, hic verò factus est obediens vsque ad mortem, mortem aut crucis: per illum inimici Dei facti sumus, per hunc verò reconciliati Deo sumus: per illum amissimus gratiam, per hunc gratiam recuperamus; per illum facti sumus naturâ filij iræ, per hunc in filios Dei adoptati, consortes diuinæ naturæ facti sumus: per illum nequissimi spiritus potestati permissi sumus, per hûc Spiritui sancto in disciplinam & custodiam traditi sumus: illius & non scelere nostro, peccati labem nascendo contrahimus, sed huius virtute sine meritis nostris ad iustitiam peruenimus; illius crimine à Paradiso repulsi fuimus, huius meritis ad cœlestes sedes reuocamur; per illius inobedientiam inuenimus mortem, per huius obedientiam vitam recuperamus. Vnde Apostol. *Per hominem* 1. Cor 15. 21. *mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Per Adam similes illi facti sumus, per Christum similes Christo sumus effecti, dicente quoque Paulo: *Primus homo de terra, terrenus, secundus homo de cœlo, cœlestis.* Ibid. v. 47. *Qualis terrenus, tales & terreni: qualis cœlestis, tales & cœlestes.* Quid miserabilius, quàm similes esse primo peccatori? quid felicius, quàm similes esse Filio Dei? Deniquè nihil felicitatis nostræ amissimus in Adam, quod non felicius recuperauerimus in Christo: (vt enim ait Rom. 5. 15. Apostolus: *Non sicut delictum, ita & donum: vbi* enim *abundauit delictum, superabundauit & gratia.*) per quem Pater multa & maxima & pretiosa nobis promissa donauit. Propter quæ varijs eum nominibus Paulus appellat, modò Pontificem animarum nostrarum, modò aduocatum, modò mediatorem, modò verò sapientiam, & iustitiam, & sanctificationem nostram, &c. tot eum nominibus appellat ob multa & varia, quæ nobis contulit beneficia: quæ quidem omnia tanquam in summa & compendio quodam in nomine sancto Iesu continentur. Quas igitur debitas pro tot tantisque muneribus redemptori nostro gratias referemus?

Sed quod beneficium hoc altiùs auget, est ipsius personæ saluantis nos, circumstantia. Maximum quidem beneficium fuit nos à morte ad vitam, à peccato ad gratiam, ab inferno ab cœlum reuocare; sed quod Deus ipse id præstiterit per seipsum, cùm per Angelum, vel etiam per hominem purum, quem ipse Deus designasset, id efficere potuisset, donum hoc admirabilius esse facit. Vnde apud Isaiam hanc circumstantiam personæ Cap. 43. 25. expendens, ait: *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas.* Verba Christi Domini sunt: cui non satis fuit semel dicere: ego sum, qui deleo, id est, ego sum Saluator, sed idipsum repetens secundò, ait: *Ego sum.* q. d. attende non me misisse Moysen, vt te à seruitute peccati saluaret, sicut misi eum in Ægyptum, vt populum Israel à Ad Heb. 2. 2. seruitute Pharaonis liberaret: *sed ego, ego ipse* meo sanguine liberaui. Idipsum ponderat Apost. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, qui cum sit splendor Patris, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, &c.* hoc est, cùm Christus Dominus sit Deus verus, Deus omnipotens, sicut Pater æternus, non dedignatus est homo pro nobis fieri, & per seipsum purgationem facere nostrorum delictorum, &c.

Quapropter ipse Deus hoc speciatim nobis commẽdari à suis Prophetis voluit, atque adeò sic ad Isaiã Cap 40. 9 ipse: *Super montem excelsum ascende, tu qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam: exalta & noli timere.* Bone Deus! quid est quod annuntiari vult per Isaiam, quod tanta exaggeratione commendat? In suggestum ascende, non in suggestum ligneum, sed in montem excelsum, & in fortitudine hoc fortiter ac vehementer, clarè exaltando & eleuando vocem, idque non semel, sed iterum & iterum iubet. *Exalta, & noli timere*, quidnam pauore dignam tibi annunciare præcipio, sed noli pauere: nam verum est quod prædicabis, noli timere, ne supra quod credi possit, sit quod annuntias. Age iam, quid hoc? *Dic ciuitatibus Iudæ: Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit*, hoc est, ipse amantissimè saluabit regetque animas nostras, ad hoc, inquit, *exalta in fortitudine vocem tuam, & noli timere*, quasi dicat: Contende huius beneficij magnitudinem cunctis manifestare: neque enim verendum est, ne immodicus in amplificando sis: superat enim omnem laudem, omnem hominum tantùm, sed & cunctorum Angelorum, filius dignationis diuinæ magnitudo.

Cùm Raphael in humana & apparenti effigie comitem se Tobiæ iuniori exhiberet, & miris ei modis in itinere fauisset, incolumem tandem, nouisque opibus & felici matrimonio auctum ad patrem reduxit, & cæco patri visum restituit, hæc vbi facta sunt, rogat senior Tobias filium: *Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum?* Cui filius, *Pater*, inquit, *quam mercedem damus ei? aut quod dignum poterit esse beneficijs eius? Me duxit & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit, vxorem ipse mihi habere fecit, & dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, meipsum à deuoratione piscis eripuit: ipse quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum dotati sumus. Quid illi ad hæc poterimus dare? Sed peto te pater mi, vt roges eum, si fortè dignabitur medium partem ex omnibus, quæ allata sunt, sibi assumere.* Hæc inter se pater filiusque tractabant, quando oculos suos in beneficium solum, non in benefactorem ipsum conijciebant. Cæterùm vbi Angelus Domini dixit eis: *Ego sum Raphael Angelus, vnus ex septem, qui astamus ante Deum*, tantus eos stupor inuasit ex dignitate personæ, & diuinâ erga eos bonitate, vt in terram prostrati, trium horarum spatio immobiles permanserint, & obstupefacti, ita vt toto tempore illo, nec loco moueri, nec cum domesticis, nec inter se loqui valerent, nec à diuinis laudibus cessarent: itaque cùm ad solum beneficium oculos conijcerent, de retributione cogitabant; at vbi subuenientis personæ dignitas patefacta fuit, iam non de retributione agunt: illam quippe iam impossibilem esse cernebant, sed in admirationem & diuinas laudes eruperunt. Nunc igitur, fratres, obsecro vos & obtestor per eum, qui sic saluauit nos, vt beneficium beneficio, & benefactorem benefactori comparemus. Liberauit Raphael Tobiam, sed quantò, quæso, maius est à faucibus illius truculentissimi draconis infernalis animas nostras liberare, quàm à faucibus piscis corpus hominis vnius? Visum ille restituit Tobiæ: sed quantò præstantius est clausos animæ vestræ oculos aperire? Vxorem Tobiam habere ille fecit: sed quantò nobilius est Filium Dei animarum nostrarum fieri sponsum? Magnas diuitias Angelus Tobiæ comparauit: sed quantò excellentiora sunt bona, tum gratiæ, tum gloriæ, quæ nobis Christi beneficio conferuntur? Si igitur Tobias Angelo, quem non Angelum, sed Azariam esse censuit, dicebat: *Azaria frater, si meipsum tibi tradam in seruum, non Tob. 5. ero condignus prouidentiæ tuæ*; quid nos Christo Domino dicemus pro tot tantisque donis, quæ in redemptione nostra comprehenduntur? Sed iam ad circumstantias personarum veniamus. vbi vterque Tobias personæ Angelicæ dignitatem agnouerunt, obstupefacti diu remanserunt: quo igitur pacto in nobis aut spiritus, aut halitus remanere possunt, quando personæ diuinæ re-

dimen-

dimentis nos, dignitatem consideramus? Ille quidem Angelus erat, hic verò Angelorum Dominus Deus: ille ad illud munus exequendum corpus assumpsit, sed tamen aereum, quod, peracto itinere, in tenues euanuit auras: Christus verò verum assumpsit corpus humanum, animamque veram, & semel assumptam humanitatem in æternum non dimittet; ille brevi temporis spatio, & absque labore vllo munus suum obiuit: Christus verò triginta trium annorum tempore inter homines peregrinatus, famem, sitim, algores, æstus, inopiam, vincula, flagella, ac tandem acerbissimam & turpissimam crucis mortem pertulit; ille felle piscis oculos Tobiæ sanauit, Christus verò felle, quod pro nobis hausit, & sanguine, quem pro nobis fudit, oculos mentis nostræ aperuit, & à peccatis expiauit. quomodo ergo non maiori, quàm vterque Tobias, admiratione tenemur? quomodo non perpetuis encomijs Iesum & Saluatorem nostrum collaudamus, extollimus, magnificamus? cur saltem non assiduè tantum beneficium meditamur?

Sanè antiqui Patres adeò præ oculis illud (quamuis adhuc futurum) habebant, vt vix de alijs rebus loqui liberet. Sic Isaias, cùm de futuro Cyri regis imperio vaticinaretur, quod propitium scilicet Iudæis futurum erat, protinus in Saluatorem nostrum oculos conijcit, & subitò in hanc prorupit vocem: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet saluatorem.* quod perinde est, ac si diceret: hoc ipsum quod agebamus, leuis momenti est, quia ad interitura bona pertinet; illud verò summum est, perpetuoque tractandum, & continuis votis exoptandum, nempe Saluatoris aduentus, in quo vniuersa nostra consistit æterna salus.

Sic etiam Patriarcha Iacob moriens, cùm de tribu Dan vaticinaretur, ab hoc vaticinio oculos auertens, & in Christum transferens, dixit: *Salutare tuum expectabo Domine,* vel, vt alij transferunt, *expectans:* quasi diceret, hoc semper egi, hoc semper animo cogitaui: expectans expectaui semper Saluatorem meum: non moriar, seu Saluatoris mei beneficio non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini. Si ergo illi, qui adhuc non receperant tantum donum, sed expectabant futurum, sic præ oculis illud habebant; quid nos facere decet, qui tanto bono iam potiti sumus? Hora est iam nos de somno surgere fratres: quia nox illa temporis antiqui præcessit, dies autem appropinquauit. Orto diuino sole, sicut in die, honestè ambulemus Christo, & immensas ei semper verbis & operibus gratias referamus, &c.

Magna quadam admiratione captus Ieremias, lamentabatur maximè, eò quòd flagella & calamitates vsque ad portas Ierosolymæ deuenissent. Videbatur enim illi admiratione dignum, Dei ciuitatem vexari: sed multò digniùs admiratione est ipsum Deum flagellis cæsum esse, & virgarum plagis deformatum.

Augent quidem verbis priscorum historiæ egregium illud factum cuiusdam serui, qui cùm cognouisset milites quosdam in Reatinam villam venisse, vt Dominum suum Panopionem interficerent, commutata cum eo veste, permutato etiam annulo, illum postico clam emisit: se autem in cubiculum ac lectulum recepit, & se, vt Panopionem, occidi passus est. Admirantur ergo historiographi, & commemorando augent, quo pacto, cùm hic seruus ante oculos habuit subitum militum accursum, conuulsa ianuæ claustra, minacem vocem, truces vultus, fulgentia arma, & mortem sibi imminentem aspexit, quo, inquam, pacto non clamauit, se seruum Panopionis esse, non verò ipsum Panopionem: vt hac ratione vitam tueretur suam, & atrocissimam mortem effugeret? Plurimum sanè hic seruus pro suo domino fecit: sed multò magis Christus Dominus hominum causâ laborauit. Si enim seruus ille vestem sui domini suscepit, Dominus ac Deus noster sui serui formam accepit, *habitu inuentus vt homo.* Si ille vulneribus confossus interijt, Christus Dominus grauissimis vulneribus, immanissimisque cruciatibus ac doloribus affectus, occubuit. Si seruus in quodam domus receptaculo interemptus, Dominus Iesus publicè & in omnium oculis crucifixus est, morteque mulctatus: ille denique vitam serui pro defendenda sui Domini vita tradidit, Christus verò Dei ac supremi Domini vitam amisit, vt seruorum salutem incolumitatemque tueretur. Quòd si seruus ille dissimulatione vsus est, nec voluit se manifestum reddere, sed mortem libenter oppetijt, suus vt Dominus saluus euaderet; dissimulauit etiam Seruator noster diuinitatem suam, neque voluit mortem subterfugere, dicendo se Deum esse: quia si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. sed mira quadam taciturnitate, summaque moderatione id occultauit, vt hac ratione reus haberetur, & acerbissimam mortem pro hominum salute vitaque tuenda subiret. Quæ ergo maior fidelitas? quæ amicitia fidelior? quæ charitas ardentior eâ, quæ in huiusmodi facto elucet? Quâ nos grati animi beneuolentiâ illud prosequemur? Quòd si Panopio ille tanti fecisse fertur serui sui erga se officium, vt magnificum ei sepulcrum struxerit, in eoque epitaphium collocauerit, in quo se illi gratum ac beneficij memorem ostendebat; quantò potiori iure beneficij à Deo in nos collati memoriam perpetuò conseruabimus, & gratissima quadam animi recordatione, sempiternaque beneuolentia colemus? præsertim cùm nullum aliud à Deo in nos beneficium illustrius extet, & in nullo alio præstando cruciatus, flagella, dolores, aut labores aliquos ille subierit. Totam enim hanc rerum vniuersitatem vnico dumtaxat verbo effinxit: *quia ipse dixit, & facta sunt,* illaque sine vllo labore aut sollicitudine tuetur & conseruat. Plura quidem ac maxima beneficia contulit Deus in Israelitas, eos siquidem à dira Pharaonis seruitute vindicauit, & in iucundissimam charissimæ suæ patriæ libertatem asseruit, aditum illis in Iordanis flumine aperuit, quo sicco pede pergerent, & Pharaonis milites, à tergo eos insequentes, in aquas demersit, cœlestem illis cibum aquamque suauissimam in vasta solitudine suppeditauit, & eos in sanctissima sua lege, sacris ac cæremonijs instituit. Sed neque in his omnibus beneficijs faciendis aliquam ille operam, aut laborem posuit. At in nostræ reparationis beneficio præstando plurimùm certè laborauit, fatigationem & lassitudinem subijt, & tandem opprobrijs affectus, flagellis cæsus, spinis redimitus, sputis illitus, in crucem actus, ac tandem emisit spiritum. Quantam verò gratiam huiusmodi beneficium exigat, quis explicabit?

Deum Saluatorem nostrum fieri idem est, quòd medicum fieri animarum nostrarum. Vnde obstantibus saluti animarum, dixit: *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus.* hoc est, quæritis cur inter peccatores versetur? Dicam, quia medicus sum peccatorum, & ideò quoque in sacris litteris *saluator noster*, appellatur Christus. *Exultauit spiritus meus, in Deo saluatori meo*, ait Beatissima Virgo; *saluatore* quidem eius fuit, quia à peccato originali præseruauit; nostrum, quia sanat animas nostras à peccatis: sunt enim peccata animarum ægritudines, vnde non mirum, si idem esse dicamus, saluatorem, & medicum animarum esse: & vt id omnibus esset exploratum, cùm primùm in lucem editus susceptusque est, circumcisionis notâ voluit signari, vt sibi Saluatoris nomen imponeretur. *Quia*, vt Angelus ait: *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, hoc nomine appellari voluit: quia propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis. & hoc fuit totius vitæ suæ studium: in hoc tantam operam collo-

cauit, vt moriens sanguine suo lauacrum efficeret, in quo animæ ab omnibus maculis expiarentur. Non quandoque, aut vnam post aliam sanauit, aut primam solum quæ aquis immergeretur, vt contigit in piscina, quæ erat in Ierusalem, cuius meminit Ioannes : sed omnes animas, quæ quolibet tempore ad illas lustrales aquas confluerent. Ipsi honor & gloria. Maximum beneficium est hoc, & opus est vt gratias habeamus, &, vt possumus, referamus : ipse enim Deus descendit, & medicus noster esse vult. Hoc pacto animum nobis ingerit, vt de animarum nostrarum salute diligenter agamus. A

4. Reg. 20. Magni factum est beneficium, quod Deus contulit Ezechiæ græuissimo morbo laboranti, à quo posse liberari nulla erat spes, cùm ad illum misit Isaiam Prophetam, qui illum curaret, & cùm Regis vita ad vnum tantùm diem concederetur, ad quindecim annos integros productа ratione; & vt miraculum illud præstantissimum esset, sol decem lineas regressus est. quo miraculo obstupefactus rex Babyloniæ legatos suos misit ad Ezechiam, vt illum suo nomine salutarent, & de valetudine miraculosa gratularentur ei. Sed quanti adhuc maioris valoris est, vt sol ipse iustitiæ descendat, vt peccator ad pristinam valetudinem reuocetur, & ipsi filio Dei salus animæ nostræ curæ sit, & in illam incumbat, non vt nobis solùm longioris temporis vsura concedatur, sed vt ipso Deo sine fine vllo fruamur in cœlo? B

Raphael & Isaias corporis morbos curarunt, Christus autem animarum ægritudines: Raphael visum restituit, & dæmonem in fugam conuertit. Isaias morbum, quem Ezechias contraxerat, aut aliam quamdam corporis infirmitatem expulit. Quæ quidem omnia corporis limites non transcendunt : medicamina autem, quæ medicus ille cœlestis adhibebat, non corporibus modò, sed animis etiam proficiebant : corpora ad vitam reuocabat: sed animis, quod maius est, vitam, quæ à gratia proficiscitur, restituebat. Inter quæ maximum versatur discrimen : non enim parum interest, mentem, quæ nobis cum Angelis commúnis est, ignorantiæ tenebris obductam esse aut corporis oculos esse cæcos, qui nobis cum aliis animalibus communes sunt. Maius beneficium est animas nostras à dæmonis seruitute in libertatem asserere, quàm corpora à potestate Asmodæi liberare. Nónne maius malum est vnius animæ mors, quàm omnium corporum ? Quid habet similitudinis corporis vita, infinitis laboribus & calamitatibus obnoxia, cùm vita animæ sempiterna, & omnibus bonis affluente ? si ergo corporis valetudo tanti habetur, quanti habeatur necesse est animi salus ? C

Si autem clariùs vultis perspicere diuinæ huius misericordiæ præstantiam & excellentiam, considerate quæ sint animæ ægritudines, quibus medicinam adhibet medicus ille cœlestis : scelera enim & flagitia sunt in ipsum Dominum perpetrata. id Dominus ipse pecu- D liari quadam ratione perpendit, cùm ait : *Spiritus Do-* Isai. 61. *mini super me, eò quòd vnxerit Dominus me : ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, &c.* Hæc Isaiæ verba de Christi Domini aduentu loquuntur, vt explicuit Dominus, cùm sedens in templo, vt doceret, accepit librum, & cùm hæc verba legisset, subdidit: *Hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.* Hunc ergo Isaiæ locum sigillatim expendamus : *Ad annunciandum* (inquit) *mansuetis misit me :* mansueti enim plurimùm Deo placent. nec solùm ad hoc munus præstandum missus sum, sed *vt mederer etiam contritis corde, &*, vt in Symmacho & Theodotione habetur, *ad alliganda vulnera peccatorum,* quæ cordis contritiones dicuntur : non sunt vulnera manuum aut pedum, sed cordis vulnera, voluntatis vulnera : non sunt vulnera inuito homine accepta: nam voluntate annuente eadem voluntas vulneratur, his vulneribus medicinam adhibeo, quæ adeò lucu-lenta sunt, cùm ea homo ipse sibi inflixit, vt non pro-mereatur, vt vel illi Deus compateretur. Et alibi etiam ait Dominus : *Sanabo contritiones eorum.* vbi multi legunt: *Sanabo auersionem eorum :* & loquitur Propheta, vt exponit D. Hieronymus, Cyrillus, & alij de aduentu Christi Domini. *Sanabo*, ait, *auersionem* : non vulnera, sed *auersionem :* à me enim auersi sunt, quod lethale illos vulnus infligit. Descendit etiam, vt *prædicaret captiuis indulgentiam.* Si aulicus aliquis Regis familiarissimus, malo spiritu agitatus, stricto mucrone Regem vellet confodere, & non regem, sed seipsum vulneraret lethali plaga, quam ob causam in vincula conijceretur, donec illi supplicium tanto scelere dignum decerneretur; si Rex carcerem intraret, vt vinctos conspiceret, cum que illum intueretur, misericordiâ motus iuberet vt expedirètur vinculis, & vulneri medicina cuiusuis prei adhiberetur, vt ad valetudinem reuocaretur : nechus contentus, illum impunè abire permitteret, & ad suam pristinam amicitiam & familiaritatem restitueret; quo tantam Regis clementiam non prædicaret, & summis in cœlum laudibus efferret ? quibus posset augeri verbis tanta pietas? Id quod diximus adumbratam quandam diuinæ misericordiæ similitudinem præfert. Peccauit homo, & quamuis Deum mucrone petebat, seipsum tamen mortiferâ plagâ vulnerauit : coniectus est in vincula sui scelèris, diuina iustitia illum sempiternis cruciatibus addicebat : Deus autem, cùm illum esset intuitus, misericordiâ motus, iussit vt catenis soluerètur, & quibuslibet stipendijs diuinis vulnus curaretur. Liber, inquit, discedat è carcere, & ad Dei primam familiaritatem reuocetur. O summam Dei erga humanum genus liberalitatem ! ô clementiam inauditam ! ô misericordiam singularem, & ipso Deo dignam ! Quis putaret Domine, id te effecturum esse, vt perditi hominis, & tibi inimici saluti consuleres ? O charitatem infinitam ! *Fidelis sermo* (ait Apost.) *& omni acceptione dignus : quia Christus Iesus venit peccatores saluos facere.* quis iam de sua salute diffidet, quamuis grauissimum morbum contraxerit ? Adeò diffidebant quondam peccatores quidam (ait Ezechiel) vt dicerent : *Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus : quomodo ergo viuere poterimus ?* Id immeritò dictitabant : sed cùm Prophetæ tunc essent medici illorum, qui maximam quandam seueritatem ostendebant, de peccatorum suorum remedio diffidebant. Nunc autem Christus Dominus descendit curare nos, qui tanta vtitur lenitate & misericordia, vt ipse adeat xenodochia, & oculos conijciat in eum, qui triginta & octo annos habuerat in infirmitate, & illum pristinæ valetudini restituit : quis ergo de sua salute desperabit, cùm talem medicum habeat ?

Aspexit quondam Dominus populum suum, cumque illum decoloratum, & maculis respersum cerneret, ait : *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate coram me, dicit Dominus.* Vbi D Hieron. ait: *Nitrum nostrum & herba fullonis, panitentia nostra est.* Ecclesiasticus quoque sermo, qui arguit, & increpat, & corrigit diligentèr em, mordacioris nitri habet similitudinem. Vult dicere Ieremias, difficilem illos habere scelerum medicinam, & sollicita ac peculiari quadam cura indigere. Animis fortasse diffiderunt peccatores, cùm Deus ipse, qui erat supremus medicus, maximam salutis illorum difficultatem obijciebat. Nobis autem animos addit diuina misericordia : nempe cùm Christum Dominum ob oculos proponat, qui descendit sanare omnia vulnera nostra, & solùm expectat voluntatem nostram. Huius rei satis firmum argumentum est, paralytici hominis valetudo : qui cùm primùm illud verbum, *volo sanari, tua* pronunciauit, sanatus est. Indicat enim, neminem diffi-

diffidere debere, quanquam se vndique peccatis circumuentum animaduertat. Nam si voluntatem præbeat, sanitatem recipiet: quia iam ille descendit, qui sanat omnes contritiones nostras. Laus illi, honor, & gloria, &c.

A

Et si id Dominus sine vllo labore faceret, si è cœlo largam ei benedictionem impertiretur, adeò magnum esset beneficium, vt nullis posset verbis augeri: noluit autem hoc pacto peccatori consulere, sed vitam suam & sanguinem profundere; vt hominis salus esset honorificentior, & sanguine suo immaculato lauacrum fieret, in quo omnium scelerum maculæ abstergerentur. Connecte ergo obsecro duo hæc extrema, Deus, vt peccatores saluos faciat, dedecora, cruciatus, & mortem atrocissimam subijt. Quis vmquam posset tantæ charitatis amplitudinem cogitatione complecti?

B

7. *Vix enim* (vt ait Apostolus) *pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori? Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Id Ambrosius exponit: dicens: *Pro iusto, aut bono audebit quis forte mori, miseratione quadam allectus, aut affectu bonorum operum eius: pro impijs verò non solùm quod fuadeat mori deest, sed & quod ad lacrymas prouocet: Christus autem mortuus est pro impietatibus populi, vt omnia, quæ mundus diffidit, faceret credibilia.* Hæc Ambrosius. Si ergo vix reperitur charitas, quæ inducat hominem, vt pro iusto & innocente moriatur, quæ charitas erit illa quæ Deum coegit, vt pro iniustis, pro nocentibus moreretur?

Vt magnæ charitatis argumentum narrat Scriptura id, quod fecit Dauid, cùm in solio regni Israel omnibus difficultatibus superatis pacatè consedit. Iussit enim vt magna fieret diligentia & conquisitio ad indaganda, an residuus esset aliquis ex domo & familia Saulis. Sed non potest hæc misericordia cum Christi clementia conferri, quem cùm peccatores infinitis propemodum iniurijs lacessierint, ipse, & non alius eius nomine, descendit, vt eorum vulneribus medeatur. Ad mensam Dauidis accumbebat nepos Saulis, vt ex cibis Dauidis vesceretur: sed Christus Dominus vitam suam obtulit; vt peccator cœlesti accumberet mensæ. Dauid recordatus est Ionathæ, quem vnicè dilexerat, & qui fibi fidelis amicus fuerat: Christus autem nullius hominis meminit, qui illum beneficijs obstrinxisset, vt tantis ipse muneribus peccatores cumularet. *Sanabo* (inquit) *contritiones eorum.* Et subdit: *diligam eos spontaneè*, quasi dicat, non eos diligo, quasi id ipsi meruerint, sed mea sponte: ipsi enim me suis sceleribus ad iram & indignationem prouocabant. Si ergo Dauidis misericordia magna fuit, & vt talis à Scriptura commemoratur, qualem fuisse arbitramini diuinam Christi Domini pietatem? cui quam gratiam habere debeamus, non possumus cogitatione complecti. Non poterat Naaman Syrus debitas gratias agere Eliseo Prophetæ, qui illum à lepra mundauerat, nec imponebat finem gratiarum actioni: cur igitur nos tam citò defatigati supersedemus, & Christo Domino, qui nos à dira, & fœda peccatorum lue saluos reddidit, non agimus gratias? O vtinam Angeli in cœlo, id quod in nobis desideratur cumulatissimè præstent.

C

D

At dicet aliquis, quid est quòd cum talem ac tantum habeamus medicum, plures è nobis æterna moriantur morte? Cur tantum habentes medicum, non plenam omnes assequimur salutem? cur tali Saluatore non omnes saluamur? Ait quidam infirmus: *Hominem non habeo:* verba sunt illius ægroti, cuius aduersa valetudo ad triginta octo annos producta fuerat. Quibus ostendit, quam ob causam valetudinem non receperit, cùm tamen in Ierusalem remedium illud miraculosum inueniretur in piscina: quia scilicet non habebat hominem: nos autem, ad quos sanandos Christus Dominus descendit, & lauacrum Sacramenti instituit, hanc excusationem afferre non possumus: nam quo pacto excusabitur peccator, qui plurimos annos in cœno & volutabro peccatorum voluitur, in lecto scelerum & flagitiorum iacet, & parum distat à morte sempiterna, cùm habeat Christum medicum, omnes infirmitates sanare potentem?

Mirabatur Dominus, cùm medicos & medicinam præstantissimam elargitus fuisset populo suo Israel, quid esset in causa, quòd vulnera recrudescerent, nec cicatricè obducerent. *Numquid resina nō est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Quæ est hæc resina Galaad, & qui sunt hi medici, quòd tantam culpam Dominus reiecit in illos, qui non curabantur? Theodoretus exponens, ait: *Medicos appellat sacerdotes, & doctrinam spiritualem figuratè resinam. Galaad autem vrbs erat sacerdotibus destinata. Conqueritur ergo Deus quòd ciuitas perseuerauerit in delicto, nec pœnitentiam receperit, cùm tamen non deessent sacerdotes, & præcepta legis.* Hæc ille. Versabantur illo tempore in Israel Ieremias, Baruch, & alij sanctissimi Prophetæ diuino splendore illustrati. Vnde meritò miratur Dominus, cur non reuocentur ad pristinam valetudinem peccatores: *Quomodo* (inquit) *non est obducta cicatrix?* Quomodo remansit vestigium vulneris? Si ergo hoc admirationis causam præbuit, quantò magis mirandum est, in populo Christiano remanere, non solùm vulnerum vestigia, sed vulnera etiam, & peccata lethalia post Christum medicum, & Sacramentorum medicinam ab illo confectam.

Ierem 8. 22.

Ibid.

Et si mirandum erat sacerdotes, qui in sanctuario versabantur, sordibus esse infectos, cùm intra illud mare aquarum esset: quantò magis mirandum est in Ecclesia, intra quam mare magnum pœnitentiæ continetur, animas adhuc esse scelerum maculis infectas? Erat in vrbe Ierusalem maximum templum, in quo offerebantur sacrificia, quibus expiabantur animæ, & erat admirationi dignum; aliquas esse animas nondum sanctificatas: sed maiori admirationi dignum est, in Ecclesia Catholica esse maximum illud Sacrificium corporis & sanguinis Christi Domini, quod semel in cruce cruentum oblatum est, & sæpe offertur in Sacrificio Missæ, & tamen adhuc multi sunt infirmi, morbis oppressi, & peccatorum ægritudinibus affecti.

Priusquam huius rei rationem reddamus, aduertere opus est, optimo iure posse Dominum de peccatoribus conqueri, eò quòd misericordiam illius parui faciunt, & medicinis ab eo institutis non vtuntur: id enim non solùm in animarum nostrarum perniciem cedit, sed etiam in detrimentum diuini honoris. Nam si in hanc vrbem ingrederetur medicus aliquis singularis, qui adeò præstantissimis vteretur medicaminibus, vt illis omnia morborum genera curaret: si omnes ægri, vel maior eorum pars periclitaretur, quia nollet vti illis medicinis eo ordine, & modo, quo medicus præscriberet, nónne occasionem præberent malè sentiendi de medico, & medicinis illius? Nam qui ægrotantium culpam non agnoscerent, in medicum & medicinas omne detrimentum reijcerent: & meritò posset de illis conqueri medicus, & dicere: Vestri causâ dedecore & ignominiâ afficior in populo. Quo igitur iure non conqueratur Dominus de Christiano populo, pro cuius salute descendit de cœlo, proficuas nobis afferens medicinas, quibus asserit quemlibet ægrotum quocumque morbo affectum, & ad extremum deductum, posse ad pristinam valetudinem reuocari. Si nos adeò stolidi sumus & vecordes, vt nolimus illis vti eo ordine & modo, quo eas Christus Dominus instituit, & adhiberi præcepit: quid mirum, si adhuc multi in nobis sunt infirmi, & imbecilles, similes Ethnicis, barbaris, & peccatoribus, superbi vt illi, auari vt illi, turpes scelerati & flagitiosi vt illi? exprobrabunt nobis Ethnici Christianam

stianam religionem, & dicent: Si tanta est virtus Sacramentorum Ecclesiæ Catholicæ, si omnes expellunt morbos, infirmitates, & animorum ægritudines, quomodo tot homines sceleſti in ea versantur? credi non potest virtutem habere illa medicamina, quæ nullam hominibus salutem conferunt. Id nobis obijcient Ethnici: Christus autem obijciet illud, *Isai. 52. 5.* *Nomen meum propter vos blaſphematur inter gentes.* Meritò Domine concuereris, & nos acerbiſſimo ſupplicio punis: quia rationi conſonum non eſt, vt tanta iniquitas euadat impunita.

Sed quid eſt in cauſa, cur huiuſmodi peccatores his præſtantiſſimis medicinis ſalutem non recipiant? Facilè poſſumus reſpondere: quia illis non vtuntur, nec illas ſuis vulneribus medendis admouent. Quid enim prodeſt illi, qui grauiſſimo laborat morbo, ſi à medico frequenter inuiſatur, illeque ægrotanti ſaluberrima medicamina adhiberi præcipiat, ſi recuſat infirmus ea accipere? Sapientiſſimum habemus medicum in Eccleſia Catholica, Chriſtum ſcilicet, ſempiterni Patris filium, ſaluberrimam medicinam ſuo ſanguine confecit? ſed quid iuuat, cùm peccatores illam ſibi admoueri ſubterfugiant? Sed hic oritur magna dubitandi ratio, cur peccatores grauiſſimis affecti vulneribus, medicinas, quæ ſibi à Domino liberaliter offeruntur, nolint amplecti.

Duplicem cauſam afferre poſſumus. Id enim ex mentis & voluntatis infirmitate prouenit. Nunc tantùm de mente agamus: voluntatem autem in proximum diſcurſum reijciamus. Primùm, non cognoſcunt quantum boni in virtute & Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutis poſitum ſit: vnde id nihili faciunt, & totam ſuam operam & diligentiam in indagandis corporis voluptatibus collocant, more pecudum, virtuti nuncium remittunt, animi ornamenta deſerunt, è quibus totius hominis ſalus pendet. Huius rei effigiem *Dan. 4. 31.* præſetulit Nabuchodonoſor rex Babyloniæ, qui regiam deſerens, in prata virentia & frondoſa nemora ſe recepit, ibique herbis & frondibus paſcebatur, & inſtar bouis illo alebatur, & oblectabatur pabulo. Quomodo, cùm homo eſſet rationis capax, hominum cibum non quærebat, vt illo veſceretur, ſed beſtiarum pabulo contentus erat? Videlicet, quia *cor eius ab humano communtatum eſt, & datum eſt ei cor feræ*: quid mirum ſi in prato verſetur, & herbis in eo virentibus paſcatur? Vnde cùm poſtea reſtitutus eſt ei cor hominis, ſtatim in domum ſuam reuerſus eſt, vt more hominis vitam duceret: vt ipſe ait, dicens: *Poſt finem dierum, ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi: & Altiſſimo benedixi, & viuentem in ſempiternum laudaui, & glorificaui.* Et ſubdit: *In ipſo tempore ſenſus reuerſus eſt ad me, & ad honorem regni mei decoremq; peruenj, & in regno meo reſtitutus ſum.* Ecce tibi dum belluino corde vtebatur, in pratis commoratus eſt more pecudis: cùm autem ſenſu & ratione ductus eſt, vitam homine dignam inſtituit. Idem peccatoribus accidit, qui inſtar pecudum in nemoribus voluptatum commorantur, ibique corporis oblectationibus perfruuntur, & deſerunt ſpiritualia gaudia, quæ ſub inuolucris Sacramentorum latent: quia cor belluæ datum eſt illis. Vnde quoad illis cor hominis ſingulari Dei beneficio reſtituatur, non cognoſcunt quid illorum interſit.

Id in quolibet ægroto, qui inſanus redditur, videre eſt: cùm mente vtebatur, medicamina ſibi adhiberi poſtulabat, quia ex illis corporis valetudo pendebat: ſed iam mente captus, & ſtolidus redditus, illa reſpuit; quia nulla ratione ducitur, nec periculum, in quo verſatur, animaduertit. Sic in ſpirituali ægritudine, cùm adeò ingraueſcit, vt rationem minuat (vt ſæpè fit) qui priùs confeſſionem expetebat, & ſacram ſynaxim poſtulabat, illas non appetit & oblatas reſpuit; quia peccata illius ad verticem capitis aſcenderunt, mentem obnubilant, ne periculum, in quo verſatur, agnoſcat: ſed ſæpe, vt inſanis accidit, in periculis gaudent, & lætantur cùm malefecerint: Vnde D. Gregorius ſuper illud, *Sic in tenebris quaſi in luce ambulant*, ait: *Quia ſic in præſenti cæcitate læti ſunt, ac ſi æterna patriæ luce perfruantur, quia ita gaudent in nocte peccati, ac ſi eos iuſtitiæ lux circumfundat.* Ita ille.

Quando anima peccatoris ad huiuſmodi calamitatē deuenit, & mentis cæcitatem contraxit, iam cum annæ funeræ poſſunt reſonare, *bien pueden doblar por ella*: enim apertiſſimum ſignum eſt damnationis æternæ, & indicant verba illa, quæ Dominus Ieſus reſpondit Apoſtolis, dicentibus: *Phariſæi audito hoc verbo, ſcandalizati ſunt, Simite illos* (ait) *cæci ſunt, & duces cæcorum.* opus miſericordiæ videbatur, illos ab errore deducere; Chriſtus autem ait: *Simite illos*, ne tempus & operam in illis permouendis conteratis. Loquitur inſtar medici, qui in ægroto apertiſſima mortis ſigna perſpicit, & de illius ſalute deſperans, ait: Sinite illum, nullam opis eſt adhibere medicinam: breuī enim morietur. Sic Chriſtus, cùm horum calamitatem perſpiceret, ait: *Simite illos.* Cur Domine ſic de illorum ſalute diffidis? *Quia cæci ſunt, & duces cæcorum: cor* illorum *ab humano commutatum eſt, & cor feræ illis datum.* A nimaduertite caſum illorum, qui ob mentis cæcitatem Chriſtum deſerunt, ab illoque petite, quandoquidem animarum medicus fieri voluit, vt mentis veſtræ oculos aperiat, & diuini luminis ſplendore illuſtret.

Nunc ad defectum voluntatis veniamus. Interrogauit Chriſtus Dominus paralyticum piſcinæ: *Vis ſanus fieri?* ſingularis valde videtur hæc Domini interrogatio. Æger enim ille, qui triginta & octo annos conſumpſerat in quærendis medicinis, quibus paralyſi, quā torquebatur, mederetur, qui prope piſcinam tot expectabat annos, ſi fortè aliquando ſors illi contingeret in illam ſe immittendi, & valetudinem recuperandi, & poſt tanta annorum curricula euoluta, adhuc perſeuerans in ſuo propoſito perſiſtebat; quid dubium, quin valetudinem ſibi oblatam, vtraque manu ampleſteretur: cur ergo illum Chriſtus Dominus rogat; *Vis ſanus fieri?* Domine, quis morbo aliquo laborat, qui nolit ab illo liberari, præcipuè paralyticus, qui iacet in lecto, nec membrorum ſuorum compos eſt? &c.

Hinc perſpici poteſt magnum aliquod myſterium latere ſub hac Chriſti Domini interrogatione. His corporum morbis animarum ægritudines ſignificantur, vt dicunt ſancti Doctores: vnde in valetudine corporum, animarum item ſalus deſignatur, &, vt indicet Chriſtus Dominus voluntate hominis opus eſſe, vt ab his animi ægritudinibus liberetur, rogat: *Vis ſanus fieri?* Vnde eſt illud Auguſtini: *Qui creauit te ſine te, non ſaluabit te ſine te.* Duo requiruntur in ſalute hominis: auxilium quod Dominus præſtat, & voluntas quam adhibet peccator, vt docet ſanctus Thomas, & ratio ipſa nos docet. Homo enim natura ſua liber eſt, cùm autem Deus creaturas omnes iuxta earum naturam ducat, quæ neceſſarias habent cauſas, neceſſariò aguntur; quæ autem habent liberas, ducuntur libere: hoc enim ad ſuauem Dei prouidentiam pertinet. Vnde ad hominis liberi conuerſionem, opus eſt, vt illius voluntas expectetur, & ipſe eligat quod ſibi magis placeat, aut iuſtitiæ bonum, aut peccati malum. *Deus enim ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij Eccli. 15. ſui, &c. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Rationi etiam conſonum eſt, vt ille, qui voluntate duce, peccatum commiſit, eādem auctore damnum reſarciat. Æquum eſt, vt liberè homo cum Deo coniungatur, quando liberè ab eo diſceſſit, & eadem voluntate, quâ Domino iniuriam intulit, eidem ſatisfaciat. & maxima Domini miſericordia eſt, quòd ſalus animæ ex peccatoris quoque voluntate pendeat,

pendeat, cùm tamen corporis valetudo in illius voluntate posita non sit.

Sed maxima admiratione dignum est, opus esse ab homine quærere, an velit sanus fieri? Si Deus, cui injuria illata est, difficultatē ostenderet, mirandū nō esset: sed quod homo, qui auctor injurię est, id est quod in magnam rapit admirationem. Deus rogandus esset, Domine vis sanare: non autem homo: *Vis sanus fieri*: Deus esset difficultatem obiecturus: homo autem ad illius pedes prouolutus, enixis precibus deberet contendere: *Sana me Domine, & sanabor.* Ægrotus enim quærit me-
3. dicum, non medicus ægrotum. Vnde Dauid: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.* Beatus Augustinus: Tu Domine medicus es, & ego æger sum: tu misericors es, & ego miser sum; sana ergo Domine, & miserere. hæc optimè conueniunt: pauper enim diuitē quærit, infirmus medicum, miser potentem & misericordē, & nō contrà.

Hic autem diuinæ misericordiæ magnitudinem perspicies, & misericordiæ nostræ infelicitatem agnosces. B Deus veniam offert, & orat, peccator non vult acquiescere. Res mirabilis, quę ipsi Deo admirationi esse videtur. Audi illum: *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina cōgregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Diuinæ pietatis præstantiam in his verbis recognosce. Sicut gallina, inquit, quæ inter omnes volucres quasi pietate præstat, & pullos suos singulari quadam amoris significatione fouet, filios tuos cōgregare, defendere, & tueri volui, & noluisti. quo pondere; quo dolore hæc Christus Dominus proferebat verba! & non caruit admiratione illorum verborum coniunctio, *volui & noluisti*: voluit enim Dominus Ierusalē ad se conuertere, & illa noluit conuerti, ac si Domini interesset, & non illius. *Volui* (inquit) sed quo pacto? misit ad illos Prophetas & medicos. Sed qua ratione noluerunt? quia lapidibus obruebant Prophetas, & occiderunt eos. Audi Auctorem op. imperf. apud D. Chrys. C
Missum ad te Isaiam serrasti, & seruum Domini Ieremiam lapidasti: Ezechielem tractum per lapides excerebrasti; quomodo saluaberis, quæ ad te medicum nullum venire permittis? Hæc ille. Quis vnquam audiuit ab aliquo rege allatos esse præstantissimos medicos, vt sine vlla mercede ægrotātium morbis mederentur; illos autem adeò ingratos extitisse, vt in medicos insurgentes, eos interfecerint? id autem, quod nullibi contigit, visum est Ierosolymis. Misit ad illos Dominus Prophetas; illi autem non solùm illos, vt par erat, non exceperunt, sed in furorem rapti, occiderūt eos: & quod adhuc maioris admirationis est, in Dominum ipsum maiestatis, qui medici nomine descēdit, hanc, & adhuc maiorem exercuere carnificinam. Neminem enim Prophetarum spinis redimitum rapuerunt in crucem, vt Christum: & nullam aliam tanti facinoris causam habuerunt, nisi quia venerat curare eos. Lege caput secundum libri Sapientiæ vbi id, de quo loquimur, non tantùm adumbratum, sed D
penitus expressum, reperies. Sed obijcies, illud Ierosolymis dumtaxat accidisse: in vrbe illa lapidatos esse Prophetas: non autem in Christiano populo. Esto, pugnare non audeo: sed quot sunt Christiani homines, quorum vulneribus Christus voluit mederi; illi autem recusarunt, & tergiuersati sunt? Numquid resina non est in Ecclesia? non versantur in ea præstantissimi medici? imò & ipse Christus, qui sacramentis, quæ instituit, singularem virtutem contulit, ad quæ libet sananda vulnera. Quomodo ergo non est obducta cicatrix? quia scilicet peccatores curari renuunt.

Deus valetudinem ægrotantibus offert; illi autē nolunt ea vti: Deus manum porrigit peccatori, vt illum inter cœlestis militiæ principes collocet; ille autem in peccatorum sordibus iacere vult: illum inuitat Dominus, vt cœlesti mensæ accumbat; ille autem eligit glan-

A dibus vesci, & inter porcorum greges cōmorari: Deus illum pretiosissimis vestibus induere & cœlestium ciuium ornamentis exornare conatur: ille autem lugubribus & laceris Babyloniæ indumentis contentus est. Deus cum illo amicitiam inire vult; ille autem cum Deo inimicitias gerere: Deus illum in filium adoptat; ille autem dæmonis duram seruitutem appetit: Deus illum ad iustorum numerum aggregare vult, ille autem ex peccatorum numero esse cupit. Mirabatur hæc considerans Augustinus, & dicebat: *Villam emis, & bonam desideras: vxorem vis ducere, & bonam quæris: filios tibi nasci bonos optas: &, vt etiam de rebus vilibus loquar, calceos emis, & non vis malos; quid ergo vitam annos malam? Si vitam vis malam, inter omnia bona tua eris malus.* Hæc Augustinus: præcipuè, cùm Deus opem suam offerat, vt illum à mortifero morbo ad sempiternam sanitatem reuocet. Miserum profectò esset, in retanti ponderis, & momenti, diuinum auxilium desiderari: sed adhuc miserius est homini, oblatum ab illo recusari. *Serm 3. ad frat. in erem.*

Princeps quidam Syriæ venit in terram Israel, vt Elisæi Prophetæ beneficio mundaretur à lepra, & vt id, quod exoptabat, faciliùs assequeretur, commendatias litteras à Rege Syriæ accepit, & præstantissima attulit munera, quibus Prophetæ animum deuincire posset: cùm autem Prophetæ virtute mundatum se à lepra vidit, hærebat in tanto beneficio, cogitans quo pacto Prophetæ gratiam referret, & grati animi significationem daret. cùm autem peccator animam vlceribus habeat infectam, & Christus illi valetudinem liberaliter offert, illam acceptare non vult. *4. Reg. 5.*

Rex quidam Ethnicus grauiter laborabat, & misit nuntios suos vt consulerent Eliæum Prophetam, vtrum Rex esset ab illo morbo liberandus, & vt eum beneficio prouocaret, quadraginta camelos misit omnium diuitiarum genere onustos. Quid faceret, si Propheta illum ad valetudinem reuocasset, quando solùm vt rei euentum Propheta nunciaret, hæc obtulit? Si ergo, vt corporis vitæ consulat, hæc homo exequitur, quid exequatur oportet, vt à sempiterna animæ morte liberetur? Quæ igitur insania erit, vt oblatum recusēt? miserum profectò est, vt quis sponte sua pereat. In corporis morbis sæpe fit, vt ægrotus amaram potionem exhauriat, & venam sibi præcidi ac cucurbitis medicinalibus se torqueri patiatur, & nihil omnia conducant: fit enim sæpe, vt post carnificinam istam ægrotus moriatur. Miserum profectò est: sed illud solatij remanet, adhibita fuisse ægroto medicamina omnia. In morbis autem spiritualibus, nec hoc, nec istud solatium reliquum est, quia moritur peccator, eò quòd medicinis à Christo Domino institutis vti non vult: nec mors ista, quam sua sponte peccator amplectitur, temporalis est, sed sempiterna: vnde calamitas hæc nullam consolationem admittit. Huius medicinæ memoria & recordatio, acerbissimo dolore afficiet damnatos: recordabuntur enim temporis, in quo potuerunt morbis suis mederi, & acerbissimos illos cruciatus declinare, & noluerunt. spina hæc acuta in corde defixa est, recrudescent vulnera, quæ dolorem semper incutiant. Sed hæc missa faciamus, & indagemus causam, cur peccatores nolint (cùm facilè possint) suis vulneribus medicinam adhibere. gaudent peccatores, cùm malefecerint, vulneribus lætantur, & existimant in xenodochijs huius mundi oblectationes suppetere ægrotantibus; Christum autem crucem & cruciatus illis obijcere, quos ad pristinam valetudinem reuocat. quo fit vt potiùs eligant inter peccatores versari, dummodo mundi oblectationibus perfruantur, quàm inter iustos varijs calamitatibus & laboribus inuolui. Ille qui corporis illecebris irretitus est, Christi Domini gratiam despicit, ne voluptates suas deserere cogatur. Auarus ad Deum 4. *Reg.* 8. 9. *Simile.*

comerti non vult, quia lucrum malè partum restituat imperat. Superbus cum Deo in amicitiam redire non vult, quia præcepit illi, vt superbiam submissione comprimat. Ille etiam, qui laxè, quòcumque illi placet, vagatur, virtutis frænis coërceri non vult. vnde non illi placet medicus ille cœlestis: asserit enim ab illo amarissimum poculum propinari, quo commouentur viscera, sed mundum sequitur, qui, inquit, auratum calicem porrigit, omni dulcedine commixtum.

Apoc. 17. 4. Vidit Ioannes Babylonem circumdatam purpura, & coccino, & inauratam auro, & ornatam lapide pretioso, & margaritis, habentem poculum aureum in manu sua, quam terræ principes sequebantur, vt illis potum præberet. Hanc ob causam nolunt peccatores Domini calicem degustare: dicunt enim felle & amaritudine mixtum esse, & illi anteponunt Babylonis calicem, in quo nihil non inueniunt suauitatis & dulcedinis: eum qui morbum contingit, eligunt, & valetudinem amaritudine admixtam recusant.

Sunt aliqui, qui ardenter exoptant se ad Deum conuertere, & se huius præstantissimi medici manibus committere, vt morbis, quibus laborant, ille medeatur: sed voluntas imperfecta illa est, quia volunt & nolunt. De
Prou. 13. 4. his sic loquitur Spiritus sanctus: *Vult & non vult piger: anima autem laborantium impinguabitur.* Quid sibi vult? *Vult & non vult piger.* Nam si vult, quomodo non vult? Hæc enim contradictionem videntur inuoluere. Vnde Hicron. *Rectè pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Domino, & non pati pro eo. Delectant præmia, cum pollicentur, deterrent certamina, cum iubentur.* Ita ille. Hoc pacto volunt, & nolunt, finem appetunt, non tamen ampiectuntur media: ad beatitudinem conscendere exoptant, crucem autem subire recusant. Valetudinem quærunt, pilulas autem & potiones amaras sumere subterfugiunt. vnde cùm videant valetudinem sine labore comparari non posse, morbum eligunt, eoque laborare volunt, dummodo voluptatibus, quas illis mundus pollicetur, aliquando perfruantur.

Quando mundi voluptates nihil aliud mali haberẽt, quàm quòd mundi essent, contemni deberent: & quando Christi calix nihil aliud boni haberet, quàm à Christo esse, amplectendus esset. Præstant enim amaritudines à Christo profectæ quibuslibet mundi voluptatibus. Vnde est illud Christi Domini ad Petrũ, cum exemIoan. 8. 11. plo gladium, & percussit seruũ Pontificis: *Mitte gladium tuum in vaginam, calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* non dixit, calicem ex quo totius mundi salus pendet, sed, *calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* quamuis omni felle amarior sit. Calix quem vobis Babylon præpinat, quamquã aliquid habet dulcedinis admixtum, tamen Babylonis est: calix autem Domini, quamquam amarus sit, tamen Domini est. Quæ ergo ratio patitur, vt Babylonis calicem, quia nõnihil habet dulcedinis, vtraque manu apprehendas, & Christi calicem, quia nonnihil habet amaritudinis, procul amandes, cùm ille sua larga liberalique manu eum porrigat.

Apoc. 17. 4. Sed animaduertere opus est, sub dulcedine calicis Babylonis virus latere. Et *mulier* (inquit Ioannes) *erat circumdata purpura, & habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione.* Latebat venenum sub auro, abominatio erat inaurata, vt terræ principes, cùm auri splẽdore caperentur, nec id quod latebat, animaduerterent, calice traherentur. Mors in poculo, mors in voluptatibus, mors in corporis oblectationibus, *mors in olla*: maledictæ voluptates, quæ tanto malo causam præbuerũt,
Cap 6. 6. quis audeat eas degustare? *Numquid* (ait Iob) *potest aliquid gustari, quod gustatum affert mortem?* Vbi D. Hier. *Sicut nemo mortiferam aliquid comedit, vt vitæ suæ inimicus sit: ita ego peccatum contingere pertimescebam.* Sic Hier. Exhauriréne poculum vini, quantumuis pretiosissimi, si scires admixtum esse venenum? degustaréne cibum exquisitissimum, etsi similẽ illi, qui de cœlo descendit, A vt illo vescerentur filij Israel, si scires mixtum illi esse virus? Si ergo venenum in auro bibitur, & voluptatibus peccata sunt admixta, quæ tibi mortem inferunt, quomodo audes poculum illud degustare? Damnatis Euã, quia vetitũ pomum decerpsit, & cur eam damnatis, cùm pomum illud pulchrum fuerit, & suaue? Gen. 3. *dixit enim mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile*: cur ergo damnatis Euam? quia sub illa pulchritudine latebat mors. Si ergo sub oblectationibus & delicijs, quas mundus offert, latet mors, cur illis vesceris? cur insaniam istam non damnas? Si te Deus in paradiso voluptatis collocaret, asseris te nunquam decerpturum fuisse pomum, quia mortiferum erat; cur ergo nunc cibo vetito & nocuo vesceris, & poculum veneno infectum exhauris?

Si obijcias, calicem Domini, licèt salutaris sit, amarum esse, dicam tibi, licèt amarus sit, salubrem esse. & in eo latet sempiterna salus animi, quid interest amarũ esse, si morbo laboras? potionem amarissimam sumis, B quamquam viscera cõmoueat, & sudorem exprimat, quia arbitraris illã morbum esse expellendum. Sic ergo ex poculo, quod tibi Christus Dominus propinat, animi salus pendet, cur illud non exhauris, quamquam amarissimum sit? *Calicem salutaris accipiam*, ait Dauid, & *nomen Domini inuocabo*. Diuus Augustinus intelligit hoc de calice illo, de quo Christus Dominus ad Apostolos ait: *Calicem quidẽ meum bibetis*. Hũc sumpsit Dauid, qui salutaris est, sed quomodo salutaris? Respondet Theodorus? *Calix, qui sub mensura bibitur*: fidelis enim Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: *salutaris verò, quia in æternam salutem propinatur.* Quis igitur hunc Christi calicem non apprehendet vtraque manu, quãdo infirmitati nostræ commensuratur, & sempiternam cõtinet salutem? O Domine, da mihi hanc aquam, da mihi poculũ hoc, licèt absynthio & felle amarius sit. *Hic vre, vt ait Augustinus, hic seca, vt in æternum parcas*, Amen.

Inter omnia diuinæ bonitatis beneficia, quæ à Deo C generi humano exhibita sunt, redemptionis nostræ beneficium principem locum tenet. triplici enim nomine beneficium aliquod iure laudatur; scilicet, vel quia id, quod donatur, multum in se est, vel quia indigno, & de donante non benemerito, vel denique, quia multò cõstitit ei, qui donat. Ex omnibus capitibus his redemptionis nostræ beneficium maximum facilè constat. Primò igitur beneficij magnitudo ex magnitudine rei donatæ desumi solet: si enim paruũ quid dederis, pro nihilo quoque iudicabitur: quia, vt prouerbio dicitur, *Parum pro nihilo reputatur.* Dedit olim Salomon regi Hiram viginti oppida in terra Galilææ, propter nonnulla beneficia, quæ acceperat ab eo: & egressus Hiram de Tyro vt videret oppida quæ dederat ei Salomon, non placuerunt ei, & dixit: *Hæccine sunt ciuitates, quas dedisti mihi, frater?* Ecce despexit rex ille Salomonis donum, quia non ita magnum erat. Beneficium ergo redemptionis ex parte doni magnum est, vel eò maxime, quia in eo Christus Dominus datus est nobis. D *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* & ex hoc loco S. Thom. desumpsit illud, *Nobis natus, &c.* Quid excellius? quid sublimius nobis donari potuit? inter illa tria, quæ S. Tho. ait, continere infinitam quandam dignitatem annumerauit beatitudinem, beatitudo, inquit, creata ex hoc quòd est fruitio Dei, & beata Virgo, ex hoc quòd est mater Dei, & humanitas Christi, ex hoc quòd est vnita Deo, habent quandam infinitam dignitatem ex bono infinito, quod est Deus: Cùm igitur humanitatem vnitam Verbo nobis donauerit Deus, beneficium infinitum exhibuit nobis. infinito autem beneficio quodnam beneficium maius esse potest? Præterea, si ad nostram vtilitatem respiciamus, quodnam excogitare beneficium ex parte rei datæ vtilius potest? Eramus in peccato, eramus per peccatũ morti æternæ addicti, diaboli serui, inferno digni, & Paradiso exclusi,

Deo

Deo inuisi, & gratiâ eius priuati: at per Christum Dominum hæc omnia restaurata sunt. Nã per redemptionem eius mors mortua remansit, & peccatum dimissum, mũdus victus, diabolus superatus, infernus spoliatus, cœlum apertum. Deus satisfactus, & homo redemptus. Quid amplius à nobis supereſt desiderandum? *Iluzo nos Dios tanto bien, que antes, que alçaſe mano de nueſtra redempcion, dexò a la muerte muerte, y al peccado crucificado, al mundo venado, y al demonio atropellado, al cielo abierto, y al infierno ſaqueado, a Dios ſatisfecho, y al hombre remediado.* Nónne si beneficij quantitatem attendas, eximium prorsus beneficium redemptionis iudicabis?

Nunc ad secundum. Creſcit nimis beneficij magnitudo, si non bene meritis, imò inimicis fiat. hinc oratio S. Stephani per vniuersum orbem extat vsque hodie gloriosa, quia pro inimicis facta fuit: amicis quippe benefacere Ethnicorum etiam & homicidarum eſt; at inimicis, diuinum eſt, & philosophicum prorsus. Tale igitur fuit beneficium redemptionis. Audiamus Apostolum, cui datum fuit Christi diuitias prædicare, *Vix*, inquit, *pro iuſto quis moriatur: nam pro bono forſitan quis audeat mori? Commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam, cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Quid eſt *cùm adhuc peccatores eſſemus*. Expoſuit hoc idem Apoſtolus ibidem: *cùm adhuc inimici eſſemus*: inimici quidem ad mortem, quia peccatum mortale hac ratione mortale dictum eſt, quòd nos mortales inimicos conſtituat Dei: cùm igitur inimici Dei ad mortem eſſemus, Deus nos Patri reconciliauit: quid sublimius?

Sed iam tertiam conditionem maximi beneficij adiungamus. illud beneficium maximum prorsus eſt, cùm non solùm magnum in ſe eſt, & indignis collatum, verùm etiam multò conſtiterit donanti, imò quamuis beneficium exiguum in ſe ſit, ſi carò conſtiterit danti, magnum ex paruo fit. Huius rei exemplum ſit quod sacra refert Scriptura. Exercitus Philiſthiim ciuitatem obſederat Bethleem, quod cùm noſſet Dauid, ingemiſcens dixit: *O ſi quis mihe daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethleem! irruperunt ſtatim tres fortes caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethleem, quæ erat iuxta portam, & tulerunt ad Dauid. at ille bibere noluit, ſed libauit eam Domino, dicens: Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hoc.* cur ita? ſubdit: *num ſanguinem hominum istorum qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam? Nolu t ergo bibere.* Ita sacer textus. Nunc ad rem: parum quid erat potus ille aquæ: nihil enim aliud quàm aqua erat, & nihilo fortaſſe cæteris aquis melior: ſed quia periculo vitæ deportantium fuerat allata, digna viſa eſt quæ à sancto Rege Deo libaretur, & nequaquam humano potui deſeruiret. At redemptionis noſtræ beneficium tanto pretio comparatum eſt, vt meritò dicat Apoſtolus Petrus: *Non corruptibilibus auro, & argento, redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis: ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti.* Si expoſuiſſe vitam periculo mortis tanti fecit Dauid, vt indignum ſeipſum, quantumuis Regem, qui aquam illam biberet, iudicarit; quid nos de pretio ſanguinis & vitæ Dei dicemus?

Vnde, cùm in veteri Teſtamento hoc tantum beneficium nobis per Ezechielem Prophetam Dominus polliceretur, *Bonis*, inquit, *donabit maioribus, quam habuiſtis ab initio, & ſcietis quia ego Dominus.*

Nunc igitur dic quæſo, quem erga Dominum noſtrum animum pro tanto munere nos gerere, quibus, cùm laudibus celebrare, quas illi gratias agere par erit? *Gratiam* (inquit Eccleſiaſticus) *fideuſſoris ne obliuiſcaris; dedit enim pro te animam ſuam*, hoc eſt, graui ſe periculo expoſuit: per fideiuſſiones enim ſæpè quis non solùm periculum pecuniæ, ſed & captiuitatis & mortis ſuſcipit in ſe. Quod ſi cuiuis ſponſori ob ſolum periculum tanta animi gratitudo debetur, quid nos debemus Deo noſtro, qui pro nobis non solùm ſpopondit, ſed deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt ex Maria virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus etiam, mortuus, & ſepultus eſt: quis fideiuſſorum pro aliquo ſic paſſus vmquam eſt? quid ad hoc mihi reſpondebunt, qui non solùm illi gratias non referunt, verùm nouis etiam eum delictis rurſus crucifigunt? quà gehennã hos dignos eſſe dices?

Eſt adeò ingens beneficium remiſſio peccatorum, vt Chriſtus ex eo nomen illud ſublime IESVS voluerit, tanquam inſigne honorificum, ſibi aſſumere, *y poner eſſo por blaſon en el timbre de ſus armas eſtas palabras. Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Etenim Reges terræ in remiſſione criminis læſæ maieſtatis inexorabiles ſunt: Rex autem noſter Chriſtus, tanquam pius & bonus Dominus, inde ſibi nomen glorioſum vendicauit. Hac etiam de cauſa inter articulos fidei ponitur remiſſio peccatorum: voluit enim è cordibus noſtris excludere omnem oppoſitã ſuſpicionem, & de fide tenendum eſſe ab eo in Eccleſia inſtitutam remiſſionem peccatorum, & ſimiliter magnitudinem rei voluit commendari: articuli enim fidei de rebus arduis, & quæ rationem noſtram naturalem ſuperant, à Deo in ſymbolo collocantur.

Hinc etiam in lege Veteri inſtitutum à Deo fuit feſtum expiationis, quod præcedebat aliud feſtum, quod tubarum appellabatur. Voluit autem hoc feſtum tubarũm celebrari ante feſtum expiationis, vt omnes præpararent ſe ad ritè & exactè celebrandum feſtum expiationis, vti aſſerit S. Thom. 1.2. q.102. art.4. ad 10. S. Thom. Quodnam igitur erat hoc feſtum expiationis, ad cuius ſolemnitatem & debitam celebrantium præparationem, ſic tubæ inſonabant, & talem vigiliam alterius feſti Deus requirebat? neque ad alia feſta etiam paſchalia talem inſtituit ritum. Reſpondet S. Thom. ibidem: *Feſtum expiationis inſtitutum fuit à Deo in memoriam illius beneficij, quo Deus propitiatus eſt peccato populi in adoratione vituli ad preces Moyſi.* Ita S. Thom. ita ne tanta res eſt peccati vnius remiſſio, vt tali ac tanto feſto voluerit celebrari? ita quidem.

Rom. 8. *Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Expendens locum iſtum S. Auguſt. ſerm. 15. de Sanctis, tom. 10. ait: *O miræ pietatis affectus? ô inæſtimabilis ardor charitatis! Quis vnquam ſperare poſſet vt ex Deo ante tempora natus, pro hominibus naſceretur ex femina homo factus? quis ante charitatem tam ineffabilem non contremiſceret?* Ita ille. Cur ait, *non contremiſcat*, cùm beneficium hoc redemptionis noſtræ & charitatis Dei, gaudij potius ac lætitiæ cauſa & occaſio eſſe videatur? nimirum, quia munere tanto ita nos deuinxit charitas Dei, vt meritò paucre debeamus ingratitudinem noſtram. quis enim pro eo debitas Deo gratias poterit referre? quòd ſi quas reddere poſſumus non præſtiterimus, quã non grauiſſimã pœnã digni erimus? Meritò ergo S. Auguſt. ait: *Quis ante charitatem tam ineffabilem non contremiſcat?* Et ſubdit: *Quis vnquam poſſet æſtimare, vt portaretur manibus fœminæ portator orbis, & panis Angelorum aleretur, & omnium vita moueretur?* Rom. 8. S. Aug.

PROP. XIV. *Quàm honorificum, & glorioſum nobis ſit Chriſtum eſſe Saluatorem noſtrum.*

EMpti eſtis pretio magno, *glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Quomodo (inquies) portare potero Deũ in corpore meo? in anima quo pacto id facere poſſimus, nouimus: is enim qui ſine peccato, & in gratia Dei eſt, Deũ in anima ſua portat: cùm autẽ Deus ſpiritus ſit, quomodo in corpore portari poteſt? Cùm quis à rege dilectus eſt, & aſſiduos ab eo obtinet fauores, regem in corpore eum gerere affirmamus, *fulano trahe vn rey en el cuerpo.* Denotare hoc ſolet genus quoddã ſuperbiæ, ortum ex amore illo, & fauore, & familiaritate 1. Cor. 20.

regis: ad hunc enim modum agens Apostolus de ho- A
neſtate corporali noſtra, inquit: mementote vos ſan-
guine Chriſti emptos eſſe, hinc æſtimationem quan-
dam ingentem de vobis ipſis concipere debetis, & 1. Cor. 6.
Deum in corpore veſtro portare. *Traed vn Dios en el cuer-*
po, no solo en el alma, sino en el cuerpo, pues os redimio en
cuerpo, y alma: vna santa soberbia: vt nihil eorum, quæ
Deo indigna ſunt, neque in anima, neque in corpore
admittatis. quo ſimul ſignificare voluit, quanti benefi-
cium redemptionis noſtræ facere debeamus. Si enim
Deus tãti nos fecit, vt pro nobis ſanguinem fundere, &
crucem ſubire non dubitaverit, cur nos etiam non in
magno pretio noſipſos habeamus?

Hinc fiet, quòd nihil vile committere audebimus,
& nihil indignum creatura à creatore ſic appretiatã.
inter omnia autem vilia nihil vilius peccato: omnis
eum peccator vilis, imò viliſſimus ſupra modum eſt,
quamuis ille rex, & imperator aureâ coronâ fuerit re-
dimitus: qui verò peccator non fuerit, is cùm in gra-
tia ſit, & Deum in anima gerat, nihil illo ſublimius, B
nihil excellentius. Maior es, ô Chriſtiane, quàm vt ſis
mancipium diaboli, vel corporis tui ſis: nam quot-
quot Chriſtum receperunt, dedit eis poteſtatem filios
Dei fieri. Qui ergo filius Dei eſſe potes, & ad ſupernam
cœlorum hæreditatem vocaris, mancipium & ſeruus
diaboli eſſe dignaberis? vnde S. Leo *ſerm. 1. de natuitate Domini: Agnoſce* (inquit) *ô homo, dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem de-*
generi conuerſatione redire. Ita ille. Sic & ego dicam: ag-
noſce, ô homo, pretium, & valorem tuum, & tanto
pretio à Deo emptus, noli in veterem vilitatem dege-
neri conuerſatione redirc, ſed porta Deum in corde &
corpore tuo.

Prop. XV. *Quanta ſiti ſitierit Chriſtus ſalutem noſtram.*

C

Secundùm nomen eius, ſic & laus tua in fines terræ Pſalm. 47. 11. Multa quidem nomina tribuimus
Deo, ob quæ maximam promeretur laudem; ita vt pro-
pter vnumquodque eorum ei dicere poſſimus: *Secun-*
dum nomen eius, ſic & laus tua in fines terræ: ſed ſpeciatim
de nomine Ieſu id affirmare valemus: nam ſecundùm
hoc nomen meritò Chriſtus Dominus laudari poteſt.
Nam ſi ſalutem importat nomen, ita ſalutem operatus
eſt in medio terræ, imò ita ſitiuit ſalutem noſtram, vt
propter hanc ſitim iure Saluatoris nomen fuerit adep-
tus, & Saluatoris laudes vſque, ad fines terræ promeri-
tus, ſitis autem ſalutis noſtræ quanta fuerit in Chriſto,
oſtendamus: vt quàm ei conueniens fuerit nomen Sal-
uatoris, manifeſtemus.

Ioan. 4. In puteo Samariæ ſic Chriſtus ad Samarita-
nam: *Mulier da mihi bibere,* ſalutem animæ eius nimis
ſitiens. Et, ſi nobiſcum ipſi cõſideremus ſeruatoris no-
ſtri dolores, fatigationes, cruciatus, famem, itinera, in-
iurias, flagella, perſecutiones, ieiunia, vigilias, preces D
lacrymas, alioſque huiuſmodi labores; reperiemus
quidem eſſe multos, eoſque maximos; ex his tamen
omnibus ſitis profectò fuit, quæ illum maiori moleſtiã
ac fatigatione affecit. Vnde cùm tolleretur in crucem,
non queſtus eſt ſuas ſanctiſſimas manus, ac pedes duriſ-
ſimis affigi clauis, nec ad columnam reuinctus, effudit
querelas, quòd ab immaniſſimis tortoribus cæderetur
flagellis, aut redimitus ſpinarum coronã non conque-
ſtus eſt, aut eò quòd iniurijs, & opprobrijs afficeretur:
ſublatus autem in crucem querimonias detulit ad ho-
Ioan 19. 28. mines de ſua ſiti, dicens: *Sitio.* Neque verò tam ſitiebat
acetum amariſſimum, quod ſciebat propinandum ſibi
à Iudæis, quàm hominum ſalutem, ac reparationem:
hac enim ſiti præcipuè defatigabatur. Sitis quippe ex
interno ardore proficiſcitur, qui, quò maior eſt, eò et-
iam ſitis grauior. Cuius cauſa ij qui febri laborant, tan-
tò magis ſitiunt, quantò maiori æſtu, grauioriq; febri
fatigantur. At verò humanæ reparationis ſitis ex cha-
ritatis ardore naſcitur, atque ideo eò illa erit maior,
quò ipſa charitas ardentior, ac vehementior extiterit.
Atque hinc emanauit ardentiſſima illa ſalutis, & repa-
rationis noſtræ ſitis, quam D. Paulus oſtendit, cùm ait:
Deſiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis, non ſolum 1. Th. 2.
Euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras: quoniam charis- 8.
mi nobis facti eſtis. Ecce cauſam ſitis ſignificat, dum ait,
quia charißimi, quia veſtri amore flagro. Hinc etiam ſcri-
bens ad Corinthios, ait: *Siue tribulamur pro veſtra exhor-* 2. Cor. 1.
tatione, & ſalute. Ac ſi diceret: quæcumque efficio, ſi 6.
fero, ſeu prædico, eò reſpiciunt, vt veſtri animi ſalutem
ac beatitudinem aſſequamini: vt idemmet Paulus ex-
plicat Timotheo, dicens: *Omnia ſuſtineo propter electos,* 2. Tim.
vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Ieſu, cum 2. 10.
gloria cælesti. Ac tandem ad tantum charitatis gradum
peruenit Apoſtolus, vt optaret anathema eſſe à Chriſto
pro ſalute animarum. *Optabam enim ego ipſe,* inquit, *ana-* Rom. 9.
thema eſſe à Chriſto pro fratribus meis &c. Quòd ſi D.
Paulus ſcintillã quãdam diuini amoris incenſus, tam
ardenter ſalutem animarum ſitiuit, quantò ardentius
ſitiuit eiuſdem ſalutis auctor, ac reparator Chriſtus,
qui infinitus quidam ignis, atque immenſa charitas
eſt?

Vt magnam quandam ſitim Eccleſiaſticus nobis ex- Eccl. 24.
plicaret, ita ſcribit: *Sicut viator ſitiens, ad fontem os aper-* 29.
riet, & ab omni aqua proxima bibet: ſi enim ſitis vrgeat,
non dubitabit ſitiens quantumcumque turbidam, &
inquinatam aquam bibere. Ex quo vehementiſſima
Chriſti Domini ſitis perſpicietur, cùm aquam Samari-
tanæ (animam intelligo) tantis ſordibus inquinatam,
bibere appetat, illamque à vili, & abiecta fœmina po-
ſcat: quam, vt biberet, longo itineris labore confectus
eſt; quod argumentum eſt eximiæ, atque ardentiſſimæ
ſitis, quæ ſeruatorem noſtrum Ieſum, ab ipſo vitæ ini-
tio, ita defatigauit, vt ab hominibus verè affirmari poſ-
ſit, eorum reparationis. ſiti enectum eſſe Ieſum.

Sed audite, obſecro, quo pacto homines Chriſti Do-
mini ſitim expleuerint. *Illi autem obtulerunt ori eius ſpon-* Matth. 27.
giam plenam aceto. ait Euangelium Ioannis: Marcus ve- 34.
rò: *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum.* Ecce vinum, Marc. 15.
& aquam ad redemptoris noſtri ſitim reſtinguendam. 23.
quod ipſe queribundus multis ante annis prædixerat,
dicens: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto:* felle enim peccatorum, & aceto dam- Pſal. 68.
nationis æternæ, Chriſti Domini ſitim homines exple- 22.
bunt.

Parui quidem facitis, ô ingrati homines, eximium
beneficium, quod à Deo accipitis, cùm ipſe aquam à
vobis ad bibendum poſtulat: nec meritam ei gratiam
perſoluitis pro ardenti illa ſiti, qua veſtri animi ſalu-
tem optauit. Cecinit Deo Dauid hoc carmen: *Quemad-* Pſal. 41.
modum cervus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anı- 2.
ma mea ad te, Deus, ſitiuit anima mea ad Deum fortem viuum.
Aptè explicat propheta ſuam ſitim, cùm illam ſiti ſi-
tientis, & agitati cerui comparat: ac ſi diceret: miſeria-
rum incurſione agitatus, quæ me premunt vndique,
ſicut ceruus, quem canes inſectantur, aquam auidè ſi-
tit; ita te Deum meum ego deſidero: à te enim, & à
nullo alio, meam ſitim ſatiari poſſe intelligo. Sed mi-
rum non eſt, quòd homo tanti animi ſtudio, ac cupidi-
tate Deum ſuum requirat, cùm in eo ſolo, quidquid
boni eſſe poteſt, ſitum, ac collocatũ eſſe certò ſciat. At
quod in ſummam omnes ræpit admirationem, eſſque
cùm maxima hominum laude coniunctum, illud pro-
fectò eſt, quòd Deus, rerum omnium effector, tantope-
re ſitiat, ac ſic deſideret homines, ab eiſque aquam ad
ſuam ſitim explendam petat: etiam vulgari cuidam fe-
minæ & peccatrici dicens: *Da mihi bibere.*

Magno beneficio Rex Babylonicus Attaxerxes pu- 2. Esd. 8.
tauit ſe ſanctum Nehemiam affeciſſe, cùm illum in eo
munere

munere constituit, vt sibi populo ministraret. Nec pincerna regis Ægypti minori se vinculo existimauit esse deuinctum, cùm è carcere eductus est ad idem munus Pharaoni præstandum. sed aliud longè præstantius beneficium in nos contulit diuina maiestas, cùm à nobis aquam poscit, & vt pocula ei ministremus, rogat, qui in cœlo spirituum ordines, suo obsequio paratissimos, habet, quique facit Angelos suos spiritus, & ministros ignem vrentem, ipsemet rogat beneficij loco, & gratiæ, vt aquam ad bibendum illi donemus, salutem, inquam, nostram.

Deinde lex humanitatis postulat, vt sitientem aquâ reficiamus. Petiuit Elias à vidua illa Sarephtana, vt paululum aquæ, & buccellam panis ad sitim, famemque explendam afferret: quæ libenter vidua præstitit, cibóque, & aqua lassum prophetæ corpus refecit. quod humanitatis officium adeò indigenti debetur, vt etiam inimicis denegari absque inhumanitate non possit. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit, da ei aquam bibere*, iuxta Salomonis sententiam: quam etiam D. Paulus Romanis suasit. Quòd si multùm ab humanitate abest, qui inimico sitienti aquam denegat; crudelis, & humanitatis planè expers dicetur, qui Christo Domino, siti penè enecto, eam poscenti non porrigat, & quamuis ad aquam Seruatori nostro ministrandam, non solùm difficultates, sed etiam pericula nobis essent subeunda, immeritò, ac sine vllo iure illi sic petenti denegari posset.

Cùm ab Israelitarum hostibus Bethlehemitica ciuitas obsideretur, exoptauit Dauid aquam in Bethlehem cisterna fluentem, & dixit: *O si quis mihi daret potum aqua de cisterna, quæ est in Bethlehem, iuxta portam.* Arduum sanè ac difficile erat Dauidis desiderio satisfieri, cùm prope ipsum fontem circunstarent inimici Philisthæi ad pugnam paratissimi: attamen sacræ litteræ inquiunt: *Irruperunt tres viri fortes castra Philisthæorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid.* Obiecerunt quidem se vitæ periculo, sed visum est illis, fideli milite indignum esse, sitienti duci aquam non ministrare, etiam cum propriæ vitæ discrimine. En vobis, fratres, cælestem, ac supremum nostrum ducem Iesum valde sitientem, aquamque postulantem: & quis erit, qui tantam sitim explere, quocumque vitæ periculo proposito, non curet? deiectio nostri animi est ad id non contendere: si enim Dauidis causâ mortis se periculo eius in milites obtulere, cur pericula, ac difficultates non superabimus propter Christum, cuius nos sanctissimæ militiæ nomen dedimus, præsertim cùm nullum nobis periculum in hac re immineat? Non enim Deus petit aquam ex cisterna Bethlehem, quæ ab hostibus teneatur obsessa, sed ex fonte nostri cordis hausta: quia eius sitis, & desiderium nullum aliud est, quàm ardens quædam nostræ salutis sitis. Quòd si verum est hunc cordis fontem ab hostibus circumuallari, in exhaurienda tamen ab illo aqua nullum est vitæ periculum, sed potiùs æterna, ac fælicissima vita in tuto, securóque loco collocatur. Eò enim spectat Redemptoris nostri sitis, ac desiderium. *Ego veni* (inquit idem Dominus) *vt vitam habeant*, quam vitam nequaquam adipisceris, nisi mentem atque animum, quem Christus Dominus sitit, ac desiderat, ipsi Deo donaueris.

Si verò hoc tempore, quo humani generis vindex se vobis ita sitientem ostendit, eius siti ac desiderio non præstò estis, credite signum esse vestræ damnationis; æternæ verò salutis, si ad eius sitiandam cupiditatem accurritis. Cùm Abrahę seruus in Mesopotamiam proficisceretur, vt vxorem, quam Isaac in matrimonium duceret, inueniret, quamprimum ad portas vrbis peruenit, desiderio tenebatur maximo, vt præpotens Deus sponsam, quam domino suo Isaac elegerat, sibi patefaceret, sic Deum allocutus: *Domine Deus Domini mei Abraham, occurre obsecro mihi hodie: ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egreduntur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui ego dixero: inclina hydriam tuam vt bibam, & illa respondерit: bibe, quin & camelis tuis potum dabo, ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligam, quod feceris misericordiā cum Domino meo.* Quæ verba statim ac ille locutus est, accessit illuc Rebecca, & omnia eodem omnino modo, ac seruus Abrahæ postulauerat, euenerunt. Nam, cùm ille hydriam aquæ, vt biberet, à Rebecca deposceret, *bibe, Domine mi*, subdit illa, *quin & camelis tuis hauriam aquam, vt cuncta bibant.* Perpendite animis, qua in re sponsa, sanctissimo patriarchæ electa, dignoscatur; in ministrando aquam huic sitienti, & eius camelis. In eadem etiam re perspicietur, quæ sit summi Dei sponsa futura. Ea enim erit, quæ cùm ipsum sitientem aspexerit, illi respondeat *bibe, Domine mi:* venit enim sanctissimus animarum sponsus ad matrimonium cum nostris animis ineundum. Quòd si, cùm illum videris tuæ salutis siti laborantem, non accurreris, non es cælestibus eius nuptijs designatus: anima enim, quæ in huius diuini sponsi matrimonio est collocanda, lenitur maximè, cùm audit Christum Dominum sitire, eumque rogat: bibe, Domine mi. hæc tu illi respondebis, bibe, Domine mi, ne illi deinceps amarissimum flagitiorum acetum ad bibendum porrigas, sed dulcem lacrymarum aquam, hausta ex corde ardentissimo, & lacrymas, inquam, ab oculis suauiter ac iucundè profusas. has ille auidè ac libenter bibit, & aqua saliente in vitam æternam, id est, gratiâ, gloriáque sempiterna animos nostros reficiet, ac recreabit.

PRÓP. XVI. *Quàm sollicitè salutem nostram procurare docuerit nos Saluator noster Iesus.*

ARgumentum sumi debet ad sollicitudinem nostræ salutis ex ea sollicitudine, quâ Christus nostram salutem procurauit: non enim solùm Saluator dici voluit, sed, vitam, actiones, verba, opera, miracula, passionem, mortemque eius discute, & videbis quàm plenè reipsa Saluator noster fuerit, imò & post resurrectionem, quando iam à laboribus, & curis cessandum erat, tunc & apud nos per quadraginta dies mansit, in multis argumentis apparens discipulis, & fidem, & salutem nostram stabiliens. imò postquam cœlos iam ascendit, vt ad dexteram Dei sedens summâ illâ gloriâ iam fœliciter potiretur, ibi, ait Paulus: *qui est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis.* Vbi S. Chrysost. hom. 15. ad Rom. *Intercedit* (inquit) *vt seruorem, & vigorem illius erga nos declaret charitatis: cum & pater ipse videatur homines adhortari, vt sibi concilientur. Pro Christo*, inquit, *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Ita S. Chrysost. Christus ergo & ante hanc vitæ lucem, & in ipso totius vitæ decursu, & post hanc vitam in terris adhuc existens, & postquam in cœlos ascendit, semper, & vbique salutis nostræ intensè gessit curam: quid igitur pro tuamet salute facere vnumquemque oportebit?

Rom. 8. 34. Chrysost.

2. Cor. 5. 20.

CHRISTI EPIPHANIA.

PROP. 1. *Quomodo illuminauerit nos Deus in sua epiphania.*
2. *Quàm perspicax sit fidei nostra quâ apparuit in epiphania.*
3. *Cur Dominus regibus non in aula regia, sed in stabulo se voluit manifestare.*
4. *Quàm ingens beneficium fuerit Epiphania Christi.*
5. *Quàm prodigiosa fuerit stella, qua apparuit Magis, & illius in eorum animis effectus.*
6. *Christus exemplo Magorum sedulò quærendus.*

Prop. I. *Quomodo illuminauerit nos Deus in sua Epiphania.*

Matthæus c. 2. sic de Magis: *Procidentes adorauerunt eum.* Miratur, nec mirum S. Bernard. serm. 1. de Epiphania, de hac Magorum adoratione, & ait: *Quid factis ô Magi? quid facitis? lactentem puerum adoratis in tugurio vili, in vilibus pannis? Ergone Deus est iste? Deus quidem in templo sancto suo, Deus in cœlo sedes eius, & vos eum quæritis in vili stabulo, & in matru gremio? Vbi aula regia? vbi thronus? vbi curiæ regalis frequentia? Numquid aula est stabulum? thronus præsepium? curiæ frequentia Ioseph & Maria? Quomodo ita insipientes facti sunt viri sapientes, vt adorent paruulum despicabilem, tam sua ætate, quam paupertate suorum? Nonne timendum erat, fratres, ne scandalizarentur viri isti, & illusos se crederent, cum tanta indigna viderent? A regia ciuitate, vbi regem quærendum coniectabant, ad Bethlehem villam paruulam diriguntur. Ingrediuntur stabulum, inueniunt inuolutum pannis infantulum. Non illis sordet stabulum, non pannis offenduntur, non scandalizantur lactentis infantia, procidunt, & venerantur vt regem, adorant vt Deum. Sed profectò qui illos adduxit, ipse & instruxit: & qui per stellam foris admonuit, ipse & in occulto cordis edocuit.* Ita S. Bernard.

Hinc, fratres, constat quàm necessaria nobis sit illuminatio interior à Deo: hæc est quæ nos verè docet, & illuminat plenè, vt ea cognoscamus, quæ vera sunt, & ea faciamus quæ agenda meritò sunt.

Sap. 5 6. Queruntur in inferno damnati, dicentes: *Ergo erraximus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis.* Quòdnam est hoc iustitiæ lumen? Solis & stellarum & ignis lumen nouimus, iustitiæ lumen quid est? Iustitia, inquit Iustinianus Imperator in principio Institut. §. 1. *est constans & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuens.* Lumen igitur iustitiæ est, quod interiùs in mente ostendit, quantum vnaquæque res ponderis, & valoris habet, quantique facienda sit: despicienda scilicet esse terrena, & in magno pretio habenda cælestia, timendum esse diuinum iudicium, non ita humanum, fugiendum esse peccatum, amplectendam autem virtutem, &c. Lux interior, quæ ita hæc facienda esse dictat, iustitiæ lumen dicenda est. queruntur igitur in inferno damnati, se huiusmodi lumine priuatos vixisse, & ideo damnatos fuisse. nónne magni momenti est lumen hoc? A Deo igitur postulandum est: non enim in scholis literarum addiscitur, sed à Deo communicatur. iuuant litteræ, sed plures inuenies litteratos, qui nescíunt scíctiam in praxim deducere, speculatiuà discentes inflati: nam scientia inflat. Qui ergo hac indiget sapientâi, postulet eam à Deo, qui dat omnibus, eam verè desiderantibus, affluenter.

Prop. II. *Quàm perspicax sit fides nostra, quæ apparuit in Epiphania.*

Matt. 27. 54. Sanct. Bernard. serm. 2. de Epiphan. ponderat fidem Magorum, & boni latronis, & centurionis, dicentis in morte Christi: *Verè filius Dei erat iste.* Ait ergo S. Bernard. *Adorant Magi Christum, & offerunt munera adhuc sugenti matris vbera. Sed vbi est, ô Magi, vbi est purpura regis huius? nunquid viles panni isti, quibus est inuolutus? Si rex est, diadema eius vbi est? Sic vos non offendit vilis stabuli habitatio, non pauperes cunæ præsepij? non pauperis matris præsentia? non lactentis infantia scandalizat? Clamabat latro de cruce:* Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. *Ergóne per supplicium ille vadit in regnum? quis indicauit tibi, quoniam oportebat pati Christum, & sic intrare in gloriam suam? Tu quoque Centurio eum vnde nosti? videns quòd sic clamans exspirasset,* Verè, inquit, hic homo Filius Dei erat. *Mirazes, & omni admiratione digna. Proterea rogo vos fratres, intuemini, & videte, quàm oculata fides nostra, quàm lynceos oculos habeat, diligétius cõsider ate. Cognoscit Filium Dei lactentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscite morientem. Siquidem latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt: ille clauis infixum, isti pannis involutum: Centurio verò vitam agnouit in morte.* Et quidem Magi muneribus confessi sunt, quidquid illi verbis: latro Regem, Centurio Dei Filium, simul & hominem pronunciat; & hæc tria ipsa indicant munera Magorum. nam quòd Deum agnoscant, indicat adoratio, indicat & thuris oblatio. Nec solùm Deum, sed & Regem agnoscunt, quod designatur in auro. & in his non latet eos magnum pietatis sacramentum: nam myrrha indicat hominem moriturum. Ecce quàm perspicaces oculos habeat fides nostra.

Eadem Fidei perspicacitas adhuc magis illustratur in tanta illa cæcitate Iudæorum, & Gentilium illuminatione, de qua his verbis D. Maximus. *Tremit Herodes infantem regiæ dignitatis, quia bonitatem nascentis ignorat: abhorret Christum Iudæa, quam prædicit, quia impietatibus suis tremuens, iusti Iudicis refugit æquitatem, & scelerum suorum obscæcata tenebris, sola videre non potest, quod omnibus splendet è cælo; & cum omnium Patriarcharum doctrina, ac Prophetica Sanctorum virorum eloquia ad agnitionem Filij Dei Iudaica corda non flexerint, vnius stellæ radius fidem Gentium suscitauit. Quæ tanta permutatio, quæve ista conuersio est? Apud Iudæos Propheta loquitur, nec auditur: apud Gentiles stella tacet, & audet.* Et paulò pòst. *Factum est inter Iudæos, atque Gentiles quoddam perfidiæ, fidæque certamen. Nato enim Christo exultabat Chaldæa, & tota cum suis Principibus Hierosolyma torquebatur, insectabatur Iudæus, Magus adorabat: & Herodes acuebat gladium, Chaldæus munera præparabat.* Sic ille.

Prop. III. *Cur Dominus Regibus, non in aula regia, sed in stabulo se voluit manifestare.*

Quòd pastoribus se voluerit Dominus Christus in porticulo & præsepio manifestare, non mirum, nam pauperes illi erant, quòd si in maiestate sua se Dominus illis ostendisset, præstupore ad eum adorandum accedere ausi non fuissent: animos autem accepurunt, cùm in paupertate, illis communi, dominum viderunt. at Regibus cur non in throno regali Rex etiam ipse Christus se præstitit adorandum? Ratio huius est, quia suppósita fide infusa, quam de diuinitate Christi Magi habebant, multò magis ex paupertate, & vilitate lóci, & huiusmodi alijs circumstantijs, in Dei cognitione, & admiratione, & in deuotione profecerunt. admirati enim sunt ingentem illam Dei bonitatem, charitatem, misericordiam, & pietatem, quâ propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis, incarnatus, & homo factus est: quodque Deus ille maiestatis infinitæ, ita egenus factus fuerit, vt non haberet vbi nasceretur, nisi stabulum, neque vbi caput suum reclinaret, nisi in præsepio; & hoc vt nos eius inopiâ diuites essemus, & humilitatem, qua ille, qui in throno maiestatis diuinæ sedet in cœlis, in tam vili loco voluerit nasci, & commorari in terris, vt nos vsque ad cœlos sublimaret: & quòd Filius Dei filius hominis fieri voluerit, vt filios hominum filios efficeret Dei, & huiusmodi alia mirabilia magna.

Regina illa Saba, auditâ famâ Salomonis, venit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis, vti ponderauit Christus Dominus, vidensque sapientiam Salomonis, & domum eius, & reliqua magnalia eius, obstupuit, & dixit Salomoni: *Verus est sermo, quem audiui in terra mea, & probaui, quòd media pars mihi nunciata non fuerit: maior est sapientia tua, & maiora opera tua, quàm rumor, quem audiui.* queda la fama muy corta a lo que es la verdad,

3. Reg. 10.

Matt. 12.

Verdad, vencen a los dichos los hechos. multa quidem de bonitate diuina legerant & audierant Reges in terra sua, venerunt luce exteriori stellæ, & luce interiori diuina moti, ad videndum Salomonem nostrum ab orientali plaga vsque in Bethlehem, viderunt eum, non in aureo throno, sicut vidit Regina Salomonem, sed in præsepio: non in domo regia, sed in stabulo: non mirabilia fantem, sed infantem, & tacentem: nō cateruā famulorum stipatum, sed cum Maria & Ioseph o solùm iacentem: non veste purpurea indutum, & diademate redimitum & micantem, sed pannis inuolutum, & paupere supellectile ornatum. sed tamen plùs multò hæc videntes obstupuerunt, quàm obstupuerat Regina Saba, videns magnum apparatum Salomonis, quia omnem excedit admirationem, & stuporem Deus homo, & pauper, & humilis, & infans pro nobis factus, quam quod in Salomone & Alexandro Magno, & Cæsaribus Romanis factum est.

Vidit olim Isaias Propheta Deum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & duos Seraphim prope ipsum, qui duabus alis velabant faciem eius, & duabus pedes eius, & clamabant, Deum laudantes, & dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. magnus quidem Dominus Isaiæ ostensus est, & laudabilis nimis, & meritò caput Dei & pedes eius tegebant. caput quidem alis tegebant, cur ita? alæ intellectus angelici symbolum sunt, nam sicut aues alis suis ad altissima volant; sic Angeli intellectu suo ad altissima perueniunt: caput autem Dei mysteria altissima diuinæ maiestatis importat, ea scilicet, quæ ad eius esse, & essentiam & omnipotentiam, & sapientiam, &c. spectant. pedes verò, qui inferiorem obtinent locum, ea, quæ ad humanitatem Dei hominis pertinent, significabant. Operiebant igitur Angeli caput Dei, quia ad altissima illa diuinitatis Dei intellectus Angelici non ita peruenient, vt ea valeant comprehendere: pedes autem similiter operiunt alis, quia non solùm ea, quæ ad diuina pertinent, verùm nec ea, quæ ad humana Dei spectant, lumine intellectus sui comprehendere possunt. Viderunt igitur Reges Magi Deum non super solium illum excelsum Seraphinis comitantibus eum: sed in stabulo, & præsepio humili supra modum, sed quamuis Magi, & Sapientes essent, alis sapientiæ suæ pedes humanitatis Dei tegunt, & quamuis Reges essent, procidentes adorauerunt eum, qui in stabulo iacebat, adorant, & silent quasi dicentes: te decet Deus silentium in Bethlehem: nam Deum sic humilem & pauperem, lacrymantem & infantem videre exuperat omnem sensum, & intellectum non solùm humanum, sed Angelicum & Seraphicum etiam.

A

B

C

D

Prop. IV. *Quàm ingens beneficium fuerit Epiphania Christi.*

Sanctus Leo Papa comparatione Iudæorum quantum hoc fuerit beneficium expendit, dicens: *Quantam gratiarum actionem debeamus Domino pro illuminatione Gentium, probat obcæcatio Iudæorum. Quid enim tam cæcum, quid tam à luce alienum, quàm illi sacerdotes & scribæ Israelitarum fuerunt? qui percunctantibus Magis, & Herode quærente, vbi Christus secundùm scripturarum testimonium nasceretur, hoc responderunt de prophetico eloquio, quod indicabat stella de cælo. Noluerunt autem agnoscere oculis, quem de libris sacris indicabant.* Ita ille. Ab hac nos Dominus cæcitate liberauit; sicut enim illi sic obcæcati permanserunt, sic & nos cæci permaneremus, nisi Dominus interiùs nos luce sua illuminaret: misericordia tamen ingenti sua nos sicut Magos voluit veritatis luce illustrare. Sit ille in sæcula benedictus.

Prop. V. *Quàm prodigiosa fuerit stella, quæ apparuit Magis, & illius in eorum animos effectus.*

VErè signum magnum apparuit in cœlo, cùm Deus paruulus iaceret in fœno. Non fuisse communem stellam, quæ Magis præluceba t, cùm viam carperent per Iudæam, ad eum qui est via ad vitam, declarat his verbis D. Chrysostomus.

Chrysostomus. in c 2. Matth. Hom 6.

Quod non vulgaris stella hæc fuerit, imò (vt ego arbitror) nec stella omnino, sed quædam inuisibilis virtus in speciem stellæ transfigurata, ex ipsius motu liquet. non est enim stella, omnino non est, quæ istum cursum peragat, sed siue dixeris solem, siue Lunam, aſtraque cætera, ab Oriente ferri omnia in Occidentem videmus. Hæc autē à Septentrione in Meridiem stella ferebatur. Sic enim secundùm locorum situm Palæstina spectabat ad Persidem. Secundò verò etiam ex tempore istud videre est. Neque enim in nocte cernitur, sed ipso medio die, ac sole fulgente: quam lucendi vim non modò stella nulla, sed nec ipsa quidem luna sortita est; quæ licet multò clarius omnibus corruscet astris, continuo tamen radijs solaribus micantibus absconditur & euanescit. Hæc verò stella ipsos etiam solis radios proprio quodam, præcipuoque fulgore superabat, lucidior illis visa, atque in tanto eorum lumine magis ipsa resplendens. Tertiò ex eo quòd mox vt apparuit, iterum occultatur. Sic ipse.

Non tantum mirabilis fuit hæc stella luce, situ, cursu, sed multò maximè effectibus, quos D. Maximus graphicè his verbis describit.

S. Maximus. Hom. 1. de Epiph.

Quibus radijs, quantoque lumine illam Domini stellam antiqua credimus tunc inter astra fulsisse? quantum in splendore præcesit, quæ tantum præibat in numere, quæ velut quidam totius orbis oculus caligantis mundi veterem nouauit aspectum. Ecce, fratres, ad quærendum regem regum vna Chaldæos stella pertraxit; Iudæum verò populum ad obedientiam Dei sui, nec ignea quondam potuit columna conuertere. Sic ipse,

Hæc stella fuit Gentilibus quasi orientis iam Fidei aurora: vt enim hæc solem, ita & illa Christi, qui Sol est Iustitiæ nuntiabat aduentum, vti idem D. Maximus declarat.

Idem Hom. 4. de Epiph.

Subiungunt Chaldæi: Vidimus stellam eius, & venimus adorare eum. Eius, inquiunt, stellam vidimus. Bene, eius; quia quamuis omnes ab eo creatæ stellæ ipsius sunt, hæc tamen propriè Christi erat, quæ specialiter eius nuntiabat aduentum. Et cæteræ quidem factæ sunt stellæ, vt mundi istius tempora, cursusque distinguerent: hæc verò prodire iussa est, vt ipsum mundi Dominum, & regni cælestis adesse tempus ostenderet.

Prop. VI. *Christus exemplo Magorum sedulò quærendus.*

VT referamus ex huius diei mysterio fructum. D. Chrysostomus Magos nobis proponit in exemplum.

Chrysostomus in Cap. 2. Matth. Hom. 6.

Imitemur igitur nos (saltem Magos, ac barbaram consuetudinem abijciamus. Longo itinere curramus, vt Christum videre liceat. Nam & illi, nisi longè regionem propriam reliquissent, nequaquam Christum videre potuissent. recedamus à terrenis negotijs. Etenim Magi illi, cùm adhuc morarentur in Persida, stellam videre tantummodo. positquam verò à Perside recesserunt, solem ipsum aspexere iustitiæ; imò nec positquam stellam quidem vidissent, nisi citò à Perside fuissent profecti. Surgamus ergo etiam nos, & licet omnes turbentur, nos tamen ad pueri accurramus domum. Etsi rex, etsi populus, etsi tyrannus huius velint cursum itineris impedire, nequaquam tamen extinguamus ardorem. Sic ipse, idem paulò pòst idem argumentum sic prosequitur.

Sed caue ne Herodi efficiaris similis, & dicas. Vt & ego veniens adorem eum, cùmque veneris, interimere conaris. Huius enim similes sunt, qui indignè mysteriorum consortes sunt.

Reus

» *reus est enim, inquam, iste corporis & sanguinis Domini. Qui* A
» *enim eiusmodi sunt, habent in se tyrannum, & regno Christi*
» *ingiter inuidentem, longè sanè Herode illo nequiorem, mammo-*
» *nam scilicet. Hic enim tenere imperium gestit, suosque cultо-*
» *res, qui adorantis quidem speciem prabent, iugulat autem in-*
» *ter adorandum. Timeamus igitur ne quando speciem suppli-*
» *cum atque adorantum geramus, opere verò contraria exhibea-*
» *mus. Igitur adoratur Christum, cuncta prospiciamus è manibus.*
» Et paulò pòst. *Illi viderunt stellam, atque lætati sunt; tu au-*
» *tem ipsum aspiciens Christum peregrinum, undumque non fle-*
» *cteris? quis enim vestrùm, qui innumeris ciuis Christi beneficijs*
» *obligati, tam longinquæ propter ipsum arripuit expeditionis*
» *laborem, quàm illi barbari, imò sapientiores ipsis Philosophis?*
» *Verum quid ego de spatio itineris loquor longioris, cùm plurimæ*
» *feminarum tanta tam animi mollitudine resoluantur, vt, nisi*
» *aduectæ mulis, quamlibet exiguo spatio à domibus suis venire*
» *nequeant, ad videndum Dominum in præsepio spiritali.*

CHRISTI TRANSFIGVRATIO.

Prop. Vnica. *Transfiguratio Christi quàm grata fuerit Deo Patri.*

MIrum quidem videri potest, cur Christus Dominus, qui pati pro nobis in mundum venerat, tantum, & tam excelsum gaudium, quale in transfiguratione sua habuit, elegerit sibi. Huius igitur ratio inter alias est, vt notum omnibus esset, licitum esse seruis Dei aliquam recreationem animi percipere in hac vita in leuamen suorum laborum, idque Deo gratum, &
Ps 33.2. meritorium etiam esse. vnde Dauid, *Benedicam*, inquit, *Dominum in omni tempore.* quid ais Dauid, *in omni tempore?* quî fieri potest, vt mortalis homo, & necessitatibus corporis implicatus, semper Deum laudare, & benedicere possit? nónne edere, & dormire, & quiescere à laboribus oportet? S. Basil. sic respondet, *Semper*, inquit, *laus eius in ore meo, videtur rem impossibilem polliceri Propheta, quomodo enim semper Dei laus in hominis ore potest esse, quando enim ea deprimit consueta & ad corporis necessitatem respicientia colloquia, vtique non iam in ore habet Dei laudem: quando item dormit, penitus silet, bibens quoque, ac comedens quomodo ore concinit laudes Dei? Ad hoc dicimus, quòd quiuis homo potest cuncta facere ad Dei laudem, iuxta Apostolicam adhortationem, ita vt facta, & dicta ipsius omnia, omnisque spiritualis operatio, vim laudis habeant; siue enim bibat iustus, siue edat, omnia ad Dei gloriam facit. Talis etiam cùm dormit, cor vigilat, iuxta verbum dicentis in Cantico Canticorum:* Ego dormio, & cor meum vigilat. Ita S. Basil. Quis
Cant. 5.2. quæso regum terræ sicut Dominus Deus noster, sic remunerat somnia, & comestiones, & potus suorum seruorum?

At dices, nónne otiosus tunc est homo, quando sic D
quiescit, & dormit, & animi gratiâ ludit? &c. Tu otia ista voca, apud Deum in homine iusto hæc suo tempore sumpta merita sunt: & meritò, nam tunc seruus Dei vires reficit, & resumit ad meliùs postea operandum. Non otiosus est artifex, qui ferramenta sua acuit, quando acumen operando amissum fuit: nam hoc facit, vt meliùs, & faciliùs, & citiùs postea sua perficiat opera, aptioribus nempe instrumentis. sic qui post laborem orationis, aut iustæ operationis quiescit, manducat, &c. non otiatur, sed vires reficit, quibus postea feruentiùs in Dei obsequium operetur: nam arcum frangit intensio, &c.

Veruntamen animaduertat, qui sic ab opere Dei quiescit, ne quid nimis: in hac enim vita seruis Dei quiescendum est moderatè audite. quid Dominus discipulis suis dicat: *Venite seorsum in desertum locum, & re-*
Marc. 6. *quiescite pusillum*, hoc, inquam, dixit Christus Dominus
31. discipulis suis, cùm ita fatigati essent ex ministerio animarum, vt nec spatium manducandi haberent, ideò requiescere eos voluit. sed vide, quantùm, requiescere pusillùm: pusillùm ait, nam Dei seruos in hac vita non decet requiescere multùm: multa enim requies seruata est illis in cœlo, nunc autem laboris potiùs quàm quietis tempus est. manet nobis æternitas ad requiem, manet requies æterna: tempus autem promerendi hanc requiem, tempus vitæ huius est: breue quidem, & multis obstaculis præpeditum, &c. Aliquanculùm igitur requiescere iustis & licet & meritorium est.

CHRISTI PASSIO.

Prop. 1. *Quàm sit plena ingentium prodigiorum passio Christi.*
2. *Quàm ingens & admirabile beneficium fuerit Christum pati pro nobis.*
3. *Quàm fortiter tulerit Christus Passionem suam in nostrum exemplum.*
4. *In Passione Christi manifestatur magnitudo charitatis eius.*
5. *Quàm gratum fuerit ipsi Christo pro nobis pati.*
6. *Quàm libenter & amanter pro nobis pati voluerit Christus.*
7. *Prompta & grata Christo voluntas ad patiendum, eius in nos amorem manifestat.*
8. *Passio Christi grauitatem peccati manifestat.*
9. *Passio Christi grauior fuit ex eius innocentia.*
10. *Quanta cùm deuotione Passionem Christi celebrare debemus.*
11. *Passio Christi quàm attentè sit à nobis consideranda*
12. *Passionis Christi dolores affectuosè sentire debemus.*
13. *Passio Christi quanti facienda sit, salus nostra manifestat.*
14. *Passio Christi totius boni nostri radix est.*
15. *Passio Christi satisfecit pro peccatis nostris, & quomodo.*
16. *Passio Christi cœlum nobis aperuit.*
17. *Passione sua Christus de Inimicis suis & nostris victoriam reportauit.*
18. *Christus morte suâ à morte æterna nos liberauit.*
19. *Passio Christi remedium efficax est contra peccata.*
20 *Passio Christi spem venie nobis præbet.*
21. *Christi Passio ad tolerantiam laborum vrget nos.*
22. *Passio Christi amorem nostrum conciliat.*
23. *Passio Christi nos sanctos esse cogit.*
24. *Passione Christi creuit Ecclesia.*

Prop. I. *Quàm sit plena ingentium prodigiorum Passio Christi.*

QVot hîc eruentur thesauri, quot se prodent miracula, quàm stupenda detegentur prodigia, si quis pro nobis patitur, ritè à nobis expenditur. Proderit vt hoc assequamur ponderare verba Amphilochij sic loquentis. *O res nouas, atque inopinatas, ligno extenditur,* *Amphilochius in sanctum Sabbatum.*
qui verbo cœlum retenderat, vinculis circumdatur, qui mare arenis allegauerat, felle potatur, qui mellis fontes fuerat largitus, spinis coronatur, qui terram floribus coronauerat; calamo caput verberatur, qui AEgyptum decem plagis olim percusserat, caputque Pharaonis vndis operuerat, conspuitur spuitu, quem Cherubim intueri non sustinent. His affinia habet D. Chrysostomus, qui prolixiùs eiusdem argumenti filum deducit. Accipe eius verba. *Cyrillus Alexandrinus Tom. 2. serm. de mulier. 114.*

Pax cœli traditur dolo osculo, tenetur tenens omnia, alligatur omnium nexus: ducitur attrahens vniuersa: à falso vera: tas accusatur; sistitur cui absistunt omnia. Iudæi gentibus tradunt, reddunt gentes Iudæis: Herodi mittit Pilatus, remittit Herodes Pilato: sicque commercium fit impietatis pietas, sanctitas in nundinas crudelitatis deducitur; flagellatur remissio, condemnatur venia, illuditur maiestas, irridetur virtus; perfunditur largitor imbrium spuitu; clauis ferri cœlistrator affigitur, mellis dator, cibatur felle, propinator fontium, potatur aceto: & cùm iam nihil restet ex pœnis, mors refugit, mors moratur, quia suum ibi esse nihil sentit. Et paulò pòst. *Quare ad mortem, & ad talem mortem Deus pater permiserit filium suum peruenire? quare tam contumeliosa succubuerit passioni? quare Spiritus sanctus cõregnantẽ vnam sibi dextrã Christum, ad tantas carnis iniurias permiserit peruenire? orate fratres, vt dignationẽ, quâ passus est, passionis suæ reuelet arcanum, &*

causam

causam nobis omnibus tam sacratæ mortis inspiret. Primùm quidem nobis est intuendum. Rex quando gloriosior, quando indutus purpurâ, & ademate decorus, aspersus auro, solio sublimis, ad pompam tamen non parat ire, sed hæc in secreto fiunt? an quando in campum conniuens vultu, & honore. Vltimus, periculis primus, onustus ferro, grauis armis, pro patria, pro ciuibus, pro liberis, pro vita omnium premit hostem, discrimina despicit, contemnit vulnera, ipsam libens mortem suorum suscepit ad salutem, vt maiorem contemptu mortis, quàm de ipso hoste victoriam referat & triumphum? & quare dissimulet, si Christus de suis patris, de deitatis secreto ad nostram seruitutem remittat, vt nos sua redderet libertati, nostram mortem suscepit, vt nos eius morte viueremus?

A

Prop. II. *Quàm ingens & admirabile beneficium fuerit Christum pati pro nobis.*

ADeò eximium & excellens est beneficium hoc, vt etiam ad credendum mundus vix potuerit adduci: ita vt dicere valeamus plus pro nobis hominibus, & pro salute nostra efficit Deus, quàm vel credere voluerit mundus: sic enim ait Apostol. *prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Hinc est quòd Isaias annunciaturus mundo passionem Christi, sic exorsus fuit: *Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est?* Vbi nota quòd cùm Isaias Dei maiestatem vidisset, Dominum scilicet sedentem supra solium excelsum & eleuatum, tanta quidem authoritate, vt ipsa, quæ sub ipso essent, replerent templum, & Seraphim colaudarent Dominum, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ eius, &c. cùm hoc, inquam, annunciaturus esset mundo, nequaquam dixit, quis credet auditui nostro? cùm tamen annunciaturus esset mundo passionem Christi, verba supradicta protulit, nimirum quia de Deo sublimia credere non est adeo mirum: at humilia & abiecta annunciare, qualia sunt ea, quæ in Christi passione euenerunt, hoc incredibile prima facie mundo videbatur. Sit tamen Deus benedictus in fœcula, qui tanta pro nobis fecit, & passus est, vt excederent fidem humanam, &c.

B

C

Sæpe Christiana Ecclesia, v. g. in quadragesimali tempore, Christi Domini mortem ac dolores in fidelium memoriam reuocat, in principio scilicet Quadragesimæ, & in medio, & in fine illius: de qua etiam re humani generis assertor frequentem cum discipulis suis sermonem habuit: decebat enim eum magistrum, qui vir dolorum, & sciens infirmitates nominatus est, hoc de passione Christi argumentum non semel, aut iterum, sed sæpius suis alumnis tradere. At quàm vtilis sit huiusmodi schola, quamque ad hominum institutionem necessaria, breuiter explicari oportet. Quælibet scientia vtitur quibusdam primis principijs, in quibus omnes illius scientiæ conclusiones continentur: atque idcirco præceptores in his principijs discipulos edocendis operam & studium præcipuè ponunt, eaque illis sæpe relegunt ac repetunt. Quia paruus error in huiusmodi principijs maximus est in tota facultate. Sic etiam passio Christi est quasi primum ac præcipuum principium in Christiana disciplina, altissimaque morum scientia, in quo omnis nostra institutio perfectissimè continetur; Christiana enim religio, quæ ad nos rectis moribus imbuendos ordinatur, nihil aliud docet, quàm vitæ integritatem, morumque sanctitudinem, magnam animi submissionem, ardentissimam in Deum & proximos charitatem, obedientiam perfectam, inuictam animi magnitudinem, ac tolerantiam, aliaque huiusmodi virtutes, quæ omnes in acerbissima Saluatoris nostri morte excellentiori quadam ratione edocentur. Quapropter qui velit animi submissionem addiscere, oculos suos in Iesum crucifixum conijciat, *Qui humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem crucis*; & in eam deuenit abiectionem, vt inter duos pendens latrones, opprobrijs & contumelijs obiectus, ignominiosam atque infamem crucem subierit: qui charitatem complecti, ardentissimum Christi crucifixi amorem consideret, qui hominum causa grauissima illa tormenta libenter sustinuit: qui obedientiam arripere, intueatur Christum in crucem actum, qui, vt S. Bernard. ait, *perdidit vitam ne perderet obedientiam*: qui animi fortitudinem ac tolerantiam perdiscere, inspiciat, & attenta cogitatione perpendat, quàm patienter, æquo animo, ac serena fronte Seruator noster cruciatus & mortem perferat, & pro persecutoribus roget. Qui denique quamcunque aliam virtutem consequi velit, in Christo cruci affixo eam elucere perspiciet, & ab eo discere ac percipere poterit. A quo enim alio didicêre sanctissimi viri eam, qua imbuti sunt, sanctitatem, nisi ab hoc sapientissimo magistro ac præceptore Iesu? Quo alio duce ac magistro ad cœlestium rerum cognitionem & scientiam peruenerunt? *Non iudicaui*, inquit Doctor ille gentium Paulus, *me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*, & quidem quamuis hic Apostolus præclara eruditione atque doctrina ornatus esset, & cœlestium rerum cognitione instructus, ex nullo alio fuam doctrinam hausisse se fatetur, nisi ex Christo crucifixo. O præclarum ac diuinum sanè præceptorem, à quo vnius horæ spatio plus scientiæ cognitione desumi potest, quam ab omnibus libris ac magistris toto vitæ tempore desumatur! Ab hoc quidem fortissimi Christi martyres inuictam in perferendis tormentis tolerantiam perceperunt, Apostoli ardentissimum salutis animarum curandæ studium, Monachi obseruantiam erga Prælatos, reliquique omnes ab hoc vno perfectissimo exemplari virtutem & sanctitatem petierunt.

D

At quid causæ sit rogo cur tam pauci huic scientiæ studeant? plenæ quidem sunt Academiæ præceptoribus, & discipulis, qui iuri canonico, & ciuili, aliisque huiusmodi facultatibus diligentissimè dant operam: sed pauciissimi reperiuntur, qui se in hanc Christi crucifixi disciplinam tradant, vel in ea progressum faciant: arbitrantur enim homines reliquas facultates plus sibi vtilitatis allaturas, magisque sibi condu cere ad vitam honestè honorificcque tuendam, quàm diuinam hanc, de qua loquimur, & doctrinam, & cognitionem. sed errant sanè, ac vehementer errant: hæc enim doctrina non solùm nobilior est reliquis omnibus, sed etiam vtilior: in ea quidem verum ius canonicum & ciuile continetur, quo rectè in regio illo foro supremoque Dei tribunali nostræ salutis negotia tuebimur. Hæc est vera ars medendi animis, & quæ non mortalia corpora, sed immortales animos sanat. Hæc est suprema Astrologia, in qua cœlestes motus, diuinique concursus dignoscuntur. Hæc denique est sacra Theologia, quæ nos in diuinarum rerum cognitionem ducit, & ad cœlestes dignitates euehit. Cùm ergo præclara hæc disciplina tam vtilis sit, ac necessaria, meritò Christi Domini passio & mors, à qua illa desumitur, sæpiùs repetitur & replicatur.

Ad Phil. 2.8.

1. Cor. 2. 2.

Prop. III. *Quàm fortiter tulerit Christus passionem suam in nostrum exemplum.*

IOan. 19. *Ad Iesum autem cùm venissent, & viderunt eum mortuum, non fregerunt eius crura.* Quod in agno Paschali præfiguratum fuit Exod. 12. vbi Dominus præcepit ossa agni (qui figura Christi fuit) minimè frangi. Cur igitur noluit Christus Dominus ossa sua diuidi, cùm carnem suam dilacerari permiserit flagellis & clauis? Respond. Theod. hoc ideo factum fuisse, quia ossa Christi robur & fortitudinem Christi designabant: corporis enim robur in ossibus est, robur autem vigo-

Ioan. 19. 33.

Exod 12.

S. Theod.

& vigorem noluit Christus in sua passione deesse. At, inquies, cepit pauere & tædere, & tristis esse anima eius vsque ad mortem. Ita quidem voluit pauorem & tristitiam admittere, vt sic passio eius acerbior esset; si enim læto animo passus esset, lætitia illa dolorem & pœnam mitigasset; sed nihilominus fortudinem ad omnia fortiter subeunda semper retinuit, vt ita amorem in Patrem manifestaret, & nobis exemplum fortitudinis in aduersis præberet.

A

PROP. IV. *In Passione Christi manifestatur magnitudo charitatis eius.*

Habac. 3. 4. SPlendor eius vt lux erit, *& cornua in manibus eius : ibi abscondita est fortitudo eius: ante faciem eius ibit mors, & diabolus egredietur ante pedes eius.* Hic de passione Christi agitur, vti affirmant S. Cyprianus, Eusebius, Augustinus, S. Hieronymus, Theophyl. & alij. *Splendor* (inquit) *eius vt lux erit*, hoc de fama Christi interpretatur S. August. vbi suprà, quæ fama resplenduit per orbem. Eusebius & Theophyl. de doctrina, quæ quidem meritò dici potest, vt lux: quia lucidissima fuit, velut ipsamet lux. Vnde sicut lux ægris oculis molesta est, sanis verò grata: sic Christi doctrina bonis grata: malis vero ingrata fuit. Potest etiam intelligi de passione, in qua resplenduit Christus mirè, tum ob miracula, quæ in horto fecit, vbi iam passio eius initium habuit: ibi enim & aureni miraculosè Malcho restituit, & inimicos verbi sui potentiâ prostrauit: & in cruce ipsa Centurionem illuminauit, cùm dixit: *Verè Deus erat iste*, & illos etiam, qui percutientes pectora sua reuersi fuerunt. Dices, quomodo ergo reliqui omnes hanc lucem non perceperunt? quia scilicet cæci quamuis meridiana fulgeat lux, non eam videre possunt: illi autem cæci erant, dicente Christo: *Cæci sunt, & duces cæcorum.* Sic igitur in passione etiam splendor Christi vt lux fuit.

Lib. 2. contra Iudæ. c. 11. & in ferm. de pass. Domini. Lib. 6. de demonstr. Euang. c. 15. 18. de ciu.

Matt 27. 54.

Matt. 15. 14.

B

Sed quid est, *& cornua in manibus eius?* S. Hieron. & S. August. vbi suprà, de trophæo crucis id intelligunt. Clarius, Paulus Burg. & Titelman. de cornibus crucis. huiusmodi cornua in manibus Christi fuerunt, ipse cruci affixus fuit. At dices, hoc non est cornua in manibus esse, sed potiùs manus eius in cornibus crucis. Respondetur, voluisse Prophetam significare quòd non violenter, sed voluntariè Christus Dominus tenebatur in cruce: facilè quippe Christus poterat, si voluisset, clauos expellere, & à crucis cornibus manus retrahere: sed amor in nos ipsum in cruce cõtinuit. Vnde,

C

Ioan 10. 18. *Potestatem* (inquit) *habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam, & nemo eam tollit à me: sed ego pono eam à me ipso, &c. Oblatus est quia ipse voluit.* Vnde meritò ait

Isai 53. 7. Habac. *& cornua in manibus eius*, quia dum voluntariè pro nobis sic crucifigi voluit, ipse cornua crucis, non cornua ipsum detinuerunt. Cornua quidè crudelissimi tauri fuerunt in Christum cornua crucis: taurus enim ferox, cùm hominem cædit, non priùs ex cornibus expellere curat quàm occidat. Sic crux Christum Dominum interemit: sed tamen voluntariè. Vnde meritò in ostensionem charitatis in nos, *cornua*, inquit, *in manibus eius*, quia cùm ab huiusmodi cornibus se liberare posset, amore nostri noluit vel rogatus.

Matt 27. 42. *Descendat*, inquiùt, *de cruce, & credemus ei.* Magna promissio & gratissima Christo: ad hoc enim venit, vt omnes crederent in eum: sed quia in cruce sua salutem nostram sitam esse vidit, noluit, & potuit. Sed ad rem hoc amplius expendamus in eo quod subdit, *ibi abscondita est fortitudo eius:* vbi alia littera sic, *ibi fortem ostendit dilectionem suam.* Hæ duæ lectiones oppositæ videntur: quid enim contrarium magis quàm abscondere, sed tamen vtrumque verum: ibi quidem se Christus & fortitudinem suam infidelibus occultauit; quis enim sine fide illum omnipotentem existimasset Deum? quis ratione naturali id cogitasset? fidelibus tamen, qui Deum absconditum credunt, ibi ostendit fortem dilectionem suam. ostendit quidem dilectionem suam Deus in homine, cùm eum creauit ad imaginem & similitudinem suam, & ideo tunc animâ infundens in spiraui in eum spiraculum vitæ. Spiratio huiusmodi ex corde ab intus procedit; quasi diceret, amore tactus intrinseco cordis, formabo (inquit) hominem: id quidem inspiratio illa significauit. quare maximum erga hominem amorem tunc Dominus manifestauit, maiorem autem, cùm potestatem discipulis dedit ad hominum peccata dimittenda. vbi etiam inspirauit, seu insufflauit; quasi diceret, sicut productio hominis è cordis mei amore manuit, sic etiam & reparatio eius, quæ per Spiritum sanctum, quem vobis communico, & per remissionem peccatorum fiet, eiusdem amoris manifestum est signum. At vbi fortem dilectionem demonstrauit, crux quidem fuit; *fortis enim est vt mors dilectio*: mors autem fortitudinem suam vitam auferendo demonstrat: sic & amor: in cruce autem amor Christi in nos vitâ eius abstulit; ibi ergo fortem amorem ostendit Deus.

Gen. 2. 7.

D

Denique eum hominem creauit, insufflauit, & eum formauit etiam: sed nihil tunc patiebatur, sed agebat: amoris autem vis non in actione, sed in passione pro dilecto manifestatur. Sicut amor Abraham in Deum tunc manifestus fuit, cùm filium Domino iubente offerebat: quæ passio potius patris, quàm filij erat; filius enim in corpore, pater in corde; filius semel, pater per totum vitæ discursum pateretur. Vnde ad eum Dominus: *Nunc cognoui quia times Deum.* Sic Domine Deus, in cruce pendes, & cornua eius in manibus tenes, voluntariè pro nostra salute tot dolores, & mortem acerbissimam, & extremis opprobrijs refertam, patiens: nunc cognouimus fortem amorem tuum. Sit gloria tua in æternum, & vltra.

Quid inde? id eisdem verbis explicemus. *Et cornua*, inquit, *in manibus eius*; per cornua hæc nonnulli etiam cornua areus intelligunt: habet enim arcus cornua duo: crux autem Christi arcus meritò dici potest, quo sagittas amoris in nos iacit; ob id enim S. August. *Sagittaueras* (inquit) *cor meum Deus charitate tua.* Sic hieroglyphicè depingitur coram cruci fixo genu flexus, & illa subijcitur littera, *Sagittauerας*, &c. Cuius vel lapideum & adamantinum cor, arcus huius sagittæ vehementissimè nõ transfodiant, si amor contrahitur amore, tantus, & tam ardens amor, quem non vehementer vulnerabit?

Hinc cùm Petrus audiens Christum passionem suam prædicentem, *Absit*, (inquit) *à te, Domine, non erit tibi hoc. Qui conuertens, dixit Petro: Vade post me Satana, scandalum es mihi, &c.* Aduerte, Iudæ tradenti cum osculo dixit: *Amice ad quid venisti?* Petro impedire volenti passionem ait: *Satana, scandalum es mihi*: illum amicum, hunc Satanam; cùm quidem tamquam fœtus inimicus Iudas traderet eum, Petrus autem velut amicus ab opprobrio & morte vellet eum liberare. ita, quia non viuere, sed mori pro nobis vehementissimè optabat: eos autem, qui desiderijs fauent, amicos dicere solemus, obstantes verò inimicos. Quare non sine causa Satanam vocat Petrum, quia Satanas passionis tempore, mediante vxore Pilati, Christum à morte voluit liberare, tunc illi dæmon & Satanas & scandalum fuit, & in hoc sensu est qui exponat illud, *Et diabolus egredietur ante pedes eius.* agit de passione Christi; egrediebatur verò diabolus ante pedes eius conculcatus. Scandalum dicitur offensio illa, quæ pedibus offertur, & est cadendi occasio. Ad pedes Christi accurrit Satanas in passione eius, quia scandalum esse voluit, &c. Hac igitur ratione Dominus Petrum Satanam, & scandalũ vocat: quia sicut hostis ille, quamuis sana intentione, passionem Christi voluit impedire. Vide quanto desiderio & affectu Dominus tenebatur patiendi pro nobis.

Matt 16. 22.

Vnde

Vnde ipse filius Dei per Prophetam ea denuntians, A quæ à persecutoribus pati debebat, *Circumderunt me* (inquit) *sicut apes fauum*, ita legit S. Augustinus non inquit, vt apes circumdant hominem, vt aculeis suis percutiant, sed vt fauum, vt scilicet mel operentur in eo. Audi Augustinum ibi, *Quod ab ignorantibus gestum fit, mystica fubilitate Spiritus sanctus docet: mel quippe apes operantur in fauo, nescientes autem persecutores Domini fecerunt eum nobis ipsa passione dulciorem, vt gustemus & videamus, quàm suauis est Dominus, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Ita S. Augustinus. & quidem ita est: dulcis est nobis passio Domini, dum amoris diuini dulcedinem in ea valde gustamus: sed passio eadem multò magis Christo Domino dulcis fuit, quia plus ipse optabat pro nobis mori, vt saluaret nos, quàm nos saluari desiderabamus: quia maior est eius in nos amor, quàm noster in nos. Vnde, *Veni in hortum meum*, ait Christus, *messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo.* Quid dulcedini mellis cum amaritudine myrrhæ? si messuisti myrrham, quæ amara B sicut fel quidem est, fel non mel te comedisse dicere debuisses. Denique in passione Dominus messuit myrrham, amarissima quippe erat, quomodo mel in ea reperisse potuit? vide & attende verba: non ait, *comedi fauum* melle plenum in se, sed *cum melle meo.* Myrrha erat passio Saluatoris, sed comedit eam cum melle suo: vnde fauum mellis ei esse videbatur: amor enim omnia dulcia etiam amarissima reddit.

Apoc. 1. de se sic Apostolus Ioannes: *Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi quæcumque vidit:* vbi testimonium Iesu Christi non vocat illud, quod ipse Ioannes de Christo dedit, sed testimonium, quod Christus Dominus moriendo dedit, vti exponit Nicolaus Zegerus, & alij. Vocat autem passionem Christi testimonium eius, quia moriendo, & patiendo Christus Dominus illustrissimum nobis charitatis suæ erga nos præbuit testimonium, ad eum modum, quo Martyres testes dicuntur fidei, quia fidem, quam ver- C bis, & operibus confitebantur, moriendo pro fidei defensione testificati sunt admirabili mortis testimonio, sanguine suo subscribentes se veram illam fidem censere, quam moriendo confirmabant. Sic Christus Dominus verbis, & operibus veram in nos charitatem asserebat; sed passione, & morte illam mirè fuit testificatus, & sanguine suo subscripsit, quasi dicens, in hoc, cognoscent omnes me verè diligere vos, cùm pro vobis, ac vestra salute, sanguinem fundo, & vitam profundo, &c.

Inclinato capite tradidit spiritum (ait de Christo Ioannes Euangelista) priùs inclinauit caput, & statim mortuus est, præter morientium morem, qui priùs spiritum tradunt, postea caput inclinant. hinc desumenda causa: ex morte Christi vita nostra pendebat, tunc consummatum est sacrificium nostrum, quando Deus Pater placandus erat, tunc consummata redemptio; antea verò quàm caput inclinaret, eos tantummodo prospi- D ciebat, qui eum blasphemantes, dicebant: *Vah qui destruis templum Dei, si filius Dei es, descende de cruce. Alios saluos fecit, seipsum non potest saluũ facere*, &c. Dũ hæc audiebat, dum hos talia dicentes videbat, spiritum non emittebat; at inclinato capite, oculos in cor suum conuertit, & tunc mortem illam obijt, quæ nos redemit à morte, tunc, inquam, cùm cor suum prospexit; vbi charitas sua summa, & pietas immensa residebat. Sicut enim ad vindictam Christum hominem impietas nostra vrgebat, sic & amplius multò ad misericordiam charitas cordis eius. vnde non quæ peccata, & ingratitudo exigebant, sed quæ charitas eius exigebat, effecit.

PROP. V. *Quàm gratum fuerit ipsi Christo pro nobis pati.*

CVm Christus Dominus lætum diem ageret transfigurationis suæ, Moyses, & Elias, quos tantæ festiuitati interesse voluit, Christus Dominus, *dicebant excessum, quem completurus erat in Ierusalem*, excessum vocat passionem. Nota res est: vocatur autem passio Christi excessus, tum ob excessiuum amorem, quo passus est mortem, quâ nobis conferret vitam, videns in morte sua sitam esse vitam nostram. Item quia excessit omnia merita nostra: non enim nos pro nobis Dominum mori merebamur, sed potiùs nos ab illo occidi, & æterna morte damnari, digni fueramus. Præterea, excessus fuit, quia plus pro nobis passus fuit, quàm ad sufficientem satisfactionem pro peccatis nostris opus erat: vnicâ enim guttâ sanguinis vniuersum orbem satis superque liberare potuisset, imò lacrymulâ vnâ, imò genuflexione quadam facillima; & tamen copiosas lacrymas & vniuersum sanguinem profudit, & vitam ipsam depositi, vt vim amoris sui, & grauitatem nostrorum peccatorum, euidentiùs demonstraret. Denique excessus fuit mille modis. Sed cur, quæso, de huiusmodi excessu loquebantur, & tunc quidem, quando de rebus Lætis & gloriosis agendum esse videbatur? omnes enim secundùm exigentiam temporis & cuentus, loqui solemus, in die defunctionis de morte, in die natiuitatis de vita, in die nuptiarum tympanis & varijs musicæ instrumentis eas celebramus: tempore verò alicuius aduersitatis à musicis abstinemus, quia musica in luctu importuna narratio. Cùm igitur dies Trãsfigurationis Christi, dies festiuissimus illi esset, & discipulis suis, cur Elias, & Moyses de morte & passione Christi sermonem miscuerunt? Dicam, & fateor in diebus festiuis festiuos requiri sermones, & propterea quidem in die festiuo Transfigurationis agebant hi Prophetæ de passione Christi, quia festiuam Christo huiusmodi tractationem & conuersationem esse sciebant: nullus enim ad nuptias, vel ad hastiludia, aut taurorum agitationem, ita lubens & gaudens vmquam iuit, ac Christus Dominus ad passionem suam. Vnde sic de Christo Domino Spiritus sanctus: *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.* Quodnam est hoc diadema? & de quo Salomone agit? S. Bern. *O regem*, inquit, *ô diadema! mater siquidem synagoga, non mattem sanè se exhibens, sed nouercam, regem nostrum coronã spineã coronauit.* Ita illè. De Christo ergo Domino, in passione sua spinis coronato, loquitur textus diuinus: cur igitur ait, *in die solẽnitatis & lætitiæ* dies quidem ille, non lætitiæ, sed mœstitiæ, & doloris fuit, in quo omnes Christi amatores lamentabantur, & flebant. Attende verba: non enim absolutè dixit, *in die lætitiæ*, sed *in die lætitiæ cordis sui.* fuit dies passionis Christi lamentabilis alijs, ipsi verò fuit gaudij & exultationis, tum quia pro redemptione nostra, & tum maximè, quia pro gloriâ Patris patiebatur.

Hinc etiam est quòd in tempore illo celeberrimo Paschæ voluit, & non antea, crucifigi: quod notauit Apostolus Ioannes, dicens: *Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius, &c.* Cur Domine in festiuissimo isto die? passus enim es tali tempore, quia sic fieri dispositi, *oblatus*, inquit, *est, quia ipse voluit*: sic oblatus est, quando ipse voluit: voluit quidem tunc, & celebrato priùs conuiuio agni, vt lætum sibi & festiuum prorsus esse passionis suæ diem manifestaret.

Celebris etiam & solemnis dies fuit dies Epiphaniæ, quemque nos tanquam paschalem celebramus, tunc Magi, Christum adorantes, myrrham inter reliqua munera obtulerunt: in myrrha autem Dominica significatur sepultura, vti Ecclesia canit. quid igitur mentio Dominicæ sepulturæ seu mortis cum festo Epiphaniæ?

multum quidem : nam semper ad lætitiam Christi spectabat memoria mortis suæ, &c.

Matt.26. 12. Cùm Christus Dominus esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, attulit illi Magdalena alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput Christi recumbentis, &c. festiuum omne hoc videbatur, conuiuium scilicet & vnctio illa vnguenti pretiosi, & gratissimum illi fuit obsequium Magdalenę. quòd si causam quæsieris, audi eam reddentem Christum: *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Ecce quid in vnguento illo Christus Dominus cõsiderabat, mortem quidem suam: hæc enim cogitatio illi gratissima fuit, & conuiuio illi, & obsequio illi apta, *por ser vn ensayo de lo que en su muerte y sepultura auia de hazer la Magdalena, cuya memoria no refusso fuesse a costa de balsamo tan pretioso, y en dia de conuite.*

Prop. VI. *Quàm libenter & amanter pro nobis pati voluerit Christus.*

SI ob ea, quæ pro nobis passus est Christus, immensas illi gratias debemus, ob id quidem maximè, quòd tam libenter & tam amanter ea pati voluit, hoc autem manifestis argumentis probatur. B

Primò ex eo quod Christus assiduè loquebatur de passione sua, à natura autem insitum est, vt de ea re, quæ
Matt.12. 34. nobis grata est, frequenter fermonem habeamus : *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Quapropter sæpè de re militari loquitur, cui bella placent, & qui amat litterarum studia, non rarò de libris ac sapientiæ cultoribus
Eccli 38. 34. agit. *Qui tenet aratrum* (ait Sapiens) *& qui gloriatur in iaculo stimulo boues agitat, & conuersatur in operibus eorum, & narrat o eius in filijs taurorum.* Hinc factum est, vt Seruator noster Iesus toties de morte ac cruce, quàm subiturus erat, fermonem instituerit, quia illius desiderio & amore flagrabat.

Quamobrem in lege veteri cruenta sacrificia sæpè
Heb 10.1 Deo immolabantur. Lex enim illa, vmbra erat futurorum, vt ait Apostolus, & sacrificia illa repræsentabant C
Simile. cruentum hoc crucis sacrificium. Quo quidem facto, cessarunt reliqua omnia, quæ erant figura huius : instituit ergo Deus sanguinolẽta illa sacrificia, quæ sibi maximè placebant, eò quòd gratissimum sibi sacrificiũ in cruce immolandum significabant, quibus ille oblectabatur. Ad eum modum, quo homo, qui ab alio sibi amicitiã coniunctissimo abest, eiusque videndi desiderio tenetur, solet illius effigie aut simulachro oblectari, donec illius conspectum & vultum intueatur : sic etiam optabat maximè immortalis Deus, humanam naturam susc ipere, & in crucis ara hominũ causa immolari. Cùm autem sciret nõdum aduentasse tempus, in quo cruentum illud sacrificium offerendum erat, delectabatur interim huius sacrificij simulachris, quæ ab ipso mundi
Apoc.13. primordio esse voluit. Quocirca in sacris sacri Ioannis vaticinationibus dicitur Christus agnus occisus ab origine mundi, quia eius mors in sanctis Patribus ab exordio generis humani præfigurata est in primo homine dormiente, & Eua, ex eius costa facta, in Abel, Isaac, Ioseph, & pluribus sacrificiorum ritibus. Beatus etiam Augustinus sic ait: Christus fuit in Abel occisus, & in Prophetis exhonoratus. Itaque ab eo die, Vniuersum conditum est, vsque ad illum, in quo Deus Opt. Maxim. humanam induit naturam, voluit ipse figuris & imaginibus suam mortem exprimi. Atque etiam post humanitatem ab eo assumptam, celebre illud agni paschalis sacrificium celebrari iussit : quod quidem ipse Seruator noster singulis annis cum suis discipulis celebrauit, & cum suæ mortis simulachrum esse cerneret, non dubito, quin illo vehementer delectaretur.

Ob eamdem etiam causam, cùm sanctissimum illius corpus in monte Thabor lumine & splendore circumfusum esset, de acerbissima sua morte egit: quæ adeò illi A grata erat, vt eo tempore, quo se lætissimum & gloriosum præbuit, de ea, vtpotè iucundissima atque optatissima, sermonem habuerit.

Satis profectò explicatur hoc Seruatoris nostri desiderium, hæc cupiditas & voluntas moriendi, in illis Psalmi verbis, in quibus regius Vates sub Christi nomine loquitur in hunc modum : *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Quem locum de Christo intelligendum esset docet B. Paulus, vbi hunc locum adducit, ac si in eo æternus Dei filius loqueretur. Ait ergo: *In capite libri scriptum est de me.* D. Aug. exponit: *In principio psalmorum scriptum est de me*, in quo agitur de eo habere voluntatem in lege Domini. D. Hier. explicat in principio Geneseos, in quo statim fit mentio filij Dei. Alij interpretantur hunc de libro prædestinationis, de quo in alio psalmo scribitur: *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur*, in quo libro scripti sunt omnes prædestinati: sed in capite omnium positus est Christus, tanquam eorum caput, & primogenitus in multis fratribus, & tanquam per quem alij sunt prædestinati. Alij denique sic exponunt: *In capite libri*, id est, *in summa legis diuinæ*: nam Hebræa non habent, *in capite, sed in volumine libri*: & erit sensus, in summa, seu in ipsis Scripturis sacris, quod de me dicitur, seu quod de me exigitur, est, vt faciam voluntatem tuam, & hoc Deus meus, Pater mi, ego volui, ita vt huiusmodi legem habeam in medio cordis mei. At perpendamus, si placet, quænam sit hæc lex, quæ ita Christi animo adhæret, & in eius corde sculpta ac fixa manet. Et quidem illa est, quæ in sacra sacri Ioannis historia habetur, in qua loquens Christus Dominus de morte sua, ait: *Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Hæc igitur est lex, hoc præceptum Seruatori nostro impositum, vt scilicet, mortem ac crucem nostri causã subeat. Hanc legem, inquit, ipse habeo in medio cordis mei, quia illius amore flagro, & vehementer desidero pro humani generis salute vitam sanguinemque profundere.

Hoc amore & desiderio captus idem Iesus, grauiter reprehendit B. Petrum, cùm sibi de hac morte loquenti obiecit, *Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Conuersus enim Matth. Christus ad Petrum dixit ei: Vade post me Satana : scandalum 16. es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Cur Domine Satanam discipulum dilectum appellas? quo alio nomine mulctasti diabolum in deserto, nisi huiusmodi? Quid sibi vult asperum istud cognomen Satanæ? Diuus Hieron. ita explicat: *Satanas interpretatur aduersarius, siue contrarius, & quia contraria (Christus Petrum alloquitur) loqueris voluntati meæ, debes aduersarius appellari.* Ita hic. Libenter ergo nostri causã morem subire voluit, cùm Petrum, quem paulò antè beatum propter egregiam eius confessionem appellauerat, nunc Satanam vocat, eò quòd vellet se interponere, quo minùs mortem ipse Christus perferret.

D Quocirca cùm eodem moriendi desiderio teneretur in hodierno ad Ierosolymam ascensu, quem etiam B. Marcus describit, *Præcedebat*, inquit, *discipulos suos Iesus, & stupebant, & sequentes timebant.* Sed cur stupebant? cur timebant? Ex hoc (ait quædam glossa) quòd ita promptè & hilariter ibat ad passionis locum: & sequentes timebant, quia nondum erant perfecti vsque ad tolerantiam martyrij. Hæc Lira. Christus verò præcedebat, id est, ad mortem imperterritus properabat, vt exponit Interlinealis : à natura enim rebus omnibus tributum est, vt festinanter ad id, quod optamus ac diligimus, properemus; lento verò gradu incedamus, cùm ad rem odio à nobis habitam accedimus. Ad puniendum Adamum lento gradu, quia ad puniendum, tendebat, vt sic ostenderet se non ex animo pœnam homini & mortem inferre. At modò properanter ad locum passionis properat, quia ad patiendum pro homine pergit, vt sic quàm

Cap. 10. 32.

quàm æquo animo pro ipso patiatur, manifestet. Pluri- A mùm igitur Christo Domino debemus, eò quòd acerbissimos cruciatus, mortemque crudelissimam, nostri causâ pertulerit: sed maximè huiusmodi obligationem auget voluntas, & illa animi alacritas, quâ ea omnia toleràuit, cui quidem aliqua ex parte satisfaciemus, si nos libenti etiam animo & voluntate, ea, quæ ad Dei cultum & religionem pertinent, exequamur. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Quapropter cùm Deus Opt. Max. ab Israelitis peteret primitias suo tabernaculo offerendas, sic ait: *Omnis voluntarius, & prono animo offerat eas Domino: aurum & argentum & omnes pilos capraruin, &c.* id est, quæcumque offeratis, siue pretiosum aurum, siue caprarum pilos, qui nullo pretio æstimantur, læta fronte, ac libenti animo donate. Quicumque etiam laBores, vel res aduersæ libenter Dei causâ ferendæ sunt. Quod sanctissimus ille Eleazarus fecisse fertur. Is enim cùm inter acerbissima verba animam iamiam efflaret: *Domine* (inquit) *qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia cùm à morte possem liberari, duros corporu sustineo dolores: secundùm animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior.* Sciebat videlicet Eleazarus quàm essent Deo grati labores eius causâ æquo animo tolerati. Nos ergo, si nondum ad sanguinem restitimus, placatè saltem & moderatè feramus ea, quæ nobis secus, ac volebamus, acciderint, & quos nobis Deus laBores imposuerit, læto vultu atque animo, eius gratiâ excipiamus, cum ipse nostri causâ grauiora multò ac difficiliora libentissimè sustinuerit. Hac enim ratione par pari aliqua ex parte referemus, & gratiam ab ipso Deo, gloriamque sempiternam, comparabimus, &c. Vide infrà.

Prop. VII. *Prompta & grata Christo voluntas ad patiendum, eius in nos amorem manifestat.*

C *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum.* sic Christus Dominus, cùm in vltima cœna discumberet cum discipulis suis, quid verò desiderauerit videamus; nam reduplicatio illa desiderio desideraui vehementiam quandâ, & magnitudinem importat desiderij: primò per Baptismum intelligitur hîc passio Christi, vti asserit Tertullianus *l. de baptismo*, & sanctus Cyprianus, *epistola ad Iubaiam.* & communiter omnes expositores, & constat ex illo, *Potestis bibere calicem quem ego bibo, & baptismo quo ego baptizor baptizari?* de passionis ergo calice loquitur, & subdit, *& quomodo coarctor, donec perficiatur*, hęc valdè cupio & desidero huiusmodi calicem passionis sumere. ita exponit S. Irenæus, qui, idẽ, inquit, est ac diceret, valdè propero ad illum. Beda & Theod. & Euth. & Lira. quasi mortem, & passionem incusaret, quòd tardaret. huius autem magnitudinis desiderij, & gaudij cordis sui in patiendo, & moriendo pro nobis multa sunt argumenta.

D Primum assidua eius meditatio, nam non dixit, *potestis bibere calicem, quem ego* bibituras sum, *& baptismo baptizari*, quo ego baptizandus sum, sed de præsenti, *quem ego bibo, quo ego baptizor*, cur ait baptizor, cùm plures dies superessent adhuc vsque ad diem passionis suæ? quia scilicet ita assiduè mente versabat passionem suam Dominus, vt quasi quotidiè pateretur quod postea passionis tempore tolerauit. quod valdè ostendit magnitudinem desiderij patiendi pro nobis: sicut qui dignitatem aliquam valdè optat, vel lusum, aut venationem, aut aliud quodpiam, non potest mentem ab eo quod desiderat, reuocare; sic Christus Dominus ex desiderio magno patiendi semper meditabatur passionem, *como quien se entretenia con el pensar en ella*, quod tanto feruore concipiebat, vt dicat, bibo, baptizor; ita enim passionem cogitabat, quod erat quasi iam cogitatione pati.

Et hinc erat, quòd toties de passione sua loqueretur, vt ex multis capitulis Euangelistarum conflat: & ex abundantia enim cordis os loquitur. qui aliquid valdè optat, semper de illo sermonem facit; sic Christus Dominus sæpe sæpius de suis cruciatibus, & futuris tormentis, atque iniurijs agebat, & maximè iter agens, Matth. 20. *Ecce* (inquit Apostolis) *ascendimus Hierosolymam, &c.* vbi distinctè, speciatim, & minutatim passionis suæ dolores, & labores & opprobria expressit, *quæ pareçe se ellana relamiendo en ello.* Solent iter agentes de his agere, quæ solatio illis, & leuamini fatigationis itineris esse solent, maximè cum pedestres pergunt? quomodo ergo Christus Dominus pedester incedens, & ex itinere fatigatus de rebus adeò tristibus agit? quia licèt secundùm se tristia essent, non tamen Christo Domino, qui mori pro nobis magis optabat, quàm nos viuere desideramus, & ob id animi gratiâ de sua passione loquebatur.

Hinc etiam est, quòd sic iter agens cum discipulis suis, antecedebat eos. sic enim apud Marcum legimus, *Præcedebat illos Iesus, & stupebant, & sequentes timebant;* Cap. 12. quare stupebant? quare timebant? præcedebat, quia 32. properanter & gressu veloci ad passionem tendebat, Glossa interlin. *sic præcedebat illos Iesus ad mortem imperterritus.* Ita Glossa, inde stupebant. inde timebant. sic Lira. *Stupebant*, inquit, *ex hoc, quod ita prompte, & hilariter ibat ad locum passionis, timebant quia nondum erant perfecti vsque ad perfectam martyrij tolerantiam: quod patuit per effectum, quia Petrus inter alios feruentior, postea timore mortis negauit Christum.* Ita ille. Et Glossa ordinar. *Stupebant ideo, scilicet, quia meminerant, quòd sese passurum multa à sumnis sacerdotibus & scribis prædixerat, & occidendum: metuebant enim, ne vel ipsi cum eo occiderentur, vel ille, cuius vita & magisterio gaudebant, occideretur.* Ita gloss. Promptitudinem igitur, & hilaritatem Christi Domini euntis ad mortem, stupebant: tanta igitur erat promptitudo illa Christi, vt non solùm admirationem, verùm etiam stuporẽ efficeret in cordibus Apostolorum.

Sed audiamus Dei sponsam, hanc Christi promptitudinem & celeritatem perpendẽtem: *Ecce iste venit saliens* Cant. 2. *in montibus, transiliens colles, similis est dilectus meus capreæ,* 8. *hinnuloque ceruorum. Auertid y con attencion consideradlo que dige, viene mi amado qual vna cabra montes, o qual vn cieruo ligero, saltando por los montes, y atrauançando collados.* quinam sunt montes huiusmodi? S. Greg. exponens locum istũ de Christo Domino venientẽ è cœlo ad terras, per montes intelligit actus, & passiones eius, & meritò. nam quando sese nobis offerunt graues aliquæ difficultates, montes oblatos nobis esse dicimus. *pusose me vn monte delante*, montes ergo isti sunt difficultates eximiæ, quæ sese Christo Domino obtulerunt, nasci in stabulo, & reclinari in præsepio maiestatem illam, quam Angeli adorant & tremunt potestates cœlestes. Nónne ingens mons fuit, circumcidi, sicut peccatores solebant, cum, qui puritas & sanctitas summa est? nónne altus mons erat? fugere in Ægyptum à facie persequentis hominis, ei qui omnipotens, quique fulmine facilè poterat illum perimere? nónne grandis mons erat duci in eremum, vt tentaretur à diabolo, Deũ, & ieiunare quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione? nónne sublimis mons erat, blasphemari ab hominibus dicentibus eum esse Samaritanũ, & dæmonium habere, & in Belzebub ejcere dæmonia, qui in cœlis ab omnibus angelicis spiritibus laudabatur ac benedicebatur? nónne mons immensus erat, capi vinciri, alapis cædi, flagellari, conspui, spinis coronari, morti addici, per vicos & plateas Hierusalem pergere cruce onustum, & voce præconis reum mortis proclamari, & tandẽ in cruce agi, & inter duos latrones constitui, ac si maior illis esset malefactor? nónne eminentissimi montes hi erant? ecce igitur, ait sponsa, iste venit saliens in montibus, transiliens

colles,hoc est,quamuis montes perexcelsi, & altissimi hi colles difficultatem sese Christo Domino obtulerunt , nihilominus vidit eum sancta sponsa transilientem montes hos, & colles tantarum difficultatum , & hilariter percurrentem illos.

At dices,si ita hilariter passus est, quomodo tempore mortis tristatus,& valdè contristatus fuit Marc. 14. *Cœpit pauere,& tædere*,& Matt. 26. *Cœpit cõtristari & mœstus esse*,& ait discipulis suis:*Tristis est anima vsque ad mortẽ*; si adeò tristis ad passionẽ accessit,quomodo hilaris, & gaudens? Huius rei duplicem accipe rationẽ,primà est. voluit, Dominus spõte sua,& volũtariè tristari passionis enim nostræ in Christo propassiones erant, & liberè eis vtebatur, & ita tristabatur, quando, & quantum ipse volebat : voluit igitur tunc tristari, passionem & crucem suam animaduertens , vt acerbitatem eius tali tristitia,& pauore manifestaret , & quàm terribilis humanitati suæ esset scundùm se. hoc enim manifestari expediebat nobis , vt quantò acerbiorem passionem Christi nosceremus, tantò illi maiores gratias referremus. Et quidem quamuis tristitiam admisit , non tamen ideo passionem refugit , quam ipsam à principio vitare potuisset : erat enim Deus cum Patre. Hoc exemplo id exponamus:est infirmus , cui medicus potionem aliquam amaram valde præscripsit,dicens , salutem omnino talis infirmi in potione pharmaci huius sitam esse,quam ideò infirmus & acceptauit , & pro ea libenter pretium soluit : tempore autem receptionis pharmaci,videns iam præ manibus vas & continens illud,& potionem nigram,& turbidam,& acrem,& abominabilem odorem exhalantem, tristatur,auertit oculos,& stomachatur,*da met arcadas, altera scele et Stomago, fruri, celos labios, y haiom id gestos*,sed tandem clausis oculis,ambabus manibus assumit vas,& potionem , quantumuis amaram, exhaurit. ita Christus Dominus calicem amarissimũ sibi à Patre medico nostro in salutem generis humani præscriptum, instante passione horrere videbatur,vnde & dicebat:Pater,si possibile est,transeat à me calix iste : hoc autem non dicebat eò quòd absolutè illum bibere nollet. imò cùm Petrum impedientem cerneret,primò satanam propterea vocauit , & secundò dixit,calicem quem dedit mihi pater,non vis vt bibam illum ? vide si non libenter calicem bibebat: horrere igitur se calicem ostendit,vt calicis amaritudinem sic demonstraret, vnde tandem illum ebibit vsque ad fœces.

Sed secundam & potiorem accipe causam:si Christus Dominus ita hilariter, & lætanter,& sine vllo tristitiæ vestigio passus fuisset. dolorem,& pœnam passionis suæ minuisset:nam gaudium cordis dolorem minuit corporis,vt in nonnullis martyribus constat , v.g. in B. Laurentio, qui non solùm non gemuit in craticula constitutus, verùm etiam quasi gaudens iocosè ad tyrannum dixit. *Assatum est iam,versa & mãduca*,&c. *nam facultates, quas requiris,in cælestes thesauros manus pauperum deportauerunt. Dineros y thesoros de la iglesia queriades sacar demi,eso no es possible,porque las manos de los probres han dado con ellos en el cielo , pues mi lado lo esta ya, venga vuestro trinchente, y corte, comea vuestro gusto , como le tenia tanto este santo en tan graue tormento ?* quia scilicet cum gaudio patiebatur. Cùm igitur Christus Dominus nollet vim tormentorum tollere,nec dolorem inde prouenientem, quò passio pro nobis assumpta tantò Patri,& nobis gratior esset , quantò acerbior , elegit tristitiam vsque ad mortem,qui potuit eligere lætitiam vsque ad doloris deletionem. Sit ille benedictus in æternum.si Deus in nobis voluntatem promptam in eius obsequijs vehementer amat,vti in paupercula illa vidua,quæ duo tantùm minuta Deo tribuit,constat, quid nos facere oportet cùm tali ac tanta voluntate & promptitudine animi tot tantaque passus sit pro nobis?

A Magna quidem est vis naturæ in nobis, sicut sollicitudo,& cura magna tuendi salutem,& vitá manifestat, negauit Petrus Christum Dominum , quia mortem timebat , *Negare nolebat* (ait S. Bern. *lib. de gratia & libero arbitrio*) *sed magis Petrus mori nolebat*. Ita ille. Hic vis naturæ constat, quia quod ipse adeò horrebat,vt diceret, *Etsi oporterit me mori tecum,non te negabo*;tandem opportunitatem nactus,vt potiùs moreretur, quàm negaret, negauit potiùs,quàm mori vellet.

Sed tamen licèt tanta vis naturæ sit, maior multò est vis veri,& intensi amoris: sicut in Ionatha filio regis Saulis optimè ostendit S. Ambrosius *lib. 3. & cap. 1. Reg. 15. Diligebat Ionathas Dauidem, sicut animam suam,& ideo 4. expoliauit se Ionathas tunicâ,quâ erat indutus , & dedit eam Dauid,& reliqua vestimenta sua, vsque ad gladium & arcum suum,& vsque ad baltheum, 1. Reg. 18.* Solent qui victi ab alio sunt,ei tradere arma sua ; sic Ionathas amore Dauidis victus, tradidit ei arma sua , & spolia illi dedit, tanquam ab eius amore victus. Sed vide vim amoris eius supra vim naturæ : naturæ vinculo vinctus erat cum patre suo Saul, sed vicit amor eius in Dauidem vinculum illud naturæ. Saul maximo odio prosequebatur Dauidem, Ionathas verò magno eum prosequebatur amore: Saul nullum non lapidem mouebat , vt Dauidem occideret, Ionathas verò enitebatur vt patris conatus irritos faceret, & pro viribus satagebat eum à morte liberare : quapropter omnia patris machinamenta in Dauidem, Dauidi ipsi propalabat. *Quia* (inquit S. Ambrosius vbi suprà) *pluris erat apud eum amor Dauid, quàm pietas vel authoritas paterna.* Ita ille.

Dionysius Syracusanus consobrinum quendam à prima ætate domi educarat, & tanquam filium diligebat: hic à Dionysio recessit,& ei rebellauit , dignusque ideò erat supplicio ; sed tamen Dionysius ad eum scribens,piè ac clementer monuit,vt ad ipsum impunè rediret,dicens,ac promittens,se illi omnimodam veniam concessurum: non tam,inquiens, ratione consanguinitatis,quàm amoris eximij erga te : quia sanguinem ex venis facilè detrahere à me possum,amorem verò in te neuquaquam, quia radicitus hic cordi meo adhæret. *El parentesco tengo en la sangre de las venas , però el amor en lo intimo del coraçon lo tengo tan arraygado , que no le puedo quitar.*

Hinc igitur colligere licèt magnitudinem amoris Christi Domini in nos , quia cùm natura ipsa , quæ vitam tuetur , & mortem refugit , valdè restitit,semper tamen vicit amor. *Sciens* (inquit Ioannes *cap. 13.*) *Iesus , quia venit hora eius, cùm dilexisset suos , vsque in finem dilexit eos. Sciens* , inquit , omnia quæ in illa hora illi ventura erant , captionem , & vincula , tanquam si latronem aliquem insignem caperent, alapas, & opprobria , & blasphemias , stationes illas dolore plenas à iudice vno ad iudicem alium, accusationes acerbas, flagella, spinas, clauos, crucem, præconum proclamationes , cùm per vias publicas Hierusalem cruce onustus duceretur ad patibulum crucis, & denique fel & acetum, & mortem , mortem autem crucis inter duos latrones , quasi maior illis latro Christus Dominus esset , *sciens quia venit hora* , in qua hæc omnia passurus esset , minimè hæc omnia amorem in nos extinguere, vel minuere valuerunt : in eo veluti per quandam antiperistasin , maiores exteriùs amoris flammas excitarunt : nam *vsque in finem* , inquit , *dilexit eos* , hoc est, tunc vehementiorem dilectionem ostendit, vt interpretantur S. Chrysostomus & Euthymius , vel , vt S. Cyrill. exponit, *in finem dilexit* , quia vsque ad mortem ita eos dilexit. vt mortem,quam præuidit,pro nobis subire non recusauit:per eos enim qui erant Christi in mundo , intelligit omnes homines, ad distinctionem Angelorum. vtrumque,vt nonnullus ait , significat , & quod ad mortem vsque nos dilexerit , & tempore mortis maiora in nos exempla

exempla demonstrarit, vicit charitatis amor in nos A naturæ vim, quia qui vitam propriam amat, mortem odio habet tanquam inimicam naturæ. amabat quidem Christus Dominus sua naturæ etiam vitam suam, quippe valde digna magno amore fuit, sed tantus fuit erga nos charitatis eius amor, vt pro nobis libentissimè subierit mortem, *amò hasta la muerte, hasta morir.*

Etenim ante mortem Christus in horto sanguinem sudauit. vnde, quæso, sudor ille? S. Lucas, *factus in agonia, prolixius orabat*, & statim subdit, *factus est sudor eius sicut gutta sanguinis*, &c. ex agonia illa sudor hic mirabilis emanauit. Quæres quænam fuerit agonia illa? Fuit quidem bellum quoddam & lucta inter vim ipsam naturæ, quâ mori refugit, & amorem moriendi pro nobis, &, vt inquit Liranus, & ex apprehensione manifesta imminentis cruciatus, & magnorum tormentorum suæ passionis profluxit sanguis ille: hoc autem sic euenire voluit Christus, vt magnitudinem B amoris in nos sic manifestaret; quasi diceret, licèt vitam meam ita ego naturaliter amem, vt naturæ vi ex passionis & mortis meæ consideratione, sanguinem sudem, nihilominus potiùs pro vobis mori eligo, quàm mortem vitare, quam vitare, tanquam Deus facillimè potuissem. ideo enim eos qui ad me capiendum venerant, vno verbo deieci, vt quàm facilè me ab eis liberare possem, manifestarem, & ideo nihilominus me ab ipsismet, quos deieceram, teneri, & ad mortem duci permisi, vt amoris vim supra naturæ ipsius vim sic ostenderem vobis.

Hinc etiam est quòd in cruce positus Dominus, instante iam morte, ad patrem sic clamauerit: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* videtur hîc Christus solam defertionem patris, qua sine consolatione paterna eum sic grauiter pati & mori in cruce sinebat prætendere; sed tamen Beda sic locum exponit, vt Christus ex vi tormentorum suam mortem accelerari videns, & C diutius ferre pro nobis tormenta volens, hanc amore refertam querimoniam proposuerit patri: Pater cur me tam citò mori disposuisti? cur non moras protrahis, vt magis, magisque pro gloria tua, & hominum amore adhuc cruciarer? *Porque padre mio quereis que tam presto, y tan a priesa acabe la vida, y con ella el padecer, con que yo pretendo glorificar os, y mostrar a los hombres quanto les amo?* Bonus Dominus, magnus hominum redemptor, cui ante passionem longum vitæ spatium videbatur; ideò enim dicebat: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur*, vnde & Iudæ dicebat, *quod facis fac citius*; cùm verò ad passionem accessit, queritur quòd ita celeriter vitæ filum scindatur. Et quidem siti maximæ patiendi quam patiebatur, rectè hoc dare possumus, cùm passio eius & ad gloriam Dei, & ad bonum nostrum deseruiret, quod vtrumque supra modum sitiebat: & ob hanc causam horam mortis, & passionis horam eius, appellabat, *sciens*, inquit, *quia venit hora* 13. *eius.* quid ais Ioannes hora eius? equidem vocarem D eam horam inimicorum Christi, quia & ipse Dominus sic eam nominauit, dicens. Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum, ita est, hora illa & illorum, & Christi fuit, quia hora dicitur alicuius illa, in qua desiderium vehemens eius ad impletur. Optabant inimici Christi valde eum occidere, optabat Christus pro nobis enixè mori, ideò & illorum & Christi hora fuit passio Christi, sed multò magis Christi, plus enim & ardentiùs Christus desiderabat in cruce mori, quàm illi eum in crucem tollere, quia Christus ex amore in patrem, & in nos id optabat, illi ex odio in Christum, & longè maior erat amor ille Christi, quàm odium illud Iudæorum, &c.

Hinc etiam constat cur hora dicatur tempus passionis Domini, cùm plures fuerint quàm viginti, vel ferè, quia tanta auiditate cordis patiebatur, vt vna hora totum illud tempus ipsi videretur, *ne sele hazia vna hora todas aquellas horas*, hoc enim vehementer amantium est, lusus amanti lusum semper durasse parum videtur, & amanti venationem venatio, & amanti sapientiam studium, sic Laban Patriarchæ videbantur dies pauci quos pro Rachel socero suo seruiebat, præ amoris magnitudine. adeò igitur vehementer Christus Dominus passionem amabat, vt quod alij longissimum tempus ob graues dolores, & cruciatus videretur, Christo Domino perexiguum appareret.

Hinc quàm tenuis, & exilis sit amor noster in Deũ, constat: pati enim pro eo recusamus: si enim eum amaremus, quod Martyres pro eo passi sunt, pati optaremus, & nostram illam horam diceremus, ita qua sic pro Deo nostro pareremus, & quamuis toto vitæ decursu passio nostra duraret, horam tantùm tempus illud omne diceremus. sed quia modicus est amor noster, longum tempus, in quo aliquid pro Domino patimur, iudicamus & pati recusamus. & denique quidquid in Dei obsequium facimus, multum existimamus, quia parum amamus. cùm quidem ita res habeat, vt solum tempus illud, in quo pro Dei amore aliquid patimur, vel operamur, inter vitæ nostræ tempora debeat annumerari, dicente S. August. *in Manuali. Perdit quod vivit, qui Deum non diligit.*

Ostendit autem quoque amorem Christi in nos, quòd horam verè nostram, eius dixerit Euangelista. *Sciens*, inquit, *quia venit hora eius* nostram, ó Ioannes, di- *Ioan.* 13. cere debuisses: hanc enim ab initio mundi genus deli- 1. derauit humanum. ideò Prophetæ ad Deum clamabant: *Emitte Domine agnum dominatorem terræ, rorate cœli desuper*, &c. nimirum quia hinc tota salus & vita nostra pendebat, quare meritò horam nostram Euangelista hanc dicere potuisset. Rectè author quidam in hunc locum: *Hora eius, quia tua: hoc enim proprium amantium est quæ amati sunt, amantem ea accommodare sibi.*

Perpendit S. Bernard. *serm. 3. de Resurr. Domini*, verba *Isai.* 55. 1. illa, *Venite, emite, absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac. Quid est* (inquit S. Bernard.) *emere absque argento, & absque vlla commutatione? non est talis emptio apud amatores huius mundi, sed apud Deum alia esse non* *Ps.* 15. 20. *potest. Propheta enim dixit Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Quam igitur commutationem dabis ei homo pro gratia sua, qui nullius eget, & cuius sunt vniuersa? Gratia gratis datur, etiam cùm emitur, gratis emitur, quia quod datur pro ea nobis retinemus.* Ita S. Bern. Si ergo pretium, quo emitur vinum illud & lac, nobiscum remanet, quomodo pretium nuncupatur? nimirum, quia nostra bona Deus sua dicit, quia amor in nos quæ nostra sunt sua facit æstimare: sicut vendidisse dicitur Ioseph frumenta fratribus suis, cùm tamen pretia frumenti illis reddidisset, quia amor eius in fratres, pretium illis redditum, sibi reseruatum reputabat. laboramus in vinea Domini, sed non vt mercenarij mundi, fructus enim laboris eorum in commodum Domini vineæ redundant, at Deus noster ex omni labore nostro quid sibi commodat? quid illi accrescit? nobis laboramus, noster est laboris fructus, & tamen in mercedem laboris, quasi Deus inde sibi aliquid lucraretur, gloriam nobis reddit æternam, dicens: Redde illis mercedem, cùm merces ob lucrum Domini detur, lucrum autem suum reputat Deus lucrum nostrum, quia vehementer diligit nos.

Hinc etiam ad Saulum Christus: *Saule, Saule, cur me* *Act.* 9. 4. *persequeris.* quid ais Domine? quis te ad dexteram patris sedentem persequi potest? ita, quia Christianos Christi ipse persequebatur; vnde Beda ibidem. *Non ait, membra mea, sed me, quia ipse patitur in membris, & beneficia membris collata, sibi facta denunciat, cùm ait: Esurui, &* *Matt.* 25. *dedistis mihi manducare, & exponendo subiungit, quamdiu vni* 35. *ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Ita Beda & S. August. *serm. de S. Paulo*, expendens eadem verba Christi, *Saule, Saule,*

Saule, &c. non dixit Christus (inquit) *quid persequeris seruos meos, neque quid persequeris membra mea, sed hoc dixit, quid me persequeris, quasi pede calcato lingua clamat, calcasti me, cum vtique lingua calcari posset, sed debet in concordia charitatis, caput pro membris clamare.* Ita S. Aug.

Ioan. 11. cùm nonnulli Hebræorum viderent in morte Lazari Christum Dominum lacrymantem, dixerunt: *Ecce quomodo amabat eum.* si lacrymas fundere magni amoris signum est, quantò magis sanguinem fundere, & vitam amittere pro dilecto? si compassio, quantò magis passio? & talis passio? Contemplare Christum Dominum in cruce clauis confixum, spinis coronatum, lanceâ vulneratum, inter duos latrones nudum, & crucifixum, propter nos homines, & propter nostram salutem, & dic: Ecce quomodo diligebat nos!

Hoc tamen tantò amori obstat videtur, quòd nos scilicet indigni tanto simus amore, vt pro nobis Deus ipse in cruce adeò libenter moriatur, pro nobis, inquam, qui digni odio propter delicta nostra eramus. Plutarchus *lib. de offic. iudic.* Amor, inquit, est sicut hedera, semper inuenit vbi se colligit. Ita ille. *El amor es como la yedra, que siempre halla de que asir se, aunque sea en vn qui jaro, y piedra monda alla algun, asidero por do trepar, alguna verilla alguna mellita, &c.* Talis igitur est amor, quanquam dilectus ob aliquos, vel plures defectus dignus sit odio, semper amans aliquid in eo reperiet vbi se colligat. Exod. 32. cùm Moyses in monte Sinai cum Deo verfaretur, infrà in valle populus vitulum adorabat: tunc igitur sic Dominus ad Moysen: *Descende, peccauit populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti: cerno quòd populus iste duræ cervicis sit, dimitte me vt irascatur furor meus contra eos.* cui Moyses, cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti? Pondera verba Dei & Moysis, & inuenies eisdem verbis vtrumque vsum fuisse: Deus enim ait Moysi esse illum populum suum, & eduxisse illum de Ægypto; eadem dixit Moyses Deo: nec mirum, quia idem erat animus vtriusque. Deus licèt contra populum irascereturvaldè eum amabat, & optabat Moysen mediatorem interponi, ideò quippe dicebat: *dimitte me vt irascatur furor meus contra eos*, velut si pater aliquis aduersùs filium dilectum iratus ob delictum eius, diceret circumstantibus amicis, finite me illum interficere, cùm tamen nemo illum detinere cogitarit: amor enim filij eum detinet, & ideo ab aliis se detineri simulat. Ad hunc modum Deus, priusquam Moyses aliquid oraret pro populo, sic ad eũ Dominus: Dimitte me. Quis te Domine detinet? verè amor in populum tuum. vocat autem eum populum Moysis, vt inde occasionem sumat orandi pro eo, alligauit se inde tanquam hedera. *Asio de aquello como biedra, que nunca le falta de donde asir, fue como dezir, deten me tu Moyses para que no asuele a este pueblo, deten me, pues es tuyo este pueblo, y tu le facaste de la esclauitud de Ægypto.* & vicissim Moyses qui valde populum amabat, sic ad Deum: Tuus est populus iste Domine, tu eduxisti eum de Ægypto, tu igitur seruare debes populum, quia tuus est, & à te ereptus est de manu Ægyptiorum. vide quomodo tanquam hedera adhæsit, &c.

Sic etiam Christus Dominus tempore mortis suæ, quamuis discipulos, & fideles suos peccatores cerneret: sciebat enim Petrum eum negaturum, & cum iuramento, & Thomam dicturum, nisi videro non credam, & Iudam eum traditurum, & reliquos fugam capturos, & ideo pœnâ dignos: nihilominus eos tunc specialibus amoris signis dilexit, dicente Ioanne: *in finem dilexit eos.* quod vt diceret, præmisit, *cùm dilexisset suos.* suos appellat eos, quos tales, vt dixi, futuros sciebat, vt inde amorem Christi eos apprehendisse tanquam hederam videremus.

Cap. 13.

Fuit autem amor Christi in nos constans, dilexit enim nos perseueranter. quod illis verbis significauit Apostolus Ioannes, *cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.* hoc filum amoris sui, neque in morte scissum fuit, imò neque cum morte cessauit. vnde S. Augustinus *tract. 55. in Ioannem*, exponens hæc verba, in finem dilexit eos, ait: *Video posse hæc Euangelica verba quodam humano modo accipi, tanquam vsque ad mortem Christus dilexerit suos, vt hoc videatur esse, in finem dilexit eos, vsque ad mortem dilexit eos. Humana est hæc sententia, non diuina: neque enim hunc quemque dilexit, qui semper & sine fine diligit nos, absit vt dilexerit nem morte finierit, qui non est in morte finitus? neque enim ille nos diligendo vsque ad mortem venerit, si dilectionem nostram morte finiret.* Ita S. Augustinus. quasi dicat, amor quem finem nouit, nunquam incepit, *amor qui acabo sonar que nunca començò.* amorem si quid omnino deberi poterit, est defectus aliquis, seu plures illius qui amatur. at versus amor huiusmodi defectus tolerare nouit. *Charitas*, inquit Apostolus, *patiens est, omnia sustinet. Cum dilexisset suos*, inquit, hoc est, ab initio incarnationis cœpit nos amare, esse hominem, & nos amare simul in Christo cœperunt. non expectauit Christus nasci, vt nos amaret priusquam nasceretur, ab instanti conceptionis cœpit amare nos tanquam homo, ab æterno inquantum Deus.

Hinc quomodo amare nos debeamus Deum, docemur à Deo ipso, constanter scilicet, & perseueranter, ad mortem vsque. *Porque amor que acabo, o no comenco, o flacamente començò.* Qui verè amat, semper amat, etiamsi mille sese offerant occasiones ab amore cessandi, quia charitas patiens est. Dilexit Iacob Rachelem vehementer, & quamuis plurimæ intercederent occasiones deponendi amorem, perseuerauit diu seruiens Laban, quamuis die, nocteque per plures annos æstu vrgeretur, & gelu, & à Laban deceptum se conquereretur; imò videbantur dies pauci, præ amoris magnitudine. Tu verò, ô homo, qui te Deum diligere profiteris, vix amare cœpisti facta confessione, & facta reconciliatione cum Deo, cùm oblata leui aliqua occasione iterum ad inimicitias cum Deo redis, & eum mortaliter offendis, hìcne est amor tuus in Deum? Iacob ita perseueranter creaturam amauit, & tu Deum creatorem tuum sic desinis amare? ille moriturus in mundo moriturum firmiter semper dilexit, & tu immortalis in æternum futurus, immortalem Deum pro paruo lucro, aut honoris puncto, aut voluptate aliqua amare desisti? &c.

Itáne dilexit te Deus tuus? ille vsque ad mortem dilexit, tu verò vsquequo? ille quamplurima impedimenta calcauit, opprobria scilicet, irriliones, vincula, sputa, clauos, spinas, lanceam, & crucem, & mortem quamplurimis doloribus refertam; tu verò si opprobrium aliquod, aut exiguæ pecuniæ commodum, vel damnum occurrat, illico à Dei amore retrocedis; ille Deus nec tui egens, tu creatura eius, qui Deo in omnibus, & ad omnia eges, & cùm ille te perseueranter diligat vsque ad mortem, tu vsque ad nænias impedimentorum diligere recusas.

Præterea in hoc maximè Dei amorem suum erga nos manifestauit, quòd plura pro nobis operatus, & passus est, quàm redemptioni nostræ opus esset. Deus laboribus suis nos à laboribus nostris liberare decreuit, à morte, à damnatione, quæ æterna est, & ad vitam nos perducere sempiternam; at hoc vel vnicâ guttâ sanguinis earum quas in circumcisione profudit, efficere potuisset, imò vnicâ lacrymâ ex his quæ in natiuitate fudit, imò vnico gemitu in ventre matris pro nobis emisso, & Patri oblato, mundum vniuersum potuerat redemisse, & sic ex ventre virginis in cœlum se recipere potuisset; cur igitur tot vulnera, tot opprobria, tot alapas, tot flagella, tot spinarum in cerebro punctiones, & mortem crucis voluit pati? Apostolus Paulus sic respondet: *Deus qui dines est in misericordia, propter* Eph. 2. *nimiam*

nimiam charitatem quâ dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo. Ponderat S. Bernard. *sermone de passione Christi*, verba illa *nimiam charitatem*, & ait, *vere nimiam, quia & mensuram excedit, modum superat planè, superemi net vniuersis.* Ita ille. *Tecit quidem omnia Deus in pondere, numero, & mensura*, amori verò suo nec pondus, nec numerum, nec mensuram posuit, nimirum quia infinitus est. Cùm igitur omnia quę Christus Dominus fecit, & passus est pro nobis, ex immensurabili, & infinito principio amoris procedant, quid tu in effectibus modum, & mensuram quæris? vbi causa scilicet moduni non habet, nec mensuram, nec terminum, sed infinitatem, & omni modam immensitatem. vnde non sine causa præmisit Apostolus verba illa, *Deus qui dues est in misericordia.* Qui dues est facilè sumptus nimios facit, inuitat dues amicum ad prandium, poterat quatuor aut quihque ferculis illi satisfacere, apponit autem illi decem aut viginti; cur ita? quia homo dues est valde, & nullum inde patitur detrimentum. cùm igitur opus redemptionis nostræ opus misericordiæ sit, & Deus in misericordia dues in infinitū sit, quid mirum si quod vna lacryma efficere poterat, totius sanguinis effusione & morte crucis perficere voluerit? in operibus prouidentiæ id videre licet, plures fontes, & flumina, & montes, & valles, & pisces, & pecora, & herbas, & arbores quam nobis opus sint creauit, cur ita? quia prouidentia Dei infinita est, pariter & potentia, & liberalitas, vnde non mirum si excedat necessitatem nostram, cùm hæc finita, illa verò infinita sit. Nunquid prouidentia & potestas eius plus est, quàm charitas eius? absit, infinita hæc etiam est, quid ergo miraris, si respectu egestatis, & necessitatis nostræ hæc nimia sit? nimia est nobis, Deo verò nequaquam, qui infinitè bonus, & dues est, &c.

Hinc est quòd in fine passionis suæ, cùm iam pro nobis spiritū emisisset, voluit lanceā latus aperiri, vbi sedes cordis est. cùm quis amicum domi recepit, solet illi omnia bona quæ domi habet manifestare, vestes, ornatus, tapetia, vasa argentea, & aurea, lapides pretiosos, & cuncta pretiosa quæ habet, sicuti rex Ezechias, nuncijs Regis Babylonis, *Non fuit*, inquit, *verbū quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, & in omni potestate sua.*

At Christus Dominus non solùm voluit nobis diuitias operum charitatis suæ manifestare, tot tantaque pro nobis faciendo, & patiendo, verùm etiam *Ioan.* 19. voluit lanceā latus suum aperiri, vt cor ipsum à quo ista, & in quo amor eius in nos in publicum prodiret. Quis (inquit S. Bern. *ferm. 6. super Cantica*) *cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? At clauis reserans clauus penetrans factus est mihi, vt videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramina? Clamat clauus, clamat vulnus, patet arcanum cordis per foramina corporis, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateāt? in quo enim clarius quàm in vulneribus tuis eluxisset, quòd tu Domine suauis, & mitis, & multæ misericordiæ? maiorem enim misericordiam nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro addictis morti, & damnatis.* Ita S. Bernard. idem de amore dicendum, &c.

Ioan. 20. *sciens Iesus quia omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura* (Psalm. 68.) *dixit, sitio.* S. Bern. sic explicat: *Maiora sitio, hoc est, maiora sitio subire tormenta.* Ita ille. Maiora? sudasti Domine in agonia horti sanguinem, tanquam latro captus ibi fuisti, alapis cæsus, quinque mille flagris flagellatus, septuaginta spinis coronatus, per publicas vias Hierusalem voce præconis, tanquam reus mortis, proclamatus, in monte Caluariæ crucifixus, & magnis ibi doloribus mortuus, & adhuc maiora sitis subire tormenta? O amor amorumlex te sitis ista procedit, tu insatiabiliter cupis Christe pro dilectis pati, sufficiens erat vna sanguinis tui gutta ad salutem, totius generis humani, imò & dæmonum, si capaces illi fuissent, & post tot tantaque tormenta, & totius ferè sanguinis effusionem, adhuc pro nobis pati desideras? & adhuc sitis? exuperat tormentorum acerbitatem amor tuus, & ex huius nimio calore hæc tam admirabilis sitis emanat.

Vnde Ioan. 13. horam passionis suæ vocat Ioannes *horam eius*, sciens Iesus, quia venit hora eius, omnis quidem hora vitæ eius potest dici eius: eius enim erat verè. cur igitur vocat speciatim hanc horam mortis suæ horam eius? quòd si propter excellentiam eius, quod in huiusmodi hora intercessit, multæ poterunt dici horæ eius, hora illa, in qua reges terræ procidentes adorauerunt eum in præsepio, tanquam Regem Regum, & dominum dominantium, & hora illa, in qua Angeli post victoriam tentationis ministrabant ei, tanquam eorum Domino, ac Deo, & hora illa in qua transfiguratus apparuit, tanquam gloriæ Rex, & similiter hora illa, in qua Hierosolymitani receperunt eum Matth. 21. cum ramis palmarum, clamantes: Benedictus qui venit in nomine Domini, tanquam Saluatorem mundi & denique hora illa in qua resurrexit amor tuus gloriosus, tanquam de morte victoriam reportans, huiusmodi horæ cur non horæ eius dicuntur, sed sola hæc hora passionis, & mortis eius? nimirum quia Deus caritas est, vnde hora illa in qua maiora signa amoris nostri dedit, & in qua amorem suum, & charitatem suam erga nos Christus exercuit, meritò suam vocat. hora illa, in qua Magi reges eum adorauerunt, hora quidem adorationis fuit; quando verò Angeli in deserto ei ministrabant, hora dominationis eius fuit, in qua Christus Dominus se Angelorum dominum demonstrauit; cùm verò transfiguratus fuit, hora gloriæ suæ fuit, in qua gloriā illā circumamictus, & gloriosum demonstrauit; hora verò in qua cum palmis illi acclamabant; hora laudis eius fuit; resurrectio autem hora glorificationis corporis sui fuit. at hora mortis suæ, hora fuit dilectionis specialis eius in nos, *maiorem charitatem nemo habet quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis*: qualis autem erat illa dilectio, quā Christus animam suam dedit pro inimicis suis, peccatoribus, inquam? ad Roman. 5. *vix pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* pro viro iusto, & bono vix reperies qui velit mori, at pro impio nemo vult mori. in hoc igitur apparet mira Dei charitas in nos, quia cùm essemus peccatores, & per consequens inimici, libentissimè Deus mortuus est. hora igitur tanti amoris Dei erga nos, meritò hora eius nuncupatur, qui charitas ipsa nominatur: & hi pro quibus sic ex amore moritur, sui etiā vocantur, *cum dilexisset suos, suos*, inquit, licèt hi causa sint tanorum dolorū eius, & vulnerū, & crucis eius & mortis, mortis autem crucis. vnde iure Propertius: *Solus amor mortis non edit artificem.*

Amor tūc maximè patefit, cùm quis pro dilecto patitur, & præcipuè si passio ad mortem vsque pertingat: maiorem enim hac dilectionem nemo habet, &c.

Vnde Ps. 31. sic de viro iusto, qui veram in Deum dilectionē habet, *In diluuio aquarū multarū ad eum non approximabunt*, hoc est, vti exponūt Innoc. III. & alij, ad virū sanctū non approximabūt, id est, non submergent eum, quia *aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec fluuius obruent illā.* solēt flumina, cùm inundant, ripas etiā altas superare, sed quādo ripa aliqua, seu turris altissima est, nō cooperit illā, ob altitudinis excessum: in hoc igitur manifestatur charitatis sanctorum Martyrū altitudo, quòd flumina inundantia tormentorum, & persecutionum non valuerunt obruere & absorbere illam.

Quòd si hoc signum amoris veri est, & maximi, verū, & maximum fuisse amorem Christi in nos, satis superque passio, & mors eius ostendunt. *Intrauerunt*, inquit, *aquæ vsque ad animā meam*, Psal. 36. quia mare illud ama-

rum passionis suæ, non solùm corpus eius, sed etiam animam eius inundauit, non tamen obruit, *intrauerunt*, inquit, non verò submerserunt, quia, vt ait S. Ambros. *lib. de Isaac, & vita beata, cap. 7. Torrentem pertransit anima dil. gentis.*

Hinc Cant. 1. sic sponsa Dei de Christo Domino, *Botrus Cypri dilectus meus, in vineis Engaddi:* Hebræa sic habent, *Botrus Alcopher, racimo de Alcanfor.* Alcopher quidem in ipsis aquis ardet, in quibus ignis extingui solet. vidi ego & expertus sum, quòd Alcopher in aqua verè ardeat, & miratus sum, sicut in oleo, sic sine crepitu & fragore aliquo, sine motu, maxima cum serenitate, & quiete ardet super aquam. talis est (inquit sponsa) Christus Dominus super aquas nimias passionis, & mortis suæ missus: ardebat sicut Alcopher, & meliùs multò. Sit ille benedictus in sæcula, quia sic dilexit nos.

Ioan 13. 4. *Cùm dilexisset suos*, ait Ioan. *qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* hoc est, licèt Christus Dominus toto vitæ suæ decursu eximia charitatis suæ in nos demonstrauerit signa, maiora tamen ostendit tempore passionis & mortis suæ, sic explicat S. Chrysost. & alij. *Nihil*, inquit Chrysost. *omisit, quod vehementer amantem deceret, maiora posterius reseruans.* Ita ille.

Sol, quamuis semper lucet, quando tamen ad Occidentem iam declinat, maior apparet, & rubicundior; sic Christus Dominus, Sol iustitiæ, licèt charitatis suæ manifestatione resplenduisset semper, in Occidente vitæ maiora charitatis suæ argumenta præbebat.

Ephes. 2. 4. Hinc Paulus, *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, cùm essemus mortui, conuiuificauit nos in Christo.* Pondera verbum illud, *nimiam*, in Deo quidem nimium nihil est, si nimium, vti solemus, accipiamus: nam nimium, superfluum quid dicit. ideo Philosophorum proloquium erat, Ne quid nimis. at nimium dici in Christo potest, quod propter nos in passione Christus fecit, si nos ipsos respiciamus: nam multum supra nos, & supra merita nostra fecit. Sed si Deum ipsum respexerimus, cùm infinita charitas eius sit, non nimium esse dicemus, sed sua charitate dignum. Poterat enim, sicut solo verbo creauerat cuncta, sic etiam redimere vniuersum genus nostrum: nam vnica eius oratio, quâ pro nobis oraret Patrem, sufficiens ad redemptionem generis humani de iustitia fuisset. nimiam denique vocat charitatem propter passionem, & mortem Christi, respectu reliquarum demonstrationum charitatis suæ, quas ante passionem suam demonstrarat: quid enim excellentius amorem eius poterat demonstrare, quàm tanta opprobria, irrisiones, sputa, alapas, flagra, vulnera, dolorem, spinas, clauos, mortemque pro nobis tolerare, mortem autem crucis? *Maiorem charitatem nemo habet* (ait Dominus) *quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quid ergo si pro inimicis? scio secundùm opinionem S. Thomæ, & aliorum, maiorem esse charitatem pro amicis, quàm pro inimicis mori; sed tamen in ratione signi, maius signum amoris. vehementioris est, mori pro inimicis, quàm pro amicis: magis enim repugnat in hoc natura nostra: sicut maiorem vim ostendit caloris sui ignis, qui comburit lignum viride, quàm qui comburit lignum aridum, &, siccum: quia magis obstat & repugnat viride, quàm siccum; sic etiam de calore amoris philosophandum est.

Vnde Apostolus, *Vix pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori?* *Rom. 5. 7.* *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* S. Thom. *Dixit, vix, quia forte pro viro bono, quod idem est, inuenitur aliquis qui audeat mori.* vel, vt Vatablus & alij exponunt, pro viro iusto, & sancto vix inuenietur qui mori velit, pro bono verò, hoc est, pro viro benefico, quique beneficijs suis aliorum voluntates sibi conciliat, fortè audebit aliquis mori. Commendat autem Deus charitatem suâ in nobis, quoniâ non pro viris iustis, sed pro peccatoribus, non pro beneficis, sed pro malefcis, & de illo malè meritis, & denique pro inimicis suis (inimici enim eius sunt omnes peccatores) mortuus est, & non qualicumque morte, sed morte crucis, quam ipsimet inimici turpissimam nuncuparunt, & quam etiam acerbissimam nuncupare potuissent: in hoc, inquit, commendat Deus charitatem suam, in nos auget, exaggerat, & excellentiam eius demonstrat.

Hinc constat quàm imperfectus sit amor noster in Deum, & in proximos nostros: magis enim attendimus, quanti nobis constet, quod pro Deo & proximis facimus, quàm quid pro Deo & proximo agere debeamus. sicut ille Pharisæus qui orans ajebat: Ieiuno bis in sabbato, decimas do ex omnibus quæ possideo, &c. hic, si verus Dei amans fuisset, quasi nihili omnia illa fecisset & dixisset: Parce mihi Domine, seruus inutilis sum, nec quod debeo facere, facio, &c.

PROP. VIII. *Passio Christi grauitatem peccati manifestat.*

SAnct. Bernard. *Ex consideratione remedij, periculi nostri, assumo quantitatem. nescebam. Sanus mihi videbar, & tecum mittitur Virginis filius. Dei altissimi, & tubetur occidi, vt vulneribus meis pretioso sanguinis ipsius balsamo medeatur. Agnosce, ô homo, quam grauia sint vulnera illa, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari. si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro illius remedio Dei filius moreretur. Sic medicinæ æstimatio, & doloris, & timoris mihi exaggeratio est.* Ita S. Bernard. Hoc igitur terrere nos vehementer debet, cùm tentatio aliqua oppressérit nos: committámne ego rem adeò grauem, pro cuius curatione Deus ipse sanguinem fudit? aut quia ille pro meo peccato sanguinem iam fudit, adjciam vt iterum peccem? quasi satisfeciisse Christum grauitatem peccati minuat, cùm potiùs augeat eam tantò, quantò ingratitudo eò fuerit grauior, quòd Deum, qui pro meo peccato passus & mortuus est, nunc denuò ipse offendo, cùm potiùs proinde, & omnino ab offensis eius cessare, & magis eum diligere debuissem.

Peccauerant olim nimis mundi habitatores, in quorum supplicium rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt, & facta est pluuia magna super terram, quâ vniuersum terrarum orbem Deus alluuione deleuit, vt hoc in supplicium esset eorum, qui peccauerunt, & vt posteri iustitiæ & seueritatis Dei timore concepto, in religione & officio continerentur. Magnum supplicium: sed nolens in posterum ita mundum delere, pactum fecit Deus cum Noë, ne vltra esset tale diluuium. *Statuam*, ait, *pactum meum vobiscum, & omnem quamcumque vltra interficietur omnis caro aquis diluuij, neque vltra erit deinceps diluuium dissipans terram. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.* Sed rogo à te Domine Deus, si peccauerint in futurum homines, nónne digni diluuio erunt, sicut præteriti fuerunt? Erunt, imò ampliùs, quàm illi priores fuerunt. cur igitur simili saltem diluuio non puniuntur? non decrit, ait Dominus, diluuium aliud efficacius, non quidem aquæ abyssi, sed sanguinis Iesu Christi. tunc rupti sunt fontes abyssi, & cataractæ cœli; vnde aqua flueret, quo lauaretur mundus: at in passione ruptæ sunt venę corporis Christi, & fluxit tanta sanguinis copia, vt non solùm peccatores præsentes, & qui futuri essent, vsque ad finem sæculi, sed etiâ, quod mirabilius est, etiâ præteriti à principio mundi, lauarentur meritis sanguinis huius. quod quidem supplicium dignius Deo fuit: nâ priori illo aquæ diluuio deleti sunt peccatores: *Gen. 6. 7. Delebo*, inquit Dominus, *hominẽ, quẽ creaui à facie terræ: ibid. & 13. perdam*

perdam eos cum terra, &c. melius autem in secundo san- A guinis sui diluuio nobiscum egit Dominus, mundans, non delens, humanum genus, curans, non occidens peccatorem. Quòd si ad incutiendum timorem hominibus, ne in posterum peccarent, illud aquæ diluuium profuit. *para escarmiento de los venideros*, efficaciùs hoc secúdum sanguinis Christi præstitit diluuium. Quis enim non vehementer horreat peccare, tale supplicium Dei in Deo propter nostra peccata considerans? quis non dicat, quòd ipsemet Christus dixit: *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?*

Prop. IX. *Passio Christi grauior fuit ex eius innocentia.*

Ovid. epistola 5.

Leuiter, ex merito quidquid patiare, ferendum est.

Quæ venit indignè pœna, dolenda venit:

Ita quidem est, vnde Latro in cruce dicebat Luc. 23. *Nos quidem iustè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali fecit*, quasi dicat, nos æquo animo pati nihil mirum, digna factis patimur. vnde nec compassione digni sumus, Christus verò omnimoda compassione dignus est: nihil enim mali fecit, imò multa bona facta eius scimus, miracula multa, & magna in totius reipublicæ vtilitatem: surdos fecit audire, & mutos loqui, cæcos videre, claudosque ambulare, dæmonia eiecit, mortuos suscitauit. Nunquid pro his hanc crucem, hos promeruerat cruciatus?

Cùm Ioseph Gen. 40. Pincernam Pharaonis rogaret, vt pro se intercederet coram Pharaone, ad eum commouendum hanc illi adhibuit rationem, *quia furtim sublatus fum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus fum.* Innocentia enim, licet partim soletur patientem ob testimonium conscientiæ bonæ; partim etiam dolorem auget non parum, quod sine culpa iniusta patiatur. Christus ergo Dominus quid fecit, vt tam diris cruciatibus necaretur? *Quis ex vobis*, inquit, *arguet me de peccato?* obmutuerunt omnes, qui audiebant, audiebant verò multi ex inimicis, qui in crucem eum egerunt. Iudas, qui tradidit illum: *Peccaui*, ait, *tradens sanguinem iustum.* Vxor Pilati, *Nihil tibi, & iusto illi.* Pilatus ipse: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius, nullam inuenio in eo causam*, re diligenter examinata. ipsimet deicidæ: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* & hoc in eo concilio dixerunt. vbi sententiam mortis in eum protulerunt, miracula sola pro delictis accumularunt. Vide Domini innocentiam ex ore omnium inimicorum eius. Quantus ergo dolor illi, quanta inde compassio nobis? pro nobis patitur innocentissimus noster Agnus. Laudent eum omnes Angelorum chori in sæcula sæculorum, &c.

Cùm Iob in sterquilinio, vexatus maximis ærumnis iaceret, hoc inter cætera lamentabatur, quod nihil sibi conscius talia pateretur: *Non peccaui*, inquit, *& in amaritudine moratur oculus meus*, id est, peccata mea non D video, immensas pœnas meas video, si peccassem, in pœnitentiâ meorum peccatorum ista mala reciperem: at non peccaui, & in amaritudine tanta detineor? Cur ita Domine? Quantò rectiùs id Christus Dominus dicere potuit: Nunquam ego peccaui (& hoc certius est quàm nunquam peccasse Iob) & in tanta amaritudine passionis moratur oculus meus? imò nunquam Deo maiora obsequia, nec hominibus sublimiora exhibita sunt beneficia, & nihilominus in tali ac tanta amaritudine moratur oculus meus.

Prop. X. *Quanta cum deuotione passionem Christi celebrare debeamus.*

QVam ob causam ieiunia quadragesimalia ab Ecclesia instituta sunt? ideò quidem vt conuenienter parati & præparati simus ad crucem & passionem Christi Domini nostri celebrandam. Ita S. Leo Papa serm. 10. de Quadragesima: *Considerantes*, inquit, *quid per crucem Christi adepta est vniuersitas mundi, cognoscimus ad celebrandum Paschæ diem merito nos quadraginta dierum ieiunio præparari, vt digni possimus diuinis interesse mysteriis.* Ita S. Leo, quasi dicat: vt hilari corde possimus celebrare festum Paschæ resurrectionis Christi, oportet priùs & immediatè crucem & passionem cum debita compassione celebrare. Ad hoc igitur instituta est Quadragesima Christiana. *S. Leo.*

Prop. XI. *Passio Christi quàm attentè sit à nobis consideranda.*

DE Christo Domino agens Apostolus, & de passione ipsius, *Recogitate*, inquit, *eum, qui talem sustinuit à peccatoribus contradictionem*, &c. hoc est, passionem: non autem ait, cogitate, sed *recogitate*, quia talis ac tanta passio, tale ac tantum beneficium, dignum est, vt non semel ac iterum, sed sæpè sæpius illud cogitemus, & recogitemus. Bonus ille, ac fidelis, & subditus regis Dauidis, Ethai Gethæus, Dauidem fugientem à facie Absalon sequebatur, & comitabatur: cui Dauid: *Cur venis nobiscum? reuertere, quia peregrinus es, reuertere, & Dominus faciet tecum misericordiam, quia ostendisti gratiam, & fidem, cui Ethai: Viuit Dominus, & viuat Dominus meus rex, quoniam in quocumque loco fueris Domine mi rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.* O verè fidelis seruus, & prudens: vtinam & nos sic Christo Domino, & Deo nostro fideles inueniamur. Exijt Christus Dominus in montem Oliueti, cùm eum insequitur, & persequitur ad mortem vsque filius eius, populus, inquam, eius Israel; quid nos facere, quid nos dicere oportebit? vtique quod Ethai regi Dauid: in quocumque loco fueris Iesu Domine mi, tecum ero, siue in vita, siue in morte: at nos id modò præstare nequimus. poterant hoc efficere Apostoli, & qui tempore passionis Christi degebant, nunc verò nos quomodo poterimus in morte, & passione eius concomitari? corpore quidem nequaquam, corde verò, & mente rectè valemus: id ergo vt fideliter faciamus, ait Apostolus, *recogitate eum*, &c. *Hebr. 12. 3.* *1. Reg. 15.*

Qui hostes suos in bello vicit, vehementer gaudet, dum alij de huiusmodi bello, & victoria tractant. Passio Christi Domini bellum contra peccata nostra, & tartareos hostes fuit, crux verò certaminis Christi causa, in qua cunctos vincit hostes; quid igitur mirum si gaudeat Christus, dum nos de huiusmodi certamine agere videt? Memor esto illorum duorum ex discipulis Christi, qui à Hierusalem in castellum Emaus proficiscebantur, quibus tertius adesse voluit Christus Dominus, & simul cum ipsis confabulari: quamuis ipsi propterea indigni esse videbantur, quòd minùs, quàm oportebat, Christum Dominum à mortuis resurrecturum sperarent: apparuit nihilominus illis Dominus habitu peregrini, & sermones cum illis miscere dignatus est, quia de passione, & cruce sua eos agentes vidit. Vide tu quàm Deo gratum sit nos de passione sua tractare, &c. Domine paschalis, & festiuus dies hic, cur de lamentabili passione tua agere vis? nimirum, quia Christo Domino nihil lætius, nihil iucundius, quàm de his agere quæ pro nobis passus est. *Luc. 24.*

Hinc *Apocal. 19.* vidit Apostolus Ioannes in cœlo festiuitatem quandam celebrari, ad quam omnis cœ-

lestis curia inuitata fuit: intentos autem oculos omnes A tenebant, videre cupientes, quo genere indumenti ornatus, Christus esset processurus, qui super equum album sedens apparuit, & super caput suum diademata multa gerebat: vestitus autem erat veste sanguine aspersa. quid quæso coronis regijs cum sanguine? Equus albus lætitiam præ se fert, veltis verò sanguine aspersa, horrorem prætendit, nec cum festiuitate tanta sanguis congruere videtur. Verùm sanguis iste sanguinem, ih passione Domini pro nobis effusum, repræsentat, & quia sanguis, & passio Christi semper ipsi gratissima est, capropter etiam in cœlo, & in festiuissimo die, eâ vestimentum suum ornare voluit Deus. vnde *in eadem*

Vers. 11. *Apocal. c. 5.* ait Ioannes: *Vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem,* &c. quis non mirctur inter gaudia cœli, inter cantica lætissimæ festiuitatis beatorum huiusmodi cantica de passione Christi resonare, cùm passio, non cantum, sed planctum requirere videatur? sed tamen rectè: nam passio Christo Domino gloriosissima, atque adeò eius memoria, eiusque recitatio gratissima supra modum est.

3. p. q. 83. a. 5. S. Thom. quærit, an fuerit congruum tempus ad institutionem sanctissimi Sacramenti illud, quo Christus Dominus illud instituit, scilicet post cœnam agni paschalis? & respondet aptissimum quidem fuisse, quia Eucharistia est memorialepassionis Christi, secundùm illud ipsius Christi Domini, *Hæc quotiescumque feceritis*

1 Cor. 11. 24. *in mei memoriam facietis,* & illud, *Quotiescumq; manducabitis panem hunc & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis:* oportebat autem nunquam in mundo deesse memoriale passionis Christi, & propterea ante passionem Christi fuerunt institutaillasacrificia antiqua veteris legis, & ritus ille agni paschalis, qui maximè repræsentat passionem Christi: cùm autem in illa vltima cœna finem acceperit ritus ille, & celebratio agni paschalis, ne deesset memoriale passionis (tunc enim iam per passionem, quæ instabat, cætera omnia sacrificia & repræsentatiua passionis futuræ cessabant) aptissimum fuit tunc instituere hoc memoriale perenne passionis Dominicæ in Eucharistiæ sacramento, ne memoriale tam dignæ omni memoria passionis, vel per breuissimum deesset tempus. Vnde S. Leo Papa: *Vt vmbra cederent corpori, antiqua obseruantia nono excluditur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguine sanguis anfertur, & legalis festiuitas, dum mutatur, impletur.* Ita S. Leo.

Serm. 7. de passione. Vbi ex duobus constat, quanta sit memoriæ passionis Christi necessitas, primò ex eo quod tale ac tantum Sacramentum in eius memoriam fuerit institutum, in quo idemmet filius Dei, Deus & homo, continetur: secundum in eo, quòd, licèt potuerit Christus Dominus post resurrectionem suam illud instituere, noluit, ne per illud breue tempus, quòd inter vltimam agni paschalis celebrationem & resurrectionem intercedebat, D sine aliquo tanta passione digno memoriali Ecclesia sua maneret.

Prop. XII. *Passionis Christi dolores affectuosè sentire debemus.*

DE sancto Francisco eius narrat historia, quòd, cùm semel passionem Christi meditaretur, sic in lacrymas, & affectum exteriorem prorupit, vt gemitibus, & eiulatibus, & clamoribus domum, in qua erat, repleret. sensit hoc nobilis quidam, & accedens ad eum, cur, inquit, sic acriter ploras, & gemis? dicito mihi, & ego facultatibus, & viribus meis remedium adhibebo. cui sanctus, non pro rebus temporalibus gemo, sed pro doloribus Domini mei doleo, & pro angustiis Iesu Christi Saluatoris mei angor, & gemo. Denique sanctissimus Franciscus in contemplatione passionis Domini sic afficiebatur, sic plorabat, vt præ lachrymis ferè cæcus remaneret. Huiusmodi affectu digna est passio Saluatoris, sic eam lacrymis nostris prosequi deberemus; sed vix est qui lachrymulam fundat, *quia non est qui recogitet corde.*

Quid mirum, si passionem Domini nos homines, nos Christiani lugeamus, si eam elementa inanimata senserunt? moriente quippè Domino omnia elementa obstupuerunt, densis tenebris solis splendor obductus diem in noctem velutì commutauit, stabilitatem suam terra profundis commissionibus labefactauit, & petrarum durities confracta soliditate dissiluit, velum templi discissum est, *quæ patecit quæ el sancta sanctorum rasgado por sentimiento sus vestidos?* quid, inquam, mirum, si nos Saluatoris nostri passionem lugeamus, quam elementa insensibilia sic lugebant? Denique *no es razon, que si nos haga mucho el pensar y sentirlo, que por nos otros nos se haga a Dios mucho pasar y sufrir?*

B Sic ad Beatam Mariam Simeon: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* Et subdit, *vt reuelentur ex multis cordium cogitationes,* hoc est, vti exponunt S. Gregorius Nyssenus, Beda, & Theophyl. cùm Christus pati cœperit, reuelabuntur cogitatus interiores multorum, nimirum quia tunc reuelatum est odium, & inuidia Pharisæorum, perfidia scribarum, fides boni latronis, pusillanimitas Apostolorum, auaritia Iudæ, iniustitia iudicum, fidelitas, & amicitia Iosephi ab Arimathia, & Nicodemi, deuotio mulierum plangentium, & amaB Virginis in filium suum. sic igitur modo passio Domini nostri Iesu Christi ad memoriam reuocata, deuotionem detegit fidelium, & amorem intrinsecum in Christum. nunc qui veram habet deuotionem passionis Christi, impossibile est quin maximo ex ea dolore afficiatur: quia vbi amor, ibi dolor propter dilectì dolorem & pœnam, &c. *la passion de Christo es la piedra*

C *de toque de nuestra deuocion Christiana, y del amor que tenemos a Christo.*

Prop. XIII. *Passio Christi quanti facienda sit, salus nostra manifestat.*

CVm exercitus Philistinorum obsideret ciuitatem *2. Reg.* Bethleem, dixit Dauid: *O si quis mihi daret potum de aqua de cisterna, quæ est in Bethleem, iuxta portam.* audierunt hoc tres viri fortes exercitus Dauidis & *irruperunt* (ait Scriptura) *castra Philistinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethleem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid: at ille noluit bibere, sed libauit eam Domino:* cur, si tantùm eam appetierat, non bibit, cùm iam præ manibus haberet? nunquid ne factum approbaret, quod temeritatem redolebat? sed aliam videtur Scriptura causam assignare, dicens, quòd *libauit eam Domino,* & subdit, dixisse Dauidem: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc, num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* tanti ergo fecisse videtur factum illud, quo sanguinem, & vitam periculo exposuerunt, vt non sibi, sed Deo offerendam esse censeret: si ergo tanti fecit Dauid aquam illam periculo sanguinis, & vitâ illorum trium emptam, vt noluerit eâ potiri, sed, quasi pretiosum quid, Deo libare, quanti, quæso, facienda est salus nostra, non quidem hausta periculo sanguinis, & vitæ puri hominis, sed sanguine ipso, & vita ipsa hominis Dei nostri?

Prop. XIV. *Passio Christi totius boni nostri radix est.*

VIdeas arborem frugiferam excelsam, & amplam frondibus vndique circumseptam, floribus ornatam, seu fructibus onustam, quæ propterea grata prorsus ocu-

sus oculis intuentium est, tum propter ornatum, & pul- A
chritudinem suam, tum propter fructum copiosum;
quòd si causam, & originem pulchritudinis, & fructus
scrutatus sis, inuenies à radice quadam infirma, & qua-
si sicca, quæ in se nec frondes, nec flores, nec fructum
habet, speciem illam, ornatum, magnitudinem, ampli-
tudinemque ramorum, & foliorum, & florum, & fru-
ctus emanasse. Magna quidem est Ecclesiæ Catholicæ
tum celsitudo tum amplitudo, tum pulchritudo, tum
etiam fructus, & emolumentum. si quæsieris, vnde hoc?
ex radice illa, de qua, dicitur: *Et ascendet sicut virgul-*
tum, & sicut radix de terra sitienti, non est species ei, neque de-
cor. manifesta prophetia est de passione Domini nostri
Iesu Christi, quem radicem vocat sine specie, & sine de-
core, quia talis apparuit in cruce. radix non habet spe-
ciem, neque decorem, & tamen ab ea oritur omnis de-
cor, & species arboris; sic Christus, velut radix quæ-
dam retorta, non habebat decorem; sed tamen omnis
Ecclesiæ decor & fructus ex hac radice, ex Christo sci-
licet crucifixo, procedit. si in Ecclesia Apostolorum B
chorus, martyrum exercitus, virginum decus, doctio-
rum claritas, confessorum fructus, omnia hæc ex radice
illa, quæ in passione deformis apparebat, ortum ha-
buerunt.

Prop. XV. *Passio Christi satisfecit pro peccatis nostris, & quomodo.*

Solent iudices, cùm reos capere nequeunt, statuam
illorum punire, vti solent Patres Inquisitores, qui
hæreticorum fugitiuorum statuas igni tradunt. Reus
quidem grauissimarum pœnarum erat homo peccator,
sed diuinæ pietatis ope diuinæ iustitiæ manus effugit:
inuentus est autem Christus *in similitudinem hominum fa-*
ctus, & habitu inuentus vt homo; imò in similitudinem carnis
peccati, vt ait idem Apostolus. Erat igitur velut imago C
& statua Christus hominis, qui peccarat: hanc igitur
diuina iustitia loco peccatoris puniuit. vnde in pœnam
manuum peccatoris, quæ ad arborem prohibitam ex-
tensæ fuerunt, Christus Dominus manus suas in arbo-
re crucis clauis configendas extendit. Voluit homo
edere pomum vetitum, quod ad vescendum suaue ap-
parebat; gustauit proinde Christus amaritudinem fel-
lis. voluit homo coronam deitatis, dum fieri voluit
sicut Deus sciens, accepit propterea Christus spineam
coronam. Voluit homo esse Deus, ita vt videntes eum
dicerent: Ecce Deus; propterea Christo Domino ho-
mini dictum est: *Ecce homo.* Voluit transgredi præce-
ptum, propter cuius transgressionem mortis pœna
constituta fuerat; propterea diuina iustitia Christum
Dominum capitali sententia damnauit. ita homini,
sicut Dauidi olim Nathan, dicere possumus: *Dominus*
transtulit peccatum tuum, à te, scilicet peccatore ad Chri-
stum, qui tuam similitudinem suscepit. Sit ille in sæcu-
la benedictus.

Vnus militum lancea latus eius aperuit. Crudele prorsus D
vulnus, quia datum est Christo iam defuncto. Quis
vnquam inimico mortuo vulnus inflixit? Quid quæ-
so, ô sæua hasta, quæris in corpore Christi? si vitam,
iam defunctus est vitâ; si animam, anima eius non ibi,
sed in limbo est; si corpus Christi vis vulnerare, ple-
num est iam vulneribus magnis; si sanguinem quæris,
iam eius sanguis flagellis, clauis, spinisque exhaustus
est: quid igitur, ô lancea, in corpore Christi quæris?
quod remansit vtique iuxta cor, nonnihil sanguinis
Christi, hunc quæro: quid ira? dicam: Philosophi di-
cunt, quòd ira est ascensio sanguinis iuxta cor: iram in
Dei corde omnes valdè timemus: veniat igitur lancea,
ait Christus, & omnem sanguinem circa cor meum,
quod Dei cor est, extrahat, quò post passionem meam
non sit ascensio sanguinis circa cor meum, si passionis
meæ fructu potiri voluerint peccatores.

Vnde Apostol. *Commendat charitatem suam Deus in* *Rom 5. 8.*
nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundum tem-
pus Christus pro nobis mortuus est; multò igitur magis nunc
iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum.
quasi dicat, si clementia Dei tanta fuit erga nos, vt, an-
tequam Christus pro nobis Patri satisfaceret, mitteret
Deus filium suum, vt nos à peccatis nostris saluaret,
quantò magis nunc, postquam filius suus se mediato-
rem inter nos & Patrem præbuit, salui erimus ab ira
Dei? *y assi el coraçon abierto de Christo, es como vna carta de*
seguro, de que, quando para nuestro remedio acudieremos à
Dios, no hallaremos el coraçon de Dios cerrado, sin abierta
para entrar a pedir misericordia. Ruptas olim fuisse cata-
ractas cœli, signum fuit iræ Dei; nunc autem ruptas
esse omnes Christi venas, signum est clementiæ diuinæ
in nos, &c.

Prop. XVI. *Passio Christi cœlum nobis aperuit.*

Erat vtique ante passionem Christi cœlum omni-
no nobis clausum, post passionem verò etiam la-
troni pœnitenti cœli paruit ingressus: quod scisso illa
veli templi designauit. *Velum templi*, ait S. Matth. c. 27. *Matt. 27.*
scissum est in duas partes à summo vsque deorsum. Cur ita 51.
miraculum hoc? Euthymius ibidem duas assignat ra- *Euthym.*
tiones. *Prima est, ad Iudæorum redargutionem, cui contradi-*
cere non possent, vt si niterentur causari & ad ea quæ natura-
liter accidunt passiones Solis obscurati, terræ motus, petra-
rumque scissarum reducere, os illis obturaretur per veli scissio-
nem, cum tale quid esse vnquam factum demonstrare non pos-
sent. Ita ille. Secundam causam adijcions, ait: *Quod autem*
magis mihi placet accipe, quia interiora veli figura cælt erant,
exteriora verò terram figurabant, scissum velum figurauit
scissum iam esse medium parietem inter cœlum & terram, nem-
pe inimicitiam, quæ inter Deum & homines erat, & factum
esse cœlum hominibus peruium soluto iam per Christum obsta-
culo medio. Ita Euthymius.

Prop. XVII. *Passione sua Christus de Inimicis suis & nostris victoriam reportauit.*

Ioan. 12. cùm iam proximus esset Christus Domi- *Ioan. 12.*
nus passioni, & intraret in ciuitatem Hierusalem, 13.
acceperunt, inquit, *ramos palmarum, & processerunt obuiam*
Christo Domino. Palma insigne victorum est, Christus
autem in passione sua non victor, sed victus esse vide-
batur; non igitur tunc temporis palmæ congruebant
Christo, sed eius inimicis qui eum occiderunt. sed ta-
men Christus in passione sua non victus extitit, sed
victor; passione quippe redemit nos & lauit nos in san-
guine suo à peccatis nostris, vti ct tunc mortem & mor-
tis authorem: quod vt significaret Deus Pater, ad cru-
cem pergere videns, palmarum ramis voluit eum Hie-
rosolymis recipi, vt non victum sed victorem morien-
do demonstraret. S. Ambros. serm. 2. de Quadragef. *S. Ambr.*
Palmæ, inquit, *Domino à populo offeruntur, vt ipsum victorem*
esse significaretur: ipse enim planè victor fuit, qui diabolum de-
struxit & mortem. Ita S. Ambr.

Hinc est quòd Christus Dominus, cùm ad passio-
nem & mortem pergeret, cum magnis acclamationibus
ciuitatis Hierusalem, & cum palmis, passionis, & mor-
tis caueam ingressus est, vti celebrat Ecclesia in die
Palmarum. Celebrarunt mulieres Israelitæ victoriam
illam Dauidis, quâ gigantem populi Dei hostem deui- *1. Reg. 18.*
cit, nec mirum, quia victoria parta erat; sed tamen ce-
lebrare victoriam Christi ante certamen ipsum, cur
ita? ita, quia reliqui pugnatores tunc victoriam cele-
brant, cùm hostes occidunt, ipsis manentibus viuis;
Christus verò cùm mortem ab inimicis passus est, quia
sicut ex morte, v. g. Goliath, vita populi Dei pendebat,
sic è conuerso ex morte Christi vita hominum om-

nium pendebat propterea quia ad mortem certam pergit, pro victoria certa triumphum huiusmodi ordinauit, & instituit, & ob hanc causam regis titulum in illo die Palmarum admisit, dicente Zacharia : *Ecce rex tuus venit tibi*, &c. & in morte ipsa regis titulum cruci affigi voluit, cùm tamen huiusmodi regis titulum viuens accipere noluisset, vt constat Ioan. 6. vbi, cùm vellent eum constituere regem, discessit, erupit, fugit, euasit, nimirum quia in eo se regem nostrum ostendere voluit quòd pro vita nostra mortem libenter subiret, non in eo quòd tunc hominibus imperaret. ideoque, si alij triumphant, cùm alios occidunt, Christus triumphat, cùm occiditur ab alijs: & similiter si alij victoriam celebrant, cùm inimicos spoliant, Christus tum victoriam celebrat, cùm ipse ab alijs spoliatur, vt nos vestimentis induat gloriæ, &c.

Zachar. 9. 9.

A

B

Prop. XVIII. *Christus morte suâ à morte aterna nos liberauit.*

PSalm. 17. sic ad Dominum Dauid : *Protector meus*, &c. vbi sanctus Hieron. sic ex Hebræo traducit: *Sol & clypeus Dominus.* Eodem modo transfert psalm. 30. num. 5. & Psalm. 83. num. 12. quod de Domino nostro propriſſimè dici potest: ipse nobis Sol, quia sicut sol mundum vniuersum illustrat, sic Christus Ioan. 1. *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & vsque hodie nos Euangelio suo illuminat, & illuminabit vsque in finem sæculorum. Est etiam scutum nostrum; sicut enim scutum hominem protegit & defendit ab ictibus ferientis, & tamen scutum manet confractum, *queda quebrado y echo rajas*. Sic cum diuina iustitia aduersus nos peccatores militaret, se Christus mediatorem opposuit tanquam scutum, vt protegeret nos, quo ipse attritus mansit propter scelera nostra, nos autem eo protecti salui manemus, cui pro tanto beneficio in sæcula immensæ à nobis gratiæ agendæ sunt.

Ioan. 1. 8.

C

Prop. XIX. *Passio Christi remedium efficax est contra peccata.*

EXod. 17. bellum aduersus populum Amalech gessit Moyses, & populus Israel pugnabat, Moyse tunc in monte orante manibus in cœlum eleuatis. Modum quidem eleuationis manuum non assignat sacer textus, at in formam crucis eas eleuasse affirmant S. Iustinus Mart. Dialogo contra Typhonem, Origenes super lib. 1. Regum, Tertull. aduersus Iudæos, S. Cyprian. in libro de exhortatione ad Martyrium, Aug. lib. de ciuit. Dei, alijque plures. vnde finito bello, & partâ victoriâ Moyses aram erexit, cui tale nomen imposuit: *Dominus exaltatio mea*, vbi pro *exaltatio*, est in Hebræo dictio, *Nes*, hoc est, vexillum, *Dominus vexillum meum*, ac si dicat, in virtute crucis, quæ, Domino in ea crucifixo, vexillum hominum est, vicimus inimicos. Ecce igitur quid nobis sit Domini crux, vexillum militiæ nostræ, militamus aduersùs hostes, nos in peccata impellentes, vincimus cùm eorum tentationes superamus. Ad eos igitur superandos quodnam nobis est facilius remedium, quàm oculos in crucis vexillum tollere? sic enim milites in bello, dum in media eorum acie vexillum erectum vident, & expansum, animos resumunt ad pugnandum ad mortem vsque. Cùm te igitur tentatio vexauerit alicuius peccati, oculos in altum tolle, crucis vexillum in medio Ecclesiæ semper erectum conspice, illic licebit vifere Christum Dominum in peccatorum detestationem, & abolitionem affixum. Quid? (dicito) committámne ego peccatum propter quod Dominus meus crucifixus est? ille, ne amplius ego peccarem, ibi crucifigi voluit, & ego adhuc peccare pergam? ille nostro ductus amore, vt nos à peccato saluaret, mortem passus est, mortem autem crucis, & ego ob eius amorem non priùs crucem patiar, quàm in eum peccem? ille, vt peccatum destrueret, sic cruci affigi dignatus est, & ego peccatum constituam, quod tantò ille labore destruxit? sic nos aduersùs infernales Amalachitas armat sancta crux.

Iust Mar. Origen. Tertull. Cyprian. Augus.

Exod 17. 15.

D

Vnde non immeritò crucis signum, & figura fuit serpens ille æneus, quem in Exodo eleuari iussit Deus in cruce, vt omnes à serpentibus morsi mortem vitarent. Mordet hostis, dum tentat; at ne moriaris, respice Christum in cruce, ibi serpens apparet, sed non est veneno infectus peccati, intuere illum, & considera, quot quantaque sit pro peccatis passus i vt dicas: Graue malum peccatum, pro quo tot Deus innocens passus est. Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet? si proprio filio Deus non pepercit ob seruorum culpas, ob culpas eorum proprias qualem de seruis vindictam sumet? &c.

Genes. 9. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.* Cur arcum nubium in signum pacis & fœderis posuit Dominus magis, quàm nubem ipsam, aut sydus aliquod cœli? Liranus ibidem: *Per arcum cælestem Christus Dominus significatur, in quo est lignum durum & forte, & corda mollia: per quæ significatur virtus diuinitatis, & fragilitas humanitatis: & sicut in arcu corda mollia flectit lignum, sic in passione Christi humanitas flectit rigorem iustitiæ & seueritatis; qui verò fide pura & deuotione respiciunt hunc arcum, à diluuio virorum sunt securi.* Ita ille. Quis enim attentè consideranss, quæ & quanta pro nobis passus est Dominus noster Iesus Christus pro peccatis nostris, peccare non abhorreret?

Prop. XX. *Passio Christi spem venia nobis præbet.*

SAnct. Bernard. *serm. 1. in Annunciatione. De remissione peccatorum. validissimum teneo argumentum dominicæ passionem, vox siquidem sanguinis Christi inualuit multò plus, quàm vox sanguinis Abel, clamans in cordibus electorum remissionem omnium peccatorum. traditus enim est propter peccata nostra, nec dubium quin potentior & efficacior sit mors illius in bonum, quàm peccata nostra in malum.* Ita S. Bernard.

Calicem quidem meum bibetis, &c. Matth. 20. Magnum eximiumque beneficium Christi in nos continent verba hæc. Pro cuius intelligentia supponamus calicem in diuinis litteris hæreditatem significare, vt Psal. 25. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*: vel, vt habet originale Hebræum, *in sortem seu hæreditatem fundas.* Sic loquitur ibi Christus ad Patrem, vti sanctus Hier. exponit: & hinc est quòd Christus in ipso feruore passionis in cruce que constitutus, Matth. 27. calicem fellis & aceti non omnino hausit, sed gustauit: partem scilicet assumpsit, sed reliquum nobis reseruauit: & in vltima cœna, *accepto calice, gratias egit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, &c.* Prius ipse bibit, quia prior est in æterna hæreditate: sed dedit & nobis ex eodem calice, quia *hæredes sumus Dei, cohæredes autem Christi*, vti ait Apostol. vbi addit Dominus: *Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater*, id est, ego vobis tribuo per hunc calicem ius ad regnum cœlorum, sicut tribuit mihi Pater. Nunc ad verba Christi ad Iacobum & Ioannem dicta redeamus: *Calicem quidem meum bibetis*, tum per imitationem passionis, tum etiam per communicationem mea passionis, quam, vt hæreditatem preciosam, vobis trado, per quam regnum cœlorum in æternam hæreditatem acquiretis. Excogitauit S. Ambros. lib. 5. de fide c. 3. expositionem istam, dicens: *Calicem quidem meum bibetis*, id est passionem, quæ carnis meæ est, non negabo, ecce donaui vobis victoriam passionis, hæreditatem

Zach. 9. 9.

Ioan. 1. 8.

Exod. 17. 15.

Matth. 20. 23.

Psal. 15. 5.

Matth. 26. 27.

Luc. 22. 17.

Rom. 8. 17.

Luc. 22. 29.

S. Ambr.

crucis,

crucis. Ita S. Ambr. Hinc igitur oritur in nobis magna A spei ratio, tum acquirendi regnum cœlorum, tum obtinendi à Patre veniam peccatorum. Si te sollicitudo saluationis cruciat, dic Domino : Saluum me fac propter misericordiam tuam, & propter passionem filij tui Domini nostri Iesu Christi. Quòd si peccata præterita te ad nimium timorem vocant, dic Domino : Peccaui nimis in vita mea, sed in satisfactionem præcipuam peccatorum meorum, offero tibi passionem Domini mei, cuius ipse me fecit hæredem. Quid times anima mea, tanto pignore munita ? quid negare poterit tam bonus Pater passioni tam boni filij ?

Frequens est apud nos timor damnationis æternæ, nec mirum : res enim magni momenti est. Sed ne in timendo excedas, audi S. Augustinum lib. de Virginitate: *Inspice vulnera eius, qui pro te in cruce pependit : inspice sanguinem illum, quem pro te effudit : inspice cor apertum ad te respiciendum, & inspice brachia eius ad te amplexandum aperta.* Ita S. Augustinus. Cur igitur tanto timore turbaris ? time potiùs timorem tuum nimium, quia diffidentiam B quandam præsefert, & fac vt sentias de Domino in bonitate. spera in Domino, & fac bonitatem, & saluus eris. Nam, vt ait S. Bernard. serm. 21. in Cantica : *Numquid eum, quem Dominus quæsiuit, & per gratiam suam vocauit, venientem ejiciet foras ?* Ita ille.

S. Augustinus. serm. 37. de verbis Domini : *Dubitas quod dabit tibi sua, qui non dedignatus est suscipere mala tua ?* Ita ille. *En que hizo Dios mas, en padezer lo que padecio, ô en dar nos su gloria ?*

PROP. XXI. *Christi passio ad tolerantiam laborum vrget nos.*

CVm nocte conueniret Nicodemus Iesum, vt cum ipso de rebus ad salutem animæ pertinentibus ageret, sermonem de cruce ac de passione sua intermiscuit Christus, figuram illam serpentis ænei adducens, &c. Et cur, quæso, tunc speciatim de passione mentionem fecit ? nimirum quia (vti adnotauit S. Cyrillus *lib. 2. in Ioan. cap. 38.*) licèt miracula & signa, quæ Dominus operabatur, eum adducerent ad Iesum, metus tamen cohibuit eum ne hoc diei tempore præstaret, quando scilicet multi eum adeuntem ad Iesum poterant videre : quare nocte profectus fuit, vt nemo eum eò euntem videret. Propter metum ergo Iudæorum nocte, non die Christum Dominum conuenit. Ob eandem igitur causam Christus de cruce, & passione sua tunc cum ipso egit, vt nobis palam faceret, remedium timoris huiusmodi esse passionis suæ considerationem. Quis enim pro Christo Domino, quantumuis maximum periculum subire recusabit, si quæ pro nobis ipse sustinuit, animo verset ?

Vnde Paulus : *Recogitate eum, qui talem sustinuit aduersùs semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes*, recogitate, inquit, hoc est, iterum atque iterum cogitate Christi passionem : sunt D enim frequentes labores & tribulationes nostræ ; sit igitur frequens consideratio passionis : secundùm frequentiam enim dolorum debet esse frequentia remediorum.

Hinc sanctus Gregorius : *Si passio Christi ad memoriam reuocetur, nihil adeò durum est, quod non æquanimiter toleretur.* Ita ille.

Vnde de quadam sancta fœmina memini me legisse, quòd, cùm maximis doloribus laboraret, quædam familiaris eius crucifixum in manus eius tradidit, dicens : Roga Dominum istum, qui pro te tot labores passus est, vt te à tuis hisce doloribus liberare dignetur. cui sic infirma respondit : Qua fronte possum postulare, vt meos à me tollat dolores, qui tot tantosque labores tulit ? ipse pro me à maximis suis laboribus noluit liberari, & ego pro ipso leues hos meos non liberari feram ? ego liberari ab ipso petam ? absit : patiar libenter pro eo, qui pro me libentissimè maiores incomparabiliter dolores passus fuit. ita illa sapiens & sancta mulier : quam vtinam nos viri semper imitemur.

Hinc S. Petrus : *Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini.* Pondera verbum *armamini* : quod enim scutum pugnanti aduersùs hostes præstat, hoc ipsum meditatio passionis Christi in bello aduersùs hostes animæ, & contra aduersa omnia. Vnde S. Thom. exponens ibi locum istum, ait : *Bene dicit armamini, quia memoria passionis contra insultus, & tentationes diaboli roborat nos, & munit.* Vnde S. Bernardus. *Tanta est virtus crucis Christi, vt si in mente fideliter habeatur, nulla libido, nulla peccati præualere possit inuidia, sed continuò ad hanc memoriam peccati exercitus fugatur.* Ita S. Bernardus. Consideratio ergo passionis Christi fugat tentationes : quia qui propter nostra peccata viderit Deum talia pati, quomodo non verebitur ruere in peccatum ? armat etiam contra aduersa omnia, quia qui pro amore suo viderit Dominum crucifixum, pro amore ipsius Domini quomodo non aduersa cuncta sustinebit ?

Hinc S. Ioan. Damasc. *lib. 4. fid. cap. 12.* Crucem Christi infirmorum baculum appellat : sicut enim infirmus qui vix incedere & pedibus se continere valet, innixus baculo, non solùm se continere sed etiam longè procedere potest ; sic debile cor, quod ad tribulationes ferendas viribus destitutum est, crucis Christi baculo innixum forte se inueniet.

Et ob eadem causam S. Ephrem *tract. de cruce*, vocat ipsam crucem Christi insuperabilē Christiani armaturam. Pondera, *insuperabilem. Las armas del mundo, si no Las pasa vn arcabus, pasa las vn mosquete, y quando este no, vn tiro de artilleria, vna culebrina.* Arma igitur mundi haud insuperabilia dici possunt ; crux verò, & passio Christi insuperabilia sunt, si rectè sibi ea applicare sciat Christianus, si profunda scilicet mente ea penset, & recogitet córde.

C Consentit cum D. Ephrem S. Martialis, dicens : *Crux Domini armatura vestra inuicta contra Satanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatis præscindens, & Angelicas insidias peruersę iniquitatis sibi propinquare, nullo modo sinès.* His similia habet D. Chrysostomus. *Crucem non simpliciter digito in corpore, sed magna profectò fide in mente formare oportet. Nam si hoc modo eam impresseris, nullus scelestorum dæmonum, cum hastam videat, qua letale vulnus suscepit, congredi tecum audebit. Nam si, cum tantum loca in quibus capite damnati pœnas persoluunt, videmus, ingenti horrore concutimur, quid passurum putas diabolum, si mucronem tenere te viderit, quo vires eius Christus dissoluit, & quo caput draconis magno ictu rotauit ?* Si ergo solum signum Crucis, tantùm terrorem dæmoni injicit, quid si accedant alia Christi patientia instrumenta, flagella, columna, spinæ, claui, lancea, & quæ per illa passus est tormenta ?

Epist. ad Burdegalens. c. 8.

Chrysost. c. 16. Matth. Hom. 55.

Vnde Nicodemus, qui ante Christi passionem timore correptus, nisi tenebris noctis tectus, & abscon- Ioan. 19. 39.
ditus procedere non audebat, post Christi passionem, non nocte, & in abscondito, sepulturæ interfuit Christi. quod adnotasse videtur Apostolus, dicens : *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum,* &c. quasi diceret, ille, qui ante noctis obscuritatem expectabat, vt adiret Iesum, timens ne ab aliquo videretur, nunc palam, & omni sublato metu, accedit ad corpus mortuum Iesu, qui ad viuum, nisi absconditè, accedere ausus nequaquam fuit, imò & in honorem eius & approbationem veritatis Christi, aduersùs alios Pharisæos, & Scribas obsequium illud mixturæ aromatum adhibuit, quò se discipulum Christi profiteretur. *Hoc*, inquit adnotanter Theophylactus, *post crucem : à cruce enim vires accepit aduersus illos timores nocturnos, vidit enim*

Domi-

Dominum suum non timentem vincula, probra, flagella, spinas, clauos, crucem & acerbissimam, & turpissimam ex suo genere mortem, pro nostro amore ac salute, voluntariè, & fortiter patientem, & inde animos arripuit, quibus omnem expulit timorem.

Ioan 3. 14. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis*, &c. Cur serpens ille in ligno suspensus fuit? nimirum quia dæmon serpentis figuram induit, cùm primum hominem tentauit, & in peccatum induxit, ideò meritò serpès ille æneus suspensus in ligno fuit, vt saltem in statua illa serpentis, serpens ipse antiquus suspenderetur. Solent sancti Patres Inquisitores, cùm reum comprehendere nequeunt, eius comburere statuam? sic etiam quia dæmon reus erat criminis Adæ, & totius generis humani, & tamè suspendi non poterat, quia spiritus erat, in sua statua suspensus à Moyse fuit. B *Crucificaron le en la estatua*; quasi diceret Deus, in quo te habitu inueni, in eo te iudico, in habitu serpentis te inueni, in eo te iudico, in eo te suspendo.

At dices, si iam in ligno illo, in quo Moyses serpentem æneum tulit, serpens antiquus, seu hostis Diabolus suspensus fuit, cur iterum de hoste in cruce Christi iudicatum est? quia in illo peccato non solùm serpens, sed etiam concurrit homo, & ideo in homine in cruce Christi vindictam de peccato sumpsit Deus. Quod rectè expendit S. Ambros. *serm.* 55. dicens: *Serpens primus crucifigitur, vt quia primus peccauerat diabolus, primus crucis sententia ferretur; deinde post serpentem in Saluatore crucifigitur homo ipse, vt post authorem puniatur & facinus: per primam enim crucem vindicatum est in serpentem, per secundam in venena serpentis, primùm author peccati punitur, deinde eius malignitas condemnatur.* Ita S. Ambros. Sicut igitur in serpente fuit punitus hostis, quia serpens figuram hostis habet, ita in Christo homine punitur homo peccator, quia hominis peccatoris Christus Dominus figuram & nomen assumere dignatus est, & quidem hostis grauis sensit culpam à se inductam, sic in Christo puniri, quam in sua statua & figura; &c.

Sed ad rem, cur in Christo homine sic peccatum hominis iudicatum, & punitum grauissimè fuit, cùm leuiori pœnâ, lacrymâ, inquam, vnâ satisfacere pro culpa Dominus potuisset? vt grauitatem culpæ sic nobis manifestaret: multa quidem inferni grauissima pœna grauitatem culpæ declarat: neque enim mitissimùs & clementissimus Dominus creaturam ad imaginem, & similitudinem suam factam tam grauiter puniret pœnâ illâ acerbissimâ, &, quod amplius est, æternâ, nisi grauissimus esset peccati reatus; sed multò ampliùs Christus in cruce malitiam, & grauitatem detegit peccati, quàm omnes simul inferni cruciatus: in inferno enim punitur homuncio peccator, qui in Deum ausus est peccare: at in cruce innocens Dei filius, qui peccatum non fecit, qui offensus fuit, non offensor, qui Deus D est, omni reuerentia & gloriâ dignus, vnde ad intuendam deformitatem peccati, nullum accommodatius speculum inuenies, quàm Christi Domini deformitatem corporalem in cruce, in deformitate hac Christi deformitas sapienti plusquam in cæteris omnibus pœnis relucet, &c. Vnde S. Bernard. *Filius Dei iubetur occidi, vt vulneribus meis pretioso sanguini ipsius balsamo medeatur. Agnosce, ô homo, quam grauia sint vulnera illa, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari.* Ita S. Bernard. Quis igitur non timet, imò non horret tam horrendum committere malum, maximè cùm peccare modò, sit iterum Dominum crucifigere, dicente Apostolo de quibusdam peccatoribus: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* S. Bernard. *serm. 4. in vigil. Natiuit.* explicans id Psal. 68. *Infixus sum in limo pro-* *Hebr. 6. 6.* *fundi*; Fortasse, inquit, *crux ipsa nos sumus, cui Christus memoratur infixus: homo enim formam crucis habet, quam, si manus extenderit, exprimit manifestius, loquitur autem Christus in psalmo dicens: Infixus sum in limo profundi, limum quidem nos esse manifestum est; quoniam de limo plasmati sumus.* Ita S. Bernard. Crucifixus igitur in peccatore sicut in cruce Dominus nunc est: nam tunc manus eius velut affixæ clauis manibus nostris sunt, cùm manus nostras extendimus ad peccandum, & pedes eius nostris; cùm pedibus currimus ad malum, & tunc caput eius spinis transfixum est, cùm in capite nostro peccata fabricamus, & tunc lanceâ latus eius aperitur, cùm in corde nostro prauos habemus affectus, &c.

Cuius hoc remedium erit, vt nos potiùs his partibus crucem Christi applicantes, nosipsos crucifigamus cum Christo, applicemus, inquam, crucem Domini manibus nostris, & pœnitentiam, & mortificationem Christi apprehendamus; pedibus, vt ad perfectionem curramus; capiti, vt nihil aliud cogitemus, nec sciamus, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum; cordi, vt id solùm amemus, quod crucifixum cum Christo detestetur vt in nobis id verificemus, quod Apostol. ait 2. Cor. 4. *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro mortem circumferentes*, hoc, inquam, ita fiet, si attente considerabimus, quàm horrendum malum est id iterum nos committere, quod iterum in nobis Deum crucifigere, vere enim peccata, quæ nunc perpetramus, modo quo tunc concurrunt ad passionem, & crucifixionem Christi Domini nostri. Si enim modò non peccamus, non concurrimus ad necem Christi talibus peccatis. quare in manu nostra est non concurrisse, & huiusmodi peccatis non crucifixisse Dominum nostrum. *pues quien tendra manos para peccar agora, pues desta manera no concurre a crucificar las de Christo bien vuestro?*

C *Fecisti Domine*, ait S. Aug. *de corpore tuo speculum animæ meæ.* Ita ille. qui videt speculum videt pariter se, & omnia, quæ in se habet: videt pulchritudinem, & deformitatem suam, & alia, quæ in seipso sunt: sic in Christo Domino crucifixo videmus illum, & nos ipsos, & omnia, quæ in nostra anima sunt. ibi animæ pulchritudinem intuemur: quàm enim speciosam, & pretiosam animam iudicas, pro qua Dominus sanguinem suum fudit? ex pretio valorem rei æstimamus, quando scilicet is, qui emit, valorem rei emptæ optimè nouit. vides lapicidam pro gemma mille dantem aureos nummos, ex hoc cognoscis, lapidem illum pretiosum esse valdè: Deus optimè nouit pretia rerum, siquidem ipse conditor earum est, ipse pretiositatem dedit rebus, videmus autem Deum pro anima nostra sanguinem suum pretiosissimum exhibuisse, &c. Mercator ille Euangelicus in hoc æstimationem, quàm de pretiosa illa margarita habebat, manifestauit, quòd pro ipsa sua omnia dederit bona: quid autem pro anima nostra non exhibuit magnus ille, & ditissimus mercator Christus Dominus? diuitias magnas? dedit, quia, cùm esset omnium diuitiarum Dominus, pro nobis egenus factus est, vt inopiâ eius nos diuites essemus: honorem expendit, quia pro nobis sæpe inhonoratus est, & opprobrijs ingentibus affectus: sanguinem quoque vsque ad vltimam guttulam profudit. denique vitam ipsam in pretium animarum nostrarum dedit. quam igitur pretiosam margaritam existimas illam, pro qua Deus diuitias suas, honorem suum, famam suam, & vitam suam sic exhibuit?

Nunc ad te, ô peccator insipiens, Deus pro anima tua hæc omnia & pretiosissima prorsus dedit, & tu, o auare, pro nummo vno, & tu superbe, pro honoris mundani, & vani puncto, & tu sensualis, pro lenticulis, sicut Esau primogenita, sic tu animam adeò pretiosam diabolo vendis, &c.

Denique in hoc etiam speculo periculum nostrum apparet: quia si in fideiussore nostro sic Deus punit nostra peccata, quantò magis puniet in nobis? ex consideratione remedij, periculi mei æstimo quantitatem. Si videres medicum medicinam adhibere alicui magni va-

gni valoris, infirmitatem eius magni momenti esse iu- A
dicare : cùm igitur in remedium peccatorum nostro-
rum sanguinem filij Dei à patre suo, & medico cæle-
sti nostro, adhiberi videamus, magnam esse infirmita-
tem nostram, & ingens periculum nostrum iudice-
mus.

Rursus sancti Vincentij parabola quadam id expo-
namus. Quatuor adolescentes in quadam ciuitate fur-
ta exercere cœperunt, & quia in ciuitate noti erant,
consilio inter se inito, in aliam proficisci decreuerunt,
in cùius introitu equitem quendam in cruce mala
suspensum viderunt, optimis vestimentis indutum, &
ornatum, cuius aspectu admirati (iuuenis enim, &
pulchri aspectus erat) hominem quendam propè stan-
tem interrogarunt, quid illud esset. hic, inquit, quem
videtis, filius est gubernatoris ciuitatis huius, & vni-
cus, & dilectissimus patri. quam igitur ob causam, aiunt
illi, aut à quo supplendo mulctatus est? à patre, ait, iu-
sus est suspendi: causa autem hæc est, furtum quoddam
fecit famulus quidam huius, pro famulo autem fide-
iussor intercessit hic filius prætoris, fideiussionem B
admisit pater: fugit famulus, & in tutum se recepit lo-
cum: pater autem, qui iustissimus iudex est, senten-
tiam in filium protulit, & suspendi sic illum iussit,
prout vos ipsi videtis. recedunt mirantes latrones, &
inter se dicentes: Terribilis est prætor iste: non expe-
dit nobis in hac ciuitate furta committere, quia si filio
proprio non pepercit, quomodo parcet nobis? Quid
sibi velit parabola ista, satis constat. Adam famulus fi-
lij Dei erat, *criado suyo era, pues era criatura suya*, hic fur-
tum commisit in paradiso & quamuis vnius pomi fur-
tum illud erat, magnum illud Deus reputauit, *mas mal
causò esa mançana del paraysso, que la mançana de Paris*. Pro
seruo ipsopondit filius Dei, fugit seruus, & in sinum mi-
sericordiæ Domini sui se recepit: pater autem, & præ-
tor ille cælestis, sententiam in filium tulit, & eum cru-
ci affigi decreuit. Quid igitur nos modò dicemus? si
proprio filio Deus non pepercit, cui nostrum, si pecca-
uerimus, pareet in iudicio suo, si absque debita recesse- C
rit pœnitentia? consequentiam hanc à Christo ipso
audiamus, *Sequebatur Christum multa turba populi, & mu-
lierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum: conuersus
autem ad illas Iesus, dixit: filiæ Hierusalem nolite flere super
me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros*: Et subdit,
quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? hoc
est, si agricola in ignem mittit arborem viridem, &
fructum ferentem, quid fiet de arbore arida & nul-
lum fructum adferente? ac si dicat, si in me talis exe-
cutioni mandatur sententia, qui arbor paradisi sum,
plurimum fructum ferens; quid tandem fiet de pecca-
tore, qui arbor inferni est arida, & apta ad ignem æter-
num?

Cùm in Capitolio Romano Cassius & Brutus Iu-
lium Cæsarem pugionibus confodissent, Marcus An-
tonius in senatu ad iudices habuit orationem, quâ illis
suadere contendebat, homicidas illos punire, idque vt
à iudicibus impetraret, tunicam Cæsaris sanguine suo D
madefactam, dum oraret, illis coram omnibus osten-
dit: sic enim ad punitionem eorum animos prouoca-
turum se faciliùs existimabat. quod & obtinuit, nam
licèt illi excusationes prætenderent, à tota republica
Romana eos eliminarunt. sic etiam Dei spiritu ducta
Ecclesia, Christi Domini crucem, & effigiem eius in
cruce nobis omnibus proponit, vt eos, qui Deicidium
tam immane commiserunt, puniamus: hi autem hostes
peccata sunt, in hos inuehi, hi prorsus à nobis elimi-
nandi sunt. Si enim Romani, vt Cæsarem suum super-
bum vindicarent, homicidas profligarunt, quantò ma-
gis id nos præstare debemus eis, qui sanctissimum, &
innocentissimum Saluatorem, & Deum nostrum cru-
cifixerunt? *Matt. 27.*

Cant. 1. *fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera*
Labata Tom. I.

mea commorabitur. Cur inter vbera? S. Bernard. serm. *S. Bern.*
43. in Cantica: *Myrrha amara res, dura & aspera, tribula-
tionem Christi significat. hanc super pectus collocat sponsa. Tu
quoque, si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myr-
rhæ tam charum fasciculum, de pectore tuo, nec ad horam, pa-
teris auelli, amara illa omnia, quæ pro te Christus pertulit, re-
tinens in memoria, & assidua meditatione reuoluens, vt &
possis dicere tu*: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi,
inter vbera mea commorabitur. *Hæc meditari docet sa-
pientiam, quia in his suauis victus consolationis: hæc me re-
primunt in prosperis, & erigunt in aduersis, & inter læta &
tristia tutum præbent. Hæc mea sublimior sapientia, scire Ie-
sum Christum & hunc crucifixum.* Ita S. Bernard. alludens
ad id, quod de se Apostolus dixit 1. Cor. 2. *Non iudica- 1. Cor 2.
ui me aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc
crucifixum*, quia scilicet fasciculum hunc myrrhæ sem-
per in corde ferebat: vnde non solum patienter, sed
etiam gaudenter, graues persecutiones & tribulatio-
nes tolerabat.

Etenim cùm infirmus cordis debilitatem patitur, *Simile.*
solent medici epitimam quandam superimponere,
quæ cor ipsum confortet; sic cùm anima nostra se debi-
lem ad perferendos labores sentit, nulla potiori epiti-
ma vti potest, quàm passionis Christi consideratione.
quod aliâ metaphorâ expressit Apostolus Petrus 1. Pet. *1. Pet. 4.*
4. dicens: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogita- 1.
tione armamini.* (no ay armes tranzado tan a proposito
para la guerra temporal, como para la militia espirituel
lo es la passion de Christo) militia est vita hominis su-
per terram, armis igitur indigemus: hæc assignat Pe- *Simile.*
trus Apostolus, dicens: *eadem cogitatione armamini.* S.
Theod. ibidem: *Christo igitur, tanquam exemplari præcipuo* *Theod.*
*patiendi, in carne passo, eius passionem recolite, & pro eo pati-
mini similia.* Vbi Glossa: *Sicut ille sponte, & nos sponte*: & *Glossa.*
sicut ipse omnia toleranit, sic & nos omnia toleremus. Ita et-
iam S. Thom. qui hanc sancti Gregorij sententiam re- *S. Thom.*
fert, *Si passio Christi ad memoriam reuocetur, nil tam du- S. Greg.
rum, quod non æquo animo toleretur.* Ita ille. Et addit S.
Thom. *Nota quomodo Dominus armatus fuit in cruce: ha-
buit enim in capite quasi galeam, non de ære, vel de argento,
sed de spinis: habuit torticam, non de ære, vel ferro, sed carnem
immaculatam: habuit in manibus, non gladium vel lanceam,
sed clauos magnos affixos, & pedibus quasi calcaria clauos in-
fixos, pro equo verò crucem ipsam.* Ita S. Thom. Cùm igi-
tur senseris te fame torqueri, cùm ieiunas vel cibo ca-
res, cogita vinum myrrhatum, & fellè mixtum Chri-
sti; cùm videris te paupere vestimento indutum, cogita
nuditatem Christi in cruce: cùm senseris te doloribus
torqueri, cogita illos magnos dolores Christi, quibus
totum illud sacrosanctum corpus Christi torquebatur: si te persequuntur & opprobrijs afficiunt, cogi-
ta persecutiones Christi ad crucem vsque, & oppro-
bria exprobrantium super eum: si quis contra te fal-
sum testimonium dixerit, cogita testimonia in Domi-
num falsa. quis, quæso, Christiano dignus nomine, non
pro Christo, quidquid euenerit, æquo animo patia-
tur, attendens quanta & qualia sit pro eo Dominus
passus?

Nec minùs ad rem facit, quòd de S. Petro Martyre *Exempl.*
legimus, quem duæ sanctæ virgines è cœlo descen-
dentes, eum in cella sua visitarunt: audiuit vocem illa-
rum monachus quidam, qui nesciens sanctas esse,
eum apud Priorem accusauit. Interrogatus secretum
indicare noluit, quapropter pœnâ mulctatus, è cœno-
bio ejectus, alioque missus, tribus mensibus vexatus,
tandem sic ad Deum sanctus vir coram crucifixo: Do-
mine tu nosti innocentiam, cur igitur sustines me tàlia
pati? Cui Christus ex cruce: Et ego Petre, quam ob
culpam fui crucifixus? Erubuit sanctus, & opprobrium,
& pœnam libenter ferre decreuit, vsquequò Dominus
eius innocentiam manifestauit. Sic, sic Dominus vult
suæ passionis exemplo nos armari.

Facit etiam ad rem quod sic scribit Apostolus ad A

Hebr. 12. 1. Hebr. 12. 1. *Tantam habentes nubem testium, per patientiam curramus ad nobis propositum certamen, aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet.* Vbi tria proponit Apostolus, quæ ad tolerantiam nostrorum laborum maximè conducunt. Primum est exemplum sanctorum, de quo in cap. proximo dixerat, & vocat *nubem testium*, *testium*, quia tolerantiâ suâ testati sunt, posse nos similia pati: erant enim homines sicut & nos, & auxilio Dei, quod omnibus præstò est, poterimus & nos, quod illi potuerunt. Vocat autem

S. Ansel *nubem testium*, quia (vt ait S. Anselmus, ibidem) *exemplo suo in æstu tribulationum dant nobis refrigerium consolationis.* Ita ille, metaphora sumpta à viatoribus, qui æstu & ardore solis fatigati, interpositâ nube recreantur, & vires resumunt ad peragendum iter: & nos viatores sumus, & ardore laborum fatigamur, fed exemplo sanctorum, qui talia & maiora passi sunt, æquo animo pro Christo & cælesti præmio, animum ad progrediendum inde resumamus.

Secundum exemplum est Christi, qui proposito sibi B

S. Ansel. gaudio, S. Anselm. *id est, proposito sibi à turba gaudio, cum vellet eum Regem constituere, noluit gaudium illud admittere, sed constituit crucem & opprobria & illusiones sustinere pro nobis, omnem illam confusionem contemnens.* Ita S. Anselm. Quòd si hæc pro nobis Dominus & Redemptor noster tulit, cur & nos pro Domino & Saluatore nostro minora multò non feremus? Denique proponit præmium incomparabile gloriæ, dicens: *Atque in dextera Dei sedet.* Anselmus: *Illum, inquit, haut semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit ei nomen, quod est super omne nomen. Sicut ergo Dominus, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, contemnens confusionem; sic & nos faciamus vt ad sedis eius participationem pertingere mereamur.* Ita S. Anselm.

Et quia exemplum hoc Christi efficacissimum est ad tolerandos labores nostros, iterum insistit & repetit

Hebr. 12. 3. Apostolus dictum, subdens: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersùs semetipsum contradictionem, vt* C *non fatigemini animis vestris deficientes: nondum enim vsque ad sanguinem restitistis aduersùs peccatum repugnantes.* Vbi S. Anselm. ponderat verba illa, *vt non fatigemini animis vestris*, dicens: *quasi dicat, licèt corpore deficiatis, mente tamen valeatis & insuperabiles permanete.* Ita ille.

Gen. 18. Gen. 28. Iacob pergens in Mesopotamiam, & à labore itineris requiescere volens, tulit lapidem quendam, & supponens capiti suo, dormuit, & dum dormiret, visionibus diuinis eum valdè consolatus est Deus. Non quidem sine speciali causa lapidis huius mentionem hanc fecit Scriptura: quisnam igitur hic lapis est? quid

S Hieron. importat? S. Hieron. super Psalm. 133. in ea verba, *Benedicat te Dominus*, &c. ait: *Sub capite ipsius lapis erat Christus. nunquam sibi posuit lapidem ad caput, nisi quando persecutorem fratrem fugit. quamdiu erat in domo Patris sui, & habebat refrigeria corporis, lapidem non habebat ad caput. Recessit de domo nudus, recessit in virgâ, & statim in ipsa* D *nocte inuenit lapidem, & posuit ad caput suum. Qui talem habebat pulullum in quo refrigerabat, videte visionem eius.* Vidit, inquit, scalam, vidit Angelos, &c. Ita S. Hieron. Etenim laborantibus & defatigatis, consideratio passionis Christi, quâ, veluti ictibus, elaboratus est, ad nostram redemptionem, veluti pulinar requietionis est: quis enim non libenter quosuis laborum ictus ferat pro Christo & saluatione sua, qui rectè considerauerit quæ & quanta pro eo & salute sua passus fuerit Dominus?

PROP. XXII. *Passio Christi amorem nostrum conciliat.*

CVm Christus Dominus in cruce spiritum suum emisisset, *Ecce*, inquit Euangelista, *velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, quæ dormierant, surrexerunt.* Hæc fuit miracula, quæ Christus Dominus in morte sua operatus est, longè quidem alia, & diuersa ab his, quæ in vita sua fuit Dominus operatus: tunc enim cæcos illuminabat, leprosos mundabat, infirmos sanabat, & mortuos ad vitam, & lucem hanc restituebat: in morte verò lapides scindebat, & solem cœli obscurabat. cur ita? S. Augustt. *serm. 6. in Parasceue*, respondet, in vita Christum talia miracula patrasse, qualia requirebant ea, quæ Dominus à nobis postulabat. velum templi scissum est, quæ quidem scissio doloris, & tristitiæ signum est, quo à nobis exigeret dolorem, & luctum ob mortem & passionem suam pro nobis: huiusmodi enim compassione nostra Dominus delectatur. petræ scissæ sunt, vt eo pacto innueret duros corde molliri, & scindi debere ob passionem suam, quasi diceret, qui in peccatis obdurati extitistis, scindite, non vestimenta vestra, sed corda vestra. mortui resurrexerunt ad vitam æternam, quia id à peccatoribus ob mortem, & passionem suam exigit Christus, quasi dicat: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, ne pereas in æternum. denique Sol obscuratus fuit ab hora sexta in nonam, quò significaret post Christum pro nobis passum, nullum alium à nobis exigendum esse solem, præter ipsum Christum, & ad nihil aliud in terris oculos nostros conuertendos esse, quàm in Christum, ipsumque à nobis affectum esse in lumen oculorum nostrorum, & omnem mentis aciem, & amorem in eo constituêdum, &c.

Xenophon in vita Cyri imperatoris: Cùm Cyrus, inquit, contra regem Armeniæ bellum gereret, eius filium, qui Tigranes nuncupabatur, simul cum vxore ipsius Tigranis cepit, & in captiuitatem duxit: interrogauit autem Cyrus Tygranem quodnam pretium pro liberanda vxore libenter daret? pro illa, inquit, libenter vitam dabo: placuit Cyro verus ille in vxorem amor, & ob illum liberum vtrumque dimisit. Interrogauit postea Tigranes vxorem, quid ei visum fuerat de Cyri forma, & magnanimitate. cui vxor, ignoro prorsus: non enim ad Cyrum oculos meos conuerti, sed ad illum solum, qui se vitâ suâ me redimere velle dixit. Ad confusionem nostram exemplum hoc in medium adducturn sit: Tigranes voluptatem moriendi pro libertate vxoris ostendit, at Christus Dominus de facto pro vita, & libertate, & saluatione nostra id exhibuit, & acerbissima morte crucis nos redemit; & habemus nos oculos ad aliud præter Christum conspiciendum? Quid dicam de his, qui manus etiam habent ad iterum illum affigendum cruci? hos tu, quid pro nobis fecerit Christus, considerare dices, vel potiùs irridere censebis?

Genes. 49. cùm morti vicinus Patriarcha Iacob filiis suis valediceret, & de futuris eorum prophetaret, sic ad filium suum Iudam locutus est: *Catulus leonis Iuda, ad prædam ascendisti fili mi.* Cur Iudam leoni comparauit? qualis prædа illa, ad quam ascensurum prædixit? S. Hilarius super Psalm. 131. leonem hunc de tribu Iuda Christum Dominum esse ait, quia de tribu Iuda ortus fuit. Sic etiam in Apoc. Christus Dominus nuncupatur: *Ecce vicit Leo de tribu Iuda*, &c. ascensum illum ait Sanctus Hilarius fuisse ad crucem. nunc qualis fuerit prædа illa, facilem habet interpretationem: *Ego, ait Dominus, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Quid est, *omnia trahem*? quænam *omnia*? S. Augustt. Beda. August. & Beda ibi, notant non dixisse *omnes*, quia non omnes

omnes homines Christus ad se trahit, cùm multi non A crediderint, sed *omnia*, inquit, scilicet animam & corpus in his, quos ad se traxit, sed non *omnes*. quare S. Chrysost. Cyrill. Theoph. & alij, omnia, inquiunt, id est, omnes, non solùm Iudæos, verùm & Gentiles. Rupertus verò & alij, ideo omnia dixisse censent, vt omnia creata significaret, cœlum & terram, homines, & Angelos, & dæmones ipsos: quæ omnia ad se tractur is erat, quia in nomine eius omne genu flectendum erat, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Sed inter has expositiones non incomparabilem locum habet hæc, vt per omnia, amores omnium nostrum intelligantur, vt quantum est ex merito, & ratione Passionis, ascendens Christus in crucem, omnium traxerit voluntatem & amorem: amor enim rerum omnium causa, & principium est, ea enim, quæ agimus, imò & quæ odio habemus, ex amore originem ducunt. Trahendo ergo amorem omnia trahit Christus, patiendo autem, amorem ad se traxit nostrum. Quis enim, si rectè sapiat, si probè consideret, non talem ac tantum diligat Redemptorem? si tenue quoddam beneficium in eius nos amorem rapit, qui contulit nobis illud beneficium crucis, & passionis, & mortis Christi pro nobis, quem non rapiet in Deum? Ad prædam ergo ascendit Christus in crucem, qui tanto beneficio, tanto amore deprædatus est corda nostra. B

Prop. XXIII. *Passio Christi nos sanctos esse cogit.*

QVamplurimis quidem rationibus tenemur Deo fideliter inseruire, tum quia creauit nos, quamplurimis alijs omissis, qui nunquam creabuntur, creari vero poterant, sicut & nos; tum etiam quia diuino lumine nos illustrauit fidei suæ, & *eripuit nos de potestate tenebrarum*, &c. Sed quod nos maximè deuinctos tenet, est passio Saluatoris, & ita, vt potiùs cogi, quàm trahi ob salutiferam Domini passionem & mortem videamur. C

Hinc est quòd in die illa, in qua Dominus venturus est iudicaturus viuos & mortuos, crucem pro vexillo præseferet. *Tunc*, inquit, *parebit signum filij hominis in cælo*, hoc est, Christi crux, vti S. Chrysost. interpretatur. Solent reges vexilla coram se ducere, in quibus stemmata nobilitatis suæ sunt depicta; Christus verò crucem illam, quæ ignominiosum patibulum erat, cur ita? S. Thom. 3. p. in addit. quæst. 90. num. 2. art. 2. *Tunc*, inquit, *signum crucis apparebit in iudicio, vt per hoc iustior condemnatio appareat eorum, qui tantam misericordiam neglexerunt*. Ita S. Thom. & meritò, adeò enim superexcellens est passionis & crucis Christi beneficium, vt qui tanto beneficio fuerit ingratus, Christum rursus in seipso crucifigens peccatis, vel sola crucis præsentatione, quouis iudicio quauisque pœnâ dignus ab omnibus iudicetur. D

Hinc etiam Apoc. 6. dicent peccatores in die iudicij: *Montes cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni*. quis vnquam ab ira timuit agni? si leonis dixisset, nihil mirum, agnus autem mansuetissimum omnium animalium est. at loquitur ibi Scriptura de Christo agno pro nobis occiso, cuius, quia occisus est, meritò supra modum contra ingratos Christianos ita exardescet.

Prop. XXIV. *Passione Christi creuit Ecclesia.*

IOan. 12. sic Christus Dominus: *Nisi granum frumenti, &c. Fructus ergo passionis Christi fuit augmentum & profectus totius Ecclesiæ*. Exod. 1. *mortuo Ioseph in Ægypto*, Filij Israel creuerunt & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis, impleuerunt terram. Labat. Tom. I.

Miratur Origen. & ait: *Vtique sub patrocinio & defensione Ioseph, magis crescere & multiplicari debuerant filij Israel; sed tamen quæ in illo Ioseph figurata sunt, in nostro Ioseph nempe Christo Domino in veritate completa sunt: prius enim quam moreretur ille qui à fratribus venditus fuit, id est, antequam crucifigeretur Ioseph noster Christus, pauci crediderunt in eum; sed postquam pro omnibus gustauit mortem, per quam destruxit enim, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & resurrexit, in vniuerso mundo multiplicati sunt fideles Christiani, vnde ipse Christus in Euangelio ait*: nisi granum frumenti, &c. *Per passionem enim eius per vniuersum mundum de illo vno grano messis pullulauit Ecclesiæ, & in finem terræ exiuit sonus Apostolorum*. Ita Origen. Origen.

CHRISTI CRVX.

Prop. 1. *Crux Christi salutem attulit mundo.*
2. *Crux Christi nos à peccatis liberauit.*
3. *Crux Christi in remedium Adæ, & culpæ originalis fuit.*
4. *Crux Christi est clauis cœli.*
5. *Crux Christi nos reconciliauit Deo.*
6. *In Cruce obtinuit Christus nobis misericordiam.*
7. *Quàm ingens beneficium fuerit Christum pro nobis in cruce pati.*
8. *In Cruce nos Christus redemit.*
9. *Quàm admirabilis fuerit conuersio mundi per Crucem.*
10. *Crux Christi remedium est aduersus omnia pericula, & dæmonum tentationes.*
11. *Quàm gloriosa fuit Christo Crux eius.*
12. *Per crucem Christus de hostibus triumphauit.*
13. *Christus Dominus in cruce se Deum esse manifestauit.*
14. *In Cruce manifestauit Christus charitatem suam.*
15. *Per Crucem Christi ad eius imitationem nos saluari oportet.*
16. *Crux Christi corda nostra ad se allicit.*
17. *Pro Christo cruces pati Dei beneficium est.*
18. *Quantas diuitias in cruce Christi habeamus.*
19. *Crux Christi cathedra docentis est.*
20. *Cruce suâ Christus nobis suadet acriter contra vitia pugnare.*
21. *Crucifixi Domini Imitatio ad vincendum dæmones conducit.*
22. *Crux Christi thronus est Dei audientis orationes nostras.*
23. *Crux deseruit ad fidei meritum.*
24. *Crux eâ nobis maximè honore colenda.*
25. *Ex reuerentia quæ exhibetur Cruci constat fidei veritas.*
26. *Quàm diabolus detestetur crucem.*
27. *Crucis gloria, victoria, potentia, Triumphi.*

Prop. I. *Crux Christi salutem attulit mundo.*

NOtus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius. Ita erat olim antequam Christus Dominus per crucem, & passionem suam redimeret mundum vniuersum, at postea notus in toto orbe terrarum, & in Vniuerso magnum nomen eius. *Psal. 75.*

Quod in ipsamet cruce designatum fuit, cùm Dominus affixus in ea fuit: non enim in eleuata iam cruce fuit crucifixus, sed cùm in terra crux ipsa iaceret: quæ cùm quatuor cornua haberet, quatuor Orbis partes respiciens, ad quatuor mundi plagas virtutem crucis extendendam fore significauit. sicut Albinus *lib. de diuinis officijs*, in officio Parasceue adnotauit, dicens: *Iacens verò crux quatuor appetit mundi partes, quia Christus per passionem suam omnes mundi partes ad se traxit*. Ita ille. Hinc S. Leo *serm. 6. de passione*, in persona Christi crucifixi loquens, *Totam*, inquit, *causam humani generis agam, & olim perditam in integrum reuocabo naturam, in me omnis infirmitas abolebitur, in me omnis sanabitur plaga*. Ita ille. Quatuor ergo partes crucis in terra extensæ, erant quasi digito demonstrantes quousque crucis fructus extenderetur. Vnde S. Hieronymus *in capit. 5. Marci, Species*, inquit, *crucis quid est nisi forma quadrata mundi?* Ita ille. *Era la cruz vna abreuiatura y figura del mundo reseçado por ella.*

Prop. II. *Crux Christi nos à peccatis liberauit.*

Coloss. 2. 14. AD Colossenses 2. de Christo Domino sic Apostolus: *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci*, &c. Quare si diabolus aduersùs nos insisteret, & debitum huius chirographi ex peccato Adæ contractum à nobis exigere vellet, id respondere possumus, quod nobiles quidam, à quibus tributum quoddam exigebatur: Venite (dixerunt) & à cuspidibus hastarum nostrarum tollite hoc tributum: ac si dicerent; nolumus soluere, sed hastarum cuspide illud defendemus. Hasta nostra crux Domini est, in eius cuspide affixum est chirographum hoc tributi, quod per peccatum in ius diaboli conscriptum erat, sed iam per Christum deletum est. Dicamus ergo inimicis: Venite, & ex cuspide hastæ crucis tollite illud: *Ecce crucem Domini, fugite partes aduersæ.*

Prop. III. *Crux Christi in remedium Adæ, & culpæ originalis fuit.*

S. Anct. Bernard. *serm. in Dom. 1. post Epiph. Christus Dominus aliena lauit aqua, quos culpa inquinauerat aliena. Nec tamen sic alienam dixerim, vt negem nostram, alioquin nec inquinaret. Sed aliena est, quia in Adam omnes peccauimus: nescientes nostra, quia est in alio, nos tamen peccauimus, & nobis iusto Dei iudicio imputabatur, licet occulto. Verumtamen vt iam non sit quod causeris, ô homo, contrà inobedientiam Adæ, datur tibi obedientia Christi, vt, si gratis venundatus es, gratis & redimaris. Si nesciens in Adâ periisti, nesciens viuificeris in Christo. Nescisti quando ad lignum vetitũ vetus Adam tetendit manus noxtus: nescisti nihilo minus quando in ligno salutifero innoxias manus Christus extendit. A primo homine in te manauit macula, quâ inquinatus es: à Christi latere manauit aqua, quâ mundatus es.* Ita S. Bern. Obserua sapientiam Dei in crucesancta eius: aptissimè in arbore crucis, (quæ arbor obedientiæ est) solui, & dissoluit quod in arbore paradisi (quæ arbor inobedictiæ nobis fuit) peccauerat primus Adam, & nos in illo. & hanc Dei sapientiam optimè supradictis verbis explicauit Sanctus Bernardus: tunc enim, etsi nescientes peccauimus, inobedientes fuimus, & extitimus inquinati: in arbore igitur crucis Christus Dominus obediens fuit, & aquâ lateris sui in cruce effusâ, lauit nos ab illa culpa. Sapientissimè omnia fecit, &c.

Prop. IV. *Crux Christi est clauis cœli.*

PEccatum primorum parentum è paradiso eos cum omni sua posteritate eiecit, & ne iterum illuc introire auderent, aut possent, Cherubinum ante fores paradisi Deus constituit, qui flammeâ frameâ ingressum impediret. quod etiam typus fuit cælestis clausuræ, manslit enim ex tunc, sicut terrestris, sic & cælestis paradisus clausus. sed tamen Christus Dominus passione, & morte sua, cælestis paradisi ianuas reserauit. quod in lege præfiguratum fuit, vbi homicidis quibusdam reditus in patriam concedebatur post mortem Pontificis summi. Quod S. Greg. *hom. 6. super Ezechielem*, sic exponit: *Humanum genus, quod peccando mortem sibi inuilit ipsi, post mortem veri Sacerdotis (videlicet Redemptoris nostri) peccatorum suorum vinculis solutur & in possessione paradisi reparatur.* Ita S. Greg. Morte igitur Christi Domini reserata est ianua cœli, quam nobis clauserat culpa: clauis autem, quâ Christus Dominus ianuam cœli aperuit, quid aliud est nisi Christi Domini crux? *Ilaue de cruz fue la, que nos abrio el cielo.* sic eam vocat sanctus Chrys. *hom. super cap. 9. Luca tom. 2.* vbi ait: *Crux Christi clauis paradisi est: crux enim Christi aperuit paradisum, atque adeò inter crucem & paradisum nullum medium est: crux, & statim paradisus.* Ita S. Chrys. Vnde in cruce Dominus latroni dixit: *Hodie mecum eris in paradiso*, quasi dicat, iamiam aperio, iam præ manibus clauem habeo, diu clausa fuit, difficilis erat aperiri, vtraque ego manu clausi aperiam, quia ego sum qui aperio, & nemo claudit. Luc. 23.

Prop. V. *Crux Christi nos reconciliauit Deo.*

ERat Deus ob peccatum primorum parentum grauiter in nos iratus: non enim solos parentes, sed omnem posteritatem eius damnauerat, & beatitudine priuauerat sempiternâ: sed tamen Christus Dominus homo factus, & pro reconciliatione nostra passus in cruce, Patrem placauit, & nobis reddidit propitium. Solent qui ensibus nudis se inuicem occidere volentes componere volunt, & sedare, hastam aliquam interponere, *echan el baston de pa medio.* Sic Christus Dominus inter homines & Deum, qui iratus nimis in homines erat, crucis hastam interposuit, & Patris iram temperauit. Cuius rei argumentum magnum est conuersio latronis: quid enim pessimum hominem, ob scelera sua iure suspensum, vt & ipsemet confessus fuit, dicens: *Nos iustè, nam digna factu recipimus*, &c. quid, inquam, latronem hunc ita in virum alium mutauit, ita conuertit, ita ex scelesto cælestem fecit? quia ita ad pietatem commota sunt viscera Patris ob crucem Christi: ibi enim orauit Christus Patrem, vti ait Apostol. *In diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posset illum saluum facere a morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Vbi, secundùm Ambrosium, non loquitur solùm de oratione in horto facta, sed etiam de oratione facta in cruce, verbi gratiâ illâ. *In manus tuas commendo spiritum meum*, & illa, *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* quem locum sic explicat sanctus Cyprianus, *serm. de passione Domini. In tantum*, inquit, *infirmis compateru, vt nec crucifigi, nec mori, dum homines viuant, & te patrocinante non pereant, nec erubescas, nec formides, altitudinem tuam derelinquens ad tempus, gloriæ tuæ maiestatem euacuans, vt redeant dispersi, & respirent derelicti. Hæc est causa quare derelictus sis, vt colligeret, & reuocaret in unitio tua eos qui furant derelicti, & qui sine Deo fuerant dum dominaretur eis peccatum, reducti ad iustitiam conformes Christo, & Christi efficerentur & dij. Vnde scriptum est: Ego dixi, dij estis.* Ita ille. Dices, quomodo in illis verbis, *quare dereliquisti me?* compassus fuit nostri? Optimè: nam idem fuit, ac si diceret, sanguinem hunc ad quid profundo, tormenta adeò cruenta ad quid patior, in cruce ita affligor, si me deseris, sine fructu scilicet, quem inde procuro? ita explicat ibi hunc locum sanctus Cyprianus. Ne igitur Pater deserere & derelinquere videretur filium sine optato fructu passionis, & crucis suæ, exauditus est pro sua reuerentia, pro reuerentia scilicet, quâ Patrem rogauit, & pro reuerentia, quâ dignus erat filius Dei, vt aliqui exponunt. Denique exauditus est à Patre, & fructus crucis & orationis ostensus est in illis, qui percutiebant pectora sua, dicentes: *Vere filius Dei erat iste*, & speciatim in bono latrone, cuius mira conuersio valorem passionis Christi cœpit demonstrare. Quis enim tantam in latrone fidem, spem, charitatem & contritionem, tam subitam, & legitimam, vtei dicere posset Christus: *Hodie mecum eris in paradiso*, non mireur?

Et quidem amor ille Patris, quem filius nobis conciliauit, non in latrone terminatus fuit: durat, & perdurat, & vsque ad finem mundi perdurabit: respicit semper diuinus Pater in faciem filij sui, & vulnera, quæ in cruce suscepit, intuetur semper, & in gratiam tam boni, & obedientis filij oculis, pietate & charitate plenis, nos intuetur. Sit Christus Dominus in sæcula benedictus, & crux eius glorificata.

Prop. VI.

A

Prop. VI. *In Cruce obtinuit Christus nobis misericordiam.*

Moyse bis silicem percutiente, *egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta.* Quid sibi vult mirabilis hæc ex silice aquarum eductio? ex silice, ignis, non aqua excuti solet: & prætereà de homine duro & tenaci dicere solemus: *No sacareis del mas virtud que de vna piedra dura*, quid durius, quid siccius silice? & tamen ex eo voluit Deus huiusmodi educi aquas. Cur non ex alia aquis accommodatiori materia? & prætereà cur bis silicem voluit percuti lapidem illum? nonne semel tactus silex aquas eodem exhiberet modo, cùm ad Dei nutum & miraculosè patrandum esset miraculum? Seuerianus Episcopus Gabalonensis. *Vt crucis* (inquit) *imaginem signet, hoc fecit: percussit enim bis, non eodem modo, sed ita vt describeret formam crucis: vt natura manimata etiam crucis notam veneraretur.* Ita ille. Cùm ergo primò & secundò percussit silicem Moyses, percussiones illas in modum crucis adhibuit. Nunc igitur ad rem: antequam Christus aduenieret, silex igneus erat nobis Deus, vlcescens in peccatoribus iniquitates eorum. *Deus vltionum Dominus*, inquit, *Deus vltionum, & Dominus exercituum nomen illi, vlcescens in omnes aduentiones impiorum.* Nónne silex ignem spirans dicendus tunc erat Deus? sed venit Christus Dominus, & crucem huic silici applicauit, & placauit, ita vt non iam ignem spiraret, sed refrigerij & veniæ aquas largissimas exhiberet.

B

Nunc igitur Crucem eo modo aspicere debemus, quo cœli arcum, seu iridem aëris: arcus hic in signũ fœderis & pacis nobis datus est; sic crux Christi in signum fœderis data est: arcus ille in fœdus pacis, quod non simus iterum diluuio consumendi, Crux in signum pacis æternæ: quòd scilicet nos simus ob peccata præterita damnandi, si pœnitentia finem peccatis non imposuerimus. Quidni diem festum celebremus illi, & in magna veneratione illam habeamus? Noë familiam suam ab ira diuina, aquis diluuij exardescente, per ligneam illam arcam liberauit, & saluam custodiuit; cur non arcam hanc crucis Christi figuram dicamus, cùm Petrus Apost. dicat: *In arca Noë pauci, id est, octo animæ salua facta sunt per aquam: quod & vos nunc similis formæ saluos facit Baptisma, &c.* Baptisma scilicet illud, quod in cruce è latere Christi manauit. Denique crux, quâ Christus saluauit familiam suam, fuit arca illa. quòd si propterea arcam illam Deus super Armeniæ montes in excelsis collocari voluit, quantò magis super omnem altitudinem Christi crucem extollere debemus, quæ non ab aquis diluuij, sed ab igne æterno, & gehenna illa intolerabili nos liberauit? cur non super frontes? cur non in intimo cordis eam collocabimus?

C

Prop. VII. *Quàm ingens beneficium fuerit Christum pro nobis in cruce pati.*

D

2.8. Id sibi Apostolus voluit, cùm Christi Domini mortem expendens, inquit: *Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem.* Hîc sistere, & sententiam potuit terminare, & rem cunctis Angelicis spiritibus mirandã satis superque protulerat: non enim solum mori multum erat nobis, sed vel sanguinis guttã, imò lacrymam vnam fundere, vel genu flectere semel pro nobis, beneficium omnem nostram gratitudinem excedens nimium fuerat. quid ergo moriri? quare si nihil ampliùs Apostolus protulisset, hoc immẽsum erat, sed, vt rẽ omnino augeret, addit, *mortem autem crucis.* Potuit sic simpliciùs orationem conficere, Factus est pro nobis obediens vsque ad mortem crucis, noluit ita simplici locutione vti, sed composita, quia non simplex, sed pluſquam duplex beneficium fuit in cruce mori.

Quod vt constet, quanta sit ignominia crucis, attende. Cicero oratione 2. contra Verrem. Nefas, inquit, est vincire ciuem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Ita ille. Criminis huiusmodi nomen Tullius ignorauit, propter immensam crucis ignominiam, imò Spiritus sanctus maledictam rem hanc esse affirmat. Deut. 21. *Maledictus à Deo est qui pendet in ligno.* Igitur Christus pro nobis maledictum incurrit: consequentiam concedit Apost. ad Gal. 3. ait enim: *Christus factus est pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Potuitne excelsius beneficium cogitari? *Factus est*, inquit, *pro nobis maledictum*, & quid inde nobis? quonam pacto, inquam, pro nobis? *vt in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem.* Promiserat Deus Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Benedictio hæc omnem nostram continet fœlicitatem, & salutem sempiternam. vt igitur nos fœlices essemus, hanc infœlicitatem, & maledictionem crucis, Christus Dominus subire voluit. Sit ille in sæcula æterna ab hominibus, & Angelis benedictus.

Cicero.

Deut. 21. 23.

Gal. 3 13.

Gen. 22. 18.

Prop. VIII. *In Cruce nos Christus redemit.*

Psalm. 9. *Fecisti iudicium meum & causam meam: sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam.* Quisnam est thronus iste, de quo agit hîc Propheta? ex hoc enim dependet intellectus huius loci. Agit Psalm de redemptione generis humani per Christum, & thronum eius vocat crucem Christi, quam eodem modo vocat S. Leo Papa serm. 8. de passione Domini, dicens: *O ineffabilis gloria passionis, in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixi:* Ait ergo Dauid: *Fecisti iudicium meum & causam meam.* Cardin. noster Bellarm. *id est, absoluisti litem & controuersiam, quæ erat generi humano cum diabolo. Diabolus enim prætendebat genus humanum à se teneri captiuum, sed Christus in throno crucis absolut hanc litem, & , pretio persoluto, hominem liberandum & diabolum spoliandum iudicabat, & re ipsa, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis tulit de medio, affigens illud cruci, spolians principatus, & potestates*, vt scribit Apost. ad Col. 2. ita Bellarm.

Psal. 9 5.

S. Leo.

Cardin. Bellarm.

ad Col. 2. 14.

Prop. IX. *Quàm admirabilis fuerit conuersio mundi per crucem.*

Prædicamus, inquit Apostolus, *Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Cur Iudæi scandalum propter crucem patiebantur? cur Gẽtiles stultitiam iudicabant? quia scilicet, ratione naturali rem metiebantur. At non est hæc mensura operum Dei: *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis.* Si opera Dei mirabilia sunt, quid de opere redemptionis dicendum, quod inter reliqua opera Dei, operis Dei sibi nomen vsurpat in Scriptura, quasi reliqua Dei opera non sint, eius comparatione? Mirabile igitur est opus crucis: est enim opus redemptionis: quòd si mirabile, quid miraris? si ratione comprehendisses, mirabile non esset. Quod vt nobis palam faceret Deus, in serpente illo æneo id adumbrauit, ad cuius intuitum à serpentibus percussi sanabantur. Quid ad salutem, obsecro, videre colubrũ æneum cõducebat? imò Rabbi Dauid Kimchi in libro radicum, vt refertur à Glossa ordinaria num. 2. c. 21. sic ait; *Dicunt Sapientes medicinæ, quòd homo, quem momordit serpens, si eum aspiciat, illico moriatur, & ideo dixisse Deum ad Mosen:* Fac tibi serpentẽ æneum, qui percussus aspexerit eum, viuet, *contrario scilicet modo naturæ: quod & de massa fictus, quo Rex Ezechias curatus fuit, constat: similiter & de ligno, quod ex se amarum erat.* Ita ille. Nunc ad rem: nónne ridiculum esset, ideò Iudæos scãdalizari, & Gentiles irridere historiam hanc, quia supra naturam

1. *Cor* 1. 13.

Psal. 138. 14.

Dauid. Kimchi. Gloss. ord.

æris hoc sit, vt illud aspicientes à morsu curentur ser-
pentis, quasi mirabilia opera Dei, non fide, sed ratione
Theod. mensurentur. *Serpens* autem *ille æneus*, ait S. Theod. q.
39. in Numeros, *in ligno eleuatus, Christi in cruce pen-
dentis figura erat : nam per serpentem natum est peccatum,
vnde maledictionem accepit à Deo, eratque ibi serpens figura
peccati & maledictionis. Postquam igitur Christus in simili-
tudine carnis peccati apparuit, vt ait Apostolus, per serpentem
æneum passio Christi præsignatur. Sicut enim serpes æneus erat
imago serpentum, non tamen venenum illorum gerebat, ita
Christus Dominus corpus habebat humanum, sed peccatorum
maculâ carebat : & sicut a serpentibus morsi, serpentem
æneum intuentes sanabantur, ita qui vulnerati sunt à peccato,
passioni Christi credentes, mortem superant, & vitâ consequun-
Ioan. 3. 14. tur æternam.* Ita S. Theod. Quod & manifestè Christus,
vt constat in Euangelio, confirmauit : *Sicut enim, ait,
Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet fi-
lium hominis, vt omnis, qui credit in illum, non pereat, sed ha-
beat vitam æternam.* Vnde ex eo signo, quo Iudæi & Gentiles Dei opera noscere, & deducere deberent, illum negant.

Prop. X. *Crux Christi remedium est aduersùs omnia pericula, & dæmonum tentationes.*

Milites in bello inermes esse non decet, si vince-
re, & non vinci ab hostibus, velint. Milites sumus : militia enim est vita hominis super terram : milites sumus Ecclesiæ militantis, infestissimos hostes habemus, & inter quamplurima pericula corporalia, & spiritualia incedimus. Semper armis igitur egemus, ne inermes facilè cadamus. Miles ad minus ensem ferre debet : gladius, & ensis noster, crux Christi est, *espada de dos manos*, quam Christus Dominus ambabus manibus arripuit, & ita hostem superauit, & ex hac Christi victoria dæmon crucem horret, ficut canis baculum, imò etiam bacusi vmbram, quo grauiter percussus est.

Hinc vsus signandi se signo crucis ab ipso Ecclesiæ Christi exordio receptus est, & Apostolorum tempore viguit, vti sanctus Dionysius, & sanctus Clemens Apostolorum coætanei, & discipuli, Tertullianus, Irenæus, Iustinus, & plures alij Patres attestantur, quin & tradunt, quomodo illi primi Christiani se suaque omnia cruce signabant, cibum, potum, vestes, cubile, opus, exitum, ingressum, frontem, os, pectus, libros, epistolas, & demum vniuersa, & actus omnes, præsertim cùm opus aliquod aggrediebantur, siue iter, siue orationem, siue confessionem, concionem, cætera cuncta. & ad nos vsque mos iste perseuerauit, & iam veluti naturali quodam ductu, cùm in periculum incidimus, signo crucis nos munimus, vt cùm repentè horrendum tonitru sonat, vel crebra fulgura coruscant, vel fragor subitus auditur, aut ventus oboritur magnus, vel dum improuiso lapsu ruimus, vel simile quid nos terret, statim crucem objicimus periculo : & homines timoratæ conscientiæ, cùm se aliqua tentatione graui pulsari conspiciunt, cruce cor suum signant.

Rem miram in huius confirmationem narrat Theodoretus in Ecclesiastica historia *lib. 3. cap. 3.* quòd Iulianus Apostata, Christianorum sanguinem deuoturus, cùm magis Satanæ cultoribus speluncam huiusmodi magicis aptissimam ingressus, cùm incœpto incantationum diabolicarum negotio, maligni spiritus inciperent comparere, rei nouitate, & terrore perculsus, de more salutari signo se signauit, (nec animaduertebat quid ageret) ex antiqua consuetudine, & tempore, quo Christianus fuerat, motus id fecit, & mox omnem dæmonum cateruam signo illo inopinato crucis abstersuit, & quidem cum phanaticorum illorum, infernaliumque ministrorum fremitu, & indignatione. Vides quanta sit crucis Christi virtus, quanta huius sancti signi efficacia ?

Vnde sanctus Augustin. *epist. 5. Crux*, inquit, *Christi contra fluuium horrendæ nequitiæ singulare adiutorium est.* S. Damascenus *lib. 4. Crux*, inquit, *scutum, & arma est, & trophæum aduersùs diabolum, baculus infirmorum, pastorum virga, conuertentium se manuductio, proficientium perfectio, corporis & animæ salus, omnium malorum auersio, & omnium bonorum causa.* Ita ille.

Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat. fi cum animum, à quo hæc verba prodiere, spectemus, sempiterna quidem obliuione digna sunt, siverò illorum veritatem, ac dignitatem expendamus, æterna profectò, gratáque memoria colenda sunt. Ea enim deprauato quodam animo protulit Caiphas, sed, vt facer Euangelista notauit, hoc à semetipso nondixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit. Non dixit Euangelista : *Cum esset* : Propheta, sed *prophetauit*, vt bene aduertit Origenes, quamuis rationem eius rei non omnino reddidit : dixit enim Caipham non fuisse Prophetam, eò quòd vnicus actus non producit habitum : neque enim ea solùm ratione Caiphas propheta nuncupandus non est, sed quia nec Spiritus sancti sensum, animumve cognouit : mens enim Caiphæ ea fuit : expedit, vt hic homo moriatur, ne tot homines eius factionem sequantur, vt eius causâ veniant Romani, & tollant imperium nostrum, & gentem : quocirca vt Reipublicæ consulamus, curandum est hunc hominem è medio tolli. Sensus verò Spiritus sancti huiusmodi fuit : expedit Christum Dominum mori, vt hac ratione humanum genus sui animi salutem consequatur. quapropter materialiter, vt ita loquar, dixit Caiphas, quod formaliter Spiritus sanctus significari voluit. Atque idcirco ait D. Chrysost. *hom. 46. in Ioan.* cor Caiphæ non fuisse motum à Spiritu sancto, sed linguam, id est, non prædouit animum, sed linguam Caiphæ sic loqui prouidit, ideoque Caiphas prophetasse dicitur propter sensum Spiritus sancti. Hinc verò considerandes, & deprauatum Caiphæ animum omnino reijcientes, perpendamus, obsecro, quo pacto fuerit expediens, vt immortalis Deus hominum causâ moreretur.

Ac primùm Angelicus doctor censet conueniens fuisse, vt Deus optimus maximus maximum suum erga homines amorem manifestaret. Quam quidem rationem desumpsit D. Thomas *3. p. q. 46. art. 3.* ex B. Augustin. *1. 3. de Trinit. cap. 10.* vel, vt meliùs dicam, ex ipso Doctore gentium Paulo, qui in hûc modum scribit ad Romanos : *Vix pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan* Rom. *quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Vbi D. Thom. sic loquitur : *Vix aliquis moritur pro homine iusto liberando, quin imò, vt dicitur Esaiæ 57.* Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo. *& ideo dico vix moritur, nam forsitan ab quis rationabiliter mortem subeat pro bono hominis : illud autem quod Christus fecit, vt quis moriatur pro impijs, & iniustis, nunquam inuenitur, & per hoc Deus suam charitatem commendat in nobis, id est, per hoc ostendit, se maximè nos diligere. Dicens autem* commendat, *immensitatem quandam diuinæ charitatis assignat, quæ quidem ostenditur, cùm ex ipso facto, vt scilicet moreretur pro nobis, tum ex parte nostræ conditionis, quia boni non fecit prouocatus nostri meritis, cùm adhuc peccatores essemus.* Huc vsque D. Thom.

Ostenderat immensus Deus omnipotentiam suam, cùm totum Vniuersum ex nihilo finxit, quod maximi illi Philosophi fieri posse negarunt, existimantes ex nihilo nihil fieri. Eluxerat etiam diuina sapientia in mirabili illo ordine, quo elementa, tempora, cœlestiumque orbium motus disposuit. Clarior item atque illustrior diuina prouidentia extitit, cùm omnibus rebus, quantumuis abiectis, ac vilibus, earum rerum, quas vnaquæ-

quo

que natura desiderat, abundantiam suppeditauit. Aperuit denique nobis Deus optimus maximus alia diuina sua attributa in rerum omnium administratione, amorem verò, ac beneuolentiam, quâ nos mirificè diligebat, in cruce, & morte nostri causâ perferenda manifestare maximè voluit.

Indicauerat quidem antea suum erga homines amorem, cùm eis naturam vltro ac sponte dedit, eamque adeò præstantem, vt sui ipsius similitudinem gereret, cùm eos reliquarum rerum dominos ac principes effecit, & diuinis mentibus eorum custodiam defensionemque commisit, cùm illos in amœnissimo illo deliciarum paradiso constituit, & iustitia, gratia, charitate, aliisque cælestibus donis decorauit. At in nullo horum, neque in his omnibus simul, ita eximiam in nos charitatem ostendit, atque in laboribus, tormentis, acerbissimaque morte, quam nostri causâ subiuit in cruce. *In hoc*, inquit Apostolus, *commendat Deus charitatem suam in nobis*, id est, erga nos, ac si diceret, in alijs rebus ostendit Deus amorem, quo nos prosequebatur, in hoc autem commendauit & infinitam immensamque charitatem patefecit. Valdè quidem demonstrat Deus in cœlis eximium amorem erga eos, qui sua visione fœliciter perfruuntur, magis tamen illum manifestauit, cùm se cruci affigendum tradidit: cùm enim beatos æterna illa fœlicitate afficit, reliquaque bona hominibus elargitur, nullam molestiam aut laborem patitur. Et quamuis ea bona ab amore etiam proficiscantur, ille tamen amor tunc clariùs, ac manifestiùs innotescit, cùm ad ea bona donanda labore, ac molestiâ donatorem vexari necesse est. Pellem enim pro pelle, & cuncta quæ possidet, dabit homo pro anima sua. Magis ergo ostendit humani generis Seruator suum erga nos amorem, cùm lacrymulam, vel sanguinis dumtaxat guttam nostri causâ effudit, quàm cùm omnes Angelos atque homines, gloriâ, ac beatitudine cumulat. Licèt enim vtrobique seipsum donet nobis: se enim moriens dat in pretium, & se regnans dat in præmium: at circumstantia, & modus se donandi, longè diuersus est. Sed quis diuini amoris vim explicare poterit in eo, quòd ipse Dei filius tot tantosque cruciatus hominum causâ sustinuit, & vitam denique atque omnem sanguinem amantissimè profudit?

Quamobrem cùm humani generis Seruator voluit illum æterni Patris erga nos amorem explicare, quo ipsum nobis donauit, inquit: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*: ac si diceret, non potest huiusmodi amor explicari, neque aliquid in naturis omnibus reperitur, cui iure ac dignè comparari possit. Præclarè sanè fuit illud Abrahæ factũ, magnique amoris erga Deum experimentum, cùm amantissimum suũ filium immortali Deo obtulit immolandum: sed longè præstantior, atque ardentior æterni Patris charitas extitit, cùm filium suum nostri causâ morte afficiendum tradidit, ibi enim Abraham officium Deo maximo præstitit; hîc præpotens Deus hominibus beneficium detulit. Abrahamus, hominem mortalem, vt vitâ priuaretur, obtulit, immortalis verò Deus immortalem suum filium morti, mortisque doloribus subiecit. Oblatus est ibi Isaac à sanctissimo suo parente, hic verò Christus ab immanissimis tortoribus interficitur. Moriturus ibi erat Isaac sine aliquo suo dedecore, aut ignominia, ac nullis ferè tormentis ad eum occidendum adhibitis: at Seruator noster Iesus vehementissimè, atque acerbissimè verberatus est, colaphis cæsus, pugnis contusus, inter duos pendens latrones à suis desertus, & circumuentus ab inimicis, eorumque iniurijs, contumelijs, & conuitijs affectus, tandem inter grauissima tormenta extremum egit spiritum. Non igitur Abrahami factum, & amor cum nostri Seruatoris amore comparari potest. Quocirca cùm scripsit Euangelista: *Sic Deus dilexit mundum*, sistit ibi, nec infinitum hunc amorem cum Abrahami, vel alterius sanctissimi viri charitate conferre voluit: infinitus enim amor non potest in comparationem venire cum eo qui omnino finitus est. Cùm verò id quod infinitum est, ab exiguo hominum ingenio comprehẽdi nequeat, hinc fit, quòd diuinus ille atque infinitus erga nos amor, non modò meritum nostrum, sed etiam cogitationem excedat, ac superet. Quis enim persuaderet sibi, aut cogitatione perciperet, summum, & præpotentem Deum, Regemque cœlestem, turpissimæ, atque acerbissimæ morti se traditurum esse, vt vilem seruum in libertatem asseret? *O inæstimabilis dilectio charitatis*, (exclamat beatus Gregorius) *vt seruum redimeres, filium tradidisti.*

Hinc cognoscetis, cur Christus Dominus, postquam inter immanissimos cruciatus animam efflasset, se passus est lanceâ crudelissimè percuti: id enim ea ratione fecit, vt latere aperto, vbi maximè cordis domicilium situm est, pateret omnibus illius animus, amorque incredibilis, quo mortem illam pro humani generis salute subierat.

Maiorem denique charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. *Tu verò clementissime Iesu* (Diui Bernardi verbis vtar *serm. fer. 4. hebd. pœnosa.*) *maiorem ostendisti, ponens eam pro inimicis: cum enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam, & tibi reconciliati sumus, & Patri. Quænam alia videbatur esse, vel fuisse, vel fore huic similis charitati?* Hæc ille.

At cur, inquies, voluit Deus optimus tantum in nos amorem offendere? vt scilicet hac ratione nostrum in ipsum amorem excitaret: *Sic enim* (inquit Diuus Thomas) *homo cognoscit, quantum eum diligat Deus, & per hoc prouocatur ad diligendum eum. Quod quidem beneficium si homines attento animo perpenderent, non dubito, quin illud præ omnibus flagrant simum Dei amorem in eorum animis excitaret.* Ita ille. Quod quidem Diuus Bernardus de seipso fatetur, *Super omnia*, inquit, *reddit te mihi amabile, Domine Iesu, calix quem b. b. fti, opus redemptionis nostræ, hoc, inquam, est quod nostram deuotionem, & blandiris allicit, & iustius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius. Multum quippe laboraui in eo Saluator, nec in omni fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit. Illa denique dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt. At verò hic & in dictis suis sustinuit contradictiones, & in factis obscreationes, & in tormentis illusiones, & in morte exprobrationes. Ecce quomodo dilexit nos. Disce ô Christiane, a Christo quemodo diligas Christum.* Hactenus Bernardus. Sanctorum mortem asserit regius Vates esse pretiosam in conspectu Domini: quam tanti immortalis Deus facit, vt nullæ eis pœnæ post eam mortem soluendæ restent. Quòd si Deus tanto amore prosequitur eum, qui ipsius Dei causâ mortem oppetit, quo amore, quâ beneuolentiâ complectemur Iesum, qui nostri gratiâ acerbissimam necem sustinuit? Martyr quidem vitam offert ei qui vitæ eius dominus est, & cui iure omnium vita debetur: Deus verò vltro vitam suam donauit vobis, quia diues est in misericordia, & propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos. Martyr etiam vitam suam Dei causâ tradit, non tamen Deo vitam reddit, neque aliquam ei gratiam præstat: immortalis autem Deus, non modò nostri causâ suam vitam amisit, verùm etiam cœlestem nobis vitam, pluraque alia beneficia contulit. Quæ igitur ratione meritam Deo gratiam pro tanto beneficio persoluam? quâ beneuolentiâ tanti beneficij memoriam recolam? quo amore eum, qui tanto me amore dilexit, prosequar? quâ grati animi memoriâ tam illustre beneficium excipiam? Diligam te Domine, fortitudo mea, redemptor meus, & amor meus, perfistam obsecro in tui amore, vt gratum me tibi in hac vita, & in alia etiam gratissimum præbeam, teque semper grati animi recordatione perfruar.

Psal. 115.

PROP. XI. *Quàm gloriosa fuit Christo crux ejus.*

ERat ante Christum Dominum crux infamis, & infamium hominum patibulum & supplicium.at cùm Christus in ea crucifixus fuit, honorabile Christi tribunal fuit, & thronus gloriosus. Quid enim Deo gloriosus apud nos, quàm corda à se auersa conuertere ad se? Eit quidem conuersio cordium opus verè diuinum. In laudem Dei cecinit Dauid : *Qui conuertit montes in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Mirabile hoc, sed mirabilius multò, quòd rupem animi peccatoris, in peccatis obstinati, conuertat Deus in fontes lacrymarum, hæc mutatio dexteræ Excelsi. Magnum miraculum fuit suscitatio Lazari quatriduani, sed mirabilis magis suscitatio peccatoris, qui non solùm quatuor diebus iacuit mortuus in peccato, sed multorum annorum spatio : nam Lazarus non restitit diuinæ voci, dicenti: *Lazare veni foras*; peccator verò resistit sæpè Deo vocanti. Vnde Christus sic ad peccatricem Hierusalem: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Pondera illa duo verba, *volui*, & *noluisti*, & inuenies quanta sit peccatoris resistentia. Maius igitur multò est peccatores conuertere, quàm mortuos suscitare. Hoc igitur est quod Christus Dominus fecit in cruce: crucifixus cum eo erat latro ille, quem Dominus è cruce conuertit. Admiranda prorsus conuersio hæc : nam videre Christum in cruce tanquam malefactorem ad mortem damnatum, ad hoc potiùs aptum videbatur, quòd credentes in eum retrocederent, & peruerterentur, quàm quòd non credentes in eum tunc conuerterentur. Cùm miracula edebat Christus, non mirum, quòd multi crederent in eum ; at cùm in patibulo crucis pendebat, quis conuersionem vllam speraret? Ponderauit sanctus Augustinus conuersionem hanc *sermone in die Paraſceue*, dicens: *In cruce hoc miraculum operatus est, vnde maximè omnipotentiam suam declarauit Christus, non mortuum resuscitans, non mari, & ventis imperans, non dæmones ejciens, sed crucifixus. Cùm murias & maledicta susciperet, derisus, & contemptus, malignam illam, & longo vsu obduratam latronis mentem immutare præualuit.* Ita sanctus Augustinus. Neque hoc tantùm, sed insuper addit sanctus Lucas, *Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens : Verè hic homo iustus erat, & omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, reuertebantur percutientes pectora sua.* hanc cordium motionem & commutationem mirabilem vbinam Christus operatus est? nónne in cruce? Si ergo inter Dei mirabilia hoc altum tenet locum, quis nón crucem Christi mirabilem prædicabit, & thronum Christi gloriosum appellabit?

Gladium illum, quo Dauid caput Goliad amputauit, sic venerati sunt filij Israel, vt in templo inter Dei vasa, tanquam sacrum & diuinum quid, collocarint, vti ex sacra historia constat. Vnde tantus honor gladio illi inimirum quia ipso gigantem illum populi Dei inimicum occidit Dauid, quo tulit de medio opprobrium eius. Quid aliud est Christi crux quàm gladius, quo Christus Dominus caput gigantis tartarei amputauit, vt ita opprobrium tolleret mundi totius? Quòd si tantum honorem gladio Dauid exhibebat populus ille, quia gigantem exprobrantem Israeli interfecit, quid nos facere oportet qui cruce Domini à morte sumus sempiterna liberati?

Nec mirum quòd nos adeò crucem Domini honoremus, cùm Deus ipse summo illam prosequatur honore ac gloria : ea enim de causa in die iudicij, loco vexilli, crucem antecedentem militiam cœli adducet. audiamus hac in re sanctum Augustinum *sermone in ser 6. Paraſceue. Tunc*, inquit, *quando Dominus venturus est, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum. Tanta enim erit eminentia splendoris in Christo, vt etiam clarissima cæli luminaria præ fulgore luminis diuini abscondantur. Tunc stellæ cadent, cùm apparuerit signum filij hominis in cœlo. Considerasti quanta virtus sit signi, hoc est crucis, sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum : crux verò fulgebit, & obscurabit luminaria cœli, delapsíque syderibus sola radiabit, vt dixi, quoniam crux & luna lucidior, & sole erit præclarior, quorum splendorem diuini luminis illustrata fulgore superabit. Quemadmodum enim ingrediente rege in ciuitatem, exercitus antecedit, præferens signa regalia; ita Dominus descendente è cœlis, præcedet exercitus Angelorum, qui signum illud, id est, triumphale vexillum sublimibus humeris præferentes, diuinum regis cælestis ingressum, terrestrium mentibus nuntiabunt.* Ita sanctus Augustinus. Quòd si tantâ gloriâ Christus Dominus crucem suam condecorat, quid mirum si nos, qui cruce redemti sumus, pro viribus crucem honoremus, & glorificemus?

Cùm Christus Dominus conuiuio illo miraculoso *Ioan. 6.* turbam ingentem recreaſset, eum in regem sibi gere, & erigere voluerunt; Christus verò renuit, fugit, & abscondit se: cur ita? nónne Rex verè illorum erat? Erat, sed regium honorem cruci fuæ referauit : vnde, prouidente ipso, Pilatus Regis nomen cruci affigi iussit in titulo illo, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Voluerunt quidem Iudæi à cruce illud Regis nomen abolere: *Noli* (inquiunt) *scribere, Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Quibus Pilatus : *Quod scripsi, scripsi.* noluit titulum Regis delere, quia Deus non permisit. voluit autem ibi assumere titulum Regis potiùs quàm in conuiuio, quia in cruce potiùs, quàm in conuiuio se Regem nostrum ostendit. Regis enim est, ac pastoris suis regium, vitam exponere pro suis : hoc in cruce præstitit Christus, ideo in cruce Regis nomen admisit.

Hinc, *Dicite*, inquit, *in gentibus, quia Dominus regnauit, ligno.* sic transferunt Septuaginta, *Dominus regnauit a ligno*, & hanc translationem sequuntur S. Ambros. S. Augustinus, S. Cyprianus, S. Leo Papa, Cassiodorus, sanctus Iustinus Martyr, qui affirmat sic olim repertam esse lectionem hanc in Hebræo, à Iudæis autem ablatam fuisse dictionem illam *à ligno* : non igitur Dominus regnauit post, sed à ligno, quia ligno populum suum liberauit à dura hostium captiuitate, redemit, & saluauit: quod cùm regium, vti diximus, sit, non ignominiosa, sed gloriosa crux Domino fuit, non patibulum rei, sed thronus Regis.

Cùm sanctissima Virgo in nuptijs Cana Galilææ à Christo Domino petijt, vt vinum inuitatis suppediteret: Respondit ei : *Nondum venit hora mea.* Et verò illam vocat horam suam, in qua insigne illud miraculum, quo illustrius suum nomen redderetur, erat editurus. Hæc videtur diui Chrysostomi expositio. *homil. 21. in Ioan.* qui ita in ea verba scripsit. Nondum venit hora mea, *quia oportet vt indigentes rogent, vt miraculum innotescat vniuersis appareat.* Sic etiam in Euangelio tempus mortis & tormentorum horum, suam appellat : in ea siquidem clarius, & gloriosius suum nomen effecit. Quamuis enim eo die eorum iniurijs, contumelijs, & opprobrijs obiectus fuerit, qui illudentes ei dicebant : *Si filius Dei est, descendat de cruce. Vah qui destruis templum Dei*, &c. & extremam crucis ignominiam subierit, atque inter duos latrones pendens, animam efflauerit, multum tamen sibi gloriæ, ac dignitatis adiunxit. Atque idcirco diuus Ioannes, *Vidimus*, inquit, *gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Quæ verba Diuus Chrysostomus sic interpretatur: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi vnigeniti à Patre : quasi dicat : Vidimus gloriam qualem decebat, & credibile fit habere vnigenitum, & dilectissimum omnium Regis Dei filium. sicut qui Regem aliquando pretiosissimo cultu ornatum, pretiosisque*

Psal. 113. 8.

Ioan. 11.

Matt. 23. 37.

fisque vndique fulgentem lapillis conspicati, aljis speciem illam ac maiestatem enarrare volunt, purpureum florem, gemmarum magnitudinem, albas mulas, auratos currus, & sultum astantium oculos fulgore nimio perstringens, pro viribus enarrant. Cum verò & hi, & aljs collectis cultū, maiestatem verbis comprehendisse sibi non videantur, continuò addunt: Quid multis opus est, vno verbo dicam: quasi Rex. ita Euangelista, quasi hoc in loco, inquit, *ad gloriæ maiestatem, & incomparabilem excellentiam significandam.* Hæc ille. At inquiramus, si placet, in quonam manifestata est hæc gloria, quasi vnigeniti à Patre? An cùm ipse æterni Patris filius eo decore, gloria, ac lumine in monte Thabor circumfusus est, vt splenderit facies eius sicut sol, & vestimenta eius facta fuerint alba sicut nix? An in sanandis diuinitus ægris, mortuis ad vitam reuocandis, aljsque miraculis efficiendis? Audite obsecro beatum Chrysostomum *ibid.* superiorem explanationem prosequentem. *Non admiramur Christum dumtaxat miraculorum gratia, sed & passionis etiam: cum felicet affixus est cruci, flagellis, & alapis caesus, & spurcatus ab ys, de quibus tam bene meritus est. Siquidem in ys, quæ opprobrij & ignominiæ plena esse videbantur, Dei filius clarissimus apparuit, & hoc Ioannes gloriam appellauit.*

Neque verò solus beatus Ioannes mortem, crucem, & contumelias Christi, gloriam appellauit, sed etiam ipsemet Christus Iesus: cùm enim iam proximus esset extremis suis tormentis, fuæque ignominiosissimæ morti, subleuatis oculis in cœlum, dixit: *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te,* vbi D. Chrysostomus exclamat in hunc modum: *Quid Domine dicis? ad crucem cum latrombus ducendus, maledictorumq; necem subiturus, deinde & conspuendus, & virgis percutiendus es, & alapis, & istam vocas gloriam?* Ita miratur ille. Sed meritò sanè gloria nuncupatur: restat tamen considerandum, cur gloria in sacris litteris dicatur id, quod apud homines ignominia, & opprobrium appellatur.

Duplicem huius rei rationem reddit S. Chrysostomus in duobus locis proximè à me citatis, & prima quidem, quæ in primo loco affertur, hæc est, *Quia immensæ virtutis fuit huiusmodi pati: tunc enim mors abolita est, maledictum periit, dæmones confusi sunt, & de his triumphatum est.* Hæc ille. Et meritò: si enim magna est Imperatoris laus, magnaque ducis, hostes prælio vincere, eorumque copias fundere, ac profligare; maxima profectò Christo Domino gloriæ, & dignitatis accessio facta est, cùm victoriam de peccato, morte, ac dæmone gloriosissimè reportauit. Quapropter beatus etiam Paulus Christi mortem, ac crucem, ipsius triumphum appellat. *Et vos* (inquit, scribens ad Colossenses) *cum mortui essetis delictis, conuiuificauit cum illo* (scilicet Deus cum Christo) *donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Triumphus ergo, & victoria dicitur, quæ in cruce comparata est: quocirca Ecclesia illud carmen meritò modulatur: *Pange lingua gloriosi prælium certaminis, & super crucis trophæum dic triumphum nobilem, qualiter redemptor orbis immolatus vicerit.*

Secunda verò ratio, quæ à D. Chrysostomo (qui copiosam nobis materiam in hoc discursu suppeditauit, *homil. 8. ad Ephes. 4.*) adducitur ad explicandum, cur Christi mors, & passio gloriosa dicatur, hæc est, *quia pro dilecta patiebatur Iesus omnia illa, quæ passus est.* Ac si diceret, gloriosum ac honorificum esse amanti, vinciri, mori, ac pati pro eo, quem summo amore complectitur. Neque verò honestum, aut honorificum est, si vel inuitus vel turpis lucri gratiâ, incommoda, vel labores perferas: honestissimum tamen, & perhonorificum est, vltro se laboribus pro aliorum salute, & incolumitate dedere: in hoc enim elucet maximè illius amor, & bonitas, qui labores illos perpetitur. Hoc igitur modo Seruator noster moritur, & grauissima tormenta patitur: non enim inuitus se morti tradidit, quia Euangelico Propheta testante, *oblatus est, quia ipse voluit*, neque mortem, & cruciatus, quos ille pertulit, ad suum quæstum, & vtilitatem reuocauit, sed omnes in hominum commodum retulit. *Ipse,* inquit Isaias, *vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus.* Isai. 53. 5.

Quâ ergo viâ potuit humani generis vindex suam gloriam apud homines illustriorē facere, nisi eâ quam suscepit, cùm eximium suum erga homines amorem moriendo manifestauit? Fateor equidem, tunc suæ maiestatis splendorem aliquo modo obscuratum fuisse, & aliquid de illius magnitudine quodammodo esse detractum, sed ex eo illustrior, & gloriosior apparuit. Vt enim aulici & elegantes iuuenes, cùm thoraci auro intexto, vel acu elegantissimè depicto, vestem aliquam superponunt, solent eam vel scissuris secare, vel ab illa aliqua frustula detrahere, non quidem, vt eam deperdant, sed potiùs vt serici thoracis elegantia, ac pulchritudo magis eluceſcat: sic etiam cùm hominum Seruator Iesus in morte exinanitus est, & ictibus ac vulneribus cæsus, occubuit, quasi detractum est aliquid de maiestate sua, sub qua diuinus eius amor, ac bonitas quodammodo laterent: quæ illico apparuerunt, & mirum ex se emiserūt splendorem. *Per foramen enim corporis,* ait Diuus Bernardus, *patet arcanum cordis,* sicque Christi dignitas, ac bonitas illustrior, & clarior facta, omnium se oculis conspiciendam præbuit. Quod videtur idemmet Christus significasse, cùm ait: *Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Quod quidem tunc effectum est, cùm in morte sua immensam sui animi charitatem, ac bonitatem ostendit. Præterea, *Sicut exaltauit,* inquit, *Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Vt probique crucem, & mortem suam exaltationem vocat: in ea siquidem magnam sui nominis exaltationem consequutus est. Ioan. 12.

Dignitatem, & gloriam comparabat sibi olim apud homines præpotens Deus, ex eo quod grauiter in homines animaduerteret, *Glorificabor,* inquit, *in Pharaone, & in omni exercitu eius, scientq; AEgyptij, quia ego sum Dominus.* At tunc glorificatus est, quoniam Pharaonem eiusque exercitum in aquas demersit; nunc verò præstantiori quodam modo gloriam sibi, & dignitatem adiunxit, cùm suo pretiosissimo sanguine omnes suos hostes obruit. Exod. 14. 4.

Voluit immortalis Deus nomen suum apud Israelitas gloriosum reddere, cùm Regem Assur, qui eos persequebatur, grauiter puniuit, *Propter hoc,* inquit, *faciet populus meus nomen meum in die illa,* si ergo maximus Deus honorem sibi comparauit, eò quòd acerbo supplicio regem illum affecerit, vt populum suum tueretur, præcipuâ profectò gloriâ dignus erit, cò quòd ipse acerbissimis flagellis, grauissimoque supplicio mulctatus fuit, vt omnium hominum salutem vitamque recuperaret. Si ex illo magna laude, summoque amoris dignus, nónne & propter hoc etiam magna eum laude, summoque amore prosequemur? Isa. 52. 6.

Cùm vellet Moyses Israelem ad Dei cultum amoremque excitare, proposuit illi maximum illud beneficium, quod à Deo optimo, maximo in vasta, ac deserta solitudine acceperat, *Inuenit,* inquit, *eum in terra deserta, & in loco horroris, & vastæ solitudinis circumduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui; sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Præclarum sanè & magnum Dei in Israelem beneficium, sed maius, atque excellentius est illud, quod ob Christianum populum ab humani generis vindice, ac Seruatore acceptum fatemur: potiori enim iure oppo- Deut. 32. 10.

nitur nobis id quod Israelitis obiectum est, nos etenim custodiuit Deus quasi pupillam oculi sui. Tunc aliquid tanquam pupillam oculi custodimus ac diligimus, cùm brachium ictibus obijcimus, ne oculus aliqua ex parte lædatur. Hac quidem ratione nos Deus optimus tutatus est: cùm enim diuinæ iustitiæ ictus iam iam capita nostra peteret, brachium suum immortalis Deus obiecit percutiendum, cùm æternum suum filium cruci mortique tradidit. Filius enim dicitur æterni patris brachium, quia sicut nos brachio operamur, sic omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Beatissima etiam virgo in celebri illo cantico ait:

Ioan. 1. Luc. 1. 15. *Fecit potentiam in brachio suo*, id est, in filio. Hoc igitur brachium obiecit summus Deus flagellis, vulneribus, reliquisque tormentis, ne ea homines ferirent, vitâque priuarent. Quapropter meritò, ac iure optimo dicemus: Custodiuit nos Deus vt pupillam oculi sui. Deinde dixit Moyses: *Et portauit eum in humeris suis*. sed maius Dei in nos extat beneficium, qui nostrâ causâ grauissimam crucem suis humeris portauit, mortemque acerbissimam sustinuit. Quòd si beneficium illud laude grataque recordatione dignum extitit, hoc sanè, quo hodierna die afficimur, maximam laudem, æternamque grati animi memoriam à nobis exigit meritissimè.

Deut. 4 Magnopere admiratus est Moyses, cùm vidit Dominum descendentem in montem Sinai, nebulâ, & igne circumdatum, fulgura, & tonitrua emittentem, & humana voce cum hominibus agentem, & dicebat Moyses ad populum Israel: *Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die quo creauit Deus hominem super terram, à summo cœlo vsque ad summum eius, si facta est huiusmodi res, aut vnquam cognitum est, vt audiret populus vocem Domini Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti, & vidisti.* At in quas voces Moyses erumperet, si Deum nostri causâ cruci affixum cerneret? in quantam raperetur admirationem, si eum non in maiestate, & splendore descendentem, sed in humilitate, & squalore iacentem intueretur? O immensam & ineffabilem Dei optimi bonitatem! ô amorem erga homines incredibilem! cœli enarrant gloriam Dei, dixit regius Vates, sed taceant illi & obmutescant modò: hanc enim gloriam, quam præpotens Deus in cruce manifestauit, meliùs prædicabunt spinæ, flagella, cruciatus, reliquaque tormenta, quæ ipse benignissimus Deus nostri causâ perpessus est. Ex qua quidem gloria, huiusmodi doloribus, ac tormentis parta, magna nobis gratia æternaque beatitudo promanauit.

Celebrat Ecclesia festa crucis, Inuentionem scilicet crucis, Exaltationem & triumphum. Quis non admiretur huiusmodi crucis celebrationem? transfigurationem gloriosam, resurrectionem mirabilem, ascensionem Christi triumphantem celebrare, hoc quidem honorificum Christo; at crucem, in qua summa cum ignominia mortuus fuit, celebrari; quis non obstupescat? in domo suspensi, non debet nominari funis, ait prouerbium, *en casa del ahorcado, no se ha de mentar la soga*; sic neque in domo crucifixi nominanda videtur crux. Cur igitur in Ecclesia, quæ Christi domus est, crux non solùm nominatur, verùm etiam celebratur? quia inde maxima Christo Domino gloria accreuit in cœlo, & in terra? crucem propter delicta subire ignominiosum quidem est, at propter Dei honorem, & animarum salutem gloriosum mmis.

Rom. 1. 16. Ad Rom. 1. *Non erubesco euangelium: virtus enim Dei est, in salutem omni credenti.* Non erubesco, ait, Euangelium, bene, sed quid mirum quod non erubescas Euangelium? euangelizare videlicet, cùm potiùs id tibi

S. Ansel. gloriosum & etiam Angelis fit? S. Anselmus hæc exponit locum istum: *Ideo sum promptus ad euangelizandum, quia non erubesco Euangelium, id est, nulla est mihi erubescentia ex prædicatione Euangelij, sicut nonnullis, qui erubescebant prædicare Christum crucifixum, non intelligentes nil dignius Deo, quàm quod ad humanam proficit salutem: insigne quippe virtutis & pietatis est, quòd Dominus propter salutem imaginis suæ dignatus est vsque ad passionem crucis humiliari, quod nunc Apostolus intuens ait*: non erubesco Euangelium. *& quare non erubescis? quia ipsum Euangelium est virtus Dei, id est, quod in Euangelio prædicatur, videlicet mors & mors: est enim hoc virtus Dei, quamuis stultitia incredulis videatur: nulla maior virtus est, quàm deuicta morte homini perditam reddere vitam, quia virtus Dei in salutem omni credenti.* Ita S. Ansel.

Matth. 5. *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Quænam est lux & lucerna est hæc? quod nam candelabrum, in quo posita lux ista lucet? S. Paschas. Ambas. in eodem loco: *Si de ieiunio nostro esse sub obscuro legis (vt quidam volunt) ponendum, tunc recte per candelabrum crux passionis, super quam leuandus erat, & per lucernam mtus lucentem, diuinitas in carne reserata, monstratur.* Ita ille. At dices, in cruce Christus non videtur luxisse, sed potiùs obscuratus fuisse, sicut significasse videtur tenebræ illæ, quæ tunc factæ sunt super vniuersam terram. lucebat quidem Christus, cùm cæcos illuminabat, cùm dæmones effugabat, cùm mortuos suscitabat, & omnem languorem sanabat: lucebat in monte Thabor in transfiguratione sua, lucebat etiam valde in resurrectione sua, & in ascensione sua; at in cruce, in qua, vt Isaias prædixerat, *nou erat ei species, nec pulchritudo, & in qua videmus eum nouissimum virorum, virum dolorum, despectum & humilitatum*, ibi, inquam, quomodo luxit? luxit quidem & perluxit valde, tum propter miracula & prodigia, quæ in cruce visa fuerunt, quando naturæ cursum naturæ sol obscuratus fuit. terra tremuit, petræ scissæ sunt, velum templi vltro scissum fuit in duas partes à summo vsque deorsum, & monumenta aperta sunt, & multa corpora, quæ dormierant, surrexerunt. Præterea propter virtutes eximias Christi in cruce, v. g. charitatis magnæ, qua pro crucifixoribus exorauit, & patientiæ tantæ, ex qua non leue argumentum sumpsit centurio, vt diceret: *Vere filius Dei erat iste*, & vt alij abirent percutientes pectora sua, & adorato ad Christum conuersus clamaret: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum*; & denique luxerunt tunc aliæ plures virtutes erga illos, qui illuminatos oculos habebant, videntes quomodo filius Dei humiliaret semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, &c.

Prop. XII. *Per crucem Christus de hostibus triumphauit.*

Iob 40. 20. *An extrahere poteris Leuiathan hamo?* ait Dominus ad Iob de dæmone agens. Metaphora sumpta à piscatione: tegit vermiculo hamum piscator, quo deceptus pisculus, dum vermiculum inuadit, hamum offendit, & deglutiens illum, foras extrahitur, & quæ in ventre immissa piscaverat, euomere solet. Humanitas Christi vermiculus erat, dicente ipso: *Vermis sum ego, &c.* vidit Leuiathan ille vermiculum istum, & escam æstimans suam, deuorare voluit. sed hamum diuinitatis intus occultatum inuenit, quo tractus, animas, quas in ventre limbi habebat, euomuit. ita interpretatur hunc locum S. Gregor. Nyssenus. *Cornua*, scilicet, *crucis, in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* cornua fortitudinem Christi denotant: animalia enim, quæ cornua habent, in eis fortitudinem suam continent. Cornua igitur, hoc est, fortitudinem in manibus Christus habebat: Dices, imò debilitatem in eis habere videbatur: vnde enim fortitudo in manibus reuinctis & clauis affixis? *ibi* (ait) *abscondita est fortitudo eius*; quare *ante faciem eius ibi* (ait) *fugiens victa, & diabolus* (inquit) *egredietur ante te pedes eius* calcatus & conculcatus.

Sanctus

Sanctus Theodor. quæst. 34. in Exodum, quærit, A
qui fiebat, vt Exod. 17. extensis manibus Moysis Israel
vinceret hostes Amalechitas, remissis verò ab illis vin-
ceretur? & respondet: *Dum extendebat manus Moysis,*
præseferebat typum eius qui crucifixus est pro nobis; declarata
est igitur sub illa figura vis ipsius veritatis: sicut enim Moy-
ses manus extendente, cecidit Amalech; ita cum Dominus ma-
nus extendit in cruce, dissoluta est diabola acies. Ita ille. Et-
enim crux gladius Christi fuit, quo inimicos nostros
superauit, &c.

Theod. d. 17.

Prop. XIII. *Christus Dominus in cruce se Deum esse manifestauit.*

REum esse mortis Christum Dominum populo
suadere voluerunt Scribæ & Pharisæi, & Princi-
pes Iudæorum, & ob eam causam eum crucifigere de-
creuerunt; sed tamen omnipotens Pater in eadem cru-
ce filium esse Dei ostendit prodigijs illis quæ tunc ac-
17. ciderunt, de quibus S. Matth. c. 27. *A sexta hora vsque ad* B
horam nonam tenebræ factæ sunt super vniuersam terram. Et
infrà, *Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo*
vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & mo-
numenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, quæ dor-
mierant, surrexerunt, &c. Quid autem inde subdit Ev-
angelium? *Centurio autem, & qui cum eo erant custodien-*
tes Iesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt val-
de, dicentes: Vere filius Dei erat iste. Ecce quomodo in
cruce apparuit Christum esse filium Dei etiam custodi-
bus illis.

Hinc S. Chrysost. hom. 84. in Ioan. colligit ratio-
nem, cur Christus inter latrones tunc esse voluit cruci
affixus, & non inter sanctos simul cum eo crucifixos:
Crucifixi (inquit Chrysost.) *sunt tres, claruit vnus Iesus: vt*
intelligas eius causâ omnia prouenisse, atque tribus crucifixis
miracula patuerunt: nemo tamen vllı latronum hæc attribuit,
sed soli Iesu. Ita ille. Etenim si cum Christo viri virtute
præditi crucifixi fuissent, multi fortè dubitarent, cuius C
illorum causâ prodigia illa euenissent: at cùm malefa-
ctores illi tanto euentu indigni satis apparerent, neces-
sario Christo Domino, ob sanctitatem vitæ & mira-
cula ab eo perpetrata, illa tribuenda fuisse rat. Sic igi-
tur æternus Pater crucem filij sui clarificauit, secun-
dùm quod & ipse filius à Patre postulauerat Ioan. 17.
dicens: *Pater venit hora (passionis nempe) clarifica filium*
tuum, &c.

Prop. XIV. *In Cruce manifestauit Christus charitatem suam.*

SEcundum LXX. *Domine consideraui opera tua, & ex-*
paui: in medio duorum animalium cognosceris. S. Aug.
Id est (inquit) *in medio duorum latronum,* quasi dicat: Do-
mine in cruce cognosceris, quando fueris cum iniquis
reputatus. Ita ne in cruce cognitus? imò ibi prorsus in-
cognitus apparet, & tunc de Christo meritò dici po- D
tuisset: Vere tu es Deus absconditus, quia si non ibi,
vbi meliùs dictum hoc Isaiæ verificari potest. Si dixis-
set Habacuc in monte Thabor, in medio Moysi & E-
liæ cognosceris, cùm fueris transfiguratus, bene qui-
dem: ibi enim gloriam diuinam manifestauit: vel cùm
Christus mortuos suscitabat, vel infirmos curabat, vel
dæmones expellebat, vel super maris vndas ambula-
bat, vel cùm alia miracula operaretur, quibus omnipo-
tentiam diuinam ostendebat, vel saltem quando prædi-
cabat: tunc enim sapientiam suam demonstrabat: at in
cruce vbi opprobrijs & cruciatibus afficiebatur, & tan-
dem, sicut quiuis alius communis homo, vitam cum
morte commutabat, imò sicut malefactor capite pu-
niebatur, quo modo tunc cognoscebatur esse Deus?
ita quidem tunc Dei charitas fidei oculos habentibus
cognoscenda meliùs proponebatur, quia Deus chari-

Habac. 3. 2.

tas est, ait Apostolus Ioannes. non dicitur in Scriptura,
Deus omnipotentia est, Deus sapientia est, Deus ma-
iestas est, licet hæc omnia sit: sed charitas est. Vbi ergo
eius dignoscitur charitas, ibi cognoscetur Deus: vbi
autem sic charitas resplenduit Dei sicut in cruce?
Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam po- Ioan. 15.
nat quis pro amicis suis. In cruce pro amicis & inimicis 13.
Christus animam suam posuit: meritò ergo ait Haba-
cuc in cruce esse cognoscendum Christum verum esse
Deum, quia ibi charitas, quâ Deus ibi resplenduit plus-
quàm alibi vmquam resplenduit, aut resplendebit in
Orbe.

Prop. XV. *Per Crucem Christi ad eius imitationem nos saluari oportet.*

VOs qui secuti estis me, per viam scilicet crucis & la- Matt. 19.
borum, *sedebitis super sedes,* &c. Ecce ordinem vi- 28.
tæ nostræ à Deo præscriptum: priùs est Christum du-
cem sequi per mundi contemptum, paupertatem, per-
secutiones, assiduas orationes, labores, & crucem, dein-
de sedere: sic enim factum est cum ipso filio Dei. Au-
diamus S. Bernard. id expendentem in suis declama-
tionibus, super illa verba, *Sedebitis super sedes duodecim,*
&c. *Quando,* inquit, *resedit Christus in mundo? quando sub-*
stitit? quando reclinauit caput? Exultauit vt gigas ad cur-
rendum viam, & nec nidum, nec foueam, nec locum habuit in
diuersorio, donec opere tandem, quod susceperat, consummato,
sedendi præceptum mereretur accipere, & dicere Dominus
Domino meo: Sede à dextris meis. Insipiens tu qui præsidere
eligis, quàm consedere, quærens in itinere diuerticula, Ille mini-
strare venit, non ministrauit: tu supra magistrum, & Domino
maior, imò nec discipulus profectò, nec seruus, recumbere iam
festinas? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum
conseres manus tuas: Ille salit in montibus, transilit colles. Cla-
ma ad eum, anima mea: Trahe me post te, in odorem vnguen-
torum tuorum curremus. Alioquin quando tepescendo, & pau-
sando, consequi speras? Exaltauit ad currendam viam, hila-
rem sine dubio dilig t secutorem. Grandis adhuc restat via,
noli sistere gradum, noli in medio itinere residere. Ita S.
Bernard.

Omnia quidem *tempus habent*, ait Salomon, *tempus* Eccl. 3.
flendi, & tempus ridendi, tempus belli, & tempus pacis:
nunc tempus est flendi, nimirum cùm in lacrymarum
valle degimus, postea erit, non tempus, sed æternitas
risui dedicata: nunc tempus est belli, nam militia est
vita hominis super terram, post mortem erit pax. & ibi
verificatur, quod in defunctorum officijs canimus
quotidie, *Requiescant in pace:* sedebit tunc populus elec-
torum in multitudine pacis. Nunc igitur pugnandum
est nobis, & non dormiendum, postea glorioso potie-
mur fructu victoriæ nostræ.

Dictum est primo parenti: *In sudore vultus tui vesceris* Gen. 3. 19.
pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es. Pon-
derat vbi suprà S. Bernard. dictorum ordinem: nam
priùs dixit, *in sudore,* &c. postea, *donec reuertaris in ter-*
ram, hoc est, vsque ad mortem. Ecce terminum sudoris
nostri, & laboris, *donec reuertaris in terram*; quasi dicat:
tunc non erit amplius labor & dolor, sed absterget
Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, & iam
non erit amplius neque luctus neque clamor, neque
mors erit vltra, quæ prima abierunt: nunc autem labo-
rare nos oportet, vt ad requiem illam perueniamus, sic
itur ad astra.

Vnde, *Audiui,* inquit Ioannes, *vocem de cœlo dicentem* Apoc. 14.
mihi: Scribe: Beati mortui qui in Domino moriuntur, amo- 13.
do enim tam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.
amodo, hoc est, ex tunc dicit Spiritus sanctus, vt re-
quiescant, non antea. Tu tempora inuertis & peruer-
tis, modò vis quiescere, qui nondum laborasti: quid in-
de speras, nisi quod postea laborabis? eligè, quæso, quid
ampliùs amplectaris, an modò in temporevitæ labo-

rare, & in æternitate quiescere; an modò in tempore A quiescere, & in æternitate laborare, & pati gehennæ cruciatus?

Misit Deus Angelum beatæ Catharinæ Senensi duas coronas ferentem, alteram florum miræ pulchritudinis, & fragrantiæ; alteram verò spineam, horrore plenam, & ostendit eas Angelus Catharinæ, & dixit: Eligè ex his duabus coronis alteram, si modò elegeris florum coronam, post mortem feres spineam, si verò spinearn modò, postea continget tibi florum corona. Tunc beata Catharina arreptam spinarum coronam capiti suo superposuit: Hanc, inquit, eligo, hanc volo. Sapienter quidem, nam erat vna de numero prudentum, tulit in vita coronam spineam cum Christo, & iam in æternum cotonam feret gloriæ. tu quoque, si sapis, eliges sicut illa, vt in æternum gaudeas sicut illa.

Prop. XVI. *Crux Christi corda nostra ad se allicit.*

B

Ioan. 12. 32. Et *ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Græci legunt, *omnes traham ad meipsum.* S. Aug. tract. 32. in Ioannem. *Omnia*, id est, *omnia hominum genera*, inquit, *siue in linguis omnibus, siue in etatibus omnibus, siue in gradibus honorum omnibus, & quidquid aliud dici potest, secundùm innumerabiles differentias, quibus inter se homines distant, ab excelsissimis vsque ad humillimos, a rege vsque ad mendicum, omnia inquit, traham post me, vt sim caput eorum, & illi membra mea.* Ita S. Augustt.

Quomodo autem, ô Domine, opprobrio crucis tracturũ te promittis omnes, cùm potius propter hoc maximè à te omnes fugere debeant? si enim in monte Thabor transfiguratus mundo ostenderetur, non mirum quòd ad eum totus confluereret Orbis: at in monte Caluariæ crucifixus, potiùs fugare, quàm trahere homines ad se videtur. Facilis responsio: non enim opprobrio crucis, sed charitate, & bonitate illa, quâ sustinuit pro nobis opprobrium crucis, trahit nos ad se Christus Dominus: miraculis, & virtute sua magna traxit nos Deus ad fidem in eum, supposita vera fide, quâ credimus in cruce pendentem Dominum esse Deum, qui propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, cùm adhuc inimici eius essemus, pro nobis crucis mortem, & opprobrium sustinere voluit; in ardentem erga eum charitatem facilè trahit nos. Quis enim non diligat tantum dilectorem? tantum benefactorem? Meritò igitur ait: *omnia traham ad meipsum.* Vnde exclamans sanctus Leo Papa *serm. 8. de passione Domini*, ait: *O admirabilis potentia crucis! ô ineffabilis gloria passionis! in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas crucifixi.* Ita ille.

Cùm nos aliquem distantem à nobis volumus vocare, manum extendere solemus, & eâ veluti linguâ quadam vtimur: sic igitur Christus Dominus in cruce vtramque manum extendit ad vtramque mundi plagam, veluti signo manus omnes homines ad se vocãs, & trahens. traxit igitur ad se Orbem charitate illa, qua pro nobis crucem ascendit. *In funiculis Adam trahamt eos, in vinculis charitatis*, dixit Dominus per Prophetam. Traxit Eua Adam ad arborem vetitam, non vinculis eum ligans materialibus, sicut Dalila Samsonem, sed vinculis amoris, vti ait S. Augustinus, quia eam audiuit, ne contristaret delicias suas: in funiculis igitur Adam nos trahere voluit Dominus, hoc est, scipsum Dominus exponere voluit in vinculis charitatis. Adimpleuit quod petierat sponsa, *Trahe me post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Traxit nos iam Dominus vinculis suæ charitatis, quid superest, nisi vt post eum curramus? &c. crucifixerunt Iudæi Christum, vt ita omnes fugerent ab eo, quo tamen potiùs factum est, vt eapropter omnes ad eum, & post eum curramus.

Osea 11. 4.

Cant. 1. 3.

Impletum est quod prophetauit Isaias, dicens, *Leuabit signum in nationibus, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.* S. Gregorius *disputatione cum Herbano*, locum istum exponit de cruce Dominica, quam signum vocat Propheta, vexillum scilicet, quo vniuersum ad se traxit Orbem: sicut enim ad vexillum confugiunt milites omnes, sic etiam ad crucem confugimus nos omnes, qui in Ecclesia Christi militamus: confugimus, inquam, ad Christum crucifixum, tanquam ad anchoaram spei nostræ. quis enim non speret veniam omnium suorum peccatorum ab eo, qui ita amanter pro nobis dignatus est crucifigi, vt scilicet nos à peccatis liberaret? quis non speret vitam consequi sempiternam ab eo, qui, vt nos ad eam perduceret, crucem non abhorruit. Confugimus ad crucem, vt eum adoremus, amplectamur, & veluti intra viscera nostra ponamus, qui tanto nos amore dilexit, vt honorem, sanguinem, & vitam profuderit in cruce, vt saluaret nos.

Cap. 11.

Prop. XVII. *Pro Christo cruces pati Deibeneficium est.*

Matth. 27. *Inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariauerunt vt tolleret crucem eius.* S. Leo. Papa serm 8. de passione Domini: *Non fortuitum, sed figurationum fuit, sed mysterium:* hoc aperuit S. Hilarius hoc loco, dicens: *quia indignus erat Iudæus Christi crucem ferre.* Ita ille. Vt ita ignotesceret nobis ideo multus non communicare Christum crucem suam, quia digni non sunt; dare verò eam illis, qui propter bonitatem suam illam promerentur. Nec mireris pro meritis suis dari homini crucem Christi, quia, secundùm Apostolum, pro meritis Christi, eam bonis communicat Deus Pater, *Vobis*, inquit, *datum est pro Christo, vt non solum in eum credatis, sed vt etiam pro eo patiamini.* Pro Christo inquit, vbi S. Anselmus *pro Christo*, id est, *pro meritis Christi.* Quale igitur ac quantum erit donum, quod non solùm pro meritis nostris, sed etiam pro meritis Christi donatur à Deo nobis?

S. Aug. C

S. Anselm.

Prop. XVIII. *Quantas diuitias in cruce Christi habeamus.*

Flecto genua mea (ait Apostolus) *ad patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritum eius in interiorem hominem*, &c. & subdit, *vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, sublimitas & profundum.* Multa hîc à Deo pro fidelibus Apostolus postulabat, virtutem corroboratam per Spiritum sanctum, fidem & charitatem, sed speciatim, vt intelligerent *quæ sit latitudo & longitudo, sublimitas & profundum.* Quatuor dimensiones hîc assignat, sed cuius rei sint dimensiones istæ, non expressit: ad sacros igitur expositores recurrere oportet. Sanctus Augustinus *serm. 181. de tempore, & tract. 119. in Ioan.* & Theodoretus, & sanctus Anselmus in hunc locum Pauli, de dimensionibus sanctæ crucis Christi intelligendas eas esse ajunt, quas nos intelligere optabat Apostolus: sed ad hoc quis idoneus?

Eph. 3. D

Vidit olim Isaias Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant replebant templum. *Sola la orla del vestido de Dios alli assi entronicado, llenaba el templo de magestad y gloria, que seria lo demas?* Insuper vidit duos Seraphim iuxta illum, *Sex alæ vni, & sex alæ alteri. Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant, & clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ eius.* Sanctus Cyrillus, & Nicolaus de Lira de Christo Domino locum hunc interpretantur, atque adeò solium

Cap. 6.

solium illud excelsum, & eleuatum crux Christi erat. A
At quid cruci cum solio? solium, secundùm Latinos,
est thronus regius, in quo reges ad iudicandum sedere
solent. crux patibulum erat rei iudicati iam, & ad mor-
tem damnati; quomodo ergo erit solium excelsum,
& eleuatum? Etenim nunquam ex regibus mundi
quisquam adeò sublimatus fuit in throno suo aureo,
sicut Christus Dominus in cruce sua, *Ego*, inquit, *si*
exaltatus fuero à terra, omnia trahàm ad meipsum. non ait
si suspensus, sed *exaltatus*, de cruce ait, & exaltationem
vocat suspensionem in ea, & adhibet similitudinem,
sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto. Histo-
riam tangit ex *cap. 21. Numerorum*, vbi Moyses ex diui-
no decreto serpentem exaltauit. Immiserat Domi-
nus ignitos serpentes contra filios Israel, qui aduer-
sùs Moysen, & Deum murmurabant, & ex eorum
morsu plures eorum interficiebantur, sed cùm pœni-
teret eos se peccasse, orauit Dominum Moyses pro
eis. Ad quem Dominus: *Fac serpentem æneum, & pone* B
eum pro signo, qui percussus aspexerit eum viuet. Fecit ita
Moyses, & cùm percussi eum aspicerent, sanabantur, &,
vt miraculum, & mysterium eluceferet magis, ait
Rabbi Kimchi, quòd aspectus æris secundùm medi-
cos illico occidit percussum à serpente. Ita refert
Lira, & addit quòd in Hebræo habetur, quòd eleua-
uit hunc serpentem æneum in pertica Moyses. figuram
autem fuisse Christi Domini, ipse Dominus expo-
suit, *Sicut exaltauit*, inquit, *Moyses serpentem in deserto,*
ita exaltari oportet filium hominis; vt omnis qui credit in
eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Sicut enim
serpens ille æneus apparebat serpens, & tamen non
erat serpens, nec habebat venenum serpentis; sic
Christus non erat peccator, (is enim est pessimus
serpens veneno peccati affectus,) sed tamen figuram
peccati habebat: *venit enim in similitudine carnis pec-*
cati, vt ait Apostolus, & sicut qui percussus à ser-
pente; respiciebat serpentem æneum, sanabatur; sic C
qui percussus à serpente infernali per peccatum,
respexerit pœnitens Christum Dominum, viuet. Elea-
uatio ergo illa serpentis non videtur tibi fuisse exalta-
tio eius? adeò quidem, vt propterea populus Israel
postea adoraret serpentem illum, vt constat ex 4. Reg.
18. & propterea rex bonus Ezechias confregit serpen-
tem illum, quia tanquam Deum illum colebant. Ec-
ce quanta fuit exaltatio illa serpentis in ligno: quan-
tò igitur erit maior exaltatio Christi in cruce; siqui-
dem ex ea non sanitas vulnerum corporis, sed vulne-
rum animæ promanauit? Sed de hoc infrà: meritò
ergo, cùm Isaias in spiritu vidit Dominum in cru-
ce, dixit: *Vidi Dominum in solio excelso, & eleuato.* Quòd
si solium est thronus regis iudicantis, crux thronus
regis fuit etiam iudicantis, regis quidem, sicut titulus
in cruce affixus demonstrat; Rex, inquit, Iudæorum, &
in illo throno iudicauit Dominus principem sæculi
huius. Vnde cùm de cruce suaageret Christus, dixit: D
Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi ejicietur
foras. Et subdit de cruce: *Et ego, si exaltatus fuero à ter-*
ra, omnia trahàm ad meipsum. hoc autem dicebat (ait
Ioannes) *significans qua morte esset moriturus.* Rectè igi-
tur crux Christi regium solium nuncupatur excelsum
& eleuatum.

Sed quid sibi volunt duo illi Seraphim alis suis cau-
put & pedes Christi cooperientes? Seraphim quidem
supremi Angeli sunt, caput Christi diuinitas, de quo in
Canticis, *caput eius aurum optimum*: est enim diuinitas
in Christo supremum eius, sicut in corpore caput. Pedes
proinde, qui infima pars corporis sunt, humanitatem
Christi designant; quia hæc inferior in eo est. Alis er-
gò suis, hoc est, intellectibus suis (his enim alis volant
Angeli) supremam, & infimam partem Christi coo-
periunt, quia nec altitudinem diuinitatis Christi com-
prehendunt, nec profunditatem mysterij humanita-
tis, & crucis Christi, suis naturalibus intellectibus po-
terant penetrare. diuinitatem quidem, quia hanc so-
lus Deus comprehendit; humanitatem autem, ob pro-
funditatem, de qua illico agemus. *Lo diuino por alto, y lo*
humano por bajo, se les iba de buelo, lo diuino como aquila se
les remontaua en alto, lo humano, como el pezen la mar, se
les abysmaua en lo profundo. Quòd si spiritus illi An-
gelici, illi, inquam, supremi spiritus, alis, seu intel-
lectibus suis potiùs velant, quàm manifestant crucis
Christi profunditatem, fatentes se eam minimè com-
prehendere, vt dictum est; quid nos faciemus, qui non
Angeli, sed rudes homines sumus? *Siendo para mysteriosos tan profundos, tan bocales, no es mucho se encandilen los entendimientos humanos, donde se deslumbran los angelicos.*

Sed ne ita nescientes omnia taceamus, quod re-
ptantes attingere valemus, explicemus: nam licèt ad
manifestissima naturæ oculus noster, velut oculus no-
ctuæ sit, infimum tanti obiecti tangere multum no-
bis est.

Quatuor ergo dimensiones assignauit Apostolus
crucis Christi, altitudinem, profunditatem, longitudi-
nem & latitudinem, & à Deo nos illuminari ad hoc
petebat; petamus & nos.

Quænam igitur est crucis altitudo? Per altitudinem
hanc altitudo gloriæ, & honoris diuini significatur.
Quamuis enim crux dedecori priùs fuerit, & in ea la-
trones, & sicarij, & homicidæ suspenderentur, & illis in
opprobrium tederet crux in crucifixione Domini op-
positum inueniemus: inde enim glorificatus ampliùs est
Christus, prout ipse significauit verbis illis: *Ego, si exal-* Ioan 12.
tatus fuero à terra, omnia trahàm ad meipsum. Non semel, 31.
nec bis tantùm exaltationem vocat mortem suam in
cruce, vti notauimus suprà, & *omnia*, inquit, sic exalta-
tus, trahàm ad meipsum, quonam modo? Omnium ge-
nera nationum ad cultum, fidem, adorationem, &
honorem illi exhibendum, & gloriam: inde enim ma-
ximè glorificamus Deum, quòd pro nobis in cruce pa-
ti dignatus est, & similiter in cœlis: vti vidit, & audiuit
Apostolus Ioannes, vbi ait: *Vidi, & ecce in medio throni* Apoc. 5. 7.
agnum stantem tanquam occisum. Agnum hunc esse Chri-
stum Dominum omnes fatentur, sed qui fieri potest, vt
staret & esset tanquam occisus? si tanquam occisus,
quomodo vidit stantem: si stantem, quomodo tanquam
occisum? id enim quod occisum est, non stat, sed iacet:
si ergo diceret, vidi agnum iacentem, tanquam occi-
sum, rectè intelligeremus positionem agni: at stare, &
quasi mortuum, quonam pacto? etenim in cœlo stat
Christus Dominus, glorioso scilicet & eleuatus, non
iacet tanquam victus, & deiectus, sed stat tanquam
victor, & honoratus, & tanquam qui, postquam de tor-
rente bibit, exaltauit caput stat autem sic tanquam oc-
cisus, hoc est, tanquam is, qui pro nobis in cruce occisus
est: ob hanc enim causam ab omnibus cœlicolis san-
ctis, & Angelis ibi honoratur, & glorificatur, sicut ibi-
dem subdit Ioannes, dicens: *Vidi, & audiui vocem Angelo-* Apoc 5.
rum multorum in circuitu throni, & animalium, & sen.o- 11.
rum, & erat numerus eorum millia millium dicentium vo-
ce magna: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere
virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudi-
nem & honorem, & gloriam, & benedictionem. accipere
scilicet per laudes, ac si dicerent: ò quàm dignus est
agnus, qui in cruce passus pro Dei gloria, & homi-
num redemptione, laudari, & glorificari ab omnibus,
qui in terra, & in cœlo sunt, ob diuinitatem suam, ob
virtutem suam, ob sapientiam suam, quâ scilicet nouit
redimere per crucem mundum, & fortitudinem, quâ
potuit, & ideo dignus est accipere à cunctis honorem
& gloriam, & benedictionem. Ecce quo pacto pro-
pter ignominiam crucis, exaltationem obtinuerit
Christus: vnde meritò Dominus ipse ad gloriam, &
exaltationem nominis sui, & patris sui, secum insignia

vulnerũ,quæ in cruce pertulit,in cœlum tulit. Quam- A uis enim cicatrices secundùm se deformitatem præ ferant, cicatrices tamen militum, & ducum ex vulneribus pro rege,& lege sua acceptis, non deformitatem, sed gloriam,& decorem pariunt. Cùm igitur pro Deo Patre,& lege sua, & redemptione nostra cicatrices illas habeat Christus,pro magno illi decore, & gloria sunt. Ecce altitudinem crucis, altitudo hæc est excellentiæ, & gloriæ, quam propter crucem Christus Dominus habet.

Et confirmauit hoc ampliùs ex honore, & gloria, quam ipsimet cruci Christi omnes exhibemus : illam enim adoramus,& non quomodocumque, sed adoratione latriæ,eam ex auro confectam, & gemmis ornatam nobiscum honoris gratiâ ferimus, eam in templis, & locis sacris,in domibus nostris, in ciuitatum & populorum ingressu, & in vijs publicis, vt ab omnibus adoretur,& omnes eam venerentur, collocamus, & à B scapulis latronum transfixa est crux Christi ad frontes Imperatorum,vti adnotauit sanctus Augustinus,Reges in coronis suis eam apponunt, duces in vexillis suis, Pontifices in thiaris suis. Quòd si ex ipsomet ligno crucis, in quo realiter passus est Christus, particulam minimam consequi valemus, eam auro ornatam supra cor nostrum amanter & glorianter constituimus,vt fugiat inde hostis:fugit enim,quia videt lignum,quo ipse cæsus,& abiectus est, & nobiscum huiusmodi particulam crucis ferimus tanquam rem omni auro pretiosiorem.

S. Paulin. epist 11. Seuerum. Vnde S. Paulinus, cùm mitteret ad Seuerum exiguum S.Crucis segmentum, his ad eum scribit verbis. Accipite magnum in modico munus, & in segmento penè atomo astulæ breuis, sumite munimentum præsentis, & pignus æternæ salutis, non angustetur fides vestra carnalibus oculis parua cernentibus, sed interna acies totam in hoc minimo vim crucis videat,dum videre vos cogitatis lignum illud,quo salus nostra, quo C Dominus maiestatis affixns tremente mundo pependerit : exultemus cum tremore:recordemur & petras scissas ad huius aspectum crucis, & saltem saxorum æmulatione, præcordia nostra findamus timore diuino.

Et denique ob hanc causam, cùm Dominus ad iudicandum veniet, tanquam honorificum vexillum ante se crucem deferet, *Tunc patebit*, inquit Dominus, *signum filij hominis in cœlo*, & Ecclesia locum istum exponens,*Hoc signum*, inquit,*erit in cœlo,cùm Dominus ad iu-* Matt. 24. *dicandum venerit*,& à cunctis electis, & Angelis adorabitur,& dæmonibus cum reprobis terrori erit, & tremori.*Bien merece la cruz esta honra,pues fue el banco donde se libró y pagó la deuda grauissima de nuestros pecados, solio donde fue condemado nuestro capital enemigo.* Arcus in signum positus reconciliationis nostræ, locus in quo terminata est redemptio nostra : ibi enim dixit Christus : *Consummatum est*, hoc est, consummata est ira Dei in mundum, consummata est spes sanctorum Patrum, D & consummatum est negotium generis humani, consummata est, & complementum suum accepit promissio Dei circa hominum salutem,tot sæculis dilata,romphæam deposuit Cherub, patet ingressus in paradisum cœlestem. *Nos otros hazemos para abrir nuestras puertas llaue de cruz,Christo hecha de la cruz llaue para abrir nos el cielo.*

Hinc Ecclesia Christi exultans, & magnificans crucem;ait,& canit,

Arbor decora,& fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata cuius brachijs
Sæcli pependit,pretium,
Statera facta corporis,
Prædamque tulit tartari.

Hinc sanctus Andreas, cùm primùm vidit crucem, in qua affigendus erat, exclamans dixit : *O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, solicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando concupiscenti animo præparata,accipe me ab hominibus,& redde me Magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit.* Ita ille. Imò sanctus Petrus frater eius, & Apostolorum princeps, renuit crucifigi capite sursum collocato,quia indignum se iudicabat,qui eo modo collocaretur in cruce, quo fuit Dominus crucifixus. Ecce altitudinem crucis, nunc profunditatem eius consideremus.

Profunditatis crucis Christi dimensio, humilitatem illam profundam,quam Christus exhibuit, & docuit nos in cruce, significauit. Quis pro dignitate hoc profundum humilitatis Christi in cruce poterit explicare? *Quien podrá apear esse profundo de la humildad de Christo en la cruz..Humiliauit semetipsum*, ait Apostolus, *factus obe- Phil. diens (per obedientiam) vsque ad mortem, mortem autem crucis.* quis ita se humiliauit, vt Deus, vsque morte in crucis ? Quis extrema ista ponderare rectè poterit, nisi solus Deus ? etenim cùm de incarnatione ibi Paulus loqueretur,*exinaniuit*, inquit, *semetipsum, formam serui accipiens*,id est, hominis, qui Dei seruus naturali iure est;serui ergo sui formam Deus, cùm incarnaretur,assumpsit,& hanc exinanitionem Apostolus nominauit, crucifixionem. quomodo appellauit ? humiliauit se, humilitatem vocat,sed quamnam humiliationem? hoc non explicuit,quia si incarnatio exinanitio est, & hæc exinanitionem non videtur inueniri posse nomen humiliationis maioris, morti in cruce quod nomen humilitatis possumus attribuere ? detur illi generale humilitatis nomen, vt hanc in gradu heroico humilitatem fuisse dicamus:dicatur hæc humilitas per antonomasiam,& excellentiam, quasi reliquæ ei non valeant comparari. Deum hominem fieri multum est per omnem modum,at crucifigi super omnem modum ; nam licèt crucifigi hominum sit, non tamen nisi hominum iniquorum,& pessimorum.vnde in lege maledictus reputatur pendens in cruce,*Maledictus*, inquit, *à Deo est qui* Deut. *pendet in ligno.* Vnde Paulus: *Christus nos redemit de male-* 21. Gal. *dicto legis, factus pro nobis maledictum,quia scriptum est:Maledictus omnis qui pendet in ligno.* huc vsque pro nobis humiliauit se Dominus maiestatis:& ecce profunditatem crucis Christi.

Vtinam & nos pro Christo humiles simus, sicut pro nobis Dominus noster humiliatus est. Miratur humilitatem Domini ? ego quidem miror superbiam serui post talem ac tantam Domini humiliationem:nam *intolerabilis impudentia est* (ait sanctus Bern.) *vt vbi se humiliauit Dominus maiestatis,vermiculus humanus infletur,& intumescat.*

Iam ad tertiam dimensionem veniamus : latitudinem scilicet crucis : hanc sanctus Augustinus vbi *supra*, Psal. amori Christi erga nos tribuit : charitas enim latitudinem cordis requirit, & præstat : vnde Psalmista, *Latum*, inquit, *mandatum tuum nimis*:mandatum latum vocat mandatum amoris,sicut explicat sanctus Augustinus *ibidem, & epistola* 12. & sanctus Ambrosius *serm.* 12.*in Psalm.* 118.adeò enim lata est charitas, vt ad inimicos vsque dilatetur. Hanc ob causam dicebat Apostolus : *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthy,cor nostrum di-* 2. Cor. 6. *latatum est, non angustiamini in nobis.* quod sic explicat sanctus Anselmus:*Lata dilectio cordis, quæ vos omnes complectitur,non finit vt taceamus ea quæ vobis prosunt : ex abundantia enim cordis loquitur, & vbi charitas est,non sunt angustiæ.* Ita sanctus Anselmus. Latitudo ergo crucis Christi,latitudinem charitatis,& amoris Christi denotat in nos:ficut enim qui aliquem amat, extendit brachia sua ad eum amplexandum, sic Christus Dominus in cruce brachia sua extendit ad amplexandum mundum

dum vniuersum. Quanta autem hæc charitas Domini extiterit in cruce erga nos, quis poterit explicare? Etenim cùm aliquam veritatem extorquere volumus, eam sub iuramento requirere solemus, pone (dicimus) manum supra crucem hanc, & iura an hoc ita sit. Etiam Domine omnes scire desideramus, an verè, & quantùm diligas nos; pone igitur manum in cruce, dicitò quanto nos amore prosequaris. Manum? inquit, manum, & manus apponam, & non tam verbis, quàm sanguine meo subscribam, vt per hanc crucem sciatis, quia vsque ad mortem diligo vos. Superestne dubium aliquod amoris Christi in nos? *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quòd si maius maioris amoris argumentum exhiberi potest, est animam seu vitam pro inimicis dare, & & ego in cruce pro inimicis animam pono. Vultisque aliud amoris indicium maius? *Vix pro iusto quis moritur,* 1.Io.3.7. ait Apostol. *nam pro bono forsitan quis audeat mori?* Hic iustus & bonus homo pro eodem sumuntur, vti aiunt sanctus Anselmus & sanctus Thomas. Ait ergo, pro tuendo viro bono & iusto, vix inuenitur qui mori velit, vix, (inquam) dixit, reperitur qui mori velit pro viro sancto, at pro viro impio, & malo quis? *Commendat autem charitatem suã Deus in nobis,* ait Apostolus, *quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Commendat, inquit, auget, & exaggerat, ponderat charitatem suam in cruce, ideo meritò sancta Ecclesia stateram corporis Christi vocat crucem in hymno supra relato. In corpore Christi, tot laboribus pro nobis exhausto, elucescit amor Christi in nos: huius igitur corporis crux statera facta est: nam ibi ponderamus immensam Dei charitatem in genus nostrum. Sit ille benedictus in æcula.

Cùm Apostoli mysterium crucis prædicarent, scandalizabantur Iudæi, irridebant Gentiles. *Prædicamus,* ait Apostol. *Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam,* quia scilicet extrinsecus humana ratione charitatem Dei metiri voluerunt, cùm ipsa immensa sit: non attendebant ad fontem, sed ad rivum, non, inquam, attendebant ad amorem à quo passio Domini promanabat, sed ad rem ipsam, & maiestatem, & naturam Dei: atque ideo non intelligebant, quomodo posset immortalis mori, & qui potestatem habebat vnico verbo hostes annihilare, ab eis se occidi, & crucifigi pateretur. Si attendissent bonitatem, & amorem Dei, credibile factum esset hoc illis: mensi sunt amorem Dei amore suo, & quia amor eorum paruulus erat, tam magnum Dei amorem in nos nunquam imaginari potuerunt. at infinitum illum Dei amorem decebat, non occultari, sed manifestari: manifestationem autem hanc, per aliquem egregium effectum fieri oportebat, dignum Deo: egregius autem effectus charitatis est, mori morte acerba, & dura pro indigno, & inimico: hoc enim maius quid est, quàm mori pro digno, & pro bono, & pro amico: ergo si supremus actus amoris Deum decebat, & hic est supremus actus amoris, sic mori pro inimicis in cruce, hæc mors est, quæ Deum decebat: si decebat Dei bonitatem & charitatem, ergo credibilis erat.

At dices, non decebat maiestatem, quamuis decere amorem videretur. Vidisti hominem ornatis vestibus indutum, qui, vt ostendat thoracem interiorem sericum, & gemmis distinctum, tunicam, quam supra thoracem gestat, scindit, *da vnos golpes al saio o cuera,* vt pretiositas thoracis per rimulas illas, & scissuras appareat. sic igitur Dominus scindi maiestatem suam permisit in cruce, vt per rimulas illas corporis, & maiestatis suæ, charitatis excellentia reluceret. Iam enim maiestatis suæ maxima argumenta, & documenta demonstrarat, amoris sui immensi, quæ non ita hominibus constabat, experimentum fieri voluit, quod vt dignum charitate sua esset, indignam hanc crucis mortem subire decreuit. O amor amorum! ô charitas charitatum! ô bonitas digna Deo! quis non hic agnoscat, fratres, quàm dignus amore nostro Deus sit? Etiamsi nullum præmium haberet amor noster, vel cò quidem amare Deum deberemus vsque ad mortem, quòd ille prior nos vsque ad mortem amauit. Extinguitur, proijcis in ignem lignum aliquod aptum, & statim ignis reuiuiscit, & flammas extollit, nisi fuerit prorsus extinctus. Alget in te amor Dei? Accipe lignum crucis, & adhibe cordi tuo, intellectui tuo, voluntati tuæ: si enim non fuerit prorsus extinctus in te amoris ignis in Deum, aptum est lignum istud, vt excitet flammas ingentes in te. Quòd si nec ita ardes? fac quod ad incendendum ignem fieri solet: insufflamus, & flatibus ignem accendimus. Meditationem hîc flatum voco, meditare satis hanc Christi charitatem in cruce, & in meditatione tua exardescet ignis: ora, & pete à Deo, vt aperiat tibi diuitias amoris sui in cruce, & ita accendat ignem sui amoris in corde tuo, & inuenies thesaurum absconditum in agro montis Caluariæ, &c.

Deplorandi sunt profectò illi, qui scandalum sumunt ex cruce, ex qua lucem, & amorem Dei, & salutem animæ deprimere debebant: nam ex amore Christi illum verum esse Deum coniectare saltem deberent. 3.*Reg.* 13. Accesserunt ad regem Salomonem duæ mulieres litigantes super infantulo quodam, cuius filius esset: nota est historia: *Asserte,* inquit, *Salomon, gladium, & diuide te infantem in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri. Dixit autem mulier, cuius filius erat viuus, ad regem: (commota quippe sunt viscera eius super filio suo) Obsecro Domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum. è contrario alia dicebat: Nec mihi, nec tibi sed diuidatur. Respondit rex, & ait: Date huic infantem viuum: hæc est enim mater eius.* Vnde cognouit Salomon illam esse veram matrem? vtique ex amore. Vnde nos cognoscimus Deum verum nostrum? vtique ex amore in nos: nulla enim mater ita diligit infantem suum, sicut Deus noster diligit nos. Audiamus Christum id meliùs perpendentem apud *Isa.* 49. vbi lic Christus per os Isaiæ ad Ecclesiam nostram: *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filij vteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te;* in manibus quidem, non atramento, sed sanguine, non calamo, sed clauis, non scriptura delebili, sed æterna: secum enim Dominus in cœlum tulit cicatrices, quæ tanquam litteræ quædam sunt illuminatæ luce gloriæ, in quibus scriptos nos semper in manibus habet Christus Dominus. si ergo Salomon ex amore matrem veram certò cognouit, cur nos ex tanto in nos Christi amore non eum verum nostrum Deum & cognoscemus, & diligemus toto corde?

Iam ad quartam dimensionem crucis suæ, quæ longitudo est, veniamus: & hæc sapientia Dei est, quam absconditam esse in mysterio, in mysterio scilicet redemptionis nostræ, interpretantur sanctus Ambrosius, S. Hieronymus, Oecumenius, Theophylactus, & alij. Conuenit autem sapientiæ longitudo; de illa namque scriptum est: *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Ad longitudinem autem pertinet sic attingere à principio ad finem vsque. sapientiam autem hanc in longitudine crucis Christi figuratam, quis inuestigabit? Hîc certè exclamare licebit cum Apostolo: *O altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Hîc Apostolus de Christo Domino agit, quem noluerunt recipere Iudæi, quia pauperem, & crucifixum eum videbant: & quamuis potuisset Deus alio modo eos illuminare, & saluare, noluit tamen ob secreta iudicia sua, ideo exclamans, ait: *O altitudo sapientiæ, & scientiæ Sap.8.1. Rom.11. 33.*

Dei,

Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius: ergo si in- A comprehensibilis est sapientia crucis Christi, non ad comprehensionem, sed ad nonnullam cognitionem huius sapientiæ procedamus.

Et primò magna sapientia est illius, qui pugnans hostem suis proprijs armis superat, & vincit, sicut Dauid gigantem, & sicut Iudith Holofernem. *Es gran industria darse vno tan buen amanena, que peleando con su enimigo, le quite la espada, y le vença con ella.* Crux Christi ensis fuit hostium eius, qui eum interimere, & famam, & nomen
Ierem.11. eius prorsus abolere contendebant. *Mittamus lignum in*
19. *panem eius & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius*, aiebant inimici Domini, sicut exponit S. Hieronymus, dicens: *Mittamus lignum in, panem eius, hoc est, crucem in corpus Saluatoris: ipse enim est qui ait: Ego sum panis qui de cœlo descendi.* Ita S. Hieron. B Eradamus eum, aiunt, de terra viuentium, & nomen eius, sed nihil minùs: inde vitam æternam in terra illa viuentium acquisiuit resurgendo à mortuis, & nomen
Phil.2. 8. æternum. Audi Apostolum, *Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*; quid inde? *Propter quod & Deus exaltauit illum*, scilicet ad cœlum eum ducens, *& donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Illi per crucem vitam, & nomen abolere voluerunt, & ipse per eandem crucem vitam, & nomen altius acquisiuit. Similiter hostis humanum genus omnino perdere voluit per lignum paradisi: at Deus in melius multò reparauit hominem per lignum. quod lætis vocibus canit Ecclesia: *Salutem humani generis in ligno crucis constituisti, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*, & in hymno crucis, *De parentis protoplasti fraude factor condolens, quando pomi noxialis morsu in mortem corruit, ipse lignum tunc notauit, damna ligni, vt solueret & medelam ferret inde, hostis vnde læserat.* nota verba illa, *ipse lignum tunc notauit*, &c. neque enim defunt, qui dicant, ex eodem met numero arbore, ex quo comedendo peccauerat Adam, factam fuisse crucem Domini. Et subdit: *Et medelam ferret inde, hostis vnde læserat: inde*, non aliunde. & inde quidem Dei sapientia constat, quòd eisdem medijs, quibus hostis nos perdere voluit, & Christum, eisdem Christus se exaltauerit, & saluauerit nos, *dando le de palos al demonio con el mesmo palo, que tomò contra el.* Sit ille benedictus in sæcula. Et nos exclamamus, dicentes: O altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei, &c. Etenim in deserto voluit hostis ad culpam Christum ducere, sed non valens, voluit pœnis perdere, quem non potuit culpis: at Christus pœnis illis pœnas, culpasque abstulit, *vt medelam feret inde, hostis vnde læserat.*

Denique sapientia Dei in cruce relucet, eò quòd in re adeò graui, qualis fuit misericordiæ, & iustitiæ diuinæ satisfactio, tale consilium adinuenit, vt misericordiam eximiam sine præiudicio iustitiæ suæ, & iustitiam D summam sine præiudicio misericordiæ suæ exhiberet. sic in cruce *misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, sic iustitia, & pax osculatæ sunt.* Vide sanctum Bern. *sermone 1. de Annuntiatione.* quare in hac longitudine crucis rectè Dei sapientia reperiæstantur.

Sed ad eruditionem nostram hinc sapientiam ex sapientia Domini addiscamus: sic enim per crucem nos salutem nostram procurare debemus. Si amaritudine crucis Christus nos saluare voluit, nemo sibi persuadeat, dulcedine voluptatum mundi se salutem euasurum: hos enim vocat Apostolus, *inimicos crucis Christi,*
Phil.3. *quorum finis interitus est*: ipsi verò dulcedines amant, & hoc in signum reprobationis assignat Apostolus. Locum hunc sic explicat S. Anselmus: *Ipsi*, inquit, *sunt inimici crucis Christi, qui contra crucem semper faciunt: cùm enim crux Christi in omnibus electis carnem affligat, & mortificet vitia, illi è contrario carnem voluptatibus fouent, & nutriunt vitia, ideoque finis eorum erit interitus perpetuus.* Ita ille.

Qui vult ergo fieri saluus, crucem carnis suæ am- *Matth.*
plexetur: sit enim Dominus: *Qui vult venire post me, ab-* *16.*
neget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. *Luc.9.*
quasi dicat: Ego ad Patrem vado: qui mecum ad Pa- *23.*
trem, & patriam cælestem venire desiderat, crucem suam amplexetur, sicut ego meam amplexatus sum. Nos felices, qui talem ducem & præceptorem habemus, quantumuis per arctam crucis viam nos ducat. Hanc fœlicitatem prædixerat Isaias, *Erunt*, inquit, *oculi* *Cap.*
tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum *30.*
post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dextram, neque ad sinistram. De Christo loquicompertares est, *præceptore*, vocat quia talem se ipsemet appellauit Christus, dicens: *Non vocemini magistri,* *Matth.*
quia magister vester vnus est Christus. Ille igitur, tanquam ve- *23.*
verus magister, nos viam cœli docet. *Hæc*, inquit, *est via, ambulate in ea*: quænam via? *Qui vult venire post me, abneget*, &c. Arcta, inquies, hæc via est, nimirum, quia *arcta est via quæ ducit ad vitam*; quidni ergo magister vitæ arctam crucis doceat viam? etenim melius est per arctam viam crucis, & pœnitentiæ, pergere in cœlum, quàm ad inferos per latam & amplam voluptatum. *No haze, m abre la puerta del cielo llaue, que no sea de cruz, con essa llaue o ganzua abrìo el buen ladron essa puerta, haziendo en ella pentencia, y confessando que la merecia:* Non *quidem iustè*, &c. Et denique per hanc regiam crucis viam omnes Dei sancti pergentes, ad cælestem palmam peruenerunt: ipsâ enim aperuit priùs Christus ianuam cœli.

Tangit fabulam Vlyssis sanctus Ambrof. *in prologo* *super Luc.* qui, cùm nauigans mare syrenas offendisset, se præcepit ibi alligari malo nauis, ne syrenarum cantu illectus, se in mare præcipitaret, aut in syrenarum cubile ret potestatem, ligatusque hoc pacto syrenarum periculum euasit. Quamuis hæc sit fabula, ad rem tamen nostram non incongruam similitudinem admisit: voluptates huius mundi sunt, quæ suauitate sua in barathrum peccatorum nos præcipites ferunt, remedium Vlyssis adhibere nos oportet, si nolumus interire: malum nauis nostræ Ecclesiæ crux Christi est, hanc amplecti, huic alligari debemus, ne peream us: ipsa enim alligatos suos ad portum ducit bonæ spei, & in vitam introducit æternam; vnde meritò arcam Noë figuram crucis dicemus. Sicut enim hi tantùm in Orbis diluuio salui facti sunt, qui in eo ligno inuenti sunt, sic qui in cruce Christi recepti sunt, salui à diluuio animarum inuenientur, *en esta naue nauigan y se salua las almas predestinandas*, reliqui pereunt.

Habet quidem amaritudinem crux, & radix mortis est, sed hoc mirabile prorsus, quòd, cùm radicem mortis habeat, fructus vitæ proferat: sicut in fructuosis arboribus videmus, quòd, cùm radices eius amaræ sint, fructus ex illis promanantes, non amari, sed dulces sunt: vt in pomis; & piris, & alijs fructibus videre licet. Crucem modò imaginare in Caluariæ monte, & ibi fixam, supplantatam, vbi Adæ corpus fuerat sepultum, vti affirmant Origenes *tract. 35. in Matth.* sanctus Hieronymus *epist. ad Marcel.* sanctus Ambrof. *lib. 3. epistolarum, epist. 19.* sanctus Epiphan. *lib de hæres. in fine.* Theophylact. *super Ioan. 19.* & Euthymius cum sancto Chrysostom. *super Matthæum. 6.* Hi omnes super corpus Adæ fixam, & plantatam fuisse crucem Domini affirmant: Adam autem principium mortis nostræ fuit: nam, vti ait Apostol. *in Adam omnes moriuntur*: Christus verò author vitæ, *ita & in Christo*, ait, *omnes viuificabuntur.* Adam mortis author, ecce amaritudinem radicis in parte superiori, vbi fructus sunt, Christus vitæ author: ecce dulcedinem fructus. hoc tamen in hac similitudine desiderari videtur, quòd in alijs arboribus ex radice emanant fructus, in arbore autem crucis nequaquam: non enim ex Adam, qui radicis vicem gerit, vita, sed ex Adam mors, ex Christo vita: sed neque in hoc

hoc dissimilitudo est : nam & hîc ex radice mortis oritur vita, dum ex morte hominis, quam pro homine subire voluit Christus, ortum habuit nostra vita : & Adæ causâ venit Christus, vt nos à morte liberaret. Nunc ad rem : sicut ex amaritudine mortis Christi in cruce emanauit vita nostra, sic ex mortificatione, & cruce nostra ad vitam perueniemus æternam : non enim satis fore speres Christi crucem, nisi & tu crucem tuam cruci Christi adiungas : *qui enim creauit te sine te, non te saluabit sine te.*

In huius rei figuram, sicuti affirmant sanctus Gregorius Nazianz. & S. Augustinus. cùm Elisæus suscitare à mortuis vellet puerulum illum, in forma crucis se pueri commensurauit. Puerulum vocat hominem, qui peccati causâ cœlum dimisit : venit filius Dei hominem suscitare, & saluum facere quod perierat, & se commensurauit homini in forma crucis, & hoc modo illum suscitauit in monte Caluariæ, vti diximus super hominem mortuum fuisse Dominum, & crucifixum, Aduerte, quòd sicut non solus Elisæus suscitator, sed etiam puer suscitatus figuram crucis simul habebat; sic qui à Christo refuscitari voluerit, crucis figuram, & positionem habere debet, hoc est, simul crucifigi cum Christo, aliàs non resurget, non recipiet à Christo Domino vitam, &c.

Denique secundùm S. Augustinum. *tom. 10. serm. 181. Intelligitur*, inquit, *in longitudine crucis longa, & perseuerans laborum, & perseuerantium sustinentia, quam patienter ferre debet ad patriam suspirans nostra peregrinatio.* Ita sanctus Augustinus. Etenim Christus in cruce egregium huiusmodi perseuerantiæ exemplum nobis dedit : cum enim conuersionem suam promitteret ei scribæ & principes sacerdotum, si descenderet de cruce, dicentes, *Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce & credimus ei:* licet talem conuersionem sitiret Christus; noluit tamen descendere de cruce, quia præceptum Patris habebat moriendi in ea, & quia ita omnium nostrûm saluti expediebat. Sic igitur nos in crucem nostram pœnitentiæ, & mortificationis affectu ascendere oportet, vt perseueremus in ea vsque ad mortem, vt impleatur in nobis illud, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei.* Amen.

Prop. XIX. *Crux Christi cathedra docentis est.*

Sanct. Thom. 3. *p. q. 46.* quærit, an Christus Dominus in cruce debuerit pati, & mori. Et ratio dubitandi eius est, quia mors crucis mors maledictionis est, iuxta illud, *Maledictus est à Deo qui pendet in ligno.* Christum autem, non decet maledictio, sed benedictio, secundùm id, *Benedictus qui venit in nomine Domini?* non igitur debuit Christus in cruce pati. sed in oppositum est, quod ipsemet ait : *Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare, in gloriam suam?* Priùs igitur quàm ad argumenta propolita respondeamus, conuenientiam mortis Christi in cruce discutiamus. Sanctus Thomas ibi respondet: Conuenientissimum fuit Christum pati mortem crucis propter exemplum virtutis: dicit enim Augustinus *in lib. octoginta trium quæstionum q. 25 tom. 4. Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo rectè viueremus, suscepit.* Ita S. Thomas. Hinc idem sanctus Augustinus crucem Christi cathedram Christi appellauit *tom. 9. tractatu 159. in Ioannem. Lignum*, inquit, *in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit magistri docentis.* & quidem non vnam tantummodo virtutem in ea nos docuit, sed omnes, & eas maximè, quæ ad salutem nostram maximè necessariæ sunt. Docuit igitur nos exemplo suo Christus omnes virtutes, à prima ad vltimam & supremam vsque. Prima enim & fundamentalis virtus est humilitas. *Cogitas* (inquit sanctus Augustin. *serm. 10. de verb. Domini*) *magnam fabricam construere. cellitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.* Ita ille. qui de fabrica loquitur Christianæ perfectionis, cuius fundamentum humilitas est: hanc autem virtutem mirè nos in cruce docuit Christus : etenim præsepium cathedra humilitatis fuit, sed cathedra paruа, cathedrula fuit, crux verò cathedra primaria Christi fuit, in qua de humilitate mirabiliter legit, non verbis, sed factis. quid enim humilius, quàm in patibulo crucis Christum crucifigi inter duos latrones, ac si insignior malefactor extitisset? Marcus Tullius *Oratione 2. in Verrem : Nefas est vincire Romanum ciuem, scelus verberare, prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere?* Ita ille. Ac si diceret, nescio quibus verbis dedecus huiusmodi augere queam. Hucusque igitur peruenit humilitas Christi. sicuti ponderauit Apostolus, *Humiliauit*, inquit, *semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*; quasi dicat, non potuit altiùs Christi humilitas commendari, quàm quòd humiliauerit se vsque ad mortem crucis. habet emphasim magnam reduplicatio illa, *mortem autem crucis* : sunt enim & aliæ mortes infames, sed tamen infamis supra omnes mors crucis erat. vnde *Sap. 2.* occisores Christi dixerunt: *morte turpissima condemnemus eum*, &c. Disce Christiane à Magistro tuo humiliari: qui enim tali proposito exemplo adhuc superbus est, non Christi discipulus, sed Luciferi est. Quid igitur ad hæc ille, qui vel patibulo crucis suffixus sursum, deorsumque omnia vertit? &c. Ecce ergo quonam pacto printam, & fundamentalem omnium virtutum, humilitatem nos Christus in cruce docuit.

Phil 2.8.

Sap. 2. 20.

Suprema autem omnium virtutum charitas est, dicente Apostolo : *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc : maior autem horum est charitas.* & Christus Dominus : *Hoc est maximum, & primum mandatum*, &c. Hanc autem maximè docuit nos Christus in cruce exemplo suo : maiorem enim charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Ponere autem eam pro inimicis suis eximium argumentum charitatis est: vt superiùs adhuc ostendimus. Quid si addideris orationem illam, quâ pro inimicis, imò pro crucifixoribus in cruce confixus orauit? *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Padre mio, como padre, y no como juez, os inuoco y supplico, que fues la parte de su parte perdona a los, que le crucifixan, les perdoneis vos.* Quid hac charitate sublimius? tria nobis pro inimicis agenda commendauit : *Diligite inim cos vestros, benefacite, orate.* hæc tria exactissimè ipse obseruauit in cruce, quia dilexit nos in tantum, vt tunc maximè, sicuti dictum est, charitatem suam in nobis commendaret. Benefecit, quia quicquid ibi boni fecit imò mali passus est, nostri causâ fecit, & passus est. Tandem orauit pro crucifigentibus se Patrem : quo pacto, quæso, altiùs potuit charitatem suam nobis commendare? Primam agitur, & supremam omnium virtutum sic nos in cathedra crucis docuit Christus. Quòd si inter charitatem & humilitatem multæ aliæ virtutes inueniuntur, quam illorum non docuit Christus? Solent in litterarijs Vniuersitatibus præceptores post curriculum anni relectiones aliquas adhibere, quibus summariè ea percurrant, quæ in tempore decurso fusiùs pertractarunt: sic Christus Dominus totius sanctitatis, & perfectionis magister, triginta trium annorum spatio omnium virtutum doctrinam docuit, & in fine vitæ relectionem in cathedra crucis prælegit, in qua breuiter, sed efficaciter, & perfectè, quod decursu temporis sui legerat, relegit. Verbi gratiâ, legit diu materiam obedientiæ, & in cruce, inquit, Apostolus, factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, & vti ait S. Bernard. *perdidit vitam, ne perderet obedientiam*, vt & nos Deo obedientes simus vsque ad mortem, mortem autem crucis. Docuerat ante patientiam verbis & exemplis, at in crucem actus, sicut ouis ad occisionem se duci permisit, &, tanquam agnus coram tonsore, non aperuit os suum : vt & nos, quamuis sine causâ ab ingratis perse-

1. Cor. 13.

Matt. 22. 38.

Luc. 23. 34.

Matth. 5. 44.

Phil. 2.

cutionem passi fuerimus, æquo animo cuncta feramus. A *Que de agrauios, iniurias, baldones, blasphemias, heridas, y al fin muerte padecio, sin dar vna quexa de nada, y encomendando a su padre a los, que tanto mal le hazian, y vos porque os tocaron en el pelo de la ropa, os resentis hasta vengar os.*

Prælegit etiam in vita materiam de perseuerantia, docens, in perseuerantia sitam saluationem nostram esse. *Qui perseuerauerit*, inquit, *vsque ad finem, hic saluus erit.* hanc ita relegit Christus in cruce, vt quamuis rogatus à promittentibus fidem in eum, si descenderet de cruce, nulla ratione; quamuis facilè poterat, & fidem eorum maximè desiderabat, descendere à cruce voluerit, donec animam exhalans diceret: *Consummatum est*, vt nos à cruce Christiana doceret nunquam descendere, &c.

Denique docuit nos in decursu vitæ omnibus operibus suis, peccatum summo prosequi odio: hic enim erat fructus aduentus eius, vt deleret iniquitatem; sed tamen id maximè nos in cruce docuit: sanguinis enim sui colore peccati grauitatem, & sœditatem graphicè depinxit. Vis peccati malitiam viuis coloribus pictam videre, respice Christum in cruce: non enim ita in inferno resplendet sicut in cruce Christi: nam in pœnis inferni punitur peccator, dignus supplicio tanto, at in cruce pro peccato moritur ille, qui semper fuit sine peccato. moritur sanctus Dei, moritur Deus. Vnde sanctus Bern. *Filius Dei iubetur occidi, vt vulneribus meis pretioso sanguini eius balsamo medeatur. Agnosce, ô homo, quàm grauia sint vulnera ille, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari.* Ita ille.

In multis olim Samson se inimicum Philistinorum ostenderat, sed tunc magis, cùm in eorum templo columnas amplaxetus, templum euertit, & Philisthæos omnes secum interfecit: nam antea, se incolume, alios occidebat, tunc verò, vt alios interimeret, se pariter cum illis necare non dubitauit; sic quamuis Christus Dominus in multis odium in peccata nostra manifestauerat, sed tunc quidem potissimùm, cùm, vt peccata necaret, cum illis in cruce mori non recusauit. Quis non timeat, & horreat id perpetrare, quod Deus sic abhorruit? &c.

Denique docuerat in vita Christus bona mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare, speciatim verò delicias contemnere, & crucem spiritus amplectit: hoc enim proprium prædestinatorum est: *qui eum Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs suis.* Vnde, voce de cœlo delapsa, dictum est sancto Francisco: Amara pro dulcibus sume, si vis esse beatus. hunc igitur deliciarum, & bonorum mundi contemptum, mirè docuit nos Christus in cruce vbi aceto, & felle potatus, fel pro melle nobis sumere suasit, & nudatus in patibulo nuditatem ab omnibus mundi rebus nos habere monet: dedecet enim Christianum delicijs vacare, dum videt Christum Dominum suum cruciatum in cruce, &c. Hac igitur de causa, inter alias, Christus Dominus in cruce voluit crucifigi & mori.

Nunc ad argumentum sancti Thomæ respondeamus: cùm maledictus à Deo sit qui pendet in cruce, cur in cruce passus est Christus, cùm sit in se benedictus à Deo Patre? Ratio manifesta est: crucifixus ille dicitur à Deo maledictus, qui culpâ suâ exigente, affigitur cruci; Christus autem non propter culpam suam, sed propter culpas nostras, & charitatem suam nimiam, quâ dilexit nos, vt mundaret nos à delictis nostris, crucifixus est: ob hoc autem non maledictionem, sed benedictionem meretur sempiternam. Sit igitur ille benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

PROP. XX. *Cruce sua Christus nobis suadet acriter contra vitia pugnare.*

SIc Dominus ad Moysen: *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo.* In originali Hebræo habetur, *& pone eum pro vexillo.* Notum est ex c.3. Ioannis, eleuationem illius serpentis in deserto figuram fuisse eleuationis Christi in cruce: crux ergo quid aliud est, quàm vexillum quoddam religionis Christianæ, sub quo omnes cum Christo militamus. At dices, quonam pacto militare debemus? Id ex ipso colliges vexillo. Vide, inquam, quo pacto Christus Dominus militauit, nónne aduersùs peccata rebellauit vsque ad mortē, mortem autem crucis? sic ergo & te bellare adversus peccata oportet vsque ad mortem, & mortem quidem crucis, &c. Num. 21. 8.

PROP. XXI. *Crucifixi Domini imitatio ad vincendum dæmones conducit.*

FVgiunt dæmones à præsentia crucis Domini, veluti canes, cùm vident baculum quo vulnerati sunt. vnde sic ad eos Ecclesia: *Ecce crucem Domini, fugite partes aduersæ.* Eademque ratione nos ipsos cruce signātes, dicimus: *Per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.* Hinc S. Chrysost. oratione in adoratione S. Crucis: *Crux armatura Domini est insuperabilis,* & addit: *Vides quomodo Rex cœlorum milites suos armet? non dedit scutum, non galeam, non arcum, non thoracem, sed quod his omnibus firmius, & valentius ad præsidium est: hoc gladium, hoc clypeus, hoc galea, hoc thorax, hoc propugnaculum tutum.* Ita ille. Armamur autem cruce Christi, cùm Christum crucifixum imitamur, & carnem nostram cum vitijs nostris crucifigimus: & hostis, sicut horret Christum crucifixum, sic etiam horret Christianum eo modo crucifixum, imò solā crucis Christi & passionis eius cogitatio dæmones & tentationes fugat. Audi Apostolum Petrum: *Christo in carne passo, &, vt ipse, eadem cogitatione armamini:* non dixit, *eadem passione*, vel, *cruce*, sed; *eadem cogitatione*: quam enim tentationem peccandi non vincet, qui attento animo Deum pro peccatis nostris crucifixum considerat? Vnde Hugo Cardinal. locum hunc Petri exponens, ait: *Sola memoria seu cogitatio passionis & crucis Christi, maxima est fortitudo & armatura contra dæmonum potentiam.* Ita ille. Et addit hanc S. Bernardi sententiam, quam priùs protulit Origen. lib. 6. in Epist. ad Rom. *Tanta est virtus operis Christi, vt, si mente fideliter habeatur, continuò, ad solam memoriam eius, totius peccati fugetur exercitus.* Ita Hugo ex S. Bernard. & Origene. A B C D

PROP. XXII. *Crux Christi thronus est Dei audientis orationes nostras.*

CVm Christus in cruce penderet, è cruce sua ad eum orauit latro, dicens: *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Cui Dominus: *Hodie mecum eris in paradiso.* Plus obtinuit latro quàm petiuit: petiuit enim memoriā sui, quasi dicat, nō peto Domine, vt illico me in regnum tuum introducas: indignus enim sum beneficio tanto, dignus qui in purgatorio graues luam pœnas, ibi vsque ad diem iudicij lubens patiar: hoc solùm peto, vt misererris mei, noli me condemnare. At Dominus, quamuis nouerat latronem grauia commisisse delicta, & pœnis plusquam purgatorijs esse dignum: *Hodie*, inquit, *mecum eris in paradiso.* Cur ita Domine? S. Chrysostomus *hom. de cruce, & latrone*, sic pro Christo respondet: *Volo vt in cruce positi omnes meam inuenire virtutem, vt in ligno mea largitas demonstretur.* Ita sanctus Chrysostomus. Quòd si roges cur in ligno? nimirum quia in ligno Christus Dominus optatissimam conse-

consecutus est generis humani redemptionem, ibi perfecit eam, ibi dixit: *Consummatum est*, negotium videlicet redemptionis humanæ. Et secundò, quia in cruce grauissimũ obtulit patri suo corporis, & cordis sacrificium: in cruce igitur opus fecit, & perfecit ad patris sui gloriam, & ad salutem nostram, diuinissimum, à se diu desideratum, & Patri summè acceptum. & propter has duas causas amat Christus Dominus intensè crucem suam, & honorat, & vult ab omnibus adorationem latriæ adorari, & super Regum, & Imperatorum capita constitui, & in altaribus & sacris locis collocari. & hinc est, quòd, cùm à Deo aliquid obtinere desideramus, eum per crucem adiuramus, vti Ecclesia facit in litanijs suis, dicens: *Per crucem, & passionem tuam libera nos Domine.*

A

Eadẽ ratione fit, quòd, ad impetrandum efficax remedium sit, crucem vel imaginem crucifixi adeamus, & coram cruce Deũ oremus: est enim crux misericordiæ, & gratiæ Christi thronus. in cruce nempe Christus vltimatè nobis misericordiam, gratiamque promeruit. Adeamus ergo cum fiducia ad hunc gloriæ Dei thronum, vt misericordiam consequamur, dicentes: Per crucem & passionem tuam miserere nobis. Quid non per crucem, & in præsentia crucis concedet, qui pro nobis in cruce mori non dubitauit? Etenim licèt latro sit in vltimo vitæ spiritu constitutus, & cœlum, ac beatitudinem æternam ille petat, non negabit, sed dicet: *Erat tibi sicut vis*, &c.

B

Prop. XXIII. *Crux defensit ad fidei meritum.*

Fides, ait S. Gregorius, *non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum*: vt igitur fides meritum maius habeat, ratio humana minorem debet habere locum. Hinc constat oraculum fidei de cruce Christi, magni apud Deum meriti esse: longè enim ab humana distat ratione, ideoque Rupertus *libr. 6. de officijs, cap.* 21. crucem vocat fidei nostræ præsidium. Cùm rex aliquis ciuitatem inimici capit, præsidia ibi constituit, quibus ciuitatẽm milites tueantur. Crux quidem ante mortem Christi, homicidarum, & latronum patibulum erat, cepit eam Christus sibi & fidem suam in ea maximè collocauit, & ita eam inibi muniuit, vt meritò crux fidei præsidium dici possit. si enim fides est *argumentum non apparentium*, in cruce maximè consistet fides: est enim crux *argumentum non apparentium*, in ea quippe dẽitas valde latet. Quis enim in cruce pendentem Deum esse existimasset, nisi fides reuelasset? *Prædicamus*, ait Apostol. *Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam*, quia scilicet latebat in crucis ignominia Dei maiestas, in cruciatibus gloria, in morte vita, in passione omnipotentia, denique in illa humanitate sic affecta, deitas ipsa. In cruce igitur maximè locum habet fides, quæ est de non visis. meritò ergo crux Christi fidei præsidium nuncupatur, & consequenter in ea maximè meritum habet fides Christiana, &c.

C

1.

D

Prop. XXIV. *Crux est nobis maxime honore colenda.*

Ivsit Rex Assuerus Mardochæum regalibus indui vestimentis (purpura, verbi gratiâ) & regio diademate coronari, & super regium ascendere equum, & per plateam ciuitatis circumduci, clamante principe Aman, & dicente: *Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare.* Id mihi nunc de cruce dominica dicere liceat, seu de Christo Domino crucifixo, qui purpurã illã pretiosi sui sanguinis indutus, & diademate coronæ spinææ coronatus, & super equum collocatus, nunc per vicos, & plateas gloriosissimè circumfertur,

Labatæ Tom. I.

clamantibus omnibus Dei præconibus, & dicentibus: Sic honorabitur quem cœlestis rex & pater voluit honorare.

Erat quidem olim crux ignominiæ patibulum, vnde aduersarij Christi dicebant: *Morte turpissima condemnemus eum.* Sed postquam in ea Christus Dominus crucifixus fuit, cœpit eam Pater valde glorificare. Vnde à Regina Helena voluit eam inueniri, ab Imperatore Heraclio circumferri, ab Imperatore Constantino in præsidium suum assumi. Principi Synagogæ Nicodemo primò Christus Dominus eius mysterium prædicauit, & ab ipso, & primario viro Ioseph ab Arimathia voluit contrectari, cùm ab eo Christi corpus sublatum fuit, & denique à scapulis latronum, ex tunc ad frontes Imperatorum translata est.

ap 2 20.

Ob eandem quoque rationem, vti refert Petrus Comestor *in Scholastica historia*, iussit Constantinus Imperator, vt in posterum nullus ex malefactoribus in ea crucifigeretur, indignos eos reputans crucis decore, quem ex membris Christi susceperat ipsa crux: si enim ob ignominiam promeritam latrones suspendebantur, absurdum prorsus erat in patibulo iam mirè glorioso puniri. Tandem ob eandem rationem nos crucem adoramus, & super capita nostra tollimus, & osculamur, & auro ac gemmis ornamus, & latriæ colimus honore, quia Dominus Iesus glorioseè in ea de suis, ac nostris inimicis triumphauit, quare meritò Ecclesia: *Pange lingua gloriosi prælium certaminis, & super crucis trophæum dic triumphum nobilem, qualiter Redemptor orbis immolatus vicerit, &c.*

Prop. XXV. *Ex reuerentia quæ exhibetur Cruci, constat fidei veritas.*

Qvòd post mortem Christi, & post crucem, res ipsius clariores futuræ essent, asseruit Isaias, sic dicens: *Et erit sepulchrum eius gloriosum: Reges enim, vt* ait Chrysostomus hom. Quod Christus sit Deus. *posi- Isai. 11. tis diadematibus, crucem suscipiunt, mortis symbolum.* 10. *In purpuris crux, in diadematibus crux, in precibus crux, in armis crux, & in mensa sacra crux, & in toto Orbe crux, & super solem fulget crux. Et erit requies eius honor, licèt diuerso modo in rebus humanis contingere solet. Nam cum hi, qui in magna hic sunt gloria, rebusque florentibus agunt, moriuntur, pereunt cum illis simul alia omnia: id quod non solùm diuitibus, sed etiam in regibus videre licet. Nam leges eorum irritantur, statuæ obscurantur, memoria exstinguitur, nomen eorum in oblitionem venit, à cognatis despicitur. At secus Christo Domino euenit. Ante crucem in luctu res erant, Iudas prodidit, Petrus negauit, reliqui Apostoli fugerunt. Caterùm vbi Christus occisus est & mortuus, vt discas quod non sit purus homo, non solùm res eius non intercidêrunt, sed multò clariores redditæ sunt. Ante crucem præceptum Apostolorum neque ostiariæ minas tulit, & post tantam eruditionem æbat se nescire quis esset. At post crucem Orbis ipse ad fidem accessit, & infiniti Martyrum populi occisi, malentes mori, quàm crucifixum negare. Et reges, & principes, & milites, & præsides, & serui, & liberi, & idiotæ, & sapientes, & insipientes, & Barbari, & reliqua hominum genera, ac terræ omnes, quas sol spectat, ad hoc nomen currunt, vt adorent. Vt discas quòd sit & erit sepulchrum eius gloriosum. Non in ipso tantùm, sed & hoc contigit in discipulis eius. Nam qui contempti, & victi erant, & qui innumera patiebantur, dum viuebant: vbi defuncti sunt, regibus ipsis illustriores, & venerabiliores euaserunt. Etiam Roma, quæ vrbium regalissima est, relictis omnibus ad sepulchra piscatorij, & pellionis currit, & reges & præsides & milites. Et in Constantinopoli reges nostri magnam gratiam putant, nõ si prope Apostolos, sed si vel extra eorũ vestibula, corpora sua sepelianturr, fiantque piscatorum ostiarij reges. Neque hinc in morte confunduntur, sed honestantur & ipsi, & eorum nepotes, & pronepotes, & erit sepulchrum eius gloriosum. Quale autem symbolum mortis?*

Signum erat mortis maledictæ, mortis omnium diffamatissimæ: Hoc enim solum mortis genus maledictioni obnoxium fuit. qui enim olim peccabant, comburebantur, lapidabantur, & alijs modis vitam finiebant, vt supplicijs tantum punirentur: crucifixus autem non solum hoc ferebat, sed vt maledictum
Galat 3. 13. *quoddam. Nam maledictus, ait,* omnis qui pendet in ligno. *Verumtamen hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi supplicij symbolum, crux diadematibus, & coronis clarius factum est. Neque enim sic regia coronâ ornatur caput, vt cruce, quæ omni cultu dignior. Vnde omnes ea se signant, & in fronte, nobil. ma nostri corporis parte, quasi in columna quadam, quotidie figuratur. Hanc vbique celebrari vides, in domibus, in foro, in vijs, in armis, in vasis argenteis, & aureis, in margaritis, in delicatorum choreis, in Monachorum ordinibus: adeò certatim omnia hoc mirabile rapiunt omnes, & ipso cuncti ornantur. Nullus confunditur, nullus erubescit, cogitans quòd fuerit symbolum mortis maledictæ. Vellem audire à pagano, vnde symbolũ tã maledicti supplicij, omnibus adeò desiderabile, si non magna crucifixi virtus? Sunt lictoribus multa genera tormentorum, ligna, lora, vngues, & alia huiusmodi, quibus corpora torquent, & dilacerant membra: quis autem vult hæc intra fores suas? quis ea contingere manu? An non plures ita hæc abominantur, vt neque aspectum sustineant? Tale quid olim crux erat: nam non mortis tantum, sed maledictæ mortis symbolum erat. Vnde igitur modo cunctis desideratior? ipsum lignum, in quo fuit Dominus crucifixus, quare iam totus Orbis ita contendit, vt qui paruum quiddam ex illo habent, hoc auro includant, & cæruculus suis aptent, hinc valde honestati, & protecti? Sed qui cælum, terramq; fecit, etiam crucem adeo contemptam supra cælos eleuavit: hoc, inquam, maledictæ mortis symbolum factum est? omnigenæ fecuritatis murus, tempestiua diaboli plaga, damonum, & virtutum contrariarum frenum. hoc mortem sustulit, hoc inferni æreas portas confregit, diaboli arcem expugnauit, peccati nexus execuit, Orbem obnoxium condemnationi eripuit, plagam à Deo immissam aduersus naturam nostram remisit, & quæ non potuit mare, cum diuideretur, & petra, cum rumperentur, & aer cum mutaretur, & manna: quod quadraginta annis tot millibus datur, & lex, & alia signa, tam in eremo, quàm in Palæstina facta, ea potuit crux, non in vna tantum gente, sed in omnibus, quas. sol aspectat, terris. Crux, inquam, maledicti symbolum, quod omnes fugiebant, quod probrosissimum dicebant, tantum ac tale post crucifixi mortem robur accepit. Ideo dicebat Pro-*
Isai 11. 10. *pheta:* Erit sepulchrum eius gloriosum.

Non solum hoc, sed aliam tibi virtutem crucis ostendam. Erat Orbis sterilis, & infœcundus in sermone virtutis, tanquam terra solitaria: fecit autem eum crux matrem filiorum, & frugiferum paradisum, & hoc quoque prædictum fuerat à Prophetea: Lætare sterilis, quæ non paris: iubila, & clama quæ non parturis, quia plures sunt filij sterilis, quàm habentis virum. *Videlis diligentiam Prophetarum, quomodo*
Isai 54. *ventura cuncta prædixerunt? Verba præcesserunt, & opera verbis succedere vides consona, & prætermissum nihil.* Hactenus Chrysostomus.

PROP. XXVI. *Quàm diabolus detestetur crucem.*

S. Atha. QVærit S. Athan. lib. qq. q. 13. cur diabolus crucem tanto prosequatur odio, & eam detestetur, & fugiat: si enim hoc, quia in crucem ascendit Christus, etenim & in iumentum etiam ascendit, & tamen non ideo iumentum abhorret. Respondet S. Athan. *Quia Christus Dominus diabolum, non per iumentum deuicit, sed per crucem; quare dæmones videntes crucem terrentur, fugiunt, & euanescunt: videntes autem iumentum, non metuunt.* Ita S. Athan. vnde sicut videns fustem canis, quo percussus est, timet. & fugit, licèt tunc à nemine percutiatur? sic & Dæmon crucem aspiciens.

PROP. XXVII. *Crucis gloria, victoria, potentia, Triumphi.*

CRucis olim tam probrosæ gloriam longissimè, latissimeque diffusam, mirificè extulit S. Chrysostomus. dum hisce verbis eius inclytas vires expressit. *Hæc Crux terrarum orbem conuertit, atque sanauit: hæc terrorem abegit, veritatem reduxit, terram in cælum restituit, ex hominibus Angelos effecit. Hac cruce mors in somnum redacta est, hanc omnia, quæ nobis aduersabantur, humi deiecta conculcantur.* Et paulò pòst:

Crux nobis totius beatitudinis causa est. Hac nos à cæno te liberauit erroris, hæc è tenebris reddidit luci, hæc debellatis quieti sociauit, hæc alienatos Deo coniunxit, hæc longe constitutos Deo proximos præstantiuit, hæc peregrinantes ciues obtinuit, hæc discordiæ amputatio est, hæc pacis firmamentum, hæc bonorum omnium abunda largitio. Et paulò pòst. *Vides crucis intuitu perceptam lætitiam? in cruce enim immolatus est Christus; & vbi immolat o, amputatio peccatorum; vbi amputatio peccatorum, reconciliatio Dominis; vbi reconciliatio Dominis, ibi sestuitas, & omnis gratulatio.* Eodemque loco ipse auctor.

Crux spes Christianorum, resurrectio mortuorum, ceterum dux, desperatorum via, claudorum baculus, consolatio pauperum, refrenatio diuitum, desiructio superborum, male viuentium pœna, aduersus dæmones triumphus, deuictio diaboli, adolescentium pædagogus, sustentatio inopum, spes desperatorum, nauigantium gubernator, portus obsessorum, murus, pater orphanorum, defensor viduarum, ustorum consolatio, barus, tribulatorum requies, paruulorum custos, virorum tutamen, fenum sine fumo, lumen in tenebris sedentium, regum maiestas, scientia, scutum perpetuum, insensatorum sapientia, libertas seruorum, imperatorum philosophia, lex imperiorum, prophetarum prædicatio, aumuntiatio Apostolorum, Martyrum gloriatio, monachorum abstinentia, virginum castitas, gaudium sæculorum, Ecclesiæ fundamentum, Orbis terræ cauiela, templorum destructio, idolorum repulsio, scandalum Iudæorum, perditio impiorum, mulatorum virtus, ægrotantium medicus, emundatio leprosorum, paralyticorum requies, esurientium panis, sitientium fons, mundorum protectio.

Sed Christum in Cruce, tanquam in laureatis quadrigis, omnium hostium victorem triumphantem D. Ambrosius, non minùs magnificè, quàm piè adumbrauit.

Currum suum triumphator ascendat, non arborum truncis, aut quadriiugis plaustrui manubias de mortali hoste quæsitas, sed patibulo triumphali captiua de sæculo spolia suspendat. non hic reuinctis post tergum brachijs gentes, nec excisarum urbium imagines, oppidorumque captorum simulachra cernimus, aut subinissa captiuorum regum colla miramur, qualis humanorum solet esse species triumphorum, nec victoriæ termmos regionis sine distinctos, sed ouantes populos nationum, quæsitos non ad supplicium, sed ad præmium, reges liberis affectibus adorantes, voluntarijs vrbes studijs deditas, & in melius reformatas imagines oppidorum, quas non fuscus expresserit, sed deuotio coloraverit, fides arma, victoria remq; iura toto orbe currentia, captiuum principem manib, & spiritalia nequitiæ, quæ sunt in cælestibus, obedientia imperio vocis humanæ, subditas dominationes, variarumque virtutum species, non fericias, sed moribus micantes. Fulget castitas, fides splendet, & indita mortis exuuijs deuotio fortitudinis: tam resurgit vnius Dei triumphus, fecit omnes propè iam homines triumphatores, crux Domini.

Epiphanius. Vim Crucis illustri exemplo demonstrat D. Epiphanius. *Cum quidem* (inquit) *Iosephus nomine, ex Iudæo Catholicus factus, impetrasset veniam struendi in Iudæa aliquot templa, & ad eum finem, extra vrbem septem furnaces fieri iussisset, Iudæi incantationibus sua impediuêre ne ignis quid combureret. Hoc cognito Iosephus eò tendit, & vbi aquam in vase afferri iussisset, eo accepto coram omnibus Iudæis, quorum ingens erat multitudo, crucis signaculum digito suo imposuit,*

Epiphanius lib. 1. Tom. 2. hæres. 30.

» posuit, & invocato nomine Iesu dixit: In nomine Iesu Na-
» zarei, quem crucifixêre Patres mei, & omnium horum circum-
» stantium, fiat virtus in hac aquâ, ad reprobationem omnis in-
» cantationis, quam hi fecêre. Et ita accepens aquam manu, sin-
» gulas fornaces eâ asperfit, & mox ignis coram omnibus emer-
» sit. Turbæ autem clamore edito: Vnus Deus qui auxiliatur
» Christianis, fecessêre.

CHRISTI RESVRRECTIO.

Salutationes pro resurrectione Christi.

Prop. I. *Quàm ingens miraculum fuerit resurrectio Christi.*
2. *Resurrectio Christi quàm gloriosa fuerit Christo Domino.*
3. *Resurrectio Christi manifestauit Christum Deum esse.*
4. *Christus in resurrectione sua victor mortis exuit.*
5. *Resurrectio Christi victoria fuit eius gloriosa*
6. *Resurrectio Christi, victoria fuit hostium admiranda.*
7. *Resurrectio Christi lætissima fuit.*
8. *Resurrectione sua Christus nos à morte liberauit.*
9. *Resurrectio Christi necessaria fuit ad justificationem & salutem nostram.*
10. *Resurrectio Christi æternitatem vitæ contulit nobis.*
11. *Resurrectio Christi spem nobis confert resurrectionis nostræ.*
12. *Resurrectio Christi confirmauit Apostolos in fide.*
13. *Resurrectio Christi nos ad omnem virtutem stimulat.*
14. *Resurrectio Christi ad perferendos labores, & excitandam nostram spem conducit.*
15. *Quàm lætus fuerit Maria Virgini dies resurrectionis Christi.*
16. *Beneficium resurrectionis Christi magnam gratiarum actionem à nobis postulat.*
17. *Resurrectio Christi exemplar est resurrectionis animæ peccatoris, & quæ sint vera signa resurrectionis animæ nostræ.*
18. *Aduersùs eos qui adueniente resurrectione Christi redeunt ad peccata.*
19. *Quàm solemne festum sit resurrectio Christi.*
20. *Quanto gaudio celebranda sit resurrectio Christi.*

Salutationes pro resurrectione Christi.

Prima Salutatio.

AD Rom. 12. hanc charitatis regulam Apostolus assignauit: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* In proximè elapso tempore passionis Christi beatissima virgo amarè flebat dolores & cruciatus, opprobria & iniurias filij sui, & denique mortem acerbissimam crucis; tunc flere nobis libuit cum illa. Nunc autem rerum facies mutata est prorsus, & luctus magnus in maximum est gaudium commutatus. Resurrexit Christus, gaudet exercitus Angelorum; quidni gaudeat super omnes Christi mater? super omnes quidem tempore passiones doluit, & fleuit beata Maria, pro mensura verò tristitiæ esse pariter solet lætitiæ modus, quando malum, quod mœstitiæ causa fuerat, in bonum est conuersum. Cùm igitur tristitia, & dolor Virginis eximium extiterit ob passionem, & mortem Christi, morte in vitam conuersa, sepultura in resurrectionem, opprobriis in maximum honorem; quantam censes lætitiam Virginis in Christi resurrectione fuisse? quantum gaudium? Charitas ergo Christiana, & nostra in Virginem deuotio poscit, vt nunc ei maximè gratulemur.

In natiuitate Ioannis Baptistæ congratulabantur Elisabethæ omnes, quia magnificauerat Dominus misericordiam suam cum illa: erat enim sterilis priùs: magnificauit Dominus misericordiam suam, verè hodie cum Maria, quia supra modum magnificauit Christum filium suum; quem Virgo multò magis, quàm seipsam, diligebat; meritò proinde congratulari ei debemus, cui tantum gaudium, tanta fœlicitas hodie prouenit, &c.

Mulier illa Euangelica, quæ drachmam inuenit, quam perdiderat, *Congratulamini*, inquit, *mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram.* Drachmam pretiosissimam amiserat beata Virgo in die parasceues: quid enim illi pretiosius filio suo Christo? at inuenit eum hodie gloriâ & honore coronatum. Quis eius gaudium valeat explicare? quare ad nos conuersa, quidni dicat: *Congratulamini mihi, quia inueni drachmam meam quam perdideram?* Congratulemur igitur ei, & auxilium eius poscentes, dicamus ei: Regina cœli lætare, alleluia, &c.

Alia Salutatio.

CVm primùm sol oritur, radijs suis cacumina montium illustrat, & tantò quidem magis, quantò illa excelsiora sunt. Sol iustitiæ vocatur in sacris literis Christus Dominus: ortus quidem hic Sol in mundo fuit tempore natiuitatis suæ, sed sicut sol iste corporalis oritur, & occidit, sic & Sol iustitiæ Christus in passione sua occidit; sed rursus, sicut sol, ortus fuit in die resurrectionis suæ, & radijs spendoris, & gratiæ suæ primos occupauit montes, sublimes nempe Apostolos. At quia beatissima Virgo sublimior, & excelsior omnibus his montibus fuit: erat enim, vti affirmauit Isaias, *mons in vertice montium*, priùs Christus Dominus radijs, & splendoribus suis resurgens eam illustrauit, apparens ei, & loquens de regno Dei.

Quanto autem gaudio tũc fuerit perfusa, verbis nostris explicari nõ potest: sicut enim dolor, quèm B. Virgo in eius passione passa fuit, explicari non valet; sic & gaudium, ex eius resurrectione cõceptum, dici nequit. Videor quidem mihi videre Dei matrem ob excellentiam gaudij ita elinguem, vt præ lætitia verbum nullum exprimere possit.

Nunciatum olim fuit Sancto Patriarchæ Iacob, filium suum, quem ipse mortuum esse credebat, Ioseph um scilicet, non mortuum, sed viuum, & principem totius esse Ægypti: quem tanta quidem tunc tenuit admiratio, vt dicat Scriptura sacra: *Quo audito, Iacob, quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis, &c.* & tandem dixit: *Sufficit mihi, si adhuc Ioseph filius meus viuit: vadam, & videbo eum, antequam moriar.* Vide gaudij patris huius vehementiam. Quòd si Iacob tantâ lætitiâ fuit affectus, audiens Iosephum filium, quem mortuum crediderat, adhuc viuere, & in terra Ægypti obtinere principatum; quis explicare Virginis gaudium poterit, audientis filium suum Iesum, quem proprijs oculis atrociter mortuum viderat, nunc iam & viuum, & immensâ gloriâ condecoratum, & non in Ægypto solùm, sed in vniuersa terra & cœlo dominari? Iacob, si filium vnum amiserat, vndecim superstites habebat: sed Beata Maria vnicum, quem habebat, filium amiserat. diligebat quidem Iacob valde Iosephum, sed amor hic, si cum amore conferas Beatæ Mariæ, tepidus amor erat. Denique Ioseph ille, hic verò Iesus erat. Quòd si tam ingenti gaudio vita Iosephi & principatus Ægypti Iacobum perfudit, quali quantoque affectam fuisse Virginem censes ob resurrectionem Iesu? Hæc igitur est dies quam fecit Dominus: exultauit in ea beatissima Virgo, & lætata est in ea.

Gen 45. 26.

Vix possumus verbis augere, quantum fuerit gaudium Virginis, cùm inuenisset filium suum in templo, postquam in triduo præcedenti amiserat eum. Quòd si pro inuento tanto fuit affecta gaudio, quid pro eo ab inferis redeunte; maximè cùm ei apparuisset animâ & corpore gloriosus? Tempus autem lætitiæ aptissimum est ad impetrandum. *Quando vno esta triste, selemos dezir, no esta fulano para hazer mercedes, però quando alegre, asi. Oy esta la Virgen para hazer mercedes, porque esta sobre manera alegre, y contenta, lleguemos a supplicarle, nos alcance la gracia, offreciendole para ello vn* Regina cœli, alleluia, &c.

Alia Salutatio.

PArta ex hostibus victoria lætitiam magnam parit: cuius causâ in vniuerso regno grandi solet solemnitate celebrari, & ciues hastiludia, & varios ludos cum musicis instrumentis exercere solent. sicut in ciuitate Bethulia factum est, cùm Iudith Holofernem interfecit, vti constat *ex cap.* 15. *Iudith*: vbi inter alia sic habetur: *Et omnes populi gaudebant, m organis, & citharis.* Sic etiam celebrata fuit in Israel victoria, quam Dauid de gigante reportauit; vt constat ex 1. *Reg.* 18. hoc igitur pacto in regno celebratur victoria, maximè quidem in curia regia: ibi enim fiunt celebrationes maiores, licèt in pagis & oppidulis paruis agricolæ quoque pro suo modulo ludos, & festa sua instituant, quibus lætitiam cordis manifestant. *Alla en la corte real son los toros y las canas, y las fiestas de mayor quantidad, però no por eso los labradores en sus aldeas y cortijos, con sus sayos escotados, al son de sus rabeles y gaitas dexan de celebrar a su modo victoria.* Magna quidem fuit victoria, quam de morte peccati, & diabolo Christus Dominus reportauit, digna profectò quæ maxima cum hilaritate celebretur: in curia cœlesti superni spiritus pro dignitate sua victoriam istam magnificant, sed nihilominus in terris nos pro modulo nostro festa instituimus, quibus victoriam Christi concelebremus. Exiguum quidem est quod valemus, id autem quod possumus, diuina ope priùs implorata, præstemus, & Virginem supplicemus, &c. Vide aliam salutationem in 3. propositione.

Prop. I. *Quàm ingens miraculum fuerit resurrectio Christi.*

Matt. 27. 41. IN fidei Christi confirmationem exigebant à Christo Iudæi descensionem de cruce: *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo, liberet nunc, si vult, eum. dixit enim: Quia filius Dei sum.* Pro magno igitur miraculo habebant, si se à cruce & à morte liberaret: sed rogo quodnam miraculum maius, quodnam prodigium stupendum magis, se à cruce ante mortem liberare, an post ipsam mortem & sepulturam, à sepulchro & morte sic se eripere? Rectè S. Chrysost.

Orat. 4. in 1. ad Cor. *Qui in malis fuit, malis fuisse superiorem, & cum his commissa pugna viciſſe, est potentiæ infinitæ. Sicut admirabilius fuit in tribus pueris ingressos conculcasse flammam, quàm non ingressos esse fornacem: & in Iona multò erat maius à bellua nihil esse passum, cùm in eam incidisset, quàm omnino non incidisse in cetum. Ita etiam in Christo admirabilius fuit mortuum peruicisse mortem, quàm mortuum non esse. Christus ergo non descendit de cruce: nam cum ipsa morte pugnam committere volebat, non descendit de cruce, non quòd non potuit, sed quia noluit: nam quem mors ipsa non detinuit iam mortuum; quomodo potuissent claui crucis detinere viuum?* Ita S. Chrysostom.

Simile. S. Epiph. De Phœnice sic S. Epiphan. ex Physiol. refert. *Phœnix pauone pulchrior est: pauo enim aureas argenteasque habet alas, phœnix verò smaragdinas & pretiosorum lapidum colore distinctas: coronam autem habet in capite, propè Indiam degit, viuit autem annos quingentos, & post quingentos annos alas aromatibus implet, & cum Heliopoleos sacerdos sacrificia inchoat, è suo egreditur nido, & ad sacerdotem pergit, templum ingreditur vsque ad sacrarium, & in cinerem totus consumitur. Tertia verò die ad vitam restitutus ex cineribus, ad proprium locum red t.* Ita sanctus Epiphan. etiam sanctus *& Greg.* Gregor. Nazianz. in præceptis ad virgines, eius qui pœnitentia doloreque mortificatus, per gratiam iterum reuiuiscit, phœnicem symbolum fecit. Sanctus verò Epiphan. ad Christum phœnicis huius similitudinem refert, dicens vbi suprà: Cùm auis hæc trium dierum spatio ipsa se suscitet, cur Iudæi iniqui Domini nostri Iesu Christi resurrectionem non credunt? Aut quomodo seipsum à mortuis suscitare non potuit, cùm de illo dixerit Propheta: *Iustus vt phœnix florebit?* vbi nota, quòd in Psalmo non ait Dauid, *vt phœnix*, sed *vt palma.* Tertull. verò & S. Epiph. *vt phœnix*, legunt, quia ibi pro palma etiam phœnicem accipiunt. Lactantius quidem à phœnice palmam etiam phœnicem allicit vocari. Loquitur ergo secundùm hos authores Dauid in illo Psalm. de Christo: floruit Christus Dominus, qui per antonomasiam *iustus* nuncupatur, sicut phœnix: in sacrificio enim passionis suæ obtulit seipsum: oblatus enim est à se, sicut phœnix, quia ipse voluit. & quidem aromatibus boni odoris delibutus, virtutibus scilicet sanctissimis humilitatis, patientiæ, obedientiæ, fortitudinis, & charitatis: post oblationem autem ut phœnix ad vitam restitutus, & multò melius, ad propria cœli remeauit.

S. August. serm. 18. de verbis secundùm Matth. *Cum Christo pendenti in cruce Iudæorum cæcitas insultaret, potuisset vtique de cruce descendere, qui si noluisset, non esset in cruce: sed amplius erat de sepulchro resurgere, quàm de cruce descendere.* Ita ille.

Prop. II. *Resurrectio Christi quàm gloriosa fuerit Christo Domino.*

APoc. 1. vocat Apostolus Ioan. Christum Dominum primogenitum mortuorum. *Qui est*, inquit, *testis fidelis, & primogenitus mortuorum.* At quonam pacto sic propter resurrectionem à mortuis hoc dicit? nonne alij plures à mortuis resurrexerunt ante Christum? Etenim Elias, & Eliæus mortuos suscitarunt, & Christus ipse tres mortuos ad vitam reuocauit prius quam à mortuis resurgeret ipse; ita est, sed manifestum est discrimen: nam alij resurrexerunt iterum morituri, Christus verò nunquam ampliùs moriturus. Ita Paulus: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*, &c. alijs verò mors vltra dominata est: quia iterum post resurrectionem vitam cum morte commutarunt. Christus, qui à mille sexcentis quinquaginta annis resurrexit, adhuc viuit, & viuet in æternum: ideo meritò vocat eum Ioannes primogenitum mortuorum, & eadem ratione vocat eundem Paulus *primitias dormientium*, quia primus fuit inter dormientes somno mortis, qui à tali somno ad vitam immortalem suscitatus est: & in hoc gloria resurrectionis Christi relucet, quòd resurrexerit gloriosus, & à morte ad vitam transierit sempiternam.

Pulchrè autem vocat eum Ioannes ibi *primogenitum mortuorum*, quasi priùs quàm alij genitus; generationem autem pro resurrectione accipiens, quia generatio est quædam vitæ inchoatio: vnde generatio ista communis, quâ vitam istam mortalem inchoamus, potiùs inchoatio mortis quàm vitæ dicenda videtur. quid enim aliud est vita nostra, quàm prolixa quædam mors: non enim tunc morimur solùm, quando vltimum vitæ momentum terminamus. Sicut in horologio (vt Senecæ similitudine vtar) non tunc hora solùm transit, cùm vltimum granum arenæ pertransit, sed cùm transire incipit arena, tunc etiam hora incipit transire; sic etiam non tunc solùm morimur cùm vltimum instans vitæ claudimus, sed etiam cùm viuere inchoamus, *Cum crescit* (ait Seneca) *vita, decrescit, & hunc, quem agimus diem, cum morte diuidimus.* Ita ille. Et sicut ardens candela non tunc solùm consumitur, cùm extinguitur, sed tunc etiam cùm magis ardet, & cùm incipit ardere, incipit consumi; sic vita nostra, quantumuis lucens, & splendens in mundo sit, non solùm consumitur, cùm viuere prorsus definit, sed etiam cùm viuit, paulatim consumitur, & transit in mortem. Vnde cùm Deus sententiam in primum parentem ferret, cùm primùm præceptum transgressus fuisset, dixit:

dixit: *Quacumque die comederis, morte morieris.* nunquid A
3.5. non vixit postesum nongentis annis Adam? Quomodo ergo verum fuit, quòd in quacumque die comederet, morte moreretur? Nimirum quia ex illo die immortalitatis donum amisit, & cœpit mortalis esse, & vita eius consumi.

Hinc est quòd in Ecclesiastico martyrologio sanctorum mortes natalitia nuncupantur, *Hodie*, inquit, *natale Sancti Stephani, natale Sancti Laurentij*, cùm dies illi martyriorum extiterint dies: cur ergo non ait, dies mortis, sed natalis? Quia scilicet eo die incipiebant immortalem vitam, quæ verè vita, quia immortalis dicenda est: hæc autem quæ mortalis est, non vita, sed mors potiùs appellari potest. Quare natiuitas nostra potiori iure dicenda est in die mortis, quàm in die ortus nostri. Ergo in resurrectione sua Christus Dominus, primogenitus dicitur mortuorum, quia tunc cœpit vitâ viuere immortali.

At, inquies, in opinione eorum, qui aiunt, mortuos illos qui in morte Christi resurrexerunt, ad vitam im- B
mortalem resurrexisse, Christus dici non poterit primogenitus; quia non fuit primus respectu eorum. Verùm primogenitus non dicitur quispiam tantùm, quia primus tempore sit inter fratres, sed propter prioritatem dignitatis. Sic primitias dormientium fuisse Christum exponit Sanctus Ambrosius *lib. 3. epist. 22.* dicens: *Primitiæ dormientium dicitur Christus quia sanctior omnibus fuit, & quia cæteros sui fructus sanctificauit* Ita ille, & eadem ratione Apostolus vocat Christum *primogenitum omnis creaturæ*, non quidem primogenitum ordine temporis; quia, sicut ait Concil. Ephesinum *cap. 4.* Christus dicitur vnigenitus, vt Deus, primogenitus, vt homo, sed dicitur primogenitus dignitate, quia est caput totius creaturæ, & est causa omnium qui à mortuis resurgunt ad vitam æternam.

Prop. III. *Resurrectio Christi manifestauit Christum Deum esse.*

C

Sanct. Chrysost. *hom. 26. in 2. ad Cor. Romanorum senatus Alexandrum decimumtertium Deum esse sanxit: is enim hanc sibi potestatem vsurpabat, vt suffragijs Deos crearet approbaretque. Cùm autè res omnes à Christo gestæ nunciatæ fuissent Romæ, misit is qui Iudæorum rationi ex Romanis præerat, [s]cisc[i]tans ab ipsis, num eum quoque Deum creare placeret. id verò illi facilè recusarunt, quòd impiè ferrent, ante decretum suum, atque sententiam, crucifixi potentiam effulgentem, Vniuersum ad sui cultum & venerationem attraxisse. Hoc verò, vel inuitis ipsis, ita diuinitus procurabatur, ne humanis suffragijs, & sententijs, Christi diuinitas promulgaretur, & vnus è multis illis ipse esse censeretur, qui ab ipso senatu creati fuerant, & designati.* Ita S. Chrysost.

Noluit igitur Christus Dominus per electionem Romanam Deus haberi, sed ex meritis suis. Probauit ergo Christus Deitatem suam, tum quia internos hominum cogitatus sciebat, & manifestabat, vt sæpe ex Euangelio constat, tum ex prædictione rerum futura- D
23. rum, quod etiam Dei solius est, iuxta illud, *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos.* Præterea ex remissione peccatorum authoritate propria, quod & fecit Christus, & miraculis confirmauit, se talem potestatem habere, vt patet *Matth. 9.* vbi cuidam paralytico dixit, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cùm vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge, & ambula? Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc dixit paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, & surrexit, & abijt in domum suam. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* Duo hîc manifesta argumenta diuinitatis Christi animaduerte; primum cognouisse cogitationes horum, secundum feciſſe miraculum in confirmationem quòd posset peccata remittere, quod solus Deus potest: miraculum autem fieri non potest in confirmationem alicuius falsitatis, &c.

Denique deitatem Christi miracula Christi clamant: nam omnia illa & propria authoritate, & proprio nomine effecisse, & in confirmationem prædicationis suæ, vt patet specialiter in miraculo præcedenti: fecit autem miracula & ingenia, & manifesta: vti fuit miraculum piscinæ, & miraculum suscitationis adolescentis Naim, & resurrectionis Lazari, quod maximæ admirationis omnibus fuit. sed maximum inter omnia miracula, quibus deitatem suam manifestauit Christus, fuit resurrectio propria eius.

Vnde Apostol. sic de Christo Domino: *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundùm spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum*, id est, ex hoc quod mortuos fecit secum resurgere, secundùm illud, *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Ita S. Thom. ac si dicat, ex resurrectione sua simul cum resurrectione aliorum secum: hoc enim fecit clariorem apud homines resurrectionem ipsam Christi: tunc passim ad Christum homines conuertebantur, & duabus concionibus post resurrectionem Christi habitis à S. Petro & Apostolis, conuersi sunt ad Christum in Hierusalem ferè octo millia hominum, vt adnotauit Lira. ibi *c. 4.* imò tam euidens & admiranda fuit resurrectio Christi, vt non tam nirandum sit, quomodo tot fuerint tunc conuersi ad Dominum, sed quomodo vel vnus remanserit in Hierusalem, qui non fuerit ad Christum conuersus, maximè cùm ipse Christus prædixisset resurrectionem suam, quod neque ipsis Pharisæis inimicis Christi, qui eum vsque ad crucem persecuti fuerunt, occultum, & absconditum fuit, vt patet. Hi enim abierunt ad Pilatum mortuo Christo Domino, & dixerunt: *Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens, post tres dies resurgam, iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium, ne forte veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, surrexit à mortuis, & erit nouissimus error peior priori.* Si voluissent hi omnem suspicionem veritatis erga resurrectionem Christi tollere, quo alio modo melius potuissent, quàm apponendo suos custodes, qui non solùm custodes, sed testes omni exceptione maiores essent? si enim non interfuissent hi custodes, & testes, fortè dixissent quod ipsi opponebant: *Venerunt discipuli eius, & tulerunt corpus, & dixerunt illum resurrexisse.* quamuis nec hoc vero similè esset, nam discipuli, qui eo viuente eum comitari, timentes ab eo fugerunt, quomodo auderent mortuum sic defendere, & occultare, cùm id perdifficile esset secundùm se? Verè dixerunt secundùm sententiam suam *erit nouissimus error peior priori*, quia si falsa resurrectio Christi fuisset, falsitas esset pernicios[a] tantò magis, quantò resurrectio vera Christi efficacior erat ad veritatem deitatis eius manifestandam. quantò igitur certior fuit veritas resurrectionis Christi, tantò manifestiùs comprobata remansit veritas diuinitatis eius, &c.

Rom. 1. 4.

Matt. 27. 52.

Act. 2. 3. & 4.

Matt. 27

Sanctus Chrysost. hom. 1. in epist. ad Rom. *Qui prædestinatus est filius Dei* (ait Apost. de Christo) *in virtute secundùm Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi. Obscurum est, quod ait, ob dictionum involucrum, propter quod necessaria est illorum distinctio. ait igitur, prædicamus eum, qui ex Dauid natus est, sed hoc quidem apertum. Vnde autem est filius Dei? Primùm constat ex Prophetis, & ideo ait*: quod antea promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis. *Secundò ex miraculis, quæ edidit Christus, argumentum præbens potentiæ magnæ, & ideo dicit* ex virtute, *hoc est, cum potentia. Tertiò ab ipso Spiritu, quem quidem dedit credentibus in se, & per quem omnes reddidit sanctos,*

Chrysost. Rom. 1. 4

sanctos. vnde ait : secundùm spiritum sanctificationis : Dei enim solius erat id genus dona largiri. Quartò ex resurrectione Domini : ipse enim primus, & solus fuit, qui seipsum suscitauit: quod & ipse ait signum esse omnium maximè idoneum, & quod impudentibus obstruere posit os. Soluite,*enim,inquit,* templum hoc, & post tres dies excitabo illud, *& iterum.* Cum exaltaueritis me à terra, tunc cognoscetis, quod ego sim, *&,* Signum quærit generatio hæc, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. *Quid igitur est,* præsdestinatus ? *declaratus nempe, & ostensus, & demonstratus à Prophetis, à potentia miraculorum, à Spiritu,per quem sanctificationem dedit,& a resurrectione,per quam sustulit tyrannidem mortis.* Ita S. Chrysost.

Ioan.2. 19.
Ioan.8. 28.
Mat.12. 39.

A

PROP. IV. *Christus in resurrectione sua victor mortis euasit.*

B

QVærit S. Theodoret. cur Deus permiserit primum omnium mortuorũ fuisse Abelem iustum, *el primero,en quien tomò possession la muerte, quando el pecado le diò entrada en el mundo.fue el iusto Abel.* nónne æquius fuisset, possessionem suam in Cain peccatore inchoare, siquidem per peccatum mors, quàm in Abel, qui iustus, & pius erat, piè offerens sacrificia Deo ? Respondet Theodoretus, in hoc Dominum significasse dominium & principatum mortis non fore perpetuum, & permanentem semper, sed tandem casurum, tanquam malè fundatum : fundamentum enim adæquatum mortis peccatum erat, quia, sicut diximus, *per peccatum mors*, iustitia autem, & sanctitas Abel non erat congruum mortis fundamentum, & maximè cum Abel Christi Domini figura esset. sicut enim Abel ob inuidiam ipsius fratris Cain occisus iniustè ab eo fuit, sic & Christus ob inuidiã à fratribus suis, hoc est, à filijs populi sui occisus fuit iniustè. vnde incepisse mortem dominium suum in Abel, *fue como decir la primera e a piedra.* offendit lapidem, petra autem erat Christus, quę repræsentabat Abel, & qui lapidem offendit, propter lapidem cadit; sic mors in Christo, & propter Christum cecidit, & perijt. ipse enim est qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. vnde,resurgente Christo, irridens mortem Apostolus,*dandole la vaya a la muerte,* ait, vbi est mors victoria tua ? Vbi est mors stimulus tuus ? scilicet peccatum: peccatum enim, & mortem simul superauit.

C

Zach.9.

At, inquies, si mortem iam vicit & superauit Christus Dominus, quomodo adhuc omnes morimur ? Sed mors nostra, mors mortua est: nam tunc mors in ligno mortua est, quando mortua in ligno vita fuit : vnde iam mors mortis nomen mutauit. Somnum eam appellat Apostolus, & mortuos dormientes : Numquid qui dormit non adijciet, vt resurgat ? Sicut ergo qui dormit, facilè à somno excitatur, sic facilè suscitabit mortuos vox illa, *Surgite mortui, & venite ad iudicium.* At hoc, inquies, erit post finem mundi : ita est, sed mille anni ante oculos Domini, (qui vident sicut res videre oportet) *tanquam dies hesterna quæ præterijt :* quid enim diebus sæculi cum æternitate ? Velut somnium vnius noctis, immò & minùs. etenim si Christus pro nobis mortuus non fuisset, & non surrexisset ad vitam æternam, tanquam primitiæ dormientium, nec nos resurgeremus ad vitam illam beatam : mortem ergo nostram iam moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit.

D

Præterea dominium mortis olim erat in eo, quòd corpus in sepulcrum proijciebat, animam autem ad inferos ducebat, ita vt nec sanctis viris via in cœlũ pateret: at post Christum Dominum, iam ianua cœli aperta est, *y ella franqueada la entrada para los iustos en el cielo* per Christi mortem, & resurrectionem. & hanc ob caussam mors iam nomen mortis in nomen transitus commutauit: *scient,* inquit, *Iesus, quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Ecce transitus dicitur ad Patrem. O meritò totis visceribus celebrandum Pascha,in quo recolimus mortem mortuam,postrumque interitum interisse : gaudete in Domino fratres, & tanti beneficij participes estote ; conseruate quam his diebus accepistis gratiam,nolite iterum ad peccata reuerti,perseuerate in præceptorum Dei obseruantia, & mors,cùm venerit,non erit vobis mors,sed transitus ad pacem,&c.

PROP. V. *Resurrectio Christi victoria fuit eius gloriosa.*

GEn.49. prophetans de Christo Iacob sic filio suo Iudæ inquit : *Catulus leonis Iuda, ad prædam,fili mi,ascendisti,accubuisti vt leo.* cui consonat secundum communem expositionem locus Apoc. 5. vbi ait Ioan. se audisse vocem dicentem in cœlo : *Vicit leo de tribu Iuda,* &c. *vicit,* scilicet vicit morte mortem, vicit passione sua Christus peccatum, & omnium inimicorum robur. Cur igitur non ait: *vicit Agnus,* siquidem patiendo, tanquam agnus, vicit : eo enim modo sein passione gessit, vti ait. Isa 53. & sicut asserit Ioannes Baptista, dicens, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* tollendo peccata mundi fuit Agnus; vt agnus igitur, & non vt leo vicit.

Primò leo hîc vocatur, quia in passione sua Christus leonem vicit illum, de quo Petrus ait : *Tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret,* &c. mos autem est, vt à victoria insigni nomen victi victor sibi adscribat : sic Scipio Africanus dictus est, propter egregia facinora eius in Africa, & Asiaticus in Asia &c. sic etiam Apostolus,qui cùm priùs vocabatur Saulus, postea Paulus vocatus est quia conuertit Sergium Paulum Proconsulem, vti ait S. Hier. refertque S. Thomas supra ad Rom. cap. 1. lect. 1. Sic igitur vocari potest Christus Leo, quia passione sua vicit leonem illum rugientem, & eo maximè, quia data fuit huic leoni omnimoda potestas contrà Christum : aduersùs alios verò non ita. vt patet in sancto Iob à dæmone in certamen vocando, cui Dominus: *Animam eius,* inquit, *serua,* limitans scilicet facultatem hostis : sic nec porcos ingredi potuit sine Domini facultate: sic 3. Reg. 13. leo ille, qui Propheram occidit, corpus eius, neque iumentum attigit, quia coarctata ei licentia data à Domino fuit, in quo typus fuit huius infernalis leonis: at in morte Christi libera data fuit illi facultas. *Hæc,* inquit, *est hora vestra & potestas tenebrarum &c.*

Secundò, in Resurrectione Christus Dominus dicitur leo, quia, licèt vt agnus vinceret, vt leonem fortissimum ibi se manifestauit : passus enim, vt agnus, tanquam si fortissimus extitisset leo, deuicit.

PROP. VI. *Resurrectio Christi victoria fuit hostium admiranda.*

RVfinus in expositione Symboli : *Diuina filij Dei virtus,velut hamus quidam fuit, hab.ta humanæ carnis obiectus,& vt Apost. ait,* habitu inuentus vt homo, *vt principem mundi inuitare posset ad agonem,cui,velut escam,traderet carnem suam, vt hamo diuinitatis sua eum intrinsecus teneret infertum,& effusione immaculati sanguinis, qui peccata maculam nescit, omnium peccata deleret. Sicut ergo hamum escâ contectum si piscis rapiat, non solum escam ab hamo non remouet, sed & ipse de profundo escâ aliis futurum educitur : ita & is qui habebat mortis imperium, rapuit quidem corpus Iesu in mortem, non attendens in eo hamum diuinitatis inclusum : sed vbi deuorauit,hæsit continuò, & disruptis claustris inferni, velut è profundo extractus traditur,vt escam terris fiat. Quod ita futurum sub hac eadem figura & Ezechiel Cap. 29. audiuit, dicens :* Extraham te in hamo meo, & extendam te super terram campi, implebuntur de te, &

te, & constituam super te omnes volucres cœli, & saturabo ex te omnes bestias terræ. *& Iob de eodem mysterio similiter protestatur: ait enim ex persona Dei loquentis ad se:* Aut adduces draconem in hamo, & pones capistrum circa nares eius? *Non ergo damno aliquo, aut iniuria diuinitatis, Christus in carne passus est, sed vt per infirmitatem carnis operaretur salutem in medio terræ, diuina natura in mortem per carnem descendit, non vt lege mortalium detineretur à morte, sed vt per se resurrecturus ianuas mortis aperiret. Velut si quis rex pergat ad gentem inimicam, in qua proprios habeat captiuitatis vinculo alligatos, eâque deuicta, carcerem intret, in quo vincti detinebantur, & ingressus aperiat ianuas, resoluat catenas, vincula, feras, & claustra comminuat, & vinctos libertati restituat: dicetur quidem rex in carcere fuisse, non tamen captiuus, vt ceteri, sed vt inter vinctos liber solueret vinctos.* Ita Ruffin.

Psalm. 9 sic ad Christum Dominum Dauid: *Exurge Domine, non prævaleat homo.* S. Augustinus. serm. 30. de verbis Domini secundùm Lucã ponderans locũ istum, ait: *Quid est,* Non prævaleat homo? *nónne Apostoli erant homines? nónne martyres homines erant? Ipse Dominus Iesus nónne homo esse dignatus est? Quid ergo est,* Exurge Domine, non prævaleat homo? *Etenim de homine dictum est Psal. 115.* Omnis homo mendax: *tam autem prævaluit mendacium ante diluuium, vt post diluuium octo tantum homines remanserint, & per ipsos rursus repleta est terra hominibus mendacibus. Sed electus est populus Dei, facta sunt miracula multa, prærogata diuina beneficia, ad terram promissionis perductus est, ab Ægyptiorum seruitute liberatus, prophetæ in illo excitati sunt: sed de ipso populo postea dictum est:* Filij alieni mentiti sunt mihi. *Ad extremum missus est Christus, ne prævaleret homo, sed tamen etiam ipse, faciens diuina, contemptus est, & præstans tam multa beneficia, comprehensus est, flagellatus est, suspensus est. Itaque vsque contrà Dei legem prævaluit homo, sed quousque? nisi quousque de ligno depositus in sepulchro fuit positus. Si ibi remansisset, verè homo prævaluisset; sed Propheta Dominum allocutus est, dicens:* Exurge Domine, non prævaleat homo: *apparebas, & latebas; apparebat infirmitas, latebat potestas, & hoc factum est, vt sanguinem funderes, quod est pretium nostrum. Ecce in sepulchro iaces, exurge Domine, ne prævaleat homo. Factum est & omnino factum est.* Ita S. Augustinus. At dices, quomodo resurgendo prævaluit Christus contra homines? nunquid resurgens occidit crucifigentes? occidit Pilatum, Annam, & Cayphã, qui eum ad mortem damnarunt? occidit eos, qui in horto eum ligauerunt? occidit eos, qui dixerunt: *Crucifige, crucifige?* occidit pessimos Scribas & Pharisæos? nequaquam. Quomodo ergo prævaluit aduersùs eos? quomodo illos superauit? superauit illos sicut Deus misericors & bonus, non occidendo, sed insigni miraculo resurrectionis illos illuminando: fuit enim miraculorum maximum. Ideo dixit: *Et ego, si exaltatus fuero à terra, omnia trahàm ad me ipsum*, resurgendo scilicet post mortem suam. Probauit enim resurgens, se voluntariè mortem subijsse, vt nos ab æterna morte liberaret. quod cùm ex sanctis scripturis impletum viderunt homines, victi, non ferro sed ineuitabili veritate non solùm victi, sed etiam conuicti, Christum Deum & Redemptorem cognoscentes, manibus post terga reuinctis, colla sua iugo Christi subdiderunt. Sit Christus in sæcula benedictus, sit eius resurrectio in æternum glorificata.

Iterum Psalm. 9. *Exurge Domine, non confortetur homo,* vel vt S. Augustinus legit, *non prævaleat homo.* Quid sibi vult ista petitio? S. Augustinus. serm. 31. de verbis Domini: *Propheta hîc Dominum Iesum alloquitur, quasi dicat: Domine in carne venire dignatus es, fecisti miracula tanta, ægrotos sanasti, beneficia multa præstitisti, & recepisti mala pro bonis, insultatum est tibi, pependisti in ligno, & dictum est tibi ab impijs:* Si filius Dei es, descende de cruce. *itáne perdideras potentiam? an potius demonstrabas patientiam? & tamen illi, te occiso, tanquam victores discesserunt. Ecce Domine in sepulchro iaces,* Exurge Domine, non prævaleat homo. *cùm esses crucifixus, prævaluisse tibi visus est Pharisæus cæcus;* exurge Domine, non prævaleat homo. *Factum est omnino, resurrexit, & ascendit in cœlum, & inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Ita S. Augustinus. ecce victoriam mirabilem Christi.

Prop. VII. *Resurrectio Christi lætissima fuit.*

Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea. Sæpe resurrectionis tempore Ecclesia Christi hæc verba repetit, & inculcat: Dauid enim de hoc die maximè ibi agebat. Dixerat enim priùs de Christo Domino: *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Omnes expositores de Christo Domino locum istum interpretantur. Vnde facilè sensus constat: reprobauerunt eum Iudæi, cùm illum crucifixerunt: sed factus est in caput anguli, cùm surrexit: tunc enim ad supremam gloriam eleuatus, cœpit facere vtraque vnum, ex populo Gentili ac Hebræo, & subdit: *Hæc est dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.* Psal. 117. 24. Psal. 117. 22.

Primò igitur lætissimus fuit dies iste æterno eius Patri, qui, licèt nullius aduentitiæ sit capax lætitiæ, summè tamen ob filij sui resurrectionem lætum se ostendit. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* S. Augustinus. & S. Ambrosius. S. Hieron. & S. Theodoretus in hunc locum, de generatione temporali Christi Domini eum interpretantur: *Ego hodie genui te*, tuam scilicet operando incarnationem. addit S. Athanasius quòd illa verba, *filius meus es tu*, ad diuinitatem Verbi, quam Christus Dominus habebat, referenda sunt; illa verò *ego hodie genui te*, ad humanitatem. Psal. 2. 7. 2. *de Trin.* c. 18.

Sed tamen secundum sensum, & etiam legitimum, & litteralem adhibent S. Hilarius, Theodoretus, & Antiochenus, quòd scilicet intelligantur illa verba, *ego hodie genui te*, de resurrectione Christi Domini: nam resurrectio quoque dicitur regeneratio quædam, iuxta illud, *In regeneratione, cùm sederit filius hominis, &c.* hoc est, in die vniuersalis resurrectionis. & hanc expositionem assignat Apostolus, vbi de Patre agens, ait: *Resuscitans Iesum, sicut & scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sed quæres cur resurrectionem vocat generationem? quia sic & nos loqui solemus, vt si v.g. filius quidam ex alto cadat, & pater mortuum illum existimans, brachijs eum accipiat, & sanum & indemnem eum inueniens, diceret præ gaudio & lætitia magna: O me felicem, qui te à periculo tanto liberum habeo, verè hodie genui te, *ay hijo mio, que dicha! oy te me has nascido.* Sic igitur æternus Pater acerbam filij sui passionem attendens, & acerbam mortem, & postea à doloribus mortis liberum iam prospiciens, ait: O resurrectio felix! *filius meus es tu, ego hodie genui te, oy te me has nascido*, his verbis maximam de filij sui resurrectione lætitiam præseferens. Matt 19. 28. Act 13. 33. Psal. 2. 7.

Secundò, dies hic lætissimus fuit beatissimæ Christi matri, vti demonstrauimus suprà in secunda salutatione.

Angelis præterea lætissima dies hæc fuit. Apparuit aliquando B. Virgo S. Brigittæ, vti refertur, & dixit illi quòd in morte filij sui, Angeli cœlestes signa tristitiæ ostendebant. & quidem Angeli ratione status gloriæ tristitiam vllam pati nequeunt, sed signa exteriora mœroris tunc meritò demonstrarunt: siquidem & sensibilia elementa id præstiterunt. Quòd si doloris capaces extitissent, summo & indicibili dolore tunc affecti fuissent: vnde cùm gaudij capaces essent, videntes Christum ab inferis gloriosissimè resurgentem, & suscepta morte genus reparasse humanum, & redemptionem perfecisse, & ruinas sedium suarum *Lib 6. Reuelationum eius, c. 12.*

impleuisse, quanto censes eos gaudio perfusos tunc A fuisse?

Apostoli quoque inenarrabili gaudio fuerunt tunc affecti: quippe socij dolorum fuerant Christi: quid mirum, si nunc & consolationis essent? *Tristes erant Apostoli de nece sui Domini, sed claro paschali gaudio sol mundo nitet radio, cùm Christum iam Apostoli visu cernunt corporeo*, canit Ecclesia. Vnde cùm Christus Dominus se iam à mortuis reductum, Apostolis manifestaret, & manus ac pedes illis ostenderet, adhuc, inquit S. Lucas, illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, *Erat tanto su gozo, que lo veyan, y no lo creyan.* nimirum quia eum tanquam Dominum, & Magistrum, & Saluatorem, & Deum diligebant, propter quem & reliquerant omnia, & sequuti eum fuerant, & in quem curas & spes omnes iactauerant suas, & ex cuius resurrectione eorum salus & vita temporalis & æterna pendebat. *Hæc* igitur, *est dies, quam fecit Dominus* exultauerunt Apostoli, & lætati sunt in ea.

Cap 24. 41.

Patres etiam, qui in sinu Abrahæ detinebantur, B quantâ tunc fuerint lætitiâ perfusi, quis valeat enarrare? *Sedentes in tenebris, & in* illa *vmbra mortis*, clamabant de ventre inferi: *Vtinam dirumperes cœlos & descenderes* ad educendos vinctos de lacu. *Veni Domine, noli tardare. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima nostra ad te, Domine.* Sic longo annorum tempore sperantes clamabant: spes autem quæ differtur, affligit animam: spes ergo tot sæculis dilata, quanta eos afflictione premebat? quantò autem afflictio maior, tantò etiam gaudium maius, cùm Christum Dominum cum gloria ad eos ab inferis illis locis liberandos venientem viderunt, & maximè cùm eos ad cœlestem gloriam ducendos eduxerit, deinde & suam illis essentiam manifestaret, quo beati efficerentur; gaudium hoc explicarine potest? *Hæc* igitur *dies est, quam fecit Dominus*: exultauerunt & lætati sunt sancti Patres in ea. Et nos igitur dicamus: *Hæc dies quam fecit* C *Dominus*: nam licèt nulla sit dies, quam non fecerit Dominus, speciatim tamen de hac die id dici potest: quia in ea excellentissimum omnium opus perficit Dominus, opus scilicet redemptionis: quia inter omnia Dei opera obtinet primum locum. Sic & dies resurrectionis, dies Domini per excellentiam & antonomasiam quandam dici valet: quia in eo opus redemptionis perfectum est.

Præterea dies resurrectionis dies Domini dici absolutè potest: quia quidquid in ea est, à Domino Deo est. In alijs Christi festiuitatibus aliquid nostrûm reperies, quia semper in illis aliquid miscetur pœnæ; pœna verò, non à Deo, sed à nobis ortum habet. Lætus quidem natiuitatis Christi Domini dies, sed ibi vagitus audies: vagit enim infans inter arcta conditus præsepia, &c. Dies circumcisionis lætus: in eo quippe nomen Iesu datum est Christo, nomen, de quo sponsa: Oleum effusum nomen tuum: at ibi dolor circumcisionis inuenitur. Lætus Epiphaniæ dies, sed inter au- D rum & thus ibi oblatam myrrham, amaram mortem pueri annunciantem, videmus. Lætus item fuit dies transfigurationis Christi, & quamuis omnia ibi adeò læta viderentur, vt Apostolus Petrus in monte illo propterea manere optaret, nihilominus agebatur ibi de excessu, quem completurus erat in Ierusalem, hoc est, de *Luc. 9. 31.* passione ac morte Christi acerbissima. Ecce in huiusmodi festis semper aliquid pœnæ miscebatur, & sic semper aliquid nostrum in eis inueniebatur: at in resurrectione Christi omnia læta, omnia gloriâ & gaudio plena sunt, & sic omnia diuina, nihilque ex miserijs nostris: vnde meritò: *Hæc dies* (inquit) *quam fecit Dominus, exultemus* ergo, *& lætemur in ea.* Quidni lætemur, & valde, cùm eluxerit nobis tunc dies reparationis nostræ, dies salutis, dies denique nostræ glorificationis, quæ in capite nostro initium sumpsit?

Postquam Aman, hostis acerrimus Hebræorum, interfectus fuerat, & sententia capitalis in eos prolata, fuerat reuocata, & Regis edictum in Hebræorum notitiam peruenerat, *omnis ciuitas*, ait sacra Scriptura, *exultauit, & lætata est: Iudæis autem noua lux oriri visa est, gaudium, honor & tripudium apud omnes populos, vbes ac pecuncias, quòcumque Regis iussa venirbant, nuncia exultatio, epulæ atque conuiuia, & festus dies, in tantum, vt plures alterius gentis & sectæ eorum religioni & cæremonijs iungerentur.* Quòd si tanta Hebræorum exultatio fuit, ob id solùm, quod à tyrannide Aman & morte corporali fuerunt liberati; quid nos facere oportet in Christi resurrectione, quando iam à Satanæ tyrannide, & morte animæ, & æterna liberatos nos aspiciamus? Ex præclara illa Hebræorum sorte & lætitia ingenti, multi occasionem sumpserunt se ad religionem eorum transferendi; sic etiam ex resurrectione Christi, & magna exultatione illorum primitiuæ Ecclesiæ Christianorum, plures conuersi sunt ad fidem nostram suscipiendam; ex nouitate quippe miraculi occasionem sumpserunt inquirendi rei veritatem, quâ semel comprobatâ, fidei nostræ veritatem & agnouerunt, & amplexi eam sunt. Eamdem igitur, quam illi, rationem & causam exultationis habemus: quia eamdem quoque felicitatem Dei gratiâ fortiti sumus. Gaudeamus: *Hæc dies est, quam fecit Dominus: exultemus in ea.*

Sed tamen non quomodo mundus gaudet, nos gaudere debemus: *Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, inquit Apostolus Paulus. vbi mirè Sanctus Anselmus, *Gaudete*, inquit, *hoc est, cor vestrum exhilarate in Domino, & non extra Dominum: tristitia sæculi nullum in vobis locum habeat, sed totos lætitia spiritalis vos repleat: gaudete in Domino semper, siue in prosperis, siue in aduersis, & non semel hoc dico, sed iterum, vt gaudeatis in Domino, & non in sæculo. Sicut enim nemo potest duobus Dominis seruire, sic nemo potest in Domino & in sæculo gaudere: contraria enim sunt hæc duo gaudia: nam sæculi gaudium est impunita nequitia, luxurientur homines, in spectaculis nugentur, in crapula & ebrietate, & hoc non impediat fames, non bellum, vel alicuius rei timor, non morbus aliquis, non aduersitas, sed sint omnia redundantia in pace carnis. Vos autem gaudete non in his, sed in Domino, id est, in æquitate, & veritate, non in flore vanitatis, sed in spe æternitatis, vt videant homines modestiam vestræ conuersationis, vt exemplo vestro discant agere modestè. Modestia autem est in animo continens moderationem cupiditatum: modestus enim est, quasi modi status, quando modus in omnibus seruatur. modestia etiam est in operationibus, & verbis, modificans omnes actiones & verba.* Ita S. Anselmus.

Et quidem gaudium, quod fideles communiter in festiuitatibus seruant, indignum quidem est hominibus Christianis, ne hominibus ratione præditis dicam: gaudent enim non de veritate, sed de vanitate. Vnde ait S. Bernard. *Gaudent in vestibus pretiosis, in conuiuijs & conuersationibus Epicurijs, in nugis & ludis, & prorsus mundanis rebus. hoc quidem non est de Christi resurrectione gaudere, sed potiùs Christi resurrectionem irridere.*

Iudith. xiii. 24.

Partâ illâ victoriâ insigni, quam Iudith de Holoferne crudeli Hebræorum hoste reportauit, *populus*, inquit, *erat iucundus secundùm faciem sanctorum:* quid est, *secundùm faciem sanctorum?* hoc mihi praxis esse videtur eius, quod dixit postea Paulus, vbi suprà: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus:* adeò enim modestè Israelitæ in gaudio ob illam victoriam se gesserunt, vt sanctos & Dei fidelem populum decebat: in facie quippe relucet gaudium cordis. Vnde cùm mundanorum gaudium immoderatum, & leuitate ac vanitate plenum sit, in facie exteriori immodestia leuitasque apparet: gaudium verò in Domino, seu gaudium sanctorum, cùm modestum & graue sit, in vultus modestia & grauitate dignosci potest. Quare Sanctus Thomas vbi suprà, concludens ait: *Ita sit moderatum gaudium vestrum, vt non*

vt non in dissolutionem vertatur. Ita ille. Optarim ergo sic corporalia gaudia admitterent fideles, vt non dimitterent spiritualia exercitia, orationis scilicet, confessionis & communionis: talibus enim hostiis promeretur Deus, & insuper spiritualia gaudia consequentur.

Causas verò gaudij nostri ex resurrectione Christi & alijs propositionibus require.

Prop. VIII. *Resurrectione sua Christus nos à morte liberauit.*

Genes. 49. Patriarcha Iacob de Christo Domino, in persona filij sui Iudæ, sic prophetauit, *Requiescens*, inquit, *accubuisti vt leo*: requieuit Dominus in sepulchro ab vniuerso opere redemptionis, quod patrarat, & ab immensis laboribus, quos in vitæ decursu fuerat perpessus, requiescit quidem, sicut qui, post diuturnum laborem, somnum capit, ac requiescit & accubuit, vt leo. Leo, si cum dracone aliquando pugnat, laborat in certamine multùm; at requiescens, & accubans post certamen, inde fortior, & vegetior surgit aduersùs eum. Pugnauit Christus Dominus, Leo, inquam, ille fortissimus de tribu Iuda: in quo quidem conflictu tanto fuit labore vexatus, vt corporis amiserit vitam: sed quia Deus erat, mors illa somnus illi fuit. Accubuit igitur in morte, vt leo tamen, quia vnde victus cecidisse videbatur in morte, inde fortior contra mortem resurrexit, & vitam recuperans, mortem nostram deuicit sibi, & nobis: sibi, quia *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur*: nobis, quia sicut caput nostrum resurrexit, in æternum victurum: sic & nos merito Christi, & gratiâ eius, resurgemus pariter in æternum victuri.

Hanc Christi Domini victoriam Eusebius Emiss. hom. 8. de Pascha sic explicauit. *Fabula*, inquit, *etsi veritatis non habet, rationem tamen habet, vt per eam posit vis veritatis manifestari. Fecerat autem traditio seculariorum litterarum, habuisse quendam in exercitio, vsuque certaminis hoc genus virtutis, ac roboris, vt, quoties in luctamine succumbens, virium suarum amicam, & nutricem terram impulsu aduersary contigisset, toties a terra surgens magis ac magis in aduersarium prænaleret, ac sic de ictio prostrati, occasio fiebat triumphi: dabat enim quodammodo infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam. Censeo hæc illi cœlesti Athletæ, qui contra Iacob legitur fuisse luctatus, iustius aptari posse, quique hoc tempore in arena mundi cum publico hoste constixit, qui ad hoc cessit, vt resurgeret gloriosius, ad hoc cecidit, vt nos eleuaret, qui aduersarium effusus obruit, prostratus elisit, iacentemque hominem deiectus erexit, & mortem eius, dum succumberet, pertulit, & mortuum, dum resurgeret, fusc. tauit.* Ita Eusebius. Nota autem est fabula hæc de filio terræ, qui cum Hercule pugnans, quoties ab Hercule in terram prosternebatur, toties à terra, tanquam à matre, adiutus, fortior in Herculem insurgebat. Facilè igitur hæc aptatur Christo, hoc solùm differt, quòd ille à terra matre super eam cadens adiuuabatur, Christus non à terra, non à morte, sed à sua Deitate ipsa adiutus, resurrexit, vicit.

Vnde ipsemet Eusеb. hom. 6. de Pascha, *Mira* (inquit) *& ineffabilis Dei nostri pietas: irruperat quidem mors paradisum, sed vita expugnauit infernum, legemq; mortalem suscepta mortalitatis conditione calcauit; implens illud, quod Propheta testatur*: O mors, ero mors tua, *ac sic mortis iniquitas, quæ se tanquam hominem vicisse gaudebat, expauit subitò prædam suam, & in suo regno à suo, vt putabat, debitore constricta est, à suo condemnata reo, à suo subiugata est captiuo. Ideo suis laqueis illigata, & irretita perditio, dum deciperet, supplantata est, dum interficeret, extincta est, dum deuoraret, absumpta est. Regrediens ergo Dominus post diem tertiam, fructum secum triduanæ peregrinationis viuentibus reportauit, & vt omnes eum de inferis regredi crederent, testes secum ad superos, & præcones subactæ mortis exhibuit.* Ita ille. Victoria igitur hæc mortis animæ & corporis, Christus fuit: mortis quidem animæ, quia moriendo soluit eam à peccato, corporis verò, quia moriendo meruit vitam nostram: resurgendo autem, quod metuit, & obtinebimus in corpore nostro, in resurrectione vniuersali nostra.

Hinc argumentum illud Apostoli, *Si resurrectio non est, ergo neque Christus resurrexit*: tanta enim est connexio inter caput & corpus, vt ex negatione vnius ad negationem alterius valeat argumentum. Quare à fortiori dicemus: *Si Christus non resurrexit, neque nos resurgemus*: ex resurrectione quippe Christi nostra pendet resurrectio. *1. Cor. 15. 13.*

S. Isidorus, & Physiologus, quos refert Berchorius lib. 10. c. 28. inter crocodilum, & serpentem paruum, vocatum Entydros, naturalem (ait) inimicitiam interuenire: vt autem Entydros crocodylum interficiat, inter herbas, quas ille deuorat, se abscondit, absorpto sic serpente illo à crocodilo, intus viscera eius disrumpit, & eo necato, ipse per aperturam quam facit, egreditur liber, inimico sic deuicto. Non potuit viuis coloribus melius depingi effectus mirabilis Passionis, & Resurrectionis Christi Domini: serpenti se Dominus Christus comparauit, dicens: *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Inimicam nostram habuit mortem, nimirum quia vita ipse est. *Ego, inquit, sum vita, veritas & vita*: quid autem contrarium magis morti, quàm vita? se igitur vita nostra intra mortalitatis nostræ humanitatem occultauit, in qua mortis cibus nos sumus, & ita Christum existimans cibum suum, eum deuorauit; at vita Christus viscera mortis in sepulchro ita corrodit, vt, morte occisa, viuens ipse, & victor mirabiliter euaserit, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. *Isidor. Physiolog. Simile. Ioan. 3. 14. Ioan. 14. 9.*

Sanctus Hieron. Epist. 3. *O mors, quæ Christi morte mortua es, illius morte nos viuimus, deuorasti & deuorata es; dumq; assumpti corporis Christi sollicitara illecebra, & auidis faucibus prædam inuadis, interiora tua adunco dente confossa sunt. Gratias tibi tua agimus creatura Christe Saluator, quòd tam potentem aduersarium nostrum, dum occideris, occidisti. Quid ante miserius homine, qui æternæ mortis horrore prostratus, viuendi sensum ad hoc tantùm acceperat vt periret? Quòd si Abraham, Isaac & Iacob in inferno, quis in cœlorum regno? Ante Christum Abraham apud inferos, post Christum latro in paradiso.* ita S. Hier. Nota similitudinem & metaphoram de hamo & piscatione desumptam. *S. Hier.*

Prop. IX. *Resurrectio Christi necessaria fuit ad iustificationem & salutem nostram.*

Rom. 4. *Christus traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Si Christus Dominus mortem nostram moriendo destruxit, quid opus fuit resurrectione Christi ad iustificationem nostram? mortem enim nostram destruendo, vitam etiam reparauit, non solùm corporis, sed animæ. Quòd si hoc præstitit morte sua, quid opus fuit eius resurrectione ad iustificationem nostram? Respondetur, quòd peccatorum remissio, & iustificationis gratia, & spiritus sancti dona, post Christi Domini resurrectionem ex dominica promissione nobis reddenda erant, vt quod Christus moriens promeruerat, resurgens à mortuis fidelibus impertiret: hoc enim apertè Ioannes testatur c. 7. dicens: *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* priùs ergo per Resurrectionis suæ gloriam erat honorandus, ac deinde Spiritus sanctus fidelium cordibus infundendus, per quem & iustificatio, & peccatorum remissio, & gratia datur. Vnde ipso die, quo à mortuis Dominus excitatus est, sicut ex c. Ioan. 20. discimus, Spiritum sanctum discipulis suis dedit, *Rom. 4. 25. Ioan 7. 39.*

dedit, & remittendi peccata contulit potestatem, & A mox in cœlum ascendens, eundem Spiritum in mundum misit. Quod igitur in cruce moriens promeruit, à mortuis resurgens nobis largitus est: vnde Apostol.

1. Cor. 15. 16. *Si resurrectio mortuorum non est, ergo neque Christus resurrexit: vana ergo est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris.* Cur ita? nimirum, quia ex resurrectione Christi salus nostra pendebat ex ordinatione diuina. Quare resurrectio Christi non solùm est exemplar nostræ, sed causa sine qua non fuisset nostra resurrectio, & efficiens, quatenus Christus à mortuis iam excitatus esse debuit qui Spiritum sanctum nobis communicaret.

Hinc est, quòd quamdiu discipuli Christi resurrectionem non crediderunt, spem omnem salutis & redemptionis protinus amiserunt. quod illa duorum discipulorum verba satis significabant, Luc. vltimo: *Nos autem sperabamus, quòd ipse esset redempturus Israel.* quod perinde est, ac si dicerent: Quamdiu ille viuus erat, omnia, quæ de Messia diuina oracula pronunciauerant, facilè nobis pollicebamur; nunc autem, cùm è vi- B uis excesserit, quid à mortuo possumus sperare? Quantumuis enim Iulius Cæsar, & Alexander Magnus, potentes in vita fuerint, vbi defuncti sunt vitâ, nihil erat quod ab illis vel timere quisquam posset, vel sperare. ergo mortuo Christo spes discipulorum pariter extinguebatur, eo verò resurgente, simul eorum spes reuixit: quod enim ante fieri posse sperabant, multò magis tunc sperare cœperunt, cum ipso Dominicæ resurrectionis argumento crederent, nihil non esse possibile ei, qui se Deum resurgendo declarauit: quo enim alio argumento conuictus Thomas dixit: *Dominus meus, & Deus meus?*

Luc. 24. 21.

Ioan 20. 28.

Hinc est quòd Apostoli, cùm experimento suo didicissent, quantùm ad fidem in Christum resurrectionis eius articulus valeret, hanc potissimùm omnibus suadere curabant: vt enim S. Lucas ait: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi.* Et similiter cùm in locum Iudæ alium subrogare vel- C. lent, his verbis vsi sunt: *Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt, ex quo intrauit, & exiuit inter vos Dominus Iesus, testem resurrectionis eius fieri vnum ex istis, &c.* Cur non dixit testem Euangelij, &c. sed explicatim Resurrectionis? nimirum quia intelligebant, quantum ad fidei propagationem articulus hic expediret.

Act. 4. 33.

Act. 1. 22.

Hinc Apostol. Paul. toties de resurrectione Christi sermonem instituebat: quod enim fidei, nostræ dogma, vel frequentiùs inculcabat, vel acriùs vrgebat? Vnde, cùm Festus præses Iudææ Regi Agrippæ summam doctrinæ Pauli referre vellet, quæstiones quasdam de Iudæorum superstitione illum agitare dixit, & de quodam Iesu defuncto, quem Paulus viuere affirmabat, ex quo liquet præcipuum Apostolorum munus fuisse in concionibus suis, Christi resurrectionem prædicare. Quid enim à solo mortuo, ac crucifixo alij sperare potuissent?

Hinc Apostol. Petrus ait: *Benedictus Deus, qui secundùm misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, &c.* D

1. Pet 1. 3.

PROP. X. *Resurrectio Christi æternitatem vitæ contulit nobis.*

SI Christus Dominus à mortuis non surrexisset, nemo nostrûm resurgeret in vitam æternam: sicut membra resurgere non possunt, nisi caput eorum resurgat. caput nostrum Christus est, nos verò corpus eius sumus: oportebat igitur illum priùs resurgere, vt nos post illum resurgeremus: illo verò resurgente, oportebat & nos resurgere cum illo: neque enim decet caput resurgere sine membris.

Quantùm igitur nobis Christi Domini interfuerit resurrectio, hinc desumi debet: naturali enim ductu omnes perpetuitatem optamus. Sicut enim naturalis nobis inest appetitus ad esse, ita etiam ad bene esse, & ad perpetuum esse: ideo mortem horremus, ideo vitam optamus: viuere enim in viuentibus est esse, vti Aristoteles ait, *Nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita*, vt Apostolus ait. Hinc animæ illæ, quas sub altari Dei vidit Apostolus Ioannes, clamantes ad Deum pro reunione animarum ad corpus orabant; in qua vitæ perpetuitas consistit. Habebant quidem iam primam beatitudinis stolam, sed quia hæc ad esse, & vitam animæ gloriosam tantummodo pertinebat, & vitâ corporis carebant, in qua esse completum humanum consistit, ideo reunionem cum corpore postulabant.

2. Cor. 5.

Hinc etiam prouenit filiorum desiderium, vt quia in indiuiduis homines conseruari se non posse vident, vt in specie saltem se conseruent, ac permaneant semper, vel, quantùm fieri possit, optant. & hinc oritur tanta famæ ambitio, & gloriæ humanæ appetentia, quanta in Romanis, v. g. visa est, qui per heroica gesta se perpetuari in memoria saltem hominum optabant, & prouiribus satagebant; cùm tamen huiusmodi esse diminutum valde, & inane sit.

Inde igitur colligere debemus, quàm lætus nobis sit dies hic Resurrectionis Christi: nam eo nobis datur spes certa resurrectionis nostræ: in Christo enim habemus primitias omnium resurgentium. Vnde, *Vnus cabit nos post duos dies, & in tertio suscitabit nos.* non ait solùm suscitabit se, viuificabit se, sed *viuificabit nos* & Paul. *Considere non secit in cœlestibus*, vbi scilicet in æternum viuamus. Eia ergo qui salutem, diuitias, honorem, famam, vitam perditè concupiscitis, respirate: resurrexit hodie Christus Dominus, & non sibi soli, resurgemus & nos, cum illo in æternum victuri. Sit illi honor & gloria in sæcula sæculorum; qui, vti canit Ecclesia, immortalitatis nobis aditum deuicta morte reseruauit, vbi omnia bona erunt.

Osee 6. 3. Paul. Ephes. 2.

PROP. XI. *Resurrectio Christi spem nobis confert resurrectionis nostræ.*

SAnct. Thom. necessariam docet fuisse resurrectionem Christi ad spei nostræ subleuationem, quia (inquit) *dum Christum resurgere videmus, qui est caput nostrum, speramus & nos resurrecturos.* Vnde dicitur: *Si Christus prædicatur, quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Ita S. Thom.

3. p. q. 56. a. 1. ad Cor. lect. 2.

Sed dices: argumentationem hanc inualidam videri, eò quòd sit locus à maiori affirmatiuè: non enim sequitur Christus resurrexit, ergo omnes nos ideo resurgemus. Sicut non sequitur, Lazarus resurrexit in Bethaniæ castello, ergo omnes mortui Bethaniæ resurgere debuerunt. Hoc argumentum sic soluit S. Thomas: *Quidam dicunt, quòd hic locus non est à maiori ad minus affirmatiuè, sed à simili: mori enim, & resurgere conuenit Christo secundum naturam humanam, & dicunt quod est simile argumentum, sicut si diceremus: Anima hominis fortis est immortalis, ergo omnes reliquæ animæ à similis erunt immortales. Videtur autem melius dicendum, quòd sit locus à causa: quia resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ, & ideo secundum Glossam dicendum est, si Christus, qui est causa efficiens resurrectionis nostræ, resurrexit, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? sed tamen non est dicendum, quòd sit causa efficiens tantùm per modum meriti, quia resurgendo non meruit eam, cum iam esset comprehensor, & vitâ viueret gloriosâ; nisi forte meritum resurrectionis referatur ad passionem Christi. Nec est causa exemplaris tantùm vt quidam dicunt, sed est causa efficiens, & exemplaris. Vnde Augustinus dicit, quòd Verbum caro factum viuificat animas,*

Super Ioannem.

mas, & resuscitat mortuos. Sic ergo patet, quòd, si Christus re- A *surrexit, & mortui resurgent.*

Sed contrà, resurgere à mortuis est supra naturam: hoc autem non est nisi virtutis infinitæ, quæ Deus est; ergo resurrectio corporis Christi non est causa efficiens resurrectionis nostræ, cùm humanitas Christi, seu corpus, sit creatura, licèt de Christo vel de homine Christo dici non possit, quòd sit creatura. Respondeo dicendum quòd in quantum Deus est Christus, siue in quantum diuinitas est in Christo, Christus est exemplar, & causa efficiens nostræ resurrectionis per humanitatem suam, sicut per instrumentum diuinitatis suæ, & ad id quod obijcitur, dicendum est, quòd caro Christi seu humanitas, non dicitur facere effectum virtutis infinitæ in quantum caro, vel humanitas, sed in quantum caro Christi, vel humanitas Christi est.

Sed adhuc quæritur: nam positâ causâ sufficienti statim ponitur effectus; si ergo resurrectio Christi est sufficiens causa resurrectionis nostræ, statim deberent mortui resurgere, & non eam tantùm temporis differre. Respondeo dicendum, quòd effectus sequitur ex causis instrumentalibus secundum conditionem causæ principalis, & ideo cùm Deus sit principalis causa B *nostræ resurrectionis, resurrectio verò Christi sit instrumentalis causa resurrectionis nostræ, sequitur resurrectionem Christi esse causam nostræ, secundùm diuinam dispositionem, quæ vt tali tempore fieret, ordinauit.* Ita S. Thom. Sunt qui exponant resurrectionem Christi esse causam efficientem resurrectionis nostræ, non secundùm quòd resurrectio Christi dicit actionem quandam, seu quoddam fieri, sed in facto esse: quia Christus, qui à mortuis resurrexit, eo ipso quòd resurrexit, efficiet resurrectionem nostram virtute diuinitatis suæ. Alij ipsammet resurrectionem Christi aiunt esse causam nostræ resurrectionis: quod sustineri posset, dicendo, quòd illa actio non præterijt, sed durat semper: nam eadem actione, quâ Christus resurrexit, conseruatur viuus, qua ratione cuitatur repugnantia illa, quòd actio, quæ iam non est, effectiuè tunc efficiat resurrectionem nostram, quando à mortuis resurgemus. Hæc dicta sunt, vt locum Pauli supradictum intelligamus: modum autem, & con- C sequentiam explicauit ibidem Apostol. dicens: *Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Ita Apostol. neque enim Christi maiestatem & honorem decebat, maius fuisse damnum Adæ in posteris, quàm Christi reparatio & redemptio in suis redemptis.

Et quidem magni facienda est huiusmodi spes: nam eâ de medio sublatâ virtutis corruit murus, & communiter non aliter viuerent homines, quàm iumenta, & conatus nostri ad concupiscentiarum complementũ properarẽt, sicut cõstat ex illo falso antecedenti: *Exigũ, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis*, hoc est, nõ est resurrectio mortuorũ: *quia ex nihilo facti sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus, & non est reuersio finis nostri, &c.* ex hoc, inquam, antece- D denti vide quid inferant: *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. mirad adonde vienen a parar hombres sin esperança de resurrection, en el prado como las bestias.* Quid igitur iumenta, si loqui possent, aliud pronunciarent? Quare, si spes resurrectionis non esset, actum esset de virtute & probitate morum: si enim etiam apud fideles, qui huiusmodi resurrectionem credunt, vix reperitur qui honestè ac studiosè viuat, sine spe resurrectionis & vitæ æternæ quales essemus?

Quare non immeritò Paulus post longum sermonem de resurrectione nostra futura, sic demum concludit: *Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper, scientes quòd Labor vester non est inanis in Domino.* Hæc igitur spes resurrectionis nostræ, quæ ex resurrectione Domini procedit, nos & à peccatis retrahit, & ad virtutes inducit. Præterea non solùm ad vitæ normam, sed etiam ad mortis tolerantiam, & consolationem nostram, cùm nobis charos è medio tollì viderimus, huiusmodi proderit spes. Audi Apost. *Nolumus (inquit) vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.* Magna quidem nobis esset iactura vitæ nostræ & charorum, si alia præter hanc vitam non esset: at cùm vita nobis supersit æterna, augmentum, & decrementum vitæ huius præ nihilo habenda sunt. 1 *Thess.* 4. 12.

PROP. XII. *Resurrectio Christi confirmauit Apostolos in fide.*

POst resurrectionem suam Christus Dominus secundùm rei exigentiam ascensurus in cœlum erat, hoc enim postulabat corporis glorificati conditio; sed tamen ob fidei nostræ necessitatem remansit Christus Dominus in terra cum Apostolis, & discipulis suis per dies quadraginta apparens eis in multis argumentis, dispersos ad ouile reducens, tanquam errantes oues. Imaginemur modò pastorem aliquem pascentem oues suas in pascuis optimis, superueniat autem tempestas quædam ingens, ventorum, aquarum, grandinum, tonitruorum, & fulminum, *aquacero y pedrisco grande con truenos y rayos*, videbis pastorem vulnerari, oues fugere, & errare, & nonnullas perire, quousque, tempestate finitâ, pastor rediens oues suas quærat, qui alteram inter vepres, alteram inter hiatus terræ, alteram inter luporum dentes inueniens, gregem suum colligere diligenter curat; sic Christo euenisse manifestum est. nam in die parasceues, suborta illa grauissima passionis suæ tempestate, adimpleta fuit prophetia illa, *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis*: percussus fuit pastor noster grauissimè, dispersæ oues miserè, & omnis grex Christi grauissimum detrimentum passus est: sed tamen, superueniente fulgentissimo die resurrectionis, pastor noster egregius oues quærere cœpit, & hanc inter vepres infidelitatis inuenit, illas, quæ ad Emaus pergebant, in barathro desperationis, alteram iam à lupo dilaceratam; sed tanquam bonus pastor, qui animam suam posuerat pro ouibus suis (*Ioan.* 10.) nullum non lapidem mouet, vt oues suas congreget, & in vberrimis pascuis illas collocet. *Zach.* 13. 7.

Vide si non mirè hoc expresserit Propheta Ezech. *Ecce, inquit, ego requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum, sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerint in die nubis, & caliginis, in pascuis vberrimis pascam eas, &c.* nonne dies nubis & caliginis fuit, passionis Christi dies? Nonne tunc dispersæ fuerunt oues Christi? Nonne dissipatæ? Nonne in medio ouium stetit postea Christus, quando in die resurrectionis stetit in medio discipulorum suorum? Nonne quæsuit, & requisuit, visitauit optimè oues? Nonne in pascuis vberrimis diuinarum litterarum cœpit eas pascere, cùm aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas? Nonne igitur gloriosè adimpleta fuit prophetia hæc in die resurrectionis suæ? *Cap.* 34. 12.

Id autem alia similitudine explicemus: videbis in mari ingentem nauium classem, quam suborta tempestas quatit, & in diuersas agit partes, magno cum periculo naufragij; transactâ verò tempestate, nauis, quam ducissim vocant, reliquas omnes naues quærit & colligit, & subuenit eis in necessarijs, huic funes, illi vela, alteri verò prouidens munitionem amissam. Videmus in

die paraſceues grauem illam tempeſtatem ſubortam A Christo, & diſcipulis ſuis, in qua Christus vehementi paſſione quaſſatus fuit, Apoſtoli verò grauiter agitati, naufragium pene paſſi fuerunt, at in die Paſchæ tranſacta illa tempeſtate, & reddita ſerenitate, dux eorum Christus diligentiſſimè eos conquiſiuit, & refecit, euntes in Emaus ſpe, Thomam fide, & omnes gaudio magno valde afficiens.

Prop. XIII. *Resurrectio Christi nos ad omnem virtutem ſtimulat.*

1. Cor. 15. 58. PRimæ Cor. 15. vbi Apoſtolus multis, ac maximis rationibus reſurrectionis myſterium comprobauit, fideles omnes protinus ad omnem pietatis, ac virtutis laborem excitat his verbis : *Itaque fratres ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in omni opere Domini, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino.*

Contrà verò ſi hæc fides reſurrectionis hominibus adimeretur, quid inde conſequi neceſſe erat, niſi quod B ibi ſubdit Apoſtolus : *Si in hac vita in Chriſto tantum ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*; quia ſcilicet, cùm virtus in arduo ſita ſit, & mille circumdata difficultatibus, & iuſti in hac vita pluribus abundent tribulationibus quàm mali, ſi in alia vita nullum ſupereſſet præmium, miſerabiliores omnibus iudicarentur. Loquitur Apoſtolus in ordine ad noſtrum commodum : quia in rei veritate, etiamſi nullum eſſet in alia vita iuſtis præmium, ſeruire Deo cum labore, & dolore, fœlicius eſſet, quàm cum omni voluptate peccatorem exiſtere. At loquendo de beatitudine noſtra, ſecundùm quod bonum, & commodum proprium noſtrum importat, miſerabiliores eſſemus cunctis hominibus: nam tolleretur præmium, & ſpes omnis præmij futuri, & per conſequens, vis & vigor ille operandi, quem acuit ſpes mercedis: quia in omni re, aut actu, virtus agendi ſpes futuri eſt : qui enim arat, arat vt metat, qui pugnat, pugnat vt vincat. Tolle ergo ſpem Reſurrectionis, & reſoluta eſt obſeruantia totius pietatis. Sed tamen Christo Domino reſurgente, ſpes corpori eius (quod ſumus nos) exhibita eſt, quâ, veluti ſtimulo agitati, ad propoſitum nobis cœli brauium alacriter curramus : neque hanc temporis opportunitatem, nunquam iterum poſt hanc vitam redituram, abire vacuam ſinamus, &c.

Ibid. 5. 19.

Prop. XIV. *Resurrectio Christi ad perferendos labores, & excitandam noſtram ſpem conducit.*

Iob 19. 23. IOb 19. *Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei ? quis mihi det, vt exarentur in libro ſtylo ferreo, aut plumbi lamina vel celte ſculpantur in ſilice ?* Hæc verba locutus fuit Iob, cùm in ſterquilinio iaceret, maximis doloribus corporis, & animæ anxietatibus quaſſatus, & omni humano fauore deſtitutus: quid igitur ſcribere ibi optabat, quod ita æternizare (vt ita loquar) voluit ? D quodnam arcanum hoc ſic poſteritati commendandum ? alicuiúsne ingentis theſauri in abdito terræ loco reconditi manifeſtatio ? Eſt planè, ſed qualis, audi,

Ibid. v. 25. *Scio*, inquit. *quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum.* Tædet quidem nos mortis, & itinerationis noſtræ, tædet nos vitæ noſtræ miſerijs refertæ; ſed aderit dies, in quo non ſolùm anima noſtra, ſed etiam caro noſtra à mortuis reſurgens, cœleſti, & ineffabili gloria donabitur. Vnde

Ibid v. 77. hoc ? quia Redemptor noſter viuit, & ipſe eſt caput noſtrum, & vbi reſurrexit caput noſtrum, reſurget & corpus eius. *Repoſita*, inquit Iob, *eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. En el ſeno a par del caracon, como epittima cordial, traygo eſta eſperança.* Voluit Iob ſententiam hanc litteris indelebilibus ad poſteritatis memoriam conſignari, nec ſatis illi fuit reſurrectionis noſtræ fidem ſemel attigiſſe, dicens : *In nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum*, ſed iterum, *rurſum*, inquit, *circumdabor pelle mea*, & inſuper tertiò ait, *in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius*, ſcilicet à me, quàm modò ſim. Quid apertius, quid ſignificantius de reſurrectione noſtra dici tunc maximè potuit ? Quis te, ô vir ſancte, hanc reſurrectionis noſtræ Philoſophiam ante legem etiam Moyſis, ſic euoluit, quam ſub lege multi (quales Sadducæi fuerunt) non agnouerunt ? Quas Athenas, quáſve alias Academias conſuluiſti ? nónne ſententia hæc Athenis, Paulo prædicante, exploſa fuit, & irriſa ? nam omnis fere humana Philoſophia aduersùs hoc fidei dogma reclamare videtur : quæ impoſſibile ſecundùm naturam dicit a priuatione ad habitum eſſe regreſſum. At non illa humana Philoſophia, ſed diuina docuit, & fides ſupernaturalis ei demonſtrauit : ex hac fide ſpes eius emanauit, quæ quidem ſpes, ſicut anchora fortis, & firma, inter tot calamitatum fluctus, ita ipſum confirmauit, vt tot malis pæne obrutus, nullum aduersùs diuinam prouidentiam protulerit verbum. Quibus igitur rationibus inter tot vermes, qui carnes eius dilacerabant, inter tot cogitationes, quæ mentem illius diſcerpebant, vir ille magnus inter orientales, dines pecoris, & argenti, amiſſis gregibus, exciſa domo, famulis in captiuitatem abductis, & ſuccoſus, quod luctuoſius eſt, omnibus ſuis ad vnum extinctis, & toto corpore ſaucio in ſterquilinio ſedens, vbi teſtâ ſaniem radebat, quibus, inquam, rationibus ſe ſolabatur ? nullâ aliâ, niſi illa *Scio*, inquit, *quòd redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum*, &c. hac ſpe labentem animum fouebat, hac ſpe laborum meorum acerbitatem lenio : nam futurorum bonorum expectatione, præſentium malorum molem ſuſtineo. vnde ſpem hanc, non inter ſchedulas meas in arca, ſed in corde reconditam ſeruo.

C Quocirca meritò Plutarchus obiurgat Epicurum, quòd, cùm is in vna voluptate ſummum hominis conſtituerit bonum, immortalitatis tamen ſuſtulerit ſpem, quæ in hac vita ſummum piorum ſolatium, & tutiſſimum laborum omnium perfugium eſt.

Prop. XV. *Quàm latus fuerit Maria virginis dies reſurrectionis Chriſti.*

QVòd Chriſtus Dominus apparuit virgini ſtatim ac reſurrexit, nullus Euangeliſtarum aſſeruit : de aliis quidem apparitionibus ſcripſerunt, de apparitione virginis cur non ? Quia, vt ait S. Anſelmus *lib. de excellentia virginis, cap. 6. Tanta eſt authoritas Euangelicæ narrationis, vt nihil in ea inane, nihil ſuperfluum reperiatur : quòd ſi matri Domini ipſius filius ab inferis reſurgens ſcriberetur, ſicut aliis, apparuiſſe, quis non tale ſcriptum ſuperfluum duceret ? Reginam videlicet cœli, & terræ, omniſque creaturæ coæquari illis quibus apparuit, mulieribus, aut viris.* Ita S. Anſelm.

Reſtitutam fuiſſe ſoli in die reſurrectionis claritatem illam, quam eclipſis ab eo abſtulerat in die paſſionis Chriſti, ait S. Chryſologus. Sicut enim patiente Domino obtenebratus fuit, ita reſurgente Chriſto clarificatus fuit, quòd ſi ſoli lugenti in die mortis Chriſti reſtituta eſt lætitia claritatis ſuæ, & datum, vt ablato luctu ſeu lugubri veſtimento tenebrarum, induereſe indumento illuſtri luminis ſplendentis, cur non dicemus etiam ſolem Eccleſiæ noſtræ, quæ beata Maria eſt, quæque in die paſſionis Chriſti cum ſole pariter eclipſim paſſa fuit, in feſtiuiſſimo reſurrectionis die indutam fuiſſe veſtimentis gloriæ ſuæ, & perfuſam fuiſſe inenarrabili iucunditate ?

Optabat beata virgo deſiderio ſummo hanc filij ſui glorioſiſſimam reſurrectionem, &, vt exiſtimo, duabus illis

illis noctibus, quæ inter diem passionis, & resurrectionis interceserunt, somnum oculis suis non dedit, nec palpebris suis dormitationem: hæc enim est natura desiderij vehementis: nam, vt sapiens quidam dixit, desiderium quod te dormire sinit, non est perfectum desiderium. Vigilabat itaque Dei mater, & assidua oratione verba illa repetebat: *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara.* Nam, licèt ex persona Patris æterni hæc dicta esse affirmet Sanct. Hieron. quidni quoque ex persona matris? saltem, sicut credere par esse videtur, verba hæc mater crebrò referebat & repetebat: erat enim Christus gloria eius, erat & psalterium, & cithara: quia inde cuncta eius lætitia, & exultatio, & quàm maximè ex resurrectione filij expectabat. *Aebat* ergo: *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara*; exurgam diluculo, respondet Christus, vel, vt originale Hebræum habet, *excitabo auroram*, quasi dicat: Tantùm abest, vt ego differam resurrectionem meam, & auroram expectem, vt lumine illius exciter à somno mortis meæ, vt potiùs ego excitare illam decreuerim, vt præueniam lumine glorificationis meæ auroræ lumen. ita gratissimum, & lætissimum mane matri suæ sanctissimæ filius exhiberet. *Christo dió las buenas passcuas a su madre, madrugando tanto para dar se las, y los angeles tras el, razon fera que nos otres tras los Angeles selas demos, &c.*

A

B

C

Prop. XVI. *Beneficium Resurrectionis Christi magnam gratiarum actionem à nobis postulat.*

Cvm Dauid de manu Regis Achis, singulari Dei beneficio & prouidentia seruatus fuit, tunc illum Psalmum dicitur edidisse, cuius initium est, *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo: quia* (vti S. Basilius ait) *vir sanctus intelligebat Deo donò vitam se accepisse, ideo eiusdem se vitæ, quam acceperat, debitorem agnoscens, ipsam prædicandis eius laudibus consecrabat.* Nunc ad nos: de morte & resurrectione Christi Domini nostri sic Ecclesia canit: *Qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit.* Vitam scilicet gratiæ, & vitam gloriæ sempiternam. Si ergo Dauid ob vitam temporalem, & corporalem semper, & in omni tempore Deum laudandum à se dicebat, quid nos facere oportebit, qui vitam animæ æternam à Christo morte, & resurrectione sua assequuti sumus?

Prop. XVII. *Resurrectio Christi exemplar est resurrectionis animæ peccatoris, & quæ sint vera signa resurrectionis animæ nostræ.*

Qvomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & in nouitate vitæ ambulemus, & subdit: *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur: quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccatis, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro. Ita,* inquit, *& vos,* &c. hoc est, sicut Christus resurrexit in corpore, nunquam ampliùs moriturus, ita & vos, resurgetis in anima, vita gratiæ permanente ex huiusmodi vita.

D

Et hanc rationem assignat S. Thom. 3. p. q. 33. art. 1. dicens, operæ pretium fuisse Christum à mortuis resurrexisse ad informationem vitæ fidelium, secundùm id ad Rom. 6. *Quomodo Christus surrexit à mortuis,* &c. vt suprà dictum est. Sed dices, quonam pacto cognoscam me sic cum Christo resurrexisse. Hoc quidem nemo scire potest: *nemo* enim *scit, an odio, vel amore dignus sit*; hac tamen in re coniectura magnum piorum mentibus solatium præbere potest: sunt autem huius resurrectionis animæ signa grauissima, tria tautùm assignabo.

Primùm, Christus resurgens ex mortuis impassibilitatem contraxit: corpus enim erat ante resurrectionem iniurijs multis obnoxium, vnde potuit & flagellis cædi, & spinarum aculeis pungi, & clauis transfigi: quorum nihil post resurrectionis suæ triumphum perpeti iam potest, etiamsi millespiculis impetatur: tunc enim passibile, nunc verò impassibile effectum est: ideo enim ait Apostolus: *mors illi vltrà non dominabitur.* Ad hunc igitur modum qui nondum spiritualiter cum Christo resurrexit, sed adhuc mortuus in peccato iacet, omnibus diaboli mundique iaculis, & tentationibus sic expositus est, vt nulla res adeò infirma sit, quæ non illum grauiter lædere soleat: quæuis enim leuis peccandi occasio, quæuis leuissima iniuria, quæuis honoris, aut opum leuissima iactura, quæuis decora forma, vel per transitum visa, satis superque ad mentē infirmā vel lethali vulnere sauciandam, vel grauiter certè quatiendam sufficit. Cùm enim diuinæ gratiæ virtute destitutus sit, ad hæc omnia mala propulsanda imbecillus, & infirmus est: cùm à morte peccati resurrexit diuinâ gratiâ, & cœlestibus donis roboratus, quantum ex parte gratiæ est, insuperabilis est. Vt enim sanctus Thomas ait, minima etiam gratia peccatum omne mortale ab anima pellere, & superare potest. imò Apostolus Ioann. 1. Ioannes 3. hoc ipsum asserit. *Omnis,* inquit, *qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est,* hoc est, dum se in gratia conseruare homo vult, non peccat, quia semen Dei, hoc est, gratia ipsum protegit: ac si diceres, qui fortissimo quodam scuto se omnino protegit, non potest occidi à sagittario inimico, quia clypeus ille protegit eum qui bene se eo munit. est quidem gratia clypeus fortissimus animæ, quo protectus homo, facilè seruatur à telis inimicorum animæ. Vnde idem Sanctus Ioannes 1. Ioan. 5. *Scimus,* inquit, *quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conseruat eum,* non peccat, id est, facilè se à peccato liberare potest, quia *generatio Dei,* hoc est, gratia, conseruat eum à peccato, &c.

1. Ioan. 3. 9.

Simile.

1. Ioan. 5. 18.

Hoc igitur indicio de sua resurrectione ad gratiam quis ratiocinari potest: si enim qui olim quauis leui occasione in quæuis peccata prolabebatur, modò sic animo cōstitutus est, vt nullius rei vel metu, vel cupiditate, vel iactura ad peccandum inducatur; hoc verè maximum impassibilitatis, ac proinde spiritualis resurrectionis indicium est. Denique si cum Apostolo dicere valet: *Qui nos separabit à charitate Christi,* &c. hic cum Christo verè resurrexit.

Rom. 8. 35.

Secundum indicium veræ resurrectionis est, feruens, ac diligens bonorum operum studium: iubemur enim, non solùm à malis abstinere, sed bona etiam opera edere: quod vtrumque charitas præstat, quæ nec perperam agit, nec malum cogitat, nec segnis ad operandum est; *amor enim Dei,* vt S. Gregor. ait, *non est otiosus: operatur enim magna, si est: si autem operari renuit, amor non est*: sicut enim intra nubes ignis violenter inclusus, nullo modo conquiescit, donec tandem cum sonitu erumpat, vnde fulgura, & tonitrua oriuntur; ita charitatis ignis in piorum corde reconditus, quiescere non valet, donec per opera bona prodeat foras. Cùm ergo animæ vita in charitate sit, charitas autem, sicut ignis, operosa sit, hoc indicio poterit quis, vtrum hanc charitatem habeat, conijcere, &c.

Gregor. Simile.

Tertium signum est passionum, & affectuum nostrorum mortificatio: nam ista superare, & vincere perseueranter, non à natura nostra lapsa, sed à Dei prouenit gratia: aiunt quippe Philosophi rerum actiones formarum consequi naturam, actus enim secundi, qui sunt actiones ab actu primo, qui est forma rei, deriuantur; quid

quid ergo? tribuêsne lapsæ naturæ se ipsam abnegare, A delitijs valedicere, honores despicere, diuitias repudiare, tentationibus resistere, humilitatem, patientiam, paupertatem spiritus, & pœnitentiæ opera sectari? minimè quidem: quia naturæ lapsæ proprium est seipsam valde amare, carnem fouere, vtilitatis propriæ studiosum esse, honoribus gaudere, delitijs vacare, molesta carni declinare, natura, inquam, nostra gratiâ destituta, hæc omnia inquirit; ergo qui opposita quærit à superiori causa hoc habet; hæc verò, quæ nisi gratia est? vnde qui sic affectus est, à peccato ad gratiam se resurrexisse signum magnum habet.

Prop. XVIII. *Aduersùs eos qui adueniente resurrectione Christi redeunt ad peccata.*

B

Sanct. Bernard. *serm. 1. de resurrectione Domini. Vrah dolor, peccandi tempus, terminus recidendi facta est resurrectio Saluatoris. Ex hoc nempe comessationes, & ebrietates redeunt, cubilia, & impudicitiæ repetuntur: & laxantur concupiscentiæ frena: quasi ad hoc surrexerit Christus, & non magis propter iustificationem nostram. Sic honoratis miseri Christum quem suscepistis? Venturo paratus hospitium confitentes peccata cum gemitu, castigantes corpora, eleemosynas impendentes; & ecce susceptum proditis inimicis, imò nequitiæ exire compellitis, priores admittendo. Neque enim cohabitatio esse potest luci ad tenebras, Christi cum superbia, cum auaritia, cum odio fraterno, cum luxuria, & fornicatione.* Ita S. Bernard.

Cui ergo comparabimus generationem istam? Similes quidem sunt serpenti, quæ cùm ad fontem accedit, deponit supra petram virus suum; sed tamen post sumptam aquam, iterum redit ad vomitum, iterum recipit virus. sic hi accedunt Quadragesimæ tempore ad C fontem pœnitentiæ, interim virus peccatorum deponunt, vel certè deponere videntur super petram, super Christum, inquam, qui super se tollit peccati pœnitentiam; sed tamen vix Domini resurrectio adest, cùm ipsi ad vomitum redeunt, & quæ se reliquisse peccata dicebant, reassumunt, virus, inquam, pristinum peccatorũ. quia sicut serpentes sine veneno viuere non possunt; sic hi, qui quasi serpentes serpunt in terra, & super pectus suum gradiuntur in ea (nihil enim in pectore nisi terrena versant) sic, inquam, hi virus, quod reliquerant, repetunt, quasi non valeant viuere sine peccatis.

Videbis in hastiludio duos equites hastis se impetentes, gladijs se percutientes, &c. qui rem ignorant, hostes illos acerrimos esse iudicabit, & dum valde inter se familiariter colloquentes videt, quid sentiet? quid dicet? heri profectò dimicatio illa, aut ludus, aut lusus erat, *no era de veras el herirse, sino de burlas, y por juego y entretenimiento.* Sic etiam qui heri peccatorem vi- D dit detestantem peccata, dolentem se in ea incidisse, & promittentem se nunquam ampliùs peccata commissurum, iudicabit profectò inimicitias magnas cum peccatis cum contraxisse; at cùm postea in Paschate ad eadem peccata reuersum eum intuetur, quidni dicat? externæ inimicitiæ cum peccatis fictæ quidem ludus ille, vel lusus fuit.

Alio id exemplo explanemus. Noctu vigiles qui ciuitatem circumeunt, vt custodiant ciuitatem, solent arma tollere ab his qui post assignatam horam illa per ciuitatem gerunt; accidit vt quidam eorum, qui velut noctuæ, tenebris gaudent, ministros Iustitiæ, seu vigiles adesse prope sentiant, qui, ne ab eis capiantur, & arma sua amittant, ea ad angulum porticus alicuius domus mittant, interim dum vigiles pertranseunt, post quorum transitum ſtatim arma sua reassumunt, & ad destinatum pergunt intentum. Tales sunt hi de quibus loquimur peccatores, tempore Quadragesimæ iustitiam diuinam adesse vident, quæ eos ad dimittenda arma peccati deuincit, & sub pœna excommunicationis eis valedicere. Videas confitentes, communicantes, ieiunantes, orantes, conciones audientes, & horum similia operantes; sed tamen transactâ Quadragesimâ iniquitatis arma recipiunt, & sicut ante Quadragesimam, iniquè agunt, hósne peccata dimisisse dices? Nequaquam, sed interim dissimulasse. Vereor quidem quamplurimas peccatorum confessiones, & pœnitentias huiusmodi esse inanes. hi seipsos decipiunt, non Ecclesiam, quæ quod in se est fecit, & perfecit, ipsi verò seducunt se: quæ magna & eximia stultitia est, nam seducere alios malitia est, seducere verò seipsum execrabilis stultitia est.

Desidero, inquies, saluari, & quia *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, cupio media nosse, quibus post Quadragesimam, & omne vitæ curriculum perseuerem. Dicam: aiunt Philosophi res eiſdem mediis conseruari, quibus producuntur, maximè cùm non ita conforme naturæ sit id, quod volumus conseruare. Aquam calidam in suo calore perseueranter conseruare cupis, nónne aquam hanc ignis calore calidam effecisti? eodem igitur calore ignis calorem aquæ conseruare debes: nam si ab eo aquam separaueris, aqua ad pristinam frigiditatem facilè se reducet: sic etiam si calorem & feruorem in Quadragesima conceptum, & gratiam Dei, quam eius pietate recepisti, conseruare vis, attende quibus mediis hæc recuperasti: nonne sacramentorum perceptione & verbi Dei auditione? Frequenter igitur ad sacramenta debes accedere, & verbum Dei audire: sic enim lucem diuinam, quæ totius boni nostri initium est, & feruorem & gratiam conseruabis.

Prop. XIX. *Quàm solemne festum sit resurrectio Christi.*

Tria solemnia festa præcipiebat Deus ab Israelitis celebrari, vt patet Exod. 23. nimirum Pascha, in memoriam liberationis ex Ægypto Exod. 12. Secundum festum erat Pentecostes, in memoriam legis datæ in monte Synai, Deut. 16. Tertium erat festum Scenophegiæ, seu Tabernaculorum, in memoriam habitationis in deserto per annos quadraginta, Leuit. 23. Horum festorum celeberrimum erat festum Paschæ, vnde per antonomasiam dicitur, *Dies solemnis*, Luc. 2. *& dies magnus*, Ioan. 19. 31. In quo propterea nemo excusabatur ab ascensu in templum, quamuis in alijs duobus festis propter causas legitimas excusarentur. Tale igitur est festum resurrectionis, &c.

Prop. XX. *Quanto gaudio celebranda sit resurrectio Christi.*

Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. Sæpe sæpius hæc verba repetit, & inculcat sacrosancta mater Ecclesia in festo sanctæ Resurrectionis: ad eximium enim gaudium nos excitare contendit, festiuissima enim solemnitas hoc obtinuit. Dices, cùm omnes Christicolas lætos hoc Pascha transire videamus, dies læta est: verùm omnes quidem lætantur, sed non omnes eo modo lætantur, quo festiuitas poscit, sed quò mundi vanitas ducit. Modum rectè gaudendi insinuauit Apostol. ad Phil. 4. dicens: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* Obserua verbum illud, *in Domino*, quid est, *in Domino*, nisi propter ipsum Dominum? at verò multi non gaudent modò, nisi ob id solùm, quòd iciunijs, & precibus valedixerunt, quòd iam carnibus ingurgitari sine Quadragesimæ impedimento licet, quòdque iam liberè edere, & ludere, ac liberiùs viuere sibi licere videtur, & à confessionis vinculo se liberatos existiment, &c.

Qui

Qui ergo hoc modo gaudent, nec in Domino gaudent, nec de resurrectione Christi gaudent, sed, sicut S Bernard. de festo Natiuitatis dixit, non de Natiuitate, sed de vanitate gaudent: si chi non de Resurrectione, sed de dissolutione gaudent. Illi autem in Domino gaudent, & diem solemnem Resurrectionis concelebrant, qui rebus spiritualibus eam dedicant, tantæ scilicet festiuitatis considerationi, sacris concionibus, lectioni quæ de hoc mysterio agit, & orationi instant, in qua Deo gratias referunt, pro nostra in Christo viuificatione & nouam spem concipiunt salutis suæ, dicentes cum Propheta: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Nota, *in Deum viuum*: tristatus eras in Deo mortuo his diebus elapsis, nunc gaude in Deo viuo, gaude, quia viuit, & regnat, gaude quia cum illo, & tu pariter viues, ac regnabis in sæcula sæculorum. Ita lætandum est Christiano in Resurrectione Christi, nõ autem quia plus modò edere libet, & curiosiùs vestiri, & ludere, & voluptatibus vacare. Bacchanales ita gaudent non Christiani. & ratio manifesta est, quia Christus Dominus ad hæc destruenda, & non ad instruenda venit. Non igitur in festo victoriæ suæ hæc admittet. *Ego vici mundum*, ait, huiusmodi gaudia mundi sunt: gaudia hæc igitur vicit, superauit, & reiecit Christus: quomodo ergo illi hæc placere possunt, qui ad hæc reijcienda venit, & maximè in die victoriæ suæ?

Gaudeant etiam, quia peccatorum laqueos euaserunt, & hisce diebus cum Christo à morte peccati ad vitam gratiæ reuixerunt.

Cùm filius ille prodigus ad patrem reuersus fuit, pater eius diem festum agere iussit; causam verò insinuans dixit: *Mortuus enim erat, & reuixit, perierat, & inuentus est*: sic lætare tu, qui à peccato liber ad Christi resurrectionem deuenisti; quia mortuus eras, & reuixisti, perieras, & inuentus es, &c.

Denique, non prohibemus etiam corporaliter gaudere, & lætari licitè cum debita moderatione in rebus honestis mundi, dummodo sine scandalo, & sine peccato fiant, dummodo in his, quæ prædiximus, lætentur simul: nam si hæc oportet facere, illa oportet non omittere, sed potiùs primum illis locum dare.

A mandauit humilitatem, & obedientiam vsque ad mortem, & ipse *humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*: præcepit etiam inimicorum dilectionẽ, *Dil gite, inquit, inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*; dilexit & ipse inimicos suos: nam maiorem dilectionem nemo erga inimicos habet, quàm vt animam suam ponat pro illis: posuit aut. m animam suam Christus pro nobis, quod mirè ponderauit Apostolus, dicens: *Vix pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori? commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam, cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*. cùm adhuc, inquit, peccatores essemus, hoc est, inimici. vnde inferiùs eodem *cap. 5. ad Roman.* ait: *Cùm adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Benefecit* eis, quia non solùm in fauorem iustorum, sed etiam peccatorum, miracula operatus est. *orauit pro persequentibus se*, quia pro crucifixoribus exorauit. nónne optimè sic descendit in præcepto quod mandauit? Sic de alijs præceptis dicendum est. Quid igitur inde? & *synagoga populorum circundabit te*, hoc est, homines tui erunt imitatores. Ita in humilitate secutus est eum S. Augustinus, & multi alij, in paupertate Sanctus Franciscus, & alij multi, in dilectione inimicorum Sanctus Stephanus, & multi alij. Rom. 5. 7.

B

Et subdit: *& propter hanc in altum regredere*. quid ita? S. Augustinibidem, id est, propter hanc congregationem in altum regredere: quod resurgendo, & in cœlum ascendendo intelligitur fecisse: ita enim glorificatus dedit Spiritum sanctum, qui ante glorificationem eius dari non poterat, sicut in Euangelio positum est: *Spiritus autem nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*. Regressus ergo in altum propter congregationem populorum, misit Spiritum sanctum, quo impleti prædicatores Euangelij, orbem terrarum Ecclesijs impleuerunt. Ita Sanctus Augustin. Dixerat & hoc Christus Dominus: *Expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos*. Sed, inquies, quid obstabat quò minùs ante ascensionem Christi in cœlos Spiritus sanctus nobis daretur? Sanctus Aug. *Tract. 94. in Ioan.* & S. Gregor. 8. *Moral.* 13. ideo sic à Deo dispositum fuisse, vt non nisi post discessum Christi Spiritus sanctus discipulis daretur; quia per aduentum, & communicationem Spiritus sancti, erant discipuli perfectissimi euasuri, & maxima perfectione spirituali implendi: debuerunt ergo ab hac sensibili conuersatione Christi separari. erant enim maximè addicti, & affecti humanæ Christi conuersationi, & familiaritati, & quæ, licèt sancta vtilisque esset, sensibilis tamen erat: oportebat autem quod sensibile in eis erat, in spirituale conuerti, & Christo, non tam sensibus, quàm spiritu, & toto mentis conatu, adhærere: erat autem ad hanc spiritualem perfectionem nonnullum impedimentum sensibilis illa conuersatio Christi, non ex parte Christi, sed discipulorum. Quòd si humana illa cum Christo conuersatio, & sensibilis, impedimentum huiusmodi perfectionis discipulis erat, quid erit nobis sensibilis cum creaturis conuersatio? Non, inquam, cum Christo, sed cum hominibus, & sæpe malis. affectus ille humanus discipulorum ad Christum, impedimentum ad affectum spiritualem erat: quid ergo de nostris affectibus dicemus, quos vehementes ad res temporales habemus? Hic filium eximio diligit amore, ille amore prosequitur delicias, & honores mundi, quomodo hi Deum diligere ex toto corde possunt? Quomodo ad perfectionem Christianam peruenire, si Apostolis amor ille, & affectus tenet ad humanitatem Christi, ad spiritualem progressum impedimentum aliquod erat? Ad hoc igitur necessarius fuit ascensus Christi in cœlum.

C

Præterea, *propter hanc*, inquit, *in altum regredere*, vt scilicet aduocatus sis in curia cœlesti apud Patrem. Ra- Hebr. 9. 24.

D

CHRISTI ASCENSIO.

Prop. I. *Quàm expedient nobis fuerit ascensio Christi.*
2. *Ascendit Christus in cœlum ad interpellandum pro nobis.*
3. *Christus in ascensione sua ostendit amorem suum in nos.*
4. *Quod etiam post ascensionem ingens sit amor Christi in nos.*

Prop. I. *Quàm expedient nobis fuerit ascensio Christi.*

E *Xurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti, & synagoga populorum circumdabit te, & propter hanc in altum regredere.* Sic ad filium Dei Dauid; sed quid est, exurgere Deum in præcepto quod mandauit? Sanct. Augustinus sic exponit: *Quia humilitatem præcepisti, vt exemplo tuo vincentes superbiam, non possideantur à diabolo, qui superbiam persuasit, dicens: Manducate, & eritis sicut dij.* Ita Sanct. August. sed non opus est ad solam humilitatem hoc præceptum coarctare, sed illud extẽdamus ad omne præceptum Dei, quod in carne sua Christus adimpleuit. Quasi dicat: Tu Domine legẽ nobis dedisti, quam pauci sunt qui obseruent: difficilem enim eam censent: vt facilior ergo reddatur, *exurge in præcepto* tuo, veni, & tu operibus imple, quod nobis operari præcepisti. Magna, & ardua postulatio, sed tanta bonitas est Dei nostri, vt quod ita arduum videbatur, & humano iudicio minimè impetrabile, Deus exactissimè adimpleuerit: venit in præcepto quo mandauit

tio est hæc D. Pauli, *Introuixit*, inquit, *Iesus in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Solent qui in curia regia negotium aliquod habent, aduocatum aliquem sapientem eligere, qui causam illorum diligẽter prosequatur: habemus negotium ad Regem illum cælestem, quo non minùs quàm saluationem nostram negotiamur, aduocato peritissimo egemus: negotium enim grauissimum est: hoc igitur fungitur munere Christus Dominus. Nec enim Angelis, aut sanctis illud cõmittere voluit, sed sibi ipsi dignatus est reseruare; nec mirum, si ille pro nobis aduocatus esse dignatus est in cœlis, qui pro nobis in cruce mori non est dedignatus in terris. *Filioli*, ait Apostol. Ioannes, *hæc scribo vobis, vt non* 1. Ioan 2. 1. *peccetis, sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* quasi dicat, talem aduocatum habentes apud Patrem, non est quòd desperetis veniam: ipse enim filius eius est dilectissimus, in quo sibi bene complacuit, & insuper ipse est propitiatio nostra, hoc est, qui ob propitiationem nostram in cruce mori dignatus est, quid non pro nobis tantus aduocatus obtinebit à Patre suo & tali Patre?

Sed, quod mirabile nimis est, quomodo talem habentes patronum & aduocatum, plures sunt, qui causâ cadant, & damnentur, quàm qui saluentur: nimirum, quia salus nostra, non ex solo Christo, sed ex nobis etiam pendet, ille eam in nobis operatur, nos liberè cooperamur, at vt plurimùm homines non cooperantur, sed resistunt. quid igitur mirum, si plures sint qui damnentur? *No lleua Dios por los cabeçones, y por fuerça en el cielo a nadie, &c.*

Prop. II. *Ascendit Christus in cœlum ad interpellandum pro nobis.*

Quamuis Christus Dominus ascensione sua à nobis corporali aspectu recessisse videatur, ibi tamen non minùs, quàm cùm in mundo visibiliter existebat, & nos diligit, & salutem nostram optat. Vidit eum Ioannes in cœlo, modum vero quo ipsum vidit attende. *Et vidi*, inquit, *& ecce in medio throni, & quatuor* Apoc. 5. 9. *animalium, & in medio seniorum, agnum stantem tanquam occisum.* Quid est, *tanquam occisum?* si stabat, quomodo stabat tanquam occisus? quod enim occisum est, non stat. sed cadit, & in terra iacet. Præterea, quonam pacto in cœlo tanquam occisus est Christus Dominus? ibi namque, non tanquam mortuus, sed tanquam viuens est in sæcula sæculorum; quomodo ergo tanquam occisum ibi eum se vidisse testatur Ioannes? Prima huius loci explicatio est, quòd in cœlo stat Christus, non occisus, sed tanquam occisus, propter cicatrices & mortis suæ signa, quæ in corpore adhuc retinet in cœlis. Sensus igitur est, vidi Agnum Dei, hoc est, Christum Dominum habentem & retinentem cicatrices, & signa mortis suæ.

Secundus sensus est, vidi Christum Dominum in ea similitudine ac figura, quam habuit quando in cruce occisus fuit, ita scilicet vt in modum crucis extensa in cœlo brachia gerat: neque enim modus hic habendi brachia grauis & molestus est in cœlo, sicut in terra, quia ibi nulla est defatigatio, neque molestia, quomodocumque brachia componantur. Apud nos quidem modus iste crucis molestus & grauis est, propter corporis grauitatem, quod in cœlis non est: cùm igitur positio illa, & habitus ille corporis, seu figura crucis, grata sit Patri, & cœlicolis, quia opus admirabile redemptionis repræsentat, non mirum, si in modum crucis ibi Christus Dominus brachia fæpius gerat. Vtraque autem expositio nobis pariter gratissima est: nam retinere ibi Christum Dominum vulnerum cicatrices, in nostrum commodum est, quia illa vulnera Patri offert, seu repræsentat, vt misericordiam impetret nobis, dicens: Propter vulnera hæc, tuâ obedientiâ & amore suscepta, propter hæc misericordiam peto ijs, pro quibus illa mortemque fui perpessus.

Præterea, brachia ibi Christum Dominum habere extensa & in modum crucis, quid est, nisi brachia ad nos libenter amplexandum extensa habere, sicut in cruce habuit ad vniuersum mundum tunc amplexandum, cùm pro vniuerso mundo patiebatur mortem crucis? sic igitur habere brachia in modum crucis protensa, quid aliud est, quàm dicere: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* eo scilicet amore, quo pro vobis in cruce extendi brachia ista, &c.

Denique vidit Apostolus Ioannes illum stantem: cur non sedentem, cùm sessio quietis signum sit; in cœlo autem æterna sit quies? nimirum, quia modus hic standi, auxilliantis est, sicut vidit eum S. Stephanus: *Ecce*, inquit, *video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* quod explicans S. Gregorius, *Stare*, inquit, *adiuuantis est, & rectè stare cernitur, qui in bello certantibus opitulatur.* Ita ille. Stantem ergo vidit Agnum Ioannes, quia & ibi nobis agnus mansuetissimus, & clementissimus, & non leo rapax & ferox est; stantem verò, quia semper ibi in adiutorium & adminiculum nostrum est. Ecce igitur ad quid Dominus Christus ascendit in cœlum.

Prop. III. *Christus in ascensione sua ostendit amorem suum in nos.*

Christus in tantum diligit nos, vt discedens à nobis, etiam in cœlum, peregrè se proficiscens eo quod constat ex eo Matth. 23. vbi Christus, postquam in parabola talentorum se diuisisse talenta dixisset, *peregre (subdit) profectus est.* Quid hoc? ad Patrem vadit, in cœlum pergit, & peregrinum se dicit? Cùm in terram descendit, meritò se peregrinum poterat appellare; at in cœlum pergens, cur ita? S. Chrysost. in imperfecto, hom. 53. Homo peregrè profectus, Christus est post victoriam passionis ad Patrem iturus: commendat autem Christus dilectionem suam, quam habet in sanctos: ad regna enim cælestia ascensurus, & ad Patrem suum iturus, peregrè se iturum dixit, propter charitatem sanctorum, quos relinquebat in terris, cùm magis peregrè esset in mundo. Ita ille. Sit Christus in sæcula benedictus. Hinc intelligere licet Eucharistiæ mysterium: si is, qui ad peregrina ducitur, posset simul inter dilectos remanere, absque dubio remaneret. Peregrè Christus proficiscebatur in cœlum, habens dilectos suos in terris; potuit simul ire & remanere: remansit, ne amori suo in nos aliquo modo deesse videretur.

Prop. IV. *Quòd etiam post ascensionem ingens sit amor Christi in nos.*

Actorum 9. Christus ad Saulum: *Saule, Saule, quid* Act. 9. *me persequeris?* &c. S. August. serm. 49. de verbis Apostol. expendens charitatem Christi in nos: *Videte*, inquit, *fratres dilectissimi, dilectionem capitis nostri: iam in cœlo est, & hîc laborat quamdiu laborat Ecclesia eius.* Ita S. August. Quàm quidem hoc verum sit, probat ex verbis quæ dicturus est in iudicio reprobis: *Esurij, & non* Matt. 25. *dedistis mihi manducare.* quid ais Domine? cælestibus 42. gaudebas alimentis gloriosissimæ beatitudinis tuæ, & ais te etiam in tanta gloria esuriuisse? Nimirum, ait, quia *quamdiu vni ex minimis meis non feciſtis, nec mihi feciſtis.* Veritatem hanc comprobat descensio è cœlo Christi in conuersione Pauli: in cœlo erat, Saulus non Christum in se persequebatur nec valebat; & tamen ait Christus: *Saule, Saule, qui me persequeris?* quia licet sublimatus, non tamen nostri oblitus, ad dexteram Patris

tris laborat in nobis, dum nos laboramus in terris. Ecce causam consolationis nostræ in Ascensione Christi Domini ad cœlos. S. Augustinus. ibidem exemplo sic exponit: *Calcat tibi aliquis pedem, & dicit lingua: calcas me, cum eam nemo contigerit. Sursum est Christus, in vtero est, & tamen ait: calcas me, esurio & non dedisti mihi manducare.* Ita ille.

Amplior consolatio hæc ex eo est, quòd in dextera Patris tanquam aduocatus noster interpellat pro nobis. In tribunalibus iudicum nostrorum aduocati sunt pro pauperibus assignati, qui gratis negotia pauperum agant: in cœlesti curia, negotium nostrum agitur magnum, saluationis videlicet nostræ, ibique charitas & misericordia Dei nostri optimum nobis constituit aduocatum, Christum nempe filium suum, qui gratis pro nobis causam apud Patrem agat. Audi Ioannem Apostol. *Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* O quàm bonus nobis aduocatus! filius enim Iudicis nostri est & gratissimus illi, de quo ipse Matt. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quòd si in aduocato requiritur sapientia & eloquentia, sapientissimus & eloquentissimus est; si aduocati apud nos vno tantùm ore loquuntur, Christus tot linguis loquitur, quot vulnera tenet: ideoque vulnera, tanquam ora clamantia, pro nobis detulit secum ad cœlos: poteritne repulsa à nobis timeri?

Hæc autem efficacia huius aduocationis, requirit vt & pariter nos cooperemur: cadunt enim à causâ plurimi, quia peccatis suis vel ex defectu legitimæ pœnitentiæ obstant. quòd si quæ ad nos pertinent effecerimus, aduocatus salutem nostram æternam obtinebit: id enim significant verba illa *Iesum Christum iustum*; iustum ait: vbi Beda: *Iustus aduocatus iniustas non suscipit causas.*

A sensus? vbi discursus? vbi fides? imò vbi amor sui in eo, qui sic Deum irritare contra se, & sibi sic nocere audet?

PROP. II. *Clementia homini Deum assimilari facit.*

REgè Philosophus quidam sic ad Alexandrum: *Nihil habet, ô Rex, vel fortuna tua melius, quàm vt possis, nec natura tua melius, quam vt velis, plurimos seruare: nulla enim de virtutibus misericordiâ generosior, nec clementiâ admirabilior, nec per aliud propior Deo accedere potes, quàm vt hominibus sis salutaris, vel dando, si eguerint, vel parcendo, si deliquerint, vel indulgendo, si supplicauerint. cum enim vincamur à dijs in omni munere, sola clementia est, quæ nos illis similes facit.* Ita ille.

Cicero, *Nihil*, inquit, *laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate ac clementiâ*: quia, vt inquit Poeta, *Sola deos æquat clementia.* Ita Tullius. Theodosius Imperator, vti refert Claudianus, Honorium filium suum sic salubriter instituebat: *Lib. 1. de offic.*

Su pius imprimis: nam cùm vincamur in omni
Munere, sola deos æquat clementia nobis.

Hac de causa illustriores Imperatores illustriora exempla clementiæ posteris reliquerunt. De Iulio Cæsare fertur, solius iniuriæ se immemorem gloriatum fuisse. Item Augustus Cæsar narrantibus detractiones in eum iactatas, liberas esse linguas, respondebat. Item de Theodosio Imperatore refert S. Ambrosius, tantæ eum fuisse clementiæ, quòd numquam negauit veniam supplicanti, *imò beneficium* (inquit) *existimabat Theodosius se accepisse, cùm ignoscere rogaretur.* Ita S. Ambrosius.

Idem Theodosius adeò clemens erat, vt neminem se lædentium morti adiudicaret, dicens: *Vtinam esset possibile etiam mortuos ad vitam reuocare.*

C

CLEMENTIA.

PROP. I *Quàm excellens & regia virtus sit clementia.*
2. *Clementia homini Deum assimilari facit.*

PROP. I. *Quàm excellens & Regia virtus sit clementia.*

PSalm. 78. Dei in peccantes indignationem expendens Dauid, & mitigare contendens, sic Deum affatus est: *Vsquequo Domine irasceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus?* Vbi iram huiusmodi, zelum & ignem, seu zelum ignitum vocat. Est autem zelus iste vehemens quædam excandescentia ob violatum amorem, qualis esse solet mariti erga vxorem adulteram, & adulterum, imò & longè maior: ideò ignem eam vocat Dauid, & etiam ipse Deus Ezech. 36. v. 38. *In igne zeli mei locutus sum.* Quid autem igne vehementius & acerbius? Quomodo autem in Deo sit talis zelus, expressit Deus ipse Deut. 32. *Ignis, ait, succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.* Quid est *vsque ad inferni nouissima?* Iansenius, *id est, ardebit ignis iste non solum in superficie terræ, sed etiam vsque ad extrema inferni.* Ita ille. *Es vn fuego esta indignacion de Dios contra los que peccan, que llega a lo mas hondo y profundo de las penas del infierno.* Etenim quæuis inferni pœna grauissima est, quæcumque ignis illius pars intolerabilis est; sed illa quæ in profundo est, incomparabilis, & indicibilis est. ad hanc peruenit indignatio, quam Deus habet erga peccantes, id est, tam indicibilis cruciatus nulla est alia ratio, quàm peccatum! O peccatum! ô ignis gehennæ æternus! ô mortalium peccantium diabolica inconsideratio, & insensibilitas! vbi iudicium? vbi

Lebatæ Tom. I.

COGITATIO.

PROP. I *Quòd non solùm curare debemus vt verba pura sint, sed vt etiam cogitationes mundæ sint.*
2. *Exacta habenda cura cogitationum, ob damna quæ infert animæ.*

PROP. I. *Quòd non solùm curare debemus vt verba pura sint, sed vt etiam cogitationes mundæ sint.*

LEuitici 1. agitur de magno holocausti sacrificio, de quo inter alia sic: *Intestinis & pedibus lotis aquâ, &c.* Cur hæc speciatim iussit Dominus aquâ lauari? Isichius in c. 1. Leuit. *Septuaginta* (inquit) *sic edunt: ea quæ sunt in ventre, & pedes aquâ lauent. Per ea, quæ in ventre sunt, abdita & latentes in corde cogitationes significantur, quia venter animæ cor est: vnde Ieremias dicebat:* Ventrem meum, ventrem meum doleo; *quem ventrem ipsum subinfert*, & sensus cordis mei conturbati sunt. *Pedes autem significant actiones, quia Prophetæ præsens sæculum vitam appellare consueuerunt, ita vt diceret Dauid:* Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, *id est, qui in lege Domini operantur. Vult ergo nos simul cum actionibus cogitationes mundare, quia de cogitationibus etiam rei in iudicio tenemur. Si enim qui suo fratri sine causa, reus est gehennæ, ira autem motus est animæ, non debebit hic ex actione iudicium? Ita quidem.* Ita ille. Vnde Isai. 1. *Auferte malum cogitationum vestrarum*, & Christus: *Qui viderit mulierem, &c.*

Leu. 1. 9.
Ischius.
Psal. 118. 1.
Isa. 1. 16. Matt. 5. 28.

PROP. II. *Exacta habenda cura cogitationum, ob damna quæ inferunt animæ.*

Chrysostomus de lenitum peccatorum periculis.

NOn minori solicitudine cauendum est ne quid mali cogitemus, quàm ne quid mali agamus: quia cogitationes Deus pro factis æstimat: vt innuit his verbis D. Chrysostomus. *Nullus actus non cogitatione præcurrente conficitur, nullum opus non corde mediante completur, maximè cùm sermo minister sit cordis: nec quidquam aut actu conficiatur, aut sermone proferatur, nisi prius id ipsum cogitando gignatur. Nam etsi aliquando cogitamus, nec gerimus, & sponimus, nec implemus, tamen cogitata pro factis tenentur, licet nondum opere compleantur. Facere enim cordis, cogitare est. Qui viderit ad concupiscendum, iam mœchatus est in corde suo. Cor enim cogitando tenetur in crimine, licet corpus immune videatur ab opere: reus enim tam animus qui cogitamt, licet immune sit corpus ab opere quod non fecit.*

Deinde iniquæ declinandæ sunt cogitationes, quia hominem in curriculo virtutis retardant, teste D. Macario, *Sicut cùm in stadio curritur, currus præcedens impedit, retinet, ac prohibet sequentem ne præcedat, & peruenat ad palmam: ita cogitationes animæ, atque peccati currunt in homine. Si ergo contingat cogitationem peccati præcedere, impedit, ac prohibet, animam accedere ad Deum, & contra peccatum retert victoriam. Quòd si Dominus insederit, & ducit animum, semper ille vincit, & rigens prudenter currum.*

Macarius. Hom 1. de curru Cherubim.

Hom 11. Idem auctor ostendit ex prauis cogitationibus quasi conflari idola. *Sicut*, ait, *Israelitæ proiecerunt in ignem vasa aurea, & prodijt idolum, sic homo nunc cogitationes prauas & probas tradit nequitiæ, quæ demersæ sunt in lutum peccati, & factæ sunt idolum.*

A Rùm etiam clamore magno ea illi prædicare: sic enim expedit ei, vt scilicet cognoscat grauitatem infirmitatis suæ, & periculum damnationis suæ, & sic ad me conuertatur. Vnde S. August. *in suis Confess.* *Tu Domine retorquebas me ad meipsum, vt viderem quàm vlcerosus, & tortuosus essem.* Ita ille.

PROP. II. *Quantum conducat hominì cognoscere seipsum.*

MVlti multa sciunt, & seipsos nescsunt. His verbis D. Bernardus ostendit humanæ naturæ conditionem: ea enim est hominum natura, vt, cùm multarum rerum peritissimi sint, in sui cognitione non laborent. Multi enim sunt qui vtriusque iuris volumina diligenter reuoluunt, liberales & ingenuas artes assequuntur, historias ac fabulas recordantur, curias Regum, Principum domos, regias Imperatorum, Pontificum basilicas adeunt: ad pagos & tuguria descendunt, ambiunt suburbana, vicinium lustrant, quæque in his locis gerantur mente & cogitatione perquirunt. nihil non scientes, seipsos nescsiunt: instar oculorum, qui cum omnia videant seipsos non vident. Hoc & vitio, & errori, & stultitiæ vertit D. Bernardus. Vnde ad Eugenium scribens, ait: *Ne frustra extendaris in alia, te negligito. Quid tibi prodest, si vniuersum mundum lucreris, te verò perdens? si sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris sapiens. Nouerit licet mysteria omnia, nouerit lata terræ, & profunda maris, si te nescieris, eris simulus ædificans sine fundamento, ruinam non structuram faciens.* Merito hæc Bernardus, quia in supremo Dei iudicio harum rerum scientia parum proderit peccatori, si à sui cognitione deseritur.

Hæc, de qua loquimur, cognitio magni semper est habita apud illos, qui vel humana vel diuina sapientia floruerunt: quo factum est, vt Græci illi sapientes (quorum fama ita percrebuit, vt vniuersum terrarum orbem compleuerit) in valuis celeberrimi Apollinis templi, vti suprà tetigimus, grandioribus, & aureis litteris scripserint: *Nosce teipsum.* Quam inscriptionem posteritati commendabant, & tanquam oraculum cœlo delapsum, omni memoria & veneratione colebant.

Diuus Augustinus Deum alloquens in oratione dicebat: *Nouerim te, & nouerim me.* ac crebrò repetito sermone, eadem verba vsurpabat: quia tanti semper fecit cognitionem sui, vt post cognitionem Dei, quæ omnium præcipua est, nihil haberet prius, quàm sui cognitionem efflagitare.

Quid de illa senserit Diuus Bernardus, satis ostendit Eugenio, dicens: *A te incipiat tua consideratio, non solum autem, sed & in te finiatur. Quicumque vagetur, ad te reuocaueris eam cum salutis fructu. Tu primus tibi, tu vltimus, Sume exemplum de summo omnium Patre. Verbum sumi & emittente, & retinente. Verbum tuum, consideratio tua. Quæ si procedit, non recedat. Sic progrediatur, vt non egrediatur. Sic exeat, vt non deserat.* Hæc ille.

Ser 37. in Cant.

Ac tandem, vt quam de huiusmodi cognitione opinionem conceperat, exprimeret, ait: *Nemo absque sui cognitione saluatur. Vnde præstantius est, hac cognitione duce, sui curam gerere, quàm sine illa maxima miracula edere. Sibi itaque consulat, sua omnia consideret, ac diligenter expendat, qui sui rationem redditurus est.* Ita Bernard. Sed iam videamus quid homo sit.

Duo in homine extrema, ac maximè inter se disiuncta, coniunguntur, quæ eius cognitionem difficillimam reddunt: constat enim duplici natura, corporea scilicet & spirituali; quarum altera ad corpus, altera ad animam intellectumque pertinet: corpus illum mortalem, animus verò mortis expertem reddit animi beneficio ad cœlestes illas mentes accedit, corporis verò conditione vix pecudum naturam excedit: &

quam-

COGNITIO SVI.

PROP. I. *Quàm necessaria sit cognitio sui.*
2. *Quantum conducat homini cognoscere seipsum.*
3. *Cognitio sui quàm conducens sit ad virtutem.*
4. *Cognitio sui quàm difficilis sit.*
5. *Cognitionem sui impedit amor sui.*

PROP. I. *Quàm necessaria sit cognitio sui.*

HOc inter infirmitatem corporis, & animæ discrimen versatur, quòd infirmitatem corporalem, seu periculum eius mortale celare infirmo solemnus, ne animum despondeat; ideo vxor, cùm videt maritum in tali periculo constitutum, lacrymas retinet, & pro viribus dissimulat dolorem. medicì secretò consilium ineunt, quomodo infirmanti ad mortem subueniendum sit, omnes periculum tegunt, ne periculi notitiâ infirmus animo deficiat. Sed in periculis animæ, crudelis is esset, qui proximo periculum celaret, & infirmitatis suæ prauitatem proximo non manifestaret. Et discriminis ratio est, quia remedium illius periculosæ infirmitatis corporalis non est in potestate infirmi, & ob eam causam, cùm periculum nouerit, animo cadet: at in spirituali infirmitate peccatorum, & periculo damnationis animæ, remedium adhibere potest peccator, & tantò magis vires ad pœnitentiam recipit, quantò magis se in tanto periculo versari cognoscit.

Ierem. 30. 14. Hinc sic ad plebem suam Dominus: *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli, insanabilis est dolor tuus, &c.* Cur Domine grauitatem peccatorum eorum, & periculum sic annuncias? Nimirum, vt resipiscant, & conuertantur, & sanem eos.

Isai. 58. 1. Et, *Clama*, (inquit Dominus ad Isaiam) *ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum*; quasi dicat: non solùm volo te annunciare populo meo peccata eius, vc-

quæuis vtique homo dici non possit, nisi anima & corpore constet, quæ animæ propria sunt in alium locum missa faciamus, & solùm de corporis conditione pertractemus.

Multi, alioqui sapientes, in sui cognitione turpiter errant: existimant enim se aliquid esse, cùm nihil sint, aut quid aliud esse, præter id quod sunt. Vnde tantus error erupit? dicam, tanta vestimentorum varietate vtuntur iam homines, tam inusitato amictu, & recenter excogitatis ornamentis exornantur fœminæ, adeò fuco illinitæ, variisque coloribus depictæ procedunt, vt sese ipsas ignorent. quo fit, vt nequaquam valeat dicere peccator, quid homo sit: Deum igitur, qui eius naturam conditionemque cognoscit, audiamus.

Accersiuit aliquando Deus Isaiam Prophetam, & ait ad eum: *Clama*. rogauit ille: *Quid clamado? Omnis caro fœnum* (inquit Deus) *& omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia Spiritus Dominus sufflauit in eo.* Animaduerte, obsecro, quo Deus penicillo depingat corporis gloriam. Videsne hoc corpus, cui per luxum homines inseruiunt, quod sericis conuestiunt ornamentis, fuco deliniunt, ac cpulis exquisitissimis alunt? fœnum est, & omnis gloria eius quasi flos agri, leuis ac futilis, quæ & facilè decidit, & vento rapitur. Audi Hieronymum in hæc verba Isaiæ: *Reuera si quis fragilitatem carnis aspiciat, & quod per horarum momenta crescimus atque decrescimus, nec in eodem manemus statu, ipsumque quod loquimur, de vitæ nostræ parte præteruolat, non dubitabit carnem, fœnum dicere, & gloriam eius quasi florem fœni. Qui dudum infans, subitò puer, repentè iuuenis, & vsque ad senectutem per spacia mutatur incerta, & antè se senem intelligit, quam iuuenem se non esse meminerit. Pulchra mulier, quæ adolescentulorum post se trahebat greges, arata fronte contrahitur, & quæ prius amori, postea est fastidio. Exsiccata est caro, & cecidit pulchritudo.* Hæc ille.

Et, si adhuc Hieronymo Doctori sapientissimo non assentis, adito sepulchra mortuorum, in quibus corpora condita sunt. Accede ad sepulturam Absalonis iam vitâ defuncti: extrahe manibus caluariam pulcherrimi ac florentissimi quondam adolescentis. Vbinam est ille decor antiquus? vbi pulchritudo illa singularis, ætatis flore collecta? vbi capilli speciosissimi, auro purissimo splendidiores, quibus exornatæ Israelitici populi virgines procedebant? Euanuit ille decor antiquus, & species illa pulcherrima immutata est, cranium solum remanet, omni pulchritudine denudatum, sine fulua coma, sine candida cute, & sine vllo decore: ossa sicca apparent exesa & comminuta, quæ formidinem ac terrorem incutiunt. Vnde hæc ex alio in aliud vicissitudo? quia fœnum erat Absalon, &, exsiccato fœno, cecidit flos.

Quid ergo prodest tanta corporis cura? quid sericæ vestes acu depictæ ad eius cultum & ornamentum posCuntur? Spernis animam, ô infelix, vt omnis cura & solicitudo ad miserum corpus deuoluatur. *Clama* (ait Deus ad Isaiam) *clama*, nó quomodocúque, sed maxima vocis contentione. si fortè peccator exaudiat, &, ad se reuersus, aliquid de amore, quo seipsum prosequitur, remittat: si fortè diuitiarum cupiditas, quæ illius animum valde solicitat, vt corpus indignissimum alat, & curet, in eo restringatur. *Clama*, vt exaudiaris, intende vocem, vt illum excites: iacet enim profundissimo somno consopitus: *Memento homo, quia puluis es, & in pulueren reuerteris.*

Quàm bene conueniunt verba sanctissimi Iob cum huiusmodi vocibus? videlicet, quia ex eodem spiritu proficiscuntur. *Homo*, (inquit ille) *natus de muliere breui uiuens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, & conteritur.* O præclarum hominis definitionem! Quid est homo? Quid est ex fœmina ortum? non est mens aliqua cœlestis, aut quid aliud ex cœlo, & in coA lo procreatum, in terra nascitur, ab infirma & imbecilli fœmina originem ducit. Quid poterit habere constantiæ? quid firmitatis ac roboris proximum id verbum indicat, *Breui viuens tempore*, vix in lucem editus susceptusque est, cùm morte dissoluitur. Adde etiam, quòd breui hoc tempore, quo spiritum ducit, repletur multis miserijs. Non dicit planè esse miserum, sed repletum esse multis miserijs. Scatet miserijs hac illac, aduersa sæpe vtitur valetudine, multis ærumnis circumdatur, cruciatus patitur, timore ac formidine concutitur, dolore torquetur, animi ægritudine laborat; ac denique sicut flos egreditur, & sicut flos excidit, & conteritur. Nónne miraris aliquando cùm hortos amœnissimos intras? quàm pulchri & speciosi se oculis obijciunt flores! quæ amœnitate oblectat oculos candidum lilium! quàm pulcher è vagina erumpit caryophylatus flos! quàm suauem ex se odorem emittit viola, & viuido illo colore ad se allicit! sed si attentè consideras, è terra procreatur, terra est, & in terram conuertitur. Ter, si rectè perpendisti, illam terram esse dixi: videlicet in sui procreatione & origine, in suo robore & vigore, & in suo interitu, cùm dissoluitur: idem in homine reperitur. quod satis apertè indicant verba illa Ieremiæ Prophetæ. *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini.* Cur hominem alloquens, terram vocat, &, repetito sermone, ter hominem terræ nomine appellat? videlicet, quia non solùm semel, sed iterum atque iterum est terra, Puluis est, ex puluere fictus, & in puluerem conuertendus: *Formauit Deus hominem ex limo terræ*, & factus in animam viuentem, adhuc terra est: quia ex terra fictus: ac denique in sepulchro conditus, terra est: quia in terram soluitur. Cap. 22. 29.

Sicut flos, inquit, *egreditur & conteritur.* Nónne aliquando vidisti adolescentem aliquem speciosum formâ, agilem pedibus, robustum corpore, valentem viribus, hilarem vultu, & ingenuo quodam rubore suffusum? quàm pulcher apparet, & quàm subitò euanescit! quàm speciosus egreditur, & quàm subitò conteritur: sicut flos, qui adhuc virens olfactum reficiebat odoris suauitate, & coloris pulchritudine oblectabat oculos; exsiccatus verò, contemnitur, & conculcatur: quia iam nec oculos colorum varietate retinet, nec suauem ex se odorem exhalat. Quid? nónne mortale corpus has etiam temporum vicissitudines patitur? oblectabat oculos pulchritudine, dû adhuc vigeret spiritus in eo: si discessit spiritus, qua fœditate deterret, quàm intolerabili aures inficit fœtore? Turpitudinem tegebat color viuidus, dum adhuc viueret, sed morte, quod latebat, manifestè apparuit. Arrige aures frater mi, ne adumbrata quadam veritatis specie decipiaris: sensu & cogitatione vtere, memorare nouissima tua, memento quia puluis es. Quid sancti & Scriptura senserint de homine, audiuimus iam: quid sentiant Philosophi audiamus.

Idem ferè sentit Aristoteles Philosophorum princeps: nam cùm rogarctur aliquando: quid est homo? *Imbecillitatis*, inquit, *exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, inuidiæ & calamitatis trutina; reliquum verò pututa & bilis.* Viuis coloribus atque pigmentis hominis conditionem expressit Philosophorum princeps: vocat hominem *imbecillitatis exemplum*, propter maximam eius infirmitatem: adeò enim infirmus & imbecillis est, vt vel vnico aquæ haustu vita periclitetur, vel aëris tenui flatu extinguatur. Dicit deinde hominem esse *temporis spolium*, quia sine vlla intermissione sensim à tempore spoliatur vitâ, ac tandem omni spiritu priuatur. Quotidie intereunt homines, singulis horis campanæ resonant funera, deducuntur ad sepulturam obeuntium corpora, cadauera efferuntur, & sepulchris condita hominum spolia, tempus victor manifestat. Nec his contentus Aristoteles, hominem, quasi per ludibrium, *fortunæ lusum* appellat, à puellarum pup-

pis sumptâ metaphorâ. Puellæ enim, dum oblectamenta (vt fert ætas) sectantur, iam puppulas ornant vestibus, iam exornatas denudant, iam regio diademate coronant, iam per ignominiam & dedecus denudant: quandoque puppulas in altum extollunt, quandoque in terram deprimunt. Est hic lusus puellarum: sed exprimit ad viuum fortunam & conditionem *hominis. Hodie secundo vento nauigans, gloriâ & honore in cœlum extollitur, cras vice versa cum dedecore & ignominia ad ima descendit, iam lætus, iam tristis ostenditur, iam gaudet, & ridet, iam præ nimia tristitia lacrymatur: quandoque diuitiarum affluentiâ floret, quandoque paupertate consumitur. Meritò igitur fortunæ lusus ab Aristotele nuncupatur. Dicitur etiam *inconstantiæ imago*; quia numquam est eiusdem propositi tenax: iam appetit aliquid, & exposcit, iam illud aspernatur, & à se repellit, iam vnicè amat, iam maximo prosequitur odio rem amatam, nunc approbat, mox reprobat: vt nullus sit ventorum index, qui, quolibet agitatus vento, tam facilè voluatur. Meritò igitur appellatur *inconstantiæ imago*. Sequitur, *trutinæ inuidiæ & calamitatis*. Quia homo trutina quædam peculiaris est, in qua inuidia & calamitas examinatur. Nam licèt inter animantia rationis expertia, bella & contentiones oriantur, ac ærumnarum & calamitatum sint participia; homo tamen, qui rationis est capax, metrum est, & mensura calamitatis, & miseriæ: semper enim in laboribus versatur, nec suis contentus, aliorum calamitatum particeps fit. Quid multa? si alios felices & fortunatos reputat, stimulatur inuidiâ: si eos videat miserias & ærumnas pati, agitari laboribus, & animi afflictionibus excruciari, vltrò se illis comitem offert, & in eadem cruce libenti animo versatur. O miseram & infelicem hominis conditionem, tantis obnoxiam calamitatibus! Quod reliquum est, *pituita & bilis est*: constat igitur homo pituitâ, & bili, terrenis scilicet humoribus: qui satis indicant illum esse terrestre animal, qui satis declarant illum esse lutum, pituita & bili coagmentatum. Hæc est Philosophi de homine sententia, qui naturali dumtaxat lumine ductus, veritatis scopum attigit: nondum enim viderat Isaiam Prophetam, nec in libris sanctissimi ac sapientissimi Iob fuerat versatus: sed id & ipsa natura docet, & quotidiano experimento sentimus.

Psal. 38. 6. Regius etiam Vates, diuino Spiritu afflatus, vno verbo expressit hominem ad viuum, cùm ait: *Vniuersa vanitas omnis homo viuens.* Non illum vanitatem dumtaxat esse dixit, sed vniuersitatem vanitatis. Vanum dicimus illud, quod quamdam solidi speciem & adumbrationem habet, sed reuera inane ac futile est: quamdam veritatis speciem præferre videntur honores, diuitiæ, oblectamenta, & solatia, quibus potiuntur homines in hac vita; sed si accuratè perpendas, omnia hæc inania sunt, vento similia, qui cum sonitu dilabitur, nec sui vestigium relinquit. & ne alicui hominum tantùm, & non omnibus id conuenire abitreris, de vniuerso hominum genere loquitur, dicens: *Vniuersa vanitas omnis homo viuens.* Non loquitur de paupere solùm, de humili, & obscuro, sed etiam de diuite, præstanti, & claro. Sis licèt in supremo dignitatis gradu collocatus, & in omnium oculis lucqúe verseris, adhuc inane quid & futile eris, vento leuissimo similimus, qui super terram voluitur, nec sui vestigium relinquit. Quia honor, gloria, potentia, pulchritudo, maiestas, ac denique rerum omnium affluentia, cùm leui nitantur fundamento, facilè ruunt, & perit memoria eorum cum sonitu, ac sempiterna oblitione delentur. Meritò igitur clamat Dauid: *Vniuersa vanitas omnis homo viuens.*

At denique, vt luce clarius appareat, quid homo sit, quia ex parte mortali corpore constat, acclamat Ecclesia, dicens: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Licèt enim corpus auro purissimo cooperias, illudque gemmis pretiosissimis ornes, puluis est: licèt fucato candore ac rubore niteat, puluis est: quamuis illud exquisitissimis epulis alas, & bellarijs recrees, adhuc est puluis: etiamsi ornatu serico conuestiatur, rostrumque superbum ostentet, remanet puluis, ac breui in cinerem redigetur.

Hinc, quàm nobis necessaria sit pœnitentia & emendatio vitæ, constat. Lamentabatur quondam Ieremias Propheta super ciuitatem Ierusalem, quia illam peccatis vndique circumuentam contemplabatur, & cùm sui illa esset oblita, nullus tamen aderat Propheta, qui illam ad pœnitentiam induceret. *Prophetæ tui, inquit, viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent.* Non possumus hoc tempore hanc Ieremiæ lamentationem edere in Ecclesia Catholica, quando illam egregijs concionatoribus stipatam cernimus, qui pœnitentiam prædicant, & ipsa initio Quadragesimæ cum patina cineris procedit, quo capita peccatorum aspergit, eosque ad pœnitentiam commouet illis verbis, *Memento homo, &c.* Verba hæc ex capite 3. Geneseos desumpta sunt, ea Deus protulit idcirco, vt Adamum ad pœnitentiam induceret, ad se conuerteret: hoc eodem animo, & voluntate ab Ecclesia vsurpantur. Videamus igitur an bona consequentia sit, quæ ita connectitur: Memepto homo, quia puluis es: conuertere ad Deum, & age pœnitentiam.

Vt illud luce clarius appareat, animaduertere opus est, ideo hominem ad Deum nolle cõuerti, quia ad seipsum conuersus est, se solum quærit, sibi inseruit, & quem Deo honorem & cultum exhibere deberet, ad seipsum detorquet ac deflectit, instar fabulosi Narcissi, adumbrata pulchritudine captus, sua quærit, non vero quæ Dei sunt. Si diuitias appetit, sibi appetit; honores cupiditate inflammatur, sed non Deo honorem, sed sibi quærit; gloriæ splendore ducitur, sed non Deo, sed sibi gloriam comparat: voluptatum illecebras indagat, corporis oblectamenta sectatur, ad magistratus & dignitates aspirat, vt omnia in suam vtilitatem conuertat. Quid aliud significauit regius Vates, cùm dixit: *In circuitu impij ambulant?* Qui in gyrum volutur, à *Psal. 11.* puncto egreditur, & confecto circulo, ad eundem punctum reuertitur. Sic peccatores seipsos agunt in circulum, cupiditate scilicet temporalium, vt exponit Augustinus: nam, dum ad res caducas inhiant, & earum cupiditate ducuntur, exeunt à se, terræ tractus peragrant, longissima maria traijciunt, ad Indos penetrant, orbis terrarum recessus & meatus scrutantur: voluntur in circulum, & tandem eò, vnde egressi sunt, ad se scilicet, reuertuntur, vt inuentâ voluptate perfruantur, & sic imperfectum circulum perfectè conficiunt. Vnde tantum malum erupit? ex falsa opinione, quam de se conceperunt ex immoderato amore sui. Nam si suam humilem & abiectam conditionem cognoscerent, numquam seipsos tanto amore prosequerentur, nec, à se egressi, ad se redirent, sed ad Deum tenderent. *Simile.* Qui igitur nobis faciendum est? quod faceret ille, qui haberet lapillum vitreum auro pretiosissimo inclusum, cælatum ac vermiculatum, quia existimabat gemmam esse pretiosissimam, aut vnionem magni valoris, qui, vt veritatem comproraret, lapillum aurifici peritissimo traderet, & exploratâ veritate, ab errore, in quo fuerat versatus, abduceretur. Similis error obuenit tibi in cognitione tui: auro & argento tegeris, quia existimas te aliquid esse, cùm nihil sis. Falsus es, mihi crede, falsus es, inani quadam opinione deceptus: adito Ecclesiam: ipsa enim explorabit coticulâ adulterinum aurum. Audi illam clamantem: *Memento homo, quia puluis es.* Nam si attentas his vocibus præbueris aures, profectò fiet, vt in tui cognitione proficias, & immoderatum amorem, quo teipsum complecteris, à te repellas. *Memento homo, quia puluis es*: animaduerte, & cogita

A

B

C

D

cogita te non esse illum, quem esse arbitraris: *pulvis es,* A
stercus es, vide quid æstimes, vide quid diligas, vide cui
inseruias. Vnde D. Gregorius exponens verba illa Bal-
dad amici Iob, *Dulcedo illius vermis*, sic ait: *Quid caro, nisi*
putredo, ac vermis est? & quisquis carnalibus desiderijs anhe-
lat, quid aliud quam vermem amat? Quæ sit substantia car-
nis, testantur sepulchra. quis parentum, quis amicorum fide-
lium, quámlibet dilecti sui filij, vel amici tangere carnem sca-
turientem vermibus potest? Caro itaque cum concupiscitur,
pensetur quid sit iam exanimis, & cognoscetur quod amatur.
Nihil sic ad edomandum appetitum desiderium carnalum
valet, quàm vt vnusquisque hoc, quod viuum diligit, quale sit
mortuum, penset. Considerata enim corruptione carnali, citius
cognoscitur quia cum illicitè caro concupiscitur, tabes desidera-
tur. Hactenus Gregorius. Quasi dicat: Vnde profluit
nimius amor, quo seipsum homo prosequitur, nisi ex
falsa opinione, quam de se habet? Nam si seipsum co-
gnosceret, & corporis conditionem sibi ob oculos pro-
poneret, quis dubitat, quin illud contemneret, & tam- B
quam stercus conculcaret? Sed si diu in suo errore per-
seuerat, tandem aliquando Deus veritatem manifesta-
bit. Nónne Episcopus ille Laodiceæ dictitabat: *Dives*
sum, & locupletatus, & nullius ego? Decipiebatur tamen,
vt declarauit Dominus, dicens: *Nescis, quia tu es miser, &*
miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Quàm falsam de
se opinionem conceperat Episcopus ille! se felicem re-
putabat, cùm esset infelicissimus, se diuitem & fortuna-
tum esse existimabat, erat autem egenissimus, perspi-
cuos se habere oculos arbitrabatur, cùm oculorum lu-
mine captus esset. Quot & quanti homines (proh do-
lor!) in eodem errore versantur! Vanitatis puluerem concitant, obnubilant oculos ignorantiæ tenebris,
& caligine mentis, & adhuc testantur, & profitentur se
quid præclarum esse, valere plurimùm, scire & posse; re
tamen accuratè perspecta, nihil sunt, nihil valent, nec
sciunt, nec possunt. Vnde igitur tam intolerabilis er-
ror? dicam, quia seipsos superficietenus contemplan- C
tur, non penetrant ad intima, sed visibili specie deci-
piuntur, & euanescunt.

Potentissimus quidam Rex Tyrius, vt ait Propheta
Ezechiel, pretiosissimis vestibus vtebatur, chlamydem
auro contextam, omni gemmarum & lapillorum ge-
nere ornabat, & in tantis delicijs erat, vt Paradisi feli-
citatem in terra adeptus videretur. *Omnis lapis pretiosus*
(ait Propheta) *operimentum tuum: in deliciis paradisi fui-*
sti: aurum opus decoris tui. Rex erat ille, sed tantâ super-
biâ elatus, vt ausus sit dicere: *Deus ego sum, & in cathe-*
dra Dei sedi, in corde maris. Vide quò ascenderit huius
hominis superbia: & cùm Deus tantæ superbiæ cau-
sam redderet, ait: *Elatum est cor tuum in decore tuo, perdi-*
disti sapientiam tuam in decore tuo, mente captus est, dum
suam pulchritudinem intuebatur: obtutus ille errori,
& superbiæ occasionem dedit. Non cogitabat se ex ter-
ra fictum esse, & ex puluere coagmentatum, sed vestes
sericas auro contextas, acu depictas, gemmis pretiosis- D
simis exornatas, contemplabatur, armillas aureos, quos
gestabat digitis, ostentabat, smaragdos, amethistos, ad-
amantes & margaritas intuebatur, quarum rerum
splendore, & claritate fussusa oculorum acies perstrin-
gebatur, & cæcitate laborans, quid mirum si sibi ho-
norem Deo debitum falsò adscriberet, nec humani
corporis humilitatem & mortalitatem agnosceret?
Non absimili errore tenentur amatores sui, qui abdita
scrutari nolunt, sed ea duntaxat, quæ superficietenus
apparent, contemplantur. aspiciunt mundani homines
pretiosam vestem, intuentur domum peristromatis ac
tapetibus conuestitam, deauratum stratum, abacos or-
natos argento auroque cælato, multam & latam supel-
lectilem, mensam exquisitissimis epulis extructam,
considerant genus antiquum, & stirpis nobilitatem,
honorem contemplantur, quem ipsis deferunt ciues, ac
denique animaduertunt animi submissionem, qua in-
seruiunt famuli: & tantus est harum rerum splendor, vt
oculorum aciem perstringat, & mentis quasi luminibus officiat. Vnde hominem ita stolidum, & sui obli-
tum reddit, vt cultum & honorem, soli Deo debitum,
sibi appetat. O miser, & infelix! animaduerte obsecro,
quo in errore verseris. Si existimas aliquid esse vestem,
diuitias, supellectilem, epulas, honorem, gloriam, po-
tentiam & imperium; falleris, mihi crede, falleris, toto
erras cœlo. Audi igitur, si non grauat, quid sis: *pulvis es,*
licet senatorij ordinis sis, licet regio fungaris munere,
aut ad imperatoriam ascenderis dignitatem, *pulvis es,* ex
Adami infecta stirpe originem ducis, ex terra denique
procreatus, terræ filius es, & nihili nepos. Si igitur pul-
uis es, quid tibi metipsi ita charus? quid tibi cordi es?
quid tibi solicitudini, anxietati, & angori? quid pul-
uerem bombice & ostro inuoluis? sufficit illi ex fago
saccus, in quem infundatur. Breui, vt video, corpus tra-
dendum est vermibus, vt eo vescantur; quid illud con-
quisitissimis epulis alis, & opiaris conuiuijs oblectas? B
satis illi esset panis & aqua: non longè abest sepultura,
inter cuius angustias intercludendum est. Quid illi
nunc profunt magnificæ domus? quid aulæ regiæ?
quid tecta laquearia argento & auro splendentia? suf-
ficit illi cuiuslibet domunculæ angulus, in quo plan-
gat paululum dolorem suum, donec vadat ad terram
tenebrosam, & opertam mortis caligine. Denique ad
abiectum & humile corpus sustentandum nónne suffi-
ceret aliquantulum curæ & solicitudinis adhibere,
quid homines diuinum cultum deferunt, & posthabent
animæ commoda, vt se totos ad corporis vtilitatem
conuertant?

Conflauerant Samaritani vitulum aureum, cultum *Osee 8.*
& venerationem Deo debitâ ei tribuebant: cùm vellet *& 6.*
Dominus illos à suo errore reuocare, Prophetam mi-
sit, qui diceret: *Proiectus est vitulus tuus Samaria, in aranea-*
rum telis erit vitulus Samaræ. Falsa opinione decepti, ex-
stimabant illi vitulum aureum esse magni pretij, & di-
gnum, cui diuinus honor tribueretur. Deus autem, vt
fraudem detegat, & eos ab errore deducat, ostendit vi-
tulum tantùm esse deauratum, qui breui in nihilum
redigeretur. Hæc est Dei nostri misericordia, quæ er-
rorem, in quo peccatores versantur, detegit. Cùm enim
oculos ad se conuertit aulicus, & se sericis exornatum
vestibus, & auri splendore micantem, contemplatur,
superbiâ extollitur, instar pauonis, qui, cùm caudæ
plumas disponit in orbem, & lunarum pulchritudinem
contuetur, se mirum in modum effert: cum autem ocu-
los ad pedes refert, & eorum deformitatem considerat,
speciosam illam rotam continuò deponit. Breui enim
fiet, vt in tumulo conditus adumbrata hæc gloriæ spe-
cies decidat. & in puluerem ac cineres conuertatur. *Me-*
mento igitur *homo, quia pulvis es.*

Commotus valde Moyses aduersus populum Israel, *Exod. 32.*
quia vitulum aureum conflauerat, & adorauerat; vt il- *10.*
li impietatem exprobraret, vitulum in cineres conuer-
tit, & præcepit, vt cineres & aquam in calices infunde-
ret ac biberet; eo consilio, vt epoto poculo, experimen-
to cognoscerent illius Dei amaritudinem, in cuius cul-
tum & honorem facultates suas tanto cum amore &
solicitudine expenderant. Quid cùm Israelitæ exhau-
rirent amara, & turbida pocula? nónne vultum detor-
quentes & seipsos accusantes, meritò dixissent: Væ no-
bis: quàm amarum Deum colebamus! quæ mens &
ratio nobis inerat, cùm præ huius amore verum ac dul-
cissimum Dominum deseruimus, qui eduxit nos de
terra Ægypti, & à durissima Pharaonis seruitute in li-
bertatem asseruit? Eadem verba peccatores possunt
vsurpare, qui sibimetipsis genua flectunt, & corrupti-
bile corpus, non secus ac Deum, adorant: illud enim
mater Ecclesia in cineres conuertit, & ob oculos pro-
ponit, dicens: *Memento homo quia pulvis es, & in puluerem*
reuerteris. Lutum, cinis & stercus est istud corpus, quid
illud

illud magni æstimas, & tanti facis? quid in eius cultum & honorem, vitam & sanguinem profundis?

Memineris quàm ægrè ferebat populus Israel in Ægyptiaca seruitute, paleas quærere, lutum subigere, conficere lateres, & in hoc obiecto & humili munere obeundo vitam traducere. Expectabant illi diuinum cultum, & honorem, proficisci cupiebant in solitudinem; vt sacrificia & laudes offerrent Deo: Pharao autem id denegans, lateres imperabat. Miserum profectò est, fratres clarissimi, quòd Christiani homines, quos Deus sibi elegit in populũ, superbientis mũdi tyranni: di subiaceant, & in colligendis palcis, subigendo luto, ac lateribus conficiendis, tempus consumant. Quid in latere, nisi corpus, quid in paleis, nisi diuitiarum affluentia, gloria & honores designantur? Et sicut lutum ex paleis & puluere coagmentatur; sic homo ex corpore & eius ornamentis coalescit. Quid igitur dispergimur per orbem terrarum, paleas coaceruantes, qui in diuinis laudibus decantandis, & sacrificijs Deo offerendis vitam felicissimè traducere debuissemus? Pudeat nos ostendere manus luto infectas, sordidas & coinquinatas, quæ & tornatiles esse debuissent, & candore ac puritate conspicuæ. satius quidem esset collacrymari, quàm tripudiare, & pœnitentiæ operam dare, quàm indulgere genio: præstantius esset cælesti se cibo quemque referre, quàm opiparè epulari, & cælestes illos ciues precibus, quàm maria remorum impetu & agitatione, solicitare. Melius esset animæ curam suscipere, quàm maria traijcere, vt quæ corpori vtilia sunt, ex qualibet orbis terrarum parte exportentur, & in vrbem inuehantur.

Vide ver. Caro. Rom 13. 14 & ad Gal 5 16.

Non nego corporis imbecillitati subueniendum esse; id tamen fieri debet cum ea mensura & modo, quem D. Paulus præscribit, dicens: *Carnis curam ne feceritis in desiderijs.* Quæ verba explicat D. Chrys. dicens: *Considerate ebrios, ventricolas & delicatos, qui vitam viuunt mollem & laxam, & intelligetis quid sit curam carnis ad concupiscentiam agere. Non prohibet Paulus curam corporis, sed præcipit vt modum adhibeas, eam ad rectam rationem reuoces, nimiam solicitudinem interdicit, redundantiam & profluentiam reprimit, quæ corpori non debetur. Si vir aliquis, clarissimis ortus parentibus, eo miseriæ & calamitatis deueniisset, vt in seruitutem redactus, equos strigere cogeretur, quo animi sensu & dolore ferream strigilem manu sumeret? generis nobilitatem ac splendorem consideranS, lacrymas cohibere non posset, & vitam sibi acerbam putaret. Quid igitur nobis faciendum est, qui ex nob lissima stirpe, singulari Dei beneficio, procreati sumus, & ob fortunam aduersam & infelicem in hac lacrymarum valle exulamus à patria? Serui sumus corporis nostri, & hunc equum ferocitate exultantem alere cogimur, & ferrea strigili circumagere. Non est opus in hoc munere præstando tantam curam & solicitudinem collocare: sat est, vt ea, quæ sine vitio præteriri non possunt, exequamur.* Audiamus Ethnicum dicentem: Maior sum, & ad maiora natus, quàm vt corporis mei sim mancipium. Nasceris, ô homo, vt sis filius Dei, & animum tuum præstantissimum in seruitutem corporis subigi patieris? Natus ad regnum, ad diadema, ad felicitatem æternam comparandam, & omne vitæ tempus consumes in hordeo, & palcis conquirendis, quibus equum pascas, vt ferocitate exultet, & te tandem in terram prosternat? Ne tantâ aspergas ignominiâ nobilissimum genus. *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & diuina consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire,* inquit S. Leo. serm. 1. de Natiuit.

Seneca.

Cùm filius ille prodigus eo miseriæ deueniisset, vt suos propter paupertatem pascaret, ad se reuersus aliquando, recordatus est clarissimæ familiæ, & parentis sui: & cùm hæc memoria eius pectus effoderet, reuerti decreuit in parentis domum, honestum minimè ratus, vt, qui erat generis splendore illustris, inter porcos versaretur, & glandes deturbaret, ac illis præ inopia, & fame auidè vesceretur. Omnes nos, quotquot Christi nomine insigniti sumus, Deus in filios adoptauit: ipsius enim & genus sumus. Pudeat nos igitur tempus conterere in conquirendis glandibus, vt corpus hoc animale (sic enim vocatur à D. Paulo) illis vescatur.

Maximo dolore affecit Samsonem dedecus illud, in quod incidit, dux alias præstantissimus, cum, oculis sibi erutis, in pistrinum coniectus est, vt illud circumageret, & bestiarum munere fungeretur: quia se Nazarenum considerabat, Dei cultui & honori dicatum. Erubescant similiter Christiani homines, quibus hic mundus, cui adhærent, eruit primùm rationis oculos, deinde illos in pistrinum conijcit, vt molam asinariam cum labore & sudore versent, & in terendis rebus nullius ponderis & momenti, defatigentur. O vos miseros, & infelices! quis mentes vestras seduxit, vt, Deo derelicto, ad hanc dæmonis tyrannidem confugeritis, vt in abiectum locum cum maximo dedecore & ignominia detrudamini?

Maximum supplicium est hoc; sed tamen iustissimum, & illi simile, quod Deus minatur Babyloniæ, cùm ait, daturum se operam, vt ex solio dignitatis, in quo sedebat, deturberatur in molam, vt fieret molendinaria. Animaduerte ruinam maximi principis, qui sedebat in throno sublimi, ex ebore antiquo, & auro fuluo confecto: nunc autem iaceat in puluere. *Descende,* inquit, *sede in puluere filia Babylonis, sede in terra: non est solium filiæ Chaldæorum, tolle molam, & mole farinam.* Miserum profectò est intueri reginam ex sublimi dignitatis gradu in abiectum locum deturbari, vt inter farinam & molam asinariam versetur: sed miserius est, animam, quam Deus principem totius orbis constituit, & super Paradisi iucundissima iuga collocauit, in terram cum dedecore deprimi, vt terrena sapiat, & omnem curam & solicitudinem in terrenis rebus comparandis, colligendis, & illa, cuius conuersatio in cœlis esse debuerat, splendoris oblita generis sui, terræ adhæreat. *Memento* igitur *homo, quia puluis es,* qua parte constas corpore, at verò qua parte spiritualis es, ad mentes illas diuinas, & ab omni concretione corporis seclusas, pertingis, factus ad imaginem & similitudinem Dei. Auertere igitur à te ipso, quia puluis es, ne in puluerem reuertaris, & conuertere ad Deum: quia ad illum conuersus, & diuinitatis eius particeps factus, non in puluerem reuerteris, sed in æternum viues.

Ita S. Ambros.

PROP. III. *Cognitio sui quàm conducens sit ad virtutem.*

SIc Moyses ad Israelem: *Attende, & audi Israel,* &c. *Deut. 27.* Sanct. Ambros. *serm. 2. super Psalm. 118.* sic legit: *Attende tibi, ne fiat verbum absconditum in corde tuo:* & subdit: *Tibi,* inquit, *attende, non vtique dicit, pecuniæ tuæ, non possessionibus tuis, non viribus corporis, sed animo tuo, & mentis tuæ: vnde omnia consilia tua, facta, cogitationesque manant: tibi ergo attende, vbi priorem te esse nosti.* Nosce teipsum. *quod Apollini Pythio asignant viri gentiles, quasi ipse author fuerit sententiæ huius; cùm de nostro vsurpatum transferant ad sua, & longè anterior fuerit Moyses, qui scripsit librum Deuteronomij, quàm Philosophi, qui ista finxerunt. Vnde & Salomon (oraculum diuinum secutus) scripsit in Canticis canticorum:* Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, *hoc est, nisi cognoscas te mortalem, rationalem, & citò peccata tua fateari, & citò dicas peccata tua, vt iustificeris, nisi conuertaris, & prior accuses delicta tua; veniet dies mortis, & iam nullum conuersionis remedium erit. Accende facem tuam, priusquam sponsi tibi claudatur ianua, qui expectare diu non solet negligentes.* Ita S. Ambros.

Cant. 1.

PROP. IV. *Cognitio sui quam difficilis sit.*

DEmosthenes ait, sicut refert Stobæus *ser.* 21. *Omnium facilimum est decipere seipsum: quod enim vnusquisque cupit, id etiam in animum inducit, & sibi persuadet: res autem ipsæ frequenter non ita se habent.* Ita ille. Si ergo cupiditas, seu amor alicuius rei extrinsecæ sic animum seducit, quid amor sui, qui vehementissimus est, præstabit? Hinc difficultas oritur curationis amoris propri: ad hoc enim vt quis sanitatem obtineat, opus est vt curationem admittat: amans seipsum curari ab amore sui non vult, sed potiùs explere quod proprius exigit amor.

Hinc Diogenes Cynicus interrogatus, quid in rerum natura difficillimum esset, respondit: *seipsum nosse: simulata enim ob amorem sui quisque præsumere sibi solet.* Ita ille, vti refert Antonius in Melissa parte 2. *ser.* 75. vnde patet prædictæ difficultatis solutio: nullus enim infirmus sanitatem quærit, nisi se infirmum agnoscat: qui se nimiùm amat, minimè se cognoscit infirmum, quamuis superbus, & auarus, & gulosus, & inuidus, & iracundus sit, ob amorem proprium se excusabilem censet; qui ergo poterit sanari?

Missus Nathan Propheta ad Dauidem, vt de adulterio & homicidio eum increparet, parabolam ouis primùm illi proposuit, & postea peccati sui eum commonefecit, & increpauit: cur non statim à peccatis ipsis nudè sermonem instituit? quid timebat? nónne in nomine Domini & ex eius præscripto id Regi nunciabat? nónne Dauid Propheta etiam & à Deo electus in regem, & virum fuisse secundùm cor Dei sciebat? sciebat: sed se hominem peccatorem, & dignum supplicio agnoscere adeò graue ac difficile est, vt huiusmodi periphrasi ac circumloquio vti illi visum fuerit necessarium.

Et ratio huius est amor nimius, quo quis seipsum amat: eorum quidem, quos quis odio habet, facilè defectus cognoscit, proprios verò nequaquam. Hinc Poëta:

Cùm tua non videas oculis malo lippus inunctis
Cur immicorum vis tam cernis acutè?

Ideo Pharisæi acriter accusabant discipulos Christi, quòd non abluerent manus cùm manducarent, cùm tamen id nullum esset peccatum, sed à suis impertinentibus traditionibus dissonum: & cùm pleni essent rapinâ, dolo, superbiâ, inuidiâ, & odio proximorum, hæc non cognoscebant, nec curabant, nec etiam à Christo admoniti prosiciebant: amor nimirùm sui huius rei est causa: se enim hominem non amare perdifficile, ergo & se ita cognoscere.

Hinc etiam Christus Dominus Pharisæis huiusmodi velatè & occultè crimina sua proposuit sub parabola vineæ, ita vt non de ipsis, sed de alijs sermonem esse arbitrarentur. in aliena igitur persona peccata depicta, ita grauia & supplicio digna iudicarunt, vt dicerent: *Malos malè perdet, & vineam suam alijs agricolis locabit*: sed postquam propter seipsos parabolam inuentam agnouerunt, *quærentes eum tenere*, ait S. Matthæus, *timuerunt turbas: quia sicuti prophetam eum habebant.* hoc est, nisi timor populi, bene Christo affecti, obstitisset, eum comprehendissent & in crucem egissent: adeò quidem arduum ac difficile est propria recognoscere delicta. Ideo Plato, qui sui cognitionem maximi fecit, ex cognitione defectuum aliorum, magnam sibi reportasse philosophiam se asserebat: quia, velut in speculo, in alijs aliena videns crimina, & quantâ infamiæ ac dedecoris notâ in alijs proximis essent, qualia etiam forent in se, agnoscebat. vti refert Plutarchus.

Formatis de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea Deus ad Adam, vt videret, quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam anima viuentis, ipsum est nomen eius. hoc ipsum est nomen aptum, & quale vniuisusque natura requirebat: habebat enim Adam scientiam à Deo infusam rerum omnium naturalium, & adeò excellentem, vt iuxta vniuisusque rei exigentiam naturalem indideret illi nomen. Sed tamen sibiipsi nomen non imposuit: hoc enim nomen Adam appellatiuum est, & omnibus hominibus communem: sicut enim homo ab humo, id est, terra, deriuatum est, ita Adam ab Adamath, quod Hebraicum est, & significauit terram: quare Adam nomen commune est omnibus hominibus, sicut affirmant S. Hieron. & S. Aug. cur igitur Adam nō sibi, sicut cæteris animantibus, nomen imposuit? Habuit quidem Adam perfectam cognitionem rerum omnium, quæ naturaliter sciri possunt, vti cum S. Augustino asserit S. Thomas; sibi tamen nomen tribuere noluit, quia nominis impositio rei cognitionem præsupponit, si propria fuerit illa: Adam autem ausus non fuit sibi nomen imponere, quia quòd seipsum plenè cognosceret noluit confiteri. quò nobis sapientissimus ille parens voluit indicare, facilius esse reliqua naturalia, quàm seipsum, hominem nosse.

De nominibus Hebraicis. Lib. 15. de Ciuit. Dei 1. p. q. 64. a. 1.

Vnde Plato inquirens, quid sibi vellet in ingressu templi Apollinis illa sententia, *Nosce te ipsum*, sibi quidem videri ait, salutationem Dei esse ad hominem templum eius ingredientem: in salutationibus enim bona nobis inuicem precari solemus, vel salutem plurimam vel longitudinem vitæ, vel pacem, vel felicitatem. Ad hunc igitur modum, inquit Plato, Apollinem Deum salutare in ingressu templi sui venientes ad se, dicens: *Nosce teipsum*, seu plenam tui notitiam semper habeas, quasi supra salutem & vitam ipsam nobis id expediens iudicauerit Deus: nam sine cognitione sui salus & vita nociua homini est; cognitio verò sui absque salute & longitudine vitæ, vtilissima est, & difficilis: adeò vt à Deo nobis expectanda videatur, tanquam donum eius.

Cognitio sui totius Christianæ Philosophiæ, atque adeò salutis animæ fundamentum est: qui enim se non cognoscit, nescit quo pacto se suasque potentias & actus gubernabit: quòd ii seipsum regere & gubernare nescierit, quomodo iustè ac sanctè viuet? quomodo denique poterit iter salutis peragere? quare oportet vnumquemque nostrùm se intus & in cute, vt aiunt, perfectè cognoscere, vt ita, sicut hominem decet, viuat, & quamuis miseriarum nostrarum, & vilitatis corporis cognitio ad humilitatem aduersùs superbiam, & ad alios virtutum actus plurimùm conducat, non tamen in ea tantùm cognitione cognitio necessaria, quam de nobis debemus habere, comprehensa est; sed scire conuenit affectus & inclinationes nostras, appetitus, desideria, timores, spes, intentiones, defectus, & peccata commissa, ignorantias, & scientias etiam, & habitus bonos, & malos: nam aliter nec de nobis sentire, vt decet, neque nos ipsos regere sciemus.

Vnde rectè Seneca epist. 28. *Initium est salutis peccati notitia: nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. deprehendas te oportet, antequam emendes.* Ita Seneca. Et melius idem epist. 51. *Harpastem vxoris meæ fatuæ scis hæreditarium onus in domo mea remansisse. Ipse enim alienissimus ab istis prodigijs sum. Si aliquando fatuo delectari volo, non est mihi longè quærendus, me video. Hæc fatua subitò videre desijt. Incredibilem tibi rem narro, sed veram, nescit se cæcam esse, & aut domum tenebrosam esse. Sic nemo se autarum esse cognoscit, nemo cupidum. tamen cæci ducem quærunt, nos sine duce erramus, & dicimus: Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romæ viuere potest: Non ego sumptuosus, sed vrbs ipsa magnas exigit expensas. Non est inanis vitium, quòd iracundus sum, & quòd nondum certum vitæ genus instituì, adolescentia hæc facit. Quid nos decipimus? Non est extrinsecus malum nostrum*

Seneca.

Seneca.

nostrum intra nos est, in visceribus ipsis sedet: & ideo difficul- A
ter ad sanitatem peruenimus, quia nos ægrotare nescimus. Ita Seneca.

Hinc est, multos se magnum quid esse putare, quia non se metiuntur quales sint veritate, sed opinione, & secundùm exteriora quæ habent. De quo etiam optimè idem Philosophus epist. 71. *Nemo* (inquit) *istorum, quos diuitiæ honoresque in altiore fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? quia cum basi sua illum metiris, licet parvus pumilio in monte consisterit. Colossus autem magnitudinem suam seruabit, etiamsi steterit in puteo. Hoc laboramus errore, sic nobis imponitur, quòd ieminem æstimamus eo, quo est, sed adijcimus illi & ea, quibus adornatus est. Atqui, cùm voles veram hominis æstimationem inire, & scire qualis sit, nudum inspice, ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exue: animum intuere, qualis quantusque sit, alteno, an suo magnus.* Et alibi Seneca idem. *Existimo multos ad sapientiam peruenire potuisse, nisi putassent se peruenisse, nisi quædam in se ἀδιαφορίας mulassent: non est enim* B
quod magis aliena iudicemur adulatione perire, quàm nostra. quis sibi verum dicere ausus est? quis non plurimum sibi assentatus est? Ita Seneca.

Simile. Sicut igitur, vt superior subditos rectè regat, operæ pretium est, eorum mores, ingeniaque agnoscere, vt quid præcipere, quid vitare, quid agere, quid omittere, illos oporteat, verè iudicet: sic etiam, vt animum suum quisque moderetur, mores & inclinationes, & reliqua interiora scire illum necesse est, &c.

PROP. V. *Cognitionem sui impedit amor sui.*

Ioan. 4. 9. SIc ad Christum Samaritana: *Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere a me petis?* Quid ais mulier, tu quinque viros habuisti, & quem nunc habes non est vir tuus, sed concubinarius, & tu ita peccatrix nodum in scirpo C
quæris? Christum, inquam, accusas, quòd cùm Iudæus sit, & Iudæi tunc Samaritis non conterentur, à te sitibundus paululum aquæ poscat? ita, qui hæc natura amoris proprij est, vt culpæ veniales aliorum in oculis suis mortales videantur, mortales verò propriæ vix appareant veniales.

Sic etiam Absalon, cùm in seditione sua aduersus patrem suum videret transeuntem ad se amicum quen-
2. Reg. 16. 17. dam patris sui, miratus dixit: *Hæc est gratia tua ad amicum tuum? quare non iuisti cum amico tuo?* Ecce qui aduersùs patrem crudeliter insurrexerat, & auferre ab eo regnum satagebat, hoc nihili pendens, quòd alter à rege suo discederet, incusabat, & rem turpem esse denotabat, grauè traditionem illam esse innuebat, qui facinus enorme suum non agnoscebat. huius rei causa quænam, quæso, est nisi proprius amor?

COMOEDIA. D

PROP. I. *Comœdiæ solent sæpe esse scandalis plenæ.*
2. *Comœdia lasciuæ, inuentiones dæmonis sunt.*
3. *Quantâ curâ teneantur reipublicæ moderatores comœdias examinare.*
4 *Quàm difficile remedium habeat abusus comœdiarum.*
5. *Quot damna, & pericula à comœdijs, & theatris.*

PROP. I. *Comœdiæ solent sæpe esse scandalis plenæ.*

Chryses. SAnctus Chrysost. hom. 62. *In theatro omnia risus, inepti tudo, fastus diabolicus, effusio sensuum, temporis impendium, & superfluorum dierum consumptio, malæ cupiditatis inductio, adulteri meditatio, fornicationis gymnasium, intemperantiæ schola, turpitudinis exhortatio, & inhonestatis exempla.* Ita S. Chrysost.

PROP. II. *Comœdiæ lasciuæ, inuentiones dæmonis sunt.*

SAnctus Antonius de Padua in quodam sermone de Iudicio, inquirit rationem, cur metus iudicij & inferni nihil in multis hominibus operetur? & concludit, delicias mundi in causa huius esse: sicut enim (ait) in locis vbi sericum fit, si tonare, & fulgurare contigerit, ne vermes deterriti moriantur, tympana & alia musicæ instrumenta pulsantur, quò vermes distrahantur, ne aliquam impressionem tonitruorum recipiant; sic diabolus, cùm tonitrua diuinorum iudiciorum & pœnarum inferni intus vel exteriùs in auribus peccatorum sonant, ne aliquam inde impressionem timoris recipiant, comœdias, vel ludos, vel quid simile, peccatoribus proponit, ne inde terreantur & conuertantur.

PROP. III. *Quantâ curâ teneantur reipublicæ moderatores comœdias examinare.*

FAlluntur sæpè nonnulli, licitas & sanctas esse comœdias iudicantes, eò quòd de rebus sanctis agant, cùm sæpè misceantur sacris prophana, imò & illicita prorsus. Sæpè enim historiæ intermiscent actus, quos *entremezes* vocant, lasciuos, & scandalosos, quid ergo refert historiam sanctam esse, si huiusmodi actus interpositi diabolici sint? Verbi gratiâ, si in conuiuio regum quis cibos conuiuis administraret, sed in salsamento misceret venenum, etiamsi reliqui cibi regij & boni fieri sint, illo vnico salsamento veneno infecto, conuiuas interficiet: sic, quid prodest comœdiam sancti Francisci esse, si actus intermedius de re lasciua, & veneno infectus sit luxuriæ, &c.

Præterea, solent mulieres repræsentare, & pulsare cytharas, & saltare: quæ omnia scandalis plena sunt. Videant, & attendant per viscera misericordiæ reipublicæ moderatores, priusquam hæc permittant, an huiusmodi scandalum interueniat, & nullo modo consentiant ea repræsentari, quia super capita eorum hæc iniquitas descendet, & nec Rex, nec Papa ad huiusmodi illicita dare possunt facultatem, neque præsumendum quod id concesserint, nec scierint, &c.

PROP. IV. *Quàm difficile remedium habeat abusus comœdiarum.*

SAnctus Cyprianus *lib. de spectaculis, in principio: Non desunt vitiorum assertores blandi, & indulgentes parum, qui vitijs authoritatem præstent, vnde non iam vitus excusatio, sed authoritas detur. Nullum autem malum difficilius extinguitur, quàm quod faciles redetus habet, dum & multitudinis consensu asseritur, & excusatione blanditur.* Ita Sanctus Cyprianus. Pondera, nullum malum difficilius, &c. *No ay vicio mas dificultoso de quitar, que el que no solo se funda en flaqueza particular, sino en opinion, y authoridad, o exemplo commun.* Mala, quæ mala esse noscuntur, & mala esse iudicantur, facilè curantur, sed mala, quæ mala non esse censentur, quomodo curabuntur? *Tales vicios quedan por moneda corriente, que nadie la estranna, y por ser pecados communes, se tienen por licitos, y assi como los tienen por cosa justificada con la opinion commun, nadie trata de su remedio, y si alguno tratasse del, siguarian del, y el demonio que no puede persuadir semejantes vicios con razones, los persuade con muchedumbre de votos, y pareceres.*

Sic seruus ille, quem misit Rex Achab ad vocandum Prophetam Michæam, *Ecce*, inquit, *sermones prophetarum* 3. Reg. 22.
ore vno regi bona prædicant, sit ergo sermo tuus similis eorum. 13.
Erant autem prophetæ illi circiter quadringenti. ho-
mo hic

mo hîc non attendebat mendacium, & falsum esse quod illi pseudoprophetæ annunciabant, sed quòd multi erant, & in ore multorum stándum esse verbum existimabat, & illis conformari iustum esse censebat, cùm tamen iniquum, falsum, & regi perniciosum esset. sic etiam multa vitia hodie sine remediis humanis vigent, quia vulgi, non veritatis authoritate fulciuntur; huiusmodi sunt ordinaria murmuratio, comœdiæ profanæ, mendacia negotiatorum, & officialium, iuramenta in vanum, gula, vindicta, & denique superfluus corporis ornatus: cùm enim videmus huiusmodi mundanos ornatus, miramur, extollimus, & laudamus, quod secundùm religionis Christianæ regulas vituperare potiùs deberemus.

Sic, inquis, vsus habet, sic obtinuit antiquus mos, cur igitur ego contra omnes pugnabo, & meum multitudinis iudicio anteponam? dicam, quia regula nostrorum morum non vulgi opinio, sed lex Dei est. Rectè Tertullianus *lib. de velan. virg. cap. 1. Dominus noster Iesus Christus veritatem se, non consuetudinem nominauit.* Ita ille. Ergo qui secundùm Deum de rebus iudicium iustum habere vult, non quid consuetudo teneat, sed quid Dominus velit, attendat: veritas enim consuetudinis, non consuetudo veritatis regula esse debet.

Hinc Dauid: *Constitui meum iustificationis tuæ*, quasi dicat, cùm ignoro Domine quid in casu aliquo agere me oporteat, non vtilitatem meam consulo, non honorem, non voluptatem, non vulgus, non consuetudines mundi, sed iustificationes tuas, hoc est, leges tuas, (has enim vocat iustificationes, quia quid secundum ipsas operatur, iustificatus manet) loquitur autem speciatim ibi Dauid de persecutione quâ eum inimici eius persequebantur, vti Glossa ordin. & Hugo Cardinal. interpretantur: videns autem mundi abusum, quòd omnes ferè vindictam de inimicis sumant, & in degloriantur & secundùm hanc vulgi consuetudinem se de inimicis esse vlciscendum, intra se continens se, & contra leges Dei esse hoc attendens, in hæc prorupit verba: *Testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum iustificationes tuæ*, non vulgi opinio. Meritò, nam in diuino iudicio, cùm Deus examinauerit vitam tuam, non dicet tibi, quomodo seruasti consuetudines mundi, sed quomodo custodisti leges meas, nec admittet excusationes dicentium, sic cæteri faciebant, sed interrogabit, cur legem meam non consuluisti? &c.

Hinc Christus Dominus ad eos, qui discipulos suos accusabant, eò quòd non lauarent manus cùm manducarent. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* Nota est huius reprehensionis ratio, præcepit in quarto Decalogi præcepto Deus, vt filij honorẽt parẽtes, & eis in necessitate constitutis subueniant, at Pharisæi secundùm antiquam suorum prædecessorum traditionem dicebant filijs. Offerte quod potestis in templo, etiamsi rebus sic oblatis parentes vestri egeant, quia prior, & maior est Deus quàm parens: hoc autem dicebant, non propter Deum, sed propter seipsos: erant enim auari, auaritia excæcauit eos. Ait ergo Christus. Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter hanc traditionem vestram? Domine, in promptu est ratio, quia sic antecessorum traditio tenet; admisitne Christus responsionem hanc? Absit, non admisit excusationem, sed adhibuit accusationem, quia contra mandatum Dei nulla traditio, nulla opinio (quamuis communis sit) nulla consuetudo (licet totius vulgi sit) admitti debet, nec potest, &c.

Quid igitur agendum? id quod propheta ille Michæas in supradicta occasione fecit: famulo enim regis Achab monẽti vt iuxta ea quæ illi quamplurimi pseudoprophetæ dicebant, diceret quoque ipsi; respondit: *Viuit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar*; hoc est, nolo regi quæ placita sunt illi nunciare, sed quæ vera sunt, & secundùm voluntatem Dei.

ita qui saluari cupit agere debet: sic igitur de vindicta dicendum.

PROP. V. *Quot damna, & pericula è comœdijs, & theatris.*

SCenica spectanda amarulentis verbis perstringit Minutius Felix, dum in hunc modum eorum damna recenset. *Minutius Felix in Octauio.*

Vos igitur, qui moribus & pudore censemur, meritò malis voluptatibus, & pompis vestris, & spectaculis abstinemẽ; quorũ & de sacris originem nouimus, & noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis circulibus quis non horreat populi in se rixantis insaniam? in gladiatorijs homicidijs disciplinam: in scenicis etiam non minor furor, turpitudo prolixior. nunc enim mimus vel exponit adulteria vel monstrat. nunc enerua histrio amorem dum fingit, infigit. Idem Deos vestros induendo, fœdat, suspirias, odia decorat. Idem simulatis doloribus lacrymas vestras vanis gestibus, & nutibus prouocat. Sic homicidium in vero flagitatis, in mendacio fletis.

Sed nemo, vt fusiùs, ita nec vehementiùs inuehitur in scenica spectanda, quàm D. Chrysostomus. *Chrysostomus in Matt. c. 11. Hom. 38.*

Quis autem est ille theatralium hominum adeò magnus somnitus? quis tantus tumultus, qui diabolici clamores? qui vestitus satanicus? alius, cùm adolescens sit, crinem nutrit, & naturam aspectu, incessu, vestitu, cæterisque huiusmodi effeminando ad teneruiculæ imaginem puellæ deducere contendit: alius è contra, cùm sit senex, nouacula pilos pudorem omnem abrasus cinctus assistens, ad dicendum, ad faciendum omnia paratus est, mulieres autem aut nudo aperto capite populum absque rubore alloquuntur, tantaque præmeditatione impudentiam assciscunt, tantamq; lasciuiam in audentium atque videntium animos infundunt, vt vno omnes animo radicitus modestiam è mentibus suis euellere, dedecore muliebrem naturam afficere, perniciosa voluptate cupiditates suas implere conari videatur. Cùcta enim simpliciter, quæ ibi fiunt, turpissima sunt, verba, vestitus, tonsura, incessus, voces, cantus, modulationes, oculorum euersiones, ac motus, tibiæ, fistulæ, & ipsa fabularum argumenta, omnia (inquam) tuipit lasciuiã plena sunt. Dic ergo quando à tanta fornicationis immunda cupidine, quam vbi diabolus infudit, tepidum recipies, atque respices? non enim ignoramus quot ibi fornicationes peragantur, quot adulteriꝰ matrimonia maculentur, quot viri mulierũ patiãtur, quot iuuenes effeminentur, cuncta iniquitatis summæ, cuncta prodigiorum, cuncta impudentiæ plena sunt. Quas ob res non cachinnis diffluere fedentes, sed lacrymis gemere vel dolere oportet. Quid igitur vis, inquies, an vt lædorum omnium locum claudamus, & vt ibi obtemperantes omnia euertamus? Quid euertamus, dixisti? nõne cuncta iam euersa sunt? nam vnde credis nuptiarum insidiatores proficisci? nõne ab huiusmodi scenis? vnde illos qui domos ac thalamos aliorum effodiunt? nõne ab orchestra illa? an non hinc vxoribus viri molestissimi, & viris mulieres contemnendæ fiunt? Itaque is mihi videtur omnia euertere, qui theatra petit, qui tyrannicæ cupiditatis vtros nimis nutrit fauore.

Idem alio loco sic loquitur: Qui videritꝰ mulierem ad concupiscendam illam, iam mœchatus est eam in corde suo. *Chrysostom ser. de Daniud, & Sanle.*

Quòd si mulier fortè in corde obuia, & neglectius culta, sæpe curiosius intuentem cepit ipso vultus iactu, isti qui non simpliciter, neque fortuitò, sed studio, & tanto studio, vt Ecclesiam quoque contemnant, & hac gratia pergunt illuc (scilicet ad theatra) at toto desidentes die, in facies fœminarum illarum nobilium, defixos habent oculos, quã fronte poterunt dicere, quòd eas nõ viderint ad concupiscendum! Vbi verba quoque accedunt fracta, lasciuaque, vbi cantiones meretricias, vbi voces vehementer ad voluptatem incitantes, vbi stibio picti oculi, vbi coloribus tinctæ genæ, vbi totius corporis habitus, furorum impostura plenus est, aliaque insuper multa lenocinia ad fallendos, incitandosque intuentes instructa, vbi concordia spectantiũ, multaque confusio, & hinc nascens ad lasciuiam exhortatio, tum ab ijs qui spectaculis interfuerunt, tum ab illis qui quæ viderunt in spectaculis post alijs enarrant. Accedunt huc irritamenta per fistulas, & tibias, aliaque huius generis modulatio, in fraudem illiciens,

illiciens, mentisque robur emolliens, ac meretricum insidijs detestatione preparans illic desidentium animos. Nam si hic vbi psalmi, vbi Diuinorum verborum enarratio, vbi Dei metus multaque reuerentia; sæpe ceu latro versutus clam obrepit concupiscentia, quomodo qui desident in theatro qui nihil sacri neque audiunt, neque vident, qui vndique obsidionem patiuntur, per aures, per oculos, p. sint illam vincere concupiscentiam. In eadem spectacula inuehitur & Lactantius, his verbis.

Lactant. lib 6. Instit c. 20.

In scenis quoque nefcio an sit corruptela vitiosior. Nam & comicæ fabulæ de stupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum, & quo magis sunt eloquentes, qui flagitia illa sinxerunt, eo magis sententiarum elegantia persuadent, & facilius inhærent audientium animis versus numerosi, & ornati. Item tragicæ historiæ subijciunt oculis parricidia, & incesta regum malorum, & cothurnata scelera demonstrant. historionum quoque impudicissimi motus, quid aliud nisi libidines docent & instigant? quorum enervata corpora & in muliebrem incessum, habitumque mollita impudicæ fœminas inhonestis gestibus imitantur. Quid de mimis loquar corruptelarum præseruentibus disciplinam? qui docent adulteria dum fingunt, & stultitia eruditum ad vera? quid iuuenes aut virgines faciant, cùm hæc & fieri sine pudore, & spectari libenter ab omnibus cernunt? admonentur vtique quid facere possint, & inflammantur libidine, quæ aspectu maximè concitatur, ac sæ quisque pro sexu in illis imaginibus præfigurat, probantque illa dum rident, & adhærentibus vitijs, corruptiores ad cubicula reuertuntur; nec pueri modò, quos præmaturis vitijs imbui non oportet, sed etiam senes, quos peccare iam non decet. Circensium quoque ludorum ratio quid aliud habet nisi leuitatem, vanitatem, insaniam? tanto namque impetu concitantur animi vt furorem, quando illic impetu current, vt iam plus spectaculi exhibeant, qui spectandi gratiâ veniunt, cùm exclamare, & efferi, & exilire cœperint.

Denique vt sexcenta alia damna præteream, quæ spectatores, dum in theatris consident, domum referant, claudo cum Orosio, qui asserit in theatris, quasi *ad aram luxuriæ virtutum victimas trucidari.*

Orosius lib 4.

Plura de hoc argumento vide apud Nouarinum lib. Risus Sardonicus. mihi p. 175.

A quit, *loqueris, & aliter vitis, hoc per maligniſſima capita Tolitoni obiectum est, obiectum Zenoni: omnes enim illi dicebant non quemadmodum ipsi vixerunt, sed quemadmodum ipse viuendum esset. Non de me, sed de virtute loquor: Laudo vitam, non quam facio, sed quam agendam scio. Non præstant Philosophi quæ loquuntur, multum tamen præstant, quòd loquuntur, quod honesta mente concipiunt.* Ita Seneca.

Isa. 58. *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Hæc Deus ad eum, quem Prophetam & ducem populi sui constituerat, vocem non cuiusuis instrumenti, sed tubæ solùm postulauit & requisiuit ab eo. Cur ita? quia tuba ore & manu applicata pulsatur, organum, & lyra, & alia huiusmodi instrumenta musica manus tantùm requirunt; chorus verò canentium os tantùm: at tuba os, & manus simul, & in hoc superiorum huiusmodi, & subditorum differentia constatnam inferiores, sicut organum, & lyra, manus exigunt tantùm, tacendo enim & operando ministeria sua implent: at superior, & concionator, sicut tuba, manibus & ore sonare debent. non sicut Pharisæi qui cantorum more os tantùm applicabant, de quibus Dominus: *Alligant onera grauia, & importabilia super humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere, dicunt enim & non faciunt.* Hoc Pharisaicum est; verus autem superior, sicut de Christo dicitur: *cœpit facere, & docere,* priùs opere, quàm voce docere debet, quare in montem cum ascendere iussit Isai. 40. & in fortitudine extollere vocem suam. In montem ascendit, qui ad alta spiritu contendit, & in fortitudine exaltat vocem, qui vocem operibus iuuat, fortis vox, quam opera ipsa exaltant.

Vnde Apoc. 1. Ioannes, *Audiui,* inquit, *post me vocem magnam tanquam tubæ; & conuersus sum, vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum.* Quo pacto potest videri vox, non (inquit) vt audirem, sed viderem vocem, nimirum, quia vox tubæ erat, tuba verò non solùm audiri, sed videri etiam potest: sonus autem tubæ, vt diximus, vox superiorum est, & concionatorum, quorum vox, & audiri per verba potest, & videri per exempla debet.

Hoc fortè significant verba in libris Prophetarum Aggæi, & 2. *Verbum quod factum est in manu Aggæi Prophetæ.* Et Malach. 2. *Verbum quod factum est in manu Malachiæ.* Et Zach. 7. *Verba quæ misit Deus per manus Prophetarum.* Quomodo in manu Prophetarum efficiuntur verba? quomodo per manus Prophetarum mittuntur? dicendum enim videbatur: Verbum quod factum est in ore Aggæi, Verbum quod missum est per linguas Prophetarum. Quâtis ad Hebraismos recurras, mysterium hoc habere videtur. Officina verborum non sunt manus, ita est, sed lingua; mutorum enim est manibus loqui: at hic sermo est de Prophetis, qui duces, & concionatores populi Dei erant. Hi ergo, qui populum docebât, intinctus Dei, non solùm verbis proferebant, sed operibus prius præstabant, quàm ea populo verbis suaderent. Quare meritò in manu eorum facta verba dicuntur.

Aggæi. 1. 2. Malach. 2. Zach. 7.

CONCIONATOR.

PROP. I. *Concionator ea quæ docet, facere debet, si alijs prodesse vult.*
2. *Quantum gaudium concionatori ferat auditorum profectus.*
3. *Concionator debet verborum affectationem vitare.*
4. *Concionator vtilitati, & non vanilocuentiæ attendat.*
5. *Concionator pro tuenda veritate exponere vitam debet.*
6. *Concionatoris est non assentari auditoribus, sed illorum vitia liberè, & intrepidè carpere.*

PROP. I. *Concionator ea, quæ docet, facere debet, si alijs prodesse vult.*

HOc concionator (si tali ac tanto nomine dignus est) concionando intendit, vt quæ docet facere audientes, persuadeat. Hæc igitur ad hoc prima regula sit, vt priùs ipse præstet opere, quod alios docet verbo.

Seneca.

Audi Senecam epist. 109. *Nullos peiùs mereri de omnibus mortalibus iudico, quàm qui aliter viuunt, quàm viuendum esse præcipunt: exempla enim inutilis disciplinæ circumferunt. Non magis mihi prodest quisquam talis præceptor, quàm gubernator in tempestate nauseabundus: tenendum est rapienteſ fluctu gubernaculum, luctandum cum ipso mari, eripienda sunt vento vela. Quid me potest adiuuare rector naugy attonitus, & vomitans? non est loquendum, sed gubernandum.* Ita Seneca.

Simile.

Sed tamen non tibi satis ad excusationem fuerit, si quæ in Dei obsequium facienda docueris, ideo prætereas, quia oppositum docens exequatur. Audi eundem Senecam in libro de vita beatit. cap. 17. *Aliter, in-*

Seneca.

quod in se fuerit, tam præstiterit, nulla videtur tristitia conficiendus, mercedem enim suam non ideo perdet. Ita est, sed sicut mater (S. Bernardi similitudine vtor) filium ægrotum curans, quum remedia cuncta præstiterit, & quod in ipsa est nihil non adhibuerit, si filius moriatur, nihilominus dolet, ac lamentatur: obijt enim filius dilectus; sic concionator, qui excellentiori, quàm mater filium, charitate diligit auditores, cur non doleat ac defleat filios sic pereuntes?

A

Prop. III. *Concionator debet verborum affectationem vitare.*

Erasm. lib. 8. Apoph. Demonax Philosophus Phauorini dictionem, vt nimium compositam, solebat arguere ridiculè, quod cùm ille tulisset ægrè, dixit Demonax: *Vt Philosophum decet vestis neglectior, ita oratio decet inaffectata.* Ita ille. Concionatores ergo, & maximè viri religiosi ab huiusmodi superflua verborum compositione cauèant: nam sicut vestitus curiosus, sic sermo ita curiosus dedecet concionantem, & auditores qui vanitatem ex verborum qualitate, & modo dicendi odorantur, prauam inde opinionem de concionatore concipiunt: vnde quamuis mira prædicet, & ea quibusaliàs maximè prodesse posset, nullum aut paruum ex suo labore fructum percipiet.

B

Prop. IV. *Concionator vtilitati, & non vaniloquentiæ attendat.*

Plut. lib. de officio auditoris: *Copiam,* inquit, *immodicam, & vanitatem dicendi cuita, & summo studio fructum orationis sectare conetur, neque ea in re puellas imiteris, quæ ad serta concinnanda fragrantissimos quosque flores deligunt, opus sanè iucundum, & volupe, cæterum nullius frugis, & dumtaxat diurnum. Sed apud te potius moneat apum exemplum, quæ plerumque in prata volant, violis, rosis, & hyacintho conferta, & illis negletis, thymum accedunt, & florem asperrimum, & amarissimum, & illi insidunt, mel flauum conficientes, inde vbi acceperint, quæ visa fuerint commoda, auolantes ad domestica negotia reuertuntur. ad hunc sanè modum delicata, & florida ornamenta verborum, & rerum ad plausibilem quandam vim nihil aliud quàm pratorum herbam habentia, vnde nihil melli conficiatur, nissi facito. proinde memor esto quod non in theatro, neque ad cantionem, sed ad scholas veneris disciplinæ, vt ex sermone vitam emendes. Quis enim ferat te speculum contemplatum corporis ornatum conspicere, & emendare, & ab scholis, vbi sermonem audiuisti, non protinus teipsum contemplari, & discere, quid miseriæ, aut implacabilitatis, aut immodestiæ decesserit, quantóve factus sis tranquillior, & iucundior: quare eleganter dixit Ariston. Neque balnei vila est vtilitas, neque orationis, vnde melior non prodeas.* Ita Plut.

C

Prop. V. *Concionator pro tuenda veritate exponere vitam debet.*

Habacuc propheta missus à Deo ad prædicandum populo suo mala, & supplicia illis pro suis delictis imminentia, *c. 1.* secundùm translationem Septuaginta interpretum, dixit: *Plasmauit me* (scilicet Deus) *vt arguam disciplinam eius,* hoc est, *Deus finxit me* (sic enim quidam legunt) *vt arguam populum & annunciem ei supplicia Dei.* Vbi ponderandum venit verbum illud plasmare, seu fingere, quod proprium est vasorum terrestrium, & fictilium. Vasa igitur testea efficit Deus prædicatores suos, cur non aurea vel argentea, cùm eloquia Dei, quæ prædicant prædicatores, argentum sint purgatum septuplum; cur vel non ferrea, quæ obsistere, & resistere possunt contradicentibus, & obstantibus verbo Dei, cùm hi plures sint. Etenim metaphora hæc horum vasorum testeorum, alludere videtur ad stratagema illud Gedeonis, vbi cum trecentis suis expugnauit, & deuicit Madianitas, frangendo lagenas testeas, intra quas lux cõtinebatur: Sic Christus Dominus pugnauit, & vicit, vti aduotauit Isai. *c. 9. Scepsrum,* inquit, *exactoris eius superasti sicut in die Madian;* prædicatio enim Christi in cruce receptit efficaciam, vbi lagena corporis fracta, & confracta fuit; sic etiam Apostoli lux mundi per fractionem, & mortem corporum suorum mundum superauerunt; sic etiam mundum superare debent concionatores Christi, non quidem solâ verborum eloquentiâ; sed pro veritate certantes vsque ad lagenæ fractionem, vsque ad mortem, inquam. *Iudic. 7.*

D

Hinc, *Dolaui* (inquit Dominus) *in prophetis & occidi eos in verbis oris mei,* hoc est, quia corda vestra lapidea sunt, ideo misi ad vos prophetas meos, qui tanquam lapicidæ dolent vos. Sed quid sibi vult occidi eos in verbis oris mei, etenim lapicida, dum lapidem dolat, periculo se vulneris exponit: solet enim ex percussione lapidis frustum aliquod lapidis prosilire in caput dolantis, *suele saltar con los golpes del, pico alguna raia que yenda la cabeca del cantero;* sic sæpè dum Dei minister peccatores arguit, peccatores resiliunt, & aduersus arguentem insurgunt, vt constat in reprehensione S. Ioannis Baptistæ arguentis regem Herodem, inde enim capite damnatus est. Ideo igitur ait Dominus, occidi eos in verbis oris mei, tum quia præcepit eis prædicare, & ex tali iussione mors subsequuta est illorũ; tum quia propter verba Dei, quæ Prophetæ loquebantur, occidebant eos peccatores, vt in Prophetis & Apostolis patet, & in alijs multis martyribus Christi. Ecce quale sit concionatorum munus, vsque ad mortem scilicet pro veritate pugnare. *Osea 6 5.*

Prop. VI. *Concionatoris est non absentari auditoribus, sed illorum vitia liberè, & intrepidè carpere.*

Vnde Salomon, meliora sunt verba diligentis, quàm fraudulenta oscula inimici: *hæc enim ad perennem salutem feriunt, illa miserrimè occidunt. Vtinam ab his ab duè caderetur sponsa, verberibus afficeretur homines; non tot, heu! miseri Christiani quotidie per assentationes prædicantium infelicissimè perirent. hinc tanta peccatorum labes, hinc illa corruptela morum, quâ singulæ fideles animæ indies magis ac magis turpiter inficiuntur. Nam cum in omni cætu hominum, tum in religione Christiana, assentatione nihil est* „ *perniciosius, eorumque præsertim, qui commonendi & obiurgandi cæteros officium susceperunt. Hi sunt,* qui peccata populorum deuorant (*vt Ezechiel exclamat, vel potius Dominus per Euangelium*) *cum scelera reprehendere non audent, vel* „ *ob munera peritura ac commoda, vel ob gratiam & amicitiam* „ *profanorum & diuitum, quos sibi venantur, vel ob humanam* „ *laudem ac gloriam, vel ob metum amittendi terrena bona, &* „ *fomenta gulæ & luxus, vel (ignaui ac tepidi) calumnias pro* „ *Christo Iesu, opprobria, verbera, carceres, exilia, mortemque* „ *timemus. At veri Christi serui & bellatores omnibus obstare* „ *audent pro veritate dicenda & conseruanda: nihil extime-* „ *scunt, nihil loquuntur ad gratiam, nihil assentantur, sed honesta* „ *omnia ac sancta & vera prædicant, vitia omnia acerrimè in-* „ *sectantur atque reprehendunt vel regum ac principum; nulli* „ *(nisi bonis & Deo) placere studeant. Hi se peccatoribus murum* „ *opponunt, vt idem propheta monet. Hi restituunt hæreticis, his* „ *solius Dei timor est ac pauor; hi fortissimè pro Christo pu-* „ *gnant, & glorioßissimè oppetunt. Ab his quamplurimi conuer-* „ *tuntur ad sponsum, dum suorum scelerum apertissimè moniti,* „ *verissimeq; conuicti, & quanta inde supplicia patiuri sint, nisi* „ *se celeriter corrigant, intelligunt. Hi sunt, qui sanctissimè ca-* „ *dunt, & saluberrimè vulnerant. Ab his cupiant peccatores sibi* „ *vulnus salutis infligi, ab his velle curari: ab his enim sanus est* „ *ad tempus occidi, quam ab adulantibus ad gehennam exosculari.* *Philo Carpathius in Cantica. c. 5.* *Prou. 27.* *Ezech. 19.*

» Iari. Teterrima pestis vrbibus assentatorum vita, tabificus mor- A
» bus eorum consuetudo adolescentibus, domibus ruina, monaste-
» rijs euersio, Christianæ religioni extrema calamitas, omnium,
» malorum seminarium, & origo. Ab his salsis custodibus Eccle-
» sia longissime fugiat omnis anima fidelis: ab his declinet; ho-
» rum mores perosi boni viri ad illos solos confugiant, à quibus
» non laudari, sed obiurgari & corripi malos intelligunt: his se
» credant, ab his moneri & erudiri ad salutem velint. Ab his sæpe
» videmus deliciosos atque opulentos homines per veram prædi-
» cationem morum ad summam parcitatem, continentiamque
» traduci. Nam qui nuper purpuratus & otiosus sedebat in foro
» auditis æternis bonis atque suppliciis, quibus boni atque mali
» remunerandi sunt omnino, statim mutatâ vitâ ac moribus ie-
» iunat, vigilat, orat, alget, æstuat, humi iacet ac plorat. iam
» enim salutariter vulneratus est in mente, sauciatus in anima,
» percussus in corde: hæc enim vexatio dat intellectum, hæc pec- B
catores excitat ad pœnitentiam. Sta in excelso, inquit Domi-
Isai. 58. nus, & annuntia populo scelera sua. Loquamur veritatem
vnusquisque cum proximo suo, quoniam sumus inuicem mem-
» bra, vt Paulus admonet. Nolitè, quæso, abblandiri prædicatores
» verbi, nolitè placere auribus, ne in illud Apostoli incidamus,
2 Cor. 4. coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus. quin
illud potius amplectamur, Prædica verbum, insta opportunè
& importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.

CONCORDIA.

PROP. Vnica. *Quàm grata Deo sit concordia & pax inter nos.*

Genes. 1. GEncs. 1. creans Dominus mundum, simul singula C
S. Hier. quæ creabat, per singulos dies benedicebat, sed
opus secundæ diei non benedixit. Cur ita? S. Hieron.
in cap. 1. Aggæi, & lib. 1. contra Iouinia. *Quia secundus*
dies ab vnione recedit, nolnit eum bened cere Deus. Ita S. Hie-
ron. & quia aliquibus hæc interpretatio non placuit, in
Apologia pro suis libris contra Iouin. eam defendit.
Adde, quia in eodem secundo die facta est aquarum di-
uisio. Vt ostenderet igitur Dominus diuisionem ani-
morum inter nos inuisam illi esse, ideo quamuis illa
aquarum in se bona esset diuisio, benedictionem & ap-
probationem actualem illi denegauit.

Exod. 28. 13. Hac etiam ratione Exod. 28. ordinans Deus vestes
sacerdotales, quibus indutus sacerdos ad orandum
Deum accedere debebat; inter alia, *Facies*, inquit, *vn-*
cinos ex auro & duas catenas ex auro purissimo sibi inuicem
coharentes, quas inseres vncinis, &c. & infrà eodem cap. n.
22. *Facies in Rationali catenas sibi inuicem coharentes ex au-*
ro purissimo. Nota quàm speciatim coharentiam harum
catenarum exigat Deus, quia scilicet ad orandum sic D
ornabatur sacerdos, & vt placita ei sacerdotis esset ora-
tio, quam pro populo facturus erat, ideo illam concate-
nationem popularium petebat & catenas ex auro:
aurum enim in sacris litteris charitatis & amoris sym-
bolum est, vti ait S. Augustinus super Psalm. 67. & S. Greg.
10. Moral. 30. & S. Hilar. in eodem Psal. 67. nimirum,
quia sicut inter omnia metalla eminet aurum, sic
inter omnes virtutes charitas: dicente Apost. *Maior au-*
1 Cor. 13. 13. *tem horum est charitas.* Agebat autem ibi de fide, spe &
charitate, quæ omnium virtutum maximæ sunt. 1. Cor.
13. Ecce quàm Deo grata sit vnio, & concordia no-
stra ex charitate procedens.

Ioan. 17. sic Christus ad Patrem de discipulis suis:
Pater serua eos vt sint vnum sicut & nos: quid est, *sicut nos?*
etenim non potuit altiùs commendari charitas frater-
na: idem enim fuit ac dicere, *si fieri posset*, vel, *valde mul-*
tum.

CONFESSARIVS.

PROP. I. *Confessario incumbit magnam pœnitentis curam habere*

2. *Confessarius non proprium commodum, sed Dei gloriam, & sa-*
lutem pœnitentis quarere debet.

PROP. I. *Confessario incumbit magnam pœnitentis curam habere.*

COnfessario cura ergà pœnitentem incumbit: quod
si aliquid pœnitenti consuluerit illicitum, pœni-
tens quidem apud quem sapiens, & prudens ille repu-
tatur, innocens remanebit, Confessarius verò pœnas
dabit. Contingit ergo ei, quod aquæ mundæ, quà ollas,
catinos immundos lauamus, catini quidem remanent
mundi, aqua verò immunda, & in cloacam illam pro-
ijcimus, tâ quam immundam; sic Confessario negli-
genti euenit: ipse enim immunditias pœnitentis pro ne-
gligentiæ qualitate contrahens, in cloacam inferiorem D
proijcietur, pœnitens, verò consilio eius, quamuis illici-
ta sequens, mundus remanebit. in hoc enim medicus
spiritualis à corporali differt, quòd medicus corporalis,
quamuis sapiens ille fuerit, si nociuam medicinam ap-
plicuerit infirmo, infirmus quidem moritur sano me-
dico remanente: imò & mercedem exiget curationis,
licèt ea fuerit à parte rei indignus, medicus verò spiri-
tualis, si nociuam infirmo spirituali præstiterit me[illegible]
nam, infirmus quidem saluus remanebit, sed medicus
pœnas dabit, &c.

PROP. II. *Confessarius non proprium commodum,* C
sed Dei gratiam, & salutem pœnitentis
quærere debet.

SI Dei ministri quæ sua sunt quærunt, veritas ruet.
Oportet autem Dei ministrum se ab omni huma-
no respectu exuere, & commodis suis valedicere, &
gloriæ Dei animum & operam applicare, siue sibi com-
modum, siue incommodum inde resultet. *Si hominibus Gal. 1.*
placerem, seruus Dei non essem (ait Apostolus) *quem mea*
su interes no dira verdad muchas vezes, Ezech. 13. *Væ vo-* Ezech.
qui consuunt pulullos sub omni cubito manus, & faciunt ter- 13. 18.
uicalia sub capite vniuerse ætatis, ad capiendas animas. Vox
Dei contra falsos Prophetas, & metaphora sumpta ab
eo, cui dormire valenti, ceruicalia, & puluillos blandos
adhibent, vt sine molestia dormiat, & quiescat; sic enim
sunt iniqui Dei ministri, qui peccatori propter con-
scientiæ remorsum quiescere non valenti, rationes pro
puluillis adhibent, vt remorsus conscientiæ deponat,
& timorem damnationis reijciat, cùm tamen eum mo-
nere, & reprehendere potiùs, & timorem eius appro-
bare deberent. Vnde S. Gregor. *Quisquis male agentibus* S. Gregor.
adulatur, puluillum sub cubitu, vel ceruical sub capite eius po-
nit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea sultus molliter quæ-
scat. Ita ille. Scrupulus (inquit hic falsus Propheta) est,
quiescæ, conscientiam depone: mihi crede, dæmon
est, qui animi pacem tollere procurat, bonarumque
mentium est, ibi culpam timere, vbi culpa nulla est,
& huiusmodi alia, quibus decipiunt alios, & seipsos.
In Scriptura domus Israel non scribentur, ait ibidem Domi- Ezech. 13.
nus, *nec in terram Israel ingredientur, eò quòd deceperint* 9.
populum meum, dicentes pax, & non est pax, hoc est,
in libro vitæ huiusmodi Prophetæ non scribentur, nec
in terram promissionis cœlestis patriæ ingredientur,
quia vbi bellum indicendum erat, pacem annuncia-
bant.

Et obseruâ quòd non Prophetas, sed Prophetissas
huiusmodi Prophetas ibidem Dominus appellat, quia
ex animo effœminato, & muliebri, non virili, hæc pro-
cedunt:

cedunt: non enim veritatem dicere audent, ne illis dis- A
pliceant, quibus placere ob commoditates, vel fauores
desiderant. Vide totum illud caput 13. Ezechielis, rei
enim huic aptissimum est.

Similes autem sunt huiusmodi ministri Ecclesiæ
Prophetæ illi, qui in Bethel Prophetæ Dei suasit come-
dere apud se contra Dei mandatum. 3. Reg. 13. qui, *Et*
13. *ego*, inquit, *Propheta sum similis tui, & Angelus locutus est*
mihi in sermone Domini, dicens : Reduc eum tecum in domum
tuam, vt comedat panem, & bibat aquam, fefellitque eum &
reduxit secum, & comedit; sed carè eibus ille constitit illi,
leo statim illum occidit, habebat enim expressum man-
datum, nec contra illud ob dicta alterius facere li-
cebat. Vide igitur & tu, si contra Dei mandatum
aliquid suggesserit homo, Prophetam licèt se glo-
rietur, & magnum Theologum esse, ne assentiaris
ei, sed legi Dei; vel alium consule, qui veri Dei
seruus, & timoratæ conscientiæ sit: ille enim non
Theologus, sed ignarus, non Propheta tibi, sed dia-
bolus est. B

Memèto igitur, quomodo Satanas decceperit Euam.
3. 7. *Cur*, inquit, *præcepit vobis Deus?* quasi examinandum
mandatum Dei fuisset, & non oculis clausis ei paren-
dum. *Ne forte*, inquit, *moriamur*. Absit (inquit) *ne quaquam*
moriemini, scrupulus hic est, timorque inanis: nam non
solùm non moriemini, *sed eritis sicut Dij, scientes bonum,*
& malum: nam statim aperientur oculi vestri. Quot
mendacia miscuit consiliarius pessimus iste, quantam-
que securitatem in mandati transgressione promisit, &
tamen inde mors, inde gratiæ Dei amissio, inde totius
mundi perditio. Ne igitur dicas: Ille, vel ille suasit:
nec enim Euæ profuit dicere: *Serpens decep.t me*, nec
Adæ, *Mulier quam dedisti mihi*, &c. Vnde quantumuis ille
vel ille dicat, imò ille & ille, & omnes, à Dei mandatis
ne recedas.

Lege vltimum cap. 3. libri Regum, & quadringen-
tos fere Prophetas reperies regi Achab suadentes bel-
lum illud aggredi, quod regi valde placebat. Adulabã-
tur ei omnes, solus vnus Dei Propheta verum ex Dei C
nutu prædixit. secutus rex eorum consilium, qui ad
eius libitum prophetabant, corruit, & infœliciter per-
ijt. Melius igitur tibi, vnico Dei famulo, & timoratæ
conscientiæ credere, quàm multis quærentibus quæ
sua sunt: si enim ad placitum tibi quæ fieri consiliarios,
inuenies, sed in malum tibi.

CONFESSIO.

Prop. I. *Confessio ritè facta nos à peccato liberat.*
2. *Quàm ingens beneficium Dei sit in confessione remittere nobis peccata.*
3. *Per confessionem non solùm peccata remittuntur, sed etiam gratia diuina confertur.*
4. *Quàm necessaria sit ad salutem animæ Confessio.*
5. *Confessionem comitari debet firmum propositum numquam amplius peccandi.* D
6. *Quàm facile sit remedium peccati per confessionem.*
7. *Confessio remedium est peccatori, ne pereat.*
8. *Confessio debet ex vero corde procedere.*
9. *Ad exactam confessionem & pœnitentiam requiritur solicitudo, & maturitas.*
10. *Quàm grata Deo sit confessio peccatorum.*
11. *Confessio bona in Dei honorem cedit.*
12. *Confessio spem erigit quam peccatum enervare solet.*
13. *In Confessione peccator non sæ debet excusare, sed accusare.*
14. *Bene Confessus octasiones peccatorum in posterum vitare debet.*
15. *Confessionem debitam impedire diabolus conatur.*
16. *Quàm graue malum sit confessio mala.*
17. *Contra eos qui confiteri erubescunt.*
18. *Eligendus est optimus & sanctius Confessarius.*

PROP. I. *Confessio ritè facta nos à peccato liberat.*

Redde, inquit rex famulo suo, *quod debes*. Debebat autem ei decem millia talentorum; ipse verò ad regem: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*. hoc est, fateor me tanti debiti debitorem, sed tamen patien- *Matt. 18. 25.*
tiam habe in me, & statim *omne deb tum dim sit ei*. cur ita? S. Chrysostomus: *In confessione debiti solutionem inuenit*. Ita ille. Rex enim ille Deum repræsentat, debi-
tum autem illud multitudinem, & magnitudinem pec-
catorum: & quamuis debitum ita ingens fuerat, in con-
fessione debiti solutionem inuenit.

Sic Dominus ad Samaritanam: *Voca virum tuum*. scie- *Ioan. 4.*
bat quidem Dominus ipsam virum non habere, sed ad *16.*
confessionem sui concubinatus illam dirigebat. Con-
fessa fuit illa peccatum suum, dicens: *Domine, vt video*
propheta es tu, hoc est, verum dicis, ita est, non est vir
meus, quem habeo. vnde non mirum quòd fuerint eius
dimissa à Domino peccata, in confessione debiti solu-
tionem inuenit.

Cum propheta Nathan Dauidem increparet ob *2. Reg. 12.*
peccatum suum, sic Dauid: *Peccaui Domino*. Non excu- *13.*
sauit peccatum suum, non occultauit, sed statim con-
fessus, ipsum accusauit, *Peccaui*, inquit. Cui statim Na-
than: *Dominus transtulit peccatum tuum*. Si statim fuit
confessus crimen, statim quoque veniam fuit consecu-
tus: hic quoque in confessione debiti solutionem
inuenit.

Obstat quidem confessioni confusio verecundiæ, sed
pudor est tentatio crudelis hostis nostri: nam, vt ait S.
Chrysostomus *c. 15. l. 3. de pœnit. Pudorem, & verecundiam*
Deus peccato dedit, confessioni verò fiduciam: inuertit rem dia-
bolus, & peccato fiduciam præbet, confessioni verò pudorem. Ita
ille. *Vestio Dios al peccado, del colorado de la vergueça, y a*
la confession del verde de la esperança, y el demonio les ha
trocado el vestido, dando el verde de La esperanda del perdon
al peccado, y a La confession el colorado de la vergueça, y empacho.

Vena vitæ os iusti, & os impiorum operit iniquitatem. *Prou. 10.*
Cùm duas partes contineat sententia ista, ex secunda *11.*
constat prioris sensus, *Os impiorum*, inquit, *operit iniqui-*
tatem; aduersatiua ergo prior pars erit, *Os iusti est vena*
vitæ, quia non operit, sed aperit iniquitatem. quod ex
metaphora venarum corporis facilè comprobatur, cùm
emissio sanguinis alicui ægroto valdè necessaria est,
curat maximè chirurgus, vt apertio venæ non sit te-
nuis, & exigua, sed sufficiens: vt sanguis liberè, & non
guttatim fluat. *Rompe el barbero bien la vena, y para que no*
Salga La sangre colada. Quando enim tenuiter, & gutta-
tim profluit sanguis, non exit malus, & corruptus
sanguis, sed bonus, vel parum malus, & inde infirmus
perit; quando verò sanguis copiosè fluit, exit sanguis
corruptus, ac venenatus, & ideo infirmus sanatur. Id
ipsum de peccatore, qui ad mortem infirmus est, affir-
mamus: si enim aperit venam oris satis, & vt par est, in
confessione, tunc erumpit omnis sanguis pessimus, pro-
deunt peccata mortifera cordis; si verò non ita, vt par
est, aperiat os in confessione, prodit bonus sanguis.
quòd fit quando peccator in confessione seipsum lau-
dat, & bona sua profert, aut non multùm malus san-
guis corruptus peccatorum exit: dum scilicet non
grauiora peccata, aut graues circumstantias peccato-
rum confitetur, sed aliqua tantùm, ea videlicet quæ
non ei pariant confusionem, & hoc modo peribit pec-
cator. Rectè igitur ait; *Vena vitæ os iusti*, scilicet, qui con-
fitendo iustificatur. Dauid dixit ore pleno, & corde
contrito: *Peccaui Domino*. at *os impiorum operit iniquita-*
tem. vti os Saulis, qui licèt dixerit: *Peccaui Domino*, stri-
cto ore, & angusto, & sine compunctione cordis, id
protulit: quare nec salutem inde consecutus est.

Simi-

Luc. 18. 13. Similiter Publicanus, qui plenè oris venam aperuit, A dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori*, nolens oculos ad cœlum leuare, veniam & remissionem obtinuit : at Pharisæus ille, qui minùs venam oris sui aperuit, bonum sanguinem emisit, dicens: *Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo*, & *non sum sicut cæteri homines, adulteri*, &c. perijt in sua confessione mala. exiuit bonus eius sanguis, venenatus verò intus in corde remansit, qui perenit illum. *Descendit ille iustificatus ab isto*, ait Dominus, *enfermedad que escupe a la boca, dizen que no es de muerte.* Vide si peccata ad os tuum accurrant, & tunc agnosces non esse illa iam ad mortem æternam.

Psal 31. *Dixi : Confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* hoc est, post peccatum iniquitatem meam agnoscens, dixi, hoc est, statui, & decreui in corde meo pœnitentiam agere, & confiteri meum peccatum, & tu Domine, quia bonus es, cùm meum propositum & dolorem interiorem aspexisti, culpam remisisti. Vide quantum apud Deum B pœnitentia valeat, &c.

Animaduertant hoc hi qui difficillimum æstimant peccata confiteri : etenim si in medio plateæ ciuitatis omnia crimina (quantumuis grauissima) voce magna confiteri oporteret, quasi nihil nos facere censeremus, si quanti momenti sit absolutio à peccatis, plenè agnosceremus.

Cùm primùm peccauit Adam, priùs de remedio, quàm de punitione cogitauit Deus : vnde paradisum ingressus, interrogauit: *Adam vbi es?* non dixit, ô inique! totius paradisi copiam concesseram tibi, vnius tantùm arboris esum interdixi, vt eo leui præcepto te mihi subditum obediendo exhiberes, & parere in re parua noluisti, recede statim è toto parrdiso, vade à deliciis ad labores, à paradiso voluptatis in vallem lacrymarum, &c. nihil tale, sed : *Adam vbi es?* vt se miserum, & in peccati statu esse confiteretur, & sic veniam C impetraret. Ipse noluit confiteri, & ideo promeruit puniri. Videndus est hac de re Tertullianus *lib. 2. aduersùs Marcionem*, & S. Ambros. *lib 2. de Paradiso, cap. 4. & lib. 2. de Cain & Abel, cap. 6.* Et S. Gregor. *23. Moral. 13.* S. Chrysost. *hom. 28. in Gen.*

Etenim vult Deus vt nos miseriam nostram confiteamur, vt sic capaces suæ misericordiæ efficiamur, & confitendo peccata, peccatorum authores nos cognoscamus; Deum verò saluatorem & propitiatorem. Vnde S. Ambros. *in Psalm. 36. & serm. 4. in Psal. 118.* in illum vers. *Vias meas enunciaui, & exaudisti me. Confiteatur,* Ps 118. 26. inquit, *errores, non negat lapsus : si enim se accusauerit iustus, vocem parati accusatoris excludit.* & *lib. 2. de Pœnit. cap. 7. Præueni,* inquit, *accusatorem tuum : si te ipse accusaueris, accusatorem nullum timebis. & cap. 10.* In Ecclesia, inquit, *nihil est quod pudori esse debeat, nisi non fateri, cùm omnes simus peccatores : vbi ille laudabilior, qui humilior. & lib. de Institut. Virginis cap. 4. Erroris medicina, confessio est*, & S. Chrys. *homil. 5. & 12. ad populum, & hom. 3. de verb. Isaiæ,* D vbi ait: *In forensibus iudicijs post accusationem, & criminum confessionem sequitur supplicium, cæterum apud Dei tribunal, post accusationem, & confessionem datur corona.* Ita ille, & idem docet *super Psalm. 84.*

Vnde confessio Dauidis in sacra Scriptura scala nuncupatur: nam S. Hieronym *in traditionibus Hebraicis.* ad librum Regum, super illa verba, *2. Reg. 24. Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob.* In Hebræo, inquit, *est, cui constituta est scala, ob id scilicet quòd confessus est, & dixit: Peccaui Domino.* Vnde Sanctus Hieronym. ibi. *Scala quidem fuit Dauidi confessio illa, & scala similiter est omnibus qui vitè confitentur. Peccando descendit peccator in infernum, pœnitendo, & confitendo, quasi per quandam scalam, ascendit pœnitens in cælum.*

PROP. II. *Quàm ingens beneficium Dei sit in confessione remittere nobis peccata.*

ERasm 8. Apoph. Furnius Antonij partes sequutus fuerat, at postquam victoria cessit Augusto, metuens sibi, subornauit filium, qui à victore veniam peteret. petijt, & impetrauit. Tunc Furnius Cæsari his verbis gratias egit: *Hæc vna abs te, ô Cæsar, mihi data est iniuria, effecisti vt mihi & viuendum, & moriendum sit ingrato.* Significans tantam esse eius beneficij magnitudinem, vt nulla ex parte par esset gratiæ referendæ. Ita ille. Ac si diceret Furnius, necessariò semper futurus sum ingratus, quia pares gratias referre, dum vixero, impossibile mihi est. Quòd si tantum se debere Cæsari pro venia vitæ corporalis confitebatur ille, quid dicere, & facere oportet peccatorem, cùm veniam peccati & mortis æternæ fuerit per confessionem consequutus?

S. Chrysostom. hom. 3. ad pop. *Quotidie contumelia af-* Co *ficitur Deus præsens, audiens, & videns, & neque sulmen immisit, neque mare iussit terram inundare, & omnes submergere, neque terram hiare, & temeratores absorbere mandauit. tolerat & longanimiter agit, & ignoscere promittit auditoribus contumeliæ, si tantùm pœnitentiam agant, & non amplius hæc facere proponant, & peccata confiteantur. In hominibus contrarium videmus : cùm peccatores confessi fuerint, tunc magis pununtur. Verè nunc exclamandi tempus: Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* Ita S. Chrysost.

PROP. III. *Per confessionem, non solùm peccata remittuntur, sed etiam gratia diuina confertur.*

QVantùm distat Ortus ab Occidente, tantùm longè fecit à nobis N *iniquitates nostras.* Ortus ab Occidente duo inclu- 12. dit, occasum solis, & ortum solis. Duo etiam in remissione peccatorum concurrunt, Occasus scilicet & Oriens, occasus, inquam, culpæ, & ortus gratiæ. Sic exponit locum hunc S. Augustin. *Quando* (inquit) *peccatum remittitur, occidunt peccata tua, oritur gratia tua. Peccata tua tamquam in occasu sunt, gratia, qua liberatis, in ortu est.* Ita ille, & quidem si solùm per confessionem peccatum dimitteretur, inæstimabilis pretij æ valoris esset confessio, & pariter contritio ; quid cùm hîc non solùm occasus peccati, sed etiam ortus gratiæ pariter contingat? Si huius rei magnitudinem amplificare optas, vide in verbo *Gratia*, quanta res illa sit.

PROP. IV. *Quàm necessaria sit ad salutem animæ Confessio.*

DEus propitius esto mihi peccatori. Luc. 18. verba sunt Luc. 18. cuiusdam Publicani pœnitentis, quæ sic pondera- 13. rat S. Augustin serm. 49. de verbis Domini in Euangelium secundùm Ioannem, dicens : *Appareat in confessione macula cordis tui, & pertinebis ad gregem Christi, quia confessio peccatorum inuitat medicum sanaturum. Ad templum ascenderant Pharisæus & Publicanus; ille de sanitate sua gloriabatur, iste vulnera sua medico ostendebat.* Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut Publicanus iste. *Gloriabatur super alterum, non erat vtique sanus, & cum se sanum diceret, non descendit curatus. Publicanus autem non audens oculos in cœlum leuare, percutiebat pectus suum, dicens*: Deus propitius esto mihi peccatori : *& quid dicit Dominus? Amen dico vobis : Quia descendit hic iustificatus de templo, magis quàm Pharisæus.*

PROP. V. *Confessionem comitari debet firmum propositum nunquam ampliùs peccandi.*

SAnctus Iob in persona peccatoris contriti loquitur sic c.7. *Loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ.* Explicans mirè locum hunc S. Gregor. 8 Moral. 11. ait : *Habet in corde iustorum amaritudo animæ linguam suam, quæ tanto ei subtilius loquitur, quanto & interius auditur. Vnde nequaquã dicitur:* Fabulabor in amaritudine animæ meæ, *sed*, confabulabor cum amaritudine animæ meæ: *quia vis doloris, quæ peccata singula reputans, animum ad lamenta excitat, quasi ad eum verba cõfabulationis formet, in quibus semetipsum correctus inuenit, & in sui custodiam solicitior exurgat.* Ita S. Greg. Etenim experimento cognitat, verum pœnitentem dolentem, conscientiam quasi confabulantem, & loquentem, audire dicentem sibi : Quem fructum habuisti ex his in quibus nunc erubescis ? subditus iam esto Domino, & pœnitentiam age: caue in futurum, & noli amplius peccare, ne deteriùs aliquid tibi contingat, &c. Sic confabulatur pœnitens cum amaritudine animæ suæ: confabulatio enim loquutio inter duos vel plures esse debet.

Hannibal Carthaginensis apud Liuium, videns suos, antequam bellum committeretur, animi constantiam, & fortitudinem præferentes, dixit illis : *Si tales animos in prælio habueritis, quales hic & nunc ostenditis, victimus.* Ita ille. *Dad nos a nos otros por vencedores y a los enemigos por vencidos.* Id ego dico pœnitentibus, qui, dum confitentur, & tentationes non vrgent, dicunt prius se quoduis genus martyrij passuros, quàm in posterum peccare : etenim si tempore tentationis à tali proposito non receditis, victi estis. Sed tamen plures videmus quibus dicere possumus, quod in Psalm. 77. dictum fuit Filijs Ephraim: *Filij Ephraim intendẽtes & mittẽtes arcum, conuersi sunt in die Belli.* Cardinalis Bellarminus sic explicat sapienter locum hunc : *Filij Ephraim seu Israëlitæ* (idem enim est) *sim:les sunt militibus, qui incipiunt præliari cum hostibus, & mox hostibus terga vertunt : sic filij Israël in deserto, non semel proposuerunt se Deo parituros, & factu ros quæcunque illis mandasset ; & statim mutata voluntate, cogitabant de reditu in AEgyptum.* Ita ille. Sic nunc multi pœnitentes, &c.

PROP. VI. *Quàm facile sit remedium peccati per Confessionem.*

PEccatorum veniam omnes appetunt, omnes quærunt, sed tamen quæ ad huiusmodi veniam requiruntur, nonnulli refugiunt: amant salutem, sed odio habent medicinam, remissionem desiderant peccatorum, sed confiteri timent, & fructus facere pœnitentiæ dignos. Hìc nomen Saluatoris nostri opponit, seu potiùs proponit Sanct. Bernar. *serm. 6. de vigilia natalis Domini*, vbi exponens verba illa, *Iesus Christus nascitur in Bethleem Iudæ*, ait: *Iesus, Saluator interpretatur. quid tam necessarium perditis ? quid tam optabile miseris ? quid tam vtile desperatis ? At tu forsè salutem optas, sed curationis acerbitatem reformidas. ne timeas, nam Christus, hoc est, vnctus, Iesus est, suauis planè, ac mitis, & multæ misericordiæ, vnctus oleo lætitiæ præ participibus suis : Saluatorem tibi gratularis adesse, vtpote paralyticus iacens in grabato, aut magis inter Hierusalem, & Iericho, semiuiuus in via. Lætare quoque, nec durum esse medicum, nec grauibus vti medicinis, nec tibi forsitan intolerabilior videatur breuis ipsa curatio, quamuis ægritudo diuturna. Sic nimirum, sic vsque hodie multi pereunt, medicum fugientes, quòd Iesum quidem nouerint, sed Christum nesciunt: humano sensu de multitudine, & malignitate morborum paratæ sibi medelæ molestiam æstimantes.* Ita S. Bernard. *Estos, dize el santo, no conocen à Iesu Christo, y se le canoçen, es en*

A *quanto Iesus, in quanto Saluador, mas no en quanto Christo, in quanto vngido, y por su vncion suaue, y es que in den el remedio por sus pecçados, y quando veen que esos son muchos, y graues, pareceles que para ellos no aura remedio, que sea poco y ligero.* Videamus igitur quale sit antidotum peccatorum, Confessio quidem peccatorum & sacramentum suauissimum pœnitentiæ. dic mihi obsecro, si, vti tetigimus supra, reo in vinculis constricto, & ad mortem iam damnato, à rege venia promitteretur, si Sacerdoti secretò sua crimina confiteretur, & proponeret se nunquam ampliùs peccaturum, & de præteritis dolens, nonnullam orationem, & ieiuniorum faceret pœnitentiam, num difficilis ei talis appareret curatio? Vel si tu mortali quodam morbo affectus esses, & ea tantùm medicus iniungeret tibi, quæ confessarius tibi pro peccatis iniungere solet, grauéne tibi remedium videretur ? &c.

B Nescio quid potiùs admirer, an immensam hanc indulgentiam Dei, an ignauiam peccatorum nolentium conuerti. Attende quid super huiusmodi redicat Dominus Ierem. 8. *Nunquid resina non est in Galaad ? aut medicus non est ibi ? quomodo ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei ?* Ponderat locum hunc S. Hieron. & explicat, dicens: *Resina Galaad pro pœnitentia ponitur, & miratur Deus, quare vulnera Hierusalem nequaquam curata sint, & necdum cicatrices obduxerint callum.* Ita S. Hier. Vbi pondera Deum mirari super negligentiã peccatorum nolentium ad pœnitentiam properare, in qua talis, ac tanta, & tam facilis medicina illis est parata : imò Ieremias non solùm admirationem, sed stuporem vocat, *stupor* (inquit) *obtinuit me.* Tanta igitur est iniuria hæc peccatorum, vt dicat Deus, se obstupefactum detineri, ac si diceret : Ita hoc admiratione dignum est, vt si in C Deum stupor cadere posset, ob id (etsi Deus) obstupefieret. Vide hinc quanta sit negligentia, imò stultitia peccatorum, qui in peccato detenti manent, & quàm meritò dicere eis possimus : *Nunquid resina non est in Galaad ?* (por ventura no ay agua en la mar,) nunquid in Ecclesia non sunt Confessarij ? non est sacramentum pœnitentiæ ad delenda peccata, quâ serui diaboli in filios Dei facilè mutari possint, & ex odio Dei in eius gratiam reuocari ? Væ peccatoribus desidiosis, quia quantò facilius est remedium, tantò erit atrocior pœna, & punitio diuina. *en vuestra obstinacion iustifica Dios la grauedad de vostra condenacion, peccadores.*

Ierem. 8. 22. S. Hieron.

ADDITIO.

MIratur insolentem in sacro hoc pœnitentiæ tribunali, iudicij modum S. Zenon. Nouum, ait, Iudicij genus, in quo reus si excusauerit crimen, damnatur; absoluitur, si fatetur. O magna potestas, magna peritia, magna pietas Iudicis nostri, à quo vniuersi generis peccatores, vt possint certè viuere, puniri festinant ! descendit enim gladius pius in viscera peccatoris, & vno, eodemque ictu, incolumi corporis manente materia, interficit hominem veterem, creat nouum. *Item S. Ambrosius.*

S. Zenon. serm. 2. ad Neophyt.

S. Ambr. lib 2. de Pœnit. c 1.

Nota sunt Deo cuncta, quæ in occulto feci ti, quæ, si non dixerit lingua, non potest celare conscientia. Frustra te latenti consolatione deludis, & abiconsum putas esse posse, quod sine teste commiseris. patet Deo omne, quod clausum est, & in apto lucet, quidquid non obstruxa cogitationis intenebrat. Reum te tibi officio confessionis insitue, causam tuam in conspectu tuo temetipso accusante compone ; dicta in te sub severitate sententiam, antequam iudicis sententia iracundiam. Et vt mulgeas misericordiam, exerce priorem in tepso censuram. Crede mihi tuum, quo suspectus es, sit illico venabile, cum innocua fuerit in te huiusmodi pœnitudo iustitiæ, scriptura dicente: Pœnitentibus autem dedit partem iustitiæ, & corroganit deficientes sistimere, & destinauit illos in sortem veritatis. Exspectat ecce Dominus con-

confessionis munus, si confitentem non involuit reatus. Et cùm
" sit nota diuinis sensibus hominum conscientia, mauult lingua
" prodere, quòd non possunt occulta cordis celare. pœnitentia ita-
" que vno actu officia diuersa congem nat. Hinc enim publicat
" confitentem, inde confessum, reuocat innocentem: hinc reatum
" nunciat, inde crimen excusat: hinc obijcit propius peccata
" peccanti, inde indulgentiam exigit pœnitenti, nec permittit pu-
" niri confessum, qui pœnitentem nosci reuocare damnatum. O
" magnificum bonitatis diuinæ thesaurum! ô singulare benignis-
" simi iudicis institutum! ad hoc de reis vult confessionis excul-
" pere voces, vt non inueniat quod vltum iri debeat. Et cùm apud
" seculi iudices confessus mox dirigatur ad pœnam, apud Domi-
" num confitens statim pergit ad veniam. Nec hoc vlis elicit de
" confitente tormentis, cum patiens in semet ipso officium videa-
" tur exercere torturis. Lucra sunt enim pij iudicis gemitus consi-
" tentis, & gaudium cognitoris est sine quæstione confessio.

Idem ibidem c.2. Idem auctor idem argumentum prosequitur, & quot sibi pœnitens accersat confitendo, bona, recen-set.

" Tu autem noli obliuisci, & iudicemur; dic tu prior iniquita-
" tes tuas, vt iustificeris, quid, oro, hæc sponsione iucundius? quid
" potest hoc inuitamento dulcius inuenire, prouocare iudicem, di-
" cere aduersum se rem pro se, non vt puniat, sed vt absoluat? B
" non vt animadvertat in confessum, sed vt iustificet à se ipso
" conuictum. Ego autem non memorabor, tu autem noli obliuisci.
" hoc est dicere; non remanebit penes me memoria facti tui, si tu
" proprij non obliuiscaris erroris; & delebitur infamia criminis
" tui, si eius recordatione compulsus non cesses meis auribus con-
" fiteri.

Ibidem. Deinde proponit nobis quasi certamen inter peccatorem confitentem, & Deum remittentem peccata.

" Tu autem noli obliuisci, & iudicemur. Interea iudicemur,
" ait: an nunquid Dominus iudicabitur, qui dicat, vt cum pecca-
" tore iudicetur? Absit. iudicemur, inquit, tu confitens, ego dimit-
" tens: tu offerens debita, ego donando peccata: tu dicens ini-
" quitates, ego te absoluta pietate iustificans. Denique vide quod
" sequitur, dic tu prior, inquit, iniquitates tuas, vt iustificeris, non
" vt condamneris: vt maneat in te præmium conuersi, non con-
" fessi supplicium: vt iudicium tecum comiteur iusti, non nota C
" damnati.

Ibidem. Rem hanc illustrat opposita similitudine ægri ad medium pro remedio properantis.

" Hodie si quisquam te morbus corporalis afficiat, & sentias
" artus tuos intestino grauari languore, aut vulnus tuum intelli-
" gas tabe & sordepurredinis cancerare, statim curris ad medi-
" cum, quæris de arte remedium, excubas ante ianuam dormien-
" tis, & ante fores eius matutinus salutator assistis, precibus ora-
" re, dona promittere, munera offerre, & totum patrimonium pro
" tua cupis sanitate perdere. Et cùm plerumque imperitia eius,
" aut grauetur languor, aut certè in longa tempora differatur,
" nihilominus tamen in obseruatione assidua perseueras, & ho-
" mo ab homine speras tarda remedia, nec desperas adiutorium
" defuturum, cùm adhuc non sentis corroborationis effectum: &
" non curris ad Deum tuum gratuitum medicum, ad vltroneum
" pigmentarium, qui in curandis animæ tuæ valetudinibus nul-
" lum nouit pati fastidium, nec exspectat ex sanitate tua præ-
" mium, sed magis exspectat præmio muneare curatum? D

Ibid. c.3. Tandem concludit à facilitate Iudicis ignoscentis.

" Nemo te, crede mihi, melius reficit, quàm qui fecit; nec alius
" iustificat, nisi qui flagellat & curat. Solus nouit opus sui sarcire
" ruinas, & limi nostri quassatam speciem in status pristini sub-
" stantiam reformare, ipso per prophetam dicente: Sicut lutum
" figuli, sic vos estis in manu mea. Neque hoc ipsum aliquo in-
" ternallo temporis operatur. Mox vt dixeris vitium tuum, illico
" impertit & adiutorium imploranda subsidia, & confitendi re-
" media, nullum prope modum tempus interuenit. hoc tantùm ex-
" spectat, vt fateatis, mora non erit vt saueris.

Chrysost. serm. de confess. peccati. Impensè peccatores ad confitendum adhortatur D. Chrysostomus, dum exaggerat Iudicem magis esse bonum, quàm iustum; & boni, iustique Iudicis discri-men describit.

Spiritus sanctus medelam purgandi facinoris, & cunctis admissi delicti obtulit, dum qualiter iram Dei placaremus ostendit. Non vult peccatoribus inferre vindictam, qui date querelæ consitentibus veniam. Non enim vult iratus, qui præstrui-tatis consilia, qui medicinam vulneribus suggerit: nullus cupit, qui reo salutis consilia, & vitalitatis remedia tribuit. Ce-terum punire non vult, qui ad hoc præmonet, ne cogatur. Vult aboleri offensam, si qui offendit, damnauerit culpam. Vult confessione tam viuere eum, qui præcepta contempserat mortis: vt cui peccatum attulit mortem, & confessio afferat vitam. Confessio enim pœnitentiam monstrat: sat factio viam sibi diuinæ pietatis conciliat. Nec enim potest indulgentia tribui, nisi ira Dei possit confessione placari. O veneranda pietas Dei! peccamus, & parcit: delinquimus, & ignoscit: offendimus; & adhuc placatus existit. Vnde qualis erga nos se monstrat, dum talem se erga peccatores ostentat. Nec peccatum potest excusari, qui confessionem, per quam venia datur, non properauit amplecti, quò posset tuus gemino crimine detineri, dum primò legem contempsit, vt delinqueret, & confessionis remedia amplexi noluit, vt periret. Rape tu, quisquis es, peccator remedia, qui peccando diuina contempsisti præcepta. Confessio afferat salutem, cui contemptus attulerat mortem. Tu remedijs, qui moriturus fueras aliquando peccatis. Confitere plectere ad salutem data. Horta mentis diuina proinde, ac dulgenter admitte; peccatorum indulgentiam confessione mererere. Quid horres fateri, quod libenter ac properè commi-cur confunderis dicere, quod non confusus es perpetrare? veteris Domino indicare, quod verius non es ipso præsente committere? aut nunquid eum putas adnuisse nescire, qui a nobis, quæ commisimus, noscat? aut ignorare quæ scimus pec-tas, nisi nobis confitentibus discat? peius est confiteri nolle, quam legem contemnere. Peius est admissi pœnitentiam ignorare, quam non ita diuina despicere. Peius est Dei offensam non tisfactione placare, quàm peccando Dei bonitatem offendere. quamuis peccandi causa grauior videatur, leuior tamen ve-quenter existit, dum confessione absolutur, aut contumacia debito mortis expungitur. Denique Nimuitæ confitentes o-viunt, Sodomitæ obdurantur, & pereunt: illos impendens sup-plicium prouocat confiteri; hos vicinus interitus non confiten-do effecit aboleri. Filij Israel quoties peccant, hostibus tradun-tur; quoties se peccasse fatentur, de eorum manibus liberantur. Ita enim nullus vnquam peccato euasit, vt nullus confitendo in-dulgentiam Dei non mereatur. Docuerat diuina monita, si exempla monere non possunt. Confitemini, inquit, Domino, quo-niam bonus. Bonum Dominum hoc loco dicit, non iustum; quia qui bonum ostendit, confiteri persuadet. Peccatorem enim non absoluit, iustus condemnat. Bonus indulgentiam tribuit, non iustus peccatorum expungit. Apud iudicem bonum confessio-mater indulgentiæ: apud iustum pœnæ debitum. Bonus confi-tenti tribuit veniam, iustus competentem infert pœnam. Vide sic fit, vt qui confitendo bonum sentire noluerit, iustum sentiat reticendo: & quem confessio posset absoluere, eum contumacia posit feueritas iusti iudicis abolere. Quare consule tibi, pecca-tor, dum licet; dum qui offensus es, suadet Dominus; ad miseri-cordiam Dominus ipse paratus est. Nam si, qui contemptus est, misereri noluisset, rogares, vt vellet. cùm ipse misereri desideret, qui offendit, rogando non desinat: liceat confiteri, cui peccare licuit; liceat petere veniam, cui licuit contrahere culpam: indul-gentiam postulet, qui mandata contempsit, veniam optet, qui legis iussa despexit. Confessio reddat, quod peccatum detraxerat. Curet pœnitentia, quod delictorum macula sordidarat. Serpen-tinum virus, satisfactionis antidoto recreetur: peccatorum venena precum instantia depellantur, vt Dominum, quem nobis delicta fecerant iracundum, reddant obsequia digna placatem. Et qui a nobis fuerat peccatis offensus, confessione nobis mise-ricors reddatur & pius.

Prop. VII. *Confessio remedium est peccatori, ne pereat.*

QVi in flumen vel mare cadit, quamdiu aqua ad os non peruenerit. non suffocatur : aquâ verò os occupante, perit, quia respirandi facultas, à qua vita pendet, est sublata; sic qui in peccati gurgitem cadit, si ad respirandum per oris Confessionem facultas remanet salua, salua res hominis manet; si verò os, ne peccata sua peccator confiteatur, nequitia occupauerit, pereat necesse est. Hinc clamat Propheta Dauid: *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.*

Vbi S. Auguſt. *Magnus puteus eſt profunditas iniquitatis humanæ, illuc qui ceciderit, in altum cadit: ſed tamen ibi poſitus, ſi confiteatur peccata ſua Deo ſuo, non ſuper eum claudit puteus os ſuum, vt eſt in Pſalm. 129. ſcriptum.* De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. *Si autem factum fuerit in illo, quod in alia ſententia Scriptura dicit:* Impius, cùm venerit in profundum peccatorum, contemnet, *clauſit ſuper eum puteus os ſuum. Quare clauſit os ſuum? quia clauſit os illius, perdidit Confeſſionem, verè mortuus eſt, impletumq; eſt in eo, quod alibi dicitur:* A mortuo, velut qui non ſit, perit confeſſio. *Metuenda iſta res eſt vehementer, fratres. Si videritis hominem feciſſe iniquitatem, merſus eſt in puteum: quando autem illi dixeritis iniquitatem ipſius, & dixerit: Verè peccaui, fateor; non clauſit ſuper eum puteus os ſuum: cum autem videritis eum dicere:* Quid enim mali feci? *factus eſt defenſor peccati ſui, clauſit ſuper eum puteus os ſuum, quo eruatur non habet: amiſſa enim Confeſsione non erit miſericordiæ locus. Tu factus es peccati tui defenſor, quomodo erit Deus liberator? vt ergo ſit ille liberator, tu eſto accuſator.* Ita S. Auguſt.

Ioan. 11. *Lazare veni foràs.* Quid ſibi vult hæc Domini vox clamoſa, qui ſola voluntate poterat vniuerſos mortuos reſuſcitare? S. Auguſt. ſerm. 8. de verb. Domini tom. 10. *Quid eſt foràs prodire, niſi quod occultum eſſet prodere, foràs qui confitetur foràs prodit.* Ita S. Auguſt. Vnde ſtatim iuſſit Dominus diſcipulis ſuis ſoluere à vinculis ſuis Lazarum, & non anteaquam ex monumento exiret, quia non priùs abſoluitur à vinculis peccatorum ſuorum peccator, quàm peccata confiteatur.

S. Chryſoſt. tom. 5. ſerm. *de Pœnitentia & confeſsione. Confunderis & erubeſcis confiteri peccata: confuſio eſt peccare, non verò peccata confiteri, non eſt enim neceſſarium teſtibus præſentibus confiteri; nos autem quando ea agimus frequenter, & impudenter audemus, quando autem confiteri oportet, tunc confundimur, & grauamur: oportebat cum alacritate hæc fatere, non enim eſt confuſio accuſare ſua peccata, ſed virtus & iuſtitia: nam ſi non eſſet virtus, non illi mercedem poſuiſſet Deus. Habet autem mercedem confeſſio: ait enim Iſaias.* Dic tu prior peccata tua, vt iuſtificeris. *Quis ergo confunditur de opere, à quo fit iuſtus? quis confunditur ergo confiteri peccata, vt ſoluat peccata? in externis quidem iudicijs poſt confeſsionem ſequitur pœna, non pôtes latere Deum etiamſi non dicas illa, ipſe nouit, ſi autem dicis tu, obliuiſcetur ille.* Ecce, inquit, ego ſum Deus qui deleo peccata tua, & nunquam memorabor. *Vides, nunquam memorabor, (inquit) hoc misericordiæ fuerit, tu memor eſto, vt emendationis capias argumentum.* Non ſum dignus, *ait Paulus*, vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei; *condonata fuerant ei peccata à Deo, & ea quæ Dominus deleuerat, ipſe exulgauit, Deus eum vas benedictionis vocabat, & ipſe ſe primum peccatorum vocat.* Ita S. Chryſoſt.

Idem ſerm. de confeſſ. peccat. tom. 5. *Non poterit iam excuſari peccator, qui confeſsionem, per quam venia oritur, non properauit amplecti, quo poſsit reus gemino crimine detineri, dum primò legem contempſit & confiteri noluit quo periret. Rape remedia qui peccando diuina contempſiſti præcepta, viue remedijs qui mortuus es peccatis. Nimiuùm confitentur & viuunt, Sodomitæ obdurantur & pereunt, filij Iſrael quoties peccant hoſtibus traduntur, & quoties ſe peccaſſe fatentur, de illorum manibus liberantur. Bonus Deus confitenti veniam tribuit, iuſtus verò Deus competentem infert pœnam: vnde ſit vt qui confitendo bonum Deum ſentire nolucrit, iuſtum ſentiat vetcendo, & quem confeſsio poſſet abſoluere, contumacia abſoluebit. Tibi ergo conſule peccator dum licet, libeat confiteri, cui licuit contrahere culpam, venam poſcat qui legem contempſit, confeſsio reddat quod peccatum detraxit.* Ita S. Chryſoſt.

Prop. VIII. *Confeſsio debet ex vero corde procedere.*

PSalm. 31. *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, nec inuentus eſt in ſpir. tu eius dolus.* Loquitur hîc Propheta de pœnitente, vt ſentit S. Auguſtinus, & dicto illa *nec* ſecundùm ſanctum Remig. & S. Gregor. Nazianz. eſt cauſalis, *nec*, id eſt quia. Hunc ſenſum ſic colligo: Beatus ille pœnitens, cui Deus peccata dimittit: quia ita perfectè pœnitens delicta ſua confitetur, vt non remaneat dolus in corde: ſed quod ore fatetur, id ipſum in corde verè habet. Fieri enim poteſt, & vtinam non ſæpè contingat, quòd peccator ore dicat: *Peccaui*, corde verò non debitè doleat, quod apud Deum & notiſſimum eſt (ipſe enim nouit abſcondita cordis) & non ad remiſſionem ſatis. quod ex loco alio colligere licet, Matth. 8. 19. homo quidam ad Chriſtum accedens, dixit: *Domine, ſequar te quòcumque ieris.* Quod expendens S. Auguſt. ſerm. 7. de verb. Domini ſecundùm Matth. ait: *Quid tam promptum? quid tam impigrum? quid tam paratum & quid ad tantum bonum apt. ſimum, quam ſequi Dominum quocumque ierit?* Ita S. Auguſt. & nihilominus Chriſtus reiecit illum, & noluit in diſcipulum recipere illum, dicens: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Typicè hic Chriſtus reſpondet, ac ſi diceret: Tu, ſicut vulpes doloſæ, doloſè accedis ad me: non enim habes in corde, quod ore demonſtras: ore enim oſtendis te velle me pauperem ſequi, qui paupertatem non amas, ſed commoda temporalia: fictè denique accedis, & ideo nolo te in diſcipulum meum. Sic interpretatur locum hunc S. Auguſtin. vbi ſuprà, dicens: *Vulpes foueas habent in corde tuo, quia doloſus es, doloſus non me ſequeris.* Ita S. Auguſt. Idem igitur de pœnitente doloſo dicendum eſt: nouit Dominus dolos intrinſecos humani cordis; ſcit quis verè pœniteat, quis doloſè ac fictè: fortè peccator ipſe, qui pœnitere ſe oſtendit, dolum ſui cordis non percipit: *Prauum enim eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus*; non ait, *ipſemet homo, & ego*, ſed, *ego Dominus*, quia ſæpè decipit te cor tuum: dicis enim, ore: *Peccaui, Domine miſerere mei*, & tamen te cogitante te verè pœnitere, deciperis.

Hinc eſt quòd Sauli dicenti: *Peccaui*, 1. Reg. 15. 24. Deus nõ pepercit: Dauidi autem dicenti etiam: *Peccaui*, illico dictum eſt à Deo per Nathan Prophetam: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* 2 Reg. 12. ambo Reges eiuſdem populi Dei, ambo peccauerant, & quidem grauiùs videtur peccaſſe Dauid, quia Saul parcendo aliquibus Amalechitis peccauit: Dauid verò occidendo, & adulterando, & tamen Deus Dauidi peperci t, non verò Sauli: nimirum, quia non ita ex corde pœnituit Saul, ſicut Dauid. Cùm ergo vulpina ſæpè & doloſa ſit pœnitentia exterior, curet pœnitens verè, & ex corde confiteri, *Y no por ycomplimiento, que no ſea verdadero cumplimiento del præcepto*, ſed iuxta illud Ioëlis 2. *Conuertimini ad me ex toto corde veſtro*, &c.

PROP. IX. *Ad exactam confessionem & pœnitentiam requiritur solicitudo, & maturitas.*

SVnt quidem non pauci peccatores, qui cùm diu peccauerint, & sæpè sæpius per totius anni spatium, vnica in Quadragesima facta confessione, cursim, & festinanter adhibita, manum à pœnitentia contrahunt, & à curatione animæ suæ cessant. hi quanti momenti sit animæ salus, ignorant; si enim nossent, longo temporis spatio eius sanitati vacarent: non enim graues animi morbi sic festinanter sanantur, sicut enim magnæ corporis ægritudines magnum tempus, & magnam curam exigunt, quò eis medeamur; sic & animæ morbi, imò tantò magis, quantò anima plus est quanti corpus, & quantò passiones in corde radicatæ, acriores sunt.

Hinc *Luc.* 11. cùm Dominus hominem quendam surdum, & mutum, & cæcum, & à dæmone possessum sanaret, ait Euangelista: *Erat Iesus ejiciens dæmonium:* non inquit, ejecit Iesus dæmonium, voce præteriti perfecti vtens, sed præteriti imperfecti, quod moram quandam, & durationem importat. Poterat quidem Dominus in ictu oculi, in momento quodam eum sanare, sed noluit: vt innueret nobis, insistendum nobis esse, dum sanationi animæ operam damus, morosè, & perseueranter attendendum negotio tanto: non enim peragitur ita citò: & vtinam longo temporis interuallo perficiatur. ideo quidem pauci sunt peccatores qui optatum ex confessione fructum percipiant, & quamplurimi, qui statim in eadem peccata relabantur, *espacio repuere tam graue negocio.*

Matth. 3. Hinc à 1 peccatores Baptista: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* non ad pœnitentiæ essentiam, & subsistantiam oculos admouit Ioannes, sed ad fructus pœnitentiæ aspexit. Sicut igitur hortulanus, qui arborem frugiferam in horto suo plantauit, non contrahit ab eius cultura manum, donec arbor fructus ferat; sic pœnitens, (& pater eius spiritualis) non debet à cura eius cessare, donec videat pœnitentiæ fructus.

Iussu Domini fecit Moyses labrum æneum cum base sua de speculis mulierum, hoc labrum ante introitum tabernaculi constitutum erat, vt ministri Domini, antequam ad sacrificia offerenda Deo, ingrederentur, facies suas in speculis illis aspicerent, & priùs illas mundarent, quàm sacrificium offerrent. Nos, cùm confiteri volumus, & communicare, sacrificium offerimus Deo: in confessione quidem nosipsos, in Eucharistia verò filium Dei offerimus Patri. Quòd si ad illa vmbratilia sacrificia offerenda omnem illam materialem maculam delere oportebat, quantò magis ad hęc nostra tam excelsa omnem maculam cordis abstergere oportebit? Hoc igitur speculum illa denotabant. At quid sibi vult quòd speculum mulierum speciatim esse dicantur? Audi, homines cùm se aliquando in speculo aspiciunt, hoc perfunctorie facere solent; mulieres verò, cùm se ad speculum componunt, morosiùs id, & longioris temporis tractu faciunt: constat ergo, quare non virorum, sed mulierum speculum illa fuisse notauerit Scriptura sacra, vt scilicet nos, cùm ad sacrificia confessionis, & communionis, nos præparamus, tunc non perfunctorie, & cursim examinemus maculas animæ nostræ, sed pedetentim, & morosè, magna cum attentione, & exactione, nec culpabiliter cum macula notabilis culpæ ad hæc ita excelsa accedamus Sacramenta. Libet huius loci explicationem sancti Gregorij attexere, quia ad rem maximè facit: ait ergo *in hom. 17. super Euangelia: Labrum aneum Moyses ponit, in quo sacerdotes lauari debebant, & sancta Sanctorum ingredi, quia lex Dei prius nos lauari per compunctionem præcepit, vt nostra immunditia ad penetrandam secretorum Dei munditiam non sit indigna. Quod bene labrum de speculis mulierum perhibet factum, quæ ad tabernaculi ostium indesinenter excubabant: specula quippe sunt præcepta Dei, in quibus se sanctæ animæ semper aspiciunt, & si quæ in eis sunt maculæ, deprehendunt, cogitationum vitia corrigunt, & quasi renitentes vultus, vultui reddita imagine, componunt: quia dum præceptis dominus solerter intendunt, in eis proculdubio, vel quid in eis displiceat, vel quid displiceat, agnoscunt.* Ita ille. Vbi lex Domini speculo similem dicit: sicut enim in speculo maculas deprehendimus; sic etiam in lege Dei maculas animæ nostræ cognoscimus: quando igitur conflatu rectè voluerimus, quid contra Dei legem sit, attente, & non properanter inspiciamus, vt inspectas maculas mundemus.

PROP. X. *Quàm grata Deo sit confessio peccatorum.*

S. Athan. *q.* 107. quærit, cur Deus, peccantibus Adam, & Cain, maledicit Adam, non in ipso, sed in terra, dicens: *Maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinabit tibi*, &c. cum verò maledixerit Cain Gen. 4. xii, *maledictus eris super terram*, &c. nunquid peccatum Adæ non fuit tam graue, sicut peccatum Cain? Certè cùm Adæ peccatum principium fuerit ruinæ totius mundi: ex eo enim & miseriæ cunctæ, & mors, & originale peccatum emanarunt, grauissimum malum fuit; cur igitur non illi maledixit, sicut maledixit Cain? Respondet S. Ath. propterea se Deum benignius cum Adamo quàm cum Cain gessisse, quia Adam confessus fuit; licèt confessioni excusationem illam miscuerit, *Mulier quam dedisti mihi*, &c. Cain verò peccatum suum non confiteri, sed celare satagebat: cùm cum eo quæreret Deus: *Vbi est Abel frater tuus?* quibus verbis Dominus confessionem delicti sui misericorditer extorquebat, ipse secundùm duritiam cordis sui respondit: *Nescio, num custos fratris mei sum ego?* noluit confiteri peccatum suum, & propterea ei maledixit Deus, non verò Adæ, quia confessus fuit, &c.

Sic de latronibus cum Christo Domino crucifixis dicendum est: nam alter eorum à Domino audiit: *Hodie mecum eris in paradiso*; alter verò non sic. cur ita? num quia bonus ille latro dixerat: *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum?* Non quidem ob id solùm, sed maximè quia dixerat priùs: *Nos quidem iuste, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali fecit*, propter hanc humilem confessionem præcipuè audiit verba illa Domini dulciora super mel, & fauum: *Hodie mecum eris in paradiso*; minimè verò alter, qui noluit ita confiteri.

Populus Israël sic Deum affatus est: *Absque peccato, & innocens ego sum, & propterea auertatur furor tuus a me:* cui Dominus: *Ecce ego iudicio contendam tecum, eò quod dixeris, non peccaui.* inuisa quidem Deo erant peccata populi sui, sed quod illi displicuit valde, hoc fuit, quòd noluerit peccata sua confiteri, sed celare.

Hinc S. Bernard. *epist.* 113. super illa verba *Psal.* 95. 6. *Confessio & pulchritudo in conspectu eius.* In conspectu, inquit, *eius, cuius speciosa erat forma præ filys hominum, eius, inquam, in quem desiderant Angeli prospicere. Audis cui placet, ama vnde placeas. Ama confessionem, ob quam amatur. Ama confessionem, si affectas decorem. Confessionis iungitur decor, iungitur pulchritudo. Habes vtrumque Confessionem, inquit, & decorem induisti, & iterum, Confessio, & pulchritudo in conspectu eius. Reuera vbi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor. Si peccata sunt, in confessione lauantur, si bona opera, confessione commendantur. Cum mala tua confiteris, sacrificium est Deo spiritus contribulatus; cum verò Dei beneficia, immolas, Deo sacrificium laudis. Bonum animæ ornamentum confessio, qua & peccatorem purgat, & iustum reddit purgatiorem.* Ita ille.

Genesis 3. sic Dominus ad Euam post transgressionem præcepti: *Quare hoc fecisti?* nunquid ignorabat Deus

Deus quid, & cur fecerat Eua? minimè quidem, cùm intima etiam cordis attingat infinita Dei sapientia; cur ergo interrogat? S. Gregor. 22. Moral. 9. Ad hoc requisiti sunt primi parentes, vt peccatum quod commiserant, confitendo delerent: vnde & serpens ille persuasor non est de culpa requisitus, quia non erat reuocandus ad veniam. Interrogatus est Adam vbi esset, vt confitendo cognosceret, quàm longè à facie sui Conditoris abesset; sed cùm excusare peccatum voluit, vir per mulierem, & mulier per serpentem, culpam auxerunt, quam tueri voluerunt. Ita S. Gregor.

Ioannis 11. sic Dominus ad Lazarum, sepultum: *Lazare veni foras.* Cur sicut dixit filio viduæ Naim: *Adolescens tibi dico surge*, nō etiam dixit: *Tibi dico Lazare surge?* S. Gregor. vbi suprà. *In illa*, inquit, *resurrectione, quæ facta est in corpore, signatur qualiter nos resuscitemur in corde, cùm dicitur illi:* Veni foras: *vt mortuus homo in peccato mortuus, & mole malæ consuetudinis tam sepultus, quia intra conscientiam suam abjectus tacet de nequitiam, à se ipso foras exeat per confessionem. Sicut Dauid à morte facinoris resuscitatus, quasi foras exijt, dum per Nathan correptus, quòd secerat accusauit, dicens:* Peccaui Domino.

Genesis 3. peccauit Adam & statim Dominus apparens illi dixit: *Adam vbi es?* Numquid ignorabat Dominus vbinam ille esset? Cur igitur quærit vbinam sit? Etenim non de loco, sed de statu agit Dominus, vt infælicitatem suam agnoscat & deploret. Audi S. Ambrosium lib. de paradiso c. 14. *Vbi es*, inquit, *id est, non in quo, sed in quibus es, de quibus bonis, de qua beatitudine, in quam miseriam cecidisti? vbi est illa tua bene conscia sibi confidentia? tamòr iste culpam fatetur, latebra præuaricationem. Vbi ergo es? non in quo loco quæro, sed in quo statu? Quò te dedaxerunt peccata tua, vt fugices Deum tuum, quem antea quærebas? Denique hoc ipsum, quòd Deus eum vocat, indicium est sanaturi, quia Dominus quibus nuiseretur, & vocat.* Ita S. Ambros. sic etiam postquam Cain occidit Abelem, vocauit eum Dominus, Gen. 4. & dixit: *vbi est Abel frater tuus?* nouerat Dominus vbinam esset Abel, & quomodo eum Cain occidisset, sed tamen vt eum ad confessionem & confusionem prouocaret, dixit: *Vbi est Abel frater tuus?* Ita exponit locum Oleaster, dicens: *Sic solet Dominus occasionem petendi veniam peccatoribus dare, exigit autem à Cain Dominus confessionem, ipse verò prætendit excusationem, dicens, nescio: nunquid custos fratris mei sum?* Ita ille. *Salio Cain a su Padre.* Adam, requisitus à Deo de culpa, eam in vxorem reijcit, sed vide quàm parum excusatio profuit sua; sic & plures peccatores peccata excusantes sibi pernicies sunt.

Prop. XI. *Confessio bona in Dei honorem cedit.*

Sanct. Augustinus serm. 8. de verbis Domini secundùm Matth. *Quando nos ipsos accusamus, ei per quem resurreximus, gloriam damus.* Ita S. Augustinus. Dices vnde gloria Deo, quia confitemur peccata nostra? Nimirum, quia si quis industriâ alicuius medici à mortali morbo liberatur, tantò magis medicum laudat, quantò grauitatem morbi sui fatetur; sic qui peccatorum suorum confitetur morbum, Christum Dominum, qui medicinam illi adhibuit, honorat.

Prop. XII. *Confessio spem erigit, quam peccatum enervare solet.*

Sic latro bonus ad latronem malum blasphemantem: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es, & nos quidem iustè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit.* Expendit S. Augustinus verba hæc *serm. in Parasceue Domini*, & ait, *Nónne* (inquit latro) *& tu in ipsa cruce es? Quamobrem in quo socium increpas pœnæ, ipsum pro illo verum statues? Quemadmodum enim is, qui in peccatis est, si alios audeat accusare, se ipsum ante alios accusat; ita & is qui in arumna est, si alys eam sui obijtus exprobrat, sibi ante illos dicit opprobrium, quomam, inquit, in ipso iudicio sumus. Quid agis ô latro? satisfacere incipiens socium tibi Dominum fecisti? Emendat hanc de se opinionem in subsequentibus, nam ne æstimet quòd propter damnationis consortium, criminis quoque consortem fecerit Dominum, subtexuit emendationem, dicens: Et nos quidem iustè, nam digna patimur his quæ commisimus. vidisti confessionem perfectam, vidisti quomodo se in cruce exuit à peccatis? Dic, inquit, tu iniquitates tuas prius vt iustificetur, nemo compulit. Nemo vim facit, sed ipse se drudgauit, ipse condemnauit, dicens: Et nos quidem iustè digna factis recipimus, hoc autem nihil mali gessit. Memento mei Domine in regno tuo. Non est ausus ante dicere, memento mei Deus, quam confessionem iniquitatis præteritæ sarcinam peccatorum deponeret. Vides quanta res sit confessio? confessus est, & paradisum aperuit, confessus est, & tantæ fiducia robur accepit, vt de latrocinio regnum deposceret.* Ita S. Augustinus.

Prop. XIII. *In Confessione peccator non se debet excusare, sed accusare.*

Sanct. Gregor. 4. *Moral.* 23. *Sunt nonnulli, qui non solùm non desinent quod faciunt, sed etiam defendere & laudare non desinunt. & quidem culpa, dum defenditur, geminatur.* Ita S. Greg.

Qui in primo parente exemplum ponens, subdit: *Sic Adam, dum requisitione à Deo ad pœnitentiam vocaretur, excusationem culpæ suæ adiunxit, dicens:* Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi, *scilicet excessus sui vitium in auctorem latenter retorquens, ac si diceret: Tu occasionem dedi, quendi præbuisti, qui mulierem dedisti. Et hinc huius erroris ramus in humano genere ex illa vsque nunc radice protrahitur, vt quod malè agitur, simul etiam defendatur.* Ita ille. Gen. 3. 12.

Qui etiam in huius confirmationem illud Ecclesiasticus adducit: *Peccasti, non adijcias iterum. Peccatum,* inquit S. Gregor. *Peccato adijcit, qui male gesta etiam defendit.* Ita S. Gregor. Qualis ergo est eorum confessio, qui propter remorsum conscientiæ ad confessionem recurrunt: vt autem confessionem fugiant, quam ex confessione oriri censent, excusationem adiungunt, & ita extenuant culpam, vt, cùm mortalis sit, vix à Confessario venialis iudicetur. Hi non solùm à peccatis non absoluuntur, verùm etiam ampliùs peccatis implicantur. Cap. 21.

Sic sanctus Iob: *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam.* vbi S. Gregor. *Hæc sunt veræ humilitatis testimonia, iniquitatem suam quemquam cognoscere, & cognitam voce confessionis aperire.* Ita S. Gregor. Vnde etiam colligitur radicem huius malæ excusationis esse superbiam: superbus enim æstimari, & laudari appetit, & tanquam iustus honorari, & non tanquam peccator contemni. *Peccatores esse volumus,* ait S. Bernard, *sed nolumus æstimari.* superborum igitur proprium peccata latenter perpetrare, & perpetrata dissimulare, & cùm conuicti fuerint, peccata per iniquam defensionem multiplicare. Iob 31. 33.

Sicuti iterum euenisse primis parentibus notauit S. Gregor. ibidem, dicens: *Cum Adam argueretur à Domino, qui de ligno vetito contigisset, illico respondit: Mulier quam dedisti mihi sociam, ipsa mihi dedit de ligno, & comedi. Ipsa quoque mulier inquisita, respondit: Serpens decepit me. Ad hoc requisiti fuerant, vt peccatum commissum confitendo delerent. vnde & serpens ille persuasor, qui non erat renocandus ad veniam, non est de culpa requisitus. Interrogatus itaque homo est, vbi esset vt perpetratam culpam resipiceret, & confiteretur; sed potius elegerunt adhibere sibi defensionis solatia, quàm remedia confessionis, cumque excusare peccatum voluit vir per mulierem, & mulier per serpentem, auxerant culpam, quam tueri conati sunt, obliquè Adam Dominum tangens, quòd ipse pecca-*

ti eorum author exiterit, qui mulierem fecit, & Eua culpam ad Dominum referens, qui serpentem in paradiso posuisset. Ita S.Gregor. Fortè dices nec Adam, neque Eua Dominum incusare voluerunt, sed tantùm excusare seipsos, atque adeo non sic culpam auxisse. Sit ita, nos quidem in confessione celando culpam augemus, quia eam in confessione aperire tenemur, & sacrilegium committit, qui in sacramentali confessione sic eam celat.

Et insuper hoc non est à Deo iudice culpam celare: sicut enim Adam ad folia arboris accurrens, non se potuit à Domino celare; sic neque is, qui sub verbis defensorijs, quasi sub quibusdam arborum foliis, se absondere conatur. Seipsum decepit Adam, *quia in hac occultatione*, ait S.Gregor. supra, *non se Domino, sed Dominum abscondit sibi, agit quippe ne omnia videntem ipse videat, non autem ne ipse videatur.* Ita ille.

Qui verò humiliter sua peccata manifestat in confessione, seipsum sub vmbra sanctæ confessionis abscondit, beatique quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Teguntur peccata, ne iam peccatori confitenti imputentur ad confessionem, & insuper remittuntur. Felix confessio, quæ sic tegit peccata, felix confusio, quæ æternam sic abolet confusionem.

Cap. 5. 16. Vnde S.Iacob. *Confitemini*, inquit, *alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini.* præmisit confessionem, & subdidit pro saluatione orationem: quia tunc oratio nostra ad salutem multùm proderit, cùm salutifera præcedit confessio.

Prou. 28. 13. Hinc etiam Salomon: *Qui abscondit scelera, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. non dirigetur*, inquit, Hebræa, *non prosperabitur, no medrara con eso.* ita, quia sic prouidere sibi, suoque honori forte se quis existimabit, cùm tamen confessio sit, quæ operit multitudinem peccatorum; celatio verò peccati, peccata eorum cœlo, & terra manifestabit, & insuper damnationis diuinæ causa erit, secundùm exigentiam delictorum.

Ps. 31. 2. Hinc *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.* quid sibi vult, *non imputauit peccatum?* S.Gregor. super hunc secundum Psalmum pœnitentialem: *Si nosipsos*, inquit, *dijudicaremus, non vtique iudicaremur: si nobis peccata nostra imputauerimus, non ea nobis imputabit Deus: si ea satisfaciendo punierimus, nullum qui nos in futuro puniat, inueniemus. Imputare sibi peccatum suum Adam nolunt, quando dixit: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. vnde quia confiteri renuit, mortifera damnationis sententiam ad posteros misit.* Ita S.Greg.

Noui quidem hoc non exiguam difficultatem habere: verecundantur enim homines peccata sua manifestare. vnde meritò Dauid in hoc suprà dicto Psalmo virum illum appellauit, qui sic peccata sua imputat sibi. *Beatus*, inquit, *vir cui non imputauit Dominus peccatum.* vbi S.Gregor. *Iudicare seipsum nemo poterit, nisi qui virilem animum ad vitia persequendum assumit; sicut per eundem* *Ps. 17. 38.* *Prophetam dicitur: Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant. Qui enim mollis est & dissolutus in opere suo, frater est operis sua dissipantis. ideo dixit: Beatus vir, quasi dicat, ad opus hoc nemo assurgere præualet, nisi qui sanctæ fortitudinis vires habet.* Ita S.Greg. Consideret igitur peccator, meliùs illi esse hîc coram vnico sacerdote Dei ministro (à quo absolutionem peccatorum debet obtinere) peccata sua sigillo confessionis sigillanda, manifestare, quàm in iudicio Dei coram omnibus Angelis & hominibus vniuersis, & in damnationem suam: melius denique est, sic erubescere quàm perire.

Notanda etiam sunt verba illa dicti Psalmi 32. *Nec est in spiritu eius dolus.* Quomodo, inquit, est dolus in spiritu eius? Sanctus Greg. ibidem. *Illi quidem peccatum non imputabitur, in cuius spiritu dolus mendacij non inuenitur, qui se iustum esse non simulat, qui ea etiam quæ occultè deliquit, non celat. In spiritu Publicani ad templum ascendentis, dolus non fuit, quia, dum illum, quem occulta non transeunt, placare voluit iudicem. Confitetur se non erubuit peccatorem: aut namque: Deus propitius esto mihi peccatori. magis ergo iustificatus descendit, quam qui se de meritorum enumeratione iactabat. Denique iustus in principio sermonis accusator est sui. in Pharisæi verò spiritu dolus fuit, qui magis videri, quam esse iustus optauit. Et nos ergo, huius Publicani exemplo, præconceptas facem iudicis huius in confessione, & effundamus coram illo corda nostra, vt, qui effugere manum iudicis non valemus per confessionem mandati clementiam experiamur mitissimum.* Ita ille.

Item ad rem subdit eodem Psalm. 31. Dauid. *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.* vbi eandem doctrinam prosequitur S.Gregor. dicens. *Cùm clamare, & tacere inter se repugnent, quomodo per ea testi, vt aliquis taceat, & clamet? sed ille tacet, & clamat, qui peccata sua silentio contegit; merita verò per vocem magnificationis extollit. Aut certè ille tacet, & clamat, qui peccata quidem præterita per confessionem non annunciat, & per eas impænitens alia committere, accepta peccandi libertate, non cessat. nam quod peccatum clamor sit, testatur Scriptura, quæ dicit: Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum venit ad me, & sic tota die clamat, qui publicè peccare non trepidat.* Ita S.Gregor. *Tacere igitur hîc est peccata non confiteri, de quo meritò ait:* quoniam tacui inueterauerunt omnia ossa mea. *Per ossa, inquit*, S.Gregor. *virtutes accipimus, quæ per eas, sicut corpus per ossa sustentamur: quæ tunc inueterantur, quando à statu suæ fortitudinis infirmantur. sicut enim morborum infestationes corporis ossa debilitant, ita vitiorum importunæ turbationes, animæ virtutes infirmant.* Ita ille. Ille autem, qui diu remanet sine gratia in peccato, debilitat vires, & vitia in anima roborantur. per confessionem autem gratia recuperatur, quâ mediante anima vires resumit ad bona opera patranda; & ita virtutes recuperat, & validior fit. vitam igitur & robur animæ per confessionem peccator resumit.

Optima autem comparatione idem S.Gregor. rem hanc expressit *hom. 40. in Euangelia*, dicens: *Quid est peccatorum confessio, nisi quadam vulnerum ruptio? quia peccatus virus salubriter aperitur in confessione, quod pestifere latebat in mente. Vulnera etenim cutis in superficiem trahunt humorē putredinis. Et peccata confitendo quid aliud agimus, nisi malum quod in nobis intus latebat, aperire?* Ita S. Greg. Sicut ergo mors est in vulnere, seu vlcere latente, vita verò in vlcere, ac putredine foras detracto, sic mors peccatoris in peccato interiùs retento; vita verò in eius expressione, ac confessione legitima consistit: prodeat igitur per confessionem virus latens, ô peccator, & viues.

Hinc Iob: *Vias meas in conspectu Dei arguam, & ipse erit Saluator meus.* vbi S. Greg. 11. Moral. 19. cùm Paulus Apostolus dicat: *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur, eo tunc Dominus saluator inuentur, quo nunc pro timore Dei peccatum nostrum à nobismetipsis redarguitur. Vnde electi quique culpis suis nunquam scimus parcere, vt possint culparum iudicem placatum inuenire. Et vere eum possumus inuenire Saluatorem credunt, quem districte modò iudicem metuunt: nam qui sibi nunc parcit in culpa, ei postmodum non parcitur in pœna. Dicit ergo:* Vias meas in conspectu eius arguam. *Quæ verò vtilitas de hac arguitione sequatur, adungit, & ipse erit Saluator meus.* Ita S.Gregor. *Si quieres de echo que Christo sea vuestro saluador, vaya delante la legitima confession de vuestros pecados.*

Item, *Simulatores, & callidi prouocant iram Dei, nec clamabunt, cùm vincti fuerint.* Verba sunt Eliu amici Iob, vbi S.Gregor. 26. Moral. 28. *Omnis iniquus, qui, cum iniquus sit, bonus videri appetit; in flagelli percussione deprehensus, fateri quòd iniquus sit, non erubescit; qui verò iniqua agens, humana de se iudicia sub specie sanctitatis intercepit, etiam cùm flagello percutitur, iniquum se prodere refugit, quia sanctus*

sanctus videri consuevit. Si autem aliquando grauiter coar- A
ctatur, tantum se vix superficietenus confitetur, quia interna
sua detegere veraci confessione confunditur. Quasi liberi verò
sumus, cùm nulla correptione castigamur, quasi autem vincitur,
cùm flagello percutiendis castigamur. vincti igitur tantò cla-
mamus altiùs, quantò in percussione positi peccata nostra vera-
ciùs confitemur, apud aures quippe Dei vox valida deuota con-
fessio nostra est. Quia ergo simulatores quosque cùm percussio-
nis flagella corripiunt, ad confessionem veram non perducunt:
cognosci enim peccatores refugiunt, quia sancti omnium opi-
nione ferebantur, quamuis duci se ad æterna supplicia non
ignorent, deprehensi in flagello, quia confessionem puram vel
afflicti exercere negligunt, quasi vincti clamare contemnunt:
bene ergo dicitur, neque clamabunt cùm vincti fuerint. S. Gre-
gor. Vbi radicem obserua malæ confessionis suprà tæ-
ctam, superbiam nempe : simulatores enim sanctitatis
superbi sunt, & hi peccatores se confiteri recusant : &
ideo etiam cùm à Deo flagellantur, vt resipiscant, &
pœnitentiam agant, peccata confiteri renuunt. Vide B
quàm pessimum vitium superbia sit.

Qualiter autem ad æternam gloriam acquirendam
necessaria sit confessio peccatorum, deducit idem S.
Gregor. hom. 16. in Ezechielem, in illa verba, *Mensus est*
vestibulum portæ octo cubitorum, & frontem eius duobus cubi-
tis, vestibulum autem portæ erat intrinsecus, &c. ait ergo. S.
Gregor. *Vir ille, cuius erat species quasi species æris, mensus*
est vestibulum portæ octo cubitorum, & frontem eius duobus
cubitis, vestibulum autem portæ erat intrinsecus. Quid ergo per
internum vestibulum, nisi æternæ vitæ latitudo signatur? quæ
modo inter angustias vitæ præsentis tam spe mente concipitur;
de qua per Psalmistam dicitur: Intrate portas eius in con-
fessione, atria eius in hymnis, confitemini illi. *cùm enim*
peccata nostra per lacrymas confitemur, angustæ vitæ portã in-
gredimur. Sed cum post hæc ad æternam vitam perducimur,
portæ nostræ atria in confessionum laudibus intramus, quia ibi
iam angustia non erit, cùm nos latitia æternæ solemnitatis as-
sumpserit. Propter confessionis enim nostræ angustiam veritas C
dicit: Intrate per angustam portam, *& cum se Psalmista*
recipi in latitudine gaudii æterna præsumpserat, dicebat: Sta-
tuisti in loco spacioso pedes meos. *Ad atrium ergo per*
portam tenditur, quia ad latitudinem solemnitatis pertingitur
ab angustia confessionis. Ita ille.

Abeat igitur omnis confitendi erubescentia, &, quia
nonnunquam aliqui confiteri erubuerunt, vel fortè
non ait planè, ac plenè confessi fuerunt, optimum con-
silium est generalem confessionem facere magna cum
exactione: res enim grauissima est : de salute quippe &
saluatione animæ negotium est.

At, inquies, arduum molestumque videtur hoc de
confessione præceptum. Meliùs profectò dixisses : Ma-
gnum, & eximium est hoc confessionis remedium, es-
setne difficile reo ad mortem damnato, peccata sua sa-
cerdoti confiteri, si ob id mortis sententia reuocanda
esset? imò coram omni populo illa facilè manifestaret,
si propterea pœnam illam mortis euaderet. Cùm igi-
tur ob secretam sacramentalem confessionem peccata D
Deus dimittat, & à morte sempiterna reus liberetur,
onúsne graue confessionem dices? onus quidem gra-
ue, sed onus immensi beneficij, & indicibilis misericor-
diæ. Etenim si solus Papa hanc dimittendi peccata fa-
cultatem haberet, omnes peccatores, quantumuis di-
stantes, nudis pedibus Romam adire deberent, & pu-
blicè, si opus esset, ei peccata manifestare, & pro eximio
beneficio id habere, dummodo remissionem peccato-
rum obtinerent; & tu grauе onus dices in confessionali
propè domum tuam existenti Confessario secretò pec-
ta confiteri? Verè postquam ad nos filius Dei è cœ-
lis descendit, misericordiâ Domini plena est terra:
abundant enim Confessarij, & non solùm facilè à pec-
catis absoluunt ad pœnitentiam accedentes, verùm
etiam, vt veniam accipere velint, rogant, *ruegan con el*
perdon.

Duas igitur hac in re commissiones attende, prima
est quam Pater Filio, secunda verò quam filius commisit
sacerdoti : vtraque autem fauorabilis valde peccatori.
prima quidem; nam Christus frater, & Saluator noster
est, quique pro nobis mori in cruce non recusauit, vt à
peccatis salui essemus; quomodo me non eadem ratio-
ne liberabit, qui ne damnarer sanguinem suum fudit,
vitamque profudit. Meritò proinde Psalmista orabat
Patrem: *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio* *Psal. 71.*
regis. Ille me iudicet, qui pro me moritur, ille sit meus *2.*
iudex, qui est meus Saluator.

Secunda quoque commissio fauorabilis valde extitit nobis; nam quòd Pater filio suo iudicium nostrum
contulerit, licèt pio Saluatori, rectissimo tamen, & di-
uini sui honoris zelatori; sed quod filius sacerdoti pec-
catori, sicuti ego sum, commiserit iudicium suum, mi-
randum & stupendum fuit, &, si humano more loqua-
mur, poterat Pater dicere filio: Quid est hoc quod feci-
sti fili mi? ego honorem meum & offensarum mearum
iudicium, & dimittendi peccata potestatẽ, quam neque
Angelus, neque Archangelus habet, imò nec Cheru-
bim, nec Seraphim, tibi commisi, tanquam filio meo; &
tu illam homini peccatori commisisti? tam facilè meas
remittis iniurias? Quid facturus est sacerdos peccator
cum peccatore, nisi quod velit secum fieri de peccatis
suis? O verè mirabilem Dei clementiam, quòd possit
homo purus hominem alium, quantumuis peccatis
onustum, absoluere, & à pœnis æternis liberare, & cœli
ianuas aperire, vt qui dignus erat æterno supplicio,
æternam gloriam adipiscatur. Benedictus Deus, qui de-
dit talem potestatem hominibus. Quid igitur confes-
sionem appellas onus? Sed quidem ita est, onus est, vt
dixi, & maximum, sed maximi beneficij & ineffabilis
obligationis, quod à quocumque sacerdote approbato
(abundat autem mundus huiusmodi Confessarijs) ab-
solui peccator queat.

Hinc colligere licet, quàm rationi consonum sit, fre-
quenter ad pœnitentiæ sacramentum accedere, quam-
uis sola peccata venialia interfint; quantò magis si mor-
talia. Non, inquis, teneor nisi semel in anno. Noui, sed
in tanto malo, quale quidem est peccatis inquinatum
esse, quid expectas præcepti obligationem? ad fugien-
dum infernum, & ad cœlum recuperandum, & ad pec-
catorum absolutionem expectas præcepti tempus? *li-*
brarte de tanto mal, y vocabrar tanto bien para luego ès tarde,
ad annum expectabo recuperationem gratiæ & meri-
torum gloriæ. pro lenonibus, & meretricibus sit præ-
ceptum huiusmodi, non pro me. Si maculam in facie
corporis contraxerim, nec pro vnius spatio horæ ferre
valeo; & fœditatem peccati, & perniciem eius in anima,
ad finem vsque totius anni sustinebo? vbi fides? vbi
sensus? vbi iudicium? quis tibi crastinum diem ad
pœnitentiam promisit? Promisit quidem Deus pœni-
tentibus veniam; tempus verò pœnitendi non promi-
sit. multi subitò defecerunt; quid si tu vnus sis ex illis,
cùm ex illis vnus esse merearis? *Nihil* (inquit S. Hie-
ronym. in regul) *homini vtilius, nihil salubrius, quàm vt*
statim post peccatum confessionis medelam non differat. Ita
ille.

At dices: Sufficit interim contritio cum proposito
confitendi, fateor, sed tamen non ita facilè reperies
contritionem, sicut attritionem, quæ cum sacramento
sufficit ad remissionem, & gratiam. Nunquid in vulne-
re, aut infirmitate corporali, non quæris securius reme-
dium? cur igitur non maior cura tibi est in animæ vul-
neribus, quę sunt ad mortem, & mortem sempiternam?
Relinque incertum, si sapis, ne aliquando sine fructu
pœniteas, &c.

Prop. XIV. *Bene confessus occasiones peccatorum imposterum vitare debet.*

Matth. 2. 12. Matth. 2. admoniti per Angelum Magi, *Ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverti sunt in regionem suam.* Nunquid non poterat Deus liberare seruos suos Magos de potestate Herodis, quamuis per eandem viam reuerterentur? poterat quidem tanquam Deus, sed mysticè voluit nos docere, qualiter recedens homo per pœnitentiam ab Herode infernali, debeat occasiones & vias illas effugere, per quas venerat ad illum. Ita S. Chrysost. in Imperf. hom. 2. dicens: *Qui enim à diabolo venit ad Deum, nunquam debet per viam illam ambulare, per quam ad diabolum venit: venisti per viam fornicationis, ambula de cætero per viam castitatis: venisti per viam auaritiæ, ambula de cætero per viam eleemosynarum: sit autem per eandem redieris viam, iterum sub regnum Herodis vadis, & eius proditor Christi.* Ita ille.

Ioan 5. 14. B *Ecce sanus factus es, iam noli amplius peccare, ne deteriùs aliquid tibi contingat:* sic Christus paralytico iuxta piscinam Ioan. 5. Sunt quidem multi, qui post confessionem & absolutionem suorum peccatorum, reincidunt in peccata; hi meritò timere possunt, ne deterius illis aliquid contingat, quàm quod ille infirmus patiebatur. Deus enim pro beneficio maximo absolutionis perse-

Leuit. 1. uerantiam in sua gratia posuit. Vnde in c. 1. Leuitici in sacrificio pro peccatis postulabat offerri sibi aliquod animal, non viuum quidem, sed mortuum: cur, quæso, mortuum exigebat, qui autor est vitæ, & non mortis?

S. Thom. S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 5. *Animalia illa in sacrificio oblata, occidebantur, vt per occisionem eorum significaretur destructio peccatorum, & quòd homines erant digni occisione pro peccatis suis, ac si illa animalia loco peccatorum occiderentur ad significandam expiationem peccatorum.* Ita S. Thom. Cùm ergo vicem peccatorum tunc haberent animalia illa occisa, quasi occisum esse peccatorem, quatenus peccatorem, existimabatur: quod autem moritur, in perpetuum moritur vsque ad mundi finem. Sic igitur post expiationem delicti, quasi ad nunquam ampliùs peccandum, offertur homo Deo, & speciatim, quia post remissionem iterum peccare est eximia in Deum ingratitudo: quia peccati remissio est maxima Dei misericordia: vnde maximam à peccatore gratitudinem requirit, & reincidentia maximum supplicium: sicut ille qui à peccato læsæ maiestatis absolutus, iterum in peccatum læsæ maiestatis cadit.

Hinc est quòd legitima Confessio debet esse cum firma determinatione, firmoque proposito nunquam ampliùs peccandi: qui enim citò post Confessionem relabitur in peccatum, videtur non habuisse propositum requisitum, iuxta illud prouerbium: *Cum inimico non statim quis redit in gratiam.* Timeo quidem in multis huiusmodi proposito deesse, & quòd sibi ipsis mentiantur, dicentes: *Propositum habeo nunquam ampliùs delinquendi.*

A ea videtur contegere. Alij denique distincte & diffuse peccata sua patefaciunt, sine dolore tamen saltem vel submissione, & hi quidem omnes dæmonium habent mutum, aut saltem balbum? *tienen demonio mudo o tartamudo.*

Eiusmodi etiam illi sunt, qui cùm magnis conscientiæ stimulis agitentur, animumque pluribus flagitiorum laqueis irretitum habeant, eoque indigeant confessario, qui doctrinâ prudentiâ, & consilio eorum animos tranquillos, placidosque reddat, ad ignarum, & imperitum accedunt, qui ipsorum voluntati parcat, neque audeat acerbis reprehensionibus vti, aut cum opus est, absolutionem denegare; quod quidem nobilibus, aut primarijs fœminis, ac viris eucnire solet, cum grauiora, & deteriora crimina Capellano suo (ignaro scilicet sacerdoti) aperiunt, leuiora autem delicta grauissimo, & religiosissimo viro confitentur, vt hac ratione sapientissimum confessarium habere se iactent. Et certè meritò eos cùm illis cõferã, qui cùm morbo maligno, doloréve lateris laborarent, imperitos & studiosos medicos consulerent, peritissimos verò, ac sapientissimos ad tussim vel grauedinem capitis curandam. Quæ omnia consilio dæmonis excogitantur, vt mutos homines reddat, quod magnum sanè & incredibile est malum.

C Cum diuinæ illæ mentes effundebant vasa diuinæ iræ, *Quintus Angelus*, ait Scriptura, *effudit phialam suam super sedem bestiæ* (id est ministros suos) *& factum est regnum eius tenebrosum, & commanducauerunt linguas suas præ dolore; & non egerunt pœnitentiam.* Ecce quàm sint inter se coniuncta, commanducare linguas, & non agere pœnitiam. Qui à dæmone muto vexantur, quique confessionis sacramentum nullo modo vel indigne, sumpsiunt, linguas suas comedunt, ne loquantur, cùm multùm illis loqui conueniret; ex quo consequitur vt pœnitentiam non agant, neque animi maculas eluant, sed illum potiùs nouo crimine, & sacrilegio polluant. O vos miseros, & infelices, qui cùm ineptè adeò multa loquamini, vt loquacem dæmonem videamini habere, in sacra verò confessione ita obmutescitis, vt iure à dæmonio muto vexari dicamini, verè phiala furoris Dei est super vos immissa.

Et verò ipse dæmon diligentissimè curat sic Confessionem impedire: scit enim ore ita concluso, se tutò in hominum animis versari, aditumque ad Deum illis intercludi, atque idcirco omnes inferorum incolæ pro viribus nituntur hunc aditum præmunire, & linguas obmutescentes facere, ne per Confessionem crimina manifestentur, ac simul ipsi ab animis deturbentur. è contrà verò Spiritus sanctus id præcipuè hominibus suadet, nimirum vt apertè peccata sua confessarijs patefaciant, propterea quòd eorum salus, vel ex hoc maximè pendeat Deo (inquit Deus per Esaiam secundùm translationem LXX.) Dic tu iniquitates tuas primus, vt iustificeris. Iustificatio igitur est effectus Confessionis, quæ quidem animum plurimis etiam peccatis coinquinatum expurgat, & Deo gratum, atque amicum reddit, eique ius ad beatitudinem, quod per peccatum amissum fuerat, tribuit. Si autem cogitationem comprehenderemus, quantum sit huiusmodi bonum, non dubito quin ad sacram Confessionem frequenter accederemus.

Prop. XV. *Confessionem debitam impedire diabolus conatur.*

DVo præcipuè humani generis hostis à nobis obtinere nititur, primum, vt plura scelera perpetremus, deinde vt nunquam ea per confessionem eluamus, vel saltem non ritè expiemus, ij verò qui ita se gerunt, dæmonijum mutum habere dicendi sunt. Ille igitur ab hoc dæmone vexatur, qui præ pudore ac verecundia mortiferum aliquod peccatum silentio in Confessione dissimulat, vel præ incuria & negligentia, qua animum suum discussit, illud non confitetur. Aut si omnia flagitia confessario aperiat, non tamen sigillatim, sed confusè, & quodam quasi fuco & velamento

Psal. 50. Nouerat hoc regius ille Vates, cùm ait: *Dixi, confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Ecce vobis Confessionis effectus, remissio scilicet impietatis. Perpendite verba illa: *Dixi, confitebor, nondum confitetur,* (inquit S. Augustinus) *sed promittit confessurum, & ille iam dimittit. Attendite fratres, dixi, confitebor, non dixi, confessus sum. & tu dimisisti: confessio mea ad vocem nondum venerat, sed Deus audiuit vocem cordis mei.* Hæc ille. Ex quo pœnitentiæ vis satis perspicitur, cùm propter dolorem solum susceptæ culpæ, &c.

pæ, & animum eam confitendi, ante ipsam confessionem illa remittitur.

Quod in filio prodigo videtur etiam expressum, ille de flagitijs suis vehementer dolens, decreuit ea coram patre suo fateri, qui obuiam ei procedens, antequam ipse se accusaret, liberalissimè illi crimina condonauit, & pientissimè, ac clementissimè indulsit.

Hinc Dei misericordiam, pœnitentiæque virtutem egregiè expendit. B. Chryf. Hom. 20. in Gen. explicans illa Esaiæ verba, quæ paulò altiùs attulimus, in hunc modum: *O misericordiæ magnitudinem! ô bonitatis excellentiam! qui peccauit, quando confitetur peccata, & veniam accipit, & repentè iustus apparet. vbi istis iudicis misericordiam? in humanis quidem iudicijs, si quis hoc feceret, & ante accusationem facinora confiteretur, apud humanum iudicem in sententiam capitalem omnino in suum caput accerseret, at misericordis Dei, & animarum nostrarum medici tanta est, tamque ineffabilis bonitas, & clementia, vt omnem etiam rationem transcendat. Nam si aduersarium nostrum præuenimus (diabolum dico) qui in die illo ob faciem nostram stabit, & iam in præsenti vita, antequam ad tribunal ingrediamur, facinora fuerimus confessi, in tantam misericordiam prouocabimus Dominum, vt non solùm nobis donet liberari à peccatis, sed & in iustorum catalogo numerari.* Hactenus Chrysostomus.

Et quidem nulla maior laus de pœnitentia prædicari, neque peccator maius beneficium accipere potest, quàm hoc quod ei virtute pœnitentiæ confertur, eo enim animus humores sibi nociuos euomit, acerbissimis conscientiæ stimulis liberatur, perfectam sanitatem adipiscitur, & à mortuis ad vitam reuocatur. Quid plura? sententiam pro se in re grauissima impetrat, fructus Dominicæ passionis percipit, Christi Domini merita participat, illius membrum peculiari quadam ratione efficitur, & ab illo denique omnium flagitiorum veniam assequitur, cum eoque redit in gratiam, & amicitiam. O miram sacræ Confessionis vim, atque potentiam! ô singularem huius sacramenti virtutem! Ad quod religiosè accipiendum illa Dauidis verba vobis ob oculos propono: *Præoccupemus*, inquit, *faciem eius in confessione.* Quæ quidem explicantur à D. Augustino *in Psal.* 94. & Cassiod. *ibid.* non modò de ea confessione, quæ in diuinis laudibus sita est, verumetiam de illa quæ in aperiendis confessario peccatis adhibetur. *Est confessio laudantis* (inquit Augustinus) *est confessio gementis. Confessio laudantis ad honorem pertinet eius qui laudatur; confessio gementis ad pœnitentiam pertinet eius qui confitetur. Confitentur enim homines cum laudant Deum, confitentur cum accusant se, & nihil dignius facit lingua. Quid igitur est, præueniamus eum in confessione? venturus est, præueniamus eum in confessione, antequam veniat: nos confitendo damnemus, quod fecimus, vt ille quod coronet inueniat, & non quod damnet. Præueniamus ergo faciem eius in confessione.* Hæc Augustinus. Cuius verba, si placet, aliquantulum expendamus. Quid sibi vult, *præueniamus?* Deus quidem operum nostrorum iudex est, nostraque peccata diiudicat, sed anteuertere illum possumus, & quodammodo illius consilia præripere, idque fiet si nos ipsi, priusquam ille, de nobis sententiam feramus, nosque condemnemus, antequam à Deo damnemur. Quod B. Paulus asserit, *Si nosmetipsos*, ait, *iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Quam pœnitentiæ vim si attentè homines cogitarent, nullus sanè pateretur se à dæmonio muto vexari. Recte illam animo conceperat Vates sanctissimus, cùm aiebat: *Feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me.* Ipse quidem fuorum scelerum iudex, reus, accusator ac punitor extitit, &, vt ita dicam, in foro pœnitentiæ fecit de se iudicium, & iustitiam; iudicium cum iudicauit se dignum morte, iniquitatem enim suam ipse cognouit, & peccatum suum contra se semper; iustitiam verò fecit tunc, cum dolori, & lacrymis se dedit. *Exitus* namque *aquarum deduxerût oculi eius, quia non custodierunt legem Domini.* Tum etiam quia grauissi-

A mum de se supplicium sumpsit, & voluntaria corporis castigatione animi malum deluit: ita enim se ieiuniis, atque iedià macerabat, vt dixerit: *Genua mea infirmata sunt à ieiunio.* Item, *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Hinc ausus est à Deo optimo maximo petere, vt misericordiam sibi præstaret, flagitiorum veniam impertiretur, & ipsum à dæmonibus eriperet, hos enim in eo Psalmo calumniantes se vocat, vt exponit D. Ambr. & August. *ibid.* dicit ergo Dauid *fecì iudicium, & iustitiam*, non tradas me calumniantibus me. Quasi diceret: noui præstantiam tuam, liberalemque naturam, quæ nullas pœnas repetit ab eo, neque in illum vindicem, & vltorem se præbet, qui sui scelleris pœnas dedit, & de se vindictam ac supplicium sumpsit. At graue, molestum, ac difficile esse dices hominem seipsum pœnitentia, carnisque maceratione affligere, & in se vehementer animaduertere: verùm nullum consilium excogitari poterit aptius ad punitionem peccatorum, diuinæque iniuriæ recompensationem, quàm hoc, quod in pœnitentia elucet. De qua re luculenter loquitur B. Chrysostomus hom. 20. in Gen. *Num*, inquit, *opes hic aliquæ sunt expendendæ? Num via prolixa eunda est? num dolores & cruciatus affert medicina hæc? Absque sumptu & cruciatu est pharmacum istud, qui vult sanari ad sanitatem suam redire, & animæ vlcera curare, respiciens medicum adeat. Non grave aliquod à nobis requiritur, contritionem velit cordis, compunctionem mentis, confessionem ruinæ, fœditatem in posterum, & non solùm largitur vulnerum curam, sed & eum, qui antea innumeris peccatis grauabatur, effecit iustum. O misericordiæ magnitudinem!* Ita ille. Alludit hoc in loco Chrysostomus ad id, quod in valetudine recuperanda euenire solet. Si enim quis propter immoderatas comessationes in grauem morbum incideret, & quamprimum illum medicus conueniret, integram ei valetudinem reipsa polliceretur, ea conditione, vt ipse æger suæ ægritudinis causam aperiret, de eaque doleret, nonne ille libenter suæ infirmitatis causam medico patefaceret, eique planè diceret: hæc vel illa die immoderato cibo, nimioque potu vsus sum, sed sanè pœnitet me fecisse hoc, & in posterum respiscam. Quòd si hoc dumtaxat ab ægroto præsito ex morbo omnino recrearetur, & bona commodaque valetudine vteretur, videretúrne huiusmodi curatio grauis? aut molesta? Minimè quidem: molestius enim, & acerbius esset, amaram potionem iterum, atque iterum sumere, venarum scissiones sæpenumero pati, aliaque huiusmodi fastidiosè perferre, & tandem diuturno morbo tabescere. sic etiam haud grauis, vel difficilis videri debet ea curatio, quæ animis mortifero ac periculoso morbo confectis in sacramento confessionis adhibetur, cum propter confessionem oris, ac dolorem cordis, & benignam satisfactionem æternos corporis, animique cruciatus declinemus.

PROP. XVI. *Quàm graue malum sit confessio mala.*

PLinius lib. 21. cap. 13. Cicutam ait lethale venenum esse, & eapropter Athenienses olim damnatis ad mortem eam tribuere solitos esse. *Cicuta* (inquit) *venenum est publica Athenensium pœna incussa, & subdit; remedio autem est, priusquam perueniatur ad vitalia, vini naturam excalefactoria, sed in vino pota irremediabilis est.* Ita ille. Vbi nota, *quæ en el remedio el damno es vn dano sin remedio*; si ergo in remedio ipso damnum interuenit, fiet sine remedio damnum. Est quidem confessio, est & communio nostrorum malorum antidotum, *es la contrayerua de nuestra perdicion*: si ergo in confessione vel communione culpæ damnum misceatur, fiet immedicabile damnum, &c.

Plinius. Simile.

PROP. XVII. *Contra eos qui confiteri erubescunt.*

SAnct. Bernard. in sententijs. *Quosdam impedit confiteri pudor, qui scilicet pro sola confusione dicere peccata erubescunt, quæ commiserunt. de quo per Salomonem dicitur:*
Eccl. 4 Est confusio adducens peccatum, *& contra de his qui confitentur iterum dicit, &* confusio adducens gloriam. *Quos etiam commendat propheta, dicens:* Confessionem & decorem induisti. *Dicatur ergo illi, quem affect pudor: Cur te pudet peccatum tuum dicere, quem facere non puduit? aut cur erubescis Deo confiteri, cuius oculis non potes abscondi.? Quod si forte pudor est tibi vni hominj, & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die iudicij, vbi omnibus exposita conscientia tua patebit? Hæc itaque tria proponenda sunt contra pudorem, scilicet consideratio reddendæ rationis, reuerentia immensi Dei, & comparatio maioris confusionis.* Ita S. Bernard.

Luc. 11. 14. *Erat Iesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum, &c.* B Ille præcipuè dæmonium mutum habere dicendus est, qui verecundiâ impeditus, peccatum aliquod, vel grauem illius circumstantiam, silentio in confessione tegit. Quod quidem aliquando ab innato hominis pudore proficiscitur, qui, sicut naturaliter studiosus est honoris, ita etiam & peccati pudore afficitur. Quocirca inter ea, quæ sanctissimus Iob, sui rationem reddens, opposuit, illud quidem fuit, *Si abscondi, quasi homo, peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam. Quasi homo*, ait, id est, vt exponit D. Thomas, sicut homines facere solent, peccatum indebitè negando, vel excusando, vel aliquibus astutijs palliando. Videmur igitur quasi accepisse hoc vitium à primo omnium parente, qui celauit peccatum suum. Quapropter explicans beatus Gregorius eadem verba, *Quasi homo*, inquit, *quia conspicit esse hominis proprium, quod ex parentis veteris imitatione descendit. Itaque in occultandis, celandisque peccatis primorum parentum similitudinem gerimus. Cum enim illi scelcris arguerentur, eò quòd præceptum sibi inditum violassent, attulerunt illi co excusationem, vt peccatum suum aliquo modo celarent. Adhoc requisiti erant* (inquit idem Gregorius ibidem,) *parentes a Domino, vt peccatum confitendo deleretur. Vnde & Serpens ille persuasor, qui non erat reuocandus ad veniam, non est de culpa requisitus. Sed adhibere fibimet vtique defensionis solatia, magis quam confessionis elegerunt. Vir enim respondit:* Mulier, quam dedisti mihi sociam, ipsa dedit mihi de ligno, & comedi. *Ipsa quoque mulier inquisita respondit, decens:* Serpens decepit me, & comedi. *Obliquæ Adam Dominum tangens, quòd ipse peccati eorum author extiterit, qui mulierem fecerit, & Euæ culpam ad Dominum referens, qui serpentem in paradiso posuisset.* Hæc ille. Nonne animaduertitis, quàm efficaciter excusationem susceperint, cùm ad eam meliùs reddendam, non dubitauerint Deum ipsum accusare? Hoc igitur vitium à primis parentibus quasi iure hæreditario accepimus, vt scilicet nullo pudore impediamur, quominùs flagitia perpetremus, ea tamen præ verecundia in sacra Confessione tegamus. Hanc ergo culpam cuitauit sanctus Iob, dicens: *Non abscondi peccatum meum, quasi homo, nec celaui in sinu meo iniquitatem meam.* id est, in mente mea, vt exponit Gregorius. Notatque diuus Hieronymus sanctissimum Iob, non solùm aperuisse exteriora peccata, sed etiam interiora, & quæ nulli hominum patere poterant: secus autem homines se habent, quibus quasi institum est à natura corrupta, vt multis simulationis inuolueris flagitia sua tegant.

Iob 31. 33

A cata sua occultat Confessario, à dæmonio mutuo rexari dicitur, & qui ab hoc morbo curatur, dæmonio muto dicitur liberari.

Dices, tui honoris iacturam fieri si palam tua scelera manifestes, idcoque maximè te verecundiâ impediri, quominùs illa patefacias. At immeritò hunc tibi timorem affert tuus pudor, cùm in ita arctissimo Confessionis sigillo tuum animum aperias. vt maximum quoddam sacrilegium, pœnasque grauissimas subeat Confessarius, qui peccata in Confessione audita aliqua ratione diuulgauerit, vel de illis sermonem, etiam cum pœnitente ipso, habuerit. Nihil sanè tuo honori detrahitur, cùm homini, Dei vicem gerenti, multorumque scelerum auditori, flagitia tua enuncias, sed potiùs magna tibi fit tuæ gloriæ, tuique honoris accessio: illa autem confessio ruborem, ac dedecus affert, in qua homo tanti quadam laude de peccato suo gloriatur; hæc vero, in qua seipsum accusat, atque increpat, decus maximum, gloriamque parit.

Eccl. 4. 26. C

Quod planè asseruit Ecclesiasticus: *In anima tua ne confundaris dicere verum: est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam, & gratiam.* Sed quonam sit hoc confusionis discrimen, egregiè explicat D. Bernard. ad Milites templ. c. 12. in hunc modum: *Bonus pudor est, quo peccasse, aut certe peccare confunderis, & omnino licet humanus arbiter absit, dumtum tanquam humanum, tanto verecundius reuereris aspectum, quanto & verius Deum, quàm hominem cogitas putiorem. Huiusmodi procul dubio pudor sanguf opprobrium, parat gloriam, si tamen gloria hæc nostra est testimonium conscientiæ nostræ. Quod si quispiam confiteri confunditur, tale pudor peccatum adducit, & gloriam de conscientia perdit, quando malum, quod ex profundo cordis dolor conatur expellere, pudor ineptus (obstruso laborum vitio non permittit exire.* Huc vsque Bernardus. Qui quidem peccatorum Confessionem gloriosam esse asserit: eâ enim anima multum sibi decoris, ac hilaritatis adiungit, & ad maximam conscientiæ tranquillitatem adducit, quæ beatorum gaudium, gloriam & tranquillitatem quodammodo imitatur.

D

Verùm non modò eam gloriam affert huiusmodi Confessio, neque de illa solùm loquitur Ecclesiasticus, cùm ait: *Est confusio adducens gloriam*, sed etiam de illa, quæ tam pœnitenti, quàm ipsi Deo ex Confessione defertur. Pœnitenti quidem, eò quòd illa animi submissione, quâ seipsum apud Cõfessarium grauiter accusat, se vincit, & gloriosam victoriam de suis cupiditatibus reportat: Deo item est Confessio hæc honorifica. Quocirca rationem reddens B. Augustinus *super Psalm.* 94. cur in sacris litteris diuina laus dicatur confessio, *Sicut dicitur illa, quâ peccata expiantur*, inquit. *Nunquid autem & hoc non pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua? imò verò maximè pertinet ad laudem Dei, quia tanto amplius laudatur medicus, quantò plus desperat ægrotus, & tanto maior est laus ignoscentis, quantò est exaggerato peccata confitentis: cùm peccata nostra cognoscimus, Dei gloriam commendamus.* Hæc ille. Illustrior igitur præpotentis Dei gloria redditur ex hominum Confessione, tum quia in ea mira illius clementia in peccatis condonandis elucet; tum etiam quoniam homines ipsius causâ seipsos abijciunt, & ad Confessariorum pedes iacentes, pudorem, multasque difficultates Deo placendi gratiâ vincunt, ac superant.

Quamobrem cùm dux ille strenuus ac sanctus, Iosue hortaretur Achan, qui inuito Domino aliqua subripuerat de anathemate Iericho, vt furta sua manifestaret, sic eum admonuit: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas.* Ecce quo pacto ex confessione peccatorum aliqua gloria immortali Deo afferatur. Ios. 7. b.

Neque verò apud Sacerdotem aliquam honoris iacturam facit ille, qui ei syncerè confitetur; quin potiùs hac viâ multum sibi gloriæ & dignitatis adiungit: est enim

enim studiosi, & magnanimi viri planè sua crimina fateri, eaque sine vllis tegumentis Sacerdoti detegere, qui idcirco præclaram de pœnitente opinionem concipit, & honorem ei tribuit, vt pote Dei filio, eaque virtute prædito, quæ ad illum pudorem superandum requirebatur. Est ergo dæmonis stratagema, verecundiam, & terrorem hominibus incutere, ne in sacra Cõfessione animum omnino aperiant, cùm aliquoqui ex illa multum illorum honori addatur. An aliquâ maculâ affecta est Dauidis gloria, cùm à Nathan increpatione quadam monitus, dixit: *Peccaui?* Num Publicano aliquid de suo honore detractum est, cùm ille templum ingressus, sui se scelleris arguens, percutiebat pectus suum, dicens: *Propitius esto mihi peccatori?* Sanè Pharisæus fuit cuius dignitas imminuta est, eò quòd superbiâ elatus peccata sua occultabat, & virtutes, si quas habebat, inaniter ostentabat. *Non sum* (inquit) *sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* culpam à se Pharisæus amouet, suamque vitam laudat, publicanoque crimina obijcit. Atque hic ea ratione honorem amisit, neque gloriam suam illustriorem reddidit, imò, vt sacra refert historia, *descendit hic iustificatus in domum suam ab illo*, ex eo videlicet, quòd sua ille crimina confessus est. Quid denique bonus ille latro perdidit, cùm in crucem actus, se planè culpæ participem ostendit, dicens: *Nos digna factis recipimus.* omnes quidem eiusmodi confessiones honorem potiùs quàm ignominiam pepererunt.

Tunc autem peccati confessio ac manifestatio ignominiosa erit, cùm in seuerissimo, & pertinescendo summi Dei iudicio omnia flagitiosorum hominum crimina illis obijcientur. Quanto illi rubore, ac verecundia suffundentur, cùm occultissima etiam ac turpissima eorum flagitia publicè, & coram omnium conspectu, ipsis beatis diuinisque mentibus spectantibus, diuulgabûtur! Quòd si culpas in abditissimo sacræ Cõfessionis arcano, vnico dumtaxat Sacerdoti aperire erubescimus, & aliquando præ pudore eas silentio dissimulamus, etiamsi id in maximum nostræ salutis detrimentum vergat, quantâ afficiemur verecundiâ, cùm eas in omnium hominum, atque Angelorum oculis proferre cogemur? Hoc ergo rubore, ac dedecore liberantur hi, qui ritè sua crimina per Confessionem expiant: in ea enim illa manifestantur, vt plus occultentur, & sempiterna obliuione obruantur. *Beati*, inquit regius Vates, *quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.* Non dixit Propheta: Beati quorum nullæ sunt iniquitates commissæ, sed *remissæ*, neque. Beatus vir, qui nunquam peccauit, (licèt is beatissimus dici posset) sed *cui non imputauit Dominus peccatum.* Remissio igitur, &, vt ita dicam, occultatio, & non imputatio peccatorum, sunt sacræ Confessionis effectus.

Aderit quidem sanctissima Magdalena ad maximi Dei iudicium, & illius turpitudines omnibus innotescent, nullam tamen ei ignominiam afferent, eò quòd per pœnitentiam obliteratæ sunt. Quemadmodum si aureus annulus confringatur, & in ea parte, quâ perfractus est, fulgentissimum pyropum includas, vel eam pretiosissimo aliquo adamante ornes, nullam quidem deformitatem habet annulus, sed potius à pyropo, vel adamante inclusa mirum in modum decoratur. Sic etiam Magdalenæ turpitudines, boni latronis furta, ac latrocinia, nullâ illos ignominiâ, aut turpitudine afficient: ea enim venustius per pœnitentiam instaurata sunt.

Ecce igitur, quantò satius est, peccata apud vnicum dumtaxat Sacerdotem dicere, quàm in omnium oculis eadem proferre; quàm sit magis erubescendum à dæmonibus palam accusari, quàm à te ipso, remotis arbitris, argui: ac denique quantò grauiùs malum sit tunc ignominiâ affici sine vlla prorsus vtilitate, & æternis deinde supplicijs addici, quàm nunc submissè ad confessionem accedere, vt inde æternam animo beatitudinem comparemus.

Tandem ad deuincendum hunc pudorem, quo deterremur, ne perpetrata crimina in Confessionis sacramento aperiamus, memoriâ recolenda est Seruatoris nostri submissio, quâ se improbum, ac peccatorem haberi passus est, vt nos ab improbitate peccatisque liberaret. Et, vt præteream illa, quæ in illum à suis inimicis fictè & calumniosè conijciebantur, & ipse patienter tulit, audiamus obsecro D. Bernardum, qui egregiè de Christi Domini circumcisione agens, illud in ea præcipuè expendit, quo nimirum pacto illam subire non recusauerit cùm illi duntaxat circumciderentur qui peccati macula inquinati erant. *Christus*, inquit, *Dominus, nec vestigium vllum vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris. Non sic impy, non sic agit peruersitas elationis humanæ: erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus etiam interdum gloriamur. Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium, & verecundiam pariter, & austerum, sine vlla necessitate suscepit. Nec repulit cultrum lapideum, in quo solo vetus illa rubigo, quæ raderetur, non fuit. Nos è contra inuerecundi, & ad obscœnitatem culpæ erubescimus agere pœnitentiam, quod extremæ dementiæ est. malè proni in vulnera, pestis in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari, nos & esse volumus, & nolumus æstimari. Itáne sano opus est medicinâ, & non malè habentibus? imò verò. Itáne eget medicamine non æger, sed medicus?* Hactenus Bern. Si ergo tuæ salutis causâ passus est humani generis vindex, qui ab omni culpa longè abest, peccator, & culpæ particeps publicè haberi; quid mirum te pro te tuaque salute flagitia, quæ reuera commisisti, secretò prodere?

Huiusmodi ergo verecundiam, quæ æternæ damnationis causa est, à te abijcere nec patiare per Deum immortalem te à dæmonio muto tamdiu premi, ad sacram Confessionem accede, & in ea omnia tua scelera planè & sine vllis tegumentis manifesta; alios verò nequaquam accuses. *Confitebor aduersùs me*, dixit regius Vates, non aduersùs alios. Aduersùs te confitere iniustitiâ tuam Domino, & ipse remittet illico peccata, donabit gratiam, & gloriam etiâ ac beatitudinem reddet.

Tertullianus libr. de Pœnitent. cap. 10. *Plerosque de die in diem confessionem differre præsumo, pudoris magis memores, quàm salutis. An melius est damnatum latere, quàm palam absolui.* Ita ille.

Et S. Bernard. epist. 185. *O verecundia expers rationis, inimica salutis, totius honoris ignara, & honestatis! Hæc planè illa, quam loquitur Sapiens,* confusio adducens peccatum. *O peruersitas! non pudet iniquitatis, & ablui pudet.* Est pudor *iuxta Sapientem,* adducens gloriam, *si videlicet peccare pudeat: secundum tenent beatitudinis locum,* quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. *Honorabile tegumentum, de quo legitur:* Confessio & puchritudo in conspectu eius, ita S. Bern.

Et S. Greg. in expositione secundi Psalmi pœnitentialis, ad ea verba, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Si tegit,* inquit, *infirmus vulnera, quomodo illi à medico adhibetur medicina? Nonne si celare vulnus caperit, latiùs extensum introrsum putrescit? Sic & peccatum, nisi per confessionem detegatur, lethaliter in animis dilatatur: & sicut vulnus non ostensum, etiam sanam carnem putredine inficit; ita peccatum, nisi confitendo reueletur, etiam quæ ibi sunt bona, corrumpit. Tegit medicus vulnus sananda medicamine, charitate. Si quis ergo peccata sua tecta esse desiderat, illa per vocem confessionis ostendat.*

Et S. Augustin. in Psal. 31. agens de Pharisæo & Publicano, qui ascenderant in templum orare. *Habebat*, inquit, *Pharisæus peccata, sed peruersus, & nesciens quò venisset, erat, tanquam in stratione medici curandus, & sana membra ostendebat, vulnera tegebat. Deus tegat vulnera tua, nõ tu*

Serm. 1. de circumcisio.

Psal. 31. 5.

nam si tu egere volueris erubescens, medicus non curabit. me-
dicus tegat, & curet : sub tegmine enim medici sana-
tur vulnus, tu autem cui cel.is ? ei qui nouit omnia. Ita S. Au-
gust.

Iuuant autem plurimùm Confessarij interrogatio-
nes, vt obstetricante manu eius educatur coluber tor-
tuosus. Meritò proinde Glossa *super cap. 2. Iosue*, com-
parat Confessarios exploratoribus Terræ promissio-
nis, qui ingressi fuerunt domum Raab meretricis : ex-
ploratores enim sunt Confessarij, & domum Raab, id
est, domum & conscientiam peccatoris ingredi debent,
& explorare conscientiam huiusmodi, & ita alicere
pœnitentem, vt prorsus tollat ineptam verecundiam à
corde, & ore eius, & doceat eum, quantò maior vere-
cundia futura sit in die mortis suæ coram vniuerso cœ-
lo, & in die iudicij coram vniuerso mundo, cùm scili-
cet peccata sua non confessa palam omnibus ostenden-
tur. si verò confessa fuerint, etiamsi ibi ostendantur,
non erit ad ruborem, sed ad honorem pœnitentiæ
suæ, sicut cùm super fracturam annuli aurei gemma op-
ponitur pretiosa : tunc enim fractura non habet fœdi-
tatem, sed pulchritudinem, ratione superpositæ gem-
mæ. Sic anima nostra aurea est, fractura & fœditas ma-
gna est peccatum mortale, sed confessio gemma pretio-
sa est : illa tegitur, condecoratur fractura, & à toto cœ-
lo pœnitens ob confessionem suam laudatur. Vide S.
Greg. *Mor.* 18. & 19.

Chrysost. Sanct. Chrysost. hom. 41. ad pop. eos reprehendens,
qui peccata post tergum proijcientes, confiteri ea renuunt, sic
scribit : Si nunc peccatorum tuorum fueris memor, & ea cón-
tinuò Deo proferas, & pro ipsis depreceris, ea citò delebis : si
nunc verò fueris oblitus, tunc & inuitus coram omni mundo
eorum commonefies, ipsis in medio se ferentibus & coram om-
nibus ostentantibus, & amicis, & inimicis, & Angelis : non enim
2. *Reg.* 12. *ad solum Dauid dicebat*, Quæ tu fecisti occultè, ego fa-
12. ciam omnibus manifesta, *verum & ad nos omnes. Timuisti*
homines (inquit) & veritus es plusquam Deum, & videntem
non curasti, propterea coram ipsis pœnas lues : redarguam enim
te, sub omnium oculis tua peccata ponens. Ita erit & in illo
die, cunctorum peccata, quæ non fuerint deleta, propalabuntur:
aut enim : Essurias, & non dedistis mihi manducare. Vbi dicun-
tur ista ? nunquid in abscondito ? nunquid in angulo ? nequa-
quam ; sed quando ? cùm venerit filius hominis in gloria sua,
& omnes gentes congregauerit, cùm separauerit hos, & illos,
tunc omnibus dicet audientibus, à dextris, & à sinistris consti-
Matt. 25 *tutis* : Esuriui & non dedistis mihi manducare. *Vide rur-*
42. *sus & quinque virgines audentes coram omnibus sibi dici:*
Nescio vos, *& qui abscondit talentum, auditus coram omni-*
bus, qui quinque, & qui duo talenta protulerunt : Serue ne-
quam, &c. Ita S. Chrysost.

Iob 7. 11. Iob 7. postquam sanctus Iob multa de malorum
malis dixit, subdit : *Quapropter ego non parcam ori meo.*
Quid est, *non parcam ori meo ?* Supponendum est ad in-
telligentiam loci huius, quòd præ verecundia ita non-
nulli confiteri grauentur, vt eorum ora veluti occlu-
di, & claudi videantur, vt laborem maximum oris re-
putent peccata proferre; ait ergo S. Iob : Tot tantaque
sunt peccatorum damna, vt quamuis in confessione
peccatorum difficultatem, & laborem patiar, non ta-
men ori meo parcam. Sic interpretatur locum S. Gre-
S. Greg. gor. 8. Moral. 10. dicens : *Ori etenim suo non parcit, qui*
confiteri malum quod fecit, non erubescit ; in laborem quippe os
mittere, est hoc ad peccatorum confessionem occupare : iustus
ergo ori suo non parcit, quia iram districti iudicis præueniens,
verbis contra se confessionis sæuit. Vnde scriptum est, Iustus in
Prou. 18. *principio accusator est sui.* Ita ille. Quamuis enim iustus
17. à peccatis mortalibus caueat, timens ne quæ leuia sunt
apud homines, grauiora siut apud Deum; vel ne pro eo
quod in anteriori vita negligenter commisit, non ple-
nè satisfecerit; vel quia pœnas leuiorum peccatorum
timet, & ipsa leuia peccata non leuiter abhorret, ori
suo non parcit. nouit enim, quod Prouerbior. 28. scri-

ptum est, *Qui abscondit scelera sua non dirigetur : qui autem*
confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur.
Pondera verbum, *qui reliquerit ea*, non satis fuit Salo-
moni dicere, *qui fuerit ea confessus*, sed, *reliquerit ea*. Sunt
enim nonnulli, qui confitentur peccata, sed fallentes se-
ipsos, non relinquunt illa, quia proposito firmo carent
nunquam amplius peccandi.

Prop. XVIII. *Eligendus est optimus & sanctus Confessarius.*

Svnt nonnulli qui optimos quærant Confessario,
sed passim eos mutant : nullus enim illis placet,
nunc hunc, nunc illum adeunt, nullibi quiescunt, &
suæ mutabilitatis causam Confessarijs tribuunt, cùm
tamen, non in Confessarijs, sed in seipsis verè ratio con-
sistat. Sicut qui intrantes in mare nauseam patiuntur,
scaphas mutant, nunc in hanc, nunc in illam intrantes:
existimant enim scaphas in causa esse, cùm verè stoma-
chi malitia, seu malorum humorum prauitas causa sit;
sic peccatoris huiusmodi nauseæ, & afflictionis, non
Confessarij, qui quæ illi expediunt consulunt ei, sed
malitia cordis eius est potissima seu totalis ratio.

S. August. de sua agens conuersione in suis Confes-
sionibus, dicebat : *Amans beatam vitam, timebam eam in*
sede sua. Ita ille. Sedem beatæ vitæ virtutem appella-
bat quia beata & sancta vita in virtute consistit. desi-
derabat quidem iam beatè viuere, tam in sæculo futu-
ro, quàm in præsenti, sed quia cor eius nondum erat à
mundanis affectibus purgatum, & virtus illos à corde
semper excludit, ideo virtutem refugiebat. Sic hi quos
varios adeunt Confessarios, beatè viuere optant, salua-
ri cupiunt, sed quia Confessarij timoratæ conscientiæ
eos studiosè ac sanctè viuere monent, Confessarios ti-
ment, & fugiunt, quærentes aliquem, qui & eos beatè
viuere doceat, vt tamen sæculo ipsi, & mundanis mori-
bus non renuncient, &c.

Quærendus est sapiens sanctusque Confessarius, qui
rectè examinare conscientiam, & de illa valeat iudica-
re : non enim ad hoc idoneus quisuis est, tum ob rei mo-
mentum, tum ob conscientiæ cordisque humani pro-
funditatem : quæ quanta sit mirè explicauit Salomon,
dicens : *Quemadmodum in aquis resplendet vultus prospicien-* Prou.
tium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. Variæ 27.
sunt loci huius explicationes. Quæ magis ad rem face-
re videtur, hæc est. Eo modo cognoscitur cor hominis
à sapientibus & prudentibus viris, sicut cognoscitur
facies hominis in aqua : in aqua autem facies hominis
diuersa valdè modo repræsentatur, ac est in se : nam
facies hominis aspicientis aquam oculos deorsum re-
spicientes habet, facies verò eius in aqua oculos in cœ-
lum habet prospicientes : & similiter omnes factiones
vultus in oppositam partem conuersas habet. atque
adeò diuersa est valdè effigies illa hominis in aqua, &
velut contraria, ab ea quam habet ipse. Sic igitur est
hominis cor : videtur enim in exterioribus signis fa-
ciem & oculos ad cœlum habere, & nihil minus hoc
est : sæpè homo interior oculos mentis, & intentionem
ad res terrenas conuersos habet, nihil aliud quærens,
quàm terrena, diuitias terrenas, honores terrenos, vo-
luptates terrenas : & qui eum euntem & redeuntem ab
Ecclesia & à concione prospexerit, cœlestia solùm
quærere existimabit. Rectè igitur Sapiens : *Quemadmo-* Prou. 27.
dum in aquis resplendet vultus, &c. cui quidem interpreta-
tioni translatio Septuaginta interpretum fauet, quæ sic
habet : *Sicut aquarum facies ad facies, ita cor hominis ad ho-*
minem. hoc est, sicut se habet facies exterior in aquis ap-
parens, ad eam, quam habet ille, quem repræsentat; sic
se habet cor exteriùs in signis & operibus exterioribus
apparens, ad cor interiùs repræsentatum : facies autem
opposito modo se habet, vt dictum est : vnde sæpè etiam
vir sapiens superbum humilem esse ex apparentia exte-
riori

rion iudicabit,& adulatorem amicum, & peccatorem sanctum. Quis enim Pharisæum ad horam orationis nonam in templum ascendentem, vt oraret, non religiosum & pium existimaret? quis Ioab amplectentem & osculantem Amasa, non animum gratum & amicum erga illum habere censuisset? *Sicut* ergo *aquarum facies ad facies*, &c.

Prov. 27.19 Clarius autem hoc Ieremias: *Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus. Prauum*, id est profundum, vti explicat dictio sequens, *& inscrutabile, es vn poço fin suelo y fin lus, es vn abijmo profundissimo y escurissimo. quis cognoscet illud?* Respondet Deus ipse: *Ego Dommus*, quasi dicat, nemo alius. Quid? nónne homo ipse non cognoscet saltem cor suum? non quidem semper: sæpè quippe rectam intentionem & iustam se habere censebit, & seipsum fallens, oppositam habet. Quare qui cordis sui arcana manifestare & sanare curat, Confessarium talem exquirat, qui rectiùs eius affectiones dignoscere ac discernere valeat: nam si adhuc, licèt sapiens, inquam, ille sit, non ita cognoscere sor valet; quò insipiens, & superficialis Confessarius? Medicum quæris, qui arcana infirmitatum penetrare B sciat, vt te à morbo corporali sanare possit, quantò magis Confessarium, & medicum optimum animarum seligere oportet. quando non de salute, & vita corporis caduca, sed de salute & vita æterna agitur animæ tuæ?

Cùm Propheta Amos Israelem deploraret, *Audite* (inquit) *verbum istud, quod ego leuo super vos planctum: Domus Israel cecidit, & non adijciet vt resurgat. Virgo Israel proiecta est in terram suam, non est qui suscitet eam.* D. Hieron. super hunc locum, ait, in eo Prophetam decem tribubus loqui, qui in seruitute, in quam tradendi erant, duplici malo erant afficiendi. Primum scilicet nullum futurum esse, qui eis auxilium aut manum porrigeret, vt à seruitute liberarentur. Secundum verò, nec ipsosmet sibi opitulatores quæsituros, vt illâ depulsâ in libertatem asserantur. Quòd si hac nostra tempestate primum illud malum lamentari non cogimur, multi quippe sunt qui nobis opem auxiliumque præstant ad dæmonis tyrannidem, quâ miserè vexamur, repellendam; maximè tamen lugendum est secundum, eò quòd ij, qui in flagitiorum sordibus iacent, nolunt auxiliatores, à quibus subleuentur, quærere.

Mirum quoddam prodigium vidit Deus, vt Ieremias refert, *Stupor* (inquit) *& mirabilia facta sunt in terra: Prophetæ prophetauerunt mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis: & populus meus dilexit talia. Stupor*, inquit, *& mirabilia.* vbi Theodoretus ait: *Quando præter omnem ipsem quidpiam inusitatum videmus, solemus dicere: Hæc res in stuporem me adduxit, exterritus sum audiens istud.* Hæc ille. Similiter etiam loquitur Deus in præsenti: *Stupor & mirabilia facta sunt in terra, &c.* Et quidem non est adeò mirum, si medicus suâ negligentiâ, aut alia ratione, ægrotanti curationem aptam non afferat; quia non sibi sed alij medetur: at summa admiratione dignum est, si ægrotus eum medicum quærat, qui nullâ D medicinâ adhibitâ mortem sibi inferat. Ecce qua de causa admiretur Deus Israelem, quòd scilicet illos sacerdotes consuleret, qui ipsi falsa mendaciaque proponerent: eadem etiam ratione in magnam modò admirationem rapior: scio enim plures esse, qui, cùm animi ægritudine laborant, eos medicos, Confessarios intelligo, inquirunt, qui vel nesciant, vel nolint animis optimam & necessariam medicinam adhibere. quòd si experimento didicistis, numquam vos integra valetudine vti, propterea quòd ab eiusmodi medicis curationem deposcitis, cur adhuc in ipsis consulendis perseueratis? Sanè huius rei causam afferam, si Isaiam Israelitis idem crimen obijcientem audiamus.

Isa. 30. *Populus* (ait Dominus) *ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt vi-*

A *dentibus: Nolite videre, & aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt.* At cur hi ita clarè veritatem sibi celari petunt? Quid volunt sibi à Prophetis enunciari? *Loquimini*, inquiunt, *nobis placentia, videte nobis errores.* Ecce vobis huius mali causam, & originem. *Placentia* volunt, & quia quæ grata ac iucunda sunt, solent erroribus permisceri, *videte* (aiunt) *nobis errores*, ac si is, qui graui morbo affectus est, medico diceret: Cedo mihi sacchara rum, licèt cum eo venenum simul comedam. Sic hi: *Loquimini nobis placentia*, quamuis erroribus illa sint permixta, non quærunt illi salutem, sed voluptatem: non vitam, sed mortem. 3. Reg. 22.

Supplicium autem, quo isti afficiendi sunt, illud erit, quod in re simili subijsse fertur Rex Achab, qui, cùm vrbem quamdam expugnare vellet, dedit illi consilium Iosaphat, vt consuleret Prophetas de bello illo ineundo. Iussit illico Achab circiter quadringentos Prophetas, qui sacra faciebant Baal, congregari: quibus dixit: *Ire debeo in Ramoth-Galaad ad bellandum, ac quæ fecere? Qui responderunt: Ascende, & dabit eam Dominus in manu Regis.* Quod quidem consilium ideo pseudoprophetæ illi dederunt, quia Regem procliuem esse ad præliandum intellexerunt. Iosaphat verò nondum quieto animo erat, & iterum dixit Regi: *Non est hic Propheta Domini quispiam, vt interrogemus per eum? cui respondit Achab: Remansit vir vnus, per quem possumus interrogare Dominum, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. Malum*, inquit, prophetizat, eò quòd non sibi grata & iucunda prædicabat, & odio illum prosequitur, quia verum ipsi enunciabat. Hac certè de causa plures sunt, qui studiosos atque egregios Concionatores & Confessarios odio habent, improbos verò sequuntur. Tandem Propheta Micheas ad regem Achab delatus est, quem ipse admouit, ne prælium illud susciperet, nequaquam tamen ei acquieuit Achab, sed pseudoprophetarum consilium sequens, ad pugnam manusque deuenit, ac demum infeliciter occubuit. Idem euenit ijs, qui ignorantes & minimè bonos viros à consilijs & confessionibus habent: eorum enim consilio sæpè C spirituali vita priuantur.

O dementiam incredibilem! nónne summa dementia est in ægritudine corporis ad peritissimum medicum confugere, & cùm de fluxis ac perituris bonis agitur, à sapientissimis iurisperitis consilium petere: cùm autem animus æger est, & de diuinis æternisque bonis acquirendis deliberatur, imperitissimos & indignissimos ministros consulere? Quid dicam? futorem egregium & perpolitum quæritis, qui calceos vobis aptè & perpolitè efficiat: ad animum verò ornandum eum Confessarium perquiritis, qui neque sapientiâ vigeat, neque animi constantiâ & virtute floreat? Strenuos ergo & præstantes Confessarios consulite, apud eos animum expiate, qui sciant velintque vos gnauiter & religiosè erudire, &, cùm opus fuerit, reprehendere. Sic enim perfectè animi vulnera curabitis; & veræ pœnitentiæ præmium, gloriam scilicet immortalem, assequemini.

Ezech. 13.18. *Væ qui consunt puluillos sub omni cubito manus.* In Hebræo, & apud Septuaginta, & secundùm S. Hieronym: non *væ qui*, sed *væ quæ* legimus: agit enim de fœminis, quinam pulilli sunt hi, de quibus hic agit Dominus, qui verò hîc, qui consuunt illos? Dionysius Carthus. in hunc locum, ait, Prophetas Dei veros tunc temporis minatos fuisse populo Israel aduentum Nabuchodonosoris, vt perderet populum Dei: fuisse autem tunc nescio quas mulieres prophetissas, quæ falsò populo prophetantes faciebant puluillos quosdam suaues: *vnas abmoadillas digamos ó azerillos, de pluma blandos*: & quia minis diuinis populus conturbabatur & timebat, illæ offerebant illi puluillos illos, dicentes: Pax, pax. Quiescite, & super his dormite, & requiescite: non enim veniet Nabuchodonosor. Diligit Dominus po-

pulum suum, non tradet eum in manus incircumciso- A
rum, & inimicorum suorum : plus enim diligit vos
quàm illos; imò vos diligit, quia adoratis eum, eos ve-
rò prosequitur odio, quia Deos colunt alienos : & sic
seducebant populum. Quare inuehebatur vehementer
Dominus, & protestabatur, dicens: *Væ qui consumus, &c.*
timeo ne in populo Christiano huiusmodi falsi Pro-
phetæ adhuc reperiantur, qui, vt placant ijs ; quibus
ipsi egent, non vera, sed quæ illis placent, loquantur, &
pulvillos offerant peccatoribus, qui fortè spinis con-
scientiæ puncti, quiescere non valent, & illis ipsi dicant,
Pax, pax, cùm non sit pax. Quiescite : non enim hoc
vel illud peccatum est, non tenemini ad hoc vel ad il-
lud, &c. & malè quiescere faciunt, quos bene turbabat
Dei timor. Væ his : bi enim sunt qui modò consunt
pulvillos illos, & cætera.

Sunt fortè nonnulli pœnitentes, qui adulantes po-
tiùs quàm corripientes Confessarios quærant, non
quasi sapientes, sed quasi insipientes: sapientes enim pœ-
nitentes medelam, non adulationes, quærunt. Vide sa- B
Ps. 140. 5. pientem virum Dauidem dicentem Psalm. 140. *Corrip-
et me iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autem
peccatoris non impinguet caput meum.* Quod paraphrasticè
S. Aug. sic exponit S. Augustin. serm. 23. de verbis secundùm
Matth. *Emendet me iustus, arguat me iustus, colaphizet me
iustus, corrigat me iustus, melius quam impinguet caput meum
oleum peccatoris. quid est oleum peccatoris, nisi blandimenta
adulatoris ?* Ita S. Augustin. Pondcrandum est verbum illud *in misericordia*, quasi dicat, non est seueritati & au-
steritati tribuendum, quòd iustus emendat, & corri-
pit. sed potiùs misericordiæ ; nimirum, quia magna
miseria, & super omnes miserias, est culpa; ergo
magna misericordia est culpam delere : hoc autem
non fit blandimentis adulationis, sed asperitate correc-
tionis.

CONFIDENTIA IN DEVM.

PROP. 1. *Confidentia in Deum remedium est aduersus peccata;*
diffidentia verò est multorum peccatorum causa.
2 *Non in hominibus, sed in Deo nostra confidentia collocanda*
est.
3. *Confidentia in Deum signum est veri amoris in Deum.*
4. *Quàm grata sit Deo.*

PROP. I. *Confidentia in Deum remedium est aduersùs peccata; diffidentia verò est multorum peccatorum causa.*

NOn necessitas, non tribulatio peccatorum causa
est, sed diffidentia quædam, & defectus spei in
Deum; si enim quis plùs, vt par est, in Deo speraret,
quàm propter necessitatem, & tribulationem timet, à
peccato caueret, nec offenderet eum, à quo remedium
sibi necessarium sperat. D

Ad hoc igitur animaduertat Christianus, Christia-
nam legem, legem amoris esse, & in hoc ab antiqua dif-
ferre, quod illa timoris, hæc amoris sit, vnde in illa se
Deus quasi Dominum gerebat seuerius, in hac quasi
Pater suauius. Vnde Paulus, *Non accepistis*, inquit, *spiri-*
Rom. 8. 1. *tum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adop-
tionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater* ; Abba He-
bræum est, & significat Pater; bis ergo dicit, quod nos
Christiani clamamus, & inuocamus Deum Patrem,
cur ita, nónne sufficiens erat semel dicere, in quo cla-
mamus : Pater ? bis quidem Patrem dicit, vt semel,
& iterum, & valde Patrem nostrum nunc in tempore
gratiæ Deum nobis esse sciamus : hoc enim assequutus
est Christus Dominus, vt valdè Pater sit nobis Deus,
non Pater semel, vti est Pater carnalis, sed iterum &
iterum Pater. hinc est quòd in cruce Dominus, cùm
penderet pro inimicis orans, *Pater*, inquit, *ignosce illis,* *Luc.* 23.
non enim sciunt, quid faciunt, ait, cum pro se orauit, ait : *Deus, Deus meus, quare dereliquisti me*, vbi in Hebræo dici- *Matt.* 27.
tur, *Eloi, Eloi*, id est, Iudex meus, Iudex meus. quid est 46.
quòd pro se orans Iudicem interpellat, pro inimicis
Patrem ? Ita, quia ex eo, quòd Patrem suum Iudicem
sibi habuit, Patrem nobis acquisiuit etiam peccatori-
bus & crucifixoribus suis. Pater quidem semper bonum fuerat Deus: at post Christi Domini Crucē Pater
& Pater, hoc est, valde Pater est: hoc enim reduplicatio
huiusmodi significat in litteris sacris. Obseruat ita- *Ioan.*
S. Thom. ibidem, quod Apostolus ibi consulto dixe- *Tho.*
rit, non Pater Pater, sed Abba, Hebraicè, quod eli-
dem, quod Pater, & Pater, sic dictus Græcè & Latinè
(quæ tres linguæ principales mundi: sunt) vt omnis
Gentibus iam se Deus Patrem voluerit exhibere. *Ita*
dre de todos, Padre del todo, omnino & omnibus pater. Vbi
etiam ad hanc doctrinam legis veteris & legis gratiæ,
quam hîc assignat Apostolus, illud obserua, quod in
promulgatione legis veteris in Sina, quatuordecim vi-
cibus Deus nominatur, harum quidem nouem Domi-
nus, quinque verò Deus, nunquam Pater; in promul-
gatione verò legis nouæ, decem & sex vicibus Christus
Patrem nominauit : quò magis constaret, quòd non
tantùm nō accepimus Spiritū seruitutis in timore, sed
Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Ab-
ba, Pater. Nunc igitur ad hos, qui ita animo cadunt in
aduersis, vt nisi peccando, ab illis se eripi non posse
credant: si Deus est ita Pater, cur non confides in eum,
si Deus est omnipotens, si Pater, cur non volet, si vult,
& potest, cur diffidis ? Audi Christum Luc. 11. *Quis* *Luc.*
ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi ? aut si 11.
piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi ? si ergo vos cum
sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis
Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se ?

At dicis : Ego filius malus sum, beneficijs indignus, C
flagellis verò dignus. Quid ? filius ille prodigus, erátne
bonus ? erátne dignus beneficio ? quid ad illum Deus ?
amplexatus illum recepit, induit, refecit, & honorauit.
Esto, sis tu prodigus, vt ille, erit Deus pater tecum,
sicut cū illo, &c. ne diffidas, excedit bonitas Dei mali-
tiam tuam, atter-det Pater filium suum, ob quem mun-
do vniuersō pepercerit, ille placauit, ad Patrem placatum
accede pœnitens, suscipiet pro filio obediente filium
inobedientem, pro sancto peccatorem, pete confiden-
ter, & accipies, neque censeas plus peccando remedium
te demeruisse, quàm à Deo pro Christo postulando
possis obtinere: dicetur tibi: *Confide fili, remittuntur tibi* *Matth.*
peccata tua, & quod petis obtinebis. 9.

Exod. 16. sic Moyses ad populum Israel, agens de *Exod.*
manna: *Nullus relinquat ex eo in mane : qui non audierunt* 16.
eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque mane, & fœtere cœpit vermibus atque computruit, & iratus est contra eos Moyses.
Cur sic præceptum hoc non seruauerunt ? Hugo de *Hugo.*
sancto Victore ibi, *diffidentes*, inquit, *ne in crastino*
manna non inuenirent. Ita ille. Ecce auaritiæ hominum
causa, & nimiæ solicitudinis rerum temporalium, diffi-
dentia, ex qua oritur non seruari præceptum illud Do-
mini. Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius,
& hæc omnia adijcientur vobis : imò & hinc vsu-
ræ, & simoniæ, & furta, & debitorum retentiones,
& alia huiusmodi peccata iniustitiæ: si enim in proui-
dentia diuina confidentiam omnes haberent, haud
ista perpetrarent, qui hac inter alias solent pœnā
puniri, vt malè parta malè pereant, sicut de manna
Hebræis euenit.

PROP. II.

PROP. II. *Non in hominibus, sed in Deo nostra confidentia collocanda est.*

Psalm. 145. *Nolite confidere in principibus, neque in filijs hominum, in quibus non est salus.* No confies en hombres aunque sean principes del mundo, ni al fin en hijo de madre, porque nadye ay que tenga salud. Si super hominem infirmæ valetudinis inniti velles, facilè tu caderes cum illo; quia infirmus non potest seipsum sustinere, quantò minùs alios; sic igitur sunt omnes hómines, quantumuis reges sint, infirmi & debiles sumus omnes; ne igitur innitaris super illos, in quibus non est salus.

Ionæ 4. Lætatus est Ionas super hederam lætitiâ magnâ, sed statim vno die exaruit, & Ionas, qui vmbraculum sibi fecerat ex hedera, radijs Solis expositum se inuenit. Talia sunt vmbracula mundi, tales sunt eius protectiones, hodie delectant, cras deserunt sperantem, & gaudentem in eis, vti in Aman, Holoferne, & alijs constat. Secura igitur protectio nostra in solo Deo sita est.

Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Vidit quis sponsam Dei è quodam eremo ascendentem ad sublimia, mirâ bonorum refertâ varietate, inde mirari cœpit, quomodo ex deserto tãtâ bonorũ copiâ condecorata progrederetur: si enim ex aliqua potentissima regis curia veniisset, non ita mirum: at ex eremo, vbi nihil boni reperitur, ita diues, ita delitiosa; quid ita? nihil mirum, quia innixa super dilectum suum, in Domino confidebat, in ipso sperabat, quidni ascenderet? quidni delicijs & diuitijs abundaret?

PROP. III. *Confidentia in Deum signum est veri amoris in Deum.*

PYthagoras præcipuè docebat amicorum omnia debere communia esse, & ob id discipulis suis præcipiebat omnia bona sua temporalia deponere in commune. Quod quidem Philosophus alius, Epicurus scilicet, valdè improbauit, dicens id diffidentium esse potiùs, quàm amicorum: nam si quis verus est amicus meus, nihil minus habeo pro meis, quæ ille possidet, quàm si in commune deposuisset. qui autem diffidit, aut non est verus amicus, aut saltem dubitat de animo alterius; ita refert Erasm. lib. 6. Apophtheg.

PROP. IV. *Quàm grata sit Deo.*

Ascendente Iesu in nauiculam secuti sunt eum discipuli eius, & ecce motus magnus factus est in mari, &c. Ponderans tempestatem hanc S. Petrus Chrysol. serm. 20. *Mare*, inquit, *quod pedibus Christi tumentia terga submisit, & per liquentem viam saxea solubitate seruiuit, quid est quòd modò furit, & vsque ad periculum naufragij sæuit? Et quid ipse Christus futurorũ præscius, sic præsentium videbatur ignarus, vt instantem procellam, tempestatis horam & tempus non caueret periculi? Et inter vigilantes omnes tunc solus teneretur in somno, quando imminebat suis tam graue discrimen?* Ita ille. Poterat quidem facilè vitare periculum hoc Dominus, cur igitur noluit? Respondet ibidem sanctus Chrysologus: *Gubernatoris peritiam non probat temperies serena, sed procellosa tempestas; blandiente aura nauium regit vltimus nauta, in confusione ventorum quæritur ars primi magistri. Denique vbi sola iussio Christi adduxit mare, recußit ventos, turbines tulit, quietem dedit, & nauigantes ipsum esse omnium auctorem fatentur.* Etenim simul censeo probasse Christum confidentiam discipulorum: vnde nimium eos timuisse reprehendens, dixit: *Quid timidi estis modicæ fidei?* Placet quidem Deo valde nostra in eum confidentia, & ideo discrimina & aduersa in nos permittit, aut etiam immittit, vt confidentiam hanc exerceamus: in tranquillitate enim hæc non probatur, nec in praxim exit, sed in rebus aduersis. Sicut enim de amore dixit S. Gregor. *Fama interrogat, si quis veraciter amat*; idem de confidentia dicendum est: Pœna quippe interrogat, si quis verè confidit.

CONSCIENTIA.

PROP. 1. *Quantum bonum sit conscientia bona.*
2. *Conscientia bona nos in tribulatione solatur, mala vero è contrà.*
3. *Conscientia pax & gaudium ex virtute procedit.*
4. *Conscientia ob peccatum torquetur.*
5. *Conscientia est quæ veritatem nobis dicit & manifestat.*
6. *Conscientia ob peccatum torquetur.*

PROP. I. *Quantum bonum sit conscientia bona.*

PLlut. libr. de Tranquil. animi. *Nec auri pondus, nec generis nobilitas, nec facundiæ lepos, nec edificiorum elegantia, nec imperij magnitudo, tantam vitæ serenitatem afferunt, & tam placidam tranquillitatem, quantam affert animus à negotiorum anxietate seriatus, procul à praui consilij, secum, vt dicitur, viuens, qui vitæ fontem (ingenium & mores intelligo, à quibus commendabiles actiones manant) inturbidum, desecatum habens, actiones suas hilares, &, veluti aspirante numine, celsus semper, erectusque profert, quarum perenni reminiscentia pascitur.* Ita Plutarchus. quod propter suauitatem bonæ conscientiæ dixit.

S. Chrysost. hom. 30 in 2. ad Cor. *Nihil est quod ad consolandos animos tantum momenti habeat, quantum conscientia pura, etiamsi aliquot fexcentæ nos tentationes circumsedeant.* Ita ille.

Vnde, *Venite*, inquit Christus, *ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*: quonam pacto? *Tollite, iugum meum super vos.* O mirus reficiendi modus, addendo onus ad onus! Si diceres, Domine, tollam iugum laborum ab humeris vestris, reçtè. at dicis; *Tollite iugum meum super vos*, super iugum graue mundi addis iugum tuum, & ego, inquis, reficiam vos: superonerabo vos dicendum tibi videbatur. audi tamen quod subdit: *Inuenietis*, inquit, *requiem animabus vestris*, non ait, corporibus vestris, sed *animabus*: iugum enim Domini, etsi iugum carni sit, animæ tamen solatium, & leuamen est: nam bonæ conscientiæ causa est; bona autẽ conscientia in aduersitatibus valde animam consolatur. Et ratio huius est, quia qui bonam conscientiam habet, Deum sẽ habere credit: bona quippe conscientia peccatum excludit, & quod peccatum excludit, Deum includit. Solum enim peccatum Deum ab anima expellit: vbi peccatum abest, Deus adest; vbi autem Deus est, quid animæ nostræ deest? *Todos los duelos con Dios son buenos, y todos los bienes sin Dios, son duelos.* Si cares diuitijs, & in paupertate versaris, Deus tibi pro diuitijs erit. Quis enim ditior, qui multas pecunias, & possessiones habet sine Deo, an qui Deum sine diuitijs habet? Si honore cares, si fama, si salute, si amicis, & reliquis vitæ huius bonis. & tamen Deum habes; in eo omnia bona habes, quia Deus est omne bonum. Deus erit tibi aurum, & honor, & fama, & salus, & vita, & amicus, & pater, & omnia. Sicut sanctus Franciscus, licèt adeò pauper, dicebat: *Deus meus & omnia.* Quid denique non habet, qui habentem omnia habet? vides quàm consolatoria sit conscientia bona.

Vnde Apost. postquam maximas tribulationes, quas pro Christo passus fuerat, enarrasset, consolationem magnam, quam in illis habuerat, subdit: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*, hoc est, non solùm consolatione fruor, dum tribulationibus quatior, verùm etiam gloriâ quadam interiori cordis. Quòd si à me quæ fieri tis, vndenam tit huiusmodi gloriatio, dicam:

Psalm. 145. 3.

Matt. 11. 28.

2. Cor. 1. 12.

cam : Gloria noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ: A nam nullius mihi mali conſcius ſum, &c.

Hinc etiam S. Auguſt. lib. contra Secundinum Manichæum cap. 1. tom. 6. Senti, inquit, de Auguſtino quidquid libet, ſola me in oculis Dei conſcientia non accuſet.

Imò non ſolum ſancti, verùm etiam Ethnici, & Gentiles philoſophi ita de bona conſcientia cenſuerunt, Cicero in quadam Tuſculana: Nullum theatrum, inquit, virtutis conſcientiâ maius eſt, & Iuuenalis Satyra 13.

Hæc eſt ſumma boni, mens quæ ſibi conſcia recti eſt.

E contrà verò, quamuis bonis omnibus mundi fruaris; ſi malam habueris conſcientiam, ipſa velut ſol cuncta reddit amara tibi. *Vna mala conſciencia anmagrara, y aclcara quantos contentos dierè el mundo todo.*

B Laertius lib. 1. cap. 4. *Chilon*, inquit, *Lacedæmonius ſæpenumero in ore habebat damnum turpi lucro ſemper eſſe præferendum: illud enim ſemel dolere, hoc verò ſemper. ves quippe amiſſa paruo tempore dolet, ſceleris autem conſcientia ſemper animum cruciat.* Ita ille. Hoc aſſertum non eſt à fidelibus, ſed ab infidelibus, qui gehennam non timebant, nec gloriam cæleſtem ſperabant, quid igitur nos Chriſtianos ſentire decet?

Similiter Diogenes Cynicus, vti refert Stobæus ſerm. 22. *neminem magis à timiditate liberum, & reuera animoſum eſſe dicebat, quam illum qui nullius mali ſibi conſcius eſſet.* Ita ille. Videtur Philoſophus hic legiſſe locum illum, *Cum ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia.* Sap. 17. 10. Secura autem mens eſt quaſi iuge conuiuium. Vnde etiam Pythagoras inter ſapientes celebris, aiebat, vti refert ibidem Stobæus, neminem tam audacem eſſe, C quem mala conſcientia timidiſſimum non efficiat: non enim quiſcſit animus malè conſcius, ſed ab omni etiam vento pauet. Ita Pythagoras, qui addebat: Vir iniquus afflictus conſcientiâ, plus mali patitur, quàm qui corpore caſtigatur, & cæditur. nam multò grauiores ſunt animi, quàm corporis morbi, nimirum quantùm animus corpore præſtat. Vnde Eliphaz amicus Iob: *Sonitus terroris ſemper in auribus impij, & cùm pax ſit, ille inſidias ſuſpicatur.* Sap. 15. 21. Ita eſt, quia interior timor, qui naturaliter à mala conſcientia emanat, facit illum timere, vbi non eſt timor, ſolium arboris à vento motum, inimicum aduerſùs ſe irruentem, vel etiam diuinam vindictam arbitratur : *Fugit enim impius nemine perſequente*, &c.

Vnde, cùm Pythagoricus quidam Philoſophus (vti referunt Græcorum apophthegmata) à ſutore calceos emiſſet ſibi, & non promptam pecuniam habens, orauit ſutorem, vt in craſtinum expectaret diem; quò cùm veniſſet ſatisfacturus, audiuit ſutorem iam defunctum, tacuit debitum, & gratulabundus domum redijt; vc- D rùm cùm ſceleris conſcientiâ ſubinde torqueretur, acceptam pecuniam in domum ſutoris proijciens, ait: Tibi viuit, qui alijs defunctus eſt. Quid nunc, quæſo, Chriſtianus homo ſentiet, qui ære alieno oppreſſus, & multis flagitijs intricatus, in altum dormit? &c.

Prop. II. *Conſcientia bona nos in tribulatione ſolatur, mala verò è contrà.*

Pſal. 45. Sanct. Auguſt. *Inter omnes tribulationes animæ humanæ, nulla maior eſt, quàm conſcientia delictorum. Namque ſi ibi vultus non ſit, ſanumque ſit, intus hominis quod conſcientia vocatur, vbicumque alibi paſſus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi inueniet Deum. Si autem ibi requies non eſt propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non eſt, quid faciurus eſt homo? Quò confugiet cùm cæperit pati tribulationes? fugiet ab agro ad ciuitatem, à publico ad domum, à domo in cubiculum, & ſequetur tribulatio. A cubiculo iam quò fugiat non habet, niſi interiùs ad cubile ſuum. Porrò ſi ib. tumultus eſt, ſi fumus iniquitatis, ſi flamma ſceleris, nam illuc poteſt confugere: pellitur enim inde, & cùm in de pellitur, à ſeipſo pellitur. Et ecce hoſtem ſuum inuenit, quò confugerat, ſeipſum: quò fugiturus eſt? Quocumque fugerit ſe, talem trahit poſt ſe: & quocumque talem traxerit ſe, cruciat ſe. Sed à ſeipſo ſunt tribulationes, quæ inueniunt hominem nimis acerbiores enim non ſunt: tantò ſunt acerbiores, quanto ſunt interiores. Videte chariſſimi, cùm ligna deaſciantur a fabris, & probantur, aliquando in ſuperficie videntur quaſi laſa & putrida: faber autem inſpicit tamquam medullam interiorem ligni, & ſi ſana interius ligna cognouerit, promittit ea in edificio duraturà, nec valde erit de ſuperficie laſa ſollicitus, quando quod intus eſt, ſanum reuentiat. Porrò hominis interius conſcientia non inuenitur. Quid igitur prodeſt, ſi, quod eſt exterius, ſanum eſt, & putrefacta eſt conſcientiæ medulla? Arida igitur oſſa, & vehementes omnino tribulationes ſunt.* Ita S. Aug. Qui ergo bonâ conſcientiâ gaudet, in ea refugium ſolidum ad omnes tribulationes inueniet: quia ibi reperiet Deum, qui adiutor in tribulationibus eſt, *y aſsi todos los duelos con Dios ſon buenos, y todos los bienes ſin Dios ſon duelos.*

Prop. III. *Conſcientiæ pax & gaudium ex virtute procedit.*

Sap. 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.* Duo hîc iuſtorum priuilegia Sapiens narrat, primum, quòd *in manu Dei ſunt*: at quid hic de iuſtis ſpeciale? nónne omnes in manu Dei ſunt? Sic Iob, *In Dei manu, inquit, anima omnis viuentis, & ſpiritus Iob 12. vniuerſæ carnis hominis.* Cur igitur animabus iuſtorum 10. hoc attribuit? quia ſpeciali quadam ratione manu potentiæ, & prouidentiæ ſuæ eos regit, & tegit Deus ſicut Dauidi promiſit Pſal. 88. *Inueni Dauid ſeruũ meum, Pſal. 88. oleo ſancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei,* &c. Denique omni gaudent ſecuritate; ſic in manu Dei ſunt. *Nemo* enim, ait, *rapiet eas de manu mea.* Secundò, Ioan. 10. 28. *Non tanget illos tormentum mortis.* Quodnam hoc tormentum mortis? nunquid non in morte iuſti corporis doloribus, & infirmitatum acerbitate vexantur, ſicut reliqui omnes? nunquid in auulſione animæ non torquentur, ſicut peccatores? imò acerbiùs ſæpè. Tormentum igitur mortis, quod iuſti non ſentiunt, non eſt corporis, ſed cordis, non eſt carnis, ſed ſpiritus. Denique tormentum conſcientiæ non tanget illos, quod tunc temporis impios vehementer ſolet torquere, & ampliùs quidem, quàm ipſa violentia & acerbitas auulſionis animæ. Illud, væ mihi, quod animæ penetratinteriora, *a quel ay que llega al palma. y ay del ay, que al alma allega*, & cætera. At iuſti tali conſcientiæ cruciatu liberantur, viſi quidem oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace. Quod hac ſimilitudine rectiùs explicabo. Si agitatus in foro taurus, in aliquem hominem irruens, non ipſum, ſed pallium eius arripuerit, homine ad aliquod præfugium dilapſo, pallium taurus cornibus petit, diſcerpit, & reſcindit omnino. quod qui à longè reſpiciunt, non pallium illud, ſed hominem ſuſpicantes, clamant, vociferantur. & dicunt: Væ tibi, occiſus eſt miſer, & tamen ipſe in tuto, & ſecuro loco verſatur. Sic cùm iuſtum mundi mors, non animam, ſed corpus, quod pallium animæ eſt, arripit, vulnerat, & necat. qui à longè id proſpiciunt, homines, inquam, qui iuſti fœlicem ſtatum, & ſortem ignorant, non aliud, quàm torſiones, & vexationes mortis aſpicientes, mori iuſtum aiunt; ille autem eſt in pace ſecuræ conſcientiæ: ita vt tunc fœliciter dicere poſſit, *In pace in idipſum, dormiam, & requieſcam*, &c.

Seneca epiſt. 22. *Volo tibi lætitiam domi naſcinaſcitur, ſi Seneca. intra te ſit, cætera hæ charitates non implent pectus, leues ſunt, niſi ſorte tu iudices illum gaudere qui videt. Hilari oculo nortem videre, paupertati domum aperire, voluptates tenere ſub freno,*

frano, meditari dolorum patientiam; hæc qui apud ſe verſat, in magno gaudio eſt, ſed parum blando, vulgus perfunctorium habet voluptatem & fundamento carentem. Ita Seneca.

A

Prop. IV. *Conſcientia ob peccatum torquetur.*

Sanct. Chryſoſtom. epiſt. 7. *Etenim ille Iacobi filius qui Ioſephum à peſtifera beſtia deuoratum Patri confirmauerat, & ſceleratam fabulam agebat, atque larnâ fraternæ cædis crimen obuelare conatus fuerat, Patri tunc quidem fucum fecerat, conſcientiam autem ſuam minime feſellit, nec ab ea, vt conquieſceret, potuit impetrare; verùm ea conſtanter aduerſus eum inſurgebat, & perpetuis clamoribus eum inſectabatur, neque vnquam poterat compeſci. Siquidem cum diuturnum iam temporis ſpatium interceſſiſſet, is, qui admiſſum ſcelus patri fuerat inficiatus, neque prodiderant aly, nemine accuſante, nemine conuincente, nemine aſtante, ac fabulam illam in memoriam redigente, cum de libertate, & de vita ipſa periclitaretur, conſcientia accuſatore, in tam longo tempore non compreſſum,* B *nec deſoſſum eſſe oſtendit, dicens:* Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit ſuper nos iſta tribulatio. (eſto dize es hazernos cargo de ſu ſangre y no auia mẽcion de eſſo) *atque aliud erat crimen, quod ab eis exigebatur; nam furti inſimulabantur, & vt aureum poculum ſuffurati in iudicium trahebantur. Sed quia nullius eiuſmodi criminis ibi conſcius erat, minime hoc nomine diſcruciebatur, neque ſe propter hæc perpeti dicebat, ſed ob ea, quæ nemo ei obiiciebat, & de quibus ab eo nemo pœnas expetebat, nec eum in iudicium trahebat: conſcientia enim eum perſtringebat. Ad eum modum Iudas conſcientiam coarguentem minimè ſufferens, ad laqueum ſe conuertit, eoque ſibi ademit vitam. Et quidem cùm impudens illud pactum inire non dubitaret, dicens!* Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? *non eos, qui id audiebant, verebatur (nempe quòd diſcipulus in Magiſtrum eiuſmodi ſcelera moliretur) nec per eos dies, qui interea fluxerant, vllo dolore pungebatur; ſed lucri voluptate temulentus, conſcientiæ accuſationem non ſentiebat. At acceptâ pecuniâ, & lucri voluptate fruitâ, criminis accuſatio vrgere incepit, & tunc, nemine exterius accuſante, neminem vim afferente, nemine cohortante, ſponte ſua abiens, pecuniam his, à quibus acceperat, proiecit, & ſceleſuum palam confeſſus eſt, dicens:* Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. *Neque enim conſcientiam, quæ ipſum coarguebat, potuit ferre. Ea enim peccati natura eſt, vt, priuſquam omnino perpetratum ſit, hominem afficiat temulentia, ſed poſt ipſum expletum, tunc voluptas ſeſe protripiat & extinguatur, & ſolus deinceps ſtet accuſator, conſcientiæ carnificis locum tenente, & peccatorem lancinante, & extremas pœnas ab eo exigente, ac plumbo quouis grauiùs incumbente.* Ita S. Chryſoſt.

Geneſ. 3. de primis parentibus dicitur: *Conſuerunt folia ficus & fecerunt ſibi perizomata.* Cur, inquies, ex foliis ficulneæ, quæ aſperitatem & pruritum moleſtum præ ſe ferunt? Nunquid in paradiſo non erant vites, & D platani, ex quorum ſuauioribus foliis indui poſſent? S. Hyppolitus martyr ſic reſpondet: *Folia fici ſigna peccatorum fuerunt: nam ſicut huius arboris folia, ſi corpus tetigerint, pruritum gignunt; ita pruritum (in conſcientia videlicet) gignunt & excitant tranſgreſſiones.* Ita ille. Non enim Deus vniuerſam peccati pœnam in futurum ſæculum remittit, ſed in iſto peccatorem punit, conſcientiam torquens, vt patet in Cain, & Iuda proditore; & hoc *iudicium tranſgreſſionis vocat* S. Hyppolitus, quia tranſgreſſio diuini præcepti huiuſmodi torſione digna eſt. Quamuis & diuinæ miſericordiæ effectum dicere valemus: eſt enim veluti admonitio quædam aſſidua, quâ Deus optimus peccatorem ad pœnitentiam inducit.

Quid eſt quòd manna Exod. 19. in vermes conuertebatur his, qui illud colligebant in diem craſtinum

contra Domini præceptum? etenim hoc nequaquam ex natura ſeu qualitate ipſius manna procedebat; ſiquidem in diem ſequentem feſti collectum non conuertebatur in vermes. Reſpondet S. Ambroſ. ſerm. 3. *Manna illis contra diuinum præceptũ tractantibus vermes effecti ſunt, id eſt, contumaciæ iudices & vltores.* Ita S. Ambroſ. Etenim manna reſeruatum in diem ſabbati, non producebat vermes: quia Deus facultatem dederat præcolligendi ſic illud: ſcatebat autem vermibus, cùm contra Dei præceptum reſeruabatur. Ita quidem eſt & nunc pecunia malè parta, vel honor ambitioſè comparatus. Euchariſtia indebitè ſumpta, in vermem vertitur conſcientiæ mordentem animam peccatoris. *Taladray varre na el corazon lo que ſe acquiere o haze contra la voluntad de Dios.*

ADDITIO.

Chryſoſtomus Hom. 8. ad popul. Pron. 28.

Talis res peccatum eſt, nullo prodit arguente, nullo condemnat accuſante, pauidum facit & timidum peccatorem, ſicut iuſtitia contrarium. Audi igitur quomodo & huius pauorem & illius libertatem ſcriptura deſignauit: Fugit impius perſequente nemine, inquit: *quomodo perſequente nemine fugit? intus habet agentem conſcientiæ accuſatorem, & hunc vbique circumſert: & ſicut ſeipſum non poteſt fugere, ſic nec intrinſecus ipſum agitantem; ſed quòcumque abeat, flagellatur, & vultus habet immedicabile.* Ita Chryſoſtomus, qui deinde eleganter exprimit improbæ conſcientiæ cruciatus, quibus iugiter homo poſt commiſſum ſcelus torquetur.

Idem. Homil. varijs in Lucam.

Nec mihi dixeris illum menſâ ſumptuoſâ frui, veſtibus circumdari ſericis, mancipiorum greges circumferre, alios ſubmouere in foro: ſed explica mihi illius conſcientiam, & videbis intus grauem peccatorum tumultum, iugem metum, tempeſtatem, turbationem: Videbis velut in curia mentem ad thronum conſcientiæ conſcendiſſe regalem, & tamquam iudicem quempiam ſedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in eculeo ſuſpendentem, lateraque conſcientiæ radentem vngulis pro commiſſis, vehementer inclamantem, cùm nemo ſciat, niſi quòd ſolus Deus hæc videre nouerit. Etenim qui committit adulterium, etiamſi millies fuerit dues, etiamſi nullum habeat accuſatorem, non deſinit tamen ſeipſum intus accuſare. Et voluptas quidem temporaria eſt, dolor verò perpetuus, timor vndique, ac tremor, ſuſpicio, & anxietas, angulos metuit, vmbras ipſas formidat, ſuos ipſius famulos, cuſtos, & inſcios, illam ipſam, quam corrupit, & virum, quem affecit contumeliâ: obambulat amatum circumferens accuſatorem, conſcientiam, cùm ſit ſuo ipſius iudicio damnatus, nec vel ad breue tempus poſſit reſpirare. nam & in lecto, & in menſa, & in foro, & in domo, & interdiu & noctu, & in ipſis frequenter ſomnijs hæc iniquitatis ſimulachra videt, ipſiuſque Cain vitam viuit, gemens ac tremens ſuper terram; cum nemo ſciat, intus tamen habet ignem implicitum.

Idem ibi, dem.

Sic ipſe, qui paucis quibuſdam interiectis, ait. Sed quare nobis iudicem in animo ſic perpetuò vigilantem & attendentem Deus conſtituit? conſcientiam loquor: nec enim eſt vllus inter homines adeò vigilans, vt eſt noſtra conſcientia. nam externi iudices & pecunijs corrumpuntur, & aſſentationibus deliuiuntur, & metu ſimulant; denique multa ſunt alia, quæ rectum illorum iudicium depraiuant. At conſcientiæ tribunal nulli hominum nouit cedere, ſed quamuis dederis pecunias, quamuis minetis, quamuis aliud quidlibet feceris, iuſtam feret ſententiam aduerſus peccatorum cogitationes, adeò vt ipſe quoque, qui peccatum admiſit, ſeipſum condemnet, etiamſi nullus alius accuſet. Neque id ſemel atque iterum, ſed ſæpius, imò per omnem vitam hoc facere non deſinit; & licèt ingens temporis interuallum interceſſerit, numquam tamen obliuiſcetur eorum, quæ facta ſunt, quin & cum perpetratur peccatum, & priuſquam perpetratur, & poſtquam eſt perpetratum, acerbus nobis imminet accuſator, maximè verò poſtquam perpetratum fuerit. Nam in perpetrando ſcelere, quoniam voluptate ſumus ebrij, non perinde ſentimus. Cæterum ſimul-

ſimulat que commiſſum eſt, ceperitque finem, tum demum extincta voluptate amarus pœnitentiæ ſtimulus ſuccedit, contra quam accidere ſolet mulieribus parturientibus. Nam illis ante partum labor ingens, grauiſque nixus, diſſecantes eas doloribus; poſt partum verò relaxatio, dolore ſimul cum infante egrediente: verum hic non item, ſed dum parturimus, concipimuſque corruptos affectus, delectamur, gandemuſque. Cæterum vb. fœcundus enixi malum illum pueriun peccatum, tum conſpecta fœditate partus, diſcrucianur grauius quam mulieres parturientes. Sic ipſe.

Eandem materiam varijs locis expreſſit, vt ſolet eleganter D. Ambroſius: verba eius è varijs locis excerpta accipe.

Ambroſius lib. 5. epiſt 18. mihi p. 341.

Nullus maior eſt dolor, quàm is, qui peccati mucrone vulnerat conſcientiam, neque vllum grauius eſt onus, quam peccatorum ſarcina, & pondus flagitiorum: deprimit animam, curuat vſque ad terram, ne ſe erigere poſſit.

Idem lib. 7 epiſt. 44.

Abundat ſibi locuples teſtis conſcientia. Fugiat etiam mala opprobria, etiamſi credat non poſſe conuinci. Nam etſi clauſus parietibus ſit, & opertus tenebris, ſine teſte, ſine conſcio, habet tamen facti arbitrum, quem nihil fallat, ad quem facta clamant omnia. Denique clamauit & vox ſanguinis. Sibi ipſum vnuſquiſque animum ſuum ſeuerum iudicem ſui, vltorem ſceleris, & vindicem criminis habet.

Idem Apologia Dauid. c. 9. mihi p 1190.

Sapiens aduerſùm ſe iudicat eſſe delictum ſuum, & tamquam hoſtiles acies, ita lapſus culparum ſuarum aduerſantium modo ſibi arbitratur obſiſtere. Quidquid perſonuerit, quidquid increbuerit, culpa ei propria ſemper occurrit: quidquid fuerit dictum aut lectum, in ſe dictum putat: quidquid intenderit, ſe nutu, ſe oculo ſignari putat. Si epuletur, ſi cogitet, ſi oret ac deprecetur, ante oculos eius ſemper eſt error proprius, & motuum omnium culpa pulſat conſcientiam, nec quieſcere, nec obliuiſci ſinit; velut grauis Cenſor exagitat ſe terrore perpetuo. Omnia igitur aduerſa habet, qui ipſe ſibi diſplicet: ipſe ſui accuſator, ipſe ſui teſtis eſt, nec inuenit quò fugiat, quippe ſe perurget ac ſtimulat.

Idem in Pſalm. 37 mihi p. 1328.

Quantò magis propria vnumquemque peccata perturbant, vt requies nobis eſſe non poſſit? grauior aduerſarius nobis eſt culpa, quæ ſollicitat otioſos, affligit ſanos, contriſtat lætos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Rei ſumus ſine accuſante, ſine tortore cruciamur, ſine vinculis aſtringimur, ſine venditore vendimur. Vnde & ſcriptura dicit; peccatis veſtris venditi eſtis.

Iſaiæ 50. 1.

Idem lib. de Pœnit. c. 5 mihi p 1256.

Sed conſcium, inquies, non habeo, qui mea facta diuulget. Rogo dicas mihi, ſi non habes conſcium, non habes conſcientiæ teſtimonium? aut teipſum potes effugere, & conſcium declinare? conſcientia, inquiam, apud quam non moritur omne, quod gerimus, quæ nos in factis noſtris accuſat, & iudicat; quæ cùm non habeat loquendi vſum, neſcit tamen tenere ſilentium. Poteſt conſcius morte ſubduci, poteſt tibi ad tempus prodeſſe teſtis conſcientia. Nec rectum ſupereſt, & ſine te non eſt, hæret pectori, nec vnquam te deſerit, & velut quadam pediſſequa nullo abs te temporis interuallo diſcedit; tenet te reum, & in ſua ſemper ditione captiuum. Si quando mentem tuam lætior ſecundarum rerum actus auocarit, & ſenſus tuos ceperit facti delectatione iucunditas; ſubitò te illa ſtimulat, illa medullitus pulſat, & interpellat ſenſum, interrumpit gaudium, & totam pectoris regionem mœſtis ſuſpiriis inquietat, atque vulnerat opprobrio teneatur, non inuentur bonum remedium, quo curetur. Semper enim offenditur, cùm alius caſtigatur, & in alieno vulnere primò ipſa percutitur. Deinde vis noſſe quanta ſit ſeueritas conſcientiæ? poteſt tibi conſcius auro corrumpi, poteſt pecuniæ comparari; conſcientia nihil corruptionis admittit, manet integrum eius teſtimonium tota fide firmitate vallatum: quin etiam contra conſcium conducitur patrocinium, & defenſionis ingenio argumenta verſutiæ conquiruntur, & teſtimonij veritas loquelæ impudentis calliditate peruertitur; iudex quoque redimitur, vt facti qualitas excuſetur. Vacant hæc omnia, vbi mentem conſcientia, & cùm homo moriatur, conſcientia certè non moritur, quæ poſt mortem corporis in anima iudicatur. Et putas prodeſſe tibi te non habere conſcium, cùm conſcientiæ quotidianum ſentias, perpetuumque iudicium.

PROP. V. *Conſcientia eſt quæ veritatem nobis dicit & manifeſtat.*

SVunt qui laudari ab alijs quærũt. & tunc ſe felices credunt, cùm ab alijs extolluntur, & cùm ſe exterijs laudabiles præferunt: vera tamen laus & vera gloria filiæ regis ab intus. Videas hominem pollum calceos ferentem optimè pedibus adaptatos & accommodatos, quod quidem pulchrum exterijs apparet, ſed tamen intus calceus pedem mordet, & cruciat. Quid illi, quæſo, conducit exterior illa calcei apparentia bona, ſi interijs ſit cruciatur? Sic quidem ſunt nonnulli, qui exterijs ſe commendabiles exhibent, verbani, & benefici, & miſericordes, & deuoti apparent; & tamen intus morſibus conſcientiæ ſuæ cruciantur, cruciatu quidem acerbo, qui non ſinit eos dormire, nec edere in pace. Hos tu felices an infelices dices, quamtumuis à mundo laudentur? *Gloria noſtra*, ait Apoſtolus, *hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*. hanc tu gloriam quære, non gloriam mundi: ſine gloria enim conſcientiæ interiori, gloria mundi exterior, non gloria, ſed infernus eſt, cum ſuperficie ſola gloriæ, &c.

2. Cor. 1.

CONSILIA EVANGELICA.

PROP. I. *Quòd non ſolùm præcepta, ſed etiam Conſilia Euangelica doceat Chriſtianum ſeruare.*

2. *Conſilia Euangelica ad obſeruationem præceptorum plurimùm conducunt.*

PROP. I. *Quòd non ſolùm præcepta, ſed etiam conſilia Euangelica doceat Chriſtianum ſeruare.*

SEneca lib. 2. de ira, cap. 27. *Quàm anguſta innocentia eſt, ad legem bonum eſſe? quantò latius officiorum patet, quàm iuris regula, quàm alia multa exigunt pietas, humanitas, liberalitas, fides & iuſtitia.* Ita ille. Id ergo etiam de lege diuina & conſilijs Angelicis aio, quàm angusta perfecto Chriſtiano eſt ad legem Dei bonum eſſe? quantò latiùs conſiliorum regula patet? multa magis exigunt paupertas, luctus, miſericordiæ culmus.

Seneca.

PROP. II. *Conſilia Euangelica ad obſeruationem præceptorum plurimùm conducunt.*

SI vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, &c. Ad perfectionem quidem ſpectant conſilia; ſed perfectio hæc ad obſeruantiam præceptorum plurimùm conducit, & valde ad id neceſſaria eſt, ſicut antemurale ad ciuitatis cuſtodiam valde conducens eſt: quamuis enim murus ad id deſeruiat, antemurale murum ipſum tuetur, ne tormentis bellicis facilè quatiatur, & ad terram proſternatur: ſic licèt, lex diuina murus animæ ſit nos defendens ab hoſtibus; conſilijs tamen eget, velut antemuralibus, ne inferni tormentis bellicis concidat murus, & anima miſerè pereat.

Matth. 19. 21.

Hinc eſt quòd Religionum fundatores conſilijs Euangelicis ſuas conſtitutiones munierunt, quippe qui non ſolùm ſalutem animarum quomodocumque, ſed qua maiori potuerunt ſecuritate filios ſuos ſeruare voluiſſent; ideoque vota religionis, paupertatis ſcilicet, obedientiæ, & caſtitatis perpetuæ omnes amplexati fuerunt, &c.

CONSI-

CONSILIVM.

Prop I. *Quanta prudentia sit etiam minores consulere.*
2. *Quàm necessarium sit consilium.*
3. *Consilia à doctis sanctisque viris petenda sunt.*
4. *Consilium, vt vtile sit, festinationem & iram fugiat.*
5. *Prudentia est inire consilium in rebus alicuius momenti.*
6. *Consilium maturè, & pedetentim ineundum est, executio verò celeriter adhibenda est*
7. *Quàm gratum sit Deo consilium accipere à viris spiritualibus, maximè Prælatis.*

Prop. I. *Quanta prudentia sit etiam minores consulere.*

S Anct. Gregor. 5. Moral. 23. *Quid est*, inquit, *quod Manue viso Angelo pertimescens dixit vxori: Morte moriemur, quia vidimus Dominum: quem vxor protinus consolatur, dicens: Si Dominus vellet nos occidere, de manibus nostris holocaustum non suscepisset. Quid est hoc, quòd ad visionem Angeli vir timidus fit, & mulier audax?* Ita S. Gregor. Omitto nunc rationem allegoriam, quam sanctus Greg. adhibet, & eam quæ ad rem facit, dicam: Rectè mulier locuta est, & viri iudicium correxit; & quamuis ille vir, & hæc mulier, rectiùs sapuit: vt inde nos videamus, audienda esse verba & consilia minorum, quantumuis minores scientiâ & fortitudine sint.

Prop. II. *Quàm necessarium sit consilium.*

VIgò dici solet: *Da mihi pecuniam & non consilium.* Sed imperitorum hoc dicterium est. Audi S. Ambros. lib. 2. officior. c. 15. *Quantò vtilius Regem Pharaonem Ioseph consilio iuuit, quàm si pecuniam contulisset? Pecunia, quippe vnus ciuitatis non redemit vbertatem, sed prospicientia totius AEgypti per septennium famem repulit. Facilè autem pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt. Hæc vsu augentur, pecunia minuitur & deficit citò, & ipsam desinit benignitatem: vt, quòd pluribus largiri voluerit, eò pauciores adiuues, & ideo tibi desit, quod aliis conferendum censueris. Consilij autem collatio, quò in plures diffunditur, eò redundatior manet & in fontem suum recurrit: In se enim reflui vbertas prudentiæ, & quò pluribus fluxerit, eò exercitius sit omne quod remanet.* Ita sanctus Ambrosius.

Prouerbior. 11. *Vbi non est gubernator, populus corruet: salus autem vbi multa consilia.* Alij sic legunt: *Vbi non sunt consilia, populus corruet, & salus in multo consultore.* Docet hæc sententia plùs reipub. prodesse consilia bona, quàm mœnium fortitudinem, & magnâ militum copiam, & mercatorum officialiumque abundantiâ, & tandem ita egere communitates, & domos bonis consilijs, sicut nauis bono indiget gubernatore. sicut enim nauis, inter maris pericula multa, & magna constituta, si defuerit gubernator, certò pereat; sic respublica, & domus, imò & singularis quiuis homo sine consilio: abundant quippe in terra, sicut in mari, multa pericula, & magna.

Vnde Tobias filio suo inter illa optima consilia, quæ illi dedit, cùm se iam morti proximum existimauerat, hoc adiecit: Tob. 4. *Consilium semper à sapiente perquire*, quod & Spiritus sanctus ipse consuluit Eccli. 32. *Fili mi*, ait, *sine consilio nihil faciας, & post factum non pœnitebit.* Dices, sæpè accidit, vt, quamuis consilium capiamus, erremus, quomodo igitur ait, quod post factum non pœnitebit? Respondet Iansenius: *Quamuis consilium non rectè succedat, hoc tamen consolatur agentem, quòd non suum iudicium sit secutus, nec temere rem fuerit aggressus, sed eorum iudicio & consilio, quos consulere oportebat. Conuenit autem satis cum hac sententia illud Salustij, Priusquam aliquid faciας, consulito, at vbi consulueris, maturè facto opus est.* Ita Iansen.

A Ratio huius est, quia nemo in sua causa rectus est iudex: nam ob amorem proprium sæpè ea, quæ cupimus, nobis & iustiora, & vtiliora videntur, & fere ea & iniquiora, & peiora nobis sunt. Quare eligendus est vir sapiens, & cuius nihil in ea causa intersit, aut plures quidem, quorum iudicium sequamur.

Prop. III. *Consilia à doctis & sanctis viris petenda sunt.*

S Anctus Ambros. 1. offic. 47. *Negligere bonorum iudicia vel arrogantiæ, vel dissolutionis est, quorum altum superbia adscribitur, alterum negligentiæ.* Ita S. Ambrosius.

ADDITIO.

S Anct. Ambrosius. *S. Ambr. l. 2. offic. c. 8.*

Quis ei se committat, quem non putet plus sapere, quam ipse sapiας, qui quærit consilium? necesse igitur est, vt præstantior sit, à quo consilium petitur, quàm ille est, quid petit. quid enim consilias hominem, quem non arbitreris posse aliquid melius reperire, quàm ipse intelligas? Quod si eum inueneris, qui vinacitate ingenij, mentis vigore, atque auctoritate præstet, & accedat eò vt exemplo & vsu paratior sit, præsentia soluat pericula, prospiciat futura, deniquè et imminentia, argumenta expediat, remedium ferat in tempore, paratus sit non solùm ad consulendum, sed etiam ad subueniendum: huic ita fides habetur, vt dicat qui consilium petit, etsi mala mihi enenerint, per illum sustineo. Huiusmodi igitur viro, saluteris nostram & existimationem committimus, qui sit (vt suprà diximus) iustus & prudens. Facit enim iustitia, vt nullus sit fraudis metus; facit etiam prudentia, vt nulla erroris suspicio sit.

Idem eodem libro. *Ibid. c. 1.*

In acquirendis consilijs plurimùm valet vitæ probitas, virtutum prærogatiua, benevolentiæ vsus, frugalitatis gratiæ. Quis enim in cœno fontem requirit? Quis è turbida aqua potum petat?

Dioni in libris suis qui de Regno inscribuntur, dicebat, longè maiora geri pauorum consilio, quàm multitudine, aut viribus fortissimorum iuuenum. Quod etiam Homeri sententia comprobatur, cùm Agamemnonem inducit asserentem longè faciliùs se posse rem Troianam euertere si decem Nestores, aut Vlysses, in consilio haberet, quàm si totidem Aiaces, & Achilles fortiter dimicantes. *Dion.*

Consiliarij prudentes eligendi. Middendorpius Imperatorum Quæstiones. p. 325. Idem Aristeæ historia. p. 242. liber. pietas, & Regnum. p. 215.

Prop. IV. *Consilium vt vtile sit, festinationem & iram fugiat.*

REctè Lucius Florus, & priùs Bias philosophus, vnus ex septem sapientibus Græciæ, *Duo*, inquit, *sunt consilijs inimica, ira scilicet & festinatio.* Ita ille. Vt igitur vtilitate consiliorum fruamur, primò iram eordis vitare debemus: nam consilium ex recta & clara mente procedit, ira verò mentem perturbat, & cæcat.

Secundò, ne præcipites simus in consilijs subeundis, nam consilium discursum requirit, & rationes, non solùm scire pro vtraque parte, verùm etiam perpendere, & attentè considerare, vt deliberatio eò propendeat, quò ratio, & vbi ex vtraque parte ineonuenientiæ reperiuntur, ea pars eligatur quæ minora inconuenientia præ se fert: vbi vtilitates, & commoda in vtraque parte relucent, eam eligamus quæ plures & potiores vtilitates habet.

Hinc Titus Vespasianus, magni Vespasiani filius, in stemmatibus suis delphinum anchoram circumuolutum depinxit, quo maturo consilio se omnia facere

velle hieroglyphicè designaret: nam, vti Aristoteles affirmat, delphinus velocissimè natat, & Oppianus *lib. 2. de natura piscium*, non minori velocitate, ait, natare Delphinum in aquis, quàm volare in aere aues, & Plinius in sua historia naturali nullum animal velocius asserit esse Delphino. Anchora verò, quæ naues in portu firmiter retinet, ne à ventis circumferantur, tarditatis symbolum est. Vnire igitur anchoram, & delphinum idem fuit, quod maturitatem consilij cum celeritate, & diligentia copulare: nam in eundo consilio nulla debet intercedere mora, & similiter in executione consilij, at in ipso consilio sumendo, & deliberando, maturè pedetentimque procedendum est.

Et inde prouerbium illud antiquum promanauit, *festina lentè*, festina, inquam; sed lentè, lentè festina, vt dictum est, quo quidem prouerbio imperatorum Romanorum maximus Augustus Cæsar se plurimùm delectari affirmabat, vti affirmat Aulus Gellius *lib. 10. noctium Atticarum*, & Macrobius *lib. 6. Saturnalium. Deliberacion vagarosa y animo quieto y no perturbado de ira y de qualquiera otra passion sacan vn consejo acertado.*

S. Bernard. ponderat virginis Mariæ prudentiam tempore annuntiationis suæ. Cùm enim Angelus Gabriel magnificentissima salutione virginem salutasset, nihil statim respondit, sed se intra cordis arcana recolligens, cogitabat, qualis esset ista salutatio. *Quòd turbata est* (ait S. Bernard. hom. 13. super Missus est) *verecundæ fuit virginalis, quòd autem tacuit, & cogitauit, prudentiæ fuit, cogitabat quales esset ista salutatio, quia sciebat prudens virgo quod sæpe Angelus sataneæ transfigurat se in Angelum lucis.* Ita S Bernard. Ecce prudentis animi consilium non priùs cernere quod agendum, aut loquendum sit, quàm discernere, & præmeditari quid oporteat agere, vel loqui, ideo prudenter respondit Beata Virgo: *Quomodo fiet istud?* &c. responsio enim prudens, & opera discreta ex præcogitato consilio promanant. Eligendus est igitur consiliarius, qui primò omni perturbatione animi carcat: debet enim esse consiliarius sicut aqua in qua vultus reluceat prospicientis: ad hoc enim munda quieta & perspicua esse debet; sic animus consiliarij mundus, & quietus & perspicuus sit, vt in eo veritas reluceat, quam indagamus.

Vnde S. Ambros. lib. 1. Offic. *Supra me debet esse cui me committere paro. An eum idoneum putabo vt mihi consilium det, qui sibi non dedit.* Ita ille. *Mal me puede dar conseio a mi, quien no lo Sabe toma para si.* Secundò non præcipitanter; sed maturè fiat consilium, ne postea dicere contingat, non putaram.

Vbi nota quòd post sufficientem consilij deliberationem, ad executionem rei decretæ non morosè, sed festinanter, & illico procedendum est. Quod gubernatoribus, & iudicibus populi sæpè inculcandum est: solet enim executio dilata multis obstaculis superue-
3. *Reg.* 3. nientibus præpediri. Cùm regnare cœpisset Salomon sapientiâ Dei ornatus, mirabilem illam de diuidendo infante, super quo duæ illæ mulieres, cuius filius esset, contendebant, diuidatur, inquit infans. Risisse circumstantes affirmat Iosephus, & pueritiæ regis decretum tribuebant: erat enim Salomon tunc duodecim tantùm annorum, sed tamen rei exitum perpendentes, super Salomonis sapientiam obstupuerunt, & promptidinem executionis nos laudamus: nam si prolixis causæ probationibus locum dedisset, & terminos multorum dierum expectasset, nunquam fortè veram matrem pueri in lucem eduxisset.

2. *Reg.* 8. 15. Hinc in laudem Dauid, *Regnauit*, inquit scriptura, *Dauid, & faciebat iudicium, & iustitiam.* Sunt nonnulli, iudices, qui iudicium faciunt, iudicando scilicet quid faciendum sit, iustitiam verò (hoc est, executionem ipsius iudicij) adeò negligenter faciunt vt, impedimentis interuenientibus, sententia nunquam executioni mandetur. Oportet igitur maturè rem considerare, sed post deliberationem prudentem quamprimum ad executionem procedere, aliòquin sæpè sæpiùs frustrabitur consilium.

PROP. V. *Prudentis est inire consilium in rebus alicuius momenti.*

SIc Dominus ad Apostolum Philippum: *Vnde emimus panes, vt manducent hi?* Scilicet qui sic sequuntur me. Videtur hic Christus Dominus consulere discipulos qua ratione in vasta illa solitudine tantam hominum multitudinem cibo posset reficere, sed aduertit Diuus Ioannes, inquiens: *Ipse sciebat quid esset faciturus.* Si ergo sciebat, cur sciscitabatur? consilium enim capiendum est in rebus dubijs, secus tamen in certis. Sed certè ea ratione id factum esse crederem à Deo, qui Magistrum se nobis præbuit, ac præceptorem, vt ipse nos doceret consilium studiosorum, ac prudentum hominum esse à nobis exequirendum in his rebus, quæ alicuius sunt ponderis, ac momenti: deliberandum enim est diu (vt rectè dixit Seneca) quod statuendum est semel. Quod monitum sanctus ille Tobias filio suo tradidit sic illum hortans: *Consilium semper à sapiente perquire.* Semper, inquit, à sapiente, hæc enim duo in rebus arduis consultandis plurimùm seruare refert.

Via stulti, inquit Salomon, *recta in oculis eius: qui autem sapiens est audit consilia.* Dementis hominis est non inquirere, aut consultare quid in difficili aliquo negotio sit faciendum, an illud conducat, necne. Arbitratur enim se nihil ignorare, & ita alieno consilio non indigere; cùm verò se deprehensum cognouerit, & in aliquem dilapsum errorem, illud habet in ore, non putaram. Quod verbum turpe esse in re militari dixit Scipio Africanus, vt Valerius *lib. 7. cap. 2.* refert. Quòd si in militia corporali turpe iudicatur, quantò magis in militia spirituali turpe, & stultum iudicandum erit? *via ergo stulti recta in oculis eius: qui autem*, inquit Salomon, *sapiens est, audit consilia.* Proprium enim est virì prudentis circumspicere, ac vereri pericula, inopinodaque anteuertere, & quid sibi sit agendum alios consulere.

Vtilitas autem, quæ in capiendo consilio sita est, à sapiente optimè explicatur, cùm ait: *Vbi non est gubernator, populus corruet: salus autem, vbi multa consilia.* Alij leguntur, vbi non sunt consilia, populus corruet, &c. Itaque illud commodum ex aliorum consilio petendo reportatur, quòd felicem exitum fortiatur, infelicem verò si sapientum consilio nò vtantur. Exemplo nobis est Roboam filius Salomonis, quem cum omnis multitudo Israel obsecraret, vt de tributis, à parente suo impositis, aliquid detraheret, inijt priùs Roboam consilium cum senioribus, qui fuerant à consilijs Salomonis, quid in ea re faciendum esset. Qui omnes responderunt in hunc modum: *Si hodie obedieris populo huic, & petitionem eius feceris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi serui cunctis diebus.* Quod maiorum consilium cum displiceret ei, consuluit adolescentes quosdam maximè sibi familiares, vt de responso populo reddendo deliberarent. Qui cùm regis voluntatem, ac desiderium cognoscerent, vt placerent illi, hoc ipsi consilium dederunt: *Sic alloqueris populum: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. Et nunc pater meus posuit super vos iugum graue, ego autem addam super iugum vestrum. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Quibus acquiescens Roboam respondit populo eaque à iuuenibus acceperat, derelicto consilio seniorum, vt sacra testatur historia. Populus verò exardescens, irâque incensus & inflammatus, bellum indixit aduersùs illum, & decem populi tribus, repudiato Roboam, constituerunt sibi regem Ieroboam, & hinc initium sumpsit

sumpsit vastitas exercitus illius florentissimi regni Israelis.

Multos alios infelices casus sacræ litteræ contigisse referunt, cò quòd homines à sapientibus, & probatis viris consilium non petierunt, vel illud sapienter datum non acceperunt. Satis admonebat Noë tempore diluuij de excidio, ac calamitate imminente, iamque hominibus appropinquante, sed cùm nihili facerent sanctissimi senis minas, nec in re tam grauisapientum consilio vti vellent, miserè omnes interiere. Consilium præbuit Loth generis suis vt à Sodoma egrederentur, priusquam vrbs illa igne consumeretur, illi autem respuerunt Loth monitum, &, vt sacra refert historia, visus est eis quasi ludens loqui, & ita combusti sunt igne. Optimè hortabatur Ruben fratres suos, cùm suasit illis Iosephum saluum & incolumem parenti suo seruari oportere; sed cùm eius consilio noluissent acquiescere, innumeris laboribus ob hanc rem postea fuerunt vexati. Præclarum consilium dedit Moyses filijs Israel in solitudine degentibus, cùm eos cohortabatur ne dimicarent contra Amalecitas, & Chananæos: non enim ipsi erant eo tempore grati Deo : illi tamen bello inito, funditus sunt euersi, & ad exitium, & calamitatem vocati. Holofernes item à vita infeliciter non discessisset, si Achioris consilio vsus fuisset in expugnatione Bethuliæ. Daniel etiam rectum præbebat consilium Nabuchodonosori regi, Rex inquiens, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, forsitan ignoscet delictis tuis, &c. spreuit autem consilium rex, & pœnas postea dedit acerbissimas: ab hominibus enim abiectus, cum bestijs habitauit septem annis, & fœnum vt bos comedit. Sexcenta huius rei exempla possem adducere, sed facile etiam esset plura afferre ad probandum, quàm sit vtile consilium cum viris sapientibus inire. Salus enim est, vbi multa consilia, vt suprà dicebam.

Illud præterea commodum in capiendo consilio inuenitur, quod Ecclesiasticus significauit, cùm ait : *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit.* Quasi diceret : Si negotia geras sine consultatione, sæpè dolebis, non solùm quòd tuarum rerum exitus sint aduersi, sed etiam quia de illis consilium nullum ceperis; si verò aliquius probi, ac prudentis viri consilium requiras, licèt res ex animi sententia non succedat (quod plerumque secus accidit) hoc tamen restabit solatium, te scilicet curasse pro viribus, vt negotia eum exitum haberent, qualem optabas, obtento prius consilio.

Prædictum verò monitum, non solùm ignorantibus vtile, & conducens est, sed etiam expedit prudentibus, & magni consilij viris: sapientibus enim nunquam aliorum sententia nocuit, sicut nec riuulus magno flumini, aut flumen profundo, & immenso mari fuit impedimento. Vnde egregiè Salomon in Prouerbiorum libro, initium fere sumpsit ab his verbis: *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit.* In quæ verba inquit Hieronymus: *Ostendit Salomon hic, neminem in hac vita sapientem fieri posse, cuius sapientia nequeat angeri, semperque morùs esse sapientibus, vt dictis maiorum, aliquando etiam minorum, auscultent, & quidquid in eis vtilitatis audierint, ad se applicent, suoque in corde recondant. Denique auduit Regina Saba Salomonem, & sapientior redijt. Audiuit Moyses socerum multò inferiorem, & sublimior, & sapientior redditus est. Audiuit Nicodemus, audiuit Gamaliel, audiuit discipulus eius tunc Saulus, nunc verò Paulus, & sapientiores facti sunt.* Hactenus Diuus Hieronymus. Et quidem si hi qui sapientia, & consilio videbantur excellere, aliorum sententias non audirent, aliquarum rerum ignorantiâ tenerentur fortè, & errarent.

Hoc autem præcipuè animaduertendum est, nullum consilium sequendum aut recipiendum esse contra diuinam legem : nunquam enim illud felicem sortietur effectum, sed teterrimè, & aliter quàm speretur, procedet. Quod familiaris quidam patientissimi Iob inter alias summi Dei excellentias non prætermisit. *Qui dissipat,* inquit, *cogitationes malignorum, ne possit implere manus eorum quod cœperant. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat.* Quæ verba explicans Diuus Gregorius, duo obseruanda esse censet. Primum, Deum aliquando iniquorum hominum consilium euertere : secundum etiam aliquando eisdem consilijs, quibus flagitiosi vtuntur contra Deum ipsum, Deum de illis vindictam sumere. quod aptis quibusdam exemplis probans Gregorius, sermonem de hac re absoluit, illâ sapientis sententiâ, *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Omnia enim quæcumque Dominus voluit, fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Quapropter prudenter Regius Vates cecinit : *Testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum iustificationes tuæ.* Priùs enim Deum, & diuinam eius legem consules, an scilicet hoc munus, hæc pactio, & mercatura, hoc denique commercium sit Deo, eiusque legibus conforme. Si enim illi aduersetur, infestum & aduersum tandem exitum habebit, quamuis diuitias, honores, & quæ velis, obtineas. Res igitur nostræ in primis diuinæ sint voluntati conformes, Deum & studiosos, ac prudentes homines consulamus : Sic enim fiet, vt ipse Deus nobis consulat, & illæ euentum habeant felicissimum.

Iob 5. 13.

Prou. 21. 30.

Psal. 118. 24.

PROP. VI. *Quam gratum sit Deo consilium accipere à viris spiritualibus, maximè Prælatis.*

SAbel. S. Augustinus. *Hipponensis Episcopus, dum sanctæ Trinitatis mysterium solus in cubiculo contemplaretur sedens, ita à seipso abscesserat, vt à mulcre quadam, quæ illum consulere cupiebat, sæpius interpellatus, nihil respondere, imò ne respicere quidem : mulier autem, quia se contemptam putauit, abijt tristis. Postero autem die in spiritu rapta mulier illa vidit S. Augustinum de Trinitate disputantem, auditóq; idcirco se illum hesterno die frustra adisse, quod huiusmodi meditatione occupatus, ipsam neque videre neque omnino sentire potuisset, ac proinde nec redire dubitaret. redyt & quod petierat consilium sine cunctatione accepit.* Ita ille. Quo quidem facto satis Dominus manifestauit, quàm gratum illi sit consilium à sanctis exigere viris : siquidem ad consilium huiusmodi petendum rapuerit mulieris animum, & ad iterum consilium petendum fuerit mirabili visione mulierem hortatus.

Trinitas. Lib. 2. c 6

CONSOLATIO SPIRITVALIS.

PROP. 1. *Non datur amantibus voluptates corporales.*
2 *Consolatio spiritualis iustorum tantùm est.*
3. *Quòd non nobis semper expedias spiritualis consolatio.*

PROP. I. *Non datur amantibus voluptates corporales.*

LVc. 2. apparuit Angelus pastoribus, dicens: *Euangel. 20 vobis gaudium magnum,* &c. Ponderat S. Bernard. serm. 3. de Natiuitate Domini verbum illud, *vobis,* dicens: *Quàm multi nobiles secundum carnem, quam multi potentes, quam multi sapientes sæculi huius horâ illâ in stratis mollibus quiescebant, & nemo illorum dignus habitus est, nouam videre lucem, scire gaudium illud magnum, Angelos audire cantantes gloriam in excelsis Deo.* Ita S. Bernard. Sed causam inquiramus, cur fauorem hunc potiùs pauperibus, quàm diuitibus, idiotis quàm sapientibus, pastoribus quàm

Luc. 2. 10

S. Bern.

principibus, Deus exhibuit. Insinuat S. Bernard. ibi rationem, dicens: *Væ vobis duntibus, qui habetis hic consolationem vestram, vt iam non mereamini habere cælestem.* Ita S. Bernard. quia, vt ipse alibi dixit, *Delicata res est diuina consolatio, non datur admittentibus extraneam.* Ita ille. Imaginare huiusmodi principes veniſſe ad videndum Dominum in ſtabulo, quam inde conſolationem ex his, quæ in Chriſto viderent, ſibi hauſiſſent? Rectè idem ſanctus ſerm 5. de natali Domini: *Non conſolantur Chriſti lachrymæ ridentes, non conſolantur panni eius in ſtolis ambulantes, non conſolantur ſtabulum, & præſæpe amantes primas cathedras in ſynagogis, ſed lugentes, ſed pannoſos, ſed pauperes conſolantur.* Ita S. Bernard. A

PROP. II. *Conſolatio ſpiritualis iuſtorum tantum eſt.* B

Iob 5.7. IOb 5. ſic Eliphas amicus Iobi: *Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum.* Per hominem in hoc loco S. Gregor. intelligit peccatorem, dicens: *Poteſt hominis appellatione carnalium vita deſignari, vnde & Paulus ait (1. Corinth. 3.) Cùm ſit inter vos zelus & contentio, nónne carnales eſtis? quibus paulo poſt ſubiicit, dicens: Nónne homines eſtis?* Ita S. Gregor. Per auem autem idem ſanctus intelligit hominem iuſtum, & virum ſanctum; quia ad cælestia vſque volare nouit. Senſum igitur huius loci ſic explicat S. Gregor. 6. Moral. *Homo naſcetur ad laborem, quia homo carnalis, cùm tranſeuntia appetit, deſideriorum ſuorum ſe pondere affligit. grauis quippe labor eſt, præſentis vitæ gloriam quærere, quæſitam quandoque percipere, perceptam cuſtodire, & cum magna fatigatione apprehendere quod diu ſtare non poteſt. Vnde merito ſubdit:* & auis ad volatum, *quia tantò ſe animus à labore ſubtrahit, quantò per ſpem ſuſtollitur ad ſuperna. An non, quaſi auis, Paulus ad volatum natus fuerat, qui tot aduerſa ſuſtinens, dicebat (*ad Philip. 3.*) Noſtra conuerſatio in cœlis eſt?* Ita S. Gregor. Et rurſus Apoſtolus ad Epheſ. 2. 6. *Conreſuſcitauit & conſedere nos fecit in cæleſtibus.* Ponderat hæc verba S. Greg. 6. Moral. 10. dicens: *Fortaſſe Paulum exteriùs tunc catena religabat, mente tamen in ſublimibus poſitus erat, quia tam per ſpei ſuæ certitudinem in cæleſtibus ſedebat.* Ita S. Gregor. & quidem conſtat, quòd tunc in vinculis erat Paulus, quia in eadem epiſtola c. 4. dixit: *Ego vinctus in Domino,* &c. *attamen animo & ſpiritu, tanquam auis, ſuaui conſolatione in cælos euolabat.* C

Prou. 12. 21. S. Greg. Vnde etiam Prou. 12. ait Salomon: *Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit: quia* (inquit) S. Gregor. ibidem, *vectus quiſque in alto intentionis ſuæ vertice poſitus eſt.* Ita ille.

Marc. 1. 6 Marc. 1. ſic de Baptiſta: *Ioannes mel ſylueſtre edebat:* mel in diuinis propter dulcedinem & ſuauitatem ſuam, dulcedines & conſolationes animæ ſignificare ſolet: vnde meritò Ioannes mel comedebat, non tamen quodcumque, ſed ſylueſtre. Cur ita? ex eo quod D

Theoph. Theophylactus ibi adnotauit, colligere cauſam valemus, dicens in hoc differre mel ſylueſtre à melle domeſtico, quòd mel domeſticum induſtriam & laborem exigit Domini alucarij; mel verò ſylueſtre nequaquam, ſed apes ipſæ tantùm inter arborum & rupium concaua mella conficiunt. Ecce diſcrimen inter delicias diuinas ſanctorum, & humanas mundi: ſancti enim potiuntur deliciis, non à ſe exquiſitis & elaboratis, ſed à Deo immiſſis; mundani verò induſtriâ & labore non exiguo, deliciis mundi gaudent; ſed tantò minùs deliberabilibus, quantò corporales ſunt & terreſtres. Sancti conſolationes habent, tantò quidem ſublimiores, quantò ſpirituales & cæleſtes ſunt.

PROP. III. *Non ſemper nobis expedit ſpiritualis conſolatio.*

3. Reg. 2. 20. BAnanias filius Ioiadæ, viri fortiſſimi, ipſe percuſſit leonem *in media ciſterna in diebus niuis.* Hoc pro magno ſacra narrat Scriptura, non ſolùm quòd leonem interfecerit, quamuis hoc ſecundùm ſe magnum quid ſit; ſed quia eum interfecit in diebus niuis, quando corpus nerue riget, nec manus homo regere bene poteſt, nec enſem rectè comprimere; tunc occidiſſe leonem fortiſſimi viri argumentum eſt. Sicut autem corpori tempus frigoris, & tempus caloris eſt; ſic etiam animæ noſtræ cùm enim diuinis afficitur conſolationibus animus, ſi tuet calore Spiritus ſancti; cùm verò diuinis conſolationibus & fauoribus caret, tunc veluti frigore comprimitur & riget. Cùm igitur diuina conſolatione caleſcit, non mirum ſi facilè tentationes omnes, & difficultates, quæ in via ſpirituali reperiuntur, vincat; cùm verò illâ caret, huiuſmodi tentationes & difficultatus vincere, & potenter ſuperare, hoc apud Deum plurimùm valet, & magni meriti eſt: ſicut plus mul inimicum ſine adiuuante vincere, quàm cum alter adiutorio. Tempore igitur frigoris, & ſiccitatis ſpiritualis eadem præſtare, quæ tempore viſitationum ſpiritualium,

Rara auis in terris, nigroq; ſimillima cygno.

Hinc fides mulieris Chananææ ſic à Domino commendatur: *O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis, & ſanata eſt filia eius ex illa hora.* nimirum, quia non ſolùm non eam Dominus conſolatus erat verbis ſuis, verùm etiam à ſe verbis acerbis, & veluti deſpectui quadam, abigebat: tacebat enim Chriſtus cùm illa bat, & quaſi nihili faceret petitionem, aliò oculos uertebat: at illa perſeuerabat orans. interceſſere Apoſtoli, *Dimitte* (inquiunt) *illam, quæ clamat poſt nos;* ait Chriſtus: *Non eſt bonum, ſumere panem filiorum, & dare canibus.* Quid hoc Domine aliud fuit, quàm eam canem appellare? ſenſit illa: ſed non ideo irata fuit, neque abſceſſit, ſed inſtantiùs ſic deprecabatur: *Etiam Domine,* hoc eſt, ita eſt Domine, canis ſum, canum eſt latrare, & tunc maximè, cùm repelluntur. Latrabo igitur, & dicam: *Catelli comedunt de micis, quæ cadunt de menſa Domini ſui.* tu Dominus, ego canicula tua, Chananæa vere ſum, micam peto: nam tibi mica eſt, ſanare filiam meam: hanc igitur peto. Magna fides, mirabilis prudentia, exemplaris orationis perſeuerantia. Quare quæ voluit à Chriſto Domino illico obtinuit. *Fiat* (inquit) *tibi ſicut vis.* Is dixit *fiat*, qui dixerat: *Fiat lux, & facta eſt lux: fiat firmamentum, & factum eſt ita.* Sic ſanata eſt filia eius ex illa hora, imò meliorem Chananæa ipſa adepta eſt ſanitatem animæ ſuæ, & maiorem hinc famam, honorem, & gloriam adepta eſt, quàm exiſtimare potuit ipſa. Sic exauditionis dilatio, facta eſt Chananææ profectus & laus, &c.

Iob 26.8. *Qui ligat aquas in nubibus, vt non erumpant pariter deorſum.* cur vetat vt pariter cadant? Notum hoc eſt, quia ſi aquæ nubium ſimul caderent, omnes fructus terræ ſuffocarent, aut radicitus extirparent: paulatim verò cadentes, fructificare terram faciunt. Sic Deus, quamuis liberaliſſimus ſit, & auidiùs nobis conſolationes ſuas præſtare deſiderat, quàm nos eas recipere cupimus, paulatim tamen, & quaſi guttatim, ad modum tenuis pluuiæ, eas communicat nobis, ne vi conſolationum affecti, inſolentes reddamur & ſuperbi.

Sol hyemis tempore non ita directè & diſtinctè radios ſuos communicat arbuſtis, ſed indirectè, & inter opacitatem nubium: quia tunc teneriores ſunt, & abſque folijs, ideò ſi tunc feruore Solis afficerentur, facilè ſiccarentur, & perirent. Sic etiam Deus teneritudinem animarum noſtrarum proſpiciens, non ita copioſè conſolationes ſuas nobis confert, ne earum vi ſuperefluamus,

fluamus, &c. *Subir a lugar alto a quien ha de caer del, es para que de mayor caydas, tenemos flacas cabecas y puestos en lo alto de los fabries druinos se nos desuan eceria, y caeriamos perniciosamente, &c.*

CONSVETVDO.

PROP. 1. *Quàm difficile sit relinquere assueta.*
2. *Consuetudo peccandi sensum & remorsum conscientiæ tollit.*
3. *Consuetudo vitiosa paulatim tollenda & superanda est.*
4. *Consuetudo peccandi difficile sanatur.*

PROP. I. *Quàm difficile sit relinquere assueta.*

RECtè Seneca 7. de natural. qq. *Non miremur tardè erui, quæ altè iacent.* Ita ille. Vbi metaphoram arborum tangit. Arborem, quæ altas & profundas radices emisit, perdifficilè euellere possumus, multo tempore, multoque labore opus est, si radicitus euellenda est. Sic vitiorum consuetudo, postquam nimium fuerit in animo radicata, multâ eget diligentiâ.

Luc. 3. Christus Dominus in die Sabbati, & in Synagoga existens vidit mulierem quandam, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec poterat omnino sursum respicere. Vbi notandum, infirmitatem hanc peccatorum esse, qui statuerunt declinare oculos suos in terram, honorem scilicet, diuitias, & delicias per fas nefas ve quærentium, vti S. Ambros. S. Cyrill. S. Thom. & alij hic supponunt. Tempus autem octodecim annorum tempus prauæ consuetudinis importat, cùm scilicet malum longas inualuêre moras, hinc ratio constat earum circumstantiarum, quæ in curatione mulieris huius interfuerunt, tempus quidem, & locus pietatis fuerunt, quia tempus sanctum erat, nempè dies Sabbatis locus sanctus, scilicet Synagogæ, modus curationis id etiam denotauit: nam priusquam mulier aliquid à Christo postularet, à Domino præuisa, & præuenta fuit. Alios quidem infirmos rogatus Christus sanabat, non ita hanc: alios etiam multos sine impositione manus curabat, super hanc verò manum imposuit, quod scilicet indicaret specialem Dei prouidentiam, & pietatem ad sui curationem indigere eos, qui in peccatis suis inueterati sunt: *essos han menester, que los preuenga Dios, y mire con buenos ojos, y los tenga de su mano.* ideo hic non solùm oculos, sed etiam manum adhibuit Deus.

Sanct. Chrysost. lib. 3. contra vituper. vitæ monast. *Dura est, ac penitus acuta, & violenta res consuetudo, ad capiendam vincendamque animam, quia voluptatem aduitricem habet; virtus verò, ad quam festinamus, ingentes præbet nobis labores. Quocirca Deus ipse, cùm Hebræis eorum, quæ in Ægypto didicerãt, malorum vetus consuetudo deponenda esset, feorsum illos in solitudinem adduxit, atque ita illorum formabat animos, viam omnem medicinæ & curationis tentans asperiorem, & leniorem, & nec sic quidem vitia illa effugerunt, sed cùm manna cœlesti alerentur, capas tamen, & alia, & cætera Ægypti mala præsentabant, & requirebant, tantum roboris habet consuetudo.* Ita Sanct. Chrysost.

Iacobi 1. *Peccatum, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Quodnam vocat *peccatum consummatum*? S. Thom. ibidem: *Hoc*, inquit, *propriè de peccato consuetudinis dictum est: nam cùm peccatum in consuetudinem fuerit protractum, nulla in peccatore apparent signa vitæ, & spes de reditu eius parua est.* Ita ille. *Que apenas ay esperança de su saluation: tremenda cosa.* Imò & Seneca epist. 39. *Desinit esse remedij locus, vbi quæ fuerunt vitia, mores sunt.* Ita ille. Vnde meritò dici solet: *Consuetudo est altera natura*; quod autem est naturale, aboleri nequit. est consuetudo altera ferè natura, non naturale quid, sed quodammodo naturale, & ideo ait S. Iacobus, peccatum huiusmodi generare mortem, scilicet æternam, *dallo por condenado, si Dios no toma la mano, y con su omnipotencia le sana.* Denique perdifficilis est eius sanatio. Vide sanctum August. serm. 44. de verbis Domini propè finem. tom. 10. Vbi optimè de hoc.

Sanct. Chrysost. *Vt discas*, inquit, *quanta sit consuetudinis vis, ea sæpè vicit iussa Dei, & quid dico iussa? ipsa Dei beneficia vicit. Iudæi enim manna habentes, quærebant allia Ægypti, & fruentes libertate, meminerant seruitutis, & aßdrè quærebant Ægyptum propter consuetudinem; adeo tyrannica res consuetudo est.* *Hom. 7. in 1. ad Cor.*

Si vis autem etiam ab externis ipsam discere, ducitur Plato, etiamsi vellet scire res Deorum errorem esse, ad celebrandos tamen eorum dies festos, & ad alia omnia, se dimissse, vt qui non posset consuetudini repugnare. Ita S. Chrysostomus.

Tempore sancti Bernardi (vt in eius vita refertur) nobilis quidam vitiis, & peccatis deditus erat, quem S. Bernardus conueniens, rogauit dicens: Domine si cum Deo pacem habere recusas, treugas saltem cum ipso precor vt habeas. Cui ille: Quo pacto cum Deo treugas inibo, dicam, ait sanctus, his tribus primis sequentibus diebus, amore ipsius Dei ab omni mortali culpa abstineas. Placet, inquit ille, pro Dei amore hoc præstare. Tertiò igitur die interrogauit illum S. Bernardus, an ab omni mortali abstinuisset? abstinui, dixit. Quæso igitur, ô Domine, vt pro virginis Mariæ amore alijs tribus diebus te similiter contineas. Promisit ille, & fecit. Tum ad eum tertio die sanctus Bernardus tore to Dominc, vt pro amore omnium Sanctorum, in tribus sequentibus diebus ab omni caueas mortali: & fecit, quibus finitis assuefactus iam in bono, sic ille ad B. Bernardum: Iam ego in posterum nolo cum Deo treugas, sed pacem assiduam in perpetuum. conuersus igitur ex toto corde ad Deum, reliquum vitæ suæ tempus bene, & laudabiliter peregit. Videbatur quidem illi priùs se non posse à peccatis abstinere, sed mala consuetudine cessante, & bonâ introductâ, vires ad perseuerandum Dei gratiâ recepit.

Sanctus Augustinus tom. 1. lib. 1. Confess. cap. 16. sic contra malam inuehitur consuetudinem: *Væ tibi flumen moris humani, quis resistit tibi? quamdiu non siccaberis? quousque voluis filios Euæ in mare magnum, & formidolosum, quod vix transeunt qui lignum conscenderunt?* Ita sanctus Augustinus. Metaphoram sumpsit ab impetu fluminis, cuius cursum rapidum nemo detinere valet; sic violentus est cursus malæ consuetudinis, vt ei velle obsistere sit contra ictum fluuij conari.

Vnde Iob 20. de impio peccatis assueto Sophar amicus Iobi ait: *Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ suæ, & cum eo in puluere dormient.* Vbi S. Gregorius: *Vitia impij cum eo dormire in puluere, est vsque ad puluerem eum non deserere, id est, vsque ad mortem ab iniquitate minime cessare: tenent igitur illum prauæ consuetudines, quæ semel cæperunt, & quotidie duriores existunt, & cum ipso in puluere dormiunt, quia non nisi cum eius vita finiuntur.* Ita sanctus Gregorius. *Peccados de costumbre con la vida se acauan, y hasta la muerte no mueren, y su fin es el de la vida y no antes comun mente.*

Hoc animaduertere valde parentes debent: nam plures pro nihilo ducunt, filios malis moribus assuefieri, & parum referre censent. *Non parum refert*, inquit Philosophus 2. Ethic. 1. *sed caput, res est hoc vel illo modo hominem assuefieri.* Ita ille. *Caput*, inquit, *rei est*, hoc est, res maximi ponderis & momenti est, plus dixit quàm intellexit: nam punctum saluationis hominis in hoc ferè consistit. Fateor Deigratiam omnia naturalia, seu moralia impedimenta facilè posse superare, sed de lege ordinaria pauciſſimi ex malè assuetis saluantur, quia consuetudo est altera natura.

Vnde Prouerbiũ est: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea*, hoc est, tuxta quam viã, seu vitam viuendi modum receperit in adolescentia homo, *Prou. 22. 6.*

mo, etiam in senectute, & vltima ætate viuet. hoc, in- A quit, prouerbium est, hoc est, communis consensus omnium; sed hoc maiorem vim habet, quòd in eo consentiat Spiritus sanctus, qui loquitur hic ore Salomonis.

Cap 16. 15. Iob in persona peccatoris mala consuetudine pressi, ait: *Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.* Loquitur de hoste suo, quem dæmonem esse ait. Quid est, concidit me vulnere super vulnus? S. Greg. 13. Moral. 10. *Hoc fit, quando peccatum peccato additur, vt culpa vehementius exaggeretur. vnde bene quoque per Trophe-*

Osea 4.2. *tam dicitur:* Maledictum, & mendacium, & homicidium. & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. *Sanguis autem sanguinem tangit, cùm culpa culpam cumulauerit, & quia cùm vulnus vulneri additur, vires contra nos antiqui hostis vehementius crescunt; recte subiungitur:* Irruit in me quasi gigas. *Facilè quippe animi eo resistitur, si non ex vel in multis lapsibus, vel in vno diutius consentiatur. Sin verò eius suasionibus anima subesse consenuerit, quanto se ei subijcit crebrius, tanto eum sibi intole-* B *rabilem facit, vt ei reluctari non valeat: quia inuitum maligno aduersarium contra hanc ex praua consuetudine fortiter quasi gigantis more pugnat.* Ita S. Greg.

Vnde sic inuehitur Prophetа contra peccantes ex

Isai. 1. 4. consuetudine: *Vagenti peccatrici, populo graui iniquitate.* peccatrici hoc loco, vt Theologus quidam interpretatur, supponit pro peccantibus ex consuetudine: tales enim erant illi quos arguebat, *ay de vos otros gente pecadorizca, echa a peccar, y habituada en ello.* Huic ergo ait, væ, quæ quidem interiectio, secundùm sanctum Hieronymum, damnationem æternam in sacris literis importare solet: & quidem non mirum quòd his, qui ex consuetudine peccant, minctur Dominus damnationem æternam, cùm tanta, vt diximus, sit vis malæ consuetudinis. Caueamus igitur omne lethale peccatum. quòd si quis infeliciter in illud inciderit, caueat ne peccatis assuefiat: nam timere potest damnationem: quòd si damnationem suam timet, timeat quoque con- C suetudinem peccandi.

Nouis quidem, & inusitatis cæremonijs vsus est Christus in Lazari resuscitatione. Primò enim lacrymatus est, deinde fremens in semetipso, venit ad monumentum, lapidem item amoueri iubet. Præterea priùs ad Patrem orat, ac denique voce magna clamat:

Matt. 9. Lazare veni foras. Alios quidem à mortuis Christus Dominus excitauit, nullum tamen legimus hac voce, his lacrymis, huiusmodique clamore, ac cæremonijs resuscitasse. Cùm ad vitam reuocauit illam Archisynagogi filiam, tenuit manum eius, & surrexit puella. Cum à mortuis etiam illius viduæ filium suscitauit, hæc solùm verba protulit: *Adolescens tibi dico: surge,*

Luc. 7. *& resedit qui erat mortuus, & cæpit loqui, & dedit illum matri suæ.* Quid ergo hodiernæ resurrectionis cæremoniæ significant? Quid sibi vult vox illa magna, quâ clamauit Iesus, cùm submissa voce, imò & sine vlla omnino voce potuisset Lazarum ab inferis reuocare? venustè & ingeniosè de hac triplici resurrectione loquitur D. D Auguſt tract. 49. in Ioan. *Tres tantum,* inquit, *à Domino resuscitatos mortuos in Euangelio nouimus, & forte non frustra: Domini quippe facta, non sunt tantummodo facta, sed signa: si ergo sunt signa, præter id quòd mira sunt, aliquid significabant. Resuscitauit siquidem Archisynagogi adhuc in domo manentem, resuscitauit iuuenem filium viduæ extra portam ciuitatis delatum, resuscitauit Lazarum sepultum, & quatriduanum. Intueatur quisque animam suam, si peccat, moritur, peccatum, mors est animæ. sed aliquando in cogitatione peccatur: delectauit quod malum est, consensisti, peccasti, consensio illa occidit te, fed intus est mors, quia cogitatum malum nondum processit ad factum. Talem animam suscitare se significans Dominus, resuscitauit puellam illam, quæ nondum fuerat foras elata, sed quia in domo mortua iacebat, quasi peccatum latebat. Si autem non solum malæ delectationi consensisti, sed etiam ipsum malum feci sti, quasi mortuum tuum extra portam tulisti, iam foris es, & mortuus elatus es, tamen & ipsum Dominus resuscitauit. Tertius mortuus Lazarus est. Genus mortis humanæ mala consuetudo appellatur: aliud est enim peccare, & aliud peccandi consuetudinem facere. Qui peccat, & continuo corrigitur, cito reuiuiscat, qui a non est implicatus consuetudine, non est sepultus: qui autem peccare consuescit, sepultus est, & bene de illo dicitur: fœtet: incipit enim habere pessimam famam, tanquam odorem teterrimum. Tales omnes afflictis hominibus, perditis moribus. Dicis ei: noli facere, quomodo te audiet, qui sic terrâ premitur, & tabe corumpitur, & mortuitatis prægrauatur? Hactenus Augustinus. Lazarus ergo ligatus, sepultus, quatriduanus, & fœtens, figura est hominem significat, qui sub duro turpis mortis pide sepelitur, & cuius animus multis iam sceler exercitatus, adeò obcalluit, vt peccandi consuetu ligatus, difficillimè dissolui possit, & à peccatorum sepulchro egredi. Vt ille à peccatis, quibus maxim adhæret, resurgat, vt à sepulchro ad vitam reuocetur, maximo clamore opus est. Ad huiusmodi mortuum excitandum, nimis vocem intendit Iesus, clamoremque profundens, tot ac talibus cæremonijs vtitur: non quia sine his non posset Lazarum suscitare, sed vt ostenderet, quàm sit difficile, illum hominem à peccatis amoueri, qui flagitiorum consuetudine detinetur.

Mirum sanè fuit; Ionam illum prophetam in ventre piscis, quasi in sepulchro, conditum, ad Deum tui clamasse, precesque fudisse, & tandem saluum, atque incolumem ab illo loco euasisse; sed maiorem in modum miror, cùm hominem vitâ functum, ligatum pedibus, fœtidum, & sub duro, ac magno lapide sepultum, ad homini clamorem ad vitam redijsse. Huiusmodi quidem est obstinatus homo, qui in flo perstans prauitate, obduruit, & diuturna peccator consuetudo callum eius animo obduxit.

Ita fatetur D. Aug. 8. Confess. cap. 5. loquens de eo tempore, quo in errorum tenebris iacebat. *Ligatus, inquit, eram, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa facta est libido, & dum seruitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi anulis quibusdam sibimet innexis, vnde catenam appellau, tenebat me obstrictum dura seruitus. Voluntas autem noua, quæ mihi esse cœperat, vt te gratis colerem, fruique te vellem Deus sola certa iucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, vna vetus, alia noua, illa carnalis, ista spiritualis confligebat inter se, atque discordando diripabant animam meam. Sed tamen consuetudo aduersus me pugnatior ex me facta erat, quoniam volens quò nollem perueneram.* Ex quibus D. Augustini verbis satis perspicitur, quanta sit vis & quasi natura prauæ consuetudinis. Quam quidem paucis, sed egregiè expendit D. Chrysostomus, hom. 3. de pœnitent. dicens: *Manna comedebant Iudæi, & cœpas de Aegypto quærebant consuetudine ducti.* Præclarè sanè explicuit Chrysostomus, quantùm mala consuetudo præualeat: quis enim cibus dulcior ac pretiosior, quàm manna illud cæleste, habens in se omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem? Quis verò magis insulsus, aut vilior, quàm cæpe, cucumeres, pepones, porrique, & allia, quorum desiderio tenebantur Iudæi, suauissimum illum cibum repudiantes? Quod ideo illi faciebant, inquit Chrysostomus, quia de more habebant vilissimis illis cibarijs vesci, manna verò nunquam degustauerant. Idem etiam in diuinis rebus euenit. Quid enim virtute suauius? quid excellentius, quàm meditationi, sacrisque rebus vacare, & ad sacram Christi mensam frequenter accedere? Quid autem vilius, aut abiectius, quàm diuitiæ, voluptates, honoresque perituri? mundani tamen hæc omnia caduca, & temporalia æternis ac cæ-

Matt. 8. Luc. 7. Ioan. 6. Num. 11. Num. 21.

lestibus interponunt, ista quærunt, & aucupantur; hæc A verò, quæ multò iucundiora, ac excellentiora sunt, spernunt, ac minimi faciunt. cuius rei causa consuetudo profectò est, quia terrenis his rebus illi assuefacti sunt, quæ cùm inualuerit, ægrè ac difficulter ab eisdem
12. abducentur. Vnde meritò Sapiens inquit, *Prouerbium est: Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Solent iuuenes consilij, ac rationis expertes, delicijs, ac libidini se tradere: quibus adeò adhærent, vt etiam in senectute, vbi ratio & consilium viget, difficulter à turpi vita discedant, & ad honestam vitæ rationem non facilè se recipiant. Græcorum etiam historia enarrat, Alexandum. Magnum nunquam abiecisse corruptos mores, quibus in pueritia, ac iuuentute imbutus fuerat à præceptore suo Leonide, quamuis diligentissimè curaret honestissimi, ac clarissimi viri nomen per omnes terræ partes obtinere. *Quemadmodum enim,* inquit D. Basilius in reg. disput. 6. *difficile est, patriæ linguam, quam ab infantia addiscimus, oblivioni mandare, aliamque de novo perdiscere; ita etiam improbus difficulter flagitiosam quam ingressus est viam, relinquet, vt piam, atque honestam sequatur.* vt enim ipse ait, *Consuetudo vetustate firmata, naturæ vim nancisci solet.*

Optimè videtur hoc declarasse quidam ex familiaribus Iob, cùm de quodam flagitioso homine loqueretur, *Ossa eius,* inquit, *implebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in pulvere dormient.* D. Hieronymus ibid. Hoc ait, quòd à iuuentute sua, ex quo grauiora peccata committere cœperit, in eisdem peccatis suis vsque in senectam manserit, pro quibus nunquam voluerit pœnitere, etiam vsque ad mortem, quæ fit per resolutionem corporis huius. Pro ossibus senectutem intelligit Hieronymus, propter veternositatem annorum, & duritiem senij præmaturatam. Ac si diceret, inueterata consuetudo efficiet, vt improbus æquè flagitiosus sit in senio, ac in iuuentute. Quamuis etiam dici posset in ossibus, vera hominum ossa significari per metaphoram, quibus peccata inhærent, tanquam phthisica quædam C
8. febris, quæ difficilem, aut nullam curationem habet. huiusce modi hominibus dixit olim Christus: *In peccato vestro moriemini*

Hoc ipsum immortalis Deus aptiùs explicauit, in-
13. quiens: *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Hyperbolicè loquitur in hoc loco Scriptura sacra, ad augendam difficultatem, quam experimur in extirpando vitio, quod iam prorsus occalluit. Quocirca exponens D. Hieronymus ibid. hunc locum, ait: *Quidquid dicitur non naturæ est, sed studij, & propriæ voluntatis, quæ nimia consuetudine, & amore peccandi quodammodo conuertitur in naturam.* Qua vero ratione grauissimo huic morbo adhibenda sit curatio, explicandum restat.

Vidimus quantam vim habeat improba consuetudo ad detinendum hominem in flagitijs: ex quo percipi potest, quàm difficile sit huiusmodi malo remedium
14. adhibere. *Languor prolixior grauat medicum. Breuem languorem præcidit medicus,* inquit Ecclesiasticus. Quemadmodum ergo hi qui curandis corporibus dant operam, difficilè medentur ei, qui diuturna ægritudine laborat; sic etiam perdifficile est animorum medico, eum, qui in peccatis occalluit, sanare. Quod satis constat in energumeno illo quem Marcus Euangelista refert: cùm enim ille à Christi discipulis curari non posset, ad ipsum Christū adducitur, & cùm vidisset eū, *statim sp. ritus conturbauit illum, & elisus in terram volutabatur spumans: & interrogauit Christus patrem energumeni, quantum temporis*
Luc. 1. *est ex quo ei hoc accidit? & respondit, ab infantia, &c. Iesus verò sic dæmonem alloquitur: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum, & exclamans, & multùm discerpens eum, exijt ab eo, & factus est sicut mortuus.* Inquiro igitur modò cur Christi alumni non potuerunt illum dæmonem ab huiusmodi

corpore expellere, cùm alios sæpe expulissent? cur ille adeò difficulter discesserit, vt exiret exclamans, & discerpens multùm? Id ea etiam ratione factum esse puto, vt in hoc homine, qui ab infantia fanaticus erat, indicaretur nobis, quantum habeat difficultatis, ac laboris, diuturnum peccatum, quod æquè deforme est ac ipse dæmon, ab hominum animis ejicere: quod quidem, si ejiciatur, inuitum, stridens, ac discerpens exit.

Sed quo vtendum est remedio, quæ curatio adhibenda, quæ afferenda est medicina, vt huic occurramus malo, tantæque medeamur ægritudini? illud primò remedium accipiendum est, quod huius fanatici pater (cuius modò mentionem feci) accepisse cognouimus, cùm energumenum filium ad Christum Dominum adduxit, vt ei remedium, & curationem adhiberet, *Contractas,* inquit, Basilius, in reg. inter. 6. *ex superioribus peccatis labes, orationæ assiduæ, & perpetuæ Dei decretorum conseruationæ abstergere poterimus. Nullum enim peccatum est, quantumuis inueteratum, quod Deus precibus, & obsecrationibus allectus, facilè condonare non possit, licèt cum maxima difficultate illud homo relinquat.* Quocirca exponens D. Hieronymus illum Ieremiæ locum supra à me propositum, in illud verbum, *Si mutare potest Aethiops pellem suam,* inquit, *Hoc quod hominibus impossibile est, Deo est possibile, vt nequaquam Aethiops & pardus suam videantur mutare naturam, sed ille, qui in Aethiope operatur, & pardo, dicente Apostolo: Omnia possum in eo qui me confortat.* Hæc ille. Atque idcirco de hac (vt ita loquar) impossibilitate illud dici potest, quod olim Christus Dominus de illa altera, quâ significauit diuitem non posse cœlum intrare, dixisse fertur, cùm asseruisset, difficilius esse, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei, & ei Apostoli obiecissent: Quis potest saluus fieri? Respondit Iesus: *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* Quapropter D. Chrysostomus epistol. 5. ad Theodor. lapsū. Theodori lapsi animum orationē sua confirmans, & excitans, ne spem recuperandæ salutis abijceret, inquit: *Si cacodæmon tantum potuit, vt à vertice illo, & fastigio virtutis in extremum malitiæ te detruderet, multò magis Deus in pristinam te poterit vindicare libertatem, neque in eam solum, sed tibi multo feliciorem perficere, quam prior fuit.* Hæc eadem Chrysostomi verba tibi frater propono: quamuis enim longa peccandi consuetudine occalleas, ne animo cadas, aut spe decidas: Deus enim, qui potestate maximus est, & bonitate optimus, poterit à te durum peccati iugum depellere, & in filiorum libertatem asserere, atque in beatam, & sempiternam vitam traducere, si eius te voluntati committas. vt fecit D. Augustinus, qui cùm se inducta errorum consuetudine irretitum aspiceret, ad Deum confugiebat; ipsumque lacrymis, ac precibus implorabat, & hac ratione eam, quæ omnibus nota est, gratiam, & sanctitatem obtinuit.

Illud deinde remedium præbuit D. Basilius, perpetua nimirum Dei decretorum conseruatione antiquas peccati labes abstergere: iure enim exigitur ab eo, qui in flagitijs, exagitante, ac renuente conscientia, diuinaque lege prohibente, permansit, vt etiam in virtute, diuinorumque præceptorum obseruantia perseueret, inuitis adhuc mundi affectionibus, ipsiusque pessima consuetudine repugnante. *Humanum d to,* inquit Apo- *Rom. 6.*
stolus, *propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhi- 19.*
buistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Ac si diceret, si cunctis animi, ac corporis viribus incubuisti in turpitudine sectanda contra Deum, eiusque legem, rationi consentaneum est, omni etiam studio te contendere, vt Deum, turpitudine relicta, omni animi vi, totoque pectore sequaris. Cùm in peccato

iacebas, seruitute premebaris, modò verò libertate A frueris, neque fas est peccati seruum meliùs inseruire peccato, quàm liberum, ac Dei filium ipsi Deo; cùm hoc illi magnum commodum, illud verò summam perniciem afferat. In hoc, inquit D. Paulus, *humanum dico*, vbi D. Thomas dicit esse *humanum*, quia secundùm rectum iudicium exigeretur, vt homo multò plùs seruiret iustitiæ, quàm antea seruierat peccato. Vnde *Baruch 4.* dicitur: *Sicut fuit sensus vester vt erraretis à Deo, decies tantum iterum conuertentes requiretis eum.*

Illud tamen ad hanc rem maximè refert, principijs scilicet obstare: serò enim medicina paratur, cùm mala per longas inualuére moras. Atque idcirco admonet Ecclesiasticus: *Fili peccasti non adijcias iterum, sed & de prioribus deprecare, vt dimittantur.* Quod quidem consilium ea ratione præbet nobis Ecclesiasticus, quia ea est vis, & quasi natura peccati, vt quò plura committuntur, eò magis hominum animis dominetur, & maius in illos imperium teneat, ipsique faciliùs & petulantiùs peccent. Quod in Petri negationibus cernitur manifestè. In prima enim, cùm accusaretur, eò quòd in Christi se disciplinam tradidisset, solùm respondet accusatori: *Matt 26. Nescio quid dicis.* In secunda verò, cum iuramento negauit, audaciùs perpetrans illud scelus. In tertia denique non solùm iurat, sed detestatur, dicens, se hominem non nouisse. Hac enim ratione crescit peccatum, & vires indies colligit maiores, nisi maturè illius impetum frangas, & vim eius reprimas. Huius negationis gradus expendit S. Thomas, ibid. & ita sermonem de hac re absoluit: Qui citò non se à malo retrahit, labitur in peius. *Qui enim spernit modica, paulatim decidet. sicut enim hi qui mare ingrediuntur, in primo maris aditu quacumque illos procella perturbat, & timorem eorum animis incutit; cum verò in altum prouehuntur, omnem abijciunt metum, neque maximæ tempestate turbantur: sic homo, cùm primùm se vitijs dedit, conscientiæ stimulis agitatur, Deum timet, ac terribile eius iudicium reformidat: cùm autem iam prauitati assuefactus est, nihil timet, nec aliquod eum supplicium à turpitudine deterret.* *Prou. 18. 3.* *Impius*, inquit Salomon, *cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* At quid contemnit? sacrorum certè concionatorum voces, minas ac supplicia, in sacris litteris sceleratis hominibus propósita, spernit, & mortis infernique pœnicula nihili facit, ea denique, quæ priùs vehementer timebat, nullo modo veretur. Audite ergo auditores Spiritus sancti consilium, *Ante languorem*, inquit, *adhibe medicinam, & ante iudicium interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem.* Medemini, quæso, principijs obstantes, & animi vulneribus crimina ritè expiantes, ac pœnas pro sceleribus suscipientes: sic enim ante iudicium flagitiorum veniam obtinebitis, & gratiam atque immortalem deinde gloriam assequemini. Amen.

Eccli 21.1

B

C

D

ADDITIO.

S Hilar. in psal. 136. mihi p. 231. S. Anct. Hilarius. *Vitia corporis non sunt sinenda coalescere, sed in exordijs statim enecanda sunt. Periculosæ sunt iam robustæ cupiditates, & difficulter adulta quæque perimuntur. Leuius autè est prorumpentes auellere, teneras excidere, flexiles retorquere.*

S Ambrosius in psal. 1. S. Ambrosius.

An ignoramus quod tantam vim habeat inueterata consuetudo peccandi, vt excludat naturam? quæ cùm sit medicabilis ad salutem, tamen corroborata tempore, passionibus immedicabilis inuenitur. Non ergo permaneamus in vitijs, sed vnusquisque, etiamsi fuit, exiliat à culpa, sicut scriptum est de muliere meretrice.

Prou 5. Ne intendas in eam oculum tuum, sed exili. *Ne moreris, exili, antequam te auni inuentutis inueniant. Sed (quod grauius est) plerique luxuriem corporis nec albenti erubuere canitie, & vsque ad senectutis ætatem viam produxere maculosam. Intimis enim concepta visceribus lues culpæ, processu temporis coaceruatur.* Et paulò pòst. *Cauenda ergo prima sunt vitia, ne in plura deinde grauiora proserpant. Etenim sicut is, qui se in luto versant, quò magis volutantur, eò amplius inquinantur; ita qui semel se luto improbitatis asperserit, nisi ab eo velociter exiliat, grauius sibi deddecoris cœnum per singulos dies lutulentæ conuersationis obduxit. Itaque grauis odore tractæ illius, ac flagitiosæ voraginis contrahitur quædam amarum pestilentia, corruptoque salubrium cogitationum spiramine lues æstuantium passionum miseranda grassatur. Hinc lethale se mentibus virus infundit, hinc subrepit ægritudo corporibus, languor animis.*

Crescentia vitia consummemus, quorum finis est, alia vitia non facere, & exordium salutis præteritorum ultimo: finis enim principium vitæ bonæ, facere iusta; sic exordium cessationum peccatorum, eorum impetus cohibere, dum aut ratione vi franantur, aut metu ad præcipitia non veniunt. Cumque leue fuerit recordatio in animo, illico fugiunt, & cessantes vltra procedere, in triumphantium virtutum tuta concedunt. Postlatimque pœnitendo referentes pedem, & sapientum indicium declinantes, instar fumi, resolumtur in nihilum. Difficile est autem nantur mala, quæ non fiatim, vt crescere cœperunt, opprimuntur. Facilis est eorum eradicatio, cùm, qui dudum peccauerunt, per pœnitentiam ad prudentiam conuertuntur, & sine pœnitendi emolumentum inuenerint pœnitendi.

Consuetudinem esse alteram naturam, expertus *Vitas Patrum* fuit olim S. Dorotheus, qui hæc de quodam refert *Dorotheus* Monacho.

Cum essem in cœnobio, consueuerant fratres omnes cogitationes suas ad me deferre, vel per iocum vel per quandam simplicitatem, ita vt etiam Abbas hanc mihi curam consilio seniorum imponeret. Die igitur quadam ad me venit vnus è fratribus postulans pœnitentiam, quia furtim surripio & comedo. Quæ ad me interrogatus quare id ageret, respondit se fame vrgeri, nec posse ad mensa cum reliquis saturari. Hortabar vt id Abbatem significaret, ille autem pudore teneri se dicebat. Ego igitur abbatem adij, & fratris fragilitatem aperui, qui mihi omnem eum curam commisit, eum sedulò curarem, vt mihi visum esset. At ille recessi è vestigio ad cellariotam, imperauique illi, vt quacumque horâ edere vellet, nihil ei negaret, omnia præstaret. Sicque, vt imperaueram, agebat. Dies itaque aliquot cauit à furto frater; verùm non multò pòst ad me veniens, cum lacrymis venium poscebat & deprecabatur, quia adhuc ad furtum priscum redijsset. Ad hunc ego conuersus, scisciebatur hoc cur faceret, aut à quo pateretur repulsam aliquam à cellariota. Negabat ille quicquam sibi deesse, sed vereri & erubescere cellariotam illum. Ego tunc ab eo quærere cœpi, an de me erubesceret, quod cum negasset, inst vt deinceps ad me accederet, & à me solo necessaria caperet, neque furtim amodo quippiam abriperet. Erat autem tunc fortè nihil cura infirmorum. perseuerauit igitur apud me aliquot dies absque furto, egoque illi deesse nihil patiebar. Non multò autem pòst, vt primùm, lacrymans ad me venit, & ad furtà redijsse denuo confitetur. Interrogo rursus quare id faceret, cùm & de me non eri beseceret, & nullam mediam, aut necessitatem pateretur. Respondit simpliciter: pescere se quare, aut quo pacto id faceret, sed id esse ex quadam mala consuetudine: quæ etenim suaretur, non sibi ipsi reseruare, sed asino apponere; atque ita inuentum est; fabas, palmulas, ficus, cepas, & quidquid aliud inueniret, ab eo asino apponi. Nam cùm illa surripuerat, lecto supponebat, cumque iam putrefacere inciperent, insciis quid de his ageret, asino obijcebat.

PROP. II. *Consuetudo peccandi sensum & remorsum conscientiæ tollit.*

SEneca epist. 53. *Pedes dolent, articuli punctiunculis sentiunt, & adhuc dissimulamus, & aut talem exarsisse dicimus, aut in exercitatione aliqua laborasse. Dubio, & incipienti morbo quæritur nomen, qui, vt talaria cœperit incendere, & vtrosque pedes ferierit, necesse est podagram fatere. Contra eunnit in his morbis, quibus animi afficiuntur, quò quis peius se habet, minùs sentit.* Ita Seneca. *Dissimulant*

Sanct. Chrysost. hom. 22. ad pop. *Peccatorum consuetudo lapsum in peius trahit. si purum habes vestimentum Simulacues*

taues ne pessundes omnino,ne quo modo sordidetur: si primam, A secundam,& tertiam contempseris maculam, iam velut sordidum habens vestimentum, non videtur graue, licet totum fiat luteum. Orationibus igitur opus est, ne quando offendamus ad lapidem pedem nostrum. Ita Sanct. Chrysost. quasi dicat, idem accidit peccatori:nam cùm peccare incipit,facilè se peccasse cognoscit & dolet peccatis verò assuefactus, nec dolet nec peccasse se animaduertit.

Prop. III. *Consuetudo vitiosa paulatim tollenda & superanda.*

ysost. Sanct. Chrysost. hom. 10. ad Romanos : *Et quomodo iniquus,& peccator ad pristinum gratiæ statum reuertar ? rem tantum aggreditur, & compleuerit totum : nam sicut eger,cum morbus non ingraueſcit, tunc sanitas incipit ; sic in vitio,si vlteriùs non processeris, & finem malitiæ imposueris. quod si hoc duos dies feceris,tertio facilius abstinebis, ac si post* B *dies tres,decem addideris, fiet vt viginti deinde addas, ac centum deinceps , tum autem vitam omnem. quantò enim magis progressus fueris,eò magis facilem viam offendes, & postremò in ipso fastigio constitutus , bonorum multorum fructum decerpes.* Ita Sanctus Chrysostomus.

Prop. IV. *Consuetudo peccandi difficilè sanatur.*

3.23. NVllis verbis hoc meliùs augeri potest, quàm illis, *Si mutare potest Æthiops pellem suam , aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere,cum didiceritis malum* hoc est , cùm praua consuetudine vestra confirmaueritis peccata. Vbi S. Theodoretus : *Verus profectò sermo , consuetudo est altera natura. omnia enim quæ longa consuetudine animus comparauit, paria censentur cum naturalibus.* Ita ille. Sed tamen hæc per hyperbolem dicta
r. 13. sunt,sicut illud : *Facilius est camelum intrare per foramen* C *acus,quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* hoc est, difficillimum est, impossibile prorsus per naturam est , Æthiopem ex nigro in album conuertere, quouis adhibito labore : impossibile etiam est pardi varietates auferre,quantumuis intimè & profundè ad radices vsque pilorum tondeatur. Ad hunc modum abluere animam à peccatis consuetudinis , & radere vitia à corde, illis longo tempore assueto, pænè impossibile videtur : sed quia auxilium sufficiens nemini denegatur , dum viuit, non impossibile simpliciter , sed impossibile per hyperbolem est,hoc est,perdifficile valdè est, & diuinâ gratiâ plurimùm egens. resistit enim longa consuetudo animo volenti & conanti à peccati consuetudine resilire, & vix vnus è centum , sic contra vim consuetudinis conatur,vt de facto consuetudinem prorsus vincat.

Non igitur oscitanter & negligenter conuersionem suam attentet,qui se mala & longa vitiorum consuetudine videritpræpediri,turbare seipsum debet, fremere spiritu , & vires cordis exerere opus illi est. Vnde S. D
id. Augustinus. *Attendite* , inquit, *significationem,magnus reus est quem mortis quatriduum,& illa significat sepultura. Quid est ergo quòd turbat semetipsum Christus , nisi vt significet tibi, quomodo turbari tu debeas , cùm tanta mole peccati grauatus ?* Ita ille. Vbi ergo sunt qui de diuina pietate ac misericordia præsumentes , peccatis peccata cumulant,& dicunt : Pius est Dominus,omnium peccatorum meorum miserebitur , quotiescumque inuocauero eum. Siccine pessimæ & induratæ consuetudini adhibes remedium ?

Quid igitur agendum ? quod vel Ethnicos monuit Ouidius,dicens:

Principiis obsta, sero medicina paratur
Cum mala per longas inualuere moras.

3 Reg 7. Dauid fortissimum gigantem interfecit. quî potuit iuuenis virum robustissimum,puer gigantem , iuermis

vndique armatum, inexpers bellorum, bellatorem virum , diu in castris versatum sic vincere, sic necare ? nimirum quia in capite illum primo vulnerauit , quo nobis Spiritus Domini significare voluit,eum qui difficile adducitur, deprauatam consuetudinem bellum aggreditur , à capite , hoc est, à principio peccandi remedium inchoare debere, hoc est,antequam peccatum ad consuetudinem deuoluatur,interimendum esse. Sicut in corporalibus infirmitatibus principio obstat medicus , quia languor prolixus grauat illum , & difficilè qui eo vexatur curari potest,& sicut arbor diu radicata vix euelli potest , sic etiam vix euelli potest vitium consuetudine radicatum.

CONTEMPLATIO.

Prop. I. *Paucorum est contemplatio.*
2. *Qui perfectus esse desiderat , ad contemplationem aspirare debet.*

Prop. I. *Paucorum est contemplatio.*

Leuit. 1. LEuit. 1. sic Dominus ad populum suum : *Si de auibus fuerit holocausti oblatio Domino , de turturibus aut pullis columbæ, offerat eam sacerdos ad altare.* alias oblationes filijs Aaron commiserat antea Deus , nunc autem sacerdoti vni committit hoc sacrificium turturis vel columbæ. Cur ita ? Isichius in Leuit. c. 1. respondet, volatilia ista viros contemplatiuos designare ; de turture quidem notum est auem esse eremiticam : semper enim habitat in eremo, sicut monachi eremitæ, qui contemplationi vacant. De columba ait Ezechias : *Meditabor vt columba.* Hoc supposito, ait Isichius:*Hanc oblationem vnus sacerdos offert,non multi: non est enim multorum contemplatiua vita, qui scilicet assiduè cælestia contemplentur, & ea quæ sursum sunt sapiant , sicut Apostolus ait.* Ita ille.

Isichius.

Isa 38.14.

Prop. II. *Qui perfectus esse desiderat,ad contemplationem aspirare debet.*

LEuit. 1. iussit Deus animalia sibi offerenda in fruſta diuidi , non tamen si sacrificium de auibus esset. Cur discrimen istud constituit ? S. Theodor. q. 1. in Leuit. *Sicut Abraham volatilia non diuisit* (Gen. 15. n. 10.) *ita nec Legislator ea diuidi iubet. Nam qui volant, Deum toto corde diligentes , non partiuntur animum , collocantes illum part. m in terrenis , partim in cælestibus , sed totum sursum ferunt.* Ita ille. Sic de se fatetur Apostolus & de consortibus suis, *Conuersatio nostra in cœlis est* , scilicet tota.

S. Theod.

CONTRITIO.

Prop. 1. *Ex amore Dei procedit vera contritio.*
2. *Quàm necessaria sit contritio.*
3. *Signum vera contritionis est , se magnum peccatorem reputare.*
4. *Peccator vt sua peccata detestetur , non tanquam propria , sed tanquam aliena considerare debet.*
5. *Contritio remorsus conscientiæ sanat & tollit.*
6. *Vera confessio & pœnitentia ex cordis contritione promanare solet*
7. *Vera pœnitentia exigit dolorem interiorem.*
8. *Quamuis attritio cum Sacramento sufficiat ad veniam procuranda est contritio.*
9. *Contritio veniam obtinet peccatorum.*
10. *Vera contritio facilè exteriùs apparet.*
11. *Quàm Deus in pœnitentia attendat dolorem interiorem.*
12. *Qui lethalia peccata commisit , magnam debet contritionem habere.*
13. *Confessionem comitari debet contritio cordis.*

14 *Contritio maximè conducit ad obtinendum quod in oratione postulamus.*

Prop. I. *Ex amore Dei procedit vera contritio.*

EX amore procedit dolor: tantò enim magis quis dolet se amisisse aliquid, quantò maiori amore illud prosequebatur. Vnde S. Gregorius 1. Mor. 4. *Nunquam sine dolore amittitur, quod cum amore possidetur.* Ita ille.

Hinc tanta sancti sob patientia in tanta bonorum suorum amissione laudatur: amisit enim simul, & semel septem millia ouium, & tria millia camelorum, & quinquaginta iuga boum, & quingentas asinas, & decem filios; & tamen non solùm patienter, verùm etiam gratias agens, & benedicens Deo, omnia tulit. Vbi sic Sanctus Gregorius: *Cum eius substantia magna describitur, & tamen paulò pòst patienter amissa perhibetur, quàm sine dolore perdidit, constat quia sine amore possedit.* Ita ille.

Sed manifestiùs hoc ex 3. Reg. 3. patet, vbi duabus illis mulieribus super filio litigantibus, sic Salomon sententiam tulit. *Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri. Dixit autem mulier, cuius filius erat vivus, ad regem: (commota quippe sunt viscera eius super filio suo.) Obsecro Domine, date illi infantem vivum, & nolite interficere eum.* E contrà illa dicebat: *Nec mihi, sed tibi sit, sed dividatur. Respondit rex & ait: Date huic infantem vivum, & nou occidatur: hæc est enim mater eius.* Vnde, quæso, collegit Salomon, illam esse veram matrem? ex amore in puerum; amorem autem cognouit ex dolore matris eius; alteram verò iudicauit matrem non esse, quia eam vidit puerum non amare: quòd autem illa non eum amaret, inde deduxit, quòd ob eius mortem non doleret; dolor ergo est magnum argumentum amoris.

Nunc ad rem, si quis peccauit, & non dolet, se Deum offendisse & amisisse, manifestè ostendit, se non diligere Deum; quia si eum, vt par est, amaret, doleret de offensa eius, & amissione eius. Si amas, ô peccator, cur non doles? si doles, cur non lacrymaris? *Lacrymæ*, inquit S. Greg. Nyssenus Oratione de Placilla, *sunt tanquam sanguis vulnerum animæ.* Rectè, nam sicut ex vulnere brachij, verbi gratiâ, profluit sanguis; sic ex vulnere cordis, & dolore eius, lacrymæ fluunt.

Plorabat Christus Dominus super Lazarum mortuum, & dicebant astantes: *Ecce quomodo diligebat eum,* & ex lacrymis dolorem, ex dolore verò amorem Christi in Lazarum colligebant. Tu Deum offendisti, & non doles; indicium est quod eum non amas. Psalm. 118. *Errauì, sicut ouis quæ perìt: quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* Ouis, quæ errat, gemit: ouis Christi eras, ô peccator, si nosti peccare, gemere scito, & dicemus verè diligere te pastorem tuum.

Prop. II. *Quàm necessaria sit contritio.*

SAnct. Chrysost. hom. 5. super 2. epist. ad Cor. laudans opera pœnitentiæ, quæ fideles tempore Quadragesimæ, v. g. faciunt, inquit: *Complures nouì, qui se quidem peccata sua deflere aiunt, at interim nihil magni operantur, verùm ieiunant, & vestes asperas gestant, caterùm maiori pecuniarum cupiditate flagrant, quàm caupones, irâ magis corripiuntur quàm feræ, & obtrectatione magis, quàm alij laudationibus delectantur: pœnitentia ista non sunt, pœnitentia ista larua & vmbra sunt. ob idque ad huiusmodi homines illud vsurpare licet: Videte ne circumueniamur à satana. Non enim eius cogitationes ignoramus. alios quippe hostis per peccata, alios per pœnitentiam perdit, dum videlicet nullum eos ex pœnitentia fructum percipere finit. Nam cùm quibusdam recta, & apertâ viâ perniciem asserre nequit, alteram viam init, sicque se comparat, vt labores quidem augeat, fructum verò adimat, ipsisque hoc persuadeat, vt, tanquam omni ex parte officio perfuncti, reliqua negligant. Quocirca ne incassum nos ipsos vexemus, breuem de hoc orationem habemus. Præcautum est, ieiunare, & humi cubare, sed, nisi alia insuper accesserint, nulla hinc vtilitas consequetur. Peccauerunt Ninuitæ, & ea fecerunt quæ vos facitis, sed videamus quidnam fecerit, quod eis vtilitatem attulerit. Sicut enim medici multa quidem remedia ægrotis adhibent, sed qui sagaci ingenio est, non hoc perpendit, quòd hoc, vel illo medicamento vsus sit is, qui adiuta valetudine laborat; sed quam vtilitatem hinc sit consecutus; sic & nos modo. Quid igitur Ninuitis emolumento fuit? vulneribus suis ieiunium adhibuerunt, & quidem gradum adunxerunt vitæ mutationem. Videamus igitur quodnam horum attulerit sanitatem. Vidit, inquit, Deus, quòd conuersus est vnusquisque à via sua praua, & pœnituit eum malorum quæ locutus fuerat, vt faceret eis. Non dixit: vidit ieiunium, aut cilicium, aut cinerem. non hoc dico, vt ieiunium tollam (auertat hoc Deus) sed vt vos ad id quod ieiunio præstantius est, faciendum horter, hoc est, vt ab omni vitio abstineatis.* Ita S. Chrysost. Hoc igitur est contritionis munus, & pœnitentiæ, & conuersionis veræ, vt de præteritis quis doleat se Deum offendisse, & in futurum proponat eum non offendere ampliùs.

Leuitic. 5. præcepit quidem Dominus in sacrificijs similæ oleum, & thus simul apponi: at in sacrificio similæ pro peccato exhibito, ait: *Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est.* cur ita? In alijs sacrificijs, quæ non sunt pro peccato, oleum & thus adhibentur, & non in eo, quod pro peccato est? Origen. *In sacrificijs* (inquit) *quæ sunt pro peccato, nec oleum lætitiæ, nec thus suauitatis imponitur: de peccatoribus enim ait Apost. Vt lugeam eos, qui antea peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam. nec odor suauitatis in eo est, quia ex persona dicitur peccatorum: Futuerunt, & corrupta sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Ita Origen. Vt clariùs id exponamus, audi quid ibidem dicat Nicolaus de Lira: *Non mittebant oleum nec thus in illo sacrificio pro peccato, quia, vt nostri Doctores dicunt, per oleum designatur diuina misericordia, per thus verò, quod est odoriferum, acceptio diuina: & ideo in oblatione pro peccato non ponebant oleum, nec thus, quia peccator non debet seipsum assecurare, quòd peccatum sit sibi dimissum, vel munus suum sit acceptum, sed semper timere debet.* Ita ille. Ratio autem huius est, quia nemo sit an verum habeat, & sufficientem dolorem, sine quo nec sacrificia illa sufficiebant, nec confessio nostra sufficit ad salutem.

Prop. III. *Signum veræ contritionis est, se magnum peccatorem reputare.*

QVi magnum aliquem patitur dolorem se reputat super omnes alios, qui doloribus afficiuntur, maximè affectum, qui capitis dolore vexatur, dicet: Nullus vnquam maiorem sensit dolorem, qui stomachi, hic, inquit, est dolorum maximus: doloris sensus opinionem auget doloris. idem etiam est de peccatorum, & culparum dolore: sicut enim qui grauì afficitur dolore corporali, se primum in tali reputat dolore; sic qui culparum afficitur dolore, se maximè peccatorem esse arbitratur.

Huius rei exemplum in Apostolo Paulo habemus, qui, *Fidelis*, inquit, *sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, 1. Tim. 1. quorum primus ego sum. Primus*, hoc est, maximus omnium. ita interpretatur S. Augustinus serm. 9. de verbis Apostol. & in Psalm. 70. vbi ait: *Quid est, quorum primus ego sum: antecedens omnes, non tempore, sed magnitudine.* eodem modo interpretatur S. Anselmus super hunc locum, & Oecumenius, & Theophylactus; ideo enim speciatim præmiserat Paulus

lus: *Qui priùs blasphemus fui & persecutor,* & contumelio- A
sus, &c.

Sed dices, quomodo, se peccatorem maximum potuerit Paulus reputare, cùm sciret Iudam peiorem fuisse, & etiam Annam & Caypham, &c. S. Thomas super hunc locum, respondet: *Non vellet dicere Apostolum se esse omnium peccatorum primum, & maximum prorsus absolutè, sed respectu eorum, qui persecuti fuerant Christum, & postea conversi fuerant ad Christum, & salus facti erant à Christo.* Alij verò, propter rationem propositam à nobis in hac propositione, quia scilicet, sicut qui graui aliquo dolore laborat, dolorem illum omnium maximum per quandam hyperbolem esse dicit; sic Paulus, quia grauitatem suorum peccatorum expendebat, & ponderabat, & maximum dolorem inde concipiebat; ideo se omnium peccatorum primum, & maximum esse dicebat. ergo qui peccata sua verè ponderat, & expendit, ita se peccatorem esse dicet, vt se omnium primum esse fateatur. quòd si se non ita peccatorem magnum reputauerit, signum est, se non ita vehementem de peccatis B
suis dolorem & contritionem habere.

Prop. IV. *Peccator, vt sua peccata detestetur, non tanquam propria, sed tanquam aliena considerare debet.*

TAnta est proprij amoris vis, vt non solùm se homo amet, sed etiam sua: amabile enim bonum, vnicuique autem proprium: imò & peccata sua diligit homo, defendit, & tuetur. & hinc est, quòd, cum pœnitentiam facere debeat, aut velit, difficilè doleat de peccatis. Quare, qui dolere desiderat, peccata sua mente à se remoueat, & quasi aliena consideret, & tunc grauitatem eorum facilius agnoscet.

Peccauerat grauiter Dauid adulterium perpetrando, quem vt Nathan ad vehementem dolorem excitaret, parabolam illam duorum virorum adinuenit, in qua peccatum ipsius Dauid in aliam tertiam transtulit C
2. Reg. 12. personam, & sic iudex delicti rectiùs dixit: *Viuit Dominus, quia filius mortis est vir qui fecit hoc, ouem reddet in quadruplum. cui* Nathan: *Tu es ille vir: illico* autem Dauid tactus dolore cordis intrinsecus, dixit: *Peccaui Domino,* tanta quidem contritione, vt meruerit audire: *Dominus transtulit peccatum tuum* Expendit locum istum S. Chrysost. hom. 1. in Psalm. 50 tomo 1. dicens: *Sumpto medicinali ferro, ingressus est Nathan ad Dauid, vt fecet vlcus: verùm illud minimè indicat agroto, ne curationem fastidiat. occultat illud, non sub veste, sed sub fitæ narrationis inuolucro. Non enim dixit: ô flagitiose, ô adulter, ô carnifex: sed, litem habeo, ô rex, audi me. Duo viri, &c. irâ incensus est rex: existimabat enim se alienam litem disceptare, & iustam sententiam pronunciaui. Tunc latuam abiecit Nathan, ferrumque detexit, & ait: Tu es rex qui hoc admisisti. quid igitur ille? Peccaui Domino,* inquit. ita S. Chrysost. Vide Abulensem 2. Reg. 12. quæst. 2.

Rectè S. Bernard. serm. 4. de Aduentu: *Quidam tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, vt videri possint* D
vsurpare, & sitire iustitiam, si esset apud eos de suis quoque peccatis iudicium idem: nam contra alios tam imprudenter, quàm inaniter æstuant & seipsos tam insipienter, quàm inutiliter palpant. Ita S. Bern. Qui eadem habet lib. de inter. domo, cap. 42. & 43. Potuit dicere quoque perniciosè, nam, dum se palpant, se non agnoscunt, & peccata non accusant, sed excusant, &c.

Prop. V. *Contritio remorsus conscientiæ sanat & tollit.*

AVthor quidam grauis, *Memini* (inquit) *iuuenem fuisse Ferrariæ prosperæ valetudinis, vitumque præstantem, & decorum, subitò egisse animam: consilio medicorum aperta sunt eius viscera, & compertum est vermem inesse illi ad* A
cor, abstractus est vermis, & in multis vobis periculum factum est, multaque medicinæ adhibitæ sunt, quibus extinguendus immittebatur vermis, & nihil repertum est, quo interire posset, præter vnum fuscum capæ, & eo pacto cognita fuit antidotus illius morbi. Ita ille. Nunc ad rem: vermis est mala conscientia, quæ morsibus suis cor hominis rodit, & vehementer cruciat, & torquet: huius morsus antidotus est est succus capæ. Notum est, quòd hic succus lacrymari facit: vnde meritò pœnitentiæ ac contritionis symbolum est. Huiusmodi ergo succo & pœnitentiæ remedio sanatur huius vermis conscientiæ morsus.

Prop. VI. *Vera confessio & pœnitentia ex cordis contritione promanare solet.*

PEccarunt quondam Niniuitæ, & pœnitentiam fecerunt, iciunarunt, & saccis se induerunt, & alia huiusmodi opera pœnitentialia adhibuerunt. Sed quid de huiusmodi pœnitentia senserit Deus, audiamus: *Vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala:* Iona 3.
& misertus est Deus super malitiam (hoc est, supplicium) 12.
quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit. Non dixit tantùm: vidit ieiunia, vidit cinerem super capita eorum, vidit cilicia super carnes eorum, sed *quia conuersi sunt de via sua mala.* conuersio hæc animi conuersionem importat, auersi erant à Deo, non corpore. sed corde. Cordialis igitur conuersio eorum fuit, hanc respexit Deus. Placuerunt quidem Deo illa opera exteriora, sed tamen complacentia hæc Dei ex conuersione interiori principium & causam habuit. Sunt quidem multi inter Christianos, quorum pœnitentia nec cum illa Niniuitarum valet comparari: cùm enim Quadragesimæ tempore ad confessionem accedunt, confitentur quidem, sed veluti coacti, & non ex intimo dolore cordis confitentur: quia vrget eos Ecclesia, non solùm præcepto, verùm etiam excommunicationis & anathematis pœnâ, & quia in maximam notam & dedecus incidерent, nisi tunc, sicut reliqui omnes fideles, confiterentur. vnde nisi ita Ecclesia & honor eos vrgeret, nec per decennium, vel etiam vsque ad mortem, numquam ad confessionem accederent. Contra hos surgent Niniuitæ in iudicio, quia, cùm barbari illi essent, ad prædicationem Ionæ pœnitentiam ex corde fecerunt; hi verò cùm Christiani sint, pœnitentiam non ex corde faciunt. Deus autem non irridetur, non fallitur, nouit abscondita cordis, neque ista exteriori pœnitentia contentus manet. Sicut prudens medicus, qui remedia adhibet infirmo, non solùm perpendit, quòd hoc vel illo medicamento vsus fuerit æger, sed quid intus in stomacho, in hepate, in venis, operantur remedia, & an intentam vtilitatem fuerit consecutus. Sic etiam Deus, qui animarum nostrarum sapientissimus medicus est, non solùm attendit an remedijs exterioribus confessionis, & communionis, quæ nobis iniunxit, vsi fuerimus, sed an etiam interiùs eam hæc Sacramenta operata sint vtilitatem, quam ipse eorum institutione intendit.

Vnde per Ioelem, *Conuertimini,* inquit, *ad me in toto* Cap. 2. 12.
corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu. Obserua duo, quæ hic exigit Deus. Primum & principale est conuersio ex toto corde, & quia Deus opera pœnitentialia exteriora non repudiat; subdit secundum, in ieiunio, & fletu, & planctu, hoc est, hæc oportet facere, sed illa non omittere. Si quis maximum dolorem exteriorem ostendere volens, scindat vestimenta sua, sicut Iob, audita morte subita omnium decem filiorum suorum; si interiùs verus abest dolor, demõstratio hæc exterior pro nihilo reputabitur. Vnde subdit Ioel: *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. non pensèis, que me llenan el ojo, y que me satisfacen essas muestras exteriores. Aquila real soy, que me sustento de corazones. buena es la penitencia exterior, pero es menester que proceda de la*

interior. Hoc quidem ostendit causam, propter quam Beatæ Mariæ semper Virgini, &c. propono, inquit, me non amplius peccaturum, &c. & tamen cordis contritione caret. Sic Saul, *Peccaui*, inquit exteriori voce, sed interius non doluit: ideo enim Deus, qui intuetur cor, quippe cor contritum & humiliatum nunquam despicit, si non pepercit: vera autem pœnitentia naturam imitatur, quæ interiora præuenit, & in hominis formatione à cordis incipit vita. Sic vera pœnitentia, quæ vitam gratiæ in nobis formet, seu reformet, à corde incipit illam communicare, dum à pœnitentione incipit cordis. Sicut in Dauide patet, qui tanta cordis contritione protulit verbum illud, *peccaui*, vt dixerit illi Propheta in nomine Domini, *Dominus transtulit peccatum tuum.* Attendat igitur, qui pœnitentiam legum mam agere optat, ad interiora cordis sui, & ad exco sua pœnitentia proficiscatur, aduertat, & cætera.

2. *Reg* 12. 13. 1 *Reg.* 15. 24. dixit Dauid: *Peccaui*, dixit & Saul: *Peccaui*, & tamen Dominus pepercit Dauidi, & non pepercit Sauli. Audiuit Dauid, *Dominus transtulit peccatum tuum*, quod non audiuit Saul, cum maius esset Dauidis peccatum, & minus Saulis. numquid acceptor personarum est Deus? cur non vtrique pepercit, vel vtrique veniam negauit? nimirum quia Dauid ex corde pœnituit, non verò

2 *Reg.* 15. 30. Saul, qui cùm diceret: *peccaui*, illico adiecit, dicens ad Samuelem: *Peccaui, sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel.* Ecce cordis labem. Hinc didicit Dauid quod scriptum reliquit, cùm Deo agens de pœnitentia, *Si voluisses sacrificium, dedissem vtique, holocaustis non delectaberis, sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Vbi Cassiodorus: *Ideo dicit, dedissem vtique, quoniam facilè potuisset rex pro peccatorum expiatione sacrificia pecudum offerre, si holocausta Dominus libenter assumeret: sed statim dicit quæ Deus poscit:* sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, *&c.* spiritus contribulatus, *non sola caro contribulata tibi placet: nam caro contribuitur, quia terrena, quæ optat, non habet, spiritus verò contribulatus de culpa, eò quòd sit contra Deum, quem amat: dolet enim se suum creatorem & Saluatorem offendisse.* Ita ille.

Ps 50.18.

B

Huiusmodi cor contritum & humiliatum habuit B. Magdalena in conuersione sua, ostendit quidem magna doloris signa: accessus enim ille in domum Pharisæi, cùm non esset illa vocata, nec tempus ad pœnitentiam illam aptum uideretur, lacrymæ illæ copiosæ, effusio vnguenti pretiosi, tersio pedum capillis suis, quos in magno habebat pretio, omnia illa pœnitentiæ magnæ opera erant: sed ad interiora respiciens Christus,

Luc 7. 47. dixit: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* non dixit, *quia ploraut multum, & quia multum vnguentum effudit*, &c. sed, quia intus in corde dilexit multùm. licèt enim opera illa externa placerent multùm Christo, tamen sine interiore illa contritione, quæ ex amore in Deum procedebat, non ita illi placerent. Si vis igitur, ô pœnitens, pœnitentiam tuam Deo gratam esse, cor contritum hoc & humiliatum habere procura, &c.

C

Hom 4. *sup.* 2. *ad Cor.* 2. Vnde Sanct. Chrysost. *Cùm peccaueris, ingemisce, non quòd pœnas daturus sis, sed quòd Dominum tuum offenderis, tam benignum. tam te amantem, tam denique saluti tuæ appensum, vt filium quoque suum tradiderit causâ tui.* Ita ille.

D

PROP. VII. *Vera pœnitentia exigit dolorem interiorem.*

VEra & legitima pœnitentia ab intimo cordis procedit, falsa verò tantùm est ab extra. Hæc quidem inter artem & naturam differentia reperitur, quòd ars ab extra, natura verò ab intra procedit. depingit in tabula pictor imaginem aliquam, imago quidem illa non penetrat tabulæ substantiam, sed extra manet in superficie: in solis enim exterioribus manet; natura verò, si hominem facit, à corde incipit, ei vitam motumque præstans, & à corde vita ad exteriora procedit. Hæc quidem est inter veram falsamque pœnitentiam differentia: falsa enim, & velut artificiosa pœnitentia, in exterioribus sistit apparentijs, non penetrat interiora. confitetur fictus, &, ceu pictus pœnitens, percutit pectus. Peccaui, inquit, confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, &c. propono, inquit, me non amplius peccaturum, &c. & tamen cordis contritione caret. Sic Saul, *Peccaui*, inquit exteriori voce, sed interius non doluit: ideo enim Deus, qui intuetur cor, quippe cor contritum & humiliatum nunquam despicit, si non pepercit: vera autem pœnitentia naturam imitatur, quæ interiora præuenit, & in hominis formatione à cordis incipit vita. Sic vera pœnitentia, quæ vitam gratiæ in nobis formet, seu reformet, à corde incipit illam communicare, dum à pœnitentione incipit cordis. Sicut in Dauide patet, qui tanta cordis contritione protulit verbum illud, *peccaui*, vt dixerit illi Propheta in nomine Domini, *Dominus transtulit peccatum tuum.* Attendat igitur, qui pœnitentiam legum mam agere optat, ad interiora cordis sui, & ad exco sua pœnitentia proficiscatur, aduertat, & cætera.

PROP. VIII. *Quamuis attritio cum Sacramento sufficiat ad veniam, procuranda est contritio.*

CVm Esther à rege Assuero misericordiam impetrare populo Israelitico vellet, ante faciem regis duabus puellis commitata incessit, alteram à latere, luper quam quidem innitebatur, alteram verò à tergo ducebat, & sic ingressa, quod desiderauerat tandem obtinuit. Sic nos à Deo pro peccatis nostris misericordiam obtinere niti debemus, duobus concomitati doloribus, contritione primùm, quæ à latere nostro sit, super quam innitamur: veniat, non renuo, simul attritio, sed non super hanc iuuitamur, non præcedat illa, sed sequatur.

PROP. IX. *Contritio veniam obtinet peccatorum.*

VIde miraculum: dolor contritionis ex peccato est, quia propter peccatum est: si non esset peccatum, non esset pœnitentia; & tamen remedium peccati est, sicut qui ramo alicuius arboris, arborem ipsam accenderet, & combureret, sic cùm pœnitentiæ ramus ortus ex radice peccati sit, peccati truncum consumit.

Vnde sicut Dauid & Iudith, ille Goliath, hæc Holofernis caput proprio mucrone abscidit; sic pœnitens lacrymis, dolore, & pœnitudine (quæ omnia peccatum introduxit) peccatum destruit.

Timebant Israelitæ Ægyptios retro venientes armatos, at postea aquis suffocatos ad littora mare deiecit, à quibus Israelitæ arma desumpserunt, quibus contra hostes pugnarunt, & obtinuerunt salutem ex inimicis; sic lacrymis, ac dolore, & tristitiâ, & pœnitudine, quibus peccatum torquere nos videtur, velut armis à nobis assumptis, contra aëreas potestates, & culpas militamus.

Matth. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Si res ita se habet, vt qui luget beatus sit, beati omnes, qui in hac vita nascuntur: quis enim est qui non lugeat abundanter? imò vix nati fumus, cùm iam cœpimus lacrymari, siue quis pauper, siue diues sit. Non solùm diues, sed rex gloriosus fuit Salomon, filius magni regis Dauid, qui de seipso *Ego*, inquit, *natus vo-* *Sap.* 7. 3. *cem primam similem omnibus emisi plorans.* Nota: *similem omnibus*; omnes ergo nascendo ploramus, nimirum quia ad lacrymas nati sumus: vnde & mundus iste vallis dicitur lacrymarum, *In hac lacrymarum valle*, dicimus quotidie.

Bernard. Hinc S. Bernard. serm. in feria 4. hebdomadæ sanctæ: *Primam vocem plorationis emittimus, & meritò quidem, vtpote vallem plorationis ingressi.* Ita ille: qui enim hæreditatem aliquam adit, primò possessionis actum aliquem exercet, verbi gratiâ, si domum hæreditauit, aperit, &

rit,& claudit ianuam eius,vt ita possessionem obtineat domus. Hæreditas lacrymarum à primo parente nobis est transmissa : vnde, cùm primùm vitam ingredimur, lacrymis actum possessionis exercemus.vnde rectè Euripides:

Lacrymans fum natus, sed & lacrymans morior.

Eurip. *In lacrymis vniuersam comperi vitam*,hoc est,lacrymando nascimur,lacrymando viuimus,& lacrymando morimur.si ergo beati qui lugent,beati omnes.

Respondet S.Hilarius can.4.in Matth. *Lugentes non dicuntur orbitates,aut contumelias, aut damna mœrentes, sed peccata vetera flentes,hoc est,non qui pœnas, sed qui culpas lugent, hi sunt lugentes; de quibus hic Christus.* Vbi obserua, quòd non dixit S. Hilar. formaliter , non qui lugent, sed qui culpas lugent.hi beati,sed hi sunt lugentes, & meritò:hi soli enim lugentes dici possunt:cur ita ? nónne qui orbitatem , & iniuriam luget , verè lugens est ? minimè,quia luctus,non ad pœnas , sed ad culpas est à Christo Domino institutus:sicut otiosus dicitur , non B solùm qui nihil agit , sed qui impertinenter agit. Loquentem inutilia dices otiosa loqui ; sic quia inutiles sunt lacrymæ, quæ pro pœnis emittuntur, vtiles verò, quæ pro culpis,ideo illi verè non lugent,sicut istiusicut etiam medicus ille, qui non debitam & proportionatam seu requisitam medicinam applicat infirmo, nequaquam illum curare dicetur. Lacrymæ in peccatorum remedium institutæ sunt,non in pœnarum medelam; non ergo luget propriè , qui pœnas luget , sed qui culpas,vnde S. Chrysost. hom.5. ad popul. *Multatus est quispiam pecuniis,tristatus est,multam non emendauit, filium amisit,doluit, sed filium non resuscitauit , neque defuncto profuit; in aegritudinem quis incidit,doluit , sed non fustulit aegritudinem,imò difficiliorem reddidit eam. Peccauit autem quis, tristatus est, & peccatum deleuit,& debitum dissoluit.* Ita ille. Meritò ergo S.Hilarius illum reputat flere , qui peccata luget,reliqui flent,tanquam non flentes. Quod rectè confirmant verba illa. *Vox lamentationis audita est in* C *Sion : Quomodo vastati sumus,& confusi vehementer ? Audite ergo mulieres verbum Domini , docete filias vestras lamentum & vnaquæque proximam suam planctum.* Quid ais Prophetaauditam, inquis, de Sion vocem lamentationis , & postea planctum docendum dicis ? quid opus est docere,quod & mala ipsa docent,& iam effectum asseruisti? ita , quia vox illa *lamentationis* propter malum pœnæ fuerat,& non talis est lamentatio, quâ opus erat tunc, sed illa quæ pro peccatis adhibenda erat : hanc docere quidem oportet,quia multi sunt, qui temporalia damna lugere sciunt , pauci qui pro peccatis lacrymas profundere norunt. Ideo ergo cœlestis Doctor nos lugere docens *Beati*,inquit,*qui lugent*, peccata scilicet, *quoniam ipsi consolabuntur*,peccati remedium obtinentes , & gratiam amissam recuperantes.

Quare meritò de huiusmodi lacrymis S. Gregor. Nazian.oratione 3.*Lacrymæ sunt peccati diluuium , mundi expiamentum, iter ad Deum.* Horum duo priora æquiualentia sunt : nam primum alludit ad diluuium illud D vniuersale, quo vniuersa delicta cum delinquentibus, veluti absumpta fuêre.Non loquor modò de remissione peccatorum illorum,sed de cessatione : cessauit tunc mundus à delictis , vnde quasi suffocata dici possunt peccata. sic,imò & meliùs, lacrymæ pœnitentium , & dolentium pro peccatis suis suffocatæ remanent , sicut homines tunc in diluuio illo. quod , vt magis exprimeret , addit mundi expiamentum,hoc est velut lixiuium quoddam , quo animæ purificantur : sicut enim lixiuio purificantur lintea à maculis , quas contraxerint ; sic lacrymis contritionis , seu compunctionis, lauantur animæ à maculis peccatorum. Vnde rectè lacrymas ait esse *diluuium peccatorum & mundi expiamentum.*

Quod in B.Petro constat, qui cùm primùm gallo secundò canente exiuisset ex eo , in quo negauerat lo- A co,& fleuisset amarè , statim veniam sui peccati consecutus , non ad pedes Christi accurrit , nec quid aliud quàm lacrymas fudisse,legimus illum gessisse Vnde S. Ambrosius in Lucam:*Petrus doluit, & flenit, quia erranit, vt homo. Non inuenio quid dixerit, scio quòd flenit : Lacrymas eius lego, fatisfactionem non lego; sed quod defendi non potest,ablui potest : lacrymæ veniam non postulant, sed merentur.* Ita S. Ambros. *Vides quomodo luctus peccati diluium sit, & expiamentum peccatorum ?* *Ambros.*

Hinc Leuit. 12. pro peccato par turturum , aut columbarum in sacrificium offerri iussit Deus. cur non, si aues Deus volebat, aquilam auium omnium reginam ? cur non regalem pauonem, qui sapore & cibi qualitate alijs antefertur ? cur non philomelam , vel canarium, qui cantus suauitate excellit ? cur denique illas auiculas plusplusplusp

ficem electus, & hic esset *discipulus ille, quem diligebat Ie-* A *sus*; neque ille, neque iste tunc inuenerunt. & tamen mulier illa, quæ tãta fuerat in ciuitate peccatrix, & modò conuersa, inuenit Angelos, & Iesum: quare? quia plorauit, & fleuit. Videsne quantùm apud Deum lacrymæ nostræ valeant? Sunt quidem ita ad Deum iter, ita vt quod aliâ viâ à Deo nequimus obtinere, facilè ipsis consequamur. Parum diximus, lacrymas iter esse, quo pergimus nos ad Deum: sunt enim etiam iter, quo Deus venit ad nos. quod vel ex hoc exemplo constabit. Cùm Sanctus Bernardus, vti eius refert historia, preces ad Deum funderet, intensè lacrymis vberrimis cœpit maxillas & vestes rigare, quo sic feruide orante, Merardus eiusdem Monasterij Clarauallis monachus, è cœlo vidit Christum Dominum descendentem, qui cum ad beatum accederet Bernardum, eum amplexatus, & magno temporis spatio sic inter brachia illum retinuit. Quid hoc mirãculo mirabilius? non tam ego miror Deum in cœlum Paulum elcuasse, vbi arcana Dei audiret verba, quàm Christum ipsum de cœlo ad B Bernardum descendisse. Neque enim mirum est regem in regiam subditum aduocare; regem verò ipsum è regia in domum, & hospitium serui sui consultò ire, hoc mirum magis. Cur ergo tanta maiestas sic ad seruum descendit? quia lacrymantem in oratione vidit. Ecce qualiter non solùm iter nostrum ad Deum lacrymæ sint, verùm etiam iter Dei ad nos; qui ergo Deum per gratiam ad se venire vult, ploret.

Chrysost. S. Chrysost. hom. 5. de Pœnitentia: *Rogum peccatorum extinguimus, non iam aquis multis, sed lacrymis paucis, multus quidem peccati ignis, sed modica extinguit eum lacryma: nam lacryma fratres rogum extinguit peccatorum.* Te-

Psal. 6. 7. statur se S. Dauid quantùm lacrymarã virtus posset. Lauabo, *inquit*, per singulas noctes lectũ meum &c. *Si lacrymarũ vbertatem voluisset ostendere, satis fuerat dixisse*: Lacrymis meis stratum meum rigabo; *quare ergo dixit*: lauabo? *vt ostendat lauacrum, & purgatorium peccatorum lacrymas esse. Malorum quidem omnium constat peccatum causam esse,* C *ex peccato tristitia, ex peccato reliqua mala; verùm hoc admiror fratres tristitiam homini tribuens Deus per peccatum, sententiã sententiam soluit: Attende, mulieri minatus Deus, & de*

Gen. 3. 16. *prænarratione pœnam inducens, dixit ad eam*: In tristitia paries filios tuos, *& ostendit tristitiam peccati fructum. Sed ô magnum donum! quod in pœnam dedit, in salutem conuertit: peccatum tristitiam peperit, tristitia peccatum contriuit: & sicut vermis in ligno natus idipsum comminuit: sic tristitia de peccato nata, peccatum comminuit per pœnitentiam*

2. Cor. 1. 10. *inductã. Quare Paulus dicit: Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem immutabilem operatur.* Ita S. Chrysost.

Chrysost. Luc 18. Idem S. Chrysost. tom. 5. hom. 5. de incomprehensibili Dei natura: *Gratias agebat Pharisæus, quia non erat sicut cæteri peccatores, sed ieiunabat, &c. Publicanus verò à longè stans*, Deus (*inebat*) propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus ab illo. *Dicta superarunt facta, & verba vicerunt opera: alter namque iustitiam, ieiunia & decimas proposuit suas, alter verba dumtaxat: quo effectum est, vt numerus ille magnus delictorum deleretur, & omnia peccata Publicani obliterarentur. Non enim verba tantummodo Deus audiuit, verum etiam animum, quem cum humiliatum contritumque aspexit, misertus est.* Ita Sanctus Chrysostom.

PROP. X. *Vera contritio facilè exteriùs apparet.*

Simile. QVomodo, inquies, cognoscam, an vero contritionis dolore cor meum afficiatur? Crede mihi frater, verus animæ dolor facilè se exteriùs prodit: tanta enim est inter animam corpusque conuenientia, tanta coniunctio, & amor tantus, vt, animo dolente, signa interioris doloris corpus exteriùs nequeat dissimulare.

Si quis febre quadam interiùs vexetur, quamuis humor noxius intus in visceribus, vel in secreto venarum exsistat, statim vultus pallore & tristitiâ ipsum corpus illum prodit; sic nimirum vera animi contritio vultu ipso manifestatur. Si in superiori parte domus strepitus aliquis fiat, statim resonat, & resultat ille in parte inferiori; sic, cùm dolor contritionis superiorem animæ *Simile.* partem concutit, eam etiam ipse homo prodit ieiuniis, orationibus, eleemosynis, suspirijs, confessionibus, & pœnitentijs exterioribus: eo enim modo, quo non potest latere amor, non potest latere dolor: vterque namque affectus ignem imitatur, qui absconditi nequit in finu, quin extrà fumum & odorem emittat.

Psal. 83. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Exultatio quidem originaliter intus in corde nascitur, ob vehementiam tamen sui redundat in carnem. Idem etiam de contritione dicendum eli: vehemens enim passio est, & ob sui vehementiam, in carnem debet etiam prodire.

Quid inde? quid? suspicione deceptionis non carere animam illam, quæ dicit se verè de peccatis dolere, & hoc nec lacrymis, nec vultu, nec exterioribus pœnitentijs manifestat. postulet talis à Deo misericordiam, & veram animæ pœnitudinem, ne tam pernicioso errore pereat: si enim opera, & signa exteriora effectus sunt infallibiles affectus interioris, quis affectum doloris magnum, qualis est contritio, se habere audeat affirmare, si nullis exterioribus signis id confirmat: Multùm, inquis, doleo. vbi ergo gemitus? vbi frequens & scrupulosa confessio? Vbi ieiunia? vbi lacrymæ? vbi carnis mortificatio?

Alex. Magn. De Alexandro Magno legimus, quòd, cùm vino ebriatus Clitum sibi amicissimum occidisset, tanto fuit postea dolore percussus, vt se ipsum occidere voluerit. Tu, ô Christiane, Dominum valde te amare affirmas, quantùm in te est, illum iterum qui crucifixti, vt asserit. S. Paulus, imò vero peccando verè in eius mortem conspirasti: nam peccata omnia illum crucifixerunt, quocumque fuerint tempore commissa. Tu igitur peccando Christum occidisti, ebrium te tunc fuisse fateris, & maximo propterea dolore vexari; id igitur operibus oportet comprobare: quomodo poteris igitur hoc celare? quomodo, non dico tibi, verùm & aliis celare?

S. Greg. Vnde S. Gregor. In Mortalibus: *Cum vehemens pœnitentiæ spiritus mentem occupat, omne gaudium pertubat, vt nihil iam nisi flere lubeat, nihil nisi quod terrere possit, attendat.*

Cyprian. Item S. Cyprian. serm. 5. de lapsis: *Agite* (inquit) *pœnitentiam plenam doloris, & clamantis animi probate mæstitiam.*

Ioel. 2. Vnde Ioel. 2. *Conuertimini ad me toto corde vestro.* Sistitne ibi? nequaquam; sed addit, *in ieiunio, & fletu, & planctu*, &c. Quamuis enim essentialis pœnitentia in corde sita sit; signa tamen verè pœnitentiæ illa sunt.

Aug. Hoc enim significat pectoris percussio, quam in generali confessione abhibemus, cùm dicimus, *Mea culpa*, &c. Vnde S. Aug. serm. 8. tom. 10. *Tundere pectus*, ait, *quid est, nisi arguere, quod in pectore latet, & euidẽti pulsu occultum castigare peccatum?* Ita ille. Arguere autem & castigare peccatum conterendo ni fiat, non pœnitentia, sed cæremonia tantùm esset.

Luc 18. 14. Vnde etiam Publicanus Luc. 18. *Percutiebat pectus suum, dicens: Propitius esto mihi peccatori.* Ibi quidem manum admouemus, vbi dolor aliquis est: pectori ergo ille manum admouebat, quia corde dolebat, vnde & veniam consecutus est.

PROP. XI.

PROP. XI. *Qui lethalia peccata committit, magnam debet contritionem habere.*

POnderat S. Gregor. hom. 32. in Euangelia contritionem Beatæ Mariæ Magdalenæ, quomodo in conuiuio, vbi omnia læta, ipsa tam ingentem fletum, & tot lacrymas fuderit, vt rigare pedes Domini potuerit, & perfeueranter doluerit: *Discite*, inquit, *quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubescit.* Ita ille. Et enim quòd peccator in contritione, in qua de grauitate peccatorum, & de magnitudine diuinæ agitur offensæ, abundantes effundat lacrymas, non mirum; at inter epulas tam abundantes effundi, mirandum est. Magna profectò hîc confusio pro peccatoribus, qui non solùm non lacrymantur propter delicta sua, verùm nec intus dolent in corde.

PROP. XII. *Confessionem comitari debet contritio cordis.*

11. IOb 7. sic S. Iob, postquam peccatorum damna exB presserat: *Quapropter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei.* Quem sic interpretatur S. Gregor. 8. Moral. 10. & 11. *Ori suo non parcit, qui confiteri quod fecit, non erubescit: loquitur in tribulatione spiritus sui; quando sic reatum lingua loquitur, vt nequaquam expers à mœroris stimulo per alia spiritus vagetur.* Ita ille. Sunt enim (& vtinam non multi) qui non parcunt ori suo, dum vulnera peccatorum confitentur, sed non loquuntur in amaritudine animæ suæ, quia non verè dolent se illa commisisse. Cuius rei manifestum indicium est, reuersio facilis ad reatum. In persona verò pœnitentis veri, ait S. Iob: *Non parcam ori meo, loquar in tribulatione,* seu contritione, *spiritus mei*: in tali enim persona ait sanctus Gregorius hîc loqui sanctum Iob.

PROP. XIII. *Contritio maximè conducit ad obtinendum quod in oratione postulamus.*

21. GEn. 21. de Ismaele, lethali siti laborante in solitudine, dicitur, quòd *exaudiuit Dominus vocem eius, & protulit illi aquam*, &c. Etenim Ismaël electus tunc erat è domo patris, & fortè ob peccata sua, sicut electio ipsa insinuare videtur: quod si peccator erat, quomodo exauditus fuit? Abulen. *Quia cum videret se Ismael in angustia mortis constitutum, pœnituit de commissis, quia fortè mala cogitauerat contra Isaac, & rogauit Deum pro vita: quem Deus exaudiuit, concedens ei vitam magnam.* Ita Abulens. Est quidem optimum consilium ante orationem actum contritionis habere, vt Deus postulata concedat.

CONVERSIO.

PROP. I. *Quàm Deus desideret peccatoris conuersionem.*
2. *Quàm facile sit diuino auxilio peccatorem conuerti.*
3. *In Conuersione nulla sunt obstacula admittenda, quoniam Deus adiutor est ad impedimenta tollenda.*
4. *Multitudo peccatorum impedit conuersionem.*
5. *Conuersio cum spe magnæ veniæ adhibenda est.*
6. *Conuersio non est differenda.*
7. *Conuersio statim est adhibenda.*
8. *Conuersio quæ differtur, difficilis redditur.*
9. *Qui differt conuerti, iusto Dei iudicio ita exacerbi solet, vt postea pœnitentiam non inueniat.*
10. *Quàm periculosa sit conuersio in morte.*
11. *Quàm grauiter puniat Deus eos qui conuerti repugnant.*
12. *Post mortem nullus erit conuersioni locus.*
13. *Non statim post conuersionem sedantur passiones præteritorum peccatorum, sed non ideo de perfecta salute desperandum.*

A

PROP. I. *Quàm Deus desideret peccatoris conuersionem.*

GEnes. 3. sic ad primum peccatorem Deus: *Adam vbi es?* Quid, rogo, intendebat Dominus sic quærens & interrogans Adamum? Rupert. in Genes. lib. 3. c. 14. sic respondet: *Non præuaricator & reus homo Deum Iudicem prior inuocauit, sed Deus Iudex prius præuaricatorem vocauit: cum magis hoc reo conueniret, vt præoccuparet Dei faciem in confessione. Hoc autem benignitas quærentis intendebat, vt is, qui quærebatur, ipsum inueniret, & sciret quid perdidisset, & quid commeruisset.* Ita ille. *Gen. 3.9.* *Rupert.*

PROP. II. *Quàm facilè sit diuino auxilio peccatorem conuerti.*

SI peccator, cùm ad profundum peccatorum venerit, vires suas tantùm attenderit, difficilem vel impossibilem conuersionem suam iudicabit, & facilè desperabit: at si diuinam bonitatem & potentiam consideraverit, non impossibilem, sed facilem fore videbit. Et in huius rei argumentum mirabiles conuersiones operatus est, *qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum*, vt ait Dauid, ad cap. 20. Num. alludens, vbi ex silice eduxit Dominus riuum aquæ. tu quidem ex silice percusso ignem educeres; Deus verò aquam, quod veluti ex igne educere aquam fuit: in Cana verò Galilææ aquam in vinum conuertit, &, cùm vinum calidissimum quid sit, quid aliud quàm aquam in ignem conuertere fuit? Item, Elisæus virtute divina sale conuertit aquas salsas in dulces: quis non salsas magis eas futuras crederet, sale in eas immisso? Sic etiam cœcum à natiuitate curauit Christus Dominus luto oculis appositio, quo tu videntem cœcum reddidisses. Huiusmodi alias conuersiones Deum inuenies effecisse in rebus quæ ex libero non pendent arbitrio. *Ps. 113. 8.* *Ioan. 2.* *4 Reg. 2. 20.*

Sed vt ad rem propiùs accedamus, quis Matthæum C ex publicano & telonario Apostolum fecit? quis non miretur videns manum illam, quæ lucra pecuniarum tanto studio conscribebat, postea paupertatem Euangelicam conscribentem? *Beati* (inquit) *pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* quis non miretur Matthæum priùs scribentem rationes telonarias, postea numerantem genealogiam, & proauos Christi? quis non miretur Augustinum priùs aduersarium Ecclesiæ & Manichæum, postea tam excellentem Ecclesiæ Doctorem? Sed quis non miretur Saulum blasphemum, & acerrimum Christi & eius Ecclesiæ inimicum, postea tam insignem Christi Apostolum, & pro Ecclesia Dei plus omnibus laborantem? qui priùs malleus Ecclesiæ fuerat, postea incus Ecclesiæ fuit. *Ego* (inquit) *ostendam ei, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Quis non miretur Magdalenam omni peccatorum genere infectam (hoc enim significauit illud: *de qua eiecerat* D *septem dæmonia*, vt S. Gregor. interpretatur) illam, inquam, delicijs absorptam, postea sanctissimam fœminam, & in exemplum pœnitentiæ conuersam? Cur has tam mirabiles conuersiones operatus est Dominus, nisi vt clarè nobis significaret, nullius quantumuis peruersi peccatoris conuersionem esse facilem apud eum? non tu solus, sed Deus tecum facturus est, *Dios con migo, y yo con el, el delante, y yo tras el.* Deus quidem est principalis author & causa nostræ conuersionis, & non erit impossibile apud eum omne verbum. Clama, ne cesses, pete enixè ab eo conuersionem tuam. Sicut enim est omnipotens, vt eam præstare possit, ita est etiam infinitè bonus, & vt omnipotens poterit, vt verò summè & infinitè bonus, volet. *Matt 9.* *Matt. 5. 3.* *Act. 9. 16.* *Matt. 16.*

S. Chrysost. *Volentibus omnia facilia sunt, noli desperare: sed licèt maledicus sis, licèt auarus, licet alio quocumque scelere* *Hom 22. in 1. ad Cor.*

inquinatus, inteſtinas Paulum blaſphemum fuiſſe, perſecutorem Chriſti, & inter peccatores primo loco numerandum: & tamen repente ad ipſum virtutis cacumen aſcendit, & ei prior vita nihil attulit impedimenti. Atqui nemo vnquam tãta inſaniâ malitiam amplexus eſt, quantã ille bellũ cõtra Eccleſiam: etenim animam ſuam tunc tradidit, & quòd nõ innumeras manus haberet, vt his omnibus Stephanũ ferret, angebatur: & tamen interea, quemodo pluribus eum falſorum teſtiũ manibus obrueret, querum veſtimenta ſeruabat, & quando in domos irrumpebat, perinde ac ſera proſiliebat, trahebat, lamabat viros, mulieres, tumultu perturbationibus, bellis immineris omnia complebat, adeo ipſe omnibus formidoloſus erat, vt Apoſtoli, poſt optimam conuerſionem factam, nondum auderent congredi ei. Et tamen cum huiuſmodi eſſet, qualis poſtmodum euaſit? Ita Chryſoſt. Quare qui vult bonus fieri nihil impedimento eſt ei, etſi ex peſſimorum numero fuerit antea. A

Hyemis tempore ſolet aqua frigoris intenſione gelari; ortus autem Sol radijs ſuis gelu huiuſmodi liquefacere ſolet. Sic peccatorum frigiditas conſtringere & congelare ſolet cor humanum; ſed Sol ille diuinus faci- B lè radijs miſericordiæ ſuæ cor huiuſmodi liquefacere & emollire ita ſolet, vt per meatus oculorum fluant aquæ. quod non ſine ſacramento aſſeruit S. Propheta Dauid, dicens: *Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea: flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ*, per oculos ſcilicet peccatoris pœnitentis, myſticè ſcilicet locum intelligendo. *Pſal 147. 17*

Quod in B. Magdalena videre licet, cuius cor peccatis obduratum & congelatum diuinæ miſericordiæ radijs tactum, in lacrymas fuit reſolutum. Dei ergo donum eſt huiuſmodi conuerſio, & orationibus & pijs operibus eſt ab ipſo impetrandum.

ADDITIO.

S. Pauli nus. epiſt. 4 ad Seuerum.

HAnc, ſe conuertendi ad meliorem frugem, facilitatem appoſitâ figurâ illuſtrauit S. Paulinus. C

Homo, qui præuentus fuerit in aliquo peccato, & ſaluberiter pœnitendo ad inſtaurationem gratiæ, quaſi capillis renaſcentibus, reuertitur, ponens vt arcum æneum brachia ſua, id eſt fidem ſpei veræ, & ſpem fidei non fictam, exercens idem ad prælium manus ſuas operibus pietatis, cuius exercitatio ad omnia vtilis eſt: tum vt quibuſdam bonæ conſcientiæ, & fidei firmæ lacertis valens audebit inuadere, & poterit euertere inimicorum columnas: quæ quidem ſunt columnæ hoſtilis domus, quibus nititur, in qua velut noſtri victor epulatur illudens capiti, ſi membris noſtris vt armis ſuæ iniquitatis vtatur. Deiecimus ergo hunc inimicum domo ſua interitu ſubiugatæ carnis, qua adtutrice, intus nobiſmetipſis hoſtis incluſus, inteſtino animam noſtrã bello quatit, crimine voluntatis noſtræ potens noſtri factus, noſtra aduerſus nos vitia ſatellites habet, interioremque noſtri hominem miniſterio exterioris oppugnat. Sed meminerimus pacti, quo per baptiſmatis gratiam Chriſto conſeputi in crucis ſacramenta iuraumus, ne iam quaſi viuentes agamus in hoc mundo, viuamuſque iam non nos, ſed Chriſtus in nobis, quo nobis in honorem capitis reſtituto cadet Zabuli domus, & tota inimicorum cohors cum peccati noſtri morte morietur. D

Chryſoſt. Hom. de Ieremia.

Eandem Dei ad ſuſcipiendos peccatores à via lata ad arctam redeuntes facilitatem innuit his verbis S. Chryſoſtomus.

Citò flectitur vt ignoſcat, quia ad hoc improperat, vt non defendas. Non te Deus contemnit ſi redeas, etſi tu contempſeras, cùm abibas. Non te deſpicit reuertentem, qui aliquando horruit deſertorem: tuos non aſpernabitur reditus, qui, vt redeas, ſuos demonſtrat affectus.

PROP. III. *In Conuerſione nulla ſunt obſtacula admittenda, quoniam Deus adiuuat eſt ad impedimenta tollenda.*

CVm populus Iſrael in Terram promiſſionis eſſet profecturus, multis quidem impedimentis præpediebatur; ſed cuncta illa impedimenta facilè Deus expediuit. Primò enim mare ſe illis opposuit, & tranſitum illis denegabat; ſed ſtatim Deus mare diuiſit, & per illis aptiſſimum fecit, *que no ſe les mojaſe ni la vira del çapato?* at Ægyptij aduersùs illos armati prodeunt, & per eandem maris viam eos inſequuntur, ſed Deus reduxit ſuper eos aquas maris, & eos omnes abſumſit, vnuſque ex eis non remanſit. Poſt tranſitum maris rubri, defecit panis; faméne igitur moriendum illis erat? Abſit. *Pluit illis manna de cœlo, panem Angelorum manducauerunt*: bene; ſed defuit aqua; ſitíne peribunt? minimè gentium: ſed *eduxit aquam de petra, & de petra melle ſaturauit eos.* Obeſt autem Iordanis: *Iordanis conuerſus eſt retrorſum.* Inimici Chananæi, & Iebuſæi. & reliquæ nationes oppugnant Iſraelitas; ſed Dominus pugnat pro eis, ad vocem tubarum & turbarum cadunt fortiſſimi muri Ierichontini, &c. Nónne vides quot quantaque impedimenta contra pergentes in Terram promiſſionis militabant? ſed tamen Dominus adiuuit eos, & abſtulit potentiã ſuâ obſtacula cuncta. *Pſal. 104. 41.* *Exod. 14.* *Ioſue 3.*

Actor 12. erat Petrus dormiens in carcere, vinctus catenis duabus: excitauit eum Angelus percuſſo latere eius: ſurrexit ille, abireque iuſſus eſt. obſtabant catenæ, ſed ſtatim *ceciderunt catenæ de manibus eius.* Erant autem quatuor quaterniones militum cuſtodientes eum; ſed Dominus eos ita ſopore grauauit, vt nullus eorum fuerit expergefactus. At porta ferrea obſtabat, quæ clauſa fortiter erat; *Tranſeuntes*, inquit, *primam & ſecundam cuſtodiam, vltro aperta eſt eis.* Per Petrum in carcere, hominem in vinculis peccati detentum hîc repræſentatnm ponamus: hunc vocat Angelus Dei, dum percutit latus eius, dum, inquam, incutit conſcientiæ remorſum; ſi ſurgere vult, obſtant catenæ vitiorum, quibus, ob conſuetudinem malam, detinetur: at ſi volenti conuerti Dei ope catenæ cedunt, & cadunt è manibus ſuis. Obſtant inimici vigilantes, hoſtes ſcilicet tartarei: at Dominus eos, velut ſopore merſos, retinebit. Obſtat porta ferrea multarum difficultatum; quomodo (inquit) quæ rapui ſoluam? quæ debeo reſtituam? quomodo amicitiam cum inimico modò contraham? quomodo hanc vel illam peccandi occaſionem præcindam & vitare potero? Huiuſmodi portãs ferreas ſolet Dominus aperire, ita vt facilis abitus pateat, & ſint prava in directa, & aſpera in vias planas. *Act. 12.*

Vnde Iſaias, cap. 45. loquens de rege Cyro, & myſticè, vt ait S. Hieronym. de viro Eccleſiaſtico, quod ſimiliter de quouis ad Deum conuerſo intelligi myſticè poteſt: *Ego*, ait, *ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.* Ego ante ibo, vt ſcilicet cuncta obſtantia tollam. quòd ſi reges ipſi mundi glorioſi aduersùs te inſurgere velint, ego illos humiliabo: ſi portæ æreæ opponantur, ego eas conteram, & vectes, quantumuis ferreos, confringam: hoc eſt, omnes difficultates auertam, ne timeas eo tendere, quò ego te ducam, & adducam. *Iſa. 45. 2.* D

PROP. IV. *Multitudo peccatorum impedit conuerſionem.*

SVnt qui nullis remedijs à Deo Eccleſiaque adhibitis, à peccatis conuertuntur: vnde Dauid, agens de ciuitate quadam peſſimis imbuta moribus, ait: *Die ac nocte circumdabit eam ſuper muros eius iniquitas: & labor in medio eius, & iniuſtitia.* Quidam ſic exponunt: *Iniquitas ſuper muros*, habitatores eius circumdati ſunt iniquitatibus *Pſal. 54. 11.*

tibus plusquam muris muris quidem ciuitates circumdantur, vt ab inimicis eius habitatores defendantur; qua igitur ratione his muris iniquitates comparauit? quid iniquitatibus cum muris? muri ad nostram sunt protectionem, iniquitates verò ad desolationem. Ita est: sed, sicut muri obstant ne inimici ciuitatem ingrediantur; sic etiam peccata obstant ne virtutes, & Deus, & remedia nostrarum animarum ingrediantur ad nos: peccatores enim, vt sic, & quatenus peccatores sunt, inimici virtutum, & rerum spiritualium, & ipsius Dei sunt. Vnde sicut muri inimicorum ingressum impediunt, sic etiam peccata, cùm animam plenè possident, omnibus remediis aditum præcludunt. Inde est, quòd nec concionatorum voces, nec confessariorum admonitiones, nec bonorum consilia, nec cœlestes inspirationes, nec sanctæ Angelorum suggestiones, nec sacramentorum pharmaca, nec mortis, iudicij & inferni horror, nec cœli gloria æterna; eos à peccatis suis conuertat.

Vnde Sapiens: *Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* quid est *contemnit*? Iansenius ibidem: *Contemnit iura & homines, ita vt nullo ei vel timore vel pudore à malo retrahantur, nullisque bene consulentium rationibus moueantur.* Ita ille. O sanguineis lacrymis deplorandum statum! melius erat ei si natus non fuisset homo iste. Vide quid deinde subdat Propheta Dauid, loco citato: *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* Vbi sic textus Hebræus, mutuet super illos mors; optatiuum pro futuro. Certè mutuabit super illos mors. Qui mutuat super aliquod pignus, debet mutuare super rem suam, & propriam, & non super alienam; nam pignus alienum nemo velit pro mutuo sibi dari; ait ergo Dauid, quando in tantum venerit profundum impietas, bene poterit mors æterna super eos mutuare, tanquam super re sui iuris: ac si dicat, *a estos dat los por coso adiudicado al infierno.*

Vel in terminis vulgatæ editionis locum exponamus: *Veniat mors super illos*, id est, veniet super illos, non ait, veniet ad illos, sed *super illos. Cayga sobre ellos la muerte como suele caer de golpe vna casa sobre los que estan en ella.* Quando domus aliqua simul cadit, nullus locus euadendi superest habitatoribus, omnes illos opprimit absque remedio. Sic igitur inuadit istos mors, cadit super eos, opprimit simul, nullum relinquens eis euadendi locum: vel sicut latrones itinerum, qui expilatores dicuntur, *salteadores*, qui è nemore quodam subitò exilientes, viatorem inuadunt, & eum morte afficiunt, & expoliant, vitam simul & omnia eius bona ab eo auferentes. Sic his obstinatis mors expilatrix est: cùm enim eos inuadit, cùm se à morte vallari vident, & mala plurima & grauia, quæ fecerunt, prospiciunt, animum despondent, & deficiunt, ac de sua salute desperant. Nesciunt enim quid faciant, vnde incipiant de animæ agere negotio, quid dicant, quid confiteantur, ac quomodo, & quomodo resipiscant. sic cadit mors super eos, vt opprimat mentem, & consilia, &c. Vnde rectè subdit: *Descendant in infernum viuentes*, hoc est, *en vida se pueden estos dar por condenados segun estan oprimidos y sin consejo.* Caue igitur, ô peccator, ne sic in profuudum venias peccatorum, &c.

Prop. V. *Conuersio cùm spe magna veniæ adhibenda est.*

Samson in conuiuio quodam tale inuitatis problema proposuit: *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* propositi autem hoc problema sub sponsione triginta sindonum, & totidem tunicarum: illi autem cùm solutionem inuenire nequirent, adierunt sponsam Samsonis, quæ precibus importunis solutionem à Samsone extorsit: dixitque ei Samson, se leonem interfecisse, & postea in ore leonis mellis favum inuenisse. Quod illa inuitatis detexit, & ita eius ope ænigma dissoluerunt. Etenim problema hoc, & eius solutionem Sauli conuersioni possumus rectè aptare: nam Saulus tanquam leo rugiens circuibat quem deuoraret Christianorum: quod maximè verba illa Lucæ important, *Saulus autem adhuc spirans minarum, & necis in discipulos Domini*, &c. Sed, sicut Samson in itinere leonem interfecit, sic etiam fortissimus noster Samson Christus Dominus, in itinere hunc leonem peremit, dum illum ad se conuertit: tunc enim desijt esse Saulus, & cœpit esse Paulus. Vnde ex leone factus est ouis, & ex lupo agnus, ex persecutore Dei, Apostolus Dei, ex seminatore zizaniæ, seminator frumenti euangelici, & ex hoste Christi factus est amicus Christi, & pastor ouium eius. Nunc quidem & nos dicere valemus: *De comedente exuit cibus, & de forti egressa est dulcedo*: ita enim conuersus fuit, vt in Christum conuersum dicere possimus, iuxta illud quod asseruit ipse de seipso: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* De hoc autem forti, & spirante minarum, exiuit dulcedo, & de comedente cibus: nam ille priùs edere fideles volebat, postea verò tanquam eorum nutrix, & mater, lacte suo pascebat. *Lac*, inquit, *vobis potum dedi*, & de ore eius egressa est dulcedo, quia semper in eius ore dulce resonabat sonus nominis Iesu, & euangelicæ doctrinæ, &c.

Hanc autem conuersionem ideo est operatus Deus, vt peccatores inde animos sumerent, & de conuersione sua sperarent, quantumuis peccatores, & peruersi fuerint. Quis enim peruersus magis quàm Saulus? Quis obstinatior illo? Qui ergo talem ac tantum hostem conuertit, quem non conuertet, si ad eius pietatis viscera currat, & salutem suam expostcat? Quis de tam benigno & pio Deo diffidet?

Prop. VI. *Conuersio non est differenda.*

Dices cùm sit tanta misericordia Dei, vt in quacumque hora ingemuerit peccator, quamuis hora huiusmodi hora mortis sit, libentissimè ei Deus indulgeat peccata, sicut in bono Latrone videre licet; cur eam ita coarctas, vt illico, & quamprimum eam debere fieri, sic omnino suadeas? Audi: qui arte pingendi *Simile.* sunt insignes, cùm suæ artis peritiam manifestare volunt, vt omnes ad eius officinam accurrant, vnam vel alteram imaginem accuratissimè conficiunt, & perficiunt, vt suæ peritiæ fama vbique volet; hæ autem imagines perpaucæ admodum esse solent: ad huiusmodi enim ostentationem fiunt, & vt homines ad se pictores alliciant. sic ille supremus misericordiarum artifex aliqua immensæ misericordiæ exemplaria expressit, vt suæ artis specimen nobis exprimeret: qualis conuersio Pauli fuit, quem è faucibus Inferi reuocauit, & ad hoc è cœlo ipse descendit Christus, vt quem fulmine debuerat interimere, suæ claritatis radio illustraret. ad quid hoc? audias Apostolum ipsum, *Fidelis*, inquit, *sermo & omni acceptione dignus: quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Ecce Dei filij munus, & officium, cuius causa in mundum venit, *Filius*, inquit, *hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Res quidem omni acceptione digna, ait Paulus, *Digna de ser reciuida con palio.* Subiungit Apostolus: *primus ego sum*, id est maximus, *quoniam super omnes Dei Ecclesiam persequebar. sed Dei misericordiam consequutus sum, vt in me primo ostenderet Christus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt in vitam æternam.* Pondera illa duo verba, *vt ostenderet*, &, *ad informationem*, & videbis quantùm conueniat comparatio: quasi dicat, ad ostentationem misericordiæ suæ. *Ha querido leer de ostentacion en materia de misericordia.* Præterea in bono Latrone quoque exemplar quoddam suæ edidit pietatis, & maximè quia tunc plenissimi (vt dicamus) Iubilæi dies

Luc. 23. 43. ſuit, quod in verba illo *hodie* indicauit. *Hodie*, inquit, A *mecum eris in paradiſo.* Latentem energiam habet illa vox, *hodie*, quaſi dicat hodie, quando catarectæ cœli, & fontes abyſſi, diuinæ clementiæ, pietatis & miſericordiæ, apertæ ſunt, hodie quando conſummatum eſt myſterium redemptionis; hodie quando theſauri charitatis, & bonitatis Dei liberaliter erogantur; hodie quando ſanguis filij Dei liberaliſſimè communicatur, melius clamans, quàm ſanguis Abel; hodie quando copioſa ſit redemptio; hodie denique quando ſupremus hic artifex ſalutis humanæ, diuinæ miſericordiæ ſuprema depromit exemplaria, hoc ex huiuſmodi latrone tulit in forum, vt nullus non ſperet in miſericordia eius. In eo igitur quod ait : *Dico tibi*, magnitudo clementiæ Chriſti prædicatur; in eo, quod dicit, *Amen*, raritas inſinuatur : talem enim affirmationem in rebus rarò contingentibus Chriſtus addere ſolebat. Cùm igitur hoc miſericordiæ ſuæ ſit exemplar, non mirum ſi rarò huiuſmodi exemplaria proponantur. quare imprudenter B præſumit, qui tale miſericordiæ genus promittere ſibi audet.

Ita ergo eſt: latro ille bonus ſerò & vltimo vitæ ſpiritu ad Deum conuerſus, veniam conſequutus fuit; imò eodem die quo veniam petijt, paradiſum eſt ingreſſus. *Hodie*, ait Chriſtus, *mecum eris in paradiſo.* Ita eſt : ſed quot mihi huiuſmodi latrones dabis? *In vniuerſo canone Scripturarum non inueni præter vnum latronem, ſic ſaluatum*, ait S. Bernard. Latronem quidem tunc ſaluauit Chriſtus, vt nobis demonſtraret nec in vltimo ſpiritu à miſericordia Dei eſſe deſperandum; ſed non niſi vnum ſic ſaluauit, vt raram eſſe huiuſmodi ſaluationem manifeſtaret. vnde hoſtis antiqui hæc tentatio eſt, ponere ob oculos latronis huius ſeram conuerſionem. *por vn ladron, pierden muchos el meſon.*

Aliquoties Deum mortuos ad vitam reuocaſſe audiuimus, vt pœnitentiam facerent, & ſic ſaluarentur; C nunquid non ſtultiſſimus ille eſſet, qui diceret, ſicut illum, & illum ſuſcitauit Dominus, ſic ſpero me reſuſcitandum, vt, poſtquam à mortuis reſurrexero, pœnitentiam agam, & ſaluer? Stultitia peſſima hæc eſt, quia rariſſimum hoc. Sic etiam rariſſimum hoc, quòd tempore mortis quis verè conuertatur : conuerſio enim ex diuina pendet gratia, & ex efficaci quodam auxilio præueniente Dei : quod non ſolùm non meretur qui ad illam vſque horam ſuam differt conuerſionem, verùm & demeretur illud; quomodo ergo rem adeò raram tibi promittis? Locus ad hoc optimus ille Iob 27.

Iob 2 .8. *Quæ eſt ſpes hypocritæ, ſi auarè rapiat, & non liberet Deus animam eius? Nunquid Deus audiet clamorem eius, cùm venerit ſuper eum anguſtia?* Exemplum huius inanis ſpei ponit in homine auaro, quem hypocritam vocat : omnis enim auarus hypocrita eſt, ſi ad vſuram tribuit, fingit ſe pecunias tribuiſſe ob neceſſitatem proximi ſubleuandam, quia illâ pecuniâ, quam ad vſuram præſto. poſſem (inquit) aliunde maiora conſequi lucra; & quia D lucrum ceſſat, vel damnum emergit, ideo pro mutuo lucrum accipio. Similiter in alijs ſe auarus hypocritam exhibet, dum prudentiæ tribuit acquirere multa, & acquiſita ſeruare; prudentem ergo auarus & pium ſe exhibere contendit : vnde merito hypocrita nominatur. Quòd ſi negligentiam ſuæ ſalutis illi obijcias, ſpem ſe in Deo firmam reſpondebit habere, ſibique diuinam miſericordiam facilè pollicetur : cùm enim multas pecunias habeat, eis ſe Dominum placaturum in morte confidit. Faciam (inquit) eleemoſynas multas, ſacraque multa celebrari faciam, & in teſtamento pia & Deo grata opera relinquam, quibus quis dubitat me Deum placaturum? &c. Huic ergo ſic temerè præſumenti ait ſanctus Iob : *Quæ eſt ſpes hypocritæ; ſi auarè rapiat, & non liberet Deus animam eius?* à tali ſcilicet auaritia : *nunquid Deus audiet clamorem eius, cùm venerit ſuper eum anguſtia?* vbi Lira, *Ab anguſtia, ſcilicet mortis*; quaſi Lira. *dicat, non: & hoc dicitur contra eos, qui peccata continuant, cogitantes ſe in fine ad Deum per pœnitentiam clamaturos: ſed ita ſpe priuantur, quia tunc ſolent non pœnitere, ſecundum quod dicit Auguſtinus. Hac animaduerſione punitur peccator,* Auguſt. *vt moriens obliuiſcatur ſui, qui viuens oblitus eſt Dei; vel ſi pœniteat, hoc eſt timore pœnæ, & non diſpleentiæ culpæ.* Ita Lira.

Cuius typus in exercitu Pharaonis relucet. videntes enim Ægyptij exercitum Iſraelis per maris medium ſicco veſtigio iter peragere, eandem viam auſu temerario ingreſſi ſuerunt; conſilium autem eorum huiuſmodi fuit : Nónne Iſrael ſecurus incedit inter hæc aquarum mœnia? quâ ergo ipſi tranſeunt viâ, cur & nos non tranſibimus ſimul? pergamus ergo. O quàm imprudens cogitatio! quia Deus Iſraeli rarum hoc beneficium facere decreuit, & nobis etiam cur non faciet? Exitus acta probat. Ingreſſi cùm eſſent, reduxit Dominus ſuper eos aquas maris, & operuit eos aqua, vnus ex eis, qui reliquis nuncia portaret, non remanſit. Sic multis euenire ſolet in tranſitu maris mortis, quia vnus latro, vel ſint etiam aliqui alij, in tempore mortis ad Deum conuerſi, à Deo veniam impetrarunt, & ſecuri tranſierũt, & nos pariter, aiũt tranſibimus ſecuri. vnde locus? temeraria conſequentia. Tunc inquies: Ego veniam petam, & quæram ſalutem; & illi etiam dicebant: Fugiamus Iſraelem, non ei noceamus, deſiſtamus ab hoc peccato; ſed nihilominus cunctì perierunt: quia ſerò ſapiunt Phryges, &c. Sic multi, qui tunc pœnitentiam facere volunt, iuſto Dei iudicio facere neſciunt: non quod poſſint, ſed ita eo tempore turbantur & perturbantur, vt ianuam ſalutis neſciant de facto inuenire.

Sic Soph. 1. *Dies tribulationis, & tribulabo homines, &* Soph. *ambulabunt, vt cæci, quia Domino peccauerunt.* hoc de morte quorundam peccatorum interpretatur S. Hierony- Hieron. mus, *Et hi*, ait S. Hieronymus, *tunc ambulabunt vt cæci, quia lumen perdidêre virtutum, & locum pœnitentiæ non habebunt, & hæc patientur, quia Domino peccauerunt.* Ita S. Hieronym. Annectam ergo hîc verba Patris noſtri Franciſci de Ribera ſuper hunc locum Sophoniæ & S. Ribera. Hieronymi. *Obſeruemus* (inquit) *hoc Hieronymi verbum, locum pœnitentiæ non habebunt: hoc enim mihi maxime videtur Propheta inſinuare. cæci, cùm pericula imminent, effugere tentant, & hâc atque illâc errant, nec domum, aut tutum latibulum poſſunt inuenire, quia cæci ſunt. Ita peccatores multa mortis opreſſi angu ſtijs, & venturam iram formidantes, tentant effugere, & pœnitentiam quærunt, ſed tamen non inueniũt, quia ingrediãtur ſicut de viris Sodomitis legimus* Gen. 19. *vbi dicitur. Et eos, qui foris erant, percuſſerunt cæcitate (ſcilicet Angeli) à minimo vſque ad maximum, ita vt oſtium inuenire non poſſent. Peccatores, etſi per fidem manent in Eccleſia, foris eſſe dicuntur, quia à Deo peccando receſſerunt, & cæcitate percuſſi ſunt, quia Domino peccauerunt. Nec dicit eos oſtium domus ipſius Loth non inueniſſe: bonum enim illis erat non poſſe domum illam ingredi, quam nefario ſcelere contaminare cogitabant, ſed oſtium domuum ſuarum nullus eorum poterat inuenire, hoc eſt, difficillimè poterant ad ſe reuerti, & in domum cordis ſui ingredi, vbi de terrore diuini ſupplicij, & de vita corrigenda, conſilium inirent, quod proprium eſt peccatoris obſtinati. Noua ſortaſſe videbitur hæc explicatio loci Geneſis, ſed vetuſtiſſima eſt, tradita enim nobis eſt à Spiritu ſancto in lib. Sap. c. 19. his verbis:* Percuſſi ſunt autem omnes cæcitate, Sap. 19. 16. ſicut illi in foribus iuſti, cùm ſubitaneis cooperti eſſent tenebris, vnuſquiſque tranſitum oſtij ſui quærebat. *Quare ſaluberrimum eſt illud Ieremiæ & elegantiſſimum:* Da- Ier. 13. 16. te Domino Deo veſtro gloriam, antequam contenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos: expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis & in caliginem. *Quando cæci huiuſmodi quærunt oſtium ſalutis, id eſt, pœnitentiam, quoniam ambulant vt cæci, offendunt in aliena pecunia reſtituenda, & non inducunt animam*

animum vt reſtituant, offendunt in ſimultatibus, quas duriſſimum eſt deponere. Occurrunt libidines, quas, ſi vita, & ſalus ſupperetrent, videntur ſibi reliquere non poſſe. Hi ſunt montes caliginoſi, ad quos offendant, & putantes ſe inuenturos eſſe lucem, decidunt in vmbram mortis, & in caliginem: at ſi ante illas vitæ & animæ tenebras, gloriam Deo dediſſent per humilem & dolore plenam confeſſionem, ſicut ſcriptum eſt Joſuæ 7. 7. Fili mi da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, & indica mihi, quid feceris, ne abſcondas; *nequaquam in illam caligatem, & in illas tenebras deuenirent.* Ita Pater Franciſcus de Ribera.

Eſt autem inſigne ad hoc exemplum regis Antiochi, quod diuina hiſtoria narrat 2. Machab. 9. erat ille rex quidem gentilis, & populo Iſrael hoſtis: hic ſuperbiâ elatus voluit Ieroſolymam euertere, & congeriem ſepulchri Iudæorum eam ſe effecturum aſſeuerabat; ſed vix finierat hunc ſermonem, cùm iuſto Dei iudicio dolor quidam vehemens viſcerum illum apprehendit; poſt hunc cecidit è curru, & vehementer vexari cœpit, ita vt de corpore eius vermes ſcaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent, & fœtore eius etiam exercitus grauereturet. tunc, ait textus facer, ex graui ſuperbia deductus ad agnitionem ſui cœpit venire, diuinâ admonitus plagâ, & cùm nec ipſe iam fœtorem ſuum ferre poſſet, ita ait: *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non putia Deo ſentire.* Verba hæc hominis ad Deum iam rectè conuerſi apparent, ſed plura alia & ſublimiora contritionis oſtendit ſigna. Ciuitatem enim Ieruſalem, quam ſepulchrum facere minabatur, liberam facere offerebat, & eius habitatores æquales Athenienſibus ſe facturum pollicebatur. Secundò, templum eius ſanctum, quod priùs expoliauerat, ſe optimis donis ornaturum, & ſancta vaſa multiplicaturum, & pertinentes ad ſacrificia ſumptus de reditibus ſuis præſtiturum. Tertiò Iudæum ſe facturum, ac ſi modò quis diceret Gentilium aut Turcarum, ſe fidem Chriſtianam profeſſurum. Quarò, omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei poteſtatem. Quis non ſatis ſuperque ad Deum conuerſum, & non ritè contritum hunc regem aſſerere auderet? quis confeſſarius hominem ſic dolentem non abſoluceret? abſoluſtne igitur illum Deus? Nequaquam: *orabat*, ait Scriptura, *ſic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſequuturus.* Quæſtuit, & non inuenit, qui ad horam vſque mortis ſuam diſtulit conuerſionem. potuit habere contritionem, ex auxilio ſufficienti, ſit ita: ſed efficax illi non eſt datum, quale ſcilicet opus erat, vt de facto conuerteretur, ſed errare ipſum à Deo permiſſum fuit propter ſcelera eius, & feram nimis conuerſionem. Vide quanta ſit ſtultitia ad finem vſque vitæ conuerſionem differre. Omnia hæc paucis verbis Spiritum Domini complectêtem audi Prouerb. 1. *Vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam.* Verba hæc horrore plena ſunt his qui diuinas negligunt inſpirationes: hi enim ſunt, qui, vocante Deo, renuunt vocanti reſpondere. Veni, ait Dominus peccatori, finem impone peccatis, & ego recipiam te: cras (inquit coruus hic) poſtea: nunc enim deliciis mundi potiri volo. *Vocaui, & renuiſti, expandi manus meas*: nónne in cruce Chriſtum manibus expanſis vides? veni, &, quamuis indignum, te meis amplexibus amplexabor. Tu verò nec aſpicere me attentè voluiſti; quid vltrà? *deſpexiſti omne conſilium meum*; Duos conſiliarius optimus. Caue (inquit) tibi, ne ſubita quadam morte rapiaris, ſicut & accidit multis: necenim tu illis melior es, &c. tu verò omne conſilium Dei deſpexiſti. Increpat præterea Deus: *Væ tibi*, meliùs tibi erat ſi natus non fuiſſes: tibi enim paratus eſt cum diabolo ignis æternus; tu verò increpationes meas neglexiſti. quid inde? *ego quoque in interitu tuo ridebo.* Quid infeli-

A cius, quàm Deum tunc ridere, cùm miſereri deberet? cùm ſcilicet, tanta eſt miſeri hominis neceſſitas vrget; *tunc inuocabis, & non exaudiet*, quia, tu, cùm ille vocabat, exaudire noluiſti. *Ecce*, igitur nunc, ô peccator, *tempus acceptabile*, &c. *Quærite Dominum, dum inueniri poteſt, inuocate eum, dum prope eſt.* Nunc, ait S. Gregor. *quando Deum non vides, prope te eſt, paſtea videbis eum, & tunc longè erit a te.* Iſa 55 6.

Leuit. 1. *Si de pecoribus*, inquit, *oblatio eſt, de ouibus holocauſtum, agnum anniculum, & abſque macula offeret.* Hugo de S. Victor. lib. 3. de Clauſtro animæ, cap. 10. hîc ait voluiſſe ſignificare, quale Dominus de nobis ſacrificium quærat: non enim vult ſenem aricem, ſed anniculum agnum, hoc eſt, non hominem iam ſenio confectum, ſed iuuenem, & adoleſcentem: neque enim par eſt, vt iuuentutem, vitæ partem meliorem, dæmoni tradas, ſenectutem verò, vitæ partem deteriorem, Deo: reprobat ibi hoc Dominus, vt ſe reprobationi proximum eſſe timeat, qui conuerſionem ſuam in ſenectutem vſque differt. Vnde Pſalm. 31. Dauid: *Dixi, confitebor, aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*, & ſubdit: *Pro hac* (remiſſione ſcilicet peccatorum) *orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.* Sanctum vocat hîc, illum qui talis in cœlo futurus eſt, id eſt, prædeſtinatus, is, inquit, *in tempore opportuno* accedit ad Dominum, orat, & agit pœnitentiam, & reliqua quæ ad ſalutem animæ ſpectant: quaſi dicat, in hoc prædeſtinatus à reprobo differt, quòd ille tempore opportuno accedit ad Dominum; hic verò tempore inopportuno, verbi gratiâ, in morte, vel in vltima ſenectute. Lev. 1.10. Hugo de S. Victor. B Pſal. 31. 5

Eccl. 25. *Quæ in iuuentute tua non congregaſti, quomodo in ſenectute tua inuenies?* Videmus nunc plures homines laborantes, vt congregent diuitias, quibus ſuis prouideant neceſſitatibus; ideo, inquam, laborant, deſudant, & in vltramarinas terras, ad Indos, & extraneos ſe conferunt, vt inde diuitias aſportare poſſint, quibus in ſenectute, cùm iam laborare non valebunt, habeant vnde tribuant ſibi neceſſitatem patientibus, & prouidenter ſe facere credunt; cùm tamen propter incertitudinem vitæ, ipſa ſenectus incerta ſit: quare ſæpè ſæpiùs quæ cum maximis laboribus congregauerunt, alijs fruenda relinquere coguntur. *Quæ parauiſti cuius erunt?* ait Deus illi, qui congregauerat multa, &c. Si ergo prudenter & prouidenter id ſe facere cenſent pro ſenectute tuenda, quia tunc non poterunt acquirere ſibi; quantò maioris fuerit prudentiæ, ac prouidentiæ, bona opera nunc cumulare, cùm ex huiuſmodi nobis victum animæ acquirere debeamus, non pro ſenectute, ſed pro æternitate, non pro vita incerta, ſed pro omnino certa: aliàs dicetur tibi: *Quæ in iuuentute tua*, &c. Eccl. 25. 5.. Exod 13. 3. Simile. C

Non eſt ad ſenectam vſque differenda conuerſio, ſed in iuuentute ipſa, quia iuuentus Deo debita eſt. Præcipiebat olim Deus, Exod. 13. 22. & 23. primitias ſibi offerri, tam de animantibus & hominibus, quàm de fructibus terræ, rationemque aſſignauit Exod. 13. *Quia mea* (inquit) *ſunt omnia*, quaſi dicat, quid mirum, ſi primitias omnium rerum exigam à te, cùm primitias, & reliqua omnia quæ poſſides, à me habeas, & mea actu ſint omnia? ſicut ſi dominus alicuius terræ, colono terram colendam in commodum ipſius traderet, hac tamen lege, vt 5. vel 10. ei perſolueret partem, iure colonus illam perſoluere tenetur, cùm tota illa terra, ex qua ſibi fructum aſciſcit, illius domini ſit; ſic nimirum omnia noſtra, & nos, Dei Domini ſumus: meritò ergo illi primitiæ noſtræ debentur. Quòd ſi rerum noſtrarum primitiæ debentur Deo, vitæ etiam noſtræ primitiæ illi debentur: Deus enim & Dominus vitæ noſtræ etiá eſt. Quid igitur iniuſtius, quàm Dæmoni, Dei inimico, primitias offerre vitæ noſtræ; Deo verò vitæ fœces, & quòd in ea peius eſt? vnde meritò Eccleſ. 12. *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ.* non ait in Eccl. 25 5 Simile. D Eccl. 12. 1

diebusſenectutis tuæ,ſed iuuentutis tuæ, in principio A
vitæ offer illi primitias vitæ tuæ, ab eo vitam etiam
habes,& vita tua eius eſt, quam à te in ipſo iuuentutis
flore auferre facilè poteſt. & quidem qui iuuentutem
ipſam diabolo peccando confert, iuuentute ac vita ipſa
Simile. priuari meretur : ſi enim tu alicui pecuniam accom-
modates,quâ ipſe te offenderet, & in iniuriam tuam
inſumeret,meritò ab eo pecuniam vendicares,tanquam
ab iniquo & iniuſto poſſeſſore; ſic cùm Deus iuuentu-
tem, & vitam præſtiterit tibi, ſi eam in eius offenſam
inſumis,meritò à te aufert illam, tanquam à poſſeſſore
iniuſto:huiuſmodi ergo immaturæ mortes, huiuſmo-
di caſus inopinati,hinc oriuntur. Vide Lorinum ſuper
Eccl.7. 18. illud Eccleſ.7 *Noli eſſe ſtultus nimis,ne moriaris in tempore*
non tuo.
Pſ.142. 11. Pſal.142.*Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*
vbi Paraphraſis Chaldaica:*in viam rectam*; non per vias
indirectas ducit Spiritus Dei.

Nunc à quo Spiritu ducantur,qui differunt conuer- B
ſionem,videamus:ait enim huiuſmodi peccator: Nunc
fruar bonis:quamuis peccem, poſtea reuertar in viam
iuſtitiæ,&c.Hic mihi videtur quidem per vias incede-
re indirectas,& obliquas;non igitur ſpiratio hæc boni,
ſed mali ſpiritus eſt.

Seneca. Seneca epiſt.23. *Quidam viuere tunc incipiunt,cùm de-*
ſinendum eſt : ſi hoc iudicas mirum, adjiciam quod magis ad-
mireris : Quidam ante viuere deſierunt, quam inciperent. Ita
ille.

Plutarth. Archias. Plutarchus de Socratis dæmo. *Archias Thebanorum*
Tyrannus in cœna epiſtolam accepit ab Archia Hierophante,
quâ conuarationem exulum aduerſùs eum edebat, & domum,
quò ſe contuliſſent; is tamen iam vino merſus,& mulieris ama-
tæ expectatione geſtiens, epiſtolam accepit, ſed non legit, &
cùm diceret tabellarius de re ſeria ſcriptam eſſe,reſpondit:Ergo
ſeria in craſtinum,& ita literas puluino ſubiecit,& à coniura-
tis miſerè occiſus fuit. Ita Plutarchus.

Sanct.Chryſoſt.in 2.ad Cor.hom.22. *Caue ne dixe-* C
ris:erit tempus, cùm ad meliorem frugem me conuertam. Hæc
enim verba Deum maiorem in modum ad iracundiam concitant.
Deo gratias age quòd te inter media peccata haud quaque abripuit, ne alterum quoque tempus tibi ad flagitioſè viuendum poſtules præfiniri. Multi, dum in peccatis eſſent, hinc
abrepti ſunt,& ad certas pœnas abſceſſerunt, ne idem tibi ac-
cidat time.At,inquies,multis Deus in extrema ſenectute peccata
confitendi ſpatium conceſſit ? quid tum ? an tibi quoque conce-
det ? Concedet fortaſſe, inquis ; quid ais fortaſſe ? in mentem
tibi veniat te de anima tua conſilium inire, contrarium igitur
quoque cogita, & tecum ita repuza, & dic : quid autem ſi non
conceſſerit ? Etenim ſi iam probè viuere incipiæ, ſiue certum
vitæ ſpatium acceperis, ſiue non, omnia lucratus eris : ſi autem
moras quotidie nectas, ob eam ipſam perſæpè cauſam minimè
accipies.Enimuero ſi ad bellum proficiſceris, non dicis,neceſſa-
rium non eſt condere teſtamentum, quia fortaſſe reuertar ; cur
igitur cùm de anima tua conſilium inis, fortaſſe dicis, & im-
becilliori parte miteris ? & incertis euentibus teipſum committis ? D
Non,inquis, incertis euentibus nitor, ſed benignitate Dei.
Benignus hic,illos etiam,quos dixi, ſuſtulit de medio. Quod ve-
rò ſi accepto iſto longo vitæ ſpatio,idem ipſe, & tui ſimilis ma-
neas ? Nam qui euiſmodi eſt,in ſenectute quoque talis erit:nam
poſt octoginta annos, nonaginta requiret, & poſt nonaginta
centum, & exactis centum annis, ſegnior adhuc erit, atque
ita tota vita incaſſum abſumetur,& accidet tibi, quod de Iu-
Pſ.77.33. dæis dictum eſt : Defecerunt in vanitate dies eorum:*atque*
vtinam in vanitate duntaxat, & non etiam in malitia. Ita
Sanctus Chryſoſt.
Heb.4.16. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam*
conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.
Pondera nomen hoc diuini throni,thronum vocat gra-
tiæ,nõ ait iuſtitiæ,vel omnipotentiæ,ſeu maieſtatis di-
uinæ,quæ terrorem, & multum timorem in nobis ex-
citare poſſent,vel ſolam reuerentiam,& ſubmiſſionem,
ſed *gratiæ*,vt miſericordiam conſequamur.

Quod quidem rectè confirmat illa throni deſcri-
ptio *Apoc.4.* vbi ſic Apoſtol. Ioannes: *Fui in ſpiritu,& ecce*
ſedes poſita erat in cœlo,& ſupra ſedem ſedens, & qui ſedebat
ſimilis erat aſpectui lapidis iaſpidis & ſardinis, & iris erat in
circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ. Ecce thronum
Dei, videamus an illi rectè conueniat thronus gratiæ
nuncupari : in hoc throno *ſimilis*, inquit.*apparuit Deus*
iaſpidi,iaſpis,inquit ſanctus Iſidorus lib.16. etymolog.c.
7. *virdus gemma eſt ſmaragdo ſubſimilis, & craſſi coloris.*
viridis autem color ſpei ſymbolum eſſe quotidie audi-
mus,*et verde de la eſperança*. Deus ergo, qui ſedet in hoc
throno,viridem præſefert colorem,quia tantæ pietatis
eſt,& clementiæ,vt vel aſpectus eius rectè illum conſi-
derantem, ad ſpem excitet,& inducat. Præterea ſardi-
ni ſimilis,inquit,erat.S.Iſidorus lib.19.etymolog.c.8.
Gemma,inquit, *ſardius,eò quòd à Sardis primum ſit reperta,*
hæc rubrum habet colorem marmoribus præſtans, ſed inter
*gemmas vilißima eſt.*Ita ille.Cur ergo ſi viliſſima eſt,illi
Deus aſſimilatur ? nónne aliæ erant gemmæ præſtan-
tiores ? qualis eſt adamas,& carbunculus. Ita quidem,
ſed hìc non comparatur huic lapidi Deus ob pretium,
& valorem, ſed propter ſacramentum & myſterium,
non comparatur,inquam, ipſi lapidi, ſed colori potius,
color rubeus eſt color huius lapidis,vt etiam atteſtatur
Plinius lib.37.c.7.rubeus autem color charitatis ſym-
bolum eſt,vti aſſerit S.Gregor. ſuper 1.Reg.16. rubet
enim feruens charitatis amor.Ecce thronum Dei,ſedet
in eo Deus charitate infinita fulgens. Viridi colori ſi-
milis hic eſt propter ſpem quam excitat in nobis,& ru-
beo propter nimiam ſuam charitatem,qua etiam induc-
it nos ad ſperandum, quòd ad hoc throno non vacui
manibus diſcedemus.

Præterea,*iris*,inquit,*erat in circuitu throni*,& iris ſimi-
lis viſioni ſmaragdinæ. Iris,inquit Ambroſius in hunc
locum,miſericordiam Dei erga nos hìc deſignat,quo-
niam iris in ſignum fœderis ac pacis ponitur : *Arcum,* *Gen.*
inquit,*meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter* C
me,& inter terram,cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus,& recordabor fœderis mei vobiſcum,
& non erunt vltrà aquæ diluuij ad delendam vniuerſam carnem. Iridem igitur circumdare thronum Dei, quid
aliud eſt, quàm thronum Dei circumdatum eſſe miſe-
ricordiâ Dei ? vnde non immeritò additur, iridem eſſe
ſimilem viſioni ſmaragdinæ, qualis eſt ſmaragdus ?
Plinius libr.37. capit.5. *Nullius*,inquit, *coloris aſpectu in-*
cundior eſt,nam herbas quoque virentes, & frondes amœ ſpectamus, ſmaragdum tantò libentius aſpicimus, quanto nobis
viridius comparatum illi viret. Præterea ſolus ſmaragdus inter
gemmas contuitu oculos implet,nec ſatiat,quin & ab intentione alia obſtringata, aſpectu ſmaragdi recreatur acies,ſcalpentibuſque gemmas non alia gratior oculorum refectio eſt,ita venidi lenitate laßitudinem mulcet. Ita Plinius de ſmaragdo,
quam gemmam nos vocamus *ſmeralda*. huic ergo ſimi-
lis eſt thronus Dei.Diximus iam viridem colorem ſpei
ſymbolum eſſe ; talis ergo ac tanta eſt miſeri-
cordia Dei infidentis throno illi , vbi audientiam D
nobis præbet, vt eximiam conſideranti miſericordiæ
eius magnitudinem, præſtet ſpem conſequendi quod à
tam pio,& miſericordiſſimo Deo poſtularit. Dicat er-
go meritò Apoſtolus : *Adeamus cum fiducia ad thronum*
gratiæ,vt miſericordiam conſequamur : quaſi dicat, quid ti-
mes ? quid tremis, ô peccator ? quid titubas ? ma-
ior eſt miſericordia Dei, quàm iniquitas tua, ne mi-
ſericordiæ illi infinitæ notam inuras, ſpera in Deo,
& ipſe faciet quod poſtulas, ſi poſtulas quod tanto
Deo non fuerit indignum, licèt poſtules multorum
& magnorum peccatorum veniam, gratiam & glo-
riam.

Sed attende quid ſuperaddat Apoſtolus : *Et gratiam*
inueniamus in auxilio opportuno. Quid eſt,*in auxilio oppor-*
tuno ? id quidem in eadem viſione Apoſtoli Ioannis in
Apocalypſi expreſſum mihi videtur:ait enim, *& iris in*
circuitu

circuitu throni. Iris quidem, vti diximus misericordiæ symbolum est, sed iris semicirculus est, qui in nostro hemisphærio terminatur, & non, sicut fortè existimabunt philosophiæ ignari, quòd iris in aliud penetret hemisphærium, in nostro sistit horizonte. sic misericordia Dei nobis in hemisphærio vitæ nostræ inuenitur; morte autem interueniente, locus assignatus est diuinæ iustitiæ, nunc tempus miserendi, postea iudicandi, *Statutum*, inquit Apostolus, *est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium*, non ait tribunal misericordiæ, sed iudicij, secundùm merita vniuscuiusque.

Quod & Dauid asseruit: *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Vbi Sanctus Augustinus: *Si temporibus distinguimus hæc duo, misericordiam, & iudicium; (fortè enim non sine causa eo ordine posita sunt, vt non diceret iudicium & misericordiam, sed misericordiam & iudicium) si ergo per tempora distinguamus hæc duo, fortè inueniemus modo esse tempus misericordiæ, futurum autem tempus iudicij.*

Idipsum insinuauit Apostol. cum homine indurato in suis peccatis agens, dicens: *An diuitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis eius contemnis? ignoras quoniã benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Ecce misericordiæ tempus, seu misericordiam Dei in hoc tempore; subdit: *Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Ecce iudicium pro tempore futuro: nunc quidem currit misericordiæ tempus, dum viuimus vsque ad mortem; post mortem autem incipiet tempus iudicij, & iustitiæ Dei. Ideo ergo iris in sede, & throno Dei in symbolum misericordiæ collocatur, quia, sicut iris non penetrat in aliud hemisphærium, sic nec misericordia hæc Dei, quã peccatores expectat, & audit. Vnde in arcu iridis voluit Deus misericordiam suam significari, quia misericordiam eius conuertet in arcum mittentem sagittas in nos, si nos misericordiã Dei fuerimus abusi, &c. Ob id ergo dixit Apostol. *in auxilio opportuno*, quia in alia vita non reperitur auxilium opportunum ad veniam, & alia remedia miseriarum huius vitæ.

Hinc Iob cum Deo agens, *Memento*, inquit, *quia ventus est vita mea, nec reuertetur oculus meus vt videat bona; nec aspiciet me visus hominis.* Libet hic ea notare quæ mirè super hunc locum scripsit sanctus Gregor. 8. Mor. 12. *Hi etenim*, inquit, *vitam carnalem quasi permanentem diligunt, qui quanta sit vitæ sequentis æternitas non attendant, cumque soliditatem perennitatis non considerãt, exilium patriam, tenebras lumen, cursum stationem putant: quia qui maiora nesciunt, iudicare de minimis nequaquam possunt. Ordo quippe iudicij exigit, vt quod examinare nitimur transcendamus: si enim præsse rebus omnibus animus non valet, nequaquam de his certa, à quibus vincitur, videt; idcirco in hoc mens reproba præsentis vitæ cursum æstimare non sufficit: quia admirationi illius ex amore succumbit. Sancti autem viri, qui ad æterna cor eleuant, quàm breue sit quod fine clauditur, pensant: & eo eorum sensibus vilescit, quod præterit: quo intellectu radiante interlucet quod acceptum nunquam recedit, cumque infinitatem perennitatis aspiciunt, nequaquam iam pro magno desiderant, quicquid finis angustat. Sed subleuata mens extra temporum terminos ducitur, etiam cum carne in tempore tenetur, & tantò altiùs finienda despicit, quantò verius infinita cognoscit. Sed hæc ipsa humanæ breuitatis consideratio, authori nostro magnæ virtutis oblatio est. Vnde & rectè nunc cum deprecatione immolatio eiusdem virtutis offertur, cum dicitur:* Memento quia ventus est vita mea. *ac si apertè diceretur: transeuntem velociter benignus respice, quia tantò à te videri misericordiùs debeo, quantò ipse à consideratione breuitatis meæ oculos non auerto. sed quia dum tempus vitæ præsentis absconditur, ad operationem promerendæ veniæ vlteriùs non redditur, rectè subiungitur:* Nec reuertetur oculus meus vt videat bona. *Ad videnda bona extincti oculus non reuertitur, quia ad exhibenda recta opera exuta carne anima non recurrit. Hinc est, quòd dues, quem inferni flamma cruciabat, quæ semetipsum reparare operando non posse agnouerat, nequaquam tam sibi, sed relictis fratribus prædesse satagebat, dicens:* Rogo te pater Abraham, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum. *Solet namque mœstum animum spes vel falsa refouere: sed vt pœnam suam reprobi grauiùs sentiant, spem de venia amittunt: vnde flamnis vltricibus traditus, non sibi, vt diximus, sed opitulari fratribus concupiuit, quia nunquam se ignium carere tormentis, adiuncto desperationis supplicio, agnouit. Hinc Salomon ait:* Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas. *Nequaquam ergo ad videnda bona oculus reuertetur, quia retributionem suam mens inueniens, ad operationis vsum nullatenus reuocatur. Quia igitur fugit omne quod cernitur, & mansura sunt quæ sequuntur, bene beatus Iob vno versu vtraque complexus est, dicens?* Memento, quia ventus est vita mea, nec reuertetur oculus meus vt videat bona. *Cursum quippe præsentium contemplatus, ait:* Memento quia ventus est vita mea; *æternitatem verò sequentium considerans, adiunxit:* nec reuertetur oculus meus, vt videat bona. *Vbi aptè quoque vniuersi humani generis à redemptionis munere destituti vocem protinus sumit, dicens:* Nec aspiciet me visus hominis. *visus quippe hominis est misericordia redemptoris, qua insensibilitatis nostræ duritiam cùm respicit, emollit. Vnde quoque in Euangelio dicitur:* Respexit Dominus Petrum, & recordatus est Petrus verbi, quod dixerat Iesus, & egressus foras fleuit amarè. *Exutam verò carne animam nequaquam visus hominis aspicit, quia post mortem non liberat, quam ante mortem gratia ad veniam non reformat. Hinc etenim Paulus dicit:* Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. *Hinc Psalmista ait:* Quoniam in sæculum misericordia eius. *Quia nimirum, quem nequaquam modo misericordia eripit, sola post præsens sæculum iustitia adducit. Hinc Salomon ait:* Quia lignum in quocumque loco ceciderit, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi erit, *quia cum humani casus tempore siue sanctos, siue malignus spiritus egredientem animam clausira carnis acceperit, in æternum secum sine vlla permutatione retinebit: vt nec exaltata ad supplicium prorsus, nec mersa æternis suppliciis vltrà ad remedium ereptionis ascendat. Vir igitur sanctus humani generis damna considerans, quòd à præsenti sæculo sine redemptoris cognitione subtrahitur, atque in æternis ignibus irreparabiliter sepelitur, eius vocem in se suscipiens, dicit:* nec aspiciet me visus hominis, *quia nimirum redemptoris gratia, quem nunc intuetur vt corrigat, tunc respicit vt ab intuitu abscondat. In iudicium quippe Dominus veniens, peccatorem videt vt feriat, sed non videt vt ad largiendam salutis gratiam recognoscat, culpas examinat, & vitam perennium ignorat.* Hæc S. Greg.

De Alexandro magno fertur, quòd cùm ciuitatem aliquam obsideret, facem quandam accendi faciebat, & voce præconis obsessis nunciabat, se totum illud tempus, quo fax illa duraret, illis concedere ad veniam postulandam, tradendo se ipsos, & ciuitatem ipsi. quòd si hoc non præstarent, notum illis esset, se omnes in ore gladij perempturum. Vita nostra fax quædam est à Deo accensa, dum huius lux, & vita durat, tempus pœnitendi, & promerendi vitam æternam conceditur nobis à Deo, sed hac extincta, nullum superest in æternum pœnitendi, & merendi tempus.

Quis igitur adeò stolidus est, vt vanitatibus mundi & peccatis hanc omnem transigat vitam, *esse quando en los infiernos arda, dize yo me lo mereci.*

Sunt inter peccatores multi, qui de diuina misericordia sperantes, in peccatis perseuerantes, differunt conuerti ad Deum. Quibus sic sanctus Bernardus serm. 1. super ps. Qui habitat: *Sunt qui sperant in Domino, sed sinistrè, quia sic de misericordia eius subripiis blandiuntur, vt à peccatis,*

Luc. 6. 27.

Eccl 9 10

2. Cor 6. 2.

Ps. 135. 1.

Eccl 11. 3.

peccatis suis non emendentur. *Vana est ista spes, & hæc con-*
fundit, eo quòd charitas desit. Contra hos Propheta: Maledi-
Psal 146. 11. *ctus, inquit,* qui peccat in spe. *Et alius:* Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. *Dicturus,* qui sperat, *signanter, prauè sit super timentes eum; frustra siquidem sperat, qui contemptui suo gratiam à se repellit, & spem suam prorsus euacuat.* Ita S. Bern. Temeritas igitur, & non legitima spes est, cùm quis peccata continuans, ait: Spero in misericordiâ Dei, in gratia me obiturum, & gloriam consequuturum. Sed quamuis reuelationem à Deo haberet quis de salute sua, vel eo ipso quòd maximum malum sit in peccato, & priuatum gratiâ Dei hominem esse, omni solicitudine quamprimum pœnitentiam agere deberet.

Vocauit Eliæus puerum suum Giesi, vt mitteret cum ad suscitandum puerum mortuum, & ait: *Accinge*
4 Reg. 4. 29. *lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade: si occurrerit tibi homo, non salutes eum, & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi. Pues eso no es salta de vrbanidad, y mala criança.* Cur non resalutabit saltem salutantem eum? quid mali habet salutatio, vel resalutatio ista? Vnius loci scripturæ sacræ aptior omnium glossa est, alius eiusdem scripturæ locus: Luc. 10. sic Christus ad
Luc. 10. 3. discipulos suos, cùm eos ad prædicandum, & ad peccatores conuertendos mitteret, *ite,* inquit, *ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, nolite portare sacculum, neque peram, & neminem per viam salutaueritis.* Ecce idem verbum dixit Christus discipulis suis, quod dixerat Eliæus ad famulum, cur ita? S. Ambros. super hunc locum: *Hic non salutationis officium, sed obstaculum impediendæ deuotionis aboletur, vt, quando mandantur diuina, sequestrentur paulisper humana. Pulchra est salutatio, sed eò pulchrior, quòd præceptorum maturior executio diuinorum, quæ per moram sæpè trahit offensam: ideò autem & honesta prohibentur, ne solemnis gratia obrepat officij, & impediat ministerium, cuius mora culpa fit.* Ita Sanct. Ambros. & S. Augustinus serm. 42. de Sanctis: *Quid est, neminem per viam salutaueritis? quia iubet festinanter facere iniuncta: ac si diceret: Omnia prætermittatis, dum quod iniunctum est peragatis.* Et S. Gregor. hom. 17. in Euangel. *Per viam neminem salutare concedatur, vt sub quanta festinatione iter prædicationis peragi debeat, ostendatur.* Ita ille. Subscribit Euthymius, dicens: *Hoc Dominus iussit, non eos inhumanos fieri volens, aut moribus asperos, quos nemo posit compellare, sed impedimento carentes: solet enim salutatio per viam vehementiæ studij vt plurimum obstare. Præcepit itaque illis, vt soli operi eis commisso intendant, & oblatam eis prædicationis occasionem, non consumant in his quæ necessaria non sunt.* Ita ille.

Hinc constat qua ratione Eliæus præceperit famulo non salutare quemquam, quia ad suscitandum puerum mortuum festinare illum oportebat. At dices, nunquid maior vel minor festinatio ad resuscitandum puerum magis vel minùs conducebat? Etenim id resuscitatio pueri importabat, quod per Apostolorum prædicationem Christus Dominus intendebat: prædicatio ad animarum resurrectionem dirigebatur, resuscitatio etiam pueri idipsum præfigurabat. puer est peccator sensu, licèt non ætate: sicut enim puer ante vsum rationis iudicio integro caret, sic etiam peccator. ne dixeris mihi: ille vel ille ingenio pollet: si enim in peccato est, stultus est, quamuis sapientior Platone & Aristotele ille sit, puer est omnis peccator, licèt centum annorum homo ipse sit. Ad resuscitandum huiusmodi pueros misit Deus Eliæos, & discipulos, Prophetas & Apostolos suos, & tanta cum festinatione, & diligentia, vt neminem per viam salutare permittat, per hyperbolem, hoc est, tanta cum festinatione agendum est negotium hoc, vt nulla prorsus interponenda sit mora.

Et quid mirum si in Prophetis, & Apostolis tantam A postulet celeritatem, cùm ipsemet Dominus eam maximè adhibuerit? ait ad Isaiam Dominus: *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis: Velociter spolia detrahe, citò prædare.* hoc est, hoc nomine vocandus est Christus, cur ita? subdit: *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, &c.* ita Dominus, & ita rei exitus comprobauit: vix enim natus erat Christus, cùm iam octauo vidilicet die natiuitatis suæ, pro redemptione generis humani sanguinem suum fuderit. Scriptum est ab Apostolo Paulo: *Sine sanguinis effusione non fit remissio,* quasi dicat, ideo in oblationibus pro peccatis sanguis animalium effundebatur, quia sine sanguinis effusione non fit remissio; illa verò sacrificia, sacrificium Christi præfigurabant: nolebat enim Dominus Deus, quòd sine sanguinis Christi effusione fieret nostrorum peccatorum remissio. Cùm igitur Christus nosset ita esse à Patre decretum, vix natus, ait: Si sanguine meo remissio est peragenda, adsit circumcisionis gladius, sanguinemque meum fundat, etiamsi vix sanguineam adhuc habeam, dummodo redemptionem incipiam, nónne nomen celeritatis meruit Christus? B

Imò nondum natus erat, sed adhuc in vtero matris clausus, cùm iam ad sanctificandum Ioannem Baptistam properauit, vt educeret eum à peccato originali, & in Dei gratia eum constituret. *Exurgens Maria,* inquit Lucas, *abijt in montana cum festinatione.* Maria quidem cum festinatione iter agebat ad salutandum Elizabeth, sed Christus Dominus intus eam vrgebat, vt ita festinaret, quia peragebat ad iustificandum Ioannem Ecce quàm dignus erat qui appellaretur, *festina prædator,* hoc est, tollere animas de manu illius tyrannidi crudelis, qui iure peccati animas captiuas tenebat.

Quòd si propter nos homines, & propter nostram salutem sic Dominus ipse properat & festinat; quid nos homines propter nostram propriam salutem facere oportet? Etenim tam graue malum peccatum est, vt, licèt nulli esset obnoxium pœnæ, nullusque esset infernicruciatus peccatis assignatus, sed impunis prorsus peccator remaneret; ob id solùm quòd peccatum est, & Dei offensa, nec per instans temporis in peccato esse deberemus. Quis in lutum fecis cadit, qui non statim ab eo resurgere festinet? nunquid qui cadit non resurget? quamuis enim ex tali casu nullam qui cadit læsionem incurrat, ob fœtorem & obscœnitatem fecis illico resurgere conaretur: quid autem fœtidum magis? quid obscœnius! quid abominabilius peccato? C

Insuper autem æterna damnatio instat peccatori; quamplurimi enim subitò perierunt: ille dormiens, somnum cum morte commutauit, ille verò comedens mortuus est, ille stans subitò cecidit defunctus. Quotidie huiusmodi tragœdias videmus: quis ergo etiam per instans in peccato mancre audet? num quod vni accidit homini mortali, alteri similiter mortali accidere quoque non potest? quòd si tibi sic, vt alijs, accideret, ó peccator, quid esset de te, ó infelix, &c. D

Sic ad Dominum Iob: *Memento quia ventus est vita mea, nec reuertetur oculus meus vt videat bona, nec aspiciet me visus hominis.* Duo hic considerationc dignissima protulit S. Iob, primum vitam nostram vento similem esse. cur ita? Græci authores pro respiratione & spiritu, quem ducimus respirantes, ventum hunc accipiunt: sic enim verterunt Septuaginta: *Spiritus est vita mea.* in Gen. eò quòd, vt habes, Deus, cùm primum hominem creauit, *inspiraut,* inquit, *in eum spiraculi vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* ait ergo sanctus Iob: Obsecro Domine, ne permittas sic me laboribus vexari, & mortem accelerari: memento vitam meam satis ex se miseram ac fragilem esse, vtpote quæ ex oris & narium flatu pendeat & dependeat. Iob 7. 7.

Alij verò comparationem cum vento fieri intelligunt,

gunt, cuius motus velocissimus est, & fuga, & lapsus irreuocabilis, sicut scriptum est : *Recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens, & non rediens :* ventus enim nunquam repetit originem suam, vnde erupit, & sic euanescere solet. Talis est vita nostra, velut ventus quidam velociter currens, nunquam reuersus : *Para que vean los que fabrican torres de viento, con quanta razon se diran de viento, pues se fundan sobre vna vida que es vento.* Ventus quidem vita nostra, quantumuis Regum, & Imperatorum illa sit. Videas ventum validum omnia commouentem, puluerem magnum excitantem, arbores concutientem, & strepitum eximium facientem ; quo transacto nullum eius superest vestigium : simul enim ventus, & strepitus eius euanescunt. Sic in mundo isto magnates & principes videbis magno cum strepitu famulorum, equorum, & negotiorum transeuntes ; sed morte interueniente id experimento probabis, quod Psalmista inquit : *Perijt memoria eorum cum sonitu.* De peccatoribus hic Psalmistam loqui testatur S. Hieronymus. Hi cum sonitu transeunt, quia magnas excitare tragœdias solent : *Como viento leuanan grande poluereda, ruidos y estruendos,* memoriam sui & nomen in terra celebrare volentes : sed perit memoria eorum cum sonitu, in morte scilicet : cùm primùm enim vitam cum morte commutant, cessat omnis ille sonitus, & strepitus vanitatis eorum. Vnde meritò dixit Iob : *ventus est vita mea.*

Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas. Hic quidem dum viuimus, si quis incidit in peccatum, vel tempus inutiliter amisit, vita comite, ad operandum se recipere valet : potest enim confiteri, Eucharistiam sumere, elemosynas dare, & alia pia opera exercere, potestque ratiocinari secum, quomodo possit amissum tempus reparare, & mediante scientia sua poterit noua acquirere merita, & amissa recuperare ; at vitâ functo nec tempus ad pœnitendum amplius concedetur, nec rationem inueniet quâ possit damnum resarcire, quamuis doctus & sapiens ipse fuerit, *yo hallara traça de remedio.* Sapiens fuit Plato, sapiens Aristoteles, sapientes alij multi, qui iam obierunt, quique ad inferos sunt damnati, sed sapientia eorum deuorata est, nescierunt semper ibi, nec scient remedium damnationis suæ, quia in inferno nulla est redemptio, nec ratio, nec scientia, nec sapientia, quâ se valeant liberare. Ideo Paulus : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*

Sanctus Anselmus epist. 1. *Qui differt in futurum, & forsitan non futuram ætatem, corrigere vitam suam, bonum certum dimittit, & contemnendo quod perdit, probat se non amare quod expectat, & illud accipere non meretur.* Ita ille. Ponderanda sunt singula verba hæc.

Diximus de bono latrone nó debere eum in exemplum adduci ad pœnitentiæ dilationem, nonnullas ob causas : addamus nunc aliam. Bonus ille latro eo tempore, quo moriens veniam impetrauit, nonnulla non parui momenti in Christi obsequium fecit, quæ Christum Dominum ad misericordiam ei exhibendam plurimùm prouocarunt. primò fidem suam magnam exhibuit : credere enim in Christum quando cæcis visum, & surdis auditum & infirmis salutem conferebat, & quando mortuos ad vitam reuocabat, vel alia huiusmodi miracula perpetrabat, non ita mirum ; quando verò inter duos latrones in cruce pendebat, à iudicibus Ecclesiasticis & sæcularibus damnatus ; & à multis blasphemabatur, & ac si esset debilis, nec potens se ab inimicorum, & mortis manibus liberare, vitam finire videbant, hos vel ipsos etiàm antea credentes firmiter perturbabat. Hæc igitur fuit huius latronis fides, nusquam autem legimus antea eum in Christũ Dominum credidisse, nunc verò firmiter credidit, & inter crucem, & clauos & blasphemias, & mortem, regem, & Dominam cœlorum, & per consequens Deum confessus est : dicens : Domine memento mei dum veneris in regnum tuum. itáne regem eum esse fateris ô latro, quem velut hominem reum, vilipensum, suspensum in cruce vides ? Credo, & fatcor ingenuè, & coram omni populo confiteor, & ab eo veniam, & misericordiam, tanquam à Domino, & Deo meo peto. O mirabilis latronis fides ! ô bone latro, magna prorsus est fides tua, fiet profectò tibi sicut vis. Quid igitur mirum, si fidem talem ac tantam respiciat Deus ? Præterea in tempore quo iudices omnes (vti diximus,) tam Ecclesiastici, quàm sæculares damnabant Christum ad mortem, & latro felix coram omni gente, & ministris iustitiæ innocentiam Christi confessus est, dicens : Nos quidem iustè, nam digna factis recipimus, hic autem quid malì fecit ? quasi dicat, nihil. Quid ais homo ? Pontifices summi Annas, & Caiphas, & Pilatus præses Romanus reum mortis esse dixerunt, & ad crucem condemnarunt, tu verò sic palam dicere audes, nihil mali gessit ? cur non furorem ministrorum astantium times, & maledictiones inimicorum Christi ? nihil iam timet, quia iam verè Christum amabat, & charitas eius foras mittebat timorem, ideo Christi innocentiam liberè prædicabat, nónne dignum Christi misericordiâ latronem vides ?

Denique eum orauit, & humiliter deprecatus fuit veniam, & memoriam sui, quo Deum illum esse pariter confessus est. Adulator quidam olim à Cæsare nonnihil obtinere cupiens, sic eum allocutus fuit: *Non qui te adorat ô Cæsar, te Deum facit, sed qui te orat, & beneficia petit a te.* quod & poëta quidam antiquus ita scripsit:

Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos, qui rogat, ille facit.

Etenim qui Deum orat, non facit illum Deum, sed tacitè confitetur illum esse Deum : sicut qui adorat, cùm vterque actus adorationis & orationis religionis sit.

Hinc est quod Daniel priùs elegit se in leonum lacum mitti quàm ab orando Deum suum cessare : nouerat ipse à rege legem impositam fuisse, in qua ab vllo Deo, præterquam ab ipso rege, aliquid postulare absolutè omnes prohibebat triginta dierum spatio, animaduertit Daniel hoc in iniuriam Dei veri redundare, quippe cùm hoc esset Regem sc Deum facere, & à vero Deo deificum honorem tollere, quapropter non solùm ab oratione non cessauit, sed insuper fenestras domus sæpè patenter aperuit, vt omnibus etiam æmulis suis, & regi constaret, statutis horis orationis obsequium se Deo vero præstare, ne deitati eius denegaret quod deitati debebatur. *Cap. 3.*

Et hinc ortum habuit iusta illa Dei querela, *Non me inuocasti Iacob,* &c. quasi diceret, qui me non orat, non me adorare, nec me Deũ suum agnoscere se significat : sic igitur agnouit eum bonus hic latro, cùm in cruce pendentem Christum exorauit, & tanquam à rege magna ab eo beneficia postulauit. Nunc igitur ad rem : si tam clara, & heroica obsequia tunc bonus latro exhibuit Christo, quando mundus eum de medio tollebat, imo & discipuli, & Apostoli eum deserebant fugientes, & in manibus hostium eum relinquentes quid mirum si bonus Deus noster ei opem tulit, & secum in regnum suum asportauit, fidelem in necessitate seruum ? hinc tu argumentum & exemplum sumis, vt propterea vsque ad mortis tempus in tua malitia perseueres, qui nunquam sic ei Domino obsecutus ? *Isai 43. 22.*

Non negamus posse peccatorem in morte conuerti, & saluari, sed rem difficilem postulasti, ó peccator, si in fine vitæ tuæ saluari postulasti : postulauit dictus latro, sed tamen attende, quid ei dixerit Christus Dominus : *Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Solet Deus, quando rem aliquam arduam, & perdiffi- *Luc 23. 43.*

cilem

cilem promittit iureiurando illam confirmare. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. S. Auguſt. & alij ſacri expoſitores, hic Deum aiunt promiſiſſe Dauidi Meſſiam de ſemine eius venturum, quod & Pſalm. 88. confirmauit : *Semel iuraui in ſancto meo ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit*, id eſt, Chriſtus, ſicut videtur explicare voluiſſe Angelum, cùm incarnationem Domini virgini nunciarer, dicens, dabit ei Dominus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & Zacharias, *iuſiurandum quod iurauit*, &c. iurauit autem, quia res ardua, & humanæ fidei incredibilis videndi, & ſpeciatim in rebus magni ponderis, & difficultatis, ſolebat Chriſtus Dominus hac reduplicatione iurare, Amen, amen: vt, verbi gratia, cùm de veritate corporis ſui in Euchariſtia tractaret, dixit, *Amen, amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cælo*, & ſubdit infrà : *Ego ſum panis vitæ, &c.* Murmurabant, ait S. Ioannes, Iudæi de illo, quia dixiſſet : Ego ſum panis viuus, &c. rem difficilem creditu iudicarunt hoc Iudæi, ideò Chriſtus Dominus duplicato iſto iuramento id affirmauit : Amen, amen, &c. & in eodem capitulo agens de neceſſitate ſumendi Euchariſtiam, dixit : *Amen, amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: ideo autem ita iurauit, quia res adeò ardua erat, vt multi ex diſcipulis Chriſti dicerent : durus eſt hic ſermo, *duro pan es eſte, no ay bmearle el diente.* Similiter cum eiſdem Iudæis agens, dicebat : *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego ſum*; ideo autem ſic iurauit, quia de veritate ſuæ deitatis agebat, quod adeò difficile illis viſum hoc fuit, vt acciperent tunc lapides, & eum lapidare tanquam blaſphemum vellent. Denique hæc duplicatio iuramenti rei difficultatem denotare ſolet. Sic igitur modò Chriſtus cum latroni in fine vitæ ſuæ conuerſo regnum promitteret cœlorum dixit : Amen, amen dico tibi, quia hodie mecum eris in paradiſo. Cùm ergo res iſta ſic ardua & difficilis ſit, quid tu Deo facilem facis, vt intrepidè dicas, poſtea in fine conuertar ſicut bonus latro. & eadem ratione vt cæteros admoneret peccatores, ſpeciali ratione appoſuit pronomen illud *tibi*, tibi ſcilicet in ſpeciali, non dico ego cunctis, qui ſicut tu in fine vitæ à me poſtulauerint veniam, ſed tibi: non regi Antiocho, de quo dictum eſt: *Orabat ſceleſtus Deum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* neque huiuſmodi alij, tibi, inquam, in ſingulari, non omnibus in plurali.

Vnde ſanctus Bernardus ſerm. 38. inter paruos : *Si bene memini*, inquit, *in toto canone Scripturarum vnum latronem inuenies, ſic ſaluatum ; noli ergo tam periculoſæ expectationi credere temetipſum.* Ita S. Bernard. & Euſebius Emiſſenus de bono iſto latrone agens, *Ad cognoſcendum Deum*, inquit, *non fuit latroni extrema hora, ſed prima.* Ita ille. Vide, conuerſus fuit cùm primùm Chriſtum cognouit, tu verò quando.

Nec minorem emphaſim habet aduerbium illud *hodie*, hodie ſcilicet quando pro totius orbis ſalute ſanguis effunditur meus, hodiè cùm reconciliantur ima ſummis, & peccatores Deo, hodie denique in die quæ eſt veluti iubilæi pleniſſimi, & cùm reliqui dies non ita ſimiles ſint huic, non debet extendi iſtud hodie ad quotidie.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraueruut. S. Bernard. in prædicto ſermone paruo 38. ſic explicat locum iſtum : *Quid diſſimulant homines in vita ſua agere pœnitentiam, & extrema de confeſſione præſumunt ? quomodo ſub vnius horæ articulo reuocari poſſe æſtimant omnia animæ membra, cuius concupiſcentiæ, & deſideria per totum mundum ſparſa ſint, & vbique terrarum, velut quodam viſco, teneantur ? Non dico, ait Dominus, quin & talium aliquos ſaluem : potens ſum enim in momento omnia reuocare, ſed non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus, id eſt, qui in ſanguine perſeuerant, donec multiplicatis infirmitatibus deſerantur à peccatis, antequam deſerant ipſi eas, non magna talium conuenticula congregabo. Et quidem ſpiritus vbi vult ſpirat, ſed quando vult ſpirat, nec ego dificile eſt ſub vltimo perfectam dare contritionem cordis, quam vix vnquam tempore alij conſequuntur : ſed vnde ſcis quòd tunc tibi ita velit ſubuenire, quem tu interim ſic repellis ? Benignus quidem eſt ſpiritus ſapientiæ, ſed non liberabit maledictum à labus ſuis. Audi quis ille ſit, maledictus, qui peccat in ſpe.* Ita S. Bernard.

Sunt qui vſque ad mortem conuerſionem ſuam differant, non quòd ipſi hoc dicant, ſed verè id faciunt. *Dexanſe eſtar aſi en pecado haſta la muerte.* fateor poſſe tunc legitimè pœnitere, ſed de eorum conuerſione vera dubitat Auguſtinus : mirum enim eſt quod iſtantis morte faciant quod per totum vitæ decurſum facere neglexerunt, *Nolite errare* (ait Apoſtolus) *Deus non irridetur, no le echarcus dado falſo.* quid ita ? ſubdit, *quæ ſeminauerit homo, hæc & metet* : tu in vita tua ſeminaſti peccata, & in morte vis metere gratiam ? ſeminaſti in vita delicias temporales, & in morte vis colligere pœnitentiam ? Qui ſeminant in carne, de carne quid metent niſi corruptionem ?

Achitophel magni conſilij in rebus mundi apud homines fuit, ita vt etiam rex Dauid plus timeret conſilia eius quæ tribuebat Abſaloni contra ipſum Dauid, quàm arma Abſalonis, &c. hîc tanti ingenij vir in morte quid fecit ? diſpoſuit domui ſuæ, teſtamentum, vt ita dicamus fecit, legata diuiſit, hæredes inſtituit, bona ſua prudenter diuiſit, ipſe verò laqueo ſe ſuſpendit, & ita damnauit animam ſuam, *tubo habilidad a la hora de ſu muerte para diſponer de ſu hazienda, de ſus caſas, y coſas, y el alma que ſe la lleue el diablo.* hæc eſt ſapientia mundi, hic quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.

Aqua per fontem emanat & ſaporem illum refert in exitu quem concepit in venis terræ ; ſic vita noſtra, quam aquæ ſapiens illa mulier comparauit, dicens : *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur ſuper terram*, eum in exitu (in morte, inquam) ſaporem refert, quem in vitæ decurſu concepit, eſt enim mors velut partus vitæ, in partu nâque id naſcitur quod priùs conceptum erat : ſi monſtrum conceptum fuit, monſtrum profectò naſcetur. monſtrum eſt peccatum, ſi huiuſmodi monſtrum in vita concepiſti ; quid mirum ſi monſtruoſa fuerit mors ?

Alciatus in 3. Emblemate : Conſtat Alexandrum ſic reſpondiſſe foganti : *Qui tot obtuliſſet tempore geſta breui, nunquam, inquit, dſſerre volens*, &c. etenim mira ſunt quæ de Alexandri Magni geſtis referunt authores, denique ferè totius orbis ſe Imperatorem fecit, quonam modo ? nunquam, inquit, differre volens ; qui de die in diem facienda differt, nihil præſtabit præclarum.

Hinc ad Iulium Cæſarem ad magna aſpirantem ſtrenuus quidam dux, vti refert Lucanus lib. 1. *Tolle moras ſemper nocuit differre paratis.*

Et Ouidius *lib. de remed. amoris*,

Sed propera, nec te venturas differ in horas.
Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.

Vnde Quintus Curtius lib. 5. & 7. multa de diligentia & vigilantia Alexandri Magni ſcribens, ita inquit : *Montem exercitus ſui edoctam gerebat, vt pedeſtres pari paſſu cum equeſtribus pergerent in proſectu, & ipſe Alexander inſomnes multas tranſigebat noctes. vnde aduerſarius eius Rex Darius conquerebatur ſe nunquam opportunitatem aduerſus Alexandrum nactum, omnes præuenirebat opportunitates vigilantiâ ſuâ.* O vtinâ in rebus tanti momenti, quales ſunt ſaluationis noſtræ, ſollicitudinem hanc imitaremur. vigilantiorès ſunt auari & ambitioſi ad diuitias & honores fœculi, quàm nos ad diuitias & honores cœli : velociores ſunt peccatores ad malum, quàm multi ex bonis ad bonum &c.

Sicut quis ſomno graui oppreſſus, cùm ab alio excitatur, ægrè id fert, vel acedia & ſomni dulcedine allectus,

Luc. 1.

Ioan. 1. 73.

Ioan. 6. 32.

Ibid 54.

Ioan 8. 58.

2 Mach. 9 13.

Pſ 15 4.

Gen 2.

1 Reg 14.

ctus, vix vocem vocantis percipit, & facilè ad ſomnum A
conuerſus, non ſurgit, vel poſtea ſe ſurrecturum ré-
ſpondet; ſic qui ſepultus ſomno peccatorum iacet, &
dormit, cùm à concionante, vel alio quopiam exteriùs
admonetur, vt à peccati ſomno ſurgat: vel à Deo inte-
riùs vocante, recuſat, ægrè fert, & ſe poſtea ſurrecturum
promittit.

De his rectè S. Ambroſ. lib. 2. de pœnitentia cap. 9. *Sunt qui propoſita ſpe agendæ pœnitentiæ, licentiam delinquendi ſibi propagatam cenſent; cum pœnitentia peccandi ſit remedium, non peccandi incentiuum. vulneri enim medicamentum neceſſarium eſt, non vulnus medicamento, quia propter vulnus medicamentum quæritur, non verò propter medicamentum vulnus deſideratur.* Ita S. Ambroſ. Nónne ſtultum & mẽte captum illum diceres, qui, ſpe medicinæ futuræ, ſciens, & volens mortalem ſubiret infirmitatem? Age, quid eſt peccatum mortale, niſi, prout nomen ſonat, vulnus animæ immortalis mortale, quod ad mortem eam adducit, non temporalem, ſicut vulnus corporale, ſed æternam; & tu ſpe remedij pœnitentiæ B
in illud incidere audes?

Eſto. pœnitentia remedium ſufficiens ſit, prout verè in ſe eſt, quis tibi incertum tempus ad eam præſtandam certò promiſit? *Infirma ſpes*, ait Sanctus Ambroſ. ibidem, *quæ tempori committitur, cùm omne tempus incertum ſit.* Et ſanctus Auguſtinus, vti refert Proſper, in ſententijs ſentent. 71. *Nullis ſunt cunctationibus differenda remedia pœnitenti, diem craſtinum non ſpopondit diſſimulanti.* Ita ille.

Et Dominus: *Quâ horâ non putatis filius hominis veniet*, hoc eſt, veniet per mortem: ergo antequam incipias pœnitentiam agere, poterit mors te arripere: in momento enim temporis, ac ſubitò de medio ſubtrahi potes, & in re tanti momenti tam incertæ prouidentiæ ſic te committis? *Quis tam ſtultus* (ait Cicero lib. de Senectu.) *quamuis ſit adoleſcens, cui ſit exploratum ſe ad veſperam eſſe victurum?* Ita ille. Sapiens conſilium illud Horatij in epiſt. C

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum. Qui hoc crederet, quid non faceret? quid non præſtaret, vt paratus eſſet Deo tunc iudicaturo reſpondere, & exactam reddere rationem villicationis ſuæ? ſapiens qui ita ſe præparat, ac ſi certò id ſciret: nam in ſaluationis cauſa nulla eſt admittenda incertitudo pro viribus noſtris. Stulti hominis eſt hoc in negotio dicere: non putaram. puta quidquid euenire ſolet & poteſt, & tanquam ſi certò id ſcires, prouide tibi, & quia vitæ tempus adeò incertum eſt, vt nec dies illa, in qua te omnino valere ſentis, ſecura vita ſit, *Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.*

Vnde rectè S. Leo Papa ſerm. 5. de Ieiunio ſeptimi menſis. *Hæc*, inquit, *ſollicitiſſima meditatio debet eſſe ſapientis, vt quoniam breues dies iſtius vitæ, & incerta ſunt ſpatia, nunquam ſit mors moriturо improuiſa, ne inordinatum incidat finem, qui ſe nouit eſſe mortalem.* Ita ille. Quare litteris aureis in corde exaranda eſſet ſententia illa Senecæ, D
Neſcis quo loco te mors expectat, tu eam in omni loco expecta. Ita ille. Si ſcires te inimicum aliquem ad mortem habere, & neſcires vbi te ille ad occidendum expectat, quid tu faceres, quæſo? Vbique, inquies, ego armatus circumſpectè incederem. *La barba ſobre el hombro, mirando aqui, y alli, pues aqui y alli me puede acometer y matar.* Nunquid animæ mors minoris ponderis eſt, quàm corporis mors?

4.14. Reprehendit Apoſtolus Iacobus eos, qui præſumentes dicunt; cras hoc vel illud faciam: *qui ignoras*, inquit, *quid erit in craſtinum: & ſubdit: Quid eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* te reſpicit hæc ſententia. nunquid tu, qui ais, Quadrageſimæ tempore, vel tali die confitebor, & pœnitentiam agam, noſti te in talem diem, vel tempus peruenturum, qui nec ſi craſtinum diem viſurus es, noſti? quid igitur in re tam ſeria de incerto pro certo diſponis?

Vnde S. Auguſt. in Pſalm. 38. *Num cauſionem tibi fecit Deus, & placito quodam obſtrinxit? conductor domus acceſſi, certa penſione ad certum tempus, quando voluerit Dominus domus, migraturus es, gratu manes. Quoniam autem dicturus eſt Dominus domus: migra, & quando dicturus eſt, neſcis, paratus eſto.* Ita ille. Similitudinem nota, hoc tamen diſcrimine, quod à domo ſic locata facilè eſt ſubitò in aliâ meliorẽ fortè tranſire, licèt imparatus inde migrare cõpellaris, at ſi hinc in vitam aliâ imparatus diſceſſeris, non aliam, quàm apud inferos, habitationẽ reperies.

Confirmat hoc experientia ipſa, quotidiana quippe ſunt exempla ſubitò morientium, vel quaſi ſubitò, illorum ſcilicet, qui præoccupati vel ipſa morte, vel accidentibus mortis, imparati recedunt. Denique mors ſubitanea, vel accelerata quotidiana eſt. vnde Proſper lib. 2. de voc. gent. c. 21. *Nulla*, inquit, *eſt ratio conquerendi de immaturitate mortis, cùm ſemel in naturam noſtram per peccatum ingreſſa mortalitas, omnem diem vitæ noſtræ fecerit obnoxium ſibi.* Ita ille. *Sin agraviar nos puede la muerte ſaltear nueſtras vidas quando quiſierè, por que por el linaje de Adam eſſo derecho.*

Tu igitur qui longam vitam tuam imaginaris, caue ne tibi contingat, quod diuiti illi collectori multorum fructuum, & prouentuum, qui dicebat: *Anima mea, habes multa bona repoſita in annos plurimos:* ad quem ſic vox de cœlo: *Stulte hac nocte* &c. Vide quàm oppoſitus ſit euentus cogitationi eius; ille dicebat: habes in annos plurimos; Deus verò, hac nocte, quid hoc cum illo? Luc. 12. 19.

Narrat S. Gregor. Dial. 4. cap. 49. dicens: *Cuidam noſtrûm nuper certum eſt contigiſſe, qui diem ſomnia vehementer attenderet, ei per ſomnia longa ſpatia huius vitæ promiſſa ſunt; cumque multas pecunias pro longioris vitæ ſtipendijs collegiſſet, ita repentè defunctus eſt, vt intactas omnes relinqueret, & ipſe ſecum nihil ex opere bono portaret.* Ita S. Greg. Vide frater, ne tibi ſimile quid accedat: ſomniaſti fortè longam quandam vitam, & ea propter temporalibus lucris vacas; caue ne imparatus recedas tu ex hac vita, & cò deuenias, vbi fame, ac ſiti æterna crucieris, ſicut diues ille in pauperes auarus. Narrat etiam de alio, qui ſeptimo die, poſt graue quoddam ſcelus patratum, iam veluti ſecurus de impunitate, ſubitò exanimis corruit. Refert etiam Beda duo alia exempla lib. 5. hiſtoriæ Angl. c. 14. & 15. duorum, qui de vitæ emendatione ſæpe moniti, cùm ſemper differrent, tandem ſcelerum conſcientiâ in deſperationem adacti, miſerrimè perierunt. quæ exempla, ſubdit Beda, multos ad agendam pœnitentiam ſuorum peccatorum prouocarunt.

Hanc hoſtis grauiſſimam tentationem eſſe docet S. Greg. Nazianzenus oratione in S. Bapt. *Tacitis dilationibus a peſtifero ſpiritu (vt illius conſuetudo ſert) decipitur peccator, tacitè dicente: Da mihi id quod nunc fluit temporis, futurum Deo, mihi iuuenturis florem, Deo ſenectutis fructum. O quanto miſer in periculo verſaris!* Ita ille.

Et quidem mercatur is, qui ſub ſpe veniæ conuerſionem differt, iram Dei, & vindictam, & mortem inopinatam, quam Deus ſæpè ideo immittit, aut permittit. Audi eum per Eccleſiaſticum dicentem: *Ne dicas: miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur: miſericordia enim, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius.* quod Deus prohibet dicere, dicis: ei enim, qui peccat in ſpe, ait: *Ne dicas: miſeratio Domini magna eſt*, ita ſcilicet vt inde ſumas peccâdi anſam; tu verò contrariũ prorſus dicis, & agis; ideo ait. miſericordiâ, & irâ eſſe in Deo erga peccatores, & citò approximare: approximat miſericordia peccatori veniã poſtulanti; ira autem citò approximare ſolet peccatori in ſpe delinquenti; ideo ait, in peccatores reſpicit ira Dei, qui ſcilicet ſemper in ſpe peccantes perſeuerant. inde ſubdit: *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore* Cap. 5. 6. Eccli. 5. 8.

vindictæ disperdet te ; & tu hæc audiens in peccato dura- re audes?

Sed esto, dissimulet aliquando Deus peccata hominum propter pœnitentiam, ignoras pœnitentiam huiusmodi donum Dei esse? ergo quamuis homo certus esset de longitudine vitæ, & de pœnitentiæ spatio, incertus tamen est de pœnitentiæ dono : efficax enim pœnitentia, & vitæ emendatio, Dei donum est, ex efficaci eius auxilio pendens. Inde Dauid: *Dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi.* sic cùm peccator verè conuersus fuerit ad Deum, dicat, hæc mutatio dexteræ Excelsi. vnde S. Augustinus lib 5. in Iulia. c. 3. *Quantumlibet Deus præbeat pœnitentiam, nisi ipse dederit, quis aget pœnitentiam?* Et Paulus. *Ne quando*, inquit, *det illis Deus pœnitentiam, &c.* & discipuli audita gentium conuersione, dixerunt: *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad salutem?* vnde sic S. Bern. in Meditationibus suis ad Deum: *ô Domine, frustra concedis corrigendi spatium, nisi etiam dederis correctionis donum.* Ita ille. Et ob eandem causam sic Ecclesia in quodam Quadragesimæ hymno sic Deum orat.

Dans tempus acceptabile,
Et pœnitens cor tribue,
Conuertat vt benignitas,
Quos longa fuerit pietas.

Et in Litanijs : *Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus audi nos.*

Quare, dum tibi Deus pœnitentiam inspirat, ad pœnitentiam curre, ne differas, ne fortè irascatur Deus, & pereas. vnde rectè S. Chrysost. hom. 22. in 2. ad Cor. 10. ait : *Multis, inquis, Deus prætulegium dedit, vt in vltima senecta confiteantur, fortasse, inquis, & mihi dabit. Cur dicis fortasse? quia contingit aliquoties. Cogita quòd deliberas de anima tua ; ergo & de contrario cogita, & dicquid autem si non det?* Ita S. Chrysost. Quis non in negotio & causa graui id eligit id procurat, quod certiùs & securiùs est? quid autem grauiùs quam animæ saluatio, aut condemnatio sempiterna? Etenim quantò peccator plus conuersionem suam differt, indignior redditur cui Deus tale donum conferat ei, quia plus eum quotidie offendit, & prouocat iram eius. vnde his potiùs minatur Deus desertionem, quàm promittat conuersionem. *Vocaui, & renuistis, extendi manus meas, & non fuit qui aspiceret despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo, cum vobis id quod timebatis aduenerit.* Hæc dicit Dominus, & tu audes inspirationibus eius aures occludere? *Monèdi sunt sani*, ait S. Gregorius lib. 7. Pastor. admonit. 13. *vt salutem corporis exerceant ad salutem mentis, ne si, cùm Deo placere possunt, noluerint, serò non possint. Hinc est enim quòd eos sapientia deserit, quos prius dulcius renuentes vocauit, dicens: Vocaui, & renuistis*, &c. Ita S. Greg.

Decipiuntur quidem nonnulli, cùm se peccare libere videnti, Deum autem tacere, hinc que maiorem peccandi ansam sumunt. Hos sic alloquitur S. Leo Papa sermon. 5. de Quadragesima: *Patientiam bonitatis Dei de impunitate peccatorum nemo contemnat, nec illum æstimet non offensum, quia necdum expertus est iratum : non sunt longæ vitæ mortalis inducæ, nec diuturna est licentia insipientium voluptatum in æternarum dolorem transitura pœnarum, si, dum iustitiæ sententia suspenditur, pœnitentiæ medicina non quæratur.* Ita S. Leo. Nec minùs ad rem quod idem S. Leo ait sermone 12. de Quadrag. *Abutuntur*, inquit, *patientia Dei quidam, & cùm non sint in conscientia liberi, sunt de longa impunitate securi; cùm ideò differatur vltio, vt tempus posit habere correctio. Misericordiam igitur Dei nostri, quæ non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat, non ideo quisque tardet amplecti ; quia quod meruit non recipit : neque enim quidquid differtur aufertur, aut condemnationem euasit, qui indulgentiam non quæsiuit.* Ita S. Leo.

De quibusdam peccatoribus sic Psalmista : *Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos.* Solet Deus non solùm clamantes audire, verùm etiam antequam clament. *Antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam* ; imò & antequam os aperiât, *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Ita est, ita quidem audit Dominus voces seruorum suorum, & eorum qui verè, & ex toto corde conuertuntur ad illum ; impœnitentes verò, & duro corde nequaquâm audi quid illis dicat Isa. *Cum extenderetis manus vestras, auertam oculos meos à vobis*, oculos scilicet illos misericordes, quibus facilè est subitò honestare pauperem, *& cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* Quid horribilius, si sic Dominus huiusmodi cum peccatoribus se gerit?

Dicebat autem hæc fidelibus, vnde non confidat Christianus in fide sua. Erat Esau & fidelis, & filius Isaac, & nepos magni Abrahæ, de quo hic Apostolus: *Non inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Sicut enim dicitur : *irrugijt clamore magno, &c.* argumentatur ibi S. Thom. ex illo loco, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor* ; quomodo ergo Esau plorantem non exaudit? Respondet S. Thomas: *Quamdiu præsens agitur vita, potest agi vera pœnitentia ; interdum tamen aliquis pœnitet, non propter amorem iustitiæ, sed propter timorem pœnæ, vel damni temporalis, & sic pœnituit Esau.* Ita ille. Cùm igitur talis vera pœnitentia donum Dei sit, caue ne peccatis tuis, & dilatione tua eam demerearis. gaude quod tibi tempus pœnitentiæ datum sit, gaude tantam esse Dei misericordiam expectantis, & vocantis te, sed caue ne abutaris patientiâ & misericordiâ Dei.

Maximè verò cùm adeò fragilis sit hæc vita nostra mortalis, verè mortalis, quia mors facilè illam inuadit, ac tollit, *Clama*, inquit Dominus ad Isa. qui respondet: *Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius sicut flos agri.* Flos, inquit, agri omnis gloria nostra, & vita ipsa, non dixit flos horti, sed agri, flos horti non ita patet incursibus inimicis; at flos agri, quia non solùm Dominus agri pro libito tollit eam, sed aues, & oues, & pastores, & viatores, & quicumque voluerit, carpit florem agri. Talis est gloria vitæ huius, talis & vita ipsa, super quam fundatur gloria mundi, mille modis inuaditur, & delctur, hunc febris, illum laterum dolor, illum autem tegula ex alto à vento aulsa, alium ventus ipse, aut nescio quis cibus, aut potus firmum, sanum, iuuenem, & fortem virum absumit, nónne flos agri tibi videtur homo?

Hinc Dauid : *Custodi me Domine, vt pupillam oculi*: non ait, custodi me sicut frontem, manum, aut pedem, sed sicut pupillam oculi. Etenim manus, & pes validiora membra sunt, & magis nocentibus resistunt : at pupilla oculi facilè læditur quocumque minimo ictu, imò puluisculo leuissimo, aer, aqua, puluis, lux ipsa molestant facilè pupillam; ideo ergo petit Dauid, vt custodiat eum sicut oculi pupillam, &c.

Vnde, cùm Deus hominem formare vellet, *Inspiranit*, inquit, *in faciem eius spiraculum vitæ.* Augustinus Eugubinus in hunc locum, ait, assumpsisse Deum ad sic formandum hominem, & ad inspirandum in faciem eius spiraculum vitæ, formam, seu figuram humanam: nam sicut ad redimendum hominem assumpsit verum corpus humanum, sic ad creandum sumpsit apparens corpus humanum, & sic, aere quodam emisso ab ore, inspirauit in faciem hominis vitam. Cur hac ceremoniâ vsus est Dominus? quid ei opus erat inspiratione ista? qui sola voluntate, & imperio poterat illum creare? *Ipse*, inquit, *dixit, & facta sunt*, nimirum vt vitam nostram velut aerem esse doceret. ventus parum quid est, facilè transit, & pertransit; quòd si vento acquirita fuit vita nostra, quid mirum si vento amittatur? *Memento Domine quia ventus est vita mea*, intellectum huius rei da

Ps 76.11.

2 Tim. 2. 25.

Act. 11. 18.

Ps 101.

Hieron. Gen 37. Gen 27. 34.

Prou. 24.

Ps 118.

Gen 2.

rei da mihi, & viuam, & sciam quid desit mihi, & tu miserearis nostri, & ad veram pœnitentiam statim nos perducere digneris.

S. Augustserm. 16. de verb. secundùm Matth. *Res est, quæ multos occidit, cum dicunt: eras cras, & subitò clauditur ostium, & talis remansit foris cum voce coruina, quia non habuit gemitum columbinum.* Ita S. Augustinus: qui videtur his verbis alludere ad id quod in Genesi legimus, coruum scilicet atque columbam ex arca exiuisse, sed columbam redijsse; non verò coruum, sed foris remansisse. Ecce mirabilem typum peccatorum, quorum alter saluatur, & alter perit: peccator, qui velut columba gemit & pœnitentiam statim debito tempore facit, recipitur manu sancti Noë, manu Christi, & saluatur; qui verò non ita gemit, sed velut coruus dicit: *eras, eras*, istum inter pereuntes computato.

Ioel 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro*, &c. Faciam, inquies, sed non modò: cur non modo?

Ecclesiastici 5. *Non tardes conuerti ad Dominum*, &c. *& ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius*, &c. *& in tempore vindictæ disperdet te.* Dei verba sunt ista, quis ergo adeò stupidus est, vt nihilominus differat conuersionem?

At fortè scripturæ scripturam sacram oppones ex c. 18. Ezechielis, vbi sic Deus: *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Ego pœnitere decerno, & ex loco isto cerno gratam Deo futuram conuersionem meam eâdem horâ, quâ conuertar ad Deum. Audi S. Augustserm. 16. de verbis secundùm Matth. *Indulgentiam conuersioni tuæ promisit Deus, negare non possum: sed dic mihi, rogo te, si indulgentiam sic promisit tibi Deus, crastinum diem quis tibi promisit? vbi legis indulgentiam te accepturum, si te conuerseris, lege mihi ibi, quantum victurus sis. non lego, inquis; nescis ergo quantum victurus sis, esto igitur correctus & paratus semper, quid differs in crastinum? ipsa res est quæ multos occidit, cum dicunt* cras, cras, *vox coruina hæc est, tu verè gene sicut columba.* Ita ille.

Sapientiæ 2. sic peccatores sensuales: *Vmbræ transitus est tempus nostrum: venite ergo & fruamur bonis quæ sunt: coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* (Por cierto que en esto ellos se tratan como ellos merecen, que mas dixeran vnas bestias, si hablar supieran, sino vamonos por esos prados) &c. sic & similes quidam apud Isaiam dicebant. c. 22. *Comedamus & bibamus, cras enim morientur.* Etenim si non, vt bestiæ, sed vt participes rationis loquerentur, sic arguere deberent: *non comedamus & bibamus*, sed ieiunemus & pœnitentiam agamus: *cras enim morientur.* Sed hîc euidentem dæmonis tentationem & fallaciam attende: ad voluptates breuitatem vitæ proponunt, ad pœnitentiam longam sibi promittunt vitam, dicentes: Postea pœnitentiam agemus, longa enim nobis restat via vitæ. Consideratio est hæc: S. Bernard. serm. de nimia quadam fallacia præsentis vitæ, vbi ait: *Qui totos se carnalibus voluptatibus tradiderunt, dicunt:* Comedamus & bibamus, cras enim moriemur: *sed sanè si ipsi aliquando imminentis sibi mortis cœperint horrere memoriam, & terribilem expectationem iudicij contremiscere, continuò vitæ huius fallacia longam se esse mentitur: vt quam paulò antè breuem esse dolebant peccatores, vitam nunc eandem inueniant vsque adeò prolongatam, vt secure se posse putent non modicam adhuc partem consumere in peccatis, quod reliqua longa sit, & sufficiens ad agendam pœnitentiam pro peccatis, quibus cum dixerint, pax & securitas, repentinus superueniet interitus.* Ita S. Bernard.

Sunt qui in futurum, imò & in senectutem, conuersionem differant suam, cùm ætas senectutis, non ad pœnitentiam nec ad virtutum excitia apta sit, sed ad quietem & delicias potiùs. Seneca epist. 108. *Sicut ex amphora primum quod effluit, sincerissimum & optimum est; grauissimum verò & turbidum, subsidit; sic in ætate nostra quod optimum est, primum est. Inhæreat animo & tanquam missum oraculum placeat sententia hæc,*

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit; subeunt morbi tristisque senectus,
Et labor & duræ rapit inclementia mortis.

Quare optima? quia restat quod incertum est; quare optima? quia tuuentes possumus facilem animum & adhuc tractabilem ad meliora conuertere, quia hoc tempus idoneum est laboribus & exercendis per opera corporibus; quod superest segnius & languidius est. In hanc ergo rem vnam intendamus, ne hanc temporis pernicissimi celeritatem, quam retinere non possimus, inutiliter amittamus. Ita Seneca.

PROP. VII. *Conuersio statim est adhibenda.*

VIri Niniuitæ (ait Dominus) *surgent in iudicio*, &c. Multis de causis Niniuitarum pœnitentia damnabit peccatores, sed præcipuè quia mox, vt audierunt prædicationem Ionæ, sine vlla mora, sine vlla cunctatione se pœnitentiæ dederunt. potuissent enim dicere: Adhuc quadraginta dies nobis sunt, in quibus non subuertetur Ninive, possumus tigrina nouem diebus luxui indulgere, & voluptatibus vacare, & vltimo die pœnitentiæ operam dabimus: *Deus* enim *patiens & longanimis est, & multæ misericordiæ*, & quacumque die peccator ingemuerit pro peccatis, ignoscet illi, & in suam amicitiam eum restituet. Illi autem, vti viri sapientes, noluerunt in re tanti ponderis & momenti moram interponere, sed mox vt audierunt prædicationem Ionæ, ait D. Chrysostomus, pœnitentiam egerunt, & vt ait Scriptura, *peruenit verbum Ionæ ad regem Ninive, & surrexit de solio suo*, &c. Ac si diceret: cùm primùm Rex accepit id quod minatus fuerat Ionas Niniue, pœnitentiam inchoauit. Multi autem sunt qui callos obduxerunt diuinis vocibus, nec minis commouentur, sed semper in aliud tempus pœnitentiam differunt, dicentes: *Dominus benignus & misericors est, & præstabilis super malitia.* Si autem illis obijcias Quadragesimæ tempus acceptabile, quod pœnitentiæ peragendæ maximè designatur; Respondent, alias se Quadragesimas expectare, in quibus Deo liberè vacare possint. Similes valde illis, qui mutuum aliquid acceperunt, postea verò soluendo non sunt, de quibus ait Dominus: *Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in prom ssionibus humiliant vocem suam, & in tempore redditionis postulabit tempus, & loquetur verba tædij & murmurationum, & tempus causabitur*, &c. Videat quis homines, qui, dum aliquid mutuum sibi dari postulant, liberali sermone vtuntur, hilarem vultum præseferunt, verba efferentes quæ submissionem animi indicare videantur, promissiones iactant, omnia quæ possident, offerentes liberalitate simulata; ac denique pollicentur futurum, vt pecuniam sibi creditam vel ante diem præstitutum, sin minùs ad ipsum diem repræsentent: sed aduentante tempore solutioni designato, temporis prorogationem eflagitant, & in alium diem solutionem differunt. Si verò debitori non morem geras, si aliquantulum vrgeas, loquitur verba tædij & murmurationis, de creditore conqueritur vehementer, crudelem appellat, durum ac rigidum esse testatur, qui nullis flectatur precibus, nec humili obsecratione commoueatur: ac denique inhumanitatem obijcit, vt illum & à suo proposito dimoueat, & à debiti solutione retardet. Quid aliud videre est in peccatoribus, qui toti omni tempore iacent in sordibus peccatorum? Sed Deus (quæ illius misericordia est) ne cum debito damnationis æternæ, quod contraxerunt, pereant, decernit illis Quadragesimæ tempus, in quo pœnitendo debita persoluant. Promittunt ipsi liberalissimè, ac pollicentur, fidem suam præstant: instat tempus acceptabile, adest dies salutis, & sta

ipsi pœnitentiam differunt quotidie, & procrastinare incipiunt. Deus petit vt exequantur, quod polliciti sunt, ipsi verò petunt dilationem, in tempore redditionis postulant tempus. Væ tibi debitor, qui debita congeris, & peccatis peccata superimponis, scelera coarcervas, & neque in Quadragesima è manibus dilabi pateris peccandi occasionem: effluit Quadragesima, iterum atque iterum effluit, sæpiùs repetita, & adhuc tu pœnitentiam reijcis in aliud tempus, & in eodem peccatorum volutabro volueris.

Sæpe à Domino & Sanctis eius reprehenditur ille qui pœnitentiam differt & procrastinat. Primò, quia inter amicos non solùm concedendum est quod alter petit, sed mox vt petierit, executioni mandandum. Vnde Salomon: *Ne dicas amico tuo: Vade, & reuertere, cras dabo tibi, cùm statim possis dare.* Ne dicas (inquit) cras dabo, sed statim da: quia amicus est, & non decet vt in aliud tempus differas, quod statim præstari potest amico. Quæ igitur ratio patitur, vt Deus petat, & quod postulat mox non obtineat, sed illum tot annos expectantem retineas? Quando tibi nihil boni accrescereat ratione pœnitentiæ, ex eo soiùm, quia eam Deus enixè à te contendit, præstare deberes. Quid enim aliud requirit, qui tot labores in cruce pertulit, nisi vt peccator conuertatur & viuat? Qua siti cruciabatur in cruce, nisi salutis animarum? nulla re alia maiorem illi afferes voluptatem, quàm conuerlione ad illum. Conuertere igitur statim, & ne differas conuersionem tuam in aliud tempus, esto fidelis amicus, trade Christo Domino cor tuum, quando id potes statim tradere. Tradis amico pecunias quas petit, cùm illis indigeas, quia amicus est; & non trades animam Christo, quod in tuam vtilitatem maximè cedit?

Deinde in maximis rebus, in quibus non de paleis, sed de rebus magni ponderis & momenti agitur, semper differre nocuit, non solùm propter periculum, quod emergit subitò, & rem difficillimam reddit; sed quia res in se magna est, quâ priuari vel breue per tempus pernicioſum est. Vnde cùm misit Elisæus Propheta seruum Giezi, vt viduæ filium reuocaret ad vitam, dixit: *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi: & pones baculum meum super faciem pueri.* Prohibet Propheta salutationes, ne remoretur in via. Quid ergo interest si paululum retardetur? Non parum, quia res magni momenti erat ad quam mittebatur, scilicet vt puer, qui vitâ functus erat, à mortuis excitaretur. Si ergo corporis vita tanti fit à Propheta Domini, vt non patiatur cursum serui sui, qui mittebatur ad illud perficiendum, per aliquod breuissimum tempus retardari; cur pateris tu, vt anima tua tot annos iaceat mortua in maximis sceleribus, nec curas, vt ad vitam reuocetur? superat enim, & longè quidem superat vitam corporis animæ vita. Si Deus tibi mille annos vitæ concederet in hoc mundo, & aliquis vellet detrahere nongentos, maximam tibi iniuriam ab illo irrogari clamares; & non reputas tantum malum, adimere animæ tuæ spiritualem vitam, toto vitæ tuæ tempore? Festinat Elisæus valde, vt puerum alienum ad vitam reuocet; tu verò, vt animæ tuæ vitam restituas, testitudineo gressu progrederis! Nondum assequutus es quanti fieri debeat animæ vita spiritualis, pluris habenda est quàm omnium corporum vita, quia hæc à gratia, quæ Dei participationem inducit, proficiscitur: tu autem adeò vecors & stolidus es, vt huic vitæ nuntium remittas, vt fluxis & caducis corporis voluptatibus perfruaris.

Cùm filij Israel captiui ducti fuerunt in Babylonem, tanto erant mœrore oppressi, & tristitiâ contracti, vt, cùm Babylonij dicerent: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion*; respondebant: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* quia quamuis sperabant fore, vt Dominus illos à dura seruitute vindicaret, & in libertatem assereret; tamen quamdiu libertas aberat, in luctu & mœrore versabantur, (nam seruitus, licèt vnius tantum horæ sit, dura & misera est) Sionis dulcissimæ patriæ recordabantur, & lugebant, dicentes: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Qui diues erat in patria, cùm casu aliquo captiuus ducitur, quamquam speret fore, vt in pristinam libertatem asseratur, in mœrore & luctu est, donec veniat expectata dies. Sic erat luctus filiorum Israel, cùm captiui ducti sunt in Babylonem: quia felicissimi temporis suæ affluentiæ recordabantur, & Sionis iucundissimæ patriæ. Quæ igitur seruitus durior & infelicior, quàm animæ, quæ in vinculis peccatorum est? Quæ gaudij & lætitiæ oblectatio in hac animam obrepere potest? *Nihil est* (ait Ambrosius) *quod tam summo dolori sit, quàm si quis positus sub captiuitate peccati, recordetur vnde lapsus sit.* Ita ille. Quamquam certus sis fore vt, antequam diem tuum obeas, peccata pœnitentiâ deleas, subterfugere deberes peccatum, etiam per breuissimum temporis spatium: nam à dignitate filij Dei deturbaris in miseram dæmonis seruitutem, omnibus gratiæ bonis spoliatus, sempiternis supplicijs addictus, priuatus illo iure, quo ad summam felicitatem per merita Christi peruenitur, quorum virtute illa comparatur: cur ergo moraris & in peccatorum cœno & volutabro volueris, cùm possis pœnitentia duce à tantis malis emergere, & in tuto & tranquillo loco omnium malorum experte collocari?

Considera etiam & perpende maximum periculum, in quo versaris, dùm in peccati sordibus iaces: fieri enim potest, vt subita morte præuentus, priusquam pœnitendi potestas tibi fiat, ex hac vita discedas, & in profundum inferni præcipitium ruas. Si obijcias te prospera valetudine frui, hæc solet in aduersam subitò commutari, solent etiam homines casu aliquo inopinato subitò occumbere, aut fluminis alluuione, aut tegulæ ictu, aut domus ruinâ oppressi, aut hastâ transuerberati, aut mucrone confossi, aut alia subitanea & improuisa morte correpti, Deo res ita disponente, vt in pœnam & supplicium tuorum scelerum, & imprudentissimæ tuæ expectationis, subitò occumbas. Si in hoc ergo periculo versaris, non leuis stultitia est, nolle ab illo emergere. Si periculoso aliquo corporis morbo corriperis, statim iubes accersiri medicum, vt medicinas adhibeat: tu verò illis vteris, quamuis magni pretij sint, & dolorem incutiant, venas tibi præcidi pateris, &c. cùm autem eo morbo laboras polliculari, quo vniuersum corpus minutissimis corrupti sanguinis maculis aspergitur, quos cruciatus non subis, vt illum expellas? amaras potiones exhauris, pillulas, si opus est, deglutis, corpus nouaculâ incidi non recusas, & huiusmodi carnificinam non in aliud tempus reijcis, sed statim in te exerceri vis: quia periculum est in mora, cùm iam discrimen interueniat, & maxima esset stultitia differre. Cur igitur, cùm animæ salus periclitatur, in longissimum tempus medicinam reijcis? cùm vita corporis periclitatur, moram times, & cùm animæ salus in discrimen vocatur, non times? Obijcis Sacramenta à Christo Domino instituta, quocumque tempore sumantur, profutura, fateor: sed id non remouet periculum, in quo tu versaris: fieri enim potest, vt priusquam illorum particeps fias, extinguaris. Vnde Augustinus: *Quid tu sperabas peccator conuerti disimulas, & non metuis, ne mors repentina frat in ſurripiat diem conuerſionis? nonne homines ſubitò moriuntur? Deus tibi promiſit remiſſionem conuertendo te à peccatis, ſecuritatem non promiſit diu viuendi. Si ſubitò intrat dies extremus, perijt dilatio, & reſtat damnatio.* Et alibi: *Cras*, inquis, *conuertar, & erit ſinis, cuius rei finis dicis? inquitatum meorum. bene, gaude: quia craſtino iniquitatum tuarum erit finis. Sed quid ſi ante craſtinum tuum erit finis. Ergo quidem bene gaudes, quia conuerſo tibi Deus indulgentiam*

Prou. 3. 28.

4 Reg. 4. 29.

Pſ 136. 3.

gentiam promisit; sed crastinum diem tibi nemo promisit. A
9 de Hæc Augustinus. Et verè in re tanti ponderis, & momenti, nemo sanæ mentis conuersionem differre debet, nec per temporis punctum, sed summas Deo gratias agere, eò quòd semper paratus est, vt illum excipiat. statim amaram potionem, quam tibi medicus decreuit, sumis, quamquam ignoras vtrum profutura sit, vel damnum allatura: cùm autem fide teneas, animæ medicinam, vt decet, adhibitam, numquam nocere, sed semper proficere, procrastinas? O vecors & stolide præstigijs huius mundi decepte! caue tibi, ne id sine fine lugeas.

Sed esto, certò habeas, te non subita & insperata morte correptum iri, sed in tuo lecto inter notos & familiares, & id à Deo accepisse, ne vlla possit oriri dubitatio; adhuc stultus es, si conuersionem differs, quia salutem tuam in discrimen conijcis: sæpè enim Deus permittit in pœnam tantæ rebellionis, & proteruiæ, vt, cùm velis, non inuenias modum, & viam; quia quam- B
auxilium sufficiens, vt dicunt Theologi, nemini
denegatur vmquam; ita homo est vecors, vt omnes
viæ, quæ ad salutem ducunt, intercluſæ sibi videantur.
de Iusto enim iudicio, ait D. Augustinus, meretur peccator, *vt moriens obliuiscatur sui, qui viuus oblitus est Dei.* Et D. Ambrosius: *Qui positus in vltima necessitate agritudinis suæ acceperit pœnitentiam, & mox reconciliatus fuerit, & exit de corpore, fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumo, dicere, quòd bene hinc exijt, non præsumo, non polliceor, non vos fallo, non decipio. pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Vu te à dubio liberare? vis quod incertum est euadere? age pœnitentiam dum sanus es. Si autem tunc agere vis pœnitentiam, quando peccare iam non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* Hactenus Ambrosius. Et idem concludit Augustinus ad Fratres in eremo. Animaduertis ergo quantæ difficultatis sit in hora mortis pœnitere, &, vt par est, peccata confessione expiare.

Sunt qui existimant sufficere mortis tempore eum C
accersiri, qui à confessionibus est, & pecunias in pia
opera distribuere, crucifixi imaginem arripere, pugno
pectus contundere, & his & alijs pietatis operibus vitam in flagitijs & scelcribus consumptam sanctificari. Ego autem de istorum salute dubito: nec mirum si ego dubitem, cùm priùs D. Ambrosius & D. Augustinus dubitauerint, vt audistis. Nónne vulgari sermone frequenter vsurpatur? dubitat Augustinus. Hanc ob causam dictum est, quia dubitat ille, nec immeritò, de illo, qui pœnitentiam & confessionem in istud tempus valde periculosum reijcere non formidat.

Cùm igitur secum tantam dubitationem afferat pœnitentia illo tempore, cur illam in illud vsque tempus differre audes? Rem tanti momenti, in qua de sempiterna felicitate agitur, in discrimen adducis? In litibus, vt causam obtineas, nullam moram interponis: in morbis nullam non diligentiam adhibes, cùm ta- D
men vita solum corporis, quæ tandem amittenda est,
periclitetur, & in re, in qua vita animæ in
dimicationem venit, dormitas? *Duæ res sunt*, ait Ambrosius, *aut ignoscetur tibi, aut non ignoscetur tibi, quid horum tibi futurum sit, nescio. Sed do consilium: dimitte incertum, & tene certum.* At si diceret, in re tam graui quod tutius est, eligendum est, securiorem viam tene. & Spiritus sanctus: *Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. Confiteberis viuens, viuens & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriscaberis in miserationibus illius. Viuens*, inquit, *confiteberis*, non moriens, viuus & valens, non morbo affectus & moriens. Hoc diuini Spiritus consilium tibi sume: quia meretur ille vt illus verbis fidem adhibeas, & periculum, in quo versaris, declines, & Domini misericordiam assequeris, quam assequutæ sunt quinque illæ prudentes virgines quæ paratæ erant, & cœlestis Sponsi nuptias celebrarunt. Amen.

Plutarchus, cùm Alexander Magnus militem quen- *In Apop. Regum & Imper.*
dam videret arma præparantem eo tempore, quo iam
bellum instaret, & cum hostibus manus essent conse-
rendæ, *Heus*, inquit, *recede à me, & ab exercitu meo: non enim bonus esse potest miles, qui ad pugnam vsque armorum præparationem differt.* Milites nos sumus magni Imperatoris Christi: *militia est* enim *vita hominis super terram:* *Iob 7. 1.*
mortis autem tempus præcipuè quidem conflictus
tempus est: præparatio autem nostra est bonorum operum coaceruatio, maximè autem pœnitentiæ. Indignum igitur Christi militiâ illum iudica, qui ad mortem vsque differt bonorum operum apparatum. Vnde, *Ante mortē bene fac amico tuo, & secundum vires tuas exporrigens da pauperi. Non defrauderis à die bono, & particula diei bonæ non te prætereat.* Pondera, *secundùm vires tuas:* nam aliqui secundùm vires suas seruiunt opibus & rebus suis mundo, secundùm quid verò animæ suæ. quo quid stolidius, cùm ea, quæ mundo exhibentur, in æternum pereant, ea verò quæ Deo, in æternum prosint? Vnde meritò addit: *Non defrauderis à die bono*, bonum diem appellat illum, in quo mereri gratiam & gloriam possumus. Quid enim bonum quod plenè boni nomen mereatur præter hoc? non te prætereat nec particulā talis diei, nec instans, in quo non bonum aliquod opereris: sunt enim cum quadam mensura & limitatione nobis dati dies, vltra quos nec instans dabitur tibi, in quo valeas aliquid mereri. Ne igitur tu teipsum tanto bono fraudes, &c. Maximè verò de pœnitentia & conuersione si agamus. In vita sancti illius Anglici *Cap. 32.*
Thomæ More legimus, hominem quemdam multis implicatum fuisse peccatis, qui cùm de pœnitentia & conuersione ageret, dixit velle se per omnem vitæ suæ decursum delicijs vacare, tempore verò mortis sperare se tribus tantùm verbis æternam salutem consequuturum. Contigit autem vt die quadam per fluuium quemdam per pontem transiret, & impingente equo in flumen simul cum equo incideret. Qui cùm se à morte euadere non posse videret, dixit: *Capiat omnia dæmon: &* sic miserè periit corpore & anima simul. Ecce tria verba quæ protulit in morte, tribus verbis salutem se consequuturum sperabat, tribus his pessimis verbis vitam finiuit, Deo sic permittente, vt alijs peccatoribus in monimentum id esset, &c.

Rahab pactum cum exploratoribus Israel iniuit, *Iosue 2.*
vt propter beneficium exhibitum eis, cùm exercitus
Israel obsideret ciuitatem, in qua morabatur Rahab, parceret domui eius, & omnibus habitantibus in ea: nota est historia. Dederunt ergo ei funiculum coccineum, vt apponeret in fenestra, vt eo viso filij Israel à cæde domus eius abstinerent; & ita, abeuntibus illis, statim Rahab appendit funiculum illum coccineum de fenestra sua. Quæro cur tam citò funiculum appendit? nónne satis fuisset appendere illum cùm primùm exercitus Israel aduentasset, & bellum inchoasset? Sapiens mulier ita secum egit: nescio quando exercitus Israel venturus est, an nocte, an galli cantu, an orto iam sole, cras, aut postridie, &c. vel an ego obliuionē tradam signum appendere, vel aliud simile intercedet impedimentum: melius ergo est statim signum apponere, nocere hæc præuentio non potest, dilatio verò potest: agitur autem de vita mea ac meorum, negotium graue est, præoccupemus ergo impedimentorum occasiones, &c. Sic igitur & nos facere oportet, nescimus quando mors ventura est, vti Dominus nos admonuit: *Vigilate,* *Marc. 13.*
inquit, *nescitis enim quando Dominus domus veniat, sero, an* 35.
media nocte, an galli cantu, an mane: ne, cùm venerit repente, inueniat vos dormientes. Quòd si Rahab adeo diligens fuit ad mortem vitandam temporalem, quantò magis ad mortem vitandam æternam vigilare nos oportet. Nosti, ô peccator, pœnitentiam & confessionem tibi ad salutem

ſalutem neceſſariam eſſe, quid in craſtinum eam differs? quis ſcit an hodie ſubito morieris? eſtne impoſſibile hoc? nónne id pluribus quotidie accidere videmus? quod alteri homini accidit, tibi cur non accidere quoque poteſt?

Lib. 1. de vita Moyſi. Notauit Philo, quòd, *cùm Ægyptij filiorum ſuorum primogenitorum mortem ratione ſibi obuenire ſcirent, maximo conatu ſategiſſe expulſionem eorum ex Ægypto, pro ſe quiſque, inquit, certatim hortabatur populum, vt properè è tota regione decederent, vel vnum diem horamve differre longum ratt.* Ita ille. Cenſebant enim conuenientiſſimum eſſe, eos homines protinus à ſe expellere, qui mortem eis afferebant. Idipſum ego de peccatis, quod Ægyptij de Hebræis, dico: peccata enim ſunt, quæ animas interficiunt; homo quippe per malitiam occidit animam ſuam. Si ergo Ægyptij à ſe abijcere Hebræos ſatagebant, & vrgebant eos vt exirent citò de vniuerſa terra Ægypti, quia eorum cauſa corporaliter moriebantur, quantò magis nos expellere citò à nobis peccata debemus, quibus vitâ gratiæ, & vitâ æternæ gloriæ priuamur. Quare meritò eos deplorat S. Bernardus, qui ad finem vſque vitæ differunt pœnitentiam, dicens: *Væ illi, qui tunc habuit terminum luxuriæ, quando & vitæ.* Ita ille.

Sap. 16.

Lib de ordine vitæ

Lucanus:

Tolle moras, ſemper nocuit differre paratis.

1. Pharſalia.

Quòd ſi ſemper nocuit, quanto magis in re adeò graui, dubia, & periculoſa, qualis eſt ſaltis æterna?

Memento igitur illius ſententiæ Catonis:

Fronte capillata eſt, poſt hæc occaſio calua.

Animaduertat peccator, dum viuit, quòd vita præſens tempus diuinæ miſericordiæ eſt illi. Caueat ne tempus prætereat miſerendi, & dum minùs cogitat, tempus illi adueniat iudicij: neſcit enim homo finem ſuum &c. Vnde rectè S. Auguſt. *Ergo*, inquit, *fratres, quoniam habemus tempus miſericordiæ, non nobis blandiamur, non nós dimittamus, non dicamus: Semper parcit Deus. Ecce peccauimus heri, & pepercit Deus, pecco & hodie, & parcit Deus: peccabo & cras, quia parcit Deus: attendis ad miſericordiam, & non times iudicium. Deus ideo parcit, vt te corrigas, non vt permaneas in peccato.* Ita ille.

Vbi ſup.

Duo à nobis obtinere nititur hoſtis. Primum eſt incidere in peccatum; ſecundum verò conuerſionem aut negligere, aut ſaltem differre in futurum: aduersùs hanc dilationem non Sanctorum ſententias ſolùm, verùm etiam Ethnicorum afferre libet. Seneca igitur, *Maximum*, inquit, *bene viuendi impedimentum eſt expectatio, quæ pendet ex craſtino. Perdis hodiernum, quod habes, & quod in manu fortunæ poſitum eſt diſponis, quod in tua dimittis. Quid expectas? quò tendis? omnia quæ ventura ſunt, in incerto iacent.* Ita ille.

Ad Paul. de breui tate vitæ, c. 9.

Et quidem ſidit & conſidit peccator in diuina miſericordia, quæ indubiè immenſa eſt; ſed tamen Deus *adiutor in tempore opportuno* rectè appellatur, vnde ſubditur: *Qui educit vinctos in fortitudine*, alia lectio ſic habet: *qui educit vinctos in congruentiis, ayuda Dios al que ſe ayuda en ſu tiempo acomodado y congruente*: futurum autem & incertum tempus non dicitur congruum & accommodatum, ob incertitudinem ſuam: in re autem adeò graui, qualis eſt conuerſio peccatoris, omnis incertitudo fugienda eſt, cùm ergo tempus futurum ſit incertum, quomodo congruum dici poteſt? Si ergo Deus *educit vinctos* è vinculis peccatorum *in congruentijs*, hoc eſt, in tempore congruo, & maximè opportuno: hi quidem plus timere quàm ſperare debent. Habes ad hoc aptiſſimum locum apud Prophetam Sophoniam, *Vox*, (inquit) *cantantis in feneſtra, coruus in ſuperliminari*: quod in morali ſenſu quidam ſic exponunt: Coruus auis nigra eſt, & libertate abuſa, cum ex arca miſſa eſt à Noe, cuius vox eſt, cras, & numquam ſonat hodie: quare rectè in hoc coruo intelligitur homo niger peccatis, libertate abutens ſua, qui pollicetur ſe conuerſurum ſe, & cras dicit, & numquam dicit hodie. Vbi S. Hieronymus ex Hebræo pro coruo ponit dictionem quæ corui & gladium ſignificat, &, vt alij volunt, etiam ſiccitatem; quò aperte ſignificaret Spiritus ſanctus, primo in hoc coruo ſiccitatem Dei. pluit quidem Deus miſericordias, & auxilia ſua ſuper nos, vbi tamen coruus abutitur pietate diuina, quà eum expectat, & ad conuerſionem inuitat, & clamat, ſicut coruus, cras, cras, ſiccitatem conuertit pluuiam, & rorem miſericordiæ ſuæ, & denique in gladium, in ſupplicium & vindictam, & veluti gladio tempus abſcindit: non curat aliud meretur qui tempus ſibi ad pœnitendum exhibitum, ad peccandum magis ac inuerecundius admittit, &c.

Pſ. 67 7.

Cap. 2 14. Ribera ibid.

PROP. VIII. *Conuerſio quæ differtur, difficilè redditur.*

APeriens Noë feneſtram arcæ, dimiſit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur: emiſit quoque columbam poſt eum, vt videret ſi iam ceſſaſſent aquæ ſuper terram. Quæ cùm non inueniſſet, reuerſa eſt ad eum in arcam. Arca hæc, in qua iuſtus Noë ob iuſtitiam ſuam incluſus fuit, ſtatum iuſtorum deſignat, à quo nonnulli iuſtorum exiré ſolent: inter quos idem inuenies diſcrimen, quod inter coruum illum, & columbam illam, vtraque auis exiuit, ſed non vtraque reuerſa fuit; remanſit foris coruus, quem nonnulli perijſſe in aquis cenſent, & non abſque fundamento, cùm de columba dicatur, non inueniſſe illam vbi requieſceret pes eius: columba autem non periit, quia ſtatim in arcam reuerſa fuit. Coruus ſymbolum eſt procraſtinantium conuerſionem: vox enim coruina eſt, cras, cras, quam etiam repetere ſolent qui differunt conuerti: cras, inquiunt, conuertar, cras confitebor, poſtea faciam pœnitentiã: hi vt plurimum pereunt, quia nolunt in arcam reuerti. Columba autem, quæ gemitum pro cantu profert, pœnitentium ſymbolum eſt, qui ſtatim gementes, & dolentes, non differunt pœnitentiam: horum ſperanda eſt ſalus, aliorum verò timenda damnatio: cùm enim ſemper eamdem, quam hodie, ſentiant ad pœnitendum difficultatem, ſemper dicere ſolent cras, &c.

Gen. 8.

Sicut paralyſi hominis triginta & octo annis illam habentis, animi infirmitas ſignificatur; ſic tempore, quo illâ laborauit, tempus diuturnum, quo ſolent peccatores in ſuis ſordibus peccatorum iacere, denotatur: ſunt enim aliqui peccatores, qui inueterata peccandi conſuetudine obduxerunt callos, & ad canos peruenîunt, antequam id animaduertant. *Ephraim*, ait Oſeas, *factus eſt ſubcinericius panis, qui non reuertetur. Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciut, ſed & cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit.* Deſumpta eſt hæc metaphora ex antiqua conſuetudine coquendi panes ſubtus cineres, qui, niſi verſarentur, igni comburebantur. Sic accidit Ephraim: *factus eſt ſubcinericius panis, qui non reuertatur:* Hoc eſt, non eſt reuerſus ad Dominum, nec egit pœnitentiam, vt ait Hieron &, quod peius eſt, iam cani effuſi ſunt, & ignorauit: in peccatis cõſenuit, nec aduertit. Sic accidit Ephraim, & multis aliis, qui in ſordibus peccatorum iacent, nec ad Deum conuertuntur. Summus Pontifex concedit iubileum, Quadrageſimæ tempus aduenit, & præterlabitur, tempora temporibus ſuccedunt; illi autem adhuc in ſua obſtinatione perſiſtunt: in peccato enim ſuũ iam ſedem collocarunt. Vnde peculiari quadam ratione videtur dicere Euangeliſta: *Triginta & octo annos habens in infirmitate ſua*, non ſolùm addit *in infirmitate*, ſed addit *ſua*, quia diuturna temporis duratione ita erat *ſua*, vt proprium peculium videretur. Sic, cùm quis diu iacet in cœno peccati, ita illud *ſuum* reddit, ac ſi in hæreditatis & patrimonij partem traheret. Sic vſurarius lucro deditus eſt, &in

Ibid.

& in illius studium incumbit, non secus ac si proprium munus illius esset, & pecuniam alienam tanto tempore retinet, ac si sua esset, immemoriali consuetudine acquisita. Alter etiam tam longam cum pellice consuetudinem habet, ac si vxor illius esset, nec conscientiæ stimulis agitatur, nec, cùm vitium illud vituperatur à concionatoribus, sibi illos loqui animadvertit. Illi etiam, qui domos suas habent expositas ludo tesserarum & chartarum, existimant diuturna consuetudine ius acquiri, ita vt nemo sit qui iure offendi possit: ac si diuturnum peccatum leuius sit, & scandalum amoueat. Hi sunt qui triginta & octo annos habent in infirmitate sua, in qua consenuerunt.

Vt id clariùs appareat, animaduertere opus est discrimen quod versatur inter electos & reprobos: illi enim in bono constantiam, in malo autem inconstantiã ostendunt: secus autem hi. Id sacrarũ litterarum exemplis satis apertè comprobatur: Dauid electus à Domino voluit illi domum ædificare, & de hoc egit cum Propheta Domini Nathan. Voluit etiam in domum suam inferre arcam fœderis, sed cùm animadueterteret, quantum mali aduenit Ozæ, quia illam contingere ausus est, cohibuit se, numquam tamen conquieuit, quoad illam in loco, in quo constituerat, collocauit. Id autem eâ constantiâ, & firmitate, quam ipse commemorat, cùm ait: *Iurauit Dominо, votum vouit Deo Iacob: Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec mueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Ecce tibi quã constantiã & robore vtebatur in rebus diuini honoris & cultus: ab alijs verò statim desistebat, nec, vt illas exequeretur, vllis precibus aut argumentis adduci poterat. Sic cùm illum vrgebant serui, & admonebant, vt Saulem in spelunca occideret, cùm id posset impunè facere, non solùm non morem gessit illis, sed quia nonnihil vestis Saulis abscideratt, illum pœnituit. *Percussit* (inquit Scriptura) *cor suum Dauid, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saul.* Sic etiam cùm irâ incensus ferebatur, vt Nabal Carmeli iniuriam vlciscereturr, & illi processit obuiam Abigail, non solùm eius verbis placatus est, sed etiam illi gratias egit, dicens: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum: & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea.* Improbi contrà in malo firmi & constantes sunt, in bono autem infirmi, & inconstantes. Quod apertè indicant illi qui turrim Babel ædificabant, de quibus ait Dominus: *Cæperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* Ideò Deus impediuit, ne ædificium illud inchoatum absoluerent. Vnde, si Dominus peccatorum conatibus non obsistit, ipsi ab incepto non desistunt, quoad prauas suas cogitationes exequantur. Id apertè indicat Cain, qui à fratris sui cæde, quam erat machinatus, non destitit, quoad cupiditati suæ satisfecit: nec illum innocentis fratris amor, nec Dei verba, nec mundi ruina, qui pauciſſimis hominibus cõstabat, à proposito retardarunt. hæc enim improborum hominum conditio est, in malo persistere, & ad exitum vsque perducere: quò fit vt perditam & sceleratam viuendi consuetudinem ad finem vsque vitæ protrahant, pœnitentiæ omnino obliti.

Conquerebatur quondam Dominus de populo suo, dicens: *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis.* Quàm præclarè verbis auget populi obstinationem & pertinaciam: Peccato se obstrinxit populus, non vulgari quadam ratione, nec breui peccatum transactum est, sed scriptum remansit. Nec calamo exaratum est in charta, sed stylo ferreo inciſum, non in aliqua cordis parte, sed super latitudinem cordis, ita vt nihil residuum sit, quod non sit peccatis infectum. Vnde, sicut Deus ex toto corde vult diligi, sic etiam ipsi toto corde amplexantur iniquitatem. Id efficit peccatum, cùm inueterata consuetudine obduruit, cor adamantinum redditur, & peccatum remanet inciſum, velut stylo ferreo, ita vt deleri vix possit, totum cor occupat, ita vt vix locum relinquat virtuti. Quidquid cogitat, quidquid loquitur, in peccati incrementum vergit. Ad tantam enim calamitatem peccator peruenit, vt nec extremi iudicij memoria illum perterrefaciat, nec sempiterni cruciatus horror timorem incutiat, nec sempiterna gloria illum alliciat, nec frequenti hominum interitu commoueatur, nec diuino lumine excitetur, nec concionibus, nec laboribus, nec calamitatibus à peccandi consuetudine abducatur, non secus ac si cor illius adamantinum esset, & peccatum esset exaratum stylo ferreo super latitudinem cordis illius. O malum infelix! ô misera calamitas! ô miserabile exitium!

Quando aliud malum non esset, nisi temporis iactura, miserum id esset: Deus enim tibi concessit tempus, vt illi inseruires, & illum toto corde diligeres: tu autem tempus conteris in flagitijs & sceleribus. Tempus tibi conceditur, vt iter in sempiternam felicitatem facias, tu autem in sempiternam miseriam ruis. *An diuitias* (ait Apostolus) *bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis, contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei. Diuitias bonitatis*, appellat tempus, quod Deus homini concedit, vt pœnitentiæ se dedat. Diuitiæ sunt, opulentus thesaurus: absconditus autem, quem pauci cognoscunt. Quid non daret quilibet damnatus pro qualibet temporis hora, quam tu fruſtra conteris, vt scelera sua posset sanguineis lacrymis deplorare, & eorum impunitatem consequi? Quando inter ardentes inferorum rogos detruderis, quantum tibi dolorem incutiet huius temporis recordatio! Væ mihi, repetito sermone crebrò vsurpabis: Potui hæc tormenta atrocissima declinare, tempus mihi concessum est, in quo me posset scelerum pœnitere. Væ mihi, præterlapsum est omne tempus, nec horæ particula residua est, in qua possim peragere pœnitentiam: cruciatus autem & tormenta nullum finem cognoscunt. Væ tibi, qui tantas temporis diuitias dissipas & conculcas: si tantam cœlestium diuitiarum iacturam faceres, ferri aliquo modo posset, quamquam est hoc grauissimum damnum, sed proh dolor! quia & insuper thesaurizas tibi iram in die iræ. Quid tibi vult thesaurus iste? D. Ambrosius ait: *Necesse est, vt seueriori pœna plectatur, imò flammis pœnalibus torqueatur, qui longâ Dei patientiâ non solùm se emendare noluit, sed adhuc addens, ad contemptum peccata exacerbauit.* D. etiam Gregorius sic ait: *Misericors Deus tempus nobis ad pœnitentiam relaxat, sed cùm eius patientiæ gratiam nos ad augmentum vertimus culpæ, hoc ipsum tempus, quod ad parcendum piè disposuit, districtius ad feriendum vertit. Vt, quia reuerti quis etiam, spacio temporis accepto, noluerit, per hoc mala sua ad reatum angeat, per quod ea diluere potuit, si conuerti voluisset.* Hactenus Gregorius Magnus. Potes misericordiæ thesaurum congregare, & thesaurizas tibi iram. Væ tibi: tempus enim pœnitentiæ concessum, in committendis nouis sceleribus conteris, & semper peccatis peccata superaddis, & in squalore & sordibus peccatorum iaces, &c.

De quadam fœmina conquerebatur Dominus, dicens: *Dedi illi tempus vt pœnitentiã ageret, & non vult pœnitere, &c.* D. Ambr. ait: *Hæc mulier, quæ, cùm esset in peccatis, & deberet flere, gaudebat; & veste purpurea atque coccinea operiebatur, & auro se multo, & pretiosis lapidibus ornabat, nunc æterni fletus luget ærumnã.* Hæc ille. Si huic fœminæ Deus nunc concederet aliquid illius temporis, quod fruſtra conterebat in parandis ornamentis, & fuco conficiendo, quis dubitat quin illud in bonis operibus peragẽdis

insumeret? Non vestem byssinam & purpuream, sed cilicinam indueret: non contorqueret calamistro capillos, sed contortos & calamistratos euelleret: non rideret, sed fleret, non procederet in publicum, vt conspiceretur ab omnibus, sed intra priuatos parietes se contineret, vt lacrymis deleret peccata. Sed iam nec punctum temporis illi ad peragendam pœnitentiam concedetur, sed sempiternis cruciatibus breues voluptates persoluet, &, si illam acerbissimè Deus puniuit, quia tempus pœnitentiæ concessum in delicijs perfruendis transegit, quid illi accidet, qui numquam à peccatis destitit, sed semper, dum vixit, cumulum auxit? Peccasti, & in sordibus peccati iaces, & peccato peccatum superaddis, nec de pœnitentia & lacrymis profundendis cogitas. Deus te in tartara detrudet, vbi nullus lacrymis finis imponitur, vbi ingrati animi immane seclus acerbissimè punitur. Redite ergo præuaricatores ad cor, nolite obdurare corda vestra, &c.

A

Etiamsi Deus homini vitæ vsuram ad mille annos concederet, nec punctũ illius frustra conterere deberet; quid igitur dicam cùm hominis vita ita breuis sit, & periculis obnoxia? hanc tamen homines stolidi & insipientes in sceleribus consumunt. Aliquo se scelere obstringere, quamquam illico excutiendum sit, maxima miseria est; quid erit penè infinita crimina perpetrare, & in volutabro peccatorum iacere? Nondum cognouisti, ô infelix homo, quantum detrimentum afferat animæ peccatum? Confer mihi malum illorum, qui æternis supplicijs addicti sunt, cum illorum malo, qui in peccato versantur, ex his duobus malis vtrum tibi grauius videtur? Non possunt inter se conferri, quia sine vlla dubitatione grauius est, quolibet se scelere inficere, quàm omnia tartarorum tormenta subire: quia hoc malum pœnæ, illud autem malum culpæ appellatur. Cur igitur tanti mali oblitus in peccato versaris, nec das operam diligenter, vt ab illo libereris? Si super candentes inferni carbones superpositus cremareris, quid faceres vt è tanto euaderes malo? Nunc autem tibi Deus manum porrigit, vt à peccato, in quo iaces, & quod maius malum est, saluus & incolumis euadas, cur ergo tantum Domini beneficium è manibus elabi pateris? cur breue tempus, quod tibi conceditur, non amplecteris? Procreatus es à Deo, vt cœlestis gloriæ particeps fias, & illius iacturam facis, & non erubescis? Serui Domini alij ambulant, alij concitato gressu pergunt, alij currunt, alij velociori impetu feruntur & volant; tu verò iaces in sordido lecto peccatorum, omnibus membris solutus, nec vis sanus fieri, nec per viam mandatorum cœlestium incedere. Serui Domini, qui in eius basilica versantur, cæsi sunt, secti sunt, sagittis, confossi sunt, in crucem rapti, tu verò in delicijs conquirendis vitam traducis, & adhuc ex numero illorum esse vis? accidet tibi secus, quàm putas.

B

C

Nolunt peccatores suis sceleribus nuntium remittere, nec à dura hostis seruitute liberari, quia nociuam vitiorum dulcedinem degustarunt. Cùm Israelitæ captiui ducti sunt in Babylonem, priùs preces fundebant ad Deum, vt illos ab illa seruitute in libertatem assereret; cùm autem postea potestas illis facta est descendendi in patriam antiquam, ægrè ferebant profectionem illam. cur ita? nónne in exilio versabantur? cur facultate sibi concessa non vtebantur libenti animo? Placuerant illis iam plateæ, & viæ publicæ Babylonis; aspiciebant hortos, & arbores, propria manu consitas, degustauerant illarum fructus, & suauitate ac dulcedine capti, egredi recusabant. Sic etiam serui filiorum Israel Iubilæi annum expectabant, vt in eo libertate donarentur: sed aduentante tempore, eo multi heros suos & familiam complectebantur amore, vt in eadem seruitute vellent remanere. Id est in causa, cur multi nolint à dura dæmonis seruitute in libertatem à Christo Domino vindicari, quia scilicet voluptates, & delicias, quas illis hostis offert, nolunt deserere. Suauitate & dulcedine capiuntur, fericis vestibus, auro contextis, lapillis ornatis, quas mundus offert, delectantur, delicijs & oblectationibus perfruuntur, remo assuefacti sunt, illum delicias reputant, nullis conscientiæ stimulis agitantur, nec verbera reformidant. Vnde nec tempore Iubilæi, nec acceptabili Quadragesimę, volunt à seruitute liberari, neque animaducrtunt illo pacto in infernum nauigari. Quò tandem applicabunt, vt erroris, in quo spontè versantur, pœnas acerbissimas luant?

D

Rex Babylonis Nabuchodonosor septem annos in pratis commoratus est, alligatus vinculo ferreo, & in herbis. Sic plurimi peccatores pascuntur in pratis ferreis catenis constricti, vnde nullis vocibus commoueri, neque à dura catena, quâ detinentur, liberari possunt.

Dan. 4. 12.

Qui callos obduxerunt in peccatis, serò abducuntur ab illis, quia peccandi consuetudo difficilem reddit pœnitentiam, & peccatum, quod animam inuasit, & cepit, vires adimit eidem animæ, ne pedem referat, & ne à seruitute liberè emergat. *Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor.* Cùm primum columba laqueo comprehenditur, animo deficit, nec vires habet, quibus ab illo liberetur. Sic Ephraim, quasi columba capta, non habebat cor, cùm se laboribus circumuentum animaduertit. Eundem affectum in animam inducit peccandi consuetudo, vires adimit, & exiſtimat peccator iam fieri non posse, vt à tantis peccatis saluus & incolumis emergat: quo fit vt animo cadat, & desua salute diffidat.

Oſee 7. 11.

Anima, quæ tetigerit aliquod immundum, (ait Dominus) *siue quod occisum à bestia est, aut se mortuum, aut quodlibet aliud reptile, & oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, & deliquit.* Vehementer Dominus indignatur, cùm quis in peccatum prolabitur, & tanti mali oblitus, epulatur, gaudet, lætatur, non secus, ac si in illud non fuisset prolapsus. Hunc peccatorem Deus atrocissimo supplicio mulctat. Vt hoc clarius appareat, animaduertere necesse est, hanc esse Dei nostri naturam, vt peccatorem expectet, adhibito tamen pondere & mensura: vt præclarè attigit Origenes, cùm ait: *Sicut omnia in mensura fecit Deus, & pondere & numero; ita etiam patientiæ eius ad certa mensura est: quam mensuram credendum est esse consumptam vel ab his, qui à diluuio periere, vel ab his, qui in Sodomis cœlesti igne vastati sunt. Vnde & de Amorrhæis dicitur:* Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum vsque nunc: *sed ergo Deus patienter, & expectat vnius cuiusque pœnitentiam: sed non nos dissoluat hoc, & tardos ad conuersionem faciat, quia rursus patientia eius & sustentationis certa mensura est.* Hactenus Origenes. Itaque patientia Dei nullis est terminis circumscripta, ipse tamen Deus præscribit modum & terminum, ad quem producatur. Insequebatur Asael ducem Abner, conuersus autem Abner semel atque iterum petijt ab Asael, ne se insequeretur: cùm autem nollet illius verbis morem gerere, coniecit in illum hastam Abner, quâ transuerberatus Asael, miserè occubuit. Sic Deus cùm sæpiùs peccatorem moneat, ne se insequatur, & peccatorum cumulum adaugeat; ille autem aures obturet, se surdum simulet, & à proposito non desistat, tandem Deus hastam contorquet, quâ miserè transfodit actus occumbit, & in sempiternum præcipitium ruit. Tu autem miser peccator, qui inueterata peccandi consuetudine ad peccatum traheris, caue tibi, ne istud extremum sit quod Deus expectare decreuit, caue ne istud agmen claudat, caue ne Deus rationes subducat, & eas iam absolutas reperiens, codicem claudat, & sententiam ferat, quâ te sempiternis cruciatibus addicat.

Satis ostendit Dominus difficultatem, quæ reperitur in delendis peccatis, quę longa consuetudine obdurue-

runt, cùm ait : *Sè mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Vbi D. Hieron. *Quidquid dicitur non naturæ eſt, ſed ſtudij & propriæ voluntatis; quæ nimia conſuetudine & amore peccandi quodammodo in naturam conuertitur.* Hæc ille. Hæc Ieremiæ verba maxima indigent conſideratione, cùm ita difficilem reddant impij, qui iam obduruit, conuerſionem. ſicut eſt difficile Æthiopem colorem, & pardum pellis varietatem immutare. non ait Propheta id eſſe impoſſibile, ſed adeò difficile, vt ferè inter ea, quæ impoſſibilia habentur, numerari poſſit: quia conſuetudo eſt altera natura. Hinc eſt illud D. Auguſtini : *Dum conſuetudini non reſiſtitur, ſit neceſſitas.* Animaduerte in quas anguſtias redigat peccatoris ſaluitam conſuetudo peccandi. Dominus etiam huiuſmodi peccatoribus non ea confert beneficia, quæ conferre ſolebat: quia magno illos profequitur odio.

Ier. 13. 22

Prop. IX. *Qui differt conuerti, iuſto Dei iudicio ita excæcari ſolet, vt poſtea pœnitentiam non inueniat.*

IVſto Dei iudicio, qui differt conuerti, cùm ſe ad pœnitentiam recipere volunt, ita mente obſcurantur, vt pœnitentiam veram inuenire neſciant. hac ſimilitudine id expliçabo ex diuina ſumpta Scriptura. cum iam mare rubrum ingreſſus fuiſſet populus Iſrael, Ægyptij eos perſequentes, ingredi pariter mare per eandem viam decreuerunt: ſed tamen reuerti iuſſit Dominus aquas maris in locum ſuum, & tunc periculum fugere volentes Ægyptij, dixerunt: *Fugiamus Iſraelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Sed tamen ſerò ſapiunt Phryges, aſſumpſit eos mare, omnes perierunt: vnus ex eis non remanſit. Nunc rogo, quomodo auſi ſunt ingredi inter medias illas aquas? nimirum quia dixerunt: *per hanc viam Iſraelita tranſierunt, cur non etiam & nos?* Ecce cauſam, ob quam multi conuerſionem ſuam in finem vitæ differunt, quia per huiuſmodi viam multi in cœlum peruenerunt, vt, v.g. bonus latro. *Vnus latronis cauſa multis hoſpitium denegatur. Por vn ladron muchos pierdan el meſon*, dum ſciliçet ſe pariter ſaluandos ſperant, ſeu potiùs præſumunt. Sic igitur Ægyptij maris iter ingreſſi, dum ſuper ipſos vndas inundare conſpiciunt, *Fugiamus*, inquiunt, *Iſraelem*: at non eſt eis datus fugæ locus, perierunt: non enim eis eam gratiam exhibere, quam Iſraelitis, voluit. Stultum igitur eſt ex gratia vni conceſſa gratiam extendere ad omnes. *Fugiamus*, inquiunt, *Iſraelem*; bene: ſed ſerò, facere volo pœnitentiam ait peccator in periculo vitæ conſtitutus, bene: ſed ſerò, negat ſæpè Deus his auxilium illud efficax, quo de facto peccatores conuertantur.

Exod. 14. 24.

Magna, inquies, Dei miſericordia eſt, magna quidem, ſed magna eſt prædita ſapientiâ, *no es boba la miſericordia diuina, ſino muy diſcreta.* Vnde non auxiliatur præſumptioni noſtræ, ſed ſubmiſſioni noſtræ. Auguſtinus ait: *De miſericordia Dei ne tantùm ſecuri exiſtamus, vt peccatis augeamus peccata, nec dicamus: donec viget ætas noſtræ carnis, concupiſcentias noſtras exerceamus, & poſtremò in ſenectute malorum noſtrorum pœnitentiam agamus: pius enim eſt Dominus ac miſericors: nec vltra facinorum noſtrorum recordabitur. Summa ſtultitia eſt hæc cogitare, cùm & impium ſit talem licentiam à Deo poſtulare quempiam velle, cuius initium eſt nos à Deo ſeparare. Præterea, ne id cogitemus, cùm neſciamus qua die morturi ſimus: non omnes in ſenectute moriuntur, ſed in diuerſis ætatibus de hoc mundo migrant, & in quibus actibus quiſque inuentus fuerit, in eiſdem iudicabitur.* Ita S. Auguſt.

Idem S. Auguſt. *Tu ſecundùm duritiam cordis tui theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique iuxta opera ſua. an diuitias longanimitatis & manſuetudinis eius contemnis, ignorans, quia patientia Dei ad miſericordiam te adducit? largitur tibi ſpatium correctionis, & tu plus amas dilationem, quàm emendationem. Semper expectas, & de miſericordia Dei tibi plurimum polliceris: quaſi ille, qui tibi per pœnitentiam promiſit indulgentiam, promiſerit etiam tibi prolixiorem vitam. Vnde ſcis, quid pariat craſtinus dies? Recte dicis in corde tuo: Quando me conuertero, Deus mihi omnia peccata dimittet, negare non poſſumus, quòd correctis indulgentiam Deus promiſit: ſed in quo Propheta legis, quia promiſit correctio indulgentiam, non legis, quia promiſit tibi Deus longam vitam.* Ita S. Auguſt. & modò nos Deus admonet, imò & rogat, vt nos à peccatis mortiferis re- *Ser 102. de tempore.* uocemus, audiamus illum, dum rogat, ne poſtea non audiat, cùm iudicat. Audiamus eum per Prophetam dicentem: *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Quid ad hæc *Eccl. 30. 24.* reſpondebit fragilitas humana? Deus te rogat, vt tui miſereatis, & non vis, cauſam tuam apud te agit, & à te non poteſt impetrare: & quomodo te audiet in die iudicij ſupplicantem, cùm tu eum pro te nolueris audire rogantem? Caliditis vulneribus ſolent medicamenta celeriùs ſubuenire: quotieſcumque ergo peccauerimus, non expectemus mortifera ſecuritate vulnerum putrefactionem, nec vulnera vulneribus augeamus, ſed continuò ad ſpirituale medicum recurrentes, ſalutem recipere feſtinemus, & ſicut quando in corpore vulnus accipimus, ſi ſtatim medicamenta recipimus, citò etiam ſanitatem recipere valemus; ita ſi moram fecerit, neceſſe eſt vt plaga tardiùs ad ſanitatem redeat aut aliqua fœda cicatrix in corpore noſtro remaneat. Quòd ſi hoc in corpore facimus, quantò magis in animæ vulneribus id præſtare debemus, vbi ad imaginem & ſimilitudinem Dei facti ſumus. Si tantam (inquam) curam impendimus corpori, quod velimus nolimus in puluerem redigendum eſt, quantam ſolicitudinem & curam erga ſalutem animæ apponere debemus? vt, ſicut dicit Apoſtolus, *ſine macula & ruga, mereamur ante æterni iudicis tribunal apparere.* Ita S. Aug.

Idem S. Auguſt. *Pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma eſt pœnitentia, timeo ne ipſa moriatur: ſanus ergo homo agat pœnitentiam in ſæculo, vt ſanus valeat eſſe in futuro.* Ita S. Auguſt. qui non tollit petendam eſſe à nobis in infirmitate & morte pœnitentiam, ſed tutiorem monſtrat viam, &c.

Ser. 37. de tempore.

Prop. X. *Quàm periculoſa ſit conuerſio in morte.*

PEtrus Crinitus lib. 1. *de honeſta diſciplina*, de celebri Scytharum imperatore Tamorlano narrat, quòd cum is ciuitatem aliquam obſideret, tentorium ſuum albo colore indui iubebat, ſignificans, & promittens clementiam, ſi ciuitas ſe illi tradere ſtatim vellet: albebo enim ſuauitatis, & clementiæ ſymbolum eſt: quòd ſi renuerent, ſecundo die tentorium rubeo colore indui mandabat, ſanguineo illo colore ſanguinis effuſionem minitans, niſi ſe illico illi darent; quod ſi adhuc rebelles eſſent, tertio die nigro colore indutum oſtendebat tabernaculum, tetro illo colore mortem iamiam præ foribus eſſe demonſtrans. *Como quien dize ya no os quedan mas plazos, ya llegan los lutos negros de la muerte,* & hoc vltimo termino tranſacto, ciuitatem penitus diripiebat. Fateor, Dominus Opt. Max hoc ſe modo cum peccatoribus gerit. nam primo loco albedinem clementiæ illis oſtendit, dum ſuauiter intùs inſpirat, & mouet cor peccatoris, vt cõuertatur, & viuat, & ſimiliter vocibus cõcionatorum, & confeſſariorum ad pœnitentiam inuitat, quia non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & in æternum viuat; quod ſi renuerit, ſecundo loco rubrum depromit colorem, dum per labores & dolores eos vocat: nam diuitiarum amiſſio, infirmitas, perſecutio, & aduerſitas quæuis huiuſmodi vocationes Dei ſunt, *coloradas porque ya llega el negocio a ſangre*: ſi autem nec tunc conuertitur peccator, deinde

mortem immittit, vt iam vel in ipſa infirmitate mortali reſipiſcat, & conuertatur. Fatcor & tunc adhuc eſſe tempus à pijſſimo Domino ad conuerſionem, ſed ne nimis confidat peccator, animaduertere debet periculoſiſſimum eſſe tempus mortis ad legitimam conuerſionem, vti Sanctus Ambroſius, & Sanctus Auguſtinus docent: tunc enim magis peccata videntur relinquere peccatorem, quàm peccator peccata. Vnde Ec-
Cap. 7. 18. cleſiaſtes ait: *Ne impiè agas multum, ne moriaris in tempore non tuo: no te des mandes en peccar noſcea que te mueras en tiempo no tuyo.* Quodnam eſt hoc tempus non ſuum peccatoris? quid eſt mori in tempore non ſuo? tempus quidem mortis ſæpe ſæpius ſolet non eſſe hominis morientis, ſed infirmitatis *del tabardillo, del dolor del freneſi, de la muerte*: anima enim tunc velut dormiens eſt in corpore moribundo, ac velut ſopita iacet, nec apta eſt ad dolorem peccatorum, nec ad quietam confeſſionem: nam dolor corporis, & ſolicitudo rerum multarum, & curationis, totum illud tempus vendicant ſibi, B
Cap. 38. 19. atque tempus illud ſolet non eſſe morientis, ſed mortis. quare meritò ait Ezechias apud Eſaiam: *Viuens viuens confitebitur tibi, viuiendo viuiendo, que no a muriendo ſe hade voluer vno a Dios, y aun viuiendo y ſano no hará poco ſi acierta a hazer vna conuerſion perfecta.* Licèt admonuerim ego cunctos, tamè quamuis tempore mortis ſe onuſtos peccatis ſentiant, ad Dominum conuerti non dubitent: pijſſimum enim Dominum habemus, & in re tanti momenti nullus non eſt lapis mouendus, ſed dum ſanus es, quod fecurius eſt tene.

Pſ. 57. 5. *Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* Loquitur hic Pſalmiſta de obduratione quorundam peccatorum, quos ita obduratos eſſe ait, ſicut aſpis ſurda ad incantationem incantatoris; quomodo autem aſpis, ſiue ſerpens obturet aures, explicauit Caſſiodorus. *Aſpis* (inquit ſuper hunc Pſalmum) *ne verba incantantis exaudiat, ſuaſque latebras derelinquat, aurem vnam caudæ inflexione dicitur obturare, alteram verò in terram deprimere; ſic obſtinati, ne docentium prædicationem exaudiant, procurant ſibi voluntariam ſurditatem.* Ita Caſſiodorus. Sed hoc magis S. Auguſt. explicuit ſuper hunc Pſalmum, dicens: *Non fruſtra hoc dixit, niſi quia fieri poteſt vt verum ſit etiam illud quod de aſpide audiuimus. Aſpis cùm ceperit incantatorem Marſum pati, qui eam quibuſdam carminibus propijs euocat, ſicut ſunt multa etiam magica, audite quid facit. Sed interim hoc attendite fratres, non vndecumque datur ſimilitudo à Scripturis, laudatur ipſa res, ſed tantùm inde ſimilitudo trahitur. Non enim laudauit iudicem iniquum qui nolebat audire viduam illam, qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur, & tamen inde ſimilitudinem Dominus traxit. Nec illum laudauit pigrum qui tres panes, non propter amicitiam dedit petenti, ſed tædio victus, & tamen inde ſimilitudinem dedit. Attende igitur quid tibi dicatur ad ſimilitudinem, quid moneatur ad prohibitionem. Marſus incantat, vt educat aſpidem de tenebroſa cauerna, vtique in lucem vult educere: illa autem amando tenebras ſuas, quibus ſe inuoluta dicitur occultare, recuſans audire illas voces quibus ſe cogi ſentit, allidit vnam aurem terræ, & caudâ alteram obturat, atque ita voces illas eautans, ad incantantem non exit. Huic ſimiles dixit ſpiritus Dei quoſdam non audientes verbum Dei, & non ſolum non audientes, ſed omnino vt non valeant audire facientes. Factum eſt hoc & in primis temporibus fidei. Stephanus martyr prædicabat veritatem, & tanquam tenebroſis mentibus, vt eas in lucem educeret, incantabat. Vbi venit ad commemorationem Chriſti, quem illi omnino audire nolebant, quid de illis Scriptura dicit? Clauſerunt, inquit, aures ſuas: quid autem fecerint poſtea Stephani paſſio narrat. Non erant ſurdi, ſed ſe ſurdos fecerunt, quia violentia verbi per carnis aures irruens, etiam ipſa auribus cordis vim faciebat, clauſerunt aures corporis, & ierunt ad lapides. Ecce aſpides ſurdæ lapidibus ipſis duriores, quibus incan-* A *tatorem ſuum lapidauerunt.* Ita Auguſtinus. Nunc ad rem, ſic modò ſunt multi, qui cùm audierint verbum Dei, verbum ſalutis, monens eos ad Dominum conuerti, obturant aures ſuas ſicut aſpis: nam ſicut aſpis alteram aurem allidit terræ, alteram verò claudit caudâ; ſic obſtinatus alteram aurem applicat terræ, dum nimis terrenis bonis, & negotijs adhærens, audire prohibetur monita ſalutaria; alteram verò claudit caudâ vitæ, dicens ſe in fine vitæ pœnitentiam actuarum, tunc, inquam, exiſtimat ſe pœnitentiam facilè agere poſſe, quando non datur tam facilè agere poſſe. *Viuens viuens confitebitur tibi*, dixit optimus ille rex Ezechias, viuens ait, non moriens, &c.

Etenim quod ſerpens, ſeu aſpis obturet, vti diximus, aures ſuas, non mirum, quia incantator ille Marſus aſpidem illam occidere vult: at homo rationis capax, qui à diuinis incantatoribus non ad mortem, ſed ad vitam, & non quidem temporalem, quæritur, quam excuſationem habebit obturationis, & obdurationis ſuæ?

Sunt in republica multi, qui ita negotijs exterioribus attendant, verbi gratiâ, agrorum, & vinearum culturæ, vt domum ſuam non reuertantur niſi noctu, & tunc vix ingreſſi, propter laborem, & fatigationem dulci ſomno remanent oppreſſi. Sic multis peccatoribus accidere ſolet, qui extra ſe per omnem vitæ decurſum degunt, rebus exterioribus vacantes, & nunquam ad ſe redeunt, vt animæ ſuæ ſtatum proſpiciant, niſi in nocte vitæ, quæ mors eſt: tunc ad ſe vix reuerſi, mortiſque ſomno oppreſſi, recedunt impœnitentes è vita. His igitur clamat Iſaias 46. *Redite prauaricatores ad cor; redite*, inquit, ſtatim, ne præoccupati ſomno mortis, quæratis ſpatium pœnitentiæ, & non inueniatis, &c. Redite ergo citò in conſcientiæ veſtræ domum, &c. *Iſa. 46. diſo.*

Dices, diſtulit Latro ille fœlix, & tamen illico C fuit beatitudinem aſſecutus, ſed nunquid non ideò difficilis talis in morte conuerſio? Imò in ipſomet latrone, quem tu in fauorem tuum adducis, rei difficultatem oſtendam: ſaluus ille factus eſt, ita eſt, audiuit quidem ex ore Chriſti, *Hodie mecum eris in paradiſo.* Sed verborum attende ſeriem: hoc enim Chriſtus Dominus præcedente iuramento aſſeuerauit, *Amen dico tibi, hodie mecum*, &c. nónne ſatis dicere ſufficeret, *hodie mecum*, &c. Cur iuramentum adiecit, niſi vt rei exprimeret difficultatem? quaſi diceret, rem difficilem ſum dicturus, iuramento tamen illam tibi affirmo & confitmo, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* & præterea pronomen, *tibi*, idipſum aſtruit: nam idem eſt, ac ſi diceret, ſingulare hoc beneficium: non enim omnibus obuium, ſed tibi ſingulariter eſt conceſſum, tibi, dico, non omnibus ſimilibus, qui ad mortem vſque differunt conuerſionem. *Luc. 23.*

Solent pictores nonnulla nimis elaborata exemplaria formare, & in ianuis domus ſuæ conſpicienda proponere, vt artis ſuæ ſpecimen præbeant aliis: quòd ſi emptor aliquis ea emere intendat, renuit artifex, inquiens, non hoc ad venditionem ordinatam, ſed ad oſtentationem propoſui, habeo communes alias plures imagines, eas, ſi placet, eme. Magnus quidem miſericordiæ artifex eſt Deus, qui ad oſtenſionem pietatis ſuæ peregrina nonnulla edidit exemplaria, vt boni Latronis, Matthæi, Pauli, & aliquorum ſimilium; hæc tamen, non vt communia, cunctis fecit, ſed vt peritiam ſuæ clementiæ ac miſericordiæ manifeſtaret. Audi Paulum. Timoth. 1. *Venit Ieſus in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ſum* (id eſt, maximus) *ego ſum, ſed ideò miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt in vitam æternam.* Nota id, vt oſtenderet, rarò enim huiuſmodi ſunt imagi- *1. Tim. 1.*

imagines exhibitæ: licèt enim Deus ita semper præstare posset, non tamen id præstat, quia rei natura ita id poscit, vt qui in Dei contemptum malè viuit, malè pariter moriatur.

Præterea ponderandum est aduerbium illud, *hodie*, scilicet in die passionis, quando scilicet ærarium diuitiarum misericordiæ suæ Deus aperuit, & cùm Deus effusione totius sanguinis suæ redimeret mundum. In alearum ludo, verbi gratiâ, quod *ganapierde* vocant, si magnam pecuniæ summam quis lucretur, facilè petenti pecuniam donat, *suelese dar buen barato al que lo pide*; sic igitur in die Parasceues Christus Dominus dum perderet vitam, vitam nostram æternam lucratus est, *Iugò a la ganapierde, y perdiendo su vida temporal, ganò la nuestra eterna.* Accessit miserrimus ille latro, petijt à Deo misericordiam, *Domine*, inquit, *memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Opportunè sic accedens tunc, quid mirum quod obtinuerit misericordiam? 23.

Qui antidotum theriacum conficit, vt efficaciæ, & bonitatis eius experimentum exhibeat, percusso à serpente illud applicat, cùm primus se offert, vt illius antidoti fama diuulgetur. sanguine quidem suo Christus Dominus antidotum contra peccatum præstitit nobis, confecit autem illud in die passionis suæ: quid igitur mirum si tunc accedenti latroni applicuerit illud Christus, vt vim passionis suæ manifestaret. non igitur inde consequitur semper eum ita cum omnibus effecturum. quid denique mirum, si in die tantæ gratiæ confertur misericordia? B

Præterea, si vnius latronis salus, salutis tuæ, qui in peccatis iaces, spem veniæ præbet, cur innumerabilium hominum similium perditio, qui damnati propterea sunt, quòd se distulerint conuersionem, non te omnino terret? Equidè si vnus tantummodo reperiretur, qui ob dilatam conuersionem damnatus esset, maximum tibi incutere timorem deberet, ne & tu, sicut ille, damnareris. Quid igitur, cùm tot sint, agendum est tibi? C

PROP. XI. *Quàm grauiter puniat Deus eos qui conuerti repugnant.*

LEgitur in Actis pro canonizatione B. P. Francisci Borgiæ, Tertij Generalis Societatis Iesu promouenda, conscriptis, virum in Hispania, quàm sanguine nobilem, tam vitijs ac flagitijs infamem, graui ægritudine correptum, ac de vita periclitantem tantâ obstinatione in sceleribus suis perstitisse, vt recta omnes monentes reijceret, nolletque de anima per Confessionem expianda quemquam audire. Venit tum fortè eam in vrbem Borgia, qui cognito miseri periculo, pro zelo suo, illum iuuare cupidus, ante Christum Crucifixum in genua procidit, eum ardenter obsecrans, & obtestans, vt qui Orbi vniuerso, sanguine suo saluti fuisset, infelici ac pertinaci illi animæ non deesset. Francisco hæc precato ex cruce Saluator: Adi, inquit, confestim ægrum, eumque hortare, vt se expiet, & ego mox illi, vt Medicus, & infirmorum curator adero. Abit Franciscus spei bonæ plenus, & tanto adiutore gaudens, ad ægri domum se confert, quò Saluator iam antecesserat, Medici, ac propè famuli specie illi solatia, atque obsequia deferens. Excipitur ab infirmo non inurbanè Borgia, verùm vbi de Confessione cœpit agere, ad eam instituendam adduci non potuit. Recedit interim Dominus, relicto ad vlteriores conatus apud ægrum Francisco, qui & ipse, cùm operam perderet, etiam recessit, & denuo coram Christo crucifixo in genua prouolutus, per sacra illius vulnera obtestatur, vt misero adsit. Cui Dominus: Conueni iterum pertinacem illum Francisce, meque tecum defer, si fortè me conspecto, cruci pro D se fixo conuertatur, & viuat. Redijt Borgia, & submotis arbitris, vt liberior esset æger, verbis ad pietatem omnem compositis, submissis in terram genibus, Christum Cruci affixum illi repræsentat: per passionem, dolores, sacra Domini Iesu vulnera orans, obsecransque, vt animæ suæ misereatur, æternitatem consideret; nolle Deum mortem peccatoris, sceleribus omnibus misericordiam eius maiorem esse, ad omnia miser obsurdescit. Addit & vocem suam Dominus Iesus, & vocem sanguinis, quem ex vulneribus omnibus copiosè effundebat: per hunc iterum iterumque obtestatur Franciscus; sed nihil proficit. Tum verò Saluator reuulsa à cruce manu, sacrosanctum suum cruorem in faciem proijcit obstinati peccatoris, qui quot guttas numerat, tot veluti linguis in magno iudicij die, coram orbe vniuerso, negletam, & contemptam benignissimi Dei, ac Saluatoris sui misericordiam illi exprobrabit, suntque misero, vt cum Ruperto loquar, *Veneranda Dei mirabilia vulnera, æterna futura incendia.* Ita tecum agetur peccator obstinate *Cogitemus*, inquit Cæsarius Arelatensis, *illius Iudicij incessanter ad ventum, qui vtinam nos sic paratos inueniret, quomodo nemo potest dubitare, quòd veniet! Quòd si requiras, quomodo veniet? In illo vtique corpore, quod pro nostra salute susceptum, pro nostra absolutione natum, & pro nostrorum vulnerum medicina lanceâ, clauisq; transfixum est. Prima erit in reos intoleranda sententia, veuerendarum præsentia cicatricum, quando dicet Dominus, infer digitum tuum huc, & vide manus meas, affer manum tuam, & mitte in latus meum, & agnosce quæ pro te impio, pietas diuina perpessa est.* l. 4 in Io. Hom. 17.

Quò se tunc, vti rectè S. Augustinus, peccator conuertet? quando illi meritò exprobrabit Saluator: *Vide hominem quem crucifixisti, vide vulnera quæ inflixisti, vide latus quod tranfixisti, quoniam per te, & propter te, apertum est, & tamen intrare noluisti.* Neque minùs terribile est, quod S. Bonauentura, *Apparebit*, inquit, *Dominus Iesus cum vulneribus suis, & clamabit dicens: Videte quanta a vobis, & in vobis, & pro vobis passus sum, & tamen ingrati omnia contempsistis, & pro nihilo duxistis: Ite maledicti in ignem æternum.* Lib. 2 de Symb. c. 8. p. Stim. c. 2.

At dices, misericors est Deus, & ob misericordiam suam ad pœnitentiam expectabit, & quia insuper ad gloriam nominis sui expectat peccatores facere saluos. ita est, glorificatur quidem Deus in conuersione & salute peccatorum, sed tamen etiam glorificatur in punitione peccatorum, sicut ad Romanos 9. ait Apostolus de Pharaone. *Dicit enim*, inquit, *Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra*, alia littera habet, *seruaui te.* Seruauit igitur Deus Pharaonem, vt in eo glorificaretur nomen eius sicut ipse dixit Exodi 14. *Glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius*: quod quidem præstitit Deus, cùm Pharaonem & exercitum eius proiecit in mare. Sic igitur etiam glorificabitur Deus in condemnatione æterna reproborum, sicuti ab ipso Dei Spiritu scriptum habemus Prouerbiorum 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque in diem malum.* Vbi Iansenius: *Quia omnia facit Deus propter gloriam suam, & propter seipsum vt vltimum omnium finem, & inter omnia opera, quæ Deus ad gloriam suam fecit, impius, quatenus talis est, videri poterat, non comprehendi, eò quòd impius, quatenus talis est, sit contra Dei gloriam, neque ad Deum se referat, sed ad alium finem; ideò subijcit: impium quoque ad diem malum, supple, operatus est Dominus propter semetipsum. Non dicit Deum operatum esse impium hominem, quia homo seipsum facit impium, non Deus, qui author mali non est: sed dicit, quod Deus eum, qui se impium facit, operatus est ad diem malum, hoc, est, ordinauit* ad diem

ad diem malum, diem vltionis, idque propter seipsum, & ad ostensionem suæ gloriæ, iustitiæ scilicet in impijs, sicut bonitatis suæ in electis. Ita ille.

Glorificatur ergo Deus in æterna damnatione reproborum, quia ibi maximè resplendet iustitia diuina, quæ adeò grauiter punit contra Deum peccantes; imò & resplendet simul clementia & bonitas illius, cùm puniat citra dignum. Ais ergo ad gloriam & magnitudinem pertinere peccatoribus parcere, eosque saluare, time, quia & ad gloriam nominis eius pariter pertineat peccatores condemnare.

Chrysost. Sanctus Chrysostomus homilia 5. in epist. ad Rom. *Non differt Deus supplicium peccatorum, ne tu peccator pœnas des, sed vt grauiores des: si modo incorrigibilis perseueras.*

Rom. 2. 4. *Quapropter Apostolus ait:* An diuitias bonitatis illius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis iusti iudicij Dei. *His quidem, qui Dei lenitate rectè vti fuerint, salutis argumentum est: sic his, qui eam contempserint, grauioris supplicij causa esse solet. Mansuetudinem quidem præfert Deus, vt te à peccatis eximas, non verò vt accumules peccata peccatis, qui nisi id feceris, terribilius te iudicium manet. Quæ igitur lenis est Deus, dãdæ est in primis opera, vt ne pecceuius, néve illius beneficentiam improbitatis ingratitudinisque argumentum efficiamus: Licet enim lenis sit, punit tamen prorsus qui ait: iuxta* impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ. *Tu tibi, ait; thesaurizas, non Deus tibi: etenim ille omnia præstitit, quæ oportebat. perfecit enim vt cognoscetes, quæ bona, & quæ mala essent. Præterea lenitateui exhibuit suam, ad pœnitentiam te vocauit, diem comminatus est terribilem, modis omnibus ad pœnitentiam te alliciens, qui si inflexus manes, thesaurizas tu tibi iram in die iræ.* Ita Sanct. Chrysostom.

Marc 11. 13. Marc. 11. *Cùm vidisset à longè Christus ficum, habentem folia, venit si quid fortè inueniret in ea; & cùm venisset ad eam, nihil inuenit præter folia: non enim erat tempus ficorum. Et respondens dixit ei: Iam non ampliùs in æternum ex te fructum quispiam manducet.* Si non erat tempus ficorum, cur maledixit ei Dominus? & quidem quamuis tempus ficorum esset, culpæ expers, sicut & liberi arbitrij erat; vbi ergo non erat culpa, quare adiungitur pœna? Hinc mysterium hîc latere constat, vti etiam asserunt Sanctus Hilarius, & Sanctus Hieronymus, & alij.

Hilarius Hieron. Ficus igitur ista, Synagogæ, & populi Israel symbolum erat: finxit Dominus se accedere ad ficum, vt videret, an fructum haberet, sicut alibi finxit se longiùs ire; rectè quippe sciebat nullum fructum ibi esse, imò nec ficorum esse tempus, erat enim tunc vndecimus dies Martij, sed vt ostenderet nobis, quo pacto se nobiscum gerat, ita cum ficu se gessit: plantatur ficus, vt fructum ferat, plantauit & populum illum, vt fructum legis afferret, obedientiæ scilicet, legis, charitatis, humilitatis, & sic de cæteris. Venit quærere fructũ in ficulnea, venit etiam quærere fructum legis in Synagoga: non inuenit fructum in ficu, non inuenit etiam fructum in populo illo: maledixit ficulneæ, & siccata est, maledixit populo illi, & arefactus iam est, vti videmus. Sed vbi est maledictio ista? Habes illam Genes. 49. vbi Iacob in vitæ iam termino constitutus, & filijs valedicens, ad Simeonem, & Leui parentes, & progenitores præcipuè illius populi partis: nam, vt testantur Hebræi, Scribæ, & legis Doctores erant ex tribu Simeonis, Sacerdotes verò, & Reges ex tribu Leui, & Iuda: ait ergo Iacob: *Simeon, & Leui vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea,* &c. Et subdit: *Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.* Vbi S. Ambrosius & S. Isidorus, Rupertus, & Ruffinus dicunt Iacobum spiritu prophetico vidisse consilium execrandum, in quo Principes Ierusalem, Scribæ, & Sacerdotes de necando Messia deliberaturi erant. de illo, inquam, de quo Ioannis 11. *Collegerunt consilium Pontifices, & Pharisæi, & dicebant: Quid facimus quia hic homo multa signa facit,* &c. fuit etiam pertinax: sæpe enim voluit Pilatus, Matt. 27. licèt extraneus, Christum Dominum, tanquam innocentem dimittere, & illi obnixè obstiterunt, clamantes: *Tolle, tolle, crucifige, crucifige.* Denique ait Dominus populo illi: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos suos sub alas, & noluisti?* Hæc igitur proteruia, hæc pertinacia, quâ meretur pœnim? pœnam quidem maledictionis diuinæ. *Maledictus* inquit, *furor eorum, quia pertinax.* Ecce igitur maledictio ficulneæ. Erat ficulnea Dei Synagoga, & plantatio Domini ad glorificandum eũ, ex qua præcoquas fices Dominus desiderabat: ad has carpendas venit, sed non inuenit, & maledixit ei statim & aruit.

Quod quidem Luc. 13. iterum Christus sub eadem metaphora magis expressit. *Arborem,* inquit, *fici habebat quidam plantatam in vinea sua,* &c. Ecce quot annos expectauit fructũ, nónne igitur meritò maledixit tali ficulneæ, quæ folia solùm proferebat. Ad nos respicit hæc parabola. Quot sunt inter nos, qui sæpe à Domino vocati fructum exigente, solùm exhibent folia illa verborum: Expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi, &c. Fructus verò nullus: succidite illam, ait Dominus, vt quid enim terram occupat. Timeo multos immaturè mori, & non in tempore suo, quia non conuertuntur maturè.

PROP. XII. *Post mortem nullus erit conuersioni locus.*

SAnctus Chrysost. hom. 46. ad pop. *Nunc quidem nobis totũ est positũ, tunc verò iudicans solus, ipse solus erit Dominus. Præoccupemus itaque faciem eius in confessione, ipse enim hoc fiat palam præsente terrarum orbe, nostrorum vnusquisque introducetur, & nulla iam nobis supererit venia spes. Nullus enim eorum, qui hîc peccata nõ dissoluerit, illuc migrans, eorum pœnas effugere poterit: sed sicut ex terrenis carceribus, cùm catenis ad tribunal deducuntur, sic omnes animæ cum huiusmodi migrauerint vanijs peccatorum catenis circumdatæ, ad tremendum aguntur tribunal: nec enim præsens vita carcere melior est, sed sicut illud ingressi domicilium, omnes videmus catenis obductos; sic & nunc si nos ab exteriori phantasia separantes, vitam cuiusque peccatoris intraeuerimus, animam cuiusque vinculis seruo peccatorius vinctam intuebimur.* Ita Sanctus Chrysost.

PROP. XIII. *Non ita impost conuersionem sedantur passiones præteritorum peccatorum, sed non id ea à perfecta salute desperandum.*

SAnct. Chrysost. epist. 1. vel 2. *Nec corpora illa, quæ grauibus infirmitatibus collecta sunt, contractum ex febribus detrimentum, nec maris aquæ, quibus cum fauis & immanibus ventis certamen fuit, eam, quam fluctus attulerunt, tempestatem, subitò deponunt, sed paulatim, ac sensim. nam & corporibus longiore temporis spatio ad hoc opus est, vt pestis depulsas febres ad integram sanitatem redeant, & eam, quam ipsis morbus reliquam fecit imbecillitatem, & mollitiem, abstergant: & aquæ, sed atis etiam fluctibus, diutius adhuc agitantur, incitantur, & magno impetu feruntur, ac reciprocant, & ipsæ aliquanto indigent temporis spatio, vt ad integram redeant tranquillitatem.* Ita Sanctus Chrysost. Ex quo quidem principio quid de tempestatibus, & infirmitatibus animæ nobis sentiendum sit, constat: non enim cùm primùm quis ad Deum conuertitur, omnia sedanda credat, sed paulatim diuinâ gratiâ, & animæ cooperatione, tentationum fluctus, & præuæ consuetudinis reliquiæ tollendæ sunt. quare nemo animum desponsentiat:

Ambrosius. Isidorus. Rupertus. Ruffinus.

sentiat : non sic subitò hæc mitigantur, sed temporis A spatio nonnullo indigent. Deinde prouidentiâ diuinâ id factum credat: sic enim pugnando ; & repugnando prauæ consuetudini, coronam augebit, & maiori se deinceps custodia muniet & seruabit: quippe cùm videat quantum illi constiterit salus, sicut infirmus, qui conualescentiæ longas pertulit moras, cùm ad perfectam salutem venerit, cautiùs & sanitatem custodit, & infirmitatis occasiones deuitat.

CONVIVIVM.

Prop. I. *Seruanda est maximè in conuiuijs temperantia.*
2. *Conuiuia peccatorum solent esse occasiones.*
3 *Moderata esse oportet conuiuia Christianorum.*

Prop. I. *Seruanda est maximè in conuiuijs temperantia.*

B

1. 10. TVllius ad hoc inuenta esse conuiuia affirmat, vt amicitia iniretur , & conseruaretur inter eos, & hanc ob causam S. Iob conuiuia permittebat, vel etiam instituebat inter filios suos, non quidem vt delicijs vacarēt, qui eorum sanctæ educationi solicitè vacabat, sed vt fraternum amorem inter se fouerent & conseruarent , & ob id non solùm festiuis & solemnibus diebus, sed etiam quotidie huiusmodi conuiuia admittebat.

12. Sed qualia fuerint olim huiusmodi conuiuia , non solùm inter fideles, sed etiam inter infideles, apud Stobæum reperies , duobus, vel ad summum tribus fercu- lis constasse, & Macrob. affirmat, quòd in huiusmodi conuiuijs priùs agebatur de temperantia & modestia in cibis habenda, quàm eos gustarent , ideoque ætas illa, meritò aurea nuncupata, viros sapientes & ad bella aptissimos procreabat. Hinc etiam Ægyptij inter fercu- C la ciborum caluariam in disco super mensam conui- uarum apponebant , in cuius fronte hæc erant verba conscripta , *in hanc intuens ede , & bibe , talis per mortem futurus* : nec enim temperantiâ suâ ordinariâ contenti, hanc imaginati sunt adinuentionem, vt ita frugaliores essent.

Compara nunc conuiuijs illis conuiuia nostra, inter magnates conuiuia, incredibilia iudicaremus, si non ea oculis conspiceremus, non iam duo, sed ducenta, & adhuc plura in eis ministrantur , & vina varia simplicia, & composita , & ex multis & longinquis terris adhibentur, & denique talia sunt, qualia inter dissolutos Epicureos & sensuales Heliogabalos , & Sardanapalos vmquam fuerunt. inter homines verò mediæ plebis, & infimæ classis etiam intolerabilia sunt instituta conuiuia, qualia quidem olim nec inter Principes admittebantur. Hæccine sunt naturæ nostræ concinna ? natura (inquit Aristot.) paucis est contenta : quæ sunt hæc D pauca, rogabis ? dicat is qui Aristotele sapientior est, 19. *Initium vitæ hominis panis, & aqua.* Vbi Ianseníus, cùm dicit Ecclesiasticus pro victu aqua & panis, innuit , *quàm paucis, & quàm parabilibus natura contenta esse potest, & nota hominum ingluiem, quibus numquam satis est.* Ita ille, & quidem in sanctorum Eremitarum vitis plures sanctos pane & aquâ vixisse reperies, &c.

Et hinc quidem sequitur omnes diuites etiam ære alieno esse oppressos , & pauperibus eleemosynas deesse, quia magna etiam patrimonia , & redditus plures intemperantiæ tantæ non sufficiunt,

Prop. II. *Conuiuia peccatorum solent esse occasiones.*

S Anct. Gregor. *Nonnulla sunt vitia, quæ à conuiuijs, aut* 1. Mor. 5.
vix , aut numquam separari possunt : pene enim semper epulas comitatur voluptas. Nam dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Vnde scriptum est: Sedit populus manducare, & bibere , & surre- Exod. 32.
xerunt ludere. *Pene semper etiam epulas loquacitas sequitur;* 6.
cumque venter reficitur , lingua effrenatur. Vnde rectè apud inferos diues aquam appetere describitur, dicens: Pater Abra- Luc. 16.
ham , miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat ex- 24.
tremum digiti sui in aquam , & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. *Prius dicitur quotidie splendidè epulatus , & pòst aquam petere in lingua memoratur. Quia enim, sicut diximus, inter epulas valde defluere loquacitas solet, ex pœna indicat culpam , cùm eum , quem epulatum quotidie veritas dixerat, in lingua plus ardere perhibebat. Hi qui chordarum harmoniam temperant , tanta hâc arte dispensant , vt plerumque cùm vna tangitur : longè alia multis interiacentibus posita chorda quatiatur , vùmque ista sonitum reddit , illa quæ in eodem cantu temperata est, alijs impercussa tremit. Sic ergo in Scriptura sacra plerùmque de virtutibus, sic de vitijs agitur: vt dum loquendo aliud insinuat, aliud tacendo innotescat. Nihil enim contra diuitem de loquacitate memoratur : sed dum pœna in lingua dicitur, quæ in conuiuio inter alias grauior fuerit culpa, monstratur.* Ita S. Gregor. qui hac ratione cur S. Iob speciatim inter conuiuia filiorum suorum sacrificia Deo offerret, ostendit : ait enim Scriptura: *Cùmque in orbem transissent dies conuiuij , mittebat ad illos Iob , & sanctificabat illos, &c.* cur tunc potiùs, Iob 1. 5.
quàm tempore alio ? S. Gregor. ibidem : *Nouerat enim* (inquit) *vir sanctus , quia celebrari conuiuia sine culpa vix possent , nouerat quia magna purgatione sacrificiorum diluendæ sint epulæ conuiuiorum, & quidquid in semetipsis filij conuiuantes inquinauerant , pater sacrificium immolando tergebat.* Ita S. Gregor. Vbi nota quòd S. Gregor. non hîc affirmat filios S. Iob de facto peccasse , imò postea eos non peccasse de facto , & ideo patrem dixisse , *ne forte peccauerint in cordibus suis* , solùm igitur bonus pater metuebat , ne colore conuiuij in corde fortè peccassent.

Prop. III. *Moderata oportet esse conuiuia Christianorum.*

L Aertius lib. 2. *Socrates* (inquit) *quosdam hospites* Laertius.
suos , cùm satis tenui cœna excepisset , cuidam quærenti cur ita fecisset , respondit: Si boni sunt, aquanimiter ferent ; si mali, non est curandum. Ita ille. Pudeat nos ab Ethnicis hos trahere mores, & documenta, sed pudeat magis ab eis superari.

COR.

Prop. I. *Oportet magnam cordis habere curam.*
2. *Quantùm placet Deo cordis munditia.*

Prop. I. *Oportet magnam cordis habere curam.*

APoc. 4. Quatuor animalia habebant alas senas in circuitu, & intus plena sunt oculis. Mirum valdè intus habere oculos: oculos enim foras emisit natura , vt quæ foris oculis cernimus, intus intelligere valeamus : ad quid enim intus oculus ? Vnum ex his quatuor animalibus homo erat ; vt homini etiam hæc conuenire sciamus. Hominem igitur sex alas habere oportet, vt in principio , & in progressu, & fine vitæ celerem & velocem se esse debere

bere in Dei seruitio, intelligat; intus autem maximè A oculos habere in corde conuenit. prauum enim est cor hominis,& inscrutabile,& ex corde exeunt cogitationes,intentiones,desideria, amores, odia, & plurimæ aliæ affectiones,ex quibus,quæ bona vel mala in verbis vel operibus sunt, procedunt. Plenum igitur oportet esse oculis hominem intus,vt videre possit, quid cogitet,quid intendat : si enim qui huiusmodi abundant oculis, non semper vident quæ intus inucniunt in corde,quid de his dicemus, qui nullum intus oculum habent? nullam,inquam, attentionem, & consideration em affectuum interiorum.

Prop. II. *Quantùm placeat Deo cordis munditia.*

Matt.5.8 Matth.5. *Beati mundo corde,quoniam ipsi Deum videbunt.* Præmium hoc ita beatitudinem ipsam includit, vt ipsam beatitudinis exprimat essentiam: B beatitudo enim nostra in visione Dei consistit, quam ideo in beatitudine ista expressit Christus Dominus, vt quàm illi grata sit huiusmodi mundities, declararet.

Psal.50.12 Hinc sanctus Dauid : *Cor mundum crea in me Deus*; quasi dicat:noui,quàm gratum tibi cor mundum sit,& quòd tibi tam acceptum,à te accipere volo:volo quippe mundissimum habere,quod tibi gratissimum est, & vt mundissimum à te totius munditiæ authore depoſco,&c.

Hinc est, quòd sine hac munditia cordis nullum ei obsequium gratum est. offerebant quidem Pharisæi plurima sacrificia, sed non erant beneplacita Deo,quia munditia cordis deerat. Vnde Luc.11.sic ad eos Chri-

Luc.11. 39. stus, *Vos*, inquit, *Pharisæi quod deforis est calicis & catini,mundatis;quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate.*

Sicut qui regi offerret pretiosum cibum in paropsi- C de immunda,ingratum illi munus offerret, non ratione cibi,sed vasis, in quo offertur; sic qui corde immundo aliquid Deo offert,quamuis illud optimum sit, ingratum illi munus offert, si actuali intentione cordis immunda offert,quia cor nostrum catinum est muneris huius,&c.

CORDIS CVSTODIA.

Prop. I. *Quantùm oporteat custodire cor.*
2. *Contra eos qui exteriùs solummodo bonos se esse ostendunt.*

Prop. I. *Quantum oporteat custodire cor.*

MAgna est inter aquas differentia, hæ quidem dulces sunt;illæ verò salsuginosæ, & D amaræ; hæ salubres,illæ verò insalubres,& infectæ; hæ perspicuæ, illæ verò luto & cœno maculatæ, &c. hoc autem discrimen non prouenit ex natura ipsa aquarum : aqua enim secundùm se elementum purum est,sed ex locis,& terris,per quas aqua ipsa transit,& fluit.Sic de operibus nostris bonis dicendum est:licèt enim hæc secundum se bona sint, ex qualitate tamen cordis ex quo fluunt & procedunt, malitiam contrahere solent : eleemosyna quæ ex charitate & pietate cordis procedit,pietas, & charitas est; quæ verò ex gloria vana,vana gloria est. Ieiunium quod in satisfactionem peccatorum fit, pœnitentia est; illud verò quod ex hypocrisi emanat,hypocrisis est. Oratio quæ ex cordis oritur deuotione, cultus Dei, & actus religionis est; oratio verò cum voluntaria distractione cordis,& quæ solis profertur labijs,psittacorum oratio est; sic diuitiæ in auaro auaritia sunt;in misericorde verò misericordia, honor in humili humilitatis occasio est; in superbo autem superbia. Denique secundùm qualitatem cordis, perfecta vel infecta opera nostra sunt ; omni ergo custodia seruа cor tuum, & manda quotidie illud, vt opera tua munda inueniantur in oculis Dei nostri.

Sic Dominus ad Moysen: *Mitte manum tuam in sinum Exod.4. tuum. Quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam manum sicut nix.* cui iterum Dominus, *Retrahe*, inquit, *manum tuam in sinum tuum.Retraxit,& protulit iterum, & erat similis carni reliquæ.* itaque ex sinu eodem iam leprosa, iam verò sana procedebat. Imago hæc est,& vera similitudo eius quod nobis accidit : manus quidem operum symbolum est : nam manus ad operandum à Deo productæ sunt; opera autem nostra iam leprosa, iam sana sunt,iam iusta,iam verò iniqua: hoc autem ex sinu nostro procedit, ex corde, inquam, quod in sinu est. Audi Dominum: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.Omni* igitur *custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.*

Nonnulla membra corporis,licèt maiora sint, cum minori detrimento,quàm alia patiuntur.Leuis læsio in pede,vel manu,non ita detrimentum est corpori, sicut vulnus leue in oculis, & maximè in corde, in quo vel leuissima læsio mortalis est : est enim fons, & principium vitæ.Sic etiam in anima nonnulla sunt,in quibus læsio tolerabilior est, qualis est memoria : ad salutem enim animæ, & ad vitam æternam non ita refert hominem magnâ præditum esse memoriâ,idemque de ingenio, & acumine intellectus dicendum est, at de voluntate, quæ cor animæ est, & ex qua vita animæ procedit. idem quod de corde corporis iudicandum est; nam plurimùm refert,an voluntas bona, vel mala sit: quæuis enim læsio malitiæ valde nocet, licèt peccati venialis solummodo sit: disponit enim ad mortale, atque adeò ad mortem æternam,& in Purgatorio grauiter punitur venialiter peccans.Quòd si malitia mortalis fuerit,constat quàm graue nocumentum sit, inter omnia scilicet grauissimum est, &c. Si autem curam magnam habueris huius voluntatis,ne scilicet aliquid nociuum eam attingat, nihil vltrà timendum tibi restabit. Vnde in natiuitate Christi meritò canebant Angeli : *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* nomine pacis Hebræi bonorum omnium affluentiam intelligebant; hominibus ergo bonæ voluntatis bonorum omnium affluentia referuatur, reliquis verò nequaquam. *Luc.2.*

Hinc sequitur,quàm vtilis nobis sit obedientiæ virtus, quamque felices sint religiosi, qui voluntatem suam in tuto loco constituerunt, in voluntate scilicet Superioris,qui Dei vices gerit: in magno enim periculo versatur voluntas nostra in nostra posita voluntate. Etenim plausibile videtur audire saluationem nostram in nostra sitam esse voluntate, cùm tamen nihil formidabilius sit : est enim voluntas nostra, nobis relicta, velut ensis in manu furiosi,saltem vt plurimùm.In manu quidem nostra posita est saluatio nostra, suppositâ diuinâ gratiâ ; at nihilominus plures sunt qui damnantur,quàm qui saluantur. Cur, quæso, non omnes saluantur,cùm possint,si velint? Nimirum, quia furiosi quamplurimi sunt:ftultorum enim infinitus est numerus,&,vt clariùs loquamur, occasiones peccandi multæ & magnæ occurrunt passim,tentationes dæmonum assiduæ,& fortes,passiones carnis vehementes, vitiorum irritamenta eximia;nos verò debiles sumus ad resistendū, & expugnandùm animæ hostes.Nunquid voluntas inter hæc in magno est periculo cōstituta? Quid igitur superest remedij? Id quidem quod de pecunia facere soles : cùm enim pecuniæ copiam habes, & latronum insidias,aut vim times, in aliquo tuto loco pecuniam ponis;

ponis; sic de voluntate prudenter faciunt religiosi, eam in Dei voluntate constituunt, vbi neque fures effodiunt, & furantur, *no se gouernar per el calendario desde propria voluntad, &c.* Qui verò religiosi non sunt, in Deum oculos suos semper conijciant, & id præstent
1 8. quod sanctus Dauid faciebat, dicens: *Custodiam meum iustificationes tuas*, hoc est, leges, & ordinationes tuæ, nihil facias quin priùs prospicias, an secundùm legem Dei, sit, vel non sit: hoc enim modo voluntatem tuam in voluntate Dei collocabis. Ora etiam frequenter & dic: *Doce me Domine facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, spiritus tuus sum ego, da* ergo *mihi intellectum*, vt sciam voluntatem tuam &c. Et similiter tam religiosi, quàm sæculares secum statuere debent, voluntatem suam, seu quam vocamus propriam, nobis facessere negocium, & veluti inimicum salutis nostræ essesid enim, B communiter loquendo, volumus, quod nobis nocet.
8. Vnde, *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si præbes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Pondera illud, *à voluntate tua auertere*, quomodo potest homo à voluntate sua auerti, cùm ipsamet auersio per voluntatem fieri debeat? voluntaria enim esse debet auersio. Ratio huius dicti est, quia voluntas nostra dicitur ea, quæ ad nostras concupiscentias, & voluptates inclinat, & declinat: adeò enim frequenter sic se inclinat ad malum, vt quæ talis est, nostra dicatur. vnde Sanct. Bernard. *Tolle propriam voluntatem, & infernus non erit.* vbi per propriam voluntatem, voluntatem ad malum inclinatam intellexit.

Hinc colligitur ratio, cur Dominus non duxit populum suum in terram promissionis per terram Philisthinorum, sed per desertum, cùm facilior esset via per C Philisthijm, quàm per desertum: ante illud enim erat mare rubrum, & in eo plurimi inimici iter impedictes, & insuper via longinquior valde, cur igitur eò direxit Deus populum suum? Nimirum vt intercluderet transitum mari medio, quò in Ægyptum reuerti nequirent: plus enim fidit inimicis eorum, quàm propriæ voluntati eorum. nec immeritò: nam sæpè in Ægytum regredi desiderarunt, tanta est vis ac malitia propriæ voluntatis.

Denique quanta sit inclinatio nostræ voluntatis ad malum, ex perucrsione affectuum constat, ex tot tantisque remedijs quibus vtitur Deus ad reformationem illius. propterea quippe dedit nobis tot præcepta, tot consilia, ideo Deus ipse homo factus tot protulit verba, toties prædicauit, tot miracula patrauit, tot exempla nobis præbuit in omni genere virtutum sibi conuenientium, tot passus, & tanta est, tot instituit Sacramenta, tot ministros reliquit, tot inspirationes interiùs immittit, tot labores, & tribulationes permittit, & mortis frenum reliquit, & minas æternorum cruciaD tuum, & promissiones æternorum gaudiorum proposuit, vt voluntatis propriæ impetus reprimeret, errata corrigeret, determinationes cohiberet, & cùm tot tantaque remedia Deus adinuenerit, vix voluntas propria refrænatur.

Matth. 15. *Non lauant manus cùm panem manducant, &c.* Nouerant optimè Scribæ & Pharisæi, Deum Dominum valde studiosum esse munditiæ: fœpenumero enim præcipiebat, ne immundis cibis homines vescerentur, ne immundas vestes induerent, aut morticinia (quia immunda erant) contrectarent. Legerant etiam
1 16. vel audierant sæpe Prophetæ verba, *Lauamini, mundi estote*, aliaque huiusmodi præcepta in legis volumine perlegerant. Quæ omnia de corporis munditia intelligenda esse censebant. Atque idcirco frequenter lauabant manus, cùm scilicet è foro in domum redibant, cùm accumbebant mensæ, vel aliquem cibum degustaurent, & si quidem infinitis propemodum peccatorum maculis inquinati essent, existimabant omnes

A illa ablutione manuum esse detergendas. In hoc errore versabantur olim Pharisæi: cui quidem aliquos hac nostra tempestate adhærere video, qui cùm animos peccatorum maculis fœdatos habeant, exteriori duntaxat petitate ac religione, eas omnes eluendas esse arbitrantur, & cùm suæ libidini, & voluptati inseruiant, æternam sibi salutem pollicentur, si vel Sacro interfint, vel ad sanctissimam Virginem aliquas preces fundant: sed hi quidem consilio fuo lapsi, humano quodam errore ducuntur.

Laua (inquit Ieremias) *à malitia cor tuum Hierusalem, vt salua fias: vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Cap. 4. 14. Aptè sanè Propheta loquitur, cùm ait: *Laua à malitia cor tuum*: illi enim membro adhibenda est medicina, quod morbo, aut vulnere affectum est; quia verò malitia cordi inest, illud purgandum atque emundandum est, vt *salua*, inquit, *fias*. Ex quo fit, nec eleemosynas, nec voluntarias corporis castigationes, nec preces neque alia huiusmodi sufficere ad salutem animi comparandam, nisi cor à malitia mundetur: est enim Deus adeò purus, ac candidus, vt nec pedem in hominum animos inferat, donec illi à flagitiorum sordibus purgentur.

Præcepit quondam immortalis Deus, vt, cùm vitulus immolaretur, priùs detraheretur illi pellis, & postea intestina abluerentur aquâ: non enim solùm exteriora, sed & interiora emundari voluit. Sacrificium illud institutum est ad iratum Dei animum mitigandum, ac demulcendum: cui sacramentum Pœnitentiæ successit, in quo & pellis detrahenda est, & interiora sunt lauanda. Pellis est separanda, vt interna manifesta patefiant, & integrè in confessione detegantur. Abluenda sunt etiam interiora: abluendæ enim sunt intellectus, & voluntatis maculæ, & prauæ eorum cogitationes, & cupiditates expiandæ, alioquin non erit sacrificium gratum, ac iucundum Deo. quamuis enim externa illa religionis, ac pietatis opera, aliquantulùm iuuent ad salutem adipiscendam; eam tamen nulla ratione consequemur, nisi cor, animumque mundemus. *Leuit. 1.*

Opposito consilio decepti Pharisæi, ponebant quidem super altare tenerrimos & mansuetissimos agnos; eorum tamen corda lapidibus erant duriora: offerebant Deo thymiama suauissimum ex se odorem emittens, sed ipsorum animi teterrimum fœtorem reddebant. Candidos etiam panes, & recentes deferebant in templum, nigris tamen erant, ac fœdis animis. Habebant denique manus mundas, sed voluntates immundas, quibus quidem immortalis Deus (quasi molestè ferens) eorum sacrificia, obijcit: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? Plenus sum, holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui: cum veneritis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris? Ne offeratis frustra sacrificium vltrà, incensum abominatio est mihi, &c.* At quod tibi Deus optimè placebit sacrificium? quæ victima tibi grata erit? *Lauamini*, (inquit) *mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruerse, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, arguite me dicit Dominus: si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, &c.* vobis, vobis, inquam, auditores hæc Isaiæ verba dicta esse putate. Lauamini igitur, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, incumbite in cordis munditiam, & illud, flagitiorum labe fœdatum, emundate, expiate interna crimina, & animi maculas confessionis sacramento eluite, si vultis acceptum Deo offerre sacrificium. *Isaiæ 1. 11.*

Alloquitur Israelem Deus optimus maximus in hunc modum: *Audi populi meus, & loquar Israel, & testificabor tibi: Deus Deus tuus ego sum. Non in sacrificijs tuis arguam te, holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.* *Psal 49. 7*

Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hir- A *ces, quoniam mea sunt omnes feræ syluarum, iumenta in mon-tibus & boues, &c. Nunquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?* Quid ergo summe Deus gratum tibi erit, aut iucundum? *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua, & inuoca me in die tribu-lationis, eruam te, & honorificabis me.* Ac si diceret: scio te Israel plura mihi offerre munera vitulorum, & hircorum, sed mihi hæc sola grata esse non possunt: nam vitulis, & armentis abundo, neque ijs aut alijs huiusmodi egeo; at pergratum mihi facies, si Deo sacrificium laudis immolaueris. In quæ verba scribit B. Augustinus. *Expaueram ne aliquid indiceres quod esset extra me: Se-curi sumus, non imus in Arabiam thus quærere, non sarcinas auari negotiatoris excutimus: sacrificium laudis quærit a nobis Deus. Habebat hoc sacrificium laudis Zacheus in matrimonio suo, habebat & vidua in sacello suo, habebat nescio quis pauper hostes in dolio suo. Alius nec in patrimonio, nec in sacello, nec in dolio aliquid habebat, totum habebat in animo suo. Salus hæc facta est domui Zachæi, & plus misit vidua quàm diuites illi. Iste calicem aquæ frigidæ porrigens, non perdet mercedem suam. Sed & pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Immola ergo Deo sacrificium laudis.* Hactenus Augustinus. At in-spiciamus obsecro quodnam sit hoc sacrificium laudis, an voce laudare Deum, ita sanè, sed neque id satis est: est enim sacrificium laudis in voce, sed præcipuè in
Matt 5. 16. opere studioso. *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, ait Iesus, *vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem ve-strum qui in cœlis est.* Ecce sacrificium laudis: nempe ope-ra bona ad Deum laudandum videntes mouent. Exi-git etiam ibi Deus sacrificium pœnitentiæ. In Hebræo enim habetur *sacrificium confessionis*: confessio autem vtrumque significare solet in sacris literis, vt docet Di-uus Augustinus in illa verba Psalmi 94. *Præoccupemus faciem eius in confessione. Est etiam*, inquit, *confessio peccato-rum laus diuina, quia tantò amplius laudatur medicus, quantò plus desperabatur ægrotus, & tantò maior est laus ignoscentis, quantò est maior exaggeratio peccata confitentis. Vtramque igitur laudem exigit Deus in eo Psalmo, laudis scilicet, & con-fessionis; quocirca subiungit: Redde Altissimo vota tua.* Ex-
Ps. 94. 2. plicans verò Diuus Augustinus illa verba Psalmi 65. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Quo-modo*, inquit, *distinguis vota quæ reddis Deo? vt illum laudes, & te accuses, quia illius est misericordia, vt peccata nostra di-mittat.* Hæc ille. Ecce igitur sacrificium laudis immor-tali Deo gratissimum: quod quidem si ei non offeras, opponet tibi illico idem Deus: *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Origenes quidem (vt author est B. Epiphanius in hæres. Orige-nist.) postquam in errorem lapsus est, concionem ha-buit de hoc Psalmo; cùm verò ad versum hunc expli-candum peruenisset, complicato libro è concione re-cessit, & lacrymis ac mœrori se dedit: recordatus enim tunc est illius sacrificij quod idolis obtulerat, certòque sciebat ad salutem consequendam plus cordis, quàm oris sacrificium valere: quapropter criminis conscius, D enarrare iustitias Dei noluit.

Ps. 50. 18. Ideò regius ille Vates sic Deum affatur: *Si voluisses, sacrificium dedissem vtique, holocaustis non delectaberis. Sacri-ficium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Sciebat quidem Propheta grata esse tunc Domino huiusmodi sacrificia externa, dummodo cor etiam immoletur, alioqui verò non item. Ideo dix-it: *holocaustis non delectaberis*, & præmiserat: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Ac si diceret, opto quidem tibi sacra facere, quò verò illa grata tibi sint, *cor mundum crea in me Deus*: si enim cor non omnino purgetur, reliqui cultus placere tibi non perfectè poterunt. Quapropter agens Christus cum Pharisæo, *Ecce*, inquit, *munda prius quod intus est cali-*
Matt. 23. 26. *cis, & paropsidis, vt fiat id quod deforis est mundum.* Ac si diceret, quid prodest ad bibendum exteriùs emundare calicem, si ille interiùs immunditiâ, & sordibus plenus sit. Eadem & potiori ratione vobis obijciam: quod vo-bis emolumentum afferent, quóve pacto iratum Dei animum mitigabunt exteriora vestra opera, etsi mun-da sint, nisi interiores animi maculas delatis? Lauate igitur à malitia cor vestrum, ne huiusmodi Pharisæos imitemini: qui cùm semel atque iterum manus lauе-rint, immundi tamen, ac sordidi ab humani generis Seruatore iudicantur.

Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vide-bunt.* Qui sunt hi qui mundum cor habent? S. Hieron. *Matt. 5. 8.* ibidem: *Quos non arguit conscientia vlla peccati, mundos mundo corde conspicitur, templum Dei immundus esse non po-test.* Ita Sanct. Hieronym. Nota, mundus mundo cor-de conspicitur, hoc est, tum verè quis mundus est, qui non solùm verbo & opere mundus est, sed et-iam cogitatione, quia malum ex quocumque defe-ctu. Vnde Isai. 1. *Auferte malum cogitationum vestra-rum, &c.*

PROP. II. *Contra eos qui exterius solummodo bonos se esse ostendunt.*

Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à *Matt 15.* *me.* Verba hæc peculiare quoddam vaticinium sunt, t quod cecinerat Isaias Propheta multis ante tempori- *Isa. 29.* bus, quàm hi, qui Hierosolymis boni extrinsecùs ha-bendi erant, in viuis essent, & ipse Deus ea exponenda censuit, hisque Scribis & Pharisæis, peccata reprehen-dens, vaticinium declarauit, dicens: *Hypocrita, bene pro-phetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic, &c.* Deo nam-que exteriora huiusmodi tantùm placere minimè pos-sunt, cùm simul interiora exterioribus velut conueniте, quamuis tam exteriùs bonum quàm interiùs esse ma-ximè velit.

Dei tabernaculum pulcherrimis vndique pellibus, *Exod.* pretiosisque circumquaque tapetibus tegebatur; sed C non ob hoc Deus his contentus erat, sed in interiori tabernaculi parte collocari iussit altare, in quo victi-marum præcordia purissima offerentur, atque ibi cœ-lesti igne adolerentur: vtrumque enim, pelles scilicet exteriùs pulcherrimas, interiùs nihilominus munda præcordia Deus postulat. Idem exigit Deus in nobis ad rectè, beatèque viuendum, exteriorem scilicet mo-destiam, grauitatem, aliaque externi cultus, & religio-nis opera, quibus sanctè quis instituatur. Hæc tamen sola Deo placere nequeunt: interiùs namque petit viscera pura, & munda Deo oblata, desideria rectæ ra-tioni subdita; affectus verò ab humanarum rerum amore longè semotos. Quidam autem pellibus tantùm tabernaculum Dei obtegi volunt, præcordia verò munda sacrificanda, & vouenda putant. Vtrumque tamen Deus exigit, ita non solum hominum oculis, verumetiam interius coram Deo bonus esse, & haberi omni studio contendas.

Hæc est pulchritudo, quam in sponsa sponsus Do-minus in Canticis laudat, & prædicat quodam in loco dicens: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* Vbi *Cant. 1.* legit Ambrosius, *Ecce bona es proxima mea, ecce bona es.* *14. & 16.* Et, *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es?* cur ergo t-bis dixit pulchra? Nónne semel tantùm dixisse suffi-ciebat, vt Deo fides adhiberetur? Sanctus Ambrosius super Psalm. 18. sermon. 15. *Id est, pulchra in prædicatione, & pulchra in conuersione.* Hæc ille. Sic sponsa non solùm Deum colit verbis exteriùs, sed corde interiùs, quia conuersatio eius in cœlis est. Interlinearis sic habet: *Pulchra es in operibus exteriùs, & pulchra animo interiùs.* Sanctus Thomas, *Bis repetit*, ait, *pulchra, id est, in opere, & prædicatione: in opere, quia nihil indignum oculis meis agis; in prædicatione, quia ad considerandum incarnationis meæ mys-terium etiam sodales tuas filias Hierusalem imitare non ces-sas.* Hæc ille. Non enim diuinus sponsus exteriori dumta-

dumtaxat sponsæ pulchritudine delectatur, vt homines mundani; sed veluti sponsus Deus, qui corda rimari & scrutari potest, cordis, pulchritudinem desiderat.

Postquam in Leuitico Deus dixerat, ab hoc vel illo cibo, ab hoc, & illo habitu fugite, subdidit: *Nolite contaminare animas vestras.* Multùm certè manus mundæ, & vestes modestè compositæ Deo placent, tamen si eisdem purus animus, & corda rectè ordinata non adiungantur, minimè adhuc contentus est.

Iusserat Deus Arcam Testamenti, in qua legis Dei tabulæ seruarentur, fabrificari, dixeratque: *Deaurabis eam auro mundissimo intus, & foris.* Talem requirit hominem Deus, qui legem suam perfectè custodire desiderat, vt charitatis & sanctitatis auro refulgeat intus, & foris. Homines quæ extrinsecùs, & in hominum conspectu apparent, inaurari cupiunt; parietibus namque gaudent, tapetibus ditissimè decoratis, sed illos insuper pretiosos, vniuersaque aliarum rerum supellectilia noua, & nitida esse, quæ apparent, procurant; vetus tamen, & trita domesticarum rerum supellex in interioribus ædium partibus reconditur, ne ab exteris ingredientibus conspiciatur. Alius autem exteriùs tunica, & pallio nouo ex arte elaboratis vtitur; interiùs tamen trita vestè contentus est: Deus autem ex his, quibus exteriùs tantùm inest candor, sibi officia præstari minimè vult, exteriùs, & interiùs deaurata esse desiderat. sanctos enim foris auro fulgentes, intus verò squalore sordentes, abominatur, sed auro intus foris que micantes exigit. Deaurabis eam intus & foris: Deus enim Christi imitatorem illum esse vult circa ea quæ ab hominibus iudicantur; intus verò optimum ipsius religionis cultorem, quod Deus solus speculatur.

Sunt quidam qui Babylonicis statuis assimilantur, de quibus Baruch Propheta ait: *Statuas illas esse exterius auro, argentoque conflatas.* interiùs verò (vt ferebatur) earum corda serpentum dentibus dilacerabantur. Hoc modo Christiani quidam sunt: exteriùs enim boni vtique videntur, minimè namque deierant, non detrahunt, non occidunt, neque scandalum præbent; cordibus tamen pessimorum desideriorum, prauarumque cogitationum veneno pleni sunt.

Assimilantur etiam Æthiopicis tabernaculis, quæ exteriùs in se pulcherrima, & ditissima videbantur; intus verò Æthiops quidam nigerrimus adcrat. His ergo dissimiles minimè sunt, qui exteriùs pulchritudinis, & bonitatis speciem præ se ferunt: habentur etenim sapientes, ingenij acumine præditi, comitatesque decorati, & sanctitatis excellentiâ præstantes; intus verò teterrimi Æthiopes (ne dicam abominabiles cacodæmones) existunt. Hos autem supra modum abominatur Deus. Ob eamque rem cygnum antiquâ lege improbarat, cùm auis sit adeo candida, & pulchra, vt vel etiam à regibus maximi æstimetur. Quid ergo cygnus habet, vt sic à Deo reprobetur? Est quidem cygno sub candidissimis, & amœnissimis plumis caro nigra, & dura. Tales sunt illi, qui extrinsecùs honesti, & humani mitésve videntur; interiùs verò nigerrimi, turpes, & morosæ, deprauatæque naturæ sunt: qui quidem in olorum figurâ improbantur à Deo.

Sunt & ipsi, sicut ille Sardorum Episcopus, ad quem Dei nomine, Apostolus Ioannes literas misérat, hæc dicens: *Scio opera tua, quia nomen habes, quòd viuas, & mortuus es.* Non inuenio opera tua viua coram Deo meo. *Scio*, inquit, *opera tua*: Deus enim longè à cæteris mundi principibus distat, qui subditorum opera vera esse credunt, quia ita esse audierunt: Deus autem non ex fide, sed ex scientia nouit opera nostra: speculator enim adstat de super qui nos diebus omnibus, actusque nostros prospicit, nec vllo vnquam modo falli potest, cùm nos à pedibus vsque ad capita, interiùs, & exteriùs, nocte, diuque circumspiciat, & quidquid agamus, vel cogitemus, memoriâ tenear: & ideo, *Scio*, ait, *opera tua.* Quid igitur inuenit in ipso? *Nomen*, inquit, *habes quòd viuas, & mortuus es, si mortuus*, cur inter viuos refercbatur? erat mortuus in anima, viuus in hominum opinione. Quoties enim accidit, aliquem ab omnibus veluti Angelum haberi, & suscipi; intus verò cacodæmonem malitiâ superare. illi qui miracula patrarunt, Dei tamen iudicio reprobi iudicati sunt, ipso dicente: *Nunquam noui vos, discedite à me qui operamini iniquitatem.* Matth 7. Sed attendite in exterioribus quales erant; *Domine, Domine, aiunt, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Dic mihi, obsecro, cùm ipsos alta & recondita mysteria prædicare, energumenos dæmonum expulsione liberare, claudos, cæcos, & mutos sanare mirarentur homines, &c. quid tunc dicebant? His sancti proculdubio sunt, eorumque vestes osculabantur, Dei tamen iudicio sancti minimè, sed mali, & reprobi æternis cruciatibus destinati habebantur. Hi sunt qui hominum opinione viuunt, Dei autem conspectu mortui iudicantur, apud quem is intus, foris que viuus esse dicitur, qui foris intusque iustus, & rectus existit. Est enim Deus tanquam regalis aquila, quæ, vt fertur, intimo corde alitur, & reficitur.

Proh dolor, quot vbique sacerdotes existunt, qui exteriùs candido supra niuem linteo obteguntur: interiùs verò animus nigredine carbones superat! laudes in choro Deo percinunt; secretò verò in grauia, & horrenda crimina labuntur: labijs honorant Deum, cor autè eorũ longè est à Deo. Quot fœminæ honesto habitu, & longè protensis velaminibus incedentes, lasciuæ, & impudicæ fœminæ cogitationes habent! Quot eleemosynas publicè elargiuntur, qui tacitè & secretè omnia expilant! Quot insigne iustitiæ virgam manibus gestant, corda verò iniustitiæ, & iniquitatis crimine onusta referunt! Benè denique apud homines in terris, malè tamen in cœlis apud Deum, eiusque sanctos audiunt: viui insuper videntur, mortui tamen sunt. simulent ergo quantùm voluerint, tamen in diuinæ iustitiæ examine, & trutinâ hæc, qualia sint, patefient.

Huius autem mali origo, & causa est, quia homines nihil aliud intendunt, quàm vt hominum oculis placeant: intelligunt enim se hominum oculis circumspici. Quamobrem omnem adhibent diligentiam, vt ea, quæ ab ipsis videntur, poliantur, & illustrentur; nullam verò in ijs componendis, quæ Dei oculus rimatur, vti Pharisæi illi, & Scribæ factitabant. Quibus Dominus ac Deus noster duplicem speculorum modum proposuerat, alterum artificiale, & visibile, quod in ipso statim templi vestibulo erat inclusum, vt exteriores corporis maculæ referrẽtur, aquâ ad manus præparatâ, quâ lauari possent. Alterum verò spirituale speculum, quod scilicet erat sancta eius lex, præceptaque, de quibus dixerat Deus: *Erunt que, & monebuntur ante oculos tuos*, erunt scilicet, tibi veluti speculum, quo animi effigiem contempleris: illi verò seipsos in materialibus speculis aspiciebant, vt in hominum oculis in corporis effigie, & vultu; maculam non haberent; non autem in lege Dei contemplari studebant, vt coram Deo puri & mundi inuenirentur. Magna sanè amentia & insania hæc est. Quid tibi vtilitatis est, hominibus morem gerere, cùm nihil aliud beneficij referant, quàm quòd sibi grata esse significant quæ agis? Quanto tibi fœlicius, atque vtilius erit, Deum officijs prosequi, vt, cùm grata sibi fuerint, immensas cœli diuitias, & bona impertiatur. *Vade ergo*, (ait Spiritus sanctus in Ecclesiasti- Eccl. 9.7. co) *comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.* Quasi diceret, non est quod

quod poſſit contriſtare iuſtum quidquid acciderit ei, cùm Deo placeant opera eius. Scãdalizetur licèt mundus, perſequantur Nerones, & dæmones etiam aduerſentur, malè ſuccedant omnia: nam ſi Deo placueris, nil tibi ſiniſtri cedet, neque aliquid erit quod te anxiè, & ſolicitè cibum ſumere coget: non enim quod timeat, habet qui Deum reuc retur, nec de quo contriſtetur, ſi Deo morem geſſerit. illum autem formido terrebit, & in cibis anxia, & inquieta ſollicitudo vexabit, qui Deo placere negligit, hominibus verò officioſus eſſe deſiderat.

Pſal. 52. 6. Audi Prophetam: *Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos.* Duo hîc mala hos mundi ſectatores premunt, alterum, quòd Deus ſpreuit eos. Hieronymus ait: *Meritò ſpernitur a Deo, qui reliquerit Deum, & qui eum reliquit, digne, tanquam ignotus, ab eo confunditur, dicente Apoſtolo*, 1. ad Corinth. 14. *Omnis ignorans ignorabitur.* Alterum quòd *diſſipat Deus oſſa*, ait gloſſa interlinearis, id eſt, *interiora bona eorum.* Hoc autem maximum ſupplicium eſt: cùm enim Deo minimè officioſus eſſe ſtudes, animi bonis, quibus Deo placere poteras, deſtitueris, & veluti ſponſus, qui, vbi primùm ſponſam aliorum oculis plùs quàm ſuis placere deſiderantem conſpicit, ipſam omnibus muneribus, quibus eam donarat, & quæ illi, vt grata ipſi eſſe ſtuderet, contulerat, ſpoliat; ſic etiam Deus illum humilitate, caſtitate, charitate, reliquiſque virtutibus orbari patitur, vt maneat veluti ſterquilinium niue obtectum, foris ſcilicet pulchrum, intus verò horridum, & deteſtabile. Cura igitur diligenter, vt tua opera Deo grata ſint, quem cùm interiorem puritatem exigere certò ſcias, laua à malitia cor tuum.

A cit Dominus homini, à quo fuerat inuitatus? Et reſpondet: *Magis obiurgando peperci, vt correcto parceret iudicio.* Ita ille. Etenim qui correctiones ſuperficialiter intuentur, iræ, vel odij opera eſſe arbitrantur; qui verò interiora conſiderant, opera charitatis & amoris eſſe cognoſcunt; & ideo correctio fraterna inter opera miſericordiæ computatur. Vnde ibidem Chriſtus Dominus ſubiunxit: *Verumtamen, quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Quia ergo remedium animæ correctio adhibebat, non iram, ſed miſericordiam præſeferebat. *Luc. 11.*

PROP. II. *Quàm vtilis ſit peccanti correctio fraterna.*

AT dices, nonnulli id non æquo animo ferunt, & peiores inde fiunt. His ego dicam, quod quidam Philoſophius Athenienſis, nomine Theodorus, qui (vti refert Plutarch. libello de animi tranquillitate) obijcienti cuidam, quòd doctrina ipſius multi redderentur deteriores; reſpondit, id aliorum vitio accidere, qui doctrinam ipſius ſiniſtrâ exciperent, cùm ipſa porrigeret dextrâ. *Plutar.*

Seneca lib. de conſolatione ad Albi. cap. 3. *Tirones leuiter ſaucij vociferantur, & manus medicorum magis, quam ferrum, horrent: at veterani, quamuis confoſſi, patienter, aſſidue gemitu, velut aliena, corpora ſua excoriari patiuntur; ita & tu debes te fortiter præbere curationi.* Ita Seneca, & quidem multi proximos corrigere deſinunt, quia ferè nemo eſt, qui corripi velit. *Seneca. Seneca.*

Idem lib. 1. de ira, cap. 4. *Non caſtigatio nocet, ſed non debitur ſpecie nocendi. Sicut haſtilia quædam dentata, vt conuellamus, aduncus, & adactis cuneis, non vt frangamus, ſed vt explicemus, elidimus; ſic ingenia vitio prauа, dolore corporis, animo, corrigimus. Denique nulla debet dura videri curatio, cuius eſt ſalutaris effectus.* Ita ille.

C Cicero lib. de Amicitia: *Cuius aures clauſæ veritati ſunt, vt ab amico verum audire nequeat, huius ſalus deſperanda eſt.* Ita Cicero. *Cicero.*

S. Chryſoſt. tom. 5 libr. contra Gent. *Qui corpore laborant; donec medicos ad ſe adire patiuntur, in magnam ſalutis ſpem ingrediuntur; vbi verò mente capti calcitrant, ac ſe morbo liberare volentes mordent, tunc morbo incurabili laborant, idque non ob morbi ingenium, ſed quòd ab his deſtituti ſunt, qui inſaniam illam ſanare poſſint.* Ita Sanctus Chryſoſtom. *Chryſoſt. Genua.*

PROP. III. *Correctio fraterna debita eſt proximo.*

SAnct. Ioannes Chryſoſtomus hom. 1. ad popul. Antioch. Non audiſti quid Ioannes Baptiſta fecerit, tyrannum vidit hominem nuptiarum leges ſubuertentem, & cum fiducia in medio foro dicit: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Ego autem te non ad regem duxi, neque ad iudicem, neque pro nuptijs temerarijs, neque pro ſeruo contumelià affecto, ſed pro furore in Deum, æqualem caſtigare depoſco. & ſi mori opus ſit, caſtigare fratrem ne torpeas. Martyrium tibi hoc eſt, quia & Ioannes martyr fuit. Pro veritate vſque ad mortem contende, & Deus pugnabit pro te: cum ipſa commune habeo nihil. Cum diabolo ſolo commune nihil habeamus, &c. Nec mihi illud dicas frigidũ verbum, quæ mihi cius cura eſt? Satanica eſt iſta vox, diabolica inhumanitas &c. Valde enim abſurdum eſt, ſi pugnam in foro videamus, non accedere, & pugnantes conciliare: quid verò dico pugnam? Cùm aſinum cecidiſſe viderimus, omnes manum porrigere, & pariter erigere ſtudemus; fratris verò pereuntis curam habemus nullam. Aſinus eſt blaſphemus, animi pondus non ferens, cecidit: accede, excita verbis, & factis, lenitate, & vehementia, & repoſitis frueris bonis. Ita Ille. *Chryſoſt. Matt. 14.*

Idem S. Chryſoſt. hom. 2. ad pop. *Is qui talentum deſodit, non*

dit, non pro reatibus suis accusabatur: integrum enim depositum reddidit: sed quoniã ipsum non multiplicauit, quoniam non exigauit cæteros, quoniam non correxit proximos peccatores, idcirco absque misericordia in illas intolerabiles pœnas mittebatur. Ita S. Chrysostom. Quod ideo dixit, ne quis excusationem prætendat, dicens: soluat qui deliquit, te in suum inuoluit damnum, quia te non fuerit correptus.

S. Chrysostom. hom. 3. ad popul. *Vis fratrem corrigere? Ora Deum: plora ex corde admone, consule, exhortare: sic enim Paulus faciebat.* Ne iterum, *inquit*, cùm venero, humiliet me Deus apud vos: & lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam. *Sic tu declara charitatem erga peccatorem, persuade ipsi, quòd consulens, & curans, non traducere volens iudicibus, peccati ipsum commonefacis, comprehende pedes, osculare; ne erubescas, si modò mederi vis. Hæc & medici faciunt, sæpe, difficiles ægrotos habentes, osculantur, rogant, persuadent salutarem sumere medicinam; ita tu quoque fac, Sacerdoti vulnus manifesta: hoc enim est curantis, hoc proudentis.* Ita Sanctus Chrysostom.

Idem hom. 16. ad popul. *Vos fratres aliorum præceptores esse oportet. nónne si quis tibi aureum vnum pro singulis hominibus correctis promisisset, omni studio adhibuisses persuadens, & exhortans? nunc verò non aureum vnum, neque decem tantum, vel etiam centum millia, neque terram vniuersam tibi Deus pollicetur in huius retributionem, sed orbe toto maius est regnum. Nec hoc solum, sed & aliud: quale verò hoc:* Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris. *Quid hunc par esse potest ad honoris, & vtilitatis rationem? Tu quidem si eum in voraginem decidentem vides, manum porrigis, & indignum esse putas pereuntem despicere; videns autem quotidie præcipitari in peccatum fratres, ne verbum audes proferre? Dixisti semel & non audiuit, dic igitur bis, & ter, & toties, donec persuaseris: nobis enim quotidie loquitur Deus, neque audimus, & ipse alloqui non desistit. Hanc igitur tu curam imitare circa proximum tuum: propterea enim coniuncti inter nos sumus, & vrbes habitamus, & in Ecclesijs congregamur, vt alter alterius peccata corrigamus.* Ita S. Chrysost.

Prop. IV. *Quòd non sit inhumanum corrigere peccantem.*

Matth. 18. 15. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum,* &c. Correctio huiusmodi exacerbare proximum solet: omnes enim laudari potiùs amant, quàm verbis asperioribus tractari, & velut contrarium & inimicum eum censent, qui verbis correptorijs eos afficit. Vnde, cùm Elias reprehenderet Regem Achab 3. Reg. 21. 20. respondit Rex: *Num inuenisti me inimicum tibi?* Cùm tamen vera amicitia sit, proximum peccantem reprehendere & castigare. Audi S. Augustinum in locum hunc Matthæi serm. 15. de verbis Matth. exponentem: *Quid tam prum quàm medicus ferens ferramentum? plorat secandus, & secatur, plorat vrendus & vritur, non est illa crudelitas, absit vt sæuitia medici dicatur. Sæuit medicus in vulnus, vt homo sanetur, quia si palpatur vulnus, perditur homo. Sic ergo fratres nostros, qui peccauerunt, omni modo amemus, & disciplinam, cùm opus fuerit, demus, ne per defectum disciplinæ nequitia crescat.* Ita S. Augustin.

Prop. V. *Quòd debemus peccatores corripere, ne pereant.*

Saluum me fac Deus, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum. Auxilium hîc à Deo postulat Dauid, duas ob causas, primò quia in mundo defecit sanctus, quasi dicat, mundus iste peccatoribus refertus est, inter peccatores autem quis degere tutus valet? securior inter sylua feras viues quàm inter homines malos, vti in Baptista constat, qui plusquam viginti annos inter bestias deserti absque nocumento vixit, & cùm primum ad homines venit, capite plexus est. vnde Dauid: *Eripe me Domine,* à quo? à leone, aut dracone? minimè, sed, *ab homine malo, a viro iniquo eripe me,* hos potiùs quàm leones, draconesque timebat: ideo ergo ait: *Saluum me fac Deus, quoniam defecit sanctus.* quid amplius? *quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum.* Veritas quæ in mundo aperitur, non veritas vera, sed veritas falsa est: sicut enim reperitur aurum verum, & aurum falsum; sic etiam inuenitur veritas vera, quæ scilicet verè veritas est: hæc tamen vix in terra, plenè in cœlo inuenitur. Reperitur autem in terris veritas falsa, hoc est, apparens & ficta: ideo enim subdit Dauid, *in corde, & corde locuti sunt, hallareis vn coraçon por otro,* vnum in ore, aliud in corde gerunt: nam loquuntur pacem cum proximo suo; mala autem in cordibus eorum, *pas en la boca, y guerra en el coraçon.* Talis est communiter veritas in hoc mundo: vt dicat Dauid, *diminutæ sunt veritates à filijs hominum, verdades menos cabadas, verdades tercenadas, como el dinero que por estar tercenado, no tiene su legitimo peso, sino es moneda falsa, la verdad que corre en el mundo es tercenada.* vix enim reperitur qui, etiam amico suo, dicat quod in corde sentit, vt plurimùm veritatem summis attingunt labijs, *atnsan y reprehenden lo que de verdad auian de reprehender, pero no mas que apuntando, no diziendo la verdad enteramente.* sic fit *diminutæ sunt veritates à filijs hominum.*

Meritò inter opera misericordiæ spiritualia correctio numeratur, quin & inter opera Christianæ charitatis collocari meretur: nam ad charitatem spectat, proximum à malis omnibus liberare: quale autem, non dico maius, verùm vel simile malum est, ac peccare in Deum, reum esse culpæ mortalis, à gratia Dei excidere, gloriam amittere, & mortem incurrere sempiternam? Ponderet qui valet tanta mala. ad hoc autem ordinatur correctio, vt ab his malis liberet quis proximum. si ergo à malis fratrem liberare charitatis opus est, quid erit eum à tot tantisque eripere malis?

Vnde S. Bernard. epist. 2. quendam corripiens, hominem primarium, peccatorem tamen, *Charitas,* inquit, *ad te ch urgendum me compulit, quæ tibi condolet, quamuis non dolenti, quæ tibi misereretur, quamuis non miserabili. Et inde magis dolet, quòd cum sis dolendus, non doles, & inde magis misereretur, quod cum sis miser, miserabilis non es.* Ita S. Bernard.

Et subdit in eandem rationem: *O bona mater charitas, quæ siue foueat infirmos, siue exerceat prouectos, siue arguat inquietos, diuersis exhibens diuersa, sicut filios diligit vniuersos. cum te argit mitis est, cum blandit simplex est. pie solet & patienter trasci, & humiliter indignari.* Ita S. Bernard.

Audiant igitur hoc, qui aduersùs correctores suos indignantur, & cum Achab dicunt: Num inuenisti me inimicum tibi? hi similes sunt ægro, phrenesi laboranti, qui contra medicum indignatur, cum ei adhibet remedium, &c.

Prop. VI. *Ministri Ecclesiæ tenentur corripere peccatores.*

Secundæ ad Tim. 4. sic Timotheo Ecclesiæ ministro, Paulus: *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina,* quasi dicat, siquidem minister Ecclesiæ à Deo institutus, & constitutus es, ad munus pertinet tuum arguere, & increpare peccantes. Quòd si dixeris, inde tribulationes tibi prouenturas; respondet Apostolus: *Increpa in omni patientia,* id est, pati oportet pro veritate, qui veritatis partes ex munere agit. Ad hoc autem non parum obstare censeo diuitiarum cupidita-

tem & dignitatum, quæ Ecclesiasticos inuadere solet: A liberiùs sacerdos spiritu pauper, quàm Prælatus cupidus proximos corrigere audet.

Chrysost. Vnde Sanct. Chrysostom. hom. vlt in epist. ad Rom. *Ecclesijs non tam prodesse valent diuites compatici, quàm pauperes magnanimi. Timet diues pro domo, pro familijs, pro agris, pro opibus, ne quis aliquid auferat ex his, & qui multorum Dominus est, idem multorum seruus cogitur esse. Pauper autem nummis parum valens, & his omnibus curis carens, leo est ignem spirans, & generoso & forti animo aduersùs omnes insurgit, facilè omnia agit, quæ Ecclesijs prodesse possunt, siue opus sit, vt arguantur aliqui, siue vt increpentur, siue vt Christi nomine ferantur pericula, ac inimicitiæ: quoniam qui semel vitam despexit præsentem, magna facilitate conficit omnia: & hic etiam tyrannis & regibus, & populis potentior est. Quot enim diuites erant tempore regis Herodis, quot potentes, & quis in medium prorupit? quis tyrannum increpauit? quis leges Dei contemptas vltus est? Diuitum quidem nullus, sed pauper ille, & inops, qui neque lectum, neque mensam, neque tectum habebat, ille, inquam, solitudinis inquilinus, Ioannes, ille primus, & solus omni libertate arguit tyrannum, & adul-* B *terinas nuptias detexit, & præsentibus omnibus, & audientibus, pronuntiata sententia eum condemnauit. Et ante hunc magnus Elias, qui nihil præter melotem possidebat, impium, & præuaricatorem illum Achab, solus viriliter increpauit: nihil enim, nihil omnino sic liberè loqui, & in rerum discrimine fiduciam habere, & contra captiuitatem satis munitum & fortem facit, vt nihil possidere, & nullis sæcularibus negotijs obrui. atque adeò si quis virtutum, & libertatis multum possidere cupit, pauperiatem amplexetur, præsentem vitam despiciat, & mortem nihil esse putet.* Ita Sanct. Chrysostom. Hinc colligent Ecclesiæ ministri, cur timidi ab increpationibus cessent, nempe quia, sicut populus, sic sacerdos in diuitijs acquirendis, & in sæcularibus negotijs se implicat.

Chrysost. Hinc S. Chrysostom. orat. de Ecclesia Dei, monet eos, qui nouerint aliquem in peccato ad Eucharistiam accedere, debere dispensatorem Eucharistiæ priùs admonere. Sic igitur, ait S. Chrysostomus: *Si quem igitur ex his, qui tecum congregantur, scortantem, & ad mysteria accedentem videris, dic eorum dispensatori: Iste mysterijs indignus est, probibe prophanum sacris: nam si talis dignus non est, qui Dei facta iusta narret, cogita quantoperè augescit illi supplicium, si etiam sacram attingat mensam. Neque verò ipse tantùm, sed etiam tibi hoc celanti: non enim dixit Dauid:* C

Psal. 49. 18. *Et tu adulterium patrabas, sed,* cùm adulteris portionem tuam ponebas. *Papè quam malum est aliorum putredines occultare! socium enim, ait, esse supplicij, quod illi delicto debetur. & meritò: ille enim affectionem dicere habet, tametsi non mereatur veniam hic prætextus: tu verò neque talem prætextum habes. Cur igitur, cùm voluptate non fruaris, pœnæ te, & socium, & participem facis? Vos autem, qui ministratis, multo cum studio hæc dona dispensare: neque enim parua vobis pœna impendet: nam si scientes aliquem improbum esse, de hac mensâ eum permittitis participare, sanguis eius è manibus vestris exquiretur. Siue is dux exercitus, siue præfectus equitum sit, siue ille ipse, qui diademate circumdatus est, & indigne accedat, prohibe: maiorem Dominum habes, caue ne irrites Dominum tuum, ne gladium alimenti porrigas loco, prohibe, ne metuas illum, metue Dominum Deum tuum, & non hominem. Si hominem metueris, & ab eo ipse irrideberis, & Deum irritabis: si autem Deum, & hominibus venerandus eris, & Deo charus. Quòd si ipse non audes, ad me adhuc non patiar eum hæc audere, anima deficiat priùs, qu am sanguinem Domini præter dignitatem porrigam: & meum ipsius sanguinem profundam, priusquam sanguinem tam tremendum, secus quàm conuenit, administrem. melius enim multò est vitâ priuari propter Deum, quàm propter vitam ipso Deo.* Ita S. Chrysost. Idem autem de alijs peccatis mortalibus dicendum est.

PROP. VII. *Adhibenda est Correctio, licèt nulla sequatur emendatio, nec facilè ab ea desistendum.*

AN non vides parentes, quomodo filius suis, licèt frequenter desperatis, assident, lacrymantes, lamentantes, exosculantes, omnia, quæ possint, admouentes ad supremum vsque habitum? hoc tu quoque facito pro fratribus. Et tamen illi non possunt lacrymis ac lamentis neque morbum depellere, neque mortem imminentem abigere. Tu verò frequenter poteris animam deploratam assiduitate, instantiaque per lamenta reuocare ac suscitare. Dedisti consilium, nec persuasisti, lacrymare, pungè frequenter, ac suspira paululùm, vt tua sollicitudo imitiat illi verecundiam, itaque se conuertat ad salutem. Quod quia solus possem efficere? neque enim quotidiè nobis omnibus adesse valeo, neque suppetit mihi facultas, vt solus cum tanta dispensem multitudine. Cæterùm si vos velitis inter vos, alijs aliorum partiri curam salutis, ac vestrum quisque vnum suscipere fratrum negligentiorum, illico nobis cresceret ædificatio. Et quid attinet dicere de ijs, qui posse nobis admonitionem seipsos ad meliorem frugem recipiunt? etenim cum illi mihi teneantur immedicabili morbo, non oportet desistere, neque curam abijcere, etiamsi certum præsciamus futurum, vt post multam solicitudinem, multamque adhibitam admonitionem, nihilo plus simus profecturi. Quòd si hæc oratio vobis videtur incredibilis, ex factis, dictisque Christi reddemus eam credibilem. nam nos quidem ignari sumus futurorum, vnde nec diuidicare possumus, qui audiunt, vtrum obtemperaturi sint dictis nostris, an secus. Christus autem istarum rerum certam habens præscientiam, non desistigatus est corrigendis, a quibus audiebatur, vsque ad extremum. Itaque cum sciret Iudam non esse reuocandum à proditione, non tamen cessauit assiduis consilijs, monitis, beneficijs, minis, demum omni doctrinæ specie a proditione retrahere, nec destitit ipsum dictis ceu freno cohibere. Hoc autem fecit nos instituens, vt, etiamsi præsciamus futurum, vt fratres non obtemperent, tamen quidquid in nostra fuerit potestate præstemus, tamquam parata nobis admonitione nostræ mercede. Vide autem quanta assiduitate, quantaque sapientia illum cohibuerit. Vnus vestrùm me proditurus est. Ac rursum:* non de omnibus vobis loquor, noui quos elegi. *Et,* vnus ex vobis diabolus est. *Sustinuit omnem in angorem inducere, ne vulgaret proditorem, ac modestia redargutione redderet etiam impudentiorem,* &c.

Sic igitur & nos, etiamsi sciamus omnia, debemus tamen infatigabiliter, ac per omne tempus fratres nostros negligentes componere, etiamsi nihil ex admonitione fructus sit redditurum. Etenim si Dominus, qui præuouerat eiusmodi futurum euentum, hac vsus est sollicitudine erga eum, qui nihil fructu lauru erat ex admonitione; quâ tandem venia digni fuerimus nos, si, cùm incertus sit nobis rerum euentus, adeò negligentes fuerimus circa proximi salutem, post vnam, atque alteram admonitionem eos deserentes? Denique præter hæc omnia, quæ dicta sunt, etiam quid in nobismetipsis accidat, consideremus, reputantes quòd quum Deum nobis quotidie loquentem per prophetas, per Apostolos audiamus, non audimus quotidie; haud tamen desinit vel appellare, vel docere rebelles, parumq; attentos. D

PROP. VIII. *Quòd adhibenda sit correctio, etiamsi peccator nolit moneri.*

SIc in distichis Cato:

Cùmque mones aliquem, nec se velit ipse moneri, Cato.
Si tibi sit charus, noli desistere captus.

Etenim hoc veri amoris proprium est: sicut enim bonus pater non ideò castigare filium cessat, eò quòd filius ægrè id ferat: amor enim paternus nescit parcere virgæ; sic ad amorem in proximum spectat eum sæpe admonere, quamuis renuat accipere disciplinam.

PROP. IX.

Prop. IX. *Qui corrigit, prudenter id facere debet.*

DVobus ferè annis rex Dauid in suo peccato ita consedit, vt neque se peccasse animaduerteret, quoſque Nathan Propheta in tertia persona illud depinxit; tunc, quamuis solùm adumbratum, & nimiùm attenuatum agnouit, & graue iudicans illud esse, dixit: *Viuit Dominus, quia filius mortis est vir, qui fecit hoc. Ouem reddet in quadruplum, eò quòd fecerit verbum istud, & non pepercerit.* Ecce quomodo leue illud alterius peccatum aggrauauit, & ponderauit, & puniendum grauiter iudicauit, qui grauissimum delictum suum eatenus & diu occultauit, imò nec animaduertisse videbatur illud, quia alterius scilicet erat, hoc verò proprium erat: Sic aliena peccata, quamuis leuia, notamus, prodimus, exaggeramus, damnamus, qui nostra grauiora tacemus, occultamus, & tradimus obliuioni.

Idem in illa vineæ parabola, de qua Matth. 21. euenisse conperies; in qua Pharisæi agricolas famulos domini vineæ percutientes, & filium occidentes, malè perdédos esse iudicarunt, & cùm ipsos homicidas iniustos, imò Deicidas Christus ostenderet, non inquiunt: *Malos malè perdet*, sed cognoscentes quòd de ipsis illa diceret, quærebant eum tenere. Hæc igitur est amoris nostri natura, excæcat ita mentem, vt nec delicta nostra grauia delicta esse perspiciamus.

Prop. X. *In correctionibus quam mensuram, & modum tenere debeamus.*

SIc Dominus ad Moysen, cùm defecisset in deserto aqua filijs Israel: *Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Tulit Moyses virgam, & eâ percussit bis silicem, dicens: Audite, rebelles, & increduli, num de petra hac aquam poterimus vobis elicere? Iratus autem valde fuit Dominus contra Moysen, & Aaron, & vtrumque capite damnauit ante ingressum terræ promissionis. Grauis quidem indignatio. cur ita? dicunt expositores Hebræi, quòd propter inobedientiam: dixerat enim Deus illis: Loquimini ad petram, illi petram percusserunt, non verbis, vti præceperat Deus, sed ictu virgæ, quod non præceperat eis. Mysterium in littera indagemus. Superioribus, imò & alijs mandauit Deus de proximis suis, vt eos in peccatis corripiant: *Si peccauerit in te frater tuus*, ait Christus Dominus, *vade, & corripe eum, &c.* Habenda autem est ratio personæ corrigendæ in correctionibus istis: nam sæpè corrigendus est silex, ignem intra se continens; quem si percusseris, loco aquæ, ignem excuties indignationis, & iræ. Verbis pacificis oportet hos emendare, & sic ex eis aquam, non ignem, educes, aquam refrigerij suauem, verba scilicet suauia, & grata, gratiam tibi referendo pro gratia correctionis, & conuertetur à via sua mala, & lucratus eris fratrem tuum. quòd si seuerus, & acris in eum fueris, peiorem illum reddes, & Deum in te concitabis.

Hinc Paulus: *Fratres, si præoccupatus fueris homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Pondera verbum, *in spiritu lenitatis*, non, inquit, acerbè, acriter, & verbis iniuriosis, & infamatorijs, sed lenitate quadam, in qua reluceat charitas tua, & non ira tua, & subdit: *Considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Vbi S. Thom. lect. 1. hoc est, considerato te ipsum, quòd fragilis scilicet sis: nam quamdiu in hac vita mortali sumus, proni sumus ad peccandum; nihil autem ita frangit hominis seueritatem in corrigendo, quàm timor proprij casus. vnde Ecclesiastic. 31. *Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso.* Ita S. Thom. *Ne haga cosa vn hombre, que no pueda caer en ella el otro, si le dexa Dios de su mano.* Quis casum Judæ, quis casum Petri, quis casum Dauidis imaginatus fuisset? cùm ergo fratrem corrigere debes, considera priùs te ipsum, ne & tu in pœnam excessus tui, Deo sic permittente, in eadem incidas tentationem.

In vitis Patrum monachus quidam iunior grauem quandam patiebatur tentationem, & senem propterea quendam ex Patribus adijt, vt medelam ab eo reportaret: at senex, audita fratris tentatione, scandalizatus fuit, & fratrem grauiter increpauit, & indignum eum habitu, & eremitica professione affirmauit. tunc frater ille ita defecit animo, vt statim ad sæculum decerneret redire: cùmque iam arriperet iter, Abbas sanctus, nomine Apollo, Dei reuelatione factum agnoscens, fratri obuius factus, causam discessus interrogauit. tentationem ille Apolloni explicauit, & responsum supra dicti senioris. tunc Abbas Apollo fratrem consolatus in spiritu lenitatis, quid sibi agendum esset, docuit, & admonuit: quâ exhortatione confortatus frater, ad eremum reuersus est. tunc Apollo Dominum rogauit, vt eâ quam passus fuerat tentationem frater, ad senem illum traduci piè permitteret, quatenus hinc discereret ille, quo pacto compati, & respondere fratribus deberet in huiusmodi tentationibus constitutis. Exauditi orationem Deus, & tam graui tentatione pulsatus fuit senex ille, vt ferè iam & ipse ad sæculum reuerti vellet, nisi diuina pietas ei ad persistendum perseuerantiam præstitisset. Nouit hoc Apollo, & ad senem profectus, eum grauiter reprehendit de scandalo suo, & de illo quod præbuerat fratri, & suaui correptione quid illi opus esset, docuit, & sic vtrumque sanauit.

Accusarunt olim quidã Eremitæ monachum quendam, & acriter insistebant aduersùs eum apud S. Antonium; ipse verò monachus delatus pertinaciter culpam negabat. Aderat tunc Abbas Pafnufius, vir sanctus ac prudens, qui assumptâ parabolâ dixit: Vidi ego hominem quendam luto infixum vsque ad genua; accesserunt autem quidam vt eum ex luto, & periculo educerent, qui tamen vice versa vsque ad fauces eum in luto submerserunt. quo dicto Pafnufius tacuit. Sed Sanctus Antonius illam rectè perpendens, dixit: Pafnufius hic ad saluandas animas aptus minister est. ita quidem: nam qui ministerijs animarum vacat, sicut medicus eâ quâ par est suauitate erga infirmos fratres vti debet.

Sed tamen, vt cuncta discernamus, obseruanda sunt quæ docet Sanctus Thomas circa illa verba supra dicta Apostoli ad Galat. 4. dicens: *Quando aliqui ex malitia peccant, minùs venia digni sunt: quales illi erant de quibus Sanctus Iob cap. 43.* Qui quasi de industria recesserunt, &c. *Sed quando aliquis præoccupatur tentationibus, & inducitur ad peccandum, facilius debet ei venia concedi. & ideo dixit Apostolus:* Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto. Præoccupatus, *id est, improuidenter, & ex surreptione lapsus. Sunt alij, qui ex consuetudine peccant, secundum illud,* Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit, &c. *& contra tales seueriùs agendum est. Quandoquidem, cùm reprehendendum est in spiritu lenitatis, dixit Apostolus:* Si præoccupatus fuerit in aliquo delicto, in aliquo, *inquit, quasi non vsu quotidiano peccans.* Ita S. Thomas.

Vnde S. Ioannes Baptista seuerè reprehendebat Pharisæos, & Sadducæos, qui magni fuerant peccatores, dicens: *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Imò Christus Dominus acriter arguebat ob eandem causam Pharisæos, vocans eos generationem malam, & adulteram, & sepulchra dealbata, &c. lege caput 23. Matth. & Marc. 12. & Luc. 20. Sic olim Propheta Isai. *Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei populus Gomorrhæ, &c.* Sic princi-

principes populi Dei, sic populum ipsum reprehendebat Isaias, sic alij Prophetæ, &c.

Denique, si tuct dictum est, ad modum medici, vel chirurgi se habere debet reprehendens: nam chirurgus, v. g. blanda manu blanda vulnera tangere ac curare solet; illa verò quæ grauia, & periculosa sunt, acriori curatione sanat, scindit carnem, & ignis adhibet cauterium. Sic medicus spiritualis pro qualitate vulnerum qualitatem applicet curationis, sicut Christus Dominus, qui templum ingrediens, eiecit è templo ementes, & vendentes, & mensas nummulariorum euertit, flagello quodam illos percutiens; his verò qui columbas vendebant, dixit: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* mitiùs cum his agit, quia mitiori egebant reprehensione.

Cæterùm cùm homines amore potiùs, quàm timore ducantur, à lenitate incipienda est correctio: & sicut pharmacopolæ pilulas amaras saccharo, vel alia re dulci, & suaui contegere solent, vt faciliùs ab infirmo sumantur, sic cùm correctio velut amara pilula sit, dulcedine verborum, & prudentiâ modi tegenda est, vt à peccatore, qui infirmus est, traijci possit, & in commodum eius conuerti.

Vnde S. Augustinus super cap. 6. ad Gal. hanc meritò in correctionibus regulam præscribit, *Nunquam*, inquit, *alieni peccati obiurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum interius interrogationibus examinantes nostram conscientiam liquidò nobis coram Deo respondeamus, dilectione nos moueri.* Ita ille. Ita, *quia charitas patiens est, benigna est, & non æmulatur*, nisi quando ad maiorem gloriam Dei indignatione opus est.

Et S. Basilius eadem ratione in regulis suis, reg. 51. ait, quòd sicut medici non contra infirmos, sed contra infirmitatem militant, nec aduersùs infirmos indignantur; sic nos contra peccatores non debemus indignari, sed contra ipsas iniquitates, quæ infirmitates animæ sunt.

Sanctus Chrysostomus in cap. 1. ad Gal. *Etenim tunc placidè alloqui subditos, quando opus est acrimoniâ, non superioris, sed corruptoris potiùs fuerit, & hostis.* Ita ille. Quam sententiam exemplo aptissimo sic confirmat Christus Dominus, cùm multa placide ac mansuetè locutus discipulis suis esset, austeriorem adhibuit etiam orationem, nunc quidem illos beatos prædicans, & collaudans, nunc rursus increpans, & obiurgans: vnde cùm Petro dixisset, *Beatus es Simon Barjona*, promisisset quæ futurum vt Ecclesiæ fundamenta super illius iaceret professionem, haud multò pòst dicit eidem: *Vade post me Satana, scandalum es mihi.* & alibi rursus ad discipulos, *adhuc & vos sine intellectu estis?*

Sic à Magistro suo edoctus Paulus, ad Galatas scripsit: *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati? ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus.* Non vides acrimoniam Pauli? nouerat quidem ille suauissimis verbis suo tempore vti, vt constat ex c. 4. eiusdem epistolæ, vbi sic ad eosdem: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, &c.* mutabat vocem, & stilum prout illis expedire iudicabat, sed tamen, cùm opus erat, simul cum olei suauitate vim, acrimoniam, & efficaciam adhibebat. Sic igitur nos oportet proximos, & maximè subditos ita suauiter tractare, vt, cùm fuerit opus, acriter in eos inuehamur.

A curarunt vt membrum debile. Omnia fecere, omnia sustinuere, vt ad salutem quæcumque reducerent, intacti piscatoris cum piscem vllum immensum hamo tactu expertus, vbi fluctibus miscere, & magna vi concuti sentiunt, non cum ad littus trahunt cum molestia, sed calidè funem remittunt, sinuntque moliter enatare, quo volnerit. At vbi corripuerint remissam iram, & feruorem, sensim illum vt capiunt vehere, sicque capto potiuntur. Ita viri sancti cum patrem charitate fratrem trahunt, neque illum calcibus appetunt, odio infectantur, sed veluti mater, quæ defunctum filium perit, non eum spernit, quia deformis est, sed materno amore neuolentia, & mansuetudine ornatum reddit, & quidquid tum nouerit, facit. Sic ille peccatorem semper sustinuerunt, tuentur, protegunt, vt tandem eum reuocent, & reneque alius ab eo ladatur, ipsi verò magis in Christi proficiant. Ita sanè fecit Hamon sanctissimus, cum ad eum nissent fratres irâ & furore pleni, quòd mulierem eo collocanachi deprehendissent. Quantum enim mansuetudine & ritatis anima illa sancta præ se tulit! nam vbi eorum lierem sub doliolo latere, statim super illud sedit, tanquam fratres per cellam vnuersam quærere: qui cum nihil inuenissent, dixit ad eos: parcat vobis Deus, illa sq. pene confusus, præsertim tosque ne facilè crederent aduersùs proximum, dimisit. Ita trem autem illum ad tempus correxit, erexitque: illa cum explosis omnibus, solius manum tenens, curam tui habe, frater, dixit, qui statim oratione compunctus est, & benignitate clementia patris sanatus. Et nos igitur in nobis foueamus humanitatem, & mansuetudinem erga proximum. Fugiamus a detractione, iudicio, & contemptu proximorum, muneris opem feramus. Vulneratus enim quis pedem vel manum, quodius aliud membrorum, vt illud non abominatur, ab scissum projicit, aut si pus fœtid. sinum emittit, sed tiùs abluit, purgat, medicinam adhibet, obligat, consolatur, benedicit, supplicat, adhibet preces & supplicationes sanitatem virorum, & quæcumque tandem facit, quæ ad salutem corpquendam pertinent.

Item his non dissimilia habet S. Ambrosius.

Plus proficit amica correptio, quàm accusatio turbulenta, illa timorem incutit, hæc indignationem mouet. Seruetur potiùs, quod prodi metuat, qui monetur. bonum quippe est, vt amicum magis te qui corripitur, credat, quàm inimicus. Facilius enim acquiescitur consiliis, quam inimicæ succumbitur. Vnde & Apostolus, Corripite, inquit, fratrem, vt erubescat, non vt eum inimicum existimetis. Infirmus enim custos diuturnitatis est timor. Pudor autem bonus magister officij: qui enim metuit, reprimitur, non emendatur; quem pudet, facere, in naturam vertit.

B

C

D

Prop. XI. *Euitanda in correctione acrimonia, adhibenda mansuetudo, & comitas.*

S. Dorotheus. Doctri. 6.

Et verbis id asseruit, & exemplo docuit S. Dorotheus; cuius hæc sunt verba.

» *Qui autem hominum sic odere peccata, vt sancti? neque tamen peccantes odio habuere, non contempsere, non allusere, non auertemur se ab eis; sed compatientes admonuere, hortati sunt,*

Prop. XII. *Correctionis acerbitas, non ex eo, qui corripit, sed ex eo, qui corrigendi occasionem dedit, prouenit.*

Nostisne Philosophiam fulminum, & tonitruum, & fulgurum? docent hæc Philosophi in suis Meteorologicis. Aiunt autem, quòd ex terra exhalationes quædam ad nubes vsque ascendunt, & intra ipsa viscera nubium penetrant; nubes autem huiusmodi exhalatione affecta, vim eius interiùs pati non valens, rumpitur, & in illa nubis incisione tria concurrunt, primum tonitru vehemens, secundum lumen fulguris, tertium fulgur egrediens, & acriter feriens. vnde si nubes huiusmodi iacula ferientia in terram mittit, terra ipsa in causa est: quia est quæ materiam illàm exhalationis administrauit. Nubes in diuina Scriptura concionatores, & Dei ministros, & Prælatos significare solent, sicut Isa. 60. *Qui sunt hi, qui vt nubes volant?* id est, verbi Dei ministri, & prædicatores, vti ait S. Gregor. 17. Moral. 12. Hi ergo sunt, qui aliquando coruscant fulgurantes doctrinæ claritate, & luce: ideo enim eis dictum est: *Vos estis lux mundi.* Secundò aliquando tonant tonitruis minarum, dum pœnas peccantibus paratas à Deo, annunciant: aliquando fulmine vehe-

Isa. 60. Greg.

Matt. 16. 17.

Ibid. 23.

Gal. 4. 19.

Cap. 3. 1.

Matt. 5. 14.

vehementis reprehensionis feriunt, & percutiunt audientium corda. sed hoc non ex ipsis, sed ex peccantibus initium habet: peccans enim suis moribus corruptis exhalationes emittit, quæ viscera, & pectora seruorum Dei, & ministrorum eius penetrant: vnde non mirum, quòd illa ferre non valentes, in iacula & fulmina conuersa remittant, & retorqueant in ipsos peccatores. Vnde qui concionatores volunt non ita fulgura immittere, volunt quidem nubes, non esse nubes: sibi imputent, de seipsis conquerantur, & dicant: Ego feci, ego feram quod promerui, teneo quod tenere promerui.

Vnde Ezech. 1. quatuor illa animalia, quæ notum est concionatores significare, aspectum habebant, quasi carbonum ignis ardentium: ignis duo habet, lucet, & comburit; sic ministri Christi & Prælati, & lucere debent docendo, & vrere increpando, quia doctrina multùm ad correctionem peccantium conducit. Sunt tamen nonnulli peccatores adeò pertinaces, vt acribus etiam increpationibus non corrigantur. *Argue*, inquit Paulus, *obsecra*. Quòd si hoc non profuerit, *increpa*.

Vnde Habacuc. 3. *In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Sagitta vocatur verbum Dei in sacris literis, vti obseruauit idem S. Gregor. 7. Moral. 2. dicens, *Sagittarum nomine, aliquando prædicationis verba designantur, quia in eo, quòd vita feriunt, malè vicentium corda transfigunt. De his sagittis venienti redemptori dicitur: Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.* Ita S. Gregor. Ait ergo Habac. In luce sagittarum tuarú ibunt, vbi manifestè constat de veritatis sagittis eú loqui: reliquæ enim materiales sagittæ feriunt, sed non ita lucent; verba igitur Dei sagittæ lucentes sunt, quia lucent per doctrinam, feriunt verò per increpationes. Ait ergo Habacuc: In luce sagittarú tuarum ibunt prædicatores Euangelici, & auditores eorum, ibunt, pergent, in cœlestem patriam: nam lucent huiusmodi sagittæ illuminantes animas nostras, vt videamus, quò, & quà nobis pergendum sit, & quatenus sagittæ sunt, vulnerent oportet eos, quibus lux sola non est satis. Vellent quidem multi peccatores ab his sagittis cuspides euellere, & reddere eas sagittas paruulorum, sagittas palearum, quæ transfigere corda non possint. Attende verbum illud, *ibunt*; hi scilicet, qui prudenter ferunt ictus sagittarum, correptiones, inquam, ministrorum Dei, concionatorum, confessariorum, superiorum, & proximorum quorumcumque. Hi, inquam, qui prudenter huiusmodi reprehensiones accipiunt, ibunt, quò ibunt? vel quomodo ibunt? Dauid in terminis respondebit: *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion*, hoc est, ibunt semper de bono in melius, ibunt in perfectione seipsos semper excedendo. Quid hoc sublimius? & ibunt, in gloriam sempiternam. Quid fœlicius? ibunt, rectè non expositum terminum, quò ibunt: quia indicibile est, nec casu, qui prudenter ferunt ictus hos, dixi; quia prudens non attendit, quid delectet, sed quid prosit ad vitam æternam. Si medicus infirmo affirmet mortem eú euadere non posse, nisi ignis cauterium, aut incisionem pedis patiatur, prudens quidem, vt mortem effugiat, quæ totius corporis malum est, in manus se medici commendabit, vt quæ ad vitam viderit expedire, faciat. Sic qui prudens est quamcumque increpationem & curationem medici spiritualis admittet, ne vitam amittat æternam. Melius est sic correptum saluari, quàm palpatum damnari. Hoc dixerim pro his, qui confessarios fugiunt, qui vitia reprehendant, & similiter concionatores, & eos solùm quærunt, qui delectent, &c.

PROP. XIII. *Sæpe spiritu vehementi corrigere peccantes debemus.*

DVplici specie se nobis Spiritus sanctus insinuauit, in specie columbæ, & in specie ignis. vti patet: per columbam quidem se insinuauit, cùm super Christum Dominũ descenderet; per ignem, cùm super Apostolos descendit in die Pentecostes. Cur ita? S. Augustin. *Sunt qui dicuntur simplices, sicut columbæ, & pigri sunt, vocantur simplices; sunt autem segnes. Non talis erat Stephanus plenus Spiritu sancto. Simplex erat, quia nemini nocebat, seruens erat, quia impios arguebat: dicebat enim Iudæis:* Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis. *Magnus impetus, sed columba sine felle sæuit: nam qui sic modo fremens & seruens spiritu, tamquam in inimicos impetum faceret, & tamquam violentus in verbis igneis, atque ita flammantibus, vt audiſtis, & videretur Stephanus eos statim velle consumi, venientibus in se lapidibus ex manibus eorum, genu flexo ait:* Domine ne statuas illis hoc peccatum. *imbæret enim vnitati columbæ: ergo ne spiritu sanctificati dolum habeant, in columba demonstratum est, & ne simplicitas frigida remaneat, in igne demonstratum est.* Ita S. Augustin. Debet ergo qui fraternaliter corrigit, & in spiritu lenitatis, & in spiritu vehementi simul præstare: nam manſuetudo sine efficacia segnities est; efficacia verò sine manſuetudine temeritas est. Ideò ergo Spiritus sanctus, cuius charitate fraterna correctio adhibetur, in columba & igne voluit apparere. Vnde rectè concludens ibi Sanct. Augustinus: *Estote simplices, ita vt sitis prudentes, & seruentes, feruor vester in linguis sit (sicut ignis in die Pentecostes) nolite tacere, ardentibus linguis loquentes accendite frigidos.* Ita S. Augustin.

Ioan 1. & Actor 2.

Tract 9. in Ioan.

Actor. 7. 51.

Act. 7. 59.

Dices, quid ad me, si alter sponte labitur in peccatum? ego de peccatis meis rationem reddam, ille verò de suis: ego igitur mei curam geram, ille verò sui. Audi qui sic ratiocinaris. Quæsiuit Dominus à Cain: *Vbi est Abel frater tuus?* cui Cain? *Nescio: numquid custos fratris mei sum ego?* itáne placet tibi responsum? hoc etenim Deo non placuit: nam *vnicuique mandauit Deus de proximo suo*: vtique custos fratris tui tu es, sicut & ille tui: vbi autem maximâ tuâ eget curâ, est quando peccat, hoc extremum omnium malorum est, hæc damnatio sempiterna, hîc præcipuè misericordia & charitas locum habent, hîc ope tua ille maximè eget. Non id nouit ille; ita est, quia mente nunc captus est, nosce autem postea. Sed non quid ille mente conturbatus sentiat attendas, sed quid illi maximè opus sit: num quia infirmus delirat, & morbi sui grauitatem ignorat, & medicinam renuit, medicus manum contrahere debet, & à beneficio curationis abstinere? absit: non enim medicus attendit, quid sentiat vel quid velit ægrotus; sed quibus ille ad vitam ac salutem recuperandam eget; sic tu qui medicum fratris spiritualem agis, non attendas, quid ille de se tunc sentiat, qui sensu caret, nec quid ille velit, sed quid opus illi sit.

Gen 4. 9.

Timeo, inquis, nihil me correctione profuturum: fortè proficies, & hoc sufficit vt libenti animo illi opem feras: nam & Deus, sæpè, cùm se nihil correctione sua profuturum norit, à correctione non cessat: quod in Iuda proditore constat. Sciebat tandem se à Iuda prodendum, sciebat illum se laqueo suspensurum, nihilominus nullum non lapidem mouit, vt eum à pessimo proposito reuocaret: pedes ideò eius lauit, ideo speciatim ei buccellam illam dedit intinctam, monuit, & væ illi, comminatus fuit. Nihil quidem profuit, sed inde nunc argumentum ego sumo: si Deus, qui præsciuit, nihil se tunc profuturum, emendare tamen non desiuit; quid prætendet, qui futura ignorat, si abstinet à correctione? Quòd si tandem nihil efficeris, facies

tamen id quod officij tui erat, iam non de te, sed de se in Dei iudicio conqueretur.

Dicito quæso, si corporis tui pars aliqua dolet, & infirmatur, quid agis? Sanare illam, inquies, curabo: nostine te certò illam sanaturum? minimè: sed nihilominus, quod in me fuerit, præstabo, ne sit quo me accusare postea possim, me prætermisisse quod fortè proficere potuisset. Ergo ne corporalia membra tua in hunc modum curare procuras, Christi verò membra fic negligis curare?

Deut. 22. 1. Nostine, quid Dominus in lege sua præceperit? Audi: *Non*, inquit, *videbis ouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo, etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nôsti eum: duces in domum tuam & erunt apud te, quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat. Similiter facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit: si inueneris eam, ne negligas, quasi alienam.* Et subdit: *Si videris asinam fratru tui cecidisse in via, non despicias, sed subleuabis eum eo.* Ita Deus ipse. Si ergo iumentum fratris cadens sic subleuare debes, quantò magis ipsum fratrem in peccatum cadentem, cuius casus adeo grauis & miserandus est? Quòd si tu curam fratris negligis, cui eius cura erit? numquid dæmoni tentanti, impellenti, præcipitanti? Dices, Parocho, Episcopo vel tali superiori, aut consanguineo hæc cura potiùs incumbit. Sit ita: si tamen hi castigationem hanc prætermittant, tu pariter prætermittere debes? si illi propter id in damnationem incidunt, numquid & tu cum illis pariter vis incidere?

Rursum dices, si fratrem correxero, inimicitias contraham cum eo, odio me prosequetur: at in prouerbium abiit, amaberis frustra, sed ne odio habearis frustra: cur igitur ego frustra odium fratris conciliabo mihi, & quidem cùm calumniari fratrem, aut maledicere lubet? Ita nobis dicendum erat: Caue ne frustra odio habearis, sed tamen cùm correctione opus est, non frustra hæc adhibetur: teneris enim ad illam. Quare si odio te ille habuerit, væ illi, non tibi: nam ille ob id pœnas dabit; te autem Deus tantò magis amabit, quantò ille te odio prosequetur, & maius proterea præmium dabit; imò & ipse frater, qui modò in te odium ostendit, intus amabit, & dicet: Hic, qui me tali animaduersione petit, quodnam sibi lucrum parit à me? de meo peccato dolet, meam desiderat sanitatem, &c.

Prop. XIV. *An correctio sit semper secretò facienda.*

Matt. 18. Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Ita Christus: sed aliud videtur dicere Paulus 1. ad Timoth. 5. 20. *Peccantes coram hominibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* S. Augustf. serm. 16. de verbis secundùm Matth. *Scriptura sacra in nulla parte discordat: vtrumque ergo verum est; sed discernere debemus, aliquando illud, & aliquando aliud faciendum est, aliquando corripiendus est frater inter te & ipsum solum, aliquando verò coram omnibus, vt & cæteri timorem habeant. Ea igitur corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus, ipsa verò corripienda sunt secretiùs quæ peccantur secretò: distribuite tempora, & concordat Scriptura.* Ita S. Augustf.

1. ad Tim. 5. 20.

Prop. XV. *Quanti momenti sit correctio.*

Gen. 15. Gemelli fratres fuerunt Esau & Iacob, & natiuitatis tempore, quamuis priùs nasceretur Esau, Iacob plantam eius tenens, ortus fuit: nec sine mysterio hoc factum, & narratum nobis est. Plantam alterius tenet; qui gressus eius detinet, &, cùm Esau malus fuerit, Iacob verò bonus, manifestè significatum est, quòd boni fratrum suorum plantas & gressus continere, & cohibere debent, ne in peccata, & per peccata in infernum ruant.

Vnde Apostol. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, contemplantes ne quis desit gratiæ Dei*: quasi dicat, non satis est vobis sanctitatem amplecti, sed oportet vt etiam fratrum curam agatis, ne desint gratiæ Dei, hoc est, ne in peccato sint, & ne gratiam deserant. Quòd si peccauerint, vestrum est eos corrigere, & ad viam reducere veritatis, & gratiæ diuinæ *contemplantes*, inquit, hoc est, seriò & magna cum animaduersione considerantes, quomodo fratres vestros sic ad Deum reducatis. Vbi Sanctus Chrysostomus: *Tanquam*, inquit, *magnam aliquam viam, tu magno comitatu simul conficientes, videte, inquit, ne quis remanseat. Non hoc solùm quæro, vt vos quoque adueniatis, sed vt alios quoque consideretis, ne quis desit gratiæ Dei. Ne mihi dixeris: Vnus est qui perit; cum & propter vnum mortuus fit Christus, & tu eius, propter quem mortuus est Christus, curam non geris? Contemplantes, inquit, hoc est, exactè scrutantes, considerantes, & discentes.* Ita S. Chrysostomus.

Quod ipsemet Apostolus egregiè præstabat, dicens: *Spectaculum facti sumus mundo, & c.* S. Hieronymus adscr. Iouin. sic legit: Theatrum facti sumus mundo, hoc est, varias induimus formas, & omnes in vniuersum agimus personas, omnibus nos accommodantes, & metientes, ne aut excedamus, aut, deficiamus. Ideo, modò hortulani personam accipiens, ait: *Ego plantaui, Apollo rigauit.* Deinde architecti: vnde ait: *Secundùm gratiam, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui.* Rursus se matri comparat, dicens: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* Alibi se nutricem exhibet, dicens: *Facti sumus in medio vestri, tanquam si nutrix foueat filios suos.* Postea se militem exhibet: *Sic pugno, non quasi aerem, verberans.* Et iterum se luctatorem facit, dicens: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem.* Sic *omnibus*, inquit, *omnia factus sum vt omnes lucrifaciam*, quod ex vera charitate promanare docet S. Chrysostomus hom 33. in 1. ad Corinth. dicens: *Magnus doctor est charitas, & satis idoneus qui & tollat errores, & formet mores.* Ita ille.

Hæc quidem cura quamuis superiorum propria sit, ad omnes etiam spectat, maximè ad iustos. Vnde S. Augustinus, exponens verba illa Christi Domini, *Tolle grabatum tuum, & ambula. Cum*, inquit, *languidus esses, putabat te proximus tuus; sanus factus es, porta tu proximum tuum, porta eum cum quo ambulas, vt ad eum perueniat, quocum manere desideras.* Ita ille.

Prop. XVI. *Quomodo peccet qui fratrem non corrigit.*

S. Ambr. S. Anct. Ambrof. serm. 6. *Quisquis fratrem peccantem nō arguit, quodammodo hortatur vt peccet.* Ita S. Ambr. Sicut enim cùm quis hominem vitiosum ad peccandum allicit, facilè ille inde maiorem ansam ad peccandum sumit; sic etiam peccator ad peccandum procliuis, cùm se videt à nullo corripi, occasionem, & maiorem licentiam ad peccandum assumit.

ADDITIO.

S. Paulus epistola 1. Timoth. 5. PEccati huius grauitatem exaggerat in Heli S. Proclus, cuius scripta referuntur Tom. 5. Bibliothecæ SS. Patrum.

Heli ille ætate fatigatus, & in Silo pertinentia ad legem sacrificans, ipse quidem non operabatur, quæ pueri audebant, cooperabatur verò illis, postquam non prohibebat peccantes; quoniam secundum veram rationem, non prohibere flagitia, agenti cognatum est. Et paulò pòst. *Propter quod pariter illatum est supplicium, & eis, qui impia fecerunt, & eis, qui non prohibuit. Patri enim ad virtutem nocuit socordia, filij autem perniciem intulit inemendatio: & senex in iuuenum impe-*

tempestate naufragium passus est, pro quibus affectum non gubernaut increpatione. A

PROP. XVII. *Correctio fraterna magni meriti est.*

S Chrysost. to. 5. Oratione aduersùs Iudæos, agens cõtra cos, qui subuentionem corporis, & animæ proximi alijs remittunt, sic ait: *Imitare Samaritanum illum, qui in Euangelio tantam erga vulneratum præstitit solicitudinem. Etenim illic præterijt Leuita, præterijt Pharisæus, & neuter deflexit ad tacentem, sed inclementer, & crudeliter relicto seminece abierunt. Samaritanus autem quispiam, qui nulla ex parte illi coniunctus erat, non præcurrit, sed accurrens misertus est, instillauit oleum, & vinum, imposuit asino, duxit ad diuersorium, pecuniam partim dedit præsentem, partim pollicitus est pro eius qui nihil ad ipsum pertinebat curatione. Nec dixit apud se, quæ mihi cura est huius? ego Samaritanus sum, nihil mihi cum illo, procul absumus à ciuitate, & ille proficisci non potest. Quid autem si ferre non posit vię longitudinem, mortuum afferens capiendus sum ob eadem, obnoxius ero homicidio. Verùm humanus ille ac mitis nihil horum metuit, sed in diuersorium perduxit, & pecunias impendit. Quòd si Samaritanus adeò fuit humanus erga hominem ignotum, quam nos habituri veniam sumus, si proprios fratres ueglexerimus in grauioribus malis? Quòd si aly neglexerunt, tu ne ita facias. Ne dixeris apud temetipsum, homo sum mundanus & vxoratus, ista Sacerdotum, vel Monachorum sunt: neque enim Samaritanus ille dicebat: vbi nunc Sacerdotes? vbi nunc Pharisæi? vbi Doctores Iudæorum? sed quasi venatum quempiam maximum nactus esset, ita lucrum arripuit. Et tu igitur cùm videris aliquem egentem curatione, vel corporis, vel animæ, ne dicas apud temetipsum. Quare illi, vel illi non curauerunt? sed tu eum libera à necessitate illa, ne petas ab alijs causas negligentiæ. Si inuenires aurum iacens, non diceres apud temetipsum, quare ille, & ille hoc non sustulerunt? sed festinans ante alios acciperes. Idem & de fratribus lapsis cogita, & existima thesaurum te reperisse; nimirum occasionem illa medendi: si sanaueris, ille te ditiorem faciet thesauro quo-*

5.19. nis. Qui enim eduxerit pretiosum ex indignitate, tanquam os meum erit, *ait Dominus. Quid huic poterit æquiparari? facies vt sit os tuum, sicut os Dei, quid huic simile honori?* Ita S. Chrysost.

Quia non solùm correctionis fratris, sed omnium bonorum quæ ex conuersione sequuntur, & consequuntur, causa est secundùm commune philosophorum proloquium, quod est causa causati. Genes. 4. dixit Dominus ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Originale Hebræum sic habet, vox sanguinum. Eránt ne plures sanguines in corpore Abel, vt in plurali sanguines emisisse dici possit? Liranus sic respondet: *Dicunt Hebræi quòd dicitur sanguinum in plurali, eò quòd Cain interficiendo fratrem suum fuit reus sanguinis non solùm ipsius Abel, sed etiam omnium, quos genuisset, si vixisset.* Ita ille. Eodem pacto dicendum est de illo qui alium conuertit: non enim solùm est causa conuersionis eius, sed etiam omnium meritorum, quæ per omnia bona opera consequitur is qui sic conuersus est. D

PROP. XVIII. *Quàm honorificum sit correctionem suscipere animo grato.*

P Rouerbio. 25. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem.* Per inaurem auream intelligit Interlinearis ipsum qui sapienter reprehendit: sed Glossa moralis ipsam reprehensionem gratè acceptam: *Sicut*, inquit, *illa ornamenta sunt gratiora corporaliter, ita correctio facta sapienti.* Ita Glossa, & etiam Iansenius. Et quidem experimento constat: vsque hodie enim laudatur Dauid, quia cùm Rex esset illustrissimus, reprehensus à Nathan non in illum insiliit, neque indignationem aliquam prætulit, vt Reges aliqui faciunt: sed æquo animo eam ferens, pro culpa sua & Deum exorauit, & pœnitentiam egit. Huic quidem inauris aurea, & margaritum pretiosum fuit reprehensio; nimirum sapiens erat. Ideo enim ibi ait Sapiens, *qui arguit sapientem*: insipiens enim homo correctus indignatur. Nónne stultum & mente iudicares infirmum, qui manum chirurgo non det, volenti eum curare à vulnere lethali?

S. Hieron. epist. 4. de nonnullis vitijs acturus, præmisit: *Scio me offensurum esse quamplurimos, qui generalem de vitijs disputationem in suam referunt contumeliam; sed dum mihi irascuntur, suam iudicant conscientiam, & peiùs de se iudicant, quàm de me: ego enim neminem nominabo. prudentis est dissimulare, imò emendare, quod in se intelligit, & indignari sibi, non mihi.* Ita ille. *Hieron.*

PROP. XIX. *Cum gratiarum actione recipienda est correctio.*

P Lures quidem sunt qui ægrè ferunt correctionem; pauci verò qui æquo animo reprehendentem audiunt; imò & iniquum eum & reprehensione dignum iudicant, qui eos ita reprehendit. nunquid iniqua est lux quæ sordes sterquilinij detegit; si tu sterquilinium factus es, iniustus erit is qui correctione fraterna sordes morum tuorum detegit? iniquúmne est speculum quod deformitatem vultus tui repræsentat? quid autem aliud est ille qui deformitatem culpæ tuæ detegit, nisi speculum in quo deformitatem tuam vides? Etenim si deformis mulier in speculo aliquo deformitatem videns posset illi remedium adhibere, gratissimum illi esset speculum, quod remedij occasio illi fuit. Deformitas morum remedium habet, & ad huiusmodi remedium plurimùm confert fraterna correctio: in eo enim relucet, velut in speculo, id quod turpe in homine est. Amandus ergo, & non odio prosequendus est is qui carpit. Denique, iniquúmne dices medicum, qui ægrotum visitans, infirmitatis malitiam propalat? minimè quidem: hoc enim in bonum infirmi facit, vt scilicet infirmitate cognita, & perspecta, remedium aptum prouideatur. Infirmus infirmitate animæ est peccator, & peccatum mortale infirmitas ad mortem æternam est: infirmitatem hanc in lucem profert is qui reprehendit, & ad hoc talis correctio ordinatur, vt peccator respiscat, & pœniteat, & pœnitendo à morte liberetur æterna, nunquid beneficium hoc gratiarum actione dignum non est? B C

Dolet, inquies, correctio, & tristitiam animo inducit; bene & medicinæ pharmacum, potiones, quas medici adhibent, amaritudines, & nauseam secum ferunt, nunquid ideo medicinas huiusmodi abhorrebis? Odiosus est solis splendor ægris oculis, num ideo malus splendor solis? Molesta est admonitio talis, sed tamen salubris, & animæ valdè vtilis; impatienter ergo illam ferens damnandus est, non verò ipsa.

Sanct. Chrysost. *Qui arguitur, non ægrè ferat: medicina enim, & non inimicitiæ res est. si enim medicos, cùm vrunt, nemo in ius vocat, licèt sæpenumero aberrent, quin vsti sectique in tantis etiam doloribus beneficos illos in se esse putant; quantò magis æquo animo perferre oportet castigationem? castigant ergo sic velut medico intentum esse decet.* Ita ille. *Hom 4. in 1. ad Cor.*

Prætera, qui peccat, hoc sibi persuadeat, se mente obcæcatum esse: omnis enim peccans est ignorans, non sibi fidere debet, qui peccat: affectus enim peccati mentem excæcat, quamuis qui peccat sapiens & sapientissimus sit. Dauid nónne sapientissimus erat? nimirum ipse dixit: *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Sed vbi peruersis oculis Vriæ vxorem vidit, ibi, quod fœuiente mari nauigantes patiuntur, & ipse passus fuit: de illis ipse: *Turbati sunt, sicut ebrius: & omnis sapientia eorum deuorata est.* Sic Dauidis sapientia in naufragio illo adulterij omnino deuorata est. Alio igitur *Psal. 50. 8.* *Psal. 106. 27.*

2. Reg 12. 1 aliquo opus illi erat, qui ad mentem illum reuocaret, quod & postea ipse cognouit, & fassus est: *Iniquitates*
Ps 37. 5. *meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grauæ grauatæ sunt super me. Corrupta sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.* Ecce cognouit tandem, sc, cùm peccato teneretur, insipientem fuisse, qui aliàs sapientissimus erat: *ergo qui peccat,* vti ait S. Chrysost. *mentem non habet: ebrius enim est, & tenebris obcæcatus.*

Vbi supra Matt. 12. 39. Sic Christus Dominus ad Pharisæos quosdam peccatores, & malitiosè quærentes signum è cœlo ab ipso: *Generatio mala & adultera signum quærit.* Inter ea, quæ de Christo Domino Prophetæ prædixerunt, ingens eius mansuetudo fuit, de qua prophetauit Zacharias Prophetа: quem sic refert S. Matthæus: *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.* Prophetauit etiam de illa
Cap. 9. 9. Cap. 21 5. Propheta Dauid, cùm de felici progressu regni Christi
Ps. 44. 5. Domini loqueretur, dicens: *Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.* Denique tantam futuram esse mansuetudinem Christi
Cap. 42. 3. prænouit Propheta Isaias, vt diceret: *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* id est (ait Chrysostomus super hunc locum) *cùm ipse Dominus tam potens esset, vt tamquam arundinem, & eam quidem contritam, posset conterere omnes Iudæos, & sicut lignum fumigans tam pene consumptum igne, posset eos consumere; non extinguet tamen illos præ immensa humilitate ac mansuetudine sua.* Ita Chrysost.

Cùm ergo tanta esset mansuetudo Christi Domini, cur adeò seuerum, & in verbis asperum & acrem se
Matt 12. 39. ostendit, cùm dixit: *Generatio mala & adultera?* acerbitate plena sunt verba hæc, & à mansuetudine videntur aliena. Causa igitur fuit, quòd officium prædicatoris, quod Christus exercebat, ita Pharisæos illos reprehendere postulabat. Ad concionatorem enim spectat, iam suauiter, iam asperè se gerere, ad modum illius optimi Samaritani, qui oleum & vinum simul vulneribus sauciati hominis adhibuit. Oleum suaue est, at vinum pungit, & mordet. Sic etiam chirurgi vulnera curant: aliquando enim applicant medicamina lenitiua, aliquando verò acerba, & acria, aliquando balsamo vtuntur, aliquando carnis exustione, prout infirmitas ipsa requirit. Idipsum in animarum curatione præstandum est; aliquando suauitate, aliquando asperitate verborum vtendum est. Sic Paulus in ea instructione, quam
2 Ad Timoth 4. 2. tradit suo Timotheo, docet. *Testificor* (inquit) *coram Deo & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & per aduentum ipsius & regnum eius.* quasi dicat: Adiuro te per Deum viuum, & Iesum Christum filium eius, &c. Quid sibi vult Apostolus Paulus hac verborum grauitate & maiestate? Haud res parui momenti esse potest, quæ huiusmodi verborum celsitudine commendatur. *Prædica* (inquit) *verbum, insta opportunè, importunè argue, obsecra, increpa, &c.* argue, rationibus & optimis argumentis: obsecra, verbis mansuetis, & lenibus. Sed non solùm hoc, adhibe etiam, cùm opus fuerit, verba, quæ acerbitatem præseferant: increpa feras arundinis, nemini parcas, licet Rex Herodes fuerit, dicito illi: Non licet tibi, &c.

Sic Dominus vult peccatores & maximè rebelles
Cap 14. & 17. curari: vnde in Leuitico præcipiebat, in expiatione leprosi, sacerdoti, vt assumeret de sanguine hostiæ, quæ pro ipso leproso immolabatur, & poneret eum super auriculam dexteræ leprosi: & similiter oleo intingeret auriculam eandem. Quid sibi vult ritus huiusmodi? Quid ad expiationem lepræ per totum corpus dispersæ impositio ista sanguinis & olei super auriculam conducebat? lepræ morbus in pectore & scapulis est; & vnctio fit in auricula? Ratio huius est, quia in Scriptura sacra leprosus peccatorem designat. Visitatissimum enim est in sacris literis per lepram peccatum intelligi; peccatoris autem curatio ab auricula debet inchoari. Nam minister Christi & Ecclesiasticus sacerdos, verbis eum mundare debet: sed qualia debent esse verba? oleum & sanguis. Aliquando enim oleatis, vt ita dicam, sermonibus peccatorem mulcere debet; aliquando verò sanguinolentis verbis aures eius ita percutere, vt ipsæ sanguine madefactæ remanere videantur. Vnde vehementer inuehitur Deus in Prophetas illos, qui tantummodo oleum adhibebant, *Curabant* (inquit per Ieremiam) *contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax pax, & non erat pax.* Vbi S. Hieronymus ait: *Hoc proprie de Sacerdotibus & Doctoribus intelligendum est, qui diuitibus, & eis, quos vident in honore maximo constitutos, repromittunt, & clementem prædicant Deum, magis illos supplicio diuino & iracundiæ præparantes.* Ita S. Hieronym. Væ tamen huiusmodi Dei ministris. *Væ qui consuunt pulluillos,* ait Dominus per Ezech. *sub omni cubitu manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas.* Quid est puluilloshos consuere? Theodoretus sic interpretatur: *Hic per translationem molliores ac mitiores innuit sermones: ceruicalia enim & puluinaria requiem afferunt membris, & molliora verba, cum falsa sint, ad tempus aures titillant, sed euerfionem animi adferunt.* Hæc ille. Væ igitur his qui tales puluillos ponunt sub cubitu manus. Vult aliquis super scamnum dormire, sed scamni duritie impediente quiescere nequit, apponitur illi sub cubitu & sub capite puluinar, & tunc quietè dormit. Videas aliquem scrupulis stimulari, nec quiescere posse præ morsibus conscientiæ: adest confessarius, ne dicam adulator, qui, vt ceius beneuolentiam captet, in suum damnum, Pax, inquit, pax, scrupulus est, & tentatio inimici, cùm conscientia iustè stimulatur. Væ huiusmodi ministris, cùm ante tribunal Christi venerint: hi enim sunt, qui animas euertunt, & malorum inuentores sunt, væ illis.

Sed ne omnem culpam in ministros animarum reijciamus, peccatores ipsi tales quærunt ministros: non enim sanguinem, sed oleum quærunt, confessarium eligũt qui omnia excuset, nec interroget occulta peccata; & circumstantias eorum, nec ad restitutionem pecuniarum, honoris, vel famæ obliget, neque à peccatorum occasionibus eos abstinere præcipiat. Prædicatores etiam audiunt, sed eos qui aures pruriant, nec sanguinea verba concionentur: similes quidem illis, quorum *Cap 30.* meminit Isaias, dicens: *Filij mendaces, & filij nolentes audire* 10. *legem Dei. Qui dicunt videntibus: Nolite videre, & aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* O miseri & insensati, quis vos fascinauit, & tantùm suasit à veritate recedere, vt errores vobis annunciare petatis? Si quis errorem prædicaret, eum insectari debuissetis, & tamen nunc cõsultò errores quæritis? Animaduertite, qua ea, in quantam cæcitatem deuenire solent iniquitatum amatores.

Hinc prouenit, nullo modo huiusmodi cæcos tolerare posse reprehensiones peccatorum suorum, & quamuis zelo salutis eorum Dei minister eos corripiat, illum veluti inimicum respiciunt. Sicut respexit Eliam Rex Achab: reprehendebat regem Achab Elias, & respondit Achab: *Num inuenisti me inimicum tibi?* inimi- 3 Reg 21. cum vocat sanctissimum virum, qui zelo illo suo ar- 20. dentissimo illum corripiebat. Eiusmodi quippe oculis peccatores obdurati corripientes intuentur.

Imò sæpe non in hac sola æstimatione sinistra iniquorum cæcitas sistit, sed vltrà progreditur, & tamquam in veræ inimicos, manus contra ministros Dei extendunt. In exemplum huius sit nobis Herodes, quem cùm argueret beatus Ioannes, desiderio salutis eius motus è zelo diuino; ipsum tamen & in vinculis constrinxit, & capite truncauit, hac solùm ratione ductus, quia dixerat illi Ioannes: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* non valuit sanguinis guttulam auricula Matth. 14. 4. Herodis sustinere. Oleum volebat, non sanguinem, neque vinum, nec potuit eum excusare sinistra de Ioanne existimatio: *nam Herodes* (ait Marcus Euangelista) *metuebat* Ibid 20.

metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum, & sanctum, & custod. ebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum aud. ebat. Tria dicuntur hîc. Primum, talem ac tantam opinionem concepisse Herodem de Ioanne propter eius eximiam sanctitatem, vt & Ioannem reuereretur, & timeret, quamuis ipse Herodes rex esset; Ioannes verò priuatus quidam homo, & abiectus exteriùs appareret. Secundum, quòd libenter audiebat rex Ioannem. Tertium, quòd non solùm audiebat, verùm etiam opere exequebatur, quæ Ioannes facienda esse docebat. Dicebat (verbi gratiâ) Ioannes: In quadam huius ciuitatis domo alearum lusus publicè exercetur, non licèt regi huiusmodi lusum tolerare: quia non solùm in eo pessimè consumitur tempus, & vita, verùm etiam res familiares insumuntur iniquè, & iuramenta & periuria commiscentur, & peccata multa committuntur. Tunc Herodes ludis finem imponere præcipiebat. Iterum dicebat Ioannes: In illa ciuitatis parte meretrix quædam est, scandalum animarum, & iuuenum perditio existens. Tollatur de medio, dicebat rex, quia Ioanni ita videtur. In carcere (aiebat Ioannes) plurimi detinentur ministrorum iniuriâ, qui numquam negotia eorum absoluere procurant, & hac ratione pauperes in carceribus fame pereunt, remedium adhibe, ô Rex: quia non licet tibi tamdiu dissimulare. Placet, dicebat Herodes, vt Ioannis verbo pareamus: quia sanctus est. At vbi Ioannes dixit illi: Non licèt tibi habere vxorem fratris tui, id non valuit æquo animo ferre, iam non vt sanctum, sed vt inimicum intuebatur Ioannem. Mittatur (inquit) Ioannes in carcerem, & capite plectatur. defuit regi patientia ad illam correptionem ferendam, & non defuit illi temeraria quædam audacia ad eum iniustissimè occidendum.

Non de Herode tantùm hoc facinus enarratur, sed de pluribus etiam: vt ipsimet in libro Sapientiæ confitentur, dicentes: *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & infamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Circumueniamus eum*, id est, persequamur, non quomodocumque, sed dolosè. Non pudet vos hoc verbis proferre? Non fateatur in corde fraudem & iniquitatem confusione plenam celare? sed quis est ille, quem persequi vultis? *Iustum* (inquiunt) *circumueniamus*. Si ergo iustus est, venerandus, non persequendus est: persecutio enim iniustos respicit, non iustos; cur iustum infectamini? *quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata* nostra: non aiunt, quia sic exigunt peccata illius, quia dignus est, aut quia iniustè arguit nos. Ecce nolunt peccatores argui, licèt reprehensionem & supplicia mereantur. Denique *morte turpissima* (dicunt) *condemnemus eum*. O cœcitas execranda! ô crudelitas inaudita! iustum & circumuenire & morte turpissima occidere volunt, quia facinora illorum reprehendebat. En quomodo peccatores correctiones ferunt. Ideo Isaiam secuerunt, & Ezechielem occiderunt, & Ieremiam in lacum miserunt, & Zachariam lapidibus obruerunt, & multos alios Prophetas persecuti sunt. Denique ideo ipsum Dei filium, Prophetarum Dominum, vsque ad mortem sunt persecuti: iam illum Samaritanum appellabant, iam ipsum dæmonium habere affirmabant, iam seductorem & veneficum nuncupabant, quem tandem crucifixerunt. Sic reprehensiones ferunt, quas non solùm æquo animo tolerare, sed beneuolo & grato recipere debuissent.

Sed iam huius peruersitatis causam inquiramus: si enim peccatorum obiurgatio flagitiosis hominibus vtilis & proficua est, sicut medicinarum applicatio ægrotis; cur ita gratias referunt? cur, quæso, sæpe infirmi grauissimo & periculosissimo affecti morbo, in medicum se conuertunt, & manum, quam in fauorem extendit, mordent & lædunt? Quid de huiusmodi infirmo dicere licet, nisi phrenesi magna ipsum laborare, & morbi malitiam cerebrum eius occupare? vnde sensu ac iudicio orbatus, quem diligere & amplecti medicum debuerat, insequitur & mordet. Causam quæstionis reddidimus, capitis est defectus: peccatorum quippe vis & virtus cerebrum occupans, iudicij munus aufert; & ea, quæ hominis mente capti sunt, illos efficere cogit. Si enim iudicio pollerent, facilè iudicarent amore dignum esse qui peccata eorum arguit? hoc enim modo à peccato eos liberare procurat. Quod quidem omnium beneficiorum præstantissimum est: hac enim de causa Deus in terras descendit, & homo factus, quæcumque fecit, & passus est, ideo fecit, & toleravit.

Reddit causam Christus, cùm de Pharisæorum scandalo discipuli ad eum verba facerent: *Sinite*, inquit, *illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* non loquitur Dominus hîc de corporis cœcitate, sed animæ. Ac si diceret, non recipiunt verba, nec correptiones admittunt, sed inde potiùs scandalizantur, quia mente sunt obcœcati, & sensu orbati: ambitionis enim & inuidiæ & aliorũ scelerum vis iudicium eorum inuasit: vnde non mirum, si inde scandalum sumant, vnde salutem recuperare deberent, & in me sum medicum fœuiant, qui me amore prosequi deberent. *Matt 15. 14.*

Væ autem his, qui tali phrenesi laborant: non audis, quid ibi Dominus dixit? *Sinite* (inquit) *illos*, Quid est, *sinite illos?* cogitare Christum sicut peritissimum quemdam medicum inter discipulos & sectatores suos, qui alicuius infirmi periculosa ægritudine perspecta, dicit: Insuarabilis est infirmitas hæc. Quamobrem cùm huiusmodi infirmos videritis, sinite illos, de illorum salute desperate, ne oleum & operam in eorum curatione perdatis. Sic ergo modò Christus Dominus, inter discipulos suos constitutus, illos edocebat, quid erga infirmos homines agendum esset: baptizate, inquit, credentes, absoluite pœnitentes, corripite peccantes, &c. Visa verò Pharisæorum immedicabili (moraliter loquendo) infirmitate, & cæcitate eorum dicit: Eorum desperanda est salus, *sinite illos.* tremendum, *sinite illos*, tamquam iam in æternum damnatos. Nam quæ salus speratur, cùm infirmus medicinis plus infirmatur? reprehensio & obiurgatio, admonitio & exhortatio, medicinæ aptissimæ sunt, & tamquam præclara remedia cœlesti protomedico sunt ordinata. Si ergo his peiores fiunt peccatores, vnde supererit salutis spes?

Hinc beatus Paulus ad Titum de hominc hæretico scribens, ait: *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est. Deuita* (inquit) ac si diceret, fine illum. attende quomodo & Christus, & Apostolus hunc hominem incorrigibilem sinunt, & deuitant: quo fit vt grestius suis properet ad inferna. *Cap 3. 10.*

Et, vt meliùs constet, quàm vniuersalis sit huiusmodi incorrigibilium hominum desperatio, audi, quid de Angelis referat Ieremias. *Curauimus Babylonem* (dicunt Angeli) *& non est sanata: derelinquamus eam, & eamus. Babylon curatur*, ait Gregor. *nec tamen ad sanitatem redducitur, quando mens in prauæ actionc verba correctionis audit, flagella correptionis percipit, & tamen ad rectæ salutis itinera redire contemnit.* Hæc ille. Animaduerte, quæso, & homines, & Angelos, & Deum ipsum derelinquere, & desere re peccatores, qui correptionibus non acquiescunt. Caue igitur tibi frater: si enim fueris ex numero incorrigibilium, eris ex numero derelictorum & damnatorum: cum amore & gratiarum actione attentas aures correptoribus exhibe. Amore quippe recipiendum est, quod amore donatur. Amor corripientem mouet vt te corripiat: quid enim commodi reportat, qui corripit alium? quin potiùs laborem ingentem indc capit. *Væ* (inquit Ierem.) *mihi, mater mea, vt quid genuisti me, virum rixæ? &c.* illi ergo labor, tibi commo- *Cap. 15. 10.*

dum est correctio hæc. Age Deo gratias, qui ad te, A sicut ad Dauidem, dilectum Prophetam misit, fac tu sicut Dauid, dicito: *Peccaui*, & transferet Dominus peccatum tuum, parcet, & in æternam requiem te deducet. Amen.

Lib. de virt. profect.

Plutarchus, Diogenes (inquit) adolescenti cuidam, qui in caupona cùm conspiceretur, refugit in interiora cauponæ, *Quantò*, inquit, *fugis interius, tantò magis eris intra cauponam.* Ita ille. Sic nimirum, quantò quis magis sua celat, excusat, & defendit peccata, tantò magis in illis erit.

Prop. XX. *Qualis vnusquisque est, taliter recipit correctionem.*

LIcèt fraterna correctio fraternæ charitatis opus sit, non omnes qui corripiuntur, eodem pacto correctionem recipiunt, sed pro vniusciuiusque qualitate, ac conditione, hic quidem bene, ac fructuosè, ille verò malè. Etenim pluuia æqualiter cadit super vniuersam faciem terræ, sed non æqualiter fructum capiunt plantæ, seu herbæ: nam bona arbor, seu bona herba, bonam B & vtilem virtutem inde haurit nobis; mala verò, & virulenta, virus inde producit in malum nostrum. differentia verò ista non prouenit ex pluuia, cùm vna ipsa, & bona & frugifera sit, sed ex diuersa plantarum natura: omne enim quod recipitur, recipitur ad modum recipientis. sic igitur correctio secundùm se, bona, & vtilis, & fructifera est, sed malus, & pessimus peccator virus depromit inde, impatientiam scilicet, & indignationem, odium & inimicitias. Qui verò talis non est, grato animo excipit correctionem, & conuersionem, & pœnitentiam, & gratiarum actionem inde refert. Potest etiam exemplum simile à lumine solis deduci: lumen enim solis ceram quidem liquefacit, & emollit; lutum verò indurat & premit: lux quidem est fraterna correctio, quæ lutum abominabile immundi peccatoris magis obdurat, siue, vt melius dicam, ipse peccator eâ magis induratur: qui ve- C rò cereum habet cor, & facile ab bonum, licèt id durum exteriùs esse videatur, ad huius lucis præsentiam mollescit, & liquefit, pœnitentiæ lacrymas fundit, &c.

Exemplum constat in Dauide, & Herode: vterque erat peccator, vterque deliquit, vterque incidit in adulterium, vterque correptus à Propheta Dei fuit, ille à Nathan, hic à Ioanne Baptista: sed non vterque vitam in melius ideo commutauit: Dauid enim statim, vt Prophetam corripientem audiuit, dixit: *Peccaui Domino,*

2 Reg. 12. 13.

quæ verba ita ex vera, & legitima pœnitentia promanarunt, vt audierit statim ab eodem Propheta: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, nimirum, quia ille erat de quo dixerat Dominus *Inueni Dauid virum secundùm cor meum.* Vnde optimè dicere potuit: cor meum sicut cera liquefactum est. sed Herodes, cùm audiret dicentem

Marc. 6. 18.

Baptistam: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, velut D immundissimum lutum, durior redditus fuit; ita vt non solùm non ideo pœniteret, verùm ob id capite damnauerit Sanctum illum quo inter natos mulierum nullus surrexerat maior: erat enim herba virulenta, erat densum lutum, &c.

Dicam ergo de huiusmodi corde quod de homine ingrato Seneca dixit, ingratum scilicet hominem esse velut mare, quod cùm dulcem recipiat aquam, eam in amarissimam conuertit. Idipsum de illo, qui animo ingrato recepit correctionem, dicendum est: ex dulcedine quippe charitatis procedit correctio fraterna: ideo enim dicitur fraterna, quia ex dulcedine amoris fraterni promanat; lutosum verò ac marinum cor, in amaritudinem impatientiæ eam conuertit, &c.

Prop. XXI. *Quàm agrè ferant homines correctiones.*

CElebrata est multis sententia quædam Sultani, seu Regis Persæ, ad quem cùm proiectus fuisset religiosus quidam vir, eo animo vt martyrio à Rege illo afficeretur, cúique corâ iam stans, interrogatus esset à Rege, cur ad eum veniisset? Ego, inquit, huc ad te ueni, vt veritatem tibi prædicans, martyrio cruciatuque moriar pro veritate tuenda. Cui Sultanus; Vade, inquit, ad tuos, & prædica illis veritatem, & mortem, quam apud me quæris, apud illos inuenies: Barbarus quidem ille erat, sed adeò id verũ est, vt non solùm apud Barbaros infideles, sed etiam apud fideles Christianos vitæ discrimen incurrat, qui veritatem mundanis horrit ausus prædicare.

Non apud infideles, sed apud Israelitas fideles S. Ioannes prædicabat, & cùm veritate quadam regis animum pulsaret, dicens: Non licèt tibi habere vxorem fratris tui, in carcerem eum tradidit, & tandem capite plecti iussit rex Herodes, Herodes, inquam, ille, de quo Euangelista Marcus ait, *Herodes metuebat Ioannem, sciens esse virum iustum, & sanctum, & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Quem locum sic illustrat sapiens quidam interpres. Metuebat hoc est, reuerebatur, & colebat, non metuebat formidine inita, sed voluntariâ obseruantiâ, sciens illum esse virum sanctum, & custodiebat, conseruabat, & tuebatur. Iergo cui adeò gratus erat Ioannes, capite eum truncauit, quia veritatem non gratam prædicauit. Nónne videmus quàm vera fuerit sententia Sultani? Idem etiam vir ficari potest in Christo Domino, in concione illa, in cuius initio omnes testimonium illi dabant, postea verò cùm verum illis diceret, eorum peccata reprehendẽs, præcipitare eum voluerunt, & tandem Iudæi illum crucifixerunt, causam habes Sap. 2. *Improperat nobis peccata legis*, &c.

Cap. 6. Fr. Lud. Lan.

Luc. 4.

Sap. 2.

Prop. XXII. *Quàm difficile sit corrigere & emendare superiores, & viros primarios.*

SEneca lib. 6. de Benef. cap. 30. *Monstrabo tibi cuius stulti rei inopiâ laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus, desit. Scilicet ille qui verum dicat, & hominem inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à consentiencium, falsorum. Adulandi certamen est, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quomodo blandè fallant.* Ita Seneca.

Baltasar rege conuiuium celebrante, & sancta vasa templi Ierosolymitani profanante, *apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ.* Notum est, quid sibi voluerit manus hæc, reprehendere voluit regem ob sacrilegium illud profanationis sacrorum vasorum, & aliorum peccatorum regis, *Con aquella mano le quisò Dios dar vna mácha al Rey que le hizo temblar.* & quidem ita res habuit, timuit tunc adeò rex, vt dicat sacer textus: *Tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur.* Mira regis formido: sed cur non Deus eum per Prophetam aliquem increpauit? aderat ibi Daniel Propheta magnus, & quem omnes venerabantur, cur non misit illum Deus vt reprehenderet regem; siquidem hoc Prophetarum munus erat? quis nisi Dei manus corrigere valet? non timent reges concionatores, sed potiùs (quod nimiùm lugendum est) concionatores timent reges: nam si voluerint hi reges arguere, & increpare, aduersùs eos, veluti aduersùs inimicos, insurgunt,

Dan. 5.

Vulne-

Vulnera inflicta cani ab ipsomet cane lingua lingente curantur; at vulnus inflictum capiti canis periculosum est, quia linguâ suâ non potest ipse lingere caput suum. Canes in Scriptura sacra concionatores & confessarios & Dei ministros significare solent, secundùm id, vbi Deus inuehitur contra malos Prophetas, dicens: *Canes muti non valentes latrare; &c.* hi linguâ suâ vulnera curant peccatorum, sed tamen vulnera capitum, Principum scilicet & superiorum non solent attingere, vel propter ipsorum ministrorum Dei imbecillitatem, vel propter ipsorum Principum potentiam, & insolentiam: vnde incorrepti moriuntur. Væ illis!

A

Prop. XXIII. *Non recipere correctionem reprobationis indicium est.*

PLutarch. lib. de profectu morum. *Animaduertendum,* inquit, *est quo pacto in morbis communibus, vt in dentium, aut digitorum dolore, confestim medicus quæritur,* B *cum tamen grauioribus malis impliciti, veluti phrenetici, atra bilis, & insaniâ affecti, ob morbi vehementiam, quam minimè sentiunt, non recipiunt medicum, sed aut explodunt, aut fugiunt. In eum modum quicumque peccant, & monitoribus vitia corrigentibus fuis asperiores, hi profectò malo laborant non admittente curationē, è contrà verò omnes æquo ferentes animo reprehensionem, bonam spem exhibent meliorisi cuiusdam habitudinis. qui enim ingenium sese offert corripientibus, peccatum fatetur, malum profert, non passus latere nec ignorari; is specimen præstat progressus non contemnendi in philosophia. nam quisquis ad bonam frugem ex corruptis moribus peruenire desiderat, opus habet (authore Diogene) diligenti amico, vel acri inimico, vt peccatum vitet, aut correptus, aut certè humaniter, & blandè curatus.* Ita ille.

CVLTVS DEI.

C

Prop. I. *Cultus Dei inter omnes virtutes morales primum obtinet locum.*
2. *Cultus Dei magna cum reuerentia adhibendus est.*
3. *Quæ requirat Cultus Diuinus.*

Prop. I. *Cultus Dei inter omnes virtutes morales primum obtinet locum.*

SAnctus Thom. 2. 2. quæst. 81. art. 6. *Ea* (inquit) *quæ sunt ad finem sortiuntur suam bonitatem ex ordine in finem, & ideo quantò sunt finis propinquiora, tantò sunt meliora: virtutes autem morales sunt circa ea, quæ ordinantur in Deum, sicut in finem. Religionis autem virtus magis de propinquo accedit ad Deum, quam aliæ virtutes morales, in quantum operatur ea, quæ directè, & immediatè ordinantur in honorem diuinum, & ideò religio præeminet inter alias virtutes morales.* Ita S. Thom. Cùm igitur cultus diuinus sit ipsa religionis virtus, nulla virtus moralis illi superior est, & D quidem id etiam constat ex hoc, quòd diuinus cultus in diuinam gloriam tendit directè; vt ait idem Sanctus Doctor ibi in solutione ad secundum. Vnde sæpe cultus, qui secundùm se nullius videtur esse momenti, Deo gratissimus est, vt patet in sacrificio illo Noë Genes. 8. Qui de pecoribus & volucribus obtulit Deo holocausta super quoddam altare; & ait Scriptura sacra, *Odoratus est Dominus odorem suauitatis, & ait: Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines.* Quid in huius sacrificio placere potuit Deo, vbi nihil aliud ascendere videbatur, nisi fumus, & nidor carnium crematarum, ex quo ingratus odor procedere solet, & tamen ait: *Odoratus est Dominus odorem suauitatis?* nimirum quia non caro combusta, sed cultus diuinus ascendebat in odorem suauitatis Deo; gratissimus igitur est Deo cultus diuinus.

Prop. II. *Cultus Dei magna cum reuerentia adhibendus est.*

EXactissimam diuini cultus obseruationem apud Israelitas habemus, & in primis nomen illud ineffabile Dei, Tetragrammaton, in tanta apud eos erat veneratione, vt nemo illud vel nominare auderet, quantumuis Leuita, & de generatione sacerdotali esset, sed solus summus Pontifex in Tiara sua Pontificali conscriptum deferebat, vti patet Exod. 28. Sacrilegium enim reputabant, carnis ore illud assumere, & proferre, non solùm iurando, verùm & laudando, & glorificando. Quid ad hoc Christiani, qui ferè vnoquoque verbo iurantes, & sæpe etiam periurantes assumunt?

Præterea panes propositionis eò quòd Deo dicati essent, vti obseruauit Lira. Exod. 25. in vase quodam aureo subigere oportebat, & in furno aureo decoquere, & tandem super auream mensam offerebantur Deo. *Lira.*

Præterea in Sancta sanctorum nemo ingredi poterat, neque audebat, nisi summus Pontifex, & ille quidem non semper, sed semel tantum in anno, & tunc quidem tot tantisque cæremonijs, & vestibus sacerdotalibus à Deo ipso institutis, vt in admirationem raperet omnes, hoc patet Leuit. 16. & ad Heb. 9.

Quid de veneratione Arcæ testamenti dicam? vide Num. 4. auro quidem optimo exteriùs, interiusque vestiebatur, & nemo ad eam tangendam accedere audebat. Vnde quia Oza 2. Reg. 6. tetigit eam, & quidem religionis prætextu, ne scilicet à bobus (qui eam per viam deducebant) calcitrantibus in terram deueniret, subita ibi morte punitus à Deo fuit ob temeritatem ausus; quid de tactu loquor? vide 1. Reg. 6. vbi sic similiter percussit Dominus de viris Bethsamitis, eò quòd vidissent arcam Domini, quinquaginta millia plebis, luxitque populus, eò quòd Dominus percussisset plebem plaga magnâ, erat enim prohibitum illis Deut. 4. ne nudam arcam Domini intuerentur, ob reuerentiam scilicet, & mysterium. Quòd si adeo fuit ob solam illam insp ectionem iratus Dominus Deus, quantò amplius irasceturin eos, qui diuinam Eucharistiam in peccato mortali sumunt? quid enim Arca vbi manna illud continebatur, nisi vmbra diuini Sacramenti Eucharistiæ fuit? Væ ori indignè sumenti, væ pectori indignè recipienti, væ homini indignè accedenti, iudicium sibi manducat, & bibit, reus erit corporis & sanguinis Dei, quo minus quidem id quod passi fuerunt Oza & Bethsamitæ, &c. væ denique his qui diuinum violant cultum. *2. Reg. 6.* *1. Reg. 6. 19.*

Prop. III. *Quæ requirat cultus diuinus.*

QVamuis paupertas nostra grata sit, in nobis quidem ac rebus nostris Deo placita est: at in eius obsequio pretiosa quæque secundùm possibilitatem nostram adhibere oportet. Cuius rei rationem optimè reddit S. Thom. 12. quæst. 102. art. 4 dicens: *Totus exterior cultus Dei, ad hoc præcipuè ordinatur, vt homines Deum in reuerentia habeant; habet autem hoc humanus affectus, vt ea quæ communia sunt & non distincta ab aliis, minùs reuereatur; ea verò quæ habent aliquam excellentiæ discretionem ab aliis, magis admiretur, & reuereatur. Et inde etiam hominum consuetudo moleuit, vt Reges & Principes, (quos oportet in reuerentia à subditis haberi) pretiosioribus vestibus ornentur, & ampliores, & pulchriores habitationes possideant. & propter hoc oportuit vt aliqua specialia templa & speciale tabernaculum, specialia vasa, & speciales ministri ad Dei cultum ordinarentur, vt per hoc animi hominum ad maiorem Dei reuerentiam adducerentur.* Ita S. Thomas. *S. Thom.*

CVRIO-

CVRIOSITAS.

Prop. I *Quàm detestanda sit curiositas eorum, qui vitam & vitia aliorum scrutantur.*
2. *Aliorum defectus indagare non debemus.*
3. *Curiositas erga temporalia quàm noxia sit.*

Prop. I. *Quàm detestanda sit curiositas eorum, qui vitam & vitia aliorum scrutantur.*

Matt. 15. 2. Sic ad Dominum Pharisæi: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum: non enim lauant manus, cum panem manducant.* Quare ij in re adeò leui, qualis erat, manus posì vnumquemque cibum non lauare, acres & rigidi se censores ostendunt, cùm & ipsi multa eademque grauia peccata quibus tenebantur, pro nihilo ducerent, superbiæ nempe, inuidiæ, & auaritiæ, quæ publicè omnibus in aperto erant, de quibus à Christo reprehensi arguebantur, vt perspicitur etiam in eo crimine, quod illis Christus Dominus hodierna die obijcit. Docebant enim Scribæ & Pharisæi filiorum bona non esse parentibus (etiam valdè indigentibus) tribuenda, dummodo omnia ad templum deferrentur, sed inter Pharisæos distribuenda, cùm hoc apertè quarto decalogi præcepto aduersaretur.

Hoc certè perditissimorum hominum proprium est, qui in suis defectibus, & culpis cognoscendis maximè cæcutiunt, omnia sua bona esse iudicantes. Quòd si aliqua culpâ digna repereris, ijdem fucato candore illa celare niuntur, multarum etiam excusationum rationes afferunt, ita vt culpâ digni nusquam reperiantur; in aliorum verò rebus penitandis lynceis vtuntur oculis, & in omnibus aliquid reprehensione dignum inueniunt. Sunt quidem rigidissimi proximorum censores, sui verò acerrimi defensores. Si alij pretioso cultu ornentur, superbiæ & arrogantiæ vertunt; si verò ipsi exquisitissimè induantur, ornatus & decoris gratiâ id se efficere aiunt: ille si cibum sumat, notam imponunt, ipsi verò si lautè, & gloriosè viuant, necessitatem opponent: si ille parcus & frugi vixerit, auarum esse dicunt; si verò ipsi pecunijs omnino pepercerint, prudenter se fecisse laudabunt: si ille multa verba locutus fuerit, loquacitatem accusant; si verò ipsi nulla habita ratione verba vbique effutiant, vrbanitatem id nominant: ille si reticet, ignorantem vocant; ipsi si tacent, prudentiam suam extollent. Aliena denique crimina stipulæ licet similia sint, montium magnitudinem superare testantur, sua verò delicta montibus licèt maiora, minutulæ sibi festucæ videntur.

His similis existebat Dauid eo tempore quo oculorum sibi acies in illo lasciuo Bethsabeæ conspectu perstricta esset, cui vnicâ allegoriâ, seu parabolâ Nathan peccatum patratum significauit, referens damnum, quod ditissimus quidam egeno homini intulit, cùm ab
2. Reg. 12. 5. illo ouem iniustè ademit. Tunc Dauid ait: *Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc, ouem reddet in quadruplum, eò quòd fecerit verbum istud, & non pepercit.* Cui Nathan: *Tu es vir ille.* Aduertite ergo quàm rigidum, & seuerum se Dauid tunc ostenderit, aduersus eum qui ouem illam surripuisse dicebatur, reatum mortis incurrisse iudicans; ipse verò Vriæ vxorem arripuerat, & insuper quo pacto ille in bello desertus à suis occumberet, ordinauerat, idque pro nihilo ducebat, nec de eo pœnitentiam adhuc egerat: si Dauid inuasit vitium hoc, quis securum se dicet?

Neque dissimilis erat alter ille hypocrita, de quo
Matth. 7. 2. Christus dixerat: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dices fratri tuo, sine ejiciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo. hypocrita ejice primò trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Ait ergo Christus Dominus: Pensate, quæso, rem adeo absurdam: cùm transuersam in oculis trabé habeat, eandem minimè sentiat; festucam verò vel minimam alieno in oculo videat, & quàm solicitus sit vt alter festucam ejiciat, ipse verò trabem ab oculo suo expellere negligit. Quod (vt clariùs loquamur) nihil aliud significat, quàm nonnullos homines esse qui proximorum vel leuissima & minutula peccata scrutantur, ipsi verò grauissima scelera atque flagitia sua pro nihilo ducunt. Culpat igitur impius fœnerator & exagitat, quòd fructus ab insistitore carò vendantur, ipse tamen ab exercendis vsuris, & turpibus lucris adeundis non cessit. Nec minùs adulter alium qui per feneſtrã prospectauerit, criminatur; at verò adulteria quæ ipse perpetrauit, non exagitat. Simoniacus etiam quod capellanus aliquis, seu canonicus vestem linteam non rectè corpori adaptet, vitio tribuit, ipse cùm beneficium simoniacè prauiitate detineat, non attendit. Loquax denique, atque detractor, si quid vulgò leuitate circumfertur, carpit, nec ipsum magnum putat quod omnibus vbique detrahit secretò, eorumque famam lædit. His ergo, & alijs similibus festuca in alieno oculo displicet, in suis verò nec trabem quidem intuentur.

Animaduerte ô frater, Deum omnino tuam charitatem desiderare, qui proximum fratrem nominat, & ideo dicit: Tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. Fratris (inquit) quia amantissimis fratris oculis te proximum respicere vult, te verò in respectum rigidum & acerrimum censorem exigit. Quamobrem tanquam impurum, & spurcum animal, à quo abstinerent, herinaceum habere in lege iusserat: id enim significat Chœrogryllus, vt ait ibi Theodoretus quæst. 11. Lev. 11. Hoc animal vltro citroque spinis hirsutũ extat, eaque est ipsius natura, vt si attingere illud velis, in modum orbis glomeretur, atque si circumquaque ipsum impetas, grauiter pungaris. Ipse herinaceus sibi mollis, & suauis est, cæteris verò crudelis & pungens: illi enim qui huiusmodi bestiolam referunt, alijs asperi, & duri, sibi verò suaues & mites sunt: vnde ibi à Deo improbantur. Non ergo vult Deus te huiusmodi esse, sed contrà mitem erga proximum, tibi vero rigidum, & acrem: cùmque alium alicuius culpæ notam subijsse, grandis licèt sit, conspexeris, excuses quoquo modo poteris, & æqui bonique consulas: ac verò cùm in aliquam vel leuissimam culpam tu incideris, te ipsum accuses, & carpas.

Hinc est quòd cùm Christo allata esset adultera, inclinans se deorsum, digito scribebat in terra: cùm ergo perseuerarent Pharisæi interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, & iterum se inclinans scribebat in terra.* Mira certè diuinæ clementiæ ponderatio, quæ in primis se nobis offert, mirabile insuper Christi exemplum, ad ea quæ in præsentia aguntur. hoc est, in vniuersa populi Israelitici republica fama Christi increbuerat, itaque tanta pietate & clementia pollere ferebatur, vt nullum vnquam condemnare vellet, sed omnibus omnino fauere, & amore prosequi. Pharisæi tunc hoc modo sunt argumentati. Hic nempe vir pijssimus est, quocirca si interrogetur quid de hac adultera futurum sit, dicet, ignosci ei debere; tunc nos occasionem nacti, eum iniustitiæ accusare poterimus, eò quòd contra legem Moysi agere videatur, quæ in Leuitico iubet, vt adulterij crimine conuicta lapidibus obruatur. Vnde Ioannes dicit, hoc dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum. (hinc erga proximos, quamuis criminibus obstringantur, manusicti & mites esse discetis, sed nunc ponderate precor quæ ab eo responsa tulerunt. *Qui sine peccato* (inquit) *est vestrum*, &c. quasi diceret, non erubescitis vos pro alijs supplicium petere, cùm vos

Joan. 8.

Leu. 20.

vos criminum mole irretiti teneamini ? Quibus vt A meliùs negotij gerendi modum improbaret, scribebat in terra. Quid scribebat in terra ? Glossa interlinearis, *peccata eorum*, ait, quo nihil aliud intendebat, quam vt ipsis declararet, meliùs omnino futurum fuisse, vt ipsos criminum pœniteret, quàm vt aliena peccata supplicijs vindicarent. Non quidem Christus delicta impunita relinqui iubet : volebat tamen vt qui accusaturi alios essent, à se ipsis vlciscendi, & peccata vindicandi initium ordirentur.

Vt autem scias quàm sint Deo infesti huiusmodi homines, animaduerte, longè asperiùs & duriùs cum illis quàm cum adultera actum esse : illos enim grauiter obiurgauit, adulteræ verò dixit: *Mulier nemo te condemnauit ? qua dixit: nemo, Domine. Et Christus ad illam ; neque ego te condemnabo: vade, & iam noli amplius peccare.* Acriùs igitur, & seueriùs actores quàm ream tractauit. quid ita Domine ? Nunquid non ab adultera grauiores longè pœnæ erant reperendæ quàm ab his quos supra memorauimus? Sed nunquid homini scrutare my- B steria Dei fas est ? Forsan illi peiores multò erant: esto tamen vt minimè peiores essent, abhorret tamen Deus eum qui in proximum oculis, linguâ & manibus crudeliter vti vult, vt se verò à vitiis coerceat, nec manus, nec linguam, nec oculos adhibere cupit.

10. *Pondus, & pondus*, ait Sapiens, *mensura & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum.* Hieronymus sic explicat: *Hoc est, pondus maius, & minus, & mensura maior & minor. Diuersum namque pondus in domo sua, diuersamque habet mensuram, qui aliter videt se in semetipso, aliter metitur in proximo; qui in suis semper actibus, qua laudari, in aliorum verò quæ vituperari possint, rimatur, & ideo huiusmodi hominem iuste abominabitur Dominus, quia nimirum quantò sibimetipsi absque meritis placet, tantò superno inspectori meritò displicebit.* Hæc Hieronymus. Abominabile autem dixit, non iniusum quomodocumque, sed abominabile, id est, supra modum iniusum. C

Hinc orta fuit alia notissima condemnatio Pharisæi, qui, cùm seipsum iusto plus extolleret, cæteros verò arroganter despiceret, dicebat: non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. En hunc qui oculos perspicaces habebat, vt aliena delicta rimaretur, eos non habuit, vt tumidam suam naturam, & superbiam, quæ in corde, & lingua versabatur, animaduerteret. non enim publicanum humilem respiciebat, qui nec cœlum quidem suspicere audebat; peccata verò eiusdem publicani, quæ forsan minora multò quàm ipse putaret, esse poterant, perpendebat, & ieiunia sua aliaque bona opera ostentabat: non verò arrogantiam & vanitatem quâ infectus erat, manifestabat; quid verò de vtroque senserat Deus attendite. Dico, vobis, ait Christus, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Vbique vides huiusmodi censores vitæ alienæ Dominum detestantem, quia proximum diligendum esse docet ; iudicium verò D aliena interpretandi opera, sibi soli relinquit, quod suum, tanquam iudicis maximi, munus est iudicare, & reddere vnicuique secundùm opera sua. Et quidem tibi in illo tribunali non imponetur quod alij peccauerint, sed quod ipse in Deum commiseris. Tua igitur facinora, & scelera contemplare, vt plangas, & corrigas, vitamque in melius commutes, cæteros verò dilige, quâlibet pro eis causam suscipiens. Quod tuum munus est: quia de eorum delictis est in cœlo qui quærat, & iudicet, iudex iustus.

Prop. II. *Aliorum defectus indagare non debemus.*

In Adag. Sua.

Erasmus, *Studium* (inquit) *aliena mala cognoscendi, curiositatis nomen vendicat sibi, atque id hominum genus lamijs simile dicit esse Plutarchus ; quæ domi oculos reconditos habent, & foras egressitias reponunt, atque ita fit, vt domi cæcutiant ; foris verò oculatissimæ sint. Et in huiusmodi præposterè oculatos eleganter torsit Plutarchus illud Sophoclis de senibus dictum*, Procul videns, sed cominus videns nihil: *nam in senibus accidit, vt propius admota non cernant, & longius semota videant:* Ita ille.

Prop. III. *Curiositas erga temporalia quàm noxia sit.*

Eccles. 1. 13.

Ecclesiast. 1. Sic Salomon : *Ego Ecclesiastes fui Rex Israel in Hierusalem, & proposui in animo meo quærere & investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum, vt occuparentur in ea. Dedit*, inquit, id est, permisit. Cur, quæso, inquisitionem hanc pessimam occupationem dicit ? meritò quidem; quia curiositas erat sciendi ea quæ sub sole fiunt, qualis non fuisset cura sciendi & considerandi ea quæ supra solem sunt. quod sic expendit Titel- *Titelm.* mannus in hunc locum : *Verè malam esse talem occupationem monstrat idem Salomon, qui posteaquam sic contemplatus ea fuisset, & disseruisset, ita vt nec hyssopum in pariete intactam reliquerit, maximum Deum creatorem perdidit, sedissimè mulieres alienigenas sequutus, qui vtri is vacasset recogitans mandata Dei.* Ita ille. Quòd si curiositas hæc cognoscendi creata nimium, sic nociua est, qualis erit sciendi impertinentia, quæ in mundo fiunt ? Sed dices, nunquid creaturarum cognitio bona est, dicente Apostolo ad Rom. 1. 20. *inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque gloria eius & diuinitas ?* Cur ergo Salomon damnat studium creaturarum ? Respondet Titelmannus : *Vtile quidem est creaturarum consideratio, si absit superba curiositas & ad Creatoris gloriam dirigatur.* Ita ille.

DECIMÆ.

Prop. 1. *Qui decimas soluere negligit, in bonis temporalibus à Deo punitur solet.*

2. *Quàm grata Deo sit decimarum solutio.*

Prop. I. *Qui decimas soluere negligit, in bonis temporalibus à Deo punirt solet.*

Malach. 3. 8.

Si affiget homo Deum, *quia vos configitis me ? & dixistis: In quo configimus te ? In decimis, & in primitijs :* Verba Dei sunt, & considerationi digna, si affiget homo Deum, *affigere* per metaphoram est idem quod affligere & vehementi afficere dolore : ait ergo Deus Israelitis : Nunquid audebit homo affligere, & dolore afficere Deum suum ? Vos igitur hoc fecistis, afflixistis, seu cofixistis me. Et respondit Dominus in persona eorum : *In quo configimus te ?* in decimis, & in primitijs, hoc est, in eo quòd retinuistis fraudulenter decimas, & primitias, & non exoluistis eas. Et quidem licèt nullum inde inconueniens aliud sequeretur, nisi hoc modo affligere Deum, grauissimum hoc peccatum, & malum iudicandum esset ; verùm quia nimis nostrum attendimus damnum, videquid Dominus addat: ideo penuriâ vos maledicti estis, hoc est, vos mihi decimas denegatis, & ego vobis fructus terræ de-

negabo. *No penſeis ganar bogas, ni aorrar trigo, y cebada, y legumbres con quedar os con los dizmos y premicias, que antes par ay perdereis trigo y cebada y legumbres, y padereis hambre y neceſsidad, porque mandarè a las nubes que no lluebaan, yo harè que la tierra no rinda frutos.* Quid igitur nobis agendum eſt? dicam. *Inferte*, inquit, *omnem decimam in horreum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus: Si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem uſque ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ; nec erit vinea ſterilis in agro, dicit Dominus exercituum, & beatos vos dicent omnes gentes: eritis enim vos terra deſiderabilis, dicit Dominus exercituum.* Hoc eſt, ſi fideliter perſoluerit is decimas, & primitias, ego in recompenſationem huius obſequij, dabo vobis abundantiam earundem frugum, *pagando os en la miſma moneda con mucho lo poco*, & increpabo pro vobis deuorantem, hoc eſt, auertam ab agris veſtris locuſtam, & bruchum, quæ diſperdere ſolent fruges, & beatos vos dicent omnes gentes admiratæ tantam fertilitatem in terra veſtra; & ita eritis vos terra deſiderabilis, hoc eſt, propter hoc aliæ nationes in terra veſtra habitare deſiderabunt, vti exponit Sanctus Hieronymus. Ecce igitur quàm ægrè ferat Deus decimarum, & primitiarum fraudem. Vbi obſerua, quòd tunc populus Iſrael ideo non perſoluebat decimas, vti adnotaucrunt hîc nonnulli, quia tunc grauis quædam fames vrgebat eum, de qua refertur in lib. 2. Eſdræ c. 5. quod non leuis excuſationi eſſe poterat Iſraeli, quòm tamen admittere noluit Deus. quod valde animaduertere hi debent qui propterea decimas occultant, quod pauperes ſe eſſe dicant, pauperiores quidem vos redıet fraus iſta, &c.

Ibid 10.

PROP. II. *Quàm grata Deo ſit decimarum ſolutio.*

DEcimarum lex antiqua nimis eſt, non ſolùm inter fideles, verùm etiam inter infideles, qui iam olim dijs ſuis huiuſmodi decimas perſoluebant. vnde Plautus, *vt decimam*, inquit, *ſoluere Herculi*, &c. in lege autem veteri à Deo noſtro ſtabilita fuit hæc decimarum lex, vt conſtat ex cap. 12. Exodi, & Leuit. 17. & Deut. 12. 14. & 16. imò & in lege naturæ Deo huiuſmodi decimæ offerebantur, vt patet, vbi ſic ad Dominum Iacob: *Si dederis mihi panem ad veſcendum, &c. decimas offeram tibi*, &c.

Gen 28. 20.

Quantùm verò noſtra interſit perſoluere decimas, exponit Sanctus Aug. lib. de doctrina Chriſtiana, vbi, *Si decimam*, inquit, *dederis, non ſolum abundantiam fructuum recipies, ſed etiam ſanitatem animæ, & corporis conſequeris, quia decimas dando terrena, & cæleſtia præmia poteris promereri, vnde qui decimas dare nolunt, res alienas muadunt.* Ita Sanct. Aug. Quod ex ſacris litteris conſtat, *Inferte*, inquit, *omnem decimam in horreum meum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc*, &c. vt retulimus prop. 1. Super quæ verba ſic S. Hier. amplificauit: *Quia*, inquit, *non redd. iſtis mihi decimas, & primitias, idcirco in penuria & fame maledicti eſtis, quia dum parua detrahitis, vbertatem poſſeſſionum veſtrarum, & totam abundantiam frugum perdidiſtis. Sciatis ergo vos abundantiam perdidiſſe, quia fraudaſtis me parte mea. Moneo igitur vt reddatis mihi mea, & ego reſtituam vobis veſtra.* Ita S. Hieron. Vnde, *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* de tua ſubſtantia, verbi gratiâ, decimas perſoluendo, & de primitijs, &c. eadem autem ratio aut ferè, eſt de primitijs, & decimis perſoluendis.

Malach. 3.

Prou. 3. 9.

Hæc exemplo iſto confirmabimus. Legitur in vita Sancti Anſelmi Epiſcopi Cantuar. quòd villicus quidam Sancti Anſelmi fructus collegit autumnales, & decimas, quas pro Anſelmo debebat, retinuit. Cùm igitur ſanctus horrea ſua videret vix ſemiplena, ibidemque dæmonem quendam ſuper triticum ſedentem, quæſiuit à villico, quam ob cauſam tam parum frumenti collegiſſet. Cui villicus: Miror, inquit, & ego, nam vniuerſum triticum hîc repoſui, imò & decimas ipſas, quas non perſolui. Extrahite, inquit ſanctus, omne frumentum, & decimas ſtatim perſoluite. Quod cum factum eſſet, & frumentum in horreum reductum fuiſſet, poſt decimationem ita frumentum creuit vt horreum vix illud capere poſſet. Vide quomodo etiam ad emolumentum bonorum temporalium ſolutio confert decimarum.

Referam & aliud huius rei exemplum. Quidam vir decimas retinere conſueuerat, die quadam Eccleſiam ingreſſus cui fecerat præiudicium, à diabolo arreptus grauiter vexari cœpit. facta igitur inquiſitione de moribus & vita hominis illius, repertum eſt ob decimarum retentionem ſæpe fuiſſe excommunicatum. facta denique decimarum reſtitutione, & abſolutione percepta, illico à diabolo liberatus manſit. Quo manifeſtè omnibus patuit, quàm ſeuerè puniat Deus eos qui decimas ſoluere recuſant.

Quare rectè concludit Sanctus Auguſtinus vbi ſuprà, dicens: *Si non decimaueris, decimaberis, & dabis nupta militi quod noluiſti dare ſacerdoti.* Ita ille. Vereor ne vexationes, quas milites agri cultoribus inferunt, ideò permittantur à Deo, quia nonnulli eorum fideliter non perſoluunt decimas Dei: pœna autem excommunicationis in ſacris Concilijs iniuncta eſt his qui decimas non exhibent, vt conſtat ex Synodo Durienſi ſub Carolo Magno habita anno 779. can. 10. vbi non tantùm excommunicationis pœnâ feriuntur, verùm etiam iubetur vt à miniſtris reipublicæ coerceantur. Et in Synodo Matiſconenſi XI. can. 5. habita anno 587. tale de decimis decretum legimus: *Statuimus, vt decimas Eccleſiaſticas omnis populus inferat, quibus ſacerdotes aut in pauperum vſum, aut in captiuorum redemptionem prorogatis ſuis orationibus pacem populo ac ſalutem impetrent: ſi quis autem contumax ſtatutis noſtris fuerit, à membris Eccleſiæ omni tempore ſeparetur*, Ita ibi.

DELICIÆ.

PROP. I. *Quòd vera delicia in ſolo Deo reperiantur.*

2. *Quantùm præſtent & ſuperent delicia ſpirituales cæteras delicias*

3. *Veræ delicias in victoria deliciarum corporis conſiſtunt.*

4. *Delicia corporales quàm vanæ & in ſuaues ſint.*

5. *Graphica voluptatis deliciis ſuccinctæ tabula.*

6. *Voluptas deliciarum inſatiabilis eſt.*

7. *Delicia voluptatem ipſam expellunt.*

8. *Delicia amaritudinem cordi pariunt.*

9. *Delicia & voluptas ſub ratione neceſſitatis ſe occultant.*

10. *Quàm pernicioſa ſint nobis delicia mundi & animæ & corpori.*

11. *Delicia mentem excæcant & captiuant.*

12. *Delicia impediunt ſyndereſim conſcientiæ.*

13. *Delicia inſpirationibus Dei obſtant.*

14. *Delitiæ impediunt effectum verbi Dei.*

15. *Delicia impediunt factionem illuſtria.*

16. *Delicia & voluptas diuinis obſequijs obſtant.*

17. *Delicia corporales hominum animos eneruant.*

18. *Delicia peccatorum origo ſunt.*

19. *Delicia mundi occaſio damnationis ſunt.*

20. *Quàm ſtultum ſit propter delicias damnari.*

21. *Delicia reprobationis, aduerſitas reprobationis ſignum eſt.*

22 *Quàm difficilem curationem habeant qui ſe deliciis tradunt.*

23. *Quàm pernitioſa delicia ſint reipublicæ.*

24. *Delicia reddunt inutilem hominem, etiam ad negotia temporalia.*

25. *Delicia ipſi corpori nocua ſunt.*

16. Deli-

26. *Delicia ad paupertatem deducunt.*
27. *Quàm inuisi Deo sint qui se delicijs tradunt.*
28. *Christus Dominus ad crucem, non ad delicias nos vocat.*
29 *Delicia dedecent homines.*
30. *Delicia dedecent Christianos.*
31. *Quàm indecens sit peccatores delicijs vacare.*
32. *Effæminatorum est delicijs vacare.*

PROP. I. *Quòd veræ deliciæ in solo Deo repe-riuntur.*

IErem.2. *Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus: duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Vehemens obiurgatio sed iusta, & adeo iusta, vt cœli stuporem super hoc negotio meritò requirat: quid igitur hoc? quærunt homines gaudium, *todos andan en busca del contento, y dizen: contentamiento do estais?* & duo mala hîc homines incurrunt. Primum, quòd, cùm Deus fons viuus gaudij, ac voluptatis sit, ipsum derelinquunt. Secundum, quòd creaturas Deo in hac re anteponentes, in ipsis, gaudium à Deo exigendum, requirunt. Et quidem respondet illis nequitia sua: nam creaturæ quæcumque, *cisternæ dissipatæ* sunt, quæ *continere non valent* gaudia. Desideraut ille Episcopatum, in eo quietem, ac lætitiam sibi promittens; accepit, & initio quidem nescio quas lætitiæ primitias inuenit; at tractu temporis, non gaudium, sed mœrorem offendit, & animæ angustias multas. Idem etiam de alijs mundi bonis dicendum: *cisternæ* sunt, quæ aquas gaudij retinere non valent, &c.

Hujus rei experimentum habes apud regem illum Antiochum, de quo 1.Mach.6. accepit ille regnum, & iucundari cœpit; sed rebus non semper, vt optabat, succedentibus, incidit in languorem præ tristitia (ait sacra historia) & dixit: *In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui iucundus eram, & dilectus in potestate mea: Ecce pereo tristitia magna in terra aliena, & mortuus est rex.* Nônne regnum huiusmodi cisternam dissipatam dices? Idem est de principe Aman, Esther c.3.

Quid igitur nobis agendum? Deum quære, & omnia, quæ vales desiderare, reperies. ipse quippe fons omnium bonorum est, imò omne bonum ipse per essentiam. Si satietatem desideras, ille est satietas ipsa, si lætitiam, est lætitia ipsa, si dulcedinem, est dulcedo ipsa, si diuitias, est thesaurus infinitus, si beatitudinem, est beatitudo ipsa, ipse bona cuncta per essentiam, reliqua per participationem; rtuulos ergo dimitte, fontem quære.

PROP. II. *Quantùm præstent & superent deliciæ spirituales cæteras delicias.*

MEliora sunt vbera tua vino. vinum in sacris litteris pro delicijs mundi accipi solet, vti asserit S. Hieronym. & alij: vbera verò, quæ lac continent, seu potiùs lac in ipsis vberibus contentum, delicias spirituales designat. hoc autem inter vinum & lac distat, quòd vinum, dum sumimus, videmus; lac verò à pueris ab vberibus sumitur absque eo quòd videatur. Sic deliciæ mundi videntur, spirituales verò interjùs percipiuntur absque eo quòd exteriùs percipiantur. Ait ergo anima iusta: *Meliora sunt vbera tua vino*, hoc est, potiora multò sunt gaudia interiora spiritus, quàm exteriora sensus. Primò, quia sicut vinum mentem euertit, sic etiam deliciæ mundi, vti mysticè asseruit idem Sapiens, *Ne intuearis*, ait, *vinum quando flaue fcit, cùm splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in fine mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Quæ quidem aptè voluptatis vino conueniunt: nam voluptas blandè intrat, suauia principia habet, sed postea in peccata ducit, quæ meritò venena dicuntur, & morsus conscientiæ dolore plenos. at lac spiritualium deliciarum non minuit iudicium, sed augèt: quia spiritualis omnia diiudicat & penetrat alta Dei. quod & ipse Salomon, qui deliciarum mundi experientiam multam habuit, expertus est: nam *cùm iam esset senex*, ait Scriptura sacra, *depranatum est cor eius per mulieres, &c.* quot verò delicijs mundi fuerit ipse potitus, vide Ecclesiast. Meliora igitur sunt vbera Dei, quàm vinum mundi, quia vinum, seu deliciæ mundi mentem euertunt; lac verò deliciarum spiritualium mentem acuit, & maiorem Dei notitiam parit. Vnde Dauid: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus, &c.* priùs *gustate*, deinde *videte*, ait; quia sicut Ionathæ dulcis esus mellis, oculos eius aperuit, sic dulcis rerum spiritualium gustus oculos clarificat mentis, &c.

3. Reg. 11. 4.

Cap. 2.

PROP. III. *Veræ deliciæ in victoria deliciarum corporis constituunt.*

GAudio dixi (ait Salomon) *quid frustra deciperis?* hîc dicendum videbatur, *decipis*: gaudium enim vanum mundi frequenter decipit imprudentes; decipi autem ipsum gaudium qui fieri potest? Olympiodorus sic exponit: *Quid frustra deciperis, hoc est, quid me allicis, vt huiusmodi rebus fallacibus gaudeam, circumuagare à me longiùs, & absiste: deciperis enim dum me fallaci gaudio decipi posse censes.* Ita ille. Bene, sed cùm Salomon cum gaudio, quasi cum rationali creatura, loquatur, decipi à se ipsum gaudium ait, quatenus censet ga[illegible]ium hoc in sui possessione verum consistere gaudium, deciperis, inquit, quia tu gaudium vanum es, à quo amaritudo conscientiæ pronanat: ne mihi promittas lætitiam, quam dare non potes. In quo igitur verum gaudium, & veræ deliciæ, veraque voluptas consistunt? Tertull. lib. de spectaculis, cap. 29. *Quæ maior voluptas quàm fastidium ipsius voluptatis!* Ita ille. Consonat Sanctus Cyprianus lib. de pudicitia. *Voluptatem vicisse, voluptas est.* Ita ille. Existimant enim doctores Sacræ Scripturæ, delicias, & voluptates corporeas, inimicas animæ nostræ esse, sicuti reuera sunt: maior enim pars damnatorum in inferno ob delicias cruciatur. Sicut ergo viciſse hostem gaudium, & lætitiam magnam parit; sic voluptates, & delicias vicisse, deliciarum causa est.

Eccl. 2.2.

Vnde S. Augustf. serm. 4. de verb. Apost. vbi nos legimus in Psalm. 118. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes*, legit ipse, *delectationes suas.* Ecce quid sint iniquorum delectationes; fabulationes, seu fabulæ quædam, & aer, qualis est mera fabulatio, delectationes sunt. *Sed non vt lex tua*, & non qualis est delectatio illa, quæ in obseruatione diuinæ legis inuenitur.

Vnde Philo lib. de victimis, notauit, præceptum illud quo Deus præcepit in sacrificijs non esse mel offerendum, Cur, quæso, Deus à suis sacrificijs fauum mellis reiecit, cùm dulcissimus sit? Respondit Philo: *Quia mel, ob dulcorem suum, voluptatis symbolum est; voluptatem autem Deus repudiat, quia peccatorum multorum radix est.*

PROP. IV. *Deliciæ corporales quàm vanæ & insuaues sint.*

STate succincti lumbos vestros in veritate. Quærit S. Chrysost *cur in veritate* dixerit Apostolus lumbos nostros esse cingendos? & respondet: *Illusio enim & vanitas est carnis concupiscentia. Vnde dicit Propheta*: Lumbi mei impleti sunt illusionibus: *res enim hæc non est voluptas, sed vmbra voluptatis.* Accincti ergo lumbos vestros in veritate, *hoc est, vera voluptate, modestia, & honestate: multum enim nobis certamen est per linguam, multum per oculos, multum per concupiscentias, ideo ait: State accincti lumbos*

Ephes. 6. 14.

vestros in veritate. Ita S. Chrys. Veræ igitur deliciæ non A in adimpletione concupiscentiarũ reperiuntur, imò inde remorsus oritur conscientiæ, qui omnem voluptatem, sicut tinea pannum, & vermis lignum, corrodit; sed in virtute reperiuntur solidæ delitiæ; vt in viris sanctis videre licet.

Prop. V. *Graphica voluptatis delicijs succincta tabula.*

S. Ambr. lib. 1. de Cain & Abel. c. 4. mihi p. 928.

Voluptas meretricio procax motu, infracto per delicias incessu, nutantibus oculis, & ludentibus iaculans palpebris retia, quibus pretiosas iuuenum animas capit (oculus enim meretricis laqueus est peccatoris) quemcunque viderit sensim dubio prætereuntem in angulo transitus domus suæ, sermonibus adoritur grassiosis, facens iuuenum volare corda, domi inquietæ, in plateis vagæ, osculis prodigæ, pudore vilis, amictu diues, genas picta. Etenim quia verum decorem naturæ habere non potest, adulterinis fucis affectatæ pulchritudinis lenocinatur speciem, non veritatem. Vitiorum succincta comitatu, ne- B quicquam choro circumfusa, dux criminum talibus verborum machinis murum mentis aggreditur humanæ: Sacrificium pacis est mihi; hodie reddo vota mea; hæc ex causa progressa sum obuiam tibi, desiderans faciem tuam inuenire. Institis texui lectum meum, & tapetis ab AEgypto straui. Aspersi lectum meum croco, domum autem meam cinnamomo: veni fruamur amicitiâ vsque in diluculum: veni, colluctemur cupidine. Hanc enim per os Salomonis fornicaria speciem videmus expressam. Nam quid tam meretricium, quàm sæcularis voluptas? quæ à fenestra domus suæ intrat, oculis prima tentamenta præludens; & penetrat citò, si tu in plateam prosficiens, id est, in publicas transeuntium vias non in legis interna mysteria obtutum mentis intendas. Ea profectò est, quæ validioribus vinculis velut cubile quoddam conscientiæ nobis communitatis intexit, vt qui reclinauerit se, ligetur: & opprobriosæ fraudis velamine operit corporis sui stratum ad sollicitandos iuuenum animos, absentiam viri, id est, incuriam legis obtexens. Lex enim absens peccantibus est. Nam si adesset, non delinqueretur. Et ideo ait: non adest vir meus in domo, abijt autem in viam longissimam inuoluere pecuniæ accepto in manu. Quid hoc esse dicam, nisi forte diuites putant nihil esse, quod non cedat suæ pecuniæ, & in gratiam sui legem velint esse venalem? spargit odores suos voluptas, quia Christi odorem non habet. Thesauros demonstrat, regna promittit, amores spondet continuos, inexploratos concubitus pollicetur, sine pædagogo disciplinas, sine monitore sermones, vitam sine sollicitudine, mollem somnum, inexplebilem cupiditatem. Seducens eum, inquit, multo blandimento sermonum, & laqueis labiorum suorum alligans domum ad vsque attraxit. At ille secutus eam circumuenitur. Nitebat aula regio luxu splendida, cælatis parietibus, & in solo humido natabant pauimenta vino. Fragrabat vnguento humus, spinis coopertæ piscium, & marcentibus iam floribus lubrica. Illic comessantium tumultus, concertantium clamor, litigantium cædes, concentus canantium, saltantium strepitus, ridentium cachinnus, lasciuientium plausus, confusa omnia, nihil naturæ ordine. D Saltatrices tonsæ, & crispantes pueri comâ, epulantium cruditates, edentium ructus, ebriorum sitis, besterna crapula, hodierna temulentia, repleta vomitu bibentium pocula, maiore odore ebrietatis, quàm si recentia tantùm vina fragrarent. Ipsa in medio stans, bibite, inquit, & inebriamini, vt cadat vnusquisque & non resurgat. Ille apud me primus, qui omnium perditissimus. Ille meus est, qui suus non est. Ille mihi gratior, qui sibi nequior. calix aureus Babylonis in manu mea inebrians omnem terram, à vino meo biberunt omnes gentes.

Prop. VI. *Voluptas deliciarum insatiabilis est.*

S Petrus. Chrysol.

S Anctus Petrus Chrysol. serm. 2. de filio prodigo: *Voluptas*, inquit, *nescit expleri.* Ita ille. Quod in filio prodigo patet, qui porcos pascens, dicebat: *Ego hic fa-*
Luc. 15. 17. *me pereo. Etenim peccatores porcos pascunt, dum corpora sua saginant: sed fame pereunt, quia nunquam voluptatibus & delicijs satiantur, quantumuis eis abundent.* Ita ille.

Prop. VII. *Deliciæ voluptatem ipsam expellunt.*

S Anctus Chrysost. oratione 6. de Fato: *Si quid mirabile dicere liceat, & verum, sed præter opinionem vulgi, si voluptatem quærimus in eo, quod satis est potius, quàm in delicijs inueniemus. ait enim Sapiens:* Animæ vacuæ, quæ *Prou.* amara sunt, dulcia videntur, anima satiata calcabit fa- *27.* uum. *Quòd si fauum expellimus, quid potest esse volupe de cetero? Si quod suauissimum est, asserre voluptatem non potest, quid poterit nos in voluptate constituere? quare si voluptatem quæris, hîc magis illam inuenies.* Ita S. Chrysost.

Prop. VIII. *Deliciæ amaritudinem cordi pariunt.*

S Ic Apostolus ad Hebr. *Contemplantes ne qua radix* *Cap. 12.* *amaritudinis sursum germinans, impediat.*

Quid hic Apostol. radicem amaritudinis appellat? Sanctus Anselmus: *Id est, ne qua delectationis peccata inchoatio impediat gratiam Dei.* Ita ille. Delectationem ergo peccatorum vocat radicem amaram, imò dulcem dicerem ego: ideò enim huiusmodi delectationes querunt peccatores, quia dulcedinem in eis percipiunt. percipiunt quidem, cùm peccatis vacant, sed tamen sicut qui melle satiatur, quamuis dum edit, dulcedinem sentiat, postea tamen amaritudinem bilis sentit: mel enim in bilem amarissimam conuerti solet. Vnde rectè dicere possumus, mel radicem amaritudinis extitisse. Sic etiam delectationes peccatorum amaritudinis cordis radices possumus appellare: quia transactis illis in ipsa conscientia amaritudo maxima excitatur.

Prop. IX. *Deliciæ & voluptas sub ratione necessitatis se occultant.*

AD Rom. 13. *Carnis curam ne feceritis in desiderijs.* *Rom. 13.* Qualis, inquies, est hæc carnalis cura damnata? *14.* S. Greg. *Discretus & continens vir vsque ad temperandã ne-* *S. Greg.* *cessitatem ventrẽ reficit. Sciendum verò est, quia sic voluptas sub* *lib. 30.* *necessitate se palliat, vt vix eam perfectus quisque discernat: nã* *mor. c.* *dum solui debitum necessitas petit, voluptas explere desiderium* *17. & 18.* *appetit, & tantò securiùs gulam præceps rapit, quantò sub honesto necessitatis explendæ nomine se contegit. Sæpè igitur quid necessitas petat, & quid voluptas suppetat ignoratur. Atque ideo, dum quasi conciui parcimus, ad prælium hostem nutrimus.* Ita Sanctus Gregor. quem etiam vide 9. Mor. 40. non procul ab initio.

Prop. X. *Quàm pernicioſæ sint nobis delicia mundi & animæ & corpori.*

IN *omni sacrificio tuo offeres sal.* Quærit S. Theodo- *Leu. 2. 13.* tus, cur Dominus in diuinis sacrificijs, quæ illi offerebantur, non admittebat oblationem mellis, sed ræque ceræ, & in templo lampadum olei vsus erat, non cereorum, licèt minùs luceant, & minùs mundæ sint: neque apes ipsas, ex quibus mel & cera procedit, in sacrificijs admittebat, bene tamen sal: & respondet idem sanctus: *Quia apis inter flores ambulat, & floribus sustentatur: neque enim Deus huiusmodi floribus gaudet, Nec Deus amigo de flores*: eos ergo qui quærunt flores, & inter amœna hortorum versantur, & mella quærunt, ac dulcia voluptatum, & quę difficilia sunt & aspera fugiunt, & refugiunt, conuiuia diligunt, & pretiosas vestes amant, & supellectilia pretiosa quærunt, blanda & suauia optant, solùm hos à templo & à sanctuario suo expellit & repellit Deus; sal verò exigit in sacrificijs sanctis.

eunctis. Sal viuidum quid est, mordax est, & qui vulneribus applicatus mordet & cruciat, pœnitentiam scilicet & sui abnegationem, paupertatem spiritus, lacrymas, & in aduersitatibus tolerantiam, hæc poscit, his Dominus delectatur.

Erat Hierosolymis piscina quædam, seu stagnum, in quo adaquabantur pecora, & armenta quæ mactabantur Domino, & laubatur caro quæ offerebatur Deo, & prope stagnum quinque erant porticus, in quibus ægroti quamplurimi, cæci, claudi, paralytici, &c. commorabantur, expectantes ibi diuinam misericordiam & eleemosynam quamdam, quam Pater misericordiarum impertiebatur illis: descendebat enim Angelus Domini de cœlo, & commouebat aquam, & qui in illam primus demergebatur, à quocumque morbo saluus & incolumis emergebat.

In hac Ierosolymitana piscina vniuersus mundus exprimitur ad viuum, quia quoddam xenodochium est omni ægrotantium genere repletum: in eo enim inuenies claudos, cæcos, paralyticos, &c. his omnibus remedium allaturus erat Angelus è cœlo dilapsus, cõmouens aquas, & inuoluens cœno, vt in illas ægrotus intromissus, ad valetudinem reuocaretur. Mirabile hoc: erant enim Ierosolymis aquæ pellucidæ, & perspicuæ, crystallini fontes, aquæ dulces, & suaues, & non in illis, sed in aqua turbida, cruore inuoluta, & animalium pilis immixta, valetudinem ægrotantium Deus collocauit. Nónne præstantius esset, miraculum edere in aquis Iordanis, aut in rosacea, vel odorifera aqua? cur aquam turbidam victimarum cruore infectam, elegit? Vult Deus, vt animæ ægritudines expellantur, non in liquida aut odorifera aqua, sed turbida. Aquæ enim liquidæ & crystallinæ infectæ sunt, quia in illis submergebatur coluber ille tortuosus Ægypti, illis incubuerat procax illa fœmina Apocalypsis, illas infecerat stella illa cœlestis quæ decidit super flumina, & fontes, quo fiebat, vt non solùm his aquis non restitueretur ad pristinam valetudinem, qui in illis submergebantur, sed potiùs in maximos morbos prolaberentur. Similes erant aquis amaris Iericho, aut Syriæ & Damasci, quæ licèt maximis fluminum voluerentur fluctibus, mederi non poterant lepræ Naaman: opus enim erat, vt magni consilij Angelus descenderet, & aquas volueret, reteque suum immitteret, & draconem tabificum extraheret, fœminam in exilium mitteret, & aquas sanas redderet: vt in illis ægrotantium morbos expelleret, & in illis qualibet infirmitate detenti sanarentur.

Clarioribus verbis vtamur: mundus vndis liquidis maximè gaudet, latices qui è fontibus scaturiunt appetit, lymphis crystallinis delectatur, indulgentiam, voluptatem corporisque oblectationes quærit. Sed hæ aquæ, quæ hominum oculis liquidæ apparent, in conspectu Domini turbidæ sunt, & cœno inuolutæ. Vnde etiam Dominus, vt populum suum ab hoc errore, in 2 18. quo versabatur, abduceret, ait: *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* existimabant illi liquidam & crystallinam esse aquam: Deus autem turbidam esse pronuntiat. Felicitatem, quam mundus pollicetur, aquam liquidam esse arbitraris, falleris, mihi crede: Deus enim, qui falli non potest, turbidam esse ait, nec solùm hoc, quamquam esset miserum idipsum, sed etiam est infecta veneno: serpens enim antiquus in illam effudit virus suum. Quo fit, vt qui in illam demerguntur, non solùm luto infecti, sed venenati etiam emergant. Inter honores superbi redduntur homines, & inter diuitias auari, inter munditias turpes, inter epulas voraces, inter musica carmina effœminati, inter ludos otiosi, inter oblectationes dissoluti & liberi. Id præclarè Ambrosius attigit his verbis: *Licèt bona mundi indifferentia bona sint, plerisque tamen nouerunt, quia ea non cum sapientia & iustitia possederunt: multos enim ebrios fecêre diuitiæ, nobilitas & potestas superbos, pulchritudo luxuriosos, cum suffragatio alienæ mentis corrupit castitatem.* Hactenus Ambrosius. Descendit itaque magni consilij Angelus Christus Seruator noster, vt hoc damnum reſarciret, & gaudium mutaret, in planctum, elegantias & ornatus in vestes cilicinas, epulas in ieiunia, diuitias in paupertatem, & ex his omnibus aquam exprimit ligni sanctæ crucis, valde salutarem & proficuam quibusliber morbis.

Modus hic valetudinis valde difficilis & asper apparet mundanis hominibus, nolunt se medico committere, qui in turbidum & cruentum balneum ægrotum immitti iubet: vellent enim ipsi ad pristinam valetudinem restitui suauissimis & odoriferis aquis, vellent venas sanguine oppletas, & thecas diuitijs refertas habere. Dulcia, licèt vetita sint, eorum palato arridentes amara autem nauseam illis commouent, licèt salutifera sint. Venit Syriæ princeps leprâ laborans in terram Israel, vt Eliæus Propheta illum ab illo morbo liberaret: præcepit autem Propheta, vt lauaretur in Iordane, quod adeò ægrè tulit, vt id nollet exequi, sed in prouinciam suam (iratus valde) reuerteretur. *Numquid* (dicebat ille) *non meliores sunt Abana & Pharphar, fluuij Damasci, omnibus aquis Israel?* placebant illi magis aquæ, quibus nutritus fuerat, quàm aquæ Israel, quibus sanctus fluuius Iordanis voluebatur. Sic mundani homines inter deliciarum & oblectationum aquas vellent commorari; aquas autem feruentes pœnitentiæ respuunt, & in illius balneo pedem ponere subterfugiunt. 4 Reg. 5. 12.

Fuit quædam gens, vt ait Isaias, adeo auersa à pœnitentia, vt sacrificia sua in hortis offerrent. Animaduertite quò conflauerent, vt idolorum sacrificia conficerent: inter frondosas arbores, herbas virentes, pulcherrimos flores. non confluebant in templum Domini, in quo & gladius, & ignis, & cruor erat; sed in hortos floribus cõsitos, rosis, liliis, basilicoque ornatos. Mundani homines in domibus luxu & voluptate constructis, in hortis virentibus vellent offerre Deo sacrificia; ille autem in templo suo nemus plantare prohibet, nec vult vt ara, in qua offerendum erat sacrificium pro peccatis, floribus esset circumducta: quia pœnitentiæ tempore, non debent homines sibi indulgere, & luxui vacare; sed lacrymas profundere, corpus affligere, in luctu & squalore versari. Isai. 65.

Videbitur fortè cuipiam id asperum; medicinæ tamen sunt, quas medicus ille cœlestis instituit, & in officina eius asseruantur. Duæ aquæ confectæ sunt iussu Domini, quibus mundarentur immundi. Altera cinere immiscebatur, altera verò lixiuio, & sanguine: lixiuium autem dolorem incutit vulneri, sanguis verò vel ipso nomine deterret: his autem aquis voluit Dominus vt mundaretur immundus. Visum Tobiæ restituit felle, quo quid amarius? luto medicinam confecit, vt cæcum à natiuitate sanaret, fumo expulit dæmonem Tobias iunior à domo soceri sui. Omnes istæ medicinæ asperæ apparent; illis tamen Deus ad valetudinem reuocat. Non sunt absimiles spirituales medicinæ: quæ asperæ videntur, illis tamen medetur Deus animarum infirmitatibus.

Omnes illi, qui huiusmodi medicinis vsi sunt, ad pristinam valetudinem reuocati sunt. Primum Adamo & Euæ decretæ sunt, *In laboribus* (ait Dominus) *comedes ex terra cunctis diebus vitæ tuæ. Spinæ & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vescêris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es, & in pulueren reuerteris.* Euæ etiam in pœnam multiplicauit ærumnas, & dolores. Hîc non solùm iudicis personam gessit Deus, sed medici etiam munus exercuit, delicias abstulit, herbas, sudores, & dolores illis decreuit, vt illis recuperarent valetudinem, & ita factum est. Nam si in Paradiso voluptatis Gen 3 17.

contraxerunt morbum, in hac lacrymarum valle illum A expulerunt.

Plurimos labores perpessus est Dauid priusquam ad regni fastigium conscenderet: Saul enim illum persequebatur, montium petebat concauas altitudines, potu, cibo & tecto carebat: hoc tamen laboris sui tempore, non legimus scelus aliquod illum commisisse; sed cùm regno tandem potiretur, cœpit quidem amare, & sibi indulgere. Vnde eo tempore, quo solebant Reges ad bella procedere, ipse domi remansit: tunc autem in turpitudinem, & homicidium prolapsus est. Hic fructus percipitur ex arbore illa. Post hæc voluit valetudini restitui, & ieiunijs corpus macerabat, adeò vt cinerem tamquam panem manducaret, & potum cum fletu misceret, lacrymarum riuulos profunderet, rugiret vt leo, delicias respueret, & crucem amplexaretur, & hoc pacto ad salutem pristinam reuocatus est. Si ergo sanctissimus vir Dauid inter requiem, tranquillitatem, & delicias, morbum contraxit; & in lacrymis, singultibus, & pœnitentia valetudinem recepit, quî B poteris tu inter voluptates, & corporis blandimenta, sine casu aliquo, & offensione consistere, aut ad sanitatem reuocari, cùm per illa in morbum prolapsus sis? Si Adamus, & vxor eius, diuinis affecti beneficijs, & muneribus instructi, inter Paradisi voluptates iustitiam diuinitus acceptam conseruare nescierunt, & vt ad Dei amicitiam redirent, opus fuit illos è Paradiso voluptatis expellere & in exilium mittere, vt in maximis laboribus versarentur; quî fieri potest, vt ignorantiæ tenebris obsolutus, inter delicias, in quibus nutritus es, velis perfectus euadere? Opus est frater mi, piscinam aquæ turbidæ intrare, & in aquas illas demergi, vt ex illis sanus emergas.

Valetudo etiam corporis voluptatibus deperditur, & amarissimis potionibus recuperatur. epulis & conquisitissimis cibis morbum quisquam contrahit, inediâ autem & siti ad pristinam valetudinem reuocatur. Sapidis & dulcissimis cibis morbi gignuntur; pilulis au- C tem & potionibus amaris expelluntur. idem in animorum ægritudine contingit, delicijs & voluptatibus in infirmitatum prolabuntur animæ, pœnitentia autem, cilicijs, ieiunijs, & laboribus ab infirmitatibus releuantur.

Sic Isaias Propheta, postquam Babylonem inclytam
Isai. 13. 20. & gloriosam appellauit, ait: *Requiescent ibi bestiæ: & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi: & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & sirenes in delubris voluptatis.* sub harum bestiarum nomine effrænati appetitus & bestiæ designantur: hæ bestiæ habitabunt in inclyta & gloriosa Babylone. Sed qua in parte? in delubris voluptatis. Animaduerte cui rei deseruiant delubra voluptatis. Sed quemadmodum vitia inter delicias & voluptates nutriuntur, & coalescunt; sic rebus quæ his contraria sunt, restinguuntur: contraria enim contrarijs curantur. Dæmones namque fumo, qui lacrymas elicit, expelluntur, non suauissimis electri & succini odoribus. D

Sunt itaque labores & cruciatus adeo accommodati ad expellêdas animorum infirmitates, vt, cùm Christus Dominus è cœlo descenderit, vt hominum saluti consuleret, illis voluerit sempiterno Patri satisfacere: non adhibuit nostris vulneribus medicinam ex delicijs & voluptatibus confectam: non medebatur plagis nostris diuitijs, & honoribus, sed laboribus, & cruciatibus. Hanc ob causam in desertam solitudinem recessit, vt se accommodaret officio quod obiturus erat, & aduersarij telis exponeret, ac eius conatus retunderet: algebat, sitiebat, æstuabat, efferiebat, iniurijs affectus est, verberatus, cæsus, spinis coronatus, clauis transfossus, ac denique raptus in crucem, & acerbissima morte mulctatus, vt animaduerterent peccatores, non esse medicinam infirmitatibus in delicijs, & oblectationibus, quando rerum omnium parens & author Deus, hominum morbis acerbissimis cruciatibus medebatur, vt hanc medicinam sumerent, quicumque vellent à grauissima infirmitate releuari, &, si fieri opus esset, nec mortem ipsam recusarent, sed libenti animo subirent.

Qui hæc considerat, quî potest toruo vultu pœnitentiam intueri, quamuis corpori aspera & difficilis videatur? Quid enim alicuius ponderis & momenti esse potest, vbi de animæ salute agitur? Cùm Naaman leprosus vellet in Syriam reuerti, & iratus valde, nollet in Iordane lauari, accesserunt ad illum serui eius, dicentes: *Pater & si rem grandem dixisset tibi Propheta, certe* 4. Reg. 5. *facere debueras: quantò magis, quia nunc dixit tibi: Lauare, & mundaberis.* Hoc argumento conuictus Naaman descendit in Iordanem, lauit se, & mundatus est à lepra sua. O vtinam tu conuictus etiam manus dares: idem enim tibi nunciaremus: non solùm de corporis valetudine, sed de sempiterna animi salute agitur. Certè si rem grandem dixisset tibi Deus, facere debuisses: tanti enim valoris est animi salus, vt, si opus esset acerbissimos inferni cruciatus per aliquod tempus subire, vt anima mundaretur à peccati mortalis contagione, non esset morandum, sed sine vlla cunctatione subeundi essent illi cruciatus: quantò magis perferri debent labores & pœnitentiæ, quibus frequenter se exercent sancti viri?

Quando morbo aliquo laboras, venas tibi incidi pateris, & cucurbitis medicinalibus inuri, &, cùm vix gallinæ pectusculum deglutire potes, animum accipis, vt amaram potionem exhaurias: quia medicus in illis medicamentis corporis valetudinem constitutam esse testatur; & vt à morbo spirituali recreeris, nec ieiunium amplecteris, nec bonis operibus te exerces, sed omnia recusas, & tamquam aspera & amara detestaris?

Non nouerunt homines valetudinis præstantiam, nec illam, vt decet, æstimant: pluris eam Dominus facit, cùm tantam curam adhiberi voluit ad asseruandos cineres, quibus facienda erat peccatorum ablutio. præcepit enim Dominus, vt cineres vaccæ oblatæ pro peccatis, colligerentur: sed quomodo? *Colliget* (inquit) *Num.* 19. *vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco purissimo, vt sint multitudini filiorum Israel in custodiam, & in aquam aspersionis, quæ pro peccato vacca combusta est.* Vult itaque Deus, vt cineres, quibus lixiuium conficitur, colligantur, non à quolibet, sed à viro mundissimo, & reponantur, non in angulo domus (vt mos est) sed in loco mundissimo. cur tanti facit Dominus nullius pretij cineres? vt sint in aquam asperfionis, & purificationis pro immundis. Animaduerte quanti Deus lixiuium faciat, quo pœnitentia, quâ animæ mundantur, significatur: si ergo Deus propter hominis salutem tanti æstimat pœnitentiam, æquum erit vt homo ipse, cuius interest, eam æstimet, & in corde reponat. eâque, cùm opus fuerit, vtatur. Manifestè apparet homines nondum cognoscere, quantum mali afferat lethale peccatum nobis. D. Basilius exponens verba illa, *Conuersus Isai. 21. sum in ærumna mea, dum configitur spina*, tantum fuisse sen- 4. sum ac dolorem ait, quo Dauidis animus torquebatur, vt cor sibi sagittis confossum videretur; ita vt nec diuitiarum affluentia, nec regni dignitas, nec militum exercitus, nec assectarum copia aliquid de dolore, quo torquebatur, quia Deum offenderat, detrahere potuerint. Hic probè cognouerat, quanta esset peccati lues, & fœditas, ideoque æquo animo asperrimæ pœnitentiæ operam dabat, vestem cilicinam libenter induebat, inediâ & siti conficiebatur, lacrymis stratum suum rigabat. O si tibi Deus trutinam tribueret, quâ peccati pondus examinares, & ponderares, eiusque grauitatem cognosceres, quomodo parum faceres pœnitentias omnes, quibus corpora macerantur,

tur, & piscinam turbidam ac cruore immixtam ingredereris!

S. Chrysost. *Nullus communicat Christo delicatam vitam agens, sed qui per angustiam ingreditur viam.* Ita S. Chrysost. Nota, & pondera verbum *communicat Christo*: quid est Christo communicare? notum est, sicut ille ambulauit, ambulare: Euangelium lege, & ostende vbinam Christus delicijs vacarit. non igitur communicat Christo, qui meritorum eius particeps non est. horum igitur meritorum expers erit, qui non communicauerit passionibus Christi, sed genio indulgens, voluptuosè viuit, &c. Nam, vti Apostolus ait, *qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis suis*, qui Christi sunt, hoc est, qui ex parte Christi sunt, & ex numero eorum, qui cum Christo in regno Dei partem habent, &c.

Allegoricè agens Apostolus Paulus de Isaac, & Ismaele, *Quomodo*, inquit, *tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum; ita & nunc. Sed quid dicit Scriptura? Eyce ancillam, & filium eius.* Locus iste, vt patet ex eo, quem citat Apostolus, locum illum Gen. 21. tangit, vbi Sara vidit Ismaelem ludentem cum Isaac. Si ergo ludentem, quomodo Paulus ait, *persequentem*? ita quidem: Ismael enim, vti Apostolus ibidem docet, carnis filius est: carnis autem filium, vel ipsam carnem vel appetitum (qui filius carnis est: ex ea enim deducitur) intellige: Isaac autem spiritum importat. Ludens ergo Ismael persequitur Isaac, quia caro delicijs, & lusibus suis, (his enim pueri deliciantur) persequitur acriter spiritum, & animam nostram. Lusus carnis persecutio spiritus est: *burlas pesadas, juegos perniciosos.* Exod. 32. cùm Moyses in monte Sinai ad populum inferiùs stantem cum Iosue descenderet, *Vlulatus*, inquit *Iosue, pugnæ auditur in castris. Ad quem Moyses, non est clamor adhortantium ad pugnam, sed vocem cantantium ego audio.* Mirum tam diuersa & oppositas eos audiuisse, illũ pugnam, istũ verò cantus. quid cantus cum armis? Multum quidem, ludebant tunc verè Israelitæ, & choros ducebant, bene hoc percepit Moyses; sed cantus hi & chori, pugna & bellum spirituale contra ipsosmet Israelitas erat, à dæmonibus institutum: quippe cùm vitulum adorarent in maximam suam perniciem: inde enim diuinam prouocarunt iram, & occisione occisa propterea fuerunt quasi viginti tria hominum millia. vnde meritò, Deo sic disponente, alter ludos, alter bellum odoratus est. Vide quale bellum contra animam deliciæ corporis sint.

Gal. 4. 29.

Exod. 32. 18.

ADDITIO.

PRoponatur quidam mercenarius per totam laborans diem, & alter delicijs continuè vacans. vis illum, qui delicijs affluit, molestias priùs commemoremus? cogita quomodo par est ipsius mentem vexari, cùm gloriam se supergredientem appetat, cùm à seruis contemnatur, cùm à nimoribus contumelias habeatur, cùm innumeros patiatur opulentiam suam accusantes, pariter & calumniantes, & alia quæcumque in diuitijs accidere credendum est. Neque dicere licet inimicitias, offensiones, accusationes, iacturas, inuidentium insidias; qui postquam ipsius diuitias ad se transferre non potuerint, detrahunt, vndique laniant adolescentem, innumeras ei tempestates concitant. Vis & huius mercenarij voluptatem recenseam? ab his omnibus est absolutus: quòd si quis eum asserit contumeliâ, non dolet; se namque maiorem putat nemine: non pro pecunijs timet, cùm voluptate manducat, cum multa dormit lætitia. Non ita delectantur vinum bibentes Thasium, sicut ille petens fontes, ac illius nequaquam talia. Si verò dicta tibi non sufficiunt, vt maiorem faciam, ei regẽ & captiuũ comparemus; & videbis hunc quidem in voluptate frequẽter versantem, ridentẽ & ludentem, atque saltantem: illum autem in diademate & purpura mu-

A stum, timentem, & innumeris pressum sollicitudinibus, & præ timore mortuum.

Idem orat 6. de fato.

Quemadmodum nauis, cùm maiorem mercium copiam habet, quàm pro iusta magnitudine, grauitate ponderis oppressa demergitur: ita animas, corporisque nostri natura, copiosiorem capiens cibum, deprimitur, & onus ingestorum cibarum non ferens in pernicies demergitur pelagus, & nautas, gubernatorem, proretam, & vectores, & vniuersum onus cum omnibus perdit. Quemadmodum igitur in ita affectis nauibus, non tranquillitas maris, non scientia gubernatoris, non nautarum multitudo, non apparatus commoditas, non anni tempestiuitas, non alius quidpiam ita periclitantem iuuat nauem: ita in his, qui delicatè, ac molliter viuunt, non rationum vis, non doctrina, & institutio, non admonitio, & consilium, non aliud quidpiam, non timor futurorum, non pudor, non accusatio præsentium, conseruare poterit ita fluctuantem animam; sed immoderatio omnia exuperat, & volentem, nolentem, de cætero eum, qui hac agritudine laborat, & madidum deprimit, & naufragium eò proijcit, vnde sese referre difficile est.

B *Idem in c. 13. Matth. Hom. 45.*

Quemadmodum acuti vepres vidcumque capiunt, atque constringunt, manus cruentãt: eodem modo deliciæ pedibus, nasibus, capiti, oculis, omnibus similiter membris officiunt. Steriles etiam sunt, nullum, quemadmodum vepres, fructum producentes, ac multò magis, quàm cætera omnia hominem conficiunt. Delicijs enim senectus citius subrepit, delicijs sensus obtunduntur, delicijs cogitatio retardatur, citius mens tenebris obducitur, corpus dissoluitur, maior stercoris copia reconditur quasi, atque reponitur. Ita ex ingenti afflictionum acerno, nauigio nimium oneribus oppresso, crebra contingunt naufragia. Quid enim, resp onde, quæso, ita pingue corpus efficere studes? an vt te ad immolandum ducamus? an vt mensæ immolatum apponamus? anes certè pingues ad sanionem dictam inutiles sunt.

C *Idem Homil. Quod nõmo lædatur nisi à se.*

Hi verò, qui in delicijs, & luxuria vitam ducunt, resoluta quidem corpora, & omni cera molliora circumferunt, atque agmine quodam infirmitatum repleta, quibus ad cumulum malorum podagra, tremor, & immatura senectus accedit, & est eis vita semper cum medicis, & medicamentis: sensus autem ipsi tardi, graues, obtusi, & quodammodo iam sepulti. Et si aliquid voluptatis, aliquid iucunditatis habent, quis hæc iucunda dicat, & grata, qui tamen nouerit, quid sit iucunditas, & voluptas? à prudentibus enim sic definitur, quia hæc sit sola voluptas, cùm quis desideris sui fruitur. Vbi verò desideriis frui non possunt, dum vel ægritudo non finit, vel satietas ipsa desiderari non facit, quæ onerosa efficit abundantia, sine dubio, & voluptas eis pariter, & iucunditas perit.

D *Idem In 1 ad Cor. 15. Hom. 41.*

Est non mentis solùm, sed ipsi etiam corpori inimica, & infensa voluptas, ex forti debile reddit, è solido enervatum, morbidum è sano, tenuem ex compacto, ex florente, & formoso deforme, oldum ex fragrante, ex mundo, & puro impurum, ex absoluto, doloribus vndique differtum, ex vtili inutile, ex recenti vetus, ex robusto flaccidum, ex celeri tardum, ex sano languens, ex recto claudum. Et paulò pòst. Quòd si corpus ita comparatum sit, quî animam habere putes, quanto tumultu, quantis fluctibus, quibus procellis erit plena? Hinc inutilis ad omnia fit, nec dicere, nec audire, nec consultare, nec facere necessariarum rerum quidquam potest, velut gubernator artem tempestate superante, cum nam, cum naui gantibus mergitur ipse quoque: sic anima cum corpore in horrendam demergitur stupiditatis abyssum.

Idem in 1. Ad Thessal. c. 4. Hom. 10.

Nec speret quispiam cælum se cum vita remissa visurum: nequit enim fieri. Nemo speret se viam angustam cum diuitijs ambulaturum. Est enim impossibile. Nemo latam viam ingressus, vitam speret. Si quando igitur balnea videris, & mensam sumptuosam, aut satellitum comitatu insolescentem aliquem, ne miserum te putes, quòd nihil cum illis participas, sed magis ingemisce, quòd perditionis hic viam ambulat. Quæ enim vis istius vtilitas est, cùm in tribulationem & angustiam desinat? E *Et rursus; quid damni est ab illa angustia, quando ad requiem tendat? dic mihi, si quis in regiam vocatus, & per angiportus arctiores, & præcipitia ingrederetur; alius verò quisquam ad mortem abducendus per medium forum traheretur,*

» vtrum felicem putaremus, vtrum deploraremus? an non eum, qui satiosam viam incederet? ita & nunc non putemus felices eos, qui in deliciis agunt, sed eos, qui non deliciantur. Isti ad cælum enituntur, illi ad gehennam.

Idem ferm. de Verbis Pauli: Non solùm, sed & gloriamur.

Quemadmodum arbores, quæ in vmbrosis locis, & nulli vento obnoxijs alantur, virent quidem sed molliores redduntur, faciléq; quouis violento flatu laduntur: quæ verò in celsis montium verticibus stant, multisque ac magnis ventis pulsantur, ad hæc varias tempestates continenter perferunt, dum nunc grauiß. mis procellis agitantur, nunc crebras niues sustinent, quouis ferro validiores fiunt. Similiterque corpora multis ac varijs voluptatibus innutrita, mollibusque vestibus, & continuis balneis ac vnguentis assueta non necessarijs, ad nullos omnino pietatis labores, ac iudores sunt vtilia, sed maximis pœnis destinata: ita sanè etiam animæ, quæ otiosam & quietam vitam degunt, præsentesque voluptates laboribus, & afflictionibus, spe futuri regni sustinendis, anteponunt, quàm cerâ molliores, infirmioresque factæ, æternis ignibus pabulum seruantur. Quæ verò periculis, laboribus, ærumnis, afflictionibusque propter Deum ferendis exponuntur, atque in eis assidùe versantur, ipso ferro aut adamante solidiores fiunt, ac generosiores, frequenti malorum tolerantiâ incxpugnabiles aduersarijs redditæ, & habitum quendam inuictum fortitudinis patientiæque consecutæ.

B

S. Zenon ferm de præcepto Attende tibi.

Vide ne sortè tu in huius belli congressione manus accommodans carni, & auxilia ei quamplurima administrans, potentiam eius ergà spiritum erigas, & meliorem tui partem deteriori facias esse subiectam. Sicut enim statera momentum, si in vnam partem depresseris, leuiorem sine dubio alteram facies. » Ita in hoc animæ & corporis iugo, cum in vnam partem propensior extiteris, clara erit alterius & manifesta diminutio. » Quis dubitat, cùm corpus luxuriâ fluitat, carnibusque distenditur, ignauum & obtusum effici mentis vigorem?

Eusebius Gallicanus.

Eusebius Gallican. Hom. 3. de Epiph.

Sicut, ait, dum humore, & scabie, cutis corporis vitiatur, inde corruptio exulcerat, hinc prurigo sollicitat; ita per oblectationem malorum, de negligentia proficit culpa, & de luxuria crescit illecebra, & perueniens perditio plus delectat: quia voluptas transacta non satiat, sed suo vsu magis exercetur, » vitiorum cupiditas, quàm finitur; ac solum sectatorem suum, » nunquam consumenda consumit.

C

PROP. XI. *Deliciæ mentem excæcant & captiuant.*

S. Ambr.

SAnctus Ambrosius lib. de bono mortis cap. 5. *Laqueus est in auro, viscus in argento.* Ita ille. Quid breuius, quid copiosius dici potuit? etenim hostes nostri venatores sunt, vti obseruauit. S. Bernard. in id Psalm. 90. *Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium.* Ait igitur S. Ambros. *laqueus* in auro, id est, sicut venator laqueos apponit inter fruteta & virides herbas, ita occultè vt laqueus non appareat, & qui passeres venatur, viscum in ramo, quo alæ auium comprehenduntur, re in altum volare possint; sic hostis in diuitijs. habet homo alas duas quibus ad cælestia volat; intellectum scilicet, quo diuina considerat & percipit & similiter voluntatem, quâ Deum amare potest. Sed qui diuitias quærit, ita ligatur visco ipsarum, vt nec aliud cogitet neque amet. Sicut auis, cùm se captam sentit, licèt conetur volare ad supera, à visco impeditur; sic diues, cùm aliquando de salute sua cogitans, vult in diuina & cælestia ascendere, quasi ligatum se laqueo, & visco impeditum se agnoscit.

Simile.

S Bern. Psal. 90. 3.

D

PROP. XII. *Deliciæ impediunt Syndereſim conſcientiæ.*

Ier 7. 31. Lira.

LIranus super Ier. 7. *AEdificauerunt excelsa Topheth. Topheth* (inquit) *id est, idolo Moloch, &, secundùm quod hic dicit Rabbi Salomon, sonat tympanum, seu tympanizationem, eò quòd in ritu illius idoli fiebat tympanizatio. erat enim illud idolum æreum, & interius concauum, & intra concauitatem illam fiebat ignis fortis, & quando idolum erat ignitum, ponebatur puer, qui offerebatur, in manibus idoli, & tunc Sacerdotes idoli, percutiebant fortiter tympana, ne parentes pueri audirent clamorem filij, & compatierentur, & ut crederent sine dolore corporis animam euolasse ad Deum.* Ita Nicolaus de Lira, ibi, & seq. cap. 12. Deuteron. sic ergo anima in manibus peccati, quæ in manibus idoli existens peccati aduritur malitiâ: clamat illa sysnderesis clamore, sed à ratione non auditur, dum peccator delicijs vacans, ipsarum deliciarum strepitu rationis aures obturat, ne conscientiæ audiat voces, honores, diuitiæ, deliciæ, lusus, comessationes, ebrietates, lasciuiæ, musicorum sonus, & alia huiusmodi, animæ in peccato perseuntis voces impediunt, ne à ratione & iudicio humano percipiantur, quo fit, vt peccator in peccatis persueret, pereat & damnetur.

S. Anton. de Padua in quodam ſermone de Iudicio.

Ioan. 5. 14. Ferè, ipſe Dominus in Euangelio.

Vide ipſum Gloſſam.

Ioſ. ipſe.

PROP. XIII. *Deliciæ Inſpirationibus Dei obſtant.*

SAnctus Antonius de Padua in quodam sermone de Iudicio, inquirit rationem cur metus Iudicij & de inferni in hominibus malis non operetur; & concludit, delicias mundi in causa huius esse. *Sicut enim* (ait) *in locis vbi seruitium sit, si tonare & fulgurare contigerit; ne vermes deterriti moriantur, tympana, & alia musicæ instrumenta pulsantur, quo vermes distrahantur, ne aliquam impressionem contrariorum recipiant; sic diabolus, cùm tonitrua diuinorum iudiciorum, & pœnarum inferni intus vel externis in auribus peccatorum sonant, ne aliquam inde impressionem timoris recipiant, comœdias, vel ludos, vel quid simile peccatoribus præponit, ne inde terreantur & conuertantur.*

PROP. XIV. *Deliciæ impediunt effectum verbi Dei.*

CElebrabatur Ierosolymis festum solemne paschale tabernaculorum, quod septem diebus obseruabatur: ad festum hoc accedere voluit Christus: quando verò, & quo die, audi ab Euangelista Ioanne: *Iam autem, inquit, die festo mediante ascendit Iesus in templum, &c.* hoc est, quarta die, vt interpretatur Sanctus Vincentius. Cur igitur non primo die? Christus enim primus omnium in huiusmodi solemnitatibus esse solebat, sicut constat, vbi in festo Encæniorũ adeo præ cæteris affuit Christus Dominus, vt facta in templo non breui oratione, ambularet in porticu, auditores scilicet expectans, quos doceret, vti solebat. cur igitur in dicto festo tabernaculorum non prima die ascendit in templum? S. Vincentius respondet: quia illa die, sicut etiam septima & vltima die, cibis & potibus deliciosè vacabant: quare his diebus nec dispositi, nec apti erant ad recipiendum doctrinam Christi, in qua de salute animarum & Dei gloria agere solebat. Quare nec prima, nec vltima die, nec diebus illis proximis ascendit, sed iam festo mediante, hoc est, quarta die, ne oleum & operam perderet. Ecce quantùm deliciæ animæ saluti obstent.

Ioan. 7. 14. Ferè, ipſe Dominus in Euangelio.

Nicolaus de Lyra, ibi.

Vide ipſum.

Ioſ. ipſe.

Multos quidem videbis, qui comœdias & tragœdias vanas & fabulosas libenter audiant; verbum autem Dei verum & animæ salutiferum, audire recusant: & idem de legendis libris sanctis vel prophanis dico. Causa autem in promptu est, quia nimirum delicias hi amant, & sibi placentia quærunt. Cùm autem verbum Dei ad pœnitentiam & mortificationem eos exhortetur, & ad mundi vanitatem vitandam, illud audire nolunt.

Iob 38. 3.

S. Greg. Scriptura

Vnde Iob 38. Dominus Iobo loquturus præmittit, dicens: *Accinge sicut vir lumbos tuos.* Cur sicut virum ad se audiendum vocat? Sanctus Greg. 28. Mor. 4.

Scriptura sacra viros vocare consuevit, qui vias Domini sortibus & non difficultatibus sequuntur. Ita S. Gregor. In auditorem igitur suum Deus elegit Iobum, tanquam hominem virilem & non fœmincum, delicijs deditum, voluptatis amatorem.

Hinc etiam Prouerb. 8. sic diuina Sapientia : *O viri, ad vos clamito,* &c. vbi non ad omnes, sed ad viros sermonem suum direxit. Cur non ad omnes, cùm omnibus opus esset diuinos audire sermones ? S. Greg. vbi suprà, sic locum expendit, ac si apertè diceret : *Ego non fœminas sed viros loquor, quia hi qui mente fluxa sunt, verba mea percipere non possunt.* Ita ille.

Prop. XV. *Deliciæ impediunt facinora illustria.*

Victorinus, *Græcarum,* inquit, *rerum auctores, quomodo Alexander Macedo paruo temporis spatio, quo vixit, tot tantasque res efficere potuerit, ac pene vniuersum Orbem armis peragrare, ostendentes, hoc afferunt ; ipsum nullis huiuscemodi oblectationibus, quæ cæteros mortales irretire solent, impeditum fuisse, neque cum tempus rei gerendæ venerat, aut vi, aut somno, aut lubo aliquo, aut spectaculis auocari inde potuisse.* Ita ille.

Prop. XVI. *Deliciæ & voluptas diuinis obsequijs obstant.*

Leuit. 2. *Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino.* S. Thom. 1. 2. qu. 102. art. 3. in argum. 19. in hunc locum sic argumentatur : Sacrificia corporalia exprimunt sacrificium cordis, quo homo spiritum suum offert Deo ; sed in interiori sacrificio, plus est de dulcedine, quam repræsentat mel, quàm de mordacitate, quam repræsentat sal : vnde dicitur Ecclesiastici 24. *Spiritus meus super mel dulcis :* cur ergo prohibetur in sacrificijs mel, reddens sacrificium dulce ? & fermentum quod etiam facit panem sapidum, exigit sal, quod est mordicatiuum, & thus quod est amarum ? Respondet S. Thom. ibid. quòd mel non offerebatur in sacrificijs Dei, ad excludendam omnem carnalem dulcedinem & voluptatem ab his qui Deo sacrificare intendunt, neque fermentum ad excludendam corruptionem ; sal verò exigebatur, quia impedit corruptionem putredinis : sacrificia autem Dei debent esse incorrupta ; & quia in sale significatur mortificatio carnis : thus autem offerebatur ad designandam deuotionem mentis, quæ offerentibus necessaria est, & etiam ad designandum odorem bonæ famæ : thus enim pingue & odoriferum est. Ita S. Thom. Videant igitur qui se offerunt Deo religiosi & religiosæ, quàm cauere debeant delicias, & dulcedines vitæ huius, & omnem peccati corruptelam, expectantes æternam.

Prop. XVII. *Deliciæ corporales hominum animos enervant.*

Iustinus & S. Anton. sic de Sardanapalo scribunt : *Postremus Assyriorum regum fuit Sardanapalus, vir multæ corruptior. Qui cùm inuentus esset ab Arbacto Medorum præposito, inter scortorum greges fœmineo habitu purpuram colo nens, mollitie corporis, & oculorum lasciuia omnes fœminas antecedens, pensa inter eas partiens, inde natus Arbactus fœminis tantum virum subiectum, bellum aduersus eum mouit, qui fugiens se recepit in Regiam, vbi structâ & incensâ pyrâ, se & suas diuitias succendit.* Ita illi. Audacter inuasit hunc Monarcham Arbactus, sibi facilè victoriam promittens ex homine effœminato, qui delitijs ita vacabat, nec eum fefellit spes, vicit hic, fugit ille : quidni fugeret delicioſus, quamuis omnium regum supremus ? Deliciæ quippe enerunt corporis vires animíque vigorem, &c.

Prop. XVIII. *Delitiæ peccatorum origo sunt.*

Legem dedit Dominus populo suo in solitudine illa, & monte Syna, vt constat. Quærunt nonnulli, cur in solitudine ? cur non cùm essent in Ægypto, aut certè in terra promissionis, & templo Salomonis, vbi, cum gloria, tanta lege digna, beneficium tale fuisset celebratum ? Respondet Philo lib. 10. præceptũ hoc ideo fecisse Dominum, quia in solitudine carebat populus omnibus delicijs, quas in suis ollis carnium, & alijs huiusmodi habebant in Ægypto, & in terra promissionis, manantis lac, & mel, & alias delicias mundi, quò significaret, ad obseruantiam legis maximè conducere voluptatum carentiam, ideóque ipsam dedisse vbi tales delicias populus non habebat. *Exod. 31.*

Vnde cùm Moyses è monte Syna descenderet, legis tabulas secum ferens, tabulas ipsas fregit. cur ita ? quare non timuit tabulas illas pretiosissimæ legis frangere, cùm sciret digito Dei scriptas fuisse, vt patet ex fine c. 31. Exodi ? Rationem manifestè insinuat sacra pagina, vbi sic habetur : *Cum appropinquasset Moyses ad castra, vidit vitulum, & choros, iratusque valdè, proiecit de manu tabulas, confregitque eas ad radicem montis.* Ecce causam, ob quam iratus, tabulas legis proiecit. vidit eos choros ducentes, canentes, & delicijs vacantes, & sic secum cogitauit : Lex, quam ego adduco populo, lex sancta, & spiritualis est, & quæ pœnitentiam crucemque requirit : populus autem hic voluptates, non cruces quærit ; non igitur apta lex ista populo isti : frangantur ergo tabulæ in quibus scripta est lex, &c. Vide quàm oppositæ sint deliciæ legi diuinæ. *Exod. 31. Ibid. 19.*

Omnes quidem vidimus & affirmamus, delicias mundi perniciem animarum esse, sed tamen nullus est qui delicijs suis valedicere velit. In mari, suborta periculosa tempestate, omnes nauigantes dicunt proijcienda esse in mare omnia opera mortua, merces videlicet, & supellectilia ; sed tamen nullus vult merces suas proijcere ; sic omnes delicias abijciendas esse fatentur, sed nemo vult delicias suas à se abdicare. Commissurus erat prælium exercitus Israel contra exercitum Syriæ, quæfuit ergo rex Israel à Domino per Prophetam quendam, quis inciperet prælari ? cui Propheta : Tu. Sic quis incipiet delicias abijcere ? dicam ego tibi, tu incipe, quia tua interest. *3 Reg. 20.*

Sanctus Bernard. epist. 2. ad quendam adolescentem diuitem sic ait : *Commissiones tuæ pugnant, & vincunt, pulsant, & intrant, cælum rapiunt, & regnant ; & tu sedens super ambulatorem tuum, indutus purpura, & bysso, circuis plateas & vicos perambulas ? Hæc pacis ornamenta sunt, non belli monimenta, purpura non propulsat libidinem, non superbiam, non expellit auaritiam, & si quæ sunt alia ignea iacula inimici, non extinguit. Vbi sunt arma bellica ? vbi scutum fidei ? vbi galea salutis ? vbi patientiæ lorica ? Si me igitur arma, resume vires, dum adhuc prælium durat, adsint Angeli spectatores, adest ipse Dominus adiutor, & susceptor, qui docet manus tuas ad prælium, & digitos tuos ad bellum.* Ita S. Bernard.

Fecit Salomon ducentas hastas aureas, & trecenta scuta aurea, & posuit ea in armamentario, quod erat constitum nemore : etenim in nemore domus recreationis erat & deliciarum, & ibi arma, armamentariumque constituit, nimirum quia inter delicias magna sunt animæ pericula, & damna, & proinde ibi arma constituere oportet. quasi nobis innuere vellet Spiritus sanctus, ac dicere : Cauete à delicijs, & quasi ab inimicis fugite, armaríque vos oportet aduersùs voluptates. *2. Paral. 9.*

S.Chryſoſt.hom.32. ad Rom. *Quòd è paradiſo primos* A *erecti parentes, & laboris adiudicauit, eò eſt adorandus magis; quia ad ſocordiam deliciæ illos deduxerant, abſciſſis delicijs triſtitiam, velut mutum ſocordiæ propulſandæ præſtruxit, quatenus ſic ad dilectionem ſuam reuerterentur.* Ita Sanct. Chryſoſt.

Sanctus Laurentius Iuſtin. vt habetur in eius vita capit. 9. *Pudicitia cum carnalibus blandimentis, nihil aliud eſt quàm ignem extinguere velle, & ligna ſuperimponere.* Ita ille.

Diogen. Cynicus. Interroganit olim Diogenes Cynicus iuuenẽ quendam: quò progrederis Adoleſcens? Inuitatus (inquit) ad conuiuium proficiſcor; cui Diogenes: *Abi, ſed peior remeabis.* Sciebat ſapiens ille Cynicus in huiuſmodi delicijs linguam ſolui, ventrem diſtendi, mentemque corrumpi.

Similc. Hericius, cùm à canibus infeſtatur, ſe in totum recolligens, & circumgirans, & claudens, carnem omnem debilem abſcondit, & nihil exteriùs niſi ſentes, ac ſpinas præſefert, cùmque canes mordere carnẽ nequeant, fugiunt, & intactum relinquunt; ſic nimirum dæmones, qui hominem, velut canes truculenti infeſtant, ſi nihil carneum, ac debile proſpexerint in homine, ſed ſolùm pœnitentiæ, & mortificationis ſpinas, eum intactum relinquentes, recedunt. quòd ſi voluptatum carnalium illecebras animaduerterint, facilè hominem & inuadunt & venantur.

Stobæus. Stobæus ſerm. 15. Socrates (inquit) virtutis ſtudioſum, & amatorem admonebat, voluptates omnes velut Sirenas fugere, ac vitare. Notum eſt, quòd Sirena dicitur monſtrum, quod dulcedine ſui cantus ad necem trahit nautas: dicitur enim Sirena à ſirẽ, quod eſt, attractio, vt ait *Hugutius*, de Sirene. Itẽ ſic S. Iſidorus lib. 20. vbi agit de portentis, *Sirenes* (inquit) *tres finguntur fuiſſe, ex parte mulieres, ex parte volucres, vngulas, & alas habentes, quarum vna voce, altera tibiâ, tertia lyrâ canebat, quo allectos nauigantes, ſub ſpecie cantus ad naufragium pertrahebant.* Ita S. Iſidorus, qui ad fabulam Sirenas refert. *At Philologus piſcem, & monſtrum marinum eſſe ait, ſeminulieris, & ſemipiſcis formam habens, quæ dulcedine cantus facit dormire nauigantes, quos cùm viderit conſopitos, ad nauem accedit, & quem rapere poteſt, rapit.* Ita ille. Denique Sirena cantus dulcedine attrahit homines ad mortem. Tales ſunt delectationes, & voluptates huius vitæ: placent quidem, ac delectant, ſed placendo, & delectando, non corpus, hoc enim minus malum eſſet, ſed animam, quod deterius eſt, omnino perimunt, & in inferna ſecum rapiunt. Quis igitur poterit guſtare dulce, quod guſtatum affert mortem? Si ad prandium inuitatus ſcires in cibo aliquo dulci, & valdè ſapido quidem, venenum mixtum eſſe, audereſne cibum illum, quantumuis appetibilem, quantumuis regium, edere? Cur ergo mundi voluptates non fugis, in quibus venenum peccatorum miſceri ſæpiùs ſcimus?

Iſidor. *Similc.*

Qui peccatores in delicijs lætantes intuetur, felicem eorum vitam fortè iudicabit, gaudium & lætitiam eorum videns: at lætitia illa, non inuidiâ, ſed compaſſione digna eſt. Si æger phreneſi laborans, ridet, numquid huiuſmodi riſum ei inuidebis? nequaquam, imò prognoſticum mortis illum iudicabis, *direys, eſſa riſa mejor fuera que no fuera.* Talis igitur eſt lætitia peccatorum, qui, cùm plorare deberent, gaudent: phrenetici ſunt, & digni compaſſione. D

Eccl. 7.6. Similc. Vnde Eccleſ. 7. *Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus ſtulti.* Spinæ quidem, dum comburuntur, crepant, & ſonitum emittunt, qui fortè audienti, & ſe calefacienti, alacer videatur; cùm tamen ſpinæ, dum ſic ſtridunt, conſumantur, & pereant; ſic peccatores, (quos hîc meritò ſtultos vocat Salomon, quia pro gemitu riſum exhibent) dum riſus ſtrepitum faciunt, pereunt. *Lætantur* enim, *cùm male fecerint, & exultant in rebus peſſimis*, in quibus exultare phreneticum eſt, cùm potiùs inde timere, atque horrere deberent. Addit autem Sapiens: *Sed & hoc vanitas eſt*, quia licèt non eſſet perniciosus riſus ille, vanus, & inutilis ſaltem eſt, quia nullius momenti: in rebus enim aſſumitur vanis. Vnde idem Salomon Eccl. 2. *Vadam*, inquit, *& affluam delicijs, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque eſſet vanitas. Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi: Quid fruſtra deciperis?* Et quidem diuitiæ, & deliciæ, quibus fruitus fuerat Salomon, ingentes erant, ſi quæ ingentes in terra dici poſſunt, quibus vt vberiùs potiretur, habenas cordis laxauit, *Et non prohibui, ait, cor meum, quin omni voluptate frueretur*, & tamen omni experientia perfecta, & conſummata earum, ait: *Vidi quòd hoc quoque eſſet vanitas*, & nullius momenti, quia ſcilicet poſtquam tranſierant, nullum reliquerant fructum, nullum emolumentum, ſed potiùs plurimum nocumentũ. Quod & tu de tuis gaudijs, & lætitijs facilè notare potes. Verte oblecro, & conuerte oculos ad præteritas voluptates, & reſponde Apoſtolo dicenti: *Quem fructum habuiſtis tunc in his, in quibus nunc erubeſcitis?* quaſi dicat: nullus inde fructus, ſed erubeſcentia multa. Denique riſum reputaui errorem, quia in valle lacrymarum flere, non ridere decebat, & quia riſus, & lætitia huiuſmodi in rebus vanis, vehementer errantium eſt: lætitia enim in rebus rationi conſonis, & decentibus fundari debet. Vnde *gaudio dixi, quid fruſtra deciperis?* Non ait, *decipis*, quamuis & verum ſit, quod decipiat incautos, & animarum ſuarum curam non habentes; ſed paſſiuè, ait, *deciperis*, loquitur enim cum riſu, quaſi cum perſona participe rationis, quæ falſum aliquid proferret, putans ſe dicere verum, hanc decipi diceremus. Sic Salomon lætitiæ ſæculi, deciperis, inquit, imaginatur enim riſum dicentem: O quàm iucundum, & lætum bonum hoc & riſu dignum! deciperis (ait) quin potiùs, fletu, dolore, pœnitentiâ dignum eſt. Denique delicijs inter bona reputat mundus, cùm tamen plenæ ſint mortifero, & dulci veneno, & vanitate multa, &c. B C

Eccl. 2.

Ierem. 32. conqueritur ſic Deus de populo ſuo: *Aedificauerunt excelſa Baal, quæ ſunt in valle filij Ennon, vt inſtaurent filios ſuos, & filias ſuas Moloch.* Nicolaus de Lira Leuit. 18. explicat modum huius ſacrificij. *Erat* (ait) *vt Hebræi dicunt, idolum cupreum ad formã hominis factum, introrſus concauum, & in illa concauitate accendebatur ignis, quouſque idolum eſſet quaſi ignitum, & tunc ponebatur puer in manibus idoli; & ſacerdos tympana percutiebat, & tam magnum ſonitum faciebat, vt vox pueri morientis ſic audiri non poſſet, ne parentes compaterentur, ſed crederent animam in pace à Dijs fine dolore poſſ. deri.* Ita Lira. Non potuit aptioribus coloribus exprimi, quid in peccatoribus voluptates & deliciæ operentur. Sunt quidem in manibus dæmonis animæ peccantium: illi enim offert peccando peccator animam ſuam, ibi vehementer torqueatur oportet anima, dum ſe miſerè perire intuetur, clamat eius conſcientia: Væ mihi, in æternum pereo, &c. at mundi gaudia, deliciæ, & diuitiæ, & ſtrepitus bonorum temporalium tantum huiuſmodi lamentationis clamorem obtegunt, & celant: vnde ſine ſuæ animæ commiſeratione perit homo.

Leuit. 18.

Publius Mimus, *Bonum eſt* (inquit) *fugienda aſpicere p. alio in alieno malo, eſto ea que ſolemos dezir, bueno es eſpermentar mal. en cabeça agena.* Reſeruauit nobis Chriſtus Dominus damnationem diuitis cuiuſdam, cuius nomen reticuit, quia apud Deum nomen, & famam non meretur iniqui. hic igitur dives erat, & induebatur purpurâ, & byſſo, tanquam rex, & epulabatur quotidie ſplendidè, & denique ſepultus eſt in inferno, damnatus eſt. Cur ita? non plenè aſſeruit Chriſtus, non dixit clarè ob hoc, vel illud, ſed delicias, & diuitias enarrauit, & in pauperem inhumanitatẽ, quæ ex ſuis delicijs emanauit. Nam ideo Lazaro non ſubuenit, quia auferri à ſe eã cẽſebat, quæ alteri dabat. Ecce vnde ſit dãnatus, ex delicijs, ac diuitijs. Ideo non recenſuit Chriſtus alia peccata,

cata, quia omnia inde fuerunt orta. Hinc nos experimentum capiamus, si sapientes sumus. Nam, vti ait idem Publius Mimus, *Ex vitio alterius sapiens emendat suum.* Cùm igitur videamus ex temporalibus bonis diuitem illum damnationem incurrisse, ea nos fugiamus. A

S. Chrysost. hom. 2. ad popul. *Diuitibus multa irruunt ægritudines; pauperes autem à medicorum manibus immunes sunt. Si verò nonnunquam in imbecillitatem incidant, breui seipsos instaurant, mollitie omni liberi, & corpora habentes robusta. Magna quidem pauperias pessima: & opulentia sapienter ipsam ferentibus, thesaurus, qui nequit auferri, inculpabilis possessio, diuersorium ab insidijs tutum, & fons purissimæ sanitatis.* Ita Sanct. Chrysost.

Leuit. 11. assignauit Dominus animalia terræ & aeris, quæ in sacrificijs suis offerri poterant, ex aquis verò nihil. Cur ita, cùm inter pisces nonnulli sint pretiosi? S. Ambros. lib. de pœnitentia, S. Hieron. in Ioan. c. 2. S. Gregor. 26. Mor. 30. docent, in diuinis litteris, aquam symbolum esse deliciarum, propter lenitatem quàm habet symbolicam ipsis. Noluit igitur Deus pisces in sacrificium suum, quia sicut pisces inter aquas deliciantur voluptuosè, ita peccatores inter delicias effœminatè & molliter degunt, & facilè in vitia cadunt, *los regalones andan zabullidos en vicios, como los pezes en el agua*, ibi nutritur gula, & luxuria, & desidia: vnde inepti sunt ad se offerendum Deo: sacrificia enim sanguinea sunt, non verò deliciosa. B

Matth. 4. *Ductus est Iesus à spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo*, &c. in hoc duello mirando diabolus arma Christus locum, & certaminis causam elegit, desertum videlicet. Cur igitur in deserto & non in ciuitate, seu domo? Paschasius Abbas in hunc locum: *Vt per hoc quod primum Adam in paradiso deliciarum deuicerat, per hoc à secundo Adam in deserto deiceretur.* Ita ille. Erat quidem primus Adam in paradiso voluptatis acie ingenij, iustitia originali, & magnis Spiritus sancti donis ornatus & armatus, & nihilominus ibi mirabiliter cadens victus fuit. Quo nobis significatum à Deo est, magnum C inter delicias nobis periculum immineresin deserto vetò, hoc est, in loco delicijs carente, facilè nos animæ hostes vincere posse.

De Tauro syluestri, qui Latinè Vrus dicitur, sic scribit Physiologus: *Vrus animal omnium maximum, similè boui, duo habet cornua in modum ferræ, pascitur non longè ab Oceano, vbi nascitur arbor quædam nomine* Tamus, *similis viti, & alba ramis, quos, cùm Vrus capite concutit, eis cornu infigitur: tunc venator accedit, & cornibus alligatum deprehendit, & ita opprimit illum.* Ita Physiolog. S. Epiphan. lib. de Physiologo ad mores hoc referens ait: *Oceanus copiam diuitiarum significat, Tamus verò vitæ huius voluptatem, quâ implicitus homo, virtutem negligit, & diabolus tanquam animarum venator, tunc illum aggreditur, quem voluptatibus mancipatum in suam redigit potestatem.* Ita S. Epiph. Quod autem de voluptatibus seu delicijs dicit, de diuitijs, & honoribus, & alijs vitæ bonis dicendum quoque est: D nam per diuitias capitur auaritiâ, per honores superbiâ, per delicias gulâ & luxuriâ. Sic ergo infernalis venator, homines capit & secum ad tartara ducit. Præcipuè tamen ad voluptatem & sensualitatem hæc pertinet similitudo: nam Tamus idem est quod Adonides amasius Veneris, sicut constat ex Tertul. qui, vbi nos legimus in Ezech. c. 8. *Ecce illa mulieres plangentes Adonidem*, legit, *plangentes Tamum.* Congruit quod de Samsone legimus, captum scilicet fuisse à Philistæis Dalilæ suæ dilectæ causâ.

Inter documenta quæ Socrates tradidit his qui virtutes sectari, & vitia fugere volunt, hoc maximè commendauit, dicens: *Voluptates omnes velut sirenes fuge.* Ita refert Stobæus ser. 15. Quotidiano experimento id notum omnibus est.

PROP. XIX. *Deliciæ mundi occasio damnationis sunt.*

APoc. 18. damnauit Deus Babylonem, & vt damnationis causam sciremus, sic damnationis protulit sententiam: *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Damnata igitur fuit propter superbiam & voluptatem. Dives ille auarus, de quo S. Lucas c. 16. *induebatur purpurâ*, quæ Regius ornatus erat, ecce superbiam: *& epulabatur quotidiè splendidè. Splendidè*, inquit, non cum moderatione, neque semel aut iterum; neque semel, vt inter sapientes fieri solet, sed *quotidiè.* Quid inde? *sepultus est in inferno.* Ecce damnationem eius. nimirum, quia ex superbia eius & voluptate orta fuit immisericordia erga Lazarum, & alia peccata similiter inde emanarunt. Quantùm glorificauit se, &c. *Apoc 1.7.*

Vnde meritò S. Bernard. serm. 10. in psal. *Qui habitat:* *Nónne seipsos nescire videntur, qui sic dediti sunt carni & sanguini, ac si nihil aliud quàm carnem se reputent esse? in vano accipientes animas suas, tanquam prorsus ignorantes animas rationales se habere.* Ita Sanctus Bernard. *Bernard.*

At dices: Numquid deliciæ huiusmodi peccata mortalia sunt? esto non sint. Sed quia occasio peccatorum grauium sunt, ideo dicuntur esse causa damnationis: sicut si ex Sylua egrederetur leo, & occideret aliquē hominem, dicere possemus: Nemus hoc occidit illum hominem, non quia nemus occiderit, sed quia ex nemore prodijt occisor, *de bosque salio quien lo mattò, &c.* grauiter enim peccauit non subueniendo Lazarō qui extrema necessitate laborabat. Et similiter, vt S. Gregor. 1. Moral. 5. obseruauit, linguæ peccata commisit: siquidem aquam ad linguæ refrigerium postulabat.

Quæret aliquis, numquid hominem diuitem epulari & purpuram induere, est peccatum mortale? etenim ex le hæc non sunt peccata mortalia, nisi aliquid grauius interueniat. Cur igitur subdit hunc diuitem esse damnatum? S. Basil. hæc verba expendens ait: *Terret me exemplum diuitis huius in inferno sepulti, de quo malum aliud non lego, quàm quòd epulabatur quotidiè splendidè, & induebatur purpurâ. Et tantum est malum hoc, vt cùm his solum Paulus se lachrymis aliquid scribere ait, primùm hoc dicit propter hæreses Corinthi exortas, secundò propter eos qui venturi inferuntur, dicens: multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est.* Ita S. Basil. vbi nota loqui ibi S. Basilium de peccatis commissionis: nam de peccatis omissionis loquendo, diues ille peccauit in non præbendo eleemosynam Lazaro; sed meritò etiam diuitem damnatum ait propter delicias, quia deliciæ causa sunt damnationis. Sicut enim qui morbo febris malignæ oppressus moritur, & febris illa ex nimietate ciborum prouenit, rectè dicimus illum mortuum esse ex multo cibo; sic etiam cùm deliciæ causa sint peccatorum mortalium, rectè quoque dicemus delicias causam esse mortis æternæ. *Luc. 16. 1.* *S. Basil.* *vide Basil. in loci. Philip. 3. 18.*

Matth. 7. agens Christus de saluatione nostra dicit: *Intrate per angustam portam; quoniam lata porta & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam!* Miratur dictum Sanctus Chrysost. hom. 11. in Matth. & ait: Atqui postea dicit: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue, quomodo igitur arctam viam & angustam pronuntiat? Quamquam si diligenter inspicias, illam quoque leuem valde dicit & facilem, quia via est: nam cuncta prætereunt asperа & prospera vitæ huius, & facilis etiam est ex fine: non enim solum transire labores, sed etiam ad bonum properare finem, potest consolationem afferre certantibus. Sunt laboriosa quæ transeunt, sed quæ permanent sunt gloriosa; propter quod Paulus tribulatio-* *Matt. 7. 13.* *Chrysost. Matt. 11. 30.*

nem noſtram vocauit leuem, non vtique ad naturam tribulationum reſpiciens, ſed ad futurorum ſpem: quod enim (*inquit*) momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ non videntur, æterna. *Quòd ſi Nautis immanes illi pelagi ſluctus, ſi tempeſtates & hyemes agricolis, ſi vulnera cædeſque militibus leues & tolerabiles propter ſpem temporalium eſſe videntur; multò magis cùm cælum proponatur in præmium, & æterna & meſſabilia bona, nihil ex præſentibus aduerſitatibus ſentietur.* Ita S. Chryſoſt. Arcta igitur eſt via cœli, quia hæc via eſt paſſionum moderatio, & mortificatio; & ſpatioſa via inferni, quia eſt effrænatio concupiſcentiæ, ſeu ſicut ait in imperfect. S. Chryſoſt. hom. 28 via perditionis eſt omnis iniquitas. Dicitur autem *ſpatioſa*, quia non eſt intra regulam veritatis & diſciplinæ incluſa, ſed per diuerſa carnalium voluptatum diffuſa, & ambulantes in ea non quòd debent agere, agunt, ſed quidquid eos delectauerit, hoc ſequuntur, & voluntas lex ipſorum eſt, & non ipſi ſub lege ſunt, ſed lex ſub illis eſt: via autem vitæ eſt omnis iuſtitia. Dicitur autem eſſe *arcta*, quia intra regulam veritatis & diſciplinæ eſt incluſa, & ambulantes in ea, non quod delectet eos, hoc faciunt, ſed quod debent; quia lex non eſt voluntas eorum, nec lex ſub illis, ſed ipſi ſub lege. Ita ille. Multi ergo ambulant per viam mortis æternæ, quia per latitudinem voluptatum pergunt. Quod expendens S. Auguſt. ſerm. 55. de tempore, ait: *O infelix voluptas, quæ per dulcedinem tranſitoriam, præparat æmaritudinem ſempiternam! vigilia verò, orationes, & ieunia per anguſtias breues perducunt ad delicias paradiſi, quia non mentitur Veritas, quæ dicit: Arcta eſt via quæ ducit ad vitam.* Ita S. Auguſt.

2 Cor. 4. 17.

Chryſoſt.

Auguſt.

Prop. XX. *Quàm ſtultum ſit propter delicias damnari.*

CVm Lyſimachus Rex (vti refert Plutarchus libro de tuenda valet.) inter Scythas obſeſſus, ſitique conſtrictus, ſeſe, & exercitum ſuum pariter dediſſet, ac inde frigidam ob id à Scythis exhibitam bibiſſet aquam, *Dij boni*, inquit, *quàm breuis voluptatis gratiâ magnam depoſui felicitatem.* Etenim multò meliùs id aſſerere poſſunt hi qui ob momentaneas ac leues mundi voluptates, ſempiternam incurrunt damnationem. Bone Deus, quàm vanæ voluptatis causâ damnati in perpetuum ſumus! ſiquidem ſempiternus dolor animum damnati mordebit, vulnerabitque vulneribuſque memoriam. Hinc nos aduerſùs has miſeras voluptates arma aſſumere oportet, & dicere: Abite crudeles, non minùs quàm leues, ac breues, voluptates: abite hinc: neque enim tam mente captus ſum, vt pro temporali & vana voluptate æternos cruciatus inferni ſubire velim. *Que contentos y regalos deſte mundo pueden hazer contrepeſo al peſo de la condenacion eterna.*

Prop. XXI. *Deliciæ reprobationis, aduerſitas reprobationis ſignum eſt.*

SVnt qui exiſtimant ſe aduerſâ quidem agitari fortunâ, cùm in ſordibus & ſqualore verſantur: nec Deum curam eorum gerere, ſed eos odio proſequi: nam ſi amore & benevolentiâ complecteretur, in tot calamitates & miſerias deuenire non pateretur, ſed illos potiùs cœleſti cibo reficeret, & in ſuo gremio foueret. Falleris (mihi crede) quiſquis id arbitraris, & fallaci opinione deciperis; intuere Chriſtum Dominum Dei filium, in ſolitudine commorantem, & intelliges haud perperam inter ſe connecti præſtantiſſimi Dei filij dignitatem, & deſertæ ſolitudinis humilitatem, ieiunia, hoſtis incurſiones, aſperam viuendi rationem, cum Filij Dei felicitate, tranquillitate, & rerum omnium affluentia. Ne exiſtimes Deum tui oblium, cùm teipſum laboribus circumuentum contemplaris; ſed animaduerte, & conſidera tunc tecum præclare agi, & Deum tibi propiùs adeſſe; vt tuis rationibus conſulat, gloriâ & dignitate cumulet. Audi Dominum, cuius verbis fidem non adhibere maximum impietatis genus eſt, *Cum ipſo* (inquit) *ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.* non indicat Dominus his verbis, ſe oblitum eſſe illius, qui in laboribus verſatur, ſed peculiari quâdam ſuaui prouidentiâ ad illos accedere Dij gentium cultores ſuos ducebant in frondoſa nemora, & valles opacas, quibus in locis ſuadebant illis, vt liberos ſuos mactarent, & innocentem ac innoxium ſanguinem effunderent, diemque illum, tamquam ſibi & liberis iucundiſſimum, colerent memoriâ ſempiternâ.

Et ſi adhuc vultis, vt luce clariùs appareat, quàm ratione gerat Dominus cum filijs ſuis; meminiſſe oportet illarum vaccarum quæ portabant arcam fœderis, quas, confecto itinere, mactarunt ſacerdotes, plauſtrumque, cui arca erat ſuperimpoſita, in fruſta ſecantes, in pyram ſtruxerunt, ita vt igne admoto crematæ ſint vaccæ, & Deo in holocauſtum ſuauiſſimi odoris oblatæ. Quid hoc Domine? hanc mercedem rependis vaccis? Hæccine reddis pro labore & ſudore ſuſceptoin perferenda fœderis arca? cur præcipis vt mactentur & comburantur vaccæ? nónne labor itineris promeretur, vt in frondoſa nemora & virentia prata ducantur, vt ibi paſcantur, & laboris fructum percipiant? cur igitur afficiuntur morte? quia præclarè cum illis agitur, cùm in Dei honorem & gloriam mactantur. Inde facilè colligetille, qui Dei cultui & honori vacat, præclarè cum illo agi, cùm Deus præcipit vt effrænatum appetitus cupiditatem coerceat, & tanquam victimam feriat & mactet, & ſeipſum abneget, ac Deo in ſacrificium offerat. Id enim adeo magnum beneficium eſt, vt illo duntaxat cumulatè perſoluat Dominus, quidquid laboris ſuſcipitur in perferenda humeris arca fœderis, in qua tabulæ diuinæ legis aſſeruantur. Accidit enim ſæpè, vt poſt maximos labores Dei causâ ſuſceptos, diuinam quandam voluptatem & Domini delicias expectes, & vt te in hoc gremio excipiat, foueat, & oblectet; ille autem crucem paret, in quam rapiaris: quod non indignationis, ſed maximum amoris & benevolentiæ argumentum eſt. Væ vaccis pinguibus, quæ paſcuntur in pratis. *Audite* (inquit Amos) *verbum hoc vacæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ. Iuranit Dominus Deus ſancto ſuo: quia ecce dies venient ſuper vos, & leuabunt vos in contu, & reliquias veſtras in oliis feruentibus, &c.* O voluptates miseras, & infelices, quibus tot mala imminent, & ruinæ impendent! ſaginentur modò vaccæ iſtæ pauperum ſanguine, vt inter candentes inferni carbones poſtmodum igni inextinguibili torreantur.

In Leuitico habetur: *Si de auibus holocauſti oblatio fuerit Domino, offeret eam ſacerdos ad altare, & retorto ad collum capite, acrupto vulneris loco, decurtere faciet ſanguinem ſuper crepidinem altaris, confringetque aſcellas eius, & non ſecabit, holocauſtum eſt & oblatio ſuauiſſimi odoris Domino.* Cur Domine auiculam, quæ ibi offertur, in ſacrificium ita aſperè affici & affligi præcipis? nónne dignius eſſet benignitate tua illam in libertatem vendicare, vt intra domum tuam liberè volitaret? in templi vmbone conſideret, ſuauiſſimoſque interdum cantus funderet? Quid? nónne diabolus crudelis & ferox voluit vt vituli aurei, quos conflauit Icroboam, pingues eſſent, & in altari collocarentur, vt Hebræus populus coram illis genua flecteret, ac cultum & honorem Deo debitum illis exhiberet? Animaduerte maximum diſcrimen inter iuſtos & peccatores, hos dæmon blanditijs irretit, honoribus illaqueat, voluptatibus

bus demulcet, pauperum sanguine saginat, diuitijs cumulat, & suauissimis epulis obleçtat, ac efficit, vt alij coram illis genua flectant, honorem exhibeant, & ad tantæ dignitatis cacumen simulatione decepti ascendere conentur: sed tandem post tantam rerum omnium affluentiam illos in acerbissimos inferni cruciatus deturbat. Deus autem multò secus se gerit cum illis, quos diligit, caput contorquet, oculos eruit, ne videant voluptates, quarum amore capiebantur. Quo fit vt qui priùs sibi indulgebant, & in luxum & delicias oculos intendebant, ratione mutata oculos ad pœnitentiam conuertant, & seipsos macerent, torqueant, & affligant: deinde illorum ascellas confringit, ne se in altum efferant, sed in terram deprimantur, nec de elatione, sed de animi submissione cogitent: plumas euellit, bonis fluxis & perituris denudat, ac tandem illos percutit, ferit, & mactat, & exangues reddit. vnde qui se hac ratione tractari animaduerterit, lætetur & gaudeat: quia id maximum sempiternæ salutis argumentum est.

Præcepit etiam Dominus vt sacerdos sumeret duos hircos, & stare faceret eos coram Domino in ostio tabernaculi testimonij, ac mitteret super vtrumque sortem: vt sortibus decerneretur, quis illorum hircorum Domino contingeret, & ille mactaretur; alter verò peccatis populi onustus liber dimitteretur: vt per frondosas syluas & virentia prata liberè vagaretur, & quà vellet pasceretur. Origenes in his duobus hircis omnium hominum sortes exprimi putat. Aliqui Deo contingunt, alij dæmoni; qui Dei sunt, ignem, ferrum, & omnia tormentorum genera perferunt, ac tandem in sacrificium mactantur: qui autem dæmonis sunt, libertate donantur, & instar hirci emissarij frondosa nemora adeunt, florida prata lustrant, liberè vagantur toto orbe terrarum, ac omni voluptatum genere perfruuntur. Mirabile hoc! qui peccata populi portat, ad liberam & tranquillam vitam voluptatibus refertam tenditi, qui verò in Dei domo remanet, concluditur, affligitur, & mactatur. Hinc facilè intelliges quantum præstet seruitus libertati, & vita laboribus & cruciatibus obnoxia vitæ voluptatibus & oblectationibus refertæ; illud enim felicitatis & salutis æternæ argumentum est: hoc autem infelicitatis, & damnationis sempiternæ. Melius igitur nobis erit, vt viâ dextrâ, æstuosâ, salsugine refertâ, & spinis consitâ iter agamus, quam viâ frequenti, floribus exornatâ, omnibus delicijs ac corporis oblectationibus affluenti: quia hæc ad mortem æternam ducit, illa verò ad vitam sempiternam, &c.

Prop. XXII. *Quàm difficilem curationem habeant qui se delicijs tradunt.*

Sanct. Gregor. Nyssen. de oratione Dominica, in id, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. *Forsitan*, inquit, *Moyses per ænigmata atque inuolucra verborum philosophari mihi videtur, qui voluptatis, quæ gustu percipitur, serpentem Euæ suasorem adhibuerit. Aiunt enim hanc bestiam, serpentem, inquam, si compagi, & commissuræ quum serrepere conetur, caput subduxerit, & perpulerit, haud facilè à posteriori parte ab obnitentibus posse retrahi per dorsum, squamâ naturaliter aduersùs vim attrahentium resistente: & quod facere non prohibetur ab anteriore parte elabi atque penetrare nitens, leuitate squamæ labente, id à posteriori parte resoluere atque retrahere tentans, obnitente vi squamarũ assequi non potest* (quando entra la serpiente por el aguiero, entran las escamas a pelo, y asi entran facilmente y suauemente; però quando la tiran para facarla, van al redeopelo, y asi no ay sacarla, o con mucha dificultad) *ostendente (vt opinor,) Scriptura, quòd voluptatem introeuntem, & animæ dorso obrepentem, cauere oportet, & quàm maximè fieri potest, vitæ compages obtu-*

rare. Quòd si aliquem aduersùs nos locum nactus fuerit hic voluptatis serpens, propter squamas ex mentis recessibus, & latebris haud facile potent extrahi. Porrò squamas cum audis multiplices, ac varias voluptatum materias, & occasiones, per ænigma, & inuolucrum verbi intellige. Vitia enim generali verbo bestia est, voluptatis affectus. sed variæ multiplicesque voluptatum forma vitæ humanæ per sensus immixta atque inhærescentes, hæ squamæ serpentis sunt varietate affectuum, quasi maculis, distinctæ. Si igitur fugis bestiæ contubernium, & cohabitationem, caue caput, hoc est, primum malæ impetum, & incursum. Ad hoc enim pertinet illud Dominj ænigma, Ipse insidiabitur calcaneo tuo, & tu obseruabis caput eius. Ne des autem serpenti ad interiora irrepenti, & à primo initio omne simm volumen simul inserenti. mane atque cõsiste invsu necessario, terminus esto tibi solicitudo vitæ tuæ, per res obuias & parabiles defectus expleto. quòd si tecum quoque cõsitarius Euæ sermocinetur, de eo quod aspectu pulchrũ, & gustu suaue sit, & præter panem tale obsoniom, talibusque condimentis paratum quæras, deinde per hæc appetitum extra terminos vsus necessarij educas, tunc videbis serpentem latenter ad auaritiam deinceps prosepentem. Cùm enim à necessario cibo ad ingluuiem serpserit, ad id quod aspectu incundum est transibit, vasa splendida, & elegantia quærens, ministros quoque venustos & delicatos, argenteos lectos, strata mollia, tegumenta pellucida, & huiusmodi alia. ad hæc autem reddatibus opus est, per quos conficiantur, & comparentur ea quæ desiderantur, & requiruntur. Deinde post ingurgitationem, & repletionem stomachi, ad libidinem delabetur. Vt igitur nihil horum accidat, obsonium quære quod à natura ipsa tibi paratur. Id autem potissimùm bona conscientia est, iusto vsu panem condiens. Quod si etiam gustum mulcere vis, obsonium tibi sit fames, cibum tuum præcedant labores. In sudore, & labore, inquit, vescēris pane tuo. Ac deus qui educit panem de terra, dat cornos pascenti, qui dat cibum omni carni, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione, & omne animal bona voluntate replet: a te mihi vita est, a te quoque mihi subsidium vitæ contingat: tu da panem, id est, ex mitis laboribus cibum ad piscar. Ita Sanctus Nyssenus.

Prop. XXIII. *Quàm perniciosæ deliciæ sint reipublicæ.*

Philostratus in Soph. *Dionysius sophista* (inquit) *dicere consuenit, mel summo digito, non cana manu esse gustandum: sentiens voluptates quam parcissime admittendas esse.* Ita ille. nimirum quia fons, & origo plurimorum malorum sunt, & primò certum est pernicio sas esse toti Reipublicæ. Vnde Plutarch. in Apoph. Laconicis refert, quæsiuisse quendam ab Agesilao Lacedæmoniorum rege, quid Spartæ attulissent Lycurgi leges? Qui respondit, *Voluptatum*, inquit, *contemptum: id cum videlicet eam rempubl. cam esse salutem, in qua leges sub optimo principe omnes arcent voluptates.* Ita ille.

Quare meritò Pythagoras (vt refert Laertius lib. 7 c. 1.) aiebat, *In ciuitates prius irrepsisse delicias, mox saturitatem, deinde violentiam, postremò exitium.*

Et Cicero in Catone Maiore ait: *Architas Tarentinus nullam pestem in mundo capitaliorem esse dicebat, quàm corporis voluptatem: hinc enim patriæ proditiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nascuntur, nullum denique scelus, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impellat; stupra verò, & adulteria, & omne flagitium nullis aliis illecebris excitantur, nisi voluptate.*

Hinc etiam Heraclitus Philosophus, sicut in Apoph. antiquis refertur, in seditione quadã interrogatus, vt ad populum sententiã diceret, quo pacto ciuitas in cõcordiam redigi posset. Consensio suggestu poposcit calicem aquæ frigidæ, & paululum farinæ inspersit, mox leguminis genus quoddam admiscuit, deinde epoto calice discessit, nihil dicens. hoc pacto innuens ita demum rempublicam tutam fore & conseruari, repudiatis videlicet delicijs, frugalitatem amplexando.

Ideo Lycurgus, sicut refert in Laconicis Apoph. Plutarch. omnem vnguentorum vsum Lacedæmonijs interdixit, non ob id tantùm quòd oleum odoribus vitiatum nullum haberet vsum, sed vt omnem luxum Reipublicæ pernicioſum eſſe oſtenderet.

Hinc etiam rex Xerxes iratus Babylonijs quòd à ſe defeciſſent, poſteaquam illos in poteſtatem ſuam redegit, interdixit ne ferrent arma, ſed pſalterijs, ac tibijs canerent, ſcorta alerent, cauponas haberent, & ſinuoſis tunicis vterentur, quò voluptatibus eneruati, defenſionem denuo non molirentur.

Prop. XXIV. *Deliciæ reddunt inutilem hominem etiam ad negotia temporalia.*

Chryſoſt. SAnctus Chryſoſt. oratione 6. de Fato. *Non ſolùm ad futura, & rationes ibi reddendas, ſed neque ad res præſentes eſt vtilis deliciosus, vel idoneus, ſed omnino deridendus, tum in rebus ciuilibus, tum in priuatis. Vnde ſi aliquid vrget, quod ſit conficiendum, nullam prouidentiam, nullam adminiſtrationem habere inuenietur, ſed facilè ab inimicis capitur, amicis autem & propinquis omnibus inutilis eſt, neque ſolùm in periculis, & difficultatibus facilè euertitur, ſed in rebus pacatis, & tranquillis intolerabilis eſt, & in afflictis, & perturbatis, propter animi immodeſtiam, vnicuique rei obiectæ ſuccumbet. Ignauia enim, & exanimatio, & formido ingens, & temeritas magna eum occupabit. Hic, inquam, in his rerum perturbationibus, illic verò audacia, ſocordia, luxuria, immodeſtia, ſuperbia, & arrogantia intractabilem facit: non enim ſolum corpora eorum deformata, languida, & fluentia, & odoris grauitate intolerabili vndique ſunt completa: ſed anima multò magis corpore deformata eſt, multoq; maiores, quàm corpus agritudines ex hac mollitie ſuſcipit. Quemadmodum enim corpus non* *Similè.* *modò ſecundum naturam excrementa emittit, ſed omni ex parte vberrimè multa profundit. Nam & oculi & nares, & ora eorum qui hac abundantia grauatur habitu terrimo & corruptione complentur, & ipſa carnis natura flaccidior, quàm pro naturali temperatione, quaſi cano & inquinatiſſima illuuie expleta, putida & ineris exiſtit, atque ad omne bonum factum inexercitata.* Ita S. Chryſ. quem etiam vide prop. ſeq.

Prop. XXV. *Deliciæ ipſi corpori nociuæ ſunt.*

Ser 6 de Aduent. SAnct. Bernard. *Animabus, & non corporibus aſſignatum eſt tempus hoc, quòd videlicet dignior anima corpore, priorem ſolicitudinem naturali dignitate vendicet ſibi; corporis verò curam illi tempori magis reſeruemus, quo reformandi corporis gratiâ Chriſtus eſt venturus: ſicut meminit Apoſtolus, dicens:* *Ad Phil. 3.20.* Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. *In priori autem ad-* *Cap. 1. 29.* *uentu Ioannes clamat:* Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, *non dicit morbos corporis, non moleſtias carnis, ſed peccatum, quod eſt animæ morbus. Si ergo membra Chriſti volumus inueniri, ſequendum eſt à nobis caput noſtrum, vt videlicet prima nobis reparandarum ſit ſolicitudo animarum, pro quibus Chriſtus venit, & quarum priùs mederi ſtuduit corruptioni; corporis verò in tempus ſequens reſeruemus. Propterea noli, ô corpus, præripere tempora: potes enim impedire animæ tuæ ſalutem, & tuam ipſius operam non potes. Omnia tempus habent, patere, vt nunc anima pro ſe laboret, magis autem etiam collabora ei, quoniam ſi compateris, & conregnabis, & quantùm eius impedis reparationem, tantùm impedis tuam: quia antea reparari non poteris, donec ſuam in ea Deus imaginem videat reformatam. Nobilem hoſpitem habes, ô caro, & nobilem valde, & tota ſalus tua de eius ſalute pendet: da honorem hoſpiti hoſpitāti tanto. Tu quidē habitas in regione tua, anima verò peregrina & exul apud te eſt hoſpitata. Quæſo te, qui ruſticus, ſi forte nobilis & præpotens quiſquam apud eum voluerit hoſpitari, nónne libenter in angulo domus ſuæ, aut ſub grad. bus ſuis, vel in ipſis cineribus accubabit? cedens hoſpiti ſuo locum (ſicut dignum eſt) potiorem. Et tu ergo ſic ſimiliter, & attende quid tibi hoſpitis huius præſentia largiatur: ipſe enim eſt qui tribuit tibi oculis viſum, & auribus præſtat, ipſe eſt qui linguæ vocem, palato guſtum, totam membris omnibus ſubminiſtrat. Si quid vitæ, ſi quid ſenſus, ſi quid in te decoris eſt, huius hoſpitis beneficium recognoſce, denique receſſus eius probat quid præſentia conferebat: protinus enim anima diſcedente, lingua ſilebit, oculi nihil videbunt, obſurdeſcent aures, corpus omne rigebit, facies expalleſcet, in breui totum cadauer putidum ſimul & putridum fiet, & decor omnis in ſaniem conuertetur: vt quid ergo pro temporali delectatione lædis hoſpitem iſtum, quam nec ſentire quidem poteras niſi per ipſum?*

Ad hæc, ſi tantum tibi confert hoſpes iſte exul, & inimicitiarum cauſa à facie Domini ſui eiectus, quantum tibi præſtabit reconciliatus? Noli ergo corpus impedire reconciliationem illam, quoniam grandis tibi ex illa gloria paratur, patiente imò libenter temetipſum expone ad omnia, nihil diſp mulce, quod huic videatur reconciliationi poſſe prodeſſe, dic hoſpiti tuo, quia recordabitur Dominus tui; & in gradum priſtinum te reſtituet, & tu meminto mei. Omnino enim memor erit tui in bonum, ſi bene ſeruieris illi, & cum peruenerit ad Dominum ſuum, ſuggeret ei de te, & loquetur bonum pro bono hoſpite, dicens: Cùm in vltionem culpæ ſuæ exulerat ſeruus tuus, pauper quidam, apud quem hoſpitatus ſum, fecit miſericordiam in eum, & vtinam retribuat prome Dominus meusquia ſemetipſum expoſuit pro me, non parcens filij, in ieiunijs multis, in laboribus frequenter, in vigilijs ſupra modum, in fame & ſiti; in frigore & nuditate, quid igitur? profectò non mentietur Scriptura quæ dicit: Voluntatem timentium ſe faciet, & *Pſal 144.* deprecationem eorum exaudiet, *ipſe Dominus, Deus ipſe ſo-* *rex gloriæ deſcendet ad reformanda corpora noſtra, & conſi-* *guranda corpori claritatis ſuæ. Quanta erit illa gloria! quam ineffabilis exultatio, quando creator vniuerſitatis, qui pro animabus iuſtificandis humilis antea venerat, & occultus pro te glorificanda! O miſera caro! ſublimis veniet, ac manifeſtus, non iam, inquam, in infirmitate, ſed in maieſtate ſua. Quis cogitabit diem aduentus eius, quando deſcendet cum plenitudine luminis præcurrentibus Angelis, & tubæ concentu excitantibus de puluere corpus inops, & rapientibus iſtud obuiam Chriſto in aera? Quouſque igitur caro miſera, inſipiens, cæca, demens, & prorſus inſana, tranſitorias & caducas conſolationes queris? imò non conſolationes, ſed deſolationes. Si fortè contingat repelli, & indignam iudicari hac gloria, & in æternum pœnā excruciari, delectetur fratres in huiuſmodi conſideratione mea noſtra, quin etiam caro noſtra requieſcat in ſpe, Saluatorem expectans Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit eam configuratam corpori claritatis ſuæ. Sic enim ait Propheta:* Sitiuit in te anima mea: quàm multiplicitèr tibi caro mea. *Deſiderabat quidem anima propheta in aduentum priorem, quo ſe nouerat redimendam; ſed multò amplius caro deſiderabat aduentum poſteriorem, & glorificationem ſuam: tunc enim implebuntur deſideria noſtra, & plena erit gloriâ Domini omnis terra.* Ita S. Bernard. qui huiuſmodi apoſtrophæ ad carnem noſtram optimas rationes aſſignauit, quibus animus noſter ad ſuperandas carnis delitias & voluptates debeat ſuaderi.

Chryſoſt. Sanctus Chryſoſt. orat. 6. de Fato: *Sicut terra timidi aquarum copiā ſuperata, calorem ſuum ac naturalem deperdit, & robur amittit, & neque ad culturam ſuam, neque ad fertilitatem idonea eſt. Sic grauibus, & inſanabilibus morbis corripitur deliciosus, tremore, & diſſolutione membrorum, tabe, grauedine pedum, manuumque cruciatibus, & pluribus aliis, quibus medici aſſerunt illos obnoxios eſſe. Quare licèt gehenna non eſſet, neque animaduerſio, neque damnatio extrema à Deo, neque alia ſexcenta, quæ à delicijs oriuntur; ſed hæc ſola adeſſent, an non ſatis eſſet ad omnes à delicijs auertendos. Mortiferis enim venenis nihilo melius huiuſmodi ſunt delicæ, imò verò ſi verum dicendum ſit, multò peius, multò deterius. Venenum quippe ſumentem confeſtim à medio tollit; delicię verò vitam multis mortibus miſerabiliorem his afferunt, & turpem, & aſpernabilem. Reliquæ item ægritudines permultos habent,* *Similè.* *qui*

qui condoleant; quæ verò ex delicijs, & ebrietate oriuntur, nec eos qu.dem, qui intuentur, permittunt vt compatiantur. Sed magnitudo mali ad mi, ericordiam instlectit: materia ægritudinis fuientem exasperat. Neque enim à natura perturbantur, vt alij infirmi, neque ab hominibus insidijs appetuntur, sed voluntariè ipsi huiusmodi ægritudinis sibi causa sunt. Sicut igitur eos, qui laqueo se suspendunt, vel qui per locum præcipitem se dejciunt, vel gladio se confodiunt, non nullùm commiserantur; ita neque istos. Quamquam si venia danda sit, etsi minimam omnium veniam merentur, facilùs tamen illi, quàm hi eam assequerentur. Illi enim vel calumnijs, vel pecunijs multati, aut imminens malum metuentes, aut aliquid terribile horrentes, vt maioribus se malis eripiant, ad hæc tanquam ad portum confugiunt; hi verò cùm nihil tale timeant, vitæ, sexcentis violentis mortibus asseriori, voluntariè seipsos tradiderunt. Opportunè igitur hoc loco commemorari potest illud Sapientis, Quis commiseratur eum, qui incantat, si à serpente mordeatur, aut vllum alium, qui ad bestias se accommodat? *Bestia enim quædam intractabilis, delicia sunt: nec scorpio aut vipera in viscera nostris inhærescens, ita nos perpetuò vexat, vt hæc deliciarum cupiditas omnia euertit, atque consumit. Bestiæ quippe illæ corporibus tantùm insidiantur, hæc ijsdem se collocauerit, corpus vnà cum anima vastat. Si vera igitur sunt, quæ dicuntur, parcite corporis robori, parcite animæ, parcite sanitati. Nostri victus nobis terminus sit, quod non lædat, quod famem sine offensione depellat, ac nihil vlteriùs requiramus.* Ita S. Chrysost.

Prop. XXVI. *Deliciæ ad paupertatem deducunt.*

Maxim. serm. 61. Plato ille sapiens generosum conspicatus adolescentulum, patrimonio consumpto ad fores Pandochij panem edentem, & aquam bibentem. *Si*, inquit, *sic moderatè prandisses, nunquam sic modò cænares.* Ita ille.

In Apoph. regum refertur, quòd, cùm eques quidam ingens patrimonium per luxum ac delicias absorbuisset, & insuper magnam æris alieni vim contraxisset, pro hoc intercedentibus quibusdam apud Alphonsum Arragonum regem, ne saltem quæ debebat corpore luere cogeretur; Alphonsus respondit: *Si tantam pecuniam vel in su regis obsequio, vel patriæ commodis, vel subleuandis propinquis impendisset, audirem; nunc autem quoniam tantas opes impendit corpori, par est vt corpore luat.*

Prop. XXVII. *Quàm inuisi Deo sint qui se delicijs tradunt.*

Ponderat Sanctus Bernard. serm. 3. in Natali Domini, reuelationem natiuitatis Domini pastoribus factam, dicens: *Quàm multi nobiles secundùm carnem, quàm multi potentes, quàm multi sapientes sæculi huius, horâ illâ natalis Christi in stratis mollibus quiescebant, & nemo eorum dignus habitus est nouam videre lucem, scire magnum illud gaudium, & Angelos audire canentes: Gloria in excelsis Deo. Agnoscant igitur homines, quia qui in labore hominum non sunt, visitari ab Angelis non merentur: agnoscant quàm placeat superna ciuibus labor, quandoquidem & eos, qui pro victu corporis, corporali virgente necessitate, laborant, suo dignantur alloquio, & alloquio tam felici. Nimirum humanam in eis agnoscunt ordinationem, quâ constituit Deus, vt in sudore vultus sui vescatur Adam panc suo. Væ vobis diuites, qui habetis hîc consolationem vestram, vt tam non mereamini habere cælestem.* Ita Sanctus Bernard. Quis igitur non horreat se tradere delicijs mundi huius? &c.

Prop. XXVIII. *Christus Dominus ad crucem, non ad delicias nos vocat.*

Dvctus est Iesus à spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo. non duxit spiritus Iesum in amœnos hortos, & virentia prata, sed in desertam solitudinem, vt inter animantia rationis expertia degeret, sine tecto, sine lecto, sine supellectili, aut cuiuslibet rei præsidio, & adiumento, integros dies, & noctes ieiunus traducebat: tantùm abest, vt aut arborum radicibus victitaret. humi iacebat: nec enim illi suppetebant stragula, aut puluinaria, preces fundebat ad Patrem, à Satana impetebatur. In hunc locum Spiritus sanctus ducit filios Dei, non vt requiem quærant, sed vt laboribus exerceantur. Non ducit illos in forum hominibus frequens, sed in desertam solitudinem; non vt conuiuijs interfint, sed vt ieiunijs corpus macerent; non vt ludicris sermonibus tempus conterant, sed vt diuinis commentationibus vacent: quia spiritus Domini non ducit ad corporis oblectamenta. Audi Apostolum: *Qui secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui verò secundùm spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt.* Si autem quæras quæ dicantur opera carnis, quæ verò spiritus? Præclarè respondet idem Apostolus: *Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia.* ad hæc opera ducit spiritus nequam. Ad quæ autem ducat Spiritus Domini, declarat idem Apostolus, cùm subdit: *Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, &c.* & finem imponit, dicens: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis, si spiritu viuimus spiritu & ambulemus.* Quasi dicat, vultis cognoscere, an Christi sitis, & eius spiritu agamini; animaduertite opera: illa enim indicant, & declarant, quo spiritu homines ducantur.

Satis apertè ostendit Sapiens, quò ferantur qui carnis spiritu ducuntur, cùm eos sic secum colloquentes introducit: *Venite, fruamur bonis quæ sunt: vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Non texunt impij spinarum coronas, sed rosarum, & florum, non adeunt desertas solitudines, sed florida prata, in quibus instar belluarum pascantur, & omni voluptatum genere perfruantur, non appetunt inediam, sitim, & ieiunia, sed lauta & opipara conuiuia quærunt, edulia & suauia vina conquirunt: eò enim ducit spiritus carnis. At Spiritus sanctus inuitator est ad pœnitentiam. *Qui vult venire post me,* (ait Christus) *abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Non inuitat ad epulas, non ad hortos floribus amœnos, arboribus consitos, fontibusque conspicuos, sed ad crucem, & sui abnegationem. Nemo vos seducat, aures arrigite, oculos intendite, spiritus ille qui vos ad corporis luxum, ad blandimenta naturæ, & carnis oblectamenta trahit, carnis spiritus est; at spiritus ille, qui vos suauiter allicit, vt pœnitentiæ operam detis, ieiunia sectemini, castigationem corporis amplectamini, silentio & orationi vacetis, cilicio induamini, & animum confessione expietis, eumque cœlesti cibo reficiatis, Spiritus sanctus est. Spiritus nequam ille est, qui filium prodigum, & profusum expulit in terram longinquam, in qua corporis oblectamenta, quæ sectatus est, patrimonium dissiparunt, & tandem in tantas angustias redactus est, vt porcorum siliquis, fame enectus, auidè vesceretur. At verò Spiritus sanctus ille fuit, qui hunc adolescentem ad rectam viuendi rationem reuocauit, & in parentis domum reduxit: cuius afflatu excitatus, ait: *Ibo ad patrem meum, & dicam: Pater, peccaui in cælum, & coram te, &c.* Quid? pœnæ

nónne Dominus Apostolos maximo amoris affectu A
complectebatur? quâ ergo viâ illos duxit? Audi Apostolum: *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, &*
1. Cor 4. 1. *nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus manibus nostris, maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus, omnium peripsema vsque adhuc.* Quis crederet Apostolorum viam, asperam, difficilem sentibus & spinis septam futuram fuisse, nisi id Paulus diceret, & quotidiano experimento comprobaretur?

PROP. XXIX. *Deliciæ dedecent homines.*

EX duabus partibus homo constat, corpore scilicet, & anima, quarum primam communem cum bruris habet, alteram verò ita propriam, vt ea brutis distinguatur. Anima igitur præcipua est hominis pars, & à qua propriè dicitur homo, & est, quod Anaxarchus Philosophus magnâ animi constantiâ, & non tam verbis, quàm facto, gentiles docuit: hic enim licèt gentilis, cùm captus esset à rege quodam inimico, nomine Nicocreon, qui arreptum eum in mortarium coniecit, & ferreis pistilis contundi fecit; tunc celebrem illam protulit vocem: *Tunde Anaxarchi tuniculum: nam Anaxarchum non poteris.* Ita refert Laertius lib. 9. cap. 10. Qua quidem voce præcipuam hominis partem & dignitatem in anima constituit; corpori autem vix aliud, quàm quòd opperimentum, ac veluti receptaculum esset, tribuens. Hæc autem sententia vehementer acuit eos, quis animi curâ prorsus neglectâ, omne suum studium ad corporis commoditatem & voluptatem conuertunt. Sic enim nonnulli iam viuunt, vt nullum numen credere videantur: sic etiam aliqui se gerunt, vt vel se animas nõ habere, vel eas cum corporibus interire, arbitrentur, adeò se corporibus curandis, & fouendis addixerunt. quo quid indignius homine? quid indecentius? Si animam rationalem, & immortalem non haberent, non ita mirum foret, quòd bestiarum more, qui se nihil supra bestias habere senserunt, vitam instituerunt; at qui se animabus spiritualibus, & æternis constare profitentur, quam, quæso, excusationem habebunt?

Et quidem licèt hi corporibus suis fauere videantur, nihil tamen minùs: nam, sicut Democritus dicere solebat, si corpus animum in ius vocaret, haudquaquam futurum vt ille muneris malè administrati effugeret crimen: nam animus in corpore, velut auriga in curru, & gubernator in naui, collocatus est à Deo. Quare in die iudicij, cùm in gehennam animam & corpus damnauerit Deus, plùs corpus de anima, quàm anima de corpore conqueretur. Licèt enim corpus suis affectibus animum in peccata impulerit, animus in manu habenas corporis, & gubernaculum gerebat, & in potestate liberi arbitrij erat, peccare, vel non peccare, consentire vel non consentire, & corpus coercere, punire, & D moderari: corpus autem in se nec rationem, nec iudicium, nec liberum arbitrium habet: quare culpa in animam redundat.

Celebris est ad hoc illa Senecæ sententia epist. 65. *Maior sum, & ad maiora natus, quàm vt sim mancipium corporis mei.* Ita ille. Ponderaverba illa *mancipium corporis*, hoc nomen est illi, qui deliciis & voluptati vacat; & ad temporalia & corporalia bona anhelat: sicut enim mancipium Domino suo indesinenter seruit, & illi soli placere studet; sic mancipium hoc corporis nihil aliud cogitat, quàm quomodo corpori suo placere possit, Deique curâ relictâ, hoc solùm curat, quo pacto vitam aptet, & voluptatibus vacet. Erubescat dum audit Ethnicum dicentem: *Maior sum, & ad maiora natus*: tu enim Christiane, quisnam es? & ad quæ natus? hoc factis asserere mihi videris; ad hoc natus sum, vt sim mancipium corporis mei. hi quidem sunt inimici crucis Christi, quorum finis interitus est.

Seneca epist. 14. *Fateor insitam esse nobis corporis nostri* Seneca.
charitatem: fateor huius nos gerere tutelam: non nego indulgendum illi, seruiendum nego. Multis enim seruiet, qui corpori seruit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, sed tanquam sine corpore non possimus. Huius nos nimius amor timoribus inquietat, solicitudinibus onerat, contumelijs obijcit. Honestum est vt le est, cui corpus nimis charum est. Agatur eius diligentissime cura: ita tamen, vt exigit ratio. Ita Seneca.

Item supradicta verba Senecæ epi. 65. ponderemus, *Maior sum, & ad maiora genitus, quam vt mancipium corporis mei: quod equidem aliter non aspicio, quam ceu comitatum vinculum libertati meæ, nunquam ad me vllum trahere voluisse fino, nunquam me caro vlla compellet ad metum, nunquam ad indignam bono simulationem, nunquam in honorum huius corpusculi mentiar. Cùm visum fuerit, distrahar cum illo societatem, & nunc, dum hærenus, non erimus æquis pauperibus socij: animus ad se omne tuus ducet. Contemptus corporis sua certa libertas est. Vt ad propositum reuertar, huic liberæ multùm confert inspectio Dei, Deus temperat ista, quæ ceu confusa rectorem sequuntur, & ducem. Quem in hoc mundo Deus locum obtinet, nunc in homine animus: quod est in illo materia, id in nobis est corpus. Seruiant ergo melioribus deteriora.* Ita Seneca.

Fateor delicias in mundo laudari: lauta mensa, & opipara, musica suauissima in optimarum conuiuij & festis eorum sonans, comœdia, seu tragœdia, Veneris, & Cupidinis, lectio librorum, qui de rebus amatoris agunt, vestis, & ornatus illustris, & ad hujusmodi quam non in mundo laudem habent? Sed qualis haec laus censenda sit, dicam. Tempore quo mensis tam in Sensis crementa capiunt, iter agis, & optimi hordei campum valde conspicuum, & validum videns. O quàm pulchrum, & copiosum hordeum, inquis: si pulchrum, descende, comede ex illo. Absit; dices, laudo, non quia mihi, sed quia iumentis, & equis vtile sit. Sic laudantur deliciæ mundi, non quia hominibus ratione præditis illæ vtiles sint, sed corporibus eorum, quæ cùm brutis communia ipsi habent.

Amos 6. inuehitur Propheta contra voluptuosos, *Amos 6.*
dicens: *Vt quid opulenti estis in Sion, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem psalterij, &c.* His voluptatibus vacantibus minatur Deus, væ. Infert S. Chrysost. tom. 5. serm. contra luxum, & *Chrysost.*
crapulam, *Si tanta* (inquit) *accusatione digna sunt hæc, quando erant omnia carnalia, & doctrina erat Iudaica, quid dicemus ad præsentem mollitiem nostram? Si arietes, & vitulos lactentes comedere fluxam accusat vitam, quid dicemus de nostris, qui profunda maris perscrutantur, & extrema terræ, & varios animum, & piscium venatores vndequaque sibi colligunt. Etsi bibentes vinum defacatum reprehenduntur, quid diceres de his, qui mittunt transmarinas pro vino professiones? si deuorare lecto vti, dignum est reprehensione, qui multos lectos argento circumdant, imò ex puro argento fabricant, non tantum lectos sed matulas, & lebetes, & furcas; qualem assequuntur venam? Ego hiis addo, quod omnibus est grauius, quod ex alterius calamitatibus hæc collecta sunt.* Ita S. Chrysost.

Psal. 23. quærit Dauid: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde*: hoc est, illi saluabuntur, qui non solùm exteriùs se mundos & iustos exhibent, sed etiam in corde interiùs se mundos seruant, sicut Dominus ait Isai. 1. *Isai. 1.*
Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, &c. Sed speciatim subdit Dauid: *qui non accepit in vanum animam suam*: quid est in vanum accipere ani- *Simile.*
mam suam? etenim in vanum aliquid esse dicimus, cùm eo caret fine, ad quem factum, vel sumptum est: sicut domus illa in vanum facta est, quæ nunquam inhabitatur, & vestis, quâ nemo induitur, &c. Anima hominis

minis facta est ad Deum cognoscendum, & amandum, & eo fruendum, vti ait S. August & non ad merè corporea & vitiosa, quia, verbi gratiâ, ad comedendum & viuendum anima vrsi aut lupi sufficiebat, ad vestes pationis anima satis erat, ad canendum lucinulæ, ad dormiendum multùm gliris, ad lasciuiam equi vel iumenti, quibus non est intellectus, ad vindictam camelij, ad famam lacerandam canis, &c. Vnde rectè S. Bernard. serm. 10. super psal. Qui habitat: *An non se ipsos nescire videntur, qui sic deditis sunt carni & sanguini, ac si omnino nil aliud quàm carnem se reputent esse? Sic in vanum accipientes animas suas, tanquam prorsus ignorent animas se habere, & instar eorum quos tanquam sine Deo in hoc seculo fuisse, Apostolus memorabat.* Ita S. Bernard. qui ad quandam carnalium obiectionem respondens, subdit: *Quomodo dicunt nobis carnales homines: Crudelis est vita vestra, non parcitis corpori vestro; attamen in quo ei magis parcere poteramus? an non melius est semen in agro meliorari, quàm in horreo putrefieri? Sic vos parcitis carni vestræ: simus nos interim crudeles non parcendo, at vos planè parcendo crudeliores. Siquidem etiam nunc caro nostra requiescit in spe; videritis vos ipsi quid ignominiæ interim vestra sustineat, & quid miseriæ eam maneat in futurum.* Ita S. Bernard.

A

B

C

D

ADDITIO.

Vnt quidam ita frigidi, & insensati, vt præsentia tantùm semper inquirant, & illa ridicula dicant verba: omnibus interim fruar præsentibus, & tunc de incertis considerabo. indulgebo ventri, voluptatibus inseruiam. Hodiernum mihi concede, & sume tu crastinũ. O demẽtiæ excessus! & quid ab hircis & suibus ista dicentes differunt? nã si proximi coniugi adhinnientes, nec homines censeri propheta permittit; quis arguet hos hircos & sues, & asinos stolidiores nominans, qui visibilibus manifestiora, dubia esse putant.

Quid enim mali non operantur deliciæ? ex hominibus porcos efficiunt, & porcis deteriores: porcus enim inuoluitur in cæno, & stercore pascitur: hic autem abominabili magis vescitur mensa, huiusmodi nihil à dæmoniaco differt: similis namque fertur impudentia, similique bacchatur furore: & dæmone quidem pressum saltem miseramur, hunc autem auersamur & odimus. Quid ita tandem? quoniam spontaneum ad se trahit furorem, & os, & oculos, & nares, & omnia generaliter diuersoria, ductus & riuos facit furoris.

Edamus & bibamus, eras enim morimur, apud prophetas multi è Iudæis dicunt. at Iudæos hoc dicere, quorum Deus venter, & gloria in ignominia eorum, haud mirabile est. Esse verò quosdam, qui post acceptam gratiam, post præsentium rerum despicientiam, post hanc perfectionem atque absolutionem, quamquam hoc verbis non efferant, factis tamen hoc idem personent, quanta putas reprehensione dignum est? Sunt enim, sunt plane, qui propterea se putant editos in hanc lucem esse, vt deliciis diffluentes, & corpore adipato, & abdomine distento, ita exeant è vita, vermibus sui ipsius corporis delectatus epulum apparentes.

PROP. XXX. *Deliciæ dedecent Christianos.*

Sanct. Chrysost. Non in noua lege solùm, vbi amplior frugalitas, & maiores labores, & magni sudores, & multæ brauia, & ineffabiles coronæ, delicijs nobis interdicitur, sed etiam in veteri, quando Iudæi adhuc asfidebant vmbræ, & velut pueri nutriebantur lacte, & neque tunc vacare delicijs permittebantur: & ne existimetis quòd nos temere delicias accusamus ista dicamus, audite Prophetam. Væ qui opulenti estis in Sion, optimates, capita populorum, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulum de medio armenti: qui canitis ad vocem psalterij, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & non patiebantur super contritionem Ioseph. *Vidistis quantam accusationem contra delicias afferat Propheta! idque cum Iudæis differens insensatis, ingratis, & quotidie ventri deditis.* Ita S. Chrys. Pudeat igitur nos Christianos in ea incidere, quæ ita imperfectos illos dedecebant.

Militia est vita hominis super terram: esta vida es vna continua soldadesca, vnde ipse de se, *Cunctis diebus, quibus* Iob 7 1.
tunc mi lo, expecto donec veniat immutatio mea. Quare non Iob 14 14.
ait cunctis diebus; quibus nunc viuo, sed *multo?* nimirum, quia dixerat: *Militia est vita hominis super terram,* quare eodem verbo vtrobique vsus fuit in Hebræo scilicet *zebai*, hoc est, militia, cunctis diebus militiæ meæ: pugnamus enim assiduè cum diabolo, mundo, & carne, grauis hæc & assidua pugna!

Ex hoc rectè S. Chrysost. infert, dicens: *Non hic remissionem quæramus, nullus enim athleta generosus in stadio balnea quærit, aut mensam cibis & vino redundantem: hoc enim non est athletæ, sed aulici delicati, athleta namque puguat puluere, oleo, solis ardore, sudore largo, tribulatione, atque angustia, hoc est, certaminis tempus, & pugnæ. Igitur & vos nerum, & truoris, & doloris, omnem vitam certamen esse putemus, nec vnquam remissionem quæramus, nunquam in tribulationibus inuisitata pati nos arbitremur: quoniam nec athleta, cùm est id certamine, quid patitur noui, aliud est remissionis tempus, & per tribulationem consummari nos oportet.* Ita ille. Hom. 67. ad pop.

Et quidem, omissis nunc alijs hostibus, pugna, quam cum carne gerimus nostra, delicias omnes fugere suadet: quid enim aliud sunt deliciæ, quàm arma carnis nostræ aduersùs nos? quid igitur aliud agimus, cùm delicias admittimus, quàm carnem contra nos armare? quo quid amentius? imò quid crudelius?

Quid igitur agendum? audi veteranum militem, seu ducem militiæ Christianæ, audi magnum Apostolum Paulum. *Ego autem sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar.* Nota, *non quasi aerem verberans, no soy como faldado sanfarron que à cuchiu a al ayro con decir que hara y aconte cera y al fallo falta. Sed castigo corpus meum,* non delicijs illud mulceo, sed flagellis castigo cur ita? *ne cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar.* Vbi S. Augustinus: *Suo timore nos terruit Apostolus, quandoquidem in stadio vitæ præsentis est nobis cursus, & certamen: victori autem proposita est æterna in cælis corona. Ego sic pugno, vt non sim quasi aerem verberans, id est, non inaniter pugno, sicut ille qui iactat ictus incassum, & pro hoste aerem ferit, scilicet non verbis, sed rebus contendo: quia non sum de illis qui dicunt, & non faciunt, sed castigo iejunijs & afflictionibus corpus meum, ne reprobatus à Deo, & à gaudijs cœlestibus, quæ alijs prædico, ipse fiam. & cum vas electionis sic metuat reprobus fieri, quid de nobis miseru erit, qui nullam adeo Dei vocem audiumus de nostra electione?* Ita ille. Dedecent igitur deliciæ carnis contra carnis concupiscentias militantem. 1. Cor. 9. 26. Matt. 25

ADDITIO.

Empus belli, tempus certaminis; tu verò sedes in delicijs: non vides & regis præpositos in exterioribus castris retineri viuentes? non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem: Tu verò *luctaturus teipsum impinguas? stat striden's dentibus aduersarius, tu verò dissuderis, & mensis vacas. Noui me nequicquam hæc dicere, sed non omnibus.* qui habet aures audiendi audiat. *Christus fame tabescit, tu verò voracitate temetipsum distendis, duæ immoditiæ. Quid enim mali non faciunt deliciæ? sibi ipsis contraria sunt. Vnde nescio quomodo nomen hoc habeant? sed sicut gloria, cùm ignominia sit, & diuitiæ, cùm sint paupertas, vocatæ sunt, sic & deliciæ, cùm inimenditias sint. Numquid enim mactandi sumus, quoniam nos ipsos saginamus? quid lautam vermibus mensam apponis? quid maiorem alis samem? quid fatentes fudorum fontes reponis? quid ad omnia temetipsum reddis inuitem? vis oculum fortem fieri? fac corpus robustum. nam & in chordis, crassa quidem* D. Chrysostomus. Hom. 54. Ephes. 6. 12. Luc. 8 8.

» quidem & immunda ad cantus suauitatem mutilu est: undique vero rasa, intensa est, & consonantissima. Quid animam » obrues? quid parietem facis crassiorem? quid multum fumum » & nebulam, cum vapores tamquam caligo quædam undique » reddantur?

Prop. XXXI. *Quàm indecens sit peccatores delicijs vacare.*

MEritò Sanctus Augustinus serm. 9. de verbis Apost. phreneticis infirmis eos comparat peccatores, qui, cùm flere deberent, rident. Ait ergo: *Periculosius ægrotant qui mentem suis vitijs perdiderunt, illi rident, & sani plorant: videt phreneticus, sed non est sanus, qui mentis est sanæ plorat phreneticum ridentem. Quòd si duo ista proponas, quid sit melius horum, videre, an plorare, omnis homo plorare non vult, sed videre vult; sed tamen si personas addas ad ipsos duos affectus, & dicas: quid est melius videre phreneticum, an plorare sanum? eligat sibi homo fletum cum sanitate, potius quàm risum cum amentia: tantum enim valet mentis sanitas, vt etiam cum planctu eligatur.* Ita Sanctus Augustinus. Ille igitur qui in peccato est, infirmus ad mortem est, & ad mortem quidem æternam, hunc sanguineis lacrymis miseriam, & infelicitatem suam plorare decebat. Quòd si in tam pessimo, & periculoso statu ridet, nónne meritò phreneticum eum esse dicemus, & morti proximum?

Prop. XXXII. *Effœminatorum est delicijs vacare.*

Actor. 13. 41. VIri Ninuitæ *surgent in iudicio*, &c. cur Niniuitas illos viros vocat, cùm plurimi inter eos mulieres, pluresque pueri fuerunt? Rationem subdit Christus Dominus, dicens: *quia pœnitentiam egerunt.* Ieiunauerunt nempe, & operti erunt se saccis, & clamauerunt ad Dominum, Ionæ 3. sic qui pœnitentiam faciunt, viri merentur nomen.

Qui verò delicijs vacant, non viri, sed mulieres, seu pueri dicendi sunt. Sicut enim mulieres vires ad bellandum non habent, & ideo ad bella non procedunt, nec arma capiunt, sed colum ad nendum; sic & isti in spirituali militia aduersùs carnem, & ideo mulieres reputantur.

Sanctus Anton. 1. part. hist. tom. 4. c. 1. §. 4. *Cyrus imperator*, inquit, *gentem Lydorum bellicosissimam sic astutè redegit in seruitutem: tradidit enim eis solemnitates, & ludos, præcipiens vt lusibus, & comessationibus, & voluptatibus vacarent; & quasi benevolentiam eis ostendens, sic eos enervauit, & quos bello non potuerat, per libidinem expugnauit.* Ita Sanctus Antoninus. Et quidem eodem modo nos dæmon expugnat, non tormentis bellicis, non sulphureo puluere, non hasta, & gladio, sed delicijs, & blanditijs, cibis, potibus, vestibus pretiosis, musica, cantu, odorum suauitate, & amœnitatibus mundi, nos effœminatos & debiles reddit, vt faciliùs superet & vincat.

Plut. lib. de liber. educan. *Bellum edusatus in vmbra reputat, macilentus autem miles bellicis certaminibus affectus, pugiles, & structas prælio propulsat acies.* Ita ille. *Mas vale para la guerra vn flaco criado en trabajos, que vn fuerte criado en regalos.* Nimirum, quia deliciæ animum eneruant, & muliebrem effeminatumque reddunt.

Quid est quòd in bello spirituali, quod aduersùs carnem, & mundum, & dæmonem gerimus, plures victi quàm victores euadunt, cùm in nostra potestate sita sit victoria? etenim si in corporali militia quivellet vincere, posset, nullus nostrùm esset qui non vinceret semper; cur ergo non in spirituali? Plutarch. in Apoph. Romanis. *Scipio minor*, inquit, *posteaquam venit in castra, & multam licentiam, lasciuiam, superstitionem, & luxum offendisset, diuinos, ac sacrificos cum lenonibus protinus ejecit,* A *quin & vasa omnia iussit amoliri, excepta olla, vetu, fictili poculo: ex argenteis autem poculum librarum non amplius duarum permisit, si quis habere vellet, balneis vti vetuit, edixit vt milites stantes pranderent obsonium non igni coctum, canarent autem discumbentes panem, aut pultem solam, & carnes assas, siue elixas.* Ita Plutarch. Sensit sapientissimus dux, delicias, & voluptates, homines ad bellandum reddere ineptos. Idipsum dicendum est de pugna spirituali: possunt quidem omnes diuina opitulante gratia omnes vincere diaboli incursus, si velint; at quòd nolint, voluptates efficiunt: trahit enim sua quemque voluptas, qui ergo animæ hostes vincere optas, à delicijs abstineto.

Hinc est quòd, cum Sybaritæ delicijs, & voluptatibus dediti nimis essent, & ex his quidam in Spartam profectus, Lacedæmoniorum duros asperosque mores conspexisset, quasi eorum vitam damnaret, non admirandum est, inquit, si in bellis, ne ita viuerent, moriuntur. Ita refert Brisonius lib. 4. cap. 6. Etenim Lacedæmonij acriter in acie decertabant, & fortiter pugnantes, morti se facilè objiciebam: ideo Sybarita ille videns frugalitatem eorum, & vitæ duritiem, dixit: non ita viuant, libenter in bello moriuntur. Rectiùs dixisset: quia ita frugaliter, & absque delicijs viuunt, mori in pugna non recusant. Id ad bellum spirituale transferamus: qui sensualem vitam degunt, inepti ad pugnam sunt, duritiem (si non mortis) mortificationis quidem recusant, atque adeo vitio sensualitatis suæ tentationibus resistere nolunt: qui autem delicijs valedixerunt facilè tentationibus resistunt.

Vitiorum quidem, & multorum peccatorum causa deliciæ sunt, quia effœminatum & mollem animum reddunt. Inuiserat Lacedæmoniam Diogenes (vti refert Laert. lib. 6.) & inde Athenas reuersus, interrogatus à quodam vnde veniret: *à viris*, inquit, *ad femmas*, notans Athenienses effœminatos mores propter delicias, cùm Lacedæmonij duriùs viuere instituti essent.

Imò in bestias deliciæ homines commutant, vti (referente eodem Laertio) docuit idem Philosophus Diogenes, dicens, eos, qui per luxum in coquos, scorta, & adulatores facultates suas profunderent, similes dicebat arboribus per præcipitia nascentibus, quarum fructus homo non gustaret, sed à coruis, & vulturibusederentur, sentiens eos qui gulæ, & ventri seruiunt, homines non esse ratione participes, sed animalia expertia rationis. ab his igitur effœminatis, ab his verò belluis, quid honestum, quid decorum, quid studiosum possumus sperare?

Vnde meritò Aristot. sicut refert Laertius lib. 5. c. 1. semper admonebat, vt voluptates contemplemur, non venientes, sed abeuntes, hoc est, non à fronte, sed à tergo. venientes enim fucata specie blandiuntur, abeuntes autem pœnitentiam, & dolorem relinquunt, videlicet, quia peccata secum ferunt, peccatorum verò exitus dolor & pœnitudo est.

Hinc est quòd refert Plut. in Apoph. regum, quòd, cùm Persæ regionem haberent asperam, & montosam, & cuperent eam campestri ac molliori commutare, non id passus est Cyrus rex eorum, dicens, sicut plantas, & semina, sic hominum mores ad regionis immutari naturam & modum. Sensit rex sapiens delicijs animos enervari, & effœminari, & ad vitia inclinari. Vnde Antisthenes Philosophiæ amator, in tantum voluptatem execrabatur, vt diceret, *se malle insanire, quàm affici voluptate: insaniam enim medicus aufert; voluptas autem, quæ mentem quoque eripit hominis, vix sanabile malum est.* Ita refert Laertius lib. 6. cap. 1. Mentem igitur sic afficientem quid ni vitiorum matrem voluptatem dicamus?

DESPE-

A 24. *Non detractionem in nos, sed occasionem detractionis, quam aliis damus, timere debemus.*
25. *Boni non debent moueri detractionibus malorum.*

DESPERATIO.

PROP. Vnica. *Nunquam de vllo peccatore quantumuis improbissimo desperandum: & vnde Desperatio oriatur.*

MAgna pœnitentiæ remedia, fratres; igitur de se ipso desperet nemo. is verè dignus est desperatione, qui de seipso desperat: ille non iam salutem, neque spem habet. Non in malorum veniſſe profundum, est graue, dilectissimi: sed postquam veneris, ibi iacere. non in profunda cecidisse malorum est impij; sed postquam cecideris contemnere: propterea debet semper esse sollicitus. Dic mihi; propterea̓ne contemnis, quòd vulnera tot habeas incurabilia? sed nullum est anima vulnus incurabile. In corpore quidem multa sunt talia; in anima verò nullum. Et paulò pòst: B Quid Manasse deterius? Deum tamen habere propitium potuit. Quid Paulo miserius? sed factus est Euangely preco. quid Matthæo deterius? at constitutus est Apostolus. Et paulò pòst: Raab meretrix erat, sed saluata fuit: & latro fuerat homicida, sed paradisi ciuis factus est. Hæc sunt Dei mirabilia. Ita Magi probabiles habiti sunt, ita publicanus Euangelista factus est, ita blaſphemus Apostolus. Hæc intuere, nec vmquam desperes, sed confide semper, & temetipsum excita.

Latronem in paradisum duxit, publicanum fecit Euangelistam, blaſphemũ Paulum, orbis Apostolum, vt peccans tu minus desperes, sed peccatum fatendo debeas.

Ipsi neque malis obruti spe ſternamur, neque bonis abundantes confidamus: sed & proficientes timeamus, ne per confidentiam labamur, & labentes pœnitentiam non recuſemus: stantem considere, & desperare iacentem, perditio animarum est.

Quæ sit mater Desperationis, procliue erit intelligere ex eodem Sanct. Chryſostomo sic de ea disserente.

C *Qua est mater, & radix desperationis? Ignauia: imò quam quis non inepte nominauerit non tantùm radicem, sed illius vicissim & parentem, & altricem: Sicut in cadauere tabes gignit vermiculos, quæ ab ijs iterum augetur: ita & hic. Nam Ignauia desperationem parit, ab ea mutuo & illa nutritur, adeoque dum seruant inter se execrabiles vices dandi, accipiendique, confirmantur in potentiam haud mediocrem.*

Plura de malo desperationis vide apud Zehetnær. in Promontorio malæ ſpei. p. 707.

DETRACTIO.

PROP. I. *Peccata proximorum non sunt manifeſtanda, sed occultanda.*
2. *Iuſtorum est non detrahere, sed excusare proximos.*
3. *Quod neque secretò reuelanda sint alteri aliena peccata.*
4. *Detractio quàm graue peccatum sit, & quàm inuisum Deo.*
5. *Detractio quàm pernicioſum vitium sit.*
6. *Quàm graue peccatum sit detrahere superioribus.*
7. *Quàm graue peccatum sit detrahere iuſtis & bonis.*
8. *Proximos in præsentia reprehendere, in absentia verò laudare debemus.*
9. *Quare mali detrahant bonis viris.*
10. *Detractio procedit ex cordis peruerſitate.*
11. *Detractio ex defectu amoris in proximum procedit.*
12. *Detractio ex inuidia procedere ſolet.*
13. *Noſtra potiùs quàm aliena debemus damnare peccata.*
14. *Detractor scandalum præbet audientibus.*
15. *Detractor plus ſibi quàm alijs detrahendo nocet.*
16. *Quàm moleſta sit, etiam ipſi detrahenti detractio.*
17. *Detractor blandè incipit, ſed poſtea valde mordet.*
18. *Quàm pernicioſa sit proximo detractio fama.*
19. *Detractor tenetur famam reſtituere.*
20. *Detractionis damnum quàm malè refarciri poſſit.*
21 *Detractores non audiendi, ſed reprehendendi sunt,*
22. *Detrahentibus credere non debemus.*
23. *Quando corripiendi sint detrahentes.*

PROP. I. *Peccata proximorum non sunt manifeſtanda, ſed occultanda.*

CVm Ioſeph loquens cum fratribus ſuis, non agnoſceretur ab eis, & vellet ſe eis manifeſtare, quia de peccato eorum agendum erat, & de iniqua illa venditione ipſius Ioſeph. *Præcepit*, inquit, *vt egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ*, & inſuper dixit eis, *accedite ad me*, &c. Philo lib. de Ioſeph: *Iubet*, inquit, *proprius accedere, ne delictum alienum quis audiret.* Ita ille. Et Rupertus lib. 9 in Gen. c. 11. notauit Ioſephum iuſſiſſe, vt omnes egrederentur foras, quò ſe fratribus venditoribus cognoſcendum præberet. *Bene*, inquit, *præcepit vt egrederentur cuncti foras, vt nullus interesset alienæ cognitioni mutuæ: non enim alienis iam communicanda erat domeſtici notitia ſceleris, nec ſub illorum præſentia pius frater voluit edere rem tantæ confuſionis.* Ita ille. Gen. 45.

Vnde Apoſtol. Paulus, *Fratres*, inquit, *ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Nota verba: Si homo, inquit, quaſi dicat, attende hominem eſſe qui peccauit, non Archangelum, ſeu Angelum, ſed hominem ex luto formatum, hominem miſerum, & debilem valde; quare in ſpiritu lenitatis inſtrue illum, non ait, ſeuerè nimis corripe, nec publicè eum argue, ſed leniter, & vt hominem, & fratrem decet, corrige eum. Gal. 6.1

Plutarchus in vita Periclis Ducis optimi Græcorum, ſic de illo: *Propter præclara facinora eius ab omnibus conciuibus ſuis laudabatur: hic ſtatuâ quidem pulcher, capite verò deformis erat: ne autem deformitas eius pateret, pictores populi ſui illum galeatum depingebant, vt galea deformitatem illam occultaret, reliquas verò corporis partes ad vnum exprimebant.* Ita refert Plutarchus. Amorem in illum ſic pictores oſtendebant. Amare nos proximos iubet Deus, *Diliges*, inquit, *proximum tuum ſicut te ipſum.* Sicut igitur pictores Græci, quæ pulchra erant Periclis, ad amuſim exprimebant, quæ verò non talia, artificioſè celabant ob amorem eiusdem nos, ſi verè proximos diligimus; quæ in eis ſunt defectuoſa, operire debemus; quæ verò perfecta & bona, manifeſtare. Matt 22. 39.

PROP. II. *Iuſtorum eſt, non detrahere, ſed excuſare proximos.*

CVm Abſalon aduersùs patrem ſuum Dauid inſurrexiſſet, & bellum ex vtraque parte inſtaret, ſic Dauid duces, & milites ſuos allocutus est: *Seruate mihi puerum Abſalon.* non dixit ſeruate impium illum, parricidam illum, traditorem illum, prout quidem ille merebatur, ſed ſeruate mihi puerum Abſalon: quod lenitatis indicium erat, & puerum non ſine magna charitatis ſignificatione appellauit. Ponderauit hoc S. Ambroſ. ſerm. 7. in Pſalm. 118. dicens, *Quod impietatis erat, tacuit, quod infirmitatis, expreſsit.* Ita ille. Quaſi dicerct, puer iſte eſt, & potiùs ex ignorantia, quàm ex malitia peccare videtur. *es muchacho aun, y no ſabe lo que ſe haze.* 2. Reg. 18. 5.

Quod Chriſtus Dominus fecit, dum in cruce pro inimicis orans dixit: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*, *facinus* enorme ignorantiæ tribuit, non malitiæ.

At, inquies, non poſſum delicto excuſationem inuenire; *excuſa intentionem*, ait S. Bernard. ſerm. 40. in Cant. *ſi opus excuſare neſcis.* Ita ille. Etenim aliqui qui maleuolam poſſident animam, oppoſitum præſtant: nam cùm opus accuſare minimè valeant, intentionem condem-

nant. Cui similem esse dicemus generationem istam? dæmon illi, qui, cùm apud Deum accusare opera Iobi non posset, intentionem maculauit, dicens: *Nunquid Iob frustra timet Deum? nónne tu vallasti eum, ac domũ eius & c. operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra? sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Pondera verbum illud, *frustra*, quasi dicat, non tibi Domine propter te obsequitur, & seruit Iob, sed propter seipsum, & propter emolumenta corporalia, & temporalia, quæ ex tali obsequio prouenient ipsi: tange igitur tribulationibus eum, & videbis eum blasphemantem, &c. Ecce dæmonis ingenium, quia mores Iob, sacrificia quotidiana, curam filiorum, & bonam eorum educationem, & eleemosynas, ac pia opera damnare nequiuit, ad intentionem confugit, & iniquam esse iniquus manifestare contendit. Similes ergo ci sunt homines detractores, qui, si mores nequeunt, intentionem culpare non verentur; cùm tamen intentio soli Deo cognita fit: iusti autem, cùm factum excusare nequeunt, intentionem saluant. Sicut S. Petrus, qui de passione, & morte Domini agens cum his, qui cum crucifixerunt, *Act. 3. 17.* dixit: *Propter ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri.*

Prop. III. *Quòd neque secretò reuelanda sint alteri aliena peccata.*

Chrysost. SAnctus Chrysostom hom. 3. ad popul. *Hoc vitiosum est, quod, cum detractores aliquod arcanum deferunt, rogant audientem & adurant, ne aliquis cuiquam alteri dicant: hinc declaratur es quod rem dignam reprehensione commiserunt. Si ergo illum vt nemini dicat, rogas, multo magis te priorem hunc dicere non oportebat. In tuo sermonem habebas, postquam ipsum prodidisti, tunc salutem illius curas. si non vis efferri, neque alteri ipse dicas; postquam verò alteri prodidisti sermonis custodiam, superflua facis, & admones inutilia, obsecrans pro ductorum custodia.* Ita S. Chrysost.

Prop. IV. *Detractio quàm graue peccatum sit, & quàm iniustum Deo.*

QVia murmurauit Maria soror Moysi de Moyse, abominabili leprâ eam Dominus affecit, cùm, inquam, Maria soror Moysi esset, & prophetissa, cum qua Dominus loquutus erat, &c. & cùm pœna illa lepræ esset grauissima inter Hebræos. vnde à communione hominum eiiciebatur leprosus. Et quidem in sacris literis non ita constat de grauitate detractionis; hoc autem scimus sororis de fratre fuisse, & inter fratres tolerabilior videbatur: & præterea Moysen rogasse pro sorore Dominum, & nihilominus fuisse leprâ à Deo percussam, vt detractionis grauitas pateret, grauem inquam, esse culpam ante Deum detractionem, maximè superiorum, & fratrum.

Vnde Sanct. Ephrem lib. de linguæ malo, ponderans hoc supplicium sororis Moysi, ait: *Ex his quæ manifesta sunt, latentia, & occulta intelligi debent: aperte corpus illius lepra occupauit, quia clam lepra peccati animam suam infecerat, ex manifesto eius malo peccatum innotuit, quod latebat. Ex terrimina ipsius lepra docemur, quam graue, & detestabile vitium sit obtrectatio. corpus, quod lepra infectum cernebatur, velut speculum quoddam animæ, ex illa carnis corruptione patefactum est, quomodo hominis maledici, & detractoris animus corrumpatur.* Ita ille.

Idipsum docet S. Ambrosius in Psalm. 36. vbi loquacitatem appellat, *innocentiæ naufragium, & virtutis*: nam sicut nauis, dum rimulas contrahit, aquam rimiam colligit, quâ submergatur; sic per os, quasi per rimulam cordis, dum indebitè aperitur, contrahit peccata quibus pereat. Vide S. Chrysost. in Psal. 33. & 38. & Clementem Alexandrinum lib. 2. de pædagog. c. 7.

A Ad Rom. 1. inuehitur Apostol. aduersùs quosdam peccatores, & inter reliqua eos dixit susurrones, detractores, Deo odibiles. Vbi Sanct. Anselmus: *Susurrones sunt qui in auribus alicuius loquuntur malum de alio; detractores verò, qui virtutes ab aliquo suis verbis detrahunt, vel minuunt. Susurro quippe a sono locutionis dicitur, quia non in facie alicuius, sed in aure loquitur secretè derogando; detractorius verò est aliorum bene gesta opera vel in malum vitiosè mutare, vel inuidendo fallaci fraude diminuere, cum mala dicuntur, quæ bona sunt, aut parua, quæ magna sunt. Detrahere enim est, bona alterius retrorsùm trahere, id est, inclinare, & premere, vel de ipsis bona aliqua detrahere, aut pauciora, seu minora quàm sint, ostendantur esse. Ne autem viderentur susurrones, & detractores parum peccare, mox addidit, Deo odibiles: odibiles enim Deo sunt, qui male satisfarant de proximis suis, vel detrahunt eis.* Ita S. Anselmus. Ideo igitur ait Apostolus detractores esse Deo odibiles, alij legunt *Dei osores*, & S. Cyprian. epist. 86. legit, Deum abhorrentes.

Item S. Bernard. serm. 24. in Cant. *Non veniat anima mea*, inquit, *in concilio detrahentium, quoniam Deus odio eos habet, dicente Apostolo*: detractores Deo odibiles. *Quam sententiam Deus ipse loquens in Psalmo, audi quomodo asserat*, Detrahentem, *inquit*, secretè proximo suo, hunc *persequebar, nec mirum, cum hoc præcipue vitium charitatem quæ Deus est, & quidem cæteris acrius impugnare, & persæpe cognoscatur. Omnis ergo qui detrahit, primum ipsum ponit vacuum charitate. Deinde quid aliud detrahendo intendat, nisi vt, cui detrahit, veniat in odium, vel contemptum ipse apud quos detrahit. Verè ergo charitatem in his omnibus, qui eę audiunt lingua maledica, & quantùm in se est, fundunt necat, & extinguit; non solùm autem in præsentibus, sed in absentibus vniuersis, ad quos volans verbum, forsæ per os qui præsentes sunt, contigerit peruenire. Vides quam facile, & in breui ingentem multitudinem animarum velociter curvens sermo talæ malitiæ huius inficere possit; propterea dicit de talibus propheticus spiritus*: Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, *vtique tam veloces, quam velociter currit sermo. Vnus est qui loquitur, & vnum tantum verbum profert, & tamen vnum illud verbum vno in momento multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit.* Ita Sanct. Bernard. vbi subdit ad rem Sanctus Bernard. dicens: *Sunt autem species pestis huius, dum alij quidem nudè atque irreuerenter, vti in buccam venerit, virus emunctæ detractionis: alij autem quodam simulate verecundiæ fuco malitiam conceptam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas prumitti alta suspiria, & sic quadam cum gravitate, & tarditate, vultu mœsto, dem sui supercilijs, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto perspasibiliorem, quanto creditur ab hu qui audiunt corde inuito, & magis condolentis affectu, quam malitiose, proferri. Doleo, inquit, pro eo quod diligo eum, satis & nunquam potui de hac re corrigere illum. Et alius mihi quidem ait: Bene compertum fuerat de illo istud, sed per me nunquam innotuisset: at quia per alterum res patefacta est, veritatem negare non possum, dolens dico, venera ita est.* Ita S. Bernard.

Communis sententia Sanctorum & Doctorum est, Christum Dominum Eucharistiam tradidisse Iudæ, & in die cœnæ, quam sequitur S. Thomas, a & S. Dionysius, & S. Aug. quos ibi citat S. Thom. & S. Ambr. b & S. Cypr. c & S. Hier. d S. Chrys. e & alij plures. Quæres, cur Dominus non excluserit Deicidam & sacrilegum illum, & omnium pessimum, cur nó recusauit tradere corpus suum illi, qui actualiter tradere illud negotiabatur cũ inimicis suis, &c. Respondet S. Th. f Conueniens quidem hoc fuisset, considerata malitia Iudæ: sed quia Christus nobis debuit exemplum esse institiæ, non conuenit hoc eius magisterio vt Iudam, occultum peccatorem, sine accusatre & euidenti probatione ad aliorum communione separaret, ne per hoc daretur exemplum Prælatis Ecclesiæ similia faciendi.

a In 3. p. q. 82. a. 8. ad 2.
b Lib. de Apologia Dauid, c. 12.
c Ser. de Cœna Domini.
d Super c. 26. Matth.
e Hom. 70. in Matth.
f In 3. p. q. 82. a. 8. ad 2.

Ita

Ita S.Thom. Vnde & nos etiamsi nossemus hominem aliquem ad communionem accedere in peccato mortali occulto, nullatenus possumus ei communionem denegare, eadem ratione, quòd si nec Iudam traditorem pessimum à communione corporis, quod ille tradebat inimicis, Christus voluit excludere, ne peccatum mortale occultum propalaret, quomodo tu audes peccata occulta aliorum alijs notificare?

A

Prop. V. *Detractio quàm perniciosum vitium sit.*

» Quàm perniciosum sit vitium detractio, facilè
» quisque ex grauitate pœnæ intelliget, quàm Pa-
» chomius suis indixit; cuius hæc, in Regulis eius, sunt
» verba.

Qui facilis est ad detrahendum, & dicit quod non est, qui in hoc peccato fuerit deprehensus, monebunt eum secundò, & si audire contempserit, separabunt eum extra conuentum fratrum septem diebus, & panem tantum cum aqua accipiet, do- B
» *nec polliceatur, atque confirmet, se ab hoc vitio discessurum, &*
» *sic dimittetur ei.*

» Quomodo detractores à Deo puniantur vide Reeb
» Regulas Prudentiæ. p. 2. fol. 184. & Nicij Erythræi
» exempla p. 158.

Prop. VI. *Quàm graue peccatum sit detrahere superioribus.*

P Sal. 21. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam.* Per framea mihi S. Aug. linguam dissensionis intelligit, qualis est lingua detrahentis. & meritò lingua ensi comparatur, habet enim lingua similitudinem ensis, imò & effectus: sicut enim ensis scindit carnem, sic etiam lingua scindit famam, & vinculum charitatis. Ab huiusmodi ergo lingua petit primò liberari. Secundò *à manu canis*, inquit, *animam meam.* Hoc mirum; non enim manus canis timenda, si diceret, inquam, erue à manu Leonis, vel Tigridis me, id rectè: C nam manu Leo, & Tigris facilè hominem discerpunt, *vna bofetada de vn Leon, o Tigre se lleua vna quixada del hombre, y aun la vida*; canis verò manu non ferit, sed dente. Cur igitur non ait: Erue animam meam à dentibus canis, sed de manu canis. Quid per animam, & quid per canem intelligat, priùs videamus. Per animam Cassiodorus Ecclesiam interpretatur, quæ vnica dicitur Christi. In hoc enim Psalmo, qui loquitur, Christus Dominus est secundùm omnes, vnica autem Christi dicitur Ecclesia eius, propter insignem Christi erga ipsam dilectionem; canis verò nomine etiam detractores intelliguntur: sicut enim canis latrat in transeuntes, sic & detractor. Hoc igitur animaduertendum est, quod canis, cùm solùm à tergo mordet, vulnus quidé infligere solet in cruribus, vel pedibus: at cùm manus eleuat, & supra pectus alicuius collocat, caput, petit, caput vulnerat. Hoc igitur animaduertens Christus Dominus: *Erue*, ait, D *vnicam meam de manu canis*. Hoc de illis detractoribus, qui capita Ecclesiæ inuadunt: hoc enim pessimum omnium detractorum malum est, &c.

Prop. VII. *Quam graue peccatum sit detrahere tum Deo & bonis.*

Reg. 17. R Eg. 17. sic Dominus ad Eliam: *Vade contra Orientem, & absconde te in torrente Carith, & ibi de torrente bibes, coruisque præcepi, vt pascant te tibi.* Talis, tantaque est Dei prouidentia erga iustos. Corui, inquit, deferebant ei panem & carnes manè, similiter & carnes & panem vesperi: bene, optimè. Sed cur, quæso, Dominus sic coruorum ministerio vsus est? nunquid famuli illi deerant, cui omnes Angelorum ordines famulantur? Angelum ad eundem Eliam Dominus iterum misit, qui panem & aquam illi præberet. Cur igitur per coruos nunc eum pascit, maximè cùm corui edaces carnium & voraces sint? Respondeat S. Augustinus. tom. 3. lib. 2. de Mirabilibus Sacræ Scripturæ, c. 15. *Coruis*, inquit, *præcipitur, vt culpam, quam in diluuio commiserat, purgare auis illa videretur, dum fidelis minister efficitur Eliæ, qui negligens & fallax fuerat antea Noe.* Ita S. Augustinus. qui culpam corui ait esse negligentiam in ministerio serui Dei Noe, non quidem formalem, cùm coruus talis culpæ capax non sit, sed materialem: quia misit coruum Noe, vt quod columba, similiter à Noe emissa, præstitit, coruus præstaret: quod tanquam iniuria facta Noe reputabatur. Quare si propter culpam & iniuriam illam materialem corui, sic Deus satisfactionem & vindictam sumpsit, quantò maiores pœnas luent homines, qui formali culpa & iniuria seruos Dei afficiunt detrahendo, vel alio quouis modo eos persequendo? S. Aug.

Prop. VIII. *Proximos in præsentia reprehendere, in absentia verò laudare debemus.*

Hæc charitatis lex est, vt proximos in præsentia reprehendamus, de ijs quæ reprehensione digna sunt, in absentia verò laudemus ea, quæ in ipsis laude digna sunt. Sic Christus Dominus Israelitas in facie corũ acriter arguebat, eos generationẽ malam & adulteram dicens, hypocritas & sepulchra dealbata eos appellabat, &c. at in absentia oues eos dicebat, *Non sum missus,* Matt. 15. inquit, *nisi ad oues quæ perierunt domus Israel &c.* Nunc op- 24. positum obseruare apud nos licet, in præsentia adulatoriè proximos laudamus, quos in absentia vituperamus: sicut Pharisæi & Scribæ, qui coram, Magistrum, & Dominum, Christum Dominum dicebant, absentem verò filium fabri seductoremque vocabant.

Prop. IX. *Quare mali detrahant bonis virís.*

P Linius, camelum, ait, dum fluuium ad bibendum Lib. 8. c. ingreditur, & in perspicuitate aquæ suam deformi- 18. tatem videt, aquam pedibus turbare & obscurare, nullo modo ferentẽ, sic suam illam tortuositatẽ repræsentari: quasi ob id non semper ipse camelus deformis remaneret. Sic peccatores bonorum vitam obscurare contendunt, quia vita bonorum est velut speculum vitæ malorum, & ne turpitudinem suorum morum ibi prospiciant, famam eorum denigrare procurant.

Eam ob causam Pharisæi Christum Dominum persecuti ad crucem vsque fuerunt, quia verbis & moribus sanctis suis eorum ignominiam ostendebat.

Prop. X. *Detractio procedit ex cordis peruersitate.*

Q Vid est quòd accipiter, quantumuis perdices, & columbas, & alias huiusmodi comedat aues, in duram, nigram, & pessimam carnem eas conuertat, ita vt eâ nobis non liceat vesci: gallina verò, quæ araneas, & immunditias edit, adeo in bonam, & optimam carnem ea commutet, vt infirmi, & optimates, & reges eis vescantur, & habeant in deliciis? Nimirum, quia accipiter qualitates quasdam interiores ignobiles, & acerbas nutrit, quibus cibum ita peruertat; gallina verò nobili & suaui quadam qualitate est affecta, quà ea etiam, quæ mala sunt, alijs in bonum sanguinem, & optimum alimentum conuertat. Id ego de hominibus dico: qui bonus & virtute præditus est, omnia in bonum conuertit, siue bona illa, siue mala sint: aduersa enim in patientiam, prospera verò in Dei laudem, & actionem gratiarum vertit. similiter ea quæ de proximis nouit, in bonum commutat: si enim

bona proximi audit, laudat, si verò mala, excusat, vel prorsus occultat; malus verò bona proximi maculat, vel saltem dissimulat, & abscondit; mala verò profert in lucem, exaggerat, & vituperat, &c. Hinc Paulus: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Similiter ergo dicendum, quòd malis omnia cooperantur in malum, &c. licèt sæpe ex leuitate animi iudicium temerarium procedat, sæpe quoque ex prauitate, & malitia cordis promanat.

Matt. 11. 18. Sic Christus Dominus ad populum audientem: *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus,* hoc est, si austeritas Ioannis placet, cur suauitas non placet nobis? si ex bonitate cordis iudicium procederet vestrum, quoduis ex duabus rebus his vobis placere deberet; sed quia ex malitia procedit, displicet vtrumque. Sunt hi iudices temerarij, & detractores, sicut aranea, quæ sue malum, sue etiam bonum comedat, cibum illum conuertit in venenum, quia veneno habet interiora plena: at boni, cùm ex bono corde proferant bona, sunt sicut apis, quæ sue ex dulci, sue ex amaro colligat flore, in dulcem fauum illud conuertit: sic, inquam, boni, sue bona, sue mala videant opera proximorum, in bonum suum illa conuertunt: nam bonos laudant, & pro malis orant, &c.

Sanct. Chrysost. hom. 5. in 2. Corinth. 2. *Homo es, ne aspidum virus emoueas, homo es non eucmas in bellum degeneres: (adde, homo es, ne velut canis mordeas,) ob id enim tibi os datum est, non vt mordeas, sed vt aliorum vulnera possis medearis.* Ita ille.

Quintil. Rectè quidem Quintilianus: *Sonis* (inquit) *homines, vt ara timitu agnoscimus.* Ita ille. *Como se conoscen las campanas por el sonido, assi se conoçen los hombres por el habla:* an scilicet sit quis humilis vel superbus, castus an lasciuus, amans proximum, aut charitate carens, iustus vel iniustus.

Matt. 26. 73. Matth. 26. sic nonnulli tempore passionis ad Petrum: *Tu ex illis es,* (id est ex discipulis Christi:) *nam & loquela tua manifestum te facit.* Quænam erat illa loquela, ex qua colligebant hi, Petrum esse discipulum Christi? Sunt qui respondeant, linguam esse Galilæam, vt colligitur ex eo quod ait S. Luc. 22. quidam affirmabat dicens: *Verè & hic cum illo erat: nam & Galilæus est.* Per loquelam ergo Galilæam agnoscebant illum esse discipulum Christi. Sed vnde consequens erat esse Petrum discipulum Christi, quia Galilæa linguâ loquebatur, cùm lingua Galilæa Hebræa quoque esset? & præterea non omnes Galilæi erant discipuli Christi. Hinc alij aliter respondent, supponentes Galilæos non adeo ornatè & compositè loqui, sicut cæteri Hebræi, sed barbarè, incomptè; at in schola Christi didicerant Apostoli, quamuis Galilæi, ornatè loqui; nimirum, quia, cùm agere deberent cum omnibus Hebræis etiam aulicis & primarijs, docebat eos ornatè loqui, & simul grauiter & modestè, & ideo dicebant: hic discipulus Christi est, quia Galilæus est, id est, hic, qui cùm Galilæus sit, ita grauiter & modestè loquitur, ex Christi schola est absque dubio. Nec mirum, nam modestia & grauitas & probitas linguæ indicium boni Christiani est; immodestia verò, & leuitas, & improbitas loquutionis, prauitatem animi præferunt. Vnde qui detrahit loquelâ suâ, manifestum facit, se non esse discipulum Christi, sed dæmonis potiùs.

Luc. 11. 15. Luc. 11. Cùm Christus Dominus insigni miraculo surdum & mutum sanasset, quidam astantium dixerunt: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejcit dæmonia; at mulier quædam ibi stans, extollens vocem suam, dixit: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Mira diuersitas: nimirum, quia cx abundantia cordis os loquitur, & qualis vnusquisque est, talis est sermo eius; bonus de bono thesauro cordis profert bona, malus mala.

A

PROP. XI. *Detractio ex defectu amoris in proximum procedit.*

SI detractorem interrogaueris, cur proximo detrahit, respondebit quidem, quia malus ille est, & dignus cui detrahant omnes: sed profectò non tam est culpa proximi, quàm ex defectu amoris proximi malis oritur murmuratio. Si enim amor eius in te esset, tu quidem excusationem pro illius defectibus inuenires, & vnde illum laudares, reperisses. Rectè nanque Plutarch. ob hanc causlam amorem hederæ comparauit lib. de officiis iudicis, dicens: *Amor est sicut hedera, quæ per innent vbi se colligat.* Ita ille. *La yedra adonde quiera que se arrima, siempre alla de que asir aun que se arrime a vn guijarro peladi alli lleua a buscar algun hilito de que asirse, si es yedra ella hallara de donde asir, asi si ay amor de proximo, aunque el proximo sea malo el hallara bien si quiera apariente de que asir para escusarle, para loarle, &c.*

B

PROP. XII. *Detractio ex inuidia procedere solet.*

QVàm execrabile vitium sit detractio, ex radice pessima, à qua procedere solet, desumendum est: procedit ergo ex inuidia, quæ, cùm opponatur charitati, pessimum vitiú est: ex inuidia igitur emanat detractio: nam, sicuti ait S. Chrysost. hom. 41. in Matthæum, *inuidus alienas lacturas, suos quæstus existimat, & alienam felicitatem, suam miseriam arbitratur.* Ita ille. Talem quidem se detractor ostendit: nam cùm alterius lacturas, & defectus narrat, id lætanter, & exultans profert: quòd si propter verecundiam dissimulare lætitiam velit, facilè se prodit, dum se ob id non tristari ostendit. cùm verò felicitatem alterius audit, tristi excipit vultu, & vel facilè contradicit, vel minuit bonum quod audit, vel intentionem damnat.

C

PROP. XIII. *Nostra potiùs, quàm aliena debemus damnare peccata.*

SEneca lib. 2. de ira, cap. 28. *Dicetur aliquis male de te loquutus, cogita an tu feceris prius. Is, qui alienas vxores concupiscit, vxorem suam aspici non vult, & fides acerrimus exactor, perfidus est: mendacia persequitur peruirus, & litem sibi inferri egerrime patitur calumniator. Homicida tyrannus irascitur, & punit furta sacrilegus. Aliena vitia in oculis habemus, a tergo nostra. Magna pars hominum est, qua non irascitur peccatis, sed peccantibus. Faciet nos moderatiores respectus nostri, si consuluerimus nos. Nunquid & ipsi aliquid tale commisimus?* Ita Seneca.

D

PROP. XIV. *Detractor scandalum præbet audientibus.*

BEatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Quid hîc cathedram pestilentiæ vocat Propheta? ex Originali Hebræo deduci hoc potest, vbi sic habetur, & in cathedra derisorum non sedit. dicuntur autem derisores hi, qui detrahunt alijs: nulla enim maior derisio proximi, quàm detractio. In cathedra ergo pestilentiæ sedent hi qui detrahunt proximis, in cathedra, inquam, cò quòd detrahentes multos habeant auditores, sicut habere solent magistri, qui sedentes in cathedris alios docent; pestilentiæ verò appellatur, quia sicut pestis facilè inficit ad mortem proximè adstantes; sic etiam derisio, seu detractio inficit ad mortem adstantes, tum quia detrahentes audiendo, gaudent & plaudunt, quod non leue peccatum est, tum quia quæ audiunt alijs facilè nar-

Psal. 1. 1.

lè narrant, detrahentes pariter ipsi. *y así la murmuracion es vn ayre apestado, que infiziona a muchos*, &c.

12. Hinc percussit Deus leprâ Mariam sororem Moysis, eò quòd detraxerat fratri suo; lepra verò morbus infectiuus est, sicut pestis. quo innuit Deus, quàm pernicioſi hi sint qui detrahunt alijs.

Vt autem manifestè constet, malum hoc ex insectis visceribus emanare, aduerte quòd hi, qui defectus, & culpas suorum proximorum in publicum proferunt, cùm Prælatus, aut Visitator aliquis, censuris interpositis, peccata huiusmodi manifestare compellunt; hi quæ nullo negotio omnibus propalant, Prælatis occultant. Cùm igitur bonum ipsis, ac proximis foret peccata hæc manifestare, tanquam dæmonia muta tacent; cùm verò tacere illos oportebat, manifestant, &c. Quibus comparabimus generationem istam pessimam? Similes quidem hi sunt ranis, quæ, cùm longè ab hominibus sunt, garriunt, & vociferantur; si verò ad eas accesseris, obmutescunt, & se intra herbas, seu lutum abscondunt; ita hi, cùm longè à Prælatis sunt, garriunt, & vociferantur in proximos; cùm verò Prælatus accedit, tacent, obmutescunt, quamuis iuramento compellantur, & se intra lutum malæ conscientiæ abscondunt, &c.

Prop. XV. *Detractor plùs sibi quàm alijs, detrahendo nocet.*

Si mordeat serpens in silentio, nihil minus eo habet qui occultè detrahit. Meritò detractor serpenti hîc comparatur, primò quia sicut omnes abominantur serpentem, & fugiunt à facie eius, sic etiam omnes abominantur detractorem, & fugiunt à consortio eius. Secundò quia sicut serpens facillimè lædit ore, & vno morsu totum inficit corpus; sic etiam detractor vno verbo leniter, & facilè mordet, & vno tali morsu proximi honori, & famæ & animæ, & vitæ nocet, & denique abeo vnico verbo bona corporis, & animæ temporalia, & æterna auferre solet. Exemplum habes in Siba con-16. tra Miphiboseth, &c. Tertiò quia nullum animal est cui frequentiùs comparetur diabolus, quàm serpens. Dicitur quidem dæmon leo, & vulpes, & lupus, &c. sed frequentiùs vocatur serpens antiquus. Comparatur igitur serpenti detractor sicut diabolus, quia sicut hic accusator est fratrum, & omnibus detrahit, sic apud Deum detraxit Iobo sanctissimo viro; sic detractor omnes accusat, omnibus detrahit, quantumuis sanctissimi viri sint, & sic detractio hominem ad imaginem Dei factum ad imaginem diaboli transfert.

Denique est quoddam serpentum genus, quod in ortu suo, antequam virus euomat, & alijs noceat, propriam matrem necat, & occidit. Huius generis sunt detractores, quippe cùm antequam alijs noceant, in ortu suo detractio eorum, eos à quo procreantur, perimit, & occidit. Vide autem quantùm pejus sit nocumentum quod tibi inferunt detractores, quàm quod inferunt alijs: sibi enim mortem inferunt spiritualem, occidunt enim animas suas; alijs verò temporalia, seu corporalia inferunt damna, famæ nempe, aut honoris, aut salutis aut vitæ corporis. crudelior ergo in se quàm in alios est detractor.

S. Ambrosius in id Psalm. 35. *Dixit iniustus vt delinquat in semetipso* vel, vt legit S. Ambros. *dixit iustus vt delinquat sibi. Quidquid*, inquit, *loquitur iniustus iniquitas est, quæ in suum refertur authorem. nam sicut spinæ nascuntur in manu ebrioſi, ita in sermone iniusti nascuntur quæ compungunt loquentem, cuius grauior est pœna propria, cum pro omni sermone dent pœnas. Serpens alijs infundit venenum, iniustus sibi, in eum enim refunditur quidquid effuderit.* Ita S. Ambrosius, qui idem docet in Psalm. 118. serm. 7. & 1. officio. c. 4.

Hinc Psalm. 117. in persona Christi Domini, *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis, & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.* Apis aculeo pungit, sed pungendo seipsam occidit, vnde dum obest alijs paululum, sibi mortem infert. sic qui Christo Domino nocebant, sibi mortem æternam inferebant. vnde Hugo ibid. Apibus Iudæi comparantur, quia sicut apes pungendo seipsas euiscerant, sic Iudæi occidendo Christum perierunt. ita ille. Vnde meritò subdit, *vltus sum in eos.* Sanct. Hieronym. *como en que mihi intulerint in eos refusa sunt.* Ita ille. *No busque el agraviado otra vengança, que la mesma muerta le venga de quien le agravia, pues es mayor el daño que recibe, que el que hace.*

Vnde Dauid: *Sagittæ paruulorum facti sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum*, vbi Chaldæus habet: *offenderunt seipsos lingua sua.* Theodoretus sic explicat: *Istorum linguæ nihil offendunt eos qui conſingunt, imò in caput eorum qui peruertere conantur omne recidit malum.* Ita ille. Etenim qui alteri detrahit, nocet in honore, vel iure alio temporali proximo, sibi autem nocet in anima, & in conscientia, quod quidem quantò grauius est. Vnde rectè S. Hier. epistola ad Marcum, *Non qui patitur, sed qui facit contumeliam, miser est.* Ita ille. Et Brixianus, vbi nos legimus: *Cum mihi molesti essent, induebar cilicio*: legit, *ego autem cùm molestiam paterentur*, &c. Vnde S. Hier. explicans id Psal. 7. *Conterti sunt in arcum prauum*, Arcus prauus, inquit, est qui dum contra inimicos sagittas censetur iacere, sauciat tenentem, &c. vide illum.

Vnde, Prouerb. 26. *Sicut auis ad alta transuolans, & passer quilibet vadens; sic maledictum frustra prolatum in quempiam superuenit.* Brixianus sic transfert: *Sicut auis auolat, & vevolat in nidum; ita maledictio redit in maledicentem. idem detractione in dominum.*

Et hoc modo intelligit S. Bonauent. illud, *A detractione parcite linguæ*, quod seipsum primo lædat detractor, & id sonat, *parcite linguæ*, hoc est, secundùm Liranum, Hugonem, & alios, nolite hanc iniuriam irrogare linguæ vestræ, vt cà vtamini ad detrahendum: Deus enim non formauit linguam ad hoc, sed ad laudandum Deum, ad exprimendos mentis conceptus, & ad benefaciendum proximis. Sicut ergo iniuriam facimus homini præclaro, cùm eum deturpamus; sic quia linguæ, cùm obrationem supradictam præclara sit, eam deturpando verbis iniquis detractionis, & alijs huiusmodi, iniuriam ei irrogamus.

Hoc etiam optimè explicauit S. Athanas. de passione, optima similitudine, *Sicut*, inquit, *si quis serpentem apprehendat manu, dum conatur in alterum proijcere, prius ipse mordetur: aut si quis ignem manu apprehendat, vt alium exuret, prius exuritur ipse; sic malitia magis lædit eos à quibus habetur, quam eos in quos intenditur.*

Prop. XVI. *Quàm molesta sit, etiam ipsi detrahenti, detractio.*

Sanctus Chrysostom. hom. 3. ad popul. *Iucundum*, inquit, *detrahere, imò iucundum non detrahere: detrahens enim continenter auxius est, suspicatur, pœnitet, timens ne forte alijs nunciatum verbum periculum afferat sibi, & superfluum, & inutilem immunitam operetur: apud se verò continens in securitate pluuima, cum multa viuet iucunditate.* Ita S. Chrysost.

In odium huius vitij nonnullos Sacræ Scripturæ locos adducit S. Hieronym. epist. 4. ad Rusticum ponderatione dignos. Primus est ille Psalm. 49. Dei dicentis ad detrahentem: *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc fecisti & tacui*, &c. vbi nomine fratris quemlibet hominem intelligit sicut ibi exponit Glossa, nomine autem *filij matris tuæ*, intelligit fidelem, sicut ait Cassiodorus: omnes enim fideles, Ecclesiæ filij sunt; & ideo maius pecca-

Chryſost.

Hieron. Ps 49 20. Gloſſa.

Caſſiod.

peccatum est detrahere Christianum Christiano, & A scandalizare illum vt odio te prosequatur, secundùm Glossam Lirani, & addit: *hæc fecisti & tacuisti*: verba magni ponderis sunt, ac si dicat: Parúmne videtur tibi te detrahente me tacere? nec iussi. Ie linguam tuam adhærere palato? aut fulmine aduri? tanto quidem odio Deus prosequitur detrahentem.

Ps.56.5. Secundus locus est Psalm. 56. *Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* De quibusdam detractoribus agit, quorum dentes & linguæ erant velut gladius acutus & sagittæ; quia sicut gladius cominus, & sagittæ eminus & à longè feriunt, sic detractor & præsentes & absentes carpere ac ferire solet.

Ps 54.22. Tertius locus est Psalm. 54. vbi de detractore agens ait: *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.*

Bellarm. Cardin. Bellarm. sic locum exponit: Verba detractoris delectant aures, sed feriunt corda, non sunt verba

Simile. sed lanceæ. Ita ille. Videas detractorem anteaquam detrahat, mulcere aures audientis, & se priùs excusare & præmittere blanda quædam verba in fauorem eius cui B detrahit, sed in fine mordet vt coluber, sicut Chirurgus seu Phlebotomus, qui priusquam lanceolâ incidat venam, leniter super partem incidendam, manum ducit, eam demulcens, sed statim vulnerat & sanguinem elicit. Sic murmurator priusquam linguæ lanceolâ proximum vulneret, lenitate verborum & vultus, audientis aures demulcet, sed postea honoris & famæ proximi venam incidit, & sanguinem elicit: sic sermones eius super oleum molliti sunt, sed ipsi sunt iacula.

Eccl.10. 11. Quartus locus, quem apertiorem dicit Sanctus Hieronymus, est Ecclesiastes 10. *Si mordeat serpens in silentio, nihil minus habet qui occultè detrahit*; dormit fortè agricola in agro, & venit reptans ad eum tacitè serpens, & pungit insensibilitèr dormientem ad mortem; sic absentem, & velut dormientem, seu ignorantem proximum virulenta detractoris lingua vulnerat fæuè.

Gen. 3.1. Memento serpentis antiqui, quando Euæ dixit: *Cur* C *præcepit vobis Deus*, &c. Blandus sermo super oleum, sed Deo ipsi detractorius; quem si vulnerare nequiuit, quantùm ex se fuit, diuinam prouidentiam & beneuolentiam vulnerauit, & audientem occidit. Vnde meritò concludit ibi S. Hier. numquam tales videas, nec huiusmodi hominibus appliceris, ne declines cor tuum in verba malitiæ. Ita ille.

S Hier.

PROP. XVII. *Detractor blandè incipit, sed postea valde mordet.*

S. Greg. SAnctus Gregor. 5. Moral. 11. de amicis Iob agens: *Amici*, inquit, *Iob à reuerentia mansuetæ loquutionis incipiunt, sed vsque ad iacula asperrimæ inuectionis erumpunt:*

Simile. *sicut radices spinarum molles sunt, sed tamen ex ipsa mollitie proferunt, vnde pungant.* Ita ille. Vnde etiam comparari solet detractor tonsori, vti dictum est propositione D præcedenti.

Solet is qui detrahit v.g. de me, se vicem meam dolere, dicere, & ideo de vitijs meis verba facere. Cui sic rectè S. Hieron. epist. 4. ad Rusticum: *Quid mihi prodest si aliis referas mala mea, si me nescienti, peccatis meis & detractionibus tuis vulneres aliu͡m? & cùm certatim omnibus narres, sic loquaris singulis quasi nulli alteri dixeris, hoc non est me emendare, sed vitio tuo satisfacere. Præcipit ergo Dominus peccantem in os argui debere secretò.* Ita S. Hieron.

S. Hier.

PROP. XVIII. *Quàm pernicioſa sit proximo detractio famæ.*

Zach. 8. COgitauit Dominus d. s. pare murum filiæ Sion, tetendit *funiculum suum.* Attende quomodo hîc describatur Deus dissipans muros Hierusalem, magna cum considerationc, & sicut is qui ædificat, funiculum extendit, vt aptè construat opus suum; sic etiam Dominus vt muros illos dissiparet, atque destrueret, non properanter, & celeri quadam (vt ita dicamus) præcipitatione, sed cautè, pedetentim, cõsideratione quæ bellua magna egit. Muros vitæ nostræ nõ impropriè dicemus famam nostram, quia bona fama defendit, & tutur nos, ne vilia committamus, & ea quæ infamia dignа sunt, & similiter defendit nos ab incommodis, dum enim famâ bonâ potimur, omnes nos diligunt, & benefaciũt, infamem autem omnes odio habent, & nemo illi benefacere gaudet. Vide igitur, & caue ne famam proximi tollas, sic enim muros verecundiæ illius, & defensionem bonorum eius tollis; si enim Deus, qui errare prorsus nequit, ad dissipandum murum Hierusalem, vt dicit Scriptura Sacra, cogitauit priùs & funiculum cautè tetendit, tu qui sæpe sæpius in diiudicandis rebus erras, non priùs quid dicas considerabis? tende priùs funiculum, vide, cogita, & recogita, priusquam malè de proximo loquaris, an verum & publicum id certò sit, & quid inde emolumenti sequatur, &c.

PROP. XIX. *Detractor tenetur famam restituere.*

PSalm. 72. *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transiuit in terra?* Cœlum, cui Dei sedem attribuimus, in sacris litteris iustos significare solet; quia anima iusti sedes est sapientiæ. Sunt igitur detractores adeo præcipites, vt de illorum lingua dici possit, quod inscribitur morti: *Nemini parco*: nec enim parcit hominibus terrenis, neque cœlestibus, nec malis, nec bonis, nec sæcularibus, nec sacerdotibus, imò nec religiosis.

De his Ezech. 22. *Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem:* Quia ex detractationibus sanguinea oriuntur casus. Sed enim, quod Septuaginta sic legunt: *Viri latrones*, latrones meritò dicuntur detractores, quia sicut latrones furantur pecunias, ita detractores furantur nomen bonum, & honorem, quod quidem furtum grauius est quam furtum pecuniarum. Nam, vti dicitur Prouerb. 22. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* Item est bonum permanens Eccli. 41. *Curam*, inquit, *habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni.* Ita est: nam thesauri morte amittuntur, & ad hæredes alios transeunt; bonum autem nomen manet homini post mortem, vt Sanctis videre licet. Meritò ergo detractores fures nuncupantur, quòd si fures, tenebuntur quidem famam, & nomen ablatum restituere, maximè verò Sacerdotum, & Religiosorum, & personarum sublimium, &c.

Dices, hoc quidem molestum admodum, ac perdifficile est, palinodiam recantare, *retractarse, desdezirse, es imitarseles el cielo con la tierra.* Videant hoc priùs, & ne se in tales angustias conijciant; quòd si iam detraxerint, pœniteant, & licèt erubescant, restituant: melius est enim erubescere quàm vti & perire.

PROP. XX. *Detractionis damnum quàm malè resarciri possit.*

VEritus quidem Dauid mittere manum in regem Saulem, quia Christus Dei, & vnctus erat, quamuis eum intra speluncam occidere posset, noluit, sed solùm oram chlamydis præcidit, quam ideo diminutam & indecoram reliquit. Liceat nunc rei licitæ rem illicitam quantùm ad exteriorem similitudinem comparare. Sunt nonnulli, qui licèt proximum non occidant, famæ tamen & bonæ opinionis oram præcidunt, detrahunt famæ, & honori proximi aliquid quod fortè postea resarciri non possit, non tollunt omnimodam opinionem, sed tamen diminuunt: at vestis resarciri quidem potest, sed tamen vel non inuenietur eiusdem coloris frustum panni, vel non eiusdem qualitatis, vel non ita poterit consui, vt defectus non facilè deprehendatur à curiosè inspicientibus, sic qui resarcire vult proximi famam præcissam, quantumcumque nitatur damnum recompensare, vel sermonem non omnino retractabit, vel non inueniet conuenientem colorem, vel non secundùm qualitatem requisitam, vel tandem resartionem esse curiosi autumant, & nunquam, vel ferè nunquam ita recuperatur fama, vt prius erat, atque adeò manebit denigrata proximi fama.

PROP. XXI. *Detractores nos audiendi, sed reprehendendi sunt.*

SEpi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire. Metaphora est sumpta ab agricultura hortorum, vt sicut possessionem suam seu hortum suum solet quis spinis, & vepribus munire, ne alius ad detrahendos fructus ingrediatur; sic & quilibet nostrum curet aures seruare, ne detractiones intus ingrediantur, ne denique auditus pateat detractoribus, & maledicis. Sed dices, quonam pacto spinis sepire possumus aures? cera, aut gossipio, aut alia re simili rectè possemus claudere aures, attamen spinis quomodo id poterimus præstare? spinis, inquit, vt ipsis pungas, & vulneres malè loquentem. *Que se pique el mal diciente, en vuestras retas viendo quan mal recebiu suis murmurationes*, &c.

Iterum, *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras.* Græca lectio sic habet, *Ecce circum munias possessionem tuam spinis*, &c. Vnde vtramque lectionem connectendo, sensus est, sicut hortum tuum spinis sepis ne fures ingrediantur, & furentur, quemque si quis nihilominus ingredi ausus fuerit, spinis punctus, & cruentatus iterum ingredi vereatur; sic cùm coram te aliquis detrahere ausus fuerit, sepi aures tuas spinis, vt tum verbis suis per aures tuas ingredi voluerit, pungatur, & retrocedat, & iterum coram te detrahere vereatur. At, inquies, quonam pacto aures spinis claudere possum? Primò, nullo modo assensum verbis tuis illi præbeas: ideò enim hic Sapiens ait: *ori tuo facito ostia*, qui enim assensum præbet detrahenti, audaciorem eum ad detrahendum reddit: gaudet enim murmurator huiusmodi approbationibus, & fouet eis detractiones suas: vnde Sanctus Hieronym. epist. ad Celantiam: *Nunquam detrahenti credas, ne obtrectatoribus authoritatem de consensu tribuas, & ne eorum vitium nostras annuendo.* Ita S. Hieron. Præterea, cà quâ par est prudentiâ obsistere debemus detrahenti, vel reprehendendo, vt iterum non audeat coram te detrahere, vel si ad reprehendendũ authoritatẽ non habes, excusando, & saluando personam cui detrahit ille, aut bono modo significando te nolle audire aliorum defectus, sed potiùs virtutes, vel si nec ad hoc authoritatem habueris, faciem auertendo, & talem vultum ostendendo, vt detractor silentio tuo, & auersione tua, & vultu ingrato, tibi molestum esse coniciat, & sic ab incepto desistat, & deinceps timeat detrahere coram te: nam si grato vultu te audire consperit, non id præstabit. Vnde S. Ephrem de malo linguæ, *Audiendo, inquit, & non reprehendendo maledicta dicentis, comprobare illa videris tanquam vera.* Ita ille. Vide Sanct. Bernard. libr. 2. de consideratione, & serm. de tripli. custodia, & Sanct. Ambr. super Psalm. 38.

Sanctus Hieron. Epist. 4. ad Rusticum: *Salomon loquitur in Prouerbijs: Ventus Aquilo dispat nubes, & vultus tristis linguas detrahentium: sicut enim sagitta, si emittatur contra duram materiam, nonnunquam reuertitur in mittentem & vulnerat vulnerantem, & completur illud*, facti sunt mihi in arcum prauum, *& alibi*: qui mitit in altum lapidem, recidet in caput eius; *ita detractor, cùm tristem faciem viderit audientis, imò ne audientis quidem, sed obturantis aures suas ne audiat iudicium sanguinis, illico conticescit, pallet vultus, hærent labia, saliua siccatur*; ideo idem vir Sapiens: Cùm detractoribus (*inquit*) ne commiscearis, quia repentè veniet perditio eorum, & ruinam vtriusque quis nouit? *tam scilicet illius qui loquitur, quàm eius qui audit detrahentem.* Ita S. Hier. S. Hier. Prou 25. 23. Psal. 77. 57. Eccli. 27. 28. Prou. 24. 21.

PROP. XXII. *Detrahentibus credere non debemus.*

SEneca lib. de remedijs fortunæ: *Malè de te opinantur homines, sed mali. Si malè de me Marcus Cato, si Lælius sapiens, si duo Scipiones ista loquerentur, dolerem. Nunc malis displicere, laudari est. Non potest vllam authoritatem habere sententia, vbi qui damnandus est, damnat. Malè, inquis, de te loquuntur, mouerer, si iudicio hoc facerent: nunc morbo faciunt, non de me, sed de se loquuntur. Malè de te loquuntur, bene loqui nesciunt, faciunt, non quod mereor, sed quod solent. Quibusdam quidem canibus sic innatum est, vt non pro necessitate, sed pro consuetudine latrent.* Ita Seneca. Hinc constat, detrahentibus non esse adhibendam fidem, detrahunt enim, non quia ita est, sed quia ita solent. Seneca.

Et lib. de vita beata, c. 27. sic idem Seneca: *Quare* (inquit detractor) *hic laxius habitat, ille lautius cenat, papulas obseruat alienas, plurimis vlceribus obsitus. Hoc tale est, quale si quis pulcherrimorum corporum naeuos, aut verrucas derideat, quem vera depascitur scabies.* Ita ille. Exaggerationes ergo detrahentium & inutiles ponderationes, mendaces eos, vel de mendacio suspectos reddunt.

PROP. XXIII. *Quando corripiendi sint detrahentes.*

MOnendi sunt detrahentes, ne proximi famam attingant. Multi verecundiâ oppressi nesciunt, quid detrahenti obiciant, & quamuis sæpè difficile sit detrahenti obstare, & inutile; sæpè etiam, & maximè inter amicos, facile & vtile erit. Quid autẽ dicere huiusmodi detrahentibus valeamus, docet S. Chrysost. homil. 3. ad popul. *Audientes detrahere, admoneo aures obstruere, & Prophetam imitari dicentem: Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Dic ergo proximo, habes quem laudes, & commendes? aures aperio, & vnguenta suscipiam: si verò malè vis dicere, verbis ingressum obturo: non enim stercus, & cænum suscipere sustineo. quid mihi lucri si didicero, quòd ille improbus sit? quid, nisi magnum nocumentum. Ex hoc curemus firmiter nostra; quomodo peccatorum nostrorum rationes demus, curiosam hanc indagationem circa vitam nostram exhibeamus. quam enim habebimus excusationem, quam veniam, cum nostra nec in mentem quidem veniant, aliena verò curiosè scrutemur? Sicut ergo præteuntes per vicum turpe est interiora domus alienæ considerare: sic & circa alienam vitam indagare, illiberalitatis maximæ est. Si igitur delatores didicerint, quòd ipsos magis, quàm accusatos auersamur, ipsi tandem ab hac mala consuetudine desistent,* Pſ. 100 5. Simile.

sistent, & peccatum corrigent, & factores suos. Denique si quis te præteruente cœnum, seu stercus commoueat, non indignaris? Hoc sac erga detractores: Simile. *non enim sic stercus commotum eius factorem suscipientem cartilaginem percellit, sicut aliena peccata excussa, & vita impura audientium animos contristare, & perturbare solent. Et tandem si aliquando susceperis verbum detrahentis, oblitioni trade, interime dictum, vt his, qui non audierunt, similis fias, & cum pace multa transi-*

Eccli 19. 29. *gas vitam præsentem:* Audisti (*inquit Spiritus sanctus*) sermonem? moriatur in te, conde te, non te disrumpet. *Quid est* moriatur in te? *Extingue ipsum, defodito, nec exire, nec penitus moueri permittas.* Ita Sanct. Chrysostomus.

Prop. XXIV. *Non detractionem in nos, sed occasionem detractionis, quam alijs damus, timere debemus.*

Ioan 8. 46. QVis ex vobis arguet me de peccato? Non ait Dominus: Cur mihi detrahitis? cur contra me iniurias, blasphemias profertis? Sed, *quis ex vobis arguet*, hoc est, argumentis & rationibus conuincet me peccasse? Docet nos Christus hoc nobis præ oculis habendum semper esse, ne aliquid perpetremus, propter quod nos iustè arguere possint: quòd autem iniustè & sine causa detrahant, hoc non esse inter nostra damna, sed eorum qui detrahunt, computandum.

Sunt enim nonnulli qui ideò tristantur, & cruciantur, quòd se ab alijs iniurijs & murmurationibus lacessitos vident, cùm potiùs inde gaudendum illis esset, quòd sine culpa id patiantur: nam dic, quæso, si tibi in cruce moriendum esset, quam, rogo, eligeres crucem, Christi, an boni latronis? vtique Christi, qui sine causa crucifixus fuit, & non latronis? qui culpa sua affixus cruci fuit. Sic ergo eligendum est magis iniurijs lacessiri sine culpa, quàm ob culpam. Dices non crucior eò quòd sine culpa, sed quia sic iniurijs afficior. Vt igitur non sic te propteree cruciare & angi debeas, Christus Dominus tot opprobrijs & contumelijs lacessitus nihil tunc ad eos, qui sic eum persequebantur, dixit, nisi: *Quis ex vobis arguet me de peccato*, & culpa, ob quam sic persequimini me?

Vbi etiam notandum est, quòd non solùm à culpa immunes nos esse debere docet Christus, verùm etiam à nota & specie omnis culpæ, ob quam alijs occasionem detrahendi, & arguendi nos & ansam demus. Vnde Apost. *Ab omni specie mali abstinete vos.* Vbi S. Thom. *Specie* (inquit) *quia etiam quæ habent similitudinem malitiæ, vitare debemus, quæ scilicet non possemus seruare coram hominibus absque scandalo eorum.* Ita S. Thom. & S. Ansel. *Ab omni specie mali est, non solum ab eo quod veraciter malum est, sed etiam ab ipsa similitudine mali, ne scilicet mala specie malum exemplum detis.* Ita S. Ansel. & ratio huius est, quia in medicina nec prodest quòd solùm salutiferæ medicinæ speciem habet, nec obest quòd veneni speciem præsefert, si nec salutiferum nec mortiferum in se est: at in moribus non solùm perniciem affert peccatum publicè perpetratum, verùm etiam opus quod solùm speciem & similitudinem imaginemque gerit, &c. Vnde cùm intelligeret Moyses velle Dominum in deserto interficere populum Israelitarum ob peccatum idololatriæ, quando scilicet vitulum adorauerunt, orauit ad eum, dicens: *Ne, quæso, dicant Ægyptij: Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus & deleret de terra, quiescat ira tua, &c.* hoc est, ne detur species vlla Ægyptijs blasphemandi, si deles eos, parce illis. *Et placatus* (inquit) *est Dominus; ne faceret malum quod locutus fuerat aduersùs populum suum.* Item ob diffidentiam populi Hebræi, qui non credebat se vincere posse gigantes illos Terræ promissionis, di-

Num. 14 11. xit Dominus ad Moysen: *Vsquequo detrahet mihi populus iste? quousque non credet mihi in omnibus signis quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentiâ, atque consumam: te autem faciam principem, &c.* Cui Moyses: *Vt audiant Ægyptij, & habitatores terræ huius, & dicant: Non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauerat, idcirco occidit eos in solitudine: cui Dominus: Dimisi iuxta verbum tuum.* Manifestum est potuisse Dominum sanctè ac iustè occidere illos in solitudine, sed ne aliquam ansam, licèt remotè, iterum sumerent Gentiles blasphemandi, placuit Deo à iusto illo supplicio abstinere. Vnde & ob eandem rationem, *Adiuua nos Deus* (inquit) *salutaris noster, & propter gloriam nominis tui libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum, ne forte dicant in gentibus: Vbi est Deus eorum? &c.* Si ergo Deus, qui nullatenus scandalum actiuum dare poterat, ob scandalum illud passiuum, sic à sancto & licito supplicio abstinebat, quantò magis ab actiuo scandalo prorsus abstinere debemus?

Prop. XXV. *Boni non debent moueri detractionibus malorum.*

REctè Sanctus Ambrosius asserit, quòd, sicut vmbra comitatur, & sequitur eum, qui solis luce circumfusus ambulat; sic malorum hominum inuidia eos comitatur, & sequitur, qui veritatis luce potiuntur. Quid igitur faciendum est illi? quod hi quidem faciunt qui lucis splendore gaudent: non enim propterea à luce ad tenebras confugiunt, sed potiùs ab vmbra oculos auertentes, & pro nihilo eam habentes, in lucis, & solis loco persistunt; sic qui luce diuina illuminati sunt, inuidiam malorum nec curent, nec attendant, sed pro nihilo eam habentes in lucis bono persistunt.

Hinc de sponsa Christi sic Spiritus sanctus: *Sicut lilium inter spinas, sic anima mea inter filias.* Lilium, quod inter spinas oritur, aliquando solet ab spinis vulnerari, vel quia spinæ nimiùm se extendunt, & vsque ad florem perueniunt, vel quia venti agitatione sua spinis concutit flores, aliisve de causis; sed tamen non propterea ab incremento suo cessat, vel odorem rosa emittere desistit; sic anima Dei amica inter malos ficut lilium inter spinas consistens, si aliquando pungitur ab eis, non ideo odorem suum bonum non emittit, nec ab incremento virtutis, & perfectionis cessat. Talis erat Apost. Paulus, *Christi bonus odor*, inquit, *sumus Deo in bus qui salui fiunt, & in his qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Et quidem Apostolus sicut lilium inter spinas versabatur, nam multi infideles contra ipsum insurgebant, & grauiter pungebant, sed tamen non ideo odorem illum bonum intetmittebat, nec à suis spiritualibus incrementis cessabat, &, *Sequor*, inquit, *si quomodo comprehendam*, Et subdit: *Quæ retro sunt obliuiscens, ad ea quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium superne vocationis Dei in Christo Iesu*, sic, sic qui lilium in horto Dei esse desiderat, esse debet. Denique lilium colliget Deus, & in altari illo cœlorum collocabit, & spinas tradet comburendas inextinguibili igni: non ergo inuideat lilium spinis, non gaudeant spinæ super lilium.

Refert Melis. serm. 99. quòd cùm quidam Platoni narrasset nonnullos esse qui ipsum maledictis insectarentur; ego, inquit, *sic vtuam vt illis non habeatur fides.* Ita ille. Hæc iusta pœna maledicentis est, vt in plurimum audientes ei fidem non adhibeant, multò autem minùs cùm ille, cui detrahit, vir iustus, & exemplaris est: tunc enim potiùs credunt vitæ bonæ, quàm linguæ malæ. Rectè namque à sapiente quodam dictum est: In iniurijs, non quid dicatur, sed à quo dicatur, in primis animaduertendum est.

Quod si quomodocumque sit qui de te malè loquatur, aut coram, aut in absentia, si vera non fuerint, quasi de te dicta non fuerint sic accipienda sunt à te. Socrates cuidã admiranti, quòd nihil in eum commoueretur

ueretur à quo conuitijs inceſſabatur : *Mihi*, inquit, *non maledicit, quandoquidem ea quæ dicit mihi non adſunt, nec in me hærent.* Qui conſequenter dicere ſolebat, expedire vt quis ſe maledicentibus ſubijceret : nam ſi quis dixerit in nos meritò reprehendendum, admoniti corrigamus, & ſic non parum emolumenti ex detractionibus, & conuitijs colligemus. quòd ſi falſum affirmet nihil ad nos, ita ille : nihil, inquit, ad nos, quia ille non detrahit tibi, ſed illi quem te eſſe imaginatur : hic autem tu non es : ne ergo indigneris pro eo quòd de quodam imaginario ille profert, & non de te verè. Etenim vir ſpiritualis, qui inter perfectos Chriſtianos numerari debet, hac in re nihil ſpiritualibus dicere potuiſſe videtur : qui enim in veritate ambulat, in omnibus veritatem amat, & vulgi opiniones de ſe non curat : eſſe enim quærit, non haberi, niſi cum haberi ad ædificationem proximorum ſpectat, vel ad Dei gloriam, nam tunc de bono nomine cura eſt habenda, &c. A

DESIDERIVM. B

Prop. I. *Quàm periculoſum ſit deſideria bona non implere.*
2. *Quantum placeant Deo deſideria bona.*
3. *Quòd à deſiderijs ad deſiderata pergere debeamus.*

Prop. I. *Quàm periculoſum ſit deſideria bona non implere.*

Sanct. Bernard. in Epiphania Domini, expendens tyrannidem Herodis volentis occidere Chriſtum recenter natum, ait : *Herodiana malitia, & Babylonica crudelitas eſt, naſcentem velle extinguere religionem, & allidere paruulos Iſraelis : ſi quid enim ad ſalutem pertinens, ſi quid oritur religionis, quicunque reſiſtit, quicunque repugnat, planè cum Ægyptijs paruulos Iſraëlitici gemini necare conatur, imò cum Herode naſcentem perſequitur ſeruatorem.* Ita S. Bern. Vbi tres ſimilitudines tangit, Herodis, Babyloniorum, & Ægyptiorum, &c. C

Sunt qui multa deſiderant in Dei obſequium, & ſalutem animæ ſuæ præſtare, qui tamen nunquam ad ea quæ deſiderant, & exequi proponunt, perueniunt. De his Eccleſiaſticus : *Præcordia ſatui ſicut rota carri, & quaſi axis verſatilis cogitatus illius.* Rota carri & axis verſatilis mouentur quidem, ſic tamen vt in eodem cardine ſemper maneant, nullum progreſſum ſibi motu ſuo faciunt. Tales ſunt pigri, qui ſemper deſiderijs, & propoſitis ad meliora mouentur, ſic tamen vt ſemper in ſuis remaneant deſiderijs, & nullos in virtute progreſſus faciant. Eccl. 33.5.

Cant. 7. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis.* Quid in huiuſmodi calceamentis vidit Deus, quòd ita ſibi in eis complacuit ? Pedes in ſacris litteris deſideria ſignificare ſolent, quia ſicut pedibus incedimus, & pergimus in aliquem locum, ſic deſiderijs ad optata peruenimus, vt ait Origenes : & ſicut ſunt pedes nudi, & pedes calceati ; ſic etiam ſunt deſideria nuda, & calcecata : nuda ſunt, cùm nihil habent aliud, quàm ſolum appetere, & deſiderare ; calceata cùm ad opus deſideratum perueniunt. Deſiderat quis ieiunare, & operibus pœnitentiæ vacare, dum id non opere præſtat, deſideria nuda ſunt ; cùm ieiunat, &c. iam pes deſiderij calceatus eſt. Laudat igitur Sponſus ſponſam, quia in calceamentis dirigit greſſus ſuos, quia iam deſideria operibus calceata gerebat : ſola enim deſideria, quando non poſſunt bene impleri, laudem habent ; ſi verò negligentiâ noſtrâ nuda manent, rationi diuini iudicij ſubiacent, & inde grauiùs puniemur, quòd talibus deſiderijs, diuinâ gratiâ comparatis, non reſponderimus : ſicut ille qui talentum abſcondit, & nihil eo lucratus fuit. Cant. 7. C D

Prop. II. *Quantùm placeant Deo deſideria bona.*

Sæpe non id poſſumus opere præſtare, quod in obſequium Dei facere optamus, ſed tamen adeo bonum Dominum habemus, vt deſiderium ipſum, & bona voluntas pro facto reputetur.

Patet hoc in ſacrificio Abraham, ad quem ſic Dominus : *Per memetipſum iurauì, quia feciſti hanc rem, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuũ ſicut ſtellas cæli, & velut arenam quæ eſt in littore maris, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Quia feciſti hanc rem, inquit, cùm tamen non fecerit ſacrificium filij, nec de facto adhuc impleuerat obedientiam, & ait, obediſti voci meæ, nimirum quia voluntas pro facto reputatur. Et nota magnitudinem præmiorum, ſufficiebat quidem dicere benedicam tibi, quid enim ſelicius quàm benedictionem Domini acquiſiuiſſe ? vbi enim benedictio Domini, ibi omnia proſperè eueniunt, &c. ſed addit inſuper ſe daturum ei filium ſuum, quaſi diceret, quia tu mihi filium tuum exhibuiſti, vel te ita promptum ad parendum præbuiſti, vt filium tuum mihi dares, ego tibi filium meum dabo in filium, in quo benedicendæ ſunt omnes gentes. Vide quantum apud Deum bona valeat voluntas. Gen. 22. 16.

Hinc Iſai. 22. vbi Dominus pollicetur Eliachim ſe illi daturum pontificatum, vti exponit S. Hieron. *Dabo*, inquit, *clauem domus Dauid*, id eſt, pontificatum templi : cur igitur non ait clauem templi Salomonis, ſiquidem Salomon fueratqui domum illam, & templum ædificarat, & ab omnibus templum Salomonis vſque hodie nuncupatur ? Sanctus Hieronymus & Sanctus Cyrillus, & Sanctus Thomas reſpondent huius cauſam eſſe, quia priuſquam Salomon de templo ædificando cogitauit, ipſum ædificare ſummopere deſiderauit Dauid, & de facto id præſtitiſſet, niſi prohibitus à Deo fuiſſet, & quia Deus pro facto reputat voluntatem, & deſiderium, ideo templum Dauidi adſcribit ibi, & non Salomoni.

Hinc Chriſtus Dominus de miſericordibus agens, ait : *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*, non ait, ſolùm beati qui de facto miſericordiam præſtant miſeris, ſed miſericordes, quod non ſolum de miſericordia in facto, ſed etiam de miſericordia in corde intelligitur, vti Sanctus Gregorius Nyſſenus lib. de beatitudinibus, interpretatur, dicens : *Nemo in ſolis meritis hanc virtutem ſpectet : ſic enim non cuiuſque hominis eſſet huiuſmodi rei ſucceſſus, præterquam eius qui opus haberet ad benefaciendum, quimimo mihi æquius, & verius eſſe videtur hanc virtutem ex ſtudio, & voluntate æſtimare : nam qui bonum voluntate duntaxat in animo ſibi proponit, ac deſtinauit, ſed inopiâ prohibitus eſt, animi deſtinatione nihil inferior eſt eo qui per opera voluntatem ſuam oſtendit.* Ita Sanctus Greg. Nyſſen. Matth. 5. 7.

Vnde S. Ambr. 2. de pœnitentia cap. 4. *Plura ſoluendi ſubſidia habet, qui Deo, quàm qui homini debet : nam homo pro pecunia pecuniam reponere debet, quæ non ſemper debitori præſto eſt ; Deus verò affectum exigit, qui in ſua poteſtate eſt. Nemo pauper eſt qui Deo debet, niſi qui ſeipſum pauperem fecerit, & ſi non habet quæ vendat, habet quæ ſoluat.* Ita ille.

Item Sanctus Hieron. in Pſal. 111. *Qui non habet vnde faciat eleemoſynam, liber eſt, quantumcumque voluerit dare tantum dedit, quia voto dedit.* Ita ille.

Hinc Sanct. Auguſt. in Pſal. 125. donum illud pauperis viduæ duorum minutorum Marci 12. æquiparat eleemoſynæ Zachæi Luc. 19. qui dimidiam partem bonorum ſuorum (erat autem diues) pauperibus erogabat. Ergo, inquit, *vidua, illa, quæ duo minuta miſit, parum ſeminauit, imò tantum quantum Zacheus : minores enim ſacul-*

tates ferebat, sed parem voluntatem habebat: si attendas quæ dederunt, diversa munera, si attendas unde dederunt paria invenies. Ita Sanctus Augustinus.

Et fortè hoc significare voluit ille Seraphim volatus, qui *Duabus*, inquit, *alijs volabant*, quomodo volabant, si ibi manentes stabant? etenim paratissimi ibi aderant ad voldum quòcumque vellet Deus, & fortè, inquam, propter hanc præparationem animi ad volandum iuxta beneplacitum Dei, volare iam dicuntur, quia apud Deum voluntas pro facto reputatur. *Isai. 6. 2.*

Ad amplificandam hanc propositionem videndus est Sanctus Gregorius hom. 5. in Euangelia & 16. moral. 12. & Sanctus Chrysostomus in 2. ad Tim. 2. hom. 3. & hom. 16. & 21. in epist. ad Rom. 16. & Clemens Alex. 7. Strom. & Sanctus Bern. epist. 77. & Sanct. Leo serm. 5. de iciunio.

Sanctus Augustinus in Psal. 36. serm. 2. *Voluntas thesaurus pauperum est, & habet semper vnde det, cui plenum est charitatis pectus, & ad hunc thesaurum amittendum nec admittitur latro, nec metuitur naufragium.* Ita Sanctus Augustinus. Etenim si Deus egenus esset, non satis illi esset nostra voluntas bona & desiderium nostrum bonum: sicut non satis est pauperi indigenti cibo, desiderium eius qui desiderat illi tribuere panem: non enim satisfacit panis desideratus esurienti, sed verus & datus. At Deus, qui bonorum nostrorum non eget, *Si esuriero*, inquit, *non dicam tibi: meus est enim orbis terrarum*, &c. Quid à nobis quærit? bonam voluntatem, bonum illi seruiendi desiderium. sicut pater qui filio tribuit pomum, & repetit ab ipso pomum, non ideo petit pomum, quia illo eget; sed vt voluntatem filij experiatur, & ideò vix filius illi reddit pomum, cùm pater iterum illi restribuit, illum amplectens, & de osculans eum; propter voluntatem illam bonam. Sic Deus, à quo bona cuncta nostra procedunt, solet repetere à nobis vel pauperum precibus, vel interna quadam inspiratione, quæ accepimus de manu eius. quòd si promptè illi offerimus aliquid, amplectitur, & deosculatur nos, non propter datum sibi, sed propter bonam nostram voluntatem, placet illi datum; sed non præcisè propter ipsum datum, sed propter internam promptitudinem, & voluntatem. & ideo plus nobis reddere solet, quàm damusin hac vita & insuper æternam vitam. Quòd si dandis caremus, voto & desiderio ei satisfaciemus, vti ait ibidem Sanctus Augustinus. Et ideò meritò, *bonam voluntatem thesaurum indeficientem* nuncupauit, thesaurum, quia apud Deum magni momenti est, & quo cælestem gloriam comparamus, & *indeficientem*, quod de thesauro materiali dici non potest, quia hic thesaurus finitus est, & omne finitum per ablationem finiti tandem finietur, vt Philosophus ait. At desideria nostra infinita sunt, quia non tot sunt, quin plura esse possint: semper magis dare Deo, & pauperibus possumus optare, & apud Deum iam datum est quod dari desideratum est. Si ergo pauperem videris, & ci eleemosynam dare nequiueris, opta illi dare, & ne sis desideriorum auarus; si quidem ex desiderijs oblatis non minuitur hic fœlix thesaurus seruorum Dei, nec sicut thesaurus argenti, & auri, à latronibus auferri potest, nec casu temporali perire. *Psal. 49. 12*

Luc. 8. 39. Hinc illi qui Dominum sequi volebat, dixit Christus: *Redi in domum tuam, & narra quanta fecerit tibi Deus.* Cur igitur Christus non ipsum sequi permisit, cùm ad id alios ipse vocaret. Sanctus Gregorius 16. Mor. 13. sic respondet: *Amanti enim adhuc dilatio imponitur, vt ex desiderio dilati amoris meritum retributionis augeretur.* Ita Sanctus Gregorius, tantùm apud Deum nostra desideria valent.

Inquirit Tertullianus, cur Deus in Veteri lege tot Hebræis iniunxerit iciunia, & Christianis non item, cùm quidem iciunia ad puritatem corporis & cordis conducibilia nimis sint, & maior puritas in lege Noua, quàm in Veteri requiratur. & respondet, ob id quidem, vt liberæ nostræ voluntati locus relinquatur, & appareat, non coactè, sed spontaneè, & ex abundantia bonæ voluntatis nos sæpe iciunare. Licèt enim iciunia ex obedientia gratissima Deo sint, tum ratione temperantiæ, tum ratione obedientiæ; voluntariè tamen illi sacrificare, & non ex coactione aliqua, (cui seruilis timor adhærere sæpè solet) ob plenitudinem & feruorem internæ voluntatis plùs illi placere solet.

Hinc, *Sedens*, inquit, *Iesus contra gazophylacium, aspiciebat, quomodo turba iactaret æs in gazophylacium, & multi diuites iactabant multa. Cùm venisset autem mulier vna pauper, misit duo minuta*, quod est quadrans, *& conuocans discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium.* Hæc ibi: quæramus igitur modò, quomodo plus miserit mulier hæc pauper, quàm diuites, cùm mulier duo tantùm minuta miserit; diuites verò multa? Breuiter hic respondet Sanctus Hieronymus: *Non quantum, sed ex quanto, considerat Deus.* Ita ille. Qui egent, non ex quanto sed quantum quærunt, quia solùm inquirunt indigentiæ suæ remedium, Deus verò, qui nostra quærit, non propter nostra, sed propter nos, & non ex indigentia sua, sed ex charitate, charitatem, & voluntatem nostram venatur, non quantum attendit, sed ex quanto. Et Victor Antiochenus in hunc ipsum locum. Non, inquit, *Deus tam non nummorum magnitudinem considerat, quàm animi alacritatem, & promptitudinem ponderat.* Ita ille. Et Liranus: *Plus misit vidua, quia Deus magis ponderat quantitatem deuotionis, quàm muneris.* Ita ille. Et notandum est ad hoc sententia Sancti Gregorij: *Deus plus pensat affectum, quàm censum.* Ita ille. Non negamus quòd secundùm proportionem facultatum plus misit etiam hæc pauper quam diuites, quia illi ex abundantia; hæc verò totam facultatem suam misit in gazophylacium: quod & Christus adnotauit: sed ad mittendum hoc totum, maiorem deuotionem & intentiorem affectum voluntatis eam habuisse constat, & Deus, qui inspector est cordium, non solùm exteriùs oblata tunc in templo respiciebat, sed internum affectum, vti ex Sancto Hieronymo diximus, & ex alijs. desiderabat hæc plus omnibus offerre, & hoc desiderium potissimè in causa fuit, quòd apud Deum plus quàm diuites multa offerentibus, offerret, & à parte rei, seruatâ proportione diuitiarum, plus quidem misit hæc mulier; quia totum quod tunc ad victum habebat, misit, & dedit.

Prop. III. *Quòd à desiderijs ad desiderata pergere debeamus.*

Apes quidem floribus delectantur, eos amant, *Simile.* quærunt, colligunt, sed non in eis intentio, & opus earum sistit & consistit; sed ex floribus fauos & dulcissima conficiunt mella: sic & nos flores bonorum desideriorum amare debemus; sed tamen non sistere in eis, sed vlteriùs ad opera, quæ ex bonis desiderijs promanant, procedere.

Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, Levit. 2. nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini. Cur ita? nónne mel ad condimentum saporis creauit Dominus? Nónne Salomon ait: *Comede, fili mi, Prov. 24. mel, quia bonum est?* & nónne scriptum est: *Butyrum & 13. mel comedet?* Cur igitur excluditur à sacrificio Dei? S. *Isai. 7. 15.* Theodoretus respondet: *Prohibet Legislator mel à sacrificio, quia apes vniuersos flores prælibant.* Ita ille. Quia ergo ex floribus conficitur mel, ideo reprobatur à Deo. Flores desideriorum symbola sunt: sicut enim ex floribus oriuntur fructus arborum, sic ex bonis desiderijs oriuntur fructus operum bonorum. Sicut ergo reprobatur arbor, quæ ad fructus flores non perducit, non quia flores secundùm se boni & pulchri non sint, sed

quia

quia non pertingunt ad finem, quem natura per flores A intendit: sic Deus reprobat mel, quia conficitur, non ex fructibus, sed ex floribus.

Vnde sic sponsa Dei: *Manè surgamus, videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt*, non ait, videamus solos flores, sed, &c. quia non satis sunt Deo flores sine fructu, vtrumque quærit ille. bona quidem sunt desideria, sed insufficientia sunt, quando fieri potest vt in opus deducantur.

DEVOTIO.

Prop. Vnica. *Quòd Deus potiùs deuotionem cordis, & promptitudinem animi respiciat quàm opus.*

Genes. 8. *Aedificauit Noë altare Domino nostro, & B tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suauitatis.* Qualis, quæso, suauitas esse potuit odoris ex carnibus, & ossibus exustis? Theod. q. 53. in Exod. *Excepit*, inquit, *Deus promptitudinem & animum Noë, non quidem mdore illo delectatus, nihil enim pecus olet quàm ossa exusta, sed offerentis animum laudauit.* Ita S. Theodor. Ne igitur obijcias paupertatem tuam, quia non magnitudinem dati, sed deuotionem dantis respicit Deus.

Marc. 12. aspiciente Christo Domino nostro eos qui munera in gazophilacium mittebant, adfuit vidua illa pauper duo tantùm minuta dedit, de qua sic ad discipulos suos Christus: *Amen dico vobis, quòd vidua hæc pauper plus omnibus misit*, &c. Etenim diuites plures numos mittebant: quomodo igitur ait Dominus plus misisse viduam? S. Leo Papa: *Nunquam, inquit, meritò caret, etiam in tenui facultate bonæ voluntatis opulentia; maiora quidem sunt diuitum impendia & minora mendicorum; sed non discrepat fructus operum, vbi est idem affectus operantium: nulli enim parcus est census, cui magnus est animus; nec de rei familiaris modo mensura pendet pietas.* Ita S. Leo serm. 2. in Quadragesima. Et ideò in die Natiuitatis Christi Angeli hominibus bonæ voluntatis pacem Dei annuntiauerunt.

DEVS.

Prop. 1. *Deus incomprehensibilis est, & ineffabilis.*
2. *Deus Magister noster est.*
4. *Quòd non sit personarum acceptor Deus.*

Prop. 1. *Deus incomprehensibilis est, & ineffabilis.*

Sanctus Cyprianus lib. de Card. operi. Christi, in prologo apud Isai. *Seraphim faciem Dei, & pedes velant, principiumque maiestatis diuinæ alarum extensio infra supraque operiens, adytum ad se temerarijs tractatoribus, vel scriptoribus interdicit, nec patitur ad liquidū se videri diuinitas, quàm vtique inuestigatio fidelis aliquo modo adorat, vel sentit, sed puram eius essentiam nec conspicit, nec comprehendit, quidquid audiri, vel videri, vel sciri à nobis hîc potest. Hanc inuisibilem lucem, & inaccessibilem naturam, sex alis hinc & inde Seraphim statu & volatu circumeuunt, & abscondunt, vt volatu altitudinem eius sic in superioribus eleuatam monstrantes, vt quantumlibet ad cor altum homo ascendat, exaltetur Deus. Affirmatio itaque de essentia Dei in promptu haberi non potest: neque enim definibilis est diuinitas, sed veriùs sinceriúsque remotio indicat negando quid non sit, quàm asserendo quid sit: quia quidquid subiacet sensui, illud esse non potest, quod omnem superat intellectum.* Ita Sanctus Cyprianus, vbi pondera locum Isaiæ 6. *Que ni buelos de entendimientos Seraphicos hallan principio, ni cabo, ni pies, ni cabeça en la de.dad de Dios, &c. que hazan los nuestros, si los de los Seraphines de suyo, fuera de la vision beatifica, no selo no comprehenden, però ni aun lo entienden como sea, en la beatifica entienden, mas no comprehenden.*

Vnde rectè subdit ibi Sanctus Cyprianus: *Si animæ meæ, quæ corporis mei obtinet principatum, nec originem scio, nec metior quantitatem, nec qualis sit intueri sufficio, si ignota est mihi ratio quare ipsa delectetur in corpore persecutore suo, si nescio quis hanc legem membris insculpserit, vt tam violenta dominatione spiritum opprimat, & melior dignior que natura deteriori succumbat; patienter me ferre oportet, si Deum operatorem Vniuersi non intelligo, qui in minimis operationum suarum particulis meam profiteor ignorantiam. Quare si meipsum nescio, si animæ meæ naturam ignoro, si eorum quæ intra me sunt, rationem nescio, quâ audacia supra me oculos erigam, vt videam principium sine principio, & finem sine fine attingam?* Ita S. Cyprianus.

Cicero pro lege Manilia: *Homini timidè de potestate Deorum & pauca dicenda sunt.* Ita ille. Idem autem quod de potestate ait Tullius, de maiestate, sapientia, bonitate, natura, essentia, iustitia, & misericordia, & alijs attributis diuinis dicendum est: si enim quæ in formica, & palea contineantur virtutes, & proprietates, ignoramus, quid de diuina natura, & proprietatibus, & perfectionibus eius dicemus?

Deus est qui tantò magis nos in admirationem rapit, quantò magis eum consideramus. *Es dios vna cosa tan sobre soberana, que quanto mas se mira, mas admira.*

Vnde (sicut Cicero refert libr. 1. de natura Deorum) Simonides Philosophus interrogatus olim à rege Hierone, quidnam esset Deus, deliberandi sibi diem vnum postulauit; cumque idem ex eo postridie quæreretur, biduum petijt, ac cùm ita sæpiùs quærenti numerum duplicaret, & Hiero efflagitaret, cur ita faceret? *Quia*, inquit, *quantò diutiùs considero, tantò mihi res obscurior videtur.* Ita Cicero. Ecce quantò magis Philosopus hîc Deum considerabat, tantò magis Dei cellsitudinem perpendebat, & in maiorem eius admirationem rapiebatur. C

Hinc, vt refert Maximus sermone 21. cùm Euclides Philosophus à quodam interrogaretur, qualis esset Deus? respondit. *Cætera quidem ignoro, at curiosos illi odio esse certò scio.* quasi dicat, odiosum est indagare quis qualisve Deus sit, nam impossibile est, non solùm exprimere linguâ, verùm nec mente concipere diuini esse excellentiam, & sublimitatem, excedit conceptum nostrum hoc, nec capere id potest mens humana.

Sanctus Augustin. 38. de verbis Domini: *Loquimur de Deo, quid mirum si non comprehendis? si enim comprehendis, non est Deus. Sit igitur pia confessio ignorantiæ potius, quàm temeraria scientia professio; attingere autem mente Deum aliquantulùm magna beatitudo est, comprehendere tamen est impossibile.* Ita Sanct. Augustin. D

ADDITIO.

Nec videri potest; visu clarior est: nec comprehendi potest, nec æstimari: sensibus maior est, infinitus, immensus, & soli sibi tantus, quantus est, notus. Nobis verò ad intellectum pectus angustum est; & ideò sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum sentio: magnitudinem Dei qui se putat nosse, minuit; qui non vult minuere, non nouit. Nec nomen Dei queras: Deus nomen est illi. Illic vocabulis opus est, cùm per singulos proprijs appellationum insignibus multitudo dirimenda sit. Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est: quem si patrem dixero, terrenum opineris: si regem, carnalem suspiceris; si Dominum, intelliges vtique mortalem. Auser additamenta nominum, & perspicies eius claritatem. *Minutius Felix in Octauio.*

Sextus Pythagoricus in sententiis.

Magnitudinem Dei non inuenies, etiamsi pennis volare possis. Nomen Dei ne quæras, quia non inuenies: nam omne, quod nomine appellatur, a dignore nomen accipit, vt alius quidem vocet, alius autem audiat. Quis ergo est, qui nomen imposuit Deo? Deus autem non nomen est Deo, sed ind cium quod sentimus de Deo.

S. Zenon ferm. de fide.

Negat quendammodo Deum, quisquis rationibus humanis Deum metiri conatur: defensio enim non nisi imbecilli præstatur, nec potest eum tenereri, qui ingenij sui putat esse, quod ille fuerit æstimatus.

Arnobius lib 3. contra gentes.

Quid quod de Deo dixeris, quidquid tacitæ mentis cogitatione conceperis, in humanum transilit, & corrumpitur sensum, nec habet propriæ significationis notam, quod nostris dicitur verbis, atque ad negotia humana compositis. Vnus est hominis
„ intellectus de Dei natura certissimus, si scias & sentias nihil de
„ illo posse mortali oratione deprom.

S. Cyrill. Hierosol. Catechesi 6.

In his, quæ de Deo dicuntur, hæc maxima est scientia, ignorantiam fateri. Et paulò pòst. Magnus erat Abrahami & honorandus, sed magnus respectu hominum: cùm autem ad Deum respexit, tunc inquit, ingenue confitens, ego sum terra & cinis. Non dixit terra, & tacuit, ne ipsum magnum elementum terram appellare videretur: sed addit cinerem se esse, vt vilitatem, fragilitatem, & imbecillitatem suam ostenderet. Esne
„ autem quiddam cinere lenius aut exilius? accipe, inquit, comparationem cineris ad domum, & domus ad ciuitatem, & ciuitatis ad prouinciam, & prouinciæ ad Romanorum imperium,
„ & Imperij Romanorum ad vniuersam terram, & omnes terminos, rursus terræ totius ad circumdans illam cœlum; cuius tanta comparatio est ad cœlum, quantum est punctum circuli
„ ad totum circumferentiam: tanta enim est cœli ad terram comparatio. Et primum cœlum, hoc, quod apparet, minus esse intelligas secundo, & secundum tertio. Hinc vsque enim eos nominauit scriptura, non quòd tot tantùm sint, sed quòd tot nos cognoscere confert. Et cùm animo cœlos omnes perspicis, neque tamen cœli celebrare Deum, ita vt est, poterunt, etiamsi tonitrua habeant sonantissima. Si ergo tanta cœlorum magnitudo Deum pro dignitate laudare non potest, quomodo tandem
„ cinis vilissimus & minimus dignas laudes Deo poterit tribuere?

Et paulò pòst. *Sed dixerit aliquis, si incomprehensibilis est*
„ *diuina substantia, & cur tu de his disseris? numquid igitur,*
„ *quia totum fluuium eb bere nequeo, id, quod mihi commodum*
„ *est, sub mensura non hauriam? numquid cùm solem oculis*
„ *comprehendere nequeam, etiam lucis illius vsum, quantum*
„ *sufficit non aspiciam? Et si in hortum magnum ingressus fuero, & omne genus fructuum comedere non potero, visne vt omnino esuriens inde exeam? laudo & glorifico factorem nostrum: mandatum enim Dei est, quod dicit, omnis spiritus laudet*
„ *Dominum: & non dicit vt enarret, quid sit, aut quomodo sese*
„ *habeat in sua essentia.*

Cæsarius Dial. 1.

Quoties diuinarum rerum sublimitatem intueor, mox vertigine correptus tremo, illorum instar, qui de excelso montis vertice in immensum mare prospectant, vel idem accidit mihi, quod ijs, qui dum & lassis oculis, & puro meridie sole cælum perequitante, immoto hunc vultu intueri conantur, victi a nimia radiorum copia, & orto ab ijs splendore, videndi facultatem amittunt.

S Hilar. contra Arianos. Idem in Psal. 69.

Ignosce naturæ si loqui de Deo quod vult non potest, cui sufficiat ad salutem, credidisse quæ Dei sunt.

Idem.

Humanæ infirmitatis religiosa confessio est, ex Deo hoc solùm nosse, quod Deus est.

PROP. II. *Deus magister noster est.*

Genes. 4. 8.

GEnes. 4. *Consurrexit Cain aduersùs fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Quis edocuit Cain posse tunc occidere alium, cùm quid mors esset aut quomodo homo mori posset, ignoraret? Respondet S. Athanasius lib. quæstionum, q. 8. *Diabolus eum docuit, & submiserauit modum, quo illum occidere posset.* Ita S. Athan. Sic Dæmon magistrum se exhibet peccandi vnicuique secundùm inclinationem cuiusque; auarum mille artes

A fraudum, quas ignorat, docet, & ambitiosum ambitionum, & iratum vindictarum, superbum plurima honoris puncta. *queno se hallen en canto llano, ni en canto de organo,* latronem etiam furandi.

Vnde hostis contrarium Christo Domino se exhibet præceptorem: Dominus enim qualia docet, habes Isai. 48. *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, gubernans te in via, quâ ambulas.* Diabolus verò docet, non vtilia, sed delectabilia. Sicut cocus differt à medico: medicus enim non respicit, quid infirmo delectabile sit, sed quid ad sanitatem vtile; cocus verò quid palato placeat. Sic Deus, tanquam animarum medicus, medicinalia applicat ægro, licèt amara & molesta sint; Diabolus vana delectabilia, licèt mortifera sint, imò quia mortifera sint, & mortem inducant æternam.

PROP. III. *Quòd non sit personarum acceptor Deus.*

B DEus Optim. Maxim. superioribus omnibus superior, & exemplar eorum hac in re exemplum præbet semper. sicut S. Dauid manifestauit Psal. 83. dicens: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* (*Mas querria estar en la casa de Dios aunque fuese exercitando vno de los officios humildes, y baxos della, que en los palacios de los pecadores.*) Rationem huius reddens subdit: *quia misericordiam & veritatem diligit Deus.* In originali Hebræo sic: *quia sol & scutum Deus.* (*porque Dios es tu casa es para los que tienen ella sol y escudo.*) Cur sol? cur scutum dixit? Gerebrardus: *Quia Deus in Ecclesia sua est sicut sol illuminans, fouens, vegetans & alens, suo calore fœcundans, mentes reparans, & scutum protegens, & arcens externa, & interna incommoda.* Ita Genebrardus. Sicut igitur sol in totum Orbem suam lucem æqualiter diffundit, oriens super iustos & iniustos; sic Deus in omnes, non solùm iustos, sed etiam peccatores suam ostendit beneficientiam. Et
C sicut scutum non vnam partem corporis tuetur, vt galea caput, vt thorax pectus, vt ocreæ crura, sed omnes corporis partes; sic Deus noster omnes fideles suos protegit & defendit, & sic etiam æqualitatem proportionatam seruat in supplicijs & punitionibus. Hebraïs comminatus fuit olim septuaginta annorum seruitutem, *Seruient* (inquit Ierem. 25.) *Regi Babylonis septuaginta annis.* Tyrijs etiam minatus est Isai. 23. *In oblimone,* inquit, *eris, ô Tyre, septuaginta annis:* quia scilicet & Tyrij captiui fuerunt à Chaldæis annis 70. cur pariuniuntur pœnâ fideles & infideles? Nimirum quia eadem pœnâ digni fuerunt; Deus autem Iudex iustus est in omnes, & pro qualitate, & quantitate criminum, omnes pariter punit. Sic expendit hoc S. Theodor. di-
Theodor. cens: *Fœnat Deus Iudæorum superbiam; nam quod tempus præfiniuit vastitati Hierosolymæ, idem præfiniuit vastitati Tyri: idem enim Iudæorum & gentium est Deus.* Ita S. Theodor. Exemplum dedit Dominus vobis, ô superiores, vt &
D vos similiter faciatis subditis vestris. Vnde licèt superior consanguineos multos habeat, si indigni sint, vel digniores viderit esse extraneos, non attendat carni, & sanguini, sed meritis vniuscuiusque. Sic Moyses successorem sibi constituit, non ex familia sua, imò neque ex tribu sua Leuitica, sed ex tribu Ephraim, nempe Iosue. Cur ita? Abulens. c. 22. Matth. q. 115. *Vt significaret,* inquit, *principatum in populum, non sanguini deferendum esse, sed vitæ.* Ita ille. Et S. Hieron. in c. 1. epistolæ ad Ti- *S. Hier.* tum, *Moyses,* inquit, *amicus Dei, cui facie ad faciem Deus loquitus est, potuit vtique successores principatus sui filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem; sed extraneus de alia tribu eligitur Iesus, vt soremus principatum in populo, non sanguini deferendum, sed vitæ.* Ita Sanct. Hier. qui statim inuehitur in eos, præsertim Ecclesiasticos, qui, naturali ducti affectu, Ecclesiastica bona conferunt, non digniori, sed propinquiori, dicens: *At nunc cerne-*

certimus plurimos hanc rem beneficium facere, vt non quærant eos qui plus prodesse Ecclesiæ possunt, sed quos ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit. Ita ille.

Adest ad hoc etiam Christi Domini exemplum, qui Ecclesiæ principatum, non Ioanni dilecto & etiam consanguineo, sed Petro commisit. Cur ita? cùm & ille sanctissimus Apostolus quoque esset? S. Hieron. lib. aduersùs Iouinian. duplici ratione respondet, *Prima, inquit, est, ne Ioannes adolescens progressæ ætatis hominibus præferretur. Secunda, ne, inquit, Magister bonus, qui occasionem iurgij auferre à discipulis debuerat, in adolescente, quem diligebat, causam præbere videretur inuidiæ.* Ita S. Hieron. ne scilicet diceret aliquis ignarus, quia Ioannem tenerè diligebat, ideo in summum Pontificē & vicariū suum ipsum elegit: quasi Christus non eos magis eligeret, quos nosset meliores, &c. Vnde Ioanni & Jacobo petentibus primas sedes respondit: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Matth. c. 20. Si alijs, cur non, illis? S. Chrysost. hom. 66. in Matth. sic in persona Christi respondet: *Nam si quis postea venerit martyrio coronatus, virtutum numero ita decoratus, vt non posit vel excedere videatur, nolite credere quia vos amo & cæteris antepono: idcirco eo, qui maioribus nitet operibus, expulso, vobis primum locum me daturum.* Ita S. Chrysost.

Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Sanctus Bernardus sermone 1. in Purificatione, locum hunc intelligit de ingressu Christi Domini in templum Salomonis, in die Purificationis Mariæ, & Præsentationis suæ, & ponderans illa verba, *In medio templi tui*, ait: *Non*, inquit, *suscepimus misericordiam tuam in angulo, aut diuersorio, sed in medio, quia non est acceptio personarum apud Deum, in communi posita est, offertur cunctis, & nemo est illius expers, nisi qui renuit.* Ita Sanct. Bernardus. In hoc ergo imitatores esse debemus Dei, sicut filij charissimi, filios nos exhibeamus ei, *qui bien haya, quien à los suyos pareçe.* Ipse absque personarum acceptione nos omnes misericordiæ suæ participes facit, imò & iustitia eius æquè nos respicit: nam sicut omnium miseretur sine acceptione personarum, sine scilicet rex ille sit, sive seruus; sic etiam punit iniquos, sive Alexandri illi sint, sive pastores. sic & misericordia miserantium, & iustitia, punientium, omnes debita æqualitate respiciat.

A vnius formicæ constitutione, Deum esse huius factorem cognoscere. Videndus est Sanct. Thom.

PROP. II. *Dei cognitio à Deo est.*

ERat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Inter omnes merè corporeas creaturas nulla est, quæ magis Deo assimiletur, quàm sol, & primùm in hoc, quòd sol est quo mediante reliqua omnia corporalia videmus, & quo etiam solem ipsum intuemur, *al sol deuemos la vista clara de todas las cosas, y la vista del mesmo sol*, à solo sole solis aspectum habemus; sic etiam à Deo solo rerum omnium cognitionem habemus, & etiam ipsius Dei, &, vt ait Philo: *Veritatis studiosi Deum à Deo adiuti quærunt, & ope luminis lumen.* Ita ille. Sed hoc amplius habet sol ille diuinus, quòd non tantùm lucem, verùm etiam visus perspicacitatem animæ nostræ præbet. quòd sol iste corporeus minimè visui nostro corporali præstat: si enim quis cæcus, aut lippus fuerit, quantumuis sol radios suos mittat, cæcitatem, aut malitiam potentiæ visiuæ minimè tollit, quin potiùs illi nocet lux ipsa, & molestat: at lux illa vera *illuminat*, inquit, *omnem hominem venientem in hunc mundum, omnem hominem*, inquit, siue ille acumine intellectus polleat, siue non, &c. *Ioan. 1. 9.*

Accedite ergo ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Accedimus autem ad Deum, cùm supplicitèr eum deprecamur, vt luminis sui misericorditer nos participes efficiat, sicuti S. Dauid, qui: *Illumina, inquit, oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte*, hoc est, vt explicat Cardinalis noster Bellarminus, pelle tenebras mentis meæ conuertendo ad me faciem tuam, meque respiciendo, *ne quando obdormiam in morte*, id est, ne consentiens desiderijs in mortem incidam animæ. Ita ille. Hoc igitur maximè & obnixè à Deo postulare debemus, vt nos à lapsu in peccatum defendat lumine suo, &c. Denique ipsemet Psalmista: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* Vbi Sanctus Hieronym. *Tu es lux, qui dixisti: Ego sum lux mundi, & tu es veritas, qui dixisti: Ego sum via, veritas, & vita, qui nos illuminare digneris, vt reliquentes mendacium diaboli sequamur veritatem tuam: ipsa enim me deduxerunt ab errore peccati & adduxerunt in montem, id est, Ecclesiam tuam, & in tabernaculum tuum, id est, cælestem Hierusalem, de qua alibi ait: Quam dilecta tabernacula tua, Domine.* Ita Sanctus Hieronym. Vnde non minùs nostra interest hac perfrui luce, quàm salutem consequi sempiternam. Cùm igitur hæc lux à Patre luminum procedat, ab eo instanter, & obnixè est postulanda. *Pf. 33. 6.* *Pf. 12. 4.* *Pf. 42. 3.* *Pf. 83. 2.*

PROP. III. *Quòd ex creaturis cognoscere possumus Dei sublimitatem.*

GEnes. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Cur (inquit) Deus mundum creauit? siquidem illo non indigebat. Apostol. ad Rom. 1. sic respondet: *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. A creatura mundi*, id est, ab initio creationis mundi, ex cognitione creaturarum & operibus Dei à posteriori seu ab effectu possumus cognoscere multa, quæ ad Dei magnitudinem & excellentiam attributorum eius spectant, vt ex pulchritudine, & magnitudine & natura cœlorum, Dei pulchritudinem & magnitudinem cognoscimus. Vnde Dauid Psalm. 28. *Cœli* (inquit) *enarrant gloriam Dei*, id est, excellentiam Dei. Item ex ipsa creatione seu productione creaturarum ex nihilo, quâ vocauit Deus ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, agnoscimus omnipotentiam eius: solus enim qui est omnipotens, ex nihilo aliquid efficere potest. Ex gubernatione rerum mundi, & maximè cœlorum, eius prouidentiam ex naturis & proprietatibus *Gen. 1. 1.* *Rom. 1. 20.*

DEI COGNITIO.

PROP. I. *Quàm manifestum sit Deum esse.*
2. *Dei cognitio à Deo est.*
3. *Quòd ex creaturis cognoscere possumus Dei sublimitatem.*
4. *Deus facile sui cognitionem bonis offert, & non ita malis.*
5. *Dei cognitio ad eum amandum & colendum quantùm conducat.*

PROP. I. *Quàm manifestum sit Deum esse.*

TVllius: *Quis est adeo vecors, qui cùm suspexerit in cœlum, Deos esse non sentiat, & ea quæ tanta mente fiunt, vt vix quisquam arte vlla ordinem atque vicissitudinem persequi possit, casu fieri putet.* Ita ille, qui fidei lumine carebat, quasi à Dauide didicisset, quòd *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Ita est, ordo ille mirabilis cœlestium astrorum, & motuum eorum, concentus ille cœlestis, magnitudo, pulchritudo, & perpetuitas illorum mentem quamdam superiorem hæc omnia ita ordinantem esse demonstrant: neque enim casu & nullo ordinante tanta tantoque ordine digesta esse possent. hanc autem mentem dicimus Deū, imò non opus est ad hoc oculos in cœlum extolli, sufficit aspicere terram, & vel ex

bus creaturarum sapientiam, ex supplicijs iustitiam, ex A misericordijs misericordiam, & pietatem, & clementiam eius, & ex magnifica communicatione bonorum bonitatem, &c. Sic sic ex cognitione creaturarum cognitionem attingimus Dei. Ecce cur Deus mundum fecit.

S. Basil. Vnde rectè S. Basil. hom. 11. in Hexameron ait: *Hæc vniuersa mundi moles perinde est ac liber litteris exaratus, palam contestans, & prædicans gloriam Dei, & illius augustissimam maiestatem annuncians tibi creaturæ intellectuali.* Ita

Similes. S. Basil. in alijs libris non omnes legere valent, in hoc autem volumine creaturarum, nullus est mentis compos, qui legere, imò & scripta intelligere non possit. Quod quidem non parum iuuat ad Dei amorem nobis conciliandum, &c. Sicut igitur, cùm perpulchram imaginem videmus, excellentiam artificis intelligimus & magnam peritiam eius; sic cùm mundi artificium consideramus, Creatorem eius admirabilem esse prædicamus.

Sap. 13. 5. Vnde etiam Sap. 18. sic Salomon: *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterat horum creator videri.*

Similes. Si quis concentum suauissimum multarum vocum & instrumentorum musicorum audiret, licèt canentes & pulsantes non videret, eorum peritiam, & artem inde quamprimùm percipere valeret; sic qui creaturarum Dei concentum & artificium contemplatur, illico in cognitionem magnam peruenietipsius Creatoris. Est igitur mundus iste liber quidam magnalia Dei continens, qui etiam à nescientibus, & ab omnibus nationibus, quantumuis diuersarum linguarum idiomate distinctis, eodem modo intelligi potest. Vtinam omnes vellent! Comparatio hæc libri S. Basilij hom. 11. in Hexamer. vbi suprà, *libro precioso en quadernado, por la mano de Dios illummado conla luz del sol, luna y estrelas*, &c. In hoc libro nunc Dei sapientiam, nunc prouidentiam, &c. facilè omnes legere valent, etiamsi legere non didicerint.

Chrysost. Psal. 18. Expendit S. Chrysost. hom. 9. ad populum verba illa Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*, & ait: *Quomodo cæli enarrant? vocem non habent, ore carent, ipsis non est lingua; quomodo igitur enarrant? etenim per ipsum aspectum: cum enim videris cæli pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinem, situm, & formam, & permanentiam, tanquam vocem audiens, admiras eum qui tale opus fecit. Tacet igitur cælum, sed eius aspectus vocem tubá clariorem emittit, per oculos & non per aures nos docens. Scytha ergo, & Indus, & Barbarus quisq; & omnis homo voces intelligit cæli: non enim per aures, sed per oculos capiuntur: vnde sapiens & idiota aspectu doctrinam capiet. Vnde subdit:* Non sunt loquelæ, neque sermones, *Ps. 18. 4.* quorum non audiantur voces eorum. *id est, non est lingua, neque gens, qua hanc vocem intelligere non possit.* Ita S. Chrysost. quem vide: eleganter enim amplificat locum istum psalmi.

ADDITIO.

D. Chrysostomus serm. 3. in c. 1. ad Roman. OMnia à Deo condita esse quædam Diuinæ perfectionis vestigia solidè probat D. Chrysostomus his verbis:

Ps. 18. 1. Cœli enarrant gloriam Dei. *Quid igitur dicent in illa die gentes? quæ non cognouimus te? numquid cælum non audistis, cuius vocem per aspectum capistis, optimè videlicet concinnatam rerum omnium harmoniam tubá clarius insonantem? noctium dierumque leges ordine suo perseuerantes immotas non obseruastis? ad hæc hyemis & veris, reliquarumque anni partium firmam, ac immobilem constantiam num ignorasse videri poteritis? aut maris æquitatem & placiditatem in tanta vndarum perturbatione mirabiliter persistentem numquam vidistis? breuiter, quid faciunt omnia certo ordine durantia, quam quod hunc mirabili pulchritudine, ipsius stupenda magnificentia, opificis sui virtutem prædicant?*

D. Chrys. in Ps. 13. 1. Dixit in spiritus in corde suo, non est Deus. *Non est fundamentum, & quomodo stat ædificium? non est carina, & quomodo consistit nauigium? non est fabricator nauis, & quomodo nauis comparata est? non est ædificator, & quomodo domus facta est? non est architectus, & quis vrbem condidit? non est agricola, & quomodo agri tulerunt manipulos? non est musicus, & quomodo in mundi lyra apparet concentus? non est qui prouideat, & quomodo per omnia peruadit prouidentia? non est auriga, & quomodo elementorum quatuor currus agitur? non est statuarius, & quomodo homines in mundo vt statuæ facti sunt? non est fornicis constructor, & quis tam fornicem construxit? non est opifex, & quomodo pulchritudo creaturarum testatur creatorem? Quæcunque in mundo sunt aguntur, & exercentur, & habent qui eis præsit, eaque gubernet, & solus mundus non habet, qui eum administret? Non est Deus, quid facies in ijs, quæ Dei sunt? in domo Dei manes, & domum Dei inspicaris? vel da mercedem domus, gratiarum actionem, vel domo egredere.*

D *Cælum ac terra & mare, omnisque creatura, quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipuè disposita est humanæ*
B *neris vtilitatem, vt natura rationalis de contemplatione tanti*
spectetur, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot mi-
nerum, ad cultum & dilectionem sui imbueretur auctoris, re-
plente omnia spiritu Dei, in quo viuimus, mouemur & sumus.
Et paulò post: *Quod est autem hoc testimonium, quod semper Domino deseruiunt, & numquam de eius bonitate, de potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius dues & ordinata largitas, per quæ humanis cord bus quædam eterna legis tabula præbentur, vt in paginis elementorum, ac voluminibus temporum communis, & publica diuinæ institutionis doctrina legeretur? Cælum ergo cunctaque cælestia, mare, terra, omniaque, quæ in eis sunt, consono speciei suæ ordinationisque consensu, præbuntur gloriam Dei, & prædicationi perpetuæ mandatum loquebantur auctoris.*

In pulchritudine cæli & terræ quædam sunt pagina ad omnium oculos semper patentes, & auctorem suum numquam tacentes, quarum protestatio doctrinam imitatur magistrorum, & eloquia scripturarum.

C *Ita est periculosum argumentis aggredi Deum principem comprobare, quam ratione huiusmodi esse illum, velle cognicere. Nec quidquam refert, aut discrepat, vtrumne neges illum, an asseras, atque existere fateatur: cum in eadem culpa sit, & assertio talis rei, & abnegatio refutatoris incredulæ. Quis quamne est hominum, qui non cum ipsius principis notione diem primæ natiuitatis intrauerit, cui non sit ingentium, non affixum, imò ipsi pene in gentalibus matris non impressum, non insitum, esse regem, ac Dominum, cunctorum, quæcunque sunt, moderatorem? Ipsa denique biscere si animantia muta potuissent, si in linguarum nostrarum facultatem solui; imò si arbores, gleba, saxa sensu animata vitali vocis sonitum quirent, & verborum articulos integrare, ita non duce natura & magistra, non incorruptæ simplicitatis fide, & intelligerent esse Deum, & cunctorum Dominum solum esse clamarent.*

Videntur qui hunc mundi totius ornatum non diuina ratione perfectum volunt, sed fruſtis quibusdam temere cohærentibus conglobatum; mentem, sensum, oculos denique ipsos non habere. Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in cælum sustulerit, & quæ sunt infra, citrâque lustrauerit, quàm esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo omnia natura inspiretur, moueatur, alatur, gubernetur? Cælum ipsum vide, quam late tendatur, quam rapide volutur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem sole lustratur: nam scies, quàm sit in eo summi moderatoris mira & diuina librario. Vide & annum vt solis ambitus faciat, & mensem vide vt luna auctu, senio, labore circumagat. Quid tenebrarum & luminis dicam recursantes vices, vt sit nobis operis & quietis alterna reparatio? Relinquenda vero Astrologis prolixior de sideribus oratio, vel quæ regant cursus nauigandi, vel quæ arandi, metendique tempus indicant: quæ singula, non modo vt creauerint, fierent, disponerentur, summi opificis & perfectæ rationis egerunt: verum etiam seruari, perspici, intelligi sine summa solertia & ratione non possunt. Quid

D *Mundus Dei Ecclesia, Cosmos.*

» *Quid cùm credo temporum hæc frugum ſtabili varietate diſtin-* A
» *guitur? nonne auctorem ſuum, parentemque teſtatur? ver*
» *aeque cum ſuis floribus, & æſtas cum ſuis meſſibus, & autumni*
» *maturitas grata, & hiberna cluſtras neceſſaria: qui ordo fa-*
» *cile tot barattis, niſi maxima ratione conſisteret. Iam proui-*
» *dentiæ quantæ, ne hyems ſola glacie vreret, aut ſola æſtas ardore*
» *torreret, autumni & veris miſcere medium temperamentum,*
» *vt per veſtigia ſuæ anni reuerentis occulti & innoxij tranſeu-*
» *tes laberentur. Maris mirande, lege littoris ſtringitur; quid quid*
» *arborum eſt, vide, quam è terra miſceribus animatur. Aſpice*
» *oceanum, veſtiat recifrocis æſtibus: vide fontes, manant venis*
» *perennibus: fluuios mitiere, eunt ſemper exercitu lapſibus.*
» *Quid loquar aptè diſpoſita recta montium, collium flexa, por-*
» *recta camporum? Et paulò poſt. Quòd ſi ingreſſus aliquam*
» *domum, omnia exculta, mundata, ornata videriſtes, vtique præſſe*
» *ei crederes Dominum, & illis bonis rebus multò eſſe meliorem.*
» *Ita in hac mundi domo, cùm cœlum terramque perſpicias, pro-*
» *videntiam, ordinem, legem; crede eſſe vniuerſitatis Domi-*
» *num, parentemque ipſis ſideribus, & totius mundi partibus* B
» *pulchriorem.*

Operatoria Dei virtus, etſi non videtur, tamen ex operibus æſtimatur, operatoremque ſuum opera produnt, vt intelligatur, qui non comprehenditur.

PROP. IV. *Deus facilè ſui cognitionem bonis offert, & non ita malis.*

MAtth. 2. tribus illis Regibus Magis ſe Chriſtus manifeſtauit, non verò Herodi vel conſultoribus eius. Adnotauit hoc S. Leo Papa ſerm. 2. de Epiphan. Domini, dicens: *Verbum caro factum, ſic ſuſceptionis noſtræ temperauit exordia, vt natus Ieſus credentibus manifeſtus, & perſequentibus eſſet occultus.* Ita ille. Hoc autem quotidie Dominus agit: iuſtis enim & bonis ſe agnoſcendum exhibet, peccatoribus autem non ſic. Audi Apoſtol. Ioannem 1. Ioan. 2. 4. *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in eo veritas* C *non eſt.*

PROP. V. *Dei cognitio ad eum amandum & colendum quantùm conducat.*

SAnctus Auguſtinus in Meditationibus: *Quiſquis Domine cognoſcit te, diligit te, obſtupeſcitur ſe, & amat te pluſquam ſe, relinquit ſe, & venit ad te, vt gaudeat de te.* Ita ille. Manifeſtum enim eſt amorem ex cognitione rei amabilis promanare, inde, *Quomodo dilexi legem* 18. *tuam Domine, tota die meditatio mea eſt*, quaſi diceret Dauid: magna quidem dilectione legem tuam Domine profecutus ſum, qui tota die illam cogitabam, illam meditabar. cogitatione quippe ac meditatione amabilitas rei cognoſcitur, cognita verò voluntatem in ſui trahit amorem: nihil autem volitum, quin præcognitum. Hinc conſtat ratio, quare non omnes nos toto & intimo corde Deum diligamus, quia videlicet non eum cognoſcimus, non cognoſcimus, quia D maieſtatem, & bonitatem & charitatem, & ſapientiam, & potentiam eius infinitam non conſideramus, & reliqua eius attributa: ſi enim hæc ſæpè mente recoleremus, ardorem amoris noſtri erga Deum in corde noſtro facilè accenderemus,

---

DEI AMOR IN NOS.

PROP. I. *Ex Dei amore in nos, beneficia in nos promanare.*
2. *Quantus ſit amor Dei in nos.*

PROP. I. *Ex Dei amore in nos, beneficia in nos promanant.*

SIc *Deus dilexit mundum, vt ſil um ſuum vnigenitum da-* Ioan. 3.
ret. Verba Chriſti Domini ſunt, quibus exponere 16.
voluit fontem, & radicem omnium beneficiorum eius in nos, & denique omnium bonorum noſtrorum: amor enim eius, & non merita noſtra, origo & cauſa prima horum extitit omnium. Si enim creauit nos, quid niſi amor eius in cauſa fuit? neque enim antequam eſſemus, mereri id poteramus, nec ſub meritum cadit, nec orare pro noſtra creatione poteramus, cùm nihil eſſemus: id effecit ergo bonitas Dei, &c. Hinc per Ierem. Dominus: *In charitate perpetua di-* Cap. 31.
lexi te, hoc eſt, cùm tu non æternus, ſed in tempore factus his, ego cùm nihil eſſes, iam te amore præueneram ab æterno, & propter hunc amorem creaui te, & reliqua tibi contuli beneficia. Si ergo creauit Deus cœlum, & terram, & reliqua omnia, quæ cœli ambitu continentur, ex illa charitate ab æterno proceſſit: ſi ſaluauit nos & redemit ſanguine ſuo, mittens filium ſuum Saluatorem, ſic Deus dilexit mundum, &c.

Vnde ſic Dominus ad Iſraelem: *Ego Dominus Deus* Oſea 13.
tuus ex terra Ægypti, hoc eſt, antiqua ſunt beneficia mea 4.
in te: non enim in terra hac promiſſionis propitijs te oculis aſpexi, cùm ſub ditione Pharaonis eſſes, dilexi te. Poterat &, ante mundi conſtitutionem, dicere, ſed ſolùm innuere voluit amorem in eos, non ex præſentibus ſacrificijs populi emanare, ſed ab antiquis iam temporibus proficiſci.

Vnde Paulus: *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutio-* Epheſ 1.
nem, hoc eſt, ſi nos electos à Deo viderimus, non eſt cur 4.
propterea manus noſtras oſculemur: non enim ex meritis noſtris hoc prouenit, ſed ex diuino erga nos amore ante ipſius mundi conſtitutionem. Quare beneficium hoc amoris ſuper omnia beneficia recognoſcere debemus, & immenſas pro eo Deo reddere gratias: ſolemus enim pro beneficijs Deo gratias referre, & interim pro amore, ex quo ipſa beneficia promanarunt, nequaquam, cùm præuenienti huic amori ampliores debeantur. Vnde Sanctus Bernard. ſerm. 33. in Cant. *Plus*, inquit *diligit anima mea, quando ſe in diligendo vidam ſentit, plus miratur, quando ſe præuenitam agnoſcit: vbi pietas magis emicuit, vbi charitas plus fulſit, ibi gratia amplius ra-*
dauit. Ita ille. Ideo Dauid ſic Deum allocutus eſt, & gratum ſe illi oſtendens, dixit: *Tu es qui extraxiſti me de* Pſ. 21. 19.
ventre, ſpes mea ab vberibus matris meæ, hoc eſt, non ab heri, & nudiuſtertius diligis me Domine, antiquior eſt me ipſo amor tuus in me, de ventre matris meæ recordatus es mei; quaſi dicat, anterior eſt iudicio meo: vnde ſimili ratione &, ab æterno, dicere potuiſſet. Cùm igitur Deo gratias agere volueris, memento non ſolùm pro beneficijs ex hoc diuino amore procedentibus eas referre, ſed etiam pro ipſo amore & charitate, quâ tibi ea contulit.

PROP. II. *Quantus ſit amor Dei in nos.*

RAtio poſtulat vt Deum ſic diligamus, ſicut ipſe diligit nos: Deus autem non diligit nos propter aliquam vtilitatem inde ſibi prouenientem, ſed amat vt amet. Rectè Sanctus Chryſoſtomus homil. 30. in 2. ad Corinth. *Non ſatis eſt verbis noſtrum erga Deum amo-*
rem teſtari: neque enim ipſe verbis duntaxat, ſed etiam rebus ſuum erga nos amorem demonſtrat. Tu igitur per opera id oſtende. Etenim ille nulla re noſtra indiget, id quod etiam veri ac ſynceri amoris indicium eſt, nempe quòd, cum nulla re ipſe indigeat, nec in vllius rei penuria verſetur, nihil tamen non faciat, vt à nobis ametur; eamque de cauſa à debat homines: Quid enim Dominus à vobis quærit, niſi vt ipſum ametis, ac prompto animo poſt ipſum incedatis. *Ex quo efficitur,*

vt quando ipse iubet vt eum ames, tunc potißimùm ostendat se tui affici amore. Vide quippe quòd omnia ipsius præcepta ad requiem nostram, ac salutem, & gloriam referantur: etenim cùm ait: Beati pauperes spiritu, beati pacifici nihil quidem ipse hinc percipit, verùm idcirco id præcepit, vt nos instituat, & ornet. Et cùm ait: Esuriui, non ideò ait, quòd ministerio nostro opus habeat, sed vt te ad benignitatem & misericordiam excitet: nam alioquin etiam absque tua ope pauperes alere poterat; verùm vt amplißimum tibi thesaurum largiretur, hæc edixit. Nunc cùm sol iste, qui in rerum conditarum numero est, oculis nostris haudquaque indigeat: nec enim ei quicquam de splendore decedit, etiamsi nemo eum cernat; verùm nos ipsi sumus, qui vtilitatem capimus, cùm ipsius radios intuemur, quantò tandem magis in Deo id vsu venit? Atque vt hoc etiam abundè noscas, quantùm inter Deum, & nos interesse vis, & quantùm inter nos & culices; liquet profectò quòd multò plùs, atque adeò infinities amplius. Proinde si nos, qui inanis gloriæ studio flagramus, nec culicum ministerio nec gloria indigemus; quantò magis Deus, qui à turbulentis animi permotionibus, & egestate plurimùm abest. Hactenus tantam vtilitatem ex nobis capit, quatenus beneficijs nos afficit, ac salute nostra maiorem in modum oblectatur: quo fit vt etiam plurimque sua ministeria faciens, tua quærat. Si quis, inquit, mulierem habet infidelem, & ipsa consentit habitare cum eo, non dimittat illam: qui autem dimittit vxorem, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari. Videsne bonitatem omnis sermonis facultate præstantiorem? si adultera sit vxor, inquit, minimè te cogo vt habites cum ea: si autem infidelis, non prohibeo.

Matth. 5. Rursus si aduersus aliquem insenso animo es, iubeo vt is, qui te molestiâ afficit, oblationem meam relinquat, atque ad te currat: si eum offers munus tuum, inquit, ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersùs te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade reconciliare priùs fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Quid decostoris illius parabola? nónne hoc etiam indicat? nam cùm decem millia talentorum abliguriuisset, ipsius misertus est, eumque missum fecit: at cum idem centum denarios à conseruo sue exegisset, tum nequam, & improbum eum vocauit, tum tradidit eum supplicio, tanta ipsi tuæ quietis ratio, & cura est. In viri iusti vxorem barbarus mox flagitium admissurus erat, at dixit

Gen 20. Dominus: peperci tibi ne peccares in me. Paulus persequebatur

Act. 9. Apostolos, & ait ad eum: Quid me persequeris? alij fame labo-

Matt. 25. rabant, & ipse esurire se dicit, & nudum, & peregrinum obtrare, vt hac etiam ratione te pudore commotum ad eleemosynæ studium excitaret. Quamobrem illud cum animis nostris reputemus, quantam vbique erga nos charitatem ostenderit, ac etiam nunc ostendat: nam & sui cognitionem præbuit nobis, quod quidem præcipuum omnium bonorum caput est, & animi lumen, & virtutes, doctrinam, vitamque ipsi gratam velut lata lege promulgauit, & omnia nostri causa fecit, & filium sum dedit, & regnum suum pollicitus est, & ad arcana bona omnique sermone sublimiora nos vocauit, & beatißimam vitam nobis præparauit. Quidlibet ergo faciamus, & dicamus, vt ipsius amore, ac beneuolentia digni videamur, & futura bona consequamur. Ita Sanctus Chrysostomus. Vbi notanda & ponderanda sunt illa exempla dilectionis Dei erga nos, adeò vt bona nostra sua esse dicat, & mala nostra reputet sua. Quod vni ex minimis meis, inquit, feciſtis, mihi feciſtis, non ait solummodo, ego retribuam vobis, tanquam pro bonis exhibitis famulis meis, sed tanquam exhibitis mihi; & Paulo dixit persequenti discipulos Christi: Cur me persequeris? non ait, cur persequeris discipulos meos, sed cur me persequeris? Quid ais Domine? nónne tu in tuto loco situs es? nónne ad dexteram Dei sedes in gloria Patris tui? quomodo igitur ais, cur me persequeris? non te, sed tuos persequitur Saulus. Ita est, sed persecutionem meorum reputo meam, ideò dixi: Cur me persequeris: nam meos persequi, meipsum persequi est. Ecce quomodo Deus amat nos, amat & benefacit, nihil inde lucri sibi quærens, amat nos, vt amet nos, sic tu ama eum. Deinde bona & mala nostra, quasi propria repu-

A tat Deus, & denique aliquando plùs nostra, quàm suæ Deus curare videtur. Hæc igitur forma, & hoc exemplar sit amoris nostri erga Deum. Multúmne hoc, vt sicut Deus diligit nos, nos, quibus multum est, ei tanquam seruos seruire, sic eum diligamus?

Psal. 145. 8. *Dominus diligit iustos.* Adeo Dominus diligit iustos, vt dixerit Luc. 11. discipulis suis iustis & dilectis: *Vestri capilli capitis numerati sunt.* Quid sibi vult hæc capillorum numeratio? S. Ambrosius, ferm. 4. in Quadragesima: *Per talem numerum, curam circa nos, solicitudinemque cognoscimus: nemo enim numerat, nisi qui veretur, ne fraudem absque numero patiatur. Pastor, vt solutum gregem habeat, eum frequenter enumerat. Vnde quoque Dominus, qui est pastor bonus, cùm ouicula vna ex centum aberrasset, recurrens ad numerum, propriis eam humeris ad gregem reportauit. Vsque adeò ergo habetur sub tutela, qui habetur in numero, vt errans propriis humeris reportetur, ne quid de numero minuatur.* Ita S. Ambrosius. Ait ergo Dominus dilectis suis: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt*; non quidem capillos istos sic numerat Deus, sicut numerat stellas cœli & arenas maris, quia sapientissimus est; sed sicut iustorum amator, quia maximam eorum curam habet: quæ enim mater ita pulcherrimam filiam amat, vt capillos, quantumuis aureos, habeat numeratos? sit ille in sæcula benedictus.

Psal. 146. Luc. 21. S. Ambr. Simile.

B

C

D

DEI BONITAS.

Prop. I. *Quàm procliuis Deus sit ad benefaciendum.*
2. *Quàm communicatiua sit Dei bonitas.*

Prop. I. *Quàm procliuis Deus sit ad benefaciendum.*

Cum Christus Domínus dæmonium eiecisset è corpore cuiusdam muti, & loquelam ei restituisset, accesserunt nonnulli (qui, vti S. Matth. ait, Scribæ & Pharisæi erant) ad Iesum dicentes: *Magister volumus à te signum videre*, hoc petebant, signum scilicet de cœlo, hoc est, vt ait Sanctus Hieronymus super cap. 12. Matth. *vel in morem Eliæ, ignem de sublimi venire cupiebant, vel in similitudinem Samuelis, tempore æstiuo mugire tonitrua, coruscare fulgura, & imbres ruere.* Ita Sanctus Hieronymus. Sic igitur miracula in aere isti petebant à Christo, quibus ipse: *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, &c.* Mirum cur Dominus, qui adeo magnificus erat in miraculis patrandis, noluerit modò huiusmodi miraculum facere, & maximè rogatus, qui nec rogatus miracula edere solebat: verbi gratiâ, cùm hominem triginta & octo annos habentem in infirmitate sua, sanauerit sponte, & similiter cùm cœco à natiuitate vitam restituerit propriò motu; cur igitur nunc rogatus negat, quod non rogatus ita liberè, ac libenter faciebat? Ratio in promptu est, quia signum de cœlo, hoc est, in aere quærebant. *Querian milagros en el ayre, que no fuesen de prouecho, como lo eran los que Christo sennor nuestro solia hazer.* Paulò ante hominem cæcum, mutum, & energumenum sanarat, & plura miracula vno in opere fecerat, quia simul miracula, & opera misericordiæ, & bonitatis erant: opus autem quod in aere postulabant, *y que para ellos auian de parar en ayre*, præstare noluit. Vbi manifestè demonstrauit, quàm in nos benficus esset, vt simul vellet, & intellectum nostrum illuminare, voluntatem allicere, & corpus sanare: nam quatenus opera eius mira, & miraculosa erant, intellectum illustrabant, vt deitatem eius agnoscerent homines, & fidem inde haberent: quatenus autem beneficia erant, homines ad sui alliceret amorem, & à miseria eos liberaret; sic Deus gloriam suam cum nostra vtilitate coniungit, sic nobis bonus est, &c.

Hinc

Hinc Paulus, *Omnes peccauerunt*, inquit, *& egent gloria Dei.* Impropria hæc videtur locutio, & propriùs dici videbatur, & egent veniâ, & remissione suorum peccatorum, & gratiâ Dei. *Cur*, inquit, *gloria Dei*, propria quidem & æqua est locutio ista, nimirum, quia ab Spiritu sancto est. rectè ait peccatores egere gloriâ Dei, quia egent veniâ Dei, quâ illis peccata remittat, veniam autem, & remissionem peccatorum, & gratiam suam concedere nobis, gloria Dei est: gloriosum enim reputat sibi Deus parcere, & benefacere nobis. Bene igitur Paulus ait, omnes peccauerunt, & egent gloriâ Dei.

Hinc etiam Ecclesia in Cantico gloriæ : *Gratias*, inquit, *agimus tibi propter magnam gloriam tuã.* Quis vnquam propter gloriam gratias alicui retulit aliquando ? propter gloriam quidem gratulatio adhiberi solet, at gratiarum actio propter beneficia rependi solet. Quomodo igitur canit Ecclesia : Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam ? In promptu ratio est, quia agitur hîc de redemptione nostra: vnde infrà subditur bis, qui tollis peccata mundi, &c. hæc autem redemptio, quamuis pluris constiterit Christo Domo, & opprobria multa in redemptionis nostræ prosecutione fuerit passus, adeò fuit ipsi gloriosa, vt gloriam magnam eam voluerit appellare.

Hinc Sanctus Gregorius Nyssenus libr. de Beat. differentiam assignauit inter veterem Hebræorum legem, ac nostram, quòd cùm illa timoris, hæc amoris sit, signa illius legis mirabilia, nostræ verò amabilia sunt: omnipotentem se Deus in illa demonstrauit, vt in signis, & prodigijs in Ægypto patratis constat : at in lege nostra Deus se misericordem, bonum & amabilem ostendit. nam signa, quæ Christus Dominus fecit, hæc fuerunt; quæ ipse retulit discipulis Baptistæ, dicens: *Cæci vident, surdi audiunt, leprosi curantur, mortui resurgunt*, &c. Hinc Christus Dominus non omnipotentis nomen, sed Iesus, accepit, quod redemptionem nostram importat.

C

Prop. II. *Quàm communicatiua sit Dei bonitas.*

Genes. 1. 1. Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Quam ob causam Vniuersi huius visibilis mundi vniuersa Dominus creauit ? Nullâ enim creaturâ Dominus indigebat : nam ab æterno Deus beatus & gloriosus se solo erat, absque hominibus, & absque Angelis, & absque omnibus creaturis : nec modò his creatis gloriosior in se nec ditior est. etenim creauit Deus cuncta, non sui necessitate motus, sed bonitate ductus : bonum enim (vti cum S. Dionysio omnes Theologi aiunt) sui diffusiuum est, non solùm vt finis, verùm etiam vt efficiens causa. Vide quàm largiter sol luceat & communicet suam luccm, & calorem ignis, & frigiditatem nix, & humiditatem aqua & fructus suos terra. Vnde liberalitas hæc creaturarum, nisi ex bonitate, quam à Deo participatam habent ? Si ergo bonitas hæc creaturarum, quæ Dei bonitati comparari non valet, adeò communicatiua & sui est diffusiua; quantò magis diffusio hæc diuinam decet bonitatem ? Ideo igitur Deus cuncta creauit.

Et hanc creationis rerum causam assignat Prosper in lib. sententiarum, dicens : *Tria quædam nobis maximè scienda de conditione creaturæ oportuit intimari, quis scilicet eam fecerit, quomodo fecerit, & quare fecerit. Si ergo quærimus quis fecerit ? Deus est ; si quomodo fecerit ? dixit & facta sunt : si quare fecerit ? quia bonus est, nec author excellentior est Deo, nec ars efficacior Dei verbo, nec causa melior, quàm vt bonum crearetur à bono.* Ita Prosper, & Sanctus Gregor. Nazianz. oratione in Natiuitate Domini, dicens : *Quia summo illi bono non satis erat, sua ipsius solùm contemplatione gaudere, sed bonum diffundi & propagari oportebat, vt plura essent, quæ beneficio afficerentur : id enim summæ bonitatis erat, ideo cœlum & terram creauit.*

Hinc deducere licet, quam ob causam dixerit Ecclesiasticus cap. 10. num. 9. *Auaro nihil est scelestius.* quid ? peccata contraria virtutibus Theologicis, nonne scelestiora & peiora sunt ? Sunt quidem, sed tamen in quantum malum opponitur bono, quatenus est communicatiuum sui, nihil peius auaro secundùm genus suum; quia auarus est, quia sua communicare renuit, sibi acquirit soli, sibi retinet, sibi attendit, & hac ratione Dei bonitati oppositus est. Eccl. 10. 9.

DEI LIBERALITAS.

Prop. Vnica. *Quanta sit liberalitas Dei.*

In hoc quidem relucet magnitudo diuinæ liberalitatis, & magnificentiæ, quòd demerita & peccata nostra, licèt hæc maximo Deus odio prosequatur, non obstant, quin Deus se nobiscum liberaliter gerat. Ingressus olim Propheta Isaias ad regem Achaz in nomine Domini, dixit : *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum suprà.* cui rex : *Non petam, & non tentabo Dominum.* Scio nonnullos excusare Regem hunc, sed Sanctus Hieronymus & Sanctus Cyrillus & alij asserunt, ex superbia & diffidentia signum petere noluisse: *non petam*, inquit, ac si apertiùs diceret : Nolo ego olcum & operam perdere in huiusmodi signi petitione : scio enim Dominum signum non esse daturum, non curo de signis & promissionibus Domini : melius mihi erit à Rege Assyriorum, quàm à Domino auxilium postulare. Vide hominis insolentiam. Dominus ait : *Pete*, & ipse respondit: *Non petam*, nolo huiusmodi adorationem Deo exhibere, &c. Quid promerebatur talis tantaque proteruia ? Si fulmine tunc à Deo percussus fuisset, nihil mirum. quid igitur Deus ? audi Prophetam : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, quasi dicat, *pues aunque no querais de hazer Dios el milagro, y sera el mayor que se ha hecho ni harà iamas. Ecce virgo concipiet, &c.* Vides Domini clementiam, & magnificentiam nullis demeritis impeditam. Isai. 7. 11.

Item, *Audite me duro corde, qui longè estis à iustitia. Propè feci iustitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem, & in Israel gloriam meam.* ad Hebræos loquitur, qui quasi desperantes, aduentum Christi sperabant. Vnde & aduentu eius indigni reddebantur. *Audite me*, inquit, *duro corde.* Quid duro corde homines audire decebat, nisi ideo quidem elongabitur remedium vestrum, at quò eius ampliùs resplendeat misericordia & bonitas Dei, subdit : *Prope feci iustitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur, dabo in Sion salutem, &c.* Quasi dicat : non enim malitia vestra misericordiam meam continebit, *no es bastante presa para retener la corriente y el raudal denis misericordias vuestras maldades porque soy yo mas bueno que vos otros malos.* Isai. 46. 12.

Item in annunciatione natiuitatis Ioannis Baptistæ maximum impedimentum fuit incredulitas Zachariæ patris eius : defectus enim fidei benefacientis manus ligat, sed tamen non ideo Deus negauit, neque etiam distulit filij eius natiuitatem. puniuit quidem patrem, sed non distulit beneficium, &c. quia bonitas & magnificentia Dei superexaltabat infidelitatem illam.

Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Originale habet, *Nahara*, hoc est, *illuminati sunt*, de præterito, vt aiunt Pagninus & Caietanus : sed tamen Eugubinus, & alij legunt de futuro, *& illuminabimini.* Psal. 33 6.

bimus. Sed Sanctus Hieronymus, & Sanctus Basilius, iuxta nostram vulgatam legunt, *& illum nammi*, de præsenti. Etenim de futuro propriè legendum videbatur, sed tamen adeo procliuis est Dominus ad exaudiendas orationes nostras, ita facilis ad concedendum postulata, maximè si quod postulamus, ad salutem nostram, & gloriam eius conducens valde sic, quale spirituale lumen est, vt nescias, an priùs sit concessisse Deum, aut petijsse nos ideo de præsenti ait, *illuminamini*, seu de futuro *illuminabimini. Es tan puntual Dios en conceder aquien bien le pide, que nos abreis dezir, qual fue primero, pedir vos, o conceder Dios, en negociar con Dios no ay plaços, o terminos de derecho, no ay traslado a la parte, ni mannana nos veremos, no ay que dar memoriales, ni que requerir secretarios a ver si se ha despacha de el memorial, por que no ay que remeterse a los conseios reales, sino que Dios se precia de despachar al momento a quien le pide*, &c.

Ex hac promptitudine voluntatis diuinæ ad concedendum postulata, oritur Deum sponte offerre nobis dona sua. *Omnes sitientes*, (ait Dominus) *venite ad aquas.* Hic vocat aquas Dominus bona gratiæ, & gloriæ suæ, sicut explicat Liranus. Exponit ergo hæc bona immensa Deus cunctis, & inuitat omnes ad eas capiendas: sicut qui dat aquam, vbi Vatablus cum nota optantis hoc transtulit, dicens: *O vos omnes qui sititis, venite ad aquas.* Valdè se optare significat hîc Deus nobis dona sua magna impertiri. *Ruega con sus bienes, y con nuestra de grande gana, y deseo que se los queramos recebir.* Miratur hîc meritò S. Gregor. Nazianz. *Oratione in sanctum Iuanarum*, & ait: O benignitatem & liberalitatem mirabilem! ô commercij singularem facilitatem! ipsa voluntas accipiendi est Deo pro pretio magno: sitit sitiri, bibere cupieritibus potum præbet cùm à Deo beneficium petitur beneficio se affici putat. Ita ille. Aquas autem tam eximia dona sua, quæ ad gratiam & gloriam pertinent, vocat, vt quam facilè eas nobis concedat, cognoscamus. nam quid facilius datur quàm aqua, non ita datur panis aut pecunia: at aquam quis neget? Sic nos docuit Dominus, quàm facili negotio nobis dona sua concedat: quis igitur non ea libenter & magna cum spe exauditionis petat?

Isai. 55 1.

Prou 3. 1c.

Hinc etiam sic de Deo Salomon: *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra eius diuitiæ & gloria. Vida larga tiquezay gloria tiene Dios, no ay mas que desear.* Ecce bona quæ desideramus apud Deum sunt. at vbinam habet hæc bona? nunquid in thecis aut arcis, seris clausis, vel in locis reconditis, & ignotis? Nequaquam, sed in manibus, & præmanibus, vti etiam obseruauit sancta Dei sponsa, dicens: *Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis: vnas manos hechas a torno, hechas a pedir de boca, manos de oro y llenas de hyacinthos.* Hyacinthus lapis pretiosus est, & coloris cælestis, atque ideo bonorum cælestium symbolum est. Habet ergo Dominus bona illa sublimia, non abscondita, velut auarus, sed in manibus, tanquam liberalis, vt quamprimum ea tribuat nobis. *Ni encierra sus dones en cofres, ni aun en bolsas, que alsin quien de ay lo ha de sacar, tarda algo en darlo, sino a mano, en la mano, y manos llenas dize, por que da a manos llenas no ay que esperar placos decambios, que no lo da en cedulas, ni otras dilaciones, ni mas, que abrir las manos*, manus eius plenæ hyacinthis, &c.

Cant 5. 14.

Vnde, *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Pondera, *Aperis tu manum tuam; no d ze quando sennot vuestras criaturas os piden socorro, abris el escritorio, para sacar los dineros del cofre, abris el cofre, y saccau el talegon. abris el talegon y sacais en la mano el dinero, y finalmente abris la mano, y dais a cada vno lo que hamenester, sino de primera instancia*, aperis tu manum tuam, quasi qui non solùm ad manum, sed in manu semper bona nobis danda feras. Et iterum non ait simpliciter, das è manu tua dona, sed *aperis, no dais a mano apretada, sino abierta*, &c. nec ait, das illis eleemosynam tuam qualemcumque, sed *imples omne animal benedictione.* Sit ille in sæcula benedictus, quia sic magnificauit facere nobiscum.

Psal 144. 15.

Vnde Apostolus Iacobus, *Si quis*, inquit, *indiget sapientiâ postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter*; affluenter, non guttatim, sed quasi impetu fluminis dona sua nobis tribuere optat, sicut de facto facit, cùm dispositionem in nobis videt. Vide solem quàm liberaliter nobis lucem suam communicet, si claudis ei fenestram, ibi quasi pulsans stat; quòd si vel rimulam aliquam inuenerit, per quam ingredi possit, totam domum lumine replet, iuxta qualitatem rimulæ. Quòd si creatura hæc inanimata tanta liberalitate lumen suum communicat, quantò magis Deus totius communicationis, & liberalitatis fons? *Accedite* ergo *ad eum, & illuminamini.* Idem exemplum potest in igne apponi, &c.

Cap. 1.

Seneca lib. 4. de benef. c. 5. 6. & 7. *Non dat Deus*, inquit, *beneficia. Vnde igitur ista, quæ possides, quæ das, quæ negas? quæ seruas? quæ rapis? vnde innumerabilia hæc oculos, & aures, & animum demulcentia? vnde illa luxuriam quæque instruens copia? Neque enim necessaria tantummodo nobis prouidit, vsque ad delicias amamur. Tot arbusta, non vno modo frugifera, tot herbæ salutares, tot varietates ciborum, per totum annum digestæ, vt inerti quoque fortuita terræ alimenta præberent. Iam animalia omnis generis, alia in sicco solidoque, alia in humido innascentia, alia per sublimè demissa: vt omnis rerum naturæ pars tributum aliquod nobis conferret. Flumina hæc quidem amœnissimis flexibus campos cingentia; illa vero præbitura commercia mari. Si pauca ex his quæ tibi donasse iugera, accepisse te diceres beneficium; immensa terrarum latè patentium spatia, negabis beneficium esse? Si pecuniam quæ tibi donauerit, & arcam tuam impleuerit, beneficij vocabimus? Dous metalla dedit, tot flumina emisit in arenas, super quas decurrunt, solidi auri vehentia, argenti, æris, ferri immane pondus omnibus locis obruitum, cuius inuestigandi tibi facultatem dedit, ac latentium diuitiarum in summa terra signa disposuit: negas te accepisse beneficium? Si domus tibi doneur, in qua marmoris aliquid resplendeat, & tectum nitidus auro, aut coloribus sparsum, num mediocre munus vocabis? ingens tibi domicilium, sine vllo incendij, aut ruinæ metu struxit, in quo vides non tenues crustas, & ipsa, qua secantur lamina grauiores, sed integras lapidis pretiosissimi moles, sed totas varie distinctaque materiæ, cuius tu partuala frusta miraris, tectum verò aliter nocte, aliter interdiu fulgens: & negas te vlli munus accepisse? Et cùm ista quæ habes magni æstimes (quod est magni hominis) nulli debere te indicas? Vnde tibi iste, quem trahis, spiritus? vnde visus? vnde ista palatum tuum saporibus exquisitis vltra satietatem lacessentia? vnde ista quæ tu qua putrescis, ac marces? Nonne si gratus es, dices?*

Deus nobis hæc otia fecit,
Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus,
Ille meas errare boues, vt cernis, & ipsum
Ludere quæ vellem calamo permisit agresti.

Ille igitur Deus est, non qui paucos boues, sed qui per totum orbem armenta dimisit, qui gregibus vbique pascuum vagantibus, pabulum præstat, qui pascua hybernis æstiua substituit, qui non ad aliquam tantum oblectationem modulari docuit, sed tot artes, tot vocum varietates, tot sonos, alios spiritu nostro, alios externo, cantus editurus, commentus est.

Natura, inquies, hæc mihi præstat. Non intelligis te, cum hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natura, quàm Deus, & fatum, si dixeris non mentieris. Nam cum fatum nihil aliud sit, quàm series implexa causarum, illa est prima omnium causa, ex qua cætera pendent. Denique tot appellationes eius esse possunt, quot munera. Ita Seneca.

Mirari quis posset, cur Deus optimus maximus, qui liberalissimus est, bona nobis ita strictè donat, vt vix quæ ad vitam necessaria sunt, tribuat nobis, & non nobis

bis peccatoribus dico, verùm neque iustis. Sæpe enim A quantò homines iustiores, tantò pauperiores, & alijs bonis temporalibus minùs prædíti. Vnde & de Apostolis legimus, quòd discipuli fricarentes ceperunt vellere spicas, & manducare, quod summam necessitatem præsceferebat; cui igitur ditissimus, & liberalissimus Dominus sic se cum suis gerit?

Qui res, & bona temporalia admirantur, & in maximis bonis ea ducunt, hanc admirationem inuenerunt, non verò qui ea despectu digna meritò arbitrantur. Quis vnquam, miratur, quòd rex amicis, & priuatis suis non multas donet paleas, & multum ex stabulo suo fimum? Quid apud sanctos hæc bona sunt? dicat vnus, & magnus Apostolus, inquam, ad Phil. 3. *Propter Christum omnia detrimentum feci, & arbitror, vt stercora: vt Christum lucrifaciam.* Scio ibi loqui Apostolum de legalibus Veteris Testamenti, quæ iam finita erant, & detrimentum animabus, & stercora coinquinantia conscientias; sed tamen etiam loquitur de bonis honorificis mundi. Dixerant enim se esse ex genere Israel, de B tribu illa honorabili Beniamin, quæ semper adhæsit regno Iudææ, & insuper Pharisæus, hoc est, inter Hebræos in Pharisaica dignitate sublimis. Hæc quidem ad mundi bona honorifica pertinent. Hæc igitur, vt stercora, ait se despexisse, adeò parui momenti esse reputabat, quatenus bona transitoria erant. Imò detrimentum reputabat, quia hæc bona temporalia, quantò sublimiora, tantò nocere solent magis animæ nostræ. Vnde hæc ad liberalitatem Dei non spectant per se primò.

Quænam igitur illa bona sunt, quæ magna à nobis reputari debent? nobis quidem Christianis bona spiritualia, qualia sunt virtutes, gratia, merita, & dona Spiritus sancti, hæc inter suprema bona sunt solùm reputanda. vnde Paulus ibidem, *Hæc omnia*, inquit, *existimo detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei*, hoc est, propter scientiam Christianam Euangelij quam de Deo à Deo ipso habemus; quasi di- C cat. Barbari, qui Deum, & vera bona ignorant, hi bona temporalia magnificant; nos verò qui à Deo illuminati sumus, hæc vt stercora reputantes, æterna, & cœlestia bona omnino æstimanda censemus, & in his Dominus noster liberalissimè nobiscum agit. Vnde Ezech. 16. Dominus ad Ecclesiam suam Hebræam: *Vestitus te discoloribus, & calceaui te hyacintho, cinxi te byssо, & indui te subtilibus.* Vestimentū ex discoloribus variarum virtutum habitus designat, byssus, quæ interius ornat, gratiam significat, quæ in anima latet, subtilia ad cognitionem rerum sublimium pertinent: dederat enim populo suo rerum supernarum notitiam. Denique, *Calceaui te hyacintho.* Hyacinthus cœli colorem habens. cœlestia bona significare in Scriptura sacra frequentissimum est; cur ergo calceos hyacinthos vocat? colligamus hoc pedum iustorum ornamentum ex manibus Sponsi, Cantic. 5. vbi sic de Sponso Deo sponsa diuina: *Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Vnas manos tiene mi esposo* D *lindissimas, como hechas à torno, vnas manos de oro*, hoc est, adeo pulchræ manus sunt, vt torno elaboratæ esse videantur. Denique aureæ sunt, id est, nihil suprà; quid autem in eis gerit: *plenæ*, inquit, *hyacinthis.* Hyacinthus, colorem cœlestem habens, vti diximus, bona cœlestia repræsentat. Hoc inter manus liberalis, & auari distat, quòd auarus nihil ad manum habet, omnia bona inclusa & recluſa habet, & infra septem, vt aiunt, claues occulta: at liberalis ad manus omnia semper videtur habere. Si ergo Sponsi manus non vacuas ibi, sed plenas sponsa vidit, non quidem temporalibus bonis, sed hyacinthis. hoc est, cœlestibus bonis; in his igitur adeo se liberalem erga sponsum exhibet Deus, vt vsque ad pedes, & infra pedes sponsæ perueniant. *Calceaui*, inquit, *te hyacinthis.* Nos per calceationem abundantiam exprimere solemus. Tanta igitur liberalitate bonorum cœ- A lestium copiam sponsæ tribuit Deus, vt ad pedes eius peruenire potuerint, & non solum caput, & collum bonorum cœlestium excellentiâ ornaret, verùm & pedes, hoc est, à capite vsque ad pedes.

Quod quidem mirè expressit mulier illa, quam Apocalipsi 12. vidit B. Ioannes, *sole amictam, & lunam sub pedibus eius, & in capite eius coronam stellarum duodecim.* Mulier illa Ecclesiam Christi significabat, vti asserunt Sanctus Gregor. 34. Moral. 7. Rupertus, Beda, Richardus de sancto Victore, Primasius, Methodius, Andreas Cæsarienſis, Pannonius, Ioachimus, denique in sensu literali Ecclesiam significari communis sacrorum Doctorum expositio est. sol verò & luna, & stellæ pro ornatu ibi posita, ornatum denotant spiritualem: hic enim ornatus esse potest Ecclesiæ. Attende igitur ornatum, quibus Ecclesiam ornat Deus, & videbis ornatum esse cœlestem, solem scilicet, lunam, & stellas. quid àliud cœlum ornat? quid àliud in cœlo est? cœlestia igitur bona sunt, quibus Deus animam sponsam suam ornat, & hoc vsque ad pedes. Nam *luna*, inquit, *sub pedibus eius.* Sic dicere potest: Calceaui te hyacintho cœlesti. In his ergo se nobis Deus exhibet liberalem: nam bona mundi paleæ, & stercora sunt. Vnde non in his liberalem se demonstrare Deum decet, sed in cœlestibus bonis, &c.

Apoc. 12. 1.

S. Greg. Rupert. Beda, Richard. de S. Vict. Primas. Method. Casarien. Pannon. Ioachim.

Liberalitas tunc maior est, cùm liberalis dans recipientis prouidet honori, ne scilicet, inde verecundiam incurrat. Ideo igitur Deus ita se in nos exhibet liberalem, vt eius donum, non tam donatio, quàm alicuius obsequij remuneratio esse videatur. Consideratio hæc S. Bernardi est hom. 4. *super missus est*, vbi explicans illa Virginis verba, *Fiat mihi secundum verbum tuum*, ait: *Nihil obstat intelligi, fiat, verbum esse orantis.* Ita ille. At dices, quid opus Virginem postulare, quod iam ipsi promiserat Deus? Respondet idem S. Bernard. *Ideo fortè multa quæ Deus disposuit dare, prius poscitur, vt ex promissione deuotio excitetur; & sic, quod gratis daturus erat, deuotæ oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui vult omnes homines saluos fieri, merita extorquet à nobis, & dum nos præuenit tribuendo, quod retribuat gratis, agit ne tribuat gratis. Hoc igitur prudens Virgo intellexit, quando præuenienti se munere gratuitæ promissionis, imxit meritum suæ orationis. Fiat mihi*, inquit, *secundum verbum tuum; fiat obsecro mihi verbum, non prolatum, quod transeat, sed conceptum, quod maneat.* Ita Sanct. Bernard. Ecce igitur quanta sit liberalitas, vt etiam modum quærat, quo ea quæ nobis exhibet gratis, ex aliquo merito nobis data esse appareant.

Bernard. Luc. 1, 38.

DEI MISERICORDIA.

Prop. 1. *Quàm ingens sit in nos misericordia Dei.*
2. *Quàm facilè Dei misericordia peccatorei recipiat.*
3. *Quàm gloriosum Deo sit remittere peccata.*
4. *Quàm alienum à misericordia Dei sit punire nos.*
5. *Misericordia Dei ettiam in punitione peccatorum relucet*
6. *Misericordia Dei à Deo ortum habet, iustitia verò sen punitio à nobis.*
7. *Quàm periculosum sit peccare, nimium in diuina misericordia confidendo.*

Prop. 1. *Quàm ingens sit in nos misericordia Dei.*

MEretur quidem qui peccatum mortale committit, statim in gehennam mitti, sed mitis Dominus, & valde misericors, vt peccator resipiscat & pœnitentiam faciat, spatium ei temporis facile concedit. Quod quidem maximè ostendit, cùm aquis diluuij mundum delere decreuit. *Videns* enim, *quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, dixit ad*

Gen. 6. 5.

S. Hier. Nec̄erunt dies illius centum viginti annorum. S. Hieron. lib. de quæstion. Hebraicis sic locum istum interpretatur: *Non intelliguntur prædicti esse anni vitæ humanæ, cum post inundatur homo plus vixisse; sed intelligitur ante annos viginti, quàm inciperet arca fieri, quæ facta legitur centum annis, ne videretur crudelis, quasi non dederit pœnitentiæ locum.* Ita S. Hieron. Ecce 120. annos tribuit mundo adeo corrupto, & perdito, vt plus quàm sufficiens tempus ad pœnitentiam haberet.

Rom 1. c. 7. Ad Rom. 1. *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem hominum illorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent.* Cur non ait: *Descendit ira Dei*, sed, *Revelatur ira Dei in peccatores?* S. Anselm. ibidem: *Non dixit, insertur ira Dei, sed revelatur; vbi enim revelatur, non infertur, sed revelatur, vt terreat, & terrendo non infertur, revelatur autem in Evangelio animadversio Iudicij districti.* Ita S. Anselmus. quod in signis Iudicij verificari poterit, *Erunt signa*, &c. Vnde meritò dixit Chrysostomus *quòd Deus minatur supplicia, ne inferat.*

S Anselm. S. Chrys.

Num 14. 17. Numerorum c. 14. cùm Dominus perdere Israëlem vellet propter multa & grauia eius peccata, sic ad eum Moyses pro illo populo deprecans: *Magnificetur fortitudo Domini, sicut iurasti, dicens: Dominus patiens & multæ misericordiæ, auferens peccata & scelera; dimitte, obsecro, peccatum populi huius, secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ.* Obserua, quòd non dixit: *manifestetur clementia tua* vel *misericordia tua*, sed *magnificetur*, hoc est, honorificetur & glorificetur fortitudo tua. Vbi duo dicit: primum est, quòd non solùm ad pietatem & mansuetudinem spectat, parcere delinquentibus in eum, sed etiam ad fortitudinem & potentiam aduersùs eos, qui tunc de se fortiter præsumunt, cùm de inimicis vindictam acerbam sumunt. Secundum, quòd magnificum & gloriosum sit, parcere inimicis, contra eos qui dedecus esse censent, vindictam de illis non capere. vnde potiùs debiles sunt, & nullo honore digni, qui vindicari quærunt. Et tandem, vt qui peccant, confidenter ad pœnitentiam, & ad Deum properent, vt per veniam glorificetur Deus. cùm primùm enim sic orauit Moyses, audiuit à Domino: *Dimisi iuxta verbum tuum*, id est, *quoniam rogasti me*, vt quantùm valeat apud Deum oratio, consttet. præterea *iuxta verbum tuum*: tu enim dixisti: *Magnificetur fortitudo tua*, sit ita: sic enim magnifico eam.

3. Reg. 9. 4. 3. Reg. 9. sic Dominus ad Salomonem: *Si ambulaueris coram me sicut ambulauit pater tuus in simplicitate cordis, & in æquitate*, &c. *ponam thronum Regni tui super Israël in sempiternum.* Numquid Dauid pater Salomonis non ordinauit insidiosè mortem Vriæ? Numquid Dauid non commisit adulterium, in quorum primo non ambulauit in simplicitate, & in secundo non ambulauit in æquitate? Cur igitur ait Dominus Salomoni: *Si ambulaueris in simplicitate & æquitate, sicut pater tuus?* Nimirum, quia Dauid iam egerat conuenientem pœnitentiam, & lachrymis multis deleuerat illa duo peccata, sicut ipse dixit: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, &c. & iterum: *Lachrymis meis stratum meum rigabo*; quapropter Deus, quasi illorum peccatorum oblitus, ait: *Si ambulaueris in simplicitate*, iuxta illud Ezech. *Proteciti post tergum tuum omnia peccata mea.* O misericordia Deo digna! ô eximia pœnitentiæ commendatio!

Psal. 118. 136. Psal. 6. 7.

Ioan. 6. 37. Ioan. 6. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non ejiciam foras, quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam*, (humanam videlicet) *sed eius qui misit me* (id est diuinam.) Ponderat S. Augustinus verba hæc tractatu 25. in Ioann. dicens: *Ideo ergo eum qui venit ad te Domine, foras non ejicies, quia descendisti de cœlo, non vt faciat voluntatem tuam, sed voluntatem eius: magnum sacramentum.* Ita S. Augustinus. Magnum ergo sacramentum hoc explicemus: numquid voluntas humana Christi diuinæ opposita erat? absit. Cur igitur ait: *descendi, non vt faciam voluntatem meam*, &c. agebat Christus Dominus de remissione peccatorum: hoc enim significat

Aug.

A *eum qui venit ad me, non ejiciam foras*, hoc est, omnem peccatorem ad me confugientem recipiam, & dimittam peccata, non vt in hac peccatorum remissione meam tantùm exerceam voluntatem humanam: altiùs etiam principium habet peccatorum remissio; dimittam, vt adimpleam voluntatem diuinam Patris mei. Loquitur enim Christus quatenus homo, & ostendere volvit Dei voluntatem procliuem esse ad misericordiam & remissionem peccatorum in tantum, vt ad hoc maximè fuerit à Patre missus ad nos. Sit ille in sæcula benedictus.

Inde etiam constat quàm accepta sit Deo pœnitentiæ per eam enim peccator venit ad Christum.

Cant. 1 sic sponsa Christi ad ipsum: *Oleum effusum nomen tuum* S. Bern. & Chrysostopolitanus, & Philo Episcopus hoc loco, & Richardus Heremitan. lib. *de Elogio nominis Iesu*, de ipso nomine Iesu locum hunc intreprætantur formaliter, quatenus Saluator est: *oleum* autem dicitur, quia oleum symbolum misericordiæ est notissimum. Vocatur igitur *oleum* nomen Iesu, hoc est Christus, quatenus Saluator, quia parcere peccatori summum misericordiæ Dei opus est. vnde & Dauid Psal. 50. cùm à Deo veniam peccatorum exigeret, *Miserere mei* (inquit) *Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Cur, *secundùm magnam* dixit? nunquid in Deo nonnulla misericordia reperitur, quæ magna non sit, ad cuius differentiam, remissionem peccatorum misericordiam Dei dicat magnam? Manifestum quidem est in Deo vnicam esse & magnam, imò infinitam misericordiam, sed quia misericordia ordinem & relationem ad miseriam dicit: est enim misericordia actualis miseriæ remedium, ideo in Deo multitudinem misericordiarum imaginamur, secundùm quod in nobis plures miseriarum species seu genera sunt; & cùm inter omnes miserias primum locum obtineat peccatum: est enim miseriarum maxima; idcò remissionem peccatorum suorum petens Dauid, ait: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Quòd autem inter omnes miserias peccatum maxima sit miseria, adeo verum est, vt si omnes mundi miserias simul coniungeris, vnicum mortale peccatum, maiorem quàm illæ sint, miseriam esse dicendum sit. Imò si Deus ex pœnis inferni aliquem extraheret, & peccata eius remitteret, maior in eo misericordia esset à peccatis liberari, quàm à gehenna. Rectè igitur nomen Iesu, *oleum* nuncupatur, quia saluare à peccatis maximum opus est misericordiæ. Quòd si quæsieris, quàm magnificè, & liberaliter Deus peccata remittit, dictionem illam *effusum* attende, quasi dicat, effusè & diffusè vtitur Deus huiusmodi misericordiâ, & non strictè, non auarè, sed magna cum liberalitate: quod enim effundimus, liberaliter emittimus. Sic remittit ergo Deus peccata effusiuè: cui enim verè pœnitenti denegat Deus remissionem hanc peccatorum, quantumuis peccator ille sit? *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Quinam sunt hi, qui laborant & onerati sunt? S. Chrysol. & S. Hieronym. & Sanct. Augustinus. serm. 11. de verbis Domini secundùm Matth. dicunt esse peccatores, qui onerati sunt peccatis, & lassati in via iniquitatis, de quibus peccatis dixit Dauid Psalm. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Ecce ergo quos vocat Dominus ad reficiendum eos, peccatores scilicet, & omnes, nullo excepto, qui pœnitens ad eum venire velit.

Cant. 1. p.

Matt. 11. 28.

Psal. 37. 5.

B

C

D

Quàm autem maximè chara misericordia hæc nobis esse debeat, & quàm propterea à nobis diligi Deus debeat, subdit ibidem sponsa, dicens: *Ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Quod sic legit Philo Episcopus, *ideo adolescentulæ dilexerunt te, & traxerunt te post te.* Obscura lectio, sed præclara: quid igitur est, *traxerunt te post te?* si dixisset, *traxerunt te post se*, manifestum dictum fuisset.

Cant. 1. p.

Quo

Quo autem pacto trahi potuit Deus post se ipsum? & quænam sunt adolescentulæ istæ? Philo ibidem, per adolescentulas, animas peccatorum intelligit pœnitentium, quæ cùm conuerturtur, incipiunt de nouo diligere Deum. Vt intelligatur, quo pacto, cùm conuerturtur, trahunt Deum post ipsummet Deum; supponatur quòd peccator peccans auertere facit Deum faciem à se, ideo Dauid Psalm. 26. Domino dicebat: *Ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à seruo tuo*; hoc est, vti explicat Cardinalis Bellarminus, *Ne finas me in peccatum labi, ne tratus à me recedas.* Tergum igitur dicitur Deus homini vertere, cùm homo mortaliter peccat; cùm verò pœnitentiam agit, faciem Dei ad se conuertit, per misericordiam remissionis & veniæ. Ait igitur sponsa Saluatori: *Oleum effusum nomen tuum*, Saluatoris scilicet, quia misericorditer, & liberaliter parcit peccatoribus; *& ideo adolescentulæ*, id est, animæ pœnitentes, *dilexerunt te, & traxerunt te post te*, quia tu auersuseras; & per pœnitentiam conuertis faciem in eam partem, ad quam conuerteras terga, secundùm id quod Deus ipse promisit dicens: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* B

In exemplum huius adducit prædictus Philo Episcopus illud Matth. 15. vbi Chananæa post Christum clamabat. Ait ergo Philo: *Adolescentula in fide Chananæa Iesum à tergo traxit, ita vt illius misereretur omnino.* Ita ille. Sed quidem meliùs in Magdalena hoc verificari potest, Luc. 7. 38. vbi à tergo Domini constituta, *lachrymis cœpit rigare pedes eius*, per veram pœnitentiam: quid tum? *Et conuersus Dominus*, ait Euangelista, *ad illam, dixit Simoni: Vides hanc mulierem*, &c. & tandem ad illam: *remittuntur tibi peccata*, quæ multùm ideo dilexit post ea Christum Dominum ob tam ineffabile beneficium, &c.

Cùm primùm primus homo Dei præceptum transgressus est, *apparuit ei Dominus deambulans in paradiso ad auram post meridiem.* Quid fibi vult deambulatio ista? quid tunc in paradiso Dominus quærebat? rei exitus manifestauit, venit primos parentes iudicare. Cur igitur deambulans venit? quia ad iudicium veniebat: etenim cùm ad parcendum veniret, non deambulans, sed currens venit. *Exultauit enim vt gigas ad currendam viam.* *Ecce*, inquit sponsa, *iste venit saliens in montibus, transiliens colles*, (atrauançando collados) cur ita? quia ad saluandum nos properabat. S. Bernard. serm. 33. in Cantica: *Venit saliens in montibus, & transiliens colles, quia vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret.* Ita ille. Ecce rationem diuini cursus, tum propter obedientiam Patris, vt nos ad obedientiam Deo promptè & velociter adhortaretur; tum etiam vt misericordiam eximiam ostenderet, quâ ita celeriter ad redimendum nos venerit Deus factus homo. Hinc igitur constat ratio deambulantis Dei in paradiso. Idcirco non currens, sed deambulans in paradiso apparuit, quia ad puniendum veniebat, imò quia parcere potiùs, quàm punire voluit; sic pedetentim accedebat vocàs, & dicens: *Adam vbi es?* Sciebat vbinam esset, & tamen sic vocando & interrogando, ad pœnitentiam illum inuitabat: in iudicium eum adduxit, vt se reum agnoscens, veniam postularet. Denique si eum damnauit, ideo fuit, quia homo non pœnituit, nec veniam quæsiuit; Deus autem nullum lapidem non mouit, vt eum ad pœnitentiam prouocaret. Rationem hanc assignat Procopius in cap. 3. Genes. dicens: *Quis pater curâ tantâ & clementiâ perditum quæsiuit filium, dolens quidem quòd suæ dignitatis oblitus in tantam miseriam esset deuolutus? si enim Deus pronus fuisset ad puniendum, è vestigio inobedienti pœnas meritas irrogasset.* Ita ille. Ideò etiam contra serpentem diabolum neque sententiam tulit, neque eum interrogauit, quia ille pœnitentiæ capax non erat, vti ait Sanctus Gregorius 33. Moral. 31. *Serpens*, inquit, *non interrogatur, quia nec eius pœnitentia quærebatur.* Ità S. Gregorius. A

Tanta est quidem in peccatores misericordia Dei, vt eos remedia doceat, quibus iram & indignationem eius, propter delicta nostra conceptam, placare possint. Genes. 4. refert Scriptura Cain & Abel statim ab ineunte Orbe sacrificia obtulisse Domino; quis eos sacrificiorum obsequium & ritum docuit? Aut quomodo ad Deum placandum sacrificia illa esse grata Deo cognouerunt? Hugo Victor. in Annot. in cap. 4. Genes. *Credimus*, inquit, *Deum docuisse Adamum cultum diuinum, quo eius beneuolentiam recuperaret, quam per transgressionis peccatum amiserat, ipsumque docuisse filios suos dare decimas, & primitias.* Ita ille. Etenim nos, cùm aliquâ fumus affecti iniuriâ, non de reconciliatione, sed de vindicta cogitamus, & agimus; Deus verò (quæ pictas & misericordia infinita eius est) non de vindicta, sicut de venia nostra, agit: *Non enim, cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Sit nomen eius benedictum in sæcula, quia facit hoc pacto misericordiam suam nobiscum. Hugo. Isai. 55.

3. Reg. 6. de templo Salomonis, *Domus*, inquit, *cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est, & malleus & securis & omnia ferramenta non sunt audita in domo, cùm ædificaretur.* Ita ibi. Singulare hoc & præter consuetudinem ædificantium; sed cur ita? Liceat nunc; quasi glossam huic loci, verba Ciceronis adducere lib. 2. de legibus: *Aes & ferrum arceto à delubris, duelli instrumenta, non sani.* Ita ille. Habes igitur hinc causam quæsiti: non sunt auditi in constructione domus Domini ferramenti ictus, quia ictus ferri, & sonus eius bellum & sanguinem sonant; Deus autem in domo sua non amat arma vindictæ, sicut instrumenta misericordiæ. 3. Reg. 6. 7.

Isaiæ 30. dicitur: *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum.* Vbi de aduentu Domini ad iudicium finale loquitur Isaias. Nomen igitur Domini hîc nomen iudicis est; tanquam iudicem ergo Dominum ad puniendum venire, est de longinquo venire, quia remotissimum ab ingenio Dei esse videtur, sic iudicare, punire, & damnare, & extraneum valde, ideoque ait: *Ecce*, aduertite, quia *nomen Domini venit de longinquo.* Isai. 30. 27.

Vnde idem Proph. Isaias c. 28. *Sicut in monte diuisionum stabit Dominus, sicut in valle, quæ est in Gabaon, irascetur: vt faciat opus suum, alienum opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Alludit Propheta hoc loco ad duo supplicia, quæ de hostibus suis sumpsit Dominus; alterum in monte qui dicitur diuisionum; alterum in valle Gabaon. *Sic*, inquit, *irascetur contra peccatores populi sui, vt faciat, inquit, opus suum*, id est, vt puniat sicut decreuit. Sed quia hoc opus dixerat Dei, quasi corrigens vocem, ait: alienum est opus eius ab eo, peregrinum est hoc opus ab eo. Peregrinum est quod aliunde venit: sic punitio in Deo aliunde venit, à nostris scilicet peccatis: ea enim, ad quæ proni & procliues sumus, non solùm non violenter facimus, sed etiam gaudentes, & veloces; ea verò quæ à naturali conditione nostra sunt aliena, veluti coactè, tardè & gementes præstamus. Sic Dominus quàm libenter de nobis bene meretur! quàm vltro inuitat indignos! quàm amanter recipit peccatores! etenim & manducat cum illis: cùm verò à nobis nos cogitur punire, quàm tardè & ægrè procedit! Mulctauit aquis diluuij genus humanum, quia *vidit quòd multa malitia hominum esset super terram: omnis quippe caro corruperat viam suam, & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo*, inquit, *hominem quem creaui à facie terræ.* Equidem dicerem, tactus furore cordis, vel irâ magnâ intrinsecus, sed Spiritus sanctus, qui in sancta loquitur Scriptura, *dolore*, non furore ait, quia dolebat super Isai. 28. 21. Gen. 6. 5.

C D

super nos mortis ferre sententiam, & ex intimo corde dolebat, nostro loquendi more, & ideo centum expectauit annis.

Deut. 32. 41. Hinc per Moysen Deut. 32. ait: *Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis.* Vocatur hic Dei vindicta fulgur: fulguris materia à terra consecndit, sicut & fulminis & cæteræ exhalationes terræ. Si igitur, vt fulgur, acuitur gladius contra terram, ex ipsa terra prouenit materia, propter quam misericordiam: & sicut ex arbore scindituræ manubrium securis, quâ succiditur arbor ipsa; sic à nobis procedit peccatum, quod perditionis nostræ causa est. Quapropter Propheta clamat Osee. 13. *Perditio tua Israel*, &c. id est à te ipso emanat. Præterea fulguri, non fulmini comparatur gladius Dei; quia fulgura, tempestatis indicia præuia sunt: sic non ex improuiso & repente Deus vulnerat, sed priùs minatur, & monet, vt per conuersionem & pœnitentiam, & oratio-
Simile. nem, à facie gladij fugere valeamus. Denique priusquam feriat nos Deus, acuere se dicit gladium iustitiæ B suæ: quia sicut qui gladium ad percutiendum & occidendum acuit, priùs in orbem, non semel, sed sæpius cotem ducit: sic Deus priùs quàm peccatorem damnet, demoratur, dum interius per se, vel exterius per concionatores & confessarios monens, expectat; sicut quidem sic, quia acutius ferit, & acriùs illum, cui spatium dedit pœnitendi, & non pœnituit, abutens misericordiâ eius: sed, dum acuit, remoratur. vt tempus tibi pœnitendi sit; caue ne tempus & gratiam hanc in vacuum recipias, quia acriùs vulneraberis. quòd si pœnitentiam interim egeris, hebetabit aciem gladij misericordia Dei.

Tertull. Facit etiam maximè ad rem quod idem Isai. ait c. 30. *Propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis.* Ecce cur expectat Dominus, vt scilicet misereatur, & quod mirabile magis est, sic misereri, exaltationem suam vocat, & ideo, inquit, *exaltabitur parcens vobis.* Sic exclamans exponit locum istum C S. Hieron. *Grandis clementia Dei, vt expectet nostram pœnitentiam, & donec nos à vitijs conuertamur, ille potentem contrahat manum, ne nos ferire cogatur. Ideò autem miseretur & parcit, vt eius misericordia exaltetur, & bonitas creatoris nota*
Gen. 28. *sit cunctis.* Ita S. Hier. qui secundam explicationem maiori confideratione dignam adhibet, dicens, iuxta illud, quod Christus in Euangelio loquitur, *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Ideirco exaltatur in cruce, vt omnibus parcat.* Ita S. Hieron. Ecce quàm
Ioan. 12. 32 pronus ad misericordiam Dominus sit, vt ideo se in
S. Theod. crucem agi fineret, vt nostris parceret delictis; & nos quidem, cùm vehementem aliquam propensionem volumus explicare, ad mortem eam dicimus esse. *Eulano*
S. Bern. *muere por cazar, muere por jugar*, &c. *asi Christo muere por perdonar.*

Numerorum c. 22. Nota est historia asinæ Balaam videntis gladium Angeli, & ob id declinantis tertiò à D via, & Angeli dicentis ipsi Balaam: *Nisi asina declinasset à via, dans locum resistenti, te occidissem, & illa viueret.* Attende causam, cur Angelus, qui Dei locum tenebat, peperceritBalaam morte digno, (eò quòd aduersùs Dei præscriptum iter illud peregebat:) nimirum, non quia
Matth 6 ipse Balaam viam reliquisset, & pœnitentiâ motus esset, sed quia asina declinauerat: nunquid ob asinæ declinationem ab incepto declinauerat Balaam? Minimè. Sed inde colligere possumus, quàm facilis & promptus sit Deus ad veniam, si ob eam causam, quæ nullo
S. Ambr. modo excusabat malam Balaam intentionem, sic illi pepercit.

Luc. 15. 20. Luc. 15. de filio prodigo & eius patre: *Cùm adhuc longè esset, vidit eum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Cur pater accessum filij non expectauit? Cur seuerum se in filium prodigum & impium non exhibuit? A Cur non illum acriter priùs reprehendit, sed ita celeriter ad eum properauit, & illico pepercit, susceptit, honorauit, & delicias magnas ei indulsit? Guarricus Abbas serm. de filio prodigo, ponderans verbum illud *accurrens, Tardius siquidem*, ait, *videbatur patri filio venienti esse, quàm filio accedere; sic festinabat absentere reum à momento consentientiæ suæ, quasi plus cruciaret misericordem miseria compassio, quàm ipsum miserum passio sua.* Ita Guarricus. Et S. P. Chrysol. serm. 3. de filio prodigo, ponderans hanc Patris diuini in peccatorem & prodigum clementiam, ait: *Rogo quis hic desperationis locus? qua hic cunctationis occasio? & hic quæ timoris simulatio? nisi forte timetur occursus, terretur osculum, turbet amplexus, & expectet vindictam & non recipere ad veniam pater credatur, claudi gremio, & lacertis ligari.* Ita ille.

Ioan 8. *Adduxerunt Scribæ & Phariſæi ad Christum mulierem in adulterio deprehensam, & dixerunt: Magister, in lege Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare, tu quid dicis?* si Moyses in lege id mandauit, cur interrogatis, quid de illa agendum sit? Respondet Euangelista: *hoc dicebant tentantes eum*, vt possent accusare illum. Dico quo tentatio ista consistit? S. Augustf. serm. 47. de verbis Domini secundùm Ioan. tom. 10. sic respondet: *Aduerterunt hi Phariſæi Christum. Dominum nimis esse mitem, nimis mansuetum: de illo quippe fuerat ante prædictum Psal. 44.* Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime; specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede & regna: propter veritatem & mansuetudinem, & iustitiam. *Cum ergo de duobus istis, id est, de veritate & mansuetudine eius, inimici liuore & inuidia torquerentur, in tertio, id est, in iustitia scandalum posuerunt: quia lex iusserat adulteras lapidari, & lex iussum non poterat. Quid si quis aliud diceret, iniustus deprehendere? Dixerunt ergo ad semetipsos: Verax putatur, mansuetus videtur, de iustitia illi calumnia quærenda est. Offeramus ei adulteram, si illam iusserit lapidari, mansuetudinem non habebit; si eam dimitti censuerit, iustitiam non tenebit: vt autem mansuetudinem non perdat, in qua populis amabilis factus est, sine dubio dimitti eam iubebit, & hinc nos inueniemus accusandi occasionem, & dicemus: Reus est mortis, hostis est legis, cum illa & tu es lapidandus. At ipse non est captus, sed qui eum capere tentarunt.* Ita S. Augustf. Vide igitur quanta fuerit misericordia Domini in peccatores, vt in illa laqueos hostes eius pararent.

Exod. 32. iratus Dominus vehementer in populum *Exod.* suum ob vituli peccatum, sic ad Moysen: *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos*, &c. Quid hoc? Potestne creatura Creatoris iræ furorem impedire? Iob. 9. *Deus, cuius iræ nemo resistere potest*, &c. Prosper de promissionibus Dei, ait, *potius esse, pietatem & misericordiam in populum manifestare, quàm eum punire velle.* Ita ille: vt cùm euaginato gladio quis filium persecutere simulans, dicit amico: Noli mihi impedimento *Simile.* esse, sine me illum necare, &c. quo potiùs insinuat se velle impediri, ne quod minatur, efficiat. Vbi S. Hier. S. Greg. & S. Cyrillus & Rupert. obseruant, quàm potens sit iusti oratio, vt Deum, meritò in peccatores iratum, valeant placare, sicut in hoc loco Moyses placauit, &c.

Gen. 29. *Venerunt duo Angeli Sodomam, &c.* tres qui- *Gen. 19.* dem erant Angeli, qui in itinere illo vsque ad domum 1. Abrahæ venerant quomodo igitur in fine itineris (in Sodoma, inquam) duo tantummodo apparuerunt? Non deest qui dicat & dictum tribuat S. Theodo. ideo in domo Abrahæ tres apparuisse, quia ibi sanctissimam Trinitatem adumbrabant. Trinitatem, inquam, cò quòd bona nunciare Abrahæ veniebant, natiuitatem scilicet Isaac, ex cuius generatione Christus oriundus erat. Festiuum quidem nuntium non solùm Abrahæ, sed & mundo vniuerso: attamen in Sodomis duo visi sunt, non tres, nec vnus solus, quia tres Trinitatem, & vnus vnitatem diuinam significare videren-
tur.

tur, sed duo; vt nec vnum Deum, nec trinum præsefer- A
rent, atque ita nec Deum, quia ad euertendam, & in
cinerem regionem illam conuertendam, veniebant. Est
enim punitio talis opus alienum à Deo, sicut proprium
illi est misereri semper & parcere; & ideo renuit Deus
puniens apparere; *tha alli Dios como embox.ado en trage,
que no se hechaſe de ver, que el era el, que deſtruya à Sodoma,
y Gomorra.* Et hanc existimant nonnulli fuisse causam,
ob quam vxor Loth in statuam salis conuersa fuit:
cùm Deus igne de cœlo missō ciuitatem illam perde-
ret, vxor Loth conuersa retrorsum videre voluit ciui-
tatis exterminium; Deus autem nolebat puniens vide-
ri ab ea, & ideo eam in statuam conuertit salis: sicuti
cùm nobilis vir punire vult seruum suum, portas
domus claudit, ne quis eum seruum punientem vi-
deat. B

1. Sic Iob Domino Deo cap. 7. postquam se peccasse
fassus erat, *Cur*, inquit, *non tollis peccatum meum, & quare
non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dor-
miam, & si mane me quæsieris, non subsistam.* Quis non mi-
retur modum hunc agendi cum Deo, & maximè cùm
sanctus vir esset qui loquitur ita? Quid ais Iob sancte?
Audacia hæc potiùs quàm humilis deprecatio esse vi-
detur; *Cur*, inquis, *non tollis peccatum meum?* cur? quia
non vult; numquid debetur tibi remissio peccatorum
ex iustitia? aut quid inde detrimenti proueniet Deo,
si non pepercerit tibi? Etenim nouerat Iob, proprium
esse Dei misereri ac parcere, & id gloriosum sibi Deum
reputare, *a señor bien os conozco, y la condicion vuestra, que
con hazer tales misericordias ganaù nombre y fama de infini-
tamente misericordioso, y bueno, y paraque no perdais aora vn
lanze tan bueno, me atreueo a pedir os misericordia, como por ju-
sticia. Cur non tollis peccatum meum?* Sic explicat locum C
hunc S. Clemēs Alexand. Apolog. ad Theodosium di-
cens: *Quid igitur, generosissime athletarum? criminis sine
loco Deo impingis, quod eius, qui deliquit, non misereatur? non,
sed non quia misereri consuevit, nec vulgarem ex eo gloriam
habet.* Ita ille. Quod hanc similitudine clarius fiet: ima-
ginare in ciuitatem insignem quemdam medicum ad-
uentasse, qui, vt artis suæ peritiam omnibus notam fa-
ciat, offert sese cunctis infirmis, gratis dicens se illos
curare velle; infirmus autem quidam ad mortem vo-
cat illum, & tardat venire: ad quem infirmus sic scri-
bit: Cur non citò venis, videns me ad mortem pro-
pinquare? certè si moram feceris, fortè cùm aduenta-
ueris, mortuum iam me inuenies, & occasionem ma-
gnam ad ostensionem peritiæ tuæ amittes, & gloriam
tibi inde prouenturam. Sic modò, nam, vti ait Sanctus
Augustinus, *magnus de cœlo aduenit medicus, quia magnus
in terra iacebat ægrotus.* Ita ille. Et ideo Iob ait: *quare
non tollis peccatum meum? Si manè me quæsieris non subsi-
stam*, &c.

Sic Deus misericors est, vt opera misericordiæ opera D
sua speciatim vocet; sic Ioann. 9. cùm cæcum à natiui-
tate sanare vellet, exponens causam cur in cæcitatem
illum Deus incidere permisisset, dixit: *Neque hic pecca-
uit, nec parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo:*
quænam opera Dei? sanare scilicet illum, & à miseria
cæcitatis eum misericorditer liberare: opera igitur mi-
sericordiæ opera sua vocat. Nunquid opera iustitiæ, &
opera omnipotentiæ non sunt etiam opera Dei? sunt
etenim, sed quia Deus in operibus misericordiæ excel-
lens est, ideo per excellentiam & antonomasiam opera
misericordiæ opera sua vocat.

Sicuti etiam apud Isai. 28. vbi secundùm explica-
tionem Sancti Gregor. hom. 16. super Ezech. agit
Isaias de redemptione generis humani per Christum,
& reddens rationem factorum Christi, ait: *Vt faciat opus
suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Bene (inquit Sanctus
Gregor.) salutem nostram, & passionem Christi Isaias
contemplatus, ait: *Vt faciat opus suum, alienum est opus
eius*: opus etenim Dei est animas quas creauit collige-

re, & ad æternæ lucis gaudia reuocare; flagellari au- A
tem, sputis illini, crucifigi, mori, & sepeliri, non hoc
in sua substantia Dei opus, sed opus hominis peccato-
ris, qui omnia hæc meruit per peccatum; sed peccatā
nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Vt
ergo operetur opus sunm, peregrinum est opus eius ab
eo, quia incarnatus Deus, vt nos ad suam colligeret
iustitiam, dignatus est pro nobis, tanquam peregrinator ho-
mo, vapulare, & sic alienum opus fecit, vt faceret
proprium: quia per hoc, quòd infirmans sustinuit
mala nostra, nos, qui eius creaturæ sumus, ad suæ
fortitudinis gloriam perduxit. Ita Sanctus Grego-
rius.

Cùm igitur opera misericordiæ opera propria Dei
sint, vti non semel, sed bis asseruit Christus Dominus, *Ioan 9.*
dicens: *Vt manifestentur opera Dei in illo*, & iterum, *Me*
oportet operari opera eius qui misit me, facilè inde colligi- *Ibid.*
mus, quàm libenter, & promptè nos à miseriis nostris
liberabit: nam artifex cùm materiam suæ artis videt,
gaudet, & lætatur: faber lignarius lignorum visione
gaudet, & lapicida lapidum, &c. cùm igitur misericor-
diæ materia circa quam versatur, miseria nostra sit,
Deus qui naturā suā misericordissimus est, cùm nos il-
li miserias nostras repræsentare videt, gaudet; quia se
occasionem nanciscī videt misericordiam exercendi:
est enim misericordiarum, non solùm artifex, sed &
pater.

Hinc est quòd propter himiam misericordiam suam
omnia nostra, siue prospera, siue aduersa, reputat sua: & *Rom.14.8*
in hoc sensu dixit Apostolus: *Siue viuimus, Domino viui-
mus, siue morimur, Domino morimur: siue ergo viuimus, siue
morimur, Domini sumus.* Vbi S. Chrysostomus hom. 25.
Per hæc demonstrat Apostolus, quòd maiorem nostri
curam habeat Deus, quàm nos ipsi, & quòd vitam no-
stram diuitias suas, & mortem æstimet damnum: non
enim nobis ipsis solùm morimur: mortem verò hic
eam, quæ ex fide est, vocat. Ita Sanctus Chrysost. Cùm
seruus aliquis moritur, diceremus illi vel illi: mortuus
est seruus eius, *à fulano se le murio su esclauo*, quasi dam-
num mortis serui in dominum refundentes; sic cùm
perit aliquis nostrūm, Domino moritur, ait Paulus, &
quidem quòd de homine domino hoc dicamus, non
mirum, quia opera serui vtilia sunt, necessaria domino
eius; at, *Ego dixi*, ait Dauid, *Deus meus es tu, quoniam bo-*
norum meorum non eges: nos ergo illi serui inutiles su- *Psal.15.2.*
mus; cur ergo *Domino viuimus, & Domino morimur?*
nimirum, quia ea est pictas & misericordia eius, vt
damna, & vtilitates nostras reputet bona, & mala
sibi mala.

Quamuis attributa Dei æqualia, imò vna, & eadem
res in Deo sint, nihilominus tamen, quantùm ad effe- *Cap.12.*
ctum, misericordia Dei excedit iustitiam eius, at- *13.*
que ideo Iacobus, *Superexaltat*, inquit, *misericordia
iudicium.* vbi misericordiam pro misericordia Dei
supponere, docent Sanctus Augustinus lib. 2. de
peccatorum meritis, & remiss. & Anselmus in epistola
ad Heb. cap. 9. & Cyril. Alexand. in Ioan. lib. 5. cap. 13.
& alij.

Vnde Dauid: *Iustitia tua sicut montes Dei.* Ita de iu- *Psal.35.*
stitia; at de misericordia, *Magna*, inquit, *est super cælos* *7.*
misericordia tua. Excelsos quidem in Orbe montes in- *Psal.107.*
uenies, at quantò altius est cœlum, etiamsi supra Ol- *5.*
lympicum montem montes reliquos constitueris? vo-
luit itaque dicere, sicut exaltantur cœli à terra, sic exal-
tatur misericordia Dei à iustitia quantùm ad effectus
vtriusque.

Vnde supra testimonij arcam constitui voluit Deus *Exod.25.*
propitiatorium: cur ita? cur non intra ipsam arcam,
vel etiam infra? etenim intra arcam illam lex Dei, &
virga Aaron inclusa erant: hæc autem duo iustitiam,
& iudicium præ se ferunt: lex enim vindictam à Deo
quærit, & requirit aduersùs eius transgressores; virga

verò iustitiæ symbolum est, & ideo iudices virgam manibus gestare solent: propitiatorium autem super hæc constitutum, misericordiæ diuinæ locus erat: ad illud namque peccatores, tanquam ad sacram anchoram, confugiebant, vt remissionem peccatorum suorum, & Dei misericordiam consequerentur. Superiùs igitur collocari voluit Dominus, vt supra suam iustitiam misericordiam suam locum obtinere cognosceremus, vti adnotauit Sanctus Anselmus in epist. ad Heb. cap. 9. vbi ait; *Ideo propitiatorium superponitur, quia superexaltat misericordia iudicium.* Vnde & Psalmista: *Suauis* Ps 144.9. *Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* Ita S. Anselmus.

Ps 114.5. Hinc Dauid: *Misericors Dominus, & iustus, & Deus noster miseretur.* Ponderat locum hunc Sanctus Ambrosius, de obitu Theodosij: *Bis*, inquit, *misericordiam posuit, iustitiam verò semel: in medio est iustitia gemino inclusa septo misericordiæ.* Ita ille. Inde est quod, cùm iustitia Dei in lucem prodit, misericordiæ saporem & colorem inducit, nimirum velut quæ per ipsam transeat misericordiam, intra quam inclusa manet. B

Adeo quidem videtur misericordia excedere iustitiam vindicatiuam, vt non solùm misericordiæ locus detur, quando nulla interuenit iustitiæ ratio; verùm etiam quando priùs locus iustitiæ ac supplicio esse videtur. *Nunca entra la justicia, quando es tiempo connaturral de la misericordia, y si la misericordia, quando lo es de justicia.* Patet hoc Psalm. 118. vbi sic ad Dominum Dauid: *Tempus faciendi Domine, dispersuerunt legem tuam.* Quodnam est hoc faciendi tempus? Sanctus Hilarius, Sanctus Ambrosius, & Sanctus Augustinus, & Cassiodorus de aduentu Domini in carne hoc interpretantur. Petit ergo misericordiam Incarnationis Dominicæ, & quidem in sacris literis, facere Deum, sic absolutè sumptum, pro, facere misericordiam, sumi solet, vt apud Dan. 9. vbi sic ad Dominum Daniel: *Placare Domine, attende, & fac.* quid est fac, fac scilicet, quod facere soles, & quod tibi proprium est facere, Deus, cui proprium est misereri semper & parcere, *hazed sennor de las vuestras.* Ait ergo Dauid: *Tempus faciendi Domine*, hoc est, secundùm authores prædictos, non sufficiunt verba, vt hi corrigantur, qui dissipant legem tuam; descende igitur Domine tu in præcepto quod mandasti, & fac, quæ iubes, & iube quod vis: nam hoc modo synagoga populorum circundabit te. Potest magis ad rem hic expo- C ni, *Tempus faciendi Domine*, scilicet misericordiam nobiscum, vt venias ad saluandum nos. vt sic *facere* idem sit, quòd misericordiam hanc nobiscum facere. sed quod mirum videtur, est ratio quam assignat Prophetа, *quia* scilicet *dispersuerunt legem tuam*: hoc enim ad iracundiam magis, quàm ad misericordiam Deum prouocare videtur: sed tamen hinc quanta sit misericordiæ iurisdictio constat, & quantùm superexaltet misericordia iustitiam: nam transcendere videtur vsque ad terminos interiores diuinæ iustitiæ, vt in eo quod iustè Deum ad iustitiam, & punitionem mouere posse D videbatur, misericordiæ locum inueniat, & peccata, quatenus misericæ quædam sunt, misericordiæ locum præstent.

Perpendit Sanctus Fulgentius illud, *Derelinquat im-* Isai. 55.7. *pius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. In hoc multo*, ait Sanct. Fulgentius, *nihil deest, in quo omnipotens misericordia, & misericors omni potentia est.*

Cap. 3. 2. Amplificauit satis Habacuc, dicens: *Domine, cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Etenim homo, cùm irascitur, ita absorberi solet iracundiâ, vt omnem misericordiam obliuioni tradat, etiam cùm iniustè irascitur; at Deus, cùm nunquam nisi iustissimè irascatur, in medio iræ suæ, misericordiæ recordatur. Sit in huius rei exemplum id Exod. 9. vbi cùm Dominus iratus meritò contra obduratum regem Pharaonem, qui tot miraculis, & prodigijs prouocatus, parere Deo noluit, sic ad eum: *Adhuc retines populum meum, & non vis dimittere eum? En pluam eras hac ipsa horâ grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto à die qua fundata est, vsque ad præsens tempus: mitte ergo nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro: homines enim, & iumenta & vniuersa, quæ inuenta fuerint foris, nec congregata domi, occiderit que super ea grando, morientur.* Ponderat Sanctus Augustinus hanc Domini misericordiam quæst. 33. in Exodum, & meritò. Vt quid Domine mones proterue, & contumacem istum, vt seruet iumenta sua, oues, & boues, & seruos, si quidem propter inobedientiam, contumaciam suam, perdere, non solùm res suas, sed vitam quoque meretur? Monuit quidem, & monenem amplexus Pharao, *confugere* (vt ait Scriptura) *ad seruos, & iumenta in domos.* Ecce quomodo contumax fuerit Dominus misericordiæ recordetur. Vide iure clamat Ecclesiasticus, dicens: *Speciosa misericordia Dei in die tribulationis.* Textus Græcus per exclamationem legit: *Quam speciosa misericordia Dei in die tribulationis!* nomine autem *tribulationis* in sacris literis venit etiam supplicium Dei, vt patet Iob 36. vbi ait Eliud: *Eripiet de angustia sua pauperem, & reuelabit in tribulatione aurem eius.* Vbi Sanctus Gregorius 26. Mor. 23 *Auremin tribulatione reuelare, est auditum cordis verborum plagis aperire.* Ita Sanctus Gregorius. Et Hugo Cardinalis per tribulationem ibi intelligit iudicium diuinum: ait ergo: *quàm speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis*, quidem in quacumque tribulatione est speciosa misericordia Dei; at in supplicio pro meritis peccatori exhibito, splendidior multò lautiorque pparet.

Denique adeo misericordia Dei, & iustitiam eius operibus suis excedit, vt eadem opera iustitiæ vendicet sibi misericordia, & eis, velut instrumentis fuis, vtatur. Minatur sæpe Deus supplicia magna peccantibus, & huiusmodi minis vtitur misericordia Dei ad peccatores conuertendos. Exempla, quibus hoc probemus, innumera sunt: satis modò sit perpendere prædicationem Ionæ: *Adhuc*, inquit, *quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* Verúmne prædicabat Ionas? verum, & ex Dei iussu protulit verba illa. minitatio fuit diuinæ iustitiæ, hotum est: at pœnitentiam illis agentibus, reuocauit Dominus sententiâ illam; cur igitur minitatus est illis, & non potiùs secundùm exigentiam peccatorum illorum sententiam executioni mandauit? nimirum, quia misericordia interfuit, & minis huiusmodi ad conuersionem Niniuitarum vsa est, conuersionemque secuta est venia. Ecce quantùm præualeat iustitiæ misericordia Dei.

Præterea hoc ipsum constat ex illo Psalm. 77. vbi agens Dauid de supplicijs, quibus affecit Deus Ægyptios, ait: *Viam fecit semitæ iræ suæ*, &c. Quid est viam facere iræ suæ Deum? Quando aliqua via vepribus, & virgultis cooperta est, oportet eam de nouo aperire, vt qui per eam transiturus est, transeat: viam igitur iræ diuinæ Deus tunc fecit, quia erat velut occlusa & clausa: non enim Deus ita per viam iræ ambulare solet, atque adeo opus fuit nouam iræ, & iustitiæ fuæ aperire. Et obserua non dici viam absolutè, sed semitam: semita quidem strictior est viâ: via enim regia latior est, & trita magis; semita verò angustior, & minùs trita: Semitam igitur iræ suæ fecit Deus, hoc est, non erat tanta ira Dei, vt eam stricta semita capere non valeret: maiores enim multò pœnas illi merebantur. Legistine tu in sacris litteris de misericordia Dei simile quidpiam? etenim misericordiæ diuinæ non semita, sed via regia est ampla, non angusta, sed augusta est. *Dux fuisti in mise-* Exod. 15. *ricordia tua populo, quem redemisti*, dixit Moyses, agens de transitu maris rubri, vbi Dominus amplissimam viam aperuit Israelitis, vt indemnes transirent, & liberarentur

tur è manibus inimicorum suorum: huic misericordiæ non fecit semitam arctam, sed viam latam. Sit ille benedictus in sæcula.

Hinc etiam est, quòd cùm flagellat, & ob flagella inimicum se peccatoribus exhibet, quasi inimicus nuncupari solet, vt patet, *Tetendit arcum suum, quasi inimicus, firmavit dexteram suam, quasi hostis*: etenim cùm paternam exercet in nos pietatem, misericordiam, pater dicitur absolutè. *Vocabitur*, inquit Isa. *pater futuri sæculi*, non ait quasi pater &, *Tu enim pater noster, & Abraham nescivit nos*; &, ait Dominus: *Factus sum Israel pater, & Ephraim primogenitus meus est*; non ait, quasi pater, & quasi primogenitus. Similiter cùm de supplicijs agitur, additum inuenies *quasi*, vt Ioan. 2. *Cùm fecisset quasi flagellum*, & loco allegato, Thren. 2. *Effudit quasi ignem indignationem suam*: non dixit fecit flagellum, effudit ignem indignationis suæ, sed *quasi flagellum, quasi ignem*. Item: *Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum suum*; quis vnquam vidit ad dissipandum tendi funiculum? ad ædificandum, ita quidem, sed ad dissipandum quónam pacto? etenim qui ædificat, ideo funiculum tendit, vt non inordinatè, & sine debita commensuratione ædificium consurgat; sic igitur Deus tendit funiculum ad dissipandum, quia non abruptè, & sine ordine, ac modo, & absque vlla commensuratione moderationis punit, sed iuxta regulam bonitatis, & iustitiæ diuinæ. & denique quia dissipare diuinum, ad ædificationem fœpe ordinatur illorum quos punit, vt inde corrigantur, & semper ad ædificationē aliorum, vt inde Deū timeant, & veneręt̃ur. Vnde non otiosè præmisit vęrbum illud, *cogitavit Dominus dissipare*: nam *cogitare* hîc importat deliberationem quandam cordis contra subitum motum animi; quasi dicat, si Dominus puniuit Hierusalem, non id ex abrupto, & immaturo consilio fecit, sicut facere solet, qui percitus irâ, statim in vindictam prorumpit. Denique funiculus, de quo hîc agit, murorum mensura est: punit ergo Deus funiculum extendens, quia punit in pondere, & mensura, *no hasta no mas*, & cogitans, *no la palo de ciego*, &c.

Commendat præterea misericordiam Dei, & magnitudinem eius, fuga illa Ionæ. Mittebat eum Dominus ad prædicandum Niniuitis, ipse verò fugit in Tharsis. cur fugit, qui tanquam verus Dei Propheta ad nutum Deo parere plùs cæteris tenebatur? Tertullianus lib. de pudicitia, *Quia Ionas*, inquit, *Dei misericordiam prædicat, etiam in extraneos profusam*. Ita ille. Hoc est, cognouit Dei misericordiam non defuturam Niniuitis, si resipiscerent: & ne eius prædicatio & prophetia de illorum subuersione, falsa iudicaretur, fugere Ionas decreuit. & hanc explicationem sequitur S. Theodoretus, & Rupertus Abbas, & patet ex verbis ipsius Ionæ, vbi cùm sentiret Deum Niniuitis misereri, & eis parcere velle, dixit: *Obsecro Domine, nunquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharsis: scio enim quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitiâ, mirad que tacha.* Miror ego huius Prophetæ sensum, miror misericordiæ Domini magnitudinem, quæ sic exuperat Prophetarum zelum, & quæ adeò facilè sententiam mutat, si nouerint peccatores licèt magni, sicut Niniuitæ sint, mutare vitam.

Aduertamus tamen hinc, quod aduertit Tertullianus lib. de pœnitentia, capit. 8. dicens: *Nemo deterior fiat, eò quòd Deus bonus sit, toties remittens, quoties delinquimus.* Ita ille. Nam, vti ait Sanct. Gregorius, homil. 1. in Ezechiel. *Tantò districtiorem iustitiam in iudicio exerit Deus, quantò longiorem patientiam ante iudicium prorogauit. Hinc etenim Paulus ait: Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* & hinc etiam Psalmista ait: *Deus iudex iustus, fortis, & longanimis, dicturus longanimem, præ-*

misit iustum, vt quem vides delicta peccantium Deum patienter ferre, scias hunc quandoque etiam districtè iudicare. Ita sanctus Gregorius. Imò Valerius Maximus, lib. 1. in princ. *Lento gradu*, inquit, *ad vindictam procedit diuina iustitia, sed tarditatem si pplicij gravitate compensat.* Ita ille, & Ecclesiasticus: *Alti simus est patiens reddit or.* quod sic expiicat Sanctus Gregorius homil. 13. in Euangelia. *Patiens reddit or dicitur Deus, quando peccata hominum & patienter tolerat, & reddit. nam quos diu, vt conuertantur, sustinet, non conuersos diutiùs damnat.* Ita ille. *Al fin si es castigador, patiente es, aunque paciente castigador*, patiens redditor.

Hinc Apostolus: *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem*, &c. Horatur hoc loco Apostolus fideles, vt pœnitentiam agant, & ait: *Obsecro vos per misericordiam Dei.* Nunquid non aptiùs dixisset per iustitiam Dei, siquidem iustitia Dei est quæ vrget peccatores ad pœnitentiam, ne læuiat in eos? Sapientissimè quidem misericordiam Dei ad pœnitentiam proposuit, primò quia misericordiæ Dei plurimùm debent peccatores, quia propter ipsam non soluunt in tartaro pœnas. Misericordia Domini, inquit, quòd non sumus consumpti. vnde æquum non est, vt vnde ansam pœnitendi sumere debent peccatores, inde peccati occasionem arripiant. Secundò, quia quantò maior fuerit misericordia expectans, tantò maior erit iustitia puniens; meritò ergo non ait: *Obsecro vos* per iustitiam Dei, *sed per misericordiam Dei.*

Vnde Sanct. Augustinus explicans verba illa, *Ded sti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus. Sagitta in anteriora mittenda est, nervus tamen arcus retro extenditur in contrarium, quò illa mittenda est, & quantò plùs fuerit eius extensio retrorsum, tantò maiori impetu processura est: sic etiam quantò misericordia Dei, veluti contrahitur in se, tantò maiori impetu, nisi pœniteamus, euadet.* Ita ex S. Augustino. Et fortè hoc significare voluit Dominus, cùm arcum fœderis sui in nubibus collocauit: *nubes* enim misericordiâ Dei procedit ad fructus terræ producendos: simul autem arcus iustitiæ cum misericordia copulatur, vt tantò maior appareat misericordia, quantò diutiùs in ea iustitiæ sagitta detinetur, & quantò diutiùs detinetur, tantò fortiùs excutietur.

Etenim misericordia Dei secundùm se abscondita est ab oculis nostris, sicut ipse Deus, quia *non videbit me*, inquit, *homo, & vivet*; *Patrem nemo novit, nisi filius, & cui filius voluerit revelare.* nouimus per fidem Patrem omnipotentem, omniscientem, & infinitæ misericordiæ esse, verumtamen etiam nobis Christus Patris fui æterni pietatem, & misericordiam in nos, per seipsum manifestauit. quàm ergo alio modo, sic etiam Patrem per Filium incarnatum: nam Filius Dei incarnatus facies dicitur Patris, vt constat ex multis Scripturæ locis, vbi nos legimus: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*, alij legunt, *parabit viam faciei meæ*, id est, Christo: loquitur enim de Baptista, vt idem Christus exponit, &, *In iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Alij sic legunt: *Ego per iustitiam contemplabor faciem tuam*, id est, Messiam tuum, *satiabor cùm resurrexerit forma tua*, vel figura tua, vel imago tua, vel similitudo tua, & denique sic de Christo Apostolus: *Qui cùm sit splendor Patris, & figura substantiæ eius*, &c. imò & nonnulli doctorum Hebræorum, seu Rabinorum, vocant Christum & Messiam nostrum faciem Dei. Vnde? quia Christus Dominus in suis operibus etiam est velut facies Dei. nam Deum in ipsis altissimè imitabatur. si misericordiam Dei per altissimam viam cognoscere vis. misericordiam, & pietatem Christi considera, & attende. Vide quomodo Magdalenam absoluit, imò & latronem in cruce; vide

quomodo, non solùm peccatores venientes ad se accipiebat, verùm etiam illos quærebat, & manducabat cum illis, ita vt non solùm id aspicientes nonnulli admirarentur, verùm etiam adurs ùs eum murmurantes dicerent: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis*, nec ideo ab eorum consortio se Dominus subtraxit, sed dixit: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Discite quid est, misericordiam volo, & non sacrificium.* Denique cui vnquam miserorum misericordiam denegauit? Per Christum igitur, tanquam per faciem, cognosces Patrem esse *Deum misericordiarum, & totius consolationis.*

Exod.4. Cùm Deus Moysen mitteret ad Pharaonem, & ad filios Israel, vt educeret eos de Ægypto, dixit Moyses: *Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.* Cui Dominus: quid est quod tenes in manu tua? Respondit, virga: proijce, inquit, eam in terram: proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses, &c. Vbi nota tria illa signa, virgæ, & manus leprosæ, & aquæ in sanguinem conuersæ, duo priora signa fecit Deus repræsentari coram se, priusquam fierent coram alijs; signum verò sanguinis nequaquam. cur ita? nimirum, quia duo priora signa solùm erant comminatoria, & nullam in se pœnam, vel supplicium continebant, tertium verò signum sanguineum erat, & supplicium magnum Ægyptiorum, & ob id noluit illud coram se tunc repræsentari, *No se quiere Dios relamer en nuestros trabajos.* Etenim si misericordiæ puræ signum illud extitisset, iterum fortè, atque iterum illud repræsentari fecisset; sed quia non delectatur in perditione, & pœna viuorum, ideò quod ad sanguinem pertingebat, noluit ante factum repræsentari; tanta est pietas & misericordia Dei nostri, ad miserendum proni, ad puniendum tardi, & parci.

Hinc est, quòd priusquam puniat, minatur, vt minis deterriti peccatores ad remedia confugiant. vnde iratus Deus in peccatores populi sui, & maximè aduersùs
Os.5.8. principes populi, eis minatus est: *Clangite buccinâ in Gabaa, tubâ in Rama: vlulate in Bethaven, quia omnes principes eius facti sunt velut assumentes terminos, ideo effundam super eos quasi aquam iram meam.* Domine, si eos punire vis, cur non subitò irruis in eos? cur consilium iustitiæ tuæ manifestas illis? quia scilicet, eos admonere ita voluit, vt fugiant à facie arcus, minatur, ne puniat: si enim punire absolutè Deus vellet semper, non minaretur priùs. quod in illis verbis, *effundam super eos quasi aquam iram meam*, explicatum habemus: non enim ait, quasi ignē, prout iustitia exigebat, sed quasi aquam, prout misericordia Dei requirebat. Si enim ignis super eos descenderet, nullum eis refugium superesset: nam ignis statim combureret eos, sicut Sodomitas combussit; at cùm pluit aqua, facilè se quis recipit in domum suam, & ab illa se defendit. Sicut aquam igitur Dominus iram suam effundere solet, vt ad interiorem domum suam se recipiant, ad domum, inquam, conscientiæ, & ibi resipiscant, & conterantur, & veniam, & misericordiam à Deo petant, & pœnitentiam dignam agentes, ab ira Dei liberentur. Talis, tantaque est misericordia Dei nostri. Ponderandum est etiam verbum illud *Bethaven*, quòd populum iniquum importat, nam Bethaven idem est quod domus iniquitatis; quasi diceret Deus, quamuis peruersus populus sit, & grauis iniquitate, vlulate in eo, vt ita intra conscientiam se recipiat, timeat, & pœniteat, &c. sic nemo, quantumuis peccator sit, de misericordia Dei desperare debet.

Hinc est, quòd, quantumuis in nos iratus sit Deus, & grauibus nos supplicijs puniat, peste, & gladio, nunquam desperare debeamus, quia sicut misericordia Dei iustitiam Dei præcedere solet, sic etiam post ire, vt mi-
Ps.59.3. rè significauit Dauid, dicens: *Deus repulisti nos, & destruxisti nos, iratus es?* quid tum postea? *& misertus es nobis.* Quis post repulsam, post iram Dei, post destructionem, non iam actum esse de populo exilimasset? & tamen ecce post iram, post repulsionem, post destructionem locum inuenit misericordia, *si que quando su espada vibra mas sangrienta, le da el tiempo de su misericordia.* Quod vtique significatum est Apocal. 1. vbi Apostolus Ioannes vidit Christum Dominum gladium ore portantem, & pedes similes aurichalco, sicut in camino ardenti. Quod sibi volunt insignia hæc? gladius iram, vindictam, & iustitiam importat, & gladium huiusmodi in ore Christus portat, quis vnquam in ore gladium portauit? in femore, cùm in vagina est, & in manu, cùm nudus ad feriendum est, duci solet: at Christus in ore, quia iram, & vindictam in ore defert, cùm maiores peccatoribus, & supplicia eis annunciat, vt cauean. Hic præcedere misericordiam vides, attende nunc subsequentem, pedes eius, inquit, similes aurichalco: aurichalcum autem ideo sic dictum est, quia secundum aliquos auri colorem habet, vel secundùm alios, quia ex auro & ære compositum est, & color ille aureus sicut ignis. Aurum autem in sacris literis charitatem, amorem significare solet, vti ait Sanctus Augustinus, super Psalm. 67. & Sanctus Gregorius 18. Moral. 30. & ignis etiam, vt asserit Origenes homil. 1. super Psalm. 38. & Sanctus Ambrosius in prologo de Spiritu sancto, & Sanctus Gregorius 2. Moral. 29. Charitatem ergo in pedibus præ se fert Christus: pedes autem sunt corporis extremum; in capite ergo, quod est corporis initium, & in pedibus, qui sunt corporis finis, misericordiam defert Christus, significans, in corpore operum Dei misericordiam principium, finemque intonare. Rursus pedes sunt, quibus victores conculcant victos hostes solent, iuxta illud, *Egredietur diabolus ante pedes eius*, victus scilicet, & conculcatus, & secundum illud hymni resurrectionis, *pede conculcans tartara* in pedibus ergo, quibus conculcandi sunt peccatores (hi enim inimici, & hostes Dei sunt) insigne charitatis, amoris & misericordiæ defert, quo significaretur nullum ita in hac vita à Deo conculcandum reperiri, qui, si velit, misericordiam impetrare non possit, si vti debet, imploret.

Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Pondcrat Sanctus Bernardus serm. 5. de natali Domini, verba illa, *Pater misericordiarum, Bene*, inquit, *dicitur pater misericordiarum, cui proprium est misereri semper, & parcere: sed forte quis dicat, quomodo illi proprium est misereri, cuius iudicia abyssus multa. Neque enim dicitur, omnes viæ eius sola misericordia, sed misericordia & veritas, non minus iustus quam misericors est, cui misericordia, & iudicium decantantur. Verum est quidem, cuius vult miseretur, & quem vult indurat, sed quod miseretur proprium illi est: ex se enim materiam sumit, & velut quoddam seminarium misereudi: nam quòd inducet, & condemnet, nos quodammodo cum cogimus, vt longe aliter de corde ipsius miseratio, quàm animaduersio procedere videatur. Ipsum audi dicentem*: Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non magis vt conuertatur, & viuat? *Recte igitur, non pater iudiciorum, vel virtutum dicitur, sed pater misericordiarum, non modo quod tantùm pater videatur misereri potius quam indignari, & quemadmodum pater filiorum, miseretur timentium se, sed eò magis quòd misereudi causam, & originem sumat ex proprio, iudicandi verò vel vlciscendi magis ex nostro. Sed si propter hoc pater misericordiæ, quare pater misericordiarum? semel locutus est Deus* (ait Propheta) *duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Caterum Apostolus patrem, dicit non vnius tantùm misericordiæ, sed misericordiarum, & Deum non vnius, sed totius consolationis, qui consolatur nos, non in hac vel illa tribulatione nostra, misericordia Domini multa, ait quidam, videlicet quia multa tribulationes sustinuit, & de omnibus hu liberabit eos Dominus. Multiplex est misera-

ria nostra, & non modo magnitudinem, sed etiam multitudinem quærit misericordiæ: liquidem cordis, & corporis nostri tribulationes multiplicatæ sunt; sed ab vtrisque necessitatibus eruit qui totum hominem salvum facit. Ita Sanctus Bernardus.

Secundi Paralip. 24. cùm rex Iosias librum legis Domini legeret, & peccata populi simul animadverteret, ex quo legerat in libro, timorem vehementem concepit, quem verbis huiusmodi explicauit: *Magnus furor Domini stillabit super nos.* Stillatio, propriè loquendo, est guttula quædam parua vel aquæ, vel alterius liquoris: stillare autem, guttatim pluere, vel effundere aquam. Cur igitur ait Iosias: *Magnus furor Domini stillabit super nos?* In magnus, quomodo stillat? Ita, vel quia cùm in Deo magna, imò infinita iustitia sit, quia nihil in Deo non infinitum; in actu tamen exercito stillatim, & guttatim contra nos exhibetur; vel etiam quia adeo pronus Deus est ad misericordiam, vt, cùm nos punire decreuerit, id stillatim & paulatim faciat, quo etiam loquendi tropo sæpe vtitur Scriptura. 2. Paral. 12. *Non stillabit furor in Ierusalem,* Et 2. Par. 34. *Idcirco stillabit furor meus super locum istum,* & Dan. 9. *Stillauit super nos maledictio.* & Mich. 2. *Non stillabit super istos, & non comprehendet confusio,* &c. Sic per modum stillationis loquitur Scriptura sacra, de ira, & iustitia Dei: de misericordia verò Isaias cap. 44. *Effundam aquas super sitientem, & effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Et Eccli. 18. *Quis adyciet enarrare misericordiam eius? & subdit: Patiens Deus est in hominibus, & effundet Deus misericordiam suam.* & Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos,* id est, effundam gratiam ad delenda peccata vestra. Sic Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum,* quod de nomine Iesu exponit S. Bernard. quasi dicat, propitiatio & salus tua diffusa est in nos. sic Deus iustitia auarè, vt ita dicam, vtitur aduersùs nos, misericordiâ verò diffusè.

Isaiæ 28. *Sicut in valle, quæ est in Gabaon, irascetur Dominus: vt faciat opus suum, alienum opus eius, vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Ænigma videtur hoc, si opus eius, quomodo opus alienum? si suum, quomodo peregrinum? S. Hieronymi bidem: *alienum dicit opus iustæ punitionis, quia non est opus Domini perdere, quos creauit, peregrinumque opus est, vt puniat qui saluator est.* Ita S. Hieron. Vnde punitio dicitur opus Domini, quia ab ipso quidem fuit, ipse est, qui punit; alienum verò, quia alienum à sua propensione, quia illius proprium est misereri semper, & parcere.

Vnde Isai. 7. agens Propheta de clade, quam Dominus inferre volebat populo Iuda per manus Nabuchodonosor, inquit: *In die illa radet Dominus in nouacula conducta, in his qui trans flumen sunt in rege Assyriorum,* &c. Nouacula? num in armorum aulis regis deerant enses & gladij eximij; & alia maiora armorum genera, vt solam nouaculam ad hanc punitionem adhiberet, & illam conductam? adeóne pauper Dominus est, vt non emere, sed conducere dicatur nouaculam hanc? nimirum, quia ad puniendum erat. Ad hoc quidem nec multis, nec magnis, nec proprijs vti se dicit armis; non gloriatur in his Dominus diuitem se esse. audi Paulum ad Ephes. 2. *Deus, qui dines est in misericordia,* &c. in misericordia se Deus diuitem gloriatur, non in ijs quæ ad iustitiam exhibendam necessaria sunt, quia peregrinum hoc opus ab eo.

Terrent peccata, si sola ipsa inspiciantur: pater enim in illis malitia tanta, vt in desperationem agere valeat peccatorem: quid enim Cainum? quid Iudam aliud desperare fecit? at si in diuinam pietatem oculos peccator vertat, inde maiorem sperandi ansam ex gratuitate, & multitudine peccatorum, quàm desperandi reperiet. Quis enim peccator ita vt filius ille prodigus, qui totam substantiam suam dilapidauit, hoc est, nullum non peccatum commisit? (*vt peccador remediado esse quiso p̃ vitar el Señor alho:*) quid autē de hoc, audies? Auream os D. Chrysolog. serm. 21. de filio prodigo; *Surgam* (inquit prodigus ille) *& ibo ad patrem meum. Incipiebat, qui dixit: Surgam, & intellexit se tam diu, perisse tam diu, & adeo exclamat: Surgam, & ibo ad patrem meum. quæ iste? quæ fides ista? illa qua pater est. Ego perdidi quod erat filij, ille quod patris est non amisit, apud patrem non intercedit extraneus, intus est in pectore patris ipse qui interuenit & exorat affectus, vrgentur patris viscera, iterum genitrix per veniam flumina. Ibo (inquit) ad patrem meum, sed pater viso filio cooperit mox reatum, dum mulat indicem, qui magis jubet implere genitorem, & sententiam citò vertit in veniam, qui vedere cupit filium, non perire.* Ita ille.

Ios. 6. iussit Dominus Iosue septem diebus circumire semel ciuitatem Iericho, & subdit: *Septima autem die sacerdotes tollant septem buccinas, quarum vsus est in Iubileo. & sacerdotes clangent buccinis.* Quid sibi vult clangor iste tubarum? & cur non militares illæ fuerunt, sed Iubilæi? S. Isidor. expugnationem hanc Iericho, expugnationem mundi per Dei ministros ait figurari, quâ scilicet Deus peccatores minis, & terroribus expugnat, priusquam æterna damnatione puniat: tubas autem Iubilæi adhiberi iussit, quia parcere, non perdere curat, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. *Nam,* sicut S. Chrysostomus ait, *ipsa gehennæ comminatio ad hoc fit, ne in gehennam peccator pergat. quòd si, dum iam perdere peccatores parat, prius Iubilei tybis, hoc est, sermonibus ad veniam ordinatis admonuit ipsos vult, quam non misericordiam exhibebit his, qui ad Dominum humiliter conuertuntur?*

Psal. 24. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.* Quid ais Propheta sancte, peccati veniam petis, & peccati magnitudinē proponis, & opponis? qui ab homine, quem iniuriâ damnóve affecit, poscit, hon culpam aggrauat, sed attenuat. Parce (inquit) mihi: casu enim hoc, & non consilio feci: vnde minor mea est culpa reputanda, nec adeo ingens est malum, sicut alij censent, non dixi, non feci, quod imponitur mihi, &c. tu verò culpam auges, multum est peccatum meum, ais? Obserua in peccato duo esse consideranda, seu peccatum ipsum posse sub duplici ratione considerari, vel quatenus offensa Dei est præcisè, vel quatenus talis offensa, miseria quædam est; quæ quidem eo grauior est, quòd Dei offensam in se includat. vnde Psal. 50. idem Propheta, dum pro suis deprecaretur peccatis, sic Deum orabat: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam;* quid est, *secundum magnam misericordiam Dei?* nunquid in Deo diuersum quid est misericordia, & magna misericordia; cùm misericordia ipsa in Deo infinita omnimodo sit? cur ergo non satis illi dicere fuit: *secundum misericordiam tuam?* quia misericordia respectum ad miseriam dicit, & quantò miseria fuerit maior, tantò misericordia maior erit: inter miserias autem peccati miseria maior multò est, illa ergo misericordia, quæ in peccatum est, maior omnium existit. meritò ergo Dauid, dum peccati veniam petit, *Miserere mei,* ait, *secundum magnam misericordiam tuam,* quasi dicat, pauperem ab inopia liberare, infirmúmve ab infirmitate sua, & necessitate aliqua oppressum, à necessitate sua, misericordia quidem est, sed exigua misericordia dici potest; quatenus huiusmodi miseriæ exiguæ sunt, vtpote corporales, & temporales: at à peccato hominem saluare, hæc magna misericordia est, quia miseria peccati supra modum est magna. Cùm igitur Deus maximè sit misericors, & se talem esse gaudeat, & glorietur, meritò qui ab eo misericordiam petit, ad peccatorum veniam, magnitudinem peccati non opponet, sed proponet, sicut pauper, qui eleemosynam à diuite satagit extorquere, magnam paupertatem suam esse dicet, & plagas illas manifestabit, quæ maiores sunt. quantò enim miseria maior,

tantò magis misericordiam ab eo, à quo postulat, exci-
Psal. 24. 11. tabit. Dicat ergo Dauid: *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo.* quodnam hoc nomen? S. Hier. id
Hieron. est, *Propter misericordiam* (ait) bene, quia *misericors, & mi-*
Ps. 110. 4. *serator Dominus*; ab eodem Propheta nuncupatur. quia misericors diceris, vt magis ab omnibus in posterum misericors nuncuperis, *propitiaberis peccato meo*: *multum est enim*, hoc est, & multa & magna miseria est, talem ac tantam exigens misericordiam.

Chrysost. S. Chrysost. hom. 3. de pœnit. tom. 5. *Sancto Dauid per beatum Prophetam Nathan de peccati errore correpto, & illico*
2. Reg 12. *ad minas veram proferenti conuersionem, dicentique*, Peccaui Domino, *verbum vnum, vno in momento prolatum, verè, pu-*
reque vniuersam contulit pœnitenti salutem: protinus enim conuersionem sententia consequuta est. Dicit igitur ad eum Nathan, & Dominus tranttulit peccatum tuum. *Cernis Deum fratet tardum ad pœnam? peccauit Dauid, concepitque vtero, gestauitque mulier, & peccatum nulla correptio sequuta est; sed post infantis partum, de peccato nati, mittitur peccati medicus. Quare autem protinus peccantem non correxit? quia*
B *vidit in ipso peccati vigore obcæcatã peccantiũ animã, & quòd obturatæ sunt aures eorum in peccati profundo mersorum. Differt ergo furibundæ passioni auxilium addens, & postea vno*
Dissimile *in temporis momento pœnitentia & remissio.* Et Dominus, transtulit peccatum tuum. *Cernis quod ad salutem velox. Idem & in aliis fec t, tardãs ad demolitionem & ad reparationem properans. Multò tempore nos domum ædificamus: structura enim multum temporis damus, parum verò destructioni. E conuerso Deus, cùm struit, veloc ter struit, cum destruit, tardè destruit, illud quidem potentia, hoc bonitatis. In sex diebus Deus terram cœlumque fecit, magnitudines, & latera montium, campestria, flumina, paradisum, hoc mare magnum, & spaciosum manibus, insulas, & maritima loca, omnem hunc visibilem mundum, & eius ornatum in sex diebus consummauit. Hic tam velox in constituendo, cùm cæpisset vnius dieiendæ vrbis consilium, inuentus est bonitate tardus: vult enim Iericho*
Ios. 6. 3. *demoliri, & dicit ad Israel*: Circumite eam septem die-
bus, & octauo die cadet murus. *Mundum vniuersum sex* C *diebus constituis, & vrbem vnam septem in diebus solus? quid tuæ potentiæ accedit impedimento? quare non repente destruis?*
Psal. 67. *nunquid non de te clamat Propheta, dicens*: Si aperueris cœlum, tremor montes occupabit, liquescent sicut cera à facie ignis? *nunquid non opera virtutis tuæ narrans, dixit*:
Ps. 45. 3. Non timebimus cùm turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris? *Montes transferre in mare potes, & vrbem vnam repugnantem non vis destruere, nisi diebus septem? quare nunc potentia imbecillior? non, sed clementia diutius tolerat, septem huic addo dies, sicut quadragintà Ninive, si forte pœnitentia susciperent prædicationem, & saluarentur.* Ita S. Chrysost. Vbi magis ad rem exemplum Niniuitarum expendere potes.

Chrysost. Sanct. Chrysostom. serm. de pœnit. & confess. tom. 5.
Exod. 32. 10. *Dimitte me* (ait Dominus Moysi) *& iratus delebo eos, nun quòd Moyses detinuerit eum: neque enim loquntus fuerat ad Deum, sed silenter asstabat sua pro illis oratione. non autem supplicationem ei dare volebat, quoniam illi digna supplicijs commiserant, suppliciũque inexitabilibus. Punire autem volebat, sed misericordiæ id quod eos segniores reddebat. Vt raque autem fecit, & vt pœnam non inferret, neque illos faceret ignauiores pœnæ non irrogatã. Discebant enim quòd non suo merito, sed Moysis patrocinio dominicam iram effugerint. Hæc &*
Simile. *nos sæpè facimus, famulos qui peccauerunt dignos supplicio nolentes punire, neque à supplicij metu liberari, amicos iubemus vt illos è nostris manibus eripiant, atque vt ita timor illorum in eis crescat, & nostra effugiant verbera. Hoc & Deus fecit, quod ex ipsis verbis manifestum est*: Dimitte me, *inquit*, vt irascar, *vt scias, quòd ira in Deo non fit affectio, sed pœna in nos eo vocabulo nominetur. Dominum igitur obstupesce, quòd ipse sibi occasiones misericordiæ quærit.*

Ier 5. 1. Præterea ad Ieremiam, & ad Ezechielem dicit: *Circuite, & videte in vijs Ierusalem, num sit qui faciat iud cium, & inquirens, & misericors ero eu. Vidisti misericordiam?*

A *Multi etiam impij vnius virtute fruuntur. Multorum autem malitiã, si vnus sit qui rectè agat in medio magni populi, non ruit, Sed vnus homo rectè viuens populum integrum expetere potest ab ira Dei. Sic Moyses solus potuit tanto populo impetrare veniam.* (Para que se vea, que poco à menos Dios, para vsar de misericordia.) *Mihi autem aliud magis in iudicium diuinæ misericordiæ placuit dicam. Quem enim non inuenit homines vinos & fiduciã praditos, qui possint intercedendo veniam obtinere, confugit ad defunctos, & per illos inquit se remissurum peccata*: *sicut Ezechiæ dicit*: Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Da- 2. Reg 19.
uid puerum meum. *Olim enim mortuus erat Dauid. Quid* 34.
hæc omnia monuit, & causetur Deus, vt nos à pœna liberet, & supplicio, nos ei multas præbeamus occasiones, confitendo, lauando, precando, proximis iram remittendo, pauperibus subueniendo. Ita S. Chrysost.

Idem oratione de fato: *Vide quid Dominus in Sodomis fecit, non confestim iniecit ignem, neque ciuitates illas deripuit. Sed quid?* Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum Gen. 18.
venit ad me, *& neque adhuc*, sed descendens videbo. *sed* 20.
neque hic constitit, sed Angelos misit, vt monstraret tibi incolarum improbitatem, vt ne impudens quisquam vitæ pessimæ verborum contumelias vexare Deum, quòd in hospites & crudeles & nefarios, & aquit atis iura ignorantes, communes naturæ leges euertentes, malitiã plenos tam deleturus esset. quid tam humano, ac miti Deo par cogitari potest? nos enim cum aliquem punimus, vix dignamur sæpè causas d cere. Ita Sanct. Chrysostomus.

ADDITIO.

D Paulinus. *Omnem, quantùm in ipso est, hominem salvum fieri* S. Paul. ad
vult, qui scit omnes. Tim. 2.

Cùm ira scitur in rem, differt; cùm miseretur, properat, vt Ambr.
absoluat; terret, vt corrigat; admonet vt emendet; præuenit vt 5. Ambr.
ignoscat. Vnde & alibi Propheta de Domino: calix in manu Ps. 74.
Domini plenus est mixto. Et paulò post. *Audi illum ex* 9.
duobus latronem dicentem Domino: Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum. *Respondit Domino*: Luc. 23.
Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. 43.
Ille adhuc rogabat, vt meminisset sui, cùm venisset in regnum: & Dominus, cùm nondum venisset, ei iam regnum cœleste tribuebat. Quam velox misericordia! tardius votum precantis, quàm remunerantis est præmium. Ideo ergo Dauid moderationem tenuit, non remissionem Orationis.

Dei iustitiam misericordem præstat criminosorum pœnis in- D. Hier.
dulta patientia. Hoc in Deo præcipuum est, hoc in potente lau- in Psal.
dandum, non cœlum fecisse, quia potens est; non terram fun- 144.
dasse quia virtus est; non annum astris temperasse, quia sapiens est; non hominem animasse, quia vita est; non mare in accessus & recessus mouisse, quia spiritus est; sed misericordem esse, qui iustus est; sed miserantem esse, qui rex est; sed d simulantem, qui Deus est. Quòd potens est, naturæ suæ virtus est, quòd autem misericors est, salutis nostræ præfectus est. Et plus est non scis vti, sed alijs præstitisse quæ sua sunt. Atque ideo præstat cæteris Dei operibus misericordia, quia magnifica eius operatio virtutis suæ res est; misericordia verò eius, vsus alienus est. Ob quod, tanquam in apice diuinarum ob misericordiam laudum propheta consistens: debitum Deo honorem veluti publicè confessus ostendit, dicens, cùm dixisset, miserationes eius super Psal. 9.
omnia opera eius; confiteantur tibi Domine omnia Psal. 10.
opera tua, &c.

PROP. II. *Quàm facilè Dei misericordia peccatores recipiat.*

G Enes. 7. postquam Dominus centum annos pec- Gen 7.
catoribus concesserat ad pœnitendum ante diluuium, dixit ad Noë: *post dies septem, pluam super terram.* Cur non statim? ad quid modò hoc septem dierum spatium? Sanctus Ambros. lib. de Noë & arca

arca c. 13. respondet: *Vt hinc Domini clementiam colligamus, quia multorum amnorum offensionem paucis diebus, si pœnituisset eos, voluisset relaxare.* Ita ille.

Nihil nobis acerbius esse potuisset, quàm si Deus se nobis morosum, & difficilem in dimittendis peccatis nostris exhiberet: quid enim infelicius, quàm in æternum perire? quid felicius, quàm saluari? Quòd si contigerit peccando gratiam Dei amittere, quid iucundius quàm Deum non inexorabilem, sed præstabilem, & facilem ad veniam inuenire? *Misericordia misericordiæ dulcius sapit*, ait Sanctus Bernardus sermone 4. in Assumpt. Virginis. quasi dicat, placet quidē audire Deum omnipotentem adeo esse t, vt ex nihilo cœlum, terramque verbo creauerit; placet audire, quòd sapientiæ eius non sit numerus; placet maiestatem eius nosse; sed tamen peccatoribus, qui ad salutem animæ suæ veniā opus habent, hoc iucundius, hoc suauius, quòd Deus libenter dimittat peccata nostra. ita igitur se res habet. Audi Prophetam Dei Ioelem: *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* non B ait super hac vel illa malitia, sed absolutè, super omni malitia.

Vnde Sanctus Bernardus sermone 12. in Cant. *Audi*, inquit *quomodo ipse Deus contriti cordis temperat amaritudinem, quomodo pusillanimem à desperationis barathro reuocat. Ait enim per Prophetam:* Ego infrænabo os tuum laudemea, ne intereas, *hoc est, ne interitu facinorum tuorum nimiam incurras tristitiam, &, inſtar effrænis equi, desperatus in præceps ruas, & pereas: frano te (inquit) inhibebo indulgentiæ meæ, & meis laudibus erigam, respirabisque in bonis meis, qui de tuis confunderis malis, dum me sanè benigniorem, quam te culpabiliorem inuenies. Hoc frano si infrænatus fuisset Cain, nequaquam desperando dixisset:* Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. *Absit, absit: maior est enim pietas Dei, quàm iniquitas quæuis. Ideo iustus, non continuè, sed tantum in principio sermonis accusator est sui. Si ergo vos de vobis in humilitate sentitis, sentite quoque de Domino in bonitate. Sic enim legitis apud Sapientem: Sentite de Domino* C *in bonitate, & in simplicitate cordis vestri quærite illum.*

Consonat illud, *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Quid sibi vult, *multus est ad ignoscendum?* in quo, quæso Deus multus non est? multus est in potentia, multus in sapientia, multus in iustitia, multus in maiestate, multus ad omnia; cur igitur speciatim multum dicit ad ignoscendum? Nimirum, quia miserationes eius super omnia opera eius. Eodem igitur pacto hic dicit Propheta, multum esse ad ignoscendum, sicut Apostolus dixit, esse diuitem in misericordia, *Deus qui dives est in misericordia.* In quo Deus dives non est? in omnibus attributis suis Deus dives pariter est. Dicitur autem dives in misericordia, quia in operibus misericordiæ se diuitem speciaiùs Deus ostendit. D

Ob hanc igitur rationem nomine Iesu voluit Christus nuncupari, quia ad miserendum & parcendum peccatoribus speciatim venit, vti asseruit Paulus, *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Non ait, venit adorari, venit ministrari, venit punire peccatores, prout ipsi quidem merebantur, sed, venit peccatores saluare. Vnde quid mirum si vocatum sit nomen eius Iesus: solent enim qui ad munus aliquod obeundum mittuntur à rege, ex munere ipso nomen accipere. Si ad vilitandam communitatem aliquam, Vilitator, qui mittitur, nuncupatur. Si ad vices regis gerendas, Prorex. si ad ducendum exercitum, Dux: sic quia Christus Dominus missus fuit à Patre ad saluandum peccatores, Saluator voluit appellari. Fidelem hunc sermonem appellauit Apostolus, quia A dignus quidem est fide nostra, & credibilis nimis; quippe cùm misereri semper, & parcere, proprium sit naturæ diuinæ, & misericordia digna tanto Deo, &c. Secundò dicitur, *omni acceptione dignus, cosa digna de ser recibida con pato, y con* Te Deum laudamus. Quid hoc? quoniam Dominus Iesus venit peccatores saluos facere, & ideo merito dicitur Iesus, quòd venerit peccatores facere saluos.

Scio (inquit Dominus ad quosdam) *quia filij Abrahæ* Ioan. 8. *estis, sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in* 37. *vobis.* Ponderat Sanctus Chrysostomus homil. 53. in Ioan. verba illa, *non capit in vobis*: non enim vos non capitis sermonem meum, sed sermo meus non capit in vobis; vel, vt Euthymius legit, non habet locum in vobis: quo significauit, quòd ipsi non quærebant doctrinam Christi, quā eos ad pœnitentiam inuitabat; sed Christus Dominus doctrina suā quærebat eos, sed locum non inueniebat in eis, quia fores animæ claudebant, *dabau con la puerta en los ojos à la doctrina de Christo.* vnde manifestè constat, quòd eos etiam ad pœnitentiam Christus inuitat, qui pœnitentiæ resistunt.

Cùm Orbem aquis diluuij propter exorbitantia ho- Gen 6,7 minum peccata perimere vellet, *Tactus*, inquit, *dolore cordis intrinsecus, delebo*, inquit *hominem quem formaui, à facie terræ. Como vuez. piadoso, que firma la sentencia de muerte con lagrimas sobre el papel, donde firma*, imò *dolore*, inquit, *cordis tactus intrinsecus*, quibus nam verbis pietatem suam erga nos potuit magis significare? ita, quia illi proprium est misereri, & S. Augustin. in quæst. veteris Testament. quæst. 8. tom. 4. expendit miraculum illud Exod. 4. vbi virga Moysis versa fuit in colubrum seu serpentem: cur non in leonem, vel tigridem, aut pardum, aut draconem, nimirum, quia leo, & alia huiusmodi animalia, cùm irascuntur, aut venantur, velocissima sunt ad prædam capiendam, & dilacerandam: at serpens lentè incedit, & quasi per ambages; & sic, licèt iratus pergat coluber, non ita properat ad vindictam, Irascebatur in Pharaonem tunc Deus, sed tamen ita lentè pergebat, quasi gressum imitaretur, non leonis velocissimè currentis, sed colubri tortuosè & pigrè incedentis.

Sex diebus perfecit Deus mundum vniuersum, at Gen 1. vt perderet aquis diluuij, vltionem de die in diem, imò de anno in annum, differebat. nam postquam decretum suum de mundo perdendo Noë notificauerat, centum annis ad fabricandam arcam illi concessit, vti adnotauit Sanctus Augustinus in qq. ex vtroque Testamento quæst. 102. cur ita? vt videntes peccatores resipiscerent, & spatium pœnitendi satis superque haberent; imò adueniente iam tempore diluuij quadraginta dierum, & noctium spatium diluuio assignauit, qui sex diebus condidit Orbem, nimirum, quia proprium illi est misereri semper & parcere.

Hinc quidem colligi potest quantò iure Saluatoris nomen sibi vendicet Christus, cùm adeo illi proprium sit misereri semper, & parcere: quod etiam ex facilitate veniæ, quā peccatoribus peccata sic remittit, comprobari optimè potest. Apud nos quidem, quàm longo tempore, quot annis opus est, vt veniam ab homine, quem læseris, consequaris, & consecutā venia, vix ille te vnquam oculis aspiciet rectis, iam verò maritus, si adulteræ vxori veniam concedat, vix, vnquam illatam iniuriam ab animo deponit. At Deus simul cum vera peccatoris contritione peccata remittit, quod in Dauide constat: vix enim illud verbum *peccaui*, protulit, cùm à Nathan propheta audiuit, *Dominus transtulit peccatum tuum?* quid ais Nathan, ita illico veniam annuncias? sine peccatorem pœnitere diu, sine priùs illum orare, flere, iciunare, dolere, & stratum suum lacrymis fuis rigare. minimè quidem, quia libentiùs illi peccata remittit Deus, quàm ipse pœnitentiæ opera præstet.

præstet. Idem in Magdalena constat, quæ eâdem horâ, A quâ veniam postulauit, impetrauit, & audiuit : *Remittuntur tibi peccata tua*, cùm illa esset quæ septem capitalibus delictis antea præpediretur: ob id enim ait Marcus, *à qua septem exciit dæmonia Christus*, hoc est, septem peccata mortalia, vt interpretatur S. Greg. *Marc. 16. 19.*

Quid iam de Manasse dicam, qui sanguine Prophetarum repleuit Hierusalem vsque ad os, propter cuius impietatem Hierusalem euersa fuit. Cui Dominus (vbi verè illum pœnituit) veniam, & libertatem concessit, & regnum, quod amiserat, restituit ? quid hac lenitate, & misericordiâ mirabilius ? Quid de latrone bono dicam ? vix pronunciauerat : *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum*, cùm à Christo Domino audiuit: *Hodie mecum eris in paradiso*. O pietas infinita! &c. latro ille qui ob scelera sua in cruce suspensus animam iam agebat, qui pro grauissimis sceleribus suis ad crucem damnatus erat, ita facilè veniam omnium peccatorum impetrauit, imò in ipso die in paradiso cum Christo fuit. Quis non hîc excellentiam diuinæ bonitatis & pietatis agnosceret ? *4. Reg. 21.*

Sic Dominus ad sibi oblatum paralyticum : *Confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Quis horum peccatorum à te Domine veniam postulauit ? salutem hic quærebat, sicut & portitores eius, & de venia peccatorum nec verbum audiuimus ? cur igitur Dominus à nullo requisitam concessit veniam ? vt ita meliùs cognoscamus, quàm proprium illi sit misereri semper & parcere. *Matt. 9. 2.*

Sic Dominus ad discipulos : *Pax vobis : sicut misit me pater, & ego mitto vos.* hæc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Nonnullas hîc circumstantias animaduertere oportet, & primò post resurrectionem suam dicere quis poterat Christo Domino : Pacificúne est aduentus tuus ? quippe cùm vsque ad mortem, mortem autem crucis Christum Dominum homines persecuti fuissent, nónne digni erant quouis etiam æterno supplicio ? Quia Dathan, & Abiron, & Chore aduersùs Moysen insurrexerant, & iubente Domino, absorbuit eos viuos terra, & ita descenderunt in infernum viuentes. Grauissimum planè suppliciu m. si ergo persequentes Moysen Dei seruum sic puniuit Dominus, quantò magis hi puniri merebantur, qui Dominum Christum filium Dei persecuti fuerunt ; & quidem illi in Moysen manus minimè iniecerunt, Christum autem Dominum hi crucifixerunt : meritò ergo post resurrectionem Iudæi in furore suo aduenisse Christum à mortuis suspicari potuissent. sed ne tale quidquam cogitarent, sic incipit visitationem suam Christus : *Pax vobis*, & subdit : *sicut misit me pater, & ego mitto vos*, vbi Sanctus Cyrill. hoc est, vt sicut Christum Dominum non ad iustos, sed ad peccatores quærendos miserat pater, sic etiam Apostoli ad peccatores quærendos mittebantur, vnde Apost. Paulus sic, *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* *Ioan. 20. 21.* *2. Cor. 5. 20.*

Rupertus Abbas missionis Apostolorum similitudinem cum missione Christi non ad solùm refert munus docendi, & monendi peccatores, sed ad potestatem etiam, dicens: *Quomodo, & ad quid misit filium Pater, nisi vt inter Deum & homines pacem faceret? quomodo itidem vel ad quid suos in vniuersum mundum filios mittit prædicatores, nisi ad hoc vt inimicos homines reconcilient Deo. Hoc nempe sciens Apostolus ait, Omnia autem ex Deo, qui reconciliauit nos sibi, & dedit nobis ministerium reconciliationis.* Ita ille. Vnde Christus Dominus in hoc loco Ioannis statim dixit: *Quorum remiseritis peccata*, &c. Vtrumque igitur hîc concessit Christus discipulis suis, & magisterium, scilicet docendi, prædicandique, & potestatem remittendi peccata, reconciliando hoc pacto populos Christo. *Ibid 18.*

Præterea expendit insufflationem illam; quid enim opus erat ad communicandum eis Spiritum sanctum spiratione illa ? docuit quidem hac cæremonia Christus quod in prima hominis formatione insinuauit, cùm spirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Spiraculum ab intimo cordis procedit, docuit ergo Deus ex intimo cordis amore vitam illam communicare se hominis; sic vitam supernaturalem, quam communicandam committebat Apostolis, & ipsam commissionem ex intimo cordis affectu suo emanare significabat: Libenter vobis hanc potestatem tribuo, libenter & vos peccatores absoluite à peccatis, & reconciliate eos Patri meo.

Denique ait : *quorum remiseritis*, &c. hoc est, quibuscunque peccatorem excipio, omnem qui ad veniam petendam accesserit, capacem remissionis esse volo, omnibus parcite.

Sanctus Dionysius epist. 8. *Christus à se auersos & resilientes amatoriè sequitur, contenditque, & deprecatur ne se deserant, quos tanta vi amoris exquirit. Quid quod venire dissentes benignissimè tolerat, promissionibus suis, blanditiisque demulcet.* Ita ille. Ezech. 37. *Ipsi dicunt* (peccatores vidicet) *aruerunt ossa nostra & periit spes nostra, & abscisi sumus. Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego aperiam tumulos vestros & educam vos de sepulchris vestris, populus meus.* Agit Propheta in capite isto de visione illa mirabili, quâ vidit campum magnum ossibus plenum, & cùm ossa sicca iá & arida essent, nihilominus resurrexerunt. Quo quidem peccatoribus insinuauit Deus, nunquam à se decidere ipsos debere, quia potentia Dei potest, & misericordia Dei vult, omnes homines saluos fieri: & ipsi pariter velint, quantumuis de illis actum esse videatur hoc enim importat reductos eos esse ad ossa iam sicca & arida illa.

Quod & in Iona repræsentatum olim fuit: quis enim de Iona actum iam prorsus esse non iudicaret ? & tamen de medio mari, de profundo abyssi, de ventre ceti eruit, & liberauit eum potens & misericors Dominus. ibi enim conuersus ad Dominum Ionas sperauit, orauit, & saluus factus est. Fac tu similiter, & similiter saluaberis, quantumuis in limo profundi defixus sis. imò quantò ex profundiori peccatorum limo eduxerit te Deus, tantò magis in te relucebit misericordia Dei, & tantò ampliùs in cœlo ob ib ab omnibus glorificabitur in sæcula sæculorum.

Gloriosa (inquit Propheta) *dicta sunt de te ciuitas Dei.* De cœlesti Hierusalem agit hîc Psalmista, vti ait Cassiodorus : vnde non mirum, si dicat : *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*, cùm gloria ipsa æterna in ea consistat; sed quid in speciali gloriosum de illa consideras ? subdit Dei verba: *Memor ero Raab, & Babylonis scientium me*, hoc quidem gloriosum Deo est, quòd in illa cœlesti gloria, non solùm Patriarchas, & Prophetas, Apostolos, Martyres, & Confessores, sed Raab meretricem, & Babylonios, qui manifesti hostes Dei & populi eius exstiterant, in illam sanctam, & gloriosam introducat ciuitatem. vnde & subdit : *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum hi fuerunt illic.* Non igitur desperet Æthiopes, & alienigena : nam sinus diuinæ pietatis hos omnes capit. *Quid igitur* (ait Cassiodorus ibi) *hic habetur, quàm quòd tanta fœditas prius errantium populorum, in vnam sanctæ ciuitatis pulchritudinem sic conuenat.* Itaille. Vnde quamuis latro ille, cùm Domino crucifixus, simul cum eo ascenderit cœlum, & calcauerit pes eius astra cœli, non ideo maculam cœlum contraxit, sed gloriam, vti adnotauit Sanctus Chrysostomus hom. 80 cruce & latrone, vt scilicet, illum, quem terra à se proiecit, tanquam terrâ indignum, dignum cœlo nouerit illum reddere Christus Saluator. Sicut enim ingenium artificis in eo maximè relucet, quòd in materia inepta, & labefactata, nouerit imaginem pulcherrimam sculpere ; sic quòd ex pessimo latrone fecerit Deus spectabilem *Psal. 86.*

bilem sanctum, Saluatoris gloriam auget, &c. Licèt ergo quis expertus fuerit in se inobedientiam Adæ, superbiam Luciferi, inuidiam Caini, gulam, & lasciviam Sardanapali, dissolutionem Niuitarum, & cætera omnia peccata, quæ reliqui omnes mundi peccatores perpetrarunt; nulla ratione ab spe veniæ cadere debet, sistat, & persistat, veniam à Deo suo postulando: maior enim est misericordia eius, quàm omnis iniquitas nostra. dicat Deo: *Noli me* Domine *condemnare, propter nomen tuum propitiaberis peccato meo*; propter nomen, inquam, tuum. Hinc enim magnum apud omnes cœlicolas nomen clementis, boni, & misericordis consequeris, & propterea laudabùt nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi. iterum Domine suppliciter à te peto, vt parcere digneris propter nomen tuum, nomen, inquam, Saluatoris, Saluatoris est, nos à peccatis saluare, sicut medici à morbis infirmos curare. Sicut ergo honorabilius consequitur nomen medicus, qui à pluribus, & grauioribus infirmitatibus infirmum sanat; sic gloriosius nomen Saluatoris tu Domine consequeris, quantò plura, & grauiora fuerint vulnera peccatorum meorum, si pietate tua ab his omnibus liberaueris me.

Verum quidem est, quod Ecclesiasticus ait: *In peccatores respicit ira Dei.* & illud, *Similiter odio sunt Deo impius, & impietas eius*; sed tamen duplicem iracundiam habet peccatum, alteram diuinæ offensæ, alteram miseriæ peccatoris, secundùm primam faciem peccatum nostrum Deum ad iram, & odium prouocat, secundùm verò secundam ad misericordiam, & tantò magis, quantò inter omnes miserias peccati miseria maior est.

Hinc duo conciliantur loci ex c. 33. & 34. Exodi, vbi Dominus in populum suum iratus ob eius peccata, cùm duceret eum per desertum, sic Moysen & populum affatus est: *Non ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis es, ne fortè disperdam te in via.* At cap. 34. sic Moyses Deum precatus est: *Si inueni gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro vt gradiaris nobiscum: populus enim duræ ceruicis est.* Quid ais Moyses? quia populus iste duræ ceruicis, & peccator est, petis, vt Deus ipse per se & non per Angelum ducat eum? imò hac ratione oppositum petere debuisses: nam tunc maior erit offensa, & culpa populi delinquentis, atque adeo maius incurret periculum diuinæ punitionis, & supplicij: ideo enim dixit suprà Dominus: *Non ascendam tecum, ne fortè disperdam te.* Horum locorum diserimen in illa duplici facie, & consideratione peccati fundatur: si enim consideretur peccatum, quatenus Dei offensa est, non ita expediebat populo Deum ascendere cum illo, si verò quatenus miseria nostra est, expediens erat: & cùm Deus multus sit ad ignoscendum, & plùs misericordiam quàm iustitiam exerceat, ideo petit Moyses illam Dei peculiarem assistentiam, & specialem ducatum. vnde non absque singulari ratione Deus posuit terminum illum *forte*, non enim absolutè dixit, *ne disperdam te*, sed, *ne fortè disperdam te*, Moyses verò absolutè dixit: *Obsecro Domine, vt gradiaris nobiscum, quia populus duræ ceruicis est, & auferas iniquitates nostras, atque peccata, nosque possideas.* non dixit, vt fortè auferas iniquitates, &c. quia vidit Dominum esse præstabilem super malitiâ, & ad miserendum valde pronum. Respiciant igitur peccatores, & in tanta sperent misericordia, quantumuis conscientia mordeat, & reclamet.

Quanta quidem sit in peccatores misericordia Dei, ex historia illa constat Eliæ, quam mirè elucidauit S. Chrysost. serm. in Eliam, tom. 1. dicens: *Elias ille zelo Dei insignis, vt vidit Iudæorum gentem contempta Dei misericordia perpetuò in delictis viuere, & idolorum cultui dedi tam esse; à Deo autem impietatem tolerari, ipsos autem longanimitate ista ad maiorem vitæ impœnitentiam abuti; volens punitum iri, cogitabat quidnam aduersùs eos diuinæ opponeret bonitati, quæ paratis lacrymis statim mouetur, vt iram deponat. decernit tandem, vt ad conceptam contra eos pœnam Deum iuramento astringat, quo l gatus, sententiam in eos non facile soluret: neque enim ignorabat iustorum zelum Deum approbare. Dicebat itaque Elias: Bonus erga illos Deus est, paucisque eorum flectitur lachrymis; verum bonitas Dei populo male cedit: longanimitate enim abutens, perditè viuit, atque ita Deus ipse contemnitur. Viuit ergo Dominus, quòd non erunt per annos hos pluuia, nec ros, deinde cùm Deus illi responderet, quid ergo si pœnitentes illi mihi blandiantur? si à dulcibus respiscentes videam? si lachrymantes spectem? statimne dare debeo pluuiam? mimime, inquit, viuit Dominus, nisi per os meum, non erunt tribus annis pluuia & ros. Non quando tibi videbitur, pœnæ finem facias: tibi enim pro clementia tua semper videtur misericorditer agendum; sed tunc quando ego pro eis orauero, & iudicquero quòd dignam animæ suæ curam gerant, & probè respiscant. Igitur propheticam sententiam reuertit est Deus, & honorem iuramento illi dedit, rem tamen sic Dominus moderatus est, vt & Propheta simul reuereri videretur, & populi, quem fame puniebat, misereretur. & quid fecit? Propheta vnà cum populo punit, vt, dum etiam ipse in se famis supplicio comprehenditur, aliquid misericordiæ in relaxando sententiæ suæ iuramento addiscat. & punit quidem Propheta cum populo, leuiori tamen pœna, & eum per coruum pascit. Coruus enim prolem suam recenter natam educat: quod insinuans dixit Propheta: Et pullis coruorum inuocantibus eum: nam pulli coruorum, sicut omnes auium pulli, recenter nati, infirmiores sunt, quàm vt possint ipsi parare cibum sibi: vnde adhuc implumes, à parentibus suis enutriuntur. Sed ab ea parentum cura coruorum pulli destituti sunt: vnde Dauid diuinam misericordiam nobis commonstrans, eorum educationem Deo adscribit. A parentibus enim neglectis, obuolant super eos animalcula quædam, diuinâ prouidentiâ suppeditata, quibus illi aluntur. Vnde dicit: Et pullis coruorum inuocantibus eum. Proinde per patres filiorum osores apud Eliam, qui Iudæis, vt filijs malæ frugi, succenscbat, Deus intercedit, quasi ad eum silentes ita dicèret: Ne tanto Iudæorum filiorum tuorum odio teneare, quanto erga pullos suos corui: & ecce corui nunc conuersi sunt, vide vel eorum misericordiam. Qui naturâ pullis sunt, immisericordes, & inhumani, illi ipsi hospites tibi seruiunt. Absurdum est ô Elia, quòd apud te misericordia mea patrocinantur corui: tu autem pro Iudæis, in quos sæuio, non intercedis. Erubesce, & vel coruorum exemplo Iudæos filios clementior. Ego enim, vt tuæ sententiæ honorem do, ita & illorum qui affliguntur misereri velim. At Elias, cùm Deo nondum cederet, reuocatur alumni corui beneficium, & alia reconciliandi via quæritur: nempe vt fame victus, sententiam ipse soluere cogatur. Verùm ille coruorum ministerio destitutus, nihilo mitior, inediam sustinebat, & inquit: Non ingratum est, quòd fame crucior, tantum vt impios puniri videam, pereat etiam corpus meum cum his qui fame affliguntur. Itaque, cùm deficiente per coruos alimonia, transiret multum temporis, iterum corripitur Elias, ac in alium se transferri locum iubetur, vt famelicus ipse, famelicæ viduæ, quæ & Ethnica erat, supplex esset. Quod hoc consilio Dominus fecit; nam cùm Iudæis interdictum esset habere commercium cum Gentilibus, volens eum ad misericordiam prouocare, prædixit ei futurum, vt à muliere Gentili, & vidua pascatur, quò mox vt audiret Gentilis mulieris nomen, ab alimento ab ea sumendo abhorreret, & vel sic Deum pro effundendo imbre imploraret. Surge, inquit, hinc, & vade in Sareptham Sydoniorum, vt præcipiam ibi mulieri viduæ, ac Gentili vt te pascat; sed neque ad hanc vocem mitior factus, cucurrit ad Ethnicæ mulieris alimoniam, & iam, quod maius est, excitat Deus viduam, vt efurienti Eliæ aspera verba loquereture, ita vndequaque ad benignitatem eum compellens. Ait ergo mulier: Viuit Dominus Deus tuus, non est mihi nisi quantum pugillus farinæ in hydria, & parum olei in amphora, vt cùm intrauero, faciam illum mihi, & pueris meis, vt comedamus & moriamur: nihil enim nobis residuum quàm mors, vbi pugillum hunc farinæ sumpserimus. Ad hanc tandem vocem assici aliquomodo cœpit Elias, & in maiori, inquit, angustia est hæc, quàm ego sum: ego solus esurio, illa fame laborat, non sim hospiti mortis author. Quid tum? ad hanc vocem relax-*

xatur feueritas eius,& incipit mitefcere,& intra fe mifericordiam exercere,& dicit : Non deficiat oleum cadi, nec farina hydriæ, donec Dominus det pluuiam fuper terram. *Iam meminit hic imbris dandi, antequam fame domaretur, mifericordiam in danda pluuia Deo non permittebat, dicens :* Non erunt tribus annis pluuia, vel ros fuper terram, nifi iuxta verba oris mei. *Hinc tandem Dominus: Vade oftende te Achab,& dabo pluuiam fuper terram.* Ita fanctus Chryfoftomus. Vides miram difceptationem pro mifericordia, & pietate inter Eliam & Deum. Placebat quidem Deo zelus honoris diuini, quem Elias habebat; ideo decreto, & iuramento Eliæ honorem detulit, fed mille modis eum ad mifericordiam trahebat. Tantus eft in mifericordia Deus.

Nec filentio prætereunda eft ratio, propter quam Sanctus Chryfoftomus ait ibidem Dominum aflumpfiffe Eliam, vbi fic introducit Deum dicentem ad Eliam: *Ego noui zelum tuum, grata mihi eft anima tua; verum ego peccatoribus mifericors fum, cùm fupra modum puniuntur; tu verò valde feuerus es pietatis exquifitor. vnde quia peccatores ob zeli nimietatem ferre non vales, afcende quafi in cœlum, ego autem in terra peregrinus ero : nam fi diu manendum effet tibi in terris, propè eras humanum genus, quod à te continuò plectitur, aboleretur. Dein tranfi in cœlos, ô Elia, non poteft cohabitare ignis calamo, impeccabiles contuberniones poftbac habebis, inter Angelorum choros habitare te faciam; ego autem cum peccatoribus peregrinabor, qui in humeris omem erraticam baiulare poffum, qui peccatoribus omnibus clamo: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eftis, & ego refficiam vos.* Ita Sanct. Chryfoftomus. Quod quidem mirè explicat diuinam in nos clementiam, pietatem, & mifericordiam. Similis ferè eft hiftoria Ionæ, &c.

Ariftot. hoc Principi conflium dabat: *Efto in benèfaciendo delphinus, in vltione grauipes.* eft quidem delphinus velociffimus in natando pifcis. Vnde Oppianus lib. 2. de natura pifcium, comparauit delphinum fagittæ: verba eius funt :

namque per æquora lata fagitta
More volant, &c.

& iterum ibi delphinum vento comparauit, dicens :

Altas aliquando per vndas
Turbinis in morem difcurrit.

Grauipes autem eft animal quoddam tardiffimum, quod, vt ait Plinius lib. 9. hiftoriæ mundi, cap. 8 etiamfi per totum diem ambulet, terræ palmum non perambulat, aut vix. talem requirebat Principem Philofophorum princeps.

Vnde magnus ille Romanorum princeps Vefpafianus pro infigni habuit anchoram quandam, in qua circumuolutus erat delphinus quidam, quo fignificare voluit velocitatem fupradictam in benefaciendo in delphino; tarditatem verò vindictæ & fupplicij in anchora, quæ naues retinet in mari.

Tales olim fingebant Gentiles Deos fuos, & aiebant, vti Macrobius refert lib. 1. Sat. cap. 6. *Deos pedes habere laneos,* vt ita fignificarent Deum lenem, mitemque effe erga reos, & ad eorum fupplicia lento gradu procedere. Vnde etiam Plutarch. lib problematum, ait olim Tyrios Deos fuos pinxiffe cum compedibus, quafi impeditos clementiâ ad properè incedendum contra peccatores. Talis quidem eft Deus noffer, ftrenuus quidem, & promptiffimus ad benefaciendum eft; tardus ad iram, feu executionem iuftitiæ fuæ.

Vnde fic de Deo fponfa eius : *Similis eft dilectus meus capreæ hinnuloque coruorum fuper montes Bethel. Es mi eſpoſo ligeriſſimo, qual vna cabra montes, o vn cieruo iouen que ua ſaltando montes, y atrauaçando penna ſcos.* Et tamen eadem fponfa de eodem fponfo ait : *Cruræ illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ funt fuper baſes aureas.* Quomodo, inquies, ftare poffunt hæ duæ comparationes ? fi habet pedes quafi ceruorum, quomodo habere poteft marmoreos pedes columnarum inftar ? nimirum quia delphinus eft ad beneficia, & grauipes, feu anchora ad fupplicia, currit ficut ceruus ad benefaciendum, tardat ac ſiſti pro pedibus columnas gereret, ad puniendum. *Ecce, inquit, iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles,* quia, vti ait Sanctus Gregorius, ad ſaluandum nos homo factus veniebat, cùm tamen ad puniendum peccatum primorum parentum lento veniret gradu, deambulando ſcilicet ad auram paradiſi, vti legimus Geneſ. 3. *Exultauit vt gigas ad currendam viam* redemptionis noſtræ, non verò ad currendam viam punitionis noſtræ.

Hinc, *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum.* Alius interpres, vti obſeruauit Sanctus Chryſoſtomus, in hunc Pſalm. 7. ſic habet : *Gladium ſuum acuet, arcum ſuum intendet.* quaſi dicat, non ita Deus punire nos vult, vt præparata antecedenter habeat ſupplicia, ſed poſt iamdiu commiſſa acuet, intendet, veluti qui non libenti animo ad punitionem procedat. vbi etiam pondera verbum, *acuet,* quia obtuſum habeat gladium, & non acutum. *Tiene Dios como embotados los filos de la eſpada de ſu caſtigo, como vn maço, vueſtra dureza de coracon es la que le da los filos.* Non habet Deus ita acutum gladium, habet rubigine plenum gladium : eſto, opus habet ; expectare ſolet vſque ad duritiam cordis : hæc enim eſt in qua acuitenſem ſuum aduerſùs nos. Sit eius clementia in ſeculum benedicta. Obſeruat etiam Sanctus Chryſoſtomus, minarum Dei rationem in hoc ipſo loco, dicens: *Si verba hæc eſſent furoris, & excandeſcentia Dei, non prædixiſſet eis, quos innaſurus eſt. Hoſtes certè, & qui volunt ſupplicium infligere, non modò id non dicunt, ſed id celantes, inuadunt, ne hi, qui puniendi ſunt, ſi reſciuerint, caueant. at non ſic Deus, ſed contrà omnino & prædicit & differt, & verbis terret, & nihil non facit, vt quæ minatur, non præſtet. Hoc etiam fecit in Niniuitis : nam tunc quidem arcum tetendit, & gladium vibrauit, & iacula parauit, & iſtum non infixit. An non tibi videntur verba Prophetæ eſſe arcum, & telum, & gladium acutum, quando dicit :* Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur ? *ſed telum non emiſit : non ideò enim erat appatatum, vt emitteretur, ſed vt reponeretur : nam milites quidem ea de cauſa armantur, vt puniant ; Deus autem non ſic ; ſed cùm reddiderit metu nos modeſtiores, abſtinet à ſupplicio manum. Eſt igitur terror verborum Dei maximæ clementiæ, & quò dicit intolerabil. ora, èò illa ex maiori dicit manſuetudine : nam patres etiam, quando nolunt punire filios, verbis iram attenuant; ita etiam Deus, quia punire non vult, metum verbis reddit grauiorem. dicit ſe paraſſe gehennam, ne mittat in gehennam, & ideo in Euangelijs plura dicuntur de ſupplicio, quàm de regno, quia illos, qui minas ſentiunt, non tam bonorum præmia, quàm tormentorum metus adducit ad virtutem, & abducit à vitio.* Ita Sanctus Chryſoſtomus.

Ioan. 4. *Venit mulier de Samaria haurire aquam,* &c. Conſideratione quidem digna eſt Samaritanæ inſiti animi ſalute inconſideratia, quia ſine Chriſti Domini recordatione, ad hauriendam aquam acceſſit, nulla prorſus curâ adhibitâ relinquendi turpem, ac flagitioſam vitam, quam ſequebatur, & ad meliorem ſe vitæ frugem recipiendi. Et ecce illi noſtræ ſalutis author obuiam occurrit, & in illam oculos diuinæ ſuæ miſericordiæ coniiciens, à turpitudine vitæ ad honeſtatem illam reuocauit, eamque virtutis ſtudioſam, & Chriſtianæ religionis cultricem reddidit. Ita ſe Deus ſæpe gerit cum flagitioſis, vt, cùm ipſi Deum ex memoria penitus depoſuerint, tunc Deus eorum memoriam intrans, & eorundem animos illuminans, à turpi vitæ inſtituto eos abducit. Quàm longæ obliuioni tradiderat Dauid ſui adulterij ſeclus, & eo tempore, quo nec de illo quidem cogitare, nedum pœnitere inſtituerat, prophetam Nathan ad illum mittit Deus, qui egregiâ quâdam ſimilitudine Dauidis memoriam ad commiſſi ſceleris

Cant. 2. 9.

Cant. 5. 15.

1. Reg. 12.

sceleris cogitationem, & de eo dolorem excitaret. eo- A
dem etiam modo , cùm nulla homines suorum crimi-
num memoria tenet , commotus Deus eorum miseri-
cordiâ , illosque pictatis oculis conspiciens, ad hone-
stam vitæ rationem traducit. Hoc est singulare illud be-
neficium , quod idem Deus , vtpote magnum, & exi-
mium expendit, cùm Hierosolyma verba faciés, *Transi-*
ens per te, inquit, *vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi*
tibi: cùm esses in sanguine tuo : Viue, dixi, inquam, tibi: In san-
guine tuo viue. Quis est ille sanguis, in quo volutam vi-
dit Deus Hierusalem ? D. Hieronymus sentit esse pec-
cata lethalia , Theodoretus verò speciale illud flagi-
tium, quod patrauit Hierusalem , quando idolis diui-
num honorem exhibuit : vtraque tamen expositio ad
rem facit. at igitur Deus: *Vidi te* ; &c. quàm paucis ver-
bis toties eadem repetit , & iterum atque iterum assi-
mit verbum illud *in tuo sanguine*, scilicet , cùm in suo
scelere, in suis flagitijs ac peccatis, in colendis idolis
tota versaretur, benignis , ac clementibus oculis illam
Deus intuitus est, & ad sui cultum , veramque religio- B
nem conuertit. Nec solùm dicit , cùm oblita esset mei
Hierusalem, ego eius memoriam conseruaui , sed, cùm
in suis stuperet peccatis, in suoque flagitiorum sanguì-
ne conculcata iaceret , ac in omni scelerum genere se
volutaret, tunc dixi illi : *Viue.* Sumpta est metaphora
ab eo qui, vulneribus confossus, plagisque mortiferis
affectus , in sanguine volutatur. Quem ita saucium ac
cruentatum hostis offendens , tantorum vulnerum mi-
seratione captus , illi medetur, plagisque ac sanguinis
effusioni medicinam adhibet. Sic ego, inquit Deus, opi-
tulatus sum tibi Hierusalem, quæ licèt hostili inimici-
tiâ me sis prosecuta, cùm tamen mortiferis vulneribus
afflicta decumberes, & lethales tuo animo plagas exci-
peres, misertus sum tui, tibique curationem volens ad-
hibere, dixi: Viue. O clementiam nullis vnquam sæcu-
lis auditam ! Eo enim tempore Deus hominum mise-
retur , quo æterno illi supplicio dignissimè afficiendi
essent. In quo genere ex multis mirabilibus exemplis, C
haud facilè vllum maius inueniemus, quàm diui Pauli,
qui cùm sceleris caligini immersus esset, tunc ad Chri-
sti fidem ac disciplinam vocatus est. Quod præclarè
animaduertit D. Lucas, dicens : *Saulus adhuc spirans mi-*
narum, & cædis in discipulos Domini, &c. id est, tunc illum
Deus ad se conuertit, & cùm in illum fulmina combu-
rentis ignis conijcere iustè potuisset, lucis ac splen-
doris radios immisit: *Subitò enim* (vt D. Lucas) *circum-*
fulsit eum lux de cælo; quando verò Satanæ, vel hostis no-
mine par erat illum nuncupari , proprio eum nomine
Christus Dominus appellat , & semel atque iterum di-
cit : Saule, Saule; ac denique, cùm in illum feuerè & ve-
hementer potuisset animaduertere, ad se illum reuo-
cat , & suæ disciplinæ reddit alumnum. Quæ omnia
D. Paulo euenére in eo ipso itinere , quo ad perse-
quendos veræ religionis assertores Damascum per-
gebat.

Atque hoc idem , quod D. Paulo contigisse dixi- D
mus, diuo item Petro euenisse videmus. Qui , cùm eo
tempore, quo Christus Dominus doloribus atque cru-
ciatibus torquebatur , eius se discipulum esse negaret;
oculos in illum redemptor noster conijciens, ad suam
ipsum doctrinam , ac professionem traduxit. Idem
enim diuinus scriptor Lucas ait, quod, cùm adhuc Pe-
trus negaret se Christum nosse, *adhuc eo loquente cantauit*
gallus ; & conuersus Dominus respexit Petrum, & continuò
fleuit amarè. Percussus enim est ab oculorum Christi ra-
diis, qui cùm ab ardentissimo sole dimanarent, facilè
gelidum Petri cor potuerunt liquefacere , quod in la-
crymas conuersum , per oculorum angulos liquatum
effluxit. atque ita rectè D. Ambrosius super hunc lo-
cum ait : Negauit primò Petrus, & non fleuit, quia ad-
huc non respexerat Dominus : negauit secundò, & non
fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus: negauit &
tertiò, respexit Iesus, & tunc ille amarissimè fleuit. Di-
uus item Gregorius sic loquitur: *Nunquam Petrus fleuis-*
set, nisi Dominus respexisset. Sed inquiro, cur, cùm humani
generis vindex voluit Petrum, ac Paulum ad se, suam-
que doctrinam traducere, non eorum dolorem, ac pœ-
nitétiam expectauit, aut saltem, dum illi in aliquo stu-
dioso opere versarentur ? cuius ego nullam potiorem
causam reperio, quàm, vt eius misericordiæ vis, atque
excellentia magis, ac magis splenderet. Quòd etiam Sa-
maritanæ historia satis superque docet : nam cùm illa
obscœno amoris scelere adstringeretur, ad aquam hau-
riendam ex fonte adesset, ea fortè ratione , vt ei, quem
turpiter diligebat, pocula ministraret ; cumque de sua
salute nihil omnino curaret ; ecce ille Seruator homi-
num, itineris labore, ac lassitudine cófectus, præstò ad-
est, eamque diuinis ac cælestibus rebus inducens, à tur-
pitudine vitæ ad honestam viuendi rationem reduxit.
Magna profectò Iesu Christi in hanc mulierem , reli-
quumque hominum genus, pietas, ac misericordia extí-
tit; non tamen maximâ culpâ vacant illi, qui, cùm gra-
uissima in Deum scelera commiserint , nullâ eorum
pœnitentiâ, ne memoriâ quidem habitâ, in flagitijs, ac
vitæ turpitudine persistunt, cuiusque generis crimina
denuo perpetrantes , nimium fortasse diuinæ miseri-
cordiæ confidentes. Et hi quidem non considerant,
non omnes ita efficaciter, ac Petrum & Paulum à Deo
permoueri. Christi fuit Apostolus Iudas , quem etsi
Deus laqueo se suspendente vidit, non tamen restim, ex
qua pendebat, etsi posset, voluit intercidere , neque cæ-
lesti illum luce illustrauit, vt Paulum, aut ijs, quibus Pe-
trum, oculis respexit. Quamuis etiam notum sibi erat
Absalonem Dauidis regis filium è quercu pendere,
animamque misere, ac infæliciter agere; non tamen vo-
luit eius vitæ cursum ad pœnitendum protrahere , ne-
que ad illum alium Nathan, sicut ad Dauidé , misit. Et
quis dubitat , plures alios præter Samaritanam fuisse
in Samaria scelerum maculâ fœdatos ? Sed nulli alteri
ita se Deum misericordem præbuisse legimus, ac huic
fœminæ : cui consonat illud diui Lucæ testimonium,
Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel , quando sacta est Luc. 4. 25.
fames magna in omni terra , & ad nullam illarum missus est
Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ , ad mulierem viduam. & multi
leprosi erant in Israel sub Elisæo propheta , & nemo illorum
mundatus est, nisi Naaman Syrus. Circa quæ verba, inquit
D. Ambrosius : *Quid est in causa, quòd Eliæus solum Naa-*
man curauerit , cum in Israel multi alij eodem lepra morbo la-
borarent ? cur, inquit, *non curauit fratres ? non curauit ciues ?*
non sanauit Propheta consortes, cum sanaret alienos, & eos qui
obseruantiam legis, & religionis consortium non habebant ?
nisi quia voluntatis est medicina, non gentis, & diuinum munus
votis eligitur, non naturæ iure defertur. Non enim dormienti-
bus, sed obseruantibus diuina beneficia conferuntur. Hæc ille.
Eodem igitur modo in animi ægritudine curanda se
habet Deus , dum alijs pro sua voluntate medicinam
adhibet , salutemque impertitur , alijs verò non item.
Quod significasse videtur regius Vates , cùm inquit:
Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ. Plu- Psal. 67.
uiam voluntariam , gratiam intelligit D. Augustinus 10.
suprà, quæ sine vllis donatur meritis. *Alioquin* (vt ipse
ait) *gratia iam non est gratia.* Cùm igitur gratia detur
gratis, cui Deo placet conceditur. At nisi teipsum ad
cœlestę hoc donum animo exciperidum præparaue-
ris, timere debes ipsum non tibi esse concedendum.
Nam Christus Dominus sermonem habens de illis,
quos turris illa Siloë interfecit, sic ait: *Putatis quia ipsi* Luc. 13.
debitores (id est, flagitiosi, & peccatores) *fuerint præter* 4.
omnes homines habitantes in Hierusalem. Non, dico vobis ; sed
si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. Non di-
xit Christus , licèt consperitis flagitiosos quosdam
homines subitò extremum vitæ spiritum edidisse, ni-
hil est vobis timendum , cùm Deus ita promptus sit ad
misericordiam : sed, si turpem flagitiosamque eorum

vitam imitamini, infelicem etiam eorundem interitum consequemini. Si ergo non ita miserè ac illi perire vultis, pœnas pro sceleribus suscipite voluntarias, & ad honestam vos vitæ rationem referte: nam si aliquando Deus ipsam non quærentibus, nec flagitia detestantibus, ad suam amicitiam, familiaritatemque reducit, vt in hodierna historia visum est, potiori iure reducet eos qui vitia detestantes, vni se virtuti tradunt, & ipsum Deum studio, animo, ac cogitatione requirunt.

A

Etenim Dei misericordia secundùm se considerata, infinita misericordia est: nihil enim in Deo non infinitum: cùm igitur infinita sit, non est opus multis argumentis, & signis, & effectibus, eam magnam esse probare: quid enim maius quàm infinitum?

Ex parte autem nostra ansam magnam habemus sperandi misericordiam plurimam à Deo: miseria enim obiectum est misericordiæ: quanta autem sit miseria nostra, nouimus satis; sufficit autem nosse figmentum nostrum. Rectè quidem Tertullianus lib. de resurrect. car. c. 6. *Limus ille, ex quo Deus hominem formauit, non tantum Dei opus erat, sed etiam pignus.* Ita ille. Pignus scilicet pietatis, & misericordiæ Dei erga nos: videns enim nos ex puluere, ac luto formatos, optimè nouit fragilitatem nostram, & pronitatem ad lapsus. Cecinit hoc

B

Psal 102. 13. suauissimè Dauid: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timent.bus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum; recordatus est, quoniam puluis sumus.* Si puluis, ergo facilis res homo, & quæ à quocumque vento huc illucque dispergatur, & retorqueatur. Ecce pignus diuinæ misericordiæ, qui pignus habet, facilè sperat se consequuturum id propter quod pignus datum est illi. In puluere nostro datum est nobis pignus misericordiæ nostri Conditoris; ergo facilè possumus ex hoc diuinam sperare pietatem. Ita quidem esse asserit ibi Dauid, *Quomodo miseretur* (inquit) *pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Time Dominum, & illi secundùm vires seruire contende. quòd si difficile quid in eius scruitio oppositum senseris; spera in eo, quoniam ipse

C

cognouit figmentum tuum, ipse cognouit fragilem naturam tuam, & sicut pater miseretur filioli sui imbecillis, & egentis ope ipsius patris, miserebitur tui ille, qui Conditor & Pater nostræ conditionis est, ipse cognouit figmentum nostrum, fragilia vasa sumus, nimirum ex luto conficta, ipse qui fecit, reficere valet: si ob fragilitatem fractum fuerit vas, spera in Deo, & fac, sicut potueris, bonitatem, &c.

Hæc autem est ratio, cur Deus non angelicam, sed humanam speciem reparauit. Audi S. Gregorium 4. Moral. 9. *Duas*, inquit, *ad intelligendum se creaturas fecerat Deus, angelicam videlicet, & humanam; vtramque verò pecculit superbia, & ab statu rectitudinis ingenitæ fregit; sed vna tegmen carnis habuit, alia verò nihil infirmum de carne gestauit. Angelus namque solummodo spiritus, homo verò spiritus est & caro. Misertus ergo creator, vt redimeret illam, ad se reducere debuit, quam in perpetratione culpæ ex infirmitate aliquid constat habuisse, & eò ampliùs debuit Angelum apostatam*

D

repellere, quò, cùm à perstiendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne gestauit. Vnde & Psalmista, cùm misertum redemptorem hominibus diceret, ipsam quoque causam misericordiæ expressit, dicens: Memoratus est, quia caro sunt, *ac si*

Psal 77. 39. *diceret, quòd eorum infirma vidit, eò districtè punire culpas noluit.* Ita S. Gregorius.

Ecce constituit te Deum Pharaonis, &c. ita Dominus ad Moysen, Deum, inquit, Pharaonis, quia potestatem dedit ei supra Pharaonem, & supra regnum eius. *Entrò Moysen en AEgypto con vara leuantada, y con poderes de Dios en causa propria, haziendo milagros, y prodigios.* Intrauit igitur Moyses ad regem in manu potenti, & brachio excelso, & nomine Domini requisiuit à rege, vt dimitteret populum Dei, & renuit Pharao. Iterum atque iterum institit Moyses, præcipiens ei, vt in nomine Domini dimitteret populum Dei, & signis ac prodigijs eum inducere conabatur, vt pareret omnipotenti: cui non solùm restitit ipse rex, verùm etiam verbis iniuriosis Moysen repulit à se, & eiecit à conspectu suo, vti habetur, *Exeãt sunt*, Moyses scilicet, & Aaron, *à conspectu Pharaonis*, & infrà: *Recede à me, & caue ne vltra videas faciem meam: quocunque die apparuerit mihi, morieris.* Sic locutus est superbè Pharao Mòysi, sic cum opprobrio reiecit eum à se: cur igitur Moyses, cùm Deus iam esset Pharaonis à Deo constitutus, contumacem regem non acriter puniuit, & interfecit, vel saltem a Deo postulauit, vt pro demeritis regem illum proteruum, vel de medio tolleret, vel grauissimo aliquo morbo castigaret? nónne Moyses hic ille erat, qui olim videns Ægyptium quendam percutientem aliquem Hebræum, & iratus in eum, subitò illum occidit, & absconditin fabulo? Et quidem non erat tunc constitutus Deus à Deo super Ægyptium illum, sicut postea super Pharaonem, cur ergo similiter non surrexit in Pharaonem? nimirum, quia in Deum Pharaonis constitutus erat; Dei autem adeo proprium est misereri semper, & parcere, vt vel vmbram nominis Dei gerens, mutauerit in manfuetudinem iram, & mitissimus redditus sit super omnes homines terræ. *Como Dios le dio nombre de Dios, y poderes de Dios, yreueftio se de la condicion de Dios en ser manso.*

Exod 3. 10.

Cùm aduersùs Dominum peccasset populus Israel, sic Dominus ad eum: *Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi?* Quid hoc? nunquid Dominæ ignorans tu, quid illi facere debeas, etiamsi non deponat ornatum suum? ad quid, quæso, hæc ornatus depositio deseruit? vt inde scias quid facias ei. Etenim depositio illa ornatus humilitatem, & pœnitentiam præ se ferebat, cùm autem humiliat se peccator, & pœnitentiam ostendit, mouetur ad misericordiã Dominus, vti constat in rege Achab 3. Reg. 21. vbi, cùm graniter eum corripuisset Elias, humiliauit se Achab, scindens vestimenta sua, & operuit carnem suam cilicio, ieiunauitque, & dormiuit in sacco, & ambulauit dimisso capite. iam hinc patet quid voluerit dicere Dominus in loco illo Exodi, quem sic interpretatur Rupertus, *Hoc iuxta historiam lectorem ædificat, quia videl.cet, nisi ambitus peccator demisso capite, nondum se scire fatetur Deus quid ei faciat.* Ita ille. *Que pareçe, que lo que es castigar no lo sabe Dios, segun està inclinado a hazer misericordia.* Ideo ait, deponat ornatum, humiliet se, & signa pœnitentiæ demonstret; tunc sciam quid faciam ei, quia iam dispositus fic erit ad misericordiam recipiendam, atque adeo sciam rectè quid ei faciam, misericordiam nempe.

Exod 32. 9.

Sic ad Dominum Dauid: *Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij.* S. Hieronymus vocem Ecclesiæ esse ait, fidelium scilicet, petentium diuinum refugium; petendo autem ostendit quòd nobis Deus sit protector scilicet & refugium, & non qualecumque, sed esse *domum refugij.* Habent principes, & primarij viri hoc speciale priuilegium, vt, cùm ministri iustitiæ reum aliquem capere volunt, si reus ad domum viri primarij confugiat, tanquam ad sacram anchoram, securus ibi, & indemnis seruetur à iustitia, & hoc ad honorem, & gloriam eorum spectat. Ait ergo Dauid: Esto mihi Domine in Deum protectorem, & in domum refugij, hoc est, sciant rei, qui ob peccata sua meritò diuinam timent, & fugiunt iustitiam, habere se in Dei misericordia domum quandam refugij: nam ad diuinum honorem, & gloriam, & manifestatem spectat, vt ad eius misericordiam, tanquam ad sacram anchoram, se recipientes, recipiat, protegat & defendat. quare, cùm timueris diuinam iustitiam, ad misericordiam Dei accurrens, dicito sæpe: *Esto mihi Domine in Deum protectorem, & in domum refugij, vt saluum me faciat.*

Psal 30. 3.

Oleum

Oleum effusum nomen tuum. Oleum in dilunis litteris misericordiæ symbolum est, vt ait Origen. & S. Chrysost. Sicut enim oleum reliquis liquoribus supernatat, sic etiam misericordia superemines reliquis operibus diuinis, iuxta illud, *Miserationes eius super omnia opera eius.* Si ergo scire cupis Dei nomen, *Oleum effusum est*, ait sponsa, quæ eius exactam notitiam habebat; hoc est misericordia diffusa, non sicut misericordia nostra, quæ pedetentim & auarè communicatur. Vnde dauid: *Misericors & miserator Dominus*, ait, misericors per naturam, miserator per operis exhibitionem: non enim est Deus habitualiter tantùm misericors, sed actualiter etiam misericors, misericordia effusa, magna, scilicet cum magnificentia nobis communicata.

Emisit Noë columbam ex arca; at illa venit ad eum ad vesperam portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo. Quomodo potuit columba ramum viridem oliuæ inuenire, cùm aquis diluuij cuncta deuastata tunc essent? ascenderant enim aquæ super omnes montes, ita vt eadem columba, paulò ante ab eodem Noë similiter emissa, reuersa illico fuerit in arcam, quia non inuenerat, vbi requiesceret pes eius, vt ibidem habemus. Respondet Caietanus, oliuam quidem misericordiæ symbolum esse, hoc apud omnes certum est, & ideo voluit deus columbam, non aliud, quàm oliuæ ramum Noë deferre, in pacis & misericordiæ signum, quo intelligeret ipse iustitiæ seueritatem in diluuio exhibitam iam finem accepisse. Voluit igitur Deus inter aquas, & rigorem, & iram diluuij oliuam permanere, & viriditatem suam conseruare, vt notum omnibus esset, quòd non contineat Deus in ira sua misericordiam suam, quòd non, inquam, obliuiscatur misereri Deus, etiam inter supplicia magna: quia miserationes eius super omnia opera eius, *quæ: pues entre los enojos del diluuio el oliuo de misericordia.*

Meritò quis indagare posset, an peccata Deum ad iustitiam, an verò ad misericordiam prouocent, & inclinent: & quidem quod ad iustitiam & iracundiam prouocent, ex illo patet, *In peccatores respicit ira illius*, scilicet Dei: & idem ex plurimis alijs Scripturæ locis constat. & ratio ipsa probat, quia peccatum maximâ pœnâ dignum est, pœna verò ad iustitiam spectat. Peccatum ergo Deum ad iustitiam, ad iram prouocabit, & non ad misericordiam. At peccatorum misereri Deum vniuersa clamat Scriptura: quomodo igitur hæc sibi possunt conuenire? Rectè: nam peccatum dupliciter potest considerari, vel quatenus offensa Dei est, vel quatenus miseria nostra est, quatenus offensa Dei est, grauissimum meretur supplicium; sed quatenus miseria nostra est, maximam quidem misericordiam Dei requirit. secundùm igitur quod est offensiuum Dei, obiectũ est iustitiæ, & iræ Dei; secundùm verò quod est miseria nostra magna, est obiectum misericordiæ Dei magnæ: ideo enim dicebat Dauid: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.*

Hinc concordiam colligemus duorum locorum sacræ Scripturæ, Genesis scilicet c. 6. vbi sic habetur: *Videns Deus quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecùs, Delebo*, inquit, *hominem quem creaui à facie terræ.* Secundus locus est Genes. 3. vbi, postquam dissipauerat terram, sic ad Noë Dominus: *Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines: sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Quid hoc? eadem ratione, qua se delere terram velle dixit Deus, nolle illam iterum delere affirmat, quare? quia conditionẽ hanc duplicẽ peccati, seu inclinationis malæ ad peccandum, considerauit, primam, nempe malitiæ peccati, quatenus offensa Dei est, cum hominem extinxit; secundam verò, cùm ampliùs non delendum promisit: tunc enim peccatum seu inclinationem ad peccandum, secundùm quod miseria nostra est magna, considerauit, quæ vt sic misericordiæ Dei magnæ obiectum est.

Hinc etiam est, quòd, cùm Deus Ionam ad prædicandum in ciuitatem Niniuitarum mitteret, subuertendam ciuitatem esse post quadraginta dies prædicare iussit, & tamen postea misericorditer pepercit: quia scilicet quatenus offensiua sui peccata illorum cernebat, opprimere eos omnes volebat; nisi pœnitentiam egissent; & quia pœnitentiam egerunt, ille qui ad miserendum pronus est, misertam eorum magnam attendens, omni populo pepercit, &c. Sic tantò magis ad misericordiam Deum nostra prouocant peccata, quantò grauiora sunt: quia abyssus abyssum inuocat, abyssus scilicet peccatorum nostrorum abyssum misericordiæ Dei.

Quare, qui se peccatis implicatum nimis inuenerit; ne desperet, sed oret Deum, & dicat: Domine Deus, ne respicias peccata mea, prout offensæ in te Domine sunt, sed secundùm quod misertæ magnæ sunt, & secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei Deus, &c.

Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. cur *ad vesperam fletus?* quia ad ea, quæ nobis excitant fletum, ita lento gradu diuina pietas procedit, vt serò perueniat. cur *ad matutinum lætitia?* quia ea, quæ nobis læta sunt, non ad vesperam differt; sed summo exhibet mane. Sic ad miserendum Deus promptus, ad puniendum verò tardus, & velut plumbeis pedibus incedens. Psal. 29. 6.

Hinc, *Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime; ad annunciandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.* Quid est ad annunciandum manè misericordiam tuam, & nocte veritatem? Hæc duo tempora ad Dei laudes apta esse Propheta hîc affirmat, in quibus manè elegit ad annunciandam seu laudandam misericordiam Dei; vespertinum verò tempus ad laudandam iustitiam (quam more sacræ Scripturæ veritatem appellat) vt eisdem hæc annuncientur & proferantur temporibus, quibus Deo congruere dictum est: quia, inquam, *ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Vnde S. Dionys. *Quid est*, inquit, *quod Deus ipse aduersos & resilientes amatorie prosequitur, ac ne sic deserant deprecatur.* Ita ille. *Quid*, inquit, nempe quasi obstupefactus, & extra se raptus hoc dicit Dionysius. Quis enim nostrûm inimicos suos, à quibus magnâ est iniuriâ affectus, sequitur & prosequitur rogans, vt veniam & beneuolentiam vltrò sibi oblatam recipiant? Satis enim & plus quàm satis nobis videtur, si inimico huiusmodi veniam petenti concedamus. Deûs autem non solùm peccatori veniam petenti eam libenter concedit, verùm etiam rogat, & ea quæ pacis sunt, & amicitiam suam etiam respuenti, offert. Psal. 91. 2. Epist. 8. ad Tit.

Audi Apostolum: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Quid nos obsecrare potest Apostolus, Dei nuntius, & legatus? *Reconciliamini*, inquit, *Deo.* hócne ab inimicis Dei nomine Paule rogas? hoc nos Deum rogare, hoc certè obnixè & cum lacrymis & rugitu & clamore valido à Deo nos petere debebamus, vt scilicet secundùm magnam misericordiam suam nobis reconciliari dignaretur, non obstante indignitate nostra, qui æternis inferni cruciatibus digni eramus; & tu obsecras nos pro Christo vt velimus reconciliari Deo? O amor amorum! ô charitas! ô bonitas infinita! à te solo hæc potuit excogitari legatio. Vnde meritò ait Sanctus Dionysius: Deus nos amatorie prosequitur, amorem illum infinitum tanta dignatio requirebat, &c. 2. Cor. 5. 20.

Sic Moyses Dominum deprecabatur: *Obsecro, vt gradiatur nobiscum: populus enim dura cervicis est, & auferas iniquitates* Exod 34. 9.

quitates nostras atque peccata, nostrosque deos; quasi dicat, non mihi committas ducatum populi huius, & regimen, tu esto dux, & rex noster: nam populus hic duræ ceruicis est, hoc est, vt nonnulli aiunt, tanta est populi huius durities ac proteruia, vt tua misericordia, clementia, benignitas, & suauitas necessaria sit ad ferendum eos. Et quidem Moyses mitissimus erat, vt sacra ipsa Scriptura testatur, & nihilominus, non sibi sufficere mansuetudinem suam fatetur, ad eum tolerandum; diuinam tamen aptissimam ad hoc esse confitetur. Quod in quotidiana peccatorum sufferentia satis constat. Quot enim quotidiè mortalia in Deum crimina homines committunt, infideles, idololatræ, hæretici, & mali Christiani, & tamen Deus, cùm facilè eos consumere possit, tolerat, & expectat, & solem suum oriri facit super eos, & pluit super segetes eorum, & alit eos. Quis hominum, quantumuis mitissimus esset, hoc toleraret? vix vnum verbum ferre possumus, &c. Deus verò tot blasphemias, & periuria, & idololatriam fert patienter, &c.

Minatur quidem seuerè Deus, sed ostensio iræ eius plus quàm punitio eius. Terruerat Deus Israelem terroribus minarum multarum, & grauium, & subdit: *Conuersum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea. Non faciam furorem iræ meæ, non conuertar, vt disperdam Ephraim: quoniam Deus ego, & non homo.* Homo quidem reprimere iram interiùs, seu potiùs occultare nouit, vt ita meliùs vindictam exteriùs sumere possit; Deus verò è conuerso iram exteriùs multam ostendit, vt ita meliùs terreat peccatorem, & territum conuertat: *quia Deus*, inquit, *ego & non homo.* Osee 11. 8.

Proprium enim regum & magnorum principum est, clementiam cum delinquentibus exercere, & non nimium & seuerè irasci & punire. Vnde Seneca: *Iracundissima ac pro corporis captu pugnacissima sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt; rex verò apum sine aculeo est. Noluit natura sæuum illum esse, nec petere vltionem, telum detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplum hoc magnis regibus ingens est: tantò autem moderatior esse animus hominum debet, quantiùs vehementius nocet.* Ita ille. Qui eodem capite addit: *Excogitare nemo quidquam poterit, quod magis decorum regi sit, quàm clementia, quocumque iure præpositus cæteris sit, & eò magnificentius fatebimur, quò in maiori præstabitur potestate.* Ita ille. Quòd si hominem regem sic clementia decet, quid Deum regem? Lib. 2. de clem. c. 19.

Miratur Tertullianus supplicium illud, quod exercuit S. Petrus Apostolus in Ananiam & Saphiram, quia recens Papa erat, & in huiusmodi dignitate mansuetudo, & clementia, non verò ira & indignatio primum locum videbantur obtinere debere: tempore enim Christi Domini multi & maiores, quàm illi, peccatores erant in Palæstina, vbi Christus degebat, & numquam tale supplicium exercuisse eum videmus. Cùm igitur S. Petrus Christi vices teneret, cur ita in peccatores irasci voluit? non enim indebitè id egisse iudicare debemus. Respondet: *Non decebat, Christum sæuire, qui venerat pati.* Ita ille, quasi dicat, æquum quidem est, iustitiam in delinquentes adhibere; sed tamen hanc Christus ministris suis reliquit; sibi autem pro peccatoribus pati, & gloriosius sibi iudicauit pati pro peccatoribus, quàm peccatores punire. Lib. de patientia. Act. 5.

Audiuit Ioannes vocem è cœlo, dicentem: *Vicit leo de tribu Iuda*, & statim vidit agnum stantem tanquam occisum. Hic quidem, vt constat ex eodem loco, idem Dominus Christus vocatur leo & agnus. Si leo, quomodo agnus? si agnus, quomodo leo? nimirum quia, vt idem ait Tertullianus, *Pro suis leo rugiens, non in suos: dignus autem est agnus accipere fortitudinem, sed non amittere mansuetudinem.* Ita ille. Est ergo Christus Dominus manſuetus nobis; leo autem fortis & generosus, vt tueatur nos. Apoc. 5. 5.

Agens Isaias de populo Israel, *Suscepit*, inquit, *duplicia de manu Domini pro omnibus iniquitatibus suis.* Quænam sunt hæc duplicia, quæ recepit populus pro peccatis suis? Hebræi quidem per duplicia, duas intelligunt captiuitates, quibus pro peccatis suis punita fuit ciuitas Ieruſalem. Fauent huic expositioni S. Cyrillus, & S. Theodoretus, qui duplicia, duplicata supplicia peccatorum exponunt, & tunc sensus erit: Consolamini Ieruſalem, & dicite ei: Cesset iam dolor cordis tui, & enim peccasti, dimissa est iniquitas tua: siquidem viuepisti pœnam duplicatam peccatorum tuorum. Sed non rogo, vnde hic locus diuinæ pietatis? Si pro peccatis non commensuratam pœnam, sed duplo maiorem vindictam, quàm de illis sumere solet, ciuina iustitia postulat? Quando Deus, ait S. Theodoretus, est misericordissimus & indulgentissimus pater, qui citra condignam semper punit, cur nunc duplices pœnas irrogat peccati? Respondet optimè ad rem noſtram S. Cyrillus. *Sicuti*, inquit, *pater charissimum filium castigans pœna leuissima pro magno peccato; præ amore, videtur sibi duplo graues pœnas intulisse, quàm pro sceleris grauitate filius commeruerat; sic Dominus*, &c. Eamdem solutionem adhibet S. Theodoretus, in quo quidem miré reluceat bonitas & misericordia Dei, quòd, cùm digni sint peccatores æterno supplicio, pœnas huius mundi temporales duplò maiores super exigentiam culpæ esse dicat. Sed iam secundam expositionem apponamus, quam Adamus Delphius, & alij adhibent expositores. Suscepit duplicia de manu Domini pro omnibus peccatis suis, hoc est, duplicia bona, seu duplicia beneficia loco pœnarum, quæ pro suis meruerat peccatis, v.g. à captiuitate peccati libertatem, & alia charismata Spiritus sancti vt sit sensus, cùm pro peccatis suis Ieruſalem iram Dei promeruiſſet, & mortem sempiternam; tanta ergo fuit Dei fuit misericordia, vt vice suppliciorum duplicata receperit dona. Quanta pietas Dei hæc! Isai 40. 2.

Hinc etiam Dauid: *Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius.* quænam sunt hæ retributiones? subdit: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Ecce retributiones Dei, pro quibus ad gratiarum actionem excitabat animam suam Dauid. Quid, inquies, importat retributio? retribuere, vt Latini aiunt authores, idem est, quod recompensare, v.g. bonum pro bono, seu malum pro malo, &c. tribuenti ergo qui tribuit, retribuere dicitur, secundùm illud Apostoli, *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quasi dicat, nemo. Quid enim habet creatura, Rom. 11. 35. quod non acceperit à Creatore suo? *Tua* (inquit rex ille) *sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* nihil denique reperies in homine, quod à Deo non habeat, nisi peccatum: horum enim non est causa Deus, sed homo. Pro his ergo peccatis solet homo à Deo recipere duplicia, pro his tribuit Deus bona immensa, & propterea, inquit Dauid: *Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius.* Vbi eleganter S. Augustinus: *Non* (inquit) *Dauid dixit tributiones, sed retributiones: aliud enim debebatur, & redditum est quod non debebatur. Vnde & ipse alibi*: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? *non ait, quæ tribuit mihi, sed quæ retribuit mihi. Retribuiſti tu, ô peccator, mala pro bonis, & retribuit ipse bona pro malis: quomodo retribuiſti tu mala pro bonis Deo? fuiſti prius blaſphemus, & perſecutor, & iniuriosus, retribuiſti peccata, pro quibus bonis? Primo, quia ei, cùm non esses, sed eſt & lapis: deinde ergo quia vitis: sed vmbr & pecus. Quid ergo retribues Domino pro eo quòd super omnia pecora, & super omnia volatilia, fecit te ad imaginem & similitudinem ſuam? Noli quærere quid ei retribuas, similitudinem ipsius retribue illi, non plus quærit, nummum ſuum exigit. Tu autem pro gratijs agendis, pro humilitate, pro obsequio, pro cultu religioso, pro his omnibus bonis, quæ debibus Deo tuo, pro bonis, quæ accepiſti, quid ipſi retribuiſti: ? blaſphemias. quid ergo Deus? Confitere, inquit, & ignoſco, retribuo & ego, sed non quod tu retribuiſti: tu retribuiſti mihi mala pro bonis, & ego retribuo* Psal. 115. 12.

retribuo tibi: bona pro malis. Cogita ergo anima omnes retributiones Dei, cogita omnia mala facta tua: nam quam multa mala facta tua, tam multæ sunt bonæ retributiones eius. Ita S. Augustin. A

Tanta quidem est misericordia & clementia Dei erga peccatores, vt etiam iræ & minæ exteriores eius in remedium ordinet ipsorum: quod S. Chrysost. adnotauit, super illa verba, *Viri Niuitæ surgent in iudicio, &c.* minas Dei in bonum nostrum esse ait: nam ideo minatur Deus, ne puniat.

Quin, vti ait Tertullianus, super illa verba, *Age pœnitentiam: sin autem, venio tibi, &c. Tam pater (inquit) nemo, tam pius nemo.*

Quod in Niniuitis videre licet: *Adhuc, inquit, quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Verba hæc Ionæ, sed à Deo ordinata fuerunt. minatur, & nullam apposuit conditionem, dicens: Nisi conuersi fueritis, omnes subuertemini, sed absolutè, *Adhuc, &c.* conuersis tamen illico pepercit. Fortassis gentes infidelium dicerent: Non fuit vera annuntiatio illa; sed melius iudicauit Deus esse, veniam concedere Niniuitis, quàm iudicium illud gentium vitare. Vnde S. Ephrem, *Commiseratus, inquit, est Niniuitis, saluauit, peperci: sua bene gnitate Deus, pœnam pro peccatis debitam dissoluens, & mendax potius, quam crudelis haberi voluit.* Ita ille. B

Prop. III. *Quàm gloriosum Deo sit remittere peccata.*

Psalm. 50. *Tibi soli peccaui.* Quid est, *Deo soli peccare?* Si est idem quod contra te, quomodo ait *soli*; cùm etiam peccauerit in Vriam per adulterium, & homicidium, & in vxorem, eam ad adulterium trahendo, & in se, illa scelera perpetrando. Cur ergo ait; *Tibi soli peccaui?* Etenim secundùm regulas linguæ Latinæ datiuum illud *tibi*, damnum vel vtilitatem importat. Vnde Zacharias de aduentu Christi agens: *Dicite, inquit, filiæ Sion: Ecce venit tibi Rex tuus,* &c. Ait ergo Dauid: *Tibi.* Domine Deus, *soli peccaui*, quia ex peccato meo tibi gloria magna proueniet, cùm perpercris mihi. C

Prop. IV. *Quàm alienum à misericordia Dei sit punire nos.*

Genes. 2. *Immisit Dominus soporem in Adam, cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & replenit carnem pro ea.* Quid necesse fuit ad tollendam costam, immittere soporem illum Adæ? numquid ne dolorem aliquem sentiret? At potuit Deus absque vllo dolore ei costam extrahere. Respondet Hugo Victorinus ibidem: *Hoc ideo factum est, ne, si eo vigilante auferret costam, videretur lassse illum; ita verò leniter eam desumpsit, quòd nec excitaret dormientem.* Ita ille. Vide igitur quàm alienum à Deo sit, nos tribulatione & aduersitate vexare, vt nec apparenter voluerit dolore illo afficere Adamum.

Et quidem quotidie sic nobiscum se gerere videtur: nam cùm misericorditer punit, vel ad meritorum augmentũ aduersa immittit vel permittit, quasi lapidem mittens, manum abscondit, dum per media causas id præstat: mediante sole febrem inducit, casu tegulæ illum vulnerat, alium leo interficit, alium hostis persequitur, cùm specialis ad hæc prouidentia intercedat. D

Denique si peccatores punit, id veluti coactus facit; quia, vt vulgò dicimus, *nostros le facamos de sus casillas:* alienum quippe est hoc opus ab eo, vti ait Isai. & peregrinum: & proprium ei est, misereri semper & parcere, vt canit Ecclesia: non denique vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat.

Prop. V. *Misericordia Dei etiam in punitione peccatorum relucet.*

Exod. 32. ad iram magnam Dominus prouocatus propter vituli adorationem, sic ad Moysen, *Dimitte me (inquit) vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam:* non inquit, *sine me punire illos,* sed *sine me irasci;* quid non solùm ira, sed & furore dignius, quàm crimen idololatriæ? Et maximè post tot tantaque beneficia exhibita populo illi? & tamen non solùm supplicium non intulit illi, verùm etiam iram compescuit misericors Dominus; etenim Moyses nullum pro populo emiserat verbum. Cur igitur ait Moysi, *Dimitte me,* &c. Videas Patrem in filium iram præseferentem, & propter culpam aliquam pœnã dignam magna voce clamantẽ, & dicentẽ: *Exod. 32. 10.*

Simile me occidere illum, pereat malus hic, &c. nullo tamen obstante clamat: *Simile me,* quod quidem idem est ac si diceret: *tenete me, obstate ne puniam filium.* Sic igitur Deus non impediente Moyse ait illi: *Dimitte me vt irascatur furor meus in eos.* Sic optimè ponderauit locum istum Theodoret. q. 81. in Exod. dicens: *Qui ad aliquid agendum ducitur ira, ijs etiam indignatur qui admonent illum. Deus autem dicit:* Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. *Atqui nemo expectat momentum, vt irascatur, sed vt mitigetur potius. Hæc igitur verba,* dimitte me, *dixit, pro eo quod est,* cohibe à me, *& vt pro populo intercederet exc tauit.* Ita ille. Vides quàm alienus à punitione sit, qui irasci detrectat? *Simile.* *Theod.*

Genes. 4. sic Dominus ad Cain post fratricidium: *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Cur morte dignum Cainum sic Dominus defendit? S. Ambros. lib. 2. de Cain & Abel c. 10. *Noluit Dominus homicidium homicidio vindicari, qui mauult correctionem peccatorum quàm mortem.* Ita S. Ambros. Seruauit igitur Dominus vitam Cain, non quia tali beneficio ille dignus esset, sed vt tempus pœnitentiæ illi concederetur. Hinc est quòd cùm in eodem c. 4. Lamech interfecisset Cainum, dixit: *Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies.* Cur maiori pœnã puniri debuit qui fratricidam occidit, quàm qui occiderat innocentem? Respondet ibidem Sanct. Ambros. quia nemo debuit interimere eum, qui vsque ad naturalem terminum mortis suæ agendæ pœnitentiæ spatium habebat; excusare enim se posset quòd se redemisset vel sera actione pœnitentiæ nisi, eum præmatura pœna rapuisset. Ita ille. *Gen. 4. 15* *S. Ambr.*

Sic Deus Adæ: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Ecce pœnam pro illa præuaricatione designatam. Cur igitur peccante homine non fuit executioni mandata? Theodor. q. 38. in Genes. *Quamuis Deus cõminatus fuerit, dicens, in qua die comederis, morte morieris: non tamen statim mortui sunt, quia bonus Deus maiora supplicia comminari consuenit, minora tamen sumit his, quæ interminatus est.* Ita ille. *Gen. 2. 17.*

Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Cùm irascitur homo, ita solet absorberi ab ira, vt nullum apud eum pietas & misericordia locũm inueniat; non sic Deus noster, non sic, sed in medio ardore iræ suæ misericordiæ recordatur: tanta est pietas eius. *Habac. 3. 2.*

Hinc est, quòd cùm pro meritis, seu demeritis nostris nos punire eius iustitia velit, sic misericordiæ recordatur, vt non simul, sed diuisim, & paulatim puniat, *que pareçe va Dios recateando el castigo, y escaseando las penas.* Videbis auarum hominem soluentem æs alienum, solutionem recusare; vnde non simul totum debitum soluit, sed per partes: licèt enim possit simul vniuersum reddere debitum, auaritiã tamen impeditus, nunc partem vnam, postea verò aliam persoluit; sic in supplicijs se Deus nobiscum habet, quasi auarè

auarè punit. Vnde, licèt facilè & iustè possit simul supplicium de nobis sumere, differt, & per partes pœnas infligit.

Quod in Pharaonis supplicijs adnotauit Philo lib. de vita Moysi, semel enim ranas immisit, posteà cinifes, posteà verò tenebras, deinde grandinem, donec tandem aquis maris eum fussocaret. meruerat quidem Pharao ab initio perire, sed Deus, qui vt ita loquamur, auarus in puniendo est, sic paulatim supplicium per partes diuisit.

Qui tamen in beneficijs conferendis non ita procedit, sed simul solet ea nobis exhibere. *Dilata*, inquit, *os* *Ps 80.11.* *tuum, & implebo illud*, hoc est plenè, & perfectè, liberaliter, & non auarè conferam tibi quæ postulauerit à me, &c.

Hinc Exod. 17. cùm grauiter Deus offensus ab Amalecitis esset, quia viam populo suo crudeliter impedinére, sic Moysi locutus est: *Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Iosuæ: deleboenim memoriam Amalec sub cœlo.* Quid est opus monumento ad delendum, & puniendum Amalec? nunquid tu monumentis, seu memorialibus eges? Nos, qui debilis, & labilis memoriæ sumus, & illico factorum obliuiscimur, huiusmodi monumentis indigemus; tu verò Deus, in quem obliuio cadere non valet, quid monumentum istud requiris? nimirum, quia de peccatis, & pœnis infligendis tractatur, quorum Deus veluti obliuiscì videtur. *Tu autem* (ait Rex Ezechias) *eruisti animam* *Isai. 38.* *17.* *meam, vt non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Ecce quid post tergum proijciat Deus, peccata: tunc enim dicitur recordari peccatorum, cùm illa punit: non potest quidem Deus obliuiscì, vtitur tamen hoc loquendi modo, vt affectum misericordiæ manifestet, & quàm pronus ad parcendum, & tardus ad puniendum sit, declaret.

Sed hoc in loco aliquid curiosiùs inspiciamus. Subdit igitur ibidem sacra pagina: *Manus soly Domini, &* *Exod. 17.* *16.* *bellum Domini erit contra Amalec.* ex originali Hebræo sic aliqui legunt: *Manus super solium Domini, &c.* Sensus est, ideo delebitur Amalec de terra, quia manus Domini super solium suum, hoc est, quia Dominus ponens manum suam super thronum suum, more iurantium, iurauit se deleturum Amalec. Sed, quæso, cur Deus iuramentum hîc adhibuit? Solet quidem iuramentum adhibere Deus in promissionibus suis, vt nos, quibus promissiones fiunt, certitudinem diuini decreti inde, tanquam homines, colligentes, de promissis gaudeamus, & intensiùs gratias illi reddamus: sicut Genes. 22. per semetipsum iurauit Abrahæ, se benedicturum se-*Psal. 131.* mini eius; sic & Dauidi iurauit: *De fructu ventris tui po-* *11.* *nam super sedem tuam*, &c. Cùm verò hîc non de promissionibus, sed de comminationibus, non de misericordijs, sed de supplicijs agat, ad quid, quæso, iusiurandum hoc? Respondet author quidam grauis, quia Deus sententias suppliciorum facilè mutare solet, vt constat in Niniuitis, & in rege Ezechiæ, Isaiæ 8. Vt igitur certiores homines redderet, se certò puniturum Amalecitas, iusiurandum adhibuit, se nostro accommodans modo: cùm quis enim se propensum ad aliquid videt, & firmiter vult oppositum facere, iuramento se adstringit, vel, vt iam aliud facere nequeat, vel vt certos alios faciat decreti sui; vt ita nemo dicat: mutabit hic sententiam: propensus enim in contrarium. Sic Deus nos certos reddere volens punitionis Amalecitarum, iurauit per thronum suum, se illos deleturum: propensus enim est naturâ suâ ad clementiam, &c. ita quidem factum est, punjuit eos, sed expectauit spatio quadringentorum annorum, licèt enim adeo iratus fuerit tunc, vt iuramento confirmauerit sententiam, pietas, & misericordia tamen sic retardarunt illum.

Etenim, non solùm in beneficijs, verùm etiam in supplicijs, se nobis misericordem exhibet Deus. Vnde se Christus Dominus viti comparauit, *Ego*, inquit, *sum vi-* *Ioan. 15.* *tis, & vos palmites*: hoc autem proprium habet vitis, quòd, cùm ab ea amputantur palmites, licèt inutiles illi sint, & eos expediat amputari, plorat, & ea parte, quâ amputatus est palmes, plures lacrymas fundit; sic etiam Christus Dominus, cùm falce diuinæ iustitiæ inutiles eius palmites amputantur, plorat, vt constat Luc. 19. vbi, *Videns ciuitatem fleuit super eam, videns*, inquam, ciuitatem illam plenam peccatis, & considerans supplicium quod de ipsa ciuitate sumpturus erat, dicens: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo* & reliqua desolationis eius exprimens, lachrymas pietate plenas, profundebat. Nonne Domine tu ipse es, qui puniturus es ciuitatem istam? ita est, sed hoc ego fleo, quòd puniturus sum illam, sicut pius iudex, qui, cùm subscribere debet sententiam mortis alicuius rei, simul scribit, & plorat; sic Christus Dominus simul sententiam desolationis Hierusalem pronunciat, & plorat.

Simile huic est quod per Isaiam Dominus ait, vi- B dictam quam sumpturus erat de populo, nuncians, *Ie-* *Ier. 30.* *Heu*, inquit, *consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Vbi Sanctus Hieronymus, *Plangit*, inquit, *clementiæ mus pater principes delinquentes, quòd pereant, eò quòd nolint agere pœnitentiam.* Ita ille. Et Glossa ordinaria, *Affectu*, inquit, *pij patris eos, (licèt inimicos) plangit, & perire sit, quia pereunt, & pœnitere nolunt.* Ita Glossa. Videsne immensam Dei clementiam, non solùm erga pios, sed erga impios, & non solùm erga quosuis impios, sed erga inimicos, & hostes impœnitentes, & proteruos? *Ideo*, inquit, quæ interiectio dolentis est, & flentis ex animi compassione, &c.

Hinc etiam Ezech. 28. sic Dominus ad Ezechielem: *Fili hominis, leua planctum super regem Tyri.* quam ob causam? *Producam*, inquit, *ignem de medio tui, qui comedat te*, &c. Annunciat hîc Dominus supplicium quod sumpturus erat de rege Tyri, propter scelera, & peccata sua: cur igitur plangere Prophetam iubet super illo iu- C stissimo supplicio; quia pius, & misericors est, & nollet punire, sed glorificare nos &c.

Hinc est, quòd cùm Dominus ad iudicandum veniet, erunt signa in sole, & luna, & stellis. Signa hæc signa sunt doloris, quo tactus Dominus intrinsecùs, veluti dicat: *Deleboheminem quem feci, & malos male perdam.* *Exod.* Huiusmodi signa mœrorem important, iuxta illud, *Ba.* *Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te &c.* quasi lugens, & contristatus, ad puniendos & damnandos peccatores Dominus in iudicium procedit, &c.

Abac. 3. *Domine, cùm iratus fueris, misericordiæ recorda-* *Abac. 3.* *beris*, hoc est, quamuis veniâ prorsus nos indigni simus, 2. postquam aliquantùm contra nos iram demonstraueris, non in æternum irasceris, sed dabis etiam locum suum misericordiæ tuæ, & post tempestatem tranquillum facies. Sic, postquam iam semel fueris iratus, non obliuiscèris misereri; sed misericordiæ recordaberis.

Hinc in signum fœderis, *Arcum*, inquit, *meum ponam* *Gen. 9.* *in nubibus cœli*: arcus hic nunquam apparet, nisi inter nubila, & tempestates; arcum ergo huiusmodi in fœdus pacis affignat, vt inter tempestates, & iras eius, misericordiam eius agnoscamus, & inter bella pacem, & inter supplicia veniam, &c.

Hinc iudicij tempus signa præcedent, quæ miseri- *Luc. 21.* cordiæ signa dicenda sunt, quamuis terribilia esse videantur; ad hoc enim ordinata sunt, vt homines timore perculsi, ad Dei misericordiam se recipiant. quæ tanta eius clementia est, vt plurimis ante annis eam adnotauerit, & prophetauerit Dauid Psalm. 59. *Ostendi-* *Psal. 59.* *sti*, inquit, *populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis, de-* *disti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* S. Gregor. 3. Moral. 28. sic interpretatur locum hunc. *S. Greg.* *Pet*

Per arcum dies iud cij designatur : in arcu enim quantò longè trahitur chorda, tantò de eo districtior exit sagitta; sic nimirum, sic extremi Iudicij dies quantò longe differtur, vt veniat; tanto, cùm venerit, de illo districtior sententia procedet. Idcirco autem nunc diuersis clad bus percutimur, vt hic correpti, paratiores tunc inuentri valeamus. Vnde ibi præmissum est: Ostendisti populo tuo dura, *flagella scilicet secuti, quæ secutorum iudicij diem præcurrunt :* potasti nos vino compunctionis, *vt terrena gaudia in lacrymas verterentur :* dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus; *quasi d cat, hoc tempus misericordiæ est, illud tempus iudicij erit. Per ista ergo temporis flagella significas, quomodo tunc percussurus es, quando non parcens iudicas, qui sic districtè modò percutis, quando parcis.* Ita Sanct. Gregor. Vbi nota quòd non solùm afflictiones & flagella huius temporis nobis præbet Deus, vt eis admoniti, à iustitia eius ad misericordiam confugiamus; verùm etiam illa signa præcedentia immediatè iudicium ad hoc sunt, vt fugiamus à facie arcus iudicij, *toda via sera se hecar el arco.* Nunc ad rem : quid de illo diceres venatore, qui ante ceruos & feras arcum inflecteret, ac vibraret? nónne hoc esset ceruos fugare? qui enim illas occidere vult, arcum & seipsum absconde debet, quia *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Si Deus occidere, & damnare peccatores intenderet, absconde re iudicij arcum deberet: at ita manifestè eum oculis omnium opponit, sicut lux meridiana omnibus clara est; ideo in sole, & luna & stellis signa iudicij apponit, vt in luce harum sagittarum, & in fulgore hastæ Dei, periculum suum videant peccatores, & fugiant à facie arcus, & liberentur facti dilecti eius.

Iudith 2. legitur de Holopherne, quòd descendens in campos Damascenos in diebus messis, succendit omnia sata, & arbores, & vineas. *Cecidit,* ait textus, *timor illius super omnes inhabitantes terram,* tunc misérunt legatos vniuersarum vrbium, ac prouinciarum, reges, ac principes, Syriæ scilicet, & Mesopotamiæ, & Libyæ, atque Ciliciæ, qui venientes ad Holophernem, dixerunt : *Desinat indignatio tua circa nos : melius est enim, vt viuentes seruiamus Nabuchodonosor regi magno, & subditi simus tibi, quàm morientes cum interitu nostro, ipsi seruitutis nostræ damna patiamur. Omnis ciuitas nostra, omnisque possessio, armenta boum, gregesque ouium, & caprarum, equorum, & camelorum, & vniuersæ facultates nostræ, atque familiæ, in conspectu tuo sunt: sint omnia nostra sub lege tua. Nos, & filij nostri serui tui sumus. Veni nobis pacificus Dominus.* Ita ille, & hoc est, quod Holophernes intendebat, non quidè opprimere, & occidere simul, sed in seruitutem Nabuchodonosoris redigere illos; sic Christus Dominus, cùm ad iudicandum venerit, signa hæc præmittet, *Vendra talando cielo y tierra,* non vt perdat, sed vt in seruitutem magni illius Imperatoris totius creaturæ nos redigat omnes. O vtinam & nos quod illi fecerunt, faciamus, & quod illi dixerunt, dicamus : *Sint omnia nostra sub lege tua, nos etiam serui tui sumus* quantò nobis vtilior, quantò nobis gloriosior foret hæc traditio, quàm illis illa: nam illa ad seruitutem, hæc ad libertatem; illa tyrannos; hæc Deo, illa in contumeliam, hæc in honorem; illa in plurimum damnum, hæc in omnimodam vtilitatem, quia ex ea pendet gratia, & gloria nostra. Sed ad rem iam reuertamur: hæc omnia signa, signa charitatis immensæ & misericordiæ diuinæ extiterunt, qui ante faciem furoris sui misericordiam præmittit: ille quidem, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat, qui minatur, non vt terreat solùm, sed vt territi saluemur.

Ad hoc igitur minæ, ac reprehensiones, ac monita diuina ordinantur, non vt notificetur nobis damnationis nostræ sententia solùm; sed vt appellationis beneficio vtamur, & appellemus à Deo iusto ad Deum misericordem. quòd si noluerimus, væ nobis : nam, vt aurea illa sententia ait Valerij Maximi : *Lento gradu ad vindictam procedit iustitia diuina, sed tarditatem supplicij gratuitate compensat,* &c.

Sed non nobis opus est sententijs Valerij Maximi, nec Platonis, nec aliorum Philosophorum ; habemus firmiorem Apostolicum sermonem apud Apostol. Iacobum in sua canonica, cap. 2. *Superexaltat misericordia iudicium.* vbi Sanct. Thom. *Sensus est, quantò misericordia maior impenditur alicui in præsenti, tantò, si ingratus fuerit, grauius in futuro punietur.* Ita ille. Sic ergo superexaltat, seu aggrauat misericordia Dei præsens in nos iudicium futurum contra nos. *Iac. 2. 13. Thom.*

Alio modo exponi potest hic locus Iacobi, vti ait idem S. Thom. ibidem, scilicet, quòd loquatur de misericordia, & iustitia Dei inter se collatis, *superexaltat,* id est, multò altior, & sublimior, quoad exercitium, est misericordia, quàm iudicium Dei. Vnde ait S. Thom. *Nota quòd ex quo misericordia superexaltat iudicium, & maior est curia misericordiæ, quàm iustitiæ : sicut à minori curia licitum est appellare ad maiorem, ita & à curia iustitiæ ad curiam misericordiæ.* Ita ille. Hoc igitur fac & viues.

Item Psal. 21. *Timeat eum omne semen Israel, quoniam non sprenit, neque despexit deprecationem pauperis,* id est, omnes fideles ideo timere Dominum debent, quia adeo misericors est, vt neque pauperum deprecationem despiciat. Hic sensus huius loci receptus : sed quænam consequentia hæc? Deus ille qui etiam pauperum curam gerit, ab omnibus timeri meretur, quodque omnes illi pareant, & seruiant semper, admittit tamen & hunc sensum, quia Deus adeo misericors est, timendus est; cur ita : ex misericordia Dei spes potiùs, quàm timor, concipienda videtur : quia quantò misericors, tantò iustiùs puniet eos, qui eius misericordiâ fuerint abusi. *Psal. 21. 19.*

Item ad Rom. 2. *Existimas autem ô homo quia tu effugies iudicium Dei ?* loquitur ibi Apostolus homini peccatori, cui vt timorem incutiat, iudicium Dei seuerum ante oculos eius ponit, & subdit : *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis ?* Ad quid nunc diuitias bonitatis, & misericordiæ Dei, proponit? cõsequenter enim loquendo dicendũ videbatur: An ignoras seueritatem diuini iudicij, & verba illa, *Ite maledicti,* &c. & tamen non hoc, sed *an ignoras,* inquit, *diuitias bonitatis,* &c. quia ex magnitudine bonitatis eius in nos scil. rectè colligitur seueritas iudicij eius in nos sic, si bonitate fuerimus abusi: vnde subdit: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam* (ad bonitatem scilicet Dei) *& impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ,* &c. *Rom. 2. 3. Ibid. v. 4. Ibid.*

Prop. VI. *Misericordia Dei à Deo ortum habet iustitia verò seu punitio à nobis.*

Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Nónne satis erat asserere Deum misereri nostri? cur apud Deum misericordia, & copiosa redemptio apud eum? Hugo Cardin. respondet ibi : *Fuit namque, est, & erit apud Dominum misericordia, sicut apud fontem viuum riuulus iugiter emanat, quem sola ingratitudo deficeat.* Ita ille. Nusquam autem leges, quia apud Dominum iustitia, & copiosa apud eum condemnatio, quia hæc à nobis initium sumunt. Vnde Osc. 13. *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* hoc est, ô Israel, tu ipse tui ipsius perditionis causa es, à me verò pietas, &c. *Ps. 129. 7. Hugo. Osa. 13. 9.*

Hinc Origenes, Sanctus Chrysostomus, Theophyl. & Euthymius, Deum ab initio creationis mundi, parasse iustis regnum cœlorum affirmant, non item gehennam inferni; quousque Angeli peccauerunt, tunc gehennam constituit illis. quod ex illo Christi Domini probant : *Venite benedicti Patru mei, possidete regnum, quod vobu paratum est à constitutione mundi.* A constitutione mundi, ait, quod non de inferno simpli- *Origen. Chrysost. Theoph. Euthym. Matt. 25. 34.*

citer asseruit, sed quod paratum est diabolo, & angelis, eius &c.

PROP VII. *Quàm periculosum sit peccare, nimium in diuina misericordia confidendo.*

SVnt qui nimiùm præsumentes de diuina misericordia, peccare audent. Audi quid de hac re S. Augustinus super Psalm. 98. super illud, *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & sanctum est.* Homo in se non potest æquitatem formare, sed deformare. Idoneus est homo ad vulnerandum se; nunquid idoneus est ad sanandum se? quando vult, ægrotat, non quando vult; surgit, eo de ægrotat quo vult, cùm autem viuendo intemperanter cœperit ægrotare, non surget quando vult; vt iaceret ægrotus, intemperantiam suam habuit causam; vt autem surgat, necessariam habet artificis medicinam. Sic ergo vt peccet homo, ipse sibi sufficiens est: vt iustificetur, non sufficit sibi, nisi ab illo iustificetur, qui solus est iustus. Ita S. Aug. Timere autem meritò peccator debet, ne iusto Dei iudicio ipsi Deus auxilium efficax neget propter suum peccatum, & temeritatem, & abusum misericordiæ diuinæ.

Psal. 98. 3. Augustin. Simile.

B

DEI EXCELLENTIA.

PROP. Vnica. *Quanta sit Dei sublimitas & excellentia, & alia eius perfectiones.*

INuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. Artificis excellentia ex artefactis ab ipso dignosci solet: qualis quantusque sit scriba, ex scriptura, qualis pictor, ex pictura, qualis architectus, ex ædificio ab eo constructo, &c. Sic quamuis inuisibilis omnino sit Dei excellentia, ex eius operibus multùm à nobis dignosci potest, & hoc est quod ait Apostol. *Inuisibilia &c.*

Rom 1. 20.

C

Rogauerunt quidam S. Antonium Abbatem, quo pacto in eremo sine libris saltem legere posset? Quibus ille, *Imò habeo* (inquit) *optimum & eximium librum, in quo mira & diuina lego, mundum scilicet vniuersum, in quo, non solùm de creaturis, sed etiam de creatore mira percipio.*

Consonat huic responso S. Basilius in Hexam. dicens: *Vniuersa hæc mundi moles perinde est, ac liber litteris exaratus, palam contestans, & prædicans Dei gloriam, & illius augustissimam maiestatem.*

Imò Philosophus Trismegistus, *Tota*, inquit, *mundi conspiratio, & rerum pulcherrimus ordo, contemplandi Deum suggerit materiam: est enim natura, velut liber quidam diuinitate plenus.* Ita ille. Ita quidem est: cœlum enim est, velut plana quædam tot literis conscripta, quot stellis ornata, literis, inquam, aureis, mirè illuminatis, quæ authoris sui prædicant gloriam: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Item terra ipsa est folium aliud huius libri, tot etiam literas continens quot plantas, flores, fructus, mineralia, lapides pretiosos, & animalia. Idem de aqua cum suorum piscium multitudine, & de aere cum suarum auium varietate & pulchritudine dicendum est: imò vasca tantùm creatura ex infimis, v. g. formica vna ex his quæ tu infra pedes facilè conculcas, si rectè eius artificium, compositionem prudentiamque consideraueris, vel folium vnum floris, rectè perpenderis, te in Conditoris excellentiam facilè rapiet. *En que telares se texio essa flor tan suaue, tan hermosa, tan oloroſa, y rauda da, &c.* Quòd si hominem attenderis, non mirum si dixeris: *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.*

Liber de Pimandro.

Psal. 18. 1.

D

Vnde Tullius, *Cogit* (inquit) *inuitos ordo rerum cœlestium, mundique pulchritudo fateri, esse præstantem æternamque naturam.* Ita ille. Pondera verbum, *cogit* nos, quasi dicat, non permittit opinari, sed cogit, velut demonstratio quædam à posteriori euidens, non solùm Deum esse, qui hæc omnia creauit, sed præstantem quandam & æternam illam naturam, quæ sciuit, quæ potuit talia tantaque creare.

Tull. de Diuinat.

Vnde Sapiens: *A magnitudine speciei & creaturæ, poterit creator horum videri.* non ait per coniecturam cognosci, quasi diceret, *si por el bulto se ha de sacar el oblulo, y por la vna el leon, y por el effecto la causa, y por lo criado el criador, por vna belleza tan rara, y vna ligereza tan bella de criaturas, que podremos inferir del criador.* Si audires mirabilem musicæ concentum pulsantis citharam, nónne simul diceres, mirabilem esse artificem huiusmodi fidibus pulsantem? Quis non mundi concentum audit? &c.

Sap. 13. 5.

S. Cyprian. *Seraphim* (inquit) *faciem Dei, & pedes velant, & patent hus quæ in medio sunt, principium medium & finis, maiestatis diuinæ, alarum extensione infra supraq; apertens, ad hæc se temerarijs tractatoribus vel scriptoribus interdixit, nec pati vult ad legendum diuinitas se videri, quàm vtique intestigatio fidelis ad quo modo adorat vel sentit; sed parum eius essentiam nec conspicit, nec comprehendit.* Affirmatio quippe de Dei essentia in promptu habeni non potest: neque enim definibilis est diuinitas, sed verius sinceriusq; remotio indicat negando quid non sit, quàm asserendo quid sit: quantum quidquid sensui subiacet, illud esse non potest, quod omnem superat intellectum. *Quidquid audiri, vel videri, vel scirì potest, non conuenit diuinæ maiestati: hebes est in hac considerationc omnis acies sensuum, & caligat aspectus: hanc inuisibilem lucem & inaccessibilem naturam sex alis hinc & inde Seraphim sistu & volatu circumeunt, & abscondunt, sistu æternitatis immobilitatem monstrantes, volatu verò altitudinem eius sic superioribus elongatam, vt quantumlibet ad cor altum homo ascendat, exaltetur Deus, & comprehensionis importunitatem euadat. Quòd si meipsum non cognosco, si animæ meæ substantiam & naturam ignoro, si eorum quæ intra me sunt, tantamnem non intelligo, quâ audaciâ supra me oculos erigam, vt videam principium fine principio, & finem sine fine attingam?* Ita S. Cyprian.

Lib. de Zelo & liuore.

Ruffinus, *Non me latet*, inquit, *sententia illa Sapientum, quæ probè admodum docet: De Deo decere etiam vera, periculosum est.* Ita ille. Et ratio huius est, quia vera ipsa, quæ de Deo affirmamus, excedunt mentis nostræ aciem.

Ex capite 24. Isaiæ symbola.

Vnde Dauid: *Te decet hymnus Deus in Sion.* Sanct. Hieronym. ex Hebræo sic legit: *Tibi silentium, laus Deus in Sion*: translatio verò seu paraphrasis Chaldaica, sic, *Coram te reputatur sicut silentium laus Angelorum.* Vnde non solùm hominibus, verùm & ipsi Angelorum naturæ incomprehensibilis est & inexplicabilis.

Psal. 64. 2.

In sacris literis inuenitur quædam punctuatio, quæ vocatur *Dagues*, & ponitur in verbis secundæ coniugationis linguæ Hebrææ ad augendam vehementiam pronunciationis illius verbi: sicuti cùm nos Hispani ponimus in nonnullis dictionibus duplicatam literam, vt cùm dicimus *guerra, terra*, &c. ad hoc igitur defertur punctum hoc dictum *Dagues* in dictis verbis, præterquam in verbis huiusmodi, quando ponuntur immediatè post nomen ineffabile Dei Iehoua. tunc enim, licèt ponantur verba quę ad vim & efficaciam sæ pronunciationis exigunt *Dagues*, nunquam solet apponi. cur non? quia in sacræ literæ Dei nomen venerantur, significantes Deum silentio & submissione verborum, & limitatione prolationis esse proferendum. *Te decet silentium Deus in Sion.*

Hinc patet intellectus illius versiculi eiusdem Psalmi, *& timebunt qui habitant terminos a signis tuis*, vbi ex originali

Psal. 64. 9.

originali Hebræo transferunt nonnulli loco illorum verborum, *à signis tuis, à literis tuis*: vnde, secundùm nonnullos, sensus est, etiam literæ, quæ iuxta nomeū tuum sitæ sunt, timebunt nomen tuum Domine, seu obmutescent, prolationis suæ vim comprimendo. Vide quàm deceat Dei reuerentiam, & honorem silentium nostrum: siquidem vel ipsæ literæ sacræ Dei nutu & directione conscriptæ sic obmutescunt coram Deo, seu nomine illius. Cùm igitur Deus ita ineffabilis sit, & dignus quē silentio veneremur, ab eius tractatione abstinendum à nobis quidem videbatur: sed quia dignus etiam est, vt nunquam à corde & lingua recedat, licebit pro modulo nostro, secundùm ea, quæ de seipso Dominus reuelauit, aliquid enunciare: etsi enim perexiguum id sit, vtilius certè, & delectabilius nobis erit, quàm multa & profunda de alijs à Deo disputare, secundùm illud Aristotelis: *Accidit circa illas venerabiles, existentes, & diuinas substantias minores nobis esse theoricas: sed etsi secundum modicum attingamus eas, tamen propter honorabilitatem cognoscendi, delectabilius aliquid addent, quanquam apud nos omnia.* Ita Philosophus.

Vnde Tullius: *Homini timide de potestate Deorum, & pauca decenda sunt.* Ita ille. hoc autem Cicero dixit, quia cùm ineffabilis Deus sit, temerarius esset qui multiplicitate verborum se dignè de Deo dicere putaret.

Idem Tullius: *Ea est Dei vita, quâ nihil beatius, & nihil omnino in bonis omnibus affluentius, potest cogitari, sua potentia & virtute gaudet.* Ita ille. Vbi excellentiam Dei fatetur supra omnem nostram cogitationem esse. Maior est ille in se, quàm nostra mens fingere valet: valet autem mens nostra multa fingere intra se, diuitias, honores, gaudia, potētiam, maiestatē, sapientiā, &c. sed postquam mens nostra ideam aliquā finxerit eminentissimam, talem ideā à Dei natura infinitè distare fatēdum est. Præterea pondera, *potentia & virtute sua gaudet*, meliùs dicemus seipso contentus est, exaggeratio mira: nam vel hominis cor, quod participatio minima diuini cordis est, nullis bonis creatis contentum est: semper enim potitis fastiditis, ad altiora cōtendit, neque se neque alijs rebus cōtentum viuit. quale igitur bonū illud erit, quòd cordi cordium Conditoris satis est? Hic igitur est Deus: se enim ipso, absque alio quouis bono, contentus viuit.

Quærunt Theologi, quid ageret Deus priusquam orbem crearet? & respondent: Seipso gruebatur, & seipso gaudens, contentus in æternitate illa fuit. Vnde quamuis modò innumeris Angelorum & hominum millibus in cœlo gaudeat, neque in puncto indiuisibili gloria eius & excellentia creuit, &c.

Ego Ioannes vidi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo: & audiui vocem magnam, dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Ciuitatem sanctam Ierusalem vocat habitationem illam cœlestem, & gloriosam, in qua Deus cum Angelis & sanctis habitat in æternum, de qua mira & sublimia dicit Apostolus Ioannes. cur igitur eam tabernaculum vocat? tabernaculum quidem habitatio est parui momenti, & velut tugurium quoddam: quid igitur ciuitati illi immensæ & excellenti cum tabernaculis pauperū? Respondent aliqui, tabernaculum Dei dici ciuitatem illam gloriosam, & magnificam, respectu Dei diuinæ maiestatis inhabitantis in ea: est enim minùs quàm tabernaculum pastorum respectu Regis terreni, quamuis ille totius mundi monarcha sit: neque enim domus Dei dici meretur: nulla enim domus, vel ciuitas Dei plenè dici valet, nisi ipsemet Deus, qui in seipso habitauit, & habitabit in æternum. Vide igitur quanta sit Dei sublimitas, & excellentia, vt tanta gloria cœli, vt habitaculum Dei considerata, tabernaculum pastoris dici possit.

Seneca lib. 7. Natur. quæstion. cap. 1. *Nemo vsque adeo tardus & hebes est, vt ad diuina se non erigat, & tota mente consurgat: vtique vbi nouum aliquod è cœlo miraculum fulsit,*

Nam quamdiu solita decurrunt, magnitudinem rerum consuetudo subduxit: ita enim compositi sumus, vt nos quotidiana, etiamsi admiratione digna sint, transeant: contrà verò minimarum quoque rerum, si insolita prodeant, spectaculum dulce fiat. Hic itaque cœtus astrorum, quibus immensi corporis distinguitur pulchritudo, populum non conuocat: at cum aliquid ex more mutatur, omnium vultus in cœlo est: sol spectatorem, nisi cùm deficit, non habet. Nemo obseruat lunam, nisi laborantem; tunc omnes conclamant, tunc pro se quisque superstitione trepidant vana. Quantò illa maiora sunt, quòd sol totidem (vt ita dicam) gradus, quot dies habet, & annum circuitu suo claudit: quòd à Solstitio ad minuendos dies vertitur, quòd à Solstitio statim inclinat, & dat noctibus spatium: quod sydera abscondit, quod terras, cùm tantò maior sit illis, non vrit, fed calorem suum intensionibus, ac remissionibus temperando fouet? quòd lunam nunquam impleat, nisi aduersam sibi, nec obscurat. Hæc tamen non annotamus, quamdiu seruatur ordo, sed si quid turbatum est, aut præter consuetudinem emicuit, spectamus, interrogamus, ostendimus. Adeo naturale est magis noua, quàm magna mirari. Idem in Cometis fit. Si rarus, & insolita figuræ ignis apparuit, nemo non scire quid sit, cupit, & oblitus aliorum, de admentio quærit, ignarus, an debeat mirari, an timere? Ita Seneca.

Quamuis horologium aliquod magno & mirabili artificio constet, & in alto & honorifico loco ciuitatis collocatum fuerit, si hora competenti signum horæ non reddat, inutilis prorsus erit ciuitati. Est quidem mundus hic veluti horologium quoddam miro conditum artificio, at sicut frustraneum est vniuersum horologij artificium, si non sonat; sic si homo, qui veluti huius horologij lingua est, non resonat, Deum laudans, inutile reddet, quantum est in se, totum Vniuersum. Ad hoc enim Deus condidit omnia, vt omnia ei confiteantur & ipsum laudent. *Omnia* enim, vt Sapiens ait, *propter semetipsum operatus est Dominus.* Quo pacto, quæso, propter se? nunquid vt inde lucrum aliquod vel commoditatem aliquam capiat? Absit: sed vt gloriam & honorē & laudem inde consequatur. quòd si id non præstiterit homo, non est in natura corporea creatura alia quæ hoc præstare possit. Laudant quidem eum astra matutina, id est, Angeli, sed cùm extra corporea illi sint, intra ea aliquam creaturam esse oportuit, quæ in terra, sicut in cœlo Angeli, Deum collaudaret. Hic igitur homo est: quòd si à tali Dei laude cessauerit homo, velut à suo sine vniuersus orbis frustratus esse videtur.

At inquies: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* ergo quamuis id non efficiat homo, non deest creatura id præstans. Ita est: cœli enarrant gloriam Dei, non expressè, sed causam & ansam homini præbentes, vt Deum laudet, opificem cœlorum: ideo enim Dauid, *A solis, in quit, ortu vsque ad occasum, laudabile*, non laudatum ait, *nomen Domini*: omnia enim expectant, vt lingua hominis, quæ huius horologij magni lingua est, potentiam hanc ad actum reducat, & Deum, ex creaturis laudabilem, de facto laudet. Vnde & eodem etiam frustrari videtur ex cœlorum in eum gloria, &c. Hinc Salomon exclamauit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Cur omnia vanitas? nónne terra herbas, flores, & fructus, & aurum, & argentum, & lapides gignit pretiosos? nónne aqua pisces, & aer aues alit, nónne sol lucet, & cœli mouentur, & influunt astra? quomodo ergo vanitas omnia? Quia vltima ratio creationis creaturarum harum, non illa, sed Dei gloria est: quare si cessauerit hæc, vana meritò cuncta dicentur. Vnde, cùm Salomon homines Dei oblitos intueretur, meritò exclamauit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Quâ igitur pœnâ dignus erit homo, qui talem tantamque mundi creaturam in Dei offensam inutilem, & vanam reddit, &c.

Meritò quidem vitâ priuandus est ille, qui Deum

laudare in vita non curat, & in eum proijcit locum, A
vbi Deus non laudatur, sepulturam dico, de quo Da-
Psal. 113. 17. uid Psalm. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum; sed nos qui viuimus benedicimus Domino, ex hoc nunc, & vsque in seculum*: nimirum quia ad Deum collaudandum vitâ donati sumus. Vnde sicut talentum ab eo Deus iussit auferri, qui nihil eo negotiabatur, quia ad hoc ei præstitum erat: sic meritò priuabitur vitâ, qui eam in laudibus diuinis non expendit, quia ad hoc ei præstita erat.

Chrysost. 1. Cor. 13. 11. S. Chrysostom. tom. 5. de comprehen. Dei natura, hom. 1. exponens illud Pauli 1. Cor. 13. *Cùm essem paruulus*, & cætera. *Etenim* (ait) *puer, tametsi cùm plura videat, audeat, & loquatur, sapiat quidem, sed nihil integrè; ita more pueri ego quoque & scio couplura, modum tamen eorum ignoro. Deum namque esse vbique, totumque esse in quauis parte orbis terrarum noui, sed quomodo sit nescio: item non incepturn, non genitum, & sempiternum esse Deum non ignoro, sed quo pacto ita sit, intelligere nequeo. Haud enim humana ratio capere potest, quomodo fieri possit, vt aliqua substantia sit, quæ neque à semetipsa, neque aliunde suam originem habeat. Fatum esse à Deo immortali genitum noui, sed quemadmodum, ignoro, Spiritum ex Deo procedere scio, sed quemad-*
Psal. 138. 14. *modum nescio. Hinc Dauid*, Confiteber tibi, quia terribiliter magnificatus es; *quid, cùm* terribiliter *dicit, significauit? multa sunt, quæ licèt miramur, non tamen cum timore: verbi gratiâ, magnifica ædificia columnarum, ornamenta pauimentum, picturas corporum, flores, & elegantiam miramur, item maris vastitatem, & gurgites immensos, sed non sine metu, cùm eos inspicimus altitudinem. Sic & Propheta, cùm vastum id, & immensum diuinæ sapientiæ inspiciat mare, quasi vertigine tentatus, obstupescit, ac summo cum timore demi-*
Ibid. v. 6. *ratus, recedit, & exclamat*: Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua: & *rursus*: Mirabilis facta est scientia tua ex me: corroborata est, & potero ad eam. *Vide famuli modestiam, vide gratitudinem. Gratias, inquit, propterea tibi ago, quòd te Dominum incomprehensibilem habeo. Non de substantia Dei agit hoc loco illam* C
enim, vtpote inter omnes constantem esse incomprehensibilem, omittit, sed cùm Deum esse vbique cogitaret, hæc dixit, explicauitque ne id quidem se intelligere quomodo fieri posset, vt
Ibid. v. 8. *Deus vbique adsit. Quòd accipe ex his, quæ adiunxit*: Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. *Videsne quantus Propheta, quomodo vbique Deus adsit intelligere nequeat, sed ambigat, hæreat, vacillet, hæc vna illius rei cogitatione? Quomodo igitur non insaniunt, qui substantiam ipsam Dei, & quantum quidipsa sit, curiose perscru-*
Psal. 50. 8. *tantur? Atque hic ille Propheta est, qui*, Incerta, *inquit, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Verumtamen qui incerta & occulta sapientiæ diuinæ percepit, de hac eadem sapientia referts, immensa est, incomprehensibilis est: Quippe qui*
Ps 146 5. Magnus Dominus, *dicat, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus, id est, nulla est comprehensio: & tu substantiam eius animo complecti te posse opinaris?*

Præterea, *cùm Isaias hæc eadem pro suo nobilissimo Philo-* D
Isai. 53. 8. *sophiæ studio contemplaretur*, Generationem, *ait*, eius quis enarrabit? *non quis enarrat, sed quis enarrabit? vt omnem posteri temporis rationem secluderet. Cùm ita que Dauid dicat*: Mirabilis facta est scientia tua ex me, *Isaias non ex se tantummodo, inquit, verùm etiam ab omni natura humana seclusi huiusmodi narrationem asserit.*

Sed, videamus an Paulus, vas illud electionis, cognouerit,
1. Cor. 13. 9. *vtpote quia gratia amplioti potiretur.* Ex parte, *inquit*, cognoscimus, & ex parte prophetamus, *& alibi, non de substantia Dei, sed de prouidentia Dei differens, non de illa vniuersali, quâ Angelis, Archangelis, & omnibus supernis virtutibus prouidetur, sed de ea prouidentiæ parte, quâ hominibus, terræ incolis, consulitur, & non de tota, sed de parte: non enim eam totam scrutatur, quâ sol oritur, quâ animæ inspirantur, quâ corpora effigiantur, quâ mortalia aluntur, quâ vniuersus mundus continetur; sed hæc omnia omittens, & particulam quandam diuinæ prouidentiæ inquirens, quâ scilicet Iudæa neglexerat, gentes autem receperit, amplexus sit. & hanc ipsam particulam, velati ad mare immensum, & gurgitem prætum, inspicieus, contra batur deficit, & recedit, & voce magna exclamat*: O altitudo diuitiarum, sapientiæ & scientiæ Rom. 11 Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inue- 33. stigabiles viæ eius: *non incomprehensibilia soluin dicit, sed inscrutabilia. quòd si scrutationem non patiuntur, longè minus igitur poterunt concipi, & comprehendi. Prætera etiam, quæ nos manent, comprehendi non possunt*: Oculus enim non vidit, & auris non audiuit; neque in cor hominis ascendit, quæ Deus præparauit his, qui diligunt eum. *Item donum eius inenarrabile est*, Gratias enim Deo. 2. 9. *inquit*, pro inenarrabili dono eius. Et pax eius omnem excedit intellectum. *Quid ais, indicia inscrutabilia sunt, & viæ inuestigabiles, donum inenarrabile, & pax omnem excedens intellectum, & quæ præparauit Deus diligentibus se, non ascenderunt in cor hominis, magnitudo finem non habet, scientia caret numero, omnia æuius incomprehensibilia sunt, & ipse*
B *solus erit comprehensibilis? Vrge hæreticum actius.* Ex parte, Cor. 13. *inquit*, cognoscimus: *non de substantia, inquies, dicit, sed de dispensationibus; si de dispensationibus hoc Paulus dicit, longè amplius vicimus, quàm si de substantia loqueretur: nam si Dei dispensatio incomprehensibilis est, multò magis ipse Deus incomprehensibilis esse debet. Verùm non de dispensationibus ea hoc loco, sed de ipsa Dei substantia, accipe ex his quæ adduntur: cùm enim proposuisset*, Ex parte, *inquit*, cognoscimus, & ex parte prophetamus: nunc ex parte cognoscimus, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. *Dic ergo à quo est cognitus? a Deone, an a dispensationibus? A Deo quidem; igitur Deus est quem ex parte cognoscit, non autem ea vt partem substantiæ nouerit, partem ignoret, cùm non tam simplicissima sit; sed quòd esse quidem Deum prouidentia norit, quòd autem substantia sit, omnino ignoret. Sapientem esse certò scit, quantum vero sapientiâ valeat, nescit. Magnum esse minimè ignorat, sed quemadmodum, & quæ sit eius magnitudo, intelligere non potest. Vbique Deum esse exploratum habet, sed quemadmodum, nescit. Quòd prouideat, contineat, regat, & gubernet, summâ cum diligentiâ curâque, non dubitat, sed modum, quo hæc agat, ignorat. Hæc de causa ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Ita S. Chrys.

Item tom. 5. hom. 3. de incomprehens. Dei natura: *Rex Regum* (ait Paulus de Deo agens) *& Dominus domi-* 1. Tim 6. *nantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat* 15. *inaccessibilem. Hic si tendum & interrogandum est, qui significet hoc, lucem inhabitat inaccessibilem. Diligenter Pauli attende: non enim dicit, qui inaccessibilis est, sed qui lucem inhabitat inaccessibilem, vt scilicet intelligas, quam inaccessibilis sit Deus ipse inhabitans. Neque ut lucem incomprehensibilem inhabitat, sed inaccessibilem, quod longe amplius est. Quod enim inquisitum, & inuestigatum comprehendi non potest, id dicimus incomprehensibile esse; quod autem neque inuestigandi vllo pacto operam patitur, & ad quod nemo propius accedere potest, id inaccessibile est. Exempli gratia: mare incomprehensibile dicimus, quod subeuntes vinatores, multumq; altitudinis transmittentes, fundum attingere nequeunt, inacces. bile, quod nemo vel vinari tentet, vel metiri. Verum vt non hominibus tantum, sed etiam Angelis incomprehensibilem esse intelligas; Isaiam audi.* Anno, *inquit*, quo mortuus est Isai. 6. 1. rex Ozias, vidi Dominum sedentem in solio excelso, & eleuato, & Seraphim stabant circum eum: sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant facies suas, & duabus obuelabant pedes. Dic, *quæso, quamobrem alas prætendunt, & suas operunt facies? quid aliud dixeris causæ, quam splendorem procul sanctum e solio illo, & fulgur profilieus eos ferre nequire? quamquam non ipsam meram videbant lucem, neque ipsam sinceram substantiam, sed quæ videbant condescensus erant, & indulgentia: condescensus autem est, cùm Deus, non vt est, se ostendat, sed quoad videre is potest, qui aspectum huiusmodi meruit, eatenus firmitate videntis suam repræsentationem metitur, ac temperat, condescendere illum tantisper dicimus: & huiusmodi rem condescensum nomi-*
mamus;

minamus, & indulgentiam. Constat autem illud fuisse quendam condescensum ex verbis ipsius Prophetæ, Vidi, inquit, Dominum sedentem: At Deus non sedet: corporis enim hic habitus est, & in solio, cùm Deum nullum solium complectatur: est enim nullius penitus capiens descriptionis. Attamen neque condescensum quidem ferre potuerunt, quamquam propinqui: Seraphini enim stabant circum eum: quod tamen, non loci signat propinquitatem, sed cùm Spiritus sanctus vellet ostendere illas essentias, quamquam diuinæ substantiæ propiores, non tamen propterea posse prosiciere; idcirco dixit: Seraphim stabant circum eum, non vt locum & statum indicaret, sed quo ex ipsa loci propinquitate propius, quam nos, illos esse ostenderet. Deum namque incomprehensibilem esse non pari modo nos, atque Angeli nouimus, sed quantò illi puriores, sapientiores, & perspicaciores sunt naturâ humanâ; tantò perfectius norunt & melius. Sicut lucem radiorum Solis, non tam cæcus, quàm qui videt esse inaccessibilem, nouit; sic naturam Dei inaccessibilem non eodem nos nouimus modo, quo illæ supernæ virtutes & incorporeæ norunt; quantum enim inter hominem cæcum, & videntem discriminis est, tantum illæ differunt à nobis. Ita S. Chrysost. Vbi nota, quòd modò de facto Angeli per visionem beatificam clarè Deum prospiciunt, non tamen Deum comprehendunt: à solo enim intellectu infinito infinita Dei essentia potest comprehendi: clarè videri rectè potest ab intellectu angelico & humano eleuato lumine gloriæ, aliàs nec ab intellectu humano, nec Angelico cognosci, & videri clarè potest Dei essentia & substantia. & ita debet intelligi S. Chrysostomus, scilicet hoc ostendatur in illa visione Isaiæ, licèt de facto Deum Angeli clarè modò videant.

Vnde subdit Sanct. Chrysostom. *Cùm Seraphini ibidem alis productis sese obuelant, nullâ prorsus alia ratio est, quàm lux quam inaccessibilem Deum habitare præclarè Paulus retulit, nec Seraphini solùm respa lucem esse inaccessibilem prædicant.*

Item S. Chrysostom. tom. 5. hom. 3. de incomprehensibili Dei natura, cùm proposuisset Dauid: *Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* addidit, *minuisti eum paulò minùs ab Angelis: verumtamen etsi paulum sit homo minoratus ab Angelis, & parum discriminis sit, tamen quia interest aliquid, nescimus exquisitè Angelorum substantiam, nec si summè philosophemur, comperire vnquam poterimus quid sit Angelus. Sed cur de Angelis loquor, quando nec ipsius quidem animi nostri substantiam satis nouimus, quod si aliqui eorum nosse contendunt, percontare, quidnam sit animus, nunquid ignis? nunquid aer? num aqua? num terra? nihil ex his esse dicent; hæc enim omnia corporea sunt, ille incorporeus est: tamen qui Angelos nesciunt, qui suos animos ignorant, iidem Dominum ac conditorem omnium rerum scire exquisitè contendunt, quid amentius? Sed cur de substantia loquor animi? cùm quomodo in nostro corpore insit anima ignoremus. Etenim dices, extendit se vna cum dimensione corporis, & infusa mens per artus totam agitat molem: at hoc ratione caret, cùm id corporis proprium sit, atque ita euenire videamus, vt plerumque, & manibus præcisis, & pedibus integer ille permaneat, nihilominus ipse truncatus, corpore diminuto, & manco. Sed non tota, inquies, in toto corpore, sed parte se colligit extra, & residet; ergo reliquas partes reddi inanimes est necesse. Sed dici nec id quidem potest: verum animum esse in corpore nostro nonimus: quomodo autem sit ignoramus, & quidem hoc ita præstitit Deus, vt nostra opprimeret ora, & meutem fragilem detineret, & constaret minimè res maiores, quam vires possint attingere humanæ, exquirere curiosè.* Ita S. Chrysost.

Hanc inter res creatas, & diuinas differentiam inuenies, quòd creatæ, quantò magis cognoscuntur, magis despiciuntur; diuinæ verò è conuerso, quia quantò magis creaturæ cognoscuntur, magis earum infirmitatem dignoscimus; diuinæ verò, cùm excellentissimæ sint, quantò magis, ac meliùs considerantur, tantò magis æstimantur, &c.

Hinc in Missæ præfatione sic de Deo canit Ecclesia: *Quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates.* Ordinem verborum attende, de Angelis ait *laudant*, de Dominationibus, quæ superiores sunt Angelis, ait *adorant*, quod amplius est, quàm laudare; tandem de Potestatibus, quæ superiores sunt, quàm Dominationes, ait, *tremunt*, &c. Chori enim Angelorum quantò superiores sunt, tantò superiorem Dei cognitionem habent, & ideo quantò superior est eorum cognitio, tantò & veneratio.

Vnde Psal. 67. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*, hoc est, vti exponit S. Antonin. in præfatione summæ Theologiæ, quantò magis in cogitatione sua se extollit, vt Deum cognoscat, tantò magis exaltatum & eleuatum esse cognoscit. *Psal. 67 7.* *Antonin.*

Rom. 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Ponderans hæc verba Sanct. Chrysost. hom. 6. in Gen. ait: *Quid dicis homo? cùm videris cœlum & eius pulchritudinem admiraris, astrorum varietatem, claritatis eminentiam; ne ibi subsistas, sed ad opificem ipsum extende mentem: obstupescere te facit solis lux, & admiraris multiplicem vsum eius? sed ueque ibi subsistas, quia si factura tam admirabilis est, quantus est, qui solo verbo & præcepto ipsam produxit? Id ipsum de terra considera, quando videris eam floribus ornari, & sicut vestimentum multis coloribus distinctum, varia herbarum segete vndique tegi; cogita quod ante hæc dixerit Deus: producat terra herbam virentem, & mox omnis terra facies ornata est.* Ita S. Chrysost. Sicut apes igitur debes ex creaturis velut ex floribus colligere celsitudinis Creatoris nostri cognitionem, & sic non solùm cœli, sed etiam terra & omnes creaturæ enarrabunt tibi gloriam Dei. *Rom. 1.* *Chrysost.* *Gen. 1. 11.*

ADDITIO.

DEus qui dum origo, & causa gignentibus est, ad æternæ beatitudinis naturam sibi ipse sufficiens, nihil extrà, vel vltrà quod sibi desit, ne aliundè expetat, dereliquit. *Et alibi.* *D. Hilarius in Psal. 69.*

Cuius cognitioni nihil occultum est, cuius auditui nihil initium est, cuius virtuti nihil reliquum, extra quem locus nullus est. *Idem in Psal. 135.*

D. Ambrosius paucis *multa complexus ita loquitur.* *S. Ambr. l. 4. de fi. de c. 7.*

Cui esse est semper, Deus est: *Idem etiam alibi.*

Verè Dei solius est esse, qui semper est. *Sed paulò fusiùs de eiusdem perfectionibus idem varijs locis.* *Idem l. 5. de fide c. 2.*

Deus natura simplicis est, non contuncte atque compositæ, cui nihil accidat, sed solum quod dimunum est, in natura habeat sua, complens omnia, nusquam ipse consusus, penetrans omnia, nusquam ipse penetrandus, vbique totus, eodemque tempore vel in cælo, vel in terris, vel in nouissimo maris præsens, visu incomprehensibilis, tactu interpretabilis, sensu inæstimabilis, fide sequendus, religione venerandus, vt quidquid religiosus sentiri potest, quidquid præstantius ad decorem, quidquid sublimius ad potestatem, hoc Deo intelligas conuenire. *Idem l. 1. de fide c. 7.*

Pro captu, pro viribus, pro fide nostra intueamur, Deus quid sit, & videamus an ei aliquid possit comparari. Certè hic est, de quo, & cùm dicitur, non potest dici: cum æstimatur non potest æstimari: cùm comparatur, non potest comparari: cùm definitur, ipsa sua definitione crescit. qui cœlum manu sua operit, pugno omnem mundi ambitum claudit. Quem totum omnia nesciunt, & metuendo sciunt: cuius nomen & virtuti famulatur hic orbis. *D. Hilarius de Patris, & filij vnitate.*

Vide cætera: Rex vnus apibus, dux vnus in gregibus, in armentis rector vnus, tu in cœlo summam potestatem diuidi credas, & scindi veri illius & diuini impe ij totam potestatem? cùm palam sit parentem omnium Deum, nec principium habere, nec terminum, qui natiuitatem omnibus præstet, sibi perpetuitatem: qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo: qui vniuersa, quæcunque sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. *Minutius Felix, in Octauio.*

D. Hilar. l. 1. de Trinit & l. 2.

Deus totus ipse, intrà extràque se continens, neque infinitus abest a cunctis, neque cuncta ei, qui infinitus est, non insunt. Pater infinitus est, quia non ipse in aliquo, sed intra eum omnia. Semper extra locum, quia non continetur in loco; semper ante aeuum, quia tempus ab eo est. Cuncta sensu, si quid ei putas vltimum esse, eum semper inuenies; quia cùm semper intendas, semper est, quo intendas. Iterum revolue tempora; semper esse inuenies. Et cùm calculi numerus in sermone descesserit, Deo tamen semper esse non deficiet. Deus inuisibilis, ineffabilis, infinitus, ad quem & eloquendum sermo sileat, & inuestigandum sensus hebetetur, & complectendum intelligentia coarctetur.

Idem in Psal. 129.

Deus qui & vbique est, & in omnibus est, totus audit, totus videt, totus efficit, totus incedit. Virtus ergo Dei, quæ æqualis, & indiscreta est, officiorum, & membrorum habet nomina; vt virtus, quà videt, oculi sint: virtus, quà audit, aures sint: virtus, quà efficit, manus sint; virtus, quà adest, pedes sint: officiorum diuersitates virtutis huius potestate peragente. Deus, qui vbique est, & vbique adest, videt, efficit, sed orandus à nobis est, vt secundum precem nostram adsit, audiat, videat, efficiat. Natura sua est vt audiat, sed fidei nostræ vt precemur audiri.

Idem in Psal. 144.

Hæc Dei prima & præcipua laudatio est, quòd nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum & magnitudinis suæ habeat & laudis: virtus eius opinione non claudatur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur. Arctius ad id sensus noster est, ingenium hebes est, seruo motus est. Finem magnificentia eius nescit, & aliquam emetiendæ se opinionem immensa magnitudo non patitur.

DEI OMNIPOTENTIA.

Prop. Vnica. *Quanta sit omnipotentia Dei.*

Luc 1 37.

Sic Angelus Gabriel: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, hoc est, nulla res erit impossibilis Deo. Igitur hîc idem est verbum, & res. cur ita verbum & res confundit, cùm adeo distent inter se? S. Bernard. *Non ait Angelus, non erit impossibile apud Deum omne factum, sed omne verbum. An ideirco posuit verbum, quia quam facilè possunt homines loqui quod volunt, etiam quod nullatenus facere possunt; tam facilè, imò incomparabiliter faciliùs valet Deus opere implere, quid quid illi verbo exprimere valent? Dicam apertius. Si hominibus tam facile esset facere, quàm dicere, quæ volunt, & ipsis quoque non esset impossibile omne verbum: nunc autem quia vulgaris & vetus sermo est, multum interesse inter loqui & facere, sed apud homines, non apud Deum. Soli autem Deo, quia idem est facere, quod loqui, idem loqui, quod velle, meritò non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Denique apud Deum nec verbum desidet ab intentione, quia veritas est, nec factum à verbo, quia virtus est, nec modus a facto, quia sapientia est, ac per hoc non erit impossibile apud Deum omne verbum. Ita S. Bernard. Lege caput primum Geneseos, & videbis, quibus instrumentis ex nihilo fecerit omnia, *Fiat*, inquit, *lux*, & *facta est lux: fiat firmamentum*, & factum est ita. Denique, *Ipse dixit & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt*, &c. Ecce potentiam infinitam Dei ex nihilo totum fecit, & hoc verbo tantùm suo.

Hom 4. super missus.

Gen. 1. 3.

ADDITIO.

S. Zenon l. de Resurrectione.

Illius potentiæ mi artificis, rerum omnium conditoris ipse est vsus, impossibilium possibilitatem adferre: ex eo quod non est, facere quod est; naturam creare extra naturam: nihil prorsus habere difficile: solumque ei hoc deesse, quòd nolit esse. hæc enim est proprietas Dei, id operari, quod non potest credi.

DEI PROVIDENTIA.

Prop. 1. *Sine diuina providentia nihil nobis accidere potest.*
2. *Quanta sit in nos providentia Dei.*
3. *Deus æqualiter prouidet omnia sine personarum acceptione.*
4. *Diuina providentia reluctet in tribus creatis.*
5. *Omnia ex diuina providentia pendent, quantumuis aduersa sint.*
6. *Quàm prouidentiam Deus circa pauperes habeat.*
7. *Dei providentia quomodo reluceat in malis nostris tam culpæ, quàm pœnæ.*

Prop. 1. *Sine diuina providentia nihil nobis accidere potest.*

SVnt qui solicitudine ingenti bona sibi quærentes, nullum non lapidem moueant, quo illa valeant obtinere; Dei tamen immemores, nullam ad hoc eius requirunt opem. Hi vnde hæc bona proficiscantur, prorsus ignorant. Audiant igitur hi Psalm. *Dixi Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.* Quid est sortes meæ? Nota est metaphora sortium, apponitur vas aureum, vel argenteum, vel lapis pretiosus, vel simile, dandum cui obtigerit sors. educuntur ex vrna vrna quadam nomina eorum, qui sortem illam sortiuntur; ex alia verò vrna educuntur sortes, omnes quidem vacuæ, & inanes, præter illam signatam. educitur igitur ex vrna illa nomen Domini alicuius, & ex hac educitur alba papyrus, & inanis, ex illa sapiens, vel primarius quis, ex hac verò similis alia papyrus. Ex quoque ex illa nomen pauperis, ignobilis & idiotæ, ex hac verò vasis aurei sors fœlix. Quid hoc? diuiti, nobili ac sapienti? minimè, pauperi verò & despecto contingit sors? Ita, quia sors non in meritò, non in nobilitate, non in sapientia fundatur, sed in Dei voluntate. *In sorte, ait S. Augustinus ibidem, non est electio, sed voluntas Dei: ex eo enim, quòd gratis datur, sors vocatur.* Ita ille. Ideo igitur ait Dauid: *In manibus tuis sortes meæ*, hoc est; euentus rerum mearum, bona mea, & fœlicitas mea in manibus tuis; quasi dicat, non in solicitudine mea, non in adinuentionibus meis, & in machinamentis discursus mentis meæ; sed in manibus tuis, in voluntate & iudicio tuo: hæ sunt enim Dei manus.

Exod.

Aug. Psal.

Quod mirè adumbrat visio illa Ioannis Apoc. 1. vbi Christum Dominum vidit habentem in dextera sua stellas septem. Quid sunt stellæ istæ? *Septem stellæ sunt* (ait ibid. Christus ipse) *Angeli sunt septem Ecclesiarum*, hoc est, septem Episcopi septem Ecclesiarum Asiæ. Ecce vbinam Episcopi sint, & vnde oriantur dignitates Episcopales. Accurrunt ad manus regis, vel Papæ, qui Episcopatus desiderant, quia à manu regis, vel summi Pontificis emanare illos credunt; sed errant, in manu Dei sunt, ipse tribuit eos quibus ipsi placet.

Apoc. 1.

Et idem est dictum de reliquis bonis: à Domino cuncta proueniunt. De homine fœlici dicere solemus, quòd habeat stellam, *fulano tiene estrella, dado le sucede a pedir de boca.* Esto, modum loquendi fi admittamus, quamuis gentilitium sapiat stylum, habet stellam. At stellæ vbi? *In manu*, inquit, *eius stellæ septem*, quæ quidem non solùm septem illas Ecclesiasticas dignitates, sed etiam septem illas stellas, quas *Planetas* vocamus, intelligere debemus. Illæ quippe sunt, quæ præcipuum habent in nos influxum, & quæ maximè inferiora gubernant, & moderantur. Illæ igitur stellæ in manu Dei sunt; quia in manibus eius sortes nostræ. Ille verò habet stellam, cui diuina opitulatur manus.

At dices, nónne Reges, & Principes, & iudices, & patroni, & alij huiusmodi distribuunt dona huiusmodi? quo ergo pacto in manibus solius Dei collocantur stellæ?

ſtellæ ? Audi : concurrit, verbi gratiâ, rex in huiuſmodi bonorum diſtributione, ſed & ipſum cor in manu Dei eſt. dicat & hoc Spiritus ſanctus Prou. 21. *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, quòcumque voluerit, inclinabit illud.* Mira ſententia, quæ metaphoram tangit agriculturæ. In hortis ſtagna quædam aquarum conſtitui ſolent, è quibus educitur aqua ad olera, & arbores rigandum; hortulanus autem aquas conducit, quò ipſe decernit, & ſæpe non ad arbores primarias, magnas, & propinquiores, ſed ad aliquam remotiorem, & debiliorem, quæ obliuioni, & deſpectui tradita videbatur, quia ſic placuit hortulano, in cuius manu diuiſiones, & diſtributiones ſunt illarum aquarum. Eſt quidem cor regis, ſicut ſtagnum dignitatum & bonorum reipublicæ, ex eo deriuantur conductæ ducum & iudicum munia, & Gubernatorum dignitates, & Eccleſiarum Epiſcopatus, & commendatariorum inſignia, & prouentus; at cor regis in manu Dei; ipſe quippe, velut Orbis hortulanus, huiuſmodi aquas eò ducit, quò placet ipſi. quòcumque enim voluerit, inclinabit cor regis: Dominus enim voluntatis noſtræ eſt, & ſine præiudicio liberi arbitrij inclinat voluntatem noſtram ſecundùm voluntatem ſuam.

Quid inde, quid ? Hinc ego ſtultitiam eorum arguo, qui Dei obliti, omnem ſolicitudinem adhibent, vt hominum voluntates venentur; hinc munera, hinc aliorum fauores, hinc importunæ ad homines preces; ad Deum verò nullæ. quid ita ? Quia Philoſophiam dictam ignorant, vnde, fonte omiſſo, ad riuulos accurrunt. Quid igitur agendum? quid agunt curiales, vt regiam inclinent voluntatem ? *Vaylante el agua delante, obedecen, zuegan, firuen*, nihil non faciunt, vt regi placeant, quò dignitates, vel lucra ſibi captent. Sic tu igitur ad Deum ora, famulare, obediens eſto, in nullo diſpliceas ei, operibus bonis, & miſericordiæ maximè vacatalibus enim hoſtijs promeretur Deus, &c.

Didicit hoc, vel inuitus, Nabuchodonoſor, qui manum oſculans ſuam, dexteræ ſuæ dominium ſibi attribuebat : deambulans enim in aula regiæ ſuæ Babylonicæ, ciuitatem circumſpiciens; *Nónne*, inquit, *hæc eſt, Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoru mei ?* Quàm arrogans homo ! quid verò Deus ? *Cumdj, ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cœlo ruit : Tibi dicitur Nabuchodonoſor rex: Regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus ejcient te, & cum beſtijs & feris erit habitatio tua : fœnum quaſi bos comedes, & ſeptem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias, quòd dominatur Excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Ita Dominus affirmauit, & ita fuit completum. At poſt finem dierum illorum ſenſus redditus fuit illi, & oculos ad cœlum eleuans, laudauit Dominum, dicens: *Magnifico, & glorifico te Domine, quia iuxta voluntatem tuam facis, tam in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ.*

Item Eccleſ. 9. *Vidi ſub ſole, nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam; ſed tempus, caſumque in omnibus.* Quæ quidem experimento ipſo facilè comprobari poſſunt : ſæpe quidem minùs velox in ſtadio currens, caſu aliquo incidente, antecedit velociorem, offendentem ſcilicet lapidem, & cadentem, & vix ſurgere valentem: *pone la voca en el ſuelo, y el gruto en el cielo, dizsiendo perdi el premio*, & tardior ille bruuium tollit. Idem de fortiori, & minùs forti in bello : caſu enim aliquo intercedente fortior à debiliori vulneratur, ac necatur, & minùs ſapiens in Vniuerſitate Literarum, literarios actus, qui in oppoſitionibus fiunt, gratiùs, & facundiùs præſtat, quo doctiorem ſuperat, & cathedrâ donatur. & inter artifices maiorem ſæpe gratiam in oculis omnium habet imperitior. Vnde meritò diuinum eſt auxilium inquirendum, quo ceſſat temporis noſtri caſus. ſic enim interpretatur illa duo verba *tempus* & *caſus*, S. Thom. 1. p. q. 103. art 5. ad primum, vbi exponens hunc locum, ait : *Tempus dicit & caſum : quia ſcilicet ſecundum aliquem ordinem temporis, caſuales defectus inueniuntur in his rebus.* Ita ille. Ac ſecundùm ordinem æternitatis diuinæ, nihil à caſu, ſed omnia ſunt à conſilio. ad eum igitur nobis recurrendum eſt, vt eius adminiculo certò nobis fœliciter eueniant, quæ nobis caſualia ſunt : *Non enim eſt conſilium contra Dominum, neque eſt, qui eius poſsit reſiſtere voluntati.*

PROP. II. *Quanta ſit in nos prouidentia Dei.*

GENeſ. 7. iuſſit Deus Noë ſecum in arcam multa introducere animalia terreſtria, & aues, &c. Quid igitur ſibi vult hæc animalium prouidentia ? numquid Deo cura eſt de bobus ? Theod. quæſt. 52. in Gen. ſic reſpondet : *Noſtrâ autem causâ etiam his conſulere dignatus eſt Deus, quod & magnus Dauid clamat.* Pſalm. 103. *Qui producit fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum,* & iterum: *Homines & iumenta ſaluabis Domine: propter nos enim etiam de noſtris curat.* Ita ille. Seruauit igitur Dominus animantium ſpecies in cibum & prouiſionem noſtram. *Genes. 7.* *Theodor.* *Pſal. 103. 14.* *Pſ. 35. 7.*

Sed dices : Nónne meliùs fuiſſet de nouo ea Dominum producere, ſicut produxit in principio, ne grauaretur Noë curâ illâ moleſtâ, quam in arca de animantibus gerebat ? voluit quidem Dominus ſuæ prouidentiæ ſpecimen Noë & filijs eius tunc dare, ne ſe omnium animalium fructu priuatos timerent, ſi cuncta animantia extincta viderent; tanta eſt erga nos cura & prouidentia eius.

Pſalm. 4. *Signatum eſt nos ſuper nos lumen vultus tui Domine : dediſti lætitiam in corde meo.* Quodnam eſt hoc *vultus* Dei *lumen* ? Etenim vultus Dei, aſpectus eius eſt in nos; *lumen* autem *vultus*, gratum in nos aſpectum denotat & manifeſtat; ſicut lux in ſe grata nobis & manifeſta eſt. Sic locum hunc interpretatur S. Baſilius in ſcholijs ſuper hunc Pſalmum, vbi etiam explicans, quo pacto confirmatus ſit ſuper nos vultus iſte Domini, ait : *Non dicit Dauid, apparuit, ſed, ſignatum eſt : ſicut enim quod in fronte ſignatur, manifeſtum eſt omnibus, & ſicut lucis aſpectus manifeſtus & clarus eſt cunctis; ita prouidentia Dei in ſignis eſt cognita & manifeſta; manifeſta, inquit, ac ſplendida facta eſt ſuper nos prouidentia tua & opitulatio: hanc enim lucem vocat.* Ita ille. Tot enim ac tanta ſunt prouidentiæ exempla, vt qui ea probare velit, lucem ſoli & aquam mari adhibere videatur. *Pſal. 4. 7.* *S. Baſil.* *Simile.*

Geneſ. 27. benedixit Abraham filium ſuum Iacob: credebat enim illum eſſe Eſau. Cur Deus, qui Patriarcham Iſaac & diligebat, & dirigebat, non reuelauit ipſi, voluntatis ſuæ eſſe, vt benediceret Iacob & non Eſau ? tunc enim ceſſaſſet & cura matris, & timor ipſius Iacob, & ambages illæ, quibus mater & filius vſi ſunt ad benedictionem illam obtinendam. Theodor. q. 79. in Geneſ. *Vt patefieret*, inquit, *prouidentia Dei ergà Iacob. quod ſatis conſtat ex eo, quòd Iſaac modis omnibus conabatur benedicere Eſau; ſed gratia Dei contra id quod intendebat Iſaac, tranſtulit benedictionem ſuper Iacob. Quod etiam intellexit ipſe Iſaac : nam cùm operam omnem dediſſet, miſit Eſau venatum, & cùm Iacob cibum illi offerret, ſapius interrogabat :* Eſne tu Eſau primogenitus meus ? *nec ſolum rogabat, ſed etiam manus corpori adhibebat. Poſtea verò Eſau ingreſſo, ſtupefactus Iſaac ob id quod factum erat, non eſt indignatus, quaſi à filio deceptus eſſet; ſed diuinam agnouit intentionem, & quam dederat benedictionem confirmauit.* Ita Theod. hanc ipſam prouidentiam expertus fuit Dauid, contra quem ingentes & multi conatus Regis Saul præualere non potuerunt. *Genes. 27.*

Geneſ. 29. Iacob poſt benedictionem Patris profectus eſt in Meſopotamiam Syriæ, &, quod valde mirum eſt, profectus eſt ſine eo apparatu, qui talem decebat virum; *Geneſ. 29.*

virum: non enim legimus secum duxisse viaticum, nec comitatum aliquem; sed, vt ex historia colligitur, solus, & velut homo, non quidem diues, cùm diues esset domus patris sui, & ipse à parentibus dilectus. Cur ita? Etenim à Deo sic ordinatum fuisse credendum est. Iustus enim vir erat, & is ex cnius genere & linea Christus Dominus descendere voluit. Huius igitur rationem reddens Theodor. ait q. 82. in Genes. *Theod.* *Prouidentia diuina manifestius declaratur in rebus aduersis: nam quibus omnia prosperè cedunt, non perinde intelligunt quantis bonis fruantur. Hac de causa Iacob solus peregrinatur, vt locupletissimus rediens, & ipse experiatur, quanta sit prouidentia Dei, & alios doceat hanc solicitudinem Dei. vnde in itinere apparens* *Gen.28. 15.* *ei, dixit: Ero custos tuus quòcumque perrexeris, & reducam te in terram hanc, nec dimittam te, nisi compleuero vniuersa quæ dixi.* Ita ille.

Simile. Sunt imagines quædam, quas pictores eo artificio figurant, vt quòcumque te verteris, intentis oculis te aspiciant, & sequantur. Sic igitur Dei prouidentiam imaginare: cuncta enim respicit, omnia nuda & aperta *Ps 138.7.* sunt oculis eius, ideo Dauid Psalm. 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Vbi non solùm esse in Deo omnium rerum euidentiam, sed etiam prouidentiam denotatur; ideo ait: *manus tua deducet me.*

Tertull. Hinc Tertullian. lib. de pœnitentia: *Deus in omnia sufficit, nec potest esse suæ perfectæ præuaricator.* Ita ille. ac si dicat, non potest esse suæ visionis præuaricator, vt scilicet videat, & non prouideat: si enim quid facere oporteret in rerum gubernatione prospiceret, & tamen non prouideret, suæ cognitionis præuaricator iudicaretur. Ideò idem Tertullian. lib. 2. contra Marc. ait: *Bonitas Dei operata est mundum, iustitia modulata est.* Ita ille. hoc est quasi modos faciendi, & leges gubernationi & prouidentiâ suâ dignas, præscripsit.

Gen.28. 12. Genes. 28. sic Scriptura sacra de Iacob: *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Hebr. *& Dominus stabat iuxta eam.* Septuaginta, *& Dominus incumbebat super eam.*

S. Theod. S. Theodor. & alij plures de prouidentia Dei locum hunc interpretantur, qui à supremis cœlorum vsque ad inferiorem terræ partem pertingit, iuxta id Sapient. 8. 1. *Sapientia* (scilicet Dei) *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Quo pacto? Sanctus

S. Bern. Bernard. lib. de gratia & libero arbitrio: *A fine vsque ad finem, id est, à cœlo vsque ad inferiores partes terræ, à maximo Angelo vsque ad infimum vermiculum. & fecundò,* à fine vsque ad finem, *id est, ab ortu creaturæ vsque ad finem destinatum à Creatore: sine in quem vrget natura, sine quem accelerat causa, sine quem concedit gratia.* Attingit *autem* fortiter, *dum nihil horum euenit, quod non prout vult, potenti præordinet prouidentiâ.* Ita S. Bern.

Denique tanta est circa res nostras Dei prouidentia, *Matt.10. 30.* vt dixerit ipse Matth. 10. *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt.* Quid capillis abiectius, quos in sterquilinium abscissos mittimus? & tamen hos numeratos se habere, *S. Ambr.* Dominus ait: *quæ autem seruare cupimus,* ait S. Ambr. *in numerato habemus.*

Hæc igitur nobis consolatio sit in aduersis: quòd si capillus de capite nec peribit, nec cadet sine prouidentia Dei; quantò maior erit (vt more nostro loquamur) eius prouidentia actualis circa maiora? non peribit pecunia, nec salus, nec honor, nec vita nostra absque speciali Dei prouidentia; hoc autem ex parte nostra prouideamus, ne prouidentia Dei, ob demerita nostra, in caput nostrum cedat, &c.

Gen.13. 2. Genes. 13. sic de Abraham: *Erat dues valde in possessione argenti, & auri.* Et vnde, quæso, sic factus est diues peregrinus, & inter extraneos, & ignotos? & qui ob famem, quæ tunc terram illam Palæstinæ, in qua versabatur Abraham, vexabat, & in Ægyptum abijt, & denique is qui magnam familiam habebat? Respondeat S. Chrysost. homil. 33. in Genes. *Non temere Scriptura hic* *Chrys.* *patriarcham diuitem vocat, id quod nulli bi alias memini, sed nunc primùm dicit, quòd fuerit diues. quare? vt discamus diuinæ prouidentiæ excellentem potentiam, ita vt, qui famis necessitate in Ægyptum peregrinari coactus fuit, is subitò diues factus sit.* Ita ille.

Prouerb. 10. *Benedictio Domini super caput iusti.* Quo- *Prou.10.* modo, inquies, Dei benedictio est super caput iusti? Ianseniusꝰ *6.* *Id est, Deus suis beneficijs caput iusti ornat; caput autem iusti tributitur benedictio, ad significandum quod de cœlo veniat super iustum benedictio.* Ita Iansenius. Alij verò sic: *Benedictio Domini super caput iusti,* hoc est, affluentia bonorum omnium homini euenit iusto: nam in sacris litteris nomine *benedictionis Domini*, talis affluentia significatur, vt est in eod. c. 10. Prouerb. num. 12. *Bene-* *Prou.10.* B *dictio Domini diuites facit, nec sociabitur eis afflictio.* Vbi *12.* Iansen. *Quamquam hæc sententia locum habeat in corporalibus piorum hominum diuitiis; vera tamen maximè est de diuitijs spiritualibus, quæ in sapientia & virtutibus consistunt: hæ enim sunt veræ diuitiæ, & solùm diuinâ beneficentiâ parari possunt, nec aliquam secum afferunt molestiam, sed plurimam voluptatem.* Vnde de sapientia dicitur: *Non habet amaritudinem conuersatio illius,* Sap. 8. Ita Iansen. *Sap.8.*

Quam autem valeat benedictio ista Dei ex cap. 9. Genes. constat, vbi filius Noë, nomine Cham, iniuriam *Gen.9.* quandàm intulit patri suo Noë, propter quam maledixit, non quidem ipsi filio Cham, sed filio ipsius Cham, qui vocabatur Chanaan, dicens: *Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.* Quærit hoc loco Theod. cur non maledixit ipsi Cham, qui deliquerat, & maledixit Chanaan nepoti, qui non intulit iniuriam auo? & respondet: *Post sedatum diluuium omnes tres filij Noë pariter benedictionis diuinæ participes fuerunt. Temerarium autem existimauit Noë maledictionem inferre illis, qui Dei benedictionem fuerat consequutus.* Ita ille. Benedixisse autem Deum omnes filios Noë, constat ex initio capitis 9. Genesis, vbi dixit: *Benedixit Deus Noë & filijs eius.* Ecce quanti momenti sit benedictio Dei. Huius autem benedictionis omnes iusti participes sunt, vt constat ex loco citato Prouerb. 10. *Benedictio Domini super caput iusti,* &c.

Exod. 11. sic Dominus ad Moysen: *Dites omni populo* *Exod.11.* (Israeliticæ nempe) *vt postulet vir ab amico suo* (scilicet *2.* Ægyptio) *& mulier à vicina sua, vasa argentea, & aurea. Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Ægyptijs.* Cur hæc vasa voluit Dominus postulari? explicauit hoc Dominus Exod. 3. num. 21. *Cùm egrediemini, non* *Exod.3.* *exibitis vacui, & spoliabitis Ægyptum.* Vbi etiam habetur, non solùm vasa, sed & vestes, accepisse Hebræos ab Ægyptijs: etenim voluit Deus ditare Hebræos suos, & spoliare Ægyptios idololatras; & vt hæc spolia darent Ægyptij populo Dei, mouit Deus corda Ægyptiorum, D vt ea accommodarent, vt aiunt Doctores Catholici; vel omnino gratis donarent, vti aiunt Doctores Hebræi. Necessaria enim erant illis, qui hæreditates suas & domos in Ægypto relinquentes, longum illud iter peragere debebant. Vt hoc pacto manifestaret Deus prouidentiam erga seruos suos, iuxta illud Psalm. 33. *Psal.33.* *11. Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono,* vel vt alia translatio habet, *leones depauperati sunt*, sicut de Daniele existente in lacu leonum habes, vbi esuriebant leones, & Da- *Dan.14.* nieli prouidit Deus cibum, Daniel. cap. 14. Et- iam constat in Elia, quem pauit Deus tempore *3.Reg.17.* magnæ famis per coruos, 3. Regul. 17. numero 6. *Que se lo quitò Dios à los cuerpos del pico para dar de* *6.* *lo à Daniel.* Corui sunt diuites mundani & auari, à quibus, cùm opus fuerit, auferet Dominus quæ

quæ habent; vt tribuat ea iustis patientibus inopiam. A

Gen. 32. cùm reuerteretur Iacob ex Mesopotamia in domum fratris sui, *fuerunt obuiam ei Angeli Dei, quos cùm vidisset, dixit: Castra Dei sunt hæc, & appellauit nomen loci illius, Castra.* Quid sibi vult apparitio hæc Angelorum tunc, cùm illis viginti annis superioribus, quibus versatus fuerat in Mesopotamia, nullum Angelum vidisse eum sciamus? Respondet S. Athanasius lib. quæstionum, q. 102. dicens: *Ideò tunc apparuerunt Angelorum castra Iacobo, vt animaretur & non timeret fratrem suum Esau: fuerat enim consilium Esau occidere Iacobum.* Ita S. Athan. Simile quid habemus 4. Reg. 6. Cùm enim exercitus Syriorum circumdaret ciuitatem, vbi erat Eliseus, Giezi seruus eius videns exercitum, timuit valde, & clamauit ad Elisæum dicens: *Heu, heu, heu Domine mi, quid faciemus?* Cui Elisæus: *Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.* Orauit igitur Eliseus Dominum, vt aperiret oculos Giezi; aperuit & vidit montem plenum equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi. Sic sic Deus seruos suos custodit. pro- B uidentiâ suâ magnâ.

Luc. 15. Adolescens, ille qui in parabola à patre substantiæ suæ portionem petijt, & obtinuit, abiens *in regionem longinquam* (in peccatum scilicet, quia longè à peccatoribus salus) *dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè, vbi cœpit egere*, & maximam famem pati, &c. Copiosum quidem secum tulerat patrimonium, quomodo in tantam incidit egestatem? S. Petrus Chrysol. serm. 1. de duobus filijs: *Filium data fecit egere substantia, quæ diuitem negata seruabat, vt penes se deficeret habendo, qui penes patrem abundaret non habendo. Adhæsit*, inquit, *vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Sic inuenit, qui se negat patri, qui se committit extraneo, vt sentiat iudicem seuerum, qui fugit indulgentissimum prouisorem.* Ita ille. Quia igitur peccator peccando recedit à Patre diuino, in miseriam & necessitates incidit multas, qui, dum in gratia Patris maneret, abundabat. C

Genes. 6. sic Dominus ad Noë: *Ex cunctis animantibus vniuersæ terræ bina induces in arcam, de volucribus iuxta genus suum, & ex omni reptili terræ secundum genus suum, &c.* subdit: *Tolles igitur tecum ex omnibus esca quæ mandi possint, & erunt tam tibi quàm illis in cibum.* Dices, qui fieri potuit, vt spatio vnius anni, quo animalia in arca manserunt, durare posset cibus pro tot viuentibus? quomodo arca tot animalia, & tot pro eis cibos capere potuit? Respondet ibi Procopius: *Aduerte totum illud adjicium excitatum esse inspirante Deo, proinde non multo indigebant pabulo bruta, cùm Dei benedictione pascerentur. Habes Moysen, qui quadraginta diebus sine vllo cibo in monte vixit.* Ita ille. Simile exemplũ habemus in Elia, qui dedit virtutẽ illam pani subcinericio, vt in fortitudine illius cibi posset Elias quadraginta diebus ieiunus ambulare; potuit & cibis illis in arca collectis, tot animalia sustentare: hoc enim ad diuinam pertinet prouidentiam. Quòd si de bestijs talis est prouidentia Dei, quid timidi D estis vos modicæ fidei, ne vobis, seruientibus illi, deficiant necessaria? Pater diues qui solicitè cibum prouidet famulis & equis filij sui, numquid filio ipsi, propter quem illis prouidet, necessaria non præbebit? Prouidet Deus animantibus terræ propter hominem, quomodo non homini prouidebit illi seruienti, & tali parenti?

Sæpè quòd nobis aliqua desint, querimur, nescientes quòd sæpe optata noceant. *In beneficijs exhibendis* (inquit Seneca lib. de benef. c. 11.) *circumspiciemus, ne, dum grata dare volumus, morbum exprobratura demus, sicut ebrioso vina: maledicum enim incipit esse, in quo vitium accipientis agnoscitur.* Ita ille. Ecce, cur Deus bonus non semper ad votum nostrum conferat dona sua.

Prop. III. *Deus æqualiter prouidet omnia sine personarum acceptione.*

Oratio. Actor. 10. ait Apostol. Petrus, quòd non est personarum acceptor Deus, & quia hoc, vti dicimus, magnam nobis omnibus ingerit consolationem, quàm verum sit, videamus. Primò, ianuæ diuinæ omnibus æqualiter patent, nec est cui aditus intercludatur. Apud reges terræ non ita ianitores magnatibus ingressum facilè præstant, & eos rex facilè admittet. Adsit pauper, huic ianitores obstant, regem per multos dies non posse illi auditum præbere aiunt, quia scilicet pauper est: at Deus omnes æquè admittit, siue diuites, siue pauperes sint, siue reges, siue serui. *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matt. 11. 28. *Omnes*, ait, & qui omnes dicit, nullum excludit.

Hinc Cant. 2. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Cant. 2. 1. *Campi*, ait; cur non hortorum? Quia scilicet, flos hortorum, non omnium est, sed Domini horti, illi solùm florem horti colligere licet, vel cui ab eo facultas fuerit concessa, non alijs: at florem campi omnibus licet colligere, & licitè deferre; *flos igitur campi*, non hortorum, quia omnibus æquè patet.

Hinc natus in stabulo illo fuit Christus, vbi ianua Cant. 2. 1. serâ carebat, vt omnibus æquè pateret aditus. vbi rectè flos campi tunc dici potuit, quia in campo ille natus fuit, qui facilè in matris suæ domo nasci, potuisset: voluit autem in loco illo communi nasci vbi etiam iumenta sine obstaculo ingredi poterant, *nacio en el campo, y no ay poner puertas al campo*, vt se pro omnibus nasci, & florem campi esse demonstraret.

Ob hanc causam cùm primùm natus est Christus, Luc. 2. non solùm regibus, sed etiam pastoribus natiuitas eius fuit annunciata, vt non solùm pro regibus supremis, sed etiam pro pastoribus infimis, se nasci omnes intelligerent: imò propterea priùs pastoribus, ne in bonis diuinis inferiores pauperes, aut posteriores censerentur. Vnde omnibus ait Christus: *Petite & accipietis*: non Matt. 7. ait, hic, vel ille petat, & accipiat; sed, *petite*, indifferenter 7. omnibus ait.

Præterea Euangelium eius, in quo thesauros sapientiæ fuæ reconditos habet, omnibus æquè prædicatur. *Ite*, ait, *prædicate Euangelium omni creaturæ*, non tantùm Marc. 16. diuitibus, magnatibus, nobilibus, & regibus; sed omni 15. creaturæ, quantumuis infimæ plebis illa sit. Vnde Ioan. 21. Dei iussu rete in mare mittens Petrus, cepit centum quinquaginta tres pisces. Quis dubitat, non sine diuina prouidentia huiusmodi fuisse numerum piscium; cur igitur centum quinquaginta tres? S. Hie- Hieron. ronym. lib. 14. in cap. 27. Ezechielis, *Attraxit Petrus* (inquit) *centum quinquaginta tres pisces: dicunt autem qui de animantium scripsere natura & proprietate, de quibus est Oppian. Ilix, Poëta doctissimus, centum quinquaginta tria esse genera piscium, quæ omnia capta sunt ab Apostolis.* Ita S. Oppian. Hieron. Vnde Christus Dominus regnum cœlorum, hoc est, doctrinam Euangelicam, in qua nobis regnum cœlorum prædicatur, simile esse sagenæ ex omni genere piscium congreganti: omni genere hominum verbum Dei & Euangelium æquè & gratis prædicatur. Non ita mundus, sed si tragœdiam aliquam audiendam offert, clauduntur priùs ianuæ, & non ingrediuntur ad eam audiendam, nisi qui priùs soluerint pretium. & quidem fabulæ ibi, & mendacia, & ridicula, vana, & pernicioſa sæpe recitantur; at Deus cymbalis pulsatis, ianuis apertis, gratis omnibus vult Euangelium suum prædicari, *Docete*, inquit, *omnes gentes.*

Item quòd bonum eius, & quod pulchrum eius? nisi panis Matt. 28. 19. *electorum*, & sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Zac. 19. vbi omnia merita Christi in diuina illa communione communicantur: hic autem benedictus panis, quibus datur? num principibus terræ tantùm? O res mira-

bilis ! manducat Dominum pauper seruus, & humilis. A
Luc.14. 21. Exi (ait Christus ministro suo Luc.14.) *exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & paupores, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc, es mesa franca y asi la franquea Dios a todos igualmente.*

Denique cœlestis illa gloria, in qua omnis nostra consistit fœlicitas, & beatitudo, num solis principibus datur ? Vide Lazarum per Angelorum manus in sinum
Psal.11. 5. Abrahæ, & inde in cœlestem aulam deportatum. *Quis* enim *sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra: suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem : vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui ?* cùm interim dives ille, qui *induebatur purpurâ & byssô, & epulabatur quotidie splendidè*, sepultus fuerit in inferno.

Vides qualiter Deus noster nullo modo personarum B
acceptor sit. Hoc, inquam, magnæ nobis consolationis est : si enim audieris aliquem apud regem pollere plurimùm, non inuideas, habet ille aurcam clauem, quâ in cubiculum regis ingredi possit toties quoties placuerit illi : sit ita : & tu quidem clauem auream habes, quâ in Dei cubiculum facilè ingredi valeas, toties quoties velis, orationem scilicet, cui omnes Dei aditus patent semper. Ille doctus est, primam obtinet cathedram in Vniuersitate præcipua, & tu satis superquè sapis, si nosti Euangelij mysteria, quibus tibi constat, quàm facilè in æternam gloriam valeas peruenire, *y aquel que se salua, sabe*, &c.

Ille bonis huius mundi potitur ; tu verò pauper exilis ; sit ille quantumuis dives, comedat, vt aiunt, centum millia aureorum ex reditibus suis, & eo amplius, tibi gratis patet mensa Domini, vbi comedis omne bonum, comedis Deum. *Tenes a Dios de renta ? y todos los duelos con Dios son buenos, y todos los bienes sin Dios son duelos.* C

Prop. IV. *Diuina prouidentia relucet in rebus creatis.*

Seneca. HOc Seneca primùm in animalium instinctu naturali sic probat, epist. 122. *Animalia è materno vtero nata, quid sit ipsis infestum, protinus norunt, & mortiferà deuitant : vmbram quoque transuolantium reformidant obnoxia auibus rapto viuentibus. Nullum animal ad vitam prodit sine mortis metu. Quid est quòd pauonem, & anserem gallina non fugiat, cùm tantò minorem, & ne quidem notum sibi, accipitrem vitet ? Quare pulli felem timent, non verò canem ? Apparet illis inesse scientiam nocituri, non experimento collectam : nam antequam possint experiri, cauent. Deinde, ne hoc casu existimes fieri, nec metuunt alia, quam debent, nec vnquam obliuiscuntur huius tutelæ & diligentiæ : æqualis est illis à pernicioso fuga. Præterea non fiunt timidiora viuendo. Ex quo quidem apparet, non vsu illa ad hoc peruenire, sed na-* D
turali amore salutis sua. Et tardum est & varium, quod vsus docet : quod verò natura tradit, æquale est omnibus, & statim.

Seneca. Idem Seneca lib. 5. quæstionum naturalium, cap. 18. in ventis probat. *Inter cætera*, inquit, *opera prouidentiæ, hoc quoque aliquis, vt dignum admiratione, suspexerit, non enim ex vna causa ventos aut inuenit, aut per diuersa dispossuit : sed primum vt aera non sinerent pigrescere, sed assiduâ vexatione vtilem redderent, vitalemque tracturis. Deinde, vt imbres subministrarent terris, & nimios compescerent. Nam modò adducunt nubes, modò deducunt, vt per totum Orbem pluuiæ diuidi possint. In Italiam Auster impellit, Aquilo in Africam reijcit: Ereside non patiuntur apud nos nubes consistere. Idem totam Indiam & Aethiopiam continuos per id tempus aquis rigant. Quid, quod fruges percipi non possunt, nisi flatu superuacua admixta seruandis ventilauerentur, nisi esset quod segetem excitaret, & latentem frugem, ruptis velamentis suis (quæ folliculos agricolæ vocant) adaperiret ? Quid, quòd omnibus inter se populis commercium dedit, & gentes dispatas locis miscuit ? Deditetiam Deus ventos ad custodiendum cœli terrarumque temperiem, ad euocandas & supprimendas aquas, ad alendas satorum & arborum fructus : quos ad maturitatem cum alijs causis adducit ipsa tractatio, attrahens cibum in summa, & retrepeat, promouens. Dedit denique ventos ad vlteriora nosceuda : fuisset enim homo animal imperitum, & sine magna rerum experientia, si circumscriberetur natalis soli fine.* Ita Seneca : quòd si ex solis ventis talem ac tantam Dei prouidentiam colligere licet, quid ex alijs notabilioribus rebus ?

ADDITIO.

NEmo est tam rudis, tam feris moribus, quin oculos suos in cœlum tollens, tametsi nesciat cuius Dei numine regatur hoc omne, quod cernitur, non aliquam tamen intelligat esse ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, virtute, pulchritudine, temperatione : nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, consilio maiori aliquo sit instructum. ”

Quis non fentiat hunc mundum tam mirabili ratione perfectum, aliquâ prouidentiâ gubernari ? quandoquidem nihil est quod sine vllo moderatore possit consistere. Sic domus ab habitatore deserta dilabitur ; nauis sine gubernatore abit pessum, & corpus relictum ab anima desluit : nedum putemus tantem illam molem aut construi sine artifice, aut stare tamdiu sine retore potuisse.

Cum mundum, omnesque partes eius videmus, quemadmodum mirabilis ratio gubernet, cum cœli temperatio, & æqualis in ipsa varietate cursus astrorum, luminumque cælestium, temporum constans at mira descriptio, terrarum varia fœcunditas, planæ camporum munimenta, & aggeres montium, viriditas, vbertasque siluarum, fontium saluberrima eruptio, fluminum opportuna inundatio, maris opulentia, & copiosa intersusa, ventorum diuersa, & vtilis aspiratio, cæteraque omnia rationi summa constent ; quis tam cæcus est, vt existimes sine causa esse facta, in quibus mira dispositio prouidentissimæ rationi electa ? si ergo sine causa nec est, nec sit omnino quidquam, & prouidentia summi Dei ex dispositione rerum, & virtus ex magnitudine, & potestas ex gubernatione manifesta est ; habetes ergo & insani, qui prouidentiam non esse dixerunt.

Deum qui putat esse, & nihil ab eo curari, nihil differt ab eo, qui non credit esse Deum : *Ita Sextus Pythagoricus.*

Quis non videt mundum istum corporeum, vi insitus mente, qua facta est, temporari ad vsum, continen- Plato. corporeâ gubernari, totamque molem infusam, atque permixtam magno vniuersitatis corpori, Diuini spiritus ad ea. tiamque ad tatum, ordinari ad diuturnitatem ?

Ferè idem contingit, ac si hyeme ingenti, ac imminenti procellâ, gubernator quidem faciat, quod sui muneris est diligentissime, seruetque inter vndarum moles nauem, non vt appareat eius peritia, ac artis diligentia vectoribus, quòd hanc illo considerationem, & perturbatio, & metus, & solicitudo præsentium, iam, iamque impendentium malorum eripiat. Deus enim nunc quoque gubernat omnem hanc machinam, etsi a pluribus non animadvertatur, ob rerum turbines, & perturbationem vitæ.

Prop. V. *Omnia ex diuina prouidentia pendent, quantumuis aduersa sint.*

SI erit malum in ciuitate quod non faciat Dominus. De malo pœnæ loquitur. Ita est : sed hoc malum pœnæ mixtam habet malitiam eorum, qui mala huiusmodi inferebant, quam à Deo permissiue prouenire, nemo dubitat : huiusmodi autem promissio ad diuinam pertinet prouidentiam. vnde non solùm facere bona, sed etiam permittere mala, Dei est prouidentia. Ad hanc verò prouidentiam expendendam & exponendam, extat locus insignis Origenis, in quo latè exponit, quomodo ex malis Deus soleat elicere bona, cuius hæc verba

verba sunt: *Nos interim dicimus dispensatione quadam & sapientia Dei ita omnia in hoc mundo esse disposita, vt nihil otiosum prorsus sit apud Deum, etiamsi malum illud sit. Id explicemus. Malitiam Deus non fecit, cùm tamen eam post prohibere, non prohibet; sed cum ipsis, à quibus habetur, vtitur eâ ad causas necessarias. Per eos enim, in quibus est malitia, claros, & probatos efficit eos, qui ad virtutis gloriam tendunt: nam si perimitur malitia, non esset vtique qui contrairet virtutibus: virtus autem, si nihil haberet contrarium, non splenderet, nec fieret examinatior: non probata autem, nec exammata virtus, nec virtus est. Tolle malitiam fratrum Ioseph, tolle inuidiam, quâ sæuierunt in fratrem: si hæc auferas, vide quantam simul peremeris dispensationem Dei, auferes cuncta illa, quæ Ioseph fecit in AEgypto in procuratorum salutem. Non enim fuisset interpretatio illa somnij Pharaonis, nemo frumenta congregasset in AEgypto, nemo necessitatem famis sapienti prouisione curasset, periisset AEgyptus, periissent & finitimæ regiones fame, interiisset etiam ipse Israel, & semen eius quærens panem. Præterea, si asseras malitiam Iudæ, absfuleris etiam crucem & passionem Christi, & ea quæ passionem eius consequuntur. Item, nisi essent dæmones, non esset certamen, neque victoria, neque corona. Si non fuissent tyranni, neque martyres Christi extitissent. Ex quibus constat Deum, non solum bonis, sed etiam malis ad bonum vti solere, & hoc est verè mirabile, quòd vasa contumeliæ Deo ad bonum deseruiant opus. Sic etiam in vrbibus abiectissimi homines ad obeunda quadam deterrima, & purgandas sordes deputantur, sine quorum ministerio sordida ciuitas esset.* Ita Orig.

Tullius: *Sit hoc à principio persuasum hominibus, dominem esse omnium rerum, ac moderatorem Deum, & ea, quæ geruntur, eius geri numine & ditione, eumque optimè de genere hominum mereri, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, intueri, piorumque ac impiorum rationem habere.* Ita ille.

Illa etiam, quæ à casu & fortuitâ iudicantur, ex accidentarijs occasionibus orta videntur, ex magna & speciali Dei prouidentia promanant. Quid enim, si humano more loquamur, fortuitum magis, quàm quòd Rebecca Iacob filio suo dixit; *Audiui patrem tuum loquentem cum Esau, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua,* id casu, & quasi per accidens, & non à consilio audisse videtur Rebecca, & tamen præstitio Iacob, & summa illa benedictio, per quam omnes cognationes terræ benedicendæ erant, ab eo ortum habuerunt.

Quod etiam optimè probari potest ex illo, vbi quis casu, ait Scriptura, sagittam in incertum iecit, & percussit regem Achab inter stomachum & pulmonem; hoc autem, non casu, sed ex diuino consilio promanasse prophetia Michææ Prophetæ antecedens satis demonstrat; non fortuitum scilicet euentum fuisse, sed diuinam iustitiam de impio illo rege vindictam sumentem. Nihil ergo ita temerè effectum censeas, quod non ex certa Dei prouentat prouidentia.

Vnde, *Pondus & statera iudicia Domini, & opera eius omnes lapides sacculi.* Mos erat antiquus, lapidibus in stateris collocatis omnia ponderare, & quia lapides illi in sacculo quodam reponebantur, ideò lapides sacculi eos vocat. Sensus ergo est, in pondere, numero, & mensura Deus cuncta disponit, vt habetur, & vsque ad vncias & minutissimos scrupulos, cuncta ponderat & metitur. Nihil ergo, quantumuis paruum, & ferè nullius momenti, contingit in mundo, quod non diuina ordinatione contingat, &c.

Prop. VI. *Quàm prouidentiam Deus circa pauperes habeat.*

Sanctus Chrysostom. tom. 5. orat. de diuitijs & paupertate. *Non tantùm pauperes diuitibus indigent, sed & diuites pauperibus, & isti magis illis, quàm illi istis. Atque vt hoc manifestiùs videas, faciamus, si videtur, duas ciuitates: alteram diuitum tantùm, alteram pauperum, ac neque in ea, quæ diuitum erit, pauper sit quispiam, neque in ea, quæ pauperum, vir quispiam diues sit. Videamus ergo vtra magis concenta esse possit seipsâ. In illa igitur, quæ diuitum est, nullus erit opifex, non structor, non faber, non sutor, non pistor, non agricola, non aratrus, non alius talis: nam quis diues exercere hæc vnquam volet, quando hi, qui hæc tractant, cùm ditati fuerint, ærumnam horum laborum non quærunt? quonam ergo modo ciuitas hæc stabit? Videamus nunc pauperum ciuitatem, in ea si ædificare oportet, si ferrum cudere, si vestimentum texere, non auro, neque argento, neque vnionibus opus est, sed manibus, & arte, quid verò si agrum colere, diuitibus sue, an pauperibus opus est? Cuius clarum est, quòd pauperibus. Vbi ergo tandem diuitibus indigebimus? nisi si demolirì ciuitatem hanc velimus.* Ita S. Chrysostomus.

Prop. VII. *Dei prouidentia quomodo reluceat in malis nostris tam culpæ, quàm pœnæ.*

Seneca. l. de diuina Prouidētia c. 4. *Magis vrgent seua inexpertos, graue est ceruicibus non assuetis iugum ferre, ad suspicionem vulneris tyro pallescit; audaciter autem veteranus cruorem suum spectat, qui scit sæpe post sanguinem se vicisse. Hos itaque quos Deus amat, probat, indurat, recognoscit, exercet; eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis seruat. Erratis enim si quem iudicatis exceptum, veniet ad illum diu felicem sua portio, & qui videtur dimissus, dilatus est. Quare Deus opt. mum quemque aut mala valetudine, aut luctu, aut incommodis afficit? quia in castris quoque pericula fortissimis imperat dux, lectissimos mittit, qui nocturnis insidijs hostes aggrediantur, aut explorent iter, aut præsidium loco deijciant, & nemo eorum, qui exeunt, dicit: Malè de me Imperator meruit, sed bene iudicauit. Idem dicant quicunque iubentur pati, timidis ignauisque flebilia: digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati. Fugite delicias, fugite enervatam fœlicitatem, quæ marcescunt animi. Quem speculatricæ semper flatu vindicarunt, hunc leuis aura non sine periculo stringit.*

Nunquid tu inuisos esse Lacademonijs liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publicè verberibus admotis? ipsi patres illos adhortantur, vt ictus flagellorum fortiter feçant, & lacertos, ac semiuiuos rogant, perseuerent vulnera præbere vulneribus; quid mirum, si Deus dure generosos spiritus tentet? Nunquam est virtutis documentum molle. Verberamur, & lacerамur, patimur. Non est fœlitia, certamen est, quo sæpius adieramus, eò crimus fortiores. Considera Germanos, & quidquid circa Istrum vagarum gentium occursat, perpetua illos hyems, triste cœlum premit, maligne sterile solum illos sustentat, imbrem culmo, aut fœno defendunt, in alimentum feras captant. Miseri tibi videntur? Nihil miserum est, quod in naturam consuetudo perduxit: paulatim enim voluptati sunt, quæ necessitate cœperunt. Quid ergo nutaris bonos viros, vt confirmentur, concuti? Non est arbor solida, nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsa enim vexatione constringitur, & radices certius figit. Fragiles sunt, qua in aprica valle creuerunt. Pro ipsis ergo bonis viris est, vt esse interriti possint, multùm inter formidolosa versari, & æquo animo ferre, quæ non sunt mala, nisi malè sustimenti. Ita Seneca.

Tributalia. 10 iuliorum.

Similis.

Similis.

DEI VNITAS.

Prop. Vnica. *Deus vnus est.*

Quia ex fide vnius Dei verus eius cultus, & salus nostra dependet, magnopere curarunt dæmones multitudinem deorum introducere, vt hac ratione nec verus Deus à nobis coleretur, nec nos salui essemus. Est igitur iuxta fidem nostram necessarium, & ad salutem æternam obtinendam perneccessarium, credere Deum esse, & vnum tan-

tùm esse. Quod etiam rationi naturali consentaneum esse probat S. Cyprianus libro, Quòd idola nõ sint dij, inquiens: *Sosthenes, inter Philosophos præcipuus, formam veri Dei negat conspici posse, & Angelos sedi eius ait assistere, in quo & Plato pari ratione consentit, & vnum Deum seruans, cæteros Angelos vel dæmones dicit. Hermes quoque Trismegistus vnum dicit esse Deum, & eum incomprehensibilem, & inæstimabilem constetur. Vnus igitur omnium Dominus Deus: neque enim sublimitas potest habere consortem, cùm sola omnem teneat potestatem. Ad dominum autem imperium, etiam de terrenis motuentur exemplum: Romanos geminos vnum non capit regnum, quos vnius veri capit hospitium. Pompeius & Cæsar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt. Nec hic tu de homine mireris, cùm in hoc omnis natura consentiat. Rex vnus est apibus, dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus; multò ergo magis vnus est mundi rector, qui vniuersa quæcumque sunt, verbo iubet, ratione dispensat, ratione consummat.* Ita Sanctus Cyprianus.

Et S. Hieronymus epist. ad Rusticum monachum. *Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, & omnes ordo Ecclesiasticus, suis rectoribus nititur, in naui vnus gubernator, & in domo vnus Dominus, & in omni grandi exercitu vnius signum expectatur. Est ergo vnus in mundo Deus.* Ita ille.

De Trinitate Dei, vide in verbo *Trinitas*.

ADDITIO.

Lactantius l. de Ira Dei, c. 1.

NOn possunt in hoc mundo multi esse rectores, nec in vna domo multi Domini, nec in naui vna multi gubernatores, nec in armento aut grege duces multi, nec in vno regimine multi reges, sed nec in cælo quidem multi soles esse poterunt, sicut nec animæ plures in vno corpore. Adeo in vnitate natura vniuersa consentit. Quòd si mundum
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet:
apparet testimonio Poëtæ, vnum esse habitatorem mundi Deum, si quidem corpus omne, nisi ab vna mente incoli, regique non potest. Omnem igitur diuinam potestatem necesse est in vno esse, cuius nutu, & imperio regantur omnia, & ideo tantus est, vt ab hominibus non possit aut verbis enarrari, aut sensibus æstimari.

DIABOLVS.

PROP. I. *Quanto nos odio diabolus prosequatur.*
2. *Quantum diabolus damnationem nostram desideret.*
3. *Diabolus quantùm potest, nobis nocere conatur.*
4 *Diabolus homines peccare docet.*
5. *Quàm callidus & astutus aduersarius sit diabolus.*
6. *Quàm subtiliter nos tentet hostis.*
7. *Diabolus, cùm tentat, non tam nobis nocere, quàm Dei gloriam minuere satagit.*
8. *Quàm debilis sit diabolus in nos.*
9. *Quàm metuendus sit Diabolus.*
10. *Diabolus cùm sit iuratus hominis inimicus, plures tamen sibi habet famulantes, quàm Deus.*

PROP. I. *Quanto nos odio diabolus prosequatur.*

Matth. 8. 28.

MAtth. 8. *Cùm venisset Iesus trans fretum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes,* &c. Qua de causa in monumentis versabantur, cùm monumenta, vbi mortuorum cadauera iacent, fœtida & horrore plena sint? S. Petrus Chrysol. serm. 16. causam tribuit dæmonibus, qui in eis erant, dicens: *In monumentis sedem fecerunt mortis authores. attendite ergo, quæ sæuitia, quis furor, quæ rabies dæmonum erga humanum genus, qui quamuis breue tempus hominum ferre non possunt, contenti non sunt mori homines, sed vivos homines gestiunt sepelire, deliciantur fœtore sepulchrorum, quibus tota voluptas est homines interire.* Ita Sanct. Chrysol.

S. Chrysol.

Quòd si aliquando delicias vel diuitias vel honores hominibus offerunt, non in bonum, sed in malum hominum præstant, sicut ibidem adnotauit S. Chrysol. dicens: *Diuitias ostentant, vt auaritiam ferant; & vt miseratur superbiam, proponunt pompam; vt iram nutriant, cauſam colorant; Deos multiplicant, vt Deus qui vnus & verus est ne sciatur.* Ita ille. Quod in tentationibus Christi constat, cui diabolus, ostendens omnia regna mundi, dixit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me:* videns enim maius malum in ratione mali esse vnicum peccatum, quàm sint in ratione boni omnia mundi bona, facile ea omnia bona pro vnico peccato sic offerebat.

Matth. 4.

Sic dæmones quidam Christo Domino nostro: *Quid nobis & tibi fili Dei? venisti ante tempus torquere nos?* Quodnam erat hoc tormentum, quod sic Dæmones torquebat? Liranus ibidem: *Licèt* (inquit) *secum hi dæmones portent ignem suum, tamen reputant se torqueri & affligi, quando ab hominibus eiciuntur, ne eis noceant; propter odium erga nos.* Ita Lira. Vide igitur quanto perditionis nostræ desiderio teneantur, vt inter cruciatus ignis æterni sentiant, & conquerantur, se à perditione hominum amoueri. Sicut enim ex querela diuitis illius damnati de tormento linguæ, constat, quàm inter flammas gehennæ senserit speciatim linguæ tormentum; sic constat, quanta sit rabies in nos horum hostium, cùm inter grauissima tormenta inferni fic sentiant à nostra perditione cessationem, & ingens tormentum suum esse reputent.

Lira.

Matth.

Odium quoque eorum in nos, ex eo constat, quòd non solùm nos, sed bona nostra, non solùm spiritualia, sed etiam corporalia destruere conentur. Vnde in eodem c. Matth. 8. dixerunt dæmones illi Christo Domino nostro: *Si ejcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum: & ait illis: Ite: at illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce magno impetu abijt totus grex per præceps in mare & mortui sunt in aquis.* Quid mali fecerant eis porci, vt eos præcipitarent, & suffocarent dæmones? Liranus: *Id fecerunt, vt, si non possent hominibus nocere in persona, nocerent in substantia.* Ita ille.

Quis verò hîc non miretur creaturas illas naturâ quidem sua Angelicas, superbiâ autem sua esse sicut Deus ambientes, sic se modò demisisse, vt intra porcorum viscera intrare non dedignarentur? Ita quidem, quia tantum illis nobis nocendi est desiderium: aiunt enim suem interiùs simillimum animal homini esse, & ob similitudinem id appetiuere, & dum homini ipsi damnum inferre non poterant, rei homini simili sic inferrent. Sicut taurus, qui hominem consequi non potest, contra statuam eius sibi obuiam, excandescit, & pallium eius disrumpere conatur; sic taurus ille tartareus, cùm homines iam cruciare nequiret, ad porcos se conuertit, & eos interimit, vt eo modo damnum hominibus inferret, si non in ipsis, saltem in re similli illis, & in bonis eorum. tanta in nos est sæuitia eius.

Sic dæmonium quoddam, quod hominem quendam possidebat, ad Christum Dominum, vti diximus in alio simili loco, exclamans dixit: *Quid nobis & tibi Iesu Nazarene, venisti perdere nos.* Quid est *perdere nos?* Theophylactus & Euthymius: hoc est, auferre à nobis potestatem quam in homines habemus, ad torquendum scilicet nos. Ecce quid perditionem appellent dæmones, non posse torquere nos, hoc perditionem dicunt suam; lucrum igitur reputant suum nos vexare & cruciare, &c.

Marci 5.

S. Petrus Chrysol.

Chrysost.

Sanct. Chrysost. agens de nece, quam intulit Cain fratri suo Abel, hom. 7. ad Roman. sic ait: *Etenim diabolus tunc vnà cum Cain belli ducem agebat: nam quia ille non satis fuit, quòd homo mortalis iam effectus fuisset, ipso mortis genere*

genere tragœdiam ipsam amplificare enixus est; sic vt illi persuaserit, vt fratris fieret parricida. vrgebat enim, ac desiderabat Dei sententiam in opus ed tam videre, qui ipse nostris mortalium malis nullo vnquam tempore satiatur. Nam sicut si quis aduersarium in neruo, & compedibus habens, & mortis sententia in eum iam lata, antequam vrbe egrediatur, festinet, & tempore congruo minimè expectato, illum vel intra vrbem trucidatum videre percupiat; sic & tunc diabolus fecit. Is enim cum audisset fore vt homo in terram reuerteretur, concupiuit quiddam amplius videre, filium scilicet morientem ante patrem, & fratrem à fratre interemptum, & intempestiuam, ac violentam necem. Subiungit verò ad institutionem nostram. *Vides quàm multos ad res, subseruerit inuidentia? vt insatiabilem diaboli animum impleuerit, eidemque mensam tantam apposuerit, quantam videre ille expetiuerat. Igitur morbum hunc fugiamus. non enim licet, non, inquam, licet præparatum illum diabolo ignem effugere ijs qui hoc morbo liberati non fuerint.* Ita S. Chrysost.

A S. Petrus: *Vigilate:* non enim minùs quàm de salute agitur æterna.

Prop. II. *Quantùm diabolus damnationem nostram desideret.*

B

Matth. 26. *Dixit Iesus discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur.* Ponderat Origenes verbum, *tradetur*, & ait: *impersonaliter posuit verbum tradetur: tradidit enim Deus Pater ex misericordia, Iudas ex auaritia, sacerdotes ex inuidia, diabolus ex timore, ne per eius doctrinam amitteret genus humanum.* Ita Orig. ecce quanta sit verbi Dei vis ad animarum conuersionem, vt propterea maximè conatus fuerit Diabolus, vt Christus crucifigeretur, ne scilicet ampliùs prædicaret, & quæ prædicauerat, contemptui darentur. Ecce qualis ac quanta fit sitis eius damnationis nostræ.

Si filius Dei es, mitte te deorsum. Quærit S. Cyprianus, cur non dixerit Christo dæmon: Si filius Dei es, ascende superiùs in cœlum, sed, mitte te deorsum: filios enim Dei potiùs ascendere, quàm descendere conuenit, & decentius est illis ascensus in cœlum, quàm descensus deorsum. Respondet idem Sanctus: *Nec tentando vult ascensum persuadere cœlestem.* Ita ille: tantò enim nos odio prosequitur hostis, vt nec ioco etiam, vel tentatione nociua de nostro in cœlum velit agere ascensu, sed descensum cogitat: semper enim ruinam nostram machinatur, progressibus nostris bonis inuidens semper, &c.

Prop. III. *Diabolus quantùm potest, nobis nocere conatur.*

C

Vr diabolus non solùm superbiâ sed gulâ hominem tentauit? Rupert. Abbas lib. 3. in Genes. c. 1. Vt creaturam quæ duplicem habet substantiam, videlicet hominem, qui ex anima rationali & corpore constat, ad duplicem pertraheret mortem, corporis nempe & animæ. priùs namque in anima spirituali corruptus est superbiæ culpâ, deinde corporeo cibo contra Dei mandatum infectus est. Ita ille. Sic in omnibus rebus tam corporalibus quàm spiritualibus, nobis nocere optat & satagit inimicus.

D

Vnde S. Petrus inquit: *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret.* Expende verbum, *deuoret*: hoc enim est discrimen inter comedere & deuorare: quod comeditur, non semper totum manducatur, sed aliqua pars reijcitur, vt in carnibus ossa, in piscibus spinæ, in fructibus peripsemata: quod autem deuoratur, totum absumitur & nihil reijcitur. Sic ergo Diabolus non dicitur quærere quem manducet, sed quem deuoret, corpus, animam, virtutes animæ, & bona corporis, temporalia & spiritualia. Meritò proinde dicit

Prop. IV. *Diabolus homines peccare docet.*

Genes. 4. *Consurrexit Cain aduersùs fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Quis edocuit Cain posse tunc occidere alium, cùm quid mors esset, aut quomodo homo mori posset, ignoraret? respondet S. Athanasius. lib. qq. q. 8. *Diabolus eum docuit, & submisit audi modum, quo illum occidere posset.* Ita S. Athan. Sic dæmon magistrum se exhibet peccandi vnicique secundùm inclinationem cuiusque, auarum mille artes fraudum, quas homo ignorat, docet, & ambitionem ambitiosum, & iram vindicatorem, superbum plurima oris puncta, *que no se hable en canto llano ni en canto de organo*, latronem etiam furandi modum.

Gen. 8.

S. Athan.

Vnde hostis contrarium Christo Domino nostro se exhibet: Dominus enim qualia docet, habes Isai. 48. *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, gubernans te in via, quâ ambulas*; diabolus verò docet non vtilia sed delectabilia. Sicut cocus differt à medico: medicus enim non respicit, quid infirmo delectabile sit; sed quid ad sanitatem vtile; cocus verò quid palato placeat: sic Deus tanquam animarum medicus, medicinalia applicat ægro, licèt amara & molesta sint; diabolus verò delectabilia, licèt mortifera sint, imò quia mortifera sunt, & mortem inducunt æternam.

Simile. Isai. 48. 17.

Prop. V. *Quàm callidus & astutus aduersarius sit diabolus.*

Non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principes, & potestates, contra spiritualia nequitiæ. Vbi, vt sensum exponat, verba inuertit vltima S. Ambrosius, dicens: *Contra nequitiam spiritualium.* Tertullianus nequitiam pro fraude sumi ait: Sensus ergo est, non aduersùs homines bellum nobis est, sed aduersùs dæmones, qui valde potentes & fraudulenti sunt. Olim Hercules, & nonnulli Æthiopes veste seu corio leonis induti incedebant, quo se fortes veluti leones profiterentur: Scythas vero refert Seneca, vestibus seu pellibus se induisse, vt ita se fagaces iactarent: at dæmones vtrumque habent, & fortissimi sunt, & vafri, astuti, & fagaces, de potentia eorum interim taceamus. Et hoc aduerte, non nobis eorũ fortitudinem timendam esse: non enim in corpus nostrũ pugnant, sed aduersùs animã nostram: animam autẽ nostrã vincere non possunt nolentibus nobis. Vnde S. Iacobus: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Astutia ergo & fraus dæmonum est, quæ meritò nobis timorem magnum incutere debet: est enim eximia, & multiplex, & assidua. Vnde S. Hieronym. de hoste huiusmodi agens, ait: *Cui nomina mille, mille nocendi artes, sabe mil artimanas de ardides estratagemas celadas, encamisadas, enbuscadas, fraudes y enganos.*

Ephes. 6. 11.

Lib. aduersus Psychicos.

Epist 47.

Hanc Deus contra serpentem protulit sententiam: *Super pectus tuum gradieris*: non tam contra serpentem materialem, quàm contra spiritualem, hæc sententia lata fuit: cur igitur super pectus gradi serpentem iussit Deus? S. Hieronymus: *Vt calliditatem*, inquit, *& versutam cogitationum eius aperiret, quòd omnes gressus eius nequitiæ ac fraudes essent.* Ita ille, quia scilicet pectus est organum, vbi huiusmodi machinationes formantur, & serpens, dum ambulat, non rectà graditur viâ, sed nunc in hanc, nunc in aduersam flectitur partem: tales ergo sunt dæmonis adinuentiones, per flexiones, inflexiones procedit, & dum credis versùs Orientem eum pergere, versùs Occidentem reflectit se callidè. *amaga a los pies, y da el golpe en la cabeça, son arteros manosos astutos redomados, infieles, in ficles aleues, traydores, que os abaçan,*

Gen. 3. 14.

In quæst. Hebraic.

y os vendeu , como Iudas tiran la piedra , y esconden la mano. A

Vnde Apostol. *Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Vbi S. Thom. *Satanas transfigurat se aliquando visibiliter, sicut B. Martino , vt decipere eum ; aliquando verò transfigurat se inuisibiliter, & hoc quando ea, quæ mala sunt in se, facit apparere bona, peruertendo sensus hominis , & inflammando*

Prou. 16. 25. *concupiscentiam, secundùm illud* , Est via quæ videtur homini iusta , nouissima autem eius deducunt ad mortem. *Sæpe enim videtur pœnitenti , se rectè confessum esse, & tamen sacrilega fuit eius confessio , & danti eleemosynam se actum charitatis exercuisse , & non fuit charitatis , sed vanitatis.*

Apoc. 2. 24. *Qui non cognouerunt altitudines Satanæ.* Vide quo nomine diaboli astutias nobis exponat, altitudines eas vocat, *desinos de Satanas, ondos y profundos , vn pielago, vn Occeano, vn mar sin suelo,* & quidem literæ sacræ huiusmodi phrasi vti solent ad diuinarum rerum profunditates

Ps 119. exprimendas. Sic , *Secundum altitudinem tuam* (id est, profunda iudicia tua) *multiplicasti filios hominum* , &

Ad Rom. 11. 33. Paulus: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei,* hoc B est, ô profunditas ! ô abyssus ! &c. Sic etiam Ioannes Apost. *Altitudines*, inquit, *Satanæ*, id est, abyssus profunda est astutia eius, &c.

Prop. VI. *Quàm subtiliter nos tentet hostis.*

Sanct. Bernard. serm. 3. super Psalm. *Qui habitat*, ex-

Ps 90. 3. plicans verba illa , *Ipse liberauit me de laqueo venantium : Qui sunt*, inquit, *venatores isti, venatores qui cornu non sonant, vt audiantur, sed sagittant in occultis immaculatum ? ipsi rectores sunt tenebrarum harum astutissimi versutiâ , & malitiâ diabolicæ fraudis : ita vt , sicut est ante venatorem bestia, sic ad eorum comparationem sit quilibet astutissimus homi-*

2. Cor. 2. *mum , præter eos duntaxat qui cum Apostolo non ignorant cogitationes eorum , quibus in Dei sapientia datum est profundas deprehendere malignorum.* Ita ille.

Prop. VII. *Diabolus , cùm tentat , non tam nobis nocere , quàm Dei gloriam minuere satagit.*

Matth. 4. 24. Matth. 4. *Obtulerunt Domino lunaticos , & curauit eos.* Sanct. Hieron. hoc in loco ait : *non verè fuisse lunaticos ; sed qui putabantur lunatici, & hoc adinuentum & fallaciam fuisse dæmoniorum.* Cur ita ? Respondet Sanctus Hieron. *Dæmones enim obseruantes lunaria tempora, creaturarum sortem infamare cupiebant , vt in creatorem blasphemiæ redundarent.* Ita Sanctus Hieronymus. *Para que viendo los damnos del que pensaban , que era el lunatico maldiciesen à la luna, y redundase la maldicion de la luna en deshonor del Criador de la luna.* Sic igitur, dum diabolus homines tentat ad peccandum , non tam intendit hominum damnationem, quàm id quod aduersùs Deum resultat, nempe ne in cælo Deum laudent , sed in inferno blasphement Dominum.

1. Pet 5. 8. 1. Petri 5. *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester* D *Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Expende efficaciam, quà Diabolus nos tentat , *tanquam leo rugiens.* Leo, cùm fame graui torquetur, rugire fortiter solet ; sic Diabolus tanta damnationis nostræ fame cruciatur, vt, *tanquam leo rugiens, quærat quem deuoret*; non ait, *quem manducet*, sed, *quem deuoret* : quia sicut leo , cùm valde esurit, prædam non mandit , sed carnem & ossa deuorat ; sic hostis hominis animum & corpus quærit inferre in gehennam. Cur ita furit in nos ? quid nos illi fecimus mali, vt ita sæuiat in nos ? respondet Sanct. Chrysost. in c. 13. Matth. *Conatus omnis diaboli contra nos est, causa verò atque origo vt nos impugnet, ab odio, quo immaiestatem diuinam fertur, profecta est.* Ita ille. Hinc sequitur nos ob eandem rationem debere efficaciùs eius retundere tentationes, quia scilicet ex odio Dei procedunt potiùs, quàm ex damno nostro, in quod incurremus peccando, ac dicere hosti : Vade retro Satana , in Dei mei odium tentas me, & vis vt ego assentiar tentationi tuæ, &c.

Prop. VIII. *Quàm debilis sit diabolus in nos.*

Iob 4. *Tigris perijt, eò quòd non haberet prædam.* Septuaginta verò sic legunt: *Myrmicaleon periit.* Quodnam est animal hoc ? S. Gregor. 5. Mor. 17. *Myrmicaleon* , inquit, *paruum valde est animal , formicis aduersum , quod se sub puluere abscondit , & formicas frumenta gestantes obseruat, interfectásque consumit. Myrmicaleon Latine dicitur , formica & leo; & meritò, quia volatilibus est formica, formicis autem est leo: has enim quasi leo deuorat, sed ab illis quasi formica deuoratur.* Ita Sanctus Gregorius, qui c. sequenti, moraliter explicat huius animalis proprietatem, & diabolo applicans, dicit : *Rectè Myrmicaleon, leo & formica dicitur : formicis enim leo est, volatilibus formica; quia hostis antiquus, sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis.* Ita S. Gregor. & ita quidem verum esse constat, quia sola resistentia nostra sufficit ad eum effugandum. Ait enim Iacobus Apostolus : *Resistite diabolo, & fugiet a vobis.* Quid debilius ? quòd si quis ita debilis sit, vt ei resistere non præualeat, fortem se exhibet ei , & rationes interiores tales administrat, vt facilè ad consensum illum trahat.

Luc. 8. oblatus est Christo Domino energumenus Luc. 8. quidam legionem dæmoniorum habens , legio autem est 6666. Quæri meritò potest , cur tot millia dæmoniorum vnicum hominem inuaserant , cùm ad legionem hominum debellandam vnus dæmon sufficere videatur ; etenim hinc constat debilitas dæmonum in nos , & quàm ignauus & iners sit diabolus : ignauorum enim est multos vnum inuadere , ac cum eo confligere. Vnde Sanctus Chrysol. serm. 27. exponens 2. Cæsar. C hunc locum Lucæ ait ; *Age , Christiane , modò securus, manus tanta & tam multa dæmonum , quæ sic metuit inermem, fugiet proculdubio, si videat, si sentiat, si cognoscat armatum.* Ita ille.

Prop. IX. *Quàm metuendus sit diabolus.*

Publius Mimus : *Inimicum, quamuis humilem, docti est* Pub. Mim. *metuere.* Ita ille. Qui causam huius dedit : Etiam (inquit) capillus vmbram suam habet, vmbra quidem metus causa est. Voluit igitur asserere nullum esse inimicum , qui non habeat aliquid propter quod timeri possit. Si ergo parui inimici ita timendi sunt , quid de huiusmodi magnis inimicis dicendum est? Quod igitur maximè mirandum , qui ab huiusmodi inimicis horrendis, mundo scilicet, diabolo , & carne, victi sunt, & ad eorum potestatem , & obsequium redacti , hi sunt, qui minùs eos timent : *For que les pareçe que los tratan ben* , quasi eorum tyrannis ex hoc sæculo , & non ex æterno æstimanda esset.

Prop. X. *Diabolus, cùm sit iuratus hominis inimicus, plures tamen sibi habet famulantes quam Deus.*

Nunc itaque sit idem, quale si rex suos quidem heredes, D. Chrys. filios verò cohæredes, post alia quoque innumera beneficia, hom. 10. nos constituere volens, contemnatur. Latronum verò princeps, ad popul. qui nos parentesque nostros innumeris affecit incommodis, & infinitis plenus est malis, & nostram considit gloriam & salutem, vno tantum obolo præteneo à nobis adoretur. Regnum Deus pollicetur & contemnitur: gehennam minatur diabolus & honoratur. Hic Deus , ille diabolus : sed præceptorum videamus differentiam. Si nihil enim horum foret , nec hic quidem Deus, ille

» ille verò diabolus : nec hic quidem regnum, ille verò gehennam præberet : ipsa mandatorum natura facilè persuadere potest vt huic adhereamus. Quid enim Deus mandat ? ea quæ faciunt » gloriosos : diabolus quæ confundunt : hic quæ innumeris inuoluunt erumnis & ignominijs ; ille multam quietem habentia. » nam vide, quæso, hic inquit : Discite à me quia mitis sum & » humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris : at ille: » Feras esto & immittis, & bile tumens, & iracundus, & fera magis quàm homo.

Chrysost. Tract. de ini tias mundi.

Christiano cum hoste certamen in origine ipsa monstratur & in ipsius mundi exordio inuenitur, dum diabolus sequens, deceptor hominis, præuaricator mundi, origo mortis, delicti materia, seminarium sceleris, culparum genus, inuentor pœnæ, vitæ ablator, cœlesti sententia addictus, & inter ipsum & mulierem & inter vtriusque semen inimicitiæ diuina auctoritate firmantur, vt exinde homo sociare cognoscat cum hoste amicitias non debere, nec fœdera cum hoste coniungere, nec amoris » *cum inimico consortia copulare. Numquam enim cum hoste concordia iungitur, nisi imperator proprius offendatur : nec imperatoris aliter iussa seruantur, nisi hostis decretæ soluantur.* B

» *Vnde qui amicitiam cum hoste coniungit, & imperatoris voluntatem offendit, & inimico sese addicit: renuntiat enim amicitiæ Christi, qui se amicitiæ coniungit carnali, & diabolum habebit perditionis auctorem, qui Christum contempserit saluatorem.*

Non immeritò diabolus generaliter dicitur inimicus, qui cunctis ita sit noxius, vt quos odit, impetat ; & quos amat, extinguat.

Aug. lib. 83. quæst. q. 5.

De summa rerum cogitans admirari soleo mæstatem Dei singularis, quæ continet regitq; omnia, in tantam venisse oblionem, vt quæ sola coli debeat, sola potissimum negligatur: homines autem ipsos ad tantam cæcitatem esse deductos, vt vero ac viuo Deo mortuos præferant, terrenos autem, in terraque sepultos, ei præponant, qui fundator ipsius terræ fuit.

Lactan. lib. 2. Instit.

DIGNITATES MVNDI.

Vide *Ambitio*, & *Superior*.

Prop. I. *Quot laboribus implicitæ sint huiusmodi dignitates.*
2. *Dignitates mundi plus habent oneris, quàm honoris.*
3. *Quàm periculis plenæ sint dignitates mundi.*
4. *Dignitas mundi superbiendi occasio est.*
5. *In dignitatibus probatur humilitas vera.*
6. *Quòd diabolus ad alta dignitatum elevat homines, vt inde eos deturbet.*
7. *Dignitates & officia publica tam sæcularia, quàm Ecclesiastica, non sunt expectanda propter vtilitatem propriam, sed propter bonum vniuersale.*
8. *Quàm perniciosum sit dignitatem tribuere indigno.*
9. *Dignitas indignum dehonestat.*

Prop. I. *Quot laboribus implicitæ sint huiusmodi dignitates.*

CVm Dominus sub regis nomine à Zacharia c. 9. sic nuncupatus, in illo ingressu in Hierusalem, quando cum ramis, & acclamationibus receptus fuit, duos discipulos misit, vt domino iumentorum dicerent: *Dominus his opus habet.* Quando, quæso, in toto præcedenti vitæ suæ decursu Christus Dominus dixit vnquam, se aliquo huiusmodi ad equitandum egere ? nunc regis ambitum pro nobis accepturus, eget, quò nobis innueret eò magis homines egere, quò ad maiores ascendunt dignitates. *Dicite, quia Dominus his opus habet,* iunge & tu hæc duo verba, *Dominus & opus habet, Sennor y necesitado, todo es vno, y quanto mas Senor, tanto mas necesitado.*

Matt. 21.

Vnde rectè Seneca : *Finis miseriarum non quæritur, sed substantia mutatur.* loquitur de his qui ambiunt dignitates : non enim finis necessitatis est dignitatem obtinuisse, sed principium, non ibi necessitas terminatur, sed inchoatur. A

At dices, Dominus denique iste iam dominabitur super alios, quod maximi momenti, & dignitatis est. Respondet Orig. *Qui vocatur ad Episcopatum, non vocatur ad dignitatem, sed ad Ecclesiæ seruitutem.* Ita ille. Quod etiam de rege, & de Pontifice summo dicendum est, cùm & ipse Papa se ita vocet, *seruus seruorum Dei,* quod verè dicere potest : nam cura, solicitudo, & assistentia perpetua, quâ subditorum negotijs assistit, seruitus quædam est: seruorum enim est, non quælibet, sed quæ sibi sunt iniuncta, facere; sic reges, & dominatores mundi, non quælibet, sed quæ secundùm exigentiam muneris sui à Deo sibi iniuncta sunt, præstare debent: hæc autem quàm assidua, & grauia sint, quis ignorat ? Hinc est quòd ille, qui in vestimento suo scriptum tulit, *Rex regum, & Dominus dominantium*, talem se exhibuit. Nec mirum; nam rex ipse cœli & terræ sic de se, *Non veni,* inquit, *ministrari, sed ministrare.* Quis igitur dominorum mundi non hoc ipsum dicet, si seipsum, & munus suum agnoscit ? Habet quidem rex melius pallium, habitat in meliori domo, vescitur melioribus, & pluribus cibis ; sed tamen habet obligationes plures, maiores, & periculosiores, & ita vix temporis sui dominus est: nullum autem dominium maius, quàm temporis, & vitæ, cuius qui Dominus non est, non dominæ, qui non seruus est. Si enim non est dominus pecuniæ, qui non potest eam insumere in his quæ libent ei, quo pacto dicetur Dominus vitæ suæ, qui eam non in his quæ illi placent; & libent; sed in his, quibus obnoxius, & secundùm munus suum tenetur facere, debet insumere ? dormiunt subditi ; rex verò curis pulsatus, & vexatus, vigilat, pensans quomodo ab inimicis non excitentur sui, dum dormiunt. Stat in platea subditus cum amicis suis colloquia miscens, ridens, & iocans; rex verò cum consultoribus suis agens, & suspirans, nesciens quonam pacto reipublicæ necessitatibus belli, & pacis, possit prouidere. nónne tot dominos habere dices regem, quot subditos habet, si rex bene munus exequatur suum ? B C

Matt. 28.

Prop. II. *Dignitates mundi plus habent oneris, quàm honoris.*

MAtth. 8. sic Centurio ad Christum: *Homo ego sum, sub potestate constitutus, habens sub me milites.* Quid est, *sub potestate constitutus sum ?* S. Chrysost. hom. 27. in Matth. & S. Augustinus serm. 6. de verbis Domini, Theophyl. & Beda super cap. 8. Matth. sic exponunt : *Sub potestate,* hoc est, *in potestate.* cur ergo *sub*, & non, suprà dixit ? Vir ille bonus præferebat mores, & ideo ad potestatem, non vanitatem vtebatur, neque ambitiosè eam gerebat : vnde sub ea, tanquam sub onere se considerabat.

Matt. 8. 9.

Chrysost. Augustin. Theoph. Beda.

Hinc de Christo Domino Isai. 9. *Factus est principatus super humerum eius.* Solent reges super thronos regios sedere, & à principatu suo sustineri : à principatu enim suo pendent honor, maiestas, dominatio, imperium, auctoritas iudiciaria, diuitiæ, & deliciæ, quibus perfruuntur reges. in his non est factus principatus super humeros eorum; sed (vt ita dicamus) facti sunt ipsi super humeros ipsius principatus: at de Christo Domino vice versa testatur Propheta: *Factus est principatus eius super humeros eius.* D

Isai. 9. 6.

Communiter autem Sancti Patres locum istum de trophæo dominicæ Crucis interpretantur, præcipuè S. Ambros. l. 3. de Fide catholic. c. 4. S. Augustinus serm. 71. de tempore, & Tertullianus l. 2. aduersùs Marcionem. Vis igitur videre, quomodo factus est Christo principatus eius super humerum eius ? vide illum in montem Caluarium progredientem, crucemque super humeros suos baiulantem : crux illa thronus Christi regali,

S. Ambr. Augustin. Tertull.

galis fuit, in ea factum est iudicium mundi, inde prin- A
ceps huius mundi iudicatus est, & inde foras eiectus.

S Leo. Vnde S. Leo, *O admirabilis potentia crucis! ô ineffabilis gloria passionis! in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixa.* Ita ille: hunc thronum, hunc principatum super humeros tulit tunc, imò per omnem vitæ decursum. Quare cùm primum Isaias dixerat: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis*, statim adiecit, *& factus est principatus super humerum eius*: quia statim principatus sui causa, statubo nasci, & in præscipio voluit reclinari, ita vt meritò dicere posset: *Fauper sum ego, & in laboribus à iuventute mea*: potest & dicere, *à Natiuitate mea*, imò & ante natiuitatem, ab Incarnatione ipsa. Cùm primùm enim incarnatus fuit, voluntatem suam illi Pater notificauit, & præceptum agendi, quæ egit, & patiendi, quæ passus postea fuit, ex tunc primò illi dedit. Sic enim maximam Christi obedientiam, & perfectissima eius merita decebat. Acceptauit præceptum filius: in capite libri vitæ eius scriptum est de illo, vt faceret hanc Patris voluntatem, *Deus meus*, inquit, *volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Quamobrem ipse postea iam passurus, *Sicut præceptum*, inquit, *dedit mihi Pater, sic facio.* Cùm igitur sic à principio Incarnationis, notam illi passionem, & mortem, & alia multa fecerit Pater, recte dicere valuit ipse: *Dolor meus in conspectu meo semper*, & Isaias, *Factus est principatus super humerum eius.* Cùm autem omnium principum, ac superiorum, Christus metrum, & mensura sit, videant quid optent, quid quærant, qui dignitates optant, & quærunt.

Isai 9 6.
Psal 39.
Ioan 14. 31.
Psal 37. 18.
Isai 9 6.

Prop. III. *Quàm periculis plenæ sint dignitates mundi.*

Matt. 20. 22. Matth. 20. *Nescitis quid petatis.* sic Christus Dominus ad discipulos suos, primas in regno Christi sedes indagantes. *Sed cur*, inquit, *Nescitis, quid petatis?* nunquid ignorabant, quàm altum, quamque pretiosum
S. Greg. esset sedes illas obtinere? S. Gregor. 5. Matth. 7. de his qui ambiunt temporalia, *Quibus*, inquit, *vt rerum temporalium administratio præbeatur, semetipsos funditus deserunt, & ipsa fugitiua & temporalia continuis cogitationum passibus sequuntur; pia autem mentes, hæc, & cùm desunt, non quærunt, & cùm adsunt, grauiter ferunt; quia per exteriorem curam à se exire pertimescunt.* Ita S. Gregor. In cuius rei cõfirmationem ait, quòd diuersa illa duorum fratrum
Gen. 25. 27. vitâ signatur, de quibus scriptum est: *Factus est Esau vir gnarus venandi & homo agricola; Iacob autem vir simplex habitans in tabernaculis*, vel sicut in alia translatione dicitur, habitans domi. *Quid enim per venationem Esau, nisi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus effusi, carnem sequuntur? qui etiam agricola esse dicitur, quia amatores huius sæculi tanto magis exteriora colunt, quanto interiora sua inculta relinquunt. Iacob verò vir simplex in tabernaculis vel in domo habitare perhibetur, quia omnes qui in curis exterioribus spargi refugiunt, simplices in cogitatione & conscientiæ suæ habitatione consistunt, & intra mentis secreta se restringunt.* Ita S. Gregor. Meritò ergo ait Christus duobus discipulis suis dignitates sæculi desiderantibus: *Nescitis quid petatis:* qui enim apud me versantur, interiora spiritus, & non exteriora corporis & mundi, quærere debent.

Matt 4. 8. Matth. 4. *Assumpsit Diabolus Christum Dominum nostrum in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna*, &c. Poterat hostis in plano vel quauis alia terræ parte, ostendere Christo Domino nostro illam mundi gloriam, & dignitates: cur igitur in montem illum duxit? etenim sicut eum conduxit in altum templi, vt inde præcipitium Christo suaderet; sic modò in altitudinem gloriæ mundi, & honorum, & dignitatum illum ducebat; quia sciebat, quàm facilior fit casus & præcipitatio in multa, & grauia peccata ex altitudine dignitatum, tam Ecclesiasticarum, quàm sæcularium. ita moralizat locum hunc S. Hieron. dicens: *Diabolus dicere festinat Christum ad montes, vt per quos ipse corruerat, cæteri etiam corruant, iuxta illud Apostoli, Ne inflatus incidat in iudicium diaboli.* Ita S. Hieron. vbi nota diaboli tudi. 6. ciũ & casum. Cecidit Lucifer ex magni status sui altitudine in diabolicam superbiam, & inde in tartarum; quòd si tam sapiens, & tantâ Dei gratia præditus, ex alto dignitatis suæ fic cecidit, nos quid ex huiusmodi altitudine mundi speramus? qui debilitate capitis laborant, facilè in loco alto positi turbantur & cadunt; omnes nos magis minúsve huiusmodi capitis debilitate laboramus. Si ergo prudens tu es, noli altum sapere, sed time & per planum incede. S Hier.

Prop. IV. *Dignitas mundi superbiendi occasio est.*

B Recte quidam sapiens Poeta,

Grande quidem fuerat ferro flammisque necari,
Nec tamen internam deseruisse fidem.
Maius opus summo versari in culmine rerum,
Nec tamen vlla animos ambitione premi.

Dalmat. in Symb.

Magna siquidem virtus Martyris, qui nullis tormentis, vel ferri, vel ignis, vel vtriusque simul à fide constantia dimoueri potest: sed non minor, sed potiùs maior illius qui celsitudine gradus, honoris, potestatis, & dignitatis ab humilitatis statu euerti non valuit. Et ratio est, quia maior passionum animi vis, quàm corporis, vexat quidem corporis cruciatus, sed in captiuitatem ducit animi passio. Audi Apost. *Video autem legem in membris meis, captiuantem me in lege peccati.* Vbi S. Anselm. *Lex est, ad consentiendum me cogentem.* Ita ille. Tanta igitur vis passionum est, vt non tam inclinare voluntatem, quàm cogere videantur. Vnde exclamat illico Paulus, dicens: *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quòd si magnus ille Apost. vas electionis, qui raptus in tertium cœlum, audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui; quamnam violentiam sentiemus nos? Inter omnes autem passiones, amor propriæ excellentiæ supremum, vel ferè, obtinet locum: vnde qui dignitate status, seu statu dignitatis in humilitatis officio se continere valet, valoris ingentis vir est, & rarus homo: nam, vt ait S. Bernard. *Rara virtus humilitas honorata.*

Rom. 7. 23.
Bernar.

Vnde meritò de ipso Bern. alius sui ordinis Bernardus, & Abbas Bonæ Vallis, qui vitam eius conscripsit, *Alij*, inquit *doctrinam, alij mirentur miracula S. Bernardi, sed hoc eius sublimius duco, quòd cum esset vas electionis, vt nomen Christi coram gentibus, & regibus intrepidus ferret, & cum obedirent ei principes mundi, & ipsa Romana Ecclesia singulari priuilegio eius veneraretur consilia, & cùm facta eius, & dicta crebris miraculis confirmarentur; nunquam tamen supra se in mirabilibus ambulauit, sed semper de se humiliter sentiens, venerabilium operum non se credidit auctorem, sed*
D *ministrum, & cùm esset omnium summus, suo infimus erat iudicio.*

Prop. V. *In dignitatibus probatur humilitas vera.*

Qvæ occulta sunt, examine fiunt manifesta; profundum quidem est cor hominis, & soli Deo cognitum; sed sicut igne probatur aurum, & argentum, & an purum vel impurum sit, ignis ipse manifestat; sic quale sit cor hominis, & an purum vel impurum moraliter, examinatio prodit. in litterario ludo quid sciat quis, aut nesciat, interrogationibus magistrorum, & similib. argumentis fit palam; sic etiam an quis patiens sit, contumelia & tribulatio; si amator proximi, necessitas ipsius proximi; si prudens, concertatio; si castus, sollicitatio; si sobrius, mensa copiosa; si humilis, denique, honor

honor & locus altus manifestat. Nam, vti ait S. Bern. *Rara virtus est humilitas honorata.*

Genes. 18. cùm Dominus noster Sodomam & Gomorrham perdere ac delere prorsus vellet, secretum hoc Abrahæ, tanquam speciali amico, quæ gesturus erat, prædixit: quod, vt patet, in eximium Abrahæ honorem cedebat. Sed quid inter loquendum Abraham Domino? *Loquar*, inquit, *ad Dominum, cum sim pulvis & cinis?* Expendens locum istum S. Gregor. *Quando*, inquit, *honores possessa extollerent, qui de se tam abiecta sentiret? aperiè enim cernimus in quo loco se posuerat, qui puluerem se ac cinerem, etiam cùm loqueretur Deo, æstimabat. Si igitur ita se despexit qui vsque ad honorem diuinæ collocutionis ascendit; sollicita intentione pensandum est, quâ pœna illi feriendi sunt, qui & ad summa non proficiunt, & tamen de minimis extolluntur.* Ita S. Gregor. Ecce quonam pacto fuerit probata humilitas Abrahæ, honore nempe illo eximio, quo Dominus eum tunc affecit. Honor enim magnum examen humilitatis est.

Rectè quidem S. Bernard. serm. de Beata Maria super cap. 12. Apocalyp. inquit: *Hæc in cord. bus electorum prærogatiua diuinæ gratiæ, vt eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes.* Ita S. Bern. qui hom. vltima super *Missus est*, in Beata Maria verificat quod dico, expendens verba illa virginis, *Ecce ancilla Domini*, &c. ait: *Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus & insolescere gloriæ nescit? mater Dei eligitur, & ancillam se nominat. Non mediocre reuera humilitatis insigne, nec oblatâ tantâ gloriâ, obluisci humilitatem. Neque enim magnum est humilem esse in abiectione, magna prorsus & rara virtus humilitas honorata. Videas plerosque in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites factos subitò, intumescere, pristinæ abiectionis obliuisci, genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parentes.* Ita S. Bernard. Ecce quomodo honores & dignitates & scientiæ inflant, & patefaciunt cordis superbiam, quæ in humili statu latebat.

Prop. VI. *Quòd diabolus ad alta dignitatum eleuat homines, vt inde eos deturbet.*

Matth. 4. Diabolus statuit Christum Dominum super pinnaculum templi & ait: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Ponderat S. Petrus Chrysolog. dictum hoc nostri hostis, serm. 13. & ait: Conuenientiùs dicere: si filius Dei es, ascende in cœlum, cùm sit vtique hominis ad ima cadere; Dei autem ad superna conscendere: sed sic suis suadet, sic suos eleuat, vt de alto validiùs præcipitet: in ruinam lapsus nostros quærit. Ita ille. Attendant hoc candidati; qui non solùm oblatas sibi dignitates non respuunt, sed & ambiunt per fas & sæpe quoque per nefas. Etenim ipsemet altus locus præcipitationis occasio est, quamuis Deus hominem in eo collocet, vt patet in Lucifero, Adam, & Eua, in Saule, & Iuda, & aliis, &c.

Prop. VII. *Dignitates & officia publica tam secularia, quàm Ecclesiastica, non sunt expectanda propter vilitatem propriam, sed propter bonum vniuersale.*

Quidam propter honorem, qui in dignitate constitutis exhibetur, huiusmodi appetunt dignitates, & sicut Eua ad arborem accessit, & comedit fructum eius, vt esset sicut Deus; sic hi ad literarum gradus pergunt, vt scientes bonum, & malum, adorentur vt dij, & ad alias dignitates, vt supra cæteros eleuati, à cæteris quoque adorentur tanquam dij portes terræ, & dominentur in sæculo, vel in clero. & similiter fructus Ecclesiasticos, vel sæculares, dignitatum ambiunt, vt splendidè & opiparè viuant, & genus suum vel tueantur in gloria, vel ab imis ad suprema eleuent gloriosè. Hi omnes toto cœlo errant, & melius esset eis pastores fieri ouium, quàm animarum, &c.

Qualiter igitur adeundæ sint huiusmodi dignitates, videamus. Apostol. *Fidelis sermo, si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Quid est, bonum opus desiderare? Sanctus Thomas ibidem. *Non dicit Apostolus, bonum desiderium habet, sed bonum opus, scilicet, vtilitatem plebis.* Ita Sanctus Thomas. Sanctus Anselmus sic: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; opus, non dignitatem, laborem, non delicias, opus per quod in humilitate crescat, ne fastigio intumescat. non enim dicitur, qui Episcopatum desiderat, bonum gradum desiderat, sed bonum opus desiderat, quòd in maiori ordine constitutus, possit, si velit, occasionem exercendarum habere virtutum. Ipse ergo sibi testis quia Episcopatum non appetit, qui non boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit.* Ita Sanct. Anselmus. 1. *Tim.* 3. 1.

Et hoc quidem ex Etymologia ipsius nominis *Episcopatus* constat, vti adnotauit S. Augustlib. 19. de Ciuitate Dei, vti adducit Beda super hunc locum. Ait ergo Sanctus Augustinus: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, ait Apostolus; qui episcopare voluit quid sit Episcopatus, quia nomen est operis, & laboris: Græcum enim est, inde vocabulum deductum, quòd ille, qui præficitur aliis, superintendit, curam scilicet eorum gerens. ἐπὶ quippe idem est, quòd super, σκοπὸς verò idem quòd intentio; ergo Episcopus idem est quòd superintendens: vt intelligat se non esse Episcopum, qui præesse desiderat, non prodesse.* Ita Sanctus Augustinus & idem prorsus asserunt Sanctus Thomas, & Sanct. Anselm.

Vnde Apostolus munus Episcopale explicans, & exponens ibi, subdit: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem, modestum, non cupidum,* &c. Ecce quale bonum opus desideret, qui Episcopatum desiderat: & idem dicendum est de reliquis dignitatibus. Ponderat autem Sanctus Anselm. illud, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*, dicens: *Id est, oportet Episcopum talem esse, vt nullum in eo vitium notetur, quod reprehendi possit; quare futurus pastor Ecclesiæ talis debet eligi, ad cuius comparationem cæteri grex nominentur, vt cùm reprehenderit alios, ipse à nemine reprehendi possit: perdit enim authoritatem arguendi, cui possunt ab eo, quem arguit, delicta propria improperari.* Ita Sanctus Anselm. *Ibid.* 2.

Etenim ipse Paulus, qui sic Episcopum describit, rectè in exemplum bonorum prælatorum deduci potest: id enim præstitit quod ait: *Cùm essem liber ex omnibus, omnium seruum me feci.* Ita est, tot Dominis seruit prælatus, quot subditis imperat, si munus suum fideliter implet, ficut Paulus adimplebat. 1. *Cor.* 9. 19.

Vnde S. Bernard. epist. 42. *Meditantibus honores blandiuntur, sed onera pensantibus, tædio sunt, atque formidini. Non omnes autem capiunt verbum hoc: multi enim non tantâ fiduciâ, & alacritate currerent ad honores, si onera esse scirent: grauari profectò metuerent, nec cum tanto labore ac periculo affectarent insulas dignatum. Nunc verò quia sola attenditur gloria, & non pœna, inglorios se æstimant, qui eminentiori in loco non fuerint sublimati.* Ita S. Bern.

Cùm in regem, Saulem sublimare vellet respubl. Israel, fugit, & absconditse Saul; cur ita? S. Gregor. 4. Reg. 1. *Abscondunt*, inquit, *se, ne inueniantur, qui subire dignitatem refugiunt, cuius oneri se impares esse arbitrantur. Habet quippe spiritualis prælatio exteriorem gloriam dignitatis, habet & interiorisanimitudinem oneris: nam rector, & honoratur à subditis, & portat eos, à quibus honoratur, & grauius onus nascitur ex honore* Ita Sanct. Greg. 1. *Reg.* 10.

Hinc Exod. 28. sic Dominus ad Moysen: *Sumes duos lapides Onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel: sex nomina in lapide vno, & sex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum, & pones in vtroque latere superhumeralis, portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super vtrumque humerum ob recordationem.* Obserua primò quòd Exod. 28. 9.

tanquam lapides pretiosos Pontifex prælatus subditos A gerebat, & non tanquam lutum sub pedibus suis. Secundò eos super humeros gestabat : in humeris enim onera portantur; sic etiam prælatus subditos super humeros ferre debet, & non se super humeros inferiorum collocare, & ponderosus ac molestus illis esse ; sed submittere humeros debent, vt defectus, & miserias, & necessitates subditorum super se sumant, & sic imponant homines super capita sua.

1 Reg. 9. 24. Hinc etiam cùm Samuel Saulem in regem vngere vellet, Dei iussu, priùs eum ad prandium inuitauit, & iussit speciatim armum illi apponi, dicens: *Comede, quia de industria seruatum est tibi.* De industria : cur ita ? nónne in aricte, verbi gratiâ, alia pars est melior armo ? armus quidem à natura institutus est ad onera portanda, sicut humeri, imò qui onus aliquod ingens portare vult, super scapulas, seu armos illud assumit. Indicare igitur Samuel Sauli voluit regium munus, ac si diceret: regia instat dignitas tibi, armum ad onus para. Ecce B quid Deus exigat à prælatis, vt onera subditorum portent: non enim regnum propter regem, sed rex propter regnum est.

Cant. 1. 5. Ponderat Orig. lib. 1 duarum homil. in Cant. hom. 1. Illa sponsæ verba, *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui.* Quæ verba censet esse prælati, & gubernantis, qui propter aliorum curam, & commodum vineam propriam, hoc est, quæ ad se spectant, non ita curat, sicut ea quæ subditorum sunt.

Cant. 2. 16. Hinc etiam de diuino Sponso, & animarum nostrarum pastore, sic Cant. 2. *Qui pascitur inter lilia*, vbi originale Hebræum habet, *qui pascit*, (scilicet oues suas) *inter lilia.* Diuersa admodum, imò & opposita inter se hęc duo videntur, *pascit, & pascitur*: nam *pascit*, commodum ouium dicit; *pascitur* verò, commodum pastoris. Sanct. Hier. ita conciliat has duas lectiones, vt pro eo quòd dicat, diuinum Sponsum pascere inter lilia oues, dicatur ipse pasci, quia pastum ouium proprium esse iudicet, quatenus vtilitatem ouium suarum, non à sua vtilitate alienam censeat. C

Hinc est quòd Christus Dominus in cruce titulum regis admisit, qui, cùm eum regem facere vellent hi qui miraculo panum gauisi, & potiti fuerant, fugit. cur enim qui sic regiam illam dignitatem fugiebat, moriens in cruce regis nomen admisit à Caussam reddimus, nam tunc ostendere voluit, illum esse prælati vel pastoris nomine dignum, qui pro subditis suis sanguinem vitamque tradere non recusat. vnde constat quàm

Matt. 21. 5. appositè dixerit propheta Zacharias : *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus tibi*, inquit, *quia totus in vsus nostros expensus est*, vti S. Bernard. dixit.

Ponderat S. Bernard. in Declamationibus verba illa Christi Domini ad Petrum Ioan. vltimo vbi ait: *Pasce oues meas, Pasce dixit* (inquit S. Bern.) *non mulge, nec tonde : speret ergo discipuli Christi locum & ministri eius gradum, qui domini pascere gregem satagit, & non tondere.* Ita S. Bernard. & similiter S. Augustin. eadem verba ex- D pendens, ait, tract. 123. in Ioan. *Quid est, si me diligis, pasce oues meas aliud, quàm si diceretur: si me diligis, non cogites pascere te, sed oues meas, & sicut meas pasce, nõ sicut tuas, gloriam meam in eis quære, non tuam, dominium meum, non tuum, lucra mea, non tua?* Ita S. Augustin.

Item S. Bern. lib. 3. de Consi. *Ita præsis, vt prouideas; ita præsis vt prosis*, & serm. 7. in Cant. *Quem dabis mihi de numero præpositorum, qui non plus inuigilet subditorum marsupijs euacuandis, quàm vtijs extirpandis ?* Ita ille.

Perpendit S. Petr. Chrysol. serm. 6. verba illa Christi Domini supradicta ad Petrum, cur, cùm oues commendaret, semel tantùm dixit : *Amas me*, cùm verò agnos, non semel, sed bis dixit, & interrogauit; *Amas me ?* Respondit S. Chrysol. *Etenim cùm ex agnis nec lana desumatur, nec lac eliciatur, nihilque vtilitatis pastori proferant; ideò eos accuratius commendatos vult esse, quia Ecclesiæ pastores non commodum suum curare debent, sed subditorum vtilitati, & necessitati consulere, idque commodum ducere proprium.* Ita ille.

Postquam ad petitionem populi Israel dedit ei Do- 1. Reg. minus in regem, Saulem, dixit populo Samuel: *Si timue- 12. ritis Dominum, & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exacerbaueritis os Domini, eritis & vos, & rex, qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum : si autem non audieritis vocem Domini, sed exacerbaueritis sermones eius, erit manus Domini super vos, & super patres vestros.* Ita Samuel ad populum. Quæret aliquis, cur primo loco, dum præmium iustis assignaret, populares, & regem excluserit, secundo verò loco agens de supplicio, non regem, sed populum, & patres populi nominauit ? Respondet Cardinalis Caiet. *Quia patrum nomine reges monuit, qui quasi patres suorum prosperitatem, & vtilitatem prospicere debent.* Ita Caietan. Qui ergo præsul superior, & superior, se patrem imaginetur, & quæ patria sunt, erga subditos, veluti erga filios, præstet, vt pater diligat, vt pater prouideat, vt pater dirigat, vt pater regat.

Hinc est quòd cùm ante ingressum terræ promissionis moriendum Moysi esset, iussit illi Dominus in montem Abarin ascendere, ex quo terra promissionis prospiciebatur, vnde Moyses terram illam tamdiu desideratam aspiceret, cur ita ? Rupert. lib. 3. in Exod. cap. 3. ideo id fecisse Dominum dixit, vt inde imminentis mortis acerbitatem temperaret, videns iam populum suum illum dilectum terram illam pernoctatam, & pretiosam ingressurum esse: ita enim ex eo gaudebat, ac si ipsemet eâ potiturus ingrederetur. Ita quomodo amare bonum subditorum, & curare superior debeat.

Vnde S. Bern. epist. 229. ad quosdam Episcopos, *Ad hoc*, inquit, *vos Deus in sublimitate posuit, vt tantò maiori Ecclesiæ suæ vtilitati viuatis, quantò in ea maiori authoritate præsitis.* Ita S. Bern.

Sanctus Chrysost. hom. 66. ad popul. *Nec ipse rex quidem procul à curis vitam agit, sed potius multis plenam tribulationibus, & crucibus : ne diadema respicias, sed curarum tempestatem, nec purpuram intuearis, sed animam ipsa purpurâ magis rubescentem* (mas sangriento el coraçon, que si egrana) *non ita corona caput circumdat, sicut animam solicitudo. Nec satellitum cateruam respicias, sed multitudinem molestiarum : neque enim priuata domus tot curis plena reperiri potest, quot regiæ sunt mortes per singulos expectatæ dies. In noctibus autem, ne dicam quidem potest, quoties animæ pauor & exilire se putat, & hæc quidem in pace ; si verò bellum ingruat, quid regia vita miserabilius esse potest ? At non est talis cælorum regia, sed postquam eam acceperis, pax, vita, gaudium, & lætitia. Quòd si in regia sæculari primus tantus est ipsius armorum, quid censes in priuatis, & quot alta mala ? neque dici quidem potest, quot fabulæ frequenter ex his contexta.* Ita S. Chrysost.

Hæc poteris confirmare ex cap. 5. Danielis, vbi rex maximus terræ Balthasar conuiuium grande fecit optimatibus suis mille. Ibi supernaturalis quædam apparuit manus in pariete, ignota quædam scribens verba: obstupuit adeo rex, vt Scriptura dicat : *Tunc facies regis Dan. 5. commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se ipsa collidebantur.* Hæc quidem de rege, & de alio nullo ; cur igitur amplius rex conturbatus est ? Quia rex : cor enim regis, sicut profundius mare, profundioribus procellis obnoxium est. Sed hoc mirabile magis, quia ibi rex, non leonis manum, sed hominis vidit : quòd si hominis, humanum quid de illa oporteurat suspicari; quid verò in manu illa ? *Calamus scribentis.* Quid igitur à calamo timet Balthasar ? si hastam mucrone diram conspexisset vibrantem, nihil mirum, aut virgam illam vigilantem, quam Ieremias vidit, videret & iste, quid ergo regem turbat ? quid conturbat ? Quòd si fortè scriptura

pturæ sententiam legens se mortis reum agnosceret, ingentis ansam timoris meritò haberet : at neque legere, quantò minùs intelligere scripturam nouerat; quare igitur sic vehementer timet ? Quia Rex erat: hæc satis superque sufficiens ratio : qui enim plus vel honoris; vel potentiæ, vel dominatus, vel diuitiarum, quod amittere possit, habet, plùs timet.

Matth. 2. venientibus Magis Hierosolymam turbatur nimis Rex Herodes : ad quem sic Ecclesia : *Hostis Herodes impie, Christum venire quid times ? Non eripit mortal a qui regna dat cælestia.* Præterea, si à Deo factum est istud, quid contra Dei voluntatem sæuit turbatus Herodes ? Christum occidere tentat, & crudeliter in pueros innocentes sæuit, quid proficit tantum nefas? cur talis turbatio ac tanta ? S. Chrysost. hom. 2. in Imperfecto : *Quasi de successore regni futuro turbatus est : semper enim grandis potestas maiori est timori subiecta : Sicut arborum rami in excelso loco positi, etiamsi leuis aura flauerit, mouentur ; sic homines sublimes, sic in culmine dignitatum existentes, etiam leuis nuntij fama conturbat: humiles autem sicut in conualle tranquillitatum consistunt.* Ita ille.

Prop. VIII. *Quàm pernicioſum ſit dignitatem tribuere indigno.*

PLutarch. lib. de Doctrina Principum: *Nimis periculosum est velle quæ non decent, cum qui quæ vult facere possit, iuxta illud,*

At simul ac dictum est verbum, res ipsa peracta est.

Itaque malitia celerem nacta cursum ex potestate, quemuis incitat affectum, parat iram, inuidiam, auaritiam, præsumptionem, & simul ac dictum est verbum, actum est de eo, qui suspicionem offendit, peritque delatus. Denique fieri non potest, vt malitia lateat in potestate.

Prop. IX. *Dignitas indignum dehoneſtat.*

PLutarch. lib. de Doctrina Principum: *Vt ignari artifices cum partis simulachris magnas subijciunt bases, magis conspicuam reddunt earum partuitatem ; ita amplæ fortuna, cum in pusillum animum cadit. Quare non in rebus habendis, sed in vtendis magnitudo sita est.* Ita ille.

Latet in humili loco vitium, in sublimi facilè prodit in lucem : vnde Plut. lib. de Doctrina Principum. *Quemadmodum in vasis manibus non queas dignoscere, integrane sint an vitiosa, verùm vbi infuderis aliquid, tunc apparent quàm perfluent ; sic animi non ferentes potentiam effluunt cupiditatibus, nempe iracundia, fastu, insolentia, &c.*

DIVITIÆ.

Prop. I. *Diuitiæ opulentorum sunt ſchenicæ non veræ.*
2. *Quis verè diues.*
3. *Diuitem non faciunt diuitiæ ſed contemptus diuitiarum.*
4. *Diuitiæ non ſunt ſolicitè quærendæ.*
5. *Quàm ſint à nobis diuitiæ deſpiciendæ.*
6. *Diuitiarum contemptus ſignum eſt probatæ virtutis.*
7. *Diuitiæ mundi quàm exiguæ valoris ſint.*
8. *Diuitiæ exiguæ durationis ſunt.*
9. *Diuitiæ quàm ſuperuacaneæ ſint.*
10. *Natura noſtra paucis contenta non eget diuitijs.*
11. *Diuitiæ ſecundùm ſe indifferentes ſunt ad bonum & malum uſum.*
12. *Pauperibus diuitiarum quàm conformis ſit Euangelica vita.*
13. *Diuitiæ moleſtias parunt.*
14. *Diuitiæ nec ad delicias corporis conducunt.*
15. *Diuitiæ pacem cordis tollunt, & turbationes excitant.*
16. *Quàm ingens ſit diuitiarum appetitus.*
17. *Diuitiæ non ſatiant corda noſtra.*
18. *Diuitiæ malè parta malè diſſabuntur.*
19. *Diuitiæ auntur a Deo vt in eius obſequium expendantur.*
20. *Quomodo & in quos uſus ſint expendenda diuitiæ.*

21. *Diuitiæ bonis bonæ ſunt, malis verò malæ eſſe ſolent.*
22. *Diuitiæ plurimùm nobis nocere ſolent, maximè in anima.*
23. *Diuitiæ ſunt impedimenta virtutis.*
24. *Diuitiæ excecant hominis.*
25. *Diuitiæ cor noſtrum captiuant.*
26. *Diuitiæ occaſionem ſecum ferunt multorum peccatorum, & damnationis.*
27. *Diuitiæ ſuperbiendi materiam præbent.*
28. *Diuitiæ homines crudelem reddere ſolent.*
29. *Diuitiæ diſſenſiones, & diſcordiæ cauſa ſunt.*
30. *Diuitiæ plurimas pariunt infirmitates.*
31. *Diuitiæ omnem amicitiam ſuſpectam reddunt.*
32. *Diuitiæ ſicut & delicias regnorum ruinæ cauſa eſſe ſolent.*
33. *Contra eos qui per fas & nefas diuitias quærunt.*
34. *Diues tenetur fauere pauperibus.*
35. *Diuites æquè ac pauperes nudi naſcuntur & moriuntur.*
36. *Quare Deus hunc diuitem, illum pauperem eſſe voluit.*

Prop. I. *Diuitiæ opulentorum ſunt ſchenicæ non veræ.*

D. Chryſoſtomus in c. 16. Luc.

QVemadmodum enim actores in scena, regum ac ducum personas, item medicorum ac Rhetorum, sophistarum ac militum assumentes, ingrediuntur, quum ipsi nihil horum sint : sic sanè & in præsenti vita paupertas ac diuitiæ nihil aliud sunt, quàm personæ. Sicut igitur in theatro sedens, si quem videris, ex his qui extra scenam pedibus ingrediuntur, personam gestantem regis, non tu de eas eum beatum, neque regem eum credis, imò nec ipse optarit esse talis ; sed quum scias, quòd sit quispiam ex his qui versentur in foro, sutor opifex, aut faber ærarius, aut aliud quidquam tale, non iudicas illum beatum ob personam, aut ob vestem ad talos demissam, neque ex his rebus æstimas illorum vitam, sed despuis potius illum ob aliam vilitatem. Sic sanè & hic, velut in theatro, videlicet in mundo sedens, & in scena ludentes spectans, vbi videris complures diuites, ne putes verè diuites esse, sed diuitum obtectos personis : nam quemadmodum ille qui in scena regem aut belli ducem agit, frequenter est famulus eorum qui scius aut botros vendunt in foro: itidem & hic dives crebrò pauperior est omnibus. Quòd si detraxeris illi personam, si conscientiam explices, & ingrediaris animum, multam illic offendes virtutis inopiam, comperiesque omnium hominum abiectissimum. Quemadmodum enim instante vespera, digressisque qui confederant, vbi fuerint è theatro egressi, habitumque fabulæ deposuerint : qui priùs reges ac duces esse videbantur, post apparent hoc quod sunt ; ita sanè & nunc postquam mors aduenerit, theatrumque dimissum fuerit, quum diuitiarum paupertatisque personas deposuerint, omnes illuc profecti, atque ex solis operibus iudicati, declarant qui verè sint diuites, qui verè pauperes, qui honorati & qui humiles.

Prop. II. *Quis verè diues.*

S. Maximus hom. 2. de Martyr. Taurinis.

QVid ergo fratres putatis, habere aurum, esse diuitias ? ego dixerim, maiores esse diuitias, aurum non habere. Pretiosior enim mens eius quæ aurum deſpicit, quàm quæ aurum requirit. Maiores planè sunt diuitiæ, non habere aurum, sed aurum habentibus emimere. Qui enim propriis abundat bonis, sæculi thesauros non requirit. Bona enim sunt propria honestas, sobrietas, misericordia, castitas : quæ bona omnia auro magis sunt pretiosa, vt scitis, quia his ita veluti ara sunt metalla. Auri talenta emi possunt : argenti vasa comparari possunt: honestas sola emi non potest. Honestas enim non emitur, sed acquiritur, quia non constat pretio, sed virtute. Tu igitur, qui aurum possides, si placet, bona inuicem conferamus. Tu cum peregrè proficisceris, thesauri tui necessarij domi remanent: quibus longè à te positis semper trepidus, semper incertus es, ne cum domum redieris non habeas, quod habebas. Ita dum semper amissionem eorum metuis, apud conscientiam tuam nudus & pauper es : ego autem quòcumque iero meæ diuitiæ me sequentur, nec separari à me possunt bona, quoniam non terreno pecu, sed thesauro pectoris retinentur. Tu cum recedis è sæculo relinquendo, tuas diuitias perdidisti ; ego autem cum mihi de hoc mundo migrare contingit, diuitias meas mecum ad paradisum vehe-

» velho. Tuas diuitias post mortem exemplo illius purpurati diuitis, A
» ignis & tenebræ subsequuntur: meas diuitias exemplo Lazari,
» sinus Abrahæ, & beatitudo suscipiet.

S. Ambr. l. 7 epist. 44.

Paupertas, & opes vocabula sunt inopiæ, & satietatis. Nec dives est, qui indiget aliquo, nec pauper qui non indiget.

Idem l. 10. epist. 82.

Ille est dives in Ecclesia, qui pauperi non sibi dives est. Vultis diuites esse, estote pauperes. Tunc eritis per omnia diuites, si fueritis pauperes spiritu. Non census diuitem, sed animus facit: cupid. tatibus omnia diuitiarum abundantia, inopia est.

S. Chrysostomus. Hom. 65.

Non est dives qui multa possidet, sed qui nullius indiget. Quid enim vtilitatis omnem terrarum orbem possidere, & in maiori viuere miseria, quàm qui nihil habet? Voluntates, & diuites faciunt, & pauperes, non pecuniarum copia, nec egestas, &c. Hic est dives, qui dives esse non vult.

Idem 2. ad Cor. 6. Hom. 13.

Si vis ditari, contemne diuitias. Non enim habere diuitias, sed non indigere vt habeas, hæc maxima abundantia est.

S. Zenon serm 2. de auaritia.

Quid esse potest ditius homine, cuius profitetur Deus se esse debitorem? *Agit de homine in pauperes liberali.* B

Prop. III. *Diuitem non faciunt diuitiæ, sed contemptus diuitiarum.*

Valer. Max. lib. 4. cap. 4. *Omnia habet, qui nihil concupiscit, eò quidem certiùs, quàm qui possidet cuncta, quia dominium rerum collabi solet; bonæ verò mentis vsurpatio nullum tristitiæ fortunæ recipit incursum. Quorsum igitur attinet, aut diuitias in prima fœlicitatis parte, aut paupertatem in vltimo miseriarum statu collocare, cùm & illarum frons hilaris multis intus amaritudinibus sit referta, & huius horridior aspectus solidis, & certioribus abundet bonis.* Ita ille. Gaudium igitur illud, quod frugalitas, & contemptus diuitiarum tribuet, auferri non potest, diuitiæ verò, cùm inconstantes, & amissibiles sint, dare id nequeunt, imò cùm quis nullo apparente aduersario diuitias in pace possidet, timore inconstantiæ torquetur, ne scilicet hac vel illa ratione amittere possit, quod habet, &c. C ditior igitur est qui contemnit opes.

Quare rectè Democ. apud Stob. serm. 95. *Nisi multa desideres, pauca tibi multa videbuntur.* Ita ille. Qui multa se habere censet, cùm habeat pauca, non minùs gaudet, nec minùs contentus viuit, quàm qui possidet multa: Nam satietas mentis in mente consistit, & ex mente pendet, non ex ipsa re: Si enim qui possidet plura, tristatur, & anxiatur, quòd non habeat plura; qui verò pauca possidet, lætatur in his paucis, manifestum est, quòd gaudium ex opinione mentis, non ex possessione rerum promanat, &c.

Item Maxim. serm. 12. *Democritus*, inquit, *interrogatus quomodo quis fieri dives posset, respondit: Bene si cupiditatum fuerit pauper.* Et iterum de eadem requisitus, quomodo facilè quis ditescet? *Si quis*, inquit, *desiderio fuerit inops.* Ita refert Stobæus. Non inquit rectè, si quis transfretauerit maria, & ad Indos pergat, vel regis familiaritatem fuerit assecutus, aut literis, vel armis operam dederit, sed cupiditates moderando: sic enim, licèt habuerit pauca, habebit quod vult. Nemo est pauper, qui habet quæ vult, sicut nemo dives, qui non habet quæ cupit, licèt Cræso ditior sit. Quare meritò idem Democritus apud Stobæum, serm. 95. dixit: *Paucarum rerum cupiditas, paupertatem diuitijs æquat.* Ita ille. Ecce viam faciliorem ad ditescendum, quàm Philosophia docuit.

Meritò proinde dixit sapiens quidam apud Max. serm. 140. *Naturæ respectu diuites omnes, nostri verò, pauperes omnes sumus. Maximum autem est in diuitijs agnoscere quòd supernacaneæ sint. Quare naturalibus diuitijs contentus, multò ditior est multa possidente, & plura concupiscente: illi enim nihil deest, huic verò plura quàm possideat.* Ita ille. Et Seneca ad Lucilium virum prædiuitem, epistola 16.

Ab Epicuro, inquit, *dictum est: Si ad naturam vives, nunquam eris pauper: Si ad opiniones, nunquam eris dives.* Exemplum *Epicur.* naturæ desiderat, opinio immensum. Congeratur in te quidquid multi locupletes possederunt, vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te prouehat, auro tegat, purpura vestiat, & eo deliciarum opumque perducat, vt terram marmoribus abscondas, & non tantùm habere tibi liceat, sed calcare diuitias; cedant statuæ, & picturæ, & quidquid ars vilia luxuriæ elaborauit, maiora cupere ab his discres. Naturalia desideria finita sunt ex falsa opinione nascentia, vbi desinant, non habent: nullus enim terminus falso est. Viâ eunti aliquid extremum est, error immensus est. Ita Seneca.

Idem epistol. 17. *Sicut nihil differt, vtrum agrum in lecto, aut in aureo collocaueris; quocunque illum transtuleris, morbum suum transferet secum; sic nihil refert vtrum animus æger in diuitijs, an in paupertate ponatur; malum suum sequetur illum* Ita Seneca. Qui non solùm certam, sed compendiosam etiam viam ad ditescendum esse dicit per diuitiarum contemptum, epist. 68. vbi ait: *Breuissima ad diuitias, per contemptum diuitiarum, via est: nam contemnere quilibet omnia potest, habere omnia nemo potest. Necessarium ergo est paruo assuescere, quia omnia quæ vult, nemo habere potest: illud autem, quod non habet, potest nolle.* Ita Seneca. Vnde rectè concludit ex dictis Epictetus, qui, vti refert Stobæus vbi suprà, interrogatus quis esset dives, dixit: *Cui satis est quod habet.*

Seneca. *De contemptu pecuniæ multa dicuntur, & longissimis orationibus hoc præcipitur, vt homines in animo, non in patrimonio, putent esse diuitias, eum esse locupletem, qui paupertati suæ se aptat, & paruo se diuitem fecit, secundum illa carmina illa:* *Epist. 87.*

Is minimè eget mortalis qui minimum cupit.
Quod vult habet, qui velle quod satis est, potest.

Idem: *Magnæ diuitiæ sunt lege naturæ compositæ pauperitas: lex autem naturæ hos nobis terminos statuit, non esurire, non sitire, non algere, vt famem sitimque depellas. Non est necesse superbis adsidere limini bus, nec superciliorum graue pati. Non est necesse maria tentare, nec castra sequi. parabile est quod natura desiderat, & expositum, ad supernacanea fugatur. Illa sunt quæ togam conterunt, quæ nos senescere sub tentorio cogunt, quæ in aliena littora impingunt: ad manum autem est quod satis est.* Ita ille. *Epist. 110.*

Interrogatus. Epicurus quomodo possit quis ditescere? Respondit: *Non augendo opes, sed minuendo cupiditates.* Ita refert Stobæus serm. 17. Ratio huius sententiæ hæc est, quia dives est, qui habet, quæ optat: si semper adhuc diuitias cupit, quamuis multas habeat, dives dici non potest. Sicut non potest dici pastus, qui ita esurit, ac si non comedisset; nec sitibundus satiatus, quamuis biberit multum; sic nec dives, qui appetit pecunias, quamuis multas fuerit consequutus, qui verò eas contemnit, dives est, quia habet eas, quas cupit, & sicut satur dici potest, qui nec esurit, nec sitit, quamuis parum manducauerit, atque biberit. D *Epicur. reprehensus.*

Prop. IV. *Diuitiæ non sunt solicitè quærendæ.*

Celebris fuit sententia illa Pythagoræ: *Imaginem Dei ne geras in annulo.* Solebant olim antiqui imagines sculptas ferre in annulis aureis, sicut modò solent in eis apponi lapides pretiosi, in concauo scilicet annuli aurei. Aiebat ergo Pythagoras: *imaginem Dei* (hoc est, animam, quam, licèt in Genesi hoc non legerat, rationis tamen ductu cognouit, rationalem imaginem Dei esse) in annulo aureo non gerendam, vel sculpendam. Contrà eos, qui nihil aliud cogitant, nihil aliud amant, nihil aliud quærunt, & negotiantur, nisi aurum, & diuitias, quasi captiuam & imbibitam auro animam gerentes. Ita interpretatur hanc sententiam Pythagoræ Paulus Scaligerus. *Pythagoræ sententia explanata.* *Scaliger.*

Prop. V. *Quàm sint à nobis diuitiæ despiciendæ.*

A Ctor. 4. *Quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Gur ante pedes Apostol. S. Hieron. epist. 4. ad Demetr. ponderans locum hunc ait: Quando Domini nostri adhuc calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas, & pretia eorum ad Apostolorum deferebant pedes, vt ostenderent pecunias esse calcandas. Ita S. Hieron. & Deus ipse argentum & aurum, & lapides pretiosos in terra occultos, & infra pedes constituit nostros, cœlum verò supra caput, vt cœlestia pro magno habenda, & terrestria despicienda & calcanda esse doceret, *para que hallemos las riquezas del mundo y las pongamos de baxo de nuestros pies, y los bienes del cielo los preciemos, y pongamos sobre nuestras cabezas.*

At dices: S. Hieronymus, non diuitias, sed auaritiam dicit esse calcandam. Ita est, diuitiæ secundùm se non sunt despiciendæ: bona enim à bono creata sunt, sed tamen quia supposita fragilitate nostra, & vehementia concupiscentiæ nostræ, diuitiæ nobis occasionem peccandi sunt, & periculum auaritiæ; vt sic despiciendæ sunt, quia hoc est auaritiam calcare nostram in eis, & non Dei dona: & ob hanc causam non ait S. Luc. in eo loco, ponebant auaritiam ad pedes Apostolorum. Pone tu similiter pretia, & pecunias, non in corde, sed sub pedibus tuis.

Seneca epist. 111. *Non est quod te nimium laudes, si contempseris lectos aureos: quæ namque virtus est superflua contemnere? tum te admirabor, cum contempseris etiam sordidum panem. Magnum denique vectigal est parsimonia.* Ita ille. Ita Cato Senior: *Neque mihi ædificatio est, neque vas, neque vestimentum vllum pretiosum, neque seruus pretiosus, neque ancilla. si quid est quo vtar, vtar; si non est, ego sum, quo cuique per me vti ac frui licet.* Ita ille.

Similiter poëta ille:

Quis diues? qui nil cupit: & quis pauper? auarus.

Vnde S. Hieron. *Auaro tam deest quod habet, quàm quod non habet.* Sic etiam diceret: Pauperi spiritu tam est quod non habet, quàm quod habet, quia ita sine illius contentus est ac si haberet.

Et S. Chrysost. hom. 19. in Ioannem: *Angeli in hoc à nobis differunt, quòd non indigent sicut nos: ergo quanto paucioribus indigemus, tanto magis Angelis appropinquamus. Aduerte igitur in omnibus rebus miserum esse, pluribus indigere: quid ergo sponte nostra nobis miseriam augemus?* Ita ille.

Ne igitur nos, qui sumus Christiani, vinci ab Ethnicis patiamur, qui paucis contenti, læti & hilares vixerunt: quales Crates, & Socrates, & Diogenes, & alij fuerunt. Ita Cicero Tusculan. 5. refert Anacharsim Schytam philosophum ad suos scripsisse: *Mihi amictus est tegmen Schyticum, calceamentum soleatum callum, cubile terra, & pulmentum fames.* Ita ille. Attende vnde se hi philosophi laude dignos censent. Pudeat igitur Christianum se propterea laudare, quod pretiosis vestibus incedat indutus, quòd multa deglutiat, quòd pretiosa suppellectili abundet, &c.

At S. Ambros. lib. 2. de Offic. cap. 4. *Quid præclarius viro illo, qui auro moueri nesciat, in contemptum abeat pecuniarum, & velut ex arce quadam despiciat hominum cupiditates? quòd qui fecerit, hunc homines supra hominem esse arbitrantur. Quis est, inquit, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Quomodo enim non admirandus qui diuitias spernit, quas plerique saluti propriæ prætulerunt?* Ita ille.

Prop. VI. *Diuitiarum contemptus signum est probatæ virtutis.*

Beatos pronunciauit Christus Dominus eos esse, qui pauperes spiritu sunt, hoc est; vti exponit S. Ambr. *qui diuitias mundi contemnunt: hi enim viri probatis virtutis sunt.*

Vnde Israelitis præcipiens Dominus, ne pro die crastino cœlestem illum panem colligerent, subdit præceptionis rationem, dicens: *Vt tentem eum vtrum ambulet in lege mea, an non.* Vnde locus hic? quomodo eo pacto experimentum capiebatur virtutis & obedientiæ illorum? nimirum, quia habere copiam magnam panis coram se, & non secum illam ferre in domum, cùm in ea pane carerent, sed confidentes in Deo non curare quid die crastino manducabimus, fortè non defecendet cras manna, & nos ac filij nostri fame peribimus, &c. nihil tale dicentes, *ver delante si la prouision, y no echar mano della, grande y rara virtud es probada y approbada es.* Exod. 16. 4.

Hinc, cùm Naaman Syrus obtulisset magnam copiam diuitiarum Eliseo pro curatione lepræ, & noluisset eam accipere Eliseus, facultatem ab eo petijt asportandi secum partem aliquam terræ, in qua degebat Eliseus: cur ita? quia sic secum cogitabat, terra in qua degit, & quam calcat homo qui diuitias contemnit, sanctà quidem terra est, & digna veneratione, ac reuerentiâ. 4. Reg. 5.

Ponderat S. Ambrosius factum illud Dauidis, quòd scilicet eam posset occidere Saulem, quærendum ipsum ad mortem, noluit, nisi partem quamdam chlamidis eius abscindere, quo placatum in Saulem animum probaret, seipsum (ait S. Ambrosius) & regnum vicit Dauid: generosum enim animum hic patefecit, & regnorum, & bonorum mundi contemptorem. Poterat enim occidendo hostem, regni hæreditatem sibi iam à Deo exhibitam adire: vnde cùm Saul percepisset, dixit: Nunc scio verè, quòd regnaturus sis. cur itaque probatæ sic virtutis vir imperio dignus est. Ob hanc enim causam testatur Philo lib. 1. de vita Moysis tradidisse Deum illi imperium populi sui, quia cùm in palatio Regis Pharaonis enutritus, & educatus esset, à filia Pharaonis in filium adoptatus; negauit se filium filiæ eius, & regni fastigium contemnens, maluit pro Deo pastor fieri, quàm sine Deo Ægypti regnum possidere.

Hinc gaudere valde debent religiosi, qui pro Christo votum paupertatis emiserunt: nam *qui contemnit sæcularia* (vti ait Sanct. Ambrosius) *ipse merebitur sempiterna.*

Prop. VII. *Diuitiæ mundi quàm exigui valoris sint.*

Plutarch. de audienda Poetica. *Hippomachus Aliptes, inquit, quibusdam laude efferentibus perlongum quendam, & perlongis manibus hominem, tanquam ad pugilum certamen idoneum, sanè, inquit, si suspensa in alto corona foret detrahenda. Idem licebit dicere in hos, qui pulchra prædia, qui amplas ædes, qui pecuniæ vim stupent, & in his rebus fœlicitatem sitam esse ducunt. sanè si venalis emenda fœlicitas esset, multos videas qui malunt esse diuites, & miseri, quàm dato argento fœlicitatem parare: at non emitur nummis animus liber omni molestia, & tua contentus sorte, nec magnanimitas, nec tranquillitas, neque libertas. Diuites esse non est diuitias contemnere, nec immodicas opes posse dere, sed non egere superuacuis. A quibus igitur malis liberare diuitiæ possint, si nec hoc ipsum admunt malum, sitv videlicet cupiditatem, cum potus sedet sitim, & cibus famem sanet, & ille qui dicit: da pallium: vehementer enim algeo, plurimis impositis pallijs offenditur. Cæterùm argenti cupiditatem non extinguit argentum, nec auri*

nec auri aurum, nec si plura pos. deas coercetur cupiditas plura pos. dendi, quin de diuitiis dicere licebit, quod de medico impostore pharmacum tuum morbum auget. Ita Plut.

Lib 7 de ben c.11. Seneca. *Cùm Caius Cæsar Demetrio ducenta donaret talenta, ne ridens reiecit, dignam quidem summam iudicauit, quâ non acceptâ gloriaretur. imò cum miraretur dementiam eius, quòd se putasset ille ita posse mutari; si tentare, inquit, me constituerat, toto illi fui experiendus imperio.* Ita Seneca. Vbi aduerte voluisse Cæsarem nonnihil à Demetrio impetrare, resistebat Demetrius, id non expedire censens. Vt igitur eum ad suam traheret sententiam Cæsar, ducenta illi obtulit talenta, quæ adeo constanti animo repulit Demetrius, vt asserat Seneca non fuisse illi sufficientem summam, vt vel de eius repulsa gloriaretur. Solemus enim de contemptu rerum magnarum gloriari: at Demetrius pecuniarum magnam illam quantitatem ita despexit, vt nec de eius contemptu sibi gloriandum esse videretur, & solum totius imperij oblatione tentari se posse affirmauit, non, inquam, superari, sed experiri & tentari.

Epist. 18. Seneca: *Quod bonum est bonos facit: nam & in arte musica quod bonum est, bonos musicos facit, fortuita bonos non faciunt; ergo non sunt bona. Quod contemptissimo cuiquam contingere ac turpissimo potest, bonum non est: opus autem lenoni & lanistæ contingunt: ergo non sunt bona nostra.* Ita Seneca. Alioquin bonum diceres Neronem, & Heliogabalum, & Sardanapalum, & diuitem illum epulonem qui sepultus est in inferno. Quare sepultus est in inferno? quia malus fuit, & tamen dives fuit. Sic enim de illo ait Christus: *Homo quidam erat dives*, & honoratus fuit, purpurâ enim & byssо induebatur tanquam rex, & deliciosus etiam: nam epulabatur splendidè quotidie, habens ergo delicias, & diuitias, & honores, malus, & non bonus fuit: ergo temporalia hæc non in bonis sunt nostris computanda, quantò minùs in magnis bonis.

Prop. VIII. *Diuitiæ exiguæ durationis sunt.*

Soph. 1. 11. *Diuitiæ exiguæ duration sunt.* Vbi septuaginta, *Disperierunt omnes qui erecti erant in superbiam & pauperes dispiciebant, ira veniente vastati sunt.* Vbi S. Hieronymus? *Considera quòd non dixerit, peribunt qui erecti sunt argento, sed iam nunc antequam veniat eis supplicij dies, in eo ipso quòd superbiunt, & semper de thesauris suis cogitent, & seruiunt eis, perierint, atque corruerint. quòd qui intellexerit, existimo eum non satis cupere diuitias, in quibus non peribunt, sed iam perierunt, qui erecti sunt.* Ita ille. Cùm igitur vermis diuitiarum sit superbia, & superbire idem sit quod perire, meritò non peribunt, sed perierunt, inquit, qui erecti sunt argento. Sed ad sectionem vulgatæ redeamus. disperierunt, inquit, omnes qui inuoluti sunt argento. inuoluti argento meritò dicuntur diuites huius sæculi, qui mentem diuitijs inuolutam habent, inuolutum intellectum, dum aliud non cogitant, inuolutam voluntatem, dum nihil aliud amant, inuolutum cor, dum nihil aliud in eo habent: vbi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum. De his igitur ait, disperierunt, non ait, disperibunt, de futuro, sed de præterito; cur ita? quia licet pro tempore vitæ diuitijs potiantur, tempus tamen vitæ adeò breue est, vt futurum pro transacto censeri possit, *puede se dar lo no venido por pasado, &c.*

Chrysost. 2. Tim. 6. 17. Sanct. Chrysost. hom. 2. ad popul. *Diuitibus huius sæculi*, ait Paulus, *præcipe non sublime sapere.* Idcirco præsentis sæculi diuites, diuites appellauit, vt discas, quòd cum præsenti vita pariter diuitiæ dissoluuntur, non migrant cum possessore, sed ipsos potiùs deserunt ante mortem. quod & ipsum demonstrat dicens: *Neque in incerto diuitiarum:* nihil enim tam infidum, quàm diuitiæ, fugitiuus seruus est copia diuitiarum. etsi enim innumera ipsi vincula injicias, sic etiam cum ipsis vinculis fugit, sæpiùs pessulis & foribus ipsum possidentes concluserunt, seruorum adhibitâ custodiâ; ille verò seruos ipsis persuadens, cum ipsis custodibus aufugit, & cum custodia profuit. Quid hoc infidelius? Væ his, quibus multitudine diuitiarum suarum sperant. Quare dicis, væ, eis? *Quia*, inquit, *thesaurizat, & nescit cui congregabit ea*; labor ergo certus, fructus vero incertus: sæpius amicis laboras, & tu conficeris arumnis, & tibi quæris peccata. possessionem verò alijs hæreditas præbuit. Ita S. Chrysost.

Idem Sanct. Chrysost. hom. 2. ad popul. *Sæpius testamenta legens dicentia. Ille quidem domus, vel agri dominum habeat, vsum verò alius. Omnes enim vsum habemus, dominum autem nemo: etsi enim nobiscum per omnem permaneant vitam, velimus nolimus in morte alijs cedemus, ipsarum vsu solo decepto, dominio verò orbati ad vitam alteram transigamus. Ille ergo solum dominium habet, qui pauperibus erogat diuitias: omnia enim illo recipiet tempore, & illum multa plura, quando in die iudicij illarum præsidio maxime iuuabit.*

Addit Sanct. Chrysost. *Quòd si circa diuitiarum desiderium sic succendantur homines, & hoc propositum a Deo sit, vt stabiles, & minimè caduca forent, cui diutes peperciss ent? vnde abstinuissent? quâ viduâ? quibus pupillis? quibus pauperibus?* Ita S. Chrysost.

Sanct. Ambrosius, 5. offic. 49. *Quid est opes congregare nisi vanum? quia caduca quærere vanum est satis.* Ita ille. vbi locum, vbi optimè discurrit super istam diuitiarum vanitatem.

Prop. IX. *Diuitiæ quàm superuacaneæ sint.*

Refert Diogenes Laertius, Socratem quosdam Lib. hospites excepisse tenui cœna: & cuidam querenti cur ita feci sset? respondit: *Si boni sunt, æquanimiter ferent, si mali, non est curandum.* At sic clariùs dixisset, si boni sunt, satis illis est, si mali, superque, *si son buenos poco les basta, si son malos poco los sobra.* Sic si quæras, cur Deus optimus maximus, cùm posset abundantissimè nobis opes elargiri, cur id non effecit; sed moderatas illas nobis tribuit, quia scilicet si boni sumus, sufficiunt nobis, si mali, superfunt. *Si somos buenos, poco nos basta para esta vida; si malos esse poco nos sobra, pues no esso meresemos.*

Prop. X. *Natura nostra paucis contenta non egeat diuitijs.*

Seneca lib. de consolatione ad Albin. cap. 11. *Cupiditati nihil est satis, naturæ verò etiam parum satis est. Nullum ergo pauperias exulis incommodum habet: nullis enim tam inops exilium est, quod non alendo homini abunde fertile sit. An vestem an domum desideraturus est exul? si hoc quoque ad vsum tantùm desiderabit, neque tectum ei deerit neque vestimentum. AEque enim exiguo tegitur corpus, quàm alitur: nihil enim natura homini fecit operosum, quod ei necessarium esse sciebat. Quòd si quis desiderat ornatum, multo conspicuo purpuram intextam, auro variisque coloribus distinctam, & artibus, & id assequi non valeat, non naturæ vitio iste pauper est, sed suo. si desiderat aureis fulgentem vasis supellectilem, & antiquis nominibus artificum argentum nobile, & ea paucorum insaniâ pretiosum, & seruorum turbam: quæ quamuis magnam domum angustet, & equorum corpora coacta pinguescere, & lapides omnium nationum, & ista congerantur, nunquam explebunt inexplebilem animam, non magis quam vllus sufficit potus ad sitiandum eum, cuius desiderium non ex inopia, sed ex æstu ardentium viscerum oritur. non enim sitis ille, sed morbus est, & eadem natura est in omni desiderio, quod non ex inopia nascitur, sed ex vitio. Quidquid enim illi congesseris, non finis erit cupiditatis, sed gradus. Qui ergo continenter se*

ma

intrà naturalem modum, pauperiatem non sentiet; qui verò A *naturalem modum excesserit, eum in summis opibus quoque paupertas sequetur. Necessarijs rebus exilia sufficiunt, superuacua nec regna. Animus est qui diuites facit, hic in exilia sequitur, & in aspertimis solitud n.bus eum, quantum satis est, sustinendo corpori inuenit; ipse bonis suis abundat, & fruitur, pecunia nihil ad animam pertinet, non magis quàm ad Deos immortales. Omnia ista, quæ imperita ingenia, & nimis corporibus suis add.cta, suspiciunt, lapides scilicet, aurum, argentum & magni eleuatq, mensarum orbes, terrena sunt ponderа, quæ animus syncerus non potest amare, ac naturæ suæ memor, curæ ipse expers, & quandocumque emissus fuerit, ad summa emicaturus. Interim, quantum per corpus licet, celeri & voluri cogitatione diuina perlustrat. Ideoque nec exulare vnquam potest, liber, & dijs cognatus. Nam cogitatio eius circa omne cœlum, & in omne præteritum futurumque tempus immittitur. Corpusculum hoc, custodia, & vinculum animi; huc atque illuc iactatur. in hoc suppl.cia, in hoc latrocinia, in hoc morbi exercentur. Animus autem ipse sacer, & æternus quidem est, & cui non possit inijci manus.* Ita Seneca. Quo hac in re quid magis S. Augustinus, aut alius ex sacris Doctoribus, dicere potuisset?

Prop. XI. *Diuitiæ secundum se indifferentes sunt ad bonum & malum vsum.*

SIcut scala indifferens est ad ascendendum & descendendum; sic diuitiæ ad ascendendum & descendendum, in cœlum, inquam, vel in infernum: si enim pauperibus dantur, vel in alis pijs operibus, & Deo placitis, expenduntur, scalæ sunt ad ascendendum in cœlum. si verò in vanitatibus, & profanitatibus mundi, & in peccatis insumimus, scalæ sunt, quibus ad tartara descendemus.

Sed, vt melùs dicamus, diuitiæ similes sunt scaphæ, in qua quis enauigat fluuium, quam si quis eò, quò aquæ decurrunt ducat, facili negotio aquæ ipsius ductu descendet ad mare vsque: si verò quis contra decursum aquæ eam dirigere velit, vires exercere oportet, & contra fluminis itum impetu nauigare: quod quidem non ita facile, sed difficile est. Sic pecuniæ scapha tibi sunt: si enim in eum cursum, quem modò mundi res habent, diuitias tuas ducere velis, facili negotio tetin mare amarum damnationis æternæ ducent; at si contra mundi cursum in cœlum diuitias ducere conaris, contra impetum morum mundi, in cœlum te diuitiæ perducent. Hoc ita proposui, ne quis dicat: si diuitiæ indifferentes sunt, eas volo habere. vt eis in cœlo thesaurizem: potes, sed contra istum vehementem decursum mundi nauigandum est tibi, & ob id Christus diuitias relinquere consuluit: quod & modò quamplurimi faciunt religiosi, &c.

Dicere solebat Socrates, diuitias in manu impij esse velut gladium in manu phrenetici, qui ad nihil aliud deseruit, quàm quòd sibi & alijs in perniciem sit; sic diuitiæ in manu impij ad vindictas, luxurias, comessationes, superbias, & vanitates deseruiunt, &c. In manu hominis pij sunt eleemosynæ, & opera pia.

Ephus. Quod in aqua Ægypti mihi viuis coloribus expressum videtur, quæ, vt constat Exod. 7. imperio Dei in sanguinem conuersa fuit. Ait autem Iosephus, huiusmodi aquam in manu quidem Ægyptiorum sanguinem fuisse; in manu verò Israelitarum non nisi aquam mundam. Sic nimirum diuitiæ in manu peccatoris sanguis peccatorum sunt, in manu verò hominis iusti iustitia sunt. Patet: in manu enim diuitis Epulonis, qui epulabatur quotidie splendidè, & induebatur purpurâ, & byssо, & non compatiebatur super Lazari contritione, quid aliud erant, nisi gula, & profanitas ornatus, & crudelitatis occasiones at in manu sancti Iob, audi, quid essent Iob. 29. *Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum,* &c. Ecce quid in illa manu pia erant, oculus cæci, pes claudi, & pauperibus remedium paupertatis. Sicut enim pater diuitias filijs impertit, & prouidet eis in omnibus, quibus egent; sic Iob pecunijs & diuitijs suis se pauperibus patrem exhibebat.

S. Chrysost. hom 21. ad popul. Diuitibus huius sæculi, ait *Chrysost.* Paulus, *præcipe non sublimè sapere. Quare non dixit præcipe* 1. *Tim.* 6. *depauperari, præcipe quæ habent exhaurire; sed præcipe non* 17. *sublimè sapere?* Nouit non prohibitas esse diuitias; *sed qualis earum sit vsus: sicut non mala res vinum, sed ebrietas; ita non mala res diuitiæ; sed mala auaritia, malum altum sapere,* &c. Ita S. Chrysost.

Prop. XII. *Paupertas diuitiarum, quàm conformis sit Euangelicæ vitæ.*

PRiusquam in terras descenderet filius Dei, in bono pretio bona temporalia habebantur, & à Deo ipso in præmium obsequentibus & parentibus ipsi, offerebantur. *Si culuerit is me,* ait Dominus, *bona terræ comedetis:* *Isai* 1. at post Christum Dominum, ad nostram eruditionem missum, Euangelica paupertas, diuitiarum contemptus florere cœperunt. tunc auditum est, *Beati pauperes spiritu,* hoc est, qui spiritu & corde contemnunt opes, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* non iam, *bona terræ comedetis,* &c.

Hinc illa Iacobi Patriarchæ benedicentis Ioseph filium suum verba, *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens. Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum. Dios todo poderoso sera tu defensor, hijo mio Ioseph, el todo poderoso te dara su bendicion, la qual sera de cielo y terra, de cielo, porque el cielo te communicara liberalmente sus influecias, y el abysmo de aca bajo con sus fuentes y manantiales, te acudira tambien para regar tus campos, y fertilizar tus heredades, y esso hasta quando? donec* (inquit) *veniat desiderium collium æternorum.* Vbi Lira. hoc est, vsque ad Messiæ aduentum; quasi dicat, aureis illis temporibus Christi euangelica florebit paupertas, & rerum terrenarum contemptus. Christicolis enim dicitur: *sursum corda, & non in terra deorsum.* *Gen.* 42. 22.

Prop. XIII. *Diuitiæ molestias pariunt.*

ABsalon pulcherrimos nutriebat capillos, ita vt non desint, qui dicant, quòd mulieres emebant illos in ornamentum suum: sed de huiusmodi capillis ait Scriptura, quòd grauabat eum cæsaries, & ideo semel in anno tondebatur, & ponderabat capillos ducentis siclis, id est, ducentis vncijs. Idem igitur dictum sit de opibus diuitum: pulchræ quidem sunt opes in oculis mundanorum, & grauant nimis, adeò scilicet vt mergant multos in infernum: grauant nimis, quia quietem animi tollunt, & molestias innumeras pariunt. 2. *Reg* 14.

Minabatur Dominus filijs Israel captiuitatem Ierem. 16. & addit: *Seruietis Dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte.* Chaldæa paraphrasis sic habet, *Jeruietis enim populis colentibus idola die ac nocte, qui non erunt vobis misericordes.* Hæc quidem maledictio etiam comprehendit diuites sæculi: seruiunt enim & ipsi diuitijs: ideo enim Dominus: *Non potestis Deo seruire & mammonæ*: diuitiæ autem non dant requiem diuitibus die nec nocte: sicut enim saturitas non sinit diuitem dormire, sic nec saturitas diuitiarum: nam suis curis pungunt cor & à somno diuertunt. Quod in parabola diuitis, qui plurimum fructuum collegit, ostenditur: hic enim noctu secum tacitus reuoluebat: *Quid faciam?* Verba anxietatem significantia hæc sunt, &c. Vnde opes illum dormire non sinebant: si enim diuitiæ spinæ sunt, quis super spinas dormire potest? *Ierem.* 18. 13. *Luc* 16. 13. *Luc.* 12.

Præterea nota quòd spinæ in fine cuspidem habent, quo pungunt; sic diuitiæ, licèt modò in hac vita non pungu-

pungerent animam, quod vix continget, in fine vitæ, A & hìorà mortis in iudicio Dei pungunt, & dilacerant cor. Væ mihi, ait diues, &c. hic *extrema gaudij luctus occupat.* Prou. 14.

PROP. XIV. *Diuitiæ nec ad delicias corporis conducunt.*

Chrysost. SAnct. Chrysost. hom. 2. ad popul. *Vnum est, quo diuitiæ pauperatem superare videntur, quod diuinis scilicet affluere deliciis, & multa in conuiuijs repleri voluptate. Hoc tamen in paruorum mensa potiùs contingit, qui maiori, quàm diuites, voluptate fruuntur, & ne mireminì dictum, ex ipsa rerum demonstratione manifestum fiet. nostis quippe omnes, & hoc confiremini, quòd voluptatem in conuiuijs, non fercularum natura, sed conuiuantium dispositio facere consueuit, vt cùm fame quis mensam attingit, omni obsonio, & condimento, & innumeris eborum illecebris iucundiorem escam gustabit, etsi omnium vilissima sit; necessitatem verò, & esurìem præueniens (quod diuites faciunt) etiam si placentas inuenerit appositas, B non sentiet voluptatem, appetitu scilicet non excitato: & in hoc testes quidem vos omnes. Audiamus autem & Scripturam.*

Prou 27. 7. Anima *(inquit)* saturata calcabit fauum, & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.

Et certè quid dulcius fauo, & melle? sed non iucundum, ait, non esurienti; quid verò amarus inucundius? sed dulcia pauperi sunt: pauperes autem cum necessitate, & esurie ad cibum veniunt, diuites verò eam non expectant. Vnde legitimam & sinceram voluptatem non capiunt. Neque in cibo tantùm hoc accidit, sed etiam in potu: sicut enim illic esuries, supra escarum naturam, voluptatem inducit, sic & hìc sitis iucundissimum potum facere consueuit, etsi dura sit aqua, quæ hìbatur. &

Ps. 80. 7. *hoc ipsum Propheta dicebat.* Et ex petra melle saturauit eos: *atqui hoc nusquam in Scriptura lectum est, quòd eduxit Moses mel de petra, sed tantum aquam; quid igitur hoc? neque enim Scriptura mentitur. Postquam enim sitientes, & indigentiâ defatigati, in aquas inciderunt, ex potu voluptatem asserere volens, mel aquam appellauit, non tanquam mutatâ in mel natura, sed bibentium dispositione, fluenta illa melle iucundiora faciente. Vides quomodo sitis sitienti potum suauem reddere consueuit? multi ergo pauperes fatigati laboribus, siti ardentes, cùm dicta voluptate talia lìbauêre fluenta; diuites verò vinum suaue, & odorem, & omnem virtutem habens, quæ in vino optari possèt, haurientes, non eandem sensêre delectationem. Hoc etiam in somno fieri videas: non enim molle stratum, neque deargentatus lectus, neque quies per domum facta, somnum dulcem & prosìtuem facere solet, sicut qui laborarunt, & lassati, & vehementer somni indigentes reclinati, & hoc testatur verum experientia, & ante ipsam experientiam Scripturarum sententia: delicijs enim enutrius Salomon, idem*

Eccl 5. 2. demonstrare volens, dicebat: Iucundus somnus seruo, siue parum, siue multùm comedat. *Cur igitur addit, siue parum, siue multùm comedat? Quia ambo hæc vigilium inducere solent, indigentia & crapula; illa quidem spiritum arefaciens, & palpebras carneas diducens, nec claudi permittens; hæc verò anhelitum augens, & elidens, & multos infe- D rens dolores. Sed tanta est laborum medicina, quòd si etiam ambo adsint, seruus dormire potest. postquam enim seruì tota die circumcursitarint, dominis suis ministrantes, & ne minimum quidem respirantes, sufficientem laborum, & lassitudinum retributionem capiunt, in dormiendo voluptatem. Et hoc Dei benignitate factum est, vt non auro, & argento, sed labore, & necessitate, & omni disciplina emi valeant voluptates. Non sic diuites, sed in stratis mollibus iacentes sæpe totam noctem insomnem ducunt, & multa somniantes, tali non fruuntur voluptate. Cùm ergo maiori cum voluptate pauper & comedat, & bibat, & dormiat, quare diuitiæ hæc priuatæ supra ipsum paupertatem prærogatiuam habebunt?* Ita Sanct. Chrysostomus.

PROP. XV. *Diuitiæ pacem cordis tollunt, & turbationes excitant.*

SEneca epistol. 14. hanc cuiusdam sapientis sententiam refert, *Is maximè fruitur diuitiis, qui non diuitijs.* Causam huius sententiæ assignauit, ibidem Seneca, dicens: *Qui eget diuitijs, timet pro illis: nemo autem licito bono fruitur, adjicere eis aliquid studet, & dum diuitum incremento cogitat, oblitus est vsus, rationes accipit, forum conterit, calendarium versat, sit ex Domino procurator.* Ita Seneca. qui non minùs propriè, & aptè dicere potuisset, fit ex Domino seruus, & seruus quidem, cui nec nocte requiem diuitiæ concedunt: si enim die laborat in diuitijs acquirendis, conseruandis, & distribuendis, nocte, cùm alij dormiunt, & quiescunt, ipse vigilat, & lectum versat, & cogitationes cordis cum torquent, vt in diuite illo constat parabolæ Christi Do- Luc. 12. mini, cuius agri fructus eum dormire non sinebant, &c.

Rupert. Abbas lib. 3. in Exod. cap. 18. expendens id quod Dominus dixit de manna, *Nullus relinquat ex eo vsque mane. Iuxta litteram,* inquit, *fides exigitur a populo, vt totam sui curam Deo committentes, solliciti de crastino non sint, quorum inobedientiæ vel minimæ fidei, pœnam dignam miraculum illud præsignauit; quod cùm dimìssent quidam ex eis vsque mane, fœtere cœpit vermibus, & computruit. Hoc autem exemplo commoneri se sciat infidelis auarus, qui suam in Deo non posuit, & idcirco diuitias recondendo, Mammonæ seruit. Eum qui huiusmodi est, & nunc quamdiu tutæ curarum & sollicitudinum vermis comedit, & in futuro vermis, qui non morietur, comesturus est.* Ita ille. Vide S. Chrysost. homil. 14. in 1. ad Corinth. & hom. 5. in Lucam, vbi ponderat id quod de diuite Epulone ait S. Lucas, eleuans oculos suos cùm esset in tormentis, &c. Ponderat autem S. Chrysostomus, quòd non dixit *in tormento,* sed *in tormentis:* etenim in tormentis erat, quia non solùm torquebatur igne, sed causâ, quia scilicet transierat à tormentis huius vitæ ad tormenta alterius vitæ, & quia propter diuitias, propter quas mille cruciatus fuerat perpessus, ad cruciatus peruenisset æternos.

PROP. XVI. *Quàm ingens sit diuitiarum appetitus.*

CVm venisset Christus Dominus in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, fœui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam, & ecce clamauerunt, dicentes: *Quid nobis, & tibi, Iesu fili Dei, veniste huc ante tempus torquere nos? erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum pascens, dæmones autem rogabant eum, dicentes: si eycis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum; & ait illis: Ite. at illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis: pastores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem nunciauerunt omnia, & de his qui dæmonia habuerunt. Et ecce tota ciuitas exijt obuiam Iesu, & viso eo rogabant, vt transiret à finibus eorum.* Theophylact. & Euthymius aiunt, ideò hoc illos petiuisse, quia porcos amiserant ob illam licentiam Christi, & timebant ne eodem pacto diuitias perderent. Aliàs obserua quàm ingens sit in hominibus diuitiarum & bonorum temporalium amor, ne perderent porcos, & huiusmodi alia, Christum amittere volebant. debuerant quidem, viso tanto miraculo, pedes Christi tenere, & instanter eum rogare ne discederet à finibus eorum: sic enim se à dæmonibus liberos fore sperantes, & à tam potenti Domino multa bona recepturos: at illi porcos magis quàm Christum elegerunt habere, porcorum nomine & ipsi digni. sed multos huiusmodi reperies modò, qui ne diuitias perdant, Deum amittere

amittere non dubitat, quales sunt vsurarij, simoniaci, iniusti munerũ acceptores, & qui æs alienum soluere, cùm possint nolunt, & hi qui quouis modo iniustè vel acquirunt, vel retinent aliena, &c.

Sic Sanctus Lucas, *Factum est euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum pithonem obuiare nobis, qua quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. Hæc subsecuta Paulum, & nos, clamabat, dicens: isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis. hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuersus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea, & exijt eadem hora. Videntes autem Domini eius, quia exijit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum, & Silam, peruexerunt in forum ad principes, & offerentes eos magistratibus dixerunt: Hi homines conturbant ciuitatem nostram, cùm sint Iudæi, & annunciant morem quem non licet nobis suscipere, nec facere, cum simus Romani, & cucurrit plebs aduersus eos, & magistratus, scissis tunicis eorum, iusserunt eos virgis cædi, & cùm multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi vt diligenter custodiret eos.* Ecce qualem tragœdiam excitauit nimius amor pecuniarum, debuerant quidem Domini illi gratias reddere Paulo, quòd famulam eorum à dæmonio liberasset; illi verò adeò crudeles in Paulum extiterunt, quia, inquit, exeunte dæmone exiuit pariter spes quæstus eorum. Auri sacra fames quid non mortalia pectora cogis, maluerunt hi quæstum cum diabolo, & sine Deo, quàm sine quæstu Deum absque dæmone possidere.

Sanctus Chrysostom. hom. quòd nemo lædatur, nisi à seipso, tom. 5. *Cur, quæso te, appetenda videntur diuitiæ quia, inquies, sanitari, & vitæ ipsi, & fama, & patriæ, & propinquis, & amicis, & omnibus omnino quæ sunt, commodiores eas esse pluribus visum est. Et ista sententia non solùm terra marique seruatur, sed vsque ad ipsas nubes & sydera ascendit. Nouit & ego quod non tam ista sententia, quam flamma est, quæ & ipsum vastat orbem terrarum, & qui extinguat quidem nullus est, qui accendant verò & magis magisque instamment, multi sunt. omnes enim fauent huic malo, non solùm illi, qui ab eo capti sunt, sed & qui nondum illuc videntur ingressi, & vnusquemque hominem videas, siue vir ille, siue fœmina sit, seruus, aut liber, dues, aut pauper, pro viribus suis, incendio huic materiam, & onera comportare, & die ac nocte in eius ministerijs vigilare. Onera dico, nõ ligni, aut fœni: non enim talis est flamma, quæ ista consumat, sed animæ suæ, & corporis iniqua & iniusta ei opera deferunt: his enim accenditur ignis iste. Nam & ipsi diuites etiamsi totum orbem esset possibile possideri à singulis, adhuc iu desiderio eius arderent. Pauperes verò, dum cupiunt diuitibus exæquari, insanabilem rabiem patiuntur, insanunt, & in tantum amor pecuniæ omnem animam fatigat, vt nec coniugii, aut filiorum amori locum det, quibus affectibus inter homines nihil præfertur: amor autem pecuniæ omnia hæc humi deijcit, & pedibus conculcat, ita velut fera quædam, & domina crudelis omnium possidet corda, & tyrannica dominatione deuincit. Sæuit vt barbarus, feruet crudeliter vt tyrannus, debacchatur impudenter vt meretrix, nusquam miseretur, nusquam pudet, terribilis, & dira est, & tamen suauis & amabilis hominibus videtur, & dulcior melle, cùm ipsa eis præcipitia quotidie paret. Expetitur hoc ab eis & adhuc desideratur, & per innumeras mortes latantur se ad eius tanuas saltem peruenisse: volutari namque in cœno eius, tanquam sues delectantur, & vt cantheri flercus eius enoluere.*

Quomodo ergo sanabimus mentes huiusmodi, irrationabilia illa animalia, quæ se in huiusmodi sordibus volutant, transferri ab his non possunt, vtpote intellectu, & ratione carentia. Nobis autem nunc sermo ad homines habetur, quibus intellectus ineft, superest vt audire velint, & facile de cœno isto poterunt liberari. Age ergo iam, & percontemur ab eis, cur expetenda videantur esse diuitiæ? Respondebunt sine dubio propter vitæ voluptatem, & corporis delicias, tum deinde propter honorem, & propter officia, quæ ab hominibus diuitiarum causa conferuntur, & quia diues facilè vlcisci potest in eos, qui iniuriam inferre tentauerint, & vt timori cæteris sit.

Existimo quod alias, exceptis his, causas non habeant, voluptatis dico, honoris, officiorum, timoris & vltionis: nam neque sapientiorem, neque temperantiorem, neque prudentiorem, neque elementiorem diuitiæ hominem facere possunt, non denique sanctiorem: nusquam enim aliquando iracundum, implacidum, & mansuetum commutarunt, neque incontinentem continentiam docuerunt, nec voluptuosum sobrietatem, nec inuerecundum verecundiam, nec aliud virtutis genus. Quòd si virtutibus animæ nihil conferunt, nec meliorem hominem secundum titulum virtutum reddunt, dic, quæso, quam ob causam videantur esse diuitiæ expetendæ?

Imò verò non solùm nihil virtutis animo conferunt, sed si paratum aliquid, & reconditum inuenerint, subruunt, & è contrario vitia pro virtutibus introducunt; luxuriam scilicet, intemperantiam, furorem, iniustitiam, arrogantiam, superbiam, & omnem irrationabilem motum. Sed de his suis in locis referemus. Nunc videamus si est in diuitijs aliquid, quod delectare possit, aut aliquid honoris.

Incipiamus à comessationibus, & conuiuijs, & mensarum affluentiâ: in his enim diuitiarum magnificentia prædicatur, sed conferamus mensam diuitis, & mediocris, & discutiamus, qui puram vtriusque mensæ capiant voluptatem. Illi quidem tota die recumbunt, & cœnas prandijs iungunt, & ventris distensione rumpuntur, & ciborum oppressione premuntur, & vini inundatione, veluti naufragio, anima necatur, vbi neque oculos, neque lingua, neque pes propijs deseruit officijs, sed omnia membra corporis vini vinculis iacent vincta, grauius quàm tatenis, vbi sopor eis non datur ad quietem, neque ad salubritatem cedit, sed exterritis somnijs, insanientibus, & furentibus deteriores fiunt, & risus, & spectaculum, omnibus etiam famulis fiunt, nihil sentiunt, sed ab alijs de accubitis portantur ad lectos. Nunquid igitur in his conuiuijs maior voluptas est, an in illis vbi cibus, potusque tantus est, quantus famem depellat, ac sitim? Hunc vitæ modum natura docuit, illum verò libidinis corruptela, in hoc denique sanitas adest, ratio permanet, & honestas cum sobrietate perdurat, nec grauatum corpus, & oppressum è mensa leuatur, sed potius adiutum, & viribus auctum, & alacritate subnixum, surgit incolume. Vtrorumque igitur corpora, & animos considera, & inuenies illa robusta magis, & valida, ac succi plena, quæ mediocribus, & simplicibus vtuntur alimonijs: hi verò qui in delicijs vitam ducunt, resoluta quidem corpora, & omni cera circumfernunt molliora, & agminę quodam infirmitatum repleta, quibusque ad cumulum malorum, podagræ tremor, & immatura senectus accedit, & est eis vita semper cum medicis, & medicamentis; sensus autem ipsi tardi, graues, obtusi, & quodammodo iam sepulti. Et si aliquid voluptatis, aliquid iucunditatis habent, quis hæc iucunda, & grata dicat? voluptas enim definitur, cùm quis fruitur desiderijs suis: vbi verò desiderijs frui non potest, quia vel agritudo non sinit, vel satietas ipsa desiderari non facit, quæ onerosa efficit abundantia, sine dubio voluptas, & iucunditas eis perit. Denique considera ægros, qui fastidio perurgentur, quomodo quamuis suaues eis & lauti apponantur cibi, horrori tamen magis eos accipiunt, quàm voluptati. Sic ergo cùm per abundantiam cupiditas fuerit extincta, pariter voluptas & iucunditas perimitur, quia non tam ciborum gratia, quàm desiderij gignit satisfactio voluptatem. Vnde & sapiens quis, atque in hoc disciplina philosophari bene sciens, ait: Anima in satietate bene posita, fauis illudit. *Ostendens etiam ipse, quia voluptas non in natura (vt diximus) ciborum, sed in vigore desiderij consistit. Ideo & Propheta mirabilia enarrans quæ in Ægypto, quæque in eremo gesta sunt, De petra, inquit, melle saturauit eos. Equidem nusquam inuenimus mel fluxisse de saxo: Quid ergo est, quod dixit? Quoniam quidem post multam itineris fatigationem & labores, sitientes aquas frigidas, è saxo fluentibus fruebantur, easque multo cum desiderio hauriebant, hoc ipso ergo quòd dulcissimè, & desiderabiliter potandi cupiditas exple-*

Prou 27. 7.

Psal. 80. 7.

explebatur, aquas illas mel appellauit : non quòd natura aquarum fuerit commutata, sed quòd dulcedo poculi, instar mellis, sitientibus, & desideratibus obtineret dulcorem. Ergo simplicior victus, & mensa mediocris plurimum iucunditatis, & voluptatis habet. E contra verò diuitum mensæ execrabiles, morborum plenæ, & sicut ait, quidam prudentium, in quibus molestia, sunt etiam ea, quæ delectabilia videntur.

Sed honores, inquunt, conferunt diuitiæ, & in inimicos facilius vltionem præstant, & ob hoc videbitur necessaria esse opus diuitiarum, quia vitiis ministrant, & ira tribuunt effectum, atque inanes ambitionum bullas inflant amplius, & extollunt in maius, quodque superbiæ malum exigunt tumidius ? Imò potiùs pro his maximè erant diuitiæ fugiendæ. Hoc est enim bestias feras homines in animis suis collocare, & in pectore nutrire. Et iterum diuitiæ suadent, vt honore quidem vero cœlestique careatur ; falsum verò bunc veri illius colore solum, & simulata imagine fucatum requiri honorem, non veritate, sed nomine. Sicut enim plerumque vultus meretricis, cum fœdus, & turpis est per naturam, fucis, & coloribus pigmentatus ostenditur ad decipiendos, qui ignorant, quid sub velamine fuci illius contegatur ; sic & diuitiæ faciunt, cùm adulationem volunt honorem videri. Neque enim voces illæ populi, per quas iudicibus acclamatur, ex veritate proferuntur, sed ipsæ sunt, quibus fucatum nomen depingitur honoris : nam si conscientiæ interroges acclamantium tibi, inuenies apud vnumquemque eorum mille te capitibus accusari. Denique vbi metus cessauerit potestatis, & publicæ pompæ fuerit scena resoluta ; tunc videas quanti oblatrantes, quanti obloquentes, quanti insimulantes : & hi omnes ex illis sunt, qui prius acclamabant & immensis te laudibus extollebant ; hæc tu honorem dicis ? & hæc diuitijs quærenda credis ? quæ, etiamsi sponte adessent, recusanda erant ? plus enim quidem odij, quàm amoris acquirunt.

Sed si vis, ostendam tibi honorem verum. Honor virtus animi est : hic honor neque à Cæsaribus præstatur, neque adulatione conquiritur, neque pecuniâ præparatur : nihil in se fucati habet, nihil simulati, nihil occulti : huius honoris successor nullus est, accusator nullus, nullus ingratus : honor hic temporibus non mutatur, neque patitur tyrannos, nec picturam tabulæ metuit aliquando esse delendam.

Sed vindictam, inquis, inimicorum sumere aliter non possum. Hæc verò est maximè causa, propter quam execrandæ sunt diuitiæ, & amanda paupertas : istum enim gladium, quem dicis, acuunt aduersùm te : faciunt enim te præuaricatorem mandati illius, Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus. *Rom.12. 19.* Vis autem videre quantum mali habeat cupiditas vindictæ ? Misericordiam Dei aufert ab homine, & gratiam iam concessam reuocat, & infringit : scriptum est enim in Euangelio, quòd is qui talentorum multorum debitor fuerat, & veniam à domino precatus, à domino impetrauerat, cùm conuersus ad seruum suum, qui ei parum pecuniæ debebat, hoc est, ei qui parum in eum peccauerat, exigere eum cœpit, vindictam scilicet, sumere, & ob quod immitis sunt erga indigentiam conserui, ipse de se tulit sententiam, vt non solùm iam concessa non frueretur indulgentiâ, sed & tortoribus traderetur, atque vniuersi debiti summam cum supplicio solueret, ac pœna, & ita pro desiderio vindictæ munus perdidit indulgentiæ diuinæ. Pro his, quæso te, expetenda videntur diuitiæ, vt tibi facilior sit ad interitum via ? nónne pro his maximè oportebat eas, veluti grauissimum inimicum, vitari ? *Deu.23. 43. Matt.18.*

Sed paupertas, inquis, est difficile negotium : interdum enim blasphemare cogit hominem per penuriam, & multa committere indigna. Non paupertas hæc, sed pusillanimitas facit. Nam & Lazarus pauper fuit, & valde pauper, cuius paupertati addebatur etiam ægritudo, & ægritudo amarissima, quæ ipsam paupertatem redderet grauiorem, cùm & vis morbi solatia multa depoſceret, & nullum penitus paupertas posset adhibere. Horum enim alterum, etiamsi solum sit, graue est, & doloribus plenum : cùm autem simul iunguntur, nec adest, qui subleuet, intolerabile videtur malum, ignis meus inguibus, & dolor sine remedio, tempestas plena naufragijs, animæ simul, & corporis flamma. Erat præterea huic beato his omnibus malis aliquid adhuc amplius, vicinitas scilicet diuitis epulantis, vt eum multò amplius excruciarent oculis posita, quæ videbantur, quàm illæ, quæ per penuriam deerant : multò enim grauius affligit animam, quod ea non carere bonis, quæ videt, quàm bis egere, quæ non videt. Lazarum sic dira fames, & amaræ ægritudines vastabant ; ministrer verò nullus, nec vllum misero solatium ex diuitis mensa, quæ parasitos, & luxuriosos vsque ad dissensionem, & crapulam satiabat, nec micæ quidem, quæ projiciebantur, Lazaro periclitanti dabantur ; & tamen ita pertulit hanc tam dram, tamque teterrimam paupertatem, vt negre amarum vtmonent, neque blasphemiæ verbum proferret, aut illicitum : sed sicut aurum vehementius ignitum, purius, & fulgentius redditur ; ita etiam ille passionibus, & cruciatibus examinatus, clarior, & splendidior per patientiam reddebatur. Vides quomodo nemo læditur a paupertate, sed a seipso ? Quid enim, die mihi, morbus corporis ? quid penuria rerum omnium ? quid irrumpentes vlceribus canes ? quid vicinitas diuitis auari ledere potuit athletam Dei ? aut in quo his omnibus resolutus, aut fractus est à virtute animi sui ? Nihil omnino : quinimo & angustijs rerum magis solidatus est, & buiusmodi illi coronas parate sunt ; vnde infelicior putabatur, inde ei palma victoriæ ; inde æterna remuneratio, vnde cruciatus ei multiplicabatur, & iniuria : fames illa abundantiam præparabat futurorum bonorum, ægritudo illa vitam conciliabat æternam, vlcera illa, quæ canes lambebant, splendorem gloriæ per Angelos ministrandum ferebant, inhumani & crudelis dominus deflectus, & ad tanuas eius cubile contemptum, patru Abraham pijssimos sinus, & beatitudinis eius consortia promittebat. Quid etiam Paulo fames ? quid frigus, aut nuditas ? quid verbera, quid saxa nocuerunt ? quid detrimenti in naufragijs, quid in profundo maris passus est ? nónne permansit idem semper Paulus ?

E contra Iudas vnus fuit, & ipse de duodecim, & vocatus Apostolus Christi ; sed neque quòd vnus ex duodecim fuit, & Apostolus vocatus Christi, prodesse ei quicquam potuit, non habenti animum virtutibus deditum. Sed Paulus quidem cum penuria, & plagis cucurrit cursum, qui ducit ad cœlum ; ille verò cum & prior vocatus esset in Apostolatum, & simili cum cæteris gratia donatus, & cœlestem edoctus esset Philosophiam, & sacræ Christi mensæ, venerandique Sacramenti particeps exstitisset, habuisset etiam donum Spiritus sancti, ita vt mortuos suscitaret, & leprosos curaret, ac dæmones effugaret, cùmque de contemptu rerum secularium frequenter fuisset edoctus, adhærens lateribus Christi, & indigentium sibi commissa esset dispensatio, quo auaritia latens sanaretur ; tamen nec sic quidem profecere in melius potuit. Sciebat Christus, quòd auarus esset Iudas, & ideò commisit ei dispensationem pecuniæ, vt habens in manibus, quod desiderabat, pernicioſa passio, expleta cupiditate, ejiceret, nec decideret in illam mortis foueam ; sed minoribus malis maiora exprimeret. Sic igitur qui seipsum non lescit, ab alio non potest læd : & rursum qui seipsum corrigere & emendare noluerit, nullus ei extrinsecus proderit. Ita Sanctus Chrysost.

Sed dices, ad eleemosynam faciendam diuitiæ omnino sunt necessariæ ; qui enim fieri potest, vt pauperi tribuat, qui eget ; nemo dat, quod non habet. Quomodo, nec ad eleemosynæ meritum sine necessariæ diuitiæ, ei constat qui sanctorum desiderium vim nouit. præterea quot diuites, misericordes vides ? &c.

Ierem.6. *A minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ student.* Nec semel contentus, iterum c.8. repetit : *A minimo vsque ad maximum omnes auaritiam sequuntur.* Et vtinam querimonia hæc Domini in Hebræis tantùm locum habuisset ! neque probare est necesse, idem inter Christianos reperiri, satis est oculos aperire. Hinc quidem est quòd Dominus, quasi manu clausa & strictè nobis *Luc.16.*

aurum & argentum communicat, & sub terram intus A nimis nobis abscondit, vt ea potiùs pedibus proteramus, quàm supra caput collocemus, nec in eis corda ponamus, & vt cum difficultate & labore & parcè inde metalla ista pretiosa depromamus.

Inquirit Sanct. Thom. causam cur Moyses agens de mundi creatione, de cœlis, & elementis & mixtis egit, & non de Angelis, cùm excellentiores creaturæ sint. Et respondet huic dubio : *Ad vitandam*, inquit, *idololatriam, ad quam homines proni erant, & ad quam daretur occasio si plures substantiæ spirituales ponerentur præter Deum, & præcipuè à gentilibus diy dicerentur.* Ita S. Thom. Quia ergo homines proni erant ad idololatriam, ideo Moyses non expressit Angelos, ne eos tanquam Deos adorarent. Simili ratione Deus ideo occultauit diuitias auri & argenti in visceribus terræ, quia nouit homines ad diuitias esse procliues : ex quibus auaritia, & superbia, & gula, & alia vitia promanant ; sed non in totum, vt necessitati & commercio necessario prouideret : sed tanta est cupiditas diuitiarum, vt dixerit meritò Seneca: *Propter aurum & argentum itum est ad viscera terræ.* B

Prop. XVII. *Diuitiæ non satiant corda nostra.*

5. Seneca : *Discedant aliquando ista insidiosa bona, & spectantibus meliora quàm assequutus, si quid in illis esset solidi aliquando implerent. quare igitur potiùs à fortuna impetrem vt det, quàm à me, ne petam.* Ita ille. Insidiosa vocat bona : quia gaudium & satietatem promittunt; numquam verò quod promittunt adimplent : nam qui ditior est diuitijs, ditior est curis, & anxietatibus assiduis. Vbi ergo gaudium, & quies, quam diuitiæ promittunt ? non ita magister noster docuit, qui diuitias sentibus & spinis comparauit. insidiosæ igitur diuitiæ meritò dicuntur, quia non adimplent quod appetentibus se promittunt. deinde, vanæ, inquit, & non solidæ sunt : si enim in illis aliquid solidi esset, aliquando implerent. Quando tu vidisti diuitem plenum ? quem Crœsum ? quem Alexandrum magnum ? numquam nam C

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

7. Isaias cap. 2. *Repleta est terra auro, & argento.* Loquitur Propheta de diuitijs, quibus suis temporibus homines abundabant. Cur igitur non ait, repleti sunt homines auro, & argento ? Quia fieri potest arcas, & domos hominum plenas esse diuitijs, homines verò impossibile quidem est ; quia sicut non satiatur oculus visu, nec auris auditu, sic nec cor hominis diuitijs : nec enim minus capax est cor, quàm oculi, & aures.

Hinc Plato corda auarorum vasi confracto comparabat, quia sicut impossibile est vas confractum aqua, verbi gratiâ, impleri, quamuis vtrumque mare in illud infundas ; sic impossibile pariter est cor humanum D diuitijs impleri, quamuis omnes venas auri, & argenti exhaurias. Quare auarorum lucra, non lucra, sed tormenta, & cruciatus dicenda sunt. Finxerunt Poetæ filijs Danai in inferno pro cruciatu tartareo iniunctum esse, vt indesinenter dolium carens solo & fundo, aquâ replerent, & cùm non possent implere dolium, inutili & laboroso consumebantur opere. Inde prouerbium *Danaicum dolium.* Similis mihi videtur cruciatus auarorum, qui semper lucris inhiant, & semper, velut vacui, sitiunt : est enim cor eorum Danaicum dolium.

Prop. XVIII. *Diuitiæ malè partæ malè dilabuntur.*

Matth. 8. permisit Christus dæmonibus intrare in gregem porcorum, *Et ecce*, inquit Matth. *impetu abijt totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis.* Cur Domine permisisti intrare dæmones in porcos, quos noueras sic perimendos ? tu qui omnibus prodesse curabas, & omnia miracula, in bonum hominum dirigebas, cæcos illuminando, dæmones effugando, &c. cur modò in perniciem dominorum gregis, fragem istam fieri voluisti ? Quia, vti ait Iansenius, Gerasæni erant Israelitæ, quibus à lege prohibitum erat carnes porcinas manducare; vnde iniustè, & contra legem & Dei voluntatem huiusmodi gregem possidebant. Quia igitur iniusta erat possessio ista, ideò tulit eam ab eis Deus. Vis vt à Deo tuæ tibi conseruentur diuitiæ, caue ne misceas iniustas possessiones; &c. Matt. 8. 32. Iansen.

Prop. XIX. *Diuitiæ dantur à Deo, vt in eius obsequium expendantur.*

PLura nobis conferre solet Deus, quàm nobis ad vitam hanc necessaria sint, vt habeamus quod in eius obsequium expendere valeamus, in eleemosynas videlicet, diuinum cultum, & alia opera pia.

Genes. 7. sic Dominus Deus ad Noë arcam ingressurum : *Ex omnibus animantibus mundi, tolle septena & septena, sed & de volucribus cœli septena & septena.* Cur non paria, sed imparia sic iussit Dominus Noe secum in arcam introducere ? Glossa ordinaria sic respondet: Plura sunt hæc animalia munda quàm immunda ; vt egressus Noe de arca haberet quod Deo immolaret. Ita Glossa. Idem habet Theodor. q. 50. in Genes. *Septena*, inquit, *iussit introduci, vt Noe vnum animal offerès ex vnaquaque specie non perimeret coniugationes.* Ita ille. Eadem ratione plura ad victum & conuictum hominibus non necessaria tribuit Deus, vt possint sibi prouidere, & honorare illum. Gen. 7. 2. Glossa. Theodor.

Prop. XX. *Quomodo & in quos vsus sint expendenda diuitiæ.*

MInuêdi sanguinis duplex est causa, qualitas nempe, & quantitas eius : interdum enim qualitas, interdum quantitas obest ; nec minùs perniciosa immoderata abundantia, quàm sanguinis corruptio esse solet. Vnde sapiens quidam, vbi excreuerit nimium sanguis, non affert corpori nutrimentũ, sed nocumentum, atque adeò quamuis sanguis incorruptus, & sanus in se sit, si nimius & superabundans fuerit, minui debet, ne suffocet hominem, vel ob nimietatem pessimas inde ægritudines producat. Sanguis vitæ ciuilis substantia temporalis est, sicut enim sanguis materia est quæ in carnem, & ossa, & neruos, & reliquas corporis humani partes commutatur, & quâ omnia membra sustentãtur; sic etiam pecunia materia est ad cuncta huic vitæ necessaria : & sicut mala qualitas, & nimia quantitas sanguinis corpori nocet, sic etiam diuitiarum non solùm mala qualitas, quando scilicet malè parta, vel iniustè retenta sunt, nocet, sed etiam quando diuitiæ multæ sunt : tunc enim in vanos, & profanos sumptus consumi solent : ipsis enim nutritur gula, & luxuria, & luxus, & quæ ad superbiam & fastum spectant. Quare sicut malè parta, & quæ aliena sunt, restitui domino debent; sic etiam diuitiæ quæ nimiæ sunt, in pios vsus distribuendæ sunt, ne superabundantia obruat possidentem. sicut contigit diuiti Epuloni, qui cùm diues esset, diuitias ad luxum deriuauit, & Lazaro eleemosynam postulanti renuit dare ; quid inde ? damnatus est, periit in æternum. O diuites attendite vobis, *sangra os en salud de la*

vena,del arca, no se a que vuestras riquezas os lleuen al infier- A *no*, ne fœlicitas vestra temporalis in infœlicitatem desinat sempiternam. Vbi etiam obserua,quòd sanguis effusus nihil post effusionem prodest, effusio quidem prodest, non tamen sanguis effusus : at effusæ pecuniæ in opera pia valde prosunt, simul cum effusione illarum.

Zach. 11. 2. *Vlulate quercus Basan, &c.* Quid per quercus intelligat, interpretatio Chaldaica declarauit, id est, satrapas prouinciarum, principes scilicet populorum ; cur hos quercus vocauit. Quercus quidem glandes pro fructu affert in cibum, propriè non, hominum, sed bestiarum: tales quidem sunt multi ex principibus, & diuitibus sæculi huius, qui diuitias insumunt in alendis, & sustentandis equis, canibus, & alitibus venatorijs, & denique famulis pessimis, & meretricibus ; inter bestias pariter iureque deputandis; vnde sicut quercus nullum fructum nisi ad porcos & bestias ferunt, sic & isti nec ad pauperes & viduas, & pupillos, & infirmos sustentandos eas habent. B

Ps. 77. 46. Psalm. 77. agit Dauid de plagis Ægypti, & inter alias inquit: *Dedit erugini fructus eorum, & labores eorum locustæ.* Ecce Dei supplicium, laborauerant miseri in excolendis agris, & vineis, & iusto Dei iudicio bruchus, & locusta comedit, & deuastauit fructum laborum eorum. Etenim supplicium maius est, quod hodie in domibus principum videmus, laborant ipsi in acquirendis diuitijs, vel certè laborauerunt patres eorum, & omnia consumunt famuli aulici, parasiti, & inutiles homines, qui solùm viuunt vt bibant, & manducent, ornentur, & ludant, & ibi dominis assistant honoris mundi gratiâ, & nihil ampliùs aut ferè.

Dan. 4. Hoc mihi significasse videtur arbor illa grandis, quam in somnis vidit Rex Nabuchodonosor, fructus C eius nimius, & esca vniuersorum in ea, subter ea habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cœli. Ecce quibus deseruiebat fructus arboris illius, volucribus cœli, & bestijs terræ, quem significarat arbor expressit Daniel, esse scilicet Regem Babyloniæ: volucres autem quænam sint, constat esse proceres, qui altioris ordinis sunt inter aulicos, hi quid aliud ferè omnes faciunt, nisi more auium canere, & psallere, & saltare, & garrire, sicut aues bestiæ subtus arborem ; erant aulici inferioris ordinis, quos bestias vocat Scriptura, quia more bestiarum viuebant: sicut enim bestiarum cura est comedere, & bibere, & dormire, sic illi nihil aliud sub vmbra regis viuentes quærebant. Vtinam de illis tantùm hoc verum esset, sed quamplurimi ita illi in aula nihil aliud quærunt, *vestidos, galas, comidas, regaladas, occiosidad, parleria, juegos, bailes, seraos, musicas y todo genera de regalos.* Ecce quibus tradidit Deus horum diuitias, *no se, quiere Dios seruir dellas, pormite que las lleue el mundo y la carne, y el* D *diablo.* Etenim maius supplicium propterea esse dixi, quàm tradere fructus Ægypti locustæ & brucho, quia bruchus, & locusta non peccant sic fumendo fructus: at isti in huiusmodi vsu diuitiarum mille peccata committunt, nónne eximiam hanc dicemus esse miseriam? Poterant non minimos gloriæ gradus acquirere suis diuitijs, si in pauperes, & xenodochia, & monasteria pauperum religioforum, & in cultum Dei insumerent, & obsequium Christi, & omnia amittunt, & pro merito reatus intercedit.

Inter alia quæ Lycurgus Lacedæmoniorum legislator suis ciuibus lege sanxit, hoc fuit, vt ædificantes domos terebrâ tantùm, & securi vterentur, & ab alijs instrumentis abstinerent; cur ita? Plutarchus *in Problematibus suis: Ideo*, inquit, *vt omnem intemperatiam & superfluos sumptus in domibus ædificandis funditus tolleret.* vtinam lex hæc apud nos vigeret, & de medio tollerentur tot tantique sumptus ædificiorũ, quibus se à pijs operibus excusatos ædificantes censent; profectò veniet super illos maledictio illa, *Lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit.* clamabit *Habac. 2.* quidem lapis superbè ædificantium, quia quod egenis *11.* dandum erat, vanè in dolandis lapidibus consumitur, & respondebit lignum apprimè elaboratum: Iuste Domine damnabis sic ædificantem, &c.

Diuitiæ secundùm se indifferentes ad bonum, & malum sunt vsum, & tunc malæ dicuntur, cùm male *Ecclus.* expenduntur, bonæ verò quando bene. Sicut de aqua *31.* Ægypti ait Iosephus, quòd quando Moyses illam in sanguinem conuertit, in manu Ægypti sanguis erat, in manu verò Israelitæ aqua munda, & clara sic de diuitijs philosophandum est: nam hæ in manu hominis vani, & prophani, seu peccatoris, sanguis sunt, peccata sunt, gula scilicet & luxuria, & luxus: at in manu hominis iusti sanctæ sunt, eleemosyna scilicet & opera misericordiæ, & pietatis, *en la mano en que caen va, &c.* Oportet igitur qui diues est attendat, ne in malos, & vanos vsus eas expendat, alioquin in periculem domini sui erunt, &c. Quòd si bene eas expenderit, & ad meritum æternæ vitæ, & ad vtilitatem vitæ temporalis proderunt ei.

Prou. 3. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Non ait, da Domino, sed *honora*, quo innuit Dominum se ab eis honorari, qui in eius seruitio, & cultu facultates suas expendunt: quis autem es tu, qui Deum gloriosum, & inhiato honore dignum valeas honorare? Quis vel propter hoc solum non libenter diuitias suas in Dei obsequium expendat, videns ita honorari Deum, cui seruire ipsis etiam Seraphim honorificum, & gloriosum est? & subdit, *implebuntur horrea*, &c. ergo Deum sic honorare, sic date, non amittere, sed recipere est: est quidem date, sed ad vsuram non prohibitam, sed sanctificatam, &c.

Eccles. 11. Hinc, *Fili si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer :* Quid est, dignas oblationes offerre? Iansen. ibi, monet dignas oblationes offerre, hoc est, vt de melioribus bonis fiant oblationes, nec nimis parcè. Ita ille. Is igitur sibi benefacit, qui in Dei obsequium, non miserè, & auarè, sed largè liberaliterque bona sua expendit, & non sicut Cain ex peioribus, & corrosis manipulis Deo offerebat sacrificia; sed sicut Abel ex melioribus pecoribus suis, atque ideo fuit sacrificium eius gratissimum: ita benefecit sibi ; quantò enim plura, & meliora dederis Deo, plura & meliora inuenies in cœlo tibi reseruata.

Hoc animaduertant qui ea se peridisse sentire videntur, quæ in Dei obsequium, & in Christi pauperes expenduntur: non enim vtilitas in retributione temporali consistit, sed in æterna : vnde Christus Dominus, *Cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi.* Vbi posuit 13. beatitudinem, vbi tu fortè amissionem solam dati meditaberis; si retributionem temporalem attendis, iam non est opus pium, sed negociatio mercatoria.

Considera igitur qualiter diuitiæ in delicijs, & vanitatibus mundi expensæ, licèt ad tempus vtiles videantur, in æternum pereant : sicut in diuite Epulone animaduertit S. Augustinus hom. de diuite, dicens: *Ideo rogans dines non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudiuit in terris.*

Diuitiæ autem, quæ in malos vsus expenduntur, miserabilem diuitem reddunt. Rectè S. Gregor. Nazianz. *Qui malè diuitijs vtitur, miserabilis est : sicut ille, qui sponte se vulnerat eo gladio quem ad vindictam sumpserat hostium.* Ita ille. dantur nobis diuitiæ à Deo, vt eis & hostes vincamus benefaciendo, & coronam inde promereamur ; qui ergo diuitijs abutitur, suo se iugulat gladio, & his se necat, quibus vitam erat æternam consecuturus.

Ad hunc

Ad hunc etiam bonum diuitiarum vſum ſpectat non eas auarè retinere, & ſeruare, ſed exhibere quando. & quibus, & ſicut oportet. Rectè S. Hieronym. in Matthæum : *Qui diuitiarum ſeruus eſt, diuitias cuſtodit vt ſeruus : qui autem excuſſerit iugum, vt dominus diſtribuit eas.* Ita ille. Et Sanctus Gregorius in quadam homilia. *Res ſuas, cum moreretur diues, tolleret ſecum, ſi ad patentis voluntatem eas largitus fuiſſet, nam terrena omnia, quæ ſeruando amittuntur, largiendo ſeruantur.* Ita S. Gregorius. Sunt enim diuitiæ ſicut tritici grana, quæ in horreis ſeruata non multiplicantur, imò ſæpe ibi pereunt, ſeminata verò multiplicantur, & centuplum ferre ſolent. huic ſimi-
Prou. 9. litudini alluſit Apoſtolus dicens : *Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* egerat paulò antè Apoſtolus de eleemoſyna, & ſtatim ſubdit : Qui parcè ſeminat, &c. Vbi Sanctus Anſelmus : Ad magna largiendi ſtudia mentes audientium accendit Apoſtolus, quia dare non eſt amittere, ſed ſeminare, ad tempus carere, vt poſtea multipliciùs habeatur, in benedictionibus metet quando cum cæteris eleemoſynarijs audiet : Venite benedicti
B Patris mei, percipite regnum; quia eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c. Etenim cùm agricola in Autumno colligit meſſem copioſam, non pœnitet eum ſeminaſſe multum, imò dicit : Vtinam multò plura ſeminaſſem; ſic etiam cùm viderint miſericordes copioſiſſimam illam ſegetem gloriæ propter eleemoſynas ſibi dari; dicent : Vtinam quantum mihi poſſibile fuerat ſeminaſſem. Agricolæ cùm ſeminant dolere ſolent, quia frumentum quod ſeminant ex horreo ſuo tollunt, led,
Pſal. 125. ſicut ait Dauid. *Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos*, hoc eſt, ruſtici ex domo ſua exeuntes ibant in agrum, & flebant mittentes in terram ſemina ſua, id eſt, cum dolore ſpargebant triticum in terram, videntes ſe interim illo priuari, quod non ſine ſudore collegerant; ſed tempore meſſis venient ex area gaudentes, quòd pro modicis grauis magnam referant copiam.
C Quòd ſi pro ſpicis granis tritici plenis ſic gaudẽt, quid ſi pro granis frumenti gemmas ibi natas reperiſſent, & lapides valde pretioſos? ſic igitur his eueniet, qui in obſequium Dei bona ſua tribuerunt: colligent quidem non frumentum, non argentum, non aurum, ſed gemmas illas cœleſtis gloriæ, & margaritas pretioſas beatitudinis æternæ, quidni gaudeant? & quidem ſi tunc dolere poſſent, propterea dolerent, quòd non plura ſeminaſſent, licèt nunc interim propter carentiam eius quod tribuunt, naturaliter doleant, &c. Et illud etiam obſeruandum, quàm certior ſit meſſis hæc meſſe illa materiali, quia materialis meſſis eget ſole, & pluuiâ, & temperamento terræ, ac cœli, vt oriatur, & ad maturitatem perueniat, & plurima ſunt quæ hoc valent impedire : nam poteſt quod natum eſt à bruchis comedi, & à nebula corrumpi, & diripi, & à beſtijs paſci, & conculcari, vel incendio comburi; eleemoſyna verò, & opus pium ex charitate factum, huiuſmodi periculis
D expoſitum nequaquam eſt : nam id præſtatur quod
Matth. 6. Dominus dicit : *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi neque fures furantur, neque à tinea comeditur, &c.*

Quod ſi ſeruare quæ ita ſeminari poſſunt, ſtultum eſt, quid de his dicemus qui inutiliter, imò peruersè, & iniquè diuitias ſuas expendunt? id eis dictum exiſtimo, quod Dominus per prophetam Ioëlem propoſuit populo ſuo, dicens : *Aud. te hoc ſenes, & auribus percipite omnes habitatores terræ, ſi factum eſt iſtud in diebus veſtris, aut in diebus patrum veſtrorum. ſuper hoc filijs veſtris narrate, & filij veſtri filius ſuis, & filij eorum generationi alteræ.* Quid hoc quod tot generationibus notum Dominus eſſe voluit: neque enim exigui momenti eſſe poteſt. Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo, & ſtatim ſubdit: *expergimini ebrij*, quaſi dicat, qui hoc non animad-
A uertit, ebrius eſt; quid igitur ſibi vult parabola iſta per ſecula inculcanda? Omiſſa interim intelligentiâ literali, ad ſpiritum recurramus: ſicut in agris; & ſatisid quod à Domino propoſitum eſt euenire ſolet, ſic & in facultatibus, & diuitijs mundanorum: nam reſiduum guæ comedit ludus, reſiduum ludi comedit ornatus, reſiduum ornatus comedit ſupellex nimia, & reſiduum ſupellectilis comedit familia ſuperflua famulorum, imò & paraſitorum, & denique mundus, & vanitas, & prophanitas eius; Deo autem & pauperibus nihil ſupereſt dandum.

Hoc quidem intet magna Dei ſupplicia annumero ego; nam inter ſupplicia, quibus Deus Ægyptum puniuit, ait Dauid : *Dedit arugini fructus eorum, & labores eorum locuſtæ.* Ecce ſupplicium Dei, habebat plurima fata pinguia, & copioſa, & ærugo, & locuſtæ demolitæ ſunt ea. Sic prorſus hi habent multa bona temporalia, reddituis multos, ſed Deus permiſſione iuſta ſic punit eos, vt nolit in obſequium ſuum iſta inſumi, ſed relinquit eos eis abuti, & quòd vanitas mundi abſumat ea, quid inde? id quod Ægyptijs euenit; veniente namque hyeme nihil in agris reperiebant; ſic hi veniente morte nihil inuenient in manibus ſuis, nihil benedicendum ſeminauerunt, non audient, Venite benedicti, &c. Item eos qui omnibus ſuis bonis ſeruiunt mundo, dixit Diogenes Cynicus, vti refert Stob. ſerm. 96. ſimiles eſſe arboribus, & vitibus, quæ in locis inuijs, & præruptis naſcuntur, quòd iſtarum fructus non ſunt vſui hominibus, ſed coruis, & huiuſmodi auibus conſumantur; ſic diuites, inquit, ſunt, qui non ad res honeſtas diuitijs vtuntur, ſed adulatoribus, mercitribus, turpibus voluptatibus, vanæque gloriæ diuitias præbent. Ita ille.

Rectè Ariſtot. i Rhet. cap. 5. *Diuitem eſſe, in vtendo magis quàm in poſſidendo conſiſtit.* Ita ille. Ita eſt; nam ſi in poſſeſſione conſiſteret ſolùm, ditior eſſet arca vbi pecunia ſeruatur, vel terra vbi argentum, & aurum procreatur, quàm homo ille; igitur diues eſt qui rectè vtitur diuitijs, hic enim eſt legitimus diuitiarum vſus, non recluſio diuitiarum. vnde etiam rectè Xenoph. de Cyro lib. 8. *Non eos*, inquit, *qui plurimas pecunias poſſident, & cuſtodiunt, felices duco, nam hoc pacto qui muros cuſtodiunt, felicißimi forent, quippe qui omnia quæ ſunt in vrbibus cuſtodiunt; ſed qui parare quamplurimas iuſte poteſt, & eis præclarè vti, hunc fœlicem arbitror, & pecunias eius etiam fœlices.* Ita ille. Facit ad inſtitutum iſtum Apologus ille antiquorum de auaro quodam, qui domo, & ſuppellectili, & agris venditis, aurum quod de pretio eorum collegerat, liquefactum in vnam maſſam redegit, & hanc obruit terrâ: quo autem loco aurum, eodem animum, & cor ſepeliuit, nimirum quia vbi theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit; itaque ille quotidie venire & contemplari diuitias ſuas, & magnam inde capere voluptatem ſolebat. Hoc animaduertit quidam qui prope neſcio quid operis facere conſueuerat, ratuſque id quod erat, aurum effodit, & ſecum tulit. reuerſus Dominus auri, & videns factum, lamentari miſerabilem in modum cœpit, & capillos euellere, flere & maledictionibus aërem replere. Quem præteriens quidam cum cerneret in mœrore maximo eſſe, quid accideritinterrogat, & re audita, Heus tu, inquit, ne plores, nec affligas animum tuum: nihil enim damni tuliſti: nam tunc etiam cùm aurum habebas, auro carebas, quare repone modò in eodem loco ſaxum, & tibi perſuade ibi reconditum eſſe aurum: nam nihil prorſus intereſt, neque alterum altero maiori tibi vſui eſſe poteſt. Apologo iſto ſignificare voluerunt antiqui diuitias auari nullius eſſe momenti domino ſuo, & verum eſſe prouerbium, Auaro tam deeſt quod habet, quàm quod non habet.

Miſerum hoc, ſed miſerabilius inſtrumenta peccatorum facere diuitias: hoc enim eſt diuitias congregatas

cisse in malum domini sui, & non solùm vanas ei, sed A perniciosas esse. Quare si tot tibi adsint, vt fœnerari eis possis, audi S. Chrysost. homil. 3. in epistol. ad Hebr. *Si fœnerari suppetat, multum dantes conquirimus & gratos: nos autem modò contrarium facimus, nam gratè suscipientem Deum ad vsuram, & non centesimam partem, sed centuplum præbentem dimittimus, & nec sortem quidem nobis reddituros quærimus; quid enim nobis venter reddet qui plurima consumit, nisi vermes? quid inanis gloria, nisi linorem & inuidiam? quid verò auaritia nisi curam & solicitudinem? quid intemperantia nisi æternum ignem? hi sunt diuitiarum debitores:* Ita S. Chrysostomus. Securissimum igitur fœnus est, diuitias Deo dare. At, inquies, serò soluit Deus. Respondet ibi S. Chrysostomus: *In mutuantibus hoc facere videmus fœneratores, quòd libentius fœnerantur his qui post multum tempus fœnus persoluunt: nam qui statim totum reddit, vsuræ cursum interrumpit; qui verò diu retinet, maiorem facit. ideò in hominibus non agrè ferimus dilationem, verum & studemus vt maior efficiatur, apud Deum verò pusillanimiter nos gerimus, & retrocedimus.* Ita ille. B

Laertius lib. 6. *Diogenes*, inquit, *eos qui in coquos, & adulatores, & scorta, & in vitia facultates suas profunderent, similes dicebat arboribus per abrupta, & præcipitia nascentibus, quarum fructus nullus hominum gustaret, sed à coruis, & vulturibus, & bestijs ederentur.* Ita ille. Creauit quidem Deus arbores fructiferas in hominum esum, & sustentationem, non in escam bestiarum; sic etiam diuitias nobis præbuit, non in malos peccatorum vsus, sed in bonos, operum scilicet virtutis; quare meritò in ignem eas arbores mittet, quæ tales ferunt fructus, in ignem mittet, & ardent.

Plutarch. lib. de cupiditate diuit. *Nemo pauper est eatum rerum quæ naturæ sufficiunt, nec quisquam vnquam fame te mutuum accipit, vt farinam, caseum, panem, aut oleæ baccas emeret, sed hunc sumptuosa domus æri alieno reddit obnoxium, illum contiguum suis agris oliuetum, alios arua frumentaria, seu vineta, nonnullos mulæ Galeaticæ, alios equi iugiferi, vehicula magnifica cum plausu ducentes, præcipitarunt in barathrum pactorum, vsurarum, pignorum: deinde fit vt sicut hi qui non sitientes bibunt, & non esurientes edunt, etiam ea quæ sitientes, & esurientes sumpserant, reuomant; sic hi, dum superuacanea, & inutilata appetunt, nec ipsis necessarijs potiuntur.* Ita Plutarch. Et quidem experientia ipsa nos docet, maxima patrimonia, & ingentes reditus luxibus profanis quotidie consumi, & dilapidari, & grauissimo ære alieno magnates, & principes viros grauari, non eò quidem quòd multas erogauerint eleemosynas, aut pia opera instituerint, sed quia voluptuosè epulari, & vestiri, & conuersari profanè volunt. Hinc fit, vt sicut adolescens ille euangelicus ad summam redactus fuit paupertatem ex diuite ac pecuniosò, & pascere porcos coactus, sic multi ex diuitibus in miseram seruitutem deuenerunt viuendo luxuriosè.

Communis huius sæculi hominum querela est, non sibi sufficere pecunias, annuos reditus, prouentus, & reliqua quibus potiuntur vectigalia, & cum tot sint homines locupletissimi (mira profectò res) nullum reperies, qui satis sibi quæ possidet fateatur, imò qui ditiores, ac locupletiores sunt, maiori inopia ac necessitate coguntur. videmus enim plura ac magna patrimonia multo ære alieno oppressa, ac pæne consumpta, plures etiam locupletissimas familias, quæ copiosissimos redditus singulis annis capiebant, exhaustas omnino atque in summam egestatem redactas. Cuius incommodi, ac penuriæ causa nulla alia reddi potest, quàm redundantia, & profluentia in victu, cultu, epulis, supellectili, lauticijs, ludo, famulis, delicijs alijsque huiusmodi hominum vanitatibus. Quilibet iam maiores sumptus facit quàm quos sustinere possit; cùm opificum sumptus, equitum diuitijs pares sint, horum verò facultates magnorum excelsorumque hominum excedere velint. Hi denique sumptuosiùs se, atque insolentiùs iactant, quàm principum, Regumque thesauri ferant. Atque ita nullæ superfunt facultates ad filias matrimonio collocandas, ne dum ad egenorum inopiam subleuandam. Si homines adeò prudentes tantique consilij essent, vt moderatos sibi sumptus decernerent, illosque ex facultate opum definirent, Deo ac mundo, corpori & animo, terræ, cœloque necessaria possiderent.

Cùm magnus ille Patriarcha ex Mesopotamia rediret, occurrit illi obuiam frater eius Esau, qui eum ita est allocutus: *Gradiamur simul, eroque socius itineris tui.* Gen. 33. cui Iacob in hunc modum respondet: *Nosti Domine mi, quòd paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecum, quas si plus in laborando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. Præcedat Dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius, sicut videro paruulos meos posse.* Quod perinde fuit ac si diceret: Tu frater, ac Domine mi, equitis quidem, ego verò pastoris munus obeo, quare te sequi nõ potero, sed ascende in equum, & præcede, quippe qui eques es. Ego certè eo modo quo pastoris officium feret, te subsequar. Quid mirum si pastor nequeat, etiamsi velit, equitem præcedere, vel saltem consequi? si opificis vxor tam eleganti ac magnifica veste vtitur, ac nobilissima quæuis fœmina, mirandúmne est eius virum ære alieno grauiter obstringi? si effusos pro suis facultatibus sumptus quisque faciat, non erit admirandum, cùm ille magnum æs alienum contrahit, eiusque diuitiæ, etsi amplæ, & copiosæ exhauriuntur: si denique pastor equitis egressus prosequi velit, quid mirum si nequeat, fideficiat?

Cùm præpotens Deus panem è cœlo lapsum suo Exod. populo concessit, voluit illum ad vescendum sumi in mensura quadam, quæ dicebatur Gomor. Neque verò Deus cum mensura & taxatione manna illud distribuebat, ne populus illius penuriâ premeretur, sed vt scirent homines suos sumptus moderari, ne postea fame, & egestate vexarentur. Et certè non ad penuriã homines adducunt necessarij sumptus, sed profusi, & cum prodigalitate facti. Iacob illo Patriarcha viuente, vt ex sacris litteris facilè potest cognosci, omnibus ouium gregibus aqua in illa terræ parte suppetebat, distribuebatur tamen illa ordinatim, & statutis quibusdam horis; suppeditauit quidem Deus earum rerum, quas respublica ad victum, cultumque hominum desiderat, copiam, & abundantiam, nulli tamen suæ facultates non sufficiunt, quia omnes illas inordinatè, immoderateque expendunt.

Dux ille insignis Iosue in eo munere præstando præcipuè operam ponebat, vt terræ promissionis vrbes, ac prouincias ex ordine filijs Israel diuideret, & ob eam causam nulli quæsito opus erat, neque homines inopia & egestate pressi alienâ misericordiã viuebant. sed hac nostra tempestate tot fiunt impensæ, tam effusi ac magnifici sumptus, vt passim hominum pecunia minuatur, in magnaque egestate & pauperie multi vitam degant, ac debita non soluant, nec soluendo sint vllo modo.

At in Euangelij historia præclarum remedium proponitur, vt omnia nobis satis superque sunt. Quinque tantùm panes & duo pisces erant Christo Domino ad alendum quinque millia hominum; existimans verò S. Andreas hæc nullo modo sufficere ad tot homines sustentandos, inquit: *Hæc quid sunt inter tantos?* sed illi profectò satis fuere, atque etiam, vt sacra testatur historia, duodecim cophini fragmentorum pleni superfuerunt, cuius rei causa fuit quòd cibaria illa in Seruatoris nostri manus conjecta sunt. Ecce igitur aptissimum remedium vt nobis omnia suppetant, si illa in Christi Domini manus confidenter tradatis. Quòd cùm ita non fiat, sed in dæmonis potiùs, quàm in Dei manus vestra fumantur, mirum non est, si perditè illa percant, & in

& in magnam rerum omnium penuriam homines deueniant.

Sed quid est, panem in Christi Dominus manus conijcere? Hoc exemplo fiet nobis manifestum. Tunc dicimur partem aliquam panni seu lintei artificis manibus tradere, vt vestem conficiat, cùm illam pro arbitrio artificis præscindendam tradimus, ita vt opifex hinc manicam, illinc verò aliam, quam maluerit, vestimenti partem rescindat, vt ea ratione pulchram, atque aptam corpori vestem faciat; sic etiam panem, facultatesque nostras diuini opificis manibus cõmittamus, vt eas pro illius arbitrio diuidamus, &, vt ei libuerit, impensam sumptusque faciamus: Christus autem Dominus omnia distribuit iuxta leges in sacro Euangelio sancitas. Nihil enim bonorum profusioni, vesti elegantij, magnificis, & sumptuosis conuiuijs, pretiosæ supellectili, meretrici aut alijs turpibus delicijs impertitur. Quæ quidem leges si ab hominibus obseruarentur, necessaria illis abundè suppeterent; sed cùm alia mundi decreta acceperint obseruanda, in illiusque iniquissimas leges iurauerint, omnia illorum patrimonia, omnesque fortunæ contabescunt, ac penitus consumuntur. Quam ob causam putatis, Abraham, Isaac, Iacob, & alios huiusmodi sanctos opibus abundasse; nisi quia illas Dei optimi manibus ac voluntati distribuendas tradiderunt? in cuius manibus magna tuarum etiam facultatum fiet accessio, tam earum quæ tempore consumuntur, quàm illarum, quæ, vtpote diuinæ & cœlestes, nunquam sunt perituræ.

A

B

C

D

Diuus Matthæus in 14. capite, quod capiti 6. *Ioannis* respondet, sic ait: *Aspiciens in cœlum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panem, &c.* In quo videtur Christus Dominus admonuisse homines, vt priusquam facultates suas distribuant, oculos in cœlum attollant, summumque Deum consulant, & consideren t, an impensa, quam volunt facere, sit diuinis legibus conformis. Commune est apud huius sæculi filios, non Dei leges, sed mundi decreta, nec diuinam, sed mundanam (vt ita loquar) voluntatem in rebus agendis consulere. Hac ratione tot sumptus fiunt in cultu corporis, in lautis splendidisque conuiuijs non Deo, sed mundo placentibus. Ac denique in distribuendis bonis temporalibus, nunquam illi oculos in cœlum eleuant, vt Dei voluntatem in eis impendendis exequantur, sed eos ad inferos demittunt, vt ea bona pro dæmonis arbitrio, ac voluntate disperdant. 14.

Prædicens Ioël calamitates quæ Iudææ erant inuasuræ, inquit: *Residuum eruca comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* Itaque inter bruchum, locustam, & rubiginem consumpti fuerunt fructus terræ, nihil hominibus degustantibus. Hoc est quod in mundo deplorandum ac lamentandum cernimus: quòd ex ebrietate supereſt, insumit ludus, & residuum ludi libido deuorat; quod verò ex libidine relinquitur, curiositas in res vanas impendit, & nihil restat quod animis, Deóve possit erogari. 1.4.

Hoc etsi Deus non aliter puniret, quàm permittendo eorum pecunias adeò infeliciter dissipari, miserum sanè huiusmodi supplicium iudicaretur; sed alio maiori quandoque illos afficit, vt scilicet in summam ipsi indigentiam, ac rerum omnium penuriam deueniant, eorumque opibus, & patrimonijs exteri potiantur. Al- a. 8. loquens Deus Israelem, *Nescivit* (inquit) *quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal. Idcirco conuertam, & sumam frumentum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam, & linum meum.* Meritò quidem Deus optimus maximus abstulit ab Israelitis facultates, & opes quibus eos cumulauerat; siquidem illi aurea, argenteaque idola ex his bonis efficiebant. Et quemadmodum pater iustè à filio pecuniam, & supellectilia amouerat, quibus ipse filius in patris perniciem vteretur, eodem & maiori iure Deus ea bona ab hominibus eripiet, quibus illi contra ipsum Deum abuntur. sed attendite, ac modum loquendi, quo Propheta vtitur, considerate, *& liberabo*, inquit, *lanam meam, & linum meum.* Num lana, & linum seruitute tenebantur, vt Deus dicat, liberabo lanam & linum? sed meritò illa in seruitute, & velut in dira tyrannide esse dicuntur: non enim ea ad offendendum diuinum numen, sed à Deo inferiuendum hominibus donata sunt. Quòd cùm secus ab illis fiat, quasi inuitè & tyrannicè ea bona premi dicenda sunt. Quapropter rectè dicitur, liberabo lanam, & linum meum.

Prædictum Dei supplicium satis expertus est filius ille cognomento prodigus, qui cùm amplissimas à parente suo diuitias accepisset, post paucos dies in eam deuenit paupertatem, vt cuperet implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. cuius penuriæ ac miseriæ causa ea fuit, quam sacer Euangelista non prætermisit, dicens: *Dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.* Quo etiam supplicij genere plures huius tẽpestatis homines mulctati sunt, eò quòd cùm sumptus faciunt, non attollunt oculos in cœlum, vt de suorum bonorum partitione Deum consulant. Itaque sicut crescit, & augetur indies eorum pecunia, quæ impietatis ac misericordiæ officijs consumitur, vt videmus in vidua illa Sareptana; ita illorum diuitiæ facilè dissipantur, ac disperduntur omnino quæ immoderatè consumuntur, & in res vanas, & inep- Luc. 15. 13.
tas impenduntur.

Sed non in hoc maior pœna sita est, alia longè acerbior restat, cùm ratio suarum facultatum ab vnoquoque exigetur, eique verba proponentur, redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris amplius villicare. Neque enim homo suarum opum Dominus, sed villicus est: Deus autem verè est herus, quippe qui proprius est vniuersarum rerum Dominus, qui homini diuitias, ac facultates concessit, quibus negotiare tur vsque ad diem mortis. ideoque in loco citato Prophetæ Oseæ, lanam meam, & linum meum dicit, non hominis, sed meum. nam in ditione Dei cuncta sunt posita. vnde opes quas tu tuas dicis, opes Dei verè sunt; quare in die mortis tuæ strictè est à te exigenda ratio, omniumque rationum summam Deus perstringet, & in quas res vel minimum dipondium insumpseris, explorabit. Quòd si deprehenderit in delicijs, epulis, ludis, alijsque huiusmodi rebus, consumptas esse pecunias, væ tibi: timendum enim est ne æternis pœnis cum diuite illo Euangelij addicaris. Ne igitur dicas: facultates quas possideo, meæ sunt, easque prout mihi libuerit impertiri potero: Dei enim illæ sunt, & pro illius arbitrio distribui debent. Quare si eas rectè, & consentaneè velis impendere, in cœlum priùs aspice, & Deum eiusque legem consulens, sumptus tibi ex Dei præceptis ac voluntate defini, nec illos iuxta mundi leges decernas: eorum enim rationem Deus, & non mundus exquiret, cui quidem si placueris in elargiendis pecunijs, & gratiam comparabis in hac vita, & in futura gloriam sempiternam assequeris.

ADDITIO.

OMne studium in domus suæ ornamentum impendentes, in exterioribus duntes, interiora negligunt, & desertam & squalentem & araneis plenam animam suam despiciunt, &c. tum paulò pòst. *D. Chrysostomus Hom 2. ad popul.*

Diuitem te fecit Deus vt egenis auxilieris, vt peccata tua soluas per liberalitatem alijs exhibitam. Dedit tibi pecunias, non vt in mortem claudas, sed vt in salutem tuam effundas.

Prop. XXI. *Diuitiæ bonis bonæ sunt, malis verò malæ esse solent.*

Epist. 4. Seneca: *Magna diuitiæ sunt lege naturæ composita paupertas: lex autem naturæ hos nobis terminos statuit, non esurire, non sitire, non algere, vt famem sitimque depellas, non est necesse superbis assidere luminibus, nec supercilium graue, & contumeliosam humanitatem pati. non est necesse maria tentare, nec castra sequi. Parabile est quod natura desiderat, & expositum ad superuacanea sudatur. illa sunt quæ togam conterunt, quæ nos senescere sub tentorio cogunt, quæ in aliena littora impingunt: ad manum autem est quod satis est.* Ita ille.

Prop. XXII. *Diuitiæ plurimum nobis nocere solent, maximè in anima.*

1. Reg. 5. Noluit Deus idolum Dagon & arcam suam simul in eodem templo commorari, quia arca illa sedes erat ipsius Dei: Deus autem, & idolum non bene conueniunt, neque in vna sede morantur. Sicut etiam cùm primùm Christus Dominus Ægyptum ingressus fuit, omnia illius regni simulachra deturbauit, vti significauerat Isaias, dicens: *Cap. 19. 1. Ascendet Dominus super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulacra Ægypti.* Vbi Procopius, & Eusebius, & S. Athan. & S. Augustinus aiunt, corruisse omnia idola Ægypti, cùm ibi Christus Dominus, Herodem fugiens, ingressus fuit: nolebat enim secum idola huiusmodi habitare, ne simul idolis cultus sibi debitus daretur. Sic etiam pecunias nostras perfequitur Deus, quia videt ab hominibus eas adorari: æstimant quippe illas quasi omnipotentes; pecuniæ namque obediunt omnia, vti ait Ecclesiasticus. Et hinc est, quòd cùm ingressus Christus in templum Salomonis, videret ibi ementes, & vendentes, oues, & boues, & columbas, eiecit inde simul cum mercatoribus suis: at videns mensas nummulariorum, quibus, vt altaria reputarentur, solùm mappæ deerant, euertit, & nummos in terram proiecit. Sicut idolum *Cap. 20.* Dagon, & simulachra Ægypti è templis, vbi erant: quia nummus sicut Dagon idolum reputatur à Deo. vnde Paulus, auaritiam idololatriam vocat: *Idolorum* (inquit) *seruitus.* Ideo igitur Deus diuitias & maximè pecunias, detestatur in nobis, non in se; quia non in se *Ad Eph.* diuitiæ malæ, sed in nobis sunt, eò quòd amorem Deo debitum, vendicant sibi, &c.

Lib 1. de Mos. c 1. Lib de incarn Ver. Lib 1. de consens. Euang. cap 6.

Cùm Deus filijs Israel manna prouideret, sic ad eos *Exod. 16. 19.* Moyses: *Nullus relinquat ex eo in mane, qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque mane & scatere cœpit vermibus, atque computruit.* Ita quidem diuitibus contingit, qui his, quæ satis sunt, non contenti, superflua quærunt, necessarijs rebus Deus benedictionem suam impertiri solet, superflua verò computrescunt, dum ad vitia, voluptates, & auaritiam deseruiunt. vnde quæ corporali vitæ & voluptati vtilia videntur, animæ nocumento sunt.

Luc. 16 9. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis.* Non solùm inter Philosophos gentiles, sed etiam inter catholicos Doctores controuersum est, vtrum diuitiæ bonæ, an malæ iudicandæ sint: & tandem ab omnibus constitutum est, neque in bonis; neque in malis diuitias secundùm se constituendas esse: non in malis, quia diuitiæ non faciunt hominem malum: viri enim boni eas solent possidere: non in bonis, quia non faciunt hominem bonum: mali enim eis abundare solent. Sunt igitur diuitiæ indifferens quid ad bonum, & malum, dicunturque bonæ vel malæ, non absolutè, sed iuxta vsum illarum. Cùm Moyses aquas Ægypti in sanguinem conuertisset, non in omnium manibus sanguis apparebat: nam, vti ait Iosephus, in manu Israelitæ non sanguis, sed aqua munda erat, in manu verò Ægyptij non aqua, sed sanguis impurus erat. Sic de diuitijs philosophandum est: nam in manu viri boni bonæ sunt, in operibus enim bonis expendit illas: in manu verò hominis mali, malæ sunt: quia in malis consumit eas. Vti patet in Sancto Iob, & in diuite Epulone, in manu Iob diuitiæ, cibus pauperum, & vestis nudorum, & domus peregrinorum, & consolatio afflictorum, & remedium orphanorum erant; at in manu Epulonis erant purpura & byssus, hoc est, superbia, & splendida quotidianáque epulatio, hoc est, gula eius, qui non compatiebatur super contritionem Lazari, nimium indigentis. Vides ergo qualiter ex vsu diuitiarum, earum pendeat denominatio: bonus earum vsus facit eas bonas, malus malas.

In lib. Iob Lucas. Lib 1. de Nabuth. Ambros. Tertullianus Ambros. Tertullianus

Nunc ad rem, si indifferentes sic diuitiæ sint; cur hic Dominus eas vocat mammona iniquitatis, quod idem est, ac dicere iniquas diuitias? S. Ambrosius, & Tertullianus affirmant hîc ideo dici diuitias iniquas, quia iniquitatum causæ sunt. Quòd si quæsieris, quarum iniquitatum? dicam, omnium: quia omnium peccatorum mortalium causa & origo sunt, estque facilis probatio. Primum, & capitale peccatorum mortalium superbia est; huius autem origo diuitiæ sunt: pauperem enim sua paupertas continet in officio, neque eum extolli sinit; diues autem extollitur, superbit, turgescit, quia diues est. Vnde Apostol. *Diuitibus huius seculi præcipe, non sublime sapere, &c.* cur diuitibus, & non pauperibus quoque? quia pauperes non ita de superbia periclitantur; diuites verò nimis. Sunt igitur diuitiæ superbiæ radix.

1. ad Tim. 6. 17.

Secundum peccatum mortale sit ira: huius etiam causa diuitiæ sunt: primò, quia si superbia oritur ex diuitijs, & ira quoque: nam dicitur: *Inter superbos semper sunt iurgia.* Denique pauper lacessitus, tacet, & patienter sustinet: non enim potentiam habet, quâ se vindicare, vel resistere alijs possit; at diues, cùm se omnia posse pecuniâ suâ credat, nihil tolerare nouit.

Prou. 13. 10.

Tertium peccatum capitale constituamus inuidiam: hæc quidem inter diuitias enutritur actiuè, ac passiuè, actiuè, inquam, eò quòd diues nihil in alijs excellens & sublime videt, quod non sibi optet: cuncta enim sibi congruere putat, omnia sibi deberi: passiuè autem, quia omnes inuident illi, *los ricos son los enuidiosos, y enuidiados:* manifestum hoc: est igitur etiam inuidiæ fons pecunia.

Quartum sit gula: pauper quidem pane saleque, vt aiunt, contentus est; at diues nullis terræ marisque cibis satiatur. vnde diues ille epulabatur, non semel in anno, sed quotidie, non satis, sed splendidè, *cada dia tenia banquete.*

Quintum ponamus luxuriam: hæc ex gula prodit. vnde: *Væ qui opulenti estis in Sion optimates, &c.* Et subdit, *qui lasciuitis in stratis vestris, & comeditis agnum de grege, & vitulum de medio armenti.* Ecce quomodo gulam luxuriæ copulauit: hæc enim sibi inuicem sociantur. Vtrumque igitur illorum ex diuitijs ortum habet.

Amos 6. 1.

Sextum sit acedia, seu otiositas: hæc autem quos, nisi diuites, comitatur? pauperes enim, si non laborant, non manducant: diuites etiamsi non laborent, habent satis quod manducent, ideóque otio vacant. *Son follones araganes, vaidios in alueari,* sunt apes quæ dicuntur fuci (*zanganos*) quæ nunquam laborant, sed ex laboribus apum satiantur. Sic sunt hi diuites, in republica nullius momenti sæpe sunt: solùm enim ludis, & venationibus, & murmurationibus vacant, & comedunt labores pauperum, & artificum: nam pecuniæ obediunt omnia. vnde ex diuitijs quoque accidia promanat.

Septimum capitale vitium superest auaritia: hanc fortè dices non ex diuitijs prouenire: auaritia enim est diuitiarum nimius appetitus, quod autem quis habet, non appetit; cùm igitur diues diuitias habeat; has nequaquam

quaquam desiderabit. Imò nemo magis: nam sicut ignis, quantò plura in illum conjicias ligna, tantò amplius augetur; sic appetitus diuitiarum, qui velut ignis intus in corde ardet, tantò plùs accenditur, quantò plures fuerint congestæ diuitiæ.

Crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit.

Vides quomodo peccatorum omnium mortalium diuitiæ causa sint.

Quòd si praxim rerum consulas, innumera in particulari peccata hinc proficisci videbis: quid enim mare piratis repleuit? pecunia: quid itinera expilatoribus? pecunia: quid ciuitates latronibus? pecunia: quid tribunalia litibus, & dissensionibus? pecunia: quid plateas vsuris, & Ecclesias simonijs? pecunia: quid domos repleuit homicidijs, & fratricidijs, & parricidijs? pecunia: imò & Deicidij ipsa causa fuit: nam mors Christi Deicidium fuit, mors autem illa à Iuda proditore prodiit. Iudas autem cur Dominum vendidit, nisi propter pecuniã? Vnius igitur Deicidij, quod in mundo repertum est, pecunia origo fuit. Imò & cùm ad viuos Christus resurgendo rediret, pecunia obstabat, ne inter viuos computaretur. Vnde pecunia mortem intulit illi, & pecunia vitam impedire illi volebat. Videigitur quàm meritò Christus Dominus diuitias iniquitatis, eas vocauit.

Quare Seneca iure eas, *irritamenta malorum* esse dixit: quia non solùm ad malum prouocant, sed irritant etiam ad mala, id est, valde acriterque impellunt.

Dices, plures fuisse diuites, qui sanctè pieque vixerunt, qualis fuit S. Iob, Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, perge vlteriùs: vix enim tot alios in sacris literis inuenies, *si los contamos, hallaremos que son contados*: quare, non plures, sed paucos huiusmodi esse, dicere debuisses.

Sed quod diuites magis terrere potest, id est, quod Christus Dominus dixit. Dixerat priùs adolescenti: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, &c.* recessit ille tristis, & noluit præstare quæ Christus illi consulebat; tunc ad discipulos conuersus, dixit: *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum.* Item: *Dico vobis: Facilius est camelũ per foramen acus transire quàm diuitẽ intrare in regnũ cœlorum, &c.* Vbi aduerte adolescentẽ illũ bonæ indolis fuisse, qui se ab incunabulis legem Dei seruasse fatebatur, & Dominus non præcipiebat illi, relinquere diuitias, quia illum ad peccata concitauerant, sed vt perfectus esset. *Si vis*, inquit, *perfectus esse, &c.* consequenter igitur dicendum videbatur, qui pecunias habent, difficilè ad perfectionem venient: perfectionem enim huius adolescentis impediebant eius diuitiæ; cur igitur inde concludit, diuitias saluationi obstare? nimirum quia quamuis ille adolescens bonus ad illud vsque tempus extiterat, vidit Dominus, non solùm illi ad perfectionem obstaculum esse diuitias, verùm etiam ad saluationem: ideò in conclusione de saluatione tractauit. Quare si adolescẽti illi bono, ita diuitiæ salutem animæ impediebant, quid non ita bonis? Addit S. Chrys. *Si diuites, simpliciter difficilè saluantur, quid facient rapientes?* Ita ille. Attendant mercatores, qui lucris inhiant, & vsuras palliant, & solas cogitant pecunias: attendant scribæ, attendant artifices Reipublicæ, qui per fas & nefas lucra solùm quærunt: denique attendamus omnes quantæ sint malorum causæ diuitiæ, & videbimus quanto iure vocauerit pecunias Christus, mammona iniquitatis, &c.

Tempore Sancti Cypriani martyris nonnulli fideles metu tormentorum à fide defecerunt, aduersùs quos librum scripsit S. Cyprianus de lapsis, vbi eos acriter reprehendens, eò quòd saltem non recessissent è ciuitate, & causam huius reddens, ait: *Decepit multos patrimonij sui amor cœcus, nec ad recedendum parati, aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ, velut compedes, ligauerunt: illæ fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus & virtus tradita est, & fides pressa, & mens vincta, & anima præclusa, vt serpenti terram secundùm Dei sententiam deuoranti,*

præda & cibus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhærerent. Et ideirco Dominus bonorum Magister, & prænoniens, & consulens in futurum, Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis. & veni sequere me. Si hoc diuites facerent, per diuitias suas non perirent: thesaurum enim in cœlo reponentes, haberent in cœlo cor, nec vinci a sæculo posset, qui vnde vinceretur, in sæculo non haberet, sequeretur Dominum solutus, & liber. Sequi autem Christum quomodo possunt, qui patrimony vinculo detinentur? aut quomodo cœlum petunt, & ad sublimia & alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus degrauantur? Possidere se credunt, potius possidentur, census sui serui, nec pecuniæ suæ domini, sed magis suæ pecuniæ mancipati. Hos homines denotat Apostolus, dicens: *Qui autem volunt diuites fieri, &c. incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & mutilia, & nocentia, quæ mergunt homines in perditionem & interitum. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, naufragauerunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis.* 1. *ad Tim.* 6. 9.

Ex diuitijs quidem accenditur auaritia: non enim copiâ diuitiarum extinguitur cupiditas diuitiarum, sed augetur. Sicut enim copia lignorum non extinguit ignem, sed auget eò magis, quò magis igni ligna applicamus: sic quantò plures fuerint diuitiæ, tantò plùs earum augetur amor.

Hinc Deus naturæ author aurum & argentum sub terræ profundis abscondit. Verba Senecæ audi. *Nulli, inquit, vitio nos natura conciliat. illa integros & liberos genuit, & nihil quod auaritiam irritaret, posuit in aperto: pedibus aurum & argentum subiecit, calcandum & premendum dedit quidquid est, propter quod calcamur, & premimur nos. Illa vultum nostrum erexit in cœlum, & quid, quid magnificum & mirum fecerat, videri à suspicientibus voluit, hoc super nos natura disposuit. Aurum, & argẽtum, & propter ista nunquam pacem ferens ferrum quasi nobis male committeretur, abscondit. Nos in lucem propter quæ pugnaremus extulimus, nec erubescimus summa apud nos haberi, quæ fuerant ima terrarum. Denique opifices auri & argẽti intuere, & videbis quanta fuligine obliuiantur. atqui ista magis inquinant animos quàm manus, in possessore eorum plus est quàm in artifice sordium.* Ita Seneca. *Epist. 5.*

Receptissima hæc semper inter sapientes sententia fuit, *Natura paucis est contenta.* Vnde Seneca. *Paupertas, inquis, mihi grauis est, imò tu grauior paupertati, non in paupertate vitium est, sed in paupere. illa expedita est, hilaris, tuta. Pauper, inquis, sum, nescis te opinione tua laborare, non re. nihil deest auibus, pecora in diem viuunt, feris ad alimenta solitudo sufficit sua.* Ita Seneca, quasi dicat, natura paucis est contenta. Vnde animalia, quæ secundùm naturam meram viuunt, paucissimis sunt contenta; homo verò, qui ad luxum, & vanitatem, & ad delicias viuere cupit, nullis contentus est. *Lib. de remed. fort.*

Psalm. 61. *Rapinas nolite concupiscere: diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Affluentia propria est fluuiorum, à fluendo enim dicitur fluuius, & affluentia, & denotat abundantem, & magnum cursum aquarum. Ait ego, *Diuitiæ: &c. si por tu casa corriere el rio de la plata, no le pongas presas, dexale correr.* *Psal. 61. 11.*

Vbi sic S. Augustinus. *Ille non habet diuitias, iste verò habet: Ille non quærat rapere quod non habet: iste non apponat cor in eo, quod habet. Diuitiæ si fluant, id est, si exundent, & tanquam de fonte currant, ne apponatis cor. Nolis de te præsumere, nolis ibi te figere: cerè vel hoc time, diuitiæ si fluant. Non vides, quia si ibi cor posueris, & tu flues?* Ita S. Augustinus. *Augustin.*

Vnde Luc. 8. Christus Dominus diuitias spinis comparauit: spinas autem qui manibus premit, pungitur ab eis. Oportet ergo manibus extensis, non pressis, habere huiusmodi spinas. Sic diuitiæ extendentibus manus plenas illarum, ad tribuendum scilicet pauperibus, non pungunt, non nocent: at, si premantur, premunt, pungunt, lacerant possidentem.

PROP. XXIII. *Diuitiæ sunt impedimenta virtutis.*

QVid est quòd Elias ascensurus in altum, pallium dimisit, & sponsa diuinum sponsum quærens, Cant. 5. pallium amisit, & Ioseph. vt cuaderet tentationem illam, pallium in manibus tentantis reliquit? Hoc quidem absque dubio, quod ascensuro in cœlum opus est, opes & sæculi diuitias relinquere, & similiter quærenti Deum, & tentationes vincere volenti: pallium enim & corporis vestimenta in Scriptura sacra, bona solent temporalia significare, vt ait S. Greg. hom. 32. in Euangelia: *Quid, inquit, sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta?* &c. Qui ergo cœlum adire desiderat, qui Deum sibi inuenire, qui mundi & omnium hostium tentamenta declinare, & huiusmodi vestimenta abijciat, ne succumbat.

Pallium. bona temporalia. S. Greg.

Hoc conditor rerum, in ipso rerum conditarum ordine, significare voluit. Cùm enim in principio cœlum, & terram creasset, non terram cœlo coniunxit, sed summè distinxit, ita vt per augmentum quis dicere possit, quantùm distat cœlum à cœlo? &c. nihil enim à cœlo distantius, quàm terra, quo nobis Dominus significaret, tendere volentibus in cœlum à terrenis recedendum esse.

Quis ergo diuitias appetere audet? Crates ville Philosophus Thebanus inlignis auri pondus, & argenti, & aliarum rerum Euangelium in mare proiecit, dicens, se non posse simul diuitijs, & Philosophiæ operam dare. Philosophiam vocabat, non solùm scientiam rerum, sed virtutis studium: potuisset quidem meliùs pauperibus diuitias dare, quàm sic perdere, non contradico, sed tamen vel Gentilis etiam Philosophus confessus fuit virtutis obstaculum, & impedimentum esse mundi opes.

Crates.

PROP. XXIV. *Diuitiæ excæcant homines.*

IOb 27. *Dines, cùm dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inuenet.* Obserua verba illa, *aperiet oculos suos*, scilicet post mortem. Hic igitur oculos clausos habet? ita est, non videt quàm inutiliter consumit tempus in acquirendis diuitijs temporalibus, quod in acquirendis diuitijs sempiternis insumere oportebat. Sit si placet in hac re testis dives ille, qui purpurâ, & byssoinduebatur, & epulabatur splendidè quotidie: hic è vita sublatus, & in inferno iam constitutus eleuãs oculos suos, cùm esset in tormẽtis, *vidit*, ait S. Lucas Euangelista, *Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius & ipse clamans dixit: pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Vide hic primò in quo loco iste aperuit oculos suos eleuans eos sursum, quos in terram ad terrena tantùm habebat prius in hoc mundo, vidit ibi Lazarum à longè, quem ante propè stantem non videbat, vidit, inquam, in tormentis posse à Lazaro iuuari, quod non vidit in delicijs, quando scilicet hoc inspicere oportebat, vt cùm deficeret, reciperet eum Lazarus in æterna tabernacula, inde petebat obnixè à sancto Abrahamo, vt mitteret ipsum Lazarum ad fratres ipsius diuitis, adhuc viuentes; *Vt testetur, inquit, illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Quid sibi vult, *testetur illis?* vt sit, inquit, testis. Cuius verò rei? damnationis scilicet meæ, quia nolui pauperum misereri, & periculi eorum, ne & ipsi veniant, id est, ne & ipsi, sicut & ego ob defectum misericordiæ, veniant in hunc locum tormentorum.

Iob 27. 19.

Luc. 16. 23.

Simile.

Solent, qui latrunculis ludunt, nimio conatu & affectu ludi mente confundi, & turbari, ita vt ludens veluti cæcus, feriem ludi, quâ facilè victor euadere possit, non videat, *de puro cielo con el hypo de ganar, no ve una pieta, con que ganara el juego, iugando tal pieta*; quidam verò extra ludum ludentes aspiciat, videat illam, & intrasse dicat: Iste obcæcatus est, non videt occasionem lucrifactum esse modò; quis illum monere posset? Sic diues ille, qui iam extra ludum erat, videns opportunitatem fratrum, qui adhuc in vita ludentes, ex vehementia affectus eorum erga mundi lucra, non videbant, damni scilicet eleemosynam, ne, sicut ipse, damnarentur, eos admonitos esse desiderans; *Mitte*, inquit, *Lazarum*, &c.

A

Vide quomodo diuitiæ huius mundi cæcant, & quo pacto verum sit, quod ait Iob: *Dives, cùm interierit, nihil secum auferet.* Nihil secum abstulit dives ille, cui eousque aquæ gutta deficiebat, *& aperiet oculos suos*, subdit, *& nihil inueniet*; nec deliciarum, nec consilij, quia apud inferos nec consilium, nec ratio, nec opus.

PROP. XXV. *Diuitiæ cor nostrum capiunt.*

BEatus vir, qui non abijt in consilio impiorum. Consilia impiorum tentationes dæmonum sunt: cùm enim tentant nos, consilium nobis præbent peccandi. Beatus igitur qui huiusmodi consilijs auditum non præstant, & à peccato abstinent semper, quia, vt idem Propheta inquit, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Ponderat beatitudinem hanc Sanctus Ambros. in per Psalm. 1. dicens: *Vide vnde beatus appelleru, o bone, non à diuitijs, non à potestatibus, & honoribus, non à nobilitate generis, non à pulchritudine, & decore, non a corporis lubritate, quæ non solùm facilem commutationem habent, sed contraria, verum etiam ministerium ad culpam exhibent, qui eis vti nesciat. Quis enim iustus propter pecuniam? Quis potestate humilis? Quis propter nobilitatem misericors? Quis propter decorem castus? Illecebrosa magis sunt ad peccatum, quàm fructuosa ad virtutis profectum.* Ita Sanctus Ambrosius. In litteris igitur sacris non beatificantur potentes, sed humiles, non qui gaudent, sed qui lugent, non diuites, sed pauperes. *Beati*, inquit, *pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Væ vobis diuitibus, qui habetis hîc consolationem*; non audietis: Beati vos diuites.

B

Ambr. in Psalm. 1.

Luc. 6. 20. Luc. 6. 24.

At dices, imò in Ecclesiastico beatificatur dives. *Beatus*, inquit, *dues, &c.* bene, sed quæ sequuntur attende. *Beatus*, ait, *dues qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec speranit in pecuniæ thesauris, qui est hic & laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vita sua? Rico y sin mancilla de pecado? Rico y que no se le vayan los ojos y el coraçon tras el dinero? Rico, y que no ponga su esperança en el dinero? dad lo por milagro.* fecit mirabilia in vita sua. Beatus igitur talis dives. Sed quot diuitum horum inuenies? ergo vt dives sic beatus, & admirandus sit, ea faciat quæ hic Spiritus sanctus laudat, nempe vt primò sit sine macula peccati, secundò vt non abeat post aurum, & pecunias suas, hoc est, non aponat cor eis, sicut Sanctus Dauid diuitibus consuluit, dicens: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Si por vuestra casa corriere el rio de la plata, no hagays estanço del en vuestro coraçon, el oro para el coraçon humana, como aora esta, es como veneno, y assi procurad que no llegue al coraçon, que el coraçon con veneno muere.* Nolite cor apponere diuitijs, sed potiùs diuitias constituite sub pedibus vestris, sicuti Deum ita feciste notauit idem Psalmista, dicens: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues, insuper & pecora campi, &c.* Ecce omnes diuitias temporales subiecit Deus sub pedibus hominis; non, inquit, superposuit capiti eius, sed subiecit sub pedibus eius, vt hæc temporalia doceret non esse adeo æstimanda, & amanda, vt dici possit ea nos super capita nostra collocata esse, sed ita parui pendat, tanquam verè parua, vt infra pedes ea dicant esse à nobis constituta.

C

D

Psal. 8. 8.

Hinc etiam est, quòd in Actis Apostolorum, ad pedes Apostolo-

Cap. 4. 34.

Apostolorum dicuntur fideles missæ pecunias suas, *Quotquot*, inquit, *possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ad pedes Apostolorum.* Vide vbi diuitias ponebant, non ad manus quasi colligendas, & seruandas, & conferuandas, sed ad pedes, quasi conculcandas, & dispiciendas: non ad manus, quasi dignas extensione manuum nostrarum ad illas, sed ad pedes quasi pedum conculcationem mereantur.

Quod etiam Deus significasse videtur in eo quòd aurum, & argentum, non in cœlo collocauit, vt inde ad nos deuenirent diuitiæ istæ, sed sub terra, & ita cum terra mixta, vt vix aliud esse appareant quàm terra. Denique sub pedibus nostris, vt pedibus terenda monstraret, potiùs quàm supra caput, aut in corde collocanda, &c. ita à Deo data, sed non ita à nobis recepta: quis enim diuitum, & non diuitum sic ea conculcat, & terit; *& laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vita sua.* Parui facimus magni facienda, magni facimus parui facienda, cælestia contemnimus, quæ supra capita Deus posuit, magni facimus terrestria quæ Deus posuit conculcanda.

Deus à nobis omnem cordis amorem vendicat sibi, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, &c.* at diuitiæ opponunt se Deo, & totam mentem, & vniuersum cor rapiunt sibi, is qui diuitias habet, & amat, non solùm amorem, sed cogitationes, & affectus omnes transfert in diuitias, vti experientiâ quotidianâ constat.

Vnde Dauid, *Rapinas nolite concupiscere: diuitiæ si affluant, nolite cor apponere: si seos entra por vuestra casa la corriente de las requiezas poned a saluo el coraçon por que peligra con ellas.* Ob periculum consilium dedit: captiuant enim cor diuitiæ, vt nihil aliud diuitis cor valeat amare, nec cogitare, nec desiderare, nec inuestigare, *hechara al tranza de los cruydados del cielo, por cuydar de las riquezas.*

Vnde rectè Petrar. Dialog. 5. *Diuitias*, inquit, *ingentes habeo, vide ne potiùs habearis, vide ne non tua diuitiæ sint, sed tu illarum, neque illa tibi seruiant, sed tu illis: plures enim sunt, qui habentur, quàm qui habent: quos propheticus sermo notat, viros diuitiarum dicens, potiùs quam diuitias virorum.* Ita ille. qui tangit locum illum, *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.*

Inter diuitum ornatus catena aurea numeratur, quam in collo ferre illi solent honoris gratiâ. Catena quidem seruitutis symbolum est, meritò proinde mundus super suorum diuitum humeros catenam ponit, quia & hi serui sunt suarum diuitiarum, & super cor catenam gestant, quæ, licèt aurea sit, cor ipsum ligat, & vincit, vincit, inquam, & ligat cor, vt nihil aliud desideret mentem, vt nihil aliud cogitet; voluntatem, vt nihil aliud amet; memoriam, vt nihil aliud recolat; pedes, vt nihil aliud quærant; manus vt nihil aliud agant, nisi quod ad augendum, & conseruandum aurum videant expedire; bene denique catenam auream portat, quia aurum sic eos concatenat, & premit.

Quòd si diuites diuitias sic amant, quantum ex diuitijs malum recipiant, manifestum est, dicente Ecclesiastico: *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet, quontam in vita sua proiecit intima sua.* Si nihil est iniquius, quid peius? denique venalem animam dicit hunc habere, quia pro pecunia animam facilè perdere hi solent, *por vn real suelen entregar su alma al demonio. Et in vita sua proiecit intima sua.* quonam pacto? Iansenius, *Hoc est, etiam adhuc viuens, perinde se habet, ac si omnia sua viscera euecissent, nimirum, quia omnem humanitatis, & commiserationis affectum exuit, nec alijs nec sibi bonus. Ad quod forte infinuandum, cum Iudæ proditor suspensus fuisset, crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera eius, (ille scilicet pecuniæ amator magnus) in quo clarè videre licet, quomodo auaro nihil est scelestius, & quomodo animam suam auarus venalem habeat, qui pro argento, eoque exiguo, dum Christum vendidit, suam quoque animam, & vitam, tum temporalem, tum eternam vendidit, & amisit.* Ita ille. Non ergo solùm animam, sed Christum venalem habuit.

Non mirum, si Dominus diuitias contemnere suadeat, cùm amorem nostrum, quem sibi Dominus reseruauit, vsurpent illæ sibi. Exod. 20. vocatur Dominus *zelotes*, metaphorâ sumptâ à sponsis, qui propter ingentem amorem, quo sponsas amant, zelo solent magno affici, nolentes sponsas suas alios diligere, vel diligi ab alijs, omnem amorem sponsarum vendicare sibi volentes, vti explicat Sanctus Dionysius cap. 7. de Diuinis nominibus. & hæc causa fuit, cur Dominus Abrahamo præcepit, vt sacrificaret ei filium suum: *Tolle*, inquit, *filium tuum quem diligis Isaac, &c.* consultò dixit: *quem diligis*, quia neque in filium, amorem sibi referuatum, transferri patiebatur. vnde cùm amorem filij de facto posponeret amori diuino, dixit: Ne extendas manum tuam in puerum tuum: non enim propter puerum, sed propter amorem hoc iussi, hunc mihi dedisti, reseruia igitur filium. Idem ergo de diuitijs dicendum est, non diuitias à nobis tollere propter diuitias ipsas vult Deus, sed propter amorem: vnde si plùs diuitias, quàm Deum amaueris, non mirum si à te Deus diuitias tollat. quòd si diuitias sine amoris diuini præiudicio habueris, non tollet eas à te Deus: nam non ait solùm: Beati pauperes, qui à se abijciunt pecunias, sed pauperes spiritu, hoc est, corde, vbi amor est, *por esso pues tiene Dios zelo contra las riquezas, &c.*

Cur, inquies, Dominus diuitias tot tantasque creauit, si occasionem, & periculum in ipsis nobis latere videt? *si son malas, paraquè las criò? si buenas paraquè nos aconseja las dexemos? si peligrosas como las consiente?* si te aliquis ad prandium inuitaret, & positis in mensa cibis multis, & præclaris, diceret tibi: Dimitte cibos, ne comedas, nisi hoc, vel illud parui momenti, quid dices? quid sentires? etenim diceres, vt quid hæc omnia parasti, si vesci, & frui prohibere volebas? parauit in conspectu nostro Dominus mensam copiosam, quam-plurimis bonis refertam, vt quid prohibet nos eis frui, suadens paupertatem, & dicens: *Beati pauperes, &c. Væ vobis diuitibus, &c.* Etenim cùm quis bona valetudine gaudet, rebus omnibus ad vescendum datis frui valet; at si graui aliqua infirmitate præpediatur, medicus abstinentiam præscribit, vt scilicet solùm hoc vel illo fascili, & salubri cibo vescatur. cùm Deus omnia visibilia tradidit homini, in statu innocentiæ is versabatur, sanus erat, nec honor, nec diuitiæ, nec deliciæ, illi nociua erant: nam, media iustitia originali, pars inferior appetitus rationi, & ratio Deo subdita erat; at per peccatum deordinata manfit natura nostra, infirmus est homo. vnde quæ in statu naturæ integræ illi emolumento erant, nunc detrimento esse facilè possunt. Absíne igitur, ait homini, supremus ille protomedicus, caue tibi à nimietate diuitiarum, & deliciarum, & honorum, & reliquorum bonorum temporalium, &c.

Dormierunt somnum suum omnes viri diuitiarum, &c. Psal. 75. 6. tur non ait, diuites, sed viri diuitiarum? nam, vti ait Glossa ibidem, *viri diuitiarum sunt, qui solam spem suam ponunt in incerto diuitiarum, vnde non ait habentes diuitias: multi enim habent qui non amant.* Ita glossa. Viri igitur diuitiarum quia magis possidentur ipsi à diuitijs, quàm diuitiæ possideantur ab eis, viri diuitiarum dicuntur, sicut captiuus dicitur seruus eius cuius captiuus est, captiuant diuitiæ cor possidentiũ eas, & spem, amorem & cogitatũ vendicant sibi. Viscera quidem auicule, quando earũ alæ eo capiuntur: viscus est aurum, viscus argentum, viscum vt plurimum habent, *mucha liga lleuan con sigo el oro y la plata*, ligant, & capiunt alas hominis, intellectum scilicet & voluntatem: his enim veluti alis

volare poteſt anima in cœlum vſque, imò vſque ad ipſum Deum; diuitiæ autem alas iſtas ligant, cùm diuitem nihil aliud cogitare, nihil aliud amare ſinunt. An non dices, alas ligatas habuiſſe diuitem illum Matth. 19. qui à Domino vocatus, dicente: *Si vis eſſe perfectus vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me.* Abijt triſtis, & Chriſtum ſecutus non fuit? quid illum detinuit? diuitiæ, quæ cor eius captiuauerant, & in ſuam redegerant ſeruitutem. Matt 19, 21. A

Vnde S. Gregor. Nazianz. orat. 24. in principio: *Aurum*, inquit, *eſt occultus tyrannus, per quem multi ſurſum, deorſumque, veluti in telorum ludo, iactantur.* Ita ille. Tyrannum vocat aurum, quia ſicut tyrannus dominium ſubditorum iniuſtè ſibi vſurpat; ſic etiam aurum dominium hominis vſurpat ſibi iniuſtè: nam ſi rationi ſtandum eſſet, aurum homini non homo auro ſeruire deberet: occultum autem, quia interiùs in occulto cordis, dominium ſuum habet, ibi captiuat affectus interiores, & ſecum ducit: quamuis ſæpe exteriora relucent ſigna huius ſeruitutis, dum plura pro auro efficiunt homines auari, quàm pro Deo, & anima ſua. B

Vide S. Chryſoſt. hom. 30. tom. 5. *vbi probat, quòd nemo ladatur niſi à ſeipſo, & ſimul exponit tyrannidem diuitarum, quia pecuniæ amor ita animam captuat, vt neque amicitiarum, neque propinquitatis interdum, neque coniugis, nec filiorum amori locum relinquat, ſæuit vt barbarus, crucietat vt tyrannus, & homo auarus illi vt ſeruus paret.* Ita ille.

Hinc eſt quòd Chriſtus Dominus flagellis eiecit è templo auaros, eos, inquam, qui plùs aurum, aut argentum, quàm templum Dei venerabantur, flagellis dico, non gladio, non haſtâ, non manu, ſed flagellis, eos more ſeruorum puniendo: ſeruorum enim eſt à dominis vapulare, vt conſtat ex iure ciuili. leg. in ſeruorum. ff. de pœnit. vbi dicitur: *Ex quibus cauſis liber fuſtibus cædatur, ex his ſeruus flagellis cædi debet.* Chriſtus ergo, non fuſte, non enſe eos percuſſit, ſed flagellis. Ioan. 2. C

Rectè Seneca libro de vita beata, capit. 26. *Diuitiæ*, inquit, *apud ſapientem virum in ſeruitute ſunt, apud ſtultum in imperio; ſapiens diuitiis nihil permittit, inſipientibus diuitiæ omnia; inſipiens habet diuitijs, tanquam nunquam eas amiſſurus, ſapiens cum in medijs diuitijs conſiſtit, pauperrtatem meditatur. Denique ſapienti diuitias ſuas relinquit, quiſquis ab eo abſtulerit diuitias.* Ita ille.

Seruilius libro ſecundo de memorabilib. principum theſauris, ex libro quinto hiſtoriarum Titi Liuij, *Mithridates*, inquit, *in fugam à Sylla & Lucullo actus, auro, argento, & veſtibus multi pretij copioſiſſimè per itinera ſparſis, periculo copias ſuas exemit, ardentes hoſtium animos, prædà tenere diſiectà, ab inſecutione auertit, vt quam virtus mcolumitatem negaret, diuitiæ præſtarent.* Ita ille. Etenim crudelem aduerſùs tartareos hoſtes nos Chriſtiani pugnam capeſſimus; hoſtes autem hi, vt nos à pugna diuertant, diuitias, & mundi oblectamenta, honores, & reliqua bona temporalia offerunt, vt, dum nos his intendimus, arma deponamus, & illos non fugere à nobis oporteat, ſed commodiùs poſſint nos debellare. D

Seneca: *Sic diuites diuitias habent, quomodo haberi dicimus febrem, cùm illa nos habet; è contrario dicere debemus, febris illum tenet: eodem modo dicere debemus, diuitiæ illum tenent.* Ita Seneca. Optima ſimilitudo hæc, & quæ naturam ſeu conditionem diuitiarum expreſſit optimè: nam febris nos velut captiuos tenet, torquet & occidit; ſic diuitiæ mentem noſtram liberam captiuant, & in ſeruitutẽ ſpiritualẽ redigũt: ſicut enim ſeruus & captiuus, non quod ipſe vellet, facit, ſed quod Dominus eius vult & iubet; ſic diues eò tendit, quò diuitiæ ducunt. Secundò, quia curis quæ oriuntur ex diuitijs torquetur: ideò enim Chriſtus Dominus diuitias ſentibus comparauit. Tertiò occidunt animam diuitiæ: nam, ſicut alibi dictum eſt, omnium peccatorum radices ſunt, &c. Epiſt. 120. Luc 8.

Secundi Mach. 7. paſſi ſunt martyrium glorioſe ſeptem SS. Machabæi: cùm autem de ſex prioribus teſtimonium redderet Scriptura, nihil aliud quàm pœnas exprimit, & mortem pro legis defenſione eos ſubijſſe affirmat. At cum de ſeptimo loqueretur, *Et hic*, inquit, *mundus abijt, per omnia in Domino confidens.* Cur ſimile 4. teſtimonium non perhibuit Spiritus ſanctus de ſex primis, ac de iſto? Ratio huius eſt, quia reliquis nullas opes & diuitias obtulerat tyrannus: ſeptimo verò Antiochus, *cum iuramento* (inquit Scriptura) *affirmabat ſe diuitem, & beatum eum facturum*, &c. quo nihil obſtante firmus in propoſito permanens, obijt. Quod tanti faciendum iudicauit Dominus, vt hoc ponderandum, & augendum verbis ſpecialibus iudicaret. *Et hic, ait, mundus abijt*, quaſi dicat, mirum quòd reliqui ita conſtanter pœnas acerbiſſimas ſuſtinerent pro Dei lege; ſed mirabile magis quòd ita hic vltimus, oblatas diuitias viriliter contemnens, mortem illam crudelem fideliter ſubiret, quòd alijs ſanctis fratribus non euenerat. Vide quàm difficile ſit, quàm mque mirabile opus, diuitias contemnere oblatas. 2. Mach. 7. Mach. 4.

Nullibi tamen hæc ita relucet veritas, quàm in Apoſtolo Iuda: ſolus ille inter Apoſtolos pecunias tangebat, vt ea, quæ familiæ Chriſti opus erant, compararet: ſolus ille inter Apoſtolos perijt. vicerat ille mundum, vicerat carnem, vicerat dæmones, omnia vicerat, Chriſtum Dominum ſequutus; victus hic tantus vir à pecunia fuit, eò quòd eam manibus contrectabat: *tiene liga el dinero, que ſe pega mucho a las manos el coraçon.*

Quid autem non præſtitit Chriſtus, vt ab hoc auritiæ morbo Iudam liberaret? quid, cùm pedes lauaret, cùm buccellam porrigeret, cùm corpus, & ſanguinem ſuum in Euchariſtiæ ſacramento illi præberet, cùm turbatus ſpiritu ante ipſum proſtratus fuiſſet, & diceret: *Vnus veſtrùm me traditurus eſt, verumtamen væ homini illi, per quem filius hominis tradetur, m. lius erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille?* Quem non omnimodè pertertefacerent verba hæc? At Iudas non ſolùm non timuit, nec erubuit; quin inde profectus, venditionem illam, quam moliri cœperat, conſummauit. *Auri ſacra fames, quid non mortalia pectora cogis?* Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Exod. 3. *Apparuit Dominus Moyſi in flamma ignis in medio rubi.* Cur, quæſo, in rubo, & non in alia pretioſiore arbore Deus apparuit Moyſi, verbi gratiâ, in cedro, vel in cupreſſo, &c. Theodor. q. 6. in Exod. *Nonnulli dicunt Deum in rubo & non in aliâ planta apparuiſſe, ne quis Deum ex rubo poſſet effingere: erat enim veriſimile Iudæos hoc auſuros eſſe, ſi in alia planta apparuiſſet.* Ita ille. Nunc ad rem, ſicut Deus occaſionem idololatriæ ab his hoc pacto auferre voluit, ſic etiam negando nobis temporalia bona, idololatriæ ſpiritualis à bonis occaſionem aufert, dum nobis temporalia bona negat: ſic enim temporalibus adhæremus, ſic illa amamus, vt adorare ea videamur: melius autem eſt nos pauperes cœlum adire, quàm factos diujtes perire? Exod. 3. Theodor.

Sanct. Ambroſ. lib. de bono mortis c. 5. *Laqueus eſt in auro, viſcus in argento.* Ita ille. Quid breuius, quid copioſius dici potuit? etenim hoſtes noſtri venatores ſunt, vti obſeruauit S. Bernard. in id Pſalm. 90. *quoniam ipſe liberabit me de laqueo venantium.* Ait igitur Sanct. Ambroſ. laqueus in auro, id eſt, ſicut venator laqueos appnit inter fruteta & virides herbas, ita occultè vt laqueus non appareat; & qui paſſeres venatur, viſum in ramo ponit, quo alæ auium comprehendantur ne in altum volare poſſint; ſic hoſtis in diuitijs, habet homo alas duas quibus ad cæleſtia volat, intellectum ſcilicet, quo diuina conſiderat, & percipit; & ſimiliter voluntatem, quâ Deum amare poteſt. Sed qui diuitias quærit, ita ligatur viſco ipſarum, vt nec aliud cogitet neque amet: ſicut auis cùm ſe captam ſentit, licèt conetur volare ad ſupera, à viſco impeditur; ſic diues cùm aliquando de Ambroſ. lib. de bono mortis c. 5. Bernard. in Pſalm. 90. ſerm. 2.

do de salute sua cogitans, vult in diuina & cælestia as- A cendere, quasi ligatus visco impeditum se agnoscit, & vix potest se expedire.

Prop. XXVI. *Diuitiæ occasionem secum ferunt multorum peccatorum, & damnationis.*

IMber è cœlo cadens idem est, vbicumque ille ceciderit, sed tamen non idem est eius effectus vbique: nam herbæ & plantæ, quæ ex aqua è cœlo cadente irrigantur, succum hausturn in diuersas qualitates commutant, in absynthio in amaritudinem conuertitur, in ficu in dulcedinem mutatur, in cicuta efficitur venenum, in balsamo fit medicina. denique secundùm naturam, & proprietatem plantarum, dulcis, vel amarus, salutiferus, vel mortiferus redditur fructus aquæ. Sic de diuitijs dicendum est: nam diuitiæ in auaro inutiles sunt, in liberali vtilissimæ existunt, in vsurario nociuæ sunt, in pio & misericordi viro proficuæ sunt, misericordia & pietas, in homine mundano vanæ sunt, in homine temperato modestiam redolent, in guloso infirmæ sunt, & venenum; in homine verò abstinente salus, &c. In diuite Epulone purpura & quotidiana conuiuia erant, in Abraham verò, & in Iob erant pauperum remedia, peregrinorum hospitia, oculi cæcorum, & pedes claudorum, &c.

Sanct. Bernard. ser. 3. in Psal. 90. *Deus meus sperabo in eum; quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium.* Vbi Sanct. Bernard. serm. 3. super illum Psalm. postquam venatores hominum esse dæmones dixit, subdit: *Quisnam sit laqueus iste, quærendum est. Ostendat nobis Apostolus laqueum istum: ipse enim venatorum illorum non ignorat cogitationes.* Qui volunt, *inquit*, diuites fieri in hoc sæculo, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli. *Ergòne laquei diaboli diuitiæ sunt huius sæculi? Heu quàm paucos inuenimus, qui ab hoc laqueo liberati exsilerent; quàm multos qui dolent quòd parum sibi videntur irretiti, & adhuc quantum possunt, ipsi se inuoluere & intricare laborant.* Ita Sanct. Bernard.

Licèt bona temporalia, bona quidem naturæ sint, & ad bonum ea Deus creauerit finem; si in manus illa deuenerint hominis mali, mala fiunt ex vsu malo. Plinius lib. 25. cap. 11. *Vina*, inquit, *infusa vasis è taxo ligno venenoso factis, mortifera sunt, quamuis vina ipsa secundùm se mortifera non sint*, sic bona temporalia licèt bona sint, & ex eis bona plura effici possint; si in hominem inciderint malum, mala redduntur, quia in malos, & pessimos vsus ea diffundunt. nam prodigus, & mundanus in rebus profanis eas absumunt, superbus in sui gloriam vanè honores amat, voluptuosus in voluptatibus suis expendit cuncta quæ habet, &c.

Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. quasi dicat, bono bene scienti expendere diuitias bonæ sunt diuitiæ, cùm scilicet, secundùm conscientiam suam nullius peccati causa sunt, sed tamen rara auis in terris. Audi quid de huiusmodi dicat Spiritus sanctus apud eundem Ecclesiasticum: *Beatus diues qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec speranit in pecunia, & thesauris, quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* quasi dicat, diues, & sine macula peccati; miraculum, diues & qui post aurum non abeat, cor eius miraculum; diues & qui non reponat spem suam in pecunijs suis, miraculum. *Quien es eso, que le besaremos la ropa como a hombre, que haze milagros.* Etenim à Latinis ideo diuitiæ facultates nuncupantur, quia inde oritur hominibus facultas multa licentiosè faciendi, comedendi scilicet, & bibendi lautè, induendi pretiosa indumenta: sicut faciebat Euangelicus ille diues, qui epulabatur splendidè quotidie, & induebatur byssso, & purpurâ, & non compatiebatur super Lazari contritione: qui autem diuitijs abundat, & hanc facultatem nactus, immaculatum se ab hoc sæculo seruat, *Qui*, inquam, *potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*, beatus proculdubio meritò nuncupatur.

Hinc Sapiens: *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria, ne fortè satiatus, illiciar ad negandum*, ita Salomon. qui, licèt rex (reges autem nunquam solent diuitijs satiari) victui tantùm necessaria desiderabat, & non diuitias, cur ita? *ne fortè illiciar ad negandum.* Quid est *ad negandum?* etenim, cùm amicus ab amico recedit, negare illum dicitur, *fulano solia ser mi amigo y me a negado, es decir me a dexado, y no haze caso de mi.* Paupertas quidem non separat à Deo, imò coniungit, nam cùm Deus sit omnipotens, & facilè sit in oculis eius subitò honestare pauperem, statim pauper ad Deum properat, opem ab eo postulans, & in eo spem collocans, tanquam in potente, ob omnipotentiam, & sapiente, ob infinitam sapientiam, & propensum propter bonitatem suam ad succurrendum ei: diues autem id quod diues ille, dicit: *Diues sum, & locupletatus, & nullius egeo*, & quia videtur ei, quia nullius eget ope; nec ad Deum accedere curat, vt oret, quia quod orando postulare debuerat, se iam obtinuisse dicet, nec sperat in Deo, quia in diuitijs collocauit spem suam; *aqui tengo de que valerme para quanto se offreciere*; nec amorem, quia *vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit.* Diuitias amat supra modum: hoc autem nónne est negare Deum? meritò ergo ait Salomon: *Diuitias ne dederis mihi, ne fortè illiciar ad negandum*, scilicet Deum. Denique negat Deum diues, dum aurum & argentum, tanquam duo idola, adorat, amorem quem Deo exhibebat, iuxta præceptum Domini: *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo*, &c. in argentum & aurum transfert: quapropter meritò dixit Apostolus, auaritiam esse idolorum seruitutem, quia sicut idololatria idolum super reliqua amat omnia, sic auarus pecuniam. Vnde S. Augustinus de verb. Domini: *Aurum*, inquit, *est materia laborum, periculum possidentium, enervatio virtutum, dominus malus, seruus proditor.* Ita ille. Est quidem *materia laborum*, quia propter diuitias immensos labores subeunt homines, & cùm eas fuerint assecuti, ingentes patiuntur curas in conseruando, & distribuendo, &c. Est etiam *periculum possidentium*; nam vel latrones, vel iniqui hæredes plures ob diuitias peremerunt. Est quoque *malus dominus*; nam vbi diuitiæ dominantur, fame etiam possessores premunt, & in plures necessitates voluntarias inducunt, quàm inuoluntarias pauperes patiantur. & est *seruus proditor*; nam vbi non dominantur ad custodiam & auaritiam, sed famulantur ad expensas, produnt ex liberalitate sua dominum: cognoscuntur enim tum opes, & ab his, qui eas eripere volunt, dignoscuntur. Denique ait Sanctus Augustinus: *Aurum est enervatio virtutum, la riqueza es sarrete de la virtud*: quis enim diues humilis, & honorem patui faciens? quis eorum in iniurijs, & persecutionibus patiens? quis in cibis & ornatu corporis temperatus? ratus, si talis in terris. Bene igitur S. Augustinus vocat diuitias, *enervationem virtutum*; quare meritò idem Sanctus Augustinus. serm. 13. de verbis Domini, ait: *Quid prodest arca plena, si inanis est conscientia? mundi bona vis habere, & tu bonus esse non vis? erubescere debes de diuitijs tuis, si domus tua plena bonis habeat dominum malum. quid prodest diuiti quod habet, si Deum, qui omnia dedit, non habet?* Ita ille.

Et Sanctus Bernard. in quodam sermone: *Camelus*, inquit, *vnum solùm pondus habet; diues autem duo; alterum terrenarum possessionum; alterum verò peccatorum: primum in morte deponitur, aliud velit, nolit, retinet moriens, nisi ante mortem deponat.* Ita ille.

Et Sanctus Chrysostomus sermone, Quod nemo læditur, nisi à seipso: *Diuitiarum sequela est luxuria, & intemperans ita, & iniustus furor, & arrogantia superba, & omnis irrationabilis motus.* Ita ille. Vnde Sanctus Petrus

Chrysologus in quodam sermone: *Aurum erogare, bonum est, reponere malum, contemnere validum, fugere seuerum. quod sicut vincere virtutis est, sic felicitatis euasisse.* Ita ille. Quare meritò Poeta quidam de diuitijs agens, inquit: A

Hæc fuge, quæ seruans ab eis seruabere nunquam,
Serpentemque sinu parce fouere tuo.

Vbi meritò diuitias amatas, serpentem in sinu vocat: nam sicut serpens in sinu venenum illico in cor mittit, sic diuitiæ in corda nostra venenum vitiorum diffundunt.

Hinc Arist. 2. Rhet. cap. 16. *Diuitiæ*, inquit, *nihil aliud ferè sunt, quàm felix amentia.* Ita ille. Amentiam vocat fœlicitatem diuitiarum, quia nulla maior amentia, quàm peccare, & diuitiæ ad multa peccata diuites inducunt. fœlicem amentiam meritò dixit, quia amentia B quantò fœlicior, tantò peior, &c.

Lucius Florus lib. 3. cap. 2. deplorans reipubl. Romanæ damna, *Nescio*, inquit, *an satius fuerit populo Romano Siciliâ, & Africâ contentum fuisse, aut his ipsis etiam carere, quàm eo magnitudinis crescere, vt viribus suis conficeretur: quæ enim res alia furores peperit ciuiles, quàm fœlicitas nimia? Syria prima nos victa corrupit, mox Africa, Pergamensi regis hæreditas, illæ opes & diuitiæ afflixerunt sæculi mores, mersamque vitiis suis, quasi sentinâ, rempubl. pessumdederunt. Vnde enim populus Romanus à tribunis agros, & cibaria flagitaret, nisi per famem, quam fecerat luxus? vnde vectigalia reipubl. atque ipsa iudicia in quæstu habentur? & vt notiora vitia tangamus, nonne ambitus, honorum à diuitijs incitatus est? atque inde Mariana, inde Syllana tempestas, inde magnificus apparatus conuiuiorum, & sumptuosa largitio, opulentia hæc Catilinam hostem patriæ suæ impegit; denique illa principatus, & dominandi cupido, vnde ea nisi nimijs opibus venit? Atqui hæc Cæsarem atque Pompeium furialibus in exitium reipubl. facibus armauit.* Ita ille. C

Vnde Plato apud Stobæum serm. 90. *Si vir iniustus, & promptus ad cupiendum, dies sit, & pecuniam expendere valeat, procliuis erit ad peccandum: contrà, si dues non fuerit, non habens vnde sumptus faciat, exequi, ea quæ cupit, non poterit, & ita neque peccauerit quidem. Quare magis proderit homini diuitem non esse, siquidem minùs efficiet ea quæ cupit: non enim poterit, nempe mala.* Ita ille. Hoc Plato de illo ait, qui iniustus est: sunt enim in eo diuitiæ, sicut ensis in manu amentis, & furioſi. sed tamen hoc addendum est, hominem bonum, & iustum, fæpe corrumpi à diuitijs, & opibus multis, sicut in Saule constat, de quo, antequam fieret rex, dixit Scriptura: *Erat Saul electus, & bonus, & non erat de filijs Israel melior illo*; ad regni verò thronum elatus, & dives ex paupere factus, peſſimus homo reddit⁹ fuit, sacrilegus homicidaque aliorum, & sui. 1. Reg. 9. 2.

Item Isocrates ad Damon: *Diuitiæ, non tam honestati, quàm improbitati seruiunt, dum socordiæ hominum licentiam parant, & iuuenes ad voluptates instigant.* Ita ille. Etenim si natura nostra integra esset, sicut in principio condiderat illam Deus, non ita periculosum esset hominem diuitem esse: at in natura lapsa, in qua (vt experimur) affectus deordinati sunt, diuitiæ id sunt, quod oleum igni, & sicut nimius cibus infirmo, &c. D

Interrogatus olim Chilon Philosophus insignis quid essent diuitiæ? respondit? *Diuitiæ sunt calamitatu viaticum, thesaurus malorum, improbitatis suppeditatio.* Ita ille. Primò ait, calamitatis viaticum: sicut enim cantabit vacuus coram latrone viator, sic timebit plenus coram latrone viator: secum enim fert periculum mortis suæ. idque vniuersaliter dicere valemus de diuitibus cunctis, etiamsi domi clausi maneant: nam fures, & latrones, imò amici, & consanguinei, tacitè sæpe sæpius insidiantur. Secundò, *thesaurus*, inquit, *malorum*, quia vniuersa mala tam corporis, quàm animæ inde solent emanare; sed speciatim ait, *sunt improbitatis suppeditatio*: multa enim peccata cómittunt diuites, quæ minimè committerent, si diuites non essent. Vnde meritò idem Chilon, sicut refert Laertius in eius vita, dicere solebat: *Quod lapis Lydius est auro, id aurum est homini: lapis enim hic index affrictu prodit quale sit aurum; ipsum autem aurum prodit, quale sit hominis ingenium, iuxta illud, magistratus virum arguit.* Ita Laertius.

Deniqne meritò Christus Dominus spinis diuitias comparauit: sicut enim inter spinas, & vepres, viperæ, & serpentes, & venenosa animalia reperiuntur; sic etiam inter diuitias peccata quæ animam vocant.

Antiqui sic diuitias hieroglyphicè pingebant. In tabula quadam Plutonem inferni principem deputabāt cæcum, & claudū cum subscriptione ista: Claudus venit, sed velox recedit. Primò igitur rectè Pluto, vt apud Poëtas antiquos, Deus diuitiarū, Deus inferni dicebatur; cæcus autem ab effectu Pluto dicebatur, quia diuitiæ ob nimiam earum cupiditatem, & amorem, diuitem excæcant, & ob hanc causam Deus iudicij munera recipere prohibebat, *Neque accipias*, inquit, *munera, quæ excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Quòd si diuitiæ etiam prudentes excæcāt, quem non excæcabunt? Originale autem Hebræum sic habet: *Quoniam munus erunt oculos sapientum*, hoc est, non quomodocumque cæcat, sed ita vt eruere oculos mentis videatur; si ergo diuitiæ etiam sapientum virorum mentes excæcant, meritò Plutonem symbolum diuitiarum cæcum figurabant. Secundò claudum, quod subscriptio supradicta declarat, quòd scilicet Pluto veniens claudicet, recedens verò currat festinanter, si volet; quia diuitiæ non ita facilè ad hominem veniunt, sed magna cum difficultate: magno enim labore acquiruntur, vt in viris literis vacantibus, in militibus, in institoribus, & in his qui ad Indos pergunt, videre licet: at diuitiæ quæ ita difficilè acquiruntur, facili negotio amittuntur, vel litibus, vel ludo, vel crimine aliquo, vel luxu, vel morte, vel hæredes bona hæreditate acquisita dissipant; vnde huic meritò dici potest, *quanto elcid gana en vn anno todo lopierde en vn dia*, & c. hoc claudicatio Plutonis importat. denique in Plutone principe tartari figurantur, quia diuitiæ facilè homines ad tartara ducunt, sunt enim multorum peccatorum occasio. Vnde Apostol. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentionem, & in laqueum diaboli*, hoc est, non solùm nanciscitur diabolus occasionem tentandi hominem ex diuitijs, sed etiam venandi eum: propter diuitias enim quamplurimos secum hostis ad tartara ducit. O infelix felicitas diuitum, quæ tantæ infelicitatis est causa, &c. 1. Tim. 6. 9.

Sanctus Gregor. Nazianz. oratione 27. *Nauem paululum exonera, vt nauiges leuius, in profundum etenim facilimo negotio demergentur, qui conquirendis mercibus, & onerosis lucris iugiter incumbunt.* Ita ille. Qui tangit metaphoram nauigantium: hi enim suborta tempestate, si peri-clitatur nauis submergi, proijciunt in mare nautæ omnia opera mortua, & omnes mercēs, & opes quantumuis pretiosæ illæ sint, vt ipsi mortem euadant: sic qui experimento nouit diuitias sibi naufragij spiritualis causam esse, tanquam opera mortua, à se proijcere illas debet, vt mortem euadat sempiternam.

Nescio an hoc Gentiles innuere volucrint, cum Plutonem Infernorum simul, & diuitiarum esse asseruerint Deum: Pluton enim Græcè, vt affirmant Plato in Cratilo, & Cicero lib. 2. de natura Deorum, à diuitijs sic appellatus est, fortè vt ita significarent, Infernum & diuitias societatem habere. Suidas

Sed id, aliud ve senserint Gentiles, quid verus Deus Christus Dominus sentiat, audi: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Diuites autem quid? *Væ vobis diuitibus*, ait. Cur ita? quia scilicet diuitiæ impedimento sunt animæ salutem desideranti. Vnde Poeta quidam Christianus. Matt. 5. 3. Luc. 6. 24.

Diui-

Diuitias fugito : pondus graue celsa petenti:
Impediunt animum, nec bene velle sinunt.

Duo hîc de diuitijs notanda notantur. Primum, quòd pondus graue sint. Aurum quidem omnium metallorum ponderosius est, quod tamen omnium excellentius est, id ergo quod in diuitijs excellentius, id grauius est. Quo Deus auri creator nobis innuisse videtur, onus nobis, non solùm corpori, sed cordi esse.

Vulgaris locus, sed ad rem Gen. 13. *Erat*, inquit, *Abraham diues valde in possessione auri & argenti.* Septuaginta verò sic legunt : *Erat grauis valde*, hoc Spiritus sancti consilio, vt intelligamus esse diuites, & esse grauem, vel esse idem, vel synonyma. Denique experimento constat diuitias graues esse : vnde, sicut qui pondere pressus incedit, vix progredi potest, grauitate ponderis præpeditus ; sic qui diuitijs abundat, diuitiarum onere grauatus, vix per viam salutis animæ incedere valet.

Hinc diuitibus tremenda verba illa protulit Christus : *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum.* Quis non huiusmodi difficultatem in re tanta non abhorret ? quis diues hæc credens, diuitijs non valedicat, vt saluationi animæ huiusmodi tollat difficultatem ? Sed audi acriorem Christi exaggerationem. *Iterum dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Ex hoc iam non solùm difficile, sed impossibile diuitibus erit, intrare in regnum cœlorum. Vnde mirantes Apostoli dixerunt : *Quis ergo poterit saluus esse ?* quibus Dominus : *Apud homines hoc impossibile est ; apud Deum autem omnia possibilia sunt* ; ac si dicat, Omnipotentia, & infinita pietas Dei requiritur ad hoc, vt diues aliquis saluus fiat : est enim quasi prodigium, & miraculum ingens. quod veluti sacramento quodam signauisse videtur filijs Israel, cùm in Terram promissionis pergentes, mare rubrum diuisit, vt non per alta vndarum, sicut nauigantes solent ; sed per planum pauimentum agerent iter, ingenti quodam miraculo, pro muro hinc inde fluidas detinens aquas. Poterat quidem efficere Deus omnipotens, vt super aquas solidè graderentur, sicut ipse Dominus Christus fecit, & similiter Petrus ; cur igitur vel filij, & Petro non diuisit mare, vt sicco vestigio ipse cum Petro ambularet, cur ergo tali miraculo filij Israel non super vndas processerunt ? Nunquámne audisti dici, ad significandum aliquid mirum esse, in profundo maris solum inuenire ? *Es hallar fuelo, y pie en el profundo del mar* ; id igitur significauit Dominus in transitu illo maris rubri. In profundo maris pauimentum inuenerunt filij Israel, *fue prodigio hallarse esse posse ellos.* Cur id ? quia onusti diuitijs Ægyptiorum ex Ægypto exierunt Israelitæ ad terram promissionis, quæ quidem patriæ cœlestis symbolum, & figura erat. Hoc significare igitur voluit Spiritus sanctus, miraculis, & prodigijs opus esse, vt diuites diuitijs onusti ex hac mundi Ægypto in terram illam promissionis cœlestem, pergere fœliciter, & peruenire efficaciter possint. At Christus sine mundi opibus incedebat : neque enim habebat vel vbi saltem caput suum reclinaret. Et Petrus : *Ecce nos*, inquit, *reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Ab omnibus igitur rebus mundi sic expediti, quid mirum, quòd illo miraculo filiorum Israel non indiguerint, ad iter in terram supernam promissionis conficiendum ; sed facilè super vndas sic ambularint ? Id ergo ostendens Christus Dominus, dixit : *Apud homines impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt* ; ac si diceret, oculis misericordiæ diuinæ specialis, & auxilio non vulgari & communi, opus habent diuites, vt salui fiant. quis non à facie diuitiarum, magis quàm à facie colubri non timeat, atque fugiat ? *Viendo que le viene mas ancho el ojo de aguja de cofer, que vna maroma gruessa, o vn camelo, que la puerta del cielo a vn rico*, ideo ergo Poeta.

A *Quin & diuitias comites fugit inclyta virtus*, quia scilicet sedes virtutis cor, quod autem primum occupant diuitiæ, cor est. Vnde Propheta : *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere* : ac si dicat : Attendite ad cor. Sicut enim venenum sumptum statim petit interiora cordis, sic diuitiæ, dulce venenum, corda petunt : mentem enim occupant in primis, nec sinunt aliud, quàm diuitias & lucra cogitare quotidie. Vides in collo hominis prædiuitis catenas aureas multis inuolucris collum ipsum & pectus concatenantes. cur homo ingenuus, & liber sic catenis ligatus incedit ; cùm id captiuorum proprium sit ? Quia scilicet diues captiuus est, cuius intuere catenam : ipsa enim indicabit tibi. nónne aurea illa est ? bene, quia auri captiuus, & seruus ille est, ideo ab aurea catena circumligatur, & supra pectus aurum illud cadit, quia nihil aliud in illo pectore versatur, nisi aurum, aurum cogitat, aurum amat, aurum desiderat, aurum attendit, & intendit, & aliud nihil : diuitiæ quippe, nec bene velle sinunt. *Ps. 61. 11. Simile.*

B Sanct. Chrysost. hom. 7. de Pœnitent. tom. 5. *Superflua quæque amputa, & fac pauper. bus supplementum : nam si calceamenta quis supra mensuram pedibus adegerit, timere certè priuiori sentiet impedimenta ; & vestimentum induens corporis staturam excedens, eodem implicabitur modo. Quòd si superfluum vbique inutile est, in pecunia fortius multò, & qui supra quod satis est, habent, non modo in ipsa sufficientia, sed in quibusdam necessarijs impediuntur : nam qui deforis in agone currunt, & ipsa exuunt vestimenta ; viam vero in cœlum feruentem, & eandem arctam, & arduam tot cum impedimentis, quomodo poteris ambulare ? veloci enim, & expedito cuiquam pene impossibile est consequi salutem.* Ita S. Chrysost. Vbi obserua, non hîc vocari superflua, quæ ad ambitum honoris, & gloriæ mundi modò expenduntur à multis : vanitati enim nihil superfluit, ambitio nullis vel maximis etiam opibus, est contenta, ad equos, ad currus deauratos, ad famulorum turbam, ad supellectilem pretiosam, ad conuiuia opiparа, & huiusmodi alia, nihil satis, non dicam superfluum : ea igitur superflua intelligit S. Chrysost. quæ Christiano secundùm Euangelicam moderationem degenti, necessaria prudenter iudicantur : hæc superflua viam salutis æternæ impediunt valde. *Chrysost.*

C

Sanct. Chrys. libr. 3. contra vituperatores vitæ monasticæ. *Sæculi diuitiæ neque excedentes è vita comitantur, & hîc nonnunquam deserunt, & suos possessores crebrò perdiderunt. Spirituales verò diuitiæ & in vita, & post mortem firmæ, stabilesque perdurant, eos, qui se possederunt, tutos, & inuiolatos seruant.* Ita Sanct. Chrysost. vbi optimè sanctus hîc mala diuitiarum mundi, & bona diuitiarum animæ affignauit : quæ omnia prosequi, & confirmare facilè quis poterit ex eiusdem sancti doctrina in hoc verbo. *Chrysost.*

Sed dices : opibus, & diuitijs mihi opus abundare ad status mei, mœræque domus exigentiam. Sic Sanctus Chrysostomus ibidem respondit : *Is quidem, qui terrenæ spiritualibus præfert, & illis decidit, & istis : qui autem cœlestium desiderio tenetur, terrenis etiam omnino potietur : nec mea doctrina est, sed eius, qui cuncta præbiturus est, Domini.* Quærite *enim*, ait, primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis, *Curam*, ait, *gere spiritualium rerum, & mihi tua omnia permitte ; ac si pater aliquis indulgentissimus, & domus curam, & familiæ regimen, & aliarum rerum administrationem sibi sumat, & filium suum, vt Philosophiæ solum operam det, admoneret : ita nunc Deus. Parcamus igitur illi.* Ita S. Chrysost. D *Matt. 6. 33.*

Primæ ad Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Sunt quidem dæmones animarum venatores, vti obseruauit Sanct. Bernard. super illud Psalm. 90. *Ipse liberauit me de laqueo venantium.* Laquei eorum sunt tentationes, & peccata, in laqueos incidunt, ait, qui sitiunt diuitias ; non ait, laqueos illis dæmones apponunt, sed ipsi facilè incidunt, *1. Tim. 6. 9. Bernard. Ps. 90. 3.*

quia

quia vt opes acquirat, & terrea bona, quid non mali præstabunt?

2. Par. 12. 1. 2. Paral. 12. *Cùmque roboratum fuisset regnum Roboam, & confortatum, dereliquit legem Domini, & omnis Israel cum eo.* O infœlicissimus rerum euentus, populus ille à Deo electus, Dei legibus enutritus, Prophetarum oraculis eruditus, beneficiorum diuinorum cumulo ditatus, Angelorum escâ potitus, miraculorum multitudine, & magnitudine confirmatus, oraculisque cœlestibus edoctus, tandem *dereliquit Deum creatorem suum, & recessit à Deo salutari suo*, aramque dæmonibus construens, idola vilissima adorauit! *Filios*, inquit, *enutriui, & exaltauit: ipsi autem spreuerunt me. Bos cognouit possessorem suum, & populus hic bouem anteposuit mihi: cognouit asinus præsepe Domini sui*, Israel autem post tot tantaque beneficia à me accepta, non me cognouit. Vnde scelus hoc tantum? Ex rege Roboam id emanauit. Quid? nónne Roboam à Deo regnum possidendum obtinuit, idque ita esse, ab eo didicit Propheta, qui ex duodecim pallij scissuris decem illi assignauit? quod & impletum fuit: nam ex duodecim tribus Israel decem illi contigerunt. Quomodo igitur hic, quem ex puluere terræ Deus in regem sublimauit, adeo ingratus, & nequam in Deum benefactorem fuit? quia, inquit, roboratum, & confirmatum regnum fuum prospexit, diuitijs scilicet, atque copiâ opum. Vide vnde Dei leges conculcatæ, vide quomodo qui diuitias appetijt, & possedit, facilè incidit in laqueum diaboli abominandum.

Isai. 1. 2.

B

At dices: malæ ergo sunt diuitiæ? Malæ diuitiæ minimè sunt, sed indifferentes ad bonum, & malum. Vnde sanctus quidam: *Non ex sui natura vel præstat paupertas, vel admunt diuitiæ sanctitatem, nec perfectum obscuritas, nec reprobum claritas facit, nec claudit libertas, nec reserat seruitus paradisum. Tres personarum differentias, pauperum scilicet & diuitum, nobilium, & ignobilium, seruorum, ac liberorum, nullos horum à sanctitate, neque à perfectione, neque ab ingressu excludimus regni cœlorum, quia huiusmodi temporalia de se neque bona, nec mala sunt. Potest dives sanctus esse, & peccator, & similiter pauper: potest ignobilis vir perfectus, & imperfectus esse, & similiter genere clarus: potest seruus saluari, & condemnari, similiter liber. In harum ergo rerum vsu bonum, vel malum earum consistit.* Ita est.

C

Dices, si pro differentia manus diuitiæ bonæ, vel malæ sunt; in manu nostra est nos diuitijs nostris bonos esse; melius ergo est diuitè, quàm pauperè esse; quia diues potest bene vtens diuitijs, alijs prodesse, sibi acquirere maiorem gloriam, & se à grauitate necessitatum liberare. Sed tamen hanc vltimam consecquentiam ego quidem nego, non enim nobis melius est diuites esse, quàm pauperes, quia bonus vsus diuitiarum difficilis est valde, & periculum ingens damnationis æternæ in diuitiarum possessione situm est, quia multorum peccatorum offendicula sunt. Vnde Eccl. 11. 1. *Si fueris dives, non eris immunis à delicto.* Et Paul. 1. ad Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes*, hoc est, inde exsurgunt mille tentationes ad peccandum impellentes, imò subdit, *& in laqueum diaboli*, hoc est, de facto incidunt in peccata, consentiendo tentationibus, quæ laqueidiaboli sunt. Dices, hoc non de diuitibus, sed de volentibus ditari ait. Sit ita: quia malum non est in diuitijs, vt dictum est, sed in voluntate plùs nimio pecunias amanti; sed idem periculum sentit Apost. in habentibus diuitias, cò quòd diuitiæ sunt vitium cordis, & facilè adhærent ei.

D

Eccl. 11. 11. 1. Tim. 6. 9.

Vnde Sapiens, *Beatus dives, qui post aurum non abijt*, &c. Denique Christus Dominus Matth. 19. *Facilius est camelum transire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Quis diuitum hìc non cunctis artubus contremiscat?

Eccl. 31. 8. Matt. 19. 24.

Osee. 2. 8. Osee. 2. Dominus ad populum suum: *Argentum multiplicaui eis, & aurum, quibus fecerunt Baal.* Vide ad quid deseruierit eis aurum, ad quid argentum. ad idola cõficienda in magnam Dei offensionem. Quidni conqueratur nimiùm de illis Deus. Si pater filio diuitias dare & filius diuitijs illis patrem offenderet & persequeretur grauiter, & vsque ad mortem, quid sentiret, quid diceret pater? Diuitijs meis, quibus filium ditaui, persequitur me. Sic Deus argentum, inquit, & aurum multiplicaui eis, & huiusmodi auro, & argento fecerunt Baal, idolum scilicet ad illud adorandum relicto Deo. Hinc colliges, ad quid multis diuitiæ deseruiant, ad peccandum scilicet contra Deum, ille ad luxum, ille verò ad luxuriam, ille ad ludum, ille verò ad prophanum ornatum, & vestes prophanas, hic ad superbiam, ille ad auaritiam, hic ad vindictas, ille ad cæteram mulierum expugnandam. de his rectè Dominus similiter valet: *Dedi eis argentum & aurum, quibus fecerunt Baal.*

Hoc ipsum patet ex eo, quod de filijs Israel narrat Scriptura, Exod. 32. Dederat Deus filijs Israel thesauros Ægyptiorũ, quibus illi fecerunt vitulum in Horeb. Illum: non in eleemosynas, sed in idolum expendere. Similem querimoniam inuenies Ezech. 7. *Ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum & simulacrorum fecerunt ex eo.* Hæc legitimus est diuitiarum vsus?

Prouerb. 10. *Non affliget Dominus fame animam iusti, & insidias impiorum subuertet.* Vbi sic legit Pagninus, & *propter diuitias impios subuertet.* cur propter diuitias? quid culpa est habere diuitias, vt propter eas impius subuertat? propterea quòd impij sint. bene se habet: at propter diuitias, cur? quia adeo annexa peccata sunt diuitijs, vt ipsæ diuitiæ peccata dici possint. Vnde Christus Dominus Luc. 16. mammonam iniquitatis eorum iniquam vocat. *Facite*, inquit, *vobis amicos de mammona iniquitatis*, hoc est, date pauperibus. Dices, loquitur de pecunijs iniquè acquisitis: at hæ non debent dari pauperibus, sed his, à quibus iniustè acceptæ, sunt. Quare in vniuersum hoc non diceret Christus, nisi de omnibus diuitijs diceret, esse diuitias iniquitatis, quia scilicet occasio in vniuersum esse solent peccandi, supposito nostræ naturæ lapsu. Vide igitur quantum sit in diuitijs periculum damnationis.

A

B

C

Refert Sextus Aurelius, Imperatorem Traianum *Adrianum* solitũ fuisse dicere, diuitias esse sicut splenẽ, siue lienẽ, *en haço*, quia sicut liene crescente, infirmatur homo, & *Hamo* vix incedere, imò vix respirare potest; sic crescente facultate diuitiarum, crescunt in nobis infirmitates animi, superbia scilicet, ambitio, ira, auaritia, gula, &c. & vix homo incedere, ad cœlũ, & ad res spirituales aspirare valet. Vnde Cant. 2. sic Sponsus ad sponsam: *Surge, Cantic. 2. propera amica mea, columba mea*, cur columbam appellat? columba vix lienem habet, & ideo citissimè, & pernicitèr volat, & in suprema conscendit; sic qui diuitijs caret, facilius, & velocius ad alta cœli volat, &c.

D

Nabuzardan Babyloniorum dux 4. Reg. 25. populum Dei expugnauit, vicit, captiuum duxit in Babyloniam, non omnes quidem. sed diuites, pauperibus omissis; sic nimirum hostis noster, relictis pauperibus Christi, quos protegit ipse, diuites inuadit, eos captiuos ducit in Babyloniam tartaream illam. 4. Reg. 25.

Ideo etiam Christus Dominus. Luc. 8. diuitias spinis *Simil.* cõparauit: inter spinas enim, vel vepres, viperæ, colubri, & reptilia venenosa cõmorantur; sic inter diuitias peccatorũ venena reperiuntur, ibi fraudes, furta, tyrannis, pauperum spoliationes, &c. ibi superbiæ venenum, &c.

S. Chrysost. hom. 7. de pœnit. tom. 5. *Opes luxuria occasio, malitiæ schola, turpis & desluentis vitæ causa, anima corruptela, via ad diuersa ferens mala, cursus nullum habens bonum his, qui abutuntur se, hinc fures, hinc mœrorum fossores, domestici transfugæ in semetipsis furti morbum nutrientes. Et quid, inquies, pueris relinquam meis? ego quidem non opes totas te euacuare volo, imò & tunc pueros diuites effecisses, cùm Deum ipsum propitium reliquisses, & ex eleemosyna lucrum, fertilitatemque haberes: non enim huiusmodi pueros deseriet Deus, non minuetur substantia ex elemo-* *Chrys.*

elæmosyna, multiplicabit ipsis firmitatem, quæ secundùm Deum A *est bonæ voluntatis, si eas hoc in primis ipsius depositum sacies: Si autem inopiam timuisti, & is superuacuus timor est: qui enim malos nutrit, multò magis & ægrotos, & inopes, & captiuos.* Ita S. Chrysost.

Item S. Chrysost. tom. 5. hom. Quum Sartoninus, &c. *Fugit uæ diuitiæ sunt, ab hoc in illum transeuntes, atque vtinam transissent solùm, non etiam occidissent: nam, præterquam quòd deserunt, etiam gladio tradunt, & in barathrum pertrahunt: eò quòd sint periculosæ produtrices, & cum his potissimùm lætum gerunt, à quibus amantur, ingratæ sunt, fugitiuæ, hon c dæ, crudeles, implacabiles, bestiæ incurabiles, præcipitium vndequaque præruptum, scopulis asperis plenæ, & fluctibus, & mare innumeris ventis ag.tatum, tyranni acerbè imperantes, dominæ quoniis Barbaro sæuores, inimicæ irreconciliab les, hostes implacabiles, & quæ nunquam erga eos, à quibus posidentur, remittunt simultatem. At non ita paupertas; quæ quidem est tutum asylum, portus tranquillus, perpetua se-* B *curitas. d. liciæ periculorum expertes, voluptas sincera, vita turbationum nescia, vita fluctuum ignara, copia inexpugnabilis, Vbi losophiæ parens, frænum intemperantiæ, suppliciy sublatio, radix modestiæ. Quare igitur hanc fugientes, illas amatis? illas hostes, illas homicidas, bestias quauis sæuiores?*

Quo igitur pacto hæc bestia à feritate sua mutabitur? Ita, si tria cerimus; quomodo fiat sæua, more leonum, more pardorum, more vrsorum, qui dum includuntur, & coercentur in tenebris, erigunt animos, & acuunt iras; sic diuitiæ, dum includuntur, acerbius sæuiunt, quàm leones. quòd si eas è tenebris deduxeris, & in manus ã gemines egenorum, ex feris fiunt oues, & quæ fuerant insidiosæ duces, pro scopulis fiunt portus, & tranquillitas pro naufragio. Hoc in naugys videre licet, si quando omnes sit iusto grauius, demergit cymbam, rursum cùm C *est moderatum, prospero fertur cursu. Idem vsu venit in domibus nostris, quum vltrà quàm vsus postulat, congerii pecuniæ, exigui venti procella, & quinis rerum inexpectatarum concursus, demergit cymbam: at si tantum reponas, quantum necessitas poscit, etiamsi vehemens ingruat turbo, facilè percurris vadus. Noli ergo plus concupiscere, quàm poscat necessitas, ne totum amittas. An non vides, quòd agricolæ vitem putant, ne vim omnem in pampinis, & palmitibus, sed in radice profe-rant? Ita facito, amputa folia, & omne studium huc intende, vt fructum plurimum feras.* Ita S. Chrysost.

Quod si clariùs diuitiarum periculum scire vultis, audite Apostolum in eodem loco sic dicentem: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, inutilia & nociua: quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Quid clarius? At inquies, quo vtemur remedio vt habendo diuitias non pereamus? Faciant diuites quod sancti quidam diuites fecerunt: diues fuit Abraham & non perijt. Quid igitur faciebat? elecmosynas quidem multas: neque enim sumptuosa palatia ædificabat, nec supellectilia serica habebat, neque equos phaleratos, neque famulos profanos: sed moderato sumptu familiam alebat, & D pauperibus non auara manu fauebat; & hoc pacto diuitiæ illi non solùm non nocuerunt, sed etiam profuerunt. Diues erat S. Iob, & non perijt, quia oculus fuit cæco, & pes claudo, & sacrificia multa offerebat, & pia opera exercebat.

18. Præterea tam Sanctus Abraham, quàm Sanctus Iob, humilitatem inter diuitias conseruabant. Abraham dicentem audies: *Loquar ad Dominum meum cum sim pul-*
2. 6. *uis & cinis.* Et Iob: *Pœnitentiam ago in fauilla & cinere.* Vade, & tu fac similiter, & propter diuitias non damnaberis.

Faciant itaque diuites quod arbores fructiferæ, quæ cùm fructum multum habent, non criguntur in altum, sed ramos fructu onustos ad ima declinant, quò faciliùs famelici colligere fructum possint: sic se diuites gerant & onere fructus diuitiarum non frangentur.

PROP. XXVII. *Diuitiæ superbiendi materiam præbent.*

Diuitibus huius sæculi præcipe non sublimè sapere. Vbi S. Anselm. *Non sublimè sapere, id est, non superbè sapere, nihil enim tam timendum in diuitijs, quàm superbia: morbus enim diuitiarum est superbia, nam grandis est animus qui inter diuitias ista modo non tentatur. Magnus ergo est diues, qui non se ideo magnum censet, quia diues est, qui autem ideo se magnum existimat, superbus, & egenus est, & sicut poma habent suos vermes, ita diuitiæ suum vermem habent. Vermis diuitiarum est superbia, vermis excluditur, vsus autem permittitur diuitiarum.* Ita S. Anselmus. Etenim documentum hoc Apostoli perneccssarium esse manifestum est, sed quis est hic qui diues sit, & non sublimè sapiat, & laudabimus eum, secit enim mirabilia in vita sua: propterea securius est, nõ ita diuitijs abundare. Sed difficillimum quoque est diuitem relinquere diuitias, vel etiam eas non acquirere qui potest, ideo subdit remedium Apostolus aptum diuitibus ne superbiant, dicens, *neque sperare in incerto diuitiarum*, non ait, neque sperare in diuitijs, sed addit *in incerto* &c. cur ita? S. Anselm. *Nam inde superbit dues, quia sperat in incerto diuitiarum: nam si incerta diuitiarum prudenter attenderet, nunquam superbiret, sed timeret semper.* Ita Sanctus Anselmus. Sunt quidem diuitiæ incerta bona, nam & in hac vita, dum viuit diues, ea amittere solet: sunt enim ad hoc innumerabiles, & inopinati casus, id experientia comprobante, & in his omnibus est certa mors, quã omnes diuitiæ relinquuntur, & væ illi quem mors inuaserit sperantem in diuitijs suis, irridebitur hic, & dicetur ei: *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speranit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua.* Ecce igitur remedium pro diuitibus, ne superbiant, attendere scilicet diuitias esse bona incerta, sicut est vita ipsa: nemo enim scit quamdiu victurus est, fortè cras, fortè hodie morieris: quid ergo superbit citò futurus terra, & cinis, quamuis Crœsus ditissimus sit?

1. Tim. 6. 17.

1. Tim. 5. 17.

Psal. 9.

Primę ad Tim. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum.* Vbi August. *Nihil est quod sic generent diuitiæ, quomodo superbiam, omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum, & alius est vermis mali, & alius pyri, alius fabæ, alius tritici: vermis autem diuitiarum est superbia.* Ita ille, quod quidem satis experientiã ipsa constat, pauperes communiter humilitatem præferunt, diuites audaciam simul & superbiam, & tantò magis, quantò fuerint ditiores.

1. Tim 6. August.

1. ad Tim. 6. 8.

1. Ad Timot 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus: nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli,* &c. Et subdit: *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere.* Hic prius Apostolus appetentiam & cupiditatem diuitiarum damnat, & non diuitias, vti adnotauit S. August. serm. 5. de verbis Matth. vbi ait: *Aliud est diuitem esse, aliud velle diuitem fieri; hic cupiditas accusatur, non argentum, non aurum, non diuitiæ, sed cupiditas.* Ita ille. Sed ne dicas dicat: Ego quidem habeo, sed non appeto diuitias, securus sum; audiat quid postea dicat Apostolus: *Præcipe diuitibus non superbè sapere.*

August.

PROP. XXVIII. *Diuitiæ hominem crudelem reddere solent.*

Aliud cecidit inter spinas. Quid per spinas intellexerit Christus Dominus, expositum idem ipse, diuitias esse: miratur S. Greg. vbi, *Quis* (inquit) *crederet mihi si spinas diuitias interpretari voluissem, maximè cùm illæ pungant, illæ verò delectent, & tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, & cùm vsque ad*

Luc. 8. 7.

Hom. 15. in Euag.

peccatum pertrahunt, quasi infixo vulnere, cruentant. Ita S. Gregor. Sed aliam ob causam spinæ possunt nuncupari : spinæ quippe in monte vellicare oues solent, & lanam earum euellere sæpe; sic diuites, medijs diuitijs & negotiationibus suis, pauperum exiguas facultates vellicare solent, vsuris scilicet & fraudibus palliatis.

Vnde ad populum Israel sic Dominus per Ieremiam: *in alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum, & innocentum.* S. Hieron. ad idololatras locum hunc refert, alij ad Manassem, qui multum sanguinem innoxium fudit : sed quidem metaphora sumpta est à rapacibus auibus, velut herodio, aquila, & miluo, quibus raptarum auium sanguis in alis adhæret. Dum enim auem raptam discerpunt, alas prædæ coniungunt; quare non solùm de Manasse, & idololatris, sed etiam de diuitibus negociatoribus, vsurarijs, & fraudulentis, quorum alæ diuitiæ sunt: harum enim adminiculo volant, ascendunt, & præualent in mundo. quorum alæ item dici possunt negotiationes, & inuentiones eorum, quibus per Orbem volât ingeniorum suorum subtilitate: in his igitur alis inuentus est sanguis pauperum, quia huiusmodi volatus in hoc diriguntur, vt pauperes discerpant. Sed referuat Dominus has negotiationes in iudicium, & tunc in alis huiusmodi manifestabitur sanguis egenorum, quibus eleemosynam dare oportebat, &c. Vnde meritò id dicere possumus, quod immediatè ante dixerat Dominus per Ieremiam ibidem: *Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem?* Solent huiusmodi fures domestici fraudes suas tegere sub tegumento charitatis, & benevolentiæ, quasi contractus, quibus pauperes spoliant, in ipsorum pauperum fauorem cedant. Quid ô Iuda osculo innocentem tradis? quid niteris bonam ostendere viam tuam? Deus non irridetur, in alis tuis ostendet cunctis populis sanguinem innocentum, &c.

Cap. 2. 34.

2. Reg. 21.

Ierem. 2. 33.

Prop. XXIX. *Diuitiæ dissensionis, & discordiæ causa sunt.*

Sanctus Chrysostomus hom. 17. in epistol. 1. Tim. *Cuius, inquit, mali diuitiæ causa non sunt? nonne harum gratia concupiscimus? nonne rapimus? nonne inimicitias subimus? nonne conserimus rixas? nonne perpetuas teximus contentiones? nonne diuitiæ inter fratres, & parentes sæuerunt? nonne qui illarum tenentur desiderio, iura naturæ, & præcepta Dei violarunt? Sicut enim aduersi, & furentes venti, si in mare placidum irruant, ipsum funditus euertunt, adeo vt arena profundi supernis misceatur vndis : ita & pecuniæ cupidi omnia penitus miscent, & neminem, qui huiusmodi sunt, amicum norunt. Quid autem amicum dicimus? nec ipsum quidem sciunt Deum.* Ita S. Chrysost.

Idem docet S. August. in illa verba Psal. 53. *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum,* quæ verba interpretatur de auaris. *Quomodo*, inquit, *ponent ante conspectum suum Deum, ante quorum conspectum non est, nisi seculum, & quomodo sit nemus super numum, quomodo augeantur greges,* &c. Ita S. August.

Psal. 53. 5.

Psal. 75. 6.

Dormierunt somnum suum & nihil inuenerunt in manibus, omnes viri diuitiarum, hîc plerique loco *viri diuitiarum,* legunt *viri bellicosi,* in cuius lectionis confirmationem facit locus ille, Genes. 48. vbi Iacob legaturus agrum quemdam filio suo Ioseph, dixit: Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, in gladio, & arcu meo. hæc vltima verba non exiguam difficultatem præ se ferunt, cùm constet Iacob emisse pretio agrum illum. Sanctus Hieronymus *in traditionibus Hebraicis*, gladium & arcum hoc loco appellasse ait Iacob, pretium, seu pecuniam, quâ comparauerat agrum illum. arcum quidem vocat pecuniam, quia, sicut arcus, distantia ferit, nam pecunia non solùm præsentes, sed etiam absentes percutit, & distantes : dicitur etiam gladius, quia propinquis, & sanguine coniunctis nocet, denique arma bellica vocantur diuitiæ in sacris litteris, & diuites vocantur bellatores, seu bellicosi, vt sciamus diuitias rixarum, & dissensionum originem, & causam esse.

A

B

C

D

De absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Quænam sunt hæc quæ abscondita vocat Psalmista? Liranus abscondita intelligit fœculi bona, quæ nobis Deus abscondit, & occultauit, vt materiam rixarum à nobis semoueret. Vnde rectè Seneca epist. 95. *Aurum & argentum & propter ista nunquam pacem agens fortuna, natura abscondit in terra, vt materiam, & instrumenta bellorum nobis occultaret, qui in summa pace, & fraternitatis amore viuere debemus. Nos in lucem propter quæ pugnaremus exsulimus, & causas periculorum nostrorum, & instrumenta, defosso terra pondere eruimus.* Ita ille.

Psal. 16.

Miratur S. Hieron. epist. ad Lætam, appetitum hunc bonorum temporalium, cum tanta delidia & negligentia rerum æternarum comparatum, dicens: *Si tanti vitrum, quare non maioris sit pretij margarita? si tanti facimus ea quæ nullius pretij sunt, vt propterea quotidie inter nos bella, & lites excitantur, cur non pluris facimus, & plura sustinemus pro his quæ in æternum sunt duraturæ? qua fures non furantur, & quorum gaudium nemo tollet à nobis.* Ita ille.

Publius Mimus, *Quietissimè*, inquit, *viuerent homines in terris, si hæc duo verba tollerent de medio, meum, & tuum.* Ita ille. quod quidem experimento comprobatur: ideo enim inter Religiosos, qui perfectè votum seruant paupertatis, pacem continuam videmus: non dissonant hæc verba *meum, & tuum*, inter eos vero, qui diuitias quærunt, queri monias, lites, & rixas videmus assiduas. hinc inter reges & regna bella cruenta, vt scilicet armis concludant quid cuius sit, imò hinc inter fratres discordia, & inter fratres & filios neces.

Vnde Poëta.

Pereunt discrimine nullo
Amissæ leges, sed pars vilissima rerum.
Certamen mouisti opes, &c.

Hoc est, si Dei leges contemptæ, ac conculcatæ fuerint, nullus fortè reperietur, qui Dei & legum eius partes agere velit: at si vnius amissi oboli valor interponatur, videbis tragœdias excitari, & dissensiones, & rixas inde magnas prouenire. *Certamen mouisti opes.*

Genes. 13. *Facta*, inquit, *est rixa inter pastores gregum Abraham, & Loth :* cùm essent hæ duæ familiæ adeo inter se connexæ, & amicæ, sicut sanctos illos viros decebat, & necessitudinis vinculum, quod inter ipsos erat, nihilominus in contentionem, & rixam gregum eorum custodes sic inciderunt. Cur ita? Non id reticuit Scriptura. *Erat*, inquit, *substantia eorum multa, & nequibant habitare commuuiter.* Ecce rixarum occasionem: erat eorum substantia multa : vnde ad Loth sic Abraham, *Ne*, quæso ait, *sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos : fratres enim sumus. Rogo, obsecro, à me :* non, inquit, solummodo ne sit iurgium inter pastores, sed &, inter me & te. Quare timebat tantus ille vir iurgium hoc? magnus ille Patriarcha, qui Dei amore patriam, & cognatos, & amicos, & possessiones reliquerat libenter, cur rixam timet hic, & hanc cum consobrino, quem fratris loco habebat, quemque vnicè diligebat, & cuius societas sibi solatio erat, in loco exilij, seu peregrinationis illius, nullumque aliud remedium rixæ inuenit, nisi recessum illius, qui erat dimidium animæ suæ? Ita, quia diuitiarum nouerat naturam, & pro comperto habebat, diuitias, & pacem in vnum conuenire non posse, etiam inter eos, qui perfectionem profitentur. Quid igitur inter mundanos? si inter sanctos discordiam diuitiæ parant, qualem non inter peccatores accendent?

Gen. 13. 7.

Ibid. 6.

Genes. 45. Ioseph fratribus suis, non solùm frumentum tribuit, quantum expetierant ipsi, sed *eis*, inquit, *ad-*

Gen. 45. 22.

dedit plaustra, & cibaria in itinere, & singulis proferri iussit A
binas stolas, & Beniamin dedit trecentos argenteos, cum quinque stolis optimis; tantumdem pecuniæ, & vestimenta mittens patri suo, & alia plura, & sic iussit reuerti fratres in terram suam: sed quid in ipso recessu dixerit eis, audi: *Proficiscentibus illis ait: Ne iracimini in via.* Quod in fratribus Ioseph viderat, propter quod eos duxerit admonendos: nunquid eos antea nouerat iratos? imò ita eos inter se vnitos prosperit, vt omnes pariter pro minimo fratre Benjamin liberando seruos se obtulerint.
14 *Omnes*, aiunt, *serui erimus domini mei.* Quid ergo vidit? Vidit diuitias tunc eos habere, quas antea non habebant, & nouit diuitias causam rixarum sæpius esse. *Dedit eis*, inquit, *ex omnibus diuitijs AEgypti. Certamen mouistis opes.*

5 *qua.* Lycurgus Lacedæmoniorum princeps, & legislator interrogatus, quî fieri posset, vt quis non indigeret custodiâ, vel satellitibus; respondit, si fuerit pauper: nam propter eas diripiunt fures, & milites bella B mouent.

Hinc S. Greg. *Qui nihil habet in mundo quod diligat, nihil habet in mundo, quod pertimescat.*

Et Seneca: *Etiam in obsessa via pauperi pax est.* Ita ille. Quia scilicet latrones, & auari non quærunt homines, sed diuitias. Consonat illud Poëtæ,

Cant abit vacuus coram latrone viator.

Lucanus lib. 3. Pharsal.

Pereunt discrimine nullo
Amissæ leges: at pars vilissima rerum,
Certamen mouistis opes.

24 Huius rei manifestum exemplum habemus in Act. Apostol. cap. 19. vbi quidam argentarius, nomine Demetrius, ciuitatem Ephesiorum turbauit, & concitauit aduersùs Apostolum Paulum & alios, qui contra idola, & maximè contra Dianam, quam præcipuè Ephesij colebant, prædicabant. Causa autem assignatur in eodem cap. vbi sic habetur: *Demetrius quidam argentarius faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum*, &c. & subdit: *impleta est ciuitas confusione.* Hinc ait Sanct. Chrysost. *Ibi furor factus est, quando de lucri iactura audierunt.* Ita ille. Sic *certamen mouistis opes.*

Est & aliud huius veritatis exemplum à S. Luca re- C
16. citatum Act. 16. vbi Paulus Apostolus puellam à dæmonio quodam vexatam, quæ per diuinationem quæstum magnum præstabat dominis suis, à dæmonio liberauit, quo cessauit dominis quæstus ille: quare aduersùs Paulum commoti, non modicam in eum & socium, tragœdiam excitarunt; vbi pecuniarum tyrannidem notans S. Chrysost. ait: *Vbique malorum causa pecuniæ, ob paganorum immanitatem, vt augeant pecuniam, puellam à dæmonio vexari volunt.* Ita ille. Et insuper Paulum & Sylam vsque ad flagella persequuti sunt. Sic *certamen mouistis opes.*

Prop. XXX. *Diuitiæ plurimas pariunt infirmitates.* D

Chrysost. Sanct. Chrysost. homil. 2. ad popul. *Diuitibus in sua incunditate multæ irruunt ægritudines: pauperes autem à medicorum manibus immunes sunt; si verò nonnunquam in imbecillitatem incidant, breui seipsos instaurant, mollitie omni liberi, & corpora habentes robusta. Magna quidem possessio paupertas, sapienter ipsam ferentibus, thesaurus quæ nequit auferri, inculpabilis possessio, diuersorium ab insidijs tutum, & fons purissimæ sanitatis.* Ita Sanctus Chrysostomus.

Prop. XXXI. *Diuitiæ omnem amicitiam suspectam reddunt.*

HAbent quidem diuites amicos multos, sed vtrum hi diuitiarum, an ipsius diuitis amici sint ignoramus: multi enim ob proprium commodum se amicos esse mentiuntur, fingunt se diuitis personâ amare, qui verè ex eo lucrum extrahere quærunt. quare omnes amicos suspectos meritò habent diuites, quod in paupertate non contingit. Quare rectè Seneca: *Vel ad hoc vnum amanda est paupertas, quòd à quibus amerus ostendat.* Ita Seneca. Quare diuites ignorant prorsus cui fidere debeant, pauper verò non hoc ignorat. *Lib. de paupertate.*

Refert Diogenes Laertius, Socratem quosdam hospites excepisse tenui cœna, cuidam quærenti cur ita fecisset? respondit: *Si boni sunt, æquanimiter ferent, si mali, non est curandum.* At si clariùs dixisset, si boni sunt, sâtis illis est, si mali, superque, *si son buenos poco les basta, si son malos poco los sobra.* Sic si quæras, cur Deus optimus maximus, cùm posset abundantissimè nobis opes elargiri, cur, id non effecit? sed moderatas illas nobis tribuit, quia scilicet, si boni sumus, sufficiunt nobis, si mali, superfunt. *Si somos buenos, poco nos basta para esta vida, si malos esse poco nos sobra, pues ni esse meressemos.* *Laertius.*

Prop. XXXII. *Diuitiæ, sicut & deliciæ, regnorum ruinæ causa esse solent.*

FLoruit olim Lacedæmoniorum respublica industriâ magni illius regis, & legislatoris Lycurgi, qui diuitias, & delicias è suo regno legibus suis eliminauit, & dum successores eius legibus illis rempublicam illam gubernarunt, floruit apud omnes nationes; illis verò de medio ablatis, à Romanis victi, & dissipati fuerunt. de quo sic Plutarch. in Laconicis: *Cùm pecuniæ essent in Lacedæmoniorum regionem conuecti, qui eas importarant, morte damnati sunt, siquidem Theopompo regi hoc oraculum redditum erat: Pecuniarum amor Spartam perdet. Nihilominus Lysander de victis Athenienfibus magnam auri, & argenti vim inuexit, nec solum pecunias receperunt, sed etiam ipsi viro est habitus honos. Proinde Sparta, donec Lycurgi legibus viteretur, sexcentis annis in Græcia primas tenuit, & legum æquitate, & gloria. Cæterum cum ab his paulatim defluerent, & inundaret diuitiarum amor, eorum potentia decreuit, & in seruitutem sunt traducti, & sub Romanorum imperio constituti.* Ita Plut. Etenim vbi pecuniæ abundant, vigent deliciæ, & hæ fortium virorum, & magnorum regnorum vires eneruant, & penitus perdunt. A
B
C

Prop. XXXIII. *Contra eos qui par fas & nefas diuitias quærunt.*

POsuisti tenebras, & facta est nox, *in ipsa pertransibunt* Psal. 103.
omnes bestiæ syluæ, catuli leonum rugientes, vt rapiant, & 20.
quærant à Deo escam sibi. Quomodo, inquies, possunt leones à Deo quærere escam, cùm nec Deum agnoscant, nec rationis vsum habeant? quomodo in Deum dirigere solicitudinem illam, quo cibum quærunt, bestiæ huiusmodi valeant? Bene, nam dum naturæ ductu cibum bestiæ quærûr, per media naturalia, & licita quærunt: quæ autem licito modo quæruntur, à Deo naturę authore quæruntur. Sic ergo cùm homo per licita media cibum quærit, à Deo illum quærit, & ita Deus optatis eius fauebit, & diriget vias suas, vt quæ desiderat consequatur; cùm verò per illicita media cibos & domui suæ necessaria quærit, Deus non illi fauebit, qui conatus eius irritos facit, quamuis aliquando per illicita media consequi diuitias permittat: sed peius homini hoc, melius illi erat nunquam sic ditescere, quàm sic ditescentem damnari. D

Prop. XXXIV. *Dines tenetur fauere pauperibus.*

Ad Eph. 4 25.

INuicem membra sumus, vti Apostolus ait, membra verò in corpore sic à natura constitutum habent, vt non sibi officia & munera propria retineant, sed communicent cæteris commembris suis, v.g. oculus totam accipit lucem, sed non eam retinet sibi soli, sed totum omnino illuminat corpus; nares etiam bonos percipiunt odores, sed non eos sibi tantùm reseruant, sed ad cerebrum transmittunt, & totum recreant corpus: pedes soli gradiuntur, sed non ad se transferunt solos, sed etiam ad omnes corporis partes: manus non sibi solùm laborant, sed homini toto. Cùm igitur alter alterius membra simus, idem nos cum proximis nostris vult facere Deus, quod sumus, quod scimus, quod possumus, quod habemus proximis communicare debemus, aliàs enim non solùm alijs, verùm etiam nobis iniurij futuri sumus, & ne ab incepta membrorum similitudine recedamus, hoc in stomacho videre licet, ventris est cibos recipere, & decoquere & cæteris membris communicare, alioquin, & alijs membris & sibi exitium inferret. Nescio cui meliùs diuitem in republica comparemus, quàm ventri: sicut enim venter recipit abundantiam & copiam ciborum, ita etiam diuites bonorum; & sicut non tribuit natura stomacho cibos, vt eos sibi soli reseruet, sed vt distribuat alijs membris, alioquin non esset corpori satis à natura prouisum; sic non tribuit Deus diuitibus diuitias vt eas sibi retineant, sed vt pauperibus distribuant, alioquin prouidentia Dei erga pauperes deficiens videretur. Diuiti ergo donat diuitias Deus, tanquam reipublicæ stomacho, vt ex eo in egentes, tanquam in reliqua populi membra, deriuentur; quare sicut stomachus, si soli sibi cibos adscriberet, reliquis membris, imò & sibi pararet exitium; ita dives si alijs diuitias non administrauerit, illi ac sibi exitium pariet, alijs, quia, vt ait S. Ambros. *Pasce esurientem, quia si non pauperis occidisti: sibi etiam, imò potius, & peius sibi, quia pauperum excidium corporis tantùm est, diuitis verò animæ quidem est.*

Alia similitudine id manifestemus. In republica nostra videmus artifices omnes sibi inuicem opem ferre, alioquin omnes perirent: si enim faber ferrarius agricolæ vomerem, & falcem, & ligonem non formaret, agricola terram colere nequiret, pereunte agricultura perirent omnes, & sic de alijs opificibus philosophandum est. omnes enim sic inter se connexi sunt, vt alter alterius operâ indigeat, vel ad tecta, vel ad vestes, vel ad cibos, vel ad medicamina, vel ad ius iustitiamque tuendam, vel ad pacem conseruandam, vel ad inimicos expugnandos, &c. Sic etiam diuites & pauperes inter se connexi sunt, pauperes à diuitibus eleemosynas expectant, quia si non eas receperint, perire illos oportet. Diuites à pauperibus animæ salutem: quia si pauperibus eleemosynam denegauerint, denegabit illis gloriam Deus, quando propter scilicet extremam, vel grauem multamque necessitatem eis fauere tenentur.

Prop. XXXV. *Diuites æquè ac pauperes nudi nascuntur, & moriuntur.*

S. Ambr. de Nab. &c. c. 1.

CVr eijcitis consortem naturæ, & vindicatis possessionem naturæ? in commune omnibus diuitibus atque pauperibus terra fundata est. Cur vobis ius proprium soli diuites arrogatis? nescit natura diuites quæ omnes pauperes generat. Nequæ enim cum vestimentis nascimur, nec cum auro argentoque generamur. Nudos fudit in lucem, egentes cibo, amictu, poculo: nudos recipit terra quos edidit, nescit fines possessionum sepulchro includere. cespes angustus æquè & pauperi abundat, & diuiti: & terra quæ viuentis non capit affectum, totum iam diuitem capit. Nescit ergo natura discernere quando nascimur, nescit quando decimus. Omnes similes creat, omnes simili gremio claudit sepulchri. quis discernat species virorum? redaperit terram, &, si potes, diuitem deprehende. Paulò post: *Euderato tumulum, & si cognosis, egetem*, nisi forte hoc solum quòd cum diuite plura pererunt. Seruos vestes, & auro intexta velamina, quibus diuitis corpus ambitur, damna viuentium, non subsidia defunctorum sunt. Vnguentum accipis diues, postquam mortuus es, & fœtidus es: perdis alabastrum gratiam, nec acquiris tuam.

Prop. XXXVI. *Quare Deus hunc diuitem, illum pauperem esse voluit.*

CVm Deus omnium Deus æqualiter sit, cur inæqualiter bona temporalia concedit? cur non æqualiter hæc bona distribuit?

Apostolus Paulus: *Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij genera linguarum, &c.* subdit: *Hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.* Nota, *prout vult*: Dominus enim est, nemo ab eo exigere debet, cur ita facis? pro ratione voluntas nos, sicut Ezechielis animalia, submittere alas debemus, & dicere: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Idem igitur & de bonis temporalibus dicendum est: neque enim Deus rationem factorum suorum reddere debet, nec creaturis hasce ita Creatore huiusmodi exigere rationem: sed tamen reddere gratias ei pro beneficijs nobis collatis, tribuit enim singulis prout vult. Sed curiosis nunc nos huius differentiæ rationem aliqualem reddamus, & primò id animaduertamus, plures homines diuites esse, non à Deo, sed ab hoste, vsuris, & rapinis, & illicitis contractibus, & peccatis. hi diuites sunt, sed non à Deo. Cur autem Deus ita permittat hos diuites fieri, idem est ac quærere, cur eos peccatores esse permittat. Hoc autem Deus homines permittit, quia homines sunt, & liberum habent arbitrium. Audi Ecclesiasticum, *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Dei igitur fuit dare nobis libertatem, nostrum verò est ea bene, aut malè vti: quare cùm malè sæpe homines hac libertate vtantur, diuites fiunt de mammona iniquitatis.

Cur autem bonis Deus diuitias non concedat, cùm id facilè possit, respondet Sanctus Chrysostomus, *Abraham ditatus est, Iacob autem indiguit pane, nonne vterque iustus fuit? nonne similiter de tribus ait*: Ego Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? *quare igitur ille dives fuit; hic verò seruiuit? vel potius, quare Esau inuisus locupletatus est, Iacob verò in seruitute tandiu vixit, & in laboribus ac miserijs? ideò enim dicebat*: Pauci, & mali dies mei. *Quare Dauid Propheta & rex omnem vitam in laboribus, Salomon autem eius filius quadraginta annos sine omni penitus timore vitam duxit, perpetua pace, gloria, & honore, & omni deliciarum genere fruens? Quoniam quidem ita expediebat, ideo vnicuique addere oportet, iudicia Dei abyssus multa.* Ita Sanct. Chrysost. Deus igitur qui rectè nouit, quid nobis expediat, quid verò non, hunc humiliat, & hunc exaltat, secundùm prouidentiam magnam suam. Quamobrem non solùm pro his, quæ nobis confert, sed etiam pro his, quæ negat, gratias sempiternas agere debemus; nouit enim Deus, quòd si diues extitisses, in æternum perires, vnde misericorditer voluit te modò temporaliter pauperem esse, ne æternaliter pauper & omnino miser esses.

Præterea, si iustum diuitem non esse Deus velit, ne *Iac. 5.* mireris: diuitiæ quidem multorum malorum & peccatorum causæ sunt. Quod in diuite illo Epulone constat, & exempla suppetunt quotidiana. Quòd si dives malus & iniquus sit, quid peius? si corpus distortum sit, aut

sit, aut cœcum, dignum luctu censes, & beatum illum dices, cuius animam distortam, & cœcam vides? sed non hoc sentit ille, dices, & propter hoc quidem miser ampliùs ille, sicut insanus, qui cùm insanus sit, sanum se censet. Æger qui morbum suum agnoscit, medicum inquiret, & medicamentum accipiet; qui verò morbum suum ignorat, nihil horum præstabit. Sic qui diuitiarum mala cognoscit, facilè vel diuitias contemnet, vel remedium adhibebit, qui verò se beatum dicit, quia dives est, remedijs se egere nescit.

Præterea ne mireris, si Deus pro nihilo ducat iustum ditare, quia pro nihilo habendæ sunt diuitiæ. *Ne timueris cùm dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniam cùm interierit, non sumet omnia: nec descendet cum eo gloria eius.* quasi dicat, diuitiæ temporales sunt, & morte finiuntur: pro nihilo igitur æternæ animæ habendæ sunt. Vnde meritò Sanct. Chrysostom. *Cùm sacras conciones quotidie audiamus, & adhuc terræ affigamur, tanquam pueri stulti efficimur: hi enim frequenter elementa litterarum discunt, & cùm sparsim de illorum ordine examinantur, altera pro alteris accipientes risum mouent. Ita & vos: cum enim ordine recto æterna & temporalia vobis describamus, si extra vos sparsim interrogamus, quæ primo loco, & quæ secundo ponenda sint, nescitis, ridiculi estis. Nonne risu dignum est, vt qui immortalitatem expectant, bona, quæ neque oculus vidit, neque auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, pro terrenis & caducis contemnamus?* Ita S. Chrysost.

Denique quid mirum si Christus suis eas diuitias neget, quas inquirere dissuadet? *Nolite*, inquit, *thesaurizare vobis thesauros in terra. Beati pauperes spiritu. Vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* cur ita? quia ita expedit & diuino feruitio, & nostræ saluti. Non igitur mirum si iustis non tribuit diuitias, cum possessoribus eas dimittere persuadeat.

EBRIETAS.

Prop. I. *Quàm indecens sit hominem ebriosum esse.*
2. *Quàm nociua sit corpori ebrietas.*
3. *Damna quæ ebrietas infert corpori & animæ.*

Prop. I. *Quàm indecens sit hominem ebriosum esse.*



Sanctus Chrysostomus hom. 71. ad popul. *Multos dicentes audio: non sit vinum, & non erit ebrietas. O ignorantiam, ô stolidatem! Domini Dei accusas te peccante: quantus hic est furor; nunquid vinum ebrietatem effecit? non vinum, sed malè vtentium immodestia. Dic igitur, non sit ebrietas, non verò non sit vinum: alias die sensim procedens, non sit ferrum, ne sint homicidæ, non sit nox, ne sint fures, ne sit dies propter calumniatores, & ita omnia tolles. Non ergo vinum, sed ebrietatem accusa. Vinum igitur datum est, non vt irrideamur, sed vt rideamus, vt debitè delectemur, vt valeamus, non vt ægrotemus, vt corrigamus corporis valetudinem, non vt animæ prosternamus virtutem. Audi quid dicat Apostolus Timotheo:* Vtere modico vino propter stomachum, & continuas infirmitates tuas. *Si verò sanctus ille morbo laborans, & frequenter patiens ægritudines, vinum non gustauit, donec præceptor mandauit; quam nos habebimus veniam, qui in valetudine bona sectamur ebrietatem? Illi ergo dicebat: Vtere modico vino propter stomachum; ebrio autem dicet: Vtere tu modico vino propter ebrietatem, propter turpiloquia, & propter lasciuiam, & cæteras concupiscentias turpes, quas solet ebrietas parere.*

Si verò propter hæc abstinere recusatis, propter molestias saltem ex eo prouenientes abstinete: vinum enim ad lætitiam datum est. vinum *enim, (inquit)* lætificat cor hominis. *Quæ verò lætitia, non esse in semetipso, innumerosque pati dolores, & omnia se circumferentia spectare, vertigineque detineri, & iuxta febricitantes opus habere caput eleo rigantibus. Quantò hic melior est agnus, quantò melior canis, & quodlibet brutum: hoc enim sine sit opus comedere, sine bibere, necessitatis terminum nouit, nec vltra quod opus est, progreditur, licèt sint infiniti, qui cogant. Non ergo sitis vos brutis deteriores.*

Præterea non solùm ebrietatis die, verùm etiam post illum diem tempestatem sustinebis: sicut enim febre præterita, febris manet detrimentum, ita & ebrietate sublata, ebrietatis, tam in anima, quàm in corpore, tempestas versatur. & miserum quidem corpus solutum manet, sicut ex naufragio scapha; & sicut in tempestate, sedatâ procellâ, tempestatis remanet nocumentum, itidem & in ista: accendit enim libidinem, & vinum, & dolia, phialas, & crateres mente concipiet. Et sicut in tempestate mercium fit iactura, similiter & hîc omnium ferè bonorum, siue modestiam inueniat, siue pudorem, siue prudentiam, siue mansuetudinem, siue humilitatem, in iniquitatis pelagus projicit cuncta ebrietas. Sed quæ sequuntur non adhuc similia: illic enim post iacturam scapha leuis efficitur: hic autem magis grauatur: nam pro diuitiis illis arenam admittit, & falsum laticem, & omnem ebrietatis sordem, quæ cum nautis, & gubernatore scapham illico submergit. Itaque ne talia patiamur, nos ab huiusmodi liberemus procella: neque enim licet cum ebrietate cœlorum regna videre: Ait enim Apostolus: *Nolite errare, neque ebriosi, neque maledici, regnum Dei possidebunt*: & quid dico regna cœlorum cum ebrietate, neque præsentia conspici possunt: ebrietas enim dies efficit nobis nostes. & lucem tenebras, & apertis oculis, nec ea quæ præpedibus sunt, ebrij cernunt.

Denique stultos patiuntur mœrores, insaniam, malam valetudinem, derisionem, & opprobrium continuè sustinentes. Quæ ergo venia his, qui se tantis infigunt incommodis: nulla quidem. Ita S. Chrysost.

Prop. II. *Quàm nociua sit corpori ebrietas.*

Sanctus Chrysostom. hom. 1. ad popul. *Non ita natura terræ vexata aquarum abundantiâ continuè dissolutitur, vt corporis vis molescit, & defluit, & exilis redditur vini potu continuò ingurgitata. Vtuntur à Deo datum est, non vt inebrientur, sed vt sobrij simus, vt delectemur, non vt doleamus.* Vinum *enim, lætificat cor hominis, ait Dauid; tu verò ipsum tristitiæ materiam facis.* Vtere modico vino, *ait Thimotheo Paulus. Etenim ipsum modicum propter infirmitatem permisit, quod, nisi imbecillitas vexasset, neque modicum admittere discipulum coegisset.* Ita S. Chrys. *Chrysost.* Ps. 103. 16. 1. Tim 3. 23.

Prop. III. *Damna quæ Ebrietas infert corpori, & animæ.*

Sicut *mater fidei* continentia, *ita perfidiæ mater ebrietas est. in quod facimus non ista præcipitat? Sedentes in foribus tabernarum hominesque tumicam non habentes, nec sumptum sequentis diei, de imperatoribus & potestatibus iudicant, imò regnare sibi videntur, & exercitibus imperare. Fiunt ebrietate diuites, qui sunt in veritate inopes. Aurum donant, dispensant pecuniæ populis, ciuitates ædificant, qui non habent vnde cauponi potus sui pretium soluant. Feruet enim vinum in his, & nescunt quid loquantur. diuites sunt dum inebriantur, mox vbi vinum digesserint, cernunt se esse mendicos. vno die bibunt multorum dierum labores. de ebrietate ad arma confurgunt, calicibus tela succedunt. pro vino sanguis effunditur, & ipsum sanguinem vina fuderunt. Quam sortes sibi homines videntur in vino, quàm sapientes, quàm diserti, quam etiam pulchri ac decori, cum stare non possint? mens turbat, lingua balbutit, pallor & sanguis ora fusfundit. Fœtor ebrietatis horrori fit, barbari in ferrum ruunt, vulgus in rixas. Si quis eorum pugno fuerit percussus, videas ora fanciorum vini lachrymas fundere, miserabiles epilogos decantare. Habet enim hoc temulentia, vt & molliat & resoluat corda temulentorum.* *D Ambrosius l. de Helia, & Ieiun. c. 12.*

Sicut enim ignis probat ferrum durum, ita & vini incendio etiam superborum hominum cor liquescit. Omnes sibi in vino æquales videntur, nullus inferior. Non pauper diuiti cedet, utpote quia pauperem se esse nescit. Non infirmus validò, cui omnis in bibendo est fortitudo. Non mendicus locupletiori, non ignobilis honoratos: sed cum biberint illum regem habent, qui bibendo superauerit viros.

Idem ibid. c.14. Quid te delectant damna sine gratia? rogas ad iucunditatem, cogis ad mortem, inuitas ad prandium, efferre vis ad sepulchrum. Cibos promittis tormenta irrogas. Vina prætendis, venena suffundis. Omne enim quid iurd nocet, venenum est. Tollit sensus, viscera exurit, somnum infert, caput vexat. Etiam maior vis vini quàm venem est. Denique venenum vino excluditur, non veneno vinum. Et alibi.

Idem ib. c.16. Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentiuum insaniæ, ebrietas venenum insipientiæ. Hæc sensus hominum mutat & formas, per hanc fiunt ex hominibus equi ad hinnientes. Siquidem naturali vapore corporis calidi, & præter naturam vini calore flammati cohibere se non queunt, & in bestiales libidines excitantur, vt nullum tempus præscriptum habeant quòd doceat indulgere concubitui. Vocem amittunt, colore variantur, oculis igniscunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excedunt. Hinc phrenesis periculosa, hinc calculi grauis pœna, hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequens esus epulas cum internorum viscerum cruore fundentium. Nam eadem Dominus per Hieremiam locutus est, dicens: Bibite & inebriamini, & vomite, & cadetis, & non consurgetis. Hinc etiam vanæ imagines, incerti visus, instabilis gressus, vmbras sæpe transiliunt sicut fœtus. Nutat his cum facie terra, subitò erigi & inclinari videtur, & quasi vertatur. Timentes in faciem ruunt, & solum manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus, sibi videntur includi. Murmur in auribus tanquam maris fluctuantis fragor, & resonantia fluctu littora. Canes si viderint, leones arbitrantur & fugiunt. Aly risu solumtur incondito, aly inconsolabili mœrore deplorant, aly cernunt irrationabiles pauores. Vigilantes somniant, dormientes litigant.

S. Hilar. in psal. 125. Quid infelicius ebrietatis dominatu. Ventri vltra capacitatem infundere, sensui rationem adimere, non loqui, non meminisse, non stare, & mortem quandam naturæ incolumi imperare.

S. Ambr. l.1. de pœnitent. c.13. Pascitur libido conuiuijs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate flammatur. Et postea. Vbi caro inebriatur, mens tristatur, animus vacillat, cor fluctuat.

Idem in psal.1. Quoties inter fabulas ebriosorum, virtutes probro sunt, peccata laud, honestas ludibrio, continentia risui, misericordia vanitati!

S. Chrysostomus. orat.5. contra Iudæos. Ebrietas nihil aliud est, quàm excidisse à recta ratione, deliratioque, & sanæ mentis priuatio.

Idem ferm de Gula. Quòd si adeo quispiam hac facie fluente ex ore pingui, & marcente saliua, & vrgente Baccho grauis consurgatur, cogita quam male cum anima illa calamitosa agatur, quæ hoc in corpore, tanquam in sepulchro aliquo, recondita est, & contumulata. Et paulò pòst: Quòd si orta iam luce, ex illa oculari ebrietate se attollens, sobrius sortasse appareat, nebula adhuc quadam ex vinolentiæ procella pri æ oculis obuersante, nondum satis liberà temperantiâ fruitur.

S. Ambr. in ps. 54. Quid ebrio turpius? Familiaribus derisibilis, apud amicos miserabilis, fera magis est quàm homo.

D. Chrysostomus. Hom. Quod nemo lædatur nisi à se. Conferamus mensam duitis, & mediocris, & discutiamus vtrosque conuiuas: qui magis quæso sint, qui puram, veramque vtriusque mensæ capiunt voluptatem. Illi namque tota die attritis, & lassescentibus cubitis recumbunt, & cœnas prandijs iungunt, quique ventris distentione rumpuntur, atque oppressione ciborum suorum premuntur: in quorum corpore vini inundatione velut naufragij cuiusdam fluctibus obruta anima necatur, vbi neque oculus, neque lingua, neque pes proprijs deseruit officijs: sed omma membra corporis vini vinculis iacent vincta grauius, quam catens: vbi non sopor eis ipse ad quietem datur, neque ad salubritatem cedit, sed exterritis somnijs, insanientibus, & furentibus deteriores fiunt, & quasi sponte dæmones superducant animæ suæ, risus, & spectaculum omnibus, etiam ipsis famulis suis fiunt: nihil agnoscunt eorum quæ videntur, nihil sentiunt, nihil norunt, dicere aliquid, & audire non possunt, sed latera fœdissima portantur de accubitis ad lectum.

Damna Ebrietatis. V. Promontorium Zchuner P. 175. Ebriosi raro bene moriuntur. Idem p. 192.

EDVCATIO.

Prop. I. *Educatio necessaria est ab adolescentia, quia quales fuerint homines in adolescentia tales erunt in senectute.*

2. *Educationem filiorum commisit Deus parentibus.*
3. *Parentes non solùm verbis, sed etiam exemplis bonis educare debent filios suos.*
4. *Bona educatio quantùm iuuenibus prosit.*
5. *Optimates maximè vigilare debent circa filiorum educationem.*
6. *Ex factis filiorum constat qualis sit educatio parentum.*
7. *Pueri facilè recipiunt bonam educationem.*
8. *Ad bonam educationem necessary sunt boni magistri.*
9. *Ad bonam educationem vitanda est mala societas pueri*
10. *Tenentur parentes curam gerere animarum filiorum juxta*
11. *Parentes cum moderamine inculpatæ tutelæ amare filios suos, prouidere illis debent.*
12. *Quomodo sint filij educandi.*
13. *Delicata educatio debiles reddit educatos.*
14. *Bona educatio ad perseuerandum in virtute nimiùm conducit.*
15. *Quòd à pueritia sit inchoanda recta educatio.*
16. *Quòd parentes teneantur libenter suos educare.*
17. *Quantùm ad bonam filiorum educationem conducat æqualem amorem cunctis filijs ostendere.*
18. *Educandi sunt filij in timore Dei.*
19. *Ad bonam filiorum educationem orandus est Deus quia donum Dei est bonos habere filios.*

PROP. I. *Educatio necessaria est ab adolescentia, quia quales fuerint homines in adolescentia, tales erunt in senectute.*

HOc maximè parentes, & superiores animaduertere oportet, quòd secundùm educationem filiorum, & subditorum in iuuentute ipsorum, tales postea euadent, cùm ad perfectam peruenerint ætatem, imò in senectute ipsa tales erunt, quales in iuuentute fuerunt. Prouerb. 22. *Prouerbium est: Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Solet senectus venerabilis esse, & maturioribus vti consilijs, & experientia præstare; sed nihilominus qui malè fuerint in iuuentute educatus, malis moribus imbutus, in senectute non recedet ab eis, quamuis canities, & prudentia, & experientia, & proxima mors, & iudicium instans, eum à nequitia sua reuocent, non recedet ab ea, quia vis consuetudinis tyrannica, & violenta animis est.

Sed affert hoc amplius, quod asseruit sapiens quidam amicus Iob c. 20. qui de impio, & qui diu in peccatis perseuerauit, dixit: *Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ suæ, & cum eo in puluere dormient.* quasi dicat, los vicios cobrados en la mocedad, son como etica, o tisica, que penetra hasta los huesos, y asi es casi incurable. Cum eo, inquit, in puluere dormient. S. Gregor. 15. Moral. 4. *In puluere cum impio vitia dormire, est vsque ad pulueren eius non deserere, id est, vsque ad mortem ab iniquitate minimè cessare.* Ita Sanct. Gregor. *Es la costrumbre mala una etica que penetra los huesos, y va pegada a ellos hasta la sepultura.* Vnde subdit S. Gregor. *Tenent igitur illum prauæ consuetudines quæ semel cœperunt, atque quotidie duriores existunt, & cum illo in puluere dormiunt, quia non nisi cum eius vita finuntur.* Ita ille. vnde rectè Poeta:

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

Item:

Quod noua testa bibit, inueterata sapit.

Hechais vinagre en vn cantaro nueuo, con aquel olor se qus

se que dara por mas que lo laueys, hasta que se haga peda-
ços.

Hinc, *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adole-*
scentia sua. Al bezerrillo facilmente lo hareys nouillo y le echa
reis el iugo, y aun que al principio se le haz ede mal, despues
quando buey grande y echo al arado, el mesmo se os vendra al
jugo, sinque lo traigan, però si aguardias a domarlo quãdo se a
ya toro, quien se aueriguara con el. Bonum ergo est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua; bonum quidem honestum, quia decorum est iuueni, honestum, & virtute præditum esse; bonum vtile, quia ita ad salutem æternam illi conducit; & bonum delectabile, quia delectabilis est virtus his qui assuefiunt ei.

De testudine referunt Philosophi naturales, quòd ova suo solo visu foueat, & sic prolem viuificet, & in lucem producat: cùm enim ob duritiem testæ super ova incubare nequeat, hanc ei proprietatem natura tribuit, vt sola visus assiduitate viuificet illa. vnde longo tempore durat huiusmodi ouorum viuificatio, vti ait Calep. verbo *Testudo*, per integrum videlicet annum. Quo parẽtibus humanis specimen Deus dedisse videtur: visu enim cùm foueãt, & viuificare filios suos debeant, diu scilicet, eos aspiciendo, & respiciendo, attendentes scilicet quomodo viuant, quos induant mores, quibuscum agant, quid dicant, quid agant, imò quid interiùs cogitent in cordibus suis, sicut de Sancto Iob asserit Scriptura, Iob 1. &c.

Plutarch. lib. de docenda virtute, Canere, inquit, discunt homines, litteras, agriculturam, saltare, equo insidere, & huiusmodi alia: quæ igitur dementia est cùm hæc omnia præter disciplinam non liceat cõmodè agere, eos probis moribus præditos esse posse censere, qui sine disciplina, & arte bene viuendi, degunt? Cæterùm, vt ait Plato, ob pedis ad lyram impatilitatem, dum malè conuenit cum modulatione saltatio, neque frater vnquam cum fratre pugnam capessit, aut amicus dissidet ab amico, vel vrbes inter se hostiliter decertant, vt extrema quæque & facere & pati cogantur; nemo tamen lyræ manum admouet, nisi peritus, aut saltare coram alijs, nisi edoctus. Nam etianisi non sit periculum, ne quid inde accidat incommodi, tamen ridiculum se fieri, & cunctis haberi ludibrio, quis est quem non pudeat? & nos audemus rem familiarem, rempublicam, & principatum administrare inexpertes, & rudes, & indisciplinati.

Sanctus Ambros. sermone 2. in Psalm. 118. *Non solum tollere iugum Dei, sed à puericia illud tollere debemus, secundum illud*, Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua: *si enim serò tollamus, incipimus pœnitentiam superiorum magis habere, quam tenere gratiam. Præueniamus ergo iuuentutis annos correctione congrua, quia melius est dicere: Deus qui docuisti me à iuuentute mea, quàm recordationem habentes lapsuum desteamus, dicentes:* Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. *Hoc enim debilitatis remedium; illud verò salutis robur. Medicina quæritur vulneri, gratia verò conuenit sanitati.* Ita Sanctus Ambros. quasi dicat: *Mas vale dar gracias a Dios por auer sido siempre bueno, que arrepentirse por auer sido quando moço, malo, aunque el arrepentimiento del penitente sea bueno.* Fateor rem difficilem esse, adolescentem virtutem toto animo amplecti: vnde Thren. 3. postquam dixit: *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua*, subdit, *sedebit solitarius, &c.* S. Ambrosius in Psalm. 118. serm. 2. legit *Sedebit* singulariter, & exponens quomodo sedeat hic bonus adolescens, singulariter, subdit: *sedebit quasi is qui facilè non inueniat æqualem singularibus donatus præmijs.* Ita ille. quantò autem hæc bona adolescentium virtus rarior est; tantò magis debent parentes, & eorum superiores, curam gerere ipsorum.

Sanctus Ambros. in sermone 2. super Psalm. 118. *Ei qui post decursa iuuentutis annos iugum Dei tulerit, non erit*

A *flatim perfectum bonum: stimulant enim peccata sua, exagitat conscientiam consuetudo peccandi, & vsus erroris instabilem facit. Luctandum est huiusmodi viro, vt abolere faciat inueterata, & diuturna vitia, huic in periculo res est.* Ita Sanctus Ambrosius.

PROP. II. *Educationem filiorum commisit Deus parentibus.*

RElert Valerius lib. de Hier. quòd catulus vrsæ in ortu suo nascitur adeo deformis, & informis, vt nihil aliud appareat, quàm frustum carnis; vrsa verò, mater eius, non videns in filio oculos, nec aures, nec nares, nec os, nec factionem aliquam animalis, lambendo semel, & iterum, & sæpe, formar in eo omnia organa sensuum, & facieì. Idipsum quoad mores de filijs hominum dicendum est: puer enim in suis principijs est tanquam tabula rasa, in qua nihil depictum est, est tanquam filius vrsæ, qui in moralibus ferè nullam figuram præ se fert: sicut igitur natura commisit vrsæ filij sui formationem; sic etiam Deus commisit parenti humano.

Hinc mysterium cuiusdam loci Scripturæ intelligere licet 4. Reg. 2. vbi sic habetur: *Ascendit Eliseus in Bethel, cumque ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Ascende calue, ascende calue, qui cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini, egressique sunt duo vrsi de saltu & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* Cur quæso Propheta, imò Deus ipse sic vehementer in puerulos iratus est? si pueri iam grandiores essent, non ita mirum: nam iniuriæ in sanctos illatæ Deus efficax vltor est; attamen, ait Scriptura, *pueri parui*, &c. si parui, paruus erat rationis vsus; quare venià digni videbantur; cur igitur tot eorum occidit? si vnum, vel alterum interemisset, sufficiens supplicium foret, vt inde omnes timerent sanctis viris iniuriam inferre: at quadraginta duos? Causam huius reddit sapiens quidam Author: quia peccatum horum puerorum potiùs parentum, quàm ipsorum erat: eò enim quòd mali parentes malè filios istos educauerant, ausi pueri fuerunt maledicere Prophetæ Dei. Puniuit ergo Deus parentes in filijs: sicut enim si parentes ipsi maledicerent Prophetæ, digni omnes essent morte; sic quia ipsi in filijs peccauerunt propter malam educationem, digni quoque fuerunt sic in filijs suis puniri.

Sed dices, cur Deus non leones, aut lupos, sed solùm vrsos immisit in eos? Ratio ex dictis constat, nam vrsorum est, filios suos in naturalibus formare, vt dictum est, sicut hominum est in moribus rectè filios formare: vnde sicut Niniuitæ surgent in iudicio aduersùs Hebræos, quia illi crediderunt Ionæ prædicanti, & Hebræi noluerunt credere Christo illos docenti; sic modò surrexerunt vrsi aduersùs incolas illos, quia cùm vrsi magnâ curâ forment filios suos, homines ratione præditi, non curant formare seu informare filios suos, &c.

Hac de re conquerebatur Sanctus Augustin. apud Deum de patre suo, in lib. 1. Confess. cap. 3. *Cùm interea, inquit, non satageret pater meus, qualis essem tibi, dummodo essem disertus, aut desertus potiùs à cultura tua Deus.* Ita ille. *Tube señor mio vn padre, que me procurasa acrecentamientos de la tierra, masno del cielo, que fuesse buen letrado, mas no buen Christiano.* Ecce mundani patres, quomodo educent filios suos.

Sanctus Chrysost. hom. 60. in Matthæum: *Mali patres equorum quidem domitores cogunt, vt studiosissimè equos domitent, & frenum, & reliqua, quibus opus est, adhibeant; liberos autem suos longè prouehi absque castigationis negligunt freno, & dimittunt circuire, scortis, aleis & obscœnis spectaculis inhiantes; animæ verò nulla cura est, vnum solummodo respicimus, vt magis scilicet, locupletati magnum pecuniarum numerum*

numerum aliys relinquamus, qui pariter aliys, & isti aliis postea relinquant, & sic pecuniarum transmissores ad posteros, non domini sumus, & seruos quidem, etsi non ipsorum causâ, attamen nostrâ castigamus; liberi verò tantam prouidentiam non adhibemus, sed quasi mancipijs viliores prætermittimus. Cur mancipijs *dixi, cùm vel pecudibus ipsis minoris fieri videantur, maiorem equorum, & asinorum, quàm filiorum curam habemus: nam si burdonibus, & asinis agaso nobis præficiendus est, non parum vigilamus, non dementem, aut temulentum, aut furem, aut eius rei imperitum præficiamus; si verò ad colendum animum filiorum pædagogus sit inquirendus, qui casu fuerit oblatus, eum recipimus, nec consideramus vllam artem hoc artificio superiorem non inuenire. Quid enim maius, quàm animis moderari, quàmque adolescentulorum fingere mores, omni certè pictore, omni certè statuario, & cæteris huiusmodi omnibus, excellentiorem hunc dico, qui iuuenum animos fingere sciat.* Ita S. Chrysost.

Ponderat idem S. Chrysost. tom. 1. lib. 3. aduersùs vitup. vitæ monast. curam Jobi erga filios suos, offerentis pro eis sacrificia ad Deum. *Non*, inquit, *eâ curâ vtebatur, vt aurum illis acquireret, aut vt humanâ gloriâ illustres eos cerneret, & verendos.* Ita ille. Sanctos illos, non diuites, optabat.

Vnde S. Augustinus, qui de patre suo hac in re conquerebatur, matrem suam scilicet Monicam sic laudat lib. 5. Confess. 9. pro conuersione filij orantem, & lacrymantem, cùm Deo agens, & dicens: *Huiusne tu lacrymas contemnes, quibus non à te aurum, & argentum petebat, nec aliquod mutabile & volubile bonum, sed salutem animæ filij sui? Hauian se demallograr señor, lagrimas, con que no pedia oro ni plata, si no la saluacion del alma de su hijo?*

De Dionysio tyranno refertur, quòd cùm inimicitias contraxisset cum Dione Philosopho, eò quòd Philosophus hic crudelitates Dionysij reprehenderet, cupiens tyrannus vindictam sumere de illo, filium Dionis comprehendit, non vt eum interficeret, sed peius aliquid machinatus, illum pessimo cuidam tradidit viro, vt illum malitiam multam doceret: quod & fecit, qui, postquam omni nequitiâ imbutum vidit, reddidit tyranno; tyrannus autem patri. Quid sibi voluit? nouerat Dionysius maius tormentum futurum patri ob pessimos illos filij mores, quàm si mortuum illum videret: erat enim studiosus, & virtutum amator pater. Miror quidem tantam in Philosopho æquitatem, sed ampliùs multùm miror in multis Christianis impietatem, qui solùm diligunt filios brutorum more, quoad corporalia (scilicet) tantùm, non verò in ordine ad bonos mores, brutorum, inquam, more, non ita infidelium, siquidem infidelis ille sic fideles confundit patres.

Rex Dauid duos, dum viueret, amisit filios paruulum scilicet illũ, qui ex Bethsabee fuerat natus, & Absolon: pro paruulo illo, 2. Reg. 12. orauit, & ieiunauit, antequam moreretur, sed postquam mortuus fuit, lugubres deposuit vestes, & in templum abiens, adorauit Dominum, dicens fortè cum sancto Iob: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* & statim finem ieiunijs imponens, comedit; non verò ita, cùm mortuum vidit Absolonem. Sic fumi plorans plorauit, dicens: *Fili mi, Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuat vt ego moriar pro te? Absalon fili mi, fili mi Absalon.* Cur, quæso, mortem paruuli non ita deplorauit, sicut mortem Absalonis? S. Ambros. sic respondet: *Quia Absalonem pro scelere periturum, paruulum verò pro innocentia credidit esse victurum.* Ita ille. Dicant parentes, non mala mundi in filijs, non denique mortem illorum plorare, sed malos mores, & mortem animæ fempiternam.

Tenentur parentes rectè filios educare: nam ad eos pertinet, bonum esse, ad quos pertinet ipsum esse: esse autem accipiunt filij à parentibus: ad parentes igitur pertinet bene educare filios: ex bona enim educatione prouenit bonum esse.

Hinc est quòd, cùm olim apud Lacedæmonios duo fratres inter se dissidium haberent, Lacedæmonij mittam indixêre patri; eò quòd discordiam filiorum dissimularet, & iuuenibus ignoscendum decreuisset quidquid enim isti per ætatis calorem peccarant, parenti imputabant, cuius authoritas prouidere debuerat, ne quid simultatis inter filios oriretur. Ita refert Plutarch. in Laconicis. Etenim quamuis filij ipsi peccent, ita se gerentes & pœnâ digni ipsi quoque sint, si parentum interuenerit incuria, cùm possint, & debeant eos in officio continere, præcipuâ dignisunt pœnâ, tum quia eos malè educauerunt, tum quia non eos puniunt, nec refrenant peccantes. In sacris litteris exemplum habetur in Heli 1. Reg. & meritò: nam, sicut in prima propositione dictum est, qualis fuerit educatio, tales euadent educati.

Lycurgus Lacedæmoniorum legislator, cùm satageret ciues suos optimis imbuere moribus filios, duos educauit catulos, eodem patre & eadem progenitos matre, quorum alterum domi retentum lautioribus cibis nutriuit, alterum verò venationibus exercuit; deinde cùm ambos produxisset in forum apud multitudinem, posuit ibi escas nonnullas: mox emisit leporem, & cùm vterque canis ad assueta raperetur, alter ad escas, alter verò ad leporem cucurrit. *Annon videtis*, inquit, *ô ciues, duos catulos, cùm eiusdem generis sint, ob diuersam tamen educationem, admodum inter se dissimiles euasisse, & plùs ad honestatem momenti habere bonam educationem, quàm nudam naturam? Froinde nihil nobis, ô ciues, nobilitas, quam vulgus hominum miratur, & ductum ab hac caule genus, profuerit; nisi ea gesserimus, per quæ ille mortalium omnium generosissimus fuit: ac per omnem vitam qua honesta sunt, discamus, & exerceamus.* Reperit vir ingeniosus viam, quâ multitudini Philosophicis rationibus non satis idoneæ, virtutis imaginem ob oculos poneret. Res quidem efficax est natura, sed potentior est institutio, quæ naturam malam corrigit, & vertit in bonam. Quales nascantur liberi in electione nostra non est; at vt recta institutione euadant boni, industriæ nostræ commissum est. Narrant factum hoc Lycurgi apophthegmata Lacedæmoniorum.

Quanti verò momenti sit hæc bona filiorum educatio, exposuit idem Lycurgus, vti refertur ibidem: obijcienti enim, quòd eloquentiæ præceptoribus multam assignasset mercedem, respondit: *Si quis profiteatur se filios meos mihi redditurum meliores, non mille drachmas, sed omnium meorum facultatum dimidium effunderem parum.* Quòd si ethnicus, & infidelis hic meliorem in moribus politicis, & merè naturalibus institutionem, tanti fecit, quanti nos facere oportet eam filiorum institutionem, quæ non solùm in naturalibus, sed etiam in supernaturalibus amplectitur vtilitatem, & denique salutem æternam.

Sic Dominus ad Iob agens de struthione? *Penna tub struthionis similis est pennis herodij, & accipitris, derelinquit oua sua in terra, &c.* Struthio non alit filios suos, sicut aliæ aues, sed ponit oua sua sub terra, & relinquit ea: nullum igitur aliud beneficium præstat filijs suis, nisi terræ. Sic sunt parentes multi, qui nihil aliud præter terram, filijs suis relinquere curant, de bonis cœlestibus nihil; non est illis de cœlestibus cura, sed de terrenis, vt scilicet diuites sint, & honorati, & vel pinguia Ecclesiæ beneficia possideant, vel reipublicæ munia: sed an virtute prædicti sint, & Deum timeant, & salui fiant, id non prouident plùs quàm pagani: & quamuis parentes homines præclari ingenij sint, & sapientes, sapientiam, & ingenium applicant terrenis, & id solùm pro filijs satagunt, vt bene terrâ cooperti sint, sicut struthiones. Sed quid mirum? nemo dat, quod non habet, ipsi carnales parentes sunt, temporales, & corporales,

Iob 1. 21.

2. Reg 19. 4.

rerum

rerum temporalium amatores, & ampliùs nihil ; quid mirum si filiis terrena procurent ? Quod optimè ibi Dominus significauit, præmittens: Penna struthionis, similis est pennis herodij & accipitris. Herodius & accipiter, vt ait Liranus ibidem, sunt aues, quæ velociter volant : similes quidem pennas habet struthio, sed non volat, nunquam è terra surgit. vtitur tamen pennis suis, dum supra terram currit, ad leuiùs, & velociùs currendum: sic sunt nonnulli, qui habent quidem acumen ingenij, & non inferius aliis, qui ad alta, & diuina volant; sed eo non vtuntur, nisi ad currendum super terram, ad terrestria, & temporalia deseruit illis acumen intellectus, & ingenij vis, non vt ad æthera volent, sed vt terrena acquirant. Quid igitur hi docere filios suos valebunt, nisi quæ ipsi norunt ? docebunt, inquam, ad terrena currere, & non ad cœlestia volare, diuitias acquirere, acquisitas seruare, honores appetere, vindictam de inimicis sumere, & his similia. B

Curet igitur parens Christianus, vt ipse ad cœlestia volet, & vt filij idipsum faciant, & à prima ætate Deo seruire discant. *Que el panno tinto en lana, guarda el color siempre, el tinto en panno presto lo pierde.*

Prop. III. *Parentes non solùm verbis, sed etiam exemplis bonis educare debent filios suos.*

FActum est grande miraculum, vt Chore pereunte, filii eius non perirent. Nota est historia ex Numeris c. 26. vbi Nicolaus de Lira supra dictum c. 26. *Quale*, inquit, *fuerit hoc miraculum, non habetur ex textu, nisi in generali, scilicet quòd filij Chore non fuerunt mortui cum eo, sed in glossa Hebraica* super Psalm. 45. *dicitur, quòd quando terra aperuit os suum, & deuorauit Chore cum multis aliis, filij eius, remanserunt stantes in aere virtute diuina, quousque terra iterum recluſa est sub pedibus eorum.* Ita ille. Sed tamè magnitudo miraculi non solùm consistit in eo, quòd remanserint miraculosè in aëre, sed quòd, cùm pater propter peccata sua periisset, filij non imitati fuissent parentem, quo simul cum ipso periissent : est enim velut miraculum quoddam, quòd parentes sint peccatores, & filij non sequantur exempla mala parentum. C

Hinc Christus Dominus sic ad eos, qui tentantes eum, signum de cœlo quærebant : *Generatio mala, & adultera signum quærit, &c.* Cur non eos in se vituperauit, sed in parentibus suis ? quid parentes iam mortui deliquerunt ? Non deliquerunt modò, sed fuerunt in causa, cur filij eorum deliquerunt modò : si enim probè eos instituissent, non ita improbi modò isti fuissent.

16. Eadem ratione Ezech. 16. *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa* : & quidem neque ex Amorrhæis, neque ex Cethæis orti Iudæi fuerunt ; cur igitur Cethæos, Amorrhæos, eos vocat ? nimirù quia mores illorum fuerant imitati, & filij eorum mores ipsorum. *Son* D *pecçados heredados de los hijos, y transfundidos de los padres, con sus malos exemplos, &c.*

Sanctus Petrus Chrysol. serm. 111. *Parentis vitium est filiorum exitium, sicut in arboribus vitium seminis totius arboris vitium est.* Ita ille. Etenim in arboribus manifestum est, quòd vitiata radice flores marcescunt, fructus infirmantur, & folia ipsa pallescunt, & arbor tota languescit; quia ex radice pendent omnia, quæ in arbore sunt.

Ponderat S. Ambrosius super c. 16. Luc. quàm speciatim narret Euangelista mores parentum Ioannis Baptistæ. *Erant*, inquit Lucas, *iusti ambo incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela* : et enim Euangelistæ intentio non erat historiam texere parentum Baptistæ. Cur ergo ad eorum laudes diuertit ? S. Ambrosius ibidem respondet: *Quæ alia intentio S. Euangelistæ, nisi vt S. Ioannes Baptista nobiliteur à parentibus ? sic etiam Sancti Samuelis mater Anna laudatur, sic Isaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam posteris dereliquit.* Ita S. Ambros. A

Item Iosue 7. Peccauit Achan furando pallium coccineum, & regulam quandam auream, & nihilominus Iosue princeps populi, non solùm Achan, sed filios eius duxit in vallem Achor, vt omnes ibi pariter lapidarentur & comburerentur cum patre suo. Liranus verè sic necatos fuisse filios testatur, & fortè quia vel consenserunt in peccato illo parenti, vel in aliis peccatis eiusdem. vel, vti aiunt doctores Hebræi apud eundem Liranum, ducti fuerunt omnes filij ad videndam punitionem patris, vt per hoc à similibus parentis factis malis, omnes arcerentur, vt non sicut parens peccarent, si non sicut parens puniri vellent: adeo in peccata parentum coniuratfilij. *Iosue 7. 21.* *Liranus.*

Rom. 11. *Si delibatio sancta est, & massa; & si radix sancta, & rami.* vbi Theophylac. *Necesse est fermento massam, & radici ramos assimilari; sic parent. bus filij.* Ita ille. vnde sicut fermento corrupto corrumpitur massa, & vitiata radice vitiantur & rami, sic vitiatis parentibus, mirum valde si non vitiantur & filij : quia parentes radices sunt filiorum, & filij rami parentum sunt. *Rom. 11. 16.* *Simile.*

Prophetabat olim Saul inter Prophetas, & admirans exclamauit populus, dicens: *Quænam res accidit filio Cu ? & quis pater eorum ?* seu, vti habet textus Græcus, *quis pater eius ?* ac si diceret: Si pater eius nunquam prophetauit, nec ad tantam dignitatem merita eius peruenerunt, quomodo vel vnde tantum meritum filij vt prophetet ? Tanta quidem est similitudo meritorum & morum inter parentes & filios. *1. Reg. 10. 11.*

1. Reg. 17. Videns Rex Saul Dauidem iuuenem cum gigante Philistæo congredientem & vincentem & gloriosè triumphantem, animi fortitudinem & nobilitatem admiratus, dixit ad Abner : *De qua stirpe descendit hic adolescens ?* & rursus ad Abner : *Interroga tu cuius filius sit ille puer,* ac tandem ad ipsum Dauidem: *de qua progenie es ô adolescens ?* cur tam sollicitus inquisitor generis Dauid fuit Rex Saul ? nimirum, quia tam ingentem virtutem & animi celsitudinem, non tam à natura, quàm à generositate parentum habuisse existimauit. *1. Reg. 17. 55.* *Ibid. 56.* *Ibid. 58.*

Genes. 22. dubitari solet, quænam fuerit excellior obedientia Abrahæ an Isaac, cùm iubente Deo pater filium iugulare voluit: sacra autem Scriptura sic patris obedientiam profert, vt nec filij obedientiæ vllam fecerit mentionem. Cur ita ? nimirum, quia filij obedientia & patientia educationi patris tribuenda erat, & propterea quidquid laudabile in moribus filij elucebat, à patre procedebat, vel quia à tali patre talem filium processisse non ita mirum esset, &c. *Gen. 22.*

Iudicum 13. decreuerat Deus Samsonem à vino abstinere omnino, sed priùs matri eius imperauit talem seruare abstinentiam. Quare inquies ? Respondet Montanus, *Quia*, inquit, *plerumque efficitur, vt matrum affectiones filij iam infantes imitentur & sequantur.* Ita ille.

Vnde S. Chrysost. hom. 2. *de* patientia Iob, sanctitatem ipsius Iob admiratur: existimauit enim Iob fuisse quintum nepotem ab Esau ; de Esau autem Paulus ad Hebræos 12. *Esau*, inquit, *fuit fornicator & profanus.* Ait ergo S. Chrysost. *Ostendit igitur scriptura radicem, quòd fructum admirexis.* Ita ille. Quasi dicat: ab Esau progenitore vitiosa erat arbor filiorum : mirum igitur valde, quòd ex arbore vitiata tam sanctus & virtute prædituſ fructus oriretur, qualis fuit Sanctus Iob. *Hebr. 12. 16.*

PROP. IV. *Bona educatio quantum iuuenibus prosit.*

NOn solùm quidem prodest educatio bona filiis, eò quòd ex ea bonos mores addiscant, & induant filij; sed ex eo quòd propter bonam educationem sibi Deum propitium reddunt, vt & filios ipsos conseruet & tueatur, & insuper multis eos afficiat, & cumulet beneficijs, sicut in Abrahami immolatione obseruauit Sanctus Chrysostomus, tom. 1. hom. de fide Abraham, & immolatione Isaac, vbi expendens verba illa Domini, *Nunc cognoui, quòd timeas Dominum,* sic paraphrasticè ait: *Parce filio tuo, fidem tuam quæsiui, non vt filium iugulares: noluit amabile pignus tibi subtrahere, sed deuotionem tuam voluit pertentare. Nunc cognoui quia amas Dominum, magis quam filium, imò magis amas filium, quia diligis Dominum, quia non pepercisti filio propter Deum, eundem tecum constituisti Domino glorioſum, quare te benedictionibus cumulem, & infinitam filiorum multitudinem ex eo tibi prouenire confirmem.* Ita ille. Etenim si rectè filium tuum educaueris in timore Dei, & moribus bonis, in præmium huius bonæ educationis, tibi, & filio tuo beneficiet Dominus, *veras buen gozo de tu hijo, &c.*

Gen 22. 12.

PROP. V. *Optimates maximè vigilare debent circa filiorum educationem.*

OMnibus quidem parentibus cura educandorum filiorum magna incumbit: at maximè virisprimarijs, & equitibus, quia otioſiori vita fruuntur: si enim otio mala addatur educatio, perniciosiores cunctis euadent: nam vbi otium, & potestas stimulant, & vrgent voluntatem, & cor, non mirum si pessimi hominum sint. quapropter super omnes vigilare tenentur parentes nobiles in educatione filiorum, ne fortè propter negligentiam debitæ educationis damnentur.

At, inquies, quonam pacto educandi hi sunt, qui veluti à natura libertatem nanciscuntur? dicam.

Primò omnium virtuti locum demus, & tantò magis, quantò diuitiæ, & delicіæ, & honores, & principatus, & alia huiusmodi vitijs magis expoſiti sunt, quámvere rara virtus in aulis. Oportet ergo magistrum eligere virtute præditum, qui magno dominio, & magna libertate mores puerorum nobilium moderetur, & castiget excessus, aliàs oleum, & operam perdet. & in hoc magister primus, parens ipse debet esse, sicut beata illa Galliæ regina Blanca filium suum vnigenitum Ludouicum educauit. cui tantum horrorem peccati cuiuſuis mortalis illi incutiebat, vt diceret, potiùs te mortuum, quàm in peccato mortali iacentem, videre vellem: atque ideo talem produxit filium. Sic educandi sunt filij etiam regum, nec fas est, quia principes sunt, blandiori manu eos educare, imò quia principes sunt, & posteà futuri sunt domini abſoluti, quos potentia ipla, & nobilitas ac excellentia ſtatus mutare à bono in malum ſolent, quia principes, inquam, ſunt, maiori cum rigore eos inſtruere, ac refrænare oportet, & vtinam id ſufficiat. Pauperum filios paupertas, & neceſſitas, & humilitas ſtatus in officio continere ſolent; nobiles, vti diximus, è conuerſo nobilitas, & diuitiæ, & honores ab officio & bonis moribus remouere ſolent.

Secundum locum literis demus: licèt enim ob neceſſitatem literis hi non egeant, egent tamen ne pecora ſint: homo enim idiota & ignarus, pecus reputatur. addiſcant Latinam linguam, vt vel Euangelium, cùm audierint, intelligant, & Mathematicas, ac Philoſophiam, vt, cùm agitur de rebus naturalibus, & cœleſtium ſtelarum, non taceant tanquam ignari, vel aliquid dicant, quod ad riſum alios moueat.

Pinxerunt olim Iulium Cæſarem ſuper depictum orbem, altera manu enſem, altera verò librum geſtantem, cum hac ſubſcriptione: Ex vtroque Cæſar, *por exercitado en armas, y en letras, ſabia ſer Cæſar.*

Romæ quidem nullus equitum ignarus literarum inueniebatur, cùm Roma apud omnes vigeret potentiâ, inde Papinianus lib. 2. de Orig. Iuris, infamiâ illum notatum eſſe dixit, qui, cùm nobilis eſſet, literas neſciret, & iura Ciuilia & leges ignoraret. Idem mos apud Græcos fuit: vnde in Græcia quamplurimi ſapientes, maximè Athenis, extiterunt. Rex Ptolomæus, vti aſſerit Ariſteas libr. de 72. interpretibus, fuit doctiſſimus vir, & ob hanc cauſam in bibliotheca regia ſua conſtituiſſe pluſquam ducenta millia volumina librorum, in ciuitate ſcilicet Alexandriæ, & ob eandem rationem ſcripſiſſe ad ſummum Sacerdotem Iudæorum Eleazarum, qui Hieroſolymis reſidebat, vt mitteret ei viros plures ſapientes, qui ex Hebræo in Græcum ſermonem traducerent Biblia ſacra. qui ad hoc miſit 72. interpretes, à quibus tranſlationem Græcam habemus. Rex ille famâ notiſſimus Philippus Macedoniæ Rex, & pater Alexandri Magni, quamuis in rebus bellicis ſemper occupatus, nunquam à literis manum reuocauit. & ipſe Alexander Magnus, qui ad fines vſque terræ bellando peruenit, ab Ariſtotele, quem magiſtrum ſortitus fuerat, Philoſophiam, & alia multa didicit. Apud Romanos quoſnam mihi memorabiles recenſes qui non fuerint literati? Numam, Cæſarem, Iulium, & Auguſtum, Adrianum, Traianum, & denique vix aliquem reperies, qui non ſe literatum gloriaretur, etiam Iulianus ille Apoſtata, & Nero ille crudelis, qui Senecam magiſtrum habuit: hoc igitur ſecundum documentum eſt, vt virtutem ſapientia comitetur.

Tertium autem ſit, vt puer eques, quæ equitem decet non omittat, ſciat equum dirigere, ac gubernare, ad vanitatem, vt ſæpe fieri ſolet; ſed vt ad militiam, cùm opus fuerit, exerceatur: etenim ab initio ad hoc equites inſtituti in republica ſunt. cùm enim à bello nunquam ſecuri ſimus, oportet aliquos in republica eſſe, qui ſtrenui ſint ad bella gerenda, *ſepan hazer mal aun caballo, y iugar las armas*, maximè ſi ex ordine militari ſint: etenim nunc aſcenſores equorum, animi & honoris gratiâ equos aſcendunt, currunt, & per vicos & plateas ciuitatis equos ducunt ad gloriam vanam, non militiæ cauſâ, ideo ſæpe in quadrigis more fœminarum incedunt, qui non ad defenſionem patriæ, ſed ad decorem populares ſe equites eſſe gloriantur.

Denique ne ſemper otio vacent, aut in lecto vſque ad multum diem iaceant, aliquas artes addiſcere deberent, vt rectè ſcribere & traducere libros, hiſtorias legere, & contexere, pingere propria manu, ſcindere, & inſerere arbores, libros ſanctos euoluere, aliquin otio peribunt. ſcio de hoc ipſo argumento multos eſſe editos libros, ſed hæc pro concionibus pauca ſufficiant.

PROP. VI. *Ex factis filiorum conſtat qualis ſit educatio parentum.*

EXcuſare ſolent parentes filiorum errata, dicentes, ea non ex mala indole orta, ſed ex ſubita occaſione ſuborta, & ex primis motibus cordis. Non negamus aliquando id ita euenire poſſe, communiter tamen loquendo, id ex mala educatione prouenire ſic docuit Plutarch. lib. de ſera Numinis vindicta, *Si quis*, inquit, *tunc ſcorpiis aculeum innaſci credit, eum pingui, ſuperu venenum infundi, cùm mordent, fatuè ac ſtultè credit; ita non ſic ſceleratus quis, cùm redditur manifeſtus, ſed ab intus inſitum retinet prauitatem, & data opportunitate, & facilitate in actum*

actum prodit, fur furripit, & tyrannus transgreditur leges, &c. Ita Plutarch. In repentinis igitur demonstratur interior animi habitudo, habitudo autem ex bona, vel mala educatione & morigeratione procedit.

Prop. VII. *Pueri facilè recipiunt bonam educationem.*

PLutarch. lib. de liberorum educatione. *Nouella*, inquit, *ætas ad fingendum facilis & tenera est, & ipsorum animis, dum molles adhuc extant, disciplinæ meliùs instillantur: difficiliùs autem quæ dura sunt molliuntur: Sicut enim sigilla mollibus imprimuntur ceris, ita & doctrinæ, dum pueris adhuc animus est, insculpuntur. Aptissimè igitur Plato nutrices monet, vt ne friuolas aut turpes fabellas pueris proponant, ne illorum animos ex initio stultitiæ, & corruptis moribus imbuant. Pulchrè igitur Phocylides poëta monuit, dicens:*

Dum tener est animus, generosos instrue mores.
Quare haud abs re antiquus ille Crates dicere solebat: Si liceret, in altissimam Orbis partem ascenderem, & vociferarem: Quorsum rutis homines qui in comparandis pecuniis vestris studium ponitis, filiorum verò, quibus eas relinquatis, nullam suscipitis curam? quibus addendum esse censeo, quòd hi patres haud aliter faciunt, quam qui magnam calceorum sedulitatem habent, cum interim pedem ipsum parui pendunt. Multi verò sunt parentes, in quibus adeo nummorum amor, pariter & filiorum odium sæpenumero increuit, vt ne maiora impendant salaria, nullius æstimationis homines natis deligant suis, vilissimorum pretiorum disciplinam ipsam insectantes. Ob quam rem Aristippus quendam mentis inopem patrem meritò carpsit: quopiam enim ex eo percontanti, quam instruendi filij gratiâ mercedem postularet, mille drachmas dixit; ille verò: Hercle, ait, permagnum postulatum: seruum enim comparare mille drachmis possim: duos, inquit, habebis seruos, filium scilicet & quem mercaberis. Ita Plutarch.

Quomodo autem agendum sit cum filijs ad bonam eorum educationem, sic Plutarchus ibidem prosecutus est, dicens: *Ad honestæ exercitia pueri non plagis, aut verberibus, sed monitis, & rationibus adduci oportet: omitto enim magis seruos decere, quàm liberos, qui durati vigescunt, & ad labores sustinendos, nunc ob plagarum dolores, nunc ob contumelias horrent. Liberalibus autem pueris maiorem laudes, quàm vituperia asserunt commoditatem: illa enim ad honesta concitant; hæc à turpitudine cohibent; nixtim verò & alternis vtendum erit laudibus, & obiurgationibus, & postquam vehementer obiurgauerint, pudore agendum est, & rursus laudibus reuocabunt, vsque imitandæ nutrices erunt, quæ, vbi infantes lugere coegerint, vbera denùo ad eos solandos admouent. Cauendum autem erit, ne immodicis elati laudibus intumescant, quoniam nimijs laudibus demolliti franguntur. Quare sicut medici amara dulcibus miscentes, comitem vtilitatis amœnitatem inuenerunt, ita & patres increpationum rigorem mansuetudine temperent, est necesse.* Ita Plutarch. lib. de lib. educatione.

Subdit autem Plutarchus ibidem, nonnulla præcepta, meritò à parentibus seruanda in puerorum educatione, dicens: *Monendi sunt pueri, vitam sine mollitie esse degendam, continendam esse linguam, iram, manusque comprimendas. Præterea pueri vera proferre confuefiant: mentiri enim seruile vitium est, & à cunctis mortalibus odio insectandum, quod nec apud mediocres seruos veniam promereatur.*

Præterea, ante omnia opus est, vt patres non solùm nihil peccando, verùm etiam honesta peragendo, manifestum sese filijs exemplar exhibeant, vt eorum vitam, quasi quoddam speculum, intuentes, ab operum & sermonum turpitudine se penitus auertant. Nam si quis delinquentes acriter obiurget filios, & ipse in eosdem labatur errores, ignorare videtur, se sua crimina incusare. Ita Plutarchus.

Prop. VIII. *Ad bonam educationem necessarij sunt boni magistri.*

PLutarch. lib. de liberis educandis: *Sicut in agrorum cultura, bonam in primis terram esse oportet, tum serendi, & colendi terram peritum agricolam, deinde optima semina; eodem modo loca terræ, naturam, locoque agricolæ, præceptoren, & loco seminis, institutionem bonam esse oportet, vt probè pueri educentur.* Ita Plutarchus. At dices, quid si natura non ita apta sit ad capiendam disciplinam; etenim tunc maior est adhibenda cura, melior eligendus præceptor, & efficacior adhibenda disciplina, & custodia.

Prop. IX. *Ad bonam educationem vitanda est mala societas puerorum.*

SI corrumpunt bonos mores colloquia prauâ, maximè quidem mores puerorum: sunt enim pueri veluti cera mollis, quam ad hanc vel illam figuram facilè aptabis. quare facili negotio exempla, & potissimùm mala, capiunt, & imitantur: est enim natura nostra post lapsum ad malum procliuis.

Plens Ieremias perditionem populi sui, inter lamentationes alias adhibuit istam: *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius, & tacebit, & leuabit se supra se.* Exponit hunc locum S. Ambros. super Psalm. 118. ferm. 2. & ait: *Potest iuuenis iste, qui sciat bonum, tollendo in iuuentute iugum Dei, nondum perfectus, & adhuc iunior, segregans se à colloquio suorum æqualium (quæ plerumque corrumpunt bonos mores) & contagia volens fugere peccantium, ita intelligi singulariter sedere, & silere, ne rudis ætatis facilitate labatur: sed intendere seniorum præceptis, & aliorum magistrorum: laudandus eò, quia priùs vult loquendæ cognoscere, quàm proferre quæ sentiat. Vnde pato & Pythagoram illum Philosophum imitatorem iuuenis huius prophetici institutisse sectam, vt discipuli sui quinquennio non loquentes, tanto silentio discerent loqui: cum præsertim & Dauid superioris ætatis, quàm Pythagoras fuisse non dubium sit, qui ait:* Dixi: Custodiam vias meas, vt non delinquam in lin- *Psal 38.* guam meâ: Posui ori meo custodiam, *& quia fortè aliquando aliquid locutus esset incautius, ideo posteà à Deo poni custodiam ori suo postulauit. Isaiam quoque Pythagoricis anteriorem fuisse quis nesciat? qui cùm audisset, Clama: non priùs clamauerit, quàm audiret quid clamare deberet. Vterque igitur iuuenis prædicandus: ille tamen serius, hic cautius, ille seipso contentus, & nunquam sibi solùs ipse pulchram ætati lubricæ disciplinam asciscens silentij: nec adhuc sibi abundans, sed alijs se timens credere: quærens, tamen à iuuentute congregare quæ in senectute & sibi, & proximis suis profint, ne dicatur ei: Quæ in iuuentute non collegisti, quomodo inuenies in senectute? Ergo is si in consilio seniorum sederit, manum adhibebit ori suo, vt audiens sententias, colligat quod sibi ad maturiorem seruet ætatem: quemadmodum Maria, cùm verba Christi audiret, conferebat omnia in corde suo. Quemadmodum Ioannes, cùm caput suum super pectus Domini reclinaret, hauriebat secreta profunda sapientiæ.* Ita Sanctus Ambros.

Thren. 3. 27.

Isai 40.

Genes. 21. *Cùm vidisset Sara filium Agar AEgyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eice ancillam hanc & filium eius, &c.* rem difficilem Sara postulabat: nam Ismael filius Agar, erat dilectus Abrahæ, vnde subdit Scriptura: *Durè accepit hoc Abraham pro filio suo.* Sed Deus voluntati Saræ fauens, dixit Abrahæ: *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua; omnè quod dixerit tibi Sara, audi vocem eius, &c.* Cur ita? quid mirum aut malum fuisse Ismaelem cum Isaac? Sanct. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis, dicit: Duplici- *S. Hier.* ter hoc exponitur, *vel quòd idolis ludos fecerit, iuxta illud.* Exod. 32. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere: vel quòd sibi primogenita vendicauerit.* Ita ille. *Gen. 21. 9. Exod. 32. 6.*

Primam harum expositionum, ait Lira. esse Hebræo- *Lira.*

rum. Rectè Seneca lib. 3. de Ira: *Sumuntur à conuersantibus mores, & vt in contactu corporibus vitia quadam transiliunt, sic animus proximis mala sua tradit.* Ita Seneca. Quare meritò Sara, imò & ipse Deus, electum filium amici sui Abrahæ Isaacum voluit à familiaritate Ismaëlis separare, docere volens parentes, vt filios suos à malis socijs auertant. Sic enim fecit Apostolus Actorum 19. vbi dicit Scriptura: Cùm autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregauit discipulos, &c.

Seneca.

Actor 9.

PROP. X. *Tenentur parentes curam gerere animarum filiorum suorum.*

Iob 1. 5.

CVm in orbem transirent dies conuiuij (scilicet filiorum eius) *mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo, offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.* Benedicere Deo, est vanè sibi gloriam debitam attribuere, secundùm Glossam ordinariam. Iob igitur, vt explicat S. Gregorius, finitâ hebdomadâ conuiuij afferebat decem holocausta, pro singulis singula. Sed dices, cur de filiorum cogitationibus cogitabat, & curabat, cùm hæc ad solius Dei forum pertinere videantur? Ecclesia enim non iudicat de occultis, satisque esse videtur, si verba & facta filiorum pater corrigat, & emendet, &c. Sanct. Gregor. *In hac re soleter intuendum est, quanta feueritate potuit filiorum opera corrigere pater, qui tanta solicitudine studuit filiorum corda mundare. Quid ad hec rectores fidelium dicunt, qui subditorum suorum etiam aperta opera nesciunt? quid in sua excusatione cogitant, qui in commissu sibi nec vulnera actionis curant?* Ita S. Gregorius.

B

1. Mor 8

C

PROP. XI. *Parentes cum moderamine inculpatæ tutelæ, amare filios suos, & prouidere illis debent.*

Lib. 8 de historia animalium, c. 6. & lib. 9 c. 34.

ARistot. de Aquila, quæ inter volatilia obtinet principatum, sic ait: *Aquila cum binos excludit filios, alterum expellit tædio nutriendi: nam aquilæ, dum pullos nutriunt, degenerant, vngueisque eis inuertuntur paucis diebus, & pennæ albescunt, & ideo excludit alterum pullorum: sed pullum electum benignè excipit auis alia, Ossifraga nuncupata, & educat donec adolescat.* Ita ille, quâ quidem prouidentiâ constat nequaquam dissimilem Deo aquilam filio deesse, cùm sibi eius cura nociua est, & quidem naturæ author id parentibus humanis significasse videtur, non debere ipsos eam in filijs educandis adhibere curam, quæ noceat eis.

Matt. 20. 21.

Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & alius ad sinistram, in regno tuo. Verba hæc mater illa filiorum Zebedæi, anxia, & de suorum liberorum commodis solicita, proposuit, cùm à Seruatore nostro sublimes regni sedes postulauit. sed cuiusnam regni? Diuus Hieronymus in eum locum respondet: *Auiditate fœminea, præsentia petit, immemor futurorum.* Et beatus Chrysostomus ait: Quòd nihil spiritualis quærebant, nec de cœlesti regno quicquam cogitabant, perspicuum est. Ex quo fit, temporalia & caduca esse, quæ huiusmodi mater à Christo Domino precibus postulabat.

Hom. 66. in Matthæum.

D

Hæc igitur bona sunt, quæ magnâ molestiâ ac solicitudine parentes suis liberis acquirunt; diuina vero atque æterna bona nihil omnino curant. Quod egregiè D. Chrysostomus scribit, *Alij*, inquit, *filios suis militiam comparant, alij honores, alij diuitias. nemo filios suos comparat Deum. Perd. tionem eorum magno pretio comparant, salutem verò illorum, nec dono accipere volunt.* Hæc ille. Quocirca omni studio illi contendunt, vti liberi ordinatè saltare ac pulsare instrumenta sciant, & inter sese exercitationis gratiâ digladientur, aliaque eiusmodi addiscant; nihil verò laborant, an illi honestè instituantur, an preces ad Deum, eiusque sanctissimam Matrem, fundant, an Sacro, sacrisque concionibus intersint, vel alijs optimis moribus imbuantur.

A

Hoc Deus Opt. Max. videtur animaduertisse cùm Ieremiam in hunc modum alloquutus est: *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi: quia non exaudiam te.* Cur ergo Deus immortalis, te ita seuerum & inexorabilem ostendis? *Nonne vides* (ait Dominus) *quid isti faciunt in ciuitate Iuda, & in plateis Ierusalem? Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cœli, & libent dijs alienis, & me ad iracundiam prouocent.* Videtur sanè in his Ieremiæ verbis, quasi egregijs picturæ coloribus expressum esse, id quod in nostro sermone conferimus. Homines enim colorate ac suspiciunt honores, diuitias, voluptates, quibus quidem quasi diuinum honorem exhibent, in quorum cultu atque obsequio tam parentes quàm liberi operam studiumque ponunt. Matres enim fuco ac pigmento filias suas artificiosè decorant, vt nitor, ac color, non naturali venustate aut sanguine diffusus, sed fuco illitus, in earum facie splendeat, easque rubentibus cincinnorum capillis, genisque fucatis, perpolitè ornant. Patres etiam pretiosum cultum, quo filij eleganter ornentur, libenter donant: quæ omnia cùm liberi ardenter exoptent, ipsique parentes suppeditent, succenditur quidam ignis, qui eorum corda inflammat. Et certè huiusmodi parentes, qui effrænatas & vanas filiorum cupiditates, quas deberent extinguere, succendunt; non tam suorum filiorum patres, quàm hostes crudeles, aut inimici dicendi sunt.

Ier. 7.

Tanquam aliquid crudele, & inhumanum regius Vates commemorat, nonnullos ex Israelitis dæmoni liberos suos obtulisse. *Immolauerunt* (inquit) *filios suos & filias suas dæmonijs, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sculptilibus Chanaan.* Crudeles profectò illi parentes erant, omnique diritate atque immanitate terribiles. Sed crudeliores & immaniores sunt hi parentes ijs, qui filios suos immolant: illi enim adimebant filijs suis vitam corporis; hi verò vitam animæ, quia huiusmodi indulgentiæ occasionem præbent suis liberis peccandi, & gratiæ, in qua vita animi sita est, amittendæ. & quidem sæpe contingit, vt ijsmodi parentes filijs suis orbentur, & quemadmodum Principes solent filios suos abducere ab eorum pædagorum institutione, qui illos prauis artibus imbuunt; ita omnium auctor ac parens Deus, naturales patres, tanquam filiorum pædagogos constituit; qui quidem ei eos bonis moribus non instituant, & præclarâ atque honestâ educatione eruditant, priuantur hoc educandi munere, & à filiorum tutela rejiciuntur. Quod facilè ex Scriptura sacra comprobari potest, sed præcipuè duobus illis iudicibus ac moderatoribus Israelis, quorum alteri triginta filij, & totidem filiæ erant, alteri verò quadraginta: neuter tamen succesorem reliquit in Israel, atque ita gubernandi munus, quod in ea familia diuturnum, atque etiam perpetuum putabatur, in ipsis primis gubernatoribus defecit. Solet enim Deus Opt. Max. parentes liberis suis orbare, vt hoc supplicij genere improbam eorum educationem carpat, & in ipsos pædagogos animaduertat, ac vindicet.

Iudic. 12.

B

1. Reg. 4.

Heli in educandis liberis negligenti, & in eisdem obiurgandis remissiori, obiectum est à Deo per Prophetam: *Pars magna domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem venerit: hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filijs Ophni & Phinees: in vno die morientur ambo.* Explicans verò huius supplicij causam, *Prædixi* (ait) *& complebo*, eò quòd nouerat indignè agere filios, & non corripuerit eos. & quamuis ipse Heli filios in hunc modum obiurgauerat: *Quare facitis res huiusmodi, quas*

C

ego audio, res peßimas, ab omni populo? Nolite filij mei: non A
eſt enim bona fama, quàm ego audio, vt tranſgredi faciatis populum Domini. Si peccauerit vir in virum, placari ei poterit Deus: ſi autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?
Quamuis, inquam, Heli hoc modo filios obiurgauerit; quia tamen non illos grauiùs reprehendit, & in eos ſeuerè atque acerbè animaduertit, grauiſſimum de illis, & de ipſo ſupplicium ſumptum eſt: nam vno die occiſus fuit vterque filius, & pater miſerè cadens de ſella retrorſum, fractis ceruicibus, mortuus eſt, & à domo eius in poſterum numquam receſſit plaga. Caueant igitur parentes, quorum tanta eſt in filios indulgentia, vt nec molliter eos obiurgare, nedum punire audeant, ne grauiter à Deo puniantur, & liberis ſimul orbentur.

Diligebat quidem Dominus Dauidem: at quoniam negligenter Amnonem & Abſalonem educauit, alterum ſuſpendi, alterum verò vulneribus confodi, paſſus eſt. Si ergo Dauidis filios, quem Deus tanto amore proſequebatur, tam acriter & acerbè puniuit: quo ſupplicio eorum liberos afficiet, qui ſibi æquè grati non B
exant?

Quòd ſi velitis filijs veſtris feliciter ac magna animi iucunditate perfrui, rectis atque honeſtis moribus eos imbuite. Sanctiſſimi illi Machabæi, diuino cultu, verique Dei honoribus diſtenti, aliquantulum ſuorum clientum cultum honoremque negligebant: *Erat enim* (ſacra Scriptura teſtante) *pro vxoribus, & filijs, itemque pro fratribus & cognatis, minor ſolicitudo: maximus verò & primus pro ſanctitate timor erat templi.* Quocirca magna in parentes & filios beneficia à Deo collata ſunt, qui illorum familiam clariſſimam & illuſtriſſimam reddidit.

Et quis eſt qui ignorat ſanctiſſimi Tobiæ curam atque ſtudium in filio ſuo educando, rectèque inſtituendo? Hæc enim illi documenta dabat: *Omnibus diebus vitæ tuæ, in mente habeto Deum: & caue ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini tui. Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynas. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Attende fili mi ab omni fornicatione, &c.* His & alijs huiuſmodi monitis & exhortationibus educabat Tobias filium ſuum.

Quid de ſanctiſſimo viro Iob dicam, cuius tanta cura filiorum erat, vt non ſolùm mores inſtituere, ſed occulta cordium eorum, & cogitationum abdita, mundiſſima eſſe curaret, cùm que huiuſmodi genus educationis potiùs ad Deum, quàm ad ſe pertinere videret, ad ſacrificia confugiebat, vt hoc à Domino impetraret. Audi verba ſacra, *Conſurgens diluculò offerebat holocauſta per ſingulos* (ſcilicet dies) *dicebat enim: Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis. Ne forte*, inquit, de peccatis occultis curam habet, & de his ſub dubio, ne forte peccauerint in aliqua cogitatione aduerſùs Deum. O præclara parentis erga filios cura! ô educatio admiranda! O vtinam, vel eorum, quæ ad exteriora opera pertinent, filiorum ſic gereret curam D
parentes ſæculi noſtri!

De ſancta illa Regis Galliæ Ludouici matre (de qua etiam egimus ſuprà) narrat hiſtoria eius, aliquando dixiſſe filio: *Vtinam, ô fili, priùs te mortuum quàm in peccatum aliquod mortale lapſum videam.* Mater erat, & filius ille ni fallor vnicus, & regno illi perneceſſarius, & tamen priùs mortuum quàm peccatorem illum videre optabat. Hæc quidem eſt parentum Chriſtianorum digna educatio, hanc imitamini patres, & matres, vt cum filiis veſtris fructu optimè educationis fruamini in cœlis, Amen.

PROP. XII. *Quomodo ſint filij edacandi.*

SEneca lib. 2. de Ira, à cap. 20. *Vinum pueris Plato negandum putat, & ignem vetat ijs incitari. Nec cibis implendi ſunt: diſtendentur enim corpora, & animi cum corpore tumeſcent. Labor illos citra laſſitudinem exerceat* (no ſe crien obachones.) *Plurimum proderit pueros ſtatim ſalubriter inſtitui. Dabimus aliquod laxamentum eis, ſed procul à delicijs retinebimus: nihil enim eos magis iracundos reddit, quàm educatio mollis, & blanda. Quò plus illis indulgetur, corruptior animus eſt. Non reſiſtent offenſis, cui nihil vnquam negatum eſt, cui lacrymas ſolicita mater abſterſit. Exprobrentur illi perperam facta. Nutricum, & pædagogorum reluctent mox in adoleſcentia mores. Apud Platonem educatus puer, cùm ad parentes relatus, vociferantem videret patrem, Nunquam* (inquit) *hoc apud Platonem vidi. Tenuis ſit victus, & non pretioſa veſtis, & ſimilis cultus cum æqualibus. Non irraſcetur, aliquem ſibi comparari, quem ab initio multis ſeteris parem.* Ita Seneca. *Seneca.*

Iudicum 13. vir erat in Iſrael nomine Manue, cuius vxori Angelus Dei apparuit; & nuntiauit ei natiuitatem filij ſui Samſonis, poſtea Dominum deprecatus Manue, *Obſecro*, inquit, *Domine, vt vir Dei, quem miſiſti, veniat iterum, & doceat nos, quid debeamus facere de puero, qui naſciturus eſt.* Exaudiuit Dominus preces eius, & miſit ad eum eundem Angelum, quem priùs miſerat ad vxorem, qui quomodo ſicut Nazaræus educandus eſſet, docuit. Tanti fecit hic Manue educationem bonam filij, vt ab Angelo ipſo voluerit edoceri.

Debent autem ad hoc parentes bonorum operum exempla filijs præbere: nam exempla non ſolùm docent, ſed mouent, maximè parentum. Vnde Ierem. 7. *Ier. 7, 18.*
Filij colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cœli. Si los Padres encienden el fuego, que mucho que los hyos traygam la lenna? Sacrificabant placentulas quaſdam Lunæ tunc temporis, nonnullæ mulieres eas efficiebant, patres accendebant ignem ad eas faciendas. Quid mirum, quòd ſimul ad idololatriam concurrentes filij eorum, colligebant ad ignem illum ligna? Si ad ſacrificandum Deo vero patres voluiſſent accendere ignem, ad ſacrificium Dei veri filij collegiſſent, quia filij ſimiæ parentum ſunt, quæ vident parentes facere, faciunt.

Hinc Diogenes, cùm videret in platea iuuenem ebrium, & pater (inquit) eius inebriari ſolebat; quaſi diceret: Quid mirum ex patre ebrio, filius ebrius? *Diogenes.*

ADDITIO.

OMnia nobis prouidentia puerorum, eruditionique & correptioni, quo in Domino educentur, poſtponantur. Si dicerit filius tuus ab ipſis initijs Philoſophus eſſe diuitias acquiret omnibus diuitijs maiores, gloriamque potentiorem. Tantum non lucraberis artem, ipſum docens, & eruditionem externam, per quam pecunias acquirat, quantum ſi artem doceas per quam pecunias contemnat. Si voles ipſum facere diuitem, ita facias. Non enim dives eſt, qui multis pecunijs eget, & ſumptuoſè veſtitur, ſed qui nulla re opus habet. iſtue inſtrue filium tuum, iſtuc doce. Hæ ſunt maximæ diuitiæ. Ne quæras quomodo celebrem eum in externis doctrinis, & glorioſum facias, ſed cura quomodo doceas eum gloriam in hac vita contemnere. Hinc fiet illuſtrior & glorioſior. Iſta factu ſunt poſſibilia tam pauperi quàm diuiti: iſta neque ex præceptore quiſquam, neque per artem diſcet, ſed per diuinos ſermones. Ne quæras quomodo vitam longam viuat, ſed quomodo viuat perpetuam & ſine carentem. *D. Chryſoſtomus. in c. 6 ad Epheſ. ſerm. 21.* *Idem in 1. ad Tim. c. 2. Hom. 9.*

Magnum habemus pretio ſumque depoſitum filios, ingenti illos ſeruemus cura atque omnia faciamus ne fur id nobis aſtu-

„ tus auferat. At verò nunc contrà penitus facimus. nam vt fun- A
„ dus quidem sit optimus, cuncta molimur, eumque fideli viro ma-
„ gno cum studio tradimus, & agasonem atque mulionem, procu-
„ ratoremque ac dispensatorem, qui nobis magna beneuolentia
„ afficiatur inquirimus : caterum quod nobis charissimum om-
„ nium est omnino negligimus, neque curamus quo pacto filium
„ nostrum fideli cuipiam viro permittamus, qui ipsius tueri ac
„ seruare pudicitiam possit. Et certè nulla nobis possessio, nullus
„ fundus æquè nobis gratus atque charus esse debet : quippe hæc
„ omnia filijs quæruntur. Igitur maior nobis possessionum cura est,
„ quàm eorum quorum ille gratiâ comparatur, quòd profectò
„ absurdissimum atque stolidissimum est. Exerceamus igitur ad
„ virtutem atque pietatem molles filiorum animos, cætera omnia
„ secundo loco quæramus. nam siquidem illi improbi fuerint, ni-
„ hil eis pecuniæ proderunt ; sin autem probi nihil ex paupertate
„ lædentur.

„ De educatione puerorum fusè agit Middendor- B
„ pius L. Imperatorum &c. quæstiones. pag. 267. &
„ 281.

„ De Principum educatione Liber, cui titulus: Pietas,
„ & Regnum. p. 168.

Prop. XIII. *Delicata educatio debiles reddit educatos.*

Gen. 16. 12. Genes. 16. de Ismaele prædixit Angelus quidam: *Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum:* hic verò, vti Sanctus Hieronym. ad-
S. Hier. notauit, in domo matris delicatè enutritus, imbecillis, & mollis admodum fuit, ludis & nænijs vacans, cùmque monitu Dei is cum matre è domo Abrahæ ciectus esset, cùm in solitudine esset cum matre, & extrema siti ambo comprimerentur ; Ismaelem, ait Scriptura, proiecit mater subter vnam arborem, vbi nihil aliud quàm plorare nouit. Quòd si infans adhuc esset, non mirum, at viginti ferè ad minus annorum erat, quod ita affirmat Sanctus Hieronymus in quæ- C
Gen. 16. 16. stionibus, & traditionibus Hebraicis super Genes. *Vt breuiorem* (inquit) *eligamus ætatem, post decem & octo annos supputauimus Ismaelem ciectum esse cum matre.* Ita S. Hieronym. Decimotertio quippe anno ante natiuitatem Isaac, natus fuit Ismael, vt colligitur ex Genes. 16. vbi ait, *Octoginta, & sex annorum erat Abraham, quando*
Gen. 21. 5. *peperit ei Agar Ismaelem.* Et Gen. 21. ait : *Cùm centum esset annorum, natus est Isaac.* Sunt igitur intermedij non solùm tredecim, sed etiam quatuordecim anni, & vt aliqui asserunt, sex annorum ægebat annum Isaac, quando ciectus è domo patris fuit Ismael. Sed Hieronymum sequamur, iam quinque annorum ad minus esse dixit hic Isaac. Erat igitur viginti annorum, & tamen adhuc tener erat, vt solùm flere in tali nosset necessitate constitutus : qui si fortis, & animo robustiori decoratus, se & matrem, è tali periculo liberare debuisset, vel in populum pergens, vel per solitudinem aquam inquirens : non enim longè distabat, & nisi Dominus oculos Agar aperuisset, vt aquam videret, ambo ibi pe- D
rijssent, *tan poco y tan para nuda vn moçeton como este.* Vnde igitur Angelus de hoc, *Erit homo ferus, manus eius,* &c. Ita, nam delicatiùs enutritus nullo erat præditus
Gen. 21. 20. adhuc vigore; postea vero ait Genes. 21. *Moratus in solitudine, factus est vir sagittarius.* Priùs puer, quamuis viginti esset annorum, postea vir sagittarius appellatur; quia scilicet moratus fuit aliquo tempore in solitudine extra domum patris, & absque prioribus delicijs, & blanditijs. Vide quantum ad rectam educationem asperitas prosit, deliciæ obsint.

Prop. XIV. *Bona educatio ad perseuerandum in virtute nimium conducit.*

Vide historiam Eleazari 2. Machab. 6. iucunda & a. 18. mirabilis est, eiusque constantia mira. Vnde igi- 6. 31. tur tanta ? Audi : *At ille* (inquit) *cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis cani-*
tiem, atque à puero optimæ conuersationis actus, & secundum sanctæ & à Deo conditæ legis constitutæ, respondit ei-
tò, dicens : præmitti se velle in infernum. Ecce vnde tanta ei virtus, & constantia ? *à quel sancto y admirable teson,* ex optima eius educatione.

Vnde meritò Prouerb. 22. dicitur : *Adolescens iuxta*
viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea, hoc est, & iuxta quam viam adolescens se gesserit, cùm senuerit, eandem prosequetur. Potest participialiter sumi, *In adolescens, vt sit sensus, qui adolescit in aliqua viuendi ra-*
tione, nec in senectute sua recedet ab ea. Si in adolescentia insolens fuerit, in senectute insolentior : si in
uentute gulæ deditus, & vanitatibus mundi, idem vel peior in senectute erit. Id ille Poeta:

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu.

Si enim in amphora noua constitueris mel, dulcedinem retinebit, si fel, fellis amaritudinem conseruabit : sic si virtute in tenera ætate imbueris puerum, virtutis suauitatem obtinebit, si verò vitium, vitij saporem refert semper, vnde & alij:

Quod noua testa bibit, nueterata sapit.

Et Aristoteles 2. p. 1. *Non parum refert ; sed caput rei est,*
hominem hoc vel illo modo assuescere. Ita ille.

Prop. XV. *Quòd à pueritia sit inchoanda recta educatio.*

Si agens iter quis à principio biuium reperiat, viam illam accipiat, quæ alio tendit, quanto incommagis fuerit progressus, tanto difficiliùs ad rectam poterit reuerti viam. Vita nostra via quædam est ad æternitatem, quòd si quis à pueritia iter illud arripuerit, quòd anima ad tartara ducitur, post longum tempus difficilè ad eam poterit reduci viam, quæ ducit in cœlum ; quia paruus error in principio, maximus est in fine. Hinc Dauid Psalm. 118. *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.* Imò quia facile homo à vero deuiat, & difficilè in rectum ducitur. à Deo id depoſcebat. Psalm. 5. *Dirige in conspectu tuo viam meam,* &c.

Abraham Gen. 18. recepit tres illos peregrinos hospitio, & occidens ad esum illorum vitulum optimum *dedit* (ait sacer textus) *puero, qui festinauit, & coxit illum.* Puerum istum aiunt Doctores Hebræi fuisse Ismaelem filium Abrahæ. Cur igitur hoc Ismaeli filio præcepit, cùm tale officium potiùs coqui quàm filij esset, & Abraham multos haberet famulos ? Respondet Li- Lyranus
ranus : *Aunt Hebræi puerum istum fuisse Ismaelem, cui tradidit cibum parandum, vt eum assuefaceret operi, bus misericordiæ.* Ita ille.

Quàm verò grata Deo fuerit hæc Abrahæ in filios cura, patet in eodem c. 18. vbi Dominus ciuitatem Sodomorum perditurus priùs rem aperuit Abrahæ dicens : *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum ?* Cur, quæso, non poterat hoc celare Abraham? hoc non tacuit Deus : *Scio enim* (inquit) *quod præceperus sit filijs*
suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iustitiam, & iudicium. Etenim magnum signum amoris Dei erga Abraham fuit reuelatio illa, & inde apertè constat quòd Deo grata sit filiorum educatio bona.

Rectè sapiens quidam : *Flos,* inquit, *ætatis, periculum est* Cant. 2.
mentis, quare ob hanc rationem tempus florum & tempus pu-
tationis idem est : Flores, inquit Sponsa Cant. 2. *apparuerunt* 12.
in terra

in terra nostra tempus putationis aduenit, in flore ætatis putandi sunt sinistri puerorum affectus. A

PROP. XVI. *Quòd parentes teneantur liberos suos rectè educare.*

SAnctus Chrysost. tom. 5. lib. 3. aduersùs vitup. vitæ monasticæ. *Etsi vitam nostram omni cum diligentia disponamus, extrema animaduersione puniemur, si filiorum salutem neglexerimus. Rem autem vobis ex diuinis literis enarrabo. Sacerdos apud Iudæos fuit, vir in primis moderatus, nomine Heli: huic duo cùm essent liberi, & videret illos variis deditos vitijs, non corripuit, non coercuit, siue, vt verius loquar, corripuit quidem, verùm non omni cum studio, & vehementia hoc fecit. Horum autem hæc crimina fuerunt, ventris ingluuies, & fornicatio. Edebant enim, ait, antequam sanctificarentur carnes sacræ, priusquam offerretur Deo sacrificium, &c. Quibus compertis, pater non eos affecit pœnâ, sed verbis eos tantùm castigare, & leni admonitione ab hac peruersitate reuocare conatus est, dicens:* Nolite filij, nolite facere sic: non enim bona B fama est, quam ego audio de vobis, vt faciatis populum non seruire Domino. Si delinquens peccauerit vir in virum, orabunt pro illo Dominum: sin autem Domino peccauerit vir, quis orabit pro illo? *Et certè plena sunt grauitatis, reuerentiæ ac ponderis verba hæc, & quæ recuperare, & ad statum vitæ melioris reuocare possent eum, qui penitus excors, & amens non esset. Quia sceleris immanitatem indicant, & quàm sit metuendum, & cauendum admonent, & quæ illum pœna subsequatur, ostendunt, intolerabilis nempe. Verùm quia non omnia, quæ fuerant agenda; vt ea resecauerentur vitia, molitus est, & ipse vnà cum illis periit. Minas enim addere debuerat, & à suo eos conspectu amouere, & verberibus etiam afficere, & multò etiam grauius, & duriùs insistere. Quia autem id non egit, & verborum monitis contentus fuit, & illis, & sibi Deum auersum infestumque constituit. Vnde,* Iurauí *(inquit Deus)* domui Heli, si peccatum istud de domo Heli expiabitur, siue incenso siue sacrificijs vsque in sempiternum, *Vides ingentem Dei indignationem, & omC nino spe veniæ exclusum illum, quamquam seni illi præter filiorum neglectionem nihil, quod crimini daret, habuit Deus: erat enim admirandus in cæteris. Quod cùm ex alijs locis intueri licet, tum ex ipsa quoque calamitate. primùm enim cùm ista audisset, & se ad supremum cruciatum peruenisse conspiceret, non acerbè, non indignanter tulit, non dixit: quidnam istud est? Num ego Dominus sum voluntatum aliorum? Peccatorum meorum pœnas soluere debeo. Filij ætatem habent, ipsique soli merentur cruciari. Nihil ommino horum dixit, nec cogitauit quidem: cæterùm vt seruus fidelis, & gratus, & qui vnum tantùm sibi obseruandum nouit: vt quæ Dominus suis intulerit ei æquanimiter ferat, quantumlibet illa tristia, & acerba sint, ita plenissima philosophiæ verba edidit.* Dominus, inquit, est, 63. quod bonum est in oculis suis faciat. *Item cùm illi nuntiaret quidam, filios suos in bello miserabiliter corruisse, sustinuit. Verùm cùm huic cladi æream Dei captam ab hostibus adeciſſet, tunc præ mœroris magnitudine obtenebratus senex, cecidit de sella retro iuxta ianuam, & contritum est dorsum* D *eius. Senex enim erat grandæuus, & honorabilis, & ipse iudicauit Israel viginti annis, qui sine querela genus Hebræorum texerat, & nihil excusare potuit, quò minùs, quia illi cura non fuerat diligentissima, & vehemens salutis filiorum, miserè, & infeliciter periret. Qua ergo nos animaduersione puniemur, qui & eo tempore nati sumus, quo longè maior à nobis philosophiæ fructus postulatur, & senis huius virtute non parum inferiores sumus, quippe qui non tantùm liberos nostros non moderamur, neque ad virtutem dirigimus; verùm eos quoque qui id facere voluerùt hostium vice oppugnamus, & barbaris immaniores erga natos nostros sumus? Illorum enim feritas vsque ad captiuitatem, vastitatem patriæ, & corporis mala fœuit: vos autem ipsum animũ in seruitutem abducitis, & veluti captiuum quemdam vincientes, ita demum nequissimis dæmonibus traditis: cùm enim nihil quod ad spiritum pertineat monetis, neque alios id efficere permittitis, nihil profectò agitis.*

Nec id mihi aliquis obiciat, quod plerique circa filiorum curam longè negligentiores, quàm Heli, nihil tale perpessi sunt, quale Heli: multi enim sæpenumero multa ob id facinus acerbiora, & diuina passi sunt. Vnde enim acerbæ, & intempestiuæ mortes? vnde morbi grauissimi, ac perpetui, plerumque nobis, & liberis nostris inferuntur? Vnde damnis & incommodis afficimur? vnde casus varios, vnde calumnias, vnde mala innumera quotidie perpetimur? nónne quia filiorum curam minimè habemus? Atque quòd ista inanis coniectura non sit; senis huius casus, & euentus confirmare nobis poterant: cæterum dictum Sapientis accipe, Ne lætèris in filijs impijs; & nisi *Eccl. 16. 1.* fuerit in illis Dei timor, ne confidas illorum vitæ: ingemisces enim intempestiuo luctu, & consestim illorum scies consummationem. *Plurimi ergo, vt dixi, eiusmodi multa perpessi sunt. Quod si aliqui effugere sorte visi sunt, hi non in finem penitus, sed in capitis sui malum effugerunt: acerbiores enim, & diriores, eum excesserint è vita, pœnas luent. Cur autem (inquies) qui huiusmodi sunt, non hîc supplicijs afficiuntur? quia scilicet Deus diem statuit, in qua iudicaturus est orbem vniuersum: hæc autem dies nondum adest. Præterea si istud fieret, iam diu absumptum fuisset mortalium genus. Cæterùm vti ne istud contingat, nec plurimi ex dilatione iudicij pigriores fiant, assumit quosdam interim Deus, & eos hîc pœnis excrucians, per illos admonet reliquos, quæ nam illos, quantaque supplicia maneant. Et vt addiscant, quòd etsi hac in vita nulla animaduersione plectantur, post eorum excessum punientur, & quidem longè grauiùs, ac duriùs: non enim personarum acceptor est Deus, vt, qui Heli minora peccantem cum domo tota euertit, is eos qui longè maiora & grauiora delinquerint, immunes esse permittat.*

Præterea Abraham tum ex virtutibus reliquis, tum ex cura filiorum Deus laudauit: cùm enim dona eius prosequeretur, quæ se illi daturum pollicebatur, causam quoque adiecit, & dixit: Noui enim quòd Abraham præcepturus sit filijs *Gen. 18.* suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, *19.* & faciant iudicium & iustitiam.

At, inquis, non ego valeo filio talia suadere: nihil est, quod ego parenti minus concesserim: nam eo quod eum tenerum acceperit, & primus omnem huiusmodi instruendi facultatem nactus sit, & semper illum domi secum contineat, & bellissimè illum & facillimè imbuere, ac moderari potuit. Itaque ideo filij peruersi fiunt, quia eorum patres circa præsentis vitæ commoda plus æquo incumbunt, & fere dixerim, insaniunt. Cùm enim ea ardenter inquirunt, & suam & filiorum negligunt animas. Hi parentes patricidis immaniores sunt: illi enim animam à corpore separant, isti corpus, & animam æternis ignibus tradunt, & is, qui necatur, necessariò naturali lege, etiam si necatus non fuisset, moreretur: hic verò sempiternam mortem vitare potuisset, nisi hanc illi conciuisset paterna negligentia. Præterea corporis mortem superueniens resurrectio deleret; animæ verò interitum nihil potest solari. Deteriores ergo hi patricidis: neque enim ita crudele facinus gladium in filij guttur immittere, vt animam perimere.

Denique audias patres, cùm ad studia literarum liberos hortantur, huiusmodi verba illis iugiter insusurrare. Ille (inquit) humilis, humilique loco natus, quia rectè literis operam dedit, summos magistratus administrauit, opes acquisiuit, vxorem accepit diuitem, construxit præclaras ædes, & summa in gloria versatur. Alius rursus: Ille Latinâ linguâ eruditus in regia clarissimus est. Alius item alium in medium adducens, proponit ad imitandum, & cumulti insignes, & claros viros in sæculo commemorant, cælestis verò conuersationis, cælestiumque bonorum nulla prorsus mentio. Cùm ergo hæc doctrina teneros filiorum animos imbuitis, & rudes adhuc aures excantatis, profectò nihil eos aliud quàm materiam malorum omnium docetis, duos istos illis violentissimos amores inserentes, pecuniarum scilicet, & qui longè pernitiosior est, lenissimæ, & insanissimæ gloriæ: & cùm qui ibet horum seorsum cuncta peruertere vi sua sufficiat, quid tandem ambo facturi existimantur, si simul in vnum coeant. sicque in iuuenis animum irruant mollissimum atque tenerrimum? Qui enim pecuniæ amore rapiuntur, inuidi, & detractores, periuri, temerarij, audaces, maledici, fures,

fures, impudentes, ingrati, mala denique omnia sint, necesse est. A
2. Tim. 6. Horum teste est Paulus, qui radicem omnium malorum cupiditatem immodicam esse ait, & prius asseruit Christus, impossibile quidem esse Deo seruire, & mammonæ. Dices à semetipso filius virtutem addiscet: Sed iuuenis sibi nō sufficiet ad virtutem conquirendam, & exercendam, sed & si quid strenuum atque illustre conceperit, priusquam germinet, verborum tuorum imbre suffocabitur. Vt enim corpus, si salubribus cibis non fruatur, & insalubribus nutriatur, longo tempore subsistere, & durare non potest: sic anima, quæ huiusmodi doctrinis fuerit imbuta, nihil altum, nihil magnum poterit cogitare, sed languida, & mollis, & vitijs infecta erit, & in æternum peribit.

Luc 6. 25. Aliquantò altius id consideremus ex Euangelio. Væ, inquit, ridentibus. *Vos illis quotidie immumeras ridendi occasiones*
Luc 6 26. *præbetis.* Væ diuitibus, *Vos contrà, vt illi peculiosi, stant vniuersa molimini.* Væ, cùm benedixerint vobis homines: *vos autem sæpe, vt laudes fauoresque populares consequantur, omne patrimonium effunditis. Rursùm,* Qui fratrem contu- B melia affecerit, sempiternis ignibus obnoxius sit: *vos autem & imbecilles esse putatis, & timidos, qui tacitè sibi illatas contumelias ferunt. Imperat Christus pugna, & vltione abstinere: vos autem huiusmodi pestibus illos enutritis. Oculum ille, si nocaat, eruendum iubet: vos eis maximè amicus vtimini, qui peccatas dare amplissimas potuerint, et ausi supremum victoriam docerant.* Qui amat, inquit, animam suam perdet
Matth 6. 13. *eam: vos ad illius amorem illos semper hortamini.* Si non dimiseritis hominibus peccata illorum, nec Pater vester
Ioan. 12. 26. cœlestis dimittet vobis, *ait Christus. Vos quoties eos, qui res iniurijs lacessiunt, vlcisci noluerimus, ignauiam nobis exprobratis, vtque filij vestri maturè se vlcisci possint, omnem curam adhibetis. Rursus* manis gloriæ cupidos cuncta sine mercedis fructu gerere Christus docuit, siue illi ieiunauerint, siue orauerint, siue miserti fuerint. *Vos contrà, vt hæc frui valeatis, nihil omittitis;* Et quid me necesse est profequi vniuersa? *cum ista quoque, quæ dicta sunt, gehennas innumeras inferre idonea sint, non modo si cuncta simul, verùm & singula seorsum? & vos simul congeritis omnia, & imponentes peccatorum onus impossibile, ita demum in flumen immittitis igneum.*

Præterea vitia fauorabilibus appellationibus obducitis; spectaculis interesse vrbanitatem, & facetias vocatis; diuitias effundere, liberalitatem; gloriam amare, magnanimitatem; arrogantiam, confidentiam; prodigalitatem, clementiam; iniustitiam, fortitudinem esse asseretes. Virtutem autem contrarijs nominibus obnubitis: pudicitiam enim vocatis rusticitatem; modestiam verò formidinem; iustitiam verò imbecilitatem, & contemptum: fastidium gloriæ mundi esse animi seruilis existimatis, malorum autem tolerantiam, ignauiam, & infirmitatem; tanquam metuentes, ne, si veram, & propriam harum rerum appellationem ab alijs audierint, effugiant huiusmodi pernicies filij: neque enim parum confert ad cuitationem mali proprias vitiorum proferre appellationes. vnde cupidum quemque, ebrium, superbum, & omnes huiusmodi peccantes videbis, non tam opere ipso uefario, & multitudinis opinione mordere ac dolere, vt appellationibus propijs operum suorum; verum & vos istud remedium sustrebistis. D

Præterea, vt serum, vt equus optimus, & vestis pretiosissima filio sit, omnia facitis; vt autem ipse bonus, & probus sit, nec cogitare vultis, cunque, vt in domo statua opere antiquo admiranda consistat, & tecta aurea rutilent, cuncta molimini, pretiosissimam omnium imaginum animam, quatenus aureum efficiatis, nullam curam gerere vultis.

Deinde filios diuertos, & liberalibus studijs excultos fieri cùm vultis, non ea solùm, quæ huic eruditioni impedimento esse possunt, resecatis; verùm cuncta, quæ ad eam assequendam conferre possunt, solicite paratis, pædagogos, & magistros illis procurantes, & sumptus suppeditantes, & a rebus cæteris otium præstantes, eisque intentius acclamantes, & studiosius, quàm in Olympicis certaminibus pædotribæ faciunt, inopiam, quam imperitia, copiaque, quas parit eruditio, commemorantes, & cuncta per vos ipsos, & per alios agentes, ac dicentes, quibus illos ad finem destinati studij perduci posse arbitramini, & nec sic quidem voti compotes efficimini. mores verò bonos vero illis prouenire arbitramini, cum tot, ac tanta sint, quæ illos corrumpant, & intercipiant? Quid autem absurdius quam quod ad, quod leuissimum est, maximo dignemur honore, ac studio, quod verò longè difficillimum & grauissimum est, ad dormientibus contingere existimemus? Virtus enim animi litterarum eruditione tantò difficilior, & operosior est, quantò facere, quam discere, difficilius.

Præterea si quis corporis incommodo laborare filium videret, cuncta moueret, & geret, quibus recuperet eum; animæ verò morbo quum illi grauissime laborent, non existimant curatione eis opus esse, & patres se vocare audent.

At verò, cùm parentes ipsi qui verum sæcularium peccatorum fecerunt, qui rebus ipsis, quam sit friuola, & nulla vitæ nostræ utilis voluptas, didicerunt, adeò insanant, vt filios quoque ab eadem trahere nitantur, & cum se ipsos ex his, quæ antea pec. fuerunt infelices agnoscere deberent, filios in easdem miserias precipitant: atque ista cum tam mors victima est, & iudicium horribile, dique illi cruciatus; quænam excusatio reliquuntur, quæ venia, quæ misericordia? Neque enim suorum tantum peccatorum pœnas dabunt, sed eorum quoque, quæ filij peccaturi erunt.

Sed dices, nunquid non licebit hanc philosophiam exercere filio, cum ad senectutem peruenerit? At non sumus domini præstituti ac definiti vitæ nostræ temporis. Quod & Paulus admonuit, dicens: Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. *Neque turpius in eadem semper alacritate propositi cogitationis nostræ perseuerant: quocirca sapiens quidam admonet, dicens:* Ne tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die Eccli. in diem, ne fortè cùm tu moram trahis, conterarit, & in tempore vltionis pereas. *Nempe si nihil horum quoque incertum esset, ne sic quidem liberos nostros differre deberemus, ne tanta detrimenta, quanta, dicemus, ex tali dilatione prominant. Esset & stultum & immane, si, cùm iuuem esset opus adutorio, & inimicus illi immineret, huberemus quietum tempus agere ea, cùm verò vulneribus confossus iaceret, non surgere, ac se armare hortaremur.* C

At dices: tunc erit luctæ leuior, & dimicatio facilior, non voluptatibus extinctis. Sed quænam tunc dimicatio, cùm nemo sit compar, qui nos prouocet, nullus qui prælio lacessat? ita quidem nec coronis illustrioribus donabimur. Beatus enim, inquit, qui tollit iugum graue ab adolescentia sua: fedebit solitarius, & tacebit. *Hic planè, hic miraculis innumeris dignus est, hic laudari, & beatissimus dici meretur, hic rebelles & insanos motus naturales ratione frænare perrexit, & in ipso impetu tempestatis illæsam nauem seruauit. Verum non inde contendamus. si esset in potestate nostra certaminis tempus, nec liceret expectare possemus. Sin verò per omnem vitam nobis dimicandum est, & a prima statim ætate inchoandum, cum decem annorum esse cæperimus, ex ea quippe ætate eorum vllinum quæ peccauimus, rationem reddituri, & pœnas daturi sumus: Quod insuuant pueri illi, qui, quòd Elisæum irrisere asæ sunt, vrsis deuorandi permissi memorantur: & nunc ex eadem ætate in acie est standum, quando bellum aduersus nos grauissimum, pa tu ratione tempus illud certaminibus statim? Quo, oro, nisi immicus belli rabie diri ignis, pugnantem exuit animis, & ita hostilem manibus tradit? Iuuenis, ais, est, & imbecillus; nónne idcirco maiori cautione, & securitate illi est opus, & non mundanis negotijs ita incumbere, neque in medijs mundi fluctibus versari? tu verò contrà penitus, quibus bellum acrius instat, & per ætatem, & per imbecillitatem, & per imperitiam, & rei nouitatem, eos, quasi iam perfecti bellatores sint, & rei militaris peritissimi, firmissimisque viribus subnixi, in medium certaminis perrabis, nec permittis, vt plus virium sibi per exercitationem comparent.*

Præterea, qui ad finem vitæ huic Philosophiæ operam dare aggreditur, in hoc tempus omne conterit, vt posit ea, quæ in priori ætate commissit peccata, diluere, & nec sic quidem sæpenumero illi, quantulum satis est, temporis suppetit, sed ex hac vita proficiscitur vulnerum reliquias secum ferens. At verò qui a prima statim ætate se exercuit, & vires sibi ad certandum comparare studuit, non in hoc tempus consumit, nec sedet vul-

nera curans, sed ab ipsis iam tyrocinij sui rudimentis meretur, & accipit palmas, & illi quidem satis videtur, eas pugnas omnes, in quibus fuerat victus, repetita dimicatione superare, hic, verò ab ipso fere pueritiæ aditu & limine, tanquam è carceribus emissus, & ad calcem cursu perpetuo properans, fundit hostem, & victorys victorias iungit; & velut Olympici certaminis victor à primæ ætatis flore per buccinationes ad senectutem proficiscitur, innumeris coronis insignitus. Quorum igitur in ordine constituere manus filium tuum? eorumne, qui ob ingentem virtutem in ipsos etiam Archangelos defigere obtutus valent, an eorum, qui cum omnibus stant, & extremum ordinem obseruant?

Dices, iam te aliqualem curam adhibere, vt filij virtutem addiscant: sed quam imiquam est, vt assequantur studia liberalia, longo eos tempore patria arcere, & vt autem aliquam mechanicam addiscant, sic domum tuam accedant, interdicere: nihil verò huiusmodi, vt cœlestem philosophiam consequantur. Atque is quidem, qui per extensum funem ambulare docetur, vt eius rei peritus fiat, non parvo tempore, & domo, & patriâ se abdicauit: nos autem eos, qui ad cœlos volare discunt, domi claudimus? Quòd si ad summam virtutem profecerit filus tuus, commune lucrum erit, & patri, & matri, & familiæ, & ciuitati, & gentibus omnibus omnino; sin verò minus perfectus fuerit, vidiculus erit, contemptus, abiectus, sibique ipsi, & alijs noxius. Non igitur illis tanti detrimenti causa sitis.

Præterea non tunc liberis nostris timores intendandi sunt, cùm ad viriles peruenerint annos, sed cùm pueritiæ ætatem agunt, moderandi, & instituendi sunt, nec positea vnquam opus habebunt minis: ac si medicus aliquis languenti ægroto nihil dicat, & nihil, per quod curari possit ab agritudine, ostendat; cùm verò perditus tam fuerit, & insanabili morbo comprehensus, tunc multas remediorum leges constituat.

2. *Quantùm verò huiusmodi cura profit, hoc exemplo confirmemus, & alta consultio omnis. Anna illa mater Samuelis, cùm illum edidisset, nec alium speraret se parituram (hunc enim tandem post multas lacrymas vix acceperat: erat enim sterilis) id solùm tempus eum apud se morari permisit, quo lacte nutriri opus habuit, ablactatum verò statim obtulit Deo, nec iam paternam vt reuiseret domum, orauit; sed semper in templo Dei ille morabatur, & eum si quando illa videre cupiuisset (mater enim erat) non ad se vocabat filium, sed ad illum vnà cum patre ascendebat: illo, tanquam iam Deo consecrato, abstinens. Adeo verò magnus, & strenuus adolescens ipse factus est, vt Deum, qui iam Hebræis visionem nullam reuelabat ob eorum peccata, meritis virtutis suæ attraxerit, persuaseritque ea omnia, quæ antea solebat exhibere, prophetiam quoque, quæ diu auolarat, restituere. Nec ista tunc solum valuit, cùm ad maturam ætatem peruenisset, sed etiam cum puer adhuc esset. Non enim erat (inquit) visio, & verbum pretiosum non erat: illum verò Deus iugiter colloquo familiari dignabatur, ac per illum frequens oracula edebat: tantum confert emolumenti Deo semper quæ possederimus, concedere, non solùm pecunias, sed filios etiam. Nam si hoc in anima nostra facere iubemur multò magis in cæteris omnibus. Hoc enim & Abraham Patriarcha fecit; imò verò multò maius aliquid. Idcirco longè etiam maiori cum gloria filum recepit: tunc enim maximè & verissimè filios habemus nostros, cùm Deo tradiderimus illos. Iob quoque sanctissimus, vir fuit; quum eum ex virtutibus reliquis Scriptura collaudet, quòd scilicet fuerit iustus, quòd verax, quòd religiosus, quòd pius; tum ex eo maximè quòd filiorum optimè nutriendorum habuerit summam diligentiam. Non enim illâ curâ vtebatur, vt aurum illis copiosissimum acquireret, non vt humanâ gloriâ eos illustres, & venerandos cerneret: sed quid? Scri-*

3. 1. 5. *pturam audi: Cùm consummati, inquit, essent dies conuiuij, mittebat Iob, & purificabat eos, & consurgens diluculò, offerebat pro eis sacrificia ad numerum ipsorum, & vitulum vnum pro peccatis, pro animabus eorum: dicebat enim in corde suo, ne fortè filij mei in mente sua cogitauerint mala aduersùs Deum. Vllane erit nobis excusatio, quando is, qui ante gratiam, & ante legem fuit, qui nullo sacrarum literarum magisterio instructus erat, tantam filiorum ostendit & gessit prouidentiam, vt de incertis quoque eorum & occultis tremeret, paueretque delictis? Quenam ergo nos excusabit ratio, qui cum simus sub gratia, non modo pro occultis, & incertis filiorum peccatis non metuimus, verum aperta quoque & manifesta contemnimus?*

Denique si eum, qui vnum scandalizat, molà in mare præcipitari expedit; quæ tandem pœna, qui cruciatus illis satis erunt, qui tantiam tantam, & immanitatem in proprios liberos ostendunt? Ita S. Chrysostomus.

Prop. XVII. *Quantum ad bonam filiorum educationem conducat æqualem amorem cunctis filiis ostendere.*

Gen. 37. 3. Gen. 37. *Israel diligebat Ioseph super omnes filios suos, fecitque ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres eius, quòd à patre plus cunctis filijs amaretur; oderant eum, nec poterant ei pacificè loqui quidquam.* Quid inde consequutum fuerit, notum est: non iudico modò an in hoc errauerit Iacob, vel an à diuino Spiritu ductus hoc fecerit; solummodo nunc expendo, quòd ex illa ostensione maioris amoris parêtis odium, & liuor, & ferè mors Iosephi fuerit in cordibus fratrum consequuta, & tandem venditio & grauissimus patris dolor.

S. Ambr. Vnde S. Ambros. lib. de Ioseph Patriarcha c. 2. *Amor patrius, nisi moderationem teneat, liberis nocet; si autem nimia indulgentia dilectum resoluat, vt prælatio vnius cæteros ab effectu germanitatis auertat; plus acquiritur filio, cum fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patris, hæc ditior hereditas filiorum. Tungat liberos æqualis gratia, quos iungit æqualis natura.* Ita S. Ambros. Etenim si mutuo se amore fratres dilexerint, parentibus mortuis, naturale vinculum fraternitatis & mutuus insuper amor faciet, vt sibi inuicem facilè subueniant, cùm fuerint in necessitate aliqua constituti. Possunt tamen parentes interiùs plùs diligere eos qui maiori sunt digni amore, & eos ad maiora prouehere, qui ad maiora sunt apti, eo modo quo Matathias Machabæus fecit, 1. Mach. 2. v. 65. prudenter tamen; & similiter si quis filiorum deliquerit, strictiori disciplina cum gubernare.

Prop. XVIII. *Educandi sunt filij in timore Dei.*

Simile. SVnt nonnulli parentes qui filios suos tunc amare se censent valde, cùm eos ad libitum viuere permittunt, & in omnibus indulgent, &c. cùm potiùs tunc eos odio prosequantur. De pelicano sic S. Epiph. S. Epiph. in Physiol. *Præ omnibus volucribus pelicanus est prolis amans. Fœmina nido incubat, nullos suos custodiens, eosque fouet amplecti turque, & nimiis osculis sauciat: vostro enim perforat eorum latera, & sic illi moriuntur; post tres verò dies accedit mas pelicanus, & mortuos inueniens filios, valde angitur, & dolore impulsus, proprium percutit latus ac terebrat, emanatque sanguis, quem super mortuorum vulnera instillat, qui sic vitæ restituuntur.* Ita ille. Vbi nota matrem esse, quæ nimio amore perimit filios: sic etiam inter nos matres indulgentiores ergà filios sunt, & amore fœmineo eos ita diligunt, vt hac ratione filij effœminatos imbibant mores, & audaciores ad vitia sint. Tunc igitur accedat pater, & tanquam pater pelicanus, si oportuerit, sanguine proprio effuso, ad vitam animæ filios reuocare contendat, refrænet impetus pueriles, puniat, & errata debito moderamine castiget, ne simul cum filijs in æternum pereat.

PROP. XIX. *Ad bonam filiorum educationem orandus est Deus, quia donum Dei est bonos habere filios.*

Gen.17.1. GEnes.17.sic Dominus ad Abraham: *Ambula coram me, & esto perfectus, & multiplicabo te vehementer nimis*; id est, multiplicabo genus tuum. Cur non dixit: *Multiplicabo* filios tuos, sed, *te*? Procopius ibidem, quia Abrahamus sic multiplicatur, vt quasi plurimi futuri sint Abrahami: nam ex ipso prodituri sunt sancti. Ita ille. Et idem ait Glossa interlinearis: *Multiplicabo te in imitatoribus fidei tuæ.* Ita Interlin. Potest quidem & debet pater sanctè educare filios, vt sancti sint; videmus tamen nihilominus filios post bonam educationem euadere malos. Vt igitur sancti sint, oportet parentes viros bonos esse, & Deo filios commendare; tum vt exempla sua filij imitentur: plùs enim mouent exempla, quàm verba, & quàm verbera etiam; tum vt à Deo impetrent filiorum sanctitatem. Ideo priusquam diceret Dominus: *Multiplicabo te*, dixit: *Esto perfectus.* Oret igitur bonus pater pro filijs Deum tanquam sanctitatis fontem. Sic faciebat S.Iob c.1. non enim solummodo sanctificabat filios verbis, sed etiam assiduis sacrificijs oblatis Deo, atque ideo probos habuit filios.

ELECTIO.

PROP. 1. *Eligendus est dignior.*
2. *Ad dignitates Ecclesiæ eligendus est doctior, cæteris paribus.*
3. *Quàm graue malum sit eligere indignum*
4. *Ad dignitates non sunt communiter eligendi consanguinei.*
5. *In electione bona superiorum maxima est adhibenda cura.*
6. *Nemo debet inuitus eligi communiter loquendo.*
7. *Iniusta electio ipsimet electo dedecori est.*
8. *Dedecet dignitas indignum*
9. *Affectus immoderatus est causa mala electionis.*
10. *Electio indigni magna parit nocumenta.*

PROP. I. *Eligendus est dignior.*

Matt.20. 21. DIc vt sedeant, &c. Cur primas sedes à Christo petere pro filijs suis ausa est mulier ista? nimirum, quia consanguinei Christi erant, & fortè mater Christo Domino de facultatibus suis seruiebat: hæc sunt quæ multis ansam ambiendi dignitates præbent, consanguinitas scilicet & dona: nam propter hos humanos respectus, & affectus electores eligere solent, non digniores, sed sibi chariores.

Benedictionem suam volebat Isaac filio suo Esau exhibere, & licèt ratione primogenituræ ei benedictio congruebat, non erat tamen ille dignior, sed Iacob, vt ex facto constat: prælegit enim Deus Iacobum. cur igitur pater sic absolutè voluit Esau benedictionem præstare? Theodoretus quæst.77.in Gen. *Auxit amoris Isaac in Esau occasionem, quia officiosus ille erat patri: venatio enim illius ei erat in cibum.* Ita ille. quamuis sanctus & rectus erat Isaac, amorem eius venatus fuerat Esau venationibus & donis suis. Ecce quantam vim habent ad animos permouendos obsequia & dona.

S.Bern.ad Eugen.lib.3.de Consid. *O miseranda sponsam Dei Ecclesiam, talibus traditam paranymphis, qui assignata cultui Ecclesiæ proprio retinere quæstui non verentur! hi non amici, sed æmuli sunt.* Ita ille. *O iglesia de Dios, esposa de Christo, entregada la veo a tales paranymphos, y ministros, que por haz.erse, y componerse asi la deshaz.en y componen a ella. estos son amigos de Christo? no son por cierto, sino æmulos y enemigos.* Et subdit S.Bern. *Totum honori datur, sanctitati verò nihil, aut parum.* Ita ille. *Todo se da a los principales y a los mas poderosos y honrrados, con la mayor virtud y santidad ninguna o poca cuenta se lleua. Elige ergo illos,* (subdit) *ô Eugeni, qui de patrimonio crucifixi non se vel suos ditare festinent.* Ita Sanct.Bern.

Vnde Christus Dominus sic ad duos illos discipulos: *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Quòd si quæras quibus paratum est à Patre? notum est, illis esse paratum, qui suis meritis eas sedes promeuerint: sic enim elegit Deus homines ad cœlestes sedes; & cùm metrum & mensura omnium electionum ille sit, sic nos eligere docuit, vt scilicet secundùm vniuscuiusque merita ad sedes Ecclesiæ vel reipublicæ prouideamus, & eos eligamus.

Assumpsit Moyses fratrem suum Aaron in sacerdotem summum: poterat autem quis suspicari electionem hanc in sanguinibus fundari, & elegisse Moysen, non quia dignus, sed quia frater erat, & ita non ex Deo electionem illam, sed ex carne, & sanguine promanasse: vt igitur ostenderet Deus electionem illam rectam fuisse, audi quid diuina dicat Scriptura: *Loquere ad filios Israel, & accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, & eunctis principibus tribuum virgas duodecim: nomen autem Aaron erit in tribu Leui, &c. Quem ex his elegero, germinabit virga eius, & cohibebo à me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant. Sequenti die regressus Moyses mortui germinasse virgam Aaron, & turgentibus gemmu eruperant flores, qui folia dilatatis in amygdala deformati sunt.* Caueant qui electores sunt, ne in electionibus suis scandalum præbeant: quòd si consanguineos eligere velint, tales sint quos ipse populus dignos videat esse.

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hod.e genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Quod si Christus Dominus non se inseruit vt Pontifex fieret, cùm Christus esset, audes tu episcopatum, & publicas ambire dignitates?

Vt igitur electores in suis non aberrent electionibus, in eos potissimùm oculos conjicant, qui homines virtute præditi, & bonæ voluntatis sint, licèt in literis non ita polleant: nam bona voluntas defectus intellectus supplere solet; bonus verò intellectus non ita defectus voluntatis.

Surius 1.Tom.in mense Ianuario de sancto Wolstano Episcopo Vicigornensi in Anglia, sic scribit. Cùm Willielmus rex, insufficientiam literarum, & Gallici sermonis imperitiam prætendens, Wolstanum Episcopum officio priuare niteretur; conuocato Concilio, iubet Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis venerabilem virum Wolstanū baculum resignare cum annulo: vir autem Dei nec vultu mutatus, nec animo, erexit se, & virgam pastoralem manu tenens, dixit: Verè, Domine Archiepiscope, verè scio, quia nec hoc honore dignus sum, nec huic oneri aptus, nec sufficiens labori: sciebam enim hoc, cùm me eligeret clerus, cùm Episcopi cogerent, cùm me Dominus meus rex Eduardus, iam vitâ functus, ad hoc officium inuitaret, ipse authoritate sedis Apostolicę in meos humeros onus hoc reiudicit & per hunc baculum me Episcopali gradu inuestiri præcepit. nunc tu pastoralem virgam exigis, quam non tradidisti, officium adimis, quod non contulisti. & ego quidem insufficientiam meam non ignorans, & huic sanctæ Synodi sententiæ cedens, resignabo quidem baculum, non tibi, sed ei cuius authoritate illum suscepi. His dictis accedens ad tumulum Sancti Eduardi, & stans ante sepulchrum, dixit: Tu scis, Domine mi, quàm inuitus hoc susceperim onus, quoties subterfugerim, quoties me, cùm quærerer, absentauerim. fateor, insipiens factus sum, sed tu me coegisti: nam licèt non deesset fratrum electio, plebis petitio, Episcoporum voluntas, procerumque gratia; his tamen omnibus

bus præponderabat authoritas tua, tua me voluntas vrgebat: & ecce nouus rex, noua lex, nouus Pontifex, noua iura condunt, nouas sententias promulgant, te erroris arguunt, qui iussisti me eligi: & tunc quidem falli potuisti, vt homo, sed nunquid etiam modò coniunctus Deo? Non igitur illis qui exigunt, sed tibi qui dedisti, & iam tenebras erroris euasisti, tibi, inquam, baculum religno, tibi curam eorum, quos mihi commendasti, dimitto, tibi securè committo, cuius ego merita non ignoro. Hæc cùm dixisset, eleuata paululum manu, in lapidem, quo sanctum corpus tegebatur, baculum infixit, dicens: Accipe mi rex, & cui volueris trade illum, & exutus pontificalibus inter monachos ipse iam monachus simplex resedit. Admirabantur omnes virgam sic lapidi immersam, & quasi radicibus firmaretur, non moueri, cùmque baculum tentantes nulla ratione mouere possent; res defertur in Synodum, & Gundulphus Episcopus Roffensis, à Lanfranco missus est ad sepulchrum: qui cùm baculum nullatenus mouere valeret, Lanfrancus nouitate miraculi obstupefactus, vnà cum Episcopis, & rege ad tumulum properans, facta oratione manum frustra ad eruendum baculum apposuit. Exclamat rex, orat Pontifex, & ad sanctum ait: Verè iustus Dominus, & cum simplicibus graditur, & cum humilibus sermo eius; derisa est à nobis frater tua simplicitas sancta, sed eduxit Deus quasi lumen iustitiam tuam; authoritate proinde quâ fungimur, imò diuino iudicio, quo conuincimur, curam, quâ te inconsultiùs eruimus, iterum tibi committimus & imponimus. Ille verò insufficientiam suam prætendens, asserit in loco sancto ministrum sanctum statuendum esse. victus tandem instantiâ precum, coram omnibus ad sepulchrum accessit, virgam manu tetigit, & mox manum eius secuta, ac si molli luto fuisset impressa, desilijt. Lanfrancus ergo ad pedes eius prouolutus, fatetur delictum, veniam implorat. Ita Surius. Ecce quomodo in huiusmodi electionibus potiùs sanctitas vitæ, quàm literarum peritia sit attendenda: Deus enim tunc, & bona voluntas literarum defectum supplent, licèt vtrumque requiratur & cùm vtrumque possit reperiri, &c.

Porrò damnanda est iniusta electorum, quando sine delectu, vel ferè sine illo, eos eligunt, quos affectus, non veritas dictat dignos esse.

Et quod peius est, cum electorum, & patronorum, qui ad electionem concurrunt, indignos præsentando, peccatum publicum, & in damnum publicum sit, nullo modo se corripi à Dei concionatoribus, & Dei ministris patiuntur, quasi melioris conditionis sit eorum peccatum, quàm ministrorum Dei reprehensio, & vulnus quàm medicina, & eorum iniuria sit, Dei iniuriam in eos vindicari.

Væ autem ministris Dei, qui ob huiusmodi timorem tacent: audiant hi Dominum sic per Isaiam clamantem: *Speculatores eius cæci omnes, canes muti non valentes latrare.* Si pastor canem aliquem ad custodiam duceret ouium, & ipse canis sub tegmine fagi iacens, videret lupum venientem, & dilaniantem oues; ipse verò sub vmbra quiescere volens, non accurreret, imò nec aduersùs lupum latratum emitteret, quid de illo faceret, & diceret pastor? *Mastin falso, de malos lobos seas comido, vees venir al lobo, y leuantando la cabeça, vees la riçia que en las ouejas haze, y sin dar siquiera vn ladrido, tornas à reclinar la cabeça à la sombra de la haya, espera que colgado de la mesma haya melo pagaras,* &c. Audisti parabolam, intellige in ea periculum tuum, oues Christi sanguine suo emptæ, & signatæ tibi à Deo commissæ sunt, times, sicut degener canis, luporum dentes, non audes aduersùs magnates, & principes mutire, ne contra te insurgant, lues pro merito pœnas, & meritò quidem: non enim oues syluestres, sed spirituales, & omni pretio maiores tibi traditæ sunt, & times potestatem humanam & non diuinam? Cùm igitur in illam incideris, auxilium postulabis ab humana, surgat & opituletur tibi & in tanta necessitate protegat te constitutum, &c.

Qui ergo fidelis concionator, & minister Dei est, etiamsi ob id capite plectendus sit, latret, & mordeat cùm fuerit opus, & ratio, & prudentia id postulauerit.

Sic Sanctus Ioannes Baptista fecit, regem vidit, imò lupum regium, rapientem oues fratris sui, latrauit vt generosus, & fidelis Dei canis, imò & momordit, dicens: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui,* quid ais Ioannes sancte, quid ita latras? Rex est, regiam ergo reuerere, & venerare maiestatem. Hinc, inquit, non rex qui regat, sed lupus est, oues Domini dilanians. caue tibi; nam in caput tuum latras. latrabo, quia ouilis Dei canis, & custos sum. caput amittam, non autem debitum muneris mei omittam, si occidat, martyr ero: plùs igitur mihi dissimulatio, quàm mors nocere potest: nam silentium aduersùs animam meam erit, latratus, & mors mea in salutem animæ meæ. Et fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super gregem suum, occubuisti latrans, sed non ad insipientiam tibi: nam propterea hodie, & in æternum gloria, & honore in cœlis coronaris, & in terra.

Mirabile exemplum Ioannis, sed mirabilius Christi Domini, qui cùm Pharisæos, & Scribas, & principes populi Iudæorum peccantes videret, & munus illis à Deo commissum minimè exequentes, insurrexit, & eos, generationem malam, & adulteram, & hypocritas, & sepulchra dealbata, & homicidarum prophetarum filios nuncupauit; quid inde? odium eorum in se conciliauit, imò & mortem; mortem autem crucis inde sibi asciuit, ministris suis relinquens exemplum, vt sequantur vestigia eius, & potiùs eligant pro dilecto suo mori, quàm aduersùs peccantes in Deum non latrare.

Alioquin participes peccatorum à Deo reputabuntur, & grauiter ab eo punientur, quòd scilicet propter timores nocturnos rerum temporalium, reliquerint veritatem. *Qui timent pruinam, irruet super eos nix,* ait S. Iob. Quid sibi vult prouerbium hoc? S. Greg. 7. Moral. 12. sic explicat locum hunc: *Pruina inferius gelatur, nix autem de superioribus ruit, & sæpe nonnulli dum temporalia aduersa pertimescunt, districtioni æternæ animaduersionis se obiciunt. de quibus bene per Psalmistam dicitur:* Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. *Iste namque iam liberè veritatem defendere appetet, sed tamen in ipso desiderio suo trepidus, indignationem potestatis humanæ pertimescit: cumque in terra hominem contra veritatem pauet, eius, qui veritas est, sustinet celitus iram. Ille peccatorum suorum conscius, ea quæ possidet, indigentibus largiri desiderat, sed tamen ne rebus datis egeat, ipse formidat. Cumque carnis subsidia trepidus seruat, ab almentis misericordiæ animam necat. Et cùm in terra metuit inopiam pati, æternam sibi abundantiam supernæ refectionis abscindit. Recte ergo dicitur:* Qui timent pruinam, irruet super eos nix, *qui à quo concelcanda in imbris metuunt, à summis metuenda patiuntur: & cùm transire nolunt quod calcare poterant, iudicium de supernis accipiunt, quod tolerare non possunt.* Ita S. Greg.

Vt igitur ab eo, à quo digressa est loco, nostra reuertatur oratio, vna ex præcipuis violentijs, quas pati suggestus concionatorum potest, est, si principes, & potentes sæculi eos opprimant prædicatores, qui publica peccata ex officio reprehendunt. Quare ne timeat concionator, quia pro se Deum vindicem habet, vt constat in Propheta illo, qui contra regem Ieroboam coram eodem rege prophetauit: nam extendit manum rex, dicens: *Apprehendite eum.* Sed statim exaruit manus regis, quam extenderat contra Dei prophetam, nec valuit retrahere eam ad se. Vide quomodo concionatores suos vindicet Deus? Quid tunc rex? Et ait, inquit, rex ad virum Dei: *Deprecare faciem Domini Dei tui & ora*

pro me, vt restituatur manus mea mihi. sic, sic humiliat Deus eos, qui contra ministros suos, vera prædicantes, manum extendunt: orauit autem vir Dei faciem Domini, & reuersa est manus eius ad eum, & facta est sicut fuerat priùs, & dixit ad eum rex: *Veni mecum domum, vt prandeas, & dabo tibi munera.* Sic denique Deus, & homines eum honorant qui absque timore vera verè annunciat. *No teman, que ya Christo y su precusor san Iuan an tomado en el pulpito la posesion de dezir claramente la verdad a Reyes, y Iuezes, y Principes de la tierra, aunque sea a costa de la vida. no pierda la iglesia por su culpa esta tan sancta, y tan importante posession.* atque adeo electoribus iniquis se intrepidè opponere debent, quia in graue damnum publicum vergit iniusta ministrorum Ecclesiæ, & reipublicæ electio. A

Aureum sæculum erat (ait Seneca epist. 91.) *in quo honores inclioribus dabantur.* ex quo inferre possumus, ferreum sæculum, & luteum esse, secundùm vltimam partem statuæ Nabuchodonosoris, illud in quo indifferenter pro libito impertiuntur electores publica munia. B

Laudat S. Bern. ad milites templi, c. 4. de militibus ipsi dicens: *Personam inter eos non accipitur, defertur meliori.* Ita ille. Sic laudandi sunt optimi electores, reliqui vituperandi.

Prop. II. *Ad dignitates Ecclesiæ eligendas est doctior, cæteris paribus.*

Ad Ecclesiasticas dignitates nullo modo sunt eligendi homines imperiti, nam regimen animarum arduum, & perdifficile est, & homines sapientes, & prudentes requirit: vnde Sanctus Gregor. Nazianz. orat. 1. Apolog. *Difficile*, inquit, *est homini imperare, difficilimum homines instruere, & docere. Ars quidem artium, & scientia scientiarum mihi esse videtur, hominem regere, animal omnium maximè varium, & multiplex.* Ita ille. Quamobrem cùm Salomon regni gubernaculum tenere cœpit, ad sapientiam aspirauit, & 3. Reg. 3. 8. sic in principio sui regni Deum orauit: *Seruus tuus in medio est populi quem elegisti, &c. Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum, & malum,* & subdit: *Placuit sermo coram Domino, & dixit Salomoni, quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium, ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens,* &c. Habent hîc exemplum qui electi sunt ad regendum alios, quidà Deo postulare debeant, si indigent sapientiâ (quis autem est qui non indigeat?) postulent à Deo, qui dat omnibus affluenter. Habet etiam qui adhuc non habet gubernandi munus, quod in se inspicere debeat, priusquam illud intendat, scilicet si habeat eam quæ ad alios regendum requiritur sapientiam, quâ si se carere conspexerit, insipienter intendet munus. C

Hinc etiam est quòd Christus Dominus ascensurus ad Patrem, sic ad discipulos suos, *Ego*, inquit, *mitto promissum patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate, quoad vsque induamini virtute ex alto.* quasi dicat: Quamuis iam in Apostolos electi stis, & tempus instet eundi in mundum vniuersum ad docendas gentes, nolite id inchoare, donec veniat in vos Spiritus sanctus in linguarum forma, ipse vos docebit omnia, sicut ad munus Apostolicum vobis necessarium est: & tu audebis idem munus ignarus obire? D

Luc 24. 49.

Sanctus Cyrillus lib. 2. in Leuitic. & Origen. homil. 2. in Leuiticum, obseruarunt, quòd cùm cæteris defectibus & peccatis Deus remedium & oblationem assignauerit, si per ignorantiam, vel malitiam deliquissent, in peccato tamen Pontificis non addidit legislator, si per ignorantiam peccauerit, quasi nullo modo in prælatis sit admittenda ignorantia seu defectus ille sapientiæ ad suum munus requisitæ.

Vnde Sanctus Gregor. Nazianz. orat. 20. *Cum neque medici*, inquit, *neque pictoris nomen quisque vsurpet, nisi prius morborum naturas considerauerit, aut multos colores miscuerit, & varias formas expresserit penicillo; Antistes quidem facile inuenitur non elaboratus, sed recens factus, sicut poetæ gigantes fabulantur.* Ita S. Gregor. Nazianz. Fabula verò quam ad rem tangit, illa est de Cadmo Agenoris filio, quem apud Thebas vrbem dentes Draconis à se interfecti, seminasse fingunt poetæ, vnde statim gigantes pullularunt à capite ad femur vsque armati; qui eodem die inito prælio, seipsos mutuis vulneribus confecerunt. Sic igitur subitò factos magistros, & præsules deplorat Nazianzenus simul sanctos, & natos; vnde subdit: *Vno die sanctos fingimus, eosque sapientes, & eruditos esse iubemus, qui nihil didicerunt, & qui ad sacerdotium nihil prius tulerunt quàm velle.* Ita ille.

Qui etiam oratione 1. Apolog. post multa huic rei spectantia tandem concludit: *Papæ? quàm egregia præfectura, quàm excelsus animus, protinus Samuelem ab ipsis incunabulis sanctum in ore habemus, protinus sapientes sumus, & præceptores, & rerum diuinarum cognitione sublimes, nosque ipsos cæteris nostro cælestes designamus.* Ita Sanct. Nazianzenus.

Conueniens ad hoc est quod S. Bernard. epist. 11. ad Carthusienses, & epist. 42. ait: *Scholares pueri & impuberes ob sanguinis nobilitatem ad Ecclesiasticas dignitates promouentur, qui de sub ferula transferuntur ad principandum presbyteris, lætiores quòd virgas euaserint, quam quòd meruerint principatum.* Ita S. Bernard. Audiant hoc principes curiæ, & primarij viri, qui vix natis filijs dignitates Ecclesiasticas procurant, & beneficia congerunt eis Ecclesiastica, vt tanquam nobilium filij nobiliter ipsi viuant, & consanguineos redditibus Ecclesiasticis foueant, & inde ad Episcopatum, vel etiam Archiepiscopatum ascendant: meminerint se strictam super hoc reddituros esse rationem Deo, in die obtus sui. Meritò proinde dolens idem Sanctus Bernard. epist. ad Henricum Episcopum sic scribit: *Curritur passim ab omni etate, & ordine à doctis pariter, & indoctis ad Ecclesiasticos cursus, tanquam sine curis iam quisque victurus sit, cum perueniat ad curas.* Ita ille, & verè.

Quare meritò inuehitur S. Chrysost. lib. 3. de sacerdotio, in quorundam sententiam, qui dicebant, sat is esse ad præfecturam, & magisterium, si quis innocentiam vitæ, & magnam haberet charitatem, quòd etiam prosequitur lib. de sacerdot. & homil. 15. in 2. ad Cor. in morali, vbi ait: *Imperium tenere non dignitas tantùm est, sed ars etiam, & quidem artium omnium præstantissima & sublimissima: nam si profanum imperium ars est, & scientia omnium præclarissima, multò profectò magis hoc nostrum tantò quidem imperium illo præstantius, quanto illo reliquis antecellit, imò verò longè etiam magis.* Ita S. Chrysost. qui vt hoc explicet, longam ibi texit orationem, vide si libet, vbi concludens, ait: *Hoc imperium spirituale tantò ciuili imperio excellentius est, quantò cælum terrâ, imò etiam præstantius multò, quia qui hoc imperium gerunt, in maioribus rebus, & ad maiora commoda homines vegunt.* Ita Sanctus Chrysostomus.

Consonat S. Basil. quem citat Antohius Monachus tom. 1. Biblioth. Patrum, serm. 4. *Qui nauticam*, inquit, *consuetudinem laudat, quòd remum prius dederit ei qui puppi gubernator fit, capiunt erit, qui vix alicubi manus est, aut pes.* Ita ille.

Vnde rectè Sanct. Hieron. super illa verba Isaiæ 3. 7. *Non sum medicus, & in domo mea non est panis; nolite me constituere principem populi. Quanti*, inquit, *panem non habentes, cùm ipsi esuriant, alijs alimoniam promittunt, & plenis vulneribus medicos se esse iactant, nec seruant Mosaicum illud* Exodi 4. *Prouide alium quem mittas.* Ita Sanct. Hieron. Vbi nota quòd in sacris litteris nomine panis doctrina intel-

intelligi solet, vt ait Sanctus Chrysost. hom. 54. in Genes. S. Hieron. super id Amos 8.11. *Mittam famem*, &c. & ita hic S. Hieron. de pane intellectus seu doctrinæ, & arte medendi animas loquitur: sunt enim quamplurimi qui ambiunt Ecclesiastica munia, non ad aliorum profectum attendentes, sed commodo & honori suo. Væ his in die mortis suæ, &c. Vide in hoc puncto S. Greg. super 1. Reg. 2. in illa verba Domini ad Heli sacerdotem: *Honorasti filios tuos magis quàm me.* vbi rectè abusum huiusmodi prouehendi indignos ad munia sacra propter commoda temporalia notat, & reprehendit, & Sacra Scriptura id ipsum reprehendit in filijs Heli, quia nesciebant Dominum, nec officium sacerdotum. Vide quomodo hanc insufficientiam, & notauit Scriptura, & Deus acriter postea puniuit. 29.

Obseruatione dignus in hac re est locus ille Num. 27. vbi cùm Moyses se morti vicinum videret, sic Dominum affatus est: *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire, & intrare ante eos, ne sit populus Domini sicut oues absque pastore.* Cur Moyses non elegit vel aliquem ex filijs suis, vel ex filijs Aaron fratris sui, vel aliquem ex consanguineis, vel amicis suis, cùm ipse princeps supremus esset, ad quem ex officio talis electio pertinere videbatur? Perpendit hoc Philo lib. de charitat. & ait: *Non enim ausus fuit Moyses illis principatum committere, ne fortè opinione sua falleretur, non satis fidens humano iudicio, & ita nec sibi credens, supplex inuocauit Deum, vt ipse idoneum eligeret principem Israel.* Ita ille. Idem perpendit Orig. homil. 22. in Numeros dicens: Recessurus Moyses de sæculo, orat Deum, vt prouideat populo ducem. Quid agis Moyses? nunquid filij tibi non sunt, Gerson, & Eleazar? aut si aliquid de ipsis dubitas, non sunt filij fratris magni & egregij viri? quomodo non oras pro ipsis Deum, vt eos constituat populo duces? Sed discant Ecclesiarum principes successores sibi, non eos, qui consanguinitate generis iuncti sunt, nec qui carnis propinquitate sociantur, testamento signare, neque hæreditarium tradere Ecclesiæ principatum, sed referre ad iudicium Dei, non eligere illum quem humanus commendat affectus, sed Dei iudicio totum de successoris electione permittere. Ita Origen. Notanda insuper sunt verba illa Moysis, *Prouideat Dominus Deus spirituum*, &c. quasi dicat, tu Domine qui vsque ad interiora spiritus penetras omnem hominem, tu esto electo: homo enim videt in facie, tu verò Domine intueris cor: etenim nos corda penetrare nequimus, sed quia, communiter loquendo, opera testimonium perhibent cordis, ex operibus iudicandi sunt eligendi, non ex obligatione aliunde prouenientes, quàm ex bonitate subiecti, & prouideat, inquit, virum, virilem scilicet animum habentem, non puerum, non effœminatum, non ex his qui mollibus vestiuntur, & mollibus vescuntur, & mollia quærunt, sed virum virile pectus habens &c. hunc, inquam, eligi à nobis vult Deus, non eligatur ad regendum alios qui seipsum regere nescit. 10.

Hinc Salomon: *Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis: positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum.* Solet Salomon in hoc libro, cùm de huiusmodi malis mundi loquitur, dicere, *Est & aliud malum sub sole*, &c. at cùm de stulto in dignitate, & loco sublimi constituto agit, absolutè ait, *est malum quod vidi sub sole*, non dixit, aliud malum fortè, quia in cæteris malis, quæ proposuit, aliud simile reperire posset: at verò cum hoc malo non veniunt comparanda alia quæ dixit mala: sequuntur enim quamplura, & grauia mala ex huiusmodi peruersione in communitate, cùm quidem dignitas alta sit, stultus verò infimum quid, seu potiùs nihil; iuxta id quod asserit orans Esther: *Ne tradas Domine sceptrum his qui non sunt.* cui consonat quod de Theoda dicitur: *Ante hos dies exstitit Theodas, dicens se esse aliquem,* quasi diceret, ipse de se dixit, se aliquem esse, cùm nihil esset, siquidem non erat dignus dignitate Prophetæ, quam sibi vsurpabat. Ecce igitur quanta peruersio quantumque malum sit, stultum virum, qui est ac si non esset, in alto solio collocare. A

Quantum verò malum sequatur ex huiusmodi electionibus, patet ex illo, *In circuitu impij ambulant*, dum exaltantur ad honores dignitatum, & regiminis homines vilipendendi, tunc reliqui liberè vagantur, & procedunt ad libitum: nam in circuitu ambulare, olim in signum libertatis seruorum erat; quando enim seruus aliquis libertate donabatur, in signum acceptæ libertatis, in circuitu domini dantis libertatem, obambulabat. iuxta illud Persij, ps. 11.

quibus vna Quiritem
Vertigo facit, &c.

Clarius hoc dixit Seneca epist. 8. Vbi, *Philosophiæ*, inquit, *seruas oportet, vt tibi contingat vera libertas, non differatur in diem. Qui se illi tradidit, & subiecit, statim circumagitur.* Ita ille. Vbi verbum *circumagitur* libertatem philosophicam denotat. Est igitur Psalmi sensus, cùm solium regiminis occupat stultus, liberè degunt reliqui, ita vt sit pro ratione voluntas, & pro regula vitæ velle. B

Quare prudenter Cicero 1. Offic. *Suum*, inquit, *quisque nostrat ingenium, & acrem se iudicem honorum, & vitiorum præbeat, ne scenici plus quàm nos videantur habere prudentiæ: hi enim accommodatißimas sibi eligunt fabulas.* Ita ille. Et meliùs Seneca lib. de tranquillitate, c. 4. vbi ait: *Inspicere debemus primò nosmetipsos, deinde quæ aggredimur negotia, deinde eos quorum causa, aut cum quibus agendum est, & ante omnia necesse est seipsum æstimare, quia ferè plus nobis videmur posse, quam possumus.* Ita Seneca, de quo etiam vide S. Bern. epist. 11. ad Carthusianos.

Prop. III. *Quàm graue malum sit eligere indignum.*

PLutarch. in Apoh. regum, *Cabrias*, inquit, *frequenter dicere solebat, formidabiliorem esse ceruorum exercitum duce leone, quàm leonum duce ceruo, sentiens totam belli fortunam pendere à recto duce.* & subdit Plutarch. *Numantini, cùm à Scipione in fugam essent versi, à seniore bus castigati, quia eos fugerent, quos toties fugarant, quendam ex iunioribus dixisse ferunt: Pecora quidem nunc eadem sunt, sed mutatus est pastor.* Ita ille. Etenim non solùm in bello, sed etiam in pace hoc verum habet, quale caput, talia & membra, qualis rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea, qualis paterfamilias, tales & domestici eius, probus superior ex deprauatis subditis optimos facit, paruus verò ex optimis deprauatos reddet. C

Sanctus Chrysostomus lib. 4. de Sacerdotio: *Audi quid Beat. Apostolus ad Timotheum dilectum scribat:* Manus citò ne cui imponas, neque communices cum peccatis alienis: *eos enim, qui elegerunt, nihil excusare poterit, si dixerint se ignorasse indignitatem, & defectus eius, quem elegere;* mò ex hoc crimen efficitur graue: nam quid absurdius, eos, qui manipium aliquod emere volunt, id tum medicis ostendere, tum emptionis sponsores postulare, tum vicinos interrogare, ac nec tum quidem adhuc considere; quinimo diuturnum poscere tempus, intra quod probare illud possint, eos verò qui Prælatum electuri sunt, faciles esse, & temere adiegere, vt tulerit casus, nulla fere discussione facta? D

Chrysost.

1. Tim 5. 22.

Proinde illum oportet, qui aliquem electurus sit, rem admodum diligenter expendere: sed multò diligentius eum, qui proponitur eligendus. quid ita? nempe quòd verisimile videri possit, eos, qui elegerunt, falsa aliqua opinione deceptos ad danda suffragia descendisse: qui verò electus est, dicere non potuit suam agnouisse indignitatem. Cùm igitur ei gratuitus suppleatur immineat, debet sui ipsius periculum accuratius, quam electores facere, & illis obuiam ire ac dicere, docereque diligenter eos causas, per quas illi ab errore desistant. Si enim cum de mi-

litia, mercatura, agricultura, cæteraque rerum ad huma-
num victum pertinentium ratione deliberatio meunda sit, ne-
que agricola nauigationem, neque nauis gubernator militiam
suscipiat: prosp. cum enim periculum sibi ab imperitia immine-
re. Itáne ergo vbi in modicis rebus periclitamur, tanta vti-
mur prouidentia, neque cogentium nos violentiæ parendum
putamus, vbi verò æternum supplicium manet eos, qui prælaturæ
administrationem iustè præstare nescierint, temerè electionem
admittemus, alienæ violentiæ causam apponentes? Atqui ra-
tionem huiusmodi administrius non est, qui causæ istius iudicem
agest: decebat enim multò maiorem cautionem spiritualium
rerum, quàm carnalium præstare. Hîc verò neque parem qui-
dem nos exhibere constat: dic enim mihi, si, quem suspicamus
fabrum esse, ad opus vocemus, sequaturque ipse; deinde ipse sic
opus coagmentet, sic domum ædificet, vt statim collapsura sit,
num ille abunde sese hac descriptione tutatus est, ab aliis se co-
actum, non vltro ad ædificandum accessisse? Nequaquam:
oportebat enim vocantibus, & cogentibus tergiuersari; itáne
verò fabro nullus suffugij locus, quò minus pœnas pendat; qui
verò animas, negligenter ædificans, perdiderit, alienam vim
sufficiens sibi præsidium prætendet? num qui antea quàm te
alij vocarent, imbecillus eras, ac minimè idoneus, vocatus repentè
in valentem idoneumque euasisti? nónne ridiculum hoc, & ex-
tremo supplicio dignum? Hac vna de causa Dominus admoni-
net, ne, qui turrim ædificaturus est, fundamentum prius iaceat,
quàm suas vires expendat, ne illorum qui illac transiuri sunt,
risibus & ludibrijs præbeat ansam. Et quidem illius mulcta in-
tra desum sese continet; hîc verò supplicium est ignis æternus,
vermis nunquam emoriturus, dentium stridor, extremæ tenebræ,
dissecari, atque in hypocritarum ordinem cogi.

Simile.

Chrysost. Idem Chrysostom. lib. 4. de Sacerd. *An ignoras corpus hoc, quod & eo, pluribus tum morbis, tum insidijs obnoxium esse, quam nostra caro sit obnoxia, tiemque & celeriùs corrumpi, & ægrius sanari? Certè humana corpora curantibus diuersa sup-peruint medicamenta, & instrumentorum apparatus varij, & cibi ægrotantibus congrui. Plerumque autem & sola natura aëris satis est ad restituendam laboranti samtatem, vel somnus, qui opportunè obrepserit, medicum ipsum omni labore le-*
uat. At vero hîc vna quædam post operum præstationem ars ac-
curationis via est sequenda, Euangelica nempe doctrina, hoc
denum instrumentum est, hic cibus, hoc aëris temperamentum
optimum, hoc medicamenti instar, hoc ignis loco, hoc ferri vice,
& si vel vri, vel secari opus, hoc ipso vti necesse. Quod si hoc ni-
hil profuerit, reliqua omnia euandia esse oportet: hoc enim &
iacentem animam excitamus, & tumescentem compescimus,
hoc & superuacanea amputamus, & quæ desunt, supplemus,
cæteraque conficimus omnia, quæ ad animæ conferunt mcolumi-
tatem.

Vnde omnes Apostoli, cùm vnà essent, nullo alio nomine,
Stephano, eiusque collegis viduas regendas commisere, nisi vt in
eiusdem sermonis ministerio versarentur. Nos autem, *dicunt,*
Actor. 6. 4. orationi, & verbi ministerio instantes erimus. *Superest*
ergo, vt hoc nos sermone armemus, munianusque, vt ne aduer-
sariorum telis feriamur, & vt illos nos feriamus. Audi ergo
quibus verbis discipulum suum Apostolus hortetur, Lectioni
1. Tim. 4. 25. (*ait*) operam dato, exhortationi, doctrinæ. *Quarum re-*
rum & fructum addit, dicens: Nam si id feceris, teipsum
1. Tim 4. 13. seruabis, & eos, qui te audierunt. *Et rursus,* Seruum Do-
2. Tim. 2. 24. mini non oportet pugnare, sed placidum esse erga om-
2. Tim. 3. 14. nes, propensum ad docendum. *Et subdit:* At tu perliste in
his quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à
quo didiceris, & quòd à puero sacras litteras noueris,
2. Tim. 3. 16. quæ te possunt eruditum reddere. *Et rursus:* Omnis
scriptura diuinitus inspirata est vtilis ad doctrinam,
ad redargutionem, ad correctionem, ad institutio-
nem quæ est in iustitia, vt integer sit Dei homo ad
omne opus bonum apparatus. *Audi etiam quæ ille ad-*
dat, dum cum Tito de Episcoporum constitutione disserit,
Tit. 1. 8. Oportet, *inquit,* Episcopum tenacem esse eius, qui
secundùm doctrinam est, fidelis sermonis, vt po-
tens sit etiam exhortari per doctrinam sanam, & con-
tradicentes conuincere. *Quomodo igitur idiota contradi-*
centes conuincere, & eorum ora poterit obturare? Ita Sanct.
Chrysostomus.

Sed dices, nónne satis erit, si Prælatus exemplis bo-
nis prædicet, ac subditos doceat? nónne bonum exem-
plum omne verborum superat documentū? Christus
Dominus hunc docendi modum nónne maximè com-
mendauit Præsulibus, dicens: *Sic luceat lux vestra coram* *Matth. 5.*
hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem *16.*
vestrum, qui in cœlis est? non ait, vt audiant verba vestra,
sed vt videant opera vestra bona: sic enim gubernationis
attingitur meta, glorificationis scilicet Dei. *Et glorifi-*
cent, ait, *sic glorificabunt, Patrem vestrum qui in cœlis est.*
Ad hoc respondet Sanctus Chrysostomus, ibidem: *Hic*
demum Prælatorum doctrinæ terminus consummatissimus, cum
Sacerdotes tum factis, tum verbis eos, quos erudiunt, ad bea-
tam vitam à Christo institutam, conducunt. Neque enim nuda
facta satis sunt, vt alios edoceas, nisi cum his accedant etiam
verba, & hoc non meum, sed Christi est, Qui fecerit, *inquit,* *Matth. 5.*
& docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. *19.*
Si facere satis esset, superuacaneum fuisset addere, & docue-
rit: vtrumque igitur adiungens, ostendit esse necessarium
vtrumque ad consummatam ædificationem corporis Christi.
An non audis quid Ephesiorum presbyteris scribat organum
illud Christi electum, dicens: Propter quod vigilate me- *Actor.*
mores, quod per triennium nocte ac die non cessaue- *20.*
rim monens vnumquemque vestrum? *Quis enim vel la-*
crymarum, vel commonefactionis huius per verba præsine vsu
est, vbi Apostolica vita in eo sic radiabat? Ita Sanct. Chry-
sostomus.

PROP. IV. *Ad dignitates non sunt communiter eligendi consanguinei.*

DIsputare nonnulli solent, cur Christus Dominus
Beato Ioanni Euangelistæ non tribuerit pri-
mum Ecclesiæ, cùm Ioannes quidem & dignus esset, &
Christi consanguineus, non verò Petrus & cùm Ioan-
nes vsque ad crucem secutus fuerit Christum, & non
alij, nec sicut Petrus negauerit in passione; & ad hoc
respondent, ideò hoc Christum effecisse, quia Ioannes
consanguineus erat, & licèt dignus munere sancto, vo-
luit tamen Dominus electoribus exemplum dare, vt *Leon. Ep.*
quantùm æquitas patiatur, non consanguineos reli-
gant ad dignitates & publica munia, sed alios, ne pro-
pter carnem, & sanguinem eos elegisse videantur, &
consanguineos eligere discant etiam, cùm indigni
fuerint alij.

PROP. V. *In electione bona superiorum maxima est adhibenda cura.*

MAxima est adhibenda solicitudo in electione
superiorum, & vigilanter intuendum est, vt dig-
nus munere suo ille sit: nam bonum vel malum vni-
uersum communitatis, ex bonitate, vel malitia supe-
rioris pendet. Roboam & Ieroboam ruinæ populi Dei
causa extiterunt, & huiusmodi exemplis historiæ diui-
næ, humanæque abundant. Denique vide, quid ex pon-
tificatu illius monstri, Caiphæ inquam, est consecu-
tum: ille concilium coegit, & reum mortis Christum
Dominum adiudicauit, vnde totalis illius populi
calamitas, & ruina emanauit. Sicut enim, cùm bene-
uolus planeta & propitius regnat, bene in terra omnia
euenire solent; si verò plancta fuerit contrarius, contra-
rio etiam modo cuncta succedunt: nam vineæ defi-
ciunt, fruges pereunt, & fructus reliqui terræ, oues
quoque, & boues moriuntur; sic malo regnante supe-
riore, mala eueniunt inferioribus; bono verò regnante,
bene & prosperè solent cuncta succedere.

Hinc Sanct. Gregor. lib. 2. epistolarum, cap. 68. ad
Mediolanensis Ecclesiæ electores epistolam scripsit,
quâ eos grauissimè monet, vt talem Prælatum eligant,
qui

qui non eis in ruinam, sed in salutem, & ædificationem populi sit, & inter alia, *Eum*, inquit, *vobis eligite, qui non solùm loquendo, sed etiam viuendo, viam vitæ posit vobis ostendere. Quare in hac eligendi Antistitis causa nullus vestrùm, neglecta vtilitate communi, suo prospiciat lucro, quia nec libero iudicio præferendam personam dignam existimat mens, quam cupiditas ligat.* Ita ille. A

Hinc est quòd cùm Deus iratus sit in populum aliquem, iusto iudicio, & supplicio permittit, iniquum eligi superiorem, vt ita populus dissipetur, & pereat, sicut grex ouium dissipari, & perire solet, malo gubernante eas pastore. *Iuxta meritum plebis* (ait Sanct. Gregor suprà) *solent superuo iudicio peruersi prouideri pastores.* Ita ille.

Sic etiam Eliu amicus Iob de Deo agens: *Qui regnare*, inquit, *facit hypocritam hominem propter peccata populi.* Hypocrita est, qui alius est in se quàm alijs apparet. Sic hypocrita est superior, & gubernator, qui zelum reipublicæ, seu communitatis se habere fingit, cùm tamen, non bonum commune, sed particulare propriumque suum intendat. Sicut Ioan. 11. Caiphas ille, *Expedit*, inquit, *vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Ecce pallium, & colorem boni communis, qui tamen amittere locum, & principatum suum timebat, & propterea Christum Dominum de medio tollere procurabat. Ecce hypocritam superiorem: huiusmodi ergo hypocritas gubernare permittit Deus, propter populi peccata, & è conuerso, cùm populum diligit Dominus, sapientem, & rectum ei gubernatorem prouidet. Cùm Regina Saba regnantem Salomonem vidit, & attento animo sapientiam eius, & rectum, ac prudentem gubernandi modum, sic ad Salomonem locuta est: *Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israel, eò quòd dilexit Dominus Israel in sempiternum, & constituerit te Regem, vt faceres iudicium & iustitiam.* Ecce ex bonitate regis electi amorem Dei erga populum sapiens illa regina deduxit. B C

Prop. VI. *Nemo debet inuitus eligi communiter loquendo.*

SEneca lib. de tranquil. vitæ, cap. 6. *Malè respondent coacta ingenia reluctante natura, irritus labor est:* Ita Seneca, illa est vera, & mira sententia in electionibus consideranda.

Prop. VII. *Iniusta electio ipsimet electo dedecori est.*

NOn solùm electio mala ipsis electoribus mala & perniciosa est, verùm etiam ipsi electo dedecori multo est. Quod vt explicarent antiqui sapientes, apologum istum finxerunt, quòd cùm asinus leonem inter reliqua terræ animantia regem coronatum esse conspexisset, æmulatione ductus, pellem quandam leonis nactus, induit eam, cùmque ad eum animalia quædam conuenirent, ipse loqui volens, vt rex, vti asinus rudere cœpit; tunc asinum sub insigniis regis esse animalia cognouerunt, & deriserunt. Sic quantumuis insignijs dignitatum indignus fuerit insignitus, verbis, aut moribus, &c. manifestabitur indignitas eius, quò ab omnibus, non solùm non honoretur, verùm etiam derideatur. D

Prop. VIII. *Dedecet dignitas indignum.*

Similis PVblius Mimus: *Loco ignominiæ est dignitas apud indignum.* Ita ille: quia scilicet cuius stultitia, verbi gratiâ, latebat, palam fit.

Prop. IX. *Affectus immoderatus est causa malæ electionis.*

IN discrimen vocatum est à Iudæis quisnam è duobus Messias esset, Christus Dominus, an Ioannes Baptista: & quidem quòd Ioannes non esset, plures circumstantiæ demonstrabant. Prima, quòd non esset de tribu Iuda, sed de tribu Leui tantùm; Messias autem ex tribu Iuda oriturus erat. Secunda, Messias signa magna effecturus erat, secundum illud, *Tunc aperientur oculi caecorum, & aures surdorum patebunt*, &c. de Ioanne autem ait Ioannes Apostol. *Ioannes signum fecit nullum.* Præterea Christus Dominus, tanquam Saluator, & dux & præceptor noster inter homines viuere, & commorari cogebatur; Ioannes verò vniuersam ferè vitam in eremo transegit. Præterea Christus Dominus in Bethleem nasciturus erat secundùm notam illam Micheæ prophetiam, *Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel*, &c. Ioannes verò non est ortus in Bethleem, sed in montanis Iudææ. hæc & alia Ioannem non esse Messiam, ostendebant, & nihilominus eum esse verum Messiam existimabant, imò & eligebant, cùm ad eum miserunt Scribas, & Pharisæos, vt eum interrogarent: *Tu quis es?* Ratio verò, quam ad huiusmodi electionem habebant, hæc erat, quia Ioannes vir magna virtute præditus quidem erat, sed maiori Christus, in quo & reliqua signa, & circumstantiæ concurrebant; cur ergo non Christum, sed Baptistam eligebant? quia conceptum odium in Christum, vel inuidia obstabat, vel saltem, quia superbi erant, & eum eligere volebant, qui filius erat magni Zachariæ: affectus huiusmodi excæcauit eos: sic igitur electiones rectas euertit animæ passio, & maximè cùm aliqua subest ratio apparens, quâ iustificare se electores electionem suam credant. *Isai. 35. 5.* *Ioan. 10. 41.*

Prop. X. *Electio indigni magna parit nocumenta.*

PRouerb. 26. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem.* Multiplicem sensum huic loco sacri Doctores assignant. Beda, & Liranus ad cultum idolorum hoc referentes, sic interpretantur: *Sicut qui*, verbi gratiâ, *Mercurio honorem tribuunt proiiciendo in aceruum lapidum eius alium lapidem:* (sicut scilicet fieri solet modò, cùm viatores ad pedem crucis lapides coarceruant:) vel ad ædificandum templum Mercurio, lapidem aliquem quis contribuit: quod quidem in eius honorem cedat: sic qui stulto, & indigno honorem, & dignitatem per suam tribuit electionem. Sicut enim idolum nihili est, nec vllam inde vtilitatem idolum capit, nec qui honorificat illud: sic indignus non inde verè, & à parte rei honoratur, quamuis eligatur ad aliquam dignitatem: indignitas enim eius tollit honorem ab eo, & qui talem honorat, quodnam inde emolumentum acquirit? Hic primus sensus. *Prou. 26. 8.* *Simile. Beda. Lira.*

Secundus eiusdem Lirani, nec despiciendus hic est. Mercurius apud Gentiles Deus ratiocinationis est, ratiocinatio verò hæc computus est, in quo antiqui lapillis quibusdam vtebantur; sicut nos fabis, vel etiam lapillis ad computus nonnullos vti solemus. In huiusmodi verò computationibus sæpe lapillulus vilis pro centum, vel mille aureis, vel argenteis apponi solet; inde verò nec honor accrescit lapidi, nec pro dignitate ibi est constitutus, nec ideo lapis dignus, vel aptus redditur ad maiorem valorem, quàm natura sua ille habet: sic quamuis stultum, & indignum in honore, & dignitate constituas, nulla inde maior dignitas, vel aptitudo ad munus, quod habet, illi accrescit. Potest quidem *Simile.*

dem rex, verbi gratiâ, episcopatum alicui inepto conferre, sapientiam verò, & prudentiam, & virtutem tali munere dignam, illi conferre nequit.

Tertius sensus, quem Lira. Hebræis attribuit fundatur in verbo Hebræo, *Margema*, pro quo vulgatus vertit; *acervus Mercurij*, *Margema* vero significat *acervum*, & *fundam*, & sic Septuaginta transtulerunt: *Sicut qui mittit lapidem, seu lygat lapidem in funda*, &c. & hoc etiam modo legit S. Ambrosius lib. 2. ex cap. 7. & interpretatur sic: *Sicut qui imprudenti apponit lapidem in fund. bulo, qui dum intorquet, seipsum vulnerat, vel alios circumstantes*: nescit enim circumferre nec projicere lapidem fundâ: sic qui honorem tribuit imprudenti, in eius vel aliorum damnum id agit, & verè ita esse experientia ipsa docet. Eligitur quis ad aliquod reipublicæ munus, sed sæpe sæpius in reipublicæ ipsius damnum resultat: sicut enim nauclerus imperitus, dum nauis gubernaculum dirigere nescit, naufragij causa esse solet; sic qui rempublicam ineptè gubernat, ipsi reipublicæ ruinam affert. Quare rectè sapiens: Sicut qui in fundam stulti lapidem mittit, quo scilicet fortè immittentem ipsum vulneret, sic qui tribuit stulto honorem, in damnum eius, qui ei honorem exhibuit, redundare solet, & etiam eius, qui electus sic est. Cuius rei notandum exemplum audi 2. Reg. 4. Dux Israelis Abner, domus Saulis partes agens, post mortem Saulis, filium eius Isbosceth in regem eligit, contra Domini satis expressam voluntatem: quid inde Abner? Immaniter à Ioab occisus fuit, Isbosceth etiam, dum somno indulgere voluit, capite truncatus fuit. Et addit sacra historia: *Caput Isboseth tulerunt, & sepelierunt in sepulchro Abner.* Num id sine consilio diuinæ providentiæ factum est? Absit. Solet in sepulchro scribi defuncti nomen. Hic scilicet, iacet hic, vel ille, &c. Quid igitur in sepulchro Abner caput Isboseth, nisi epitaphium quoddam fuit? Hic scilicet, iacet, qui me malè elegit. Quapropter vterque mortis miseræ dedit pœnas: hoc, inquam, caput electi super electorem dicere videtur. Sicut epitaphium super defuncti corpus; sic Deus iniustam electionem punire solet; & vtinam hi non simul temporaliter, & æternaliter pereant.

Ad 70 Inter. Ambros

Simile.

2. Reg. 4. 12.

ELEEMOSYNA.

PROP. 1. *Quàm iusta & rationi consentanea sit eleemosyna.*
2. *Quàm excellens opus virtutis sit eleemosyna.*
3. *Quàm grata Deo sit eleemosyna.*
4. *Beneficus in pauperes Dei imitator est.*
5. *Eleemosyna magni meriti est.*
6. *Eleemosynam recipit Deus tanquam sibi factam.*
7. *Quod pauperi damus Christo Domino damus.*
8. *Eleemosynam dare pauperi, est ad vsuram Deo dare.*
9. *Eleemosyna iustis exhibita opus magni valoris est.*
10. *Eleemosyna conducit ad salutem nostram.*
11. *Propter eleemosynam solet Deus conuertere peccatores.*
12. *Eleemosyna à peccatis liberat.*
13. *Eleemosyna ad impetrandam Dei misericordiam conducit.*
14. *Qui negat eleemosynam pauperi, negabit Deus sæpe illi in oratione postulata.*
15. *Eleemosyna non solum in alia vita, verùm etiam in ista præmium habet magnum.*
16. *Pro eleemosyna Dominus retribuit bona temporalia & spiritualia.*
17. *Eleemosyna plus prodest danti quàm accipienti.*
18. *Eleemosyna facit bona temporalia æterna bona esse.*
19. *Quæ pauperibus damus nostra facimus.*
20. *Eleemosyna à diuitiarum periculo diuites liberat.*
21. *Eleemosyna conducit ad vitanda damna superfluæ prosperitatis.*
22. *Eleemosynam Deus ex affectu potiùs metitur.*
23. *Quàm inuisus Deo sit qui eleemosynas pauperi non facit, cùm possit.*
24. *Bona temporalia in eleemosynam data multiplicantur.*
25. *Quanta sollicitudine fauere debeamus pauperibus in corporalibus & spiritualibus.*
26. *In eleemosyna non est attendenda tam vtilitas dantis, quàm opus ipsum charitatis.*
27. *Quàm dubita sit egenti eleemosyna.*
28. *Non sufficit compassionem habere pauperis, sed oportet simul eleemosynam dare.*
29. *Eleemosyna facienda est cum interiori misericordia & compassione, & quòd hoc sit prædestinationis signum.*
30. *Eleemosyna non auarè, sed liberaliter facienda est.*
31. *Eleemosyna libenter facienda est.*
32. *Eleemosyna facienda est hilariter.*
33. *Eleemosyna magis obligat in necessitate grauiori.*
34. *Eleemosyna abundanter tribuenda est secundùm cuiusque facultatem.*
35. *Quòd statim sit eleemosyna largienda.*
36. *Pauperi danda est eleemosyna, etiam quando non petit.*
37. *Eleemosyna danda est maximè senibus egentibus.*
38. *Eleemosyna speciatim danda est pauperibus occultis & verecundis.*
39. *Qualis sit habenda intentio in largienda eleemosyna*
40. *Quàm contra rationem sit, pauperibus eleemosynam denegare.*
41. *Eleemosynam impediunt superflui sumptus.*
42. *Exhibitio eleemosynæ, probatio est veræ charitatis.*
43. *Ex defectu charitatis prouenit defectus eleemosynæ.*
44. *Quòd iustis sit potiùs danda eleemosyna.*
45. *Ecclesiastici maximè tenentur eleemosynas facere.*
46. *Ditiores tenentur copiosiùs eleemosynas dare.*
47. *Quòd liberalitas pauperes eleemosynas faciant, quàm diuites.*
48. *Eleemosyna in morte saltem facienda est.*
49. *Eleemosyna est comes defunctorum.*
50. *Eleemosynam per seipsum debet homo tribuere, non per alium.*
51. *Eleemosyna quomodo in occulto sit facienda.*
52. *Non sunt attendenda merita pauperis, sed necessitas, vt in eleemosyna detur.*
53. *Contra eos, qui pauperes reprehendunt.*
54. *Contra eos qui pauperes examinare curant, an verè, vel falsò sint pauperes.*
55. *Cur Deus inter nos pauperes esse voluit.*
56. *Honorificum est seruire pauperibus pro Christo.*

PROP. I. *Quàm iusta & rationi consentanea sit eleemosyna.*

SOlent nonnulli diuitum, histrionibus, parasitis & adulatoribus larga & prodiga manu pecunias elargiri, & famulos pretiosis induere vestimentis, parietes sumptuosis tapetibus ornare, &c. in his, & aliis huiusmodi rebus mundi insumere solunt reditus copiosos, in solos Christi pauperes se pauperes ostendunt: Non possum, inquit, huiusmodi eleemosynas facere, quia ære alieno grauatus sum, familiam plurimam alo, secundùm status mei exigentiam, patrimonium habeas. ære tanto alieno grauaris? num quia pijs operibus vacas? quia cultui diuino multa tribuis, aut pauperibus copiosas eleemosynas facis? &c. minimè quidem, sed quia insatiabili mundo seruis: si dimidium quod mundo exhibes, Christo Domino exhiberes, inæstimabilis gloriæ meritum consequereris. Nunc autem oleum, & operam perdis: in saccum enim pertusum mittis, quæ in mundi obsequium insumis. Vide autem quàm præter, imò contra rationem, & fidei nostræ doctrinam sit, plùs hominem Christianum liberalem se mundo exhibere, quàm Christo. Quid in iudicio respondurus es Christo, dicenti: *Esurim, & non dedisti mihi manducare*: qualis, quæso, ex vsatio apud tremendum illum iudicem erit, non potui eleemosynas dare, quia secundùm status mei exigentiam non potui? potuisti pro mundo, & non potuisti pro Christo, qui te in huiusmodi constituit statu? quis tibi ad pia Christi opera impedimento fuit? non quidem Deus, qui sibi contrarius non est, & omnibus omnium statuum hominibus, qui substantiam huius mundi habent, eleemosynarum largitatem iniunxit; quis ergo, nisi inimicus Christi, & animæ tuæ, qui cùm piorum operum meritum sciat, ista impedimenta adinuenit?

Matth. 25. 41.

Indigentiam times, si pauperibus faues, & non times illam, dum te mundo exhibes liberalem? Quis se tibi gratum magis ostendet, mundus, an Deus? *Si homo, ait* S. Chry-

S. Chrysostomus homil. 19. in 2. ad Cor.) *acceptum beneficium non negl g i, sed gratiam rependit; quantò magis Christus gratiam relaturus est. Etenim quia ea benignitate est, vt, nec beneficio vllo accepto, multa largiatur, an non idem, cùm acceperit, vicem relaturus est?* Ita Sanctus Chrysostomus. Quem igitur mihi dabis, qui ob eleemosynarum largitionem euaserit pauper? ostendam ego tibi quamplurimos qui ob luxum, & vanos sumptus in cibis, vestimentis, ornatibus, supellectilibus, & hisce alijs, patrimonia, & maioratus ingentes dilapidauerunt, & ad magnam egestatem deuenerunt, nec mirum: mundus enim accipit, non reddit; Deus verò, si aliquid à nobis in pauperibus, & in operibus pijs recipit, quamuis exiguum illud sit, rependit: cœlum enim, & terra transibunt, verba autem eius non transibunt. Ait autem Marc. 10. *Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantum in tempore hoc,* &c. Pondera *in tempore hoc*: si enim solùm dixisset, centuplum accipiet, suspicari quis posset hoc pro tempore futuro, seu æternitate dictum fuisse: at non dixit, nisi *in tempore hoc*. non quòd, materialiter loquendo, centum domos, vel centum vestes tribuet in hoc mundo Deus ei qui vnicam reliquerit domum, aut vestem, sed quia non solùm in cœlo postea, verùm etiam in terra, modò Deus aliquid illi retribuat, quod æstimatione ac valore centuplum sit. Sic interpretatur locum hunc S. Hieron. & Beda, & alij multi. Quære tu à mundo tuo huiusmodi retributiones.

Familiam, inquis, plurimam alo; vide ne fortè plurima hæc plùs sit quàm oportet: sunt enim qui plures famulos, & famulas sustentent, quàm expediat. si enim familia in multitudine filiorum, & necessariorum solùm consistit, his primùm subuenire par est; si verò familia tua in his constat; quæ solùm ad pompam, & vanitatem deseruiunt, nullam inde in iudicio Dei excusationem prætendere iure poteris.

Status mei ratio, inquies, id depoſcit: eques enim, & nobilis ego sum. Ecce causſam propter quam diuites permulti, cùm reditibus copioſis gaudeant, nullas, vel ferè nullas eleemoſynas largiantur, *Ileuanlo por razon de eſtado.* Quæro igitur ab his, quiſnam ſit qui huiuſmodi rationem ſtatus inſtituerit, in quo pauperes ſic excluduntur? Diabolus, non Deus normam hanc ſtatus adinuenit: vnde enim locus, vt pauperes proximi, fame oppreſſi pereant, vt honor, vt vanitas mundi fulciatur? hóſne ſermones repones in iudicio Dei? &c.

Sunt verò alij, qui puſillo animo preſſi, etiam de ſuperfluis eleemoſynas, & pia opera facere timent. quibus rectè Sanctus Chryſoſtomus hom. 19. in 2. ad Corinth. opponit viduam illam Luc. 21. quæ in gazophylacium templi miſit duo illa minuta, quæ ſola ad victum neceſſarium habebat. *Cùm tu* (inquit S. Chryſoſt.) *diuturnam operam dederis, vt mediocritate contentus ſis, tum demum te, ſi viduam illam imitari in animum induxeris, ad ea quæ his maiora & præſtantiora ſunt, ſubuehemus. nec enim ad mulieris illius philoſophiam adhuc perueniſti, quamdiu id tibi curæ eſt, vt quantum ſatis ſit, habeas: illa enim ſupra id quoque aſſurrexerit: cuncta enim ea, quibus alenda erat, in ſacrum contulit ærarium, & tu de ſuperfluis dare adhuc hæſitabis? An non te pudet à muliercula vinci, ac non modò illam imitando, non aſſequi, ſed ab ea permagno quoque interuallo à tergo relinqui? neque enim illa his verbis, quibus tu, vſa eſt, dicens: Quid de me futurum eſt, ſi inſumptis omnibus meis facultatibus eò redigar, vt aliorum auxilio opus habeam? Verùm libenter ac magnificè bona ſua exuit; nam quid de ea vidua Veteris Teſtamenti dicam, quæ Eliæ tempore vixit? illa etenim non in paupertatis tantùm, ſed etiam in mortis, atque interitus periculum venerat, nec ſui dumtaxat, ſed filiorum. nec enim fore expectabat, vt ab alys acciperet, ſed vt quamprimum interiret. Sed tamen, inquies, Prophetam illa vidit, atque hinc addicta eſt, vt liberalitate ac munificentiâ vteretur. Quid verò? an non Prophetarum, & ſanctorum Dominum ſtipem petentem vides? Ac ne ſic quidem beneficentiam induis, ſed promptuaria habens eructantia ex hoc in illud, nec in eo quod ſuperfluit, impertis. Perpende itaque, quòd nobis ſupplicium conſtituerit, cùm mulierem viduam egentem, alienigenam, barbaram, filios habentem, & horum quæ nobis nota ſunt, nihil ſcientem, inferiores & imbecilliores fuerimus. Nec enim ſi firmum ac robuſtum corpus habeamus, fortes proinde ſimus; ſed qui (Lect taceat in lecto,) internus viribus pollet, quibus demptis, etiamſi alioqui tanto corporis robore quis præditus ſit, vt vel montem auellere queat; haud tamen illum puella vel debili ætu firmiorem, aut valentiorem dixerim eſſe. Quid igitur mulierem illa fortius pingi poteſt, quæ & aduerſus naturæ tyrannidem, & aduerſus vim famis, ac mortis minas, ſtrenuo animo ſtetit; atque hæc omnia ſuperauit? Audi quippe quomodo eam Dominus commendauit: Multæ, inquit, erant viduæ in diebus Eliæ, & ad nullam harum miſſus eſt Propheta, præterquam ad illam. Dicam aliud magnum, & ab humanis ſenſibus alienum: Ad hoſpitalitatis laudem illa plus attulit, quàm magnus pater noſter Abraham: non enim, ſicut Abraham, ad gregem tuit, verum pugillo illo farinæ omnes qui hoſpitalitatis nomine clari atque celebres extiterunt, ſuperauit: hæc enim hoſpitis cauſa nec filij pepercit, idque cum futura bona nec in expectatione quidem habuerit. Nos verò, cùm nobis regnum oſtendatur, cum gehennæ minæ intentantur, cùm (quod omnibus maius eſt,) Deus pro nobis tot tantaque patrauit, atque his gaudeat rebus; languemus tamen, & animo conſternimur.* Ita Sanctus Chryſoſtomus, quæ pro his dicta ſunt, qui puſillanimitate cordis affecti, in paupertatem incidere formidant, ſi eleemoſynas largiantur.

A B C D

Gen. 18.

Parum, inquis, habeo, parum igitur dare queo. Subdit ad hoc Sanctus Chryſoſtomus ibidem: *Deus pauperibus, vt nobis par eſt: multum enim, & paucum Deus, non numerum quantitatis, ſed dantis facultate, metitur. ex quo fit, vt plerumque, qui obolum dumtaxat pependit, minùs illo pependerit, qui centum nummos aureos tribuit, ſed tamen ita faltem fac, vt ad vberiorem magnificentiam deueniat.* Ita ille.

PROP. II. *Quàm excellens opus virtutis ſit eleemoſyna.*

SAnctus Chryſoſtomus homil. 16. in 2. ad Corinth. *Maior gratia eſt eleemoſynam dare, quam mortuos ad vitam reuocare: Chriſtum enim fame laborantem alere, multò magis, ac præſtantius eſt, quàm in nomine Ieſu à morte ad vitam homines excitare. Illic enim tu Deo beneficium das, hîc ille tibi: ijs autem qui beneficium accipunt, non eſt merces conſtituta, ſed ijs qui dant. Etenim in miraculorum editione debitorem te Deus habet, in eleemoſyna autem tu Deum tibi obſtrictum habes.* Ita S. Chryſoſt. Vbi primo ponderandum eſt, quòd Sanctus Chryſoſtomus eleemoſynam dicit & appellat Dei gratiam: ego quidem gratiam dantis, & exhibitam pauperi dixiſſem. Sanctus Chryſoſtomus gratiam Dei dicit exhibitam ei qui eleemoſynam pauperi tribuit, imò priuſquam Sanct. Chryſoſtomus, gratiam Dei eam appellauit Apoſtolus, non ſemel tantùm: ait enim. *Notum vobis facimus gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſijs Macedoniæ,* &c. poſtea ſæpe eandem repetit gratiam. vbi Sanctus Thomas, Notam, inquit, vobis facimus gratiam, id eſt, gratuitum donum Dei, ſcilicet eleemoſynarum largitionem. Ita ille. Et eodem modo interpretatur Sanctus Chryſoſtomus homil. 16. in eundem locum: *Quare ſi à me quæris cur hic eleemoſynas tribuat, ille verò non, cùm eam etiam tribuere poſſit, dicam, quia eleemoſynam dare Dei donum, & gratia eſt. Quòd ſi gratia, ideo hic eleemoſynam facit, ille verò non, quia huic Deus hanc gratiam præſtat, illi verò nequaquam. vnde qui eleemoſynas præſtat, Deo pro tanto beneficio gratias reddat, qui verò non, poſtulet à Deo hanc gratiam miſerendi,* &c.

2. Cor 8. 1.

Quanto quisiera el rico auariento auer tenido esta gracia, y don de Dios, no estubiera en el infierno de la manera que esta a buen seguro.

Prætereà maiorem gratiam hanc esse dicit Sanctus Chrysostomus, quàm gratiam mortuos suscitandi, quid tu non præstares vt grätiam hanc haberes mortuos suscitandi? Habes igitur in potestate tua maiorem, quàm illa, gratiam faciendi scilicet eleemosynam, quam nemini negat Deus, qui dispensatorie & cooperanter illà voluerit vti.

Chrysost. Luc 11. 41. Matt. 12. 7. Act. 10. 3. Matt. 25. Sanctus Chrysost homil. 60. ad popul. Eleemosyna peccata purgat, ait enim: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis: hæc sacrificio maius est.* Misericordiam, *inquit*, volo, & non sacrificium, *hæc cœlos aperit:* Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei: *hæc virginitate magu necessaria: sic enim ex nuptiali thalamo electæ fuerunt virgines imprudentes; sic verò ingressæ aliæ. quæ omnia considerantes largè feminemus, vt cum maiori metamus abundantia.* Ita S. Chrysost. B

Prop. III. *Quàm grata Deo sit eleemosyna.*

Vers 34. Constat hoc ex loco illo Matth. 25. vbi agit Christus de vltimo iudicio, & ait: *Tunc dicet rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, &c.* & subdit: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* sola opera misericordiæ expressit Christus in sententia beatorum, & solum defectum horum operum misericordiæ in sententia damnatorum, cur ita? Sanctus Leo Papa sermone de collectis: *Quasi, inquit, nec alias virtutes dextri, nec alias offensiones habeant sinistri, sed in illo magno summoque iudicio tanti æstimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, vt pro plenitudine omnium virtutum, & pro summa omnium commissorum per vnum bonum isti introducantur in regnum, & per vnum malum illi mittantur in ignem æternum.* Ita Sanctus Leo. Pondera verba illa, *tanti æstimabitur, &c.* etenim plurima opera sancta humilitatis, patientiæ, obedientiæ, orationis, religionis, &c. reperiet tunc Dominus in beatis, & plura etiam peccata grauiora in damnatis, sed solùm ea quæ ad misericordiam spectant, commemorat, vt quanti Deus misericordiam faciat, sic ostendat. Quemadmodum si tu in domo tua pretiosas valde, & magnas, & magni valoris imagines habens, & eas amico tuo ostendens, exiguam aliquam proferens, dicas: Desine reliquas imagines intueri, hanc obsecro attentè considera, quæ, verbi gratiâ, faciem Christi repræsentat, hæc enim est quæ oculis meis valde placet: cæteræ quidem imagines maiores sunt, & amplioris pretii; sed quia grata nimis sibi illa est, & vt quantum sibi placeat, amico manifestet, hanc præ cæteris illi proponit. Sic Christus Dominus, licèt in iudicio omnia bona bonorum, & omnia mala malorum ostensurus omnibus sit, speciatim & singulariter misericordiæ opera nobis ibi consideranda proponit, non quia illa sublimiora reliquis, vel maioris valoris sint, sed vt quantum sibi placeant opera misericordiæ manifestet, in quibus facies Dei relucet, de quo scriptum est: *Miserationes eius super omnia opera* *Ps. 144. 9.* *eius.* Vbi etiam obserua, quòd etiam sola opera misericordiæ specificet Christus Dominus in sententia saluandorum, & damnandorum, quasi propter ipsa solùm prædestinati regnum consequantur, & præsciti damnentur. Quod expendit Sanctus Petrus Chrysologus serm. 14. dicens: *Quòd Abel passus sit, quòd mundum reseruauerit Noë, quòd Abraham fidem incepit, quòd Moyses legem tulit, quòd Petrus resupinus crucem ascendit, ante Deum tacet, & clamat solùm quòd accepit pauper.* Ita ille. Non quia non alia multa merita, & demerita interueniant, sed vt ostendat hanc ob causam illos saluos, hos verò damnatos esse. Exemplo id exponamus, visitauit ægrotum ad mortem optimus medi- A cus, qui, accipe hoc pharmacum, ait infirmo, & viuet, alioquin morieris: at infirmus potionis spissitudinem. & turbatum colorem videns, & odore pharmaci offensus, illud abhorrens, Tolle, inquit, nam illud sumere non valco. moritur ægrotus iste, & interrogatus medicus, vnde obierit infirmus, *de que murio fulano;* respondet medicus, ex eo quòd pharmacum à me recitatum sumere noluit. Quid ais? nónne ille febre maligna correptus, aut laterum oppressus dolore obijt? ita est; cur ergo dicis, quia pharmacum non accepit? nimirum; quia si pharmacum recepisset, à febri liberatus fuisset, & ita nõ obijsset. Nunc ad rem, verum quidem est, propter multa alia, & grauia peccata damnandos esse præscitos, sed tamen si opera misericordiæ libenter adhibuissent, quia huiusmodi opera Deo gratissima sunt, illis Deus auxilia quædam efficacia præstitisset, quibus ad salutarem pœnitentiam peruenissent, & ita saluarentur: nam sicut Tobias filio *Tobiæ 12.* suo dixit; *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat,* *& non patietur animam ire in tenebras,* hoc est, Deus quia misericors est, & misericordiam valde amat, non patietur misericordem perire, sed à peccatõ eum liberabit. quòd si casu aliquo mors ante pœnitentiam naturali cursu prouenire deberet, Dei misericordia præueniet mortem, aut misericordem ab ea liberando, aut pœnitentiæ spiritum præmittendo, & sic non patietur misericordis animam in tenebras ire, quare Christus Dominus inter beatitudines nostras hanc et- *Matth. 5.* iam assignauit, dicens: *Beati misericordes, quoniam ipsi* *misericordiam consequentur.* Vide igitur quanti Deus misericordiam & eleemosynam faciat.

Matt. 25. Hinc verba illa pariter dixit: *Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Dic mihi, quæso, si rex in regionem longinquam iturus, commendare magnatibus suis principes suos vellet, quibus alijs verbis potioribus id facere posset, quàm his, quibus Christus Dominus pauperes minimos commendauit? Quod his feceritis, ait, mihi præstitum iudicabo; & hoc cùm asseueratione illa magna: Amen dico vobis, quam in rebus magni momenti Christus adhibere solebat. Vides quantum apud Dominum misericordia nostra valeat. C

Dedit Sanctus Martinus dimidium palli egeno eleemosynam postulanti, & in cœlo Dominus coram Angelis pallio illo indutus, dixit: *Videte, Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit.* Nunquid in regia tua Domine gloriosiora vestimenta non habebas, quibus coram Angelis gloriari meliùs posses, quàm semipallio isto pauperculo? Imò indecorum, non, inquam, tibi, sed cuiuis homini, & ridiculum appareret, semipallio indui, & tu in cœlo sic indutus gloriaris? Ita, quia pallium est misericordiæ, & misericordiam induit Dominus tanquam vestem gloriosam. Id igitur factum est vt quanti faciat Deus misericordiam cognoscamus, & verum esse practicè sciamus, quod Dominus dixit: *Amen* D *dico vobis, quod vni ex minimis meis fecistis.* En illi pauperi dedit Sanctus Martinus vestem, & eam induit Christus.

1. Ioan. 3. 18. Hinc, *Filioli mei non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere, & veritate. In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, & in conspectu eius suadebimus corda nostra.* Quid est, suadere corda in conspectu Dei? Vatablus ait, Apostolum hîc loqui de die iudicij, in quo maxima nobis timoris, & tremoris, & turbationis erit occasio, nimirum, agitur de salute, vel damnatione sempiterna; tunc igitur (ait Vatablus) vir misericors suadebit cor suum coram Domino, hoc est, quamuis se coram tanta maiestate, & potestate ad iudicium vocatum aspiciat, suadebit cor suum, ne timeat, quia ad eius accedit tribunal, qui dixit: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur: recordabitur igitur eo tempore misericors, quomodo pupillis, & vi-

& viduis,& cæteris pauperibus succurrerit, & ita veluti cum corde suo aget,ne turberis,quamuis sol obscuretur,& luna eclipsetur , & stellæ de cœlo cadant, & mare fremat,& terræ motus sint magni , quia misericordes misericordiam consequentur ; ita igitur in die mortis , & in tempore iudicij misericordes suadebunt corda sua coram Domino. Consonat optimè Dauidicum psalterium Psalm. 111. vbi de viro misericorde ait : *In memoria æterna erit iustus,ab auditione mala non timebit.* Quid est ab auditione mala non timebit ? Sanct. Augustinus,& Cassiodorus sic exponunt : *Ab auditione mala,quam audituri sunt impij , qui à sinistris erunt , cum eis dicetur:Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo , & Angelis eius.* Ita ille. Auditionem ergo illam malam non timebit misericors,quia,vt subditur ibi , *paratum est cor eius sperare in Domino* , qui misericordiam misericordi promisit.

Vnde Sanctus Chrysostomus hom. 36.ad populum: *Magna*, inquit, *res est vir misericors , hac maior est gratia quàm mortuos suscitare : multò namque maius est, esurientem pascere Christum , quàm in nomine Iesu mortuos ad vitam revocare : nam hic quidem tu de Christo bene mereris , illic autem ipse de te , in miraculis tu Deo debitor es , in eleemosyna verò Deum habes debitorem.* Ita S Chrysostom. Vide S. Ambros. lib. 2.de Offic. cap.29. & Tertull. lib. ad vxorem c.8.

Rationem autem cur ita Deus misericordiam in miseros exhibitam amet,docuit Plato Dial.12.de legibus,quia scilicet miserorum causę ad Deum ipsum spectant.sicut,verbi gratiâ,causæ filiorum ad patrem : est enim Deus naturæ pater. Sicut ergo qui fauet filio, rem gratissimam ipsi patri facit;sic qui egeno subuenit, gratissimam rem Deo facit;quare meritò ab eo mercedem poterit expectare.

Qui cumque potum dederit calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam. Hic omnes excusationes Dominus tollit:est enim qui iure (vel auaritiæ affectu) dicat : Ego pauper sum,nec mihi sufficientia possideo,diuites pauperibus faueant,ego verò non habeo,non possum , hîc ergo Dominus ait : Da vel calicem aquæ frigidæ , vel buccellam panis, &c. Ponderat autem Sanctus Hieronymus locum hunc,dicens:*Frigidæ*,inquit,*aquæ, non calidæ,ne in calida paupertatis occasio quæratur ex lignorum penuria.* Ita Sanct. Hieronymus. Vide ad hoc Sanctum Leonem Papam serm.6.de Quadragesi. & Sanct.Greg. Nyssen. lib.de beatitudinibus & Sanctus Chrysostom. hom 22. in Gen. & S. Theodoretum serm.7.de prouidentia.

Vnde Tobias monita salutis filio suo tradens, *Quomodo potueris* , inquit, *esto misericors , si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit , etiam exiguum libenter impertiri stude , præmium bonum thesaurizas in die necessitatis.* Ecce præmium bonum in die iudicii , quem diem necessitatis vocat , eò quòd sola opera nostra bona in horrendo illo iudicio nobis patrocinabuntur, non solùm copiosis eleemosynis, sed etiam minimis assignat,nec obligat multa , sed secundùm vniuscuiusque facultatem dare : non exiget Deus à te an dederis pauperibus multum,sed an dederis quod potuisti:quod & is qui ostiatim eleemosynas petit, præstare valet. Quam ob causam plurimùm æstimauit & laudauit Dominus viduam illam pauperculam,quę duo tantùm minuta dedit Luc.21. & Marc. 11. dixit : *Verè dico vobis,quòd vidua hac pauper plus omnibus misit : nam omnes hi ex abundantia sibi miserunt in munera Dei ; hæc autem ex eo , quod deest illi, omnem victum suum quem habuit , misit.* Parum valde fuit,quod hæc dedit, denique duo minuta,sed quia dedit quod potuit , plus,inquit, quàm omnes misit respectiuè ad facultatem vniuscuiusque, & Deus non attendit quantitatem dati , sed qualitatem dantis. quare si eleemosynæ præmia magna sunt , ne tristior fiat pauper,qui parum dare potest,nam præmia non dantur propter magnam eleemosynam solùm ; sed propter eleemosynam quam quisque dare potest. ideo dixit Tobias : *Si exiguum tibi est, exiguum libenter impertire.*

Imò Sanctus Hieronymus in Psal. 111. etiam illos, qui nihil prorsus dare possunt, modum docet, quo,merito eleemosynæ non careant,dicens: *Qui non habet vnde faciat eleemosynam , liber est,quantumcunque dare voluerit, tantum dedit:quia voto,& desiderio dedit.* Ita ille. Et S.Leo serm.5.de Ieiunio:*Æquatur plerumque merito, quod distat impendio,quia potest esse par animus,vbi impar est census,nouit quidem Dominus omnium vires.* Ita S.Leo. Non potes dare duo minuta re,da mille nummos aureos desiderio , & in libris iudicij iusti Dei mille nummos hos , tanquam datos,reperies , quia desideria huiusmodi apud Deum pro facto reputantur.

Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat. Nuptias vocat sacra Scriptura cælestem beatitudinem,vti constat ex cap.19. Apoc. vbi hi qui ad cænam nuptiarum agni vocantur , beati appellantur : ad nuptias autem Dei non admittitur nisi is, qui habuerit vestem nuptialem,vt constat : vestis autem nuptialis,cùm festiua sit, candida debet esse , hoc est , nullâ maculâ fœdata peccatorum , sed bonorum operum albedine nitens. Quod igitur ait *omni tempore sint vestimenta tua candida* , omni tempore , hoc est, ne dormias , sicut domierunt virgines illæ fatuæ , sed vigila bonis operibus præparatus,vt,cùm sponsus venerit vox: *Ecce sponsus venit , exite obuiam ei* , possis illico intrare ad nuptias veste indutus nuptiali. Sed quid est , quòd addit : *Oleum non deficiat de capite tuo ?* si candida ferre debemus vestimenta sine macula vlla , cur iubet oleum capiti superimponere semper ? qui fieri potest, vt candida sint vestimenta mea , si effundo super caput oleum , quod necessariè descendere debet vsque ad oras vestimenti,& tunc necesse erit vt maculentur vestes,& non quàuis maculâ,sed olei,quæ omnium peior est ? Etenim oleum in sacris litteris misericordiam , & eleemosynam significare propter lenitatem & suauitatem eius , notissimum est, & hinc mysterium latens patet:oleum misericordiæ in pauperes,& egentes,non maculat , sed emundat opera nostra : nam Deus optimus maximus , misericordiæ nostræ amator , misericordibus misericordiam suam æternam promisit, dicens : *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur*,æternam scilicet , nam dicet his qui à dextris eius erunt : *Percipite regnum* , quia esuriui , & dedistis mihi manducare,&c. vt autem hunc finem beatitudinis misericordes consequantur,vestimenta candida eos gestare oportet,ne morte,vt fure accedente , illam non consequantur. quamobrem misericordiam suam misericordibus exhibens , etiam in hac vita eos à peccatis seruat,& præseruat,& gratiam suam præbet,vt à peccatis caueant,& bonis operibus vacent , & ita vestimenta candida semper gerant , quod maximus thesaurus est misericordiæ,&c.

Meritò S.Gregorius Nyssen.Deum nobis speculum crystallinum esse ait:in speculo enim ea videmus, quæ in nobis sunt:si aliquis pulchra facie accedit ad speculum , pulchram effigiem videbit in speculo ; si turpi, turpem,si placida,placidam,si irata,iratam : fideliter enim reddit vultum accedentis ad se : Talis nobis cum esse Deus solet,si nos mites fuerimus,mitem eum reperiemus;si irati,iratum ;si parcentes proximis , parcentem nobis;si vindicantes,vindicantem,si misericordes, misericordem,&c.

Sic Deo Dauid : *Cum sancto sanctus eris , & cum innocente innocens eris,& cum electo electus eris , & cum peruerso peruerteris.* Tertullianus lib.de Pudic. cap. 18. & Sanctus Clemens Rom.lib. 2. const. cap.43. Sanctus Hieronymus in cap.7.Eccles. Nyssenus hom.9.in Cant.& Sanct.Bern. serm. de Natiuitate B. Mariæ & serm.69.

in Cant. & epist. 17. explicant locum istum: Vnicuique Domine Deus retribuis secundum opera sua : etenim circa illum qui sanctè viuit, sanctum te & bonum exhibes, & circa moribus suis innocentem, quique charitate motus nemini nocet, innocens eris : neque enim nocebis ei; similiter & cum electo, hoc est, secundùm textum Hebræum, candido, & puro, electum te & candidum ostendes. Sed quid est, *cum peruerso peruerteris?* qui fieri potest vt Deus peruertatur? Peruersus est, qui consuetum ordinem mutat, vel ea facit quæ illi secundùm naturam congruere non ita videntur : vt si quis nimis iracoretur, vt leo, præter morem sicut ouis lenem se exhiberet. Deus quidem naturâ suâ pius, & clemens, & supra modum misericors est, & nos etiam: quippe cùm ad imaginem ipsius simus, misericordes, pios esse decet. quòd si nos peruertimus hanc naturæ nostræ conditionem, & in crudeles, & immanes transierimus, Deus etiam peruertetur erga nos, hoc est, non eum ita pium & clementem experiemur, sed feuerum & terribilem nimis: ideo enim ait idem Psalmista: *Sanctum, & terribile nomen eius; sanctum* lenitatem sonat, sed idem terribilis, qui sanctus Deus: nam *cum sancto sanctus eris, cum peruerso* terribilis quoque eris: talis erit Deus in te. si in proximos beneficus fueris, beneficus in te Deus erit, si contraxeris tu manum tuam, contrahet Deus illam, &c.

Psal. 10. 9.

Leuit. 26. 21.

Vnde sic Deus populo suo: *Si ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contra vos aduersùs incedam.* & iterum ibi: *Si ambulaueritis contra me, & ego incedam aduersùs vos in furore contrario.* & iterum ibidem: *Ambulauerunt ex aduerso mihi, ambulabo igitur & ego contra eos.* cur toties idem versat, & repetit Dominus? nimirum, vt hoc nobis plenè notum sit, quòd quales nos exhibemus, talem & nobiscum illum esse sentiemus. *si quieres ver que figura de vos hallareis en el espejo, mirad la que llegais al espejo. si quereis saber como esta Dios con vos, mirad como estais vos con Dios*, &c.

Ibid. 27.

Ibid. 40.

Matt 25. 40.

Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Quibus, quæso, alijs verbis rex filium principem, & vnicum regni sui hæredem amantissimum, in longinqua loca discessurus, poterat magnatibus suis commendare? Imaginare regem nostrum ad Indos longissimè velle proficisci, & vnicum filium suum dilectissimum velle apud nos relinquere, vocatisque principibus regni eis filium commendare; quibus, rogo, verbis altiùs poterat id præstare, quàm dicendo eis: Quòd huic vnico, & perdilecto meo feceritis, mihi factum existimabo? His igitur quoque verbis Deus pauperes nobis commendat, dicens: *Quod vni*, &c. nónne hinc manifestè constat, quàm grata illi misericordia nostra sit?

Psal. 103. 15.

Sanctus Hieronymus illa verba, *Vt exhilaret faciem in oleo*, legit sic: *Ad exhilarandum faciem oleo*, & in hæc verba ait: *Exhilaratur enim oleo misericordiæ iustorum facies coram Deo.* Ita ille. Qui alicui obsequium, seu beneficium aliquod præstitit, quod illi valde gratum fuit, cùm postea eum videt hilari vultu, illi assistit, recordatus gratiæ, seu obsequij illi grati; sic cùm eleemosynæ, & opera misericordiæ sint gratissima Deo, qui in eis se ob Dei obsequium exercuit, rectè hilari vultu Deo præsentari potest, tanquam ab eo misericordiam consequuturus, cui misericordia eius gratissima fuit.

Ex eo maximè constat, quàm Deo grata sit eleemosyna nostra, quòd vel etiam à pauperibus eam requirat, & quantumuis tenuem, non solùm accipiat, sed etiam exposcat. Præcipiebat olim Deus, vt sacrificia ipsa offerrentur vel ex pecudibus, vel ex terræ nascentibus, vel ex auibus; & aliquando ad sacrificia admittebat Dominus quæ nullius ferè momenti erant, vt sunt spicæ. In quo quidem maiestati diuinæ, cui offerebantur, derogari videbatur: tanto enim Regi non nisi pretiosa oblata congruebant; sed tamen tanta est bonitas & charitas Dei in homines, vt, ne pauperes ab oblationibus excluderet & tanto bono eos priuaret, paucissimis se contentum ostenderit. Expositio est S. Thomæ 1. 2. q. 102. art. 3. ad 12. vbi ait: *Lex in sacrificijs promittere voluit offerentium paupertati, vt qui habere non posset animal quadrupes, saltem offerret auem; quam qui habere non posset, saltem offerret panem; & si hunc habere non posset, saltem offerret farinam vel spicas.* Ita S. Thom. & hinc constat etiam, quàm grata sit Deo eleemosyna nostra, siquidem exiguum panis frustum, vel etiam aquæ frigidæ potum, recipit in paupere libenter, & non exiguam mercedem pro re minima promittit.

S. Tom.

Leuit. 7. præcepit Dominus carnem sacrificij pacificorum comedi, eadem die oblationis, aut ad summum die sequenti; quòd si in tertium aliquid superesset diem, ignis absumet. Cur ita? quodnam inconueniens inde? S. Theodor. q. 7. *Volebat Dominus non solos Sacerdotes epulari, sed etiam egenis de carnibus elargiri, & ideo tertia die cremari, vt necessitate compulsi, pauperes communi suo socios haberent.*

Leuit.

Sanctus Augustinus explicans illud psalmi 40. *In die mala liberabit eum Dominus*, ait: *Dies iudicij aderit, mala quidem, si non intellexeris super egenum & pauperem.* Ita ille. Vnde in iudicio specialis erit de misericordiæ operibus mentio: *Esurij*, ait, &c. Pergit psalmista: *Dominus conseruet*, &c. S. Augustin. dicit, hanc obiectionem, sicut sequentes promissiones Dei, esse ei *qui intelligit super egenum & pauperem*, factam: Ait ergo: *Dominus, conseruet eum.* Sanctus Petrus Chrysolog. *Conseruet eum & viuificet eum. Conseruet, ne rapiatur ad panam; viuificet, vt resurgat à mortuis, & recipiat vitam æternam:* & non tradat eum in manus inimici, *nempe diabolo.* Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius. *Quis est iste dolor nostri, nisi corpus nostrum, in quo anima iacet, & quasi dolens, quia dolet eò quòd cultum repetere cupiens, premitur corporis terrâ. Dominus verò sit stratum nostrum, quando nobis aduersa in prosperа vertit.* Ita S. Petrus Chrysol. et etiam Sanctum Augustinum, qui optimè explicat illa & subdit: *Erige ergo oculos in hæc promissa Christiane & confide.* Ita ille. *Confide*, ait, & meritò: Deus enim est, qui hæc misericordi promittit.

Psal. 40.

Aug.

Chrysol.

S. Petr.

PROP. IV. *Beneficus in pauperes Dei imitator est.*

CLemens Alexandr. 2. Strom. *Renera imago Dei est, beneficiens homo.* Ita ille. Cui consonat Theodor. quæst. 20. in Genes. vbi quærit, in quo ratio imaginis consistat in homine, ad quam dicitur creatus. *Quia*, inquit, *Deus longanimis est, longanimis homo habet se ad imaginem Dei, eamque imitatur per beneficentiam, & liberalitatem.* Ita ille.

Clemens Alex.

Theodor.

Et S. Leo Papa serm. 6. de Collectis: *In aliorum indigentia materia vobis data est diuinæ bonitatis imitandæ, vt per vos etiam in alios beneficia transirent diuina.* Ita ille.

Imò Tullius oratione pro Quinto Ligar. *Homines*, inquit, *ad Deos nulla re propius accedunt, quam dando, nihil habet fortuna melius, quàm vt possis, neque natura melius, quàm vt velis seruare plures.* Ita ille.

Sed ampliùs S. Gregor. Nazianz. orat. 17. *Luci*, inquit, *tibi nullo labore Deum fieri, noli diuinitati consequenda abijcere occasionem.* Ita ille. Quænam verò sit hæc occasio, explicauit *oratione 16.* dicens: *Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.*

Est proprium Dei dare, & benefacere, & misereri, *Deus cui proprium est misereri*, &c. concordat Clemens Alex. l. 2. Strom. c. 16. dicens: *Imago Dei est beneficiens homo.* Ita ille. *El limosnero es vn transumpto y retrato de Dios:* & S. Doroth. lib. de ædificio & harmonia virtutum, *Propriè*, inquit, *virtus ista imitatur Deum & exprimit ipsum.* Ita ille. Quasi dicat: Eleemosyna habet se vt pictor, qui exprimit vultum alicuius penicillo, qui reddit speciem propriam in imagine eius.

S. Leo.

Tullius.

S. Greg. Nazianz.

Clemens Alex.

S. Doroth.

Is qui

Is qui benefacere nescit etiam indigenti, nec inter homines numerari meretur. Quærit Rupertus Abbas lib. 1. in Gen. c. 8. quam ob causſam, cùm quatuor sint elementa, duorum tantùm meminit Scriptura in prima rerum omnium productione, & respondet, *Quia*, inquit ipse, *de terra, & aqua producta sunt omnes species rerum, quas nouimus.* Ita ille. Sic ergo de nobis dicendum est: etenim sicut ille, qui beneficus est, similis Deo est; sicille qui auarus, & miser est, & indigentibus nõ fauet, nec hominis nomine dignus est; quare non se hominis naturæ satisfeciſſe ille se censeat, qui nulli nocet. Inter irrationabilia quoque multa huiusmodi sunt. Gen. 26. cum Abimelech venerunt quidam ad Isaac, volentes cum eo contrahere amicitiam, & dixerunt : *Nihil tuorum attigimus, neque fecimus, quod lederet te.* Vbi rectè author quidam, *Latronum*, inquit, *misericordia hæc est, cùm non quantùm valent, nocent*: hi enim pro beneficio ducunt malum non inferre. Rectè autem S. Leo Papa serm. 1. de Ieiunio septimi mensis : *Parum est non auferre aliena, nisi largiaris & propria.* Ita ille. Et meliùs S. Chrysostomus hom. 16. in epist. ad Ephes. *Mihi nihil facere, hoc ipsum est malè facere.* Ita ille. Etenim non benefacere proximo, quando id ratio, & charitas postulat, verè malè facere reputatur, nam vti ait S. Ambrosf. *Pasce fame morientem, si non pauueris, occidisti.*

Prop. V. *Eleemosyna magni meriti est.*

Sanctus Chrysostomus homil. 17. in 2. ad Corinth. *An non cernis ea nos omnes conditione esse, vt aly aliorum ope egere nequeamus? nam & artifice miles opus habet, & artifex mercatore, & mercator agricolâ, & seruus hero, & herus seruo, & pauper diuite, & diues paupere, & qui nihil operu facit, eo qui eleemosynam præbet, & qui præbet, eo qui accipit. etenim u qui eleemosynam accipit, maximè necessarius est: nisi enim pauperes essent, salus nostra magna ex parte profligata esset : vbi enim pecunias serere possemus, non haberemus; quò fit vt pauper, qui omnium mmmè vtilis esse videtur, omnium maximè vtilis sit.* Ita ille. Vbi nota verbum illud, serere possemus: sicut enim agricola agris eget, in quibus serere frnmentum suum possit, vt inde vberes colligat fructus; sic etiam nos pauperibus indigemus, in quorum manibus pecunias, & bona temporalia serere possimus, vt inde æterna possimus colligere bona : ad hoc enim Deus, qui facillimo negotio pauperes ditare potuit, pauperes esse voluit, ne bonum eleemosynæ amitteremus.

Mitte panem tuum super transeuntes aquas, & post multa tempora inuenies illum. Quænam sunt aquæ istæ, super quas mittendum esse panem nostrum ait Sapiens? Manifestum est hîc agere Salomonem de eleemosynæ fructu, & emolumento : supponit esse nonnullos qui ea quæ pauperibus erogant, se perdidisse censent, & velut in aquas proiecisse, *pareceles que lo que dan al pobre, el echan vio a bajo.* Ad huiusmodi hominem dirigit sermonem suum Sapiens, tu censes eleemosynam panis nihil aliud esse, quàm mittere in aquam transeuntem panem: consulo igitur tibi, vt super tales aquas transeuntes mittas panem tuum, & tibi promitto in verbo Domini, quòd post tempora multa inuenies illum. ac si dicat: ea quæ in hoc mundo coacervas, & accumulas, post tempora vitæ huius non reperies, in altera videlicet vita: at eleemosyna, quæ comes est defunctorum, non ita peribit, sed ipsam auctam, & multiplicatam in cœlo reperies : centuplum enim accipies, & vitam æternam possidebis.

Vnde in largitione huiusmodi eleemosynarum idem cogita, quod agricola dum seminat semen suum: hic enim larga & liberali manu agro frumentum committit, sperans post aliquod tempus maiorem inde frumenti copiam se collecturum, quàm seminauerit. Semen est eleemosyna, dicente Apostolo.

Optimè perpendit Sanct. Bernard. de gradibus superbiæ, gradu 1. discrimen, quo se Deus, & hostes erga nos gerunt : nam hostis homini obtulit pomum, & abstulit paradisum; Deus verò offert paradisum, & postulat pomum, hoc est, rem parui momenti, calicem aquæ frigidæ, vel buccellam panis pauperi tribuendam : & tu miser libentiùs oblata parui momenti à dæmone accipis, & paradisum amittis, quàm Deo paradisum accipiens, res nullius æstimationis vltrò offerre, &c.

Non solùm in hac vita eleemosyna nostra recipit incrementum, verùm etiam, & maximè illud recipiet in futura : bona enim in obsequium mundi absumpta, sunt consumpta, & amissa; quæ verò in obsequium Dei sunt, velut semen terræ commissum, quod centum pro vno reddit. *Son las manos de Dios tierra de pan llenar fertil y abundante, y sembramos aora y cogemos el fruto en el agesto de la otra vida, donde los auarientos hallaran agostados sus bienes, los lymosneros y piadosos multiplicados.*

Dormierunt somnum suum omnes viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus suis. Vbi Sanctus Augustinus: *Nihil inuenerunt, quia nihil posuerunt in manibus Christi.* Alludere videtur Sanctus Augustinus ad conuiuium illud quod fecit Christus Dominus Ioan. 6. viris quasi quinque millibus, vbi Apostoli posuerunt quinque illos panes, & duos pisces in manibus Christi, & ait Euangelista, impleti sunt, hoc est, saturati sunt, & insuper superauerunt duodecim cophini fragmentorum : sic Deus se cum his gerit, qui per eleemosynas bona sua in manu collocant eius : nam in hac vita eos reficit, & multiplicat eis necessaria, & insuper pro alia vita multa superstunt fragmenta, imò tunc maximè retribuit bona illis. *Psf 75. 6.*

Cùm ad eleemosynam hortaretur Dominus discipulos suos, dixit : *Facite vobis sacculos qui non veteràscunt.* vobis, inquit, non pauperibus, cur ita? nónne sacculos facimus pauperibus, cùm bona nostra tribuimus illis? ita, sed multò magis nostros implemus sacculos quàm pauperum, cùm illis eleemosynas damus: ideo ait; *Facite vobis sacculos*, hoc est, implete sic sacculos vestros. Obserua quòd dare nostrum vocat accipere, & euacuare per eleemosynam sacculos, vocat implere: tu miser, & miserabilis homo, dum eleemosynam tribuis, minuere te censum tuum credis: quod manifestè probat exiguitas eleemosynæ tuæ: si enim verè, & firmiter crederes eleemosynarum largitionem esse multiplicationem dati, nónne larga & liberali manu dares bona tua pauperibus Christi? quis non multa spargeret frumenti grana libenter, si sciret pro vnoquoque grano centum se inde grana collecturum? &c. *Luc. 12. 33.*

Vnde Sanctus Petrus Chrysologus serm. 22. *O homo, si hîc permansurus non es, hîc qua tua sunt, cur relinquis?* Ita ille, & ita est, quæ in Dei obsequium non præstas, hæredes tui, te oblito, comedent, bibent, ludent, & pro arbitrio suo expendent, & fortè pro te nec Sacrum nec vel vnicam Virginis salutationem proferent; quæ verò pauperibus tribuis, & in Dei obsequium expendis, tibi, non hæredibus, in æternum seruas. Quòd si adeò de hæredibus curam habes, scito quòd non auferuntur ab hæredibus quæ pauperibus donas, sed augentur. nam tui causa non solùm tibi, sed tuis Deus huiusmodi augebit bona.

Denique vnusquisque fructus agrorum suorum, & reditus suos in domum suam portat, non in alienam. domus nostra cœlum est; & ciuitas nostra : non enim habemus hîc ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus. mundus hic, & domus, quam in eo possidemus, domus aliena est, habemus eam locatam pro tempore limitato, relinquenda est hæredibus. Domus futura non erit locata, nec ad tempus, sed perpetua & æterna: illuc ergo res nostras mittere debemus, si nolumus cum diuite Epulone tunc quærere guttam aquæ.

vbi nemo nobis dabit. Expectamus rursum id 2. Cor. A 9.6. vbi agens Apostolus de eleemosyna, *Qui parcè*, inquit, *seminat, parcè & metet*, vbi eleemosynam dantem comparat seminanti, primò, quia granum sementis exigua quidem res est, producit tamen tot inde grana, vt nisi ad oculum pateret, vix credibile videretur; sic etiam quod in eleemosynam damus, parui momenti res est, & immensas cœli diuitias parit. Si granum tritici seminatum produceret spicam auream gemmis pretiosissimis refertam, verbi gratiâ, si produceret margaritas, & adamantes, & topasia, & carbunculos splendidissimos, &c. quis non libenter grana tritici seminaret? Quis igitur non libenter eleemosynam præstet, cùm inde regni cœlorum gemmas, & lapides pretiosos inæstimabilis valoris producat?

Verum quidem est quòd grana seminata corrumpuntur, & pereunt: *Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, nullum fructum affert*; ita etiã quod per eleemosynam damus, amitti; & perdi in præsenti B debet. Sed tamen sicut qui seminat, in spe debet seminare, imò in spe, inquam, copiosum fructum colligendi, non solùm in vita æterna, quamuis hoc solum satis superque erat, sed etiam in vita præsenti: centuplum enim accipiet, & vitam æternam possidebit. Potest quidem granum seminatum ob aliquam incidentem occasionem deperdi, aut ob pluuiæ defectum, aut solis, aut ob aliquam earum, quas Christus Dominus assignauit Luc. 11. eleemosyna verò ex charitate facta, salua est, quippe quæ in cœlo recondatur, vbi nec ãues cœli eam comedent, nec temporum inclementia infert nocumentum, &c. securè igitur semina eleemosynam & sine auaritia; nam qui parcè seminat, parcè & metet, &c.

Sæpe sæpius sacræ paginæ de magnitudine meriti eleemosynæ agunt, & centuplum nos proinde acceptu- ros, & vitam æternam promittunt; nihilominus tamen pauci admodum sunt, ex his etiam qui se Euangelio credere profitentur, qui eleemosynas larga manu audeant elargiri: cuius tacita ratio est, quia hoc centuplum promissum est, non exhibitum, *es al fiado, no al contado el premio de la limosna*; non est in possessione, sed in spe, quibus modò id respondebo, quod nos communiter dicere solemus, *mas vale buena esperança, que ruyn possession*.

Cùm Alexander mundum expugnare, & sibi subiugare pararet, priusquam è Macedonia proficisceretur, cuncta quæ possidebat, ducibus suis, & familiaribus distribuit. Reprehendit propterea eum quidam ex familiaribus, & prodigum esse dixit, qui cunctis donans, nihil sibi reseruasset; imò plurimum, inquit Alexander, mihi reseruaui, spem scilicet principatus mundi, quam ope ducum, & magnatum meorum me assecuturum spero, ideo ipsis hæc mea bona liberaliter tribui, vt ita illos ad pugnandum, & vincendum vrgerem. Fateor eum qui bona sua pauperibus distribuit, sibi spem tantùm retinere, sed spes hæc pluris facienda est, quàm D mundi huius opes: spes autem hæc maioris certitudinis quidem est, quàm illa, quam ex suis donationibus Alexander habebat: nam ex bello pendebat: varius autem est euentus belli; hæc verò ex verbo Dei, cuius firmitas, & certitudo firmitate cœli terræque maior est:

Marc. 13. 31. *Cœlum enim, inquit, & terra transibunt*, &c.

Voluit Deus olim, vt aliqua sibi sacrificia offerentur, quem cultum nolebant homines Deo adhibere, dicentes, non sibi ad id suppetere requisita. A liunde verò, vt Propheta ait, instituebant mensam largè ac liberaliter fortunæ. *Qui ponitis*, inquit Isaias, *fortunæ mensam, & libatis super eam.* Vbi D. Hier. ait, Israelitas quorundam idololatrarum confuetudinem imitando, posuisse mensam refertam varij generis epulis, & poculum mulso mixtum. De qua re quæritur Deus hoc in loco, vt clariùs Hebræa translatio explicat, quæ iuxta interpretationem Symmachi sic ait: *Qui ponitis fortunæ mensam, & libatis absque me super eam*, docens (vt inquit Hieronymus) non sibi id fieri, sed dæmoni. Hanc Deus quereimoniam habet de pluribus Christianæ religionis assertoribus, qui cùm effusos sumptus ad mundo inruiendum faciant, ad Dei cultum procurandum, eusque pauperibus subueniendum, nihil sibi opis esse dicitant.

Isai 65. 11.

Cùm filij Israel idolum, quod diuinis prosequerentur honoribus, peterẽt, dixit illis Aaron: Si vultis idolũ fieri, præbete sumptus ad ipsum efficiendũ. *Tollite, inquit, inaures aureas de vxorũ, & filiarũ auribus, & adferte ad me.* Fecitque populus quæ iusserat Aaron, sed, vt ait D. Augustinus super Gen. q. 141. intellexit Aaron difficilius præcipere, vt hoc modo eos ab illa intentione reuocaret; factum est tamen illud ipsum difficile; ita nunquam legimus huiusmodi bona pauperibus erogata fuisse: idolo verò promptè & libenter illa donantur. Hos certè æmulantur hi, qui cùm omnes suas facultates idolo suo, libidini scilicet, & effrenatæ cupiditati tradant: Dei cultui, egenis ac miseris nullam opem impertiuntur, sed dicunt, in magna se esse diuitiarum penuria. Et quidem non tam illis est penuria facultatum, quàm charitatis, & misericordiæ, consilij, atque prudentiæ. Alij fortè sunt qui nolunt pauperibus subuenire, quia arbitrantur omnia, quæ egenis tribuunt, reperiri perdita, & sine fructu consumpta. Quod à Christianæ religionis professoribus esse maximè auenũ, cùm multiplex ex pietate fructus decerpatur. Quòd si nullus alius esset, præter illum qui in Deo colendo, eiusque sanctissimæ voluntati obtemperando desumtur, satis superque esset, vt omnes opes rectè cõsumpti iudicaremus in pauperibus Dei causã opitulando. Itaquens D. Chrysost. super epist. ad Ephes. hom. 8. de locis ribus Dei causã perpessis, sic ait: *Etiamsi nullam eleemosynam haberet res, hoc tamen solum magnum est præmium, hæc multa retributio, quòd ista mala propter Christum dilectum feruntur.* idem ego de eleemosyna dicam, quæ si nullam aliam afferret vtilitatem, nullumve præmium, quàm vt illa propter Christum distribuatur, hæc tamen esset retributio. hoc maximum commodum.

Sed aliud nihilominus magnum & excellentissimum infert ad vtilitatem nostram. Audi igitur Spiritum sanctum ita loquentem: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum.* Quid sibi vult mittere panem super transeuntes aquas? quo item pacto sic missus panis inuenietur post tempora multa? D. Hieronymus sic interpretatur locum hunc: Sicut qui super irrigua seminat, fructum seminis expectat; ita qui largitur egentibus, non granum seminis, sed ipsum panem serit, fœnore quodam multiplicationem illius præstolans, & cùm dies iudicij aduenerit, multò ampliùs quàm dederat recepturus. Eleemosynam ergo elargiri nihil aliud est, nisi opes augere, illasque in diem, quo magis eis indigeamus, reseruare, ab hac in alteram vitam deferre. Cùm quis è vita decedit, vulgò sæpe dicitur, ille mille aureorum vectigal singulis annis capiendum reliquum fecit, tot facultates, tot domus, tot prædia, &c. reliquit. Et quidem verum est, omnia quæ habebat alijs eum reliquisse; illud vero secum detulit, quod pauperibus tradidit, id eorum manibus in cœlum asportatum est.

Eccles. 11. 1.

Quamobrem D. Laurentius Decio, exigenti diuitias Ecclesiæ, quæ iam fuerant pauperibus distributæ, respondit: *Facultates Ecclesiæ, quas requiris, in cœlestes thesauros manus pauperum deportauerunt.* Cùm ex hac vita migraueris, facultates quas hæredibus reliquisti, in lite, & in iudicio positæ, nullum tibi emolumentũ afferent; illas autem quas egenis elargitus es, gloriam, & beatitudinem, iuxta Saluatoris nostri cõsilium, quo monuit discipulos: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur.*

Matth. 6. 19.

furantur: thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, & furantur. Appellauit etiam thesaurum hunc Christus Dominus *thesaurum non deficientem in cœlis*, sed quo pacto huiusmodi æterni ac nunquam peritури thesauri in cœlo thesaurizandi sint, satis apertè explicuit Idem Dominus, cùm cuidam principi interroganti: *Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo?* respondit, vt seruaret Dei præcepta, subdens: *Adhuc vnum tibi deest, omnia quæcumque habes, vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Sed proh dolor! nihil omnino de huiusmodi diuitiis acquirendis homines curant, sed amplissimas opes, multorumque aureorum annuos reditus summo studio, ac diligentiâ comparant in terra, vbi Christo Domino testante, ærugo, & tinea demolitur, & latrones effodiunt, & furantur, & saltem vnum latronem subterfugere nemo potest, mortem scilicet, quæ cunctas, quas acquisieris, facultates, omnino auferet, atque omnibus spoliabit diuitijs. quod quidem secus accidit, vt dicebam, iis quæ eleemosynâ thesaurizant sibi diuitias sempiternas. Ob id rectè D. Hieronymus, scribens ad Furiam, sic ait: *Velimus, nolimus, senescimus, paret sibi viaticum, quod longo itinere necessarium est, secum portet, quod inuitus dimittere est, imò præmittat in cælum, quod si negauerit, terra sumptura est.* Hæc Hieron. Satius profectò est deferre in cœlum, quàm relinquere in terra, deferre tibi diuitias, quàm relinquere hæredibus, qui illas dissipent, & in ludis, epulis, ac delicijs consumant, proximior es tu tibi, teipsum primum hæredem constitue, opem, & opes pauperibus ferendo, *Thesaurus cœli*, inquit Chrysologus, serm. de diuite & Lazaro, *est manus pauperis, est gazophylacium Christi, quia quidquid pauper accipit, acceptat Christus: Da ergo homo pauperi terram, vt accipias cœlum, da nummum, vt accipias regnum, da micam, vt accipias totum, da pauperi, vt accipias tibi. Quia quidquid pauperi dederis, tu habebis, quod pauperi non dederis, habebit alter.* Hæc ille. Quod aptissimè probant illa Ecclesiastici verba, *Eleemosyna viri, quasi sacculum cum ipso, & gratia hominis, quasi pupillam conseruabit.* Diuus Augustinus legit *signaculum*, & non *sacculum*, vt sensus sit; ita custodit Deus eleemosynam, vt eam in suo penetrali obsignatam habeat. Solent homines publicas literas, quæ alicuius sunt momenti, in recessu aliquo occulto, & tuto loco signatas custodire: sic Deus in tutissimo quodam penetrali, eleemosynas consignatas suo signo, tutatur, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit; id est, Deus hanc gratiam hominis, quam facit pauperibus, conseruabit, vt pupillam oculi.

Quantum denique præpotens Deus eleemosynas egenis in terra impertitas remuneret in cœlo, satis declarauit in Euangelio, cùm honorem, quo pietatis, ac misericordiæ studiosi afficiendi erant, explicuit. Hæc illi dicens: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurui enim, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere*, &c. In quæ verba Diuus Chrysostomus hom. 24. in Gen. inquit: *Quomodo paria sunt pascere esurientem, & in die illa horribili iudicium assequi, & audire verba nulli regno conferenda? esurijsti, & dedistis mihi manducare, glorifica Dominum tuum, quòd propter te, & propter salutem tuam, permittat pauperem in paupertate versari, vt tibi via pateat, per quam peccata possis abluere, & dispensatis bene ijs quæ sunt tibi à Domino concessa, laudes illas mereare, quæ omnem rationem, & sermonem transcendunt. Audies enim: Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Hæc D. Chrysostomus. Dicant igitur iam auari diuitiarum appetentes, & qui nimia habendi cupiditate ardent, quod commercium inire possunt, ex quo maius sibi commodum, & emolumentum accrescat, quàm ex eleemosyna? quis existimabit deperditas diuitias, quas in ferenda ope pauperibus consumat, cùm tantam illæ mercedem adipiscantur? Aquam, quam domi tuæ habes, in arboribus, hortisque irrigandis dispergis, vt fructum postea decerpas, qui dignus sit multo maiori pretio, quàm aqua profusa, quam non disperdere, sed potiori quodam iure retinere arbitraris. Tunc, inquit D. Chrysostomus, aqua fructra diffunditur, cùm in rigandis arboribus infœcundis consumitur, secus verò in fructiferis irrigandis; sic etiam tunc homines sua bona profundunt, fortunasque disperdunt, cùm pecuniam in ludos, epulas, cultumque pretiosum impendunt; illæ verò diuitiæ frugiferæ, rectèque consumptæ dicentur, quæ in pauperum inopiam subleuandam aliorumque miseriis subueniendum insumuntur: misericordia enim, cuius munus est illa opera exercere, defunctorum comes est, vt D. Ambrosius ait: quæ ad Dei tribunal te comitabitur tuasque partes aget, & temporales diuitias pauperibus distributas bonis æternis remunerabit.

Eádem mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis. Matt. 7. hoc est, si vos piè cum proximis gesseritis in hac vita, in alia vita pariter se Deus piè vobiscum geret; si verò, è contrario, è contrario se.

Vers. 2.

Vnde Prouerb. 21. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Duo hîc minatur Spiritus sanctus immisericordi. Primò quòd ipse clamabit, hoc est, Deo ita permittente, & iustè iudicante, ipse etiam, sicut is qui ab eo misericordiam petit, incidet in miseriam. Secundò, sicut ipse clamantem non exaudiuit, sic ipse clamabit, & non exaudietur. Quod ad literam in diuite illo Epulone obseruauit Sanct. Chrysost. epist. 125. *Quoniam micas pauperi minime largitus est, ipse nec guttam quidem aquæ accepit, hyemis tempore fementem haudquaquè iecit, proinde nec in æstate messem fecit.* Ita S. Chrysost. Iste igitur, qui obturauit aurem à clamore pauperis Lazari, & ipse clamabit, dicens: *Pater Abrahæ*, &c. in extremam quidem paupertatem deueniens: & secundò, sicut ipse non exaudiuit Lazarum, sic nec Lazarus, nec Abraham exaudierunt illum, sed pœnâ talionis æquissimè multatus est.

Vers. 13.

De muliere illa Tabitha, *Erat* (inquit Sacra Scriptura) *plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat*, imò pauperes pleni erant eleemosynis; Tabitha verò vacua & carens illis. Dic mihi, quæso, si quis pecunias multas ad vsuram daret, diceresne quòd illis omnibus careret? imò quòd illis maximè abundaret, cùm eis plura sibi lucra reportaret. Quid autem sit eleemosynas dare, audi, *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis: & vicissitudinem suam reddet ei.* Rectè igitur de Tabitha dicit Scriptura, eleemosynis factis plenam esse, ne, quæso, te amittere iudices, quæ pauperibus donas, sed quæ inutiliter reseruas: hæc enim amittes, illa ad vsuram vsque recipies. Vnde meritò eleemosynarium quidam epitaphium hoc in sepulchro suo post fuam mortem inscribi iussit: *Habeo quod dedi, perdidi quod seruaui. lo que guarte perdi, y he ganado lo que di.*

Act. 9. 36.

Prou. 19. 17.

Nobis quidem inuitis bona nostra Deus per seipsum pauperibus & indigentibus poterat erogare, sed noluit, vt nos ea sponte pauperibus communicando, gloriam mereamur. Hoc ita prosequitur Sanct. Chrysost. *Propter hoc* (inquit) *admiror Dei bonitatem, quòd qui potest à te, vel inuito, accipere ea non vult te inuito auferri, vt etiam mercedem habeas: vtpote potest animam tuam te inuito accipere, sed vult te volente, vt tum Paulo dicas*: Quotidie morior. *Potest gloriam tuam te inuito auferre, & te reddere humilem, & abiectum; sed vult à te volente, vt habeas remunerationem. Potest etiam, te nolente, facere te pauperem; sed vult te tua sponte fieri talem, vt tibi coronas contexat. Vidisti Dei benignitatem: vidisti sœcordiam & ignauiam nostram.* Ita S. Chrysost.

Hom. 10. in 1. Cor.

1. Cor. 16. 31.

Hom 15. in 1. ad Cor

Idem S. Chrysost. *Date de facultatibus vestris indigentibus, vt augeatis substantiam*: Qui enim pauperi dat (*inquit Sapiens*)

Sapiens) mutuat Deo. *Quòd si festines, neque tempus expectes remunerationis, intellige eos, qui pecunias hominibus fœnori dant, nolle continuò exigere vsuras, sed gratius est eis diutiùs in debitorum manibus summam esse, modò cautionem habeant, neque debitor suspectus sit. Idem hoc quoque in loco fiat. Dimitte res tuas apud Deum, & tibi multiplicem mercedem reddet. Noli in hoc sæculo exigere omnia: nam si hîc totum acceperis, quomodo illic eo frueris? Propterea Deus illic reservat, quia caduca est præsens vita, verùm & in hoc quidem fœculo elargitur.* Quærite enim primùm Dei regnum, *ait*, & hæc omnia adjicientur vobis. *Sed nos illud suspicianius, & nolimus ad omnium operum nostrum remunerationem festinare, vt ei derogemus: sed expectemus tempus. non enim tales hæ sunt vsuræ, sed quales à Deo dandæ sunt: has igitur liberalissimè congregantes, ita ex hac vita discedamus, vt & præsentia bona & futura contingamus.* Ita S. Chrysost.

Matt. 6. 33.

Hom. 1. in 1. Cor. 11. Oportet hæreses esse Cap. 4.

Idem Sanctus Chrysostomus agens de his, qui in primitiua Ecclesia vendebant facultates suas, & ad pedes Apostolorum in pauperes erogandas ducebant, vt constat ex Actis Apostol. *Sicut hi* (ait Sanct. Chrysostomus) *qui ad magnos quosdam principatus accersiti, vt regias inhabitent ciuitates, omnem substantiam suam in pecuniam commutant, & sic illò migrant, sic planè & tunc faciebant illi ad cœlum vocati, & ad regnum quod illic est: nam persuasum habentes, illic esse patriam, omni substantia sua in pecuniam commutata, pecuniam per Apostolorum manus illò præmiserunt. Est autem stultitiæ extremæ relinquere aliquid rerum nostrarum in hoc loco, nobis paulò pòst hinc emigraturis. Quapropter illuc præmittantur omnia, vbi & nos semper posthac conuersaturi sumus. Sic illi secum reputarunt, omnem simul repositurunt substantiam, & fiebat illis duplex pietatis opus: subleuabant enim indigorum inopiam, & thesauris suis in cœlo repositis, plures & securiores suas facultates faciebant.* Ita Sanct. Chrysost. Et quidem qui ex nostris transferunt se ad Indos, vt diuitijs sibi acquisitis, in patriam reuertantur, non in India bona immobilia procurant, sed aurum, vel argentum, vel lapides pretiosos, vel denique merces, quas secum apportare possint, vel denique schedulam aliquam regiam, quâ mutuam pecuniam in patria recipiant sua: neque enim apud Indos commorari volunt. Sic igitur nobis agendum est, terra ista India est, in qua meritorum abundat aurum & argentum. Stultum est bona immobilia hîc relinquenda quærere, quæ nobis cum ferre possumus, accumulare oportet: quod quidem maximè eleemosynis fit. nam eleemosyna regia quædam schedula est, per quam in cœlum centies multiplicata, quæ hîc pauperibus dederimus, recipiemus.

Matth. 6. 20.

Matth. 6. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.* Prædixerat Christus: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra scilicet, hæc duo copulari noluit, *nobis*, *in terra*: thesaurizare quidem in terra possumus, sed non nobis tum, quia impossibile sit. Qualis enim thesaurus nobis, quòd nobis recedentibus, alijs relinquere sit absolutè necessarium, nec nobis asportari concedatur, neque obolum quidem. Possumus igitur thesaurizare mundo, non nobis, sicut in parabola illius diuitis, qui vberes fructus collegit, Christus oftèdit, dicebat ille ibi: *Anima habes multa bona reposita in annos plurimos.* Hic sibi thesaurizasse se in terra existimauerat, at vix verba cõpleuerat, cùm vox de cœlo intonuit: *Stulte, hac nocte repetèt animã tuã à te, & hæc quæ parasti, cuius erũt?* quasi dicat, thesaurizasti, sed non tibi. Igitur in terra nobis thesaurizare impossibile est. Possumus nobis; sed non in terra; possumus in terra, sed non nobis. Hæc copulatio, nobis, & in terra, incompatibilis est? Denique nobis thesaurizare possumus, & debemus: quod alijs verbis Dominus asseruit Ezechiel. 16. *Viue tibi*, quod aduersùs eos dicere possumus, qui alijs, & non sibi viuunt, dum ditescunt, vt alios ditent. Viue ergo, ô frater, tibi, thesauriza tibi. Quomodo, & vbi? si enim in terra, non, vbi? *In cœlo*, ait Dominus. Sed quî fieri potest, vt in cœlum opes, & thesauros nostros deferre valeamus? vbinam turris, cuius culmen pertingat ad cœlum? vel vbi scala Iacob à terra in cœlum producta, per quam multi ascendebant? vel quænam machina excogitari potest, quâ in cœlum thesauros nostros eleuare possimus? *que poleas? que gruas se hallaran para esso, con que azenillas se podran portear y traxinar esta mercaduria, o con que nabios lleuar este flete al puerto de los cielos.* Est quidem nauis ad hoc, seu potiùs naues multæ, pauperum scilicet manus. Sic beatus Laurentius ad Tyrannum: *Facultates Ecclesiæ quas requiris, cœlestes in thesauros manus pauperum deportauerunt.* Imò & Christus, Matth. 19 ad Iuuenem saluari optantem. *Vende* (ait) *quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Secura quidem hæc negotiatio, & quæ naufragium nesciat. Cùm quis in exterum regnum pecunias securè deferre curat, eas mercatori alicui tribuit, qui correspondentem illorum habeat, à quo chartam, seu schedulam accipit, in qua alteri referat, statim literis visis, dandam esse pecuniam: sic nos pauperibus thesauros nostros exhibemus, hi enim mercatores harum mercium sunt, habent in cœlo Deum responsalem, & à pauperibus chartam accipimus, cùm accipiunt ipsi. Non audis pauperem datum accipientem dicere: *Dominus retribuat tibi*, Dios os lo pague. Hæc charta cambij, seu commutationis est, pauper vero trapezita, & Deus nunquam non acceptat, si ab his vt debet, tribuatur eleemosyna. *Paga dios a letra vista.* Vnde meritò Sanctus August. serm. 50. de Tempore pauperes, *delitiarios nostros* vocat, per quos in cœlum à terra demigramus.

Matt. 6. 33.

Luc 12. 19.

Ibid. v. 20.

Ezech. 16. 6.

Psalm. 111. *Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Vbi Sanctus Augustinus: *Minuitur pecunia, & augetur iustitia: illud minuitur, quod relictum est; illud verò augetur, quod in æternum possessurus es. Cum ergo do lucrorum, disce mercari, laudas mercatorem, qui vendit plumbum, & acquirit aurum, & non laudas mercatorem qui erogat pecuniam, & acquirit iustitiam?* Ita Sanct. Augustinus.

Hoc pro his dictum sit, qui diminutionem pecuniæ timent. Minuitur, inquies, census domus meæ, si liberaliter eleemosynas tribuo. Dic oro, cur cùm infirmus es, venam scindi permittis, ad sanguinis tui effusionem, & diminutionem? Quia (inquis) hæc sanguinis diminutio salutis augmentum est. Idem igitur dico, *sangra os de la vena del arca*, ex arcæ vena eleemosynam dato, & quantùm diminueris censum, augebis animæ salutem, &c.

Sanctus Chrysostomus tom. 5. hom. 5. de pœnitentia: Fortasse quis dicet. *Quare Deus, sicut mihi diuiti dedit, non æquè pauperi dedit? Poterat quidem sicut & huic pauperi dare, sed noluit; ne tuas diuitias infructuosas faceret, neque illius sine merito efficeret paupertatẽ. Tibi diuiti dedit ditescere per eleemosynam: Dispersit enim, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Cernis diuitem eleemosynã æternam thesaurizare iustitiam? Quid ergo ad pauperem qui diuitias non habet? quemodo iustitiam operatur? Habet ille paupertatem, de qua patientiam lucretur: nam patientia pauperum non peribit in finem.* Ita Sanct. Chrysost. Vbi nota iustitiam diuitis eleemosynam facientis æternam dici, quia præmium æternum habet, & similiter, *Patientia pauperis non peribit in finem*, quia fructum gloriæ fine fine consequetur.

Chrysost.

Idem S. Chrysost. hom. 7. de pœnitent. tom. 5. *Vbinam diuitias deponemus? num in terra suffodiemus? Absit: sed si meis consilijs acquiescere velis, modum tibi dicam, quo transfugas opes, fidas eas tibi reddideris: quonã modo transfuga ipsa tenebũtur? Distributæ manẽt, custoditæ fugiunt. Quod ab agricolis disce: nam illi, si frumenta domi conclusa tenent, vermium in esca amittent: si verò disperserint in terras, non modò custodiunt, sed etiam augent. Sic & opes stantes quidem in arca, & sub sera, & vecte defossæ, citò transfugiunt; si verò in pauperes dispersèris, non modò non fugunt, sed maiores inde resur-*

Chrysost.

resurgunt; quare in manibus pauperum fac eas detineri, viduarum scilicet, orphanorum, & infirmorum: neque enim dissugere poterunt tot manibus detenta, sed cum firmitate & conseruantur. plane, & crescunt. Sparge igitur in pauperes superfluas opes, & quod inuitus fortasse inimicis es cessurus, id ipsum prius volens depone, tuaque fac, quæ tua modo non sunt. Et quid, inquies, pueris relinquam meis? Ego quidem non opes totas te euacuare volo, imò & tunc pueros ditiores effecisses, cùm Deum ipsum propitium reliquisses, & ex eleemosyna lucrum, fertilitatemque habueres: non enim huiusmodi pueros desiciet Deus. Non ninoratur substantia ex eleemosyna, multiplicabit ipsis firmitatem, quæ secundùm Deum est, bonæ voluntatis, si eas hoc in primis ipsis depositis facies: si autè inopiâ timuisti, & is superuacuus timor est: qui enim malos nutrit, multò magis & agrotos, & inopes, & captiuos: Ita S. Chrysost.

Idem S. Chrysost. hom. de misericordia & duabus viduis, tom. 5. Ego (inquies) misericordiæ instanter impleui officia, ego inopes pascerem, egentes fouerem, nudos vestirem, nec à me vllus pauperum inanis discederet, si mihi suppeterent facultates: at cùm mihi necessaria desint, cur mihi dandi sterilitas imputatur? Sed audi, quisquis hæc loqueris, & excusandi ansas, quas obtendis, omitte. Nullus miser est, nisi qui noluerit misereri, quia nullus misereri desideran: poterit non habere, quod tribuat: nullus petentem inanem relinquet, nisi qui ei noluerit commodare. Non enim misericordiæ desinter sunt pretia, aut nisi quis multum dederit, acceptabile esse, quod datur, non poterit; aut inopes tantùm à quoquam expuscunt, quantum, qui poscuntur, dare non possint, aut ex modico multum, aut ex exiguo plurimum dare cogitur quispiam, cùm libenter ex modico modicum attributum diuina pietas gratuleturur. Denique vidua Eliam ex modico pascit, & ipsum, quod habuit, finiri non potuit, illius victus dando non desinit, & diuitum horrea sitiuntur; modicum olei erogatur, nec defecit, & peccatorum apotheeas penuria famis exhaurit. Denique audi Dominum viduam in Euangelio collaudantem, quæ in dona Dei totum, quod habuit, misit, Amen, inquit, dico vobis, vidua ista plus omnibus fecit: omnes enim isti de eo, quod abundauit illis, fecerunt: hæc autem totum, quod habuit, misit. Laudatur in modico vidua, & diuitum non laudantur oblata. Diuites enim ex multo modicum, vidua verò ex modico obtulit totum; & Dominus operationes expendens, non quantum quisque obtulerit, sed quantum quis fecerit, ostendit: certabat enim animo cum diuitibus, vidua cum locupletibus, pauper mediocris cum opulentissimis fide ac deuotione certabat, & animo vincit, animo superat deuotione, & maior omnibus à iudice pronunciatur: Amen dico vobis, ait, vidua ista plus omnibus fecit. Prouocaris, Christiane, prouocaris, & à vidua deduceris in certamen: hæc enim vidua, quæ tunc Christo præsente certauit, nunc quoque cum omnibus certat, imò qui victi sunt, nesciunt talem, qualem nunc, qui prouocantur, nouerunt. Et vidua quidem quod fecit, non didicit: immisericordes verò quotidie discunt, & non faciunt, calicem denique frigidæ Prophetæ dare, præmium Prophetæ promittitur. Aegrotum fratrem, vel in carcere constitutum, visitare, Dominum est visitare: sicut ipse Dominus dicit, vt possit ex gratuitis promereri, qui de substantia non potest misereri, vt iam constat pro qualitatibus hominum, misericordiæ officia cessare non debere, vt operantibus præmia cœlestia dispensentur. Ita Sanctus Chrysostomus.

Idem Sanctus Chrysostom. tom. 5. serm. Quòd dispensatio, &c. Rerum tuarum dispensatio Ecclesiæ Præsidibus non est committenda, sed quin per te ipsum exequenda, vt non solum minuendi fortunas, sed etiam administrandi mercedem habeas. Ipse semen tuis manibus sudco iacta: non enim hîc erit terræ aratrum defigendum, aut boues iungendi, vel ipsa tellus nouanda, & cum frigore, ac gelu contendendum: hæc enim omni difficultate caret istiusmodi semeu: in cœlo namque seminas, vbi algores nulli, neque hyems, vel eiusmodi quippiam aliud inuenitur: in animo seru, vnde nemo, quod satum fuerit, tollet. Ita Sanct. Chrysost.

Idem Sanctus Chrysostomus hom. 2. ad populum:

A *Est Christus eleemosynas suscipere paratus, & depositа tibi seruare, nec tantùm seruare, sed etiam multiplicare, & reddere cum fœnore multo, ex cuius manu nemo eripere potest: non seruat autem tantùm depositа; sed etiam securum depositorem facit. in hominibus autem depositа suscipientes, gratiam se nobis præstare putant; si depositа custodierint: Christus autem, non gratiam præstitisse, sed accepisse se dicit, & pro ipsa custodia pecuniæ tuæ mercedem non repetit, sed dat mercedem. Hospes hic es, & peregrinus, patriam habes in cœlis, illuc omnia transmitte, & hîc etiam retributionem accipies: qui enim bona spe alitur, & de futuris confidit, hic iam regnum gustauit. Vis ergo ditari, amicum habeto Deum, & omnium ditissimus eris.* *Dissimile.*
Ita Sanct. Chrysost.

Idem S. Chrysost. hom. 24. ad popul. *Ne itaque nos tot bonis priuemus: nam si circa terram laborantes, horrea exhaurientes, terræ semina mandant, & congregata dispergunt, & hæc faciunt cum gaudio, se ampliorum spe consolantes: & hoc, cùm sciant, quòd frequenter & aeris inæqualitas, & sterilitas terræ, & alij multi incursus vel locustarum exercitus, vel rubeginis impetus, ab expectatione decidere facit: multò magis nos inanter repositа in cibos pauperum disponere congruum est, vbi nunquam accidit aberrare, nec infortunium, quod in terra fit, vereri. Aie enim:* Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. *Breui tempore distributionem fecit, & perenni euo permanet eius iustitia; qu d hoc beatius esse potest? ideo cohortor, vt eleemosynam faciamus, quæ sic iustitiam attrahamus, vt de nobis etiam dicatur:* Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. *Post-quam enim dixit,* dispersit, *ne existimares, quòd dispersa perirent, inculcit statim:* iustitia eius manet in sæculum sæculi, *ex illis (inquit) dispersis, exurgit, & oritur iustitia, quæ manet in sæculum sæculi, id est, cum omnibus sæculis pariter extenditur.* Ita S. Chrysost. *Chrysost.* *Similo.* *Pſ. 111. 9.*

Idem S. Chrysost. hom. 36. ad popul. *Eleemosyna non extra cœlum cum satuis virginibus manebit, sed simul cum prudentibus, cum sponso ingredietur, ardentes habens lampades: Eleemosyna cum multa fiducia suos in cœlum introducet: est enim cœli ianitoribus nota, quin & venerabilis, & quos sibi cultores agnouerit, cum multa introducet libertate & non contradicet. Nam si Deum misericordia in terram deduxit, & hominem fieri persuasit; multò magis in cœlum poterit hominem reducere: magna enim est eius potentia. Si ergo eleemosyna nos agnouerit, & Dominus agnoscet, si non agnouerit ipsa, ignorabit & Dominus, & dicet: Nescio vos: hæc enim maior est gratia, quàm mortuos suscitare: multò enim maius est, quàm in nomine Iesu mortuos ad vitam reuocare, esurientem pascere Christum: nam hîc quidem tu de Christo bene mereris, illic autem ipse de te: at merces quidem est in bene gerendo, non in bene recipiendo, vnde in miraculis ipse Deo debes, in eleemosynis verò Deum habes debitorem.* Ita S. Chrysost. *Chrysost.*

Idem S. Chrysost. hom. 36. ad populum: *Si mors pecuniis redimi potuisset, morti proximus omnia sua dedisset. Vide igitur quanta sit misericordia Dei; temporalem redimere pecuniis mortem non concessit: sed concessit mortem æternam sic redimere. Ne breuem, inquit, vitam emas: sed vitam illam æternam, illam vendo tibi, hanc si æperis, æperis nihil.* Ita Sanctus Chrysostomus. *Chrysost.*

Huc tendebat Tobiæ consilium, filio suo datum, *Quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesauriza in die necessitatis, quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Hæc Tob. Quid igitur faciemi eleemosynas desiderandum supereſt? Felices diuitiæ, quibus tantum bonum à Deo consequi datur. *Tob. 4. 8.*

Confirmauit hoc Angelus Raphael ad vtrumque Tobiam, dicens: *Bona est eleemosyna magis, quàm thesauros auri abscondere; quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.* Pondera verba (*à morte*, inquit, *liberat*) & quidem sæpè à morte liberat temporali, *Tob. 12. 8.*

Super virum misericordem, per vicum transeuntem, A
casura erat tegula, & illum occisura; sed diuina eam detinuit manus, ne caderet, vel aliò misericordem virum diuertit, & sic euasit ille mortem: vel si tale perageret ille iter, vt in manus latronum deueniens, perimendus erat, inspirauit tamen illi Deus, vt sisteret domi, quo mortem effugit, &c. Sic igitur à morte temporali Deus liberat misericordem; sed ne de hac morte, vel saltem non de illa tantummodo, Angelus loqui visus fuisset, subdidit: *Facit inuenire vitam æternam*, carè te tibi pecunijs tuis videtur vitam æternam emi, dum eas pauperibus elargiris?

Chrysost. Dissimile. Sanct. Chrysost. hom. 33. ad popul. *Si fœnerare quidem suppetat, multum dantes conquirunt auari, & grates considerant: nos autem grate suscipientem Deum, & non centesimam partem, sed centuplum præbentem dimittimus, ac nec sortem quidem nobis redduros quærimus. Quid enim nobis venter reddet, qui tanta consumit? Vermes & corruptionem. Quid inanis gloria? Linorem & inuidiam. Quid auaritia? Curam & solicitudinem. Quid intemperantia? Gehennam & venesicum vermem. Hi namque sunt diuitum debitores, has vsuras sorti suæ iungunt, præsentia mala, pœnasque futuras. Hîc igitur, quæso, ad tantam mutuabimus vltionem; Christo vero nostra non credemus, & cœlum præstendenti, & æternam vitam atque arcana bona? & quam imeniemus extusationem? cur, quæso, non duo illi, qui procul dubio daturus est, & plura daturus sortasse, quia post multum temporis dat? Atqui & hîc præbet: non enim mentitur qui dicit:* Quærite primùm regnum Dei, & *Matt 6. 33.* hæc omnia adjicientur vobis. *Vidisti liberalitatis magnitudinem. Illa ibi seruata sunt, inquit, & non diminuuntur: præsentia verò in adiectionis & superabundantiæ loco tibi largior.*

Præterea verò post longum recipere tempus, tibi talentum multiplicat: fœnus enim efficitur maius: nam in mutuantibus videmus hoc facere fœneratores, post multum temporis libentiùs redimentibus fœnerantes; qui enim statim totum reddit, vsuræ cursum interrumpit; qui verò diu retinet, maiorem facit operationem. C

In hominibus itaque dilationem non ægrè ferimus, vt maius efficiatur lucrum; apud Deum verò tam pusillanimes nos gerimus, vt propter hoc torpeamus, & retrocedamus, cùm eorum, quæ dantur à Deo, magnitudo, & illius donationis decor, præsentis vitæ transgrediatur vtilitatem. Neque enim in caduco, & corruptibili corpore fas est illas immarcescibiles accipere coronas, neque in præsenti tumultuosa plenaque turbationis conuersatione, multaque habente mutationes, immotam illam, & imperturbatam acquirere sortem.

Et si quis aurum tibi debens in aliena moranti regione, nec habenti seruos, neque in tuam propriam domum reportare valenti, mutuum se dare promitteret tibi, etiam atque etiam rogares, ne tibi peregrè, sed domi potiùs erogaret; illa verò spiritualia, & ineffabilia hîc accipere, & quanta sunt ista demētia? nam si hîc quidem cæperis, omnino corruptibilia recipies: si verò tempus illud expectes, incorruptibilia & immortalia reddet. Si recipis hîc, plumbum recipisti, si verò illic, probatum aurum, verumtamen neque præsentibus te priuauit. Cum illa namque promiserit, & alteram posuit, ita dicens, quòd omnis, qui cœlestia diligit, centuplum accipiet in hoc sæculo, & vitam æternam possidebit. *Si verò centuplum non accipiamus, nos auctores, qui tantum reddere valenti non mutuamus. Quoniam omnes, qui dederunt, tanta receperunt, licèt pauca dederint. Quid enim magnum, quæso, Petrus erogauit? nónne rete fractum, & calamum cum hamo dumtaxat? veruntamen ei Dominus orbis terrarum domos reseruauit, & terram explicuit, & mare, & omnes eum ad sua vocabant, & quin potiùs ad ipsius pedes omnia sua vendentes deferebant: nec in manus quidem impittentes; non enim audebant, sed solùm ei cum largitate honorem tribuebant. Sed ille, inquies, Petrus erat. Et quid hoc? homo: Non enim hoc soli Petro promisit, neque dixit: Tu verò Petre solus centuplum accipies, sed* Quicumque reliquerit *Ibid.* domos, vel fratres, centuplum accipiet. *Non enim personarum dixit differentiam, sed merita rerum.*

Dissimile.

At, inquies, filiorum me cœtus crecumsat, & illos domitos relinquere vellem. Bene: sed vnde? nam si ipsis quidem omnia dimittas; periculose quidem custodiæ tua commendasti; sin verò Deum eis relinquas hæredem, & tutorem, innumeros eis reliquisti thesauros. Sicut enim, cùm nos ipsos vlciscimur, Deus nos defendit nos; cùm autem ipsi concedimus, plus, quam expectamus, efficitur: sic & in pecuniis, si nos earum curam gerimus, ab illarum Deus prouidentia recedet; si verò totum in eum projicimus, & eas in filios in omni securitate constituet.

Et quid mirum, si hoc apud Deum contingit, cùm & in hominibus idipsum contingere videamus? nam si necessarium neminem ad tutelam vocaueris filiorum, confunditur necessarius & erubescit frequenter; si verò in eum curam projicias, tanquam magno decoratus honore, maximam retributionem reddet. Si vis igitur filijs multas relinquere diuitias, Deo tutelam relinque, qui animam dedit, & corpus plasmauit, & gratiam tribuit. Cùm tantam liberalitatem videas illis exhibentem, quomodo nō ei aperies omnes diuitias? si enim Elias modium farinæ, postquam vidit mulierem illam se filijs suis præbere, indeficientes arcas in viduæ præstitit domo, quid Deus præsenti se filijs non præstabit? Non igitur attendamus quomodo filios diuites relinquamus, sed quomodo præditos virtute: nam si diuitijs confidant, nihil aliud curabunt, habentes vnde morum malitiam obumbrent, abundantiā pecuniarum: sine illis autem omnia facient, vt aliquam diuitiarum iacturam virtute releuare possint. Ne itaque diuitias illis relinquas, vt illis virtutem reparas: extremæ namque flotiditatis est viuentes quidem non seruare dominos omnium filios, mortuos verò multam inuenturi facilitati præbere licentiam: atqui viuentes quidem, & pœnas exigere poterimus, & male rebus vtentes cohibere, & refrenare, si verò morientes præter orbitatem, & iuuentam, diuitiarum quoque potentiam præbeamus, in mille præcipitia miseros impingimus, ignem igni adijcientes, & atroci fornaci oleum infundentes. Itaque si vis illos diuites in tuto relinquere, Deum ipsis relinque debitorem, & hoc eis chirographum trade. Etenim gratiam habet, & debens & erogans nobis Deus, & fœneratum suos non fœneratis iucundus intuetur: & quibus maxime B
debet, hos maximè diligit. Itaque si vis eum semper amicum habere, multorum constitue debitorem: neque enim fœneratos debitores habens ita gaudet, sicut Deus creditores habens dilectatur. & quibus quidem nihil debet, hos refugit: quibus verò debet ad hos accurrit. Igitur omnia faciamus, vt ipsum debitorem habeamus.

Hoc enim fœnorum horum tempus est, & nunc in necessitate constitutus est Christus: hîc enim sitit, hîc esurit: sitit autem, postquam tuam salutem sitit. & propterea quoque mendicat, & nudus circumit, tibi negotians vitam immortalem. Eum itaque ne despexeris: non enim vult cibari, sed cibare, non indui, sed induere, & aureum illud tibi parare indumentum, & regalem stolam. Propter hoc neque te cum violentia repetit, vt tibi magnam det retributionem, vt discas, quòd non opus habens exigit, sed tuam respiciens vtilitatem. Propterea & in vili te petit habitu, & dexteram extendens, neque si dederu obulum, auersatur, neque etiamsi negauerit, abscedit, sed ad te rursum accedit: vehementer enim amat salutem nostram. Hîc igitur Christus est in necessitate constitutus: nisi igitur nunc ei dederis, D
postquam hinc migrauerit, tu non indigebit.

Pecunias itaque contemnamus, ne a Christo condemnemur, & contemnamur. Contemnamus, inquam, pecunias: si enim eas hîc custodimus, eas omnino perdemus & illic; si verò multa cum largitate dispensamus, multam in vtraque vita fiducia tem assequemur. Qui vult ergo diues fieri, fiat propter Christum pauper; expendat, vt colligat, & vt congreget, dispergat. Quòd si hæc noua, & mirabilia videntur, seminantem aduertat, & consideret, quòd non aliter ille colligere posset. Semineum Simile. *& nos cœlum, vt cum multa opulentia metamus.* Ita Sanctus Chrysostomus.

Ita auarè & miserè nonnulli misericordiam exhibent, ac si amitterent quod pauperibus tribuunt, como si hechasen rio abaxo lo que dan a los pobres. Audi Psalmistam Psalm. 111. *Iucundus homo qui miseretur, & Psalm 111.* *commodat, disponit sermones suos in iudicio.* Non ait: qui misc-

qui miseretur & tribuit, sed, qui miseretur & commodat. Cur ita? Cassiodor. ibidem: *Vir misericors iucundus est, non tam hominibus quàm Deo, qui tribuendo pauperibus commodare videtur: dat enim temporalia recepturus æterna.* Ita ille. O felix commutatio! quis non talem commutationem eliget, si sapit, libentissimè? Vnde consequenter ait: *Disponit sermones suos in iudicio.* Glossa, id est, *disponit sermones, quibus in futuro Dei iudicio defendatur.* Ita Glossa. In iudicio enim Deus misericordibus dicet: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. quia esurui, &c.*

Luc. 16. sic Christus Dominus: *Ego dico vobis*, hoc est, attendite quod dico vobis (quasi specialiter à me dictum & considerationе dignum) quid hoc? *Facite vobis amicos de mamonna iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, id est, dare pauperibus eleemosynam, vt saluemini. Sanctus Gregorius locum hunc expendens, ait: *Ergo pauperibus tribuendo, patronis potiùs munera offerimus, quàm egenis largimur.* Ita ille. Et 18. Moral. 10. *Dines* (inquit) *Epulo serò oculos aperuit, compulsus in damnatione cognoscere quod perdidit, quando Lazarum non agnouit: iuste autem qui de abundantia peccauit, æstuanti crematur inopiâ, guttam aquæ petijt, qui micas panis negauit.* Ita ille. Vnde Sanctus Hieronym. ad Nepotia. *Non memini me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit: habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri.* Ita S. Hieron. cuius authoritas in hoc, de quo agimus, articulo, eximiæ consolationis esse debet eleemosynarum largitoribus.

Hinc S. Innoc. Papa: *Non tam fecit Deus diuites propter pauperes, quam pauperes propter diuites.* Ita ille. Quasi dicat: Plus lucrantur diuites dando, quàm pauperes recipiendo; quia pauperes stipem seu panis fructum accipiunt; diuites autem cœlum.

Item Sanctus Augustin. lib. de conflictu virtutum, damnationem diuitis auari tribuit immisericordiæ, dicens: *Memento quid purpurato diuiti contigerit, qui non ideo damnatus est, quòd tuerit aliena, sed quòd egenti pauperi non tribuerit sua, & sic in inferno positus ad petenda minima peruenit, qui hic parua negauit.* Ita Sanctus Augustinus.

Dices: Pauper ego sum, & ideo eleemosynas dare non valeo. Audi Sanctum Leonem Papam serm. in apparitione Domini, vbi ait: *Nulli parvus est census, cui magnus est animus, nec de rei familiaris mensura pendet modus pietatis: non discrepat fructus operum, vbi non deest affectus operantium.* Ita S. Leo. da igitur parum quod potes, da desiderium dandi.

Prouerb. 19. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* Quid est, *fœneratur Domino?* Fœnerator quidem idem est quod vsurarius: numquid nos vsurarios esse gaudet Dominus? ita quidem. Licèt enim vsura prohibita sit, inuenit tamen bonitas fœnerationem, non solùm valde vtilem, sed etiam omnino licitam & sanctam, eleemosynam nempe: est enim eleemosyna idem quod Deo vsuram dare. Sic locum exponit Sanct. Basil. con. 2. in Psalm. 14. *Cùm* (inquit) *pauperi dare voluerit propter Dominum, idem dònum est, & mutuum: donum quidem, quia non sperat receptionem; mutuum verò propter magnificentiam Dei, qui pro paupere persoluit, qui pro paucis per pauperem acceptis, magna pro ipsis reddet: qui enim pauperis miseretur, Deo ad vsuram tribuit.* Ita ille.

Subscribit S. Petrus Chrysol. vlteriùs ponderando locum istum serm. 25. *O Christe* (inquit) *quò te pertrahit tuorum amor? vt auarum lucri facias, facis eum quod desiderat audire. Auare fac tibi sæculos, qui non veteraſcunt, pauperibus erogando, quæ quidquid acceperit pauper, suscipit cælestis pater, & ne fortè perdidisse te doleas vsuram, centuplum in cælesti fœnore recipies. Vsura mundi centum ad vnum, Deus vnum accipit ad centum; & tamen homines cum*

Deo nolunt habere contractum. Sunt fortè de cautione solliciti. Sed quare? nónne homo homini exiguæ chartulæ obligatione confringitur? Deus autem tot & tantis voluminibus cauet, & debitor non tenetur? Sed dices, esto quod debeat, quo exigente restituet? Se ipso, quia non potest mentiri, idem ipse debitor est & executor: non erit durus in reddendo, qui profusus est in largiendo. Crede homo Deo, qui tibi te Deus dedit, maiora reddere vult, cùm vult debere largitor. Ita ille.

Iterum Prouerb. 19. *Qui miseretur pauperi, fœneratur Deo.* Ponderat Sanctus Chrysostom. homil. 3. in Genes. verba ista, dicens: *Vide vsuræ naturam raram & admirabilem. Alius est qui accipit, & alius qui se dandi fœneris reum facit, & non hoc solum nomine, sed quia in hoc genere vsuræ non est ingratitudini locus, nec vlli damno. Neque enim sicut vulgò simplex promittitur redhibitio, sed centupla dantur, & non solùm centupla: nam aliqua dantur in præsenti vita & aliqua in æterna. Et in præsenti quidem vita, si quis nobis duplicia solùm polliceretur, pro his quæ à nobis dantur, parati essemus omnem illi substantiam nostram offerre, licèt ibi magna ingratitudo, multæ fraudes & multi qui boni habentur, fœnus non soluunt, vel ob maleuolentiam nolentes, vel sæpe ob inopiam non valentes. Omnium autem Domino vil tale imputari potest: nam & capitalis summa in tuto est, & centum hic promittitur eleemosynam expendentibus, & in futuro reponitur æterna vita. At pecuniæ, quæ nunc ianuis & repagulis includuntur, in vanum ibi iacent.* Ita Sanct. Chrys.

Sanct. August. serm. 26. de verbis Domini secundùm Lucam, expendens verba illa Luc. 10. *Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Voluit* (inquit) *Dominus accipere formam serui, & in illa pasci à seruis dignatione non condition: nam & ista dignatio fuit se præbere pascendum, habebat carnem in qua esuriret quidem & sitiret. Sed nescitis quia in eremo esurienti ipsi Angeli ministrabant? ergo quod pasci voluit, pascenti præstitit.* Ita S. August. Qui deinde addit: Ne tamen quis vestrûm dicat, ô beati qui Dominum Iesum Christum in domum propriam suscipere meruerunt: noli dolere, non tibi abstulit istam dignationem: ait enim, *quod minimis meis feci stis, mihi feci stis.* Ita ille. Id ipsum, ergo de his qui pauperibus eleemosynam tribuunt dicendum est: mittit Dominus pauperem ad te, vt illum pascas, vt illi faueas; non quia ipsemet Deus pauperi succurrere satis non possit. Etenim cùm tibi pauperem committit, tibi fauere decernit. Vnde S. August. ibidem: *Etiam Dominus coruo ministrante pascebat, & postea misit eum pascendum à vidua. numquid pascendo defecerat, quando ad viduam mittebat? Non, sed religiosam viduam per obsequium exhibitum seruo suo benedicere disponebat.* Ita ille.

Gen. 20. 1. *Profectus inde Abraham in terram Australem, habitauit inter Cades & Sur.* &c. Quam ob causam dimisit terram Mambre, quæ bona & grata illi fuerat, & Deus non præcipiebat ei inde abire, & nihilominus ad terram, cuius commoda non erat expertus, voluit proficiscì? Rationem huius reddit Liranus, supponens euersionem terræ Sodomorum, iuxta quam ipse habitabat. Ait ergo Liranus: *Causa fuit* (vt dicunt Hebræi) *quia diligebat multum hospitalitatem: subuersis autem ciuitatibus illis, & omni populo mortuo, nullus de illis ciuitatibus remanserat, qui inde transiret ad domum Abrahæ, nec ex alijs locis veniebant ad prædictas ciuitates per domum Abrahæ transeuntes; & ideo quia non poterat exercere hospitalitatem, transitus se ad alium locum, vbi essent frequentes viæ, & sic exercere hospitalitatem posset.* Ita ille. Ecce quanti faciebat S. Patriarcha misericordiæ opera, cùm non commoditati attenderet suæ, sed pauperum proximorum. Non sic auari homines, non sic, non, inquam, pauperes quæruntsed fugiunt.

Marc. 12. aspiciente Christo Domino eos qui munera in gazophilacium mittebant, adfuit vidua illa pauper quæ duo tantùm minuta dedit; de qua sic ad discipulos

suos Christus : *Amen dico vobis quòd vidua hæc pauper plus omnibus misit*, &c. Etenim diuites plures nũmos mittebant; quomodo igitur ait Dominus plus misisse viduam? S. Leo Papa, *Numquam*, inquit, *meritò caret etiam in tenui facultate bonæ voluntatis opulentia. Maiora quidem sunt diuitum impendia & minora mediocrium, sed non discrepat fructus operum, vbi est idem affectus operantium. Nulli enim parcus est census, cui magnus est animus, nec de rei familiaris modo mẽsura pendet pietatis.* Ita S. Leo ser. 2. in Quadragesima, & ideo in die natiuitatis Christi, Angeli hominibus bonæ voluntatis pacem Dei annuntiauerunt.

S. Leo.

1. Corinth. 4. *Quid habes quod non accepisti?* quasi dicat, nil: si diuitias habes, quis tibi contulit illas? Deus, inquies. Iterum rogo, Deúsne abdicauit à se dominium, cùm eas tibi dedit? nequaquam. Ad quid igitur eas tibi à Deo datas censes? S. Paulin. *Non vt de proprio restituĕndi simus, sed vt de credito fœnerentur, quia iumenta Dei iustitia pariter & bonitas de ipsis muneribus suis vult sibi munera fieri, vt sibi materiam beneficiendi erga se pariat, quia bonus est, & tibi faciat meritum quo digne recipias, quia iustus est.* Sic Paulinus epistol. 32. Vnde qui pauperibus Christi eleemosynas denegat, & Deo iniustus est, & proximo crudelis, & sibi auarus tollit à se meritum valoris eximij. Pondera item verbum illud, *fœneremus*; quomodo igitur Deus danti sibi retribuat abundanter? sic enim Abrahæ pro filio, quem efficaciter voluit Deo immolare, quamuis de facto (Deo impediente) non præstiterit, pro vnico, inquam, filio, filios multos, & inter eos Dei filium lucratus fuit. Et Anna matèr Samuelis pro Samuele oblato Deo tres genuit filios & filias duas iuxta benedictionem Pontificis, dicentis ad virum Annæ : *Reddat tibi Dominus semen pro muliere hac, pro fœnore quod commodasti Domino.* Idem patet in vidua illa quæ ex farina parua, quam habebat, panem tribuit Eliæ, &c.

1. Cor. 4. 7.

S. Paulin.

3 Reg. 2. 20.

Genes. 18. de Abrahamo dicitur : *Sedebat in ostio tabernaculi in ipso feruore diei.* Vbi Procopius: *Diligenter attendenda est hospitalitas peregrinorum eo tempore, quo plerique deficere solent iter facientes æstu fatigati, Abraham pro tabernaculo consedit, cum sol esset feruidissimus. sed quare hunc laborem subibat?*

S. Petrus Chrysol. Matt. 25. 35.

S. Petrus Chrysol. serm. 9. Qui dixit : *Esurij, & dedisti mihi manducare, vult in paupere sibi dari; & qui vult sibi dari, vult in paupere se debere quod datum est; & qui vult se debere quod datum est, vult largientibus nil perire; Deus autem parua poscit, maxima redditurus.* Ita ille. Qui rationem huius inferiùs addens, ait : *Non dubites, accepta illum reddere, qui tibi gratis dedit habere quod dares.* Ita ille. hoc est, qui tibi nil Deo, vel pro Deo danti dedit bona, quibus pro illo seu in eius obsequium posses offerre, multò maiora dabit tibi, cùm pro eius amore largiris ab eo accepta.

S. Leo.

S. Leo serm. 6. de ieiunio. *Efficacissima est ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur. Quoniam qui suum ab inope non auertit animum, ctiò ad se Domini conuertit audĭtum, dicente Domino:* Date & dabitur vobis. *Constans igitur esto largitor, da quod accipias, sere quod metas, & quod' colligas, spargе. Noli metuere dispendium: substantia enim cum bene erogatur, augetur.* Ita S. Leo.

Luc. 6. 38.

S. Petrus Chrysol. serm. 9. *Deus parua poscit, maxima redditurus; nimirum, quia non petit tantum indigens, soluit verò tanquam magnificus.* Ita ille.

S. Petrus Chrysol.

S. Augustin. serm. 41. de verbis Domini : *Quantumuis habeas tu, qui dues es, Dei mendicus es : veni ad horam orationis, & ibi te probo. Petis in oratione, quomodo pauper non es, qui petis? plus addo, panem petis. an non es dicturus:* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie? *Qui panem quotidianum petis, pauper es, an dues? & tamen dicit Christus tibi, da mihi ex eo quod dedi tibi : quid enim attulisti, quando venisti? De meo igitur quare mihi non donas? da igitur, & ego tibi reddam; habuisti me largitorem, facito debitorem, habeam te fœneratorem; pauca mihi das, plura reddam; terrena mihi das, cœlestia reddam; temporalia mihi das, æterna restituam.* Ita ille. *Que vsura tan preciosa por vna parte licita por otra tan ganancioſa, ſi amos vſureros con Dios, &c.*

S. Augustin. Luc. 11. 3.

Prop. VI. *Eleemosynam recipit Deus tanquam sibi factam.*

Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Obserua conclusionem istam, *quomodo charitas Dei manet in eo?* nam secundùm præmissa sic concludendum videbatur : quomodo charitas proximi manet in eo? De charitate enim proximi, & non de charitate ipsius Dei antecedens loquebatur; sed facilis est solutio, si consideremus eleemosynam (si rectè illam fecerimus) non tam pauperi, quàm Deo fieri: nam licèt fiat pauperi, fit tamen propter Deum : propter quod autem vnumquodque tale, & illud magis, tu pauperi nummum das, & Deus manum extendit, & nummum tuum, quasi sibi exhibitum, capit.

1. Ioan. 3.

Hinc Prou. 14. *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius; honorat autem eum qui miseretur pauperis.* Quid fit, calumniari egentem, exponit idem Salomon, dicens : *Qui despicit pauperem, exprobrat factori eius.* Exprobrare autem hic idem est, quòd dedecore afficere, vt exponit Iansenius. Sensus ergo est : qui eleemosynam negat pauperi, cùm eam possit, & debeat illi dare, id tanquam dedecus proprium reputat Deus. cur ita? quia id quidem est eleemosynam Deo denegare, & ideo aduersatiuè subdit: *qui verò miseretur pauperis, honorat Deum:* honorare autem aliquem est illi aliquid dare, iuxta illud, Prou. 3. *Honora Dominum de tua substantia.* &c. Qui ergo miseretur pauperis, quasi sibi impensam reputat Deus misericordiam illam, & qui denegat eam pauperi, Deo ipsi denegat eam. Quis vestrùm, quæso, fratres, si Christum Dominum petentem à se eleemosynam videret, non ei libentissimè omne quod habet, statim tribueret? Valeat igitur apud vos fides Christiana, quam profitemini : cùm pauperem eleemosynam petentem videritis, Christum in paupere cogitate, illi date, & fœlicissimos vos reputate, cùm ei eleemosynam elargiti fueritis, licèt nullum inde aliud emolumentum reportaretis, quantò magis cùm sic Deo dare, sit ad vsuram immensam illi commodare. Notusdenique est ad hoc locus, *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Prou. 19. 17.

Matth. 25. 40.

Cur, inquies, Deus eleemosynam pauperi erogatam, sibi erogatam dicit? dicam. Maxima Philosophorum est, quòd qui dat formam, dat consequentia ad formam, qui dat ignis formam, dat calorem, & siccitatem, qui dat calor & siccitas sunt consequentia ad formam, & ad esse ipsius. Deus quidem animam, quæ forma nostra est, dedit nobis, & esse vitale quod habemus ad huiusmodi autem esse vitale consequitur necessitas cibi, nam vita sine cibo sustentari, & ali non potest, ad Deum igitur spectat nobis alimenta præstare, sicut in principio creationis nostræ fecit, Gen. 1. vbi dixit Deus homini primo : *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum.* Ad Deum enim pertinebat suis creaturis (maximè rationalibus) cibum necessarium prouidere. Cùm igitur pauperes creaturę rationales sint, ad Deum pertinet eis victum necessarium præstare, cur igitur id non facit? Facit quidem, dum diuitibus iniungit, & mandat pauperibus eleemosynas dare : ad hoc enim prouidentiâ suâ eis diuitias concedit. Sicut enim facile est in oculis Domini subito honestiare pauperem; sic facile quoque est in eisdem oculis Dei subitò depaupe-

Gen. 1. 29.

rare

rare diuites, & eorum diuitias in pauperes transferre. Dat autem diuitias diuitibus hac lege, vt pauperibus subueniant, & ita præstent, quod Deus præstare debebat: hinc prouenit, Deum sibi attribuere eleemosynas pauperibus datas. Sicut pater aliquis, cuius filio indigenti diues aliquis necessaria præbet, quasi data sibi reputans pater, & gratias datori refert: sic Deus danti pauperibus retribuet abundanter, quia sibi datas eleemosynas censet.

Videns Christus notitiam Euangelij communicatam esse rudibus, & paruulis, relictis sapientibus mundi, gratias propterea referens Patri, dicebat: *Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Quid, Domine Deus, paruuli nostri receperunt beneficium hoc, & tu es qui gratias reddis? Reddant ipsi, qui acceperunt, &c. Non mirum, nam Christus caput nostrum, nos autem corpus eius, quidni caput pro membris referat gratias? Cùm tibi aliquid aliquis in beneficium confert, manus tua accipit illud, & aperitur; ita quia caput est ipsius manus recipientis, manus accipit, verbi gratiâ, Christo eas pro manibus ipsis, & lingua refert gratias, quia lingua in capite est, & ad caput spectant bona corporis sui; sicut è conuerso, cùm membrum aliquod patitur damnum, caput conqueritur statim, calcauit pedem tuum aliquis, & statim sonat lingua capitis tui, caue, recede, quia calcas me. calcas me, ait caput; cùm non ipsum, sed pes conculcetur, vnde cùm Saulus spirans minarum, Act. 9. pergeret in Damascum, vt vinctos inde perduceret Christianos in Hierusalem, factus est ei obuius Christus, & dixit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* non ait, cur persequeris Christianos, sed, cur persequeris me, nónne Domine tu securus in cœlo sedes ad dexteram Patris? quomodo ergo ais, cur me persequeris? nimirum, quia caput nostrum etiam in cœlo est, & ita ad eum pertinet cura de nobis, *y assi el golpe dasse en la tierra pero el ay en cielo*, & ob eam causam Matth. 25. in iudicio dicet immisericordibus: *Esurui, & non dedistis mihi manducare, sitiui, &c.*

A quod pro Deo colerent, venerarentur, adorarent: renuebat ille, nec mirum: grauissimum enim delictum erat, & ideo, vt opinor, populi molestia grauatus, talia à populo ad idolum conflandum petere excogitauit, vt rem prorsus difficilem redderet. *Tollite, inquit, inaures aureas de vxorum filiorumque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.* Vbi S. Augustin. (inquit) *Aaron præcipere difficilia, vt hoc modo eos ab illa intentione reuocaret.* Ita ille. Sed nihil minùs: nam fecit populus, ait Scriptura, quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron, & quamuis inaures tantùm dicat, infrà dicit, quòd populus esset nudatus: spoliauerat enim eos Aaron, &c. Quidquid igitur sit, multam magnamque quantitatem auri tribuit populus ad huius fabricam idoli: sed non cunctatus fuit, dummodo idolum, quod appetebat, consequeretur. quòd si in aliquod pium opus, opes illas Aaron petiuisset, forsitan nec inaurem vnam mulier aliqua dare voluisset. Sic igitur se nunc res habet erga mundum & Deum: erigunt mundani idola sua, honoris videlicet, & voluptatis; ad hæc duo idola sustinenda aurum & argentum suum, & omnia quæ habent, libenter impertiuntur, *En eso se consumen los grueſcos, maioraſgos y rentas copioſas.* Sed ad eleemosynas nihil habent, ad pia opera se pauperes nudosque fatentur esse. nimirum quia mundus spoliat eos ad huiusmodi Deos erigendos, & sustinendos? quibus meritò dicet in iudicio Deus illud: *Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam? surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum, &c.* *Super Exodum.* *Deut. 32. 37.*

B

Seneca lib. 6. de benef. inter sublimia Dei hoc enumerat, quod omnibus det, & à nullo quidquam accipiat. *Qui*, inquit, *omnibus daturus est, & nunquam acceptu-rus.* Hoc ille. *Beatus est dare quam accipere*, vti Christus Dominus dicebat, attestante Paulo. Quod si cuiuis dare beatum, dare Deo ipsi, quid beatius? Si Deo est beatum dare nobis, quæ maior beatitudo nostra, quàm Deo dare? & quidem in hoc Deo superiores aliquo modo apparemus, nobiliori damus: Deus enim nobis, nos verò Deo damus. *Seneca.*

C

PROP. VII. *Quòd pauperi damus Christo Domino damus.*

NOtus est locus ille, vbi de eleemosyna Christus agens, ait: *Quamdiu vni ex his minimis fratribus meis feciſtis, mihi feciſtis.* O eximia Dei dignatio! ô sublimis dignitas nostra, qui Deo ipsi eleemosynam elargiri valemus! eximium quidem beneficium fuit Christum in Eucharistiæ sacramento remansisse, incomparabile donum est; sed in pauperibus remanendo mira quadam ratione maius quid nobis præstitisse aliqualiter dicere valemus: nam in Eucharistia continetur Christus, vt se nobis communicet, & gratiam suam præstet, quod diuinam bonitatem maximè decuit: at in paupere manſit Christus, vt à nobis reciperet dona nostra. Mirabilius autem, & maius erga nos donum fuit, ad accipiendum à nobis, quàm ad dandum nobis, remansisse: beatius enim est magis dare, quàm accipere, beatius ergo nobis est secundùm hoc dare Deo, quam accipere à Deo, & tantò magis, quantò qui à nobis accepit eleemosynam, maior est cæteris cunctis. Vtraque Domini mansio mirabilis, ambæque inuentiones memoriâ æternâ dignæ, de quibus rectè valuit dicere Isaias: *Notas facite in populis adinuentiones eius.* miræ sunt inuentiones istæ, & quamuis prior mirabilior absolutè sit eo quo dixi modo, secunda mirabilior apparet.

D

Dices, pro magno quidem duco ipsi Deo eleemosynam exhibere; attamen tot tantæque sunt status mei necessitates, & indigentiæ, vt vix illis satisfacere possim; quo igitur pacto eleemosynas dare possum? Dicam, petiuit populus Israel ab Aaron idolum aliquod, *Chryſoſt.*

tibi occasionem : sed nec ita vestrorum aliquid erogatis. Sed vestimentorum hæc quidem iacent tineis esca, hæc autem arcæ farcina, superfluaque possidentibus cura. Qui verò ista cæteraque ded.t omnia, nudus errat. Sed demus, quòd in arcam ipsa non reponitis, sed ipsi vos circumamicientes ornamini. Et quid vobis ex his amplius ? vt forensium turba vos spectet ? Et quid hoc ? non enim his amictum admirabuntur, sed potiùs eum qui largitur indigentibus. Itaque si vis in admiratione haberi, alios potius induens, infinitos assequeris applausus. Tunc & ipse Deus te cum hominibus laudabit: nunc autem laudabit te quidem nemo, sed potiùs omnes inuidebunt ; corpus quidem cernentes ornatum, animam verò neglectam habentem ; animæ enim ornatus penes eos est solum, qui cum virtute viuunt. Hæc contemnè dico, non tam pauperum, quàm animarum vestrarum curam gerens. Illis enim, etsi non à vobis, aliunde consolatio aliqua erit. Quòd si nulla eis præbeatur consolatio, & fame consumantur, non magna fuerit eis iactura. Quid enim Lazaro nocuit paupertas, & fame tabescere ? A gehenna verò nemo vos eruet, nisi à pauperibus auxilium consequamini: sicut diues ille, qui continuè torretur, nunquam autem nanciscitur consolationem.

Chrysost. B Idem Sanct. Chrysost. hom. 15. ad Romanos : Deus filium suum tibi dedit, tu verò nec panem illi : illi pater, etiamsi filius legitimus esset, propter te haudquaquam pepercit; tu verò illum vel fame tabescentem contemnis, præsertim cùm sumptus facturus sis ab his, quæ illius sunt, tum autem tuâ ipsius causâ. Quid hac iniquitate deterius fuerit ? Nihil, ait Christus, à te quod sumptuosum sit, postulo, sed panem, sed tectum, sed consolationem verborum ; & certè vel propter ipsum cœlorum regnum id præsta, propter te pauperem respice, & mihi satisfacies, & tibi cœlum largiar. Possum quidem tibi extra hæc coronam imponere, sed tamen tibi debitor esse non recuso, vt tibi etiam fiduciam aliquam corona afferat. ob hoc, qui meipsum educare possum, circumuagor mendicans præ foribus tuis, dexteram porrigo, à te educari concupisco, quia tui maiorem in modum amans sum, & cunctis audientibus altorem te meum declaro. Atqui nos, quoties alicuius impensâ educamur, erubescimus sanè, vtreque adumbrantes dissimulamus. Verùm ille, qui summus est eius erga nos amor, licèt taceamus, ipse rem ipsam deprædicat magnis cum laudibus ad cœlum tollens: nec eum fateri pudet, quòd, cùm nudus esset, se veste induerimus; cùm esuriret, se aluerimus. Ita S. Chrysost.

Quid de eleemosyna dici sublimius potest, quàm quòd Christo Domino exhibeatur ? tu manum visibilem pauperis vides extensam, & tuam eleemosynam recipientem ; fed tamen aperi oculos fidei, & vide Christum Dominum, inuisibilem manum pariter extendentem, & gratissimè hanc eandem suscipientem. quia, vt ait S. Chrysostomus, nunc secundò pro nobis Christus egenus factus est : fuit priùs in vita sua inter nos pauper, vt eius inopiâ nos diuites essemus; nunc secundò pauper in pauperibus suis sit, vt nos ei eleemosynam tribuentes, diuites meritorum gloriæ simus. Vnde introducit Sanctus Chrysostomus ibi Christum Dominum sic cum vnoquoque nostrùm loquentem: *Non magna, & pretiosiora expostulo, sed panem dumtaxat, & tectum, & verba solantia. Cum videris nudum, reminiscere eius, quam pro te in cruce tuli nuditatem, factus sum antehac te propter egenus, & in præsenti egestate premor, vt vndecumque compulsus te præbeas misericordem ; esuriem tui gratiâ tolerauit, vt sis famem pro te patior, sitibundus eram, dum in cruce penderem, & nunc etiam sitio, pauperum ratione, vt his vtrisque, inediâ scilicet, & siti te mihi adiungam, & pium pro tua salute reddam, & humanum ; simque pro paruis & exiguis rebus corona te & imperio donaturus. Neque id dixerim, Solue me egestate, vel diuitias elargire ; sed panem postulo, & amictum, vel tenue aliquod solamen mediæ me. Si sui interim in vincula conjectus, non me inde eximas, postulo, sed vt vinctum reuisas. Sic te, vel hoc solo, donabo cœlo, & te grauissimis vinculis eruam. Habeo quidem ego, vnde me alam, sed emendico, & præ tuis foribus existo, manum porrigo, & cibari à te percupio, quia te plurimum amo.* Ita Sanctus Chrysostom.

A Quis talia Christum loquentem audiret, qui non viscera ipsi offeret ? Hæc igitur sunt, quæ verè auribus fidei nostræ sonant. Fœlix qui sic Christum cognouerit, & audierit.

Psalm. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Miratur sententiam hanc S. Petrus Chrysol. serm. 14. dicens: *Et qua est intelligentia, vbi est manifesta paupertas ? vis intelligentiæ est, si rimetur viscera, si deprehendat occulta ; verùm subiecta oculis, & exposita in publico non est intelligere sed videre, nuditate algidus, tabidus fame, defectu lutidus, quòd egenus sit intelligere quis labor ? Quòd si labor intelligentiæ nullus est, vnde est huius intelligentiæ beatitudo ?* Sic S. Chrysol. qui ad quæsitum à se sic respondet : *Oremus fratres, vt ipse nobis intelligere intelligenda concedat, qui se intelligi in paupere sic demonstrat, quòd ipse qui cœlum tegit, sit in paupere nudus ; quod in esuriente esuriat saturitas rerum ; quòd in sitiente sitiat fontium fons. Intelligere quomodo non magnum est ? quomodo non beatum est intelligere, quòd ei sit ampla paupertas, cui angustum est cœlum ? Quòd egeat in egente qui ditat mundum ? Quod frustum panis & calicem aquæ dator omnium quærat ? Hinc ille videt, cui videre dederit Deus, sed quomodo aut m se transfuderit pauperem, aut se in pauperem fuderit, dicat ipse tam nobis:* Esuriui (*inquit*) & dedistis mihi manducare, non dixit, esuriuit pauper & dedistis illi manducare, sed, esuriui ego, & dedistis mihi manducare ; *sibi datum clamat, quod pauper accepit ; se manducare dicit, quod pauper comedit. O quid agit amor pauperis ! gloriatur in cœlo Deus, vnde pauper erubescit in terra, & hoc reputat in honorem sibi, quod pauperi computatur iniuria. Dixisse sufficerat : dedistis mihi cibum, dedistis mihi potum, sed præmittit, esuriui, sitiui, quia parum fuisset amor pauperis, quòd pauperem suscepisset, nisi & passiones pauperis suscepisset. Et certè verus amor non nisi passionibus probatur, verus amor est fecisse suas, angustias angustias.* Ita ille. Salua autem ratione tanti viri, vbi exclamait, *O quid agit amor pauperis*, dixisse m ego, ô quid agit amor Deo eleemosynæ amor ? *Gloriatur in cœlo, vnde erubescit pauper in terra, & hoc reputat sibi in honorem, quod pauper reputat sibi in confusionem.* Sit ille in æternum benedictus.

In quo autem beatitudo ista intelligentis super pauperem consistat, expressit Dauid, dicens: *in die mala liberabit eum Dominus.* Quænam est dies hæc mala ? Sanctus Petrus Chrysol. ibidem sic explicauit : *In die mala ille liberator assistet, qui à malis pauperem liberarit ; in angustiis illum Deus, clamantem audiet, qui pauperem, cum clamaret, audiuit; non videbit diem malum, qui diem iudicij sine aduocatione paupertatis non intrauerit. Sine causa enim accusant peccata, quem pauper excusat; excusati autem non potest, quem fames pauperis accusarit.* Ita ille.

Matth. 25. *Esuriui*, &c. Cur sibi attribuit, quod proximo vel fecimus, vel non fecimus ? quia membra Christi nos sumus, vti Apost. ait ad Ephes. 5. 30. *Membra sumus corporis Christi*, &c. Cùm autem patitur vnum membrum, totus homo dicitur pati ; dolet pes tuus, & dicis, dolorem patior; non dicis tantùm, pes meus dolet, sed ego dolore conficior. vnde persequente Saulo Christianos, dixit ei Dominus Act. 9. *Saule, Saule, le, cur me persequeris ?* quid ais Domine ? te quis poterit persequi, qui in cœlo residens in dextera Dei Patris ? S. Augustinus tract. 10. in epist. Ioan. tom. 9. Persecutorem membrorum suorum, vocauit persecutorem suum, si diligis caput, diligis & membra ; si autem non diligis membra, nec caput diligis. vnde Christus Dominus in dicto c. 25. Matth. dixit : *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis :* quare si pauperi eleemosynam præbes, eam Christo præbuisti ; si verò pauperi eam denegas, Christo Domino eam denegasti. Quis ergo ratione præditus Christo quod potest præstare, denegabit petenti ?

Rursus Matth. 25. agens Christus de operibus misericordiæ, vt altiùs ea nobis commendaret, dixit : *Quod vni ex*

vni ex minimis meis fecistis, &c. potuitne ampliùs opera misericordiæ exaltare & suadere? Cur, quæso, tantopere ea nobis commendat? dicerem ego hoc Christum fecisse, vt excellentiam misericordiæ declararet. Sed S. Augustinus. serm. 64. de tempore aliam assignat rationem, dicens: *O benignissimum Dominum, qui ad edomandam hominum auaritiam, sibi dari dicit, quod vel minimo pauperum fuerit datum?* Ita S. Augustinus quo habet se Deus nobiscum sicut amans pater, qui videns in manibus pueri sui filij pomum viride, cuius esus nociuus futurus sit puero, diceret: fili, da mihi pomum viride; non quia ipse pomo illo vesci vellet, sed propter filij bonum; sic Deus videns quàm nociua sit nobis auaritia, petit sibi pauperum eleemosynam, non quia nostris egeat bonis, sed in bonum nostrum.

A

Prop. VIII. *Eleemosynam dare pauperi, est ad vsuram Deo dare.*

B

Qui eleemosynam tribuit, non se illam amittere credat, sed vsuram licitam, sanctam, & maximè vtilem eam ducat, dicente Salomone: *Qui miseretur pauperi, fœneratur Deo.* cuius fœneris naturam rectè explicauit S. Chrysost. *Vide*, inquit, *vsuræ varam naturam, & admirandam: alius enim qui accipit, & alius qui se dandi fœneris reum facit, & non hoc solum nomine, sed quia in hoc vsuræ genere nec ingratitudini locus est, nec alij damno. Neque enim, sicut vulgò simplex modò redhibitio, sed centupla dantur, & non solum centupla, sed insuper vita æterna. Et in præsenti quidem vita si quis fœneratori duplicia tantum polliceretur, omnem suam substantiam illi afferret, licèt ibi magna ingratitudo, & multæ fraudes interuenire contingat, & multi, qui boni habentur, vsuram non soluant, vel quia nolunt, vel quia non possunt; hîc verò & capitalis summa in tuto est, & tentum hîc promittuntur expendentibus in eleemosynam, & in futurum æterna vita. Quæ igitur excusatio, si non festimamus centupla pro paucis accipere, & pro præsentibus futura, & pro temporalibus sempiterna?* Ita ille.

Prov. 19.

in

C

ADDITIO.

Fœneratorum vos delectat & vsuratum vocabulum: id quoque non inuideo. Docebo quomodo boni fœneratores esse possitis, quomodo bonas quæratis vsuras. Dicit Salomon: Fœnerat Domino qui miseretur pauperi, *secundum datum autem eius retribuet ei. Ecce bonum fœnus de malo factum est. Ecce irreprehensibilis fœnerator, ecce vsura laudabilis, nolite ergo iam inuidentem me vestris commodis æstimare. putatis, quòd hominem subtraham vobis debitorem? Dominum prouideo, Christum surrogo, illum demonstro qui vos fraudare non possit. Fœnerate ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis. Ille adstringitur & tenetur, ille scribit quidquid egenus acceperit. Euangelium eus cautio est. ille promittit pro omnibus indigentibus, ille dicit fidem: quid dubitatis dare? Si qui vobis dines huius seculi offeratur, qui fide promittat sua pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam. pauper est vobis Dominus cœli, & conditor mundi huius: & adhuc deliberatis quem dutiorem quæratis fideiussorem? sed allegatis quare pauper factus est, cum dines esset? Videtis ergo quia fides eius dines est, fides eius idonea est: pauper factus est cùm pro nobis solueris, & adhuc paupertas ipsius non decipit. nos enim diuites fecit, quos pauperes putabatis: dicit enim Apostolus: Pauper factus est cùm dines esset, vt illius inopia vos ditaremini. Bona inopia quæ largitur diuitias. Nolite ergo paupertatem timere vt stis diuites. Date otiosam pecuniam, & recipietis fructuosam gratiam, & pauperum subuenietis necessitatibus, & vobis custodiæ sollicitudo minuetur. Non peribit quod pauper acceperit, & vobis quod dederitis inopi, sine custode seruabitur.*

D. Zeno.

Fœnerando pauperibus, omnes copias auaritiæ subactas, vestrum sine inuidia transferis in censura. Quid enim esse potest ditius homine, cuius profitetur Deus se esse debitorem?

Ibr.

ibi

19.

Zeno

Aua-

D. Chrysostomus.

Quod alteri fœneratori daturus es argentum, hoc mihi mutua, & maiori stipendio, & maiori securitate. Quid terra credis thesaurum? Da manibus meis, ait. Non tibi videtur esse, quàm terra, side dignior terræ Dominus? Illa conditum reddit, plerumque nec hoc; ipse verò custodit, etiam mercedem reddit. Ideo siue fœnerari velis, est paratus, siue seminare, ipse suscipit.

S. Chrysostomus. Hom. 47.

Qui dat eleemosynas, quomodo is Deo fœneretur. Lacerda in Iudith. p. 281.

Prop. IX. *Eleemosyna iustis exhibita opus magni valoris est.*

Rom. 15. 25.

ROm. 15. *Nunc proficiscar Ierusalem ministrare sanctis*, &c. *Hoc cùm consummauero, proficiscar per vos in Hispaniam*, &c. Erat Paulus tunc extra Ierusalem, & ex Macedonia, & Achaia collegerat nonnullam copiam pecuniarum, quam Macedones, & Achaici Paulo contulerant, vt eam in Ierusalem secum asportaret, & eam sanctis pauperibus distribueret; illis scilicet (vt ait Sanctus Anselmus) qui diuenditis patrimonijs pro Christo, ad pedes Apostolorum detulerant pretia. Ad defe-

Anselm.

rendam igitur ijs eleemosynam illam, se iturum Ierusalem asserit Apostolus, priusquam Romã, & in Hispaniam iret. Factum hoc miratur S. Chrysostom. homil.

Chrysost.

30. ad Rom. dicens: *Vide quàm magnificè Paulus dictionibus vtatur: non enim dixit, proficiscor, eleemosynam deferens, sed ministrans. Si verò Paulus ministrat, cogita quantum sit id, quod sit, nimirum quòd Doctor orbis recipiat deferendum, & quòd ad Romanos peregrinaturus, & illos vsque adeo videre desiderans; hoc tamen ille præfert.* Ita Sanct. Chrysost. Quis ergo non miretur Apostolum tantum, & conuersationi animarum adeo necessarium, differre progressum in Romam, & Hispaniam, vt ipsemet, & manibus suis talem eleemosynam exhiberet. Poterat per internuncium illam mittere, & noluit, sed id per se voluit præstare. Vide quanti momenti sit eleemosynas dare. Hinc quidem addiscere deberent domini per se, & non per famulos eleemosynas exhibere: opus enim Apostolicum est, & quouis in dignitate constituto dignum, maximè si de eleemosyna sanctis viris danda loquamur, &c.

Morale.

Prop. X. *Eleemosyna conducit ad saluationem animæ.*

IN primis id supponendum hîc est, quod S. Augustinus lib. 21. de Ciuitate, cap. 27. ait, illis non patrocinari misericordiam, & eleemosynam, qui in peccatis perseuerant, & in eis moriuntur, si hi darentur apud nos. Sed hoc docere nitimur, misericordiam, & eleemosynam conducere valde ad hoc, vt homo non pereat, sed vel in fua innocentia sine peccato à Deo conseruetur propter eleemosynas suas, vel, si peccauerit, conducant nimis eleemosynæ, vt conuertatur à Deo, & non decedat sine pœnitentia. vt ita verum sit, quod Christus Dominus dixit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Vnde non agimus de illo, qui obstinato animo, etiam misericordiam, & eleemosynas exhibendo, in suo peccato decedit.

Matt. 5. 7.

Ad hoc igitur celebris est locus: *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam; superexaltat autem misericordia iudicium.* Duo dicit, Primum iudicium, hoc est, condemnatio contingit illi in iudicio, qui non fecerit hîc misericordiam, cùm teneretur. Ita explicant S. Thom. & Caiet. hîc, sicut contigit malo seruo. Matth. 8. Secundum est quòd in iudicio superexaltabit misericordia iudicium. Translatio Syriaca sic habet: *Exaltata est in per misericordiam super iudicium*, quasi dicat, in iudicio aderit misericordia exaltans, & laudans adeo pietatem misericordis, vt liberet eum à damnatione contra accu-

Iacob. 2. 13.

tra accusatores suos. *Lenara el misericordioso con figo al juicio vn grande abonador suyo en la misericordia, con que salga del libre.* Translatio Græca sic: *Gloriatur, seu exultat misericordia in iudicio aduersùs ipsum iudicium*, tanquam victrix, & quasi dicat, vici iudicium meum, quod fiebat contra me. & ita exponit Caietanus. vnde Oecumenius hîc confert misericordiam nostram cum oleo, quo athletæ corpora vngebant: *Dat enim oleum*, (inquit) *elabi, ne ab aduersarijs misericors teneatur*. Ita ille. Quare in lucta illa iudicij animæ & dæmonum accusantium, elabetur misericors è manibus eorum, ratione vnctionis olei misericordiæ.

Quo quidem significatur, quod, licèt propter peccata aliquando commissa, æternâ fuerit dignus pœnâ, propter eleemosynas tamen, & opera misericordiæ, ita à Domino dirigetur via eius, vt conuertatur, & saluus fiat: quod apud viros prudentes maximè commendat opera misericordiæ.

Es la lymosna vna manera de soborno licito, e le coecho iusto, aca no es licito soborrar al juez con dinero, ni el justo juez lo recibe. Però en el juicio de Dios es licita esa manera de soborno, y de coecho, y el juez recibe por manos de pobres ese coecho, y por el os dara sentencia en fauor, y dira: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, esuriui, & dedistis mihi manducare. Quis nostrorum iudicum id auderet dicere in iudicio, vade, ego te à reatibus absoluo, quia dedisti mihi pecunias: Deus autem iustissimus iudex, Ego, inquit, misericors te à reatibus eunctis absoluo, quia dedisti mihi esurienti manducare. *Pues senior coechos admites?* ita hominem iniustum propter munera liberas in iudicio? non iniustum, sed iustum iustificatum quidem ante mortem eleemosynarum occasione, &c. Ecce quàm conducens ad saluationem nostram eleemosyna sit. Cogitauit hoc priùs S. Chrysost. hom. 5. de pœnitentia, vbi dicit: *Ante iudicij tempus mitigabilis est iudex, quare dicit Dauid: Præoccupemus faciem eius. Illic magnum iudicem ars Rhetoris nulla decipiet, & nullius potentia mitigabitur, dignitati non condescender; hîc vero iudicem exorabimus, & placabimus, non pecuniâ, imò, si verum dicere oportet, pecuniâ placabimus per inopes acceptâ, da pauperi, & iudicem mitigabis.* Ita ille.

Similia dicit S. Cyprian. lib. de lapsis circa finem & S. Hilar. in Psalm. 51. & Emiss. serm. 1. de initio Quadrag. vbi de oratione, & eleemosyna agens, inquit: *Illa audientium lud. cis deprecatur, hæc gratiam promeretur; illa ostium pulsat, hæc aperit; illa supplicat, sed ista supplicantem commendat.* Ita ille.

Vnde S. Aug. lib. 50. hom. hom. 39. *Ante fores gehennæ stat misericordia, & nullum misericordem permittit in carcerem illum mitti.* Ita ille. Recordare illius Cherub, qui portam paradisi custodiebat, & neminem intrare permittebat: magnum peccati supplicium hoc fuit; at è conuerso, clemens Dominus in ianuis inferni misericordiam constituit, quæ ingressum impediat misericordi eo quo dictum est pacto, &c. Ideo S. Augustinus ibid. eleemosynam vocat secundum baptismam: nam sicut baptismus mundat nos à peccato, sic pro modulo suo eleemosyna: propter eleemosynam enim iustificare Deus solet misericordes: facile enim est Deo ad huiusmodi iustitiam adducere sibi obsequentem; gratissimum autem illi est obsequium misericordiæ. Quare meritò concludit ibi Sanct. Augustinus, dicens: *Da panem, cùm potes, quia nemo esurit in inferno, nec habebis post mortem frumentum, nec inuenies ibi aliquando mendicum, quia non erit tunc miserendi tempus.* Ita S. Augustinus.

Hinc constat, eleemosynam nostram plus habere beneficij diuini ergà nos, quàm obsequij nostri in Deum: facilè quippe negotio poterat Deus alere pauperes suos sine nobis, ille, inquam, *qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione*, qui, sicut in cœlo angelos sustentat, ita & in terris omnia, vsque ad lumbricos, qui sub terra, & in luto degunt. Cur ergo pauperes, quorum tantam habere curam videtur, & pro quibus ipse sic eleemosynam petit, vt sibi dixerit irrogatam; cur, inquam, ipsos ipse non alit, cùm facilius, & meliùs possit, quàm nos? S. Aug. tom. 10. l. 50. hom. hom. 39. *Magnum opus*, inquit, *est eleemosyna, fratres charissimi, vt faciat homo, quod facit Deus, quia hos paucos esurientes in terra dimisit, qui vno vasculo orbem cœli pascit per quem, & nobis liceat erogare. Sed si vbique fuisset abundas, periret misericordia.* Ita ille. Passus est Dominus pauperes suos famem pati, vt inde nos materiam eleemosynæ haberemus, vnde ipse miserendi nobis occasionem maiorem habeat: *Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

PROP. XI. *Propter eleemosynam solet Deus conuertere peccatores.*

FRange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam; cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet: Ecce adsum. Mira sunt quæ hîc de eleemosyna, & misericordia in pauperes Propheta pronunciat. Primum est, lumen quasi mane oriens, alia littera, quasi aurora. cur sicut aurora? Glossa ordinaria quia: sicut lux matutina fugat tenebras, sic lumen veritatis fugat errores. Ita Glossa. Si igitur aliquis in peccato constitutus est, hic in tenebris versatur ignorantiæ, & erroris: omnis enim peccans est ignorans. Si eleemosynas hic dederit, & misericordiâ in pauperes fuerit vsus, Deus eum illuminabit, ita vt, sicut aurora tenebras noctis depellit, sic lux veritatis à Deo, ob eleemosynas exhibitas, tenebras peccati excludet. Quod clarius dixit Sanct. Thom. 2. 2. q. 154. art. 2. ad 3. *Per opera pietatis peccator liberatur à perditione æterna, in quantum per huiusmodi opera disponitur ad hoc, quòd gratiam consequatur, per quam pœniteat.* Ita S. Thom. quod maxima Dei pietas est. Quòd si peccatorem misericordem sic illuminat Deus, ne pereat, quid de iusto misericorde dicendum est, si verè misericors fuerit ille. Secundò, *sanitas tua citiùs orietur*. Glossa interlin. *remissio omnium peccatorum*, & Lira. *citiùs orietur ab infirmitate culpæ*. Ecce fructus dictæ lucis, & pondera verbum *citiùs*: sint enim duo in peccato mortali, quorum alter opera faciat pietatis & misericordiæ, alter verò non; si secundus post annum, verbi gratiâ, exire à peccato curat, pœnitentiam agendo, primus etiam conuertetur, Deo illum adiuuante ob illa opera pietatis, hoc quidem est *citiùs orietur*, hoc est, citiùs quàm alter similis peccator. Vel respectu ipsiusmet misericordiam exhibentis, citiùs orietur, hoc est, si post annum facturus erat pœnitentiâ, & à peccato erat liberandus, propter opera misericordiæ Deo ipsum hominem plum illuminante, citiùs conuertetur; & subdit: *anteibit faciem tuam iustitia tua*, iustitiam vocat hæc opera bona misericordiæ, vt ait Interlinearis, quæ ante mortem nostram præsentantur ab Angelo custode ante Deum, vti exponit Lira. & sic, inquit, *gloria Domini colliget te*, scilicet in morte, *denique tunc inuocabis*, &c. quia libenter Dominus exaudiet orationes eorum, qui clamorem pauperum exaudiunt. quid ampliùs de eleemosyna possumus desiderare?

PROP. XII.

PROP. XII. *Eleemosyna à peccatis liberat.*

PRouerb. 22. *Dixes & pauper obuiauerunt sibi, vtriusque operator est Dominus.* hoc est, passim sibi pauper & diues occurrerunt, non tamen fortè fortunâ prorsus: nam & diuites & pauperes inter nos esse, operâ Dei, & consultò factum est. At dices, cur Deus pauperes esse voluit, cùm facile sit in oculis cius honestare pauperem, & omnium tollere indigentiam, maximè cùm adeo bonus & liberalis sit? S. Leo Papa serm. 1. de Collectis sic respondit: *Idcirco te abundare voluit, vt per te alius non egeret, & per ministerium operis tui pauperem ab egestatis labore, & te à peccatorum multitud ne liberaret. O mira prouidentia & bonitas Creatoris, vt vno facto duobus velit esse succursum!* Ita ille. Ecce cur pauperes esse voluit, vt scilicet, inter nos eleemosynarum & charitatis tantæ fructus non periret. & ideo diuitias diuitibus præbuit, cùm eos paupères etiam efficere potuisset, vt mercede eleemosynæ non carrent. Audiant qui diuitias in lusibus, ornamentis, epulationibus, supellectilibúsque pretiosis diuitias insumunt & consumunt; quia non ad ista, sed ad pauperum subuentionem illa eis præstitit Deus, sed vt pauperem à necessitate & se à peccatis liberarent. Quid diuites temporis nostri in die mortis & iudicij sui poterunt respondere? Etenim in causa diuitis Epulonis nullam aliam inuenio damnationis istæ rationem, nisi quia in vestibus pretiosis, & epulis quotidianis pingue patrimonium suum expendebat, & non compatiebatur super Lazari contritione. lege 6. Amos. *Væ qui opulenti estis*, &c.

S. Leo Papa serm. 12. de Collectis: *Præter illud regenerationis lauacrum, in quo vniuersorum ablutæ sunt maculæ peccatorum, hoc remedium infirmitati humanæ diuinitus est donatum, vt, si quid culparum in hac terrena habitatione contrahitur, eleemosynis deleatur: eleemosynæ enim opera charitatis sunt, & eo mus quòd charitas operit multitudinem peccatorum.* Ita ille. Et S. Petrus Chrysol. Est in cœlo misericordia, ad quam per misericordias terrenas peruenitur. *Domine*, inquit, *in cœlo misericordia tua. dicturus causam in iudicio Dei, patronam tibi misericordiam assume, per quam possis liberari: qui enim de patrocinio misericordiæ certus est, de venia sit securus, de absolutione non dubitet. Misericordia non solum causam præuenit, sed etiam sententiam reuocat, absolut addictos* Ita ille. Hæc autem omnia intelligenda sunt comite pœnitentia, comitem autem suam pœnitentiam facit in proximos misericordia.

PROP. XIII. *Eleemosyna ad impetrandam Dei misericordiam conducit.*

SAnctus Petrus Chrysologus serm. 2. *Da homo pauper terram, vt accipias cœlum, humanam misericordiam petit Deus, vt diuinam largiatur.* Ita ille. Ad eum enim modum se nobiscum Deus gerit quo pater cum filio suo paruo, cui pomum tribuit, & pomum ipsum postea petit ab eo: quod si filius libenter retribuit, lætatur pater, & mille delicias ostendit illi, amplectitur, osculaturque illum, & pomum illi lætanter reddit: sic Deus nobis bona sua tribuit: omnia enim quæ habemus, à Deo sunt, quæ à nobis repetit, cùm ea pauperibus tribuere mandat: quòd si nos liberales in huiusmodi redditione prospexerit, gaudet, & cumulatiùs ea reddit nobis, &c.

Hinc est quòd, cùm Christus Dominus à Samaritana aquam postulasset, subdit: *Si scires donum Dei*: quodnam donum hoc, quod ita ponderauit Christus? Sapiens quidam author respondet, donum Dei Christus Dominus appellauit, petiuisse à Samaritana quasi in eleemosynam aquam, donum Dei erat, quod ex dono Samaritanæ, quamuis non esset nisi vas frigidæ aquæ, dependebat, quasi diceret: *O Samaritana, si supieses la merced*

A *que Dios te haze en pedirte lymosna por qualquier, que pobreque sea, quan de buena gana la daria.* Vnde pro illa nullius momenti, aquam illi offert salientem in vitam æternam.

Duobus in locis præcipiebat Deus olim, ne in conspectu eius vacuus appareret, qui ad eum accederet in templo, videlicet Exod. 27. & 34. cur ita? Nunquid donarijs nostris ita Dominus egebat vt neminem ad se accedere permitteret, nisi qui aliquod munus ei deferret? S. Chrysost. hom. 15. operis imperfecti, *Vacuus*, inquit, *ad eum intrat, qui nullam, ad orationem veniens, eleemosynam facit.* Ita ille. In cujus confirmationem adducit illud, *Ante orationem præpara animam tuam*, diceus, *Eccl. 18. 23.* ille præparat animam suam ante orationem, qui faciens prius eleemosynam, accedit ad orandum. Ita ille.

Qui etiam hom. 1. in 1. ad Cor. ait: *Quomodo dices: Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam, cùm tu non secundum magnam misericordiam tuam pauperum miserearis, fortasse autem nec secundum paruam?* Ita ille.

B De Salomone (qui Deo inspirante tot & tantâ in templo illo fuo collocauit) ait Scriptura: *In ingressu oraculi fecit ostiola de lignis olinarum,* & subdit: *Et duo ostiola de lignis eliuarum, & sculpsit in eis picturam Cherubim, & palmarum species, & anaglypha valde prominentia*, hoc est, *relieues muy salidos, & texti ea auro*, in quibus eleemosynæ perfectæ qualitates optimè significauit. In primis oliua misericordiæ symbolum esse propter pinguedinem olei, & eius suauitatem, & lenitatem, notissimum est: & docet S. Basil. de Abdicatione rerum, quo significare voluit Dominus illum ostium ad impetrandum à Deo inuenisse, qui eleemosynas facit, & misericordiæ operibus vacat. Qualis autem hæc misericordia esse debeat, in primis anaglypha illa denotabant: nam hæc ad ornamentum rei spectant; ornatum igitur aliquibus circumstantijs esse debere misericordiam nostram significauit, quarum prima sit, textura illa auri: aurum autem, vti ait S. Augustinus super Psalm. 67. & S. Gregorius 18. Moral. 30. charitatis, & amoris diuini symbolum est: sicut enim aurum pretiosa res est, & inter metalla supremum obtinet locum; sic charitas pretiosa res est, & inter omnes virtutes primum obtinet principatum, dicente Apostolo: *Maior autem horum est charitas*, hoc est, inter virtutes theologales, quæ supremæ sunt, &c. Esse igitur ostia in sancta sanctorũ, loco, inquam orationis, ostiola ex oliuis auro cõtextis, dicere nobis fuit, illum, qui obtinere à Deo postulata desiderat, debere misericordiam fratribus exhibere, vestitã auro charitatis, hoc est, quòd minimè misericordiam adhibeat propter statuas authoritatem, aut honoris sui intuitum, aut ne auaras reputetur, sed liberalis, aut huiusmodi aliud; sed propter Dei amorem. Sicut pauper propter amorem Dei petit, dicens: Fac mihi Domine eleemosynam amore Dei: iste est apud nos vniuersalis petendi mos apud pauperes, & non sine Dei prouidentia, vt ita nos ad tribuendam eleemosynam ad Dei amorem moueamur. Secunda Cherubim, Cherubim autem plenitudinem scientiæ important, vt inquit Sanctus August. 2. de Gen. contra Manich. 23. & Origenes super. Numer. hom. 5. Intelligentiam ergo aliquam in præbente eleemosynam Cherubim hoc in loco denotabant; qualis autem esse debeat intelligentia hæc ex Psalm. 40. constat, vbi sic Dauid: *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem; in die mala*, hoc est, iudicij, *liberabit eum Dominus.* Cur non dixit, qui miseretur pauperis, & ei eleemosynam tribuit, sed *qui intelligit?* Sanct. August. apud Glossam ibidem: *Nota*, inquit, *qui intelligit, vt & non petentibus detur, qui petenti dat, benefacit, qui tacentem intelligit, beatus sine dubio est.* Ita ille. Ecce ornatum eleemosynæ: eleemsoynam autem sic ornatam, non despicit Deus, ostium magnum, apertumque est tali misericordia ad diuinam misericordiam impetrandam. Esther. 15. cùm

Regina Esther deprecari vellet regem Assuerum pro re illa graui, liberatione scilicet populi sui, assumpsit secum duas famulas, & super vnam quidem nitebatur; altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans, *la otra de lleuar la fada.* Duas secum orans ferre virtutes debet qui ad deprecandum Deum accedit, alteram cui innitatur, hæc quidem spes est, & confidentia in Deum, dicente Apostolo Iacobo : *Postulet in fide nihil hæsitans*, id est, fiducialiter petat, vti nonnulli interpretantur: altera verò virtus, quæ respondet famulæ indumenta sustentanti, est eleemosyna : hæc famulatur orationi, dum ea quæ superfluunt, eleuat in cœlum, *delo que arreSta y sobra al hombre, lo leuanta a Dios, dando se lo en sus pobres.* his comitatus homo accedere potest ad tribunal Regis supremi, & sicut ipse miseretur pauperis, sic ipsius miserebitur Dominus. *Beati* (enim ait) *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, &c.

Cap 1.6.

Matth 5. 7.

Quòd si quis vocem pauperis non exaudierit, quid mirum si ipse quoque non exaudiatur à Deo? Christus in paupere petit; ergo qui pauperi negat, Christo negat. Si tu ergo Christo petenti à te panem negas, quid mirum, si, cùm à Christo aliquid postularis, Christus non exaudiat? Audi Salomonem, *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Obturare aurem est, nolle audire, & se gerere quasi non audiat, & veluti molestum ostendere sibi esse pauperem postulantem : duo autem mala hîc sic obturanti aures minatur, primum, quòd ipse quoque aliquando in aliquam grauem necessitatem deueniet, in qua pro remedio clamare cogatur: secundum, quòd tunc, sicut ipse clamantem pauperem non exaudiuit, sic nec ipse sic clamans exaudietur. quod ad literam euenisse diuiti Epuloni videmus, qui obturauit aures suas ad clamorem Lazari, & postea in loco pœnarum constitutus, & ipse clamauit : *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma; & dixit illi Abraham: Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala : nunc autem iste consolatur, tu verò cruciaris.* quasi dicat, cùm videres Lazarum egentem nimis, & clamantem ad te, obturasti aures tuas, cùm esses dives, & facilè potuisses succurrere illi; nunc vice versa, tu in tanta necessitate constitutus, clamas, & non exaudieris, quia tunc non exaudisti clamantem.

Prou 21. 13.

Luc.16. 24.

Quare semper stabit veritas illa Christi Domini, *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, ac si dicat, si miserimini pauperis, miserebor & ego vestri: si audieritis pauperes libenter, & ego exaudiam vos libenter : si dederitis quod postulant, dabo & ego vobis quod vos à me postulaueritis.

Matth 7. 2.

Receperat Elias eleemosynas à vidua quadam : huius ergo viduæ filius mortuus cùm esset, sic ad Dominum Elias : *Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam vicumque sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius?* qua facta oratione facilè filium viduæ suscitauit. Vide quantùm ad impetrandum à Deo eleemosyna prosit.

3. Reg. 17.

Item, *In Ioppe*, inquit, *fuit quædam discipula, nomine Tabitha, plena operibus bonis, & eleemosynis, & factum est, vt infirmata moreretur. Circumsteterunt autem Petrum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas illis illa faciebat : eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit, & conuersus ad corpus, dixit : Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos, & viso Petro, resedit : & cum Petrus vocasset sanctos, & viduas, assignauit eam viuam.* quasi dicat, propter viduas, & sanctos illos pauperes, quibus Tabitha faciebat tunicas, hanc à Domino resurrectionem impetrarunt, &c. & nota, nullum quidem verbum pauperes Petro de resurrectione dixisse, sed tantùm ei vestes demonstrasse, vnde eleemosynis illis pauperes à Petro orationem, orationeve verò Petri à Domino vitam viduæ impetrarunt.

Act. 9. 36.

Quare meritò dicitur : *Absconde eleemosynam in sinu pauperis, & hæc exorabit pro te ab omni malo*, hoc est, ne ad mundi ostentationem eleemosynas facias; sed secretò, vel sattem amore Dei, & ipsamet eleemosyna, te tacente, ad Dominum orabit. Non, inquit, orabit, sed exorabit, quod impetrationem inuoluit: exorare enim est impetrare, *y vencer con ruegos al que se pide algo.*

Eccli. 29.

Græca electio sic habet : *Conclude eleemosynam in cellariis tuis.* quod nonnulli sic interpretantur. Repone in cellarijs partem aliquam assignatam pauperibus & egenis, vt illis eam tribuas, *De manere que tengan ration, y operation los pobres en tu despensa.* Alij verò dicunt significari, debere quemquam reputare necessitates pauperum esse cellaria sua, vbi congreget opes & diuitias suas, vt sicut agricola habet horrea, in quibus colligit messes suam; sic pauperes debent esse diuitum horrea in illis enim meliùs quàm in materialibus horreis seruantur & conseruantur temporales opes. Nam in materialibus horreis pereunt; in pauperibus verò, vt ita dicamus, æternizantur : *Iustitia*, inquit, *eius*, id est, dantis eleemosynas, *manet in sæculum sæculi.* Sed ad editionem hostram redeamus. *Conclude* (inquit) *eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* non ait pauper clamabit, sed ipsamet eleemosyna, tacentes, vel etiam dormiente pauper, clamabit ad Deum, & exorabit pro te ab omni malo.

Cornelius noster in hunc locum: *Est prosopopaia significans efficaciam eleemosynæ, scilicet quòd ipsa quasi astans Deo gratissimè & familiarissimè coram Deo consistat, vt ipsa apparens per somnium S. Ioanni Eleemosynario reuelauit, & cùm videt eum, qui illam dedit, aliquo malo premi, statim accurrat, & genibus Dei quasi prouoluta oret, vt illum ab illo malo eruat. Oret, inquam, & exoret, roget & impetret. Vis nota*, inquit, *Dei nostri indolem & affectum erga eleemosynam propensissimum, & eleemosyna vim contra omne malum potentissimam, nullum ergo malum siue culpæ, siue pœnæ, adest quod amouendum non valeat eleemosyna.* Ita Corn.

Adde, quòd ipsi pauperes non solùm orant pro his à quibus eleemosynas recipiunt; verumetiam potentes valde sunt ad impetrandum pro eis. Sunt enim velut apud reges viri quidam primarij, & valde familiares & à consilijs eius, qui priuati dicuntur, qui facilè obtinent à rege quæ postulant ab eo. Tales quidem apud Deum pauperes sunt, vt significatur, *Desiderium pauperum exaudiet Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua*, hoc est, nõ solùm audit Dominus orationes & petitiones pauperũ; verùm etiã desiderium ipsum petendi, quod intus in corde occultum habent, & præparationem ipsam interiorem, qui se ad petendum & orandum disponunt. Potuítne Quintilianus aut Tullius ipse alicuius principis familiaritatem cum rege melius augere?

Hinc est quod pauperes (Dei prouidentiã) adiantas Ecclesiæ commorantur, sicut familiares regis ad fores regiæ adesse frequentiùs solent. Vnde, sicut qui negotia ad regem habent, eos priùs adire, & intercessores adhibere solent; sic qui à Deo aliquid obtinere appetunt, priùs pauperes adire, & eorum beneuolentiã & gratiam debent obtinere. Vel ideo quidem ad fores Ecclesiæ (quæ Dei regia est & locus orationis) commorari pauperes voluit, vt qui aliquid à Deo impetrare in Ecclesia desiderant, priùs pauperibus eleemosynam tribuant, quò efficaciùs impetrent quæ optant: Deus enim, qui naturâ suâ bonus & magnificus est, magis nobis beneficere optat, quàm nos optamus eius consequi beneficia.

Sanctus Chrysost. homil. 28. *considerauit optimè discrimen inter diuinas Dei & regias regum ædes; quòd in regiis*

Sanctus Chrysost. homil. 28. *considerauit optimè discrimen inter diuinas Dei & regias regum ædes; quòd in vestibulo*

bulis regalium palatiorum diuites, & potentes commorentur; in Ecclesiarum autem ianuis, & vestibulis pauperes, & debiles. Si quis igitur à rege impetrare aliquid optat, ad eos, qui in vestibulis regum perambulant, properat, vt tanquam regi familiares, & accepti, pro ipso intercedant, eisque sæpe munera propterea offert. Credo equidem, nec fallor, hanc Deum excogitasse rationem, pauperum existentium & manentium præ foribus Ecclesiarum, vt qui à Deo obtinere aliquid niteretur, pauperes hos primò adiret, & ad regias Dei tendens, ad aliquid exorandum, priùs pauperes offendat, & his tanquam Deo familiaribus, & gratis munera exhibeat, vt ipsi pro eo intercedant.

Mirantur aliqui, quomodo orationem Centurionis ita exaudierit Christus, vt non solùm puerum eius ilico à paralysi curauerit, verùm etiam se ad id efficiendum illuc se iturum promiserit, vbi paralyticus iacebat. *Ego*, inquit, *ibo, & sanabo eum. To acudire con pies y manos.* Nónne absens æquè, ac præsens eum sanare potuit? Petierat ab eo regulus, vt secum ad filium suum sanandum pergeret, & dicebat: *Domine descende, priusquam moriatur filius meus*: Cui Dominus: *Vade, filius tuus viuit.* Ire renuit, licèt rogatus; hîc non rogatus se iturum promittit. *Ego ibo. Domine non sum dignus* (ait Centurio) *vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Ecce quàm præter eius mentem erat, à Christo iter huiusmodi postulare. Cur igitur regulo id postulanti negauit? Centurioni verò non postulanti promisit: cumque id necessarium nequaquam esse sciret? Quia hi, qui Centurioni patrocinabantur, sic Christo dicebant: *Diligit gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis.* Opus illud pium vim, & efficaciam orationi tribuit. Item quia pro paupere ille deprecabatur, pro famulo inquam, paralytico, cùm id præter vsum dominorum sit, qui non ita curam famulorum gerere solent, *no les suelen matar essos cuydados.* Hanc pietatem, & charitatem in proximum attendens Christus, domum eius suâ præsentiâ honorare dispondebat, plus Centurioni concedens, quàm ille postulabat.

Expendit in huius rei confirmationem Chrysost. tom. 5. sermone de Martyribus, miraculum illud, quo beatus Petrus claudum sanauit, Act. 3. cùm ad speciosam templi portam staret ille, & ipsi ad orationem illuc properarent. *Præueniunt* (inquit Chrysost.) *precibus precees.* Ita est: pro eleemosyna auri, vel argenti sanitatem contulit. *Argentum & aurum*, ait, *non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.* Vice eleemosynæ sanitatem contulit, & pro huiusmodi spe iam maxima impetrandi concepta, gaudenter limina templi ingredi potuerunt.

At, inquies, miraculum illud, non eleemosyna, nec in eo aliquid pro Deo feciſse videtur Petrus, sed potiùs Deus pro eo: Ita est: sed charitate motus id præstitit Petrus, & vicariam eleemosynæ dedit sanitatem: nec enim aliud habebat: *Quod habeo*, inquit, *hoc tibi do.* Voluntas hæc apud Deum pro facto reputatur. Hanc igitur præparationem ad impetrationem orationis meritò adhibuit Petrus; quia danti libenter dat Deus: sic enim expresè ipse: *Date & dabitur vobis*: Vnde rectè S. Chrysost. vbi suprà, *rogantem claudum rogaturi ante audiunt, quàm precentur: es la limosna llaue maestra del coraçon de Dios. Es llaue dorada para entrar, y salir en su retrate, para negociar con el Rey soberano, quanto quisiere.*

Vnde Isai. 1. *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Aunque os quebreys la cabeça, de la mannana a la noche, haziendo mi oracion, no recabareys de mi la menor cosa del mundo.* Nouum hoc, & insolitum Deo: qui vix audit, cùm iam exaudijt. Cur ita Domine? Quia manus vestræ sanguine plenæ sunt, id est, peccato, vt Interlinealis exponit, maximè in proximos, vt exponit Ordinaria; quare subdit: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, &c.* & inter reliqua, *subnite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, arguite me, dicit Dominus*, &c. *Dexad de ser malos, y secorred al menesterosos, y pedidme la palabra de que os socorra yo vosotros, que este gasto es la partida abierta de aquel rec.bo.*

Hinc est quòd non sine diuina prouidentia pauperes apud ianuas diuitum iacent frequentes: Deus enim, qui diues est in misericordia, nobis misereri desiderans, & qui dare plùs optat, quàm nos recipere, has adinuentiones inuenit, vt inde occasiones nobis concedendi postulata captet. Vnde S. Aug. ser. 5. de ver. Dom. *Mendici Dei sumus nos, & pauperes sunt mendici nostri. Attendamus ergo nos, & mendicos nostros Petimus nos. A quo petimus? Quid petimus? Quid petimus? Petimus à Deo bono homines mali. Petimus autem iustitiam, vnde simus boni. Hoc ergo petimus, quod in æternum habeamus. Quando verò petitur a nobis, qui petunt, à quibus petunt? quid petunt? qui petunt? homines; à quibus petunt? ab hominibus; qui petunt? mortales, fragiles, miseri; à quibus petunt, à mortalibus, fragilibus, miseris: quid petunt? substantiam mundi huius. Vt ergo agnoscat ille mendicos suos, agnoscamus nos & nostros.* Ita S. Augustus. quasi dicat: quâ mensurâ mensi fuerimus pauperibus, remetietur nobis Deus. Quis ergo non libentissimo animo hæc inania mundi tribuat pauperibus, vt æterna, & spiritualia bona recipiat à Deo? *Exod. 23.*

Exod. 23. sic Dominus ad eos qui ad eum adorandum, & orandum accedebant: *Non apparebis in conspectu meo vacuus*, inquit. Quid ita? S. Theod. q. 53. in *Hiis verbis instruimur, eleemosynâ præstitâ pauperibus, nos orare debere.* Ita ille. quasi dicat, tunc opportuna est oratio, &c. *15. Theodor.*

Author Op. imp. hom. 5. apud Chrysost. *Vacuus*, inquit, *intrat ante Deum, qui veniens ad orationem, nullam eleemosynam facit: non solùm autem in veteri testamento, sed etiam in nouo præcipitur, vt per singulas septimanas vnusquisque Christianus aliquid in gazophylacium mittat ad orationem venturus, sicut ait Apostol.* Vnusquisque vestrum apud se seponat, reponens quod ei bene placuerit, vt non cùm venero, tunc collectæ fiant, *Item dicit Salomon*: Ante orationem præpara animam tuam; *ille præparat animam suam ante orationem, qui faciens eleemosynam ad orationem pergit: sicut enim oleum accendit lucernam, ita & bona opera excitant fidem cordis, & tribuunt confidentiam animæ apud Deum orandi; eleemosyna ergo præparatio est orationis.* Ita ille. *1. Cor. 16. 2.*

Eadem ratione voluit Deus ante templum Xenodochium esse, vbi pauperes & infirmi iacebant, vt constat ex c. 5. Ioannis, vt ingredientes domum orationis priùs misericordiam pauperibus exhiberent. *S. Leo.*

S. Leo serm. 6. de iciunio. *Efficacissima est ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur. Quoniam qui suum ab inope non auertit animum, citò ad se Domini conuertit auditum, dicente Domino*: Date & dabitur vobis. *Constans igitur esto largitor, da quod accipias, sere quod metas, & quod colligas sparge, noli metuere dispendium: substantia enim, cùm bene erogatur, augetur.* Ita S. Leo. *Luc. 6. 38. Leuit. 5.*

Inter sacrificia quæ in Leuitico Dominus de auibus fieri præcipiebat, maximè pullos columbarum & turtures exigebat, non pullos turturum, sed turtures, neque columbas, sed filios columbarum. Cur non è conuerso, seu æqualiter? S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 4. *Quia in turturibus meliores sunt maiores, quàm pulli; in columbis verò è conuerso, vt Rabbi Moyses ait: mandantur offerri turtures & pulli columbarum, quia omne quod est optimum, est offerendum Deo.* Ita S. Thom. etenim eleemosyna oblatio quædam est, quam Deo exhibemus, dicente Christo Domino: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*; pauci verò sunt qui meliora Deo tribuunt: mundo enim & sibi meliora referuant, (sicut Cain) & Deo peiora; quid mirum igitur si Deus parem illis vicem reddat? *Thom. Matt. 25. 40.*

Prop. XIV. *Qui negat eleemosynam pauperi, negabit Deus sæpe illi in oratione postulata.*

Vers. 13. Ecch. 22. sic Deus contra diuitem auarum, qui pauperes non exaudit : *Complosio manus meas super auaritiam tuam, quam fecisti.* Complosio hæc manuum indignantis signum est : ait ergo Dominus : quia tu non extendisti manus tuas adiutrices pauperibus pro me, sed potiùs auarè agis, & negas pauperibus pictatem, nec tu inuenies in me nisi manus indignatione plenas aduersùs te, nimirum quia quâ mensurâ mensi fuerimus, remetictur nobis : cùm tamen id certum sit, omnia nostra ex manu Dei pendere, iuxta illud, Psalm.

Vers. 15 144. *Oculi omnium in te sperant, Domine, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Vide quàm tuâ interfit, Dei pauperibus fauere, vt ipse faueat tibi.

A

Facillimè quidem concedit nobis Deus ea quæ ab ipso ipsi postulamus, vti probatum satis est ; sed tamen sæpe non exaudit, quia nos proximos nostros, maximè pauperes in necessitate constitutos, non exaudimus.

Vnde si nos eos exaudimus, exaudiemur etiam à Domino, & sic Deum poterimus conuenire : Domine, ego cum miseria ipsa sim, pauperem tuum exaudiui, tu qui misericordia ipsa es, non exaudies me ? absit : tu dicis, *quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis* ; ego hac mensurâ mensus sum proximis, quòd in necessitate constitutis succurri, ergo & tu mihi in necessitate constituto, succurre, vt eâ, quâ mensurâ mensus sum, remetiaris mihi.

B

Sanct. Basil. hom. 8. in diuites : *Supplicantium ad Deum vox frustra clamat, & in aera euanescit, ac dissipatur : nam & vos rogantes minimè audimus. ob hoc campi steriles, quoniam & charitas frigut.* Ita Sanct. Basilius : nota, ob hoc campi steriles.

C

Vnde Sanct. Chrysostomus hom. 79. ad populum : *Cùm defeceris orans, & non accesseris, cogita quoties pauperem audisti petentem, & non exaudisti : & tu quidem hoc ex crudelitate facis ; Deus autem ex benignitate.* Ita ille. Vel dicere possumus : tu ex crudelitate hoc facis ; Deus autem ex iustitia : meretur enim huiusmodi pœnam, qui in proximos suos crudelis est, in liberales Deus liberalissimus est. *Date*, inquit, *& dabitur vobis*, &c. Videndus est Cyprianus lib. de opere & eleemosyna. Deus itaque charitatem nostram in necessitatibus pauperum probat ; probatam autem remunerat, eodem modo nobiscum se gerens, quo nos erga pauperes gesserimus.

Luc. 6. 38.

Prop. XV. *Eleemosyna non solùm in alia vita, verùm etiam in ista præmium habet magnum.*

D

Matt. 5. 7. Beati misericordes ; *quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Vbinam ? hîc, an in futuro ? Nihil speciatim dixit, vtrumque dixisse censeatur. *Beati*, dixerat, *pauperes spiritu* ; *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

Ibid v 3. At cùm ad misericordiam deuenit, non ad regna cœlorum solùm misericordes remisit, sed misericordiam absolutè promisit, quâ sæpe in terra vti Dominus solet.

Hoc ignorans Tobiæ vxor, ad virum suum post multa opera misericordiæ inopiâ laborantem dicebat : *Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas faciebas ?* Si patientiùs

Tob. 2. 16. expectasset, solidam & non vanam eius spem fuisse, facilè cognouisset : abundantiùs enim quàm humana tulit cogitatio, bonis eum temporalibus Dominus ditauit : quod & in S. Iob facilè videre licet, qui pater pauperum fuit, oculus cœco, & pes claudo.

S. Chrysostom. hom. 33. ad popul. *Ars omnium artium quæ stuosissima est eleemosyna. Si enim artis propria vilitas, eleemosyna nihil est vilius : non enim calceamenta, neque vestimenta contexit, neque teas ædificat nobis : verumtamen æternam vitam ex mambus mortis erripit, & in vtraque vita exhibet Præterea artium sæcularium vnaquæque vnum habet ; verbi gratia, agricultura pascit, textoria vero, verò nulla illarum potest se sola hoc nobis conferre : agricultura exaui nemus. Hæc cuiuis eget, vomerem, falcem, securim, & alia plura mutuare carpentaria, vt aratrum paugat, & iugum, & ret, vt spicas excutiat. eget etiam cortaria, vt ædificatoria, vt & arantibus tauris stabulum eius domum ; & sic artium quæque alterum misericordia verò sola voluntate indiget nostra. pectinis opus esse, & habitationibus, & vestimentis ; lege verba illa, quæ Christus de vidua angustiari, licet valde sis pauper, & me Si duo minuta contuleris, totum expleti vnum tantummodo, ad perfectionem artis tur artem suscipiamus, & obeamus : melius habere, quam regem esse, & diadematæ coronari.* Ita Sanct. Chrysostomus.

Idem S. Chrysost. hom. 36. ad popul. *Dens elemosynas, sicut dare oportet, discit aspernari dantes, discit aspernari, malorum radices excidit. Vide quot cepit, quam præstat beneficium : non eo solum, quod & retributio sit eleemosynæ reposita ; verum & alta fiat, & sapiens, & dines. Qui igitur dat discit non admirari pecunias, neque aurum, hoc mente maximum in cœlum ascendendi principium innumeras contentionis, litis, inuidiæ, & tr siones : nostis enim, nostis, quod infinita propter sint sequuta. Qui autem has contemnere didicit, tu tranquillitate constituit, non amplius tacti hoc enim docet eleemosyna, nec amplius pisci. Quomodo namque qui sua largitur, & trà locupleti inuidet ? quomodo enim, cum veli* Ita S. Chrysost.

Vnde Tob. 4. sic Tobias, pater ad filium : *stantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem ullo paupere : ita enim fiet vt nec à te auertatur fa* Quibus vltimis verbis multa de eleemosynæ p comprehendit : non auertetur fcilicet facies cùm esurieris, cùm ægrotaueris, cùm persecut passus fueris, cùm periculum aliquod siue corpor spirituale ingruerit, &c.

Vnde Psalm. 40. *Beatus qui intelligit* : vbi magn præmia etiam in hac vita misericordi promit tur.

Vnde meritò Angelus Raphael Tob. 12. *Eleem* inquit, *est quæ facit inuenire misericordiam*, &c.

Habes exemplum optimum 3. Reg. 30. in Dauid, & exercitu eius, quando seruo illi, à domino suo im sericorditer derelicto, succurrit Dauid. Narra, & pondera, quàm in bonum cesserit Dauidi, quàm ve malum Amalechitis. Abundant huius rei exempla, in vidua illa, de qua 3. Reg. 17. in Iob & Tobia, & S. Iozne eleemosynario.

Genes. 18. sic Abraham : *Domine si inueni gratiam* oculis tuis, &c. Ponderans locum hunc, & misericor diam Abrahami in peregrinos S. Ambros. lib. 2. de Officijs cap. 21. ait : *Abrahæ laudi est datum, qui ante tamen suam speculabatur, ne forte præteriret aliquis peregrinus, & diligenter prætendebat excubias, vt occurreret, vt præueniret, vt rogaret, ne transiret hospes, dicens* : Domine. si inueni gratiam ante te, ne prætereris puerum tuum ; & *ideo pro hospitalitatis mercede fructum posteritatis recepit. Loth quoque nepos eius non solùm genere, sed etiam virtute proximus, propter hospitalitatis affectum Sodomitana supplicia a se simque detorsit.* Ita Sanct. Ambros. Vide & pondera qualis & quan-

& quantæ hæ duæ remunerationes eleemosynæ fue- A runt.

Iob 31. *Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea.* Vbi S. Gregor. 21. Matth. 12. *Pietati se præiudicium facere existimat, si solus comederet quod Dominus omnium communiter creasset.* Ita ille.

Vnde Prouerb. 22. *Diues & pauper obuiauerunt sibi: vtriusque operator est Dominus.* Vbi Iansen. *Ne pauper obtutum diuitem consideransmœrore deiciatur, aut dives contra pauperem superbe erigatur, cogitandum est, quòd vtriusque formator sit Deus, hoc est, quòd quantum ad creationem attinet, pares sint creati ambo ab eodem, & æquè ad imaginem & similitudinem Dei.* Ita ille. Quòd si ita æquales sunt, æquali charitate communia debent in necessitate esse bona, &c. Vnde Sanctus Ambrosius in quodam serm. *Esurientium panis est, quem tu detines, tantorum scias te inuadere bona, quantis possis præstare & nolis.* Ita Sanct. Ambrosius.

2. Cor. 9. *Qui administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Comparat ibi Apostol. largitionem eleemosynæ seminationi, v. g. tritici. Etenim si quis videret agricolam iacientem frumentum suum in terram, cùm seminat, & ignoraret seminationis naturam, deperditum iudicaret semen sic iactum, cùm tamen inde tritici augmentum proueniat; sic qui virtutem eleemosynæ ignorat, eam amissionem diceret, cùm tamen tunc datum crescit, cùm datur: ad Dei enim prouidentiam pertinet, ei prouidere, qui ob suum amorem prouidet pauperi; & hoc est quod asserit Apostolus: *Augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Quapropter sic exponit Sanct. Anselm. hunc locum: *Deus qui administrat semen seminanti, vnde in futuro anno viuat, & eleemosynas faciat, præstabit interim & panem, id est, subsidium vitæ præsentis, & ne sitis solliciti de tempore futuro, quia Deus non dimittet, quin semen vestrum multiplicet, & fruges crescere faciat, vt semper magis ac magis dare possitis: & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, id est, multò abundantiora incrementa dabit frugibus, quas promeretur iustitia vestra: iustitia enim est, vt qua Deus dat, retribuat ex eo homini, & homo illi cui deest.* Ita Sanctus Anselm. Et S. Leo Papa serm. 10. in Quadragesima, vbi rectè de eleemosyna. *Nulla,* inquit, *deuotione fidei tam Deus magis delectatur, quàm eâ, quæ pauperibus eius impenditur, & vbi curam misericordiæ inuenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscet. Non igitur timeatur in his expensis defectio facultatum, quoniam ipsa benignitas magna substantia est, nec potest largiendi deesse materia, vbi Christus pascitur, & pascit. In hoc enim opere illa interuenit manus, quæ panem frangendo auget, & erogando multiplicat, dicente Apostolo: Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit.* Ita ille.

PROP. XVI. *Pro eleemosyna Dominus retribuit bona temporalia & spiritualia.*

DIces eleemosynas quidem ego facio, huiusmodi autem retributiones ego non experior. sit ita, non ideo fructu magno eleemosynarum fraudaberis: imò quantò minùs in hac vita bonorum temporalium receperis, tantò magis in altera æternorum recipies; quare imperfectorum est, in hac vita bona velle recipere temporalia.

Vnde Sanct. Chrysost. hom. 16. in 2. ad Cor. *Hic ô homo pro eleemosyna vicem rependi postulas. quid ita? sine eleemosynam esse eleemosynam, & non negotiationem. Hæc contingit multis, vt in hac quoque receperint vitam, verùm non ita receperunt, quasi hoc nomine superiores ijs futuri, quibus vices hic relatæ non essent. Quin potius nonnulli ex illis (vt imbecilliores) quia futuris non admodum allicichantur, hic receperunt, & tu, cùm pecuniam fœnori das, sortem tuam longo post tempore cupis, & fortasse nec recipere quidem, vt ex mora ipsa fœnus tibi augeatur; hic contrà statim exigis, idque cùm non hic, sed illic perpetuò futurus sis, non hic iudicium subiturus, sed illic causam dicturus. Et quidem si tibi quispiam ædes illic strueret, vbi commoraturus minimè esses, contumelia id duceres: nunc autem hic dives esse studes, vnde ante vesperam fortasse migraturus tibi est. An te fugit nos in externa, & aliena regione, tanquam hospites, & aduenas versari? Aduenas ea esse conditione, vt tunc ejiciantur, cùm minimè id expectant, & opinantur? Id quod nobis accidit in hac vita: ac propterea quidquid struxerimus, hic relinquemus. non enim finit nos Dominus illa nobiscum hinc efferre, siue domos considerimus, siue prædia emerimus, siue mancipia, siue vasa, siue aliud quippiam tale. Nec verò te dimittaxat minimè sinit ea tecum efferre, sed nec mercedem quidem tibi assignat. Prædixit enim tibi, ne ad-fices, atque consumas aliena, sed tua. Quid igitur causæ est, cur relictis tuis in alienis operam naues, & sumptus facias, vt ijs & laborem, & mercedem perdas, & extremas subeas pœnas? Ne sic ages, quoniam si natura sumus aduenæ, simus & voluntate, ne illic aduenæ & abiecti simus. Nam si hic ciues esse voluerimus, nec hic, nec illic ex crimus ciues: si autem hic aduenæ esse perseueremus, & vt aduenas decet, vitam degamus, ciuium libertatem & fiduciam & in hac & in futura vita consequemur. Vt igitur & huius, & illius vitæ bona luciemur, facultatibus nostris, vt par est, vtamur.* Ita Sanctus Chrysostomus.

Posuerunt Apostoli in manibus Christi quinque panes hordeaceos, & duos pisces, & sic multiplicati sunt adeo panes, & pisces, vt, licèt essent viri inuitati quasi quinque millia, omnes comederint, & impleti fuerint, & superauerint duodecim cophini fragmentorum. vt nos hinc discceremus, quòd qui eleemosynam tribuit, non amittit data, sed multiplicat ea: eleemosyna enim nihil aliud est, quàm tradere bona nostra in manus Christi, vbi multiplicentur, & augeantur. Quod quidem maximè in futura vita fiet: tunc enim incrementum eleemosynæ maximum videbimus.

Mulier (inquit Dominus Samaritanæ) *da mihi bibere.* Alienum est à Dei magnitudine, quidquam ab alio, quàm à se postulare: quippe qui rerum omnium Dominus, ac procurator, in se habet quidquid boni in rerum hac vniuersitate reperiri, & desiderari potest. *Si esuriero, non dicam tibi* (dicit Dominus populo suo) *meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius.* Deo etenim proprium est, nullo alio indigere. Quam Dei optimi maximi proprietatem nouerat regius Vates, cùm inquit: *Ego dixi, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Quomodo igitur audimus nunc præpotentem Deum sitientem iuxta fontem, potu, ciboque indigentem, & à vili quadam fœmina aquam postulantem? quid sibi vult huiusmodi immortalis Dei necessitas, atque indigentia? Quis illum ad eam egestatem, ac penuriam adduxit, vt ipsi mendicare opus sit?

Perspectum quidem ac notum est, hoc non ex ditissimi ac præpotentis Dei egestate, sed ex hominum indigentia, ortum habuisse. Quòd si ab eis aliquando aliquid petit, id ea ratione facit, vt occasionem captet, ad illis plurimum impertiendum. Promptissimus enim est ad retribuendum multa, maximaque dona, vultque vt non solùm diuinis eius bonis fruamur, sed etiam vt eorum aliquo modo, quasi nostris actibus, simus participes: & hac de causa, cùm bonorum nostrorum non egeat, vt Propheta cècinit, ea poscit ab hominibus, ac si illis aliqua ratione indigeret.

Sic contigisse scimus, cùm Deus sibi arcæque suæ voluit fieri domicilium: postulauit enim à populo aurum, & argentum, & æs, hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, &c. Quid tibi opus est, summe Deus, hominum donis? videris sanè aliena misericordiâ tuam paupertatem subleuare, si vis amplam, ac magnificam domum ædificare nónne gratia, & diuitiæ in domo tua sunt? Aperi immensi tui thesauri thecam

nummariam, & ne ab inope & egeno opem auxilium-
que depoſcas. At vult Deus habere in terra domici-
lium, vt nobiſcum habitet, in eoque hominum preces
exaudiat, ita tamen vt in hac ædeconſtruenda, in qua
diuina eſſent à Deo in homines beneficia conferenda,
ipſi etiam aliquid operæ conferrent.

Sic etiam cùm idem Deus pollicitus eſt Abrahæ il-
lum filium, in quo omnes gentes benedictionem acce-
pturæ erant, priùs ab eo petit, vt chariſſimum filium
ſuum Iſaac ſibi offerret in holocauſtum, quamprimum
verò ille manum extendit, gladiumque ad immolan-
dum filium arripuit, à quodam cælite retardatus eſt,
ne filium, quem mirificè diligebat, occideret. Et illum
ita Deus eſt allocutus: *Per memetipſum iuraui, quia feciſti*
Gen 22. 16. *hanc rem, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me, bene-*
dicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ. Quibus verbis
promiſſum fecit Deus, ex Abrahæ ſtirpe humani gene-
ris vindicem eſſe naſciturum, vt D. Paulus explicat, ſic
ad Galatas ſcribens: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, &* Gal. 3. 16.
ſemini eius, non dicit & ſemimibus, quaſi in multis, ſed quaſi in
vno & ſemini tuo qui eſt Chriſtus. Ex quo perſpicitur,
Deum ab Abrahamo filium ſuum petiſſe, vt ita occa-
ſionem ſumeret, æternum ipſiuſmet Dei filium Abra-
hæ reliquiſque hominibus largiendi.

Hinc colligi poteſt præcipua quædam ratio, cur
Deus eleemoſynam expoſcat ad egenorum inopiam
ſubleuandam, quibuſcum ipſe faciſe poſſet ſubuenire;
captauit tamen occaſionem aliquid à nobis petendi
pauperibus neceſſarium, vt ea ratione multas maximaſ-
que diuitias hominibus diſtribueret. Quod quidem in
3. Reg. 17. vidua illa Sarephtana apparet manifeſtè, à qua Elias
panis fragmentum, Deo ita diſponente, petijt, cùm ve-
rum eſſet, quòd illa iuramento teſtata eſt, ſe non habere
panem niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in
hydria, & paululum olei in lecytho, ad ſe ſuumque fi-
lium ſuſtentandum. Nónne certò ſciebat Deus alios
multò ditiores eſſe in Iſrael, qui Eliæ ſitim explere fa-
memque ſatis abundè ſatiare poſſent? ſed quem exi-
tum huiuſmodi res habuerit conſidera, & Dei in hac
petitione animum clarè perſpicies: illa enim libenter
conceſſit quod Elias poſtulauerat, Deus verò illius fa-
rinam, atque oleum mirum in modum auxit. Quis non
eum crudelem iudicaret, cùm à vidua adeò inope au-
xilium depoſceret, ſed eò huiuſmodi poſtulatio ſpecta-
bat, vt ipſa vidua, & ditior eſſet, & Deo gratior exiſte-
ret, cuius rei ſimilitudo eſt illa quæ ex vaporibus deſu-
mitur: hi enim à ſole è terra tepefacta excitantur, &
tanquam tenuiſſimi quidam ſpiritus à terra in cœlum
aſcendunt, qui in nubes conuerſi, magnis, & aſſiduis
imbribus à cœlo in terram deſcendunt, quibus ipſa ter-
ra fœcunda, ac fructifera redditur. Sic eleemoſyna, quę
exiguum quidem, ac tenue opus eſt, ab homine in cœ-
lum emiſſa, iterum ad ipſum hominem, aucta locuple-
Matt. 19. 29. taque redit. Quàm nullius momenti aut pretij illud
donum fuit, quod piſcator Petrus præpotenti Deo ob-
tulit, cui & illis etiam omnibus, qui Chriſti causâ ali-
quid ſimile egerint, ita promittit: *Qui dimiſerit patrem,*
aut matrem, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, &
vitam æternam poſſidebit. Quis igitur tam rationis inops,
experſque conſilij reperietur, qui parcum in elargiendis
eleemoſynis ſe præbeat? Non cernitis quotidie quàm
libenter largè, ac liberaliter agricola ſpargat in terra
triticum, quod tanto fudore, ac labore acquiſiuit? Hu-
jus liberalitatis cauſa ea profectò eſt, quòd ſciat tritи-
cum, quod terræ tradit, ab ipſa terra reddendum eſſe
multiplicatum.

Aptè quidem Apoſtolus eleemoſynam elargiri, ſe-
minare eſſe dicit, cùm ait: *Qui parcè ſeminat, parcè & me-*
2. Cor. 9. 6. *tet; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & me-*
tet. Vbi egregiè & D. Chryſoſtomus ibid. hom. 19.
Non dixit, qui dat, ſed qui ſeminat, vt ad retributionem ſpe-
ctes. meſſisque recorderis, & diſcas, quòd plura recipis, quàm
das. Neque dixit, largiter metet, ſed in benedictionibus, quod
illo multò maius eſt. Hæc D. Chryſoſtomus. In hanc ita-
tem rei confirmationem adducit Apoſtolus illud Da-
mi: *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæcu-*
culi: Vbi Beatus Chryſoſtomus: *Diſperſit non abſcon-*
manifeſtat, quàm quòd cum liberalitate dedit. & quamdiu
hæc non mouerant, manent tamè que ex illis naſcuntur. Et
mirabile eſt, quòd qua cuſtoduntur, pereunt, quæ autem di-
ſperguntur, manent, & manent ſemper. Iuſtitiam autem
loco miſericordiam vocauit: etenim iuſtos facit eleemoſyna,
cata quaſi ignis conſumens, quando cum liberalitate eſt.
Atque hactenus Chryſoſtomus.

Sæpenumero videmus fœneratores, quanti
ſunt auari, ac nummorum cupidi, pecunias
tradere: ſciunt enim, cùm fœnori illas dant,
eas dare, quàm accipere atque augere, ſe
pletare intendunt: ſed quid aliud eſſe putati
nem eleemoſynæ quàm fœnerationem? Ex
enim Salomonis, *Fœneratur Domino, qui*
ris, & viciſſitudinem ſuam reddet ei. Sed quid eſt,
Domino? Quia, vt inquit, D. Hieronymus ibidem
erogat modica temporalia, vt ab eo accipiat ampl
enim ſe eleemoſynam facientibus dicturum eſſe
diu feciſtis vni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Hæc
Hieronymus. Si igitur fœnerator propter vile lucr
cuius causâ æternæ damnationi aſtringitur,
ſuas alijs in vſuram tradit; cur vos non dat
pecunias veſtras Deo, in quo & lucrum certum eſt
que tamen damnationem, ſed æternam animis fa
ac fœlicitatem comparabitis? An veremini ne D
dem fallat, & eleemoſynæ pecunias illi creditas,
reddat? Audite D. Chryſoſtomum hom. 19.
ad Cor. præclarè ad rem loquentem: *Si homo qui*
rit, non deſpicit, ſed habet gratiam, multò magis Chr
enim dat, cum nihil acceperit, quomodo cum acceperit,
bit? Date igitur & accipite, date egenis eleemoſy
Deo gratiam, immortalemque gloriam accipietis.

Sanct. Cyprian. *Si metuis, ne, ſi dare eleemoſ*
cæperis, patrimonio tuo larga operatione finito, ad
redigaris, eſto in hac parte intrepidus, eſto ſecurus,
poteſt, vnde in vſus Chriſti impenditur, vnde opus ce
bratur. Neque hoc tibi de meo ſpondeo, ſed de ſanctarum
pturarum fide, & diuinæ pollicitationis authoritate
Loquitur per Salomonem Spiritus ſanctus, & dicit
pauperibus, numquam egebit: qui autem auertit o
lum ſuum, in magna penuria erit, oſtendens, miſera
operantes, egere non poſſe, ſed magis parcos & ſterilis a
piam peruenire. Item Apoſtolus Paulus dominica inſpi
gratiâ plenus: Qui adminiſtrat ſemen ſeminanti,
nem ad manducandum præſtabit, & multiplica
minationem veſtram, & augebit incrementa fr
iuſtitiæ veſtræ, vt in omnibus locuplemini. Er
adminiſtratio huius officij non tantùm ſupplebit ea quæ
deſunt, ſed & abundabit per multam gratiarum a
in Deum: quoniam dum gratiarum actio ad Deum pro
ſynis pauperum oratione dirigitur, cenſus operantis Dei
butione cumulatur. Præterea, metuis ne patrimonium
deficiat, ſi operari ex eo largiter cœperis, & neſcis miſer, quia
dum times ne res familiaris deficiat, vita ipſa & ſalus animæ
tuæ deficit, & dum ne quid de rebus tuis minuatur attendis, non
reſpicis, quòd ipſe minuaris, amator magis mammonæ quam
animæ tuæ, vt, dum times ne pro te patrimonium tuum pereat,
ipſe pro tuo pereas patrimonio. Et ideo bene Apoſt. clamat, &
dicit: Nihil intulimus in hunc mundum, verùm, nec au
ferre quid poſſumus. Habentes igitur alimenta & te
gumentum his contenti ſimus. Qui autem volunt di
tes fieri, incidunt in tentationem, & in muſcipulam,
deſideria multa, & nocentia, quæ mergunt homines in
perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupi-
ditas, quam quidam appetentes, naufragauerunt à fide
& inſeruerunt ſe doloribus multis. *Metuis, ne patrimo-*
nium tuum fortè deficiat, ſi operari ex eo largiter cœperis?
quam

quando, dic, factum est, vt iusto subsidia vitæ deessent, cùm scri-
ptum sit: Non occidet Deus fame animam iustam? *Elias*
in solitudine eorum ministrantibus pascitur, & Danieli in lacu,
iussu regis incluso ad leonum prædam, prandium diuinitus ap-
paratur, & tu metuis ne inseruenti tibi, & operanti, & Domi-
num promerenti, desit alimentum, quando ipse in Euangelio ad
exprobrationem eorum, quibus mens dubia est, & fides parua,
conteslatur, & dicit: Aspice volatilia cœli, quoniam non
seminant, neque metunt, neque colligunt in horrea, &
pater vester cœlestis, alit illa, nónne vos pluris illis estis?
Volucres Deus pascit, & alimenta passeribus diurna præstan-
tur, & quibus nullus diuinæ rei sensus est, eis nec cibus, nec potus
deest: tu Christiano, tu Dei seruo, tu operibus bonis dedito, ali-
quid existimas defuturum? nihil, censeas: quia qui Christum
pascit, à Christo ipse non pascetur? aut eis terrena deerunt,
quibus cœlestia & diuina tribuuntur? Vnde hæc incredula co-
gitatio? vnde impia & sacrilega meditatio? Quid faciet in
domo fidei perfidum pectus? quid, qui Christo omnino non cre-
dit, appellatur, & dicitur Christianus? Pharisæi tibi magis
congruit nomen: nam, cùm Dominus in Euangelio de eleemosy-
na disputaret, & vt nobis amicos de terrestribus lucris prouida
operatione faceremus, qui nos postmodum in tabernacula aeter-
na susciperent, fideliter ac salubriter præmoneret, additit post
Scripturæ, dicens: Audiebant autem hæc omnia Phari-
sæi, qui erat cupidissimi, & deridebant eum. *Captiuus & seruus es pecuniæ tuæ, catenis cupiditatis & vinculis alligatus es, seruas pecuniam, quæ te seruata non seruat, patrimonium cumulas, quod te pondere suo grauiùs onerat, nec meminisli, quid Deus respondérit diuiti exuberantium fructuum copiam stulta exultatione iactanti.* Stulte, *inquit*, hac nocte expo-
stulatur anima tua à te, quæ ergo parasti cuius erunt? *Quid diuitijs tuis solus incubas, vt quomodo locupletior sæculo fueris pauperior Deo fias? Intuere in Euangelio viduam illam præceptorum cœlestium memorem inter ipsas pressuras, & an-*
gustias egestatis, in gazophylacium duo, quæ sola sibi fuerant
minuta, mittentem, quam cùm animaduerteret Dominus, &
videret, non de patrimonio, sed de animo opus eius examinans
& considerans, non quantum, sed ex quanto dedisset, Amen,
inquit, dico vobis, quoniam vidua ista plus omnibus
misit in dona Dei: omnes enim isti de eo quod abun-
dauit illis, miserunt in dona Dei; hæc autem de inopia
sua omnem quemcumque habuit victum, misit mul-
tum. *Beata est mulier, quæ ante diem iudicij meruit iudicijs vo-*
ce laudari. Pudeat diuites sterilitatis suæ. Vidua inops in ope-
re larga inuenitur, cùmque vniuersa, quæ ibi dabantur, pupil-
lis & viduis conferebantur, dat illa, quam oportebat accipere.
vt sciamus quæ pœna sterilem diuitem maneat, quando hoc do-
cumento operari etiam pauperes debeant. Atque vt intelligа-
mus has eleemosynas Deo dari, & cùm quis eas facit, Dominum
promereri; Christus illas dona Dei appellat, & in dona Dei vi-
duam duos quadrantes misisse ait: vt magis ac magis manife-
stum esset, quòd qui miseretur pauperis, fœneret Deo. Ita S. Cyprianus.

Sed dices, si pauperibus parcè tribuo, familia mea in causa est, filios habeo, vxorem, ac famulos, hos me alere oportet, &c. Verum quidem est, patrem matrémve familias priùs internis, quàm externis prouidere debere; sed non ita, vt vel superflua pro illis serues, vel superflua illis exhibeas, cuius quidem rei Deus testis & iudex erit. Hoc autem aduerte, quòd eleemosyna non minuit filiorum patrimonium, sed auget. Audi eumdem S. Cyprian. *Vidua illa, cùm in siccitate & fame con-*
sumptis omnibus, de modico farre & oleo, quod superfuerat,
feciisset subcinericium panem, quo absumpto moritura cum li-
beris esset, superuenit Elias; & petijt sibi priùs ad edendum da-
ri: tunc quod superfuisset, illam cum filijs suis vesci. Nec obtem-
perare illa dubitauit, aut Elia filios mater in fame & egestate
præposuit, nec de abundantia portio, sed de modico totum datur
& non in penuria & fame cibus antequam misericordia cogi-
tatur. Elias autem Christi gerens typum, & quòd ille pro mise-
ricordia vicè singulis reddat, ostendens, respondit, & dixit: Hæc
dicit Dominus: Hydria farris non deficiet, & lecythus
olei non minuetur, vsque in diem, quo dabit Dominus imbrem super terram. *Secundum diuinæ pollicitationis fidem multiplicata sunt viduæ quæ præstitit, & cumulata, & farris & olei vasa completa sunt, nec filijs abstulit mater, quod Eliæ dedit, sed magis contulit filijs, quod pie fecit. Et illa nondum Christum sciebat, nondum præcepta eius audierat, non cruce & passione eius redempta, cibum & potum pro sanguine rependebat. Vt ex hoc appareat, quantum in Ecclesia peccet, qui se & filios anteponens, diuitias suas seruat, nec patrimonium copiosum cum indigentium paupertati communicat.*

Sed enim multi sunt in domo liberi, & retardat te numero-
sitas filiorum quò minùs largiter bonis operibus insistas: at
quin hoc ipso eleemosynas dare amplius debes, quo multorum
pignorum pater es. Plures sunt, pro quibus Dominum deprece-
ris: multorum purganda conscientiæ, multorum delicta redi-
menda sunt, multorum animæ liberandæ, vt in hac vita sæcu-
lari alendus sustinendúsque pignoribus, quò maior est numerus,
hoc maior & sumptus est; ita & in vita spirituali, & cælesti,
quò maior fuerit filiorum copia, esse & operum maior debet
impensa. Sic & Iob sacrificia numerosa pro liberis offerebat,
& quantus erat pignorum numerus, tantus dabatur Deo nu-
merus hostiarum, & quoniam quotidie deesse non poterat, quod
peccetur in conspectu Dei, sacrificia quotidiana non deerant,
quibus possent tegi peccata. Probat Scriptura diuina dicens:
Iob homo verus, & iustus habuit filios septem, & filias
tres, & emundabat illos; offerens pro eis hostias Deo
secundùm numerum eorum, & pro peccatis illorum
vitulum vnum. *Si ergò verè filios tuos diligis, dare eleemosy-*
nas magis debes, vt eos Deo debita operatione commendes: nec
cum liberis tuis cogites patrem, qui temporarius & infirmus
est, sed illum patrem pares, qui æternus & firmus pater est spi-
ritualium filiorum, ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille pro-
tector: Patrimonium enim creditum Deo, nec respublica eripit,
nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit, in tuto
hæreditas ponitur quæ Deo custode seruatur. Et hoc est charis
filijs in posterum prouidere, hoc est futuris hæredibus paterna
pietate consulere, secundùm fidem Scripturæ sanctæ, dicentis:
Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum
nec semen eius quærens panem. Tota die miseretur, &
semen eius in benedictione est, *Et iterum:* Qui conuersa-
tur sine vituperatione in iustitia, beatos post se filios
relinquet. *Esto liberis tuis pater talis, qualis Tobias. Da, sicut*
ille, salutaria præcepta, qui dicebat filio suo: Et nũc fili, man-
do tibi, serui Deo in veritate, & fac coram illo quod illi
placet, & filijs tuis manda, vt faciant iustitiam, & elee-
mosynas, & sint memores Dei, omnibus diebus vitæ
tuæ. Deum in mente habe, & noli præterire præcepta
eius. Iustitiam fac omnibus diebus vitę tuę, & noli am-
bulare viâ iniquitatis, quoniã agente te in veritate, erit
respectus operũ tuorũ. Ex substantia tua fac eleemosy-
nam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ita
fiet vt nec à te auertatur facies Dei. Ita S. Cyprian.

Pſ 36.25.
Prou. 20.
Tob. 4.

PROP. XVII. *Eleemosyna plus prodest danti, quàm accipienti.*

SIc Apost. ad Romanos, cùm eleemosynã secũ portaret in Hierusalem, vt eam pauperibus Christianis exhiberet. *Obsecro vos,* inquit, *fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, vt liberet me ab infidelibus qui sunt in Iudæa, & obsequij mei oblatio accepta fiat in Hierusalem sanctis.* Quid ais Apostole: vt accepta sit sanctis? imò ipsi sancti seu Christicolæ pauperes orare deberent, vt tu eis aliquid offerres. Qui eleemosynæ valorem ignorat, sic fieri hoc debere affirmaret: at qui nouit pro acceptione eleemosynæ potiùs, quàm pro largitione orandum esse, dicet: nam maius Dei beneficium est eleemosynas dare, quàm accipere.

Rom. 15. 30.

Vnde sic ad peregrinum quẽdam Abraham, qui cum
alijs duobus se obtulerat illi: *Domine*, inquit, *si inueni*
gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed afferam
pusillum

Gen. 18. 4.

pusillum aquæ, & lauate pedes vestros, ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum, postea transibitis. imò ante verba hæc, *Quos cum vidisset,* inquit, *cucurrit in occursum eorum, & adorauit in terram,* hoc est, magnam eis exhibuit reuerentiam. hæc omnia profectò peregrinos ipsos facere oportebat erga Abraham : illi enim beneficium hospitalitatis accepturi erant. præstitit tamen Abraham, quia eleemosyna bonum optimè norat, quia nimirum plus lucratur præbens, quàm accipiens, ideo cucurrit, ideo adorauit, ideo Dominum illum nuncupauit, ideo denique dixit: *Si inueni gratiam in oculis tuis, si no lo tengo de merecido, receliba yo este fauor ?* Quis nostrùm sic de eleemosyna magnificè sentit ?

Seneca lib. 1. de beneficiis: *Inter multos varioque errores temere viuentium, & inconsulto, nihil propemodum à xerim nocentius, quàm quòd beneficia, nec dare scimus, nec accipere.* Ita ille. Cur non accipere ? quis accipere nescit ? dare quidem non ita facilè fit; ad accipiendum autem quid ampliùs requiritur quàm manum & sinum ad recipiendum aperire ? Si oculus dantis simplex semper esset, facile quidem esset sine incommodo accipere; at sæpe sæpius qui donat, id obtinere intendit, quod nullo modo expedit præstare : vt in his donationibus constat, quas iudicibus litigantes, & dominis serui, seu subditi eius, faciunt multi : sæpe etiam personam non decet à tali vel tali genere personarum aliquid accipere. vnde Abraham regi cuidam multa illi offerenti, dixit : *Non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditaui Abraham.* *Gen 14 23.*

Præterea, non omnes grato animo accipiunt dona; ingrati autem accipere nesciunt, quod indignum quidem non solum homine rationali est, verùm etiam bruto ratione carente.

Deinde multi dare prorsus nesciunt, quia illis sæpe donant, à quibus potiùs auferendum erat, scilicet, aut multi principes parasitis, & superfluis famulis, dant etiam adulatoribus, & fictis amicis, & effœminatis, lasciuis, mundanis, & prorsus indignis. hi similes sunt agricolæ in terra sterili triticum seminanti, oleum & operam amittenti. Sic Seneca ibid. *Semina in solum effœtum & sterile non mittimus, beneficia verò sine vllo delectu magis proijcimus, quam damus.* Ita ille.

Quare sapientes iudico illos qui in pauperum remedium bona sua expendunt, quia non solùm licita, & sancta est huiusmodi donatio, verumetiam vtilissima danti : nam Deo damus, quòd si nihil aliud haberet eleemosyna nostra, quàm quòd Deus noster illam recipiat, (ait enim, quod vni ex minimis meis feci stis, mihi feci stis,) cœlices nos essemus eleemosynas faciendo. quid quòd meriti maximi sit gratiæ, ac gloriæ sempiternæ ? Nouerat hoc sanctus Abraham, qui peregrinos illos videns, quos quamuis Angeli essent, homines esse existimauit, vti Sanctus Augustinus ait 1. de Trinit. cap. 5. & sup. Gen. tom. 1. adorauit eos in terram, & dixit eorum præcipuo : *Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum,* &c. quid amplius asserere poterat, si fuisset ipse qui eleemosynam postularet : sic verò se gessit, qui non hominibus, sed Deo obsequium illud se præstare censebat. *Gen. 18.*

Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci, &c. hîc manifestum est nomine communionis eleemosynam intelligi. vbi Theophylactus pro communione communicationem legit. cur igitur eleemosynam communicationem vocat ? communicatio autem mutuam retributionem importat inter dantem & recipientem, vt qui dat, simul etiam recipiat. Vocatur ergo eleemosyna communicatio, eò quòd tribuens eam, simul etiam recipiat. quid inquies ? Theophylact. ibidem : *Sacrificium beneficentiæ,* inquit, *meritò appellauit communicationem: est enim in ea remuneratio quædam, hic enim das pecuniam, ille verò reddit benedictionem.* Ita exponit Theophylact. Quid autem sit ista benedictio, quæres ? Primò *Hebr. 13. 16.* *Prou. 27. 20.*

A quidem à paupere recipit benedictionem illam cum gratiarum actione, quâ etiam pauper deprecatur Deum, vt reddat illi mercedem pro eleemosyna illa, & ea sequitur benedictio diuina, quâ & in alio sæculo, & in isto benedicit misericordi, benefaciendo ei, & rebus eius.

De muliere forti, & sub nomine eius, de quacumque anima pia, ait sacra Scriptura : *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Aperire manum proprium est dantis, & ideo bene de illo qui eleemosynam facit, dicitur: *manum suam aperuit inopi*, sed extendere palmas ad alium, non videtur dantis, sed petentis, & accipere gestientis: quomodo ergo de dante ait, palmas extendit ad pauperem? Fortè liberalitatem dantis denotare voluit : non enim pugno clauso, sed manu extensa & aperta tribuit misericors & liberalis. Sed non deest qui locum hunc sic interpretetur : Manum suam aperuit inopi ei dando, sed ad eundem pauperem extendit palmas tanquam ab eo petens, & accipiens, quia plus est quod misericors à paupere recipit, quàm quod ipse pauperi præstat. Audi Sanct. Basil. hom. 6. in diteſcentes, *Benefactorum gratia,* inquit, *in dantes reuertuntur : ditesti esurienti, tibi consuluisti : quod enim dedisti, cum auctario ad te reuertetur.* Ita Sanct. Basil. vbi hoc recte amplificat & Sanctus Augustinus, in quadam epistola: *Si vis esse mercator optimus, & fœnerator egregius, da quod sperè non potes retinere, vt accipias quod non potes amittere : da modicum, vt rece pias centuplum, da possessionem temporalem, vt consequaris hæreditatem æternam.* Ita S. Augustinus. & S. Gregorius in Registro: *Quid tributum pauperi, si spes considerationem pensetur, non est donum, sed mutuum, quod datur, multiplicato fructu recipitur.* Ita Sanctus Gregorius, & Sanctus Chrysostomus super illud, *Nolite thesaurizare,* &c. *Qui collocat thesauros in terra, non habet quod speret in cœlo: quidquid pro auro tua fecerit, perdidit. Quod est, quod autem reliquerit, perdidisti.* Et subdit: Quæ stulta est illic relinquere diuitias tuas, vnde exitus est ? illic ergo substantiam tuam colloca, vbi patriam habes. Ita Sanct. Chrysost. Ecce quid de vtilitate eleemosynæ sentiant Sancti Patres. Et quidem liquidò inde constat, maius emolumentum prouenire dantieleemosynam, quàm recipienti: pauper enim accipit bonum aliquod temporale exiguum; dans verò accipit centuplum in hac vita & gloriam in futura: estne hoc quàm illud amplius ? Vnde S. Ambrof. ſerm. 8. *Beneficium, inquit, largientis, præbenti magis permanet, quàm suscipienti. nam misericordia ad egentem peruenit, gratia autem multiplicatæ mercedis permanet tribuenti. esurienti dedisti panem, ille quidem pastus est, sed ad te redit quod dedisti cum vsura. Quod si difficile censes, considera frumentum, quod seminatur in terra, si non ad seminantis potius, quàm ad suscipientis lucra cedit.* Ita S. Ambrof.

Laudauit sponsa Sponsum Cant. 5. dicens : *Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.* Si quis manus habet plenas aliqua re, aliam accipere vellet, necesse esset vt manibus eius tantum caderet ex his quæ in eis habet, quantum accipere vellet ex his quæ non ibi habet. Eleemosynam nostram, vt ipse ait, accipit Christus: ergo cùm eas plenas hyacinthis habeat, opus est, vt, dum eleemosynam accipit, ex hyacinthis aliquid è manibus suis cadat : hyacinthus autem, cùm cæleſtem colorem præ se ferat, symbolum cæleſtis est gloriæ. hoc igitur significare Dominus voluit, quòd secundum proportionem eleemosynæ nostræ cæleſtis gloriæ nobis portio contingeret. *Matt. 25.*

Meritò expendit S. Hier. verba illa Christi Domini mittentis discipulos suos ad Euangelium prædicandum, *In quamcumque ciuitatem, aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis.* Miratur S. Hieron. quòd ad exhibendum subsidium egentibus homo dignus requiratur; nam potiùs an dignus sit recipiens quærendum erat : quid enim diceres, si pau-

si pauperem videres per vicos ciuitatis quærentem: Quis est in hac ciuitate qui dignus sit dare mihi eleemosynam? nónne rideretur, & irrideretur hic à cunctis? non enim dicere deberet: Quis dignus erit mihi eleemosynam dare, sed, quis dignabitur eam mihi tribuere? sic igitur videbatur dicendum à Domino: Interrogate an aliquis sit qui dignetur intra domum suam recipere vos: at non ait Sapientia Dei hoc, sed, interrogate, an quis in ea dignus sit, &c. quia dignitas est misericordiæ, vt non omnes digni sint eam Dei seruis exhibere, & quia in vniuersum loquendo, dignius, & beatius est dare quàm accipere; dare autem pro Christo beatissima res est.

Mentionem facit S. Lucas cuiusdam mulieris eleemosynariæ, nomine Tabithæ, de qua. *Hæc*, inquit, *erat plena operibus bonis, & eleemosynis quas faciebat.* Quid tibi vult, hæc plena erat eleemosynis quas faciebat? si de pauperibus, quibus eleemosynas dabat, id affirmasset, non mirum; nam illi erant qui eas recipiebant; Tabitha verò, quæ quod dabat, à se auferebat, potiùs vacua illis eleemosynis, quàm plena dicenda videbatur. sed eadem ratione meritò hæc plena eleemosynis prædicatur, quia licèt pecunias à se ablegabat, non tamen eleemosynas, quæ pietatem, & misericordiam formaliter important, diuitias dabat, sed ipsa pietate, & misericordia plena remanebat, vt propter hanc plenitudinem misericordiæ suæ plenitudinem reciperet diuinæ misericordiæ, ac gloriæ cœli.

Dives ille qui vberes collegerat fructus secum ita loquebatur: *Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? destruam horrea mea*, &c. Ponderat S. Ambrosius verba hæc, dicens: *Rectè quidem, ô dives, tu facis: nam vere destruere debes horrea iniquitatis, & ea quæ malè ædificaueras, manibus tuis subuertere, & destruere promptuaria, ex quibus nullus misericordiam consecutus est.* Ita S. Ambrosius. Sed aliter expendere possumus locum istum. *Destruam*, inquit, *horrea mea*, bene quidem non ais, *ædificabo*, sed *destruam*, quia recondis frumenta tibi soli, qui ais: *Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos, comede, bibe, epulare*, & non ais, pauperibus dabo, & indigentibus. sic, sic destruis horrea tua, qui si in opera misericordiæ tua expendisses, non destrueres, sed construeres semper horrea tua: nunc verò destruis, quia non vis facere eleemosynas pro Deo, vnde meritò sonat vox de cœlo: *Quæ parasti, cuius erunt?* quasi dicat, quia non distribuis ea egentibus, non erunt tua, si distribuisses, non quæreretur hæres, sed in sortem æternam tuam transirent.

Hinc Dauid: *Domine opera manuum nostrarum dirige super nos.* Ponderat optimè Theoderetus verba illa *super nos*: Non enim satis esse iudicauit, dicere, opera manuum nostrarum dirige, sed quòd hoc sit *super nos* quid est *super nos?* Respondet: *Pulchra est additio huius clausulæ*, super nos: *nam iustitiæ lucrum nostrum est, & Deus ea quòd virtutis studiosis fauet, & his suffragatur, horum sanè fructum ferentes metunt.* Ita ille. Ait ergo Dauid, *super nos*, velut si quis frumentum suum accipiens, in cœlum aliud proijceret, dicens: Accipe Domine frumentum meum: tibi enim illud offero; frumentum illud super offerentem caderet; sic qui dives in Deum est, eleemosynas pauperibus tribuens, super ipsum refundi-tur opus suum, & in eius partem cedit, sed auctum nimis: quia centuplum inde, & vitam accipiet sempiternam.

Vnde Sanctus Chrysostomus hom. 39. ad populum: Eleemosyna est cùm præstatur promptè, & cum largitate (*sin es ca eza pudiendo la das*) cùm non dare, sed accipere te putaueris, cùm tanquam beneficium accipiens, & quæstum faciens, non verò iacturam. Ita ille: Sunt enim nonnulli, qui cùm eleemosynam faciunt, id à se alienari censent, quod pauperi dant. hi naturam eleemosynæ prorsus ignorant: nam eleemosyna non tantùm est dare, sed retinere, non solùm retinere, sed augere diuitias, & non est solùm beneficium exhibere pauperi, sed accipere beneficium.

Hanc inter alias condidit legem Deus: *Si pignus proximi tui acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei: ipsum est enim solum quo operitur, indumentum carnis suæ, & non habet aliud in quo dormiat: si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.* Mirum hoc, nónne qui pignus huiusmodi accipit, pecuniam suam indigenti accommodauit; quid igitur mirum quòd securitatem solutionis pignus accipiat, & seruet, maximè cùm indigens libens, ac lubens præstiterit pignus? Obiectio ista locum aliquem haberet, si pecunia, quam diues indigenti accommodauit, non cederet potiùs in vtilitatem dantis, quàm accipientis. *Etenim*, vti asserit Sanctus Innocentius Papa, *non tam fecit Deus diuites propter pauperes, quàm pauperes propter diuites*, nimirum quia pauper panem à diuite, diues autem gratiam & gloriam à Deo propter exhibitam pauperi charitatem lucratur; cùm igitur in dationè illa mutui, plus tribuens quàm recipiens lucretur, quid mirum si Deus pignus iubeat reddere indigenti?

S. Ambrosf. lib. 1. Officiorum c. 11. *Nihil tam commendat animam Christianam, quàm misericordia: tu nummum largiris pauperi, ille accipit vitam, tu pecuniam illi das, ille substantiam suam æstimat. Ad hæc, plus ille tibi confert, quàm tu illi: si nudum vestias, teipsum induis iustitiam, si peregrinum sub tectum tuum duxeris, si susceperis egentem, ille tibi acquiret sanctorum amicitiam, & tabernacula æterna. Non est mediocris gratia ista, seminas corporalia, & metis spiritualia. Nemo magis beatus, quàm qui intelligit super egenum, & pauperem: in die enim iudicij habebit salutem à Domino, quem habebit suæ misericordiæ debitorem.* Ita S. Ambrosf.

Hinc est quòd Apostolorum tempore fideles Ecclesiæ primitiuæ facultates suas vendentes, ad Apostolos pretia deferebant, vt eas egentibus distribuerent: *eas autem*, ait S. Lucas, *ante pedes Apostolorum constituebant.* Ponderat factum hoc S. Chrysost. dicens: Non dicit, quòd in manus Apostolorum ponebant, sed ad pedes, cur ita? pecuniæ quippe cùm dantur, manu recipiuntur, non pede, cur igitur ad pedes, & non ad manus deferebant? Respondet ibi S. Chrysost. *Quia tunc fideles magis res ducebant, quòd oblata ab Apostolis reciperentur, quàm quòd darentur dona. Hoc quidem est pascere Christum esurientem, fi das quasi tibi plura danti beneficia dare videaris.* Ita S. Chrysostom. qui enim ad pedes alterius accurrit, quasi supplex accedit.

Ita etiam eleemosynas Macedonij in principio nascentis Ecclesiæ faciebant, vti affirmat Apostol. de quibus sic ibi: *Supra virtutem voluntarij fuerunt, cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, & communicationem ministerij, quod fit in sanctos.* Agit hîc Apost. de Macedonijs, & de eleemosyna, quam obtulerant ipsi Paulo, vt eam inter pauperes diuidere posset: locum igitur hunc sic interpretatur S. Anselmus: *Supra virtutem fuerunt, scilicet ad dandum, voluntarij: quia plus dare volebant, quàm eorum vires admittebant, quia etiam de rebus sibi necessarijs, quibus vita eorum carere non poterat, obtulerunt, nemine cogente, & obsecrabant nos, & cum lacrymis obsecrantes, offerebant, vt vel sic cogerent accipi, quod accipendum non videbatur: quia plus erat, quàm poterat eorum substantia.* Ita S. Anselm. Hi ergo Macedonij erant, qui dignè de eleemosyna iudicabant, se scilicet, plus inde acquirere lucri, quàm dare: ideo enim accipi eorum eleemosynam rogabant. nunc apud nos, non diuites rogant ipsos pauperes, sed pauperes sunt, qui diuites rogant, & deprecantur, & obtestantur, & vix assem minimum valent obtinere, quia scilicet non id in commodum suum, sed pauperum cedere sentiunt.

Idipsum in Patriarcha Abraham videre licet, de quo sic Chrysost. *Abraham admirabilis fuit non solum quòd virtutum immolauit, neque quòd farinam commiscuit, sed quòd*

Exod. 22. 26.

Psal. 40.

Act. 4. 35.

In Hom. in id 1. Cor 11.

Oportet hæreses esse.

2 Cor. 8. 3.

Hom. in id 1. Cor 11.

Oportet hæreses esse.

multa cum humilitate hospites suscipiens, accurrebat, ministrabat, dominos appellabat, & thesaurum innumerorum bonorum se inuenisse putabat, si quando hospitem prætereuntem videret. Ita ille. Adde quòd & pauperes accipere eleemosynam rogabat. Cùm hospites transeuntes videret,

Gen. 18.

adorauit (inquit) *in terram.* Quis modum hunc hospites recipiendi vmquam vidit, hospites, qui ex itinere defatigati hospitio egent, id agere solent, Abraham verò non id expectauit, sed pronus in terram primus eos adorauit, & non solùm rogauit, vt hospitium admitterent, verùm etiam sic adiurauit: *Si inuenì gratiam in oculis*

Ibid 3.

tuis (ait ad eorum præcipuum) *ne transeas seruum tuum,* &c. miraris tot tantáque beneficia & bona Deum illi contulisse, mirare pietatem, & charitatem eius inauditam: Deum autem eleemosynarijs plurima conferre bona frequentissimum est.

Hom. in id 1. Cor. 11.

Oportet hæreses esse.

Sanct. Chrysost. *Pecuniæ* (inquit) *quæ pauperibus erogantur, non vulgariter defossæ sunt, quasi infructuosæ, sed quasi radix in pingui solo plantata, quæ nobis singulis annis tempestiuos fructus affert. Sic & pecunia in manibus pauperum plantata, non solùm in singulos annos, sed in singulos dies spirituales nobis fructus affert, conscientiam scilicet in Deum, peccatorum abscessum, conscientiam bonam, lætitiam spiritualem, spem iucundam, & alia bona quæ præparauit Deus diligentibus se.* Ita ille.

Hom vlt. in 1. ad Cor.

Idem S. Chrysost. *Deus eleemosynam non ob hoc solùm instituit vt pascantur indigi, sed etiam vt dantibus accrescerent beneficia: atque adeo magis propter dantes, quàm propter accipientes. nam si pauperum dumtaxat habuisset rationem, nihil aliud præcepisset quam vt eis necessaria daremur, nec dantium promptitudinem requisisset: at nunc videre licet, Apostolum hoc potissimùm ordinare, vt hilares & gaudentes sint*

2. Cor 9 & Eccl. 35.

largitores. Vnde alicubi dicit: Non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus, *& iterum:*

Rom 12 8

Qui tribuit in simplicitate, qui præsit in solitudine, qui misereatur in hilaritate. *& propterea vera eleemosyna est, si*

dare, vt gaudeas te dare, & putes accipere te magis quàm dare. Ita S. Chrysostom. Ratio autem huius manifesta est, nam si pauper ex eleemosyna panem, aut pannum acquirit, tu gratiam, tu gloriam, tu innumera spiritualia bona, & cætera.

Prop. XVIII. *Eleemosyna facit bona temporalia æterna bona esse.*

S. Petrus Chrysol.

Sanctus Petrus Chrysol. serm. 41. *Homo dando pauperi das tibi, quia quod pauperi non dederis, habebit alter.* Ita ille. *Es eternizar riquezas, que de suyo son temporales.*

Prop. XIX. *Quæ pauperibus damus nostra facimus.*

1. Reg. 2. sic Anna mater Samuelis in suo Cantico: *Donec sterilis peperit plurimos*; Hebræa sic habent: *Donec sterilis peperit septem:* at in Scriptura quinque filios legimus habuisse Annam; tres, inquam, filios, & duas filias: quomodo igitur ait septem? Respondet Liranus, dicens: *Quidam Hebræi dicunt, quòd quando Anna pariebat vnum puerum, Phenenna sepelebat duos ex decem quos habebat, & ideo nato quarto filio Anna, octo filij Phenennæ fuerunt mortui, in pœnam scilicet afflictionis, quâ afflixerat prius Annam; & ideo quando Phenenna vidit appropinquare tempus nascendi quinti filij, timuit amittere duos filios qui remanebant ei, & ideo humiliauit se coram Anna, & instanter petijt, vt oraret pro vita fuorum filiorum remanentium: quod & factum est; & quia propter misericordiam Annæ vixerunt illi duo filij, ideo deinceps illi duo filij Phenennæ vocati sunt filij Annæ.* Ita refert Liranus: quod si ita est, inde constat misericordem sibi efficere bona illa quæ proximis facit.

Alicuinus in gloss. Gen. 17. *Pro Deo aliquid perdere lucrum est, non damnum.* Ita ille. Existimant miseri se amittere illa, quæ Deo & pauperibus donant: in quo iniuriam magnam Deo faciunt. nunquid Deus, qui præuenit nos in benedictionibus dulcedinis, non retribuet donantibus ei? *el agrauio que ellos hazen a Dios, es vensar que no tendra Dios tan buena correspondencia con ellos, como la tiene aca vna gradezido con el que le haze bien.*

Prop. XX. *Eleemosyna à diuitiarum periculo diuites liberat.*

Matth. 19. sic Christus Dominus: *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum. Et iterum: Dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Terribilia sunt verba ista, & diuitibus pertimescenda. Quid igitur sacturi sunt diuites, vt saluentur? S. Hieron. epist. 9. ad Saluinam, *Audi,* inquit, *Apostolum ad Timotheum iuuenem: Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum sed in Deo viuo, qui præstat omnia abundè ad fruendum, bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Ita dicimus, quemodo camelus introire possit per foramen acus.* Ita S. Hieron. Pondera igitur Apostoli verba: siquidem in eis consilium modus, quo diuites per bonum diuitiarum vsum salui fiant.

Eximium dolorem animi senserunt filij Israel, cùm se inter mare rubrum & exercitum Pharaonis clausos viderunt: transire enim per mare illud impossibile videbatur, sed Deus aperuit illis viam planam & iucundam, per quam iter suum prosequerentur. Audi Sapientem Sap. 19. vbi ait: *Apparuit in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo limo, per quem omnis natio transiuit, quæ regebatur manu tua.* Vbi non solùm viam quomodocumque illis apertam à Deo, sed latam & lætam, quasi per amœna hortorum tempe rent. Sic iustis via virtutis, quæ ad terram promissionis cœlestem ducit, à Deo exhibetur per eleemosynæ largitiones.

Prop. XXI. *Eleemosyna conducit ad vitanda damna superfluæ prosperitatis.*

Minuendi sanguinis duplex est causa, qualitas nempe, & quantitas eius: interdum enim qualitas obest, nec minùs perniciosa immoderata abundantia, quàm sanguinis corruptio esse solet. vnde sapiens quidam, vbi creuerit nimium sanguis, non adfert corpori nutrimentum, sed nocumentum, atque adeo quamuis sanguis incorruptus, & sanus in se sit, si nimius, & superabundans fuerit, minui debet, ne suffocet hominem, vel ob nimietatem pessimas inde ægritudines producat. Sanguis vitæ ciuilis substantia temporalis est: sicut enim sanguis materia est, quæ in carnem, & ossa, & neruos, & reliquas corporis humani partes commutatur, & quo omnia membra sustentantur; sic etiam pecunia materia est ad cuncta huic vitæ necessaria: & sicut mala qualitas & nimia quantitas sanguinis corpori nocet; sic etiam diuitiarum, non solùm mala qualitas, quando scilicet malè parta vel iniustè retentæ sunt, nocet, sed etiam quando diuitiæ multæ sunt, tunc enim in vanos, & profanos sumptus consumi solent: ipsis enim enutritur gula, & luxuria, & luxus, & quæ ad superbiam & fastum spectant. Quare, sicut malè parta, & quæ aliena sunt, restitui domino debent; sic etiam diuitiæ, quæ nimiæ sunt, in pios vsus distribuendæ sunt, ne superabundantia obruat possidentem, sicut contigit diuiti Epulono, qui, cùm diues esset, diuitias ad luxum deriuauit, & Lazaro eleemosynam postulanti renuit dare; quid inde? Damnatus est, periit in æternum. O diuites, attendite vobis, *sangra os en salud de la vena del arca, no sea que vuestra*

vuestras riquezas os lleuen al infierno, ne fœlicitas vestra temporalis in felicitatem definat sempiternam. Vbi etiam obserua, quòd sanguis effusus nihil post effusionem prodest; effusio quidem prodest, non tamen sanguis effusus: at effusæ pecuniæ in opera pia valde profunt, simul cum effusione illarum, &c. A

juicio de Dios merecio quedar como como vn coraçon de piedra, el que mostro con los pobres tener coraçon de piedra, y que Dios se sefe con el, pues el se seco con los pobres, y al cabo de diez dies murio.

Hinc Eccl. 25. *Tres species odio habuit anima mea, pauperem superbum, diuitem mendacem*, &c, quem vocat diuitem mendacem? S. Augustin. *Diues mendax est, qui in his, quæ ad Deum pertinent, toties dicit: non possum: potest enim in his quæ vult, & in his quæ non vult, non potest, ideo mendax est, & Deo sic inutilis.* Verſ. 3.

Prop. XXII. *Eleemosynam Deus ex affectu potius metitur.*

Sanct. Chrysost hom. 34. ad popul. *Eleemosynæ magnitudo, non in pecuniarum multitudine indicatur, sed in promptitudine dantium: & ideo qui calicem aquæ frigidæ dederit, factus est acceptabilis, & qui duo minuta erogauerit discamus, quia vbique Dominus mentem inquirit. Vnde pauca habens, magnam exhibere potest largitatem, cum efficax fuerit promptitudo, & multa habens inferior videri potest pauca habente, propter pusillanimitatem.* Ita S Chrys. 19. ost.

Idem S. Chrysost. hom. 19. ad Rom. *Neque diues insletur, nec pauper, tanquam qui modica det, dejiciatur: sit enim sæpe vt plus diuite det pauper. Non igitur vos oportet propter pauperitatem miseros æstimare: faciliorem enim eleemosynam vobis pauperias facit: nam qui multa possidet, maiori detinetur vel arrogantia, vel cupiditate, quàm ea sint, quæ habet; qui verò parum habet, ab vtraque hac tyrannide liber est: vnde & plures minus bene faciendi occasiones. Is enim & in carcerem ad captiuos facile inuehitur, & visitat ægrotos, & potum aquæ frigidæ rabet: diues autem diuitijs inflatus, nihil ampliùs horum.* Non ergo desponderas animum propter pauperitatem, cœli quippe opulentiam faciliorem tibi facit pauperias. B 1.

Quòd si nihil etiam habeas, habeas autem animum condolentem, apponetur tibi merces, vel huius rei gratiâ; & ob id Paulus præcepit flere cum flentibus, & erga vinctos, esse tanquam ipsi quoque vincti simus. Non enim solis flent hus consolationem quandam affert, si plerique fuerint, qui condoleant, adsert & his, qui alios premuntur afflictionibus: sit enim subinde, vt compatientis sermo iacentem, & afflictum non minus refocillet, quàm pecuniæ datæ. Propter hoc enim & pecunias iussit Deus egenis dare, non solùm vt illorum succurratur paupertati, sed vt nos doceat condolere proximi malis. Atque ideo auarus non solùm odibilis est, quod eos, qui in paupertate sunt, contemnit, sed quòd & ipse ad crudelitatem, & inhumanitatem multam instituitur. Sicut & qui pauperum gratia pecunias contemnit, propterea amabilis est, quòd misericors est, & humanus: & Christus, quando beatos vocat misericordes, non eos solos intelligit, qui datis pecuniis misericordiam exhibent, sed etiam eos, qui animi proposito id faciunt: qui autem animum habet benignum, ac misericordem, si pecunias habuerit, proferet, si in calamitatibus quempiam viderit, flebit, & lamentabitur, & si inciderit in aliquem, cui facta fuerit iniuria, patrocinabitur, & si calumnijs pressum conspicatus fuerit, porriget manum; thesaurum enim bonorum habet, animum scilicet benignum, & misericordem. Omnia ex eo, scaturigine instar, pro fratribus effunder. Vnde & omnibus fruetur bonis à Deo deputatis. Ita S. Chrysost. C D

Prop. XXIII. *Quàm iniuste Deo sit qui eleemosynas paupert non facit cùm possit.*

Audiunt quidem diuites, quantus sit in eleemosynis tribuendis thesaurus, sed excusationem hanc adhibent: non possumus statui nostro, & pauperibus attendere, & subuenire. Et quidem in mundo frequentissimum est, homines pauperes esse Deo, diuites verò mundo, & vanitatibus cius.

Quod in Nabal Carmelo constat 1. Reg. 25. hic enim sibi liberalis erat, (aît Scriptura) parauit enim sibi & suis conuiuium, quasi regis, qui tamen Dauidi indigenti ne panem noluit dare: displicuit autem Deo valde, vt ex supplicio eius patet: nam mortuum est cor eius intrinsecùs, & factus est quasi lapis. *Que por iusto*

Prop. XXIV. *Bona temporalia in eleemosynam data multiplicantur.*

Ioannis 6. eleemosynam tribuit Dominus illis ferè quinque millibus hominum. Vbi notandum est, quòd panes illi, antequam diuiderentur, quinque tantùm erant; at postquam diuisi sunt in pauperes, superfuerunt plures panes, quàm ante diuisionem fuissent, nimirum duodecim cophini fragmentorum. Quo nobis significare voluit Dominus, eleemosynis non minui facultates nostras, sed augeri. Vnde Sanct. Aug. *Fertilis, inquit, est ager pauperum, & citò reddit donantibus prouentum.* Ita ille. *Dos cosechas tiene la limosna, vna en esta vida, y otra en la otra vida, y assi el agosto de la limosna no es solamente en el cielo, sino tambien en la tierra.*

Exemplum huius rei optimum habes in vidua illa, de qua 1. Reg. 17. &c.

Orig. hom. 12. in Num. ponderans sacrificium Abrahæ, ait: *Obtulit Abraham intrepidus vnigenitum, imposuit super aram, cultrum eduxit, inhibetur continuò, & aries ei pro filio datur. Vides ergo quia quæ offerimus Deo nobis manent.* Ita ille. Quem vide etiam hom. 18. in Genesim. Idem igitur de eleemosyna dicendum est: id enim quod pauperi damus, offerimus Deo: Deus autem (quæ eius bonitas, & liberalitas est) minimè patietur illum egestate vexari, qui egenorum, propter ipsum, subleuat egestatem.

ADDITIO.

Qui pecunias seruat non est earum dominus. Quòd si vt augeantur, seruas, ea profecto optima augendi ratio vt in omnes distribuantur. Neque enim sine sumptu lucrum, neque diuitiæ sine largæ effusione prouenunt. Cuius rei argumentum in sæcularibus rebus videre licet. Siquidem mercator & agricola: ille pecunias, hic semina profundit. Mercator nauigando pecunias in multos impendit, vt deinde lucretur: agricola seminando terram iacions, assiduo diei labore exercetur, vt plus inde accipiat: hic autem non tanto opus est labore, non nauis fabricanda est, non iungendi boues, non terra arranda, non tempestates, non aëris intemperies, non vis grandinis timenda, nulli fluctus, nulli scopuli offendendi. Hæc nauigatio, hæc satio, vna dumtaxat re indiget, vt dispergantur diuitiæ: reliqua omnia agricolæ ille perficiet, de quo inquit Christus: Pater meus agricola est. S. Chrysostomus. Hom. 19. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Prop. XXV. *Quanta solicitudine fauere debeamus pauperibus in corporalibus & spiritualibus.*

Genes 21. *Abraham plantauit nemus in Barsabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni.* Nemus in hoc loco significat hortum secundùm communem expositionem. Vnde Hebræi in suo Targo Hierosolymitano sic scripserunt: *Abraham hortum plantauit plenum optimis fructibus, & peregrinos suscipiens hospitio, gratis illis omnia suppeditabat, nihil aliud exigens pro pretio, nisi vt conuiuorem rectoremque cœli & terræ cognoscerent & colerent, eiusdonum esset quidquid comedissent & bibissent: sic veram religionem edoctos ad meliora vitæ instituta conuersos dimittebat.* Hoc ex Hebræis. Pondera pietatem in pauperes & Gen. 21. 33. Targum.

zelum animarum in peccatores. Peregrinus ille erat, & peregrinos fouebat fideles, & fideles ex infidelibus reddere sic satagebat, præbens illis, non solùm necessaria, sed etiam delicioſa, vt lucrifaceret illos Deo.

Prop. XXVI. *In Eleemosyna non est attendenda tam vilitas dantis, quàm opus ipsum charitatis.*

Gen 11. GEnes. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*, &c. Cur, quæso, Deus mundum istum creauit, cùm eius creatione nihil accreuerit ei, cùm à seipso fœliciſſimus & glorioſiſſimus sit, cùm re nulla egeat extra

Nazianz. se? Sanct. Gregor. Nazianz. orat. de Natiuit. Domini. *Quoniam summo illi bono nequaquam satis erat sua ipsius solum contemplatione moueri, sed diffundi oportebat; vt plura essent quæ beneficio afficerentur (id enim summa bonitatis erat) mundum creauit.* Ita Nazianz. *Hizo Dios ese bien al mundo de criarlo por hazer ese bien, no por prouecho parasi:* Sicigitur & nos in eleemosynis tribuendis attendamus, B vt beneficium pauperibus exhibeamus, vt scilicet bene illis faciamus: hoc enim & honorificum nobis & maioris meriti causa erit.

Seneca. Seneca lib. 1. de beneficijs c. 1. *Demus beneficia, non fœneremus; Hoc enim & bom & magni animi est, non fructum beneficiorum sequi, sed ipsa, quorum fructus a viro egregio statim percepta est. etiamsi mihi spes præcludatur reperiendi hominem gratum, malim non recipere beneficia quam non dare. Dicam quod sentio: Qui beneficium non reddit, grauius peccat, quam qui non dat citius.* Ita ille. Quin exemplum nobis Deũ proponit dicẽs, *Quam multi indigni hoc sunt & tamen oritur illi dies?* Ita ille. Beneficium igitur, vt beneficium sit, ideo dandum est vt detur: quod si retributionem requiras, non beneficium, sed pactum erit, & veluti contractus quidam, &c.

Prop. XXVII. *Quàn debita sit egenti eleemosyna.*

Laertius. LAertius lib. 6. *Diogenes*, inquit, *si quando egeret; peciniæs ab amicis accipiebat: at cum a quibusdam fugillaretur, quòd id præter Philosophi dignitatem mendicorum more peteret.* Imò, *inquit*, non peto sed repeto; *repetimus autem mutuum aut depositum.* Ita Laertius. Et quidem etiam mendicus & valdè egens dicere potest, cùm eleemosynam petit, scilicet: *Non peto sed debitum repeto, no pido sino cobro:* est enim eleemosyna debitum charitatis: ideo enim peccat tunc, qui non petenti petenti, &c. Hæc intelligenda iuxta doctrinam Theologorum?

Prop. XXVIII. *Non sufficit compassionem habere pauperis, sed oportet simul eleemosynam dare.*

Luc. 7. FLebat vidua Naim filium vnicum, & Christus Dominus misericordiâ motus super eam, dixit illi: D Noli flere & statim filium eius resuscitans, restituit matri. Hæc plena misericordia est, quæ non solùm ex verbis, sed ex rebus ipsis constat.

Sic etiam Ioannis 11. super Lazarum lacrymatus est Christus, & insuper eum, quamuis quatriduanum in monumento, suscitauit: hæc enim est perfecta miseri-

2. Cor 1. cordia, hæc Dei pietas est. vnde rectè Apostolus Deum patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis appellauit. Nam alicuius, seu aliqualis consolatio est, compassionem proximi in necessitate constituti habere, in corde & verbis eum solari; perfecta verò, & tota consolatio, vltra compassionem cordis, & verba consolatoria, requirit opera misericordiæ, quibus à necessitate liberet egentem. Animaduertant hoc diuites, & hi qui pauperibus, non solùm misericordiæ affectu, & A verbis consolatorijs, sed etiam opibus, & operibus egentibus fauere possunt. *Que con vn Dios vsa rescea, pensan aver cumplido: con el pobre y con Dios.*

Prop. XXIX. *Eleemosyna facienda est cum interiori misericordia & compassione, & hoc sit prædestinationis signum.*

INduite vos, sicut electi Dei, viscera misericordiæ. Vbi primum pondera verbum *induite viscera misericordiæ*. Vult nos induere misericordiam ex visceribus proximantem; affectum interiorem. & cordialem petentis ait habete, sed *induite*. vbi Anselmus: Vestis quæ operit induimur, ab omni parte nos tegit; ita & vos ab omni parte circumtegi debetis visceribus misericordiæ, scilicet in cunctis actibus vestris fulgeant viscera misericordiæ erga releuationem miseriæ proximorum & benignitatem, hoc est, bonum ignem præ dilectione qui feruet in corde vestro. Ita ille. Secundo primum verbum illud, *sicut electi Dei*, nam talis affectus misericordiæ proprius est electorum Dei. Vnde signum prædestinationis est, habere huiusmodi viscera misericordiæ. Sic interpretatur locum hunc S. Anselmus, dicens: *Sicut electi Dei; id est, sapientia Dei præcognita, & a perditorum separati, atque ad vitam æternam præordinati.* Ita ille. Quare qui talem in se affectum misericordiæ erga proximos experiuntur, gaudeant, & exultent, & omnes mas Deo referant gratias, à quo affectus hic pietatis emanat.

Hinc, *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*, non ait, qui eleemosynam pauperi facit, sed qui intelligit. Quid est intelligere? Cassiodor. & Sanct. Augustin. & Glossa sic interpretatur: *Beatus qui intelligit, hoc est, vt etiam pauperi & non petenti eleemosyna offeratur: nam qui tribuit petenti, hoc C efficit opus, qui verò tacentem pauperem intelligit, beatum eum proculdubio conquirit, quem Dominus liberabit in die malo, id est, in die iudicij, qui malus dies dicitur malis.* Ita ille. Vbi adhuc obserua, quòd intelligere super egenum, & pauperem, idem est quod, non solùm exterior manu eleemosynam pauperi elargiri, verùm etiam intus & in huiusmodi remedio pauperis cogitare affectu pietatis, eo modo, quo pater curam quandam vehementem & affectuosam interiùs gerit erga filios suos, tunc etiam quando ipsi filij nihil à parente requirunt, nec de ea cogitant ipsi. Hoc quidem est cogitare super egenum & pauperem, quod in B. Iob animaduertere licet, qui de se ait: *Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram pauperum*, hoc est, adeo pauperibus fauebam, vt, non cæcis & claudis eleemosynam dare, sed oculos cæco, & pedes claudo restituere videret. *No me contentana con dar vn quarto a vn pobre, sino que le remediana seu necessidad segun mi possible.* Denique pater eram pauperum, non largitor solùm, sed pauper. Dormit filius in vtramque aurem, & pater in lecto iacens, huc illuc se conuertens dormire nequit, curis filiorum excitatus. Sic Iob, cùm pauperes ipsi dormirent, ipse vigilans cogitabat quomodo orphano illis fauere posset, quomodo viduæ illi remedium præstaret, quomodo xenodochio lectulos & necessaria sufficeret. *Pater eram pauperum*: talis est qui intelligit super egenum & pauperem, & de ipso pronunciat Propheta, beatum esse, quia beatorum & prædestinatorum hic affectus proprius est. Vnde meritò subdit: *In die mala*, hoc est, in die iudicij, vt Sancti exponunt, *liberabit eum Dominus.*

Seneca. Item, *Iucundus homo, qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in iudicio: quia in æternum non commouebitur.* Loquitur hic Propheta de eo qui misericorditer pauperibus eleemosynas tribuit, hunc iucundum esse, hoc est, gratum & placentem hominibus & Deo esse: vt Lira, & Cassio-

& Cassiodor. exponunt. *Qui miseretur*, inquit, non qui solummodo dat; sed cum interiori misericordia & pietate donat, & commodat, hoc est, vti Cassiodorus exponit, hic non solùm dat, sed commodat. Dat enim temporalia, recepturus æterna. Vnde meritò subdit: *disponet sermones suos in iudicio.* in quo iudicio? Respondet Hugo Cardinal. *Quando dicetur ei: Redde rationem villicationis tuæ.* Ita ille. Hic igitur disponit sermones suos in iudicio, hoc est, vt ait Glossa; quibus defendatur in iudicio futuro. Ita Glossa. Solent qui argumentaturi sunt in aliquo literario actu, priùs argumenta præparare, quàm ad publicam disputationem accedant. Sic qui eleemosynas tribuit, & misericordiam exhibet egenis, disponit & præparat argumenta ad iudicium illud, in quo Deus præses futurus est. Verbi gratiâ, Sic argumentor, inquit misericors: Tu Domine dixisti: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, ego misericors in pauperes tuos fui: ergo à te ego misericordiam consecuturus sum. *Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.* Secundò sic argumentor: Tu liberalior mihi larga manu bona tribuis; nihil inde amittis, nec infinitum patrimonium tuum minuis: si ego igitur amoris tui causâ pauper sum, & mihi vtilia & necessaria, pauperibus tuis præbeo, tu mihi vitam gloriæ, quam sine incommodo tuo dare vales, cur non tribues? argumentum in *Darii*, aiunt Dialectici, non potest negari: argumentum hoc est in *Darij*, dari scilicet eleemosynam pauperi, & in paupere Deo: non igitur consequentiam negabit Deus. Sic igitur misericors disponit sermones suos in iudicio futuro. Vnde meritò addit Propheta: *in æternum non commouebitur*, hoc est, ait Glossa, à gloria Domini nullatenus separabitur, & illico addit: *In memoria æterna erit iustus*, scilicet iste. cur ita? Cassiodorus, *quia vocatur ad præmium.* & Sanct. Augustin. *Tunc in memoria æterna erit iustus, cum ad dexteram constitutus, audiet: Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, & tunc ab auditione mala non timebit, quam audituri sunt impij, qui à sinistris erunt, cum eis dicetur: Ite in ignem æternum.* Ita S. Augustin.

Hinc est, quòd, *Ignis*, inquit, *in altari semper ardebit*, perpetuum ignem hunc in tabernaculo Deus esse decreuit, & panes quoque propositionis in eodem tabernaculo perpetuò iussit apponi. *Panes*, inquit, *panes propositionis in conspectu meo semper.* Quid sibi vult hæc panum & ignis perpetua continuatio? nimirum, quia panes Dei pauperibus Ecclesiasticis, & Leuitis dabantur. Huiusmodi ergo charitatis igni coniungi voluit Dominus, vt innueret dantibus pauperibus panes cum igne interioris charitatis & pietatis affectu esse constituendos. Sic enim eleemosyna Deo gratissima & acceptissima est.

Vt eleemosyna, & Deo propter quem datur, gratior, & pauperi, cui datur, accepta magis & vtilior, ipsi verò danti maioris meriti sit, oportet non solùm datum ipsum, verùm etiam dandi modum attendere, vt suaui quodam vultu, & pietate, ac lenitate verborum, & compassione magna fiat.

Vnde S. Chrysostom. lib. 3. de Sacerdotio: *Vir quidem sapientissimus humani ingenij auaritiam, & fastum contemplatus, & intelligens paupertatis vim naturamque tantum possit, vt vel generosissimum quemque animum proferrat, & cogat identidem in eisdem rebus postulandis impudentem esse; vt ne quis per paupertatem efflagitationes ira excandescere: tum verò ab duo illorum concursu irritatus, illis aduersarius is fieret, qui opem ferre deberet; ipsum instruit ad sese illi mitem, ac facilem indigenti præstandum.* Declina, inquit, pauperi aurem sine tristitia, & redde debitum tuum, & responde illi pacifica in mansuetudine. *Exhortans, vt cum vultus mansuetudine, tum orationis humanitate, antequam ad largitionem descendat, & illius animum erigat excitetque, aliter pauperes & inedia coguntur perfricta esse fronte ob ventris efurientis necessitatem, & dolorem à vi & contumelia dantis concipiunt: vnde multiformis quædam angoris, mœstitiæque deformisque vis, & quæ caligmem mentam afferat, in illorum animum irruit.*

Sicut igitur nescio quo pacto fit, vt quem contumeliâ afficeris, is non sentiat pecuniarum subsidium, ob plagam contumeliæ; sic quem blandæ humanitatis appellaueris, quique donum aliquod vna cum consolatione acceperit, exultat magiopere, atque lætatur; tum verò donum ipsum donantis vultus gestusque conduplicat. Vt hæc non ex me pronuncio, sed ex illius verbis, cuius est admonitio ista: Fili, inquit, in bonis ne des querelam, & in omni dato, ne des tristitiam verbi mali. Nónne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum melius, quàm datum. Nónne ecce verbum super datum bonum, sed vtraque cum homine non placato. Stultus acriter improperabit, & datus indisciplinatis tabescere facit oculos. Ita S. Chrysost. Vbi ex hoc loco Ecclesiastici nota, quomodo acerbitas verborum in beneficio illiberalis & molesta sit, & omnem beneficij gratiam tollat. In beneficijs enim conferendis animus in primis spectatur, cuius index est oratio. Ait ergo: *Ne des querelam*, hoc est, ne sic eleemosynam conferas, vt pro qua tibi gratia debetur, in querimoniam contra te accipiens, conuertatur, *& ne des tristitiam verbi mali*, hoc est, verbum triste, declarans te non ex animo, & libenter dare. Hinc Paulus de eleemosyna agens, *Non*, inquit *ex tristitia & necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus:* & homines etiam hilarem datorem diligunt, tristem verò auersantur. Nota præterea aptissimam roris similitudinem, quâ pulchrè indicat, quantum comitas & benignitas verborum conferat, vt beneficium gratum & perfectum sit. Sicut enim ros leniter è cœlo demissus, æstium calorem temperat, & in hominibus, & in frugibus, & in herbis terræ sita dulcis fermo ex ore hominis leniter profluens, inopiæ malum, pauperem mitiat ardoris vrens & torquens, temperet, & extinguat: durus autem munera collato superadditus, rectè imbri vehementi comparatur, qui altitalit quidem ardorem, sed fine gratia, & frpè cum nocumento; ita & durus fermo perdit gratiam, & vtilitatem adimit. Nónne verbum super datum bonum, hoc est, verbum bonum plus placet, quàm donum cum asperitate verborum? bona verba sine dono placent, donum verò verborum acerbitate mixtum, displicet accipienti, & intuenti. Vnde Prou. 17. *Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum iurgio.* Ne tamen hinc sumat occasionem aliquis satisfaciendi pauperibus verbis suauibus tantùm, subiecit: *sed vtraque cum homine iustificato*, hoc est, qui iustus fuerit vtraque præstare curabit, ille quippe, & eleemosynam præstabit, quâ inopis subleuet inopiam, & verba consolatoria, quibus pauperem consoletur. Demum *stultus*, inquit, *acriter improperabit*, &c. hoc est, sapiens ita eleemosynam faciet, sicut dictum est; stultus verò stultè pauperi obijciet inertiam, importunitatem, grauamen, & alia huiusmodi, & sic fiet, vt *datus indisciplinatis*, hoc est, donum hominis non rectè & piè instituti, tabescere faciat, & contristet oculos egeni, quos rectè datum exhilarare solet. Cùm enim detur cum tristitia vultus, & amarulentia, efficit, vt pauper tristis, & pudibundus, oculis demissis, & tristi vultu discedat, quamuis accipiat donum, & meritò quidem ob id stultum esse dicit, quia imprudenter & gratiam, & munus meritorum perdit. Videndus est super hunc locum S. Greg. 2. Mor. 13.

Ioan. c. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos.* Verba huiusmodi expendens S. Chrysost. hom. 7. ad Romanos ait: *Num quicquam est quod huiusmodi amorem exæquare queat? Ipse sanguinem pro inimicis effudit, nos autem nec pecuniæ pro eo, qui de nobis meritus sit. Ipse sanguinem suum, nos autem nec pecunias quidem ad nos maxime spectantes damus. Ipse ante nos; nos autem neque post ipsum quidem. Ipse pro nostra salute; nos autem nec pro nostro quidem commodo: nihil enim illi accidit ex nostra benignitate, sed totum lucrum ad nos reuertetur. Propterea enim iubemur pecunias*

pecunias dare, vt ne ijs excutiamur: sicut enim cùm quis parvulo argentum dant, consulit, vt alteri asseruandum credat, ne quis illud eripiat; sic Deus facit. Da (inquit) indigenti, ne quis auferat abs te, aut calumniator, aut fur, aut diabolus, aut denique mors: donec enim eu retines, tuto non retines. Quòd si mihi per pauperes dederis, tibi eas accumulatè asserno, & eas tibi debito tempore, magno cum fœnore, rependam. non vt auferam capto, sed vt plures quam sunt, efficiam, & accuratius custodiam, & vt tibi vsque ad illud tempus reseruem, cum nullus erit, qui mutuò det, nullus qui ad misericordiam moueatur. Quid igitur in iudicio Dei diuere nos poterimus pro illorum amissione? quam excusationem pretendere? diffidis te ea accepturus à Deo? quâ verò id ratione constat? nam qui ei dedit, à quo non acceperat, nónne multò magis, cum acceperit, daturus est?

Praterea, si quid mutuò dare velimus, disquirimus, à quibus multum capere possimus, eosque circumspicimus, quos gratos futuros speramerimus. Hic autem secus facimus, Deum relinquimus, qui sic gratus esse solet, vt vel centuplum det; interim eos disquirentes, qui ne ipsam quidem sortem reddunt. Quid nobis
Matth.9. gula nisi infirmitates? quid inanis gloria, nisi inuidentiam? quid parsimonia, nisi solicitudinem? quid intemperantia, nisi gehennam, & vermem venenatum: hi enim sunt diuitum debitores & vsitæ. Sunt hic incommoda, & ibi quæ expectantur mala. Nónne igitur potius Christo pecunias dabimus, cælum & vitam immortalem, & arcana bona offerenti?

Fortasse ob id, quòd Christus post multum temporis retribuit, atque & in hac etiam vita dat, verus enim est sermo ille:
Matth.6. 33. Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Vides liberalitatis ac mox fœnitiæ magnitudinem? illa, inquit, tibi asseruata sunt, neque minuuntur, cum interim sæculi huius bona, tanquam additamenti loco tribuo.

Adde his, quòd debitum redditum longo post tempore opes tuas tibi auget; nam fœnus quidem sit maius. Etenim in pecuniis fœneratitijs id vsu venire videmus, vt fœneratores libentius his expensum ferant, qui quod mutuo acceperint, multò post tempore soluturi sint: nam qui protinus soluit, is fœnoris tempus interrumpit; qui verò tardat, is quæstum efficit maiorem. Itáne verò obærandis hominibus moram non ægrè ferimus, sed & modis omnibus maior illa vt fiat, excogitamus: obærando autem Deo, sic nos pusillanimes gerimus, vt hoc nomine cunctemur, ac tergiuersemur? quamquam ille, quod iam dixi, vel hic dat atque vnà cum ea, quam dixi, causa, & aliud quiddam maius dispensans in cœlis totum recondit: nam verum earum, quas ille largitur, magnitudo, denique illius pulchritudo vitæ præsentis vtilitatem transcendit. neque enim fieri potest, vt in corpore mortali ac marcido illas immortales coronas accipias, neque in vita hac tumultus ac perturbationu plena, tuis autem multis mutationibus obnoxia, stabilem illam, & immotam quietem recipias.

Iam verò si fortè alienæ in terra ageres, nullos ibi famulos habens, neque te domum tuam recipere valens, tibi, qui aurum deberet, polliceretur, id se tibi numeraturum, multis vtique precibus ab eo contenderes, vt illud tibi domi potius, quàm in externa illa regione persolueret. At verò spiritualia illa & arcana bona, hic tibi nùmerari postulas? quantæ, quæso, id fuerit dementiæ? Nam si hic accipis, mortalia quidem accipis, quòd si tempus illud expectaueris, immortalia tibi, & integra reddet. Si plumbum hic accipis, accipis; si vero illic, aurum permultum purum.

Verumtamen nec præsentibus bonis te priuat: nam centuplum, ait, accipiet in hoc sæculo. Quòd si centuplum hic non accipimus, in causa sumus ipsi, qui mutuum non damus ei, qui tantundem potest dare. omnes enim qui dederùt, tantundem recepernnt. Quid enim obsecro magni Petrus dedit? nónne tete cõfractum, & calamũ, & bamum solum? & tamen vniuersæ terræ illi Dominus domos aperuit, & terram, & mare expandit, & nemo non illum in suas vocauit ades, atque adeo omnes bona sua à se diuendita ad illius pedes deferebant: neque enim in manus conijciebant, vt qui non id auderent, tantum illi honorem vnà cum munificentia tribuebant. Dices: At ille Petrus erat. Quid tum? neque enim vni Petro hæc Deus promisit: non enim dixit: Tu verò Petre centuplum accipies [illegible] re-
liquerit domum aut fratres, &c. centuplum accipiet. Neque enim personarum differentiam nouit [illegible] rum.

At me, inquies, filiorum chorus circumdat, & [illegible] illos relinquere aueo. Quare igitur illos pauperes facis? nam illis omnia si reliqueris rursus, incertæ custodiæ omnia tua committis; qui si illis Deum reliquis coheredem, & curatorem, insinuatos illis thesauros relinquis. Et quid admiraris, si in Deo hoc vsu venit? etenim & idipsum quoque in ipsis hominibus euenire videmus. si enim in aliquem curam, & tutelam filiorum transferis, is, vt eu honos his à te habitus est, voluntati tuæ magnopere fœmus facere curabit. Itaque si liberis tuis magnas opes relinquere vis, Dei prouidentiam relinquito: nam qui nulli non opes tuum eum extaret, tibi & animam dedit, & corpus formauit, & vitam largitus est, is vbi te tale tantumque studium præstare viderit, vt facultates tuas, vna cum ipsis liberis, sibi imperare velis, nónne illis diuitias omnes adaperiet? Etenim si [illegible] farina nutritus, posteaquam vidit mulierculam illam se [illegible] cere, fic amplecti, vt vel proprijs liberis anteponeret, tantam in domo vidue abundantiam exhibuit, vt mihi & aues tritici, & torculat vino exundaret. Cogita quantam Ille Dominus benignitatem exhibiturus est tibi. Absit igitur, vt hoc [illegible] mus, quomodo liberos relictûri finus diutes, sed quomodo praditos virtute. Nam si opibus confisi fuerint, nullos [illegible] curam susceperint, vt qui habituri sint, vnde [illegible] tatem adumbrare possint: neque à facultatum abundantia, se viderent, se illo solatio, & auxilio destitutos, omnem operam nauabunt, vt virtute ipsa, magnum paupertati solatium adquirant. Ne igitur illis nullas opes relinquas, vt virtutem reliquas: nam summæ quidem est amentiæ illis, dum viuimus, facultatum nostrarum dominum non permittere, ab obitu verò nostro magnam nuentutis leuitati licentiam relinquere: quamquam, dum viuimus, ipsi possimus quidem eos ad orationu calculos vocare, & facultatibus non bene vtentes emendare, & cohibere, vita verò functis, nequaquam, sed vna cum iuuentute orbitate opum licentias addentes, siet profectò, vt insuper in mille præcipitia impellamus: ignem igni adijcientes, & eum foco instillantes. Quare si citra periculum vis diutes reinquere filios, relinquito illis Deum debitorem.

Deus præterea gratiam habet, & cùm nobis debet, libentissimè que fœneratores suos contemplatur, quàm eos à quibus nihil mutuum accepit: imò quibus maximè ille debet, hos maximè amat. Quare, si perpetuam cum illo amicitiam vis inire, perfecto, vt ille multum tibi debeat, neque enim perinde delectatur suis debitoribus creditor, vt Deus creditoribus suis, quibus nihil debet, ea auersatur; quibus autem debet, ad eos accurrit.

Aduerte autem quòd hoc tempus fœneratoribus maximè accommodatum est, vt quod indigentijs consulet. Si igitur modò nihil dederis, tui sane non egebit, postquam hinc alio sueris profectus: hic enim esurit, hic sitit, atque quando tuam salutem sitit, ob hoc & mendicat, ob hoc nudus erat, omni ope tibi à terna vtam vtam conquirens. Ne igitur despicias: neque enim nutriri vult, sed nutrire, non indui, sed induere, & tibi æternum illud vestimentum præparare, & regiam stolam. Propterea ate nulla cum violentia postulat, vt tibi retribuat copiosius, vt intelligas, quòd nulla quidem indigentia pressus postulat; sed salutem tuam nutantem, Lapsabundanque erigens, ob hoc ac ille vili in habitu accedit, dexteram porrigit, cui si obolum dederis modò, haud auersatur: quem si contempseris, non abscedet, sed rursus ad te adit: amat enim, amat valde salutem nostram; pecunias enim contemnamus, ne à Christo contemnamur, pecunias contemnamus, vt pecunias assequamur: nam si eas hic asseruauerimus, eas omnino & his, & illis amittemus: quòd si liberaliter eas dispertiemur, magna opulentia in vtraque vita perfruemur. Qui ergo dues fieri vult, fiat pauper, vt dues fiat; insumat, vt colligat, spargat, vt congregat. Seminantem considera, qui colligere non potest, nisi effundat. Sementem igitur, & nos faciamus, & cælum, tanquam agrum colamus, vt & cum multa abundantia metamus, & bona perennia assequamur. Ita S. Chrysost.

Ad Coloss. 3. Induite vos sicut electi Dei viscera misere- Col.3.12.
cordiæ,

cordiæ, &c. Sanct. Chrysost. homil. 14. ad Rom. *Vides exactam verbi usurpationem? neque enim simpliciter dixit: Misereremini, sed induite vos, vt sicut vestis vna nobiscum semper esse solet, ita sit & misericordia. Neque vero simpliciter misericordiam dixit, sed viscera misericordiæ, nimirum misericordiæ, vt naturalem imitemur pietatem, & necessitudine.* Ita S. Chrysost.

A

PROP. XXX. *Eleemosyna non auarè, sed liberaliter facienda est.*

2. ECcles. 18. *Miseratio hominis circa proximum suum, misericordia autem Dei super omnem carnem.* Hoc est, ad multò plura se extendit miseratio Dei, quàm hominis; sed homo, licèt non æquet misericordiam Dei, imitari eam circa proximum suum debet, & ob hanc causſam misericordiam Dei exemplar suum constituere voluit, & ei pro viribus assimilari, vt sicut Deus aperit manum suam, & implet omne animal benedictione; sic homo proximo suo benefaciat, & non manu clausa, & pugno B constricto, sed manu extensa, & larga secundùm possibilitatem suam.

Quod apertioribus verbis Dominus expressit Matt. 6. dicens: *Iſtote misericordes, sicut pater vester misericors est.* Non ait, sicut Abraham aut sicut Iob, aut sicut Tobias, quamuis hi misericordissimi fuerint valde, sed ait, sicut Pater vester cœlestis misericors est: sunt enim quamplures, qui eleemosynas faciunt, sed parca, & stricta manu, parum tribuentes, & id æpe, quod vile & abiectum est, quasi non sibi, sed pauperibus eleemosyna illa profutura esset.

8. Vnde sic Tobias filio suo: *Quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude, præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.* Attende non solùm consilium sancti huius, sed etiam rationem, quia scilicet hoc est tibi thesaurizare: pauper enim panem, vel pannum ex eleemosynâ tuâ recipiens, tu verò bona il- C la, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. Vide igitur quid pauperi tribuis; nam hoc tibi Deus cumulate retribuet: his oculis aspicienda est eleemosyna, non scilicet tanquam datum pauperi, sed quasi repositum tibi. Si calceos dissutos & vestem tritam, & fructum panis sicci tribueris, hæc reposita tibi inuenies in æculis æternis; si verò magna, & multa dederis pro Christo, hæc multa, & magna tibi conseruata in cœlesti gloria reperies: ne sis ergo tibi parcus, sed liberalis.

Nouerant Philosophiam istam sancti multi, qui in vsibus proprijs quasi auari sibi erant; pauperibus autem magnifici. Vide Gen. 18. quale, quantúque conuiuium 1. peregrinis fecerit Abraham, vide etiam quid de Tobia diuina dicat historia: *Cùm in captiuitate constitutus esset, quotidie,* inquit, *pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebatque vnicuique, prout poterat, de facultatibus suis, esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam solicitus exhibebat.* D Vide, quàm largus in miserationibus suis erat Tobias; & quidem cùm captiuus esset, & in afflictionibus magnis constitutus.

15. Sic etiam Sanctus Iob largiter eleemosynas faciebat, sicut ex verbis eius constat, cap. 29. vbi in magnis tribulationibus constitutus, ea in memoriam redigens, quæ solatio ei esse possent, aiebat: *Oculus fui cæco, & pes claudo,* quia scilicet ita cæcis, & claudis fauebat, vt veluti visum illis, gressum his restituere videretur. Vnde subdit: *Pater eram pauperum,* hoc est, ita liberaliter pauperibus prouidebam, vt, non tanquam proximus proximis, sed, velut pater filijs, illis succurrebam. Animaduertant hoc, qui viscera pietatis pauperibus claudunt.

PROP. XXXI. *Eleemosyna libenter facienda est.*

GEnes. 8. *Ædificauit Noë altare Domino, & tollens de pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocaustа super altare, odoratúque vit Dominus odorem suauitatis.* Qualis, quæso, suauitas esse potuit odoris ex carnibus & ossibus exustis? S. Theodor. q. 53. in Exod. *Excepit,* inquit, *Deus, promptitudinem animi Noë, non quidem odore illo delectatus: nihil enim peius olet quàm ossa exusta; sed offerentis animum laudauit.* Ita S. Theodor. Ne igitur obijcias paupertatem tuam, quia non magnitudinem dati, sed deuotionem dantis respicit Deus. Gen. 8. 20. S. Theod.

2. Cor. 9. monebat Apostolus Corinthios, vt liberaliter, & hilariter eleemosynas præberent, dicens: *Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet:* hoc est, sicut agricola parcus in seminando, parcùm etiam colligit fructum; si verò fuerit liberalis, copiosam segetem metit; sic qui manu parca eleemosynam tribuit, parcum fructum meritorum colliget; si verò largè tribuit, copiosa merita metet. Et subdit: *non ex tristitia, aut necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Quid est, *ex tristitia aut necessitate?* S. Anselm. ibidem, id est, non inuitus aut coactus: *Eleemosyna enim plerumque fit à tristibus, & murmurantibus, vt careant tædio interpellantis, non vt viscera indigentis reficiant: & talis datio non est acceptabilis Deo, & ideo non ex tristitia, sed ex lætitia est dandum quod datur. Sunt enim nonnulli, qui tædio deprecantis affecti, ad dandum compelluntur, & ita non dant ex affectu dilectionis, aut compassionis, sed tristes & inuiti; hilarem autem datorem diligit Deus.* Ita Sanct. Anselm. 2. Cor. 9. 6. Ibid 7. S. Anſel.

Tantum igitur donum & bonum eleemosyna est, vt non solùm hilariter danda sit, sed etiam precibus emendа, cogendo scilicet egentes, vt eam recipere velint. Sic illi duo discipuli Emmaus qui, vti ait Euangelista Lucas, coegerunt Christum, quem peregrinum existimabant, vt apud eos hospitaretur nocte illa. S. Gregor. hom. 23. in Euangel. hunc locum expendens, ait: Ex quo exemplum colligitur, quia peregrini ad hospitium, non solùm inuitandi sunt, sed etiam trahendi. Ita ille. Quod quidem & Loth fecit Genes. 19. inuitauit enim duos peregrinos in domum suam, qui vrbanitatis gratiâ renuebant, & subdit Scriptura: *compulit illos oppidò,* id est, *valde,* vbi Abulensis: Ex quo patet, quòd peregrini non solùm vocandi, sed etiam cum instantia trahendi sunt. Ita ille. Luce 24. S. Greg. Gen. 19. 3.

Genes. 18. Abraham, cùm staret in ostio tabernaculi, vidit tres viros peregrinos, &, ait Scriptura: *cucurrit in occursum eorum,* &c. Cur non expectauit aduentum eorum, siquidem ad eum dirigebant iter suum illi? *Fecit hoc* (ait Interlinearis) *studio hospitalitatis, hoc exemplum relinquens nobis.* Ita Glossa. *nobis* ait, qui molestè pauperum clamorem audire solemus, & tamen, vt ait Apost. *hilarem datorem diligit Deus.* Gen. 18. 2. Glossa.

S. Leo Papa serm. 13. de collectis in eleemosynis tribuendis: *Etsi non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas, quoniam fidelium largitas non de muneris pensatur pondere, sed de benevolentiæ quantitate; sit dues munere copiosior, dum pauper animo non sit inferior; iustus est iudex, qui neminem fraudat meritorum mercede.* Ita ille. S. Leo.

PROP. XXXII. *Eleemosyna facienda est hilariter.*

SAnct. Chrysost. hom. 36. ad popul. *Oportet misericordiam impendentem gaudere, non indignari. Nam quomodo non absurdum, si soluens alterius tristitiam, ipse tristeris? Sed cur tandem homo tristaris? nunquid ne tibi aurum minuatur, si non considis, quòd in cœlo tibi multiplicatur? Ne prebeas, si hic retributionem quæris, sine obsceno eleemosynam, eleemo-* Chrysost.

eleemosynam esse, & non quæstum: multi quidem & hic receperunt, sed non hoc recepérunt modo, sed non ideo plus habituri,
Simile. quàm qui nihil hic recepere. Sed quidam eorum tanquam infirmiores, quoniam illic repositis non satis trahebantur, & sicut gloriosi ad regale vocati conuiuium, nolentes congruam horam expectare, parunlorum more, vilioribus cibis priùs satiantur; ita
Simile. scilicet hi mercedem hic exquirentes, futuram diminuunt. Non vides quomodo fœnerans post multos annos sortem recipere concupiscit, cum periculo neque sortem recipiendi, vt per moram maius accipiat fœnus? Tu verò hic statim repetere vis; & hoc cum non hic semper, sed illic continuè sis mansurus? & quidem siquis tibi domum, vbi manere non debeas, præstet, magnum existimares determinare: nunc autem hic vis locuple-
1. Petr. 2. tari, vnde frequenter & ante vesperam es migraturus: Nescis quòd in aliena regione moraturi, tanquam hospites, & peregrini: & quod hic dimittimus, quidquid hic comparauerimus? Non enim permittit Dominus hinc migrantes ea simul auferre, siue domos ædificauerimus, siue coemerimus agros, siue seruos, siue supellectilia, siue quid huiusmodi, quid igitur tua dimittis, & alienis operaris? Ita S. Chrysost.

Chrysost. Rom. 12. 13. Idem Sanct. Chrysostom. homil. 21. ad Rom. ponderans verba illa Apostol. ad Roman. 12. Hospitalitatem sectantes. Non (inquit) Apostolus ait, facientes, sed sectantes: instruens nos, vt non expectemus egenos, donec ad nos veniant, sed ad ipsos curramus, & sectemur. Sic Loth fecit, sic Abraham: totum namque diem in hoc consumebat, bonam ex eo expectans venationem, & si quando quempiam videbat, insiliebat, occurrebat, & ad terram, supplicando, procidebat, dicens:
Gen. 18. 3. Si inueni gratiam in conspectu tuo, ne transeas seruum tuum. Non sicut nos, qui cum peregrinum, aut pauperem videmus, attollimus supercilia, neque dignos æstimamus, quos alloquamur: & si tandem multis pauperis supplicationibus molluti, modicum argenti per famulos dare iussermus, plurimum nos præstitisse censemus. Abrahæ verò sumptam famuli personam tum induit, etsi ignorauerat, quosnam susciperet. Nos autem licèt manifeste sciamus, quòd in pauperibus suscipimus Christum, nec sic reddimur liberales: & Abraham quidem omnia per scipsum & vxorem, admplebat obsequia, nos verò neque per famulos nostros. Si verò nosse vis, qualem mensam illis peregrinis parabat, multam ibi liberalitatem videbis, non quam exhibebat ipse eorum copia, sed pectus abundans animi promptitudo. Et profectò potissimum fuit, & admiratione dignum, quòd ignorauerat, quinam essent, qui adueuerant peregrim. Sic tu, ne pauperes curiosè inquiras: propter Christum enim suscipis illos, alias sæpè probatum apud Deum virtum prætergredieris, & mercedem, quam ex eo habiturus eras, perdes: imò & qui pauperem reprobum recipit, mercedem accipiet.
Matt. 10. 41. Prophetam enim in nomine Prophetæ recipiens, mercedem Prophetæ accipiet; qui verò intempestiua curiositate præcipuum quemquam neglexerit, pœnas dabit. Ne igitur scruteris pauperum vitam, atque negotia: nam extremæ illud insolentiæ est, pro vno pane totam miseri hominis vitam inquirere curiosè: nam etsi impostor latro, si homicida, aut aliud huiusmodi fuerit, nonne tibi videtur pane indignus? & tamen Dominus tuus super illum solem suum oriri facit; & tu cibo quotidiano illum priuandum iudicas? Ego verò addam, quòd, etiamsi manifestè cognoueris illum innumeris refertum esse malis, neque sic excusationem habeas, si quotidiano cibo priuaueris illum: seruus enim illius est, qui dicit: Nescitis, cuius spiri-
Luc. 12. 25. tus sitis. famulus es illius, qui lapidantes se curare laborabat; imò & qui crucifixus est pro eis. Nec est, quòd mihi dicas, quòd hominem interfecerit: nam etsi teipsum interempturus esset, neque sic tamen laborantem fame contemnere debes: d scipulus enim eius es, qui crucifigentium se salutem cupiebat, quique in ipsa cruce dicebat: Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. Seruus es illius, qui percutientem se curauit, qui latronem in ipsa cruce coronauit. Cui, quæso, quid poterit adæquari? nam & vtrique latrones à principio affecerant contitys, & tamen alteri illorum aperuit paradisum, & interfectores se deploranti, & super proditore suo turbatus est & contristatus, non idèo quòd crucifigendus ipse, sed quòd ille periret. Turbatus ita, quòd præscirot & illius strangulationem, & post strangulationem supplicium; & licèt non ignoraret illius malitiam, ad extremam vsque horam illum sulit, non repellens &, tametsi proditorem, diligens. Dominus ergo tuus illum diligit, & labijs osculando excipit eum, qui statim sanguinem illum suum pretiosum fusurus erat; tu verò pauperem neque pane dignaris, neque legem, quam Christus dedit, reuereris? per hæc enim, quæ recensui, satis ostendit, quòd non solum pauperes, sed eos etiam, qui nos ad mortem vsque impellunt, amplexari non oporteat. Et vide quam modestè, & ad verecundiam monendo, apposite Iudæ inquit: Iuda osculo filium hominis Luc. 22. tradis? Quem non. deliniisset? quem non flexisset ista vox? quam bestiam? quem adamantem? Infœlicem tamen illum non flexit: Christus ergo os illud quod mortem suam operaturum erat, osculatus est. Tu igitur etiam insidiantem tibi, non odio, sed lacrymis prosequere: dignus enim est, cui misereatur. Et nec sic cessabo, quin. factum illud versem: teneriora enim verba, quàm osculum sit, erga illum loquutus est: neque enim dixebat: O scelestè, ô proditor, hanc nobis gratiam pro tanto beneficio rependis? sed quomodo? Iuda, inquit, osculo filium hominis tradis? Proprium illi nomen imposuit, quod magnæ miserantis erat, & reuocantis, quam indignantis. Neque dixit, Præceptorem tuum, Dominum tuum, benefactorem tuum; sed, filium hominis: quasi dicat, etiam si non esset præceptor tuus, non esset Dominus tuus; eum tamen, qui tam manifestè tam candidè erga te affectus est, vt & in ipso proditionis articulo, te osculetur, idque, cùm prodition is ipsius osculum symbolum sit, tradere potes? Benedictus sis Domine, quantæ humilitatis & patientiæ nobis exemplum tradidisti!

Ad istum quidem ita se habuit. Ad eos verò, qui cum fustibus, & lampadibus irruebant, non ita. Et quid, quæso, mansuetius verbis illis, quæ ad eos loquutus est? cum enim simul omnes perdere posset, nihil horum quidem fecit, sed modestè illos est alloquutus, Quid, inquit, existis, tanquam ad latronem? & Matt. 26. cùm illos supinos proiecisset, & tamen nec sic pernoti esse voluntarie se tradidit illis: & cùm omnes dirumpere posset, ab eis vinciri sustinuit. Tu tamen iacenti insultas, & lacerare contitys, & afflictionem afflictioni, velut tempestatem tempestati, superaddis, & fugientem ad portum, naufragium marino gratuitus, pati facis. Et quomodo Deo dicis? Miserere mei? Quomodo peccatorum tuorum veniam petis, qui eum conuitiaris quo tibi nihil peccauit, pœnamque pro fame tantaque necessitate exigis, quasi is bestijas nudelitate exuperans? Ita Sanct. Chrysostomus.

Ad Roman. 12. *Qui miseretur in hilaritate.* Vbi Sanct. Rom. 12. Chrysost. hom. 21. Non enim sufficit misereri, sed oportet & 2. Cor. 9. largiter, & non tristi animo præstare: imò non solum non tristi, sed alacri, & læto. Sic & ad Corinth. scribens. Qui parcè, inquit, seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet. *Animum vero* 6. Cor. 9. *dirigens addit*, non ex tristitia, aut ex necessitate: nam, vtrumque misericors habere debet, & quòd abundè, & quòd cum gaudio det. Quomodo enim eum, qui in tristitia est, refocillabis, si tu doles? satis enim fuerit, si pauper nihil mali sustinetur, etiamsi dederis cum gaudio: nihil enim adeo videtur hominibus turpe, atque ab alijs accipere, nisi excellenti hilaritate suscipiendum illam sustulerís, & offenderis, quòd magis accipiat, quàm des, magis dejectes accipientem, quàm refocillabis. Propterea dicit: Qui miseretur in hilaritate. *Quis præterea regnum accipiens, mœstus est? quis peccatorum remissionem accipiens, in mœrore manet?* Noli ergo pecuniarum respicere sumptum, sed ex sumptu proventum: si enim, qui seminat, gaudet, licèt in incertum seminet, multò magis, qui cœlum, quasi agrum, colit. Nam sic, etiamsi dederis pauca, multa dedisti; si verò cum mœstitia dederis, licèt multa, pauca fecisti. *Sic & vidua illa multa talenta duobus obolis superauit: larga enim mente dedit.*

Sed quomodo (inquis) *qui bonis omnibus caret, promptè id facere poterit?* Interroga viduam, & scies mentis angustiam, & Marc. 12. Luc. 21. non ex paupertate, sed ex voluntate prouenire: poterit enim qui in paupertate magni, & in diuitijs, pusilli animi esse. Vnde non pecunijs tantùm, sed verbis, & rebus, & corpore, & omnibus alijs, vult nos iuuare egenos. Vnde Apostolus illico subdit:

dit: Dilectio sine simulatione: hanc enim si habueris, nec pecuniam senties sumptum, nec corporis laborem, neque molestiam verborum, neque ministery sudorem; sed omnia generosè feres, siue corpore, siue pecunijs, siue sermone, siue quouis alio, proximo succurrendum sit. Ita Sanctus Chrysostom.

PROP. XXXIII. *Eleemosyna magis obligat in necessitate grauiori.*

SAnct. Ambros. in Psal. 31. *Esurientium est panis quem tu retines, nudorum indumentum est, quod reclusus, miserorum redemptio est pecunia quam tu in terra abscondis; neque* him minus crimen est habenti tollere, quam cum possis, & abundans sis, petentibus denegare. Ita ille.

PROP. XXXIV. *Eleemosyna abundanter tribuenda est secundùm cuiusque facultatem.*

SAnctus Chrysostomus homil. 7. de Pœnit. tom. 5. Ego (ait propheta) quasi oliua fructifera in domo Domini. Eusmodi nos simus: non enim satis est oliuam esse solum, sed fructiferam. Sunt, qui miserantes dant parua, ipso labente animo, aut omni hebdomada, vel parum quid exhibentes. Hi oliua quidem sunt, sed non fructifera, & vera, sed arida. quòd quidem miserentur, oliua; quòd autem non prompte, & ex animo, non fructifera: sed fructiferos nos non facit dati mensura, sed propositum dantis; sicut vidua illa, quæ duobus minutis opes suas exhausit ex tota anima sua: hoc exemplum imitemur.

Dederunt quidam capillos in structuram templi, & non sunt passi repulsam. Quòd si aurum habentes, capillos attulissent, maledicti forent; si verò ul solum habentes, accepti. Ideo Cain accusatur, non quasi obtulerit vilia, sed quòd eorum, quæ habuerat, obtulit vilissima. Maledictus, inquit Malachias, qui habens masculum, & fœminam, corruptum obtulerit Deo. Maledictus hic dicitur, qui habet, & parcit: *si quis autem non habet, à crimine liberatur; magis autem mercedem habet, dimisso de sententia, proposito que flectatur ad consensum, atque est in pacifica mansuetudine respondeat vsque ad calicem aquæ. Da indigenti; & tributato compatere: si verò hæc minùs habueris, vel suspirium si profers, omne tribuisti: nam ille insomnis oculis videt te, quòd habueras, dedisse. Quid enim duobus minutis minus? quid capillis vilius, ac formulæ floribus? & tamen hæc Deo placuerunt magis quam vituli, magis quam aurum: etenim in eo, quod quis habet, acceptus est, non in eo, quod non habet. Quare indigentibus tribuamus opportuna, quamquam modica sint: eandem enim cum illa accipiemus mercedem, qui plura impendunt, & maiorem decem millia talenta proferentibus, modo eum proposito tribuamus.* Ita S. Chrysost. Vbi notata, quòd nec in diuitibus eam eleemosynam despicit Deus, quæ modica sit, & quando quod superest illis, tribuunt; sed quando animo, quasi violento, & auaro, & iniquo id faciunt: & hoc sibi voluit hîc Sanctus Chryst.

Idem S. Chrysost. homil. 37. ad popul. *Non dare, sed, cum copia dare est, præsertim eleemosynam, & propterea Prophet a non dantes simpliciter prædicat, sed copiose præbentes: neque enim simpliciter dicit, dedit, sed, Differt, dedit pauperibus. Quid enim mirum, si abundans dederit? sicut quis ex mari cyathum hauserit, & neque generosum illius pauperis vidua animum imitatus sit. Quomodo verò dicis: Misere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam, cum tu non misereatis secundùm magnam misericordiam? forte verò neque secundùm paruam. Etenim multum confundor, cùm video multos, equis cum frenis aureis insidentes, & post se trahentes seruos aureos micantes, & lectos habentes argenteos, & alium maiorem tactantiam, & cùm pauperi dandum fuerit, pauperrimis redditos pauperiores.*

Sed dices, habent pauperes communia bona Ecclesiæ: &

A *quid hoc ad te? nec enim, si ego dedero, saluaberis ipse, neque si Ecclesia præbuerit, tu peccata tua deleueris: nam si propterea non erogas, eò quòd egenæ Ecclesiasticæ dare debeãt; ergo quoniã orant Sacerdotes, tu nunquam orabis, & quoniam alij ieiunant, tu iugiter ebrius eris. Nescis quòd non tam propter pauperes eleemosynam Deus instituit, quam propter ipsos, qui eleemosynam impendunt? Libenter igitur interrogarem vos, cum Christum audiemus dicentem: Esurui, & non dedistis mihi manducare, nudum, & non indusistis, qui à dicemus? Sacerdotes accusabimus, & quid hoc ad te? nam ego tibi obijcio, quæ tu peccasti: horum autem purgatio est propria diluere crimina, non alios ostendere patria peccasse. Clementissimus autem; & sapientissimus Dei filius, sciens multos Sacerdotes esse corruptos moribus; ne subditorum torpor per illorum negligentiam augeatur; omnem tollens excusationem, Super cathedram, inquit, Moysi* Matt. 23. 2. *federunt Scribæ & Pharisæi. Omnia quæcumque vobis dixerint, facite, secundùm autem opera eorum, nolite facere; ostendens, quod licet præceptorem habeas malum, nihil hoc tibi obesse poterit, cum dicta eius intenderis: non enim ex his, quæ Sacerdos, & mansuetus, sed ex his, quæ audita neglexerit, Deus sententiam feret. Itaque si præcepta eorum feceris, cum multa tum adstabis fiducia; si verò, quæ dicuntur, neglexeris, etiamsi perditos ostenderis Sacerdotes, nihil hoc proderit tibi. quoniam & Iudas Apostolus erat; veruntamen nihil hoc pro sacrilegio, & auaritia vnquam in defensionem proponetur: nemo poterit accusatus dicere, quod & Apostolus fur erat, & sacrilegus, & proditor; sed propter hoc ipsum nos maximè punimur, quòd neque aliorum malis correcti sumus: nam & propter hoc illa scripta sunt, vt eorum æmulationem fugiamus; quare illum, & illum sinentes, nobis caueamus ipsis: nam quisque nostrum pro se rationem reddet.* Ita Sanctus Chrysostomus.

B *Frange esurienti panem tuum, & egenos & vagos induc in domum tuam;* & ait S. Augustinus, *non dixit, vt integrum panem daret, cum forte pauper alium panem non haberet, sed frange, ac si diceret, etiamsi tanta paupertas tibi sit, quòd non habeas nisi vnicum panem, ex ipso frange, & pauperi aliquid tribue.* Ita ille. Isaiæ 58. vers. 17. August.

C Et de hospitalitate subdit: *Egenos* (inquit Dominus) *& vagos induc in domum tuam.* quam excusationem possumus habere nos qui amplas & spatiosas domos habentes, vix aliquando dignamur excipere peregrinum, ignorantes quòd in omnibus peregrinis excipitur Christus, sicut & ipse dixit: *hospes eram, & non suscepisti me?* laboriosumne nobis excipere Christum? timeo ne nobis in cœlo vicem reddat, & non recipiat nos in beatitudinem suam, secundùm illud quod dixit: *hospes eram, & non collegisti me;* & quod post hoc sequitur, fratres, auertat Deus à nobis, discedite à me maledicti in ignem æternum. Ita S. Aug. August. Matt. 25. 35. Ibid 43.

PROP. XXXV. *Quòd Iudæi sit eleemosyna largienda.*

D SAnctus Chrysost. tom. 5. hom. de Misericordia, & duabus viduis. *Tria sunt, quæ in misericordia operæ opportunè sunt Christiano: vt possit facere, vt velit, vt compleat. vt possit, id est, vt substantia faciendi non desit; vt velit hoc est, voluntas adsit, quæ faciat, cùm substantia non deesit, quâ fiat; tertium est, vt compleat, id est, quæ possit, & velit, sine dilatione perficiat. Nam sunt, qui possunt facere, sed nolunt; sunt qui volunt, sed non possunt; sunt, qui & velint, & possunt; sed differendo non faciunt. Caterum qui potest facere, oret, vt velit, & qui vult facere, oret, vt possit, & qui in vtroque paratus est, det operam, vt misericordiam instanter efficiat, ne quod vult, & potest, differendo non compleat.* Ita Sanctus Chrysostomus. Chrysost.

Prou. 3. *Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, eras dabo tibi, cùm statim possis dare.* Amicum hîc vocat pauperẽ, quia tempore maioris necessitatis, mortis scilicet & diuini iudicij, pauperes sunt qui nobis magis fauent, secundùm illud Christi Domini, *Vt recipiãt vos in æterna tabernacula.* Prou. 3. 28. Luc. 16. 24.

nacula. huic amico consulit Dominus citò dare : qui A enim citò dat, bis dat, iuxta commune prouerbium: Et
Seneca. Seneca lib. 2. de beneficijs. *Beneficium*, ait, *morosè datum, simile est pani lapidoso, quem esurienti accipere necesse est esse*
2. Cor. 9. 7. *acerbum*. Ita ille. Quare Apostol 2. Corinth 9. *Hilarem datorem diligit Deus*, hilarem dicit, non solùm quia libenter, sed quia promptè dat : vnum enim prouenit ex alio.

Psal. 4. 2. Psal. 4. *Cùm inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi.* In quo, quæso, consistebat
S. Basil. dilatatio hæc? S. Basilius in Scholijs : *Dupliciter*, inquit, *eum dilatauit ; primùm, quòd eum exaudiuit ; deinde, quòd velociter exaudiuit : sicut enim non velociter exaudiri, angustia est & semigratia, ita illico exaudiri, latitudo est & gratia dupla.* Ita ille. Colligit autem Sanct. Philius, exaudisse Deum illico Dauidem ex eo quòd ait : *Cùm inuocarem exaudiuit me*, non ait, *postquam inuocauit*, sed, *cùm inuocarem*, hoc est, nondum compleueram orationem, & iam exaudiuit me Deus. B

Hinc primùm colligo, quàm efficax sit ad impetrandum à Deo oratio ; siquidem prius est Deum concedere, quàm hominem orasse ; secundò quàm citò sit eleemosyna danda, & non sicut nonnulli, qui obolum daturi, diu pauperem expectare, desiderare, & petere faciunt: hoc imperfectam eleemosynam reddit: qui enim citò dat, bis dat; qui verò tardè, semigratiam facit. Ita S. Basil.

Gen. 20: Genes. 20. iniuriam intulit Rex Abimelech Abrahæ, quando arripuit vxorem illico, quamuis non vxorem, sed sororem audiuit esse, quia nec in vxorem accipere sororem debebat inuito fratre; & quamuis non legamus preces fudisse Abrahamum pro liberatione Saræ, Dominus præsentes preces eius, eam mirabiliter liberauit, vt & nos disceremus proximis in suis necessitatibus & periculis subuenire, non expectantes
Hildebert. proximi preces. Sic optimè Hildebertus epistol. 53. C
Nullus (inquit) *vendit amicis obsequium, libenter & gratis subuenit, nescit preces expectare, sed velut egentis vaticinetur voluntatem, præuenit rogaturum : dubitat enim virum sit obsequium, quod elicuit precum vis, quod non accipiat improuidus, sed extorqueat importunus.* Ita ille. Vtinam in hoc Dei imitatores essemus, vt, sicut præuenit nos in benedictionibus dulcedini, sic nos præueniremus proximos in necessitatibus suis dulciter ac benignè.

Seneca. Seneca lib. 1. de benef. c. 1. *Qui tardè beneficium confert, diu noluit.* Ita ille. Hoc animaduertat qui pauperes diu clamare & expectare faciunt.

PROP. XXXVI. *Pauperi danda est eleemosyna, etiam quando non petit.*

Psal. 40. 2. BEatus, *qui intelligit super egenum, & pauperem*, &c. Cur non dixit? beatus qui tribuit eleemosynam pauperi, sed qui intelligit? *El que de aqui aculla, entiende el podre antes que le pida, que puede dezir ya te entiendo, lymosna quieres, toma antes que me la pidas.* Hunc beatificat hîc Dauid. Explicat optimè Augustinus locum hunc tom. 10. lib. 50. homil. 39. dicens : *Perfecta est misericordia, fratres charissimi, vt ante occurrat esurienti cibus, quam roget mendicus. Non enim est perfecta misericordia, quæ precibus extorquetur. Festina pietas succurrere, ne audias rogantem, ne quod debetur Domino, vendices tibi, sed imitare Deum tuum, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Ecce venit tibi pluuia, antequam roges, descendit vbertas nocte tibi, etiam dum sternis, &c. adhuc in lectos es, ex præcepto vigilat sol, excubant elementa, & te nesciente fructus oriuntur, tot bona mensium, dum nescimus, accipimus, & tantas opes comedimus, antequam rogemus; & tu homo panem modicum precibus vendis? Non rogauerunt quatuor millia Iesum in deserto septem panes, & paucos pisces, vt agmina innumera prauderent, quo prandio vicit vsura mensuram.* Colligite, *inquit, fragmenta, ne pereat, colligunturque* D *patem sportæ buccellarum, saturata sunt tot millia, & numeratum est, creuit, dum impenditur victus : sic eleemosyna si indigentibus erogetur. Magnum opus est eleemosyna, frater, vt faciat homo quod facit Deus.* Ita S. Augustinus. Ecce quid sit intelligere super egenum & pauperem : etenim licet hoc nihil aliud haberet, quàm similem reddere hominem Deo, satis superque esset, quantò magis cùm ad vsuram sit Deo dare.

PROP. XXXVII. *Eleemosyna danda est maximè senibus egentibus.*

BRufonius lib. 6. cap. 7. *Diogenes*, inquit, *percontatus quid esset in vita miserrimum, senex*, inquit, *egens, quidem vbi naturæ præsidia destituunt hominem, extraneis rebus fulcienda est ætatis imbecillitas.* Ita ille. Etenim quotiescunque senes, manuum labore, vel alijs fruiendo, vel propriis partes discurrendo, sibi opem ferre valent : at cùm pauper nihil horum præstare potest, quare cuiquam Christiana his præcipuè fauere debet.

PROP. XXXVIII. *Eleemosyna speciatim danda est pauperibus occultis & verecundis.*

SVnt qui pauperibus postulantibus eleemosynam præbent, bene : sed hæc oportet facere, & alia non omittere : quod Dauid ita explicat Psal. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* non ait, *Beatus*, qui eleemosynas facit, sed *qui intelligit super egenum & pauperem.* Quid sibi vult *intelligere*? S. Leo Papa serm. 4. de Collectis : *Ad intelligendum super egenum & pauperem sollicita benignitate laudandum est, vt quem modestia tegit & verecundia præuenire possimus : sunt enim qui palam poscere ea quæ egent, erubescunt, & malunt miseriâ tacitâ egestatis suæ quam publica petitione confundi. Intelligendi ergo isti sunt ab occulta necessitate releuandi, vt hoc ipso amplius gaudeamus cùm & paupertati eorum consultum fuerit, & pudori, liberandi propter hoc à damnatione perpetua.* Ita ille. Liberari enim in die mala, est liberari in die iudicij ab æterna morte, vti cum Sancto Leone sentiunt Sanctus Augustinus & Cassiodorus.

Rursus eodem versu. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*, &c. Quæro, quæso, est, *intelligere super egenum & pauperem*? non enim ait: *Beatus*, qui egeno & pauperi eleemosynam præbet, sed *qui intelligit super egenum & pauperem.* Huius glossa esse potest, quod S. Ambros. ait lib. 2. de Offic. cap. 26. *Videndus* (inquit) *est tibi pauper qui te non videt, requirendus ille qui videri erubescit, & lausus in carcere occurat tibi, ægrotus mentem tuam personet, qui autres non potest personare.* Ita S. Ambros. Similiter S. August. relatus à Glossa ordinaria in eodem Psal. 40. dicens : *Nota, qui intelligit, vt & non petentibus detur. Qui petenti dat, bene facit, qui verò tacentem intelligit, beatus est sine dubio.* Ita S. August. Ille igitur intelligit super egenum & pauperem, qui tacitus secum consulit, quo pacto viduæ pauperculæ absenti, vel puellæ in periculo animæ constitutæ, fauere possit, vel orphano, vel infirmo, vel denique ei qui ob verecundiam petere eleemosynam non audet, hic est qui intelligit super egenum & pauperem, quique ab Spiritu sancto beatus prædicatur. Quòd si scire cupis, qualis sit beatitudo ista, vide quid ait, *in die mala liberabit eum Dominus*, qualis est hæc dies mala? Sanctus Augustinus Cassiodor. & Glossa per diem malam diem iudicij intelligunt, propter damnationem plurimorum, vt sensus sit, hunc qui adeo misericors est, vt non solùm det, sed etiam intelligat super egenum, ita liberabit eum Dominus, vt dies iudicij non sit illi dies mala, sed bona; sic liberabit à die mala, quò quid fœlicius? quæ pecuniarum priuatio contraire valet tanto bono?

boño? que priuarse de hazienda puede hazer contrapeso a tanto peso de bien, como es libertad y salir bien del juizio de Dios? Hoc igitur lucratur, qui intelligit super egenum & pauperem.

Prop. XXXIX. *Qualis sit habenda intentio in largienda eleemosyna.*

SVnt qui eleemosynarum commoda audientes, etiam in hoc sæculo Deum eleemosynarios remunerare percipiant, & ob hanc temporariam remunerationem eleemosynam faciant: ad hos Sanctus Chrysost. hom. 7. de Pœnit. tom. 5. *Cum eleemosynam facis, hic quæris tibi rependi. Dimitte eleemosynam esse eleemosynam, & non negotiationem. Multi quidem & hic receperunt, sed non sic receperunt quasi plura his, qui non receperunt, haberent: & hi quidem infirmi receperunt, quoniam quidem ad cælestia non valde festinant, & sicut nebulones ad regalem vocati mensam, & idoneum non expectantes tempus, quasi parui pueri suam offendunt confessionem, prauenientes cibis ad crapulam repleti crassioribus. Sic & hic quidam mercedem quærunt, & eorum, quæ illic sunt, minorantur bona. Atqui fœnerator per moram desiderat, vt in maius crescat fœnus: & tu cito repetis, cum quidem hic nequaquam futurus sis, sed illæ perpetuò mansurus. At si quis tibi domum ædificauerit, quam non habiturus fores, id tacturam dueres. Tu homo vis hic discere, vnde ante vesperam sepenumerò profecturus es? Nescis nos in aliena terra versari, veluti incolæ, & peregrini transmigratores? Propterea quæcumque ædificauerimus, hic dimittemus, ne ergo in alienis ædifices, sed in tuis. Dic mihi, si quis tibi pronunciaret post annum casurum vrbem, num fortasse in casura vrbe ædificares? Id itaque nunc fac: nequaquam in hoc ædificemus mundo; cadet enim paulò post, & cuncta peribunt: quid dico cadet, ante ipsius casum perimus nos; quid in arena ædificamus? ædificemus si pra petram, quantumcumque impetus fiet, erit inconcussa talis ædificatio, & eam demoliri nihil poterit. Cum enim sæpenumerò terræ motus fiunt, intendit, & bellorum congressiones, nobis etiam viuentibus eripitur domus, sæpe antè & vna pereunt multa. quòd si & eadem perstiterit, morbus prauenient, aut citò transfert, aut manentes nequaquam ea vti commodè permittet. vbi enim voluptas, ibi morbi, & calamitæ, & insidiæ: aut si nihil horum, quandoque & alienis ipsa cum domo peruenit hæreditas, non modo nobis morientibus, sed etiam viuentibus. Quid ergo miseriùs, quam in id cum labore conari, quo mimice nobis mutis cum hæreditate succedant, & gaudeant laboribus tuis? Horum exempla in vrbibus plura videntur. eiusmodi enim humana sunt omnia. In cœlis vero nihil timendum est tale, neque vt morienti superueniat hostis, hæreditati succedat: non enim illic mors, non bonsidium. Tabernacula verò sanctorum solida sunt, & in sanctis illis exultatio, gaudium, & lætitia.* Vox enim, inquit, exultationis in tabernaculis iustorum. *æterna sunt tabernacula, finem non habentia, non possessores mutant, sed in continuo permanent vigore. non ibi architectorum cura: pauperum enim manus huiusmodi construunt domos, claudi, & ejurientes ædificant illas.* Ita S. Chrysost.

Prop. XL. *Quam contra rationem sit, pauperibus eleemosynam denegare.*

SAnct. Chrysost. hom. 11. ad Rom. *Certè nihilo meliori, sed deteriori conditione sumus, quam quæ ratione carent animalia: illis enim consanguineorum amore captis, naturæ communio satis est ad mutuum inter se affectum & amorem. Tu verò, cum vinculo naturæ infinitas causas cum habeas, te cum proximis constringentes, rationem, verbi gratia, quâ ornatus es, religionis consortium, pietatis conuenientiam, & plurimorum bonorum communionem; nihilominus tamen his brutis inhumanior effectus es, vt qui erga ratione carentia beneficus es, templa Dei in fame, & nuditate negligis perire.*

At dices, honoris, & gloriæ causâ id facio. Ob hoc certè tui fratris multò maiorem curam habere conueniebat, quàm equi: hoc enim vbi splendidior contexitur laurea, sin minus, contra te sexcentos accusatores comparabis. Quis enim non ex te obloquturus est? quis non te insimulet crudelitatis summæ, cum te videat brutæ proximis anteponere? Qui primum verbum Dei excepere, domus, & prædia venumdederunt, quo fratres emitterent; tu verò tum domos excipis, tum prædia interuertis, vt equum, vt vestes, vt parietes, vt pauimenta exornes, & quod grauius quidem est, hanc insaniam, non viri tantum, sed & fœminæ quoque insaniunt, quæ sanè maritos suos hos sumptus facere cogunt.

Sed dicunt: Et hæc & illa item fiunt. Quid ais? non te pudet proloqui hæc, vna cum equis, mulis, lectis, scabellis, ejurientem Christum annumerare, seu verius damnare, non cum his quidem illum, sed maiorem partem his sce; illi autem vix modicam impertiri? an nescis tui, tuarumque rerum omnium illum dominum esse? Tu si paruam domunculam certa pensione locaueris, pensionem seuerus, & rigidus exigis; creaturæ autem illius fructum percipiens, orbem tam vastum inhabitans, nec tantillum quidem mercedulæ pensitare sustines; sed inani gloriæ tum teipsum, tum tua omnia dedis? Ita Sanct. Chrysostomus.

P. Mimus.

Publius Mimus: *Qui succurrere perituro potest, cùm non succurrit, occidit.* Ita ille: licèt fide carens.

Idem Publius Mimus: *Bis inopi beneficium dat, qui celeriter dat: & minus decipitur, cui negatur celeriter.* Ita ille.

Prop. XLI. *Eleemosynam impediunt superflui sumptus.*

CVm de magnis, multisque eleemosynæ bonis agimus, diuites, & reliqui mundi magnates conuictos se esse confitentur, & eleemosynæ vtilitates sublimes, & maximi ponderis esse concedunt: sed hanc in suæ inhumanitatis excusationem prætendunt, se non posse necessitatibus statûs sui prouidere, si pauperum necessitatibus attenderint. Et quidem hanc vide mihi adhibuisse rationem diuitem illum Epulonem in Euangelio, cuius crudelitatem, & auaritiam sic accusat S. Petrus Chrysologus serm. 121. *Dines pauperem nec cadentibus de mensa micis pascit, & Lazarus pauper, quia aliud non habebat, etiam de carnibus suis, canibus humanus fuit. Miser dines, si panem non dedisti, quare vel abigere canes noluisti? sed mitiores te canes tui, imò tu semet canibus tuis: nam te sæuientes, illi parcunt, qui non ad morsum dentes, sed linguas ad obsequium protulerunt, vt in modum spongiæ non vexent vulnera, sed detergant. Canes lambendo semper curant vulnera sua; canes ergo curant pauperem magisterio naturæ, & homo negligit hominem, ipsa grauiter accusante natura, & quia, obturatis auribus, vocis tuæ nihil erat vox clamantis ad aperiendum cor diuitis, totum corpus pauperis vulneribus aperit, vt in admonendo dimite tot essent pauperis ora, quot vulnera: vt quem vox esurientis non moueret, dolores, gemitus, & tota æruminarum congeries commoueret. Sed dines superbo oculo, & insatiabili corde, hæc omnia videre, & audire, & sentire contemnit.* Ita S. Chrysologus, qui viuis coloribus huius diuitis crudelitatem depinxit. Excusare verò se illum video, & dicere, se in dignitate constitutum esse, & nobilitate generis ornatum, & ab omnibus habitum in honore, & ob hanc caussam se purpureo egere indumento, & splendidâ mensâ ad quotidianum victum, & pluribus famulis, & seruis ad famulatum suum, ac pretiosa supellectile ad ornatum domus suæ: sine his enim non potest decor, & honor status conseruari. Quòd si hæc habere necessarium est, impossibile quidem erit, pauperum necessitatibus subuenire. Huic rationi, & obiectioni sic respondet S. Augustinus epist. 70. quam ad Comitem quemdam primarium scripsit: *Tunc siminuntur illæ necessitates, cum simtæ fuerint istæ cupiditates.* quasi dicat: *Cortad vos por la vanidad, y haura sobrado para la charidad.* Sed rogo, quis magnates ad has redegit angustias? quis ad has induxit obligationes? dicent: mun-

dus: non quidem Deus, sed mundus inimicus Dei, & ex tribus inimicis animæ vnus; Deus autem contraria monet, vt scilicet moderatus sit fastus, & priùs vestiendos esse pauperes, quàm parietes, & priùs alendos esse pauperes, quàm sint superfluí serui, tollendam esse pulchram supellectilem, cùm pauperes egent, imò & de altari suo tollendos esse argenteos, & aureos calices, & pauperibus erogandos, cùm aliter illis subueniri non poteſt. Deus ex mensa sua vasa in honorem eius, & sacrificium altaribus dicata dari sic pauperibus iubet; & tu ex abaco tuo nullo modo tollenda dicis, quia hæc ad honorem ſtatus conuenientia sint? nùnquid honor tuus maior est, quàm Dei honor, & ſtatus tuus excellſior, quàm Dei? Attende, an in die mortis diuitis in Dei iudicio admiſſa fuerit talis excuſatio: *Mortuus, inquit, est* Luc. 16. 22. *dives, & sepultus est in inferno*; quòd ſi tu idem facis, quod nam aliud iudicium expectas?

Animaduertant igitur diuites, & magnates, quòd ſicut S. Chryſoſtomus aſſeruit, diuites Dei diſpenſatores ſunt, ab ipſo ſtatum, & diuitias habent; Deus autem non dedit eis diuitias, vt in vanitates, & inſanias falſas inſumerent eas, ſed vt pauperibus ſuccurrerent, & pijs operibus vacarent. Quòd ſi mundus aliter eis iniungit, videant ipſi, cui magis parendum ſit, Deo, an mundo? Frange eſurienti panem tuum, ait Dominus; at mundus: Frange alijs diuitibus, & ſuperfluis famulis tuis, ſeu potiùs epulare tu, & in mensa tua integrum conſume panem tuum, elige tu modò, quod tibi libet; ſed Luc. 16. memento, dictum eſſe villico: *redde rationem villicationis tuæ.*

Prop. XLII. *Exhibitio eleemosynæ, probatio est veræ charitatis.*

Gen. 44. 2. GEneſ. 44. Præcepit Ioſeph diſpenſatori domus ſuæ, dicens: *Pone scyphum meum argenteum in ore sacci iuniori* (id est Beniamin) &c. cur in tantam animi anguſtiam redegit Ioſeph fratrem ſuum Benjamin, quem inter omnes fratres maximè diligebat; cùm etiam id moleſtiſſimum patri ſuo agnoſceret futurum? Theodor. Reſpondet Theod. q. 205. in Geneſ. *Ioseph experiri volens animum fratrum suorum, & liquido noſſe an Benjamin iniuriam paſſum defenderent, ob id in eius saccum scyphum abscondit. At vbi non tantùm patrocinari, ſed & pro eo certare illos perſpexit, perſona eius qui imperaret depoſita, fraternum vultum exhibuit, & fratres trepidantes bono animo esse iuſsit.* Ita Theodor. Ecce igitur qualiter in neceſſitatibus, alijs ſubuenire fraternæ dilectionis ſignum ſit. Vnde 1 Ioan. 3. 17. Apoſt. Ioannes 1. Ioan. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei non diligamus verbo, neque linguâ, ſed opere & veritate.*

Prop. XLIII. *Ex defectu charitatis prouenit defectus eleemosynæ.*

SVnt qui eleemoſynam dare ſe poſſe negant, quia intra ianuas ſuas ſe ſatis habere dicant, cui ſuas opes applicare debeant, nec poſſe ſuis, & alienis ſubuenire neceſſitatibus. Audi: Apoc. 1. vidit Chriſtum Dominum Ioannes præcinctum ad mamillas zonâ aureâ. Cur ad mammillas, cum cingulum nô ad mammillas, ſed ad renes ſoleat apponi? Attende huius zonæ qualitatem, aurea erat, aurum autem charitatem importat. Erat igitur Chriſtus charitate circa pectus, hoc eſt, circa cor, præcinctus, quia cor eius charitate plenum erat, & tali charitate præcinctus. Cur præcinctus eſt Chriſtus, exemplar noſtrum? Ipſius vox eſt: *Exemplum dedit*, &c. Hoc igitur ſignificare hic voluit, ſi nos charitas, ſi cor circumdederit, præcinctí crimus circa veſtes, & res omnes noſtras; ita vt alijs benefacere, & ſubuenire poſ- A ſimus. Sunt qui opes etiam multas, & magnas in rebus ſuperfluis conſumant, in cibis, in vaſis argenteis, & aureis, in alijs ſupellectilibus pretioſis, in ſplendore, in multitudine famulorum, hi diſcincti ambulent, præcingant ſumptus ſuperfluos, & ſic illis nunquam de eſt, quod pauperibus valeant erogare, hoc efficient, ſi animam auream habuerint. *Charitas* enim *benigna* in proximos est, & *non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Iesu Chriſti*, &c. *Cuenta los gastos con charidad, y piedad de las necesidades agenas, no faltarà para pobres, y ſino ſe cinuen, ſeràn gastos ſuperfluos esſe cinto de oro.*

Sanct. Chryſoſt. hom. 37. ad populum: *Cum hæc diligat Dominus, multam præceptis ſuis inmiſcuit legislationem, vt non ſolùm ex præcepto, verum & ex propria voluntate omnia faciamus. Poterat enim, niſi hoc voluiſſet, præcepta non condere, & dicere: Qui non ſemper tentat, punitur. Nunc autem tentatem non ſeruat, in eum animadvertit, qui præcepta non exuit omnia, ſupremam exſoluat pœnam. Sed non ſic fecit, ſed ſi velis, largitatem exhibendi tibi præbens occaſionem, cùm ageret de virginitate, dicebat: Qui poteſt capere capiat, & ad diuitem non dixit abſolutè: Vende quæ habes. Si vis perfectus eſſe, vade vende quæ habes, & da pauperibus. Nos autem non largitatem præſentem, ne quidem illa transcendimus, verùm & a teſtorum mentula abſtinemus multum. Dicimus enim: rodat tineas & non conſumat pauperum ſumat vermis, & nudus non induatur omni a tempore commantur, & Chriſtus non paſcatur, licet eiuriat. At, mi quis hoc dixit? Hoc eſt autem valde malum, quòd non volo, ſed oper bus iſta dicuntur. Nonne quotidie iſta proclamat humana, & tyrannica vanitas capt.uis ſuis? dat leonibus, & inſidiatoribus non autem eſurientibus nemine indigentibus, alimentum. Quis igitur furor iſte? furoren me, & manifeſta dementia, veſtibus qu. dem aras parari; ad Dei veritatem imaginem, nudum, & trementem præ gelu, & vix ſtantem, negligere.* Ita S. Chryſoſt.

Prop. XLIV. *Quòd iuſtus sit potiùs dandum eleemoſyna.*

C

SAnctus Ambroſ. 1. Offic. cap. 30. *Etſi omnibus debetur miſericordia, amplius tamen iuſto.* Ita ille. Quò quantò melior eſt perſona recipientis, tanto Deo gratior eſt miſericordia dantis. Vnde Chriſtus: *Qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet.*

Prop. XLV. *Eccleſiaſtici maximè tenentur eleemoſynas facere.*

D

MAtth. 14. 16. *Date vos illi manducare.* Ita Chriſtus diſcipulis ſuis: vnde multiplicatum panem, & multiplicatos piſces per manus ſuorum Apoſtolorum eſurientibus præbuit, vt ſacerdotium nouerit, munus eorum eſſe pauperibus eleemoſynas dare.

Mos Eccleſiaſticus eſt, Epiſcopum in altari ſacra induere veſtimenta, ſerica, pretioſa & gemmis diſtincta, ſed in eodem altari Epiſcopus veſtimenta illa Eccleſiaſtica deponit, quo ſignificatur, Eccleſiaſticos, & maximè Epiſcopos, in eadem Eccleſia, hoc eſt, ad ſumptus pios, & elcemoſynas, reditus ſuos debere impendere, non ad ditandos conſanguineos, vel amicos, vel ad luxum mundanum, &c. nam patrimonium crucifixi ſunt, & non patrimonium ſuorum parentum, &c.

Cùm igitur miniſtri Chriſti ſint, Chriſtum habeant imitari debent, qui pro nobis egenus factus eſt, vt nos eius inopiâ diuites eſſemus, & non ſolùm noſtri causâ diuitias mundi contempſit, verùm etiam omnem pro nobis ſanguinem fudit: ita vt lanceam illam admiſerit in cruce, quâ latus eius vulneratum ſanguinem reddidit, & aquam; quaſi diceret: hæc iuxta cor meum ſolùm remanſerant, ſed ne aliquid ſanguinis apud me ſit, quod

quod non pro vobis effundatur, extrahat lancea, quod flagella, & spinæ, & clavi reliquerunt in corpore meo. Quid igitur magnum si Christi imitatores pro redemptis à Christo omne patrimonium Ecclesiasticum in pauperes Christi distribuant?

37. Consiliū inierunt Pontifices tēpli, qua in re pecunias illas, quas Iudas exhiberat, expendere oporteret, &, consilio inito, decreuerunt non esse pecuniam illam in vsus proprios expendendam, sed in pauperum vtilitatem, quia (inquiunt) pretium sanguinis est, sanguinis scil. Christi. Reditus Ecclesiastici, decimæ, & oblationes, & huiusmodi alia, pretia sunt sanguinis Christi: sanguine quippe Christus emit Ecclesiæ sponsæ suæ quicquid habet: qui ergo in prophanos vsus expenderit ea, peior est Scribis & Pharisæis hac in parte.

In hoc stomachus ab splene differt, quòd ad se alimentum sic trahit, vtà reliquis membris ea subripiat, & sæpe in malum suum tumefit, *epulasse con ello*: stomachus autem fideliter sibi commendata distribuit, solùmque sibi sumit, ex quibus ad propriam sustentationem egent Ecclesiastici ergo, & reipublicæ capita, non sibi quæ illis dantur, retineant, sicut splen; sed sicut stomachus, retenta sibi necessaria portione, reliqua debent fideliter reliquis Ecclesiæ membris egentibus dare.

Hinc Apostolus Paulus non solùm superfluum quidquam sibi reseruauit, verùm etiam ab aliis, quod posset pauperibus tribuere, inquirebat. *De collectu*, inquit, *quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui Ecclesiis Galatiæ; ita & vos facite. Per vnam sabbati vnusquisque vestrum apud se reponat, recondens quod ei bene placuerit, vt non cum venero tunc collecta fiant.* Imitamini hinc Christi sacerdotem à sacerdotes, non enim vocauit vos Deus in solos cantores, sed etiam in pauperum fautores, & protectores: succurrite viduis, orphanis, infirmis, & reliquis egestate oppressis, &c.

C

Prop. XLVI. *Ditiores tenentur copiosiùs eleemosynas dare.*

CVm omnibus pauperibus fauere teneamur, manifestum est, quod secundùm quantitatem substantiæ & diuitiarum teneatur vnusquisque pauperibus fauere, secundum illud Iobiæ ad filium suum: *Quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertire: præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis*: quia Dies necessitatis, est dies mortis: mors enim ab omnibus bonis mundi hominem spoliat, quamuis rex ille sit. Quæ autem maior necessitas, quàm omnibus his bonis carere si merita desint. Dicat hoc diues ille auarus, qui quotidie epulabatur splendidè; post mortem verò in tantam necessitatem deuenit, quòd neque guttam aquæ inuenire valuit. Remedium tantæ necessitatis eleemosyna est; hæc enim hîc pauperibus data, ibi thesaurus dantis est, ait ergo Tobias, dandam esse eleemosynam pro quantitate mediorum.

Sed dices, licèt diues ego sim, status mei ratio requirit maiores sumptus, & ob id maiores eleemosynas dare non possum, quàm qui minùs habent: nam hi minores obligationes habent, &c.

Si Deus vobis, ô mundani, huiusmodi obligationes imposuisset, excusationem haberetis; nùc autem dicite, quis vos in huiusmodi angustias redegit? Fateor quidem statuum celsitudinem minuere possibilitatem eleemosynas tribuendi, vti Alexander Quintus dicere solebat: Ego cùm simplex Episcopus eram, diues eram; cum verò factus fui Cardinalis, pauper eram: cùm autem ad summi Pontificatus dignitatem assumptus fui, egenus & mendicus factus sum. Equidem Pontificem hunc Ecclesiæ necessitates in hanc paupertatis statum

A redegerant: at principes sæculares, & magnates mundi, vanitas ad superfluos, & excessiuos sumptus deuincit, non Deus. Quod melius sic explicabo: Holofernes Bethuliam obsidens. *& per gyrum circuiens ciuitatem, reperit, quòd fons, qui influebat, aquæductum illorum a parte australi extra ciuitatem dirigeres, & incidi præcepit aquæductum.* Iudith. 7. Ita narrat sacra historia: quo factum est, vt aqua per campos illos deflueret inutiliter, & ciuitas, cui aqua illa necessaria erat, siti periret, *ibase el agua diuertida por aquellos baldios, y los de la ciudad pereçian de sed.* sic de diuitijs modò dicendum est: nam tartareus Holofernes, qui semper nos circuit, quærens quem deuoret, per inutilia diuerticula vanitatum mundi bona hæc dirigit, & pauperes, ad quos Deus hæc deriuari volebat, pereunt fame. *Gastanse los grueſſos mayorazgos en muchedumbre de pajes, y criados, y com dias y alajas y pajas de vanidades del mundo, porayse de esaguan las grueſſas rentas, y los pobres se quedan manaçios, y muertos de hambre.*

B Quòd alia similitudine explicari potest: est iuxta decursus aquarum vlmus magna, & excelsa plantata, quæ plures radices & ramos habet, & truncum eximium, si quæris fructum, nullum inuenies, *es pedir pejas ad olmo.* Est præterea in horto arbor exiguæ quantitatis, quæ vix hominis staturam excedit, quæ tamen plurima poma profert, *vn enano, que tiene mas mançanas que hojas.* Quid igitur est quod vlmus ingentis magnitudinis nullum fructum affert, cùm arbor altera exigua onusta pomis euadat? Ratio in promptu est, quia vlmus quod è terra sumit (sumit autem tot radicibus multum) illud in truncum, & radices, & ramos, & folia transmittit: parua autem illa, non in hæc, sed in fructus suaues. Sic in mundo contingit: videmus hominem diuitem, excelsum, qui bona plurima radicalia possidet, & diuitias plures, qui tamen nullum pietatis, & misericordiæ fructum profert; cùm tamen artifex quidam pauper, qui nihil aliud habet quàm quod ex labore manuum suarum lucratur, omnibus petentibus eleemosynam libenter tribuit secundùm possibilitatem suam. ratio autem est, quia diues in ea quæ suprà diximus, diuitias insumit. *En echarmas y mas raizes en el mudo, en engordar el tronco de su linaje, en ramas, y pleghe a Dios, no sea en ramaras, en ciuaraças al finde vanidades y profanidades del mundo, y asi no le queda nada para Dios, ni para sus pobres, que el mundo se lo lleue todo con la maldicion, &c.*

C Licèt eleemosynarum elargitio ad omnes pertineat, vt scilicet, pro modulo suo vnusquisque faueat indigenti, iuxta consilium quod Tobias dedit filio suo, dicens: *Quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum impertire fiude, præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.* Ita ille. Quod Christus Dominus confirmauit, cùm sic ad discipulos suos ait: *Quisquis dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis, Amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Non ait, si dederit vitulum, sicut Abraham, aut intra hospitium receperit, vt Loth, sed potum aquæ: quasi dicat, si dederit quod est minus, in cœli gloria recipiet quid maius. Ita est. Sed tamen diuites sunt, qui præcipuè dare pauperibus tenentur, quia id præstare meliùs possunt, & ad hoc diuites eos Deus fecit, vt eorum abundantia suppleat inopiam indigentium. Sed, proh dolor, quàm exigua est, aut ferè nulla in pauperes misericordia! & quàm pauci sunt, qui de subueniendo inopi aliquo modo curent? sed cùm vnius tantùm diuitiæ ad pluribus auxiliandum pauperibus satis essent, maulit tamen ille eas in equis, canibus venaticis, ludis, supellectilibus, pretiosis vestibus, lautis epulis, sumptuosisque ædificijs, quàm in pauperum inopia subleuanda consumere, &, cùm aliqui valdè sint solliciti, vt domestici canes cibo, potuque satientur, nihil omnino curant de egenis cibandis, licèt illi fame premantur, & ad vitæ exitium per inopiam pænè perueniant. Cùm etiam parietes pretiosis sericis

tapetibus ornatos habeant, patiuntur tamen Christi A pauperes frigore, & nuditate confici, & cùm eos nudos omnino, aut certè cultu valde tenui, attritaque veste indutos conspiciunt, oculos auertunt & veluti abominantur eos. Vehementer Deus succenset huiusmodi hominibus ab humanitate, & misericordia alienis. Ammonitis, & Moabitis interdici iubet sacris : cuius rei causam idem Deus explicuit dicens: *Ammonites & Moabites, etiam post decimam generationem, non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum, quia noluerunt vobis occurrere cum pane, & aqua, quando egressi estis de AEgypto, & quia conduxerunt contra te Balaam, &c.* In omnem æternitatem prohibet Deus suo domicilio, & perpetuo à suo conspectu excludit, ac submouet, priuatque potestate ingrediendi Ecclesiam Domini illos, qui nolucrunt egenis auxiliari. Solet Deus Optim. Maximus iniquis, & flagitiosis potestatem concedere adeundi suam domum, vt veniam impetrent peccatorum ; ijs autem qui misericordiam in pauperes non exercent, aditum omnino interclusit. *Deut.* 23. 3.

Nota est impietas Nabal Carmeli erga Dauidem, qui à Saule vexatus, premebatur fame, & à Nabal Carmelo satiari petijt, qui dixit : *Quis est Dauid ? & quis est filius Isai ? hodie increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos, &c.* & ita nec panem quidem misit Dauidi : quapropter adeo iratus est illi Deus, vt, sacra historia testante, cùm pertransissent decem dies, percusserit Dominus Nabal, & mortuus fuerit. Nónne satis erat clementissimè Deus, eum eadem pœna plectere, quam peccatum ipsum mereri videbatur ? Si inhumanitatis, & inclementiæ scelere adstrictus est, inhumaniter cum illo agatur, & de victu, ac facultatibus eius aliquid detrahatur, siquidem victum Dauidi negauit : sed alio maiori supplicio, morte scilicet iustissimus Deus puniuit virum illum. Tantò enim odio prosequitur crudelitatem, feritatemque naturæ erga proximos, vt, quamuis Nabalis vxor viri immanitatem non ferens, cibaria abundè Dauidi suppeditauerit ; Nabalem nihilominus ob tantam in regem animi accrbitatem interfecerit, & decem illis diebus, quibus hoc mortis supplicium protractum est, Nabalis cor graui, acerboque dolore laborauit, &, vt Rabbi Salomon inquit, tot diebus elanguit quasi mortuus, eò quòd decem iuuenes missos à Dauide confuderat. Ita diri & inhumani homines à Deo puniuntur. *1. Reg.* 25. 10.

Acerbè, ac vehementer inuehitur Amos in decem tribus Israel, quibus hæc scribit : *Væ qui opulenti estis in Sion, & confidetis in monte Samariæ : optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel, qui separati estis in diem malum.* Sed cur hoc ? *Qui comeditis agnum de grege, & vitulos, de medio armenti, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento deliburi, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Id est, non tribuunt misericordiam fratribus suis egenis, & afflictis. Hoc erat, quod Deo maximè displicebat, & ob id minacibus verbis insectatus est decem tribus ; quòd cùm sibi lautis epulis indulgerent, de victu, licèt tenui, pauperibus exhibendo, nihil curabant. quod cùm nostra hac tempestate diuitibus etiam eueniat, metuendum similiter est idem supplicium, & diuina iracundia, ac vindicta potiori iure pertimescendas. Si enim olim sic exarsit, & conquestus est Deus, eò quòd optimates Israelis agnis, ac vitulis pinguibus vescerentur ; egenis verò nihil distribuerent ; quid de nostri temporis primarijs dicemus, qui agnis, ac vitulis minimè contenti, amplissimas diuitias in suauissimis cibis, exquisitissimisque epulis condiendis & vorandis, consumunt, ac dicunt, nihil supcresse pauperibus erogandum ? Si ille, qui agnum solum vescitur, nihil inopi impertiendo, iustè puniendus est à Deo, quo afficitur supplicio, qui cùm opiparè, lauteque epuletur, nec frustum quidem panis, quo venatici canes abundant, egenis clargitur ? *Amos* 6. 1.

Quòd si quis dicat, Deum quondam se præbuisse asperum, & rigidum in lege illa rigoris plena, iam verò non ita asperè, & seuerè inclementes punire ; meminerit Lazari, & diuitis sententiam, quæ sic se habet, *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Damnatus tamen est ille diues his solùm de causis, quòd cùm ipse purpurâ se indueret, splendideque epularetur, Lazaro in squalore, egestateque iacenti, nihil, etiam rogatus, elargitus est, & cùm ille lachrymis, submissisque precibus postularet de micis, quæ cadebant de mensa, nemo illi dabat, vt facer refert Euangelista. In historiam D. Gregorius ait : *Nonnulli existimant prauitatem Veteris testamenti districtiorem esse quam nouæ, sed hi minus improuida consideratione falluntur : in illo enim, non tenacius, sed rapina multatur, ibi res iniustè sublata quadruplo restitutione punitur ; hîc autem diues iste non absque iusto iudicio reprehenditur, sed propria non dedisse. Hoc fuit, quod Dominus per semetipsum tradidit, quia in sua fœlicitate timidus non fuit, accepta dona ad vsum arrogantiæ inflexit, quia vicinæ paupertatis ignorauit, quia peccata sua redimere, etiam cum posset, distulit.* Hactenus Gregorius. Circa quæ verba attentè considerandum est, quòd, quemadmodum in lege gratiæ, quæ lex amoris est, potiori iure pietas, charitas, & misericordia exigitur ; ita crudelitas & inhumanitas in proximos grauiori supplicio vindicata sit. Non enim tantùm mirandum est in lege timoris homines amore, & benignitate mutua caruisse, quantùm in nostra lege, quæ clementiam, & amorem erga suis professoribus commendat. Sicut insæcularibus animi submissionem requiri non adeo mirum est, ac in religiosis, qui humilitatem, & abiectionem professi sunt. Si ergo Deus tam asperè, & seuerè minabatur quondam, tantoque supplicio afficiebat eos, qui diros, & immanes erga proximos indigentes se præbebant, quid fiet modò illis hominibus, qui, vt ditiores sint, & ipsis indulgeant, nihil opis, vel subsidij ad egenorum inopiam subleuandam conferunt ? *Luc.* 16. A B C

Hinc etiam præclarè D. Chrysostomus lib. 4 de Proverb. in fine, expendit supplicium illud à rege iniusti & iniquo seruo, suffocanti suum conseruum, eò quòd debitum non solueret. *Videte,* inquit Chrysostomus, *fratres, mihi inter dicendum venit in mentem hæc cogitatio, vt non solum cupiditas alieni, & bonorum ereptio, verum etiam vecordia misericordiæ, gehenna nobis causa fit. Hic enim, non quòd aliena iniustè acceperit, torturibus tradebatur, nam deliberatorem fuisse illum Scriptura commemorat. At verò, cum Christus Dominus ait, condemnandos esse improbos in nouissimo die, eò quòd victum cultumque pauperibus non dederint, non solum loquitur cum Mosaica legis cultoribus, sed nobiscum etiam, nosque præcipuè admonet, sine clementia nobiscum esse agendum, nisi egenis benignos, & clementes nos ipsos præbuimus. Sancita enim est, & indicta lex ab Apostolo,* iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam ; *Misericordi verò promissa est misericordia à Deo :* Beati, inquit, misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Et sicut faciendum, & pertimescendum est iudicium sine misericordia, ita amplectendum & inquirendum illud, in quo Dei clementia lucet, ac splendet.* D *Matth.* 5. 7.

Dices : Cur Deus pauperibus, sicut & diuitibus necessaria vitæ non tribuit, cùm eius sit, qui creauit creaturis suis necessaria, prouidere. Hac similitudine respondebo : solet rex decretarum pecuniarum diploma suo sigillo signatum alicui dare, vt in tali ciuitate de tributis regijs ei tantum, vel tantum persoluatur : si regis ministri, qui super tributa sunt, id persoluere nolint, non regis culpa est, sed nequitia ministrorum. Sic Deus pauperibus, eleemosynas super diuitum diuitias constignauit, vt scilicet Episcopus, & Canonicus, & reliqui Ecclesiastici, qui patrimonium crucifixi possident, pauperibus liberaliter eleemosynas tribuant, & alijs diuitibus, & principibus ex diuitijs suis : qui si nolint, non Dei culpa, sed eorum malitia est in causa, quòd pau- *Simile.*

peres

peres famem patiantur. Vnde ; *Patientia pauperum non perdita in finem*, sed diuites ipsi graues pœnas dabunt.

Stomachus recipit omnia alimenta, non vt sibi soli retineat, sed vt cæteris distribuat membris, ne corpus pereat : vnde natura sic ordinante, etiam pedibus ipsis succurrit. Sint quidem pauperes pedes corporis reipublicæ, sint infra pedes locati : sint item diuites stomachi reipublicæ, qui diuitias, quibus homines aluntur, recipiant, non quidem Deus illas, vt sibi soli retineant, dedit, sed vt alijs, qui cibo necessario carent, prouideant. Vnde, sicut si stomachus sibi alimenta omnia reseruaret, cætera corporis membra ei maledicerent, quia sibi à Deo consignata suffurareturur; sic non mirum, quòd diuitibus maledicant cæteri conciues, si diuitias & alimenta sibi absecondant. Vnde Prouerb. 11. *Qui abscondit alimenta maledicetur in populis* ; ei verò, qui proximis sauet, omnes benedicunt, & benè precantur. Et præterea si stomachus sibi cibos retineret, non solùm alijs membris, verùm etiam sibi ipsi noceret, *epilar se ya con tanto manjar*: sic diues qui diuitias sibi congerit soli, non solùm alijs, sed sibi quoque erit nocumento, ob crimen scilicet auaritiæ.

Solent nonnulli se excusare ab eleemosynarum largitione, quòd hoc munus diuitum sit. Illum, inquiunt, oportet dare pauperibus, qui diuitijs abundat, me Deus pauperem, non diuitem fecit. Cur, quæso, te pauperem fecisse Deum existimas ? dicam, quod fortè miraberis : te Deus non ita diuitem fecit, vt meliùs eleemosynam dares, non me huius auctorem facio, audi Chrysostom. tom. 1. serm. Virtutibus progenitorum ne confidamus, &c. *Neque opulentus* (inquit) *efferatur, quòd multis, neque pauper animo concidat, quòd paucis quempiam Deus donet : siquidem pauper locupletem largitionibus plerumque excesit, neque ex modicis facultatibus miserum se existimet, aut infœlicem : solent enim res parua facere nos ad stipem erogandam promptiores. Multiplex verò, & abundans possessio, & bonorum fortunæ differentia ; & vera familiarem augendi immoderata libido, homines faciunt tenaciores, cuius dissidentiæ, & cupiditatis tyrannidem liberam, qui possidet pauca, ita vt plures ei ad bene agendum occasiones efferantur : nam & carcerem adhibet facilius, & valetudine affectos remisit, & cyathum porriget aquæ frigidæ, quæ proculdubio diues facere dedignabitur, vtpote qui præ diuitijs intumescat.* Ita Sanctus Chrysostomus.

Adde, quòd diuites vanitatibus suis faueãt, plura eis concedunt : superbiæ enim multis eget opibus : multas enim consumit, & consumpsit, & amplissima dilapidauit patrimonia. Vbi denique multæ diuitiæ, multi qui commendant eas; hinc in pauperes inhumanitas.

Videbis vlmum in cœlum ferè ascendentem; habentemque truncum magnum, ramos plurimos, folia innumera, & fructum nullum, quamuis sit iuxta fluenta plantata : videbis & pomum arborem exiguam non ita irrigatam, pomis tamen suauissimis refertam. quid hoc ? vlmus tam ingens, & crassa è terra plurimum succum sumens, nullum fructum adfert, sed omnia in truncum, ramos, & folia se profert; & arbor illa pomifera, cùm tam exigua sit, tot mittit & optima poma ! imò quia in poma se diffudit, non truncum, & folia dilatat, sicut vlmus. Sic nimirum diuites, quia omnes, quas è terra diuitias sumunt, in parasitos, in ramos (*o en rameras*) in equos, in pellectilia, famulos, currus, cõuiuia, &c. insumunt; ideo ad electosynas, & onera pia, quæ fructus optimi sunt, nihil habent.

Idem inter flumina videbis multa, quæ copiam maximam aquarum deferunt, qualia sunt Tagus, Duerius, Iberus, &c. quæ cùm per aridas terras pertranseant, non solùm non illis communicant fluenta sua, verùm fontes, & torrentes omnes, quos ibi reperiunt, absumunt, & secum in mare ferunt, cùm mare non indigeat. Sic sunt quamplurimi diuites in mundo, qui cùm maximam diuitiarum habeant copiam, intra ripas suas continent omnia, nec indigentibus, & arescentibus pauperibus quicquam communicare velint, sed in marc aliorum diuitum post mortem suam relinquenda bona sua conseruant: &, dum modò vanitatibus eius seruire studeant, nihil Deo, & pauperibus communicare volunt. Fœlicior igitur, qui mediocritate potitus, faciliùs se à mundo, & eius legibus, & vanitatibus liberans, Christo, & pauperibus Christi, sua communicare valet. Attende ô diues, quàm tibi inutile sit hæredibus, qui possessionibus & diuitijs abundant, relinquere diuitias tuas, vt in similibus etiam vanitatibus consumant illa, quibus tu inutiliter vacas : hoc enim est proijcere aquam in mare.

Qui liquorem aliquem seruare intendit, non illum in vas simile plenum liquore mittet, sed in illud, quod vacuum sit; alioquin inutiliter defluet in terram, & peribit. Vnde propheta Eliæus 4. Reg. 4. viduæ consuluit, vt oleum in vasa vacua colligeret, quo creditoribus satisfacere posset. Habes Deum creditorem, & fortè ei debes decem millia talentorum, quis debita Deo nouit ? in libro rationum Deo scripta, & clausa sunt omnia; quousque in iudicio aperiantur libri, &c. Oleum nunc misericordiæ habes, collige vasa vacua omnia, quæcumque possis, & mitte oleum misericordiæ in huiusmodi vasa, & viues, & debita solues, &c.

S. Chrysost. hom. 2. ad popul. *Omnia cum largitate dat Deus, quæ sunt pecunijs multò magis necessaria, vt aerem, aquam, ignem, solem; omnia tala communia sunt, & non licet dicere, quòd magis splendore solis diues, quàm pauper fruatur ; non licet dicere, quòd copiosiorem aërem vesperet dives, quàm pauper, sed cuncta communia, cuncta paria sunt. Quare igitur maiora quidem, & magis necessaria, & vitam nostram continentia, communia fecit Deus; minora vero, & vilitora (pecunias dico) non sunt communia ? vt scilicet vita nostra conseruetur, & virtutis studia habeamus. Si enim quæ necessaria sunt, communia non essent, sorte diuites solitã auaritiã pauperes suffocassent : si enim in diuitijs faciunt hoc, multò magis in illis fecissent. Rursus si pecuniæ communes essent, & similiter omnibus propositæ, eleemosynæ occasio sublata esset, & opportunitas charitatis. Vt igitur securi viuamus, communes factæ sunt nobis causæ vitæ, & vt habeamus coronarum, & bonarum actionum occasionem, non communes pecuniæ factæ sunt, & vt auaritiam exosi, & iustitiam sectantes nostra indigentibus erogantes, aliquod peccatorum nostrorum remedium fic capiamus.* Ita S. Chrysost.

Idem Sanct. Chrysost. hom. 34. ad popul. *Tuarum pecuniarum, ô homo, es dispensator, & ni pauperem tibi data sunt alimentum, & hæc bona à te concessit, vt dares illis escam in tempore opportuno, sicut tu conseruo tuo bona tua dispensanda dedisti. Propterea quoque, cùm auferre posset, ea tibi dimisit, vt exhibendæ virtutis occasionem habeas, vt alterum alterius indigentem constituens, mutuam charitatem redderet feruentiorem. Res igitur pauperum tibi creditæ sunt, siue ex laboribus iustis, siue ex paterna hæreditate possideas. Vnde considera, quomodo in parabolis, suis pecunijs non rectè vtentes punit : neque enim virgines alienа rapuerant, sed propria non dederunt; neque qui talentum in terram defodit, iniustum vsum sibi vendicauit, sed quia non geminauit; neque despicientes esurientem, quòd aliena rapuerint, pununtur ; sed quoniam sua non distribuerunt, sicut & hic seruus. Audiat qui ventri indulget ; tibi, ô homo, Deus hæc tradidit bona, vt cœlum lucrari posses, ergo benignitatis excessum, ne facias ingratitudinis materiam.* Ita Sanct. Chrysost. *Chrysost.* *Matt. 25.*

Ad Rom. 1. *Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* Loquitur ibi Apostolus de prædicatione & doctrina Euangelij. Quærit S. Anselm. ibi, dicens: Quomodo his omnibus est debitor, qui nihil ab eis accepit ? Respondet idem sanctus : *Quia per gratiam Sancti Spiritus ei datum est, vt omnium ipsorum linguis loqui nosset.* Ita ille. Ita etiam ego de diuitijs dico, copia diuitiarum non datur à Deo diuitibus, vt in superfluam ædificiorum, *Rom. 1. 14.* *S. Anselm.*

ciorum constructionem, vel nimiam & pretiosam supellectilem, vel in conuiuia opipara insumant; sed vt habeant quo pauperibus succurrere possint; quapropter pauperibus debitores sunt, quamuis ab eis nihil acceperint, & qui debitum hoc non persoluerint, tanquam fures à Deo reputabuntur, & punientur secundùm pauperum indigentiam.

Matt. 25. 42. Matth. 25. *Esuriui* (dicit Iudex diuinus) *& non dedistis mihi manducare*, &c. Cur tam specialiter rationem exiget operum misericordiæ? etenim de omnibus exiget Deus rationem, sed ita specificam operum misericordiæ assignauit, vt diuites vrgeat, quasi de culpa immisericordiæ solùm iudicandi essent. Vnde Sanctus Basilius hom. 7. *Quid ô miser auare respondebis iudici, cùm tibi obyciet: Parietes vestis, & hominem non vestis? Equos phaleris ornas, & fratrem tuum laceris amictum pannis aspernaris? frumentum retinendo perdis, & esurientes non reficis?* Ita S. Basil.

Matth. 21. *Reuertens* Christus *in ciuitatem esuriit, & videns sici arborem vnam secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea nisi folia tantùm, & ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuò ficulnea. Et videntes discipuli, mirati sunt dicentes: Quomodo continuò aruit?* Cur, quæso, mirati sunt? Numquid non quotidie eiusmodi aut maiora à Christo Domino miracula patrata conspexerant? Inde fortè magis admiratio orta, quòd non esset tunc tempus ficorum, vti S. Marcus Euangelista dicit, *nihil inuenit præter folia, non erat enim tempus ficorũ.* Cur ergo eam Dominus maledixit? S. Leo Papa sic respondet serm. 7. de Ieiunio: Præter illam Apostolicam sententiam, quâ homines fructu carentes pietatis vacuis arboribus comparantur, etiam ficus illa nobis cauenda est ob suæ infœcunditatis exemplum, quàm Dominus Iesus nihil habentem, quod esuriens sumeret, perpetua sterilitate damnauit, vt intelligeremus, quoniam qui esurientem non refouet egenum, illi denegat cibum, qui quod pauperi est datum, sibi dixit impensum. Et huius maledictionis arbores erunt, quibus à iudicante dicetur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, quem præparauit Pater meus diabolo & Angelis eius: esuriui enim & non dedistis mihi manducare, sitiui & non dedistis mihi bibere*, &c. Quæ etiam recoluntur, vt aduertamus non futurum extra misericordiam, qui vel partem horum operum fuerit exequutus. Ita ille.

Prop. XLVII. *Quòd liberalius pauperes eleemosynas factant quàm diuites.*

Luc 16. 20. NOtissima est historia diuitis auari & Lazari Luc. 16. *Iacebat Lazarus ad ianuam diuitis vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat.* O diues crudelis! ipse quotidie splendidè epulabatur, & pauperi infirmo valde & extremè indigenti, nec micas è mensa cadentes, dare volebat. Ecce frequentem consuetudinem mundi: homines de media plebe, qui diuites non sunt, & qui in sudore vultus sui vescuntur pane suo, petentibus eleemosynam meliùs exhibent illam, quàm qui diuites sunt. Similitudinem aptam audi: videas secus decursus aquarum vlmos ingentes, magnas in terra mittentes radices, & truncum altum & latum, ramosque quamplurimos, & folia sine numero, quære fructum & non inuenies. *Es pedir peras al olmo.* Videbis autem in horto arbores exiguas, quas *enanos* vocamus, plura poma quàm folia ferentes. Quid hoc? vlmus ingens nullum profert fructum, sed in radices, truncum, ramos & folia, magnam, quam ex terra sumit substantiam, conuertit; & pusilla arbor illa tot poma producit. Sic ergo plures diuites sunt, qui ad modum vlmorum magnas in terra mittunt radices, truncum generis sui augent, & in ramos & folia substantiam diuitiarum consumpt, *en rama, y quizas, en rameras y en oſarascas de galas y libreas y pages y galas:* in elecmosynas parum aut nihil. In diuites mundo sunt & pauperes Deo. Alij verò qui mandibulas suas & mechanicis officijs victum & vestitum acquirunt, pauperibus & operibus pijs fauent magis, *llega vno ſeñor para las animas del Purgatorio, y dale ſu limoſna, llega otro señor para alumbrar al ſantiſs.mo Sacramento, y dale, llega el otro pobrezillo, y dale vn pedazo de pan.* His ergo Deus diues erit, qui ait: *date & dabitur vobis*; diuitibus verò immisericordibus se tanquam pauperem exhibebit, dicens: *Esuriui & non dedistis mihi manducare*, &c. *Ite* ergo *in ignem æternum.* Sic diuiti illi contigisse legimus.

Prop. XLVIII. *Ille eleemosyna in morte salutem faciendi est.*

SAnct. Chrysost. hom. 25. ad popul. *Licet quidem in extremis etiam vitæ momentis Deo se bonum reddere gratum: licet per testamentum probabile seruitium nunc quidem sicut viuentem, licet tamen. Qualiter, inquies, & quomodo? cum necessarijs tuis eum seruabis hæredem, & ipsi quidem totum hæreditatis partem distribuam. Si viuens non pauisti, saltem mortuus cùm iam non habituras ex excusationem, si nec virorum tuorum cohæredem feceris Christum, cùm iste cum ipsorum reddiderit consortem, imò & mortem subierit pro te. At ipse quæcumque fecit, non voluit debitum persoluere, sed gratiam ostendens, fecit. Tu verò, licet post tanta beneficia, etiam debitor constitutus sis; rebus tamen sic quoque habentibus, non aliter te propter ea, quæ reddideris, coronat, quam si gratiam quandam, non debitum tulerit à te, quamuis nisi hoc modo recipere nequeat. Contribue igitur tua, deinceps intellige tibi & quorum Dominus deinceps esse non potes, & dabit ipse tibi regnum illud, quod perpetuo vsu tibi futurum est, & cum eo omnia, quæ hîc sunt necessaria, donabit. Nam si factus sis virorum tuorum cohæres, & orphanarum illorum aduocatus, & viduarum lentias illatas dissoluet, & insidias repellet.*

Sed sunt qui adeò misers sunt, qui, cùm neque sibi non beabunt, ipsum tamen facere non sustineant. Quo quid incertius fieri potest? Quam igitur bi veniam sibi parant? Quibus Patres, etiam viuentes, vendiderunt omnia, & ad pedes Apostolorum detulerunt: tu verò nec moriens aliquam tuorum partem honorum pauperibus tradis? Meliùs quidem fuerit, dum viuis, multumque adserens fiducie, dum adhuc vtus, pauperum egentium succurrere; si verò ipsud noluerit, vel moriendo fac. Quòd si non hab. turus es priores partes cum agnis, non tamen parum erit, vel hoc pacto cum Christo esse, & non cum hœdis, neque à sinistris stare. Nunc denique, quantumuis dictu graue sit, quod dicturus sum; necesse tamen est, vt dicam: Numera Christum cum seruis tuis: liberas in morte seruos; libera Christum fame, necessitate, carceribus, nuditate. Horres audiendo, at horrendum magis, quòd neque hoc facis, magisque horribile in iudicio. & ad quem confugies tunc? ad Abrahamum? sed non audiet, & dicet: Chaos magnum est inter nos, & vos. Ad virgines illas? sed neque ipsæ de oleo suo tibi dabunt. Patrem implorabis, aut auum? sed neque eorum quisquam, etiamsi sanctissimus fuerit, sententiam illam soluere poterit. Illum igitur veneraris, qui solus chirographum tuum delere, & flammam illam extinguere potest, hunc propitium redde, vestibus, & pascens, vt hinc bona sibe abeas, & illic æterna bona perfruatu. Ita S. Chrysost.

Prop. XLIX. *Eleemosyna est Omnes defunctorum.*

SEneca. *Egregie mihi videtur Marcus Antonius apud Rabirium poetam, cùm fortunam suam alio transeuntem videret, & sibi nihil relictum præter vim mortis, exclamare:*

Hoc habeo quodcumque dedi.

O quantum habere potuit, si voluisset! Ita ille, hoc quidem est quod Christianus in hora mortis, quando cuncta relin-

ta relinquere cogetur, dicturus est: Hoc habeo quod Dei amore dedi, reliqua his relinquuntur, qui fortè pro ipso nec semel orationem Dominicam recitabunt. Quæris quomodo relinquenda tecum asportes in cœlum pauperibus pijsque operibus ita largiendo? sic enim infallibilem, inexpugnabilem, & æternam possessionem iustus sibi parat, honestiorem illam & tutiorem prorsus reddens. pecuniæ quas retines, pecuniæ sunt, cùm pauperibus erogas gratia sunt gloria sunt.

Prop. L. *Eleemosynam per seipsum debet homo tribuere, non per alium.*

Sanctus Chrysost. tom. 5. serm. Quòd dispensatio rerum, &c. *Rerum tuarum dispensatio Ecclesiæ præsidibus minimè committenda est, quin per te ipsum exequenda, vt non solum minuendi fortunas, sed etiam administrandi mercedem habeas. Cur te hoc præmio fraudas? maxima enim præmia proposita sunt his, qui ea rectè subministrauerint; siquidem, non solum qui distribuit sua; sed & qui oblata rectè impertitur, dignus est mercede: tu vero, tibi cum liceat, non venditas. Quod autem ex eo futurum sit præmium, audi: Constituerunt Apostoli Stephanum, & qui cum eo erant, ad dispensationem per manus faciendam. Efficere ergo tu rerum tuarum dispensator: hic enim humanitus, & Dei timor te fortiorem reddet, insolentiam tollet, animo quietem, manibus sanctitatem, largietur, promptiorem facient, & participem benedictionis.* Ita S. Chrysost. Hoc pro his, qui famulis suis eleemosynarum largitionem committunt.

Prop. LI. *Eleemosyna quomodo in occulto sit facienda.*

Svnt quidem humani proximorum oculi meritorum nostrorum latrones: dum enim opera nostra alij vident, iactantiam, & vanam gloriam excitant in nobis, quâ meritum operum perit.

Hinc Christus Dominus: *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Quid est, *nesciat sinistra tua?* quo pacto sinistra manus scire, aut ignorare quidquam potest? Hic dum interpretes metaphoram quærunt, varietatem glossarum pepererunt. S. August. lib. 2. de serm. Domini in monte, & serm. 60. de tempore, Gregor. 3. par pastor. cap. 21. *manum dexteram intentionem bonam seruandi præcepta diuina, sinistram vero delectationem humanæ laudis interpretantur, & sensus quidem bona intentione elemosynam facis, caue à delectatione vanæ gloriæ, quæ tunc tentare solet: cum ante oculos hominum sit Auctor imperfecti* hom. 13. *per dexteram, superiorem voluntatem, per sinistram, inferiorem intelligit appetitum; sed in idem recidit hæc sententia.* S. Ambrosius lib. 1. de Offic. cap. 30. & Euthymius in cap. 6. Matth. dexteram nos ipsos, sinistram alios esse aiunt, & sensus est, dum tu eleemosynam facis, caue oculos aliorum. S. Chrysostomus hom. 19. in Matth. & Theophylactus *in hunc locum* rectè locum discutientes aiunt locutionem hanc non metaphoricam, sed hyperbolicam esse, qualis est illa Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te*, &c. Sensus igitur est, adeo debere nos operum nostrorum bonorum testes effugere, vt si manus nostra sinistra oculos haberet, à sinistra nostra occultare deberemus eleemosynam, quam manu dextera damus: quare cùm in omnibus rectè factis doctrinam hanc obseruare oporteat, in eleemosyna eroganda ideò potissimùm commendatur, quia eâ maximè soleant homines gloriam propriam aucupari, nam, vti sapiens quidam dixit, qui laudem humanam intuens dedit, sibi, non pauperi dedit, aut si quid dedit, vendidit, non donauit. non potuit pauper donanti pretium soluere, sed pro illo alij soluunt, & pretium est illi videri. mi-

A sera prorsus commutatio meriti gloriæ solidæ, ac sempiternæ in cœlis, pro gloria vana, & temporali in terris.

Vnde Eccles. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & illa exorabit pro te ab omni malo.* Metaphora videtur sumpta ab eo, qui thesaurum suum in tuto volens collocare loco, abscondit eum in parte alijs incognita, & imperuia, curatque tunc illud recondere, vbi à nullo sciri, & videri possit. Oculum videntem deprædari dicimus meritò benefacientes; oculos igitur videntes vita: nullum enim pernitiosius furtum, quàm meritorum. Alia translatio sic habet, *conclude eleemosynam in corde pauperis.* Solemus quæ abscondere volumus ne ab alijs videantur, absconde in sinu, sed amplius quid est, in corde pauperis, quàm in sinu absconde. ille absconditin sinu pauperis, qui secretò nemine inspiciente donat: ille verò in corde pauperis eleemosynam absondit, qui pauperem adiurat, & enixè ab eo requirit, & curat, vt nec ipse pauper alijs datum referat, sed in corde suo datum retineat. Absondit Sanctus Nicolaus in sinu pauperis, cùm homini pauperi pecuniam tribuit pro dote filiarum, sed non in corde: nam statim ille rem manifestauit, & nota facta est omnibus eleemosyna illa, & nisi sanctitas Nicolai tanta fuisset, periculum non leue gloriæ vanæ incurrisset. Quòd si notam esse eleemosynam tuam nimiùm optas, ad hoc etiam conducet plurimum in occulto eam pauperibus exhibere: nam eleemosynam sic in occulto factam producet in publicum Christus Dominus in die iudicij. Vnde addidit Matth. 6. *Sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi in manifesto.* Cuius simile est, quod ait Luc. 14. *Cùm facis conuiuiũ, voca pauperes, debiles & claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.* Græca sic habent, ὁ τὸ φανερῷ, hoc est, *in propatulo*, siue *in manifesto*. Expecta igitur paululum tu, qui valde cupis pius & misericors haberi, & laudari. Quod quidem in hac vita non perfectè assequeris: pauci enim sunt qui talia videre possunt, & nosse, & fortè multi id paruifacient, aut quia diuitem eleemosynas dare non magni faciendum dicant, aut quia ex vana gloria eleemosynam tuam profiscisci suspicentur, aut in diuino iudicio, vniuerso astante orbe, coram omnibus ordinibus Angelorum, & sanctorum, & hominum natorum & eorum qui nascentur Deus, ipse eleemosynas, & pietatem tuam prædicabit, non inquam, homo purus, non angelus, sed hominum Dominus, & Angelorum, & dicet, quod se dicturum promisit Matth. 25. *Esurui, & dedistis mihi manducare*, &c. Qualis tunc erit gloria tua? hanc veram gloriam, & securam quære, non hanc inanem, & periculosam, & quæ quidem tunc coram Vniuerso in contumeliam conuertetur.

Dices, nónne Christus Dominus dixit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est?* Cur igitur mones, in absondito facienda esse opera bona? non ego, sed qui etiam illud asseruit: sed auerte, illud immediatè Apostolis dixisse, & quamuis omnibus dici possit, non semper ita faciendũ esse voluit. Fateor non esse in culpa videri ab omnibus eum, qui bona opera facit, sed velle videri: facere bonum ad ædificationem aliorum conducit, sed cùm periculum vanitatis vrget, in publico non operetur: huic enim dictum est: *Nesciat sinistra tua quod facit dextera tua.*

Cap. 29. 15.

Vers. 4.

Vers. 13.

Matth. 6. 3.

Prop. LII. *Non sunt attendenda merita pauperis, sed necessitas, vt ei eleemosyna detur.*

CHaritas, seu pietas Christiana non quærit in paupere merita eleemosynæ, sed necessitatem petentis: Vnde S. Chrysost. concione 2. de Lazaro: *Non moribus demus, sed homini, nec illius ob suam virtutem nos eius misereamur, sed ob calamitatem.* Ita ille.

Luc. 6. 30. Et Christus Dominus: *Omni petenti tribue*, non ait solùm, his tribue, qui sancti aut nota virtute præditi sunt, sed omni petenti, hoc est, omni necessitatem patienti: nam licèt pauperibus sanctis potiùs dandum sit, quàm alijs, quos non ita studiosos cognoscimus, hi tamen à charitate Christi excludendi non sunt: nam aliud est munia distribuere, aliud verò eleemosynas elargiri: nam in illis merita sunt attendenda, in his vero necessitates, & miseriæ humanæ.

B Rectè proinde S. Chrysost. in dicta conc. 2. de Lazaro: *Portus est in necessitate constitutorum homo misericors.* Ita ille. Portus quidem omnes qui naufragium patiuntur, recipit, siue boni illi sint, siue mali; sic etiam homo pius portus est cunctis qui naufragium necessitatis patiuntur, siue illi boni sint, siue mali.

Laertius lib. 5. cap. 1. Aristoteles, inquit, cuidam increpanti, quòd homini malo eleemosynam dedisset, *Non mores*, inquit, *sed hominem commiseratus sum. Improbis etiam in necessitate constitutis vir bonus succurrit: debetur enim hoc officium, si non meritis eius, qui inuitur, certè naturæ: & præterea bonus fieri potest, qui malus est.* Ita ille. Etenim Deus noster in iudicio non adducet ad amussim merita recipientis eleemosynam, sed charitatem dantis: propterea fieri poterit, vt maiorem recipiat mercedem qui tribuit peccatori, quàm iusto, si charitas fuerit abundantior, quamuis, cæteris paribus, meritoria magis verè sit eleemosyna iustiori data.

Prop. LIII. *Contra eos, qui pauperes reprehendunt.*

Chrysost. Coloss 3. 12. SAnctus Chrysost. hom. 35. ad popul. *Induite vos* (ait Paulus) *viscera misericordiæ, benignitatem, &c. Vides verbi virtutem, & quomodo semper nos misericordes esse velit? non enim dixit: Misereminì, simpliciter, sed,* Induite vos, *vt sint vestimentum semper nobiscum est, sic & eleemosyna sit, nec simpliciter dixit: misericordiam, sed, viscera misericordiæ, vt naturalem imitemur amorem.*

At nos contraria facimus: nam si quis vnum petens obolum accedat, contumelijs aliquando insectamur, & impostorem vocamus. Non erubescis, non horres, homo, impostorem propter panem vocans? si verò talis impostura sacit, propterea, cui misericordia tribuatur, dignus est, quòd ita fame premitur, vt talem subeat personam. Quin hoc & crudelitatis nostræ redarguitio est; nam quia dare facilè non sustinemus, innumeras cogumur artes excogitare, vt inhumanitatem nostram fallere possint, & sauitiam emollire: aliquin verò si aurum vel argentum peteret, suspitionis posset habere aliquam rationem; sed cum necessarij nutrimenti causa petat, quid superfluum cum diligentia rationem supputas, ignauiam exprobras, & torporem?

Nunquid Deus, quando accedis ad petendam ab eo veniam, hæc tibi verba dixit: Abscede impostor, in meam quidem iugiter intrans Ecclesiam, & leges meas audiens; at extra Ecclesiam aurum, & generaliter omnia mea præponis mandatis. Et nunc quidem humiliter ora; sed post orationem, audax, & inhumanus, & crudelis es. Abeas igitur hinc, & amplius nō accedas: hæc enim, & plura digni sumus audire. Sed tamen nunquam huiusmodi quicquam exprobrauit, sed longanimiter egit, & plura, quàm petimus, indulget nobis. Non igitur simus

A *reliquorum indices amari, nec acres pœnas ideo repetamus, sed potius misereamur: nam quantumcumque largiemur, nunquam talem conferre poterimus humanitatem pro Deo pauperi, qualem nos apud Deum clementia egenus: aliàs non tam pauperem tuo monstrabis indigniim beneficio, quàm te Dei clementia. Quamque seuerus est in conseruum exactor, multo magis Deum hoc facientem habebit. Ne contra nos itaque loquamur, sed siue per ignauiam, siue per torporem accepimus, non præcipimus. Nam & nos multa per negligentiam peccamus, nec tamen à nobis Deus pœnas exigit, sed nobis pœnitentiæ tempus [illegible] per singulos nutriens dies, erudiens, docens, omnia [illegible] strans cætera, vt & nos hanc ipsius imitemur [illegible] Hanc itaque crudelitatem soluamus, ejusque [illegible] quam nosipsos magis quam alios promerentes. Itis enim [illegible] tum quidem erogamus, & panem, & vestimentum, [illegible] ipsis magnam præparamus gloriam, & quam [illegible] possumus exprimere: immortalia namque recipientes [illegible] cum Christo glorificamur & conregnamus. Hoc [illegible] tum sit, hinc scimus: imò verò nequaquam manifeste [illegible]*

B *re poterimus. Vt autem ex nostris bonis eleuati, aliquam [illegible] paruam eius cogitationem capiamus, quam optime [illegible] ctum explicare conabor. Nam dic mihi, si quis te seruo concedat, & viuentem in paupertate, subitò inuenem se [illegible] promisisset, & in ipsum ætatis florem reduceretur, & [illegible] nes præualidum, & speciosum redditurum esse, & in [illegible] mille duraturum annos, regnum inquam, pacem firmissimam possidens: quid pro hac promissione non eligeres tam facere quam pati? Ecce igitur Christus non hæc, sed his multò maiora promittit. Non enim quantum est senectutis & iuuentæ, vtrumque, tantum est corruptionis & incorruptionis interuallum, sed quantum est regni & paupertatis, tantum est gloriæ nostræ & futuræ: sed quantum somniorum & veritatis.* Ita S. Chrysost.

Et homil. 37. Eos valde redarguens, qui [illegible] indebitis, non solùm assistunt, sed assistentiam pecuniant, quales certè sunt modò, qui comœdiis audiunt, & spectaculis ambulantium super funes, &

C saltantibus, & ludos, (quos *de mascorat*, vocant, & *res*) aspiciunt, pecuniam exhibentes, &c. subdit. *Tu dum spectacula hæc fiunt, absitis, videns, & admirans, & vbi ptins fiant, pecunias præbes; & pauperi pro Christo supplicanti, neque respondere, neque respicere dignaris, quin & grauia dicis verba: Hunc oportète viuere, an omnino respirare, vel hunc cernere? in illos autem hilaris & liberalis es. Cùm enim Deus eat: Da eleemosynā, & do tibi cælestè regnum, non audis: bolo autem factus es liberalis, & plus potuit sæpè diabolus uentio, tantum habens nocumentum, quam Dei promissio bona innumera ferens. Fuisset quidem erogandum aurum, ne spectacula fierent, aut fieri viderentur; vos autem vt fiant, & fieri spectentur, facitis omnia.* Ita S. Chrysost.

Prop. LIV. *Contra eos qui pauperes examinare curant, an verè, vel fictè sint pauperes.*

D SAnct. Chrysost. hom. 37. ad pop. *Dementia est, & insania manifesta, arcas vestibus præparare, eum verò qui ad imaginem Dei factus est trementem gelu, & vix se erigentem despicere. Sed causatur* (inquis) *ille pauper, & simulat infirmitatem, & tremorem, & tu huiusmodi verbis non timuisti, ne fulmen cœlitus & ardens in te descendat, & disrumpat anum ventri deditus, & incrassatus es, & in longam noctem pocula producis, & in mollibus lectis tanquam sepultus decubas, & non cures te pœnas daturum, cùm tamen inuisè diuinis vtaris muneribus, & à mendico misero, & pene mortuo efflagitas rationem, & horrendum Christi iudicium non formidas: etenim si pauper dissimulat ex necessitate, & inopia, simulat propter crudelitatem tuam, & inhumanitatem illorum, qui huiusmodi simulationibus egent, quique nullā misericordiā commonentur, & quisnam absque necessitate pro vno pane tam impudenter faciat? illius ergo simulatio, est tua inhumanitatis præco.*

Cum

Cum ergo rogans, & supplex, & miserabilibus verbus, & A
xus, & lacrymans, & singulis diebus circumeundo mendi-
cans, nec victum necessarium comparat, fortasse hanc inuent
arte, quæ non tam illi, quam tibi ignominiam & culpam asserti
ille namque dignus est cui misereatur, quòd que in tantam dene-
nerit necessitatem: nos autem innumeris d gni suppliciis, quòd
mendicos ad huiusmodi adducamus necessitatem, nam si facilè
misereremur, nunquam ille talia sustineret.

Sanctus Chrysostomus 5. serm. *Ne scrutemur pauperes: Quid stipem deposcentem scrutaris? quin illum ob Christi gratiam excipe: nam si nimium fueris scrutando curiosus, vel probum plerumque virum præteribus, faciesque hoc modo futuræ & emeritæ mercedis iacturam. & quidem qui vel improbum pro Christo susceperit, culpandus non erit, quin capiet pro eo præmium: Nam qui* Prophetam sub nomine Prophetæ admiserit, Prophetæ mercedem accipiet: qui verò pro intempestiua hac & supernacanea scrutandi cura, quempiam laude dignum parui fecerit, pœnas luet. *Præterea extremæ cuiusdam nos insipientiæ arguet, dum gratia vnius panis pet i vniuersa sit pauperis vita indaganda, siue prædo fuerit, siue aliud quid dices; ideo vel panè tibi, vel argenteis nonnullis apparet indignus, cui Dominus tuus orientem solem* B *est impartitus, perexiguum ipse cibatum & tenuem victum exist mas immerentem?*

Quin etiam, quòd dictum maximum est, siue hunc comperum habeas, innumeris esse vitijs constipatum, eoque patuo cibo fra..daueris; nihil id tibi poterit ad excusationem valere, præsertim cum eius sis Domini seruus, qui ita inquit: Num ignoratis ex quo patre sitis? illius præterea familiaris, qui se lapidantes animo tulerit patientissimo, qui est pro se lapidantibus in crucem sublatus. Deinde si vel innumeris fuerit pauper vitijs obnoxius, eius tamen vel egestas, vel fames satis C *vtique facere videntur ad animum non penitus obtusum, vel cacutientem, mitigandum. Tu verò contrà, Iconum more, etsi nihil illi cadaueroſum attingant, efferatus & furens manes in pertinacia, & iacentem inopem & egestate maceratum, & malis confectum, premis, & vrges, & quasi procellas, vt aiunt, tempestatibus superinduclis, cum tuis comitijs discerpens adegeras, & compellis ad portum confugientem, scopulis illidis, & cogis naufragium subire maritimo longe molestius. Quo igitur pacto tui peccatis veniam precaberis a Deo, qui nihil peccanti omnino tibi, & pœnas pro tanta media, & rerum angustia depoſcis? adeò vt tuâ sententia inmanium belluarum seritas obscuretur. Quo pacto sacram oblationem sumpseris es, qui linguam humano sanguine cruentaueris? cur atteris, quem non egentem sublenas? cur de-* D *primis, quem non iacentem erexeris? si pecunias non impartiris, quid probris eum insectaris? nondum tibi ad aures pervenit, quantum in pœnarum luant, qui mendicum non aluerint? Abite, inquit, in ignem, diabolo & angelis ejus paratum. Si ergo, qui nullis inopem alimentis tuleruit, tam acriter condemnantur; quas illos pœnas daturos existimas, qui nec victum impertiuntur, & ingeruut contumelias? quot, inquam, hi subituri sunt tormenta? quot incendia? quot gehennas? Sunt igitur pauperes consolandi, non accrbandi, vt vetuia hoc nobis comparatâ, bona illa æterna consequamur.* Ita S. Chrysost.

PROP. LV. *Cur Deus inter nos pauperes esse voluit.*

SAnctus Leo Papa serm. 5. de Ieiunio: *Ideò sub diuersis molestijs iustitiæ Dei nonnullos laborare permisit, vt & misseros pro patientia, & misericordes pro benevolentia coronaret.* Ita ille. Et serm. 8. de Ieiunio. Gaudete quòd per vos Deus pauperes suos pascit, & vestit, quibus posset eas quas vobis contulit tribuere facultates, nisi pro misericordia sua illos de patientia iustificare vellet, & vos de opere charitatis. Ita ille.

ADDITIO.

SAnctus Paulinus: *Vic studiune quadam copiæ, vel inopiæ humanum genus temperatur: quòd in illo inferno diuite & superno paupere Euangelicus sermo paceſecit, vt intelligamus consilium communis auctoris, quòd diuitem pauperi, & pauperem diuisti præparauit, vt abundans egenti substantia almoniæ sit, & opulento inops materia iustitiæ. vt (sic) licut Apostolus dixit) æqualitas, & in illo sæculo repensanda illis egestate præsenti opibus æternis redundet illorum abundantia ad inopiam nostram, si nostra istic abundantia ad illorum indigentiam commodauerit. Semmemus ergo illis carnalia, vt & metamus ab illis spiritalia. Laboret nunc de terrenis manus, vt tunc de cælestibus anima reficiatur. Spes præsens ædificet rem futuram. Faciamus hic tecta quæ nos illic tegant. Pascatur hic pauper, vbi me diuite eget, vt me illic pascat vbi me egente saturabitur. Videte commercium spirituale, & si poteſtis negate nos auaros, qui terram vendimus, & tributum, vt immunitatem regni cum æternitate coemamus. Frag lem atenam iacimus, vt domum fundemus æternam, & de vilibus attingamus astra cæmentis, de quibus non illam confessionis & superbiæ turrem destruendam opere irrito machinamur; sed in ipso angulari lapide fundamur, vt surgamus per ipsum in ipsius plenitudinem, qui est turris fortitudinis a facie inimici.* S. Paulinus Epist. 2. ad Sever.

PROP. LVI. *Honorificum est seruire pauperibus pro Christo.*

SAnctus Chrysostomus hom. 30. ad Rom. Trecentos decem & octo vernaculos Abraham, & Sara habebant, quando & duos famulos habere, diuitiæ erant. Et quid dico, trecentos decem & octo famulos? vniuersum orbem in femine, & diuinis promissionibus possidebat Abraham, qui & amicus Dei erat, & Deus ipsius tutor, id quod omni regno maius erat. Verumtamen licèt in tanto esset splendore, & gloria, Sara farinam miscebat, & reliqua administrabat omnia, & peregrinis in domo sua vescentibus, instar famulæ, seruitura astabat. Tu quoque non ex generosior ipso Abraham, qui post trophæa illa, post victorias, post honorem, quem illi detulerat rex Ægypti, post insequutionem regum Persarum, & post illustria erecta trophæa; quæ famulorum erant, ipse faciebat. Neque respicias, quàm viles pauperes appareant, & pannosi, sed memento illius vocis Christi, *Quamdiu feciſtis vni ex minimis meis istis, mihi feciſtis, &c.* Et illius: *Ne contemnatis vnum ex his pusillis, quoniam Angeli semper vident faciem Patris, qui in cœlis est.* Ita Sanctus Chrysostomus. Matt. 25. 40. Matt. 18. 10.

Sanctus Chrysostomus: *Acquire multos à te beneficio affectos, & dicaut omnes: Hunc aut illum à pauperiate liberauit, instum verò à periculis, & ille periisset, nisi post Dei gratiam tuam opem sensisset, & patrocinium, & quòd illum à morbo liberaueris, & aliam à calumnia, & alium, cùm esset peregrinus, susceperis hospitio, alium cum esset nudus, vestieris. Huiusmodi verba innumerabilibus diuitijs meliora sunt, & multò magis ad se conuertunt omnes quàm aureæ vestes ejus, & mancipia: nam illa quidem efficiunt, vt videatur molestus, & grauis, & odio habeatur tanquam communis inimicus: hæc autem tanquam communem prædicant patrem, & de omnibus bene meritum. Dicat ergo ille: filiam meam in matrimonium collocauit, alius effecit vt filius meus in virorum numerum referretur (hoc est, ha echo hombre ami hijo) & alius me in calamitate subleuauit, & alius* Hom. 10. in 1. ad Cor.

& alius liberauit me à periculis. Hæc verba sunt coronis aureis meliora, & habere in populo innumerabiles suæ benignitatis præcones. hæ voces sunt voce præconum, qui magistratus præcedunt, longè suauiores, & tucundiores, vocari nempe seruatorem, benefactorem, patronum, quæ Dei nomina sunt; non autem appellari auarum, superbum, insolentem, insatiabilem, tenuemque, sordidum, & illiberalem. Quòd si illa dicta in terris tam præclarum hominem reddunt, & illustrem; cùm ea scripta fuerint in cœlis, & in die futuro ea proclamauerit Deus, cogita quantam assequeris claritatem, & quantum splendorem. Ita S. Chrysost.

Ps. 111. 9. Psal. 111. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Hæc permanentia in sæculum sæculi, non solùm est intelligenda in præmio, sed in fama, & recordatione hominis misericordis, quæ apud nos manet perpetua, hoc Deo sic ordinante in præmium misericordiæ. vnde paulò ante de viro misericorde dixerat

Ibid. v. 2. Dauid: *In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit.* Iustum vocat misericordem, quia in sacra Scriptura, misericordia iustitia vocatur. *Attendite*, ait Chri-

Matt. 6. 1. stus, *ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus*, id est, eleemosynam. Misericors ergo crit in memoria æterna, nunquam in obliuionem veniet, cùm de pictate intercesserit sermo, statim omnes eius memores erunt, & eleemosynas eius enarrabunt.

S. Greg. Job 13 12. Vnde Sanctus Gregor. 11. Moral. 16. exponens illud Iob 13. *Memoria vestra comparabitur cineri*, &c. *Omnes* (ait) *qui cogitationem terrenæ huic sæculo conformantur, per omne quod agunt huic mundo relinquere sui memoriam conantur: alij bellorum titulis, alij altis mœnibus edificiorum; alij diserti doctrinarum sæcularium libris, instanter elaborant sibimet memoriam, vel memoria nomen adscant, sed cum ipsa ad finem celerius vita decurrat, quid in ea fixum stabit, quando ipsa celeriter transit? vnde merito ait:* Memoria vestra comparabitur cinci: *aura enim cinerem rapit, sicut scriptum est*

Psal. 1. 4. *Psalm.* 1. Non sic impij, non sic; sed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. *Recte ergo stultorum memoria cineri comparatur, quia illic ponitur, vbi ab aura rapitur. Quod contra de iusto scriptum est*, In memoria æterna erit iustus; *eo enim quo facta sua soluta Deo oculis imprimit, nomen suæ memoriæ in æternitatem figit.* Ita Sanctus Gregorius.

Psal. 33. 17. Psalm. 33. *Oculi Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Hoc iustum iudicium Dei, vt perdat memoriam eorum cum sonitu: qui ideò sonant solùm, vt nominum eorum maneat memoria. Ex aduerso autem hoc etiam ratio poscit, vt eorum permaneat memoria, qui bona propter Deum facere studet, sicut viri misericordiæ faciunt.

Eccli. 44. 10. Vnde Eccli. 44. *Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt:* alia sic litera habet, *quorum pietates obliuionem non acceperunt.*

Eccl. 31. 11. Et Eccl. 31. de viro misericordi, *Stabilita*, inquit, *sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.* Quid enim modò tam in Ecclesia facimus quàm eleemosynas piorum enarrare, non solùm eorum, qui sæculis nostris vixerunt, sed eorum, qui antiquissimis temporibus præcesserunt? Abrahæ scilicet, Iob, Tobiæ, &c.

Chrysost. Sanct. Chrysost. tom. 5. serm. de Misericordia Tabithæ: *Non domus aut parietes, non lapides aut columnæ, sed viduarum corpora amictu operta, fusæ lachrymæ, mors fugata, & vita reddita confitentium illam fecere & claram. Ex nihilo Deus inopes adesse traduxit; tu verò hosce traductos, & creatos nec fame finisti leuando, curandoque, nec reliquis conficerentur ærumnis, Dei templum attollen* vndique, *& sustentans: cuius templi gloriam quid vnquam poterit æquare? Quod si nondum clare perdidicisti, quibus te Deus pro inuencta hac, & suscepta sublenanda inopia cura, insignierit ornamentis, tecum id animo reputans, ex eo quod inferemus, intelliges. Etenim si tibi quispiam casurum cœlum sublenando erigendique tibi traderet facultatem, nónne tibi duceres honori, perinde ac conditionem tuam, & vires excedens? Ecce nunc maiori quodam te honore dignatus est Deus, siquidem quod cœlo ipso maiorem facit tibi subleuandum incessit: nihil enim Deo ex his, quæ versuntur atque atque homo, est gratum, citius gratiâ cœlum, mare, ac terras constat, eisque habitatione potius quàm cœli lætatur. Quod si ita esse haud latet, nihil tamen curæ, vel diligentiæ vitæ domino tenplo mancipamus, quin eo neglecto ampla domus paramus, terebus omnibus posteà destituti, extrema inopia laboraturi: imus inferiores: quia reiecimus ea, quæ nobis cum gratia licuisset: consurgunt namque nefariæ nouæ legis, quibus Deus (cuius iussu hæc fiunt) in medium proferuntur, ea curauerint, & laudabit, & cum omnium admiratione tollet, eò quòd inopia affectos vel paulo post fame nuditate, siue algore collapsuros, erexerunt.* Ita Sanctus Chrysostomus.

Quidius: *Regia crede mihi res est succurrere lapsis.*

Et Cicero lib. 1. *De Oratore, nihil est tam* liberale, tamque munificum, quàm ferre opem supplicibus, tare afflictos, dare salutem, & homines à periculo

Et idem Cic. pro Lig. *Nulla re homines* accedunt quam salutem hominibus dando. Ita ille. Salutem autem vocat, datum egenti, quo liberamus eum a cumento aliquo, &c.

EPISCOPVS.

Prop. 1. *Episcopus vigilans & perfectus esse debet.*
2. *Quàm perf ctus debeat esse Episcopus.*
3. *Episcopus sit tantus virtute, quantus dignitate, talia opera quælia nomine.*

Prop. I. *Episcopus vigilans & perfectus esse debet.*

Sanctus Cyprianus, *Episcopus*, inquit, *nomen est cum est, & speculator interpretatur: quid autem speculatorem illum esse, apud Ezechielem Dominus dicit:* Speculatorem domui Israel dedi te, audiens ergo ex ore meo sermonem nunciabis eis ex me. si autem videris gladium venientem, & tu non annunciaueris, vt auertatur impius à via sua, ipse quidem impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris, & ille non fuerit reuersus, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sed tu animam tuam liberasti. *Decet ergo episcopum, qui omnium speculator positus est, peccata fratrum attendere, & sermone atque corrigere, & iuxta ordinem Euangelij.* Si te non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus, *talis ordine expellendus est, qui Episcopo adhærere noluerit, & qui talis ordine fuerit expulsus, ab alio Episcopo recipi non debet. De Sacerdote namque scriptum est in lege:* Virum duam, aut repudiatam non accipiat vxorem. *Quis ergo illum excommunicatum à Catholico, illo non permittente sociungit, iura sacerdotij sancti, quod Christianorum genus clarum est, excedit, & hac ratione ad eos, quibus in speculatione positus est, esse oportuit.*

Cæterum qualis in semetipso debeat esse, Paulus Apost. exponit, Vt sit sobrius, prudens, castus, sapiens, modestus, hospitalis, &c.

Caueant ergo negligentes Episcopi quod in tempore vindictæ Dominus per Prophetam comminatur, dicens: Pastores multi demoliti sunt populum meum, & non pascebant gregem meum, sed pascebant semetipsos, &c. Procurent igitur hi quos constituit Dominus super familiam suam, dare illis cibum in tempore suo, mensuram tritici, puram & probatam doctrinam: quatenus vemente Domino mereantur audire: Euge serue bone, & fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium tui. Domini tui. *Ita S. Cyprianus.*

Prop. II. *Quàm perfectus debeat esse Episcopus.*

Sanctus Bernardus in sententijs: *Quantum distat inter pastorem & gregem, tantum distare debet inter Episcopum, & plebem. Stat ille sublimis, & rectus, curvat iste caput solo depressus. vnde Iocta:*

Pronaque cùm spectent animantia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri.
Iussit & electos ad sidera tollere vultus.

Ille regit, iste regitur, ille pascit, iste pascitur, vt ex ipsa forma, & habitu vterque discernatur. Habet pastor in manu virgam, id est, in opere disciplinam, vt subiectos suos exemplo magis instruat, quàm verbo: erubescunt enim superbiæ effe discipuli, si eos in humilitate præcesserit. Vnde & de Domino scriptum est: Cœpit Iesus facere, & docere. *Ita S. Bernard.*

Prop. III. *Episcopus sit tantus virtute, quantus dignitate, talis opere, qualis nomine.*

DIuus Ambrosius, postquam multa in commendationem dignitatis, quâ tum sacerdotes tum Episcopi fulgent, attulisset, subdit:

Hæc vero cuncta, fratres, ideò nos præmisisse debetis cognoscere, vt ostenderemus nihil esse in hoc sæculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius Episcopis reperiri, vt cùm dignitatem Episcopatus Episcoporum oculis demonstramus, & digne noscamus quid sumus, & quod sumus professione, actione potius quam nomine demonstremus, vt nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen mane, & crimen immane. Ne sit honor sublimis, & vita deformis. Ne sit religiosus amictus, & irreligiosus proiectus. Ne sit gradus excelsus, & defectus excessus. Ne habeatur in Ecclesia Cathedra sublimior, & conscientia sacerdotis reperiatur humilior. Ne locutionem simulemus calumbinam, & mentem habeamus caninam, ne professionem monstremus omnium, & fere totam habeamus lupinam. Ne digne nobis per prophetam respondeatur a Domino: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. *Ergo fratres sicut senatorem chlamys ornat, sicut agricultura rusticum, sicut barbarum arma, sicut nauticum navigatoria peritia, & singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat auctores, sic Episcopum non aliud, nisi Episcopalis opera designat: vt ex bono opere magis, quam professione noscatur, plus meritis esse Episcopos, quam quod nomine vocitetur: quia sicut nihil esse diximus Episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius, si de sancta vita Episcopus perscrutetur, si sacerdos in crimine teneatur, & vt iemus est de plano corruere, sic graviùs est qui de sublimi excidit dignitate: quia ruina, quæ de alto est, grauiori casu colliditur. Honor quidem Episcopalis coram hominibus præclarus est, sed si ruinam sustineat, dolor magnus est: nam quantò præ cæteris gradus Episcopalis altior est, tantò, si per negligentiam delabatur, ruina grauior est. Magna sublimitas magnam debet habere cautelam. Honor grandis grandiori debet sollicitudine circumvallari. Cui plus creditur, ab eo plus exigitur, sicut scriptum est: quia optimis permixta sunt pessima.*

EVCHARISTIA.

Prop. I. *Salutationes ad Eucharistiam.*
2. *Verè & realiter Christus Dominus in sacramento Eucharistiæ continetur.*
3. *Quàm gloriosa fuerit Deo institutio Eucharistiæ.*
4. *Dei bonitatem decebat instituere Eucharistiam.*
5. *Quanta sit Eucharistiæ excellentia.*
6. *Magnum beneficium Christi fuit Eucharistiæ donum.*
7. *Eucharistia maximum donum, & aliorum donorum pignus est.*
8. *Quàm admirabile sit sacramentum Eucharistiæ.*
9. *In Eucharistia relucent magna Dei attributa.*
10. *Eucharistia pignus est eximij amoris Christi in nos.*
11. *Christus instituit Eucharistiam vt nobis socius esset.*
12. *In Eucharistia diuina relucet sapientia.*
13. *In Eucharistia Dei omnipotentia relucet.*
14. *In Eucharistia diuina providentia erga nos relucet.*
15. *Eucharistia patrimonium nostrum est.*
15. *Eucharistia quàm decens, & conueniens cibus sit animæ nostræ.*
17. *Eucharistia ostendit dignitatem animæ existentis in gratia.*
18. *Eucharistia quàm honorifica homini sit.*
19. *Eucharistiam instituit Christus ad conciliandum amorem nostrum in se.*
20. *Eucharistia est mysterium fidei.*
21. *Eucharistia memoriale est passionis & mortis Christi.*
22. *Eucharistia ad satisfactionem diuinæ iustitiæ instituta est.*
23. *Eucharistia mysterium, non quia admirabile, sed quia est incredibile.*
24. *Eucharistiæ consideratio nos à peccatis cohibet, & ad diuinum obsequium inclinat.*
25. *Eucharistia ad virtutem nos obligat, & deinceps amorem.*
26. *Eucharistia nobis omnibus aquè conceditur.*
27. *Sacrificium Eucharistiæ quàm gratum Deo sit.*
28. *Quàm læta, & plena gaudio sit festivitas Eucharistiæ.*

Prop. I. *Salutationes ad Eucharistiam.*

Salutatio I.

CVm Propheta Ieremias nonnullos peccatores acriter reprehenderet, inimici facti sunt illi vera dicenti ipsis, & in vnum consentientes aduersùs Prophetam, dicebant: *Venite, mittamus lignum in panem eius.* Quod nam lignum hoc? Pater Maldonatus noster, taxum esse dicit; taxus autem arbor adeo venenosa est, vt in puluerem redacta, & in cibum potúmve data, hominem occidat, imò & vmbra sola eius eũ perimat, qui sub ea requiescere velit. *Este es el veneno, que nos otros llamamos to.* S. Hieronymus locum istum de Christo Domino interpretatur, qui vera dicens, inimicus redditus est multis, qui propterea dicebant: *Venite mittamus lignum in panem eius.* Hoc est, ait, S. Hieronymus, *mittamus lignum crucis in corpus eius: ipse enim est, qui ait in Euangelio: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Etenim illi, quod optabant, minimè obtinuerunt, nam crux in diuinum hunc panem missa, non venenum, sed antidotum, & tyriacum fuit nobis. Nam eo modo effecit Christus, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret, & qui in ligno isto taxo vincebat, in ligno ipso vinceretur. At modò antiquus noster hostis maiori satagit astutia, vt taxum in panem istum nobis immittat, peccatum scilicet lethale, in eo, qui ad panem istum manducandum accedit, ita quidem hostis lignum taxi in panem Christi mittit, vt qui cum peccato manducauerit panem hunc, moriatur, nouum peccatum mortale, & sacrilegium grauissimum committens. *Qui enim sic indigne manducat, & bibit corpus, & sanguinem Domini, iudicium sibi manducat, & bibit,* quapropter meritò Apostolus clamat, & dicit: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat,* &c. qualis autem præparatio hæc debeat esse, dicemus Dei gratia.

Ier 11. 19.

Ioan. vi. 41.

1. Cor 11. 29.

Hebr 5. 10.

Salutatio II.

Sic de Christo Domino Apostolus. *Appellatus,* inquit, *à Deo Pontifex secundùm ordinem Melchisedech, de quo nobis grandis sermo, & interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Notum est, ad sacerdotium Melchisedech mysterium Eucharistiæ spectare, oblatio enim Melchisedech fuit oblatio panis, & vini, in quo Christi sacrificium & sacerdotium designauit: quare cùm de huiusmodi Christi sacerdotio ageret Paulus, meritò addit, *de quo grandis est sermo.* Græca lectio habet: multus est sermo. Ita grandis, multusque est de Eucharistia sermo; grandis quia de re adeo grandi, & multus, quia non potest res tanta paucis expediri verbis, imò nec multis. vnde subdit Apostolus, *& interpretabilis,* id est, inexplicabilis, tum propter rationem, quam ibi Apostolus assignat, nimirum quia imbecilles

auditores erant, tum etiam propter celsitudinem sacramenti. Vbi sic S. Hieron. *Si vas electionis stupet ad mysterium, & de quo disputat, ineffabile confitetur, quanto magis nos vermiculi, & culices, insicitiam nostram debemus confiteri?* Ita ille. Cùm igitur concionatores non ita apti sint ad prædicandum, nec auditores ad percipiendum tantum sacramentum, manifesta fit gratiæ diuinæ indigentia.

Salutatio III.

Nescio, vnde meliùs hodiernam concionem exordiri valeamus, quàm vnde Clemens V. de institutione Eucharistiæ agens, exordium sumpsit, dicens in Clementina de reliquijs, & veneratione Sanctorum: *Si Dominum in Sanctis suis laudare iubemur, dignum profectò, & iustum, & salutare nobis existit, vt sibi in sut, quo nos quotidie spiritualiter reficit, memoriâ corporis, laudes festiuas veneationis, & gratiæ referamus.* Ita ille. Recte, sed ad hæc quis idoneus? adsit nobis Spiritus sancti gratia, vt eius ope gratias nobis possibiles, & laudes pro tanto beneficio referamus.

Salutatio IV.

4. Reg. 7. in dira illa fame, quam olim ciuitas Samariæ patiebatur, propter obsidionem hostium angustissimam, Deus Opt. Max. opem Samariæ tulit: perterrefecit enim hostes, & inde trementes fugauit, dimissis castris, & spolijs, ac ciborum magnâ copiâ. Ignorabant hoc Samaritæ, non verò quidem leprosi, qui casu castra conspicientes, & neminem hostium videntes, castra ingressi, cibos arripere, & eis vesci cœperunt, & spolia arripuerunt, quo & famem suam sedarunt, & diuites effecti sunt. At ipsi inter se dicere cœperunt: *Hæc dies boni nuntij est, si tacuerimus, & non indicauerimus, sceleris arguemur.* Verba hæc valde mihi nostræ festiuitati accommoda videntur, etenim si dies illa, in qua ciborum, & spoliorum copia illis apparuit, boni nuntij fuit populo fame laboranti, hæc dies hodierna boni procul dubio nuncij est melioris, quàm illa: in illa enim copia ciborum corporalis reperta est, in hac verò cibus nobis datus est, quo animæ nostræ nutriantur, & satientur. Si tunc spolia hostium reperta sunt, nunc quidem meritorum Christi, & sublimium bonorum spiritualium abundantia simul cum hoc pane cælesti exhibita est: boni ergo dies & optimi nuncij est. Ne igitur scleris arguamur, operæ pretium est ea palam cunctis annunciare: licèt enim omnes fideles panem istum iam norint, etenim diuitias, & spolia intus latentia non item: nunquam enim & satis pro merito explicata sunt. vt igitur aliquid horum explicemus, opem Virginis imploremus, &c.

Vers. 9.

Salutatio V.

Tanta quidem est donorum, & gratiarum Christi, quibus nos ditauit, abundantia, vt Isaias propheta Euangelicus ea in spiritu videns, exclamarit, dicens: *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Hîc secundùm Interpretum sacrorum explicationem, non solùm agit de magnitudine donorum Dei in cœlo, verùm etiam de magnitudine beneficiorum Christi in Ecclesia Christiana: & has quidē opes oculos nostros latere ait, oculos scilicet animæ: nullius enim siue hominis, siue Angelorum intellectus plenè, & comprehensiuè percipere potest, quot, quantaque sint beneficia à Christo Domino præstita nobis; ideoque ait Deus, *absque te*, nec comprehendere intellectus creatus valet, nec videre sine ope tua. Vt autem de alijs beneficijs Christi in nos taceamus, de Sacramento sanctissimo Eucharistiæ id verum esse quis non intelligit? quis enim comprehendere, aut, vti par est, percipere potest, quàm eximium beneficium fuerit, se nobis Christum Dominum in cibum exhibuisse? Hoc absque te, Domine, absque gratia tua, quis capere potest? vt igitur aliquid tanto Sacramento dignum percipiamus, & annunciemus, gratiam hanc à Sancto Spiritu petamus ope Sanctissimæ Virginis Mariæ.

Isaiæ 64. 4.

Salutatio VI.

Vrbanus Papa in Clement. de reliquijs & vener. sanctorum, in admirationem tanti beneficij hodierni raptus exclamans, O, inquit, *excellentissimum sacramentum, adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, laudibus præcipuis magnificandum, dignis præconijs exaltandum, conctis honorandum studijs, deuotis prosequendum obsequijs, & sinceris mentibus retinendum!* Ita ille. Ita quidem, est verè dignum, & iustissimum, vt totis viscribus colamus, adoremus, & glorificemus sanctissimum Sacramentum, quod Ecclesia in hac tanta solemnitate præstare conatur: par etiam est vt laudibus præcipuis magnificemus, & hoc in his concionibus intendimus, & curamus: sed ad hoc quis idoneus? si lingua hominum loquamur, & Angelorum, vincet argumenti ratio linguas huius laudi, & mentes, quia maior omni laude, nec laudare sufficis: sed *quantum potes*, ait S. Thomas, *tantum aude*, ad hanc obligatio nostra suadet, gratiam à Domino imploremus Beatæ Virginis ope.

Salutatio VII.

Qui manducat hunc panem, viuet in æternum, Ioan. 6 Panem vocat Christus Dominus diuinum hoc Sacramentum, in quo, licèt panis sit, cœlestis latet thesaurus; sed tamen, vt ait S. Bern. serm. 2. de Natiu. Domini: Panis integer, & thesaurus absconditus, quæ vtilitas in vtrisque. Etenim in fruitione panis cognouerunt discipuli Dominum in castello Emaus. Frange igitur Domine esurientibus panem tuum, vt cognoscamus, quæ in eo donata sunt nobis.

Salutatio VIII.

Sanctus Bernardus: Felix *mulier benedictaque in mu-vibus, in cuius castis visceribus, supernemente igne, tus Sancti, coctus est panis iste. Felix, inquam, mulier, quæ hæc tria fata farinæ immisit fidei suæ fermentum.* Ita S. Bernard. tria fata farinæ vocat, corpus, animam, & diuinitatem, quarum quodlibet in genere suo adeps frumenti dici potest: quia inter omnia corpora sacratius est Christi corpus, inter omnes animas sanctior & gloriosior anima fuit Christi, & inter omnia entia Deitas supereminet in immensum. In his tribus immisit B. Virgo fermentum fidei suæ: quia sicut fermentum est fundamentum quoddam panis; sic etiam aliquo modo fundatum fuit beneficium assumendi Verbum Dei carnem ex Virgine, fides eius, vti asserit Sancta Elisabeth, dicens: *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino.* attamen quod temperamentum & tempestiuitatem huic pani dedit, *lo que le dio su sazon*, gratia Dei fuit: nullum enim meritum humanum ad hoc pertingere valebat, hoc ad panem iunc vescendum nobis est opus, imò & ad loquendum. Maria autem Virgo hunc nobis panem coctum dedit, dabit & prædicatum, dum à Deo ipso gratiam impetrauerit nobis, *la que nos lo diò encarnado, nos lo dará predicado, al, ancando nos la gracia, &c.*

Salutatio IX.

Lætissimus solet parentibus esse dies ille, quo filius eorum primum celebrat sacrum, illum obseruant, & ea, quâ valent, celebrant solemnitate & conuiuium amicis parant, & facilè quæ ab eis postulantur, concedunt. Hodierna festiuitas sanctissimi Sacramenti non incongruè dici potest dies in qua Dominus Iesus primum celebrauit sacrum, & nouam Missam: nam in die hac primò Sacrum consecrauit, & consecit Eucharistiæ sacramentum; quid ni parentes ejus lætissimum & festiuissimum hunc reputent diem? vnde non immeritò ab eis poterimus confidenter beneficia postulare, *buen dia es para pedir las mercedes.* parentes eius, Deus & B. Virgo sunt, quid ab eis exigere modò minus quàm gratiam debeas

debemus? à Patre vt eam conferat à matre, vt eam imperret nobis. Eia ergo aduocata nostra in die bona venimus ad te, obtine nobis gratiam, &c.

Salutatio X.

De quodam Philosopho tradunt historiæ, quòd cùm supra maris ripam abyssi capacitatem immensam contemplaretur, cogitare cœperit, quonam pacto tot flumina vndequaque in mare semper & indeficienter intrarent, & mare non redunderet: quod cùm mente capere non posset, tædio vitæ affectus, eò quòd rem illam intelligere nequiret, se in mare præcipitem dedit, dicens: O abyssus, cùm te capere non valeam, tu me cape. Abyssus est multa quidem mysterium hoc, in quod flumina plurima multorum mysteriorum intrant, quæ cùm omnem excedant rationem, à veritate ipsa non redundat. Quid igitur agendum? nos in abyssum istam nos immittamus, dicentes: O abyssus, cùm te capere nó valemus, tu nos cape: non quidem, sicut Philosophus ille, desperantes, sed potiùs sperantes nos ea saltem capturos, quæ ad vtilitatem nostram expedierint, diuinâ quidem gratiâ freti: quàm vt assequamur, Beatissimam Virginem aduocatam adhibeamus, &c.

Salutatio XI.

Causam perditionis suæ, ac nostræ expressit primus parens, cùm Domino dixit: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Ecce totius generis nostri causam ruinæ. Sed sapientissimus casus nostri reparator escam escæ, mulierem mulieri opponens, remedium adhibuit. esca ex arbore prohibita mortem introduxit, esca ligni vitæ, Christus scilicet, mortem exclusit: *Qui manducat hunc panem*, ait Dominus, *viuet in æternum.* Escam illam contulit prima Eua, escam hanc vitalem contulit Eua secunda: quare meritò ad hominem sic B. Bernard. Muta homo excusationis verbum in vocem actionis gratiarum, & dic: Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factum est ori meo: quia in ipso viuificasti me. Ita S. Bern. *Trueca o Adam la escusa en hazimiento de graçias, no digas la muger que me diste por compannera, me dio del arbol vedado, y para mi veneno so, suyo la muger que tomaste sennor por madre, me d o del fructo del arbol de la vida, y con que repa raste la mia.* Ab ipsa igitur, à qua suscepimus vitam gratiæ, gratiam nobis impetrari curemus.

Salutatio XII.

Assuerus anno tertio imperij sui fecit grande conuiuium cunctis principibus, & pueris suis, &c. Et subdit: *vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus.* Magnum quidem conuiuium hoc est, sed tamen perexiguum, & quasi nullum, si cum sanctissimo Eucharistiæ conuiuio conferatur: in illo enim qui conuiuium faciebat, rex erat: rex autem ille homo purus erat: atqui in hoc, Rex regum est, & Dominus dominantium, Deus & homo simul. in illo inuitati principes erant Persarum atque Medorum, omnes autem infideles peccatores: hi verò inuitati, filij Dei sunt. Ecce enim panis filiorum non mittendus canibus. in illo quidem fercula multa administrabantur, *aliis*, inquit, *atque alys vasis cibi inferebantur*; his verò vnicum tantùm apponitur ferculum, vnicum tamen, sed optimũ, *vno y bueno*, corpus scil. Domini nostri Iesu Christi, denique Deus ipse. Vinum ibi præclarum erat, *vinum*, inquit, *vt magnificentiã regiã decet, abundans, & præcipuum ponebatur*; hic verò pro vino pretiosissimus apponitur sanguis filij Dei. Præterea illud per spatium sex mensium celebrabatur, hoc verò ab hinc mille & sexcentis annis initium cœpit, & vsque ad futurum & æternum sæculum non cessabit. *Ecce enim*, inquit Dominus, *vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*, vtique cibans nos corporis sui cibo. illud ordinauit rex ad ostensionem magnificentiæ suæ, hoc etiam ordinauit Deus ad ostensionem magnificentiæ suæ. quid magnificentius quàm se nobis in cibum exhibere? Denique conuiuium illud parauerunt serui regis, & viles quidam coqui; hoc verò conuiuium præparauit nobis ipsa Regina cœli: nobis enim datus ex tacta Virgine illa. Ecce magnitudinem & celsitudinem conuiuij huius, qui conuiuium celebrat Filius Dei est, inuitati filij Dei sunt, cibus ipsemet filius Dei est, tempus vsque ad finem vitæ: vt ostendat Deus diuitias gloriæ suæ: quæ autem præparauit cibos, beatissima Virgo est, illa est quæ nobis cibum hunc præparatum dedit, & ipsamet erit quæ nobis prædicatum dabit, pro gratia nobis danda intercedens &c.

Salutatio XIII.

Samson ille fortissimus Philisthæis quibusdam hu- *Iudic. 14.*
iusmodi problema proposuit: *De comedente exuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* nescierunt illi, nec intellexerunt verbum: sed tamen excogitarunt remedium, adierunt Samsonis sponsam, & ab ea enixè postularunt, vt à viro suo problematis sensum extorqueret, cisque reuelaret. fecit illa, & tempore responsioni assignato sic Samsoni responsum dederunt: *Quid dulcius melle, & quid fortius leone?* ac si dicerent, scimus te leonem occidisse, & postea in eius ore mellis fauum inuenisse, & sic de comedente, scilicet leone, qui animalia alia ad comedendum occidit, egressus est cibus, & de forti leone dulcedo mellis. quibus Samson: *Si non arassetis in vitula mea, non inuenissetis propositionem meam.* Graue quoddam problema nobis hodie propositum est, non illi quidem dissimile, quod proposuit Samson: de comedente enim Deo, cuius scilicet iustitia deuorare videbatur peccatores, exiuit cibus & de fortissimo illo ac omnipotente rerum conditore egressa est dulcedo. nouimus iam omnes de sanctissimo Eucharistiæ cibo ista nunc dici: sed tamen quas ob causas id præstiterit Deus, arcanum est quidem; adeamus sponsam Dei, & Christi matrem, & per eius intercessionem ad hoc percipiendum gratiam obtineamus, &c.

Salutatio XIV.

Præcepit Dominus Moysi facere mensam ex lignis *Exod. 25.*
setim deauratam, in qua panes propositionis constituerentur, & iuxta mensam candelabrum sex calamos habens, in quibus sex lumina lucerent. cur iuxta panes tot luminaria Dominus constitui iussit? nimirum tot tantaque admiratione digna, in sacra ista mensa & pane isto continentur, vt magna luce opus sit, ad eapercipienda: continebatur autem ibi figura quædam sanctissimi huius Sacramenti, quod ti figura & imago eius tanta egebat luce; quid figuratum ipsum? hanc igitur lucem è cœlo quæramus, &c. *30. & 36.*

Salutatio XV.

Magnum eximiumque beneficium fuit, Deum filijs Israel dedisse olim panem illum Angelorum, & meritò pro beneficio tanto gratiarum actionem exigebat, & hanc quidem quotidie, & summo mane; secundùm illud Sapientis, *Oportet præuenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Meminit hic Sapiens ignis cuiusdam miraculi, quod in manna illo Deus operabatur, quod scilicet talis esset conditionis, quòd cùm ab igne non læderetur, ab vnico & exiguo solis radio lædebatur. *Quod enim*, inquit, *ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat.* & subdit, *vt notum omnibus esset, quonam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam, &c.* Quodsi pro vmbra illa Eucharistiæ sic oportebat præuenire solem ad benedicendum Deum, pro illius scilicet largitione, quid nos facere oportet pro sanctissimo isto cibo per manna figurato? Ad hoc igitur conueniemus hodie, vt scilicet Deum pro tanto beneficio laudemus, & benedicamus: quod vt ritè præstare possimus, gratiam, &c. *Sap. 16. 18.* *Ibid.*

Salutatio XVI.

Sagittarius, vt scopum sagittis suis attingat, poplite flexo, alterum oculorum claudens, sagittas emittit: sic enim

quim certiùs in scopum dirigit sagittas. Sic in rebus fidei à nobis agendum est, si nolumus errare. Proponitur nobis hodie mysterium fidei (sic Dominus ipse vocat Eucharistiæ sacramentum) oportet igitur primò flectere genua, sicut canit Ecclesia: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui*: adorandum enim & non curiosè scrutandum est hoc mysterium: quamobrem debemus alterum claudere oculum. Duos quidem oculos fidelis habet, alterum in quantum homo, & hic est oculus rationis, alterum verò quatenus est fidelis, & hic est oculus fidei. Claudere igitur modò debemus oculum rationis: ratio enim sagittis rationum suarum haud potest attingere hoc altissimum & distantissimum sacramentum, aperiendus autem est oculus fidei, & sic attingere poterimus hostiam illam, quæ etiam scopi formam habet, sic, inquam, attingere poterimus diuina fauente gratia, quam vt impetremus, &c.

Salutatio XVII.

Prou. 8. 4. *O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum.* Ita diuina Sapientia; quæ vt beneuolentiam nostram captaret, se de rebus magnis locuturam esse dicit. Verè possum & ego eodem prorsus pacto beneuolentiam vestram captare: nam certè de magnis rebus hac die locuturus sum: nam de Augustissimo Sacramento agendum mihi est, quo quid maius? quid sublimius? conuiuium Dei est vndequaque magnum, ex parte inuitantis, &c. ne igitur indignè de re adeo digna & excelsa loquamur, diuinam gratiam imploremus, &c.

Salutatio XVIII.

Exod. 12. 10. Inter ea quæ in esu Agni paschalis Dominus obseruanda proposuit, hoc notabile fuit: *Non*, inquit, *remanebit quidquam ex eo vsque mane, si quid residuum fuerit, igne comburetis.* Quis hoc Domini præceptum mysterio vacare credat? quid enim ad te Domine quòd seruent, vel non seruent id quod superfuerit? quid etiam est quòd potiùs velis, id quod superest, comburi, quàm seruari? nónne tu idem ipse es, qui fragmenta panis colligere iussisti in deserto, ne fragmenta perirent? cur igitur fragmenta agni comburi, & non custodiri iubes?

3. p. q. 73. a. 6. nimirum quia, vt ait S. Thom. præcipua figura huius diuini Sacramenti fuit agnus paschalis. Voluit igitur in figura & vmbra illa Eucharistiæ, adumbrare quid nobis agendum esset in ipso Eucharistiæ Sacramento. In eo sunt nonnulla, quæ anima nostra per intellectum suum mandere, & percipere poteſt, vt est, supposita possibilitate, in magnam esse vtilitatem nostram, & in ostensionem magnam diuinæ bonitatis, charitatis, sapientiæ, & aliorum Dei attributorum, & in magnum decus, & eximium honorem generis nostri. sed tamen sunt alia, quæ intellectus noster non capit, quomodo scilicet accidentia absque subiecto esse possint, cùm accidentis esse sit incsse, secundùm Philosophum: quomodo Christi corpus in cœlo simul, & in terra esse possit; & alia generis huius. Hæc igitur sunt quę Dominus iubet igne comburi charitatis, amando scilicet eum valde, qui talia & tanta pro nobis operatus est, vt omnem humanæ mentis intelligentiam excedant, & non solùm meritum nostrum, verùm etiam nostrum intellectum superent, & gratias Deo, quia non intelligere, sed credere hoc mysterium nobis iussit: in quo nostræ prouidit vtilitati: melius enim est nobis credere, quàm intelligere: *Fides enim*, vt ait S. Gregorius, *non habet meritum,*

Iean. 20. 29. *vbi humana ratio prabet experimentum.* Denique: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Vt autem de eo quod in hoc articulo credimus, pro dignitate differamus, opem B. Virginis imploremus, &c.

Salutatio XIX.

3. p. q. 73. Quærit S. Thomas, cur Christus Dominus in vltima cœna, & cùm iam proximus esset morti, voluerit hoc instituere Sacramentum: & respondet, quia ea, quæ vltimò dicuntur, maximè ab amicis recedentibus, magis A memoriæ commendantur, præsertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos, ea verò ad quæ magis afficimur, profundiùs animo imprimuntur. *Quia igitur* (vt B. Alexander Papa I. dicit) *nihil in sacrificio magis esse potest, quàm corpus & sanguis Christi, nec vlla oblatio potior est; ideò vt in maiori veneratione haberetur, Dominus in vltimo discessu suo à discipulis hoc instituit sacramentum.* Ita S. Thomas. Eandem rationem reddit S. Augustinus, *Salvator*, inquit, *quo vehementius mysterij huius altitudinem commendaret, vltimum hoc infigere voluit cordibus, & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem discessurus erat.* Ita Augustinus. Ecce quantopere Christus Dominus hoc Sacramentum nobis commendatum esse voluit, vt illud in tempus mortis suæ referuaret institutendum, & tradendum, vt nobis aliùs commendaret. Hoc igitur speciali nunc agit Ecclesia, quod cùm nos, qui filij Ecclesiæ sumus, deuotiùs & feruentiùs præstemus, donum gratiam ope beatissimæ Virginis imploremus.

Salutatio XX.

B Cùm Dominus ad Nicodemum de superna hominis vita loquerctur, & diceret: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*, miratus Nicodemus, & verborum sensum non assequens, dixit: *Quomodo potest homo nasci denuo, cum sit senex?* & quidem magister in Israel erat ille: nec mirum: nam materia hæc de supernaturali hominis vita sublimis ac subtilissima est. Hinc etiam constat disputationem de Eucharistia & cibo isto cœlesti, sublimem excellentemque nimiùm esse, quippe cùm cibus hic non sit ad vitam naturalem alendam, sed ad supernaturalem illam, & ad illud esse diuinum, de quo Christus cum Nicodemo disputabat. quòd si vita hæc sic supra sensum & captum nostrum est; cibus iste, quo vita ista conseruatur, & augetur, supra omnem sensum & captum humanis nostræ sit oportet. De cibo igitur ad vitam gratiæ spectante acturi, diuinæ gratiæ ope egemus, eam à Spiritu sancto, B. Virginis auxilio imploremus.

Salutatio XXI.

C Dicturo mihi de omnium sacramentorum & miraculorum maximo, desunt, fateor, desiderio verba, sed non verbis desiderium, cui non parum fauere dona bonitas solet. Agamus igitur quod in simili occasione S. Dionysius Areopagita, qui de sanctissima Eucharistia acturus, sic ad Deum conuersus, estatus est: *O diuinum penitus sanctumque mysterium! obducta tibi figuris caligantium sanctorum operimenta dignanter aperiens, nobis palam, & aperta lucesce, & nostros spirituales oculos singulari & aperta tua tuæ fulgore reple.* Ita ille. Obsecremus Virginem, &c.

Salutatio XXII.

D Cogitanti mihi, fratres dilectissimi, huius sanctissimi Sacramenti maiestatem ac virtutem, cuius festum hodie Christi Ecclesia meritò tanta cum lætitia & celebratione veneratur, tam multa & magna simul dicenda occurrunt, vt quidquid potissimùm ex tot eius virtutibus & mirabilibus dicere debeam, ignorem, rectè nunc dicere valeo: Inopem me copia fecit. nam in alijs festiuitatibus præcipuum concionatorum studium est, quid dicturi sint indagare; in hoc autem quid omitti possit, studere oportet. Inopem igitur me copia fecit, & tanquam inops, eleemosynam imploro diuinæ gratiæ, omnes eam per B. Virginem impetrandam imploremus, &c.

Salutatio XXIII.

Plinius fuisse olim refert labyrinthum quemdam in Creta à Dædalo factum, qui arte valde spectabili fuit, & tot viarum ambagibus inflexus, vt qui semel illum intraret, amplius exire nesciret, sed inde in Minotaurum incideret, qui monstrum quoddam terribile (vt Poetæ fingebant) erat. At Theseus illuc ingressus, ab Ariadne accepto fili glomere, Minotauro occiso, ductu fili, quem in principio labyrinthi ligauerat, liber & victor euasit: hoc finxerunt Poetæ. Sed fabula hæc ad rei nostræ veritatem deseruit. Labyrinthus quo-

Lib. 3. hu-

humana ratione inextricabile est hoc diuinissimum A Eucharistiæ Sacramentum : humani enim sensus sibi ipsis commissi exitum veritatis ignorant; gustus se panem gustare affirmabit; visus se panem videre attestabitur; odor se panis odorem percipere dicet; meus quomodo accidentia sine subiecto esse valeant, non attingit, sicut nec alia multa, quæ in hoc Sacramento supernaturali reperiuntur. Labyrinthus igitur est illi, nos in Labyrinthum huiusmodi ingredi debemus : remedio igitur Theseï vtamur, filum, non lini ab Ariadne quæramus, sed filum gratiæ per B. Virginem Dei matrem suppliciter exposcamus. Sic enim & liberi euademus, & non sine fœnore bonorum, &c.

Salutatio XXIV.

Notas facite in populis admonitiones eius. hoc asserit Propheta exigendum esse à nobis Christianis tempore legis nouæ, *& dicetis*, inquit, *in die illa: Notas facite, &c.* Sed dices, quænam sunt admonitiones Christi? multæ quidem & diuino consilio dignæ. Solent equites, cùm hastiludium exercent, admonitiones depromere ingeniosas, quæ velut emblemata seu hieroglyphica quædam sunt, literæ tamen quædam, quæ vulgò dicuntur, *la letra de la deuisa*, exprimunt quid admonitio illa importet. venit Dominus Iesus in huius mundi hastiludiũ, non quidem ad exercitia hæc bellica, quæ animi gratiâ equites exercere solent, sed vt principem mundi huius eijceret foras, & non vnicam, sed plures admonitiones deprompsit, in natiuitate quidem se puerulum exhibuit in præsepio iacentem, & plorantem. litera huius admonitionis fuit, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, &c.* altera inuentio fuit circumcisio eius, litera verò, *Iesus*: altera fuit transfiguratio eius, litera eius fuit, *Hic est filius meus dilectus.* Mors quoque inuentio fuit passio eius, maximè in cruce, litera fuit, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Denique admirabilis inuentio fuit institutio sanctissimi Sacramenti, litera verò eius hæc est, *Hoc est corpus meum. Este pues oy Christo por nuestras calles, ay en publico en cuerpo, vestido de blanco, y en vna hostia, que por vna parte no tiene figura, por otra si, porque por la parte que es Dios, no tiene figura, por la que es hombre si, la letra de la deuisa es, Este es mi cuerpo.* Quonam pacto corpus magnũ & visibile Domini in tam exigua parte? in hoc non apparet adinuentio, res est miraculosa: quam vt explicemus, ope diuinę gratiæ nobis opus est, &c. *para entenderla, bien sera menester Dios, y ayuda de la Virgen santissima, &c.*

Salutatio XXV.

De bonis ac beneficijs à Deo Ecclesiæ Christianæ collatis post incarnationẽ Christi Domini, sic Propheta: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* hic Dauid mirabilia Christi præuidebat, & ea dicit *exquisita in omnes voluntates eius*, iuxta communem Hebraicæ linguæ phrasim, in o & multarum nationum. cùm enim ab amico aliquo in auxilium eius euocamur, ei libenter omnes nostras operas & studia his verbis pollicemur: Id mille voluntatibus præstabo, *señor hare yo esse de mil buenas voluntades, asi, dize Dauid, hara Christo a los suyos mil maneras de gracias con mil buenas voluntades*, & statim ostendens in quo speciatim has rot voluntates, seu affectus ostensurus esset, subdit: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.* quem locum S. Hieronymus, S. Augustinus, Cassiodorus, & communis expositio de Sacramento Eucharistiæ hic Prophetam agere affirmant: quod memoriale quoddam omnium mirabilium Dei appellat, tum quia memoriale quidem est Christi Domini, dicentis: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis*; tum quia est velut summarium quoddam mirabilium Christi Domini. Sicut enim qui publicè verba faciunt, in fine orationis epilogum & perorationem constituunt, in quo summa cum industria omnia quæ latè in concionis discursu amplificarũt, breuiter comprehendunt, vt cuncta facilè ab auditoribus memoriæ mandentur, & sicut Deus ipse postquam mundum condidit vniuersum, in quo varios ediderat essendi gradus, vltimo die & loco, hominem creauit, in quo, velut in epitome quadam, omnes illos comprehendit gradus: sic etiam Christus Dominus, postquam innumera mirabilia fecit, sanctam instituit Eucharistiam, in qua omnia illa veluti resumptiuè copulauit, & ita *Memoriam*, inquit, *fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* quomodo id verum sit, & qualiter omnia Christi mirabilia comprehendantur, demonstrare longam quidem requirit orationem: sicut ipsa mirabilia latissimè patent; acturus igitur de tam mirabili Sacramento, diuinâ ego gratiâ, &c.

Salutatio XXVI.

Diuini huius & sanctissimi Sacramenti super omnes nos participes est beatissima Christi genitrix Maria: ab ipsa enim Christus corpus habet, *Accipite*, inquit, *& manducate*: quid nobis hic ad manducandum præbes, Domine Deus? *Hoc*, inquit, *est corpus meum: caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus*, & vnde caro hæc, vnde sanguis hic nisi ex B. Maria? ipsa quidem est quæ panem hunc lacteum in viscerum suorum clibano nobis decoxit. Vnde Sanctus Augustinus, *Lacta* (inquit ad Dei Matrem) *lacta Virgo ciuum nostrum, lacta panem Angelorum.* lactauit optimè, & tali lacte dignum panem habemus. vt autem modò de hoc pane nos dignè loqui valeamus, ab eadem Virgine opem implore-mus, *ella nos lo dio sazonado, ella nos lo ha de dar predicado, &c.*

Matt. 26. 26.

Serm. 1 de Trinit.

Salutatio XXVII.

Inter omnia fidei nostræ mysteria Eucharistia per antonomasiam & excellentiam mysterij nomen sibi vsurpauit, imò à Christo ipso illi tributum est, vti inter verba consecrationis calicis habemus, *mysterium fidei*, quę quidem verba licet à sacris Euangelistis nõ referantur, per traditionem verò Ecclesia semper illa retinuit. Vocatur igitur *mysterium fidei*, non quia non sint plurima fidei mysteria, sed propter excellentiam Sacramenti: dicitur autem mysterium Græco sermone à verbo, quod est claudere os, seu silere, quasi mysterium sit idem, quod res ineffabilis. Quòd si inter mysteria fidei nostræ est per antonomasiam Eucharistia mysterium, erit inter ineffabilia ineffabilius, vt certè inter magis ineffabilia sit numerandum. Augerit id etiam, quod non solùm dicatur *mysterium*, sed etiam *mysterium fidei*: nam fides ex se habet suam ineffabilitatem. Vnde S. Anastasius Episcopus Nicenus. *Est etiam* (inquit) *silentij species obscuritas.* Ita ille. Obscuritas autem est intrinseca fidei: idco quippe ait Apost. *argumentum non apparentium.* vndique ergo hoc mysterium fidei ineffabile demonstratur: quî ergo fieri potest, vt de tam ineffabili Sacramento loquamur? Deus est qui linguas infantium facit disertas ope gratiæ suæ; hanc igitur imploremus, &c.

q. 91. in S. Scriptur. tom. 1. Bibl. vet. P. P.

Salutatio XXVIII.

Hinc etiam alia est huius mysterij salutatio : nam Concilium Augustense. *Sub elevatione*, inquit, *hostiæ sacræ, antiphona ad hoc sacrificium tantum pertinentes, cantentur, tanquam melius & veteri Ecclesiæ conuenientius esset præsentiam Dominici corporis in altissimo silentio prostratos contemplari.* Pondera verbum *in altissimo silentio*: vt enim qui altissimam auri venam attingere volunt, altissimè fodiant oportet, sic cùm profundissimum hoc mysterium sit, profunda mente attingendum, accedere oportebit, non quidem linguæ superficie, sed mentis & cogitatus profunditate.

c. 18. to. 5. concilior.

Cui rectè consonat Lyturgia S. Iacobi, quæ habetur, vbi dum inchoant lectores Cherubicum hymnum, dicunt: *Sileat omnis humana ac mortalis caro, stetque cum metu & tremore, & nihil terrestre apud seipsum cogitet: rex enim regnantium, & Dominus dominantium progreditur Christus Dominus noster.* Ita ibi. tria hîc à nobis circa hoc sacrosanctum Eucharistiæ mysterium requiruntur,

Tom. 6. Bibl. vet. Patr.

timor, tremor, & silentium. Quis de timendo & tremendo, & silentio digno Sacramento disertè (vti par erat) dicere valebit ? suppleat gratia quod deficit naturæ,&c. A

Salutatio XXIX.

Lib. de natur. Dei non exercitanda.

Sanct. Nilus scribens reuelationem quamdam magistri sui S. Ioannis Chrysostomi , qui , dum faceret sacrum, Angelos circumstantes vidit,sic ait : *Plurimæ statim ex beatis illis virtutibus è cœlo descendentes stolis indutæ splendidissimis,nudis pedibus , intentis oculis prorè altare cum silentio magno,& reuerentia , quoad venerandum illud mysterium expletum fuit,circumsteterunt.* Ita ille. Ponderа singula,*nudis*,inquit,*pedibus*, quod venerationis magnæ indicium:idem enim dictum est Moysi : *Solue calceamentum de pedibus tuis,locus enim in quo stas terra sancta est.* Secundò *intentis oculis,& prone*, vt simul nos reuerentiam , & attentionem , quá rei sacræ assistere debeamus , docerent. Tertiò *cum silentio magno*, quòd si ad præsentiam sanctissimi Sacramenti silent Angeli,meritò nos dicere valemus : Si linguis hominum loquar,& Angelorum, melius silentio quàm verbis , de sublimitate agerem huius altissimi Sacramenti.quòd si temporis & loci occasione,ad agendum verbis de ineffabili mysterio compellimur, ad gratiæ admiculum nos confugere oportet, vt qui tribuit Sacramentum,tribuat sermonem idque beatissimæ Virginis opc,&c. B

Salutatio XXX.

S. Ephrem Eremi Patrum magnus Pater: *Hoc profectò omnem excedit sermonem,omnem mentem,omnem admirationem , quòd vnigenitus Dei Filius Saluator noster Christus corpus & sanguinem suum ad manducandum , & bibendum præstitit nobis.* Ita ille.Sunt quidem nonnulla , quæ propter excellentiam suam , eloquentiam nostram excedunt,quę tantùm mente percipere valemus,non tamen sermonibus explicare, sunt & sublimiora quædam, quæ nec sermone , nec mente possumus comprehendere,& de his solùm nobis restat admiratio , *callar con la boca, y hablar con los hombros.* Sed ad hoc superexcellens Sacramentum nec sufficit eloquentia , nec ingenij acumen,nec ipsamet admiratio. *Excedit*, inquit, *omnem admirationem*,quia postquam pluries admiratus fueris,plùs tibi de quo admirari possis,inuenies , *excedit omnem admirationem* : sed tamen non propterea à laude & prædicatione tanti Sacramenti cessare debemus , imò ideo magis & vberiùs: qui enim auri venam effodiunt , non ideo ab eductione auri cessant,quia vena illa profundissima est,imò propterea magis eam amant, & instantiùs effodiunt. Sic licèt vena hæc diuitiarum Eucharistiæ profundissima sit,haud à prædicatione & laude nos abstinere debemus,sed ideo amplius in hoc ipso insudare, quòd ita profundissima sit , quare diuinum auxilium imploremus,&c. C

Salutatio XXXI.

Exod 16. S. Ambr. Psal. 7.

Exod. 16. legimus ex manna vermes processisse;quid autem spiritualiter hoc insinuet , expressit S. Ambros. serm. 3. de tempore, explicans illud Psal. 21. *Ego autem sum vermis & non homo*,de Christo Domino dicens: Cur totius creaturæ Dominus vermiculo voluit comparari ? Possumus hoc quidem humilitati eius assignare,sed magis illud accipiendum censeo , quoniam vermis de sola & pura Maria generatur. Legimus etiam in libris Moysis de manna vermiculos procreatos: digna plane, & iusta comparatio; siquidem vermiculus gignitur de manna , & Dominus Christus de Virgine procreatur. Quidni ipsam Mariam dixerim, manna, quæ subtilis & splendida est,quæ veluti cælitus veniens , cunctis Ecclesiæ populis cibum dulciorem melle depluit , quem qui edere & manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit ? sicut ipse. Dominus ait : *Nisi quis manducauerit meam carnem,& biberit meum sanguinem, non habebit vitam in semetipso.* Ita S. Ambr. Per beatam Virginem nobis talis ac tantus cibus exhibitus est , per eam etiam similiter dignabitur Dominus ad illum explicandum & intelligendum,gratiam præstare. D

S. Augustus. *Si ad Sacramentum hoc essent verba , non esset ineffabile; si esset ratio,non esset admirabile; si esset exemplum, non esset singulare.* Ita ille. Hinc constat quàm opus sit gratiâ.

S. Hieronym. epist. 3. quæ est ad Heliodorum : *Materias grandes ingenia parua non sustinent , & vitrea vires anus in ipso conatu succumbunt , & quanto maius fuerit quod dicendum est,tanto magis obruitur , quia magnitudinem rerum verbis non potest explicare.* Ita ille.Quæ igitur materia grandior ? &c.

Prop. II. *Verè & realiter Christus Dominus in Sacramento Eucharistiæ continetur.*

Caro mea verè est cibus , & sanguis meus verè est potus. cur Dominus non simpliciter dixit : Caro mea est cibus , & sanguis meus est potus. cur appositi adverbium *verè* ? Sanctus Chrysostomus, *Verè*, inquit, *Domine, caro mea est cibus , ne obscurè loquutum & in parabolis,audientes arbitrarentur.* Ita ille. Et S. Ambros. *Sic Christus est verè Dei filius , non quemadmodum homines per gratiam , sed quasi filius ex substantia patris : ita eius caro vera est , sicut ipse dixit,& verus sanguis eius.* Ita ille. Vide de Sanct. Hilarius : *De veritate carnis & sanguinis Christi non est relictus ambigendi locus : nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra vera caro est , & verè sanguis est.* Ita ille. Græca lectio habet : Verus est cibus,verus est potus, hoc est,non parabolicus,non figurativus , non metaphoricus,sed realis, & verus, sicut panis realis est verus corporis cibus. Quare Christus Dominus in eius institutione, vti refert Apostol. non dixit : *Accipite , manducate*,hæc est figura corporis mei,& sanguinis mei, sed *hoc est corpus meum*, &c. Ita igitur omnes catholici Doctores interpretantur , & ita tenet catholica mater Ecclesia de fide , & in huius fidei pacifica possessione permansit absque contradictione Ecclesia per mille annorum spatium. quòd si nonnulli hæretici in Græcia oppositum affirmare tentarunt,eorum citò falsitas euanuit ; post mille verò annos quidam nomine Berengarius,homo plùs quidem audaciâ pollens , quàm literis ornatus, hæresim contra realem existentiam Christi in Eucharistia excitauit,& multos seduxit: erat enim homo sagax,& secundùm mundi sapientiam prudens.Sed Nicolaus Papa II. aduersùs hæresim hanc Concilium centum & tredecim Episcoporum Lateranense coegit, vbi hæresim huiusmodi damnauit,& anathematizauit, & in ipso Concilio Berengarius diuinâ misericordiâ oculos aperiens , hæresim suam abiurauit,& conuersus ad Dominum,seductum se fuisse confessus fuit , quæque postea in hora mortis suæ angustias magnas cordis patiens,dixit: *Deus meus hodie vidi apparebis ad meam saluationem,vt spero,propter pœnitentiam meam,vel meam condemnationem , vt timeo , propter eos , quos peruersa doctrina mea decepi,quos reducere nequeo ad veritatem tui sacramenti,* & sic expirauit. E

Postea contra fidem huius diuini sacramenti surrexit in Germania hæreticus quidam Carolstadius , homo quidem tali hæresi dignus,de quo alius,nó quidem Catholicus, sed hæreticus quidam etiam sic affirmauit: Fuit Carolstadius homo ferox , sine ingenio,sine doctrina,sine sensu communi, quem nullum vmquam humanitatis officium exhibere animaduertimus , tantùm abest,vt in eo manifestatio aliqua spiritus sit. animaduersa hæc est cœlestis hæretici de hæretico,vt sit salus ex inimicis nostris. Huiusmodi capitis sunt membra hæretici Sacramentarij nostri temporis, huncauthorè habẽt hi noui magistri:qualis author,tales & discipuli eius. Ita inquam,fuerunt huius perniciosissimæ hæresis inuentores , quorum alter palinodiam recantauit , & quidem maxi- F

maximè hora mortis, quando quod verum est omnes confiteri solent, *hora de verdades*; alter verò vir ita perditus, & sceleratus, & propter hos nostræ tempestatis hæretici à sanctorum Patrum doctrina, à maiorum suorum more, à Catholicæ religionis fide temerè, recesserunt.

Quare verò nonnulli Hæresiarchæ huiusmodi errorem amplectantur, prædixit Apostolus Paulus: *Scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: & ex vobis exurgent viri loquentes perversa.* Cur ita? subdit: *vt abducant discipulos post se.* Ecce causam, superbia fuit in causa. Si consilium Domini attendissent: *Nolite vocari ab hominibus Rabbi*, non ita delirassent.

Aiunt igitur hæretici isti, corpus Christi in Eucharistia non esse corpus Christi verum, cùm tamen Christus Dominus verum esse dicat: ait enim iterum: *Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Vbi S. August. & Sanct. Cyprian. aiunt, hic Christum Dominum assignasse differentiam inter manna, & Eucharistiam, quòd manna fuerit panis huius figura, panis verò hic diuinus fuerit veritas illius figuræ. Vnde Sanctus Thomas, *Umbram*, inquit, *fugat veritas*: quòd si veritas, quomodo figura, & vmbra?

Quod etiam hac ratione confirmatur: Si rex aliquis filio suo secundo talem, ac talem ciuitatem relinqueret testamento, & postea executores & testamentarij tabulam quandam illi regi filio redderent, in qua illæ ciuitates depictæ continerentur, dicentes: Ecce ciuitates à patre tuo tibi relictas; itáne principi fatisfaceret? Sic igitur hæretici hi modò faciunt, reliquit nobis Dominus corpus & sanguinem tanquam hæreditatem paternam; offerunt autem nobis hæretici corpus nescio quod depictum, & sanguinem vmbraticum, dicentes: Id est, quòd Pater vester Christus in Testamento suo reliquit: at nos reclamamus vehementer, & dicimus: Pater noster dedit nobis panem verum, carnem, inquam, veram suam in cibum, & sanguinem verum in potum, dicens: *Caro mea verè est cibus, &c.* quid tu non verè dices hæretice, & insipiens? &c.

Quare Concilia sacra & vniuersalia veritatem hanc, tanquam de fide Catholica, tenendam esse, decreuerunt. Vnde Concil. Trident. sic decernit, *Docet* (inquit) *sancta Synodus, & apertè & simpliciter confitetur, in almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum atque hominem, verè, realiter, atque substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri.* & ait: *Si quis negauerit in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere & realiter & substantialiter corpus & sanguinem vna cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit tantummodo esse in eo vt in signo vel figura aut virtute, anathema sit.* Ita ibi, sufficiat pro authorit. Concilior. locus iste.

Præterea veritas hæc quamplurimis est à Deo miraculis confirmata, ita vt ex solis miraculis Eucharistiæ integrum volumen confici possit. Abundant libri exemplis de miraculis huiusmodi, & superuacaneum esset hic illa referre; sufficiat ergo vnum vel alterum in huius propositionis confirmationem adferre.

Primum sit ex vita S. Gregorij Papæ, vbi sic habetur: Matrona quædam B. Gregorio singulis diebus Dominicis panes offerebat, qui cùm aliquando post Missarum solemnia corpus Domini offerret illi matronæ, ac diceret: Corpus Domini Iesu Christi custodiat te in vitam æternam, subrisit illa; tunc S. Gregorius dexteram ab ore illius retrahens, corpus Domini super altare collocauit, postmodum verò interrogauit eam, quam ob causam ridere præsumpsisset? at illa, quia panem, inquit, quem proprijs manibus feceram, tu corpus Dominicum appellabas. Tunc S. Greg. pro incredulitate mulieris se in oratione prostrauit, & surgens particulam illam consecratam carnem redditam adinstar digiti reperit, & sic matronæ illius fidem reparauit. orauit autem iterum Deum, & carnem illam in speciem panis conuersam vidit. Ita ibi.

Aliud quoque refert Thomas à Kempis in vita venerabilis Hugonis Bruno, dicens: Accidit vt vir quidam fidelis occulta impugnatione diaboli tentaretur in fide, qui de Sacramento altaris cœpit quodammodo dubitare de veritate corporis Christi, is ergo cùm staret ad Missam audiendam deuoti cuiusdam sacerdotis, sæpe gemebat dolens de praua immissione spiritus maligni, orbatéque Dominum, vt in tali vacillatione sui misereretur; tunc misericors Deus, qui animarum saluti libenter occurrere solet, præfatum virum noua & insolita visione instruxit, & in fide sua suauiter confortauit. vidit namque inter manus sacerdotis sibi apparere, non speciem panis, sed formam speciosi præ filijs hominum pueri, & nimiùm stupens ac tremens gratias egit, & Deum benedixit, & in fide Sacramenti huius mansit confirmatus. Ita ibi.

Præterea insigne miraculum in huius rei confirmationem scriptum asseruatur in districtu ducatus Bruxellensis, vbi, sicut refert Ioannes Maior Societatis nostræ Iesu, Anno Domini 1369. in die sacræ Paraseues, dum se Christiani in memoriam Dominicæ passionis admirabili deuotionis cultu exercerent; Iudæi quidam in vnum locum Bruxellis constitutum conuenerunt, & ex illis Archisynagogus quidam, nomine Ionathas, thecam exhibuit, in qua fexdecim hostiæ consecratæ continebantur, quas triginta argenteis à quodam Christiano, qui cas furto abstulerat, sacrilegè coemerat. vbi Iudæi illi pugionibus & cultris easdem hostias transfixerunt, ex quibus statim sanguis vbertim emanauit magno cum stupore, ac tremore, ita vt nonnulli eorum præ horrore in terram pæne mortui corruerint, cæteri à tam nefario crimine manus retrahentes, occultare miraculum statuerunt, ne ad Christianorum Principum aures peruenire: sed Deo contrarium decernente, miraculum diffamatum fuit. Quapropter *In speculo magno exemplorum.* serenissimus Brabantiæ dux, Boemiæ Regis filius, nomine Wenceslaus, mandauit omnes Iudæos in ciuitate Bruxellensi tunc temporis commorantes, & in suburbijs & locis circumiacentibus existentes, capi, & in carcere asseruari, ibique varijs tormentis adacti, facinus confitentur, & processu super eorum facinore exacto, flammis viui comburendi adiudicantur in loco extra mœnia eiusdem ciuitatis constituto, dicto Wollendrics, postquam publicè per totam ciuitatem vecti fuissent, & forcipibus ferreis candentibus, eorum carnes laceratæ. Facta est autem hæc animaduersio in vigilia Ascensionis Domini anno 1370. & eorum bona fisco fuerunt adiudicata. Ita ibi.

His quidem & alijs innumeris miraculis inter fideles & infideles factis, manifestè Dominus manifestauit, verum corpus Christi Domini, & verum eius sanguinem in augustissimo Eucharistiæ Sacramento contineri, atque adeo, non per metaphoram, sed per realem proprietatem à Domino dictum esse: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus.* *Ioan 6. 55.*

At, inquies, si caro est vera, & sanguis verus, cur Sacramentum hoc panem vocauit Christus Dominus, dicens: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, & alibi sæpe, & nos etiam eodem loquendi modo dicimus cœlestem esse panem. Respondetur primò, dici quidem panem, quia priùs sub his speciebus panis existebat, non verò quia post consecrationem ibi quidquam de panis maneat substantia: sicut in pharmacopolio nonnulla vasa videmus varias subscriptiones continentes, v.g. Aqua rosacea, Aqua bugloss æ, &c. cùm tamen vacua illa vasa sint, & nullam prorsus aquam, sed solum aërem continent: remanserunt autem huiusmodi tituli ex eo tem-

tempore, quo ibi huiusmodi aquæ erant; sic quia spe- A ciebus, quibus post consecrationem caro & sanguis Christi Domini continentur, substantia panis & vini continebantur, ideò titulus panis & vini in Sacramento sancto remansit.

Secundò ad significandos effectus, quos in animis operatur sanctum hoc Sacramentum, per metaphoram quamdam dicitur panis & vinum, quia v. g. sicut panis cor hominis confirmat, & vinum cor hominis lætificat; sic Sacramentum hoc cor animæ confirmat, & lætificat quoque, & sic de alijs analogijs, quæ in hoc Sacramento reperiuntur cum pane ac vino. quare de hostia dicere possumus, quod Iacob olim de loco, in quo scalam illam mysticam vidit: *Non est hic aliud nisi domus Dei*, non est hic panis, neque vinum, sed species panis & vini sunt, velut domus Christi in hoc Sacramento. *Gen. 28. 17.*

Verum quidem est quod in hoc mysterio omnes ferè humani sensus reclamare videntur, & affirmare, hic B verè panem & vinum contineri: nam visus se panem videre ac vinum, & gustus se panem gustare ac vinum, & olfactus se panem ac vinum odore percipere affirmabunt: sed tamen, vti S. Thom. in quodam huius festi hymno ait:

Verbum caro, panem verum,
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit.

Deficit ergo hîc sensus humanus, vnde minimè abeo, sed à fide testimonium accipiendum est. Vnde meritò subdit sanctus Doctor: Ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit. Nunc igitur sensuum argumento satisfaciamus, dicentes, in hoc Sacramento manere quidem accidentia panis, videlicet saporem, colorem, odorem, quantitatem, & alia huiusmodi, non verò substantiam panis, & idem est de vini accidentibus dicendum. Sicut enim Iacob vestitus vestibus Esau, Iacob quidem erat; vestes autem vestes erant, non Iacob, sed Esau: sic etiam Christus Dominus in hoc Sacramento, velut indutus vestibus panis, procedit, Christus tamen est, non panis. Vnde sicut Isaac solo auditu percepit illum esse Iacob, sic etiam solus auditus, qui fidei deseruit, verum habet: ait enim, quod ego audio à Christo est, *Hoc est corpus meum*, & c. non verò, hic est panis, vel vinum: auditus ergo inter sensus hic locum solus habet. *Matt. 26. 26.*

Præterea, sicut cùm quis domum suam Regi in hospitium offert, optimis tapetibus, & stragulis, & supellectili ornatam, & eo recedente, rex domum intrat, domum quidem alienam inhabitat rex, solus tamen eam occupat: non enim dominus ille domus ibi remanet, sed solùm supellex eius; sic panis ad hoc Sacramentum accidentia sua velut supellectilia quædam obtulit; ipse tamen abijt, & recessit, & quantitatem suam cum alijs speciebus, velut domum ornatam, Christo Domino reliquit. D

Denique dices, hîc non solùm sensus, verùm etiam intellectus ipse & naturalis ratio reclamat: quomodo enim intellectus percipere potest esse accidentia sine subsitantia, dicente Philosopho: *accidentia esse est inesse*? quomodo corpus Christi magnum in tam exigua hostia contineri potest? quomodo totus in toto, & totus in quauis parte hostiæ potest Christi corpus esse, cùm hoc, non corporis, sed animæ proprium esse videatur? quo verò pacto vnum & idem corpus in cœlo & in terra, & varijs locis, seu partibus mundi simul & semel esse potest? sed ex submissione sensus rationi, submissio rationis fidei deduci debet. Videmus sæpe sensus decipi circa sensibilia: nam si secundùm visum de magnitudine solis iudicaremus, solis globum paruũ & vt summùm non maiorem mola asinaria esse diceremus; ratio tamen hîc sensum moderatur, & iudicat solem secundùm Astrologiæ principia maiorem esse multoties, quàm terram uniuersam. Præterea, virga in aqua semmersa videtur visui curua vel fracta, cùm tamen reuera integra & recta sit, & ita iudicat ratio, non secundùm visum hîc philosophandum esse. Item sensus auditus in illa vocis reuerberatione, quam vocant Echo, illam quidem vocem humanam iudicat, cùm non sit nisi mortuus quidam sonus, inter scissuras rupium formatus: huiusmodi autem sensuum errores corrigit emendata ratio, quia superior quædam lux est luce sensuum inferiorum. Sic etiam cùm fides lux quædam sit superior luce nostræ naturalis rationis: superior est enim supernaturalis; ad fidē pertinct rationis errores emendare, & castigare. & quia in rebus supernaturalibus, & miraculosis, quale hoc Sacramentum altissimum est ratio sola non est admittenda, dictis fidei standum est, & nos intellectum nostrum captiuare debemus in obsequium fidei. & sicut captiuus non debet à dominatore rationem quærere eorum, quæ illi iubet; sic & nos nequaquam rationem indagare debemus naturalem eorum, quæ præcipit fides. sit pro ratione reuelatio diuina, sicque factum esse, à Deo dici, qui omnipotens est: nam, vti ait Sanct. Ambros. *Sermo Christi hoc confecit Sacramentum. quisnam sermo Christi? nempe is quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & facta est cælum: iussit Dominus, & facta est terra: iussit Dominus, & omnis creatura prompta est. Vides quam operatorius sit sermo Christi? si ergo tanta vis est in sermone Domini, vt per eum inciperent esse, quæ non erant; quanto magis operatorius est, vt quæ erant in aliud commutentur? Non erat ante consecrationem corpus Christi, sed post consecrationem, dico tibi, quod corpus Christi est, ipse dixit & factum est.* Ita Sanct. Ambros. & Sanct. Damasc. *Si verbum Dei*, inquit, *efficax est, & omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra; non potest sanè corpus suum facere & vinum sanguinem?* Ita ille. Iratele qui dixit: Fiat lux, & facta est lux, fiat firmamentum, & factum est ita; cur non poterit transsubstantiare panem in carnem suam, & vinum in sanguinem suum? quinam tam insolens qui non captiuet intellectum suum in obsequium Christi, si verè intellectum habet & ratiocinium? Potuit Christus Dominus aquam in vinum commutare, in Cana Galilææ; cur non credat homo posse Christum per eandem omnipotentiam vinum in sanguinem commutare, & accidentia à subiecto separare, & reliqua omnia quæ fides docet, & intellectus non attingit? Iustum igitur est hominem subditum esse Deo, & intellectum humanum nolle pariu Deo sentire: rectè enim S. Augustinus inquit: *Tota ratio est, potentia facientis.* Et Sanct. Chrys. *In alijs*, inquit, *certaminibus laureas referunt qui vicerunt; at in dispositionibus diuinis, solis illis debetur corona qui se vel magnitudine victos ingenuè fatentur.* Ita ille.

Vnde quidam ex amicis Iob ad Iob sic locutus fuit: *Memento quòd ignores opus Dei*, alia litera sic habet: Memento quòd magnifices opus Dei, ex vtraque verò litera hunc colligemus sensum: in rebus diuinis nostram confitendo ignorantiam & sapientiam Dei esse superem captum nostrum, magnificabimus Deum, & meritò. sic enim confitemur plus posse facere Deum, quàm nos intelligere & capere possimus. Hinc Sanct. Chrysostom. *Si quid te visibilium excedit, & rationem mouere non potest, glorifica Creatorem: quia mentem tuam sapientia factorum excedit.* Imò & inter Gentiles hunc diuinæ sapientiæ & potentiæ excessum super captum nostrum notum & acceptum fuisse reperimus. Sic enim olim Ægyptij in templis suis ramos dactylorum offerebant dijs suis, non quidem dactylorum mortuorum, sed viridium: cur ita? refert Ololomius, dactyla illa matura sicut vinum merum & forte, inebriare homines; viridia verò dactyla nequaquam: quo significare voluerunt veritates diuinas & opera Dei, non esse iudicio nostro maturanda, sed viridia sine tali mentis maturatione esse suscipienda.

menda. Vnde rectè S. Augustinus, *Demus*, inquit, *aliquid Deum posse quod fateamur nos inuestigare non posse.* Ita ille. Quasi dicat, non simus adeo superbi, & vani, vt non minùs nos intelligere posse censeamus, quàm efficere Deus possit. Solent reges in alearum ludo chartis opertis ludere, & hoc ad maiestatem suam pertinere autumant, vt dictis eorum fides adhibeatur, ita vt se tot puncta habere alij credant, quot occultis aleis inesse dixerint ipsi: quid igitur mirum si supremus ille Dominus Rex regum, & Dominus dominantium, in huiusmodi supernaturalium rerum, & Theologiæ punctis, & occultis, sibi dicenti fidem velit adhiberi, & maximè in hoc ineffabili Eucharistiæ sacramento, in quo idem ipse Deus opertus & occultus manet?

Præcepit olim Deus primis parentibus, ne de arbore scientiæ boni & mali comederent, & mortis pœnam interminauit, nec causam cur hoc illis præcepisset, adiunxit. affuit illico diabolus, & dixit Euæ: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradisi?* Aduerte, in quo tentatio ista consistat, obedientia quidem non debet inniti rationi, sed voluntati Dei: non enim Deo obedire debemus propter hanc vel illam rationem, sed quia ita iubet Deus,

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Eodem igitur modo, quo per obedientiam vult Deus nostram subijci voluntatem voluntati eius; sic etiam per fidem vult subijci intellectum nostrum intellectui eius. Sicut igitur tentat hostis obedientiam nostram, causam obediendi inquirendo, sic & fidem, causam credendi inquirere suadendo, maximè in hoc sacramento. ibi vt comederet homo, ad causam recurrit; hic vero, vt non comedat homo. ibi per os serpentis dixit: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis*; hic verò per os aliud serpentinum dixit: *Quomodo potest hic carnem suam vobis dare ad manducandum?* vbique tentatio; vbique deceptio. Nos igitur gerere hic debemus, sicut Ezech. vbi Dominus ad Ezechielem: *Fili hominis aperi os tuum, & comede quæcumque ego do tibi*, & expandens volumen quoddam dixit iterum: *Fili hominis quodcumque inueneris, comede*, quasi diceret: ne inquiras, nec quæras quid, vel quare, vel quomodo, &c. sed tacendo comede, & comedendo tace: aperi os, & oculos claude. Sic ille fecit, sic & nos faciamus. *Ne quæramus quomodo*, ait S. Cyrillus, *sed operis sui Deo viam & scientiam concedamus.* Ita ille: ac si diceret, ne quæramus quomodo carnem suam nobis potest dare ad manducandum, sicut Iudæi, nec quomodo gratiam animæ conferre potest cibus corporalis. vt Hæretici, nec quomodo panis in carnem conuerti potest, & accidentia à subiecto separari, vt Philosophi Gentiles; sed claudentes oculos, os aperiamus, vt comedamus cœlestem cibum, & laudemus cœlestem largitorem, qui tanto nos beneficio honoreque afficit. Sicut Daniel, qui in lacu leonum existens, cibum à Deo sibi exhibitum accipiens, non quæsiuit quomodo, & vnde, & qua ratione fuisset delatus, sed gratias Deo agens, illum manducauit: & denique sicut reges Magi, cum in porticum Bethleem ingressi fuissent, & maiestatem diuinam in stabulo & præsepio iacentem comperissent; haud interrogauerunt, quomodo suprema illa maiestas in tam vili receptus esset loco? quomodo ditissimus Dominus pauperrimis pannis esset inuolutus? quomodo lætitia fieret? quomodo tot tantorumque Angelorum rex solus ibi appareret? quomodo Deus homo, Deus puer? sed procidentes adorauerunt eum, quia non rationem sed fidem ducem afferebant. Sic nos fidei obsequentes, & non rationibus humanis arguentes, procidamus ante Deum, & adoremus eum, qui nos ita diligere, ita ditare dignatus est.

Sancta igitur & Catholica religio, & Ecclesia Christiana, fide tenet per verba consecrationis immediatè panem in carnem, & vinum in sanguinem Christi conuerti, nihilque substantiæ panis in hoc sancto Sacramento, sed solùm panis & vini accidentia remanere, essèque Christum Dominum in tota hostia, & in qualibet parte eius, & tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur, & vbicumque fuerit hoc diuinum Sacramentum confectum, ibi esse eundem Dominum Iesum Christum vere qui sedet ad dexteram Patris in cœlo: & ob hanc causam Dominus dixit: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus, &c.* Ioan 6. 55.

Credit igitur sancta mater Ecclesia hunc panem cœlis non panem; sed carnem esse Christi; licet nomen retineat panis, & propter hanc fidem hoc potitur Sacramento; hæretici verò, quia non ita credunt, non ita habeat, sed carent. Refert Horus, antiquus author, habitatores insularum Balearium, quæ modò Maiorca & Minorca nominantur, in fundarum iactibus adeo peritos fuisse, vt inde ipsæ insulæ dictæ fuerint Baleares, quod Græcum nomen est, à verbo βάλλειν hoc est, iacere; industria verò & modus, quo sic periti euasissent, hæc fuit: matres ientaculum pueris daturæ, illud in loco sublimi, quem manu attingere pueri non possent, collocabant. & illi, qui fundæ iactu attingeret & deijceret ientaculum, dabatur, qui verò non attingebat, ieiunus manebat. *al que acertaba con el tiro al pan, sele daba, al que no acertaba, no.* Sic igitur nobis cum egit mater Ecclesia, in medium protulit ientaculum hoc sanctissimi Sacramenti: quod meritò ientaculum dici valet: nam, sicut ientaculum primus cibus diei est; sic Eucharistia ante reliquos cibos sumi debet. In alto item loco est collocatus: nam supra captum nostrum est, iactu fidei attingendum est ientaculum illud; ideo hæretici ieiuni manent ab hoc cibo, quia attingere fide nescierunt, *no acertaron a dezir aqui esta el cuerpo sanctissimo de Christo consagrado.* ideoque nos eo fruimur, quia fide nostra illud attingere nouimus: illi æternas gratias, qui aduuit nos ad tantam fidem habendam.

Caro mea vere, &c. cur addit verè? vt non figuratiuè ibi Christum esse dicamus. Ita Tertull. contra Marci. Iust Mart. Clemens Alex. S. Chryf. & Theophyl. confirmat Tertull. hunc locum ex illo vbi de Christo sic Patriarcha Iacob: *Lauabit in vino stolam suam. & in sanguine vuæ amictum suum*, quem quidem locum non solùm Catholici authores, verùm etiam Rabbini Iudæorum de Christo intrepretantur: nam Petrus Galat. affirmat, quòd Rabbi Cahana sic exponit hunc locum: *Lauabit*, inquit, *in sanguine vuæ pallium suum, hoc est, demuntatem suam: quia sicut pallium eorum hominum circumdat; ita Deus totum replet mundum. Rubicundiores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidores, hoc est, in sacrificio quod fiet ex pane, non obstante quod album sit veluti lac, conuertetur substantia in substantiam corporis Messiæ, eritque in ipso substantia sanguinis rubra vt vinum, erunt item tu sacrificio vini sanguis & caro Messiæ, & eidem erunt in pane.* Ita ille. Quibus, quæso, verbis S. Hieronymus, & S. Augustinus clariùs veritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia explicare potuissent? falutem igitur habemus ex inimicis nostris, &c. Ioan. 6. Apol pro Christian. lib. 4. Gen 49.11 Lib. 10. de arca fidei. c. 6.

Vnde Christus Dominus ad Iudæos: *Amen, amen, dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Quid ais Domine? manna non erat panis de cœlo? quomodo ergo ait Propheta: *Pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducauit homo?* nimirum quia panis ille erat figuratiuus, ideò addit Christus: *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum*, hoc est, non figuratiuum, sicut ille erat: ait ergo Christus: *Caro mea verè est cibus*: verè, hoc est, non figuratiuè, sed realiter, velut id quod per illud manna figuratum erat. Ioan 6. 32. Ps 77. 24

Prop. III. *Quàm gloriosa fuerit Deo institutio Eucharistiæ.*

Exod. 16. 7. EXod. 16. 7. opprimebatur fame populus Israel in deserto, cui Moyses: *Mane videbitis gloriam Dei.* Vbi dedisse Deum populo cibum illum (manna ille erat) gloriam Dei vocat. Cur ita? Cur non prouidentiam seu misericordiam, aut liberalitatem dicit, sed gloriam?

Tertull. Tertullian. lib. contra Physi. ponderans hoc dicit: *Dum fameliciis tribuit cibum, & de cœlo epulas mittit, gloriam suam Dominus appellat, qui gloriosè magnificatus dicitur in suorum salute ac libertate.* Ita ille. Quòd si dedisse manna ob vitam & salutem corporalem populi Israel, gloriam suam reputat Deus, quantò magis gloriosum illi erit se ipsum in cibum nobis tribuisse? & similiter quantò ampliùs nos gloriari oportet in cibo isto diuinissimo, quàm illos in suo manna?

Prop. IV. *Dei bonitatem decebat instituere Eucharistiam.*

INter omnia, quæ Deo nostro diuinitatis iure attribuuntur, tria præcipuè numerantur, bonitas scilicet, potentia, & sapientia: & quamuis in Deo tria hæc attributa vna & eadem res cum diuina essentia simplicissima sint, & proinde parem laudem & gloriam mereantur; bonitas tamen in nostro modo concipiendi præcisiuo, glorioſior est in Deo: quam etiam Deus apud homines testatam magis & cognitam esse cupit. vnde bonitatis suæ gratiâ maiora edidit testimonia: nam, vt potentiam suam manifestaret, mundum ex nihilo solo voluntatis suæ nutu creauit; vt sapientiam suam ostenderet, Vniuersi partes ordinatissimè compositi; vt autem bonitatem suam explicaret, homo factus est, & triginta tribus annis inter homines versatus, mira fecit, miraque passus est, & tandem propter nos homines, & propter nostram salutem, & vt nos bonos efficeret, in cruce mori dignatus est. quantò igitur opus hoc reliqua præcellit; tantò in nostro conceptu bonitatem suam præcellere optat. Bonitatis autem proprium est nos efficere bonos, & similes illi, sicut ex bonitate ignis procedit, cuncta in se mutare, & in ignem conuertere. Hoc igitur est, quod per Eucharistiæ sacrificium præstat: nos enim hoc Sacramentum bonos facit, & in diuinos conuertit: non enim sicut alij cibi, in comedentem conuertitur; sed potiùs comedens conuertitur in ipsum cibum. Quanta hîc Dei nostri bonitas relucet, qui vt nos bonos faceret, se in cibum nobis exhibere dignatus est!

Prop. V. *Quanta sit Eucharistiæ excellentia.*

MAgnam quidem fuisse Veteris testamenti excellentiam, minimè negari potest, verumtamen longè eius excellentia distat à sublimitate Noui testamẽti; nam primò testamentum illud terminabile fuit, & per Christum Dominum consummatum; at testamentum Nouum, æternum nominatur: illud præterea figurarum, & prophetiarum, & vmbrarum plenum fuit: omnia enim in figura contingebant illis, & vmbram futurorum bonorum habuit: at Nouum testamentum complementum habet illarum prophetiarum, & figurarum, & vmbrarum. Item testamentum illud timoris, erat plenum legibus, & præceptis, *quod nec nos, nec patres nostri portare potuerunt*, ait Sanct. Petrus, Nouum verò est amoris & suauc. *Iugum*, inquit, *meum suaue est*, &c.

Præterea lex Veteris testamenti data fuit per Angelos, *Accepistis, legem*, inquit S. Stephanus, *in dispositione Angelorum*: at in Nouo testamento ipsemet Filius Dei legem nobis promulgauit: nam *olim loquens Deus patribus in Prophetis; nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio*, & hoc idem de Sacramentis illius, & istius testamenti dicendum est: nam Sacramenta, & sacrificia illa per manus sacerdotum illius temporis tradebantur: at sacramentum, & sacrificium Noui testamenti, ipsemet Filius Dei & instituit, & statim ipsemet illud discipulis suis administrauit. quo quanta sit excellentia huius diuini sacrificij, facilè demonstrauit.

Solet architectus per manus operariorum suorum lapides expolire, & parietibus adaptare: at constituto clauem, & vltimæ manus impositionem sibi reseruat, tanquam id quod maioris momenti est in opere ædificij: sic cùm Deus Ecclesiam suam ædificare inceperit per Moysen, Prophetis, & Sacerdotibus illis, & Angelis ministris suis id commisit; sed cùm extremam manum imponere vellet, & veluti clauem apponere operi suo, per sanctissimæ Eucharistiæ institutionem apponere voluit: hoc non iam Prophetis, nec Sacerdotibus, nec Angelis commisit; sed per seipsum id præstare decreuit. tanti ponderis erat Eucharistiæ institutio.

Agens Propheta de beneficijs Christi exhibitis Ecclesiæ suæ, ait: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Quis est hoc, quod Deus parauit pauperi suo? & quis est pauper iste Dei, cui Dominus præparauit id ne dico quid? S. Hieronymus: *Pauperes ipsi sunt sanctiDei, in quibus hæc dulceda defluxit, quæ mellis ac fauis saporem vincit.* Ita S. Hieronymus. Dicuntur autem pauperes Dei sancti, quia hi sunt illi pauperes spiritu, quos Christus beatificauit Matth. 5. nam licèt nonnulli eorum diuites fuerint, nihilominus tamen in corde suo, & in spiritu interiori suo ita diuitias contempserunt, vt meri pauperes spiritu, hoc est, pauperes in spiritu, & cordis suo fuerint; his parauit Deus in dulcedine sua, quam explicauit, sed colligi potest ex antecedentibus, & consequentibus. Agit hoc in loco Propheta de beneficijs, quæ nobis contulit Christus in fine vitæ suæ, & post resurrectionem suam, inter quæ non infimum locum tenet, sed inter maxima computandum venit Sacramentum Eucharistiæ; hic est igitur cibus, quem in dulcedine sua parauit Dominus sanctis suis. Quonam pacto in dulcedine sua; exponit sapiens in manna illo, quod expressam huius cœlestis cibi figuram gessit, Sap. 16. *Substantia, inquit, enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habebas, ostendebat:* sic in dulcedine sua Eucharistiam nobis Deus præparauit. Alia litera habet, *in bonitate tua.* Bonitas in communicatione manifestatur: est enim bonum diffusiuum sui, vti ait Sanct. Dionysius, quæ autem communicatio maior, aut quæ sui diffusio copiosior esse potuit, quàm in Eucharistiæ Sacramento? *O larga, & prodiga largitas,* (ait Vrbanus Papa) *vbi donator venit in donum, & datum est idem pentius cum datore.* Hic nobis Dominus humanitatem suam Deitatemque tribuit, & personam Verbi, & tres personæ diuinæ cum humanitate, & diuinitate Christi nobis communicantur, cùm communicamus. hic etiam communicatur nobis augmentum magnum diuinæ gratiæ, charitatis, & meritum magnum gloriæ consequenter. & ob id maximè sumptio Eucharistiæ Communio appellatur: meritò enim absolutè per antonomasiam, & excellentiam Communio dici potest, quia maior communicatio à nobis imaginari non potest in hac vita.

Quare iure Dauid verba illa supradicta protulit: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*: non autem dicit, quidnam hoc indicibile bonum est. magnum beneficium fuit filijs Israel manna illud celeberrimum, ibi quoque parauit illis in dulcedine sua Deus, & ipsi quasi indicibilem cibum censebant, cùm se mutuò respicientes, & quidnam est cibus ille, ignorantes, dicebant: Quid est hoc? seu quis cibus ille? cibus creatus erat, creatura

Act. 7. 53.

creatura erat, hic panis, Deus ipse est, Creator ipse est, non creatura est, id quod nobis communicatur: ille panis Angelorum à Dauide dictus est, hic panis Dei à Christo nuncupatur, ille gratiam non præbebat illis, hic copiosam gratiam exhibet nobis.

Nilus Monachus, & discipulus S. Ioannis Chrysostomi Episcopi ad Anastasium Episcopum, de S. Chrysostomo nonnulla scribens, ait: *Sæpe Chrysostomus vidit in Ecclesia Angelos, sed maxime tempore sacrificij Missæ; itaque admiratione, & lætitiâ plenus, amicis multùm spiritualibus seorsum narrabat, quemadmodum, cum sacerdos oblationem sanctam facere inciperet, plurimi Angeli è cœlo delapsi, splendidis vestibus indúti, nudo pede, aspectu intenti, vultu demisso, circumstantes altare magnâ reuerentiâ, & quiete, ac silentio, vsque ad mysterij consummationem assistunt, deinde discurrentes huc, atque illuc per totam Ecclesiam, Episcopos, & presbyteros, qui corpus Domini distribuunt, adiuuant, & corroborant.* Et subdit: *Hæc scribo, vt intelligentes quanti tremoris sit diuina Missa, nec ipsi reuinci timorem Dei negligatis, nec vllos alios loqui, aut inuisitate tempore oblationis, aut ab statu gratuitis dimoueri, neque huc atque illuc circumspicere, aut ignauè diffluere, vagari, permittatis.* Ita Nilus.

Quantâ nobis reuerentiâ & veneratione celendum & celebrandum sit Eucharistiæ Sacramentum, facili negotio assequetur, qui excellentiam super reliqua Sacramenta considerauerit: tanta enim est vt sanctissimi Sacramenti nomen vendicet sibi, nunquid non reliqua omnia Sacramenta nouæ legis sanctissima sunt? Sunt etenim, sed tamen, per antonomasiam & excellentiam, hoc inter illa dicitur sanctissimum Sacramentum.

S. Dionys. vocat Eucharistiam consummationem & perfectionem omnium Sacramentorum. *Sacramento, con que hecho Dios el sello a los Sacramentos de la ley de gratia, aqui trò la barra y llego con ella a lo vltimo adonde podia llegar vn Sacramento.*

Concilium Tridentinum, *Commune*, inquit, *est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ visibilem formam; verùm illud excellens & singulare in ea reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, vt cum quis vtitur illis: at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ipse est ante vllam: nondum enim Eucharistiam de manu Domini susceperant Apostoli, cum vere ipse affirmaret corpus suum esse quod præbebat.* Ita ibi. Vide igitur excessum; reliqua Sacramenta vim quidem sanctificandi habent, & hanc per transitum, dum vtimur eis; Eucharistia verò in se permanenter habet ipsum sanctitatis authorem, & non continent alia Sacramenta Christum, sicut Eucharistiæ Sacramentum.

Vnde Eucharistia in medio reliquorum Sacramentorum constituitur, sicut sol inter planetas cœli, splendorem illis præbens: alia enim Sacramenta à Christo Domino, qui in Sacramento Eucharistiæ continetur, splendorem & efficaciam habent.

65. Præterea, S. Thom. in terminis disputat, quodnam Sacramentorum potissimum sit, & respondens, ait: *Simpliciter loquendo, Sacramentum Eucharistiæ est potissimum inter alia Sacramenta, primò quidem ex eo quod continetur in Sacramentis: nam in Sacramento Eucharistiæ continetur ipse Christus substantialiter, in aliis autem Sacramentis continetur quedam virtus instrumentalis participata a Christo, semper autem id quod est per essentiam tale, potius est, quàm id quod est per participationem.*

Secundò hoc apparet ex ordine Sacramentorum ad inuicem: nam omnia alia Sacramenta ordinari videntur ad hoc Sacramentum, sicut ad finem: manifestum est enim quod Sacramentum Ordinis ordinatur ad Eucharistiæ Sacramentum; Sacramentum Baptismi ordinatur ad receptionem Eucharistiæ; per Confirmationem autem perficitur aliquis, vt non veretur se subtrahere à tali Sacramento; per Pœnitentiam etiam, & Extremam vnctionem præparatur homo ad digne sumendum corpus Christi. Matrimonium etiam, saltem significatione sua, attingit hoc Sacramentum, inquantum significat dispensationem Christi cum Ecclesia, cuius vnitas per Sacramentum Eucharistiæ significatur. Vide & Apostolus dicit: Sacramentum hoc magnum est ego autem dico in Christo & Ecclesia. Ita S. Thomas. *Ad Eph. 5. 32.*

S. Dionys. ait, *quòd non contingit aliquid perfici perfectione hierarchica, nisi per diuinissimam Eucharistiam.* Ita ille. Vnde perfectio maior in Ecclesiastica hierarchia in Eucharistia consistit. *Lib. de Eccl. Hierarch. c. 3.*

Aliam rationem addit S. Thom. quia omnia Sacramenta ordinantur ad hoc, vt vniamur Christo: quod quidem alia Sacramẽta præstant mediante gratia, quam nobis conferunt Sacramenta ipsa; per gratiam autem vnimur Christo; at in Sacramento Eucharistiæ immediatè vnitur nobis Christus Dominus, per carnem, & sanguinem suum. & etiam per gratiam, quam abundantiùs per Eucharistiæ Sacramentum nobis confert. *Lib. 4. sent. dist. 7. q. 1. a. 1.*

De Soldano quodam in Syria refertur, in bello regem Galliæ Ludouicum captiuasse, quem vnum referuauit. & de redemptione eius agere cœpit: pretio tandem redemptionis constituto, cùm statim Ludouicus non esset soluendo, vadem se daturum pollicitus fuit: tunc Soldanus Eucharistiæ Sacramentum in vadem postulauit. sic enim infidelis rex secum excogitauerat, pignus altioris valoris, quàm pretium esse debet. Christiani pluris æstimant hostiam consecratam, quàm reliqua omnia bona temporalia: igitur hoc mihi petendum est pignus Hic sistamus gradum, & sanctissimæ Eucharistiæ valorem & excellentiam colligamus, non quidem ex illius infidelis existimatione, sed ad similitudinem eius. Pignus rei altioris pretij & valoris esse debet, quàm res illa sit, pro qua exhibetur in pignus; Eucharistia verò in pignus cœlestis beatitudinis nobis datur: sic enim cum gaudio canit Ecclesia: *O sacrum conuiuium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur:* cùm igitur pignus excellentius quid esse debeat, quàm res pro qua datur, & Eucharistia in pignus beatitudinis cœlestis datur, sequitur Eucharistiam cœlestis gloriæ seu beatitudinis excellentiam superare. Ita est, nam beatitudo nostra formaliter nos creata est, in Eucharistia verò Deus realiter est, quid de Eucharistiæ sublimitate sublimius dici potest?

Hinc S. Aug. tractatu 8. in Ioannem, *Saluator*, inquit, *noster, quò vehementius nobis commendaret mysterij huius altitudinem, vltimum hoc voluit impigere cordibus discipulorum.* Ita ille. Hoc est, tempus institutionis huius Sacramenti, eius celsitudinem commendat: ea enim quæ maioris pretij sunt, vltimo loco seruare solemus; sic Christus bonum vinum hoc in finem reseruauit.

Iudic. 13 Manue pater Samsonis obtulit hœdum in sacrificium & holocaustum Domino, hortatu cuiusdam Angeli, *cumque* (ait textus sacer) *ascenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini parvter in flamma ascendit.* Cur ita? *Respondet Iosephus, vt in fumo illius sacrificij, tanquam in curru, ascenderet videretur.* Ita ille. Cùm igitur antiqua illa sacrificia figuræ essent supremæ Eucharistiæ, constat cur Angelus tanquam in curru aureo, ascendere voluerit in cœlum. Etenim fumus vilissima res est in se consideratus, sed quia fumus erat ex illo sacrificio, quod sacrificium corporis Christi adumbrabat, ideo velut in curru omni lapide pretioso ornato, ascendere dignatus est. Videndus est de dignitate huius sacrificij S. Chrysostomus lib. de Sacerdotio, & S. Gregorius lib. 4. Dialog. c. 58. *Iudic. 13. 20.* *Iosephus.* *Chrysost. S. Greg.*

Præterea hac ratione voluit Christus Dominus huius admirabilis sacrificij esse sacerdos, ipse primus suum corpus consecrauit, ipse primus sumpsit, ipse primus aliis distribuit & communicauit, & se suis manibus dedit; tale quippe munus talem iustitutorem, talem Sacerdotem, talemque distributorem exigebat; non Angelum,

lus, non Archangelus, non Cherubim, nec Seraphim, tali ac tanto honore dignus erat.

Prop. VI. *Magnum beneficium Christi fuit Eucharistia donum.*

Dilegebat quidem valde patriarcha Isaac filium suum Esau, & quamuis Iacob diligibilior erat, & à Deo magis dilectus quàm Esau, Isaac plùs Esau diligebat, quàm Iacobum, tum quia maior natu erat, tum etiam, & maximè, quia Esau venationibus vacabat, vt patri suo venationibus seruiret, quia vescebatur Isaac libenter illis. Ita docet Theodoretus quæst. in Gen. dicens: *Auxit Esau amoris occasionem, quòd officiosus esset patri: venatio enim illius in cibum patri erat.* Ita ille. *Aunque amaua Isaac a Esau, como a hijo y como a primogenito, acrescentaba la razon de amar a Esau mas que a Iacob el ser tan officioso Esau con su padre, que iba a caçar a los montes por tener con que regalar le.* Si tantùm auxit vim amoris filij in patre cibus ille, quantò magis in nobis augere in Deum dilectionem debet, quòd non è montibus lepores, aut cuniculos, aut perdices, aut ceruos, aut quid simile parauerit nobis, sed seipsum dederit in eicam? *Con que manjar nos podra Dios mantenar mas, ni regalar mejor, si dadiuas quebrantan penas, y regalos corazones, que hombres haura tan de penna, ni que coraçones tan de piedra, que con esse don y regalo no se quebrãnten?*

Vers. 1. Cantic. 1. *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino. De me paz con su boca Dios humanado, y si es atreuimiento esse, Dios mio (dize el alma iusta) perdonadme lo Señor, que lo mucho, que en ello me va, lo mucho que interesse, me lo haze dezir assi, por que la leche de vuestros pechos vale mas, que el mas precioso vino del mundo.* Quid sibi vult peregrinus hic loquendi modus? quodnam osculum istud? quæ vbera hæc? quodnam vinum hoc? verùm explicatione cuncta constabunt. Catena trium patrum apud Theodoretum, hæc vbera, Sacramenta corporis & sanguinis Domini censet intelligenda, per vinum autem in sacris literis excellentia contemplationis, in qua anima iusta, dum orat & contemplatur, solet velut à vino inebriari, significatur, vti asserunt Origenes super Cant. hom. 1. Sanct. Gregor. 1. Regum 1. S. Bern. super Cant. serm. 49. & S. Ambr. serm. 18. Si sacri expositores per vinum contemplationem, & mentis eleuationem & consolationes ingentes, quæ in tali oratione eleuata solent interuenire, interpretantur, & denique feruorem magnum spiritus, quem ibi animæ sanctæ percipiunt; aut ergo sponsa Christi: Plurimi quidem ego facio contemplationem, in qua animæ, velut inebriatæ à vino, ecstasim pati solent, & à sensibus alienari, magnum hoc, quia magnas ibi anima percipit consolationes Spiritus sancti, & inenarrabiles delicias spiritus, & consolationes diuinas, & illustrationes mirabiles, & arcana superiora; sed tamen pluris facio semel Eucharistiam sumere, quàm altissima fruendo contemplatione, illis consolationibus, & delicijs inenarrabilibus potiri. Quid enim altius, quid sublimius mihi, quàm Deo ipso vesci, & non inter vbera mea, sed inter viscera mea recipere? Vbi dilectus meus mihi, & ego illi, dicente sponso ipso: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.* Eleuet se ille se super se in altissima contemplatione, & sinat me, vt sic osculetur me Deus osculo oris sui? nónne osculum dices, ore tuo illum recipere?

Psal. 8 5. Magnum quidem beneficium fuit omnia mundi bona homini tribuisse: mirabatur hoc prophera regius, *Domine, quid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? minuisti eum paulo minus ab Angelis*, hoc est, esse intellectuale, quod solis hominibus, & Angelis inter creaturas concessit Deus, dedisti ei, *gloriâ & honore coronasti eum*, hoc est, principem huius orbis fecisti eum, *& constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius*, &c. Eximia est donatio illa, sed multò maiora sunt spiritualia bona, quæ nobis Dominus confert, remissionem scilicet peccatorum, gratiam, charitatem, virtutes infusas, dona Spiritus sancti, gratias gratis datas, auxilia specialia & efficacia & cætera, sed in his omnibus donis præbuit Dominus nobis, quæ sua sunt; in sanctissimo tamen Eucharistiæ sacramento, contulit nobis Dominus non sua, sed se, *O magna & prodiga largitas* (ait Vrbanus Papa) *vbi tribuit quis se ipsum, vbi donator venit in donum, & datum est nobis penitus cum datore?*

Quàm verò libenter donum hoc præsterit nobis Christus, ex ipso tempore donationis constat: nam videns disceptationem inter multos esse, quis eum susceptum tolleret: Iudæi enim eum quærebant ad necem, Iudas ad traditionem, nam *quærebat opportunitatem, quomodo eum traderet*, cœlum in sui possessorem Dominum eligebat; Dominus omnes disceptantes anteuertens, & præoccupans, se ipsum dedit manibus suis nobis in cibum, dicens: *Accipite, & manducate me* quasi dicat, prius quam cœlo me vobis dono primo occupanti concedatur hæc hæreditas, adite hanc hæreditatem, in possessionem tanti boni introite. Alij testatores ante mortem suam hæredibus hæreditatem aliare non permittunt, at Christus Dominus hæredes nos pretiosissimi corporis, & sanguinis sui Sacramenti nos faciens, ante mortem suam, antequam Iudas eum tradat Pharisæis ad mortem, se nobis tradidit ad vitam. Priusquam hostes eum morti tradant, se nobis visum in cibum tribuit, antequam cœlum ipsum ad se trahat, intra viscera nostra commorari voluit. Sit ille in sæcula benedictus.

Inter eximia Dei erga nos beneficia tria potissimum selegit S. Laurent. Iustinianus, quæ æternâ memoriæ æternaque Dei glorificatione dignissima sunt: *Quia, inquit, exhibuit se pretium in cruce, præmium in cœlo, cibum in Sacramento.* Ita ille. Eximium quidem beneficium fuit, exhibuisse in pretium redemptionis vitam suam in cruce; adeo vt quia nos insufficientes summus pro tanto beneficio reddere gratias cælestes, & angelici spiritus in cœlo vices nostras sibi vsurpantes, æternis laudibus id voluerint celebrare. Audi Apostolum Ioannem, *Audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem & sapientiam & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Ecce millia millium Angelorum, non vnus tantùm, vel alter conuenerunt in vnum, vt pro eo, quòd pro nobis se Christus dederit in pretium mortis in cruce, gratias canerent in cœlis sempiternas. Nos enim id pro dignitate præstare non posse viderunt, imò nec ipsa millia millium Angelorum, nec omnes simul Angeli, & Archangeli, & omnes Cherubim, Seraphim, & denique omnes beati tam Angeli, quàm homines simul id pro meritis præstare valent, licèt ab huiusmodi cantu nunquam in æternum cessent. Omnes quidem, cum in Sacro verba illa audimus, *Et homo factus est*, & illa, *Verbum caro factum est*, tam flectimus genua, quia pondus tanti beneficij sustinere non valentes, veluti cadimus in terram; quantò igitur magis cùm in pretium redemptionis nostræ sanguinem, honorem vitamque profudisse Deum audimus.

Secundum beneficium est, se nobis Deum in cœlo dare velle in præmium, in præmium scilicet nostrorum operum. Quantum sit beneficium hoc hi solùm cognoscere valent, qui eo potiuntur in cœlis, cognoscere, inquam, intellectu ipso, quo eo fruuntur: nam humanis verbis exprimere nec ipsi perfectè possunt: in eo enim beatitudo cœlestis consistit, & immensam illam beatorum hominum & Angelorum continet gloriam.

Tertium

Tertium est,se nobis Deum in cibum in sanctissimo Sacramento exhibuisse, quod meritò tertio,& vltimo loco Sanctus Iustinianus appositit: nam duo illa prima continet in se, nam pretium redemptionis nostræ in Eucharistia continetur. Sumendo enim Eucharistiam, pretium illud, & valor passionis Christi mirè,& abundanter nobis applicatur. vnde in oratione festi huius Sacramenti,sic orat Ecclesia : Deus qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quæsumus ita nos corporis, & sanguinis tui sacra mysteria venerari ; vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Redemptionis fructum , ait, quia in eo redemptionis fructus continetur. Orat ergo mater Ecclesia,vt dignè communicemus:sic enim passionis & redemptionis fructum participamus : gratiam enim vberem confert dignè communicanti Eucharistia, & consequenter auget meritum nostrum : hoc autem, quid aliud est quàm pretium redemptionis nostræ,quod exhibuit in cruce Christus, nobis applicari ? Secundum autem , quod in gloriæ possessione consistit, in hoc etiam Sacramento continetur : nam in eo cœlestis gloriæ nobis pignus confertur : sic enim canit Ecclesia : O sacrum conuiuium , in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius , mens impletur gratiâ,& futuræ gloriæ nobis pignus datur. Quì pignus dignum accipit alicuius debiti , iam veluti solutionem debiti se accepisse arbitratur;sic igitur,cùm dignè communicamus,iam veluti præmium præ manibus habere censemur : nam pignus hoc dignissimum est : si enim gloria nostra Deus ipse clarè visus in cœlo est,Deus ipse quoque in hoc Sacramento datur nobis in pignus. *Es como deçir , Dios al que dignamente comulga, yo le offresco el premio eterno de mi gloria, y porque mi palabra que de bien empeñada, tome por prenda el mesmo sanctissimo Sacramento, que es darme en prenda de mi a mi.* Ecce qualiter in Eucharistiæ beneficio vtrumque illud eximium beneficium contineatur Quis igitur debitas Deo gratias pro tanto beneficio referre valebit ? Etenim Christus Dominus,cùm hoc Sacramentum instituit,gratias Deo Patri egit, vti constat Matth. 26. & Apostolus refert , se ita à Domino ipso accepisse.*Ego*,inquit,*accepi à Domino, quod & tradidi vobis , quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur,accepit panem,& gratias agens, fregit*, &c. Existimo autem speciatim Dominum gratias egisse Patri in huius institutione sacramenti , quia nouerat nos minimè posse debitas reddere gratias. sicut igitur nobis illud instituit;sic pro nobis gratias retulit Patri : tales enim gratiæ talem gratificatorem requirebant. Sit ille benedictus in sæcula,ille,inquam, qui dedit ; & illi etiam,qui retulit pro nobis gratias.

Sic Christus discipulis suis : *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum* , hoc est,vehementer desideraui. cur ita Christus manducare desiderabat hoc pascha ? Tertullianus lib. 4. contra Marcionem manducandi desiderium,quod Christus habebat, non tam esse ait propter esum agni , quàm propter Eucharistiæ sacramentum. Etenim optabat Christus recipere cum discipulis suis hoc diuinum Sacramentum,& pariter cum illis primùm potiri beneficio tanto, quo Pater æternus totam eius Ecclesiam affecit : vt ita non solùm verbis, verùm etiam sumptione ipsa gratitudinem pro nobis Patri demonstraret. Et quidem dignum Christo erat desiderium istud, nam,vt ibidem adnotauit Tertullianus,dignum erat desiderium Christi, cùm id, quod ita desiderabat , non esset alienum à seipso : desiderauit igitur ipse , sed ipsum alio modo sumere , quàm in se erat , hoc est , se in sacramento sumere, nam sumere se in sacramento , maximum quid est,& Christo ipso dignum.

Magna, & maxima beneficia contulit Deus populo Israelin via illa , per quam illum in terram promissionis ducebat : inter reliqua verò hæc duo præcipua erant, lex & manna. Dedit Israelitis legem , quâ nossent quid Deo gratum , quidve ingratum esset , & in quibus peccata consistebant : dedit & manna,quo alerentur in via. Sed tamen in his duobus nos maximè Deus proposuit illis : si enim illis legem dedit , nobis non solùm legem,sed media,& remedia, quibus legem adimpleamus, contulit. Lex quidem,tanquam speculum quoddam crystallinum, manifestabat illis peccata, vt cauerent illa, secundùm illud Apostoli , *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo : per legem enim cognitio peccati.* Duo ait Apostolus , Primum est,quod ex operibus legis Mosaicę nemo iustificabatur,quia vltra obseruantiam legis requirebatur meritum Christi, iuxta id ciusdem Pauli,*Si ex lege est iustitia,Christus gratis mortuus est.* Quasi dicat,si lex iustificabat , non ex se hoc habebat,sed quia Christus Dominus sanguine suo vim, & efficaciam iam operibus illis tribuebat ad merendum:ex futura enim Christi passione meritum promanabat. Secundum est, quia lex vetus non habebat ex se remedia ad iustificationem animarum : solùm enim ex se ostendebat quid esset peccatum,vti ait Apostolus: *Peccatum non cognoui nisi per legem , nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret : Non concupisces.* In lege autem Euangelica non solùm cognoscimus per eam quid sit peccatum,quid verò non,verùm etiam habemus in eadem lege remedia contra peccatum , & ad promerendam gloriam, sacramenta scilicet nouæ legis : ad hoc enim institutus est baptismus,& pœnitentia. quod quidem discrimen hæc similitudo explicabit : si faciem tuam in speculo aliquo prospicis , maculas faciei in eo videbis; at speculo illo maculas illas mundare minimè valebis : attamen si in aqua crystallina vultum prospexeris, ibi maculas etiam aspicies , & insuper in eadem aqua remedium habes ad abluendam maculam : sic etiam peccata olim in lege veteres tanquam in speculo prospiciebant , at non habebant sacramenta quibus ex opere operato peccata delerent; nobis verò lex Euangelica veluti crystallina est aqua:habet enim à Christo, vt non solùm maculas repræsentet,verùm etiam sacramenta , quibus ex opere operato nos iustificet à peccatis: & ad hoc maximè deseruit sacramentum pœnitentiæ,quo ab omni inquinamento animæ abluimur, & mundamur.

Præterea lex vetus cibum illum angelicum habuit, nos verò,non solùm angelicum,sed diuinum Eucharistiæ:de ipso enim Dominus ait Ioan.6. *Panis enim Dei est,qui de cœlo descendit , & dat vitam mundo.* Vbi primò primam hanc differentiam obserua, quòd panis ille angelicus erat , quia manibus , & ministerio angelorum conficiebatur ; non autem quia in eo angelus aliquis contineretur ; hic verò panis Dei est , non solùm quia manibus Christi acceptus , ab eodem consecratus est, verùm etiam , quia in eo Deus ipse continetur. Vide quantùm inter panem , panemque interfit. Denique manna illud figura huius diuini Sacramenti erat , hoc verò illius veritas,*y asi va de lo vno al otro , lo que va de lo vno a lo pintado, y de la figura del rey al rey figurado por ella, y asi aun que los de Israel fueron regalados de Dios , nos otros somos los hijos mejorados en tercio y quinto.*

Duo sunt , quæ beneficium aliquod magnum reddunt. Primum est magnitudo rei , quæ per beneficium exhibetur , nam beneficium rei exiguæ exiguum beneficium est, secundùm se. Alterum est, voluntas,seu amor benefacientis : amor enim anima beneficij est: sicut enim anima vitam corpori tribuit; sic etiam amor beneficio. vnde paruum donum magno exhibitum amore,magnum donum reputatur, magnum verò cum amore paruo,paruum. Videamus igitur modò,vtrum beneficium Eucharistiæ ex vtroque capite magnum sit : & primò ex parte doni , quis non videat eximium beneficium esse, siquidem nulla tanta poterit exaggeratio dici,quæ huic dono minimè conueniat.Per exaggeratio-

rationem quidem dicere solemus, res hæc indicibilis, & ineffabilis est. Hac exaggeratione vsus est Dauid, Psalm. 67. vbi agens de beneficijs, quibus Deus condecorare volebat Ecclesiam suam, cùm ad Eucharistiæ mysterium peruenit, *Parasti*, inquit, *in dulcedine tua pauperi Deus*. Pauperem Ecclesiam vocat, quia paupertatem spiritus profitetur, & quia non diuitem eam fundauit, sed pauperem in Apostolis, & discipulis suis, & in nascentis eius exordio. *Parauit*, inquit, *in dulcedine*, qualis sit dulcedo hæc paululum differamus explicandum, quid autem est, quod ait, *parasti*? quid est quod parauit? tacuit, compressit labia, nam de Eucharistia agit, quasi dicat: quis nouit? ego enim exprimere nescio, quod comprehendere nequeo, ac si clarius dicat, ineffabile hoc mysterium.

Eo locutionis genere vsus videtur Apostolus, 1. Corinth. 10. vbi sic ad Corinthios scribit: *Vt prudentibus loquor, vos ipsi iudicate, quod dico: Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est, & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Perge vlteriùs, Apostole sancte, & dicito nobis, quid, quantaque sit communicatio illa, & participatio hæc: absit, *vt prudentibus loquor*, ideò concisè loquor. Quæritis à me, quid sit, quantaque sit communicatio, & participatio hæc? nihil amplius à me deprometis, quàm hoc: communicatio, & participatio corporis, & sanguinis Christi est; quantum beneficium sit hoc non dico, quia ineffabile prorsus est.

Etenim non solùm diuinum hoc Sacramentum in se ipso inexplicabile est, verùm etiam in vmbra sua. Vmbra eius manna fuit, quod notum est; manna verò, cùm primùm ab Israelitis visum fuit, in tantam admirationem eos rapuit, vt nescirent aliud de ipso pronunciare, nisi, quid est hoc? & in tantum processit admiratio, vt admirationis ipsius nomen imponerent ei: vnde manna dictum fuit, & nullum aliud habuit nomen commune, nisi manna, hoc est, quid est hoc? Poterat autem Deus nomen aliquod imponere illi cibo, sed noluit, vt ineffabile nobis illud esse significaret; nobis dixi, imò & Angelis. quod etiam Angeli ipsi confessi sunt in sancto sanctorum, vbi duo Cherubim constituti erant iuxta propitiatorium, mutuo se respicientes, versis vultibus in propitiatorium. Respiciebant se mutuo more illorum, qui magna quadam admiratione detenti, se mutuo respiciunt tacentes: sic Cherubim se mutuo prospiciebant in propitiatorium conuersi. Quid in propitiatorio erat, quod ita eos admiratione afficiebat? Arca testamenti, & in Arca quid? manna, quid verò in manna? figura sanctissimi Sacramenti, *vna medalla, vn retrato del sanctiß mo Sacramento*. Non Angelos illos in admirationem rapiebat manna ob id quod in se erat, sed ob id, quod adumbrat, propter hoc stupebant, futurum scilicet tempus, in quo se Deus in cibum hominibus daturus esset. Quòd si vmbra sic non solùm homines, verùm Angelos, & ex Angelis, non eos, qui inferioris ordinis sunt, sed Cherubim, qui in suprema hierarchia sunt, ita in stuporem rapiebat; quid mirum, si nos, & Angelos omnes veritas ipsa in admirationem inducat? *Si la sombra asi a sombra, que mucho que à sombre la verdad de aquella sombra?* Sine exaggeratione igitur dicere poterimus, ineffabile mysterium hoc esse.

Præterea exaggeratio quædam consummatæ, & perfectissimæ rei signum est, cùm dicimus, additû esse iam sigillum, *Echo el sello en esto fulano, muchas mercedes me ha echo el rey, però en esta de aora echo el sello.* Metaphora est sumpta ab scripturis? scripsisti epistolam, clausisti eam, perfectam enim iam censes, & consummatam, adhibes fructum hostiæ, super quam statim sigillum apponis, quasi iam nihil in ea addendum censeas; sic Deus noster post multa nobis beneficia collata, tandem assumit hostiam, & adhibito consecrationis sigillo, nobis eam tradit, quasi dicens: consummatum est, nihil supereſt addendum, non plùs vltrà: licèt enim post consecrationem passus, & crucifixus fuerit, passionis fructum in Eucharistiæ Sacramento inclusit, & communicat nobis. quid igitur addendum restat? ergo sine exaggeratione nimia dicere valemus, sigillum in hoc diuino Sacramento adhibuisse.

Denique per exaggerationem dicere solemus, pro viribus aliquem aliquam clauam iactasse. *Tirò aqui la barra, y pasò la raya.* Hoc etiam fecisse Christum in huius sanctissimi Sacramenti institutione dicere valemus: *Tirò la barra y pasò la raya de todos los dones part culares*; nã cùm homo factus est, incarnatus pro nobis fuit, sed tamen incarnationis fructum applicuit nobis, si tunc non applicuit; circumcisione circumcisus est pro nobis, non flagellatus, neque crucifixus: beneficia hæc sigillatim nobis conferebat, & in quouis eorum aliquid beneficij nobis superaddebat: at in Eucharistia clauam superiactauit. nam in ea fecit memoriam, & quasi epilogum omnium mirabilium suorum, dum scilicet hanc cælestem escam dedit timentibus se: nam in ea applicatur nobis incarnationis eius fructus, & circumcisionis, & orationis, & ieiunij, & prædicationis, & flagellorum, spinarum, clauorum, crucis, & mortis. Vnde merito sponsa: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Myrrha erat passio Domini, myrrha circumcisio, myrrha quiuis labor Christi, myrrha illi & mel nobis, vt infrà dicemus. Horum laborum fasciculus est congregatio omnium horum operum & passionum Christi; quidni ergo dixerim fasciculum myrrhæ huiusmodi esse sanctissimum Sacramentum, siquidem in eo Dominus, quidquid pro nobis fecit, & passus est, collegit, & conuoluit, vt inter vbera, hoc est, in pectore nostro. illum collocemus: quod sumendo, & comedendo præstamus. *Esto no fue tirar la barra y pasar la raya? pues se nos dan aqui todos esos altißmos beneficios, y sobre todo eso comamos?*

Vnde Dauid agens de Christo Domino, ait: *Eleuata est magnificentia tua super cælos.* Nonnulli expositores de incarnatione Dominica locũ hunc interpretantur: inea quippe magnificatus est Dominus vehementer; sed tamen non minùs aptè de Eucharistiæ institutione exponi potest: hæc enim illa magna cœna, de qua S. Lucas agit c. 4. vt S. Cyril. interpretatur, & quidem, vt dicemus, maximè in ea Deus magnum, & magnificum se ostendit: quia in ea magnificauit Dominus facere nobiscum. Ait ergo Dauid: *Eleuata est magnificentia tua super cælos.* Quid est *eleuata est*? Glossa interlinealis, *eleuata est incomprehensibilitate*, ita est, nam, sicut dictum est, incomprehensibile est beneficium hoc, quid verò est, *super cælos*? magnificatus quidem est Deus in formatione, & creatione cœlorum, nam *cæli enarrant gloriam Dei*, sed magnificentia huius diuini conuiuij supereminet eam, quæ in condendis cœli relucet, excessit seipsum hîc Deus vehementer. *Muchotirò la barra de sua magnificentia Dios en formar vnos cielos tan grandiosos, tan lucidos, tan bellos: però aqui tirò la barra tan esmeradamente, que en dexarnos consagrado el sanctißimo Sacramento, pasò toda esa gloria de los cielos.*

Ratio verò omnium harum exaggerationum est, quia in Eucharistia tribuit Deus nobis seipsum in cibũ nostrum, *O larga, & prodiga largitas* (ait Vrbanus Papa in *Clementina de Reliquiis, & veneratione sanctorum*) *vbi donator venit in donum, & datum est idem penitus cum datore.* Ita ille, & maximè vbi donator, & donũ est Deus ipse. Plin. l. 9. c. 55. Cleopatra, inquit, sponsione facta cum Marco Antonio, promisit se vnã cœnã centies sestertium absumpturam, vnionemque maximam, & præclarissimam immisit aceto, & liquefactam absorbuit. Sed quid hoc pretij, si cum pretio huius cibi diuini conferatur? Gemma illa centies sestertium æstimabatur; hæc autem inæstimabilis est. Clodius etiam, Æsopi filius, vt idem Plinius

Vers. 11.

Vers. 15.

Exod. 25.

Plinius testatur, singulas vniones conuiuis suis absor- A
bendas dedit, nos sumimus Deum ipsum, quid tanto
dono æquiparari potest?

Olim Deus bona sua donabat nobis, terram, & cœ-
lum, & quæ in terra & cœlo continentur; terram scili-
cet cum omnibus plantis mirabilibus, & animalibus
suis; aquas fluuiorum, & marium cum piscibus suis; aë-
rem cum auibus, & nubibus suis; cœlum cum astris, &
influxibus suis. Hęc omnia tribuit nobis Deus ex abun-
dantia sua: neque enim sibi huiusmodi rebus egebat;
at in hoc diuino conuiuio dedit seipsum nobis; donan-
do autem seipsum, quid non donauit? *Pro nobis omni-*
bus tradidit illum, quomodo non omnia cum ipso nobis dona-
uit? non ait, donabit, de futuro, sed de præterito, *dona-*
uit. Sic modò de Eucharistia dicere valemus: qui seip-
sum in cibum donauit, quomodo non omnia secum
nobis donauit? Quid, quæso, Deus, nisi omne bonum?
Ostendam, inquit, *tibi omne bonum,* quid Deus est, nisi om-
nia? vnde in magna illa cœna (quam S. Cyrillus sym-
bolum esse ait sanctissimi Sacramenti.) *Ecce,* inquit B
Deus. *parata sunt omnia,* non ait, parata sunt cibi conui-
uij, paratæ sunt epulæ, sed, *parata sunt omnia,* nimirum,
quia Deus in hac cœna exhibetur nobis, is qui omnia
est. Quid autem in hoc toto dono est, quòd nō sit exhi-
bitum nobis? habet Deus in se esse infinitum, & essen-
tiam infinitam, tres diuinas personas, & attributa diui-
na; habet insuper Christus corpus, & animam, & merita
valoris infiniti, quid, quæso, horum nobis in hoc Sacra-
mento non datur? Si ergo ex parte doni tunc donū magnū
est, quādo magnū est, quod donatur; cùm hic nobis
donetur Deus trinus, & vnus, & Christus Dominus,
homo Deus, per concomitantiam, corpus & sanguis ex
vi consecrationis, nónne absolutè magnum, & omni
magnitudine magnum hoc beneficium esse dicemus?

Videamus ergo, an ex parte bonæ voluntatis, &
amoris dantis magnum quoque donum sit. Etenim
quanta cum dilectione præstiterit nobis Christus hoc
diuinum sacramentum, satis explicuit Apostolus Ioan- C
nes, qui agens de tempore suæ institutionis, dixit: *Cum*
dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Quid
est, *in finem?* Aliqui in finem vsque vitæ interpretan-
tur, quia dilectio Christi non fragilis, & remissa, & de-
ficiens est, sed fortis, constans, & perseuerans ad mor-
tem vsque. S. Cyrillus, *In finem,* inquit, *dilexit eos, quia*
non solum vsque ad mortem, verum etiam per mortem ipsam
pro suis patefecit amorem: maiorem autem hac dilectionem
nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.
Denique Sanctus Chrysostomus: *Ad finem,* inquit, *di-*
lexit nos Christus, hoc est, ad finem amoris, quia quid am-
plius pro amore nostro præstare potuit; quàm vt seip-
sum vescendum traderet nobis? Etenim si ad adoran-
dum se nobis dedisset, pro magno valde in nos reputare
deberemus, & magnum amoris eius in nos signum ex-
titisset; quantò sublimius est, se nobis ad vescendum de-
disse? verè in finem dilexit nos. Patres filios suos inti-
mè amant, quem tamen parentum vidisti, tempore fa-
mis se in cibum filijs exhibuisse? matres nonnullas sci-
mus tempore magnæ famis, filios suos occidisse, & car-
nes eorum comedisse, in obsidione scilicet Samariæ, &
Hierusalem, aliquam verò illarum abscidisse, v.g. bra-
chium, & in cibum filijs dedisse, non legimus: non enim
sic in finem parentes filios amant. at Christus Domi-
nus, quia sic nobis ad vitam æternam expediens nouе-
rat, suam nobis carnem in cibum, & sanguinem in po-
tum amantissimè præbuit, nónne amorem in finem
amoris fuisse dicemus?

Amorem hunc Christi Domini ponderasse specia-
tim videtur Salomon, dicens: *Fortis est, vt mors, dilectio.* 8.6.
Quænam est hæc mortis fortitudo? mors enim seu ef-
figies eius debilitatem præ se fert, *esta la muerte en los*
huesos. In quo igitur est magna hæc fortitudo mortis? in
eo scilicet quòd nemini parcit, omnes vincit, siue Ho-
ctor, quis ex Troianis sit, siue Achilles, ex Græcis, siue
Samson ex Hebræis, siue ex gigantibus Goliath, nemi-
ni parcit, superat omnes nos, & à nemine ex puris ho-
minibus superatur. Quid deinde? eos, quos occidit, ter-
ræ ac vermibus tradit comedendos; talis ac tanta est
mortis fortitudo. Talis igitur ac tanta est amoris vis;
nam non solùm in nobis id præstat, verùm etiam in
Christo Domino. nam amor est, qui eum occidit: neque
enim mors potest tem in eum haberet vllam, nisi ei ab
amore data esset: *Dilexit me,* inquit Apostolus, *& tradidit* *Ad Gal.*
semetipsum pro me. Amor igitur est, qui eum occidit. Et 2.20.
mors nos insuper tradidit in escam terræ, ac vermibus
terræ. Quid enim sumus nos, nisi terra, & puluis. Me-
mento homo quia puluis es: quid etiam nisi vermes, qui
reptamus super terram? quòd si aliqui sint inter nos fe-
ricis induti, vermes fericos eos esse dicemus, *gusanos de*
seda: vermes igitur nos omnes è terra geniti seu formati
à Deo sumus, in terramque conuertendi. his tradidit
amor Christum Dominum in cibum, meritò ergo dice-
mus hic: *Fortis est vt mors dilectio,* & quòd is, qui sic amau
it suos, in finem dilexit eos. Si ergo magnum, & ex-
celsum prorsus est beneficium illud amoris, magnū etiā
est id, quod per eum confertur, quod, inquam, ex amore
magno procedit. Hinc magnum & eximium dicendum
est hoc beneficium Eucharistiæ, in quo à Deo nobis
Deus ipse in cibum confertur, & ex amore in finem.

Exod 16. sic de manna dicitur: *Apparuit in solitudine* *Vers. 14.*
minutum, & quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super
terram. Philo, & Caiet. sic transferunt, quasi milium mi-
nutissimum. milium ideo dictum est, quia spica seminis
huius tot continet grana, vt millia continere dicatur,
& ideo *à mille* dictum est milium: & in hoc diuinum
hoc Sacramentum præfiguratum est; nam tot tantaque
mysteria, & beneficia nobis à Deo exhibita in se clau-
sit, vt milium dici possit, hoc est, millia bona includens.
quare rectè dici potest hoc Sacramentum millia bona.
qualia verò, & quanta hæc bona sint, quis inuestiga-
bit? Non sine causa, & mysterio Apoc. 2. Sacramen-
tum hoc *manna absconditum* nuncupatur. Absconditum,
inquies, cur? dicam, quod Lippomanus etiam asseruit?
Manna illud, quo Deus filios Israel in deserto nutri-
uit, inter rores cœli absconditum illis Deus præbebat:
nam priusquam è cœlis descenderet, Deus terram, su-
per quam manna constituendum erat, rore cælesti aspер-
gebat, secundùm illud: *Cumque descenderet super castra* *Num. 11.*
ros, descendebat pariter & man, & post manna iam super *9.*
ros collocatum, descendebat iterum ros superiens illud.
Iuxta verba quæ in originali Hebræo habentur, sic le-
gitur: *mānæ quoque fuit operimētū roris. Cayo sobre el manna*
vna capa de rocio. Inter rorem igitur, & rorem manna la-
tebat: ros autem in sacris literis sæpè à cœlis ad-
uenientem importat, secundùm illam benedictionem,
quā Genes. 27. benedixit Isaac filium suum Iacob, di-
cens: *Det tibi Deus de rore cœli,* &c. Vnde cùm patres an-
tiqui à Patre Filium in Messiam postulabant, *Rorate cœli* *Psal. 28.*
desuper, dicebant, *& nubes pluant iustum,* &c. Intra rorem
ergo absconditum manna, bona diuina desuper nobis
hic donata significabat. vnde non solùm in admiratio-
nis signum dictum fuit manna, sed etiam, quia, vt non-
nulli ex doctoribus Hebræorum dicunt, manna idem
est, quod donum Dei, quod absolutè, & per excellen-
tiam, & antonomasiam sacrosanctum Sacramentum di-
ci potest, quia omne bonum nostrum in eo nobis dona-
tum est.

Eximium, & supra modum excellens esse benefi-
cium Eucharistiæ cui dubium? Etenim si supremi ordi-
nis Seraphim concessum à Deo fuisset, impares omnes
illius ordinis Angeli essent ad debitas Deo gratias re-
ferendas, atque adeo mirabile prorsus videtur, quòd
Deus Opt. Max. voluerit illud homini præstare, & se
in cibum eius sic attemperare, *pareçe excesso, y que es dar*
aqui cinco de largo, como dizen, sed tamen, si rectè nego-

tium perpendatur, quantùm in hoc facto diuina sapientia, & prouidentia resplendeat, facilè apparebit. Ad diuinam prouidentiam spectat, vnicuique viuentium cibum sibi congruentem prouidere, secundùm illud, *Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno.* Pondera verbum illud, *illorum*, non ait, tu das escam illis, sed illorum, hoc est, das cunctis viuentibus cibum proprium eorum, & congruentem esse, & essentiæ illorum, leoni carnes, equis hordeum, & paleas, bobus fœnum, homini panem, & vinum, & alia multa, quia huiusmodi escæ eorum naturæ congruunt, & conueniunt. Nunc igitur quibus Deus Eucharistiæ tribuat cibum, videamus, nunquid filijs hominum vt sic, datur diuina esca ista? absit, sed filijs Dei, hominibus, inquam, non præcisè quatenus homines sunt, sed quatenus filij Dei. *Vere panis filiorum, non mittendus canibus.* vnde ponderat meritò S. Chrysostomus verba illa Christi Domini, *Cùm discipulis meis facio pascha.* Cùm discipulis, inquit, meis, hoc est, cum his qui in gratia existunt: hi enim solummodo discipuli propriissimè Christi sunt: qui autem in gratia Dei sunt, filij Dei sunt: filijs ergo Dei, & non alijs, tribuit Christus corpus suum; si filijs Dei, ergo congruus cibus illorum est, nam sicut in domo regia panis filiorum panis regis ipsius est, eodem enim pane aluuntur rex, & principes filij eius: sic in domo Dei eodem pane vescuntur Deus, & filij Dei. vnde Luc. 22. *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam, &c.* hoc est, eodem cibo: Deus enim seipso sustentatur, & seipsum clarè videns quasi diuino alitur cibo; sic etiam filij Dei in cœlis beatifica visione aluntur; & in terris hoc deifico pane, in quo Deus est; magnâ igitur sapientiâ & prouidentiâ tam excellens beneficium contulit nobis Deus.

Psal. 144. 25.

Matt. 26. 28.

Luc. 22. 29.

Denique obserua illa vltima verba Dauidis, *& tu das escam illorum in tempore opportuno*, in tempore, inquit, opportuno: dedit quidem nobis Deus cibum illum in tempore gratiæ, quod opportunum tempus est: nam Eucharistia idem est, quod bona gratia, bona autem gratia congruit tempori gratiæ. In extrema parte ornamenti sacerdotalis Veteris legis constitui iussit Deus plura malogranata, tintinabulis mixta; hoc autem discrimen erat inter malogranata & inter tintinabula, quòd malogranata non erant vera malogranata, sed tantùm depicta, & figurata; tintinabula verò vera tintinabula erant, & non figurata, seu depicta. Malogranata figurata fructum referebant, qui sub cortice litteræ, & figurarum Veteris testamenti latebat, & ea quæ in noua patefacta sunt, sicut patefiunt malogranata, & aperiuntur ad radios solis: sic ad radios Christi Domini docentis, & complentis, & aperientis ea, quæ in Veteri lege, & testamento latebant, manifestata sunt, quæ in ea lege antiqua præfigurabantur, & latebant: fructum ergo istum figuratum in malogranatis lex scripta continebat; verum autem patefactum, lex gratiæ. Tintinabula verò strepitum, & sonitum verum habebant in lege illa, quia lex Antiqua strepitum multum sacrificiorum, & figurarum, & præceptorum, & cæremoniarum continebat. sonitus ergo ille, & strepitus magnus verus erat, fructus verò depictus, & figuratus; in lege verò Noua sine tali strepitu fructus verus est. Hoc (cæteris omissis) in mysterio sanctissimæ Eucharistiæ videre licet, habebant patres antiqui figuras, & cæremonias multas figurantes Eucharistiam, agnum videlicet paschalem, panes propositionis, manna illud insigne, sacrificia, & holocausta multa, quæ strepitum magnum præstabant; nobis autem reseruatus est harum figurarum fructus. *Nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine.* Benedicta sit illa inter mulieres, & benedictus fructus ventris eius, benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui sic dilexit nos, vt filium suum vnigenitum in cibum nostrum daret; cùm patribus antiquis solam vmbram exhibuerit; denique illi promissione, nos re promissa; illi figurâ, nos re figurata; illi vmbra, nos corpore Christi pascimur, & gaudemus.

Psal. 144. 25.

Si verum illud prouerbium est, qui beneficia inuenit, catenas inuenit, ad hominum scilicet corda alliganda, & captiuanda; fortissimas quidem, & optimas catenas inuenit Christus Dominus ad alliganda, & captiuanda corda nostra, cùm sanctissimum Eucharistiæ sacramentum adinuenit & instituit. Est enim adeo ingens beneficium, vt non solùm excedat omnia merita nostra, verùm etiam omnem gratitudinem nostram. Etenim non absque causa, & mysterio, Christus Dominus institutionis tempore grâtias Patri egit, vt quotidie in sacrificio Missæ refert Ecclesia ante consecrationem, dicens: *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, &c.* quod ex Euangelistis, maximè ex Luca cap. 22. & ex Paulo 1. Corinth. 11 constat. Mirabilis quidem est huiusmodi gratiarû actio: quis enim vnquam vidit, vt ante beneficij concessionem gratiarum actio referatur? etenim qui à rege aliquid exigunt, primo loco petunt: quòd si à rege, quod postulant, consequuntur, tunc gratias referunt regi: Christus autem Dominus cur ita? nimirum quia nouerat iam voluntatem patris, & propter magnitudinem beneficij simul in cœlum oculos leuauit; sic à Patre postulans hoc tantum beneficium nostrum, & simul gratias egit, gratias, inquam, sic anticipantes beneficij exhibitionem, quasi censuit eas quasi tardas, si eius institutionem expectasset.

B

Bene, sed cur, quæso, ipsemet filius Dei gratias egit? qui beneficia recipiunt, hi sunt qui tenentur gratias referre, non verò qui conferunt beneficium, nosque assumus quî tantum hoc munus recipimus; non ipse, non ille, gratias agere debebamus, cur igitur ille ipse quidem pro nobis Patri concedenti gratias agere meruit, quia ad debitas Patri gratias referendas nos imparces esse cognouit, quoniam beneficium hoc institutum in se est, quatenus in eo non solùm nobis confertur caro, & sanguis Christi, verumetiam diuinitas, & persona Verbi; infinitum autem beneficium quoniam pacto nos, qui finiti sumus, reddere valeremus? etenim si nobiscum omnes angelici spiritus, & omnes simul creaturæ in linguas conuersæ, redderent gratias Deo pro institutione sanctissimi Sacramenti, nec summis labijs attingerent debitam gratiarum actionem: omnia enim creata sunt, munus autem hoc inuoluit creatorem. creaturæ omnes, quæ in terris, & quæ in cœlis sunt, limitatæ, & finitæ naturæ sunt; in Eucharistia Deus est, qui finem, terminumque non habet. ille igitur homo pro dignitate, & merito pro exhibitione Dei, & hominis, vti in Eucharistia nobis exhibetur, gratias dare valuit, qui simul homo & Deus est; ideoque Christus Dominus ante consecrationem gratias Patri egit. rectè igitur dictum est, adeo ingens esse beneficium hoc, vt non solùm merita nostra, sed etiam omnem gratitudinem nostram, superet atque excedat.

C

D

Imò non solùm merita, & gratitudinem excedit, verùm etiam cogitationem nostram: quis enim, quæso, id vnquam cogitasset, vellem ego, vt Deus homo factus se mihi in cibum daret; ita vt pane assumpto, panis substantiam in suam carnem, & vini substantiam in sanguinẽ suum transsubstantians, in cibum & potũ, sub speciebus panis, & vini, se mihi simul cum anima, & diuinitate, & persona sua manducandum, & bibendum præberet, & intra viscera mea intrans, ille in me & ego in eo manerem? venirétne hoc alicui in mentem, vnquam? quòd si alicui veniret, nónne stultum illum iudicares? O Dei clementia! ô amor amorum! ô bonitas incomprehensibilis! fecisti, Domine, fecisti nobis tale,

tale, ac tantum beneficium, vt non solùm gratitudinem nostram, verùm etiam cogitationem nostram superaueris.

Nunc igitur ad nos, fratres, licèt impares simus ad debitas Deo gratias referendas, nunquid propterea à gratiarum actione cessare debemus? qui mille debet, & non potest soluere, nisi centum, nunquid centum non debet reddere creditori? *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* aiebat Dauid; meritò, nam ingratus animus ingratus est nimis Deo, & inuisus: quid igitur retribuam? *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Quid est, calicem salutaris accipiam? Fateor communem sensum esse de calice passionis, vt se animus Prophetæ offerat ad quamcumque passionem pro Dei gloria subeundam; sed tamen quia Ecclesia Christi hoc versu vtitur in Missa tempore sumptionis calicis, dicens: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? cal cem salutaris accipiam*, &c. non incongruè dicere valemus, agere prophetam in persona Ecclesiæ, & loqui de sumptione Eucharistiæ, quasi dicat, in retributionem tam eximij beneficij, quale quidem fuit se Dominum nobis tribuisse in Eucharistiæ sacramento, accipiam ego sacramentum istud: vel per accommodationem eo vtitur Ecclesia. Quid gratiarum actionis loco ais ô Ecclesia nos sumere Eucharistiam, hoc quidem non est retribuere, sed recipere: est etiam retribuere, & gratissimos nos Deo exhibere, recipere frequenter Domini corpus: adeo enim bonus est Deus noster, vt pro retributione, & gratitudine tanti beneficij, communionem nostram velit, & ingratissimos nos habeat, si à tali communione sacra abstinemus. Si rex ad mensam regalem suam, & conuiuium regale te inuitaret, & tu venire nolles, an non ingratus regiæ bonitati, & beneficentiæ esses, & meritò aduersùs te indignaretur rex? id igitur de Deo sentire debes. Quod & ipsemet Dominus iam expressit Luc. 14. in parabola magnæ cænæ, quæ huius diuinæ mensæ figuram gerit. Inuitauit ibi paterfamilias nonnullos, qui venire noluerunt; hic quia emerat iuga boum, &c. quid igitur paterfamilias? *iratus*, inquit, *paterfamilias, dixit*, &c. iratus scilicet, quia noluerunt acceptare beneficium cænæ. Hic igitur fit primus modus gratitudinis nostræ. Mirum quòd plures sint, qui non se ita gratos exhibeant, cùm ipsam recipere Eucharistiam, vsus sit & fructus tanti beneficij; quid enim tibi proderit, Christum instituisse tantum Sacramentum, si tu abstines ab eo? vel quæ maior stultitia, quòd, cùm possis sæpe Eucharistiam recipere, tu nolis? locus hic proprius de frequentia communionis, de qua in propriis locis hîc agitur.

Secundus gratitudinis modus erit, si animo tuo firmiter statueris, te nũquam amplius offensurum Deum, qui te tanto beneficio affecit, tanto cibo cibauit. Pauit olim Dominus in deserto Israelem manna illo celebri, & pane cœli, & Angelorum, quod pro magno quidem beneficio, & omni gratitudine digno habendum censuit Dauid dicens: *Panem cœli dedit eis panem Angelorum manducauit homo.* Quasi dicat, videte bonitatem Dei in nos, pane illo cælesti, & Angelorum nos pauit. In æternum quidem misericordiam hanc Domini cantare deberant, & assiduo seruitio pro eo Domino deseruire, ipsi, inquam, qui comederant illum panem, & omne genus eorum: at ingrati prorsus sæpe nihilominus in Dominum peccauerunt, quapropter misit ad eos increpandos Isaiam Deum, qui suam incepit prædicationem, & prophetiam, dicens: *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est*, quid? *Filios*, inquit, *enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Vide, quo nomine peccatum augeat, *spreuerunt me.* Despectio ergo Dei est peccatum: heu, Domine, quoties te populus tuus spreuit, & despexit! *Sprenerunt*, inquit, *me*, qui tanquam filios eos enutriui. Quonam pacto? Liranus, populum scilicet Israel pascendo manna in deserto, & subdit: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, non, ait, canis, qui sagax est, sed stolidiora animalia, bos, & asinus, & tamen hæc animalia cognoscunt dominos suos, qui paleas & fœnum illis in cibum præbent; & Israel, quem manna ego paui, non me cognouit. Cœlum propterea arripere volens manibus propheta dixit: *Audi te cœli quæ loquor.* Quòd si ingratitudinem tantam id Dominus duxit propter manna, quantò magis excædescere valet versus eos, qui corpore, & sanguine suo saginati, spernunt eum peccatis multis.

Iratus aduersùs Iudam proditorem multis retro sæculis, sic cum eo agebat Dominus: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique*, &c. *Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos*, &c. Hoc est, si Tyrij & Sydonij contra me insurrexissent, non ita me iratum exhiberem aduersùs eos, sicut aduersùs te, ô Iuda, quia te feci ducem Ecclesiæ meæ, & Apostolum meum, & in'super te in nocte cænæ magnæ, dulce tibi corporis mei pabulum dedi. Et nos fratres participes facti sumus corporis, & sanguinis Domini, & dulces à mensa eius capimus cibos, nunquid similes Iudæ efficiemur, vt aduersùs tantum benefactorem insurgamus? nónne meritò contra nos exardescet Dominus, & dicet: Si Mauri, & Turcæ maledixissent mihi, sustinuissem vtique, vos verò commensales mei; *pan y agua dos mios comb.dados, mios regalados vnos, teneis mannos contra mi?* in hoc ergo saltem fratres nos Deo gratos pro tanto beneficio exhibeamus, vt nunquam amplius in eum peccemus.

Quid non in cibo isto cœlesti habes? si infirmus es, accede, communica: hîc enim illum sumis, de quo dictum est: *Qui sanat omnes infirmitates tuas*, nimirum promedicus cœli est, ad sanandum nos missus; si eges consolatione tribulationibus oppressus, accede, communica, nam ipsum accipis, de quo scriptum est: *qui consolatur nos in omni tribulatione*, & c. si te inualidum sentis ad ferenda tibi aduersa, accede, communica: illum enim sumis, qui fortitudinem Laurentio dedit ad ignis ardorem æquanimiter ferendum, & reliquis martyribus ad grauissima ferenda tormenta: si vires deficiunt tibi in via Domini ad tentationes propulsandas, & difficultates virtutis superandas, accede, communica: hîc enim illum sumis, de quo Paulus dixit: *Omnia possum in eo qui me confortat*: si affectuum, & passionum fluctibus, vexaris, accede, communica: illum enim hic tibi sumis, qui imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna: si pauper es, & paupertate oppressum te doles, accede, communica: illum enim sumis, qui dives est in misericordia, illum capis, cuius sunt diuitiæ omnes, *que todos los duelos con Dios, buenos, y todos los bienes sin Dios, son duelos, al fin todos los duelos con este pan son menos, &c. es verdad que aqui da los beneficios encubiertos, però que mucho pues el mesmo viene en el encubierto, para que tenga lugar nuestra fee, y puede decir nos*: Beati, qui non viderunt, & crediderunt, &c.

Isaias sic de Ecclesia nostra vaticinatus est: *Sciffæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine, & quæ erat arida, erit in stagnum, & siticus in fontes aquarum.* Aridam, & sitientem, & desertam vocat Ecclesiam nostram, quia talis erat olim in gentilitate adhuc existens, sed adueniente Christo Domino, dõnis, & beneficijs Dei magnis repleta est, quod abundantia, & affluentia huiusmodi aquarum significauit: neque enim contentus fuit eam, vel stagnum tantùm, vel torrentem, vel fontem dicere, sed omnia simul, vt ita meliùs abundantiam istam denotaret. Speciatim verò notanda sunt verba illa, *Sciffæ sunt in deserto aquæ*, vbi alludere videtur ad miraculum illud deserti, quando ex arente, & sicco, scilicet fons viuus emanauit, de quo sic Apostolus: *Bibebant autẽ de spiritali, cõsequente eos petra: petra autẽ erat Christus:* sicut enim petra illa percussa perenti populo abundanter

danter aquas propinauit, quibus & arescentia corpora refrigerarent, & sitim magnam populi sedarent; ita Christus Dominus propter scelera nostra à Patre percussus, largissimas omnium gratiarum aquas pereunti mundo effudit, quibus animarum nostrarum sitim extingueret, cupiditatum æstum temperaret, sordes peccatorum ablueret, sterilemque bonorum operum terram fœcundis imbribus irrigaret. De hac autem petra ait Apostolus, quòd cos consequebatur, eos scilicet, quos antea fatiarat. Quem locum sic exponit Eusebius Emyssenus: Qui de Christi biberit gratia, sequitur eum Christi misericordia, quæ illos potissimùm souet, illos dirigit, & comitatur, quos antea gratiarum suarum participes effecit. De magnete lapide notum est, quòd immotus ipse trahit ad se ferrum, non sequitur ipse ferrum, sed ferrum sequitur ipsum magnetem. Magnes quidem est Christus, qui ferreos peccatores ad se trahere solet, sed quod magnetis petra non habet, sequitur etiam nos petra Christus, non quidem sui, sed nostri causâ, non vt aliquid à nobis extrahat, sed vt nobis virtutem communicet suam. Et vt petra illa deserti sequebatur Israelitas, vt eis aquas suas communicaret, sic & Christus sequitur nos, vt gratias nobis tribuat suas, quod, cùm aliis beneficijs præstet, maximè hoc diuino præstat Sacramento, quo nos semper comitatur, & quòcumque fideles pergant, siue ad Tartaros, siue ad Antipodas, eos sequitur Eucharistia, & manet immobilis promissio Christi, *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* vt scilicet nos comitetur in hac solitudine, dum à patria exulamus, nos cibet, & satiet, vt famem sitimque extinguat, & sedet bonorum. Quod sponsa gratulabunda nimis cecinit dicens: *Dilectus meus mihi, & ego illi, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*, hoc est, *ego illi ab eo dum seruio, ille verò mihi intendit, & attendit*, vt ait S. Bern. & mihi benedicet, ac benefaciet, & denique se mihi in cibum tribuit, non per mensem, vel annum, sed quamdiu lucis vicissitudo & vmbrarum durabit. Quid hoc beneficio illustrius? quid augustius? Cessauit manna, cessauit aqua illa deserti, cessauerunt panes propositionis, nimirum vmbra erant, nunquam autem panis iste.

Meritò quidem exclamauit Isaias de huiusmodi beneficio agens: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te.* Etenim absque Christo, sic nobis in Eucharistia exhibito, nunquam oculus humanus viderat, quæ præparauerat, non hominibus præteritis, nec præsentibus, sed expectantibus, hoc est, futuris in sæculo nostro Ecclesiæ Christianæ. *Quæ præparasti*, inquit, quid præparauit? eodem modo hic loqui videtur Isaias, quo Dauid, dicens: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* (De hoc Sacramento agebat) non ait, quid parauerit, sed parasti, & ibi hæsit, non explicuit, non dixit, quid: quia indicibile est, oculus non vidit intellectualis: quis enim tale conciperet mente vt cogitaret Deum se in cibum hominibus datum?

Ad Hebr. 9. *In arca*, inquit, *testamenti vrna aurea erat, habens manna, & virgam Aaron quæ frondauerat, & tabulæ testamenti*, id est, legis Dei. Copulatio horum trium magna continet mysteria, quod ad rem attinet nostram, manna Eucharistiæ sacramentum importat; quod cum lege vnitur, quia ad eius obseruationem perfectum beneficium Eucharistię nos deuincit. quis non maximam ingratitudinis notam illum incurrere agnoscit, qui post tantum munus à Deo nobis exhibitum, illum offendit? quare meritò tertio loco virga simul collocatur, vt virga & supplicio dignum illum esse significat, qui huiusmodi ingratitudinis vitium incurrit.

Vrbanus Papa in Clement. de reliquijs, & vener. sanctorum, *Homini*, inquit, *qui spirituali alimonia indigebat, Saluator ipse misericors, de nobiliori, & potentiori huius mundi alimento pro animæ refectione pia dispositione prouidit, decensque liberalitas extitit, & conueniens operatio pietatis, vt Verbum Dei æternum, quod rationabilia creatura cibus est & refectio, factum caro, se rationabili creaturæ, carni & corpori, homini videlicet, in edulium largiretur: panem enim Angelorum manducauit homo. Et ideo Saluator ait*: Caro mea verè est cibus. Ita Vrbanus. Erat quidem Verbum diuinum in cœlis cibus Angelorum, quia Angelus intellectualis naturæ est; verbum autem mentale mentis alimentum est. Cùm igitur homo intellectualis etiam naturæ sit, & corporalis etiam, cibus talis illum decebat, qui simul intellectualis esset. Verbum autem diuinum caro factum, quatenus Verbum, cibus hominis est. & quatenus homo intellectualis est, & quatenus Verbum diuinum, caro factum est, homini carne constanti etiam congruit, & sic mirè Eucharistiæ cibus conuenienter pro nobis institutus à Domino est.

Sanct. Chrysostom. serm. de vanitate vitæ tom. 5. ita amplificat bonitatem Dei in nos. *Corpus è terra nobu effinxit Deus, vt illud subleuaremus ad cœlum, non vt per id animam traheremus ad terram. Quod corpus, etsi luteum sit, potes, si libet, cœleste facere. Creaui ego (ait Dominus) cœlum, & terram; tu suscepta à me creandi licentiâ, facito è terra cœlum: potes namque. Creaui ego corpus decorum, concedo tibi meliora faciendi arbitrium; facito & tu animam formosiorem. Dixi ego*: Educat terra herbam virentem, & omnem arborem ferentem fructum; *dices & ipse*: *Efferat terra propriam fructum, & emergit, quodcumque voluerit operari. Formaui ego draconem ad illudendum eis, id est, diabolum, neque tamen hanc tibi inuideo potestatem, illude tu & illum, si libet: poteris enim, sicut & passerem aliquem, eum vincere. Facio ego, super bonos, & malos oriri solem meum: imitare tu Deum, impertire tua, tam bonis, quàm malis. Lacessitus iniuria aquo animo fero, & conuitiantibus benefacio; sequere tu me, cum licebit tibi. Benefacio ego absque vlla vicissitudinis spe, eadem & tu facito. Incendi ego lumina in cœlo, accende & tu clariores ædes: vales enim lucem errantibus præbere, id enim melius, quàm solem intueri. Creare hominem non potes, ipsum tamen efficere licet, & Deo placentem. Vides quanto ego te amore afficiam, quando vel in maioribus hisce eam tibi concesserim facultatem? Regio (ait Deus) throno insideo, & ipse in hunc consessum admitteris, siquidem consedere nos fecit, inquit, Apostolus secum in cœlestibus. Quare & tibi Dominationes, Potestates, Throni, Principatus, Cherubini, & Seraphini, & vis omnis Angelica paret: quin ob amorem tui, plura sum perpessus: conspectus enim & alapis in faciem eas, gloriam exinanui, patrem reliqui, & ad te tum refugientem, tum odio me habentem, deueni, & te mihi adiunxi. Denique tibi dixi: Epulare me, & ebibe me: haud enim solum sum tibi iunctus, & in amplexum recipior, sed in esum traditus.* Ita Sanct. Chrysostomus.

Antiqui Sapientes apud Gentiles Deam Cererem papauere circumseptam depingebant, *cercada de dormideras*, quo significarent, eum, qui Cerere, hoc est, pane abundaret, quietè, ac placidè posse dormire, *que se podia bien echar a dormir a fuenno fuelto*. Vnde homines prædituem sic etiam effingere solebant, hominem scilicet in altera manu panem, in altera vinum tenentem, & profundo somno dormientem; quasi dicerent: Dormiat ad libitum, qui panc ac vino abundat. Hinc diues ille parabolæ Euangelicæ, qui vberes fructus collegit: *Anima*, inquit, *mea habes multa bona, posita in annos plurimos, requiescere*, &c. hoc est, hucusque laborare oportebat, iam pane multo acquisito, dormire in vtramque aurem, & requiescere licet. Nunc ad propositum accedamus. Christus Dominus in sacramento Eucharistiæ pane, & vino abundanti stabiliuit nos, omnes in Ecclesia abundamus pane. Quando vendentes panem, rogant ementes, & ipsi emere renuunt, signum est abundantiæ: tempore enim famis paruuli petunt panem, & non est qui frangat eis, *quando ay buen anno ruegan con el pan, y no ay quien a penas lo quiera*. Abundans hic annus noster est, rogant Concionatores auditores, vt vel gratis panem

Eucha-

Matt. 28. 20.

Cant. 2. 16.

Cap 64. 4.

Psal. 67. 11.

Vers. 4.

Luc. 12. 19.

Eucharistiæ accipiant; & vix est, qui singulis saltem hebdomadibus eum accipiat. Iam igitur quiescere, & in vtramque aurem dormire valemus. Quod B. Ioannes Apostol. insinuasse videtur, dum eo tempore, quo à Christo Domino hunc panem institui vidit, supra Domini pectus recubuit, &c. quasi diceret: Pane abundo: *In pace* ergo *in idipsum dormiam & requiescam*, &c.

Seneca lib. 1. de Benefac. cap. 3. *Officia etiam fera sentiunt, nec vllum tam immansuetum animal est, quod non mitiget cura, & in amorem sui vertat. Leonum ora à magistris inpunè tractantur, Elephantorum feritatem vsque in seruile obsequium demeretur cibus. Adeo etiam quæ extra intellectum, atque æstimationem beneficij posita sunt, aßiduitas meriti pertinacis edincit* Ita Seneca. Peiores igitur feris essemus, nisi gratias Christo ob Eucharistiam retulerimus.

Sanct. Chrysostom. homil. 60. ad popul. *Quot nunc dicunt: Vellem formam Christi aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta. Ecce enim vides, ipsum tangis, ipsum manducas. Tu quidem vestimenta videre gauderes, ipse verò tibi concedit, non tantum videre, verum & tangere, & manducare, & suscipere intra te.* Ita S. Chrysostomus. Et quidem ipse Christus discipulis asserit: *Multi Prophetæ, & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ vos auditis, & non audierunt;* & re vera magnum quid, & valde desiderabile semper fuit, & erit Christum ipsum audire, videre, & terram, quam ipse calcabat, osculari. Sed dicito, quæso, quodnam excellius, sublimiusque beneficium, videre, an comedere? videre, an intra teipsum possidere? Quòd si illud adeo grande, quid hoc?

Sanct. Chrysost. hom. 60. ad pop. *Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris, quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde splendorem: hoc nos pascimur, huic nos vnimur, & facti sumus vnum Christi corpus. Quis loquetur potentias Domini, auditas facies omnes laudes eius? Quis pastor oues proprio pascit cruore? & quid dico pastores: matres multæ sunt, quæ post partus dolores, filios alijs tradunt nutricibus. Hoc autem Christus non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.*

Meliora sunt vbera tua vino. Verba sunt sponsæ Christi ad sponsum Christum. Quis autem vbera sponsi vnquam laudauit? laus hæc sponsæ magis quàm sponsi esse videtur, maximè, cùm sensus sit: Melior est lac vberum tuorum, quàm vinum. Quis hîc latere mysterium ignorat? hoc igitur inter lac & vinum interest, quòd vinum priusquam sumit homo, solet colorem & odorem percipere, qui si placent alicui, eum excitant ad bibendum; lac verò ex vberibus fugit infans oculis clausis, nullo colore inspecto, nullo odore percepto. Et hæc inter scientiam humanam, & fidem diuinam differentia reperitur, quòd scientiæ humanæ non fidimus, nisi oculis, vt aiunt, eius veritatem perspiciamus, & volumus vt per demonstrationem procedat. qui illam docet: at fides diuina sicut lac se habet, & clausis oculis ex vberibus Ecclesiæ seu Christi Domini, illam exhibentis, fugimus & haurimus.

Aliam animaduerte differentiam inter huiusmodi lac & vinum, quòd vinum potus solummodo potantis sitim extinguit: quare qui diu solum sumeret vinum, obiret: at lac potus & cibus est, & solo lacte posset diu homo sustentari. Sic scientia humana vinum est, quod sitim quidem sciêdi humanam extinguere ad summum potest, vnde eâ solâ anima veritate indigens, non potest sufficienter ali; fide verò maximè, qui solidus cibus est, gustum, saporem, & substantiam sperandarum rerum continens in se, verbi gratiâ, mysterium incarnationis Christi, mysterium natiuitatis, circumcisionis, quibus Deum pro nobis carnem assumpsisse humanam, & pro nostra salute labores & dolores & sanguinis effusionem fuisse credimus: item mysterium Eucharistiæ, quo se nobis in cibum Christum Dominum exhibere credimus, vbi nec colori, nec odori, nec sapori panis, & vini credimus, quibus humana scientia, & humana ratio nobis panem & vinum ibi esse nituntur persuadere, fidem damus, sed fidei diuinæ tanquam vberibus adhærentes, & labia figentes, suauitatem corporis & sanguinis credimus, & sumimus gaudentes. Quis non dicat ergo cum sponsa Christi, Christo: *Meliora sunt vbera tua vino?*

Beati oculi qui vident quæ vos videtis: dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & nō viderunt, & audire quæ vos auditis, & non audierunt. Verba Christi Domini ad discipulos & Apostolos suos, hæc sunt, beneficium illis exaggerantis præsentiæ suæ, hac nos orbati sumus, sed non ideo minus insolices. Audi S. Bern. *Neque enim est (inquit) quòd causeman nostro huic negatam tempori eam, quæ Apostolis exhibita est, præsentiam carnis eius: liquidem fideliter consideranti non deesse nobis liquet. adest nobis etiam tunc carnis ipsius vera substantia, haud dubium sanè, quin in sacramento.* Ita S. Bern. Dices Apostoli quidem Christi Domini præsentia visibili potiti fuerunt: hæc autem gratia nobis nequaquam est concessa. non hæc quidem præsentia visualis, sed sacramentalis, quam illâ non inferiorem iudicare debemus: licèt enim illa fuerit lætior, non tamen vtilior. *Beati enim,* ait Christus Dominus, *qui non viderunt, & crediderunt.* Vnde feliciores nos sumus habentes in Sacramento Christum, & illum verè & realiter manducando, quàm Apostoli videndo, &c.

Caro mea verè est cibus, Græci legunt: *Verus est cibus,* cur verum, vel verè cibum appellauit? nónne sufficeret simpliciter dicere: *Caro mea est cibus,* & sanguis meus est potus. Magnitudinem beneficij huius cibi videtur mihi explicare voluisse, *verum* eum appellando, ad differentiam cibi ac potus veteris legis, quæ non vera, sed picta & figuratiua fuere. Audi Apost. *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari: & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt: bibebāt autē de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus,* & subdit Apostolus: *Hæc autem in figura facta sunt nostri.* Priùs igitur videamus quid per figuram intelligere voluerit Apostolus? S. Chrys. *Age* (inquit) *ab imaginibus, quas pictores pingunt, similitudinem sumamus. Vidisti sæpe imaginem regiam venusto colore coloratam, de nde pictorem circumducere candidus lineas, & facere regem, & regum seruum, & equos circumsultantes, & lanceatos, & victos hostes & subditos: & cum hæc vides delineata, & adumbrata neque scis totum, neque ignoras totum, sed quod homo pingitur & equus, obscurè cognoscis; qualis autem sit rex, & qualis hostis, non valde perspicuè cognoscis, donec colorum veritas adueniens certiorem reddat visum. Sicut igitur in hac imagine non intelligis totum ante veritatem colorum, sed subobscuram quamdam accipis cognitionē eorum quæ sunt, satis tamen picturam absolutam putas. Sic de Veteri & Nouo Testamento sentire: vt nou omnem veritatis dilgentiam in typo quæras: Poterimus autem docere te, quomodo Vetus ad nouum Testamētum habeat cognationem, & ille transitus maris ad nostrum Baptisma: nam ibi aqua, & hîc aqua, ibi pelagus, & hîc lauacrum, omnes hîc in aquam ingrediuntur, & ibi omnes, iuxta hoc similitudo est. Vis nunc cognoscere colorum veritatem, ibi quidem post mare liberati sunt ex AEgypto, hîc autem ab idololatria, & ibi quidem Pharao submersus est, hîc autē diabolus, ibi AEgyptij submersi, hîc autem vetus homo cum peccatis defoditur. & vide cognationem figuræ ad veritatē, & veritatis excellentiam: neque enim alienum omnino typum à veritate oportet esse, alioquin non esset typus, neque omnino adæquari veritati, quia tūc veritas ipsa foret, sed oportet eum in suo modulo manere, & neque omnē comprehendere veritatem, neque omni veritate destitui. Vide igitur figuram; omnes ibi, & hîc omnes, per aquam sunt ibi & hîc, per aquam à seruitute liberati sunt illi, & nos à seruitute liberati sumus, sed non ab eadem omnes: nam illi quidem ab AEgyptiorū seruitute, nos verò à dæmonum*

Luc. 10. 23.

Ser. de S. Martino.

Ioan. 20. 29.

1. Cor. 10. 1.

In Hom. super hîc Pauli locum.

monum seruitute, illi quidem à seruitute barbarorum, nos verò à seruitute peccati, ad libertatem venerunt illi, & nos, sed non ad eandem: nam nos ad multò clariorem. quòd si maiora sunt nostra, & illis excellentiora, ne moueatis: hoc enim à veritate est, quòd sit aliqua excellentia, sed non pugna, vel diuersitas cum figura. Quid autem est, omnes eundem cibum spiritualem comederunt? *sicut tu à lauacro aquarum Baptismi ascendens ad mensam curris, sic & illi à mari ascendentes ad mensam venere nouam, & admirabilem, de manna loquor; & sicut tu admirabilem habes potum, salutarem scilicet sanguinem Christi, sic & illi admirabilem habuerunt poculi naturam, à dura & inaquosa petra. propter hoc & spiritualem vocauit, non ob naturam aquæ, sed ob modum quo suppeditabatur illis. Vnde ait*, Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus: *non (inquit natura lapidis, sed efficax virtus Dei fontes illos scaturire faciebat.* Ita S. Chrysost.

Nunc ad rem, manna illud, licèt verus cibus esset, quatenus manna erat, non tamen quatenus figura erat: eo enim modo erat cibus pictus. Ad cuius quidem discrimen ac differentiam ait Christus Dominus: *Caro mea verè est cibus*: & ad differentiam illius potus ait, *& sanguis meus verè est potus.* Vnde clariùs ipse Dominus: *Non sicut manducauerunt patres vestri manna*, &c. hoc est, illis quidem figuram & picturam Eucharistiæ dedi; vobis autem non sic, sed ipsummet corpus meum verum, & ipsummet sanguinem meum verum.

Ioan. 6. 59.

Quam quidem differentiam mirè mihi explicat mensa illa Heliogabali Imperatoris, de qua sic Herodianus in Heliogabalo, *Hic* (inquit) *Heliogabalus principes curiæ suæ ad prandium inuitauit, & famulis suis secretò imperauit fictos ac pictos quosdam cibos præparare. Tempus affuit conuiuij, vocati proceres sunt ad præpositam mensam, omnes consederunt, afferuntur cibi, sed picti, panis depictus, cerasa depicta, aues depictæ, vinum depictum. Mirantur omnes, adest regis famulus, dicens illis: Desiderat Imperator vos omnes plene reficiri: quid putas dicerent illi? qui fieri potest, vt cibis pictis reficiamur? reficiuntur visus, non gustus. At in alia mensa Imperator ipse cum filijs suis recumbebat, in quam non picti cibi, sed veri ac solidi: ferebantur: vertus panis, vera caro, verum vinum*, &c. Vide nunc harum mensarum differentiam, & ea quæ inter fideles veteris Testamenti, & nos versatur, facilè prospicies: illi ad mensam cum Moyse consederunt, sed cibos figuratiuos viderunt, non figuratos per illos gustarunt: manna figura corporis Christi fuit: panes propositionis panes erant, sed tamen picti (*tortas pan pintado*) quatenus panem hunc cœlestem figurabant; nos verò, ô prorsus fœlices ac beati! panem verum & verum merum non aspicimus, sed gustamus, videmus sacramentales species, fruimur corpore ac sanguine Christi. Si Abraham exultauit, quia à longè in figura diem Christi vidit, quid si vel semel è pane isto cælesti frui daretur? nos verò frequenter illum sumimus in Ecclesia. Hinc igitur beneficium tam excellens recolens nobis Christus, ait: *Caro mea verè est Christus*, hoc est, attendite, & videte, quia non sicut Patribus antiquis panem pictum porrigo vobis, sed verum: quia caro mea non fictus, sed verus cibus est.

Hoc maximè inter diuites & pauperes distat, quòd pauperes bona quærunt & expectant ea; diuites verò à bonis quæruntur, & expectantur. Nascitur puer primarij viri, vix natus est ille, imò antequam nascatur, audies parentes eius dicentes: Hoc vel illud beneficium Ecclesiasticum, hoc vel illud munus reipublicæ, hunc maioratum, & huiusmodi reditus obtinebit, qui nascitur filius meus; pauper verò iam natus, & literis multis imbutus, opponat se oportet, & magnis laboribus vix assequitur optata. Olim quidem Patres veteris legis in cœlum clamantes, dicebant: *Rorate cœli desuper & nubes pluant iustum*, & velut iuxta piscinam constituti, expectabant Angeli aduentum, qui aquis illis mysterio plenis sanaret: optabant Christum, & Sacramenta eius, & maximè hoc Sacramentorum maximum Sacramentum: qui tamen, vti Apostol. ait, omnes iuxta fidem defuncti sunt, non acceptis repromissionibus: tanquam pauperes, & infirmioris sortis homines se illi habuerunt. At post Christi Domini aduentum, fideles tanquam nobiliores & sublimiores habentur à Deo, non expectant aquæ motum, non magni consilij Angelum obseruant, sed aquis diuinæ gratiæ vberrimè potiuntur. *Erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatoris:* illis dicebatur *erit* de futuro, nobis verò est: illi Baptismum & reliqua Sacramenta expectabant, & coniuium sanctissimæ Eucharistiæ, &c. nobis verò non dicitur *fiet*, sed *factum est*, postquam dictum est, *& Verbum caro factum est.* Audi parabolam inuitantis ad magnam cœnam, *Et misit*, inquit, *seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Iam*, inquit, *parata sunt omnia*, non paranda vos expectat cœna, sed parata, non vos cœnam, sicut antiqui Patres expectabant. Quòd si tantam Dei erga nos bonitatem, & charitatem, & beneficientiam negligeremus, quâ erimus digni venia?

Accipite, & comedite, hoc est corpus meum. quis dignè, vt par est, verbis augere valet beneficium hoc? & quidem si nihil aliud Dominus effecisset, nisi nobiscum mane re, ac dicere: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*, summum & incomparabile nobis exhibuisse beneficium videretur, quantò magis se in cibum nobis tribuens, ac dicens: *Accipite, & comedite*, &c. cui, quæso, vmquam in mentem veniret talem homini esse à Deo cibum donandum? Plantauit olim Deus Paradisum voluptatis, in quo hominem collocauit, & dixit: *Ecce dedi vobis omnem herbam, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam.* Bene ac satis superque hominieist hoc sublime beneficium, & quod manu sua consitum Paradisum in cibum hominum daret Deus; sed in cibum seipsum præbuisse, quantò sublimius, quantò mirabilius est? Mirabatur olim S. Propheta Isaias, dicens: *Domine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia*, quid ita? subdit postea: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pingue, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ.* De conuiuio cœlesti hæc Propheta, quod meritò pingue vocat, quia cibus Beatorum Deus ipse est, quid pinguius? & nobis in conuiuio mirabili Eucharistiæ quid datur nisi Deus ipse? In cœlo quidem clarè visus, hîc verò sub velamento accidentium velatus: Deus tamen cibo illo beatos reficit ad gloriam, hîc viatores ad gratiam, & pignus gloriæ. Et quidem dignatio Dei hîc aliquo modo maior: nam ibi per illapsum in animam se communicat beatis, hîc verò per cibum se comedendum tribuit, & intra corporis viscera, & sæpe intra viscera peccatorum, cùm in cœlo non nisi in mentem Sanctorum intret. nónne dignationem hanc superemineniem dicemus? nónne cum eodem Propheta Deum laudibus, extollemus, dicentes: *Dominus Deus meus es tu, & confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia?* &c.

Isai. 45. 8.

Tu ad liberandum suscepturus hominem (ait Ecclesia) non horruisti Virginis vterum, quasi horroquidam videatur, Deum mulieris viscera inhabitare, quò beneficiũ incarnationis augeatur. Sed quid mirandum magis, quòd viscera Virginis integerrimæ, Virginis sanctissimæ, Virginis omnium cœlestium spirituum excellentissimæ, Deus intrauerit, an intra viscera nostra, intra viscera sæpe peccatorum, ibi semel, hîc quotidie, ibi in filium hîc in cibum? Equidem si Dominus Christus apud nos solummodo adorandus remansisset, vt scilicet intra Ecclesiæ custodiam clausus, ab omnibus nobis, ora terræ figentibus, adoraretur, inæstimabili fauore nos condecoraret: quippe qui apud nos filium Dei corporaliter cohabitantem adorare sic possemus. quid manducare, bibere, & in pectore collocare?

Priuſ-

Priusquam pro nobis carnem assumeret, in rubo A Moysi apparuit, cui accedere volenti dixit : *Moyses, Moyses ne appropies huc, solue calceamenta de pedibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est.* Bone Deus, quanta cum reuerentia ad se Dominus sanctum illum accedere postulabat imò non accedere iubebat, sed à longè pedibus denudatis venerari: nunc autem ad nos: Accedite, inquit, filioli mei, accipite & manducate corpus meum, non dico adorate, sed manducate, &c.

Fuit in Arca illa celebri testamẽti manna absconditum & celatum: tanta verò reuerẽtia iussu Dei ab omnibus fuit habita Arca illa, vt quia Oza ausus fuit eam manibus tangere, & non quidem inutili ratione, sed quia Arca ruinam minabatur, ne in terrã caderet, manibus eam retinere volebat; & tamen *iratus*, inquit textus diuinus, *est Dominus indignatione contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi iuxta arcam Domini*, morte scilicet subita & inopinata. Quis non timebit te ô Rex regum? quis non paucbit accedere ad te? id quidem olim in lege illa timoris, vbi Deus sæpe de se: Ego Dominus, ego Dominus, & Prophetæ: Deus vltionum Dominus, & Dominus exercituum nomen illi: at in lege amoris nostra ad Deum clamamus: Abba pater, & ita tanquam filios nos vocat, & ait: Accedite, accipite, & manducate, hoc est corpus meum, &c.

Non parum gloriabatur olim Aman se solum à regina inuitatum esse, vt cum rege reginaque, in eorum regali mensa cum illis pariter vesceretur. *Regina*, inquit, *Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege præter me*: magna quidem gloriandi occasio, sed quantò, quæso, maior nobis est Deum non tantùm ad mensam suam nos inuitasse, verùm etiam vt ipsummet Deum manducemus. Aman quidem cibos regios manducabat, & vinum regium bibebat, non tamen carnem ipsius regis, nec sanguinem ipsius: at nos regis regum carne vescimur, & sanguinem eius verè potamus. Quòd si tam ingens & admirabile beneficium illud Aman au- C tumabat, quantò magis nos admirari & gloriari debemus pro tanto beneficio?

Laudabat olim Babyloniæ Rex Deum seu Idolum suum Baal, quod multũ quotidie vesceretur, quodque hominibus quotidie apponebatur: sed nobis hoc mirãdum magis, quàm fictio illa, seu fabulosa cibatio mirandum præseferebat, quod nos tãtum quotidie comedamus, Deũ scilicet ipsum in Eucharistiæ sacramento. Baal enim carnes panesque illos comedere indecẽs potiùs, quàm admirãdum erat; nos verò Deo nostro vesci & carne ac sanguine eius saginari attonitos semper & obstupefactos tenet, iuxta illud, *Panebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum*, hoc est, secundùm Hier. *panebunt fideles, seu attoniti erunt*, vt legunt Septuaginta, considerantes Deum hominem factum, & bonum quod adferet eis, quodnam bonum, inquies? Audi Zach. agentem de Christo secundùm eumdem S. Hier. & alios: *Quid est bonum eius, nisi panis electorum, & vinum* D *germinans virgines?* hoc est, Eucharistiæ sacramentum, talem panem edere, taleque vinum bibere, hoc quidem est bonum nostrum. Ad hoc igitur bonum panebunt fideles, obstupescent, attoniti passim erunt: sic prophetauit ille, sic adimplemus nos: nunquam enim non admiramur eximiam hanc Dei dignationem, quòd se nobis dederit vescendum atque potandum. Sit ille in sæcula benedictus.

Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum. meritò quidem Ecclesia Christi festum Eucharistiæ tanta cum solemnitate celebrat, scilicet processionibus generalibus, & specialibus, non solùm in magnis ciuitatibus, verùm etiam in oppidulis exiguis, cum varia musicorum instrumentorum suauitate, hymnis, cãticis, choreis, & his similibus: his enim, & amplioribus multis alijs dignum est. Vnde S. Thom. *Lauda*, inquit, *Sion saluatorem, lauda*

ducem, & pastorem in hymnis & canticis. Quantum potes, tantũ aude: quia maior omni Laude, nec laudare sufficis. quid ita? *Laudis thema specialis panis viuus, & vitalis hodie proponitur.* est enim beneficium mirabile à Deo exhibitum nobis.

Famulus Abrahæ dedit, nomine Isaac domini sui, Rebeccæ inaures aureas, & armillas, quas ipsa parentibus & fratribus gaudens ostendebat. quidni Ecclesia sponsa Christi, tanto munere ditata, per vicos & plateas illud circumferat, & ostentet, dicens: Ecce quantum beneficium mihi præstitit sponsus meus Christus? *Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius*, iam non quæram quem diligit anima mea per vicos, & plateas, sed per eas ducam & reducam eum: tenui enim, nec dimittam, &c. *Gen. 24. 22.*

Celebre quidem fuit beneficium populo Hebræo exhibitum, cùm ei Dominus pluit è cœlo panem Angelorum ad manducandum in deserto, ita est: sed quid si cum pane isto panis ille conferatur? panis ille panis Angelorum vocabatur: sic enim de illo Psalmist. B *illis manna ad manducandum: panem cæli dedit eis: panem Angelorum manducauit homo*; & panis noster vnde? audi Christum Dominum, qui Hebræis dicentibus, *Quod signum facis, vt videamus, & credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducare. Respondit Iesus: Amen, amen, dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum*, ita est: nam panis ille non descendit ex cœlo absolutè sic dicto, sed ex aere, vt ibi adnotarunt S. Aug. & Euth. dicitur autem panis cœli: quia regio aërea respectu terræ dicitur cœlum, ideo dicuntur volucres cœli: at Eucharistiæ panis verè de cœlo descendit, sicut de Christo dicitur: *Descendit de cœlis.* Vnde postea subdit Christus: *Hic est panis qui de cœlo descendit.* *Psal. 77. Ioan. 6. 31. Tract. 25. in Ioannẽ Ibid In psal. 77.*

Præterea, si manna dicitur panis Angelorũ, quia per manus Angelorum subactum & confectum fuit: at panis iste non Angelorum ideo dicendus, sed panis Dei: sicut enim Christus panis Dei est, ni mirum quia, vti quotidie in Sacro dicimus: Accepit panem in sanctas & venerabiles manus suas, &c. Ecce manus, quæ panem istum pinserunt. Si ergo panis ille ideo dicitur panis Angelorum, quia manus Angelorum illum confecerunt, quidni hunc panem Dei, seu panem diuinum dicamus, cùm Dei manu fic nobis compactus sit? *Ioan 6. 33.*

Præterea, panis ille, panis corporeus erat, corporiq́ue vitam seruans: at panis iste animæ & vitæ æternæ cibus est. vnde Christus Dominus: *Ego sum panis vitæ: patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt; hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.* Et iterum infrà. *Hic est panis, qui de cœlo descendit, non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt, qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Vide quantùm inter panem panemq́ue interfit, *quanto va de pan à pan!* *Ioan. 6. 48.*

Præterea de illo pane dicitur: *Panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Magnum hoc, sed corporeum totum: at panis iste primum in animæ palato omninodam confert suauitatem: sic enim Ecclesia: *O quàm suauis est Domine spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suauissimo, de cœlo præsito, esurientes reples bonis*, &c. Secundò continet panis hic omnimodam virtutem: quod sublimius quidem est, quàm omnem ciborum continere suauitatem. hic nos in honoribus humiles reddit, in aduersitatibus fortes, in persecutionibus tolerantes; in delicijs temperatos, in diuitijs paupertatis spiritu facit, in periculis cautos, in dubijs prudentes, in officijs & ministerijs iustos, in Deum pios, in proximos charos, in nos verò seueros: nimirum quia pro qualitate ciborum est qualitas complexionum. Cibus ergo diuinus, quidni vescentes diuinos esse faciat? *Sap 16. 20.*

Denique panis ille figura huius erat, hic verò panis

viuus per illum figuratus, *y assi ya del vno al otro, lo que de lo viuo a lo pintado.* Ideo igitur ait Christus: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*; vti exponūt locū istū Tertul. contra Marcio. & S. Iren. & S. Iustin. Marc & S. Clemens Alex. & S. Chrys. & Theoph. in hunc locum ipsum. & quidem Moyses cibum illum, quamuis vmbraticum, tanti fecit, vt de ipso dixerit: *Dedit tibi Dominus cibum manna, quod ignorabas tu, & patres tui, mira con que ojos te mira Dios, pues te ha dado para tu palato manna:* imò & Deus ipse tanti hoc beneficium æstimauit, vt dixerit Moysi: *Imple gomor ex eo, & custodiatur in futuras retro generationes, vt nouerint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Egypti, guarda vn vaso deste manna y quede ad æternā Dei memoriam, para que vean los siglos venideros, con que pan te mātubo Dios, y te regalò por el desierto.* Si ergo Deus ipse, cui omnia parua sunt, & quasi nihilum omnia creata reputantur, tanti fecit vmbram sanctissimi Sacramenti; quanti nos facere oportebit veritatem ipsam, & realem præsentiam Christi Domini in ipsomet Sacramento?

Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, ait Synagoga, *& fructus eius dulcis gutturi meo, a la sombra de Christo, arbol de vida, de aficion, y para mi paladar fue dulciss. mo el fruto deste arbol soberano.* Pondera *sub vmbra*, rectè: quia vmbram Christi, non Christum ipsum habebat Synagoga. Quòd si vmbratici cibi adeo dulces illi fuerunt, & grati, quantò magis Christus ipse in Eucharistia sumptus, nobis esse debet?

Item sic eadē Synagoga: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie: di me esposo de mi alma, donde comes y donde tomas la siesta del medio d.a.* non ait, vbi sis summo mane, aut tempore vespertino, quando vmbræ sunt maiores, sed *in meridie*, quando omnia lucent, & nullibi vmbra. quod quidem tempus proprium est Catholicæ Christi Ecclesiæ, in qua nullæ sunt vmbræ futurorum, sed complementum vmbrarum præteritarum. Hoc igitur tempus optabat Synagoga, quasi diceret: Vsquequo vmbræ istæ & figuræ durabunt? quando veniet meridianum tempus, quod huiusmodi vmbras est fugaturum? quando veniet dilectus meus, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ? Venit quidem iam plenitudo temporis, in quo misit Deus filium suum, adest meridies, fugerunt vmbræ, & veritas Domini manet iam nobis cum in æternum, nobis datus, non illis, illi vmbram, nos corpus habemus. *Accipite*, inquit, *& manducate, Hoc est corpus meum*, vmbram fugat veritas, noctem lux eliminat. illi desiderabant, & sperabant, nos possidemus desideratum, & expectatum, illis flos, nobis datus est fructus, fructus, inquam, ille de quo S. Elisabeth: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quā igitur retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis? Qui loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* Hinc hæreticorum nostri temporis malitia constat, qui post lucem hanc iterum ad tenebras & vmbras recurrunt, *que hasiendo venido la luz, la quieren hazer noche*, vmbras, inquam, Veteris legis reuocāt, & lucem meridianam legis Euangelicæ extinguere conantur. Vmbram quandam, & picturam seu signum, Eucharistiam nostrā esse volentes: quibus illud Æsopi contigit, vbi canis portionem quādam carnis ore super fluminis pontem ferens, & in aqua vmbram carnis videns, maiorem quantitatem carnis præferentem (vmbra enim erat) veram carnem pro vmbratica dimittēs; dum vmbram insequitur, carneipsa & vmbra priuatus remansit. Idem prorsus hæreticis euenit, qui veram Domini carnem pro vmbra legis Veteris relinquentes, fine Christi carne & sine vmbra illa remanserunt: infelices illi, nos verò felices. Vis autem videre quæ bona breuiter in hoc sanctissimo Sacramento contineantur? Est quidem Eucharistia peccatorum nostrorum remedium, debitorum nostrorum solutio, aduersùs insidias diaboli & omnes tētationes armatura, intellectui nostro lux, voluntatis nostræ in Deum ardor, passionum fræuum, fidei nostræ mysterium, spei fulcimentum, charitatis feruor, debilitatis nostræ adminiculum, conscientiæ nostræ gloria, cordis fortitudo, animæ gaudium, in laboribus nostris consolatio, in dubijs nostris lumen, in periculis nostris adiutorium, peregrinationis nostræ comes, mortis viaticum, meritorum Christi fons, naturæ diuinæ participatio, gratiæ diuinæ abundans vena, in qua futuræ gloriæ nobis pignus datur, imò quia merita gloriæ maximum capiunt incrementum: denique omnium bonorum nostrorum est origo, & malorum cunctorum exterminatio.

Præterea Paulus, *Non*, inquit, *debent filij parētibus thesaurizare, sed parentes filijs.* Aues quidem filios, dū adhuc pulli sunt, nutriūt, & quę illis necessaria sunt, magna prouident curā; sed postquam adoleuerint, eos omnino emittunt, & propriæ ipsorū solicitudini eos remittunt; *que se valgan por su pico*: idemque faciunt animalia cuncta cum filijs suis, præter hominem, qui non solùm filios suos, dum pueri sunt nutrit, & vestit, sed thesaurizat eis bona pro omni tempore vitæ, imò vt thesauros huiusmodi ad posteros transmittere possit, hinc cura ingens relinquendi maioratus, vniculatus, & annuos redditus perpetuos: ob id enim alij literis incumbunt, alij militiæ, alij, si diuersis officijs, *estudian, pelean, afanan por tener que dexar a sus hijos.* sic parentes filijs thesaurizant; Christus autem Dominus pater noster dicitur, & essentialiter enim de illo: *Vocabitur nomen eius admirabile, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi.* Futurum sæculum, nostrum hoc dicebat: & quidē potiori iure dicitur pater, quàm illi qui nos generarunt: si enim is, qui huius nostri esse naturalis principium aliquod fuit, dicitur pater; quantò magis ille qui & ipsius esse naturalis principium est, & etiam supernaturalis, in fieri, & in conseruari? Ipse absoluit dixit: *Ego principiū qui & loquor vobis.* Sic ergo parentum est filijs thesaurizare, & ad hoc laborare, mirè Christus Dominus patris munus obiuit, qui tot labores, & sudores, & cruciatus, & mortem mortem autē crucis, subiuit, vt nos ita ditaret meritis magnis suis, qui denique substantiam magnam nobis reliquit, substantiam, inquam, panis, *renta de pan.*

Et ne, quia panis est, minoris æstimandam illam putes; nam inde potiùs potior est habēda, *no nos dexo ginos y censos de hefas y vasallos, però mas hizo en dexar nos la viña en pan.* Antiqui sapientes qui olim per ænigmata loqui solebant, cùm hieroglyphicè bonum ipsum depingere vellent, adolescentem quendam fingebant dormientē, qui altera manu spicarum manipulum, altera verò amphoram vini continebat, cui inscriptio hæc erat: *Bonum, et bien*: quia scilicet is qui abundantiam panis ac vini habet, bonū temporale, quod in hac vita homines desiderare possunt, habet: & eapropter dormiētem eum effingebant, quia qui abundantiam panis habet ac vini, in vtramque aurē plaudere, ac securè dormire potest. *Esse puede dormir à suenno suelto, porque de las taxas abajo tiene lo bueno que ay.* Fauet quidem huic hieroglyphico nomen ipsum panis: pan enim Græce idē est, quod omne: vnde qui pane abundat, omnia se habere credit. fauet etiam mos loquendi Hebræorum, qui omne ciborum genus sub nomine panis comprehendebant, vti patet, vbi habetur. Luc. 14. *Cùm intraret Iesus in domum cuiusdam Pharisæi sabbato manducare panem.* non quidem inuitauerat Pharisæus Dominum, vt panem solum illi daret, sed nomine panis reliquos cibos intellexit Euangelista, idem ex alijs locis constat. Meritò ergo omne huius mundi bonum in pane & vino sapientes depingebant.

Voluit igitur Dominus sub panis vinique speciebus hoc admirabile Sacramentum relinquere, quo nobis significaret, omne bonum in eo nobis reliquisse. Quod etiam expressit S. Propheta Zacharias, dicens: *Quod bonum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

Ioan 6. 55.
Lib. 5. cō tra Har. In 2. Apolog.
4. Sirom.
Deut 8. 3.
Exod. 16. 32.
Isai. 40.
Cant. 2. 3.
Cant. 1. 6
Matt 26. 26.
Luc. 1. 38.
Psal 115. 12.
Psal. 105. 2.
1. Cor. 12.
Luc. 14.
Cap 9.

gines? quisnam panis hic electorum, & quodnam hoc inauditum vinum germinans virgines? Vbi Septuaginta sic legunt: *Si quid optimum illius, & si quid bonum ab eo, frumentum iuuenibus, & vinum boni odoris ad virgines.* Vbi Sanct. Hieronym. Nos frumentum electorum, siue iuuenum, & vinum germinans virgines, siue vinum boni odoris ad virgines, intelligimus Dominum Saluatorem, qui ait in Euangelio: *Nisi granum frumenti*, &c. De hoc tritico efficitur ille panis qui de cœlo descendit, qui confirmat cor hominis, & ad quos Ioannes Apostolus dicit: *Scribo vobis iuuenes, quia fermo Dei in nobis manet, & fortes estis, & vicistis malignum*, & qui frumentum est electorum, siue iuuenum, ipse est & vinum quod lætificat cor hominis, & bibitur ab his virginibus, quæ sanctæ sunt & corpore, & spiritu, vt inebriatæ atque gaudentes sequantur Ecclesiam, & dicatur de eis: *Adducentur virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi. Afferentur in Lætitia & exultatione.* Ita S. Hicronym. Bonum igitur diuinum in Ecclesia Christi est sanctum Eucharistiæ Sacramentum, *et el bien de la yglesia*, & meritò; nam si in reliquis Sacramentis est virtus Dei ad sanctificandum nos, in Eucharistia est ipse Deus sanctificans nos, de quo ipse ad Moysen: *Ostendam tibi omne bonum*: nam ipse Deus solus est bonus, & ipse omne bonum absolutè. Omne igitur bonum dedit nobis Christus in Eucharistiæ Sacramento.

Plutarchus refert in vexillis suis Alexandrum hanc apposuisse inscriptionem, *Plus vltrà*; quasi diceret, quamuis plurima subiugauerim regna mundi, plus vltra mihi procedendum est, vsquequo omnes imperio meo prouincias adiunxerim mundi. Potuit quidem noster supremus Imperator cœli & terræ Christus hoc in vexillo suo insigne apponere, quod fides Christiana depictum præ manibus gerit, hostiam scilicet supra calicem, cum hac inscriptione, Non plus vltra: quid enim pro Ecclesia sua efficere potuit, quàm se, & omnia merita passionis & mortis suæ in Eucharistiæ Sacramento nobis exhibere? Verè Domine, non plùs vltrà in charitatis tuæ demonstratione: ideo enim Apostolus tuus dilectus dixit, *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*, non plus vltra quoque in ostensione bonitatis tuæ: si enim natura & conditio bonitatis est communicatio suorum bonorum, & benefacere aliis, quæ maior communicatio, quam communicatio tui tuorumque meritorum? Non plùs vltrà ctiam in ostensione liberalitatis tuæ: nam si liberalis dicitur ille, qui gratis multa mangnaque tribuit; quanta dicenda erit liberalitas hæc? O larga & prodiga largitas. ait Vrbanus Papa, vbi donator venit in donum, & datum est idem cum datore, & vbi tribuit quis seipsum, qui sibi ipsi non pepercit, sed nobis semetipsum dedit, quomodo non omnia simul nobis donauit? Denique non plùs vltrà, in charitate, bonitate, liberalitate, omnipotentia, sapientia, misericordia, & pietate.

Ex dictis colligitur explicatio illius promissionis diuinæ, *Cibabo te hereditate Iacob patris tui: os enim Domini locutum est?* quænam hæc hæreditas, locus hic ad illum nos reuocat, vbi Isaac benedicens Iacob filium suum, dixit: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini*: quanti verò facienda esset hæc benedictio tunc manifestauit Isaac, cùm adueniente postea Esau fratre eius, & benedictionem à patre postulante, respondit Pater: *Frumento & vino stabilui eum*, (scilicet Iacob) *& tibi post hæc fili mi, vltra quid faciam?* quasi dicat, non plùs vltrà. Pane igitur & vino Christus Pater futuri sæculi; Pater, inquam, noster, populum Christianum, qui filius minor est, & ideò meritò in Iacob figuratus, pane, inquam, & vino sanctissimi Sacramenti populum Christianum stabiliuit, & illi post hoc quid vltrà, non plùs vltrà quidem. Sit ille benedictus in sæcula. Attende nunc hieroglyphicum illud: *Boni*, quo adolescens panem & vinum habens dormiebat:

A quid somnus iste importat? id quidem quod de homine prædiuite dicere solemus: Hic securè & in vtramque aurē dormire iam potest. *bien nos podemos echar a dormir, pues tenemos tal venta de pan y vino diuino.* in cuius rei signum voluit Dominus Ioannem suum dilectum in hac eadem cœna, in qua diuinum hoc instituit Sacramentum, supra pectus ipsius Domini dormire; quasi diceret Christus: Iam ex die hac securè poteris dormire, frumento quippe & vino stabiliui te, & vniuersam Ecclesiam. imò & Dominus ipse postquam panem hunc sic instituit, adijt mortem, velut dicens: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam*, &c.

Hoc solùm tanto beneficio reliquum esse poterat, vt perpetuum quidem esset, *ya que nos dexaua la venta no en juros perpetuos, sinò en pan, que fuesse la venta de pan perpetua y abundante.* Sed nc hoc à nobis desiderari posset, perpetuos nobis reditus panis huius datos, audi Prophetam, *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es sacerdos in* B *æternum, secundum ordinem Melchisedech.* hic Pater æternus filium alloquitur suum. Tu, inquit, es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Alludit aiunt S. Augustinus & S. Hieronymus super hunc Psalmum, & Cassiodorus etiam; & alij, ad oblationem Melchisedech, qui panem & vinum offerebat. Notus est igitur ordo, seu sacerdotium Melchisedech ex Gen. vbi panem & vinum legitur obtulisse Melchisedech, tanquam sacerdos Dei altissimi; secundùm ordinem hunc, *Cap. 14.* ait, Pater, esse sacerdotem Christum Dominum, quia *19.* scilicet obtulit in vltima cœna panem & vinum Eucharistiæ, & modò etiam offert per manus suorum sacerdotum in Ecclesia sua quotidie, & hoc modo ait Pater filio: Tu es sacerdos in æternum, hoc est, non erit pro aliquo solùm tempore sacerdotium tuum, sed perpetuum vsque in finem mundi. hæc est expositio communis. Iurauit autem, hoc est. Deus, vt hoc certum & infallibile futurum sciamus, *en este turò no de por vida sinò* C *perpetuo, como sobre firme finca nos dexò fundada esta venta de pan y vino*, & quidem plus mille & quingenti anni sunt, ex quo huiusmodi hæreditatem Iacob adiuit Ecclesia Christi, & adhuc integra perseuerat, & perseuerabit semper, quia verbo & iuramento Domini ita firmatum est. *Cœlum & terra transibunt*, ait Dominus, *verba autem mea non præteribunt.*

Imò tanta cū abundantia nobis administratur panis iste cœlestis, vt nunquam cū recipere dignè volenti sit negatum, quamuis quotidie illum petat; ideo quippe panem nostrum dicimus, & quotidianum: nam qui quotidie se dignè disponit quotidie recipere potest.

Hinc igitur constat quàm meritò Ecclesia Christiana tanta cum solemnitate celebret festum hoc, & miris laudibus extollat tam ingens beneficium, & S. Thom. dixerit: Lauda, inquit, Sion Saluatorem, lauda ducem & pastorem in hymnis, & canticis: quantum potes, tantum aude, quia maior omni laude, nec laudare sufficis; laudis thema, quale est laudis thema specialis? panis viuus, & vitalis hodie proponitur. D

Quòd longè antea admonuit Propheta regius, vbi apostrophe quadam sic ad Ecclesiam Christi, *Lauda*, inquit, *Ierusalem Dominum, landa Deum tuum Sion.* Quare? primò: *Quoniam confortauit seras portarum tuarum, porque ha fortificado los cerrojos de sus puertas*, hoc est, te ab hostibus acerrimè defendit. Ideo enim de Christo prophetatum est apud Isaiam: *Saluator ponetur in ea murus & antemurale.* Ad hoc enim in Eucharistiæ Sacramento remansit nobiscum vsque ad consummationem sæculi, vt protegat nos atque defendat.

Secundò, *benedixit*, inquit, *filys tuis in te.* benedictio hæc abundantiam designat bonorum: ad hoc enim antiqui Patriarchæ filios suos benedicere solebant. Sic Dominus Iesus Christus, qui propter nos, pater futuri sæculi dictus fuit ab Isaia. *Patriarcha de la yglesia Catholica*, nos omni benedictione benedixit.

Ps.147. 13. Tertiò, speciatim benedictiones aliquas assignando, addit: *Qui posuit fines tuos pacem. hapuesto paz en tus fronteras, que es lo mas peligroso.* hoc quidem exhibuit Christus, vti Angeli quoque in eius natiuitate cecinerunt, dicentes: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* & propter hanc pacem vitam cum morte in cruce commutauit, interficiens inimicitias in semetipso, & modò se offerendum in sacrificio Eucharistiæ reliquit, vt tanto sacrificio iratum propter nostra delicta Patrem placare valeamus. Vnde Dauid de Christo Domino prophetans, vt S. Hieron. & Cassiodorus, Lira, & alij exponunt. *Orietur*, inquit, *in diebus iustis iustitia*, hoc est, Christus, *& abundantia pacis*, hoc est, non pax quomodocumque, sed abundans. Ecce abundantiam quamdam. Audi aliam, *Et adipe*, inquit, *frumenti satiat te*, vbi Lira: *Nam in Sacramento Eucharistiæ, quod conficitur in pane de frumento, est refectio spiritualis.* Ita ille, & alij. Dicitur autem adeps frumenti propter excellentiam Eucharistiæ: & non dicit, pascit te, sed *satiat te*, vt abundantiam magnam sic explicaret, *en annos abundantes de pan, solemos dezir que anda el pan rodando, que vale de balde, y no ay quien lo quiera.* Sic igitur huius diuini panis tanta ac talis est abundantia, vt panem rotare dicere possimus. Et fortè diuina sapientia, quæ minutissima quæque ad hunc panem spectantia præuidit, & prouidit, in circulari & rotunda figura hostiam Eucharistiæ confici voluit. Item abundantia panis huius tanta est, vt gratis detur, & multi nec gratis accipere velint. Sit Deus benedictus in sæcula. Et quidem si in eadem vrbe Ierosolymitana, in qua fuit consecratus, & non alibi, modò fidelibus fumendus exhibertur, nudis pedibus omnes illuc properare deberemus, ne tanto bono priuaremur: Deus autem Opt. Max. (cuius charitas in finem vsque hic processit) vbique terrarum quotidie consecrari posse concessit.

Ps.71.7.

Ps.al. 47. 24.

Ponderauit Sapiens, dedisse Deum Israelitis in deserto panem sine labore. *Angelorum escá* (inquit) *nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnem saporem suauitatis.* Ita fuit: Angeli enim præparabant panem illum: nobis autem quis præparauit? non Angelus, non Archangelus, sed Dominus ipse consecrauit, ipse confecit, ipse impertiuit: *Accipite*, inquit, *& manducate*, &c. Israelitæ quidem paratum panem inuenerunt sine labore: neque enim seminauerunt illum, neque messuerunt, neque pinsuerunt, sed per camporum planities eum fatum inuenerunt: & nobis, quæso, quis aut vnde labor pro pane isto cœlesti? num serimus, aut metimus, aut pinsimus, aut subigimus, aut coquimus eum? Israelitæ quidem, vt colligitur ex c.16. Sapientiæ, & Exod. c.16. festam coquebant igne panem illum Angelorum; nos verò panem istum diuinum ita omnino paratum & præparatum accipimus, vt opus non sit ad ignem applicare. *Omnia* (inquit) *parata sunt, venite ad nuptias*, &c.

Sap.16. 20.

Matt.22. 4.

No ay sino llegar a mesa puesta, que a los repartidores deste pan dize Dios: Gratis accepistis, gratis date, es pané franco, que nos franquea del todo la bondad de Dios.

Gen.3.19. Primus Adam à Domino audiuit: *In sudore vultus tui vescêris pane tuo*, quasi diceret Deus: *Si quisieres vn pedaço de pan, a fuerça de braços, y con el sudor de tu rostro, lo has de gauar, que por tus peccados desde oy mas sera gana pan.* & sic transmisit ad nos panem suum primus Adã, cum sudore scilicet suo & nostro. At secundus Adam sine labore nostro, sine sudore nostro, ait: *Accipite, & manducate, tomad y comed de balde, el maior pan que el mesmo Dios quede dar.* Constitit quidem Christo pluris: fame quippe sua & siti sua panem hunc & vinum nobis lucratus fuit, verberibus, spinis, clauis, cruce morteque nobis hunc panem acquisiuit, quem nos à Deo gratis habemus. Sit ille benedictus in sæcula.

Meritò proinde se Christus Dominus grano frumenti comparauit: nam sicut granum frumenti, priusquam ex eo panis conficiatur, seminatur in terra, & ibi moritur: quia nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: postea frigoribus & ardoribus temporum crescit, & ad maturitatem peruenit. & tandem metitur, triturатur, purgatur, sub mola premitur, pinsitur, coquitur, vt ita fieri panis & comedi possit. ita Christus Dominus triginta trium annorum spatio quamplurimis laboribus se subdidit, vt panis noster sic conficeretur: illi ergo labor, nobis autem sapor, &c.

Quacumque ex parte hoc altissimum Sacramentum inspexeris, eximium & pergrâde conuiuium & beneficium esse dignosces: ex parte enim inuitantis magnum est, quia Deus est; ex parte conuiuarum quoque: nam solùm filij Dei sunt inuitati: *verè enim panis filiorum, non mittendus canibus*, ex parte ciborum etiam, *que aunque en esta mesa no se sirue mas que vn plato, pero es vno y bueno.* vnicum ferculum hic administratur, sed verè vnicum: nam nihil suprà: Deus enim ipse est, homo factus. In cœlo vnicum etiam ferculum apponitur cunctis beatis, tam quidem hominibus, quàm Angelis; sed eo solo omnes pleniſſimè satiantur: nimirum quia Deus etiam in Eucharistia est, in cœlo quidem clarè visus, hîc verò sub velamine accidentium receptus. Denique ex parte effectuum, magnum etiam est beneficium hoc: quia nos perfectos Dei filios efficere intendit Christus, & vitam acquirere sempiternam. *Qui manducat hunc panem*, ait, *viuet in æternum*, vitâ diuinâ. Omnia igitur in hoc Sacramento diuina sunt.

Magnum quidem beneficium Dei in nos fuit, principem hominem efficere mundi vniuersi. *Quid est homo*, ait ad Dominum Dauid, *quod memor es eius, aut filius hominis quia visitas eum?* quid ita? *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* *Señor quien es este hombre, que assi os acordau del? hauelo honrra echo vn quasi Angel, coronadole de gloria, entregadole el principado del mundo, no solo paraque fuesse señor de los animales de la tierra, sino de las aues, que se remontan sobre las nubes, y de los peces, que se abysman en lo profundo del mar.* Magnum quidem hoc, sed quantò maius fuit se nobis in cibum tribuisse, quàm oues & boues, aues & pisces. Denique cùm nobis hæc omnia dedit, sua quidè nobis Deus tribuit: at in Eucharistiæ Sacramento, non sua, sed seipsum dedit. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* Vide quantum interstet inter creatorem, & Creaturas, Deum, & reliqua omnia, vel tunc percipies quantum inter dominum & beneficium interstit.

Pro magno quidem asseruit Apostol. *Omnia vestra sunt, sue Paulus, sue Apollo, sue Cephas, sue mundus, sue vita, sue mors, sue præsentia, sue futura: omnia vestra sunt: vos autem Christi, Christus verò Dei.* Omnia hæc nostra esse dicit, quia ad nostram deseruiunt vtilitatem. Paulus etiam, & Petrus: glorioſi enim licèt sint Principes terræ, ad salutem nostram tales à Deo effecti sunt: mundus etiam vniuersus, & non solùm vita, sed etiam mors, qui si vitâ mercri possumus gloriam, morte quoque possumus illâ mereri. Denique subdit, *vos autem Christi*: cœlices nos qui talem ac tantum Dominum sortiti sumus. Sed quid ais Paule? *& Christus*, inquit, *Dei*, ita quidem, Dei, sed & nostrû illum dicere potuisses, huius diuini Sacramenti memor: nam omnes iam lætis animis decantamus hodie: *Nobis datus, nobis natus ex intacta virgine*, &c. & id ex sancto desumimus Isaia, vbi de Christo ait: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis*: nobis quidem mille modis, se nascens dat in socium, conuiuium, edulium, se moriens in pretium, se re-

Cap.9.4.

se regnans dat in præmium. cur tot modis? Inuitasti amicum, nec habes quid apponas, præter agnum, illi, ne vno tantùm ferculo conuiuium absoluas, partem agni assatam, partem coctam, partem aliter conditam apponis. Sic Deus qui nos ad magna inuitauit, quia nihil aliud habuit tanto inuitatore dignum præter seipsum, agnum Dei excellentissimum, sc tot modis aptauit nobis; vt ita se in socium, in pretium, in præmium, & in escam daret. Quare nō solùm iam Paulum & Petrum, vitam & mortem, & mundum ipsum dedit; sed, quod omnes excedit nostras gratiarum actiones, seipsum in cibum ac potum nostrum dedit. quid plùs vltrà? quis, inquam, huiusmodi donum imaginatus fuisset? si Dominus nobis omnibus prædixisset: Soluite cordis & cogitationis habenas, & considerate quid à me optaretis: extendite cogitatus, vt ad vltimum desiderabile, & bonum vobis possibile perueniat, & tunc petite; & accipietis. Quis, vmquam, imaginaretur petendum esse à Deo, vt seipsum nobis in cibum & potum exhiberet? cui hoc in mentem veniret? quis hoc possibile sensisset? Sit in æternum ab omnibus Deus noster benedictus, qui donis in nos suis, non solùm merita nostra, verùm etiam imaginationes excedit nostras.

6. Postquam Salomon excellentissimum illud templum Ierosolymitanum ædificauit, quod inter mirabilia mundi numerandum venit, imò septem illa orbis mirabilia facilè antecellit, diuinam maiestatem considerans, in hæc verba prorupit: *Ergòne credibile est vt habitet Deus cum hominibus super terram? si cœlum & cœli cœlorum non te capiunt, quanto magis domus, quam ædificas?* hæc sunt eius verba. Nunc ergo si Salomoni dixisset Dominus templum illud construendum esse ab eo, non solùm vt ibi assisteret Deus in Sancto Sanctorum; sed vt etiam consisteret ibi homo factus, & in eo corporaliter habitaret Filius Dei, quid ille protulisset? Adde si prodigium tam ingens illi visum fuit, habitare Deum cum hominibus, quid manducari & bibi ab hominibus?

5. Sic Deus ad filios Israel: *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea, ambulabo inter vos, &c. yo me quiero auerindar con vos otros, y tomar casa y hogar entre vuestras casas, y hogares.* Sic promisit filijs Israel, & sic adimpleuit, habitauit Deus cum eis primò in tabernaculo illo quod Moyses construxit, deinde in celebri illo templo Salomonis. Pro magno beneficio id habuerunt Israelitæ: & quidem meritò, sed quantò maius ac sublimius est Deum nobiscum in Eucharistia commorari: tunc enim in vno tantùm loco habitabat, vel in tabernaculo, vel in templo disiunctiuè, nunc verò, mediante Eucharistiæ Sacramento, non disiunctiuè, sed copulatiuè, non in vno tantùm loco, sed in omni loco, & vbique terrarum, vbi scilicet voluerimus illum habitare. & non quidem per solam illam, quam diximus, assistentiam, sed per realem consistentiam Christi Domini, qui figuraliter & vmbraticè in tabernaculo illo & templo Ierosolymitano habitabat; apud nos verò verè & realiter commoratur, ibi assistens erat, hìc consistens nobiscum est.

7. Eliæ in solitudine existenti mittebat coruorum ministerio Deus quotidie panem & carnes, & iterum
19. Eliæ à facie Iezabelis fugienti, misit Dominus per manus Angeli sui panem subcinericium, & in fortitudine cibi illius ambulauit vsque ad montem Dei Horeb. quidni magni faceret Elias prouidentiam Dei in se, & magnitudinem illius beneficij? Sed tamen quantò magis magnificat Deus magnificentiam Dei nobiscum. Eliæ quidem panem tribuit, sed subcinericium; nobis autem panem confert, qui non est panis, sed Deus ipse, & homo Christus Iesus. Ambulauit Elias in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb, nos verò in fortitudine cibi huius ambulamus omnibus diebus vitæ nostræ vsque ad visionem Dei.

Cùm in extremis esset vitæ suæ Daud, recordatus fuit Berzellai, qui ei à facie Absalonis fugiēti obuiam fuit, & quibus potuit rebus suis succurrit Dauid: huius igitur obsequij causā proximus iam morti Dauid, sic Salomonem filium suum, & regni successorem affatus fuit: *Filijs Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua: occurrerunt enim mihi quando fugiebam à facie Absalonis fratris tui.* Magnum quidem beneficium reputauerunt hoc filij Berzellai: magnus quippe honor fuit illis de cibis regijs in mensa edere regis; sed comparari hoc nequit beneficio Eucharistiæ. Si enim illis cibus regius tribuebatur, nobis hìc ipse Rex regum, & Dominus dominantium in cibum exhibetur: ibi in regia mensa sedebant illi, nos verò hic in Dei mensa sedemus. quantus hic honor! quantum beneficium! 3 Reg. 2. 7.

Inuitauerat regina Esther Principem Aman vt cum rege Assuero & regina vesceretur, quod quidem tanti fecit Aman, vt diceret amicis suis: *Regina Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege, præter me, apud quam etiam cras cum Rege pranditurus sum.* Quid nos dicemus, qui non apud regem tantùm, sed regem ipsum, manducamus? non regem quidem Assuerum, sed Regem ipsum regum, & Dominum dominantium. *con que vsania sanctæ podemos gloriar nos de tal combite.* nullum aliū, dicebat Aman, vocauit ad conuiuium cum rege, præter me: & nos rectè dicemus: Nullum Angelorum vocauit ad hoc conuiuium, præter nos homines, quamuis illi naturā excellsiores sint, &c. Esther 5. 12.

Beneficiorum magnitudo ex magnitudine donorum maximè debet fumi: tantò enim sublimius est beneficium, quantò id, quod beneficio confertur, maius & excellentius est: quodnam autem donum sublimius esse potuit, quàm Eucharistiæ donum, quo ipse Deus seipsum Deum nobis donat? & hoc non vt eum domi habeamus, sicut penates olim Gentiles in domibus suis habebant, quibus se deos suos intra ianuas suas habere censebant, sed falsò: nos verò non falsò, sed verè, non solùm in Ecclesijs nostris Deum nostrum verum Deum habemus, verùm etiam sumimus. Sic enim iubet ipse: *Accipite, & manducate, &c.* Vnde non solùm intra ianuas, sed inter viscera nostra ipsum habemus. Mirè hoc ponderauit Clemens V. dicens: *O diuini amoris immensitas! diuina pietatis superabundantia! diuina affluentia largitatis! debet enim vobis Dominus omnia, quæ subiecit sub pedibus nostris, & super vniuersas terræ creaturas contulit nobis omni principatum. ex ministris etiam spirituum superiorum nobilitat, & sublimat hominis dignitatem: administratorij namque sunt omnes in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Et cùm tam copiosa fuerit erga nos eius munificentia, volens adhuc ipse nobis suam exuberantem charitatem præcipua liberalitate monstrare, semetipsum nobis exhibuit, & transcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedens, attribuit se in cibum. O singularis & admiranda liberalitas, vbi donator venit in donum, & datum est idem pentius cum datore! Quàm larga, & prodiga largitas, cùm tributi quis seipsum!* Ita ille, & optimè. Cap. vnic. de rel. & ven sanct.

Superest autem explicare causam, & rationem tantæ liberalitatis, tantæ magnificentiæ Dei erga nos. Qui enim nos sumus, quibus Deus maiestatis tantam impenderit beneficentiam, quæ merita etiam Seraphim superat, & excedit? Vnde tam indignis tanta Dei dignitas & dignatio? nimirum, quia non dignitatem nostram, sed suam deitatem & maiestatem attendit. *Dio nos en esse don, no como nos otros somos, sinò como quien el es, no conforme a nuestros merecimientos, sinò conforme a su real magnificencia.* Refert Plut. de Alexandro Magno; quòd cùm Perillus, vnus ex Alexandri amicis, filiabus suis dotem ab ipso Alexandro petiuisset; iussit rex illum In Apoph.

lum capere talenta quinquaginta, cùmque Perillus decem satis esse diceret, Tibi quidem, inquit, satis est tantum accipere; mihi verò non satis est tantundem dare: regium hoc, & magnanimitate Alexandri dignum. Sic igitur nobis respondere videtur Deus: Vobis quidem panem materialem accipere satis erat; mihi antem hunc cœlestem dare oportebat: Deus enim ego, & non homo.

Vnde meritò panis iste diuinus Eucharistia nominatur Græcè, hoc est, bona gratia. Multas quidem exhibuit nobis Dominus gratias, quæ bonæ meritò dici possunt; bona quidem gratia fides, quâ nos in fidelium suorum numerum coaptauit; bona gratia spes cœlestis gloriæ, quâ nos inter mundi tribulationes gaudenter agere facit, dicente Apostolo: *Spe gaudentes*, bona gratia *Rom 12. 12.* charitas, quâ nos amicos suos facit Deus; bona gratia quodlibet ex septem donis, quibus animam nostram ornat, & perficit; denique bona gratia ipsa gratia diuina, quâ efficimur diuinæ consortes naturæ, quâ etiam fit, vt filij Dei nominemur, & simus: sed tamen per antonomasiam & excellentiam, nomen bonæ gratiæ sibi vendicat sanctissimum hoc Sacramentum: & meritò: hîc enim, non virtutes nostras, & habitus nostros, sed seipsum tribuit Dominus, carnem in cibum, & sanguinem in potum. O quam bona gratia bone Deus! &c.

Zach 2. 13. *Sileat*, inquit, *omnis caro à facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo.* quid est, *cõsurrexit de habitaculo sancto suo*? S. Cyril. & S. Theod. periphrasim aiunt esse aduentus Domini à cœlis in terram, ac si diceret Propheta: Sileat iam omnis terra, videns quòd propter nos homines & propter nostram salutem, Deus descendit de cœlis, & homo factus est. Sed quæres, quid significet verbum illud, *sileat omnis caro?* quonam pacto silebit omnis caro? Dicam. Ante aduentum Christi Domini non silebant homines, sed clamabant: *Veni Domine, & noli tardare. Emitte agnum Dominatorem terræ*, & alia huiusmodi postulantes; at post aduentum eius, *sileat homo*, ait Propheta, quia nec homo habet iam quid amplius possit à Deo postulare, quod amplius sit, nec Deus habet quid homini dare possit, quod amplius *Rom.8. 32.* in se sit. vnde Paulus: *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia cum illo nobis donauit?* inquit, de præterito: quasi dicat, vbi filium nobis Deus dedit, omnia quæ ab homine poterant postulari, dedit, quia in ipso filio sunt omnes thesauri Dei: vnde non plùs vltrà videbatur hîc constituendum. ita est: hoc enim satis superque nobis erat: fed bonitas, & charitas, & magnificentia Dei plùs vltrà inuenerunt, quod nobis darent, non quidem aliud à Christo, sed alio modo Christum; vt scilicet, qui homo factus se dederat nobis in Saluatorem, in Eucharistia se nobis daret in cibum, quo non plùs vltrà superetur nobis à Deo postulandum: omnia enim bona in cibo continentur. Hinc igitur silere poterit omnis caro, vbi caro Dei nobis datur in cibum.

Hom 83. in Matt. Hinc S. Chrysost. *Vide*, inquit, *quo sis honoratus honore, qua mensâ fruaris: ea namque te nos alimur, quam Angeli videntes tremunt, propter fulgorem eius, & nos cum illo in vnam reducimur massam: Christi corpus vnum facti sumus. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis pastor vmquam carne sua oues suas nutruit? multæ matres post partum alijs nutricibus filios suos alendos tradunt, quod Christus facere noluit, sed proprio corpore nos alit, atque conglutinat secum, & studiosissimè alit.* Ita S. Chrys. Pondera verba illa, *quis pastor*, &c. pastores quidem, cùm esuriunt, carnibus pecorum suorum vescuntur, & lacte ouium suarum, & cùm veste indigent, ex velleribus pecorum suorum vestes sibi conficiunt; quis verò pastorum pecora esurientia sua carne, seu sitientia sanguine suo potauit? hoc autẽ nobis cũ egit Christus. *Accipite*, inquit, *& manducate. Hoc est corpus meum, accipite, & bibite, hic est sanguis meus.* quis tantum beneficium verbis humanis, aut Angelicis poterit pro merito & pro dignitate augere? Præterea, matres, inquit, alendos alijs nutricibus filios tradunt, imò in ciuitatibus Ierusalem, & Samariæ, obsidione oppressis, matres legimus fame vrgente filios suos comedisse, ne ipsæ deficerent & morerentur præ fame. Attamen Christus Dominus, ne animæ nostræ fame pereant, sua nos carne pascit, suo nos sanguine potat. Sit ille in sæcula benedictus.

Moyses, vt expenderet beneficium illud, quo populo Israelitico tradidit terram promissionis, ait: *Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo, &c.* magna quidem hæc: *Però si deso haze cargo Moyses à Israel, qi e cargo se debe hazer al pueblo Christiano, por quien le Dios dado, no pan, y vino de los campos de Palestina, no mel y azeyte sacados de las piedras, sinò el cuerpo sanctissimo y sangre diuino del hijo de Dios?* Si adeo magnum illud existimauit Moyses, vt ad æternam rei memoriam in sacris literis duceret scribendum, quid de nostra diceret Eucharistia? Pondera etiam verba illa, *constituit eum super excelsam terram*, quasi diceret: eduxit eum de Ægypto in manu potenti, & brachio excelso, & de manu Pharaonis, & dura illa seruitute liberauit, legem etiam & cæremonias docuit, quibus & Deo seruire, & se saluum facere posset, duxit in terram promissionis, & panem cœli dedit eis, & ita constituit eos super excelsam terram. Sed quid hæc, si cum nostris comparentur? eduxit nos Christus, non de tenebris Ægypti, sed de tenebris peccatorum liberauit nos, & non de seruitute, seu tyrannide Pharaonis, sed ipsius diaboli, & peccati. *Qui* enim *facit peccatum, seruus est peccati*: Si autem filius Israel legem scriptam dedit, nobis legem contulit Euangelicam; & illa quidem lex timoris fuit, hæc amoris. Si illos in terram duxit lacte ac melle manantem, nos non in terram, sed in cœlum perfectissimè duxit. Denique si eos pane angelorum pauit, nos pane diuino pascit, in quo Deus ipse continetur. Vide quantùm hæc beneficia nostra Hebræorum excedant beneficia, & quantùm panis pani præstet.

Hinc Christianorum ingratitudo in Deum dignosci debet; conquerebatur olim Deus de Israelitis per Isaiam, dicens: *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est.* quid locutus est Dominus, ô Propheta, quia sic cœlum terramque aduocas in testes? dicat Dominus ipse: *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Filios*, inquit, *enutriui*; quonam pacto nutriuit? respondeat Sapiens: *Angelorum esca nutruisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illi.* Sine labore sic enutriuit illum populum, sic exaltauit illum. Quòd si ob id eos ita pungit, ita in iudicium vocat; quid nos dicemus, quos non pane Angelico, sed pane diuino, qui Deus ipsemet est, non pro tempore aliquo tantùm, sicut illos, sed perpetuò pascit, & enutrit? quid vltrà? *Cognouit bos possessorem suum, & asinus*, &c. vbi S. Hieron. *Non*, inquit, *comparauit eos canibus, quod sagacissimum genus animantium est, & pro paruo cibo dominorum tecta defendit; sed stolidioris sensus bou, & asino, quorum alterum carpenta trahens, durissimas terræ glebas vomere vertit; alterum onera portat, & hominum in gradiendo temperat laborem, vnde & rumenta vocantur ab eo, quod hominem iuuent.* Ita Sanct. Hieron. Ecce quò ingratitudo nostra nos perducat, vt stolidiores simus animalibus brutis, & præ cæteris stolidioribus: bos enim & asinus eos, qui fœnum & paleas illis tribuunt, agnoscunt; nos verò, qui pane cœlesti & diuino pascimur, datorem Deum non intelligimus, gratias illi pro gratia tanta referentes.

Hinc est quòd Christus Dominus tempore institutionis

tionis huius diuini Sacramenti, eleuatis oculis in cœ- A
lum gratias Patri egit, vt patet ex Apostolo, & ex
11. Matth. Vbi obserua gratias egisse Christum ante con-
16. secrationem & sumptionem huius cibi. nos quidem
gratias Deo pro beneficio epularum referre solemus,
sed tamen non ante, sed post ciborum sumptionem;
Christus verò priùs, *vnas gracias adelantadas:* tantum
enim beneficium præcedentes meretur gratiarum
actiones. Præterea, obserua quod huiusmodi gratia-
rum actio ad nos pertinebat; nos quippe sumus, qui re-
cepimus beneficium, & qui beneficium recipit, non
qui dat, gratias referre debet. hoc autem pro nobis
præstitit Christus, quia tantum ac tale beneficium,
tantum ac talem exigebat, qui gratias ageret Patri:
immensa quippe fuit gratia huius doni: vnde immen-
sam requirebat personam quæ Deo pro illa gratias ha-
beret.

Beneficium hoc multis nominibus Christo Domi-
no adscribere debemus, sed omissis aliis, propter hoc
Christo Domino immensas gratias referre debemus,
quòd propter fœnitia & obsequia, quæ ipse præstitit
Patri, hunc nobis Pater cibum concessit. quod per si- B
milem euentum sic explicabo: Inter nouissima verba
atque mandata, quæ Dauid moriens Salomon filio
successori suo proposuit, hoc vnum fuit, vt filij Berzel-
lai Galaaditis perpetui mensæ eius conuiuæ essent. Sic
1. enim filio dixit: *Sed & filijs Berzellai redes gratiam: oc-*
currerunt enim mihi, quando fugiebam à facie Absalonis fra-
tris tui. Hoc est, eo tempore, quo totus pœnè Israeliti-
cus populus, me deserto, Absalonem sequebatur, hic
mihi amicus extitit fidus, & copiosum mihi & exerci-
tui meo præburit commeatum: quare hoc tibi fili com-
mendo, vt communem tecum mensam habeant, de pa-
ne tuo & cibo tuo regio edant. Quàm autem magnifi-
ca fuerit mensa Salomonis, ex eo patet, quòd inter cæ-
tera quæ Regina Sabba ita demirabatur, vt non habe-
ret vltra spiritum, cibus mensæ eius memoratur. Ecce,
propter obsequium patris, filijs regalem illum cibum
voluit pater Salomonis exhiberi: sic etiam propter
sublimia obsequia Christi Domini, quem Isaias pa- C
trem futuri sæculi appellauit, nobis filijs Christi Do-
mini nostri, voluit æternus Pater hunc cœlestem cibum
communicari. Sicut igitur filij Berzellai patri suo il-
lud regium beneficium debebant; sic & nos Christo
tantò magis gratias referre debemus, quantùm cibus
cibum illum excedit.

In maximum bonum & commodum Vniuersi sep-
tem illas cœli stellas, quas planetas vocant, condidit
Deus: earum enim influxu & virtute hæc inferiora
corpora mundi gubernantur: nam ex his quædam plu-
uias demittunt, aliæ serenitatem, aliæ ventos, ex oc-
cultis terræ vaporibus proferunt, aliæ mari, fontibus,
& fluminibus præsunt, aliæ frugibus, & plantis, & cæ-
teris quæ nascuntur in terris, dominantur. Sicut ergo
mundi conditor naturam vniuersam his præcipuè se-
ptem syderibus administrat; sic Ecclesiam suam toti-
dem Sacramentis regit, & fœcundat. Cùm enim idem D
sit naturæ gratiæque author, nihil mirum si eodem
modo, & eodem numero causarum naturam gratiam-
que disponat. Sicut autem septem illa sydera in corpo-
ribus, sic septem Sacramenta in animabus varios &
præclaros effectus efficiunt, vti latè in multis propositi-
onibus hîc disputamus: & quemadmodum inter se-
ptem stellas illas sol est cæteris præstantior, & à quo
reliqua sydera lucem, splendorem, ac virtutem tra-
hunt; ita inter septem Ecclesiæ Sacramenta Eucharis-
tia sacra principem locum tenet, vtpote in qua ipse
Sacramentorum author, & Deus est, à quo, tanquam
à sole iustitiæ, & gratiæ fonte, cætera Sacramenta
gratiam & virtutem fortiuntur: & sicut in cœlo sol
quartum locum obtinet, medium scilicet inter septem
planetas, vnde in quarto situs est loco; sic inter septem

Sacramenta quarto loco Deus constituit Eucharis-
tiam: quas igitur pro dignitate tanto largitori gratias
referemus?

Quamuis immensa innumeraque sint à Deo nobis
exhibita beneficia, tria tamen sunt, quæ potissimum
obtinent locum, incarnatio nempe Filij Dei, passio
eius, & Eucharistiæ institutio. eximium quidem fuit
incarnationis beneficium: antea quippe Deus res suas
hominibus dare solebat; dedit cœlum, dedit terram,
dedit que omnia quæ in cœlis & in terris sunt; sed cùm
homo factus fuit, seipsum nobis dedit: *Nobis* enim *da-*
tus, nobis natus ex Maria Virgine. Magnum hoc, sed maius
quid tam acerba tam indigna Deum pati vsque ad
mortem; mortem autem crucis. Potuitne ampliùs Dei
amor in nos beneficijs manifestari? *Maiorem hac* charita-
tē nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis
pro amicis suis; fed tamen si supra summum aliquid ad-
di posse imaginari possumus, supra beneficium passio-
nis, aliquid in beneficio Eucharistiæ possumus imagi-
nari: nam licet Dominicæ passionis beneficium semper
nobis ad salutem proficiat, semel tamen in ara crucis
impensum est; hoc verò Eucharistiæ beneficium & sa-
crificium, quotidie pro nobis in altari offertur, & quo-
tidie cunctis illud recipere & sumere volentibus per
manus Sacerdotum confertur: beneficia verò quantò
quotidiana & frequentiora magis, tantò maiora cen-
sentur. Præterea, in passione Christi nobis salus & vita
quoad sufficientiam data fuit; sed vt passio nobis de
facto profit, applicatione aliqua opus est: hoc autem
potissimùm Eucharistia facit: eâ enim applicantur no-
bis merita passionis Christi abundantiùs, dicente Do-
mino: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Præ- Ioan. 6.
terea, si in passione sua Christus se manibus inimico- 59.
rum suorum tradendum permisit, vt in crucem age-
rent eum: in Sacramento Eucharistiæ sæpe se peccato-
ribus (qui quidem veri inimici eius sunt) se traden-
dum modò permittit. Quòd si tunc vt in cruce pone-
retur, nunc sæpe vt in pectore peccatoris constituatur:
multi enim modò in peccato mortali existentes com-
municant. Quæro modò, respondeat mihi, vbi magis
Christus eligeret collocari, in cruce, an in pectore pec-
catoris existentis in mortali? quid Deo indignius, &
ab eo remotius, culpa, an pœna? notum est: pectus igi-
tur peccatoris, quàm lignum crucis? quid enim indi-
gnius, quàm ibi collocare Deum nostrum, vbi diabo-
lus thronum suum & sedem habet? non contremiscis
diabolum habere in anima, & Filium Dei in corpore
tuo collocare? *Quæ participatio*, ait Apostol. *iustitiæ cum* 1. Cor. 6.
iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem con- 14.
uentio Christi ad Belial? quis autem consensus templo Dei
cum idolis? qui recepit in Eucharistia Christum, tem-
plum se Dei constituit: qui autem in peccato mortali
est, idolum, imò ipsum diabolum in corde habet; quis
igitur audet Christum in inferiori parte sui, diabolum
in potiori constituere, & talem tantamque iniuriam
Christo Domino irrogare? Audent reprobi multi,
æternis ideo ignibus cruciandi, vtinam nemo auderet.
Ad hoc igitur se Christus Dominus exposuit, cùm
sanctum Sacramentum instituit, ne filios suos benefi-
cio tanto priuaret. Sit ille in sæcula benedictus. Nónne
vides beneficium Eucharistiæ supra beneficium pas-
sionis multum cumulasse?

Denique nescio quid habet, se in cibum exhibuisse
nobis, quod dulcedinem & suauitatem diuinæ bonita-
tis præsefert supra cætera Christi beneficia: habet qui-
dem id quod S. Thom. adnotauit, dicens: *Magnum qui-* Opusc. de
dem fuit Christum Dominum seipsum peregrinationis nostræ Eucharis-
socium dedisse, maius verò in pretium redemptionis; hoc tamen stia. c. 5.
donum adhuc est in aliqua separatione ab eo cui datur; cui
autem datur in cibum, datur non ad aliquam separationem,
sed ad omnimodam vnionem: vniuntur enim corporaliter ci-
bus, & qui cibum sumit. Ita S. Thom. Quod similitudine
hac

hac aliqualiter percipies: magnum beneficium tibi esset, si rex tibi munus aliquod ingens in republica exhiberet, v. g. prætoris, aut præsidis regni, &c. magnum id quidem beneficium reputares: at si rex ipse domum tuam peteret, te inuisendi gratiâ, & tecum edere dignaretur, & ad tuam sedere mensam; nónne pluris hoc faceres, quàm officium illud, quamuis quæstuosum & honorificum esset? Ita quidem, quia maiorem tibi in hoc fauorem exhiberet, & maiorem cordis sui erga te dulcedinem demonstraret. Sic ergo Christus Dominus, imò plùs quidem ampliùs nobis cum egit, hoc nobis exhibens Sacramentum: ad nos enim venit, & non solùm domum, sed viscera nostra intrat, & nobiscum non solùm edit, sed se in cibum confert, quis non pro tanto beneficio æternas referat gratias?

Præterea in reliquis beneficijs Christi Domini, quæ hoc summum beneficium antegressa sunt, aliquid semper desiderabatur, quousque ad extremum hoc beneficium peruentum est: post natiuitatem enim Domini deerat inter homines conuersari, esurire, sitire, algere, æstuare, laboribus confici, itineribus fatigari, & affici contumelijs; post autem hæc deerat capi, vinciri, flagellari, & in crucem tolli, crucifigi, & sepeliri. vbi verò post hæc omnia additum est cibum hominum Deum ipsum fieri, & ab eis manducari; quid vlteriùs adijci hac in vita debuit? hoc igitur beneficium est veluti omnium beneficiorum in nos Christi complementum, *sue vn bechar el sello a los beneficios Christo señor nuestro.*

Esther. 5. 12. Glorificatur nimis princeps Aman, dicens: *Regina Esther nullum alium vocauit ad conuiuium præter me*, magnam vim in verbis illis apponens *præter me*, hoc est, cùm tot duces, magnates, ac principes in regno, in curia & in regia sua haberet Rex Assuerus, ad conuiuium regale nullus præter me vocatus est. erant quidem in cœlis nouem Angelorum chori, erant in regia illa tot principes, præclarè instituit Deus hoc admirabile conuiuium, cui nullo modo venit comparandum Assueri conuiuium: ibi enim communes cibi, hîc Deus ipse in cibum datur, attamen ad conuiuium hoc nullum eorum inuitauit præter me, dicere valet homo. panis quidem dicitur Angelorum, sed tamen nobis datus, non illis, adstant quidem illi, & reuerentiâ magnâ venerantur, colunt, adorant quem nos suscipimus, comedimus, illi adorant, quem illi tantum adorant, nos & adoramus & manducamus. &c.

Psal 131. 15. *Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius saturabo panibus.* in Hebraico originali habetur, *victum seu venationem eius benedicens*, &c. vbi loquitur de Ecclesia Dei, & secundùm hanc lectionem, per victum sacram Eucharistiam intelligere possemus, & in illa reduplicationem benedictionis arcanum celsitudinis Eucharistiæ inuestigare: est enim cibus supra modum benedictus.

Sed tamen quia Patres Sancti Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Prosper, Cassiodorus & alij authores, & vulgata & correcta editio Clementis Papæ VIII. legunt: *Viduam eius benedicens benedicam.* dicendum est, quòd nomine viduæ intelligitur Ecclesia sancta in morte Christi sponsi eius, quam quidem benedicens benedixit Deus, id est, summè, valde, vehementer benedixit: hoc enim importat illa benedictionis reduplicatio. & quia benedictio Dei importat communicationem ipsius Dei cum abundantia, videamus in quo hæc abundantia consistat; subdit: *pauperes eius saturabo panibus.* Solent quidem pauperes tempore famis carere pane sibi necessario, diuitibus ad se annonam omnem attrahentibus: ait ergo Deus, viduæ Ecclesiæ non deerit panis, imò tanta erit annonæ abundantia, vt etiam pauperes pane abundent, pane quidem cœlesti Eucharistiæ: quamuis enim materialis panis sæpe pauperibus desit, hîc panis cœlestis nunquam in Ecclesia Christi fidelibus, quantumuis pauperibus, decrit: sicut nec hactenus defuit.

Magnum quidem beneficium præstitit Deus populo Israel, cùm Deus illis panem illum Angelorum tribuit; sed quid vmbram corpori, figuram veritati comparamus? de manna quidem ait Sapiens: *Ab exiguo radio solis calefactum, tabescebat*, mirum hoc: nam, vti Sapiens idem ait, quòd ab igne non poterat exterminari, *Sap. 16. 27.* ftatim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat. cur ita? alias nunc rationes prætereamus, Christus Dominus in literis sacris sol appellatur, notum hoc, & sol iste in sphæra hostiæ confectæ continetur, accidentium nubc tectus. Manna igitur ad præsentiam solis tabescebat, quia beneficium illud Israeli exhibitum, si cum diuinissimo Sacramento nobis dato conferatur, euanescit. præcepit Dominus Moysi, dicens: *Facies altare de lignis setim, &c.* & subdit: *non sol diuinum, & canum intrinsecùs facies illud*, cur ita vacuum cur non solidum, & plenum? quia altare illud ad sacrificia illius legis exigebatur: sacrificia verò illa, sacrificium hoc nostrum significabant: meritò igitur altare illud nostro comparatum, inane erat, quia sacrificia illius altaris sacrificio nostri altaris comparata, vacua erant: plenitudo enim perfectissimi sacrificij nobis in Sacramento Eucharistiæ reseruauit Dominus. Quare siue in quantum Sacramentum datum nobis in cibum, siue in quantum sacrificium consideretur, super cibum celebrem manna & super memorabilia sacrificia illa sedem ac locum nostra obtinet Eucharistia.

Obstupuit Austri Regina cùm cibos mensæ regiæ Salomonis prospexit; quid si cibum hunc Dei in Ecclesiæ nostræ mensa vidisset, non mirum si prorsus obstupefacta detineretur, cùm & Angeli omnes & omnes Seraphim è cœlis illud videntes, assidua indicibili admiratione teneantur, & denique omnia huiusmodi regum conuiuia temporalia etiam finita, fuerunt: hoc autem semper admirandum conuiuium Christi iamab hinc plusquam mille & sexcentis annis cœpit, & vsque in finem sæculi incessanter perdurabit.

Semper alimenta in magno pretio habita sunt: ex illis enim vita nostra pendet: quare eodem, quo vitæ, amore amantur, eodem modo quæruntur, conseruantur, & habentur. Vnde refert Herodotus maximam quandam famem Africam deuastasse, & plurimos Africanos in Hispaniam profectos fuisse, vt ab Hispanis famis remedium postularent, quibus benigne exceptis victui necessaria præstiterunt: quo beneficio Africam affecti, non solùm gratias verbis Hispanis egerunt; verùm etiam plures eorum in seruos se illis efficaciter tradiderunt, nullo alio obsequio se illis satisgratos fore autumantes. Vide quanti alimoniæ beneficium fecerant; nec mirum, cùm & animalia bruta id magni faciant: refert enim Plinius, mulierem quandam aquilæ filium è nido sublatum, à principio aluisse accurate; aquilam verò propterea adeo gratam mulieri semper extitisse, vt nunquam ab ea recedere passa fuerit, sed omni eo, quo poterat, obsequio mulierem prosequebatur. tracto denique temporis mulier illa obijt, & iuxta patriæ morem corpus eius igni traditum fuit, vt in cinerem redactum, in sepulchrum deferretur; vidit aquila altricem suam comburi; & naturali ac vehementi amore ducta, se in ignem illum simul cum muliere comburendam de facto iniecit, nec exiuit, quousque pariter cum nutrice combusta, & in cinerem redacta fuit. Ecce irrationabilia quoque animalia cibi & alimenti beneficium quanti habeant.

Hinc sic ad Dominum Patriarcha Iacob: *Si fecerit Dominus mecum in via hac, per quam ego ambulo & dederit mihi panem ad vescendum, &c. erit mihi Dominus in Deum*, hoc est, speciali quodam obsequio me illi mancipabo, & totis viribus inseruiam. Multa quidem & alia beneficia

Gen. 28. 20.

ficia interuenerant, ob quæ se Deo deuinctum agnoscebat, v.g. quia tantorum Patriarcharum filius erat, Abraham videlicet, & Isaac, quia benedictionem vltimam patris obtinuerat præ Esau, quamuis maior ille, ipse verò minor filius esset, quòd primogenituram quoque adeptus fuisset, quia ab ira fratris Esau illum iam liberauerat, &c. & tamen ob solum alimentum diuino se obsequio sic singulariter offerebat, nimirum quia res quidem est ad vitam pertinens immediatè, sine quo vitam sustentare nequimus.

Hinc etiam cùm Esau fame oppressus à fratre ipso Iacob cibum postularet, & ille se minimè daturum diceret, nisi primogenituræ ius in ipsum transferret, *En morior*, dixit Esau, *quid mihi proderunt primogenita. Iura ergo mihi*, ait Iacob; iurauit Esau, & vendidit primogenita, & sic accepto pane & lentis edulio, comedit & bibit, & abijt parui pendens, quòd primogenita vendidisset, tanta quidem & in tanto pretio habita res est alimentum vitæ.

Quare cùm Isaac à filio suo Esau rogaretur, vt post benedictionem, quam exhibuerat Iacob, & ipsi benedictionem aliquam largiretur, respondit Isaac : *Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti eius subiugaui, frumento, & vino stabiliui eum, & tibi fili mi vltra quid faciam?* postquam de pane & vino egit, statim subdit : tibi vltra quid faciam? quasi in humanis rebus non sit plùs vltrà, quàm alimentum vitæ. Hinc denique postquam in deserto tot hominum millia satiauerat Christus, eum sibi regem homines illi constituere voluerunt. fecerat quidem Dominus & alia multa signa: cæcis enim visum, surdis auditum, &c. conferebat, sed ob nullum horum nisi ob cibum eum in regem delegerunt, tanti homines cibum faciunt.

Nunc igitur ad rem, cùm in homine duplex sit vita scilicet naturæ, & gratiæ, & hæc primam in tantum superet; quantùm gratia superat naturam, qui quidem excessus incomparabilis est, alimentumque pro qualitate æstimandum sit; quanti censes faciendum est hoc alimentum sanctissimæ Eucharistiæ, quod ad vitam gratiæ sustentandam à Deo ipso institutum est? ait enim : *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur*, & subdit : *nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*: & iterum: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me*: Videsne quàm necessarius sit cibus gratiæ supernaturalis vitæ? Si ergo Iacob speciali se Deo seruitio deuouit propter panem illum materialem, qui ad vitam corporis tuendam conducit; quid nos facere oportebit ob panem hunc cœlestem, qui vitam animæ seruat, & conseruat? Si aquila illa in tantum nutricem suam dilexit, vt simul cum illa cremari potiùs elegerit quàm viuere sine illa; quo nos amore illum prosequi oportebit, qui proprio nos corpore & cruore alit in vitam æternam? sed quod hac in re maximè ponderandum est, modus ipse est, quo nobis hanc vitam tuetur per Eucharistiam: ait ergo Christus : *Sicut misit me viuens*, &c. Missio hæc, vti S. Cyrillus ait, incarnationem importat. Sensus igitur est, sicut mediante incarnatione per vnionem animæ meæ cum Verbo diuino, ego viuo vitâ diuinâ; sic qui manducat me per vnionem sacramentalem, quâ homo vnitur mecum, viuet hac diuina & supernaturali vita gratiæ, vbi non solùm vita confertur diuina, sed modus diuinissimus est. Conferunt & alia Sacramenta gratiam, sed non vti Sacramentum Eucharistiæ, vbi homo vitâ viuit gratiæ per vnionem cum Deo, ad eum modum quo anima Christi viuit vitâ gratiæ diuinæ per vnionem Verbi. quo quid sublimius? Verè nunc dicere possum omni modo: *Magnificauit Dominus facere nobiscum*, &c.

Quòd si beneficium hoc rursum secundùm seipsum, & non in ordine ad effectus consideremus, quid aliud excelsius poterimus imaginari? magnum & excelsum fuit, pro nobis Deũ hominem fieri. *Sic*, inquit Christus *Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*; sed tamen id imaginabile adhuc erat, quòd post incarnationem & passionem se nobis in cibum dare poterat (si in hominis imaginationem tale inuentum, tale beneficium cadere potuisset) at postquam suum corpus nobis in cibum & sanguinem in potum dedit; quid nobis ampliùs imaginandum restat? *Frumento & vino stabiliui eum*, ait Isaac Esau, de Iacob agens, vti diximus, & subdit, *tibi vltra quid faciam?* idem modò dicere nobis poterat Christus: Frumento & vino Eucharistiæ stabiliui te, tibi vltra quid faciam? nec auaritia & ambitio humana exigere, nec diuina largitas magis, quod magis sit, valet exhibere: hîc enim datur nobis & humanitas, & diuinitas, & persona verbi diuini, hic merita Christi, hic vita gratiæ, hic vita æterna, &c.

Tantò beneficium aliquod maius est, quantò pluris danti constat, & maius aliquod periculum subit; ille mihi plus confert, qui honoris aut vitæ se periculo exponit, quàm qui paruo alicuius, v.g. vel pecuniæ vel vulneris leuioris. Cui ergo periculo se Christus exposuerit, cùm se nobis in cibum exhibuit, videamus. Dicam, quia sic periclitabatur suæ diuinitatis fides apud homines: manducari enim à diuinitate prorsus alienum videtur: constet hoc primùm ex illo Genes. 9. vbi Dominus dixit Noë, & filijs eius: *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum*, &c. Antea quidem herbas & arborum fructus in cibum hominibus assignauerat Deus, cur igitur modò carnes? Respondet Theodoretus q. 55. in Genes. *Præuidens Deus homines in extremam dementiam lapsos, hæc omnia animalia pro dijs habituros, permisit illorum esum, vt impietatem illam cohiberet: summa enim est insania id adorare quod manducatur.* Ita ille. Vesci igitur aliqua re, signum est illam Deum non esse.

Item constat ex c. 32. Exodi, vbi Moyses videns vitulum adreum, quem pro Deo Israelitæ adorabant, *arripiens*, inquit Scriptura, *vitulum quem fecerant, combussit & contrivit vsque ad puluerem, & dedit ex eo potum filijs Israel.* Cur *in potum?* nónne sufficiens erat ad idololatriam tollendam, vsque ad puluerem contriuisse? Respondet S. Hier. epist. ad Fabiolam: *Vt is pulueremquem adoraverat Israel, in potum accepit in contemptum superstitionis, vt discat contemnere, quod in secessum projici videat.* Ita S. Hieron. vt probique constat, contrarium videri Deitati, in cibum, seu potum aliquid sumi. Cur igitur Christus Dominus in cibum carnem, & in potum sanguinem dedit; cùm id in detrimentum fidei diuinitatis suæ esse videatur? vt quidem magnitudo beneficij constet & ardor amoris eius in nos: in tantum enim dilexit nos, vt, non obstante periculo tanto, se in cibum nobis dare fuerit dignatus: Si ergo exponere se magno periculo propter aliquem, magnitudinis amoris in eum argumentum esse constat, & beneficium auget, quantum erit hoc Eucharistiæ beneficium? quantus amor Christi in nos?

Rursus, confirmat hoc quod, vt diximus, refert Scriptura Exod. 32. vbi Moyses vitulum illum quem Israelitæ pro Deo adorauerunt, contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit eum potum illis. Quò tam nouum hoc supplicij genus spectat? Respondet sic Oleaster: *Credidêrunt quòd, vt idolatriæ nauseam eis induceret, voluit vt pulueribus idoli sui satiarentur.* Ita ille. Nunc ad rem. Cùm sit argumentum & signum non esse Deum id quod manducatur, cur voluit Christus sic manducari? Responsio in promptu est, vt tantò ampliùs cresceret beneficium, & illustriùs fulgeret amor eius in nos, quantò in eo suæ maiestati & deitati magis derogari videretur. *que puso Christo señor*

arriesgo el credito de su deidad con los infieles a trueco de no negar nos tan soberano beneficio, y day nos tan preciosa muestra del amor que nos tiene.

Psal. 67. 10. Psalm. 67. *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ, & infirmata est*, &c. Pluuiam hanc vocat manna de cœlo cadens, ad modum pluuiæ abundanter exhibitum populo Israel, vti exponunt ibi S. Auguſt. Caſſiodor. Hugo Cardinal. & Gloſſa. Nec obſtat, quòd dicit de futuro, *ſegregabis*, pro *ſegregauit*: mos enim eſt Prophetarum ſic tempora mutare: in Hebræo verò ſic habetur, *pluuiam liberalitatem*, &c. quaſi dicat: Quot grana illius manna è cœlo deſtuebant, tot liberalitates erant. Quòd ſi tanti faciebat Dauid eibum illum, in quo id quod præcipuum fuit, vmbra erat ſanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ; quid de ipſa Euchariſtia dicendum eſt? Adde iuſſiſſe Deum Moyſi di-

Exod. 16. 32. centem, Exod. 16. *Imple gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retro generationes, vt nouerint panem, quo alui vos in ſolitudine.* Iam ergo non miror, quòd tanti fecerit Dauid manna; ſed quod Deus tanto in pretio habuerit illud: & quidem, quod præcipuum in eo erat, non fuit manna ſecundùm ſe ſumptum, ſed quatenus figura erat Euchariſtiæ noſtræ.

Exod. 25. 30. Exod. 25. ſic Deus ad Moyſen: *Pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper*: in originali Hebræo ſic habetur, *pones ſuper menſam panes faciem Dei*. Figuraliter facies, oculos important, vnde idem eſt dicere, *panes faciem*, quod, *panes oculorum Dei*. Cur igitur *panes oculorum Dei* dicuntur? nimirum quia ſpeciali quadam ratione oculos Dei rapiebant ſibi panes illi, *iban ſele à Dios los ojos tras aquel pan*. Cur ita? quia panes illi ſanctam noſtram Euchariſtiam præfigurabant, vti aſſerunt Sanctus Hieronymus in cap. 1. Micheæ, & Sanctus Cyrill. cap. 4. Myſtagog. Damaſcenus lib. 4. cap. 14. Iſichius & Rupertus, &c. Vocabantur ergo, *panes facierum*, ſiue vt Septuaginta legunt, *faciales*, ſeu, *poſiti ante faciem & oculos Dei*; ideo dixit Dominus, *ponēs in conſpectu meo*, & hoc, quia in eis, vt dixi, repræſentabatur Sanctum Sacramentum. *eſſe era el que aſsi robaba los ojos de Dios*, tanquam pretioſiſſimum munus, quo ſancta eius illuſtraretur, & diteſceret Eccleſia, munus, inquam, adeo ingens, vt vel eo ſolo magnificentia Dei magis reſplendeat, quàm in omnium rerum creatione: quia in creatione creata nobis dedit Dominus, in Euchariſtia verò creator ipſe nobis datur. Quòd ſi adeo pretioſi erant panes illi in conſpectu Domini, vt propterea magnificentiſſimum ſe nobis oſtenderet; quanti nos Euchariſtiam facere oportet, qui eâ fruimur, & eâ glorificamur?

Quod etiam amplificare ſic poſſumus: non ſolùm ſic Deus oculos ſuos continuò & ſpeciatim ſuper hos panes apponebat, quia munus repræſentabant dignum magnificentiâ ſuâ, & gloriâ, & eximia vtilitate noſtra; ſed quia illo veſci & potiri ipſe quoque debebat in vltima cœna, factus homo: quod quidem in maximo pretio erat Chriſto Domino; nec mirum, quia ſi Deus homo erat qui ſumebat, Deus etiam & homo erat qui ſumebatur.

Adeo quidem eximium donum Euchariſtia eſt, vt in ea verè ac propriè magnificum ſe exhibuerit Deus. Quòd vt meliùs exprimamus, ſupponenda eſt & vis & natura virtutis magnificentiæ. Abulenſis ex lib. 2. *Abulenſ.* Ethicorum Ariſtotelis, probat magnificentiam eſſe virtutem animi circa maximas expenſas: Cicero verò, *Cicero.* *Magnificentia*, inquit, *eſt rerum magnarum & excelſarum cum animi ampla quadam & ſplendida propoſitione, agitatio.* Ita ille. *es la magnificentia virtud de animos excelentes, que inuentan coſſas ſoberanas, y las ponen con animo valeroſo en execucion.* Vbi notandum eſt, magnificentiæ opus non tam deſumendum & qualificandum eſſe ex opere ipſo, quamuis magnum eſſe videatur, quàm ex qualitate

A perſonæ operantis: erit enim opus magnificum aliquid reſpectu alicuius magnatis, quod non erit tale reſpectu regis, & reſpectu regis quod non reſpectu Dei. Etenim magnum opus eſſe apparet creatio Vniuerſi, maximè opus cœlorum, & tamen Dauid opera digitorum Dei vocat cœlos, *videbo*, inquit, *cœlos tuos, opera digitorum tuorum*. Cur vocat cœlos opera digitorum Dei & non brachij, ſeu manus Dei? quia quæ digitis fiunt, faciliora & leuiora ſunt. Sic Reſpondet S. Baſilius in ſchoB lijs huius Pſalm. dicens: *Opera dixit, non manuum tuarum, ſed, digitorum tuorum, vt quæ videntur minimæ operationis eſſe oſtendat*. Ita S. Baſil. Nec mirum, quia vt factum ſeu datum magnificum ſit, oportet, quòd ſit magnitudini dantis proportionatum; inter finitum autem & infinitum nulla eſt proportio, ſed infinita diſtantia, ſicuti Philoſophi demonſtrant. Cùm igitur cœli res finita ſint; Deus verò infinitus, dediſſe nobis cœlos non eſt in rigore opus magnificentiæ, quia inter datum & datorem non eſt legitima proportio. Vnde in eodem Pſalm. 8. præmiſit Dauid: *Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos, (vueſtra magnificentia ſeñor dexo muy atras a la obra y dadiua, en que nos diſtes los cielos.)*

Quodnam igitur dicemus fuiſſe opus diuinæ magnificentiæ? Opus quidem incarnationis & paſſionis, in quibus ſeipſum nobis dedit Deus, vbi donator venit in donum, nobis datus, nobis natus. Tunc enim omnimoda proportio eſt inter dantem & datum; quia ſi dator eſt Deus infinitus, donum quoque eſt Deus infinitus. Et ſimiliter donum Euchariſtiæ eſt opus magnificentiæ diuinæ, quia in ea datur etiam nobis Deus, &, ſi dicere licet, extenſiuè aliquid ampliùs, quàm in incarnatione, quia in eo datus eſt à Patre filius, vt ſumeret noſtram humanitatem; in Euchariſtia verò ipſam diuinitatem, & inſuper humanitatem nobis dedit. Sic loquitur S. Thom. agens de Euchariſtia C opuſ. 57. dicens: *Vnigenitus Dei Filius ſuæ diuinitatis volens nos eſſe participes, noſtram naturam aſſumpſit, & hoc inſuper quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem*. Ita ille. Vbi explicans dictum, ait in paſſione Chriſti ſe nobis dediſſe in pretium, & in memoriam paſſionis ait, ſe nobis dediſſe in Euchariſtia; & ſubdit de dono Euchariſtiæ: *Quid hoc conuiuio pretioſius eſſe poteſt; in quo non carnes vitulorum, vt olim in lege, ſed nobis Chriſtus ſimendus proponitur verus Deus?* Ita ille.

Hinc colliges quàm de nobis bene meritus ſit Deus, & quàm magnas & aſſiduas illi gratias debeamus, qui ita nos enutrit, & exaltat. vnde merito S. Thom. vbi ſuprà de Euchariſtia agens: *Immenſa* (inS. Thom. quit) *diuinæ largitatis beneficia exhibita populo Chriſtiano, inæſtimabilem ei conferunt dignitatem: neque enim eſt aut fuit aliquando tam grandis natio quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Deus noſter*. Ita ille.

Poteſt & hoc alia ſimilitudine exponi, nempe alicuius patris euntis ad bellum, qui partâ victoriâ ſpolia D pretioſa defert filijs; ſpolia, inquam, multis laboribus, Simile. ac vulneribus acquiſita communicat filijs, qui fruuntur illis ſine laboribus ſic, &c.

Subdit denique Sapiens: *Subſtantia tua dulcedinem Sap. 16. tuam quam in filios habes, oſtendat*. Sanctus Fulgentius in re- S. Fulg. ſponſione ad Arrianos ad 4. obiectionem, & Optatus citatus in Gloſſa ordinaria ſic legunt: *Subſtantiam tuam & dulcedinem tuam oſtendebat*, hoc eſt, manna duo figurabat & oſtendebat in ſacra Euchariſtia; primum, quantæ ſcilicet ſubſtantiæ eſſet in ſe: ſi enim res adeò pretioſa erat figura, quantò pretioſius erit id quod figurabat? vel quia ſubſtantia in ſacris literis patrimonium ſeu hæreditatem ſignificat, vt patet in parabola Luc. 15. filij prodigi dicētis: *Da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me* 12. *contingit*. Manna oſtendebat hæreditatem, quæ in cœlis ſeruatur iuſtè recipientibus Euchariſtiam, iuxta id quod canit Eccleſia; *mens impletur gratiâ, & futura gloria nobis*

na nobis pignus datur; & ideo etiam Sapiens in eodem loco ait, *substantiam & dulcedinem quam in filios habes*, &c. Est enim verè panis filiorum non mittendus canibus: & hoc quidem maximum motiuum esse debet ad frequenter communionem recipiendam. hoc enim proprium filiorum est, *quod si filij & hæredes*, (vti ait Apost.) *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, in cælesti patrimonio & substantia.

Secundum est, *dulcedinem tuam in filios demonstrabat*; dulcissimus quidem cibus erat manna: habebat enim *omnis saporis suauitatem*, vt ibidem ait Sapiens: at cibus hic noster quam dulcedinem habet? quis eam possit explicare? Rectè hic possumus respondere: *Gustate & videte quoniã suauis est Dominus*, sicut ait Dauid; qui quoque in Psalm. 67. 11. *Parasti*, inquit, *in dulcedine tua pauperi Deus*; loquitur ibi de Ecclesia Christiana quam pauperem vocat, quia in ea fideles paupertatem spiritus profitemur, quod in externis nationibus non inuenies. Ecclesiæ ergo suæ in dulcedine sua dulcedinem parauit, nimirum in cibo isto cœlesti, vti Carthusianus & Lorinus aiunt. Sed quænam sit iusta dulcedo non exprimit, quia indicibilis est; hoc autem solum dicere valemus, dulcedinem Dei esse: quem enim saporem habet perdix nisi perdicis, & mel nisi mellis, & saccharum nisi sacchari? sic etiam quænam erit alia dulcedo Dei in Eucharistia nisi Dei? At dices, talem ego non experior, experti sunt quidem Sancti plures. Esto & tu sanctus, & experieris: sed ne contristeris, scito sæpe Deum dulcedinem hanc occultare filijs, ne inde in superbiam eleuentur, vt merita tantò magis augeantur, quantò in frequentia communionis minorem dulcedinem sentiunt: si enim sentirent, propter ipsam dulcedinem sæpiùs fortè communicarent, quàm propter ipsam communionem.

Isai. 65. *Ecce seruientes mihi comedent, vos autem esurietis*; *ecce seruientes mihi bibent, vos autem sitietis*. Quid seruientes Deo comedent? quid bibent? S. Cyrillus Alexand. in commentarijs super Isaiam. Sanctus Ambrosius lib. de Paradiso cap. 9. & lib. de Elia & ieiunio cap. 10. S. Cyprian. lib. testimoniorum contra Iudæos cap. 23. & Sanctus Hieronym. super Isaiam de sancto Eucharistiæ Sacramento intelligunt locum istum. Ait ergo Dominus: Serui mei comedent corpus meum, & vos, ó peccatores indigni tanto bono, esurietis: serui mei bibent in eodem Sacramento sanguinem meum; vos autem indigni sitietis, non dabitur vobis. Ecce cur plurimi non communicant, non datum est eis à Deo: ô graue supplicium! precamini Deum, fratres, ne vnquam tali vos afficiat pœnâ. Ecce quoque rationem, quare niulti tanto fruantur bono, quia datum est eis à Deo. Meritò proinde & ipsi vicissim gratias immensas Deo reddere debent.

1. Reg. 21. cùm Dauid ad Gethæos fugisset, *Immutauit* (ait Scriptura) *os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum*. Sanctus Augustin. super Psalm. 33. sic legit, *& ferebatur in manibus suis*. Vbi S. Doctor quærit, & ait, quis portatur in manibus suis? In manibus aliorum potest portari homo, manibus verò suis nemo portatur. Et respondet: *Quomodo intelligatur hoc in ipso Dauid, secundùm litteram, non inuenimus, in Christo autem inuenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans corpus suum, dixit: Hoc est corpus meum*, &c. Ita S. Augustin. Nunc ad rem. Primum ferculum sanctissimi Sacramenti manus Christi Domini fuerût, tale quippe ac tantum Sacramentum, tale ferculum decebat. Secundum autem ferculum manus sacerdotum esse voluit, quibus sic congruit vt sumant & dent cæteris: manus enim sacerdotis manus Christi repræsentant. Tertium verò ferculum pectora nostra sunt, in quibus, cùm communicamus, sacrosanctum Dominicorpus recipimus & portamus. Sic, sic nos Deus honorare & benedicere dignatus est, vt Sacramentum manibus Christi dignum, in pectore nostro etiam habeamus & circumferamus. Sit ille in sæcula benedictus.

Ioan. 6. sic Christus Dominus de Eucharistia agens: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis: hunc enim Pater signauit Deus.* Duo hic asserit Dominus; primum est, quòd pro acquirendo cibo isto operemur: verbum autem *operamini* importat, non operationem quamlibet, seu qualemcumque, sed sollicitè & curâ magnâ exhibitam tacitè respondens his, qui frequentare communionem negligunt, dum vnus dicit: *Villam emi, eo videre illam, habe me excusatum*; alius: *iuga boum emi quinque*, &c. Hoc est, quia magna intentione cordis attendunt bonis temporalibus, ideo attendere frequentiæ communionis nolunt; & insuper quia puritatem animi, & deuotionem, & confessionem præuiam, quando & quantùm conscientia id exegerit, requiri vident; ideo ait Dominus: *operamini cibum*, hoc est (vti explicat Cardinalis Toletus) magno studio & cura satagite hunc sumere cibum, & quantamcumque operam adhibete: quantumuis enim laborem adhibere magnum opus esset, (quod quidem non ita est) dignus quidem tanto labore est cibus iste. Vnde subdit: *hunc enim Pater signauit Deus*, hoc est, me qui cibus iste sum, signauit Deus; quasi impresso sigillo. Periphrasis, & circumlocutio est hæc eximij thesauri, quem in Eucharistia habemus: ea enim, quæ sigillamus seu signamus, magni esse momenti designamus. Sic explicat Rupert. Abbas, dicens: *cibum hunc signauit Deus, id est, a communibus distinxit cibis, vt cum alios bonis & malis communes fecerit, solum hunc cibum dari voluit non nisi dignis*. Ita ille. Quasi dicat: Panis hic, panis est amicis & filijs reseruatus, tanquam pretiosissimum donum in Ecclesia, *vere panis filiorum*, &c. & ideo signauit, id est, inter reliqua beneficia huic signum adiecit, *aquí hecho el sello sobre esta blanca hostia*, &c. *atque adeo operamini hunc cibum*, hoc est pro tanto cibo nulli labori parcendum est, &c.

Zach. 9. agens Propheta de hoc Eucharistiæ sacramento ait: *Quid bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Sanct. Hieron. hoc loco, & Paschasius Abb. lib. de corpore & sanguine Domini cap. 21. affirmant, hîc prophetam agere de Eucharistiæ sacramento. Quærit igitur primò, *quid est bonum eius*, vbi lyra, ad Deum refertur, & non ad terram vel Ecclesiam, est enim in textu Græco generis masculini. Sensus ergo est, quid est bonum Dei in terra, seu in Ecclesia eius, & quid pulchrum eius? & respondet: *frumentum electorum*, id est, Eucharistia, quæ electorum causâ instituta est à Deo. Vnde & frequens, & feruens Eucharistiæ sumptio, electionis, & prædestinationis signum est. Ne igitur miremur, si, cùm multi sint Christiani; pauci tamen sint qui frequenter, & feruenter ad eam accedant, quia multi sunt vocati; pauci verò electi. Tu autem qui animi ardore sæpe Eucharistiam sumis, gaude & lætare, quia pignus & signum sic habes æternæ vitæ. Inde & Ecclesia canit: *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Qui verò non ita esurit hunc panem, petat à Deo talem esuriem, vt & ipse tanto gloriæ pignore fruatur.

Sed nunc ad rem: quare dicit *pulchrum* esse hoc Eucharistiæ donum? nimirum, quia pulchritudo alicuius rei in proportione eius maximè consistit: illa enim facies est pulchra, in qua oculi & nares, frons & labia, & reliquæ eius partes inter se proportionatæ sunt. Sic Eucharistiæ donum pulchrum est, quia proportionem magnam habet cum donante & recipiente; cum donante quidem, quia si donans infinita res est, & donum hoc infinitatem ipsius Dei constat habere; denique

nique donans Deus est, & donum ipsemet Deus: potest ne maior esse proportio inter donum & donantem? Item ea quæ possibilis proportio est inter donum & recipientem, hic reperitur, quia non omnibus sed filijs Dei datur: *verè enim panis filiorum, non mittendus canibus.* Donum igitur filius Dei est, & recipiens, filius Dei esse debet: vide proportionem. Quòd si pulchritudo in proportione consistit, meritò ait Zacharias: *Quid est pulchrum eius, nisi frumentum electorum?*

Præterea, pulchrum est quod omnium oculos ad se conuertit: facilis est inductio. Eucharistiæ autem bonum non solùm sanctorum & Angelorum oculos ad se conuertit, verùm etiam ipsius Dei. Exod. 25. iussit Deus in templo constitui mensam & in ea *panes propositionis*, quos textus Hebræus vocat *panes facierum*, id est, *oculorum*. Cur ita? Doctus quidam interpres sic exponit: Dicebantur *panes facierum*, eò quòd Dei oculos raperent ad se. Ita ille. Nec mirum: se enim in hoc pane respicit Deus, se, inquam, & suam immensam bonitatem, liberalitatem, pietatem, misericordiam, magnificentiam, sapientiam, omnipotentiam, suauitatem (hæc enim omnia Dei attributa in hoc sacrosancto bono relucent) respicit.

Exod 25.

In tantum diligit nos, vt discessurus à nobis etiam in cœlum peregrè se proficisci sentiat, quod ex eo constat Matth. 25. vbi, postquam in parabola talentorum se diuisisse talenta dixisset, *peregrè*, subdit, *profectus est.* Quid hoc? ad Patrem vadit, in cœlum pergit, & peregrinum se dicit? cùm in terram descendit, meritò se peregrinum poterat appellare; at in cœlum pergens, cur ita? Sanct. Chrysostom. in Imperfect. homil. 53. *Homo peregrè profectus, Christus est, post victoriam passionis ad Patrem iturus, peregrè se iturum dicit, propter charitatem sanctorum, quos relinquebat in terris, cùm magis peregrè esset in mundo.* Ita ille. Sit Christus in sæcula benedictus. Hinc Eucharistiæ mysterium intelligere licet: siis qui ad peregrina ducitur, posset simul inter dilectos remanere, absque dubio remaneret; peregrè Christus proficiscebatur in cœlum habens dilectos suos in terris, potuit simul ire & remanere, remansit ne amori suo in nos aliquo modo deesse videretur.

Matt. 25.

Chrysost.

Sanct. Augustin. in concione de Cœna Domini, ponderat media & remedia, quibus vsus est Christus Dominus ad conuersionem Iudæ; primò verecundiâ, notam sibi ostendens iniquitatem cordis eius, dicens: *Vnus vestrûm me traditurus est*: secundò confusione magna, eum similem diabolo esse affirmans, *vnus*, inquit, *vestrûm diabolus est*; tertiò blanditijs, lauans illius pedes: quartò terrore, dicens: *Væ homini illi per quem filius hominis traditur: melius erat ei si natus non fuisset homo ille.* Sed quia hæc remedia (quamuis magna) non fuerant effectum sortita, addit quintum, donum scilicet Eucharistiæ, donum quidem ingentis amoris; amor autem potens valde medium est ad hominem, quantumuis inimicum, sibi conciliandum, dicente Apostolo: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones congeres super caput eius.* Voluit Christus Dominus sic cõgerere carbones super caput, & cor Iudæ, & ideo cibum & potum diuinissimum Eucharistiæ dedit illi. Tanta verò fuit duritia cordis eius, vt neque hoc pacto illud emollierit: vnde post receptionem Eucharistiæ dixit illi: *Quod facis fac citius*, Ioan. 13. ac si diceret (ait Sanct. Augustinus supra) *Quia non reuocaris verecundiâ, confusione, timore, humilitate & amore, do tibi facultatem, vt opere facias, quod iam voluntate fecisti.* Ita ille. Nunc ad nos: multis modis per anni decursum Deus adhibet remedia ad peccatores conuertendos, inspirationibus scilicet Spiritus sancti, admonitionibus Angeli custodis, vocibus concionatorum, mortibus vicinorum, deni-

Matt. 26. 21.

Ibid. 24.

Rom. 12. 20.

Vers. 27.

A que pœnitendi tempore Quadragesimæ (quod tempus est miserendi) Eucharistiæ Sacramentum suruebet, quasi vltimum & præcipuum ad conuersionem remedium. quòd si nec hoc profuerit, vocem cum Angelis emittit: *Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.*

Ierem. 51. 9.

Dulcis, & gratissima nobis est consideratio diuini amoris in nos: etenim ab amicis, & cognatis, & à reliquis omnibus creaturis amari gaudemus, optamus, & curamus, & illos amplius diligimus, qui diligunt nos: adeò vt rex ipse gaudeat vel à seruis suis amari, imò & à canibus suis, & ipsos etiam canes ... git rex, quos videritsigna amoris ostendere sibi. Gaudeamus nos igitur, qui eximio & indicibili amore diligimur à Deo: & vt in huius veritatis probationem vel vnum argumentum proferamus, attende quanto in nos Christus ardebat amore, quo se in cibum nobis exhibuit. Expendit hoc Concil. Trident. sess. 23. c. 1. dicens: *Saluator noster discessurus ex hoc mundo ad patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo diuitias diuinæ erga homines amoris velut effudit.* Ita Concil. quasi dicat: quamplurima sui in nos argoris signa dedit, sed in Eucharistiæ Sacramento, veluti exhaustisse videtur diuitias sui erga nos amoris. *que si Dios pudiera ser pobre, amor le huuiera aqui enpobrezido, de fuerte que de toda su infinita riqueza, no le quedara vna blanca*: quia omnes diuitiæ Dei sunt ipsemet Deus, qui in hoc Sacramento se totum ita nobis dedit, vt pleno ore dicere valeamus: *Nobis natus, nobis datus*, &c.

B

Vnde Ioan. 13. antequam de Sacramento isto ageret, præmisit Euangelista: *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Quid est *in finem*? Sanct. Chrysol. id est, *nihil omittit quod vehementer amantes deceret.* Ita ille. Vehementiam amoris Christi in discipulos expressit, quia ad finem amoris peruenit in institutio sanctissimi Sacramenti: quia si talis dilectio ex amore processit, quod signum finalis amoris potuit esse maius, quàm se ipsum & in cibum nobis dare?

C

PROP. VII. *Eucharistia maximum donum, & aliorum donorum pignus est.*

D

SAnct. Chrysostom. hom. 2. ad popul. *Tanquam maximam hæreditatem Elisæus ab Elia melotem suscepit: & verè magna hæreditas fuit omni pretiosior auro. Nouit quod vestrum illum beatum existimetis, & velles quisque esse, velit. Quid igitur si vobis demonstrauero quid aliud, quod illo multo maius omnes sacris mysterijs tributi recepimus? Elias enim discipulo melotem reliquit, filius autem Dei ascendens, suam nobis carnem dimisit: sed Elias quidem exutus; Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. Ne igitur animo excidamus, neque temporum difficultatem timeamus: qui enim sanguinem suum pro nobis effundere non recusauit, & ipsum sanguinem rursus nobis communicauit, nihil pro salute nostra recusabit.* Ita Sanct. Chrysostom. Vbi notat quòd Eucharistia, & donum maximum est, & pignus ad ea omnia à Christo speranda, quæ nobis fuerint necessaria: sicut enim dixit Apostolus: *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo cum illo non omnia nobis donauit?* Sic etiam dicere possumus: Qui seipsum nobis in cibum & potum dedit, quomodo non secum nobis cuncta donauit?

Chrysol. Sermon.

Rom. 8. 32.

Idem Chrys. orat. de diuitijs & pauperate, tom. 5. *Omni purpura splendidior fuit oculis Eliæ vestis, & ob id in cælum ascendens nihil aliud, quàm oculem vestem illam Elisæo discipulo reliquit.* Cùm hac, inquit, adnersùs diabolum sum luctatus: hac tu quoque contra illum te arma, & accepit oculem vestem Elisæus, perinde ac mxmam hæreditatem. & quidem maxima proculdubio hæreditas erat, & omni pretiosior auro. Nouit quod beatum iudicetis illum; & velit vnusquisque vestrûm ipsum esse: quid igitur si demon-

Chrysost. Sermon.

si demonstrauero vobis, aliud quidem multo maius illo nos omnes accepisse? Elias quidem oculem vestem discipulo dimisit, Christus verò ascendens in cœlum suam ipsius carnem reliquit nobis. Ita Sanctus Chrysostomus. Nota verò ad quid Eliſæo deſeruierit pallium Eliæ, & confer cum eo, quod nobis corpus Chriſti confert, verbi gratiá, pallio illo aquas Iordanis pertranſiuit incolumis; nos inter mundi huius tribulationes, & pericula ſalui in cœlum tranſibimus, ope huius diuini ſacramenti, &c.

Prop. VIII. *Quàm admirabile ſit Sacramentum Euchariſtiæ.*

Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe, &c. Inter ſex illa ſublimia nomina, quibus Propheta Iſaias appellandum eſſe Chriſtum Dominum prophetauit, primum fuit, *admirabilis, Et vocabitur nomen eus admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis.* Et quidem in hoc auguſtiſſimo Sacramento ſe Chriſtus Dominus his nominibus dignum manifeſtauit: primò enim admirabilis in Sacramenti Euchariſtiæ inſtitutione nimiùm fuit, vt latiùs illico dicemus. Secundò conſiliarium fuiſſe, eximia bona, vtilitates & effectus Altiſſimi ex ea prouenientes, mirabile fuiſſe Dei conſilium oſtendunt. Deum etiam ipſum eſſe, qui ſimul & ſemel tot miracula in hoc Sacramento cumulauit, conſtat: & fortem, tum quia amorem ſuum fortem, vt mortem eſſe, patefecit, & multas hîc naturæ repugnantias ſuperauit: & Patrem futuri ſæculi, hoc eſt, ſæculi noſtri, quia ſi parentum eſt filios ſuos alere, nos hîc alit, & congruum filijs Dei cibum dedit. Denique & principem pacis, quia huius panis non vltimus effectus eſt, nos inter nos pacificare: nam ſicuti S. Auguſt. affirmat, ideo materiam huius Sacramenti eam eſſe voluit, quæ ex multis vnũ fit, qualis eſt panis, qui ex multis granis tritici; & quale eſt vinũ quod ex multis vuis racemorũ cõſtatur, atque adeo vel propter hoc ſolum Sacramentum ſex nomina hæc optimè Chriſto Domino quadrant. Sed de quinque vltimis in alijs propoſitionibus, de primo verò in hac diſſeremus, Domino fauente.

Mirabilem ſe igitur Deus in hoc Sacramento manifeſtat, adeo vt admirabilis Sacramenti nomen ſpecialiter vendicet ſibi: ſic enim in Eccleſia ſæpe in oratione feſti huius orat, & dicit: *Deus qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, &c.* mirabile vocat, quia licèt omnia Sacramenta mirabilia quidem ſint; hoc tamen Sacramentum mirabile multò magis: in alijs enim Sacramentis virtutem ſuam, in hoc verò ſeipſum exhibet nobis, & quia, ſi in reliquis Sacramentis vnum vel alterum miraculum intercedere viderimus, in hoc adeo plura, vt vix quot vel quanta ſint, noſſe valeamus.

Sed quid mirum quòd Sacramentum Euchariſtiæ mirabile prædicemus, cùm eius vmbræ & figuræ extiterint admirandæ? figura quidem huius Sacramenti fuit Arca illa teſtamenti: ſicut enim in illa manna illud, quod in cibum præſtitum fuit Iſraeli, aliquando incluſum fuit; ſic etiam in accidentibus his cibus noſter continetur: illa fuit arca panis Iſraelis, accidẽtia etiam hîc velut arca ſunt panis noſtri: fuit igitur meritò Arca illa figura Sacramenti huius. Iuſſit autẽ Dominus Moyſi, dicens: *Duos Cherubim aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi expandentes alas, & operientes oraculum, reſpicientque ſe mutuo verſis vultibus in propitiatorium, quo operienda eſt arca.* Aduerte modum, quo voluit Deus hos Cherubinos iuxta arcam eſſe cõſtitutos, & collocatos: nam primò alas ſuas expandent verſus propitiatorium. Alæ ſymbolum ſunt intellectus: ſicut enim alis volant aues, & ad creaturæ ſuperiora conſcendunt, ſic & intellectuales ad alta & ſuperiora intelligendo aſcendunt. A ſed alis ait eos operire oraculum, & Arcam, quia in hoc arcano & ſecreto Euchariſtiæ myſterio, quantumuis Cherubim, in quibus eſt ſcientiæ plenitudo, alas ſuas extendant potiùs myſterium operire, quàm aperire videbũtur, niſi ſuperna fuerint luce illuſtrati. imò & tunc ſe mutuo reſpiciũt verſis vultibus ad Arcam, quia diuina luce decorati, tot tantaque mirabilia cognoſcunt, vt, ſicut qui inter nos admiratione magna tenentur, ſe mutuo tacentes reſpiciunt, ſupercilijs admirationis ſigna exhibentes; ſic Cherubim illi, ſic tacentes mutuo ſe cum admiratione reſpiciunt vultibus in propitiatorij verſis, vt ex Arca quæ cum propitiatorio erat, admirationem illam oriri demonſtrarent. Cùm igitur Arca illá figuram Euchariſtiæ contineret, ex figura illa admiratio iſta procedebat. quòd ſi figura Cherubinos cœleſtes ſic in admirationem rapuit, quid mirum ſi nos homũciones veritas ipſa obſtupefactos nimiùm teneat?

Præterea, cùm ipſum manna primò viderent Iſraelitæ, admirati & ſe mutuo conſpicientes, dicebant: *Manhu*, hoc eſt, quid eſt hoc? & nihil aliud refert Scriptura eos proloquutos fuiſſe: admiratio enim verba ex ore tollit, & nihil aliud quàm interrogare ſinit, ſicut Angeli miram Virginis excellentiã videntes dicebant: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?* &c. Sic igitur Iſraelitæ videtes cibum illum cæleſtem, qui Euchariſtiæ ſymbolum erat, dicebant: *Quid eſt hoc?* & vt ratione digna admiratio illa demonſtraretur, ſic Deo prouidente & ordinante, manna dictus fuit cibus ille, vt in nomine quaſi ſcripta ſemper admiratio permaneret, *Llamaſe para ſiempre, vn que es eſto, vn que es con ſi coſa*, &c. quaſi rei ſupra captum hominum homines nomen adæquatum imponere neſcirent. quòd ſi hoc de figura, quid de veritate?

Hinc eſt quòd Eccleſia in huius feſti celebratione affectibus abundans, admirationis notis & exclamationibus vtitur multis. *O res mirabilis* (inquit) *manducat Dominum pauper ſeruus, & humilis*, & iterum: *O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*. & iterum: *O quam ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonſtraret, panè ſuauiſſimo de cælo præſtito eſurientes reples bonis, &c.* & iterum, *O ſalutaris hoſtia, quæ cœli pandis oſtium, &c. Pareçe que podriamos llamar a eſta ſiesta, la ſieſta de la* O, O autem admirationis nota eſt: admirabile igitur eſſe hoc myſterium his exclamationibus ſignificatur.

Quare optimo iure prædixit Oſeas: *Pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouiſſimo dierum.* S. Hieronymus exponit locum hunc de Chriſto Domino: ſenſus autem eſt, temporibus Eccleſiæ Chriſtianæ pauebunt, ſeu obſtupeſcent Chriſtiani; vel vt Græca lectio habet, *quaſi attoniti præ* reuerentia erga Chriſtum erunt; ita legunt Septuaginta. quid eſt autem & ad bonum eius? hanc interrogationem habes & ſimul reſponſionem Zach. 9. *Quid*, inquit, *eſt bonum eius niſi panis electorum, & vinum germinans virgines?* Vbi S. Hieronymus & alij de Euchariſtia locum interpretantur: hoc enim eſt bonum Chriſti in Eccleſia eius. ad hoc igitur bonum pauebunt, ait, fideles, obſtupefacti detinebuntur, & attoniti remanebunt, dicentes ſcilicet: Nunquid poſſibile eſt habitare Deum cum hominibus, & ſe in cibum potumque illis exhibere?

Denique Sacramentum Euchariſtiæ non ſolùm mirabile, verùm, etiam epitome quædam, & ſummarium mirabiliũ Dei eſt: id enim aſſeruit Dauid in ſpiritu prouidens illud, *Memoriam* (inquiens) *fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe*, vbi S. Hieron. S. Auguſtinus, Caſſiodorus, & alij per hanc eſcam Euchariſtiam interpretantur. Verba ſancti Auguſtini hæc ſunt: *Eſcam dedit, quæ non corrumpitur, panem qui de cœlo deſcendit, quem nullus meritis dedit: nemo talem eſcã daret, niſi miſericors & miſerator Dominus.*

Ita S. Augustinus. Sed quid est quod ait, memoriam mirabilium feciſſe Dominum, hanc nobis cœleſtem eſcam exhibendo? Reſpondent nonnulli expoſitores, hîc memoriam pro memoriali ſumi: quamuis enim in Græco non memoriale, ſed memoria ponatur, ſæpe familiari ſermone pro memoriali ſumi memoria ſolet. Cùm igitur Dominus mirabilia multa operatus fuiſſet, ac ſtupenda, priuſquam Sacramentum hoc inſtituiſſet, voluit ſummam quandam, ſeu epilogum vel epitomen eorum facere, quaſi factorum ſuorum mirabilium per orationem quandam, & ad hoc inſtituit hoc admirabile Sacramentum.

At dices, quænam ſunt mirabilia iſta, quorum Euchariſtia dicitur memoriale? neque enim vana curioſitas eſt inquiſitio iſta, ſed vtilis & grata indagatio, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.

Primum mirabile Chriſti Domini fuit eius incarnatio, mirabile, inquam, illud nouum, de quo Ieremias: *Creauit Dominus nouum ſuper terram, fœmina circumdabit virum.* ſuper quo etiam miratur Eccleſia, dicens: *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti Virginis vterum.* nouum quidem & admirandum fuit, quòd diuina perſona cum humanitate noſtra vnierit ſe, quòdque ſub viſibili hominis ſpecie latuerit Deitas illa, quòd immenſitas Dei inter anguſtias exiſteret vteri virginalis, vti canit Eccleſia? *Quæm cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.* Denique adeo mirum, vt ſola fides & ſola Spiritus ſancti vmbra myſterium hoc poſſit attingere. Mirabile quidem hoc, ſed huius eſt memoriale quoddam Sacramentum Euchariſtiæ: nam ſicut ibi vnitus fuit Dei filius humanæ naturæ; ſic per Sacramẽtum hoc vnitur nobis idem Filius Dei. Vnde Chriſtus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Si mirabile fuit non horruiſſe Deũ virginis vterum, nónne mirabilius eſt nõ horrere Chriſtum ingreſſum viſcerum hominum? Et ſicut humanitas Chriſti per illam hypoſtaticam vnionem viuebat, & viuit per verbum; ſic mediante hac ſacramentali vnione homo viuit per idem Verbum. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat meipſe viuet propter me.* Denique ſicut per incarnationem Deus nobiſcum corporaliter manere voluit & ideo vocatus fuit Emanuel, hoc eſt, nobiſcum Deus; ſic per hoc Sacramentum nobiſcum degit corporaliter, & ait: *Ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*, &c.

Secundum mirabile Chriſti fuit eius natiuitas, quando in præſepio vili fuit collocatus: huius memoriale etiam eſt hoc Sacramentum; nam ſicut ipſe immenſus ille Deus inter arcta poſitus fuit præſepia; ſic etiam immenſus idem inter arcta hoſtiæ & pectoris noſtri collocatur.

Tertium fuit circumciſio Chriſti, vbi etiam nomen illud mirabile Saluatoris aſſumpſit; ſic etiam in hoc Sacramento: ſicut enim ibi ſciſſa fuit caro Chriſti abſque ſciſſura aliqua Deitatis; ſic etiam in Euchariſtia ſcinditur hoſtia abſque eo, quòd diuinitas, imò nec humanitas, ſcindatur. Quòd ſi tunc Saluatoris nomen aſſumpſit, hîc effectum Saluatoris oſtendit. *alli el nombre, aqui los hechos*: in huius enim Sacramenti perceptione ſalus & vita noſtra conſiſtit: *Qui enim manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Quartum fuit Regum adoratio: vbi mirabile fuit Reges, non deitatem, ſed humanitatem in puero videntes, procidentes adoraſſe in tali humanitate & humilitate Deum. In Euchariſtia quoque hoſtiam paruulam videmus, & tamen Deum & hominem humiliter procidentes adoramus, & omnes reges terræ nobiſcum, &c.

Sic quidem de reliquis myſterijs vitæ Chriſti dicere valemus, imò & de miraculis eius: nam ſi in primo illo miraculo aquam in vinum conuertit, hîc vinum & panem in ſanguinem & carnem ſuam tranſmutat: ſi olim cœcis viſum, ſurdis auditum, infirmis ſalutem, mortuis denique vitam exhibuit; ſic etiam per Sacramentum hoc interiùs in anima cœcis viſum, ſurdis auditum, infirmis ſalutem, & ſæpe mortis vitam præbet.

Denique eximium mirabile Chriſti fuit paſſio, & mors eius: quid enim mirabilius, quàm Dominum Deum pro nobis vermiculis opprobria, dolores, & cruciatus acerbos, & denique mortem pati, mortem autem crucis? quis talia cogitando non hæret? non ſtupet? huius autem mirabilis paſſionis ac mortis memoriale expreſſum eſt Euchariſtiæ Sacramentum. *Hæc, inquit, quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*, & Paulus: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* In paſſione quidem ſe Chriſtus Dominus pro ſalute noſtra obtulit, hîc verò in Euchariſtia pro nobis etiam quotidie offertur Chriſtus. vnde in Concilio Tridentino ſic habetur: *Incruentè in ſacrificio altaris immolatur, qui in ara crucis ſemel ſeipſum obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa.*

Præterea, ſi in paſſione Chriſtus Dominus pati dignatus fuit iniurias magnas pro nobis, vita etiam noſtri causâ in hoc Sacramento non leues patitur quoque iniurias: quæ enim iniuria grauior, quàm indignè & in peccato mortali communicare? *Quicumque* (ait Apoſt.) *manducauerit panem hunc, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*, hoc eſt, ſicut crucifigentes in corpus Domini peccauerunt; ſic indignè communicantes in Domini corpus peccant. Vnde S. Auguſt. introducit Chriſtum Dominum ſic cum eo, qui communicat indignè, agentem: *Cur corpus meum turpitudine maculaſti? cur me grauiori criminum vomere, quàm illa, in qua olim pependeram, affixiſti? grauior enim peccatorum crux eſt, in qua inuitus pendeo, quàm illa, in qua, tui miſertus, mortem occiſurus aſcendi.* Ita S. Auguſtinus. Vides quàm ſit mirabile paſſionis Chriſti memoriale Sacramentum Euchariſtiæ.

Præterea mirabilis fuit reſurrectio Chriſti, per quam à mortuis ad nos reuerſus fuit Chriſtus Dominus: huius etiam mirabilis memoriale eſt Euchariſtia: per eam enim, qui à nobis ad Patrem iuit Dominus, à Patre ad nos redit: quod quidem eſt ac ſi de nouo reſurgeret nobis. & ſicut in reſurrectione ſua mundum Chriſtus lætificauit; ſic etiam per Euchariſtiæ Sacramentum cunctam gaudio replet Eccleſiam: vt in eius ſolemnitate videre licet: nullum enim Domini feſtum ita ſolemniter celebratur, ſicut feſtum corporis Chriſti.

Præterea mirabilis fuit aſcenſio Chriſti in cœlos, adeo vt inter myſteria vitæ Chriſti mirabilis cognomen ſortiatur, *per admirabilem aſcenſionem tuam*, inquit Eccleſia: huius etiam memoriale extitit Euchariſtia: nam ſicut aſcendit Chriſtus in cœlum vt aſſiſteret vultui Dei pro nobis; ſic etiam per ſacrificium Euchariſtiæ in Miſſa offertur Patri pro nobis, & hoc modo aſcendit, vt aſſiſtat quoque vultui Dei pro nobis. Et in maiorem huius rei confirmationem & expoſitionem, id recolere oportet, quod Sanctus Auguſtinus adnotauit, in ſacrificio ſcilicet illo Gedeonis apparuiſſe Angelum inter flammas ignis, & ſic aſcendiſſe per medias flammas in cœlum: quo (ait Sanct. Auguſtinus) ſignificatum fuit, Chriſtum magni conſilij Angelum, medio ſacrificio in cruce à ſe oblato, in cœlum aſcenſurum, quod etiam in Euchariſtiæ Sacramento & ſacrificio verum habet: aſcendit enim in conſpectu Domini ſacrificium hoc pro nobis, gratificans nos Patri: vnde aſcenſio Chriſti rectè in hoc ſacrificio repræſentatur.

Denique vltimum Chriſti mirabilium fuit Spiritus ſancti miſſio: tunc enim Spiritus ſanctus apparens in linguis

linguis igneis, miros in Apostolis effectus operatus est, mentem eorum illuminans, voluntatem accendens, robur & fortitudinem cordis augens, & varijs eos sanctificans modis: hoc autem & Sacramentum hoc præstat in nobis, secundùm dispositionem nostram. Si enim Spiritus sanctus spirituales Apostolos effecit; sic etiam & Eucharistia. Vnde S. Damascenus, *Spiritus vi-* 3. de
uificans, inquit, *est caro Domini, quæ ex viuificante Spiritu* 14.
concepta est: quod enim natum est ex spiritu, spiritus est. Hoc autem dico non auferens corporis naturam, sed viuificationem diuinitatis ostendens. Ita ille. Præterea, sicut Spiritus sanctus, ita caro Christi mentem nostram illuminat: est enim panis vitæ, & intellectus, voluntatem igne amoris diuini accendit, memoriam diuinorum excitat, fidem acuit, spem roborat, charitatem fouet, affectus temperat, virtutes vrget, gratiam auget, merita multiplicat, in dubijs docet, in tentationibus fauet, in periculis auxiliatur, in aduersitatibus opem fert, & animos cordi, fortitudinemque ad omnes difficultates vincendas præbet. Vnde S. Cyprian. *Cùm saturati*, inquit, *fuerint, vide quid agant, intelligæ quid loquantur, quam sancti odoris sit quid iuid illa eructat plenitudo, verbum bonum, mores compositos, affectus pudicos, sensus pacificos, illa interior syncerita vbique diffundit.* Ita ille.

Quare meritò Sacramentum hoc memoriale omnium mirabilium Christi nuncupatur. cui consonat rectè Ecclesia, dum offerens sacrificium Missæ, ait: *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis, ascensionis, &c.* & sicut hæc tria Christi mysteria recensuit, potuit etiam reliqua omnia recensere.

Tandem tria magnalia & mirabilia Dei confitemur, esse scilicet Deum creatorem, saluatorem, & glorificatorem nostrum: & quidem primò res mirabilis est, Deum omnes ex nihilo produxisse solo verbo: ipse enim dixit, & facta sunt. Huius autem mirabilis rei memoriale quoque est Eucharistia: nam solo verbo, quod in nomine Domini profert sacerdos, desinit esse panis, & incipit esse corpus Christi, ita vt tota substantia panis in totam substantiam corporis Christi conuertatur. Nec obstat quòd præextiterit corpus Christi: nam, vti grauissimi aiunt Theologi, virtute verborum produceretur in Sacramento corpus Christi, licèt non præextitisset, ad modum creationis, licèt non dicatur creatio.

Præterea Eucharistia memoriale quoddam est Dei Saluatoris: nam in articulis diuinitatis idem est, quòd remissor culparum, & gratiæ dator; & Sacramentum hoc, quamuis gratiam supponat in accipiente, nihilominus in attrito existimato contrito solet à peccatis liberare, & gratiam conferre, & quomodocumque sit gratiam nimis auget.

Denique memoria etiam est Dei glorificatoris, quia, vt canit Ecclesia, in hoc Sacramento futuræ gloriæ nobis pignus datur, & merita gloriæ eo nimis accrescunt, imo & gloria corporis ex eo proueniet nobis, dicente Christo Domino: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* quasi dicat: Sumenti dignè Eucharistiam dabitur gratia, & gloria, non solùm in anima, sed etiam in corpore: virtute quippe Eucharistiæ receptæ resuscitabo corpus eius, & glorificabo eum.

Ex his omnibus liquet, quàm meritò dixerit Da-
110. uid: *Memoriam fecit mirabilium suorum, &c. en la Eucharistia y Sanctissimo Sacramento, hizo Dios vn epitome, vna suma, vn memorial de todas sus maravillas.* Solent Arithmetici post multos & singulares numeros, in fine summam omnium eorum vnico numero recolligere, in quo summatim reliqui omnes numeri contineantur: maximus quidem est numerus beneficiorum Dei erga nos, maximus item mirabilium eius; voluit statim hæc omnia perstringere, & colligere in vnum, & ad hoc sanctissimum instituit Sacramentum, *como quien dize monta todo esto, este Sacramento es el tanto monta y summa de mis maravillas.* Sic etiam post quam mundum condidit vniuersum, ex hominibus Angelisque constantem; hominem in fine creauit, in quo gradus omnes essendi, qui in reliquis omnibus creaturis reperiuntur, simul adunauit, ideoque homo à Græcis μικρόκοσμος hoc est, minor mundus nuncupatur: nota est huius ratio. Sic in Dei mirabilibus philosophandum dicimus, omnis gradus beneficiorum, & misericordiarum, & mirabilium Dei, epitome & summarium est sanctum Eucharistiæ Sacramentum. Sit Deus pro tanto dono in sæcula benedictus.

PROP. IX. *In Eucharistia relucent magna Dei attributa.*

DOminus ducens Israelem per desertum, præcedebat eum ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore. Non incongruè doctor quidam, columnam istam sanctum Sacramentum esse ait: columnā quidem, quæ vniuersam Christi sustentat Ecclesiam: hoc enim est quod significauit Dominus verbis illis vltimis Euangelij S. Matthei: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Nobiscum Deum esse in sacris literis, nobis auxiliatorem esse importat, vt patet 1erem. 1. vbi sic ad Prophetam Dominus: *Ne timeas à facie gentium, quia tecum ego sum, vt eruam te.* Et hoc orat in Missa sacerdos, dum sæpe in ea dicit, *Dominus vobiscum,* & in Psalm. 45. *Dominus virtutum nobiscum,* hoc est, in fauorem, & auxilium nostrum, sicut interpretatur S. Ambros. libr. de Ioseph, cap. 12. vnde in loco isto Matthæi, vbi ait Dominus: *Ego vobiscum sum,* &c. de auxilio eius in nos interpretatur S. Chrys. in Matth. hom. 91. S. Hieron. epistola ad Damas. Prosper. lib. 2. de Vocatione gentium, S. Leo, serm. 2. de Resurrectione Domini, cap. 3. Beda & Euthymius super ipsum cap. 28. Matthæi, & nonnulli esse sic Christum nobiscum intelligunt mediante Eucharistia. Per illam ergo nos Deus tuetur, & velut immobili quadam, fortissima columna sustentat: columna autem illam Exodi, vti asserit Iosephus, crystallina erat, similis scilicet crystallo & intus ignea, seu plena igne: sic sanctissimum Sacramentum seu Christus Dominus in eo, ignitus prorsus est, nam charitate nimia ibi ardet: ex nimia enim charitate, quâ dilexit nos in finem, Sacramentum hoc instituit. Ardet igitur intus; foris autem crystallinus hic est Christus: nam sicut crystallus ad conspicilla deseruit, vt scilicet qui imbecilli sunt visu, ea quæ distant, his conspicillis videant; sic sanctissimum Sacramentum crystallinum est, &, veluti per conspecilla perspicua, per Eucharistiam videmus viscera eius, & magnitudinem diuinarum perfectionum. Et primò hic manifestam fecit Christus dilectionem suam, quâ diligit nos: amantium enim proprium est, cùm ab inuicem recedunt, mutuis se donarijs afficere, quasi memorabilibus quibusdā amoris. Sic Ionathas filius Saulis magna dilectione prosecutus Dauidem, spoliauit se tunicâ suâ, & dedit eam Dauidi, & reliqua vestimenta vsque ad baltheum, & vsque ad gladiū, & arcum suum. Cur ita? in signum qui- 1. Reg. 8.
dem, & pignus amoris: hanc enim rationem reddit ibi sacer textus: amabat enim eum quasi animam suam. Si Ionathas in signum amoris sui, dedit vestimenta & arma sua Dauidi; Christus in signum amoris sui erga nos, dedit nobis vestimenta & arma sua. Quid enim humanitas Christi est, nisi velut quoddam indumentum personæ suæ, dicente Apostolo: *Habitu inuentus vt* Phil. 2. 7.
homo? Quid caro Christi nisi gladius Gedeonis, aut potiùs Goliath, quo gigantem illum tartareum interfecit?

Exod. 13.

Cap. 18. 20.

Vers. 8.

Vers. 12.

fecit? & hanc tribuit nobis? Vbi ergo magis relucet amor, in dono Ionathæ, an in isto?.

4 Reg. 2. Dedit olim Elias pallium suum Elisæo, cùm recedere vellet ab eo, in signum videlicet charitatis in eum: at pallium illud erat; Christus verò corpus suum in cibum & sanguinem in potum dedit nobis, quodnam tibi sublimius pignus amoris videtur?

2. Reg. 12. 3. Sic in quadam parabola loquutus est Nathan ad Dauid: *Pauper quidam vir nihil habebat ommo præter ouem vnam parvulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filijs eius simul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia,* &c. Vide, vnde probauerit eius amorem in ouem Nathan, ex eo, quòd porrigebat illi ex pane, & potu suo. Quid autem amplius est, ex pane, & potu dare oui hominem illum, an dari nobis Christum in cibum, & potum? Nónne igitur satis, superque per conspicillum hoc viscera charitatis Christi contemplamur? similiter omnipotentiam, nam transsubstantiatio ex pane in corpus Christi, manentibus sine subiecto accidentibus, quis nisi Deus efficere potuit? Volebat olim hostis, cùm Christum in deserto videret quadraginta diebus sine vllo cibo transigentem, nosse, an ipse Matt 4.3. Filius Dei esset, an non? quod, vt probaret, dixit ei: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Ex conuersione lapidum in panem deducebat, an esset Filius Dei; quantò magis omnipotentiam Filij Dei nos ex eo deducemus, quod panem, ac vinum in carnem, & sanguinem suum commutarit?

Sapientia verò hîc maximè relucet in eo, quòd tam mirabile medium Christus adinuenit, vt simul in cœlum ad Patrem abiret, & nobiscum in terris maIoan. 16. 7. neret. Expediebat enim nobis eius recessus, *Expedit vobis, vt ego vadam*, aiebat Christus. Vnde & sponsa, Vers. 14. Cantic. vltim. *Fuge, dilecte mi*, &c. Simul etiam expediebat nobis, vt nobiscum maneret, vt sub vmbra illius degeremus. Implicationem tamen hæc duo habere videbantur: at diuina sapientia simul cum eius omnipotentia medium adinuenit, quo & abijt, & remansit.

Magnificentia similiter hîc relucet: duo enim ad magnificentiam requiruntur. Primum est, vt magnum sit id, quod datur & magni sumptus interueniant, vt docet Philosophus 4. Ethic. Alterum est, vt aptum, & congruum sit ipsi danti: aliquod enim opus potest esse magnificum respectu comitis alicujus, seu ducis, quod non tale respectu regis erit, eò quòd non ita respondeat regiæ dignitati. hinc est, quòd Deus in creatione, & gubernatione mundi, quamuis cœlum, & terram, & quidquid in cœlo est, dederit nobis, non ita magnificus dici valet, sicut in institutione sanctissimi Sacramenti. Licèt enim magnum illud rerum mundi donum magnum sit in se, respectu tamen Dei donantis minus est, quàm si rex nummum, aut obolum pauperi donasset. Tot enim nummos dare posset rex, vt pauper remaneret; Deus autem quamuis innumeros mundos conderet, nihil minùs haberet, quàm si nihil prorsus donasset. Vbi ergo se Deus magnificum prorsus exhibuit? in institutione huius Matt. 26. 26. Sacramenti, & donatione eius fuit, cùm dixit: *Accipite, & manducate*, &c. In alijs enim creatarum rerum donis sua, in hoc verò se ipsum dedit, & omnia, quæ in eo sunt, corpus, animam, diuinitatem, personam Verbi, attributa omnia diuina, & consequenter in Sacramento recipit homo speciali quodam modo sanctissimam Trinitatem, & insuper inæstimabilia merita Christi Domini, quæ nobis in hoc diuino Sacramento felicissimè applicantur. Denique omnia: si enim Deus hîc nobis donatur, quomodo non omnia cum eo nobis donantur? Vnde in magna illa cœna sic Luca 14. 17. Dominus: *Ecce parata sunt omnia.* Vbi, vt exponit S. Cyrillus, de Eucharistia sermo est, Omnia, inquit, quomodo omnia si tantùm vnicum ferculum corporis Domini exhibetur? quia Deus hîc nobis datur, & Deus omnia est. Vides, quo pacto magnificentiam suam in hoc sacratissimo Sacramento manifestauit Deus? Item, non solùm diuina misericordia in Eucharistiæ institutione, sed etiam diuina iustitia relucet: ad iustitiam enim Dei pertinet, vt satisfactio iniuriæ pro modo, & ordine ipsius iniuriæ fiat, vt satisfactio iniuriæ correspondeat. Cùm primus parens in Deum peccauit, quantùm in eo fuit, iniuriam Deo irrogauit: in hac autem Dei offensa quinque in vnum contra Dominum conuenerunt: homo, & mulier, arbor, & cibus, & denique angelus malus. In huius offensæ recompensatione totidem conuenire oportebat, quod & factum est: nam si ibi Angelus malus intercessit, missus ad Euam primam, hîc Angelus bonus interuenit missus ad Mariam, quæ fuit Eua secunda, & reparatrix damni, quod intulit Eua prima. Si ibi primus Adam, hîc secundus Adam Christus Dominus, qui pro primo Adam Patri suo plenè satisfecit. Si ibi arbor interfuit, in qua mors nostra pependit, & hîc inuenta est arbor crucis, in qua vita nostra pependit. Denique si adfuit ibi cibus, qui nobis attulit mortem, & occasio fuit offensæ diuinæ; hîc adest cibus diuinus, qui nobis attulit vitam: nam *qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, & quo à peccatis committendis præseruamur, vti ait Concil. Trident. sess. 22. can. 2.

Rectè Vrbanus Papa 4. in Clement. de Reliq. & vener. Sanctorum: *Dedit se Christus nobis in pabulum, vt quia per cibum homo corruerat, per cibum releuaretur ad vitam. Cecidit homo per cibum ligni mortiferum, releuatus est homo per cibum ligni vitalis, in illo pependit esca mortis, in isto pependit vitæ alimentum; illius esus meruit læsionem, huius gustus intulit sanitatem; gustus sauciauit, & gustus sanauit. Vnde, quia vnde vulnus est ortum, prodijt & medela, & vnde mors subyit, exinde vita euenit. De illo siquidem gustu dicitur: Quicumque die comederis, morte morieris; de isto vero legitur:* Si quis manducauit ex hoc pane, viuet in æternum. Ita Vrbanus Papa in Concilio Viennensi. Sic ut ergo mala omnia, quæ primus attulit Adam, sustulit secundus, & quæ intulit Eua, repulit Maria, & quæ protulit arbor mortifera, crucis arbor eliminauit; ita mala omnia, quæ lethalis ille cibus intulit in mundum, hic viuificus panis è mundo propulsauit.

Etenim hîc impletum esse videtur, quod Ecclesiasticus dixit: *Omnia duplicia, vnum contra vnum, & Cap. 42. non fecit quidquam deesse*, & diuina iustitia non segnior fuit in satisfactionis vindicta, quàm in Dei offensione culpa.

Hinc disce Dei offensam cauere: nam per ea, per quæ quis peccat, per ea etiam puniri solet: qui in honoribus peccat, in honore punietur, & qui in pecunijs, in eis pœnas luet.

PROP. X. *Eucharistia pignus est eximij amoris Christi in nos.*

CVm Apostolus Ioannes de institutione sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ agere vellet, hæc verba præmisit: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Sanct. Chrysost. hom. 69. in Ioan. & Euthym. *in hunc locum* sic exponunt hæc verba: *In finem dilexit*, id est, vehementer dilexit eos, hoc est, licèt semper valde dilexerit fideles suos, qui tunc in mundo erant, & eos, qui in eodem mundo postea futuri erant, in fine vitæ suæ vehementiora amoris signa præstitit eis. Cur ita? quia scilicet tunc sacratissimum Eucharistiæ instituit Sacramentum. Ioan. 13.

Ponderemus, quæso, verba illa Christi Domini, *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Nunquid non de Deo nostro sacra dicit Scriptura: *Requeuit Dominus* Gen. 2. die.

die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat? cur igitur ait Chriſtus: *Pater meus vſquemodo operatur, & ego operor?* ſi ab initio mundi finita rerum creatione requieuit Dominus, quomodo vſque nunc operatur? quòd ſi vſque nunc operatur, quomodo requieuit? Requieuit quidem, ſed ab vniuerſo opere, quod patrarat, hoc eſt, ab operibus creationis, non verò ab operibus amoris. Aſſignauit creationi ſex illos dies primos temporis; attamen amori nullum terminum appoſuit. vnde cùm in hunc veniſſet mundum, omnibus diebus vitæ ſuæ opera charitatis, & dilectionis exercuit in nos, ſed maximè in fine. Hæc enim eſt proprietas motus naturalis, quòd in fine celeriorem ſe exhibeat. Eſt quidem amor Deo
4. ita naturalis, vt ipſemet amor dicatur Deus, & ſic *Deus charitas eſt*, ait Ioannes, non ait, Deus amans eſt, ſed amor ipſe per eſſentiam. Vnde cùm ad vitæ finem perueniret Chriſtus, maiora tunc amoris ſigna dedit, nimirum ſanctiſſimum corporis & ſanguinis ſui inſtituens Sacramentum.

De diuino amore ſic S. Dionyſius Areopag. lib. de Cœleſt. hierarch. *Eſt neceſſabilis amor, acutus, & ſuperfernens.* Ita ille. Neceſſabilis eſt amor Dei, quia ſemper amat nos, & ab operibus benecuolentiæ ſuæ nunquam ceſſat. Eſt etiam ſuperferuens, quia nullam tepiditatem admittit: infinitus enim in ſua eſt intenſione. Eſt denique acutus, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & acutiſſimo: vnde à nullo impedimento retardatur: quod maximè conſtat ex circumſtantia temporis, in quo Sacramentum hoc inſtituit. Si enim in die ortus ſui illud inſtituiſſet, quando cœleſtis militiæ exercitus gloriam illi decantabat, & paſtores eum adorabant: aut in die transfigurationis ſuæ, in quo gloria, & honore coronatus, & indutus apparuit, vel in die reſurrectionis ſuæ gloriоſæ, vel in die aſcenſionis ſuæ in cœ-
C lum, non ita mirum foret: at quia in die paſſionis ſuæ, quis non inde obſtupeſcat? Expendit hoc Apoſtolus,
11. dicens: *Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur*, &c. Ac ſi dicat, quando Iudas tradebat eum ad mortem, ipſe nobis ſe tradidit in cibum ad vitam; quando illi homines fellе, & aceto eum potare volebant, ipſe nobis cibum ſuper mel, & fauum perdulcem libauit; quando illū nos ſummo dedecore affecimus, tanto nos ipſe honore condecorauit, *in qua nocte tradebatur*. Sit ille benedictus in ſæcula, qui altiſſimo nos ſuo ſic dilexit amore.

Abſentiam abhorret amor: qui enim amat, ſemper adeſſe illi quem amat, opta.. Theodoretus oratione de Charitate, tom. 2. agens de Apoſtolo Petro, qui tempore paſſionis Chriſti, licèt tanto timore affectus eſſet, vt tandem ex magnitudine metus Chriſtum negaret, nihilominus Chriſtum Dominum ſequebatur, & cum eo in domum Pontificis, vbi maius periculum illi poterat imminere, etiam introiuit. Si tantùm ſibi timebat, cur poſt Chriſtum incedebat? Reſpondet Theo-D doretus: *Satius duxit ſequens negare, quam fugiens confiteri.* Ita ille. Hoc eſt, quia Chriſtum amabat, & amor abſentiæ impatiens eſt, & tunc maximè cùm amato aliquod imminet periculum vitæ.

ad. 32. Cùm Dominus perdere vellet populum Iſrael, & ſaluum dimittere Moyſen, ſic ad Dominū Moyſes, *Aut dimitte*, inquit, *eis hanc noxam, aut dele me libro tuo, quem ſcripſiſti.* Cur ita? S. Bern. ſerm. 12. in Cant. *Non placet Moyſi ſolum ſe introduci in gaudium Domini ſui, foris remanente populo, cui, licèt inquieto, & ingrato, vice & affectione matris inhæret.* Ita ille. Vide, quantum abhorreat amor abſentiam. Addit etiam S. Bern. exemplum Dauidis, qui mortem filij parricidæ ita plorauit, vt difficilè admitteret conſolationem, in tantum eius abſentiam dolebat, quamuis filius patrem ad necem vſque perſequeretur: nimirum ſi non filius patrem, pater filium anxiè diligebat, ideo receſſum ab eo deplorabat.

ap. 12. 1, Et in Chriſto Domino id etiam conſtat, cùm in horto ſecederet ad orandum, *Cùm peruenisſet ad locum, Labata Tom. I.*

A ait S. Lucas, *auulſus eſt ab eis, quàtum iactus eſt lapidis.* Alia litera ſic, fermè ad iactum lapidis. Matthæi verò c. 26. *Verſ. 39.*
Progreſſus paſſillum. Puſilla erat illa diſtantia, ita vt ferè præſentia poſſet reputari, & tamen auulſum eum dicit Euangeliſta, quia, vt nonnulli interpretantur, non ita libenter à diſcipulis ſuis diſcedebat. & maximè eo tempore, quo diſcipuli Domini præſentiā egebant.

Sed tamen ſi amor ſic abſentiam abhorret, cur per mortem à diſcipulis prorſus receſſit, & tunc maximè, quando ampliùs diſcipuli Domini eius conſortio indigebant? Reſpondet quidam author grauis, eundem Chriſti amorem, qui ab eis recedere eum prohibebat, tunc receſſum illum voluiſſe, quia ita ſuis expedicbat. Nam huiuſmodi Chriſti diſceſſus fuit ad aperiendum ianuam cœli vniuerſo generi humano: vnde in aſcenſu
B Chriſti in cœlos ſic Angeli: *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* *Pſal 23. 7.*
Ponderat S. Chryſ. in imperf. hom. 4. non dixiſſe, aperite portas, ſed *attollite. Nam quod claudendum amplius non erat, portis non egebat.* Ita ille. *Franqueò nos Chriſto nueſtra entrada en el cielo con la ſuya, de tal manera, que no ſolo no aya alli puertas cerradas, però ni puertas, que ſe puedran de hecho mas cerrar.* Ad hoc igitur receſſit Chriſtus ab Eccle- *Ioan. 14. 2.*
ſia ſua: vnde & ipſe dicebat: *Vado parare vobis locum, & aſcendit pandens iter ante eos.* Ad hoc autem & ipſa Eccle- *Cant. 8. 14.*
ſia receſſum Chriſti optans, dicebat: *Fuge, dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque cernorum ſuper montes aromatū.* Hoc eſt, ito iam in cœlum, dilecte mi, & velociſſimo curſu, ſicut currere ſolet, qui fugit, & ſicut capra ſylueſtris, aut ceruus: hæc enim animalia velociſſimè currunt. Quòd hic loquatur de aſcenſu Chriſti in cœlum, teſtatur S. Ambr. lib. de Bono mortis, c. 5. S. Anſel. Caſſiodorus, Beda, Apponius & Philo Carpathius in hunc
C locum. S. Bern. ſer. 9. ſuper. Qui habit, & alij: Fuge igitur, ait Eccleſia, diſcede & aſcende in cœlum. Quid ais? eſtne verè amantis, receſſum, & abſentiam dilecti ſic optare? quis neſciat abſentiam Chriſti moleſtiſſimam futuram ſponſæ S. Eccleſiæ? At quia tanti nobis intereſt hæc aſcenſio, & diſceſſio Chriſti, vt ianuas cœli nobis aperiat; idcirco clamat: *Fuge dilecte mi.*

Sed tamē hîc maximè relucet amor Chriſti in nos, quòd, cùm amor illum diſcedere poſtularet, & amor item nobiſcum remanere, quamuis hæc oppoſita videbantur, ſapientia eius infinita ab amore eius ſolicitata, modum adinuenit, quo & abiret, & maneret; abiret quidem corporaliter ſecundùm propriam ſpeciem, & figuram in cœlum, & maneret etiam velatus accidentibus panis, & vini in Sacramēto altaris. Amore igitur hoc negotiante, quia ſapiens ſic ordinauit, quia omnipotēs potuit, & quia infinitè bonus ſic de facto voluit, & effecit, dicens: *Aſcendo in cœlum ad Patrem meum, & Pa-* *Ioan 20. 17.*
trem veſtrum, & vado parare vobis locum, & ecce quoque vo- *Ioan 14. 2.*
D *biſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Quis vehementer nos à Chriſto Domino amari hîc non videt? *Matt. 20. 20.*
ó felices nos, qui à Deo noſtro ſic amamur, ſic extollimur, ſic ditamur!

Acturus Apoſtolus Ioannes de auguſtiſſimi Sacramenti inſtitutione, meritò illa verba præmiſit: *Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Hoc eſt, vt ait S. Chryſoſt. tunc maiora dilectionis ſuæ exhibuit ſigna, *entonces diò maiores y mas vivas llamaradas ſu amor*, in multis quidem, ſed maximè in ſanctiſſimi Sacramenti inſtitutione.

Pro quo ſupponamus, nullum eſſe clarius veri amoris experimentum, quàm illud, quod ex bonorum largitione, & communicatione deſumitur: amor enim in parco, & ſtricto animo eſſe non poteſt.

Quocirca, vt ſacræ literæ amorem Ionathæ in Da- *1. Reg 18. 3.*
uidem indicarent, *Diligebat*, inquiunt, *eum quaſi animam*, (eccc magnitudinem amoris) & ſubiungit Scriptura: *Nam ſpoliauit ſe Ionathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam Dauid & reliqua veſtimenta vſque ad gla-*

dium, & arcum suum, & vsque ad baltheum. En dilectionis experimentum: *probatio enim dilectionis*, ait B. Gregorius, *exhibitio est operis.* Et quidem amor cordis calori iccoris optimè comparari potest: is enim, si vehemens sit, illico erumpit foras, & ad manus vsque deuenit; sic etiam cùm amor in corde flagrat, & ardet, calefacit statim manus, in quibus illius vis clarè cognoscitur. Intuemini ergo Christum Iesum crucifixum, & sanctissimas illius manus clauis traiectas, inspicite, quas quidem amor cordis transfoditi: cùm enim dilexisset suos, in finem dilexit eos. Cuius amor, quia maximè ardebat, à corde ad manus vsque prorupit.

Magnum, & singulare donum habebatur illud, quod primis parentibus concessum est, cùm, eis immortalis Deus quandam concessit arborem, cuius fructu incolumem, & perpetuam vitam fæliciter degerent; sed maius, & præstantius est hodiernum donum, quod fælicissimam ac supernaturalem vitam diu, multumque tuetur: si quis enim manducaverit ex hoc pane, viuet in æternum.

Maximè æstimatum est illud munus, quod priscis illis hominibus in vasta solitudine versantibus datum est, cùm panis ille Angelorum cœlitus descendebat, quo ipsi maxima cum iucunditate alerentur. Quod quidem donum tanti factum est, vt iusserit Deus aliquam illius partem intra Sanctam sanctorum in ipsa Arca testamenti perpetuò custodiri, vt posteri omnes Dei optimi munificentiam cognoscerent, qui suauissimo illo pane pluribus annis suum populum sustentarat. At liberaliorem, ac munificentiorem in suos Christus Dominus hodierna die se præbet, quibus sanctissimum suum corpus, pretiosissimumque sanguinem donat, vt his, tanquam pretiosissimo cibo, ac potu, in vasta hac mundi solitudine reficiantur. Et verò cibus ille, qui manna dicebatur, typus erat huius, quod Christum continet, manna. Illud enutriebat quidem corpus, mortem tamen non auferebat à corpore: *Hic*, verò inquit Iesus, *est panis, qui de cœlo descendit, non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Deinde panis ille non fuit perpetuus, sed pro aliquot dumtaxat diebus hominibus concessus; hic autem in omnium hominum ætates perdurabit. *Ecce* enim *vobiscum sum*, ait Dominus, *vsque ad consummationem seculi*: denique panis ille panis quidem erat, hic verò panis Deus est. Si ergo manna illud, tanquam maximum, & singulare Dei beneficium habebatur, quid de nostro manna dicam? quanti huiusmodi beneficium faciam? certè, *non fecit taliter omni nationi.*

Optimo sanè iure Seruator noster magnam eam cœnam appellauit, in qua diuinus hic panis ad vescendum apponitur. *Homo quidam*, inquit Iesus, *fecit cœnam magnam.* Et verò *magnam*, quia in ea Christus Dominus magnificum se ostendit. Duo sanè requiruntur, vt aliquod opus magnificum dicatur. Primum quidem, vt illud magnum in se sit; deinde verò, vt consonum sit ei, à quo ipsum opus proficiscitur, & cum illius dignitate habeat similitudinem. Potest enim conuiuium à priuato aliquo homine instructum, magnificum appellari, quod quidem si à rege, vel primario aliquo viro pararetur, magnificum appellari non posset. Cùm præpotens Deus cœlum, terram, & reliqua omnia, quæ ex nihilo finxit, hominis potestati subiecit; iure hominem magnificatum fuisse dicemus: hoc tamen opus non omnino magnificum appellabimus, si Deum Opt. Max. à quo illud promanauit, spectemus. At verò magnificum opus, & magnam cœnam omni ex parte eam esse fatebimur, quàm humani generis vindex, ac redemptor Christus, hodierna nocte instituit, in qua Dei carnem, & Dei sanguinem potus, cibique loco tradidit. O cœnam verè magnam! ô lautum, splendidumque conuiuium! In animum induxit rex ille Assuerus suam magnificentiam hominibus notam facere; quapropter magnifico, atque regio apparatu conuiuium celebrauit, illudque multis, multoque tempore, lautè & opiparè dedit, sed longè magnificentius hodiernum conuiuium extat, in quo Deus ipse cibus est, qui omnibus, & omni vitæ tempore comedendus traditur.

Ad rem igitur redeamus, & illuc oratio reuocetur, vnde aliquantulum declinauit; si ergo bonorum communicatio magnum est amoris argumentum; cùm huiusmodi donum inæstimabile sit, summus profectò, & inæstimabilis amor in illius communicatione perspicitur. Quocirca cùm illud à Christo Domino donatur, meritò quidem, & opportunè dixit Euangelista. *Cùm dilexit suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

Cùm vellet Nathan Propheta commemorando augere amorem illum, quo homo, nescio quis, ouem suam complectebatur, *Comedebat*, inquit, *de pane illius, & de calice eius bibebat*: sic Christi erga nos amor in eo maximè elucet, quod nos modò, non qualicumque pane, & vino, sed suomet corpore, & sanguine alat, atque reficiat. Et certè si Deus Opt. Max. ea solùm ratione in sacra Synaxi permansisset, vt nobiscum esset, & à nobis religiosè coleretur, maximum erga nos amorem palam ostenderet; clariùs ergo, & manifestiùs illum comprobauit, cùm & nobiscum esse, & à nobis suscipi, & sumi voluit.

Desideraui princeps Aman, vt omnes pro certo haberent, se à rege Assuero magnoperè diligi, & plurimùm apud eum gratiâ valere: quod ex eo confirmauit, quòd ad lautum cum rege conuiuium ad eundem fuisset aduocatus: sed meliùs nobis ab ipso Deo vocati amari comprobabimus, cùm ad sacram eius mensam sanctissimumque Christi corpus sumendum inuitati simus.

Quòd si magnum experimentum amoris Ionathæ erga Dauidem extitit, cùm illi vestes suas donauit; excellentius quidem diuini amoris testimonium erit, ipsum Deum nobis fuisse donatum.

Quis vnquam pastor tanto amore oues suas prosequutus est, vt ad illas enutriendas, earnem suam abscinderit? quæ mater tanti fecit filium, tamque ardenter illum amauit, vt ad illum alendum, brachium sibi ipsa amputauerit. Nullus sanè hominum amor huc vnquam peruenit; Christi tamen charitas vlteriùs progressa est: nos siquidem corpore, ac sanguine suo alit, reficit & sustentat. O mirum Dei erga homines amorem! Inflamma, obsecro, amantissime Deus, hominum animos, & in eis mirabiles tui amores excita, vt tanto, tamque ardenti amori amore saltem aliquo respondeamus: hanc enim à nobis solutionem exigis.

Cant. 2. *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Per cellam vinariam tres sancti Patres, authores catenæ, hunc locum intelligunt de sancta Eucharistia, & idem sentire videtur S. Gregorius Nyssenus homil. 4. & meritò; nam in hoc sacramento mirabili mirabile propinatur vinum illud, quo animæ sanctæ sanctè solent inebriari. In hoc igitur Sacramento (ait anima sancta, & Dei sponsa) ordinauit in me charitatem. Originale Hebræum sic habet: *Vexillum eius super me charitas*: Cuiusnam charitas? ipsius sponsi Christi, an ipsius animæ, sponsæ Christi? Etenim vtriusque. Solent victores constituere vexillum super aliquam captam ciuitatem, quo suam illam ciuitatem esse denuncient. Super animam igitur ingressam in hanc cellam vinariam, hoc est, sacrum hoc Sacramentum recipientem, amorem pro vexillo Christus apponit; vt ita constet, se per hoc Sacramentum, & amorem, quo illud instituit, ita illam deuicisse, ac superasse, vt iam ciuitas eius dici possit. Nam tantus est amor hic Christi in Ecclesiam, vt nullus, si sapit, sit, qui manibus in

Ioan. 6. 59.

Matt. 28. 20.

Luc. 14. 16.

Esther. 1.

bus in modum crucis effectis,non se illi tradat,& similiter tantus meritò erit amor reciprocus sponsæ in sponsum, vt ex eo cognoscant omnes , ipsam à Christo Domino victam esse tanto Sacramento, tantaque eius charitate institutente illud.

Estque in confirmationem huius locus insignis Psalmo 4. vbi de hoc Sacramento agens Propheta ait: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine , dedisti lætitiam in corde meo. A fructu frumenti , vini , & olei sui multiplicati sunt, in pace in idipsum dormiam, & requiescam.* Vbi notandum,ex Hebræo idem esse : Signatum esse super nos,ac dicere,*lumen vultus tui, Domine , eleuatum ad instar signi, seu vexilli.* Per frumentum autem & vinum, & oleum sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum intelligunt nonnulli , & in officio huius festi sic insinuauit D.Thomas dicens: *A fructu frumenti,& vini multiplicatis fideles,in pace Christi requiescunt.* Vexilli instar,ô Domine Iesu,cleuatû est lumen instar benignitatis tuæ. Illustrissimus nempe fuit amor tuus, quâdo dedisti lætitiam in corde meo,à fructu frumenti,& vini, sub quorum speciebus te ipsum nobis in cibum reliquisti , & à fructu olei misericordiæ,& charitatis tuæ,quam in tali institutione habuisti.vnde non miror , quòd tanto beneficio deuicti homines,multiplicentur in obsequium, & honorem,& laudem tuam:mihi autem,sponsæ tuæ, tantam ex hoc lætitiam præstitisti,vt iam nunc *in pace in idipsum dormiam,& requiescam.* Rectè, nam pauperes vigilare , & summo mane consurgere solent super acquisitione frumenti , & vini sui : diues interim dormit , & quiescit in lecto suo securus de alimento sibi necessario. Ego igitur (ait sponsa Christi) diues tuo sacratissimo Sacramento effecta , in pace dormiam,& requiescam. Surgat Leuita , & sacerdos Veteris legis ad sua offerenda sacrificia ; quærat aliunde victimas offerendas,& emat eas ; ego dormiam, & requiescam, quia in Sacramento hoc meo habeo victimam, & omne sacrificium , habeo & omnem cibum animæ meæ. Quare meliùs , quàm diues ille inanis? dicam animæ tuæ , *Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos,comede,epulare,requiesce,*&c.

Obserua titulum huius psalmi , qui est huiusmodi, *In finem in carminibus* , &c. Sic Hieronymus legit in prologo super Danielem, pro victoria in carminibus. Victoriam enim nostrorum cordium de nobis reportauit Dominus Iesus per hoc diuinissimum Sacramentum. Vicisti nos,Domine,charitate tua,& tam sublimi dono tuo, pone super nos vexillum amorem tuum: nam non solum beneficio,verùm etiam amore tuo,victos nos tradimus tibi,&c.

Etenim per hoc Sacramentum optimè satisfacit Dominus amori suo : ea enim est veri amoris natura, vt semper nouos inquirat modos , quibus aliquid tandem largiatur dilecto, neque vmquam quiescit amans, quousque amato tale donum exhibeat , quod æquet amorem suum ; Dei autem amor , cùm Deus ipse sit, infinitus est. Cùm igitur Deus nos verè amet , & nihil extra se ipsum inuenire possit , quod infinitum & sibi æquale sit,& amori suo , quod nobis conferre posset, secundùm dignitatem , inquam, amoris sui , & benevolentiæ in nos;non quieuit , (vt ita dicamus) donec seipsum dono donaret nobis , quo & amori suo satisfaceret, & legitimè demonstraret , quanto nos prosequeretur amore. Id quod Dominus significare voluit illis verbis:*Sic Deus dilexit mundum , vt filium suum vnigenitum daret.* Ioan. 3. sic Deus, inquit , quomodo sic ? sic vt Deus, sic vt donum prorsus Deo dignum esset. ex hoc igitur fonte emanauit institutio sanctissimi Sacramenti. At dices , iam amori suo satisfecerat Deus, cùm per incarnationem se nobis dederat Christus: nobis enim datus , nobis natus ex intacta Virgine ; vt quid igitur iterum se per Eucharistiam dedit ? Dicam:primò,quia in incarnatione generali quadam do-

A natione se toti dederat generi humano Deus, & vnica vice;voluit autem se etiam in particulari,& indiuiduis dare sigillatim ; hoc igitur præstat hoc Sacramentum, quod toties illud exhibet nobis , quoties communicamus. In incarnatione super vniuersam Ecclesiam vexillum amoris sui eleuauit ; at in communione super vnamquamque eleuat animam. & ob hanc causam Theologi Eucharistiam vocant extensionem incarnationis,quia beneficium incarnationis, & amor ibi nobis exhibitus in communi, est velut extensus ad omnes in particulari. Inuenit diuinus amor donationem, & vnionem illi persimilem : nam per incarnationem vnitus est Deus humanitati illi particulari , quam Filius Dei assumpsit hypostaticè, & in Eucharistia, licèt non hypostaticè vniatur singulis,ad modum tamen illius,vnitur in singulari cuilibet, vt quodammodo extendatur illa ab humanitate Christi ad omnes nostras humanitates particulares. vnde Christus Ioan. 6. in-
B quit: *Qui manducat meam carnem , & bibit meum sanguinem,in me manet,& ego in eo.* Vt igitur infinitum illum amorem , quo per incarnationem se humano generi dedit,extenderet ad singulos in particulari,se omnibus dat in cibum. *Vers.55.*

Secundò,quia qui amat,non solùm,quod potest,sed modis multis,quibus potest,amanti dat. Habes hospitem amicum,cui nihil aliud habes , quod ei apponas, nisi v. g. arietem solùm , hunc autem pluribus modis condiri,& parari iubes,vt scilicet, partim assetur, partim coquatur,partim aljs modis lixetur,& condiatur. Sic Deus noster, cùm nihil aliud dignum tanto datore haberet,quod nobis donaret præter se ipsum, multis se nobis exhibuit modis. Audi Ecclesiam in hymno ad huius laudes Sacramenti composito :

Se nascens dedit socium,
Conuescens in edulium,
Se moriens in pretium,
C *Se regnans dat in præmium.*

Hinc bonitas illa infinita constat, hinc liberalitas,hinc magnificentia , hinc charitas infinita Dei nostri erga nos. Sit ille in sæcula benedictus. Amen.

Amor , quo quis alium amat,solet in morte dignosci ex his,quæ in testamento illi reliquit : legata enim testamentorum,pignora sunt amoris: tantò igitur maior ostenditur amor testatoris , quantò legatum , vel hæreditas fuerit maior; moriens autem Christus in testamento suo non minus, quàm se ipsum nobis legauit ; potuitne maius esse pignus amoris sui erga nos ?

Cùm Elias raptus per aera fuit , in pignus amoris sui pallium suum Eliæo reliquit : quod magni amoris signum omnes iudicabant,& quomodo Elias Eliseum amabat, cui soli pallium reliquit. Si pallium illud sic amorem Eliæ in Eliseum demonstrauit, quantò magis,quæso,amoris Christi in nos,non pallium, sed corpus,& sanguis eius in hoc sanctissimo Sacramento,manifestant ? Etenim si filum tunicæ suæ nobis in pignus
D amoris reliquisset,lætari nos , & gaudere vehementer oporteret,& per vicos,& plateas processionaliter illud ducere deberemus , in memoriam , in gratitudinem tanti beneficij ; quidni ergo nunc summe gaudeamus, cùm,non filum,non pallium,sed corpus,& sanguinem suum reliquerit semper nobis ?

Et quidem si supra huiusmodi pignus , quod est,seipsum nobis dedisse Christum , potest aliquid superaddi,est in cibum se nobis tradidisse:etenim si se adorandum solummodo exhibuisset,vel adorandum,eum ob maiestatem suam,& honorem,& cultum suum id fecisse diceremus;at in cibum , quis non charitatis eius ardorem hîc agnoscat ?

Est quidem amor admirabilis in sui ipsius manifestatione,& nihil non facit,vt se probet & prodat. *Es el amor estremado en hazer pruebas y demostraciones de su*

finez.a, y à true.que de mostrarse, y descubrirse à ninguna coſa perdona. Tria vero ſunt, quæ maximè amorem manifeſtant, & quantus ille ſit, declarant; actio ſcilicet, paſſio, & donatio. Agendo enim, & patiendo, & beneficiendo, quantùm quis diligat, manifeſtat. & in his tribus maximè Chriſtus Dominus dilectionem ſuam eximiam in nos manifeſtauit.

Primò igitur amor operibus, & actionibus quantus ſit, patet: nam, vti ait S. Greg. *Amor operatur magna, ſi eſt; quod ſi operari renuit, amor non eſt.* quod nos Hiſpanicè dicere ſolemus, *obras ſon amores, que no buenas razones.* Vnde S. Gregorius homil. 15. in Ezech. de amore in proximos agens, *Amorem,* inquit, *noſtrum erga proximum plus loquitur operatio bona, quàm lingua.* Ita ille. & 6. Moral. 27. *Sape,* inquit, *etiam pigras mentes excitat ad opus amor.* Ita ille. Quòd ſi pigras, quantò magis impigras, & ſtrenuas. Sic igitur amor Dei Deum ipſum ad opera ſublimia patranda ab æterno vrgebat, & inde rerum omnium creatio, & productio emanauit: creauit enim omnia, non quia ipſe creaturis indigeret, cùm ipſe ſufficientiſſimus ſibi eſſet: vnde ab æterno ſine vlla creatura per æternitatem, illam creationem antecedentem, ita beatus fuit, ſicut modò eſt, & in æternum erit: creauit autem omnia propter nimiam charitatem ſuam, & amorem in creaturas ſuas. hac eadem amoris cauſa, vt mundum perditum quaſi recrearet, & reficeret, homo fieri voluit, & ſic Pater dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. Denique factus homo, mira fecit, & dixit; quid autem dixit aut fecit, quod non fecerit amoris ergo? Sicæcis viſum, ſurdis auditum, mutis locutionem, infirmis ſanitatem, & mortuis vitam præbuit. quis, niſi amor, ad hæc facienda compellebat eum? Quidquid triginta tribus annis vitæ ſuæ fecit, & operatus eſt, amore impulſus fecit, & operatus eſt. & operibus tantis, quantus fuerit amor eius in nos, demonſtrauit.

Secundò, amor non tam actione, quàm paſſione manifeſtatur: & quia, ſicut dictum eſt, mirus eſt amor in ſui manifeſtatione, ſæpe vt ſe prodat, prodigit vitam amantis. Refert Cœlius Rhodiginus lib. 18. cap. 25. duos olim fuiſſe Athenis amicitiâ maximâ coniunctos, quorum alter Meles, alter Timagoras vocabatur: cùm igitur die quadam Meles Timagoram ſupra rupem altam ſtantem videret, heus, inquit, ſi me ita, ſicut aſſeris, amas, mitte te deorſum è rupe iſta. quaſi ioco id Meles dixit, neque in animum eius ſubiit id effectuum Timagoram. At ille audito verbo, & dicto, illico parens, ſe ſubitò præcipitauit, & contriuit, & perijt. Quis non miretur factum? Præcipitio, & morte crudeli amoris vim, & intentionem ita propalauit. Chriſtus Dominus, non ex alto ſe præcipitauit ad mortem, ſed ad mortem liberè, ac libenter aſcendit in crucem: *Oblatus* enim *eſt, quia ipſe voluit.* voluit? ſed quare voluit? Audi Apoſtolum, *Vix pro iuſto quis moritur, nam pro bono forſitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Quod ſic interpretatur S. Thomas, quaſi dicat: Vix pro homine iuſto, & bono reperietur, qui mori velit. dixi vix, quia fortè aliquis aliquando mori vellet pro bono & iuſto; Chriſtus autem ſic hominem dilexit, vt quamuis ille non eſſet bonus, nec iuſtus, ſed malus, & peccator, pro eo mori non dubitauit. In hoc igitur commendat Chriſtus charitatem ſuam in nobis, quod pro nobis, licèt miſeris, & peccatoribus, irriſiones, alapas, flagella, clauos, ſpinas, crucem, & diram mortem paſſus eſt. Si ergo pro dilecto pati ſignum amoris eſt, qui tot, tantaque pro nobis pertulit, nónne ſufficientiſſima ſigna amoris in ſuos exhibuit, *eſtremado es el amor en pruebas de ſu finez.a.*

Denique ſignum veri, fideliſque amoris eſt, beneficiorum exhibitio: eſt enim liberalis admodum amor, *es vn Alexandro magno y vn mas.* Dona igitur amoris indicia ſint; quodnam igitur donum cum hoc valet comparari? vnde S. Thomas opuſc. 57. *Immenſæ diuinæ largitatis beneficia exhibita populo Chriſtiano, inæſtimabilem ei conferunt dignitatẽ: neque enim eſt aut fuit aliquando tam grandis natio, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Deus noſter. Vnigenitus ſiquidem Filius Dei, ſuæ diuinitatis volens nos eſſe participes, noſtram aſſumpſit naturam, vt homines Deos faceret factus homo. Et hoc inſuper, quod de noſtro aſſumpſit, nobis contulit ad ſalutem. Corpus namque ſuum pro noſtra reconciliatione in ara crucis hoſtiam obtulit Deo Patri, ſanguinem ſuum fudit in pretium, & lauacrum, vt à peccatis omnibus mundaremur, &, vt tanti beneficij vigil in nobis memoria remaneret, corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum, ſumendum fidelibus reliquit.* Ita ille. Quantum verò donum ſit hoc, quis valeat explicare?

Chriſtus Dominus agens de ſecundo aduentu ſuo, *Vbicumque,* inquit, *fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* De corpore ſuo ait: *vbi fuerit corpus;* iuſtos autem aquilas vocat: etenim non ſolùm tunc, verùm etiam modò iuſti, tanquam nobiliſſimæ aquilæ ad corpus Domini volant. De aquila regali ferunt, quòd, cùm ardeâ, vel aliud ſimile venatur, quamprimù ad cor prædæ accurrit, *lo primero, de que ſe cibas, es del coraçon.* Chriſtus Dominus in Euchariſtia præda noſtra eſt: vnde Pſalm. 110. vbi nos legimus, *eſcam dedit timentibus ſe,* originale verbum reſpondens huic voci *eſcam,* eſt *tereph,* quod ſignificat, *eſcam & prædam;* patet autem explicationem communem huius loci eſſe de Euchariſtia. Ad hanc prædam accurrunt iuſti, & tanquam regales aquilæ, ad cor dulce prædæ primùm omnium tendunt, id ſcilicet attendentes, & conſiderantes, quanta cum cordis charitate, quamque ingenti pectoris ſui amore, prædam hanc à nobis venandam, inſtituerit tribuerit nobis in eſcam, dicens: *Accipite, & manducate, hoc eſt* enim *corpus meum.* Sic igitur in cor Chriſti Domini nunc ingrediamur, & primò huius cordis amor ſit præda, & videamus, ſecundùm quod nobis poſſibile eſt, quantus fuerit amor in huius diuini Sacramenti inſtitutione, & largitione.

Etenim in cunctis beneficijs Dei relucet amor; in hoc autem maximè: æquat enim Dei amor donum: nunquam enim magnitudo amoris Dei perfectè manifeſtata eſt, niſi cùm tribuit ſeipſum Deus. Nam ſi amor Dei infinitus eſt, nullum donum finitum æquat amorem, hîc autem donum eſt infinitum, nam Deus ipſe eſt, hîc ergo Dei amor ſibi ipſi fecit ſatis, & in reliquis donis, alijs à ſeipſo, nunquam.

Eſt quidem ignis ſymbolum amoris: nam ſicut effectus ignis eſt iuxta qualitatem materiæ, & ſubiecti, in quo recipitur, ita & amor. In materia debili ignis debilis eſt, vt in paleis; in materia autem forti, fortis, vt in quercu, & ferro; & in materia non bene diſpoſita, vt in viridi ligno, non plenè ſuas exerit vires; at in bene diſpoſita vehemens eſt, vt in puluere ſulphureo. Sic amor magis, minúſve vehemens eſt iuxta qualitatem ſubiecti, in quo eſt. In nobis, qui tepidi ſumus, tepidus eſſe ſolet, in Angelis vehementior, in Deo autem vehementiſſimus. non igitur mirum, ſi Deus ſic ſe nobis in pabulum dedit, cùm ex vehementiſſimo illo ignis ardore procedat: ex mirabili autem cauſa quidni admirabilis effectus procedat?

Fortis, inquit, *eſt ſicut mors dilectio, dura ſicut infernus aemulatio.* Mira eſt comparatio iſta: quid enim amori, & morti? mors horribilis eſt, amor verò omnibus eſt iucundus, mors triſtis, amor lætus: in quo ergo amor, & mors conueniunt? Si cum vita amorem comparaſſet, facilè ſimilitudinem vtriuſque reperiſſemus: eſt enim cordis vita amor: neque enim ſine amore eſſe cor noſtrum poteſt. cur ergo morti, & non vitæ amorem Spiritus ſanctus comparauit? quia id præſtat amor in vero

Ad Rom. 5.7.

Cant. 8.6.

vero Christi amante, quod in nobis efficit mors: mors enim vitam tollit à nobis, & nos vermium efficit escam; sic amor Christi vitam ab eo abstulit: propter nos enim homines & propter nostram salutem, descendit de cœlis, mortuus, & sepultus est, & vermium, hominum, inquam, esca factus est ab eodem quidem amore. Sit ille in sæcula benedictus, qui vsque adeo nos dilexit.

Dicturus Apostol. Ioannes de institutione huius sanctissimi Sacramenti, præmisit: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, hoc est, in finem amoris, *lleuo (seu amor al cabo, al cabo con las mueſtras, que podia dar nos de ſu amor, trèo la barra ſu amor, y bizo raia en el*, ita explicant hunc locum Sanct. Chrysost. & Euth. & alij. Vt autem locum hunc exponamus, obserua, aliud esse accipere nos aliquid à Deo in retributionem seruitiorum nostrorum, aliud verò ex puto Dei & gratuito eius amore: cùm enim retribuit nobis aliquid pro obsequijs nostris, mensurari seu commensurari solet munus Dei obsequio nostro, ita vt pro mensura obsequij (proportione, inquam, seruata) aut plus illi retribuat, aut minùs; quando verò ex solo amore Deus nobis bona sua confert, non pro mensura meriti nostri, sed amoris sui donat, *quando paga, paga como piden los ſeruitios, quando meramente, y gratuitamente da, por ſolo amor da Dios, como quien el es, y como le requiere la grandeza de ſu amor: y aſi en eſtas dos maneras de dar va quaſi de lo que el es à lo que nos otros ſomos, y de nueſtros deſeos à los de Dios.* Homo quidem appetit parua, & paucis expletur. Vide Petrum in monte Thabor, dicentem: *Domine bonum eſt, nos hìc eſſe, neſciens quid diceret*, ait S. Lucas, quia ad maiora fuerat vocatus, quàm vt illam exilem corporis Christi gloriam videret, sublimiora illi parabat Deus in cœlo, quia gratiam & gloriam dabit Dominus: amor autem Dei non ita satiatur, *es muy pedigueno y mal contentadico*, nimirum immensus est, infinitus est, finè ac termino caret. Vnde nisi infinitum sit, quod facit, vel donat dilecto, non impletur Dei amor, nec præter infinitum donum aliud illi est satis. Nunc ad rem: instituentem hoc Sacramentum Deum videns Ioannes, & visu acutissimo causam penetrans aquila illa sublimis, ait: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, ad finem vsque amoris peruenit: quo pacto? accipiens scilicet panem, & dicens: *Accipite & manducate: Hoc est corpus meum*, hic enim non ad merita nostra attendit: vnde enim tanti meriti locus? neque desideria nostra considerauit: neque enim in cor hominis tale donum ascendit; sed quia *cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos*, hìc velut finis amoris, hìc satiatur eius amor, hìc Herculeas plantauit columnas, & in eis conscripsit, non plùs vltrà: neque enim dari quid potest, quod maius sit, nec amor Dei à Deo requirere ampliùs potuit, quod amplius in se sit. Potest quidem idipsum alio modo communicare, vt in patria beatis, in se tamen amplius non est: ibi communicatur Deus, & hìc; Deus ibi clarè visus, hìc intra accidentia occultatus, ibi ad præmium, hìc ad meritum, quo & illud consequi valeamus. ideo quippe S. Thomas: *O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius.* & subdit: *Mens impletur gratiâ*, quia scilicet donû gratuitû est, & plenissimum donû, gratiâ replens animam, & denique ait, *futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Vides quàm meritò dixerit Ioannes ob Sacramentum istud: *In finem dilexit eos?*

Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Translatio quædam Hispanica antiquissima, & non exiguæ authoritatis, sic habet: *Racimos de alconfer mi querido a mi*, hoc est, racemus camphoræ dilectus meus mihi: Hebræa sic habent, racemus Ropher, vbi Agathius vir in literis Hebræis & Græcis eruditus, sic transfert hunc locum, racemus camphoræ: camphora verò species est arboris aromaticæ, quæ botros quosdam ad modum racemorum vuarum profert: botrus autem huiusmodi igne concepto, adeo vehementer ardet, vt in aquam missus, non solùm non extinguatur, verùm etiam ibi sic ardeat, ac si non in aquam, sed in oleum missus esset; quod & ego oculis meis vidi. Sic igitur Christus Dominus in huius diuini Sacramenti institutione se gessit, vti Apostolus Paulus expendit: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & manducate: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* magnam emphasim habent verba, *in qua nocte tradebatur*, cur Domine in nocte, quâ tradebaris? nónne congruentius in die transfigurationis, vel resurrectionis, vel ascensionis, qui lætitiæ dies erant, hoc instituere fuisset? læta enim læto die fieri solent; at in die luctuoso passionis, cur lætissimum & festiuissimum hoc conuiuium? & dato, quòd ea nocte; cur eam noctem traditionis illius vocat, & non potiùs noctem Agni paschalis? quouis quidem tempore instituisse hoc diuinum Sacramentum, eximij amoris & charitatis in nos indicium extitisset; at in nocte, quâ tradebatur, tale nobis exhibuisse conuiuium; eximiæ charitatis manifestum argumentum fuit: quando enim Christo homines fel & acetum ori parabant; tunc & in eadem nocte talem cibum nobis tribuisse, habentem omnem saporem suauitatis, quis non obstupescat, in qua nocte tradebatur inimicis ad flagella crudelia, ad spinas, ad clauos, ad opprobria, ad mortem, mortem autem crucis, tunc se in cibum hominibus tradidisse, quid mirabilius? in qua nocte vitam illius quærebant lupi rapaces, homines, inquam, in feras conuersi, tunc cibum vitalem, de quo dixerat: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, hominibus tradidisse, nónne omnem dices vincere stuporem? in qua nocte tradebatur! O amor amorum! ô charitas digna Dei! ô dilectio sine exemplo! verè Domine, nunc patet ex infinita Dei charitate tale opus emanasse. Sit nomen tuum in sæcula benedictum. Amen. Dicat igitur meritò sponsa: botrus camphoræ dilectus meus mihi: quia amor Christi non tanta copiâ aquæ dolorum, iniuriarum & persecutionum, imò nec morte ipsa, extingui potuit.

Quare meritò ipse sic ad sponsam: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam, es la charidad como el fuego de aluitran, que en el agua arde y pareçe ſe ceſta con ella como ſi fuera azeyte.* talis erat charitas Christi, siquidem, in qua nocte tradebatur, *cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, hoc est, dilectione vsque in finem & terminum dilectionis protractum, cùm inter flagella, spinas, clauos, & crucem sic arserit, sicut botrus camphoræ in aqua, &c.

Amorem vnitiuum esse animorum, omnis tam Philosophorum, quàm Theologorum docet schola, & hinc fabula illa poetarum manauit: Duo, inquiunt, supra modum amici, Vulcanum artis ferrariæ Deum adierunt, & ab eo postularunt, vt vtrumque amicum in fornacem injiceret suam, vt ex duobus ipsis vnum solum educeret, cur ita? quia maximus & mutuus eorum amor diuisos illos esse non patiebatur: vnde non solùm vnitos, sed vnum & idem esse volebat vterque. hæc de fabula imaginatione tantùm excogitata, sed quidem plus verus amor hacin parte fecit, quàm quod falsa imaginatio sola adinuenit: fecit Christus quod non potuit Vulcanus.

Et vt id probemus, orationem illam, quâ Christus Dominus ad Patrem pro nobis orauit, explicemus; sic igitur ad Patrem Christus: *Non pro eis* (hoc est, pro discipulis) *rogo tantùm, ſed & pro eis qui crediturí ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, & ipſi in nobis vnum ſint.* Quis non verborum horum profunditatem admiretur? Quî enim fieri potest,

teſt,vt ſicut Pater in filio, & filius in Patre; ita nos in Patre & filio vnum ſimus? hanc quidem quæſtionem Euchariſtiæ Sacramentum diſſoluit: de ipſo enim aſſeruit Chriſtus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*, hoc eſt, vnum quid efficimur: ſicut enim cibus, & comedens cibum, vnum efficiuntur, ſic altiori quodam modo ex Chriſto, & nobis ſumentibus eum in cibum, vnum quid reſultat; tum quia per hanc vnionem Chriſtus realiter eſt in nobis, & nos in ipſo, ſeu vnitur nobis Chriſtus, & nos Chriſto. non quidem omnino de hoc cibo ita hoc accipiendum eſt, ſicut de alijs corporalibus cibis: qui enim cibum & potum communè accipit, dicitur quidem cibum & potum intra ſe habere, tamen non manet ipſe in cibo, & potu, imò nec cibus & potus in eo manet, nam corrumpuntur, & conuertuntur in ſubſtantiam aliti. at Chriſti cibus non talis eſt: nam primò in manducante manet, quia non tranſit earo Chriſti in ſubſtantiam manducantis, ſed permanet in ſeipſa; & ſecundò non accipit vitam à manducante, ſicut accipiunt cibi communes, ſed ipſe potiùs dat vitam animæ. Qua ratione S. Ambroſ. Euchariſtiam panem viuum dici affirmat, propterea manet in manducante, quia ipſi ita vnitur, vt non corrumpatur, & manducans manet in eo, qui vitam accipit ab ipſo cibo, & ab ipſo Chriſto, cuius caro eſt cibus. Vbi etiam obſeruo, non dixiſſe Dominum: caro mea manet in eo, & ipſe in carne mea, ſed *ego in eo, & ipſe in me*, ipſum diuinum ſuppoſitum includens, & perſonam Filij; ac ſi diceret, qui carnem meam manducat, vnionem quandam habet cum ea, & ratione carnis meæ in me manet, & ego, qui Deus ſum, in eo maneo: qui enim habet corpus Chriſti, habet & ſuppoſitum diuinum, quod eſt corpori Chriſti vnitum. hæc eſt vnio mirabilis Chriſti cum eo, qui recipit Euchariſtiam, ex qua quidem vnione reſultat vnio cum reliquis fidelibus, qui etiam Euchariſtiam recipiunt: mediante enim vnione noſtra cum Chriſto, vnimur pariter cum eis, qui vniuntur cum Chriſto, quia qui vniuntur ſic vni & tali tertio, vniuntur, etiam inter ſe, de qua quidem vnione ſic Apoſtolus: *Quoniam vnus panis, & vnum corpus, multi ſumus; omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus*, & hoc eſt, quod petijt à Patre Chriſtus in ſupradicta oratione, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint. quæ quidem ſimilitudo non eſt intelligenda per omnia ſimilis: nam illa inter diuinas perſonas, eſt vnitas per vnitatem eſſentiæ: eſt enim Pater vnus Deus cum Filio, &c. inter nos verò & Chriſtum, non eſt talis vnitas, ſed vnio, non quaſi continui, ſed quaſi contigui, & velut contenti cum continente, & continentis cum contento. eſt tamen realis vnio à parte rei, & non metaphorica ſolùm. Ita hunc locum exponit S. Cyrillus ibidem, & S. Hilarius.

Ioan.6. 55.

Lib. de facr c.1.

1.Cor.10. 17.

Ioan 17 Lib. 8. de Trinitat. Opuſc. de facr. alt.

Hanc eandem vnionem rectè ponderauit S. Thom. vbi ait: *Magnum quidem fuit Chriſtum ipſum in peregrinationis noſtræ ſocium ſe dediſſe, maius verò in pretium redemptionis: hoc tamen donum adhuc eſt in aliqua ſeparatione ab eo cui datur: cùm verò datur in cibum, datur, non ad aliquam ſeparationem, ſed ad omnimodam vnionem: vniuntur enim in vnitate corporali cibus, & qui cibum ſumit.* Ita S. Thom. & quidem in myſterio Incarnationis vnitus fuit Deus humanitati noſtræ; at humanitati cuidam particulari, non nobis omnibus; in Sacramento veræ Euchariſtiæ, vnitur cum omnibus ſumentibus illud. Si ergo vnio eum dilecto magni amoris indicium eſt; ſic Deum maieſtatis realiter voluiſſe ſe nobis vermiculis vniri, qualis, quæſo, dilectionis Dei erga nos argumentum erit?

Prætereà, ſi amor amori debetur, & amor amore generatur, qualem in nobis amorem tantũ amorẽ producere oportet? *Charitas Chriſti vrget nos*, aiebat Apoſt. non inquit, allicit, non inquit, excitat nos, ſed *vrget nos*, & vim quodammodo mentibus noſtris infert. non te vrget tantus amor Chriſti in te non perciſti vim amoris Chriſti, in te; pete obnixè ab eo, vt aperiat oculos cordis tui, vt intelligas magnitudinem amoris Domini in te, & tunc ſenties quomodo vrget charitas Chriſti nos.

2.Cor. 14.

Fruſtrà, inquit Seneca, *quæris maleficos ad amorem, oſtendam tibi maleficium potens, ama, & amaberis.* Nouerat Philoſophus hic quanta ſit vis amoris ad amorem excitandum, & quomodo vrgeat amatum ad redamandum. O maleficium, non maleficium, ſed beneficium potens, quod in buccella iſta Domino conſtituiſti inueniſti efficaciſſimum veneficium ad amorem meum vrgendum, charitatem nempe tuam immenſam, quam te mihi in cibum dediſti, & te mecum vniri voluiſti. Diligam te Domine virtus mea, diligam te ex tota anima mea, & ex tota mente mea, & ex omnibus viribus meis.

Mirantur infideles, quòd nos fideles fatemur Deum, carnem aſſumpſiſſe humanam, Deum pro nobis in cruce actum eſſe; Deum in cibum ſe nobis exhibuiſſe, &c. & aiunt, quid eſt homo, vt ita Deus magnificet eum, aut apponat erga eum ſic cor ſuum? ſed admiratio hæc ex ignorantia & inſcitia promanat, ex ignorantia, inquam, diuinæ charitatis, & amoris: vident enim amorem noſtrum nequaquam ingentem eſſe, vt vel filium pro patre, vel patrem pro filio, illa agere & pati credibile ſit, quæ nos maieſtatem diuinam pro nobis credimus effeciſſe; quaſi humanus amor, licèt filialis, vel paternus ille ſit, cum diuino poſſet comparari, vel tanquam ex meritis: vel dignitate noſtra id promanaſſe nos dicamus, & non ex natura ipſa amoris diuini. Age die, cur ignis omnia quæ tangit in ignem conuertit, ſiue paleæ illæ ſint, ſiue balſami rami, ſiue oleaſter, ſiue cedrus ſit, omnibus calorem ſuum communicat, imò & formam ſuam? num propter res ipſas hoc facit? nequaquam, ſed propter naturam ſuam, & propriam ignis, propterea tam vehementer accendit ea: ſic igitur ignis ille ingens diuini amoris, propter vehementiam ſuam, & non propter merita noſtra, ſic in nos ardet.

Dices, in nobis amor non id præſtat, quamuis amor naturâ ſuâ vehemens ſit: eodem ignis exemplo reſpondebo, cur, quæſo, ignis in paleis ſic tenuiter ardet, & in ſtupa, & tamen in ſulphureo puluere vim illam magnam exerit, ita vt rupes etiam obiectas illi & firmiſſimas turres volitare per aëra faciat? Dices cauſam huius eſſe, quia licèt eadem natura ignis ſit in ſtuppa, & puluere ſulphureo, natura materiæ ſeu diſpoſitio eadem non eſt: materia enim ſtuppæ tenuis ac debilis nimis eſt: natura verò & diſpoſitio puluris ſulphurei, vehemens, acris, & vigoroſa nimis eſt. tu quidem tibi iam reſpondiſti: ſic enim eſt: quamuis autem natura amoris licèt æquiuocè, in Deo & in nobis reperiatur; latum verò diſcrimen in ſubiectis eſt: nam in nobis eſt velut ignis in ſtuppa floccidus, & velut inanis: at in Deo noſtro, tanquam in efficaciſſima & diuina ſubſtantia, vim admirabilem profert, denique infinitus amor Dei, quidni admirabiles & ſupra finitum mentis noſtræ captum pariat affectus & effectus?

Hinc eſt quòd, cùm Philoſophus quidam duos videret homines ſimul deambulantes, & familiariter colloquentes, quorum alter optimis veſtibus indutus incedebat; alter verò triſtis: erat enim ille dies, hic verò pauper; interrogauit, inquam, Philoſophus ille quemdam, quinam eſſent homines illi; qui, amici quidam ſunt, reſpondit; id ego, ait Philoſophus, minimè credam, nam ſi veri amici eſſent, dies ille nequaquam pateretur amicum vilibus indumentis incedere, cùm poſſet illi honeſtiores veſtes conferre. Ita Philoſophus, & me-

& meritò : nam verus amor Alexandri quidem magnus est, & erga amicum liberalis nimis. Quod cùm ita sit, planè plenequè Deus noster in huiusmodi diuini Sacramenti institutione suum erga nos amorem, eiusque excellentiam manifestauit: quid enim vel magis vel amplius in sæculo isto à Christo Domino desiderare possemus? hîc & se & sua omnia contulit nobis: in hoc enim Sacramento & Deus ipse datur nobis, & quidquid vitâ & morte sua à Patre homini promeruit, pariter confertur nobis, *accipite*, inquit, *& manducate*, non agnum paschalem, non azymos panes, cum lacticisagrestibus, non manna de cœlo, quod manducauerunt patres Veteris Testamenti, & mortui sunt, non librum aliquem, sicut Ezechieli & Ioanni Euangelistæ, qui in ore quidem dulcis, in ventre autem amarus erat, non cibos illos, quantumuis regios qui in mensa Regis Assueri, alijs atque alijs catinis inferebantur; quid ergo? *Accipite*, inquit, *hoc est corpus meum*. fuit ne vsque modò in orbe aliquod conuiuium, in quo talis cibus inuitatis apponeretur, quantumuis inuitati principes essent? Deus autem in hoc conuiuio seipsum in cibum tradit, non principibus solùm: omnibus enim cuiuscumque sortis ac conditionis sint, inquit: *accipite, & manducate*, siue liberi, siue serui, siue diuites, siue pauperes, siue domini, siue famuli, siue reges, siue pastores, siue quantumuis nobiles, siue quantumuis ignobiles, *accipite, & manducate me*. Dicant igitur Angeli, siue Archangeli, dicant Cherubim, siue Seraphim, si sciunt, quàm eximium diuini erga nos amoris hoc argumentum & iudicium sit.

Nunc ad vos, ô fratres, si Christus Dominus tantopere diligit nos, quid mirum, quid multum, si nos eum diligamus? imò quis non eius amore ardeat? si amor solo amore compensatur, si qui beneficia inuenit, vincula, catenas & compedes inuenit, qui sic amat, qui tale nobis contulit beneficium, quibus non pluſquam ferreis vinculis constrinxit nos, & quomodo non tenemur eum totis animæ viribus redamare? Hoc quidem est quod Sanctorum accendit corda. Vnde S. Gregor. verba illa enarrans, *Lapis solutus calore in ex veritum*, ait: *Si lapidea duritates igni cedit, & non duritiam suam modo, sed naturam suam & nomen suum amittit; quid mirum si lapidea hominum corda, priſtinâ duritiâ cœlestis huius ignis virtute depositâ; in aliam quodammodo transeant naturam, & ex duris lapidibus filij Abrahæ, imò filij Dei efficiantur?* Ita Sanct. Gregor. Quare meritò non amantibus Christum Apostolus Paulus ait: *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, Maran Atha*, hoc est, qui non amat Christum Dominum, à congregatione hominum separetur: non enim inter homines, sed inter bruta ille meretur computari, & reputari. quare id illis verbis explicauit Maran Atha, hoc est, vt explicant Sanct. Chrysost. Sanct. Ambrosius, Lira, & alij, Dominus noster venit, hoc est, vt explicat Sanct. Chrysost. quia cùm venerit Dominus noster Iesus Christus è cœlis, & tantùm se pro nobis demisit; propter hoc meretur à communione hominum separari, & anathematizari, qui Iesum Christum Dominum non amat. quòd si propterea sic meretur amari, quia pro nobis & pro nostra salute descendit de cœlis; quid si huic beneficio adiunxerit, se ipsum quoque in cibum humanissimè & benignissimè nobis præbuisse.

Videtur quidem pro pane, quo vescimur, zelasse Christum Dominum, & velut inuidens huic pani materiali, quòd in viscera & corda dilectorum suorum ingrederetur, vt in eos conuertatur; inuenit modum miraculosum, quo intra viscera nostra pariter ipse ingrederetur, non quidem vt in nos conuertatur, sed potiùs vt nos conuerteret in se. Vide amoris adinuentum.

31.32. Famuli Iob, ipso attestante, dicebant: *Quis det de carnibus eius, vt saturemur*, scilicet ipsius Iob. Vnde nam desiderium hoc? nunquid ex ira, & odio in eum? Imò ex feruenti amore. Sic enim interpretatur S. Chrysost. hom. 61. ad popul. dicens: *Hoc itaque Iob mirabundi, dicebat de seruis suis, quòd dicerent: Quis dederit nobis ex carnibus eius impleri, quibus erat supra modum desiderabilis, & hoc desiderium ostendere volentes, dicebant: Quis det de carnibus eius, vt saturemur.* Ita Sanct Chrysost. *& illi quidem tanquam de re impossibili id asserebant? tu verò cùm sæpe Christum Dominum manducare possis, & non sumis, quæ nobis credibilem tuum in eum amorem probabis?*

PROP. XI. *Christus instituit Eucharistiam, vt nobis socius esset.*

ECce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Matt. 28. 20.
Hæc vltima verba sunt Euangelij secundùm Matth. quibus videtur Christus vltimam adhibuisse Apostolis & nobis consolationem in abscessu suo secundùm præsentiam corporalem, *fue vn echar el sello a los consuelos*. q.d. quamuis ego ad Patrem vadam, non à vobis recedam, vobiscum ero vsque ad mundi finem: quomodo autem intelligatur nobiscum sic manere, variè explicant sacri expositores, S. August. *a* S. Fulgent. *b* de diuinæ naturæ præsentia hoc interpretantur, qua quidem vbique & semper nobis est præsens: quod non minimum solatium iustis est, certò scilicet scire Deum vbique semper nobiscum esse, non solùm secundùm potentiam, sed etiam secundùm præsentiam, imò & essentiam. Alij verò interpretantur Deum nobiscum adesse secundùm suam ineffabilem prouidentiam, & curam, quam de nobis habet, ita interpretantur S. Cyrillus Alex. *c* & Salui. *d* & Leo *e*, quod etiam èximiam seruis Dei consolationē adfert, scientibus in omnibus tribulationibus, dubijs, periculis, & tentationibus diuinam prouidentiam nunquam & nusquam defuturam. Alij verò sacri authores, non solùm de diuina prouidentia, nec de sola assistentia & ope secundùm Deitatem, sed etiam secundùm humanitatem, nobiscum futurum. Ita S. Chrysost. *f* Sanct. Hieron. *g* Prosper. *h* Beda, & Euthym. *i* qui absolutè Christum, vt Deum scilicet & hominem, nobis affuturum esse dicunt vsque ad finem mundi, non quidem præsentiâ corporali, sed protectione & auxilio: sed tamen isti authores non negant de præsentia corporali posse locum istum intelligi, quare hîc Christum Dominum de ea præsentia loqui, quâ verè & apertè rei nobiscum manſit, rectè possimus interpretari, cùm verè ita sit, & ad rem de qua Christus agebat, conueniens. præsentia enim corporalis Christi in Eucharistiæ Sacramento, maximæ consolationi fuit Apostolis, & nobis modò est quoque. quid enim nobis iucundius? quid ad ferendas aduersitates aptius? quid ad omne bonum nostrum optabilius? de hac igitur agit Dominus; & in maximum nostrum solatium ait: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.*

a Tra 60. in Ioan.
b Lib 3. contra Thrasymidum & lib de incarn. & grat. c. 9.
c Lib. 7. de Trinit.
d Lib. 2. de vero iudicio & prou. Dei.
e Epist. 31. & 93.
f Ho. 41. in Matt.
g Epist. ad Damasum.
h Lib. 2. de voc. gent. c. 2.
i Super c. 28. Matt.

Apostolus agens de patribus Veteris Testamenti, *Omnes*, inquit, *eundem potum spiritualem biberunt: bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus*. Alludit hîc Apostolus ad petram illam, ex qua largissimæ promanarunt aquæ ad extinguendam sitim filiorum Israel: & quidem non pro vna vice dumtaxat, sed consequente eos petra; vt ait Apostol. hoc est, quoquò irent filij Israel, sequebatur illos fluuius ille aquæ ex petra promanans, vt ait S. Thom. & Glossa ordinaria. Quid illa petra significaret, ibi aperuit Apostolus, *Petra autem* (inquit) *erat Christus*. Sicut enim petra illa virgâ percussa, pereunte siti populo, aquas largissimas propinauit, quibus populus sitim extinxit; ita etiam Christus Dominus, virgâ crucis à Patre percussus, largissimas omnium gratiarum aquas sitienti mũdo effudit; quibus sitim omnium bonorum, quam animæ no-

1. Cor. 10. 4.
Num. 20. 10.

mæ nostræ habere poterant, extingueret, & sordes peccatorum ablueret, & sterilem bonorum operum terram fœcundis imbribus irrigaret: hæc enim sunt aquæ officia. Vbi pondera ad rem, quid de hac petra dicat Apostolus, *consequente* (inquit) *eos petra.* quod sic exponit Eusebius Emyss. *Qui de Christi liberis gratia, sequitur eum Christi misericordia, quæ illos potissimum fouet, illos dirigit, & comitatur, quos antea gratiarum suarum participes efficit.* Ita ille. Quod quidem in hoc Sacramento mirabili verificatur: in hoc enim continetur illa diuina petra, virga crucis percussa. Hinc nobis promanant copiosissimæ eius gratiæ, & eximia dona, & nos consequitur, seu comitatur hæc petra, sicut dixit: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* quoquò vos ieritis, sequar ego, &c. Poterat quidem in cœlo tantùm existens, inde ad nos pluuiam donorum suorum nobis immittere; sed noluit id dumtaxat, voluit etiam nobiscum in huiusmodi deserto adesse, nos socialiter comitari, hîc manere, & hinc nobis aquas & fluenta misericordiarum suarum exhibere.

Cant. 2. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Vbi Sanct. Bernard *Pendet oratio & suspenditur auditoribus. Quid est quod dicit sponsa: dilectus meus mihi, & ego illi? nescimus quid dicat, quia non sentimus quod sentit.* Ita Sanct. Bernard. Sed quidem, vt plura vnicâ sententiâ complectereur, orationem illam protulit sine verbo. Sanct. Gregor. Nyssenus sic exponit: *Sponsus meus mihi, hoc est, meus est totus, & ego illi, hoc est, ego eius sum tota.* vbi more Hebræorum datiuus casus pro genitiuo fumitur. S. Theodoretus ad hunc modum exponit: *Sponsus me omnibus rebus prætulit; ita ego vice versa illum rebus omnibus antefero.*

Serm. 67. in Cant. S. Bernard. *Dilectus* (inquit) *meus mihi, subaudiamus, intendit: vt sit sensus, dilectus meus intendit mihi, & ego illi. Quamquam nec solus ego id senserim, nec primus, cum Pro-*
Ps. 39. 1. *pheta ante me dixerit:* Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. *Habes apertè intentionem Domini ad Pro-*
Serm. 68. *phetam, habes & Prophetæ ad Dominum, in eo quod ait:* Expectans expectaui: *nam qui expectat, intendit, & expectare intendere est.* Ita ille. & ponderans hanc intentionem mutuam, ait: *Itáne huic sponsæ intenta est illa maiestas, cui gubernatio pariter & administratio vniuersitatis incumbit; & cura sæculorum ad sola transfertur negotia, imò otia amoris & desiderij huius? Ita planè: nam sponsa est Ecclesia*
2. Tim. 2. 10. *electorum, de quibus Apostolus, Omnia* (inquit) *propter*
Sap. 4. 15. *electos. Et cui dubium quòd gratia & misericordia, sit in sanctos eius, & respectus in electos illius? ergo providentiam cæteris creaturis non negamus, curam verò sponsæ vindicat sibi.*
1. Cor. 9. Nunquid de bobus cura est Deo? *nec dubium quin idem dicere possimus de equis, de camelis, & elephantis, & de cunctis bestiis terræ, & similiter de piscibus maris, & de volatilibus cœli. Postremò de omni re, quæ est super terram, solis sanè*
1. Petr. 5. 7. *exceptis, quibus dicitur:* Omnem solicitudinem vestram
1. Cor. 9. proijcientes in eum; quoniam ipsi cura est de vobis. *An non tibi videtur veluti his verbis dictum, intendite illi, quia ipse intendit vobis? curam illius habet, qui dilexit eam, & tradidit semet ipsum pro ea. Nónne hæc est ouis errans, cuius cura etiam supernorum curæ gregum prælata est? Denique illis expositis pastor descendit ad ipsam, quæ fuit de gentes, inuentam non reduxit, sed reuexit, noua cum illa & de illa intulit cœlis festa gaudiorum, populis Angelorum, inuitatis ad solemnitatem. Quid ergo? proprijs humeris dignatus est eam reportare,*
Ps. 39. 18. *& curam illius non habebit? ideo non confunditur dicere:* Dominus solicitus est mei, *inde est, quòd Dominum Sabaoth dilectum suum dicit, & eum, qui cum tranquillitate vidcat omnia, sibi intendere gloriatur, dicens:* Dilectus meus mihi, & ego illi. Ita S. Bern.

Alij vero sic locum istum interpretantur. Senserat sponsa magnam fuisse charissimi sponsi erga se beneuolentiam, & summam prouidentiam: nam cùm suauiter dormiret, filiabus Ierusalem grauissima adiuratione indicebat, ne illam suscitarent, & alia indicia magni amoris ostenderat, quæ omnia illa attentè considerans, ardentissimo affectu impulsa, in hæc verba prorupit: *Dilectus meus mihi, & ego illi*, breuis sermo, sed plenus, in quo vsa est sponsa Dei figurâ quâdam, quam Rhetores vocant Aposiopesim Græcè, Latinè verò reticentiam. Quæ quamuis à reticendo dicatur, eò quòd aliquid prematur silentio; intelligentibus multò maiora explicat hæc figura, quàm si multis verbis rem prosequeremur. Eâ figurâ vtitur Regius Vates, vbi ait: *Anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequo?* quasi dicat; anima mea mœsta est vsque ad mortem, sed tu Domine vsquequo? Quæ figura ansam nobis præbet excogitandi quæcumque mœstum animum & afflictum possunt excruciare. v. g. sed tu Domine vsquequo opem tuam homini sic diuexato differs? vsquequo tandem, velut tuæ pictatis & clementiæ oblitus, tam graue & atrox tuæ iustitiæ in me proferes iudicium? sic sponsa hîc figurata locutione affectus suum expressit, dicēs: *Dilectus meus mihi, & ego illi*: latissimum campum aperiens excogitandi amplissima beneficia sibi ab sponso collata, ac si diceret: Sponsus mihi in omnibus fauet, prouidet, curat, assistit, exaudit, præuenit. Cogita igitur omnem beneficiorum cumulum, & in hoc verbo reperies instauratum, Dilectus meus mihi.

Sed vt inter omnia, quæ in hac figura verborum inclusit sponsa, aliquid in singulari explicemus, imò & cuncta quæ continere videtur; hoc maximè ego nobis verbis ad rem nostram spectantem dixisse censeo: Dilectus meus mihi. seipsum dedit, secundùm illud, *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis*, hoc Isaiæ de Christo: si natus nobis, si datus nobis, quidni sponsa (quæ nihil præter nos est) dicat: Dilectus meus mihi datus in Saluatorem, datus in præceptorem, datus in medicum animæ meæ, datus in Sacerdotem pro me datus mihi in cibum & potum, datus denique mihi totus mihi.

At inter Ecclesiam triumphantem & militantem hanc imaginare litem exortam, quòd, dum viator esset, haberet quidem Ecclesia militans eum apud se, at post vitæ curriculum iam tempus esse, vt ascendat ad populum accinctum nostrum, ait Ecclesia triumphans, & maneat apud nos corpore simul cum anima iam beatus: contrà vero Ecclesia militans quæ contendit inter inimicos: Ego magis duce isto meo & protectore tanto egeo, & quasi oui inter lupos constitutæ, pastore mihi opus est, & inter densas huius mundi tenebras lumine isto indigeo. de ipso quippe dictum est: Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Non igitur recedat à mundo, maneat mecum dilectus meus, mihi datus, mihi maneat, mihi ac mecum permaneat. Vtraque Ecclesia iustissimè petit, vtraque igitur exauditur: quia cùm omnino beatus sit, in loco illo supremo beatis destinato sedeat oportet, ad dexteram vtique Patris: sed in Sacramento admirabili maneat, licèt velatus, vt simul cibus sit noster, reficiat nos, & socius sit, vt comitetur nos, & nobiscum sit vsque ad finem sæculi. Vnde & sponsa meritò postquam dixit: *Dilectus meus mihi*, subdit, *donec Cant. 2. 16. aspiret dies, & inclinentur vmbræ*, hoc est, perpetuò dilectus meus mecum manebit, quamdiu hæ diuturnæ lucis & vmbrarum vicissitudines durabunt, denique vsque ad finem mundi, tunc absedet prorsus sponsa, absedet & sponsus: nunc autem feliciter canamus: *Se nascens dedit socium, conuescens in edulium*, &c.

Apostolos beatos prædicauit Christus Dominus *Luc. 10.* quia illum viderunt: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis: 24. dico enim vobis quod multi Prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.* Beati quidem fuerunt Apostoli, & alij discipuli Domini, quia præsentiâ Christi potiti fuerunt; beati, quia sermones eius aureos, & doctrinam eum-

euangelicam è suauissimo & efficacissimo eius ore perceperunt; beati, quia eximia & quamplurima eius miracula conspexerunt; beati, quia clarissima virtutum ipsius Domini exempla viderunt; beati, quia eius vitæ, mortis, resurrectionis, & ascensionis testes oculati extiterunt. Sed ne nos tantarum rerum inuidia diuexaret, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum adinuenit, quo ipsemet nobiscum remaneret, non quidem præsentiâ sensibili, verè tamen idem Christus Dominus in hostia contentus, qui cum Apostolis conuersabatur, & merita vitæ & mortis eius hoc diuino Sacramento nobis applicantur. & denique effectus, quos Christus Dominus verbis & operibus suis in discipulis suis operabatur, nunc in nobis hoc medio Sacramento operatur. Videbant, inquies, Christum Dominum, & opera eius discipuli, ita est, sed *beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ne igitur temporibus illis inuideas, sed ijsdem bonis gaude, & Deo Opt. Max. immensas gratias age, qui te tantorum bonorum participem efficit: quamuis enim tot temporum spatia iam intercesserint, eadem tamen est Eucharistia, quâ Apostoli in cœna receperûnt, idem Sacramentum, idem sacrificium, idem Agnus immaculatus, idem Angelorum panis, idem corpus, idé sanguis Domini nostri Iesu Christi, idem effectus, eadé gratia, idem denique beneficium cœnæ vltimæ Christi Domini cum discipulis suis, quod ad finem vsque mũ-
11. di durabit. Sic enim Apostolus ait: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Panem hunc*, ait, non alium. quare cùm ad sacram accedis communionem, te quoque cum discipulis Domini in cœna illa federe cense: eadem enim cœna perdurat, idem cibus, eadem vtilitas eius, & emolumentum: caue tantùm ne ex illorum numero sis, qui ad hanc cœnam inuitati, venire recusarunt.

Olim Dominus in lege Veteri vnũ in vniuersa terra altare, & vnicum templum esse voluit: & quidem in sacrarium & intimum templi adytum, in quo Arca testamenti collocata erat, solus summus Sacerdos, thuris suffitu totum sacrarium operiente, ne quid cernere posset, ingrediebatur: Arcam verò ipsam nõ modò manu cõtingere, sed nec videre fas erat: Bethsamitæ namque qui eam curiosiùs videre præsumpserunt, meritas audaciæ suæ pœnas dederũt. Quid quòd nec ad eam propiùs accedere licebat, nisi duorum millium cubitorum spatium interiectum esset: hoc enim Iosue cauit, cùm Arca Domini in Iordanis transitu populum præcederet, nunc autem benigniùs se Deus nobiscũ gerit: iam enim, nõ Arcam suã, sed seipsum in arca illa panis, velut clausum nobis concessit. Arca quidem vnico in loco præsens erat filijs Israel, ad quam visitandam à longinquo venire oportebat: at Christus Dominus in omnibus Ecclesijs & altaribus nobiscũ adesse dignatur. Arcam illam non solùm non tangere, sed nec videre licebat; hîc hostiam nudam, & videmus, & tangimus, &
16.26. manducamus: dixit enim, *Accipite, & manducate*, &c. Videmus igitur, & adoramus, & loquimur illi, & effundimus corda nostra corã illo, sicut amicus solet loqui ad amicum suum, nec vllum spatium interponitur distantiæ, sicut olim. Quis non tantam dignationem admiretur? Cùm templũ illud perfecissẽt Salomon, cum
2 8. admirationẽ dixit: *Ergòne credibile est, quòd verè Deus habitet super terram? Si cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc quam ædificaui?* Quantò magis nos mirari oportet, cùm nobiscum Deus, non solùm assistere, vt ibi, sed consistere verè cum sua humanitate voluerit nobiscum.

xod. 18. Cùm Dominus per Angelum in montem descẽderet Sinai, vt legem populo daret; sic ad Moysen loquutus est: *Cauete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius. Omnis qui tetigerit montem, morte morietur, manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis. sive*

A *iumentum fuerit, sive homo, non viuet.* Attende seueritatem Dei, nõ ibi Deus homo factus aderat, sed Angelus Dei locum tenens, & tamen non solùm non ascendere homines præcipiebat, verùm nec tangere ipsum montem permittebat, in quo ille Angelus erat. & obserua, quàm nullum discrimen ad hoc inter homines & belluas cõstituebat: *Sive iumentum*, inquit, *fuerit, sive homo*: nunc autem vide, quàm propitior & fauorabilior sit nobis Dominus factus, ille homo factus, non Angelus, ad nos descendit, & postquam triginta & tribus annis fuit cum hominibus familiarissimè conuersatus, cùm ad Patrem reuersurus esset, Sacramentum hoc mirabile adinuenit, quo simul & iret, & remaneret. Remansit inter nos in hostia consecrata. at non dicit: Qui ad aram, vbi ego fuerim, accesserit, morte moriatur, lapidibus obruatur, vel telis confodiatur; quin potiùs, accedat, inquit, & tangat, & vescatur me. O pia clementia! ô clemens pietas! ô dignatio hactenus inaudita!

Et quidem si tantæ Dei pietati mundus gratus, moribus sanctis ad Deum conuersus, Angelosque cœlestes imitatus, in cœlum quoddam conuersus fuisset, non ita mirum foret: at voluit Dominus nobiscum manere in hoc exilio, & non sicut viderat eum Isaias in solio excelso, & eleuato inter Seraphim clamantia: Sanctus, Sanctus, Sanctus; sed in hoc tuguriolo nostro inter sicarios, inter adulteros, inter homicidas, inter latrones sanguinarios, & sacrilegos multos, qui non solùm non eum sicut Seraphim, laudent, sed sicut dæmones blasphement, inter hos, inquam, propter nostram salutem habitare dignatur, vt non iam duorum millium cubitorum (vt diximus) spatio interiecto, sed prope ipsius altare accedere, vt illum salutare, illum alloqui, illi assistere, illum in velamine illo albo intueri, & nostras illi calamitates & necessitates, tentationes & labores proponere valeamus, tanquam Deo, tanquam patri, tanquam sponso, tanquam socio vitæ nostræ. Quid suauius, quid iucundius nobis dici potuit?

Euersâ olim terrâ Ierusalem à Rege Babylonis, op- *Ier. 40.*
tio data fuit Ieremiæ à Principe militiæ Chaldæorum, C
vt vel liberè pergeret in Babylonem, vbi à Rege honorandus erat, vel maneret cum pauperibus & hominibus de media plebe, qui remanebant in terra Israel: & ille remanere quidem elegit inter pauperes, & inter ruinas populi sui, quàm honorari apud regem & principes Babylonis, & habitare in regijs Chaldæorum. quas non illi retulerunt pauperes gratias? Quas igitur nos Christo Domino referemus, qui ad cœlum iam vocatus à Patre, ita illuc pergere decreuit, vt nobiscum pariter voluerit remanere? &c.

Et quidem in cruce Christus Dominus hanc vocem emisit: *Consummatum est*, hoc est, consummata sunt, quæ *Ioan. 19.*
de vita mea Prophetæ prophetauerunt, & quæ figuræ 30.
figurabant, & quæ ad salutem stabilicdam generis humani necessaria erant: vnde statim tradidit spiritum. Qui verba hæc audiret, & tot doctrinæ monita ab eo tradita, tot tantaque virtutis exempla ab eo nobis exD hibita, tot Sacramentorum medicamenta exhibita, tot labores, dolores susceptos, & vitam in commodum nostrum exhaustam videret, existimare posset, quòd nihil aliud superesse videbatur à Christo Domino faciendum: verumtamen summus ille animarum nostrarum amator, neque tot laboribus, neque tot beneficijs contentus, quasi parum actum esset, pollicetur se omni tẽpore sæculi huius nobiscum remansurum. *Ecce*, inquit, *Matt. 28.*
vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. verba hæc 20.
post mortem & sepulturam & resurrectionẽ suam protulit, cùm in cœlos iamiam esset ascensurus: veritatem exitus comprobauit. Ecce in hoc diuino Sacramento nobiscum est, iam abhinc mille & plusquam sexcentis annis: vnde & per reliquum quod superest sæculi tempus & credimus & speramus idem eum effecturũ. Vbi nota verbum illud, *vobiscum sum*, non denotare solùm

existentiam, seu assistentiam nobiscum, verùm etiam cooperationem diuinam eius, ita vt nobiscum sit, vt orationes nostras audiat, tenebras mentis depellat, tentationes propulset, seu ad vincendum hostes conferat patrocinium, tribulationes temperet, & quæ ad salutem æternam nobis conduxerint, præstet, ita nobiscum est. Sit ille in sæcula benedictus.

Eximium quidem beneficium fuit, Deum pro homine hominem fieri, & in terris triginta trium annorum spatio conuersari. Vnde & pro benignitate tanta

Isai. 7. 14. inde nomen voluit sortiri, *& vocabitur*, inquit, *nomen eius Emmanuel*, hoc est, nobiscum Deus; sed tamen ratione incarnationis nobiscum Christus Dominus, nonnisi ad mortem vsque conuicturus erat: cuius quidem absentia in maximam totius generis humani mœstitiam cedebat.

Nam & olim etiam Gentiles deorum suorum absentiam ægrè valde ferebant, & ob hanc causam vinculis constringere idola fua solebant. Lacedæmonij

Lib. 1. Lib 3 c. 4. quidem, sicut refert Pausanias, ligatum Martis simulacrum asseruabant, & Alexander ab Alexandro etiam refert, quòd Herculis statuam aureis funibus alligabant eius obseruatores: quod & Plutarchus in suis problematibus de Apollinis affirmat statua, & de quodã, nomine Michas, narratur, quòd cùm idolum quod-

Iudic. 16. dam ab eo latrones quidam abstulissent, plorans ipse insequebatur illos: interrogatus autem ab eis, cur sic amarè fleret; respondit: *Deos meos tulistis, & dicitis mihi: Quid ploras?* Laban insecutus Iacob ratione penatum, quos ablatos à se dicebat, se iratum asseruit. Denique nemo Dei sui absentiam vnquam æquo animo tulit. Ne igitur nos Christi Domini & Dei nostri præsentiâ & consortio priuaremur, Sacramentum hoc mirabile instituit, quo se socium vsque ad finem sæculi nobis

In Clem. vnic. de relig. & venerat. sanctorũ. Dominus exhibuit. Vnde Vrbanus Papa IV. *Ascensurus* (inquit) *in cœlum Christus Dominus, dixit Apostolis & eorum sequacibus:* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi, *benignè ipsos promissione confortans, quòd remaneret & esset cum eis etiam præsentia corporali.* Ita ille. Quamuis ergo Christus Dominus, quatenus Deus à nobis recedere non posset; corporali etiam præsentia, quâ bene poterat abesse, amantissimè nobiscum voluit remanere.

Sed dices, si societatis gratiâ nobiscum remanere voluit, cur ita velaminibus panis & vini tectus & coopertus? dicam, quia ita expedit nobis, primò, quia si in propria forma nobiscum remansisset, fides in hac parte meritum suum amisisset: *Fides enim*, vti ait S. Gregorius, *non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum.* vnde Christus ipse: *Beati qui non viderunt, & crediderunt*, beatius ergo nobis est, eum non in propria videre specie, sed eo modo, quo meliùs detur fidei locus.

Ioan. 20. 29.

Secundò, quia si Christus Dominus in propria specie remansisset, tantopere forsitan eius humanitati affecti fuissemus, vt dicere nobis id posset Dominus, quod

Ioan. 16. 7. eadem ratione Apostolis olim dixit: *Expedit vobis vt ego vadam*; &c. Si enim Apostoli lacte doctrinæ Christi enutriti, & exemplis eius diuinis eruditi, ita humanitati Christi adhærebant eo tempore, quo cum Christo

Super illũ locum. Ioan. 16. tract. 94. 8. Moral. 23. Domino conuersabantur, vt, sicut ait Sanct. Gregor. impedimentum illis fuerit huiusmodi humana Christi conuersatio ad plenam receptionem Spiritus sancti, & vt perfecti & spirituales euaderẽt; quantò magis nobis talis absentia Christi secundùm speciem & formam ipsius manifestam, nobis expediret. Vt igitur maneret nobiscum secundùm quod eius charitas & nostra indigentia deposcebat, remansit quidem nobiscum: sed quia non expediebat nobis in propria specie manere, velatus huiusmodi speciebus panis & vini remansit.

Ps. 64 10. Quod quidem sic expedire prophetauit multis retro sæculis Dauid, dicens: *Visitasti terram, & inebriasti*

A *eam, multiplicasti locupletare eam. Flumen Dei repleum est aquis, parasti cibum illorum: quoniam ita est præparatio eius.* Locum hunc de Christo Domino interpretatur Sanct. Hieron. & alij. Sensus igitur est, tu Domine visitasti terram, cùm pro nobis caro factus es, ita Sanct. Hier. & inebriasti eam doctrinâ, & prædicatione Apostolorum, ita Glossa, & multiplicasti locupletare eam optibus diuersarum gratiarum, ita Sanct. Hieronymus, *Flumen Dei repletum est aquis, flumen Dei* (ait idem S. Hieron.) *sumus nos, qui credimus, qui replemur aquis, cùm Baptismo abluimur.* Tandẽ ait Dauid: *Parasti cibum illorum.* S. Hieron. *Parasti cibum nostrum, Domine, in communione beati corporis & sanguinis tui.* Sed quid sibi vult illa causalis, *quoniam ita est præparatio eius?* S. Hier. hoc est, non casualiter factum est, sed quia ita factum est, sicut à Deo dispositum est; alij verò sic, quia ita præparasti, sicut præparari conueniebat, quasi diceret, si non in propria specie & forma appares nobis modò, sicut ante obitum tuum, sed sub speciebus panis, & vini; hoc ideo fecisti, B quia nobis ita expediebat: expediebat autem ad fidem & perfectionem nostram, sicut dictum est.

PROP. XII. *In Eucharistia diuina relucet sapientia.*

Dominus quidem Iesus in qua nocte tradebatur, &c. Hic quærere solent authores sacri, cur nocte, non verò die hoc deificum & lucidum, omni meridiana luce dignum, instituerit Sacramentum? cuius hanc, inter alias, rationem reddunt, quia scilicet nox consilij rum nutrix est: vnde Lacedæmonij res maiores momenti nocte tractare solebant, iuxta prouerbium illud, *In nocte consilium, para la noche el consejo*: quies enim & silentium noctis, aptissima sunt ad incunda consilia. Quare Athenienses, apud quos olim sapientia floruit, in vexillis suis pro insigni, non aquilam, sicut Romani, nec columbam, sicut Babylonij, sed noctuam, quæ auis nocturna est, deferebant, quò significarent, nihil ab ipsis, nisi maturo consilio agendum esse, & ob id etiam noctuam in suis numismatibus sculpserunt. Volens igitur Christus Dominus indicare, se magno sapientiæ suæ consilio hoc instituisse Sacramentum, non die, sed nocte ipsa illud instituere decreuit.

Quatuor in nostro interitu conuenerunt: vir nempe inobediens, mulier superba, arbor interdicta, & cibus vetitus à Deo. Vide igitur quo pacto diuina sapientia damno remedium coaptauit, vt meritò hac in re illud dicere valeamus: *Omnia duplicia, vnum contra vnum, & non fecit quicquam deesse.* & quidem ad sapientiam medici spectat contrarijs curare. Sic igitur sapientissimus ille generis humani medicus, hominis vulnus sanauit: aduersùs enim inobedictiam creaturę Filium suum creatorem, vsque ad mortem obedientem opposuit; aduersùs autem fœminam superbientem, fœminam humillimam constituit, quæ scilicet, dum in matrem eligitur, in Dei ancillam se offert; aduersùs D autem interdictam arborem paradisi, lignum vitale dominicæ crucis: & denique aduersùs mortiferum illum cibum, viuificum hoc dominici corporis Sacramentum. Sic igitur mala omnia, quæ importauit primus homo; sustulit secundus, & quæ inuenit Eua, repulit Maria, & mortem, quam nobis protulit arbor interdicta, lignum sanctum crucis eliminauit, & omnia mala, quæ lethalis ille cibus intulit in mundum, hic viuificus panis propulsauit è mundo. de cibo illo dictum est: *In quacumque die comederis ex illo, morte morieris*; con- *Genes. 2.* trà verò de hoc Dominus dicit: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Vide quàm sapienter morbo antidotum applicauerit medicus noster diuinus. *Ioan. 6. 52.*

Manifestum est quòd finis, & media, ad finem ipsum obtinẽdum proportionata & ordinata, inter se debeant

beant esse: aliter enim aptanda est serra ad secandum, aliter calamus ad scribendum, diuersisque instrumentis & medijs vti debet agricola ad colendam terram ab his quibus vtitur pictor ad imagines effigiandas, & argentarius ad vasa argentea & aurea conficienda. Denique secundùm naturam & qualitatem finis, sunt media constituenda: finis hominis beatitudo illa est, quâ beati in cœlesti gloria potiuntur. quæ quidem beatitudo secundùm Theologos non differt ex parte sui obiecti à beatitudine ipsa Dei: non enim aliud est diuinæ felicitatis, & beatitudinis obiectum, & aliud felicitatis & beatitudinis nostræ: Deus enim beatus est seipsum clarè videndo, ita & nos visione clara Dei efficimur beati, dicente Apostolo: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & simus. Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Nota, *similes erimus* ratione beatitudinis, quoniam Deus beatus est, quia videt se, sicut ipse est; sic nos similes ei in beatitudine erimus, *quoniam videbimus* (inquit) *eum sicuti est.* Ecce admirandum hominis finem: quid enim admirabile magis, quàm hominem ad finem & beatitudinem ipsam Dei fic eleuarisic mirabilis est Deus in sanctis suis. Diuinus igitur est finis noster, ergo & media ad hunc finem constituendum, diuina esse debent, vt debita proportio inter media finemque seruetur, ita est. Quare, cùm asseruisset Ioannes Apostolus: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, subiecit statim, *& omnis qui habet hanc spem in eo sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* Ita ille. Oportet igitur sanctificari in hac vita eum, qui ad beatitudinem illam pertingere velit: sanctificatio verò ista, in quo versatur? quid est sic sanctificari? Respondet Author quidam grauis, exponens locum istum Ioannis: *Omnis qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut ille sanctus est*, hoc est, vt cuius felicitas diuina esse debet, vita quoque diuina sit. At, inquies, diuinam vitam, quomodo humanus homo viuere potest? Respondetur, vitam diuinam sine ipso Deo assistente, & patrocinante nobis, viuere hominem minimè posse. quod quidem & gentiles Philosophi attigerunt: Cicero enim, Nemo (inquit) magnus vmquam fuit sine assistu Numinis diuini. Ita ille: & mira quidem fuit hæc hominis infidelis sententia. Præterea Seneca: *Animum* (inquit) *excelsum, moderatum, omnia, tanquam minora, transeuntem, quidquid timemus, optamusque videntem, cælestia agitat potentia, non potest res tanta sine admiculo Numinis stare. Itaque maiori sui parte illic est, vnde ipse descendit: sicut radij solis, contingunt quidem terram, sed vbi sunt, vnde mittuntur; sic animus magnus, & sacer in hoc demissus, vt propius quidem nos admiris diuina; conuersatur quidem nobiscum, sed haret origini suæ.* Ita Seneca, & idem rursus sic. *Miratis* (inquit) *homines ad Deos ire? Deus ad homines venit, nulla sine Deo mens bona.* Ita ille. Et miror ego homines sine fide sic de superni Numinis gratia fuisse loquutos. Sed ad rem, sine Deo assistente, & patrocinante, diuinos nos esse impossibile iudicant, tam fideles, quàm infideles. Merito ergo Deus Opt. Max. qui nos & diuinos esse curat, & ad diuina & æterna consecndere, se in Eucharistiæ Sacramento contulit; vt intra nos ipse assisteret, & consisteret, & per seipsum Deus homo nos efficeret diuinos, sicut qui ferrum frigidum & obscurum candens & resplendens efficere vellet, igni admouere illud deberet, & igni vnire, & sic ignescere illud posset: sic cùm ignitos diuino illo igne nos esse oporteat, diuino igni vniri nos oportebat.

Sed dices, quid necesse fuit singulare Sacramentum, quo Deo vniremur, ad hoc institui, cùm Deus occulto illapsu & spirituali prorsus, menti nostræ se insinuare, & in ea manere possit? posset quidem, sicut etiam cum antiquis Patribus se gessit in lege naturæ, & in lege scripta; sed tamen ad perfectionem legis Euangelicæ (quæ perfectissima omnium est) pertinebat perfectissima ratione, & præstantiori modo, se nobis Deum communicare, & nos diuinos efficere, vt ita præstantiùs & perfectiùs ad diuinam beatitudinem perueniamus. Aliter igitur Deus nobis, quàm Angelis, se communicat: cum enim Angeli spiritus expertes prorsus corporis sint, spiritualiter Deus eorum ingreditur mentes; at verò cùm homo ex spiritu & corpore constet, perfectior modus participandi & accipiendi diuina, est, non solùm spirituali Dei concursu, sed etiam corporali: hac enim ratione Verbum caro factum est, vt non solùm spirituali & interno verbo, sed etiam corporeo & exteriori, sapientiam suam hominem doceret, sic oportuit, vt se nobis non solùm spiritualiter insinuaret, verùm etiam corporaliter vniret. nam si solùm spiritualiter ad nos accederet, verba illa Iob proferre possemus: *Si veperit ad me, non videbo eum, & si abiero, non intelligam.* nunc igitur cùm sacram recipimus Eucharistiam, iam cum videmus venientem ad nos, & ingredientem pectus nostrum, & viscera nostra. quod quidem vehementer excitat fidem nostram, spem nostram, charitatem nostram, & deuotionem nostram, & maximè gaudiũ cordis nostri, dũ videmus hospitè tantũ ad nos realiter diuertere, vt nos honore afficiat, nos visitet, nos foletur, nos illuminet, & sanctificet, per seipsum. Hinc dulcissima lacrymarum fluenta, hinc preces & orationes intensæ, regiam maiestatem, quæ me ab omni malo potest liberare, præsentem agnoscentis; denique hæc corporalis Domini visitatio, ingentes & cœlestes excitat affectus & effectus in nobis, qui naturâ corporales sumus. Sic igitur diuina sapientia in Eucharistiæ sanctæ institutione relucet.

Præterea sapientis sapientia in eo maximè relucet, quòd nquerit ex contrarijs contraria ducere: vt si quis ita venenum aptare & præparare nosset, vt non solùm tale venenum mortẽ non inducerct, verùm etiã ægris vitam salutemque conferret; is sapientissimus medicus haberetur. Etenim nos ægri & infirmi ex primo parẽtum nostrorum peccato remansimus, & caro & sanguis nostri in sacris literis non bene audiunt, sic, *Non permanebit* (inquit Deus) *spiritus meus in homine, quia caro est*, ità Petro fideliter in Christum credenti, sic ipse Christus: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi.* Denique Apostolus, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* quid de carne & sanguine peius dici potuit? venenũ igitur & pestis nobis nostra caro & sanguis noster est. At tanta quidem fuit diuina sapientia, vt ex hac carne, & ex hoc sanguine humano, medicinam & antidotum aduersùs venenum ipsius carnis & sanguinis, præpararit. Quid enim salubrius hoc diuino Sacramento, in quo humana Christi caro & sanguis continetur? hæc caro, hic sanguis, vt ab Adam est, infirmitates innumeras, & denique mortem incurrunt: at caro hæc, & sanguis iste, vt à Christo Domino, sanat omnes infirmitates animę nostræ, & vitam reparat in æternũ. *Qui manducat hunc panem, inquit, viuet in æternum*, panem dicit, sed addit, *panis quem ego dabo, caro mea est, pro seculi vita.* O admirabilis sapientia tua Domine vnde mors oriebatur, inde vitam protulisti.

PROP. XIII. *In Eucharistia Dei omnipotentia relucet.*

VOlens hostis Christi Deitatem ex omnipotentia diuina indagare. *Si filius*, inquit, *Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* nouerat ille huiusmodi substantiales & subitas mutationes solius omnipotentiæ Dei opera esse, & ob eandem rationem Christus id præstare renuit, ne se Deum esse ille nosset. Hinc in primo illo miraculo nuptiarum in Cana Galilæ æ, aquam in vinum commutauit: se enim iam verum Deum & omnipotentem manifestare volebat. Sic igitur cùm in fine, iam ad passionem profecturus, vbi maximum scandalum circa

Cap 9. 11.

Gen 16. 3.
Matt. 16. 17.
1 Cor. 15. 50.

Ioan. 6. 50.
Ibid. 52.

Matt. 4. 3

fidem diuinitatis suæ multos vidit subituros, miraculum hoc miraculorum edidit, quo se omnipotentem esse demonstraret, & facilè se ab inimicorum manibus, si vellet, posse liberare, dum subsantiam panis in suam commutauit.

Hinc Apostolus Ioannes, de cœna illa agens, in qua Christus Dominus panem in corpus suum, & vinum in sanguinem suum erat conuersurus, *Sciens*, inquit, *quia omnia dedit ei Pater in manus*, quia omnipotens esset, &c. omnipotentiam præmisit, vt Christum Dominum in huiusmodi panis & vini conuersione Deum esse manifestaret, & omnipotentem. *Ioan. 13. 3.*

Prop. XIV. *In Eucharistia diuina prouidentia erga nos relucet.*

AD diuinam prouidentiam spectat, vnicuique viuentium pro qualitate vitæ suę, alimentum præstare: eius enim est vitam alere, qui vitam dedit. Ideo non filij thesaurizant parentibus, sed parentes filijs, vt B ait Apostolus, quia, non parentes à filijs, sed filij à parentibus vitam accipiunt. cùm igitur Deus rerum omnium creator vitam viuentibus dederit, & sic omnium parens sit, ad eum pertinet, cibos viuentibus prouidere, quibus vniuscuiusque vita conseruetur, & secùdùm quod vita ipsa requirit, iuxta illud: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Señor los ojos de todos los viuientes estan colgados de vuestras diuinas y reales manos, esperando dellas el sustento de su vida, y no les sale su esperança en vano, porque vos señor a mano abierta y no a puño cerrado con esca seca, sino franca y liberalmiene prouees a cada criatura vuestra de su mantenimento proprio.* Ponderanda igitur sunt verba illa, *& tu das escam illorum*, non ait illis, sed *illorum*, hoc est, escam propriam eorum, & vitæ ac naturæ illorum congruentem: auibus enim auium, piscibus autem piscium, bestijs autem bestiarum proprium tribuit alimentum: C non enim idem est omnium cibus, iumenta hordeum, & fœnum, ac paleas poscunt, leo carnibus vescitur, pisces piscibus minoribus aluntur. *Psal. 144. 15.*

Angeli verò, qui vitam quandam superiorem & omnino inuisibilem sortiti sunt, cibo etiam inuisibili & spirituali gaudent, sicut ad Tobiam Angelus Raphael dixit: *Videbar*, inquit, *vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* hoc enim discrimen inter viuentia est, quod quæ corporea sunt, corporeo, quæ spiritualia sunt, spirituali cibo aluntur, & denique secundùm differentiam vitæ est quoque ciborum differentia, & hoc, inquam, ad diuinam pertinet prouidentiam. *Tob. 12. 19.*

In homine triplex reperitur vita, quarum altera est corporalis, sicut leonis, & tauri, & aliorum animalium; & secundùm hanc prouidit ei Deus alimentum corporale: & quia homo princeps omnium animalium est, principaliores escas illi tribuit, vt scilicet in escam eius D sint, non solùm animalia terræ, quæ venari potest ipse homo, verùm etiam volatilia cœli, & pisces, qui perambulant profundas semitas maris, & messes, fruges & fructus, quos terra producit, & quæ ex his secundùm artem & ingenium suum miscere & aptare potest. At habet homo secundam vitam spiritualem animæ, & illi naturalem, cuius cibus est veritatis cognitio: os enim animæ rationalis ratio ipsa, seu intellectus est, qui quidem intellectus intelligendo vescitur; intelligit autem veritates. Hîc igitur naturalis animæ cibus est, hinc fames sciendi: omnis enim homo (sicut ait Philosophus) naturaliter scire desiderat. Habet autem homo vitam aliam excellentiorem & supernaturalem, Dei clementia & bonitate illi concessam, quæ vita gratiæ est, per quam homo ad esse diuinum, miro quo- A dam modo, eleuatur, iuxta illud Apostoli Petri, *Per Christum maxima & pretiosa nobis Deus promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Vbi Sanct. Thom. *vt per hæc efficiamini consortes diuinæ naturæ, non consortio æqualitatis, quod est trium personarum solum, sed consortio participationis, quod est omnium fidelium, per gratiam in præsenti, & gloriam in futuro.* Ita ille. Sic ergo per gratiæ vitam ascendit homo ad consortium vitæ diuinæ, & participationem naturæ diuinæ. Si ergo ad diuinam prouidentiam pertinet, vt secundùm naturam & qualitatem vitæ creaturæ, prouideat ei cibum tali vitæ congruentem; homini eleuato ad vitam diuinam prouidere debuit cibum diuinum, qui etiam participium quoddam sit illius cibi, quo vita ipsa diuina sustentatur: vita autem Dei, quo alio cibo sustentatur, nisi seipso? seipso viuit Deus, seipso est. *Ego*, inquit, *sum qui sum*, hoc est, ego per me ipsum, & non ab alio habeo esse, & vitam, quam habeo, à me sum, & sum ipsum esse, & ipsa vita. Deus igitur sibi est alimentum suum: sicut ergo homo eleuatus est, vt sit Deus per participationem, cibus eius erit Deus participatus. Ecce igitur Eucharistiæ nostræ mysterium. quid est cibus iste? Deus ipse: cur talis cibus nobis? quia Dei per gratiam facti sumus. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus*, ait Euangelista Ioannes, *vt filij Dei nominemur, & simus.* Sicut ergo Deus, qui per essentiam est Deus, habet in cibum vitæ suæ cibum, qui per essentiam est Deus; sic homo, qui per participationem est Deus, participare debuit cibum diuinum. Hoc igitur est, quod præstitit Deus, cùm sanctissimum hoc instituit Sacramentum. 2. Epist. 1. 4.

Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus: quod perierat requiram, & quod abiectum erat reducam, & quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingue & forte, custodiam, & pascam illas in iudicio, locum hunc de Christo intelligunt sacri expositores, & sub metaphora pastoris quid nobiscum egerit & agat Dominus, ostendit, quæque omnia in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento completa sunt. ait enim primò: Ego pascam oues meas: ad hoc enim sanctissimum hoc instituit Sacramentum, vt pasceret nos, ceu bonus pastor, qui in cibum ouibus suis, non herbas, non aquas fluminum dedit, sed in cibum corpus suum, & in potum sanguinem suum. Quis, vmquam, pastor se in cibum ouibus exhibuit? in cibum suum assumere solent quidem pastores oues suas; at Christus non gregem suum occidit in cibum sibi, sed ipse ouibus se in cibum exhibuit. Sic recte dicere potest: *Ego pascam oues meas.* Secundò, eas ego, inquit, *accubare faciam.* accubitus hic ouium est, cùm propter solis æstum sub fagis, vel locis vmbrosis requiescunt oues: quod tunc nos facimus, cùm orationi vacamus: tunc enim anima dicit: *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* ad hanc autem orationem sacrum hoc Sacramentum inducit: requirit enim præuiam meditationem, seu considerationem, & subsequentem gratiarum actionem. Vnde ex hoc diuino Sacramento viri spirituales spiritum orationis hauserunt. sic Christus in Eucharistia oues suas facit accubare. Tertiò, *quod perierat*, inquit, *requiram.* hoc Christus in Eucharistia semper agit: inde enim sibilos in mentis aures immittit, tanquam bonus pastor, vt peccatores errantes, velut pecora, reducat, vel cùm rem sacram audiunt, vel cum per vicos & plateas incedit, vel cùm extra custodiam publicè collocatur, errantes ad se vocat, vel cùm de Eucharistia agunt concionatores, & beneficium recolitur huius mysterij, solent plures sic errantes reduci, sic quod perierat requirit. Quartò *quod abiectum erat*, inquit, *reducam*, ita est: nihil enim est tam abiectum, & humile, quod Christus Dominus ad hanc mensam non inuiteat, *Exi*, inquit, *citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles,* Ezech. 34. 11. Luc. 14. 21.

debiles, ac cæcos & claudos introduc huc, omnes abiectos. Verba Dei sunt ad quemlibet concionatorem : Voca ad hanc mensam etiam quoslibet homines abiectos. sic quod abiectum erat, reducit. *O res mirabilis*, ait Sanct. Thom. *manducat Dominum pauper, servus, & humilis.* Quintò, quod infirmum fuerat consolidabo, nimirum quia hoc salutiferum Sacramentum, non solùm cibus, sed medicamentum etiam est. Vnde Sanct. Ambros. *Qui vulnus habet, medicinam quærit : vulnus est quòd sub peccato sumus, medicina est hoc venerabile Sacramentum.* Ita ille. Auarus hoc medicamento misericors redditur, superbus fit humilis, gulosus fit temperatus, lasciuus fit castus, iratus redditur mansuetus, & denique qui priùs fuerat scandalosus, virtutis redditur exemplar. sic quod infirmum est consolidat Eucharistia. Sextò, *quod pingue* (inquit) *& forte, custodiam*, quia hoc diuino Sacramento parta salus & virtus conseruatur, sicut vita & salus corporalis cibo corporali, imò vires, salutem, & vitam auget. *Qui manducat hunc panem* (inquit) *vivet in æternum.* Denique *pascam illas* (inquit) *in iudicio*, hoc est, vt exponit Glossa ordinaria, *cum iudicio*, cum prudentia, & discretione : sunt enim nonnulli pastores, qui indiscriminatim ducunt oues per promiscua pascua, nec discernunt inter herbas, & herbas, noxias scilicet & salutares : vnde fit vt sæpe nociuas herbas comedentes oues moriantur. *Ego autem*, ait Dominus, *pascam oues meas in iudicio*, & prudenter pastum illis præbens electum & salutarem. ita est, ita facit, siquidem carnem suam nobis in cibum præbet, quâ quid salubrius, cùm in ea salutis nostræ summa consistat ?

In Catechismo Tridentino post admirandam virtutem Baptismi ibi expositam, quæ mentes hominum sanctificat, & à cunctis peccatorum sordibus purgat, hæc verba subijciuntur : *Quòd si quis scire cupiat, quanam ratione tanta virtus aquis tributa sit, id quidem humanam superat intelligentiam : hoc verò satis à nobis percipi potest, Baptismo à Domino suscepto, sanctissimi eius corporis tactu, aquam ad salutarem vsum Baptismi consecratam fuisse.* Ita ibi. Ex quo facilè percipere nos possumus, quanta sit sanctissimi Sacramenti virtus. Si enim omnes orbis aquæ vnico Dominici corporis tactu tantam susciperent virtutem, quantam, quæso, percipiet is, qui ipsum Domini corpus in Sacramento existens, dignè reuerenterque susceperit. Si eius tactus id præstat, ipsum corpus intra viscera nostra dignè susceptum quid præstabit ? vel quid non præstabit ? Id ergo diuina prouidentia nobis exhibuit. hoc quidem est quod ait : *Ego pascam oues meas.* O verè dignus qui dicat : *Ego sum pastor bonus*, &c.

Sic Dominus ad populum suum Israel : *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs mei.* Et mox, *& ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum, & declinaui ad eum, vt vesceretur.* Prouidentiam hîc exprimit cuiusdam agricolæ, quam habet erga boues suos : postquam enim agricola bobus suis terram per diem coluit, nocte iugum à ceruicibus boum tollens, pastum eis gratum & abundans confert. Sic Deus se cum filijs Israel fecisse gloriatur : magnis quippe laboribus pressi fuerant in Ægypto, sed Deus inde eos educens, iugum illud grauissimum tulit, & pastum illis gratissimum dedit, manna scilicet illud suauissimum. Sed quid hæc prouidentia, si cum hac nostra conferatur ? Israelem à dura Pharaonis seruitute liberauit, nos à durissima diaboli tyrannide saluauit ; illis manna ad manducandum dedit, quo sani & expediti meliùs in terram pergerent promissionis ; nobis autem, non manna, quod vmbra corporis Domini erat, sed corpus Domini, quod illius vmbræ verum corpus erat, exhibuit : illis vt in terram pergerent & peruenirêt promissionis ; nobis autem, vt ad cœlestem patriam pergere ac peruenire valeremus, conceſſit, sicut nutritius super brachia sua nos Deus A defert, sic exaltauit iugum durissimæ seruitutis nostræ, declinauit ad nos homo factus, vt vescęremur pane isto cœlesti. Sit eius prouidentia in æculum æculi benedicta.

Magna quidem prouidentia eius fuerat, hominem pro homine fieri, vt homo, eo quo fieri posset modo, Deus esset ; mirabilior autem suo nos sanguine ac morte crucis redimere : nostra enim culpa, nostrâ pœnâ soluenda erat, sed non erat sufficiens pœna nostra : pro culpa enim illa infinita, quatenus contra Deum infinitum erat, pœna valoris infiniti necessaria fuit, eximia quidem & excellens prouidentia hæc.

At poterat rudis aliquis dicere : ita quidem est, verumtamen incarnationis & passionis Dominicæ beneficium commune, ac generale, & toti mundo impensum fuit : prouidentia autem, quæ homini in particulari gratior & acceptior est, non quidem generalis & communis solet esse, sed quæ in particulari cum ipso habetur solo : amabile namque bonum, vnicuique autem proprium, hoc est, vnusquisque suum maximè curat, & expetit bonum priuatum. hoc, inquam, dicere poterat mens infirma, & quæ nesciret mysteria incarnationis & passionis penetrare, sicut penetrauit ille, qui dixit : *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Sed ne consideratio talis prouidentiæ diuinæ gloriam vllo modo euacuaret, mira Domini charitate & prouidentia hoc sanctissimum Sacramentum institutum est, quod primatim & speciatim particularis quisque fidelium sumeret, & intra se reciperet, & dicere posset : Habeo ego intra ianuas meas Dominum ac Redemptorem meum, non in mundo solùm, non in cruce communi pro vniuersis perpessa, sed in pectore meo, in anima mea : ad me in particulari venit totus, ad me in particulari declinauit, mecum illum habeo, intra meipsum habeo, *dilectus meus mihi, & ego illi.* quid ampliùs humanum desiderium à diuina prouidentia requirere potuit ?

In educatione infantium, & nutritione eorum maximè relucet sapientia Dei : cùm enim infans non posset vesci solido cibo, Dei sapientia & mirabilis eius prouidentia prouidit, & ordinauit, vt mater sumens solidum cibum, & calore suo natiuo decoquens, in lactis liquorem illum conuertens, infanti communicet, quo alatur & crescat. Habet quidem Deus in cœlo filios grandiores, Angelos, inquam, qui solido illo cibo diuinitatis claræ vsi fruuntur, de quo S. Raphael dixit : *Ego inuisibili cibo vtor*, nimirum Deo clarè viso : habet etiam Deus infantes paruulos, quibus lacte opus sit, non solido cibo, nos scilicet, qui adhuc in terra degimus, qui cùm etiam spirituales ratione animæ simus, & ad imaginem Dei facti, & denique filij Dei, non mirum si eodem, quo Angeli, cibo egeamus. Vnde Vrbanus Papa IV. *Homini* (inquit) *qui spirituali alimonia indigebat, saluator ipse misericors de nobiliori & potentiori huius vitæ alimento pro anima refectione pia dispositione prouidit, & decens liberalitas extitit, & conueniens operatio pietatis, vt verbum Dei æternum, quod rationabilis creaturæ cibus & refectio est, factum caro, se rationabili creaturæ carni & corpori homini videlicet in edulium largiretur : panem enim Angelorum manducauit homo. & ideo Saluator ait :* Caro mea verè est cibus. Ita ille. At cibus ille eo modo, quo Angeli eo vescuntur, solidus est valde, dentibus caremus, quo illum comedere valeamus ; quare oportet, vt sub lactis specie nobis, tanquam infantibus, conferatur ? ita planè, ita factum est, quod quia S. Augustinus rectè explicuit, verbis ipsius meliùs explicabo : ait ergo : *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ecce cibus sempiternus verbum Dei : sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, manducant & saginantur, & integrum manet, quod eos satiat, & lætificat. Quis autem nostrum posset ad illum cibum aspirare ; vnde cor tam idoneum ad illum cibum ? oportebat ergo vt*

In Clem. vnic. de reliq. & veneral. sanctorum.

Ioan. 6.

Super Psal. 33.

mensa illa lactesceret, & ad parvulos perveniret. Vnde autem sit cibus lac? vnde cibus in lac convertitur, nisi per carnem trajiciatur? nam mater hoc facit; quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minus idoneus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, &, per lactis succum, de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pauit nos sapientia Dei? Quia verbum caro factum est. Panem ergo Angelorum manducauit homo, id est, verbum illud, quo pascuntur Angeli sempiterno, quod est aquale Patri, manducauit homo: quia cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. *Sagittantur ergo illo Angeli, sed semetipsum eximauit, vt homo panem Angelorum manducaret.* Ita Sanctus Augustinus. Ecce sapientiam, ecce prouidentiam Dei in nos, vices matris nobiscum Christus gessit, Verbum, quod est Angelorum alimentum, nobis per modum lactis in pane isto lacteo, tanquam infantibus, administrat.

1. Petr. 2. 2. Vnde S. Petrus: *Tanquam modò geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite.* locum hunc nonnulli de sacra intelligunt Eucharistia, & probabiliter constat ex verbis sequentibus, *vt in eo crescatis in salutem*: hoc enim Sacramento crescimus in salutem æternam: qui enim manducat hunc panem, viuet in æternum: oportet ergo lac & cibum istum concupiscere. Sunt autem plures, qui nec concupiscunt, nec salutem mediocriter appetunt; sed sicut multi ex Israelitis plùs ollas Ægypti, quàm manna desiderabant; sic multi Christicolæ plùs ollas mundi & delectationes eius volunt, quàm cibum istum cœlestem, & ideo serò accedunt, quod fortè in peccatorum suorum pœnam Deus ita permittit, &c.

Ad reges quidem maximè spectat, vt cibum & alimenta subditis suis prouideant. Vnde ciuibus in regem quemdam eligere volentibus, sic ad ipsos ille: *In domo mea non est panis, nolite me constituere regem*, quasi dicat, regis præcipuum munus est, alimenta suis prouidere; ego id præstare non possum: nolite igitur me in vestrum constituere regem, sed quærite alium, qui hoc præstare possit.

Hinc Pharao Ioseph super regnum suum Principem constituit, eò quòd præuidit tempora abundantiæ tritici, & monuit, quid tunc temporis agèrdum esset pro tempore famis succedentis, ne gens periret.

Gen 38. Quod non parum confirmatur ex somnio, quod à Deo vidit, vbi Ioseph vidit manipulum suum à manipulis fratrum adorari, vbi se à fratribus adorandum prædixit. Sed cur sub figura manipuli? vt scilicet manifestaretur, se in principe eleuandù esse, quia industriâ suâ manipulos frumenti, seu triticũ Ægyptijs prouidit.

Ioan. 6. 15. Vnde postquam in deserto Christus Dominus tot homines pauit, *Venerunt*, inquit, *vt raperent eum, & facerent eum regem.* quamplurima & sublimia fecerat, & postea fecit miracula Christus, & tamen nusquam legimus voluisse homines ob ea eum sic rapere, & in regem coronare, sicut modo: ideo quidem, quia hoc maximè requirunt à rege subditi, vt eis præbeat alimentum. Dignũ igitur Regem se nobis Christus Dominus exhibere nunc voluit, dum Ecclesiæ suæ huiusmodi alimento prouidit, vt nihil amplius humana cupiditas à Rege suo diuino exigere posset, nec Deus ipse sublimius alimentum humanæ cupiditati valuerit exhibere. mensa enim hæc opulentissima quidem est, & quamuis in ea vnicum ferculum apponatur, ita vnicum est, vt secundum non habeat; ita vnicum est, vt in eo omnes diuitiæ Dei contineantur; ita vnicum est, vt præter id nullum aliud optandi detur nobis locus: ita vnicum tandem est, vt quidquid ad cibum animarum nostrarum pertineat, in eo repositum sit. Idem enim ipse est qui apponitur Angelis in triumphantis Ecclesiæ mensa, idem ipse (licèt non eodem modo: neque enim idem modus nunc nos & illos decet) in militantis Ecclesiæ mensa nobis exhibetur. Si ergo propter panem illum merè corporalem venerunt homines illi, vt illum regem Christum Dominum constituerent; quid nos facere oportet, qui ab eo cibum hunc omnem æstimationem superantem habemus? constituamus eum non solùm in regem, sed in Deum semper venerandum: ipse enim est qui, tanquam Rex noster, & Deus noster, tali tantoque nos cibo pascit: nõ proijciamus à nobis iugũ eius, sed suauissimum Christi iugũ super nos tollamus, &c.

Oportet (ait Philosophus) mundum hunc inferiorem contiguum esse lationibus superioribus, ad hoc scilicet vt inferiora corpora influxus corporum cœlestium debitè participare possint: ad hoc enim terra vnitur aquæ, aqua aeri, aer igni, ignis cœlo, & hoc modo virtus cœli ad terram vsque pertingit. Ita etiam in ordine supernaturali oportet (diuina ordinatione suppositâ) ad illapsum & participationem diuinorum gratiarum, quæ à Deo ipso, prima rerum omnium causa, proueniunt, vnitos & cohærentes esse aquæductus, per quos diuinæ gratiæ communicentur. Sicut enim in aquâ ea machina, si aliquis aquæ ductus frangatur, aqua præcedentis aquæductus, ad alios non perueniet; sic etiam, si ea quæ sunt inter Deum, & nos, intermedia defuerint, diuinæ gratiæ, de lege ordinaria ad nos minimè perucnient. cùm igitur Verbum diuinum sit fons indeficiens omnium bonorum nostrorum, oportet, quòd per ordinata media, & inter se vnita, ad nos eius gratia descendat, Ideo ergo Verbũ diuinum humanitati Christi se vniuit, & humanitas accidentibus nobis vnitur; vt per sacram communionem, diuina virtus, gratia, & bonum communicetur nobis. Quamobrem meritò sacra Eucharistia communio appellatur.

Prop. XV. *Eucharistia patrimonium nostrum est.*

DAuid Propheta hunc titulum superposuit: *Pars quæ hæreditatem accepit*, ita legit S. Aug. sed quænam est hæc quæ hæreditatem accepit? S. Augustinus, *Intelligitur*, inquit, *Ecclesia quæ hæreditatem accepit.* Ita ille, sed hæreditas hæc qualis est? S. Aug. Deum ipsum intelligit, secundùm illud, *Dominus pars hæreditatis meæ.* Sed non incongruè sanctam Eucharistiam hæreditatem hanc esse dicemus. Solent parentes filijs thesaurizare, & sæpe redditus annuos panis eis pro hæreditate relinquunt iure perpetuo, *Vna renta perpetua de pan*: ita Christus Dominus panem hunc cœlestem hæreditario & perpetuo iure nobis dimisit, *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* verba sunt Patris æterni ad Iesum Christum filium suum, cui iuramento firmauit futurũ eum sacerdotem perpetuum secundùm morem & ritum, quo fuit sacerdos Melchisedech, qui quidem vinum & panem obtulit: ita Christus Dominus panem, & vinum Eucharistiæ, corpus scilicet & sanguinem suum, & obtulit pro nobis, & obtulit nobis in cibum & potum: & ita in perpetuum futurum vsque ad consummationem scilicet sæculi promisit, *Tu*, inquiens, *es sacerdos in æternum*, hoc est, huiusmodi sacerdotium, cui incumbit panis & vinum hoc, nunquam deficiet, *que buen juro de pan fundado sobre vn juro yo dixe Dios, que sera perpetuo, no es censo al quitar, sino censo perpetuo. Juro para siempre mientras el mundo durare.* Denique Dominus pars hæreditatis nostræ, & calicis nostri: hæreditas ad hoc deseruit, vt ex ea nos viuamus, nunc quidem iam rectè dicere nos valemus: Dominus pars hæreditatis nostræ, seu hæreditas nostra, nam ea viuimus, ex ea, inquam, manducamus & bibimus, quia ipsummet Dominum bibimus & manducamus. Vbi nota, quòd vicissim & nos Dei hæreditas sumus, secundùm illud: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*; & Deus pariter hæreditas nostra est. In hæreditate autem duo hæc reperiuntur, alterum est cura, & cultus ipsius hæreditatis, alterum verò fructus, & prouentus, quę capimus ex ea: nos igitur hæreditas

Isai 3 7. 2

Ps. 15. 5.

Psal 2 7.

ditas Dei sumus, quia ipse regit nos, colit nos, & curam nostri habet: Deus autem hæreditas nostra est, quia pascimur ex eo, & pascimus eum. Meritò ergo Christus Dominus *pater futuri sæculi* ab Isaia nuncupatur, quippe qui nobis tam excelsam & prædiuitem hæreditatē reliquit: & iure quoque Dauid Ecclesiam eam, quæ iam hæreditatem accepit, nuncupauit: quia licèt in cœlo postea æternam acceptura est hæreditatem, vbi etiam & vberiùs Deo ipso vescetur; iam tamen hæreditatem accepisse dicere possumus: siquidem eodem, in pane isto cœlesti, fruitur feliciter & suauiter, &c. A

PROP. XVI. *Eucharistia, quàm decens, & conueniens cibus sit animæ nostræ.*

VRbanus Papa in Clement. de Reli quiis, & vener. sanctorum. *Homini*, inquit, *qui spiritualis almoniæ indigebat, Saluator ipse misericòrs de nobiliori, & potentiori huius mundi alimento pro animæ refectione pia dispositione prouidit, decensque liberalitas extitit, & conueniens operatio pietatis, vt Verbum Dei æternum, quod rationabilis creaturæ cibus est, & refectio, factum caro, se rationabilis creaturæ carnis, & corpori, homini videlicet, in edulium largiretur*: panem *enim* Angelorum manducauit homo, *& ideo Saluator ait*, Caro mea verè est cibus. Ita Vrbanus. Erat quidem Verbum diuinum in cœlis cibus Angelorum, quia Angelus intellectualis naturæ est: Verbum autem mētale mentis alimentum est; cùm igitur homo intellectualis etiam naturæ sit, & corporalis, etiam cibus talis illum decebat, qui simul intellectualis esset. Verbum autem diuinum caro factum, quatenus Verbum, cibus hominis est, quatenus homo, intellectualis est, & quatenus Verbum diuinum caro factum est, homini carne constanti etiam congruit: & sic mirè Eucharistiæ cibus homini congruit, conuenienterque pro nobis institutus est à Domino. B

PROP. XVII. *Eucharistia ostendit dignitatem animæ existentis in gratia.*

CAro mea verè est cibus, &c. Fatemur quidem cibum istum superexcellentissimum esse, imò adeo vt meritò mirari posse videamur, tam excelsum cibū, tam humili creaturæ ex limo terræ procreatæ, in cibum exhiberi, qui vel supremis ex ordine Seraphim nimius esse videatur. cur igitur nobis datur? Hoc vt clariùs ostendamus, verba illa expendamus. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno.* Pondera verbum illud *illorum*: non enim ait illis, sed *illorum*, quasi dicat: Tu dasillis escam, quæ propria & cōsentanea est naturæ, vitæ & essentiæ vniuscuiusque: nā secūdùm diuersitatem naturæ, prouidet cibum creaturis diuina prouidentia, leoni carnem, equo hordeum, boui & oui fœnum, cete pisces, homini panem, &c. denique vnicuique secundùm exigentiam propriæ naturæ ac vitæ. Cur igitur modò homini cibū tam eximiū prouidit? cibus hic Deus ipse est, & creator ipse, quid igitur cibo hoc diuino cum natura humana, & creata? Præclarum quidem est hoc argumentum, ex cuius solutione & diuinæ prouidentiæ cellitudo & nostrę conditionis cognitio, pendet: quod vt percipiamus, supponamus, cibum quidem ob vitæ conseruationem à Deo institutum esse, per creationē res à Deo esse acceperunt, per cibum autem viuentia in suo esse & vita conseruātur. viuit homo, si manducet, si verò à cibo prorsus abstinuerit, paucis diebus moriatur oportet: ex cibo igitur vita nostra dependet. In homine autem duplicē vitam reperimus, vitam scilicet naturæ, & vitam gratiæ, inter vtramque vitam tantùm distat quantùm distat à terra cœlum; imò & in immensum ampliùs: per vitam enim corporalem homo ferè *comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, vnde ex eodem pane tu partem cani & filio tuo porrigis, & partem sumis tibi: cibus est par, ob vitæ corporalis paritatē. Habet aliam vitam homo iustus longissimè superiorem, vitam scilicet gratiæ: hæc quidem excellentissima est: per hanc enim homo, Dei efficitur amicus, per hanc Dei filius nominatur & est. quod non immeritò Apostolus Ioannes expendit, dicēs: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus. Propter hoc mundus non nouit nos, quia non nouit eum*, hoc est, tam excellens esse est esse filium Dei, vt quantum sit, nemo intelligere possit, nisi qui Dei sublimitatem noscit: in tantum enim excellēs est, esse filium alicuius, in quantum pater ipse excellens est: crescit dignitas filij, quātùm crescit dignitas patris: si pater homo infimus fuerit, dignitas filij eius, vt sic, infima erit; si verò eques fuerit pater, iam illustrior erit dignitas filij; si verò tituláris fuerit pater, aut vnus ex magnatibus regni, iam maior erit quoque dignitas filij eius. Cùm igitur dignitas Dei sit infinita, quid de dignitate filiorum eius dicemus? vt sic quidē, & sub hac formalitate, dignitatem quandam infinitam habet. Vnde solus, qui nosci t Deum, hanc dignitatem cognoscet. Hinc Apostolus Petrus, iustos ait esse consortes diuinæ naturæ: participat enim iusti us per gratiam miro quodā & eminenti modo ipsam diuinam naturā, diuinamque vitam, quá scilicet sublimior est homo, quàm supremus Angelus in suis puris naturalibus consideratus. Cùm igitur per hanc diuinam filiationem ad tam excelsum esse, & tam diuinam homo ascendat vitam; oportet vt cibus ille, quo hæc vita conseruatur, diuinus, & nō humanus, nec Angelicus solùm sit. Ecce igitur diuinæ sapientiæ accuratissimam prouidentiā, seipsum, qui Deus est, in cibum hominibus tribuit, qui filij Dei sunt, vt diuino cibo diuina conseruetur vita. Si enim qualis vita, talis & cibus sit, oportet; vita diuina cibum diuinum exigebat. Vnde si in cibum hominis iusti, vt sic, Angelum consecrasset, & in cibum nobis illum præbuisset, non satis de cibo competenti iustis esset prouisum à Deo: nam cùm vita iusti consortiū quoddam, & participium eminēs sit diuinæ naturæ, & diuinæ vitæ; quidquid Deo minus est, minus etiā esset conueniēte sibi cibo: siquidem cibus proportionari debet vitæ, quæ cibo est alenda. Sicut grego leoni cibum præstat Deus leoni conuenientē, & equo etiam cibum equo proportionato, & cæteris secundùm illud prædicti Psalmi, *& tu das escam illorum in tempore opportuno*; sic etiam ad diuinam pertinuit prouidentiam, se Deum, homini Deitatem participanti, in cibum exhibere. C D

1. Ioan. 3. 1. Petr. 1. Psal. 144.

PROP. XVIII. *Eucharistia quàm honorifica homini sit.*

IN illa sublimi oratione, quā ad Patrē habuit Christus, hoc inter alia dixit: *Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Claritas honor ille eximius est, qui resultat ex vnione cū Deo, vt ex ipsis verbis cōstat, vti explicat S. Hilar. l. 8. de Trinitate. quid enim sublimius, & clarius in Christo, quā vnum esse cum Patre secundùm deitatē? & vnum cum persona filij per vnionem humanitatis cum persona diuina? Hanc claritatem, & vnionem, quando communicauit eam filius nobis, vt simus vnum cum eo, manifestum est, quando sanctissimum Sacramentū tribuit nobis, de quo Ioan. 6. dixerat. *Qui manducat meam carnē, & bibit meum sanguinem, in me manet: & ego in eo.* & cū dixit. *Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui mādúcat me, & ipse viuet propter me*, &c. Magnificauit quidem Dominus facere nobiscum. *facti sumus lætantes*, dixit Dauid, cùm de libertate à captiuitate Babylonica Hebræos Dominus liberauit; quantò meliùs nobis id dicere licet, quos sic Dominus magnificauit? Cùm ita fecerit nobis magna, qui potens est, ideo facti sumus lætantes. Nónne vides in huius festi celebratione omnes lætan-

lætantes? nimirum quia sic magnificauit Dominus facere nobiscum, vt nos faciat participes cotporis,& sanguinis sui, & nos vnierit ita sibi, ideo facti sumus lætantes. A

Sicut Deus pater propter filij sui merita nos in filios suos adoptauit, ita propter eiusdem merita hoc summum nobis contulit beneficiũ, vt ad eius mensam assideamus,& Angelorum pane fatiemur: idem enim vnigenitus Dei, qui Angelos reuelata facie satiat in patria, nos idem velaminibus tectus, refici, & sustentat in via. Quod quanti honoris,& quãtæ dignitatis sit, exemplo isto poterit dignosci. 3.Reg.2. Inter nouissima verba atque mãdata, quæ Dauid moriẽs Salomoni filio proposuit, fuit vt filij Berzellai Galaaditis perpetui mensę suæ conuiuæ essent: sic enim filium alloquutus est: *Sed & filijs Berzellai reddes gratiã, eruntque comedentes in mensa tua: occurrerunt enim mihi quando fugiebam à facie Absalonis fratris tui.* Hoc est, quo tempore totus penè Israeliticus populus me deserto Absalonem sequebatur, hic mihi fidus extitit amicus, & copiosum mihi, & exercitui præbuit commeatum. cuius beneficij memor filijs eius hactenus rependi gratiam, sed neque hac vicissitudine contentus, hoc tibi fili, commendo, vt communem tecum mensam habeant. Hæc de historia, & quidẽ nescio quid in hac parte mirandum magis sit, an fides Berzellai, qui eo tempore Dauidi ita extitit fidus, quo illum omnes reliquerunt, quamuis intelligeret, quantum sibi fusque liberis periculum impenderet, si victoria in alteram partem inclinaret, vt iam inclinare videbatur; an verò Dauidis animus sic eius obsequij memor, quo nõ contentus toto vitæ suæ curfu singularibus beneficijs gratiam filijs eius rependisse, extremum iam spiritum agens, quando iam vix sui homines memores sunt, amplissimum hunc mensæ regis Salomonis honorem illis præceperit impendi. Quæ quidem mensa vsque adeo magnifica, & splendida erat, vt inter cætera, quæ regina Saba ita mirabatur, vt non haberet vltra spiritũ, cibi quoque mensæ illius memorentur. Dic mihi, obsecro, quàm felicem conuiuæ isti illam patris sui fidem eo tempore existimarunt, propter quam tanto se honore affectos viderunt, quæ semel quidem seruata, tantam illis, tamque diuturnam gloriam peperisset? Hoc igitur exemplo intelligere licebit, fratres (vt hoc obiter admoneamus) quàm felices præteritæ vitæ lacrymas, & labores suos pij omnes in cœlo existimabũt, propter quos Angelorum choris associati, suauissimis illis dapibus in veri Salomonis mensa sine fine fruentur. Sed ad institutum redeamus, sicut filijs Berzellai propter fidem, & merita patris hæc tanta gratia collata est: ita pater æternus ob Christi merita (quem Isaias patrem vocat sæculi futuri) hic tantus honor nobis est impensus, vt ad omnipotentis Dei mensam in hoc etiam exilio fedeamus, & eo ipso pane, quo ipse vescitur (nempe filio suo) nos quoque vescamur, vt per illum modò in spirituali vita nutriamur, ac de ipso postmodum in cœlesti gloria satiemur. B C D

Esther.5. Aman princeps, & familiarissimus regis Assueri cuius solium exaltauerat Assuerus super omnes principes, quos habebat, sicuti ait Scriptura, tanti fecit cõuiuium reginæ Esther, & simul cum rege in eius regali mensa vesci, vt conuocatis amicis pro re nata dixerit eis: (exposità priùs copiâ diuitiarum suarum, & gloriâ celsi-
Esther.3. tudinis suæ.) *Et regina Esther nullum alium conuocauit ad conuiuium cum rege præter me, apud quam etiam cras cum rege prænsurus sum.* Hoc igitur pro eximio honore, pro ingenti gloria reputabat; quid ergo nos sentire oportet, qui inuitati quidem sumus, nõ ad mensam regis Assueri, sed omnipotentis Dei, & non vt altilia, & regales cibos comedamus, sed vt ipsummet Christum Dominum in cibum sumamus?

Prop. XIX. *Eucharistiam instituit Christus ad conciliandum amorem nostrum in se.*

Recte Sapiens quidam dixit: *Beneficium cum postulatur, fac t ex homine petram: beneficium vero cum datur, facit ex petra hominem.* Primum quidem in cap.4. Ioannis reperies, vbi Christus Dominus à Samaritana paululum aquæ postulauit; cui illa: *Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis?* Cùm res adeo exigui esset momenti, & Christum Dominum ex itinere fatigatum videret, illico & facilè ei posset subuenire, tot interposuit verba, nec aquam, vt par erat, citò exhibuit, quia beneficium, dum postulatur, facit hominem petram. *Vers.9.*

Quòd autẽ dum confertur, ex petra hominẽ faciat, patet ex 1. Regum 25. vbi, cùm Dauid iratus valde cõtra Nabal iret ad cum perdendum, & Abigail in occursum eius exiret, & ab eo postularet veniam pro viro suo Nabal, obtulit Abigail Dauidi ducentos panes, & duos vtres vini, & arietes quinque, & alia nonnulla. quo beneficio placatus Dauid, *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum, alioquin viuit Dominus, nisi citò venisses in occursum meum, non mansisset Nabal vsque ad lucẽ mattutinam.* &c. Ecce quo pacto beneficium ex petra hominem faciat. vnde iam abijt in prouerbium: qui beneficium inuenit, catenat inuenit.

Quod cùm ita sit, quid in nobis efficere non debet ingens hoc beneficium, in quo Dominus, non sua, sed seipsum tradidit nobis? panem exhibuit Abigail Dauidi, & eum reddidit pacatum, sed panis ille panis sollummodo erat; at panis iste, panis verè non est, sed ipsemet Dominus Christus, qui sub specie panis se nobis in escam donat. Obtinuit Abigail ob illud donum, Dauid insurgeret contra Nabal; nónne par erit, vt beneficium hoc, cui nullum aliud valet comparari, licèt omnium regum terræ congeras beneficia in vnum, nónne, inquam, par erit, vt vel iam à Deo perfequendo penitus desistamus? Quid autem sunt peccata nostra, nisi persecutiones Dei? hoc igitur à vobis suppliciter posco, vt tanto beneficio accepto, iam non vltra tantum benefactorem offendamus, sed amemus, & ei feruenter seruiamus.

Sic de se Apostolus Ioannes: *Supra pectus Domini in cœna recubuit.* Originale Græcum sic habet: Supra pectus Domini cecidit, seu deliquium passus est. Deliquium hoc, amoris vehementiam designat, secundùm illud diuinæ sponsæ, *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Languor iste amoris, cordis deliquium est. languebat Ioannes, non febre cordis, sed deliquio cordis, ob vehementiam amoris in Christum; hoc autem deliquium vnde? aut quare tunc? Respondent nonnulli authores, ex sacra Eucharistia, quam tunc receperat Sanctus Ioannes: nam accepta communione, ita exarsit cor eius Christi amore, ac si ignem susceptisset; ita affectum fuit cor eius, vt deliquio amoris languens, super Domini pectus caderet. Ecce quid sacra Eucharistia operetur in anima rectè disposita, & tu ergo, si vis amore tali ardere, post communionem sacram super Domini pectus requiesce. *Cant.5.* *Vers.8.*

In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: & ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum, & declinans ad eum, vt vescretur. Hic Deus & cum populo Hebræo agit, & cum Ecclesia Catholica, & quomodo nos ad se suumque diuinum obsequium trahere velit, ostendit. *in funculo*, ait, *Adam*, Aquila, & Symmachus & Theodotio, & Septuaginta, & S. Hieron. pro Adam, homines transtulerunt. ait ergo *in funiculis hominum* traham *homines ad me*, hoc est, traham homines ad me, & ad meum obsequium illis vinculis, quibus facilè homines

homines trahi solent. quænam sunt vincula ista quæ- A
so? ex verbis quidem paraphrasis Chaldaicæ id percipi potest. ait igitur, & vertit Chaldæus : *Stulti mortis est trahi filios dilectos, traxi eos fortitudine charitatis.* Ecce vincula Adam, amor scilicet & beneficia ex amore prouenientia: hæc enim duo sunt vincula fortissima, quibus homines, non solùm mouentur, sed etiam trahuntur, quasi vi & violentia quadam voluntaria. Primò igitur beneficia ligant homines : sic enim vulgò dicere solemus: *quien hallò beneficios, hallò cadenas*, qui beneficia adinuenit, vincula inuenit. Vnde sic Ioseph Ægyptiæ
8. solicitanti respondit: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua, nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, &c. quomodo ergo possum hoc malum facere?* non ait, qua fronte, quo casu, quo iure; sed quomodo possum hoc malum in dominum meum, qui tanta mihi contulit: beneficia, perpetrare? vinctum me ille, & captiuum tenet, ne in eum delinquam. Quibus te, o Ioseph, vinculis sic vinctum tenet? vinculis Adam, vinculis beneficio- B
rum. vides quo pacto beneficia ligant. Similiter cùm Iacob venientem ad se Esau fratrem suum timeret (mortales quippe cum eo Esau contraxerat discordias) quo pacto illum detinere, & retinere, ne in eum & domum irrueret suam, posset, tic remedium excogitauit: *Placabo eum muneribus*, quid est, placabo muneribus? beneficiorum catenis reuinciam manus eius, ne in me, vel in mea, eas extendat. Volens igitur Deus nos in gloriam & obsequium suum deuincire, *in funiculis Adam*, hoc est, beneficiis, *traham eos*, inquit.

Secundò *in vinculis charitatis*, hoc est secundum & fortissimum vinculum : nihil enim sic corda vincit & deuincit, sicut amor, id quidem, vti diximus, beneficia præstant, sed non ita vt amor. Si enim mihi omnia, quæ habes, præstes, non verò beneficium hoc ex voluntate bona & amore procedat, sed aliunde, vel ex commodo aliquo, quod inde tibi prouenturum expectas, vel intentione alia ; si hoc mihi fuerit notum, non C
me ita & cor meum trahes : at si ex amore magno aliquid mihi paruum quidem præstiteris, vinculis fortissimis huius charitatis facilè me, quò volueris, trahes. Sic Apostolus Paulus à Christo Domino se trahi confitebatur, dicens : *Siue mente excedimus, Deo, siue sobrij sumus, vobis. Charitas enim Christi vrget nos.* Vbi S. Thom. *Oportebat quod Apostoli haurirent a Deo, quod effunderent populo : erant enim medij inter Deum, & populum ; & ideo necessarium erat, quòd quandoque eleuarent se per contemplationem in Deum ad cœlestia percipienda, & quandoque se populo conformarent ad tradendum, quæ percepérant à Deo, & totum hoc in eorum vtilitatem cedebat, & ideo ait*, siue mente excedimus Deo, *id est, eleuamur ad hoc, vt percipiamus dona gratiarum : est enim extasim faciens diuinus amor, vt Dionysius ait*, siue sobrij simus vobis, *hoc est, conuersemur nos vobis, diuina tradendo præcepta*, Charitas Christi *est quæ ad hoc* vrget nos. *Vrget*, inquit, *quia vrgere idem est, quod stimulare ; quasi dicat : Charitas Christi, quasi stimulus, stimulat nos ad faciendum ea, quæ imperat charitas, vt scilicet salutem proximorum procuremus.* Ita S. D
Thom. Vide igitur Apostolos opera sublimia peregrinationes peregrinas, labores immensos, passiones acerbas, persecutiones assiduas martyria crudelia, mortes amaras, & hæc omnia voluntariè & magno cum seruore subiisse propter Christum, quia charitas Christi vrgebat eos. non ait propter retributionem aliquem, vel honorem ipsis inde prouenientem, sed propter amorem Christi. Viderunt se à Christo supra modum amari, amor iste vrgebat sic eos. Hæc quidem erant vincula, quibus ante reges & præsides trahebantur, non ferrea illa quibus alligabantur : nam, vti rectè S. Augustinus docuit, *amor meus pondus meum, eo feror, quòcumque feror*, ferebantur amore Apostoli, non terrore; amor autem eorum à diuino Christi amore procedebat.

Lauata. Tom. I.

Immurent philtra animũ, vti volueris, adhuc frustra quæris veneficos, seu maleficas, ad amorem, quum apud te, & intra te, & in corde tuo habeas veneficium seu philtrum potentius, amorem scilicet, qui vel ex adamantinis cordibus elicit amorem, *ama & auiabere.* Primò igitur ad eliciendum & conciliandum amorem optimum veneficium est, beneficium, sed supra omne veneficium & beneficium est amor : ait igitur Dominus Ecclesiæ per Oseam: *In funiculis Adam traham* Oſee. 11.
eos, in vinculis charitatis, quonam pacto? primùm, *ero eis* 4.
quasi exaltans iugum super maxillas eorum, hoc est, sicut agricola, cùm viderit boues suos in arando defatigatos, tollit iugum ex ceruicibus eorum, vt à fatigatione & labore quiescant ; sic vos à laboribus vestris alleuabo, non patiar vos tentari supra id, quod potestis, sed & faciam cum tentatione prouentum. Ecce vinculum beneficij.

Secundo, *declinaui ad eum, vt vescretur.* S. Hieron. Oſee 11.
locum hunc interpretatur de Sacramento Eucharistiæ, 4.
verba S. Hieron. sunt : *Declinaui ad eum, vt vescretur. hoc est, dedi ei eum corporis mei, meum ipse cibum, & communi.* Hic quidem relucet eximia charitas Christi in nos, cuius amori non satis fuit nobiscum, sed intra nos manere: ait ergo Dominus, his vinculis, his funiculis traham, veluti vi quadam amoris mei compellam eos amare me, *yo les dare vn bocado con tales achaques de amor mi aconfiscionado, que los obligue fortissimamente a amarme a mi per desamorados que sean.*

Ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum, & Zach 3.1.
Satan stabat a dextris eius, vt aduersaretur ei, & dixit Dominus ad Satan : Nunquid non iste torris est, erutus de igne? Vbi Glossa ordinaria: *Dominus Iesus Christus sacerdos est in aternum secundum ordinem Melchisedech : Satan autem stat a dextris eius, quia Dominus tentatus est per omnia absque peccato, & tentator a dextris stat, quia virtutibus Christi contraire conatur.* Ita Glosst. cur autem eum torrem vocet erutum ex igne, videamus. Imaginare exercitum ciuitatem aliquam ferro igneque vastantem, vbi miles quidam ciuitatem ingressus, occidere inimicos, & prædam capere aggrediatur ; hic quidem hunc occidit, illum capit, thesauros capit omni conatu; at dum ciuitatis incendium non attendit, & inter flammas se comprehensum non adtertit, cum ciuitate pariter concrematur. Passio Domini nostri Iesu Christi, quid aliud fuit, quàm præliuin quoddam cum hostibus Dei, & nostris, vbi Christus Dominus prædari animas ab hoste captiuas voluit; de ipso enim dictum est à Iacob : *Ad prædam* Gen. 49.
ascendisti, fili mei, ita est, ad prædam ascendit Dominus 9.
in cruce, & inferos spoliauit, fed incendium interim amoris in nos offendit, & inter flammas charitatis suæ animam effluit; sed ex huiusmodi incendio torris quidam euasit, sanctissimum nempe Eucharistiæ Sacramentum: ex illo enim ipso amore, quo pro nobis mortuus est, Eucharistia exiuit. de Christo igitur pro nobis consecrato, ait : *Nunquid non iste est torris erutus ex igne?* quid igitur ignis nisi comburere, quæ tetigerit, valet? quid, inquam, dum Eucharistiam sumis, te aliud facere censes, quàm prunam quamdam vehementer ignitam intra cordis intima recipere?

Hinc incendia plura eorum, qui magna cum animi præparatione & deuotione percipiunt. *Recedamus*, ait S. Chrysost. *ab hac mensa tamquam leones ignem spirantes, facti diabolo terribiles.* Ita ille.

Non, inquies, ego in me talem experior inflammationem ; nec mirum, si indeuotè accedis. qui debitè accedunt, an id ita sit, testentur, dicant, qui sentiunt, qui hunc calorem, & hoc incendium intus sentiunt. mirentur qui non sentiunt, & tanti mali causam inquirant.

PROP. XX. *Eucharistia est mysterium fidei.*

CVm de hoc admirabili Sacramento ageret Christus Dominus, quidam Hebræi astantes dixerunt:
Ioan. 6. 52. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum.* Modum quærunt, qui mysterium non credunt, infidelium est adhuc quæstio hæc, quomodo potest hoc esse? quomodo potest esse, vt panis transsubstantietur in corpus Christi & vinum in sanguinem eius? quomodo esse possunt accidentia sine subiecto; &c.
Isai. 7. 9. Ioan. 6. 55. Quibus respondemus? *Nisi credideritis, non intelligetis*, ipse dixit, *Caro mea verè est cibus*, &c. non dictum est nobis, vt intelligamus, sed vt credamus, sed quia testimonium Dei credibilia facta sunt nimis, hoc infidelibus
Apoc. 5. respondeamus: Ratio facti huius, est potentia facientis, quid in hoc facere nō possit, qui omnipotens est? Vidit Ioannes librum scriptū intus, & foris, signatum sigillis
Apoc. 10. septem. Librum hunc, in spirituali sensu, non deest, qui sanctissimum Eucharistiæ sacramentum esse dicat: nec mirum, quia librum illum dedit Deus in cibum eidem Ioan. idem enim est liber capitis quinti & decimi. In libro illo scriptura exteriùs scripta legi facilè poterat, interior verò nequaquam: sic in hoc sanctissimo Sacramento exteriora facilè percipiuntur, etiam à sensu, color & odor, & sapor, &c. mysterium verò latens non percipitur nisi fide. librum autem hunc vidit Ioannes in dextera sedentis super thronum, in dextera nempe Dei, in dextera, inquit, quia hic dextera Domini fecit virtutem. In sacris literis nonnulla opera tribuuntur
Vers. 4. digitis Dei, Psa. 8. *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum*, nonnulla opera dicuntur manuum eius, Psalm. 18.
Vers. 7. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*; alia verò opera brachij DEI, Luc.
Vers. 51. 1. *Fecit potentiam in brachio suo*, id est, opus Incarnationis, alia verò dexteræ DEI, specialim Psalm: 79.
Vers. 11. *Hæc mutatio dexteræ Excelsi*, loquitur de mutatione cordis humani, est autem periphrasis seu circumloquutio omnipotentiæ Dei, quia huiusmodi opera sunt omnipotentiæ diuinæ. Vidit igitur Ioannes librum hunc in dextera Dei, quia in huius sanctissimi Sacramenti institutione omnipotentiam suam ostendit Deus, & eadem ratione ante institutionem eius præmisit: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus. Omnia*, inquit, quæ à Patre habet, omnia posse, & similiter Ecclesia in canone ante consecrationem inquit: *Elevatis oculis in cælum ad te Deum patrem suum omnipotentem, &c.* vbique hoc Sacramentum omnipotentia Dei concomitatur, quia opus est omnipotentiæ diuinæ: etenim *non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Ex opere creationis suadent mysterium hoc S. Hieronymus serm. 2 de Eucharistia. S. Ambro. lib. 4. de sacr. S. Chrysost. in cap. 26. Matthæi, quia non est minoris virtutis ex nihilo aliquid efficere, quàm substantiam in substantiam commutare: potuit ergo & hoc, &c.

Imò intra nos ipsos videmus mirabilem quandam conuersionem panis in carnem, & vini in sanguinem, virtute caloris naturalis, quatenus instrumentum est animæ: quod non supra naturam est, sed naturaliter fit; quis igitur diuinæ poterit negare potentiæ, quòd possit supernaturaliter conuertere panem & vinum in
Psal. 115. 10. carnem & sanguinem suum? *Credidi, propter quod locutus sum*, ait Dauid: sic & nos credamus priùs, & postea, suppositā fide, loquamur potentiam Domini Dei nostri.

Hinc est quòd clausis oculis rationis sumi debeat, non verò apertis. Est lacus quidam in Arcadia, cuius aqua, si noctu bibatur, nocet, die verò nequaquam, de quo sic Ouidius:

Est lacus Arcadiæ, Phineum dixere priores,
Ambiguis suspectus aquis, quas nocte timeto:
Nocte nocent potæ, sine noxa in luce bibuntur.

Sed tamen de diuino Eucharistiæ Sacramento est oppositum dicendum: si enim in luce rationis naturalis sumatur, nocet, sicut hæreticis valde nocuit, nocte verò, & sub obscuritate fidei sumptum, prodest multum: & ob hanc causam, nocte illud Dominus instituit, sicut ait Apost. *In qua nocte tradebatur, &c.* nocte illud instituit, & nocte illud Apostolis tribuit, quia fides nobis sub obscura nox est, sub qua à nobis sumendum est; sic quidem ad exercitium fidei nostræ vtile est, &c.

Mysterium fidei appellatur hoc Sacramentum, vt cum verbis consecrationis sanguinis Christi proferatur in sacrificio Missæ, & quamuis ab Euangelistis non dicatur huiusmodi verba protulisse Christum in consecratione calicis, per traditionem tamen recepta est, illa Dominum protulisse, & ideo à Sacerdote in verbis consecrationis calicis dicuntur. Et quidem in lege nostra quamplurima sunt mysteria fidei, vt constat in articulo Trinitatis, Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, &c. Sed tamen per antonomasiam & excellentiam quamdam, dicitur Eucharistia mysterium fidei, & non ita mysterium Trinitatis, quamuis adeo excellens sit: tot enim ac tanta mirabilia, & supra rationem naturalem, in hoc Sacramento concurrunt, vt nomen hoc mysterij fidei sibi vendicarit, *alçose con el nombre del mysterio de la fee Christiana*, mirum enim est, & quod Christus homo integer & magnus, sub parua hostia contineatur, imò in quauis hostiæ parte separata integer Christus remaneat, vnde S. Thomas: *Fracto demum Sacramento, ne vacillet fidelis, memento tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.* Præterea, etiamsi hostia scindatur, Christus integer perseuerat, sicut idem sanctus ibidem ait: *Nulla ibi fit scissura, signi tantùm fit fractura, quia nec status, nec statura signati minuitur.* Præterea, in hoc Sacramento accidentia manent sine subiecto, & quantitas, ad modum substantiæ, reliqua continet accidentia panis, & vini: quod quomodo fieri possit, vt scilicet quantitas, & color, & sapor, & odor, &c. panis esse possint sine pane, ignorat ratio; ait enim, accidentis esse est ineſſe. Præterea, quòd virtute quatuor verborum, creetur corpus Christi, & in manus veniat Sacerdotis. Item, quòd eorumdem verborum vi tota substantia panis conuertatur in totam substantiam corporis Christi per transsubstantiationem, quam nullus Philosophorum somniauit. Præterea, quòd idem corpus Domini eodem tempore in mille altaribus & hostiis sit, cùm ipsum corpus vnicum tantùm sit; quomodo vnicum corpus in mille locis esse potest? hæc & alia mysteria supra humanum captum continet hoc Sacramentum: quare meritò *mysterium fidei* inter reliqua mysteria nuncupatur. Voluit Iacob simulatè à patre suo Isaac benedictionem extorquere: quòd vt assequeretur, cibos attulit, quos Esau frater eius afferre debebat, & vestibus odoriferis Esau induit se, & manus pelliculis contexit: cui cùm accederet ad se, dixit Isaac: *Accedas ad me, vt tangam te, tetigit manus, & dixit: Vox quidem vox Iacob est, manus autem manus sunt Esau*: denique quia voci non credidit Isaac, sed tactui, & odori, & gustui, deceptus fuit, omnes sensus illum fefellerunt, præter auditum, gustus dum carnes domesticas, quas illi obtulerat Iacob, carnes ex venatu ab Esau adductas existimauit: olfactus, cùm odorem vestimentorum, quibus erat indutus, Esau procedere censuit: tactus etiam vt diximus, &c. Denique solus auditus veritatem illi exponebat. Idem nunc contingit hæreticis, quos omnes sensus eorum decipiunt, præter auditum: Nam visus illis ait, panis hic est: nam colorem panis habet; gustus etiam dicit: panis hic est, quia saporem panis habet; olfactus etiam ait, panis hic est, nam odorem panis habet; tactus

dus etiam, nam quantitatem, & leuitatem panis habet: A
solus auditus veritatem manifestat: ait enim: hîc ego, non panem materialem audio, sed Dominum dicentem percipio: *Hoc est corpus meum*, nimirum quia fides ex auditu: hîc autem non exigitur scientia, sed fides: ideo hæretici errant, quia non auditui, sed aliis sensibus adhibent fidem; nos verò attingimus verum, quia auditis stamus, fidem seruamus.

Sic Dominus ad Ezechielem: *Fili hominis aperi os tuum, & comede quæcumque ego do tibi. Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber: &c. Fili hominis comede volumen istud*, numquid licebat Prophetæ dicere Deo: Sine me cuncta quæ in hoc volumine continentur, legere priùs, & postea comedam illud? absit, sed potiùs clausis oculis vorare iussus est volumen: quod & fecit: ea enim quæ Dominus vorare iubet, non sunt dentibus manducanda. sic igitur de hoc supernaturali cibo dicendum est: non enim dentibus intellectus nostri premendus est, sed integer vorandus. quod quidem legitima in Deum fides præstat, quâ quidquid Deus de Sacramento altaris nobis reuelauit, deuorat sine aliqua examinatione veritatis eius. B

Cùm Daniel in leonum lacu iaceret, misit ad illum Deus Abacuc, qui à Iudæa in Babylonem ab Angelo delatus, cibum attulit Danieli: accepit illum Daniel, & comedit, &c. cur non interrogauit priùs, quomodo & vnde cibum illum detulisset, & quare, & quid, & quomodo illum parasset? minimè quidem, sed Deo gratias agens ob ingentem in ipsum prouidentiam, tacuit, & comedit quidquid inuenit. Hoc igitur nobis agendum est: prouidentiâ suâ infinitâ cibum hunc superstantialem nobis Deus prouidit, nihil interrogantes propter conscientiam, taceamus, & comedamus: Dei enim donum est, ad vescendum, non ad examinandum, datur; *accipite enim*, ait, *& manducate, manducate*, inquit, non verò, examinate. Pharisaica & infidelis vox illa est, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* ad firmandum ergo cor syncerum sola fides sufficit.

Et quidem meritò talem ac tantam fidem à nobis exigit Deus in hoc Sacramento Eucharistiæ, vt infidelitatem primi hominis in cibo vetito repararet. Suasit dæmon Euæ, nescio quam Deitatem in illo cibo inesse, à comedente illum assequendam; mortem autem, quam ex cibo illo Deus fuerat minitatus, longè abesse. Credidit Eua, & non discredidit Adam: quo non exigua diuinæ fidei fuit iniuria irrogata. Vt igitur satisfactio culpæ responderet, voluit Christus Dominus cibum alium non vetitum homini præstare, in quo vitam & Deitatem quamdam inesse nobis reuelauit, & multa supra captum nostrum in huiusmodi Sacramento latere ostendit, vt captiuantes intellectum in obsequium fidei, quæ per infidelitatem commissa erant, in hoc cibo diuino repararentur, & fides infidelitatem recompensaret, &c. in quo ita Deus cum dæmone se gessit, sicut olim cum Sennacherib rege Assyriorum, qui ascenderat contra Ezechiam, & populum Dei: ad quem sic Dominus: *Ponam circulum in naribus tuis, & reducam te in viam, per quam venisti*, hæc Deus in literali sensu ad regem Syriæ: accomodatione tamen, hosti nostro tartareo hæc conueniunt: venit ille contra primum hominem per cibum prohibitum: hac via rentator accessit, fidem sibi dari, non Deo, requisiuit: nam Deus mortem in illo cibo esse homini dixit; hostis verò vitam quamdam, pluspuam humanam, credidit homo, non Deo, sed diabolo, inde perditio nostra: sed Deus, cuius bonitas infinita est, aduersùs hostem pro nobis stare decreuit, & minitatus est ei, dicens: *Ponam circulum in naribus tuis.* Sanctus Hieronymus & S. Gregorius, dicunt per nares in sacris literis astutiam & sagacitatem dæmonis significari: naribus enim sagacitatis suæ, velut canis venatorius, nostras odoratur intentiones, & consilia Dei, & nos venari desiderat. Sed super omnia Deus, non est consilium, non est sagacitas contra Deum, qui comprehendit sapientes in astutia eorum, *Ponam*, inquit, *circulum in naribus tuis*, sicut solemus nos buphalis circulos in naribus eorum ponere, ad circumducendum eos ad libitum nostrum, *Ducam*, inquit, *te pro voluntate mea, & ponam frænum in labijs tuis.* Fræna quoque apponimus equis ad regendum eos, hoc est, ibis, non quâ volueris ipse, sed quâ voluero ego. Vnde reducam te in viam, per quam venisti, *yo os haré volver por donde venistes con las manos en la cabeça*, ita est, tu per cibum in animam hominis venisti, ego per cibum te reducam, tu per cibum vetitum, ego per cibum iniunctum: ait enim: *accipite, & manducate*: tu tibi fidem contra fidem meam adhiberi in cibo voluisti, ego fidem meam in cibo contra fidem & infidelitatem tuam restaurabo, cibum præbens hominis, qui sit mysterium fidei, in quo mille sint veritates supra captum hominis, quibus ille assentiens, & mihi fidem præbens, primæ satisfactæ infidelitati; tu cibo illo hominem interemisti, ego cibo isto vitam hominis reparabo: nam *qui manducat hunc panem, viuet in aternum.* ecce Dei admirabile consilium in huius altissimi Sacramenti & mysterij fidei, institutione.

Super ca. 4 Iob. Lib. 18. Moral. Ibid. Mat. 26. 20. Ioan. 6. 59.

Hinc est quòd in sacrificio Missæ, antequam ad consecrationem hostiæ procedat Ecclesia, ait de Christo: *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit fregit, & c.* pondera verbum *omnipotentem*, cur, cùm ageret de gratiarum actione pro tanto beneficio, non dixit, eleuatis oculis ad te Deum Patrem munificentissimum & liberalissimum, sed, *omnipotentem*? nimirum, quia de Sacramento agit, in quo plurima mirabilia continentur, quorum operatio directè ad Dei pertinet omnipotentiam: quare non mirum, si specialiratione mysterium hoc, *fidei mysterium* appelletur, cùm speciali etiam causa tot mira fidei nostræ vim requirant.

Vnde S. Thom. quærit cur inter articulos fidei articulus Eucharistiæ non annumeretur? & respondet, quia sub omnipotentia Dei comprehensum fuit: est enim Eucharistia tam admirabile mysterium, vt ad omnipotentiam Dei referri debeat. Vnde roganti, quomodo filius Dei Deus verus & homo verus in Eucharistia consistat? dicendum est, quia sic potuit efficere omnipotentia Dei. quomodo totus Christus in tota hostia, & totus in quauis particula eius sit, quia omnipotentia Dei hoc efficere potuit: quomodo accidentia sint sine subiecto, quia omnipotentia, &c.

2. 2. q. 1. a. 8. ad 6.

Hinc in celebratione & esu Agni paschalis sic Dominus ad Moysen & populum Israel: *Caput*, inquit, *cum pedibus & intestinis vorabitis: si quid residuum fuerit, igne comburetis*: caput & pedes vltima & fines agni sunt; intestina verò sunt secreta & intrinseca eius. noluit Dominus ita hæc mandi lentè, & concisè, & cunctanter, sicut reliqua, sed deuorando: quia ad fines & vltima mysteria & interiora secreta huius Sacramenti, cuiustypus & figura fuit agnus ille, non debemus intellectus nostri dentibus, seu discursibus & rationibus examinare, sed fide integra hæc deuorare, seu deglutire, quare meritò subdit: *Si quid residuum fuerit, igne comburetur*, hoc est, si quid est, quod ratione naturali digeri non posse videatur, igni tradatur. Ignis in diuinis literis significat Deum, vti aiunt S. Cyril. & Orig. & S. Ambros. Deus enim noster ignis consumens est. Secundò ignis significat charitatem nostram, vt aiunt S. Augustin. & S. Greg. Iubet igitur Dominus residuum agni igne comburi, hoc est, quod intellectus noster non capit, & quod repugnare rationi suæ apparet, in Deum reiicere, & dicendum: *Non erit impossibile apud*

Exod. 12. 9.

Lib. 11. super Ioan. & lib. 3. contra Iul. c. 10. 1. & 2. Patr. c. 8. & 5. cap. 4. Exameron. Ser 108. & 255. 2 Moral. 39. & 3. mor. 22.

Deum omne verbum : & secundò igne charitatis nostræ illud absumere, diligendo propter hoc ampliùs eum, qui ob salutem nostram & bonum nostrum, tot tantaque supra captum nostrum in hoc Sacramento operatus est, sic captiuantes intellectum in obsequium tanti Sacramenti.

Hinc etiam est quòd Christus Dominus nocte vo-
1. Cor. 23. luerit Eucharistiam instituere, dicente Apostol. *In qua nocte tradebatur, &c.* cur nocte ? vt temporis circumstantia huius cibi obscuritatem adnotaret, & obscura fide tantùm credendum esse.

Leuit. 2. Hisichius Leuit. 2. in oblatione similæ, iussit Deus eam sumi pugillo. Cur non vasè aliquo ampliori ? Hisichius in hunc locum : *Pugillo tollere simulam Deus iubet : per pugillum enim hic fidem significat, aperte significans illam esse cognitionem Deo acceptam, quam fides comprehendere potest ; & sicut qui pugillo plus vult comprehendere, nihil proficit ; totum enim decurrit & cadit, & inutiliter laborat ; sic mensura scientiæ Dei fides est.* ita ille. Nunc ad rem, oblatio hæc farinæ electæ (id enim similà importat) figura fuit aperta huius diuini panis, & ideo meritò fide illum apprehendi iubet Deus, quia scientia humana illum comprehendere nequit, & qui temerè rationibus ad illum vtitur, quasi qui plus satis farinam pugillo concludere conatur, non concludit sed excludit eam ; sic qui arcana huius Sacramenti ratione ac discursu capere vult, inutiliter & perniciosè aliquando laborat, sicut hæreticis euenit, *per quæ esso no es coger activa, sinó derramarle.* Fide ergo integra ad hoc diuinum Sacramentum accedere oportet.

Prop. XXI. *Eucharistia memoriale est passionis & mortis Christi.*

Vers. 4. PSalm. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum.* Quæritur, quorumnam mirabilium ? Apostolus Paulus
1 Cor. 11. 26. respondet : *Quotiescunq; manducabitis panem hunc & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Vbi sanctus Thomas : *Hic*, inquit, *Apostolus exponit verba, quæ dixerat* : Hoc facite in meam commemorationem, *repræsentando scilicet mortem Domini per hoc Sacramentum* ita ille. Solent reges & principes mundi seipsos depingere per manus alicuius sapientis pictoris, qui optimè sciat exprimere figuram eorum, vt ad posteros eius memoria deriuetur, & futuri hæredes, & successores, non solùm ex nomine, verùm etiam ex facie noscant eos, & maximè si alicuius generis, & profapiæ initium, & caput sit quis, à quo & nomen, & hæreditatem habeant, & ingentem maioratum. sed tamen in huiusmodi pictura, & imagine, nequaquam se aut infirmos aut mortuos volunt depingi, sed cùm pulchriores, & corpulentiores sunt. Christus Dominus, caput totius Ecclesiæ Catholicæ est, & à Christo Christiani, & nomen, & diuitias magnas, tanquam legitimi hæredes, habemus. Voluit igitur Christus Dominus seipsum figurare, ac depingere, vt memoria eius in Ecclesia sua semper asseruetur, sed tamen non eo modo, quo pulcherrimus apparuit in monte Thabor transfiguratus, sed eo quo in monte Caluarij transfixus clauis fuit, & deformatus, *non transfigurando, sinò disfigurado*, noluit se viuum depingi, sed mortuum. Cur ita ? quia pulchrior nobis est in passione, quàm in transfiguratione, seu resurrectione, quantò pro me vilior, tantò mihi charior, ait S. Bernardus. Vnde Isaiæ 63. sic Angeliad Chri-
Vers. 1. stum post passionem : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra* ? Edom idem est, quod *rubrum*, Bosra idem est, quod *vindemia* : dicunt ergo : quis est iste sic sanguine rubricatus, qui venit tanquam ex torcular maculatus ? & subdunt : *Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis sua.* Vnde hic for-
Cap. 53. 2. mosus, cùm dicat Isaias ipse : *Non est species ei, neque decor : & vidimus eum : & non erat ei aspectus, & nouissimum virorum, virum dolorum*, &c. Si non erat ei species, *neque decor*, quomodo ait : *Iste formosus* ? &c. Præterea quomodo in multitudine fortitudinis suæ, si in passione occisus fuit ab inimicis suis ? si victus, quomodo multùm fortis ? nimirum, quia nunquam in hac vita formosior apparuit, quàm in cruce : ibi enim relucet bonitas eius, pietas eius, charitas eius, misericordia eius, liberalitas eius, magnificentia eius, sapientia eius, fortitudo eius, & magnanimitas Dei : non enim ex necessitate, aut casu, aut inuoluntariè passus est, sed ex bonitate, charitate, pietate, clementia, misericordia, &c. passus est pro nobis, quo quid pulchrius ? quid speciosius ? non ex imbecillitate, sed ex fortitudine passus est : in ea enim, quæ apparet, imbecillitate abscondita est fortitudo eius : nam maior requiritur animi fortitudo ad ferendam, quàm ad inferendam mortem. Rectè ergo passum, & mortuum, & sine specie, & decore se depingi in hoc diuino Sacramento voluit, quia tùc nobis speciosior, cùm pro nobis deformatur, &c.

Prop. XXII. *Eucharistia ad satisfactionem diuinæ iustitiæ iustituta est.*

OLim Romani, cùm in aliquo cum hostibus conflictu victi recederent, coacto magno militum numero aduersùs hostes, tanquam leones ignem spirantes, reuertebantur, & non contenti victoriam reportare, in eodem loco, in quo victi fuerant, victores esse nitebantur, vti Aureliano Cæsari contigisse eorum narrant historiæ : neque enim alio pacto sibi satisfactum esse arbitrabantur. Victi nos ab hostibus in primo parentum nostrorum peccato manifimus & quamuis nos fuissemus victi, Deo iniuria irrogata fuit, quare volens Deus sibi satisfactionem fieri, & nobis in eadem in qua victi fuimus, re, placuit Deo sumere de hoste vindictam. Victi in cibo fuimus, in cibo & victu victoriam voluit reportare : in cibo mortem nobis intulit hostis, in cibo isto cœlestem vitam recuperauimus, dicente Domino : *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Prop. XXIII. *Eucharistiæ mysterium non quæ admirabile, ideo & incredibile.*

Considera nunc vtrum præstantior sit panis Angelorum, aut caro Christi, quæ vtique corpus est vitæ. Manna illud è cœlo, hoc supra cœlum. illud cœli, hoc domini cœlorum. illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum seruaretur : hoc alienum ab omni corruptione, quod quicumque reliquus gustauerit, corruptionem sentire non poterit. illu aqua de petra fluxit, tibi sanguis è Christo. illos ad horam satiauit aqua, te sanguis diluit in æternum. Iudæus bibit & sitit : tu cùm biberis, sitire non poteris. Et illud in vmbra, hoc in veritate. si illud, quod miraris, vmbra est, quantum illud est, cuius vmbram miraris ? Audi quia vmbra est quæ apud Patres facta est. Bibebant, *inquit*, de consequenti petra, petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum complacitum est Deo : *nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figuram facta sunt nostri. Cognouisti præstantiora ? potior eternim lux quàm vmbra, veritas quàm figura, corpus autem Christi quam manna de cœlo. Forte dicas : aliud vides, quomodo tu mihi asseris quod Christi corpus accipiam ? & hoc nobis adhuc superest, vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis ? Probemus non hoc esse quod natura fornauit, sed quod benedictio consecrauit : maioremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses, proiecit eam, & facta est serpens. rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam, & serpentis, & virgæ. Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu, subitò de fontium venis sanguis cæpit erumpere. Si non*

Exod. 7. 19. 20. 21.

» *Non erat potus in fluuijs. rursus ad Prophetæ preces cruor ces-* A
» *sauit fluminum , aquarum natura remeauit. Circumclusus*
» *undique erat populus Hebræorum , hinc Ægyptijs vallatus,*
» *inde mari clausus. Virgam leuauit Moyses , separauit se aqua,*
» *& in murorum speciem congelauit , atque inter undas via pe-*
» *destris apparuit. Iordanis retrorsum conuersus contra natu-*
» *ram in sui fontis reuertitur exordium. Nonne claret naturam*
» *vel martimorum fluctuum , vel fluuialis curjus esse mutatam?*
» *sitiebat populus patrum, tetigit Moyses petram , & aqua de*
» *petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata est gratia,*
» *vt aquam vomeret petra , quam non habebat natura? aduer-*
» *timus igitur maioris esse virtutis gratiam quam naturam , &*
» *adhuc tamen prophetiæ benedictionis numeramus grattam.*
» *Quòd si tantùm valuit humana benedictio , vt naturam con-*
» *uerteret , quid dicimus de ipsa consecratione diuina , vbi verba*
» *ipsa Domini saluatoris operantur ? nam Sacramentum istud*
» *quod accipis , Christi sermone conficitur. Quòd si tantum va-*
» *luit sermo Heliæ , vt ignem de cælo deponeret , non valebit*
» *Christi sermo, vt species mutet elementorum? de totius mundi*
» *operibus legisti , quia ipse dixit , & facta sunt : ipse man-* B
» *dauit , & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex*
» *nihilo facere quod non erat , non potest ea quæ sunt , in id*
» *mutare quod non erant? Non enim minus est nouas rebus dare,*
» *quàm mutare naturas. Sed quoad argumentis vtimur? sus*
» *vtamur exemplis , incarnationisque astruamus mysterij veri-*
» *tatem. Numquid naturæ vsus præcessit cum Iesus Dominus ex*
» *Maria nasceretur ? Si ordinem quærimus,vito mixta fœmina*
» *generare consuenit.Liquet igitur quòd præter naturæ ordinem*
» *virgo generauit : & hoc quod conficimus , corpus ex virgine*
» *est. Quid hic quæris natura ordinem in Christi corpore , cùm*
» *præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex virgi-*
» *ni?*

PROP. XXIV. *Eucharistiæ consideratio nos à peccatis cohibet,& ad diuinum obsequium inclinat.*

4. MEmoriam fecit mirabilium suorum misericors & mi- *In Clem.*
vnic. de
reliq. &
venerat.
sanctor.
Luc. 22.
19.
Ecclesi. 29.
20.
Matth. 11.
28.
Luc. 22.
19.
1. Cor. 11.
24.
Psal. 110.
4.
Psal. 77.
24.
Psal. 104.
41.
Psal. 113.
8.
Psal. 32.
9.
Psal. 148.
5.
Psal. 32.
*6

illud vides, aut etiam cogitas, tibi sic Dominum allo- A quentem: Attende anima quid pro te feci, quid pro te tuli, quot iniurias, blasphemias, flagella, spinas, clauos, dolores, tristitias, cordis afflictiones, & qualem in cruce mortem pertuli, & tu fili pro me quid facies? quid patieris? oportet amorem mutuum esse, ego te ad mortem vsque dilexi, mortem autem crucis; tu vsque ad quid me diligis? quis non lacrymis perfusus respondeat: Domine vsque ad mortem etiam. Quis mihi det vt moriar pro te, pater mi Iesu, Iesu pater mi? si tu pro me, quid mirum si ego pro te? quis tu? quis ego? Quis tu, vt pro me sic moriaris? quis ego? vt pro me patiaris? quis tu, vt pro te non moriar ego? quis ego, vt pro te mori dignus sim? Ecce quid Dominus Iesus per hoc diuinum memoriale à te vult.

Heu quàm longè à ratione ista sunt qui mortaliter peccant: hi enim non solùm non gratias Christo pro cruce & morte referunt, ingratissimi prorsus reũ etiam ipsum modò cruci affigunt. Apostolus hoc dicit, *rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* quid *Ad Heb. 6.6.* B est, rursum crucifigentes? numquid non iam in cœlo gloriosus & impassibilis Christus in dextera Patris sedet? cur igitur ait, peccantes iterum illum nunc crucifigere? dices crucifigunt, quantum est in se, quia quantũ est ex parte peccati, non minor crux est Deo, quàm crux illa Caluariæ montis, imò multò maior, & acerbior. ita est: sed audi, quod animaduersione dignissimum est, non solùm quantùm est ex se præcisè, sed verè & de facto nunc peccans peccato suo ad præteritam passionem Christi, ex nunc pro tunc, concurrit. Dicito enim mihi, si is qui modò peccat, mortaliter non peccaret, peccatũ huiusmodi concurrisset vmquam ad Christi mortem? minimè rursum antequam hoc peccatum commissum esset, concurrit? minimè: nam quod non est, non potest talem concursum habere. Concurrit ergo ad passionem ex eo tempore, quo perpetratur in illud, quo Christus passus est, quali per quandam retrogradationem. Explicemus hoc amplius. Si, dũ tentaris, modò ad peccandum, diceres, nolo peccare, & resistéres peccato, peccatum hoc nequaquam concurrisset in C passione Christi, ergo modò in manu & potestate tua est, quòd hoc peccatum, quod poteras modò facere, non concurrat, nec concurreret vmquam: ergo nũc potes non concurrisse tunc, ergo si vis peccare nunc, nunc etiam concurrere vis, & incurrere in mortem Christi, nunc conspiras in necem eius. Heu, Deus omnipotens, quid hoc, potes, si vis, modò non concurrere in doloribus & morte Christi, non peccando, & nihilominus vis peccare nunc; nunc igitur est quando vis crucifigere filium Dei, rursum igitur quantùm est ex te, crucifigis, & nunc crucifigis. Hæccine igitur reddis Redemptori tuo? O Christiane: hæccine est gratiarum actio pro passione Domini tui pro te passò? fateor, Pater, me ista non animaduertisse, *no quiera Dios mas, que de aqui adelante concurrir, si aora pudiera no auer concurrido, lo procurarà, y pues por los pecados venideros, esta en mi mano no concurrir, ni hauer concurrido con ellos, asi lo propongo firmissimamente, no quiero conspirar mas, o con mas pecados en la muerte de mi Redemptor, demi Dios y mi señor, sinò seruir solo con la vida y con la muerte Amen.* Ad hoc igitur deseruit hoc tam superexcellens memoriale sanctissimæ Eucharistiæ.

PROP. XXV. *Eucharistia ad mutuum nos obligat & deuincit amorem.*

Hom 24. 1. Cor. 10.17. S Chrys. in id, *Vnus panis vnum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus, nam sicut panis ex multis granis vnitur, vt minimè grana appareant, sed tamen grana sunt, in certa discretione coniuncta; sic inuicem coniungimur Christo: non enim ex altero corpore tu, & ex altero corpore ille educatur, sed ex eodem omnes: ideo ait: Vnus panis, vnum* A *corpus sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Ita ille. Vis autem huius rationis in hoc consistit, quòd, vti S. Aug. ait: *Non nos in nos conuertimus Christum quando sumimus Eucharistiam, sed nos mutamur in Christum,* ideo quippe dicitur panis viuus. si viuum quid sumeres, quod viuum intra te esset, te illud absumeret, & non tu mutares illud in te, sed tu mutareris in illud. Sicut si v.g. Ionas, quem viuum deglutiuit cete, intra viscera eius consistens, eiusdem cete carnem comederet, ipse Ionas cete in se conuerteret, & non conuerteretur ab illo: sic etiã dum panem hunc viuum accipimus, ab eo conuertimur in ipsum, & non conuertimus illum in nos. quamobrem dum bene communicamus, omnes in Christum conuertimur, & veluti vnum corpus efficimur, omnes in illo eius Deitatem, & humanitatẽ & merita, & mores participantes. hinc charitatis vincula inter nos manifestantur: charitas enim, quæ amor diuinus est, in vnione consistit, & separationem repellit. quare vbi odiũ est, vnio non est, quòd si vnio non est, qui dissident inter se, non sunt cum Christo, & in Christo, vnũ. Quòd si in eo vnum non sunt, non rectè & verè participant de vno illo pane viuo. Videant igitur, & attendant qui proximũ prosequuntur odio, quòd, quamuis materialiter Eucharistiã sumant, non vniuntur vitaliter & spiritualiter Christo: vnde non dignè, sed indignè hi Eucharistiã sumunt. Huius enim signũ est amoris in proximum defectus, cùm amor hic effectus sit Sacramenti huius. Vnde in primitiua Ecclesia, quando fideles vnanimiter perseuerabant in fractione huius panis, *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.*

PROP. XXVI. *Eucharistia omnibus æquè concessa est.*

HOc inter mirabilia huius Sacramenti numerat S. Thom. quòd sine discrimine vocentur æquè diues & pauper, nobilis & ignobilis, magnus, & paruus, dominus & famulus eius, licèt empititius seruus sit. *O res mirabilis!* ait S. Thom. in prosa, *manducat Dominum pauper, seruus, & humilis.* Ad mensas regum non omnes inuitantur, sed hi tantùm, qui ex regio genere sunt: vnde princeps ille Aman, quantumuis princeps esset, & principum omnium, qui in curia regia regis Assueri erant, facilè princeps, hoc pro maximo duxit, quòd ad mensam regiam inuitaretur. Audi verba lacra, *exposuit illis* (amicis videlicet) *magnitudinem diuitiarum suarum, & quanta cum gloria super omnes principes, & seruos suos rex eleuasset.* Et post hæc ait: *Regina quoque Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege præter me, quem etiam cras cum rege prandsurus sum.* Ecce quanti faciebat princeps hic magnus regali conuiuio frui. Regale prorsus, ac diuinum conuiuium Eucharistiæ dicendum est, in quo sc. Deus ipse sumitur à nobis: reges igitur tantùm ad illud vocandi videbantur; Deus autem non solùm reges, sed etiam ciues, non solùm diuites, se etiam pauperes, non solùm dominos, sed etiam famulos & seruos, mensæ suæ accumbere non solùm D permisit, sed monet, ac iubet.

Audi Christum Dominum sub nomine magnæ cœnæ sic de Eucharistia prædicantem, *Exi* (ait ad quendam seruum suum) *cùò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Et subdit: *Et compelle illos intrare.* Sic summus Pontifex, qui famulus, & minister Christi est, non solùm consulit, sed compellit sub interminatione peccati mortalis, & excommunicationis censura, omnes Christi fideles, cuiusc̃umque conditionis sint, ad sumendam Eucharistiam accedere. Hoc sic expendit S. Chrysostom. 18. in 2. ad Cor. *Cùm tremenda mysteria percipienda sunt, æquè omnes admittimus ad ea: non sicut in veteri testamento alia sacerdos, alia subditus edebat, nec plebi sua erat*

erat is vesci, quibus sacerdos vescebatur : nunc autem secus A *se res habet, omnibus fiquidem vnum corpus Christi datur.* ita S. Chrysostomus.

Prop. XXVII. *Sacrificium Eucharistiæ quàm gratum Deo sit.*

n. 16. *Erit firmamentum in terra, superextolletur super Libanum fructus eius, &c.* Satis explicuimus suprà locum istum de sancto Eucharistiæ sacrificio : nam secundum translationem Sanct. Hieronymi ex Hebræo vbi nos legimus, *Erit firmamentum in terra*, ipse transfert, *erit memoriale tritici in terra.* Eucharistia quidem memoriale passionis Christi ab eodem Christo nuncupatur, dicente : *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis, &c.* Felix autem peritissimus Hebraicæ linguæ, ex familia Eremitarum S. Augustini, super hunc locum sic scribit : *Hoc tantùm dixisse velim, quòd non modicum fidei nostræ confert : quoniam vbi nos possimus in textu, erit multiplicatio frumenti in terra, &c. quidam Hebræorum exposuit sic, erit deprecatio, & complacentia frumenti* B *in terra. vbi ostendit maximum sacramentum, quippe frumento, id est, sacrificio panis, quicumque deprecaturus est Deum, vel Deo optaturus placere, panis sacrificio perficiet.* Ita ille : secundùm quam interpretationem ideo huius frumenti erit complacentia in terra, quoniam in hoc frumento, in hoc pane, Deo Patri beneplacitum erit, iuxta id quod Pater ipse testatus fuit : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* quòd si tunc in transfiguratione bene illi complacuit, in transfixione quantùm illi complacebat, cùm pro nobis mortis suæ sacrificium Patri offerret ? sacrificium autem Eucharistiæ idem est cum sacrificio crucis, & quamuis illud, cruentum, hoc verò incruentum sit, non tamen beneplacitum minùs Patri. Quid igitur non obtinebit à Patre, qui tale illi sacrificium offert ? Si olim sacrificia veteris legis, in quibus oues & boues offerebantur, gratissima Deo erant, eò quòd sacrificium hoc mortis Christi & Eucharistiæ repræsentabant ; quantò illi gratius erit sacrificium ipsum, propter C quod illa sic Deo grata erant, secundùm regulam illà : Propter quod vnũ quodque tale, & illud magis, &c.

Grata quidem olim fuerunt Deo sacrificia veteris legis ; adeo vt de holocausto auium dixerit : *Holocaustum est, & oblatio suauissimi odoris Domino.* itane aliquid in terra esse poterit, quod suauissimi odoris possit esse Domino Deo ? Est, inquit, non quidem electrum, vel succinum, sed holocausti hostia. quid igitur in tali sacrificio est, quod ita placeat Deo ? id quidem, quòd huiusmodi sacrificium, huius sacrificij corporis Domini nostri Iesu Christi figura & vmbra erit ? Si ergo vmbra illa suauissimi odoris erat Deo, quid sacrificium ipsum verum, cuius vmbra illud fuit ? Neque enim pecudum & auium strages, & combustio ex se Deo grata erat, sed propter sacrificium Christi, quod repræsentabat ; propter quod autem vnumquodque tale, & illud magis.

Quid, inquies, in hoc Christo sic Deo Patri gratissimum fuit quid ? summa eius & perfectissima obedien- D tia pro inobedientia nostra oblata : factus enim pro nobis fuit obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. secundò altissima eius humilitas pro superbia nostra : *humiliauit enim semetipsum, factus obediens,* &c. humiliauit se vsque ad opprobrium crucis, inter duos latrones affixus. tertiò ardentissima eius charitas pro tepiditate nostra : *cùm enim dilexisset suos, in finem dilexit eos.* quartò placuit Patri eximia patientia eius pro iracundia nostra oblata, ita vt non solùm ferret crucifigi, sed etiam pro crucifixoribus exoraret. quintò placuit in hoc sacrificio Patri feruens ille zelus honoris diuini, & salutis animarum, pro remissione diuinæ iuriæ, & culpa nostra oblatus. Sed quid ego arenas maris enumerare contendo ? quis quæ Patri in hoc sacrificio placuerunt, enumerare valet ? Denique oblatus est filius Patri, oblata vita illa in remedium mortis nostræ ; quidni summè placeret Deo sacrificium quod infinitæ virtutis est, Deo summè glorioſum nobis autem prorsus salutare?

Vnde duplex & ingens commodum in genere ex hoc diuino Sacramento reportamus, primum est, quòd nobis in cibum datur ; ex quo plura & sublimia bona nobis obueniunt : secundum est, quòd nobis in sacrificium sit, quo semper Deum Patrem pro quotidianis culpis placare possimus & quod in huiusmodi vsum nobis exhibitum sit contra infamientes hæreticos nostri temporis. Longè ante institutionem eius prophetauit regius Propheta : *Erit firmamentum in terra in summis montium, super Libanum fructus eius, & florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ.* Imprimis locum hunc de Christo Domino intelligendum esse, non solùm Ecclesiastici nostri Doctores, verùm etiam Hebræorum Rabbini & magistri fatentur. quid verò hîc intelligat *per firmamentum in terra in summis montium*, inuestigandum est, S. Hieronymus ex Hebræo, transfert : Memorabile triticum. Iam hinc constare cœpit quid sit hoc firmamentũ, memorabile scilicet triticum : quodnam autem aliud esse dices, memorabile triticum, nisi illud, quod in memoriam sui Christus exhibuit, dicens : *Hoc facite in meam commemorationem.* Ioannes Reuchlius ait : *Firmamentum significare placentam frumenti.* idem Paulus Burgensis, quare nonnulli Hebræorum sic legunt locum hunc : *Erit placenta frumenti in terra, in capite montium.* Quid est in capite montium ? translatio Chaldaica, quæ Targim, vel Targum dicitur, hoc exponit, dicens : *Erit placenta tritici in capitibus Sacerdotum*, ita dixit, & ita quidem est, Sacerdotes in Ecclesia Christi montes dicuntur, secundùm illud quod paulò ante dixerat idem rex Dauid : *Suscipiant montes pacem populo,* super capita horum sacerdotum erit, inquit, placenta frumenti. Ita impletum ad literam videmus, quia super venerandum Sacerdotum nouæ legis caput, hostia, seu placenta frumenti, eleuatur ostendenda & adoranda populo Dei, & in memoriam ipsiusmet, qui in hostia continetur Christi videlicet, qui in conspectu omnium eleuatus fuit in cruce, & pro nobis omnibus oblatus Patri.

Psa 71, 16. *Luc. 22. 1. Cor. 11 25. In lib. de rudimẽt. Eccl.* *Psa 71, 3.*

In huius confirmationem est, quod in commentariis Indæorum habetur super illud, *Quid est quod fuit? ipsum quod erit*, vbi sic legitur, Rabbi Barachias dixit in nomine Rabbi Isaac : *Quemadmodum fuit redemptor primus, sic erit redemptor vltimus : sicut enim redemptor primus fecit descendere mannã, ita redemptor vltimus erit placenta frumenti in terra.* Ita ibi. Vocat redemptorem primum, vel Deum ipsum, qui eduxit eos de terra captiuitatis Ægypti, vel Moysen ; ob cuius merita Deus pluit mannam : redemptorem secundum vocat Messiam, seu Christum Dominum nostrum, quem non dicit daturum placentam frumenti, sed futurum, vt vel ex ipsiſmet Rabbinis expositionem nostram confirmatam contra hæreticos videamus.

Eccl. 1, 9.

Quare non tacebo, quòd Rabbi Moses Hardalem non solùm interpretatur hunc locum de Messia ; verùm etiam asserit intelligendũ esse de sacrificio Christi, verba eius sunt : Dictum est : *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. & quis est iste ? iste erit rex iustus, & saluator, rex Messias, sicut dictum est :* Ecce rex tuus venit tibi, iustus, & saluator, *& quid docet vel monstrat dicendo, protulit panem, & vinum, quasi dicat, erit placentula tritici in terra, & hoc ipsum est quod scriptum est, & ipse sacerdos erat Dei altissimi.* Hæc ille. Vbi manifestè hanc placentam nostram frumenti fatetur pertinere ad sacerdotium & sacrificium Christi, præ-

Psa 109, 4. *Zach. 9, 9.* *Gen. 14, 18.*

figura-

figuratum in sacrificio Melchisedech, qui panem & vinum obtulit: sic enim in pane & vino Christus Dominus sacrificium hoc confecerauit. Vnde Rabbi Ionathas sic versum istum exposuit: *Videat qui habet oculos, quòd ipse sit Messias, de quo loquitur totus Psalmus. cùm ergo erit*, erit placenta frumenti in terra, in capite montium, *vult dicere, quòd placenta panis fiet sacrificium in capitibus Sacerdotum.* Ita ille. Quo quid clarius potuit dici pro sententia nostra contra hæreticos? Addam quod habet Targum Chaldaicæ translationis Ionathæ, *Erit* (inquit) *sacrificium panis in terra in capite montium.* Ita ille. Nota sacrificium, non solum cibus, sed sacrificium & hostia Deo.

Tandem Felix ex Iudæo paucis abhinc annis in Christianum conuersus, hcmo pius, & doctus, sic ait: *Hoc tantum dixisse velim, quod non modicum nostræ fidei confert, quòd vbi nos posuimus in textu*, Erit multiplicatio frumenti, *quidam Hebræorum sic exposuit: Erit deprecatio & complacentia frumenti in terra, vbi ostendit maximum sacramentum, nempe sumento, id est, sacrificio panis, quicumque deprecaturus est Deum, vel Deo optauerit placere, panis sacrificio perficit.* Ita ille. Secundùm quem sensum id quod in propositione hac intendimus, constat; quòd scilicet sacrificio isto Eucharistiæ Deo placere, & ipsum placare facilè possumus: Filium enim ei offerimus, de quo ipse testatus est non semel: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Quare non solùm expositores Christiani, quales fuerunt Nicol. de Lira, Paulus Burgensis, Iacobus de Valentia, Felix, Tittelm. Iacobus Faber, Stapulensis, & Ioannes Eckius; sed etiam Rabbini ipsi Iudæorum, inimici nostri, ita exponunt, vt diximus, locum istum. Fructum autem ex huiusmodi sacrificio colligendum, subdit Propheta, dicens:

Matth. 12. 18

In annot. Hebr sup. Psal. Lib. 1. de sacrificio Missæ, c. 6.

superextolletur super Libanum fructus eius, hoc est, altior, sublimior, & excelsior erit fructus ex hoc sacrificio procedens, quàm sit sublimitas cedrorum in monte Libano, hoc est, nullus vberior & excellentior fructus nec præterea copiosior: nam florebunt, virescent, & multiplicabuntur ex eo in terra fideles, ex infidelitate conuersi, sicut herba terræ, cùm è cœlo abundans imber fluit: nam Deo iucundissimum & gratissimum fuit, & est quotidie in Missis sacrificium filij sui. Sit ipse benedictus in fœcula, qui sic nos gratificauit in ipsis Patri suo, & Deo nostro.

Hinc est quòd ad impetrandum à Deo ea, quæ iuste & piè desideramus, aptissimum sit hoc sacrificium Christi: sicut enim Christus Dominus nunc in cœlo pro nobis orans, & pro nobis passionem suam Patri repræsentans, magna multaque bona impetrat nobis; ita etiam per ministros suos sacrificium hoc Patri offerens, suam quæ passionem commemorans, idem impetrationis beneficium nobis confert: nam sacerdos in sacrificio Missæ repræsentat personam Christi. Vnde rectè dici potest, quòd Christus est, qui per sacerdotem offert, vt docet S. Thom.

3. p. q. 83. ar. 1. ad 3.

Vnde Concil. Trid. huius diuinissimi Sacrificij sublimitatem augens, ait: *Hæc illa oblatio est, quæ per varias sacrificiorum naturæ & legis tempore, similitudines figurabatur, vtpote quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio & perfectio, complectitur.* Ita Concil.

Sess 22. c. 1. in fine.

Præterea, quanta sit excellentia huius admirabilis Sacrificij, nullis verbis meliùs me existimo explicare posse, quàm illis Concilij Triden. vbi ait: *Et quoniam in diuino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum obtulit cruentè; docet sancta Synodus sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri vt, si cum vero corde & recta fide, cum metu & reuerentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus; misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens, sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.* Cuius quidem oblationis cruentæ fructus per hanc vberrimè percipiuntur, tantùm abest vt illi per hanc quouis modo derogetur. Quare non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offeratur. Ita Concil.

Erant quidem sacrificia veteris legis meritoria, satisfactoria, & impetratoria; sed quidem hoc vnum Sacrificium nostrum, omnia illa simul in vnum collecta in immensum excedit, tum in principali offerente, qui est Christus Dominus, vt ex dicto Concilio Tridentino patet; tū ex re oblata, quæ est corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi; tū ex efficacia ex opere operato; tum ex valore ad impetrandum, & satisfaciendum, & merendū, propter realem Christi præsentiam, & oblationē; tum quia excellentiori modo complectitur bonum. Dices, sacrificia illa, quatenus cruenta erant, videntur expressiùs significasse sacrificium cruentum passionis Christi. Respondetur quòd neque in hoc excellunt, quia id significabant per alienum sanguinem; nostrum verò sacrificium Missæ per proprium sanguinem Christi, quem realiter continet præsentem; effusio autem illa sanguinis horrorem nonnullum habet, qui dignitatem legis Christianæ non ita decet, sed alia magis mystica, quæ altior & à sensibus abstractior est.

Prop. XXVIII. *Quàm læta, & plena gaudio sit festiuitas Eucharistiæ.*

Inter omnia festa quæ sancta Dei celebrat Ecclesia, hoc festū corporis Christi maiori gaudio sublimari, lætitia à fidelibus celebratur, & quidē meritò: hoc enim absentia Christi tam eximio affecit dolore Apostolorum corda, vt diceret Dominus: *Tristitia impleuit vestrum.* Sic ex aduersō, eius apud nos mansio ingenti nos debuit afficere gaudio, & consolatione.

Ioan. 16. 6.

Vnde summus Pontifex Vrbanus IV. de hac celebratione agens, *Hæc*, inquit, *est commemoratio gloriosa, quæ fidelium animos replet gaudio salutari, & cum insolente lætitia, deuotionis lacrymas submiscet. In hac itaque sanctissima commemoratione adsunt nobis suauitas gaudij simul & lacrymæ: quin & in ea congaudentes lacrymantes, & lacrymantes deuotè gaudentes, lætas habentes lacrymas, & lætitiam lacrymantem: nam & cor ingens perfusum gaudio dulces per oculos stillat guttas.* Ita Vrbanus.

Vrban. IV. de hac re, c. 3.

Et quidem gaudium hoc vniuersalissimum est: alia quippe festo hoc, vel illo loco, speciali quadam solemnitate, & hilaritate celebrantur, vel quia festum patroni sit, vel tutelaris, vel patricij, vel ratione alicuius miraculi aut beneficij accepti, &c. at festum corporis Christi vbique terrarum fideles omnes eximia celebrant exultatione, & iubilatione, tam in ciuitatibus magnis, quàm in pagis & oppidulis paruis, vbique tripudium, vbique chorææ, vbique variorum. instrumentorum musicæ sonus, vbique processionum frequentia, & signa peregrinæ lætitiæ, vbique gaudia, & in voce exultationis & confessionis sonus epulantis. viæ publicæ floribus & virentibus herbis sternuntur, parietes sericis & auratis tapetibus ornantur, Ecclesiæ & altaria luminibus plurimis, & ornamentis splendent, cantores variis & mille modis, noua cantica promunt. omnia hæc interioris & eximij gaudij vniuersalia insignia signa sunt.

Sed dices, vnū hoc gaudium nostrum è medio eliminare videtur, quòd solennitas ista, in memoriam passionis & mortis Christi instituta est, dicente Domino ipso: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis;* quā-

Luc. 22. 19.

qualis autem sit hæc memoria, explicauit Apostolus Paulus ad Corinth. dicens: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem Dominini bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* ait autem Eccl. *Musica in luctu importuna narratio.* Si quis enim gaudens, & canens, & cytharam pulsans, ingrederetur ad eum, qui dolore nimio patris mortem ploraret, importunus & molestus illi esset. nos quidem in sanctissima Eucharistia recolimus memoriam passionis Patris nostri: sic enim vocauit eum Isaias, *Vocabitur*, inquit, *pater futuri sæculi*, quomodo igitur modò musica & tripudium non fuerit importuna narratio? Respondetur, passionem Christi duplicem habere faciem, & duplicem considerationem. quarum prima est ipsius Domini Saluatoris nostri pœna, dolor, iniuria, & tristitia, & hoc nos lacrymis & dolore cordis intrinseco in hebdomada sancta celebramus: tunc tempus flendi. secundò verò passio Christi considerari potest, quatenus ex magno & eximio Christi Domini amore in nos, procedebat, hoc est, B considerando, non dolorem, sed vt præcisè ex amore promanantem, seu amorem ipsum ex quo passio & dolor Christi promanabat; & hoc magni gaudij materia nobis est. Vnde Vrbanus Papa, *In institutione* (inquit) *huius Sacramenti dixit Apostolis Dominus*: Hoc facite in meam commemorationem: *vt præcipuum, & insigne memoriale sui amoris eximij, quo nos dilexit, esset nobis hoc præcelsum & venerabile Sacramentum.* Ita ille. Memoria autem tam excelsi amoris, quo Deus nos dilexit, quo habituit animam suam pro nobis ponere, dulcissima est, & fons totius exultationis est nostræ. præterea in passione Domini recolere possumus fructum admirandum redemptionis nostræ, quo ex inimicis Dei redditi sumus, non solùm amici Dei, verùm etiam filij Dei, dicente S. Ioanne: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: quod si filij*, ait Paulus, *& hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Vnde ipsummet summus Pontifex Vrbanus ibi ait: C *Hoc venerabile Sacramentum est memoriale super omnia pretiosum, memoriale salutiferum, in quo gratam redemptionis nostræ recensemus memoriam. O digna, & nunquam intermittenda memoria: in qua mortem nostram recolimus mortuam, nostrumque interitum interisse, ac lignum viuificum, ligno crucis affixum, fructum nobis attulisse salutis! hæc est memoratio gloriosa, quæ fidelium animos replet gaudio salutari: exultamus nimirum nostram memorando liberationem, & recolendo passionem Dominicam, per quam liberati sumus; vix lacrymas continemus.* Ita ille. Denique in passione Saluatoris nostri possumus etiam considerare victoriam eius de grauissimis nostris inimicis, peccato, diabolo, & morte, de quibus passione sua Dominus victoriam reportauit, & crucis trophæum erexit. Sic enim ait Concil. Trident. Hoc sacrificio altaris, mortis Domini victoria & triumphus repræsentatur: nónne victoriæ tantæ & triumphi tanti memoriale gloriosum & valde lætificum est? Refert Alexander ab Alexandro, Genialium D dierum, veteres Romanos maximâ pompâ triumphos victoriarum suarum celebrasse, & inter alia, inquit, in triumpho tabula quædam deferebatur, in qua depicta erat causa triumphi, bellum v.g. cum hostibus, & victoria in ea parta. Sic igitur modò in Eucharistiæ festo tabulam, seu memoriam adducimus Dominicæ passionis, non quatenus passio præcisè est, de hac nempe in Quadragesima sit ampla memoria; sed quatenus Christus prædictorum inimicorum victor euasit, & qualiter sapientissimè scilicet & potentissimè de illis triumphauit, hoc, inquit, Concilium Tridentinum, in Sacramento altaris celebramus. Tempus igitur flendi, & tempus ridendi: in hebdomada passionis tempus quidem flendi, nunc verò tempus ridendi, gaudendi & tripudiandi, & totis viribus exultandi.

Denique omissâ nunc passionis memoria, eximiæ nostræ lætitiæ causa est, præsentia, &, vt ita dicamus, A possessio Redemptoris nostri: possidemus enim Christum Dominum, & non solùm facimus eius memoriam. Sic enim idem Pontifex Vrbanus: *Alia namque, quorum memoriam agimus, spiritu mentesque complectimur; sed non propter hoc realem eorum præsentiam obtinemus: in hac verò sacramentali Christi commemoratione Iesus Christus præsens, sub alia tamen forma, in propria vero substantia est nobiscum.* Ita ille, & vltimò subdit: *Memoriale hoc sacratissimum & salutiferum est, in quo à malo retrahimur, & in bono confortamur, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementa.* Ita Vrbanus, quibus verbis breui compendio eximia, quæ ex diuinissimo Sacramento capimus, bona comprehendit. Quid enim ampliùs desiderare valeamus, quàm quòd à malis omnibus liberemur, & bonis omnibus fruamur? ex hoc igitur fonte emanat vtrumque, & liberatio scilicet ab omni malo, & totius boni consequutio: quidni prorsus gaudeamus? quidni penitus exultemus? sed inter gaudia hæc memento, neminem meliùs hoc festum celebrare, quàm qui debitè communicat, & sacram suscipit Eucharistiam. Vnde Papa Vrbanus sic loquitur ad Prælatos: *Subditos vestros in Dominica præcedenti feria quinta festi Corporis Christi salutaribus monitis solicitè per vos & per alios exhortamini, vt per veram & puram confessionem, eleemosynarum largitionem, sedulas orationes, & alia deuotionis & pietatis opera, taliter se studeant præparare, vt huius pretiosissimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die, posintque ipsum suscipere reuerenter, & eius virtute augmentum suscipere gratiarum.* Ita ille.

In supradicta Clementina.

Vbi supra.

EVCHARISTIÆ EFFECTVS.

PROP. I. *Quàm vtilis sit dignè sumenti Eucharistia.*

2. *Per sumptionem Eucharistiæ merita Christi maximè nobis applicantur.*
3. *Eucharistia deificat dignè sumentes*
4. *Eucharistia auget valde gratiam & sanctitatem.*
5. *Eucharistia habitum claritatis valde in nobis auget.*
6. *Eucharistia dat gratiam secundùm dispositionem communicantis.*
7. *Eucharistia vitam æternam nobis confert.*
8. *Eucharistia mutuam charitatem præstat.*
9. *Vitam & vires animi sustentat Eucharistia.*
10. *Eucharistia ipsam salutationis confirmat.*
11. *Per sumptionem Eucharistiæ remittuntur peccata venialia.*
12. *Per sumptionem Eucharistiæ aliquando etiam dimittuntur peccata mortalia.*
13. *Eucharistia intellectum illuminat.*
14. *Eucharistia est antidotum, & remedium contra vitiosos affectus carnis nostræ.*
15. *Eucharistia confert vires ad superandas passiones.*
16. *Datur nobis Eucharistia, vt vita nostra vita Christi assimiletur.*
17. *Eucharistia præseruat à peccatis.*
18. *Eucharistia nobis administrat arma, & vires aduersus animæ hostes.*
19. *Eucharistia quàm satisfactoria sit pro peccatis.*
20. *Eucharistia fons est eximiæ dulcedinis, & consolationis cordis.*
21. *Per Eucharistiam Dominus nostris satisfacit desiderijs, & saciat corda nostra*
22. *Peccatum Eucharistia gustum tollit.*
23. *Eucharistiam sumere magnum solatium nobis præstat in laboribus nostris.*
24. *Eucharistia digna sumptio, non solùm animæ, sed etiam corpori prodest.*
25. *Eucharistia, sicut & confessio, valde nocent male dispositis, & indignè vsurpantibus*
26. *Quàm efficax pro nobis oblatio sit Eucharistia.*

Prop. I. *Quàm vilis sit dignè sumenti Eucharistia.*

Oseæ 14. 8. Conuertentur sedentes in vmbra eius, viuent tritico, & germinabunt quasi vinea, memoriale eius, sicut vinum Libani: conuertur sehan muchos a Dios y sentados a su sombra, viuiran con el trigo, y brotaran como las cepas de la viña, y sera su memorial como el vino del monte Libano. Sanct. Hieronymus, S. Cyrillus, Rupertus Abbas, & communiter sancti expositores, locum istum exponunt de conuersione Israelitarum ad Christum Dominum: quòd autem hîc speciatim agat de Sacramento Eucharistiæ, vt aliqui hic notant, patet ex vltimis verbis, vbi *memoriale* Dei dicit, quia in sui memoriam illud nobis Dominus reliquit, dicens: *Hæc quotiescumque fecertis in mei memoriam facietis. Conuertentur*, inquit, *sedentes in vmbra eius.* Septuaginta sic legunt: *Conuertentur & sedebunt*, vbi S. Hieronymus, *cum conuersi fuerint ad Dominum* (multi scilicet infideles ad Christum) *accipient conuersionis suæ præmium, vt sedeant in vmbra eius.* Ita ille. Vmbram autem vocat protectionem & tutelam Dei, secundùm illud, *In vmbra tua viuemus*, hoc est, in protectione tua, vt ait S. Hieron. Hoc animaduertant, qui ex toto corde se Deo tradunt, nunquam illis defuturam diuinam protectionem: quòd si ille pro nobis, quis contra nos? Secundò, *vivent*, inquit, *tritico*, iuxta illud Christi Domini, *Patres vestri manducauerunt mannam in deserto, & mortui sunt: qui manducat hunc panem viuet in æternum.* quòd si nullam quidem aliam vtilitatem Eucharistia contineret, hæc satis superque foret, vt omnes diuitias, omnemque thesaurum eam computaremus: sic enim rem aliquam supremi esse momenti explicare solemus: *Diziendo Señor va me la vida en esto.* ait ergo Christus: *Nisi manducauertis carnem filij hominis, & bibertis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sed vt copiosissimum huius Sacramenti fructum explicaret, subdit: *germinabunt, quasi vinea.* inter fructifera ligna, nullum ita copiosè & abundanter fructum profert, sicut vitis: videbis in hyeme vitem aspectu quidem siccam; & vnicum virgultum debile continentem, attamen æstate superueniente, quot palmites, quotque vuarum botros emittat, omnes frequèter admiramur. & hoc non sicut arbores alix, quæ, si altero anno fructũ proferunt, altero fructu carent: nó sic vitis, non sic, sed singulis annis copiosum reddit fructum. ideo igitur fructum Eucharistiæ fructui vitis comparauit, quia sumentibus dignè eximium spiritualium bonorum fructum præbet: mentem enim illuminat, voluntatem in Dei amorem accendit, memoriam Dei excitat, cor nostrum in aduersis corroborat, animam ad bona confirmat, virtutes procreat, vitia expellit, tentationes vincere facit, passiones moderatur, gratiam nimis auget, & merita vitæ sempiternæ.

1. Cor 11. 25.

Thren 4. 20.

Ibid 54.

Oseæ 14. 8.

Sed quod maximè hic obseruandum, & animaduertendum est, fructum vitæ æternæ, & tantorum bonorum hoc Sacramento facili negotio, & absque labore nostro nobis dari; cùm tamen pretio magno constiterit Christo Domino, id nobis præstare. Quod quidem tritici nomine nobis repræsentasse videtur hîc Oseas Propheta, *Vivent*, inquit, *tritico*, bone Deus! quot quantisque martyrijs, vt ita dicamus, triticum ad hoc peruenit, vt nos ex eo manducemus, & viuamus! seritur & sepelitur viuum in terra, ibique moritur, vt fructum multum ferat. inde pullulat, sed priusquam ad maturitatem perueniat, diu frigoribus & caloribus, pluuijs, & niuibus, ventis & inclementijs cœli expositum manet. maturum autem cùm fuerit, falcibus messorum metitur, in aream delatum, teritur, cribratur, voluitur, & reuoluitur, recluditur postea in horreis, vbi iam à laboribus cessare videtur, sed inde extractum, iterum purgatur, & in molendinum delatum, sub asinaria mola teritur & conteritur; reductum verò in domum succernitur, pinsitur, subigitur, fermentatur, & tunsionibus adaptatur, vt in furnum mittatur, vbi decoquitur igne & tandè dentibus manditur, & comeditur. Bone Deus quantis cruciatibus subditur triticum, vt cibus noster efficiatur! Sic igitur Christus Dominus, qui se frumento comparauit, dicens: *Nisi granum frumenti*, &c. vt in hoc Sacramento Eucharistiæ nobis in panẽ daretur, in panem, inquam, continentem bona illa enumerata, & alia quæ numerare & attingere nescimus, quot labores, opprobria, iniurias, calumnias, irrisiones, sputa, vincula, alapas, spinas, clauos, dolores crucis, & mortem pertulit cruciatus. Omnem autem fructum, quem his laboribus assequutus, & omnes gratiæ diuitias, quas his doloribus lucratus fuit, in hoc Sacramento contulit nobis, non quidem vt similibus laboribus subiectos adiunctis, bonis tantis fruamur; sed solùm huius cibi efficaiter enim: *Accipite, & manducate*, manducando potimur ijs, quæ sic laborando Dominus acquisiuit: hac igitur ratione se ille triticum nominauit. Quod quidem beneficium similitudine alia ostẽdamus: Nutrix quædam regis infantem nutrit, infans ille in grauem & mortalem incidit morbum, medici pharmacũ, seu potionem sumendã puero præscribunt: sed obstat infantili ætas, obstat virium defectus: nequeenim infantis illius teneritudo patitur vim & acrimoniam pharmaci ipsius. Quare nutrici medici iniungunt, vt potionem illam suscipiat, vt calore suo decoctam, & in lac conuersam, virtus eius ad infantem, lac fugentem, perueniat. adfertur potio, sumit manibus eam nutrix, quæ potionis odorem sentiens; & pharmaci spissitudinem & potionis colorem turbatum aspiciens, horret, auertit oculos, stomachatur, & ait: Quid mihi cum medicamento horrido isto? ego quidem sana sum, valeo, & ferre non valeo pharmaci horrorem, *solo ver la purga me vebn la entrannas, y me hazè dar mil arcadas*, sed tamen quia ita expedire saluti principis videt, animæquior facta, & pusillanimitatem excutiens, vas potionẽ continens ambabus manibus sumens, clausis oculis sumit. & vsque ad fęces ipsas ebibit, & pharmacum in lac conuersum, tribuens infanti, à morte liberum reddit. Rectè quidem Christus Dominus dicere potuit: *Ego quasi nutrivus Ephraim portabam eos*, &c. homo autem, quem Deus ab initio nutriebat, in languorem incidit mortalem, cum in mortalem cecidit culpam; oportebat autem illum, pro infirmitatis qualitate, pharmacum accipere, vinibus suis prorsus impar: neque enim purus homo pro peccato illo iustè satisfacere valebat. Ne autem sic Dei creatura periret, voluit Deus homo fieri, & pharmacum salutis nostræ suscipere: at visa amarissima potione & turbida prorsus, horruit haud dubiũm & dixit: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*, nimirum horribilis erat: sed tamen nobis necessarius: id agnoscens, subdidit: *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat*, & vtraque manu & libentissimo animo crucem arripiens, calicem ebibit vsque ad fęces, & in lac, salutis pharmacum, conuertens, & nobis exhibens, salutem pariter exhibuit. Quidni lac dixerim hostiam consecratam, & veluti lac albam, & suauem, in qua labores & dolores Christi occultè continentur? ibi alapæ, ibi flagella, ibi claui, ibi crux, ibi passio, ibi mors Christi sub albedine & dulcedine hostiæ continentur: illi labor, mihi sapor, illi amaritudo, mihi dulcedo, illi mors, mihi vita. Sit ille in fœcula benedictus. Ecce igitur quid sit nobis Eucharistiæ Sacramentum, pharmacum vitæ nostræ, amaritudine & horrore carens.

Est quidem Sacramentum hoc antidotum aduersùs peccata, tentationes minuit, affectus regit, fidem illuminat, spem confirmat, charitatem inflammat, deuotionem excitat, prudentiam regit, fortitudinem roborat, iustitiam firmat, temperantiam alit, conscientiam lætificat, afflictos consolatur, tepidos accendit, pigros

pigros vrget, ignorantes illuminat. denique, vt B. Petri verbis vtar, homines *diuinæ naturæ efficit consortes.* quid enim non boni ex fonte ipso bonitatis, promanabit? hæc autem omnia ita experiuntur hi, qui quanta possunt deuotione, puritate mentis, & innocentiâ vitæ, ad hanc cælestem mensam frequenter accedunt: vt quamuis hoc Sacramentum *mysterium fidei* à Christo Domino nuncupatum sit, propter multa, quæ in eo supra sensum nostrum concurrunt, nihil inter omnia dogmata fidei nostræ credibilius esse videatur. Vt enim Magi Pharaonis, cùm Moysen viderent ea
1. signa facientem, quæ ipsi facere nequibant, *Digitus Dei est hic*, aiebant, virtutem Dei supernaturalem in illis signis esse agnoscentes: sic cùm viri perfecti eos, quos diximus, affectus, & effectus intra seipsos sentiunt & experiuntur; facilè adducuntur, vt concedant cœlestem in hoc Sacramento & supernaturalem virtutem inesse: neque enim naturali vi sua id præstare se posse perpendunt. Vnde alia fidei dogmata credunt fideliter: ad hoc autem credendum non modò fidei lumine, sed quotidianis quoque experimentis, quæ omnem superant admirationem, excitantur. Sicut enim sol suo se lumine prodit, ita diuinum hoc sacramentum, in quo ipse sol iustitiæ delitescit, internæ lucis radijs, quibus piorum mentes illustrat, maiestatis suæ splendore se mirabiliter in corde manifestat, & vt Sanctus Cyprianus ait, *inuisibili efficientia virtutis diuinæ adesse præsentiam probat.*

Cùm mirabilis Eucharistia in anima producat effectus, ex illis, sicut ex vngue leonem, colligere licebit, an ritè & vti par est, ad legitimè communicandum quis accedat: hos autem effectus breuiter ex ipsomet Sacramento, seu ex modo, quo Christus existit in hoc Sacramento, colligere licebit. primò Christus in Eucharistia impassibiliser existit. Vnde licèt hostia in plures partes diuidatur, Christus integer & indiuisus manet. Vnde Sanct. Thomas: *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur. Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, quâ nec status, nec statura signati minuitur*, &c. Sic qui ritè Sacramentum hoc frequentat, debet esse velut impassibilis ad omnes euentus, vt quantumuis tribulationibus quassetur, non frangatur animo. Præterea, Christus mediante hoc Sacramento multis in locis, quamuis non localiter, existit, vbicumque scilicet super materiam consecrabilem à Sacerdote cum debita intentione forma pronunciatur. sic ritè cõmunicans, vbicumque vocatus fuerit à Deo, & ad vtilitatem proximorum, accurrere debet. Præterea, Christus Dominus, quamuis gloriosus in hoc Sacramento existat, non ostendit maiestatem gloriæ suæ; sed potiùs accidentium velo tegit illam; sic ritè communicans, quamuis magnus & gloriosus in sæculo sit, debet maiestatem suam & gloriam celare, & humilem se hominibus exhibere. Denique in hoc Sacramento quidquid materiale panis erat, seu de substantia panis, in corpus Christi conuersum est, & transsubstantiatum; sic qui ritè communicat, in Deum, veluti transsubstantiatur, ita vt dicere cum Apostolo possit: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Sicut enim cibus in vescentem transmutatur; sic vice versa hîc, quia cibus viuus est, debet manducans in Christum, quem comedit, transmutari, vt non nisi Christus in eo sapiat, in eo cogitet, in eo velit, in eo nolit, in eo loquatur, in eo denique operetur, & viuat; sicut ipse Christus asseruit: *Sicut ego viuo propter Patrem, & ipse viuet propter me*, &c.

A

B

C

D

PROP. II. *Per sumptionem Eucharistiæ merita Christi maximè nobis applicantur.*

GRatissima quidem fuerunt æterno Patri obsequia Christi filij Dei, non tam quia in se pretiosa erant: erant enim opera virtutum in heroico gradu, & ab excellentissima charitate procedentia, quàm propter deitatem personæ filij sui. Sicut enim in oblationibus Abel respexit Deus ad Abel, & deinde ad munera eius; sic etiam respexit Deus prius, seu potiùs ad ipsum Christum, deinde ad munera, & ad opera, & passionem eius. ex persona igitur valorem infinitum fortita sunt opera Christi, & meruit nobis immensa bona, sed tamen non applicata, nihil nobis profunt. Sicut fons à longè in ciuitatem introductus, quid conferet habitatoribus eius, si ipsi inde aquam non hauriant? fons patens aquæ salutaris sunt merita Christi, à cœlo in terram nobis aduenientis: quid autem proderit nobis, quæso, si nos inde salutem non hauriamus? Vnde Sanct. Augustinus, *Poculum*, inquit, *immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, (id est, de natura humana assumpta a Deo filio) habet quidem in se, vt omnibus prosit, sed si non bibatur, non proderit.* Ita ille. Hæc autem communicatio per opera in gratia facta, & per Sacramentorum sumptionem fit: sunt enim septem Sacramenta velut septem canales sanguinis Christi: maximè verò per receptionem Eucharistiæ: per eam enim maior nobis gratia communicatur, vti alibi dictum est, & ostensum.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Verba sunt Ecclesiæ de Christo, vbi myrrham vocat sponsa Christũ, quia myrrha amara quidem est, pretiosa tamen. Sic passio Christi, & mors, & labores omnes Christi amaritudinis referta sunt, pretiosa sunt tamen: fasciculum autem vocat ibi, quia omnia illa in vtilitatem sponsæ passus fuit sponsus, & in vnum merita talium laborum adunata sponsæ collata sunt. Quæres quomodo, & vbi? ecce in Sacramento altaris: nam laborum omnium Christi, dolorum, iniuriarum, orationum, verberum, spinarum, clauorum, & crucis Christi merita, & fructus in hac cœlesti hostia continentur. vt enim virtus omnis & sensus capitis in omnia membra corporis deriuantur; ita Christi Domini (qui caput est Ecclesiæ) ad omnes fideles qui cum ipso Christo, & inter se vniti sunt charitate, virtus & merita dimanant mediante hoc Sacramento diuino: nam cum corpore suo tribuit nobis Christus ea, quæ nobis ipso corpore lucratus est. *Cant 1. 12.*

Qua in re diuinæ bonitatis excellentia consideranda est. Nam ea quæ ipse patiendo & moriendo consequutus fuit, ea nobis edendo communicauit, & quod ille expansis in cruce manibus obtinuit, nos manibus in sinu reconditis reportamus, & quod ille summis doloribus assequutus est, nos ineffabili mentis nostræ dulcedine, quâ in hoc Sacramento fruimur, obtinemus. quid hac benignitate admirabilius? quid hac bonitate excellentius? O charitas verè digna Deo! &c.

1. 2.

2. 6.

Solent Medici, seu Pharmacopolæ pilulas amarissimas sub aliqua parua hostiæ parte tegere, vt infirmus eas recipere possit. est quidem in pilulis virtus, ex varijs rebus insipidis & amaris collecta; ne tamen infirmus amaritudine affectus, eas euomat, & reijciat, hostiâ illâ inuoluuntur. Sic nimirum nobis infirmis antidotum hoc diuinæ prouidentia prouidit, in quo virtus & meritum vitæ ac mortis Christi continentur: myrrha est, sed tali modo præparata, vt amaritudinem sibi reseruauerit Christus, & nobis dulcedinem exhibuerit: pilula est, sed hostiâ illâ dulci tectâ, quâ nos vti-

litate illa tanta fruentes, aſperitatem & amaritudinem A non ſentimus, &c.

Solent patres ſæpe immenſos excipere labores, & varia pericula adire, vt amplum filijs patrimonium relinquant, & patres quidem totum laboris pondus ferunt, filij verò laborum parentum fructus referunt, labores verò nequaquam. Chriſtus autem pater noſter
Cap.3.6. eſt: ſic enim ab Iſaia nuncupatur: *Pater futuri ſæculi*, iam noſtri, hic, ô verè bonus Pater: pro nobis in immenſum vſque ad mortem, mortem autem crucis laborauit, & auguſtum patrimonium acquiſiuit: laborauit ſic ille, & nos manibus, vt inquiunt, lotis, in labores eius ſine labore introimus, & buccellâ vnicâ magnas & eximias eius diuitias nobis applicamus, quid felicius? quid in hac vita beatius?

Iudic. 14. Samſon cum leone animalium fortiſſimo pugnauit; vicit, & victoriæ fructum ex eodem leone reportauit, cùm ex eius ore mellis detulit ſauum, cuius matrem ſuam participem fecit; nota eſt hiſtoria. Obſerua igitur Samſoni quidem pugnam & la-
B borem pugnæ & timorem, & pauorem, & periculum mortis accidiſſe; matri verò ſauum inde ſumptum ſine labore aliquo datum fuiſſe. Samſoni ergo labor & dolor; matri verò ſapor, & dulcedo. Sic nimirum Chriſtus Dominus, cum morte omnibus Leonibus ferociore pugnauit, & vicit, ex qua ſauum hunc mellis, qui in ſacro altaris myſterio continetur, nobis exhibuit: ei verò tamen referuatus fuit labor, & dolor, illi metus, & pauor vſque ad ſanguinis ſudorem, illi flagella, illi ſpinæ, illi opprobria, & irriſiones, illi fel, & acetum, illi claui, illi crux, illi mors; nobis autem Euchariſtia ſacra, ſuauiſſima ſuper mel, & ſauum, in qua omnis fructus paſſionis eius, ſine vlla ferè paſſione & dolore, communicatur.

Infirmatur infans aliquis ad mortem, iudicant medici pharmacum ſeu potionem amaram neceſſariam eſſe infanti, qui tamen ob ætatis ſuæ teneritudinem &
C defectum virtutis naturalis homini, potionem ſumere nequit: quare medici matri pharmacum illud ſumendum iniungunt, vt inde lac eius potionis virtutem participet, & infans lacte ſumpto ſalutem aſſequatur. Accipit ergo mater potionis vas, & pharmacum videns turbidum & malè olens, horret, & ait: Ego quidem ſana ſum, vt quid mihi antidotum abominabile hoc, ſed tamen filij amore compulſa bibit? & in lac conuerſum, porrigit infanti, qui tali medicamento recuperat ſanitatem: ſic homo in ſua prima creatione ex pomi cibo ad mortem ægrotauit: opus autem illi erat ſumere pharmacum grauiſſimæ pœnæ, cuius ipſe capax non erat: Deus autem, qui medici munus obire amanter voluit, filio ſuo, cuius homo creatura erat, iniunxit, vt pœnam illâ, homo iam factus, aſſumat. accepit ille potionis calicem, & horribilem illum
Matt.26 39. proſpiciens, dixit: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*: ego enim ſanus ſum, peccatum non commiſi; ſed
D tamen nobis perneceſſarium videns & voluntati Patris conſonum, illum ſumere, *Calicem*, inquit homini, *ſalutarem accipiam*, ſumpſit, & virtutem tam excellentis Paſſionis nobis in ſacramento Euchariſtiæ, & in illa hoſtia lactea, confert. *Dad nos lo en aquel pan de leche de la Hoſtia conſagrada.* Ibi enim merita paſſionis ſuæ & operum ſuorum continentur, quorum communicantes participes ſumus. Sit ille in ſæcula benedictus.

Chryſoſt. Sanctus Chryſoſtomus homil. 60. ad popul. *Audiamus quali eſcâ facti ſimus digni, audiamus, & horreamus, ſanctis carnibus ſuis nos dedit impleri, ſemetipſum apposuit immolatum. Quænam igitur erit nobis excuſatio, cùm talibus paſti, talia pecceimus? cum lupi ſumus, agnum comedentes? cum tanquam oues paſti, more leonum diripiamus? Hoc enim myſterium non à rapina tantum, verùm etiam ab omni vel tenui inimicitia puros nos eſſe penitus iubet: eſt enim pacis myſterium* Ita S. Chryſoſt.

Idem Sanct. Chryſoſt. hom. 61. *Attendamus nobis ipſis, dilectiſſimi, tal. bus in hoc myſterio fruentes bonu, & cum aliquid turpe dicere voluerimus, vel nos ab ira corripi viderimus, vel alio vitio, cogitemus, quibus facti ſumus digni, & ſit nobis irrationalium motuum correctio, talis cogitatio. Quotquot igitur huius corporis participes efficimur, cogitemus, quòd illum ſurſum ſedentem, qui ab Angelis adoratur, hunc deguſtamus. Hei mihi, quot ad ſalutem nobis vtile! nos corpus ſuum effecit, nobis ſuum communicauit corpus, & horum nihil à malis nos auertit. O tenebras, & profunditatem magnam! ô indolentiam noſtram!* Quæ ſurſum ſunt, inquit, ſapite, non quæ ſuper terram. *Et poſt hæc quidam pecuniarum curam gerunt, quidam gloriam ambiunt, alij ab aliis capiuntur cupiditatibus. Nónne videtis, quòd in corpore noſtro, quæ inutilia ſunt, & ſuperflua, reſecantur, & præciduntur? Et nihil prodeſt, quòd ex corpore ſint, cùm tabefacta, cùm mortua ſint, & reliquo noceant. Non conſideramus ergo quod ex corpore ſemel facti ſumus: ſi verò corpus cùm naturale ſit, præciditur tamẽ, niſi voluntatis opera manſerint, quid graue nõ patietur, cùm huius nutrimenti partem non capiat corpus? cùm viæ fuerint obſtructæ, tunc mortificatur, cùm fiſtulæ, tunc debilitatur. Itidem & nos cùm aures obturauerimus, caro noſtra debilitatur, cùm ſpirituale nutrimentum non hauriamus, cùm nequitiæ quædam pro corruptis ſuccis nos vaſtent, hæc omnia morbum pariunt, morbum grauem, morbum tabem gignentem. Et iam illius ignis indigebit, per medium opus habebit diuidi. Non enim cùm tali corpore Chriſtus in nuptiali conuiuio ingredi patitur. Si enim ſordidas veſtes tantum abiecit, corporis ſordes aggregantem quo non afficiet?* Ita S. Chryſoſt.

Prop. III. *Euchariſtia deificat dignè ſumentes.*

SIc Chriſtus Dominus ad Patrem ſuum, de Apoſtolis agens: *Ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.* Quænam eſt claritas hæc, quam à Patre accepit Filius? S. Cyrillus lib. 11. in Ioannem, cap. 16. & S. Hilarius lib. 8. de Trinitate, ipſam diuinitatem Verbi carni vnitam, & quam, vt homo, accepit Chriſtus à Patre, quando Verbum caro factum eſt, eſſe dicunt. Dicitur claritas diuinitas Chriſti, ſicut dicitur lumen in ſymbolo: Deum de Deo, lumen de lumine, &c. nihil enim lumine, & claritate lucidius in corporalibus rebus; ſic nihil in ſpiritualibus illuſtrius diuinitate Verbi. Hanc igitur claritatem, feu Deitatem, ait Chriſtus ſe Apoſtolis dediſſe. Quonam pacto? Sanct. Cyrillus, & Sanct. Hilarius ibidem? Tribuendo, inquiunt, carnem ſuam in cibum, vbi diuina bonitas, charitas, liberalitas, imò & Dei magnificentia relucet, quia donum hoc adeo magnificum eſt, vt ſi Deus id, quod eo nobis tribuit, ſibi etiam non retineret, amor eius in nos, & magnificentia eius, eum omnibus ſuis ſpoliaſſet, quia Diuinitatem ſic ſimul cum humanitate ſua tribuit nobis.

Qualis autem effectus in noſtram vtilitatem ex huiuſmodi donatione ſequatur, ſubiungit dicens: *Vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.* Pater & Filius vnum ſunt per communicationem illam, quâ Pater deitatem ſuam communicat Filio, propter quam filius remanet Deus, ſicut Pater eſt Deus & habet eandem cum Patre deitatem: ſic mirabili quodam modo per participationem Euchariſtiæ, quâ Deus deitatem ſuam communicat homini, remanet homo Deus per illam participationem eminentem deitatis, hac tamen differentiâ, quòd Chriſtus per communicationem illam remanet cum Patre vnus, & idem Deus per naturam; homo verò per gratiam, illa enim eſt communicatio ad intra, hæc ad ex-

ad extra, licèt quodammodo & hîc ad intra dici potest, quatenus & per receptionem realem Dei intra nos, quâ Deiferi nominamur, licèt absolutè sit ad extra. Dicenda est tamè sublimior, quàm illa, quâ Deum participamus per alia sacramenta, quia per alia sacramenta vitam Dei recipimus, & gratiam; per hoc tamen diuinissimum sacramentum recipimus, non solùm gratiam, sed authorem ipsum, & fontem gratiæ, seu gratiam in ipso gratiæ fonte, inde ergo efficimur vnum cum Deo, & diuini, nam per gratiam sacramenti Dei conditiones, & virtutes, & proprietates participamus, secundùm quod creaturæ id possibile quidem est. Vnde notanda sunt verba, quæ subditi bi Christus Dominus: *Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum,* quasi dicat: cùm tu Pater in me sis per diuinitatem tuam, & ego sim in eis per Eucharistiâ, sequitur quòd tu sis quoque in eis, in quibus ego fuero per Eucharistiam: ego sum realiter in sumente, & tu igitur etiam per Eucharistiam eris realiter in sumente, ita vt, præcisa quauis alia ratione essendi in homine, per hanc solam sumptionem realiter est deitas Dei in sumente, & ita sumus tu & ego in eis. Sed quid sibi volunt verba illa. *Vt sint consummati in vnum?* sic exponitur hoc vt sit consummata, & perfecta vnitas Dei hominis cum Deo. Pro quo notandum est, quòd tria sunt in Christo Domino, essentia diuina, essentia humana, & persona diuina; perfecta igitur vnio cum Deo, homine facto, erit, si hæc tria vniantur cum homine; in Eucharistia autem tria hæc vniuntur cum sumente, quia non recipit homo solam humanitatem, seu carnem Christi, sed accipit carnem, & animam, & diuinitatem, & personam diuinam, imò & personas Patris, & Spiritus sancti, quatenus per concomitantiam quandam in Eucharistia cum corpore, & sanguine Christi simul sunt. Potuitne ergo maior communicatio, & consequenter maior, & excellentior vnio, post hypostaticam, imaginari? hanc qui communicat participat. sit Christus Dominus in sæcula benedictus. Mirum si qui talem cum Deo vnionem intelligit, non totis visceribus quotidie communicare appetat, & quidem qui non ità appetit, non illam intelligit, nec diuinum in se beneficium, nec dignitatem hominis summam in tali Eucharistiæ sumptione.

Manifestum quidem est, quòd secundùm naturam, & qualitatem ciborum, in corpore hi vel illi humores, & qualitates generantur: alimentum enim corpus edentis ad naturam ipsius cibi, & temperamentum paulatim trahit. hinc enim videmus pisces frigidas, & humidas in corpore imprimere qualitates, quia ipsi frigidi sunt, vtpote in aqua frigida, & humida procreati. Hinc etiam medici intelligentes testudinis carnem ad esum eorum, qui phtisis morbo laborant, commodissimam esse, quæ tamen horroris nonnihil edentibus afferat, gallinarum pullos huiusmodi carne nutriunt, atque faginant, qui hoc alimento educati, eandem vim, quam testudinis caro, aduersùs hunc morbum habent. Hæc autem corporei cibi proprietas multò magis in hunc angelicum, imò diuinum panem, quàm in quemuis alium cibum cadit: cæteri namque cibi in edentis substantiam, & naturam conuertuntur, nam panis ab homine sumptus, in humanam conuertitur carnem, à cane verò sumptus, in canis carnem mutatur; at cœlestis hic cibus nullo modo in naturam aliti transit, sed potiùs comedentem transformat in se. Hinc Dominus ad Augustinum: *Cibus grandium sum, cresce & manducabis me, nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Ita ille. Nimirum, quia cibus vius est. Etenim si quis sanguisugam viuam in stomachum transmitteret, sanguisuga intus viuens, sanguinem hominis depasceret, & in suam conuerteret substantiam. *Ego*, ait Dominus, *sum panis*, non vtique mortuus, sicut panis iste communis, quem quotidie manducamus, qui non habet in se vitam, vndè à viuente sumptus, non in se manducantem transmutat, sed ipse in manducantem transmutatur. Panis verò hic cœlestis, panis viuus & vitalis est, ergo ipse est, qui nos commutat in se, & suas proprietates communicat nobis sumentibus eum. Cùm igitur panis hic Christus Deus noster sit, sequitur quod sumentes deificet, & diuinos efficiat. Vnde S. Thomas, *Paulatim*, inquit, *diuinos eos efficit, qui eum deuotissimis, & supplicibus animis frequentant.* Ita ille.

Quod quidem & ipse Dominus asseruit, dicens: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Quid autem sibi velit hæc nostra mansio in Christo, explicuit & ipse, subdens: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me*, hoc est, sicut vita mea est eadem cum vita Patris, quia Pater est in me; sic vita eius, in quo ego mansero, erit eadem cum vita mea, quantùm ipse, in quo ego fuero, fuerit capax, hoc est, particeps proprietatum mearum: erit enim ad similitudinem meam innocens, pius, misericors, Dei, & hominum amator, patiens, obediens, sanctus & diuinus. *Ioan. 6. 55.*

Vnde Apoc. 2. *Vincenti dabo mannà absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Per manna hîc Eucharistiæ sacramentum intelligitur, vti aiunt Sanct. Ambrosius epist. 70. Rupertus Abbas, & communis sententia doctorum. Datur autem hoc diuinum manna vincenti, hoc est, viro iusto: omnes enim mortales pugnant cum vitijs, & concupiscentijs suis, sed non omnes vincunt. peccatores vincuntur, iusti verò vincunt, his datur manna illud cæleste, non verò victis; nisi iterum vincant. Vincenti ergo tentationes datur Eucharistia, & secundò, *dabo*, inquit, post Eucharistiam *calculum candidum*. Quid sibi vult hæc lapidis albi donatio? Olim iudices suffragia per calculos ferebant, albis scilicet ad absolutionem rei, nigris verò ad condemnationem eius: inde apud Græcos, *calculum album mittere* pro *absoluere*, & *nigrum calculum mittere* pro *condemnare* sumebatur, vti adnotauit Eudæus in commentarijs Græcæ linguæ. Hinc Ouid. libr. 15. Metaph. *Vers. 17.*

Mos erat antiquis niueis, atrisque Lapillis,
His damnare reos, his absoluere culpam.

Hunc morem à Thracibus fuisse desumptum scribit Plinius lib. 7. cap. 4. qui dies felices candido calculo, infelices verò atro lignabant: & eundem morem seruabant Romani, iuxta illud Persij Satyrâ 2. vbi ait.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.

Loquitur de natalitio die. Nunc ad rem, quoniam Apostolus Ioan. siue Deus per Ioan. scribebat ad Christianos, nuper ex gentilitate conuersos, & mores Græcorum scientes, ideo more Græcorum loquens, ait: *Vincenti dabo manna & calculum candidum*, hoc est, approbationem diuinam, & fœlicem nuntium saluationis, & prædestinationis eius. Qui enim Eucharistiæ sacramentum debitè, & frequenter sumit, calculum candidum habet, hoc est, signum ingens salutis æternæ. & denique in calculo hoc simul habet nomen nouum. Quid est nomen nouum? nomina data sunt rebus secundùm exigentiam naturæ vniusciuisque: vnde manifestum est, nomè istud importare nouum esse, nouam vitam, nouos mores. Dat igitur sumenti manna Eucharistiæ nomen nouum, quia dat ei participationem quandam eminentem deitatis suæ, quia cibus iste in se transformat sumentes, sicut qui cibum aliquem sumit, illum transmutat in seipsum, & ita cibus accipit nomen nouum, denique quia in nouam transformat creaturam. Hoc nomen nouum *nemo* (inquit) *nouit, nisi qui accipit,*

cipit, quia licèt hanc morum, & proprietatum mutationem etiam exteriùs intuentes aliqualiter experiantur, nemo tamen id planè percipit, nisi qui accipit : tanta enim, & talis intus est, vt omnes exteriores superet demonstrationes.

Sed mutationem hanc examinemus : quomodo enim fieri potest, vt creatura in Creatorem ; homo in Christum commutetur ? & quidem cùm metaphorica hæc mutatio & transformatio sit, eo modo est intelligenda, quo Paulus Apostolus dixit: *Vivo* autem *iam non ego, vivit verò in me Christus*. quonam pacto, non Paulus in se, sed Christus in Paulo viuebat ? manifestum est Paulum eumdem fuisse, quantùm ad esse naturale, qui priùs erat, & antequam conuerteretur; de morali igitur mutatione agens, dixit : *Vivo* autem, *iam non ego:* viuo, quantùm ad esse naturale corporis, & animæ, non verò quantùm ad esse morale, quia secundùm mores meos alius fum, & cum Christo veluti identificatus; quia intellectus meus nescit nisi Christum cogitare, voluntas mea nescit nisi Christum amare, memoria nescit nisi ea, quæ Christi sunt, recolere, lingua mea nescit, nisi de Deo loqui, denique omnes potentias & sensus meos in Christum dirigo, ad Christum tendunt, &c. hoc modo erat Paulus in Christum transformatus. Hunc igitur effectum percipit qui ritè & perfectè dispositus sacram suscipit Eucharistiam : hic enim est huius diuini Sacramenti effectus, vt homines diuinos faciat. Sicut enim ex qualitate ciborum qualitas prouenit humorum in corpore edentis, ex cibis quippe melancholicis melancholia generatur, ex cholericis cholera, ex phlegmaticis phlegma, ex sanguineis sanguis, denique ex bonis cibis bonus, ex malis verò malus producitur humor; sic ex cibo isto diuino diuini producuntur humores in anima, & in potentijs eius, & in se eas moraliter transformat. Sicut in malo Sidonio videmus, quòd secundùm se acidum & austeri saporis est; immersum verò saccaro, eius naturam refert, vt nulla in eo austeritas superstes, sed totum suaue & dulce redditum sit ob saccarum, in quo decoctum fuit. Sic etiam qui debitè, vt diximus, sacram suscepit Eucharistiam, veluti in Christum remanet immersus. Vnde non mirum si quidquid in eo apparet extra & intus, sit diuinum. quod mihi significasse videtur Christus Dominus; dicens : *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet*, scilicet transformatus, *& ego in eo*, transformans in me illum.

Ad Gal. 2, 20.

Ioan. 6. 55.

Quod de natura ignis solent Theologi explicare : Sicut enim ignis, qui inter elementa omnia nobilissimus est, & maximæ actiuitatis, ita se rebus, quibus adhæret, communicat, vt omnia in se commutet, omnia, inquam, ignit, & formam suam in materiam, quam absumit, transfundit; ita quam animam Christus Dominus (qui ignis consumens est) per Eucharistiam absumit, in se transformat, & diuinam reddit.

Et ob hanc causam Clemens Alexand. ait, quòd in hoc diuino Sacramento non modò corpus & sanguis Christi datur nobis, sed etiam Spiritus Christi, quo sanctificamur, & participes similitudinis efficimur diuinæ.

1. Petr. 2.

Diximus hîc Eucharistiam sacram significare lac, lac autem tales in pueris producit humores, imò & mores, quales fuerint qualitates ipsius lactis. res enim inter Philosophos & medicos exploratissima & quotidiano experimento comprobata est, nutrices in lacte mores suos in pueros, quos nutriunt, transfundere: nã, sicut scribit Macrobius, Titus imperator morbis assiduis vexabatur, quia nutrix eius infirma fuerat valetudine affecta. De Adriano etiam Imperatore narratur, vino deditum fuisse, quia nutrix eius eo laborauerat vitio. Dionysius Halicarnassæus refert Caium Caligulam Imperatorem Romanum sanguinis humani sitientissimum fuisse, eò quòd barbara eius nutrix, vbera, infantulo tribuenda, sanguine vngebat. & quidem omnes huiusmodi mores maximè Imperatores homines dedecebant. Quid enim ad vitam salubrius, quàm cibi regales ? quid indignius rege quàm vino nimiũ indulgere ? quid contra regalem & imperatoriam clementiam magis, quàm humanum sanguinem sitire ? & tamen in hæc illi magni principes inciderunt ratione lactis. Vides quantùm ad mores conducat qualitas lactis: lac igitur sacrum hoc, & lacteum sacramentum dicitur, quia mores transfundit in nos suos. Diuinum igitur cùm sit lac istud, quid nisi diuinos in nobis efficiet mores ? Vnde sicut humilis fuit Christus, & patiens, & misericors, & obediens vsque ad mortem, & denique perfectissimus prorsus, sic nos eius cibus, in quo ipse sumitur, humiles, patientes, misericordes, & obedientes vsque ad mortem, & perfectos prorsus reddet.

Denique cùm alimentum hoc Eucharistiæ sit prorsus diuinum, & Christi mores in se contineat, quidni Christianos prorsus mores in nobis efficiat: quod experimẽto videmus in his, qui frequenter ad sacrã communionem accedunt: hos enim & modestiores, & temperantiores, iustiores, prudentiores, & perfectiores reliquis esse experimur, *porque así lo babieron en la buena leche del santísimo Sacramento.*

Prop. IV. *Eucharistia auget valde gratiam, & sanctitatem.*

Mirum quidem est, plures tam admirabili, & salutifero cibo vtentes, quàm parum, aut nullum inde referre fructum. Similes mihi esse videntur ptem bobus illis, de quibus sic Pharao, visionem quandam referens: *Putabam me stare super ripam fluminis, & septem boues de amne ascendere, pulchras nimis, & obesis carnibus; quæ in pastu paludis virecta carpebant. Et ecce has sequebantur alij septem in tantum deformes, & macilente, vt nunquam tales in terra AEgypti viderim.* Hæc fuit visio quam videor quodammodo me videre modò in Ecclesia Christi. Nam quod ibi mirum erat, in eadem ripa & loco, septem obesos, & crassos, alios verò septem ita macilentos, & tenues : hoc etiam miror apud nos. Nam cùm omnes Christi fideles, qui frequenter communicant, eodem cœlesti pastu fruantur, hi quidem obesi in spiritu, & pingues sunt; illi verò eodem pabulo vescentes, debiles, & infirmi, & adeo macilenti, ac si nunquam eo vescerentur. Vnde hoc ? nam pabulum hoc sufficiens satis, superque est ad saginandas animas nostras, vt in Sanctis apparet. Non igitur cibus in causa est, sed fumentes illum. Nam vel in peccato accedunt, & tunc non mirum, quòd illis tantus cibus non prosit, dicente Apostolo : *Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat, & bibit.* Denique mors est malis, vita bonis.

1. Cor. 11.

Alij verò sunt, qui sine conscientia quidem peccati accedũt, sed ita terrenis rebus addicti sunt, vt sine affectu, & deuotione, & præparatione commoda accedant, & ob hanc causam parum inde proficiunt. Sicut qui terram comedit, quamuis postea optimo cibo pascatur, macilentus, & infirmus semper incedit; sic qui terrenis negotijs, & operibus vacat, quid mirum, si tanto cibo non proficiat in moribus sanctis?

Cùm sancta Synodus Florentina statuat cælestem hunc panem ea omnia in iustorum mentibus efficere, quæ corporei cibi in corporibus operantur, cõsequenter dicendum est, quòd, sicut cibus corporeus non solùm corpora nostra sustentat, verùm etiam auget, vti ad sensum in pueris & iuuenibus patet : puerorum enim corpora quotidiano cibo adolescunt, & crescunt; sic sanctus cibus iste, quotiescumque sumitur, incrementa sua tribuit animæ nostræ in spirituali vita:

nam

nam gratia creſcit, & virtutes, & Spiritus ſancti dona pariter augentur. Vnde S. Thomas in huius feſti ſerm. *Nullum*, inquit, *ſacramentum hoc ſalubrius eſt, per quod virtutes augentur, & mens omnium ſpiritualium charismatum abundantia impinguatur.* Ita ille. Cui conſonat Tertullianus, dicens: *Ore*, inquit, *percipis corpus Chriſti, & inde anima de Deo ſaginatur.* Ita ille.

Hoc ſacramentorum nouæ legis proprium eſt, vt efficiant, quod repræſentant, hoc eſt, vt intus in anima operentur, quod exteriùs in corpore repræſentant. Verbi gratiâ, in ſacramento baptiſmi aqua exteriùs corpus lauat: hoc enim proprium eſt aquæ: intus igitur in anima idem facit: nam lauat animam à ſordibus peccatorum. Sic in Sacramento Euchariſtiæ exteriùs, vt cibum hoſtiam ſumimus, interiùs autem cibat animum: cibum autem ad vitæ conſeruationem accipimus: ſic etiam Euchariſtiam in ſuſtentationem, & augmentum animæ, quæ in gratia habituali conſiſtit, accipimus.

Quod vt melùs percipiamus, ſupponamus triplicem in homine vitam reperiri, nempe naturæ, gratiæ, & gloriæ. Vita naturæ communis nobis eſt cum infidelibus, & peccatoribus: vita autem gratiæ ſolùm pertinet ad fideles iuſtos: vita verò gloriæ propria eſt beatorum. & quia omnis vita ſuum proprium habet cibum, quo alatur, ſicut hæ tres vitæ diuerſæ valde inter ſe ſunt: ſic etiam diuerſos valde cibos habent. Corpoream vitam corporeum alit alimentum, & ſicut illa communis eſt inter iuſtos, & peccatores; ſic etiam cibus corporeus communis eſt, v.g. panis, & caro, &c. Vitam beatam alit Deus clarè viſus in cœlo; vitam verò gratiæ alit Deus ſpeciatim Sacramento altaris, Deus, inquam, ſpecibus Sacramenti velatus. Sicut igitur in ſanguine noſtro triplicem ſtatum conſideramus. Primus eſt in hepate, vbi ſanguis incohoatur. Secundus eſt in corde, ab hepate quippe in cor aſcendit, vbi perfectior iam ſanguis eſt. Tertius eſt in cerebro, vbi perfectiſſimus ſanguis eſt: ex eo enim ſpiritus animales, ſiue, vt nonnulli etiam volunt, vitales oriuntur, quibus noſtra corpora ſentiunt, & mouentur; ſic etiam de triplici hac vita noſtra philoſophandum eſt, nam à prima naturæ vita ad ſecundam aſcendimus, vitam gratiæ, quæ perfectior eſt, quàm vita naturæ; per hanc autem ad tertiam ſublimamur à Deo, quæ vita eſt gloriæ. vitæ autem gratiæ alimentum eſt Euchariſtiæ ſacramentum, quod idcirco per modum cibi accipimus, vt per cibum ſic exteriùs ſumptum, interiorem animæ cibum, & alimentum eius cognoſcamus.

Hoc quidem eſt, quod ſub nomine vitæ ſæpe affirmauit & promiſit Chriſtus Dominus, maximè Ioan. 6. vbi Hebræi quidam dixerunt Chriſto Domino: *Quod tu facis ſignum, vt credamus tibi? quid operaris? Patres noſtri manducauerunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cœlo dedit eis manducare.* Hic Dominus ſic reſpondit: *Amen, amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum: panis enim Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo.* Ecce præcipuam huius diuini Sacramenti vim, & maximum effectum, vitam dare mundo, vitam ſcilicet animæ, quæ quidem eſt gratia, per quam anima viuit ſupernaturali vita. Vnde paulò poſt ſubdit: *Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt, hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.* quid eſt, *non moriatur? quis eſt homo, qui viuit, & non videbit mortem?* Reſpondet Euthymius, & alij cum eo, quia panis Euchariſtiæ, eſt panis ad vitam animæ, quæ quidem eſt vita gratiæ, quæ à morte peccati diſtinguitur; vita autem hæc gratiæ vita eſt, quæ ſecundùm ſe non terminatur morte, ſed cauenti peccatum durat in æternum: nam in hoc mundo inchoatur, & durat in æternum. Verum quidem eſt virtute communionis corporis Chriſti dandam eſſe vitam æternam, etiam corporalem, per reſurrectionem corporum beatorum: ait enim Chriſtus, *& ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* quod à Theologis ſic explicatur: quamuis manducans ritè hunc panem, moriatur, ſicut cæteri homines, virtute tamen corporis Chriſti, ſeu virtute Chriſti manducati, reſurget in nouiſſimo die ad vitam æternam, & glorioſam. ita eſt, ſed de vtraque vita rectè intelligi poteſt locus iſte. Datur igitur in hoc Sacramento vita gratiæ. & quidem quamuis in alijs etiam Sacramentis detur gratia, non tamen adeo copioſè, ſicut credimus in hoc diuiniſſimo Sacramento conferri. in alijs enim Sacramentis adeſt virtus Chriſti, in hoc verò Chriſtus ipſe realiter, & perſonaliter; quid igitur mirum, ſi copioſiorem proinde ex eo gratiam hauriamus? Confertur igitur magna gratia ſecundùm diſpoſitionem recipientis, confertur etiam eximia gratia ex opere operato, ratione tanti Sacramenti. *Ibid. 44.*

Sed quod hac in re mirabile prorſus eſt, modus ipſe eſt, quo Deus hanc vitam animæ, hanc gratiam communicat nobis in Euchariſtiæ Sacramento, quem quidem modum expreſſit ipſe Chriſtus Dominus his verbis: *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* non potuit altiori ratione gratiam huius Sacramenti nobis commendare. Locum igitur explicemus. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem*, hoc eſt, ſicut ego carnem aſſumens, & factus homo (hoc enim eſt mitti à Patre) viuo ſecundùm humanitatem propter Patrem: nam à Patre habeo diuinitatem, à cuius ſocietate & vnione accepit vitam mea humanitas ob vnionem perſonalem cum perſona Verbi; ſic qui manducat me, ob realem vnionem, & ſacramentalem, quam habet mecum, participabit vitam à me. Sic explicât locum iſtum Sanctus Baſilius, & Sanctus Ambroſius, & Sanctus Auguſtinus, qui hæc verba de vita humanitatis Chriſti ſentiunt, intelligenda. Obſerua igitur, quòd nos cuexcrit Deus in Sacramẽto iſto, vt ſicut Filius Dei per vnionem cum perſona Verbi participat vitam illam humanitatis quam habet; ſic nos ex hac vnione cum Chriſto, dum communicamus, recipiamus vitam animæ noſtræ ab ipſo Deo. Sed altiùs adhuc locum exponamus, cum S. Cyrillo, & S. Hilar. & S. Chryſoſt. & S. Thoma. Chriſtus Dominus dum dicitur miſſus à Patre, non ſolùm intelligitur miſſus tanquam homo in hunc mundum, ſed intelligitur procedens à Patre ab æterno: nulla enim perſona in diuinis mitti dicitur ab alia, niſi ſit ab ea procedens; miſſio ergo Chriſti eſt eius incarnatio, includens generationem æternam. Ait ergo Chriſtus: Sicut ego, quatenus homo, per vnionem humanitatis meæ ad Deum, viuo vitâ humanâ, & vitâ gratiæ in anima mea, & inſuper, ſicut per generationem æternam, & vnionem, ſeu vnitatem cum Patre, habeo vitam diuinam, communicatam à Patre; ſic qui vnitur mecum in ſumptione huius Sacramenti, participabit ex vi talis vnionis vitam gratiæ in hoc mundo, & vitam gloriæ in cœlo, & vitam humanam per reaſſumptionem corporis glorificati in æternum. O miram hominis ſublimitatem! vt Chriſtum recipiendo non ſolùm gratiam, gloriam, vitamque participet ſempiternam, ſed etiam participet ad eum modum, quo Deus ipſe à Deo communicatam vitam humanam & diuinam habet; quantum creaturæ poſſibile ſit hoc participare. Hoc inſtâ ampliùs ponderabimus. *Ioan. 6. 58.* *Lib. 4. cõtra Eunomium.* *Lib. 4. de fide c. 5.* *Tract. 26. in Ioannem.* *Li. 4. c. 18.* *Lib. 8. de Trinit.* *Hom. 26. in Ioannem. Super c. 6. Ioannis, lect. 7.*

Poſuit olim Deus arborem vitæ in medio Paradiſi, cuius fructus vitam à morte & corruptione omnino præſeruaret. magnum quidem donum tanto datore dignum, & pro ipſa dignitate vitæ, quæ inter omnia vitæ bona primum obtinet locum, magni faciendum. Chriſtus Dominus lignum dicitur vitæ. *Vincenti*, inquit, *dabo edere de ligno vitæ.* illud quidem vitæ *Apoc. 2. 7.*

lignum,

lignum, & hoc etiam lignum vitæ; illud primis parentibus, hoc verò nobis datum, *nobis*, inquit, *datus, nobis natus ex Maria Virgine*: illud maximum donum, sed iam non illud maximum, sed istud, nec illud huic venit comparandum: illud enim vitæ corporali tantùm deseruiebat, & pro huius statu solùm; hoc pro vita corporis & animæ in æternum est datum: *Qui enim manducat hunc panem, viuet in æternum.* Vnde in originali Hebræo *arbor vitarum* dicebatur in plurali arbor illa vitæ. Sed hoc vel solùm vel maximè dicebatur, quia symbolum erat Eucharistiæ, quæ vtramque vitam corporis & animæ in æternum tribuit: quare arbor illa Paradisi vmbra fuit arboris huius, hæc verò veritas eius, &c.

Ioan. 6. 59.

Inter omnes huius mundi thesauros primum locum obtinet gratia, in alio quidem sæculo gloria, in hoc verò præstat gratia, non argenti magna copia, non auri, non gemmarum, & lapidum pretiosorum, valet illi comparari: omne quippe bonum Orbis arena est exigua, si conferatur ei. gratia enim est quæ nos consortes efficit naturæ diuinæ, vti ait Apostolus Petrus, hæc etiam est quæ nos Dei reddit filios, & opera nostra facit meritoria esse vitæ sempiternæ, hæc est sine qua homo inimicus Dei est, peccatique seruus, & æternæ damnationi addictus, &c.

2. Petr 1. 4.

Hæc igitur gratia est quam abundanter nobis sanctissimum Eucharistiæ communicat Sacramentum, ex quo, tanquam ex proprio fonte, gratia emanat: ibi enim est Christus, de quo Apostolus Ioannes: *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Vnde meritò appellari potest hoc diuinum Sacramentum, Eucharistia, hoc est, bona gratia, bona quippe, hoc est, copiosa & abundanti gratia nobis manat.

Ioan 1 1 1 7.

Ad Heb. 12. 28.

Hinc Paulus, *Habemus*, inquit, *gratiam, per quam seruiamus placentes Deo, tenemos entre nos otros la gracia, con que podemos seruir a Dios a su beneplacito y contento.* Per gratiam hîc nonnulli Authores sacri sacram intelligunt communionem corporis Christi, quam ideo absolutè gratiam dicit, quia communicatione gratiæ reliqua supereminet Sacramenta.

Epist. ad Ephes.

Hinc S. Ignatius Eucharistiam vocat pharmacum immortalitatis, & antidotum incorruptionis, *medicina de immortalidad, y contrayerba de corruption*, corporalibus quidem cibis nos dum vescimur, illis vtam communicamus, non illi nobis; comedisti panem, & in tuam substantiam conuertisti, tu pani vitam humanam contulisti, non panis tibi: at in Eucharistiæ cibo vice versa, non nos vitam cibo, sed cibus nobis confert vitam, & cùm cibus hic diuinus sit, diuinam nobis tribuit vitam, & hæc est gratia supernaturalis.

Et quidem hac in re sic se Deus in ordine gratiæ gerit, sicut in ordine naturæ: in ordine autem naturæ priùs Deus hominem in se producit, & vitam tribuit, deinde alimentum prouidet, quo vitam conseruet, & augmentum corpus recipiat. Sic etiam in ordine supernaturali priùs Deus vitam supernaturalem animæ produxit, deinde alimentum hoc supernaturale excogitauit, quo vita illa gratiæ conseruetur, & crescat: & quidem non sicut in vita corporali nam corporalis cibus non semper auget vitale corpus: est enim corpori quantitas determinata, & limitata, vltra quam nullum recipit incrementum; at in vita gratiæ non ita: semper enim recipit indies maiora & maiora incrementa, vsque ad mortem. Hoc igitur præstat hic diuinus cibus, vt scilicet magis ac magis crescat, augeaturque gratia, & tantò quidem amplius, quantò amplius & maiori cum feruore communi cauerit homo. Vnde S. Basilius: Qui per Baptismum regeneratus est, participatione Eucharistiæ deinceps nutriri debet. *el que por el baptismo recebio la vida de la gracia, con el sanctissimo Sacramento ha de ir conseruando y augmentando la graçia.* Vbi etiam nota, quòd cibus corporalis ita valet vitam corporalem conseruare, vt non in perpetuum, sed pro limitato tempore id præstet, verbi gratia, quinquaginta vel centum annis; at Eucharistia vitam gratiæ in æternum præstat, dicente Domino: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Vnde quamuis iustus moriatur, gratia, quæ vita animæ est, eo modo, quo fuerit per cibum Eucharistiæ aucta, simul cum anima ipsa durat in æternum.

S. r. 1. de Bapt. c. 13.

Ex dictis colligi potest, quantum nostrà interest, frequenter sumere cibum istum diuinum, *solemos encarecer vna cosa con decir, vame la vida en esto, assi podemos decir, va nos la vida en la communion, y no la temporal, sino la aterna. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & bibritis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ait Dominus.

Ioan. 6. 54.

S. Thom. *Effectus*, inquit, *huius Sacramenti debet considerari primò quidem & principaliter ex eo, quod in eo continetur, quod est Christus, qui sicut in mundum visibiliter veniens, contulit mundo vitam gratiæ, secundum illud*, Gratia & veritas per Iesum Christum facta est; *ita in hominem Sacramentaliter veniens, vitam gratia operatur, secundum illud*: Qui manducat me, viuet propter me. *Vnde Cyrillus dicit, viuificatiuum Dei verbum, vniens seipsum propriæ carni, fecit ipsam viuificatiuam: decebat ergo eam nostris quodammodo vnire corporibus, per sacram eius carnem, & sanguinem prætiosum, quæ accipimus in benedictionem viuificationis, in pane & vino.* Ita S. Thom. Vbi nota duplicem similitudinem, seu proportionem: primam ex S. Thom. sicut in mundum visibilem veniens, &c. sic in animam nostram ipsemet veniens confert etiam ei gratiæ vitam. secundam verò Sancti Cyrilli, quod verbum Dei vniens se humanitati Christi, vitam dedit ei viuificantem, quod quidem fecit tribuendo ei gratiam vnionis, & gratiam gratum facientem in anima Christi; sic eo modo per vnionem Christi cum homine, per communionem Eucharistiæ, tribuit ei vitam gratiæ copiosam.

S. Thom. 3. p. q. 79. a. 1.

Ioan. 6. 57.

Quod quidem non sine magna generis nostri gloria asseruit Christus Dominus notissimis, sed obscurissimis, illis verbis: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Cœpimus suprà expendere locum istum, nunc iterum libet illum explicare. Vt autem sacramentum & mysterium loci huius intelligatur, supponamus verbum illud, *misit*, duplicem importare Christi generationem, vti omnes Theologi affirmant, æternam scilicet, & temporalem, æternam, inquam, Christi, quatenus Deus est, & temporalem, quatenus homo, ex prima pendet, secundam dici missionem Christi: nulla enim persona in diuinis dicitur mitti, nisi procedat ab ea, à qua dicitur mitti; ideo Spiritus sanctus dicitur mitti à Patre, & à Filio, quia procedit à Patre, & à Filio; Filius verò tantùm dicitur mitti à Patre, quia tantùm procedit à Patre. Pater verò à nullo dicitur mitti, quia à nullo procedit: missio ergo Christi duplicem amplectitur generationem, & in vtraque generatione vitam accipit Christus, per generationem æternam habet à Patre vitam Dei, eandem scilicet quam habet Pater; per generationem verò temporalem, in qua Verbum vnitur humanitati, accepit anima Christi vitam gratiæ, gratum facientis, & insuper gratiam vnionis, in qua vita ipsa Dei increata inest in ipsamet persona Verbi, quæ vnitur.

Ioan. 6.

Nunc ad rem, quod, inquam, in eximiam generis humani gloriam cedit, ait Christus Dominus: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me*, hoc est, videte bonitatem Dei in vos, ô mortales, per sacram Eucharistiæ communionẽ, non solùm communico vobis gratiam copiosam, verùm in modo eo quidem altissimo, quo mihi Pater, non solùm vitam gratiæ creatam, quatenus homo sum, verùm etiam increatam, quatenus

Ioan. 6. 58.

Deus

Deus sum, communicat eo quoque & ego pro captu A vestro communico vobis gratiæ vitam : nam sicut per vnitatem meam cum Patre habeo ego vitam infinitam & diuinam Patris, & per vnionem personæ meæ increatæ cum humanitate creata, communico ego humanitati meæ vitam gratiæ creatæ, & per communicationem idiomatum, quà ego homo dicor Deus, vitam æternam communico ei increatam ; sic manducanti me per vnionem huius sacræ communionis, communico ei vitam gratiæ. O ineffabilis Dei bonitas, & admirabilis hominis excellentia! nónne gratiam hanc, quam per communionem Eucharistiæ nobis tribuit Deus, poterat sine tali vnione nobis communicare ? poterat quidem, sicut per alia Sacramenta fecit, sed noluit Deus vitam hanc gratiæ solùm nobis communicare, verùm eo modo quo nullus alius nobis honorificentior esset : vt scilicet eo pacto nos vitam gratiæ haberemus, quo Christus ipse habet vitam, non solùm creatam, sed etiam increatam Sit ille benedictus in sæcula, quia sic magnificauit facere B nobiscum, vt non solùm vitam diuinam nobis communicet, verùm etiam modo diuino, non solùm, inquam, communicet nobis Christus vitam suam, verùm etiam eo modo, quo Deus suam communicat Filio suo, & Verbum diuinum humanitati suæ.

19. Aliam rationem adducit ibidem S. Thom. ad probandum effectum proprium huius Sacramenti esse gratiam, *quia hoc Sacramentum est representatiuum passionis Christi : id enim separatim consecratur corpus, & sanguis, quia in passione separatus fuit sanguis à corpore Christi, & ideo Paulus : Quotiescumque manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Ideò ait S. 9. Thom. effectum, quem passio Christi fecit in mundo, 4. hoc Sacramentum facit in homine. *Vnde super illud,* Continuò exiuit sanguis, & aqua, *dicit S. Chrys. Quia hunc susceperunt principium sacra mysteria, cùm accesseris ad tenendum calicem, vt ab ipsa bibiturus Christi costa, ita accedas* Ira S. Thom.

Tertiam quoque rationem addit S. Thom. ibi ex C modo, quo traditur hoc Sacramentum, scilicet per modum cibi, & potus, & ideo omnem effectum, quem cibus & potus materialis facit, quantùm ad vitam corporalem, quòd scilicet sustentat, auget, reparat, & delectat, tantum facit hoc Sacramentum, quantùm ad vitam spiritualem. Vnde Ambros. *Iste panis est vita æterna, qui anima nostra substantiam fulcit.* Vnde & ipse Dominus dicit : *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ita S. Thom. Cùm igitur ita se habeat cibus hic animæ in animam, sicut se habet cibus corporis in corpus, & corporis cibus vitam ipsam corporalem conseruet, & corpus ipsum vitale augeat ; sic etiam Eucharistiæ cibus vitam spiritualem & supernaturalem gratiæ in anima conseruat, & auget.

Hoc tamen aduertendum est, quòd ex duplici causa hoc Sacramentum ritè sumenti confert gratiam, prima est ex parte ipsius Sacramenti, quod ex opere operato illam tribuit : secundò ex parte sumentis, quoniam propter bonam dispositionem communicantis, Deus D dat illi maiorem gratiam, atque adeo quantò maior fuerit dispositio sumentis, tantò erit maior gratia illi data. Attendant hoc qui communicant, & maximè illi, qui frequenter id faciunt, ne ex negligentia sua tantum lucrum amittant.

Tertullianus : *Homo corpore & sanguine Christi vescitur, vt eius anima de Deo saginetur. el hombre se mantiene del cuerpo y sangre de Iesu Christo, para que se engorde su alma.* Ita ille. hæc autem saginatio, est secundùm gra- 455 2. tiam, & charitatem : vnde etiam dicitur : *Comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.* Vbi Glossa interlinealis : *Bonum*, inquit, *id est, Christum*, vbi per crassitudinem, seu saginationem, non solùm dari per hoc diuinum Sacramentum gratiam, verùm etiam copiosam intelligimus gratiam. Attendant qui rarò communicant quali quantoque se bono priuent.

Sanctus Chrysostomus homil. 61. *Christi sanguis* Chrys. *terrarum orbi est pretium, hoc Christus emit Ecclesiam, hoc etiam hominem ornauit. Sicut enim homo seruos emens, auris exogat, & rursum eos ornare volens, auro id facit ; sic & Christus emit nos sanguine suo, & in hoc mysterio sanguine nos ornauit.*

Prop. V. *Eucharistia habitum charitatis vel de in nobis auget.*

Qui manducat me, viuet propter me. Vita hæc, de qua hîc Dominus agit, non est vita corporalis sæculi huius ; sed vita illa maximè, quæ in charitate consistit, de qua Apost. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam ; quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* Sicut igitur vita corporalis eget cibo, quo sustentetur, & alatur ; sic etiam vita hæc spiritualis, quæ in charitate consistit, eget cibo & alimento supernaturali, quo ipsa conseruetur. cibus igitur iste est Eucharistiæ Sacramentum. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* quomodo altiùs nobis commendari potuit necessitas huius superexcellentis Sacramenti, quàm his verbis?

Ioan. 6. 58. 1 Ioan. 3 14. Ioan. 6. 54.

Miror quidem quomodo qui hoc sciunt, multis diebus absque huius cibi fulcimento audeant transire: causam autem hanc esse demonstrant, quòd ipsius charitatis vim amiserunt, & fortè quia cà carent. Sicut enim mortui cibum corporalem non appetunt, sic etiam qui vita animæ carent, quæ in charitate consistit, huius cibi appetitu carere solent, &c.

Sed ad rem : si Sacramentum hoc vitam animæ in nobis coagmentat & auget, & vita hæc in charitate consistit, sequitur per vsum huius sanctissimi Sacramenti in nobis charitatem maiora recipere incrementa.

Sanct. Chrysostom. homil. 16. ad pop. *Sicut aurolique-* Chrys. *scente, sine manum, sine linguam aliqua immittat, eam* Simile. *flatim auream reddit ; ita & Eucharistia pretiosam animam reddit. Efficuet quidem hic ignis, & igne vehementius, sed non comburit, sed tantùm, quidquid acceperit, baptizat.* Ita ille. Obserua aurum charitatis, & amoris Dei symbolum esse. Sicut ergo aurum omnia deaurat, sic & in Eucharistia Deus sumptus (Deus autem charitas) vt ita dicamus, omnia charitizat.

Prop. VI. *Eucharistia dat gratiam secundùm dispositionem communicantis.*

QVamuis ex opere operato gratiam conferat Eucharistia, cùm etiam eam tribuat Deus communicanti ex opere operantis, dispositionem attendit accedentis ad eam, & pro mensura rectæ dispositionis seu præparationis, confert gratiam : sicut enim agentia Simile. naturalia agunt in agente disposito, & tantò magis ac melius, quantò magis ac melius disposituum est passum ; sic etiam Deus in collatione gratiæ tantò magis ac melius gratiam confert, quantò fuerit magis ac melius depositus homo.

4 Reg. 4 iussit Eliseus viduæ pauperi vt adduceret vasa non pauca, mutuata à vicinciis, & ex vase in quo parum olei habebat, infunderet in illa vacua vasa ; fecit, &, ministrantibus filiis vasa, miraculosè multiplicabatur oleum, & implebantur omnia vasa : sed cùm deficeret vacuum vas, in quod reciperetur oleum, stetit ipsum oleum. Oleum in diuinis litteris misericordiæ symbolum est, sicut ait Orig super Leuit. hom. 5. & 10. & S. Chrysost. super cap. 12. Ioannis. Fons ergo diuinæ bonitatis, oleum misericordiæ effundit

pro mensura vasorum, hoc est, dispositionum nostrarum, & cessat huiusmodi oleum cessante dispositione nostra.

Et ob eandem causam Deus dicitur in sacris litteris sol iustitiæ, vt patet Malachiæ 4. vbi sic de Christo
Malac. 4. 2. Domino: *Orietur vobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ*, id est Christus. Cur igitur vocat eũ *solẽ iustitiæ*? Iustitia (sicuti ait Iustinianus in principio Iustitiæ) est cõstãs, & perpetua voluntas ius suum vnicuiq; tribuẽs, hoc est, vnicuiq; tribuit iustitia id, quod ei debetur. Ideo ergo dicitur ibi Dominus sol iustitiæ, quia agitur de secundo aduentu eius, in quo iudex constitutus à Patre, vnicuique pro meritis gloriam, & pro demeritis pœnas decernet. Sic igitur Deus hunc iustitiæ distributiuæ modum seruat. Sicut enim sol iste corporeus, secundùm mensuram fenestrarum lucem suam communicat; sic sol noster iustitiæ secundùm mensuram capacitatis, & dispositionis nostræ, gratiam suam communicat nobis; ergo in communione corporis sui pro mensura nostræ dispositionis tribuet gratiam nobis. Quare si paupercula mulier maiori cum deuotione, amore & feruore accesserit, quàm Sacerdos, & Pontifex, (ex opere, inquam, operantis loquendo) maiorem quàm Sacerdos & Pontifex gratiam accipiet.

Prop. VII. *Eucharistia vitam æternam nobis confert.*

Ioan. 6. 59. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Vita æterna propriissimè dicitur vita gloriæ quam in æternum possidebunt sancti, & ideo de hoc Sacramento canit Ecclesia: *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*: ergo si datur in pignus gloriæ, dabitur propter illam gloria: in danda etenim gloria respicit quidem Deus specialiter eos qui Eucharistiam sumunt, & frequentant.

Docet hoc S. Thomas 3. part. quæst. 79. art. 2 & probat, quia Christus per passionem suam nobis aditum aperuit vitæ æternæ, secundùm illud, *Nouis testa-*
Ad Heb. 9. 15. *mentis mediator est, vt morte intercedente, qui vocati sunt, accipiant repromissionem æternæ hereditatis.* vnde & in forma huius Sacramenti dicitur: *Hic est calix sanguinis mei, noui, & æterni testamenti*, &c. Similiter etiam refectio cibi spiritualis, & vnitas significata per species panis, & vini, habentur quidem in præsenti, sed imperfectè, perfectè autem in statu gloriæ. vnde S. Augustin. tract. 26.
Ioan. 6. 55. dicit super illud Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, &c. Cùm cibo, & potu id appetant homines, vt non esuriant, neque sitiant, hoc veracitèr non præstat nisi iste cibus, & potus, qui eos, à quibus sumitur, immortales, & incorruptibiles facit in societate sanctorum.*

At dices, si adeptio gloriæ est effectus huius Sacramenti, cur non statim, vt illud sumimus, consequimur gloriam: ex eo enim statim, cùm communicamus, assequimur gratiam, quia gratia effectus est huius sacramenti; igitur si etiam gloria effectus eius est, cur non etiam statim assequimur gloriam? Nimirum, quia in hac vita non gloriam, sed merita consequimur gloriæ; dabitur autem suo tempore nobis gloria virtute sacratissimi Sacramenti. Sicut enim sunt aliqua venena, quæ licèt hodie sumantur, non statim sortiuntur suum effectum, sed post aliquos dies: sic è conuerso, non virus, sed virtus huius diuini Sacramenti in electis operatur magnum gloriæ pondus.

Prop. VIII. *Eucharistia mutuam charitatem præstat.*

Lex nostra, euangelica lex quidem amoris & charitatis est, & ita Christus Dominus eam toties nobis commendauit, & maximè tempore mortis suæ: ter enim eam præcepit, dicens: *Hoc est præceptum meum, vt hæc mando vobis, mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem*, Sanctum quidem, & vtilissimum, & necessarium hoc, sed, suppositâ infirmitate, & imbecillitate nostra, arduum, & perdifficile nimis, vt etiam experientia ipsa constat: paucissimi enim sunt, qui sic diligant proximos suos. In huius ergo remedium sanctissimum instituit Dominus Sacramentum, cuius potissimùm effectus est, nos cum capite nostro Christo, & cum commembris nostris, proximis, inquam, vnire.

Vnde Magister sententiarũ. *Cùm per nutrimenta minuit, membra in vnum corpus coalescunt, Sacramentum hoc quod vnius habet effigiem conuiuij, Ecclesiæ vnitatem, tum significat, tum efficit. Quare Paulus. Vnus panis, & vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus.* Super quem locum Augustinus. *Sic ut vnus* (inquit) *panis ex multis granis, & vnum vnum ex multis acinis, sic & Ecclesia ex multis fidelibus, charitate copulante, connectitur.* Ita Magister sententiatum. Audiant hoc & paueant fideles, qui Sacramentum hoc fusicipientes, irascuntur in proximos, & eos odio prosequuntur, detrahunt eis, & hostiliter sæpe insequuntur. vnde in his effectus Sacramenti huius adeo propitii communionis minimè apparet, in ore sumere videntur Eucharistiam, sed non debitè, nec fructuosè, &c.

Prop. IX. *Vitam & vires animi sustentat Eucharistia.*

Caro mea verè est cibus. Ioan 6 Medicorum sententia est, corpora nostra tamdiu ali, quàdiu viuunt, hoc est, corpora nostra, dum viuunt, egent alimento, quo deficiente, deficiat vita opus est. Sicut igitur vita nostra corporalis & naturalis corporali & naturali egeat alimento; sic etiam vita nostra spiritualis & supernaturalis, supernaturali indiget alimento. Tale igitur & præcipuum est sanctissimum Sacramentum. *Caro*, inquit, *mea verè est cibus*, non quidem corporalis, quamuis ipsa caro Christi corporalis sit; sed spiritualis, quo vita spiritualis gratiæ alitur, crescit, & conseruatur cum magno meritorum incremento.

Prop. X. *Eucharistia spem saluationis confirmat.*

Psalm. 111. *Paratum cor eius sperare in Domino, confirmatum est cor eius non commouebitur, donec despiciat inimicos suos.* S. Bernard. serm. 6. in Vigilia Natalis Domini. *Paratum*, inquit, *est cor eius, non est paratum cor, ipsa quod non est confirmatum: scimus autem, eodem teste prophetâ, quòd panis cor hominis confirmet; non est ergo paratum, sed aridum.* ita S. Bernardus. Per panem hic Verbum intelligit Dei, nec incongruè nos per panem, panem qui de cælo descendit, intelligere valemus: hic panis verè cor hominis ita confirmat, vt sperare firmiter in Domino, & de Domino possit salutem suam æternam: nimirum quia panis electorum est, & sicut pro electis suis speciatim parauit Dominus panem hunc; sic qui cum pura conscientia frequenter sumunt, facilè electos se ad gloriam sperant, spem istam confirmantes hoc pane: quid enim mirum si panis electorum, electionem, seu electionis effectum, qui est animæ saluatio, in animo confirmet, ita vt iustus hic dicat, firmiter spero me vitam æternam consequuturum?

Prop. XI. *Per sumptionem Eucharistiæ remittuntur peccata venialia.*

S. Thomas 3 par. quæst. 79. art. 4. *Hoc Sacramentum*, inquit, *sumitur sub specie cibi nutrientis, nutrimentum autem cibi esse necessarium corpori ad restaurandum id, quod deper-*

deperditur quotidie per actionem caloris naturalis : spiritualiter autem quotidie in nobis aliquid deperditur ex calore concupiscentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt feruorem charitatis, & ideo competit huic Sacramento, vt remittat peccata venialia. Vnde & Ambrosius dicit in libro de Sacramentis libr. 5. cap. 4. quòd iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis, ita S. Thomas. Qui etiam hoc confirmat ibidem ex charitate, quæ excitatur, & quantùm ad habitum, & quantùm ad actum, in suscipiente hoc Sacramentum, per quod, inquit, peccata venialia soluuntur. Vbi ponderanda est illa comparatio cibi ad reparationem eius, quod per actionem caloris naturalis deperditur in corpore : sic enim per ardorem concupiscentiæ aliquid deperdimus quotidie venialibus peccatis, quod Sacramento Eucharistiæ recuperatur, &c. Quomodo autem per peccata venialia feruor charitatis minuatur, docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 74. art. 10. Idem Innocentius Papa libr. 4. de mysterio altaris cap. 44. Sacramentum hoc mortalia peccata cauet, & venialia delet. & sanctum Concil. Tridentin. sess. 3. can. 2. *Sumi*, inquit, *voluit Christus a nobis hoc Sacramentum, tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præseruemur.*

Quamuis Sacramentum hoc non sit institutum à Christo Domino ad remissionem peccati mortalis, sicut Baptismus, & pœnitentia : est enim Eucharistia Sacramentum viuorum, ideo datur in cibum : cibus autem supponit edentem viuum ; nihilominus dari potest cælus, in quo accedens in peccato ad Eucharistiam receperit gratiam virtute huius Sacramenti, vt allerit S. Thom. vbi ait : *Potest hoc Sacramentum operari remissionem peccati, percipiens ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam & affectum non habet : forte enim prius non fuit sufficienter contritus, sed deuote & reuerenter accedens, consequitur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.* Ita S. Thomas.

Quod quidem maximi momenti esse constat, quia sæpe fieri potest, vt quis inuincibiliter ignoret se esse in aliquo mortali, aut ex inaduertentia, vel obliuione, & credens se contritum, accedat ad Eucharistiam sine affectu ad tale peccatum, tunc remissionem peccati & primam accipit gratiam.

Hinc in quadam collecta Missæ dicitur : *Sit hoc Sacramentum ablutio scelerum* : quod sic exponit S. Thomas. *Hoc Sacramentum est ablutio scelerum, vel eorum quorum conscientiam non habemus, secundum illud*, Ab occultis meis munda me Domine, &c. *vel vt contritio in nobis perficiatur ad scelerum remissionem, vel etiam vt à nobis robur detur, ad scelera vitanda.* Ita S. Thom. Quanti autem momenti hoc sit, ex eo constat, quòd sæpe homo ex huiusmodi ignorantia, seu obliuione nec consideretur, nec conteritur, & accedit, cum sola attritione existimata contritione, & fortè moreretur in illa ignorantia, & peccato mortali ; & tamen quia recepit Sacramentum Eucharistiæ, in gratia recedit, & saluatur. Bone Deus quot modis nobis Eucharistiæ Sacramentum prodest ! Sit eius Institutor benedictus in sæcula.

De peccatis venialibus certum esse docet Sanct. Thom. vbi ait : *In hoc Sacramento duo possunt considerari, scilicet ipsum Sacramentum, & res Sacramenti : ex vtroque apparet, quòd hoc Sacramentum habet virtutem ad remissionem peccatorum venialium : nam hoc Sacramentum sumitur sub specie cibi nutrientis, nutrimentum autem cibi est necessarium corpori ad restaurandum, quod deperditur quotidie per actionem caloris naturalis : spiritualiter autem quotidie in nobis aliquid deperditur ex calore concupiscentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt feruorem charitatis, vt in*

A *secunda parte habitum est, & ideo competit huic Sacramento, vt remittat peccata venialia. Res autem huius Sacramenti est charitas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc Sacramento, p.7 quod peccata venialia soluuntur. Vnde manifestum est, quòd virtute huius Sacramenti remittuntur peccata venialia.* Ita S. Thom. Nisi ergo communicans habeat affectum ad ipsa peccata venialia, ex opere operato hoc Sacramentum tollit omnem culpam, & reatum venialem, secundùm hanc doctrinam Sanct. Thomæ, & est notanda comparatio caloris naturalis, &c.

2.2 p 24. a 1.

a In 4. dist 12. b 2.p.a. 3.q.1. c Lib 4. de Sacram c. 6 d c. vlt. & sub figur. e lic. quid sit sanguis de consec. d.2. f Ser. in cœna Domini. g Sess.13. c.2.

Hoc etirm docuit Magister sententiarum *a* & ibi S. Bonauent. *b* & reliqui Theologi ibidem, & S. Ambrosius, *c* & S Augustt. *d* & S. Greg. & *e* S. Bern. *f* & fauet Concil. Triden. *g* ait enim hoc Sacramentum liberare nos à venialibus, præseruare autem à mortalibus. Sensit igitur ipsum à venialibus non solùm præseruare, priusquam committantur, verùm etiam liberare, postquam fuerint commissa ; quod esse non potest, nisi remittendo illa.

B

Quæres an etiam reatum pœnæ, seu ipsam pœnam, quam pro suis peccatis quisquam meretur, tollatur per communionem Eucharistiæ ? respondetur secundùm doctrinam S. Thom. remittere quidem non ex opere operato, sed ex feruore charitatis, quem habet ipse sumens, & qui resultat ex ipsa communione. Vnde ex quadam resultantia per communionem remittitur pœna debita pro peccatis, vel in totum, vel in partem, secundùm deuotionem & feruorem ipsius communicantis, non aginus autem modo de Eucharistia secundùm quod sacrificium est, sed secundùm quod Sacramentum est.

3 p.q.79. a.5.

Prop XII. *Per sumptionem Eucharistiæ aliquando etiam dimittuntur peccata mortalia.*

C

S. Thomas 3. par. quæst. 79. art. 3. quærit, vtrum effectus huius Sacramenti sit remissio peccati mortalis ? & respondet : *Quicumque habet conscientiam peccati mortalis, habet in se impedimentum percipiendi effectum huius Sacramenti, eò quòd non sit conueniens susceptor eius, tum quia non est spiritualiter, & ita non debet spiritualis nutrimentum suscipere, quod non est nisi viuentis, tum quia non potest vniri Christo, quod fit per hoc Sacramentum, dum est in affectu peccandi mortaliter, & ideo, vt dicitur in libro de Ecclesiasticus dogmatibus cap. 53. Si mens in actu peccandi est, grauatur magis Eucharistiæ perceptione, quàm purificetur. vnde hoc sacramentum in eo, qui percipit ipsum cum conscientia peccati mortalis, non operatur remissionem peccati. Potest autem hoc Sacramentum operari remissionem peccati quando scilicet percipitur ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam, & affectum non habet*, &c. Vide dicta Prop. præcedenti.

D

Prop. XIII. *Eucharistia intellectum illuminat.*

INter beneficia Dei meritò numeratur lux illa spiritualis, quâ Deus animas illustrare solet : eâ enim altiori quodam modo anima veritatem intuetur, & iudicat de rebus diuinis : quod ipsâ experientia manifestum est. Videmus enim sæpe sublimiùs de Deo, & de salute animæ excellentiùs sentire hominem idiotam, & illiteratum, quàm Theologum magnum, & magistrum, vti nobis significatum est in Balaam, & asina eius, cùm vtrique Angelus euaginato occurrit gladio : *Et cernens*, inquit, *asina Angelum in via euaginato gladio, auertit se de itinere ; Balaam autem vir-*

Num. 22 23.

verberabat eam, & ad semitam reducebat, quia asina gladium videbat Dei, non verò Balaam. Mirum hoc, quòd asina gladium videret, & propheta illum non videret. Ita, quia Deus asinæ oculos aperuit ad videndum gladium Dei, non verò prophetæ. Etenim mirabile hoc sæpe sæpius contingit: nam litterati, & magistri, & eius qui se prophetam iactat, non dignatur Dominus aperire oculos ad videndum gladium v. g. diuinæ iustitiæ, sicut aperit oculos hominis simplicis, & tardioris ingenii, illiterati, qui propterea, dum agitur de iudicio, timet, horret, tremit. Videt enim gladium diuini iudicij.

Hinc oritur lamentatio illa damnatorum dicentium in inferno: *Erravimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Pondera verba illa, *iustitiæ lumen.* Quodnam est hoc iustitiæ lumen? lumen quidem solis nouimus, & lumen lunæ, ac stellarum; at lumen iustitiæ quid est? Iustitia secundùm iuris peritos, est virtus ius suum vnicuique tribuens; lumen ergo iustitiæ erit illud, quod ius suum vnicuique tribuit, scilicet dum in intellectu, vbi hoc lumen versatur, ostendit quantum vnaquæque res sit, ac valeat, ita vt pluris æstimemus id, quod pluris æstimandum est, & minoris pretij apud nos sit, quod minoris valoris est in se. quo videlicet, lumine is, qui eo præditus est, cælestia terrenis anteponit, & quo qui caret, è conuerso terrena cælestibus præfert. hoc igitur lumine caruerunt reprobi illi, atque ideo damnati sunt, & hoc habuerunt sancti, & qui bene operantes, salui facti sunt. Hæc lux intellectualis non discitur in scholis, sed datur à Deo, donum Dei est, & eximium, quia ad æternam salutem valde conducens est: quam ideo sibi tribui à Deo Psalmista postulabat, dicens: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Psal. 42. 3.* Quo fructu? *Ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua*, hoc est, secundùm S. Hieronymum, in montem sanctum tuum, id est, in Ecclesiam per fidem, & in tabernacula tua, id est, in cælestem patriam. Ecce quantum sit huius diuinæ lucis emolumentum.

Hanc igitur lucem communicat Dominus communicantibus rectè: ideo quippe vocatur *panis vitæ, & intellectus.* Mystico enim sensu de Eucharistia locum hunc interpretatur Ianseni⁹: dicitur enim panis vitæ, sicut sæpe à Christo Domino nominatur, Ioan. 6. quia vitam gratiæ conseruat, & auget, & ad vitam ducit sempiternam: & similiter dicitur panis intellectus, tum quia intellectualiter, & non solùm corporaliter debet sumi, ita scilicet, vt intellectu rectè percipiamus, qualis, ac quantus sit panis iste, & quantâ reuerentiâ, & animæ puritate sumi debeat; tum etiam quia illuminat mentes ritè sumentium, illo scilicet lumine iustitiæ, vti dictum est. Quod ostendere voluit Dominus in illis duobus discipulis euntibus in Emaus, quorū oculi aperti fuerunt in fractione panis: fractionem hanc panis Eucharistiam fuisse testantur S. Hieron⁹ in epitaphio Paulæ, & S. Augustin. l. 3. de consensu Euangel. cap. 25. & S. Chrysostomus hom. 9. ex variis locis Matthæi, Theophylactus in eo loco. Beda & alij, tenet etiam, & probat latè Maldonatus ibidem. Tunc igitur in fractione panis huius aperti sunt oculi eorum, non quidem solùm corporis, sed animæ, vt non solùm Christum viderent, sed agnoscerent. Quò nobis significaret Dominus, quomodo in sumptione sanctissimæ Eucharistiæ aperiatur intelligenda, vnde non mirum, quod circa diuina altiorem cognitionem habeat idiota simplex frequenter & ritè communicans quàm litteratus. Si vis igitur facilè fieri sapiens, & hoc intellectus donum à Domino obtinere, frequenter, & deuotè ad sacram sumendam Eucharistiam accede.

Ecclc 15. 3.

Sap. 5. 6.

Prop. XIV. *Eucharistia est antidotum, & remedium contra vitiosos affectus carnis nostræ.*

Contra viperæ morsus in ipsamet vipera medicina remedium inuenerunt: animaduerterunt enim viperæ virus, cùm primùm vtpera aliquem ferit, statim petere, & adire cor eius, & cùm cor principium vitæ sit, corde veneno infecto, illico moritur homo. Antidotum autem, & remedium huius veneni, theriacum est, cui, vt homini, quem ferit vipera, remedium efficax sit, hoc solùm deest, vt sumptum tendat in cor, vbi damnum est veneni. cùm igitur virus, seu virtus viperæ hoc proprium habeat, vt statim pergat ad cor, medici carnem, seu puluerem carnis viperæ mixtæ cum theriaco, & ita theriacum hausto quamprimum vadit ad cor, & liberat hominem ab infectione veneni, eò quòd efficacius tali veneno sit. Caro nostra venenum nobis est, & mortis causa: *Caro enim*, vt ait Apostolus, *concupiscit aduersùs spiritum*, vnde tempore diluuii *omnis caro corruperat viam suam.* Genes. 6. imò & semper maxima pars carnis corrumpit viam suam: infecta enim, & tabefacta remansit veneno serpentis antiqui: sed tamen supernus, & diuinus medicus noster theriacum nobis confecit diuinæ virtutis suæ, in quo carnem humanam, quam pro salute nostra assumpsit, ita temperauit, vti antidotum theriaci temperari solet carne viperina. Viperina caro nostra est, at caro Dominica virtute diuina adiuncta, & in Eucharistiæ sacramento à nobis sumpta, theriacum admirabile nobis est aduersùs carnis nostræ venenum, &c. sicut ergo viperina caro temperata virtute theriaci à veneno viperæ, liberat nos à morte temporali, ita caro Dominica temperata virtute Dei, liberat nos à morte sempiterna. vnde Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Habemus intra nos ignem quendam concupiscentiæ nostræ, qui sicut calor naturalis semper agens in humidum nostrum radicale, corpus paulatim debilitat, & consumit; sic etiam calor concupiscentiæ & appetitus sensitiui paulatim debilitat, & consumit animæ vires. Sicut ergo Deus cibum corporeum prouidit, quo reparetur id, quod per calorem naturalem consumitur in corpore; sic etiam ipsemet prouidit hunc diuinum cibum Eucharistiæ, qui deperditum in anima per concupiscentiam, & appetitum, restauret: in huius enim effectus signum, se nobis Christus in pabulum tribuit: habet enim cibus iste animæ in anima omnes effectus bonos, quos in corpore bonus cibus habet, vt à sacra Synodo Florentina dictum est, & ideo Christus, *Caro*, inquit, *mea verè est cibus*, quia scilicet verus effectus cibi præstat in anima.

Cuius rei manifesta figura fuit lignum vitæ in paradiso constitutum, cuius fructus, secundùm communiorem Doctorum sententiam, virtutem perfectam habebat restaurandi, & reparandi quidquid per calorem naturalem in corpore consumebatur. Sic igitur in paradiso Ecclesiæ Dei Christus est arbor vitæ, cuius fructus in Eucharistia sumptus, est reparatio deperditi in anima per calorem appetitus. Deperditur quidem feruor spiritus, & deuotio cordis, hæc reparat Eucharistia, & ideo S. Thomas suadet frequentiam huius Sacramenti, quo huius cibi virtute languentem animi feruorem, & deuotionem renouemus.

Sunt inter cibos nonnulli ita salutares, vt non solùm inter alimenta sed etiam inter medicamenta soleant computari, id manifesto constat experimento. Id etiam de sacramento Eucharistiæ dicendum est: sic enim S. Concilium Trident. sess. 13. can. 2 sumi à nobis voluit Christum, tanquam antidotum, quo à quotidianis peccatis liberemur, & à peccatis mortalibus præ-

præseruemur: etenim licet nullum alium fructum præter istum, in nobis Eucharistiæ Sacramentum operaretur, auidè & hilariter ad eum aspirare deberemus. quis non à peccatis immunem vitam degere optat? quis tam facile, suaue, & honorificum remedium non libenter amplectatur? Vides te aliquo genere peccati fortiter detineri, & veluti fune alligatum, te ad infernales cruciatus duci, vides; accede ac sacram confessionem & communionem: nam sicut ignem extinguit aqua, sic Sacramentū istud extinguet passiones, & vitia tua, si debitè accedis.

S. Cyprian. ser. in Cœna Domini, *Panis*, inquit, *iste substantialis ad totius hominis vitam proficit, & salutem: simul enim est holocaustum, & medicamentum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens* ita S. Cyprianus

Item S. Bern. serm. in Cœna Domini: *Duo*, inquit, *hoc Sacramentum operatur in nobis, in minimis peccatis minuit sensum, & in grauioribus tollit omnino consensum. Quare si quis vestrûm, fratres, non ita sæpe sentit irruentes motus, aut inuidiæ, aut aliorum huiusmodi, gratias agat corpori Domini, nam virtus Sacramenti operatur in eo.* ita ille.

Rationem autem huius accipe, eo ipso quòd Dominus creator noster est, & eius, quod in nobis creauit, conseruator, non solùm quæ ad integritatem nostram opus erant, prouidit: verùm etiam ad conseruandum, & reparandum infirmā humanitatis nostræ virtutē & medicinā in lapillis, & herbis, & cibos constituit, quibus amissa corporis salus posset reparari, & restaurari; decuit ergo vt de animæ quoque remediis prouideret, & infirmitatibus eius mederetur. Sicut enim corpus infirmitatibus afficitur corporeis, sic etiam anima spiritualibus, & quidem quantò nobilior est anima, quàm corpus, tātò sunt necessaria magis, ac maioris ponderis, ac momenti animæ nocumenta, vitia scilicet, & peccata: ad huiusmodi ergo infirmitates vitandas, & sanandas institutum est à Christo Domino mirabile huius sanctissimi Sacramenti antidotum, & remedium, in quo Medicus ipse diuinus animarum exi- 12.3 stit, vnde dignè recipiens rectè sibi dicere valet, quod Danid: *Qui sanat omnes infirmitates tuas*, &c. Sit ille in sæcula benedictus.

Latet seu etiam patet in nobis fomes peccati, & concupiscentia appetitus nostri, à qua passiones, & affectus vehementer scaturiunt, aduersùs animam pugnantes, & egent curatione solicita passiones istæ. Hanc maximè in Eucharistiæ Sacramento habes, est enim antidotum saluberrimum aduersùs appetitus nostri inordinatas passiones; affectus ergo vitiosi, qui in parte inferiori animi sunt, hoc cælesti cibo ita mitigantur, & sopiuntur, si debito cum feruore frequenter sumatur, vt vix quidquam inferant molestiæ cordi nostro.

Fingebant olim Poetæ Æneam, cùm ad inferos descendere voluisset, videndi patrem Anchisen gratiâ, à Sybilla quadam medicatum panem accepisse, vt in os Cerberi tricipitis, (qui aditum illius loci viuis prohibebat) proiiceret, quo eius rabiem, & furorem mitigaret, atque sopiret: sic enim fore, vt tutus illi ad inferos ingressus, egressusque pateret. Fabulosum quidem hoc, sed, vti ait Eusebius Emissenus hom. de Paschate, licèt fabulis nihil possumus probare, rectè quidem possumus obseura declarare. Hoc igitur fabulosum exemplum naturæ nostræ morbum, & remedium exprimit satis; intra pectus namque nostrum triceps Cerberus latet, concupiscentia videlicet, à qua triplex procedit omnium deordinatarum passionum caput, triplex, inquam, appetitus, amor diuitiarum, honorum, & voluptatum; hi sunt tres amores appetitus ita vehementes, vt omnia inter nos turbent, atque perturbent, & humana diuinaque sursùm, & deorsum miscèant, & verfent. Huius autem detrimenti remedium est panis iste cælestis, & Dei virtute, & sacerdotis ver- A bis ita medicatus & sacratus, vt qui piè, & debitè frequenter susceperit, miro modo tricipitis huius canis Cerberi rabiem temperet, atque sedet.

Mirè hoc significauit Arca illa testamenti, in qua manna (huius diuini panis figura) collocatum fuit, quæ, vbi primùm fluenta tetigit Iordanis, statim impetum aquarum coercuit, & fluctus inundantes substiterunt. Quod miraculum propheta Dauid vehementer admiratus, ait: *Quid est tibi mare, quod fugisti, & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?* Nimirum à facie Domini fugit mare, & à facie Domini Iordanis conuersus est retrorsum, & vehementiam compressit fluctuum suorum. Habet cor nostrum inundantes fluctus, passiones scilicet vehementes, quæ in natura lapsa ad ima, & terrena deuergunt, quæ nos jam sursum, jam deorsum ferunt: at cùm manna hoc cæleste sumptum à nobis, cor nostrum tangit, sedantur cordis fluctus, comprimuntur, frænantur, nimirum à facie Domini: nam Dominus ipse in isto cibo cælesti consistit, & ad eius præsentiam sedatur mare feruens cordis nostri, quiescunt fluctus Iordanis. non minùs mirabile hoc, quàm quòd Iordanis conuersus sit retrorsum. *Ioſ.3.* *Pſ.113.5.*

PROP. XV. *Eucharistia confert vires ad superandas passiones.*

EX fomite appetitus nostri, & deordinatione passionum nostrarum, maximum nobis periculum instat: vehementissimæ quippe sunt, & quæ maiorem hominum partem in damnationem ducant æternam. In huius igitur remedium habemus diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod quidem est velut fræ- num quoddam appetitus effrænati: nam sicut indomito equo frenum ori apponimus, vt eum facilius gubernare valeamus, *con el bocado del freno lo refrenamos para bazerle inclinar, boluer y reuoluer a vna y otra parte, asi con este bocado del sanctissimo Sacramento, enfrenamos nuestro apetito.* B

S. Thom. Hoc mediante charitate, quam valde auget Eucharistia, prouenire affirmat: sed tamen alij authores tenent, non solùm sic indirectè & mediante charitate, verùm etiam per se directè Eucharistiam id præstare. C *3.p.q.79. a.6.ad 3.* *P. Suarez ibid disp. 64 sect. 1.*

Vnde S. Amb. *Hoc*, inquit, *Sacramento inebriantur fidelium affectus, vt curas seculares seculi huius, & inetum mortis, & solicitudinem deponant.* Ita ille. *Pſal 118. ſer. 15.*

S Chrysost. disputans de passione iræ, quæ velut fera pessima cor dilacerat, & mentem turbat, & pertur- bat, *ab hac tam noxia peste liberabimur? si illam vtique potionem bibamus, quæ omnes intra nos vermes serpentesque mortificat. Et quodnam, inquies, poculum istud est, quod eam vim habeat? pretiosus scilicet Christi sanguis, si cum fiducia vtiqui sumatur. Omnes enim hoc remedio morbus extinguitur.* Ita ille. Vbi notanda est similitudo: solent medici ad extirpandos & purgandos vermes, qui in visceribus solent produci, potiones aliquas adhibere: sic igitur cùm ira vermis quidam sit interiora depascens, ordinauit Christus Dominus potionem sanguinis sui, nomine autem sanguinis Christi, etiam hostia illa, quā in cibum sumimus, venit intelligenda: in ea est enim sanguis Christi. Secundò notandum est, idem quod de ira; de alijs esse passionibus dicendum: non enim magis in remedium iræ, quàm tristitiæ, & aliarum affectionum deordinatarum, est à Christo Domino Eucharistia instituta. Tandem ait: Si ij qui vermes in interioribus corporis nutriunt, ne respirare quidem sinuntur vexatis profectò adesisque visceribus: quomodo nos venenatam hanc in nobis alentes viperā, ira dico, quæ omnia interiora hominis depascitur. quid, inquam, sanum aut forte poterimus cogitare aut parere? Quorum igitur *modo*, in- D *Hom. 4 in Matth.*

quit, S. Chrys. hom. 45. in Ioan. *Ex paradiso fons scaturijt, à quo sensibiles fluuij emanarent. A mensa hac prodijt fons qui fluuios spirituales diffundit : iuxta hunc fontem non steriles salices germinant, sed arbores cœlum ipsum attingentes, quæ fructus tempestiuos & solidos semper producunt : si quis æstuat, ad hunc fontẽ se confe rat, & recreabitur. Mundat squalorem & sordes, æstus mitigat, non solares, sed quos ignitæ sagittæ imprimunt.* Ita ille. *Si quis*, inquit, *æstuat*, nempe aut amore diuitiarũ, aut amore deliciarũ, aut amore honoris: horum scilicet trium vehementissima siti, propter illa nostri laborat apperitus: atq; vt illa consequamur omnia sursum deorsumq; miscet. cuius quidem remedium, est fons qui ab hac mensa prodit, qui æstus hos mitigat, quos ignitæ sagittæ imprimunt; sagittæ, inquã, de quibus Apostolus, cùm ait: *In omnibus fumentes fcutum fidei, in quo possitis extinguere tela Nequissimi ignea.* Ad cuius imitationem dicere hic possemus : Ad hanc mensam frequenter & desideranter accedite, & fontem ex ea manantem, intra vos sumitte, per quem possitis tela Nequissimi ignea extinguere. A

Audiamus & S. Bern. ser. in Cœna Domini : *Omnes*, inquit, *luci inutiles, illicitos quosdam motus concupiscentiarum & tanquam bestiales, sentimus. Dixi vobis sæpius, nec mente excidere debet, quoniam in casu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus, autem super acerum lapidum, & in luto: vnde non solum inquinati, sed etiam vulnerati, & grauiter quassati sumus. Lauari quidem cito possumus, ad curandum verò opus est curatione multa. Lauamur igitur in baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostræ : & gratia hæc nobis confertur, ne iam nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstineamus : atque ita tanquam sanies inueterati vlceris removetur, dum tollitur damnatio, & responsum mortis, quod prius condemnabat. Sed quid poterit tam efferos motus frangere? quis prurtum vlceris huius ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia sufficit, & vt securi sitis, sacramenti Dominici corporis & pretiosi inuestituram habetis. Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis, vt videlicet & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestium fratres non tam sæpe modò tam acerbos sentit motus tracundiæ, luxuriæ, inuidiæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini : virtus enim Sacramenti operatur in eo, & gaudeat quod pestimum vlcus accedat ad sanitatem.* Ita Bern. B

S. Cyril. *Sedat*, (inquit) *cùm in nobis manet Christus, sequientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, & perturbationem animæ exstinguit.* Ita ille. Vide Concilium Colonienſe. *Lib 3 in Ioan. c. 37. & lib. 4. c. 17. Vol. 78.*

Et quidẽ ratio ipsa ita hoc remedium postulabat, vt se humani generis conditor, & gubernator, qui tot salutares herbas, & tam mulcta medicamentorum genera curandis corporum morbis procreauit, nequaquam huic tam pernicioso morborum animi fonti mederetur. Quàm enim nociuus sit, vel nomina ipsa, quibus sancti & Theologi illũ appellant, manifestant: alij enim concupiscentiam, alij naturæ languorem, alij peccati fomitem alij naturæ vitium, alij tyrannum, alij stimulum carnis, nuncuparunt: Apostolus verò modò legem membrorum, modò corpus peccati, modò carnem, modò peccatũ vocat. non quòd reuera peccatũ sit, sed quòd peccatorum omnium sit inuentor, & instigator. Quanta verò sit eius vis seu potiùs violentia, satis superq; verba ipsius Apostoli declarant, qui ab hoc morbo liberũ se esse desiderans, aiebat : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Aduersùs igitur hostẽ hunc Christus Dominus Eucharistiæ sacra sanctæ remedium adinuenit, vt carnis infectæ medela, caro sanctissima eius sit: vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret, ex carne damnum, ex carne remedium. C D *Ad Rom. 7. 24.*

Quæres, quomodo Eucharistia hunc effectum præstet? primò quidem, vt ait S. Thomas, excitando feruorem charitatis & amoris Dei, qui amoris Dei feruor, velut clauus clauum extrudit, feruorem apperitus, nec mirum, cùm adeo superior & fortior sit feruor hic charitatis. Secundo per actionem propriam circa imaginationem hominis, & appetitum, quâ excitantur phantasmata, & humores, vel spiritus vitales, moderando hoc pacto illas imaginationes, & phantasmata, ne nos ad illicita nimiùm prouocent. Tertiò, modificando & temperando qualitates corporales ipsius corporis: motus enim fomitis multùm pendet ex calore, vel humiditate, vel frigiditate, vel siccitate corporis. Hanc Christus Dominus in Eucharistia moderatur, nec minus: si enim mulier illa, quæ fluxum sanguinis patiebatur, eò solùm quòd tetigerit fimbriam vestimenti eius, sanata fuit statim; quid mirũm si, dum corpus nostrum fimbriam corporis Domini tangit, species, inquã, sacramentales, quæ velut indumenta sunt Christi, operientia; sic à fluxu concupiscentiarum sanetur? & sicut Extrema vnctio solet aliquando virtute illius tactus corporalis, seu cum illo, ipsi corpori restituere sanitatem. Et quidẽ ita sentiunt nonnulli authores, quod Sacramentum Eucharistiæ sumptum interdum sanet corpus, si ad salutem animi expediat. Vnde aliquando præstat corpori robur ad opera virtutum exercenda necessarium, vti significauit S. Laurentius Iustin. Quartò, præstat Christus Dominus in Eucharistia sumptus, præstando specialia quædam auxilia, quibus nos possumus fomitem moderari. Quintò, per extrinsecam Christi prouidentiam, seu gubernationem, qua vt tollantur occasiones extrinsecæ, quæ prauos motus in homine causare possunt, & illæ potiùs offeruntur, quæ temperantiam afferant, & moderationem, & vt arceantur dæmones, qui suggestionibus suis nos ad illum prouocant, & ad effectus intemperatos mouent, & fomitis incendium augent. Vnde S. Chrys. *Hic myst. sanguis dæmones procul pellit, & Angelos, imo & Angelorum dominum allicit ad nos: dæmones enim, cùm dominũ sanguinem vident in nobis, in fugam vertuntur, Angeli autem concurrunt.* Ita S. Chrysst. E

Sextò ad omnes passiones sedandas cõducit Eucharistia, dum nos ex eo temperati esse admonemur, quòd tantorum mysteriorum participes simus: dedecet enim eos, qui talia participant, irrationabilibus motibus duci. Vnde S. Chrysost. *Consider ate fratres dilectissimi, quibus in hoc Sacramento fruamur bono, & cùm tunc aliquid animũ subit, cum irâ rapimur, quibus dignis habiti simus, & irrationabiles nostros cohibeamus affectus.* Ita S. Chrysost. F *Serm. de Euch.*

Prop. XVI. *Datur nobis Euchar stia, vt vita nostra vitæ Christi assim letur.*

Leuit. 7. sic Dominus ad populum suum : *Sanguinem omnis animalis non sumatis in cibum tam in auibus, quàm pecoribus.* Et pœnam grauem assignans, ait : *Omnis anima quæ ederit sanguinem, peribit de populo suo.* Cur, quæso, esum sanguinis pecudum prohibuit, qui esum carnis pecudum non prohibuit? quid ampliùs, minusve, habet esus sanguinis, quàm carnis? rationem idem Dominus assignauit Leuit. 17. vbi ait : *Homo quicumque de filijs Israel, & de aduenis qui peregrinantur apud vos, si venatione aut aucupio ceperit feram, vel auem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem eius, & operiat illum terra: anima enim omnis carnis in sanguine est.* Ter ibi repetit hanc rationem Dominus; sed supereſt dubium, cur non comedere debent sanguinem, in quò vita animalis est; liquidem & ipsam vitam ab animali tollere licitum est, vt eius carne vescatur homo? Ad hoc S. Cyprian. ser. de Cœna Domini, sic respondet : *Oportuit, ne sanguini humano sanguis pecudum misereretur, ne putaretur vita hominis eo modo transitoria, quo vita pecudum manesceit.* ita ille. hoc est, ne quis existimaret eandem vitam mortalem pecudum habere hominem, liquidem vitam illam in sanguine *Leuit. 17. Vers. 10. S. Cypr.*

guine sumere videretur. Nunc ad rem, carnem suam A
cum sanguine suo nos sumere iubet Christus Domi-
nus, vt innueret nobis mirabilem Eucharistiæ effe-
ctum, quæ nos vitâ Christi Domini viuere facit, san-
ctam scilicet & perfectam, ad vitæ ipsius imitationem.
Vnde Ioan. 6. ait: *Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me, &c.*

PROP. XVII. *Eucharistia præseruat à peccatis.*

SAnct. Thom. *Peccatum est quædam spiritualis mors animæ. Vnde hoc modo præseruatur quis à peccato futuro, quo præseruatur corpus à morte futura. Quod quidem dupliciter fit, vno modo in quantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiua, & sic præseruatur à morte per cibum & medicinam. Alio modo per hoc quòd munitur contra exteriores impugnationes, & sic præseruatur per arma quibus munitur corpus. Vtroque autem modo hoc Sacramentum præseruat a peccato: nam primò quidem* B
per hoc, quòd nos Christo Domino coniungit per gratiam, roborat spirituale vitam hominis tamquam spiritualis cibus, & spiritualis medicina, secundum illud, Panis cor ho-
03. minis confirmat, *& Augustinus dicit*: Securus accede,
panis est, non venenum. *Alio modo in quantum est quod-*
16. *dam signum passionis Christi, per quam victi sunt dæmones, re-*
pulit omnem dæmonum impugnationem. *Vnde Chrys. dicit*:
Vt leones flammam spirantes ab illa mensa discedi-
mus, terribiles effecti diabolo. Ita Sanctus Thom.

Vbi nota locum illum, *Vt exhilaret faciem in oleo, &* 03.
panis cor hominis confirmet. Locum hunc nonnulli de pa-
ne materiali & communi exponunt: alij verò de pane
Eucharistiæ: quorum vnus S. Hieron. qui ait: *Panis cor hominis confirmat, panis ipse corda nostra confirmat, qui de-*
scendens de cælo vitam tribuit mundo. Ita ille. Sicut ergo
panis merè corporalis, propter soliditatè suam corpus
& cor hominis confirmat, vires corpori vigoremque
cordi tribuens, sic panis cœlestis animæ vites, & cordi C
vigorem præstat, quo peccata in futurum vitet, & ten-
tationibus & occasionibus peccatorũ viriliter resistat.
Vnde Hugo Cardinalis hunc ipsum explicans locum,
ait: *Panis cor hominis confirmat: nam confirmat nos ad ma-*
lum vitandum, & ad bonum faciendum. Ita ille.

Hinc necessitas communionis manifestatur: nam in-
ter multos fortiffimosq; inimicos versamur, dæmones,
qui nos acribus & perpetuis tentationibus inuadunt, &
mundum, qui occasionibus suis nos etiam assiduè op-
pugnat, & carnem quę suis concupiscentiis & affectibus
continuò aduersùs animam pugnat; nos autem fragiles
facilesque sumus ad malum, quid igitur nobis agendũ
est? quid agendum est homini circumdato inimicis, ni-
si armis se communire? Sic igitur & nos faciamus: ar-
mamur autem sacrâ communione, & fortiores eâ red-
dimur ad expugnandum inimicos. Eâ igitur frequen-
ter vtamur, & victores euademus, sicut eos euadere vi-
demus, qui frequentiùs communicant: hi enim
sunt, qui per plurimos annos, imò & omni tempore
vitæ, à peccatis mortalibus liberantur: quod non ita D
de his, qui rarò accedunt, dicere licet, &c.

At dices, videmus sæpe multos, qui Sacramenta fre-
quentant, etiam peccare. Respondet S. Thomas ad pri-
mum: *Effectus huius Sacramenti reperitur in homine secun-*
dum hominis conditionem, *sicut contingit de qualibet causa*
actiua, *quòd eius effectus recipitur in materia secundum modum*
materiæ: homo autem in statu vitæ est huius conditionis, *quòd li-*
berum arbitrium eius potest flecti in bonum, & malum: vnde licèt
hoc Sacramentum, *quantum est de se, habeat virtutem præser-*
uatiuam à peccato, *non tamen aufert homini possibilitatem*
peccandi. Ita S. Thom. qui subdit in solut. ad 3. *Sacra-*
mentum hoc directè confirmat cor hominis in bono, per quod
etiam præseruatur homo à peccato. Ita S. Thom.

PROP. XVIII. *Eucharistia nobis administrat arma, & vires aduersùs anima hostes.*

SIc Dominus ad sponsam suam: *Sicut turris Dauid* Cant. 4.
collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Sponsa Chri-
sti hæc, anima iusti est, cuius collum, ait Theodore-
tus, esse mentem, & rationem animæ eius. Meritò:
nam caput iusti Christus est, & sicut per collum à ca-
pite spiritus corpori descendunt; sic à Christo in ani-
mam spiritus spiritualis per mentem. Per clypeos
mille Aponius non incongruè sanctam intelligit Eu-
charistiam: nam sicut clypeus militem ab ictibus ini-
mici defendit; sic cibus iste in anima mentem nostram
ita munit, tum gratiâ, tum virtutibus, tum etiam cogi-
tationibus sanctis, vt facilè his se ab hostibus suis ani-
ma defendere valeat: sicut enim ex cibo corporali in
caput corporis ascendunt vapores corporales, sic etiam
ex hoc spirituali cibo in mentem viri iusti vapores qui-
dam, vt ita dicam, spirituales ascendunt sanctarum
scilicet cogitationum & auxiliorum Dei, existentis in
cibo isto, qui eum in officio continent, & à tentatio-
nibus inimicorum, qui semper in acie stantes militant
aduersùs animam, facilè defendunt. *Son mille maneras de sanctos pensamientos, y deseos, que valen por mil escudos para defender al alma.*

Hoc quidem experimento sciunt hi, qui aliquando
se à communione abstinebant, & postea sæpe ad sa-
cram accedunt mensam, qui cùm prius ita se debiles
experirentur, vt quouis impulsu hostis caderent in
peccata, postea nullis tentationibus eis suadere hostes
possunt, vt in peccatum aliquod veniale deliberatè la-
bantur. sic nos Eucharistia munit.

Augustinus super Psal 143. *Ego*, inquit, *Dominus, sum panis viuus, qui de cælo descendi: hæc est annona præstantiùs, de horreis dominicis inuecta, vnde pascuntur angeli, quia pa-*
nem Angelorum manducauit homo. ita S. Augustinus. Vide
quomodo appellet S. Augustinus cibum istum diui-
num, annonam præstantium è cælo nobis missam.
Omnes in hoc mundo militamus, hostes fortes mili-
tant aduersùs nos, diabolus, mundus & caro, aduersa
& prospera nostra, quomodo poterimus subsistere
ante faciem tam potentium hostium, nisi Deus ad iuuet
nos? Adiunat nos quidem è cælo Deus: inde enim
annonam misit nobis, quæ vires, & robur præstat no-
bis ad legitimè præliandum, & gloriosè vincendum
in terris. Non inueniebatur cibus ad vires istas exer-
cendas: panis etenim terræ cor hominis confirmat, sed
cor hominis corporeum: bellum autem hoc nostrum
spirituale, & ad animam pertinens est; ad vires igitur
animæ egebamus cibo: hunc nobis administrauit
Dominus in Eucharistiæ sacramento, panis præstan-
tium est, & cor animæ confirmat. Quidni confirmet,
cùm panis hic ipse sit omnipotens Deus, fortis Domi-
nus, fortis in præliо: fi ergo viribus cupis pollere, qui-
bus facilè possis omnes inimicos animæ superare,
comede cibum istum, roboraberis ipso, & præuale-
bis.

Sic Domino Dauid: *Parasti in conspectu meo mensam* Psa 22.5.
aduersùs eos qui tribulant me, hoc est, parasti mihi men-
sam, & ex ea ego armatus aduersùs hostes meos
exiui. Quis mensam aduersùs hostes seruire vnquam
audiuit? *Vna sala de armas, vna armeria de todo genere*
de armas, bien, pero mesa? At dices de hostibus hîc agitur
spiritualibus. Sit ita, vnde verò mensa aduersùs spi-
rituales hostes? imò abstinentiam & ieiunium contra
spirituales hostes prodesse audiuimus sæpe, non verò
mensam, & cibos appositos in eâ? S. Cyprianus epistо-
la 63. ad Cæcilium, S. Ambrosius lib. de Elia & ieiun.
Theodoretus in eundem Psalm. Paschasius Abbas lib.
de corpore, & sanguine Domini, & S. Chrysostomus
super

super ipsum Psalmum, de Eucharistiæ sacramento locum hunc interpretantur. Hic igitur cibus est, qui nos fortissimos reddit aduersùs hostes animæ nostræ. vnde S. Chrysostomus ibidem: *Quæ sunt, inquit, qui nos tribulant? suggestiones inimici, cupiditates, delectationes, sæculi honores; sed cùm venimus ad hanc mensam potentis, tribulationes efficiuntur consolationes, & ex mensa præparata proficimus aduersùs eos qui tribulant nos.* ita S. Chrysostomus. Experiuntur hoc, qui aliquando peccatores, nunc autem iusti sunt, qui aliquando peccatorum, nunc autem iustitiæ serui sunt, qui antea se à vitijs continere se non valere dicebant, nunc autem non minùs difficile eis esset peccare, quàm antea non peccare, sed etiam magis. Vnde hoc ex frequenti communione, ex qua robur anima capit aduersùs eos, qui tribulabant eam.

3.p.q.79. ar.2.ad 1. S. Thom. *Hoc Sacramentum virtutem dat nobis perueniendi ad gloriam, & ideo viaticum appellatur.* Ita ille. Vbi nota similitudinem viatici: viator enim, nisi cibum sumat, facilè deficiet in via; sumpto verò viatico, seu cibo, ad peragendam viam eo vires reficit, quibus possit ad metam peruenire. Sic igitur, cùm viatores simus, & in cœlestem patriam peruenire cupiamus, hoc cibo nos refici oportet: ad hoc enim instituit illū Dominus, vt in eius virtute & gratia possimus, & difficultates, quæ se in itinere sæpe offerunt, superemus.

3. Reg. 19. Fugiens Elias, sub quadam arbore se proiecit, & dormiuit præ tristitia: forti: fugiebat enim à facie reginæ Iezabelis, quæ minitata fuerat ei mortem: affuit autem Angelus Domini, & excitauit Eliam, dicens: *Surge, & comede*, respexit Elias, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rursus obdormiuit: reuersus est autem Angelus Domini secundò, & tetigit eum, dixitque illi: *Surge, & comede*: grandis enim tibi restat via. qui cum surrexisset, comedit & bibit, & ambulauit fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsq; ad montem Dei Horeb. Vnde pani huic tanta vis, & virtus tanta? vix enim nos vno die pane & aquâ ieiuuantes, vires pro eo die reficere possumus solo pane, & tamen Elias in virtute panis illius ambulauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Vnde, inquam, subcinericio pani tanta virtur, tanta fortitudo? S. Tho. figuram, ait, fuisse panem illum sanctissimi Sacramenti, & hinc quidem iudicio meo tanta in eo virtus, vt scilicet nobis suaderet Deus, quòd sicut Elias in fortitudine cibi illius ambulauit, quousque perueniret in montem Dei Horeb; sic nos, qui viatores in cælum sumus, si rectè pane isto cœlesti vescamur, in montem gloriæ perueniemus.

Verſ. 5.

Loco citato.

Super Orat. Dom. Ioan. 6. 54. S. Cyprianus: *Timendum est, & orandum, ne, dum quis abstentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute, comminante ipso, & dicente: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ita ille. Vnde patet non solùm Eucharistiam conducere ad seruandum gratiam, verùm etiam ad expellendas tentationes necessariam esse, & ideo orandum esse pro his qui non accedunt ad communionem, vti asserit S. Cyprianus.

Epist. 54. Item idem S. Cyprianus: *Non est idoneus*, inquit, *ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, quia mens deficit, quam recepta Eucharistia non erigit & accendit.* Ita S. Cyprian.

Serm de cœna Dom. S. Bernard. *hoc Sacramentum*, inquit, *minuit sensum in minimis, & in grauioribus tollit omnino consensum.* Ita ille, hoc est, fortitudinem cordi nostro confert ad vincendas tentationes & occasiones peccatorum, & sic ad perseuerandum in gratia.

Cant. 8. Quæres, quomodo hoc Sacramentum præbeat hanc fortitudinem? respondetur hoc facere, tum quia augetur eo mediante charitas, quæ vt mors dicitur fortis, & alij habitus infuli, & fortitudinis habitus redditur valde fortis, & denique, vt Scholastici aiunt, per auxilia specialia Dei, qui eos protegit specialiter, qui hoc Sacramentum illuminando intellectum, & fortificando, per motus supernaturales, voluntatem, ne succumbat. quod quidem pro magno præmio sumentibus frequenter hoc Sacramentum esse debet.

Sanctus Thomas quærit cur Dominus non in pane hordeaceo, vel alio simili, sed in solo tritico confecerauit, cùm quidem ad significandum passionem Christi, cuius memoriale est hoc Sacramentum, aptius videbatur panis hordeaceus, qui est aspectior? & respondet, quia panis tumenti magis hominem confortat, & ita conuenientiùs significauit effectum Sacramenti huius.

Hoc quidem Sacramentum nouæ legis proprium est, vt id efficiant interiùs, quod repræsentant exteriùs: quod in Sacramento Baptismi apertè constat, quod quidem, sicut exteriùs lauat corpus, sic etiam meliùs interiùs animam lauat à maculis culpæ. Sic Sacramentum Eucharistiæ, quod in cibo & potu exhibetur nobis: nam sicut cibus & potus corpus confortant, & ipsi robur & fortitudinem præstant, ne homo deficiat; sic etiam Eucharistia animam roborat, & virtutem reddit, ne in via virtutis in cœlum tendente deficiat: & ideo maximè in speciebus panis continetur, quia proprium est panis, vires augere, secundum illud, *& panis cor hominis confirmat*. quare Eucharistia panis retinet nomen, vt robur & fortitudinem, quam tribuit, declaret, &c. Hinc est quòd qui diu ab hoc cibo absunt nec pane, facilè in peccata corruet: nam sicut qui ab cibo corporali, vires amittit, & facil[e] sic qui ab hoc cibo abstinet spirituali, non minùs corruet: Medicorum enim dogma est, vt vbi desectus causæ permanentes sunt, ibi remedia quæ permanentia esse debeant. Cùm igitur causæ defectionis nostræ intra nos sint, passiones scilicet animæ, quæ ipsam debilitant: sicut enim calor naturales debilitat vires, & ob id oportet frequenter sumere cibum corporalem, qui reficiat, quod calor ille absumit, sic cùm calor concupiscentiæ & fomitis culpæ intra nos vires absumat animæ, oportet cibum hunc frequentare, quia propria eius est refectio spiritualis animæ, quâ vires reassumit ad expugnanda peccata, & tentationes superandas.

In ciuitatibus, quæ præcipuâ quâdam prouidentiâ gubernantur, duo solent haberi xenodochia, quorum alterum ægris decumbentibus, alterum verò à morbis conualescentibus deseruit, quò salus in altero parta, delicatioribus cibis & molliori cultu in altero seruetur, & confirmetur. Simile quid in Ecclesia diuinæ Sapientia instituisse videtur: nam inter septem Sacramenta diuersis functionibus destinata duo præcipuè ad salutem animæ instituit Sacramenta, videlicet Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ. Pœnitentia salutem, imò & vitam animæ restituit; Eucharistia verò salutem & vitam animæ iam obtentam, firmat, & confirmat, tuetur & auget.

Propheta de Sanctis noui Testamenti nempe Apostolis & alijs sanctis, ait: *Lapides sancti eleuabuntur super terram eius.* S. Hieron. per hos lapides sanctos intelligit Sanctos, qui futuri tunc erant in Ecclesia Christi, secundùm illud, *In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.* cui simile est quod ait S. Petrus: *Ad quem accedentes lapidem viuum, &c. & ipsi tanquam lapides viui super ædificamini.* Sensus ergo prophetiæ hic est, in Ecclesia Christi eleuabuntur lapides, ex quibus ædificatur ipsa Ecclesia, eleuabuntur, inquam, sicut in aliquo ædificio eleuantur lapides, quando ædificium crescit; sic crescente Ecclesia eleuabuntur sancti viri in ea. Sed cur sanctos lapides vocet, ex hoc quod subdit tibi Propheta, constabit, subdit na-

que

que : *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* S. Hier. & alij de sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento locum hunc interpretantur, & sensus est, ideo Sanctos Ecclesiæ Christi lapides voco, quia donauit eis Dominus in cibum sanctam Eucharistiam, quâ eos nutriat, & confirmet, & quasi lapides & adamantes eos fortissimos reddat ad viriliter & fortiter resistendum tentationibus & ictibus inimicorum animarum nostrarum, & sic eleuabuntur in altum, & fient viri excelsæ, & egregiæ sanctitatis.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. quid ita ? Rectè quidam sapiens interpres : *In me manet*, quasi gutta aquæ, cùm intrat in mare, & ego in eo, sicut virga ferrea fortis intrat arundinem quandam. Aquæ gutta, si seorsum per se sola existat, tenui vento aut modico siccatur calore, denique facilè consumitur ; at verò si in mare injiciatur, ibi diuturno tempore poterit conseruari : sic quâuis homo creatura debilis nimis ùm sit, dum communionem sacram suscipit, velut in mare diuinitatis ingreditur : quare licèt difficilè per se subsistere ingratia possit inter tot ventorum impetus, & calores concupiscentiæ ; Deo sic adhærens, ab eo conseruatur. Sic igitur manet in Deo tanquam in suo conseruatiuo conseruante eũ in gratia & virtute Christi. *Et ego in eo*, sicut ferrea & fortis virga intra arundinem debilem : quia sicut arundo, quamuis in se & ex se debilis sit, ope illius virgæ fortis, fortis etiam ipsa remanet arundo ; fic qui ritè sanctum recipit Sacramentum, eo fortissimus efficitur aduersus animæ hostes, & ad difficultates superandas, quæ in profectutione virtutum occurrunt.

Sic ad Deum Iob : *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*, ac si diceret ille, non timebo mala, quoniam tu mecum es, non timebo infernorum potestates. quòd si Deum esse iuxta hominem tantam homini fortitudinem adhibet, quid si Deus fuerit intra hominem ipsum, si Deus in illo, & ipse in Deo maneat ?

Hinc est quòd in primitiua Ecclesia fideles tanta erant fortitudine prædити, vt nulla vi, nullis cruciatibus, nullâ regum & imperatorum potentiâ potuerint superari : mirabile autem erat fœminas teneras, pueros impuberes tanto animi vigore & alacritate ad vincula, ad tormenta, ad mortem, quasi ad conuiuia, properare. Vnde hoc ? ex eo quidem quod S. Lucas Euangelista ait : *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*, hinc maxima eorum fortitudo.

Panem Angelorum manducauit homo. Vbi S. Hieron. ex Hebræo, *panem fortium manducauit homo.* Ecce quo pacto Eucharistiam Propheta nuncupauit panem fortium ab effectu, quia scilicet, fortes eos reddat, qui eam ritè sumunt : sicut enim cibus corporalis corpus ipsum firmat, & confirmat, iuxta illud, *Et panis cor hominis confirmet* ; sic etiam Eucharistia corroborat animas nostras, imò & ampliùs multò : Deus enim in ea continetur, qui est fortitudo animæ nostræ. quidni Deus omnipotens in cibum sumptus, fortitudinem sumenti præstet ad omnia difficilia superanda ? Hinc ante passionem Christi immediatè & suum corpus sumpsit, & discipulis, qui magnum scandalum passuri orant, Sacramentum hoc dedit. Vnde & Petrus vires has sentiens, dixit : *Etsi omnes scandalizati fuerint, ego non scandalizabor*, &c.

Sanct. Chrysost. hom. ad Neophytos : *Præterea mihi aliam Deus vltrà tutelam dedit armorum, mensam scilicet preparauit, vt post epularum refectionem, inimicum possim robustius superare. Cum igitur te egredientem post conuiuium Dominicum, viderit inimicus, posti cœlestes epulas, tanquam ignem ore leonis flammantem, fugit omni vento velocior, & cùm cruentam sanguine Christi linguam tuam de longè ille crudelis prosperexerit, mihi crede, non stabit. Vis huius sanguinis audire virtutem ? priorem typum recordemur. In Ægypto nocte media Ægyptijs Deus plagam decimam immabatur, vt eorum primogenita deperirent, qui primogenitum populum eius detinebant : sed ne amata plebs Iudæorum vnà cum illis periclitaretur, quia vnus locus continebat vniuersos, remedium discretionis inuentum est, mortifer domus singulas circubat. Quid igitur Moses ? Occidite, inquit, agnum anniculum, & sanguine eius linite ianuas. Quid ais Moses ? sanguis ouis rationalem hominem liberabit ? Ita (inquit) non eo quòd sanguis est, sed quia Dominici sanguinis per eum demonstratur exemplum : nam sicut regnantium statuæ, quæ sine voce, & sine ratione sunt, nonnunquam ad se confugient. bus hominibus, voce, & ratione decoratis, subuenire consueuerunt, non quia ex tali metallo sunt confectæ, sed quia retinent imaginem principalem ; ita & sanguis ille, qui rationalis non fuit, homines rationales liberauit ; non quia sanguis agni fuit, sed quia sanguinis Christi figuram habebat, & tunc Angelus ille vastator, cùm limina postes, atque aditus peruideret, transiecit gressus, & non est ausus intrare. Igitur nunc si videris inimicus, non positibus impositum sanguinem typi, sed lucentem in ore fidelium sanguinem Christi verum, multò magis subtrahet se : si enim ille percussor ceſs. typum figuræ, quanto magis terrebitur inimicus, si ipsam perspexerit veritatem ? Cuius quidem sanguinis sacramentum in crucis fonte manauit : mortuo enim Iesu, & adhuc in cruce pendente, approximauit miles, latus percussit lanceâ, & exinde aqua effluxit, & sanguis ; alterum Baptismatis symbolum, alterum huius diuini Sacramenti, ideo non ait : Exijt sanguis, & aqua, sed exijt aqua primùm ; & sanguis deinde, quia prius Baptismate dilumur, & postea mysterio dedicamur.* Ita S. Chrysost.

Psalm. 22. sic Domino Dauid : *Parasti in conspectu meo mensam aduersùs eos qui tribulant me* : hoc est, parasti mihi mensam, & ex ea ego armatus aduersùs hostes meos exiui. Quis, vnquam, mensam aduersùs hostes seruire audiuit ? *vna sala de armas, vna armeria de todo genero de armas, bien ? però mesa ?* At dices, de hostibus hic agitur spiritualibus ; sit ita. Vnde verò mensa aduersus spirituales hostes ? Imò abstinentiam, & ieiunium contra spirituales hostes prodesse audiuimus sæpe, non verò mensam & cibos appositos in ea. S. Cyprianus 63. ad Cæcilium, Sanct. Ambros. lib. de Elia & ieiunio. Theodor. in eundem Psalm. Paschasius Abbas lib. de corpore & sanguine Domini, & S. Chrysost. super ipsum Psal. de Eucharistiæ sacramento locum hunc interpretantur. Hic igitur cibus est qui nos fortissimos reddit aduersus hostes animæ nostræ. Vnde S. Chrys. ibidem, *Qui sunt*, inquit, *qui nos tribulant ? suggestiones inimici, cupiditates, delectationes, sæculi honores : sed cum venimus ad hanc mensam potentis, tribulationes efficiuntur consolationes ; ex mensa præparata proficimus aduersùs eos qui tribulant nos.* Ita S. Chrys. Experiuntur hoc, qui aliquãdo peccatores fuerũt, nunc autem iusti sunt ; qui aliquãdo nequitiæ, nunc autem iustitiæ serui sunt ; qui antea se à vitijs continere non valere dicebant, nunc autem non minùs difficile eis esset peccare, quàm antea non peccare : sed etiam magis. vnde hoc ? ex frequenti communione, ex qua robur anima capit aduersùs eos qui tribulabant eam.

Prouerb. 9. 1. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem*, &c. Locum hunc de sanctissimo Eucharistiæ sacramento interpretantur Authores sacri, maximè Sanct. Cyprian. epist 63. Sanct. Auguſt. lib. 20. de ciuitate c. 20. Sanct. Athanas. lib. de oratione contra Arianos, Beda in c. 9. Prouerb. & alij qui domum à sapientia ædificatam, Ecclesiam Christianam à Christo Domino, qui vera sapientia est, constructam exponunt ; columnas autem septem, septem sacramenta Ecclesiæ aiunt esse, super quas ipsa est firmiter ædificata. S. Anton. 1. p. tom. 4. c. 1. §. 12. refert in Heraclea ciuitate Lacedæmoniæ theatrum fuisse tanta maiestate

constructum, vt inter septem mirabilia mundi numerari meruerit, eratque tantæ capacitatis, vt innumeram caperet hominum multitudinem, fundatumque fuisse ait super columnas septem, quod quidem velut Ecclesiæ nostræ symbolum esse videtur. Est enim Ecclesiæ tanta capacitas, vt innumeros populos amplectatur, fundataque est super septem sacramenta quibus firmitur sustinetur, maximè verò super hoc Eucharistiæ sacramentum, hoc enim est inter omnia sacramenta maximum & præcipuum. Quapropter Sanct. Dionys. *Sacramentum sacramentorum* illud vocat; sicut Salomon Cæticum suum canticum canticorum nominauit, hoc est, inter omnia cantica supremum; & sicut
Apoc. 17. 14. in Apocal. vocatur Christus *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, hoc est, inter omnes reges ac dominos excellentissimus Dominus & Rex. Sic Sacramentum sacramentorum, id est, inter omnia sacramenta excellentissimum. Vnde Alexander Papa in epist. 1. Decretalium, de consecratione, disp. 2. *In sacramentu,* inquit, *& sacrificijs nihil est maius corpore & sanguine Domini.* Ita ille. Et ratio est manifesta: nam in alijs sacramentis Christi gratia continetur, in hoc verò sacramento Christus ipse author gratiæ & dator. Quare licèt omnia sacramenta munimina sint Ecclesiæ, Eucharistiæ sacramentum super illa omnia Ecclesiam Dei tuetur & munit. Quamobrem hostis noster de medio tollere hoc diuinum sacramentum conatur, vt Ecclesiam euertat: videt enim columnam firmam esse, super quam Ecclesia firmatur. Sicut enim Samson ad euertendum templum Philistinorum columnas euertit, sic ad euertendam Ecclesiam, Sacramentum Eucharistiæ de medio tollere satagit: sic enim regna & prouincias plurimas hæreticorum destruxit.

Cùm autem vniuersam Ecclesiam euertere nequeat: portæ enim inferi non præualebunt aduersùs eam, neque Sacramentum Eucharistiæ prorsus abolere; curat maximè à singulis Christianis illud amouere; vt protectione Eucharistiæ sublatâ, tanquam columnâ animæ deficiente, facilius eam deturbet. Sicut etiam qui ab alimentis nimiùm abstinet, facilè deijcitur, & vincitur in lucta; sic & anima, quæ à pane hoc cælesti abstinet, ita debilis redditur, vt nullo ferè negotio vincatur à dæmone: lucta enim nobis cum illo est,
Ephes. 6. 12. dicente Apostolo: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersùs principes tenebrarum.*

In huius rei typum conuiuium illud instituit Christus Dominus, quod S. Matth. refert cap. 15. vbi discipulis dixit: *Misereor super turbam, quia iam triduo perseuerant mecum, nec habent quod manducent, & dimittere eos*
Matt. 15. 32. *ieiunos nolo, ne deficiant in via.* Sanct. Hieron. interpretatur hunc locum de Sacramento Eucharistiæ, & ait;
Marc 6. S. Hier. *Periclitatur ergo, qui sine cælesti pane ad optatam mansionem peruenire festinat.* Ita ille. Et eadem ratione se Dominus sub speciebus vini consecratum dedit, quia vinum militibus animos ad fortiter pugnandum addit. Vnde si videris in te robur magnum ad superandas virtutum difficultates, & dæmonum tentationes, & peccatorum occasiones; gratias age corpori & sanguini Christi Domini, quia corpus sanctissimi Sacramenti operatur in te: si verò frequenter ad eum non accesseris, & in peccata incideris; non mireris, quia oblitus es comedere panem tuum, atque adeo debilior factus facilè cadis.

Prou 9. 1. Nec minùs ad rem facit quod Prouerb. 9. ait Salomon: *Sapientia ædificauit sibi domum, miscuit vinum, & posuit mensam, misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Sapientiæ nomine intelligi Christum Dominum in sacris litteris, nec nouum nec mirum est; cùm sit sapientia ipsa Patris. domum quam sibi ædificauit, sacri expositores Ecclesiam Catholicam esse meritò affirmant: posuisse mensam panis & cibi cœlestis etiam constat: quænam enim alia propriùs mensa dici in Ecclesia potest? Sed quid est quòd ancillæ, siue, vt alij transferunt, famuli, ad conuiuium homines vocantes, ad arcem & ad mœnia vocant? quid cum mensa murus? Non displicet quidem nonnullorum explicatio, qui aiunt, in muro constructam & paratam esse hanc mensam, quia mos antiquus militum fuit, ante belli congressum super muros vel in arce cibum sumere, vt hilarius & fortius hostes inuaderent, vel fugarent; & quia panis iste militum Christianorum est, ideo ad mœnia vocabat Sapientia, & simul ad mensam. Sed tamen alia est huius vocationis ad mœnia ratio, nec minùs ad rem; murus Ecclesiæ vocatur Christus Dominus ab Isai. cap. 26. *Vrbs,* inquit, *fortitudinis nostræ Sion, Saluator noster ponetur in ea murus & antemurale.* vocat hic vrbem Sion Ecclesiam, vti exponit Glossa ordinaria, *in ea,* inquit, *ponetur Christus murus & antemurale*: sicut enim murus ciuitatem protegit, ne ab inimicis capiatur, & ictus suffert obsidentium, salua manente ciuitate; sic Saluator Ecclesiam suam defendit, & ictus, & vulnera, & mortem ob defensionem Ecclesiæ toleravit. Ecce igitur murum & antemurale, seu mœnia, ad quæ Sapientia vocat per ancillas siue seruos suos; ad mensam, & muros vocat, quia in hac cælesti Eucharistiæ mensa, illum sumimus, qui est murus defensionis nostræ: qui enim Christum in Eucharistia sumunt, murum sibi circumdant, quo ab hostibus animæ protegantur. Christus enim ita sumptus, fumentes seruat & defendit; non verò ita qui abstinent ab eo, &c.

Isa. 26.

Exod. Exod. 26. iussit Deus Moysi ponere in parte Aquilonari mensam, in qua panes propositionis ponebantur, & coram ea candelabrum lucis. Scitum est, panem illum figuram sanctissimi Sacramenti extitisse. Cur igitur candelabrum coram illa mensa & panem ad Aquilonem constitui iussit? Etenim candelabrum lucis rectè coram hoc cælesti pane constituitur: tot enim mysteria & sacramenta in eo continentur, vt magna luce opus sit ad ea percipienda. Ita autem exira velum tabernaculi iussit Deus apponi hoc candelabrum, vt non sub velo remanerent eximia bona nostra, quæ in eo continebantur, sed quæ à nobis manifestarentur. ad partem autem Aquilonis constituitur panis, cùm pars Aquilonaris sit pars sinistra mundi, vti adnotauit Sanct. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 6. Nonne *S. Thom.* conuenientiùs apponeretur cælestis hic panis in latere dextro, cùm latus dextrum felicitatem importet? Vnde dicere solemus: *Dios os de buena man derecha:* donum dexteræ Dei fuit beneficium Eucharistiæ. Cur ergo in sinistra collocatur? nimirum, sicut natura nostra cor nostrum ad sinistram declinauit, quia debilior pars est illa hominis, vt ei opem ferret; sic gratia Dei panem hunc, qui cor hominis valde confirmat, in sinistra parte collocauit, vt manifestum nobis esset, ad hoc nobis à Deo dari, vt in aduersis, quæ per sinistram significantur, nobis auxilium & robur ferat. Cùm igitur tribulationibus circumdati simus, ad panem hunc frequenter pergamus.

PROP. XIX. *Eucharistia quàm satisfactoria sit pro peccatis.*

PAupercula quædam vidua remedium ab Elisæo postulabat, quo creditori suo satisfacere posset; cui Elisæus: *Quid habes in domo tua? Non,* inquit, *nisi parum olei. Vade, ait Elisæus, pete mutuò à vicinis tuis vasa vacua non pauca, & mitte inde in omnia vasa hæc, & cum plena fuerint, tolles,* &c. ita factum est, ita mulier satisfecit creditori suo, imò de eo, quod superfuit, vixit illa cum filijs suis. Pauperes olim fuere Synagoga & filij eius: habebant quidem vasa antiquorum Sacramentorum, & sacrificiorum; erant tamen vacua & egena, & infirma elemen-

4. Reg. 4.

Ad Gal.

elementa vacua vasa erant, quia non continebant gratiam, sicut Sacramenta nostra: vmbratica enim erat lex illa, & figurativa Sacramenta illa, sacrificia illa vacua erant, figura erant Sacramentorum nouæ legis, & sacrificij incruenti nostri. venit igitur magnus ille Propheta, quem prædixerat Moyses, venit Christus Dominus, & oleo sancto suo impleuit omnia illa Sacramenta, & sacrificia, noua pro illis Sacramenta condens, nouum Missæ sacrificium, omissis reliquis Sacramentis, omissis veteribus sacrificijs. Sacramentum corporis & sanguinis sui in sacrificium contulit nobis, sacrificium plenum, quo possimus debita nostra soluere, pro peccatis, inquam, nostris plenius satisfacere, & de reliquo viuere possent animæ nostræ: est enim viuificum & vitale Sacramentum: Sic enim S. Thom. *Laudis thema specialis, panis viuus & vitalis hodie proponitur, & Christus Dominus: Qui manducat me, ipse viuet propter me*, &c. adeo igitur satisfactoria est Eucharistia, vt si non solùm pro peccatis omnibus satisfacere valeamus, verùm etiam inde superfit, quo viuere valeamus.

Prop. XX. *Eucharistia fons est eximiæ dulcedinis, & consolationis cordis.*

Introduxit me rex in cellaria sua, exaltabimus, & lætabimur in te. Loquitur hîc sponsa Christi, anima sancta, cum alijs animabus sociabus suis, referens beneficium quoddam ingens à Christo Domino receptum, quòd scilicet in cellatia sua intrinseca domus suæ, & recondita introduxisset eam, & cùm plurimis verbis hoc prosequi vellet, ex recordatione sublimis cuiusdam consolationis ibi à Deo acceptæ, præscindens sermonem cum sociabus, & ad Sponsum conuersa, inquit, *Exultabimus, & lætabimur in te.* Quasi dicat, tantam tunc sensi spiritus mei consolationem, & suauitatem, vt iuxta iam vel ex ipsa recordatione, & sermone, non solùm ego, quæ id sensi, verùm & sociæ meæ, quæ à me audient, & percipient, pariter exultabunt. Quænam, igitur hæc tam mira cellaria sunt, in quibus tanta suauitate perfunditur cor humanum? S. Ambros. lib. 5. de Sacrament. cap. 2. ad sacramentum sanctissimum Eucharistiæ hæc verba refert: cùm enim quis ad sacrã Eucharistiã admittitur, in cellaria sua introducit eum Christus; vbi inenarrabiles consolationes sancti percipiunt. *Ibi*, ait S. Ambros. *bona libamina, ibi boni odores, ibi mella suauia, ibi fructus diuersi, ibi epulæ variæ, quibus prandium tuum condatur.* Ita S. Ambrosius. *Alli son los vinos adobados, y preciosos de Dios, que saca de si, sobre si, à los, que los prueban, alli son los ambares, y almiscles, y algalias de la recamara de Dios, alli son las frutas del paraiso de Dios, alli los manjares, y los dulces de la mesa del diuino Salomon, con que regalà à sus escogidos.*

At dices, ego sæpe communicans nequaquam huiusmodi suauitates, & consolationes percipio. Situ non illas percipis, percipiunt alij; & maximè sancti, de quibus refertas legimus historias.

Sed tamen non ob hanc causam cessare à communione debes, nec ob id censere communiones tuas ingratas Deo esse: gratia enim & merita gloriæ, quæ in hoc sanctissimo Sacramento percipiuntur, non dependent ab huiusmodi consolationibus animæ, nec habent necessariam connexionem cum illis, nec ob illas potissimùm nobis expedit communicare, sed ob gratiam & merita dicta, & fortè plus gratiæ, & meriti aliquando percipiet, qui illis carens communicat, quàm qui eis abundat; meliùs autem multò est vnicus gradus gratiæ gratum facientis, quàm plures consolationum.

Contingit autem aliquem communicantem illis priuari, vel quia ita expedit ei, ne scilicet huiusmodi fauoribus diuinis extollatur, vel ne mercenariorum A more ob eos accedat, & potiùs consolationes diuinas, quàm ipsum Deum quærat, vel quia communicans non ita se præparat, & disponit, vt eis affici mereatur.

Quomodocumque sit, consolatio diuina, secundùm se, vtilissima est, quia animam ad diuina allicit, & in Dei amorem eam incendit, & ad seruanda mandata diuina, & labores in Dei obsequium ferendos, disponit, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*, ait Dauid. Vbi S. Augustinus: *Ista dilatatio cordis, virtutis delectatio, vt non timore, sed delectatione quid agatur.* Ita Augustinus. Est quidem arcta mandatorum Dei via, sed dilectionibus, seu delectationibus diuinis disponitur anima ad non solùm ambulandum, sed ad currendum per eam: non enim ait, ambulaui, sed cucurri. *Psal 118. 32.*

Dices, quid igitur faciam, vt his gaudere per communionem possim? dicam. Primò, oratio, & meditatio communionem præcedat, & comitetur. & sequatur, in qua homo tanti mysterij rationem consideret, & maximè vim amoris, quâ Christus Dominus hoc instituit Sacramẽtum, & quâ se nobis in cibum tradidit, & manifestatem Dei, quam intra nos recipimus, & nostram paruitatem, & alia huiusmodi, quæ deuotionem in nobis excitare possint, & preces ad Deum fundamus, humiliter petentes, ne incuriâ, & demeritis nostris tanto priuemur bono. B

Deinde puritatem mentis, & corporis valde seruare studeamus: est enim Christus Dominus valde puritatis amator, & zelator, & simul precibus, & puritati elcemosynas, & ieiunia iungamus, & delectationes terrenas vitemus: *nam delicata est diuina consolatio, & non datur admittentibus alienas*, vti ait Sanct. Bernardus. vnde pœnitentiæ corporales ad hoc admodum conducunt, nec debet nimia præparatio hæc existimari, quia quod multum in se est, non multum est quòd multò constet, *siempre lo que vale mucho, cuesta mucho.* C

Denique 4. Reg. 4. pro mensura vasorum fuit olei plenitudo Nota est historia, oleum in sacris litteris misericordiæ symbolum est, vti ait S. Basilius serm. de abdicatione rerum temp. & Tertullianus lib. de baptismo, & Origenes super Leuit. tom. 5. & 10. & similiter significat consolationem diuinam, & lætitiam spiritualem, vt ait S. Hieronym. super Dauid cap. 10. & in Psal. 44. & super Ezech. cap. 16. sicut ergo stetit ibi oleum, cùm vasa defecerunt, & non antea; sic non antea deficere communiter solet diuina consolatio, quàm nostra dispositio pro mensura nostræ dispositionis solet esse mensura diuinæ consolationis.

Sed ad effectum hunc probandum reuertamur. Cant. 2 sic de Christo Domino sponsa: *Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Pascitur, id est, pascit, & vt legit S. Hieronymus lib. 1. aduersùs Iouin. & in originali Hebræo, vox actiua est. pascitur, & non passiua, vt docent hebraizantes Pagninus, Vatablus, Agathius, & alij, qui affirmant verbum *pascitur* hîc actiuum seu transitiuum esse. Ait ergo sponsa, de hoc Sacramento agens, vt statim dicemus: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascit inter lilia*, scilicet, oues suas. Quid est, *Dilectus meus mihi, & ego illi?* S. Gregorius Nyssenus in hunc locum: Hoc est, ego in eo requiesco, & sic *dilectus meus mihi.* & rursus ego filo eius habitaculum, & sic *ego illi.* quod Christus Dominus alijs verbis dixit, de hoc Sacramento agens, *In me manet, & ego in eo*, hoc est, ipse requiescit in me, cùm me sumit, quia cor humanum extra Deum quiescere non potest: nam, vti ait S. Augustinus, *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Requiescet in cœlo cor nostrum, cùm possederit Deum, clarè illum videndo; requiescit autem in terra, quando habet Deum eo modo quo hîc haberi potest. Habemus autem ipsum intra *Vers. 16.* D

pectora nostra, cùm communicamus, & ita tunc dicere poteſt: *Dilectus meus mihi*, ſcilicet factus eſt requies, & ſimiliter Deus in terra requiem ſibi reputat cor iuſti: nam anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ, in qua ſcilicet requieſcit more noſtro loquendi: tunc enim nos requieſcimus, cùm ſedemus, non ita cùm ambulamus, aut ſtamus. Sic, inquit Nyſſenus, ait ſponſa: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* S. Theodoretus ſic exponit, *Dilectus meus mihi, & ego illi, hoc eſt, ego omnibus eum antepono, ſicut ipſe omnibus prætulit me. quod in hoc Sacramento verificatur: nam in eo, quòd Deus nobis carnem ſuam tribuit in cibum, & ſanguinem in potum, dum viatores ſumus, nos prætulit Angelis viatoribus: non enim illis, ſed nobis datus eſt in cibum.* Et rurſus, *ego illi, quia ei cor meum, & amorem tribuens, præfero eum cunctis rebus.* Sanct. Bernard. ſerm. 67. in Cant referens ad Eccleſiam verba iſta, ſubaudiendum cenſet, verbum *intendit*, dilectus meus mihi intendit, & ego in-
Pſal. 39. 1. tendo illi, ſecundùm illud, *Expectans expectaui Dominum* (intendens ſcilicet illi) *& intendit mihi. Dilectus meus intendit mihi, quia benignus & miſericors eſt, & ego illi, quia non ſum ingrata: ille mihi gratiam ex gratia, & ego illi gratiam pro gratia: ille meæ liberationi, ego illius honori: ille meæ ſaluti, ego illius voluntati.* Ita S. Bernardus qui ſerm. 69. id probans, quomodo fiat, ait: *Qualem te parauerit Deus, talis oportet appareat tibi Deus: nam cum ſancto ſanctus erit, & cum viro innocente innocens erit; quidni æquè & cum amante, amans, & cum vacante, vacans, & cum intento, in-*
Prou. 8. 17. *tentus, & ſolicitus, cum ſolicito, denique ait:* Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilauerint ad me, inuenient me. *Videsquomodo non ſolum de amore ſuo certum te reddat, ſiquidem tu amas illum; ſed etiam de ſolicitudine ſua, quam pro te gerit, ſi te ſenſerit ſolicitum ſui?* Ita ille. Sic ergo dicere valet anima ſancta: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* ſed ad rem. Ex ſequentibus verbis conſtat horum ſenſus: ſubdit, *Qui paſcit inter lilia*, quaſi probatio ſit hæc ſecunda pars prioris. Vis noſſe, quomodo ille mihi, & ego illi? paſcet me ille inter lilia. Quænam ſunt hæc paſcua? S. Ambroſius in Pſalm. 118. ſermone 14. *Bona*, inquit, *paſcua ſunt diuina ſacramenta, carpis illic nouum florem, qui bonum odorem reſurrectionis dedit, carpis lilium, in quo ſit ſplendor æternitatis, carpis roſam, hoc eſt, ſanguinem corporis Chriſti: his paſcuis grex Domini ſaginatur.* Ita S. Ambroſius. Senſus autem verborum ſponſæ hic eſt, Chriſtus manet in me, & ego in eo, per ſumptionem videlicet ſanctiſſimi Sacramenti: tunc enim paſtor hic bonus me inter lilia paſcit, non in paſcuis herbarum communium, in quibus alij paſtores oues ſuas paſcunt, ſed potiùs inter flores, lilia, roſas, & alios huiuſmodi flores bene olentes, & pulchros valde. odor iſte ſuauitatem illam exprimit, quam ſancti ſentire ſolent in huius diuini Sacramẽti ſumptione: qui enim hanc dulcedinem experiuntur, ſe tunc in paradiſo conſtitutos exiſtimant. Ideo fauum mellis appellat hoc Sacramentum eadem ſponſa Cant. 5. dicens: *Comedi fauum meum cum melle meo. Meum* dicit, quia nulla natura, nec Angelus quidem, hoc fauore potiuntur, ſoli homini corpus ſuum Dominus conſecrauit. vocat autem mel, & fauum: quid enim dulcius melle? guſtate igitur, & videte, quia ſicut nemo exprimere dulcedinem faui, nec percipere rectè, niſi guſtu, valet; ſic nec dulcedinem huius ſacramenti, niſi qui debitè recipit illud.

Clemens Alexandrinus comparat Chriſtum Dominum api argumentoſæ. Habes in horto tuo apiarium quoddam, & apes ex horto colligunt flores, ſine detrimento quidem horti, & poſtea, quod ex floribus collegerunt, fauo dulciſſimo perſoluunt, tanquam pecuniâ numeratâ: ſic Chriſtus ex horto mundi huius accepit humanitatem noſtram, quam nobis fauum mellis dulciſſimum reddit, ideo Cantic. 5. *fauus mellis*
Verſ. 1. *nuncupatur ſanctiſſimum Sacramentum, Comedi fauum meum cum melle meo*, hoc eſt, dulciſſimum cibum.

A Etenim Concil. Tridentinum ſeſſione 13. can. 2. *antidotum animæ noſtræ* vocat Euchariſtiam, naturâ verò ſic comparatum eſt, vt antidota (communiter loquendo) non ſolùm inſipida, verùm etiam amara, & palato noſtro nimis ingrata ſint; Deus tamen ita hoc antidotum temperauit, vt non ſolùm palato animæ vel amarum, vel inſipidum non ſit, vt potiùs dulcedo eius reliquas omnes dulcedines facilè vincat.

Quam quidem dulcedinem S. Thomas, vt aptiùs explicaret, in Opuſc. 57. de Euch. *Suauitatem*, inquit, *horum ſacramentorum nullus dignè exprimere ſufficit, per quid ſpiritualis dulcedo in ſuo fonte guſtatur.* Ecce qualis, quantaque ſit huius diuini Sacramenti dulcedo: eſt enim dulcedo in ſuo fonte percepta. magna quidem eſt dulcedo mellis palato corporis noſtri, ita vt, ſi vel parum quid eius cibi alij participent, dulces ob id efficiantur; quanta igitur erit dulcedo ipſa mellis in ſe? ſi quod mellitum eſt, dulce multum eſt ſine ali-
B cuius extranei commixtione, quantò dulcius erit ipſum mel? Deus autem totius dulcedinis, & ſuauitatis fons eſt. Cùm igitur Deus ipſe ſit homo factus, quem in hoc ſanctiſſimo Sacramento recipimus; quantam igitur exiſtimas dulcedinem accipientibus communicari?

Rationem hanc conſideraſſe ſponſam Chriſti conſtat, cùm dixit: *Comedi fauum meum cum melle meo.* S. Ambroſius libr. 5. de Sacrament. cap. 3. locum hunc de Euchariſtia exponens, ſic legit: *Manducau panem meum cum melle meo.* ſic legunt Septuaginta. Idem igitur fauus, qui & panis de cœlo, mel autem propter dulcedinem eximiam appellauit: & non ait, ſe mel ſolùm comediſſe, ſed in fauo, hoc eſt, in ſuo fonte puro. quod quidem idem eſt, quod S. Thomas aſſeruit, dulcedinis in ſuo fonte guſtatio. & quamuis hæc verba Sponſæ ſint, verificantur tamen in nobis, in quibus ſe manducare hunc fauum ait Chriſtus, cùm nos manducamus, quamuis & in eodem Chriſto rectè verificetur, cùm
C ipſe quoque in vltima cœna hunc panem, & fauum cum diſcipulis ſuis manducauit.

Ratio autem tantæ dulcedinis manifeſta eſt: nam cibus, quo hîc cibamur, ipſe Deus eſt: Deus autem ſic ſumptus, quidni dulciſſimus ſit? Vnuſquiſque cibus pro natura ſua proprium ſaporem habet, pomum quem alium ſaporem habere poteſt, quàm pomi & perdix, niſi perdicis, & fauus, niſi dulciſſimi faui? ſic Deus quem ſaporem, niſi Dei habere poteſt? ſaporem autem, & dulcedinem Dei quis explicare poteſt? Meritò proinde Propheta Dauid: *Guſtate*, inquit, *& videte, quo-* Pſal. 33.
D *niam ſuauis eſt Dominus.* Non priùs videte, & poſtea guſtate, quaſi priùs videatur dulcedo Dei, quàm experimento noſcatur; ſed priùs guſtate, & ſic videte, qui per guſtum diſcerni, & cerni debet. ſicut ſi fauum melli, vel panem ſacchari apponeres coram eò, qui nunquam fauum, vel ſaccharum guſtaſſet, quantùmcumque illi dulcedinem vtriuſque augeres; nunquam mente dulcedinem illam caperet, quia non per viſum, ſed per guſtum dignoſci poteſt: ſic quantùmcumque de Dei dulcedine contempleris, vel audias, nunquam magnitudinem eius percipies, niſi, Deo ſic donante, eam guſtaueris; guſtatur autem ſpeciatim in hoc diuino Sacramento, &c. Guſta ergo, & videbis, &c.

Exaggerauit ſatis ſuauitatem ſanctiſſimi huius cibi ſacra Scriptura Sap. 16. vbi de manna agens, (quod Euchariſtiæ ſymbolum erat) *Angelorum* (inquit) *eſca* Verſ. 20.
nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis, ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Et ſubdit: *Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat.* Vbi notanda ſunt primò verba illa: *Omne delectamentum in ſe habentem, & omnem ſaporem ſuauitatis.* Quid dulcius? quid ſuauius? Denique ait: *Deſeruiens vnuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur, ſabia a cuiu-*
vis

vno como el queria, y assi tenia la dulçura y suauidad a pedir de boca. Erat autem manna figura Eucharistiæ, non solùm in quantum cibus è cœlo erat, sed etiam quantùm ad saporis suauitatem; est ergo Eucharistia omnem habens suauitatem saporis. A

At, inquies, ego minimè percipio huiusmodi suauitatem: timeo quidem multis id sua culpa euenire, eò quòd palato infecto accedant. Sicut enim in corporalibus cibis euenire solet, vt palato aliquo humore malo infecto, ea quæ sapida alioqui sunt, illis non ita sapiant; sic etiam in hoc cibo multi illum diuinum saporem non percipiunt, eò quòd animæ palatum vitio aliquo infectum habent, aut non ea dispositione dispositi accedant, quam tantum requirit Sacramentum: secundùm enim dispositionem nostram erit suauitatis magnitudo. B

De beatissima Clara refertur in prima parte Historiæ ordinis sui, deuotissimè eâ & sæpe accessisse ad hâc Christi mensam, & semel cùm in festo Epiphaniæ corpus Domini recepisset, in ecstasim raptam fuisse, non per horam, aut diem tantùm, sed per triginta dierum spatium. mira res, vsu sensuum orbatam, & supra sensum eleuatam tanto tempore fuisse; quali censes dulcedine perfusam tunc fuisse?

Cant. 2. sic sponsa Dei: *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Vmbram Christi hîc ab anima desideratam, intelligit S. Bern. serm 48. in Cant. corpus Christi sub Sacramenti vmbra. fructum autem, ipsum Christum in tali sacramento sumptum. Sedet sub vmbra huius Sacramenti anima, quando seriò, & cunctanter mysterium, & arcanum huiusmodi meditatur: comedit fructum sacramenti, quando communicat. ait ergo sponsa Christi, fructum hunc dulcem esse gutturi eius: non enim omni gutturi, & omni palato ita dulcis est, sed sponsæ, animæ, scilicet virtute præditæ, & quæ meditatione quieta, quasi in ea sedens, & persistens, se præparat ad communionem. C

Solent in conuiuijs multa fercula ministrari, vt varietas ciborum varietatem pariat saporum; varietas autem suauitatem augeat, & satietatem præstet. Vnicum quidem ferculum est, quod nobis Christus in hoc conuiuio sacro contulit, sed tamen tantùm abest, vt ideo imperfectum sit, vt potiùs inde perfectissimum esse conijci debeat. Etenim plurima ciborum genera alendis corporibus in terra, & mari, & aere procreauit Deus, tot fruges, tot arbores, tot fructus, tam multas auium, & piscium, & quadrupedum species, tot pigmentorum, & condimentorum varietates; animæ verò nostræ vnicum hunc cibum contulit Eucharistiæ. Cur ita? nimirum quia natura, quæ imperfecta sunt, multiplicat, vt multa simul efficiant, quod singula minimè possunt; quæ verò perfecta sunt, singularia sunt. D Vnde vnicus est in mundo sol, plurima verò astra, quia astra imperfectam lucem præbent; sol verò perfectam, & ita vnum hoc astrum lucidissimum instar omnium est. In Ægypto plurimis cibis populus Israel alebatur, in deserto vnico manna. cur Deus non etiam plures in deserto illi dedit? quia, vt diximus, manna illud omnem saporem, omnium suauitatem continebat, & frustrà fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora: vel quia imperfecti cibi Ægyptiaci erant, ideo multiplicabantur; at quia manna perfectus cibus erat, nimirum figura Eucharistiæ, ideo vnicus erat. Sic tandem corpori nostro Deus escas plurimas prouidit: animæ verò nostræ hoc vnicum Sacramentum, quia corporis cibi imperfecti sunt; hoc autem animæ ferculum omnem saporum suauitatem continet. quare in Florentina Synodo definitum est, cœlestem hunc cibum ea omnia in mentibus piorum efficere, quæ corporis cibi in corporibus operantur.

Scio non omnes gustus spiritualis esus in sancti Sacramenti sumptione sentire, quamuis illi iusti sint, & in gratia Dei ad illud sumendum accedant: quod ita diuina prouidentia ordinauit, aliquando quidem in pœnam ignauiæ, & tepiditatis nostræ, aliquando verò ob maiorem vtilitatem sumentis, ne scilicet vel inde superbiat, vel ob illam dulcedinem quasi mercenariè ad communionem veniat; quare si absit huiusmodi dulcedo, non propterea turbari debent hi, qui eâ carent: nam ob maius eorum commodum ita fieri ordinat Deus, & communius quidem hoc.

Sed tamen sæpe iustis, & perfectis viris in Sacramento Eucharistiæ eximia spiritus dulcedo tribui solet. cuius figuram gessit manna, de qua Sap. 16. *Angelorum escâ nutriuisti populum tuum, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporu suauitatem.* Dubitari solet, an omnibus Hebræis indiscriminatim exhiberet omnem illum saporem suauitatis. Plurimi authores affirmant, quòd solummodo iusti eo priuilegio vterentur. sic tenet Abulens. in cap. 9. Exod. quæst. 5. & super cap. 16. quæst. 13. Lira in cap. 16. Sap. & Cæsarius Arelatensis hom. 5. de Pascha in tomo 7 Bibliothecæ veterum Patrum, & S. Gregor. 6. moral. 9. *Manna*, inquit, *omne delectamentum, atque omnis saporis suauitatem in se habuit, quod videlicet in ore spiritualium, iuxta voluntatem edentium, saporem dedit.* Ita ille. *De manera que si vn iusto queria que sabiesse a perdiz, sabia a perdiz, si a pabo, a pabo*, &c. quod ex ipso cap. 16. Sapientiæ deducitur, vbi subditur: *Dulcedinem tuam, quam in filios habebas, ostendebas.* Vnde mali dixerunt: *Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo.* Etenim id non dicerent, si ipsi in eo omnem saporem suauem reperissent. Sic igitur sancti viri in Eucharistiæ Sacramento omnem saporem suauitatis, hoc est, maximam dulcedinem spiritualem solent reperire, & hoc præfigurabat manna suauitate sua. *Verſ. 20.* *Num. 11. 5.*

Agens Propheta de Christi Ecclesia, *Erit*, inquit, *odor eius vt Libani, viuent frumento.* Locum hunc de Eucharistiæ Sacramento interpretatur S. Cyrillus Alexand. in comment. super Oseam. Viuent, inquit, frumento, *sustentarán la vida con el trigo, con el santíssimo Sacramento*: ita, quia vitam gratiæ conseruat in nobis Eucharistia: vnde licèt nullum alium fructum ex sanctissimo Sacramento percipiremus, nisi hunc, accedere frequenter ad id auiditate magna deberemus. Septuaginta legunt, *Roborabuntur frumento.* Ecce alium huius diuinæ arboris vitæ fructum robur maximum præbet cordi, ad superandas tentationes, & ad vincendas passiones, & occasiones peccatorum, & omnes difficultates, quæ in via virtutis, & perfectionis interuenire solent; *roborabuntur* ergo, ait, *frumento.* S. Hieronymus ait, quod secundùm Septuaginta sic legendum est: *Inebriabuntur frumento*, quomodo, inquies, fieri potest, vt frumento quis inebricetur? vino quidem inebriari quis potest; at frumento quonam pacto? difficultas hæc ostendit clarè ad spiritum esse in hoc loco recurrendum. Inebriantur quidem fideles cœlesti frumento, quia tantam aliquando consolationem spiritualem præstat, vt ecstasim faciat, &, sicut ebrietas corporalis, sensuum vsum tollat; sic etiam ecstasis; & ebrietas spiritualis nuncupatur hîc, & Cantic. 5. vbi sic Dominus: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini, charissimi.* Quis vnquam sapiens aliquem ad inebriandum inuitauit? quomodo ergo Dominus ad ebrictatem inuitat? S. Gregorius Nyssenus homil. 10. de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, sic exponit hunc locum: *Inebriat animam, dum à sensibilibus ad cœlestia, & sublimia eleuat mentem.* Quanta igitur erit consolatio illa, dulcedo illa, quæ sic hominem immutat & transmutat. *Oseæ 14. 7.* *Verſ. 1.*

Confert non parum diuina dulcedo, & spiritualis interna consolatio ad vitæ spiritualis profectum: dum enim anima percipit, quàm suauis sit Dominus, affi-

citur valde ſpiritualibus exercitiis: vnde Dauid: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Vbi Sanct. Auguſt. *Cordis dilatatio, eſt iuſtitiæ delectatio. Hoc munus eſt Dei, vt in præceptis eius, non timore pœnæ anguſtiemur, ſed delectatione iuſtitiæ delectemur.* Ita ille. Non ergo ſolùm ambulat, ſed etiam currit viam mandatorum Dei, qui hac interiori delectatione potitur.

Pſal. 118. 32.

At dices, ego quidem ſæpe ſanctiſſimum Sacramentum ſumpſi, ſed tamen huiuſmodi ſuauitatem non percepi. Fortè non expedit, tibi miſericorditer denegatur; cenſeo tamen quod ſæpe culpâ noſtrâ illâ careamus: dicit enim Dominus: *Vincenti dabo manna abſconditum.* Communis expoſitio loci huius eſt de ſanctiſſimo Sacramento, cuius manifeſta figura erat manna illud antiquum, tum maximè ob eius dulcedinem & ſuauitatem ſuam: ſed manna vocat abſconditum, quia ſuauitas eius non omnibus pateſcit. datur autem vincenti, & non ait, quid vincere debeat, qui tali ſuauitate frui debet. at in militante Eccleſia, ſicut notum eſt bellum, ſic etiam nota eſt victoria: bellum noſtrum aduersùs noſmetipſos eſt, vnde milites, & victores violenti à Chriſto nuncupantur. *Regnum cœlorum,* inquit, *vim patitur, & violenti rapiunt illud:* violenti autem ſunt, vt ſæpe diximus, qui ſibi ipſis inferunt vim, contra paſſiones, & concupiſcentias proprias militantes. Sic vincenti promittit Dominus manna abſconditum: manna autem cibum ſuauiſſimum importat ſanctiſſimi Sacramenti: non datur autem ei, qui concupiſcentijs ſuis deſeruit, qui conſolationes mundanas quærit. nã, prout ait S. Bernardus, *del. cata res eſt diuina conſolatio, non datur admittentibus alienam:* non conſolatur Deus eos, quos mundus conſolatur, ſed ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus mundi: vnde collationem cœleſtis panis non accipit, qui conſolationibus mundi aditum præſtat. His ergo victoribus dicimus: *Guſtate, & videte, quam ſuauis eſt Dominus.* Etenim hi neceſſe minimè habent, vt verbis illis explicemus, quàm ſuauis ſit Dominus, nam re ipſa id experiuntur. Etenim Samaritana illa annunciauit Chriſtum cæteris Samaritanis: at illi, poſtquam Dominum cognouerunt, Samaritanæ dixerunt: *Iam non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audiuimus & ſcimus, quia hic eſt vere ſaluator mundi.* Sic igitur de ſanctiſſimo Sacramento dicendum eſt, creditis quidem vos miniſtris Dei, & his, qui tanti Sacramenti ſuauitatem perceperunt, admirabilem eſſe huiuſmodi ſuauitatem: ſed guſtate, & videte, & poſtquam guſtauerit is, dicetis: *Iam non propter veſtram loquelam,* ſed propter noſtram experientiam dicimus: quàm dulcia faucibus, & cordibus noſtris communicatio Chriſti, ſub vmbra huius arboris vitæ ſedimus, & fructus eius dulcis gutturi noſtro. verè paraſti in dulcedine tua pauperi Deus, pauperculo, inquam, homini in hoc Sacramento, paraſti. quid? quod explicare nequimus, ideo non dixit, quid, ſed paraſti in dulcedine tua, dulcedo Dei quid eſt, niſi dulcedo, hoc eſt, dulcedo digna Deo, dulcedo propria Dei? dulcedo, inquam, non pomi, non carnis, non faui, non rei creatæ, ſed ipſius Dei.

Apoc 2. 17.

Matt. 11. 12.

Pſal 33 9.

Ioan. 4. 22.

Ioan. 13. Ioan. 13. cœnâ factâ, ſurrexit Chriſtus ex menſa, & antequam diſcipulis corpus ſuum daret in cibum, cœpit lauare pedes eorum. Cur ita, & non antequam inciperet cœnam, cùm mos antiquorum eſſet in conuiuijs lauare pedes conuiuarum? laudo commune reſponſum, ideo ante ſumptionem Euchariſtiæ lauaſſe pedes communicantium, vt puritatem cordis communicantibus commendaret: ideo enim clamat Apoſtolus: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat,* &c. Quare extremam hominis partem lauit? vt extremam & poſſibilem munditiem animi ſuaderet: bene hoc: ſed, tamen altiorem fuiſſe credo Saluatoris mentem. Eximium quidem opus fuit humilitatis, pedum diſcipulorum lotio hæc, quâ minimè vſus fuit Chriſtus ante cœnam anteriorem, ſed ante communionem; quia tanta eſt excellentia & celſitudo communionis, vt magnam in communicantibus exigat humilitatem, & vt à ſuperbia liberetur communicans, ad tam exceſſam eleuatus dignitatem. ſi enim Princeps ille Aman ad menſam Regis Aſſueri inuitatus, ita ſe ob id exaltatum iudicauit, vt diceret glorianter Eſther cap. 5. *Regina Eſther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege, præter me apud quam etiam cras cum rege pranſurus ſum.* Eſther. 12. Quòd ſi cibos communes pranſurus in regia menſa, non ob aliam rationem, quàm quia in menſa regia, ita ſuperbè gloriabatur: quidni dicamus magnum ſubire periculum eum qui ad Dei menſam ſedens, Deum ipſum in cibum ſumit? periculum, inquam, ſuperbiæ magnæ? Propteréa quidem Chriſtus Euchariſtiam ſumpturus, opus illud mirabilis humilitatis exercuit, non quia ipſe ad ſui communionem tali egeret humilitate, ſed vt exemplum daret communicantibus, & quaſi diceret: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci & vos faciatis:* & inſuper lauit pedes communicantibus, vt eos humiliaret & confunderet, tantam videntes in filio Dei humilitatem, vt humilitate illa diſpoſiti, ad communionem eſſent. Et hæc eſt abſolutionis huius ſpecialis ratio. Ioan. 13.

Vnde Sacerdotes, cùm in ſacrificio Miſſæ Euchariſtiam ſumere volunt, ex ordinatione Eccleſiæ, dicunt, non ſemel nec bis tantùm, *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum,* &c. adeò enim ſublime & exceſſum eſt ad communionem corporis Chriſti admitti, vt ſi communicans illud comprehenderet mente, magnum magnæ ſuperbiæ periculum ſubiret.

PROP. XXI. *Per Euchariſtiam Dominus noſtrum ſatisfacit deſiderijs & ſatiat corda noſtra.*

PLinius, Ouetanus, Petrus Martyr, & alij affirmant, in quadam inſula, Hiero nuncupata, eſſe arborem quamdam in terra illa, in qua, licèt ficca valde illa ſit, & neque in illa flumen aliquod, nec fons, nec dulcis aquæ in omni terra è cœlo pluuia deſcendat; arbor tamen illa temporibus certis emittit ex ſe tantam aquæ copiam & abundantiam, vt eâ omnes terræ incolæ, oues & boues, & cuncta pecora & animalia regionis illius, ſitim ſuam expleant ſufficienter. Hic fructus arboris illius fuit quidem à principio homini in Paradiſo conſtituto, vbi explere ſitim & famem poterat, omnium in terra deſiderabilium; at è Paradiſo eiectus, & in hoc exilium miſſus, in terram aridam & ſiticem venit, vbi omnis bonorum inopia, & aſſidua eorum ſitis. ſed miſericordia Conditoris plantauit arborem vitæ in hoc exilio, Chriſtum Dominum, inquam, qui in Euchariſtiæ Sacramento rectè lignum vitæ dici poteſt, ex quo omnium bonorum fons emanat aquæ ſalientis in vitam æternam, quæ ſatis ſuperque ſitim noſtram ſedat: quid enim nobis ſupereſt deſiderandum? &c.

Lib. 2. de Inſul.

Ineſt quidem animis noſtris ſitis quædam immenſa bonorum, quam omnes facilè experimur: non enim vnius, vel alterius eſt, ſed omnium prorſus: hanc autem ſitim non valent extinguere omnia bona mundi. Quare poſſidentibus bona mundi idem accidit, quod ægroto, qui maxima ſiti laborans, aquam petit; illi ſolùm datur parum aquæ ad palatum ſolum humectandum, & fons artificialis ramis virentibus conſtituitur, vt murmure illo & ſonitu aquæ fruatur. itáne ſiti vehementi ægroti ſatisfactum dices? minimè quidem: nam ſitis, & febris interiora comburit, aqua verò exteriùs applicatur; ſic etiam corporalia bona, quamuis plura ſint, quàm Magnus Alexander poſſedit, ſitim bonorum in nobis extinguere nequit: ſitis enim intus animam

animam depascit, bona verò hæc solùm attingunt exteriùs. Quòd similitudine alia explicauit Isaias, dicens: *Sicut somniat esuriens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: sic erit multitudo omnium gentium*, &c. Apta quidem metaphora, videbis in zenodochio aliquo pauperem pannosum, famelicum, & omni fauore humano destitutum, qui tamen dormiens se diuitem somniat, fericis indutum ad mensam multis & optimis cibis refertam, vtráque maxillâ edentem, plurimis famulis obsequentibus, & famulantibus ei. Lætissimo quidem somnio hæc omnia somniat hic, sed euigilans se ita famelicum, sitientem, pannosum, & pauperem reperit, sicut priùs erat; quid huic, quæso, proderunt somnia sua? ita igitur euenit diuitibus sæculi huius; se diuites, & felices, & ab omnibus honoratos somniant, sed *dormierunt somnum suum* (sic mortem appellat Dauid) *& nihil* inuenerunt *omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Nosti aliquem diuitem iam vitâ functum? nouì, inquies, saltem illum, de quo Christus Dominus: *Homo quidam erat dives, & induebatur*, &c. obijt, iam mortuus est diues, & sepultus est in inferno, quid ibi inuenit in manibus suis? flammas, & cruciatus æternos. vbi purpura? vbi epulationes splendidæ & quotidianæ? dormiuit somnum suum, & nihil inuenit in manibus suis, imò nec hausturn aquæ ad sedandam extremam sitim. audi clamorem. *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt mintgat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Væ, quàm miserum refrigerium, & cùm adeo debile sit, nec hoc conceditur illi. *Recordare*, inquit, *quia recepisti bona in vita tua, nunc autem cruciaris.* Ecce quàm nihil inuenit hic diues in manibus suis: somniauit bona, mala verò eius, non tanquam somnium, præteruolant, sed manent in æternum; bona autem somniata quomodo appetitum nostrum possunt satiare?

Quid igitur implere cor nostrum potest? quid satiare famelicum hominem? Audi Psalmistam sic Ecclesiam Catholicam alloquentem: *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion*, cur ita? quoniam *adipe frumenti satiat te.* Glossa ord. Nicolaus de Lira, & Hugo Card. per adipem frumenti sacram intelligunt Eucharistiam, quæ adeps dicitur frumenti, quia sicut adeps est optimum frumenti, sic Eucharistia est optimum inter omnia bona Ecclesiæ Christianæ, de qua, *Quod est bonum eius, nisi frumentum electorum?* hoc pane, inquit, satiat te, quomodo satiat? Vrbanus Papa IV. *Hic est* (inquit) *cibus qui plenè reficit, verè nutrit, summèque imp.nguat, non corpus, sed cor.non carnem, sed animam, non ventrem, sed mentem.* Ita ille, & meritò. Quid amplius desiderare potest anima, quàm ita intra viscera sua habere illum, quem mater Dei intra viscera sua continuit? in hoc cibo passio Christi, in hoc cibo merita Christi, in hoc cibo omnia bona nostra, in hoc cibo Christus continetur, quid amplius optare posset cupiditas humana in hac vita. Qui pane isto non fatiatur, vel ignorat quid accipiat, vel accipit indignè, & tunc non mirum si non satiatur.

Prop. XXII. *Peccatum Eucharistiæ gustum tollit.*

QVid est quòd multi nauseant super cœlesti hoc, & admirabili cibo? quid ego à te rogo est, quòd infirmi de fontibus, & aquis semper, & libenter loquuntur, audiunt; de solido vero cibo, & vtili, nec loqui, nec audire, nec illum videre libet: sed cùm eius nauseam patiantur, medicorum suasu aliquid aliquando magna cum grauedine ac molestia, modicum tamen solummodo capiant. Infirmitas corporis, inquies, in causa est, quæ gustus organum infecit. Sic ergo sunt, qui spiritualibus in rebus nauseam patiuntur, audiet libenter, si de scenis, tragœdiis cum illo loquaris, non verò concionem, quæ de rebus agat diuinis: audiet fabulas, sed non Euangelia: amabit conuersationem in foro, sed non orationem in choro: inuitatus ad prandium gaudens accedet, ad sacra verò mysteria inuitatus recedet: peccatorum pessima & vitiorum consuetudo est in causa, hæc animæ palatum inficit. Vnde si, medicorum spiritualium suasu, quid diuinorum attigerit, aliquando nauseas modicum quidem capiet, conscientiâ stimulatus, & non amplius. Sicut filij Israel, peccatores & procaces, inquam, illo pane cœlesti aliti à Deo in deserto, sic ad Moysen loquebantur: *Cur eduxisti nos de Ægypto, vt moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Pondera verbum *deest panis*: *Panem Angelorum, ait* Dauid, *manducauit homo, cibaria misit eis in abundantia*; & ipsi, deest panis, aiunt. Si adest panis in abundantia, quomodo deest panis? si panis verò est Angelorum, quomodo nauseat anima vestra? Etenim quia Angelorum est, ipsi verò non Angeli, sed dæmones tunc erant, assuefacti quidem cepis, & carnium ollis Ægypti, non sapiebat illis angelicus cibus, angelicis autem viris maximè. Sic nimirum panis iste diuinus, cuius ille figura fuit, angelicis viris, qui porris, & cepis mundi, non ita affecti, & infecti sunt, sapidus est supra modum; mundani verò mundi huius, & tenebrosæ Ægypti cibis assuefacti, nauseant super cibo isto suauissimo. Item super verbo Dei, & lectione librorum spiritualium, orationibus, & meditationibus, & conuersatione rerum diuinarum. Da illis folia lusoria, scenas, cantus, conuiuia, libros fabularum, & his illi facies rem gratam; accurrent, &c.

Num. 21. 5.

Psal. 77. 25.

Prop. XXIII. *Eucharistiam sumere magnum solatium nobis præstat in laboribus nostris.*

MAgnis pluribusque laboribus assiduè torquemur, nimirum in valle lacrymarum versamur; in valle autem lacrymarum quid nisi lacrymarum rationes, & occasiones offendemus? *Maledicta terra in opere tuo*, (ait Dominus Adæ) *spinas, & tribulos germinabit tibi*; in terra ergo maledicta degimus, spinas non solùm corpore, sed etiam animo producente; quid ergo inde nisi vulnera, & cruorem expectamus? denique, *Homo natus de muliere repletus multis miseriis*, non ait, impletur, sed repletur multis miseriis; quid igitur nobis remedij? quid solatij? Ecce remedium abillo, qui pater est miserìcordiarum, & Deus totius consolationis, qui ob hanc causam, inter alias, Eucharistiæ nobis Sacramentum instituit, vt scilicet sit nobis *in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium*, ne paupertate oppримaris, vel infirmitate vexeris, vel falso testimonio affligaris, aut ab inimicis persecutionem patiaris; accipe sacratissimum Domini corpus, *que todos los duelos con esse pan son buenes, quiero dezir, que todos los duelos con Dios son buenos, y todos los buenes sin Dios son duelos.* Dum tristaris, *alcorçam* aliquam sumis, quia virtutem habet ad confirmandum, & lætificandum: quænam alia ad hoc accommodatior alcorça, quàm hostia consecrata, quæ fortè ob hanc causam in forma, & figura alcorçæ datur nobis? Quòd si illa vim habet ad lætificandum cor, quantò magis Eucharistia, in qua Domini corpus, & sanguis continetur?

Gen. 3. 17.

Iob 14. 1

Ideo enim in speciebus panis, & vini fit eius consecratio; de pane autem dictum est: *Et panis cor hominis confirmat*, quod quidem de pane materiali verum est, nam panis cibus solidus est, sed de pane nostro cœlesti locutum fuisse Dauidem, pariter testantur S. Hieronymus, & Cassiodorus, & alij. Eucharistia enim confirmat cor hominis ad labores perferendos, nimirum

Psal. 103. 15.

quia

quia Deum recipimus in illa, & cùm nos communicamus, in pectore Christum habemus: cùm autem pectus sit iuxta cor, quid mirum, quòd Christus prope cor afflictum existens, illud satis superque consoletur? quomodo hic consolator optimus patietur cor serui sui prope se existens, tribulatum manere? Reuelatum cuidam Sancto fuit, præsentiam, & aspectum Christi, dum adhuc ipse viueret, tristibus, & afflictis sic cõsolatorium fuisse, vt dicerent afflicti: Eamus, & Filium Mariæ videamus: nimirum Deus erat, & ad Dei aspectum quidni omnes consolarentur? quid aspectum dico; sola Dei memoria afflictos sufficit consolari. Contigit Dauidem, nescio qua de causa, olim valde contristari: cui familiares varios consolationum modos offerebant, hic ludi, ille venationis, ille verò musicæ: quibus Dauid: *Renuit consolari anima mea*, ita, quia consolatiuncula ista insufficientes, & inanes sunt; quo ergo pacto consolatio poterat illi adhiberi? audiamus eum: *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Quod ludus, & venatio, & musica, & aliæ huiusmodi consolationes efficere nequiuerunt, præstitit sola Dei memoria & recordatio: quòd si hoc facere potest memoria Dei, quantò magis præsentia Dei, seu sumptus in Eucharistia, & intra præcordia constitutus?

Psal. 73. 6.

Psal. 76. 4.

Hinc est, quòd Christus Dominus tempore passionis suæ, in qua ipse tot passuram se sciebat, & etiam discipulos suos, Eucharistiæ Sacramentum instituit, & illud suis discipulis tribuit, & ipse pariter sumpsit: vt nobis omnibus demonstraret, quonam cordis antidoto vti debeamus, cùm instat, vel torquet tribulatio. Nam licèt Christus sibi eo non indigeret, facto illo nos docuit, id nobis necessarium esse tempore tribulationis. Quòd si obieceris, discipulos tunc communicasse, & nihilominus magnam passos fuisse animorum perturbationem; dicam ego: quid si non communicassent? vnus qui malè communicauit, laqueo se suspendit, reliqui, licèt turbati, à discipulatu Christi non abierunt: quod sanctissimi Sacramenti sumptioni non immeriti tribuendum est.

Recessurus Elias, & per turbinem iturus in cœlum, reliquit dilecto suo Elisæo pallium suum, in pignus, signumque amoris in eum, quo quidem specialiter vtebatur ad diuidendas aquas fluuiorum, quò securè alueum transire posset, vti ex eodem capite constat: recessurus similiter Dominus per turbinem passionis suæ in cœlum, reliquit nobis pallium suum, humanam scilicet carnem, quam habitum Verbi appellauit Apostolus. *Habitu inuentus vt homo*: hanc vestem nobis tribuit Christus, vt per aquas tribulationum mundi huius faciliùs transire possimus.

4. Reg. 2.

ad Phil. 2. 7.

Quod & in transitu filiorum Israel per Iordanem figuratum fuit. Nam qui priùs ingressi fuerunt flumen, sacerdotes portantes Arcam Domini fuerunt, *Ingressíque eis*, inquit, *Iordanem, & pedibus eorum in parte aqua positis (Iordanis autem ripas aluei sui tempore messis impleuerat) steterunt aquæ descendentes in loco vno, & ad instar montis intumescentes, apparebant procul ab vrbe.* Vide mirabilem Arcæ effectum; hoc autem propterea, quòd in Arca illa manna erat, huius diuini Sacramenti figura: facilè igitur fluuium transierunt, & sine periculo (aquis cedentibus) hi qui manna portabant; quò nobis significaret Deus, ad hoc, vt aquæ intumescentes tribulationum nobis cedant, sic conducere, nobisque ferre hoc diuinum manna sanctissimi Sacramenti. quòd si aquæ Iordanis sic cesserunt vmbræ, quantò magis cedent aquæ tribulationum veritati?

Iosua 3. 15.

A

Prop. XXIV. *Eucharistia digna sumptio, non solum animæ, sed etiam corpori prodest.*

Sanct. Thom. *Meritò Christus Dominus huius Sacramenti materiam panem & vinum esse voluit, quia, vt dicit S. Ambrosius, hoc Sacramentum valet ad tuitionem animæ & corporis, & ideo corpus Christi sub specie panis pro salute corporis; sanguis verò sub specie vini pro salute animæ offertur, sicut dicitur, quod anima carnis in sanguine est.* Ita S. Thom. Vnde qui corporis sui incolumitatem sibi conuenientem inquirunt, & ea valetudine, & eo robore corporali potiri, qui sibi magis expediens sit, frequenter & deuotè corpus Domini sumat, & experietur, quantùm animæ suæ & corpori suo profit.

3. p. q. 73. a. 3. in corp.

Cor.

Leo.

Prop. XXV. *Eucharistia, sicut & confessio, valde nocent malè dispositis, & indignè sumpantibus.*

B

Sanct. Chrysostom. homil. 42. ad popul. *Ex his*, inquit, *ex quibus oportet adiuuari, ex his ladimur: sic enim & medicamenta curatiuam habentia virtutem, propter vtentium imperitiam, corrumpunt frequenter, & perdunt: & si quæ arma defensiora tractare nescíat, perditur ab eis.* Ita Sanctus Chrysostomus. Vnde Dauid noluit armis Saulis armari: animadiuertebat enim potiùs ex illis nocumentum se accepturum, quia illis vti se rectè posse diffidebat. Sunt quidem Sacramenta medicamenta animæ nostræ, sunt & arma defensiua contra inimicorum ictus, ita quidem, si rectè illis vsi fuerimus; alioquin non solùm non proderunt, quin potiùs valde nocebunt, ita vt mortem inde subeamus.

Chry.

Cœperunt olim Philisthæi Arcam Domini, & templum idoli sui Dagon intulerunt. An ideo sanctum, & sanctificatũ fuit templum illud, eò quòd Arcam illam sanctam contineret? nequaquam; sed, vti ait Sanctus Chrysostomus, impurum & prophanum tunc erat, quod protinus ipsis factis declaratum est: Arca enim ibi suam vim manifestauit: idolo enim bis in terram dejecto, effecit, vt etiam comminueretur. Tantùm enim aberat, vt locum sanctificaret, vt etiam expugnaret. Sic nimirum diuinum hoc Sacramentũ, cuius figura in Arca illa fuit, vbi manna cõtinebatur: sic, inquam, hoc Sacramentum, cùm in animam iniquam intrauerit, non solùm non eam sanctificabit; verùm etiam execrabitur: punit enim & condemnat: *Mors est malis vita bonis, Vide paris sumptionis, quàm sit dispar exitus.*

C

Plin lib. 25. cap. 13. cicutam ait lethale venenum esse, & eapropter Athenienses olim damnatis ad mortem, eam tribuere solitos esse. *Cicuta* (inquit) *venenum est publica Athenienſium pœna muisa.* Et subdit: *Remedio autem est, priusquam perueniat ad vitalia, vini natura excalefactoria, sed in vino pota irremediabilis est.* Ita ille. Vbi nota, *que en el remedio el danno, es vn danno sin remedio.* Si remedio ipsum damnum interuenerit, fiet sine remedio damnum. Est quidem confessio, & communio nostrorum malorum antidotum, *es la contra yerba de la perdicion.* Si ergo in confessione, vel communione culpæ damnum misceatur, fiet irremediabile damnum, &c.

Plin.

D

1. Cor. 11. *Reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Quid est, *reus erit corporis*, &c. S. Ambros. ibidem, Reus erit corporis, & sanguinis Domini, quia sic punietur indignè communicans, ac si proprijs manibus Christum occidisset.

1. Cor. 11. 27.

S. Ambr.

Et huius puritatis in suscipientibus curam, etiam Prælati, sacerdotesque huius tanti sacramenti ministri, & in vniuersum cõfessarij, habere tenẽtur. Vnde Chryſ. hom. 60. ad pop. *Ad vos* (inquit) *ministrantes sermonẽ conuertere necessarium est, vt multo cum studio hæc dona distribuatis: non enim parua vobis imminet vltio, si quem; cuius rem con-*

Chryſ.

conſcium nequitiæ, huius mensæ participem esse concedatis: A sanguis eius de manibus vestris exquiretur. Sine quo dux militiæ sit, siue præfectus, siue princeps diademate coronatus; indignè autem accedat, prohibe, maturem illo potestatem habes. Tu verò si tibi quidem aquæ fons traditus fuisset, purus gregi cuſtodiendus, & pecudem vidisses multum ore limum habentem, deorsum inclinari, nè permissis bibere, & fluentem turbare? Nunc verò non aquæ, sed sanguinis, & spiritus fontem habens creditum, & cœno sordibus habentes peccatum, videns accedentes, non indignaris, nec arces? & quam consequeris veniam? Propterea ergo Deus talı vos insignium honore, vt talia dissernatis, hæc vestra dignitas est, hæc securitas, hæc omnis corona: non vt albati & splendentem tunicam circumetatis induti. Dicam autem aliquid terribilius: non tam graue energumenos intus esse, quam istos (vt ait Paulus) vt Christum concutiant, & sanguinem Testamenti communem existiment, & grauiam spiritus afflatant contumeliâ: demonio enim patiente peior est, qui posſ quam peccauit accidit. Ita S. Chryſ.

Idem S. Chryſoſt hom. 61. Sicut magnum est atque B mirabile Eucharistiæ sacramentum; ita si cum puritate quarum accesseris, ad salutem accessisti: si verò cum mala conscientia, ad damna, & vltionem. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit. Nam si regum contaminamus purpuram simulter punimur; sic & discendentes, non est vero dissimile Domini corpus impura mente suscipientes, eandem subire vindictam cum his, qui claui ipsum dispalarunt. Vide certè quam terribilem vltionem Paulus ostendit, dicens: Irritam quis faciens legem Moysi absque miseratione duobus, vel tribus testibus moritur, quanto peiori digna censebitur vltione, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est? ita S. Chryſoſt.

Idem S. Chryſoſt hom. 61. Multos video Dominici corporis participationem timore iumentes, vt à casu, & consuetudine potius, quam lege, quam cogitatu, & mente. Si superuenerit, inquit, sanctum Quadragesimæ tempus, qualiscunque sit aliquis, mysteria sumit, si superuenerit Epiphanorum dies. C Sed tempus Quadragesimæ, vel Epiphaniæ, vel Aduentus digne accedere non facit, sed animæ sinceritas, & puritas. Cum hæc igitur semper accede, siue hæc nunciam, Cogita qui sacrificij participes veteres erant, quanta vtebantur continentia: quid non agebant? semper exstat antus. Tu verò petens sæpe scientia, quod horreat etiam Angelus, temporum circulum rem desinis. Et quomodo Christus assistes tribunali, scelestli labris ipsius corpus impietas? Dic mihi, immundissimæ manibus ad sacrificium accedere eligeres? Non, vt ipse credo: sordidata autem animam habens, accedere audes? Atqui sub manibus quidem ad tempus detinetur, in illam autem totum resoluitur.

Numquid non vides vndique vasa tersa & resulgentia? His nobis animas oportet esse puriores, his sanctiores & splendidiores. Quare verò tandem? quoniam illa propter nos tacta fiunt? illa eius, qui incsi, nec partem capiunt, nec sentiunt: nos autem certè. In vase ergo sordido recipere non auderes, anima verò sordida accedis?

℣. 75. Idem S. Chryſoſtom. hom. 61 ad pop. Filij tui (ait Psalmista) sicut nouella oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Nihil vetus, nihil immite, nihil crudele: tales enim nouellæ sunt ad fructum idoneæ, fructum mirabilem, oliuæ dico, & sortes, ita vt omnes fiant in circuitu mensæ, neque temere neque à casu huc conuenant, sed cum metu, & timore. Sicut autem cibus, cùm sit nutritiuus, si à crudo sumatur, omnia perdit, & corrumpit, & fit morbi causa; ita etiam & horrendæ inuitationis. Ita Chryſoſt. Vbi meminit cuiusdam consuetudinis, quæ tunc in Ecclesia vigebat, de qua sic Sanct. Chryſoſt. Ibi sublimis constituitur Diaconus, magna voce, terribili clamore, quasi quidam præco, manum in altitudinem tollens, stans erectus omnibus apparens, in illa tremenda quiete exclamans, dicit; Qui sancti sunt, accedans ad sacra mysteria. Ita S. Chryſ. Quo quidem indigni accedere tremebant, videntes se per illam quasi per Dei vocem, à sacrosancta communione arceri. Nunc in vsu iam hoc non est, sed manet semper illa mirabiliter vox sonans Apostoli: Probat autem se ipsum homo & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. 1. Cor. 29.

Et subdit Sanct. Chryſoſtom. Nam si Rex Babylonis ex captiuitate deligens adolescentes, pulchros specie, & decoros aspectu, sumpsit; multò magis & nos sanctæ mensæ assistentes regiæ, specie pulchros esse decet, mundum animæ habentes aurum, vestem purani, calceamenta regia, decorum animæ cultum, aureum ipsius ornatum, indutos esse cingulum veritatis. Talis accedat, & regiam mensam tangat: si verò quis pannis indutus sordidis, squallens regalem velit mensam petere, videret quanta pateretur. Ita ille.

Idem S. Chryſoſtomus orat. de Ecclesia Dei to. 5. Quoſnam de his probabimus? eos, qui semel, an qui cr.bro, an qui rarius? Neque qui semel, neque qui crebrò, neque qui raro, sed eos, qui cum pura consciencia, cum puro corde, & cum irreprehensibili vita. Huiusmodi qui sunt, semper accedant, qui minùs, nec semel quidem: iudicium enim sibi, ac damnationem accipiunt. Qui manducat indignè, ait Apostolus, reus erit corporis & sanguinis Domini. hoc est, eandem pœnam dabit, quam qui crucì Christum affixerunt. Sicut enim illi ingulatores rei sunt sanguinis, ita & hi, qui indignè participant mysteriis; sicut siue quis disrumpat tunicam regiam, siue luto contaminet, ex æquo contumeliâ regem, qui eam induit, afficit; ita hi quoque qui peremerunt corpus Domini, & qui imputo animo id acceperunt, æquèludibria habent, atque qui regium indumentum. At Iudæi quidem cruce id disruperunt, qui verò impuro accipit animo, contaminat. Quocirca hæc diuersa peccata sint pariter tamen contumelia. Ita S. Chryſ. 1. Cor. 11. 29.

Hinc etiam ibidem Chryſ. monet eos, qui nouerint aliquem in peccato ad Eucharistiam accedere, debere dispensatorem Eucharistiæ priùs admonere. Sic igitur ait Sanct. Chryſ. Si quem igitur ex his, qui to.um congregantur, sortantem, & ad mysteria accedentem videris, die eorum dispensatori: Ille mysterijs indignus est, prohibe propbanum sacrũ: nam si talis dignus non est qui Dei facta nuſta narret, cogita quantopere augeat ille supplicium; si etiam sacram attingat mensam? neque verò ipse tantum, sed etiam tibi hoc celanti. Non enim dixit Dauid: & tu adulterum patrabas, sed cum adulteris portionem tuam ponebas. Pap! quam malum est aliorum pura crimines omittare! locum enim enim ait te esse supplicij, quod illi delicto debetur & meritò: ille enim assi.ctionem dicere habet, tametsi non ereatur veniam hic prætextus; tu verò neque talem prætextum habes. Cur igitur cum voluptate non fruaris, pœne te & socium, & participem sui? Vos autem, qui ministratis: multo cum studio hæc dona dispensate: neque enim parua vobis pœna impendet: nam si scientes aliquem improbum esse, de hac mensa eum permittitis participare, sanguis eius è manibus vestris exquiretur. Siue is dux exercitus, siue præfectus equitum sit, siue ille ipse, qui diadematæ circumdatus est, & indignè accedat, prohibe: nianus dominum enim habes. Caue ne irrites Dominum tuum, ne gladium, alimenti porrigas loco. Prohibe, ne metuas illum, metue Dominum Deum tuum, & non hominem vllum. si hominem metuere, & ab eo ipso irrideberis, & Deũ irritabis, si Deũ. & hominibus venerandus eris, & Deo charus. Quòd si ipse non audis, ad me adduc, non patiar eum hæc audere. Anima deficiat priùs, quàm sanguinem Domini præter dignitatem porrigam, & meum ipsius sanguinem profundam, priusquam sanguinem tam tremendum, secus quàm conuenit, administrem: melius enim multo est vitã primari propter Deum, quàm propter vitam ipso Deo Ita S. Chryſ. 1. Cor. 29.

ADDITIO.

VOs ego primum appello fratres, qui criminibus admissis pœnitentiam recusatis: vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, & erubescitis confiteri: qui cum mala consciencia Dei sanctã contingitis, & altare Domini non timetis: qui ad ma- Paciamus. Vacanus ad pœnitentiam. ,, ,,

» nus sacerdotis, qui in conspectu angelorum sub fiducia inno- A
» centiæ accedit: qui divinæ patientiæ insultatis ; qui tacen-
» ti Deo, veluti nescienti pollutam animam, & profanum cor-
» pus ingeritis, audite quid fecerit Dominus : tum deinde quid
Oza. » dixerit . Cùm populus Hebræorum , Hieroslymis arcam do-
1. Reg. 6. » mini reportaret, & ex domo Aminadab Israelitis : Oza qui,
» non explorata conscientia, latus Arcæ attigerat , occisus est:
» & tamen ille , non vi aliquid ex ea sumeret ; sed vt declinantem
» ad lapsum vituli , contineret , accesserat tanta insuit
» cura divinæ reuerentiæ, vt audaces manus , nec ob auxilium,
Leuit. 7. » sustinuerit. Clamat idem dominus & dicit : Omnis mundus
& 22. » manducabit carnem , & anima quæcumque contige-
» rit de carne sacrificij salutaris,& immunditia super illa
» est, peribit anima illa de populo. Antiquant istia sunt,
» & modo non sunt ? quid ergo ? desit Deus nostra curare ? an
» vltra conspectum mundi recessit , & nihilum spectat cælor
» an patientia illius, ignorantia est ? absit, inquies. Videt ergo
» quæ facimus , sed vtique expectat & patitur , & pœnitentiæ
» tempus indulget , & Christo suo præstat vt differat ne citò
» pereant quos redemit. Bene, tu peccator , intellige : spectatis B
Rom. 2. » à Domino , potes illum placare, si velis. Sed antiquum sit
» istud , quòd ad mensam Dei accedere non licuit immundis,
» evoluite Apollodes , & nonulla cognoscite. in prima Corinth.
» Paulus hæc intulit: Quicumque , inquit , manducauerit , aut
» biberit calicem Domini indigne , reus erit corporis & san-
» guinis Domini. item infra : qui enim manducat & bibit
» indignè , iudicium sibi manducat & bibit , non discernens
» corpus Domini : propterea , inquit , inter vos multi infirmi
» & ægri , & dormiunt multi. Quòd si nos ipsos iudicaremus,
» non vtique iudicaremur : cum iudicamur autem , à Domino
» corripimur , vt non cum hoc mundo damnemur. Intremui-
» stis, aut non ? rem erit , inquit , corporis & sanguinis Domini.
» Humanæ animæ reus non posset abolere : Dominici cor-
1. Cor. 11. » poris violator euadit ? qui manducat , inquit , & bibit in-
» dignè , iudicium sibi manducat & bibit. Exigilæ pecca-
» torissime in visceribus tuis præsens iudicium , si quid tale se-
» cisti. Propterea , inquit , inter vos , multi infirmi & ægri, &
» dormiunt multi . Iam si quis futura non metuit , vel præsen- C
» te agritudine præsentemque obitu reformider. Cùm iudicamur,
» inquit, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damne-
» mur. Lætare peccator, si in hoc sæculo , aut morte interciperis,
» aut languore consumeris , ne puniaris post sæculum intellige
» quantum sceleris admittat qui ad altare venit indignus : cui
» pro remedio computatur , cùm aut morbis laborat , aut morte
» dissolvitur. Paulus sanctissimus Apostolus non temerè ad hoc
» diuinissimum conuinium accedendum esse admonet , dicens:
Philo Carpha- » Probet autem seipsum homo , & sic de pane illo edat,
sius in Cant. c. 7. » & de calice bibat , &c. ô rem miram ! ô rem tremendam!
1. Cor. 11. » hæc, quæso, diligenter mecum sacerdotes attendite: hæc, fratres,
» animaduertite: hæc timete semper , & cauete periculum. Ea est
» enim rerum diuinarum humanarumque natura , vt quæ pro
» sua dignitate , & excellentia optima esse debent , ac summa,
» eadem, mutato ordine, pessima fiant atque infima. Scio non vos
» latere quid hæc sibi velint, nouí vos in Dei seruitio iamdiu ver-
» satos esse , atque pollere. Licet videre quosdam ex hoc sacra tis-
» simo conuiuio fieri quotidie prauiores : & quod sine graui do- D
» lore commemorare non possum , ob id solùm ad gehennam pro-
» perare miserrimos , quod ad tale, ac tantum , tamque ineffa-
» bile, & cælestè conuiuium, angulorum choris optabile, immundo
» corde , atque sordidato audaciter accedere , & insolentissimè
» deuorare præsumunt : sed hæc alibi pluribus deploranda. Stu-
» deat igitur quisque Christianorum se bene dirigere in Domi-
» num , eidemque recto animo , & voluntate perfectâ seruire:
» ijque præcipuè hoc faciant , quibus ex sacris ordinibus datum
» est & sibi rectè sumere , & cæteris ministrare sanctissimè. Sic
» enim & cogitationum labyi , & dentibus meditationum, cæ-
» lestis hæc esca , & mensa salutaris , bene discumbentibus diui-
» nam refectionem est allatura : contrà verò indignè sumentibus
» sempiternam famem ac mortem.

Prop. XXVI. *Quàm efficax pro nobis oblatio sit Eucharistia.*

Et quidem tempore isto non solùm homines clamorem illum horribilem reddunt , sed etiam tunc Angeli simul Domino genu flectunt ; & Archangeli rogant, habentes sibi tale tempus idoneum , & maximè in Missa sacram illam oblationem habent in fauore. Itaque vt homines ramos obliuarum gerentes , mouere reges consueuerunt , eque arboris genere misericordiam commemorant , & humanitatem : sic Angeli tunc pro ramis & oleagini ipsum Dominum corpus protendentes , rogant pro genere humano quasi dicant : Pro his Domine rogamus , quos tu adeo dilexisti , vt pro eorum salute mortem obires , animam in cruce effunderes : pro his supplicamus , pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem pro his oramus , pro quibus corpus hoc immolasti. His itaque animaduersis , fratres charissimi , omnes tempore illo ad Ecclesiam properemus , vt Dominum ad misericordiam inuitemus. Ita S.Chrys.

EVCHARISTIÆ SVMPTIO.

Prop. 1 *Quomodo S Eucharistia sit sumenda.*
2 *Eucharistia cum puritate conscientiæ sumenda est.*
3 *Eucharistia sumenda est cum præparatione orationis , & cum gratiarum actione.*
4 *Eucharistia magna cum reuerentia & præparatione sumenda est.*
5 *Amore ad communionem accede*
6 *Eucharistia à nobis audè est accipienda.*
7 *Quàm gratum Deo sit , nos sumere frequenter Eucharistiam.*
8 *Eucharistia frequenter sumere donum Dei est in præbonorum bonorum.*
9 *Eucharistiam sumere frequenter , quantum nobis interest*
10 *Frequens vsus Eucharistiæ, præditionis signum est.*
11 *Contra retrahentes hos qui frequenter communicant.*
12 *Eucharistiæ sumptio demittit nos ad hoc vt linguam iusdiamus.*

Prop. I. *Quomodo S. Eucharistia sit sumenda.*

Gaudentius relatus in fine Prop. 24. in Additione tit. præced. subdit: *Adijcit verò Deus in Exodo superioribus dictis hæc:* Sic autem comedetis illũ (agnũ videlicet) lumbi vestri præcincti, & calceamẽta vestra in pedibus vestris , & baculi in manibus vestris , & edetis illud festinanter : pascha enim est Domini. *De calceamento & baculis longa ratio est quæ alio tempore disseretur. de præcinctione lumborum , quod frequenter à me latius dictum est, breuiter nunc dicetur. Scribitur in Ieremia :* & tu præcinge lumbos tuos , & dices ad populum , *&c. & ad Iob ait Sanctum Iob :* præcinge tanquam vir lumbos tuos : interrogabo autem te, tu verò respondeas mihi : vbi eras cùm ego fundarem terram ? *& reliqua. Apostoli quoque audiunt :* Sint lumbi vestri præcincti. *& cur illud tantopere iubeatur , in Ioanne Baptista cognoscitur, qui zonâ pelliceâ præcinctus erat circa lumbos suos. Lumborum ratio quæ sit, significat Apostolus ad Hebræos;* adhuc, inquit , in lumbis patris erat Leui: *id est, sacerdotali genere, quando occurrit ille Melchisedech illi: cui & sancto vtique Abrahæ. Zona ergo pelliceа circa lumbos , mortificationem significat vitiorum. pellis enim quæ aptatur in vsum , non nisi mortui animantis est. Oportet ergo nos ex præcepto Dei mortificare priùs concupiscentias carnis & sic accipere corpus Christi , qui pro nobis seruitutibus in Ægypto est immolatus.* Propter quod probet se homo , vt ait *Apostolus* , & sic de isto pane manducet, & de calice bibat. *Quod autè dixit, cum festinatione illud manducandum, præcipit ne lento corde. & ob sanguinis Sacramentum Dominici corporis sumamus, & sanguinis . sed cum omni audi-*

auiditate animi, quasi verè esurientes & sitientes iustitiam. A
b.5. Beati, *enim (dicit Dominus Iesus)* qui esuriunt & sitiunt iu-
" stitiã, quia ipsi saturabuntur. *Colludens autem propositæ le-*
11. *ctio præclarè quæ dixerat, sine dignissimo*: Pascha est enim
" domini. ô altitudo diuitiarum, & sapientiæ, & scien-
" tiæ Dei. Pascha *est inquit, Domini: hoc est, transitus Do-*
" *mini, ne terrenum putes, quod cœleste effectum est per eum*
" *qui transit in illud, & facit illud suum corpus & sangui-*
" *nem.*

PROP. II. *Eucharistia cum puritate conscientiæ sumenda est.*

S. Gregorius Nyssenus epist. de perfecta Christiani forma: Sic Paulus 1.ad Cor. 11. *Probat autem seipsum*
8. *homo* &c. huc respiciens Euangelista videtur idem confirmasse, cùm passionis tempore nobilis ille senator, immaculata, & munda sindone inuoluens Domini corpus, in nouo & puro monumento posuit; quare & Apostoli præcepto, & Euangelistæ obseruatione commonemur, vt sacrosanctum Domini corpus purâ B
conscientiâ suscipiamus. Quòd si aliquâ peccati maculâ infecta sit, eam lachrymarum aquâ abluamus, & expurgemus. ita ille.

19. Cùm Propheta Ieremias nonnullos peccatores acriter reprehenderet, inimici facti sunt illi vera dicentisipsis, & in vnum conuenientes aduersùs Prophetam dicebant: *Venite, mittamus lignum in panem eius.* Quodnam lignum hoc? Pater Maldonatus noster taxum esse dicit: taxus autem arbor adeo venenosa est, vt in puluerem redacta, & in cibum potumve data, hominem occidat, imò & vmbra sola eius eum perimat, qui sub ea requiescere velit. *Esse ea veneno quæ nos otros llamamos tosigo.* Sanctus Hieronymus locum istum de Christo Domino interpretatur, qui vera dicens, inimicus redditus est multis: qui propterea dicebant: *Venite, mittamus lignum in panem eius*, hoc est, ait Sanctus Hieronymus, mittamus lignum crucis
6. in corpus eius: ipse enim est qui ait in Euangelio: *Ego* C
sum panis viuus, qui de cœlo descendi: etenim illi, quod optabant, minimè obtinuerunt, nam crux in diuinum hunc panem missa, non venenum, sed antidotum, & tenacum fuit nobis. Nam eo modo effecit Christus, vt vnde mors oriebatur, inde resurgeret vita, & qui in ligno isto taxo vincebat, in ligno in ipso vinceretur. At medò antiquus noster hostis maiori satagit astutia, vt taxum in panem istum nobis immittat, peccatum scilicet lethale in eo, qui ad panem istum manducandum accedit: ita quidem hostis lignum taxi in panem Christi mittit, vt qui cum peccato manducauerit panem hunc, moriatur, nouum peccatum mortale & sacrilegium grauissimum committens. qui enim sic *indignè manducat, & bibit corpus, & sangui-*
r. *nem Domini, iudicium sibi manducat, & bibit*; quapro-
28. pter meritò Apostolus clamat, & dicit: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo dat, &c.*

Postulat quoque Deus ab omnibus vt qui spirituali hoc animarum cibo sunt reficiendi, puris, mundisque manibus ad hanc mensam accedant. Non enim ratio-
ni congruit, prius eum lauare manus qui corporali pa- D
ne victurus mensæ accumbis; cùm verò Dominici corporis mensæ assides, illotis, vt aiunt, manibus accedas. Si dignitas, & excellentia rei, quæ in loco reponitur, dignitatem & excellentiam requirit loci; cùm ipse Christus reuera sit, qui in hominum pectore est collocandus, talis desiderabitur puritas, & munditia, qualem Christi didicimus, si hæc eadem in hominum cordibus reperiri posset. Sanctus ille Baptista, licèt tanta puritate, & dignitate polleret, vt ipsius Christi ore inter mulierum natos nullus maior existeret, cùm Christus eius vellet manibus baptizari, teste Matthæo, timuit Ioannes, & prohibebat eum, dicens:

Ego à te debeo baptizari: cùm ergo minimè auderet sanctus ille Christum manibus attingere; tu fortè mortalis reatus maculâ irretitus, interiori animæ cubiculo recipere eũ non vereris? Querebatur olim Dauid corã Deo quosdam in Hierosymam infideles venisse, eiusque templum violasse: *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum*; quasi dicerei: O igens malum! quare hoc pateris, ô Deus, pollutis scilicet manibus sacra templi contrectari? Quid ergo diceret sanctus ille propheta, si quem nunc accedere videret, vt sanctum Dei Filium intra pectus suum, factum dæmonis domicilium, reciperet. Heu quot à Deo suppliciigenera in tanti peccati vindictam iste meretur! putáne, quòd quia terra nunc modò minimè dehiscat, impunita hæc noua lege scelera relinquit? Ideo ait Apostolus, *Inter vos multi infirmi & imbe-* 1.Cor.
cilles, & dormiunt multi. Quot esse Corinthios putas, 11.30.
qui aduersùm valetudinem, mortes omnia que alia vitæ incommoda, nequaquàm ob id, sed aliam ob causam, complexionum scilicet variorumque casuum se contraxisse putarint? sed valde in hoc à veritate aberrabant, cùm hoc illis nõ ob aliud euenire, quàm quòd hanc cœlestem mensam polluris manibus, impuroque ore frequentarent, & ob id ait Paulus, & clamat: *Probet seipsum homo*, examinet se, purificet se, *sic de pane isto edat*, alioquin iudicium sibi manducat.

Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquilæ. Quid Matt. 24.
sibi vult prouerbium hoc? hic quidem de scipso loquitur Christus, se corpus dicit, nos verò aquilas; cur ita? S. Chrysost. vbi pro ly *corpus*, legit cadauer. sic interpretatur: *Cadauer Dominicorpus est propter mortem: nisi* Hom 24.
enim ille cecidisset, nos non resurrexissemus. Aquilas au- in 1. ad
tem appellat, vt ostendat ad alta eum oportere contendere, Cor.
qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra et debere esse commune, neque ad inferiora trahi, & repere, sed ad superiora semper volare & in solem iustitiæ intueri, & mentis oculum acutissimum habere. Aquilarum enim, non graculorum, hæc mensa est, & in die iudicij occurrent Christo de cœlo descendenti, qui nunc dignè illo fruuntur, sicut qui indignè, vltimâ supplicia patientur. Nam si regem quis inconsideratè accipere: quid dico regem, imò regium vestimentum immundis manibus tangeret. Atque nihil aliud id vestimentum est, quam vermium filum. Quod si tinctuarium admittatis, etiam ipsa mortui pisces sanguis est. Verùm id nemo immundis manibus tractare audebit. Quòd si puri hominis vestem nemo temere attingit, quo pacto omnium Domini corpus immaculatum, & sanctum, quodque naturæ diuinæ particeps est, & propter quod viuimus, & propter quod inferi portæ fractæ sunt, & cœlorum apertæ, tanta cum ignominia accipiemus? Cum omni ergo munditia ad Deum accede, & quando Christi corpus videris ante te, dic tecum: Propter hoc corpus, non amplius ego terra & cinis sum, non amplius captiuus, sed liber: propter hoc cœlum, & bona quæ in eo sunt, me accepturum spero, immortalem vitam, Angelorum sedem, & consuetudinem Christi. Hoc corpus sol crucifixum videns radios auertit, propter hoc & velum templi scissum est, & petræ, & tremuit terra. Vis aliunde vires eius intelligere, interroga, quæ sanguinis fluxum passa est, quæ non Iesum, sed eius tetigit vestimentum, nec totum, sed eius fimbriam duntaxat, interroga mare, quod suo dorso id pertulit, interroga ipsum diabolum. & dicito: Vnde insanabile vulnus accepisti? vnde vires amisisti? vnde captus es? à quo detineris? à quo fugaõ nihil aliud, quàm à corpore, respondebit, crucifixo, per quod stimulum suum confregit, per quod caput contrisit, per quod principatus eius & potestates traductæ sunt. Spo- Col. 2.15.
lians, *inquit*, principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans de illis in semetipso. *Interroga mortem, & dic: Vnde perut stimulus tuus? vbi est mors victoria tua? Vnde inciti sunt nerui tui, & pueris ac puellis ridicula facta es, quæ & tyrannis, & iustis omnibus, eras antea formidolosa, & corpus hoc sanctum profitebitur esse omnium castissimum, quod cùm est crucifixum, tum mortui suscitati sunt, tunc*

carcer ille, & æreæ portæ fractæ sunt, & mortui surrexerunt, & omnes inferi ianitores fugati sunt, & sicut qui cibum acceperint, quem continere non possunt, etiam quem antea acceperant, propter illum euomunt; ita & in Christi morte vsu venit: mors enim corpus quod corrumpere non poterat, cùm accepisset, etiam illa quæ comprehinderat, eiecit. Siquidem cùm Christum haberet, dolebat & affligebatur, quousque eum vomuit, & ideo Apostolus ait, soluens dolores mortis: neque enim mulier quæ filium parit ita dolet, ac illa cùm corpus Dominicum comprehendisset; lacerabatur, & quod in Babylonico dracone factum est, quando accepto cibo crepuit medius, idem & in hoc vsu venit. Non enim per os mortis Christi erupit, sed medio draconis ventre rupto ex aduis claris simus enasit. Hoc igitur, quod nobis traduturv t manducemus, & teneamus, quod maximum amoris indicium est. Ad eum igitur cum feruore accedamus, & vehementissima dilectione, ne grauius supplicium subeamus. Quantò enim maius beneficium accipimus, tantò magis punimur, quando eo apparebimus indigni. Hoc corpus in præsepio venerati sunt Magi, & longo itinere confecto, cum timore & trewore plurimo adorauerunt. Imitemur igitur saltem hos, nos qui cœlorum ciues sumus. Illi enim cùm id præsepe, & tugurium tantùm, neque eorum quicquam, quæ tu nunc intueris, viderant, summâ accesserunt reuerentiâ, & horrore; tu verò non in præsepe id, sed in altari, non mulierem, qui in vlnis teneat, sed Sacerdotem præsentem, & spiritum superabundè, super propositio sacrificio diffusum vides.

Hæc autem dico, non vt non accedamus: sic enim frigida accessio periculosa est, ita nulla huius mysticæ cœnæ participatio, pestis & interitus est. Hæc namque mensa animæ nostræ vis est, vergi mentis, fiduciæ vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, & vita nostra. Quòd si hoc sacrificio muniti ex hac vita migrauerimus, maxima cum fiducia secedum ascendemus vestibulum, tamquam aureis quibusdam vestibus contecti. Et quid futura commemoro? dum in hac vita sumus, vt terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium. nam sicut in regijs parietes, non tectum aureum, sed regium corpus in throno sedens, omnium præstantissimum est; ita in cœlis regium corpus, quod nunc in terra vides, & non conspicis tantum, sed tangis, neque solùm tangis, sed comedis, & eo accepto in domum tuam redis. Præpara igitur mentem ad horum mysteriorum susceptionem: etenim si puer regius purpura, & diademate ornatus tibi secundus tradesetur, nonne omnibus humi abiectis, suspiceres eum? Nunc autem, non puerum regium, sed vnigenitum Dei sumis, dic quæso, non horresci, & omnium secularium rerum abijcis amorem, sed adhuc humum respicis, pecuniæ incumbis, terræ deditus es? & quamnam excusationem prætendes? quamnam veniam consequeris? Ita S. Chrysost.

Exod. 12. Præceperat olim Deus filiis Israel, vt comederent agnum paschalem cum azymo pane, & nullo modo cum fermentato; cur ita? quia scilicet fermentum peccati symbolum est, iuxta illud, Itaque epulemur non in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, &c. 1. Cor. 5. 8. cur autem huiusmodi symbolum peccati ab illo pane potiùs, quàm ab alijs arceri voluit? quia panis ille Sacramenti Eucharistiæ symbolum fuit. vnde Christus Dominus in vltima cœna, non in fermentato, sed in azymo consecrauit corpus suum: quamuis enim in Sacramento nec panis maneat, nec fermentum; quia tamen accidentia, quæ in pane prius erant, in Sacramento superstant, noluit Dominus panem ex fermento confectum esse, ne accidentia fermentati in eius Sacramento reperirentur. Si ergo noluit sub accidentibus contineri, quæ priùs extitissent in pane fermentato, quia fermentum peccati symbolum est, imò nec in pane illo, qui Sacramenti figura fuit, noluit fermentum apponi; quantò magis in pectore illius introduci, qui verè in peccato est mortali?

De cœna Domini. S. Cyprianus. *Illi qui nec se iudicant, nec Sacramenta diiudicant, sed sicut cibis communibus, irreuerenter sacris vtuntur muneribus, & Dominicæ mensæ in veste lutulenta se ingerunt imprudenter, melius erat molâ asinariâ collo alligatâ in pelagus mergi, quàm illorâ conscientiâ de manu Domini buccellam accipere. Horrenda abominatio, vel sordidi Baal famulari, & Christo. Abi retro cù sacculi tui. tu es filia pars in sermone isto.* Quas lucet rex, ob præsumptionem leprâ percussus, à sanctuary ingressu repellitur, & eius oblatio quasi sordida refutatur, incensus odor de manibus immundorum reputatus est pro fœtore, & vam, non gratiam, præsumptio meruit: quia temerariè in sanctia conscendit. Sed & propter malignantium insolentiam, altare, suum Deus repellit, & sanctificationibus maledicit, sabbata odio habet, solemniaque abominatur, odoramenta fœtent, displicent holocaustia. in his omnibus laborare se dicit Deus, nec esse contentatem suam in ministris impuris, indignatione districta vindicatur. Ita S. Cyprian.

S. Chrysostomus. Vide quàm formidandam proferat his minetur Paulus: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla commiseratione, duobus, vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est?* Nam si qui legiam purpuram contemnant, haud secus quàm qui scindunt, pinnuntur, quid mirum, si qui immundâ conscientiâ sumunt Christi corpus, idem sibeant supplicium, quod qui eum clauis crucis affixerunt? Ita S. Chrysost.

S. Thom. quærit, cur in pane tritico consecretur Christi corpus suum, cum panis hordeaceus aptior videatur? huius Sacramenti esse videatur: est enim institutum hoc Sacramentum, vt memoriale quoddam esset Dominicæ passionis, secundùm illud Apost. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*, & illud Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*, ad hoc autem commemorationem videbatur panis hordeaceus, quia panis superior est, quàm triticeus panis: vnde ad significandam passionem Domini aptior apparebat. Respondet ideo fic Dominum effecisse, quia hordeum bestiarum cibus est; panis verò tritici est communis hominum cibus. vt igitur sic ostenderet panem hunc non esse assumendum, qui tamquam animalia irrationabilia sunt in peccato mortali, sed ab his qui immunes ab eo sunt, non in pane bestiarum, sed in pane hominum consecrauit: qui enim in peccato sunt, bestijs similes sunt, quibus non est intellectus; qui verò in gratia sunt, hi sunt qui hominum nomine gaudere debent. Vnde Ecclesia: *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum, vere panis filiorum, non mittendus canibus.* canes vocat peccatores, non homines rationis capaces.

Quicumque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. indignè mandncare, secundùm omnes est, cum conscientia peccati mortalis accedere; & sine debito examine conscientiæ: debet enim homo examinare se priùs, an habeat aliquod peccatum mortale. si habet, aut dubitat, an aliquod peccatum, in quod incidit, sit mortale necne; debet priùs, non solùm conteri, sed etiam confiteri. taceo interim casus, in quibus cum sola contritione posset quis accedere ad communionem. Si verò non habet talem conscientiam post examen, potest sine præuia confessione communicare: aliter dicitur absolutè indignè communicare: & de illo ait Apostolus: *reus erit corporis & sanguinis Domini*, vbi reatus grauitatem expressit: peccat enim in corpus Domini, hoc est, vt ait Glossa, directè committit peccatum circa corpus ipsius Christi, quod indignè sumit. Sicut qui percutit famulum regis, peccat immediatè in famuli corpus, non immediatè in regem; qui verò percutere regem, esset reus corporis regis, qui immediatè lædit eum: sic qui accipit corpus Domini, indignè peccat in corpus Christi, quod, vti de se cõstat, grauissimum peccatũ est.

Sanct. Thomas super hunc locum sic explicat eum: *Reus erit corporis & sanguinis Domini: peccatum indigne sumentium hoc Sacramentum comparatur peccato occidentium Christum, non secundùm æqualitatem, sed secundùm similitudinem*

ſimilitudinem ſpeciei, quia vtrumque eſt circa eumdem Chriſtum. Ita ille. hinc ſacri authores nimis aggrauant hoc peccatum.

S. Chryſ. *Sicut corporalis cibus*, inquit, *dum ventrem inuenerit aduerſis humoribus occupatum, ampliùs ladit, & magis nocet, & nullum præſtat auxilium; ita & hic ſpiritualis cibus, ſi aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdet, non ſui naturâ, ſed accipientes vitio.* Ita S. Chryſ.

S. Bernard. *Corpus Domini ſine dubio eſt vita illis, quibus Chriſtus eſt vita; illis vero eſt mors, qui per culpam ſunt diaboli membra.* Ita ille. Vnde S. Thom. *Mors eſt malis, vita bonis; vide paris ſumptionis quàm ſit diſpar exitus.*

Et idem S. Bernard. agens de his, qui indignè communicant, *Hi cum Iuda prodytore* (inquit) *venenum accipiunt & ſpiritualis ſuſpendii laqueum incurrunt, grauiſſimè damnandi, tum pro multiplici reatu, tum pro Sacramenti contemptu, quod reuera accipiunt, licet non ſalubri efficacia.* Ita S. Bern

Beda, *In ſempiternum va*, inquit, *homini illi, qui ad mensam Domini indignè accedit: ille enim in ex-uptum Iudæ filium hominis tradit non quidem Iudeis peccatoribus, ſed membris peccatoribus, ſuis ſcilicet membris.* Ita ille.

Comparant quoque Sancti indignè communicantes crucifixoribus Chriſti: ſicut enim crucifixores Chriſti qui ſponte ſua, & ex charitate nimia ad ſalutem noſtram deſcenderat è cœlis, ipſum impiè & in ſuam perniciem crucifi erunt; ſic indignè communicantes paſſionis Chriſti memoriale, & Sacramentum, quod in medicinam ſalutarem peccatorum amore nimio reliquerat, quantùm in ipſis eſt, euacuant, non ſibi ad ſalutem, vti Sacramentum exſe exigebat, ſed in æternum interitum ſumentes. & quidem Iudæi, ſi Dominum cognouiſſent, nunquam vtique crucifixiſſent, tu verò quoties indignè ſumis hoc ſalutare Sacramentum, quantùm in te eſt, ſciens & volens crucifigis.

Præcepit Dominus ſacerdotibus, Aaron ſcilicet & filiis eius, vt cùm ad altare acceſſuri eſſent, vt in eo Domino thymiama offerrent, non priùs tabernaculũ ingrederentur, quàm manus & pedes lauiſſent. Quòd ſi tanta corporis munditia ad altare thymiamatis acceſſuris, neceſſaria erat, nos qui legem Euangelicam & Chriſtianam profitemur, illotis manibus ad ſumendũ Ieſum Chriſtum accedere audebimus?

Præterea, vide quæ ſupplicia intulerit Deus his qui indignè aliquando auſi ſunt communicare, communicauit indignè Iudas, ſed quam primum laqueo ſuſpenſus, ad inferna æternis cruciatibus torquendus deſcendit.

Præterea, apud Corinthos multi infirmabantur, & multi moriebantur, ignorabant Corinthii, vnde malum hoc prouenire, forte ex infectione aeris, vel ex aliquo alio accidenti id emanare credebant. ad quos ſic Apoſtolus, agens de communione corporis Domini, *Qui manducat* (inquit) *indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diudicans corpus Domini.* & ſubdit: *ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Quare timere debet, qui indignè communicat, ne infirmitate graui & etiam morte eum puniat Deus.

Refert Palladius (qui ipſe ſub S. Macharij diſciplina nouem annis militauerat) dicens: *Cùm ad Macharium aliquando veniſſem, reperi ante fores cellæ ipſius presbyterum quemdam, cuius totum caput adeo exſiccum & conſumptum erat illo morbo, qui cancer nominatur, vt etiam os vestibus videretur: qui illuc, vt curaretur, aduenerat, neque tamen vſquequaque in illum diem à ſancto Macario ſuſceptus fuerat, aut viſus. Ego itaque tunc ipſum rogans, petiui vt eius miſereretur: & ſaltem reſponſum ei daret, tunc mihi ſanctus: Non inquit, eſt iſte dignus curari: hanc etiam pœnam ex præceptu diuinitatis accepit: ſi autem vis curari eum, perſuade illi priùs, vt à ſanctorum ſacrificiorum immolatione diſcedat. cumque ego dicerem, cur obſecro id fieri iubes? Quia, inquit, fornicatione pollutus, myſteria Domini violare conſueuerat; propter quod talis ſupplicij atrocitate cruciatur: ſed, ſicut dixi, ſi numquam hic ſacerdos ſacrificia contingerit diuina (Deo iuuante) poterit ſanari. Cùm ergo illi, qui hoc morbo laborabat, iſta dixiſſem; vt cum ſacramento mecum paciſceretur, non ſe vlterius ad officium ſacerdotis acceſſurum: tum demum à ſancto illo vocatus eſt, qui eum his allocutus eſt verbis. Credis, inquit, Deum eſſe, cui nihil occultum eſt? reſpondit: credo. Non potuiſti, inquit, virtutem diuinitatis eius euadere? Reſpondit ille: Non potui, Domine mi; tunc magnus Macharius: Si cognoſcis, inquit, peccatum, & vis euadere hanc, quam propter illud tibi Dominus intulit panam, euerdare de reliquo. quo audito, ille proprium confeſſus eſt eſſe crimen, & de cætero ſe numquam peccatorum eſſe promiſit neque ſacerdotis officio functurum, ſed inter laicos iam futurum. Tunc illi ſanctus manum impoſuit, atque in paucis diebus, capillorum quoque recuperatione, curatus. Deumque glorificans, & ſancto viro gratias referens, videntibus nobis, ad propria remeauit.* Ita Pallad.

Quod maximè ſacerdotes adnotare oportet: magnam enim puritatem requirit ſacrificium altaris: hac enim ratione Dominus in veteri lege præcepit, ne quiſquam ad eſum agni (qui huius diuini myſterij figuram gerebat) niſi circumciſus accederet: ſeruos autem emptitios, qui ad Iudæorum religionem tranſire vellent, priùs quidem circumcidi, circumciſos autem ad conuiuium illud admitti debere, mercenarios autem nullo modo; conſtat autem corporum illa circumciſione, ſpiritualem animarum circumciſionem adumbrari, quæ veræ pœnitentiæ virtute fit, quã & præterita mala deflemus, & futura proponimus vitare. Quæres cur mercenarij ab eſu agni excludebantur? indignitatem quidem eorum nobis inſinuat, qui terrenæ mercedis gratiã ad altare tremendum accedunt. Quod quidem non tam ad plebem, cui nulla huiuſmodi merces propoſita eſt, quàm ad eos ſacerdotes pertiner, quos ad altare Dei, non fames animæ, ſed merces, non charitas, ſed cupiditas, non amor Dei, ſed amor ſui, non animæ alimentum, ſed corporis trahit: hi namque verè mercenarij ſunt, quos hac lege à conuiuio ſuo Dominus excludit. Vereor multos hinc excluſos eſſe ſacerdotes, qui purè mercedem quærentes, non ita puro corde ad celebrandum accedunt. Legant hi, obſecro, cap. 10. Leuitici, vbi duo ſacerdotes filij Aaron, accipientes thuribula ſua, cum igne alieno obtulerunt Domino, egreſſúſque ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui ſunt coram Domino: cur ita? quia prouiderat Dominus ignem ſanctificatum ad oblationem; illi verò igne non ſanctificato ad hoc vſi fuerunt. quid hoc? nimirum ignis, amoris ſymbolum eſt, vt conſtat: qui ergo amore in Deum ad offerendam Euchariſtiam accedit, ignem ſanctificatum defert, qui verò amore pecuniæ & lucri, vel alio ſimili reſpectu humano, rem ſacram facit, ignem offert alienum, ſc. ab eo, quẽ exigit à ſacerdotibus Deus. Cauteant igitur ſibi hi à diuino ſupplicio: illud enim minatus eſt Dominus ſupplicio illo.

Quid igitur, inquies, nullum ſtipendium ſuſtentationis ex Miſſis referre licet? nónne commune proloquium eſt, *qui altari ſeruit de altari viuere debet?* licèt quidem non id negemus, ſed tamen, ſi oculum ſiniſtrum in lucrum poſueris, oculum dexterum in Dei cultum conuerte, & primariò in Deum intentio, ſecundariò in lucrum ditigatur, & cum deuotione, & reuerentia, & debita præparatione, accede, primùm quærens regnũ Dei, & eccè munda ſunt tibi omnia.

Dicitur de manna, quod erat quaſi ſemen coriandri: de ſemine coriandri ait Philo, quòd, etiamſi in minutas partes diuidatur, & ſic ſeminetur, fructum ſic integrum producit, ac ſi integrum granum ſeminare tur, quod non ita in aliis ſemimbus reperitur, conuenit autem hoc diuino Sacramento, cuius manifeſta figura erat manna: licèt enim in quauis minima eius pater ſumatur, eumdem effectum & fructũ præſtat, quod

Exod. 12.

Exod. 16. In li. allegoriarum ſacræ pagina.

integra hoſtia ſumpta præſtaret ſecundùm illud ſan-
In officio & proſa Miſſæ. cti Thomæ , *Fracto demum Sacramento , ne vacilles , ſed memento tantum eſſe fragmento , quantum toto tegitur.* Sed ad rem. S. Iſidorus affirmat ſemen coriandri homini quidem prodeſſe , & in medelam à medicis illis applicari, canibus verò ait eſſe venenum. Vnde ibidem ſanctus Doctor : *Ecce panis Angelorum , factus cibus viatorum, verè panis filiorum, non mittendus canibus,* canes vocat peccatores, & his quidem venenum eſt Euchariſtia , ſicut antidotum hominibus, id eſt, bonis , qui velut homines ratione reguntur. Denique ait: *mors eſt malis , vita bonis, vide paris ſumptionis quàm ſit diſpar exitus.*

Num. 11. 9. Sic de manna : *Cùm deſcenderet nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter & man.* alij ex Hebræo vertunt , deſcendebat ſuper rorem manna , imò Rabbi Salomon ait, ſuper ipſum manna rorem alium defluxiſſe , quod colligit ex verbis Hebræis in eodem loco , quæ Latinè hunc ſenſum reddunt , manè quoque fuit operimentum roris. erat itaque manna inter rorem & rorem, quaſi inter duos catinos : quo ſignificare voluit Dominus puritatem & munditiem , quam ille habere debet, B qui ſacram recipit Euchariſtiam , per manna ſignificatam : cibum enim , quem mundum volumus ſeruare, paropſide cooperire ſolemus. Addit Abulenſis, quòd, priuſquam deſcenderet manna , terræ ſuperficies vehementi vento à cunctis ſordibus abſtergebatur , & ros ſubinde illabebatur , & ſuper rorem manna , quod & Lira atteſtatur: quæ quidem omnia manifeſtè demonſtrant , qualem quantamque puritatem ſacra requirat Euchariſtia in nobis.

Prop. III. *Euchariſtia ſumenda eſt cum præparatione orationis , & cum gratiarum actione.*

ANtequam Elias 3. Reg. 19. panem illum angelicum deguſtaſſet , dormiuit , & rurſus poſt cibum illum obdormiuit. Somnus iſte non abſque ſpeciali Dei prouidentia fuit. Sicut ergo ille panis angelicus figura fuit ſanctiſſimi Sacramenti; ſic ſomnus ille C aliquid ad communionem pertinens deſignauit. Somnus autem in diuinis litteris orationis ſymbolum eſt, vt docet Sanct. Gregor. 23. Mor. cap. 20. ad hoc enim
Cant. 2. 7. ſpectat adiuratio illa ſponſi diuini, *Adiuro vos filiæ Hieruſalem , per capreas , ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis , neque vigilare faciatis dilectam , quouſque ipſa velit.* Hîc non de ſomno corporali , ſed de ſpirituali orationis agit. Orationem ergo ſomnus ille Eliæ commendabat : qui enim ad communionem ſacram accedere vult , ante & poſt communionem, orare debet , ante tanti Sacramenti dignitatem , & excellentiam conſiderans , & à Deo poſtulans gratiam , vt in gratia , & cum magna reuerentia , & deuotione accedat ; poſt communionem verò gratias Deo agens pro tam immenſo beneficio. Sunt enim nonnulli , qui veluti hoſpite inſalutato recedunt, *y,como dizen dexan,à Dios con la palabra en la boca o por mejor dezir dexan a Dios. con Dios en la boca.* His quidem dicere poſſet Chriſtus; *Scitis quid fecerim vobis?* Ignorare quippe id ſe præ ſe ferũt: ſi enim magnitudinẽ agnoſcerent beneficij , à Dei præſentia ægrè recede- D rent , & cum multis lacrymis, affectu maximo cordis, gratis agerent tanto benefactori. In cõmunione namque, non ſolùm gratiam ſuam , vt in aliis ſacramentis, illi contulit Deus, verùm etiam ſeipſum, quas ergo illi, qui ſic gratiam, & authorem recipit gratiæ , gratias referre debebit?

Dices , quid igitur ante communionem meditari debemus? Dominus ipſe huius rei magiſter nobis fuit,
1. Cor. 11. 24. *Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem. Hæc quotieſcumq; feceritis, in mei memoriam facietis. quotieſcumque manducabitis panem hunc & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.*
Ioan. 15. 26.

Prophetauit olim Ieremias coniurationem Iudæorum aduersùs Chriſtum Dominum , cap. 11. vti explicat S. Hieronymus , & in coniurationẽ ſua dicebant: *Venite, mittamus lignum in panem eius* , &c. Vbi S. Hieronymus : *Hoc eſt, mittamus lignum crucis in corpus Saluatoris: ipſe enim ait: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* Ita S. Hieronymus. In corpus ergo Chriſti lignum crucis miſerunt, & lignum iſtud crucis corpus Chriſti non repudiauit, ſed amplexum eſt manibus vtriſque, vt qui corpus hoc ſacratiſſimum ſumere corporaliter vellet in Euchariſtia, ſimul mente acciperet cum illo lignum crucis, conſiderando, & meditando , quæ pro noſtra in eo ligno paſſus pro nobis eſt Chriſtus, quapropter non fine diuini conſilij diſpenſatione in hoſtia , in qua corpus Domini conſecratur , vel crux ipſa , vel aliud paſſionis inſigne depingi ſolet , vt ad memoriam excitet paſſionis, dum communicamus, hoc ipſum eſt quod Dominus ait : *Hoc facite in meam commemorationem &c.*

Si propter beneficia ab hominibus accepta , magnas illis gratias exhibere ſoles , & quidem ob beneficia temporalia , corporalia , & perexigua ; quantò magis Deo optimo maximo propter eximia , & ſpiritualia, & ad æternam vitam conducentia beneficia? quid eſt propter reliqua , quidni propter ſanctiſſimæ Euchariſtiæ beneficium ? cùm primùm illum ſumpſerit Verbum tuo, Euchariſtia dicitur, bona ſcilicet gratia ; pro bona igitur gratia bonas illi reddamus gratias.

Inter gratias autem , quas illi gratas reddere valemus , opera miſericordiæ maximè numeranda ſunt. Vnde S. Chryſ. homil 60. ad pop. *Eleemoſyna in multis obſtruarum Apoſtoli prodierunt. Prodeamus & nos ad domum pauperum ; hic enim mons olivarum eſt, olivæ autem plantatæ in domo Dei, ſunt pauperes diſtillantes oleum illic nobis vtile, quod quinque Virgines habuerunt , aliæ verò hoc non curauerunt,perierunt. Hoc igitur ſumentes lucernarum , vt lucernis lampadibus occurramus ſponſo , & hoc ſumentes hinc exeamus.* Ita S. Chryſoſt.

Prop. IV. *Euchariſtia magna cum reuerentia & præparatione ſumenda eſt.*

MAgnam illam cœnam ſymbolum Euchariſtiæ fuiſſe , ait S. Cyrillus ; quinam vero fuerint ad eam ſpeciatim inuitati, ibidem habes, Exi (ait Dominus ſeruo) *cito in plateas, & vicos ciuitatis , & pauperes , & debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* vacat myſterio ſpeciali hæc vocatorum ſpecificatio. Primùm vocat pauperes, pauperes ſc. eos, quibus ipſemet inquit, *Beati pauperes ſpiritu*, hoc eſt, qui ſpiritu , & corde ſunt pauperes , deſpicientes ſcilicet in corde ſuo mundi huius opes , nam qui eas non deſpiciebant, ad hanc cœnam priùs inuitati , venire noluerunt. Amabat hic iuga bouum , ille villam , ille verò nuptias, omnes amabant temporalia , & ita corde diligebant , vt propterea ad cœnã venire recuſarint; vocentur igitur , ait Dominus, pauperes, qui huiuſmodi carent impedimento. Ita eſt, qui mundi bona quærunt, & amant, hanc menſam non frequentãt. Secundò vocati ſunt debiles, quia cibus hic aduersùs debilitatem noſtram à Chriſto Domino inſtitutus eſt. In tribus autem debiles ſumus , primò in laboribus perferendis , vix eſt qui conſtanti animo ferat tribulationes, ſtatim animo cãdimus, & ad mortem contriſtamur. ad hoc igitur inſtitutum eſt ſanctiſſimum Sacramentum , vt circumſtantia ipſa temporis , quo Chriſtus Dominus illud inſtituit, oſtendit , quando ſcilicet ipſe cum Apoſtolis grauiſſimas tribulationes expectabat, tunc, inquam, Apoſtolis ſumendum tribuit, vt forti ac conſtanti animo in fide perſeuerarent, quamuis Chriſtum in cruce morientem viderent , fortiter etiam hoſtium perſecutiones paterentur , ita vt à diſcipulatu Chriſti, & Apoſtolica vocatione nõ recederent,

:nt, & ipsemet Christus moribundus iam etiam sum- A
pſit, non quod tali adminiculo egueritipſe, ſed vt no-
bis ita manifeſtaret, quid in noſtris tribulationibus
nos facere oporteret: hac igitur ratione debiles
ad cœnam magnam vocantur. Debiles etiam ſumus
ad repugnandum tentationibus, & reſiſtendum hoſti-
bus animæ, vt ex lapſis conſtat, ad hoc autem maxi-
mè conducit Euchariſtia, robur enim nobis præbet ad
vincendos hoſtes. Quod cap. 7. Iudicum, figuratum eſt
in ſomno illo Madianitarum: panis erat qui eos vaſta-
bat, & gladium Gedeonis eſſe interpretati ſunt. Mirum:
quid enim gladio cum pane? multum quidem; nam
panis hic diuinus gladius eſt aduerſùs tartareos Ma-
dianitas, & animæ hoſtes. Denique debiles ſumus ad
virtutis, & perfectionis viam peragendam: virtus enim
in alto, arduoque conſiſtit: ad hoc enim ſanctiſſimum
Sacramentum conducit, vti figuratum eſt in pane illo
Eliæ 3. Regum. 19. cibo namq; illo confortatus, ambu-
lauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, &
quadraginta noctibus, & ita aſcendit in montem Dei
Horeb. Mirabilis virtus panis. Ita: quia figura huius Sa- B
cramenti & panis cæleſtis, erat, de quo Pſal. 143. *Panis
cor hominis confirmet*, vt S. Hiero. &c. Caſſiodorus inter-
pretantur, confirmat in bono, & ideo ad perfectionem
Chriſtianam, & aſcenſum ſanctum debiles inuitan-
tur.

Tertio loco cæcos inuitauit: nam in hoc conui-
uio cæcos nos eſſe oportet, quatenus fidei vittà ocu-
los conſtrictos habere debemus: nam ad firmandum
hîc cor ſy ncerum ſola fides ſufficit: eſt enim myſte-
rium fidei. vnde 1. Regum 6 quia Bethſamitæ auſi fue-
runt videre Arcam Domini, percuſſit Dominus ex eis
pluſquam quinquaginta millia. Cur ita? Arca illa erat,
in qua manna conſtitutum fuit, quod figura huius
ſanctiſſimi Sacramenti erat. quod ſignificatum à Deo
fuit, illos percutiendos à Deo eſſe, qui curioſè Sacra-
mentum hoc ſcrutari vellent, & ratione naturali
myſterium eius metiri, quod in hæreticis adimple-
tum videmus: innumeri enim ſunt, qui propterea per- C
ierunt. cæcos ad hanc menſam inuitat Dominus, hoc
eſt, qui non lumine rationis ducti, ſed fide præditi illud
intuentur, & recipiunt.

Quarto loco vocati claudi ſunt, qui non valent in-
cedere, niſi quaſdam reuerentias faciendo, quo ſigni-
catum à Deo eſt, magna cum reuerentia ad hoc diui-
num Sacramentum nos accedere oportere, interiùs
quidem nos indignos iudicando, & in corde dicentes:
Domine non ſum dignus, &c. Humilitas hæc magna diſ-
poſitio eſt ad ſacram ſynaxim. ſimiliter exterius hu-
militas præferenda eſt: ſi enim qui ad lequendum re-
gem accedunt, ter prius genu flectere ſolent, quantò
magis qui ad ſumendum Regem regum, & Dominum
Dominorum accedunt. Ad hanc autem reuerentiam
maximè pertinet, purà conſcientiâ ad communio-
nem accedere: irreuerentia enim grauiſſima eſt, cum
conſcientia peccati mortalis communicare, multòque
magis celebrare; quod grauiſſimè quoque punit, Deus
non ſolùm in alia vita, verùm etiam in iſta, vti admo- D
nuit nos Apoſtolus dicens: *Probet autem ſeipſum homo,
& ſic de panelio edat, & de calice bibat: qui enim man-
ducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit.*
Quale autem ſit hoc iudicium, ſubdit, dicens: *Ideo
inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.*
Cauete indignè celebrantes: vobis enim, ô ſacerdo-
tes, plus hac in re timeo, quàm ſæcularibus: vos enim,
& non ſæculares, ob ſtipendium ſuſtentationis acce-
dere ſoletis, cauete, inquam, cùm hic videatis eſſe
de fide, quòd propter communiones in mortali Deus
puniat infirmitatibus, & morte mulctet indignè ſic
accedentes; ideo igitur claudos ad magnam cœnam
vocat.

In feſto Corporis Chriſti, cùm per vias publicas circumferendum eſt hoc ſacroſanctum Sacramen-
tum, vias ipſas repurgamus, parietes ſericis tapetibus
velamus, & ornamus, ſolum, & pauimentum iuncis,
& viridantibus arborum ramis ſternimus, & quid-
quid ornamenti apponere poſſumus, adhibemus, &
Eccleſiam, in qua publicè collocandum eſt, magno
componimus apparatu, & cuſtodiam, in qua ap-
ponendum eſt, ex argento, & auro elaboratam volu-
mus, & mira florum circumdatam varietate; cur igitur
pectoris, & animæ curam negligimus, vbi recipien-
dum eſt Domini corpus? Cor igitur, in quo Domi-
nus ſedere debet, ſolicitè expurgandum eſt ab omni
inordinato affectu: is enim amplius cor deturpat, quàm
vicos lutum, & ſtercus. Anima virtutum ornamentis
condecoranda eſt: hæc enim plùs Domino placent,
quàm ſerica, & aurea tapetia, & quia per os noſtrum
Dominus ingreſſurus eſt, os præcipuè obſeruandùm eſt,
ne vel iuramentis vanis, vel detractione proximo-
rum, vel ſcurrilium, & indecentium verborum detur-
petur luto.

Animaduertant hîc obſecro concionatores, &
confeſſarij, ne vllo modo deterreant frequentare
communionem volentes, maximè in ſuggeſtu præ-
dicatores, nam ſuapte natura ſunt ferè omnes tepidi
& indeuoti, & potiùs calcaribus, quàm freno indigen-
tes, & animaduertant verba S. Auguſtini epiſt. 118.
cap. 3. *Si peccata tanta non ſunt, vt excommunicandus
quiſquam iudicetur, non ſe debet à quotidiana medicinâ
dominici corporis ſeparare.* Ita Sanctus Auguſtinus: Quo-
tidianam medicinam vocat Euchariſtiam Sanctus
Auguſtinus; non igitur deneganda his, qui indi-
gent iuuari, niſi, inquit, tales ſint, vt excommunicari
poſſint ob delicta ſua, & qui non ritè priùs fuerint
confeſſi.

Cant. 2. *Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Ad veſcendum quidem Verſ. 3.
de fructu huius arboris accedebat ſponſa, ſed non
quidem ex abrupto, *no de rondono, y de golpe, ni de primera inſtantia*, neque ita properanter, & immediatè, quin
priùs ſederet ſub eius vmbra. Sponſam Dei, ſeu ani-
mam iuſtam hanc eſſe, quæ loquitur, dubitat nemo.
Quænam verò ſit arbor, & quiſnam fructus eius,
ex quo veſcitur ſponſa Dei, videamus. Sanct. Grego-
rius in hunc locum, Chriſtum Dominum, fructum-
que hunc dulciſſimum, Euchariſtiam ait eſſe: vti &
Sanct. Bernardus, Theodoretus, & Rupertus Abbas.
Priùs ergo quàm ſponſa Dei ad ſumendam Eucha-
riſtiam accedat, ſedet ſub vmbra eius, nimirum, huius
diuinæ arboris radices, corpus, folia, fructumque con-
ſiderans. Ecce quid tibi agendum ſit ante receptionem
Domini, priùs cogita radicem huius diuini Sacra-
menti, amorem ſcilicet, ex quo proceſſit eius inſti-
tutio: deinde corpus Dominicum, quod ſumis: illud
enim ipſum eſt, quod in viſceribus B. Mariæ Virgi-
nis conceptum, & incarnatum fuit, ipſumque intra
viſcera tua recondis, illud etiam quod modò ſupra mo-
nes cœlos ſedet ad dexteram Patris, quod laudant An-
geli, adorant dominationes, tremunt poteſtates propter
hypoſtaticam vnionem, illud, inquam, tu ſic edis, tu fu-
mis, & collocas in pectore tuo. Deinde cogita huius ar-
boris folia, quæ ad ſanitatem nobis exhibita ſunt: ver-
ba ſic quæ de hoc Sacramento protulit Chriſtus, inter
quæ fructus inuenies manifeſtos, ſicut inter folia poni
poma ſolent: *Sicut miſit me pater*, inquit, *& ego viuo pro-* *Ioan. 6.*
pter Patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. *58.*
Et rurſus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſan-* *Ibid. 55.*
guinem, in me manet, & ego in eo. Et iterum? *Qui manducat* *Ibid. 59.*
hunc panem, viuet in æternum. Quis valeat horum fru-
ctuum valorem explicare? Sic igitur ſub vmbra, ſub
Euchariſtiæ meditatione anima ſedere debet, & tunc
accedat anima pura, & comedat, & experietur, quàm
dulcis ſit huius arboris fructus.

Cùm

Cùm panem materialem ad sustentationem vitæ corporalis emimus, libenter nummos à legibus præscriptos impendimus. *Por que no ay dinero mejor empleado que en pan* ; ex eo enim præcipuè vita pendet. vnde, *Initium vitæ hominis aqua, & panis*, &c. Textus græcus habet, *præcipuum vitæ hominis*, &c. Sic igitur in vita gratiæ, & spirituali, ac supernaturali animæ, panis hic cœlestis initium, & præcipuum est. Quid enim non solùm ad tuendam, & nutriendam hanc vitam, verùm etiam ad augendam, ita conducit? Quis ergo non libenter impendat quod habet pro
Ger. 3. 19. pane isto glorioso? *In sudore vultus tui*, (dixit Dominus Adæ,) *vesceris pane tuo.* Hoc est, si vis panem habere ad vescendum, necessarium est tibi laborare, & colere terram vsque ad sudores, alioquin panem ad vitam necessario carebis. Colit autem homo terram, ne pane careat, & ingentes, quotidianosque labores propterea suffert, & iniurias hyemis, & æstatis tolerat propter panem, quia initium vitæ corporalis est; quid igitur nos facere oportebit propter panem hunc diuinum qui vitæ æternæ initium est? *Qui manducat hunc panem*, ait Dominus, *vivet in æternum.* Propter cibos terrestres nihil non faciunt homines, & pro cibo isto cælesti suauem quandam, ac facilem
Isa. 55. 2. præparationem renuunt adhibere? *Quare* (inquit Dominus) *appendistis argentum, non in panibus, & laborem vestrum, & non in saturitate?* *Audite audientes me, & comedite bonum.* Locum hunc de Eucharistia interpretatur Sanctus Hieronymus. Ait ergo Dominus: Quare pro cibis mundi libenter impenditis pecunias vestras, cùm cibi huiusmodi animam non satient; & oblatum vobis panem de cælo, in quo saturitas, & vita gratiæ consistit, accipere recusatis? Nunquid eò quòd carò constet, & pretium, quod pro illo Dominus putat, eximium sit? Audite ergo quid Dominus dicat
Ibid. 1. ibidem: *Qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite, emite absque argento, & absque ulla commutatione, vinum & lac.* Vinum, & lac vocat hoc Sacramentum, quia lac pro pueris, vinum autem pro viris est: sic Eucharistia pro his, qui in virtute iam perfecti sunt, & etiam pro his, qui in ea adhuc infantes sunt, instituta est: ait ergo: *Venite & emite* hunc cibum *absque argento, & absque vlla commutatione*, hoc est, absque vllo pretio. Qui fieri potest, vt ematur aliquid absque vllo pretio? si absque pretio, ergo gratis; si emitur, aliquid exhibetur. Etenim quando aliquid emimus maximi valoris, & pro exiguo pretio datur, gratis nobis datum esse fatemur. Emisti equum, qui mille valebat nummos aureos, centum argenteis, si quærierit aliquis quanti emisti? meritò respondebis, gratis accepi, quia pretium illud sic inæquale est, vt pro nihilo reputetur. Exigit quidem à nobis Deus dispositionem præuiam, & præparationem debitam tanto Sacramento, sed quantum hoc est, vt pretium reputari possit? *Que precio? que aparejo? que confession? que deuotion? que lagrima? que meditacion? que oracion? que humildad? que reuerencia? que diligencia nuestra puede hazer contra peso, donde el peso es recebir el santissimo sacramento, y la gracia, y mercedes, que en el recibimos?*

Addam tamen & aliam rationem, non minori consideratione dignam. Emat, qui communicat communionem quocumque magno, & ingenti pretio dispotionis, & præparationis præniæ, gratis quidem nihilominus illum accepisse Eucharistiam dicemus, quia non solùm meritum communionis vendicat sibi, verùm etiam & præparationis suæ; quod noto exemplo constat. Emerunt in Ægypto fratres Ioseph frumentum
Gen. 42. 35. pecuniis suis; at Ioseph iussit secretò seruis suis, vt super triticum apponerent in saccis eorum pecunias illas. vnde ait Scriptura: *Cum singuli frumenta effunderent, reperierunt in ore sacconum suorum ligatis pecunias*; triticum igitur emerunt, & pretium non amiserunt, vnde gratis emerunt panem, *no le costo Ioseph en su bolsa vna blanca del pan, que les dio, pues auia precio los bolsos.* Quasi in pretium huius panis cælestis exigit à nobis Deus præuias dispositiones, confessiones scilicet, deuotiones, & cætera. sed quid tandem curat Deus, *echa se Dios algo en la bolsa de todo esso?* Panis hi noster, cùm communicamus, & meritum, quod excipere operato inde promanat, nostrum est, & insuper meritum ex opere operantis ex huiusmodi præparatione resultans, nostrum similiter est, Deo quid accedit? Vniuersum commodum nostrum est. Sit ille benedictus in sæcula. Nonne proinde merito dixit Isaias: *Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione*, &c. *y que siendo todo el prouecho nuestro, y que el precio, y trueco de la communion, y del aparejo andemos nosotros cargados, y otro.*

Illud autem ponderandum est, quòd fratres Iosephibi direxunt, cùm in summitate saccorum pecunias viderunt, *Obstupefacti*, inquit, *turbati dixerunt: Quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?* Cur non dixerunt quidnam est hoc quod fecit nobis prorex, seu gubernator Ægypti, sed Deus? quia frumentum nunc ab eo pretiosum dare, & insuper ipsum pretium reddere hominibus, qui de illo bene meriti non fuerant, solum Dei, & non hominis arbitrati sunt. Ioannes Deum se esse Christus Dominus in hoc maximè demonstrauit, quòd nobis indignissimis, & ingratis talem panem pretiosissimum cibum corporis sui nobis tradidit, & alios gratis, vt pretium ipsum nostræ dispositionis non ex, sed nobis accrescat. Dei profectò hoc donum est, Deus est, inquam, qui sic donat, &c. *quien puede dar sino Dios.* nonne igitur gratis nobis confertur hic panis, sicut illis frumentum illud? Si ergo pro panis materiali, & bonis temporalibus ad vitam hanc caducam talem spectantibus, libenter impendis pecunias, tempus, & labores, cur pro pane hoc cælesti, ad vitam æternam spectante, debitam refugis præparationem adhibere?

Quamuis ergo ex opere operato gratiam conferat Eucharistia, cùm etiam eam tribuat Deus communicanti ex opere operantis, dispositionem attendit accidentis ad eam, & pro mensura rectæ dispositionis, & præparationis, confert gratiam. Sicut enim agentia naturalia agunt in patiente dispositio, & tantò magis ac melius, quanto magis ac melius disposita est patiens; sic etiam Deus in collatione gratiæ tantò magis, ac melius gratiam confert, quantò fuerit magis ac melius dispositus homo.

Iussit Elisæus viduæ pauperi, vt adduceret vasa non pauca, emendicata à vicinis, vt ex vase in quo parùm olei habebat, infunderet in illa vacua vasa. Fecit, & ministrantibus filijs vasa, miraculosè multiplicabatur oleum, & implebantur omnia vasa, sed cùm deficeret vacuum vas, in quo reciperetur oleum, stetit ipsum oleum. Oleum in diuinis litteris misericordiæ symbolum est, sicut ait Origenes super Leuitic. homil. 5. & 10. & S. Chrysostomus super cap. 12 Ioannis. Fons erga diuinæ bonitatis oleo misericordiæ manat promensura vasorum, hoc est, dispositionum nostrarum, & cessat huiusmodi oleum, cessante dispositione nostra.

Et ob eandem causam Deus dicitur in sacris literis *Sol iustitiæ*, at patet Malach. 4. vbi sic de Christo Domino: *Orietur vobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ*, id est, Christus. Cur igitur vocat eum solem iustitiæ? *Iustitia* (sicut ait Iustinianus in principio Institut.) *est constans, & perpetua voluntas, ius suum vnicuique tribuens*, hoc est, vnicuique tribuit iustitia id, quod ei debetur; ideo ergo dicitur ibi Christus Dominus sol iustitiæ, quia agitur de secundo aduentu eius, in quo iudex constitutus à Patre, vnicuique pro meritis gloriam, & pro meritis pœnam decernet. Sic igitur modò

Deus

Deus hunc iustitiæ distributiuæ modum seruat : sicut enim sol iste corporeus secundùm mensuram fenestrarum lucem suam communicat ; sic sol noster iustitiæ secundùm mensuram capacitatis, & dispositionis nostræ, gratiam suam communicat nobis. ergo in communione corporis sui pro mensura nostræ dispositionis tribuet gratiam nobis. Quare si paupercula mulier maiori cum deuotione, amore, & feruore accesserit, quàm sacerdos, & Pontifex (ex opere, inquam, operantis loquendo) maiorem quàm sacerdos, & Pontifex, gratiam accipiet, ceteris paribus.

Cùm rex Dauid expensas in domum Domini præ-
1.22. pararet, vt filius eius Salomon eam ædificaret. *Ecce,* (inquit) *ego in paupertate mea præparaui impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum : æris verò & ferri non est pondus, vincitur enim pondus magnitudine : ligna & lapides præparaui ad vniuersa impendenda.* quis, nisi hoc esset de fide, fidem huic relationi adhiberet? est enim hæc ingens summa talentorum.
29. Vlteriùs autem addidit ipse Dauid: *Ego totis viribus præparaui in impensas domus Domini, lapides onychinos, & quasi B fistinos, & duersorum colorum, omnemque pretiosum lapidem, & marmor Parium abundantissimè : & super hæc, quæ obtuli in domum Dei mei, de peculio meo aurum & argentum, do in templum Dei mei tria millia talenta auri de auro Ophir : & septem millia talenta argenti probatissimi, ad deaurandos parietes templi.* Ita ille. Obtulerunt autem postea principes familiarum Israel, & proceres tribuum Israel, *auri talenta quinque millia, & argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia : ferri quoque centum millia talentorum. & apud quemcumque inuenti sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini.* Summa hæc tanta est, vt, sicut dictum est, authoritate eguerit sacræ Scripturæ, vt credi possit : nam, secundùm Josephum, quatuor millia & octingenti milliones aureorum nostrorum, *quatro mil y ocho cientos millones,* 4800. milliones, solus obtulit Dauid. quid si cætera coniungamus ? Scio computationem hanc ambiguam esse: C alij enim maiorem, alij minorem esse suspicantur; quomodocumque sit, ingens valde fuit ; rationem
29. verò tantarum expensarum, audi ibidem, *opus namque grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.*

Hinc igitur colligere licet, quanta fuerit beatæ Virginis excellentia : habitatio Dei ipsa fuit, domus Dei, ciuitas Dei, mater Dei: sanctitate autè, & virtutum & donorum Spiritus Sancti copiâ, non auri & argenti, præparanda erat à Deo domus hæc: sic enim canit Ecclesia : *Omnipotens sempiternè Deus, qui gloriosæ Virginis Mariæ corpus & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici meretur, Spiritu sancto cooperante, præparasti,* &c. Si ergo Dauid tot tantosque sumptus pro materiali Dei templo, in quo assisteret orantibus Deus, confignauit, quas censes spirituales opes Deum beatæ Mariæ contulisse? non enim homini, sed Deo habitatio parabatur, &c. Hinc etiam collige, quid ad recipiendam Eucha- D ristiam requiratur : qui enim recipit eam, efficitur domus Dei.

1.18. Præcipiebat Dominus Hebræis circa ritum vsus Agni paschalis, dicens : *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, sed assum tantùm igni :* quid sibi vult ritus hic ? quid refert, Domine Deus, agnum comedere assum, plùs quam coctum ? vnde tibi tanta cura huius ? comedant illi agnum pro beneplacito suo: quibusdam enim hoc modo præparatus, alijs verò alio forsitan placebit : de gustibus enim non est regula vna cunctis.
7.71. Audi, agnus ille paschalis insignis figura erat sanctissimæ Eucharistiæ, vt ait S. Thomas, quam quidem præcipuam inter omnes figuras Eucharistiæ asserit fuisse: liquet ergo cur non crudum, nec coctum voluit comedi agnum, quia cruditas omnimodam impræparationem designat, coctio in aquat, epiditatem importat: A aqua enim tepiditatis, seu frigiditatis symbolum est. Voluit igitur dicere Deus : qui ad recipiendam Eucharistiam accedit, non sine præparatione, non tepidè accedere debet, sed cum feruore deuotionis. Id sibi vult assatio igne: ignis enim, ob feruorem sui caloris, feruorem denotat deuotionis. Et quidem id ratio ipsa postulat, vt quod tanto feruore charitatis nobis præstat Deus, cum feruore charitatis & deuotionis recipiatur à nobis, &c.

Dignitas ad recipiendam Eucharistiam triplex est, prima est condignitas quædam sumentis ad id quod sumitur in Eucharistia, ita vt tanta sit dignitas in sumente, quantam, secundùm suam dignitatem, requirit hoc Sacramentum : & hoc modo nulla creatura digna est ad Eucharistiam sumendam, licèt Petrus, vel Paulus, vel Ioannes Baptista, & Euangelista ille sit, imò nec Angelus, nec Archangelus, nec Cherubim, nec Seraphim, imò nec beatissima Virgo, licèt mater Dei verè sit, quia omnis creatura inferioris ordinis valde est respectu Christi Domini in Eucharistia existentis : solus igitur Christus, qui verè Eucharistiam sumpsit in cœna vltima, hanc habuit dignitatem.

Secunda dignitas consistit in quadam perfectione virtutum, & donorum, & præcipuè reuerentiæ, ac deuotionis ; vt scilicet ille dicatur dignè accipere : qui cum quadam eminentia virtutum, & magna reuerentia, & deuotione, sumit Eucharistiam. Et ad hanc pertingere possunt sancti viri, sed non est adeo hæc necessaria, vt sine illa nemo dignè recipere possit Eucharistiam, imò hæc est velut fructus, & præmium eorum, qui dignè ad hoc accedunt Sacramentum, & frequenter.

Tertia igitur dignitas est illius qui sine conscientia peccati mortalis, postquam rectè se examinauerit, accedit, & sine offensione diuinæ maiestatis. & hæc est quam requirit Apostol. dicens: *Probet autem seipsum homo,* 1.Cor.11. *& sic de pane illo edat.* Quid est, *probet seipsum homo ?* cùm 28. alij cibi sumi debent, ipsi cibi solent priùs probari, an bene sint parati : sumpturos autem hunc cibum sacrum monet Apostolus, vt priùs seipsos probent, non cibum : cur ita ? nimirum, quia alios cibos conuertimus in nos, & ideo nos eos examinamus, vt scilicet videamus priùs an nobis consentanei sint: qui autem sumit Eucharistiam, non Christum in se transformat, sed ipse se in Christum: vnde non Christus, sed nos examinandi & probandi sumus. ideo ait Apost. *Probet autem seipsum homo,* &c.

Sed dices, quomodo se probabit homo, vt dignè accedere dici possit ? S. Thomas ibidem, *Probet,* inquit, *seipsum homo, id est, diligenter examinet suam conscientiam, ne sit in eo voluntas peccandi mortaliter, vel aliquod peccatum præteritum, de quo non pœnituerit sufficienter : & sic post diligentem examinationem de pane illo edat, qui dignè sumentibus non est venenum, sed medicina.* Ita S. Thomas. Vbi nota diligentem examinationem eam esse, quam ad confessionem communiter adhibere solent homines timoratæ conscientiæ, cum adminiculo Confessarij ; in his verò qui frequenter communicant, & Dei gratiâ à peccatis mortalibus diligenter cauent, non est opus diligentiâ magnâ, sed illa quam secum habent cauendi sibi à mortalibus, & cautè se gerere semper sufficit ad accedendum ad communionem, cùm scilicet conscientia eos non accusat.

Sanct. Gregor. *Probet autem seipsum homo,* ait Apostol. *In 1.Reg.*
Quid est hoc loco se probare, nisi enaeuata peccatorum nequitia se probatum ad Dominicam mensam, & purum exhibere? Ita ille.

Petes, dignène accedet, qui cum affectu actuali ad veniale peccatum accedit, absque conscientia tamen mortalis, & cum debita examinatione ? Respondetur, peccatum veniale actuale, cui affectus quis accedit, & vitiat ipsum actum communionis, non ponit obicem

gratiæ ex opere operato, quem secundùm se præstat hoc Sacramentum; impedit tamen gratiam, quæ ex opere operantis accipienti daretur. non est tamen dicendum istum absolutè dignè accedere: indignum est enim accedere, dum ipsummet accedere est peccatum veniale. Non peccat quidem mortaliter accedens sic cum affectu peccati venialis, ita vt ipsummet accedere sit peccatum aliquod veniale: non enim ponit obicem Sacramento, nec est irreuerentia mortalis: nihilominus accedit indignè, vel non dignè, non tamen ita indignè, vt iudicium sibi & mortem æternam manducet: sed quia etiam peccatum veniale committere in sumptione ipsa, est indignum, vt accedere cum vana gloria, vel cum distractione culpabili, &c. nisi quis velit hanc indignitatem ex veniali ortam, vocare indignitatem secundùm quid, non absolutam: quæstio est de nomine; consulendum tamen est absolutè, vt nemo sic accedat. Quare, vt quis dignè hoc modo accedat, satis est, quòd ritè examinatus, absque conscientia peccati mortalis accedat, & sine affectu ad veniale, & non distractus; sed quòd attendat quid faciat. Denique si non in ipsa accessione apposuerit aliquam circumstantiam peccati, dignè accedit. quod pro timoratis conscientijs concionandum est: dum enim huiusmodi timent se non esse ritè præparatos, tantis bonis in communione contentis, se priuant scrupulis suis.

Sed quæres: qui non solùm necessariò requisitam præparationem desiderat, sed eam quæ de consilio & supererogatione tantùm est, qui scilicet meliori, quo possit, modo se ad sacram communionem præparare optat. quid præstabit?

Primò maiestatem diuinam venientem attendat: sic enim se aptiùs disponet ad eum debitè recipiendum. Acturus Dauid, vt diximus suprà, de magnis expensis, quas in ædificium templi Domini præparauerat, hæc verba præmisit: *Opus grande est: neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo: ego autem totis viribus meis præparaui impensas domui Dei mei.* Hinc igitur Dauid magnas expensas, & totis viribus, in ædificationem illius habitationis præparauit, quia non hominibus, sed maiestati diuinæ habitatio fiebat. Sic igitur consideret, qui se ad recipiendum Deum parat, quòd non hominibus, sed Deo huiusmodi habitatio præparatur. & quidem Dauid, non vt Christum Dominum in templum illud reciperet, hæc agebat; sed vt Arcam, quæ figura Christi erat, ibi collocaret: at qui communicat, non figuram Christi, sed ipsum Christum recipit intra se; quas igitur expensas non meritò exhibebit?

Deinde animaduertat communicans, quòd pro mensura dispositionis maioris, vel minoris, maiorem, vel minorem gratiam & fructum ex communione percipiet. Sicut ex his qui ad hauriendam aquam ex fonte accedunt, ille plus aquæ educet, qui maius vas secum detulerit. Fons perennis est gratiarum, Sacramentum Eucharistiæ: ille igitur ex eo maiorem bonorum & gratiarum cõpiam hauriet, qui maiorem adhiberit dispositionem. Si quæras igitur, quam in particulari meliorem adhibere dispositionem possis? Dicam.

Primò, non solùm à peccato, mortali cor purum adhibere oportet, verùm etiam expedit à peccatis venialibus animam puram seruare: peccata enim venialia, licèt charitatem non tollant, minuunt tamen feruorem charitatis, & deuotionis: feruor autem hic & deuotio est optima dispositio ad hoc Sacramentum.

Hinc Christus Dominus tempore institutionis Eucharistiæ, priusquam eam Apostolis præstaret, eorum voluit pedes lauare. quid sibi voluit cæremonia hæc? lotio pedum, munditiem vsque ad pedes, scilicet vsque ad vltimum significabat. at dices, mundi Apostoli erant: sic enim Dominus: *Vos mundi estis, &c.* mundi quidem omnes, præter Iudam, à mortalibus erant; voluit igitur Dominus significare, non solùm à mortalibus mundum esse debere communicantem, verum etiam expedire & mundum esse à venialibus: hinc enim est puluis, qui pedibus nostrorum affectuum solet adhærere dicente Domino ibidem: *Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet.* quod ita exponit S. Dionysius Areopagita: *Qui lotus est, non indiget, nisi extremorum, id est, nouissimorum suorum lauatione, propter quam sublimis illa purgationem in castissimo De formatis habitu & ad secunda Deiformiter prouenientes, non retentus erit, & abiectus, tanquam perfectissime vnifermis.* Ita ille. Quæ verba, obscura quidem, sic explicat commentator eius Dionysius Carthusianus loco, dicens: *Non indiget, scilicet extremorum suorum lauatione, hoc est, purgatione à minimis culpis, propter subitum illam purgationem, qua Deo assimiletur sacerdos, offerens sacrificium,* &c. Ita ille. Agit autem ibi Sanctus Dionysius Areopagita de ablutione digitorũ, scilicet quando sacerdos digitos in sacrificio Missæ lauat, non manus totas, sed extrema digitorum; ad significandum, quòd accedens ad sanctissimum Sacramentum sumendum, debet etiam minima actiones suarum lauare, ita vt neque in minimis imperfectionibus aliqualiter immundus reperiatur. Ad hanc igitur puritatem aspirare debent, qui perfectam dispositionem ad communionem desiderant: si enim Nabuchodonosor, Babyloniæ rex, pueros exoptabat omni macula carentes, vt assisterent coram eo; quantò magis omni macula animæ carere conuenit eos, qui non solùm assistere, sed sumere intra se Regem regum volunt.

Secundò, ad perfectam hanc dispositionem requiritur humilitas profunda: amat enim hanc vehementer Deus: & sicut in humili præsepio recens natus voluit reclinari; sic etiam in humili pectore nunc consecratus recipi optat. Ad exercitandam autem humilitatem hanc, conducit plurimùm maiestatem Dei, & vtilitatem nostram considerare, & mirari, quòd suprema illa Deitas, quam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, ad me vermiculum, super lutum ambulantem, descendere, & à me sumi, & comedi dignetur. quis ante dignationem hanc non humilietur? non confundatur? *Columnæ cœli* (ait Iob) *contremiscunt, & pauent ad nutum eius,* & ego non pauebo, non contremiscam, eum sumere ore meo, & intra viscera mea collocare?

Cùm igitur ad communicandum accesseris, dum intus in corde humiliatus diuinam reuereris in hostia maiestatem, verba aliqua proferes, quæ humilitatem tuam exprimant simul, & augeant, v. g. illa Publicani, *Deus propitius esto mihi peccatori,* vel illa filij prodigi: *Pater non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum ex mercenariis tuis,* vel illa S. Elisabeth ad B. Virginem: *Et vnde hoc mihi, vt veniat Dominus Deus ad me?* vel illa Centurionis, quibus velut aptissimis vtitur mater Ecclesia, *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.* His vel alijs, quos suggesserit vniuscuiusque deuotio, poterit humilitatis actibus vti, dummodo non ex ore solùm, sed etiam ex intimo cordis procedant: cor enim sic humiliatum, Deus non despiciet, sed plurimùm æstimabit.

Cùm Sanctus Hieronymus in tramite vltimo vitæ versaretur, vt ait Eusebius, qui tunc temporis affuit; & vellet Eucharistiæ viaticum sumere, in hæc verba prorupit: *Cur Domine adhuc te nunc humilias, vt patiaris ad hominem descendere publicanum, & peccatorem, & non solum cum illo manducare, sed teipsum ab illo iubeas manducari?* Ita S. Hieron.

Sic Rex Dauid ad quemdam filium Saul, nomine Miphiboseth: *Tu comedes panem in mensa mea semper,* cui

1. Par. 29.

Ioan. 13. 10.

Ioan. 13. 10.

Dion. Eccl. Hier. 3. part.

Cap. 16. 10.

Luc. 15. 21.

Luc. 1. 43.

Luc. 7. 6.

2. Reg. 9. 7.

cui ille : *Quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei ?* quòd si filius ille regis sic se coram Dauid humiliauit, videns se ad eius mensam inuitatum : quis non se profundiùs humiliabit, videns ad Dei mensam & ad Christum Dominum se inuitatum ? ibi Dauid erat, qui inuitabat, hîc Deus; ibi filius regis inuitabatur, hîc ego peccator, omni seruo emptitio vilior ; ibi ad vescendum pane communi, hîc ad vescendum pane Angelorum , pane cœli, pane supersubstantiali, denique Deo ipso. Quòd si propterea ille adeo humiliabatur coram Dauid , se tanto conuiuio iudicans indignum : quidni ego coram Christo & Dominо meo procidam humiliatus ? *O res mirabilis : manducat Dominum pauper seruus, & humilis.* Hæc igitur secunda dispositio sit.

Tertiam amori concedamus, quæ præcipua quidem est, & maximo huic congruens Sacramento , quod Sacramentum amoris est, à Dei amore procedens , & ad Dei amorem in nobis augendum, tendens: ad hunc autem affectum amoris excitandum in nobis bonitatem & charitatem Christi in nos , quæ in hoc Sacramento lucet, considerare attentè oportet, bonitatem, inquam, nam si bonum est fui diffusiuum , sicut ait Sanct. Dionysius, quæ maior diffusio, quàm seipsum nobis ita dare; amorem verò , quia inimicis suis amoris inuentionem istam excogitauit , vt se in cibum nobis exhiberet. Quis igitur tantam bonitatem non vehementer amabit ? quis non tanto amori amore respondebit ? Si amor rependitur soli amori, tantus amor quem non à nobis amorem extorquebit ? Diligam igitur te Domine, amor meus, cibus animæ meæ, & vita cordis mei, &c.

Quarta dispositio, quæ ex tertia promanat , est fames animæ , & desiderium magnum sumendi Christum: qui enim eum ex corde amat , ex corde quidem esuriet eum. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei , quis det de carnibus eius, vt saturemur.* S. Chrysostom. & S. Thomas hoc asserunt dixisse famulos Iob propter nimium in eum amorem, cùm tamen scirent se non posse carnibus eius vesci , sed vt nimium erga eum exprimerent amorem : at nos possumus quidem , & verè possumus carnibus Christi Domini nostri vesci, dicente ipso: *Caro mea verè est cibus , & sanguis meus verè est potus.* Quis igitur nostrum eum verè diligit , & non dicit : Quis det de carnibus eius, & de sanguine eius, vt saturemur? hanc igitur esuriem quærit cibus diuinus. Vnde Sanct. Augustin. *Esuriem* (inquit) *quærit hominis interioris.* Ita ille. Sicut enim cibus corporalis famem corporis petit: tunc enim prodest corpori , cùm corpus esurit eum, sic etiam cibus iste animæ tunc animæ prodest multùm, cùm anima esurit eum. *animam* enim *esurientem satiauit bonis*, vti ait S. Dauid, & beata Virgo: *Esurientes implenit bonis*, &c. famem quoque istam excitauit necessitas animæ ipsius , cui prouidet Christus Dominus in Sacramento isto : quis enim vmquam ad Dominum accessit petiturus remedium aliquod, & non obtinuit ? accessit , & tetigit fimbriam eius mulier illa sanguinaria, & ad eius tactum statim consequuta est sanitatem, accedebant ad eum energumeni, cæci, surdi , leprosi, & omnes illico sanabantur. Si igitur & tu remedium optas malorum tuorum , accede libenter, & illud pariter assequeris: hic enim ipse Christus est , qui & tunc, nec minor est nunc misericordia & charitas eius, quàm erat tunc, quis non inde famem concipiat Christi?&c.

Quintò , sit meditatio & attenta consideratio passionis Christi Domini: ad hoc enim quoque institutum est hoc Sacramentum, dicente Domino : *Hoc facite in meam commemorationem.* Et Paulo: *Quotiescumque manducabitis panem hunc , & calicem bibetis , mortem Domini annunciabitis donec veniat.*

Vnde S. Bonauent. consulit recipienti Eucharistiam,

A partem aliquam in speciali passionis Christi considerare, aut columnæ, aut sudoris sanguinei , aut crucifixionis, &c. quod se præstitisse ait , & vnde liquefiebat anima eius, vt ipse affirmat. *Opusc. de præpar. ad Missam.*

Sextò , deseruit ad deuotionem excitandam omnium circumstantiarum huius Sacramenti consideratio. Quis scilicet est qui venit, ad quem venit, quomodo venit, cur venit, ad quid venit, &c. Quis venit ? non homo purus, non Angelus, non Seraphim, non aliquis Apostolorum, sed Dominus ipse Deus. Quòd si Angelus, vel sanctus aliquis ad nos veniret , magna cum reuerentia, & honore , & deuotione intra domum nostram illum reciperemus ; quantò magis Deum & Dominum nostrum, qui nos plusquam pater & mater nostra amat, quis non totis visceribus eum recipiat? Deinde ad quem venit ? ad hominem peccatorem diuertit, qui optimè nouit illum offendere , & illi malè seruire, non, inquam, ad sanctum aliquem , non ad Angelum; sed ad tepidam creaturam humanam , ad indignum quauis minima miseratione ipsius. Deinde cur Deus motus est ad me venire ?non propter merita mea , sed propter pietatem & bonitatem suam , non propter cõmodum aliquod suum, sed meum: Dominus enim vniuersorum est, & bonorum meorum non eget; ego verò egenus & pauper sum , & solus ipse me à meis necessitatibus valet liberare. Præterea, quomodo venit ? non tanquam iudex, aut accusator , *no viene como pesquisidor official contra mi, como mis pecados merecian* , sed tanquam dulcissimus sponsus. quare hæc in auribus nostris vox tunc sonare debet : *Ecce sponsus venit, exite obuiam ei*, &c. *Matt 25.* Prætrea, ad quid venit ? vt me immensis & innumerabilibus bonis afficiat, virtutibus, donis, gratiâ, vitâ, salute animæ, & si expedierit, corporis quoque. *6.*

Septimò , ad debitam præparationem plurimùm conducit oratio, quâ postules à Deo , vt ipse præparet habitaculum sibi: sicut enim rex, cùm iter agit , præmittit aliquem ex domesticis suis, qui ornet & præparet regijs ornamentis , & tapetibus hospitium, in quo rex manere debet ; sic etiam orandus est à communicante Deus, vt ipse præmittat sericа, & aureos tapetes, & ornatum regium suum, quo anima ornata, debitè recipiat Deum in se.

At dices, si nihilominus deuotione me carere videro, & tepidum me ac frigidum sensero , quid faciam ? supple tu desiderio, quod opere præstare nequis : nam tunc desideria nostra acceptat Christus , iuxta illud, *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus , præparationẽ cordis eorum audiuit auris tua.* hoc documentum affirmat Ludouicus Blosius Deum dedisse sanctæ Mechtildi, eui dixit: *Cum ad communionem accesseris, desidera in gloriam nominis mei omnem illum amorem erga me habere, quem vmquam habuit feruentius cor. quòd si hoc pacto accesseris , recipiam desiderium tuum iuxta illum amorem , quem optaueris habere.* & idem refert ibidem Blosius de S. Gertrude , quòd scilicet, cùm iam semel ad communionem accederet, & de præparatione anxia esset : non enim se ita præparatam, licut optabat, inueniebat , & à B. Virgine & omnibus Sanctis postulauit , vt pro se Deo offerrent omnem illam dispositionem , & præparationem, quâ ipsi rectè se ad Eucharistiam præparauerat. & tunc ad illam Dominus, *Iam*, inquit, *verè omnibus cæli ciuibus appares in eo ornatu, quem tibi petiuisti.* Ita Blosius. Sic igitur semper, cùm ad communicandum accesseris , omnem illum ornatum , feruorem , & amorem, cum quo Sancti accesserunt, desidera ex corde , & pete à Domino , vt quod tibi deest, suppleat ille ex meritis Christi Domini nostri, & filij eius ; & bene præparatus accedes. Quod vt rectiùs fiat, per aliquod spatium temporis, ante communionem orare debes, hoc à Domino deuotè & quietè postulando, & à sanctis eius , & desideria hæc reiterando , & meditationem aliquam passionis, vel aliam ex dictis, habendo. *Psal. 9. 38* *In monil spirituali c 6.*

Cùm per os nostrum sacrosanctum hoc Sacramentum in animam intret, præcipua cura habenda est, vt aditus hic purissimus sit: vt scilicet ab omni turpiloquio, detractione, iuratione vana, maledictione, mendacio, conuitio, imprecatione, quâ dæmoni creaturas Dei deuouemus, purum omnino & integrum seruemus, ne quo aditu ad nos Deus ingrediatur, dæmon vmquam ingrediatur. Videbis hisce diebus diligenter fideles vias omnes, per quas diuinum hoc Sacramentũ circũducitur in publicis processionibus, repurgare, parietesque aureis velaminibus ornare, & pauimenta iuncis & ramis virentibus sternere, & quidquid ad ornatum esse potest, adhibere, quia, inquam, per huiusmodi vias circumducendum est sanctissimum Sacramentum. Cùm igitur per os tuum in cor tuum idem Dominus ingredi debeat, non solùm cor, in quo sibi sedem ipse elegit, sed via etiam, quâ aditus ad cor tuum patet, ab omni vitio purganda est, & virtutum tapetibus est ornanda: quare & à gula in cibo, & potu pari ratione cauendum est, &c. B

Isai. 55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, & venite ad me: audite, & viuet anima vestra.* Præclarus locus, quem meritò nonnulli de Eucharistia nostra interpretantur: loquitur enim manifestè de Christo, & Ecclesia eius, non solùm secundùm Catholicos expositores, sed etiam secundùm Rabbinos, vt ait Nicolaus de Lira. Hoc igitur in loco aliquid Deus offert nobis, & aliqua poscit à nobis, & primò nomine aquarum Procopius rectè intelligit Euangelium Christi; seu euangelicam Christi doctrinam. quæ meritò aqua vocatur, tum propter perspicuitatem eius: veteris enim Testamenti doctrina tenebrosa aqua in nubibus aeris appellatur, quia velut nube quadam figurarum & mysteriorum tegebatur: lex enim vmbra erat futurorum in Ecclesia Christiana bonorum: tum etiam quia sicut aqua sitim corporis extinguit, sic etiam Euãgelica doctrina sitim sciendi extinguit: in ea quippe vniuersa nostra perfectio continetur. Per vinum autem & lac, ait Procopius, diuinum hoc Eucharistiæ Sacramentum significari: hostia enim alba, sicut lac est, in qua Dominici corporis consecratio fit; sanguis verò dicitur vinum, quia in vino sit consecratio sanguinis Christi. Sicut enim corpus Christi dicitur panis, quia sub speciebus panis continetur; ita etiam sanguis Christi dicitur vinum, quia sub speciebus vini existit. Ait ergo Christus per Isaiam: *Qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite, emite absque argẽto, & absque vlla commutatione vinum & lac.* quod hîc lac, & vinum appellat, statim bonum absolutè dicit: *comedite*, inquit, *Cap. 9.* *bonum. Quid enim bonum eius*, vt ait Zachar. nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? *bonum,* D quia ibi Christus Dominus, qui est bonitas ipsa per essentiam: bonum, quia omne bonum, quod actionibus & passionibus suis nobis lucratus est Christus, hîc continetur. quid inde? *Delectabitur*, inquit, *in crassitudine anima vestra*, hoc est, hîc, hîc, ô deliciarum amici, hîc inuenietis deliciarum pinguedinem: non ita in bonis mundi, quæ cùm vana sint, vanas etiam continent delectationes. Denique, *Inclinate aurem vestram, & venite ad me*, hoc est, valde attendite ad ea, quæ modò subijciam: qui enim cum attentione magna audire & percipere aliquid vult, ad docentem aurem inclinare solet: percipite ergo cum magna animi propensione, quæ dicturus sum. quid hoc? *Viuet anima vestra*, quid ampliùs audire de hoc bono desiderabas? Qui cibos merè corporales sumit, vitam hanc tuetur corporalem, quæ & cum brutis communis est, & quamprimum cum morte commutanda: at qui cibum hunc spiritualem sumit, vitam animæ diuinam tuetur, & vitam consequetur æternam, dicente Domino: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Quid igitur à nobis, ô Domine, pro tanto bono requiris? vtinam in nobis aliquid, quo illud tibi recompensare valeamus, possit reperiri! *Emite*, inquit, *absque argento, & absque vlla commutatione.* qui fieri potest, vt sine pecunia, vel commutatione emi quid queat? potest quidem, quia huius boni pretium non est, quod pro corporeis bonis tribui solet. quod igitur à nobis requirit Deus pro inæstimabili bono isto? est debita ad eum præparatio, humilitas, puritas, reuerentia, & deuotio: *talibus enim hostijs promeretur Deus.* Videtúrne tibi carò sic constare Eucharistiæ Sacramentum? quid tu pro temporalibus facis? imò quid non facis? tibi ergo hîc Christus, & similibus, *Quare*, inquit, *appenditis argentum, non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* hoc est, solus bonis temporalibus pecuniis, & nulli parcis labori, vt illa obtineas, & tandem postquam obtinueris cuncta, clamas cum filio prodigo: *Ego hîc fame pereo*: nam, vt rectè Lira super hunc locum ait, ponitis studium & laborem vestrum circa bona temporalia transitoria, & deceptoria, quæ non reficiunt; sed magis famem excitant, & sitim, quia cupiditatem augent. Vnde dicit Poeta Iuuenalis:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

& idem dicit S. Ambros. super Lucam de hydropico, idemque est de ambitione bonorum, & huiusmodi. Ita Nicolaus de Lira. itaque vsque ad fastidium huiusmodi bonis frui poteris, famem verò extinguere nequaquam. Vidistine vmquam hominem aliquem, vel iam regem Alexandrum, qui famem bonorum temporalium sedarit? *Vide* (ait Salomon, postquam omnia degustauerat) *in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Ecce fatietatem bonorum. Emite ergo, & non tanto labore, ait Dominus, à me hoc bonum, & absolutè bonum, & delectabitur in crassitudine, hoc est, vsque ad satietatem, anima vestra. Explicemus hoc discrimen inter mensam mundi, & mensam Christi. omnes cibi corporales, quamuis pauonum, & aliorum ciborum copiam inducant, fastidium secum ferunt: sed cibus hic diuinus satiat quidem, sed sine fastidio, imò quantò frequentiùs sumitur, tantò magis famem acuit, & accendit, iuxta illud: *Qui edunt me, adhuc esurient.* vbi ob- *Eccli. 24.* serua saturitatem & famem mali aliquid secum inuoluere & etiam boni: bonum famis est, cibi appetentia, quæ vicem condimenti habet, iuxta prouerbium, *Optimum condimentum est fames*: malum famis est, indigentia nutrimenti: omnis autem indigentia malum reputatur: Saturitas etiam aliquid boni habet, sedare scilicet illam famem, indigentiam tollendo: malum eius est fastidium, quæ condimentum illud tollit, & generat tædium. In hæc igitur duo extrema impingit, qui auidè mundi bona quærit. At panis hic Angelorum, se manducantibus dat spiritus pinguedinem, vt ait S. Thomas, hoc est, pinguedinem animæ spiritualem, & ideo dicit hic Isaias: delectabitur in crassitudine non corpus, sed anima vestra: qui enim manducat hunc panem, nihil aliud optat, illo, sicut Angeli in cœlo, frui desiderat, & tamen semper remanet in eo condimentum famis ad semper recipiendum illum, & eius dulcedine fruendum ad modum beatorum. *La bien auenturança en el cielo es vna hambre harta, y vna hartura hambrienta, vna sed satiuçecha, y vna satiuçacion sedienta, vn deseo cumplido, y vn complimento deseoso, vn siempre tener lo que siempre se apetece, y vn siempre apetecer lo mesmo que siempre se tiene. Asi el sanctissimo Sacramento dignamente recebido, satiuçaçe con hambre, y da hambre con satiuçacion. Bien pareçe que es el mesmo Dios, el que aqui ora recebimos, y el que gozaremos en el cielo. Amen.*

Quis

Quis igitur non quemuis laborem libenter subeat, vt tanto frui possit bono? Si tibi quotiescumque dignè sumeres, Deus mille nummos aureos promitteret, desineréne aliquo die illud accipere, & pro viribus te ad hoc præparare? qui pro minore diuitiarum quantitate indesinenter laboras, quidni hoc faceres? credisne plura quàm millia millium ducatorum tibi communicanti dignè concedi? nimirum, nisi te infidelem profitearis: cur igitur ob exiguam præparationem id amittis? potéstne euidentius argumentum nostræ cœcitatis adduci?

Denique si præparationem times, times quòd non solùm ex parte Sacramenti, sed ex parte ipsius præparationis in maximum tuum credit emolumentum? recordare, quæso, quid acciderit fratribus Ioseph, qui cùm frumentum à Ioseph fratre suo emissent, pecunias quas pro frumento dederant cum ipso frumento sibi redditam inuenerunt, carone tibi emisse isti videntur? sic nimirum frater noster Christus Dominus à nobis pro hoc diuino pane præparationem, reuerentiam & deuotionem poscit. Sed dic, quæso, ipsine Christo, an tibi hæc præparatio accrescit? non solùm pro recepto Sacramento pretium, quod illi ex opere operato respondet, exhibebitur tibi, verùm etiam pro præparatione tua tantò sublimiùs præmium gratiæ ac gloriæ retribuetur, quantò maiorem adhibueris præparationem: quid igitur de præparatione tibi soli proficua doles? quid eam detrectas? *para que andau escaseando lo que es mas que oro de veinte y quatro quilates para nos nadie ha de recatear lo que da si dando recibe lo mesmo que da?*

Sanct. Bernard. *Non te oportet homo transfretare maria, non penetrare nubes, non transalpinare necesse est, non grandis tibi ad hoc restat via: vsque ad temetipsum. occurre Deo tuo: prope est enim verbum in ore tuo, & in corde tuo, vsque ad cordis compunctionem, & oris confessionem occurre, vt saltem exeas de sterquilinio miserę conscientiæ tuæ, quia indignum est illuc authorem puritatis intrare.* Ita Sanctus Bernardus loquitur de aduentu Christi. Idem etiam dicendum est volenti recipere illum in Eucharistia.

Ante communionem optima quidem præparatio est, die scilicet antecedente à sæcularibus conuersationibus abstinere, cubiculum proprium intrare, & clauso ostio orationi vacare. Sunt enim nonnulli ita loquaces & conuersationi dediti, vt silere nunquam ament. Hoc magnum impedimentum est deuotioni ad communionem requisitæ. Sanct. Augustde aquila sic scribit: *Dicitur de aquila, cum senectute pressa fuerit, immoderatione rostri crescentis, cibum capere non posse; tunc dicitur collidere & percutere ad petram labrum immoderatum, & sic caret impedimento illo edendi, & accedit ad cibum & reparatur.* Ita ille. Sic qui labiorum immoderatione laborat (*la persona que vee en si ser muy picuda y amiga de entretenimiento*) tollat immoderationem hanc labiorum, & conuersationis humanæ, & sic meliùs ad recipiendam virtutem Eucharistiæ quâ reparetur accedit.

Prop. V. *Amore ad communionem accede.*

De sumptione agni paschalis agens Dominus Exod. 12. dixit: *Edent carnes agni assas igni.* Cur speciatim voluit Dominus assas esse carnes illas potiùs, quàm coctas aut alio modo præparatas? S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 1. ad 2. *assa quidem erant ad significandum passionem seu charitatem Christi.* Ita ille. Vtramque explicationem hic approbat S. Thom. vtrumque enim aptè significat. Cùm ergo Christus amore ardens se nobis in Eucharistia in cibum præbeat, nos similiter amore ardentes ad illam accedere debemus, non tepida quadam consuetudine, velarido corde: nec enim sine magno amore accipiendum est, quod cum magno amore donatur. Sunt verò aliqui qui timentes accedunt, se indignos tanto cibo existimantes: humilitatem & sanctum eorum timorem laudo, multò verò magis amorem eorum qui amanter accedunt. Vbi in huius rei confirmationem aduerte, quòd ibidem simul præcipiat Deus sumere agnum paschalem renibus accinctis, *renes*, inquit, *vestros accingetis.* omnia hæc in figura communicantium corpus Christi dicebantur, vti S. Thom. vbi suprà obseruat. Cur igitur aut quomodo Christi Domini corpus accinctis renibus sumendum est? etenim qui cingit se, vestes defluentes constringit; sic qui communicare vult, curas & cogitationes constringere tunc debet: hæc enim animum nostrum diuertunt, & intellectum occupant: intellectu autem sic impedito, quomodo potest voluntas (quæ semper ex intellectione pendet) actuali Dei amori vacare?

Ibid. 11.

Prop. VI. *Eucharistia à nobis auidè est accipienda.*

Sanct. Chrysost. homil. 60. ad popul. *Nónne videtis, quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus insigunt? Accedamus & nos quoque ad hanc mensam & vbertatem spiritualis poculi. Quinimio cum longe maiori trahamus, tanquam infantes lactanei, spiritus gratiam, & vnus sit nobis dolor hac esca priuari.* Ita Sanct. Chrysost.

Chrysost. Simile.

Prop. VII. *Quàm gratum Deo sit, nos sumere frequenter Eucharistiam.*

Frequenter, inquis, communicarem, si frequentem communionem meam Deo gratam, & acceptam esse cognoscerem; timeo verò, ne, dum frequenter accedo ad communionem sacram, Deo meo molestus sim. Age, & an, & quantùm hoc Deo acceptum sit, videamus. Et primò, ad quid, quæso, sacram hanc synaxim dedit Christus? dicat qui dicit: *Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum.* In cibum se nobis dedit; vult igitur, & gaudet se à nobis sumi, alioquin nequaquam se nobis daret in escam.

Matt. 26. 26.

Sed, vt magis Dei voluntas hac in re innotescat, in memoriam redige parabolam illam cœnæ magnæ, Luc. 14. quam symbolum Eucharistiæ dicit S. Cyrillus. *Misit* ergo Christus *seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent* ad magnam cœnam istam: at illi se omnes excusarunt, & tunc, inquit Euangelista, *iratus paterfamilias, dixit seruo,* &c. Cur iratus est Christus? nónne illi rationabiles causas habebant, vt haberentur excusati, is quia villam emit, & videre oportebat illam, ille verò quia emerat quinque iuga boum, & probare illa necesse ei erat, alter verò quia vxorem duxerat, & assistere conuiuio nuptiali illi incumbebat? cur ergo iratus est paterfamilias? hinc colliges, quanto desiderio tenebatur, vt inuitati venirent, & mensâ fruerentur suâ, *y vereis, si tiene gana de ser conuidado, pues se enojade quien se escusa con tan apparentes razones.*

Verſ. 17.

Præterea iterum vocans seruum suum, dixit: *Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Quid ais, Domine, ad regalem mensam pauperes, & claudos, & peripsema populi vocas? Reges non vulgares homines in conuiuijs suis admittunt, sed principes, & dynastas. Hinc percipies, quàm libenter se nobis in hac cœna in cibum offerat, siquidem sic etiam abiectos mundi vocat.

Præterea, cùm famulus ille iussa impleret, & diceret patrifamilias: *Domine factum est, vt imperasti, & adhuc*

locus est; respondit Dominus: *Exi in vias, & sepes, & compelle illos intrare. Si por calles y plaças no hallas, sale por essos arabales y caminos, y a los que hallarez, traelos, aunque sea por los cabeçones, y arrapieços.* Itáne. Domine, huiusmodi violentiam vis inferri inuitatis? inuitatis, inquam, ad tam excelsum, & honorificum conuiuium? inde perspicies, quantùm Dominus optet nos eius corpore saginari, *gana tiene de ser comido, pues*, &c. A

Dicam & aliud non minoris ponderis argumentum. Notum est, illos discipulos, qui in castello Emaus Dominum inuitarunt, cognouisse Dominum in fractione panis, hoc est, in communione corporis Domini: consecrauit enim panem illum, & in corpus suum conuertit, vti affirmant Sanct. Augustinus lib. de consensu Euangel. cap. 25. & Sanct. Hieronymus in epitaphio Paulæ ad Eustochium, vbi ait, Christum Dominum Cleophæ Eucharistiam consecrasse, & Sanctus Chrysostomus homil. 9. de variis Matthæi locis, & Beda, & Theophylactus, & alij, quod & latè probat noster Maldonatus super capit. 24. Lucæ. Quæro igitur nunc, quomodo Deus his, qui nec præparati speciatim ad communionem erant, imò qui & ignorabant se à Domino tale munus accipere, tribuit Eucharistiam? *Sin duda que tiene gana de ser de nos otros comido*; & tu de voluntate huiusmodi Christi dubitas? & tu ais, nescio an Deo gratum sit, nos eum frequenter sumere? panem, se nominauit Christus dicens: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*: panis autem non est cibus annualis, sed quotidianus, &, vt omnem tepidis ansam dubitationis amputaret, panem nostrum quotidianum in oratione Dominica se voluit appellari, Matth. 6. vti asserunt S. Cyprianus de oratione Dominica, Ambros. lib. 5. de sacram. cap. 4. S. Athanas. lib. de Incarnat. S. Hieron. ibidem & lib. 3. contra Pelag. Tertullianus lib. de orat. & alij authores graues. Ne igitur tu panem quotidianum, panem annualem facias, vt ait S. Hieronymus, nec ferotinum, vt quamplures faciunt. *Ioan 6. 59.* C

PRO P. VIII. *Eucharistiam frequenter sumere, donum Dei est in præmium bonorum operum.*

PAtet quidem nobis aditus ad sumendam frequenter Eucharistiam, ideo quippe dictum est à Domine in oratione Dominica quotidianus panis. Neminem Deus excludit à quotidiana huius diuini panis sumptione, qui se voluntariè non fecerit indignum, *franqueado nos ha Dios a todos este pan soberano, mesa franca es la del sanctissimo Sacramento*, &c. sed tamen nihilominus voluntatem efficacem suo efficaci auxilio solet præstare nonnullis ad frequentiùs communicandum, propter nonnulla obsequia ab ipsis exhibita Deo, prout ipsemet Dominus significauit, dicens: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut filios, aut agros, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Dubitare hoc loco solemus, quodnam sit hoc centuplum, quod in hac vita hæc supradicta præstantibus exhibet Deus; & respondet Sanct. Bernard. serm. 1. in dominica infra octauam Epiph. dicens: *Panis Angelorum, panis viuus, panis quotidianus hic est, de quo nobis promissum est, quia centuplum accipiemus in hoc sæculo. Sicut enim mercenarijs quotidianus cibus datur in opere, & merces seruatur in fine; sic Dominus vitam æternam in fine reddet, & interim centuplum repromittit, & exhibet.* Ita Sanctus Bernardus. Quòd, si libet, alia similitudine exponamus. Parentes filijs suis hæreditatem dare solent, non quidem statim, sed post mortem parentum; at cibum filijs necessarium quotidie: sunt quidem iusti filij Dei, & maximè hi, qui supradictis obsequijs, vel etiam huiusmodi alijs obsequuntur ei; hæreditatem illis confert, non quidem in hac vita, sed post mortem ipsorum filiorum: nam cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filij eius merces; sed tamen interim filios suos alit pane isto, non rarò, sed frequentershis enim filijs, qui dictis obsequijs seruiunt illi, speciatim est panis quotidianus. *Matt. 19. 29.* D

Cant. 2. *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Vmbra in hoc loco diuinam protectionem significare affirmant Origenes, & S. Gregorius Nyssenus, & Sanct. Gregorius Magnus, & Sanct. Anselmus, & Beda, & Cassiodorus in hunc locum, & S. Ambrosius super Psal. 118. vers. 1. iustorum autem hoc proprium est: de iusto enim dictum est: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Nam peccatores, non sub vmbra protectionis diuinæ commorantur, sed sub vmbra mundi, de his ergo, qui sub hac protectione Dei commorantur, subdit sponsa: *Et fructus eius dulcis gutturi meo.* Quis nam est hic fructus dulcis gutturi animæ sanctæ? Sanctus Bernardus serm. 48. Cant. & Rupertus, & Apponius Abbas, & Sanctus Theodoretus, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum esse aiunt, cuius fructus, ait sponsa Dei, dulcis gutturi meo. non ait absolutè, dulcis omnibus, nam licèt in se dulcissimus sit, de facto tamen non omnes, qui communicant, hanc dulcedinem percipiunt; sed anima illa, quæ plenè sponsa dici Altissimi potest, anima scilicet multa prædita virtute. Sed ad rem. Huic animæ Dei dilectæ, quæ non mundi protectionem, & fauorem quærit, sed Dei, fructus huius sanctissimæ Eucharistiæ copiam specialem facit Deus, quatenus magnum desiderium, & famem, & sitim corporis, & sanguinis Christi ei tribuit: non enim omnes huiusmodi famem, & sitim sentiunt. Accedunt quidem multi ad communionem, vel quia necessitatem, & vtilitatem communicandi sciunt, vel quia consuetudinem communicandi habent, vel quia à concionatoribus, quanti nobis interfit communicare. audierunt: accedere autem ad communionem cum magna auiditate, ac feruore, hoc inquam, speciale donum Dei est, suis specialibus amicis concessum. Gaudeant igitur, exultent hi, qui talem in se auiditatem experiuntur: pignus enim fic habent, quod electi amici Dei sint, imò & charissimi Dei. His enim, ni fallor, dicitur Cantic. 5. *Comedite amici, & inebriamini charissimi.* Vbi Sanct. Gregorius Nyssenus homil. 11. & Sanct. Ambrosius lib. de his qui initiantur mysterijs, cap. 8. & Rupertus Abbas, & alij, conuiuium hoc conuiuium sanctissimi Sacramenti esse aiunt. Inuitat quidem Sponsus sanctus omnes nos ad hoc conuiuiũ, dicens: *Accipite, & comedite*, &c. sed tamen speciali quadam vocatione & inspiratione inuitat Dominus amicos, & charissimos suos: charissimi autem hi dicuntur, quos magno, & speciali prosequimur amore. hos igitur speciatim ad hoc sacrum conuiuium inuitat Deus; quare qui talem in se affectum magnum, & auidum ad sanctissimum Sacramentum suscipiendum fuerit expertus, Deo magnas referat gratias: nam inter charissimos Dei numeratus est. B *Ibid. 5.* *Matt. 26.*

PRO P. IX. *Eucharistiam sumere frequenter, quantùm nobis interest.*

EX defectu amoris prouenit, quòd quis frequenter ad sacram Eucharistiam non accedat. Sic anima iusta, & sponsa Christi: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Hebraicum Originale sic habet: *fulcite me lagenis vini, consternite mihi mala, quia amore langueo.* Per flores, & fructus malorum, quæ hic petit sponsa, nonnulli sacram intelligunt Eucharistiam, nimirum quia in ea Christus Dominus inest, qui de se inquit: *Ego flos campi*, & item de illo sponsa: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios*, totum hoc *Can 2. Ibid. 5.*

hoc in eodem cap. 2. Cantic. Christus Dominus flos propter pulchritudinem suã deificam, & suauissimum odorem, quem verbis, & operibus sanctis, & miraculis suis effudit: malus ob eximios fructus, pomorum quidem in remedium illius nociui pomi Paradisi, ipse flos, ipse malus, & ipse pomum salutiferum, & suauissimum. Ait igitur sponsa: nullam aliam pulchritudinum volo, nec cibum mihi, nec saporem, nisi Christum meum, *Fulcite me floribus, stipate me malis.* In plurali petit, quia non semel, sed crebrò sanctam desiderat Eucharistiam; ideo plures flores, plures fructus ait, quia pluries eum recipere optat, quasi recipere Christum semel, sit recipere florem vnum, & pomum vnum recipere, pluries, sit recipere plures. Ex Hebræo verò languculas vini Christum dicit, quia sicut lagunculas vinum intus continet; sic etiam corpus Christi sanguinem eius: de quo ipse: *Sanguis meus verè est potus*, scilicet sub speciebus vini: & eadem ratione, quâ supra lagunculas in plurali dicit, quia vehementer sanguinem Christi sitit. Rationem tanti desiderij adiungit, dicens: *quia amore langueo*, quia ita vehementer Deum amo, vt præ amore langueam. Ecce tantæ frequentationis causam, *quia amore langueo.*

Sic Iob de se: *Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius, vt saturemur?* Sanctus Chrysostomus, Olympiodorus, S. Thomas, Liranus, & alij plures, de ardentissimo amore, quo famuli Iob eum prosequebantur, locum hunc interpretantur. Tantus enim erat amoris ardor in eum, vt velut in viscera sua eum traducere optarent: amor enim vis vnitiua est: ideo igitur familiares ipsius Iob dicebant: *O si quis eum comedere posset!* Nunc ad rem. Christus Dominus id præstitit nobis, quod efficere Iob nequiuit, se scilicet nobis in cibum dedit, quod si non fecisset, & eum ardenter amaremus, cum famulis Iob & nos pariter diceremus: *Quis det de carnibus eius, vt saturemur?* quis, inquis? Ipsemet Christus Dominus, qui ait: *Accipite, & manducate, Hoc est corpus meum*: ac si diceret, si me ita amatis, vt carnibus meis saturari desideretis, ecce *caro mea verè est cibus*, accipite, & manducate, aut ne me vos ita amare dicatis. Ita est: si verè nos Christum Dominum, & ex corde amaremus, quotidie illum manducare, & optaremus, & satageremus.

Quærit Sanctus Augustinus, cur passio Christi paucioribus prosit, cùm efficacissimum antidotum sit ad salutem animæ, & respondet: *Poculum salutis nostræ, quod ex diuina, humanaque natura confectum est, quamuis ex se habet, vt omnibus prosit, non tamen prodest nisi sumatur.* Ita ille. Metaphoram sumpsit ex medicina: quamuis enim pharmacum aliquod tale sit, vt facilè infirmo restituat sanitatem, si infirmus non biberit illud, nihil ei prodesse valet. Non enim visum, & aspectum tantùm ab infirmo, eum sanat, sed sumptum & actuatum, digestum. Passio Christi Domini poculum quoddam est, & medicamentum efficacissimum animæ; ideo quippe calicem appellauit eam Christus, dicens: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et iterum: *Calicem, quem dedit mihi pater, non vis, vt bibam illum?* Sicut ergo medicina non prodest infirmo, nisi sumatur; sic nec passio Christi nobis, nisi eam nobis applicauerimus. Quomodo? comedendo: licèt enim per reliqua sacramenta, passionis Christi virtus, & salus nobis conferatur, vberiùs tamen multò per sumptionem Eucharistiæ. Est enim Eucharistia Sacramentum omnium perfectissimum, vtpote in quo non sola virtus Christi, vt in reliquis sacramentis, reperiatur, verùm etiam Christus ipse, Deus & homo fons & origo salutis nostræ. vnde meritò dici potest de ipso, quod Augustinus dixit: *Poculum salutis nostræ, quod ex diuina, & humana natura confectum est.*

Communis ratio, propter quam fideles non accedunt frequenter ad hoc diuinum Sacramentum, est defectus deuotionis, quod, vt constet, Sanct. Thomam hac de re disserentem audiamus 3. part. quæst. 80. art. 10. ad quintum, vbi ait: *In primitiua Ecclesia, quando vigebat deuotio fidei Christianæ, statutum fuit vt quotidie fideles communicarent, vnde Anacletus Papa epistola 1. dicit:* Peracta consecratione, omnes communicent, qui noluerint, Ecclesiasticis careant liminibus: sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia. *Postmodum verò, diminuto fidei feruore, Fabianus Papa (de consecrat. disp. 2. cap. 2. vt, si non frequentius, saltem ter in anno omnes communicarent, scilicet in Paschate, & Penteoste, & in Natali Domini: postmodum propter iniquitatis abundantiam, refrigescente charitate multorum, statuit Innocentius III. in Conc. 1. Later. Can. 21. vt saltem semel in anno, scilicet in Paschate, fideles communicent. Consulitur tamen in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. omnibus diebus dominicis esse communicandum.* Ita S. Thomas.

Vnde id mihi accidisse videtur Ecclesiæ Christi, quod de statua Nabuchodonosoris narratur, cuius caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia ex argento, venter ex ære, tibiæ ferreæ, pedes ex ferro, & luto; sic enim exordia nascentis Ecclesiæ aurea erãt: nã in eo vigebat feruens charitas, vt in martyribus elucebat, deinde sequutum est seculum argenteum virorum sapientum, qui tanquam argentum, litteris lucebant, sed non erat ille prior charitatis feruor, deinde sæcula sequentia sic ab his primis degenerarunt, sicut æs, & ferrum ab auro, & argento; denique ventum est ad tempora nostra, quæ ferrea, & lutea sunt, *llenos de yerros y vilezas, peccados*, &c. Quid enim peccata, nisi ferrum & lutum vile sunt? Quid igitur superest, nisi vt hi, qui aliquo adhuc charitatis calore fruuntur, ad hanc sacram Eucharistiæ anchoram accurrant? & in hoc se non conformari huic seculo nequam ostendant, quod primos Ecclesiæ primitiuæ fideles imitentur in frequentia sacramentorum, & saltem consilium hoc accipiant, quod S. Thomas ex libro illo S. Augustini adducit, vt diebus Dominicis sacrum suscipiant Sacramentum. *Dan 2.*

At dices, ego libenter accederem ad sacram synaxim, sed tamen negotijs domesticis, seu publicis præpeditus, nequeo, paterfamilias sum, domui meæ prouidere teneor, filijs scilicet, vxori. & famulis meis, vel iudex sum, vel alio simili officio impeditus, quî potero vacare frequenti communioni? Huic obiectioni sic respondebo: Introiuit olim Moyses ad regem Pharaonem Dei iussu, & dixit: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto. Noluit parere rex, sed vocatis præfectis operum, dixit ad illos: Nequaquam dabitis vltrà paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius, sed ipsi vadant, & colligant stipulas, & mensuram laterum, quam prius faciebant, imponetis super eos.* Cur ita, ô rex crudelis? subdit: *Vacant enim, & idcirco vociferantur, dicentes: Eamus, & sacrificemus Deo nostro.* Obserua rationem, propter quam fic negotiationem, & solicitudinem, & onus Israelitis Pharao aggrauabat, vt ita scilicet oppressi onere illo graui, non agerent de sacrificio Domino offerendo, sed de luto, & de lateribus, & palcis. Id mihi accidisse videtur quamplurimis mundanis, qui varijs officiorum oneribus oppressi, nec caput leuare possunt in cœlum, & ab operibus lutosis mundi respirare, hoc, inquam, quis procurauit, nisi hostis, qui, ne vacent confessioni, & communioni, & orationi, & diuino seruitio, sic mundanis operibus eos inuoluit. Laqueum hostis aperuit, tui muneris erit à laqueo isto cauere: Israelitæ quidem non poterant, tu verò potes. *Exod. 5.*

Vnde Luc. 14. inuitati ad cœnam illam magnam, se omnes excusare cœperunt, hic quòd quinque iugaboum emisset, & cæteri deinceps: sed tamen paterfamilias excusationes illas non admisit, sed reiecit, & tu eadem

easdem excusationes [rætendens], excusatum te satis A existimas apud Deum?

Negotiorum frequentia frequentiam sumendi sacramenta impedimento mihi est. Dicam, id tibi hac in re dicendum esse, quod olim Esau fecit, & dixit.

Gen. 25. 29. *Venerat aliquando Esau de agro lassus in domum suam, fame oppressus: coxerat autem Iacob frater eius pulmentum ex lentis edulio. ad quem sic Esau: Da mihi de coctione hac, quia oppidò lassus sum. Cui Iacob: Vende mihi primogenita tua: En morior, dixit Esau, quid mihi proderunt primogenita? cui Iacob: Iura ergo mihi. Iurauit Esau, & vendidit primogenita.* Pondera verba illa, *En morior, quid mihi proderunt primogenita?* Nunc ad rem. Vita animæ nostræ, vita, inquam, supernaturalis gratiæ, vita per consequens æterna, ex hoc cibo dependet diuino, dicente Domino:

Ioan. 6. 53. *Amen, Amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vide, quantùm nobis interfit corporis Domini sumptio; dic tu igitur mundo, negotijs & studijs suis ab B hac mensa te reuocanti, & ex negotiatione sua promittenti tibi primogenita, & bona terræ: En morior, nisi manducauero panem hunc cœlestem, quid mihi proderunt primogenita, & bona mundi?

At, inquies, non teneor, nisi semel in anno communicare, & sic possum vitâ gratiæ viuere; ergo frequentia ad vitam gratiæ non egeo: at rogo, quot vidisti ex his, qui semel tantùm in anno accedunt ad communionem, sine crimine annum transigere; ex his autem qui frequenter accedunt, quot vidisti mortaliter peccare? si pauci sunt illi, pauciores sunt isti: est enim hic panis vitæ, quis autem panem vitæ non libenter frequenter sumat? Licèt enim semel sumptus in anno sufficiat de se ad vitam gratiæ conseruandam, tot quidem sunt occasiones amittendi gratiam, vt ad conseruandam eam necessaria sit frequentia istâ. quòd si nonnulli ex his, qui frequenter communicant, aliquando cadunt, quid faceremus, si non frequenter communicarent? ac si diceremus: Si inter viatores, qui frequenter comedunt, C aliquando deficiunt in via, quid de illis esset, si rarò sumerent cibum.

Denique, sicut qui contra inimicos bellum gerit, armorum apparatu indiget, & semper secum arma ferre opus habet; sic nos communione indigemus frequenti, cùm frequens, & assidua sit cum hostibus dimicatio; Eucharistia verò nobis arma administrat. Dedit

1. Reg. 18. olim Ionathas Dauidi indumentum, & gladium in signum magni amoris sui: dedit & Christus nobis in Eucharistia indumentum suum, tale quippe est humanitas Christi, iuxta illud Apostoli, *habitu inuentus vt homo*, dedit & gladium: nam gladius ille Ge-

ad Phil. 2. 7 Iudic. 7. deonis est in pane illo subcinericio significatus: paratuit enim Deus sic mensam nobis aduersùs eos qui tribulant nos.

Dices rursum, administratione bonorum meorum impeditus, frequenter sumere Eucharistiam nequeo. Ecce diximus illorum trium qui ad cœnam magnam D inuitati fuerant, excusationem, nunquid Dominus eam admisit? Nequaquam, sed iratus, eos non leuiter castigauit, & meritò: quis enim propter bonum hoc ingens non libenter temporalia contemnat, si sapit? Ioseph pane oblato egentibus Ægyptijs, vniuersam terram imperio Domini subiugauit. verba sacri textus

Gen. 47. 20. hæc sunt: *Emit igitur Ioseph omnem terram AEgypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis,* &c. Fames, & necessitas cibi Ægyptios compulit, vt pro pane cuncta, quæ habebant, traderent Iosepho: vtinam nos fame huius diuini panis afficeremur, & necessitatem nostram eo fruendi cognosceremus, facili quidem negotio negotijs sæculi huius valediceremus, & res temporarias relinqueremus, ne tanto bono priuaremur. Consule frater viros doctos.

Venerantur quidem multi sanctam Eucharistiam, colunt, prædicant, atque adorant; sumere autem illam verentur, indignos se esse dicentes ad frequenter eam suscipiendam. Fateor sanctum esse eam sic colere, sic venerari, sic adorare; sed tamen non leges Dominum dixisse: accipite, & adorate: hoc est enim corpus meum; bene autem legimus dixisse: *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum.* Ad manducandum suum corpus nobis reliquit maximè Christus, quid tu illud sumere recusas, & excusas? Etenim non solùm in fine vitæ id nobis monuit Christus; verùm etiam cùm primùm natus in mundo fuit: natus enim fuit in Bethlehem Iudæ: Bethlehem autem ex duplici termino Hebræo constat: *Beth* enim significat *domum, lehem*, idem est quod *panis*. in domo panis nasci voluit Dominus nobis, *nobis*, inquit, *natus, nobis datus*; datus autem in domo panis ille, qui dixit: *Ego sum panis vitæ*; quid ergo designare Dominus voluit, cùm panis sit, & in domo panis se nobis exhibuerit?

Imò iam olim se panem nostrum esse velle demonstrauit, cùm in Arca testamenti manna, quod Christi figura fuit, collocari voluit: quasi dicat: nunc in Arca panis clausa clausus panis sum, egrediar ab Arca panis, & in domo panis constituar, non iam clausus, sed manifestus cunctis, vt à cunctis sumar tanquam eorum panis. Sic se à nobis sumi, & comedi velle Dominus toties insinuauit; & tu comedere illum trepidas, & recusas?

Fateor Ecclesiam non obligare fideles, nisi ad annualem communionem; sed inde nullum sumi debet argumentum ad solùm semel in anno communicandum. Si apud nos rex minas auri optimi haberet, & præciperet cunctis subditis suis, vt semel in anno per diem aliquem, aut horam, aurum sibi extraherent; nonne cedent verò cunctis toties posse inde sibi aurum accipere, quoties vellent, num quia id non præcipit, solùm in anno semel aurum inde tibi extrahere contentus esses? Nonne diuitias, quas in sacramento Eucharistiæ reconditas habes? Audi Apostolum, *Mat.* 11. inquit, *sanctorum minimo, data est gratia hac euangelizare in gentibus imperuestigabiles diuitias Christi. Imperuestigabiles* ait, quia nullus neque hominum, neque Angelorum, sufficiens est, non solùm ad eas enarrandas, verùm nec ad intelligendas, & mente concipiendas diuitias, quas in Christo Domino nos habemus; denique merita illâ Christi, quæ ab instanti conceptionis vsque ad mortem crucis promeruit, in Christo Domino pro nobis sunt, & in Eucharistiæ Sacramento nobis applicantur, & quoties dignè communicamus, harum Christi diuitiarum participes fumus. Qui ergo ait: sufficit mihi semel in anno communicare, perinde est, ac si diceret: nolo, nisi semel in anno tantarum diuitiarum particeps esse.

Mirantur meritò sancti, cur non frequenter, imò quotidie ad mensam Domini accedere non auidè cupiant, & curent omnes fideles; cùm Dominus panem quotidianum ob id vocauerit Eucharistiam: non enim dixit, panem nostrum annualem da nobis hoc anno, vel panem istum paschalem da nobis in hoc, vel illo paschate, vel panem hunc iubilæi da nobis tempore iubilæi, sed *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Lucæ 11.

Vnde S. Augustinus. serm. 28. de verb. Domini: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumas? accipe quotidie, quod prosit tibi quotidie. sic vive, vt quotidie mereatis accipere; qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.* Ita Sanct. Augustinus. Eadem verba prorsus habet S. Ambrosius. lib. 5. de Sacramentis cap. 4. Fortè S. Augustinus ab eo, tanquam à magistro doctrinam, & verba mutauit. Diximus iam satis, quàm communis sit sanctorum Patrum ad sumendam Eucharistiam frequenter, exhortatio, nunc nonnullam excusationem tepidorum

14. rum afferamus, quam Dominus satis insinuauit, *Primus dixit: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam, rogo te habe me excusatum.* Etenim villam iste emit, quâ à tanto conuiuio impediretur, villam emi, & vilis, & abiecti animi homo propter villam nobilissimum panem dimittis, & amittis? Ecce radicem, ecce causam, propter quam multi à frequenti communione excusantur, quia parui, & vilis, & abiecti cordis, & animi homines sunt. Si enim corda haberent alta, & nobilia, ad hanc mensam quotidianam quotidie aspirarent: nobilium enim & excellorum est, nobilia, & alta intendere, & totis viribus consequi curare.

Inter aues, quas rapinas, seu rapaces vocant, duos inuenies inter se dissimiles valde, falconem scilicet, seu herodium, quem nos *nebli* nominamus, & muluum. Miluus quidem tanti corporis est ac herodius, & vngulas ita aptas ad prædam habet, sicut herodius, & altè & facilè per aëra volat, & volitat, *haze lindas putas el milano, y lindos circulos, y se deslizа delicadamente por el ayre*, sicut herodius, & perspicacem visum habet sicut herodius: sed tamen in venatione dissimilis valde est ab herodio: nam miluus non venatur nisi pullulos par- B uos vix natos, mures, & lacertulos, & similia quædam; herodius verò ad altiora tendit, illa vilia, & parvula despicit, & ad ea volatus suos suos dirigere dedignatur, ardeam adoritur, & perdices, & lepores magnos venatur. Vnde, quæso, differentia ista? ex cordis eorum differentia. Herodius nobilius cor habet, *es el nebli noble de coraçon*, & ita ad nobiliora, & maiora aspirat & volat: miluus verò ignobilior auis, ignobilius cor habet, & sic ignobiliora, & viliora venatur. Idipsum ego de his qui frequenter communicant, & de his qui non frequenter communicant, sentio. Qui nobiles, & excellentes corde sunt, ad corpus Domini volant: etenim vbi fuerit hoc corpus, illuc congregabuntur & aquilæ, non milui viles, sed aquilæ regales, *hombres de altos, y generosos pensamientos, qui no se abaten a bajezas del mundo sino que se abalançan a grandes presas.* Præda vocatur Eucharistia Psalm. 110. vbi nos legimus, *Escam dedit timentibus se*, Hebræi legunt, prædam dedit timentibus se: ad hanc igitur prædam C accurrunt, & volant aquilæ, & herodij nobiles, non milui viles. nam, vti diximus, *altas empresas de altes coraçones son.*

Cùm diabolus tentare voluit primos parentes, quid 3. illis proposuit? *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum*, si videlicet comederitis de arbore scientiæ. Cur non dixit, comedite fructum istum, quia est pulcher visu, & ad comedendum suauis: hoc enim proprius videbatur ad suadendum esum eius? etenim considerauit hostis primos parentes à Deo sublimatos, esse iustitiâ originali prædítos, omni virtutum, & magnorum donorum Dei copiâ ornatos, nobilitate quæ animi à Deo condecoratos, & secum hostis ita cogitauit: magnanimos, non paruis, & abiectis rebus sitientes alliciam, non, nihil efficiam, ad magna hi aspirant; magna igitur illis proponere oportet, vt eis, quod desidero, suadeam. Quid autem sublimius, quàm eos futuros esse tanquam Deos? non eos gustus, & sapor cibi mouebit, sed Deitatis similitudo, *Eritis*, ergo ait, *sicut dij*, &c. D modò autem hostis sic cogitat de his, qui abiecto animo sunt, hi paucis contenti sunt, & ad vilia terræ oculos suos conijciunt; vt igitur à mensa Domini eos remoueamus, sufficit vilia hæc, ob quæ desudant, & propter quæ terras, mariaq; conturbant, coram ponere. Tu villam eme, tu iuga boum, tu de nuptiis cura, ita vt cùm famulus patris familias ad inuitandos vos ad magnam venerit cœnam, excusationes prætendatis, vt, inquam, cùm Dei ministri, concionatores, & confessarij accesserint, & ad sacram inuitauerint communionem, dicatis, *Villam emi*, &c. nam vili villam emisse satis est.

Hinc infero, eos qui ad sacram Dei mensam frequenter accedunt, homines generosos, & magnanimos esse, quantumuis infimi generis sint, & pauperes, & ferui, qui verò non ita, vt par est, frequentant, homines paruos, & infimi cordis, & animi esse, quamuis generis splendore vigeant, & diuites, & litterati, & in magnis dignitatibus constituti sint.

Si tibi lapidem pretiosum proponerem videndum eximias virtutes habentem, qui scilicet ab omni dolore capitis, & pedum, & reliquorum, qui capite ad pedes vsque corpori humano contingere solet, liberaret prorsus, & ab omni febre, & morbo contagioso pestis, & ceteris, præseruaret, quique semper optimam valetudinem tueretur, & vitam per mille annos custodiret: nonne quantùm tibi fas esset, quocumque pretio emeres illum? quid quæso Christus, nisi talis lapis pretiosissimus est? *Petra autem*, (ait Apostolus) *erat Christus*, lapis est ille angularis, qui facit vtra que vnum, quemque Isaias vocauit lapidem pretiosum, cuius nempe valore & pretio nos omnes empti sumus, lapidem hunc pretiosum sumimus in Eucharistia, in panem nobis datum: dixit enim Dominus, vt lapis iste panis fieret pro nobis. Quasnam autem proprietates habeat, quis vel enumerare valebit? tu lapidem pretiosum in pretio magno haberes, qui ab omni infirmitate liberaret te, ac reseruaret; talis est lapis iste, qui sanat omnes infirmitates tuas, animæ inquam, tuæ, quæ maioris monumenti sunt, quàm corporis infirmitates. nam corporis infirmitates corporalem, & temporalem mortem inducunt; at spirituales animæ infirmitates mortem inducunt sempiternam: infirmitates corporales corpus in sepulcrum inticiunt, animam non tangũt; at infirmitates spirituales, animam ad inferna deducunt; denique infirmitates corporis, corporis, Infirmitates autem animæ, animæ sunt. Vide quantùm distet ab anima tua corpus tuum: tantum enim distant inter se etiam infirmitates istæ. Eucharistia igitur ab animæ infirmitatibus liberat nos. Audi S. Bernardum serm. in cœna Domini: *In cæna, inquit, primi hominu cecidimus omnes, cecidimus autem super aceruum lapidum, & in lutum, vnde non solùm inquinati, sed etiam vulnerati, & grauiter quassati sumus. Lauari quidem ciò possumus, ad sanandum verò opus est curatione multa, lauamur in baptismo, quia in eo deletur nobis chirographum damnationis nostræ, & gratia hæc nobis confertur, ne iam nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstinemus. Sed quis poterit tam efrenes motus frangere? quis prurutum vlceris huius ferre queat? Confidite, quia in hoc gratia subuenit, & vt securi sitis, Sacramentum Domini corporis, & sanguinis pretiosi inuestituram habetis. Duo enim sacramentum hoc operatur in nobis, vt videlicet in minimis minuat sensum & in grauioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum modò non tam acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, lasciuiæ, aut ceterorum huiusmodi, gratias agat corpori, & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* ita Sanct. Bernardus. Nota verba illa, *in grauioribus peccatis tollit omnino consensum*, non quòd libertatem ad peccandum tollat, sed quia per hoc Sacramentum magna nobis confertur gratia ad non consentiendum his peccatis. Habemus de hoc firmiorem fermonem in Concilio Tridentino sess. 13. can. 2. vbi agens de Eucharistia. *Sumi*, inquit, *voluit Saluator noster Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vitâ illius, qui dixit:* Qui manducat me, & ipse viuet propter me, & *tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur.* ita Concilium. Si ergo omni pretio dignum illum lapidem pretiosum censes, quo ab omni graui infirmitate corporea præseruaremur, & à leuioribus ægritudinibus liberaremur, quanti dices faciendum esse lapidem hunc pretiosum, quo à leuioribus animæ infirmitatibus liberemur, & à mortalibus præseruemur? Sed

1. Cor. 10. 4. Isaiæ 28.

Ioan. 6. 58.

tandem quam non appetendam proprietatem habet lapis iste pretiosus? Intellectum illuminat, voluntatem accendit, memoriam Dei affert, fidem acuit, spem eleuat, charitatem ardere facit, concupiscentias mortificat, virtutes viuificat, patientiam in laboribus confert, in tentationibus fortitudinem præstat, gratiam auget, & merita gloriæ; quid denique deuotè, sanctèque communicanti sacratissimum hoc sacramentum non confert? num possibile, est ignorare, qui à tanto abstinet Sacramento?

3 Reg 2. 7. Cum Berzellai Galaadites fidelem se in obsequium Regis Dauid exhiberet, tunc præcipuè, cùm Dauid fugeret à facie Absalonis, qui aduersùs patrem rebellarat, tanti fecit Dauid obsequium hoc, & fidelitatem istam, vt moriens sic affatus fuerit Salamonē, cui regni gubernacula relinquebat: *Filiis Berzelai reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua: occurrerunt enim mihi, quando fugiebam à facie Absalonis fratris tui*, hoc est, quo tempore totus penè Israeliticus populus, me deserto, Absalonem sequebatur, hic mihi fides extitit amicus, & copiosum mihi, & exercitui meo præbuit commeatum. hoc igitur tibi fili commendo, vt filij eius communem tecum mensam habeant. Etenim Isaias Christum Dominum, patrem futuri sæculi vocauit: est enim pater non solùm futuri sæculi æterni, sed etiam huius sæculi nostri, qui Deo Patri fideliter obsecutus fuit toto tempore vitæ suæ, quando penè vniuersus mundus hostem Dei sequebatur: nos autem huius diuini parentis filij sumus: ipse passione sua, & operibus sanctis, quæ in obsequium Patris sui operatus est, innumera nobis promeruit bona; speciatim tamen sedere ad mensam eius, & sanctissimo Eucharistię sacramento frui.

Hinc sequitur manifestè, quasi pretium, & præmium passionis, & laborum Christi, esse communionem nostram, quà corpus Dominicum manducamus: defraudat igitur pretio, ac præmio suo Christum Dominum, qui Eucharistiam frequenter sumere contemnit. Etenim magis torquere solet mercenarium debitæ mercedis defraudatio, quàm operis sui labor. vnde scriptum est, *Qui effundit sanguinem, & qui fraudat mercenarium mercede sua, fratres sunt.* hoc est, eàdem pœnâ digni sunt, & eodem modo rei sunt in proximum. Non dedignatur Christus Dominus mercenarij nomen, qui se ad ministrandum nobis venisse ait, Matth. 20. quemque Apostolus ad Hebr. 8. sanctorum ministrum vocat: huius verò siue ministri, siue diuini mercenarij merces, salus, & vita nostra est, quam laboribus multis, magnisque suis, & denique passione, cruce & morte sua promeruit nobis. Hanc enim mercedem promisit illi Deus Pater, cùm per Isaiam dixit: *Pro eo, quòd laborauit anima eius, videbit, & saturabitur.* Et ibidem: *Si posuerit pro peccato animā suam, videbit semen longæuum, &c.* Tunc autem pium hunc nostrum mercenarium mercede sua fraudamus, cùm spiritualis, & æternæ vitæ subsidijs, quæ ille nobis in Eucharistiæ sacramento reliquit, propter ignauiam, & socordiam nostram nolumus vti: quod cùm facimus, aliquo modo fratres sumus eorum, qui eius sanguinem estuderunt: illi enim crudeles fuerunt sanguinem Christi fundendo, nos verò sanguinis eius fructum reiiciendo.

Eccl. 34. 27.

Cap. 53. 11.

At, inquies, ego quidem, licèt non frequenter ad sacram communionem accedam, desiderio tamen, ac deuotione sæpius accedo. Audi, in cæteris quidem virtutum officijs voluntas vera apud eum, qui attendit interiora nostra, eiusdem meriti esse solet, ac ipsum opus: in sacramentorum autem perceptione, voluntatis propensio non attingit operis fructum: sacramenta enim vi sua, hoc est, vti aiunt sacri Doctores, ex opere operato gratiam cor ferunt recipientibus ritè, cuius fructu priuantur qui ea minimè percipiunt, quamuis deuotionis suæ fructu minimè fraudentur priuatur etiam Christus, quia, sicut dictum est, mercedem suæ passionis reputat, sacræ communionis fructum quem accipimus nos.

A

B

Multi quidem sunt qui malè & indebitè communicant, non igitur, dices, laudanda, nec laudenda, nec permittenda huiusmodi sacramentorum frequentia. Consequentiam hanc quis concedat? fateamur interim abusum huiusmodi, cuius tamen Deus iudex est: fæpe enim abusus apparet bonus vsus. sit tamen abusus, ideóne tollendus est frequens Sacramenti vsus? Refert Plutarchus, Lacedæmones olim ebrietatem detestatos fuisse, quam obrem Lycurgus, eorum legislator, sanciuit, vineas cunctas penitus eradicari, quò vbi abusus cessaret prorsus, rectène tibi hoc sanctum videtur? damnatur id quidem, & meritò. non enim vini & vinearum fructibus boni & temperati viri priuari debuerunt, quia intemperati abutebantur vitio. Vnde rectè Sanct. Aug. contra Cresconium Grammaticum: *Numquid pro patria non est miles armandus, qui contra patriam nonnulli arma sumpserunt?* Sic igitur de communione sacra dicendum, num quia nonnulli indebitè communicant frequenter, frequens Sacramenti vsus abolendus est? abit: nam eadem ratione communio annualis, quæ Pascha festo celebratur, de medio tollenda esset, quia multi communicant in peccato; cur igitur non tollitur hæc communio? quia sentiret, non propter culpam malorum puniri debent & boni. Sic igitur non propter culpam indignè frequentantium Sacramenta, frequens Sacramentorum vsus vituperandus est. Quare laudanda est sententia sapientis cuiusdam, qui, *Tell atur*, inquit, *abusus, & manet legitimus vsus.*

C

Cùm de inuitandis ad magnam cænam ageret Christus, sic ad seruum, quem ad vocandum inuitatores misit, locutus est: *Compelle illos intrare.* Quid hoc omnino? sio hæc alienum & extraneum est opus ab eo, volentem tariè quippe nos ei seruire vult. De quodam Hispano rege legimus, monetam quamdam fecisse, in qua signi quoddam cum sagittarum manipulo depinxit, cum hac subscriptione, *Tanto monta*, hoc est, iugum meum mus suscipere volo: quòd si noluerint, sagittarum vi illud suscipere faciam; nam idem mihi est, vi aut voluntate prompta illorum submittere colla iugo meo. Non sic quidem Dominus Deus: iugum enim eius suaue est, & voluntaria, non coacta, seruitia quærit. *Si quis* inquit *vult venire post me, abneget semetipsum, &c.* non ait, velitis, nolitis, vos post me venire debetis, sed, *Si quis vult, &c.* nam, vti ait Ecclesiasticus: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Vnde paralyticò illi Piscinæ, *Vis*, inquit, *sanus fieri?* non dicit: Accipe absolutè salutem, sed accipe, si eam vis. nam infirmus ille, vt ait S. Aug. infirmum spiritualem importat; salutem autem spiritualem voluntariè nos quærere ordinauit Deus. quare ad rem iam propiùs accedamus: cùm ad cœnā vocaret inuitatos, tres illi primi vltro se pariter excusarunt, & noluerunt venire, nec vi Dominus ad cœnam venire coegit. Quomodo igitur (inquies) postea famulo dixit: Compelle eos intrare? famulus ille prædicatorem huius sacrosancti mysterij denotat, qui homines ad Eucharistiam compellere dicitur, quia rationes ad suscipiendam Eucharistiam, quibus homines allicere debet, adeo vrgent, vt quodammodo vim inferre videantur, &c.

D

Qui, dum viuit, tanto huius Sacramenti dono & bono frui negligens fuerit, finito vitæ cursu, eo amplius frui non valebit. In cuius rei typum dixit olim Dominus ad Moysen: *Ecce ego pluam vobis panes de cælo, Exod. egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies: die autem sexta parent quod inferunt, & sit duplū quàm colligere solebant per singulos dies.* Dies ille septimus dies festi

uus erat: quare figura cælestis gloriæ fuit, sicut manna illud Eucharistiæ nostræ: id ergo manifestè significare Dominus voluit, quòd in toto nostro tempore vitæ licet nobis meritis & fructibus huius tanti Sacramenti frui, quo quidem transacto, minimè licebit: hinc parare debemus modò merita, quibus in æternum vescamur: huiusmodi enim merito abundat hoc Sacramentum: quare felices & sapientes illi qui frequenter illud recipiunt.

6.6. Ad formicas nos Deus mittit, *Vade*, inquit, *ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam. quæ, cùm non habeat ducem nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat*, quasi dicat: quia naturali quodam instinctu formica nouit in hyeme se colligere cibos non posse, ideo in æstate quærit, colligit, & seruat pro hyeme futura cibum. Sic nos facere oportet: cibus hic sacratissimus, meritis æternæ vitæ refertus, in hac tantummodo vita conceditur nobis, & quamuis per alia bona opera æternam vitam mereamur; hoc tamen Sacramento vberiùs: ideo enim absolutè ait Dominus: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Sicut igitur formica in æstate, quando abundat illi cibus, pro hyeme sterili sibi illū quærit, & acquirit; sic quia vita futura est velut hyems nobis: in ea enim nec laborare, nec cibum quærere poterimus, ideo hîc cibum hunc frequenter accipere debemus, &c.

S. Thom. quærit, vtrum liceat quotidie hoc Sacramentum sumere, & respondet responsione ad primum: *Quia quotidie homo indiget salutifera Christi virtute, quotidie potest laudabiliter hoc suscipere Sacramentum, & quia hoc Sacramentum est cibus spiritualis: vnde sicut cibus corporalis quotidie sumitur, ita & hoc Sacramentum quotidie sumere, laudabile est. Vnde Dominus docet petere, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ita S. Thom. & in solut. ad 2. ait: *In hoc Sacramento traditur nobis memoriale passionis Christi per modum cibi qui quotidie sumitur, & ideo quantùm ad hoc significatur per manna quod quotidie dabatur populo in deserto.* In corpore autem articuli ait sanctus Doctor: *Circa vsum huius Sacramenti duo possunt considerari, vnum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris, & ideo vtile est quotidie ipsum sumere, vt homo quotidie fructum eius percipiat. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, vt cum magna deuotione & reuerentia ad hoc Sacramentum accedat: & ideo si aliquis quotidie ad hoc se paratum inueniat, laudabile est quòd quotidie sumat. Vnde Augustinus, cùm dixisset: Accipe quod quotidie tibi prosit, sic vive vt quotidie mereatis accipere.* Ita S. Thom. vbi timorem accedendi frequentius ad hoc Sacramentum, possint incutere verba illa, requiritur vt cum magna deuotione & reuerentia ad hoc Sacramentum accedat: nam quis ita metiri potest suam deuotionem, vt magnam se habere iam credat, & magnam reuerentiam, vt ita legitimè accedere possit? Notandum ergo primùm est hîc S. Thom. agere de quotidiana sumptione, ad quam sanius consiliũ est non accedere, nisi hæc magna deuotio & reuerentia concurrat. Cæterùm frequenter accedere, v.g. octauo quoque die ob necessitatem, quam huius diuini cibi habemus, non adeo magnam requirit deuotionem, imò ad hanc deuotionem excitandam, requirit non multùm differre huiusmodi communionem, vti adnotauit S. Cyril. Alexandrinus, vbi docet, quòd qui tardè accedunt ad hoc Sacramentum, minùs dispositi sint, quàm qui frequenter. Hoc igitur S. Thom. asseruit propter eos, qui nimis implicati sunt secularibus curis, & negotijs mundanis: quare ad quotidie sumendum pauci apti sunt. In his ergo requirit magnam deuotionem, hoc est, mentem quietam, & tanto applicitam mysterio, & quæ famem habeat huius spiritualis cibi, & cum spatio temporis se paret, &c. Mediocris autem deuotio sufficit, vt quis octauo die, & diebus celebrioribus festorum possit communicare.

Labata. Tom. I.

mediocrem voco, cùm quis priùs confitetur, & cum humilitate accedit, & ex toto corde profert verba illa: *Domine non sum dignus*, & dum sumit, à Christo Domino veniam & misericordiam, & gratiam petit, & cum aliquo affectu amoris sumit Eucharistiam. imò cum hac præparatione frequentiùs accedere potest, & ideo sancti frequentem ad vsum huius Sacramenti exhortantur, vt statim videbimus.

Imò in primitiua Ecclesia, quando magna vigebat deuotio fidei Christianæ (verbis vtor S. Thom.) statum fuit, vt quotidie fideles communicarent. Vnde Anacletus Papa ait: Sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia, postmodum verò, diminuto fidei feruore, Fabianus Papa, vt habetur, etsi non frequentiùs, saltem vt ter in anno omnes communicarent ordinauit, scilicet, in Pascha, Pętecoste, & Natali Domini. & Soter Papa vt habetur, dicit etiam in cœna Domini esse communicandum, postmodum propter iniquitatis abundantiam refrigescente charitate multorum, statuit Innoc. III. vt saltem semel in anno fideles communicent in Paschate: consulitur tamen omnibus diebus Dominicis communicare. Ita S. Thom. Vbi ponderandum est, quòd ait, statutum fuisse in primitiua Ecclesia omnibus fidelibus communicare: itane de omnibus existimabat Ecclesia, quòd magnam illam deuotionem haberent tunc omnes fideles, qualem nunc prætendunt, qui se à communione excusant, prætextu magnæ deuotionis necessariæ ad communionẽ. Secundò ponderandũ est, Anacletum Papam sub pœna excommunicationis præcepisse quotidie omnes fideles peracta confectratione communicare: non id magnæ deuotioni fidelium committebat, sed præcipiebat sub grauis excommunicationis pœna: quæ quidem necessaria minimè fuisset, si adeo magna deuotio requireretur: nam illamet deuotio fideles duceret ad communionem. Denique si tunc omnes sic communicabant, approbante, imò præcipiente Ecclesia talem cõmunionem, cur modò sunt damnandi, seu corripiendi nonnulli, qui quotidie accedunt? fortè quia tunc tempore Anacleti Papæ, omnes etiam agricolæ, & famuli, & cuncti de media plebe digniores erant, quàm modò hi nonnulli, qui spirituales inter cæteros sunt. Quare potiùs inde ædificari nos oportet, quàm detrahere illis: hoc enim nihil aliud est, quàm retrahere bonos à tanto bono, &c. Cæterùm quid de frequenti communione frequenter dicant sacri authores tam Græci, quam Latini, videamus.

D. art. 10. ad 5. arg.

Epist. 10.

De Consecr. d. 2. Epist. ad Episcopos Italiæ.

De Consecr. d. 2. c. in cœn. In Concil. Lateran. cap. 2. In lib. de Eccles. dogm. c. 53.

S. Ignatius Mart. *Festinate*, inquit, *frequenter ad Eucharistiam & gloriam Dei accedere: quando enim assiduè hoc ipsum agitur, expelluntur potestates Satanæ, qui actus suos conuertit in sagittas ignitas ad peccatum* Ita ille.

Epist. 10. ad Ephes.

S. Chrys. *Hoc nempe est quod vniuersa perturbat, quia non munditia animi, verùm int. tuallo temporis longiori cõstare meritum putas, summamque arbitraris reuerentiam, ac religionem esse, si non sapius cœlestem illam adeas mensam. Ignoras quoniam indignè accedere etiamsi semel tantùm fiat, te supplicio tradet; dignè verò, etiamsi sæpe accedos, salutem inde conquires? non est audaciæ sæpius accedere ad Dominicam mensam, sed indignè te accedere, etiamsi semel tantùm in toto tempore vitæ accedas. At nos adeo stolidi, adeo insensati sumus, vt, cum innumera per totum annum scelera perpetremus, nihil ea curemus exuere. Cæterùm sactis arbitramur, si non assiduè præsumamus & contumeliosè Christi corpus attingere: neque intelligimus miseri, quòd hi qui corpus Christi affixerunt, semel tantùm interfecerunt. Non igitur quia semel crucifixerunt, minùs idcirco delictum est. Et qui Christum prodidit, semel tantùm prodidit: numquid ergo hoc illum supplicio eripuit? quid igitur hanc rem temporis lege metimur? tempestiuum accedendi tempus munditia conscientiæ faciat, nihil habet amplius quod in Pascha consummatur mysterium, eo quod continuò celebratur. Vnum quippe atque idem est, eadem est Spiritus*

Hom. 5 in 1. ad Tim.

ſancti gratia, ſemper eſt paſcha, eadem litatur hoſtia, idem A
1. Cor. 11. 26. ſacrificiũ conſummatur. Quotieſcunque, inquit, manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, nulla obſeruatione temporis ſacrificium circumſcribere voluit. Ita S. Chryſ. ex cuius verbis conſtat, quàm vtile nobis ſit, frequenter & ſine diſcrimine temporis, communicare, ſi conſcientia pura ſit.

Hom. 28. in 1. ad Cor. Item S. Chryſoſt reprehendens eos qui ſolemnitates obſeruabant, ad hoc Sacramentum adeundum, magis vt aliorum morem ſeruarent, quàm quòd puram haberent conſcientiam, ait: *Probet autem ſeipſum homo, non quemadmodum nunc facimus, temporis gratiâ accedentes, magis quam animi ſtudio, neque vt præparati ad vitia noſtra expurganda compunctionis pleni accedimus, ſed vt in ſolemnitatibus ſimus, quando omnes adſunt, conſideramus. Sed non ita præcipit Paulus, ſed vnum tempus nouit communionem ſumendi, ipſam conſcientiæ puritatem, & non miſerè cogi propter ſolemnitatem accedere: neque rurſum compunctum & præparatum, impediri eò quòd non ſit ſolemnitas: ſolemnitas enim bonorum operum, eſt demonſtratio puritatis animæ, quam ſi habueris, ſemper celebrare poteris ſolemnitatem, & accedere ſemper.* Ita ille. B

Orat. de B. Philogonio. Item idem S. Chryſoſt. *Qui ſibi nullius mali eſt conſcius, hunc oportet ſingulis diebus accedere: ſic qui peccatis occupatus eſt, neque pœnitet, ei neque in feſtis accedere licet: id enim auget damnationem, quòd, cùm ſemel tantum quis accedat, nec tunc quidem purè accedit.* Ita S. Chryſoſt. Vbi nota, quòd per ſe loquendo non exigit ad hoc vt quis quotidie poſſit accedere ad Euchariſtiam, niſi conſcientiæ puritatem, licèt conſilium iuſtum ſit, cum magna accedere deuotione.

In id. 1. Cor. 11. Probet autem ſeipſum homo, &c. S. Athanaſ. *Neminem tibi iudicem propoſuerim, præter teipſum: tu itaque, conſcientiã examinatã & diſcuſſã, acito hæc myſteria, non feſtis, non preſtituque diebus, ſed quouis tempore, cùm purum te & dignum compereris.* Ita ille, dignum vocat eum, qui ſeipſum probauit, priuſquam accedat ad communionem.

Ser. 6. de orat. dominica. Ioan. 6. 59. S. Cypr. in illa verba, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, &c. intelligens per panem noſtrum quotidianum ſanctam Euchariſtiam, ſic ait: *Ego:* (inquit Dominus) *ſum panis vitæ: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Vt manſeſtum eſt eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Euchariſtiam iure communionis accipiunt; ita contrà, timendum eſt, & orandum, ne, dum quis abſtentus ſeparatur à Chriſti corpore, procul remaneat à ſalute, communicante ipſo, & dicente:* Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Et ideo panem noſtrum, id eſt, Chriſtum, dari nobis petimus quotidiè, vt qui in Chriſto manemus & viumus, à ſanctificatione & corpore eius non recedamus.* Ita Cyprian. Vbi clarè oſtendit, panem hunc ideo dici quotidianũ, quia quotidie, ſeu frequenter, debet à fidelibus ſumi. C

Ibid. 54

De Conſecr. di. 2. S. Hilarius, vt habetur, ſic ait: *Si non ſunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non ſe debet à medicina corporis & ſanguinis Domini ſeparare. Vnde timendum eſt, ne diu abſtractus à corpore Chriſti, alienus remaneat à ſalute. qui peccare quieuerit, communicare non deſinat.* Ita S. Hilarius, quòd ſi peccator pœnitens non debet arceri à communione frequenti corporis Chriſti: hoc enim intendit Sanctus Hilarius; quantò minùs qui diu in gratia perſeuerat. D

Lib. 5. de ſacr. c. 4. S. Ambroſ. in illud orationis Dominicæ, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, intelligens etiam per panem quotidianum Euchariſtiam, ait, *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Sic viue vt mereatis quotidie accipere: qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere.* Ita ille. Vbi ponderanda ſunt hæc vltima verba, quæ in duplici ſenſu capi poſſunt, primò tanta res eſt communicatio corporis Domini, vt vel totius anni præparatione noſtra digna ſit, ita vt, qui per totum annum non ſe diſponeret ad hoc, licèt ſe-

rè toto anno ſe præparet, minùs dignus eſſe ad recipiendum Euchariſtiam. ſecundò non maior diſpoſitio requiritur ad communicandum quotidie, quàm ad communicandum ſemel in anno, quia præciſa diſpoſitio ad communicandum, eſt puritas à peccatis mortalibus, cum reuerentia & attentione: hoc modo abſque vlla peccati commiſſione acceditur, & meritoriè, tam ex opere operato, quàm ex opere operantis. Dices, peccator ſum, & aliquando in peccatum cecidi, reſpondet Sanct. Ambroſ. *Qui vulnus habet, medicinam requirit, vulnus eſt peccatum, medicina eſt cæleſte ac venerabile Sacramentum. Dicimus ergo: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, quotidie ſi accipias quotidie tibi hodie eſt.* Ita S. Ambroſ.

Idem Sauct. Ambroſ. *Si quotieſcunque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur: debeo ſemper illum accipere, vt mihi peccata dimittantur, qui ſemper peco, ſemper debeo accipere medicinam.* Notenter qui ſuis peccatis ſe excuſant, & ſubtrahunt à communione.

Sanctus Hieronymus ad Lucinium ſic ſcribit de Euchariſtia quotidie accipienda, quod Romanorum Eccleſiæ & Hiſpaniæ obſeruare perhibentur. *Scripſit quidem Hippolytus vir diſertiſſimus, & carissimus diuerſi ſcriptores ex variis authoribus edidere: ſed illud ita ego breuiter admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiant, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt, nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubuerti. Atque vtinam poſſemus Euchariſtiam abſque condemnatione noſtri & pungente conſcientia, ſemper accipere, & Pſalmiſtã audire dicentem: Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Ita S. Hieron. Vbi duo ſunt notanda, primum temporibus S. Hieron. frequentem communionis vſum, non ſolùm Romæ, ſed in Hiſpania quoque inualuiſſe. *aſsi lo vſauan nuestros antepaſados, y bien haya, quien a los suyos ſe pareçe.* Secundùm optare S. Hieronymum omnes communicare, dummodo cum puritate conſcientiæ fiat: hoc enim ſolùm in damnationem reſultat, quod impurã conſcientiã recipiatur. & idem S. Hier. approbat communionem fidelium octauo quoque die, numquam verò damnat quotidie communicare.

Sanct. Auguſt. *Innocentiam ad altare reportate, peccata, ſi quæ eſt ſint quotidiana, vel non ſint mortifera, antequam accedatis ad altare, attẽdite quid dicatis:* Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *dimittis, dimittetur tibi. ſecutus accede, panis eſt, non venenũ.* Ita ille.

Idem S. Auguſt. reſpondens ad quorumdam contentionem, quum alij negarent quotidie accipiendam eſſe Euchariſtiam, alij verò quotidie accipiendam eſſe, affirmarent, ſic ait: *Rectiùs inter eos fortaſſe dirimit locutem, qui monet vt præcipuè in pace Chriſti permanentes; faciat autem vnuſquiſque quod ſecundùm fidem ſuam præſtendi eſſe faciendum* Ita Sanct. Auguſt. qui noluit quotidianam communicationem damnare, ſicut nonnulli contra inauditam partem facere ſolent, fortè quia vident aliquem non ita ſpiritualem eſſe: quaſi eſſe virum ſpiritualem & ſanctum, ſit titulus vnicus & ſolus ad communicandum quotidie, & non ſufficiat puritas conſcientiæ, & neceſſitas animæ. Cùm enim. vt Sancti aiunt, Euchariſtia ſit medicina & remedium præſeruatiuum contra peccatum, qui ad hoc contritus & confeſſus accedit, quotidie accedere poteſt. Numquid in primitiua Eccleſia omnes, qui non ſolùm permittente Eccleſia, ſed etiam iubente, communicabant, omnes, inquam, etiam homines infimæ ſortis infimæque virtutis, ſancti & ſpirituales erant? &c.

Idem S. Auguſt Si tamen liber ille ſancti Auguſtini ſit: nonnulli enim viri docti Alcuino ſapientiſſimo viro attribuunt; ibi ergo ſic habetur: *Quotidie percipere Euchariſtiam, nec laudo nec vitupero: omnibus tamen Domini*

Lib. de diuin. cap. 4. 13.

nicis diebus communicandum suadeo & hortor; si tamen mens sine affectu peccandi sit. Ita ille.

3. Præterea Sanct. Concil. Triden. *Paterno*, inquit, *affectu admonet sancta Synodus, hortatur, orat & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, vt omnes & singuli, qui Christiano censentur nomine, vt memores tam eximij amoris Iesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam nobis dedit ad manducandum, hæc sacra mysteria corporis & sanguinis eius fidei constantia & firmitate, ea animi deuotione & pietate credant, & venerentur, vt panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, cuius vigore confortati, ex huius miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam peruenire valeant, eundem panem Angelorum, quem modò sub sacris velaminibus edunt, absque vllo velamine manducaturi* Ita ibi.

2. Et, *Optaret quidem*, inquit, *sancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus vberior proueniret, &c.*

Quare, cùm communis sanctorum Patrum, canonum & Conciliorum sententia sit, melius esse secundùm se frequenter ad Eucharistiam sumendam accedere fideles, quàm serò, & tardè, hoc debent concionatores etiam secundùm se, & in communi adhortari, vt scilicet cum puritate conscientiæ accedant, & impuros omnino abstinere debere, &, quia fieri potest, vt propter aliquas circumstantias, etiam eos, qui conscientiâ peccati carent, expediat aliquando abstinere, non ideo alijs terrorem incutiant: nam naturæ nostræ miseriâ facilè retrahitur animus à frequenti vsu sacramentorum, & ex quacumque vel apparenti ratione, quam propinat concionator, iustificant tepidi negligentiam suam, sed ad confessarios causam remittant, qui secundùm particulares circumstantias iudicent, an expediat hîc & nunc, hûc vel illum, communicare vel abstinere: communiter autem loquendo octauo quoque die consulendum est, fideles communicare debere, vt Sancti docent, &c.

Et quidem ipse Dominus frequentem vsum Sacramenti suasisse nobis videtur, quòd per modum cibi, & non v.g. adorationis tantùm illud dederit nobis, dicens: Accipite, & manducate, quò innueret nobis, quòd sicut assiduè oportet nos cibum corporalem sumere ad vitam corporis tuendam, & conseruandam, alioquin naturalis insitus, que in nobis calor nos consumeret, & perderet; sic etiam ad vitam animæ nostræ tuendam, oporteat sumere Eucharistiam sæpe, alioquin fomitis & concupiscentiæ interioris calor nos facilè absumet: defendit autem nos Eucharistia ab huius caloris improbitate, non minùs quàm ordinarius cibus à vehementia caloris naturalis. Vnde S. Innocen. ait: *Cauendum est, ne, si nimium huius Sacramenti sumptio differatur, in mortis periculum incurratur.* Ita ille.

2. Præterea, hoc Sacramentum institutum est in memoriâ Christi, vti Dominus ipse dixit: *Hoc facite in meâ commemorationem*, maximè in memoriam passionis, & mortis eius, iuxta illud Apost. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*: memoriam autem sui assiduam esse optat Dominus & frequentissimam: cùm igitur speciatim voluerit Eucharistiam esse memoriale passionis suæ, speciatim etiam voluit à nobis frequentari.

Præterea, hoc Sacramentum, vti ex supradictis Sanctis constat, maximè ex sancto Ambrosio, est antidotum & medicamentum animarum nostrarum: igitur tantùm abest, vt propter peccata præterita, & propter pronitatem ad malum, ab ea abstinere debeamus, vt eò id potiùs crebriùs ad communionem accedere debeamus. Corporalibus quidem medicamentis non sæpe vtimur, quia non sæpe illa necessaria sunt: accipimus autem ea quoties infirmitas ipsa requirit: at cùm peccata, quæ ægritudines animæ sunt, adeo sint assidua, quidni etiam medicamentum assiduum sit? Hoc est quod ait S. Ambrosius: *Qui semper peco, semper debeo accipere medicinam*, & vocat ibi medicinam sanctam Eucharistiam, & meritò: nam ægritudines animi nostri sunt affectus deordinati, & passiones cordis immoderatæ: has moderatur Eucharistia, vt dictum est, & eas rationi & diuinæ voluntati subdit, & feruorem excitat charitatis, &c. Cùm igitur affectuum deordinatio assidua sit, & feruor charitatis facili negotio tepescat, oportet assiduè Eucharistiæ medicamento vtique subuenire: nam, vt ait Innoc. Papa, *Eu haristia venialia delet, & mortalia cauet.* Ita ille, abstinentia verò quid horum agit? *Lib. 4. de sacr. c. 6.*

Præterea, dato quòd probabile quidem esset alicui vtrumque, & quod bonum sibi sit communicare, bonum etiam abstinere, cùm ex communione gratia magna recipiatur, & remissio pœnæ, & meritum gloriæ magnum, & remedium peccatorum venialium, & passionum, & alia innumera bona; ex abstinentia verò solùm probabiliter quis censeat reuerentiam maiorē sequi ad hoc Sacramentum; cur potiùs abstinere debet, quàm accedere, cùm non peccet, probabiliter credere valens, se, quatenus fragilitati nostræ constare potest, posse accedere absque peccato? in hoc enim loquimur casu. & quidem rarò quis iudicare potest sibi meliùs esse abstinere quàm accedere: loquimur enim de eo qui sibi nullius culpæ mortalis inexistentis conscius est, vel eius qui conteritur, & confitetur priùs: cum hac probabili sufficientia, cur se priuari tot bonis patietur ob timorem quem probabiliter deponere potest, & sine culpa communicare? Dices, quia reuerentia in Deum præcedere debet omnem vtilitatem nostram etiam spiritualem; quasi ad Dei honorem & gloriam non pertineat nos communicare: nónne tunc Deum adoramus, & fructum passionis suæ in actum deducimus? quod etiam valde ad eius honorem spectat, vt sc. passio eius in nullo fructretur fine suo. & similiter recolimus mortē Domini, & peccata minuimus, ne diuinā eius maiestatem offendamus. nónne ad honorem Dei hoc spectat peccata in eū cauere, & opus sibi gratissimum, saltem probabiliter in hoc indiuiduo, de quo modo agimus, exhibere? dum igitur nobis non constat debere nos abstinere, nec confessarius id consulit, melius erit cum tali probabilitate communicare.

Præterea, quàm desiderabilis sit frequens Eucharistiæ communicatio, ex eo constat, quòd qui eā frequētant, spiritualiores & sanctiores sunt, & vitæ cæteris magis exemplaris; hi verò qui non ita frequentant, aut semper aut quasi semper, non ita vitæ probatæ sunt. ex fructu ergo, & à posteriori meritò colligimus, frequentē vsum huius diuini Sacramenti, meliorem quàm abstinentiam esse. Sienim videres vsum alicuius medicinę vel cibi, omnibus vtentibus valde prodesse, & eo vtentibus sanitate reliquos antecellere, facilè tibi suaderes illum cibi vsum. Cùm igitur videas vtentes frequenter Eucharistiā, meliores esse, quàm alij qui non vtuntur; cur, si innumeto meliorum esse desideras, non pariter cum eis Eucharistiam frequentabis? nisi fortè dicas te non curare te meliorem vel peiorem esse, vel saltem iudices (inique iudex) melius esse tibi in via cœli sedere, quàm profequi & proficere? Ex aliorum igitur experientia doctior factus, suade tibi, quòd ex frequenti communione mirabiles colliges fructus, ardentiorem scilicet in Deum & in proximos charitatem, promptiorē in Deum obedientiam, maius aduersùs tētationes robur, māiorem rerum temporalium contemptum, sublimiorem diuinarum rerum æstimationem, vehementem mandatorum obseruantiam, altiorem veritatis cognitionem, mortis contemptum, cœli desiderium, passionum moderationem, vitiorum horrorem, virtutum amorem, orationis & meditationis saporem, pœnitentiæ facilitatem, difficultatum

in via Domini victoriam, perseuerantiam in bono, & cumulum meritorum magnum, sùntne tanta bona ob incuriam amittenda? A

Exod. 16. 19. Præterea, manna illud, quod à Deo in cibum patribus exhibitum fuit, singulis diebus colligi à Deo illis iniunctum fuit, adeo vt nullo modo in diem crastinum reseruare quidquam liceret illis, *Nullus* (inquit ad illos Moyses) *relinquat ex eo in mane*, qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque mane, & scatere cœpit vermibus, & computruit: colligebant autem manè singuli quantum sufficere poterat ad vescendum: cùmque incaluisset sol, liquebatur. vbi Sapiens ponderauit hanc proprietatem ipsius manna, dicens:

Sap. 16. 27. *Quod ab igne non poterat exterminari, flatim ab exiguo radio solis calefactum, tabescebat*, quo quidem manifestè ostendit Dominus se velle, vt quotidie colligerent manna, excepto die Sabbati, in quo non colligebant quicquam, sed in die sexta colligebant cibos duplices, pro ipsa sexta die, & sabbato sequenti. cur ita? Quia noluit Dominus vt colligerent semel in mense, vel hebdomada, vel bis, &c. Rationem huius assignant nonnulli Authores, quia manna figura fuit manifestè sanctissimæ Eucharistiæ: quare id voluit Dominus in Eucharistia fieri, quod in eius figura. Sicut igitur voluit quotidie colligi manna, sic etiam vult nos rectè disponi, vt quotidie sumamus sanctum Eucharistiæ Sacramentum vsque ad mortem, hoc est, vsque ad sabbatum: cœli enim gloria, quam post mortem expectamus, sabbatum & festum æternum est. Quòd si propter miseriam & imperfectionem nostram, non expediat ita quotidie communicare, fiat saltè frequenter, quantùm fragilitas concesserit humana. B

Eia igitur fidelis anima, si immundam te vides, accede ad Eucharistiam: est enim totius puritatis fons: si esuris, accede & manduca: panis enim Angelorum est, qui tibi de cœlo descendit, factus panis viatorum: si te infirmum doles, accede: medicina enim est, & antidotum omnium infirmitatum. Si enim infirma illa quæ sanguinis fluxum patiebatur, eò solùm quòd tetigerit fimbriam vestimenti Christi illico sanata fuit, quantò magis qui fideliter & deuotè recipiunt corpus Christi? Si verbum eius Lazarum quatriduanum viuum ab inferis resuscitauit, quid non efficiet corpus eiusdē Christi Domini manducatum? Si præterea te hostes animæ infestant, accipe Christum, qui scutum firmissimum est aduersùs omnes animæ hostes, manduca hunc panem: hic enim est verè qui cor hominis confirmat. Si tristaris & mœrore consumeris, accipe in Eucharistia vinum cœleste, quod lætificat cor hominis. Pinguis panis est, qui præbet delicias, etiā regibus, licèt ipsi deliciis abundent: si saluari cupis & ad cœlestia regna peruenire, sume hoc viaticum. Si enim Elias vmbrā huius panis capiens, ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsquequo peruenieret ad montem Dei Horeb, quantò magis tu in fortitudine cibi, qui Christus est, peruenies in cœlum? C

Luc. 11. 3. Denique, quid aliud sibi voluit Christus Dominus, cùm ait: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, hoc est, panem Eucharistiæ da nobis hodie. Sic interpretantur hunc panem quotidianum Sanct. Augustin. ad Probam, Sanct. Ambrosius, & Sanct. Hieron. & probatur præcipuè Matth. c. 6. vbi referens eandem orationem Dominicam, vbi S. Lucas ait, *panem quotidianum*, S. Matthæus ait, *panem supersubstantialem*. Græcus autem codex apud vtrumque Euangelistam legit, τὸν ἐπιούσιον, quod quidem significat vtrumque, quotidianum scilicet & supersubstantialem, quod nulli pani, nisi Eucharistiæ, conuenire potest. Si ergo Christus Dominus hunc panem quotidianum appellari iussit, cui dubiū quòd & quotidie sumi voluerit: ad hoc enim nobis illum exhibuit, ad manducandum scilicet, non ad adorandum solùm: ait enim: *Accipite, & manducate,* D

Exod. 40. 11.

&c. Sicut igitur panes propositionis quotidie mutari voluit, & quotidie recentes apponi, sic quotidie hunc panem nobis in mensa sacri altaris apposuit, vt eo in vitam æternam nutriamur. Nunc argumenta in contrarium soluemus & videamus vnde oriatur abusus abstinendi à communione.

Communis igitur, non solùm sanctorum Patrum antiquorum, verùm etiam Scholasticorum sententia est, sanius consilium esse, frequenter accedere ad Eucharistiam, quàm abstinere, & in raritatem inclinare. considerando rem ipsam secundùm se & absolutè quam defendunt S. Thom. & S. Bonauen. Richardus, Palud. Adrian. Gabr. & Pater Franciscus Suarez. Nunc igitur videamus quam excusationem prætendant, qui abstinent à tanto cibo.

Primò igitur culpam in illum rejiciamus qui malorum nostrorum author est, bonorum autē impedimentum, in diabolum, inquam, & in mortalem aduersarium nostrum: hic enim, cùm agnoscat eximia bona, & innumeras vtilitates, quæ ex frequenti cōmunione oriuntur, nullum non lapidem mouet, vt nos à tali retrahat communione. Et quidem cùm primos parentes in Paradiso constitutos videret, pro viribus curauit, vt ex arbore prohibita cibum sumerent; non verò ex arbore vitæ, cur ita? quia in arbore prohibita mortem nostram sitam esse videbat; in arbore autem vitæ vitam, & quia ipse non vitam nobis, sed mortem optabat (*queria nos mal de muerte*) ideo ad cibum vetitum mendaciis suis parentes nostros inuitauit, in eo nescio quem diuinam similitudinem Deificamque fcientiam promittens. Sic igitur modò, cùm eodem nos odio prosequatur, & in Eucharistia vitam nostram constitutam esse videat (nouit enim Dominum dixisse: *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*) nihil non facit, quò nos à tali manducatione abducat-, *porque toda via nos quiere mal de muere eterna.*

Hæc prima radix. Secundam videamus. Vereor, inquies, diuinam maiestatem, & summā reuerentiā dignum video Christum Dominum in Eucharistia existentem, & frequens communio reuerentiam hanc minuere solet: diuino igitur timore detineor, non negligentiā vllā: Respondeat nobis Angelicus Doctor, qui hac in materia potissimùm Angelicus fuit: *Reuerentia*, inquit, *huius Sacramenti habet timorem amori coniunctum, & timor reuerentiæ ad Deum dicitur timor filialis: ex amore autem prouocatur desiderium sumendi, ex timore autem consurgit humilitas reuerendi, & ideo vtrumque pertinet ad reuerentiam huius Sacramenti, & quòd quotidie sumitur, & quòd aliquando abstineatur. Vnde Augustinus sic ait:* Sed dixerit quispiam, non quotidie accipiendam Eucharistiam, alius verò affirmet quotidie sumendam esse, faciat vnusquique quod secundùm fidem suam piè credit faciendum: *neque enim litigauerunt inter se Zacheus, & ille Centurio, cùm alter eorum gaudens susceperit Dominum; alter verò dixit:* Non sum dignus, vt intres sub tectum meum, *ambo Saluatorem honorificauerunt, quamuis non vno modo, dicit S. Thom. ex S. Augustino, & addit ex se: Amor tamen & spes, ad quæ semper Scriptura nos prouocat, præferuntur timori, vnde & cùm Petrus dixisset:* Exi à me Domine, quia homo peccator sum, *respondit Iesus: Noli timere.* Ita S. Thom. Nota hæc vltima verba, in quibus S. Thomas docet, melius esse ex amore accedere ad Eucharistiam, quàm ex timore abstinere: sicut Petro abscedere à Christo volenti dixit Dominus: *Noli timere*, hoc est, noli ex timore à me recedere, sed ex amore mihi appropinquare.

Et doctissimus Ioannes Gerson, consideratis effectibus huius sacramenti, *Laudabilius*, inquit, *est ex amore eius, & confidentia misericordiæ Dei, sæpius accedere, quàm ex timore, & scrupulis, se diu ab eodem Sacramento quodammodo excommunicatū facere, atq; se exponere periculo, qui non habet certitudinē de legitimo impedimento*, & postea subdit: *Stultus illum*

illius timor est, & reverentia minùs prudens, qui ad Dominum se vocantem & invitantem, non accedit, sed procrastinat. Unde sæpius evenit illud,

Qui non est hodie, cras minùs aptus erit.

& his sæpenumero ex institia divina accidit id quod Adæ, qui, cùm erat in Paradiso, nolluit de ligno vitæ comedere, cùm verò voluit, non potuit. Ita ille.

Denique, melior est reverentia positiva, quàm negativa, negativam voco, cùm quis cessat à receptione huius Sacramenti, ne irreverentiam omittat: positivam voco eam quàm actualiter quis habet per aliquem actum positivum reverentiæ. primam habere solent, qui abstinent, dum nullam aliam reverentiam habent, quàm abstinere, ne irreverenter fortè accedant, & accipiant: sed qui accedit, semper actum positivum reverentiæ habere solet, nempe cùm dicit: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, &c.* qui non solùm humilitatis, sed etiam reverentiæ actus est: & tu, qui adeo reverentiam in Deum profiteris, hunc & plures alios actus reverentiæ facilè agere potes, quibus reverenter accedas nisi reverentiam fortè voces, cum peccato mortali non accedere, quod nos ad puritatem simpliciter necessariam dicimus pertinere.

Præterea, dices: devotionem requirunt Sancti in eo, qui communicare vult? rogo quid tu per devotionem intelligis? si per devotionem eam intelligis, quam sensibilem vocamus, veluti lacrymas, & dulcedinem quamdam affectus interioris, quam aliqui experiuntur; dicimus hanc devotionem quidem vtilem esse, & donum Dei esse, & appetendam, non tamen esse necessariam, imò quantumvis quis se tepidum sentiat, non ob id debet abstinere, imò sæpe ob id accedere debet: aliàs quidem hoc idem esset, ac dicere: Nolo ad ignem accedere; quia nunc algeo, imò in frigiditatis huius remedium ad ignem accedere oportet. Sic, cùm Deus noster ignis ardentissimus sit, qui spiritu algeat, accedat oportet Eucharistiam, cuius inter alios hic effectus est, vt tepiditatem excludat. Vnde S. Bonauent. ita scribit: *Licèt quandoque tepidè, confidens, tamen de misericordia Dei, accedat homo fiducialiter. quòd si se indignum reputat, cogitet quod tanto magis egeat, & necesse habet requirere medicum, quanto magis senserit se ægrotum: non enim est opus valentibus medicus, sed malè habentibus, nec ideo quæris te tingere Christo, vt tu cum sanctifices, sed vt tu sanctificeris ab ipso. Nec propterea prætermittenda est sacra communio, si quando non sentit homo specialem devotionis gratiam, cùm se ad illam præparare studet, vel cùm in ipsa perceptione vel post, fortè minùs se devotum sentiat, quàm vellet.* Ita S. Bonauen.

Et Gerson sic ait: *Dices, frigidus sum, & tepidus. Respondeo, sæpe sustinuit initium celebrationis hominem parum devotum & frigidum, quem mox dimittit calidum & fervidum. Corpus Christi ignis est spiritualis, accede ad ignem hunc, & facilius calebes.* Ita ille.

Denique, aut ideo propter defectum devotionis abstines, quia speras alio tempore te aptiorem futurum, vt accedere possis; aut quia à Deo maiorem gratiam præparantem te expectas. Si primum, stulta videtur & irrationalis talis persuasio: neque enim vel toto tempore vitæ poteris te industriâ tuâ idoneum reddere tanto mysterio. quæ quidem consideratio ad humiliationem tuam deseruiet: humilitas autem est magna dispositio ad hoc Sacramentum. Si verò abstines, quia expectas à Deo aliquam gratiam, quâ melius ad communionem disponaris, incerta est talis expectatio, & Dominus quidem præsto est ad conferendam gratiam suam, impedimentis ablatis: nam, sicut 144. ait Dauid: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, & non novit tarda molimina Spiritus sancti gratia,* vt ait S. Ambrosius.

Tandem, qui ex huiusmodi timoribus abstinent à communione, liberiate Christiana carere videntur, quæ in Christo Iesu audet eius miserationibus gaudere, quique eo pacto fiunt pusillanimes, & deiecti animi ad studiosas actiones, tepidi ac frigidi in spiritualibus exercitiis, eò quòd se vel ineptos, vel indignos dicant ad spiritualia obeunda. contrà verò qui frequenter communicant, sunt Euangelicæ fiduciæ pleni, Christiana libertate gaudentes, ad spiritualia fortes, & acres, in oratione & meditatione feruentes. sicut in corporalibus, qui suis temporibus cibum sumunt, vigorem inde capiunt ad omnes corporales exercitationes; sic qui hunc diuinum cibum sumunt, ad spiritualia cuncta vires & animos capiunt, &c.

Dices præterea, te non ob id à sacramentis abstinere, sed quia occupationibus multis, & negotiis ad Dominum vel statum seu officium tuum, pertinentibus, præpediris. At excusationem istam illi apertè prætenderunt, qui ad cœnam magnam vocati fuerunt. *Cæperunt, inquit, omnes simul se excusare: primus dixit: Villam emi, &c.* attede quòd horum excusatio in huiusmodi negotiis sæcularibus fundabatur. quid tunc Dominus cœnæ *Iratus, inquit, Paterfamilias dixit seruo suo, &c.* Iratus ait: non enim excusationes huiusmodi admisit, fruolæ namque erant, & tam excelsam cœnam ob res tam exigui momenti omittere non debebant. sed potiùs dicere: Non possumus ad videndam villam exire, nec ad probandum boum iuga, nec ad nuptias ire, quia ad cœnam magnam inuitati sumus. cœna magna est sanctissimum Sacramenti, conuiuiũ, cui nec illud magnum regis Assueri valet comparari, nimirum, in quo tantus Dominus se magnum tribuit nobis in cibum, quæ sublimius? & tu excusationculas viles opponis negotiorũ mundi: imò potius dicere debuisses. Nõ possum modò negotiis huiusmodi vacare, quia ad magnam Eucharistiæ cœnam vocor à Deo. non autem dicere. Non possum modò cõmunicare, quia his temporalibus occupationibus impedior, non temporalia ad Eucharistiam, sed Eucharistia ad temporalia impedimentũ esse debet: considera quippe quodnam horum maior sit ponderis ac momenti sit, quid horum pluris interfit tuà, ne falsis ponderibus decipiaris: diuina enim non sunt pondere fori, sed ponderesanctuarij ponderanda.

Luc 14. 18.

Quare aliam harum excusationum causam ego conicio ex verbis Apostoli desumptam, *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia.* Duplex hic hominũ genus Apostolus tangit, alterum vocat spirituale, alterum verò animale, secundùm partem duplicem, quæ in homine reperitur, quarum altera est pars. animæ superior, quæ quidem spiritualis est: eà enim cum Angelis, qui spiritus sunt conuenimus; altera verò est pars inferior, & corporalis, quà cum bestiis & animalibus irrationalibus communicamus: hæc enim animalia corpus & sensitiuam partem habent, sicut nos, & nos sicut illa: hominis autem est hanc vel illam partem sequi, vel spiritualibus rebus vacare, sicut Angeli, & qui hoc præstat, spiritualis ab Apost. vocatur, vel cum bestiis partem sentitiuam sequi, & hic à Paulo animalis homo nuncupatur: ait ergo; *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, &c.* Quod faciliùs hac similitudine declaratur: Si iumento hinc cribrum hordei & palearum plenum, hinc verò margaritis refertum catinum coram posueris, quid iumentum facturum dices? manifestum est, relictis margaritis, ad hordeum & paleas properabit: cur ita? quia iumentum est, animal irrationale est, & non percipit margaritarum pretium & valorem. Sic igitur ait Apostolus, si coram homine, animalibus rebus dedito, Eucharistiam apposueris, & simul vel tragœdiam leuem, vel nuptiarum conuiuium, vel aliquod temporale lucrum, Eucharistiam & margaritam hanc cœlestem facilè relinquet, & vt commodis huiusmodi temporalibus perfruan-

1. Cor. 2. 14.

fruatur, hic eorum, qui ad cœnam magnam ire no- A luerunt, error, hic etiam eorum, qui ob negotia temporalia, Sacramenta ſe frequentare non poſſe dicunt, &c.

Hinc qui etiam à fortiori cauſa, propter quam hi qui in peccato mortali iacere volunt, fugiunt Sacramenta, quia prohibitum eſt projicere margaritas ante porcos. ſues & porci peſſimi hi ſunt, in cœno fœtido & abominabili peccatorum iacent, & volutantur, & deplorandi ſunt, non inuitandi, vt in mentem reuertantur, & à volutabro recedant.

Tandem (quod ego vereor) cur maior hominum pars ad hoc diuinum Sacramentum non accedat, ob id eſſe credi poteſt, quòd in eos iratus Dominus, in ſupplicium eorum à cœleſti hac menſa, tanquam indignos arceat, & excludat. quod in Euangelio ipſo apertè infinuatum eſt: cùm enim excuſationem audiſſet paterfamilias eorum qui ad cœnam magnam ire recuſarunt, ſubiunxit: *Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Quid ais Domine? illi ſunt qui guſtare cœnam tuam nolunt, & tu B in ſupplicium contumaciæ & ruſticitatis eorum, id ſtatuis: ita quidem id quod ipſi volunt, ſit in pœnam: nam nulla maior pœna, quàm tanto eos bono priuari, & ſeipſos eos velle priuare. ſed peſſimum velle eorum in ſupplicium, & nolle communicare ſit pœna negligentiæ tantæ, &c. Cum fame grauiſſima vexaretur Samaria, magnam frumenti copiam promiſit Samaritis Dominus per Eliſæum Prophetam, & non poſt longius tempus, ſed propediem; *Cras*, inquit, *modius ſimilæ vno ſtatere erit. Como ſi dixera, mannana vereis en la plaça de Samaria tan grande copia y abundancia del an, que valgà el celemin a quatro maraudeis caſtellanos como de balde. Reſpondens* autem (ait Scriptura) *vnus de ducibus, ſuper cuius manum rex incumbebat, homini Dei, ait: Si dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, numquid poterit eſſe quod loqueris?* cui Eliſæus *Videbis*, inquit, *oculis tuis, & inde non comedes.* impleuit igitur promiſſum ſuum, & factum eſt ſicut dixerat Eliſæus, vidit dux ille abundantiam panis, & C inde non comedit. Maledicit enim hanc apud multos video deſcendiſſe: vident enim panis huius diuini abundantiam, ſed inde non comedunt. videbis & rerum diuinarum contemptor panem hunc in Miſſa eleuari, ſed inde non comedes; videbis per vicos & plateas proceſſionaliter hunc panem deduci, ſed inde non comedes; videbis multos ad communionem ſacram accedere, & diuino cibo frui, & inde tu non comedes, à tanta menſa excommunicatus es; quis non doleat? quis non paueat ſic priuari? Quare qui diuinum hoc frequentant Sacramentum, infinitas Deo referant gratias, qui tãti boni eos participes fecit; qui verò abſtinet, humiliter ad Deum adeat, & ſupplex ab ea & enixè petat, & per viſcera miſericordiæ ſuæ, & merita Chriſti, vt ad regalem hanc menſam eum admittere dignetur. quod ſi fuerit aſſecutus, felicitatem ſuam Deo tribuens, miſericordias eius canet in æternum.

Dices, omnes fatentur, quòd nimia familiaritas parit contemptum: ſic igitur frequens & nimia communio adducet nos in contemptum huius Sacramenti. Reſpondetur, in humanis quidem ita eſſe, quia qui cum hominibus aſſiduè converſatur, ſolet contemnere illum, quia per multam converſationem defectus morales, aut naturales, quibus nemo eſt, qui careat, deteguntur, & propter huiuſmodi defectus homo hominem contemnere ſolet: ſed tamen frequens communio eſt communicatio cum Deo, cuius non eſt inuenire defectum, ſed potiùs excellentiam, & ſublimitatem, & denique Deitatem, cuius quantò maior fuerit cognitio, tantò maior erit reuerentia, & veneratio, & amor. ſi enim quantò magis cum ſancto aliquo & perfecto viro quis converſatur, tantò magis eum veneratur, colit, & amat, propter ſanctitatem & perfectionem, quam quotidie magis dignoſcit: quantò magis converſatio cum Deo id præſtabit, cuius infinita perfectio eſt? Vnde tantùm abeſt, vt frequens ſumptio Chriſti, contemptum eius pariat, vt potiùs per illam in ardentiſſimum eius amorem & venerationem rapiamur. Hinc enim eſt quod ait Eccleſia: *Laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt poteſtates.* Nota gradationem hanc, plus eſt adorare, quàm laudare: de Angelis igitur, qui inferioris ordinis ſunt, ait quòd laudant: de dominationibus, quæ ſuperiores Angelis ſunt, ait quòd adorant: de poteſtatibus, quæ dominationibus ſuperiores ſunt, ait quòd tremunt, quia ſcilicet quantò ſuperioris ordinis ſunt Dei ſpiritus illi cœleſtes, tãtò amplius Deũ cognoſcunt tantò amplius Deum venerari dicuntur. Qui igitur fieri poteſt, vt qui propius ad Deum accedit communicando, eum contemnere poſſit? parum de digna Chriſti communione nouit, qui talem contemptum prætendit.

Luc. 14. 24.

4. Reg. 7. 1.

Ibid. 2.

Dices, videmus multos, qui frequenter communicant, non ita in perfectionis via progredi, & progreſſus in virtute tales facere, quales talis communio requirit: his ergo qui parum vel nihil communione proficiunt, ſatius erit abſtinere. Reſpondetur, profectum animi non ita manifeſtè conſtare, vt ex frequenti communione nullum fructum percipi dici poſſit, & paruũ inde fructum magnum debemus exiſtimare.

Vnde Sanct. Laurentius Iuſtin. *Sicut* (inquit) *corporalis cibus nos alit, etiamſi non ſentiamus; ita Euchariſtia nobis quandoque non ſentientibus, gratiæ incremento, & malorum munerum copiã diuinitus animam reficit, & corroborat.* Ita ille.

Præterea, ſi his Sacramenta confeſſionis & communionis non frequentarent, vitioſi nimiùm eſſent & multa peccata mortalia laberentur, à quibus virtute frequentis communionis liberantur. Fieri quidem poteſt, vt corpore infirmus remedium aliquod frequenter, & nihilominus valetudinarius ſemper remaneat, quo ſi frequenter non vteretur, fortè moreretur: vnde non illi nociuus, ſed proficuus eſt talis vſus. item de communione dicendum eſt, cùm Euchariſtia remedium & antidotum animarum ſit.

Præterea dices, ſunt plurimi, qui ex officio vel ſeruitute, ſæcularibus negotiis nimis occupantur, cur his frequens communicatio licita ſit? & idem de officialibus reipublicæ, & de patribus familias iudicium eſſe videtur. Reſpondetur, ſi à negotiis ſæcularibus hi non abſtineant, ita vt frequenter attendere frequenti communioni poſſint, ſatius eſt non ita frequenter communicare; ſed, meo iudicio, nemo eſt qui ſaltem octauo quoque die, Dominicis nempe diebus, non poſſit à ſummo mane vſque ad matutinis Miſſæ horam ſe præparare ad confeſſionem, & communionem, & gratiarum actionem, ſi Chriſtianè agere velit, qui nolent, abſtineant; id tamen nolitioni eorum tribuendum erit, non diuinæ pietati, quæ ita cuncta diſponit, vt quilibet Chriſtianus cuiuſcumque ſtatus frequenter poſſit ſumere Euchariſtiam. Quod etiam probatur ex primitiua Eccleſia, in qua omnes cuiuſcumque ſtatus & conditionis eſſent, quotidie ex præcepto Eccleſiæ, vt ſuprà diximus, communicabant, quod nemo damnare audebit, cùm Eccleſiæ præceptum eſſet. Non igitur in ſtatum & officium culpam rejiciamus, ſed in negligentiam noſtram: propter hanc enim Eccleſia à tali præcepto abſtinet modò, nulli tamen hominum conditioni prohibet frequentem communionem. nam in rex Dauid regni occupationibus implicatus, toties Deo vacare ſolitus erat, cur officialis quicumque communioni vacare deuotè non poterit?

Dices, plures ſunt qui potiùs ex quadam conſuetudine ducti, quàm ex deuotione, cõmunicant, & plures etiam ſacerdotes mercenarij, qui propter mercedẽ eam ſacram faciunt, quibus ſatius quidem eſſet abſtinere, quàm

quàm ſic indebitè communicare, & ſacrificium Miſſæ offerre? Reſpondetur, conſuetudinem quidem ex ſe non eſſe malam, ſed optimam; ex ſola tamen conſuetudine accedere ſine debita præparatione, hoc eſſe vitandum. Et quidem quantùm ad mercenarios attinet Sacerdotes, qui abſque præparatione & indebitè videntur celebrare, non ſolùm frequenter id agere, ſed vel ſemel in anno id efficere damnamus, & qui pro Miſſæ ſacrificio ſtipendium ſoluunt, his nullum ſacrum committere deberent, ne huic malo anſam præberent, vſum igitur ne damnemus, ſed abuſum; tollatur abuſus, & conſeruetur vſus. mercenarij hi ſunt, non digni ſacerdotes, non propter Deum, ſed propter mercedem offerunt, & vtinam in Dei gratiam; non iudicamus occulta, damnamus illicita, ſed manifeſta, &c.

Si pro qualibet commnnione rite facta promitteret tibi Deus mille nummos aureos, nónne libenter ad ritè communionem ſumendam te præparares, & quotidie ad eam accedere procurares? quid autem eſt hoc, ſi fructibus & vtilitatibus ſacræ communionis volueris comparare? minimus fructus ſpiritualis Euchariſtiæ pluris æſtimandus eſt, & omne aurum in comparatione eius, arena eſt exigua.

Rurſus peccator, inquis, ſum, atque ideo accedere frequenter non audeo, ſed rarò. Reſpondet Ioannes Caſſianus, *Non ex eo*, inquit, *nos debemus à Dominica communione ſuſpendere, quia nos peccatores agnoſcimus; ſed ad eam magis eſt propter medicinam animæ & purificationem ſpiritus, audè ſeſtimandum: veruntamen ea humilitate mentis, & fide, vt indignos nos perceptione tantæ gratiæ iudicantes, remedia potius noſtris vulneribus expetamus. Alioqui nec animer ſaria quidem digna præſumenda eſt communio, vt quidam faciunt, qui ita Sacramentorum cœleſtium dignitatem, & ſanctificationem, ac meritum metuntur, vt exiſtiment ea non niſi ſanctos atque immaculatos debere præſumere, & non potius, vt nos ſanctos mundoſque ſua participatione perficiant. Qui profectò maiorem arrogantiæ præſumptionem, quam declinare ſibi videntur, incurrunt: quia vel tunc, cum ea percipiunt, dignos ſe eius perceptione diiudicant.* Ita ille.

Dices, non ideo ſerò accedo, quia dignior tunc ſum, ſed quia meliùs diſpoſitus, & cum maiori reuerentia præparatus: frequens enim communio aliqualem contemptum parit. Qui hoc ita ſentit, communionis huius vim & naturam ignorat: nam perceptio corporis Domini Ieſu Chriſti, ſicut gratiam & virtutes animæ auget, ſic etiam deuotionem & reuerentiam. Quo fit, vt (ſicut vir quidam ſapiens, & ſpiritualis dixit) optima præparatio ad dignè celebrandum poſtera die ſit, hodie deuotè celebraſſe. Vnde quidam ex ſanctis Patribus formidoloſam animam ſic hortatur: *Inmunda es: accede ad fontem purificatis, vt munderis: eſuris, accede ad panem viuificum, at paſcaris: egrotas, accede ad hoc efficaciſſimum tuæ valetudinis medicamentum: à medicis ſanari non potuiſti à fluxu concupiſcentiæ tuæ, tange plena fide eum Hemorrhoiſſa fimbriam veſtimentorum Chriſti, ſacram videbet hoſtiam, vt purgeris.* Ita ille.

Eccleſia olim, cùm alicui pro grauiſſimo delicto pœnam inferre vellet, communionem hanc ſacram Euchariſtiæ interdicebat illi. Vnde Innocentius Papa, vti refert Nicephorus Calixtus, Arcadium Imperatorem, eò quòd S. Ioannem Chryſoſtom. iniuſtè ad exilium damnaſſet, & omnes pænè orientales Eccleſias hac iniuria in ſeditionem vocaſſet, hoc potiſſimùm fulmine feriendum curauit, & ſimiliter Eudoxiam Imperatricem, quæ huius tragœdiæ cauſa fuit. Verba ſummi Pontificis hæc ſunt, vt tradit ibi Nicephorus, *Ego minimus, cui thronus magni Apoſtoli Petri creditus eſt, ſegrego, & reycio te, & illam* (ſcilicet Imperatricem) *à perceptione immaculatorum myſteriorum Chriſti Dei noſtri. Epiſcopum etiam omnem, aut clericum ſanctæ Dei Eccleſiæ, qui admiſtrare, aut exhibere ea vobis auſus fuerit, ab ea hora, quâ*

præſentes vinculi mei literas legeritis, dignitate ſua exciderit decerno. Ita ille. Quæ quidem pœna adeo Imperatorem deterruit, vt illico reducere ſanctum virum decreuerit. hoc igitur ſupplicium olim fideles meritò grauiſſimum iudicabant. Nunc autem eò res noſtræ deuenerunt, vt eo, quod tunc ſupplicium grauiſſimum ducebatur, multi ex Chriſtianis ſponte ſua ſeipſos puniant, dum vix ſemel in anno, vel causâ alicuius plenariij iubilæi, ad communionem accedant, *ellos ſe deſcomulgan, priuandoſe voluntaria mente de la communion.*

Aulus Gellius, & Valer. Max. referunt, Artemiſiam, Cariæ reginam, inſignis pudicitiæ fœminam, maximo amore proſequutam fuiſſe virum ſuum Mauſolum: cui ſepulto tam inſigne ſepulchrum fabricari fecit, vt inter ſeptem mundi mirabilia numeraretur. deinde oratoribus ampliſſima propoſuit præmia, qui viri ſui copioſiùs & ornatiùs laudes prædicaſſent. Sed neque his dilectionis argumentis contenta, extremum (quod inſtituto noſtro maximè quadrat) adiecit, nempe, quòd viri cineres variis odoribus admixtos, in cibum ſuum potumque conuertit. Non itaque contenta memorabili ſepulchro illo ipſa, vt Valerij Maximi verbis vtar, *viuum ac ſpirans eius ſepulchrum fieri voluit.* maximo igitur amore ducta, corpus mariti ſui, eo, quo potuit, modo, comedere decreuit. quod apud omnes intentiſſimi amoris eius in virum argumentum fuit. Etenim Chriſtus Dominus ſponſus animarum noſtrarum eſt, ſeque in cibum noſtrum amoris ergò, nobis reliquit; quî ſe illum verè & ex corde amare contendet, qui, cùm facilè poſſit, illum in cibum ſumere nolit; etenim Mauſolus non ſe in cibum vxoris conſecrauit? Sed ipſamet Artemiſia amoris ductu (qui valde adinuentiuus eſt) modum illum excogitauit, adinuenit, quo virum ſuum edere poſſet, ſaltem cineres eius; tibi autem, ô fidelis Chriſti anima, præparatum ſe in cibum ſub ſpeciebus panis edendum reliquit, dicens: *Accipite, & manducate*, non cineres meos, nec panem ſubcinericium, ſed ipſam carnem ſacroſanctam, viuam, deificam, ſuauiſſimam, & gloriosam, ſub familiari panis ſapore. ſi illum ſæpe ſuſcipere detrectas, quomodo te illum intensè amare profiteris! O tepiditas cordis noſtri! ô cœcitas mentis noſtræ! ô debilitas fidei noſtræ! ô deceptio animæ noſtræ! cæpas, & allia mundi anxiè quæris, & manna ſuauiſſimum, & pluſquam Angelicum dimittis? vbi iudicium? vbi mens? vbi ratio? vbi amor in ſponſum noſtrum Chriſtum?

Sic ſerpens ad Euam, & conſequenter ad primum parentem: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi? cui reſpondet mulier: De fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo veſcimur, de fructu vero ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Cui ſerpens: Nequaquam morieminí, &c. eritis ſicut Dij, ſcientes bonum, & malum, &c. que grauee mentira, y que bien creyda,* ſtatim comedit mulier de ligno prohibito; quia quidem ſe deitatem inde participaturam exiſtimauit. nunc ad rem. In medio Eccleſiæ Chriſtus Dominus quid aliud eſt, quam lignum vitæ, & eius fructum qui comederit, diuinæ vitæ particeps erit: quod non à ſerpente, ſed à Domino ipſo affirmatum habemus: *Sicut miſit me Pater & ego viuo propter Patrem.* iam ſicut ego ex eo quòd carnem accepi vnitam Verbo: hæc enim eſt miſſio Chriſti, in humanitate mea, vnita Verbo participio, vitam Patris mei diuinam; *& qui manducat me, & ipſe viuet propter me*, hoc eſt, ad hunc modum qui vnitur mihi, me in Euchariſtia ſumens, viuêt propter me, id eſt, participabit diuinam vitam meam. Age igitur humanam, celſitudinis diuinæ nimirum auide, ecce occaſionem optimam incurriſti, vt eſſe poſſis ſicut Deus, eo ſcilicet modo, quo poſſibile quidem eſt hac in vita hominem ſimilem eſſe Deo: qui mentienti ſerpenti credidiſti,

Lib. 10. c. 18. *Lib. 4.*

Ioan. 6. 58.

Gen. 3. 1.

didisti, veritatem asserenti, Deo crede, non tibi iam imponitur præceptum, Ne comedas de ligno, quod est in medio Paradisi, quin potiùs præceptum habes comedendi. ibi suspicio, & metus mortis tolli non potuit, licèt serpens oppositum suaderet, & vitæ, quam hostis promittebat, certa esse non potuit; hic verò & omnis suspicio mortis abest. & vitæ certitudo adest: comede, & vives: verbum enim Dei est, & cœlum terraque transibunt, verba autem Dei non
Ioan 6. 59. præteribunt, *Qui manducat*, inquit, *hunc panem, vivet in æternum.*

Nonnulli excusationes prætendunt ex his, quæ Dominus ad bene communicandum requirit. Ad hoc re-
Chrysost. cte Sanct. Chrysost. homil. 61. ad pop. *Dic mihi* (inquit) *si quis rex stratuisset, & dixisset: Si quis hoc vel hoc fecerit, mensæ meæ particeps sit; nonne propter hoc omnia faceretis? In cælum vos vocauit, ad magni regis mensam & admirabilis, & retrocedimus, & cessamus, & non festinamus, nec ad rem accurrimus: & quæ nobis est salutis spes? Non vacat imbecillitatem accusare, non naturam; sola nos negligentia facit indignos.* Ita ille.

Idem Sanct. Chrys. Oratione de Ecclesia Dei, tom. 5. *Vellem quidem scire, quibus rebus operam impendant illi, qui negligunt communionem & qui se hac sacra abstinent mensa. Sed scio, vitæ huius solicitudinibus affixi sunt. Sed si quâ venia digni sunt, qui non pluris faciunt spiritualia, quam terrena? Quisnam enim famulus, quæso, res suæ domesticæ curam fecit vnquam, priusquam herile ministerium expleuerit? Quomodo igitur absurdum non est, inter homines quidem, vbi nudum, & inane est dominationis nomen, tantam reuerentiam, & obedientiam dominis exhibere; cùm verò qui verè non modò nostri, sed supernarum virtutum etiam Dominus est, nec eo quidem ipso, quo conseruos nostros dignamur, cultu dignari. Vtinam fieri posset, vt corda eorum, qui communione se abstinent, aperirem: vtinam posseris vos in conscientias eorum penetrare: tunc fœdè videretis, quàm multis vulneribus feretri sint, quàm multas habeant sphæ.* Ita ille.

Gen. 27. 28. Genes. 27. benedicens Isaac filium suum Iacob, dixit: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine, terræ abundantiam frumenti & vini.* Cur non ait etiam abundantiam olei & olerum, & arborum, & ouium, & armentorum fructus &c. sed solùm panis, & vini? nimirum, quia per panem & vinum, diuinum Eucharistiæ Sacramentum significatum fuit, quod in speciebus panis, & vini nobis exhibet Christus, & huius panis & vini abundantiam tribuit filio secundo & non primo, id est, non populo suo primo Israel, sed secundo populo
S. Theod. Christiano. Ita interpretatur locum hunc Sanct. Theodor. quæst. 81. in Genes. dicens: *Hoc frumentum & vinum, ænigmata sunt diuinorum mysteriorum.* Ita ille. Huius cibi abundantiam tribuit Ecclesiæ suæ Christus, non ita carnium, & piscium, quibus plures egent, & similiter aliorum ciborum corporalium, sed Eucharistiæ, quia hoc magni, illud parui momenti nobis est.

Sed hinc constat plurimorum Christianorum imprudentia magna, quia nesciunt abundare, & abun-
Vers. 5. dantiâ tali ac tanta frui: *Stultus* (ait Salom. Eccles. 4.) *complicat manus suas, & comedit carnes suas*, dicens: *Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore.* Etenim ratio hæc, non viri stulti, sed sapientis esse videtur: prudentior enim est ille, qui paucis contentus, quietem assequitur, quàm qui animi perturbatione bonorum temporalium abundantiam quærit. Sed tamen stultus hîc meritò iudicatur, qui propter pigritiam, & acediam, laborem honestum fugiens, eligit potiùs carnes suas comedere, hoc est, corpus debile reddere, quàm ad sibi necessaria laborare. Sed spiritualiter loquendo, stultus ille est, qui cibi spiritualis abundantiam habens, illâ potiri nescit: si enim abundantia corporalis cibi nocere sæpe solet, abundantia spiritualis cibi valde viris spiritualibus prodest. Ecce igitur abundantiâ panis Eucharistiæ in Ecclesia Dei, & stultus complicat manus, & se tanto bono priuat, cùm facilè illo frui valeat; prudens verò talem occasionem nactus, cum gratiarum actione frequenter tantum sumit cibum.

At, inquies, non me sentio ad illum sumendum præparatum, quis igitur præparationem tibi denegat? præpara animam tuam: in tua enim est potestate: friuola est excusatio ista: in re enim, tanta licèt præparatio difficilis esset, nulla esset rationi opponenda.

Daniel. 10. Daniel in captiuitate Babylonica consti- *Dan.*
tutus, *Panem* (inquit) *desiderabilem non comedi*, &c. quem vocat *desiderabilem panem*? Doctus quidam auctor de panibus azymis ibi agi asserit; *hunc desiderabilem panem* vocat, seu, vt est in originali Hebræo, *panem desideriorum.* Etenim ibi Daniel non videtur agere de azymis, sed de pane delicato seu communiter grato. Sed esto loquatur de azymis, cur ita? quia, sicut idem ait, panem Eucharistiæ significabat, qui verè panis desiderabilis valde est, seu desideriorum in plurali. Quis enim Christianorum non desideret copiosissimâ illâ gratiâ frui, quam communicanti Deus propriè confert? Qui non rursus desideret dulcedinem Spiritus in suo proprio fonte potare? Quis item non desideret sic intimè Christo Domino adhærere? Quis non desideret medicinam hanc suauissimam & efficacissimam aduersus omnia peccata recipere? &c. Nónne meritò panem hunc desideriorum appellabimus? quod si panem illum azymum, eò quòd panis huius figura erat, desiderabilem voluit Deus per os Danielis nuncupari & esse; quantò desiderabilis magis erit vertus panis nostri per illum figuratus? Nunc ad eos qui nullo vel serè nullo huius diuini panis tenentur desiderio, quod in eo ostendunt, quòd vix ad eum recipiendum accedunt: tetenim si desiderarent, si esurirent, frequenter sumerent. Quis enim famelicus ad cibos pretiosos non accederet, si ei gratis & libenter exhiberentur, sicut nobis exhibetur Corpus Domini? Carent igitur fame eius qui non accedunt. Vnde igitur fastidium istud? Vnde dicito mihi est, quòd infirmus fastidio laborans, pectus auis delicatæ ac teneræ, comedere fastidit, & nec ius eius salutiferum sumere valet? nimirum, quia corpus eius humoribus malis abundat. Sic nimirum multi fastidio oppressi, ad Eucharistiam accedere recusant, quia eorum anima, humoribus malis vitiorum abundans, fastidio spirituali laborat.

Mich. 5. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus in millibus* *Mich. 5.*
Iudæ, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel. Non 2.
mirum, quòd multis retrò sæculis prophetizatus fuerit locus tantæ Natiuitati consecratus; quod mirum videri potest, est, cur Christus in Bethlehem potiùs, quàm in Hierusalem, aut in alio nobiliori oppido ipso Bethlehem, voluerit nasci. Verùm Sanct. Bernard. ser. *S. Bern.*
vltimo in vigilia Natiuitatis Christi, ex etymologia nominis Bethlehem, rationem deducendam censet. Vis igitur ex eadem etymologia hoc perpendamus? Bethlehem idem est, quòd domus panis: in domo panis nasci voluit Christus, vt qui eum natum inuenire desiderat, in domo panis eum quærat: domus autem panis non impropriè accidentia sanctissimi Sacramenti esse dicemus: in eis enim, tanquam in domo, panis substantia inest. Est etiam Eucharistia domus panis, illius scilicet, de quo ipse Dominus ait: *Ego sum panis vi-* *Ioan. 6.*
uus qui de cælo descendi, Ioan. 6. Qui ergo Christo Do- 51.
mino eget (quis autem est qui illo non egeat?) in omnibus & ad omnia sibi necessaria in Eucharistia sumpta inueniet illum, æger ad salutem sibi expedientem, dubius ad certitudinem ignorans ad sapientiam, timidus ad fortitudinem, procliuis ad vitia, vt se contineat, &c. qui enim se nobis in hoc Sacramento non denegat, dignè sumenti quid negabit?

S. Ambr.

Sanctus Ambros. serm. 1. *Quomodo se excusare potest qui in die Sacramenti, prandium sibi domi præparans, prandium cælestè contemnit, & ventris curam faciens, animæ negligit medicinam ?* Ita Sanctus Ambros. *y si nò quereis, que dgamos, que menosprecia digamos que precia menos.*

Cur pauciores multò sunt qui Sacramenta frequenter suscipiunt, & qui audiunt verbum Dei ? Sanctus Ambros. serm. 9. de tempore rationem huius sic reddit : *Patrimoniorum suorum compedibus sunt detenti, & terreno quodam obligati sunt vinculo, vt in domum Domini eos venire non liceat, & dum solicitudinem patrimonii sui exhibent, animarum medelam penitus non requirunt.* Ita Sanct. Ambrosius.

At dicet aliquis, tempus non suppetit mihi, & necessitas negotiorum vrget. Audi quid ipsemet sanctus respondeat ibidem : *Quid mihi difficultatem temporis obijcis ? quid necessitatem negotij reprehendis ? si cor habes, intellige, quia omni necessitate maior est necessitas salutis animæ : & vilior est causa, pridie curare vitam, & posteà peculij damna sarcire, ne, dum patrimony augmentum quæris, sentias animæ detrimentum. Vereor enim ne, dum quæritis diutius mundi, mueniatis diutius peccatorum, & repertis thesauris sæculi, cælestes amittatis.* Ita S. Ambros.

Prop. X. *Frequens vsus Eucharistiæ prædestinationis signum est.*

16. Erit firmamentum in terra, in summis montium, superextolletur super Libanum fructus eius, & florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ. locus difficilis, qui facilior ex alijs translationibus reddetur. S. Hieron. ex Hebræo sic transfert : *Erit memorabile triticum in terra in capite montium elenabitur, super Libanum fructus eius, & florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ.* Chaldaica verò translatio, quæ Targum dicitur, sic habet: *Erit placenta tritici in capitibus Sacerdotum, & superextolletur super Libanum fructus eius,* &c. Chaldaica verò translatio Ionathæ, sic : *Erit sacrificium panis in terra in capite montium,* &c. Targum vero Rabbi Akilas, sic: *Erit panis substantificus in terra, in capite montium,* &c. Omnes igitur expositores de Christo Domino hîc Psalmistam loqui affirmant, & communis sacrorum expositorum sententia est, hunc locum de Eucharistiæ Sacramento intelligendum esse. & quidem translationes ipsæ id præseferunt, maximè illa, quæ dicit, placentam tritici futuram super capita Sacerdotum : quibus enim verbis alijs meliùs explicari potuit, & prædici, quod de facto modò in sacrificio Missæ fieri videmus, vbi Sacerdos super caput suum eleuat placentam hostiæ, quæ ex tritico esse debet, & proponit sic eam populo adorandam ? Vnde vt sit salus ex inimicis nostris, ex Rabbinis, qui nobis hostes fidei extiterunt, id probemus. Rabbi Ionathas super hunc versiculum sic ait; *Videat, qui habet oculos, quòd, sicut dictum est, ipse est Messias, de quo loquitur totus hic Psalmus. cùm ergo ait, erit placenta frumenti in terra, in capite montium, vult dicere, quod placenta panis fiet sacrificium in capitibus Sacerdotum.* Ita ille: qui velut nescíens: quid diceret, veritate litteræ compulsus, veritatem Eucharistiæ nostræ comprobauit. Et similiter in cõmentarijs Hebræorum super illo verbo Ecclesiastæ.: *Quid est quod fuit ? ipsum quod erit* ; sic habetur : Rabbi Barachias dixit in nomine Rabbi Isaac : *Quemadmodum fuit redemptor primus (id est, Moyses) sic erit redemptor vltimus. Sicut enim Redemptor primus fecit descendere manna, ita redemptor vltimus: erit enim placenta frumenti in terra.* Ita ille. Vbi obserua, non dixisse, redemptorem vltimum facturum descendere placentam tritici, sicut primus fecit descendere manna ; sed ipsummet redemptorem futurum placentam; quod, etiam nesciens quid diceret, explicauit: nam verè placenta, seu cibus noster, factus est Christus Dominus. Sed iam ad scopum nostrum veniamus, quid ex hac placenta, ex hoc diuino pane proueniat vtilitatis nobis, subdit : *Superextolletur super Libanum fructus eius.* Erat in Palæstina Libanus vberrimus quidam mons cedris & plantis frugifer nimis : ait ergo: fructus spiritualis ex Eucharistia futurus, fructum ex Libano materiali facilè superabit. Nam, sicut iam dictum est, incomparabiles ex hoc diuino Sacramento decerpimus fructus. Quare meritò subdit: *florebunt de ciuitate, sicut fœnum terræ:* quid hoc ? Cassiodorus, *Notandum,* inquit, *est, quod dicit* de ciuitate, *non in ciuitate, quia de ista ciuitate huius sæculi (hoc est, de Ecclesia militante) in illa beatitudine sempiterna florebunt Sancti: hic enim tribulationibus afficiuntur, vt ibi perpetua gratulatione lætentur.* Ita ille. Sed quid est quod ait : *florebunt sicut fœnum terræ?* Iansenius: *hoc est, hi qui futuri sunt huius ciuitatis ciues, florebunt sicut gramen terræ, per fœcunditatem cælestis panis in bonis operibus virentes, & in maxima crescentes multitudine, quemadmodum folet gramen in agro.* Ita ille : & quidem ita nos solemus dicere, *naçe como yerba en el campo, cunde como grama,* sic florebunt saluandi, &c. Hinc igitur colligere licet, multitudinem saluandorum, quos Ioannes Apost. in Apoc. vidit, huic saluifico Sacramento esse tribuendam. Quare qui frequenter Eucharistiam sumit, gaudeat, tanto signo suæ prædestinationis fruens.

Cap. 7.

Prop. XI. *Contra detrahentes his qui frequenter communicant.*

Recte S. Gregorius, *Mos,* inquit, *prauorum est, inuidere alijs virtutu bonum, quod ipsi habere non appetunt.* Ita ille. Ita est: qui enim se ad sumendam Eucharistiam renuunt præparare, alios, qui id præstant, damnant, ne ipsi damnabiles iudicentur. Similes quidem sunt hi Iudæ Iscarioti, qui, pietatis prætextu, de cultu Christo Domino à Magdalena exhibito, cùm vnguentum pretiosum super Domini pedes effudit, murmurauit, dicens: *Vt quid perditio hæc ? potuit enim vnguentum istud venundari trecentis denarijs, & dari pauperibus.* hoc autem, ait Euãgelista, dicebat, nò quòd ipse, dominici sanguinis proditor, vllâ egenorum curâ tangeretur, sed quia fur erat, & loculos habens, quod ponebat, furripiebat. Sic igitur hi sub prætextu maioris reuerentiæ diuinæ, frequentantibus diuina mysteria detrahunt : cùm tamen vel inuidia in causa sit, vel quia socordiam, & negligentiam, propter quam ipsi non communicant, sic tegere & iustificare contendunt.

2. *Dialog.*

Matt. 26. 8.

Quanta verò sit horum cœcitas, facilè patet: quid enim stultius, quàm mirari quòd æger ad medicum pergat, & ad diuitem pauper, ad fontem immundus, & miles pugnaturus ad armamentarium, vbi pugnaturis arma suggeruntur ? Quis te constituit iudicem Sacramentorum ? Deus ipse legem super hac re minimè assignauit, sed, liberalitate regali, sine hac tua limitatione dixit: *Accipite, & manducate,* &c. & tu legem statuis alijs, quâ decernis hoc & non illo tempore illos communicare debere ? Iudicas indignos alios esse ad frequentem communionem, quali tu spirituum proximorum ponderator existas ; cùm dixerit Scriptura : *Spirituum ponderator est Deus,* non tu : ergo cur iudicas alienum seruum ? &c.

Matt. 26. 26.

Prou 16. 2.

Quare qui frequenter communicant, huiusmodi verbis & detractionibus moueri non debent ; sed graiuus sibi damnum reputent communione priuari, quàm detractionibus omnium hominum laccssiri.

Viri quidam de tribu Iuda ad quosdam Israelitas, qui accusabant eos, eò quòd nimis regi Dauidi adhærere videbantur; sic respondérunt : *Numquid comedimus aliquid ex rege ? aut munera nobis data sunt ?* hoc est, num propter emolumentum aliquod temporale adhæremus regi ? nónne ob honorem ipsius Dauidis, & ob amorem nostrum in eum ci adhæremus ? Sic igitur & nos his respondere debemus, qui de nobis ob fre-

2. Reg 19.

quentem communionem detrectant: Num comedimus aliquid ex rege nostro Christo? comedimus quidem eum, & per sacram communionem ei adhæremus: at non quidem propter commodum temporale: qui enim tale commodum quærunt, non in Ecclesia communicando, sed in foro negotiando, emendo, & vendendo quæ ut. Amor igitur in Christum vrget nos, quid ergo causamini vos? nunquid doletis quia quærimus & diligimus Christum?

Non, inquiunt, sed quia ad reuerentiam Christo debitam pertinet, non ita frequenter communicare Quis, quæso, vos huiusmodi reuerentiæ iudices constituit? quotidie communicare non est ex se contra reuerentiam Christi: alioquin fideles Ecclesiæ primitiuæ irreuerenter communicassent, & Christus Dominus non debuisset panem hunc quotidianum appellare. Quòd si ex se irreuerentia non est, quis vobis reuelauit, hîc & nunc frequenter communicantes, irreuerenter hoc præstare, maximè cùm id non faciunt nisi ex consilio seu facultate confessarij? &c.

Prop. XII. *Eucharistiæ sumptio deuincit nos ad hoc, vt linguam custodiamus.*

Sanctus Chrysostomus homil. 30. in 2. ad Cor. *Non vulgari honore os nostrum afficitur; cùm Dominicum excipit corpus; audiant, qui obscœna loquuntur, qui conuicia proferunt, & horrescant, cogitantes quale os dedecorent, ac turpent.* Ita ille. Etenim quod primùm Dominicum attigit corpus, dum communicas, lingua tua est, & tactu diuini corporis Christi velut consecrata est. Quid igitur indignius, quàm linguâ illâ, quâ Christum Dominum attigisti, & sumpsisti, maledicta, & mendacia, & periuria, & obscœna verba proferre? si manu sæculari contrectari corpus Domini non permittit Ecclesia, quomodo tu lingua obscœna tangere audebis illud.

A *retractamus. Aromata ergo in pulverem redigere, est virtutes recogitando rerere, & vsque ad subtilitatem oculi examinis reuocare. Et notandum, quòd de eodem puluere dicitur:* Pones coram tabernaculo testimonij, *quia tunc bona nostra in conspectu iudicis placent, cum mens subtilius hæc recogitando conterit, & quasi de aromatibus puluerem reddit, ne grossum, durúmve sit bonum, quod agitur, ne si hoc arcta retractatio manus non comminuat, odorem de se subtilius non aspergat. Hinc est enim, quòd sponsæ virtus sponsi voce laudatur, cùm dicitur:* Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? *Sanctæ quippe Ecclesiæ sunt virgula fumi ex aromatibus ascendit, quia ex vitæ suæ virtutibus in rectitudinem interni incensi proficit quotidie, nec sparsa per cogitationes desluit, sed se intra arcana cordis in virgæ rigorem consiringit, quæ ea, quæ agit, diu recogitare semper, & retractare non desinit, myrrham quidem, & thus habet in opere, sed pulverem in cogitatione. Et hinc est, quod de oblatoribus hostiæ iterùm ad Moysen dicitur:* Detracta pelle, hostiæ autem in frusta concidant: *pellem namque hostiæ detrahimus, cùm à mentis nostræ oculis superficiem virtutis amouemus: cuius actus in frusta concidimus, cum distinguentes subtilius eius intima, numbratimque cogitamus.* Ita Sanctus Gregorius. Cant. 6.

Genes. 4. *Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti.* Quid est rectè offerre & non rectè diuidere? Sanctus Gregor. 3. Moral. 10. *Rectè offerimus, cùm recta intendimus bonum opus facimus: sed non rectè diuidimus, si habere attentionem in bono opere postponamus, & quod pie agitur, etiam subtiliter non discernatur: oblata enim diuidere, est quælibet bona nostra studia sollicitè discernendo, pensare: nonnumquam enim sit reatus criminis, quod existimatur cauta virtutis.* Ita Sanctus Gregorius: quasi dicat: non solùm quid secundùm se bonum opus est, sed quod etiam pie, & cum bona intentione facimus, vel dicimus, examinare debemus: potest enim aliqua circumstantia claudicare.

B

C

Probat hoc Sanct. Gregor. exemplo amicorum Iob, dicens: Pensemus cuius charitatis opus fuerit, ad amictũ concorditer conuenisse, & quanta virtus longanimitatis extiterit, septem diebus, & septem noctibus, cum afflicto tacuisse, quæ humilitas tot diebus & noctibus in terra sedisse, quæ compassio puluere capita conspersisse; sed tamen inchoantes loqui, vnde se ælimauerunt præmium mercedis acquirere, inde eos contigit reatum reprehensionis inuenire: quia incautiùs pe ad peccati finem vertitur, etiam quod solo studio mercedis inchoatur. Ecce præcipiti locutione perdiderunt bonum, quod tanto pretio mercati sunt. Quanta ergo Dominus animaduersione puniet ea, quæ malo voto perpetrantur, si inchoata bono studio, sed negligentiâ indiscretionis admixtâ inuectione castigat? Vnde necesse est, vt non solùm intueamur quæ agimus, sed etiam quanta cum discretione agamus. Vnde Ierem. 48. dicitur: *Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter.* Bona ergo gesta timeamus, quia sæpe in iusto iudicio Dei culpa deprehenditur, quod virtus censebatur, & vnde expectatur merces, supplicium sequitur. Ierem. 48. D

Prop. I. *Examinanda sunt omnia opera nostra, etiam bona.*

Non solùm sæcularia opera, & quæ aliquam præ se ferunt culpam, verùm etiam quæ recta videntur, examinare debemus, quia examinanda quoque sunt à Deo, dicente: *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* *Psal. 74. 3.*

Sic ad Moysen Deus: *Sume tibi aromata, & stacten, & onychiam, galbanum quoque boni odoris, & thus lucidissimum, faciesque thymiama compositum opere vnguentarij, mixtum diligenter, & purum.* Omnia hæc, quæ Moysi Deus facienda iniunxit, haud quidem mysterio vacant. Quid igitur compositio hæc aromatum designat? S. Gregorius 1. Moral. 39. *Thymiama ex aromatibus compositum sacimus, cùm in altari boni operis virtutibus multipliciter redolemus. quod mixtum, & purum debet esse, quia quantò virtuti iungitur, tantò incensum boni operis sinceriùs exhibetur. Vbi & bene subiungitur:* Cùmque in tenuissimum puluerem vniuersa aromata contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonij. *In tenuissimum puluerem vniuersa aromata conterimus, cùm bona nostra, quasi in pilo cordis, occulta tundimus discussione, &, si veraciter bona sunt, subtiliter* *Exod. 30. 30.* *Ibid. 36.*

EXAMEN.

Prop. I *Examinanda sunt omnia opera nostra, etiam bona.*
2. *Quàm necessarium sit examen.*
3 *Examen conscientiæ plurimùm ad salutem animæ conducit.*
4. *Quàm strictè à nobis exigere conscientiæ rationem debeamus.*
5. *Examen fieri debet etiam de intimis conscientia.*
6. *Ad cognoscendos & corrigendos proprios defectus, plurimùm conducit eos extra nos in aliis considerare.*

23. Pharisæorum, de quibus Christus Dominus : *Omnia opera hæc facimus, vt ab hominibus videamur*; hoc est, plena sunt superbiâ, & vanâ gloriâ, &c.

PROP. II. *Quàm necessarium sit examen.*

SAnctus Bernardus in sententijs. *Nos ipsos nobis ipsis alloqui necessarium est, sicut Propheta regius, qui cum anima sua sic loquebatur* : Nónne Deo subiecta eris animæ? ab ip'o enim salutare meum, *Et rursus*: Quare tristis es anima? & quare conturbas me? *Sic & ego cum anima mea agere debeo, nempe cor meum dereliquit me, & necesse habeo ad me ipsum, imò ad me alterum loqui. Et cui non frequenter necesse est animam revocare tam, admonere rationem suam, & suos affectus connocare? cui opus non est crebrò seipsum verbis convenire, increpare minis, solicitare monitis, & accusationibus vrgere?* Ita S. Bernardus. Vnde id nos facere oportet, quod dominus, qui villico suo dixit: *Redde rationem villicationis tuæ*, &c. melius enim est nos à nobis hanc exigere rationem, quàm expectare tremendum in morte iudicium, in quo Deus vsque ad vltimum quadrantem, rationem nos reddere coget: nam si nos iudicaverimus, non vtique tunc iudicabimur in præiudicium nostrum à Deo: tunc enim iudicium vertetur in præiudicium, nunc verò in remedium nostrum.

PROP. III. *Examen conscientiæ plurimùm ad salutem animæ conducit.*

SAnctus Augustinus in quodam sermone de verb. Domini: *Nihil est quod sic quisque debeat cogitare, nisi vt in semetipsum oculos conjectat, se discat, se dijudicet, se inspiciat, se quærat, & se inueniat, & quod displicet, euellat, & quod placet, aptet, & plantet.* Ita S. Aug.

Sanct. Chrysost. in quadam homil. *Quando recubueris super stratum tuum, & neminem infestum pateris, antequam veniat tibi somnus, profer in medium cor cum conscientiæ tuæ, & reminiscere peccata tua, si quid in verbo, vel in facto, vel in cogitatione peccasti.* Ita S. Chrysost.

Non miror à Sanctis huiusmodi consilium profisci: miror à Philosophis Ethnicis etiam dari. Audi Pythagoram.

Non priùs in dulcem declinet lumina somnum,
Omnia quàm longè reputaueris acta diei.
Quæ prætergressus, quid gestum in tempore, quid non,
Cur isti facto decus absuit? aut ratio illi?

Et quidem non solùm Philosophi consilium huiusmodi adhibuerunt, sed de facto præstiterunt. Scxtius Romanus vir exemplaris fuit, hic (vti refecit. Seneca lib. 3. de Ira, cap. 36.) per singulas noctes hæc tria à seipso exigebat : *Quod hodie malum tuum sanasti? Cui vitio obstitisti: Qua parte melior es?* Et de se ipso ibidem Seneca subdit: *Cum sublatum è conspectu lumen est, totum diem mecum scrutor facta, & dicta mea remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo: quare enim quicquam ex erroribus meis timeam? cùm mihi dicere possim: Vide ne istud amplius facias nunc tibi ignosco?* Ita Seneca. Quis ex nobis Christianis non erubescat, si in se adeo Christiano digna, à Gentilibus se videat superari? Pater, inquis, familias sum, & domesticis rebus implicatus: & illi patres familias erant, & rebus non solùm domesticis, verùm etiam publicis, occupati, Illi, inquies, Philosophi erant, qui huiusmodi morum institutioni vacabant; & tu Christianus es, à quo Deus sanctos exigit mores, vt saluetis, &c.

Quales ergo fructus ex huiusmodi examine colligantur, breuiter sic asserit S. Gregor. lib. 4. Moral. *Qui cogitationes suas in iudicio subtiliter examinandas, cognoscit ante iudicium, vehementer examinat, vt iudex eò veniat tranquillus, quò reatum inuenerit punitum.* Ita S. Greg.

Quod meliùs ex illo 1. Cor. 11. confirmatur, vbi Apostolus: *Si nosmetipsos diuidicaremus, non vtique iudicaremur.* Quod S. Anselm. sic exponit: *Si in diuersas partes actionum, & cogitationum nostrarum oculos mentis circumduxerimus, & de singulis, quæ nos malè fecimus, aut cogitauimus, nos ipsos punitendo districtè iudicaremus, non vtique à Domino iudicaremur.* Et subdit S. Anselm, quomodo ad praxim hoc reducere debeamus; dicens: *Ascendat itaque homo aduersùs se tribunal mentis suæ, & constituat seipsum ante faciem suam: atque ita constituto in cordis iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnisque timor: inde sanguis cordis confitentis per lacrymas profluat, postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur; vt se indignum homo iudicet participatione corporis, & sanguinis Domini. Si tales culpas in se reperiat, verteturque ante oculos eius imago futuri iudicij, & quidquid in se vidcrit, quod à Deo reprehendi possit, & punirì, & ipse nunc in se ipso reprehendat, & punat: peccata enim sine magna, sine paruæ, impunita esse non possunt: quia aut homine punente, aut Deo iudicante plectuntur. Cessat autem vindicta à nima, si conuersio præcurrat humana; quia si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique à Domino iudicaremur, id est, puniremur, vel in futuro sæculo, vel in isto.* Ita S. Anselmus.

1. Cor. 11. 31. Anselm.

Item ad Galat. 6. *Opus suum probet vnusquisque: vnusquisque enim onus suum portabit.* Vbi Sanct. Thom. *Opus scilicet interius & exterius probet, id est, diligenter examinet, quia vnusquisque onus proprium, pœnæ scilicet, vel præmij, portabit pro merito, vel demerito reddendum.* Ita S. Thom. Quem etiam locum vtiliter sic exponit. Sanct. Anselm. *Probet, & examinet vnusquisque opus suum, non alterius, vt Pharisæus Luc. 18. quia vnusquisque in iudicio onus suum portabit, id est, granabitur sarcina peccatorum suorum.* Ita S. Anselmus. Adde quòd hic Apostolus non solùm peccatum probandum dicit, sed opus suum, quantumuis, scilicet bonum sit: fœpè enim contingit, vt, quod nobis bonum apparet, examinari dignum sit.

Gal. 6. 4. S. Thom. S. Anselm.

PROP. IV. *Quàm strictè à nobis exigere conscientia rationem debeamus.*

SAnctus Chrysostomus homil. 43. ad popul. *Est tibi tribunal multum habens emolumentum, intra te constitue super conscientiam iudicantem rationem, & in medium omnia tibi patrata propone, animæ tuæ peccata scrutare, & pœnas exige diligenter, & dic: Quare hoc, & hoc ausa es? & si hæc quidem peccata sua fugiat, alienа vero discutiat; dic ad eam: Non de his te iudico, non pro his venisti te purgatura: quid enim ad te, si ille malus? quare agitur tu hoc, & hoc admisisti? Respondè, & noli alios accusare, tua considera, non aliena: si non habuerit, quod respondeat, sed refugiat, dilania flagellans eam, quasi ancillam insolentem, & quotidie huiusmodi iudicium constitue, & ignis flumen ei propone, & reliqua tormenta. Si dixerit: Hostis ille antiquus me tentauit, me decepit; dic: Nisi tu velis, illa omnia superflua sunt. Quòd si rursum dicat: Corpori connexa sum, carne induta, mundum inhabito, & commoror in terra; dic ad eam: Hæc omnia excusationes, & prætextus sunt: nam ille erat etiam carne indutus, & ille mundum inhabitans, & in mundo conuersans, probabilis fuit: quin & tu ipsa, cùm bene te gesseris, carne circumdata id facis. Quòd si doleat hæc audiens, ne tollas manum: non enim morietur, si percusseris, sed potiùs eam à morte liberabis. Si dcira accusata, dixerit: Ille me exacerbauit; respondè illi: Tibi tamen licebat non exacerbari; illius species me decepit, dicas ei: Sed poteras te continere. propone ei primam mulierem, quæ dixit: Serpens decepit me, nec à crimine liberatam.* Gen 3. 13. *Nolte igitur cùm sis recubitura, acta tunc discute, hoc tibi tempus idoneum, locus, aut cubiculum, hoc & Propheta iussit, dicens: Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini, & paruorum magnas exige pœnas, ne magnis vnquam approximes. si per singulos hos feceris dies, cum fiducia stabis ante illud tremendum tribunal. Paulus ita purus est sactus, & propterea dicebat: Si nosmetipsos diiu-*

Chrysost. Pſal. 4. 5.

dicaremus, non vtique iudicaremur. *Sic Iob filios expiabat : nam qui pro incertis sacrificia offerebat, multò magis certorum pœnas exigebat. Sed nos non ita : nam simul atque reclinati sumus, versamus secularia, ille immundas cogitationes, ille commercia, & fœnora, denique corruptibiles curas. Quid filiam accuratè seruas ; & animam tuam non seruas? oculorum pupillam non sinis modicum ingredi pulueremi ; animam verò tot malorum sarcinam attrahentem, despicaris:* Ita S. Chrysostom.

PROP. V. *Examen fieri debet etiam de intimis conscientia.*

Psal. 4. 5. PSalm 4. sic Dauid ad nos omnes: *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini*, hoc est, non solùm examinare verba & opera quæ per diem dixistis, & fecistis, debetis, priùs quàm somno indulgeatis, verùm intimas cogitationes; siquidem, non solùm verborum, & operum exteriorum reddenda est ratio, verùm etiam cogitationum. Ita explicat S. Basil. in scholijs huius Psalm, dicens: *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Hoc est, in ea quæ per diem praua cogitastis consilia, in cubilibus vestris tempore quietis inquisitionem instituite & castigate. & quare de verbis & operibus locutus non est, sed de cogitationibus praui? ex abundantia hoc dixit ; si namque praua sunt castiganda consilia, multò magis propter verba & opera compungenda est anima.* Ita ille.

S. Basil.

PROP. VI. *Ad cognoscendos & corrigendos proprios defectus, plurimùm conducit eos extra nos in aliis considerare.*

SÆpe fortè examinantes nosmetipsos, vel culpas excusamus, vel neque culpas esse agnoscimus; ideo quidem opus est in alijs res nostras imaginari, vel iam ab alijs effecta considerare: tunc enim amoris proprij periculum, quo etiam defectus nostros amamus, cessat. Vnde Tullius: *Non est incommodum, inquit, ex alijs iudicare, vt, si quid dedeceat in alijs, vitemus & ipsi: sit enim, nescio quomodo, vt magis in alijs cernamus, quàm in nobismetipsis, si quid delinquitur.* Ita ille. Vbi nota illa verba, *fit enim nescio quomodo*, &c. hoc quidem fieri & prouenire solet ex amore sui : amor enim proprius ita mentem hominis excæcat, vt vel ipsa mala, bona esse videantur. ideo nobis in Euangelijs sæpe Pharisæorum vitia proponuntur, vt in eis, tanquam in speculo quodam, ea prospiciamus esse mala, quæ fortè in nobis excusamus, &c.

1. de offic.

EXEMPLVM.

PROP. 1. *Quàm Deo gratum sit exemplum bonum.*
2. *Exemplum bonum quàm vtile sit proximo.*
3. *Exemplum bonum quantum ædificet, & prouocet proximos.*
4. *Exempla vehementer suadent.*
5. *Exempla ad mouendum, & suadendum verbis efficaciora.*
6. *Exemplum bonum quàm efficax sit ad profectum proximorum.*
7. *Superiores maximè curare debent bonum exemplum præbere.*
8. *Exemplum malum quàm inuisum, & contrarium Deo sit.*
9. *Quàm efficax sit exemplum, parentum ad bonum & malum filiorum.*
10. *Quàm perniciosum sit exemplum malum.*
11. *Quàm difficile sit malis exemplis resistere.*
12. *Exempla bona sumere, & mala eustare debemus.*

PROP. I. *Quàm Deo gratum sit exemplum bonum.*

VIdit Ioannes Christum Dominum in medio septem candelabrorum, deambulantem scilicet inter ea, vt ex cap. 2. constat. Candelabra illa quid significabant, textus ille respondet, *Candelabra septem*, inquit, *Ecclesiæ sunt*, Ecclesiæ scilicet Asiæ, hoc est, fideles, qui in illis habitabant. Candelabra verò cur fideles appellet, manifestum est: *Nemo enim accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.* Lucere nos omnes vult Dominus: in Apostolis enim dictum est fidelibus cunctis, Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Quid autem sibi vult Christus in medio candelabrorum deambulans? Sapiens quidam author respondet: Dicitur Christus in medio candelabrorum deambulare, vt meminerint fideles, ex parte Christi copiosum illis auxilium offerri, vt luceant, atque adeo Christum ipsum valde optare, ne illi obsistant, & quoties ipsos veluti candelabra emungere, & oleo augere conetur. Ecce quid operetur inter candelabra; vt luceant, & oleum misericordiæ, & gratiæ fœx, vt semper bene luceant, offert, & emunctorias forcipes secum habet ad emungendas luces. Quid aliud existimas Christum efficere, cùm honorem, aut diuitias, aut salutem, aut filium, aut quid huiusmodi aliud tollit à te? Amabas nimirum hæc, & ideo non ita lucebas, vt oportebat; emungit te Deus, & resecat superflua ista, quæ te lucere impediebant. noli plùs ita diligere, quàm oportet, si non vis illa auferri à te: amor iste superfluus lychnus est, qui lumen tuum, exempli obscurat, amas nimis pecunias, & ideo cleemosynas non facis, malum exemplum alijs præbes, emungit te Deus, & tollit pecunias, vt tollat auaritiam, & superfluum diuitiarum amorem.

Sic ad Dominum Iob: *Posuisti in nervo pedem meum, & obseruasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti.* Tria obseruanda à nobis omnibus ait: Primum est, posuisse Deum pedes nostros in neruo: neruum vocat legem Dei, vti ait S. Thomas, Liranus, Dionysius, & alij. Sicut enim neruus pedes constringit, ne hinc inde vagari possit homo; sic Deus lege sua nos vincit, & constringit, ne ad libitum vias prohibitas perambulemus. quod in magnam vtilitatem nostram vergere affirmauit Spiritus sanctus, Eccles. 6. *Audi, fili, & accipe consilium intellectus, & ne abijcias consilium meum, & injice pedem tuum in compedes illius*, sapientiæ scilicet, & legis Dei. Et subdit: *Vincula illius, alligatura salutis. Esta es nuestra saluaciõ, en estar assi atados de Dios, porque somos vnos locos, y de los atados son los mejor librados.* Secundò ait Iob: *Obseruasti omnes semitas meas*, vbi Liranus: *Omnes actus meos vsque ad minimum considerando.* Semita est via secreta: ait ergo: quæcumque secreta mea obseruasti, hoc est, non quasi per transennam vidisti, sed cum quadam animi obseruatione. Denique, *vestigia*, inquit, *pedum meorum considerasti.* Vestigium significat duo. Primum, est planta ipsa pedis, & ita sensus erit; nihil in me ita infimum, & abiectum est, quod tu non attentè consideres: ea enim quæ nos quasi nihil curantes, nec attendentes, facimus, dicimus, vel cogitamus, tu, Domine, quasi magni facjens, attendis, ponderas, & consideras, vt in iudicio eius rei à me exigas rationem. Secundò importat vestigium id, quod ex pulsu pedis resultat in terra, *la huella, y pisada*, signum illud impressum in puluere, vel luto. Huiusmodi vestigium considerat in nobis Deus: vestigium autem hoc, exemplum denotat nostrum: nam sicut ex gressu resultat vestigium illud, sic ex operibus nostris exemplum bonum, vel malum. hoc igitur est quod maximè attendit Deus in operibus nostris

Iob 13. 27.

Eccles. 6. 24.

Iob 13. 27.

nostris, quale inde proximis exemplum resultet impressum, & expressum in cordibus proximorum. Vbi pondera verbum illud *considerastis*: non enim cursim, & superficietenus exempla nostra intuetur Deus, sed quasi quadam cum animaduersione, & profunda consideratione. Res igitur magni momenti est exemplum: vnde bonum exemplum gratissimum profectò Deo est, malum verò inuisum valde.

A

Cõquerebatur olim Deus per Isaiã dicens ad populum Israel: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorũ longè est à me.* Si quis fortè ex ijs verbis inferat, munditiem, & sanctitatem exteriorem nullo modo esse vtilem, vel necessariam, sed interiorem dumtaxat, decipitur sanè: vtrumque enim Deo Opt. Max. placet, qui corde, & ore simul laudari gaudet. nec verò ille laudes reprehendebat, cò quòd labijs ab eis honoraretur, sed quia ore duntaxat, & labijs laudabatur, corde verò non item. Veruntamen etiam labiorum laude delectatur: quocirca regius ille vates, *Labia*, inquit, *mea laudabunt te.* In augustissimo etiam Dei templo quatuor millia cantorum aderant, qui vocibus, extersisque encomijs, immortalem Deum efferrent. Diuinas quoque mentes audiuit Isaias clamantes, & dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum:* non igitur displicent Deo huiusmodi laudes: vult tamen ipse, vt cordis etiam laudes cum eisdem coniungantur. *Non enim est speciosa laus in ore peccatoris.* Et quidem cùm venustas, ac pulchritudo in ea proportione eluceat, quâ oculi, nares, os, ac reliqua membra inter se connectuntur; ita etiam diuinæ laudis perfectio, decor, ac pulchritudo tunc maximè elucebit, cùm lingua cordi, cor autem operibus coniungitur, vt linguâ, corde & operibus simul, honorem Deo, laudemque deferamus. Alioquin meritò obijciet nobis regius vates: *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* Vtraque igitur laus, & vtroque modo tribuenda est Deo: quocirca cùm Dauid dixisset: *Labia mea laudabunt te*, subiungit: *Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas.* At leuare manus in nomine Domini, idem est, ac leuare manus in honorem Domini, vti explicat B. Aug. *Dum Moyses*, inquit, *leuaret manus ad Dominum, populus deuincebat Amalec: dum verò deponebat, Israel vincebatur; quia dum quis bona operatur, vt cœlestia consequatur, vincitur Amalec, id est, dæmonum turba, sanguinem nostræ perditionis lingens: cum autem deponit manus, id est, pro terrenis operatur, vincit Amalec.* Hæc Augustinus. Leuare igitur manus in nomine Domini, cùm quis eum laudat, idem est, ac labia, cor, & opera studiosa simul complecti, & omnibus his Deum Opt. Max. collaudare: sic enim ille colendus est, neque solùm interiori, sed etiam exteriori cultu laudandus. Vult quippe Deus, vt non solùm animus sit humilis, verùm etiam cultus corporis. Neque satis est, te corde temperatum, ac sobrium esse, sed necessarium etiam est, vt tenui victu contentus, temperatis escis vtaris. Neque etiam sufficit, te nullo interiori odio in proximos affici, sed opus quidem est, vt nec operibus, nec verbis alios lædas. Vult etiam ipse Deus, vt non modò animo, & desiderio omnibus benefacias, sed vt re ipsa egenorum paupertatem tuâ misericordiâ subleues, ægris ac miseris subuenias, & eis, qui in vinculis & squallore carceris iacent, opera auxilioque tuo opituleris, & sic exemplo proximo sis.

B

C

D

26. Præcepit quondam Deus, vt in suo tabernaculo fieret opertorium de pellibus hyacinthinis: neque enim satis esse putauit, si tabernaculum illud, in quo diuinæ legis præcepta continebantur, interiùs auro, gemmisque ornaretur; sed voluit etiam, vt perpulchro illo opertorio tegeretur. Iustus quidem est quasi diuini numinis tabernaculum, in quo Dei leges, ac præcepta custodiuntur; quapropter non solùm interiori sed exteriori etiam pulchritudine, ac sanctitate illud ornandum est.

Hoc idem sibi vult Apostolus, cùm ad Romanos scribens, ait: *Prouidentes bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Prouidentes*, inquit, non satis fuit Apostolo dicere: Operamini quod bonum est coram hominibus, sed prouidentiam requirit: ac si diceret: magna animi circumspectione, & diligentiâ curandum est nobis, rectæ vitæ, morumque documenta omnibus præbere. *omnibus* dixit, quia tam eximia virtute præditi esse debemus, vt omnes cuiuscumque ordinis, generis, & ætatis, possint à nobis virtutum exempla sumere. non tantùm, inquit, coram Deo: sunt enim nonnulli, qui se optimos esse iudicant, si Missæ, sacrisque concionibus interfint, & ad confessionis, & Eucharistiæ Sacramentum sæpe accedant; etiamsi pretioso cultu, ac magnifico victu vtantur, lautitijsque, ludis, & alijs mundanis oblectationibus, perfruantur; Apostolus tamen in omnibus nos eximiæ virtutis viros esse hortatur, vt proindeamus bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, optima eis exempla præbendo. *Rom. 12. 17.*

Dices, huiusmodi lautitias, ludos, ac sumptus eo à te animo fieri, vt tuæ familiæ, & dignitati consulas; non tamen vt his rebus inaniter turpiterve læteris. At satius tibi esset, tuam in hac re timiditatem, animique infirmitatem planè fateri: si enim forti, magnoque animo esses, & mundum ipsum despiceres, non eiusmodi rebus illius causâ inseruires. Caue igitur, ne timidus, ac pusillus sis: displicet enim Deo huiusmodi timiditas. Atque ideirco lepus immundus habebatur olim, ciusque vsus interdictus est Israelitis, quia, vt notauit Glossa, hoc animal ignauum ac timidum est, in quo quidem pusilli, atque inertes animi, qui leporis ignauiam ac timiditatem imitantur, simul à Deo reijciuntur. *Leuit. 11. Deut. 4.*

In his ergo mundanis ineptijs, & vanis, ac perituris huius sæculi rebus abijciendis, tui animi præstantiam, & fortitudinem ostendas, oportet, neque solùm ea, quæ ad interiorem animi affectum spectant, prouidè, sed illa etiam, quæ ad exteriorem cultum, ac proximorum exemplar pertinent. Ore enim, & corde, labijs, & mente, corpore, & animo, interiori, & exteriori cultu, honorandus est Deus, qui nobis os, cor, labia, mentem, corpus, animam, reliquaque omnia donauit, vt proximus hisce ædificaretur.

PROP. II *Exemplum bonum quàm vtile sit proximo.*

SAnctus Chrysostomus homil. 72. ad popul. *Non sibi tantùm Christianum satisfacere vult Deus, fratres, verum & alios ædificare, non tantùm per doctrinam, verùm & per vitam, & conuersationem. Nihil enim sic in veritatis viam inducit, sicut integritas vitæ. Neque enim alij ita verbis nostris intendunt, sicut his quæ à nobis geruntur. Et vt discas, quòd hæc ita se habeant, licèt in infinitum verbis philosophemur, & de tolerantia disseramus, nisi cadente tempore hanc exhibeamus per opera, non tantùm proderit sermo, quantùm nocebit actio; si verò & ante verba, & post, virtutem per opera præstemus, digni censebimur fide, illa commonentes, quæ per actiones etiam implemus. Nam & Christus & hos beatos vocauit, dicens:* Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. *Considera quomodo priùs actionem posuerit, & postea verba: præcedente enim actione, licèt doctrina non sequatur, possunt opera bona luce clariùs docere in nos respicientes.* *Matt 5. 19.*

Priùs igitur factis, deinde verbis doceamus, ne nos quoque Paulum audiamus dicentem nobis: Qui doces alium, te ipsum non doces. *Rom. 2. 21.*

Et cùm aliquem admonere voluerimus, vt necessarium aliquid

quid corrigat; priùs ipsi præstare studeamus; vt curam maiori fiducia admoneamus. Ita S. Chrysost.

Rom 1.5. Ad Rom. 1. *Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum, ad obediendum.* Quid est *ad obediendum?* imò ad præcipiendum, & gubernandum datus est illis Apostolatus: est quippè imperium munus Apostolicum, & Euangelicæ prædicationis: prædicando enim, & gubernando, alijs Apostoli facienda iniungebant. Cur igitur ait, *ad obediendum?* Quia scilicet exemplum melius, quàm verba suadent. Munus Apostolorum erat alijs suadere obedientiam præstare diuinis mandatis, quod melius efficere nequibant, quâ se Deo obedientes exhibendo, humilitas enim humilitate suadetur, & patientia, patientiâ; & obedientia etiam obedientiâ: nam, vti ait Sanct. Bernard. serm. de S. Benedicto:

Bernard. *Sermo quidam viuus, & efficax, exemplum operis est, plurimum facieus suadibile, quod dicitur, dum monstrat factibile, quod suadetur.* Ita ille.

Plutarchus in Moralibus: *Nemo amat vehementer virtutem, nisi qui ardet æmulatione rectè factorum ab alijs.* Ita ille.

Plutarch. B

Genes. 12. 10. Genes. 12. *Facta est fames in terra, descenditque Abraham in Aegyptum, vt peregrinaretur ibi: prævaluerat enim fames in terra.* Cùm Abraham chariſſimus Dei esset, cur tempore famis non ei alimenta prouidit, ita vt illi necesse minimè fuisset, descendere in Ægyptum, terram iniquam, in quam ingredi timuit Abraham, vti ex hoc ipso capite constat. Etenim postea cùm fames iterum oriretur, non permisit Deus Isaac filium eius in Ægyptum proficiſci, & in remedium famis ita illi prouidit, vt ex agro quodam centuplum, quàm seminauerat, collegeret. *Seuit* (inquit) *Isaac, & inuenit in ipso anno centuplum, benedixitque ei Dominus.* Hæc igitur ratione non oportuit eum descendere in Ægyptum. Cur ergo eâdem prouidentiâ non prouidit Abrahæ, sed illum in Ægyptum voluit proficiſci? Theodor. sic respondet q. 76. in Genesim: *Etenim permisit Deus Abraham ingredi in Aegyptum; non quòd eum alere non posset, sed vt Aegyptijs patefaceret viri pietatem & religionem, & illos ad imitandam virtutem Patriarchæ prouocaret.* Ita ille. Adeo quidem potens est exemplum bonorum, vt vel vnius sancti conuersatio toti prodesset regno.

Gen. 26. 12.

Theod. C

Iob 3. 22. Iob 3. de his qui thesauros olim quærebant, ait: *Gaudent vehementer, cùm inuenerint sepulchrum.* Quale gaudium esse potest inuentio sepulchri, & maximè his qui aurum & argentum amant & quærunt? In sepulchro quidem omnia sunt horrore plena: ibi enim quid ampliùs inuenies, quàm fœtorem, vermes & putridas carnes proximorum, & sicca ossa? Respondet

Gregor. Sanct. Gregor. *Antiqui suos mortuos cum diuitijs obruebant. Qui igitur thesaurum quærebat, cùm sepulchrum inueniebat, gaudebat.* Ita S. Gregor. qui moribus hunc locum accommodans, ait: *Sic cum exempla sanctorum præcedentium perscrutamur, quasi ex sepulchro eorum fumimus gaudium.* Ita ille. Iam diu in sepulchris suis iacent Sancti, sed quotidie ex eorum sepulchris fumimus thesauros, cùm eorum exempla consideramus; cum Sancti Franciſci paupertatem meditamur, diuitiarum mundi contemptum eruimus.

D

Isai 40.3. Isai. 40. & Ioan. 1. *Ego vox clamantis in deserto*, &c.
Ioan. 1.23. Cur Ioannes Baptiſta vox appellatur? Cur non dixit interrogantibus quiſnam esset: Ego sum Ioannes filius Zachariæ, sed *vox*, &c. Respondet Beda in cap. 1. Marc. constat Christum Verbum esse Dei Patris, di-

Beda.

Ioan. 1.1. cente Ioanne: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*, &c. *Aduentum itaque præcurrens Christi Ioannes, vox dicitur, quia per eius ministerium Patris diuini Verbum auditum fuit, & ex ipsa nostra locutione cognoscimus, quia priùs vox sonat, vt verbum postmodum valeat audiri.* Ita Beda. Tanta ergo dignitas fuit Baptiſtæ esse Christi præcursorem, vt inde magnum hoc nomen illi præcipuè tributum fuerit, & propterea tot antea fæculis fuerit à magno Propheta Isaia propheta-

A tum.

Est autem & alia ratio moralis: vox enim dictus est Ioannes, quia à planta pedis vsque ad verticem capitis, velut quædam vox sonora, clamabat contra peruersos mundi mores: ieiunio suo magno clamabat abstinentiam contra gulæ deditos; veste illa cilicina clamabat aduersùs indutos veste peregrina; ex antro suo exiguo clamabat aduersùs sumptuosos ædificatores; paupertate sua clamabat aduersùs auaros; humilitate sua aduersùs superbos, & denique pœnitentiâ sua aduersùs delitiosos, voluptuosos, &c.

Genes. 17. sic Dominus ad Abraham. *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.* Hic pro magno reputat Deus multiplicationem gentium ex genere Abraham. Cur ita, cùm ex alijs nationibus etiam barbaris huiusmodi multiplicationem, esse videamus? Procopius, sic respondet, quòd multiplicans multos faciat homines Deus, minimè mirandum est, nam alias gentes præter Hebræos, populosæ extitere; vestor Abrahamus sic multiplicatur, quasi plurimi fuerint Abrahami: nam ex eo plurimi prodiere Sancti imitatores fidei, & operum Abrahæ. Ita Procopius. In hoc igitur beneficium multiplicationis hominum consistit, quòd multi ex eis Sancti futuri sint, qui reliquis in exemplum Sanctitatis essent; ideo ait Dominus: *Multiplicabo te*, non ait, solùm multiplicabo genus tuum, sed *te*, vt scilicet per imitationem tui sint quamplurimi Abrahami.

Genes. 19. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, sedens Loth in foribus ciuitatis, qui cum vidisset eos, surrexit, & adoptauit eis, & adorauit pronus in terram, & dixit: Obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi, lauate pedes vestros*, &c. Lege cap. 18. Genesis, & videbitur eidem ferè verbis & ministerijs inuitasse Abrahamum peregrinos. Et quidem mirum est Loth, qui inter pessimos Sodomitas degebat, eandem hospitalitatem exercuisse, quam exhibuit S. Patriarcha Abraham. Causam autem assignauit ibi Liranus, dicens: *Quia Loth in domo Abraham didicerat hospitalitatem, & ideo circa vesperam venerat ad portam ciuitatis, vt videret, si venirent peregrini, & eos duceret in domum suam.* Ita ille. Abraham quidem ledebat in ostio tabernaculi sui, expectans peregrinos, similiter etiam Loth in porta ciuitatis expectabat peregrinos; Abraham adorauit peregrinos in terra, Loth quoque adorauit eos pronus in terram; Abraham obsecrans eos inuitauit, & Loth etiam; Abraham inuitauit eos ad prandium, & ad lotionem pedum, & Loth eodem modo. Ecce quomodo Loth imitatus est Abraham: & hinc colliges, quàm potens sit exemplum bonum apud eos qui bonæ indolis sunt: siquidem nec malitia tanta Sodomorum prævalere potuit in corde Loth, quò minùs etiam apud illos exemplum Abrahæ sequeretur. Idem ait Abulensis in cap. 19. Genes.

Sanct. Chrysost. homil. 8. in Genes. *Non tam proderunt verba bona, quam nocebunt opera mala. Vnde Christus Dominus:* Beatus qui fecerit & docuerit. *Vide quòd opus præponatur doctrinæ, atque adeo precedente opere etiam, si non sequatur doctrina, sufficiunt opera ipsa magis, quàm vox vila ad docendum eos qui nos respiciunt.* Ita S. Chrysost.

S. Leo Papa serm. 3. Epiphaniæ, agens de stella illa quæ Magos ad præsepe Domini duxit, ei comparat eos qui bonis exemplis lucent: & subdit: *Quicunque in Ecclesia piè viuit & castè, qui ea quæ sursum sunt, sapit, non quæ super terram, cælestis quodammodo instar est luminis; & dum ipse sanctæ vitæ nitorem seruat, multis viam ad Dominum, quasi stella, demonstrat.* Ita S. Leo.

PROP. III.

Prop. III. *Exemplum bonum quantùm ædificet, & prouocet proximos.*

A Postoli, & primi fidei Christianæ parentes, magnos in vitæ Christianæ operibus progressus inter barbaras nationes fecerunt, & non solùm doctrinâ & miraculis populos infidelium ad fidem nostram conuerebant, verùm etiam vitæ integritate, & virtutum heroicis exemplis veritatem, quam verbis docebant, & miraculis confirmabant, illis persuadebant. Audi Sanct. Chrysost. *Non solum signis qui conuertebantur, credebant tunc, sed etiam multi eorum qui accedebant, à vita Apostolorum & fidelium inducebantur.* Luceat lux vestra coram hominibus (*dixerat illis Christus*) vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est: *id præstabant: erat enim cor eorum vnum, & anima vna, & nullus quidem eorum, quæ habebat, dicebat esse proprium, sed habebant omnia communia & distribuebatur vnicuique, prout quisque opus habebat, & vitam Angelicam agebant, & nunc quoque si hoc factum fuerit, conuerteremus vniuersum orbem terræ, etiam absque signis. etenim ipsi magistri tunc in fame, & siti, & nuditate degebant; nos autem multis frui volumus deliciis & otio ac licentiæ; illi clamabant:* Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis vagamur sedibus, *& alij quidem percurrebant ab Ierusalem vsque ad Illyricum, alius autem vsque in Indiam, alius verò vsque in Mauritaniam, & alius vsque ad alias partes orbis terræ: nos autem ne è patria quidem egredi audemus pro Deo, sed delicias quærimus, & splendidas ædes, & omnem aliam abundantiam, Quis enim nostrûm ob proximorum conuersionem esurijt? quis in solitudine fuit? quis longam confecit peregrinationem? quis mortem sustinuit quotidianam? Etenim si quis videbit milites, & duces exercitus luctari cum fame, & siti, & morte, & omnibus malis, & ferre pericula, & tamquam leones, omnia forti & magno gerere animo; sed posteà fieri molliores, & amare pecuniam, & negotiationibus, & cauponatio-nibus deditos esse, & ab hostibus vinci, extremæ esset amentiæ eorum quærere causam. Hoc autem reputemus in nobis, & in nostris moribus contigisse: effecti enim sumus omnibus imbecillores, & vitæ præsenti affixi sumus. Quare, cisi nunc essent signa, quisnam ex externis persuaderetur, cùm sic superemineat virtus? nam signa quidem apud impios & imprudentes homines, etiam in malam veniunt suspicionem: vita autem pura, vel ipsum os diaboli abundè obstruere valet.* Ita Sanct. Chrysostomus.

6. in 1. ad 5.

Idem S. Chrysost. *Sicut homo cœli pulchritudinem aspiciens, dicit: Gloria tibi Deus, quale opus condidisti, ita hominis virtute conspecta, & multò magis idcirco in oratione nostra ducere præcipimur:* Sanctificetur nomen tuum, & *Christus inquit:* Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. *Ita glorificant eum cœli, non voce, sed aspectu admirabili, & gloriam suo referentes conditori; ita glorificemus eum nos, vel potiùs nos magis quam illi, siquidem non ita cœlum & dies & nox, sicut sancta anima glorificat Deum. Quis enim non admiratur, cùm homo eiusdem naturæ particeps, & in medio hominum versatus, adamantis more, ab effectuum examine non frangatur cùm inter ignes ferrumque & bestias adamante fortior perflet, & omnes exuperet pietate? cùm calumnijs inuasus & lassus, pro earum authoribus orat, cùm insidijs circumuentus, in hostes confert beneficia? Hæc & huiusmodi, magis quàm cœlum glorificant Deum. Ethnici propterea cùm cœlum intuentur, non erubescunt, sed cùm virum sanctum conspiciunt, vultum deijcunt, & seipsos accusant; siquidem cùm eiusdem naturæ particeps, longè præstantior sit, multò magis, quàm cœlum terrâ intelligunt, etiam inusti, quòd diuina virtus hæc operatur:* ideo ait: *& glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*

6. in 1. ad 9. ib 9.

Prop. IV. *Exempla vehementer suadent.*

S. Gregor. *Scriptura sacra narrat gesta Sanctorum, & ad imitationem prouocat corda infirmorum, & dum eorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia nostra confirmat, sitque vt minùs mens inter certamina trepidet, quò ante se positos tot virorum fortium triumphos videt.* Ita S. Greg. Ecce causam, quare Spiritus sanctus, qui diuinæ Scripturæ author est, tot actiones, & passiones, & virtutes Sanctorum nobis proponit, vt scilicet eorum exemplis moti, ipsos imitemur, v. g. fidem Abrahæ, obedientiam Isaac, patientiam Iob, castitatem Ioseph, mansuetudinem Dauid, &c. vt sic ad harum virtutum obseruantiam prouocemur, &c. 2. Mor. 1.

Refert Valerius Maximus Themistoclem, auditis facinoribus illustribus Melchiadis ingentes animos concepisse ad similia opera præstanda: & Flauius Vopiscus refert, Alexandrum Magnum facta Achillis ad ea quæ miranda fecit excitasse; & Plut. ait Iulium Cæsarem ideo tam insignem Imperatorem euasisse, quia facta Alexandri Magni præ se tulit. Lib. 5 c. 3.

Hac etiam de causa Lacedæmonij in conuiuijs suis facta præcipua suorum maiorum canere faciebant, quò iuniores ad eorum imitationem excitarentur. *In vita Probi. Lib. 1 Apoph. regum.*

Prop. V. *Exempla ad mouendum, & suadendum verbis efficaciora.*

Qui loci sui necessitate exigitur summa dicere, hæc eadē necessitate compellitur summa monstrare. *Illa vox namque libentiùs auditorū corda penetrat, quàm dicentis vita commendat: quòd, dū loquendæ imperat, ostendendo adiuuat, vt fiat.* S. Greg. lib. 2. Pastor. c. 3.

S. Chrysostomus. *Omni tubâ documenta sunt operum clariora, vitaque munda, ipsa & luce fulgentior, etsi innumeri fuerint deferentes calumniam.* S. Chrysost. in c 5. Matth. Hom 15.

S. Ambros. *Amplius proficitur exemplo, quàm præceptis: quoniam nec difficile, quod iam factum est, existimatur, & vilè quod probatum, & religiosum quod hereditario quodam paternæ virtutis vsu, in nos est successione transfusum.* S. Ambr. l. 2. de Virgin.

Dominus in Euangelio ita dicit: qui fecerit sic, & docuerit sic, magnus vocabitur in regno cœlorum. Audis ergo quoniam præcedit factum, subsequitur doctrina. siquidem benefacere, prima doctrina est. Cessantibus enim verbis, hoc ipsum docet hominem opus optimum, dum videtur: quod etsi voce aures non excitet, virtute corda tamen compungit. Quis enim bonum factum videns non gaudeat, miretur, imitetur, ac veluti tacito magistro vtens, eius exemplo doceatur? Dictis igitur facta præcedunt. imò sine factis dicta nihil prosunt. Nam ideo & Dominus fieri voluit, sic doceri, ne sine bono opere, verborum inutilis esset & superstitiosa iactatio. Melius ergo docemur facto quàm voce. Denique sancti Martyres, etsi voce tacent, factorum virtute nos edocent: etsi lingua silent, martyrij passione persuadent. Vnde, quamuis disertus orator facundiâ suâ me doceat, id tamē quod vtile est mihi, melius disco exemplo sanctorum, quàm asseueratione verborum. Idem ser. 76. mihi P. 770. Matt. 5.

Varro: Euidentissimum docendi genus est, subiectio exemplorū. Varro.

Prop. VI. *Exemplum bonum quàm efficax sit ad profectum proximorum.*

SVnt inter nos multi debiles in virtute, qui ex aliorum moribus ita pendent, sicut hedera ex aliis lignis. Hedera enim, cùm debilis sit, ascendere nequit, nisi adminiculo alterius arboris; adhærens autem arbori, ea subsistente, subsistit, & ea cadente, cadit, ea ascendente, ascendit, & ea non ascendente, non ascendit; sic isti adhæreant oportet alicui, quo ascendente, & crescente, ascendunt, & crescunt in virtute; eo verò cadente, cadunt, & maximè si is, cui adhærent, superior sit: proprium enim est superiorum, normam esse viuendi suis inferioribus, & inferio-

res facilè se accommodant moribus superiorum. quare A
omnium nostrum est ita degere, vt debiles, & inferiores occasionem, & exemplum ex nobis sumant ascendendi, & non cadendi. maximè si súperiores sumus.

Quod etiam exemplo explicauit Plutarchus : Inter litteras nonnullæ sunt consonantes, nonnullæ verò vocales, inter quas hoc discrimen inuenies, quòd vocales per se seorsim sumptæ, rectè proferri possunt, consonantes verò nequaquam : vt enim proferri possint, & aliquid significare, oportet eas cum vocalibus consociare, & tunc rectè proferuntur, & quodcumque voluerís, significabunt, &, secundùm qualitatem vocalium, diuersas pronunciationes, & sonos capiunt, *b* enim iuncta *a*, facit *ba*, iuncta vero *i*, facit *bi*: cum *a* facit sonum grauem, cum *i*, acutum, & ita deinceps. ita se res habet in moribus: sunt enim nonnulli, qui consonantes dici possunt: quippe qui omnem consonantiam suam ab aliis vocalibus, hoc est, sapientibus, & prudentibus, dependentem habent: hi quidem in factis ac dictis talem proferunt sonum, & B
modum, quales fuerint hi quibus sociantur.

Plutarchus in Laconicis : *Agesilaus Lacedæmoniorum rex, si quid effet, quod celeriter per milites confici vellet, primus ipse sub oculu omnium opere aggrediebatur, quò vel pudore ad idem stimularentur. Efficacissimum hoc exhortationis genus, principem facere quod ab aliis fieri velit.* ita Plutarchus.

Prop. VII. *Superiores maximè curare debent bonum exemplum præbere.*

QVamuis quidem omnes bonum exemplum subditis præbere debeamus, súperiores maximè, domini, patrestamilias, & principes id curare debent, nam filij & subditi facilè sequuntur exempla maiorum.

Refert Æneas Syluius lib 3 Commentariorum in res gestes Alphonsi regis, dicens : *Rodolphus Imperator in eo bello, quod contra Ottocarum regem Bohemiæ gessit, cùm fiti* C
laboraret simul cum toto exercitu suo, ferunt à rustico, qui miserabilis potum ferebat, oblatam ei hydriam sicer à plenam. quam cùm ille vidisset, inquit : *Habe tibi vasculum, nam ego exercitui, non mihi sitiebam, sicque abstinentiâ suâ exercitum ad sitis patientiam inuitauit.* ita ille. Si enim exercitus ducem sitim ferre non potuisse vidisset, nec ipse suam sitim ferre volentes, aut valentes, fortè recusassent ab eo. Simile quid refert Panormi. lib. 3. de rebus Alphonsi regis Aragonum, *Cùm fugato*, inquit, *hostium exercitu, sine tentorijs, ac commeatu (siquidem ex inperato aduenerat) pernoctare sub dio cogeretur, familiaris quidam eius raphanum vnum in tam magna militum inopia, & panem vnum cum dimidio caseolo, regi detulit, recusauit accipere; Non decet, inquiens, imperatorem tiuno exercitu manducare.* ita ille.

Prop. VIII. *Exemplum malum quàm iniustum, & contrarium Deo sit.*

D
SAnct. Bernardus serm. 1. in Conuersione S. Pauli: *Si Christus proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur grauiorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo perniciosó, scandali occasione auertit ab eo animas, quas redemit? quàm à Iudæo, qui sanguinem eius fudit? Agnoscite dilectissimi, & expauescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum, horrendum penitus sacrilegium, quod illorum videtur excedere facinus, qui Domino maiestatis manus sacrilegas iniecerunt. Videbatur iam cessasse persecutionis tempus, sed, vt palam factum est, nunquam deest persecutio Christiano, sed neque Christo, & quod grauius est, ipsi Christum persequuntur, qui ab eo vtique Christiani dicuntur.*

Prop. IX. *Quàm efficax sit exemplum parentum ad bonum & ad malum filiorum.*

Si delibatio sancta est, & massa; & si radix sancta, & rami. Vbi Theodor. *Necesse est fermento massam, & radici ramos assimilari, sic parentibus filios.* ita ille. Vnde sicut fermento corrupto, corrumpitur massa, & vitiata radice, vitiantur & rami; sic vitiatis parentibus, mirum valde si non vitiantur & filij, quia parentes radices sunt filiorum. & filij rami parentum sunt. Vnde S. Petrus Chrysol. serm. 111. *Parentis vitium, est filiorum exitium. Numquid non in semine arbor tota? vitium ergo seminis, vitium est arboris totius.* ita ille.

Rom. 11. 16. Theod. Simile.

S. Petrus Chrys.

Prophetabat olim Saul inter Prophetas, & admirans exclamauit populus, dicens. *Quidnam res accidit filio Cis? & quis pater eorum?* seu, vt habet textus Græcus, *quis pater eius?* ac si diceret : Si pater eius nunquam prophetauit, nec ad tantam dignitatem merita eius eum perduxerunt; quomodo vel vnde tantum meritum filij vt prophetet? tanta quidem est similitudo meritorum & morum inter parentes & filios.

1. Reg. 10.

1 Reg. 17. videns Rex Saul Dauidem iuuenem cum gigante Philistæo congredientem & vincentem & gloriosè triumphantem, animi fortitudinem & nobilitate admiratus, dixit ad Abner, *De qua stirpe descendit hic adolescens?* & rursus ad Abner : *Interroga tu cuius filius sit iste puer*, & tandem ad ipsum Dauidem : *De qua progenie es tu adolescens?* cui tam sollicitus inquisitor generis Dauid fuit Rex Saul? nimirum, quia tam ingentem virtutem, & animi celsitudinem, non tam à natura quàm à generositate parentum habuisse eum existimauit.

1. Reg. 17.

Gen. 22. dubitari soler, quænam fuerit excellior obedientia, Abraham, an Isaac, cùm iubente Deo pater filium iugulare voluit : sacra autem Scriptura sic patris obedientiam profert, vt nec obedientiæ filij vllam faceret mentionem. Cur ita? nimirum, quia filij obedientia, & patientia, educationi patris tribuenda erat, & propterea quidquid laudabile in moribus filij elucebat, à patre procedebat, & quia à tali patre talem processisse filium non mirum esset.

Gen. 22.

Iudic. 13. decreuerat Deus, Samsonem à vino abstinere omnino, sed priùs matri eius imperauit talem seruare abstinentiam; quare inquies? Respondet Montanus *quia* (inquit) *plerumq; efficitur, vt matrum affectiones filij iam infantes imitentur & sequantur.* ita ille.

Iudic. 13.

Iosue 7. peccauit Achan contra præcepium Dei, iubentis, nullum Israelitem quidquam sumere ex rebus Iericó; & tamen, sicut notauit Lira. non solùm punit morte ipsum Achan, sed & filios eius. Alij ex Hebræis aiunt, non constare ex littera sacra filios periisse, sed solum Patrem; adduxisse verò Iosue filios Achan in locum vbi pater puniendus erat: quomodocumque sit, hoc quidem manifestum est, voluisse Iosue filios Achan adesse morti patris, vt inde addiscerent omnes filij, mores iniquos patrum non imitari.

Iosue 7.

Prop. X. *Quàm pernicioſum sit exemplum malum.*

OCcidit Ioab Amasam, & dimisit eum mortuum in quadam via, *vidit hoc quidam vir*, (ait Scriptura) *quòd subsisteret omnis populus ad videndum eum, & amouit Amasam de via in agrum, & operuit eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum. Amoto ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Ioab, ad persequendum Seba filium Bochri.* Ecce vnicus mortuus in medio viæ impediebat transeuntes, ne sequerentur ducem suum Ioab. Mortuus quidem est quilibet peccator: nam homo per malitiam occidit animam suam. *Cometer vn peccado mortal, es atrauessarse vn punnal por el corazon del almaz y dexar el alma muerta en cuerpo viuo.* Vnicus autem

2 Reg. 20.

autem sic mortuus coram alijs, subsistere facit eos, ne A viam suam bonam prosequantur, & ne ducem suum Christum sequantur. sic vnicus peccator in vna domo sufficit maculare suo pessimo exemplo omnes condemesticos suos; imò & vnus ciuis conciues suos, quia vnum malum pecus inficit omne pecus: potentius enim est malum exemplum ad nocendum, quàm bonum ad proficiendum. sic in religione vnicus religiosus infectus sufficit ad reliquos omnes inficiendos.

Vnde rectè Theognides Philosophus, & Poëta, vti refert Arist. 9. Ethic. sic admouebat:

Te coniunge bonis, & ab his bona plurima disces,
Cum prauis viuens, tu quoque prauus eris.

Iunta os con buenos, y sereys vno dellos, tollatur defunctus iste de medio viæ, ne reliquos, qui bene ambulant, subsistere faciat. Vigilent superiores, & nec vnius tantùm malum permittant exemplum, si totius communitatis sibi commissæ noluerint perniciem expetiri. Vnde, *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam*, nimirum quia procliues homines sunt ad honorem, & gloriam; superbi autem sunt, qui B vehementi affectu honores, & gloriam mundi quæsierunt. Facile autem est eius exemplum sequi, & sectari, qui, quod ego conquiscо, me suo docet & monet exemplo: cùm autem natura nostra lapsa procliuis ad malum sit: *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, facillimo negotio nos ad malum mala inducunt exempla. Sicut igitur qui tangit picem facilè inquinatur ab ea, sic qui communicat cum superbo, induit superbiam, & qui communicauerit auaro, & irato, induet auaritiam, & iram, &c. Ergo sicut qui vult non inquinari à pice, fugit eam; sic qui noluerit induere vitia, fugiat vitiosos.

Cùm Ioseph princeps iam & gubernator Ægypti esset, patrem ad se vocauit, vt secù degeret in Ægypto; 45. apparuit Dominus Patri dicens: *Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere, descende in AEgyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego adducam te inde reuertentem.* Hinc colligitur, quòd Iacob in Ægyptum proficisci timebat. Quid timebat? manifestum est, timebat consortium Ægyptiorum: infideles enim illi erant, & iniqui, sciens quam pernicioſa cunctis sit de se societas iniquorum.

Imò ipsemet Iacob, cùm morti proximus esset, adiurauit filium suum Ioseph, dicens: *Pone manum tuam sub femore meo, & facies mihi misericordiam, & veritatem, vt non sepelias me in AEgypto.* Cur ita? nónne ipsius nomen celebre iam erat in Ægypto, & Ioseph filius honorificum sepulchrum condere poterat ibi, cùm Ægypti princeps esset? quia (vt inquit Oleaster) non solùm in vita, sed etiam in morte, consortia malorum fugere volebat: adeo sancti peccatorum societatem abhorrent, & nos abhorrere docent.

Cùm secundùm Aristotelem bonum commune, sit bonum diuinius; quanta sit pernicies mali exẽpli, constat: nam exemplum malum, non solùm nocet danti, sed etiam vniuersæ communitati: est enim velut scabies, vel potiùs sicut pestis, quæ inficit omnes. Etenim medici morbos, quos euellere penitus nequeunt, ex- D trinsecus ad corporis cutem extrahunt; at in morbis animi, & in moribus corruptis, oppositum prorsus facere oportet: nam exteriùs deducti plùs nocent: in secreto verò manentes, solùm habenti nocumento sunt.

Quamuis Deus peccatum adulterij condonauit Dauidi, nihilominus filium ex adulterio natum occidit, cur ita? si remisit delictum Dauidi, cur non etiam pepercit vitæ filij? S. Theodoretus respondet, ideo Deum occidisse filium Dauid, vt pariter extingueretur malum exemplum, quod per adulterium exhibuerat Dauid populo Dei. moriatur filius adulterinus, vt moriatur cum eo adulterij exemplum malum: sæpe enim videntes filium illum, recordarentur homines criminis Dauid, & adulterij, dicerent: quid mirum si nos adulteri simus, cùm Rex noster & qui Propheta est, & Deo deuotus, huiusmodi crimen commisit, vti filius hic, ex adulterio genitus, semper hoc attestetur? tollatur igitur, ait Dominus, hoc malum exemplum, licèt pariter cum eo filius Dauidis tollatur, &c.

Agens Dauid de filijs Israel, *Et commixti*, inquit, *sunt* *Psal. 105.* *inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & immolauerunt filios suos & filias suas dæmonijs, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.* non potuit magis augeri efficacia mali exempli, supponamus filios Israel in materno lacte Dei fidem bibuisse, & in veritate religionis veræ enutritos educatosque fuisse, quos ob id magistros veritatis & lucis esse debuisse his qui in tenebris & vmbra mortis sedebant: hi ergo sunt, qui inter cæcos & ignorantes Chananæos degentes, non solùm eos ab errore non reuocarunt, verùm etiam ab eis errores biberunt, & perditè hauerunt. Et quod mirandù amplius est, didicerunt & sumpserùt ab eis, nõ quæ delectabilia & carni suauia esse solent, quæ sæpe dulcedine sua mentẽ euertere solent; sed didicerunt ab eis errores circa fidem, & religionem, & relicto vero Dei cultu, seruù erant sculptilibus infidelium illorum. imò quod natura ipsa abhorret, videntes Chanæos illos peruersos, & irrationales, iugulare filios suos, & filias suas manibus propriis, & immolare illos dæmonijs, etiam hoc didicerunt. Si conuiuia & ludos, & delicias, & lasciuias corũ didicissent; non ita mirum: ad hæc enim propensa est natura lapsa; at filios Israel, filios Patriarcharum, filiosque sanctorum, didicisse à Chananæis barbaris seruire idolis, effundereque sanguinem propriorum filiorum, & offerre illos dæmonijs, quî fieri potuit nimirum *didicerunt opera eorum*, hoc est, exempla Chananæorum id effecerunt: tanta est efficacia exemplorum.

Psalm. 1. *Beatus vir qui non abyt in consilio impiorum.* Consilium impiorum, est peccatum, sicut consilium *Psal. 1. 1.* bonorum est secundùm virtutem operari; iuxta id, *Consilium meum iustificationes tuæ*; sic consilium impiorum est, impiè operari. Beatus igitur, ait Dauid, qui *Psal 118.* non solùm non stetit in peccato diu, verùm neque *24.* transeunter, momentaneum peccatum committit. Hanc primam beatitudinem constituit Dauid inter multas, quæ in Psalmis prædicauit. post hunc beatum illum dicit, qui semel iam cecidit, & non stetit, non demoratus est aliquamdiu in peccato, sed statim, quasi qui eundo cecidit, resurgit; secundum id, *Numquid qui dormit, non adijcit, vt resurgat?* quasi dicat, quis tam *Ps. 40. 9.* mentis inops fuerit, quòd cadens non statim surgat? quod in casu corporali ita se habet, quantò magis in casu spirituali, vbi casus turpior, & nocumentum incomparabiliter maius.

Post hunc autem, ille beatus, qui, si ceciderit iam & steterit, non tamen ita, vt ibi manere, & sistere velit vsque ad malum exemplum. Nosnine igitur *cathedræ pestilentiæ*, malum intelligit exemplum, vt ait Hugo de *Victor.* sancto Victore lib. sent. c. 1. *Vbi tum* (inquit) *ecclesiæ ca-* *Simile.* *thedra pestilentiæ fit, quando pranum opus, in exemplum veniens, plures corrumpit.* Obserua igitur quàm aptè malum exemplum cathedram pestilentiæ dicat: sicut enim pestilentia facilè & efficaciter omnes illos corrumpit, qui adhærent; sic malum exemplum facilè & efficaciter nocet: si enim bonum exemplum omnes plùs multò, quàm verba suadere affirmant; quid malum exemplum, cùm sensus & cogitatio hominis ad malum *Gen 8.* prona esse Deus ipse affirmet? quod de virtute non *21.* asseruit, imò omnes in arduo sitam esse dicunt, &c.

S. Chrysl. l. de Prouidẽtia Dei: *Si etiã sine exemplo mala* *Chrys.* *homines per se facile inueniunt, quid non facturi existimentur, si plurimorum exemplo ad pernicioſos actus incitarentur.* Ita ille.

1. Cor. 5. 6. Apostolus Paulus Corinth. carpit, quod peccatórem quemdam non castigauerint ; caepropter ad eos scribens, ait : *Nescitis quòd modicum fermentum totam massam corrumpit?* hoc est, sicut modicum fermentum corruptũ, quamuis modicum sit, totam quantitatem massæ, quamuis magna sit, destruit, & corrumpit; sic exemplũ malum quamuis vnius tantùm sit, vrbis totius corrumpere mores valet. Sic igitur S. Chrysost. hom. 10. de Pœnitentia, locum explicat Pauli: *Modicum fermentum, &c. ait Paulus : quod autem dicit, tale est, vltrà graditur malum, atq; reliquis se ipse explicat membris, & veluti de communi malo consulentes, curare vos decet. Neque id mihi subieceris, quòd ille solus peccauit, sed illud considera, quòd sanes quadam est peccatum, reliquum corporis depopulans, veluti domo ardente, etiã illi, qui nondum male deducuntur, vbi, qui in malo sunt, molestiã non minori premuntur, & vniuersa conferunt, ne vrgens ignis ad ouium inualescat domos ; sic & vos Paulus excitat dicens: Pyra quadam est, pranciuamus malum, extinguamus incendium, priusquam omnes inuadat. Si negligeris peccatum, cò quòd in alio existit, malè quidem tibi : ille enim membrum totius corporis est ; si pigritaueris, te quandoque etiam comprehendet. quare si non fratris, tui tamen curã excitetis, reprime pestem, amputa depopulationem.* Ita S. Chrys.

Similo. A

Chrys. Idem S. Chrys. hom. 13. ad pop. *Nemo mihi dicat, quòd inter vos multi correcti sunt à peccato : hoc enim non est, quod quæritur ; sed vt omnes, quousque hoc non videro, resipiscere non possum. Pastor ille centum oues habebat, & vnã amissa non sensit de nonaginta nouem salute delectationem, donec perditam inuenit, & gregi restituit. Non cernu & in corpore hoc fieri? si enim vel vnguem solùm offendentes subuertimus, totum corpus condolet membro. Ne hoc igitur mihi dicas, quòd pauci relicti sunt, qui non sint correcti, sed illud considera, quòd isti pauci non sunt correcti, & multos alios corrumpunt. Etenim apud Corinthios vnus erat fornicatus, & tamen tantùm gemebat Paulus, tanquam tota perdita ciuitate, & meritò : sciebat enim, quòd illo non correcto vitium serpens inuadaret alios.* Ita S. Chrys.

Similo. B

C Cur ex sexcentis hominum millibus, qui ex Ægypto in terram promissionis exierunt, duo tantùm, Iosue videlicet & Caleb, ad terram promissionis peruenerunt, & reliqui omnes in deserto perierunt ? numquid propter infirmitates corporales ? Nequaquam, cùm dicat Psalmista Ps. 104. *Non erat in tribubus eorum infirmus.* Cur igitur? S. Chrys. *Vt qui Palæstinam erant occupaturi, mala quæ erant in Ægypto, non vidissent, & vt tanta improbitatis nullum magistrum haberent.* ita ille. Videbant enim in Ægypto ritus magnos, & multos idololatriæ, & mores peruersos ; & quia exempla mala valde animis inhærent, ne tales magistri vitiorũ filiis suis nuntiarent mores illos pessimos Ægyptiorum, terram illã Dei cultui dicatam prohibuit eos possidere. Vnde hi solùm qui in deserto nati fuerunt, in Palæstinam sunt ingressi, quippe qui ritus illos malos non viderant oculis suis.

Vers. 37. S. Chrys. C

Omnes miramur ruinam Angelorum, qui scilicet fieri potuit, vt tertia pars Angelorum periret, & in dæmones conuerteretur. Causam assignat Scriptura dicẽs: *Draco traxit secum tertiam partem stellarum*, id est, Lucifer qui supremus Angelus erat, causa fuit tantæ ruinæ. At dices: quonam pacto? Numquid verbis multis Angelicis & rationibus plurimis illos seduxit? nequaquam, sed pessimo exemplo superbiæ suæ, ad similem superbiam illos concitauit. ita S. Thom. 1. p. q. 63. art. 8. dicens: *Peccatum primi Angeli fuit illis causa peccandi, non quidẽ cogens sed quasi quadam exhortatione inducens.* ita ille. quasi quadam exhortatione inducens, hoc est, non exhortatione, sed malo exemplo, quod quasi quædam exhortatio est, illos inducit : quòd si illustrissimos illos spiritus, qui magna luce intellectus pollebant, sic malum exemplum deturbauit, quid apud nos homines ignaros malum aliorum exemplum non poterit præstare?

Apoc. D

S. Thom.

Prop. XI. *Quàm difficile sit malis exẽplis resistere.*

PSalm. 11. *Saluum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus*, &c. Orauerat alibi Dauid simili modo, dicens: *Saluum me fac, Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam, infixus sum in limo profundi, & non est substantia, veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Hîc rectè, & propriè, saluum, inquit, me fac, nam ipse erat hîc, qui periclitabatur. In persona Domini Saluatoris ad litteram orauit in hoc Ps. 68. Dauid, in persona Christi diram illam suam passionem patientis, vti communis opinio tenet cum S. Hieron. & S. Aug. Sed quomodocunq; fit, salvari hic petit qui in periculo versatur, illique congruũ est dicere: *Saluum me fac*, sicuti Mat. 8. discipuli Christi in periculo naufragij consistentes, dixerunt Domino: *Domine salua nos, perimus.* Attamẽ nõ ita Dauid, sed propter defectum sanctorum in mundo, dicit : *Saluum me fac, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filijshominũ.* His quidẽ qui à sanctitate deficiunt, & à quibus diminutæ sunt veritates, conuenit dicere: *Saluos nos fac*, non verò Dauidi, qui se in officio cõtinebat; imò & ipsi quoque: nam inter eos degere qui à sanctitate defecerunt, & à veritate, periculosum est valde, & veluti in mari procellis agitato nauigare efficax enim ad malum, est exemplum malũ & timere meritò potuit ipse Dauid, quantumuis sanctus, & propheta Dei, & dicere: *Saluum me fac*, &c.

Vers. 1. Vers. 2. Ps. 68.

Prop. XII. *Exempla bona sumere, & mala euitare debemus.*

SVnt quidem nonulli, qui, licèt plurima bonorum exempla ad sui ædificationem conducentia, videant, his omissis prauorum exempla ad damnationẽ suam auidiùs imitentur : hi similes sunt cucurbitulis, quas medici infirmorum venis applicant, quæ omisso sanguine puro, & sano, sanguinem putridum, & infectum fugunt : sic enim hi peccatores, & mali, relictis bonorum exemplis, malorum referunt mores.

FAMA.

Prop. 1. *Quantâ prouidentiâ Deus tueatur famam bonorum.*
2. *Peccatores quàm sint famâ indigni.*
3. *Quàm conducant ad famam, & ad bonum nomen, boni mores.*
4. *Qualis erit vita, talis erit & fama.*
5. *Fama quàm exile bonum, & quàm angusti limites, etiam dum latissimè est diffusa.*

Prop. 1. *Quantâ prouidentiâ Deus tueatur famam bonorum.*

VM fama bona bonum non exiguũ reputetur, magnâ quidem prouidentia & curâ famam suorum defendit Deus. Matth. 1. Quærunt authores sacri, cur voluerit Deus de matre nasci desponsata, cùm ex virgine elegisset nasci. Respondet S. Ambr. lib. 2. in Lucam, *Ne matri* (inquit) *temerate virginitatis aduretur infamia, maluit Dominus de suo ortu, quàm de matris pudore dubitari.* Ita sanctus Ambrosius: altam hanc ponderationem aduerte.

S. Ambr.

At dices: Quid mirum? mater enim Dei erat Maria. Ita quidem, sed & famulorum suorum non dissimilem valde curam habet Deus, vti videre licet in sancto Iob, cuius bonum nomen denigrauerant tres eius amici, asserentes propter delicta euenisse illi diuersa illa grauia, ad quos ideo sic Deus Iob 42. *Iratus est furor meus, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob:* & subdit: *Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Vide quàm honorificè de Iob loquutus est Deus. Cur, inquies, non orationibus illorum remisit, vel promisit Deus veniam, sed

Iob 42. 7.

opio. sed Iobi? Respondet Olimpiodorus in catena Græca A trium Patrum super Iob: *Voluit Deus vt Iob iniuriarum oblitus, pro persecutoribus oraret & impetraret, vt ipsimet virtutis Iobi testes essent.* ita Olimpiod.

20. Idem dicendum de Abraham: nam Genes. 20. Rex Abimelech malam de Abraham concipere poterat opinionem, virumque subdolum, & mendacem censere; eò quòd vxorem suam Saram sororem dixerat esse; quam ob causam eam sibi in vxorem accipere voluerat; propter quod à Domino vapulauit, & insuper sic
9.7. ad eum Dominus: *Redde viro vxorem suam, & orabit pro te, & viues.* Dei curam vide circa famam viri iusti, vt
hryſ. ponderat S. Chryſost hom. 45. in Genes.

Idem patet in Moyse, quando propter detractionem Aaronis fratres sui, & Annæ sororis Moysis opinione maculabatur.

PROP. II. *Peccatores quàm sint famâ indigni.*

16.1. LVc. 16. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ* B *& byſſo.* Cur Dominus diuitis huius nomen non dixit, pauperis verò Lazari expressit? quod præter vsum esse videmus: in mundo enim diuites & nobiles sunt viri famosi; pauperũ autem nomina ab omnibus ignorantur; diuites in pretio habentur, pauperes pro nihilo reputantur, & despiciuntur, vti obseruauit Salomon
ſ. 9. Eccles. 9. num. 24. & Ecclesiasticus cap. 13 num. 28. vbi dicitur: *Diues loquutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent: pauper loquutus est, & dicunt: quis est hic?* Dominus verò hic pauperem proprio nomine nominauit, diuitẽ verò nequaquam, cur ita? Ratio in promptu est, dives ille peccator & malus erat, pauper verò iustus & bonus; more autem Dei pecca-
ſ. 4. tor nomen non habet, Psalm. 15. *Nec memor ero nominum illorum per labia mea*; de iustis verò quamuis pauperes
24. sint, ait Psal. 71. Dauid: *Honorabile nomen eorum coram illo.* Perpendit hoc rectè S. Palin. epist. 31. dicens: *Eorum diuitum, quorum vel crimina vel suppliciа in Scriptura signata* C *sunt, nomina significata non sunt quia sine dubio indigni erant vt diuino sermone nominarentur. Talia igitur nomina in Euangelio non scribuntur, quia nec in libro vitæ continentur; labia sua diuina iustitia pellit noluit nominibus impiorum, & ide reo diuitum illorum, de quibus.* Luc. 12. & 16. & Matth. 1. mentio fit, nomina non exprimuntur. ita S. Paulin. In mundo quidem nomen habet dives, quamuis peccator
9.7. sit, dum scilicet viuit; sed post mortem (sicut ait Dauid) *perit memoria eorum cum sonitu*: nam & ipse mundus, quos adulationibus viuentes extollit, mortuos vitupe-
tem. rat, & contemnit, & eorum obliuiscitur in æculum sæculi. Hæc rectè explicuit S. Vincen. Ferr. 5. post Dominicam 2. Quadragesimæ, similitudine ista: *Falco, dum vi-*
1. *uit, honoratur multum à domino suo, & in manu eius portatur, & diligentes seruet ei, & carnem ei prebet ad manducandum manu propria: gallina verò, si modicum apposita ad comedendum micas, quæ cadunt de mensa domini, expellitur flatim: sed tamen in morte è conuerso gallina ponitur in mensa domini inter duos catinos, & falco proficitur in sterquilinium; ita in mundo diues, sicut falco deliciosè & honorifice viuit; pau-* D *per verò sicut gallina, nec appropinquare audet diuitiis domui; quando verò moritur pauper, anima eius deportatur coram Domino inter duos catinos; sed dives mortuus sepelitur in inferno. Et ecce cur Christus prius nominauit pauperem, quando loquebatur de alta vita.* ita sanctus Vincentius.

PROP. III. *Quàm conducant ad famam & ad bonum nomen boni mores.*

GEnes. 17. sic Dominus ad Abraham: *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham,* &c. Quid quæso intererat Abraham vel Abram nuncupari? S. Hieron in quæstionibus Hebraicis sic ait:
17. Hieron. Dicunt Hebræi quòd Deus ex nomine suo, quod *tetragrammaton*, addiderit litteram, h nomini Abrahæ. ita S. Hieron. quo suppositio, videndum est, quid inde; multum quidem: nam Dei nomen valde honorificum, & gloriosum est Dauid Psalm. 8. *Domine Dominus*
Psal. 8. 2. *noster, quam admirabile est nomen tuũ in vniuersa terra,* &c. Aliquam igitur partem nominis sui tribuere Abrahæ, est gloriosum valde facere nomen eius in terra, *dante buen nombre, y buena fama en el mundo*: quod magni momenti esse notum est, sibi videlicet, & aliis, & Deo gloriosum: quia hoc bonum nomen ex virtute & sanctitate proficiscitur. atque ideo idem est dicere, Abrahæ dedisse Dominum litterarũ vnam ex nomine suo, ac dicere, velle Deum facere Abrahamum sanctum virum, quo bonũ acquireret nomen ac bonam famam: vt, sicut de Deo dicimus: Sanctum est nomen tuum; sic de viro sancto dicamus etiam, sanctum est nomen eius.

PROP. IV. *Qualis fuerit vita, talis erit & fama.*

MAtth 16. sic ad discipulos suos Christus: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* hoc est, qualis Matt. 16. 13. est fama mea apud homines? quale nomen meum inter eos? cui discipuli: *Alij Ioannem Baptistã, alij Eliam, alij verò Hieremiam aut vnum ex Prophetis.* Cur ita? S. Hieron. S. Hier. *Superuacaneum existimabat causas errorum inquirere singulorum, sicuti nonnulli expositorum faciunt: sed tamen inquisitio eorum nõ nullum emolumentum habet ad rem nostram spectans.* Quidam ergo dicebant de Christo Domino, esse Ioannem Baptistam, quia Baptista erat prædicator veritatis, ita vt nec Principibus parceret, Matth. 3. *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere a ventura ira?* Imò & regi ipsi Mar. 3. 7. dicebat Mar. 6. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Sic etiam Christus liberè arguebat peccantes, quamuis ipsi Mar. 6. primarij & principes essent Synagogæ. Sic Matth. 12. 18. ad illos: *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui cùm sitis mali?* & rursus: *generatio mala, & adultera signum* Vers. 34. *querit.* &c. & Matth 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hy-* Vers. 27. *pocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ deforis parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia* Lege c. illud. 23. Matthæi, & videbis. quàm acriter reprehendebat illos, & Herodem regem vulpem appellauit Lucæ 13. Hac igitur ratione eum Ioannem existimabant esse. Alij autem Eliam; quam ob causam? quia Elias magno zelo propter peccata populi cælum clausit, ne plueret super terram; sic Christus zelo honoris Dei Patris sui, accensus irà contra eos qui domum Patris sui speluncam latronum faciebant, flagello è templo eiecit; quanto verò zelo id præstiterit, intelligi potest ex loco illo Psalm. 68. *zelus domus tuæ comedit me.* Quem locum de zelo isto ipsi Christi Apostoli interpretati sunt, vt constat ex c. 2. Ioannis, ideo Eliam eum vocabant, alij verò Ieremiam, quia Ieremias fleuit super Hierusalem, sic & Christus lamentabatur super Hierusalem, imò & fleuit c. 19. Lucæ. Denique vnum ex Prophetis, quia sicut Propheta eximius, prædicabat, monebat, docebat, arguebat, & miracula faciebat, & ventura prædicebat. Vides quomodo fama & nomen ex operibus procedit? si enim opera fuerint bona, & fama ipsa bona erit; si verò mala, mala etiam erit.

Quòd si peccator apud omnes malè audit, vnicũ remediũ eius erit mutare mores. Vnde Glossa interlinearis super caput Genes. 17. vbi Dominus mutauit nomen Gen. 17. Abrahæ ex bono in melius, ait: *Mutato affectu, mutatur* Glossa. *& nomen.* ita Glossa. muta & tu affectus cordis malos in bonos, bona opera faciens, & mutabitur nomen tuum ex malo in bonum.

PROP. V. *Fama quàm exile bonum, & quam angusti limites, etiam dum latissimè est diffusa.*

Simpl. ad 1. Enchirid. Epictet.

VAnitatem Famæ prodit in primis, quòd illa in alienis iudiciis existat, vt sæpè probat: Simplicius his verbis.

Existimatio de nobis non sita est in nobis, quamuis occasiones quasdã ei præbeamus ipsi, sed in ijs qui de nobis existimant, pensa enim eos est, existimanti; quidquid velint, Itaq; sæpe cum nunc impiè violemus, & sibi ipsi, & aliis, religiosi videntur. Contraque alij qui honestius & magnificentius de numine sentiunt & humana quædam, & impiè facta de eo profiteri recusant, à nonnullis impij existimantur: & frugi homines, quidam bardos existimant; ita nec gloria nostri arbitrij est sed illorũ quibus hoc aut illo modo sentire de nobis libuit. Angustiùs verò Famę limites exponit Boetius. *Hoc vnũ est quòd præsentes quidẽ naturã mentes, sed nondum ad extremam manum, virtutis perfectione perductas, allicere possit gloriæ se. cupido, & optimorũ in Rempublicam Fama meritorum, qua quam sit exilis, & totius pondus vacua, sic considera. Omnem terra ambitũ, sicuti astrologici demonstrationibus accepisti, ad cœli spatium, punctì constat obtinere rationẽ: id est, vt si ad cœlestium globi magnitudinẽ conferatur, nihil spatij prorsus habere iudicetur. Huius igitur tam exiguæ in mundo regionis, quarta ferè portio, sicut Ptolomæo probante deliciti, quæ à nobis cognitis animantibus incolatur; huius quartæ, si quantum maria, paludesq; premunt, quantumq; situ vastæ regio distenditur, cogitatione subtraxeris, vix angustissima mihi habitãdi hominibus area relinquetur. In hoc igitur minimo, punctì quodã puncto circumscripti, atq; concluse, de perualgandæ famæ, de proferendo nomine cogitas? at quid habet ampium magnificumq; gloria, tam angustis exigisq; limitibus arctata? Accede quod hoc ipsum breuis habitaculi septum, plures incolunt nationes linguæ, moribus totius vitæ ratione distantes: ad quas tum difficultate itineratum, tum commercij insolentia, ne loquendi quidem, non modo famæ hominũ singulorum, sed ne vrbium quidem peruenire queat. AEtate denique Marci Tullij, sicut ipse quodam loco significat, nondum Caucasum montem Romanæ Reipublicæ fama transierederat & erat tunc adulta; Parthi etiam, cæterisq; ita loco ũ gentibus formidolosa. Videsne igitur quàm sit angusta, quàm compressa gloria, quam propagare, ac dilatare laboratis? an vbi Romani nominis transiere fama nequit, Romani hominis gloria progreditur? Quid quòd diuersarum gentiũ mores inter se, atq; instituta discordãt, vt quod apud alios laude, apud alios supplicio dignum iudicetur? quo sit, vt si quem fama tradeatio delectat, huic in plurimos populos nomen prosire nullo modo conducat. Erit igitur peruagata inter suos gloria quisq; contentus, & intra vnius gentis terminos præclara illa Famæ immortalitas coarctabitur.* Pergit deinde ab angustiis loci ad angustias temporis. *Quam multos clarissimos sui temporibus viros scriptorũ inops deleuit opinio? quamquam quid ipsa scripta proficiunt, quæ cum suis auctoribus premisi longior, atq; obscura vetustas? Vos autem immortalitatẽ vobis promittatis, & videmini, cum futuri formam temporis cogitatis. quòd si ad æternitatis infinita spatia protrahes, quid habes quod de tui nominis diuturnitate lætaris? vnius enim momenta, si decem millibus conferatur annis, quonia ptrumq; spatium definitum est, minimam luet, habet tamen aliquã proportionem. At hic ipse numerus annorum, eiusq; quantumlibet multiplex, ad interminabilem diuturnitatem ne comparari quidem potest. etenim finitu ad se inuicem, fuerit quadam: infiniti verò atque finiti, nulla vnquam poterit esse collatio. Ita sit vt quantumlibet prolixi temporis fama, si cum inexhaustã æternitate cogitetur, non parua, sed planè nulla esse videatur.* His similia habet Antoninus. *Forsitan gloriola te sollicitũ tenet? respice quã celerrimè omnia obliuione deleantur? Quod fit chaos infiniti vtrinq; æui, quàm inanis fama sonus, quanta inconstantia & incertitudo opinionum humanarum; quàm arcto includantur hæc omnia loco. Quippe punctũ est terra, atq; huius ipsius quam perexiguus angulus habitatur? quot vero sunt in ea ipsa, aut quales illi, qui te sint laudaturi? Et paulò pòst num. 14. Qui fama post mortem cupiditate ducitur, nõ cogitat quemlibet eorum, qui ipsius mentionem sint facturi, mox ipsum etiã morituram: deinde itidem cum qui huic succedit, idq; eousq; dũ omnis memoria per attonitos inani fama extinctosque hominet propagata, aboleatur. Quin etiam finge immortales fore eos qui tui recordentur, immortalem? tui futurum memoriam. Quid ergo id ad te, ne dicam, mortuũ? quid vel viuo tibi laudi erit? ?*

Antonin. lib. 4. de vita sua num. 4.

Idem plenius explicat Tertul cum Ethnicis disputans famã de Christianis sparsim iactantibus. sic ergo ipse: *Fama malum quo non aliud velocius vllum.*

Tertul. Apolog. c. 7.

Natura fame omnibus nota est; vestrum ist? Cui fama mendacium? quia velox? quia index? an quia plurimum mendax? quæ ne tunc quidem, cùm aliquid veri affert, sine mendacio venit? detrahens, adijciens, demutãs de veritate. Quid quòd ea illa conditio est, vt nonnisi cùm mentitur, perseueret, & tamdiu viuat, quamdiu non probat? siquidem vbi probauit, cessat esse, & quasi officio nunciandi functa, rem tradit: exinde tes tenetur res nominatur. Nec quisquam dicit vbique hoc Romæ actum factum: aut fama est illum prouinciam fortitum; sed fortitus est ille prouinciam; & hoc factum est Romæ. Fama nomen incerti, locum non habet, vbi certum est. An verò fame credat nisi inconsideratus? quia sapiens non credit incerto. Omnium est æstimare quamuiscunq; illa ambitione diffusa sit: quantacumque assentatione constructa, quòd ab vno aliquando principio exorta sit; necesse est deinde in traductes lmguarum & aurium serpat; & ita vno ore omnium primum illud os mendacium feminauerit; quod sæpe fuit, aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non nouæ, sed ingenta quibusdam mentiendi voluptate. Bene autem quod omnia tempus reuelat, testibus etiam vestris prouerbijs atque sententijs, ex dispositione naturæ, quæ ita ordinauit, vt nihil diu lateat, etiam quod fama non diffulit.

Famam plerique per opera aucupantur, vide Zoherner promontorium malæ spei p. 550.

Famæ bonæ habenda cura. vide Reeb. Regulæ Prudentiæ, p. 2. l. 154.

FAMES.

PROP. Vnica. *Fames est ingens tentatio, seu probatio fidelitatis nostræ in Deum.*

PRobatos nos esse oportet, vt approbati simus à Deo, vt pater in Abrahamo, de quo Mathathias, *Abraham nonne in tentatione inuentus est fidelis, & reputatum est ei ad iustitiam?* hoc est, inde probatus, quia probatus bene fuit: & subdit de Ioseph: *Ioseph in tempore angustiæ suæ custoduit mandatum, & factus est Dominus Ægypti, &c.*

Gen. 22. Mach. 2. 52.

Deuter. 8.

Inter probationes verò non infimum, nec mediocrem gradum tenet, tentatio famis, & vehemens vrgentia eius. *Graues domine sunt (ait Philo) fames, & situ.*

Exod. 16.

Vnde cùm in deserto deficeret panis filijs Israel, sic ad Moysen & Aaron locuti fuerunt: *Vtinã mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate, cur eduxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem hanc?* Vide quàm grauis molestia extiterit illis fames, vt mori potiùs & perire sic inter inimicos illos capitales voluerint in Ægypto, quàm famem illam pati, pergentes in terram illam desideriabilem promissionis.

Thren. 4. 10.

Quod etiam constat ex verbis lamentationum Ier. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatis famis,* non ait tempestatis, sed, *tempestatum*, quia fames mille instar maris, concitat tempestates, *son vientos desechos y turatanes peligrosos los que le vantan en el coraçon, la hambre.*

Matth. 15.

Hic cùm fame discipuli Christi laborarent (nõ enim à discipulis Christi alienum est famem pati) cœperunt in satis vellere spicas ad manducandum in die quodam festo: quod cùm Pharisæi quidã viderent, dixerunt Christo: *Ecce quid faciunt sabbatis, quod non licet?* quibus Dominus: *Legistis quid fecerit Dauid, quãdo necessitatem habuit, & esurijt ipse, & qui cum eo erant; quo modo introiuit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis manducauit, quos non licebat manducare, nisi sacerdotibus, & dedit eu qui cum eo erant.* quasi dicat; fames si vrget, non respicit ita strictè leges: *no guarda la ley la*

la chambre, in priuilegios sacros , ni Dios le obligana a Dauid entonces. Vnde non mirum si fame oppressi discipuli mei die sabbati spicas vellant, ad fedandam famem: famis enim vexatio eximia est.

S. Theodoret agens de causa, ob quam adorauerunt Iosephum fratres eius, ait: Manipulorum somnium denotat futuram frumenti causâ adorationem ; siquidem frumenti gratiâ in Ægyptû profecti fratres, secundùm prophetiam eum adorauerunt: ita illi pro viribus quidé fategerunt, fratrem non adorare , & ea propter eum in cisternâ miserunt , & vendiderunt Ismaelitis triginta nummis: sed tâdem nescientes adorauerûnt fratrem, & nihil ob aliud, nisi famis causâ. Quod quidé hodie sæpissimè contingit : multi enim egentes, diuitibus & optimatibus seruiunt , & eos adorant , vt famis necessitati succurrât. dico ergo, grauis est famis vexatio, & tortura.

Hinc est quòd hostis noster, vt Christum Dominum tentaret, famem eius expectauit , vidensque illum esurire, accessit ad tentandum, veluti dicens: Ecce tempus ad vincendum eum aptum; nam cibi sacra fames quid non mortalia pectora cogit? Hinc ego primò inferam, quàm crudeles & prorsus inhumani sint diuites, qui, vt multas sibi accumulent diuitias , pauperes opprimunt fame, secundò, quàm misericordes & pij è contrario sint, qui pauperum fami succurrunt.

Sed, quod ad rem attinet, hinc , qui famem patiuntur, animaduertant, se graui tentatione pulsari , & dæmones occasionem talem nactos , vehementer hos vrgere, vt per fas & nefas à tali se necessitate liberent . & defendant. hinc enim tot in republica videmus ob famis molestiam in maxima labi peccata: hic ad vsuris se cõuertit, ille ad simonias; hic ad illicitos contractus, ille ad furta , & rapinas , & mulieres multæ hinc meretrices efficiuntnr. Audite. qui fame laboratis, in bello vos esse considerare, & dæmones circum circa vos obsidere, vt deturbent à gratia in peccatum , à peccato in pœnas sempiternas; viriliter agite , & confortetur cor vestrũ, pro fidelitate in Deum pugnare , valeat apud vos amplius Deum non offendi. quàm vos fame perire. si enim peccatis famem fugitis, famem æternam non effugietis. Videte diuitem illum Epulonem petentem aquæ guttam , nec in sempiternum inuenientem , quid illi prosunt quotidiana conuiuia sua? melius est esurire , quàm vri, imò si in Deum speratis, & fideliter tentationi resistitis famis, ipse vobis necessaria prouidebit : fidelis est Deus fidelibus sibi. *tacta*, inquit Dauid, *cogitationem tuã in Dominum, & ipse te enutriet.* Nec vidit, qui hoc dixit, iustum derelictum, nec semen eius quærens panẽ, &c.

FAMILIARES REGIS.

PROP. Vnica. *Familiares regis non sibi soli, sed simul alijs regia bona velle debent.*

3. CHaritas non quærit quæ sua sunt. Si charitas bene ordinata incipit à seipso , quare , inquit Apost.
3. *Nemo quærit quæ sua sunt?* S. Thom. *Intelligatur*, inquit, *cum præcisione , idest , non quærit quæ sua sunt , neglectis bonis aliorum: nam qui diligit alium sicut seipsum, bona aliorum quærit sicut bona sui ipsius.* Ita ille , hoc igitur animaduertere oportet diuites , & primarios eros , & maximè regum ac principum familiares : his enim periculum instat quærendi quæ sua sunt, quòd si apud ipsos locum habet charitas Christiana, non quærent, quæ sua sûnt tantùm, sed etiam quæ aliorum.

Luminaria cœli , quæ à sole lucem accipiunt , non sibi reseruant lucem , sed eam vniuerso communicant orbi. Est quidem princeps in suo principatu velut sol in cœlo , ab eo familiares eius lucem splendoris sui, & bona recipiunt temporalia. Sicut igitur noluit Deus vt astra cœli sibi reseruent lucem à sole mutuatam ; sic etiam minimè vult , vt diuites , & familiares regis, sibi detinent bona à rege sibi donata.

Sic Apostolus : *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Gratia Dei est, diuitem hominem esse, & honoratum , & primarium virum , & in dignitate constitutum : oportet igitur illum libenter huiusmodi sibi gratiam datam, fratribus administrare, & familiarem regis, gratiæ, quam apud regem habent , alios participes facere. Nec dicere nos possumus quod Israelitæ regi Dauid, cùm à viris Iuda in regem assumptus fuit: *Quare te furati sunt fratres nostri viri Iudæ?* furari dicitur eum qui aliena rapit, vel qui communia alijs attribuit, & appropriat sibi. Rex quidem persona publica, & cõmunis omnibus est, familiares verò , qui quærunt quæ sua solummodo sunt, id quod generale & commune est appropriant sibi, regem sc. ipsum: nam sibi tantùm volunt illũ beneficum esse. Rectè igitur illis dicere valemus: Quare te furati sût fratres nostri, & familiares tui?

Apostolus Iudas Thadæus, cùm audisset à Christo Domino : *Qui diligit me, diligetur à Patre meo , & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum* ; interrogauit Dominum, dicens: *Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?* Leontius, & Theodorus hoc in loco , ex amore in Christum existimant promanasse interrogationem istam , ex eo quòd Iudas Thadæus vellet Christi gloriam omnibus esse conspicuam: possumus & nos addere, ex charitate Christiana hoc etiam prouenisse : charitas enim Christiana , *benigna est, non æmulatur, non est ambitiosa , non quærit quæ sua sunt* : vnde non vult sibi regem furari Deum, &c.

Hinc in transfiguratione Christi de beato Petro, ibi loquente, dictum est, *nesciebat quid diceret*, quod minimè dictum est de Elia & Moyse ibi pariter loquentibus: quia nimirum Petrus dicebat Christo: *Bonum est nos hic esse faciamus hic tria tabernacula , &c.* quasi approprians sibi & alijs familiaribus Christi , ibidem existentibus Regem ipsum cœlorum : Moyses autem & Elias loquebantur de excessu , hoc est , de passione, quam pro mundo vniuerso passurus erat in Ierusalem, & ideo de Petro dicitur, *nesciens quid diceret.* Oportebat enim gloriam Christi cunctis media passione communicari : de Moyse verò, & Elia nulla talis profertur nota, sed laus. Sic etiam Apostoli , cùm clamantem Chananæam viderent, ad Christum Dominum conuersi, dicebant: *Dimitte eam, quia clamat post nos.* Apostoli Christi familiares erant: sic igitur regum familiares agere debent.

FERVOR SPIRITVALIS.

PROP. 1. *Magno cum feruore, & solicitudine Deo seruire debemus.*
2 *Quantum Deo placeat feruor spiritualis.*
3 *Quàm meritorius sit feruor spiritualis.*
4 *Feruor spiritualis est signũ hominis in gratia existentis.*
5 *Quàm ad salutationem conducat feruor spiritualis , tepiditas è contrario.*
6 *Deus sæpe pluris facit feruorem nostrum, quàm opes nostras.*

PROP. 1. *Magno cum feruore, & sollicitudine Deo seruire debemus.*

QVinque virgines fatuæ sapientibus dixerunt : *Date nobis de oleo vestro , quia lampades nostræ extinguntur.* Quibus illæ oleum denegarunt. Cur negarunt? nónne hoc alienum à Christiana charitate esse videtur ? causam ipsæ pronuntiarunt : *Ne forte non sufficiat nobis , & vobis, ite potius ad vendentes.* Quid sibi hæc parabola velit , videamus. Oleum hîc vigilantiam , & diligentiam importat , vti exponit Origenes in hunc locum , & non incongruè ; nam oleum ad vigilias deseruit his qui studio, vel alteri huiusmodi operi nocte vacant. vnde cùm laborem amittimus , oleum , & operam dicimur perdidisse. Oleum igitur hîc vigilantiam , curam, solli-

citu-

citudinemque in diuino seruitio, importat: sollicitudi- A
nem verò hanc ita procurare debemus, vt hac in re ne-
mini cedamus. Poteſt pauper diuiti cedere in eleemo-
ſynis largiēdis, infirmus ſano in iciunijs, & pœnitentijs;
at in ſolicitudine, ac diligentia diuini obſequij, omnes
reliquos excedere enrare debent, & hoc pacto oleum
ſibi reſeruare, *en deſuelo y a Eeco para las coſas de Dios no*
ha de dar ventaja a hijo de madre, quien ſe precia del ſieruo
ſuyo qui oleo ſito vocat, fatuus appellatur.

S. Ambroſ. lib de Abraham cap. 5. *Non ſatis eſt bene-*
facere, niſi matures, quod facias. ita ille. Hoc eſt, non ſatis
eſt bona opera facere in obſequium Dei, niſi bene, &
debitè perfeceris ea; bene autem Deo noſtro ſeruit, qui
diligenter ea operatur, & cum feruore. inde Paulus,
ad Rom. 12. 11. poſtquam dixit, *ſolliciti dine non pigri, ſpiritu feruentes,* ſub-
dit, *Domino ſeruientes. Para vn domino ſeruientes dos veçes*
ſolicitud y ſeruor.

Matt. 6. 10. Quod & ipſe Dominus in oratione Dominica deſi-
gnauit in petitione illa, *Fiat voluntas tua ſicut in cœ'o, & in*
terra; hoc eſt, ita voluntatem tuam exequamur, & tibi B
ſeruiamus nos homines in terra, ſicut Angeli hoc effi-
ciunt in cœlo; Angeli autem quomodo voluntatem
Dei perficiant, conſtat ex Pſalm. 103. vbi ſic ad Domi-
num Pſalmiſta: *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & mini-*
ſtros tuos ignem vrentem. Quem locum ſic interpretantur
Theodoretus ibidem, & Sanct. Thomas in cap. 1. ad
Hebr. Facis, vt Angeli miniſtri tui habeant velocita-
tem ſpirituum, id eſt, ventorū, & efficaciam ignis vren-
tis, & ita ſint veluti venti quidam ſpirituales in diſcur-
rendo, & veluti quidam ignes diuini in operando.
El viento que ligero es! da alcance a las mas ligeras
aguilas, y aun ſe las dexarà atras. y el fuego que aſtuto!
que efficas! que preſto! como ſe vee en vn Coete, y mas en
vn barril de poluora, y en vn tiro de artilleria. Hoc igi-
tur modo ſunt Angeli in exequendis mandatis Dei,
imò & velociores, *ſon como el penſamiento*, & ita vult
etiam Deus nos illi obedire, & ſeruire. quod in ani-
Ezech. 1. 14. malibus Ezechielis expreſſum habemus, de quibus C
ſic: *Animalia ibant, & reuertebantur in ſimilitudinem*
fulguris coruſcantis. Ibant, inquit, & reuertebantur,
& ſicut equus fidelis, qui ad nutum dirigentis &
ſeſſoris in hanc & illam partem flectitur, & reflecti-
tur, ambulat, currit, volat, & gradum ſiſtit, *vn caballo*
obediente al freno, que alatiendo de vnas riendas buelbe, y
rebuelbe, anda, corre, buelua y para como el giente quiere.
Talia erant animalia illa, tales & ſerui in illis adum-
brati, nihil cunctantur, nihil non faciunt ſumma cum
celeritate. vbi fuerit impetus ſpiritus Dei.

Gen. 18 6. Vis animal aliquod ſanctum huiuſmodi videre?
Abraham tres illos peregrinos inuitans, *Feſtinaut*, in-
quit Scriptura, *ad tabernaculum, & dixit Saræ: Accelera, &*
fac ſubcinericios panes, & ipſe ad armentum cucurrit, & tu-
lit vitulum tenerrimum, & optimum, & dedit puero, qui
feſtinauit, & coxit illum. Ponderat Origenes diligen-
tiam horum, *Abraham*, inquit, *currit ad armentum, Sara*
accelerat facere panes, puer feſtinat coquere vitulum, nullus
deſidioſus in domo ſapientis inuenitur. ita ille. Sed quod
in dubium verti potuit, id eſt, cur ad nouos illos pe-
regrinos, & pauperes, tantam adhibuerit diligentiam
ſummus ille Patriarcha? Si principes illi fuiſſent, quid
amplius efficere potuiſſet? Adhibuit quidem diligen-
tiam tantam; quia non peregrinis ſolùm, ſed Deo ſe-
uire ſe exiſtimabat: nouerat enim verum id eſſe, quod
Matt. 25. 40. poſt ſæcula multa Chriſtus Dominus affirmauit, *quod*
vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Deo igitur in pe-
regrinis illis ſeruiebat. Deo autem ſic impigrè, deuotè,
ac feruenter ſeruiendum eſt.

Nec mirum: quis enim noſtrùm pigrè, & obſcitan-
Cap. 22. 29. ter vult à ſeruis ſuis ſibi miniſtrari? *Videlit*, inquit Eccle-
ſiaſticus, *virum velocem in opere ſuo: coram regibus ſtabit, nec*
erit ante ignobiles. Viſtes algun criado muy diligente, y acudido
a los mandados, a eſſe no le ſaltarà amo, que los Reyes ſe pro-
curen del ſeruir ſe dello. Hos viros diligentes, & veloces
in operibus ſuis, quærunt homines, quid mirum ſi tales
etiam Deus quærat?

In principio creauit Deus cœlum & terram, Genes. 1. Gen.
Quid eſt, *In principio creauit Deus cœlum & terram*? cele-
ritatem creandi ſine dubio ſignificauit Moyſes, dum
in principio cæleſtia & terreſtria aſſerit eſſe creata, non
inquam, longo temporis interuallo, ſed in ipſo tem-
poris principio. Expoſitio hæc Iunilij Epiſcopi eſt, di- Iunil.
centis: *Quem initio conditionis mundum creaſſe narrat, tanta*
celeritate operationis omnipotentem eſſe declarat, cui voluiſſe,
creaſſe fuit. ita ille. Et S. Ambro. lib. 1. Hexameron c. 3.
In principio, inquit, *Deus creauit, vt intelligerent homines,*
quàm incomprehenſibilis operator eſſet, qui tantum opus bre-
uiſſimo momento ſic abſoluerit, vt voluntatis affectu, fi-
ſum temporis præueniret, nemo operantem videt ſed operatum
agnouit, tam velociter, vt neque voluntas operationi præcurre-
ret, nec operatio voluntati. ſic S. Ambroſ. Idem S. Gregor.
Nyſſen. in Hexam. dicens: *Aquila pro* in principio, *verſe*
in ſumma fecit Deus: ſignificat igitur Moyſes Dei ſimul omnia
feciſſe, principii enim & ſummæ æquè declarans ſimul. ita ille.

Quòd ſi Deus Opt. Max. ita celeriter conſumma-
uit ea quæ in noſtram vtilitatem cedebant, quid nos
facere oportet in his quæ ad eius obſequium ſpectant?
quo, inquam, feruore? quo ſpiritu? qua celeritate Deo
ſeruire debemus, qui tali tantaque prompti tudine vni-
uerſa hæc bona mundi nobis ſic creauit?

Cant. 2. ſic Dei ſponſa, anima feliciter ſancta: *Dilectus* Cant.
meus mihi & ego illi, verbum deeſt, ſuppleuit S. Bern. ſer. S. Bern.
67. in Cantica, dicens, ſic intelligendū eſſe, *Dilectus meus*,
intendit, *mihi & ego*, intendo, *illi*. Vbi obſerua non dixiſ-
ſe, *ego dilecto meo, & ille mihi*, ſed. *dilectus meus*, primùm
mihi, deinde *ego illi*; vt hoc loquendi modo, celerus Dei
auxilium in nos, quàm obſequium noſtrum in illum
cognoſceremus; ille præuenit nos in benedictionum
dulcedinis, noſtrorum bonorum curam gerens, & nos
tardè acediosèque ei obſequemur? Quid dico, Deus
præuenit præuenit quidem & concomitatur, & conſe
quitur ſemper quod S. Bernard. ſer. illo 67. in Cant. ſic
ad notauit, dicens: De præuentione loquitur Propheta,
dicens (Pſal. 58.) *Deus meus miſericordia eius præuinit me*, Pſal. 58.
& iterum (Pſ. 78.) *Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia* Pſal. 78.
pauperes facti ſumus nimis; de ſubſecutione verò (Pſa 22.)
Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Pſal. 22.
Pulchrè autem ſponſa priùs ait, *dilectus meus mihi*, &
poſtea hæc eadem verba non eodem modo ponit, ſed,
ego dilecto meo & dilectus meus mihi, (Cant. 6.) *Curitat nem-*
pe vt tunc magis gratia plenam ſe probet, cùm totum gratis de-
derit, primas ſcilicet partes aſcribens & vltimas. hæc Sanct.
Bernard. Si ergo Deus ſic ſollicitè nobis attendit, erit
ne par nos illi deſidioſè cooperari, & deſeruire?

Audi quid dixerit Dominus ſancto Iob c. 38. *Num-* Iob 38.
quid mittes fulgura, & ibunt, & reuerentia dicent tibi, adſu- 35.
mus? Quænam ſunt fulgura iſta? S. Greg 30. Mor. 3 & S. Greg.
4. c. miniſtros verbi Dei eſſe affirmat: ſunt qui ad reli-
quos ſanctos viros hoc extendant. Cur autem eos ful- D
guribus comparet, conſtat: fulgura enim ſubitò cùm
apparent, vndique lucent, & veluti in inſtanti fulgore
ſuo totum hemiſpherium repſere ſolent. Tales quidem
ſunt veri Dei famuli, cùm Deus eis aliquid iniunxit; nā
quaſi velocitate fulguris, Dei monita perficiunt. Mittit
ergo Deus fulgura, & eunt, dum ad ea quæ Deo pla-
cent, velut fulgura citiſſimā pergunt. *van a lo que Dios*
quiere, como vnos relampagos velocisſimos. Notanda verò
ſunt verba illa, *& reuertentiæ dicunt: adſumus.* Vbi Sanct.
Gregor. *Quid eſt dicere Deo, adſumus? quoddam quidē in hoc* S. Greg.
verbo obſequium declaratur. ita ille. Ita eſt, prompti tudi-
nem quidem & alacritatem animi præferunt verba
iſta: quaſi hæc fulgura dicant: Fecimus quæ iuſſiſti,
iube vlteriùs quod placuerit: tuum quippe eſt iubere
nobis, noſtrum parere tibi. Septuaginta interpretes
loco illius verbi *adſumus*, legunt, *dicant tibi: quid eſt*
quod

quod sic interpretatur Nicetas, *qu'd est quod nos facere optas?* Vbi maximè obseruandum est, quòd hæc fulgura diuina non dicunt, *adsumus*, dum mittuntur: parent enim, & antequam dicant, *adsumus*, opere iussa complent; completo autem opere dicunt: *adsumus*. Cur non etiam prius? ne vel per illam paruulam moram, *adsumus*, vel, *ita fiet, sicut præcipis*, ab executione retardentur. Mira promptitudo! hæc igitur est quam à suis Deus exigit, quamque nobis laudando commendat.

Quam etiam illa quatuor Ezechielis animalia præferunt, quæ, vt habetur Ezech. 1. *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur cum ambularent:* quisnam ille impetus spiritus? Respondeat S. Gregor. hunc locum versans hom. 5. in Ezech. *In electis*, inquit, *& reprobis impetus sunt diuersi: in electis videlicet impetus spiritus, in reprobis impetus carnis, impetus carnis ad odium, ad elationem, ad rapinam, ad immunditiam, ad exteriorem gloriam, ad voluptatem animum impellit; impetus verò spiritus, ad charitatem, ad humilitatem, ad continentiam, ad opera pietatis, ad patientiam, ad lachrymas, ad considerationem vitæ immortalis, ducit. Oportet igitur curà magnâ semper considerare in omni quod agimus, quis nos impetus ducat.* Ita ille. Sancti ergo viri per illa designati animalia, ad bonum quod in Dei obsequium esse perpendunt, non segniter, non acediosè, & oscitanter pergunt, sed citissimo cursu, seu potiùs volatu: assumunt enim pennas vt aquilæ, volant & non deficiunt. Vnde meritò subdit: *& non reuertebantur, cum ambularent.* Quod Isaias dixit, *velabunt & non deficient*, hoc de sanctis animalibus asserit Ezec. dicens, *non reuertebantur*: reprobi enim, si quando veritatis viam aggrediuntur, & impetu incipere videntur, ad modum motus violenti, citò deficiunt; electi verò ad modum motus naturalis, quantò vlteriùs progrediuntur, tantò velociùs pergunt.

Prop. II. *Quantùm Deo placeat feruor spiritualis.*

Sanct. Ambrosius lib. 3. de virginibus, quærit, & expendit, cur Deus liberauit Isaac filium Abrahæ à morte sacrificij; non verò filiam Iephte, cùm vterque, Abraham scilicet, & Iephte, in Dei honorem filios immolare voluerint, & Iephte non haberet, nisi vnicam illam: & respondet: *Quia non vna fuit forma meritorum, ideo non fuit vna forma factorum. Iephte doluit, filia fleuit, vterque de miseratione Dei dubitauit; sed Abraham nec consulit affectum, nec doluit, sed vbi audiuit diuinitatis oraculum, non distulit sacrificium, sed maturauit obsequium, & Isaac non fleuit, cùm ligaretur, nec dilationem poposcit, cùm offerretur.* Ita Sanct. Ambrosius, qui alludit ad id, quod de filia Iephte narrat Scriptura, petiisse scilicet à patre, vt concederet sibi spatium temporis, quo fleret immaturam mortem suam, & concessit illi pater duos menses ad hoc. voluntatis ergo, & feruoris discrimen in causa fuit.

Etenim hunc feruorem sub nomine famis, & sitis beatificauit Dominus, dicens: *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam*, hoc est, auidè & feruenter expectant, & quærunt ea, quæ ad obsequium diuinum spectant. hos beatos dicit, qui his delectatur, his sauet, & ad perfectionem adducere solet, & saluare.

Cùm Christus Herodi, iussu Pilati, præsentatus fuisset, ita tacuit, vt nec verbum illi responderet voluerit. Cur ita? etenim Herodes gauisus fuit valde, cùm vidisset Iesum: erat enim cupiens ex multo tempore videre Christum. Desiderium hoc bonum videbatur; cur igitur ei non respondit Christus Dominus? Respondet Author quidam grauis: In pœnam (vti videtur) dilati desiderij, cui statim debuit assentiri, & illico Dominum quærere, & verba eius audire, & miracula videre: sed incuria, & tepiditate sua distulit diu. Melius fecere pastores, qui cùm primùm nuncium Angeli acceperunt de Natiuitate Christi, dixerunt: *Transeamus vsque in Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est.* Quare placuit Deo, vt Christum Dominum inuenirent, & adorarent.

Genes. 8. *Odoratus est Dominus odorem suauitatis.* Obtulit ibi Noë Deo in holocaustum ex pecoribus, quæ in arca fuerant à diluuio liberata. Cùm igitur ex nidore illo, non bonus, sed ingratus odor effunderetur; quid est, quod Scriptura dicat: *Odoratus est Dominus odorem suauitatis?* Theodor. q. 53. in Genes. sic locum explicauit: *Excepit Dominus ipsius Noë promptitudinem animi, non quidem nidore illo delectatus: nihil enim peius olet, quàm ossa combusta; sed offerentis animum laudauit, & propterea remunerauit illum benedictione.* Ita ille. Gen. 8. 20. Theodor.

Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem & ad munera eius, non respexit.* Cur ita? nunquid apud Deum est personarum acceptio? Absit, fratres illi erant, imò & Cain primogenitus maiori videbatur dignus honore. Cur ergo illum, & munera eius despexit Dominus, qui Abel respexit & munera eius? Sanct. Ambros. lib. de Cain, & Abel, c. 7. *Duplex*, inquit, *fuit culpa Cain*; vna, quòd post dies obtulit; altera, quòd non ex primis fructibus; sacrificium autem ex celeritate commendatur, & gratia. Abraham iussus offerre filium, non post dies, vt Cain, sed *exurgens manè strauit asinum*, &c. Ita ille. Ecce quantùm Deo placet animi feruor, deuotio, & promptitudo nostra in obsequio eius. Acceptauit sacrificium Abrahæ, & verbis valde auxit, dicens, *quia fecisti hanc rem*, &c. Acceptauit sacrificium Abelis mittens ignem de cœlo super illud, quasi extendens manum acceptantem, vti sacri Expositores asserunt in c. 4. Genes. ad Cain verò, & ad munera eius non ita respexit, quia tepidè & negligenter obtulit: maledictus enim homo qui facit opus Dei negligenter. vide Liranum ibi. Gen. 4. 4. Gen. 22. 16.

Prop. III. *Quàm meritorius sit feruor spiritualis.*

Plutarchus in Apoph. regum: Quidam rusticus, inquit, videns ad regem Artaxerxem varia deferri donaria, nec aliud habens, quod largiretur, vtraque manu hausta è proximo fluuio aquam illi obtulit. alacri vultu lætatus rex, iussit illi dari phialam auream, & insuper mille denarios. tantùm valuit apud regem illum bona, ac feruens erga eum rustici hominis voluntas. Sicapud Regem regum voluntas nostra, in eius obsequium feruens, plurimùm valet, etiam in rebus perexiguis: vt in vidua duo minuta dante, & in Apostolis exiguas suas facultates pro Christo relinquentibus, constat: plùs enim Dominus operantis animum, quàm ipsum attendere solet.

In historia tripart. lib. 9. cap. 1. legimus, quòd Pambus Monachus, *cum in Alexandria vidisset mulierem quandam theatralem, pulchrè ornatam, fleuit. interrogatus à præsentibus, quare fleret: Respondit: duæ res me commouerunt, altera est ipsius perditio, altera verò quòd ego non ita studeo placere Deo, quantùm hæc hominibus turpibus.* Ita ibi.

Sap. 4. sic de quodam viro iusto: *Consummatus in breui expleuit tempora multa.* Quonam pacto hic iustus explere potuit tempora multa, si in breui tempore mortuus est? Sanctus Bernard. sic explicat locum istum: *Expleuit tempora multa, non quidem annorum numero, sed mentis deuotione inextinguibili proficiendi.* Ita ille, *mas merezimientos alcanza vn feruoroso a vezes en vn dia, que vn tibio en vn año.* Sap. 4. 13. S. Bern.

Matth. 20. (ait Christus in parabola vineæ.) *Erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.* Cur ita? si nouissimi Matt. 20. 16.

vnâ horâ fecerunt, cur eundem denarium similiter ac- A ceperunt sicut primi? nimirum, quia per maiorem spiritus feruorem non minùs placuerunt Deo quàm primi.

1 Cor. 15. 8. Vnde Apost. 1. Cor. 15. *Nouissimè autem omnium, tanquam abortiuo, visus est mihi Dominus*, id est, inter nouissimos ego vocatus à Deo, ad laborandum in eius vi-

Ibid. 10. neam veni; quid inde? *Sed abundantius illis omnibus laborauí, non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Sic Apostolus Paulus non minorem coronam recepit, quia per feruorem spiritus sic laborauit.

PROP. IV. *Feruor spiritualis signum est hominis in gratia existentis.*

Luc. 1. LVc. 1. sic de Beata Maria post incarnationem, *Ascendit*, inquit, *in montana cum festinatione.* Cur cum festinatione grauis, & tenera virgo & non per plana sed

S. Ambr. per montana? Sanct. Ambros. ibidem: *Quo enim iam* B *Deo plena, nisi ad superiora cum festinat one contenderet?* Ita Sanctus Ambros. Etenim tepidus nec per prata, hoc est per facilia spiritus accedere audet, feruens autem spiritu assumit pennas vt aquilæ, volabit, & non deficiet. Illud defectum gratiæ, hoc plenitudinem designat gratiæ; erat autem Maria Deo & gratiâ plena.

Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione, id est postquam in visceribus Dei filium concepit, & Spiritus sanctus superuenerat in eam, vti adnotauit ibidem Sanct. Ambros. dicens: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Ita ille. Quasi diceret, in hoc quod Maria, Spiritus sancti gratia plena & superplena, ad montana Iudææ per montes & colles asc endit, nobis significatur, quòd qui Spiritus sancti gratiâ potitur, festinus currit ad perfectionem: nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia. Sed vniuersaliùs dicamus, quòd beata Maria ad illud opus pietatis & charitatis C cum festinatione pergit, & feruenter, quia Deo & Spiritus sancti gratiâ plena erat: sic quem Deus & Spiritus sancti gratia occupat, ad diuina obsequia festinanter & feruenter properat, non lentè & desidiosè: nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia.

PROP. V. *Quàm ad salutationem conducat feruor spiritualis, tepiditas è contrario.*

Matth. 5. MAtth. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Quid hîc significat iustitia, & fames, ac sitis eius? communis sanctorum explicatio est, per iustitiam intelligi virtutem, per famem, & sitim, vehemens quoddam desiderium virtutis. Ita

S. Hier. Ambros Chrysost. Sanct. Hieron. hic. S. Ambros. lib. 6. in Luc. S. Chrys. homil. 5. in Matth. & in imperfecto homil. 9. S. Hilarius canone 4. S. Augustlib. 1. de serm. Domini in monte, D S. Bernard. serm. 1. de omnibus Sanctis & alij plures. Ait igitur Dominus? *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.*

Augustl. quæ verba sic ponderat Sanct. Augustl. serm. 5. de verbis Matth. *Esuriunt, & sitiunt, & beati sunt: sed non inde beati quia esuriunt, & sitiunt, sed quia saturabuntur, ibi erit beatitudo in saturitate, non in fame: sed tamen præcedat saturitatem fames, ne fastidium perueniat ad pœnas*, &c. Ita ille. Ad hanc igitur beatitudinem saturitatis attingendam, oportet famem, id est, desiderium magnum virtutis habere. Vbi aduerte non solùm *famem*, sed etiam *sitim* dixisse Christum: maior enim vis sitis quàm famis est; vnde diues ille damnatus, quamuis vltima fame ac siti in inferno laboraret, non de fame, sed de siti conquestus est: sitis enim passio vehementior multò est, quàm fames, atque adeo vehementiorem quandam importat voluntatem, & feruentius desiderium. Ait igitur Dominus, beati qui non solùm esuriunt, sed etiam acriori quodam sitis desiderio, virtutis opera ambiunt: hi enim beati quidem erunt: qui verò virtutem inquirunt, sed tepidè, in magno salutis suæ discrimine versantur, ideo ait Sanctus Augustinus, præcedat saturitatem fames, ne fastidium perueniat ad pœnas.

PROP. VI. *Deus sæpe pluris facit feruorem nostrum, quàm opes nostras.*

HAbet eques inter reliqua vasa abaci sui vas quoddam vitreum, miro artificio elaboratum, & propterea pluris facit illud, quàm vas aliud argenteum, & aureum; Seruate (inquit famulis) mihi hoc, sicut oculos vestros, quia maioris pretij est apud me, quam quoduis aliud, licèt mille nummis aureis æstimetur. Cur ita? cùm vitrum, ex quo illud constat, vile quid sit, & nec auro, nec argento comparandum? quia id efficet, ars artificum materiam supra modum vincit; huic non propter vitrum, sed propter artem, non propter materiam, sed propter formam, tanti æstimatur à domino suo, propter artificium scilicet, quod à se adhibuit artifex eius. Sic multa opera inferiorum ab hominibus pluris facit Deus, quàm alia ordinis superioris, non propter naturam actus, sed propter artificium agentis, ob feruorem, inquam, quo elaboratum est, ob id, quod à se operans adhibuit.

Quod in illa paupere vidua, quæ duo minuta in gazophylacium misit, videre licet, quam plus quàm alios diuites, qui nummos argenteos mittebant, misisse, Dominus affirmauit, non quia minuta illa plus essent in se, sed quia maiore cum feruore & auiditate cordis illa misit, ideo ea pluris Dominus fecit.

Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. Vide quid attenderit Deus in isto, *adinuentiones.* in hastiludio solent iudices illi, qui præstantiorem adinuentionem exhibet, præmium aliquod designare, & sæpe sæpius contingit, alios ditiora paramenta, & præclariores vestes, & reliqua præclariora adferre, & tamen nõ illos, sed eos, qui longè inferiorem materiam adduxit, præmio afficere, quia adinuentio præstantior est. Sic etiam Deus potiùs adinuentiones iustorum attendit, quàm naturam operum ipsorum. ille xenodochium magnis sumptibus extruxit, quo structo, pauper quidam homo ægrotos tanto feruore visitauit, vt fortè vno die maiora sit merita consequutus, quàm ille, qui xenodochium ipsum multis annis, & magnis sumptibus ædificauit, &c. Ideo igitur Deus per Isaiam, *Dicite iusto*, inquit, *quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.* ac si dicat: Dicite S. Alexio, qui nota illa adinuentione in domo patris, sub scalis patris prædiuitis palliatus & incognitus diu pauperem vitam duxit; dicite, inquam, illi, quia fructum adinuentionis huius comedet in cœlo. Dicite S. Ignatio, qui se in gelidum lacum misit, vt à libidine lasciuum reuocaret, quia fructum huius adinuentionis comedet, &c.

Væ vobis mundanis, qui, vt mundo placeatis, & bona temporalia consequamini, adinuentiones ingeniosas excogitatis: quantò satius vobis esset adinuentiones sanctas huiusmodi indagare, cùm mundus nullum suis in die mortis præmium conferat; Deus verò iustis pro adinuentionibus suis æternam tribuat mercedem, &c. Vide quid in parabola illa illi, qui vbcres fructus colle- *Luc. 12.* legerat, & adinuẽtiones quærebat, quomodo eos in annos plurimos cõseruaret, Christus dixit, *Stulte* (inquit) *hac nocte animam tuam repetunt à te, & quæ parasti cuius erunt?* quasi diceret, non comedes fructum adinuentionum tuarum, sed alius. Non sic iustus, non sic, sed fructum adinuentionum suarum comedet. Vident hoc quotidie oculis suis mundani, & audiunt, sed vi-

dentes

dentes non vident, & audientes non audiunt, vel non intelligunt. quod patet, quia inuentiones mundanas nunquàm omittunt, nec telas araneæ texere cessant, &c.

14.7. Hinc de panibus propositionis, quos sibi offerri postulabat Dominus, sic ad Moysen Deus : *Accipies similam, & coques ex ea duodecim panes, &c.* Et subdit : *per singula sabbata mutabuntur coram Domino*, &c. Vnde infert S. Cyprianus de cœna Domini panes calidos semper voluisse Dominum, & non frigidos, & siccos. Quo quidem significare voluit Dominus, sibi grata non esse frigida sacrificia, sed cum calore & feruore cuncta opera nostra in eius esse obsequio exhibenda.

FESTA SANCTORVM.

PROP. 1. *In festis quæ opera exercenda sint, & quæ vitanda.*
2. *Hostis noster profanare curat festiuitates nostras.*
3. *Aduersùs eos qui dies festos non obseruant*
4. *Propter obseruantiam festorum, non amittuntur bona temporalia.*
5. *In diebus festiuis rebus spiritualibus vacare debemus.*
6. *Quàm exactè obseruanda sint festa*
7. *Festos dies nobis reddimus infestos nimio rerum temporalium apparatu, spiritualium neglectu*

PROP. I. *In festis quæ opera exercenda sint, & quæ vitanda.*

LAertius lib. 2. cap. 8. cùm quidam Aristippo probro daret, quòd lautè, & splendidè viueret nimis, respondit : *Si hoc vitium esset, in celebrationibus Deorum non fieret : in his enim festis diebus magnificè vestiri, & lautissimè epulari homines solent.* Ita ille. Excusatio hæc accusatio nostra est : nos enim Christiani in diebus solemnioribus tam Christi Domini, quàm Sanctorum eius, cùm officijs diuinis deuotè interesse deberemus, & Sacra attentiùs audire, & concionibus, orationibusque vacare; tunc, inquam, his omissis, studiosiùs ludis, & ludicris rebus, & conuiuijs, & comœdijs & vanitatibus mundi operam damus, & multi plùs in vno die festo peccant, quàm in reliquis omnibus hebdomadæ diebus : vt specialiter in festo Natalis Domini adnotauit Sanctus Bernardus dicens : *Hi non quidem gaudent de natiuitate, sed de vanitate.*

PROP. II. *Hostis noster profanare curat festiuitates nostras.*

73. DIxerunt in corde suo cognatio eorum simul : *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.* Vbi Cardinalis Bellarminus, Hæc, inquit, *propriè conuenire videntur Paganis, qui tempore Antiochi conati sunt delere religionem veri Dei, vt patet ex lib.* 1. Machab. cap. 1. *dixerunt ergo in corde suo, hoc est, decreuerunt apud se Gentiles, qui Antiocho seruiebant, dicentes :* Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra, *id est, contaminemus Sanctuarium, replemus omnia idolis nostris, tollamus omnia signa religionis, & hoc modò quiescent, id est, deficient, & cessabunt omnes solemnitates Dei in terra Israel.* Ita ille. Etenim Antiochus, infernalis dæmon, & socij eius, abhorrent festa Dei, quia instituta sunt in honorem, & cultum Dei : ipsi autem vellent Deũ prorsus adorari non nec coli, ideo cessare curant *dies festos Dei.* nota, *festos Dei*, non abhorrent festa, sed festos Dei : vnde si tollere festa nequeunt, satagunt tollere cultum, & honorem Dei in festis, curant, & procurant profanari festa ad honorem Dei institutа. In festis oportet orare, sacramenta suscipere, audire concionem, & rem sacram attentè, ac deuotè persequi; hostes ergo intendunt tollere orationem, & suadent fi-

A delibus non communicare, nec confiteri, nec audire conciones. quòd si audiunt Sacrum, hoc sine attentione, & deuotione fiat. denique suadent, non vacare Deo, sed mundo, meliùs tunc vestiri, vesci, deambulare per vicos, & plateas, ludere, & luxuriari : ita vt non sint dies festi Dei, sed Bacchanalia quædam, plùs Baccho, quàm Deo digna.

PROP. III. *Aduersùs eos, qui dies festos non obseruant.*

MOris erat Christo Domino, in diebus festis templum adire, propterea quod huiusmodi dies apti sunt ad vacandum Deo, animarumque saluti studendum : & hac ratione humani generis vindex, in templum se conferebat, tum vt orationi se daret, precesque funderet ad Deum; tum etiam vt egenis opem auxiliumque præberet. quod etiam ab eodem factum est eo celebritatis die, quo sanitatem paralytico restituit.

His igitur rebus vacandum nobis est, cùm religionis causâ feriamur, idque meritò exigit immortalis Deus, vt etiam asserit D. Thomas, *Ineſt,* inquit, *homini naturalis inclinatio ad hoc, quò cuilibet rei necessariæ deputetur, tempus aliquod, sicut corporali refectioni, somno, & aliis huiusmodi. Vnde etiam spirituali refectioni (quâ mens hominis in Deo reficitur) secundùm dictamen naturalis rationis, aliquod tempus deputare debet homo.* Hæc ille. At quàm pauci reperiuntur, qui dies festos in huiusmodi studiosa opera impendant : multi enim lucri gratiâ assidui se corporis laboribus conficiunt eo tempore, quo illis Deus esset religiosè colendus. O miseram horum hominum conditionem ! pubescum humani generis hostis ita se gerit ac Pharao olim cum Israelitis se gessit, qui quidem ea premebantur seruitute, vt sibi per Pharaonem non liceret immortali suo Deo sacra facere aliquando, ne à seruili illo abiectoque opere aliqua ratione vacarent; sic etiam ijs, qui subditi dæmonis seruituti sunt, nulla conceditur facultas à dæmone, vt festis saltem diebus Deo aliquem religiosum cultum exhibeant, sed tunc etiam in rebus vanis; acomnino futilibus operam, laboremque insumant.

Eiusmodi verò homines quàm sint Deo maximo infesti, facilè ex sacris litteris potest intelligi : ita enim scribitur : *Cùm essent filij Israel in solitudine, & inuentissent hominem colligentem ligna in die sabbati, obtulerunt eum Moysi, & Aaron, & vniuersæ multitudini, qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent.* Animaduerte, obsecro, quanti tunc fieret festorum cultus; cùm ergo de supplicio illi homini inferendo populus dubitaret, *dixit* (ait Scriptura) *Dominus ad Moysen : Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Quis vnquam putaret huiusmodi sententiam in leui illo delicto à Deo iudice integerrimo esse ferendam ? Cur, Deus clementissime, tam graui, acerboque supplicio eum afficis, qui leuem quandam culpam suscepisse videtur ? voluit sanè Deus hominibus indicare, quàm ægrè, ac molestè ferat eiusmodi peccata, quæ nunc tam facili negotio committuntur. Fateor equidem, in Veteri lege dies festos sub strictiori, & seueriori præcepto obseruanda fuisse, quàm nostro tempore, in quo faciliùs soluimus hoc præceptum : verùm prisca illa festorum obseruantia, quæ adeo strictè præcipiebatur, satis indicat, quàm sit etiam nunc ipsi Deo grata, atque iucunda. quod sanè idemmet Deus significasse videtur, cùm hoc præceptum indixit : his enim verbis illud proposuit : *Memento, vt diem sabbati sanctifices,* &c. Et quidem nullum aliud præceptum in hunc modum promulgatum esse legimus : non enim dicitur, memento, vt non occidas, memento, ne furcris, &c. At cùm religiosus cultus diebus festis habendis institutur, præcipua quadam circumspectione monemur,

Num 15. 32.

Exod. 20. 8.

vt dies festus magna à nobis religione colatur. *Memento*, ait, *vt diem sabbati sanctifices*, vt hac ratione cognosceremus, illud præceptum non quidem esse omnium maximum, esse tamen Deo gratissimum, si ab eo non discedamus. Quocirca cùm iterum idem præceptum indiceret Israelitis, *Videte*, inquit, *vt sabbatum meum custodiatis*. Dixerat primò: *Memento vt diem sabbati sanctifices*, nunc verò: *Videte vt sabbatum*, &c. vt his verbis præcipuam in eo mandato obedientiæ curam, ac diligentiam commenderet. Quapropter prohibitum erat Israelitis, ne vel cibos coquerent diebus festis, vel alijs domesticis occupationibus detinerentur, quò sacris, ac diuinis rebus omnino vacarent.

Hoc item præceptum adeo strictè voluit Deus obseruari, vt iusserit, ne quis die festo manna etiam ad vescendum collegeret. Vt autem eo die victus populo necessarius suppeteret, præcepit illi Dominus, vt in die proximo sabbato, colligeretur manna, quod quidem non cadebat in festis diebus. Et quamuis suauissimus ille cibus in alterum diem reseruari non poterat, quippe qui vermibus scateret; tamen cùm reseruabatur in diem festum, gratus quidem, ac suauis, Deo ita prouidente, permanebat. Cùm ergo nec cibum humanæ vitæ necessarium voluerit Deus sabbato quæritari, cur operam, ac laborem in rebus alijs non ita necessarijs, eo die, quo religionis causâ feriamur, audes impędere, idque efficis vilissimi quæstus gratiâ? quem vt obtineas, tuæ salutis iacturam facere non dubitas. Caue igitur, ne & fortunas omnes, quas iniquo labore ac sudore comparasti, & vitam etiam, animæque salutem amittas. Scio quidem non adeo strictè in lege gratiæ obseruationem festorum esse indictam: at non ideo nos inurbani, & ingrati esse debemus, vt, quia mitius nobiscum agitur, ideo seruiliùs multò quàm illi, festa peragamus, & dicatur de nobis prouerbium illud: Cui plus licet, quàm par est, plus vult, quàm licet.

Vereor equidem, magnam esse plurimorum hominum incuriam in Ecclesia Christi in huiusmodi præcepti obseruatione, maximè ab ijs qui domesticis occupationibus distenti, ministrorum, ac clientum munere funguntur. Et sanè hoc præceptum non solùm heris, ac dominis, sed etiam ministris, ac seruis datum est. Illud enim ita se habet, *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est, non facies omne opus in eo, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui est intra portas tuas.* Perpendite, rogo, quàm clarè, ac minutim à summo Deo hæc explicentur, tum vt hoc præceptum maximè commendaret, tum etiam vt intelligeremus, non solùm dominis, sed etiam seruis, quibus seruire proprium est, ab omni seruili opere esse diebus festis vacandum: vult enim Deus, vt his diebus, non modò heri, verùm etiam famuli intersint Sacro, & alia pia, ac religiosa opera præstent. *Exod. 20. 9.*

Si autem inquiras, à quibus operibus tunc vacandum sit, an ab omni curatione, & administratione rerum temporalium; an verò saltem ab omni labore corporis? Id quidem longissimum sermonem requirit, & confessarijs, ac doctoribus magis, quàm concionatoribus proprium. Illud tamen silentio non prætermittam, nimirum, hanc rem adeo exiliter ad calculos vocari à Theologis, vt multi eorum sentiant, ex se non licere diebus festis laborare, etiam in his, quæ, vt ipsi loquuntur, præparatoria sunt ad diuinum cultum, nempe in verrendis, & ornandis templis, alijsque huiusmodi, nisi forsan hæc non possint aliter commodè fieri. Quantâ igitur circumspectione opus erit, vt ea quæ ad rei familiaris, domusque administrationem pertinent, licitè fiant? Consulite, obsecro, in hac re sapientes, atque studiosos viros, & dies festos religiosè colite; quid verò in his sit vobis agendum quod Deo gratum sit, dicamus.

Omnis Christi actio, inquit B. Gregorius, *nostra est instructio*: neque enim humani generis Seruator verbo tantùm, sed opere etiam homines instituit. Quo quidem docendi genere nosipsos edocuit, qua ratione dies festi sint à nobis colendi, quos ille orando Patrem, docendo homines, cunctisque benefaciendo, consumebat. Ideo ambulabat Iesus in templo in die festo, occasionem captans, vt aliquem cælesti doctrina imbueret, vel egenorum, ægrorumque miseriam subleuaret.

Eisdem omnino rebus vult Deus Opt. Max. homines dicebus festis occupari: at verò illi contrariam sequuntur viam, quippe qui immoderatos, atque effusos sumptus tunc faciunt, lautioribus, atque suauioribus cibis vescuntur, & ludis, ac detractionibus petulantius inseruiunt: tunc Iezabel fuco, ac pigmentis se ornat, & Absalon capillis delibutis, ac madenti cincinnorum cinna, effeminatè fucatur, & cùm profestis diebus quidque labore suo victum quærat, & in his, quæ reipublicæ necessaria sunt, tempus consumat, adueniente die Deo diuinisque rebus sacro, ita se vitijs ac vanitati tradit, ac si ille dies dæmoni esset, mundoque consecratus. B

Profectò huiusmodi homines ignorant prorsus, quòd immortalis Dei animus spectaret, cùm huiusmodi celebritates instituit. de qua re, si D. Thomam consulam, ita respondet, 2.2. quæst. 122. art. 4. Festa institutas sunt ad vacandum Deo, & vt hominesin vera religione fundarentur. Atque idcirco explicans illum Exodi locum, *Memento vt diem sabbati sanctifices*, dies, inquit, septima sanctificanda mandatur, id est, deputanda ad vacandum Deo: illa enim dicuntur sanctificari in his, quæ diuino cultui applicantur. Itaque institutus est festus dies ad vacandum summo Deo, illumque præcipuè colendum. Quapropter debitè, & honestè eos dies celebrari dicemus, si profusis ad Deum precibus, Sacro, & concionibus piè, ac religiosè auditis, percepto, si fieri possit, sacræ Eucharistiæ Sacramento, habito de diuinis rebus sermone, egenis, ægrotis, & in vinculis, squaloreque iacentibus, solatium aliquod afferamus. His quidem functionibus rectè coluntur, ac sanctificantur sanctorum festa; aliter verò funestantur potiùs quàm sacra, religiosaque ducantur. Quemadmodum etiam tunc ieiunium à Deo præceptum sanctificabatur, cùm non solùm à cibis se homines abstinebant, sed etiam cùm ieiunium pijs, & sanctis operibus coniungebant. Quamobrem conquestus olim Deus de Israelitarum ieiunijs, *Ecce*, inquit, *in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis: ecce ad lites, & contentiones ieiunatis*, &c. *Nunquid tale est ieiunium, quod elegi? nunquid istud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino? nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? dissolue colligationes impietatis*, &c. Vnde fit, illud ieiunium sanctum dici, quod operibus sanctis copulatur. Ita etiam festi dies celebratione coluntur, & sanctificantur, cùm in eis sancta, atque augusta munia à nobis exercentur. Quapropter Ecclesia plura sanctorum festa Christianæ fidei professoribus proponit, vt à singulis his veræ sanctitatis exempla petamus: interdum enim inuictam sanctissimorum martyrum constantiam, & strenuam in superandis tormentis, ac laboribus fortitudinem, Christianorum oculis objicit, vt ad labores Christi causâ fortiter tolerandos excitemur: sanctissimas item virgines, quasi quoddam puritatis, & integritatis exemplar, nobis ad imitandum proponit: alios præterea eximiæ sanctitatis viros, qui egregia virtutum exempla præbuerunt, animo nobis intuendos, contemplandos, imitandosque commendat: alios deinde dies sanctissimæ Virgini, & Christo Domino sacros, singulari veneratione, ac celebritate com- *Isa. 58.* C D

commemorat, & vt beneficia, quæ in eis nobis præstita
A censuit Deus primo omnium parenti, eò quòd de ar-
bore sibi interdicta vescereture, cùm multis alijs ad de-
gustandum pomis abundaret; sic & nos Deum ad iram
incitamus, si, cùm multos dies præstiterit nobis, eum,
quem ad religiosum cultum sibi adhibendum destina-
uit, nostris voluptatibus assignemus.

Audite iam, quo supplicio huiusmodi crimen à
Deo Opt. Max. puniatur. *Et erit in die illa, dicit Dominus, conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum.* Quæ verba ita à B Gregorio explican- *Amos 8, 10.*
tur, *Tunc*, inquit, *festiuitates in luctum conuertuntur, cùm pro peccatis, quæ in ipsis homines committunt, æternaliter puniuntur.* Pro omni quidem turpi voluptate æternas in-
ferorum pœnas damnati luent, sed præcipuè afficien-
tur supplicio, eò quòd festis diebus, quibus deberent
Deo vacare, luxæ libidini, ac voluptati seruierunt. No-
luerunt Iudæi in die festo Christum Dominum cruci
affigere. Non in die festo, inquiunt, in quo quidem su-
stulerunt eum à cruce, vt non remanerent in cruce cor-
pora die sabbati: erat enim magnus dies ille sabbati:
nunc verò Christi alumni, atque cultores, flagitia die-
bus festis perpetrantes, rursus crucifigunt eum in se-
metipsis in die festo.

Sic igitur Deo displicent mundanorum hominũ ce-
lebritates, & hoc illos supplicio afficit, eò quòd dies si-
bi Sanctisque sacros, adeo impiè, & irreligiosè illi ce-
lebrent. Hoc autem humani generis hosti gratum pro-
fectò est, atque iucundum. *Quanta malignatus est inimi-* *Psal. 73. 3.*
cus in sancto, (lamentatur regius ille Vates) *& gloriati sunt, qui oderunt te in medio solemnitatis tuæ.* Ac si diceret:
proh Deum immortalem! violauerunt inimici tui
templum tuum, qua de causa magno quodam tripudio
exultauerunt, idque in die festo, profanantes solemni-
tatem eius. Idem profectò à nobis iure deplorandum
est: dies enim sacri flagitijs, ac sceleribus polluuntur,
atque idcirco summa in eis iucunditate gestiunt ini-
mici.

Dicet fortasse quispiam, dies festos, dies esse lætitiæ,
ac iucunditatis, atque ideo in eis non omnino preci-
bus, lachrymis, & obsecrationibus esse vacandum: hæc
enim mœrorem potiùs, seu atram bilem, quàm læti-
tiam hilaritatéque pariunt. At erras sanè, ac vehemẽter
erras: nihil enim aptius ad veram lætitiam comparan-
dam reperiri potest, quàm diuinarum, cælestiumque
rerum contemplatio, atque reliqua omnia, quæ ad reli-
giosum cultum præpotenti Deo adhibendum, festis
diebus præstanda esse diximus. Quod diuinus ille di-
uinæ lætitiæ fons per Esaiam prophetam testatus est,
cùm ait: *Si auerteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris sabbatum deliciatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaueris eum, dum non facis vias tuas, & nõ inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem: Tunc delectaberis super Domino.* Septuaginta verò ita legunt: *Si auerteris in sabbatis pedem tuum, vt non facias voluntatem tuam in die sancta, & vocabis sabbata delicata, sancta Domino, non tolles pedem tuum ad opus, neque loqueris verbum in ira de ore tuo, & eris confidens super dominum, &c.* Sensus est, *Si auerteris à sabbato pedem tuum*, id est, si eo
die iter non feceris ad sæcularia negotia peragenda, sed
domi te tuæ continueris. Iubebat enim lex antiqua
quiescere etiam corpore, vt vacarent hominꝫ oratio-
ni, meditationi, & lectioni sanctæ, sacrisque de Deo
concionibus audiendis. Moris enim erat in die sabbati
librum legis, & prophetarum, & in synagogis legi;
ideoque iubebatur, ne quis eo die iter susciperet. Dein-
de subiungitur: *Si auerteris facere voluntatem tuam*, hoc
est, frænaueris libidines, neque cæco quodam impetu
ad omnes cupiditates explendas, rapiaris, & Deo po-
tiùs, quàm tibi, parueris. Item, *Si vocaueris sabbatum deliciatum*, id est, hoc nomine appellabis festum: Hodie
est dies sancta Domini, sanctè & delicatè obseruanda,
non verò festiuè, & voluptuosè; *tunc*, inquit, *delectabe-* *Isai 58 13.*

vis super Domino. Quod idem est ac si diceret: Ne existimes, omni te voluptate ac lætitiâ cariturum, eò quòd ludos, venationes, lætitias, epulas, aliaque huiusmodi contemnas: certò enim scias, potioribus, ac maioribus gaudijs à Deo te esse cumulandum. Quod regius
Psal. 76. 3. Ibid 4. ille Vates sibi contigisse affirmat, cùm ait: *Renuit consolari anima mea*, scilicet in his caducis, ac perituris rebus, *memor fui Dei, & delectatus sum.* Hebræus habet: *sonui*, id est, clamorem vehementem fustuli, vocemque nimis intendi: tantâ enim lætitiâ diuinitus affectus sum, vt non potuerim illam vocibus ac clamore significare.

Quæ cùm ita se habeant, saltem nostri commodi causâ curandum nobis est, dies festos religiosè colere: quod & Deo gratum, & nobis etiam vtile ac iucundum erit. Sic enim veram animi iucunditatem, cœlestes, & nunquam perituras diuitias, gratiam denique, immortalemque beatitudinem comparabimus.

Prop. IV. *Propter obseruantiam festorum non amittuntur bona temporalia.*

Vers 3. Leuitici 25. Sic Dominus ad Moysen: *Loquere filijs Israel: Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus eius: septimo autem anno sabbatum erit terræ requietionis Domini: agrum non seres, & vineam non putabis.* Ita ibi. Sed nunc obstat tibi, Domine, quia, deficientibus eo anno fructibus terræ, in grauem incident penuriam, & necessitatem bonorum temporalium, maximè pauperes: videmus enim omnium annorum fructus necessarios esse, imò & sæpè non sufficiunt. Huic argumento sic respondet Dominus: *Dabo benedictionem meam vobis anno sexto; & faciet*
Ibid. v. 21. *fructus trium annorum, seretisque anno octauo, & comedetis veteres fruges vsque ad nonum annum: donec noua nascantur, edetis vetera.* Ita ibi. Quàm bonus Israel Deus his qui recto sunt corde, quàm sublimis prouidentia eius erga suos! Num patietur Deus eos fame opprimi, qui eius seruant mandata, quia illa seruant? Absit: qui ex nihilo fecit nos, & creauit, & quotidie nobis necessaria producit, non poterit alere nos, etiamsi vno, & pluribus annis non coluerimus terram?

Exod. 34. 23. Exodi 34. sic Dominus ad Israelem: *Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel: cùm enim tulero Gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in*
Augusti. *anno.* Vbi Sanct. Augustinus. 161. *Hoc vult intelligi, vt securus quisque ascenderet: nec de terra sua sollicitus esset, Deo promittente custodiam, quod nemo inde aliquid concupisceret propter illum, qui ascendit, ne suam inde timeret absentiam.* Ita S. Augustinus. Hoc igitur notum voluit esse Deus, quòd propter virtutis opera, & obseruantiam diuinæ legis & diei festi, nemo penuriam rerum temporalium patietur. Vnde Christus Dominus Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia*, scilicet
Matt. 6. 35. temporalia, *adijcientur vobis.*

Prop. V. *In diebus festiuis rebus spiritualibus vacare debemus.*

Gen. 2. 2. Genesi 2. *Requieuit Dominus die septimo ab vniuerso opere quod patrarat, & benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum.* Quid est, *sanctificauit illum?* S. Chry-
Chrysost. sostomus homil. 10. in Genes. *Iam hinc ab initio docet nos Deus in circulo hebdomadæ diem vnum integrum segregandum, & reponendum in spiritualem operationem.* Ita S. Chrysostomus. Ita igitur diem septimum Deus sanctificauit, ostendendo scilicet aliquem diem sanctum inter alios A dies laboris, destinandum esse, in quo & ab operibus seruilibus vacemus, & operibus spiritualibus operam demus: si enim ad temporalem vitam pluribus diebus laborant homines, ad æternam vitam promerendam cur non libenter aliquibus diebus spiritualibus operationibus vacabimus?

Prop. VI. *Quàm exactè obseruanda sint festa.*

Exod. 31. sic Dominus populo Israelitico: *Custodite sabbatum meum: sanctum enim est vobis: qui polluerit illud, morte moriatur.* Vbi rationem assignans huius præcepti & obseruantiæ, ait: *quia signum est inter vos & me, in generationibus vestris, vt sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos.* Vbi Theodor. *Sicut enim notæ greges, & pecora distinguunt, & declarant; sic leges eximæ in Hebræorum republica, legum authorem semper præsidere demonstrant.* Ita ille. Est quidem celebratio festorum signum istud Deum & nos, quòd scilicet sit Deus noster, quem venerari, & adorare debemus, & nos serui eius, à quo beatitudinem speremus, & ad hoc festi dies sunt instituti. vbi etiam nota pœnam quam transgressoribus festi Deus assignauit, mortis nempe, quo quanti faciat festorum obseruantiam, declarauit.

Prop. VII. *Festos dies nobis reddimus infestos nimio rerum temporalium apparatu, spiritualium neglectu.*

Omnulli ex fratrum nostrorum numero, dilectissimi, superfluos se esse dubitant, nisi gulæ, nisi ventri, nisi luxui satisfecerint. Dicendum nobis cum liberiate est: Non est fratres, festi tatem colere Dei, sed conuiuare. Vbi enim scire quid sit hominem festiuum esse? Imitamini in alios qui primi hac festiuitate vsi sunt, dico sanctos Dei semper fuerunt, vt legimus, dies sobrij, noctes pudicæ, sanctæ, gulia, sopor castus, actus probi, conuersatio honesta, vita sobria omni parte consentiens: neque illos sequamur, quorum Apostolus ait, finis est interitus: quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Hi enim, dilectissimi, diuinis solemnitatibus non interfunt, hi sacræ dies festa non sapiunt. Quamuis enim præsens esse videatur, tota men abest, qui conuersatione disiunctus est. Horum lætitia, dilectissimi, lachrymabilis: horum exultatio luctuosa, non placans Dominum, sed exacerbans: quia quamlibet quis solemnitatem pro honore diuino celebrare se credat, festiuitatem Dei quod in probris agit, iniuria est.

An non absurdum tantam habere curam rerum corporalium, vt, appetente festo, multis ante diebus vestem è scrinijs depromptam diligenter appares, emas calceamenta, mensa largior, splendidiorque paretur, denique variam vndequaque rerum copiam excogites, omnibusque modis temetipsum ornes, nitidumque reddas: animæ verò negligæ, sordentisi, squalidæ, famæ contabescentis nullum habere respectum, quum sola maneat impura: ac corpus quidem nihilum huc adducere, animam verò nudam incultamque.

Pœnas violantium festa, vide apud Nycium Enithraem, in exemplis virtutum, & vitiorum, p. 153. & 187.

FIDES.

Prop. 1 *Quàm excelsa virtus sit fides.*
2 *Quàm præclarum lumen sit mentis nostræ.*
3. *Fides quam perspicax sit fides nostra.*
4. *Fides est radix omnium virtutum, & meritorum.*
5. *Quàm grata Deo sit fides nostra.*
6. *Quàm meritoria & vtilis nobis sit fides.*
7. *Fides non est rationibus suadenda, sed à nobis credenda, quia Deus dicit.*

8 *Fides noſtra euidentiam quandam habet in atteſtante, & à poſteriori.*
9. *Quàm magnum argumentum veritatis fidei Chriſtianæ ſit humilitas Chriſti cum paupertate coniuncta*
10. *Fidei veritas probatur ex miraculis Chriſti.*
11. *Fidei veritas probatur ex prophetijs de Chriſto, maximè ex perpetua Iudæorum expulſione.*
12. *Veritas fidei noſtræ comprobatur electione & prædicatione Apoſtolorum*
13. *Fidei veritas probatur ex propagatione Eccleſiæ Chriſti.*
14. *Fidei veritas probatur ex tyrannorum ſeuitia procella*
15. *Fidei veritas probatur ex perſeuerantia Eccleſiæ, & duratione ipſius fidei*
16. *Fides Chriſtiana ad virtutem, & perfectionem nos deuincit.*
17. *Fides bonis operibus fulcitur, ne pereat.*
18 *Quantum ſuppliciũm Dei, ſit fidei amiſſio*
19 *Fides pretioſa facit ea quæ apud mundum contemptibilia ſunt.*

PROP. I. *Quàm excelſa virtus ſit fides.*

SAnct. Bernard. *Beati* (inquit Dominus) *qui non viderunt, & crediderunt.* Pars noſtra hæc in verbo vitæ, nec ſanè contemptibilis, *ex qua vnusquiſque viuitur, & qua vincitur mundus, quoniam* iuſtus ex fide viuit, & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. Hæc eſt quæ, velut æternitatis exemplar, præterita ſimul, & præſentia, ac futura, ſinu quodam vaſtiſſimo comprehendit, vt nihil eam prætereat, nihil pereat, nihil lateat. *Quid tamen dicit?* Beati qui non viderunt, & crediderunt, *quaſi non videatur?* ipſum credere quodammodo iam videre. Sed aduerte diligenter, cui, & quando dictum ſit; et vtique qui arguebatur, quòd, quia vidiſſet, credidiſſet: neque enim id ipſum eſt vidiſſe, & ideo credidiſſe, quod credendo vidiſſe; alioquin Abraham, pater quoniam modo Dominicum vidiſſe diem, niſi credendo, credendus eſt? Mente quidem videre, eſt pia deuotione repræſentare, & recolere fide non ficta, magnum illud v. g. pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt mundo, & aſſumptum eſt in gloriam: ſicut enim immolatur quotidie adhuc quodammodo, donec mortem eius annunciamus, ſic videtur & naſci, dum fideliter repræſentamus eius natiuitatem. Vnde in natiuitate eius canimus: Ieſus Chriſtus naſcitur in Bethleem Iudææ non dicitur natus fuit, ſed naſcitur, *de præſenti.* Ita S. Bernard.

ADDITIO.

SI habueritis fidem ſicut granum ſinapis; *quod quidem minuſculum eſt magnitudine, ardeutius tamen vigore, & in exiguo loco ſeminatum, magnos continet ramos, tanquam quod & in alta angeri poſſit, & humilia cooperuerit: ſic & fides in anima, celerrimo actu, maxima perficit.* De Deo enim ſpeculatur, Deum intuetur: ita vt qui meretur fide illuminari, & mundi terminos circuit, & ante mundi huius conſummationem, iudicium iam videt, & promiſſionum retributionem. Et paulò poſt: *Quemadmodum ſemen ſinapis, in paruo grano multos continet ramos: ſic & fides in paucis verbis omnem tam veteris quàm noui teſtamenti cognitionem inuoluit.*

PROP. II. *Fides quàm præclarum lumen ſit mentis noſtræ.*

SIcut ſi careremus ſole, per reliqua luminaria terræ, imò & cœli, perpetuam ageremus noctem: (vti Hieraclitus Philoſophus ait) ſic etiam ſine fide perpetuam ageremus noctem mentis. Nam ratio, licèt lumen animæ ſit, per peccatum ita defecit, vt noctis tenebras mentales non excludat. Per ea verò quæ media fide accipimus, meridiana fruimur luce, licèt ineuidens ſit: videmus enim ea, quæ in cœlis, & in inferis ſunt, videmus quænam ſint, non ſolùm temporalia, ſed etiam æterna. Quamuis enim lux fidei ænigmatica ſit: (*videmus* enim *nunc in ænigmate,*) nihilominus certiùs A fide aſſequimur, quàm omnium ſapientium luce naturali, &c. Nunc igitur quàm debitores Deo ſimus propter fidei donum, ex dono rationis, & intellectus noſtri percipiamus. Plutarchus in lib. de Fortuna, ſic ait: *Quum validiſſimum quodque animantium probè nouerit vti naturâ ſuâ, alijs cornua armorum vice accipientibus, alijs ſtimulos, dentes alijs, & (vt ſcriptum reliquit Empedocles) echinus acutis telis, horrendoque dorſo plurimum eſt formidabilis. Vt addam interim alia veſtiri ſquamis, alia pilis, & multa vngulis armari: ſolus homo, vt meminit Plato, nudus, & inermis, nec calceatus, nec penulatus, relinquitur à natura, contenta vnum illi dediſſe, quod omnia molliat, nempe rationem, & prudentiam. Iam diſpiciamus, quam tenue ſit robur humanum, & tamen hominis induſtria, & ingenio plurima conficiuntur, terrâ & mari, quæ miranda prorſus videntur. Equorum leuitas inſignis, & pernicitas mira, nunquid non hominis ingenio patet ſuo curſu? Præterea, quid maius habet natura elephanto, aut quid terribilius? atqui ludis hominum deditus, iam dudum paruit ille in ſpectaculis, & honorem præbet genuflexione. Deinde non nos pugiles, & palæſtritæ ſumus, & curſores omnium optimi, ſed animantibus alijs longè inferiores, & planè vincimur. In his rebus porro ingenio, experientia, & longo vſu bona illorum nobis vſurpamus: mel colligimus, & lac mulgemus, conferimus, & traduximus omnia in vſum noſtrum, ita vt nullæ ſint partes fortunæ, ſed totum agit conſilium, & induſtria noſtra.* Ita Plutarc.

Vnde manifeſtè conſtat, quòd mediante ratione in his animalia cætera ſuperamus, in quibus naturâ ab eis ſuperamur. Fortior eſt homine leo, velocior coruus, pulchrior pauo, ſed tamen, ratione duce, leones vincimus, ceruos aſſequimur, & pauones ornatu ſuperamus. Magna igitur eſt ratio, quâ ſic ſupra reliqua eleuamur animantia, quâque artes inuenimus, & diſcimus, & quâ præterita, & præſentia, & futura cognoſcimus, & naturæ arcana indagamus. Sed inde quanti ſit facienda fides noſtra, cognoſcimus: nam ſi ratione naturalia inuenimus, fide ad ſupernaturalia peruenimus: & ſi ratione, Deum, & vnum eſſe, attingimus, fide trinum eſſe, & perſonarum diſtinctionem, & emanationem cognouimus, & confitemur, beatitudinemque veram, circa quam miſerè mundi ſapientes hallucinati ſunt, & denique alia mira fidei myſteria cognoſcimus, quæ mundi ſapientiores ignorarunt.

ADDITIO.

Sicut membra tremula & ſenectute languida, baculo tutò dedicente, labi, & cadere non permittuntur: ſic etiam animam noſtram, incertis ratiocinationibus circumactam, ac iactatam, fides quouis baculo tutius ſuſtentans, ſuaque vi reſiciens, ſummopere firmat, nec ſinit ſubuerti, infirmas cogitationes corrigens præſtantiâ ſuæ virtutis, & caliginem illam diſpellens: animamque velut in domicilio tenebroſo inter tumultuantes cogitationes ſedentem, ſuo lumine illuſtratis. Hinc fit, quòd qui illa carent, nihilo potiore ſunt conditione, quàm qui in tenebris vitam degunt: ſed ſicut illi, & ad parietes offenſant, & in obuia quæque impingunt, & in ſoneas, ac præcipitia prolabuntur, nec vllum vſum oculorum habent, vt quibus nihil præluceat: Sic etiam quotquot fide carent, & inter ſe alij in alios incurſant, & in ipſos parietes, & poſtremò in barathrum aliquod exitiale vltrò ſeipſi præcipitant. Teſtes mihi ſunt illi qui profanam ſapientiam iactant, qui multùm ſibi promiſsâ barbâ, tritoque pallio, ac baculo placent. Poſt longas enim, ac ſæpe repetitas diſſertationes, lapides præ oculis ſitos non vident. Si enim vt lapides eos cernerent, nequaquam eos Deos eſſe putarent. Quin ipſi quoque in alios alij feruntur, atque inter ſe colliduntur, & in ipſum impietatis profundiſſimum præcipitium deuoluuntur, non aliam ob rem, quàm quòd ratiocinationibus ſuis omnia ſua permittunt. S. Chryſoſtomus in verba Pauli. Habentes eundem mihip. 1006.

PROP. III.

Prop. III. *Fides nostra quàm perspicax sit.*

Matt. 27. 54. S Anct. Bernard. serm. 2. de Epiphan. ponderat fidem Magorum, & boni latronis, & Centurionis, dicentis in morte Christi: *Verè filius Dei erat iste.* Ait ergo S. Bernardus: *Adorant magi Christum, & offerunt munera adhuc sugentis matris vbera. Sed vbi est, ô Magi, vbi est purpura regis huius? nunquid viles panni isti, quibus est involutus? Si rex est, diadema eius vbi est? Sic vos non offendit vilis stabuli habitatio, non pauperis cunæ præsepij, non pauperis matris præsentia, non lactantis infantia scandalizat? Clamabat etiam de cruce latro:* Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. Ergóne per supplicium ille vadit in regnum? *quis indicauit tibi, quia sic oportebat pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Tu quoque centurio, eum vnde nosti?* Matt. 27. 39. *videns quòd sic clamans exspirasset,* Verè (*inquit*) filius Dei erat homo iste. *Mira res, & omni admiratione digna, vitam agnouit in morte. Propterea vobis, ô fratres, intuemini, & videte, quàm oculata sit fides nostra, quàm lynceos oculos habeat, diligentius considerate. Cognouit Filium Dei lactantem, cognouit in ligno pendentem, cognouit morientem. Siquidem Magi in stabulo eum cognouerunt, & pannis inuolutum: latro eum cognouit in patibulo clauis affixum? Centurio verò eum morientem cognouit, agnouit, vt diximus, vitam in morte, & siquidem Magi muneribus confessi sunt, quidquid illi verbis, latro regem, centurio Dei filium signul, & hominem pronunciat. & hæc tria ipsa indicant munera Magorum: nam quod Deum agnoscant, indicat adoratio, indicat & thuris oblatio, nec solùm Deum sed & regem agnoscunt, quod designatur in auro, & in his non latet eos magnum pietatis sacramentum, nam myrrha indicat hominem morituram,* Ita S. Bernardus. Ecce quàm perspicaces oculos habeat fides nostra.

Prop. IV. *Fides est radix omnium virtutum, & meritorum.*

Ad Hebr. 11. 1. F Ides *est sperandarum substantia rerum*, &c. subsistantiam ait Apostolus esse fidem: est enim quasi substans & sustentans reliqua omnia, quæ ad fidem & religionem spectant Christianam. & sicut ex substantia nostra profluunt reliqua, quæ in nobis sunt, sic suo modo ex fide promanant reliqua bona religionis nostræ. Vnde fides radix virtutum & meritorum nostrorum potest nuncupari: quemadmodum enim ex radice arboris pullulant rami, flores, frondes, & fructus eius; sic ex fide pullulant bona, & merita Christiana.

Apoc. 21. Hinc primum fundamentum ciuitatis Ierusalem iaspis assignatur: primum autem fundamentum nostræ Ecclesiæ est fides: vnde per Iaspidem ibi aliqui fidem intelligunt. Iaspis autem omnium lapidum pretiosorum continet colores, nempe topasij aureum colorem, lucidi adamantis, &c. Sic etiam fides, velut in radice, continet viriditatem spei, rubeum charitatis, pallidum pœnitentiæ, albedinem castitatis, &c. ex his enim quæ nos credimus, ad sperandum, amandum, pœnitendum, & operandum bene excitamur, & denique ad facilè resistendum tentationibus armamur. Vnde Apostolus Petrus: *Aduersarius vester diabolus, tan-*

1. Petr. 5. 8. *quam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, cui,* inquit, *resistite fortes in fide*, &c. qui enim credit v. g. peccati causâ nos in æternum damnari, facilè hostibus resistet, &c.

Vnde meritò Apostol. subdit: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones*, &c.

Ad Hebr. 11. 33. Dices: multi credunt, & tamen nec operantur iustitiam, nec repromissiones adipiscuntur, sed peccant, & pereunt plures fideles. Respondeo, fidem horum esse velut ensem in vagina semper inclusum, nunquam excussum: nunquam enim ea quæ fidei sunt, considerant, nec attendunt, habent fidem in habitu, non in actu. Vnde ab his, quæ continet & docet, non mouentur: voluntas enim ex actuali consideratione mentis excitatur, mouetur, & in opera prodit.

Hinc Christus Dominus, fidem grano sinapis comparauit, vti S. Ambros. adnotauit: sicut enim virtus, & acrimonia grani sinapis non manifestatur, nisi prius atteratur; sic fides, nisi dentibus mentis conteratur, virtutem suam non profert.

Prop. V. *Quàm grata Deo sit fides nostra.*

Cant. 4. 9. S Ic Sponsus ad animam fidelem, & sanctam: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*, hoc est, in vnitate oculorum tuorum. oculi nostri interiores duo sunt, rationis scilicet & fidei. oculus rationis est, quo res cognoscimus naturales, oculus autem fidei, quo rebus supernaturalibus assentimur, quia Deus ita dicit. vnitas igitur horum in eo consistit, quòd ratio cum fide conueniat, & illud iudicet asserendum, & confitendum, quod fides proponit. Hæc est vnitas, hæc conformitas intellectus cum fide, quâ ratio se fidei subdit, hæc est, quæ Deo adeo grata est, vt propter eam dicat: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, essa iubiejon de tu coraçon a mi fee, me a fido vna saeta, que me ha llegado y llagado el coraçon.* Septuaginta hic transtulerunt. *Cor abstulisti nobis, soror mea.* S. Ambros. *Cor meum cepisti, basme robado el coraçon.* eximia quidem exaggeratio, quâ plenissimè Deus declarauit, quantùm illi grata sit fides nostra.

Prop. VI. *Quàm meritoria, & vtilis nobis sit Fides nostra.*

Cant. 4. 10. M Eliora *sunt vbera tua vino.* Orig. dicit, in nonnullis exemplaribus sic legi. *Meliora sunt eloquia tua super vinum.* Vbera igitur Sponsi, esse ait eloquia eius: vbi propterea eloquia diuina, quæ ad fidem spectant, comparat lacti; eloquia verò, quæ non ad fidem, sed ad rationem pertinent, naturalem, vino comparauit, differentia enim inter lac & vinum hæc est, quòd lac fugitur ab infante occultè, hoc est, absque eo quòd infans prospiciat, videatque cuius coloris sit, *apechugase el niño al pecho de su ama, o madre, y bebe la leche sin ver la:* vinum autem priusquam bibatur à nobis, in vase, cuiusmodi sit, videmus, & olfacimus. Sic igitur ea, quæ ad fidem spectant, ab vberibus Deo accipimus, absque eo quòd illa visu, vel odore, vel alio sensu, aut ratione naturali percipiamus; ea verò, quæ ad naturalem cognitionem pertinent, aliqua ratione, siue demonstratio illa sit, vel ratio à posteriori, videmus, & probamus. Ait ergo sponsus: *Meliora sunt vbera tua vino*, hoc est, quamuis scientifica cognitio grata sit intellectui nostro: melior tamen est fides: quia magis meritoria est: *Fides enim non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum*, vt ait Sanctus Gregorius, & Christus Dominus: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ioan. 20. 29.

Additio.

D. Clerp. in Speculo. Fides Apostolorum. Symbolum p. 718. Credo in Deum Patrem. *Videte qui, cui, & quid loquamini. Dixit is:* Credo: *quàm breue est, quàm vndicil sonans est; si ad latitudinem litterarũ redigatis, quinque litteræ sunt: si ad syllabarum numerum, duæ sunt syllabæ. Hæc credulitas si ad quadret moribus, fructum inuenit saluũ. Credulitas hæc in toto mundo sparsa est. Credit Christianus in Ecclesia dimitti peccata, credit moribus compositis placere Deo, credit indulgentiam mereri, credit vitæ æternæ promissionem: credit panam promissam peccatoribus.*

A

PROP. VII. *Fides est rationibus suadenda, sed à nobis credenda, quia Deus dicit.*

SAnct. Chrys. *Quæ exuperant rationem, sola indigèt fide, vt quomodo sit Deus factus homo, & huiusmodi alia.* Ita S Chrys. nec mirum, cùm etiam in naturalibus plurima sint, quorum nemo rationem attingere valet. v. g. quomodo basilicus solo visu eum occidat, quem priùs viderit, quàm sit ab eo visus: quomodo à magnete ferrum sursùm trahatur, cùm illud magni ponderis sit, & quinam sint funes illi, quibus sic trahitur à lapide illo: quomodo salamandra in igne diu morans, non consumatur, cùm ignis metalla ipsa & lapides consumat: quomodo pisciculus, remora dictus, nauim toto impetu procedentem inter vndas, facilè ita detineat, vt nec moueri eam sinat, & huiusmodi alia innumera quæ apud Arist. in historia animalium, & apud Plinium reperies. imò qualis sit anima tua, an fœlicet sit mortalis, B vel immortalis, quomodo tota sit in toto, & in qualibet parte corporis. quomodo spiritualis cùm sit, corpus materiale informare possit, nisi fortè pariter ignores, an spiritualis est.

Item quomodo intellectus tuus intelligat; quomodo à phantasmatibus corporalibus species abstrahat spirituales, quomodo voluntas amet, in quo natura consistat amoris, & alia similia. Quòd si animam tuam, quâ constas, quà viuis, quâ es, sic ignoras, & potentias, quibus operaris; quid mirum, si quæ ad Dei naturam & operationes pertinent, ignores, nec rationibus & discursibus tuis attingas illa: Deum dicimus esse trinum & vnum: huius rationem si inquiras, cùm ad diuinum esse, eiusdemque naturam pertineat, nulla ratione cognosces: quomodo in sacra Eucharistia Christus in pluribus hostiis sit, & totus in hostia, & totus in qualibet parte cognosces, qui quomodo anima tua in pluribus partibus corporis sit, & tota in tota, & totain quauis parte, nescis. Captiuare igitur oportet intelle- C ctum in obsequium fidei, quæ tot tantisque miraculis, & prodigijs, & argumentis, à Deo est confirmata, &c.

Vndè meritò in huius rei confirmationem ait Sanct. Chrysost. *Sit homo, qui rationibus omnia discere vult, & tu tenta ei persuadere ratione, quemadmodum lucem aspicimus, si dixeris, quòd suffi.it aperiis oculis aspicere, non rationem, sed id quod sit, dixisti. cur, inquiet, non videmus auribus, & oculis non audimus? Si vtraque habent principium ex vno cerebro, & vtraque membra sint inter se vicina, quomodo non possunt eadem facere? Non poterimus quidem causam dicere, neque modum variæ & ineffabilis operationis; sed hoc D.i virtutis & infinita relinquimus sapientiæ, silemus. Res igitur magnas nulla ratione est.ndere valemus.* Ita Sanct. Chrys.

Qui pilulas, sanitatis gratiâ, accipit, non eas mandere, sed integras sumere, debet: si enim dentibus eas presseris, amaritudine maxima afficieris, & eas statim expues. sic etiam mysteria fidei integra sumere te oportet, alioquin si dentibus mentis ea mandere voluceris, acerbitatem expertus, ea illico exspues. integra ergo sunt assumenda, & sic in animæ stomachum immittenda, vt ibi charitatis calore, veluti digesta, in ipsius animæ emolumentum cedant, denique credita prosunt, examinata nocent.

De dactylis Ægypti ait Solinus, eius esse naturæ, vt si virides comedantur, non solùm non noceant, verùm etiam sitim extinguant, & cordi, seu capiti proficiant: maturi verò noceant capiti multùm, & stomacho etiam: digeri enim non rectè possunt. hanc ob causam Hadrianus iunior animaduertens periculum, & damnum, quod ex nimia curiositate in rebus diuinis oriri solet, sacris insculpi fecit palmam Ægyptiacam, & subscribi hanc sententiam, *Diuina scrutari temerarium.* Quare meritò mysteriis fidei huiusmodi dactylorum proprietas aptari potest. Si enim viridia hæc mysteria à nobis absumantur, hoc est, non rationibus & discursibus mentis maturata prosunt capiti animæ: nam fidem diuinam nutriunt; si verò matura, vt aiunt, ratione, seu consideratione humana fuerint sumpta, ita vt à ratione ipsa digeri & decoqui velimus, capiti & cordi nocent, quia, vti ait Sanctus Gregorius, *fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum.*

Et quidem meritò: indecens enim est homuncionem ea velle ratione sua comprehendere, quæ Dei sunt. Iussit Deus Prophetæ librum quemdam, à se illi *Ezech 3.* datum, deuorare. decerenie Prophetam Deo respondere: Expecta videamus priùs, quid liber iste contineat: abiit, aperuit os suum Propheta, & oculos suos clausit, & sic librum illum mysteriorum diuinorum deuorauit, fecit quod Deus iussit. Sic nos in rebus fidei gerere oportet. non scrutari, sed deuorare integra fidei mysteria, gratias Deo agentes, ex cuius manibus illa nobis proueniunt.

PROP. VIII. *Fides nostra euidentiam quandam habet in attestante, & à posteriori.*

HAbemus ab fidem mirabilem quandam euidentiam, quam euidentiam in attestante Theologi appellant: verbi gratiâ, euidens est, quòd non possunt fieri miracula in testimonium alicuius mendacij. sed in testimonium nostræ fidei facta sunt miracula multa; ergo à posteriori euidens est, quòd fides nostra sit vera. Item, quod Deus affirmat, euidenter est verum, sed Deus affirmauit, quæ fides docet: ad hoc etiam facta sunt miracula multa, & reuelationes manifestæ, multis prophetiis, &c. ergo euidens est in testificante, fidem nostram esse veram. Minor in vtroque syllogismo videtur ineuidens, sed tamen his, qui ea oculis viderimus, moraliter infallibilia sunt, sicut ea, quæ Euangelius continentur, & ea de quibus grauissimi authores & populi ipsi testificantur, maximè cùm tot miracula sint, tot tantique testes, vt stultus meritò iudicandus esset, qui de eorum veritate dubitaret: non enim fidelis ratio est, non vidi, ergo non debeo credere. Vidisti Romam? Non credis? Credo. ita, nisi mente captus sis. Præterea, credis illum, & illam, patrem, & matrem esse tuam? Ita: illos fratres tuos maiores? Credo, cur? Quia ita mihi ab his nunciatum est, quibus fidem non possum non adhibere. ergo fides adhibenda est, cùm ratio id ita dictat: quæ verò fides potioribus rationibus, miraculis, testimoniis, prophetiis, &c. ita sicut nostra probata, & comprobata? Vide, si placet, hoc argumentum latiùs, & magno ingenio à S. Augustino amplificatum tom. 4. de fide rerum inuisibilium, c. 1. 2. & 3.

Vnde Apost. Petr. 2. Petri 1. *Non indoctas fabulas se- Vers. 16.*
quuti, notam facimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis, &c. non, inquit, indoctas fabulas sequuti, sicut idololatræ, qui Iouem, & Venerem, & Mercurium, & alios falsos Deos adorarunt, ineptas, pueriles, & risu dignas fabulas sequuti Ouidij, Virgilij, & aliorum non Prophetarum, sed poetarum; sed quod vidimus, mirabilia scilicet Christi, quæ consperexerunt, qualia fuerunt resurrectiones mortuorum, infirmorum curationes, imperium in ventos & mare, & in dæmones ipsos, &c.

Et eodem modo Sanct. Ioan. Apostol. Ioan. 1. *Quod* *1 Ioan. 1. 1.*
fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, &c. annunciamus vobis. Mirè Sanctus Ioannes hîc vim fidei nostræ

significauit, primo non adinuentiones nouæ sunt, quas Christus attulit mundo, sed ab initio, non solùm legis scriptæ, sed etiam legis naturæ: nam ab initio mundi prædictus fuit Christus, & quæ ad eius fidem spectant: verbi gratiâ, in formatione primi hominis ex terra virginea, & ex formatione Euæ ex latere Adæ, & in sacrificio Abel, & alijs rebus innumeris; ideo ait: *Quod fuit ab initio.* Secundò, quod sensibus etiam percepimus, auditu visu, & tactu, quasi dicat, vidimus oculis nostris gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre, in monte Thabor, vidimus suscitatos à mortuis per eum, & audiu'mus mutos, ab eo sanatos, loquentes, & prodigia innumerabilia, & hæc annuntiamus vobis.

Et vt in ore non solùm duorum, sed etiam trium. Apostol. stet omne verbum, audi Apostol. Paul. ad Heb. 2. 2. *Si enim*, inquit, *qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio, & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, conteslante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus, secundùm suam voluntatem.* Vbi Sanct. Theodor. *Valde sapienter dixit Apostolus, Deum per miracula ferre testimonium prædicationi; siquidem est euidens probatio, & de testis veritate dubitari non potest.* Ita ille.

Heb. 2. 2.

Theodor.

PROP. IX. *Quàm magnum argumentum veritatis Christianæ, sit humilitas Christi, cum paupertate coniuncta.*

Ambrof.

MIratur meritò S. Ambrof. Christum Dominum regnum cœlorum sinapis grano comparasse: regnum enim cœlorum incomparabile videtur: quid enim regno cœlorum æquale? Assimilatum quidem fuisse thesauro absconditio magno, non ita mirum: thesaurus enim excellentiam quandam dicit diuitiarum: item homini quærenti bonas margaritas, & regi facienti nuptias filio suo. Donum comparationibus dignum quidem est regnum cœlorum, imò & his incomparabile, vti diximus, videtur; quomodo ergo Christus cum grano sinapis adæquauit?

Et quidem miraculum naturæ videtur sinapis granum: res enim, cùm tam perexigua sit, vim quandam interiùs habet, ita mirabilem, vt omnes experimur, & vt in arborem erumpat Palæstinæ adeo sublimem, vt volucres cœli habirent, & nidificent in eâ. Vndenam virtus hæc tanta in tam exiguo grano, & hoc emortuo sub terra? Hinc comparatio regni cœlorum cum grano sinapis desumenda: regnum enim cœlorum in hoc loco Christum Dominum designat. Ita interpretatur S. Ambrof. S. Hilarius, S. Gregorius, S. Petrus Chrysogonus: Christus enim propter eximiam humilitatem suam, granum dicitur sinapis, & propter diuinam interiùs occultam virtutem, quâ in arborem eximiam excrescit.

Quod quidem sufficientissimum fidei nostræ argumentum est, & quamuis nullum aliud miraculum edidisset, ita vt nec mortuos ad vitam reuocasset, nec dæmones effugasset, nec ventis, & mari commoto imperasset, &c. hoc solo nomine, quòd sua humilitate mundum traxerit ad se, Deitatem suam & veritatem demonstrauit. Quod vt faciliùs intelligatur, supponendum est, duo maximè requiri, vt quis in pretio & æstimatione magna habeatur. Primum est, diuitem ipsum, & non pauperem esse; quod in illa siue historia, siue parabola ostendit Salom. Eccl. 9. *Hanc sub Sole vidi sapientiam*, inquit; *& probaui maximam Ciuitas parua, & pauci in ea viri, venit contra eam rex magnus, & vallauit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio, inuentusque est in ea vir pauper, & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis, & dixeram ego meliorem esse sapientiam fortitudine. Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita?* Non respondet huic quæstioni Salomon, sed facilis responsio: contempta est sapientia pauperis, quia pauperis est: si enim diuitis fuisset, contempta non fuisset. Audi sapientissimum alium, & spiritu Dei loquentem, Ecclesiasticum, inquam, cap. 13. *Diues*, inquit, *loquutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducunt. Pauper loquutus est, & dicunt: Quis est hic? & si offenderit, subuertent illum*; quasi dicat, etiamsi diues stultum quid proloquatur, assentatores approbant, laudant, extollunt, quia diues ille est; proferet sententiam sapientiæ plenam pauper, & dicent: Quis est hic, qui loquitur sententias sermonibus imperitis? Quis est hic: verba sunt contemptum præseferentia, pauper igitur, quamuis sapiens sit, contemptibilis mundo est.

Eccles. 9. 13.

Secundò, vt quis in pretio habeatur, omni debet opprobrio, & nota carere. Quis enim æstimaret hominem propter infamiam delatum, & publicè flagellatum. Eo sigitur mundus honorat, quos diuites, & in dignitate aliqua, & honorabili loco, aut officio constitutos intuetur.

Nunc ad rem accedamus: Christus Dominus pauper nimirum fuit, in paupertate natus: non enim erat ei locus in diuersorio, vbi nasceretur: in stabulo igitur natus, & in præsepio reclinatus fuit: quid pauperius in paupertate item educatus adeò, vt dicere verè potuerit: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Quæ maior indigentia? Denique vt paupertatem commendemus, alicuius, dicere vulgò solemus, *Aquel tiene donde caerse muerto.* Christus Dominus non habuit etiam, vbi recumberet moriens, inde in cruce pendens obijt. Quænam huic comparabilis paupertas?

Luc. 9. 58.

Mundi verò honores non solùm non habuit, verùm etiam fugit, & refugit, vt constat cùm illum regem facere voluerunt: imò publicâ nota, & notabili fuit decore affectus, dum per vicos, & plateas ciuitatis primæ Ierusalem acclamatus reus voce præconis fuit. Quid inhonestius? & inter duos latrones cruci affixus, quid indecorum magis? Si ergo, vt quis in mundo in pretio habeatur, vt veneretur eum omnes, & diuitem, & honore condecoratum esse oportet: pauper, quamuis sapiens, opprobrio affectus, ab omnibus despicitur, & contemnitur, qui fieri potuit, vt Christus Dominus super omnes pauper, & opprobrio affectus, ita, vt nunc videmus, veneretur, glorificetur, adoretur; à mari enim vsque ad mare, & ab Oriente vsque in Occidentem laudabile nomen eius, &, vt ad granum sinapis reuertamur, ita in arborem magnam prodiit, vt volucres cœli super ramos eius insideant, nidificentque: sanctissimos & sapientissimos viros dico, qui velut aquilæ sapientiæ & sanctitate super nubes volant, Augustinum, Hieronymum, Ambrosium Gregorium, Cyprianum, Athanasium, Chrysostomum, Basilium, Nazianzenum, & innumeros alios. Quomodo hi pauperi viro, & tot opprobrijs lacessito adhæserunt, quomodo ei fidem dederunt? eum adorauerunt, & pro ipso vitam profundere voluerunt? quomodo ab his verba eius fuerunt audita? Quòd si quæ mundi honoris, & diuitiarum sunt, Christus prædicasset, ob id fortè multos Christum sequi mirum non fuisset; at legem pœnitentia, mortificatione, & abnegatione, & cruce plenam, quomodo inducere ita potuit homo pauper, & inhonoratus? erat quidem granum sinapis, & ita se intus alium esse; quàm quod apparebat exteriùs, ostendebat. *Que dehaxo del sayal, banial.* Denique non hominem purum esse, vt apparebat, sed Deum,

A

B

C

D

Deum ; vti ipſe de ſe ipſo prædixerat mundo. A

PROP. X. *Fidei veritas probatur ex miraculis Chriſti.*

IDeo Chriſtus Dominus his circumſtantijs miracula edere ſolebat, quibus omnem excluderet calumniam. Quod ita oſtendit Sanct. Chryſoſt. tom. 5. ſerm. contra Iudæos, Gentiles, & Hæreticos : *Quare inſiſt Chriſtus in nuptijs Cana Galilææ impleri hydrias aquâ ? an non qui verbo cœlum fecit, & terram fundauit , & omnia quæ in eis ſunt , cuius oculus arefacit abyſſos , à quo tremit omnis creatura , tam cœleſtium, quàm terreſtrium , qui ea, quæ non ſunt, facit eſſe , potuit etiam hydrias aquâ implere, & dicit:* Implete hydrias aquâ? *Cur ita ? Dicam: quia ſi negarent, manus eorum qui hauſerunt, & humeri, qui geſtauerunt aquam, ipſos redarguerent.*

Idem etiam fecit cùm Lazarum ſuſcitauit , antequàm ad locum illum veniret, dicit diſcipulis ſuis : Lazarus mortuus eſt, *& tamen dixit:* Vbi poſuiſtis eum ? *Paulò antè dixerat* B *diſcipulis* : Lazarus mortuus eſt ; *& nunc quærit, vbi eſſet: mortem prædixerat , & locum neſciebat? Sciebat , ſed propter Iudæos dicebat, quia rudes erant, & ita cùm dixit* : Vbi poſuiſtis eum? *non ignorantia fuit , ſicut & cùm in paradiſo dicebat:* Adam vbi es ? *ignorabatne vbi eſſet? non, ſed quia dicebat diabolus, quòd in die, in qua comederitis ex ligno hoc, eritis vt Dij , & ſuſpicati ſunt illi , quòd futuri eſſent Dij: ob hoc arguit ipſum Deus : Adam vbi es? pro eo quod comediſti, & manſiſti homo. Sic apud Lazarum egit : nam & vt appropiauit monumento, dixit Iudæis* : Tollite lapidem de monumento, & tulerunt : dicit ipſi ſoror Lazari , iam fœtet: nunc enim quatriduanus eſt , &, vt clamauit voce magna, dixit : Lazare veni foras, & prodijt vinctus inſtitis. *An non qui transfert montes in cor maris , potuit verbo lapidem mouere , qui ſtimulos mortis confregit , qui portas inferi contriuit , non potuit vincula diſrumpere , & dicit : Soluite ipſum? ad quid? vt ſi negent manus eorum, & oculi ipſorum redarguent eos. ob hoc dixit: ſoluite ipſum.* Ita S. Chryſ. C

Modus etiam quo paralyticum ſanauit id maximè confirmauit , ex ore quippe inimicorum conuincit eos ſe Deum eſſe: illi enim aiebant neminem præter Deum peccata dimittere poſſe , & miraculo tunc probauit ſe peccata dimittere poſſe, &c.

Præterea, ex imperio Marc. 9. *Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi*, quod ſolius Dei eſt, &c.

Inter ea quæ maximè fidem Chriſtianam confirmant, miracula Chriſti præcipuè numerantur : ad hoc enim mira illa , quæ Euangeliſtæ narrant, Dominus patrauit v. g. reſurrectionem Lazari. Cur, quæſo, per quatuor illos dies reſurrectionem illam diſtulit , cùm ſtatim cum poſt obitum ad vitam reuocare poſſet? *Propterea*, ait S. Ambroſ. lib. 1. Hexam. cap. 7. *iuſſit Dominus, iamiam Lazarum ſuſcitaturus , vt Iudæi lapidem de ſepulchro remouerent, vt mortuum videntes, poſtea reſuſcitatum crederent ; deinde Lazarum vocauit , & tunc reſurrexit , & ligatis manibus , & pedibus exijt foras. Nónne poterat remouere lapidem , qui potuit mortuum reſuſcitare ? & qui potuit defuncto vitam reddere , non poterat nexus ſoluere* D *vinculorum? & cui, vinctis pedibus, greſſum dedit , non poterat ruptis vinculis inceſſum reddere ? Sed vtique aduertimus, quod voluit primò demonſtrare mortuum , vt oculis ſuis crederent; deinde reſuſcitare , tertiò iubere, vt vincula ipſi ſoluerent, vt inter iſta fides infunderetur infidelibus , & per hos gradus credulitas naſceretur.* ita Sanct. Ambroſ. Et verè, vti ait Sanct. Ioannes cap. 11. *multi ex Iudæis qui venerant ad Mariam & Martham , & viderunt , quæ fecit Ieſus , crediderunt in eum* ; ſic miracula Chriſti Domini mirè fidei noſtræ veritatem confirmant. Taceo reliqua mirabilia, &c.

PROP. XI. *Fidei veritas probatur ex prophetijs de Chriſto maximè ex perpetua Iudæorum expulſione.*

SAnctus Chryſoſt. tom. 5. oratione 2. aduersùs Iudæos: *Prædicere Chriſtum, qui ipſe facturus eſſet , priuſquam fierent , mirum quidem , ac prodigioſum : verum prædicere, quæ ab alijs fiunt, & efficere vt ſibi illa habeatur , & ſint perſpicua cunctis , multò maius eſt , ac mirabilius. Prædixit igitur Chriſtus narrandam fore per vniuerſum mundum effuſionem vnguenti Mariæ Magdalenæ , & ita euenit : in omnibus enim Eccleſijs appellari mulierem audimus. Sunt conſules , duces , viri , mulieres nobiles , illuſtres , &c. vbique terrarum , & ſummo cum ſilentio audiunt omnes huius mulieris officium , nec eſt vlla mundi plaga, quæ factum hoc ignoret. Atqui quos reges multa , magnaque in multos contulerunt beneficia , bella cum laude geſſerunt, trophea ſtatuerunt , genites gubernarunt. ciuitates erexerunt, & innumeris commodis auxerunt rempublicam ; & tamen cum ſuis benefactis ſilentio teguntur. Item reginæ , ac primariæ fœminæ innumerabilia benefacta contulerunt in eos, quibus imperabant , quæ nec de nomine quidem notæ ſunt. Hæc autem abiecta mulier , quæ tantùm vnguentum effudit , toto orbe terrarum decantatur. Nec temporis quidem longitudo tam immenſam memoriam illius vel extinxit , vel extinguet vnquam , idque cùm factum ipſum non eſſet inſigne. quid enim magni fuit vnguentum effundere ? neque perſona celebris eſſet : erat enim mulier abiecta, neque multi teſtes aderant , neque locus nobilis : non enim hoc fecit per theatrum tranſiens, ſed in domo coram paucis. Attamen neque perſonæ humilitas, neque teſtium paucitas , neque loci obſcuritas, neque vllarum alia potuit illius abolere memoriam. Quin potiùs regnis omnibus , ac regibus vniuerſis celebrior eſt nunc hæc mulier , nec vlla ætas oblutioni tradidit , quod factum eſt. Num huiuſmodi prædicere , virtutis humanæ videtur ? Ruſus prædixerit Petro* : Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. *An non teſtimonium cum rebus conjecit ; etiam ſi mille modis ipſe contendas in aduerſum ? Quot enim bella aduersùs Eccleſiam concitata ſunt ? quot exercitus inſtructi? quot arma mota ? quod non afflictionum , & vindictæ genus excogitatum ? ſartagines, catapultæ, lebetes , fornaces , lacus, & præcipitia, beſtiarum dentes, mariæ , proſcriptiones , & innumera alia genera tormentorũ, neque dictu memoranda, neq; factis tolerãda. Atque hæc non tantùm ab extraneis, verùm etiam à noſtris domeſticis. Nihil tamen horum diſſoluit Eccleſiam , & nec reddidit inferiorem. Atque id ſanè mirabile, quòd hæc in ipſis ſtatim primordijs mota ſunt ; nam ſi tunc irruiſſent hæc acerba , quando iam radices egerat , & per omnes mundi partes plantatum eſſet Euangelium ; non eſſet ita mirandum , non fuiſſe Eccleſiam ſubuerſam. Ceterùm, cùm nuper tacto ſolis lumine, & teneris auditorũ mentibus, tot bellorum procellæ eruperint , res noſtras ex nulla fuiſſe parte diminutas , imò acceſſionem multam adiunctam; hoc nimirum ſuperat omne miraculum. Et ne quis dicere poſſet , quòd nunc Eccleſia ob pacem à regibus præbitam, conſtabilita ſit ; quum eſſet minor , cùm videretur imbecillior, tunc illam oppugnari permiſit: vt cognoſcas etiam , quòd nunc in tuto eſt , non acceptum eſſe ferendum paci , quam præſtant reges, ſed à potentia Dei proficiſci.*

Quod vt magis verum eſſe cognoſcas , reputa quàm multi conati ſunt apud Græcos , opiniones nouas , ac peregrinas viuendi rationes inducere , velut Zenon , Plato, Socrates , Diogoras , Pythagoras , aliique innumeri , tamen adeo non vicerunt , vt pleriſque nec de nomine quidem ſint noti ; Chriſtus autem non modò præſcripſit vitæ formam , verùm etiam hanc per totum orbem terrarum plantauit. Quàm multa fertur Apollonius ille tyrannus feciſſe , verùm vt ſcires illa omnia eſſe conficta, vana & nihil habentia veri , extincta ſunt, & finem acceperunt.

Hoc etiam modo Gamaliel Phariſæijs obturauit os ; cùm

enim videret eos insanientes, & cupidos effundendi sanguinem discipulorum Christi, studens eos ob insania cohibere, iussis paulisper sudore Apostolu, sic ad illos, verba fecit: Prospicite vobis, quid de his hominibus sitis facturi, ante hos enim dies exortus est Theudas, dicens, se esse aliquem, & sequuti sunt eum viri quadringenti; & ille periit, & omnes, quotquot ei paruerunt, dispersi sunt. Et post illum exortus est Iudas Galilæus, qui concitauit turbam magnam, & mortuus est, & discipuli eius perierunt. & nunc dico vobis, prospicite vobis, quoniam si factum hoc fuerit ex hominibus, dissoluetur: sin ex Deo est, non poteritis illud dissoluere, ne forte comperiamini aduersus Deum pugnare. Vnde autem manifestum est fore, vt quidquid ex hominibus est dissoluatur. Experimentum (inquit) capistu à Iuda, & Theuda. Vnde si hic talis est, quales illi fuerunt, expectate paulisper, & ipse rerum euentus faciet fidem, expectarunt, & ex factis ipsis declarata est diuina, & inexpugnabilis potentia. Voluit Christum obscurare diabolus, procurans vt cum eo duo latrones simul crucifigerentur, sed hoc facto magis Christi potentiam declarauit. Dic enim mihi quid est in causa, vt cùm tres fuerint crucifixi in eodem loco, eodem tempore, sub eisdem tudiculis, illi sileantur, hic solus adoretur? Rursus cùm plures nouam viuendi rationem B induxerint, ac discipulos habuerint, illorum ne nomen quidem hodie notum sit; hic per omnes mundi plagas colatur? Dicito mihi, quis hominum tot Ecclesias, toto terrarum orbe, paranit? quis ab extremis mundi ad extrema cultum suum protulit? quis omnes subiectos habuit; idque cùm essent obstacula innumera? nonne igitur perspicuum est Christum principem esse vitæ nostræ? hæc igitur antea prædixerat Christus.

Quæ ad Christum pertinent, non simpliciter contigerunt, sed multò antea prædicta sunt, & ne sermo suspectus sit, libros habemus à Iudæis, qui crucifixerunt illum, & ipsorum testimoniis, & ex libris, quos illi custodiunt, nostra probamus: ex quibus nonnulla proferamus. Et primò quod Deus

Barue 3. 36. *existens, futurus erat homo, dicit Ieremias*: Hic Deus noster, non conferetur alius ad illum: inuenit omnem viam scientiæ, & dedit ipsam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est. *Vides quomodo omnia paucis declarauit verbis, nempe quòd Deus existens, homo factus est, & quòd etiam veterem legem condidit*: Ipse C inuenit, *ait*, omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob.

Alius autem Propheta, non solùm quòd homo futurus

Isa. 7. 14. *esset, sed quòd è virgine nasciturus erat, asseruit* Ecce, *inquit*, virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, *id est, nobiscum Deus. Deinde ostendit, quòd non apparebat, sed verè homo sit: adiecit*

Ib. v. 15. *enim, dicens*: Butyrum, & mel comedet. *Mos enim est, vt hu cibu peculiariter pascantur pueri, mox vt fuerint nati: & Ib. v 16.* *declarans, quòd non purus homo foret, iterùm addit, dicens*: Propter quod, priusquam sciat puer bonum, vel malum, bene sciet à malo seligere bonum.

Et quòd non solùm ex virgine, sed quòd etiam ex domo Dauid futurus sit, expressit: Egredietur virga de radice *Ose. 11. 1.* Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Dei. *Nam Iesse ille pater fuit Dauid. Manifestum igitur, quòd à tribu illa, & non solùm à tribu illa, sed etiam à domo illa processurus: & hoc prædixit, dicens*: Egredietur virga de radice Iesse, *non de virga loquens, sed de Christo, & regno eius. Quod non de virga dixerit, consequentia declarant: nam, cùm dixisset, egredietur virga, adiecit, requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus. Nullus autem tam insipiens est, qui dicat, quòd super lignum veniat spiritus gratiæ. hoc etiam Euangelista di-*

Mat. 3. 16. *xit*: Vidi spiritum descendentem, sicut columbam, & mansit super eum.

Quòd autem non esset futurus purus homo, attestatur

Isa. 9. 6. *idem Propheta, dicens*: Puer natus est nobis & filius datus est nobis, & vocabitur nomẽ eius admirabilis, Deus, fortis. *hoc de puro homine nemo dicet, etiam qui valde contentiosus est: nam nullus hominum vnquam, etiam ab A ipso sæculo, dictus est* Deus, fortis, *sicut neque* pater futuri sæculi.

Prædixerunt etiam modum aduentus eius; non suscitet iactens fulmina, vel fulgura è supernis, nec concutiens terram, nec rotans cœlum, nec alia id genus operans prodigia, sed absque strepitu, & turbatione. Descendet, *inquit*, *Psa. 71.* sicut pluuia in vellus, *quo aduentu illius tranquillus, & quietus signatus: & Isaias*: Calamum contritum non confringet, & lignum fumigans non extinguet, donec educat in veritatem iudicium, & in ipso gentes sperabunt.

Alius etiam locum, in quo nasciturus erat, indicat: Et tu *Mich.* Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in prin- *Matt.* cipibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel, & exitus eius ab *initio* à diebus sæculi. *Ex diuinitatem, & humanitatem indicauit: nam, dum dicit*: exitus eius ab initio, à diebus sæculi, *substantiam declarauit quæ ante secula fuit: item autem dicit, egredietur dux, qui regat populum meum Israel, natiuitatem secundum carnem docet: & meritò dicit*: nequaquam minima es in principibus Iuda: *nam omnis orbis Bethleem conflatus, vbi natus positus est, & nobilis factus est locus ille, non alia de causa, quàm hac sola.*

Item & tempus, quo affuturus erat, manifestauit Scriptura, sic dicens: Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux *Gen.* ex lumbis eius, donec veniat, cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium. *Vides & hoc vaticinium congruere: nam tunc comparuit, cùm iam deficerent Principes Iudaici, & sceptris Romanorum subderentur: deinde assignatur, & ipse erit expectatio gentium: aduentu enim suo omnes gentes attraxit.*

Item Herodes Christum insequuturus erat, & interemptu- Matt. rus propter eum omnes, qui ibi erant, pueros; *& nequidem seiuerunt Prophetæ, sed multis antea temporibus prædixerunt,* Vox, *inquit*, in Rama audita est, ploratus, & vlulatus multus. Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt.

Reditum erat ex Ægypto, & hoc significauit Osea Pro- Os.
pheta: Ex Ægypto, *inquit*, vocaui filium meum.

Miracula etiam, Tunc, *inquit Isaias*, aperientur oc- *Isa.* 35.
cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet, sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum *quod scilicet, nunquam factum est vsque ad aduentum illius. Signorum item aliquorum speciatim meminerunt: ingressus enim aliquando in templum, pueri adhuc ab vbere pendentes, & inexpeditam habentes linguam, cecinerunt in illum hymnum, dicentes*: Hosanna in excelsis, benedictus, qui venit in *Matt.* nomine Domini. *Hoc multò antea prædixerat Prophita, sic Psalm.* *dicens*: Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem, dum destruis inimicum, & vltorem, *hoc est, Iudæum populum, contra quem natura pugnabat, & opificem prædicabat, & fungebatur Apostolico munere innocent etas, necdum loqui valens.*

Quòd autem nonnunquam disputando cum Iudæis, ob ingratitudinem eorum pleraque ænigmatibus & parabolis abdurbrata est, prædictum etiam antea fuit, Aperiam, *inquit*, *Psalm.* in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio.

Quin & sapientiam eius in concionando, Propheta prædixit, inquiens: Diffusa est gratia in labis tuis, *& alius item*: *Psa. 44.* Ecce intelligetpuer meus, & exaltabitur, & glorificabitur, & valde sublimis erit. *Isa.*

At quòd Iudæi nitra beneficia in eos conferentem, & quem nec in magno, nec in parvo arguere poterant, sine *Psa. 113.*
omni causa aduersaturi essent, audi Dauid dicentem: Impugnauerunt me gratis, cum osoribus pacis eram pacificus.

Erat autem iumento aliquando ingressurus ciuitatem: hoc etiam fuit prædictum. Zacharias sic dicente: Exulta satis filia *Zach.* Sion: iubila filia Ierusalem. Ecce rex tuus venit tibi iustus & saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.

Etecit e templo nummularios, & negotiatores, ex zelo domus Dei, quia facta erat domus orationis, domus negotiationis, pa-

prædixit ergo & hoc Dauid dicens: Zelus domus tuæ comedit me; quid euidentius dici potuit? A

Tradendus erat præterea à participe mensæ suæ, proditorem agente; vide quomodo & illum reuelauerit Propheta: Etenim homo paucis meæ, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Considera, quàm consonet Euangelium, Amen dico vobis, tradet me, qui manducat mecum: proditor autem ille ob peccata sua ad laquenm currens, vitam finiuit, & loco eius factus est Apostolus Matthias, & hoc etiam præcinit, dicens: Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter.

Tradito autem Iesu, coactum est concilium iniquitate plenum, conuenientibus Iudæis, & Gentibus. Vide quomodo & hoc prædixerit Propheta dicens: Quare fremuerunt gentes, & populi, &c. vsque, abjiciamus à nobis iugum ipsorum: que vox conuenit cum ea, qu m respondentes Pilato interroganti: Regem vestrum crucifigam? tunc, inquam, responderunt: Non habemus regem, nisi Cæsarem.

Ad hæc filebat inter accusationes Iesus, & hoc prædixit Isaias: Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperuit os suũ. B

Quòd autem peccatorum suorum gratia illa non fuerit passus: immaculatus enim erat, sed pro mundi malis. vide quomodo & hoc aperuit, cùm dixit ibidem: Eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius. Cùm ergo gratiâ occisus est? Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati suimus. Omnes nos quasi oues errauimus, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrũm.

Ad hæc Iudæi pœnas dauerit erant pro flagitijs suis, & hoc manifestauit: Et dabit impios pro sepultura, & diuitem pro morte sua, quod Dauid, sium dixisset: Abijciamus à nobis iugum ipsorum, adiecit: Qui habitat in cœlis irridebit eos, & in furore suo conturbabit eos: quibus significat dispersionem eorum in omnes gentes, in toto orbe, quod & in Euangelijs declarans, dicebat: Eos autem qui me C super se regnare nolebant, adducite huc, & occidite eos ante me.

Præterea qui præ nuntiauerunt mortem, neque mortis genus siluerunt: sic enim Propheta: Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraueruntomnia ossa mea: & de vestimentorum partitione, subdit: Partiti sunt vestimenta mea, & super vestem meum miserunt sortem.

Resurrectionem erat, vide & quomodo prædixerunt: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Insuper descendit in infernum, & arcem illam destruxit, & de hoc, Tollite, ait, portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. & iterum Isaias: Portas æreas confringam, vectes ferreos conteram, & aperiam tibi thesauros obtenebratos, & inuisibiles ostendam tibi. Infernum sic vocat: nam quamuis infernus esset, animas tamen tenebat sanctas, & vasa pretiosa, Abrahum, Isaac, Iacob, &c. propter quod thesauros vocat, obtenebratos autem, quia nondum sol iustitiæ fulserat ibi, neque de resurrectione sermones prædicarat.

Iam quòd non manserint in tertia post resurrectionem, sed ascensurus esset, & hoc quoque nobis manifestauit, dicens: Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ. Per iubilationem & tubam clara eius ascensio docetur.

At quòd ascensurus ipse non flatuendus esset cum Angelo, neque Archangelo, neque cum alijs administratorijs virtutibus; sed super regiam sedem sessurus. Audi quid dicat. Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Post hæc missurus erat Apostolos, & de hoc Isaias: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Ecce quam laudat corporis partem, pedes qui eos ferebant vndequaque: deinde commemorat, quomodo præualuerint Apostoli; dicit enim: Dominus dabit verbum euangelizantibus, virtute multa: non enim mouerunt arma, neque expenderunt pecunias, neque robore corporis, neque exercituum multitudine, neque aliquo tali vsi sunt, sed verbo simplici, & multam habente virtutem, ac miraculorum ostensionem. Crucifixum enim prædicantes, & miracula facientes, totum orbem sibi subiecerunt; & præterea dixit: Dabit verbum euangelizantibus, virtute multa, miracula significans. Etenim mira virtus erat, piscatorem, Publicanum, Pellionem, nudis præceptis mortuos suscitare, dæmones expellere, mortem abigere, Philosophorum linguam reddere mutam, Rhetorum constringere ora, apud reges versari, Barbaros, & Græcis, & omni hominum generi imperare: nam omnia hæc illi verbo perfecerunt.

Quòd autem in linguis igneis super eis sedit Spiritus sanctus, sic Ioel multò antea prædixit: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri. Nec solùm habemus, quòd illis mittendi erant, sed etiam quòd in totum orbem perueniet prædicatio, ita vt nulla pars essit, in qua non audiretur, In omnem terram exibit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum. Ad hæc quòd cum authoritate prædicauerint, & regibus fuerint potentiores, docet, inquiens: Constitues eos principes super omnem terram. quòd autem regibus maiores sint, Petrus & Paulus, declarauit eumtus: nam regum leges, etiam ipsis viuentibus, irritantur; at piscatorum illorum, etiam mortuorum, rata sunt & immobiles manent, quamuis multi regibus, supplicijs, armis, argutijs, verborum eloquentiâ, amicitijs cognationibus, dæmonibus, consuetudinibus, malis moribus, voluptatibus, & innumeris alijs plurimum resistere conati sint. & quia Apostoli principes constituti, desiderabiliores sint subditis suis. & non sicut multi principes, terribiles, molesti, & atrocessideo subdit, diuens. Properea populi confitebuntur tibi in sæculum, hoc est, gratias agent tibi multas, quòd tales principes dederit.

Quòd autem prædicatio vbique crescat, audi: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. & iterum alibi: Implebitur omnis terra scientiâ Domini, sicut aqua multa, quæ operit mare.

Erant etiendi Iudæi: audi quomodo & hoc prædixit Propheta: Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur oblatio munda nomini meo; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Vides, quomodo cultus nobilitatem manifestauit, quomodo excellentiam, & immutationem eius, quòd non in omni loco, quòd non in sidore, & fumo, sed in alio cultu nostra erunt ministeria.

Et quomodo, dicet aliquis attraxerunt Apostoli omnes, qui non nisi vnam linguam habebant, nempe Iudæorum? quomodo Schytam, & Indum, & Sauromatam, & Thracem docebant? acceperunt quidem à Spiritu sancto gratiã multigenarum linguarum dona, & hoc quoque non Apostolis solùm dicunt, sed Prophetæ: In varijs, inquit, linguis, & in labijs alijs loquar populo huic, & neque sic audient me, dicit Dominus. Quid manifestius erant enim incredulis futuri, & Gentes ad fidem adscisendæ. Hoc Isaias declarans, manifestat: Inuentus sum ab his non me quærunt, manifestatus sum his, qui non me inquirunt: dixi, Ecce ego sum ad gentẽ, quæ non inuocauit nomen meum, ad Israel expandi tota die manus meas, ad populum incredulum, & contradicentem. & iterum: Populus quem non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi, non videns matre fossum, non petram ruptam, sed audiens Apostolos meos.

Præterea pœnam Iudæum nolentium recipere doctrinam Christi, prædixit Moyses, sic de Christo Messia loquens:

Ps.67.12.

Ioel.2.28.

Ps.18.5.

Ps.44.17.

Psa.44.18.

Psa.2.8.

Isa.11.9.

Mal.1.10.

1.Cor.14.21.

Isa.65.1.2.

Ps.17.45.

Deut. 18. 15. Prophetam vobis excitauit Dominus Deus de fratribus nostris, ſicut me, ipſum audietis, & erit omnis anima, quæ Prophetam illum non auderit, exterminabitur de populo ſuo. *Vides hoc in nullo impletum, quàm in hoc ſolo? Etenim multi Prophetæ ſurrexerunt, & omnes parum auditi ſunt: attamen nihil ob id Iudæi ſunt paſſi; hunc autem quia non auderunt, vagantur erratici, fugitini, exuleſque, oberrantes vbique, excluſi à ſua ciuitate, & à paternis legibus, & conſuetudinibus, in ignominia, & vlutonis pœna. Quæ ſub Veſpaſiano, & Tito paſſi ſunt, tam dicere non vacat, ita omnem calamitatem excedit tragœdia illa. denique impletum eſt illud*, Omnis, qui non audierit Prophetam illum, exterminabitur.

Iſa. 11. 10. *Quòd autem poſt mortem Chriſti, & poſt crucem, res ipſius clariores futuræ eſſent, aſſeruit Iſaias, ſic dicens*: Et erit ſepulchrum eius gloriosum: *Reges enim, poſitu diadematibus, crucem ſuſcipiunt, in purpura, crux in precibus, crux in armis, crux in menſa ſacra, & in toto orbe crux, & ſuper ſolem fulget crux. In rebus quidem humanis diuerſo contingere ſolet modo: nam eum hu qui in magna hîc ſunt gloria, & rebus florentibus agunt, moriuntur cum illu ſimiul alia omnia, id quod non ſolùm in diuitibus, ſed etiam in regibus videre licet: nam leges eorum irritantur, ſtatuæ obſcurantur, memoria extinguitur, nomen eorum in obliuionem venit. At ſecus Chriſto Domino euenit: ante crucem enim eius omnia in luctum erant, Iudas prodidit, Petrus negauit, reliqui Apoſtoli fugerunt. Ceterùm vbi Chriſtus mortuus fuit, non ſolùm res eius non interciderunt, ſed multò clariores, illuſtriores, & ſublimiores reddite ſunt. Ante crucem præcipuus Apoſtolorum neque oſtiariæ minas tulit, & poſt tantam eruditionem, audebat, ſe neſcire, quis Chriſtus eſſet: at poſt fidem prædicatam orbi ipſe ad fidem accipit, & innumeri populi martyrum occiſi, malentes mori, quàm deſerere fidem, de qua præcipuus ille Apoſtolorum reformidans, vnius oſtiariæ voces, dixit*: Vbique terrarum prædicamus crucifixum, & reges, & principes, & milites, & præſides, & ſerui & liberi, & idiotæ, & ſapientes, & inſipientes, & Barbari, & reliqua hominum genera, ac terra omnes, quas ſol ſpectat, ad hoc nomen currunt, vt adorent, vt diſcas, quid ſit: Erit ſepulchrum eius gloriosum. *Non in ipſo tantùm, ſed & hoc contigit in diſcipulis eius: nam qui contempti, & vincti erant, & qui innumera patiebantur, dum viuebant; vbi defuncti ſunt, regibus ipſis illuſtriores & venerabiliores euaſerunt, etiam Romæ; quæ vrbium regaliſſima eſt, relictâ omnibus, ad piſcatorîs, & pelluonis ſepulchra currunt, etiam reges, & in Conſtantinopoli reges noſtri magnam gratiam putant, non ſi propè Apoſtolos, ſed ſi vel extra eorum veſtibula corpora ſua ſepelantur, ſiantque piſcatorum oſtiarij reges ipſi, neque inde in morte conſunduntur, ſed honeſtantur ipſi, & nepotes, & pronepotes eorum, & ſit erit ſepulchrum eius gloriosum.*

Et quidem crux ſignum erat antea mortis maledictæ, mortiſque omnium diſſamatiſſimæ: hoc enim mortis genus erat ſolum maledictioni obnoxium: qui enim olim peccabant, comburebantur, lapidabantur, & aliis modis vitam finiebant; at ſupplicijs tantùm: crucifixus autem non ſolùm hoc ferebat, ſed Gal. 3. 13. *vt maledictum quoddam*: Nam maledictus, *ait*, omnis qui pendet in ligno; *verumtamen hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi ſupplicij ſymbolum, crux, inquam, diadematibus, & coronis clarius factum eſt: neque enim ſic regiâ coronâ ornatur caput, vt cruce, quæ omni cultu dignior: vnde omnes eâ ſe ſignant, & in fronte, nobiliſſima noſtri corporis parte, quaſi in columna quadam, quotidie figuratur. Hæc vbiq; celebratur, in domibus, in templis, in vijs, in armis, in vaſis argenteis, & aureis, in margaritis, in deliciarum choreis, ſicut in Monachorum ordinibus, adeo certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes, & ipſo cunctî ornantur. Nullus confunditur, nullus erubeſcit, cogitans, quòd fuerit ſymbolum mortis maledicta. Vnde igitur ſymbolum tam maledicti ſupplicij, omnibus adeò deſiderabile, ſi non magna virtus Crucifixi? Sunt quidem lictoribus multa genera tormentorum, ligna, corda, vngues, & alia huiuſmodi, quibus corpora torquent, & dilacerant membra: quis autem vult hæc intra fores ſuas: quis ea contingere manu? an non plures ita hæc abominantur, vt neque aſpectâ ſuſtineant tale quid. Olim crux erat, non mortis tantùm, ſed maledictæ mortis ſymbolum erat: vnde igitur modò cunctis deſiderabilius ipſum lignum, in quo fuit crucifixus Dominus? quare nam totus orbis ira contendit, vt qui partum quiddam exulis habent, hoc auro includant, & cæruicibus ſuis aptent, hinc honeſtati, & protecti. Sed qui cœlum, terramq; fecit, ettam crucem adiò contemptam ſupra calos eleuauit, hoc, inquam, maledictæ mortis ſymbolum, factum eſt omnigena ſecuritatis murus, tempeſtiua diaboli plaga, dæmonum, & virtutum contrariarum frænum; hoc mortem ſuſtulit, hoc inferni æreas portas confregit, diaboli arcem expugnauit, peccati nerues exeuit, orbem obnoxium condemnationi, eripuit, plagam à Deo immiſſam aduerſùs naturam noſtram, remiſit, & quæ non potuit mare, vim diuidere tus, & petræ cum rumperentur, æer, cum muteretur, & manna, quod quadraginta annis tot millibus dabatur, & lex, & alia ſigna tam in eremo, quàm in Paleſtina facta, a potuit crux, non in vna tantùm gente, ſed in omnibus, quas Sol aſpectat terris. Crux, inquam, maledicti ſymbolum, quod omnes fugiebant, probroſiſſimum dicebant, tantum, ac tale poſt Crucifixum mortem robur accepit. Ideo ducebat Propheta*: Erit ſepulchrum eius gloriosum.

Non ſolùm hoc, ſed altam tibi virtutem crucis oſtendam: erat orbis ſterilis, & infœcundus in ſermone virtutis, tanquam terra ſolitaria; fecit autem cum crux matrem multorum virtutum, & frugiferum paradiſum. Et hoc quoque prædictû fuerat à Propheta: Lætare ſterilis, quæ non paris, iubila, & clama, quæ non parturis, quia plures ſunt filij ſterilis, quàm habentis virum. *Vidiſti diligentiam Prophetarum, quomodo ventura cuncta prædixerunt? verba præceſſerunt, & opera vetus hæc ſuccedere vides conſona, & præteritiſſima nihil.*

Sed nunc ad eas prophetias veniamus, quæ Chriſtum ipſe protulit, vt ex illis Chriſti virtutem, & veritatem videamus. Duodecim erant diſcipuli ſequentes Chriſtum, & Eccleſiam referebant, quamuis tunc florebat Synagoga. Orbe quitur tunc toto fermè in impietate detento, prædixit Petrus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam. *Vide perſpicuam veritatem: non enim ſolùm ædificauit iam Eccleſiam, ſed etiam inuictam fecit, licèt tot bella inſurgant aduerſùs eam: hoc enim eſt quòd porta inferi non præualebunt aduerſùs eam, pericula, inquam, quæ mortem generant, pericula, quæ ad infernum deducunt. Veriſſi prædictionis veritatem? videriſi breui tempore omnem ſol ſole terram, tantis Eccleſiis impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos perſuaderi, vt patrias leges relinquant, conſuetudines ſtabilitas dimittant, altaria, templa, ſtatuas & ſacrificia, & profana feſta, ſicut ſimum, aboleant, & accitent altaria vbique gentium, in regione Romanorum, Perſarum, Scytharum, & Indorum, & vltra orbum noſtrum. Vnde & omnis terra ſpinis plena, repurgata, facta purus ager, ſemina ſuſcepit Chriſtianæ pietatis. Magna quidem reſorti, magnæ, diuineque virtutis, etiam ſi nemo interturbaret: imò ſimul adnitentibus multis, & reluctante nullo, poſſe intra breue adeo tempus, totum ſic orbem à conſuetudine ſua mala reuocare in altam; verùm hoc multo maius, quòd non ſolùm in altam quamcumque inducitur, ſed in multò difficiliorem: non ſolùm enim diuerſa conſuetudo erat, ſed & voluptate fomenta. Vide igitur duo violenta: quæ enim acceperat à patribus ſuis, & proauis, & aliis ſuperioribus, progenitoribus, & Philoſophis, & rectoribus, ea reſpuere docebatur: quod ſanè difficillimum erat, ac difficilius, nouam inducere conſuetudinem, & illam valde laboriosam. Abduxit enim Chriſtus à crapula ad ieiunium, abduxit ab amore opum in amorem pauperiei, à luxu in temperantiam, ab ira in manſuetudinem, ab inuidia in benignitatem, à via lata, & ſpatioſa in anguſtam, artam, præruptam; induxit, inquam, aſſuetos vitæ latæ: neque enim alios homines extra huius mundi conſuetudinem viuentes aſſumpſit, ſed illos ipſos, qui in talibus vitijs computrescunt, & luto molliores erant, iuſſit, vt anguſtam, & artam viam, & aſperam ambularent, & perſuaſit eis. Quot autem perſuaſit? non duobus, vel decem, vel centum, ſed omnibus fere ſub*

cœlo

vælo habitantibus : & per quos suasit ? per viros vndecim , il- A
litteratos , priuatos, obscuros, pauperes, patriâ, facultatibus, ro-
bore corporis , præcellentia gloriæ , dignitate progenitorum,
vehementiâ rhetoris , eminentiâ scientiæ carentes , per pisca-
tores , per pelliones , per Barbaros : neque enim eadem illis , &
auditoribus vox , sed extraneum plane , & peregrinum ser-
monem à linguâ eorum , quibus prædicabant , sortiti erant,
Hebraicum dico, atque per hos ædificauit Ecclesiam suam, quæ à
finibus vsque ad fines extenta est.

Neque hoc solum mirabile , quod illi contemptibiles pau-
peres , & illiterati totius orbis correctionem attentarunt , sed
quod ad opera longè difficiliora ipsum ducere iussi , non hoc in
pace fecerunt , sed infinitis belli hinc inde excitatis. Nam in
vnaquaque gente , & ciuitate , & quid dico gente , & ciuita-
te, in singulis domibus gerebatur bellum : radicata enim hæc
doctrina & puerum sagè à patre diuisit, & nuptam à socru,
& fratrem à fratre, & seruum à domino, & subditum à Prin-
cipe, & virum ab vxore, & patrem à filijs: nequaquàm enim simul
omnes credituri. Ad hæc, quotidianas inimicitias , continua
bella, & multas ipsis attulit mortes, & fecit, vt Apostolos, quasi
communes hostes plerique auersarentur , & abigerent à se. B
Omnes reges, principes, priuati, liberi, serui, populi, vrbes, & B
non solùm ipsos , sed , quod grauius est , nouitios in fide eodem
bello premebant : videbatur enim hæc doctrina contraria præ-
ceptis regijs, & cap uetudini , & moribus patrijs , quia adhor-
tabantur ab idolo abstinendum esse, despectui habenda altaria,
quæ patres, ac progenitores coluerant eorum, desistendum à præ-
cepto profanis , ridendas eorum solemnitates , & sacrificia
reijcienda , quæ illa tremenda videbantur , pro quibus animas
exposuissent , & crederent in natum ex Maria , & crucifi-
xum , & iudicium ad tribunal præsidis , conspuium , & alia
plurima passum. Quòd si diuina virtus hoc non effecisset ,
nequaquam hæc vel principium , vel præludium accepissent.
1. Quomodo igitur ille dixit : Fiat cœlum, & factum est; sic
verbum hoc , ædificabo Ecclesiam meam , hæc omnia est
operatum , etiam contra illam tyrannis se armantibus , & po-
pulu plus valido igne vi sæuientibus , & militibus arma mouen-
tibus, & oratoribus, & sophistis , & principibus insurgentibus:
sermo Dei, velut ignis validus , aduenientes , spinas consumpsit,
agros repurgauit, & verbum prædicationis seminauit. Et licèt
fideles Christi in carceribus seruarentur, despectui essent , amit-
terent substantias , occiderentur , traderentur igni, submerge-
rentur aquâ , & omne tormentorum genus sustinerent , cum
ignominia summa , & persecutiones paterentur , vt publici ho-
stes ; plures tamen semper accrescebant , non solùm nihil ex
afflictionibus aborum factis segniores , sed & multò alacriores,
& quamuis viderent fluere torrentes sanguinis credentium in
Christum , feruentiores tamen reddebantur in fide. ac fidentio-
res, & magistris vinctis, fugatis, flagellatis, & alijs malè modis
passis, discipuli plures sibant , & magis studiosi. Quare Paulus
4. clamat, dicens: Atque adeo plures fratres treti in Domino
5. vinculis meis, in pauidè sermonem loqui , & alibi ite-
6. rum: Vos imitatores facti estis Ecclesiarum Dei , quæ
sunt in Iudæa. quia eadem passi estis , quæ & nos à co-
gnatis proprijs, prohibentibus nos loqui gentibus , vt
saluentur. *Vides virtutis excellentiam , quæ tanta operata
est?* nam qui hæc patiebantur , non solùm non agrè ferebant,
vel deficiebant, sed & gaudebant , gestiebant , exultabant. Et
de discipulo quidem dicit , quòd publicationem substantiæ
cum voluptate acceperint ; de magistris verò quòd iuerint D
ad concilio gaudentes , quia digni habiti sunt pro nomine
Iesu contumeliam pati. At de seipso ait : Gaudeo in affli-
5. ctionibus meis , & adimpleo , quod reliquum est affli-
6. ctionum Christi in carne mea , & quidem nullus ædifica-
re potest parietem, si impediatur , & fugetur. Illi autem Eccle-
sias in toto orbe vbique exstruxerunt , licèt lugarentur , fu-
garentur, proscriberentur eorum bona , flagellis cæderen-
tur , occiderentur , comburerentur , submergerentur vnà
cum discipulu suis ; ædificabatur autem non lapidibus ,
sed animabus , & institutis , quod difficilius est: non enim
parum est coniungere insensibilem parietem , & animis tan-
tùm temporibus à dæmonibus tritatis persuadere , vt

ab insania illa desistant , & ad tantam perueniant temperan-
tiam.

Nihilominus hoc potuerunt illi nudi , & calceis carentes
per orbem currentes : habebant enim aduitricem inuictam Matt. 16.
virtutem eius, qui dixerat : Super hanc petram ædificabo 18.
Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt ad-
uersùs eam.

Numera quot Imperatores aduersùs Ecclesiam instruxe-
runt acies , quot grauissimas persecutiones mouerunt , quan-
do nouissima erat fides , & nuper plantata , teneræ jue homi-
num mentes ; Gentiles verò regnabant Tyberius , Caius,
Nero, Vespasianus, Titus, Diocletianus, Maximinianus, Iustinia-
nus, & alij vsque ad Beati Constantini tempora , & omnes in-
festabant Ecclesiam : verumtamen illæ omnes machinationes
citiùs , quàm araneatum telæ discerptæ sunt , & sicut fumus
dissolutæ , & magnum quidem nobis Martyrum numerum im-
pleuerunt. & immortales illos Ecclesiæ thesauros reliquerunt,
& columnas. *Vides prædictionis robur* ; & portæ inferi non
prævalebunt aduersùs eam : *ab his & de futuris crede,
quòd nullus obsistet.*

Age iam , & aliam Christi prophetiam in manus accipia-
mus , quæ sole clarior sit. Ingresso aliquando Iesu in templum
Iudæorum florens tunc , & vndequaque fulgidum auro , &
conspicuum tam pulchritudine , quam magnitudine ædificio-
rum, & alia omnifario magnificentia, non solùm artificio , sed
& materia, admirantibus super hoc ait: Nónne videtis hæc Matt. 24
omnia ? Amen dico vobis , non manebit lapis super la- 2.
pidem, eam subuersionem declarans, qua nunc Ierosolymis con-
stantissima enim ædificia illa, quamuis fulgida & præclara, cor-
ruerunt. *Vides in vtroque magnam Christi potentiam in eo,
quod se colentes augebat, & ædificabat: & in se impingentes hu-
miliabat , destruebat , & radicitus euellebat. Nisi quam enim
templo Salomonis aliud erat simile , tam venerabile , & tanto
cultu insigne: nam in toto orbe habitantibus Iudæi , etiam in si-
nibus terræ illuc olim profisciscebantur, dona, & hostias, & obla-
tiones, & primitias , & multa alia ferentes , & orbis diuitijs
templum ornabant. Confluebant enim eò omnes ex toto terra-
rum orbe aduenæ Iudæi etiam à finibus terræ, ita vt celeberri-
mum loci nomen esset, etiam in extremitatibus terræ sed vnum
Christi verbum omnia ista obscurauit , & euertit , & quasi
pulueren eiecit è medio. Et illuc olim neque Iudæus omnibus,
neque Sacerdotibus omnibus , sed vni ioli Summo Sacerdoti in-
trare licebat, & hoc semel tantùm in anno, & cum stola , coro-
na, & mitra, & alio sacerdotali amictu : nunc autem & mere-
tricibus, & effœminatis ingredi licet, nec est, qui prohibeat: nam
verbum Christi omnia euanescere fecit, & tantummodo super-
sunt ruinæ, vt monstrari queat olim ibi templum fuisse. Cogita
ergo quanta sit Christi virtus : nam hi , qui olim adeo potentes
erant, vt se opponerent populis , & regibus , & absque sanguine
vbique hostibus prævalerent , miros , & inopinatos triumphos
statuentes, templum vnum ab illo die vsq; in hodiernum reedi-
ficare non valuerunt; quamuis magni reges. & multitudo magna
ipsos iuuarent, & ad hoc multas haberent opes. *Vides quo-
modo quæcumq; Christus ædificauerit, nullus destruet ; & quæ-
cumque distruxerit, nullus ædificabit?* AEdificauit Ecclesiam, &
nullus destruere poterit, destruxit templum , & nullus illud po-
terit ædificare. Ecclesiam quidem multi destruere conati sunt, &
non potuerunt, & hoc ædificare attentantibus , & nec hoc potue-
runt, vt nullus dicere posset: si attentassent, ecce attentarunt, &
nihil potuerunt. Etenim rex, hac nostra tempestate, omnes alios
impietate præcellebat, & facultatem tunc dedit , & cooperatus
est (Iulianus hic fuit) & opus incipiebant , sed nec in minimo
profecerunt: nã ignis à fundamentis exiliens, omnes ipsos fugauit;
quod aliè hoc volebant, indicium est, quia vsq; nunc manent fun-
damenta denudata , vt videas, quod attentarunt quidem effo-
dere , non valuerunt autem extruere : nam obsistebat eis hoc
Christi verbum : Amen dico vobis , non manebit lapis
super lapidem, &c.

Fuit quidem olim antea destructum illud templum , attա-
men vbi post septuaginta annos redierunt. statim excitatii fuit,
& priore multo præclarius, & hoc prædixerant Prophetæ ; hoc
autem supra quadringentesimum annum est , & nulla vel co-

gita-

*gitatio,vel expectatio est, sed neque spes instaurationis eius, & quid nisi diuina obstat virtus ? Non certè opum penuria,quarũ multa illis copia est , non raritas populi , non pudor , non lites, non insitia , quomodo ergo non possunt vnum templum fuum extruere , præsertim videntes cultum fuum aliquain vbique vesidere , quasi ligatum , & Iudaicos ritus , quasi aboleri , & sacrificia,& oblationes , & alia legitima auferri : imò non licebat eis excitare vel templum , vel altare , aut sacrificium offerre,aut immolare ouem,aut imponere thimiama, aut recitare legem,aut instituere festa,aut aliud quidquam , quod vel in vestibulis templi Iesu , quondam agebant. Vnde cùm in Babylone essent , & cogerentur ab hostibus , vt psallerent illis,tamen non parebant,& licèt serui,& captiui essent,dominis tamen,& imperatoribus non obedirebant,sed quia patriam , & libertatem amiserant , & periclitabantur de vita in medio laqueorum & in manibus potentium deficili,stipiq; canere canticum in organis,sic dicebant:*Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus,dũ recordaremur tui Sion. Quomodo cătabimus canticũ Domini in terra aliena? *Sed neque ieiunium illis ieiunare licebat , & hoc declarans Prophetas,dicebat* : Non ieiunabit is ieiunium mihi septuaginta annis , dicit Dominus , *& quod neque immolare , neque sactificare illis iusserat , audi e tribus pueris dicentibus* : Non est princeps , neque Propheta, neque Dux , neque locus primitiarum coram te , vt munieri queat misericordia : *non dixit , non est sacerdos. aderant enim sacerdotes , sed vt discas , quòd hoc totum illius loci erat , & omnia,quæ à lege statuta tunc erant , impedita.dixerat* , non est locus : *Attenturunt quidem readificare locum , sed temeritatis pœnam luentes , non potuerunt locum erigere, in quo hæc omnia fiebant : nam virtus Christi , quæ ædificauit Ecclesiam,eadem & templum destruxit. Vnde alius Propheta ait* : Cecidit Israel super terram suam,non est, qui erigat eam vltrà, & *Daniel manifestè hæc omnia narrat, & quòd omnia auferentur,sacrificium,& immolatio , & vnctio,& iudicium. Si non esset Christus Deus, quomodo sic auctì essent,colentes illum tunc, cùm diducerentur ? at qui crucifixerunt illum,sic humiliati sunt , vt totam perdiderint rempublicam,& ipsi vagi errantes, & profugi obambulent , neque vllus ex eis in tempore tanto liberatus est, quamuis tunc tam potentes Iudæi fuerint , vt aduersùs Romanum principatum bellum decreuerint,& arma mouerint , & longo tempore se illis opposuerint,& etiã aliquando vicerint, & negotia facesserint Augustis non vulgaria : tanta ipsorum potentia erat. Sed qui cum tantis regibus bella gessere, & in acie decertarunt , & tantam opum,militum,& armorum potentiam habuerunt,tot milites, ac fossores,vnum non potuerunt extruere templum.*Ita Sanct. Chrysostomus eloquentia sua.

Ps. 36 1.

Dan. 3. 38.

Prop. XII. *Veritas fidei nostræ comprobatur electione,& prædicatione Apostolorum.*

Quòd si fides Christiana vera sit , ex Apostolorum prædicatione,& ex eius effectu satis constat : vnde enim quæso ejs in mentem venisset,in mundum vniuersum struere aciem , præsertim cùm adeo timidi essent,& animi pusilli,sicut eorum quidam conscripsit,& palam protulit,nec erubuit : quod maximum veritatis Euangelicæ indicium est. quid ergo de his dicit?quòd Christo comprehenso post miracula eius tot ac tanta, omnes quidem Apostoli fugerunt. O fortitudinem gloriosam profectò Ecclesiæ ducum! Reuersus est Petrus à fuga,& Christum sequi cœpit , sed à muliercula interrogatus , non à iudice , non in equuleo suspensus, non tormentis interrogatus , sed à famula, Christum negauit ; ille , inquam , qui Ecclesiæ princeps, & choriphæus erat. Hi sunt qui mundi conuersionem adoriuntur. Vndenam ergo , qui viuente magistro ac duce eorum Christo , paucorum militum impetum non tulerunt , cùm esset mortuus , & sepultus, & cùm magno dedecore crucifixus , aduersùs orbem totum aciem direxerunt? Nónne,si sapuissent , apud se dixissent : Quid facimus ? quid molimur ? crucifixum hunc defendere tentamus , qui vium nec defendere,nec concomitari valuimus ? seipsum non seruauit , quonam pacto seruabit nos ? sicri opem non tulit viuus, an nobis manus præbebit mortuus ? ille viuens nullam sibi gentem subegit , & nos in nomine eius toti orbi terrarum potemmus persuadere?

Adde quòd nouos mores , nouam legem , nouum Dei adorationem prædicare debebant , & quamuis omnia noua placeant , in materia tamen religionis, non solùm non placent carni & sanguini ea quæ religionis nostræ sunt ; sed detestantur ea omnes , & abominantur : eos enim mores , leges, ritus, & Deos colere gaudent , & denique eam religionem amplecti nolunt, quam fuerunt ab antiquo amplexi progenitores. inde enim desumptum est arguinentum illud Moysis , vbi ad Hebræos idololatras , *Immolauerunt* (inquit) *dijs, quos ignorabant : nouis recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Sic Apostoli Gentibus nouum (quamuis illis) recentemque Christum adorandum & sequendum proponebant , quem non coluerunt patres eorum , & quidem Christum , virum Apostolus , & hunc crucifixum , fusficeret quidem ad prædicationem huiusmodi , & mundi conuersionem, arduam & perdifficilem reddendam , Christum hominem esse quis enim humanæ rationis ductu,verum hominem , verum pariter & omnipotentem Deum crederet? qui verò non solùm hominem , sed etiam crucifixum?

Lex verò , quam Apostoli prædicabant , contraria prorsus erat legi , quam mundus profitebatur: lex enim mundi , lex carnis est : lex autem Euangelica,lex spiritualis est ; ad illam procliuis valde natura lapsa,ad hanc verò aduersa & contumax valde : quomodo igitur homines idiotæ & timidi talem in mundo legem introducere ausi sunt, & de facto introduxerunt?

Voluit olim Plato , vti refert Sanctus Chrysostomus, nouam quamdam rempublicam instituere , vel potiùs partem reipublicæ , non quidem transmutans Deos , sed nouas inducens actiones , venit in periculum,ne Sicilia eiectus , morte afficeretur , & quia hoc non factum est , ipsam libertatem amisit , & nisi quidam Barbarus fuisset Siciliæ tyranno clementior , nihil obstitisset, quò minùs tantus Philosophus in aliena regione perpetuò seruiuisset. Atqui non sunt paria , ea , quæ ad regnum pertinent , innouare , & nouam introducere religionem : non enim vltimum est quod maximè homines conturbat , statuere quippe quomodo sint ineundi contractus , quomodo contrahenda matrimonia , quomodo constituendi custodes , seu gubernatores , non ita magni momenti est ; ceterum dicere non esse Deos, quos ipsi & patres & proaui eorum coluerunt ; sed dæmones : & quòd homo ille in crucem actus , sit Deus, res maximi ponderis est, & secundùm se hominibus valde exosa.

Etenim apud Græcos Protagoras , quoniam ausus est dicere: Non noui Deos,& hoc non in toto orbe, vt Apostoli,sed in vna tantùm ciuitate; in extremum periculum venit. item Dragores,qui dicitur ὦ θεος, hoc est, sine Deo,& Diedorus , quamuis amicos haberent , & dicendi facultatis periti essent , & propter Philosophiam in admiratione haberentur; nihil tamen profuit illis. Et magnus ille Socrates, qui omnes qui apud Græcos erant,vincebat Philosophiã , quòd in his quæ dicebat de diis, venerat in suspicionem , quòd aliquid immutarit. Hi igitur Philosophi occisi à suis fuerunt, propter suspicionem , quam de ipsis populus concepit erga cultum & religionem suorum Deorum. Qui ergo

ergo vides piſcatores in orbe terrarum tanta feciſſe, & legem Euangelicam introduxiſſe, & crucifixi fidem, & cultum? nónne dices, à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris? Quomodo ſine ſpeciali Dei auxilio hi rudes, hi idiotæ, hi ignobiles, hi extranei efficere potuerunt, quod neque ſapientes illi, nec & præſtantiſſimi viri in patria ſua, qui propter hoc obierunt, & abierunt re infecta. Apoſtoli verò, tanquam alati, breui orbem percurrerunt, non pericula reputantes, non tormenta timentes, non mortem formidantes, non vim difficultatum pauentes, non ſuam paucitatem, nec aduerſariorum multitudinem, non vires, non ſapientiam, nec poteſtatem eorum attendentes; nimirum, quia omnibus his habebant maiores copias auxiliares, & eius, quem crucifixum prædicabant, potentiam. A

Neque ideo dico, quòd non ſunt eos alij perſecuti, nõ miſerunt eos in vincula, nõ tormẽtis eos interrogarunt: ſed hoc mirandum magis, quòd non obſtantibus his, tandem victores euaſerunt. Impleta eſt prophetia B
09. Dauid, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum*, dominare pro dominaberis, more Hebræorum, vt nonnulli adnotarunt. &
in ita legit S. Chryſoſt. Virgam verò Catholici expoſito-
or. res, ſceptrum, ſeu dominatum Chriſti intelligunt: tunc igitur Chriſtus Dominus dominatus eſt in medio inimicorum, cùm Apoſtoli & diſcipuli eius inter ipſos inimicos conuerſantes, & prædicantes, eos ad fidem Chriſti conuerterunt, ſicut explicat S. Chryſoſt. Hoc igitur admiratione plenum fuit, quòd qui diſcipulos Chriſti perſequebantur, & in vincula injiciebant, & vexabant, non ſolùm non eos ſuperabant, ſed ipſi quoque eis poſtea ſe ſubmittebant, flagellantes flagellatis, vincientes vinctis, & perſequentes his qui perſecutionem patiebantur, imbecillis fortes, piſcatoribus reges, & ijs, qui ſcholas nunquam ingreſſi fuerant, Philoſophi & ſapientes.

1. *Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes: non multi nobiles: ſed ſtulta mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia, & contemptibilia mundi elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* Mirabilis quidem Deus non ſolùm in Sanctis ſuis, ſed etiam in omnibus operibus ſuis; at in Apoſtolis ſuis mirabilior multò. quid enim mirabilius, quàm ad conuincendos ſapientes, idiotas homines adhibere? Et quidem ſi Platones, & Ariſtoteles, & Socrates, & Catones, & Senecas, & quoſcumque alios, quos fama per mundum vniuerſum celebrauit, Chriſtus Dominus ad prædicationem Euangelij, & mundi conuerſionem elegiſſet; impoſſibile ferè humana iudicaret ratio. illos ſic ad fidem Chriſtianam ſuadendam mundo ſufficere potuiſſe. Eſt enim res valde ardua Chriſti fides, quâ mundi contemptus, paupertas ſpiritus, pœnitentia, crux & abnegatio ſui ſuadetur. denique, fidei D
in 1. noſtræ prædicatores, vt ait Sanct. Chryſoſt. ad mutan-
or. 1. dos totius orbis terræ mores, longiſſimo tempore ſtabilitos, & confirmatos, vocati ſunt. Adde ad ſuadendum Iouem, & Mercurium, & alios Deos, quos Gentilitas venerabatur à temporibus proauorum ſuorum, non eſſe deos, ſed dæmones, vel homines facinoroſos, &c. & loco eorum, tanquam Deum verum, adorandum eſſe Chriſtum, à Iudæis ſub nomine malefactoris crucifixum: ad hæc quinam idonei? Ad hæcigitur electi ſunt duodecim ſine ſapientia, ſine litteris, ſine nobilitate, ſine potentia, ſine conſtantiâ, quorum ille qui dicebat: *Eamus, & moriamur cum eo*, primo inimicorum congreſſu, fugit, & reliqui pariter cum eo terga verterunt, & qui præcipuus inter eos erat, & anteſignanus, non ſolùm fugit, ſed etiam non ſemel negauit: denique, eorum alij in lacubus, alij in pelli-

bus, alij in telonijs verſabantur; quid ad intentum inutilius?

Adde horum Apoſtolorum ducem aſſumptum poſt mortem Chriſtum fuiſſe. caſtra quidem Imperatore ac duce viuo conſiſtere ſolent; ſi verò exceſſerit Imperator, quamuis exercitus ingens & copioſus ſit, diffluunt milites, & abſcedunt ſtatim, vti videre licet, quando rex Achab pugnaturus aſcenderat contra Ramoth Galaad: viuente quidem rege, milites eius viriliter pugnauerunt, eo tamen ibi mortuo, præco in vniuerſo exercitu inſonuit: Vnuſquiſque reuertatur ſuam ciuitatem, & in terram ſuam. Sed meliùs hoc confirmatur ex hiſtoria Iudith: ducebat Holofernes exercitum magnum valde, ſcilicet centum, & triginta millia militum, & tamen, cùm primùm Iudith caput ducis amputauit, omnis exercitus Holofernis pauore conterritus, fugæ præſidium ſumpſit. Vide quantùm referat in caſtris præſentia ducis. Cùm igitur Chriſtus Dominus Apoſtolorum rex, iam in bello, glorioſè tamen, cecidiſſet, quiſnam vigor in eius militibus potuit remanere, qui etiam eo viuente, non ſine maxima dedecoris nota, inter hoſtes, viuo, inquam, relicto duce, fugerunt omnes? *3. Reg. vlt.*

Adde præterea quòd ex huiuſmodi congreſſu, & diſperſione, & prædicatione Euangelij, nihil terrenum Apoſtoli intendebant, ſic exitus ipſe manifeſtauit: pauperem enim vitam profitebantur, ita vt nec peram, nec pecunias ſecum aſportarent: ſpiritualia igitur intendebant, & quæ ad diuinam gloriam ſpectabant. Quòd ſi veritatem ipſam, & verum Dei cultum, veramque legem non annunciaſſent, nec ipſi tantos ſubire labores auderent, nec tanto Dei fauore potirentur, ſine quo impoſſibile quidem fuerat tam felicem progreſſum & exitum obtinuiſſe.

Et vt ſpeciatim de prædicatione huiuſmòdi Apoſtolorum aliquid dicamus, audi: prædicabant Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe, & in cœlum aſcendiſſe virtute propria, ſeque teſtes reſurrectionis & aſcenſionis eius eſſe. quod quidem fidei Chriſti fulcimentum & complementum erat. rogo, aut ipſi verum dicebant, aut ſponte mentiebantur? Si verum; intentum habemus: ſi ſecundum, inſanæ mentis illi prorſus fuêre, quia nec Deo in tali prædicatione placebant, imò diſplicebant valde, Deum eſſe prædicantes, hominem morte multatum, qui ſe reſurrecturum falsò prophetaſſet, & ſupernis fulminibus digni quidem extitiſſent. Dicet infidelis, ob amorem in magiſtrum conceptum id attentarunt, imò rationabiliùs multò dicerẽt quis, odio eſſe iam magiſtrum ab eis profequendum, quippe qui deceperat illos, & quia ſpe inani eos diu ſuſpenſos detinuerat, quique à domibus ſuis eos extraxerat, & officia, quibus ſibi ac parentibus prouidebant, relinquere feciſſet, & odioſos iudicibus, & principibus, & reliquis conciuibus & amicis ac notis reddidiſſet, & denique omnes, quibuſcum degebant, infeſtos reliquiſſet. Et quidem ſi id Chriſti imbecillitati tribuiſſent, peperciſſent ei, excuſaſſent ad ſummum illum: at ſi mendacem illum fuiſſe cognouiſſent, impoſtorem & ſeductorem in re grauiſſima illum agnouiſſent. hoc autem non amorem, ſed odium erga Chriſtum conciliabat, quare tunc fraudem potiùs aperuiſſent, vel ſaltem Chriſti nomen & memoriam obliuioni perpetuæ tradidiſſent, quò à periculis in poſterum liberi permanerent, & bello ſuæ ac populi ruinæ conſuluiſſent. Et quidem ſi apud Scribas & Phariſæos comparentes, aduersùs Chriſtum teſtimonium proferrent, & eos beneuolentiâ proſequerentur, & præmijs eos afficerent, ſicut cuſtodibus copioſam exhibuerant pecuniam, vt vel falſum contra Chriſtum teſtimonium proferrent, & hoc modo meliùs rebus ſuis prouiderent, quàm in errore animabus, & corporibus, & honori, & famæ, & conſanguineis pernicioſo perſiſtere, ſine vtilitate vlla.

Cùm igitur in amorem magistri ampliùs quàm priùs arderent, & se mille periculis libenter exponerent: imò à conspectu concilij gaudentes discederent, quia pro nomine Iesu Christi verberati, & contumeliam passi erant, vt habes in cap. 5. Actuum Apostol. & quidem experimento scimus quòd nec nomen eius, qui semel nos decepit, audire velimus. Cùm igitur pro nomine Iesu non solùm contumeliam patienter pati, sed gaudenter voluerunt, imò dignitatem & honorem huiusmodi passionem reputabant, quia digni (ait) habiti sunt, & quis non pro mera veritate eos certare cognoscet ?

* Duplex hominum genus mundum occupabat, cùm Apostoli ad eius conuersionem missi à Christo fue-
Marc.16. 15. runt. *Euntes* (inquit) *in mundum prædicate Euangelium omni creaturæ*, hoc est, omni hominum generi. Duplex ergo fuit hoc hominum genus, Iudæorum scilicet, & Gentilium. Videamus ergo quàm arduum, quamque difficilè fuerit, tam Iudæis, quàm Gentilibus fidem nostram Christianam persuadere.

Et primo loco de Gentilibus disseramus : hi quidem Idola venerabantur, & Iouem, Mercurium, Vulcanum, Bacchum, Venerem, & alios innumeros Deos esse dicebant, quorum, ni fallor, triginta millia fuisse refert S. Augustinus. Leges autem, & sacrificia, & ritus, & viuendi normam ab huiusmodi dijs Gentiles hi profitebantur, & non ab heri & nudiustertius, sed ab immemorabili æuo, antiquissima scilicet consuetudine ad orationem illam, & leges & ritus roborante. Intentum igitur Apostolorum fuit, Gentiles omnes ab huiusmodi adoratione & obseruatione vitæ antiquissima reuocare, & Christum adorare, & vt Euangelium reciperent. quid re hac difficilius, & secundùm humanam rationem impossibilius ? dicturi nempe erant Gentiles: Quidnam hoc est, omnes qui terram inhabitant decepti sunt Philosophi, Oratores, Sophistæ, Poetæ, Historiographi, & qui nunc sunt, & omnes qui ante nos præcesserunt ? Pythagoras, Plato, Academici, & Peripatetici, Consules, Reges, Legumlatores, Imperatores, & multi sapientissimi ex nostris viri ; & duodecim piscatores, & qui nunquam scholas adierunt rei veritatem attigerunt ? vides rei difficultatem. Nunc consuetudinis vim ac tyrannidem attende. In prouerbium abijt, *Consuetudo est altera natura*, quod authoritate diuina confirmatur, vbi sic Dominus ad peccatores quosdam praua peccandi consuetudine deprauatos: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum*, hoc est, cùm in
Ier.13.23. malo perseueraueritis diu, potestne Æthiops dealbari ? nequaquam, quia nigredo illa connaturalis est, si artificialis esset, facilè tolli posset : at cùm connaturalis illi sit, auelli ab ipso nequit. Similiter etiam à pardo maculæ illæ deleri nequeunt, quia connaturales illi sunt, si artificiales & aduentitiæ illi essent, facilè ab illis mundari posset, sed quia connaturales sunt, indelebiles etiam sunt. Id igitur de praua est consuetudine resilire, cùm consuetudo libertatem ab homine non tollat, nec diuinæ gratiæ auxilium, sed quia à tali recedere consuetudine adeo difficile sit, vt ferè impossibile videatur.

Hom.7. in 1. ad Cor. Auget hoc Sanct. Chrysost. *Vt dicas* (inquit) *quanta sit consuetudinis vis, ea sæpe vicit iussa Dei: & quid dico iussa ? ipsa quidem beneficia Dei vicit. Iudæi enim manna habentes quærebant alia, & fruentes libertate meminerant seruitutis, & assidue quærebant Ægyptum, propter consuetudinem, adeò tyrannica res consuetudo est.* Ita ille. Pondera vim consuetudinis, manna dabatur illis à Domino, & ipsi cepas, seu allia Ægypti potiùs appetebant, quia allijs & cepis Ægypti assueti erant: à seruitute Pharaonis in libertatem filiorum Dei asciuerat eos Deus, & ipsi in seruitutem pristinam redire optabant, qui seruitutis iugo assuefacti erant. Vides consuetudinis vim, seu potiùs violentiam: nunc ad rem, cùm ad prædicandum Euangelium gentibus Apostoli missi sunt, antiquissima consuetudine cultus idolorum Gentiles præpediebantur, cuius vim ex Platone ostendit idem S. Chrysostom. *Dicitur Plato,* (inquit) *etiamsi rectè sentet vera Deorum errorem esse, ad celebrandos tamen eorum dies festos, & ad alia omnia se demisisse, vt qui non posset consuetudini repugnare, quamuis à Magistro didicisset non esse plures Deos.* Ita Sanct. Chrysost. Ecce Plato sapientissimus erat, & à Socrate Magistro suo vnicum Deum didicit, & ipse ita sapienter nouit ex principijs Philosophiæ, vicit tamen consuetudo scientiam, & sapientiam, consuetudo inquam, plures colendi Deos ; quantò magis ignorantiam vincet reliquorum de media plebe, qui nunquam didicerunt Dei vnitatem, & Christi Deitatem, & legis Euangelicæ veritatem ? Quî igitur posset fieri, vt inermes illi, & illiterati Apostoli, qui nunquam didicerant litteras, huiusmodi Gentilibus Deorum & idolorum suorum cultui assuefactis, id suaderent ?

Socrates ille magnus Græcæ Philosophiæ princeps, veritate compulsus, nouit, & docuit vnicum esse Deum terræ cœliq́ue conditorem, falsamque esse multitudinem illam Deorum, & vulgi esse errorem : tantùm verò abfuit, vt efficeret, quod intendebat, vt propterea vitam amiserit, idque cùm coram Senatu, & coram iudicibus, & viris alijs sapientibus apologetica se oratione defendisset, &, cùm tantus esset vir, & sapientissimus omniũ, & in maximo pretio à cunctis habitus, ob id à Senatu capite damnatus fuit, & tandem re infecta vitam finiuit : quo igitur pacto extraneus piscator potuit, quòd tantus & proprius eorum Magister non valuit ? à Domino quidem factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Adde si consuetudinis vis magna est, in dogmatibus præcipuè, & rebus ad religionem pertinentibus violentior est : est enim religio tanti momenti res, vt non ita facilè ab antiqua religione patrum, & auorum, ac proauorum authoritate confirmata recedere decorum sit. pudoris quidem esset in extrema senectute maximè à patrijs legibus resilire, & in alienigenarum cultum, religionem & mores transire (vt in Eleazaro illo, de quo in libris Machabæorum mentio fit, hanc rationem videre licet) & à minùs intelligentibus magistris velle discere nouam religionem.

Præterea id addendum, quòd non quomodocumque à consuetudine in consuetudinem, à lege in legem, à cultu in cultum transitus hic erat, sed insuper cum maximo periculo conuerforum : tunc enim ille, qui credebat, statim publicabatur, expellebatur. vel etiam apprehendebatur, & in vincula sæpe conijciebatur, & varijs & immanibus tormentis cruciabatur, & occidebatur.

Deinde Gentiles ab Apostolis legem difficilem audiebant, qualis Euangelica lex est, in qua pœnitentia, abnegatio sui, crux, & lacrymæ, & paupertas spiritus, & malorum tolerantia, & inimicorum amor continetur : lex autem Gentilium, lex carnis erat, hinc à lege in legem transitus arduus & perdifficilis erat, nempe à lasciuia in castitatem, à gula in abstinentiam & ieiunium, ab ebrietate in sobrietatem, à libidine in temperantiam, ab auaritia in paupertatem spiritualem, à superbia in humilitatem, à voluptate in pœnitentiam, à delicijs in crucem, à risu ad lacrymas, à securitate in metum, à vita denique in mortem. Vide quid illis Apostolus prædicabat, *Fornicatio* (inquit) *& omnis* *Ephes. 5.* *immunditia, aut auaritia non nominetur in vobis, sicut decet sanctos : hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei.* Quid ais Apostole Christi ? illos ad fidem Christianam conuertere intendis, & ab his, in quibus ab infantia nutriti sunt, ad ea quæ

quæ semper ipsi horruerunt, satagis transferre? vides rei difficultatem? reliqui Apostoli reliquis nationibus quid prædicabant? Euangelium: *Prædicate*, inquit, *Euangelium omni creaturæ*, quod Euangelium? audi, *Qui non tollit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*, &c. *Non veni pacem mittere sed gladium, veni separare hominem aduersùs patrem suum*, &c. item, *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. hæc & multa huiusmodi alia non solùm erant grauia, eò quòd perfectionem altam in se continebant, sed quia dicebantur hominibus, qui nihil aliud nouerant, quàm inebriari, & ventri indulgere, & luxuriari, & honores & diuitias totis viribus procurare: sed tamen non solùm non respuerunt neque obtorpuerunt hæc audientes, sed potiùs accurrebant, & ad hæc aspera & difficilia prosiliebant, & libenti animo, quæ præcipiebantur, arripiebant. Quid ergo eos induxit, nisi veritatis ipsius vis, quâ quidem conuicti, resistere non valebant. Quis huius mutationis author, nisi ille, qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum, diuina hîc constat virtus, & omnipotentia Dei, à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

A *dicarunt, quò magis ostenderis sapientes fuisse eos, qui sunt persuasi, eò magis ostendes sapientes, & diuina repletos gratiâ, eos, qui persuaserunt.* Ita ille.

Nunc ad Iudæos & Hebræos veniamus, hos partim difficiliùs fuit ad fidem conuertere Christianam: nam Iudæi veram religionem veramque legem certò se accepisse sciebant, miraculis ac prodigijs cõfirmatã, hanc magna ex parte abolitam Apostoli prædicabant, v.g. circumcisionem iam de medio tollendam esse, sacrificia cuncta relinquenda, leges illas cæremoniales, & cæremonias legales iam esse abrogatas, cùm quidem apud eos circumcisionis lex in magna esset observantia & religione habita; sacrificia verò tot sæculis introducta, iam erant apud eos veneratione reposita: legum autem illarum & cæremoniarum adeo se obseruatores exhibebant, vt in earum defensionem mortis se & cruciatibus tradere nõ dubitarent, sicut in Machabæis constat; & nihilominus ex Iudæis ipsis tot sæculis introducta, iam erant apud eos veneratione repositæ: legum autem illarum & cæremoniarum adeo se obseruatores exhibebant, vt in earum defensionem mortis se & cruciatibus tradere nõ dubitarent, sicut in Machabæis constat; & nihilominus ex Iudæis ipsis tot se ad fidem nostram receperunt, vt initio ipsæ prædicationis Euangelicæ duabus concionibus S. Petrus Apostol. ferè octo millia conuerterit Iudæorum, & sic indies augebatur numerus conuersorum ex Iudaismo. quis non hîc diuinam potentiam agnoscat? quis à Deo factum non percipiat?

B

Ælianus: Olim dies quidam nomine Hipponicus, statuam ponere sacrosanctum patriæ donarium in animo habebat; cùm autem quidam ei consuleret, vt à Polycleto fingendam imaginem curaret, (erat enim ille artifex valde peritus) respondit: non se donarium huiusmodi posituram, cuius gloria, non ad dedicatorem, sed ad factorem esset reditura. Hoc asseruit, quia si nimiùm elaborata & perpulchra imago euasisset, spectatores magis artem & industriam Polycleti, quàm eius liberalitatem & magnificentiam laudarent. Ita refert Ælianus. Ad rem: voluit Deus Ecclesiam Catholicam erigere, & fidem propagare, elegit ad totum opus homines imperitos, piscatores illitteratos: cur non Philosophos? cur non sapientes, & à sæculo viros famosos? quia mundi conuersio, non Christo, sed ipsis Apostolis tribueretur: ne igitur eorum industriæ, sed diuinæ potentiæ tanta res adscriberetur, ideo homines illos imperitos elegit.

Lib. 4. de varia historia.

C

Sanct. Chrysost. homil. 2. in 1. ad Corinth. 1. *Audiui quemdam Christianum cum Græco Gentili rideculè disserentem, & vtrumque in ea concertatione sua argumenta infirmantem: qua enim dicere oportebat Christianum, ea dicebat Græcus, & quæ Græcum, Christianus. Nam cum esset quæstio de Paulo, & Platone, Græcus conabatur ostendere, Paulum esse rudem, & imperitum: Christianus autem, ob simplicitatem, studebat probare, Paulum fuisse Platone doctiorem, & disertiorem. Esset autem Græcus victoriam consecutus, si hæc vinceret ratio: nam si Platone doctior, & eloquentior fuisset Paulus, multi non immeritò potuissent asserere, quòd non gratiâ superasset, sed eloquentia: quod pro Græco erat. Faciebat autem pro Christiano, quod dicebatur à Græco: nam si imperitus erat Paulus, vicit autem Platonem, præclara fuit victoria: discipulus enim eius persuasit, & eos ad se adduxit: vnde perspicuum fuit, quòd non humana fuerit prædicatio, sed Dei gratia. Nos ergo tanquam indoctos, accusemus Apostolos: talis enim accusatio encomium est, & quando dixerint agrestes fuisse Apostolos, addamus nos, eos imperitos, & illitteratos fuisse, pauperes, abiectos, & obscuros. Non sunt hæc in Apostolos maledicta, quòd cùm essent huiusmodi, toto orbe fuerint clariores: hi enim rudes, & agrestes, & imperiti, & obscuri expugnauerunt sapientes, & potentes, & tyrannos, & qui gloriabantur in diuitijs, & gloria, & omnibus externis, per nos ac si non essent viri. Vnde perspicuum est, quòd sit magna crucifixi potentia, & quòd hæc humanis viribus non fierent.*

Chrysost.

D

Considera ergo, quòd, cum piscator, & tabernaculorum contextor, & publicanus, & imperiti venissent ex regione Palæstinæ, procul sita, Philosophis, oratoribus, & his, qui magna dicendi facultate erant præditi, expulsis omnibus, eos citò vicerunt,

irc. 16.

ist 10.

l. 34. :14.

7 in d Cor.

Labat. Tom. I.

runt, cum multis periculis, populis, & regibus reſiſtentibus, pugnante natura ipſa, temporis antiquitate, & longa conſuetudine acriter adverſante, dæmonibus armatis, & diabolo ſtante in acie, & nihil non movente. Vicerunt, inquam, reges, principes, populos & Gentes, barbaros, oratores, philoſophos, conſuetudines, leges, judicia, ſupplicia varia, & omne mortis genus: hæc enim omnia reſiſtebantur, & credebant loquentibus piſcatoribus, non ſecus ac tenuis pulvis, qui vehementium ventorum impetum ferre non valet, fortes vicerunt imbecilli, doctos imperiti, multos pauci; mandum ſcilicet vniverſum duodecim nudi, pugnantes adverſus bene armatos. Dic, queſo, ſi duodecim tantum res militaris ignari, non ſolim inermes, ſed etiam corpore imbecilles, impetu facto in quamdam innumerabilem militum aciem armatam, ab illis quidem nihil malì paſſi eſſent, & omnes inimicos ſtraviſſent, non armis vtentes, ſed unda manu ferientes, & alios quidem ſic interemiſſent, & alios captivos abduxiſſent, diceretne quis humanum hoc eſſe? At Apoſtolorum trophæum eſt iſto longe admirabilius; nam quòd imperitus, & illiteratus, & piſcator ſuperarit tantam dicendi peritiam, & vehementiam, & neque à paucitate, neque à paupertate, neque à periculis, neque à quotidianis cædibus, neque ab aliorum authoritate prohibitus. Ita Sanctus Chryſoſtomus.

Idem Sanct. Chryſoſtom. tom. 5. lib. contra Gentiles: Petrus piſcator erat, & Paulus tabernaculorum artifex, & quidem in mentem nunquam illis veniſſet, hominibus tam tenuibus, ea quæ de fide noſtra prædicabant, & quæ faciebant, effingere, niſi quis eos inſaniſſe, ac deliraſſe dicat. Hi porrò, quòd non inſanierint, liquet, tum ex egregijs operibus virtutis eximia, quæ illi ſolo verbo ediderunt, tum ex complurib⁹, qui etiam nunc illis fidem habent. Qui autem aliys verba daturus eſt, mentitur quidem, ſed non ita, vt omnibus plenum id ſiat: Si enim poſtquam res ipſæ contigerunt, & tam multi rerum earundem eventum verum fuiſſe ſint teſtati: tum hi, qui per ea tempora crediderunt, tum qui ex eo tempore vſque eadem hæc ita eſſe decantant, non apud nos modo, ſed & apud Barbaros & ſi qui Barbaris ſunt efferaciores: nonnullos tamen adhuc inuenias, qui poſt tot, ac tanta ſigna, & poſt vniverſi, vt ſic dicam, orbis teſtimonium, prorſus his omnibus, quæ antea facta ſunt, nullam fidem habeant. Quis, obſecro, initio, neque rebus ipſis perſpectis, neque recepto rerum earundem digno teſtimonio, fidem ſuam Chriſto obſtringeret? Quid autem eos commoueret tale quiddam fingere, ac componere? neque enim orationis vi (quo enim pacto cùm eorum alter litteras prorſus ignorarit) neque opum, atque diuitiarum copiâ nitebantur, vt quibus neceſſarius victus vix ſuppeteret, mauuum ſuarum opificio victitantibus: ſed neque ob natalium ſplendorem criſtas tollere licebat illis. Alterius enim patrem ignoramus, tam fuit obſcurus ille, atque ignotus. Petri quidem notus pater fuit, ſed eâ ex parte Pauli patrem claritudine ſuperat, quatenus eius nomen ſacræ tantum Scripturæ nobis notum, idque propter filium, eſſe voluerunt. Quòd ſi & regionem, & gentem exquirere velis, alterum quidem Cilicem fuiſſe conſperies, alterum ignobilis ciuitatis ciuem, ſeu verius dicam, non ciuitatis, ſed vici cuiuſdam infimi incolam, qui Bethſaidæ (locum in Galilæa hoc nomine appellant) natus ſit. Artes verò eorum quiſquis audiet, quales fuerunt, videbit, nihil illas magnum, nihil grave ſpirare: nam tabernaculorum artifex piſcatore quidem honeſtior, ſed idem tamen cæteris artificibus vilior: vnde igitur obſecro hi rem tantam ſimulare auderent? quanam ſpe? quo præſidio freti? calamone atque hamo? an cultro & terebrâ? Ita S. Chryſoſt.

Idem Sanct. Chryſoſt. hom. 2. ad Rom. Gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum, ait Paulus, ſuper omnibus vobis, quòd fides veſtra annuntiatur in vniverſo mundo. Quid? omnis terra Romanorum fidem exauduit? nihil non veriſimile: nec enim obſcura, & ignobilis vrbs erat, verùm tanquam in faſtigio quodam ſita, vndequaque illuſtris: Sed conſidera prædicationis Euangelicæ vim, vt breui tempore publicanorum ac piſcatorum operâ in ipſum vrbium caput inuaſerit. Duo igitur merita teſtificantur, & quòd crediderãt, & quòd eum fiducia tanta crediderunt, vt quæ de illis fama circumferretur, omnem terrarum orbem occuparet. Veſtra enim fides (ait) annuntiatur in vniverſo mundo: fides, inquam, non verborum conflictus, neque mutuæ diſputationes, neque ſyllogiſmi; quamuis multa huiuſmodi mihi erant, quæ obſtare poterant, ne doctrina Euangelij reciperetur. Etenim orbis principatum adepti, multoſaſtu Romani turgebant, in diuitijs, ac deliciis vitam agentes. Euangelium autem ipſum piſcatores Indæi ferebant; Indæi (inquam) gens, quam omnes abominabantur. Præterea crucifixum adorare, cum Euangelio duram vitam gerere, præſcribebant ijs, quibus ſemper fuerant delicia, & res vitæ præſentis. Adde, quòd qui hæc nuntiabant, pauperes erant, & priuati, & ignobiles, ex parentibus ignobilibus orti: & tamen nihil horum Euangelicæ ſermonis curſum impediuit: tanta erat crucifixi potentia, annunciatur (inquit) in vniverſo mundo. Ita Sanctus Chryſoſtomus.

Ad Rom. 1. Deſidero videre vos, vt aliquid impertiar vobis, &c. vt aliquem fructum habeant, & in vobis ſicut & in ceteris Gentibus. Vbi Sanct. Chryſoſt. Vbi obſecro (ait) nunc ſunt, quos Græcia ſapientes habuit, exornidas amicti, magnopere intumeſcentes, ac turgidi. Ein tabernaculorum texendorum artifex, non ipſam tantum Græciam, ſed & Barbariam omnem conuertit. Cumque inter illos hinc, & illinc ageretur, & circumageretur Plato, ter in Siciliam profectus cum magno verborum faſtu, ac ſumo, cùm maxima illa, quam de ipſo ceperant, opinione, nec minus quidem tyranni compoſ euaſerit, quin potius ab illo ſe inſiciliter explicuerit, vt & ipſe libertatem amitteret ſuam; at tabernaculorum texendorum artifex hic non modo Siciliam, atque Italiam, verùm vniverſum terrarum orbem, verbum Dei prædicans, peragrauit, cum interim artem non intermitteret, ſed vel tunc quoque pelles conſueret, & officinæ ſuæ præſſet. Neque verò ea res patritius, & magnates offendebat, idque optimo iure: non enim artes & ſtudia, ſed mendacium, & dogmata conficta deſpicabiles reddere ſolent præceptores; propterea quidem Platonem Athenæ irrident, huic autem aſſiduam operam dant, etiam Barbari, & rudes, & idiotæ. Ita Sanct. Chryſoſtom. Vbi nota Platonem plurimum dediſſe conceptam à ſe Philoſophiam apud omnes introducere, & ob id in Siciliam ad Dionyſium tyrannum profectus ter fuit, & quamuis eximia de ipſo opinio haberetur, nunquam etiam amicis, & ſapientibus, quibus amicorum & ſapientium adinuenta grata eſſe ſolent, gratus ipſe fuit, nec perſuadere potuit alijs, quod ipſe argutijs, & ſyllogiſmis philoſophicis probare contendebat, imò infeliciter, vt ait Chryſoſt. à regis facie, alioqui ſibi benevoli, receſſit.

Rom. 1.

Prop. XIII. *Fidei veritas probatur ex propagatione Eccleſiæ Chriſti.*

Sanctus Chryſoſtomus tom. 5. ſerm. quod Chriſtus ſit Deus, *Chriſtus plantauit Chriſtianorum genus, & hinc oſtendemus Chriſtum eſſe Deum.* Etenim non eſt puri hominis in tantis rebus orbem terra marique tam breui tempore comprehendere, & tam abſurdis moribus præuenturn, & tantis malis irretitum, liberare humanum genus, & non Romanos tantùm, ſed & Perſas, & omne (vt ſic dicã) Barbarorum genus, & hoc nullis vſus armis, nullos faciens ſumptus, nullos monens exercitus, nulla præſidia committens, ſed per vndecim viros principio ignobiles, rudes, idiotas, pauperes, nudos perſuaſit tot hominum tribubus, idque non præſentibus ſolum, ſed & futuris. Quid quòd ſubuertit leges patrias, aboleuit conſuetudines inueteratas, euulſit ſtirpes tanto tempore radicatas, & pro illis alias implantauit, abduxitque ab his, in quæ propenſi erant, & in ardua, & difficilia induxit. Cumque hæc faceret, infeſtabantur ſui ab omnibus, & ipſe cruciatus, genus mortis ignominioſiſſimum, ſuſtinuit, nihilque hic contradicent, quòd crucifixus eſt à Iudæis, quòd innumera ab illis paſſus, quod quotidie prædicatio increſcit, & floret, non hic ſolum, ſed & apud Perſas etiam nec dum ab illis oppugnatur, etenim & inde multa ſunt Martyrum examina, & qui ibi lupi ferociores erant,

Act. 21. Ioan. 1.

Chryſoſt.

erant, accepta prædicatione ouibus inanſuetiores euasêre, & nunc de inmortalitate, & reſurrectione, & bonis ineffabilibus diſſerunt, & neque in ciuitates ſolas, ſed etiam in ſolitudines uſque peruaſerunt hæc facinora præclara, & in pagos, & in regiones, & in inſulas, & in portus, ac nauium ſtationes: nec priu iti, & Principes tantum, ſed & ipſi Reges, qui diademata ferunt, inſigni fide crucifixo ſe ſubmittunt. Ita S. Chryſoſt.

PROP. XIV. *Fidei veritas probatur ex tyrannorum ſedata procella.*

8. MAtth. 8. *Aſcendente Chriſto in nauiculam cum diſcipuli vt transfretaret, ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat.* Expendit S. Petrus Chryſoſ. ſerm. 20. locum hunc, dicens: *Mare, quod pedibus Chriſti tumentia terga ſubmiſit, ſtrauit in plano vertices ſuos, motus ſtranauit, aſtrinxit fluctus & per liquẽtem viam ſaxea ſolidi tate ſeruauit: Modò quid eſt, quòd vſque ad periculũ nauis Chriſti ſeuit? quid ipſe Chriſtus futurorum præſcius, præſentium ſic videbatur ignarus, vt inſtantem procellam, tempeſtatis horam, tempus periculi non caueret: Sed inter vigilantes omnes tunc ſolus teneretur ſomno, quando diſcrimen tam magnũ imminebat? Fratres, gubernatoris peritiam non probat temperies ſerena, ſed tempeſtatis procella. Hinc eſt quod diſcipuli ad Chriſtũ, tanquã ad gubernatorem omnium verum, confugerunt, petentes vt ſedaret mare, ſalutẽ redderet deſperatis. Denique vbi iuſſio ſola adduxit mare, recubuit ventos, dedit quietem, nauigantes ipſum ſatetur omnũ eſſe authorem.* Ita ille. Sic Chriſtus diuinitatis ſuæ fidem comprobauit, ſed in eo quod hîc latet myſterio, vniuerſaliùs fidei Chriſtianæ veritas confirmatur. quod ſic expoſuit S. Chryſol. ibidem dicens: *Iam quod intus* 11. *eſt in hoc miraculo proferamus. Vbi Chriſtus Eccleſiæ ſuæ nauim, mare ſæculi transfretaturus, aſcendit, gentium ſlabra, Iudæorum turbines, perſecutorum procellæ, dæmonum nebulæ ſic vrerunt, vt totius mundi fieret vna tempeſtas. Regum ſpumabant vndæ, feruebant poteſtatum fluctus, mugiebant littora Chriſtiana, & erat totius mundi vnum diſcrimen. Tunc diſcipuli acceſſerunt ad Dominum, & ſuſcitauerunt eum, dicentes*: Domine ſalua nos, perimus; & dixit eis Ieſus quid timidi eſtis modicæ fidei? *tunc mare, hoc eſt, mundum corripuit, Reges mitigauit, poteſtates placauit, Romanos fecit Chriſtianos, & executores fidei Chriſtianæ reddidit eos, qui prius fuerant perſequutores populi Chriſtiani, & hanc tranquillitatem ſeruat Eccleſia Chriſtiana, gentilitas admiratur.* Ita ille. Ecce magnum fidei noſtræ teſtimonium, ſola Romanorum Monarchia aduerſùs Eccleſiam Chriſti decem crudeliſſimas perſequutiones excitauit, quarum vel vna ad delendam Eccleſiam ſatis erat, niſi Dei noſtri protectio interueniſſet: hac enim & non ferreis armis, à tot tyrannis & crudelitatibus liberauit, nónne magnum fidei noſtræ teſtimonium eſt?

A

B

C

D

ADDITIO.

Commendat Fidei huius integritatem & Euangelica auctoritas, & Apoſtolica doctrina, & circum ſtrepentium vndique Hæreticorum otioſa fraudulentia. Stat enim hoc ſimdamentum validum, & immotum aduerſùs omnes ventos, fluuios, torrentes, non flatibus pellendum, non ſtillicidijs penetrandum, non inundationibus ſubruendum, & optimum eſt, quidquid à pluribus incurſatum, à nullo tamen poterit impelli.

Fidei veræ notæ ſunt in ſola Eccleſia, vide Zehetner, Promontorium malæ ſpei. p. 174.

PROP. XV. *Fidei veritas probatur ex perſeuerantia Eccleſiæ, & duratione ipſius fidei.*

SEncca lib. 7. natur. quæſt. *Tot familiæ Philoſophorum ſine ſucceſſore deficiunt. Academici nullum Antiſtitem reliquerunt. Quis enim eſt qui tradat præcepta Platonis? Pythagorica illa inuidioſæ turbæ ſchola præceptorem non habet, Sextiorum noua, & Romani roboris ſecta inter initia ſua, cum magno impetu cœpiſſet, extincta eſt.* Ita Seneca. At Chriſti ſchola, & magiſterium, cùm iam abhinc 1650. annis cœperit, viget, & per totum orbem terrarum eius Eccleſia diffuſa obtinet principatum: ſi à Deo illa non eſſet, quomodo tamdiu eſſet? Act. 5. cùm Apoſtoli inciperent prædicare legem Chriſti, comprehenderunt eos iudices ſeroſolymitani, & cùm in Concilio eos occidere iam decernerent, Phariſæus quidam nomine Gamaliel, Legis Doctor honorabilis, ſurgens dixit: *Viri Iſraelitæ, attendite vobis ſuper hominibus iſtis, quid acturi ſitis. Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens ſe eſſe aliquem, cui conſenſit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occiſus eſt, & omnes, qui credebant ei, diſſipati ſunt, & ad nihilum redacti. Poſt hunc extitit Iudas Galilæus, & auerſit populum poſt ſe, & ipſe periit, & omnes quotquot conſenſerunt ei, diſperſi ſunt. Et nunc itaque dico vobis, diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite illos, quia ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſoluetur: ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere illud, ne fortè & Deo repugnare inueniamini, & conſenſerunt illi.* Saltem egitur ex inimicis noſtris, conſenſerunt illi ita eſſe non poſſe, inquam, diu permanere conſilium contra Deum; at ſi Chriſtus Deus non eſſet, quid Deo contrarium magis, cùm hoc quidem diuinitatem eius vſurpare fuiſſet? præualuit autem, & tamdiu præualuit, & præualet etiam modò, & quotidie nouos per orbes propagatur Chriſti fides. Conſentiant igitur, qui tunc conſenſerunt, & reliqui omnes, veritatem enim iam exitus comprobauit. Seneca. Act. 5. 35.

PROP. XVI. *Fides Chriſtiana ad virtutem, & perfectionem nos deuincit.*

PAulus de ſapientibus gentilibus ait: *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles. Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt.* Hoc eſt, non quia gentiles ſunt, ab impietate ſua excuſantur, quia licèt per fidem non cognouerunt Deum, cognouerunt quidem illum per rationem naturalem ex cognitione rerum naturalium, quòd ſi rationis lumen ita obligat infideles, quantò magis ſupra ipſum lumen rationis, fidei, & Euangelij lux, & alta cognitio, & inſuper tot, tantæque beneficia à Chriſto Domino Chriſtianis collata? Rom. 1. 20.

Sic Propheta ad Hieruſalem: *Quis miſerebitur tui Hieruſalem, aut quis contriſtabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?* hoc eſt, cùm tu Hieruſalem ciuitas ſancta Dei, plùs, quàm reliquæ orbis partes, ad Dei obſequium teneariſ, eò quòd ex ſacris litteris maiorem Dei cognitionem fueris aſſecuta, & maioribus ac cumulatioribus Dei beneficijs fueris potita, & nihilominus in varia fueris peccata prolapſa, cùm adeo fueris pro merito punita, quis miſerebitur tui? Neque enim digna commiſeratione eris, nec contriſtatione ſodalium, imò nec oratione iuſtorum; quis enim audebit orare Deum pro adeo ingrata ciuitate? Rogo ergo Chriſtianos omnes, quantò maior ſis ingratitudo peccatorum Chriſtianorum, quàm Hebræorum? Fateor, illos maximè ad Dei obſequium deuinctos extitiſſe ob maiorem Dei notitiam, & ſublimioria accepta Ieremi. 15. 5.

à Deo beneficia, plusquam reliquæ mundi nationes, quæ non ita Deum agnoscebant, nec tót, tantaque beneficia recipiebant. sed comparatione nostri, quid illi hac in parte fuerunt? Etenim si in die iudicij super contritione, & infelicitate damnatorum compassio nostra cadere posset, maiori compassione digni fuissent Gentiles & Hebræi (cæteris paribus, quàm Christiani: hi enim tantò maiori supplicio digni sunt, quanta veritate Euangelica, & lege gratiæ, & gratia Dei amplioni nunc gaudent. Tu (inquit Dominus ad Ierusalem, vbi
Ibid. 6. supra) *reliquisti me, retrorsum abijsti, & extendam manum meam super te, & interficiam te: laborauit rogans.* Pondera verba illa, *laborauit rogans.* Continent enim rationem iustæ indignationis Dei aduersùs Hierusalem, puniam te grauiter, quia cùm laborauerim rogans te, neque sic mihi obsequi voluisti. Attende Christiane, quoties te Deus ita rogauerit, tum per concionatores, tum per confessarios, tum per superiores, & prælatos, tum per Scripturas sacras, tum per cordis inspirationes secretas, &c. sic pro te laborauit Dominus rogans, tu verò obturasti, sicut serpens aures tuas, & audire noluisti.

Matt. 11. 20. *Tunc cæpit* (Christus, ait Matt.) *exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam: Væ tibi Corazaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro, & Sydoni remissius erit in die iudicij quàm vobis.* Verba hæc non verba, sed fulmina esse videntur Christianorum pectora ferientia: si enim Corozainos & Bethsaidos ita inexcusabiles reddidit Euangelica prædicatio, quid nos de nobis futurum speremus? quam, quæso, excusationem nos poterimus adhibere?

1. Thes. 5. 5. Sic ad fideles Thess. Paulus: *Omnes vos filij lucis estis, & filij Dei.* Phrasis Hebræa hoc modo loquendi abundantiam alicuius rei designare solet: filios ergo lucis dici & esse, est abundantia lucis, & claritatis diurnæ nos C vti, non ita infideles idololatræ, hæretici, schismatici, & atheistæ, quorum mundus plenus est apud exteras
Vers. 12. nationes: sicut etiam olim in Ægypto Exod. 10. vbi scribitur: *Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra AEgypti, tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco, in quo erat; vbicumque autem habitabant filij Israel, lux erat.* Ecce discrimen inter fideles & infideles; apud eos horribiles tenebræ sunt, apud nos verò viget meridiana lux veritatis.

Sed ob eandem lucem tenemur piè, & sanctè viue-
Psal 103. 20. re. *Posuisti tenebras,* (ait Dauid) *& facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ. Ortus est sol, & congregatæ sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum, & ad operam suam vsque ad vesperam.* Ecce quid secum adferant tenebræ noctis? Feras, leones, serpentes & huiusmodi bestias, & reptilia venenosa, quæ quidem, die facta fugientes lucem, in cubilia sua tenebrosa se recipiunt; hominum verò est fugere tenebras, atque ideo facta nocte se in domos suas recipiunt, & orta D luce diei ad opera humana exire; sic de luce & tenebris spiritus dicendum est: vbi enim huiusmodi tenebræ vigent, feræ & bestiæ peccatorum regnant: at vbi lux veritatis lucet, ibi homines versantur, & operantur: lux enim eos ad opera sua inuitat.

Quare qui, orta iam Euangelica luce, opera tenebrarum facit, non hominis, sed brutorum, & reptilium meretur nomen, & grauissimo supplicio dignus est. Quòd enim infideles, Mauri, & Turcæ, & Arabes, & Indi, ad quos Euangelica lux adhuc non peruenit, operibus tenebrarum vacent, non ita mirum, cùm in tenebris ipsi sint; eos at qui meridiana gaudent luce, opera tenebrarum exercere, intolerabilis nequitia est.

Rom. 13. 12. Vnde Paulus: *Nox præcessit, dies autem appropinqua-*

A *uit.* Quid inde? *Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Optima quidem consequentia: nam si tenebræ ad opera tenebrarum nos inducunt, lux ad opera lucida nos inducit; non igitur potentiores apud nos sint tenebræ ad opera tenebrarum, quàm lux ad opera lucis.

Idem eodem argumento vsus, *Eratis* (inquit) *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate.* *Ephes. 5. 8.* Quòd si quæ sieris, quinam sint fructus lucis, subdit: *Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo, & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum; magu autem redarguite.* Vbi Sanct. Anselmus: *Fructus lucis sunt opera bona, quia sicut arbor fructum, sic lux opus vtile gignit. Ambulate igitur vt filij lucis, probantes quid sit beneplacitum Deo. quod quidem facere volumus, antequam illud inchoemus, probare debemus, an Deo placitum sit.* Ita S. Anselmus. *No es menester pedir, no peras al olmo, sino al peral, y naranjas al naranjo, pues tu mesma naturaleza pide que dun ese fructo, y pues es fructo, o fruta de la luz. las buenas obras, que mucho que a vn Christiano que vive en luz clara, se le pidan exercicio de buenas obras.* & denique probantes, quid sit beneplacitum Deo: ad hoc enim tenemur ratione lucis: qui enim luce gaudet, luce debet examinare, sicut artifices faciunt in operibus suis. Argentarius, verbi gratiâ, qui vas aliquod fabrefacit regi, non in tenebris illud operatur, sed in lumine aspiciens, & circumspiciens, an opus illud dignum sit regia maiestate; cùm igitur omnia opera nostra in Dei obsequium à nobis peragenda, & perficienda sint, examinanda illa lumine fidei nostræ sunt, & probanda, an beneplacita Deo sint. hic est optimus lucis Euangelicæ vsus.

Ad Ephes. 4. agens Apostolus de infidelibus: *Desperantes* (inquit) *semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam: vos autem non ita didicistis Christum, &c.* hoc est, quia carent spe gloriæ cœlestis, erant enim infideles, tradiderunt se peccatis multis, in auaritiam, id est, auarè: sicut enim auarus quærit anxiè pecunias; sic hi peccatorum immunditias: *vos autem non ita edocti estis à Christo Deo nostro:* fidem enim Christianam profitemini, & spem vitæ cœlestis habetis, & ideo *renouamini spiritu mentis vestræ,* &c. hoc est, siquidem fideles estis, viuite vos tanquam verè fideles, & prout exigit fides Christiana: monstrosa namque res est, fidem profiteri Christianam, & vitam degere paganam.

Sanctus Ambrosius fidem boni latropis, & infidelitatem mali rectè deducit: ille enim qui fide in Christum carebat, solùm ea quæ ad hanc vitam spectabant, deposcebat: *Sitis es Christus, saltum tac temetipsum, & nos.* *Luc. 23.* hoc est, libera te, & nos à cruce, ac mortes alter verò qui fidem habebat, *Domine* (inquit) *memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Ecce infidelis solùm cogitat, quæ mundi sunt huius, fidelis verò quæ ad vitam spectant æternam. Hæc igitur differentia inter nos Christianos, & inter fideles hæreticos, & cæteros esse debet.

Abbas Isaac, vt patet ex Collationibus Patrum, ideo Patrem Deum in cœlis esse (inquit) dicimus in oratione Dominica, vt operibus sanctis illuc ire properemus, vbi patrem habemus.

De Palæmone Philosopho fertur, quòd in certamine quodam tragico iudex fuit constitutus, & inter interlocutores, quidam Deum, & terram nominans, dum Deum nominaret, manum in terram depressit, dum verò terram, in cœlum, & ob id Palæmon præmio priuauit eum, dicens: Manu solœcismum commisit. Manu solœcismum committit, qui fide tenens se patrem in cœlo habere, & ibi hæreditatem æternam bonis operibus promerendam, manum ad terram deriuat, hoc est, ad terrena opera declinat. Vnde à Iudice supremo meritò condemnabitur, & præmio priuabitur cœlesti.

Ad Rom.

Ad Rom. 1. agit Apostolus de Philosophis anti- A quis, qui rationis naturalis ductu, magnam de Deo cognitionem erant assecuti, qui tamen peccatores erant, quique cùm Deum cognoscerent, non glorificabãt Deum: & addit Apostolus, *ita vt essent inexcusabiles:* etenim illi fidei nostræ cognitione carebant. Cur igitur eos inexcusabiles dicit, cùm quidẽ fidei lumen sit, quod nos Deo seruire deuincit? Respondet Hugo de S. Victor. q. 38. in Epist. ad Rom. *Ideo sapientes illi inexcusabiles fuerunt, quia non fecerunt, sicut potuerunt, iuxta scientiam quam habebant.* Ita ille. Quòd si cognitio illa debilis luminis naturæ ita illos obnoxios diuino cultui & obsequio tenebat, quid de nobis erit fidei lumine illustratis, si illorum vitijs laboramus?

PROP. XVII. *Fides bonis operibus fulcitur, ne pereat.*

PSalm. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Viam hic vocat Propheta legem Dei, B quia per eam in cœlum itur. Duobus autem pedibus iter istud agimus & peragimus, fide scilicet, & obedientia, quâ Dei mandata seruamus, dicente Domino ad fidelem quendam: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* non ait: Crede & scito mandata, sed, cùm iam credas, serua mandata.

Etenim & ad fulciendam fidem ipsam, quâ in Deum credimus, ne scilicet eam amittamus, sicut quamplurimi hæretici amiserunt, oportet mandata seruare: obedientia enim fulcimentum est fidei nostræ: neque enim, si rectè animaduertas, primum hæreticorum peccatum infidelitas fuit, sed aliud; alia verò peccata ex huiusmodi inobedientia ad infidelitatem declinarunt, & duxerunt homines.

Hanc ob causam in sacris litteris peccatores fideles claudi appellantur, vti Sanctus Gregorius adnotauit 19. Moral. 21. explicans verba illa Iob 29. *Oculus fui cæco, & pes claudo. Rectè*, (inquit) *potest cæco Gentilis populus; claudo autem Iudaicus populus comparari. Gentilis quippe quasi oculos non habuit, quia non recepta lege, non vidit quò ire debuisset; at Iudaicus habens oculos, claudus fuit, quia legem quidem tenuit, sed in ea gressum boni operis non tetendit: alias enim voce Domini dictum non fuisset,* Psal. 17. Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis. Ita Sanct. Gregorius. Claudus igitur est fidelis, qui fidem tenens, obedientiam, & obseruationem diuinæ legis, amisit: sicut enim qui claudus est, altero quidem pede rectè ambulat, altero verò non; sic qui fidem habet, non verò obedientiam, claudus est in via legis Dei. Ideo Elias ad Israelitas dixit: *Vsquequò claudicatis in duas partes*, vbi 70. sic: *Vsquequò claud.catis in duobus popli-tibus*, quia scilicet, fide,, & obedientia deficiebant. Claudus ergo altero pede est fidelis inobediens; pes autem claudus occasionem præbet alteri pedi ad ca- D sum; sic qui in obedientia deficit, occasionem præbet cadendi à fide, vti constat in hæreticis &c. Vnde Ezechielis capite 1. sub alis animalium erant manus, quasi fulcientes alas fidei: manus enim ad operandum, alæ ad volandum auibus datæ sunt, in manu ergo obedientia, quæ virtus operatrix est: per alam verò fides: fide quippe ad notitiam altam cœlestium volamus. Ponitur ergo manus obedientiæ sub ala fidei, vt fidei fulcimentum esse obedientiam, intelligamus. Quare, deficiente prorsus obedientia, fidem cadere non ita mirum est.

PROP. XVIII. *Quantum supplicium Dei sit fidei amisso.*

CVm Titus, & Vespasianus Imperatores Romani Ierosolymam deuastassent prorsus in pœnam, & supplicium summi sacrilegij necis, & deicidij Christi Domini, triumphum Romæ talem celebrarunt, qualis nunquam ibi à Roma condita visus fuerat, vt affirmat Flauius Iosephus, & Paulus Orosius contestatur, dicens, inter centum, & quinquaginta triumphos Romæ celebratos, hunc sublimiorem extitisse. Præcedebat quidem in eo ingens exercitus Imperatorum, qui vexilla populi Hebræorum super terrã ipsam trahentes raptitabant, sequebatur multitudo captiuorum populi Dei vinculis constricta: deducebant simul templi vasa, & aureum illud, ac mysterijs diuinis refertum candelabrum, quod in Sancta sanctorum diuino fuerat nutu collocatum: & denique, tanquam vltimum, & vltimò deplorandum spolium legis librum, in quo legis, & fidei doctrina continebatur, deducebant. Quo significatum manifestè fuit, iam fidem legitimam, quæ antea à tempore Moysi vsque ad promulgationem Euangelij apud populum Israeliticum retinebatur, ad Gentiles transmigrare, & infidelitate promerita populum illum ob scelera sua puniendum esse. Ita ille. Ecce vltimum miseri illius populi supplicium, fidei diuinæ amissio. *Fl. Iosephus; Paulus Oros.*

Quod quidem supplicium alijs etiam mundi nationibus à Deo inflictum videmus. Horebat olim in Asia Christiana fides, initio enim orientis Ecclesiæ ad septem Episcopos, septem Ecclesijs præsidentibus septem Epistolas, Dei nutu, scripsit Apostolus Ioannes. Palæstinæ terra illa sancta à Christicolis possessa, in fide vigebat, Constantinopoli etiam, tempore S. Chrysostomi, Alexandriæ, tempore S. Athanasij; Cappadociæ, tempore S. Basilij, in Africa, tempore S. Augustini, & nostris ferè temporibus in Anglia, Hybernia, & alijs multis in locis fides splendebat, vbi iam densissimæ infidelitatis tenebræ obuersantur. Cur ita? nisi quia fideles peccatis fræna laxabant, ideo Deus suus expulit eos, & miserè perierunt. Audi Apostolum 1. ad Tim. 1. *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, vt milites bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt.* Vtitur quidem naufragij metaphorâ S. Apostolus, in quo is, qui naufragium patitur, quamuis vitam saluet, diuitias amittit; sic hæretici diuitias inæstimabiles fidei, peccatorum tempestate commota, prorsus amittunt; quæ autem infœlicitas maior? *1. Tim. 1. 18.* *Simile.*

PROP. XIX. *Fides pretiosa facit ea, quæ apud mundum contemptibilia sunt.*

BEati pauperes spiritu, beati qui lugent, beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, beati estis cum maledixerint vobis homines, &c. Etenim in oculis mundi in his non beatitudo, sed infelicitas & miseria reluceret; sed tamen hi qui fidei conspicilijs hæc intuentur, excelsa, nobilia, & magno pretio digna esse cognoscunt. *Matt. 5. 3.*

Ponderat Sanct. Chrysol. homil. 2. in Matth. adorationem illorum Magorum, de qua Matthæus cap. 2. ait, *procidentes adorauerunt eum & obtulerunt munera*, &c. *Quid*, inquit, *ibi gloriosum viderunt? nunquid palatium marmoribus splendidum? nunquid aulam regiam diuersis gentibus personantem? Non, nisi pandochium tenebrosum, & sordidum, & magis animalibus quàm hominibus aptum. Sed nunquid viderunt natum auro & purpurâ inuolutum, & in lecto aureo recubantem? Non, sed pannis inuolutum, & positum in præsepio? Nunquid viderunt matrem eius diademate coronatam, & veste pretiosa indutam? Non, sed longum tegumentum,* *S. Petrus Chrysol. Matth. 2. 11.*

mentum, quod habere poterat vxor carpentarij. Etenim si Regem terrenum quærentes sic inuenissent, potiùs confunderentur, quam gauderent; quia tanti itineris laborem incassum suscepissent: sed quia Regem cælestem quærebant, etsi nihil regale videbant in eo, tamen stellæ testimonio contenti, gaudebant, & oculi eorum contemptibilem, quia spiritus in corde eorum terribilem eum demonstrabat, & hunc adorauerunt. Ita ille. Nota verbum *spiritus*, hoc est, Spiritus sanctus mediante fide eis Deum esse & hominem inspirabat; vnde ibidem addit Sanct. Chrysol. *Adorassentne infantem non intelligentem adorationis honorem, nisi aliquid diuinum credidissent in eo?* Ita ille. Sic igitur nunc philosophandum est de tribulatione & mortificatione & paupertate spiritus, & de humilitate & cruce Christiana: hæc enim omnia, si solùm oculis carnis inspiciantur, vilia & contemptibilia videntur; si verò oculis fidei Christianæ, sublimia & amabilia multò magis nobis apparent.

S. Chrysf.

A

B

FILIVS.

Prop. I *Amandus, aut saltem ferendus est parens à filio.*
2. *Quàm graue crimen sit Parricidium.*
3. *Qualis fuerit filius erga parentes, tales erunt erga ipsum filij eius.*

Prop. I. *Amandus, aut saltem ferendus est parens à filio.*

AT, inquies, inamabilis est parens, quippe qui ferus naturâ sit. Respondet Publius Mimus ex Seneca: *Ama parentem, si æquus est, sin aliter, feras.* Ita ille. Imò quomodocumque ille sit, amandus est à filio pater ob Deum.

Plutarch. Plutarchus de fera numi. vindic. *Bassus quidam* (inquit) *cùm patrem interfecisset, longo tempore delituit: at cùm aliquando cœnatum iret, nidum hirundinum hastâ impellens, deturbauit. Cùmque cœnantes hanc eius crudelitatem detestarentur, respondit: nónne iam diu falsum testimonium aduersùm me ferunt, clamantes me patrem meum interfecisse? Præsentes admiratione ducti hæc verba ad Regem detulerunt, qui tormentis eum subiecit, & re diligenter discussa, parricidij pœnas de eo sumpsit.* Ita Plutarchus.

C

Prop. II. *Quàm graue crimen, parricidium sit.*

Pro. Rosc. Amer. SOlon interrogatus, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, *se id neminem facturum putasse.* Ita refert Tullius, & addit: *Sapienter id dicitur fecisse, cùm de eo nihil sanxerit, cùm antea commissum non erat, prohibere, quàm admonere videretur.* Ita Cicero, qui in eadem oratione addit: *Maiores nostri, cùm intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitarunt, vt quos natura ipsa in officio continere non posset, hi magnitudine pœnæ maleficio submouerentur, insui in culeum viuos, atque ita in flumen deijci. Nónne videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse, & eripuisse, cui repente cœlum, solem, aerem, aquam, terramque ademerunt, vt, qui eum necasset, vnde ipse natus esset, caueret his rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur? Noluerunt corpus feris obijcere, ne bestijs quoque, qua tantum scelus attigissent, immanioribus vterentur, non sic nudos in flumen deijcere, ne, cùm delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cætera, quæ violata sunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare est, cuius partem vllam ei reliquerint. Quid enim tam est commune, quàm spiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis? Ita viuunt, dum possunt, vt ducere animam de cælo non queant: ita moriuntur, vt eorum ossa terra non tangat: ita iactantur fluctibus, vt nunquam abluantur: ita postremò eijciuntur, vt nec ad saxa quidem, mortui conquiescant.* Ita Cicero.

D

Prop. III. *Qualis fuerit filius erga parentes, tales erunt erga ipsum filij eius.*

MAtth. 5. *Obeth genuit Iesse, Obeth*, Hebraicè idem est quod Latinè, *subditus*, & *Iesse* apud Hebræos idem est quod Latinè *refrigerium*; nomina autem horum Patriarcharum, cùm in genealogia Christi Domini constituantur, non sine mysterio imposita illis sunt. Quale igitur hoc sit, videamus. S. Ioan. Chrysost. hom. 1. Imperfect. *Nam verè* (inquit) *qui Deo & parentibus subditus est, tales, Deo præstante, generat filios, à quibus refrigeretur; quia qui honorat patrem, honorabitur a filijs suis; qui autem contumaces existunt aut in Deum aut in parentes, non sibi refrigerium in filijs generabunt, sed dolores: vt à filijs recipiant, quod parentibus ipsi fecerunt.* Ita ille.

Matth.

FORTITVDO.

Prop. I. *Vir fortis nec frangitur aduersis, nec prosperis elauatur.*
2. *Ad bona exequenda fortes & constantes esse debemus.*
3. *Indoles Christiana virtutis, & in quo illa consistat.*

Prop. I. *Vir fortis nec frangitur aduersis, nec prosperis elauatur.*

PRocop. cap. 3. Isai. *Fortem animum neque conterit vituperatio, neque insolentem facit laudatio.* Ita ille. Etenim qui fortis est, eum verè & ex animo à sua constantia nec prosperitas nec aduersitas dimouebit; quare adamante fortior esset debet: adamas enim, licèt duris resistat, mollibus tamen cedit; fortis verò, si vrgent aduersa, non frangitur; si mulceant prospera, non emollitur. Sic Dauid, qui ex pastorali officio ad regiam dignitatem à Deo promotus est, pristinam humilitatem & mansuetudinem non dimisit. De quo sic Sanct. Ambros. lib. 1. Officior. cap. 24. *Dauid fortis in bello, patiens in aduersis, in peccato lens, & in senectute prouidus fuit.* Ita ille. Ac si dicat, semper studiosus, nulla temporum mutatione à virtutum tramite recessit.

Ambr.

Sic Esther ex captiua facta Regina, quamuis inperet esse quæ non erat, nunquam tamen desijt esse, quæ erat: vnde in nouo imperio mundi veterem erga Mardochæum obedientiam conseruauit: nam 2. cap. *Mardochæus* (inquit) *obseruabat Esther, & ita cuncta faciebat, vt eo tempore solita erat, quo eam paruulam nutriebat.*

Esther.

Hinc Sanctus Bernardus, cùm videret Eugenium discipulum suum ad summi Pontificatus dignitatem euectum, sic ad eum scripsit lib. 1. de Consideratione: *Non quia pater pauperum factus es, ideo non pauper spiritu es: in te hanc mutationem factam esse confido, non de te, nec priori statui tuo promotionem successisse, sed accessisse.* Ita ille. Quasi dicat, mutetur in te status, sed non mens; sit munus diuersum, sed animus idem; non succedat tuæ humilitati sublimitas, sed accedat: ne scilicet fias sine humilitate sublimis, sed in sublimitate maneas humilis.

Bernard.

Eodem quoque modo, cùm aduersa succedunt, maneat homo fortis, & in sua fortitudine constans: & quidem qui aduersis frangitur, non erit in prosperis infractus: facilius enim est aduersa, quàm prospera superare; ideò quidem Iob se adeo fortem in aduersis

aduersis exhibuit, quia constans in prosperitate fuerat.

Exemplum etiam in Paulo habemus, qui ad Phil 4. ait: *Scio & humiliari, scio & abundare* (vel vti Vatablus vertit, *noui & humilis esse, noui & excellere*) *vbique & in omnibus institutus sum, & satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati.* Quem locum sic expendit Sanct. Bern. *Magna & rara virtus est, inter epulas esurire, inter vestes algere, inter honores humiliari.* Ita ille. Hannibal sciuit esurire & penuriam pati, sed nesciuit satiari & abundare; nam deliciæ Capuanæ Hannibalem inuictum enerurunt, & Romanis iam imbellem vincendum obiecerunt. Paulus autem pati & potiri sciebat. vbi recte Sanctus Anselm. *Scire abundare & penuriam pati, magna scientia est.* Ita ille. Magna quidem & quæ discitur à perpaucis.

A

Prop. II. *Ad bona exequenda fortes & constantes esse debemus.*

B

Psalm. 58. *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Quonam, inquies, pacto custodienda ad Deum est fortitudo? Titelm. *Pro fortitudine, vires animæ accipiuntur, quas vir sanctus Domino cussedire proponit, quoniam eis non si ad gloriam Dei vti decernit.* Ita ille. Peccatores autem ad mundi obsequium vires suas custodiunt; iciunare non possunt, comedere vsque ad vomitum possunt; vigilare vel vnius horæ spatio in oratione non possunt, sed in alearum ludo pernoctare possunt; eleemosynam vel exiguam etiam dare non possunt, vt autem sericis & mollibus vestiantur, & supellectilem amplificent, omnia possunt. Vide optimè de hoc plura apud Sanctus Gregorium Moral. 8. vel in alia impress. cap. 9.

Prop. III. *Indoles Christianæ virtutis: & in quo illa consistat.*

C

Ivre ea fortitudo vocatur, quando vnusquisque ipse ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur, non aduersis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam, varietatem rerum circumferente mutatione. Quid autem excelsius, & magnificentius, quam exercere mentem, affligere carnem, & in seruitutem redigere, vt obediat imperio, consiliis obtemperet, vt in adeundis laboribus impigrè exequatur propositum animi ac voluntatem? Hæc igitur prima vis fortitudinis, quoniam in duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primò vt externa corporis pro minimis habeat, & quasi superflua despicienda magis, quam expetenda ducat. Secundò, vt ea quæ summa sunt, omnesque res in quibus honestas, & illud τὸ πρέπον cernitur, præclara animi intentione vsque ad effectum persequatur. Quid enim tam præclarum, quam vt ita animum tuum informes, vt neque diuitias, neque voluptates, neque honores in maximis constituas, neque in his studium omne conteras?

Perfecti est viri communitatem naturæ sustentare animi virtute, & ad meliora adducere, nec succumbere iis quæ plerisque terribilia, & formidolosa videntur, sed quasi fortem militem grauissimorum casuum sustinere incursus, constictus subire, & quasi prouidum gubernatorem, nauem in tempestate regere, atque occurrendo insurgentibus fluctibus magis, vitare naufragium sulcando vndas, quàm declinando. Non iste in persecutione pauidus, non in tormentis mollior, ne torquentem exasperet: sed quasi athleta fortis, qui repercutiat verberantem, si non cadit, certè sermonis flagello, qui meuenda multis tormenta despiciat, dicens: Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum. Qui cùm grauissimo licèt dolore luctetur, nec se miserabilem præbeat, sed ostendat tanquam in lanterna lumen, etiam inter asperas procellas, & grauissimos flatus suam lucere, nec extingui posse animi virtutem.

Qui intra portum ad gubernaculi regimen assidet, is non continuò sufficiens artis periculum præbet. At verò qui medio

Labat. Tom. I.

in mari cùm esset, nauem sæuiente tempestate eripere potuit, hunc certè nemo est qui optimum gubernatorem esse neget. Proinde vt monachum quidem magnopere, ac supra modum admirabimur, quòd is apud se viuens, neque commoneatur, neque in multa, ac magna peccata prolabatur. Neque enim ei res illæ adsunt, quibus ipse animo irritetur, exstimuleturque. Sin verò quis se ipse turbis vniuersis tradiderit, ac multorum delicta hominum ferre coactus cùm esset, inconcussus, immotusque perstiterit, animum ipsum vel tempestate actum, tanquam in malacia ac tranquillitate gubernans. Hic verò dignus est, quem omnes plausu atque admiratione prosequantur: abunde enim sui ille virtutis periculum fecerit.

Idem agens de tumultu, & pauore Antiochenæ ciuitatis ob imminentia mala, post dificta statuas Theodosij Imperatoris, ostendit nobilium Procerum terrorem, & contra robur Religiosorum, dicens:

Vbi nunc sunt pallia gestantes, & profundam ostentantes barbam, & bacula dextra ferentes, externorum Philosophi, quæ & placuit, subinde talibus canibus miseriores, ventriique cansa cuncta facientes? omnes tunc ciuitatem deseruerunt, restiterunt omnes, in cauernas conditi sunt: soli vero qui per opera verè Philosophiam exhibent, ac si nullum ciuitatem malum comprehendisset, sic intrepide in foro apparuerunt. Et vrbem quidem habitantes, ad montes & deserta auolauerunt: eremi verò incolæ in vrbem tugrese sunt, per ipsa demonstrantes opera sua, quod superioribus diebus non desisti dicens, quod eum virtute viuentem, neque fornax quidquam ledere poterit, tanto est animæ sapientia omnibus sublimior, & suauibus, & tristibus cunctis: nec enim in illis molleseit, nec ab his contrahitur, & humiliatur, sed per omnia manet æqualis, propriam fortitudinem, & vim exhibens. Quem enim non redargueisset præsentis temporis difficultas? proceres nostræ Reipublicæ in potentatibus existentes, diuitias meffabiles sortiti, qui multam apud regem licentiam habebant, domos deserentes orbas, omnes de propria salute consultabant. Et amicitia omnis, & cognatio redargubatur, & quos olim nouerant, in tempore calamitatis nos ignorare, & ab illis ignori optabant. Monachi verò, homines pauperes, pallio plùs nihil habentes vili, viuentes in rusticitate, nulli esse apparentes, in montibus, & saltibus versantes, velut quidam leones magno, & alto sensu prædicti, omnibus pausefactis, & trepidantibus in medio consistentes, malum dissoluere non multis diebus, sed breui temporis momento. Et sicut generosi athletæ non tantum aduersarios complexi, sed etiam vsi tantum, in oppositione, & vociferati aduersarios conuertunt: sic & hi die vnâ & descendentes, & dissertuerunt, & soluerunt calamitatem, & ad propria reuersi sunt tabernacula. Tanti est Philosophia à Christo introducta.

Idem. Hom. 17.

Multa de Fortitudine vide apud Loletium libro de Fortitudine Christiana, & Lacerda in Iudith. l. 32. 86. & Sainct Iure. L'Homme Spirituel. par. 1. c. 3. sect. 15. mihi p. 689.

D

FRANCISCVS.

Prop. Vnica. *Franciscus Christi plagis quàm fuerit condecoratus.*

Depinxit olim Apelles imaginem Alexandri, manu fulmen gestantis, quod quidem insigne Iouis erat: Iupiter autem apud eos Magnus Deus dicebatur, depinxit autè imaginem istam ita perfectè, vt ipsemet viuus Alexander videretur & ideo proloquium hoc in ore populi versabatur, Alexander Philippi nulla virtute superabilis, & Alexander Apellis nulla arte imitabilis. Idem mihi nunc dicere libet de Christo, qui non ab Apelle in tabula, sed à seipso in corpore S. Francisci seipsum delineare, & depingere voluit, se, inquam, eo modo, quo genus humanum vulneribus suis redimere voluit,

adeoque perfectè se magnus Deus noster in B. Francisco delineauit, vt merito dicere possimus: Christus in se nulla virtute superabilis & Christus in Francisco nulla arte imitabilis. Possunt enim Sancti virtutes Christi pro modulo suo imitari, effigiem verò vulnerum Christi, quibus se Dominus in Francisco depinxit; quis poterit imitari? Beneficium denique est, quod sciam, hactenus soli sancto Francisco concessum: alteri verò an concessum sit, non ita certum, & receptum est. Sed tamen, licèt imitari, seu similes esse in hoc sancto Francisco non possimus, nec in miraculis magnis eius, possumus saltem virtutes eius imitari, id magis expediens nobis est. Scio multos, si optio eis daretur, electuros potiùs miracula, sicut hic sanctus, patrare, relicta interim virtutum eius imitatione, relictis, inquam, sancto suis virtutibus, sibi miraculorum gloriam vsurparent, similes Simoni mago, qui Act. 8. emere volebat gratiam miraculorum S. Petri; virtutes verò S. Petri imitari non recordabatur, cùm hæ illi ad rem, & salutem suam, non virtutes miraculorum essent necessariæ. Ne igitur inuideamus B. Francisco vulnerum Christi beneficium, nec miracula illa multa, & ingentia, quæ faciebat, sed humilitatem profundam, paupertatis amorem eximium, patientiam inuincibilem, charitatem erga Deum, & proximos accensam, & reliquas animi perfectissimas virtutes, & speciatim orationis feruorem, & assiduitatem. Nam licèt ab omni esset mundi strepitu, & amore alienus, sæpe ad deserta loca se conferebat, vt Deo soli vacaret, & quidem, cùm iam multis retro annis se Deo dedicasset; tu verò in media Babylone constitutus sæculi bona semper amans, & quærens, inter laqueos sæculi irretitus, neceper hebdomadam te ab eis expedire curans, ad solitudinem aliquam te recipere curas, vt de salute animæ tuæ quietè agas.

A tiam, quæ ad inuicem loquuntur, offerunt, & promittunt homines, sed non existentia; sed sicut nux vana extra quidem plena, & sana videtur, intus verò putrida, & vana est; sic verba hominum foris quidem plena beneuolentiæ, & amoris, charitatisque plena dices, intus verò nihil minùs: *tienen palabras de complimento, mas no complimiento de palabras.* Vnde subdit: *Labia dolosa in corde, & corde loquuti sunt*: homines, inquit, sunt dupliciti corde, seu duplici facie, *como doblones de dos caras, hombres doblados de caras*: altera quidem à fronte, altera verò à tergo; cor alterum in pectore, alterum verò in ore habent. *hombres redomados.* Dolosi denique, vt ipsemet ait, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, sicut columba Noe ramum pacis in ore ferunt, bellum autem cruentum in corde.

Tales erât Phariseij, seu Phariseorum nuntij, Matt. 22. qui Domino, *Magister*, dicebant, *scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo.* Nota verba: Magistrum vocant, & tamen cæco dicendo illis: Nunquid & vos discipuli eius esse vultis? maledixerunt, dicentes: Tu discipulus eius sis, &c. *Viam*, aiunt, *Dei in veritate doces*, & etiam de illo dicebant, non, sed deducit turbas, & item: Seductor ille, &c. Quomodo hæc sibi constant: viam Dei in veritate doces, & seductor ille: illud coram, hoc verò clam in corde loquuti sunt.

B

Vtinam in Pharisæis finem acciperet vitium hoc, sed ab origine mundi initium habuit, & in omni loco locum inuenit, in lege naturæ, & eius initio inuenies Cain fratri dicentem: Egrediamur foras, ac si diceret: Gen. 4. Eamus frater, animi gratiâ in agrum, & sicut agnum ad victimam dúctum, immaniter occidit. Vide quæso animi gratiâ in agrum eductio? *La aparencia para crear el hecho por ramatar.*

In lege verò scripta habes Ioab, principem quidem militiæ, in hoc verò malitiæ, quod Amasam sic salutauit: Salue, mi frater, eumque amicorum more deosculabatur, & amplectebatur, sed inimici veri facto, secretò ei lethale influxit vulnus, & viscera profudit. Proh nefas! hoccine est fraternum opus? fratrem vocas, quem repentè imparatum occidis? illum amplecteris, cuius viscera in terram elidis? Ecce tibi mundi amplexus.

C

Quòd si in lege gratiæ huiusmodi exempla requiras, vnum pro mille, Iudæ traditoris sufficiat. *Aue, rabbi*, inquit, *Rabbi*. Ecce plus quàm Ioab hic: Aue, ais, & tradis ad mortem? magistrum vocas, quem triginta nummis vendidisti? oscularis, quem osculo tradis? *Quemcumque*, inquit, *osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Attende facta, considera verba, animaduerte intentionem, vide generis nostri labem, & perniciem: nec hospes ab hospite tutus, nec frater à fratre, nec pater Dauid à filio, nec Deus homo ab homine, & discipulo suo. Sic mundus in maligno positus est, & in dolo.

D

Quid de his dicemus? hoc solùm dicam, vt, qui saluos fieri se procurant, admoneam vitium hoc, & homines & Deum abominari; homines quidem nihil mirum: quis enim non horret, & abhorret seduci? Deo verò, Psalmista: *Virum*, inquit, *sanguinum & dolosum* Psal. 5. *abominabitur Dominus*, non ait, odio habet quomodocumque, sed abominatur, nec modò abominatur, sed grauiter puniet. *Viri sanguinum*, ait, *& dolosi non dimidiabunt dies suos.* Vbique virum sanguinum, & dolosum coniungit; qui enim dolosus fuerit, & vir sanguinum, crudelissimus scilicet, simul erit, vt in Cain, & in Ioab, & in Iuda notauimus modò. Dolosum ergo non dimidiaturum vitam asserit Deus; quia reliqua peccata solet iustitia humana punire, quod patentia sint; dolus autem peccatum est occultum, & Ecclesia non iudicat de occultis: sed ne delicta maneant impunita, iudicat iustus

FRAVS.

PROP. I. *Quàm commune malum sit fraus, & dolus inter homines & quàm inusitum Deo.*

2. *Fraus sæpe vtilis, imò & necessaria.*

3. *Quàm vituperabilis sit in homine fraus.*

PROP. I. *Quàm commune malum sit fraus, & dolus inter homines, & quàm inusitum Deo.*

DAuid, qui in medio mundi, & curiæ regalis constitutus, immaculatum se ab hoc sæculo custodire nitebatur; sic Psalm. 11. Deum affatus est: *Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum: vana loquuti sunt vnusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde, & corde loquuti sunt.* Apprimè ingenium expressit mundi, & primò *quoniam defecit sanctus, saluum me fac*, ac si dicat: totus mundus in maligno positus est; plenus enim est peccatorum, & ferè nullus in eo sanctus. *Con peccadores, y fin santos, myrad, con quien, para que le vaya bien.* Si Deus patienter peccantes, & iniquos tolerat, sanctorum, qui in mundo inter eos sunt, consortium est in causa; sicuti in Sodomorum causa, cum pro eis orabat Abraham, manifestum fuit: si enim decem ibi iusti reperti fuissent, tunc deleti non fuissent: quia ergo defecit sanctus, quid, nisi flumina cœli, possumus expectare? *Saluum igitur me fac Deus, quoniam defecit sanctus.* Quid vltrà? *Quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum.* Erant olim veritates, sed iam non, vt esse solebant, *estan menos caudas, y cercenadas como reales de plata*: illa illo pondere carent, quo antea constabant, imò quod peius est, *vana loquuti sunt vnusquisque ad proximum suum.* Habent quidem veri, & boni apparen-

Ps. 11. 1.

istud Deus; & dimidium vitæ tollit. non enim vitâ inter homines dignus, qui dolosè cum hominibus agit. Vis igitur vita pacificè potiri, ne prouoces dolo eum, cuius sunt exitus mortis.

Prop. II. *Fraus sæpè vtilis, imò & necessaria.*

FRaus ipsa non semper incommoda, sed pro eorum qui eam adhibent, animo atque consilio bonæ malæve rei nomen sortitur. Et paulò pòst: tam lucrosa tamque fructuosa esse solet opportuna ac recto animi iudicio facta fraus, vt permulti etiam pœnas sæpenumero luerint, hoc ipso quod rem fraude non egissent. Ac si exquirere velimus, quinam copiarum imperatores iam inde ab orbe condito claruêre; illorum trophæa bonâ ex parte comperiemus, impostura, ac fraudis facinora fuisse, eosdemque fatebimur maiore quidem laude dignos, quàm qui aperto marte victoriam de hostibus reportant. Hi enim magno cum sumptu tum pecuniarum tum corporum, sic bella conficiunt, vt ab ipsa etiam victoria nihil illis amplius accedat: quin potius victores cùm sint, nihilo tamen fecisse pari cum ijs, qui victi sunt, calamitate premuntur, tum copijs absumptis, tum ærario exhausto. Adhæc qui victi sunt, ne ipsos quidem victores patiuntur solidâ victoriæ gloria perfruì: cuius bona pars ad eos redit, qui cecidêre: vtpote qui animis victores, corporibus solùm inferiores fuerint: quibus itemsi per sua vota in bello non cadere licuisset, neque illis mortis interuentus dimicationi finem attulisset, nimirum alacritatis, magnanimitatisque sua ostendendæ modum fecissent nullum. At, qui fraude aliqua victoriam sibi parat, is, præterquam quod calamitatem, atque periculem hostibus affert, id etiam præstat, vt ceteris illi de se visum præbeant. Neque verò, vt illic fortitudinis, sic & hic prudentiæ laudem, gloriamque ex æquo vtrique reportant: verum integra victoriæ totius laus ad victores solos pertinet. Et paulò pòst: Neque foris tantùm ad militiam, sed etiam domi ad pacem non publicis modò ciuitatis, sed & priuatis vtilissimus quisque negotijs pertractandis, & marito aduersùs vxorem, & vxori aduersùs maritum, & patri in filium, & amico in amicum, addam etiam, & liberis in patrem, adeò huius vsum communem, necessariumque comperies. Neque enim filia Saul maritum suum alia ratione de Saul manibus eximere, quam circumuento, ac decepto patre, potuisset. Eâdem deinde homiliâ. paulò pòst.

Quòd id conducat, non circumuenientibus solùm, sed etiam circumuentis; ab vno aliquo ex medicis scisciteare, quenam illi in modum laborantes, morbo liberare soleant: certè ex ijs audies meram, nudamque artem ipsis non satis esse; sed & aliquoties ipsos impostura vti, cuius auxilio, cum arte medica connecto, ægrotantem sanitati priscinæ restituant. Etenim dum hinc ægrotantium morositas, hinc morbi difficultas medicorum auertatur consilium; tum coguntur illi fraudis, atque impostura personam induere, vt, quod in scena fieri solet, in qua fictis omnibus, & adumbratis loci pluribus est, verum, factorumque veritatem occultare possint. Atque hîc si placet dolum vnum explicabo ex multis, quem olim à medico fuisse structum audiui. Inciderat quidam in acrem, vehementemque febrim, idem, æstu febris indies gliscente augescenteque, remedia ea omnia auersabatur, quæ ad ardorem illum restinguendum facerent: ceterùm cùm desiderio ferretur, multusque esset in vrgendo, hortandisque omnibus ijs, qui ad ipsum introissent; id perpetuò agens vt multo vino, eoque meraco, sibi porrecto, exitiosam illam appetentiam extingueret: futurum quippe erat, vt si quis illi obsecundans, hâc in parte gratificatus fuisset, febris ardorem non solùm magis inflammaret, sed miserum etiam illum prorsus ad insaniam, furoremque adigeret. Hîc demum cùm ars ipsa effecta iam, atque exhausta nullum salutis remedium inueniret, in eius locum sese fraus insinuans, tantam exhibuit virium suarum efficaciam, quantam nos ex me auditurus es. Etenim medicus acceptum vas testaceum (id recens à fornace exierat) vino permulto immersit; quòd cùm vacuum, sed apprimè tinctum extraxisset, aquâ implet: tum iubet ægrotantis cubiculum tapetibus, ve-

A lisque vndique adumbrari, ne fraus ipsa lumine detegatur: „
hic testam ægroto propinat, quasi mero plenam: quàm ille „
manibus cùm needum apprehendisset, vim odore eius nares „
statim peruadente, non sustinuit curiosè indagare, quod sibi a „
medico porrigeretur: verùm eo odore persuasus, & tenebris „
deceptus, tum etiam appetitu rei desiderio victus, quod propinabatur, propensissimè hausit, ac satiatus febris æstum statim „
excussit, periculo eo, quod graue imminebat, liberatus. Et „
paulò pòst: Fraudis magna vis, modò ne fraudulento ea animo fiat: quam ipsam tum ne fraudem quidem nominandam „
putauerim, verùm œconomiam quamdam potius, ac sapientiam, artemque, quâ possis è medijs, iisque impeuijs desperatarum rerum angustijs difficultatibusque, correctis emendatisque „
animi vitijs, euadere.

Prop. III. *Quàm vituperabilis sit in homine fraus.*

B SAnctus Ambrosius lib. 3. Officior. cap 11. *Regula iustitiæ manifesta est, quòd à vero declinare non deceat virum bonum, nec dolo annectere quidquam, fraudisve componere.* Ita ille. Qui exemplis id confirmauit dicens: quid euidentius eo, quòd Ananias, quia defraudauit de pretio agri sui, quem ipse vendiderat, & portionem pretij, tanquam summæ totius numeri, ante pedes Apostolorum posuit, sicut reus fraudis interijt? licuit itaque illi nihil offerre, & hoc sine fraude fecisse, sed quia fraudem admiscuit, non liberalitatis gratiam reportauit, sed fallaciæ pœnam exoluit. Et Dominus in Euangelio cum dolo accedentes repudiauit, dicens: *vulpes foueas habent, quoniam in simplicitate cordis nos viuere iubet.* Dauid quoque ait: *Sicut nouacula acuta, fecisti dolum*, nequitiæ arguens proditorem. Ita Sanct. Ambros. loquitur autem Dauid ibi de Doeg qui apud Saulem prodidit Dauidem & Abimelech Sacerdotem; in exemplo autem Ananiæ idem Petrus Apostolus causam tantæ pœnæ indicauit Actor. 5. dicens, C mentitum illum fuisse Spiritui sancto. Vide locum. Imitantur autem huiusmodi fraudulenti diabolum, qui primam fraudem ad primos homines perdendos, adinuenit, dicens: *Nequaquam moriemini*, &c. quare meritò fraudatores & dolosi, filij diaboli possunt nuncupari.

Ambros.

Matt. 8. 20.

D auid. Ps. 51. 4.

Actor 5.

Gen. 3. 4.

FVRTVM.

Prop. I *Quàm commune vitium sit furtum.*
2. *Quàm iniusum Deo peccatum sit furtum.*

Prop. I. *Quàm commune vitium sit furtum.*

NOn eos solùm Iatrones existimemus qui noctu homines spoliant, vel domos secretò introcuntes, supellectilia inde furantur, vel iter agentes inuadunt, & expilant; sunt præter istos plures, qui intra mœnia ciuitatis se continentes, & in propria domo consistentes, fures sunt, & latrones de quibus sic Psalmista: *Non defecit de plateis eius vsura, & dolus.* Agit Propheta hîc de ciuitate, in qua multi peccatores, & iniusti commorantur. Die (inquit) & nocte *circumdabit eam super muros eius iniquitas.* super muros quidem custodes, & vigiles ciuitatis conscendere solent, *en las garitas de los muros, velandas centinelas, y postas.* Ibi autem ait, iniquitatem esse, quia sæpe hi, qui munus iustitiæ obeunt, iniustitiam perpetrare solent: sicuti etiam Salomon dicebat: *Vidi sub sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatem.* Quòd si iudices, & ministri iustitiæ iniusti fuerint, quid de reliquis de media plebe sperandum restat? Subdit Dauid: *Non defecit de plateis eius vsura, & dolus.* Qui autem vsurâ, & dolo pro-

Ps. 54. 12.

Ibid. 11.

Eccl. 3. 16.

proximos spoliat, quo nomine dignus erit? nónne hunc latronem ore pleno vocabis?

Refert Plutarch. in Alexandro, *quòd, cùm pirata quidam ad Alexandrum Magnum deductus fuisset, rogatusque esset, cur auderet infestare maria, sic respondit: Ego, quia id vnica nauicula facio, pirata vocor, & cùm tu, Alexander, idem facias magna classe, rex appellaris. Alexander hominis animum tam intrepidum admiratus, donauit illum vitâ.* Ita Plutarch.

PROP. II. *Quàm inuisum Deo peccatum sit furtum.*

Leuit. 11. LEuit. 11. aues rapaces Deus immundas haberi
Theodor. voluit, vt aquilam (quantumuis auium regina dicatur) & herodium & miluum, &c. Cur ita? Theodor. q. 11. in Leuit. erudit nos Deus vt ab auaritia nos abstineamus. Ita ille. Immundi ergo in conspectu Domini sunt auari, maximè fures. Vnde Apostol. 1. Co-
Vers 10. rinth. 6. speciatim de his ait: *rapaces regnum Dei non possidebunt.*

Matt. 25. 42. Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, quia esurijui, & non, &c.* S. Ioannes Damascen. serm. de vltimo iudicio: *Si cum diabolo condemnatur qui pauperi non dederit, vtique damnandus est qui tulerit alienum; si in ignem mittitur, qui nudum non vestiuit, vtiq; damnandus est qui expoliauit.* Ita ille.

GAVDIVM.

PROP. 1. *Gaudium in Domino est collocandum.*
2. *Gaudium spirituale comes virtutis est.*
3. *Lætitia spiritualis ad perfectius Dei obsequium conducit.*
4. *Quàm præstantius gaudium spirituale gaudijs mundi sit.*
5. *Impossibile est secundùm Deum, & simul secundùm mundum gaudere.*
6. *Verum gaudium non reperitur in bonis mundi.*
7. *Gaudium mundi detestabile est.*
8. *Quàm debile & infirmum sit gaudium peccatorum.*
9. *Gaudium peccatorum ex eorum opinione & errore procedit.*
10. *Gaudium Mundi quàm citò euanescat.*
11. *Omnia gaudia mundi tristitiam secum ferunt.*

PROP. I. *Gaudium in Domino est collocandum.*

Psal 9.3.  Salm. 9. sic ad Dominum Dauid; *lætabor & exultabo in te. In te* ait, non in gloria regni mei, non in fortitudine mea, quâ leonem & vrsum & gigantem Philisthæum interfeci, non in victorijs, quas de hostibus reportaui, & reportauero, non in diuitijs & reliquis bonis, quæ ad huius mundi felicitatem spectant, sed in te Domine. quid est in Domino
S. Basil. delectari? S. Basil. ibi, *quòd talem habeam Dominum, id mihi gaudio, & voluptati est, in hoc exulto.* Ita ille. Adde, quia in te æterna spero, quia tu regis me, quia tibi ex corde seruio, quia tu creator meus, & redemptor meus, & glorificator meus es, quia omnipotentem, & omnisapientem, & infinitè bonum te considero & infinitè gloriosum.

Psal. 76.3. Vnde, cùm in quadam tribulatione constitutus Dauid consolari optaret in Psal. 76. *Renuit* (inquit) *consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Si consolari volebat, quomodo ait: *Renuit consolari anima mea?* S. Basil. in eod. Psal. 76. *Renuit* (inquit) *consolari anima mea, id est, omnem consolationis occasionem abiecit: solam autem Dei mei recordationem, refocillationis loco habui.* Ita ille. Et Sanct. August. ibidem: *clausit contra se humanam consolationem; sed vnde respiratio? Memor* (inquit) *fui Dei, & delectatus sum.* Ita Sanct. August. Etenim Regi Dauidi non defuissent humanæ consolationes, musicæ
August.

A nempe, ludorum & venationum, &c. sed renuit sic consolari, qui lætari & exultare in Deo solitus erat. Quid autem efficiat huiusmodi gaudium in Domino, exposuit S. Basil. in supradicto loco Psl. 9. dicens: *Quis namque in Deo, vt par est, lætatur, omnem voluptatem abijcit secularem.* Ita S. Basil.
S. Basil.

ADDITIO.

SAnct. Chrysostomus exponens illa verba D. Pauli. Gaudere in Domino semper, aperit fontem omnis gaudij, his verbis:
S. Chrys. ad Hebr. 16.

*Scimus multis videri, non posse fieri quod dictum est. Quomodo namque fieri potest, inquit, vt qui homo est semper gaudeat? Gaudere namque non difficile, continuè verò gaudere, & impossibile mihi esse videtur. Forte ipsis dicet: Multæ nos tristitiæ necessariò circumcurrant: vel enim filium quis amittat, vel vxorem, vel amicum syncerum, omni consanguineo magis necessarium, vel pecuniarum passus est malitam, vel in agritudinem incidit, vel aliarum rerum sustinuit iacturam, vel præter dignitatem, contumeliam passus, indoluit, vel fames, vel pestis, vel exactio ferri non potest, vel familiaria negotia. Quomodo igitur, inquit, possibile semper gaudere? possibile admodum homo; & si possibile non esset, non admonuisset Paulus, nec consuluisset. Et paulò post: Voluptatem quærunt, & gaudere cupiunt omnes, & propter hoc omnia faciunt & dicunt, & negotiantur. Etenim mercator propter hoc naugat, vt pecunias congreget: congregat autem pecunias vt habens repositas gaudeat: & exercitus ductitans propterea tractat arma, & agricola propterea terram colit, & artem quisque suam propterea tractat: & dominationis cupidi ideo cupiunt, vt gloriâ fruantur: gloriâ verò frui volunt, vt gaudeant. Et negotium quod-que ad hunc finem nobis tendere videtis. Et ad hoc quisque respiciens, per multa media ad ipsum ire festinat. Latitiam quippe, quod dixi, omnes, assequi verò non omnes possunt. Nesciunt enim viam eò tendentem. Sed multi putant quod diuitijs affluere huius sit causa. Si hæc autem causa fuisset, nunquam pecunias possidentium vnquam fuisset dolore pressus: nunc verò diuitum multi vitam non vitalem esse putant, & immensis mortes exoptant, cùm aliquam aduersitatem senserint, & hi maximè sunt vehementer dolentes. Et paulò post: Aliqui putant, quòd bona valetudo sit voluptatis causa: non sic autem: multi namque bene valentes, & ipsi millies mori optauerunt, illatas sibi non ferentes iniurias. Alij rursus gloria potiri, & imperio insigniri esse, & magistratus administrare, & à multis adulationibus demulceri, continuæ lætitiæ causam esse dicunt: sed nec ipsud est. Et quid dico alios magistratu? ipse enim ad ipsum regnum mente ascendamus, in illo quoque-nientem multis circumuentum molestijs inuenimus: & tanto plures tristitiæ necessitates habentem, quanto maiori quoque rerum fastu circumdatus est. Et quid opus est bella, pugnasque commemorare, & Barbarorum insultus? ipsos sæpe timent qui secum domi conuersantur. Etenim regum multi hostiles elapsi manus, corporis sui exitiosum insidias non effugerunt. Tot verò regibus tristitiæ necessitates sunt, quot mari vndæ. Cum igitur nec regnum vitam sine tristitia reddere possit, quid aliud hoc præstare potest? Humanorum quidem nihil sed solum Pauli verbum, breue quidem id, sed altum nobis bonæ aperiet thesaurum. Non enim multis opus est sermonibus, nec longo circuitu; sed si solum dictum cognouimus, viam ad hoc ferentem inuenimus: nec enim simpliciter dixit: gaudete semper, sed addidit continuæ voluptatis causam, cum dixit: gaudete in domino semper. In Domino gaudens, ex accidente nullo voluptate hac excidere potest. Alia nempe cuncta, in quibus gaudemus, mutabilia sunt, & transitu facilia, & facile euertuntur. nec hoc solum habent molestum, sed etiam quod manentia non tantam nobis afferunt voluptatem, vt ex alijs nascentem tristitiam repellant, & obumbrent. Dei verò timor hæc habet vtraque, stabilis est immotusque, & tantâ immittit lætitiam, vt nullus nos aliorum sensus malorum capiat. Deum enim, sicut oportet, timens, & in ipso confidens voluptatis radicem lucratus est, & omnem habet lætitiæ fonteum. Et sicut in mare decidens

„ decidens immensum scintilla brevis, facilè deletur; sic quan-
„ tacumque bonum timenti illidantur, velut in vastum lætitiæ
„ pelagus mala desinant, extinguuntur, atque perduntur. Et revera
„ hoc est maximè mirabile, quòd cum adsint quæ contristare so-
„ lent, permaneat ipse gaudens. Si nihil enim adesset tristificum,
„ non esset ipsi magnum semper posse gaudere. Multis autem
„ incumbent bus, quæ in tristitiam impellant, omnibus esse
„ superiorem, & in medijs tristibus lætari, hoc est admi-
„ rabile.

PROP. II. *Gaudium spirituale comes virtutis est.*

VErum est, Israelitas pluribus ærumnis afflictos fuisse, cùm per vastam, ac desertâ illam solitudinem iter facerent, etsi sæpe tamen afflicti, eorum profectò animi cœlesti quodam solatio, ac leuamine erecti, atque excitati fuerunt. Deus enim nubem illis interdiu concelit, quâ nimios solis æstus euitarent, no- B ctu verò columnam igneam, quæ luce splendoreque suo, viam, quâ illis esset pergendum, ostenderet. Ac tandem suauissimum cibum, quo ipsorum corpora alerentur, ac recrearentur simul, cælitus demisit, cuius cibi suauitatem, atque præstantiam sapienter sapiens ille Salomon explicuit: *Angelorum* (inquit) *esca nutristi populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti eis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Cuius rei causam, ac rationē præmi-
21 sit Salomon, dicens: *Dulcedinem tuam in filios ostendebas.* Animaduertite dulcissimi Dei in suos indulgentiam: panem illis elargitur, non hominum, sed Angelorum, sine aliquo eorum labore, ac denique omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Quibus panis, quo quotidie vescimur, nocumentum attulit, si debitè sumitur? Eodem etiam modo in spirituali negotio se Deus gerit cum ijs, qui eum imitatione sequuntur: quamuis enim illos pœ- C nis, ac laboribus afficiat aliquando, tamen cœlesti illos hilaritate recreat, maximaque iucunditate perfundit.

De hac iustorum lætitia regius Vates loquebatur, 20. cùm ait: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* Cùm rem aliquam verbis augere volumus, hoc vtimur loquendi modo: Quàm pulchra res! quàm præclara ratio! atque ita verba faciens idem Dauid de dignitate tabernaculorum Dei, 83. sic inquit: *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum,* & vt verbis augeret diuinorum operum præstantiam, atque excellentiam, ait: *Quàm magnificata sunt opera tua,* 91. *Domine.* Ad expendendam verò diuinæ bonitatis magnitudinem: *Quàm bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde!* Ac denique ad maximam Dei misericordiam explicandam, tandem quasi admirationis vocem vsurpat 71. Ecclesiasticus, dicens: *Quàm magna misericordia Domini!* 17. sic etiam, vt modò Vates ille sanctissimus magnitudinem gaudiorum ac voluptatum, quibus perfruuntur D 2.20. iusti, aliquo modo explicaret, ait: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te!* Neque satis esse duxit, si diceret: Quàm magna dulcedo, vel quàm multa dulcedo, sed vtramque vocem coniungens, ait: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ!* seu, vt D. Augustinus legit: *Quàm multa multitudo dulcedinis tuæ!* &c. Laborat enim Propheta (vt rectè D. Bernardus in fest. Omn. sanct. sermone 2. ait) inculcans, & multiplicans verba, nec tamen sic dignè magnificare valens quod vult, quantum versetur discrimen inter bonorum, & perditorum hominum voluptates. Existimant hi nihil esse iucundum, aut delectabile, nisi illud gaudium, quod ex labentium rerum delicijs proficiscitur, sed falluntur sanè, cùm eorum lætitia ab illa, qua virtutis amatores efficiuntur, longè lateque superetur. quod A vt clarius perspiciatur, huius deliciosæ lætitiæ causas inuestigemus.

Prima igitur est, recta proborum hominum conscientia; sanctusque ita Spiritus inquit: *Fili, custodi legem,* Prou. 3. *atque consilium, & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus* 21. *tuis, tunc ambulabis fiduciaiter in via tua, & pes tuus non impinget, si dormieris, non timebis, quiesces & suauis erit somnus tuus.* Quid est gratia faucibus? D. Hieron. sic ait ibidem: Quantò solertiùs quisque Dei obtemperat iussis, tantò dulciùs eius amorem concipit. Munus est præclaræ conscientiæ, gustum animæ dulcem, ac suauem reddere. Magnæ siquidem iucunditatis est, à conscientia minimè reprehendi: quare rectè subdit: *Si dormieris, non timebis, quiesces, & suauis erit somnus tuus.* Et infert D. Hieron. In hunc modum patet iuxta litteram, quia securus & dormit, & vigilat, & quiescit, & ambulat, qui se innocenter ante Deum, & iustè viuere meminit. Quamobrem meritò Ecclesiastes sic iustum alloquitur: *Vade, & comede in lætitia panem tuum, & bibe in* Eccl. 9. 7. *gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.* Tantopere conscientia optimæ mentis iustos consolatur, vt D. Paulus in ea gloriam, ac lætitiam suam sitam esse putauerit: *Gloria nostra,* (inquit) *hæc est testimonium con-* 2. Cor. 1. *scientiæ nostræ.* Contrà verò scelerum conscientia adeo 12. vexat impios, (sublato etiam suppliciorum metu) adeoque illius stimuli pungunt, ac cruciant eosdem, vt ex ea horribiles existant impijs formidines, ac terrores. Vt enim rex ille, quem sacræ litteræ describunt, ex altera parte diuitijs, hortorumque amœnitate vtebatur, ex altera autem vehementissimo dolore pedum laborabat; sic etiam scelerati homines, quamuis aliqua ex parte delicijs se dedant, voluptatibusque fruantur; maiori tamen ex parte, magna sollicitudine vexantur, angore conscientiæ, sceleremque furijs vehementer exagitati. At præclara iustorum conscientia eximio gaudio, ac voluptate ipsorum animos cumulat, vt modò dicebam. Hæc igitur conscientiæ securitas prima ratio est magnæ illius lætitiæ, quâ iustorum mentes exultant.

Secunda verò nascitur ex magna spe, quæ illos tenet salutis ac beatitudinis. Quamuis enim de ea salute non possit in hac vita vsquequaque haberi certitudo, absque diuino afflatu; spe tamen, quæ in bona conscientia, ac rectè factis innititur, eorum animi erecti in maximam futuræ gloriæ expectationem inducuntur, eâque mirificè recreantur, vt D. Paulus scribit, *Gloria-* Rom. 5. 2. *mur* (inquit) *in spe gloriæ filiorum Dei.* Ex hoc videlicet (vt bene interpretatur D. Thomas) quòd speramus, nos adepturos gloriam filiorum Dei. Quæ quidem spes maximam affert cordi iucunditatem, illudque in quibusuis suis laboribus constitutum summopere delectat. Ea enim futuræ gloriæ expectatione delectabantur omnes Christi martyres, cùm à tortoribus atrociter, & inhumaniter torquebantur: è contrario autem mortis, æternæque damnationis timor ita sceleratorum animos conficit, ita agitat, atque excruciat, vt nullis illos gaudijs, quietè ac tranquillè perfrui patiatur.

Tertia autem radix, atque origo, ex qua tanta iustorum lætitia emanat, familiaritas quædam est, ac consuetudo, quæ inter eos, & ipsum Deum intercedit. In ea enim cumulatissimis solent illi gaudijs affluere, vt venustè sponsa testatur, cùm ait: *Introduxit me rex in cel-* Cant. 2. 4. *lam vinariam, ordinauit in me charitatem.* In quem locum ita D. Ambrosius loquitur: quàm citò guttur meum dulcedinem gratiæ eius attigit, ita me recreatam spiritu, & ab amore terrenorum in superna translatam sentio, ac si in cellam vinariam introducta sim, noui meri odore, & poculo refecta. Nec immeritò hæc delectatio cum vini delectatione comparatur, cuius vis, & natura ea est, vt, si multum aut immoderatè potetur, ebrietatem, & à sensibus alienationem inferat.

Sed quoties suauitas, quâ illi qui Deo vacant, recreantur, eò peruenit, vt eos tactus, gustus, & alterius cuiuscumque sensus vsu priuauerit, & multi iam copiosas à Deo, eximiasque consolationes acceperint, vt aliquis eorum illis mirificè abundans, ad Deum sæpe clamaret: *Satis est Domine, satis est.*

Dicant igitur, qui huiusmodi delicijs affluunt, & omni se voluptatum generi dederint, quandonam eas voluptates præ nimia earum iucunditate à se moueri petierint? nunquam sanè. Non enim illæ animum, cordisve secessum dulcedine, vel suauitate delectant. *Oseæ 2. 14.* *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor* (inquit Deus) sed quid sibi vult dicens; *Loquar ad cor.* D. Hieronymus *Vers. 1.* ibi, & in idem Isaiæ 40. *Consolamini, consolamini populus meus. Loquimini ad cor Ierusalem*, ait, loqui ad cor esse blandis verbis consolari. Dicitur autem hoc loqui *ad cor*, quia solatium, ac leuamen cordis, consolationemque affert; mundus verò sensibus dumtaxat externis recreat suos. Quare hæc, quæ extra apparent, si B desint, in mœrorem, tristitiamque improbos incidere necesse est. Extrema enim gaudij sui luctus occupat, nec mundus illis loquitur ad cor, quemadmodum Deus se iustis locuturum esse dicit.

Multæ aliæ spiritualium voluptatum causæ possent afferri, præsertim illa, quam hi, qui cælesti sese pabulo reficiunt, augustissimum Eucharistiæ sacramentum sumentes, experiuntur, sed consultò illas prætermitto, vt longiorem de illis sermonem alibi possim habere.

At laboribus, atque ærumnis potiùs, quàm gaudijs, vel delicijs iustos videmus cumulari: ad illa enim perferenda à Christo Domino inuitantur: *Qui vult* (inquit) *Matt. 26. 24.* *venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Sanctus item Apostolus Paulus ait: *Ad Gal. 5. 24.* *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs suis.* Quàm ergo voluptatem capere possint hi, qui crucifixi sunt? Rectè hos alloquitur D. Bernordus: *Vident cruces nostras, sed non consolationes nostras.* C Quod etiam priùs dixerat Propheta in illo psalmo supra à nobis adducto: *Quam magna multitudo dulcedinis* *Ps 30.20.* *tuæ, quam abscondisti timentibus te.* Symmachus, & Aquila vertunt: *Quàm repositam occultasti timentibus te.* D. Gregor. hom. 5. in Ezech. affirmat, Dauidem experimento didicisse hanc multam, & magnam suauitatem, quam præparauit Deus in cœlo diligentibus seu timentibus se. sed non modò in cœlo, verùm in hoc vitæ curriculo, mira illos suauitate, ac iucunditate lætificat, cùm ipsis etiam doloribus, ac pœnis vexantur, & in aspera, ac vasta solitudine lautum illis epulum parat suauissimumque cibum largitur. Quis non putaret, panem illum subcinericium Eliæ à Deo demissum, asperum, ac durum fuisse? sed tam miræ virtutis extitit, vt vim Eliæ dederit vt quadraginta diebus totidemque noctibus, ad montem Dei Horeb posset peruenire. *Iean. 6.* Quis etiam existimaret, conuiuium illud quinque panum, & duorum piscium, tantam dulcedinem, ac iucunditatem vescentibus allaturum, vt voluerint hi Christum Dominum, quòd tam lautum, tamque suaue epulum ipsis dederat, regem constituere? Hac ergo ratione pijssimus Deus, non solùm necessaria iustis suppeditat, sed ea magna cum suauitate, ac iucunditate permiscet.

Virtutis semitam intrare trepidant multi, quia laboribus respersam intuentur: labor enim magnus est semper cum dæmone præliari, cum mundo, & affectibus proprijs: denique ipsa mandatorum Dei obseruatio maximis est laboribus, difficultatibusque referta. Sit ita: at labores huiusmodi maiora pariunt gaudia, quàm sint ea quæ habent qui mundi voluptatibus fruuntur, immo peccatores, qui maximè delicias consectantur, spinarum, & tribulorum aculeos experiuntur *Prou. 14. 13.* acerbos: *nam extrema gaudij luctus occupat.* Agitationes A tautorum aspexisti, & cùm noctu in domum redis, noctem in corde ducis. *Bolueys con el coraçon hecho, vna noche de melancholia.* Audiuisti tragœdiam læto animo, sed eâ finitâ, versum est in luctum gaudium, remordente conscientia ob temporis amissionem, & vulnera inde deducta: at qui virtuti operam dedit, quamuis labores inde subierit, hilari incedit vultu.

Ieremiæ 2. *Obstupescite cœli super hoc, & porte eius deso-* *Ier. 2. 12.* *lamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Vehemens obiurgatio, sed iusta, & adeo iusta, vt cœli stuporem super hoc negotio, meritò requirat. Quid igitur hoc? quærunt homines gaudium. *Todos andan en busca del contento, y dizen: contentamiento do estais?* & duo mala hîc homines incurrunt, primum, quòd cum Deus fons viuus gaudij, ac voluptatis sit, ipsum derelinquunt: secundùm, quòd creaturas Deo in hac re anteponentes, in ipsis gaudium à Deo exigendum, requirunt. Et quidem respondet illis nequitia sua: nam creaturæ quæcumque cisternæ dissipatæ sunt, quæ continere non possunt gaudium. Desiderauit ille Episcopatum, in eo quietem ac lætitiam sibi promittens: accepit, & initio quidem nescio quas lætitiæ primitias inuenit; at tractu temporis, non gaudium, sed mœrorem offendit, & animæ angustias multas. Idem etiam de alijs mundi bonis dicendum, cisternæ sunt, quæ aquas gaudij retinere non valent, &c.

Huius rei experimentum habes apud Regem illum Antiochum, de quo 1. Machabæorum 6. accepit ille regnum, & iucundari cœpit, sed rebus non semper, vt optabat, succedentibus, incidit in languorem præ tristitia (ait sacra historia) & dixit: *In quantam* *1. Mach. 6.* *tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua* *nunc sum: qui iucundus eram, & dilectus in potestate mea:* *ecce pereo tristitiâ magnâ in terra alienâ, & mortuus est* *rex.* Nónne regnum huiusmodi cisternam dissipatam D dices?

Quid igitur nobis agendum? Deum quære, & omnia, quæ vales desiderare, reperies: ipse quippe fons omnium bonorum est, imò omne bonum ipsum per essentiam: si satietatem desideras, ille est satietas ipsa; si lætitiam, est lætitia ipsa; si dulcedinem, est dulcedo ipsa; si diuitias, est thesaurus infinitus, si beatitudinem, est beatitudo ipsa, ipse bona cuncta per essentiam, reliqua per participationem. Riuulos ergo dimitte, fontem quære. Vide Additionem ex Chrys. ad prop. præced.

Sanctus Chrysostomus homil. 18. ad populum. *Si* *Chrysost.* *aliquis, nihil in se damnandum habens, sed bonâ spem* *conscientiâ, & ad futura anhelans, spectat ausillam beatam* *spem; quid hunc, quæso, in tristitiam inducere poterit? nam* *mors omnibus rebus intolerabilior esse videtur; sed huius expe-* *ctatio non tantùm ipsum non contristat, verum potius dele-* *ctat. Nouit enim, quòd mortis præsentia, laborum est liberatiu,* *& ad coronas cursus, & esse brauia proposita pugnantibus pro* *virtute. Sed est filiorum acerba mors, sed & hoc generosi* *feret, & ducit verba Iob:* Dominus dedit, Dominus ab- *Iob 1. 21.* *stulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen* Domini benedictum. *Si verò filiorum mors, ipsum contri-* *stare non potest, multò minùs pecuniarum iactura, accusatio-* *nes, & calumniæ; tam magnum & generosum animum tan-* *gere possent. Sed neque corporis dolor, quoniam & Apostoli* *Act. flagellabantur, sed non dolebant, magnum quidem hoc, sed* *maius multò est, quòd non tantùm non dolebant, sed quòd* *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam & gni habiti sunt* *pro nomine Iesu contumeliam pati; & ita flagella maiorem* *materiam faciebant voluptatis. Contumelia autem, & contu-* *tio quis talem affecit; sed à Christo gaudere institutus est in* *contumelijs.* Gaudete, inquit, & exultate de omni verbo *Matth. 5. 12. Luc. 6. 23.* malo, quod dixerint contra vos homines mentientes propter me; quoniam merces vestra multa est in cœlis. *Verùm in morbum incidit, sed audiuit alium dicentem:* *In morbo*

In morbo, & paupertate in ipso consi-
dias; quoniam, sicut in
igne probatur aurum, sic homines acceptabiles in for-
1.2.2. *nace humiliationis. Cùm igitur neque mors, neque pecu-*
niarum iactura, neque filiorum obitus, neque accusationes, &
calumniæ, neque agritudo, neque conuitium, neque aliud hu-
iusmodi ipsum contristare possit, verùm & magis delectet,
quàm vnquam tristitiæ materiam habeb.t. Quid igitur, in-
quies, Sancti non dolebant? Non audis Paulum dicentem:
1.9.1. Tristitia mihi magna est, & indefinens dolor corditi
meo; sed hoc ipsum admirabile est, quod tristitia lucrum, &
ex lucro voluptatem ferebat. Non solùm mundi tristitia, ve-
rùm & mundi lætitia damnum habet extremum; in spiritua-
libus verò, non lætitia tantùm, verùm & tristitia multum
habet bonorum thesaurum: verbi gratiâ, gaudet quis in mun-
do sæpè inimicum laborantem videns, sed per hanc lætitiam
multam sibi attrahit pœnam: dolet alius lapsu fratris, sed pro-
pter hanc tristitiam multam sibi apud Deum comparat bene-
4. 9. *uolentiam, vti affirmat ipsemet Deus per Ezechielem, dum im-*
perat dari signum in facie dolentium, gementium scilicet,
super ijs quæ gerebantur. Vides quomodo secundum Deum
tristitia melior, & vtilior sit, quam mundi lætitia? sic ergo
Paulus tristabatur propter peccantes, ex qua tristitia multam
sibi mercedem repositam habet luctus. Præterea sæpe nouit do-
lentes animas reparare; multæ quippe mulieres charis amissis
filijs, si lugere prohiberentur, & conqueri, disrumperentur, &
pereirent; lugendo verò relenantur, & consolationem accipiunt.
Et quid mirum si in mulieribus hoc, cùm & in Propheta quis
2.4. *videre id possit? Recedite à me, ait, amarè flebo; nolite*
incumbere, vt consolemini me super vastitate filiæ popu-
li mei. Sæpè igitur lætitia consolationem affert; si autem
in rebus mundi, multò magis in spiritualibus. propterea dicit
7.7. *Paulus:* Secundùm Deum tristitia pœnitentiam in sa-
lutem stabilem operatur, hoc est, si de pecuniis fueris tri-
status, nihil profecisti, si in ægritudine nihil lucratus es, imò
eam magis exacerbasti: vnde multi se accusantes, dicunt, quæ
vtilitas quòd dolui, neque pecuniæ recuperauo, & meipsum
lasi. Si verò de peccato tristeris, peccatum deleti, & maxi-
mam lucratus es voluptatem. Denique sicut arborum radices,
ipsæ quidem sunt amaræ, iucundissimos autem nobis fructus
ferunt; sic secundum Deum tristitia, multam nobis affert
voluptatem. Norunt, qui sæpè cum dolore orauerunt, & lacry-
mas effuderunt, quantam sint lucrati lætitiam, quomodo con-
scientiam expurgauerit, quomodo exuti exerunt cum bona spe:
non enim rerum natura, vt dixi, sed mens nostra nos lætificare,
vel contristare consueuit. Si ergo hanc talem reddamus, qua-
lem esse decet, omnis lætitiæ pignus habebimus. Sicut enim cor-
pus, non tantum aeris natura, aut exteriora incursus, quan-
tum propria dispositio lædit, aduuatque; sic & in anima, &
multò magis: hic enim naturæ necessitas est, illic verò totum in
voluntate situm est. Propterea Paulus innumera mala passus,
naufragia, bella, persecutiones, insidias, latronum incursus, &
quæ nec oratione commemorare licet, & quotidianas mortes.
morientes, non tantum non dolebat, nec indignabatur; verùm &
1. *gloriabatur, & gaudebat, dicens:* Gaudeo in passionibus
5.3. *meis. Et iterum ad Romanos:* Non tantùm autem, verùm
& gloriamur in tribulationibus, gloriatio verò voluptatis
est intentio. Si lætitiam itaque cupis, non pecuniam, non mundi
gloriam, non corporis sanitatem, non potentiam, non delicias;
non lautam mensam, non sericas vestes, non domos splendidas,
agrosve pretiosos sectetis, sed sapientiam, quæ secundùm Deum
est, tracta, & virtutem apprehende, & nihil eorum, quæ sunt,
aut expectabantur, te poterunt contristare. quid, inquam, con-
tristari; additio tibi fiet voluptatis id, quod alios contristare
solet: nos enim miseros nemo facere potest, nisi nos ipsi. Meritò
4.4. *igitur S. Paulus,* Gaudete, *inquit,* in Domino semper, ite-
rum dico, gaudete. Hæc S. Chrysost.

Idem Sanctus Chrysost. hom. 54. ad popul. Illam ergo
quæ lætitiam, quæ ex nulla re corporali principium habet,
1.4.4. *sed ex spiritualibus, de qua Paulus ait:* Gaudete in Domino
semper: *spiritualia enim sunt, quæ veram efficiunt lætitiam:*
mundi enim lætitia nomen tantùm lætitiæ habet, cùm in eo
omnia tristia sint. Quantam habet tristitiam superbus, quo-

A *modo cruciatur, dum extollitur, innumeras sibi contumelias in-*
ferens, multum odij, multum inimicitiæ, inuidiæ multum.
quod si à maioribus contemnatur, dolet, si non super omnes in-
surgat, roditur: humilis autem est in magna voluptate, hono-
rem expectans à nemine. Si fortasse quidem honoretur, gaudet;
si verò non honoretur, non dolet: gratum enim habet, quòd ho-
noratus non fuerit, ipsum autem nemo assert contumeliâ. illic
autem contrarium, quærit honorem, & non honoratur: non
autem æqualiter honore lætatur, & qui quærit eum, & qui
non quærit; ille, quantuncumque ceperit, se nihil accepisse
censet, hic verò, si parum exhibueris, quasi totum acceperit,
suscipit.

Rursum qui delicijs vacat, innumeras habet molestias, licèt
de facili, & tanquam ex fontibus ipsi prouentus affluant ex
delicijs, nascentia patitur mala, & futurorum incertitudi-
nem: hic autem in securitate, & voluptate semper est, qui
victus tenuitati semetipsum assuefecit, non ita se miserum vo-
cat, quòd opiparæ mensæ participes non sit, sicut gaudet futu-
rorum non metuens incertitudinem. Ex delicijs verò quanta
sint mala, nemo nescit: nunc autem dicimus, quòd duplex ani-
mæ bellum, & corporis duplex tempestas, duplex & moribus, &
insanabiles, & magnas afferens calamitates: sed non tale
quid est tenuitas, sed duplex sanitas, duplex bonum. Somnus *Eccl 31.*
sanitatis, inquit, in homine parco: nam mensura semper 24.
est desiderabilis, immodestia verò nequaquam: modicæ scin- *Simile.*
tillæ multam lignorum pyram superpone, iam non ardentem
videbis ignem, sed insuauem fumum; vino magno, & forti
omnis impone vires excedens & sub onere statim enim videbis
proiectum, & iacentem: multum onus ingere naui, & graue
facies naufragium; sic etiam delicæ nimiæ nocent, & agritu-
dines ac febres inducunt.

At, inquies, cernere licet delicijs vacantes, qui super
equis vehuntur, bene valere, imò pedibus dolentes, vehiculis
gestantur, & compeditos videbis. Da mihi hominem semper se
pinguem facientem, sine dolore iacentem, licèt innumera con-
curtat medicorum multitudo, ab agritudinibus hunc liberare
non poterit: neque enim ita se habet rei natura. An non au-
distis, & medicos dicentes: Egestas sanitatis est mater?
Denique sicut hostibus vrbem subeuntibus, & obsidione facta,
& perturbatione multus efficitur tumultus: ita sit & in anima
subrepente vino cum delicijs. Cui væ? cui tumultus? cui mole-
stiæ? cui contentiones & rumores? cuius oculi lividi, nonne
vino indulgentibus? Hos igitur beatos vocare desinamus in
his, in quibus miseros vocare decebat, & mediocritatem diligamus. Ita Sanct. Chrysostom. ex quibus concludere licet; gaudium, & hilaritatem cordis, quàm hominis tantopere quærunt, non in delicijs, & bonis corporalibus quærendam esse, sed in Deo, & eius seruitio, & obsequio: in quo sancti quæ fierunt, & inuenerunt; quamuis laboribus quaterentur. Sic Apostoli, de quibus San-
ctus Lucas: *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij,* *Act. 5. 41*
quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pa-
ti. Videsin contumelijs, in flagris, & vulneribus pro
Deo perpessis, gaudium inuenire seruos Dei, quod in
delicijs, & voluptatibus non consequuntur filij sæculi
huius.

Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domi-* *Psal. 4. 7.*
ne: dedisti lætitiam in corde meo. Ponderans locum istum
S. Basil. in scholijs, ait: *Non simpliciter dicit,* dedisti mihi *S. Basil.*
lætitiam, *sed addit:* in corde meo, *quia lætitia hæc non est*
in externis, veluti in argento & auro; nam quæ in externis
est, oculorum est, non verò cordis; sed in corde, *ait, quod spiri-*
tualia & incorporea contemplatur. Ita ille. At dices, cùm
aurum vel etiam argentum inuenio, vel lucror, lætitiam in corde sentio Cur igitur ait S. Basil. cordialem lætitiam, non ex rebus his externis procedere, sed ex internis, virtutibus scilicet & spiritualibus rebus? Nimirum, quia aliud est lætitiam cordialem esse, aliud verò in corde esse, & quoquo modo sentiri; sentitur aliqualiter lætitia ex rebus externis, sed lætitia talis oritur pòtiùs ex falsa quadam apprehensione mentis, quâ sæculi amatores mouentur ad amandum argentum

tum & aurum; ex consequentione verò rei amatæ, nascitur gaudium: Sed sicut est ille amor errans, sic & gaudium; errans verò gaudium ex se non est cordiale, sed ex errore imaginationis est in corde; gaudium verò rerum spiritualium, ex se cordiale quidem est, & eapropter illi erranti gaudio dicitur ab Ecclesiaste cap.

Vers. 2. 2. *Risum reputaui errorem, & gaudio dixi: quid frustra deciperis?* Loquitur cum gaudio, quasi cum re animata, figurâ prosopopeiâ vtens; quasi dicat: si gaudium intellectum haberet, verè deciperetur, cùm ortum haberet ex re gaudio indigna: loquitur enim ibi Sapiens de gaudio ex rebus inanibus sæculi orto, sicut ait S.

S. Bern. Bernard, in Formula honestæ vitæ cap. de visu & ho-

S. Hier. nestate facici, & S. Hieron. in eadem verba Ecclesiastes, ait: Qui risu illo cachinnant, quem Dominus in Euangelio in fletum dicit esse mutandum, errore sæculi raptantur, censentes leuia bona perpetua esse, & in his exultantes, quæ magis digna sunt planctu. Vnde non absque causa Dauid in isto loco Psal. ait: *dedisti lætitiam in corde meo. In corde meo* dixit, quod sancti scilicet viri erat; in tale autem cor non intrat errans gaudium; sicut & sponsa dixit: *fructus eius dulcis gutturi meo*: sancto enim gutturi nihil est dulce, quod sanctum non sit ac verum.

Psal. 1. 12. Psalm 5. *Lætentur omnes qui sperant in te, & gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum.* de iustis; vt constat, hic agit Propheta, & omnes illos affirmat absolutè affici lætitiâ, nimirum, quia etsi peccatores sæpe lætentur, cùm malefecerint, lætitia tamen talis falsa est, super fundamentum falsum fundata: peccatum enim remorsum conscientiæ, & tetrum timorem & cruciatus parit; virtus verò gordis pacem, & internum gaudium, & gloriam animi quandam. Ideò subdit Dauid, *& gloriabuntur in te*, nimirum, quia gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, *vna buena conscientia es vn cielo portatil, que comienza aqui, y se perpetua y eternisa en el cielo.* *S. Basil.* Sic exponit locum hunc Sanct. Basil. dicens in Scholijs: *Etenim hæc est constans lætitia & nunquam desinens, & inhabitabis in eis, ita vt reliqua gaudia non meliùs sint comparata, quàm fluuiorum fluxibus, eò quòd velocissimè defluant. Iustis ergo potissimùm solis competit, vt lætentur & glorientur, ita vt ij qui sese in rebus temporarijs iactant, nihil ab illis differant, qui in somnis delectantur.* Ita S.

Similes Matth. 2. 10. Basil. vbi nota similitudinem somniantis, quæ læta & gloriosa sunt. somniat esuriens conuiuum regium, & dum somniat, gaudet; sed sicut conuiuium imaginarium & vanum est, ita & gaudium.

Matth. 2. de Magis, cùm eis apparuit stella, dicit Euangelista: *gauisi sunt gaudio magno valde*, non simpliciter gauisi sunt, sed addit, *magno gaudio*, &c. Cur ita? S.

Anselm. Anselm. in hunc locum: *Gaudio gaudet, qui propter Deum gaudet, qui est verum gaudium; sicut vitâ viuit, qui in virtutibus viuit, & morte moritur, qui in peccatis est. Addit* & magno, *quia de magna re*, & valde, *quia nihil ipso maius.* Ita ille. Gaudium autem mundi; nec magnum nec valde esse potest; quia in rebus nullius penè momenti, vel in prauis fundatur, vnde falsum & caducum illud esse oportet.

A cilè quis eam percurret. E conuerso autem ait Salomon Prouerb. 27. *An mus gaudens ætatem floridam sacri, spiritus tristis exsiccat ossa.* Exsiccat scilicet fortitudinem ani- *Prou. 17.* mi, *secu el spiritu*; amittit spiritus tristis deuotionem & promptitudinem cordis ad obsequia Dei, ita vt per illa non solùm non currat, sed nec ambulet quidem. Hanc autem animi dilatationem & lætitiam ait Dauid sibi à Deo datam, *cùm dilatasti*, inquit, *cor meum.* A Deo igitur eam postula, & quantum ex te fuerit, dilata & tu cor tuum, & proijce abs te melancholiam, & tristitiam; delectare in Domino: bonum enim Dominum habemus, qui nobis viam præparat ad cœlum.

Prop. IV. *Quàm præstantius gaudium spirituale gaudijs mundi sit.*

Sic ad diuinum Sponsum sponsa diuina: *Meliora sunt vbera tua vino.* Mirabilis quidem est hæc sponsæ de *Cant. 1.* Sponso comparatio: laus enim vberum, non viro, sed fœminæ apta videtur. Ita est, sed inde colligimus, spiritualem hic quærendum esse sensum, sicut in alijs locis Canticorum, v. g. Cant. 4. sic ad sponsam Dei sponsus: *Capilli tui sicut greges caprarum quæ ascenderunt* *Vers. 1.* *de monte Galaad, dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.* Et Cantic. 7. idem Sponsus ad *Vers. 4.* eandem sponsam: *Nasus tuus sicut turris Libani*, &c. Quæ nam sunt omnes comparationes istæ, si merè, vt sonant, solummodo sumantur? Ad spiritum igitur recurrendum est, lac ergo in diuinis litteris pro gaudio, & consolatione sumi solet, vti aiunt S. Greg. 15. Moral. 5. & S. Hieron. super cap. 34. Ezechielis, & Rupert. super Oseam 2. 14. vbi *lactabo eam* dicit Dominus, &c. id est, consolabor eam. Vinum autem duos potissimùm effectus habet, primò, vires corpori affert, & secundò, lætificat cor, iuxta illud Psalm. *Vinum lætificet cor homi-* *Psal. 103.* *nis*, &c. & Prouerb. vlt. *Date siceram mœrentibus, & vinum* *Prou.* *31.* *6.* *luctu, qui amaro sunt animo.* Propter hos duos effectus, ait meritò sponsa Sponso: *Meliora sunt vbera tua vino*: si enim vinum vires corpori addit, ad ea quæ corporis sunt, lac diuinæ consolationis vires spirituales animæ addit, sicut experimento id nouisse affirmat Dauid, dicens: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor* *Psal. 118.* *meum.* Quid est *dilatasti*. Sanct. Augustinus & Glossa, id est, *delectationibus affecisti*. Habet quidem via mandatorum Dei quamplurimas difficultates: nam virtus, quæ in diuinæ legis obseruatione consistit, in arduis sita est, quòd si ita est, diuinæ consolationis vis magna est. Secundò, vinum lætificat mœrentis cor, sic quantumuis iustus tribulationibus, & aduersitatibus vitæ huius quatiatur, si diuina superuenerit ei consolatio, sicut lux aduenies cunctas expellit tenebras, sic consolatio spiritus sancti cunctas amaritudines depellit.

Exulta satis filia Sion, & iubila filia Ierusalem. Ecce rex *Zach. 9.* *tuus veniet tibi iustus, & Saluator.* Pondcrâda sunt illa duo verba, *exulta, & iubila*. Exultatio lætitiam denotat exteriorem, magnam tamen; exultare enim est, quasi extra saltare, & foras lætari: iubilatio autem, vti docent Sanct. Hieronymus, & S. Augustinus in illud, *Circuit Psal. 46.* *& immolauit hostiam vociferationis*, &c. significat lætiam quandam ineffabilem, & interiorem, vel quæ oritur ex vehementi illa interiori: hanc duplicem ergo exigit Zacharias Propheta à Sion propter aduentum Christi, nimirum quia huiusmodi lætitia spiritualis est, ex principio, inquam, spirituali originem ducens: quæ quidem lætitia in rebus terrenis & corporalibus locum non habet, mundana quippe ista lætitia exterior quidem est, *no les entra esta risa à los mundanos de los dientes adentro*, ostendunt mundani in exteriori specie gaudium, & lætitiam: at hæc lætitia exterior prorsus est, nõ pertingens ad cor interiùs, os exteriùs gaudium præfe-

Psal. 118. 32. Psalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Quid est dilatatio cordis? S. Augustinus. *Dilatatio cordis est iustitiæ delectatio, vt non timore sed delectatione aliquid agatur.* Ita S. Augustinus. Cum hac igitur delectatione animi, ait Dauid, se per viam mandatorum Dei, non solùm ambulasse, sed cucurrisse; via autem mandatorum Dei, ait Hugo Cardinal. arcta est: *Hugo Card. Matth 7. 14.* arcta enim (ait Dominus) *est via quæ ducit ad vitam.* Ita ille. Et glossa ordinaria, licet ergo fic arcta sit via mandatorum Dei, cùm adest in corde lætitia spiritualis, fa-

præsefert, sed cor intus mœrore tabescit, exultant A peccatores in rebus pessimis, sed non iubilant interiùs, sed potiùs remorsibus conscientiæ mœrent, qui in domo sua molestijs afficitur, ab ea exiens in vicinorum vel ludentium domum animi gratiâ pergit, ibique ridet, & ludit, vt mœrorem illum expellat, seu potiùs illius obliuiscatur: at cùm in domum suam redit, ab eadem; quâ priùs, inuaditur tristitiâ, sic peccator, cùm propriæ conscientiæ morsibus affligitur, ad exteriores consolatiunculas diuertit, sed cùm ab illis recedit, vermis ille interior iterum animum eius corrodit: at iustus qui Deum amat, Deum quærit, de Deo loquitur, & quæ Dei sunt peragit, non solùm perfunditur exultatione, sed etiam interna iubilatione: res enim diuinæ ac spirituales vtrumque hominem recreant, & lætificant.

Ponderandum etiam est verbum illud, *exulta satis, alegra os harto, o harta os de alegria con la venida de Christo*; satis, inquam, id est, ad satietatem inuitaris, ad prandium magnum, in quo multa & varia fercula tibi apponuntur. Adest casu medicus inter conuiuas, qui dicat tibi, B ex hoc cibo parum cape, nociuum enim est, & saluti contrarium, ex hoc vero sine timore comedere vsque ad satietatem potes, quia facilis digestionis est, & saluti conducens. sic igitur in gaudijs & lætitia facere nos oportet: apposita est nobis mensa bonorum corporalium, & spiritualium, in vtrisque, quando peccatum non intercedit, lætari licet: at in rebus corporalibus lætandum est nobis ad mensuram, adest cœlestis medicus, qui tibi dicat, à lætitijs huiusmodi abstine, aut parum inde sume, nocent quippe & animæ afferunt nocumentum, ex gaudijs verò spiritualibus ad satietatem vsque sume: sunt enim vti issimæ ad animæ salutem, & tuendam, & augendam: gaude, quia Christus Dominus pro te homo factus est, gaude, quia Saluator tuus est, gaude, quia te cum Patre reconciliauit, gaude, quia in Eucharistia tibi seipsum tradit, exulta satis, & inbila, non in comessationibus, non in vestimentorum nitore, non in ludis. & delitijs corporalibus: hæc enim C sumenda sunt cum moderamine inculpatæ tutelæ animæ nostræ, &c. hi contra vanitates & vsus profanus, quibus in diebus paschalibus & alijs solemnitatibus fideles festa celebrant, insistendum est. Nam, vt inquit S. Bern. agens de natiuitate Christi, *multi non de natiuitate, sed de vanitate gaudent*; quod quidem inde constat, quòd solùm ad conuiuia & vestes pretiosas attendunt, qui nec peccata confitenur, nec sacram Eucharistiam sumunt, nec conciones audiunt, hi non de festo, sed de deliciis corporalibus gaudent, &c.

Fontes à fontibus longè distare solent: sunt enim fontes, qui aquis mortiferis emanant, sunt etiam alij, qui aquis salutiferis scaturiunt. Hoc mihi inter gaudia spiritualia, & corporalia interesse videtur, & causam causæ fontium similem esse: si fontes in terræ arcanis, per radices herbarum salutarium pertranseunt, salutares inde fiunt; si verò per lethales, & ipsi lethales sunt. Sic gaudia, si per spiritualia bona diriuentur, spiritualia gaudia, & animæ salutaria sunt, vt cùm ex oratione, ex sacræ Eucharistiæ sumptione, ex concione, vel sa- D crorum librorum lectione quis gaudium capit, ad salutem animæ gaudium hoc erit; si verò ex conuiuijs superfluis, ex scenis profanis, ex lectione librorum lasciuorum, & alijs huiusmodi capiantur, mortifera sunt, quia inde mors animæ oriti solet. Idem de morte dicendum, si vitam sanctam consequitur, sancta, & salutaris est; si verò vitam pernicio sam, mala, & mortis æternæ.

Prop. V. *Impossibile est secundùm Deum, & simul secundùm mundum gaudere.*

Sanct. Chrysost. hom. 54. ad pop. *Non licet secundùm mundum gaudentem, pariter & secundùm Deum gaudere: qui enim secundùm mundum gaudet in diuitijs, in delicijs, in gloria, in potentia, & elatione; qui verò secundùm Deum, in ignominia propter eum, in paupertate, in ieiunio, & modestia; vides quomodo contraria sunt occasiones?* Ita ille. Hoc animaduertant nostri sæculi magnates, qui simul delicijs corporalibus & rebus spiritualibus, orationi videlicet & Eucharistiæ sacræ, &c. vacare contendunt: si enim ex huiusmodi exercitijs spiritualibus gaudium & lætitiam cupiunt haurire, corporalibus gaudijs valedicere ipsos oportet, alioquin aridas & steriles spirituales inuenient exercitationes: nam, vt ait Sanct. Bernard. *delicata est diuina consolatio, non datur admittentibus extraneas.* Ita ille. Extraneas vocat delectationes mundi, quasi contrariaas dicere potuisset. *Chrys.* *Bernard.*

Dedit olim filijs Israel manna illud suauissimum, non tamen priusquam farina, quam ex Ægypto duxerant, finiretur; sic etiam dulcedinem spiritus non antea Deus communicabit, quàm fuerit finita dulcedo mundi. *Exod. 16.*

Prop. VI. *Verum gaudium non reperitur in bonis mundi.*

Interesse voluit Christus Dominus nuptijs illis, vbi defuit vinum, vt defectum illum suppleret. Vinum in sacris literis, lætitiæ, seu gaudij symbolum est, iuxta illud Psalmi, *Vinum lætificet cor hominis*, & Prouerb. vlt. *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt corde*, &c. Deficere autem in nuptijs vinum voluit Dominus, vt inde constaret, in rebus mundi non esse gaudium inquirendum. Si enim alicubi reperire illud oportebat, maximè in nuptijs: in nuptijs enim omnia gaudium sonant, ibi conuiuia, ibi musica, ibi ornatus vestium, ibi omnes lætos se ostendunt. ibi ergo vinum deficere voluit Dominus, vt nobis manifestum esset, nullum esse gaudij locum in hac lachrymarum valle. voluit autem ipse vinum optimum erogare. & aquam in vinum conuertere, vt ostenderet, à solo Deo quærendum esse verum, & completum gaudium. *Ioan. 2.* *Psal. 103.* *Prou. 31.* *6.*

Vnde Seneca epist. 60. *Gaudia, quæ vocamus, adeo non sunt gaudia, vt sæpe futuræ tristitiæ initia sint; gaudio autem iunctum est, non desinere, nec in contraria verti.* ita ille. Et meritò, nam ideo extrema gaudij luctus occupat, quia ipsa desitio gaudij, tormenti cordis initium est: sicut enim lux nobis lætitiam parit, & cùm illa discedunt, tenebræ, quæ succedunt, mœrorem efficiunt, non quia tenebræ mœrorem influant, cum tenebræ nihil sint, sed quia deficit lux, quæ materia, & causa gaudij erat: sic deficiens gaudium, gaudium non est, quia eo ipso, quod deficit, tristitiam parit. quale igitur gaudium dices, quod cùm necessariò finiri debeat, sine suo mœrorem affert?

Vnde meritò Sanct. Bernard. epist. 14. *Illud est verum, & solum gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, & quod cùm possederis, nemo tollet à te, cui comparata omnis iucunditas, mœror, omnis suauitas, dolor est, omne dulce, amarum, & omne quod delectare potest, molestum.* Ita ille.

Vnde Dauid, *Redde* (inquit) *mihi lætitiam salutaris tui.* Alia littera sic habet: *Gaudium quale habent sancti, mihi redde.* Etenim gaudium sanctorum iuge est, nemo id ab eis tollit, & cùm terrenum gaudium perseuerans nunquam sit, nec gaudium nominari debet. *Ps 50. 14.*

Hinc Apost. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gau-* *Phil. 4. 4.*

gaudete. Pondera verbum illud *semper* : qui enim fieri A
poteſt, vt in hac lacrymarum valle, in hoc exilio filiorum Adæ, in hac miſeriarum regione, ſemper gaudeamus? Rectè quidem, ſi gaudium noſtrum in Domino ſit, hoc eſt, ſuper Dominum fundetur, & ſuper eius beneplacitum, & gloriam. Qui enim ſuam diuinæ conformem habet voluntatem, & beneplacitum eius quærit, & gloriam eius, ſiue læta, ſiue triſtia ſuccedant, ſemper gaudebit. vnde S. Chryſoſt. explicans lo-
Phil.4.4. cum hunc Pauli, *Gaudete in Domino ſemper : Securi*, inquit, *& fiduciam habentis eſt iſtud, vtpote, qui in Deo eſt,*
Act.5.41. *ſemper gaudet. Etiamſi prematur, ac quidvis patiatur, hic ſemper gaudet. Audi enim Lucam de Apoſtolis dicentem* : Ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. *Si verbera, & vincula, quæ præ ceteris videntur moleſta, gaudium pariunt, quid tandem erit illud, quod nobis afferre dolorem queat?* ita Sanct. Chryſoſt. vbi pondera gaudium Apoſtolorum: non enim dixit, tacentes patienter ferebant, ſed gaudentes : quis vnquam vapulantes à Iudicibus cum de- B
decore publico gaudere vidit? Flere quidem ſæpe, gaudere nunquam; at Apoſtoli vapulantes à Iudicibus Hieroſolymitanis, non ſolùm non recedunt flentes, non ſolùm eunt patientes, ſed etiam gaudentes, nimirum, quia gaudium hoc in Domino erat, & gaudium in Domino neſcit occaſum : non ait, ibant gaudentes ab oratione, à verbi prædicatione, à diuinarum rerum contemplatione, ſed à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.

Pſal.4.7. De huiuſmodi gaudio dixit Dauid : *Dediſti lætitiam in corde meo.* Cordialis, & intima eſt hæc lætitia iuſtorum, lætitia peccatorum ſuperficialis eſt, exterior eſt. Gaudet peccator, cùm videt pulchritudinem domus ſuæ, auri ſui, gemmarum ſuarum, & ſupellectilium ſuorum, ſed gaudium hoc non eſt gaudium cordis, ſed oculorum. Gaudet, cùm audit comœdiam, vel C
tragœdiam aliquam, ſed gaudium illud aurium eſt, non verò cordis; at iuſtus cum Dauide Domino confitetur, & ait : *Dediſti lætitiam in corde meo.* Denique à bona conſcientia promanat lætitia iſta : vnde S. Chryſoſtomus hom. 15. in acta Apoſtolorum, explicans rurſus verba ſupra dicta Apoſtoli ad Philip. 4. Gaudete in Domino ſemper, ait: *quomodo poteſt quis gaudere, vbi carceres, vbi tormenta, vbi tribunalia? maximè in hoc gaudere poteſt; quomodo autem, diſce, qui nihil ſibi ipſi conſcius eſt, lætabitur plurimùm, ita vt quò maiorem dixeris tribulationem, hoc maiorem dicas voluptatem. Dic mihi, obſecro, miles qui multis impetitur vulneribus, & reſiſtit, nonne cum magna redit voluptate, vulnera vt teſtimonium libertatis habens, fulgoris, & claritudinis?* ita S. Chryſoſt. Meritò proinde
2.Cor.1.12. idem Apoſtolus dixit : *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* vbi S. Thomas : *Conſcientiæ teſtimonium verum eſt, quia non decepit nos : multi enim exteriùs videntur boni, qui in conſcientia ſua non ſunt boni, & non dicit Apoſtolus : Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium proximorum, quia homo plus ſtare debet teſtimonio conſcientiæ ſuæ de ſe, quàm teſtimonio aliorum.* ita S. Thomas. & Sanct. Anſelmus ibidem exponens, quæ ſit iſta gloria conſcientiæ noſtræ, ait : *Sicut magna pœna impiorum eſt mala conſcientia; ſic magnum gaudium eſt piorum conſcientia bona eorum.* Ita ille.

Dediſti lætitiam in corde meo. Omnes gaudium & læ-
Pſal.4.7. titiam quærunt ſed pauci inueniunt, quia non ibi illud quærunt, vbi exiſtit, anari illud in diuitijs, ſuperbi in honoribus & gloria mundi, ſenſuales in delicijs; ſed minimè inueniunt, quia in nullo iſtorum verſatur gaudium. Vbi ergo illud conſtituit? in corde, *non eſt foris*
In Pſal 4. *quærenda lætitia*, ait S. Auguſtinus, *ſed intus, vbi ſignatum eſt lumen Dei ſuper nos, & in homine interiore.* Ita ille. At dices, imò in corde ego triſtitiam, non lætitiam experior : fateor non in omni corde moratur gaudium, ſed in eo, in quo habitat Deus, in corde, inquam, viri iuſti : vnde non ſine cauſa dictum eſt à Dauide : *Dediſti lætitiam in corde meo*, nota, *meo*, Dauid ergo cùm vir iuſtus eſſet, Deus in eius corde habitabat, & vbi Deus, ibi gaudium, quantumuis exteriùs tribulationibus homo quatiatur.

Quod optimè rubus ille Moyſi præfigurauit, qui licèt arderet, non comburebatur; nimirum, cùm ignis vis, vel ipſius ferri fortitudinem vincat, & ligna facilè in cinerem conuertat; quomodo igitur rubum, in quo ardebat, non conſumebat : nimirum quia Deus ibi erat, & vbi Deus, ibi non vrit ignis exteriùs, quamtumuis fuerit intenſus. Sic in corde, vbi Deus commoratur, non habet locum triſtitia, quæ exſiccat oſſa; ſed ibi gaudium & lætitia, licèt ad virtutis exercitationem, aliquando permittat Deus hominem aliquantulum contriſtari : in corde autem impij ſæua dominatur triſtitia, quia non ibi Dominus, ſed diabolus, non ibi virtus, ſed vitium, non ibi ſpes ſalutis, ſed timor æternæ damnationis, &c.

Prop. VII. *Gaudium mundi deteſtabile eſt.*

Sanctus Auguſtin. ſerm. 37. de verbis Domini. *Se-* *Auct.*
culi lætitia eſt impunita nequitia, luxurientur homines, fornicentur, in ſpectaculis nugentur, gulâ ingurgitentur, nihilque mali patiantur, & ecce ſeculi gaudium; iſta, inquam, mala, quæ commemorauimus, non caſtigat fames, non belli pauor, non aliquis morbus, non villa aduerſitas, non denique timor aliquis, ſed ſint omnia in rerum abundantia, in pace carnis, & in ſecuritate malæ mentis. Ecce vide ſeculi gaudium. ita Sanct. Auguſt.

Hæc eſt peſſima illa lætitia de qua Prouer. 2. *Oui* *Prouer.*
lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis. *2.14.*
Peſſimum igitur gaudium mundi : *gaudete* igitur (ait Apoſtolus) *in Domino ſemper*, &c.

Senec. epiſt. 23 *Volo tibi lætitiam dominaſci, naſcitur,* *Senec.*
ſi intra te ſit, cetera hilaritates non implent pectus, leues ſunt, niſi forte iu indices illum gaudere qui videt. Hilari oculo mortem videre, pauperiati domum aperire, voluptatis tenere ſub fræno, meditari dolorum patientiam, hæc qui apud ſe verſat, in magno gaudio eſt, ſed parum blando. Vulgus perfunctoriam habet voluptatem & fundamento carentem.

Prop. VIII. *Quàm debile & infirmum ſit gaudium peccatorum.*

Sophar Naamathites, amicus Iob, *Hoc*, inquit, *ſcio* *Cap.20.*
a principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quòd *4.*
laus impiorum breuis eſt, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti, hoc eſt, ab initio mundi hoc, quod dicam, experimento compertum eſſe ſcio: quid? quod laus impiorum breuis eſt. Septuaginta pro laude legunt lætitia, quòd lætitia malorum hominum parum durat, &c, vt id augeam, gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. hypocrita in originali Hebræo idem eſt hoc loco, quod impius, vocat autem impium florentem, & gaudentem in mundo, hypocritam, quia ſicut hypocrita ſimulat ſe eſſe, quod non eſt, ſic mundani fingunt felicitatem, & iucunditatem, quam intus non habent, malâ conſcientiâ omnem eorum felicitatem perturbante. Gaudium igitur peccatoris ad inſtar puncti, quid eſt ad inſtar puncti? dicam, punctum, vt aiunt Mathematici, eſt indiuiſibile quid, cuius ſi aliquid adimere velis, totum adimes, tale igitur eſt gaudium peccatoris, velut punctum: facili enim negotio, ſi aliquid ex his, in quibus fundatur, ademeris, totum perdes v. g. gaudet ſuperbus in honore ſuo, ſi honoris punctum adimis, totum eius honorem deſtrues. quod facilè in Aman principe videre licet, qui maximo honore in regis curia

gau-

gaudebat, quem cùm omnes adorarent, solus Mardochæus, vir alienigena, imò & captiuus, eum noluit adorare: quo tãto dolore affectus fuit magnus ille princeps, vt dixerit: *Cùm hæc omnia habeã, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum sedentem ante fores regias, pues por no hazer te vna reuerentia vn captiuo te da tanta pena?* itáne tantam gloriam, tam parua iniuria, imò nec reuera iniuria, sed imaginatio solùm, tam eximiam gloriam & gaudium ex illa procedens, turbare tam facilè potest? potest, quia gaudium hypocritæ ad instar puncti, *por grande que sea la honra del mundo, consiste en vn punclo, no dexa punto de honra? y assi por vn punto se pierde como calca de aguia, que por vn punto se va toda.* Præterea pulchritudo, quæ à fœminis præcipuè in magnis æstimatur, & gaudium in ea fundatum, in puncto consistit: tolle ex vltima parte naris mulieris pulchrioris punctum pelliculæ, & peribit eius pulchritudo, *quitando le a la punela de la naris vn poquito del cuero, y queda feo todo el rostro, no mas digo que de la punta, por que consiste en vn punto:* gaudium enim hypocritæ ad instar puncti. Idem etiam dicendum est de Principum fauore, qui in puncto consistit: vnicum verbum Principis, quod minùs favorabile videatur, solet occasio mortis esse his, qui apud Regem magis pollent, *al mas priuado del Rey, suele el Rey priuar de la vida con vna palabrita de disfauor*, quia gaudium hypocritæ ad instar puncti, &c.

Verum igitur & constans gaudium, non in bonis mundi, sed in virtute solùm fundamentum habet.

Prop. IX. *Gaudium peccatorum ex eorum opinione & errore procedit.*

7. Sanct. Augustin. *Gaudium ipsorum quasi phreneticorum est: quomodo enim phreneticus gaudet insaniâ, & plerumque ridet, & plangit illum, qui sanus est, sic & illi. Plus valet dolor nostèr, quam gaudium illorum.* Ita S. Augustin. Quid ergo insanius, quàm peccare, & eum qui plangere & pœnitere debebat, in rebus pessimis lætari, & in rebus mundi caducis & vanis delectari? horum gaudium sapientibus materia est doloris.

De quodam viro nobili refert Theodorus, sensum & iudicium amisisse, qui sic amens factus, omnia quæ videbat pretiosa, sua esse asserebat, gaudens se tot & tam præclara bona possidere; si enim videbat in littore maris nauem ex India argento & mercibus onustam, Videte, aiebat, quàm diues & felix ego sim: omnia enim hæc mea sunt, &c. Postea verò medicorum industriâ, iudicium illi in integrum restitutum fuit, & stultitiam illam suam fassus, dixit: Qui me sanum fecit, magno me gaudio priuauit: ita enim verè intus in corde gaudebam, ac si verè mea illa bona fuissent, nunc verò gaudio illo priuatus sum. Ecce vnde illi gaudium & lætitia, ex sola quidem imaginatione & apprehensione. Tale igitur est gaudium mundanorum, gaudent quia se diutes autumant & felices, quia hæc & illa possideant bona, cũ hæc mundi bona, nõ verò nostra sint, vt mors eorum manifestabit: & inde gaudium hoc ex imaginatione & apprehensione procedit, &c.

Prop. X. *Gaudium mundi quam cito euanescit.*

Sanct. Bernar. serm. 4. in oct. Epiphan. *Cùm de transitoriis quis lætitiam quærit, non poterit non lætitia ipsa transire, transeuntibus his de quibus erit: sicut enim deficientibus lignis, deficit quoque ignis, sic quia mundus transit, & concupiscentia eius, haud dubium, quin & lætitia quoque.* Ita ille. Gaudent nunc diuites in diuitijs suis, veniet mors, quæ omnes ab eis diuitias tollat, & cùm nihil inuenerint in manibus suis omnes viri diuitiarum, tunc cessabit pariter gaudium ex diuitiis ortum, gaudent principes, & dominantes in populo, & qui mundi obtinent dignitates, super dominio, honore, & gloria, quæ nascitur inde; aderit quamprimùm mors, & cessabit cum gloria gaudium: *veran su gozo el poco*, gaudent in citharis, & musicis instrumentis, in cibis, & potationibus opulentis, in ludis & venationibus, delicijs & voluptatibus deditis, & addicti; veniet luctuosa mors, quæ ab eis hæc omnia tollet, & omne gaudium eorum simul peribit. Denique peccatores nunc gaudent in rebus pessimis, & lætantur, cùm malè faciunt; sed morte intercedente, non solùm cessabit gaudium sed lætitia eorum vertetur in luctuosam tristitiam & tristem luctum: nam ad iudicium deducti hi peccatores fleuisse potiùs, & pœnituisse, quàm delicijs vacasse volent.

Frqp. XI. *Omnia gaudia mundi tristitiam secum ferunt.*

Enarrat S. Euangelista Matthæus cap. 21. historiam celebrem atque illustrem triumphum, quo humani generis Redemptor exceptus est, cùm Hierosymam ingrederetur: carmina verò, quæ in huiusmodi celebritate fundebantur, multis ante annis modulatus est Propheta regius, cùm ait: *O Domine, saluum me fac, o Domine bene prosperare, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Non autem cantus solùm, vocumque contentus, sed rami etiam oliuæ, aliaque huiusmodi, lætum hunc diem celebremque fecerunt, &c. *Psal. 117. 25. Matt. 23. 34.*

At in magnam rapitur admirationem D. Bernardus serm. 1. in Ramis, cùm hunc Christi triumphum eiusdem morti, atque ignominiis confert: *In eadem* (inquit) *ciuitate à plebe eadem, & eodem tempore, nunc quidem processionis gloriâ, & diuinis est laudibus honoratus, postmodum verò interrogatus contumeliâ, & tormento, & cum sceleratis est deputatus.* Quod idemmet Bernardus commemorando, auget in sermone secundo eiusdem Dominicæ, vbi sic loquitur: *O quã dissimile fuit, tolle, tolle, crucifige eum, & Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis! Quàm dissimile, rex Israel, & non habemus regem, nisi Cæsarem! Quàm dissimiles rami virentes, & crux, flores, & spina! Cui prius sternebantur vestimenta aliena, ecce suis exuuntur, & sors mittitur super ea.* Hæc ille. In quibus verbis quasi suis coloribus expressum videtur terrenum gaudium: nullum enim est constans, aut perseuerans, nullum non mœrore, lachrymisque permixtũ. Quocirca rectè subiunxit Bernardus: *Hic est finis transitoriæ lætitiæ, hic fructus gloriæ temporãlis.*

Hoc idem sapientissimus Salomon docuerat, cùm ait: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Hebræa sic habent: *Etiam in risu dolebit cor, & extremum gaudij dolor.* Non satis visum est illi, dixisse extremitatem gaudij dolorem esse, nisi cum ipso risu dolorem permisceret. Sæpe enim impijs, ipsa voluptate fruentibus, horribiles ex scelerum conscientia formidines, ac terrores existunt, vel aliqua alia ex causa illi vexãtur: ita vt gaudiũ sit in ore, dolor verò simul in corde. Quòd si aliquando contingat, gaudium illud cùm nullo dolore permiscri, tandem in luctum, mœrorem-que conuertetur. Hoc enim discrimen versatur inter ea gaudia, quæ ex diuinis rebus percipiuntur, & ea, quæ ex rerum labentiũ iucunditate dimanant, quòd illa perpetua sint, nec dolore permixta, quia sanctorum gaudium nemo tollet ab eis; hæc verò & peritura sint & cum luctu mœroreque coniuncta. Egregiè adnotauit hoc D. Chrysost homil. 8. in Matt. in iis, quæ B. Iosepho, sanctissimæ Virginis sponso euenerunt: *Videndo* (inquit) *sanctus Ioseph grauidam sponsam, in conturbationem incidit maximam, sed assuit repentè Angelus timorem prorsus extinguens, Deinde puerum natum videns, maxima exultatione repletus est; sed huic gaudio periculum grande successit, cùm tota ciuitas turbaretur, rex fureret, & ad necem pueri quæri videret. Sed & hunc tumultum alia rursus lætitia sub-*

Prou 14. 13.

subsequuta est, apparitio ſciitet ſtellæ, & Magorum adoratio. A *poſt hanc quoque iucunditatem iterum periculum, iterum formido. Quærit,* (inquit) *Herodes animam pueri, & fugere neceſſe eſt, & in longinqua tranſire.* Hæc ille.

Quòd ſi velis ab vno Ioſepho, & Virgine, ad alium etiam honeſtiſſimum animum orationem conuertere, perpendamus, obſecro, Ioſephi patriarchæ vitam. Hic quidem præ ceteris ſuis fratribus diligebatur à patre: quod magnum illi gaudium, ac lætitiam attulit; ſed ſtatim à fratribus Iſmaelitis venditus, dicitur in Ægyptum, vbi cùm in ſeruitute eſſet, lætitiâ aliquantulũ recreatus eſt, quia gratiâ valuit apud dominum ſuum; illico tamen falſum illi crimen obiicitur, qua de cauſa in carcerem detruditur, vbi triſtitia, ac mœrore affectus, infamiâ notatus, in ſordibus, & ſqualore iacebat. At poſt aliquos dies à ſqualore ad purpuram, ex infamia ad gloriam, ex mœrore ad gaudium, ex abiectione & contemptione illa ſua, ad altiſſimum dignitatis gradum, ex vinculis denique ad libertatem, adminiſtrationem, & moderationem Ægypti peruenit. Sed quia in hac vita nullum gaudium diuturnum, occidit Ioſe- B phus, & è corporis ergaſtulo ſolutus, gaudium cum morte commutauit. Quia, vt ſuprà attulimus, riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.

Præclarè hoc ipſum expreſſum eſt in longo, ac diuturo illo itinere ab Iſraelitis ſuſcepto, in quo nunc illi indigebant aquâ, nunc dulciſſimi eis fontes emanabant, modò ciborum penuriâ premebantur, modò autem ſuauiſſimum illis manna cælitus ſuppetebat. Ac denique frequenter læta triſtibus, & triſtia lætis ſuccedebant. Nihil enim ſecurum, aut firmum eſſe poteſt, quod fluentibus huius mundi aquis, mariq́ue procelloſo innititur; ſed omnia mœtore ac lacrymis debent eſſe commixta. Idcirco hic mundus lacrymarum vallis appellatur, & terra ſpinas, ac tribulos germinans dicitur. Sanè qui gaudium ſine aliqua triſtitiæ permixtione perquirit, roſam quærit ſine ſpinis, triticum ſine palea, diem abſque nocte, planè decipitur. Et quidem factum eſt veſpere, & mane dies vnus. Poſt diem igitur expecta noctem, poſt lucem tenebras, poſt vitam C mortem, dolorem denique ac triſtitiam poſt gaudium, & iucunditatem.

Cap. 40. 6. Audiuit Iſaias de cœlo vocem dicentem ſibi: *Clama.* At ille: *Quid clamabo? omne caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri, exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* Quid vilius aut fragilius fœno? aut quid æquè vanum ac flos agri? hodie quidem eſt fœnum, & cras in clibanum mittitur, hodie flos reuireſcit, & in craſtino iam marceſcit, & aret. Hisigitur rebus humana gloria comparatur: quòd ſi huiuſmodi gloria tam citò euaneſcit, quid diu permanebit? gaudium quod ab illa proficiſcitur? Quo pacto hominum ſolatia diuturna eſſe poterunt, cùm illa ex pulchritudine, diuitiis, aliiſq́ue per- *Pſ. 36. 36.* ituris rebus oriantur? *Videbu diutem exaltatum ſicut cedros Libani, tranſibi, & ecce non erit, quæres, & non inuenies locum eius.*

Baruch 3. 26. *Vbi ſunt* (inquit Baruch) *principes gentium, & qui dominahantur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram, qui in auibus cæli ludunt, qui argentum theſaurizant, & aurum, in quo confidunt homines? exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt, & alij loco illorum ſurrexerunt.* Ac ſi diceret: extrema gaudij illorum luctus & mors occupauit.

Hinc licebit intelligere, cur in die Palmarum proceſſio, & paſſio coniungantur. Quid ſibi vult (ait Bernardus ſerm. 1. in Rams. & ſer. 2.) mirabilis iſta coniunctio? aut quid cogitauerunt patres noſtri, paſſionem addentes proceſſioni? nam proceſſio plauſum habet, paſſio verò planctum. Opportunè vtique proceſſioni paſſio coniuncta eſt, vt diſcamus, in nulla lætitia huius ſæculi habere fiduciam, ſcientes quoniam extrema gaudij luctus occupat. optima igitur conſequeutia ex ſupradictis ſic ducenda eſt: ſi tribulationes proſperitatibus coniunguntur, & luctus gaudio, ſtultum eſt, ſperantes eſſe in hoc mundo: ſi enim in mundo tantùm ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus paſſeribus aeris, & piſcibus maris. Currunt enim, & lætantur aues, & vegetantur, & ſine labore, nõ cõgregantes in horrea, paſcuntur, ludunt piſces in aquis, narant, curſitant, & ſine labore comedunt cibos à Domino præparatos. Miſer homo non ita ſuauiter canit, ac ludit: laborat nec non in ſudore vultus ſui veſcitur pane ſuo, nulla deniq; tam illæſa eſt felicitas noſtra, quæ huic iſtorum animalium comparetur. Si igitur in felicitate vitæ huius tantùm ſperat homo, miſerabilior erit, talis eſt mundus, quocunque flatu fluit, ac refluit. Facilè nauigare videtis mundanum aliquem felici vita, cui omnia pro libito ſuccedere videntur: abundat diuitiis, epulis, famulis, equis, honore, filiis, & reliquis bonis terræ: filiæ eius compoſitæ, circumornatæ, vt ſimilitudo templi, promptuaria eius plena, eructantia ex hoc in illud; ſed dum minùs ſperabatur, irruit reperentina calamitas, inuadit morbus, ſuperuenit mors, iactatur procellâ, non in portum voluntatis ſuæ, ſed in profundum maris venit. Sicut in mari denique nulla ſecuritas ſerenitatis, & quietis, ſic & in ſæculo noſtro: mare quippe ſæculum eſt, & omnes in eo, dum viuimus, nauigamus, quomodo ergo in ſæculo pax, vbi tot venti concutiunt illud?

Ad Timotheum ſic ſcribit Apoſtolus: *Diuitibus huius* 1. Tim. *ſeculi precipe, non ſublime ſapere, neq; ſperare in incerto diui-* 17. *tiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum.* Nõ vult Paulus, vt diuites in ſuis diuitiis ſpe- P rent, quia in incerto ſit ſperare; gaudia, & proſpera mundi in incerto pariter ſunt, non igitur in illis ſperandum eſt, ſed in Deo, qui habet in patria vnde tribuat abundanter.

Certum eſt, illic quærendum aliquid eſſe, vbi eſt non enim piſces in montibus, lepores autem in aquis quærendi ſunt; ſed in aquis piſces, in montibus lepores, vbi ſolent reperiri. Felicitas, lætitia non inueniuntur in terra, non ergo in terra quærenda; inueniuntur in cœlo, in cœlo igitur hæ ſunt inquirendæ. Qua de cauſa exiſtimatis ſanctos olim in montium ſpeluncas receſſiſſe, & cum feris habitaſſe, orantes, & pœnitentiam eximiam agentes? Miſerabiles ſortè iudicaret eos ineptus mundus, ſed certè ipſi prudentes exiterunt. Quærebant enim gaudium verum, & felicitatem permanentẽ Quomodo id inter acerba eremi quærebant? quia ibi, non in terris felicia quærebant, ſed in cælo.

Narrat Hiſtoria ſacra, quòd tempore famis eximiæ, quando in ſola Ægypto alimenta vendebantur, dixit *Gen. 42.* Iacob filijs ſuis: *Quare negligitis? deſcendite, & emite nobis neceſſaria, vt poſſimus viuere, & non conſumamur inopia.* Quo audito, profecti ſunt filij pro tritico in Ægyptum, qui eos iter agere vidiſſet interram longinquam, ignotam, & barbaram, non niſi periculum, defatigationemq́ue videret, ſed illud erat neceſſarium medium ad frumentum comparandum. Magnam in hoc mundo veri gaudij patimur famem, in cœlo alimenta venduntur, iter ſancti per deſerta egentes egerunt, non in via lætitiam quærebant, ſed eo modo in cæ- D lum, vbi vera gaudia ſunt, proficiſcebantur. Videris hominem pauperem in Indiam tendentem, ſi, dum ingreditur mare, ab eo quæras, quare nauigas? pro auro, & argento, dicet: ſi rurſum dicas: ſi aurum quæris, quomodo mare intras? reſpondebit, quia hæc via ducit in locum illum, vbi ſummæ diuitiæ reperiuntur. Sic igitur ſancti, vt prudẽtes negotiatores, alperam vitam aggrediuntur, quia via illa, via regia eſt ad cæli felicitatem obtinendam. O infelices illi, qui felicitatem quærunt in mundo, vbi non eſt! O miſera felicitas! non eſt hîc gaudium, quærite iſtud in cælo, vbi eſt torrens voluptatis eximius, & per opera bona quærite, vt, cùm defeceritis, auditatis Dominum dicentem: *Matt. 25.* *Intrate in gaudium Domini veſtri,* Amen.

Pa-

Purum, & verum gaudium cœlo reſeruatum eſt: A hic enim in mundo *riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Duo inſignes quidem Poetæ fuerunt Romæ, Virgilius, & Horatius: de Virgilio autem, ait Sabellicus, quòd ſæpe ſuſpiria emittebat: erat enim tetricus, & melancholicus; de Horatio verò ait, quòd ſæpè lugebat, quia infirmis oculis laborabat. quare cùm ſemel Auguſtus Cæſar inter eos adeſſet, in medio ſcilicet eorum: *Inter lacrymas, & ſuſpiria* (dixit) *me video conſtitutum*; tùnc vnus quidam Ypiens è circumſtantibus: *Id ego iuramento confirmaſſem, quod ex luctu, ac triſtitia Poëſis, & Muſica orientur.* Solent qui triſtitiâ, & dolore torquentur, ad Muſicam & cantiones accurrere, tanquam ad remedium mali ſui, & hæc communis ratio Muſicæ, & cantus in mundo: quando autem ex dolore prouenit Muſica, ſimul oportet concurrat luctus ille, quem Muſica temperat, & Muſica luctus moderatrix. Vnde rectè ait: *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* quia finito cantu & finitâ Muſicâ, redit dolor, & ille ſolus, &c. B

GENVS.

Prop. 1. *Non genus, ſed mores hominum æſtimare debemus.*
2 *Generis nobilitas plurimùm ad virtutem confert.*
3 *Genus ſine virtute, vanitas eſt.*

Prop. I. *Non genus, ſed mores hominum æſtimare debemus.*

QVamuis aurum ex terra vili naſcatur, in magno pretio ab omnibus habetur, & quamuis ex auro ſcoria oriatur, ab omnibus paruipenditur, quia non ex quo, ſed quid ſit res conſideramus. Sic etiam in nobis ipſis philoſophandum eſt: non enim ex eo, quòd quis ex regali genere ortus ſit, æſtimabilis redditur, ſi aliunde is ſcoria in moribus fuerit. quòd ſi probatis moribus reperiatur, quamuis ex infimo ſit genere ortus, veneratione dignus à cunctis iudicatur. Quid profuit Cham quòd C filius fuerit ſancti, & eximij viri Noe, cùm ipſe dignus exiterit maledictione: aut quid nocuit Abrahæ, quòd filius fuerit Thare, cultoris luteorum deorum, cùm hoc non obſtante ſupremus fuerit fidelium vertex & fidei pater? Vnde Sanct. Chryſoſtom. hom. 3. Imperfecti: *Quid prodeſt ei, quem ſordidant mores, generis claritas? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant?* Ita ille.

Seneca epiſt. 44. *Plato dixit: Nullus rex, niſi ex ſeruis: nullus ſeruus, niſi ex regibus oriundus. Omnia illa longa vetuſtas miſcuit, & ſurſum ac deorſum verſauit. Quis ergo generoſus? Qui natura ad virtutem bene compoſitus eſt. Non facit nobilem atrium pl. num imaginibus. Nemo in noſtram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione ſupra fortunam ſurgere licet.* Ita ille.

Sanct. Chryſoſt. homil. 3. ſuper cap. 1. Matt. *Non eſt omnino, non eſt, nec de virtute, nec de vitio parentum, aut laude quis dignus, aut culpâ, quia nemo nâtè vere aut obſcurus, aut clarus eſt, imò, vt quod incredibile videtur dicamus, neſcio quomodo ille magis reſplendeat, qui ex parentibus à virtute prorſus alienis, ipſe tamen fuerit de virtute mirabilis. Nullus igitur in ſuperbiam de gloria parentum eleuetur, ſed conſiderans primogenitores Domini, omnem reprimat tumorem mentis, & de ſolis virtutibus glorietur, imo nec de ipſis quidem: ſic enim Phariſæus publicano deterior effectus eſt.* Ita S. Chryſ.

ADDITIO.

EVm qui ſe ob claritatem generis immodicè incitabat, hunc in modum affatur Epictetus apud Ariannum.

Enimuero ſi equi eſſemus, dixiſſes nimirum pater meus fuit velocior, ego pluri hordeo, & pabulo opiniore ſum paſtus, mea ſunt elegantiores phalerę. Quòd ſi te ſic mecum ita loquente, vicißim dicam: Eſto vt his rebus me vincas, contende, age mecum curſu. An vt equos curſu diiudicamus, ita homines habebunt vibil, quo meliorem à deteriore internoſcamus? Nónne fides, pudor, iuſtitia? his oſtende teipſum eſſe præſtantiorem. Vt nimirum ratione, quâ homo es, vincas alios. Idem confirmat Phalaris ad Axiolocham, his verbis: Phalaris.

Cùm de alijs honeſtatibus, & rebus cùm virtute coniunctis gloriari poſſumus, tum etiam de nobilitate. Ego verò præter virtutem, nobilitatem nullam prorſus nouimam reliqua ſunt omnia fortunæ dona. Et ij qui inter malos ipſe bonus eſt, regibus quoque & omnibus nobilitate præſtat. Qui verò inter bonos malus, is & ſemet ipſo, & abiectiſſimis quibuſque, eſt ignobilior. Item Dio optimè. Dio. orat. 15.

Generoſos, & nobiles eos à principio nominauerunt, qui bene nati eſſent ad virtutem, neque curioſè ſunt ſcrutati ex quibuſnam eſſent. Poſtea autem qui erant ex palde diuitibus, ſpectabilibuſque gentis, à quibuſdam ſunt vocati. Huius verò hoc manifeſtiſſimum ſignum eſt. In gallis enim gallinaceis, & equis, canibuſque manſit nomen, quemadmodum erat in hominibus quoque antiquitus. Quicumque enim ſpectat animoſum & ſuperbum, & ad curſum bene valentem equum, non interrogans an pater eius ſit ex Arcadia, an ex Media, an ex Theſſalia, iudicat generoſum eſſe equum. Similiter quoque qui canum habet experientiam, ſi canem videt velocem & promptum, & ſagacem circa veſtigia, nihil requirit præterea, vtrum ſit nata in Caria, an Lacedæmone, an aliunde vſquam, ſed dicit generoſum eſſe canem. Idipſum etiam ſit in gallo, atque alijs animantibus. Igitur patet quòd & in hominibus ita fieri debeat, vt qui bene natus ſit ad virtutem, eum generoſum appellare conueniat, tametſi nemo norit parentes eius, neque maiores. Atqui fieri non poteſt, vt quis ſit generoſus, vt idem non etiam ſit nobilis. In eandem rem eleganter diſſerit S. Ambroſius: D Ambroſ. l. de Nabuthe, c. 13.

Quid te iactas de nobilitate profapia? ſoletis & canum veſtrorum origines, ſicut diuitum recenſere, ſoletis in equorum veſtrorum nobilitatem ſicut Conſulum prædicare. Ille ex illo patre generatus eſt, & illa matre editus: ille auo illo gaudet: illis ſe prouus attollit. Sed nihil iſtud curruntem iuuat. Non datur nobilitati palma, ſed curſus. Deformior eſt victus, in quo & nobilitas generis periclitatur. Caue igitur, diues, ne in te erubeſcant tuorum merita maiorum. Et alibi.

Probati viri genus virtutis proſapia eſt, quia ſicut hominem genus homines, ita animarum genus virtutes ſunt. Et enim familiæ hominum ſplendore generis nobilitantur, animarum autem clariſcatur gratia ſplendore virtutis. D Nazianzenus exprobrantibus æmulis, ignobilitatem generis, ſcitè reſpondet: Idem l. de Noe, & Aron. c. 4. Nazian. orat. 25. n. 32.

Omnibus genus vnum: ſi inferiora hæc ſpectare velis, pulvis: ſi ſuperiora, ſpiraculum illud, cuius participes facti ſumus, quodque conſeruare iubemur, & cum quo mihi ad tribunal iſti neceſſe eſt vt diuinitus indita nobilitatis, imaginiſque rationem reddam. Quiſquis igitur per rectam viuendi rationem, animiq; ad exemplar ſuum inclinationem, ſpiraculum illud conſeruauerit, huic demum nobilitas conſtabit. Contrà qui illud per vitium fœdauerit formamque alteram, hoc eſt, ſerpentis, ſibi ipſe induxerit, ille verè ignobilis & obſcurus habêdus erit. Et mox: *Iam genus illud nobile cenſetur, quod vel olim opibus & copijs excelluit, vel quod nunc ſuperbè intumeſcit. Obſcurum contrà & ignobile, quod à parentibus vel propter calamitatem, vel propter animi equitatem pauperibus ducitur. Quonam enim pacto antiquitus, & ex omni tracta eſſe hæc nobilitas poßit, quæ partim nunc incipit, partim extinguitur: atque alijs quidem negatur, alijs autem principis reſcripto concedtur? Hæc de his rebus mea ſententia eſt. ac propterea te quidem ob ſepulchra vel tabulas, magnificè de te exiſtimare ſino. Ego autem meipſum, quantùm poſſum, à fraude atque impoſtura repurgare ſtudeo, vt nobilitatem vel conſeruem, vel recuperem.*

PROP. II. *Generis nobilitas plurimum ad virtutem confert.*

GEn. 24. curâ multâ curauit Abraham filio nullo modo dari filiam ex genere Chananæorum, ita vt seruum suum seniorem, cui huiusmodi curam accipiendi vxorem pro filio suo demandauerat, sic adiurauerit. *Pone manum tuam super femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cæli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum.* Cur ita? Sanctus Ambrosius hoc exponens lib. 1. de Abraham cap. 9. *Constringit (ait) eum, vt non de semine Chananæorum vxorem accersiret filio suo, quoniam generis author patrem non honorauerat, & ideo maledictionis hereditatem transfinisset in suos.* Ita Sanct. Ambros. quia igitur ex malo, & ignobili (ob suam malitiam) parente ortum habuit genus Chananæorum, ideo ex illo noluit vxorem filio suo tradi, ne filij ex tali orti matrimonio, ignominiam contraherent matris.

Vnde rectè Pindarus:

Non liberis pulchrius munus datum, quàm liberos habere parentes optimos.

Quod quidem verum est, non propter nobilitatem solam, sed etiam quia inde ansam non leuem assumunt ad mores suos componendos: dedecet enim nobili genere natos, moribus ignobilibus præditos esse. Vnde in sacris literis nobiles parentes clypei solent nominari. Sic vocauit eos Delbora in cantico suo: *Cor meum* (inquit) *diligit principes Israel.* Vbi Procopius sic legit: Oculi mei ad clypeos Israel; vnde refert etiam Wolfgangus Lucius, quòd inter Viennenses, cùm aliquis ex primarijs obijt, ex promogenitis, inquam, optimatum, sumentes scutum quoddam coronatum, ex alto quodam loco in terram projiciunt magna cum solemnitate, hoc nimirum significantes, clypeum fuisse illum filiorum illius domus: sicut enim clypeus in defensionem hominis adhibetur, ne vulneribus afficiatur; sic bonorum parentum exempla filios protegunt, ne vitiis afficiantur, &c.

Vlysses Aldourandus capite de apibus, refert, quod aliis etiam authoritibus confirmat, apes in visceribus caput quoddam simile capiti bouis deferre, cuius ratio est, quia apes ex capite bouis generari solet, adeo quidè naturæ consentaneum est, filios parentum suorum specimen & normam intra viscera sua ferre.

Panormitanus lib. 1. de gestis Alphonsi Regis, *Cùm quidam* (inquit) *Alphonsum, Aragonum regem, hoc nomine plurimùm commendaret, quod ex antiquissima, & nobilissima regum familia originem duceret, ille contrà respondit, nihil esse in vita, quod minoris ipse duceret, quàm quòd ille tanti fieri videretur: laudem enim illam non suam, sed maiorum suorum esse: quippe qui iustitiâ, prudentiâ, moderatione, atque animi excellentiâ sibi regnum comparassent, successoribus autem regna oneri cedere, & ita demum honori, si virtute propriâ potiùs, quâ testamento illa susciperent.* Ita ille. Non hoc vnus de media plebe, & infimo genere natus, vt suas ageret partes, asseruit, sed is qui regni clauum manu gerebat, rex, inquam (qui regalem prosapiam, & genus regum laudaturus videbatur) quia veritate conuictus oppositum asserere non valuit.

Aristoteles quidem eos viros illustres censet, qui illustriori aliquâ disciplinâ claruerunt, quia non solùm hoc modo se, suamque familiam illustriorem reddiderunt, verùm etiam vrbes, ac prouincias, è quibus oriundi sunt, & alias illustrant, sed tamen plus virtuti, quàm litteris, & generi tribuendum esse idem docet, honoremque virtutis præmium esse.

Plato quoque, philosophorum facilè princeps, & Aristotelis præceptor, tres nobilitatis species assignauit. Primam eorum, quorum parentes principes, ac potentes extiterunt. Secundam eorum, quorum maiores domi, militiæque aliquâ illustrioti gloriâ claruerunt. Tertiam, quam omnium excellentissimam esse ostendit, cùm quispiam animi ingenuitate, & magnitudine excellit, suæque laudis virtute nititur. Denique virtute magna præditos. Vnde non solùm Theologia fidelium, verùm etiam Philosophia infidelium, virtutis nobilitatem generis splendori, quamuis regum ille sit, facilè præfert. Magnæ quidem hoc consolationi humilibus reipublicæ Christianæ esse debet, quia, si non possunt generis regalis nobilitate potiri, possunt facilè id, quod illa nobilitate potius, & sublimius est, assequi, virtutem nempe, ac sanctitatem.

Vnde, vti refert Plut. lib. de vitiosa verecundia, *Antigonus* inquit, *ad quendam adolescentem, qui prognatus erat ex præclaro viro belli duce, sed ipse ignauus, ac mollis, postulabat tamen ob id ceteris anteferri. Apud me* (inquit rex Antigonus) *ô adolescens personarum, & non parentum virtutibus præmia sunt.* Ita Plut. nimirum, quia honores, & præmia meritis personarum metienda sunt, non progenitorum.

Isai. 1. *Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ, &c.* Cur populum Israel populum Sodomorum & Gomorrhæorum vocat, cùm hi infidelium populi sint? Procopius in hunc locum: *Corporalem generis splendorem, tanquam qui de Abrahæ semine essent, Israelitæ iactabant; sed Isaias eos semen nequam & principes Sodomorum & populum Gomorrhæ vocat, vt animi institutum, & vita nobilitatem è contrà parari doceat.* ita ille.

Non est damnanda, nec contemnenda nobilitas generis; sed tamen hoc nobiles animaduertere debent, quòd maior incomparabiliter sit virtutis quàm generis nobilitas; quare nobilitas sine virtute parum, virtus verò etiam sine generis splendore multum vale; nobilitas autem simul cum virtute eminens quidem bonum est. præterea vitium super generis nobilitatem cadens, plus hominem dehonestat, quàm si nobilis ille non esset; sicut olei macula super sericum & pretiosum vestimentum, peius illud deformat, quàm si super vile caderet indumentum, *mas campea la mancha de azute en la seda, que en el sayal, real zala mancha el caer en buen paño.* Promisit Moyses narraturum se esse genealogiam Noë, dicens, *hæ sunt generationes Noë*, & illico subdit: *Noë vir, iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit*, &c. Cur non statim parentum & auorum Noë nobilitatem enarrauit; sed solùm mores, & virtutes Noë? rectè ponderauit S. Chrysost. hom. 23. in Gen. dicens: *Scriptura autem nostras spe quadam impleuit, quasi genus Noë narratura, quo relicto, Noë*, inquit, *vir iustus, atque perfectus*, &c. ita S. Chrysost. qui respondens obiectioni, ait: *Quæ enim vilitas ex claris parentibus originem ducere, te autem bonorum morum exportem esse? aut quod damnum fuerit, si parentes & progenitores fuerint ignobiles, ipse autem virtutibus floreas?* ita Sanct. Chrysost. etenim in iudicio Dei non interrogaberis, cuius generis fueris, sed cuius vitæ, nisi fortè ad maiorem cumulum culpæ vel meriti.

Vnde S. Ambros. *Probati viri genus*, inquit, *virtutis prosapia est.* ita ille. non ait, non prodest genus, si adest culpa, sed culp adedecorat genus.

Luc. 1. sic S. Lucas de parentibus S. Ioannis Baptistæ, *Erant*, inquit, *iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini, sine querela.* Cur à Cæturus de Baptista ista præmisit? Sanct. Ambros. ibidem. *Quæ*, inquit, *alia intentio Sancti Euangelistæ, nisi vt Ioannes Baptista nobilitetur à parentibus? Sic etiam sancti Samuelis mater Anna laudatur, sic Isaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam posteris dereliquit*, ita Sanct. Ambros. agenti ergo de vera nobilitate Baptistæ, attinebat virtutes præmittere parentum, vt ostenderet ex hac potissimùm ratione nobilitatem veram desumendam esse.

Mi-

Gen. 24. 3.

Ambr.

Pindar.

Procopi. Wolf. Lucius.

Vlyss. Aldouand.

Prou. 13.

S. Ambr.

Luc. 1.

S. Ambr.

Miratur Sanct. Chrysost. in cap. 1. Matth. quod apertè in genealogia Christi expoſuerit Euangeliſta infames illas mulieres Raab ſcil. Bethſabee. & Thamar, & viros etiam peccatores : abhorrent enim homines huiuſmodi maculas in genealogiis ſuis. Reſpondet autem S. Chryſoſt. ibi hom. 3 dicens: *Vt nemo propter genus in ſuperbiam eleuetur ; ſed conſideratis progenitoris Domini, omnem inſtationem expectaret , & ob egregia fœmora ſibi placoat : nemo enim eſt ex vitio aut virtute parentum paruus, aut magnus, obſcurus, aut clarus : imò, vt quod incredibile videtur, dicamus, neſcio quomodo magis reſplendet is , qui ex parentibus à virtute prorſus alienis , ipſe tamen fuerit bonus vir.* ita ille. A

PROP. III. *Genus ſine virtute vanitas eſt.*

IVuenalis ad iuuenem quendam, Ponticum nomine.

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri, pictoſque ostendere vultus
Maiorum, & ſtantes in curribus Æmilianos?
Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt atque vnica virtus.

Deque ſiruen à Pontico vos eſcudos de armas con las inſignias de los anteçaſados , de que ſirue la larga liſta de los abuelos y tartaraabuelos de ſangre illuſtre, de que ſiruen las medallas, en que eſtan grauadas las imagines de tus maiores, de que ſiruen las carroſas o carros triumphales en que andan las eſtatuas de los nobles Æmilianos que preſtia tener ſobre cada pilar del attio o patio de tu caſa, vna eſtatua de los famoſos de tu linaje ? que al fin la ſola y vnica virtud es la verdadera nobleza. Non opus eſt Hieronymi vel Auguſtini ſententias hac in re indagare. Ethnici quidem ipſi, qui religionem Chriſtianam ignorarunt , vel ſola ratione naturali ducti, id affirmant , & vt ſtet in ore duorum , vel trium huiuſmodi paganorum hoc verbum, audi inſuper Ouidium, B

Nón cenſus, nec clarum nomen auorum,
Sed probitas magnos ingenuoſque facit. C

No es la riqueſa, ni el linaje de ſangre illuſtre lo que hace noble, ſinò la virtud , &c. huius quidem manifeſta eſt ratio: nam diuitiæ , & genus , & cætera huiuſmodi bona ab extrinſeco prouenient, extrinſeca ſunt : vnde ab eis extrinſecam homo accipit denominationem ; virtus verò intrinſeca res eſt , vnde propriam & non aduentitiam, ſeu appoſititiam, intrinſecam, & non extrinſecam ab illa habet homo appellationem. Quare meritò Bias Philoſophus omnibus fortunæ bonis ſpoliatus, & è patria diſcedere compulſus , ad extraneos perueniens , *Omnia*, dixit, *bona mea mecum porto*, ita refert Tullius , nimirum quia virtutem , quam hoſtes ab eo auferre non potuerunt , bonum proprium ſolum reputabat. Hinc Seneca: *Cum volueris* , inquit , *veram hominis æſtimationem videre, & ſcire qualis ſit , deponat patrimonium, deponat honores , & alia fortunæ mendacia , & corpus ipſum etiam exuat, & animum intuere , qualis quantuſque ſit , alieno , an ſuo magnus.* Ita ille. *Si quereis ſaber quien vno, ſea apartad del todo ſu patrimonio, por grande que ſea, veſtidos galas , criados , titulos, officios y dignidades, honras y ſangre illuſtre. y todos los demas bienes qui llaman de fortuna , y aun para conoçer bien a vno, no ſe ha de mirar lo que es de parte del cuerpo , ſi fuerte, ſi hermoſo , ſi ligero , ſi bien diſpuſito , ſinò lo que es de parte del alma , ſi humilde en las honrras , paciente en los trabajos, ſancto en ſus obras, &c.* Eodem igitur pacto generis laus, ſi virtutis non fuerit comes, contemnenda eſt : quare meritò celebratur illud Herculis dictum, apud tragicum Senecam in Hercule , *Qui genus ſuum laudat, aliena laudat.* Vnde meritò Apoſtol. *Opus ſuum probet vnuſquiſque , & ſic in ſemetipſo gloriam habebit, & non in altero* , hoc eſt , vera laus non ex alienis , ſed ex proprijs quærenda eſt : nam aliena opera bona eos commendant , quorum opera ſunt , non alios. D

genus igitur eos propriè laudat , & commendat , qui genus ipſum operibus generoſis & illuſtribus nobilitarunt.

Denique genus illuſtre illum illuſtrat , qui quæ generis ſui ſunt, digna facit. vnde ſapienter à Claudiano dictum eſt.

Virtute decet, nõ ſanguine niti, quid enim ſubmerſa tenebris
Proderit obſcuro veluti ſine remige puppis,
Vel lyra, quæ retiçet, vel qui non tenditur arcus?

De que ſirue vn buen nauio con todas ſus buenas ſarcinas , y a pueſto en la mar , ſi no ay buen Piloto que lo gouierne , de que ſirue vna biguela muy bien templada ſi no ay quien la taña, de que ſirue vn buen arco, ſi no ay quien lo ſtecho? talis igitur eſt generis nobilitas , niſi ea quis ad virtutis opera vtatur, vtetur autem, ſi quæ digna ſunt genere ſuo, præſtet.

Imò qui ex nobili proſapia deſcendit , ſi proſapiæ ſuæ operibus non reſponderit , maius ſibi dedecus acquiret: nam, vt Iuuenalis aſſeruit,

Satyr 8.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.

Stemmata ergo maiorum, vexillum, quod proaui ex manibus hoſtium extraxerunt , hiſtoria quam quis domi habet , in qua præclara prædeceſſorum facinora continentur, ad ſimilia te opera deuinciunt: aliàs enim in maius dedecus tuum cedent.

Nobilitas eſt generis ſplendor ; vnde qui ex genere regio ſunt, ceteris omnibus nobiliores ſunt , regale quippe genus clariſſimum omnium eſt , hinc eſt, iuſtos viros omnium nobiliſſimos eſſe: hi enim regalis, imò & diuini generis ſunt. *Videte*, ait Apoſt. Ioannes, *qualem charitatem dedit nobis Pater , vt filij Dei nominemur , & ſimus.* quaſi dicat: profectò ſi filij Dei tantummodo dicemur, vel ipſa ſola nominis appellatio charitatem eximiam Dei erga nos commendaret ; quantò magis, quòd non ſolùm filij, Dei nominemur; verùm etiam ſimus, *ſi ſer hijos dalgo es nobleſa de linaje, ſer hijos de Dios que ſera?* hinc Chriſtus Dominus , *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror , & mater eſt*, hoc eſt , eiuſdem generis ſumus , quia gratia, quæ hominem filium Dei facit , participatio quædam eſt diuinæ naturæ, vti ait Apoſt. Petrus ; hanc meritò generis claritatem, & veram nobilitatem dicemus, non verò eam , quam mundus nobilitatem vocat , quæ ex carne & ſanguine promanat : caro enim ex luto deſumpta eſt , lutea igitur eſt nobilitas hæc , *nobleſa pueſta del lodo.* anima verò excellentiſſima res eſt , per eam quippe homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt : qui ergo ex parte animæ Dei participat genus , hic verè nobilis eſt , hoc autem per virtutem & gratiam fit. Vnde S. Gregorius Nazian. *Nobilitas* (inquit) *diuinæ imaginis conſeruatio , & archetypi imitatio eſt , quam ratio & virtus efficiunt.* Ita ille. *Matt. 12. 20.* *1. Pet. 1.* *Orat. 17. de nobilitate S. Gorgon.*

Quare hi tantùm ignobiles dicendi ſunt , qui hac nobilitate animæ carentes , vitiis peccatiſque ſe tradunt. Sic etiam Dominus ipſe : *Quicumque glorificauerit me , glorificabo eum : qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* quod quàm conſonum rationi naturali ſit, ex his, qui ſolo naturalis luminis ductu conſcripſerunt, proſpiciamus. *1. Reg. 2. 4.*

Ariſt. *Nihil aliud* (inquit) *quàm virtus & malitia determinat liberum & ſeruum, nobilem & ignobilem ; quaſi dicat: omnis virtute præditus & ſeruus nobilis eſt, & omnis peccator ignobilis eſt.* *1. Polit. 4.*

Item Philoſophus alter, Phalaris nomine : *Ego prater virtutem, nullam agnoſco libertatem , reliqua verò cuncta æſtimo fortunæ.* Ita ille.

Item Democritus Philoſophus : *Animalium irrationalium nobilitas in viribus , & bona corporis habitudine conſiſtit , hominum verò in bonitate morum.* Item Diogenes Cynicus rogatus , quoſnam nobiles duceret homines reſpondit: *Contemptores opum , gloriæ , voluptatum, & vitæ.* *Epiſt ad Ariſtobul.*

Item

In dicter. Item Euripides,

De nobilitate parum laudiu prædicare possum:
Bonus enim vir mihi nobilis videtur.
Qui verò non iustus est, licèt à patre meliore,
Quàm Iupiter sit, genus ducat; ignobilis mihi censetur.

yo poco hallo que dizir en alabança de nobleza de sangre, al bueno tengo yo por illustre : que el malo aunque venga de la cepa del Dios Iupiter, a mi no me pareçe illustre.

Lib. de vetula. &c. Elegantissimè verò de hac re sic Ouidius egit,

Nobilitas hominis, mens & Deitatis imago.
Nobilitas hominis, virtutum clara propago.
Nobilitas hominis, humilem releuare iacentem.
Nobilitas hominis, mentem frænare furentem.
Nobilitas hominis, naturæ iura tenere:
Nobilitas hominis, nisi turpia, nulla timere.
Nobilitas hominis, terrenas temnere dotes.
Nobilitas hominis, cælestia carpere regna.

Quid amplius à D. Augustino, aut ab eloquentissimo Chrysostomo, aut deuotissimo Bernardo, dici potuit : hæc, inquam, Ethnicus ille, ne nobiles Christiani nimiæ Christianorum pietati dicta de nobilitate sua tribuere possint?

Prou. 14. 34. *Iustitia eleuat gentem, miseros autem facit populos peccatum.* Symmachus legit, *opprobrium autem populi peccata*, hoc est, virtus nobilitat omnes gentes, quamuis alias barbaræ & paruæ æstimationis sint ; peccata verò etiã nobilibus mundi, ignobiles reddit, dicente Domino:

1. Reg. 2. 30. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

Thren 3. Ierem. *Cecidit corona capitis nostri. Væ nobis quia peccauimus.* vbi Paraphrastes Chaldæus : *Corona regni nostri insigne præstantissimum de capite nostro cecidit.* Hoc deplorabat Ieremias nomine totius regni Israel, quasi, diceret: nobilitatis nostræ & claritatis Israeliticæ insigne perdidimus, quod ex nobilissimo genere Abraham, Isaac, Iacob, Dauidque contigerat nobis: & hoc, quia peccauimus.

Vbi notandum est verbum illud, *cecidit* : non enim ait : inimici nostri coronam vi à nobis rapuerunt, sed ipsa cecidit ex capite nostro, quasi proprio motu, sine vlla vi, sponte, eò quòd peccauimus, quia caput peccatoris indignum prorsus est corona. *Es cosa tan vily soes, vn peccador, que pariçe que la mesma corona se afronta de estar en su cabeça, y se cae della sin violencia, de quien la quita, pareciendole que esta mas hon rada en el suelo, que en las sienes de hombre malo.* Quare vera nobilitas & quæ coronã digna est, in virtute consistit.

Ser. 84. Refert Stobæus, quòd interrogatus Democritus Philosophus, in quo vera nobilitas hominis consisteret; respondit : *Pecudum quidem in bono & valido corporis habitu, hominum autem in bonitate morum.*

Item Socrates : *Neque frumentum optimum, quod in pulcherrimo agro natum est, sed quod commodè nutrit, neque virum bonum, qui genere clarus, sed qui moribus fuerit egregius.* Ita ille. *Quien es illustre ? el bueno, quien es villano ? el malo: y no basta la cruz colorada, ni el tuson real a ennoblecer vn pecho en peccado.*

Matt. 12. 39. *Generatio mala & adultera, &c.* hæc Dominus ad Hebræos & Israelitas quosdam, cùm quidem optimè sciret, ex nobilissimo genere Regum & Patriarcharũ illos esse. Cur igitur generationem malam & adulteram eos vocat? gloriabantur quidem se filios Abrahæ esse, & discipulos Moysi sancti, cùm verò constaret illos moribus eorum esse dissimiles valde, ideo adulterinos filios vocat : nam qui legitimi filij sunt parentum moribus assimilari solent, *y buen aya quien a los suyos pareçe*, adulterini verò dissimiles referunt mores. Cùm igitur Abraham, Isaac, & Iacob, & alij Patriarchæ, sanctissimi fuerint viri : quid mirum si hos Dominus adulteros dicat, cùm adeo moribus extiterint inæquales?

Ezechi. 16. 3. Hinc etiam : *Hæc dicit Dominus Deus Ierusalem: Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan : pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* vbi S. Hieron. *Iuxta scilicet similitudinem radicem Ierusalem, & generationem eius de terra Chanaan esse dicit.* Ita ille. Sicut etiam magnus Propheta Isaias clamabat ad principes, & populum Iudæorum : *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, Cap. percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ.* cur populum Israeliticum populumque Dei populum vocat Sodomorum, & Gomorrhæorum? S. Hieron. *Vocat eos principes Sodomorum, & populum Gomorrhæ, iuxta illud, quod in consequentibus legimus, Iniquitatem suam sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.* Ita ille. Idcirco Dominus ad illos qui gloriabantur se filios Abrahæ esse. *Si filij, inquit, Abrahæ estis, opera Abrahæ facite: nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo. hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri,* & ne suspensos eos detineret, cogitantes, quemnam diceret eorum patrem, subdit: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere : ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Ecce cuius filij sint peccatores, licèt ex Gothorum progenie se esse glorientur, diaboli filios eos vocat ipse Filius Dei, quia opera referunt eius. Vnde in diuinis litteris, iusti filij Dei nuncupantur, eò quòd moribus suis pro captu suo Deum imitentur. *Diligite, inquit, inimicos vestros, &c. vt sitis filij Dei,* quasi dicat: estote similes Deo, & vocabimini filij Dei. Ecce nobilitatem iusti orum, *son hyjos dalgo, pues lo son de Dios.* Denique gloriosius est nobilem esse hominem moribus, quàm genere.

Sicut igitur non adoramus crucem, quia aurea vel argentea, & margaritis ornata sit; sed quia Christum repræsentat crucifixum; sic non veneramur Christianum, quia ex nobili genere ortus solummodo, sed quia Christianos habet mores, & Christum Dominum imitatur.

Sunt qui de nobilitate maiorum suorum gloriantur, & se de genere Gothorũ esse iactant magnaq; virtutes proauorum, & gesta magnifica & mirabilia narrant, & in scutis insignia eorum sculpunt, & cælant, qui tamen nec eorum præclara gesta imitantur, nec sequuntur virtutes: si enim illi fortes, & in bellis magnanimes se exhibuerunt; ipsi pusillanimes & leones sunt: si maiores, temperati, prudentes, reipublicæ, ut parentes fuerunt, ipsi intemperati, imprudentes, & reipublicæ perturbatores sunt, &c.

Hi quidem similes mihi videntur illi corniculæ, de qua Horatius:

——— *moueat cornicula risum*
Furtiuis nudata coloribus, &c.

Induerat se cornicula (inquit fabulosè) plumis pfittacorum, & columbarum, & pauonum, &c. quam cùm viderent aues, vnaquæque plumas suas vindicauit; quibus ipsa denudata, risui cunctis fuit. Sic esse videntur qui maiorum suorum præclaris gestis se induere volunt: si enim alienis suorum parentum factis eum spoliaueris, risui cunctorũ expones: ex tuis ergo, nõ alienis factis, veram nobilitatis gloriã acquire. Vnde Iuuen.

Tota licèt veteres exornent vndique cera *Sup. Atria, nobilitas sola est, atque vnica virtus.*

Quitalle de sus armas, aun à los leones, y quedara vna hebre, quitalle las aguilas, y quedara vn grajo o murciegalo, quitale los cast. llos roquerot, y quedara vna Zahurdas de lechons, &c. Refert Apollodorus fabulosè, olim voluisse Deos equitem constituere Herculem, *armarle caualiero,* & partiæ suæ defensorem : cui propteréa Apollo pharetram arcumque dedit, Mercurius verò ensem, Minerua scutum, &c. solam verò fecurim voluerunt armorum eius insigne esse. *Sola el acha de armas, o la porra clauada, quisieron que se grauasse en su escudo de armas.* & ratio huius fuit, quia hanc nemo illi dederat, sed sibi eam fabricauerat, & eã facinora multa præclara patrauit. Fabula hæc, sed quæ ad rem maximè fru-

cta

...vanum est tibi maiorum tuorum insignia solùm ...illis gloriari: propter hæc enim illi quidem insignes fuerunt, quia suis meritis ea sibi acquisierunt; tu verò quid ex meritis tuis habes, vt tibi gloriosè ea meritò abscribere possis?

Valerius Max. refert, olim Scipionem cognomento ignobilem, filiumque magni Scipionis Africani, annulum sibi fecisse, in quo sculpta erat imago patris sui, annulumque digito suo impositum secum ferebat; quem cùm à virtutibus & exemplis paternis Senatus Romanus degenerasse vidisset (erat enim pessimis imbutus moribus) pulpito edicto cauit, ne in posterum annulum illum secum deferret, indecens esse iudicans, illum se imagine illius condecorare, quem moribus suis dehonestabat: quare solo cognomine Scipionis Ignobilis notatus mansit, in maius dedecus sui.

GLORIA.

Prop. I *Gloria est status omnium bonorum, sine mixtione malorum.*

2. *Sola gloria satiat cor nostrum.*
3. *Gloria est bonum æternum*
4. *Quanta sit gloriæ magnitudo, & excellentia.*
5. *Quàm ingens gaudium sit gloria.*
6. *Gloria cælestis omni pœnalitate caret.*
7. *In gloria erit requies omnis laboris expers.*
8. *Gloria expellit timorem & horrorem mortis.*
9. *In gloria nulla reperitur inuidia.*
10. *Gloria est bonorum operum præmium*
11. *Qualiter primo loco quærenda sit felicitas gloriæ.*
12. *Gloria meritum in arduis rebus præcipuè situm est.*
13. *Spes gloriæ gaudium parit.*
14. *Ad gloriam per crucem eundum nobis est.*
15. *Gloriæ amor mundi amorem excludit.*
16. *Quàm expediens sit nobis agere de gloria.*
17. *Gloria consideratio feruorem ad bene operandum excitat.*
18. *Gloriæ consideratio conducit ad Crucem Christi libenter ferendam.*
19. *Desiderium gloriæ signum gratiæ & prædestinationis est.*
20. *Ad gloriam cælestem considerandam, vti oportet, auertendus animus à terrenis.*
21. *Vnde prouenit, quòd non valde cælestem gloriam desideremus.*
22. *Gloria mundi quàm vana sit*
23. *Vana est omnis gloria, nisi quæ à Deo & virtute petitur.*

Prop. I. *Gloria est status omnium bonorum, sine mixtione malorum.*

Omnes nos beatos, & prorsus felices in hac etiam vita esse desideramus. *Vnde*, inquit S. Augustinus lib. 13. de Trinitate, c. 3. *illa cunctâ nimi facetissima prædicatur vrbanitas. Qui cum promisisset in theatro, quid in animo haberent, & quid vellent omnes, alijs ludis fecisse dicturum, atque ad diem cõstitutum ingenti expectatione maior consueret multitudo, suspensis, & silentibus omnibus, dixisse perhibetur:* Vili visitis omnes emere, & carò vendere. *In quo dicto leuissimi scenici omnes conscientias inuenerunt suas, & magno fauore plauserunt. Sed scio ipse hominem, cui cum venalis codex fuisset oblatus, pretiique eius ignarum, & ideo quiddam exiguum poscentem cerneret venditorem, iustum pretium, quod multò amplius erat, nec opinanti dedisse. Largitionis etiam gratiâ nouimus quosdam emisse frumenta carißs, & suis ciuibus vilißs vendidisse. Illud etiam quod Ennius Poeta dixit:* Omnes mortales sese laudari exoptant, *profectò de se ipso, & de iis, quos expertus fuerat, coniecit in alijs. Denique si & mimus ille dixisset:* Omnes laudari vultis, nemo verò vituperari, *similiter quod omnium voluntatis esset dixisse videretur. Sunt tamen qui vitia sua odio habẽt, & in quibus sibi displicẽt ipsi, nec ab alijs se laudari velint, & gratias agant obiurgantium beneuolentiæ, cùm ideo vituperantur, vt corrigantur. At si mimus ille dixisset, omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid quod nullus in sua non agnosceret voluntate, quidquid enim aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate non recedit.* Ita S. Augustinus.

Sed tamen beatitudo, & felicitas nostra in cœlo consistit, in cœlo reperitur, non in terra, vbi nullum ex bonis mundi reperies, quod alicui miseriæ permixtum non sit. si cibus placeat, famem oportet interuenire, quia fames condimentum est cibi; si potus, sitim, si calor placet, algor præcedere debet, si frigus, calor, si vestis, nuditas, si quies, defatigatio, si somnus, priuationem sensuum interuenire oportet; nulla hîc felicitas absque miseria: misera igitur est fœlicitas mundi.

Matth. 17. sic Apostolus Petrus ad Christum transfiguratum: *Domine, bonum est nos hîc esse, si vis, faciamus hic tria tabernacula, &c. Señor adonde podemos ir, que mas valgamos? quedemo nos en este monte, què no pareçe monte, sinò cielo y gloria y, para esto hagamos aqui tres tiendas, y moradas, donde estemos, &c.* Si tanta est montis huius gloria, cur ô Petre, tabernacula quæris? qualis, quæso, est illa felicitas, quæ indiget tabernaculo? diminuta est profectò. & quidem talis est omnis felicitas, quæ reperitur in terris, tabernaculis egens, & alijs fulcimentis. *Vers. 4.*

Vnde S. Bern. serm. 33. in Cant. *In terra nec clara lux, nec plena refectio, nec mansio tuta est.* Ita ille. *En la tierra ni ay luz, sin nublados, ni hartura que mate nuestra ambre, ni lugar seguro, &c.*

Vera ergo & perfecta beatitudo illa est, quæ reperitur in cœlo, quæ in Dei visione, & fruitione consistit, in hac beatitudine nihil miserum, nihil diminutum, nihil alio à se indigens est, quia ibi Deus beatitudo nostra.

Vnde Sanctus Ambros. lib. 3. Epistolar. epist. 11. *Vbi omnia bona in vno bono.* Ita ille. *Es vn bien, que pone fin a nuestros deseos y a nuestras esperanças, porque alli ni ay mas que desear, ni mas que esperar, alli en vn bien esta todo el bien.*

Quare hanc definitionem assignant Theologi beatitudini nostræ, *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Vbi duo requisita assignantur. Primum est, aggregatio omnium bonorum: nam ibi saturitas sine siti, & fame, & ibi fames & sitis sine satietate, omnium bonorũ simul. *Es vna hartura hambrienta y vna hambre harta, vna sed satisfecha, y vna satisfacion sedienta, vn cumplimiento deseoso, vn siempre tener lo que siempre se desea, y vn siempre desear lo que siempre se posee.* Denique omnia bona in vno bono, ibi plenę diuitiæ, plenæ deliciæ, pleni honores, plena salus, plenus omnium inter se amor, plena pax, plena securitas, plena omnium rerum scientia, & sapientia, plenum ex bonis omnibus resultans gaudium.

Solummodo ibi desideranda restat perseuerantia, seu permanentia horum bonorum, propter hoc in definitione illa positum est status: hic in mundo, exigua & diminuta bona sunt, & etiam vicissitudo & finis, *quæ quando mas no al fin morir*, sed tamen vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi & nihil permanere sub sole, hoc dixit Salomon ille gloriosus, Eccles. 2. postquam omnia bona mundi, quantâ ei possibilia erant, aggregarat: *Superduxi animæ considerationem super omnia illa, & inueni in eis tria hæc, vanitatem, afflictionem, & consummationem*, siue imper manentem, quia non solum bona hæc morte finiuntur, verumetiam ante mortem mille mutationibus sunt obnoxia, vnde Iob 14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis, & nunquam in eodem statu permanet.* Vnde hîc non status bonorum, sed vicissitudo perpetua, *reuez anse buenes y malos cadadia.* At in cœlo status est, quia primi nullo æui spatio finientur, erunt beati, beati in æternum, & vltra in hac æternitate nulla erit vicissitu- *Vers. 13.*

cissitudo, semper bona hæc in eodem statu perma- A nebunt. *a un peso y a un paso duran alli todos los bienes para siempre sin fino gloria o bienauenturança cumplida*, &c.

Ser. 5. in vig. Natal. Domini.

Sanct. Bernard. *Reddet Dominus iusto coronam iustitiæ suæ, iudex in illam diem, cui sane altera non succedet; tunc videbit, & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor ipsius. Quousque dilatabitur? vsque ad videndam in se maiestatem Dei. Nolite arbitrari, fratres, quòd gloriam illius visionis verbis explicare non possimus, videbitis, & gaudebitis, & gaudium vestrũ implebitur. Quid enim maiestas illa non impleat? superimplebit etiam, & superefflues, quando mensuram bonam, confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinus vestros. Vsque adeo quippe superefflues, vt supra modum in sublimitate excedat, non modo merita, sed etiam vota, sicut verè potens est Deus facere supra quàm nos intelligere possumus, aut sperare. Nam desideria nostra in tribus maximè videntur constituta, quod decet, quod expedit, quod delectat, hæc sunt, quæ concupiscimus, omnes quidem hæc omnia, sed alius magis* B *hoc, alius magis illud, ille sic deditus est voluptati, vt nec honestatem satis reputet, nec vtilitatem, ille quæstui magis incumbens, & honestum dissimulat, & incundum, ille voluptatis & vtilitatis pariter negligentior, solùm vel maximè honorem sectatur. Nec verò reprehensibile horum desiderium, sed si ibi quærantur ea; vbi verè inueniremus: hæc enim vbi verè sunt, vnum sunt, vtique ipsum atque summum bonum, summa vtilitas, summa gloria, summa voluptas. Atque hæc quidem quantùm interim capere possimus, expectatio nostra est, & promissa nobis visio maiestatis in nobis, vt Deus sit omnia in nobis, omne vtile, omne incundum, omne honestum.* Ita Sanct. Bernard.

Luc. 6.

PROP. II. *Sola gloria satiat cor nostrum.*

Vers. 4.

DAuid Psalm. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Quasi dicat (inquit Hugo Card.) flebo, quia C abest, quod desideros flebo, quia adest, quod non amo. Ita ille. Causa igitur huius tanti fletus, carentia patriæ cœlestis erat, sed non videtur hoc loco metaphoræ proprietatem seruasse Dauid: sitim enim non extinguit panis, sed potiùs auget. cur igitur non ait: fuerunt mihi lachrymæ meæ aquæ potus, sed cibus panis? sic enim meliùs significasset, se nullum aliud solatium habere in hoc mundo, ad temperandam sitim cœlestis gloriæ, nisi fletum. sed tamen consultò Dauid, non aquam, sed panem lacrymas istas appellauit. Primò, vt ita assiduitatem fletus significaret: panis enim cibus quotidianus, & assiduus est; sic fletus ille Dauid assiduus erat, sicut ipsemet explicuit, dicens: *fuerunt mihi panes die, ac nocte*, hoc est, semper aut certè sæpe. Secundò, vt eo pacto exprimeret, nec lacrymas ipsas dolorem eius, & desiderium temperare: nam qui sitiens panem manducat, non sitim extinguit sed auget, vt dictum est; sic quantò magis flebat, magis sitim augebat, nullumque D solatium absentiæ gloriæ sentiebat.

Ps. 16. 15.

Vnde rursus: *Satiabor* (inquit) *cum apparuerit gloria tua.* Quasi dicat: nihil aliud, Domine, præter gloriam tuam poterit satiare cor meum. Et quidem multa illi satis superque fuisse videbantur, & prospera in vitæ suæ decursu euenisse, quibus facilè animam satiare potuisse videbatur. Eius igitur desiderii inquiramus. Pastor fuit, qui tunc optabat vires, quibus infestos vrsos, & leones, qui oues eius occidere volebant, necaret; accipe igitur vires & potentiam, quâ eos interimere possis, fiat tibi, sicut vis, vrsum leonemque, velut caniculam paruam occidas. quid ampliùs optas? Domine, gigantem quemdam aspicio, hostium nostrorum ducem, & antesignanum, qui opprobrio est populo tuo, & ad singulare certamen prouocat nos, vellem ego interimere illum: fiat; & ita factum est, gloriosè quippe gigantem deiecit, & interfecit, & abstulit opprobrium ex Israel. Visne aliquid vlteriùs? Domine, vellem præmium mihi exhiberi, quod pro hac victoria mihi à rege promissum est, vt scilicet mihi in vxorem detur filia regis? detur, ait Dominus, & generi efficiaris regis: num ampliùs quid desideras? factus sum à rege militiæ princeps, victoriam hostium nostrorum cupio: victor igitur euadas, euasit: quid ampliùs velles? vellem vnctionem à te præstitam mihi, effectum sortiri, in regem populi tui electus à te sum, me nunquam talia cogitante, perfice Domine, quod cœpisti: esto igitur rex, ait Dominus, & rege populum meum electum Israel. Ecce Dauid adregni fastigium ex pastore pan pere, abiectoque alcordisti, iam quid insuper quæras non habes: satiatum igitur nunc remanet cor tuum, satiatum? inquit, nequaquam, satiabor, cùm apparuerit gloria tua.

Item: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem.* Pondera verbum *adimplebis*, sola enim Dei visio adimplet gaudio, & lætitia cor nostrum, & satiat mentem humanam: vnde Sanctus Augustinus. sic explicat locum istum: *Adimplebit lætitia in cœlo sanctos tuos, vt vltrà non quærant aliud, cum facie ad faciem viderint te &c.* Sanct. Hieron. ibidem: *Adimplebis me lætitiâ, quia tunc erit plena lætitia, vbi erit Deus in omnibus omnia.* Ita ille. Et optimè Hugo de Sancto Victore, lib. sententiarum, cap. 5. *Adimplebis lætitiâ cum vultu tuo, quia in hac vita aliquando possumus lætari, sed impleri lætitiâ non possumus, quia etsi quædam sunt, quæ lætificãt, plura sunt, quæ contristant.* Ita ille. In cœlo autem nulla sunt, quæ contristent, & omnia sunt, quæ non lætificare possint. vnde meritò addit Propheta: *Delectationes in dextera tua vsque in finem.* Dextera, in qua electi collocantur, est fælicitas æterna, *aquella si que es buena mano derecha*, in hac dextera sitas esse ait delectationes, quas delectationes? absolutè, hoc est, omnes delectationes quæ quidem in læua huius vitæ nec tales, nec tot reperiunt, quales verò, & quantæ sint delectationes illæ, nec dici, nec concipi mente hoc in sæculo potest: inexplicabiles enim sunt, ac si nescienti, qualis sit dulcedo mellis, & saccari dulcedinem exprimere velles; sufficiat ergo dixisse, adeo ingentes esse delectationes illas, vt linguam, captumque humanum, imò & angelicum excedant, nisi actu fruamur illis. De durationè verò illarum subdit: *vsque in finem*, S. Hieron. *Hoc est, sine fine*, Cassiodor. verò, *vsque in finem, vt finis significet perfectionem, & æternitatem illarum delectationum, quæ nullis erunt temporibus finiendæ.* Ita ille. Vsque in finem ergo sunt, qui tam in intensione, quàm in extensione, vsque in finem, & vltimum terminum interminatum peruenerunt, *es lo vltimo que en excellentia, y duracion pueden tener los gozos.* Vnde meritò Hugo de Sancto Victore, libr. de sententijs, cap. 26. *In temporalibus bonis delectationes quædam sunt, sed non vsque in finem, quia in hac vita semper gaudium nostrum sequitur dolor, & omnis delectatio amaro fine terminatur; in dextera autem Dei delectationes vsque in finem, quia in vita æterna nec gaudia in mœrorem, nec delectationes in dolorem mutari possunt.* Ita ille.

Ps. 72.

Item Psalm. 72. sic ad Dominum regius Propheta: *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* hoc est, vti explicat Liranus, quid in terra, imò quid in cœlo præter te, Domine, est, quod mihi satis sit? quid? multa quidem, & sublimia supra modum in terra: copia quidem ingens est argenti; & auri, & lapidum pretiosorum, & diuitiarum multarũ, & honorũ, & dominiorum & deliciarum magnarum: in cœlo autẽ cælestia sunt, & tantò bonis terrenis excellsiora, quantùm à terra distat cœlum. quomodo igitur ait Dauid: *Quid mihi est in cœlo, &c.* nimirum loquitur quasi homo quidam edax, & helluo ac vorax, cui modicus apponitur ad vescendum cibus, qui fame laborans, & cibi exiguitatem aspiciens, dicit: quid mihi paruus hic cibus est? sic cùm

homo

homo eximiæ capacitatis bonorum sit, capax, inquam, beatitudinis diuinæ, & hinc eius fames bonorum, & insufficientia rerum creatarum, quamuis cœlestia illa sint: solus enim Deus, ad cuius imaginem homo creatus est, satiare & implere potest eius capacitatem, *Ias grandezas del mundo podranos inchar mas no hinchirr.*

Optima comparatio sigilli, si fuerit sigillo impressa imago regis, nihil præter ipsum sigillum, quo efficta & facta est imago in cera, poterit illam implere; sic cùm homo ad imaginem Dei factus sit, solus Deus implere poterit illum,

Præterea, quia sitis bonorum intus in anima est, hæc autem corporalia exteriora bona sunt. sitit infirmus febri magna correptus, adest medicus, & sitim infirmi alleuare optans; adhibeatur, inquit, infirmo aqua rosacea, quâ pulsus brachiorum, & capitis lauentur. cui infirmus, Domine, non mihi satis est. quid igitur vis? bibere, inquit, fiat hic manualis aliquis fons, à quo aqua fluat, & infirmum oblectet, ait medicus. ait infirmus, Domine, bibere volo, satis, inquit medicus, erit os aquâ abluere, & hyssopilulo Zaragatonæ os humectare. minimè, ait infirmus, sed bibere. nimirum quia sitis intus vexat, hæc autem remedia exteriora sunt, & ad eam partem, in qua sitis est, non pertingunt. Talia quidem sunt mundi bona, ablutiones exteriores sunt, fontes quæ visui deseruiunt, Zaragotona est, quæ tantùm gustum humectat, sitis bonorum intus in corde est, quò bona hæc non pertingunt. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quid sitis anima? Deum, accipe honores: non hæc sitio, sed Deum: accipe delicias ac diuitias, non, sed Deum, hunc sitio, hic solus mihi satis ad sitim est. satiabor igitur, ô Domine, cùm apparuerit gloria tua, &c. in cœlo nulla fames, nulla sitis bonorum, sed satietatem audis, ne fastidium imagineris, sicut in satietate ciborum corporalium euenire solet; nam cœlestis beatitudo ita satiat, vt simul famem satiatus experiatur.

Prop. III. *Gloria est bonum æternum.*

Psal. 25. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Torrens est flumen quoddam citò pertransiens, cur igitur gloriam illam in æternum permansuram torrenti prætereunti comparauit? S. Bern. serm. de fallacia prælentis vitæ, *Flumen* (inquit) *est cœlestis gloria, sed quod affluat, non quod fluat vel effluat. Flumen vocatur, non quod transeat, vel pertranseat, sed quod abundet.* Ita ille. Quare torrens dicitur felicitas & gloria, non quia sicut torrens citò fluat, & pertranseat, sed quia torrens impetum, & copiam quandam aquarum sonat, in quo similitudinem cum gloria habet, in qua fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, & copia gloriæ durat in æternum.

Hinc est, quòd Matth. 17. postquam Christus Dominus ostendit nonnullis Apostolis suis transfigurationis suæ gloriam, dixit eis: *Visionem quam vidistis, nemini dixeritis, donec filius hominis a mortuis resurgat.* Cur non statim miraculum tantum manifestari permittit in gloriam nominis sui, sicut & miraculia alia? Respondet Doctor quidam doctus, quia gloria illa transfigurationis citò pertransiit, & ne audientes visionem gloriæ cogitarent sic temporariam fore, & ad tempus resurrectionis suæ gloriam, notitiam distulit transfigurationis. Tunc enim à mortuis resurgens, gloriam habiturus erat Christus, non ad horam, sicut in transfiguratione, sed æternùm permansuram, & ita omnes conciperent felicem statum gloriæ, non temporalem, sed æternum esse.

22. Genes. 2. *Complevit Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requievit die septimo ab vniverso opere quod patrarat.* Cur non dixit Scriptura de die septimo, quòd de

A alijs dixerat diebus: *Factum est vespere & mane dies vnus, & factum est vespere & mane dies secundus*, &c. Cur etiam non dixit, *factum est vespere & mane dies septimus?* Sanctus Anselmus in cap. 4. ad Hebræos: *Sicut enim sabbatum, in quo Deus requievit, non legitur habuisse vesperam; sic requies sustorum non habebit finem; quia sicut ibi Deus cessauit ab operibus suis, sic illi cessabunt ab omni opere, liberi penitus ab omni laboris anxietate in æternum.* Ita ille. Iuxta illud Apoc. 14. 13. *Amodò dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Gen 1. 5. S. Ansel.

Prop. IV. *Quanta sit gloriæ magnitudo, & excellentia.*

QVis exprimere, vel mente concipere potest, cœlestis beatitudinis excellentiam? audiamus, quæso, S. Augustinum, rem de ipso miram conscribentem. epist. 105. quæ etiam posita est in proœmio operum S. Hieronymi, tom. 1. l. 1. & contigit eo ipso die, quo S. Hieronymus è vita migrauit, & cùm ipsemet S. Augustinus adhuc ignoraret mortem eius. ait ergo S. Augustinus eodem die, & horâ, quâ obijt Hieronymus: *In cellula mea quæscens aude cogitabam, qualis inesset animabus beatorum gloriæ & latitiarum quantitas, cupiens inde brevem componere tractatum. Charta igitur, & calamo, & pugillari in manibus susceptis, vt brevem scriberem epistolam, sanctissimo Hieronymo destinandam, vt quidquid de hoc ille sentiret, mihi responderet; ineffabile subitò lumen nostris intersum temporibus, nostrisque linguis minimè declarandum, cum ineffabili, & mauditæ odorum fragrantia, cellulam, in qua stabam, intrauit. Inter hæc de luce vox quædam, hæc dicens verba, exinit: Augustine, Augustine, quid agis? censésne breui immittere vasculo mare totum? Quæ oculus nullius hominum videre potuit, tuus videbit? Quæ auris nullarum personarum hausit, audiet tua? Quæ cor humanum nullatenus intellexit, nec etiam cogitauit, existimas te intelligere posse? infinitæ rei quis erit finis? immensa quâ mensurâ metieris? Potiùs igitur mare totum in arctissimo clauderetur vasculo, potiùs terrarum orbem teneret pugillus, potiùs cœlum à continuo desisteret motu, quam gaudiorum & gloriæ, quibus animæ beatorum sine fine potiuntur, mirorem intelligeres partem, nisi, vti ego, experientiâ doceatis.* Ita Sanctus Augustinus.

At dices: cur S. Hieronymus, quæ clarè iam tunc in cœlo videbat, noluit Augustino, amicissimo suo explicare? Respondet idem S. Aug. lib. de spiritu & anima, tomo 3. *Tantæ suauitatis magnitudinem hi etiam, qui experti sunt, nobis, qui nunquam id gustauimus, intimare non possunt, tanquam si quis mellis dulced nem ei, qui nunquam dulce gustauerit, verbis indicare vellet.* Ita S. Aug. & idem Sanctus eodem lib. de spiritu & anima: *Nemo in hac vita dignè pensare potest, quanta sit illa felicitas, Deum facie ad faciem videre, quanta suauitas, melos angelorum audire, quanta iucunditas omnium Sanctorum societatem habere.* Ita ille.

Sed tamen liceat quasi per rimulas quasdam nonnihil de tanta gloria indagare, quò ardentius eam consequi studeamus.

Isai. 31. cap. 3. *Dixit Dominus* (inquit) *cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Hierusalem.* Quid per hunc caminum, seu fornacem ignis nobis significatur? S. Greg. hom. 11. in Ezech. per caminum hunc cœlestem, charitatem intelligit, amorem illum scilicet vehementem Dei, quem beati habent in patria, vel cœlesti Hierusalē. *Es vn orno de fuego de amor de Dios.* Ex huiusmodi amore, quasi à posteriori, elicere possumus magnitudinem gloriæ: tanta enim est excellentia Dei (in cuius visione nostra consistit beatitudo) vt qui Deum videt, vti clibanus quidam in Dei sic visi ardeat amore. ardorem autem clibani quis poterit sustinere, nisi Deus miraculosè sic amantem fulciat, & sustineat ad eum modum, quo tres pueros in camino ignis Babyloni æ sustētabat, ne perirent? Si sponsa eo solo amore, quē erga Deum

Isai. 31. 9.

conceperat in hac vita, se deficere fatebatur, dicens: A
Cant. 2. 5. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, hoc est, penè deficio, nisi fulcimentis mihi succurratis. quid mirum, si amorem illum ardentem beatorum, animum ignis dicamus, & diuino egentem adminiculo, & fulcimento?

2. Cor. 4. 17. Præterea, Apostol. Paulus, *æternum gloriæ pondus* vocat cælestem gloriam: cur pondus adeo magnum, gloriam vocat, cùm potiùs leuamen, & quies, & requies verè sit? *si es summo descanso, como es immenso peso?* nimirum, quia adeo ingens est, & supra vires nostras naturales, hæc magnitudo gloriæ, vt, nisi supernaturali lumine gloriæ intellectus beati eleuaretur, minimè tantum felicitatis, & gloriæ pondus fere valeret.

. Vnde Sanct. Augustinus. lib. 3. de libero arbitrio tom. 1. *Tanta est inclinatio lucis æternæ, vt, etiamsi non liceret amplius in ea manere, quàm vnius diei mora, propter hoc solum innumerabiles etiam huius vitæ delicias recte ac meritò contemnerentur: non enim falsò dictum est*: Quoniam melior est dies vna in atriis tuis super millia. Ita S. Augustinus.

Et lib. de spiritu, & anima, tom. 3. idem Sanctus. *Tantum* (inquit) *vnusquisque gaudebit de beatitudine alterius, quantum de suo ineffabili gaudio, & quot socios habebit, tot gaudia habebit.* Et subdit: Quidquid expedit, & *quidquid delectat, ibi est, omnes videlicet diuitiæ, omnis requies, & omne solatium. Quid enim ibi deesse potest, vbi Deus est, cui nihil deest? omnes ibi cognoscunt Deum sine errore, vident sine fine, laudant sine fatigatione, & amant sine fastidio, & in hac dilectione requiescunt pleni Deo, & adhærentes semper beatitudini, sunt beati, contemplantes semper æternitatem, sunt æterni, iuncti verò lumini, facti sunt lux.* Ita S. Augustinus.

Vers. 20. Psalm. 30. *Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* Quid est hoc, quòd ita inquit, Deum *perfecisse*? cur non explicuit hoc perfectum? Sanct. Bernard in Sententijs in fine, locum istum exponens de C cælesti gloria, inquit: *Quid perfecisti? non est hic sermo in lingua, sed super linguam. Ideo enim auris non audiuit, quia nec lingua protulit, quod præparauit Deus his, qui diligunt eum. Nec sanè in abscondito consummatio illa, sed in conspectu filiorum hominum erit: licèt enim in promissione vitæ, quæ nunc est, dulcedo, & multitudo dulcedinis, & magna quoque, & quàm magna multitudo sit, perfectio tamen non erit, nisi in promissione futuræ.* Perfecisti, *inquit*, eis, qui sperant in te,
Psal 30. 20. &c. Ita S. Bernard. dixerat igitur Dauid: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te*, & statim subdit: *Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum*, quasi dicat: magna, & perquam magna, multa, & perquam multa sunt dulcia, quæ tuis in hac vita præstare soles, vti experimento perceperunt hi, qui leuantes se supra se, gustauerunt suauitatem rerum cœlestium: sed perfectissima, & consummata dulcedo, non in hac vita, sed in futura reperitur. hîc quidem respectu dulcedinum mundi, per- D eximia est dulcedo seruorum Dei, licèt occulta: nec inuideant imperfecti, nè veipsi inde glorientur, & incidant in superbiam, & animi elationem; sed tamen comparatione cælestis gloriæ dulcedo maxima, quam expertus fuerit quilibet Sanctorum, imperfecta illa dici debet. Absolutè autem ait: *perfecisti*, qualis illa perfectio sit, tacens; quia nec lingua exprimi nec intellectu viatoris capi potest. Est igitur perfectio absolutè, quia perfectio est omnium bonorum simul: ibi enim perfecta salus, perfecta, & sempiterna vita, perfectus honor, perfecta sapientia, perfecta pax, perfecta securitas, perfecta virtus, perfecta charitas, perfectus scilicet in Deum, & in proximos amor, perfecta desideriorum nostrorum satietas, perfectum gaudium, perfecta denique, & consummata omnium bonorum possessio. In hac enim vita nihil ad perfectum ducit mortalitas nostra, nec diuitiæ hîc perfectæ, nec honor perfectus, nec salus perfecta, nec gaudium perfectum, nemo huiusmodi bona cuncta habet perfectè; in cœlo autem status est omnium bonorum aggregatione perfectus.

In mundo mundi bona non ita pura bona sunt, vt omnino impermixta malis sint, est ille vir honoratus, & illustris, sed pauper; alter verò diues, sed non ita illustris; ille sapiens sed pusillanimis; alter magnanimus, sed ignarus; ille sanus, sed abiectus; alter in pretio habitus, sed ægrotus; Rachel pulchra, sed sterilis; Lia fe- *Gen. 30.* cunda, sed lippis oculis erat; Naaman diues erat, sed leprosus; Eiisæus, qui à lepra eum liberauit, sanus, sed pauper; Alexander Magnus diues, & sanus & totius orbis monarcha; sed tam exiguæ vitæ, vix duodecim imperauit annis. huiusmodi sunt bona mundi. *No ay acá bien sin vn sinò, sin vn però acedo.*

Denique extrema gaudij luctus occupat: at in cælesti gloria omnia boua pura bona, & impermixta sunt: B diuitiæ sine paupertate, delicæ sine dolore, sapientia sine vlla ignorantia, fortitudo sine debilitate, sanitas sine infirmitate, vita sine morte: status enim est omnium bonorum aggregatione perfectus.

In sæculo isto magnopere desiderant homines hæreditatem aliquam pinguem, hæreditatē, quâ cum honore, & sine labore, & cum saturitate transigere vitam fuam possint, vtinam qualis, quantaque sit hæreditas cælestis nossent, ad quam, si velint, Dei gratiâ peruenire possunt facilè curas suas commutarent. Age, & quantùm inter vtramque hæreditatem interfit, videamus.

Sanct. Augustinus serm. 13. de verbis Apost. in id ad Rom. 8. *Quòd si filij, & hæredes: Hæreditas hæc* (inquit) *Rom. 8. 17.* *est quomodo hominis patris hæreditas, qui relinquit filijs suis hæreditatem, & non possidet cum filijs suis, & tamen grata sibi agit desiderat, quia voluit dare, quod non potuit secum ferre: si posset, censeo quia nihil filijs suis demisisset, hæredes Dei sic sumus, vt ipse Deus sit hæreditas nostra: sic dicit Psalmista.* Dominus pars hæreditatis meæ. Ita S. Augustinus. *Psal. 15.* Hîc quidquid de cœlesti nostra hæreditate dici potest, dictum est: quæ enim vel ditior? vel honoratilior? vel suauior hæreditas, quàm ipse Deus? *Dominus* (inquit) *pars hæreditatis meæ, ipse portio mea in terra viuentium*, Quomodo, inquies, Deus esse potest hæreditas mea? Id mihi explicasse videtur Dominus, dum *Matt. 25. 21.* fideli seruo: *Intra in gaudium Domini tui.* Quid est, *intra in gaudium Domini tui*: non in gaudium diuitiarum mundi, in illud, inquam, gaudium, quod præstare diuitibus diuitiæ solent; nec in gaudium, quod honores, dignitates, munia reipublicæ, familiaritates regum, & voluptates mundi, & salus, & vita, & alia temporalia bona efficere solent; sed *in gaudium Domini tui*, hoc est, in ipsummet gaudium, quo Deus ipse gaudet, quo Deus ipse fruitur, per eminentem, & sublimem quandam participationem. Nam sicut Deus beatus est, quia seipsum clarè videt, sic & nos beati erimus, quia clarè, ac manifestè ipsum videbimus, sicuti est. quod ingenti cordis alacritate videtur mihi asseruisse S. Ioannes *1. Ioan. 3. 2.* Euangelista dicendo: *Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est.* Nunc, inquit, verè filij sumus, scilicet per gratiam, sed nondum apparet, quid erimus per gloriam. Quid igitur erimus per gloriam? Paulus Apostol. hoc dixit: *Si Rom. 8. 17.* *filij*, ergo *hæredes*, *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*; at quænam sit hæreditas ista, hoc ibi expressit Ioannes, *similes ei erimus*, in gloria. quid ita? *quoniam videbimus eum, sicuti est*, quasi dicat, ex eo quòd videbimus eum, similes ei erimus. Ita Glossa. Nam Deus gloriosus est, quia seipsum videt, & nos glorioſi erimus, quia & nos eum videbimus, sicuti est, non quidem glorioſi, sicut Deus, in eodem gradu gloriæ, & prorsus sicut

sicut Deus ipse, cuius gloria excedit omnem aliam gloriam, quia comprehendit seipsum; at similes ei crimus, vti dictum est, similitudine illa gloriosa. Ecce hæreditas nostra felicissima in cœlis, nunc specialiùs illam explicemus.

Sanct. Ambros. super Psalm. 118. sic de hac cælesti hæreditate, *Omnes* (inquit) *in cœlo possident, & non minuitur hæreditas, quidquid ab aliis hæredibus vindicatur, manet emolumentum integrum, & eò magis singulis crescit, quò pluribus fuerit acquisitum. Alia conditio est hæreditatis humanæ: nam si diuisa fuerit, emolumenta diminuuntur, & hæredis est damnum adscriptio alterius hæredis, induisum Christi regnum est, & hæreditas induisa. Quomodo enim fieri poterat, vt hæreditas esset diuisa, cùm hæreditatis fructus sit induisus? solida ad singulos Christi dona perueniunt, omnes habent, & nemo fraudatur.* Ita Sanct. Ambros. *Alli todo es vn Reyno, y todos son Reyes, y caben, y no como acà, que no cabandos Reyes en todo el mundo.* Vnde Alexander Magnus nec duos soles in cœlo, nec duos reges in Asia volebat esse, ipse vnicè in vniuerso orbe volebat regnare: non sic in cœlo, vbi gloria vnius in alterius gloriam redundat. Vnde in cœlo nulla dissensio inter hæredes, nulla discordia, nulla æmulatio, inuidia nulla. Vnde Sanct. Bern. epistola 103. *Quanam inuidiæ causa potest esse, vbi sortium magnitudini consortium multitudo nihil detrahit.* Ita ille. Et Sanct. Gregor. 4. Moral. 42. explicans ad Ioan. 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt, ait. Sed in eisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa distributionum diuersitas amoris, quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, vt quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Vnde & non æquè laborantes in vinea, æquè omnes denarium sortiuntur, & quidem apud patrem mansiones multæ sunt, & tamen vnum denarium dispares laborantes accipiunt, quia vna cunctis beatitudo erit lætitiæ, quamuis non sit omnibus vna sublimitas vitæ.* Ita S. Gregorius.

Sicut enim in pingui conuiuio parui pueri, & viri maiores non æquè vescuntur cibis appositis, neque bibunt æqualiter, sed hic plus, ille minùs, pro qualitate, & capacitate comedentis, & bibentis; & tamen omnes satiati, & refecti plenè manent in mensa, nec inuidet is, qui minus comedit, illi qui amplùs sumpsit, quia & ipse plenus, & satiatus est, nec amplius vult; sic in cælesti conuiuio, quod faciet Dominus omnibus populis terræ, aliqui alijs plus sument secundùm merita gloriæ, sed qui minùs, non inuidebit, quia secundùm capacitatem suorum meritorum satiatus, & plenus erit.

Similis similitudo in vestibus inucnitur. Habet paterfamilias decem filios, & eos omnes eodem panno, aut serico vestit; vestes autem omnium non æquales, sed inæquales sunt, secundùm inæqualitatem corporum filiorum, sed quia ex eodem panno prorsus omnes induti sunt. minor non inuidet maiori, quòd tunica eius, verbi gratiâ, sit maior, quia non eius corpori, & staturæ apta, gaudet eâ quâ indutus est, quia illa congruit ei: sic igitur in cœlo beati gloria illa sublimi induti sunt, *de aquel brocado, & tres altos, que las tres personas diuinas dan,* & quamuis maior sit gloria vnius quàm alterius, non tamen inuidiam concipiunt inde, quia maior illa gloria maioris sancti, non est apta meritis minoris sancti, & obeam causam potiùs gaudent quàm inuident.

Quis loquetur potentias Domini? quis ea exponere poterit, quæ præparauit diligentibus se? etenim si aliquis id exprimere potuisset nostrorum, Apostolus ille fuisset, qui raptus in tertium cœlum, & vti asserunt S. Augustinus, & S. Thomas, vidit essentiam diuinam; in cuius quidem visione gloria nostra essentialis consistit, & tamen audiuisse se ait arcana verba, quæ non licet homini loqui, cui ergo licebit? Nihilominus tamen satis nobis Apostolus Paulus de cælesti gloria nunciauit, nimirum, quia sicut olim Moyses exploratores quosdam misit in Terrâ promissionis, vt qualis illa esset, populo renuntiarent, & vt de fructibus illius terræ secum ferrent, vt scilicet animosiores essent filij Israel ad expugnandos possessores ipsius terræ: sic etiam Deus Paulum ad tertium rapuit cœlum, vt nobis vbertatem, & felicitatem illius terræ promissionis renuntiaret, & animosiores, & fortiores ad eam expugnandam redderemur; nam regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. At dices, imò Paulus non manifestauit nobis, sed potiùs celauit diuitias gloriæ illius, nam audisse, seu vidisse se ait, quæ non licet homini loqui. Rectè, sed ita celando, aperuit magnitudinem gloriæ. Idem enim est ac si dixisset; tanta est gloria illa, tam ingens felicitas illa, vt nullis verbis explicari valeat, nullâ mentis nostræ cogitatione comprehendi, vti ipsemet Apostolus dixit: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum.* quod ex Isai. 64. adducit etiam Apost. Locum istum de cælesti gloria interpretantur S. Dionysius de cælesti hier. cap. 12. & Sanct. Hieronym. in cap. 64. Isaiæ: Quis non inde eximia, & admirabilia corde concipiat? etenim hæc Apostoli sententia Sanctum Adrianum conuertit, martyremque effecit. Cùm enim miles esset, & in ætate florenti octo annorum vidclicet, & videret fortitudinem, & constantiam mirabilem Christianorum in tormentis, & cruciatibus perferendis, & interrogauit quosdam illorum, dicens? Quid est, quod vos tanta tormenta ferre compellit? Quid pro tantis pœnis speratis? Cui illi: Speramus, inquiunt, bona illa, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se; quæ attentè audiens, & percipiens Adrianus, & conferuans in corde suo, ad fidem conuersus, durum martyrium cum alijs sanctis martyribus forti, & alacri animo passus est, sub imperatore Diocletiano anno Domini 306. Denique plùs extulit Paulus excellentiam gloriæ, inexplicabilem, & indicibilem eam dicens, quàm si verbis explicasset: si enim gloriam exprimere verbis humanis potuisset, non ita sublimis appareret, sicut indicibilem eam secundùm fidem nostram affirmando.

Quare, vt idipsum significaret idem Apostolus, *Non sunt* (inquit) *condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Quasi dicat: vidi ego in paradiso cœlesti beatorum gloriam, quæ quidem tanta est, vt, quamuis quis pro illa consequenda crucietur, non erit dignum eius martyrium de se tanto bono. Quid igitur tu laboribus tuis leuissimis grauaris, & pro tanta gloria nec leues verborum iniurias tolerare velis?

Ex eo quidem magnitudinem & beatitudinem gloriæ colligere licet, quòd vitæ nomen vendicet sibi in litteris sacris. Iacob 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ,* hoc est, coronam gloriæ, vitam vocans ipsam gloriam, quia, sicut ait Sanct. Bernard. serm. 17. in Psalm. *Qui habitat: Hæc vita, qua viuimus, magis mors dicenda est, aut non simpliciter vita, sed vita mortalis. Mori hominem dicimus, quando mori certissima appropinquat, quid vero agimus ex quo primo cœpimus viuere, quam morti appropinquare, & incipere mori? sed & dies qualescumque vitæ huius, pauci, & mali sunt, sicut S. Patriarcha Iacob testatur. Ibi ergo verè viuitur, vbi est vita viuida, & vitalis.* Ita Sanctus Bernardus. Hæc igitur vita nostra mortalis est, illa verò immortalis; hæc aliquando finem habitura, illa nunquam. quòd si mortalem hanc ita vehementer amamus, quantò magis illam sempiternam, & felicè amare debemus? Denique vita verè est, nos autè sicut quando per hyperbolem, & exaggerationẽ alicuius rei pretiũ augere volumus, dicere solemus: *En esto vame la vida, vanos en nuestra saluacion, la vida y no qualquiera, sino la bienauenturada y*

eterna y laque por antonomasia y excellentia mereçe nombre de v.d.a.

Imò vita dici poteſt vita vitarum; nam vbi Pſal. 26.
Verſ 13. nos legimus: *Credo videre bona Domini in terra viuentium*, Originale Hebræum ſic habet: *Credo videre bona Domini in terra vitarum*, quia vita illa multiplex vita eſt: erit enim poſt reſurrectionem vita corporis, & vita animæ, vita gratiæ, & vita gloriæ, & denique vita adeo permanens, vt omnes vitæ noſtræ ſimul ſumptæ ab Adam vſque ad vltimum naſciturum, non magis comparari ad vitam illam poſſint, quàm finitum ad finitum, & temporale ad æternum.

Caligat oculus mentis noſtræ ad diuina, &, vt ait Philoſophus, ſicut ſe habet oculus noctuæ ad lucem ſolis; ſic ſe habet intellectus noſter ad manifeſtiſſima naturæ, hoc eſt, ad ea quæ ſecundùm ſe altiſſima & clariſſima ſunt: habent tamen hoc ſibi proprium & conſentaneum ſpiritualia & diuina, vt quamuis ſummis labijs illa tantùm attingamus, gratiſſima nobis ſint. Vnde, *Trahe me poſt te, in odorem vnguentorum tuorum*
Cant 1.3. *curremus*, quid eſt, in odorem vnguentorum tuorum curremus? Senſus odoratus, ſi cum viſu & auditu conferatur, craſſior eſt, vti Ariſtotel. & alij Philoſophi docent: craſſius enim obiectum requirit; cur igitur ſponſa de rebus hſc agens diuinis, non ait, oſtende mihi, dicito mihi, ſeu expone mihi, ſed permitte, vt odore percipiam diuina tua, quia hæc nos percipere non ita valemus, ſed quaſi odoramur tantùm: & craſſo quodam modo ea percipimus, & attingimus: ſed tamen adeo hæc ſublimia ſunt, vt vel odore ſolo percepta, nos poſt ſe non ſolùm trahant, verùm & currere faciant. ideo enim ait diuina ſponſa: *Trahe me poſt te, in odorem vnguentorum tuorum curremus*, hoc eſt, adeo ſublimia, excellentabilia, & amabilia ſunt, quæ de diuinis nos doces, vt ſolo hæc odore percepta, & à longè aliqualiter percepta, nos facilè auocent à terrenis, & ad ſe alliciant, & currentes nos trahant, &c. Sic igitur de gloria & vita æterna, & felicitate animæ & corporis noſtri, & proprietatibus diuinis, & myſterijs fidei noſtræ dicendum eſt: quamuis enim hæc non niſi craſſa Minerua dicere valeamus, hoc tamen ſufficit, vt poſt ea curramus, ſi vel odore ea fuerimus aſſecuti. Vbi metaphoram obſerua: ſolent enim venatorij canes, cùm leporis aut perdicis odorem perceperunt, alacriores reddi, & huc illuc que diligentiùs diſcurrere, vt id quod odorati ſunt venentur; ſic etiam nos, cùm odorati fuerimus aliquid diuinum, v.g. felicitatem æternam, & viuidiores reddimur, & diligentiùs ea conquirimus, & procuramus, &c. Vis canem huiuſmodi videre? oculos in regium Prophetam conuerte, qui, *Quemadmodum*, in-
Pſal. 41.2 quit, *deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Ceruus à ſagitta infeſta percuſſus, deſiderio ſummo & perniciſſimo curſu properat ad aquas: ſic, inquit Dauid, ſitit ad te anima mea, Domine:
Ibid. *quando veniam, & apparebo ante faciem tuam, vn momento ſe me hazun ſiglo.* Cur ita? quia odoratus fuerat, neſcio quid felicitatis æternæ: vnde, *Fuerunt* (inquit) *lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi eſt Deus tuus?* Quid ais Propheta, lacrymas vocas panes? potum potiùs, & non cibum dicere lachrymas debuiſſes: liquor enim ſunt, non ſolida eſca, fortè deſiderij tui ardore turbatus vnum pro alio profers. deſiderium quidem ingens erat, nec mirum ſi, velut Petrus in monte Thabor, radioculum huius felicitatis intuitus, neſciebat quid diceret, cùm loqueretur, vti Sanct. Euangeliſta Lucas ait: ſic & Dauid ſpeciali quadã luce Dei gloriam contemplatus, nihil mirum ſi verba inuertat. Sed tamen rectè loquutus fuit, vt deſiderij ſui magnitudinem augeret: hoc enim inter cibum potumque diſtat, quòd ſitienti potus ſitim extinguit, cibus verò auget: lachrymas igitur non potum, ſed panes vocat; quia ſicut ſitiens edendo, & maximè, panem ſitim auget; ſic dum pro cæleſti gloria & Dei conſecutione ampliùs Dauid plorabat, vnde reſtringuẽda ſitis videbatur, inde magis augebatur, quaſi diceret, nullum eſt in hac vita doloris mei remedium, imò quæ remedium eſſe ſolẽt, & antidotum, ploratus, ſcilicet his, qui miſerias patiuntur, mihi nequaquam, ſed potiùs ipſius doloris incrementum. ſic etiam S. Paulus, poſtquam arcana illa, quæ non licet homini loqui, in tertio cœlo deguſtatus fuit, ardentiſſimo quodam tenebatur deſiderio videndi Deum; ſicut herodius ardeam aſſequutus, ſi dominus eius ardeam tollit, & in pertica illam ligat, ibi herodius gemit, excutit caputium, & vngues bus extrahit, & roſtro vincula diſrumpit. Quòd ſi quæras, vnde gemitus, vnde inquietudo illa herodij? dicet venator, quia iam faginari cœperat ardea illa, & quia ſublata fuit ab eo eſca, ideo gemit, &c. ſic B. Paulo euenit, faginari cœperat Deo, dicens: *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto*, adhærat herodius hic diutiùs ardeæ, cùm eſſentiam viderat Dei, & iam faginari cœperat, tanto bono, ſuauitate tanta: ſed ad terras iam reuerſus, & caputio & compedibus corporis implicatum ſe videns gemit, & clamat: Cupio diſſolui, &c.

Cùm gloria ſummum & ſupremum omnium bonorum ſit, & omnium deſiderabilium caput, qui eſt quod pro rebus mundi, quæ nullius ponderis & momenti ſunt, eam facilè commutant homines? hic pro exiguo pecuniarum lucro, ille pro honoris puncto, ille verò pro voluptate vana? &c. Quid, inquam, hoc niſi extremæ imprudentiæ imputandum? ad prudentiam enim ſpectat rebus pretium & debitam æſtimationem imponere, vt ſcilicet ea pluris æſtimemus, quæ plus intitatis & bonitatis habent, minoris verò, quæ in ſe minora ſunt: hinc enim imprudentiam Eſau damnamus, quòd pro lentis edulio vendiderit Iacobo primogeni- *Gen. 25.*
ta ſua, primogenita, inquam, magni valoris pro edulio vili. ſi ergo imprudentem dicimus Eſau, quòd ſic vendiderit primogenita terræ pro exiguo cibo; quid de illo dicemus, qui pro rebus nullius momenti, quales terrenæ omnes ſunt, primogenita immenſa cœli commutat? Bene S. Bern. *Hoſtis*, inquit, *offert pomum, & ſubripit Paradiſum.* Ita ille. Alludens ad id quod primis parentibus in Paradiſo euenit.

Sed tamen non ita de nobis prorſus eſt, quod de parentibus primis: cùm enim hoſtis generoſa corda illis habere noſſet: erant enim in illis integra naturalia, ſupernaturalia verò perfectiſſima, non pro ſolo pomo illi gratiam gloriamque commutaſſent, dixit igitur hoſtis illis: *Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum*, hic non ſo- *Gen. 3.*
lùm pomum, ſed Deitatem obtulit illis: ſed quia degeneres nos eſſe cognouit, nõ magna pro gloria cœli, ſed minutiſſima offert & hęc eſt ſtultitia quòd plus à nobis impetret hoſtis pro minimis temporalibus, quàm Deus pro maximis æternis: *Mas recaba de vos el demonio con ſus pocquedades, que Dios con todos ſus bienes.* Adiurauit populum Dei Saul, dicens: *Maledictus vir qui comederit pa-* *1. Reg. 14.*
nem vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis, &c. accidit autem vt Ionathas filius eius, edictum patris ignorans, comederet paululum mellis; qua de cauſa voluit pater occidere illum, qui, *Guſtans*, inquit, *guſta-* *Ibid. 43.*
ui in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior. hoc quidem melliis is aſſerere poteſt, qui propter exiguam rei temporalis dulcedinem, morte non recuſat mori ſempiterna, dicens: Guſtans guſtaui paululum mellis mundi, & ecce morior in æternum.

Cùm hoſtis Dominum tentaret, & ad ſe adoran- *Matth.*
dum eum alliceret, oſtendit ei omnia regna mundi, & *4. 9.*
gloriam eorum, & dixit: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Si propter gloriam quis adorandus eſt, adoremus Dominum Deum noſtrum, & procicamus ante eum, quia ampliori gloria & honore vero coronabit

nabit nos, quam neque deceptor hic hostis falsò obtulit, & promisit: gloriam igitur nunc cum gloria conferamus, & quænam earum nobis eligenda sit, videamus cui horum duorum dominorum inseruire & veneratiõnem exhibere velimus; impossibile quippe est duobus his dominis deseruire. Sed quis hoc in dubium & controuersiam adduceret? quis non statim assereret cœli gloriam & Christi veneratiõnem, mundi gloriæ & dæmonis veneratiõni omnes anteposituros, nisi oppositum oculis cerneret, & manibus oppositum contrectaret? Aperi oculos, & vide maiorem mundi partem, mundi gloriam totis viribus consectari, & ad dæmonis partes se aggregare, & Christum deserere, & gloriam cœli obliuisci (ne paruipendere dicam.) vnde hoc malum, & quæ causa stultitiæ tantæ?

De muliere forti ait Sapiens: *Considerauit agrum, & emit illum.* priùs considerauit, postea comparauit, agrum vtilem sibi esse animaduertens. Id ratio & prudentia requirebat. O vtinam omnes homines considerarent vtramque gloriam, & mundi, & cœli, nec illam quidem etiam paruo emerent pretio, nec hanc dimitterent, licèt carissimè & magno pretio emenda esset. Cùm igitur Dæmon in monte ostendat Christo gloriam mundi, & Christus in alio monte ostendat gloriam cœli, ascendamus & nos modò horum montium iuga, & attentè consideremus has duas glorias, & videamus, gloria gloriæ quid quantumque præstet.

Et primò personas offerentes has glorias obseruemus: qui offert gloriam mundi diabolus est, iam quid inde nobis boni poterit euenire, ex manu pessimi hostis? & licèt nihil inde timendum esset, hoc solùm quod munus diaboli est, sufficit ad illud repudiãdum. Diuitias offerebat Rex Sodomæ Abrahæ, qui respondit: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cœli, & terræ, quòd à filo subtegminis vsque ad corrigiam calceamenti non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Cur ita? *Ne dicas (*ait*) ego ditaui Abraham.* Quasi dicat: nolo diuitias de manu Regis Sodomæ, sed de manu Dei. hanc animi elationem habere debent omnes Christi fideles, nolle scilicet quilquam de manu diaboli, qui Rex Sodomæ est, maximè verò cùm suspectum munus meritò sit, ab huiusmodi hoste qui totis viribus perditionem nostram, & desiderat, & procurat. Cùm igitur gloria mundi à dæmone offeratur, quid in ea boni sperandum est? At qui gloriam cœli offert, Deus est, de manu autem Dei qui fons bonitatis & liberalitatis est, quid nisi optimum poterit nobis euenire? gloriam verò mundi omnino dissuadet, & dehortatur Christus: nec ex numero illorum est, qui dicunt & non faciunt. Vnde cùm illi gloriam hanc multi offerrent, & vellent illum sibi Regem constituere, abijt & abscondit se, respuens regium diadema, in quo mundi felicitas plus resplendet: si ergo nihil aliud inter gloriam cœli & mundi interesset, nisi quod illam Deus, hanc diabolus offert, id tantùm sufficere debuisset, vt illam eligeremus, hanc verò respueremus.

Sed ad ipsas in se glorias deueniamus, quid in se gloria mundi est? Prima facie pomi pulcherrimi speciem præfert: at si veritatis gladio pomum scindas, inanis tibi apparebit. Optimè Lucas inquit, *Ostendit illi omnia regna mundi in momento temporis.* Quid regna, quæ in momento temporis ostendi poterant, esse possunt? B. Benedicto ostensus est vniuersus terrarum orbis in radio quodam lucis, vt enarrat S. Gregorius. Interrogauit quidam, quî fieri posset, vt in vnico radio Solis totus mundus circumspici posset, respondit Gregorius, quia videnti in luce Creatoris breue sit omne quod creatum est. O vtinam ad nos huiusmodi radius se diffunderet.

Sed audiamus quid de mundi gloria hac in parte sentiat homo quidam qui probè nouit gloriam hanc, A Salomon, inquam ille, qui & illius radij particeps fuit, & didicit experimento magno, attentè cuncta mundi bona prius considerauit, & postea vocem illam emisit, cunctis sæculis dignam: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Volebat Salomon ibi de sæculi felicitate cõsionem habere, & hoc suppositum fundamentum, veluti in eo comprehendere volens quidquid de mundi gloria dicendum esset, nec contentus dicere omnem mundi gloriam vanitatem esse, asseruit: vanitatem esse vanitatum, id est, maximam vanitatem, vt explicat Sanct. Hieronymus. Sicut (inquit) carmen Salomonis Canticum Canticorum appellatur, hoc est, præstantissimum canticum, & quia experimentum magnam vim confert argumentis: dic, obsecro, quis inter omnes homines, sicut Salomon expertus est quantum valeat felicitas mundi? Cùm Christus Dominus verbis augere vellet pulchritudinem lilij, dixit: *Amen dico vobis, quòd nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis.* Cur Salomonis gloriam in medium hîc adduxit, nisi vt omnium maximam fuisse testaretur, & tamen lilij pulchritudinem non excedit, nec adæquat. Sed forsitan tunc temporis parua gloria pro magna cõputabatur: audi quæso, ipsum Salomonem illam enarrantem, *Magnificaui* (ait) *opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria,* &c. & cùm longam seriem earum ferum, in quibus huiusmodi gloria consistit, connumerasset, tandem finem imponit, dicens: *Omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur,* & tandem subdit: *cumque me conuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra fuidauerã, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole.* Vbi primùm obserua frustra fe in his insudasse, dicere: sed quo pacto frustra? nónne fruebatur illis, & per longum tempus, & nemine obstante? Hinc tibi frater videre licet, quæ bona ista sint, & quàm frustra labor in illis acquirendis absumatur. *Vide* (inquit postea) *in omnibus his vanitatem.* Vanum dicimus, quòd intus nihil habet, frangis nucem, & nucleum non inueniens, dices: Vana est, fregit felicitatem mundi Salomon, & nucleum non inueniens, dixit: Vana est, sed cur vana, cùm argentum, aurum, margaritas, diuitias, amœnitates, regna, ædificia sublimia, potentatus, & animi voluptates & corporis, obtineat? Audi, habes ampullam vitream, nullum liquorem cõtinentem, & dicis: Vacua est: quomodo vacua, cùm saltem aere plena sit? nihil enim vacuum dari potest in natura (vt Philosophia docet:) vacua dicitur, licèt aerem habeat, quoniam aer tandem aer est, & cùm parum ampulla illius capere possit, totum quod ibi continetur, parum aeris est. Habet quidem mundus omnia hæc, & alia huiusmodi multa, & vacuum illum Salomon esse clamat, quia parum pro nihilo reputatur. *Vanum,* inquit, *est:* ac si dicat, parum aeris est. Vides pulchritudinem Absalonis? vides potentiam Alexandri? vides diuitias Crœsi? vides fortitudinem Herculis? vides gloriam Salomonis? Parum aeris est, ventus est. Magnum strepitum hæ mundi res excitarunt, excitat etiam ventus, sed ventus est: nam cùm sit ventorum impetus, neque vestigium relinquit. Transierunt omnia illa, sicut vmbra, sicut fumus, sicut ventus, & nullum vestigium reliquerunt. Quòd si omnes mundi spectatores, & quibus datum est ad libitum bonis illis frui (si aliquibus datum est) verum fateantur, nullus vmquã eorum ad eã gloriam & felicitatẽ peruenit, quã plenè contentus sit. Nec mirum: quomodo enim vanum potest cordis replere vacuitatem? quòd si aliquis inueniretur, cuius desiderio satisfecerit mundus, licèt contradictionẽ implicare videatur, non ex magnitudine bonorum mundi, sed ex paruitate cordis illius orietur. Rectè Seneca: Magna ista credimus, quia parui sumus magno: nihil est in mundo magnum. Vana est igitur gloria mundi.

Ecclesi. 1. 2.

Ibid.

Matth. 6. 28.

Eccl 1. 4.

Lib. 1. natural qq.

Sed

Sed iam ad cœlestem gloriam accedamus. Hæc vera gloria & solida, firma, constans, hæc plenè hominem satiat, & omnibus bonis cumulat. *Benedic anima mea Psal. 102. 1. Domino* (ait Dauid) *& omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Qui replet in bonis desiderium tuum.* Quis sectatorum mundi hoc dicere queat? sed nunquid Dauid satietatem desiderij sui in bonis mundi fuit consequutus? Nequaquam. *Satiabor* (inquit) *cum apparuerit gloria tua.* Nunc spes replet, postea ipsa gloria, gloria tua (inquit) non mundi. Si beatum interrogares, an alicuius rei desiderio teneatur: Haudquaquam dicet: plenus sum, impletum est desiderium meum vsque ad summum: nam dedit mihi Deus vitæ gloriæ mensuram, refertam, coagitatam, & superefluentem. Non vides Petrum in monte hoc, exiguo radio gloriæ Christi circumfusum, veluti extra se constitutum, & sui, & redemptionis generis humani, & diuinorum oraculo- *Luc. 9 33. ibid.* rum oblitum, dicere: *Domine bonum est nos hic esse?* Nesciebat quid diceret, ait, Sanctus Lucas. Sed quid misB rum, cùm dulcissimum & suauissimum vinum exhausisset, illo velut captum esse? Quid mirum oculorum acie perstrictum esse, diuini luminis radio illustratum? Quòd si vnica vini diuini guttula sic satiat, si exiguum huius radij sic oculos perstringit, quid faciet torrens voluptatis, cùm influxerit in os Beati? Quid mirum? Deus est vinum illud, Deus est gloria Beatorum, quidni satiet corda hominum magnitudine sua, qui eâdem replet ipsius diuini cordis infinitam capacitatem? Quid non videt. qui videntem omnia videt? Quid non habet, qui habentem omnia habet? Vides igitur quantùm interfit inter gloriam cœli, & gloriam mundi, illa perfecta, hæc inanis est.

Sed esto, gloria mundi, quam diabolus pollicetur, vera & plena esset, non falsa & inanis, inficiari nõ poteris quod Salomon ingenuè confitetur de gloria sua, & *Eccl. 24.* totius mundi, circumuentum scilicet esse animi afflictione: qui enim illam conatur assequi, multis se periculis obijciat, est necesse, multosque labores adire, anC gores, sollicitudines, & difficultates quamplurimas superare, vt vel aliqualem bonorum mundi partem consequatur, & multi sunt, qui, postquam plurimos dies & annos defudarint, tandem defatigati nihil consequuti sunt; acciditque illis, quod Moysi aliquando, qui cùm in montem excelsum ascendisset, vt inde promissionis terram aspiceret, cùm eam oculis lustrasset, audiuit *Deut. 34. 4.* mox dicentem Dominum: *Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam.* maximos quidem labores perpessus erat Moyses, vt Terrà illà promissionis frueretur. vidit eam oculis suis, sed nec pedem super eam collocare potuit; sic etiam multis mundanis hominibus accidit: sæpe assumit illos diabolus in montis sui cacumen, & illinc gloriam mundi illis ostendit & promittit, & licèt multis laboribus & periculis eam assequi attenta- *Simile.* uerint, hoc solùm illis præstatur, oculis suis & cogitatione eâ videre. At si qui assequãtur illã, licèt Reges & Imperatores sint, maiora quidem incommoda & assliD ctiones cordis sunt, quibus afficiuntur; quàm commoda, & voluptates, quibus perfruuntur, diademate regio coronantur, in quo aurei flores emicant, sed inter florem & florem foramen quoddam, & vacuum interstitium videbis. Ecce tibi gloria mundi sic decurtata, & veluti edentula est. Inter voluptatem & voluptatem amaritudo, inter gaudium & gaudium luctus, inter felicem & felicem cuentum, infelix fortuna se miscet, imò ipsæmet voluptates secum cruciatus ferunt; vnde Christus in parabola seminis, voluptatibus & diuitijs *Hom 15. in Euang.* spinas extquauit. Vnde Sanctus Gregorius ait: Quis mihi crederet vmquam, si spinas diuitias interpretari voluissem? maximè cùm istæ pungant, illæ delectent, & tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentes lacerant, & cùm eos vsque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. Hæc A Gregorius. Vnde etiam Dominus apud Matth. fallaces vocat has diuitias: fallacem hominẽ vocamus illum, qui promittit, & promissa non adimplet; ad hunc modum diuitias sæculi fallaces dicit esse Dominus: promittunt enim possessori suo requiem, gaudium, & dulcedinem, & tamen nihil præter inquietudinem, molestiam, & amaritudinem præstant. Idipsum de voluptatibus, & alijs, quæ ad mundi gloriam spectare videntur, dici potest: spinæ quippe sunt, plurima enim incommoda ex illis inopinatè oriuntur, vel saltem consciẽtiæ remorsus, omnibus spinis acriores, inde promanant, quemadmodum id testari possunt ipsi, qui in croceis & vitæ voluptatibus degunt. Animi ergo cruciatus gloriam mundi comitantur.

Gloria verò cœlestis non inter spinas, sed inter rosas & lilia, cæterosque omni suauitate refertos flores inuenitur, nullus labor, nec dolor accedit ad illam. Audi beatum Ioannem, cui illa reuelata fuit, *Absterget* inquit, *Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, nec dolor erit vltrà, quia prima abierunt.* Omnem lacrymam, inquit, quia omnes lacrymarum occasiones rescindit: non enim ibi paupertas, non infirmitas, non opprobrium, non persecutio, non tentatio, non fames, non sitis, non labor, non timor, non tristitia, non bellum, non mors, non demque malum ibi vllum reperitur, sed omne bonum, plena securitas, hilaritas, & lætitia sempiterna: neque solùm absque contrariorum admixtione, verùm etiam absque vlla intermissione perseuerans. quod mirè Dominus explicuit illis verbis. seruo fideli dictis: *Intra in gaudium Domini tui.* O gaudium ineffabile, &, vt vno verbo dicam, gaudium Dei! quodnam esse concipi gaudium Dei? nunquid potest Deus aliquà tristitia, vel mœrore affici? Absit, non contristauit Deum quidquid acciderit vnquam: est enim ipsum gaudium per essentiam suam. sicut igitur impossibile est, Deum non esse Deum, impossibile sic est deficere aliquando gaudium Dei. Et obserua, non dixisse Christum: Accipe gaudium Dei, sed *intra in gaudium.* Considera ergo pelagus quoddam immensum, & infinitum, cuius nec principium, nec finis est, & in illud submergi Beatum in cœlo, quàm plenum gaudio cogitabis illum? Denique lætitia non temporalis, non mutabilis erit super capita Beatorum, gaudium & exultationem obtinebunt: fugient enim prorsus gemitus, & dolor. Ecce quantum discrimen inter gloriam cœlestem & mundanam, illa omnis prorsus afflictionis expers, hæc assiduis est permixta doloribus. Nec mundi gloria solùm afflictionibus est permixta, sed, quod pejus etiam est, peccatis atque flagitijs obuoluitur fœtissimè. Huiusmodi enim pensionem exigit à possidentibus illam dæmon. *Hæc omnia* (inquit) *tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Denique, vt in peccata prolabantur homines, hæc mundi bona hostis exhibet illis, non quia de diuitijs nostris, delicijs, aut honoribus est illi cura. & quidem ita est: vt enim gloriam hanc vel assequantur, vel tueantur mundani, quot iuramenta, periuria, latrocinia, adulteria, vfuras, simonias, vindictas, homicidia, & alia multa committant, quis poterit enarrare? O misera, & detestabilis gloria, quæ tantis est permixta peccatis! ô infelix felicitas! quid enim inter omnia infelicia, peccato infelicius esse potest? Infelices appellamus damnatos, at non ita infelices sunt, quia flammis æternis inferorum concrematur, sicut quia in peccatis ibidem permanent semper.

Illa verò cœlestis felicitas libera est, & ab omni peccato prorsus immunis, nullis omnino sceleribus est obnoxia: sunt enim beati impeccabiles vndequaque: fieri enim non potest, vt quis Deum clarè videat, & eum non tota mente, corde, & totis viribus diligat: dilectio autem hæc foras omnino scelera mittit, quid pulchrius, quid elegantius, quàm per infinita sæculorum

rum sæcula homines in cœlo conuersari, sine vlla vel macula leui, quid dicam graui? & quidem quando ex huiusmodi gloria nullus alius fructus decerperetur, hic sufficeret ad cumulum gaudiorum omnium, & ob id solum pluris expetenda, quàm quæuis gloria mundi. Hic septies in die cadit iustus, ibi nec in æternitate cuncta semel cadet. Non ibi serpenti datur locus, non ibi regulus venena diffundit. Loquens Isaias de felici tempore Ecclesiæ Christi, ait: *Non nocebunt* (aspis scilicet, & regulus) *& non occident in vniuerso monte sancto meo, quia repleta est terra scientiâ Domini.* de Sanctis Christi loquitur, qui scientia & cognitione Dei repleti, facilè tentationes dæmonum superaturi erant: id autem perfectius in sancto monte cœlorum reperietur. non ibi aspides, non reguli nocebunt, neque tentationibus eorum locus erit. In Ecclesia militanti, licèt aliquando non noceant sanctis viris, tentationibus tamen eos vexant, in peccata venialia sæpe incidere faciunt: at ibi nullum vnquam peccatum veniale committent Sancti, quia repleta est terra illa viuentium scientiâ Dei, charitate Dei, visione Dei, vnde nullo modo ab eius sancta voluntate Beati, nec transfursum vnguem recedere possunt. O verè desiderabilis gloria ijs, qui peccati malitiam plenè cognouerunt, gloria verò mundi est tentationibus hostium patens, & vena quædam iniquitatibus referta.

Sed vt aditus omnes intercludantur, concedamus gloriæ mundi, posse impermixtam esse angustijs, pœnis, & peccatis. Duo quidem superfunt, quæ ab illa seperari nullo modo possunt, quæque illius dignitati & pretio derogant vehementer, paruitas scilicet, atque breuitas. parua & exigua est in se gloria mundi, exile bonum, & paruipendendi valoris: nam licèt gloria sit, est tamen gloria mundi, in mundo autem quid magnificum, quid excelsum poterit reperiri? nihil, vt satis dictum est in principio discursus. De breuitate nunc dicamus, breuis certè ac momentanea hæc est gloria: vix enim se prodit & manifestat, cùm subitò disparet & euanescit: denique tempore circumscribitur, & ad æternitatem non transcendit, tempore, inquam, & perexiguo: nam tempus vitæ hominis superare non potest: dies autem hominis breues sunt, ait Iob, experientiam consule: gloria autem hominis in hac vita simul cum ipsa terminatur. Optimè hoc meditatur Dauid, dicens: *Dies, cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* descendent quidem cum diuite glorioso peccata, quæ in medio gloriæ suæ perpetrauit, cùm eo descendent superbia, gula, luxuria, ludus vitiosus, auaritia, inuidia, ira, vanitas, accedia & obliuio Dei: attamen non descendet cum eo gloria mundi, propter quam peccata multa commisit. quapropter gloria hæc non tam sua, quàm gloria mundi appellanda videtur. Peccata quidem ipsius esse dicemus, quia descendunt cum eo, & semper ipsum comitantur, tanquam propria supellex: at gloria cum mundo remanet; mundi ergo, non diuitis est dicenda. quod nec reticuit Dauid, dum dicit: *Ne timueris, cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius.* Cur (inquit S. Chrysostomus) *non ait, gloria eius, sed* gloria domus eius: *quia omnes illæ diuitiæ, quibus affluebat, & perfruebatur, pomaria, peristromata, vasa aurea, & argentea, possessiones, & reditus in domo remanent, ad heredes profluunt.* Vnde subdit S. Chrysost. Hominis gloria, virtus ipsa est, quæ recedet cum possessore suo: gloria igitur & felicitas mundana, momentanea & aliena est. Nō animaduertunt hoc mortales ante mortem, post mortem verò, velint nolint, in perpetuum animaduertent. Audi eos, qui iam obierunt ex illis, quid in libr. Sapiens. dicant: *Nos nati continuò desijsimus esse.* Quid continuò? nónne alij viginti annos, alij verò triginta, alij verò quadraginta, & plures feliciter contigerunt? cur ergo dicitis: *continuò desijsimus esse*, qui tot annis bona terræ comedistis, & bonis

A mundi repleti fuistis ipsi? explicant verba sua: *Transierunt* (aiunt) *omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam: cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitæ carinæ illius in fluctibus: aut tanquā auis quæ pertrāsuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum ut per is illius, &c.* Sic & nos nati continuò desiuimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt. Hæc sunt verba sacri textus, hæcque in tormentis fateri coguntur damnati, & adeo in se aperta, vt explicatione non indigeant. pœna quippe aperuit oculos, quos clauserat culpa, & experientia illos eloquentiores Demosthene fecit, ipsi breuitatem gloriæ suæ aptissimis exemplis exposuerunt. O vtinam in alieno capite periculum faciamus, & in alieno periculo, mortuorum scilicet, viuentes sapiant! *Ibid 9.*

Quid ergo reliquum est, fratres, nisi vt ad humani generis hostem cōuersi, cum illo expostulemus, & objciamus illi fuam gloriam futilem, & inanem, dicentes: Hęc gloria est, ó perfide, quam nobis tanto pretio vendis? Cùm Rex Salomon, Regi Hiram persoluere vellet cedros, aurum, & ea quæ acceperat ad constructionem templi, dedit illi viginti oppida in terra Galilææ, & egressus Hyram de Tyro, vt videret oppida, nō placuerunt ei, & dixit: Hæcine sunt ciuitates, quas dedisti mihi frater? O vtinam egrederentur mundi āmatores, vt viderent, quæ sit gloria, quæ pro tantis seruitijs & adoratione sui, offert illis diabolus, & vidctes eius inanitatem, dicerent: Hæcine gloria est, ó perfide, quam nobis tanto pretio vendis? Huius vanæ gloriæ gratiâ tot pericula subire, tot dimicationes suscipere, tot difficultates præcipis superare? Hæc quæ cum morte nostra moritur, & infideliter deserit eos, qui fideliter eam sunt prosequuti? O misera felicitas! Abi cum tua felicitate seductor; quæ verò sollicitudine magna procuranda est à nobis, gloria cœlestis est. Hæc enim non parua, & breuis, sed ingens & æterna est. O *Israel* (ait Propheta Baruch) *quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius, magnus est, & non habet finem.* De cœlesti patria loquitur Propheta, & cum admiratione magna hæc duo de illa prædicat, magnitudinem, & æternitatem. *Quàm magna* (inquit) ac fi diceret: dici non potest eius magnitudo, & non habet finem. De magnitudine diximus iam in principio, de duratione videamus. *Non habet finem*, ait Baruch, id est, nullis temporum terminis circumscribitur, quia, vt beatus Ioannes asserit, ibi morti est omnis aditus interclusus. quòd si mors vltrà non erit, vita nunquam extinguetur: erit igitur sempiterna. O beatum regnum cœlorum! regnum Dei, fratres, non est instar regni mundi, in quo & Reges & Regū familiares intereunt, vrbes corruunt, ciuitates dissipantur, & regna euertuntur. *Regnum tuum* (ait Dauid) *regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.* Transibunt sæculorum sæcula; at regnum hoc non transibit. Cœlum & terra transibunt, at regnum cœlorum in æternum permanebit. Non moritur Rex, neque illi qui habitant in regno cius. O beati qui habitant in domo tua Domine! in sæcula sæculorum laudabunt te. Hîc laudant te & benedicunt te in templo tuo serui tui Domine, sed non in sæcula sæculorum, ibi tamen ita. *Cap. 3. 24.* *Apoc. 21. 4.* *Psal 44 18.*

Duo timenda sunt his, qui Regibus huius mundi adhærent, vel quòd finiatur Rex, vel quòd finiantur ipsi, vtrumque spei gloriæ suæ filum abscindit. At in regno Dei, nihil horum timendum est, nec finietur Deus, nec regni incolæ finientur. quid igitur consequens est? dicat ipsemet Psalmista: *Nolite confidere in principibus, in quibus non est salus: exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* in quo igitur fiducia est colloquenda? subdit: *Psal 145. 3.*

Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius, qui custodit veritatem in sæculum. itaque non fallit, nec fallaces diuitiæ eius, sicut fallaces sunt diuitiæ sæculi. promittit Deus regnum cœlorum, gloriam ingentem, & promissum adimplebit: custodit veritatem in sæculum sæculi, in æternum, & vltrà. O terque quaterque beati serui tui Domine, in perpetuas æternitates regnabunt in regno tuo.

Ecce fratres dilectissimi, vt potuimus, balbutiendo, discrimen inter gloriam mundi & gloriam cœli explicauimus. Quodnam igitur horum eligere vultis? optio datur, ad quam volucritis, porrigite manum; si beato Paulo fidem præstatis, nec cogitatione mentis hanc mundi felicitatem attingetis. *Non* (inquit) *contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia sunt, quæ non videntur, æterna.* Non permisit Paulus, vt temporalia hæc mentem & cogitatum nostrum subeant, quantò minùs permittit omnes cogitationes, verba, opera, & conatus in hæc temporalia conferre? Surfum corda, fratres, ad æterna illa & ingentia bona. si temporales essetis, non esset mirum si corporalibus contenti essetis; at æterni estis, æterna sectemini, assequemini certè illa operibus sanctis, & gratiâ Domini Dei.

Quis igitur non omnia huic posponat gloriæ? Cómorabatur in Ægypto nobilis quidam vir Hebræus, qui tantùm gratia valuerat apud regem Ægypti; vt illum multis honoribus cumulauerit, & sororem reginæ in matrimonium illi dederit; his tamen minimè satiatus clarissimus vir, à rege contendit, vt sibi potestatem faceret discedendi in Hierusalem. Remorabatur rex profectionem illius, & dicebat: *Quæ te indiges apud me, vt quæras ire in terram tuam? & ille respondit: Nulla, sed oro te, vt dimittas me.* Audierat vir ille mortuum fuisse Dauidem regem Hierosolymis, & quia ipse sanguinem regium cognatione attingebat, sperabat futurum, vt ad regiam ascenderet dignitatem, & hac spe ductus, ea omnia, quibus in Ægypto fruebatur, libenti animo deserebat, licèt rem incertam adiret, & vitæ periculis valde obnoxiam; eò solùm quòd regalem gloriam sibi proponebat. Nunc Christus Dominus nos non ad regiam, sed ad deificam inuitat dignitatem, & gloriam. Res hæc non incerta, sed certa est, si nos eius sequimur ductum: nemo enim est qui possit obsistere eius voluntati, si illi nostram accommodauerimus. Quis ergo erit ita vecors, & mente captus, qui velit adhuc in Ægypto remanere, & in domo Pharaonis commorari? si Adad (sic appellabatur homo ille) propter adeo incertam dignitatem, certas Ægypti diuitias, & Pharaonis gratiam deseruit; cur nos incertũ diuitiarum mundi & gratiam Pharaonis tartarei, propter dignitatem certam & gloriam paradisi, non deseremus, qui ad regiam dignitatem spectamus? ipsius enim Dei genus sumus.

Objicies, forsan bellum tibi cruentum parari: omnes enim qui piè volunt viuere in Christo Iesu, bella & tribulationes patiuntur: nam illis bellum indictum est cum mundo, cum diabolo, & cum carne tua; at bellum huiusmodi atrox, & crudele, diu tolerari non potest, mihi præsertim infirmo, & imbecillo, & impari tanto prælio. Similis mihi videris frater Israelitis illis, quibus exploratores Terræ promissionis dixerunt in deserto, Terram illam promissam valde optimam esse, ibi tamen commorari gigantes, cum quibus bellum graue ineundum esset. *Terra* (inquiunt) *quam lustrauimus, deuorat habitatores suos, populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est: ibi vidimus monstra quædam de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Quibus verbis examinati valde filij Israel, dixerunt: Reuertamur in Ægyptum: placebat quidẽ illis Terra promissionis, sed bella displicebant. Sic tibi accidit modò, placet quidem tibi cœlestis gloria; at bella inimicorum times. Monstra de genere giganteo videntur tibi diabolus, mundus, caro, & ideo animo cadis, existimans tibi non suppetere vires ad resistendum incursionibus illorum. Heu frater, ignoras valde virtutem diuini operis, & cœlestis auxilij, quæ præsto sunt his, qui forti & constanti animo Christum sequi decernunt. Memento, quæso, qualiter Israelitæ illi gigantes illos vicerunt, quàm facilè muros Hiericho prostrauerunt: Dominus pugnabat pro illis, in tantum vt lapidibus è cœlo missis, obruerent hostes populi sui, & solùm tubarum clangore mœnia fortissima dissiparet. Quidni? An Deus impossibilia iubet? vel eos deserit, qui iussu, vel amore sui bella suscipiunt periculosa? absit: nam *qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, dicit Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum.* & quidem sic in Domino sperans, super aspidem, & basiliscum, mundum scilicet intuitu interficiente, ambulabis, & conculcabis leonem rugientem tartareum, & draconem sinuosum carnis. *Dominus* (ait Dauid) *protector vitæ meæ, à quo trepidabo? si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. A quo* (inquit) *trepidabo?* Hieronymus, à nullo, neque à diabolo, nec ab alio persecutore, dum Deum habeo defensorem. & addit Dauid, *in hoc ego sperabo*, id est, in ipso prælio, in quo inimici fiduciam suam collocarunt. Quasi dicat: etsi nullum remedium pro me humanitus appareat, diuinitus spero inimicorum tela in ipsorum ora fore detorquenda, vt idem Hieronymus exponit. Sic sperauit Dauid, fiet iam & sanctissimus Iob. *Fone me* (inquit Deo) *iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Pugnabant aduersùs Iob Sabæi & Chaldæi, & elementa ipsa: nam ventus domum euertit & filios occidit, & ignis absumpsit pecora, pugnabat Satan vehementer, pugnabant famuli, & amici, & ipsamet sua vxor, & ipse, vt oppugnanti ab inimicis clamabat: *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Meritò quidem: quis enim sperauit in Domino, & confusus est? Quisve à Domino adiutus, licèt imbecillis esset, non cunctos inimicos superauit? imbecilles erant ex Martyribus quamplurimi, pueri quippe, & puellæ teneræ & delicatæ fuerunt, & tamen, mirabile dictu, & cogitatu est, quàm excelsas victorias fuerint assequuti. Caue ne tibi diuinoque honori talem notam inuras, vt Deo militans, aliquem hostem verearis. Ecce quemadmodum in sacro Euangelio *assumpsit Christus discipulos suos, & duxit eos in montem excelsum seorsum.* Excelsus erat mons, & per abrupta incedendum erat: at Deo duce & assumente, quis non sequetur? quis timebit itineris asperitatem?

Est & aliud quod maximos animos addat ad hoc prælium fortiter ineundum, oculos scilicet si in præmium belli attollas. Quod enim maximè vires diminuit, & audaciam deprimit, est belli tantùm difficultates inspicere, & intra ipsas considerationem coarctare: vltrà progrediendum est consideratione tuæ, vsque ad brauium nempe: hoc enim fiet, vt nullum periculum timeas, nullam aduersitatem formides, si & opem diuinam & coronam attendas. Exemplum tibi accommodatissimum cape: cùm immanis ille gigas Goliath singulos milites ad duces Israel vocaret ad singulare certamen, & nemo id aggredi auderet, rex Saul præconis voce ei, qui cum gigante cõgrederetur, magna promisit, dicens: *Virum, qui percusserit gigantem, ditabit rex donatis magnis, & filiam suam dabit ei, & domũ patris eius faciet absque tributo in Israel.* quo audito, Dauid ingenti spe erectus, in arenam cum gigante descendit. erat autem Dauid adhuc adolescens, & minimè armis assuefactus; gigas autem erat immanis, & fortis nimis, ita vt vel solo aspectu terrorẽ incuteret cunctis. Accessit Dauid inermis: solos enim quinque lapides & fundam secum tulit; arma pastoribus nota. At gigas cassidem æreã super caput deferebat, & loricã hamatã induebatur, ponduſque loricæ eius quinque millia siclorum æris erat, & ocreas

2. Cor 4. 18

3. Reg. 11. 19.

Num. 18. & 13. & 14. & 15.

A

B

C

D

Psal. 90.

Psal. 26.

Cap. 38.

Matth. 17.

1. Reg. 17.

& ocreas æreas habebat in cruribus, & clypeus æreus A tegebat humeros eius, hastile autem hastæ eius erat, quasi liciatorium texentium, ferrum verò hastæ sexcentos siclos habebat ferri. Ecce monstrum, cum quo manus conserere voluit Dauid inermis. Temerarium hoc quidem esse videbatur, at non temerè, sed prudenter, prosperè, feliciterque & incepit, & peregit: nam secundo prælio vsus est, exitumque felicem fortitus est: fundâ enim circumducens, lapidis vnius ictu in fronte percussus gigas, in terram concidit, cuius caput gladio proprio Dauid præcidit, felix Dauid. Nunc rogo, quomodo non horruit Dauid coram gigante illo fortissimo, & sibi adeo impare, bellum inire? Quomodo ausus fuit facinus tam periculosum aggredi? Audi quid in congressu asserat ipse Dauid: *Tu venis ad me cum gladio, & hasta & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminum Israel, & dabit te Dominus in manum meam, & percutiam te, & auferam caput tuum à te,* &c. sicut prædixit, ita & factum est. Quidni vinceret, qui pro Domino bellabat? cui Dominus ideo ferebat opem. Hoc primùm animosiorem reddidit illum. Secundò antequam bellum aggrederetur, percontatus fuit: Quid dabitur viro qui percusserit Philisthæum hunc? Renuntiatum est illi præmium, & statim cum gigante illo confligere decreuit. Hæc ergo duo sunt, quæ nobis animum addere debent ad bellum cum hoste nostro ineundum, & auxilium Dei, & præmium cœli sempiternum. Non tibi promittitur generum te regis fieri, sed Dei filium; non domum tuam à tributis liberam futuram, sed te liberum fore ab omnibus prorsus miseriis; non tibi diuitiæ regni Saul, nec huius sæculi offeruntur, sed regni cœlorum, & sæculi sempiterni. Huiusmodi diuitijs ditabit Deus virum, qui percusserit Philisthæum tartareum. Si ergo Dauid non dubitauit bellum illud inire, quid tu dubitas? quid formidas? Ibi anceps victoria, & certissimum periculum, exiguumque brauium videbatur: hic victoria adeo certa est, vt, suppositâ diuinâ gratiâ, quæ tibi non deerit, in tua sit voluntate sita victoria: brauium autem illud est, quod neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit. Qui ergo fieri potest, vt vires non resumas ad omnes inferni furias debellandas?

Præcepit Dominus Abrahamo, vt ex patria sua egrederetur, *Egredere* (inquit) *de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi.* Abijt dicto obediens, & mirum quos labores in itinere illo perpessus est. Hîc spoliabatur coniuge, ibi torquebatur fame, & vbique tanquam hostis ac peregrinus incommoda patiebatur. voluit Dominus illius animum incitari, & cordis vires augere, & vocâs eum, ait: *Surge & perambula terram in longitudine & latitudine sua, quia tibi daturus sum eam.* Animaduerte, qua ratione animetur Abraham, vt laboribus non frangatur, intuitu scilicet, & consideratione illius terræ, quam daturus illi erat, imò nõ illi, sed posteris eius, nec mox, sed post quadringentos annos. Si ergo tam exiguum præmium, post multos annos tribuendum posteris, sufficiens erat ad animum addendum Abrahæ, ad tolerandos arduos labores illos; cur & tu intuens, non terram, sed cœlum tibi promissam in præmium, vires non resumes, non ad labores peregrinationis Abrahæ ferendos, sed vt domi mandata Dei custodias, & aliqua in earum obseruatione incommoda feras?

Denique mei defectum in hac tua pusillanimitate, frater, latere formido: vbi enim spes fuerit, ibi cuncta difficilia leuia reputantur. Agricola patienter spectat vicissitudines temporum, hyemis algores, & æstatis ardores pro nihilo faciens, proscindit assiduè terram, aratro iterat, atque tertiò colit, seminat, metit, terit, ventilat, & nulli laborum parcit, nec ideo conqueritur, sed potiùs canendo sæpe sudores transcurrit. Quid ita? spes in causa est. sperat fruges fructuum laborum futuras, aliàs non coleret terram: debet enim (ait Apostolus) in spe qui arat arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Quid præterea non perfert mercator, dum pactiones facit, & rationes versat, dum domum suam & quietem in ea deserens, & vxorem, & filios, merces in exteras nationes portat, & terras, mariaque transcendit.

Impiger (inquit Poëta) *extremos currit mercator ad Indos,*
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Cur tot pericula, & mala subit? spes lucri calcaria adhibet, & premit, & claudit oculos negotiatoris, ne videat labores illos. Miles etiam qui versatur in bello, quos non superat labores? armis onustus incedit, excubias agit, stat in specula, vigilat, & sæpe humi iacet. vix vitæ alimenta consequitur, & vitam semper in discrimẽ adducit. Cur ergo se acerbissimæ vitæ addicit, quia spem habet stipendium assequendi, vel regis gratiam promerendi. Magna itaque operatur spes, cùm adest; quòd si operari renuit, spes non est, sed abest. tu egrè fers pœnitentiæ operam dare, & aliquid pro Christo ferre, non vt aurum argentúmve compares, non vt triticum in horrea congeras, non vt militum stipendia consequaris, vel alicuius regis gratiam compares, sed vt Dei gratiam gloriamque cœlestem simul assequaris. Si hîc hæres, & cordis alas deponis, quantùm ego capio, spes tibi deest, illa, inquam, viuax & feruida, quæ ad magna & ardua homines vehementer stimulare solet. Pete illam à Domino Deo tuo, & dic: Domine adauge mihi spem. Quòd si peccata tua spem tuam adimere tentant, memento misericordię Domini Saluatoris, qui non venit vocare iustos, sed peccatores. Pœnitentiam age, spera in Domino, & fac in posterum bonitatem, & pasceris in delicijs & diuitijs gloriæ eius.

Exprimere desiderans Sanctus Dauid gloriæ diuinæ vbertatem, dicit: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ.* Ab vltimis verbis expositionem ordiamur. *Apud te* (inquit) *est fons vitæ* omnium bonorum, quibus perfruimur in vita maximè, & præcipuum ipsamet vita est, & hæc omnibus datur, ad mensuram exiguam: alij enim viginti, aut multò minùs, alij triginta, alij quadraginta, aut quinquaginta, denique vel septuaginta, aut octoginta annorum vita conceditur, & non amplius nam quod amplius est, non est vita, sed labor & dolor. O misera vita! licèt nullam aliam haberet miseriam præter hanc, misera dicenda esset. Non est itaque in hoc mundo fons vitę, sed riuulus quidam statim deficiens, semper fluit, & breui exhauritur: at in cœlo est fons vitæ, fons perennis, qui ex ipso Deo erumpit. Audi consonam vocem cuiusdam cœlicolæ factam Apostolo Ioãni: *Agnus deducet eos* (Beatos scilicet) *ad vitæ fontes aquarum*: Græca lectio habet, ad viuentes fontes aquarum. Viuos appellat fontes vitæ, quia ex illis nunquã vita deficit: semper enim vitam emittunt: vitam denique nunquam vlla morte terminandam: in cœlo enim verum comprobatur id quod asserit Isaias: *Præcipitabit mortem in sempiternum.* Nostra vita est vita mortalis; hęc autem est vita vitalis, perennis & sempiterna. O præclara vita! quid aliud desiderari potest nisi vt felix, & fortunata sit? habet autem & hoc. Audi Dauidem in loco iam proposito: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Voluptates, quibus in hac vita homines perfruũtur, in vasculis breuibus & perangustis delibãtur, & breui exhauriuntur, atque adeo sitim nõ extinguunt, interdum vel vnicum gaudij hausturn mille mœrores comitãtur: in cœlo autem non calice, sed torrente voluptas propinatur. Attende obsecro bonitatem Dei nostri, labores & lacrymas ad pondus & mensuram elargitur: vasculum enim porrigit. *Potestis* (inquit Apost. Ioanni & Iacobo) *bibere*

P*sal.35.9.*

Apoc.7. 17.

Cap.25.8.

Matt.20. 22.

Psal 79.6 *calicem*, &c. calicem ait, non torrentem. *Potum*, ait David, *dabis nobis in lacrymis in mensura*. lacrymas dat Deus ad mensuram: cùm verò de iustorum gaudio agitur,

Psal.35.9 *Torrente*, inquit, *voluptatis tuæ potabis eos*. Secus illis accidit, qui mundo inseruiunt, gaudium illis in pondere tribuit, mundus labores sine mensura.

Cùm voluisset Dominus populum suum signare sanguine, *Fasciculum* (ait) *hyssopi tingite in sanguine, &*

Exod. 12. *aspergite ex eo superliminare*, voluptates autem non per aspersionem hyssopi, sed per inundationem quamdam elargitur. Sic habetur in Deuteronomio: *Inundationem*

Cap. 33. *marus quasi lac sugent*. Loquitur Scriptura de iustis, quibus quasi immensitatem quamdam gaudij videtur Deus communicare. Vnde meritò hîc Propheta, de beatis loquens, dicit: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Quid mirum si tanto flumine satisfaciendum sit nostræ siti? imò quid mirum si beati voluptate tanta inebriantur? *Inebriabuntur* (inquit) *ab vbertate*. Quid est, *inebriabuntur*? Ebrietas defectum ob nimietatem designat: nam illum ebrium dicimus, qui adeo immoderatè potauit, vt mente capiatur. Itáne beati cœlesti gloriâ capiêtur, vt à seipsis alieni sint, vt mente captos nuncupemus? Absit. Audiamus hac in re Sanct. Au-

Ibid. gustinum, *Nescio* (inquit) *quid magnum promittit nobis, vult illud dicere, & non dicit: non potest ad id animus, non capiemus. Audeo dicere, fratres mei, etiam de sanctis linguis, & cordibus, per quæ veritas nobis est annunciata, nec dici potest, quid annunciabant, nec cogitari. Res enim magna est, & infallibilis, & ipsi ex parte videbant in ænigmate. Sic dicit Apo-*

1.Cor.13. *stolus*: Videmus nunc ex parte in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. *Ecce in ænigmate videntes, sic eructabant, quales erimus, cùm videmus facie ad faciem? Quod ipsi parturiebant corde, linguâ parere non poterant, vt caperent homines. Quæ enim necessitas fuerat, vt diceret*: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ? *Quæsiuit verbum vnde loqueretur, de rebus humanis, quod diceret, & quia vidit homines ingurgitantes se in ebrietate, accipere autem vinum immoderatè, & mentem perdere, vidit quid diceret, quia cùm accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodo humana mens, & sit diuina, & inebriatur ab vbertate domus Dei. Quomodo potui dixi, & quomodo possum video, & quomodo video dicere non possum*. Hactenus Augustinus. Sed quid? nimirum Sanctus Augustinus huius felicitatis magnitudinem explicare nesciat, & Dauid etiam verba non inueniat, quibus vbertatem illam explicet nobis, cùm diuino Paulo, qui vsque ad tertium cœlum raptus est, vt eam intueretur, verba non suppetant ad illam declarandam.

2.Cor.4. *Scio* (inquit) *huiusmodi hominem raptum vsque ad tertium*

12. *cœlum, & audiuit arcana verba, qua non licet homini loqui*. Audiuit, inquit, id est, vidit: in sacra enim Scriptura pro

Cap.20. eodem sumi solent, videre, & audire. In Exodo. *Populus*, ait, *videbat voces*: hoc est, audiebat: sic modò audiuit arcana, id est, vidit. Nam, vt ait Sanct. Augustinus, Paulus in hoc raptu essentiam diuinam vidit, & gloriam, de qua loquimur modò. Vidit ergo quæ non licet homini loqui, hoc est, non suppetunt homini verba, qui-

Super Isai. c.64. bus id valeat explicare. Sic exponit Procopius, dicens: *Non licet homini loqui* (ait Paulus) *non quòd tacere in mandatis haberet, sed quòd efferre pro dignitate non posset*. Hæc ille. Explicare ergo Paulus nequiuit, quod vidit, quia inexplicabile fuit, adeò ingens & excellens est bonum felicitatis beatorum, &c.

Consonant explicationi huic verba eiusdem Pauli,

1.Cor.2. *9.* dicentis: *Oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum.*

Isai.64.4. Idipsum ferè dixerat Isaias, dicens: *Oculus nõ vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te*. Vt intelligas vtrumque Testamentum, nouum, & vetus in hac conclusione conuenire, bonum hoc cœleste supra sensus nostros versari; explicari ergo verbis non potest gloria beatorum, quia humana verba transcendit. Addo etiam mentem, & cogitationem: quia neque in cor hominis (inquit) ascendit. Vnde, cùm diuino beneficio fiet, vt in cœlum conscendas, & illâ gloriâ iam fruaris, maxima quadam alacritate perfusus, in hæc verba erumpes: O gloria singularis! ô præmium Deo dignum! nunquam cogitarã tantam esse huius beatitudinis præstantiam. Quotidie ipsam concionatores prædicabant, & verbis amplificabant; rei tamen veritas omnia excedit. Idipsum igitur ego nunc fateor, excedit prorsus verba, & captum nostrum. Vnde rectè Augustinus inquit: *Hoc nosse primitus, & corde Christiano tenere debemus, non ad præsentia bona nos factos esse; sed nescio ad quid aliud, quod Deus iam promisit, & homo non concipit. de hoc enim dictum est*: Quod oculus non vidit, &c. *Ergo quæ hoc bonum tam magnum, tam præclarum, tamque ineffabile non inuenit hominem præceptorem, tenuit Deum promissorem*. Hæc Augustinus. Quænam igitur est gloria illa, quam nec sapientissimus Augustinus, nec Isaias diuino & prophetico spiritu afflatus, nec raptus in tertium cœlum qui illam fuit intuitus, potuerunt explicare?

Scio quidem S. Ioannem in Apocalypsi describisse nobis cœlestis beatitudinis excellentiam in descriptione illa ciuitatis Hierusalem, vidisse se (ait) ciuitatem Sanctam Hierusalem, habentem claritatem Dei, & lumen eius (inquit) simile lapidi pretioso, tanquam lapidis Iaspidis, sicut Crystallum, & *cuntas in quadro posita est, & longitudo eius tanta est, quanta & latitudo. Et Angelus mensus est murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum, mensurâ hominis, quæ est Angeli. Et erat structura muri ex lapide Iaspide; ipsa verò ciuitas aurum mundum simile vitro mundo, & fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata, & duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas; & singulæ portæ erant ex singulis margaritis, & platea ciuitatis aurum mundum, & ciuitas non eget sole, neque luna, vt luceant in eam: nam claritas Dei illuminauit eam, & porta eius non claudentur per diem: nox enim non erit illic*. Hæc Ioannes. Et quidem præclara est ciuitas hæc, cuius fundamenta sunt lapides pretiosi: in nostris enim ædificijs fundamenta haud constant lapidibus pretiosis, sed rudibus, & impolitis; qualia ergo cetera erunt, vbi fundamenta sunt margaritæ & adamantes? *Ciuitas* (inquit) *est aurum mundum*: spectaculum esset quidem iucundissimum, videre ciuitatem aliquam, cuius parietes, tecta, vici, & plateæ, & omnia nihil aliud haberent præter mundissimum & perlucidum aurum, vbi semper dies sine nocte. Mirum si ex omnibus mundi plagis vniuersi mortales non properarent, & currerent ad huiusmodi pulchritudinem intuendam. Si enim Roma & aliæ ciuitates ex nostris, admiratos detinent spectatores suos, omnesque illas videre desiderant, cùm ex lateribus, luto, lapidibusque vilibus constent; quid esset videre ciuitatem illã ex lapidibus pretiosissimis, auroque mundissimo constructam? Attamen si rem lucidiùs consideremus, potiùs mirandum est, quomodo Angelus Ioanni, Ioannes verò per lapides nobis, & metallum, pretium, & pulchritudinem ciuitatis cœlestis voluerint explicare? hæc enim in terra gignuntur, & inter diuitias nostras computamus. Quæ autem conuentio cœli ad terram? quæ paritas inter diuitias beatorum, & nostras? Quapropter si rectè perpendimus, necessariò dicendum erit, ideo voluisse Angelum Ioanni auro, margaritis & luce, ciuitatis gloriam exprimere, quia cum homine loquebatur, qui alias diuitias non agnoscebat: sicut Euangelista Matthæus, ideo claritatem *Matth.28.* vultus Christi, & albedinem vestimentorum eius solis splendori, & niuis candori comparauit. Quia nos alia nescimus, quibus aptiùs possent comparari. Sic & Angelus auro & murgaritis excellentiam beatitudinis expositquia alia nesciebat Ioannes, quibus illa, quæ illi ostendebantur, cognoscere posset, eademque ratione Ioannes nobis sub ipsimet speciebus ciuitatem illam excelsam describit; quia non potuit alia pretiosiora inuenire, quibus eam nobis proponere posset, contrà gitque

gitque illi perinde ac rustico cupiam inter aspera mon-
tium educato, qui semel curiam regiam videns, & ma-
gnalia eius considerans, postea reuersus ad suos, volens
illis visa narrare, vestes illas argento auroque contex-
tas nesciens exponere; diceret: Meliores sunt illæ vestes
quàm optima nostra indumenta, & de ædificijs illis
sumptuosissimis diceret : Excedunt domos optimas
nostras, hanc, & illam, &c.

Quid enim faceret homo ille in villulis & pagis nu-
tritus, nisi per ea quæ solùm ibi nouit, ignota propo-
nere? Quo etiam alio modo poterant reliqui percipe-
re dicta, nisi per sibi nota exponerentur? sic ergo mo-
dò B. Ioannes, quia in hoc mundi pago natus erat, &
nutritus, nobis, in eodem educatis, per aurum, & mar-
garitas, & lucem, quæ optima sunt apud nos, ea expo-
nere voluit, quæ, sine vlla comparatione sublimiora
sunt. Magni facimus nos ista, quia nunquam nouimus
altiora, & illa altioris ordinis sunt, generisque diuini:
quæ qualia quantaque sint, solus intuitus explicabit.
Faxit Deus, vt illam videre mercamur. Amen. B

Hinc mirari oportet nos ignauiam nostram, quòd
ita negligentes & segnes simus in tantæ gloriæ deside-
rio, & inquisitione. Quærunt homines temporalia bo-
na omni conatu, cœlestem verò gloriam nec quærunt,
nec cogitant vmquam : & quidem quia non cogitant,
non quærunt; quærerent enim magno studio, si eam
attentè considerarent.

Venatorius canis, dum venationis odorem non per-
cipit, lentè & negligenter incedit : at cùm primùm ad
illam propinquus, eius percipit odorem, mirum est
quanto cum feruore & vehementia huc illucque dis-
currens, & caudam frequenter retorquens, venationem
quærit; sic nimirum qui mente non accedit ad cœle-
stem illam glorię venationem, tardè illam & negligen-
ter inquirit; at cùm cogitatu ad illam accedit, & odo-
rem illius percipit, festinat, properat, currit.

Et quidem nimia inquisitio & sollicitudo bono-
rum temporalium, manifestum signum est ignorantiæ C
bonorum æternorum gloriæ. Dauid, *Ego*, inquit, *dixi*
in excessu meo : Omnis homo mendax. Quid est, in excessu è
in mentis quidem excessu, in contemplatione scilicet,
quâ mente excedimus Deo, Deum & æterna bona in-
tensè considerantes, tunc agnoscuntur homines men-
daces, seu decepti, mendaces in stateris suis, eò quòd
temporalia bona pluris faciant, quàm æterna.

Vnde S. August. *Amore animæ recedit, & excedit à sensi-*
bus corporeis, vt sese non sentiat, quæ Deum sentit. Ita ille.
Hoc est, anima contemplatione & amore diuinorum, à
sensibus corporeis ita secedit, vt solum Deum amet,
solum Deum libeat cogitare.

Hinc in principio creationis sic Dominus ad Adam:
Ex omni ligno paradisi comedes, &c. Quid necesse fuit
præcipere Adæ, vt de omni ligno comederet Paradisi,
nónne naturalis cibi appetitus ad hoc satis illi super-
que fuisset? Respondet Author quidam grauis, Adam
in illo integræ naturæ & iustitiæ originalis statu, sic
diuinis rebus & æternis addictum fuisse, vt prorsus ei- D
borum & rerũ temporalium facilè obliuisci potuisset,
nisi præceptum huiusmodi illi fuisset iniunctum : fal-
tem ad hoc significandum Deum illud præceptum ap-
posuisse.

Vnde S. Ephrem adeo in oratione excessum, quem
diximus, patiebatur, vt in oratione diceret Deo : Do-
mine contine vndas gratiæ tuæ, Domine recede à me,
quia sustinere non possum magnitudinem dulcedinis
tuæ: erant quippe adeo ingentes diuinæ consolationes,
& contemplationes, vt animæ suæ vas ad illas reci-
piendas minimè sufficiens videretur. Quare meritò, ait
S. Chrysost. ideo nos ita impensè & intentè diligere
mundi bona, quia æternorum bonorum celsitudinem
ignoramus.

Huius non leue argumentum est, quòd de seipso as- A
seruit sapiens ille Seneca : audierat hic nescio à quo,
fortè à D. Paulo, aut etiam alijs doctoribus sacris, de
æterna, & felicissima gloria nonnulla, quæ licèt non
crederet, sicut credimus nos, nihilominus tantum inde
oblectamenti cepit, quantum ipse his verbis insinuauit,
ad Lucillum amicum referibens, epist. 102. *Quomodo* *Seneca.*
molestus est iucundum somnium videnti, qui excitat illum : auf-
fert enim voluptatem, licèt falsam, effectum tamen verè haben-
tem ; sic epistola tua mihi fecit iniuriam : reuocauit enim me
cogitationi aptæ tradituræ. & iterum: *Si licuisset, vlteriùs iuua-*
bat de æternitate animarum quærere, imò, me hercule, credere:
credebam enim facile opinionibus magnorum virorum, rem
gratissimam promittentium magis quàm probantium. Dabam
me spei tantæ, tam eram fastidio mihi, tam reliquias ætatis in-
fractæ contemnebam, in immensum illud tempus, & in posse-
sionem omnis ævi transituræ; cùm subitò experrectus sum epi-
stolâ tuâ acceptâ, & tam bellum somnum perdidi, quod repe-
tam, si te dum sero, & redimam. Ita Seneca. Quòd si felici-
tas illa tam à longè petita, & veluti in confuso, sic ab
Ethnico somniata, tantam illi animi voluptatem affe-
rebat, quid verè possessa præstabit?

Quanta illa cœlestis gloria sit futura, ex cœlorum
amplitudine perspici potest: sicut enim Assuerus, cùm
conuiuium illud regium, quo ostenderet diuitias glo-
riæ regni, ac magnitudinem, faceret; nihil non præsti-
tit, quod ad eius amplitudinem expedire iudicauit. in-
ter alia locum aptum elegit, in vestibulo scilicet hor-
ti, & nemoris, quod regio cultu, & manu consitum
erat, & ibi pendebant ex omni parte tentoria varij co-
loris, & carbasini, ac hyacinthini, sustentata funibus
byssinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inserti
erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli
quoque aurei, & argentei super pauimentum smaragdi-
no, & pario stratum lapide, dispositi erant, quod mira
varietate pictura decorabat. Quid hinc conuiuio, &
illi, quod Deus in æternum præparauit diligentibus se?
quod non in vestibulo horti, sed in cœlo exhibetur
beatis. Quale igitur existimas cœlum hoc, & quidem
quod ad magnitudinem attinet, in primo cœlo lunæ à
parte infima vsque ad supremam, à parte, inquam, con-
uexa vsque conuexam Astrologi 118878. leucas inter-
esse affirmant; in secundo verò cœlo 325650. in tertio
verò cœlo 1888850. in reliquis verò iam innumerabi-
lis distantia hæc esse videtur : & hoc modo multipli-
cantes Astrologi magnitudines cœlorum, cùm ad cœ-
lum Empyreum peruenerit, quo numero poteris eius
magnitudinem metiri? hoc solùm addam, quòd cœ-
lum octauum, cùm motus eius celer nimiùm sit, non
minore tempore, quàm triginta sex millium annorum
conficit illum : & beatus Augustinus asserit, neminem *Augustin.*
ordinario cursu posse è terra in supremum cœlum
peruenire spatio quingentorum annorum millium.

Pulchritudinem verò eius quis explicabit? B. Ioan-
nes Apostol. Apoc. 21. auro mundo, & crystallo simile *Apoc. 21.*
esse dixit. Posset quis in dubium vocare, quid oculis
pulchrius sit, aurum, an crystallus: vtrumque igitur
tribuitur cœlo, vt nulla ei pulchritudo deesset. Quòd
si locum illum conuiuij Assueri mira varictas decora-
bat, quis decor cum eo, quem sol, luna, planetæ, & illa
innumerabila cœli astra continent, poterit compari?
multi autem Doctorum affirmant, quamlibet partem
cœli Empyrei, quod locus propriusbeatorum est, sole
ipso splendidiorem esse. denique nulla in orbe nostro
pulchritudo est, quæ huic valeat comparari.

Magnificabat conuiuium Assueri multitudo conui-
uarum, *Fecit*, inquit, *grande conuiuium cunctis Principibus,* *Esth. 1.*
& pueris suis, fortissimis Persarum, atque Medorum inclytis,
& præfectis prouinciarum, & postea vniuersos habitatores
curiæ pariter inuitauit. Sed quid hæc ad multitudinem
beatorum? *Vidi* (ait Apostolus Ioannes) *turbam magnam,* *Apoc. 7.*
quâ dinumerare nemo poterat: numeraucrat ipse 144000. 9.
ex populo Hebræorum, & qui potuit tantam hanc

multitudinem numerare, reliquam innumerabilem esse asseruit, vt verè innumerabilem testaretur: est igitur hominum beatorum innumerabilis multitudo. Et quidem S. Hier. ex solis Martyribus talem esse numerum asseruit, vt pro vnoquoque die quinque millium Martyrum festum posset Ecclesia celebrare : & hoc tempore adhuc S. Hier. qui anno quadringentesimo à Christi Domini Incarnatione vixit. Si ergo Martyres tantùm iam tunc tot fuerunt, ex reliquis sanctis, & Martyribus vsque ad mundi finem, quanta erit hæc multitudo, & hominum ? Quid autem de Angelis dicemus ? Audi Danielem, *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* sed hæc ita narrat Daniel ; at, inquit amicus ille Iob c. 25. *Numquid est numerus militum eius ?* posuit Daniel numerum determinatum, pro indeterminato, sicut & Ioan. Apoc. 5. *Et erat*, inquit, *numerus eorum millia millium*, hoc est, innumerabiles. Vnde S. Thom. 1. p. q. 50. art. 3. & q. 6. de potentia Dei, art. 4 asseruit numerum Angelorum excedere numerum omnium specierum rerum materialium. quod ex S. Dionysio desumpsit de cœlesti Hierarch. c. 4. vbi, *Multi* (inquit) *sunt beati exercitus supernarum mentium, insimam excedentes nostrorum materialium numerorum commensuratione & huius ratio.* (ait S. Thom. ibidem) *est, quia cum perfectio Vniuersi sit illud, quod præcipuè Deus intendit, in creatione rerum, quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in maiori excessu à Domino sunt creata: sicut autem in corporibus attenditur excessus secundùm magnitudinem; ita in rebus incorporeis potest attendi excessus secundùm multitudinem. Videmus autem, quòd incorruptibilia corpora, quæ sunt inter corpora perfectiora, excedunt, quasi incomparabiliter, secundum magnitudinem, corpora corruptibilia: nam tota sphæra actiuorum, & passiuorum, est aliquid modicum respectu corporum cælestium. Vnde rationabile est, quòd substantiæ immateriales excedant secundùm multitudinem substantias materiales, quasi incomparabiliter.* Ita S. Thom. Vide igitur, quot sint species rerum materialium in cœlis, in stellis, in elementis, in mineralibus, in auibus, in piscibus, in quadrupedibus, in reptilibus, in vermibus, in arboribus, in oleribus, in fructibus, in floribus, in lapidibus, in rebus meteorologicis, &c. & quòd Sanct. Thom. inquit, quòd Angeli excedunt secundùm multitudinem substantias materiales, quasi incomparabiliter ; quantus igitur erit numerus Angelorum ? hominum autem beatorum est innumerabilis multitudo, vt diximus; simul igitur homines beati, & Angeli quamnam multitudinem conficient ?

S. Hier. Dan. 7. 10. Iob 25. 3. Apoc. 5. 11. S. Thom.

Nunc igitur quanta sit eorum pulchritudo, videamus, vt de tali, ac tanta societate, qualis resultet gloria, cognoscamus. Ex pulchritudine quidem, & excellentia paradisi terrestris, excellentiam hominis, ob quē creatus ille fuerat, colligemus; sic ex pulchritudine, & maiestate cœlorum materialium, quanta sit beatorum gloria, & excellentia, deducemus : ob eos enim creati sunt, maximè Empyreum cœlum. Vide igitur quanta sit solis, lunæ, planetarum, cæterorumque astrorum pulchritudo, ipsorum autem cœlorum quænam sit, nō perspicimus; at cùm illa quinta essentia superior sit omnibus terrenis rebus, speciositate sua omnem terrenorum speciem superare oportet. Inter cuncta verò cœlestia Empyreum, sicut magnitudine, sit pulchritudine ita primum obtinet locum, vt minima illius pars, solis vincat splendorem ; quid igitur totum integrè sumptum cum immensitate sua ? maximè cùm Deus Opt. Max. in rerum collatione ordinatissimè procedat, & locum locato maximè congruere curet : est autem locus ille cœli supremi ad beatorum habitationem destinatus; vt eius pulchritudo tantæ beatorum pulchritudini congrua sit, oportet : sicut enim regis palatia regia decent, Beatos beatissima decebit cœli pulchritudo.

Ciuium autem decor quantus erit, Angelorum, in-

A quam, & sanctorum ? vt de Angelis prius dicamus, vidit Daniel Angelum quendam tanta infignitum maiestate, qualem expressit, dicens : *Non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quicquam virium. Audiui vocem sermonum eius, & audiens iacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ.* Quisnam Angelus hic, cuius aspectus, & vox talem, ac tantum Prophetam sic terrere, & obstupefactum valuit detinere ? Dan. 10. 8.

Vidit etiam Apostolus Ioannes Angelum alium Apocalyp. 19. ante cuius pedes cecidit, vt adoraret eum, tantâ quidem reuerentiâ, vt ab Angelo prohiberetur, dicente : *Vide ne feceris, conseruus tuus sum : Deum adora.* Nō igitur dubium, quin eximium splendorem tam Danicl, quàm Ioannes, in his profexerint Angelis, qui sic eos in tantam rapuerit admirationem ; & tamen non ipsam beatorum illorum spirituum pulchritudinem viderunt, sed corpoream quandam, quæ tantùm à propria distabat, quantùm à spiritu distat corpus. qualis quantaque igitur erit supremi Angelorum chori dignitas, & excellentia ? quod si Angelus formâ indicibilis formositatis decoratus est, quid supremus ? quid alijs cùm vnusquisque specie differat ? De hominibus verò beatis, quid dignum dicere valemus ? & quidem si de corpore loquamur, beati corpus quatuor mirabilibus dotibus corporis erit condecoratum, impassibilitatis scilicet, subtilitatis, agilitatis, & claritatis. Dos impassibilitatis corpus beati sic impassibile reddet, vt ne ab ipso gehennæ igne, quamuis in eius medio constitueretur, vel capillus capitis eius comburereturne, vel calefieret; sed sicut tres pueri in Babylonica fornace intacti prorsus Deum suauissimè laudabant ; sic Beatus in fornace illa infernali collocatus, integer, & saluus vndequaque permanens, & illæsus, omnino permaneret, Deum in inferno, sicut in cœlo semper collaudans. Dos autem subtilitatis, ita subtile corpus efficiet beati, vt ad modū spiritus per omnia corpora, quantumuis densa, se valeat penetrare. Vnde Apost. 1. Cor. 15. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*, hoc est, simile spiritui, vt ait S. Thom. Dos autem agilitatis ita corpus beati agile reddet, vt cogitationi nostræ simile, omni celeritate citius, se vbique valeat collocare. Vnde Apost. 1. Cor. 15. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* vbi Glossa interlinearis, id est, mobile, & viuum : quæ mobilitatis virtus cùm ibi perfectissima sit, perfectissimum efficiet motum. Dos denique claritatis ita clarum, & perspicuum, pulchrum, & illustre corpus reddet, vt solem facilè decore vincet. Vnde Christus Dominus Matth. 13. *Iusti fulgebunt sicut sol, in regno patris eorum.* Et Apost. 1. Cor. 15. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Quod, vti ait S. Thom, ad claritatem spectat, vt per sequentia patet, vbi corporum resurgentium gloriam stellarum comparat claritati. Sic in transfiguratione Christus se manifestauit, vbi *resplenduit facies eius, sicut sol, & vestimenta eius facta sunt alba, sicut nix*, vel, vt Græci aiunt, sicut lux. Glossa autem interlinearis, solis luci hunc splendorem, inquit, comparauit, quia non habet aliud, cui comparet, hoc insinuans, quòd sole clarior sit claritas hæc corporis beati: nam. vti Apost. ad Phil. 3. *reformabit Christus corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* vbi Gloss. assimilabit claritati, quam habuit in transfiguratione. Quanta igitur illa claritas erit, quā minor sit ipsa mirabilis claritas solis ? Quòd si de huiusmodi claritate, & reliquis corporis dotibus plura videre cupis, lege S. Thom. in additionibus ad q. 82. De gloria verò, & pulchritudine animarum quis sermo dignè exprimere valet, quanta illa sit : si enim corpus, propter gloriam ex anima illa prouenientem, tantis bonis, tantaque pulchritudine dotatum vides, quid de anima ipsa iudicabis ? Et quidem si omnem mundi pulchritudinem in vnum voces, ea simul sumpta cum animæ vnius decore non poterit meritò compa-

B

C

D

1. Cor. 15. 43. S. Thom. Ibi. 15. 43. Matt. 13. 1. Cor. 15. 43. S. Thom. Matt. 17. Gloss. Phil. 3.

rari. Quòd si gloria animæ per se, & gloria corporis seorsim considerata, vti diximus, tanta est, simul in vnum coaptata, quanta est? Si modò ita perditi amatur pulchritudo alicuius faciei humanæ, vt insanire sæpè homines faciat, quo gaudio in patria afficientur homines, tantam corporis & animæ gloriam aspiciendo?

Beda serm. 2. de omnibus Sanctis: *Si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam paruo tempore tolerare, vt Christum videre digni esse possemus in gloria venientem, & Sanctorum eius numero sociari, nónne dignum erat pati omne, quod triste est, vt tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur.* Ita ille. Et quidem si ab ipso Beda peteremus, an si non solùm paruo tempore, sed etiam si mille annorum spatio, gehennæ ignem pati oporteret, id eligere deberemus: stultam hanc interrogationem existimaret: nullam enim comparationem hæc pœna cum illa gloria habet, &c.

De Deo, propter excellentiam suam, docent Theologi cum S. Dionysio, esse per negationem ad eius cognitionem procedendum, v. g. infinitus, incomprehensibilis, immensus, &c. sic de cognitione gloriæ agunt litteræ sacræ: Apost. Ioan. Apoc. 21. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt.* Ecce per negationes procedit: non erunt lacrymæ, non clamor, non luctus, non mors, &c. Cur non dicit, quæ ibi erunt: quia sicut Deus indicibilis est, ita & gloria, quæ in Dei visione clara consistit.

Apostol. Paulus vidit quidem gloriam illam: Deum enim vidit, in cuius visione illa gloria consistit: vnde si aliquis nostrum nobis de illa beatitudine dicere valuit, Paulus fuit, quia testis oculatis fuit, & tamen nihil aliud de illa dicere nouit, quàm quòd indicibilis esset: *Audiuit*, inquit, *arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Vbi S. Thom. *audire, pro videre interpretatur, audiuit verba ineffabilia, hoc est, vidit ineffabilia, quæ ipsemet homo, qui ea vidit, exprimere nequit. Dicitur autem auditio* (ait idem S. Doctor) *in quantum per huiusmodi visionem homo instruitur de diuinis.* Ita ille. Hoc autem inde nobis innuit, quod ad Rom. 8. scripsit: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, non ait nobis, sed *in nobis*, quia non est reuelabilis extra nos, nó intelligitur, nisi videatur: ideo (inquit) reuelabitur in nobis. Sed quid ais, Apostole sancte, non sunt condignæ ad eam passiones huius temporis? videris quidem non vidisse Laurentij craticulam, Vincentij dilacerationem, Sebastiani sagittas, leones Ignatij, &c. hæccine nó sunt condignæ passiones? non, nec ad vnã diẽ, nec horã, nec momentũ illius felicitatis. Loquitur Paulus, sicut qui ad Indos profectus, rediens, id nobis annuntiaret: Vidi in tali vel tali parte Indiæ terram verè manantem lacte, & melle, vbi omnis copia, & abundantia diuitiarum, & deliciarum, quæ ab humano corde optari possunt: scio viam longissimam esse nauigationem, laboriosam valde, & periculis plenam, sed tamen, si his, quæ vidi, hęc omnia comparentur, non sunt illis condignæ; sic Paulus: Vidi arcana Dei, quæ non licet homini loqui, hoc autem vnum scio, quòd omnes passiones huius mundi, simul sumptæ, ita vt quæ omnes Martyres patientur, & quæ omnes homines pati possunt, non sint condignæ ad ea, quæ vidi.

Hinc desiderium illud ingens mortis, vt ad ea, quæ vidit, fruenda peruenire t. *Cupio*, inquit, *dissolui, & esse cum Christo.* Imaginare herodium, qui ardeam assequutus, cœpit eius sanguinem fugere, & visceribus eius vesci, à venatore verò ablata ardea; herodium caputio tegit, & vinculis in pertica reuincit: herodius autem caputium excutiens, & vincula rostro disrumpere optans, clamat, quid huius inquietudinis causa est, ardea profectò, cuius sanguinem & viscera cœperat degustare. *Echa el caçador el alçon a la garça, y a la primera puñada apechuga con ella, comienca a cebarse en la sangre, y entrañas de la garça, llega el caçador, quita sela, hechale el caperote, y atale de las piguelas en vna alçandara, esta el alçon piando y piccando las pigneles, y sacudiendo el capirote, gritando y atalancandose dela alcandara: que tiene este paxaro, que tan inquieto esta? Sennor amase cenado de la sangre y entrannas, dela garça, quitaron sel a al mejor tiempo, de sopia y grita, se deshaze.* Sic Paulus primo volatu tanquã sublimis herodius in tertium cœlum peruenit, & ardeam illam diuinæ essentiæ assequutus, eius diuinitatem cœpit suauissimè degustare; at illico visione illa ablata, caputio, & vinculis mortalitatis nostræ se alligatum sensit, excutit caputium rostro, vincula mordet, clamat: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Quænam huius clamoris, & inquietudinis causa? Gustus ille fuit ardeæ diuinæ: cupit dissolui à carne, cupit mori. Quid mortem ita desiderabilem reddit? Gloria illa semel degustata. Vnde si mille mortes, & cruciatus grauissimos pati ob id oporteret, minimè id pati omne recusaret.

O quantum bonum est gloria illa, quæ sic mortem, & mortes, & cruciatus desiderabiles facit, cùm sint horribiles cunctis, &c.

Quid igitur non agendum? quid non patiendum pro bono tanto? exponens Arist. illud Democriti, Duo luminaria mundum gubernant, hæc duo luminaria (ait) Philosophus sunt, spes, & timor, spes scilicet boni, & timor mali, propter hæc duo mouentur homines ad omnia, quæ faciunt, vel omittunt facienda, vel omittenda. Vnde quantò bonum fuerit maius, quod sperant, maiora audent agere, ac pati, & quantò maiora fuerint mala, quæ timent, tantò magis cauent, &c. Nunc igitur quodnam est illud malum æternum, quod timemus? quodnam verò bonum illud cœleste, quod speramus? si propter spem, & timorem bonorum, & malorum temporalium nihil non agimus, nihil non cauemus. quid pro æternis? *Arist.*

Boetius lib. 3. de cons. Philosophiæ, prosa. 2. *Beatitudo, est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Quam quidem descriptionem beatitudinis omnis Theologorum schola recepit cum S. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1. Primò ergo beatitudo est status, id est, bonum quoddam permanens, quod fortunæ lusibus non subest: neque enim nouit fortunæ rotam volubilem: clauum enim apposuit ei. Quare bonum illud immensum beatitudinis occasum ignorat, & variationem. hîc homo nunquam in eodem permanet statu; at in cœlo in æternum, & vltrà, inuariabiliter eadem semper felicitate fruetur, ad imitationem Dei nostri, qui eodem modo nunc beatus est, quo fuit ab æterno, & erit in æternum. sic beatus per participationem mirabilem beatitudinis diuinæ, in æternum semper, & eodem modo felix, & beatus erit. In hoc quidem mundo, homo iam diues, iam pauper, iam lætus, iam tristis, iam sanus, iam viuus, iam mortuus est; at in cœlo nulla huiusmodi reperiri valet mutatio, sed omnino eodem modo semper stabit, quia beatitudo est status. Secundò, bonorum omnium status ille est: nullum enim bonum non ibi, imò Plato in Phile. lib. 10. & Anaxagoras cum illo, beatum illum dixerunt, cui nihil deest. Talis igitur cœlestis beatitudo, nimirum, quia est Dei mira participatio, per intellectum eum clare videntem, & apprehendentem. Deus autem omne bonum est, Exod. 33. *Ego ostendam tibi omne bonum.* *Thom.* *Plato.* *Anaxag.* *Exod 33. 19.*

Vnde Sanct. Bernard. serm. de triplici genere bonorum, *Beatitudo* (inquit) *est, vbi nihil fit, quod nolis; & vbi totum fit, quod velis.* Ita ille. Nihil ibi, quod nolis, non fames, non sitis, non nuditas, non paupertas, non lassitudo, non mœstitia, non timor, non labor, non tribulatio, non aduersitas, non inimicus, non dolor, non infirmitas, non mors, non denique malum peccati, quod malorum omnium maximum, & caput est. Denique nul- *S. Bern.*

nullum ibi malum, nec culpæ etiam venialis, nec pœnæ etiam minimæ omnium; nihil ibi, quod non velis, sed totum ibi, quod velis, diuitiarum, deliciarum, bonorum, lætitiarum, amicorum, salutis, vitæ; &c. A

Præterea in mundo bona cum malis sunt permixta, in inferno mala purè sine aliqua mixtione bonorum; in cœlo bona purè sine aliqua mixtione malorum: quare meritò dicitur status omnium bonorum. Hic in terra, si aliquis diues, non illustris, si illustris, & diues, non sanus, si sanus, non sapiens, si sapiens, & reliqua bona habens, non contentus, si contentus (quod fieri nequit) quando non putat, adest mors, quæ cum vita omnia bona tollit; in cœlo autem omnia simul bona, in quouis beato reperiuntur, & nunquam mors.

Denique status est omnium bonorum perfectus, quia in summa perfectione sunt ibi omnia bona, diuitiæ perfectæ, deliciæ perfectæ, honores perfecti, salus perfecta, lætitia perfecta, satietas perfecta, virtus perfecta, pax perfecta, societas perfecta: in mundo verò mille imperfectiones in bonis reperiuntur. Vbi gaudium perfectum? vbi satietas perfecta? vbi diuitiæ perfectæ? nam plura bonorum horum corporalia sunt, quæ totis viribus mundani infectantur; corporalia verò bona brutis communia cùm sint, quid perfectum continere possunt? In cœlo spiritualia, & summa bona sunt, & bona item corporalia: nam quatuor corporis dotes in cœlo solummodo reperiuntur, in quibus corporis beatitudo, & felicitas consistit simul cum animæ beatæ coniunctione; sic beatitudo status est omnium bonorum aggregatione perfectus. B

Chrysost. Sanct. Chrysost. tom. 5. serm. de Misericordia: *Quanti sit cœleste regnum faciendum, præsentium rerum coniecturâ vel leuiter licet comprehendere, & quamuis nequeat in hac vita liquidò satis internosci, id tamen exemplis conabimur explicare. Dic mihi, si quis senescentem te & inopem, in pristinam pulcheratur restituere iuuentutem, & ad priorem ætatis florem redacturum, & valetudine optima affecturum, & virtute præstantem largiturum, insuper tibi ad annos mille terrarum orbis imperium summa cum tranquillitate; quidnam ipse pro eiusmodi pollicitationibus, vel facere, vel pati recusares? Ecce igitur & Christus non solùm hæc, sed his longè maiora pollicetur: neque enim quantùm inter se videntur senectus, & iuuenta distare, tantundem incorruptionis discrimen. Neque pro ipsius principatu, & paupertatis, quin pro somniorum, & veritatis interuallo, hæc præsens gloria cum illa æterna est conferenda. nullâ enim potest eloquentiâ futurorum bonorum magnitudo enarrari, si cum præsentibus conferatur: quo enim pacto cum præsenti vitam illam contulerit sempiternam? aut terrenam cum cœlesti quiete? qua tantum videntur altrinsecus abesse, quantùm à bello pax, & à luto purissima fœcerunter margarita; sic est à mortalitate immortalitas aliena. Si cum micantibus solis radijs futura nobis corpora conferimus, nihil tamen pro illius splendoris dignitate explicabimus. Quia igitur hæc corporeis oculis spectare non licet, mente cœlum conscende, attende immensam altitudinem illam, & horribilem splendorem Archangelorum, gentem innumeram, & alias infinitas potestates. & post hæc oculis circumlustra nostrarum rerum imagines, & nostros principes, vti se circum habeant viros veste aureâ conspicuos, currus insuper auro vbertim excultos, quos equi trahunt candidiores, & vehicula pretiosioribus gemmis ornata, vt niueos lectulos, vt carpenta aureis bracteis crepitantia, dracones præterea auro, & serico vestibus effigiatos, vt scuta aureis vmbonibus, & lora ex auro, lapillo distenta, equos demum ipsos phaleratos, & auro obsitos: cuiusmodi ornamenta nihil profectò vltrà viso principe, aut spectamus, aut magni facimus. Princeps enim vel solus, tum ex eius purpureo amictu, tum diademate, sella, fibula & socijs, tum fulgentissimo eius aspectu, omnium nostrum oculos in se conuertet. His itaque rebus terrenis animaduersis, animus erit ad superiora transferendus, & intendendus ad horribilem illum diem iudicij, quo Christus iudicandi causâ assurturus est: neque enim belluarum inga, vel aurata vehicula seu dracones spectabis, & scuta, sed, quod visu horrendum, & animos paueſacit, vt vel ipsorum obstupescant potestates. Siquidem virtutes (vt inquit) cœlorum commouebuntur, descendetque ynigenitus Dei filius, non binis, aut ternis viris sese armis stipantibus, sed Angelis innumeris, sed Cherubim, & Seraphim, & reliquis potestatibus circumstantibus, & tunc quidem omnia formidine, ac terrore plena, cum ex terræ hiatu omnes ab Adam homines ad diem vsque illum futuri sunt. Christus verò cum tanta gloria apparebit, vt eius splendore, tam solis, quàm lunæ, & cæterorum omnium astrorum lux obscuretur. Quibus autem verbis beatitudo illa, gloria illa, splendor ille poterit explicari? Ita Sanctus Chrysost.* C

Idem Sanctus Chrysostomus tom. 5. epist. 5. Lazaro, inquit, *sempiterna super capita eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus. Quid igitur hac vita beatius? Non est cur ibi pauperiem, & morbum metuas, nemo ibi contumelioſus, neque iniquè oppressus, nemo exasperatus, aut irascens. aut inuidens, nemo ardens absurda concupiscentia, aut mœrens propter sumptum necessarium, aut à vidua vapulans, omnia erunt pax, lætitia, omnia serenitas, & tranquillitas, omnia dies & splendor, & lux. lux autem, non qua hic est, sed alia, quæ hanc tantùm excedit fulgore, quantum ea lumen lychni. Neque enim illud occultitur aut nocte, aut nubium congressu, qua neque vrit, nec inflammat corpora: nam nox non obumbrat: nec aderit vesperæ, nec frigus, nec æstus, nec alius huius generis immutatio, sed omnino alia est conditio, quam demum ad hoc idonei reperti intelligent. Non est illic senium, neque senectæ, mala, & quæ obnoxia sunt corruptioni e medio, & è pedibus, quod aiunt, tollentur, omnia occupabit incorruptibilis gloria: & quod longè maximum est, continua fruentur conuersatione cum Christo, vnà cum Angelis & Archangelis, & superioribus potestatibus, iucundus erit concentus in hoc, quo omnes Sancti perpetuò inter se consentient, nullus ibi calumniator timendus, nullæ dæmonum insidiæ, nulla mors, nec corporis, nec animæ. Et sicut princeps puer priùs terretur minis pædagogi, ne per indulgentiam lapsus, paterna se indignatione mordat hæreditate: mox regiam nactus potestatem, omnia hæc omittat, præsidet cum magna libertate, vestitus purpurâ, & numeroso satellitio stipatus, abiectis ab anima rebus humilibus, & amaris, in quorum locum omnia magnifica, omniaque iucunda succedente, sic tunc euenient omnibus sanctis.* D

Quòd si Petrus, qui vidit in monte obscuram quandam imaginem futurorum, omnia continuò reiecit ab anime, dicens: Bonum est nos hîc esse, propter voluptatem extasi affectus, quid dicemus, quando rerum veritas aderit? quando rege cum discipulis adaperti, contueri licebit ipsum Deum, non per enigma, nec per speculum, sed facie ad faciem, non amplius, per fidem, sed per speciem?

Sunt autem quidam absurdi iudicij, qui duntaxat amant effugere gehennam; contrà ego multò durius esse tormentum quoddam asserò, quàm gehenna est, hoc est, non esse assecutum tantam gloriam, & illinc elapsum esse. Nec opinor tanto dolore lugendum de malis gehennæ, quanto necesse est casum deplorare, quòd de cœlis excidimus, qui est mœrorum durissimus omnium cruciatus. Quando regem videmus frequenti satellitio paratum ad equitandum, illos, qui illi proximè cohærent, sermonis, consiliique eius participes, ac maiestatis, felices iudicamus; nos verò non ita, licèt infinitis bonis abundauerimus. Quid igitur nos suspicientes sanctorum gloriam? Adde (quod experimento constat) sæculi factum dubium esse, & infirmum propter bellorum vim, propter insidias, propter inuidiam. Ceterum tuta, & perpetua erit sælicitas regnante omnium Rege, qui possidet, non modò, quæ terræ, verùm etiam quæ cœli ambitu continetur: imò terram pugno complectitur, & palmo cœlos metitur, qui omnia sustinet verbo potentiæ suæ, cui gentes cuncta pro nihilo computantur. Et adhuc dubitamus, an summum supplicium sit, à choro, qui est apud Deum, excludi, & anathema, ceu bonum præcipuum, gehennam effugisse? Ita S. Chrysostomus.

Et in eadem epistola gloriæ huius magnitudinem expendens, subdit: Perpendamus eos, qui in hac vita huius mundi commodis oblectantur, diuitijs, inquam, & magi-

& magistratu, & gloria, quanta voluptate, & superbiâ efferantur : in terra enim se adhuc degere negare videntur, quamuis fruuntur his demum bonis, quæ bona esse nondum omnibus persuasum est, quæ possessores mutare solita, frequentiùs ex insperato euolant; & aliquando citiùs, quam somnia. Quòd si pauliſper consistunt iuxta modum forsitan vitæ huius, vlteriùs progredi nequeunt. Quòd si hæc fluxa suos possessores in tanta gaudia sustollunt, & licèt incerta, & subita sint, animum in iugem effundunt lætitiam; quid censes futurum de animis illis accersitis ad bona illa infinita, quæ in cœlis pios manent, quæ fixa, & semper duratura sunt, quæ virtute his præsentibus longè præstant constantiâ suâ semper duratura, & quæ non ascenderunt in cor hominis? Nunc sicut in vtero puellus, sic nos in mundo viuimus, multis angustijs intercluſi, futuri sæculi neque fulgorem, nec claritatem valentes intueri. Ceterùm vbi tempus imminet parturitionis, & partus editur iuxta legitimum præuiſumque tempus, hæc vita tunc excipit mortales : nam abortiui de tenebris ingrediuntur in tenebras, & ex afflictione in afflictionem, non paulò duriorem: maturi autem fœtus, qui notam regij simulachri gerunt, & obseruant, perducuntur ad regem, eiusque mysterium capessunt, quod Angeli quoque, & Archangeli Deo rerum omnium perficiunt.

Idem Sanct. Chryſ. hom. 35. ad pop. *Si quis te senio confectum, & viuentem in paupertate, subitò inuenem se futurum promiſſet, & in ipsum ætatis florem reducturum, & super omnes prænaldum, & ſpecioſum redditurum esse, & regnum in mille daturum annos, regnum, inquam, pacem firmiſſimam poſsidens, quid pro hac promiſsione non el geres tam facere, quàm pati? Ecce igitur Chriſtus, his multò maiora promittit : non enim quantum est senectutis, & inuentutis medium, tantum est corruptionis, & incorruptionis. neque quantum est regni, & paupertatis, tantum est gloriæ præsentis & futuræ; sed quantum somniorum, & veritatis. Quinimò nec adhuc quicquam dixi : neque enim est sermo, qui poſsit differentiæ magnitudinem exprimere, quæ est inter futura, & præsentia: temporis verò ratione, neque penitus cogitari differentia potest. Quomodo enim præsentibus aliquis comparet vitam sine carentem? pax autem illa à præsenti ita differt, sicut à bello pax, & vita illa incorruptibilis ab ista, quantum à luto margarita pretiosa. Imò verò quantum quiſpiam dixerit, nihil par exprimere poterit : nam etsi solari lumini compono futurorum corporum pulchritudinem, nondum quicquam illa claritate dignum dico. Propter hæc igitur, quæ pecuniæ, vel bona, non sunt impendenda? Nunc verò si quis te in regiam, & vt regem alloquereris, effecit, & ille te reddidit conuiuam, & commenſalem, omnium te dicis beatiſsimum esse; in cælum autem ascensurus, vt Regi regum adiſtas, & perennem cum Angelis habeas ſplendorem, & illâ fruaris ineffabili gloria: dubitas, an pauperibus erogare pecunias debeas, cùm ſi opus esset, etiam, vita exuenda esset cum voluptate & exultatione? Præterea, quò magiſtratum acquiras, qui rapinarum tibi præbeat occaſiones (non enim ego tale quid lucrum dixerim) etiam quæ poſsides, erogas; at regni cælorũ proposito principatu, nullũ habentem tibi succeſsorem, baſitas, & torpes?* Ita S. Chryſ.

Matth. 19. ſic Dominus ad quendam: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Manifestum est Chriſtum non de hac corporali, & temporali vita agere in hoc loco, ſed de vita æterna gloriæ. Interrogauerat autem, dicens : *Magiſter bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam?* Ecce vitam de qua iste agebat: cur igitur respondens Chriſtus non dixit: *Si vis ad vitam æternam ingredi, ſerua mandata?* ſed ſolùm : *ſi vis ad vitam ingredi?* cur abſtulit adiectiuum illud *æternam?* Quia nomine vitæ noluit intelligi vitam iſtam, quia per antonomaſiam nomen vitæ abſolutè vendicat ſibi æterna cœli vita; tum etiã quia vita hæc temporalis adeo breuis est atque miſeriijs referta, vt potiùs mors sit dicenda, quàm vita. Sanctus Auguſtinus ſermon. 17. de verbis ſecundùm Matth. Non dixit : *Si vis venire ad vitam æternam*, ſed, *ſi vis ad vitam ingredi, eam desiderans vitam quæ fuerit æterna vita.* Ita ille.

Hinc colliges, quo affectu proſequenda ſit gloria, quo etiam conatu ſit quærenda. Audi hoc expendentem ibidem Sanctum Auguſtinum : *Hinc videndum est, quomodo amanda ſit æterna vita : etenim amatur qualiſcumque vita, & ipſam vitam ærumnoſam & miſeram homines finire timent & paueſcunt. Hinc videndum quemadmodum amanda ſit æterna vita, quando ſic amatur miſera vita. Conſiderate fratres, quantùm amanda ſit vita, vbi nunquam finem vitam amas vitam, vbi tantùm laboras, vbi oportet ſeminare, arare, natigare, &c. & poſt hæc finire habes vitam. Diſce ergo quærere æternam vitam, vbi hæc non toleràbis, ſed in æternum cum Deo regnabis. De his autem diebus vitæ huius ait Apoſt.* Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, *dies mali ſunt, quos agimus in corruptela huius carnis, in tanta vel ſub tanta farcima corporis corruptibilis, inter tot & tantas tentationes, inter difficultates tantas, vbi falſa voluptas, nulla ſecuritas gaudij, timor torquens, cupiditas auida, triſtitia arida. Ecce quam malos diet: & nemo vult finire illos, ſed rogant homines Deum, vt diu viuant. Quid eſt autem diu viuere, niſi diu torqueri? quid eſt viuere diu, niſi malis diebus addere dies malos? mali ſunt hi dies, & eò peiores, quia diu ſunt. Sic blanditur hîc mundus, vt nemo finire velit malos dies. Vita ergo æterna & beata eſt, cùm reſurgemus & regnabimus cum Deo.* Ita Sanctus Auguſtinus.

Fateor, peccatores ex bonis temporalibus ſcandalum ſumere : ideo enim Sapiens ait : *Creaturæ factæ ſunt in muſcipulam pedibus inſipientium*; ſed tamen ex conſideratione ipſorummet bonorum temporalium, in conſideratione æternorum eleuati, facilè temporalia ſpernent propter æterna. Si enim temporales diuitiæ ſic placent, quantò magis placebunt immenſa & æterna cœli bona? idem dicendum de gloria & honore, & delicijs, & ſalute, & vita. Vnde Apoſtol. Roman. 1. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi* (id eſt, ab homine) *per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Vbi Sanctus Anſelmus : *Quia ab inuiſibilibus per viſibilia cecidimus, dignum eſt vt ad inuiſibilia ipſius rurſum viſibilibus mitamur, vt quo caſu anima venit ad infima, eo gradu reuertatur ad ſumma : vbi enim lapſi ſumus, ibi incumbimus vt ſurgamus, & quaſi ibi ſurgendo manum figimus, vbi pede amoris lubrico corruentes iacebamus.* Ita Sanctus Anſelmus. Vbi nota ſimilitudinem cadentis in terram : qui enim offendit in terram, nixus ſuper terram manu, è terra ipſa ſurgit; ſic qui ex offenſione creaturarum cadit in peccatum, manu conſiderationis incumbens ſuper creaturas (vti diximus,) reſurget.

Matth. 25. ſic Dominus bono ſeruo : *Quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Quid eſt, *in gaudium Domini tui?* Quî fieri poteſt, vt hominculo terreus inretin gaudium Domini ſui; & ſit eo modo beatus, quo beatus eſt Deus ipſe? mirum quidem hoc, ſed verum; quia beatitudo Dei in hoc conſiſtit, quòd Deus clarè ac diſtinctè eſſentiam ſuam videat, & cognoſcat, vti docet S. Thomas 1.p. q. 26. artic. 2. *Quia*, inquit, *beatitudo ſignificat bonum perfectum intellectualis naturæ; id autem quod eſt perfectiſſimum intellectualis naturæ, eſt intellectualis operatio, ſecundùm quam capit quodammodo omnia. Attribuenda eſt ergo Deo beatitudo ſecundùm intellectum, ſicut & alys beatis.* Ita S. Thomas, qui in art. 3. ait : Ex hoc ſolo eſt aliquis beatus, quòd Deum intelligit, ſecundùm illud Auguſtin. lib. 5. Confeſſ. cap. 4. *Beatus eſt qui te nouit, etiamſi alia ignoret.* Ita Sanctus Thomas. Adde illud Sanct. Auguſt. lib. 22. de Ciuitate cap. 29. *Viſio eſt tota merces, hoc eſt, in viſione Dei conſiſtit noſtra beatitudo.* Ita ille. Cùm ergo Deus ſit beatus per actum intellectus, quo ſeipſum cognoſcit ſeipſum, &, Sancti etiam per actum, quo ipſum vident, ſint Beati; ſequitur eo modo nos eſſe beatos, quo Deus, per cognitionem videlicet Dei : hoc

exce-

excepto, quòd Deus per suam visionem beatificam se ipsum comprehendit; homo verò & Angelus non comprehendunt illum; & cognitio sui in Deo est illi naturalis; nobis verò supernaturalis; illa in se infinita, in nobis verò, quatenus intellectio, finita; ex parte verò obiecti idem obiectum est beatitudinis Dei & notitiæ. Vnde S. Ioan 1. *Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus; scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus: videbimus enim eum sicuti est.* Nota verba illa, *similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Quid ampliùs de beatitudine nostra dici valet, quàm quòd ita similis sit diuinæ? ideo Christus ait seruo: *Intra in gaudium Domini tui*, non alterius, sed Domini tui. *1. Ioan. 3. 2.*

Meritò quidem Christus Dominus discipulis suis dixit Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Quare annuntians eis beatitudinem, præmisit: *Nolite timere pusillus grex*, non verò, exultate vel scitote, aut gratias agite Deo, sed *nolite timere?* Respondet Sanctus Petrus Chrysologus sermone 23. *Promissionem regni sine timore seruilis status audire non sufficit, quia qui libertate vix dignus est, capere non valet insulas principatus. Et ideo seruorum mentes tali voce confirmat, ne eos repentinus promissi regni prosternat auditus.* Ita Sanctus Chrysologus; quasi dicat: Stupore meritò affici possent audientes, *Intrate in gaudium ipsius Dei*, ideo confirmat eos priùs dicens: *Nolite timere, nolite pauescere*, ita quidem futurum est, nec vos terreat indignitas propria, quia non propter vos id fiet, sed quia sic complacuit Patri vestro; quare iure ibi exclamat Sanctus Petrus Chrysologus. dicens: *O bonitas effusa! ô pietas inaudita! ô ineffabilis charitas! ad consortium dominationis seruos Dominus ascuit, & ad participationem regni Rex gregem totius populi admittit; sic, sic dat, cui vacuari potestas non potest largiendo.* Ita ille. *Luc 12. 32.* *S Petrus Chrysol.*

Vt excellentiam gloriæ dignè explicare possemus, eam priùs vidisse oporteret: & quidem nec ita qualis & quanta sit, verbis posset explicari: vidit eam in raptu Paulus, & cùm de illa agere vellet, dixit 2. Corinth. 12. *Scio huiusmodi hominem siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, quoniam raptus fuit in paradisso, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Videtur gloriosa Dei, & cognouit celsitudinem gloriæ; eam tamen exprimere nequiuit, sed hoc solum dicere potuit: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Quasi dicat, nec ignis Sancti Laurentij, nec excoriatio Sancti Bartholomæi, nec omnium Martyrum tormenta simul sumpta, digna sunt tantâ gloriâ: ceterùm exponere qualis & quanta illa sit, nequeo. Quòd si beatus Apostolus illam explicare vellet, similis quidem esset agricolæ, qui nunquam ex oppidulo suo exiens, semel curiam regiam adiret, & ex mirabilibus curiæ obstupefactus, in villam suam reuersus, referre illa vellet quæ in curia vidit, magnitudinem scilicet ædificiorum, sumptuositatem domus regiæ, Regis maiestatem, Magnatum ornatum, diuitias ciuium, officiorum copiam, ciborum abundantiam, gentium multitudinem, sermonis elegantiam, & reliqua omnia quæ amplitudinem gloriæ comitantur, referre prorsus nesciret, quæ vidit & audiuit, referre non posset nisi balbutiens. Quòd si quid narraret, diceret: *vi esto como asi, y lo otro como asina*, &c. Sic quidem tanta est cælestis curiæ gloria, vt vel ipse Paulus, qui ad illam prosperiendam fuit eleuatus, nisi per indirecta, *y como dizen à bulto, y por major*, de illa quæ vidit referre nequiuerit, quantumuis sapiens, & eloquens esset. *2. Cor. 12. 3.* *Rom. 8. 18.* *Simile.*

A

B

C

D

Prop. V. *Quàm ingens gaudium sit gloria.*

MAtth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Ita Christus Dominus fideli seruo, hoc est, iusto, ac si diceret: *Intra in gaudium gloriæ*, vt ait S. Chrysost. Modum autem loquendi obseruauerim enim ait, intret in te gaudium Domini tui, sicut dicendum videbatur: gaudium enim est in homine, non homo in gaudio, sed, *Intra* (inquit) *in gaudium Domini tui.* Curita? S. Chrysost. hom. 53. Imperfecti: Non dixit: *Intra ad gaudium Domini tui, vt possessor sit gaudij, non tantum spectator, & iam non quasi minister Domini in gaudio eius, sed particeps gaudiorum sit.* Ita ille. Præterea, Christus Dominus, vt immensitatem exprimeret illius supremi gaudij, ita loquutus est: non enim nos capimus illud, sed potiùs illud capit nos. Vnde sicut qui intrat in maris abyssum, sic in gaudium illud intrat beatus, imò & in abyssum gaudij incomparabiliter maiorem. *Matt. 25. 21.* *Chrysost.* *Chrysost.*

Prop. VI. *Gloria cælestis omni pœnalitate caret.*

SAp. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem:* quale verò sit istud grauamen corporis, explicuit S. Gregorius 4. Mor. 41. dicens: *Replemus refectionibus corpus, ne extenuatum deficiat: extentamus abstinentia, ne non repletum premat: vegetamus hoc motibus, ne situ immobilitatis intereat: sed cuius hoc collocando sistimus, ne ipsa sua vegetatione succumbat. Adumento hoc vestitum tegimus, ne frigus interimat, & quæsita vestimenta rugimus, ne calor exurat. Tot igitur diuersitatibus occurrentes, quid aliud agimus, quàm corruptibilitati seruire? vt saltem multiplicitas impensæ obsequij corpus sustineat, quod anxietas infirmæ mutationis aggrauat.* Ita S. Greg. Quid autem dicemus de doloribus, infirmitatibus, cruciatibus, & innumeris pœnalitatibus, quibus exponi, & subdi corpus nostrum quotidie experimur, & denique de terribilium omnium terribiliore, morte, quâ omnes, imò eius solâ recordatione torquemur? Sed tamen his omnibus malis corporis, & cordis felicissimâ illâ gloriâ liberabimur. Vnde *Idem.* Paulus: *Vanitati subiecta est creatura, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Quæ nam est creatura hæc, de qua hîc Apost. ait? S. Greg. 4. Mor. 30. *Vanitati* (inquit) *creatura nõ volens subditur: quia homo, qui ingenitæ conditionis statum volens deserit, pressus iuste mortalitatis pondere, nolens mutabilitatis sua corruptioni seruit. Sed creatura hæc tunc à seruitute corruptionis, eripitur, cùm ad filiorum Dei gloriam incorrupta resurgendo, subiicitur.* Ita Sanctus Gregorius. Audias hoc tu, qui corporis tui ingens amator es, caue, ne, dum corpori tuo vacas, & voluptatibus ipsum afficere curas, ad cruciatus æternos perducas, qui, si breues corporis molestias, & exiguas vitæ huius ferre non vales, quomodo immensas illas, & æternas inferni poteris sustinere? Si ergo corporis amator es, ama corpus ad gloriam sempiternam: quòd si voluptates corporales momentaneæ, & leues temporis huius, ita corpori tuo adhibere curas; quantò magis æternas, & eximias cœli procurare illi debes? *Rom. 8.*

Prop. VII. *In gloria erit requies omnis laboris expers.*

QVærunt quidem homines in hac vita requiem, sed minimè eam hîc perfectè reperient in mùdo, sed in cœlo: hic enim in Ecclesia militante sumus, vbi homo natus ad laborem, repletur multis miseriis. Quòd si aliquando pacem & tranquillitatem animi habere videntur,

dentur, nunquam talis pax in eodem ſtatu permanet, imò Reges ipſi, & mundi gigantes ſub aquis tribulationum gemunt, *y en ſus coronas los Reyes entre flor de lis, y flor de lis, trallen vn portillo, coronas de flores ſon, però a portilladas.* Reſeruata igitur eſt hæc pax cœleſti patriæ, ibi perfectè verificantur verba iſta Domini, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Sedebit*, inquit, ſeſſio quidem quieſcentis eſt, quæ grata ſolet eſſe defatigatis; in ſæculo iſto defatigamur, ibi verò in cœlo gratiſſima & iucundiſſima quiete fruemur: hic in procinctu ſumus, & ſtamus præcincti parati ad prælium, in cœlo ſedebimus. Quo pacto? *In pulchritudine*, inquit, *pacis*, pulchrum eſt id quod perfectum eſt: nam *pulchritudo*, ſicut aſſerit Ariſtotelis Commentator Auerroes, *eſt proportio inter media & extrema.* Pulchritudo pacis ergo in debita proportione pacis conſiſtit: pax autem in ſacris litteris plenitudinem omnium bonorum deſignat. Sedebit ergo in cœlo populus Dei in pulchritudine pacis, quia ibi fructur abundantia bonorum omnium in quadam mirabili proportione: non ſicut in mundo, vbi ſæpe bonorum poſſeſſio inæqualitatem pati ſolet: nam ſæpe maior eſt honor, quàm poteſtas; maior poteſtas quàm diuitiæ, &c. ibi autem omnia bona in excellenti gradu poſſidentur à beatis. Secundò, inquit, *ſedebit in tabernaculis fiduciæ*, olim populus Dei in tabernaculis quidem habitabat, cùm per deſertum in Terram pergeret promiſſionis, ſed non in tabernaculis fiduciæ, ſed timoris: quotidie quippe hoſtes timentes, ad arma confugiebant, *cada dia les tocauan a rebato.* At in cœlo, cùm nullus eſſe poſſit hoſtium incurſus, nulla violentia, nullæ inimicitiæ, nullum damnationis æternæ periculum, ſed è conuerſo, ſalutis æternæ ſecuritas, abeſt timor omnis, adeſt fiducia perfecta: & ita Beati habitant in tabernaculis fiduciæ. Tertiò, *ſedebit*, inquit, *in requie opulenta*, quia ſcilicet nulla prorſus erit perturbationis occaſio, requieſcunt in pace ſumma, quia inſidiæ, laqueo, labores, & aduerſitates omnes, nullum ibi poterunt aditum inuenire, requiem æternam donat eis Dominus.

3. Reg. 6. de templo Salomonis ſic Scriptura: *Domus, cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata eſt, & malleus & ſecuris & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cum ædificaretur.* Cur ita? quodnam inconueniens fuiſſet ſi malleus & ſecuris & omne ferramentum eſſent audita? S. Thom. 1. 2. q. 102. artic. 4. *Per tabernaculum*, inquit, *& domum Dei duplex ſtatus ſignificabatur: per tabernaculum enim (quod eſt mutabile) ſignificatur ſtatus præſentis vitæ mutabilis; per templum verò (quod erat fixum & ſtans) ſignificatur ſtatus vitæ futuræ, quæ omnino immutabilis eſt. & propter hoc in ædificatione templi dicitur, quòd non eſt audatus ſonitus mallei vel ſecuris; ad ſignificandum, quòd omnis perturbationis tumultus longè erit ab ſtatu futuro.* Ita Sanct. Thom. In hac igitur Eccleſia militante, ſunt perturbationes tribulationum & tentationum, quia militia ſine his eſſe non poteſt; in triumphante verò ſumma pax, quies, & fruitio, quia victis hoſtibus triumphantes gloriâ ſummâ fruemur.

PROP. VIII. *Gloria expellit timorem & horrorem mortis.*

CIcero, *Cleombrotus* (inquit) *lecto Platonis Phædone de immortalitate animæ, vt ex hac vita, quæ velut mors quædam eſt, ad immortalitatem migraret, è muro ſe in mare præcipitem dedit.* Ita Cicero. Quid ille ex Gentilis Philoſophi ſcriptis concipere potuit, quòd ita ipſum ad immortalitatem, ſeu ad illa, quæ in alio ſæculo ſunt, inclinauit, vt propriam ſibi ipſe aſſciſceret mortem? Nos quidem de immortalitate noſtra, & vita cœli perenni fides noſtra mira docet: quòd ſi mortem nobis inferre non licet: id enim eſſet nos illa immortalitate beata priuare; ſaltem mortem non timere docebat: niſi id ſimul fateri cogamur, vel nos non credere, quæ fides docet, vel non ea ſperare, vel non denique intelligere, quæ de cœleſti gloria fides noſtra docet.

PROP. IX. *In gloria nulla reperitur inuidia.*

APud nos in terris diſparitas honoris, & dignitatum, & aliorum bonorum temporalium, inuidiæ occaſio, & materia non leuis eſt. Nam dum aliquis alium, vel ſapientiorem vel ditiorem, vel in altiori loco videt conſtitutum, dolet ſe inferiorem illo conſpicere, & inuidiâ inde torqueri non leuiter ſolet; at in cœlo nuſquam, & nunquam talis inuidia locum habere poteſt. Sunt quidem in cœlis diſpares Sanctorum gradus in beatitudinis gloria, ſecundùm illud Chriſti Domini, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, ſed qui in minori gloriæ dignitate conſtituuntur, non ſolùm non dolent de gloriâ maiori aliorum, verùm etiam vehementer gaudent. Rectè de hac re Sanct. Greg. 4. Moral. 31. *Sicut* (inquit) *in hac vita eſt diſcretio operum, ita & in cœlo erit diſcretio dignitatum, vt quò hic alius alium ſuperat, meritò illic alius alium retributione tranſcendat. Vnde in Euangelio Veritas dicit:* In domo Patris mei manſiones multæ ſunt, *ſed in eiſdem multis manſionibus erit aliquo modo ipſa diſtributionis diuerſitas concors, quia tanta vis amoris in illa pace nos ſatiat, vt, quod in ſe quiſque non acceperit, hoc ſe in alio accepiſſe exultet. Vnde & non æquè laborantes in vinea, æque omnes denarium ſortiuntur, & quidem apud Patrem manſiones multæ ſunt, & tamen eundem denarium diſpares laboratores accipiunt, quia vna cunctis erit beatitudinis lætitia, quamuis non vna ſit omnibus ſublimitas vitæ.* Ita S. Gregor. *Eſta ſerà vna admirable prærogatiua del cielo, que con auer tantos exceſos de gloria, alli ni hauerà inuidioſos ni enuidiados.*

De ciuitate cœleſti ſe audiſſe vocem de cœlo ait Apoſtol. Ioannes, dicentem, *Mors vltra non erit*, vnde nec timor mortis, qui nos quotidie inuadit, & torquet, *neque clamor.* Quid eſt, *neque clamor?* Pauperum ſcilicet oppreſſorum, aiunt nonnulli; oppreſſorum, inquam, à potentioribus, & præ iniuriæ ac laborum magnitudine clamantium: ſicut Exod. vbi Dominus dixit: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum qui operibus præſunt.* Clamor ergo eſt, quia ab Ægyptijs opprimuntur, huiuſmodi afflictionibus ſcater mundus. Sicut enim in mari maiores piſces deuorant minores, ſic in hoc mundo maiores homines deuorant minores: inde minorum clamor: ſed tamen in cœlo non erit clamor, quia ibi ſumma pax, ineffabilis concordia, & charitas perfectiſſima, quâ & Angeli ſupremi, Cherubim ſcilicet & Seraphim Angelos minores, & ſuperiores Sancti minores proſequuntur.

PROP. X. *Gloria eſt bonorum operum præmium.*

SAnct. Bernard. in ſententijs: *Quatuor ſunt quorum obſequijs in hac vita deſeruimus, caro, mundus, diabolus, Deus. Carni militant ſenſuales, illecebris eius ſeruiendo. Mundo militamus, auaritiæ æſtibus anhelando, honoris altitudinem affectando. Diabolo militamus bonorũ profectibus inuidẽdo, & cõtra Deũ ſuperbiæ ſpiritu intumeſcendo. Deo autem militamus, pietatis operibus humiliter inſiſtẽdo, & poteſtates aëreas virtute ſpiritus oppugnando. Habent ſinguli principes iſti ſua propria donatiua, caro ſuis tyronibus elargitur momẽtaneam voluptatem, mundus tranſitoriam ſublimitatem, diabolus perpetuam captiuitatem; Deus autem interminabilem felicitatem.* Ita S. Bern. Quæ ſi attentè homines conſiderarent, facilè ſe

diuino seruitio manciparent, quantumuis laboribus, cruce, & tribulationibus premerentur, & mundo carni, & diabolo renuntiarent, quamuis delicijs, & diuitijs, & honoribus magnis se priuarent.

Plutarch. libr. de vitiosa verecundia, *Antigonus (inquit) ad adolescentem quendam, qui prognatus erat ex eleganti viro & belli duce, sed ipse ignauus, ac mollis; postulabat tamen ob id caeteris anteferri: Apud me, inquit, ô adolescens, virorum virtutibus, non parentum praemia sunt.* Ita ille. Idem nobis Deus dicere videtur: Apud me sunt praemia aeternae gloriae; haec autem non dabo his, qui sanctorum virorum filij sunt, si ipsi non fuerint sancti; sanctis verò dabo, quantumuis in peccato fuerint nati.

Apoc. 7. interrogauit coelestis quidam ciuis Ioannem intuentem multitudinem innumerabilem beatorum, quia vestibus albis glorioſis induti erant, & palmas in manibus gestantes; interrogauit, inquam: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt? Cui Ioannes: Domine mi, tu scis, tunc ille: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna,* &c. Duo quaesita fuerunt, quinam essent, & vnde venissent, & tamen in responsione solùm respondet, vnde venerint illi beati, non verò quinam essent: nam in illa felicissima gloria non attenditur, qui sint, sed vnde venerint, hoc est, quid fecerint, vel quid passi fuerint pro Deo: nam si bona opera interceserint, & merita, sint illi quicumque fuerint, albam stolam, & palmam, & felicitatem beatitudinis consequentur, licèt Lazarus ille sit, siue inter homines seruus abiectus; si verò defuerint merita, quamuis quis diues sit, & quotidie splendidè vescatur, & purpurâ ac byſſo induatur, siue denique Rex, & Imperator ille sit, non intrabit in regnum coelorum, &c.

Matt. 7. 23. Vnde Matth. 7. Prophetis quibusdam se dicturum Dominus dicit: *Non noui vos*: dicentibus autem illis: *Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus: & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Tũc illis Christus: *Discedite à me, qui operamini iniquitatẽ.* Quantumuis ergo sapientes & Prophetę, & miraculorum patratores, à Domino reiecti fuerunt, quia operibus & meritis caruerunt.

Psal. 112. 1. Hinc ortum habuit admiratio illa Dauidis Psalm. 112. *Quis sicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra? Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* Solent quidem Reges ad munera, & munia regni, regiæ suæ viros nobiles, & filios illustrium, sapientes, & nominatos eligere, vt collocent eos in dignitatibus sæculi; quis igitur inter Reges, ait Dauid, sicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra, in cœlo quidem ex supremo ordine Angelorum supremum, etiam in profundum proiecit inferni, multis ex infimo ordine in regia illa coelesti ad gloriam sublimatis; in terra verò oculos illos regios, & sublimes, in pauperes, ac despectos demittit Dominus, non solùm vt videat, verùm etiam vt prouideat, & collocet eos cum principibus in solijs illis coelestibus, vbi regnent in æternum.

Dissimile.

At dices: non hoc decere videtur maiestatem domus & regiæ & curiæ diuinæ, vbi omnis nobilitas, & excellentia decet, & conuenientior est, quàm in quouis Regum palatio, & curia? Ita est; sed qui virtute præditus est, & Dei facit voluntatem, hic illustris admodum reputatur, quantumuis ille infimæ prosapiæ sit: virtus enim, & mandatorum Dei custodia, nobilem illum, & ex genere, ac prosapia diuina esse facit. Probemus hoc.

Matt. 12. 47. Agente Christo de regno Dei, dixit ei quidam, Matth. 12. *Ecce Mater tua, & fratres tui foris stant quarentes te.* Respondet illi Christus: *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater & soror, & mater est*; quasi dicat, ex mea prosapia est: non ait, diues, aut Eques, Comes, Marchio, Dux, Princeps ve; sed quicũque fecerit voluntatem Patris mei, quantumuis agricola, pastor, aut pauper ostiatim eleemosynam quærens sit, ipse meus frater est: si frater Christi, ergo filius Dei, si filius Dei, quæ nobilitas illa maior? *Si ser hijo dalgo es noblez.a; que mas hijo dalgo, que ser Hijo de Dios.* Cùm ergo huiusmodi pauperes, & despectos mundi, virtute tamen præditos, suscitat de stercore Dominus, vt collocet cum principibus populi sui, nobilissimos elegit viros in cœlestem curiam suam.

Dices: cur Deus optimus maximus, cùm liberalissimus sit, imò liberalitas ipsa, non gratuitò, sed propter opera & labores nostros, gloriam nobis promittit, & donat? Ex his, quæ Rex militibus in stipendium donat, non manifestatur liberalitas eius, sed ex his, quæ ex mera gratia gratis confert: cùm igitur, non solùm liberalis, sed magnificus, & munificentissimus sit, & talem se esse glorietur, cur opera, labores, pœnitentiasque ad gloriam promerendam exigit à nobis?

Primò constituamus hoc, tanquam indubitatum, quòd, quantumuis Deus à nobis opera, & labores, imò & cruciatus, & martyria exigat; gratis nobis gloriam dare dici possit, quia quando res empta valore suo nimium pretij valorem excedit, gratis dari potiùs, quàm pretio emi etiam dicere solemus. Emisti equum decem argenteis, qui mille valet aureos, gratis accepisti. Gratis ergo gloriã SS. Laurentio & Vincentio exustis, & S. Bartholomæo excoriato data est, quia præmij ad pretium nulla est proportio. Audi Apostol. Roman. 8. *Existimo, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Pondera verbum *existimo*, & vide, quisnam sit hic, qui existimat hoc? ille scilicet, qui iam antea raptus fuerat in tertium cœlum, & audierat arcana verba, quæ non licet homini loqui. Nam, vt asserit, & probat Sanct. Thom. super 2. ad Cor. 12. in illa verba, *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim*, &c. raptus huiusmodi fuit in principio conuersionis suæ, &, vt ait idem S. Doctor, postquam scripsit ad Corinthios, scripsit hæc ad Romanos. Ille igitur, qui gloriæ cœlestis magnitudinem vidit, ille, inquam, ait: *Non sunt condignæ*, &c. hoc est, si omnes Martyrum cruciatus, qui fuerunt, & qui esse possunt in tempore nostro vsque ad mundi finem, non sunt condigni ad hanc gloriam; quantò magis opera illa, quæ præcisè exigit Deus in obseruantia mandatorum? Ergo quantumuis ex operibus detur, gratis dici potest dari.

Sed, vt ad quæstionem directè respondeamus, duplici de causa voluit Deus operibus gloriam respondere, primò quia gloria non debet nisi bonis dari: malis enim dari nullo modo debuit. Vnde etiã pro venialibus pœnas Deus Purgatorij constituit, vbi, quantumuis quis sanctus, & amicus Dei sit, à peccatis suis purgetur: nihil enim coinquinatum decet gloriam illam. Deus igitur, vt gloriam nobis præbeat, quid aliud exigit, nisi vt boni, & obedientes simus. opera quidem supererogationis præmiat, & quantò illa maiora, magis: id enim ratio postulat, vt quantò quis maiora obsequia præstiterit Deo, maiora dona percipiat; sed vt absolutè gloriam præstet, nihil aliud requirit, quàm vt non simus inobedientes, & mali.

Secundò, opera requirere ad gloriam, honorificentissimum nobis fuit: nam gloriosius est militi ordinis militantis insigne, & reditus annuos, & alia regia munera propter strenuitatem armorum, & illustria gesta accepisse à Rege, quàm gratis. Sic honorificentius nobis est, gloriam cœlestem ob merita, quàm meritè gratis habere. Nónne ad honoris culmen S. Laurentij spectat, gloriam ob insigne illud martyrium recepisse? &c.

Vnde Christus Dominus ad duos illos discipulos euntes in Emaus, Luc. 24. *Nónne hæc oportuit pati Christum*

Luc. 24.

Christum, & ita intrare in gloriam suam? hoc est, per me- A rita Crucis?

Hinc volens Deus honori Abraham consulere, cùm ei promittere vellet filium Dei ex eius progenie nasciturum, priùs ab eo immolationem Isaac dilectissimi filij eius petiuit: quod vbi Abraham facere, & implere effica citer tentauit, *Per memetipsum iurauı*, ait Dominus, *quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi*, &c. *& benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, id est, in Christo. Nota causalem, *quia fecisti hanc rem*, quasi in præmium illius obsequij, vt esse progenitorem Christi horonabilius eò esset Abrahæ, quò propter eius opus insigne præstitum illi fuit, sic etiam gloriam sempiternam iustis dare vult Deus in coronam, & præmium meritorum, vt illis in maiorem cedat honorem, & gloriam, &c. Denique huiusmodi merita nostra ex Dei gratia pendent: sine gratia enim nullum est meritum, gratia verò gratis donatur nobis. Omnia igitur merita nostra, dona Dei dici B valent: vnde cùm Deus coronat merita nostra, coronat dona sua.

Psalm. 1. *Beatus vir qui non abyt in consilio impiorum*, &c. Hoc est, qui à peccatis cauet & virtute præditus est, hunc beatum vocat. Cur ita? S. Basil. in Scholijs Psalm. 1. *Sicut quodcumque humanæ vitæ institutum certum quendam finem petit, vtpote militaris disciplina, trophæa, ars medica, sanitatem; ita & virtutis scientia suum habet finem & fructum, diuinam scilicet felicitatem.* Ita ille.

PROP. XI. *Qualiter primo loco quærenda sit felicitas gloriæ.*

GEnes. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*, &c. Obserua ordinem narrationis: non enim dixit: *In principio creauit terram & cœlum*, sed è conuerso. Cur ita? rectè Doctor quidam: *Terram Deus condidit & homini tribuit in vsus; sed primùm & suprà condidit cœlum, quia pluris ab homine æstimandum & quærendum esse voluit cœlum, & qui priùs terram quàm cœlum quærit, Dei ordinem peruertit.* Ita ille.

Cui rectè consonat quod Dominus dixit Matth. 6. *Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Ponderat eleganter Sanct. Chrysost. locum hunc homil. 23. in Matth. dicens: *Ethnicorum studium ergà præsentem vitam consumitur, quorum nulla cælestium & futurorum cogitatio est; ideo Dominus dixit: Hæc omnia temporalia gentes inquirunt: nobis autem non sunt ista principaliter quærenda sed illa.* Ita Sanctus Chrysostomus.

Vbi etiam obserua verbum illud, *adijcientur vobis:* quod sic etiam expendit ibidem optimè Sanct. Chrysostom. dicens: *Non dixit:* dabuntur vobis, *sed*, adijcientur; *vt disceremus, horum quæ in præsenti dantur, nihil esse magnum, si futurorum magnitudini comparentur. Et idcirco nec peti illa iussit Deus, sed adijcienda esse dixit.* Ita Sanctus D Chrysostom. vbi nota verbum *adijcere*, adiectiua esse hæc bona mundi significare; adiectiua verò accidentia important, secundùm Latinos, vt paries albus, carbo niger, &c. quo significatum est, quàm parui momenti sint bona temporalia, qualia scilicet accidentia sunt comparatione subst antiæ, qualia cælestia bona sunt: *En el cielo esta la substancia de nuestros bienes, en la tierra los bienes son como accidentes sin substancia, que son de poquissimo ser.* Cùm igitur ita sit, *quærite primùm regnum Dei.* Insuper attende verbum illud, *quærite*, & subintellige, à Deo: donum enim Dei est affectus iste quærendi primò & principaliter regnum Dei, sicut indicauit Dei sponsa Cantic. 2. dicens: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* amoris ordinem tribuit Deus sponsæ suæ, vt nempe ordinatè diligat diligenda secundùm exigentiam cuiusque rei, amando videlicet primo, & præcipuo loco cælestia, deinde moderatè terrestria: id enim est quod religio & virtus Christiana requirit. *Virtus* enim, vti asserit S. Augustinus, *nihil aliud est, quàm ordo amoris:* qui enim ordinatè res amat, ille quidem virtute præditus est, qui scilicet Deum amat super omnia, proximum sicut se ipsum, & temporalia tanquam temporalia. *S. Aug.*

Apoc. 12. *Signum magnum*, ait S. Ioan. Euangelista, *apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & in capite eius corona stellarum duodecim, & luna sub pedibus eius.* Etenim sol & stellæ, bona immutabilia sunt, atque adeo symbola sunt bonorum cælestium, quæ immutabilia sunt; luna verò, quæ assiduè mutatur, mundi symbolum est, & ideo sub pedibus Ecclesiæ collocatur; stellæ verò supra caput, & sol supra cor Ecclesiæ. Ecce debitus amoris nostri ordo & situs, vt terrestria pedibus teramus; cælestia verò supra capita nostra constituamus, iuuante Deo, à quo ordo iste procedit. Vnde quatuor illa animalia Ezechielis supra capita sua firmamentum ferebant, nimirum, quia vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur. Postula igitur à Deo hunc Dei spiritum, vt supra caput, non terram, sed firmamentum cœli apponas. *Apoc 12.* *Ezech. 8.*

PROP. XII. *Gloriæ meritum in arduis rebus præcipuè situm est.*

VEllent quidem homines cuncti saluari, sine labore verò, & sine difficultate ad æternam salutem vellent peruenire. Etenim ad bona temporalia acquirenda humeros supponunt, & nullum refugiunt laborem, nullam non conantur difficultatem superare; in acquirendis verò bonis æternis nullum subire laborem volunt.

Psalm. 67. vbi nos legimus: *Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.* Biblia regia legunt: *In omnes imponet nobis Deus salutem nostram.* Onus vocauit salutem, *por que mucho se ha de hazer, para saluarse, y no es mucho que cueste mucho lo que vale mucho.* Vide, quæso, quantò constiterit sanctis salus æterna; quot cruciatibus emerint martyres gloriam; quot lachrymis, orationibus, vigilijs, ieiunijs, & pœnitentijs monachi, & alij sancti confessores. Et quidem si gloriæ & saluationis nostræ pondus rectè perpendatur, gratis nihilominus hi omnes cœlestem beatitudinem perceperunt, quia *non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* *Vers. 20.*

Adde, Deum nostrum auxilio gratiæ suæ facilè nobis reddidisse huiusmodi pondus: quasi suam enim reputat salutem nostram. Audi Psalmistam Psalm. 97. *Saluauit sib. dextera eius*, &c. Vbi Theodoretus: *Sapius* (inquit) *diximus, manum actionem dicere, dexteram verò bonam actionem: dixit autem hominum salutem diuinæ potentiæ opus esse, immensa autem benignitate vtens suum quæstum hominum vitam ducit. Propterea non dixit: saluabit illis, sed sib.* Ita ille. Et idem obseruat Sanct. Basilius eodem loco psalmi dicens, mortalium vitam suum dixit emolumentum: consonat Sanct. Hieron. ibidem. Quasi ergo propriam, nostram salutem quodammodo operatur: cur non igitur inde magnam spem concipiemus, auxilia magna sperantes, quibus gloriam assequamur? *Vers. 1.*

PROP. XIII. *Spes gloriæ gaudium parit.*

AD Rom. Apostol. cap. 12. cùm Christiani Romæ existentes, persecutiones paterentur, inter alia sic, *Spe*, inquit, *gaudentes, in tribulatione patientes:* hoc est, quamuis aduersa patiamini, non solùm patienter ea tolerate, verùm etiam cum gandio ea sustinete propter spem æternæ gloriæ quam habetis. Vbi Cardinalis Toletus: *quia spes confirmat animos in obsequio Dei.* *Rom. 12.* *Toletus.*

Dei, quæ tanta est, vt generet gaudium. Ita ille. Imò non A solùm gaudio digna est spes tanti boni, sed etiam gloriatione, sicut de se & sibi similibus, ait idem Paulus
Rom. 5. 3. ad Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem: spes autem non confundit.* vnde, de primo ad vltimum, propter spem gloriabatur in tribulationibus. Et denique Christus Dominus non solùm gaudere hac spe, sed etiam exultare nos posse ait,
Matth. 5. 11. dicens: Matth. 1. *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* non ait solùm *gaudete*, sed, *exultate*; exultare autem est saltibus & signis exterioribus gaudium internum cordis manifestare.

PROP. XIV. *Ad gloriam per crucem eundum nobis est.*

B

Matt. 11. 12. REgnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud. Vidit olim Ioannes Apostolus cœlestem Ierusalem muris altissimis, centum scilicet & quadraginta quatuor cubitorum altitudinem habentibus. ad quid, quæso, muri in cœlesti Ierusalem? In terris quidem ciuitates nostræ muris egent, quia sunt plures & infestissimi hostes, qui nos impugnant, vt ab his tuti simus, muris indigemus; at cœlum, quod à nullo potest hostium expugnari, quid muris opus habet? Habet: nam, vt hîc Dominus: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quomodo, inquies, vim patitur cœleste & inexpugnabile regnum? Pondera verbum illud, *violenti*, & mysterium percipies: violentum enim, vti Philosophi aiunt, est quod patitur ab extrinseco, passo non conferente vim; sic motus sursum violentus est lapidi, & motus deorsum violentus est igni, quia passum ad huiusmodi motum non confert vim, imò est motus C oppositus inclinationi connaturali passi. Inclinatio naturalis corporis humani est ad delectabilia sibi, ad aspera verò, qualia sunt ieiunia, flagra, cilicia, vigiliæ, & delectabilium priuationes, ad hæc non confert vim, sed ad opposita horum. Hinc constat, quare dixerit Christus, *violenti rapiunt cœlum*, non dixit potentes, & fortes, sed *violenti*, quia non muris, sed sibiipsis vim inferre debent, qui cœlestia regna adire volunt. *Violenti rapiunt*, hoc est, qui delectabilibus rebus mundi valedicunt, & aspera & insuauia carni amplectuntur, hi sunt qui violentiâ istâ sibi rapiunt cœlum.

2. Tim. 2. 5. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Hoc asseruit Apostolus pro his, qui cupiunt saluari: hi enim non coronabuntur, nisi legitimè certauerint. Metaphora sumpta ex his, qui olim in agone certabant, qui, si vincebant, coronabantur, aliter verò nequaquam. sic Christianus, nisi carnem vicerit, eam spiritui subijciendo, & mundum eiusque occasiones vitando, & dæmonem, eius tentationibus resistendo, non coronabi- D tur in cœlo.

Hinc est quòd, cùm Christus Dominus gloriâ suam ostenderet aliqualiter discipulis vellet in transfiguratione sua, eos in montem excelsum duxit, in montem, inquam, excelsum, & seorsim à mundi vanitatibus separatum, & ad cuius cacumen, nisi ascendendo & laborando, peruenire non poterant: quò manifestè significaret, in cœlum per ardua & abrupta difficultatum ascendendum illis esse. *Vna cuesta que cuesta mucho subir la, es el camino del cielo, vn rebenton perdonde se sube a cecando, carleando y sudando.* Vnde cùm ibi Sanctus Petrus diceret Christo: *Domine bonum est nos hic esse*, hoc ait S. Lucas illum dixisse nescientem; *nesciens*, ait, *quid diceret*, quid ita? nónne bonum ei erat ibi cum Domino esse, & tali tantaque gloriâ potiri? Non quidem: nam si cœlestem beatitudinem peroptabat, non ibi delicijs huiusmodi visionis, sed passionibus & laboribus erat eam consequuturus.

Hinc Apoc. 7. vidit Apostolus Ioannes turbâ illam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus & populis, stantes ante Deum, habentes in manibus palmas, & amictos stolis albis, interrogauit Ioannem quidam ex habitatoribus cœli, *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt?* Se id ignorare confessus fuit Ioannes, tunc ille. *Hi* (inquit) *sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.* Vbi nota ad primam quæstionem illam, *qui sunt*, nihil dixit beatus ille, quia in cœlo nequaquam Deus attendit, quis sit, qui collocandus, sit ille dives, sit pauper, sit liber, sit seruus, sit Rex, siue caprarum pastor, dummodo iustus sit. Ad secundam interrogationem quidem respondit, *vnde* scilicet *venerunt? Hi* (ait) *sunt qui venerunt de tribulatione*, non quacumque, sed *magna*. Ecce vnde innumerabiles Sancti ad cœlum peruenerunt, de tribulatione magna, quare meritò in manibus palmas gerebant: palma enim insigne victorum est: vicerunt ergo illi, victoria verò non sine pugna est, pugna verò non sine magno labore, magnum ergo laborem subire oportet eum, qui ad cœlum vsque conseendere cupit.

Nunc igitur manum in sinum proprium mitte, & attende quosnam labores, cruces, & pœnitentias amplecteris, vt ad cœlestem peruenias gloriam? quænam ieiunia? quasnam vigilias? quæ flagra? quas lacrymis fundis? &c. quod si solas delicias quæris, non cœlum, sed gehennam petis, &c.

Tertullianus ait, fuisse quosdam milites Romanos soli dicatos, qui cùm professionem suam emitterent coronam interposito gladio sibi oblatam, recipiebant, *ensetada en vna espada se ladaban*; quo significare illi volebant, coronam, non nisi cuspide & acumine gladij, obtineri posse. Gloria quidem ab Apostolo Paulo corona vocatur, & hæc quidem non nisi gladio est acquirenda: sic Sancti eam acquisierunt. Vnde Paulus de se: *Bonum certamen, &c. de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*; sic etiam Christus Dominus, qui de illo ait: *Nónne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* & tu aliter in gloriam alienam intrare præsumes?

Hinc Dominus per tribulationes dilectos suos ducit, vti præfiguratum optimè fuit in Patriarcha Ioseph, Genes. 37. quærebat ille fratres suos, & inuenit eum vir quidam errantem in agro, cui interroganti, quid quæreret, respondit Ioseph; fratres meos quæro, manifestauit illi, vbinam eos reperire valeret: abijt, & dum fratres se visitare censebat, inimicos inuenit: qui primùm eum occidere constituerunt, postea verò in iisternam miserunt, denique vendiderunt Ismaelitis, & Ismaelitæ cuidam Ægyptio, vbi ab vxore tentatus, viriliter vicit, teltimonio falso in eum prolato, in carcerem missus, tanquam de adulterio accusatus, per biennium ibi detentus, & fatigatus fuit. Quis non infelicem diceret illam visitationem fratrum? quis non dæmonem aliquem fuisse suspicaretur illum, qui eum docuit, vbinam fratres essent? Et tamen non defunt, qui dicant Angelum Dei fuisse: nec verò hoc contrarium, & oppositum est, sed verosimile, à Deo Angelum ad hoc missum, vt errantem viam doceret, vnde ipsi tot mala euentura erant. Imò & ipse Ioseph postea fratribus suis, timentibus fratris vindictam, dixit: *Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati?* Cur ita voluit Deus, cùm sanctus esset, & innocens Ioseph? Ipse ibi subiunxit: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, sicut impræsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos.* & iterum cap. 45. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, ac principem in omni terra Ægypti.* Ecce decursum

sum vitæ Ioseph, per tot labores, & quidem ingentes, ad tantam illam maiestatem, & prosperitatem deuenit Dei nutu, Dei consilio. Sic nimirum est vita iustorum, priùs per tribulationes Deus, & Angeli eos ducunt, vt postea in requiem illam gloriosam perducant æternam. O felix tribulationum via, cuius terminus gloria sempiterna!

Hinc Isai. 62. cum iusto agens, *Eris*, inquit, *corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Corona dicitur iustus figuratiuè, sicut principem regni dicere solemus, coronam esse sui regni, & personas in dignitate constitutas, dignitates ipsas vocamus; eris igitur, ô iuste, corona, sed in manu Dei. Quid est in manu Dei? quid est coronam esse auream in manu artificis? ad quid in tali manu corona, nisi vt elaboretur, & perficiatur? quonam verò pacto? tunsionibus, & pressuris, & ignium ope. sic igitur fiunt coronæ cælestium coronatorũ: in manu Dei sunt: Deus enim artifex est huiusmodi coronarum, & tunsionibus, acpressuris efficit, & perficit coronas, & sanctos ipsos. Et quidem si coronæ aureæ in manu argentarij collocatæ intellectum haberent, infelices se fortè conquererentur, quòd igne, ac malleo torqueantur; at postea in capite Regis fulgentes, & margaritis, & adamantibus ornatos se videntes, beatos ictus, beatas contractiones dicerent, quibus ad illam pulchritudinem, & gloriam peruenerunt. Sic mòdò: Væ mihi, dicet iustus, calamitatibus oppressus; sed tamen, cùm se in cœlo gloriâ refulgentem admirandâ viderit, O beatos, inquiet, labores, per quos tantam sum felicitatem consequutus!

Hinc Cant. 4. *Veni de Libano sponsa, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cub.libus leonum, de mont.bus pardorum.* A Libano euocat ad cœlum, vocat coronandam ex floribus collectis ex montibus illis Amana, Sanir, & Hermon, vbi habitant leones, & pardi. Itáne deerant diuino Sponso horti amœnissimi, floribus pulcherrimis referti, ex quibus fertum, & coronam conficeret super sponsæ caput collocandam? Non, inquit, sed ex montibus, vbi leones, & dracones degebant, quia flores, ex quibus iusti corona componitur, opera eius sunt, elecmosyna, ieiunium, oratio, sacramentorum frequentia, diuinæ legis obseruatio, tentationum victoria, & huiusmodi alia sunt, ex quibus coronam Deus efficit: flores autem huiusmodi, non in hortis irriguis, & curiosa artificis manu consitis, sed in asperitate montium, vbi cum leonibus, & pardis, hoc est, cum dæmonibus, & tribulationibus certandum & concertandum est, colliguntur. Qui igitur coronari à Deo desiderat, huiusmodi flores ei priùs administret, ex quibus illi coronam gloriæ mirè adaptabit.

Nec abs re Libani ibi mentionem fecit, sit ille mons Libani, sit, vt alij volunt, Ierosolyma ipsa. Libanus vox Hebræa idem est, quòd candidum, seu album. Ex Libano ergo vocat in cœlum sponsam Dominus, qui licèt inter leones, ac pardos infernì immundos versetur hîc, & cum eis pugnandum illi sit, albam, & mundam se oportet seruare, vt coronari in cœlis mereatur; felix autem albedinis conuersatio, felix cum feris infernì pugna, quæ talem ac tantam coronam promeretur.

Inter reliquas, quibus victores coronabantur, coronas, celebris fuit illa, quæ dicebatur cœlista, quæ quidem ex folijs siculneæ, & ex ramusculis rosarum constabat. hæc autem corona, iustorum coronis ita congruit, vt earum symbolum esse possit. primò non ex ficis ipsis dulcibus, sed ex folijs siculneæ texebatur, quæ quidem folia duriora, & asperiora reliquis sunt: sic corona iustorum, non ex dulcibus, & suauibus delicijs, sed ex asperis laborum, & pœnitentiæ rebus constat. præterea, ex ramusculis rosarum, in quibus simul rosæ, & spinæ continentur. Sunt autem labores nonnulli, qui non gloriæ, sed dedecori sunt: quales hi sunt, qui peccata comitantur: hos vt à corona iustorum, & prædestinatorum excludamus, rosas odoriferas simul cum spinis, & aculeis laborum, coniungamus. Vnde Petrus Apostol. 1. Petr. 4. *Nemo autem vestrùm patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat.* Rosas igitur inesse oportet in corona nostra, hoc est, bonam famam: hoc enim bonus odor importat, secundùm illud Apostoli 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus, &c.* Ecce igitur, qualis est corona, quâ Deus suos coronat, ex folijs sici cum spinis simul, & rosis, hoc est, ex asperitatibus, & aculeis, tribulationibus virtuosis, hæ quippe sunt, quæ benè olent.

Hinc Cant. 6. hortus Dei, hortus nucum appellatur. *Descendi in hortum nucum*, ait sponsus, vti nonnulli sacri Expositores volunt, vel sponsa, vt alij Patres: hortum autem nucum, Ecclesiam militantem appellat, vt Cassiodorus, & alij interpretantur. Cur igitur fructum Ecclesiæ, nuces appellat? quia merita iustorum sanctorum (huiusmodi enim sunt fructus Ecclesiæ) sunt veluti nuces. Nux quidem corticem priorem amarum habet, alterum verò durum, & asperum; intus verò tanquam in penu, & recondito loco, nucleum, dulcedine plenum, & suauitate: talia sunt nerita iustorum, circumsepta quidem amaritudine, & asperitate, intus latet nucleus dulcis vitæ æternæ: vnde sicut ad nucleum nucis oportet per asperitatem, & amaritudinem deuenire. sic ad gloriam.

Hinc habet iustus aptissimum remedium pro tribulationibus suis: tollat se illicet in cœlum oculos, & magnitudinem præmij considerans, dicat: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, quidni pro tanta, & æterna gloria, hæc & maiora patiamur.

Scripsit de cælesti gloria Psalmum 83. Dauid, dicens: *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini: &, Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te, &c.* Si quæritmus, cur psalmum istum ediderit, in ipso titulo psalmi respondet, cuius talis est inscriptio: *In finem pro torcularibus filijs Core*, vbi Cassiodor. & Incognitus, Core, Caluariæ montem, vbi Christus Dominus crucifixus fuit, significare aiunt; ad filios igitur Core, hoc est, ad filios Christi crucifixi, dirigit Psalmum, vt illum ipsi recitent, & cantent; ad nos scilicet, qui filij Christi crucifixi nominamur, & sumus: hunc autem canendum ait, *pro torcularibus*, hoc est, non dum in vineis, veluti racemi intacti, & sub vmbra foliorum deliciamur, sed quum in torcularibus, veluti calcati, & oppressi, & afflicti fuerimus; tunc consolatione, & confortatione egentes, oculos in cœlestem patriam dirigentes; dicamus: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum*, beati qui habitant in eis, te in sempiternum læti laudantes; spero & ego post crucem pro nomine tuo toleratam, me quoque tantâ gloriâ potiturum, &c. Quis non tali antidoto animos resumet. *Con tal alcorza à quien no se confortarà.*

Psalm. 91. *Iustus, vt palma florebit.* Florct quidem iustus, non quidem ita plenè in hoc sæculo nequam, vbi nihil aliud, quàm labor, & dolor reperitur: florere enim dicitur arbor, quando in oculis nostris resplendet floribus ornata; sic in cœlo pulchritudine illa cœlesti florent Sancti. Vnde subdit ibi: *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.* Vbi Doctor Incognitus per domum Domini Ecclesiam militantem intelligit, in qua iusti, velut in Dei horto, plantati sunt: per atria verò intelligit Ecclesiam triumphantem, de qua Psalm. 83. *Melior est dies vna in atriis tuis*, id est, in cœlo. Iustus ergo in hac vita in charitate radicatus crescit, in cœlo floret: huiusmodi autem florendi

Cant. 6. 10.

Cassiod. Simile.

Rom. 8. 18.

Psal 83. 2.

Ibid 5.

Ibid 1. Cassiod. Incognitus.

Psal 91. 13.

Ibi v. 14.

Simile.

rendi modus, *sicut palma*, inquit, erit: palma quidem hoc proprium habet, quòd ponderc impolito ad alta ramos euehit; sic iustus ad supernam illam floriditatem ponderibus pressus consurgit.

Cant. 7 7 Vnde Cant. 7. toti Ecclesiæ sic eius Sponsus Christus: *Statura tua assimilata est palmæ*, hoc est, surfum valde conscendis, ac sublimia petis, & hoc ad modum palmæ, non suauitatibus fruendo, sed pondere, labore pressa, ad suprema cœlorum pertingens.

Pierius. Refert Pierius lib. 50. Quintium Græcum virtutem hieroglyphicè depinxisse supra quandam altissimam rupem, vbi palma quædam consita erat, & supra illam palmam virtutem collocauit: ascensus autem ad illam arduus admodum, & difficilis erat, & arctissima ad eam via, scopulis acutissimis hinc inde cincta. hoc significare volens, vt ait Pierius, quòd virtus ad palmam, non nisi per abrupta, & præcipitia laborum, persecutionum, & tribulationum ascendit. Palma nostra cœlum est gloria est, tunc palmam obtinebimus, cùm salui, sani in cœlesti gloria manebimus: ad hanc palmam huiusmodi via pergendum nobis est. Virtus denique illa, quæ ad locum illum palmæ conscenderit, virtus saluandorum erit; non ea, quam nonnulli modò profitentur, diuitijs, & voluptatibus circumsepta, quæ deficit in via.

Denique palma insigne victoriæ quidem est, victoria verò prælium præsupponit, prælium verò laborem
Iob 7.1. dicit eximium. Vnde Iob: *Militia est vita hominis super terram*, hoc est, plurimis laboribus abundans. Iustus ergo, sicut palma florebit, quia palma, & victoriæ signum non reperitur, nisi vbi labores etiam plurimi reperiuntur.

Et quidem via cœli laboriosa in se, & via inferni facilis & deliciosa.

Virgil. Æneid. 6. ——— *Facilis descensus Auerni:*
Sed reuocare gradum, superasque euadere ad auras,
Hic opus, hic labor est.

Bion Et Bion Philosophus sapientissimus: Facilis est ad infernum descensus: clausis enim oculis illuc itur, &
Eccli 21. 11. Eccli. 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ*; quasi dicat: via, quæ ad infernum ducit, non aspera, non ardua est, sed plana, & lapidibus planis complanata; sicut aulæ principum esse
Matt. 7. 13. solent. Concordat Christus Dominus Matth. 7. *Lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem.* Quod si
Sap. 5 7. ita est, quomodo ait Sapiens Sap. 5. de his, qui sunt in inferno: *Lassati sumus in via iniquitatis, & ambulauimus vias difficiles?* si via difficilis, si lassati, qui per eam ad inferna descendunt, quomodo eam latam, & spatiosam dicimus? est quidem in se deliciosa corpori, sed animæ difficilis, & laboriosa est propter conscientiæ remorsum, & rationis synderesim: dictamen enim hoc conscientiæ non sinit peccatores pacificè suis delectationibus frui. *De fuerte, que les haze ver la toca, y asi dar a buen bocado: buen grito, y agua, o por mejor dezir, auinagra los gustos de los peccadores.* Præterea nullibi sine labore voluptas, sicut nullibi oritur absque spinis rosa.

Sic igitur è conuerso, boni, quamuis per ardua virtutis incedant, conscientiæ bonum testimonium suauem, & tranquillam præstat eorum vitam. *Gloria nostra*,
1. Cor. 1. 12. ait Apostolus, *hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*: gloriam vocat, quia gloriæ quid ob suauitatem internam præfert.

2. Tim. 2. 3. 2. Ad Timoth. 2. sic Paulus ad discipulum suum Timoth. *Labora sicut bonus miles Christi*, & subdit: *non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* Quid, inquies, est,
S. Anſel. *legitimè certare?* S. Anselm. id est, *nisi certauerit, prout lex certaminis requirit, sic miles Christi, qui cum diabolo pugnat in agone præsentis vitæ, non percipiet coronam æternæ gloriæ, nisi vicerit secundum legem pugnæ Christianæ. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum, quia ad magna præmia peruenire non potest, nisi per magnos labores. Non igitur coronabitur, nisi vicerit, neque vincet, nisi certauerit, neque certabit, nisi immissum habens, & tentationibus resistens. Profunt ergo iustis labores certaminum, quia per hos merentur coronari.* Ita Sanct. Anselm.

Iosue 6. præcepit Dominus spolia Iericho sibi reseruari, & sibi soli dicari: *Sit*, inquit, *cuncta hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt, Domino.* Cur, quæso, militibus suis ea non concessit Deus? Caietan. *Quia solus Deus eam vrbem expugnauit, filijs Israël nihil laborantibus; quibus autem pugnæ labor non contingit, prædæ emolumentum non debetur.* Ita ille.

PROP. XV. *Gloriæ amor mundi amorem excludit.*

INcognitus, *Dicit Magister de proprietatibus rerum* (inquit) *quòd sunt duo lapides pretiosi, ad se inuicem quasi contrarij, scilicet, sardius & onyx. Sardius est rubei coloris, & sino splendore expellit timores, & ingerit lætitiam, & condit securitatem: onyx autem niger est, & excitat rixas, & contentiones, & lites: verumtamen sardius in præsentia onychis constitutus, ipsum totaliter à suis probibet tocumentis.* Ita ille. In his duobus lapidibus duo mihi videntur rectè expressi amores, gloriæ scilicet, & mundi; amor gloriæ viuus & efficax est, ideo rubeus dici potest, sicut ignis, lætificat cor, & pacificat illud. vnde rectè sardio comparari potest: amor autem mundi niger est. *Negro amor, y mal empleado.* hic amor, sicut onyx, excitat rixas, & contentiones, & lites; quia omnes mundi contentiones ex huiusmodi amore promanant, aut scilicet ex amore diuitiarum, aut honorum, aut voluptatum: hinc lites, hinc rixæ. Audi Iacobum Apostol. *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris? Concupiscitis, & non habetis, occiditis, & zelatis, & non potestis adipisci, litigatis, & belligeratis*, &c. Ecce onyx, amor rerum mundi, has omnes tragœdias excitat, quem S. Iacobus concupiscentiam vocat. Verumtamen amor rerum cœlestium huiusmodi amoris terrenorum remedium & antidotum est, *es sumtrayerba*: qui enim amat cœlestia, facilè contemnit terrestria, quibus contemptis, cessant lites, & contentiones, quæ ex æstimatione & amore eorum promanabant. Sic sardius temperat onychem, & moderatur, vt non diligat terrena, nisi magna cum moderatione.

Matt. Matt. 17. quid est quòd S. Petrus in monte Thabor Domino dixit: *Domine bonum est nos hic esse*, &c. Sanct. Gregor. in 1. Reg. 1. *Quia ex pulchritudine gloriæ, cuncta quæ transeunt, velut fœda destexit beatus Petrus.* Ita ille. Etenim nouerat S. Petrus Christum Dominum in mundi redemptionem à Patre missum, sed radio illo gloriæ Christi transfigurati, veluti obtenebratus & omnium aliarum rerum oblitus, solam gloriæ illius magnitudinem animaduertebat, quamuis non ipsam essentialem gloriam, sed dotem solummodo claritatis corporis Domini videret.

Hinc etiam desertum illum locum eligebat Petrus, vbi sub dio erat, & vbi alimentis carebat. Sicut si Rex pauperi diuitias & vestes pretiosas offerret, illico vestes tritas & vilem suam supellectilem despiceret & abijceret; sic nos, quibus Dominus talem ac tantam gloriam offert, vilia & contemptibilia mundi bona facilè despicere, & à nobis reijcere debemus.

Prop. XVI. *Quàm expediens sit nobis agere de gloria.*

HOc quidem familiare viatoribus esse solet, vt per viam de termino agant, in quem tendunt. Sic Pharao rex Ægypti, cùm ad euertendos Israelitas per-
4.15. geret, in via dicebat : *Persequar, & comprehendam : diuidam spolia, implebitur anima mea.* Sic etiam mulieres illæ sanctæ, quæ ad vngendum Christum Dominum
6.16. ibant, ita in itinere loquebantur : *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Sic etiam Christus Dominus ascendens Ierosolymam, in qua passurus erat, di-
18.26. cebat : *Filius hominis tradetur*, &c. nos autem viatores sumus, & Ierosolymam illam ascendimus cœlestem; quâ igitur de re potiùs, quàm de cœlesti patria agere nos oportet?

Prop. XVII. *Gloria consideratio feruorem ad bene operandum excitat.*

CAnt. 1. *Trahe me post te, in odorem curremus vnguentorum tuorum.* Odor vnguentorum, cœlestium bonorum est, secundùm Sanct. Augustinum, hunc qui percipit odorem, non solùm ambulat, sed currit in via mandatorum Dei : *Viam* (inquit Dauid) *mandatorum tuorum cucurri*, cùm dilatasti cor meum ; dilatat autem maximè Deus cor nostrum, cùm odorem nobis exhibet, & efficacem aliquam notitiam cœlestis gloriæ. *Trahe me post te, Heuad me Sennor en seguimiento de vuestros pasos.* Verba Ecclesiæ Christi sunt; at quia arduum, & difficile est Christum sequi, subdit : *in odorem vnguentorum*, &c. Quasi dicat : Nouimus rem difficilem postulasse, ac si pigmæus vellet gigantem currentem sequi: *Exultauit* enim Christus, *vt gigas ad currendam* vitæ suæ viam in obsequium Patris; potest verò ipse trahere nos post se auxilio gratiæ suæ, & speciatim odore gloriæ cælestis: qui enim illam odoratur, currit.

Cùm vides canem venatorium in monte huc illucque discurrentem, & properantem, & caudam velociter flectentem, qui antea lento gradu incedebat; dices, odorem venationis persensit; vnde hoc collegisti? Ex velocitate illa, & diligentia qua odoratur, & discurrit hinc inde. Ecce igitur discrimen inter nos, hos quidem tardos ac desides in Dei obsequio videbis, alios verò feruentes, & festinantes, iam ad Xenodochia pergentes, iam ad Ecclesiam, ad Confessionem, & Eucharistiam, & orationem properantes. vnde, quæso, differentia tanta inter eos, qui eandem fidem, & legem, & religionem profitentur, quique eandem gloriam amant, eundem infernum timent? propterea quidem quia hi odorati sunt gloriam, hi verò nequaquam.

Difficilis quidem virtus, difficilis obedientia mandatorum, difficilior obseruantia consiliorum, difficilis denique pœnitentia, sed præmij sempiterni consideratio hæc omnia vel facilia reddit, vel animam animat, vt perseueranter in his perduret. Baiuli quidem, seu onerarij homines, dum onera gestant, gemunt quidem, & sudant, sed pretij consideratione pergunt, feruntque patienter onus, imò & sæpè lætanter, & finito labore, alia quærunt onera vehenda, nec pristino labore deterriti, cessant onera indagare. Et quidem si nos præmij cœlestis magnitudinem attentè contemplaremur; non solùm non sanctitatis onera detrectaremus, verùm & vehementer optaremus : si enim baiuli onera illa ideo amant, quia ex illis vitæ suæ ratio pendet; cur nos onera virtutis non præoptaremus, cùm illis magnitudo vitæ sempiternæ consistet? Sanctus Augustinus tom. 10. serm. 9. *Secari, & vri se homines patiuntur, vt dolores, non eterni, sed aliquantò diuturniores vlceris, actionum dolorum pretio redimantur. Immanissimis bellis miles at-*

A *teritur, pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, qui in otio quieturus. Quibus tempestatibus & procellis, quàm horribili, & tremendâ sæuitiâ cœli, & maris impleti sunt mercatores, vt diuitias ventosas, & periturας acquirant, maioribus, quàm quibus acquisitæ sunt periculis, & tempestatibus plenas? Quos æstus? quæ frigora, quæ pericula, ab equis, à fossis, & præcipitijs, à fluminibus, à feris perferunt venatores? quem laborem esuriendi, & sitiendi, vt bestiam capiant? Quantis etiam in scholis vigiliarum, & abstinentiæ molestijs exercentur, non propter discendam sapientiam? sed propter opes, honoresque vanitatis. Qui hæc amant, non grauia pati videntur: omnia enim sæua, & immania prorsus facilia, & prope nulla facit amor. Quantò ergo certius, ac facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quòd ad miseriam cupiditas facit? Quàm facilè toleratur quæuis aduersitas temporalis, vt eterna pana vitetur, vt eterna requies comparetur. Non immeritò ille vas electionis cum ingenti latitia dixit :* Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ita S. Augustinus. *Rom 8. 18.*

B Sanctus Chrysostomus homil. 22. ad populum : *Ne cogites arumnam, sed libertatem, non flagella, sed honores. Sanctus Stephanus, non lapides, sed superna brauia considerabat. Ad modicum temporis labor est, & in sæculum sæculi requies erit; mitigæ ipse laborem, tribulationem latitia excipiet.* Ita Sanct. Chrysost.

Genes. 49. sic Iacob de filio suo Issachar propheta- *Gen. 49.*
uit : *Issachar asinus fortis, accubans inter terminos, vidit re-* 14.
quiem quòd esset bona, & terram quòd optima, & suppossuit humerum ad portandum, factusque est tributis seruiens, hoc est, vidit partem Terræ promissionis optimam, & decreuit labores culturæ assumere, vt inde vberes colligeret fructus. Sanct. Gregorius 1. Mor. 17. per tribum *Greger.*
Issachar Gentilem populum ad fidem conuersum intelligendum esse ait, & subdit : *Gentilitas ad portandum onus humerum suppossuit, quia conspecta superna requie, præceptis etiam grauibus in operatione se subiecit, & quidquid pusillanimitas intolerabile asserit, hoc ei leue ac facile spes remunerationis ostendit.* Ita ille. Ad litteram verò dicamus : si tribus Issachar ob fructus illos terræ sic suppossuit humeros ad portanda onera agriculturæ; quidni ob cœli bona æterna & nos humeros nostros cuiuis oneri supponamus?

Psalm. 41. sic Dauid : *Fuerunt mihi lachrymæ meæ pa-* *Ps. 41. 4.*
nes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : vbi est Deus tuus? Cur lachrymas panes esse dicit, cùm potiùs ad potum, quàm ad cibum aptæ sint? cur non ait : *Fuerunt mihi potus?* Etenim qui sitiens panem manducat, non sitim extinguit sed auget. Cùm igitur Deum videre optaret Dauid, & ob id lachrymas funderet, non solùm sitim videndi Deum non extinguebat, sed potiùs sitis eius crescebat: ac si is qui aquam sitit, panem manducaret. Sed tamen tanta est consolatio interior, fundentis la- *Simile.*
chrymas propter Deum, & eius visionem gloriosam, vt vel flere propter ea, cibus animæ, quo anima in hac peregrinatione sustentatur, dici possit. Nec multùm ab
D hac expositione distat ea, quam Sanctus Gregorius *S. Greg.*
adducit 5. Mor. 7. vel 4. *Luctu suo pascitur anima, cum ad superna gaudia flendo subleuatur, & intus quidem gemitum tolerat, sed eo refectionis pabulum, quo vis amoris lachrymas emanat. Suspirans ergo Propheta comedebat, cùm diceret:* Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes, dum dicitur mihi quotidie : Vbi est Deus tuus? Ita Sanctus Gregorius.

Luc. 12. sic Dominus ad discipulos suos : *Nolite ti-* *Luc. 12.*
mere pusillus grex. Sistamus hîc, quid ais Domine: *Nolite* 32.
timere? nónne tu eis dixisti : Ecce ego mitto vos sic- *Luc. 10. 3.*
ut agnos inter lupos, nunquid inter lupos agnus non meritò timere potest? nunquid non tu dixisti discipulis : *Absque synagogis facient vos*, hoc est, excommunicabunt vos, *& venit hora vt omnis qui interficit vos, arbi-* *Ioan 16. 2.*
tretur se obsequium præstare Deo? & nihilominus ais: *No-* *Luc. 12.*
lite timere? ita quidem, quia complacuit Patri vestro 32.

dare vobis Regnum, *que trabajo puede hazer contrapeso, donde el peso es la gloria eterna?* Vnde meritò Sanctus Petrus Chrysologus serm. 22. expendens dictum lo-
S Petrus Chrysol. cum, Luc. 12. ait: *Christus discipulis suis regnum cœlorum proponit in præmium, vt in certamine non periculis nec timori cedant: pericula desperari qui tendit ad regnum, victoriæ cupidus timere nescit.* Ita ille.

Cant. 1. 12. Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi,* sic Sponsa Christi. Sed cur non fascem myrrhæ, sed fasciculum dicit? Sanctus Bernardus serm. 43. in Cantica: *Myrrha, amara res, dura, & aspera, tribulationem significat, & propterea non fascem sed fasciculum usurpare dixit: quia* non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: id enim quod in præsenti est leue & momentaneum tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *Erit ergo quandoque in nobis ingens cumulus gloriæ, qui modò est fasciculus myrrhæ.* Ita S.
S. Bern. Bernard. B

Matt. 6. 10. Matth. 6. *Adueniat regnum tuum.* Cassianus Collatione 9. cap. 18. hoc petimus hîc, quod est filijs Dei generaliter repromissum: in quo eis dicetur à Christo: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Ita ille. Nunc ad rem, Deus quid pe-
Cassian. Matt. 25. 34. Matt. 19. 17. tit à te? Matth. 19. *Serua mandata;* & tu à Deo? *Adueniat* mihi *regnum tuum:* quid maius quod petit à te, an quod tu à Deo? etenim licèt obseruatio legis Christi, nullum præmium haberet, ipsamet obseruatio sufficiens sibi præmium esset; tum quia ipsa natura hominis talem exigit obseruantiam; tum quia tanto Domino seruire & parere, gloria magna nostra est. Quid quòd insuper tam immensum, & æternum gloriæ pondus operetur in nobis? Est denique confusio ingens nostra, tale ac tantum regnum à Deo postulare, & obseruantiam mandatorum iustissimam, quam postulat Deus à nobis, illi denegare. Videat ergo qui regnum Dei consequi optat, & mandata Dei obseruare detrectat, quid Dominus Matth. 19. saluari cupienti dicat: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Hæc duo quæ Deus coniungit, homo non separet, si non vult & ipse à Deo separari. C

PROP. XVIII. *Gloriæ consideratio conducit ad Crucem Christi libenter ferendam.*

EZechiel Propheta cap. 1. vidit illa quatuor mysterijs referra animalia, inter quæ bos vnus erat quatuor alas habens; alæ quidem ad volandum à natura auibus datæ sunt, quid igitur boui cum pennis? quid pennis cum bobus? *Quien jamas viò buey volar?* & non solùm duas pennas bos ille habebat, sed quatuor, quasi dicat: volabat duplò quàm aues solent. Vnde, quæso, tantus volatus boui, graui etiam ad ambulandum? *Bueſo tan ligero vn animal tan lerdo, y tan peſado de-*
Ibid. 21. *donde?* audi quod sequitur, *& similitudo,* inquit, *super capita animalium firmamenti,* hoc est, cœli. Hinc patet ratio violatus bouis: quidni per viam voluntatis diuinæ volet homo, quantumuis bos grauis, & tardus ex se sit? qui enim attenta consideratione præmium illud ineffabile cœli contemplatur, per saxa, per ignes impiger curret, imò volabit, *dexarà de correr y pondraſe a volar.* D

Ad Rom. 8. 18. Hinc Paulus: *Existimo, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Magnæ quidem passiones sanctorum extiterunt, grauissimi cruciatus martyrum Dei, sed non, inquit Apostolus, sunt huiusmodi passiones condignæ ad gloriã cœli, imò nec pœnæ illæ tartari, vbi cruciantur damnati, per millia annorum spatia perpessa propter gloriæ tanta bona condigna essent. cùm igitur doloribus, & laboribus vitæ huius cruciaris, respice super ca- A put tuum firmamentum, & volabis inter vitæ huius etiam maximos cruciatus.

Vnde ille S. Abbas Apollo apud Palladium in Lusiaca, cap. 52. cùm aliquem è suis tristem, ac pusillanimem videret, vt eum ad lætitiam, & gaudium erigeret; tristentur, aiebat, mundani, *tristentur peccatores, qui aliam spem non habent; nos verò, qui tanta spe cœlestis gloriæ digni habiti sumus, quomodo non perpetuo lætabimur?* Ita ille.

Similiter Sanct. Athanas. de Sancto Antonio Abbate in eius Vita scribit, eum semper tam in aduersis, quàm in prosperis lætum fuisse, mentisque lætitiam prætulisse, atque ex ea ab ignotis agnitum fuisse. Verba S. Athanasij hæc sunt: *Si quis Antonij ignarus, inter multitudinem monachorum eum videre desiderasset, nullo docente, ceteris præstantiorem agnoscebat ex vultu, & per speculum corporis gratiam sanctæ mentis intuebatur: nam semper hilarem faciem gerens, liquidò ostendebat, se de cœlestibus cogitare.* Ita Sanct. Athanasius, qui pariter dicere potuisset, spem cœlestium bonorum exteriori vultu præ se ferebat, & manifestabat: nam Domino seruientibus, spes est quæ facit eos semper esse gaudentes.

Quam ob causam meritò Philo spem, gaudium ante gaudium appellabat, *ante gaudium*, nempe de cœlo in cœlis, gaudium de cœlo in terris, *es vn relieue, que ſe cae del gozo indecible del cielo, el gozo que cauſa ſu eſperança en el ſuelo.*

Impatiens laboris est homo, sed magni præmij spe reddi solet fortis & patiens, & magnos subire labores, vt patet in agricolis, mercatoribus & militibus. Cùm igitur tam eximium bonum gloria sit cœlestis, quid non ad eam adipiscendam facere nos oportet? Non igitur satis miror Christianorum turbam, in qua plurimos inuenies, quasi nihil curantes, nec cogitantes gloriæ tantæ bona, sed ad mundi bona conuersi, C ea tantùm cogitant, loquuntur, amant, & quærunt; hi, si in fide non defecerunt, in spe defeciſſe valde videntur. Si enim, vt par est, gloriam cœli rectè sperarent, quid, quæso, pro eius adeptione facere dubitarent?

Conquerebatur olim Dominus de decem tribus Israel sub nomine Ephraim, eò quòd commercium cum Gentilibus facientes, ad idolorum culturam declinauerant, dicens Osee 10. *Ephraim vitula docta diligere* Oſeæ 10. *trituram, & ego transibo, super pulchritudinem colli eius ascendam, super Ephraim arabit Iudas, & confringet sibi sulcos Iacob.* Optimus locus ad rem: pro cuius intelligentia notandum est, quòd, cùm Ephraim, hoc est, decem tribus Israel, ad idololatriam declinauerant, propter commoda quædam bonorum temporalium, quæ habebant, communicando cum Gentilibus; Iudas (hoc est, duæ reliquæ tribus) in fide stabilis permansit, regnante super Iudam sancto rege Ezechia, vti patet 1. Paral. 30. & 31. Ait ergo Osees: *Ephraim vitula docta diligere triturare.* Cur diligebat triturare, cùm tritura laboriosum opus sit? quia cùm iuxta illud præceptum Domini Deut. 25. *Non alligabis os boui trituranti,* liberè in 1. Cor. 9. area comedere sinantur boues, facilè ad triturandum pergunt, *No por ei trillo, ſino por el trigo;* ad arandum verò non ita, quia ibi non habent, quem comedant, cibum. Sic igitur Ephraim, sicut vitula docta diligere triturare, propter vtilitatem præsentem, ad culturam idolorum pergit, propter vtilitatem præsentem, & temporalem, quam ex consortio, & commercio cum Gentilibus capiebat. Ita exponunt Rupertus, Glossa, Lira, & ante eos omnes, S. Gregor. 20. Mor. 16. de Iuda autem subdit: *Arabit Iudas, & confringet sibi sulcos Iacob,* hoc est, duæ reliquæ tribus in officio arandi se exercebunt, non in tritura; arare autem vocat, id præstare, quod fructum præsentem non habet, sed futurum: qui enim arat, in spe debet arare, vti dixit Apostolus 1. Co- 1. Corinth. 9. rinth. 9.

rinth. 9. Ita exponunt Lira, & Glossa. Ecce igitur discrimen reproborum, & electorum in hac vita: reprobi enim triturам amant, hoc est, laborem illum, qui præsentem fructum habet, vel diuitiarum, vel honoris, vel deliciarum; electi verò laborem illum, qui fructum habet in spe, vti sunt opera virtutum, patientia in laboribus, inimicorum dilectio, ieiunia, orationes, vigiliæ, & opera pœnitentiæ: nullum enim laborem recusant, dummodo æternam requiem consequantur.

v. 6. Voluit rex Assuerus ostendere, quâ gloriâ decorandus ille esset, quem ipse rex vellet honorare. Præcepit igitur, vt Mardochæus veste regia indueretur, & diademate coronaretur, & equum regium conscenderet, & vt princeps Aman illum præcederet, clamans: Sic honorabitur ille, quem Rex voluerit honorare. Idipsum in Euangelio efficit Rex supremus, in transfiguratione Christi, idipsum Euangelium clamat, sicut in Christo videtis: Honorabitur in cœlis ille, quem Deus ibi voluerit honorare: gloria quippe Christi exemplar est, vt asserit Paulus ad Romanos, dicens: *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Quem locum sic explicat Sanctus Hieronymus: *Quos Deus præuidit conformes futuros Christo in vita, voluit vt fierent pariter conformes in gloria.* Hæc ille. Vnde rectè subdit: *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Solent parentes ex eodem panno vestes conficere omnibus filijs, hoc solo excepto, quòd maioribus maior panni mensura contingit, pro mensura corporis cuiusque, & similiter ex eadem re familiari, ac diuitijs parentum, hæreditas cunctis fratribus demandatur, præterquam quòd primogenitis præcipua solet designari pars. Christus nos suos fratres vocare & efficere dignatus est, ex quo consequens fuit, vt gloriâ eâdem nos indueret Deus, & cohæredes in eadem hæreditate efficeret cum Christo primogenito suo, licèt multò maior sit primogeniti Christi gloria.

Quid clarius in huius coufirmationem afferemus, quàm quæ asserit diuus Paulus, *Saluatorem*, inquit, *expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformidabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Videbis modò iustos macie confectos, pallidos, & abiectos, sed veniet tempus cùm ad similitudinem Christi transfigurabuntur.

Mirabile hoc: nam, vt D. Chrysostomus ait, *illine corpori configurantur, quod sedet ad dextram Patris? hoc nostrum corpus conforme illi, quod adoratur ab Angelis, illi, cui assistunt incorporeæ potestates?* sic, & meritò, Chrysostomus admiratur. De hoc igitur iustos certiores facere voluit Christus Dominus in transfigurationis suæ exemplo: sed ad quem finem, nunc videamus.

v. 17. Mat. D. Chrysostomus intentionem Christi in ostensione suæ gloriæ & transfigurationæ suæ, sic aperit: *Quoniam multa de periculis, multa de morte, multa de passione sua, & de cæde discipulorum loquutus est Christus, & aspera quamplura & ardua illis inuinxit, gloriam suam in præsenti vita, quantùm capere possunt, ipsis vult ostendere, ne posthac doleant.* Hæc ille. Vnde quia in præcedenti capite dixerat Christus:

v. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me*, addit: *Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Nec moratus Dominus, post sex dies transfiguratus est ante aliquos Apostolos, quibus facta fuerat illa promissio, vt ea ratione eos habiles redderet ad quoslibet labores perferendos, spe tantæ coronæ. Vnde rectè Beda super hunc locum dixit: *Pia prouisione factum est, vt contemplatione semper manentis gaudij ad breue tempus delibata, fortiùs aduersa tolerarent.* Ita ille. Tâto igitur præmio ante oculos nostros proposito; quis non se eriget ad labores pœnitentiæ, & totius vitæ, & perfectionis Christianæ perferendos? De quodam Ethnico Rege narrant prophanæ historiæ, quòd, cùm vellet animos addere militibus sui, ne belli difficultatibus debilitati & laboribus fracti, animis caderent; quò id facilius assequeretur, spolia quidem optima ab hostibus detracta, illis ob oculos proposuit, dicens: Hæc sunt, ó milites, spolia, pro quibus pugnatis. Idipsum Christus efficit in transfiguratione: scit enim quantis laboribus & difficultatibus obnoxium sit bellū, quod cum mundo, diabolo, & carne gerimus, quàmque difficilis, lubrica, & periculis plena sit via, quæ ducit ad vitā. Ne igitur pusillo corde simus, præmium gloriæ cœlestis nobis coram proponit, quasi dicat: Militia est vita vestra super terram; verum est, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; sed ne animo concidatis, laboribus deterriti: dabit enim Deus his quoque finem, & optimum finem. Aspicite in me, videte splendorem & pulchritudinem hanc: hæc sunt, ó milites, spolia pro quibus pugnatis.

Ostendebat Dominus Ioan. Apost. labores iustorum maximos, nec mora, ostendit iam illi ciuitatem sanctā Ierusalem, omnem pulchritudinē facilè superātem, denique habentem in se claritatem Dei. Vtrumque copulauit Dominus, vt, cùm iustus se inter cruces cruciatum sentit, oculos in sanctam Hierusalem cōuertat, & vires resumendo, dicat: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriā, quæ reuelab.tur in nobis.* S. Patriarcha Iacob in vltimo vitæ constitutus termino, accersiri iussit liberos suos, & benedixit eis, & diuino Spiritu afflatus, vniuiuique illorum futura prædixit: cùmque ad Issachar sermonem conuerteret, *Issachar*, ait, *asinus fortis, accubans inter terminos, vidit requiem, quòd esset bona, & terram, quòd optima, & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis seruiens.* prædixit hoc Iacob, quia prophetico spiritu cognouit, quòd possessio cōtingeret Issacharo inter mare Mediterraneum, & Iordanē, quæ terra vberrima est, & vberrimos edit fructus, & ob eam causam Issachar ad colēdam illam humerum suppositurum libenter, quamuis necessarium esset tributa persoluere & agriculturę labores ferre. Attende rationem, propter quam suppositurus laboribus humeros suos, quia vidit terram, quod optima: si ergo propter fructus terræ terrenos, & temporales, hic agriculturæ labores assiduos sustinere decreuit: quid mirum si iustus, & prudens homo propter fructus cœlestes & æternos, temporalibus Christianæ vitæ laboribus humeros supponere, & patienter eos ferre non formidet?

Quid, inquam, patienter ferre? plus asserit Christus apud Matthæum, *Beati* (inquit) *estis cum maledixerint vobis homines, & persequti vos fuerint, & dixerint omne malū aduersùm vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo.* Ecce non solùm patienter, sed lætanter nos Christus ferre tribulationes petit, qui præmium gloriæ propter illas speramus.

Denique non solùm patienter, & lætanter, sed cùm gratiarum actione labores ferre par est illos, qui post eos cœlesti beatitudine sperant frui. Non oneri, sed honori & beneficio maximo dādum esset, voluisse Deum optimum maximum propter tolerantiam exilem nostram, æternum illud gloriæ pondus offerre nobis. Quod optimè considerans Sanctus Augustinus, sic ait: *Venale est, quod habeo, dicit tibi Deus: Eme illud. Requiem venalem habeo, eme illam. Dices ei: Quantum valet. Audi, pretium ipsius labor est; quantò labore digna est? sed noli timere: misericors enim est Deus. Si haberes æternum laborem, nunquam peruenires ad æternam requiem, ergo vt aliquando peruenias ad id, quod emis, non in æternum laborandum est, non quia non valet tanti, sed vt possideatur quod emitur. Digna quidem erat emi labore perpetuo, sed necesse est, vt emantur temporali labore: Decies centena annorum millia habent finem, quod tibi dabo non habet finem. Qualis misericordia Dei? Nec dicit: Decies centena millia annorum laborа, non dicit, vel mille annos labora, nec dicit quingentos,* Super Psal. 93.

sed cùm viuis, in paucis annis labora, inde iam requies erit, & sinem non habebit. Et infuper audi Dauidem dicentem: Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. *paucos annos laboras, & in ipsis paucis non deerit tibi consolatio. Ecce quantum pretium damus, quodammodo vnam siliquam, ad capiendos thesauros sempiternos.* Hæc Augustinus. Et quidem si ad gloriam istam consequendam, omnes labores, quos Monachi & Anachoritæ in desertis & antris, & omnes cruciatus, quos martyres in tormentis pertulerunt, ferre necessarium esset, ita vt lapides Sancti Stephani, & sagittas S. Sebastiani, & crucem B. Andreæ, & detractionem pellis beati Bartholomæi, & craticulam Beati Laurentij, & reliqua martyrum tormenta perferre deberemus, vt ad cœlestem beatitudinem perueniremus; libenti animo & grato omnia suscipienda nobis essent. Imò ait Augustin. *Si oporteret ipsam gehennam parvo tempore tolerare, vt Christum videre digni esse possemus in gloria venientem, & Sanctorum eius numero sociari; nónne id gaudium erat pati omne, quod triste est, vt tantæ gloriæ part. c. pes haberemur?* Hæc ille. Vide igitur, quomodo non solùm patienter crucem nostram tolerare, & sequi Dominum deberemus; sed etiam immortales illi gratias agere, cùm tam pro exiguo labore & momentaneo, maximum & æternum bonum gloriæ nobis præstare velit.

Hac igitur consideratione æternæ felicitatis se excitabant sancti viri, non solùm vt à diuinis præceptis, nec transuersum quidem vnguem, deflecterent; sed etiam vt consilia Euangelica amplecterentur, & omnes virtutis & perfectionis difficultates superarent. Quorum vnus Dauid sic de seipso fatebatur, dicens: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Deficit cor humanum ob assiduas & maximas difficultates, quæ passim illi occurrunt in via mandatorum Dei; Dauid autem, vt cor suum in officio contineret, sibi ante oculos proponit maximum illud præmium, quod in cœlo habet iustificationum Domini obseruator. *Inclinaui* (ait) *cor meum*, de corde suo loquitur, tanquam de homine aliquo rebelli, & pertinaci, qui non vult concedere quod petis ab illo, ac tandem flectitur precibus, & promissis; sic ait: inclinaui cor meum rebelle, vt custodiret, non semel, sed in æternum iustificationes tuas, retributionem æternam illi proponendo, quam repromisit Deus diligentibus legem suã. Vnde Sanct. Ambrosius ait, qui retributione bonorum operum speratam, Christo inclinat cor suum, vt faciat iustitias Christi. Isaias Propheta perpessus erat, maximos labores, si ea quæ Dominus ab eo exigebat, exequeretur, ac tandem ferrã secandus erat tormenti genere atrocissimo: cuius animum cùm Deus corroborare vellet, gloriam suam illi manifestauit, vt ipse narrat, quã visa confirmatus est, vt statim omni periculo animo libenti se obiecerit, & atrocissimam illam mortẽ tolerauerit. Sed quid singulos Sanctos enumero? Apostolus Paulus tribulationes enarrat multas & graues, quas Apostoli passi fuerunt in Euangelij propagatione, & animi constantiam quam semper exhibuerunt, dicens: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur*, &c. Maximus certè labor semper & vbique in omnibus tribulari, sed non minus fuit in tot tantisque tribulationibus, Apostolorum corda non angustiari: est enim humanum cor laboris impatiens, & facilè deprimitur angustiâ, in leui etiam tribulatione. Quid igitur sic Apostolorum cordibus vires præstabat? Dicat ipse Paulus? *Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Propter hoc* (inquit) *non deficimus.* Trutinam sic accepit Paulus, vt in manu vna tribulationes, in altera verò tribulationum præmium collocaret; quod tantùm illas superare cognouit, vt momentaneam & leuem tribulationem esse dicat, gloriam verò, quæ ferentibus illam æquo animo datur, pondus vocat, & pondus æternum. Hoc ergo Apostolis animos addebat in suis tribulationibus, quòd leuibus temporalibus ponderosa æterna responderent.

Psal. 118. 112.

Ibid.

Cap. 6.

2. Cor 4. 9.

Ibid. 17.

Maximi etiam sanctorum Confessorum labores extiterunt, illorum maximè qui defecta petebant, & in antris angustissimis degebant, vbi pœnitentiæ & mortificationi carnis & cordis in tantum operam dabant, vt mirum planè fuerit, quomodo tam grauia pondera humanis humeris potuerint sustinere. Lege illorum vitas, & animaduertes illos in ieiunijs multis, in vigilijs assiduis, in orationibus frequentissimis, in frigore & nuditate, in cilicio & sacco, in silentio & solitudine, in fletu & planctu, denique in acerrimis contentionibus dæmonum, per totum vitæ spatium illas traduxisse. Vnde animi constantia tanta, nisi ex consideratione gloriæ cœli? Hæc communis illorum vox: *Quod momentaneum est, & [illegible], &c.* vel: *Non sunt condignæ passiones, &c.* Quid autem de Martyribus dicam? dicit Ecclesia: *Traduntur igni martyres, & bestiarum dentibus, armata sæuit vngulis tortoris insani manus, nudata pendent viscera, sanguis sacratus fundit ur.* Horret animus, dum talia referuntur. Quomodo autem tenera & delicata hominum, maximèque puellarum, caro, ferre valuit huiusmodi cruciatus, quos, vt in Martyrum factis legimus, ita æquo animo perferebant, vt in corporibus alienis, aut emortuis, non in proprijs & viuis, eos pati viderentur? *Fermanent* (inquit) *immobiles vitæ perennis gratiã.* Viscera videbant Martyres suis oculis in humum diffusa, latera vngulis dilaniata, & alacres in proposito permanebant, vitæ quidem perennis gratiã. Væ nobis miseris peccatoribus, qui vix vnius diei iejunium leuissimum ferre valemus, quomodo inter huiusmodi Sanctos, Apostolos, Confessores, & Martyres volumus collocari?

Super omnia hæc tamen maioris confusionis nobis est causa passio Domini Saluatoris. Non erat Christo Domino necessaria cruciatuum perpessio, vt sibi gloriam compararet. Nam, præterquam quod Filio Dei gratia vnionis ad id sufficeret, vnicã tantùm eius oratione ab æterno Patre eam de iustitia consequeretur. sed tamen propter nos homines, & propter nostram salutem, tot se tormentis obiecit, flagella, spinas, clauos acerbissimamque mortem subijt. Si ergo Filius Dei, vt tibi gloriam compararet, æquo libentique animo illa est passus; cur tu pro te non aliquid patieris, vt idipsum consequaris? Causam huius in sequenti discursu indagemus.

Tot tantaque sunt molestia vitæ accidentia, dolores, infirmitates periculaque, non solùm mortis corporalis, sed etiam æternæ, tot inopinati euentus, tot iniudiæ, insidiæ, labores, & tormenta, foris pugnæ, intus timores, vt nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen sanctæ spei vitæ sempiternæ, vita hæc instar martyrij, imò cuiusdam inferni, esse videretur: spes autem gloriæ cœlestis inter aduersa nos solatur, & continet in officio. Vnde Apostolus ad Romanos capite 12. monet nos, vt simus spe gaudentes, in tribulatione patientes; hæc duo in vnum coniungens, nimirum, quia qui hac spe gaudet, in tribulatione facilè patiens erit, imò non solùm in tribulatione erit patiens, sed etiam gaudens. *que aduerfidad puede hazer contrapeso, donde el peso es aquel inmenso peso de la gloria para siempre?* Ad eos ergo qui magnis laboribus opprimuntur ait Apostolus, spe gaudentes. O vos qui laboratis, & onerati estis, gaudete in Domino semper, respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, *todos nuestros duelos con esta esperança son menos.* Quare cùm vos vitæ huius aduersa vexauerint, sursum erigite corda ante thronum Dei, & Agni, &, vt verbis vtar Sanct. Bernard. *visitate singulos ordines Angelorum,*

Cap. 12.

Ser. 4. de Assens. Dom.

Patriar-

Patriarcharum numerum, & cuneos Prophetarum, & Apostolorum senatum; suspicite Martyrum coronas purpureis floribus rutilantes, redolentes lilijs choros Virginum admiramini, & ad milistui nouicantici sonum, quantùm præualet infirmitas cordis, erigite aures. Hæc ille. Sunt quidem in terra consolatiunculæ nonnullæ, sed quæ indignæ sunt corde Christiano, supernam illam gloriam expectante. Vnde cùm Dauid inter aduersa multa versaretur, siue familiaribus suadentibus, siue propria eius cogitatione id præstante, multa se illi mundi huius oblectamenta
73.6. offerebant: quid igitur ille? Audi, *Renuit*, inquit, *consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum*, renuit, inquit, anima mea has mundi admittere consolationes: neque enim nobilitatem cordis nostri decent, nec consolari animum sufficiunt humanum. Quare *memor fui Dei, & delectatus sum*, hoc est, tenuis quædam memoria Dei, sufficientior quidem fuit ad animum meum sedandum, & consolandum, quàm omnis mundi consolationum apparatus, siue ludo-
B rum, siue venationum, siue ciborum, siue musicorum, &c. Quòd si tenuis quæuis Dei memoria ad hoc ita sufficiens est, quid, quæso, erit Dei gloriosi & glorificantis nos in gloria, cum spe id obtinendi, consideratio?

29. Vnde Sanctus Gregorius exponens illud, *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* per vuas acerbas, Sanctus Gregorius huius vitæ voluptates & delectationes intelligit. Vnde, ait: *Quisquis præsentis vitæ delectationibus satiari desiderat, quasi fructus ante*
de tempus comedere festinat. Ita ille. Quapropter Philo Iuiā. dæus, delectationes vitæ huius, turta delectationum vitæ futuræ esse ait. Vnde sacrificium illud, quo Abraham filium suum obtulit Deo, gratissimum Deo sacrificium fuisse, ait, quia satisfactio quædam fuit iustitiæ, reddere Deo gaudium: hoc enim significat Isaac, risum, seu gaudium. magnum enim gaudium fuit
C Abrahæ, cùm ei natus fuit Isaac. Sacrificemus igitur risum & gaudium nostrum Deo, & ad cœlum illud remittamus: ad illud enim, & non ad terram nostram spectat.

7. *Diem hominis non desideraui*, ait Ieremias, per diem hominis diem lætum, & fausturn mundi circa honores & diuitias & delicias huius sæculi, intelligit S. Bern.
in vbi ait, *Diem* (inquit) *hominis non desideraui, ego tamen*
Cui- plus aliquid, quàm non desideraui, desidero vt ne recipiam quidem. Ita ille. Gloria igitur huius hominis non optanda, sed vitanda, effugienda est, non satiat sapientem, imò nec gaudio illi est, sola spe nititur gloriæ sempiternæ.

5. S. Bernard. *Propterea Deus rectum fecit hominem etiam*
7. *corpore ipso, & os homini sublime dedit, cùm prona vtique ste-*
bi. *tent animantia cetera terram, vt attollens ad sydera vultus, illico suspiret, vbi tam beatam & perennem conspicit mansionem. Nonne piè & fideliter nobis eam intuentibus, vehementissimum quoddam incentiuum amoris, & prouocatio flagrantissimi desiderij est, viso ipsa illius lucidissimæ regionis? Non sunt*
D *stellæ cæli similes globis terræ, inter splendorem solis, & caliginem terræ huius, non parua distantia est. Forte tamen in terra nonnulla in suo genere pulchra videntur, & hæc ipsa vndique mixta non pulchris, vt aurum in luto, gemma in puluere, lilium inter spinas. Tota pulchra es patria mea, & macula non est in te, tota pulchra es, absque eo, quod intrinsecus latet. Non sine causa cælum dicitur plauè eximium, nescio quid celatur in eo, videmus patriam, sed à longè salutamus, adoramus illas delicias, sed non gustamus.* Ita S. Bernard. Cùm igitur aliquo te senseris damno vel dolore oppressum, ne desponeas animum, respice cœlum, sedes vbi tibi factæ quietæ, vbi breui ciuis futurus ab omni tribulatione prorsus liber, gaudijs æternis perfrueris.

A

PROP. XIX. *Desiderium gloriæ signum gratiæ & prædestinationis est.*

SVnt qui magno desiderio tenentur pergendi in cœlum, sunt item alij, qui totis viribus vitam hanc mortalem ita amant, vt nullũ in se desiderium pergendi ad patriam cœlestem experiantur. Hi quidem se de terra esse, & non de numero filiorum Dei, signum præstant: nam prædestinati, tanquam in cœlum destinati, in cœlum aspirant. Sicut enim qui extra patriam peregrinantur, redeundi ad patriam affectum habent; sic qui prædestinati sunt, cœlum tanquam propriam intuentur patriam, & se in terra peregrinos æstimantes, in cœlum aspirant, & pro eo suspirant. Verum quidem est, amorem vitæ naturalem esse, & quòd nollemus spoliari vitâ, sed superuestiri gloriâ; sed tamen cùm hoc fiat, semper cœlestem gloriam appetere, & ad eam aspirare: quod aptissimo exẽplo exponamus: debemus. Flamma ignis ex ligno procedens, simul cũ ligno vnita manens, sursum procedit, & tendit, à ligno minimè separatur, quia conseruatio eius ex ligno pendet, sed sursum aspirat, quasi ad regionem suam, & propriam sphæram ignis, quæ sursum est, progredi optans. Tales sunt in hac vita ad æternam prædestinati, in carne sunt, & ad cœlum anhelant: nolunt à carne separari, quia vita hæc naturalis à carne dependet; sed tamen sursum aspirant in cœlum, tanquam in propriam regionem, & sphæram. Vide tu igitur, frater, an in te huiusmodi affectum sentias, & de numero prædestinatorum te esse in hoc non leui signo agnosces.

PROP. XX. *Ad gloriam cælestem considerandam, vti oportet, auertendus est animus à terrenis.*

CVm Deus Ezechieli ostendere vellet visiones mirabiles ciuitatis Hierusalem, è terra Babylonis eduxit eum in spiritu, & in ciuitatem Ierusalem duxit: corpore igitur in terra Babylonis erat, & spiritus illum in Ierusalem perduxit. sic nimirum, eum qui cœlestem Ierusalem contemplari desiderat, licèt corpore in hac mundi Babylonia constitutus sit, mente ac spiritu in cœlum eleuari oportet. Ezech. 40

Voluit Deus Beato Ioanni Euangelistæ mira quædam & supernaturalia manifestare, cuius gratiã, *Fui* (inquit) *in spiritu in Dominica die, & audiui post me vocem magnam*, &c. Et subdit: *& conuersus sum, vt viderem vocem, volui la cabeça a ver al que a si me hablaba.* Quid est caput sic conuertere, nisi sensus omnes conuertere aliò, vt qui ad videnda illicita oculos auersos habebat, ad licita eos conuertat; & qui linguam ad loquendum prophana peruerterat, ad sancta conuertat; & qui aures ad audienda vana applicuerat, ad vera & vtilia conuertat, tunc quidem poterit se leuare supra se & cœlestia contemplari, vt ait S. Bernard. Apoc. 1. 10.

Sic etiam Paulus de se, *Scio* (inquit) *hominem, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum. & scio huiusmodi hominem, siue in corpore, siue extra corpus, nescio Deus scit, quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Ecce ab omni sensibili sensibus remotis, Paulum ad cœlestia videnda euocatum fuisse. 2. Cor. 12. 2.

Vidit Iacob visionem illam cœlestem scalę cœlum cacumine suo tangentis, & Angelos per eam ascendentes, & descendentes, visionem, inquam, mysterijs multis magnisque refertam; id tamen nunquam viderat, dum in domo parentum consisteret, sed postquam ab eo recedens, in loco deserto verseretur, à sæcularibus iam semotus; sic eum, qui cœlestia contemplari optat, animum à rebus mundi caducis auertere oportet, &c. Gen. 28.

Prop. XXI. *Vnde proueniat, quòd non valde cœlestem gloriam desideremus.*

CVm tam ingens sit gloriæ cœlestis bonum, & vltimus finis noster, in quo tota nostra felicitas, & beatitudo consistat; quid est quòd non eximio desiderio teneamur fruendi tanto bono? Terrenis adhæremus, & toto corde ea quærimus, & optamus, de cœlesti verò gloria & felicitate illa indicibili, & æterna nec loquimur, nec ferè recordamur.

Ratio huius est, quia qualis, quantaque illa sit, nunquam concipimus mente, ignoramus magnitudinem eius: in terra nati, & educati bona terræ videmus oculis, & manibus contrectamus; bona verò illa cœlestia tanquam à longè videmus, & tanquam de ignotis, agimus de illis. vnde qui delicias illas Dei gratia aliquo pacto gustauerunt, hæc terrea despicientes, ad illa vehementer anhelant.

Ascendit Apostolus Petrus cum Christo in montem Thabor, ibi Dominum gloriosum vidit, tantoque perfusus gaudio fuit, vt diceret: *Domine bonum est nos hic esse, si vis*, &c. *Nesciebat enim quid diceret*, ait S. Lucas, nec mirum; nã vino illo cœlesti captus erat; omnia igitur quæ mundi erant contemnens, non aurum, non argentum, non mundi huius dignitates à Deo nostro petebat, sed radio illo cœlestis gloriæ potiri, malebat quidem aliquo vestigio illo gloriæ frui, quàm omnibus regnis terræ. *Bien pareçe que la auia començado aprobar, aunque no mas de con las orlas de los labios despreçio todo le del mundo, el que vio aquel rastrillo del cielo.*

Matt. 17. 4.
Luc 9.33.

Rom 8.

Et Paulus: *Sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri*, hoc est, *yo con gozar aca de las primicias del spiritu sancto, y sus sabores, ando gimiendo, y suspirando por el continuo deseo que traigo atreuesado en mi corazon, de verme en el cielo, no solo con el alma, sino tambien con el cuerpo.* Quærit Sanctus Chrysostomus homil. 5. ad popul. quæ tanti gemitus, & desiderij Apostoli causa erat, & respondet, ipsummet Apostolum rationem huius reddidisse in illis verbis. *Scio huiusmodi hominem*, &c. quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, quasi dicat, ait Sanct. Chrysost. *Ascendi in tertium cœlum, vnde gloriam illam ineffabilem, vidi splendidas aulas, duci ei quibus bonis immorans hîc caream, propterea gemo, veluti si quis ductus ad regiam ei promissam, & postea in pauperem domum ducereтur, & desideret sibi promissam illam regiam.* Ita S. Chrysost. *Si el Rey os lleuase asu palacio real, y os mostrase las salas, y quadras artesonadas, y techadas de oro, y os prometiese aposentaros en ellas, y tomaros por hijo heredere suyo, y luego os mandase aposentar en vna choca de pastor, conque desco estaria des alli deçir ya al palacio? pues eso, dixe san Chrysostomo, era la causa del gemido de san Pablo, auia le Dios subido auer aquel real palacio del cielo, donde le tenia sennalada puesto a san Pablo, como a hijo, viose despues aposentado en esta choca de la tierra, propterea gemo.*

2. Cor. 12. 3.

Ad Phil. 1. 23.

Et iterum ipse Paulus, *Desiderium habeo dissolui, & esse cum Christo. O que ansias de coraçon tengo por verme con Christo en el cielo asi para esto Dios me dessatase con la muerte de las ataduras deste cuerpo.* Cùm herodius ardeam venatus, & sanguine cius potitus est, si à venatore caputio tectus, ad palum ligatur, ibi gemit, clamat, & quiescere non valens, huc, illuque se dimittit, quid, inquies habet auis ista? quæ inquietudinis suæ causa? nimirum quia gustauit semel sanguinem ardeæ, *cebado en la sangre de la garça gime por apechugarse otra vez con la caza:* sic Paulus ad tertium cœlum raptus, gustauit illius patriæ delicias, & iterum ad terram ductus, & caputio carnis indutus, & carnali ligatus, & religatus, *cupio*, inquit, *dissolui, & esse cum Christo.*

A Præterea S. Hieronymus lib. de regul. monachorum cap. 26. *Vt meam* (inquit) *insipientiam loquar ego, bona nunculus sic abiectus, sic vilis in domo Domini, adhuc viuens in corpore, angelorum sæpe choris interfui, de rebus corporis per hebdomadas nihil sentiens, diuinæ visionis intuitu, post multorum dierum spatia præsentis futurorum redditus corpori, flebam. Quid ibi manens felicitatis habebam quid memorabilis delectationis sentiebam! Testis est ipsa Trinitas, quam cernebam, quo intuitu nescio testes, & ipsi beati spiritus, qui aderant, testis est etiam conscientia mea, tamen bonis ipse frenebar, quos & qualia nescet proferre mollities corporis mei.* Ita Sanct. Hieron. Nota id *redditus corpori, flebam*, quia sciebat videre illa ineffabilia bona & illis se orbatum videbat, ideo flebat; nos autem non flemus, quia non videmus. pro his, quæ sic videmus gemimus, & suspiramus, illa verò nescimus.

Sanctus Gregorius: *Sunt nonnulli qui cum æterna non* 1. Moral. *considerant, esse se (heu miseri!) felices in bonis mundi censent: nequaquam enim ad veritatis lucem, cui conditi fuerant, mentis oculos erigunt, nequaquam ad contemplationem patriæ æternæ desidery aciem tendunt, sed semetipsos in his, ad quæ proiecti sunt, deserentes vice patriæ exilium amant, & in caritate, quam tolerant, quasi in claritate lumina exultant. At contrà electorum mentes, dum transitoria hæc nulla esse conspiciunt, ad quæ conditæ sunt, exquirunt, & vnusquisque eorum adhuc in mundo positus, extra mundum mente conjurgat, æternam exilij, quam tolerat, deplorat, & ad sublimem patriam, incessantibus stimulis amoris excitat se, & cum dolens videt, quam sit æternum quod amisit, inuenit salubre consilium, temporale hoc despicere, quod peruertit.* Ita Sanctus Gregorius.

Prop. XXII. *Gloria mundi quam vana sit.*

IOb 7. sic S. Iob: *Sicut consumitur nubes & pertransit, sic qui descenderit ad inferos, non ascendet.* Metaphora est à nubibus sumpta; videbis nubem ingentem tonitruis tonantem fulgoribus coruscantem, fulmina minitantem, & pauorem, vel saltem admirationem sui, omnibus incutientem, quæ tamen in pluuiam conuersa, in terram cadens, tanquam lutum conculcatur, & in obliuionem traditur, ac si non fuisset. Similiter etiam vanebis Principem quendam mundi tonantem, fulgentem & in sui admirationem omnes adducentem, qui subitò in sepulchrum cadens, in puluerem conuertitur, quasi non fuisset: sic eius obliuiscuntur omnes: *perijt enim memoria eius cum sonitu*, sicuti ait Dauid. Hoc igitur est quod ait Iob: *Sicut consumitur nubes & pertransit, à nube scilicet in lutum; sic qui descenderit ad inferos*, id est, ad sepulchra, *non ascendet* amplius, videlicet ad honorem & gloriam, quà paulò ante potiebatur. Sic Sanct. Gregor. 8. Mor. 10. dicens: Ac si apertè dicat: *Sicut verum altum currendo deficit, sic qui superbiendo ad meritum tendit.* Ita ille.

Psal. 36. 10.

5. Greg.

Prop. XXIII. *Vana est omnis gloria, nisi quæ à Deo & virtute petitur.*

FOrtis es, & altum sapis, nomine propterea magis humilitas debes? quare sapis altum in re vilissima? Nam & ico te *5. Cor. Hom. 5. in Matth.* est andacior & aper fortior, nec es ad eos culex. At & latrones, & fures, & gladiatores, & seruitui, & fortasse magistiores, te fortiores sunt: hoc igitur laude dignum? Et in hoc altum sapiens, non hianti terra te condit. Sed pulcher es & specioſus. Cornicum ostentatio: nou es pauone pulchrior, neque propter florem, neque propter alas. In auibus est penuria ctoria. Te multum coma præstat & flore. Verum & cygnus valde pulcher est, & alæ aues multæ: quibus si fuerit comparatus, semetipsum aspices nihil. Frequenter autem & viles pueri, & immptæ virgines, & meritoria mulieres, & molles viri, gloriam hanc habuerunt. Hoc itaque dignum vt extollaris? At ex loculpes. Vnde? quid possidens? Aurum, argentum, lapides preciosos.

cioſos : hæc eſt & latronum ac homicidarum, & metalla ſcrutantium gloria. Reorum labor hæc tibi gloria. Sed ornavis & comeris ? Verùm & ejus comptos videre licet, & apud Perſas camelos quoque videres ornatos, hominum verò ſcenicos omnes. Non conſunderis in his alta ſapiens, in quibus bruta tecum ſociantur & ſervi, & homicidæ, & molles, & latrones, & fures ? ſed ſplendidas erigis ædes ? & quid hoc ? Multæ conjices ſplendidius habitant, & honeſtiora tenent diverſoria. An non vides hos circa pecunias ſirrentes, qui in agris ſolitarij ſæpe locis ædes ædificaverunt cornicum habitacula ? ſed propter vocem altum ſapis ? Cygno, luſcinîave nunquam tu ſuaſibus canere poteris. At in artis varietate ? Et quid ape in hoc ſapientius ? Quis phrygio, quis pictor, quis geometres, hujus opera poterit imitari ? Sed in veſtis ſubtilitate ? Verum hic araneæ tibi præſtant. At in pedum velocitate ? rurſum primas ferunt brutæ, lepus & caprea, & quæcumque jumenta pedum velocitate non ſunt inferiora. Ceterùm peregrinatis ? ſed non plus volatilibus: hæc enim facilius obeunt peregrinationem, neque viaticis opus habent, non jumentis, ſed eis ad omnia ſufficit ala. Hoc & natus, hoc & jumentum, hoc & vehiculum, hoc & ventus, & quidquid hujuſmodi quis dixerit. Sed acutè cernis ? Tamen non ſicut dorcas, nec vt aquila. At auditum habes acutum ? Sed aſinus acutiorem. At olfactum ? Verùm canis te præcedere non ſinit. At quæſtuoſus es ? Sed formicæ cedis. Sed aurum geſtas ? non ita tamen vt Indicæ formicæ. Sanitatis autem intuitu, multò ſe meliùs nobis habent bruta, & bonæ habitudinis, & onera ferendi. Illa pauperiem non timent : ait enim: Reſpice volatilia cæli, quia non ſeminant, neque metunt, neque congregant in horrea. Igitur, inquies, nobis meliora Deus bruta creavit. Vides quantum inſit incircumſpectum, quantum Indiciuſſum ? Vides quantum nobis rerum examinatio conferat ? Omnibus hominibus altiora ſapiens, etiam brutis vilior inventus eſt. Sed nobis ipſis parcamus, nec tales imitemur. Neque quoniam natura noſtra ſenſit altius, hominem ſub brutorum gradum ſubducentes deſeramus : ſed eum illinc ſuſcitemus, non propter ipſum, (nam ipſe quidem dignus eſt talia pati) ſed vt Dei clementia demonſtretur ; & erga nos honor. Sunt enim quædam, in quibus nil habent bruta nobiſcum commune. Quæ verò ſunt hæc ? Pietas, & ſecundum virtutem vita. Hic ponere non poteris meretrices & molles, aut homicidas : ab eis namque diuſſ ſumus. Quid autem boc eſt ? Deum nouimus, ipſius agnoſcimus providentiam, de immortalitate philoſophamur. Præterea hinc bruta, de hoc non contendant. Modeſtè vivimus, nihil ſic habent bruta commune. ab eis in reliquis ſuperati, propter hoc eis dominamur. Horum enim major principatus, quoniam eu inferiores ſuper ipſa regnamus : vt diſcas quòd tu non horum es cauſa, ſed qui te fecit Deus, & rationem donavit. Retia venabulaque eis opponimus, & capimus. Modeſtia namque nobis eſt, humanitas, manſuetudo, pecuniarumque contemptus: Sed quoniam & qui elatorum aliquis es, horum nihil habes: meritò vel homin.bus majora ſapis, vel brutis humiliùs. Talis enim eſt dementia & audacia, vel vltra debitum extollitur, vel vltra modum humiliatur, nuſquam cuſtodiens mediocritatem. Angelis in hoc ſimiles ſumus : Regnum nobis promiſſum eſt, cum Chriſto chorea. Homo flagellatur, & non ſuccumbit : homo mortem contemnit, non tremit, non formidat, non plus concupiſcit. Itaque quotquot tales non ſunt, ſunt peiores brutis. Cùm enim in corporeis ſupereris, animi vero præſtantijs careas, quomodo brutis non es inferior ? Produc enim aliquem in malitia vivientium, & irrationalium, vivientium in deliciis & auaritia : equus eſt ipſo bellacior, fortior aper, lepus velocior, ſpecioſior patro, cygnus dulci ſonantior, maior elephas, aquila viſus acutioris, altiores cunctæ volucres. Vnde dignus igitur es brutis imperare ? ex ratione. Sed non ineſt : cùm enim ea non vt debet, vtatur, etiam illis peior eſt. Nam cùm rationem habens ſit illis irrationabilior : melius erat, ſi nec ab initio rationalis ſactus fuiſſet. Non enim par eſt principatum acceptum prodere, & ad tempus non accipere. Nam & qui regnat, & ſatellitibus peior eſt, ei melius eſſet, ſi neque purpuram induiſſet : ita proſectò & hic. Scientes itaque quòd & brutis ſumus peiores, ſi virtute careamus, hanc exerceamus, vt efficiamur homines, quin potius Angeli.

Idem Hom 47. ad popul. mihi p. 331.

Quid altum ſapis homo ? quoniam ſublimis in curru vehevis ? quia te nullorum trahit ungum ? & quid boc ? boc enim & in lignis, & in lapidibus fieri quis viderit. Sed quòd pulchris indutus es veſtibus ? ſed intuere virtute pro veſtibus indutum, & te quidem ſeno marceſcenti ſimilem reprehendes: illum autem arbori mirabilem fructum ferenti, & multam ſpectantibus delectationem præbenti. Tu quidem vermium & tinearum eſcam circumſers, quæ ſi te invadant, brevi te hoc nudum ornatu reddent. Etenim & veſtes, & aurum, & argentum, hæc quidem ſunt verminum penja : hæc autem & terra & pulvis, & iterum terra & amplius nihil. Virtutem autem indutus, talem habet veſtem, quam non tantum tineæ, verùm & mores ipſa ledere nequit : & merito. Non enim hæ animi virtutes ex terra originem trahunt, ſed ſpiritus ſunt fructus. Propterea neque tinearum dentibus obnoxiæ ſunt. in cælo namque hæ veſtes texuntur, vbi neque tinea, neque vermis, neque aliud hujuſmodi quicquam.

Idem ſer. de inanis gloria cupiditate.

B Gehenna procreatrix inanis hæc gloria, & ignem excitat vehementius & vermes peſtiferos : quin etiam eamdem illam videbit quiſpiam vel apud mortuos tenere imperium, quo quid ſieri poteſt deterius ? Cumque reliqua cum morte vnà vitia diſſolvantur, hic tamen tactantiæ morbus poſt mortem etiam omni conatu contendit ſuam vel in ipſo cadavere naturam prodere: quippe hæc vitâ exceſſum & ſtatuas inſignes, vel eorum ſubſtantiam omnem conſumptur as, ergi ſibi & attolli demandant, præſiuntque plurimum ſuo funere luxum : quique, dum in terra viverent, nummi vnius, aut panis gratiâ adeunti egeno comunicare ſunt, mortui verem vermibus menſam præbent & abundè. Quid ergo aliud quæras quod morbi hujus excedat tyrannidem ? Hoc enim ex malo abſurdo quæque oriuntur cupiditates. Siquidem pleroſque, quos neque decora facies, neque libidinandi cupiditas ceperit, tactantiæ libido intercipit, vt pro ſeductâ nonnunquam, vel vitiata muliere apud alios glorientur. Quid reliqua dixerim quæ ex inani hac gloria mala emergunt ? optarem equidem quibuſnis barbarorum hominum potius in ſervitutem dari, quàm ſemel eius ſubire juguni : nec enim à barbaris talia capiuntur injungunter, qualia ſibi moriger ubo pacto inquieius indicit. Exhibe te cunctorum ſervum, ſive te fuerint infirmiores, ſive clariores : animam aſpernare, virtutem negl ge, libertatem iriide, ac tuæ demum ſalnti adverſabere: tum ſi quid erit per te bene geſtum, non Dei oblectandi gratia id egeris, ſed ad oſtentationem dumtaxat & jactantiam, vt promeritam ex eo palmam amittas : cùmque te miſericordem præſtiteris, ieunio inebriave affeceris, eſt labor quidem ſubeundus, merces verò omni ſtudio perdenda.

Idem Hom. 43. ad pop. mihi p. 313.

Nihil hominem gloriâ vilius. Dic enim mihi, ſi paruorum videas puerorum multitudinem, lactentium dico, nunquid ab eis gloriam concupiſces ? ſic erga cunctos homines diſponaris propter gloriam. Idcirco cœnedoxia dicitur. Nonne vides perſonas, quas in ſcena verſantes induuntur, quam ſint pulchræ quidem, quàm verò ſplendidæ, quàm ad extremam pulchritudinis perfectionem efficæ ? Potes mihi talem aſpectum in veritate monſtrare ? Nequaquam. Nunquid vnquam earum amore captus es ? Non. quare ? Quia vacua ſunt & imitantur pulchritudinem : pulchritudo tamen non ſunt. Similter & gloria inanis eſt, & gloriam quidem imitatur: non eſt tamen gloria. Illa ſola manet, quæ naturalis eſt, quæ intrinſecus. Hæc autem quæ exterius ſuperinducitur, occultat quidem ſæpe deformitatem, occultat autem apud homines, & uſque ad veſperam: dimiſſo autem theatro, ſublatiſque perſonis, vnuſquiſque quod eſt, hoc apparet.

Idem ſerm. de inanis gloria cupiditate.

Quot cuperes ipſe tuarum laudum fore præcones ? Numcentum ? bis centumne ? concedamus, ſi velis, ad quatuor hominum millia, ſint etiam ſi libet plauſores immineri: nihil tamen hi omnes à graculis de loco ſuperiori vocitantibus diſtabunt. Sed ſi Angelorum ſpectacula noueris, vel ipſis vermiculis ejuſmodi homines vniverſi videbuntur abiectiores, araneæ, fumoque, & inſomnijs infirmiores.

GRATIA

GRATIA.

PROP. 1. *Quàm excellens bonum sit gratia.*
2. *Gratia nos excellentes esse facit.*
3. *Gratia est anima vita*
4. *Gratia hominem Dei filium facit.*
5. *Qui in gratia est, amicus Dei est.*
6. *Gratia nos hæredes regni Dei facit.*
7. *Quàm felix & dives sit qui gratiam Dei habet.*
8. *Quantum gratia hominem immutet.*
9. *Quàm secura sit gratiæ possessio.*
10. *Per gratiam & Charitatem fructus facimus diuinos, & super naturales.*
11. *Oportet nos gratiæ Dei cooperari.*
12. *Cùm gratia debet cooperari & voluntas, cuius libertas per eam non tollitur.*
13. *Gratia gratis datur, non ex nostris meritis.*

PROP. I. *Quàm excellens bonum sit gratia.*

Luc. 23. 43. SIc Dominus ad latronem: *Hodie mecum eris in paradiso.* Quid ais, Domine? sic paradisum illum superexcelsum confundere, & dedecorare vis? in locum illum, quo vix Angeli digni sunt, introducere vis latronem, hominem, quem vitâ, & mundo indignum homines iudicabant? ideo enim in crucem illùm egerunt, caue, Domine, ne sublimes illos spiritus, & supernos, ac illustrissimos beatos confundas. Sanct. Augustinus. serm. in die Parasceues: *Non conculcauit Christus paradisum istius pietatis opere, sed honorauit, neque confudit eum latronis introitu, sed illustrauit: honor namque paradisi est, talem Dominum habere, qui etiam latronem paradiso dignum facere posset. Talis enim est Dominus regni cælorum, vt publicanos, & meretrices, & latrones ita probabiles reddat, vt digni appareant gloriâ, quæ illic est. Quemadmodum enim medicum tunc maximè admiramur, cùm* C *viderimus eum difficiles hominum valetudines curantem, & mortis pericula arte medendi vincentem; ita & Christum admirari iustum est, quando insanabilia vulnera in membris curat, quando, inquam, meretricem, & latronem ad tantam sanitatem perducit, vt etiam cœlo dignos ostendat.* Ita S. Augustinus. Dignitatem autem istam quid præstat, nisi gratia diuina? turpissima quidem est anima peccato infecta, sed tamen peccato semel ablato, & peccatore in Dei gratiam restituto, tanta est animæ pulchritudo, tanta dignitas, & excellentia, vt vniuersum cœlum, Angeli; Archangeli, Cherubim, & Seraphim, & Martyres, & Apostoli, præ decore cuiusuis hominis in gratia existentis, quantumuis ille latro, & blasphemus priùs extiterit, admirentur.

Hoc in Virgine maximè relucet, in qua duplicem consideramus dignitatem, Matris scilicet, & filiæ Dei, & Matris per temporalem Christi generationem, & filiæ per gratiam: quarum verò istarum excellentior sit, ex illis verbis Christi Domini constat Lucæ 11. vbi di- D
Luc. 11. 27. centi mulieri Christo: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti*; respondit Christus: *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Quem locum sic interpretatur Sanctus Augustinus tom. 6. lib. de sancta Virgin. cap. 3. *Scriptum est in Euangelio, quòd mater, & fratres Christi, hoc est, consanguinei carnis eius, cùm illi nunciati fuissent, & foris expectarent, quia non possent eum adire*
Matt. 12. 48. *præ turba, ille respondit:* Quæ est mater mea? aut qui sunt fratres mei? *& extendens manus super discipulos suos, ait:* Hi sunt fratres mei, & quicumque fecerit voluntatem patris mei, ipse meus frater, & mater, & soror est. *Quid alind nos docens, nisi carnali cognationi genus nostrum spirituale præponere, nec inde beatos esse homines, si iustis, & sanctis carnis propinquitate iungantur, sed si eorum doctrinæ ac moribus obediendo, & imitando cohærescunt? Beatior ergo* A *Mariæ percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi. Nam & dicenti cuidam:* Beatus venter qui te portauit, *ipse respondit:* Imò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt. *Denique cognatis Christi secundum carnem, qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio? sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quàm carne gestasset.* Ita Sanctus Augustinus, qui idem docet epist. 38. & Sanct. Iustinus Mart. quæst. 136. ad Orthodoxos, & Sanct. Cyprianus serm. de passione Domini. Ratio huius manifesta est, quia gratia facit hominem formaliter Deo gratum, non verò ita maternitas, seu relatio illa maternitatis Christi, nisi mediante gratiâ. Ecce quàm sublimis gratia Dei sit, cùm hæc maternitati Deiparæ præferatur.

Ioann. 4. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi da* Vers. 10. *mihi bibere, tu forsitan petijsses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam,* &c. Diuini Verbi ad Samaritanam illa verba diuinis quidem mysterijs plena sunt. In his verò, quæ à me proposita sunt, mysterio non vacat verbum illud, *Tu forsitan petijsses ab eo,* &c. quæ aqua, quodve donum est illud? Quod si à Samaritana cognosceretur, non sine aliqua ambiguitate, inquit Christus, ab illa esse petendum ait, *forsitan petijsses ab eo.* D. Augustinus Tract. 15. in Ioan. cap. 4. in hac aqua Spiritus sancti gratiam intelligit, quæ meritò aqua viua nuncupari potest, cùm & animis vitam reddat, & ab illo totius vitæ fonte dimanet. Aqua quidem cœlestis animorum sitim satians, &, vt ipse Christus docet, in vitam æternam saliens, cur ergo dubius loquitur dicens, *forsitan?* qui enim huius aquæ valorem, & dignitatem cognouerit, non dubium est, quin illam petat, ac summis precibus contendat. Rectè quidem Deus (quippe qui summa sapientia est) quasi incertus loquitur, *forsitan*, inquit, quia non certum, sed incertum est nobis, an gratia, & amicitia Dei ab homine nota, ab eodem homine appetatur. Agnoscunt profectò Christianæ fidei affectores, quid illa gratia sit, sed quot ex illis inuenientur, qui nec eam à Deo postulent, nec vlla ratione queranț? imò cùm à Deo ad gratiæ fruitionem inuitentur, quodammodo illam negligunt, neque ipsum Deum audire aliquo modo volunt. Mira profectò res: nam quis non mirabitur, si sitiens dulcem ac salutiferam aquam æquo illo animo oblatam respuat, & esuriens suauissimos cibos detestetur? egenus diuitias contemnat? æger valetudinem spernat? miser leuamen fugiat? & gratiâ destitutus, Dei amicitiam tam parui ducat, vt dubitari possit, an illam sit neglecturus? ex quo fit, vt plures ex hominibus cœlesti hoc dono pro sua incuria careant.

O deterrimum hominis ingenium! ô fera immanis, quæ videns humani generis Seruatorem lassum ac fatigatum eius causâ, aquamque ab ea postulantem, eam noluit suo Seruatori ministrare! Et cùm idem met Dominus cœlestem ac viuam aquam homini indigenti offerat, ipse aspernatur. Quis non regem Achaz admirabitur, cui cùm sacer Vates dixisset: *Pete* 3. *tibi signum à Domino tuo in profundum inferni, siue in excelsum suprà. Non petam* (inquit.) si Deus ab illo suas facultates poposcisset, quibus ad suam vitam honoremque tuendam indigebat, & ob eam causam non illas Deo redderet Achaz, haud multùm mirandum esset; est tamen summa admiratione dignum, quòd Achaz noluerit à Deo accipere maximum illud maximi beneficij signum. sic ego non admiror, quòd Deum aquam à te petentem, non audias; ac stupeo, cùm te video cœlestem aquam à Deo oblatam respuere.

Sed examinandum nobis est, quæ sit huius rei causa, quam Christus Dominus assignat in Samaritana. Inscitia quidem est, *si scires*, inquit, ac si diceret, quia nescis, non petis, cuius ignorantiæ non possumus non Christianæ religionis professores arguere: sciunt enim hoc

hoc Dei donum, sed malè sciunt: si etenim rectè cognouissent diuini huius doni dignitatem, maiori quidem studio, ac diligentia in eo perquirendo elaborarent. Et cuius vis & naturæ existi matis esse gratiam, nisi excellentem, ac diuinam quandam qualitatem, quæ, vt ita dicam, homines reddit Deiformes? sic enim D. Petrus
Petr. 1. ait: *Per Christum maxima & pretiosa nobis promissa donauit Deus, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* D. verò Athanasius orat. 2. in fer. inquit: *Integrè, & solidè impertiri patrem filio substantiam suam, idem est, ac si dicas, ex patre gigni. Iam genitum esse, quid aliud significat, quàm filij naturam? filium autem esse participatum sentiunt omnia; ex eius per spiritum gratia, ac proinde ij, qui filij participes sunt, etiam Dei participes fieri dicuntur. Et hoc est, quod Petrus dixit: vt diuinæ naturæ consortes efficiamur.* Ita Athanasius. Vnde non immeritò illud potest hominibus
81. 6 conuenire, *Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes.* Ex nobiliori quidem familia, quàm sit illa, à qua diuinæ mentes stirpem habuerunt, cùm ex summo, ac clarissimo Dei genere nati sitis. *Videte ergo,* ait discipulus ille dilectus, *qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* Non, inquit, vt nominemur solùm denominatione quadam extrinseca, vt Dialecticorum terminis vtar, sed vt reipsa simus per qualitatem intrinsecè inhærentem, iuxta definitionem Concilij Tridentini. O supremam hominis dignitatem! ô nomen honorificentissimum! ô gloriosissimam cum Deo propinquitatem! ô diuinam atque admirabile commercium! Qui honestissima, honorificaque cognomina consectamini, qui clarissimam familiam, generisque splendorem magni facitis, cur non hanc nobilissimam Dei stirpem honestissimumque cognomen perscrutamini? cur non gratiam, quæ diuinæ naturæ vos consortes faciet, toto studio, atque cogitatione perquiritis?

Sed omittamus generis splendorem à gratia proficiscentem, & eius vim atque naturam in seipsa perspiciamus: quanti pretij ac valoris esse arbitramini, maximum & pretiosum donum à D. Petro paulò altiùs appellatum? sed quam sit magnum, atque pretiosum vel ex eo perspici potest, quòd homunculus, quantumcumque miser, & abiectus, & infimo, ac humili loco natus, si gratiâ præditus sit, plùs æstimari debeat, quàm supremus Seraphim eâ carens. Considerate rei magnitudinem, Seraphim sine gratia, dæmon quidem modò est, homo verò gratiâ ornatus, ipsam naturam Angelicam longo interuallo vincit, ac superat. Desiderant homines summa auiditate hæc peritura bona, & in his inuestigandis maximo studio, ac labore defudant, vt aliquod illorum, quod maximum bonum putant, assequantur. Hac enim cupiditate auarus pecuniæ studet, elatus honori, delicioso voluptatibus, alijque alias vitæ delicias, ac dignitates aucupantur, arbitrantes ea esse maxima bona; sed cùm homines non eo studio, ac diligentiâ elaborent, vt hoc Dei donum, quod gratiam esse dicimus, adipiscantur, non illos tanti eam facere, aut tãtum bonum æstimare, quanti reliqua mundi bona, dicemus. Quòd si sceleris arguis Esau, quòd magnam primogenituræ dignitatem vilium lenticularum causâ vendiderit, cur teipsum non maioris sceleris accusas, quod vilissima huius mundi bona, gratiæ, ac iuri, quod tanquam Dei filius ad beatitudinem habebas, anteponas?

At quàm sit tibi hoc diuinum donum necessarium, ex eo facilè cognosces, quòd sine illo, animæ salutem, aut beatitudinem consequi nulla ratione possis, sed æ-
4. ternæ damnationi necessariò sis addicendus. Hoc cœlestis gratiæ munere decoratus Lazarus, licèt pauper ac miser, ab Angelis susceptus est, & ad æternam gloriam assumptus: illâ verò priuatus diues ille, qui induebatur purpurâ, & byssо, & vescebatur quotidie splendidè, dæmonum manibus deiectus est ad inferos.

A Vigeat quis prophetiæ dono, floreat Apostoli dignitate, gaudeat diuini Scriptoris munere, sit miraculis clarus & illustris; si tamen diuinâ gratiâ non polleat, haud dubium quin illam à Deo vocem audiet: *Nescio te*; si verò eâ gratiâ ornetur, etsi abiectus, & contemptus ab eo omnibus, ac in reliquarum rerum inopiâ, & egestate viuat, ab ipso immortali Deo honorifico nomine decorabitur, & summâ gloriâ, atque honore afficietur. Quamuis enim, ex Apostoli sententia, noueris 1. ad Cor. 13.
mysteria omnia, & angelorum linguis loquaris, licèt distribueris omnes tuas facultates in cibos pauperum, ac tuum corpus dederis, ita vt ardeat; charitatem autem vel gratiam non habueris, nequaquam felicitatem æternam possidebis. Quare quos neque dignitas, aut splendor gratiæ ad se allicit, ipsius sanè necessitas, atque indigentia eos excitet, vt illa incensis, atque inflammatis animis arripiant.

B Sed obijciet fortasse quispiam pretiosissimam hanc gratiæ gemmam carò emi, difficillimèque ab hominibus comparari; sed fallitur certè, imò maiori teneor admiratione, cùm considero hominum desidiam ac negligentiam in hoc diuino dono consequendo, cùm illud tum excellens, tum maximè necessarium sit, ac deinde ad obtinendum non difficile. Quod quidem ipsum nomen gratiæ præ se fert. Gratia enim dicitur, quia gratis datur, vt habemus ex D. Paulo, dicente:
Si gratia, non ex operibus, alioquin gratia iam non esset gratia. Rom. 11. 6.
Quasi diceret: si gratia conferretur homini, tanquam
C præmium suorum operum, sicuti militi pro certamine stipendium, & sicut operario pro labore merces tribuitur, iam gratia non diceretur gratia, sed merces ac solutio, quæ ex iustitia deberetur. Prima verò gratia, vt Theologorum more loquar, sub meritum cadere non potest, sed illam pijssimus Deus gratuitò, & sine aliquo digno pretio, donat illi, qui turpem vitam detestatus est. Quâ quidem gratiâ, qui priùs odio à Deo habebatur, mirifico amore diligitur, & ipsius immortalis Dei filius, cælestiumque bonorum hæres instituitur. Quo igitur supplicio dignus habendus est ille, qui terrenarum voluptatum causâ pulcherrimam hanc terræ cœlique supellectilem, quæ adeo facilè obtineri potest, comparare non curat? Certè si rem grandem dixisset tibi Dominus, facere debuisses: & si D. Andreæ crucem, Laurentij craticulam, Pauli labores, omniumque Christi Martyrum tormenta perferenda tibi essent, vt aliquam huius diuini doni partem acquireres, æquo profectò, ac libenti animo essent toleranda, quantò magis eam procurare debes, cùm ipsam facilè, ac paruo pretio comparare possis? Quapropter Deus optimus maximus per Isaiam prophetam magna vocis contentione alloquitur homines, dicens: *Omnes sitientes venite* Esai. 55. 1.
D *ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite, venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac.* Quę verba explicans D. Hieronymus, ait: Huiusmodi aquas, quibus Deus per Isaiam hominesinuitat, easdem esse atque illam, quam in præsenti Samaritanæ proposuit, sanctum scilicet Spiritum, qui gratia, atque, donis supernaturalibus se nobis communicat. Hanc gratiam lactis & vini nomine significat, sicut etiam sponsa Christi Domini dona sub eisdem nominibus voluit manifestare: cum in 1. Canticorum capite agens de æterni filij in terras aduentu, vberum & cellæ vinariæ mentionem fecit: gratia enim paruulis lac, natu verò maioribus vinum est, quia humani generis Seruator gratiam, ac dona supernaturalia hominibus attulit. Ad huiusmodi ergo aquam degustandam, iubet Deus homines accedere absque argento, & absque vlla commutatione: gratis enim illis dabitur, licèt Deo Redemptori nostro magno pretio constiterit: quippe qui illam honore, sanguine, atque vitâ emit. Peritura huius vitæ bona, quæ magna difficultate, ac caritate comparas, tantò labore requiris? inæsti-

mabiles verò diuinæ gratiæ diuitias, quæ gratuitò tibi condonantur, non complecteris? Meritò sanè hanc ob rem D. Gregorius, cognomento Theologus, in has voces erumpit: *Si sine labore, sine vllo negotio, tanto bono tibi licet potiri, cuius dementiæ est, tantum bonum deserere? Qui sititis, vente. O benignitatem, & liberalitatem mirabilem! ô commercij singularem facilitatem! ipsa voluntas accipiendi, est tibi pro magno pretio, potum cœlestem propinat ijs, qui tantum volunt bibere, beneficium accipit, qui tantùm petit.* Hactenus Gregorius Nazianzenus in primum lauacrum. Nulla profectò tibi sitis est, quandoquidem non vis suauissimum hoc nectar degustare, sitis, ac maximè sitis amaras mundi aquas, auratumque Babylonis vas desideras, quod, etsi inauratum sit, est tamen veneno plenum. Abiectum autem Christi Domini calicem contemnis, qui, licèt vilis, ac despectus exteriùs sit, aquam tamen æternæ vitæ continet. Hanc bibe per Deum immortalem, neque in accipiendo huiusmodi dono, vel ad illud grati animi memoriâ recolendum, parcus, ingratúsve sis; cùm illud cælestem Dei gratiam, ac amicitiam conciliet, & æternam animo beatitudinem, ac felicitatem paret.

A

B

Hinc Deus pluris supra modum æstimat eum, qui est in gratia, quamuis ille pauper, & infirmus, & ab omnibus contemptus nimium sit, quàm diuitem, & diademate redimitum, qui gratiâ caret, quantumuis ab omnibus maximè colatur: sicut pluris æstimatur poculum vitreum plenum aliquo nectare valde pretioso, quàm aliud argenteum vel aureum, v.g. veneno refertum. Sit ille quantumuis rex, si fuerit peccator, vas quidem plenum erit mortifero veneno; quòd si in gratia extiterit, licèt humanis oculis miser ille fuerit, propter balsamum pretiosissimum gratiæ, dignus pretio magno erit, &c. huius in Lazaro, & diuite Epulone exemplum habes.

Simile.

Iob 1. Deus Satanæ, *Vnde*, inquit, *venis?* & ille: *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Superbus est iste valde: tali enim periphrasi se terræ principem ac rectorem voluit significare: locum enim proprium vnusquisque circuire, ac perambulare solet. quid verò Dominus ei? *Nunquid considerasti seruum meum Iob?* &c. ac si diceret: tu quidem ratione peccatorum huius mundi princeps effectus es; at ego Iobi Princeps sum. Obserua: Deus iustũ vnum tantummodo opposuit Vniuerso: dæmon verò mundum vniuersum, cuius se principem iactabat, vni tantùm iusto opponere ausus non fuit. Vide quanta sit excellentia animæ in gratia. quot Reges Imperatores, Monarchæ quot Philosophi, Doctores, sapientes, quot diuites, nobiles, & potentes erant tunc per totum diffusi orbem? & tamen vnus Iob ex omnibus illis præfertur, & ditiorem, vt ita loquamur, se Deus solo Iob censet, quàm dæmon omnibus illis: quia omnes homines, quamuis principes, sine gratiâ, vnico iusto, quantumuis pauperi, & abiecto, non veniunt comparandi.

Iob 1.7.

C

Dices tamen, gratia hæc difficilè acquiritur, facilè verò amittitur. Hoc si de gratia principum & regum huius mundi prædicares, verum diceres omnino: quantum enim tũ temporis, tum patientiæ, tum fauoris aliorum, tum etiam famulatus requiritur, vt in gratiam suam te recipiat Rex, quàm facilè vero amitti solet. non est opus, vt mortaliter pecces in Regem, vt eius amittas gratiam: leuissima enim, & veniali culpâ perire solet, imò sæpe sine ea. non sic Dei gratia: quantumuis enim quis in ipsum peccauerit Dominum, si verè corde pœniteat, eodem momento extensis brachijs prodigum filium recipit in gratiam suam Deus. Solétne ita Rex inimicos suos, & quosuis, qui eius exciderunt gratiâ, ita recipere ob solam cordis contritionem? Præterea, nec ita solet amitti: oportet enim in peccatum mortale incidere, vt quis ex Dei gratia excidat. At dices, facilè etiam est, in peccatum ruere mortale; facilè quidem propter soçordiam nostram, ex sç verò difficillimum esse deberet. sed quidquid de hoc sit, à Dei gratia nisi deliberatè recedere velis, non recedes: quod in gratia Regum non ita contingit, &c.

Dissimile.

D

PROP. II. *Gratia nos excellentes esse facit.*

SIc Christus Dominus: *Dico vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis*, &c. Apud S. Matth. sic habes: *Amen dico vobis, quia multi Prophetæ & iusti, cupierunt videre quæ videtis.* Cur Lucas Reges vocat eos quos Matthæus iustos nuncupauit? Beda: *Quos Lucas reges dicit, Matthæus iustos appellat: ipsi enim sunt reges magni, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt.* Ita ille. Sed, præcisè loquendo, de regibus non solùm ratione regiminis hominis interioris, sed etiam ratione dignitatis animæ iustæ, & in gratia existentis, meritò dici poterit rex, qui fuerit iustus, quia quocumque Rege terreno sublimior est, qui in gratia est, quãuis pauper quãuis seruus ille sit. Ab oculis nostris modò hæc dignitas abscõdita est: *Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus*, &c. Denique, vti ait Apostolus, *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium, sed sub tutoribus*, &c. Ita igitur & iustus est in hac vita filius Dei, quòd si filius, & hæres regni cœlorum, ergo etiam rex. Omnis ergo iustus rex, licèt non omnis rex iustus, &c.

Luc. 10.24. Matth. 13.17.

Lib. 3. in Luc. 22. 1. Ioan. 3. 2.

PROP. III. *Gratia est animæ vita.*

VIde obsecro quid sit corpori tuo anima tua, & inde deduces, quid sit animæ tuæ gratia Dei. Anima enim est, quæ tribuit oculis visum, auditum auribus præstat, & quæ linguæ vocem, palato gustum, motum membris omnibus subministrat; si quid vitæ, si quid sensus, si quid in te decoris est, ab anima tua procedit. denique discessus eius probat, quid præsentia conferebat: protinus enim, anima recedente, lingua silet, oculi non vident, aures non audiunt, totum corpus riget, facies pallescit, & omnis corporis decor conuertitur in deformitatem, ita vt horrorem præferat corpus quod antea videre libebat. Sic de anima nostra & gratia gratum faciente philosophandum est: homo enim per malitiam occidit animam suam, vt habetur Sap. 16. per gratiam autem anima viuit altissima quadam & supernaturali vita. Vnde cum gratia nihil in orbe melius quàm anima nostra, nihil pulchrius; sine gratia nihil turpius, nihil peius: mortua enim in corpore viuo anima iacet, & similis dæmonibus est. Vnde si animam in peccato mortali existentem videre liceret, terrorem & horrorem magnum in nobis excitaret, & ab ea, velut à dæmone, fugeremus.

Simile.

Sap. 1.6.

PROP. IV. *Gratia hominem Dei filium facit.*

IOan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Vbi Interlinea. *Filios Dei fieri, vt sint fratres eius & cohæredes per gratiam.* Ita Glossa. Sed ponderandum est verbum, *quotquot*: nunquid in filios recipiet Dominus pauperes & seruos & miseros omnes? nunquid & peccatores qui serui diaboli fuerunt? S. Chrysost. in hunc locum: *Siue sint liberi, siue serui, siue sint Græci, siue Barbari, siue sapientes, siue insipientes, quotquot eum receperunt, omnes eodem digni facti sunt honore.* Ita ille.

Ioan. 1. 12.

Quis autem pro dignitate dignitatem istam valeat æstimare? Rectè Sanct. Augustin. in hunc locum: *Magnâ benevolentiâ vnus natus est Christus, & voluit manere vnus; non timuit habere cohæredes, qua hæreditas eius non sit angusta, si eam possederint multi.* Ita Sanctus Augustinus.

Augustin.

Angelus

Angelus ad Virginem Luc. 1. de Christo agens, *Hic*, inquit, *erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* Horum verborum connexionem expendens Sanctus Bernardus hom. 3. super Missus est, ait : *Verè magnus, qui filius Altissimi meritebitur appellari.* Ita ille. Christus quidem filius Dei, per naturam dignitatem diuinæ filiationis habet; homo verò per gratiam. Christus igitur & homines iusti. filij Dei ordine suo sunt, ille naturalis, isti adoptiui; & quamuis illa omnino sublimior, hæc tamen quoque indicibilis dignitas est. Vnde Apost. Ioannes 1. Ioan 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Quærerem ergo à Diuo Ioanne, qualem charitatem inquis? quid nos interrogas ignorantes? explica tu qui spiritum Dei habes, cuius lingua est calamus velociter scribentis; dicito nobis qualem charitatem debit nobis Pater, vt filij Dei nominemur per gratiam eius, & verè simus. *Charissimi*, inquit, *nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus.* Rectè, sed magnitudinem filiationis huius non explicasti; nimirum, quia inexplicabilis est, deficit lingua, imò & sensus: ideo ait, *videte*, id est attendite, & considerate, & inuenietis causam, propter quam ego inexplicatum hoc relinquo, quia nondum apparet, quid sit filium Dei esse: cùm apparuerit clarè Deus, apparebit quoque dignitas filiorum Dei.

Hoc autem considerandum supereſt, quod addit Apostolus Paulus ad Rom. 8. *Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Hæredes?* quomodo, aut in quo *hæredes?* nunquid reseruauit nobis Dominus Terram aliquam promissionis, sicut filijs Israel? aut pascere nos vult manna sicut illos? non enim contemnenda esset hæreditas ista. Respondet S. Thom. in hunc Pauli locum: *Dicitur aliquis hæres alicuius existere, qui principalia eius percipit bona: non autem qui recipit munuscula, sicut legitur Gen. 25. quòd Abraham dedit cuncta quæ possedit Isaac, filijs autem concubinarum largitus est munera; bonum autem principale, quo Deus dues est, ipse met est, est dues per se ipsum & non per aliquid aliud, quia extrinsecorum bonorum non indiget: vnde ipsum Deum adipiscuntur filij pro hæreditate, iuxta id Psal.* Dominus pars hæreditatis meæ. Ita Sanct. Thom. Ecce quanta res sit filium esse Dei. O felices Dei filij, quibus talis ac tanta felicitas reseruatur! O infelices peccatores, qui non filij Dei, sed serui diaboli sunt, quibus nulla pars in illa sublimi cœlorum gloria erit, sed ignis sempiternus! &c.

Rursus 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus*; quasi dicat, nomen solum filiorum Dei eximiæ excellentiæ nobis esset; quantò autem maioris erit non solùm dici, sed esse? *videte*, inquit, hoc est, non per modum transitus hoc consideremus, vt tanti beneficij æternas gratias agamus Deo nostro.

Verè dignum & iustum est: hinc enim sequitur primò, altas & generosas cogitationes nos concipere debere, *para nunca degenerar de los altos y generosos pensamientos de hijos de Dios.* S. Augustin. 3. de Ciuit. Dei cap. 9. ait: *Vir Romanorum doctissimus Varro, vtile esse ciuitatibus dicit, vt se viri fortes, etiamsi falsum sit, ex dijs genitos esse credant, vt eo modo animus humanus, veluti diuinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediatur, & agat vehementius.* Ita S. Augustin. Quod de Hercule, Romulo & Ænea narrant historiæ, & magis de Alexandro Magno, quem sui filium Iouis appellabant, & ipse talem se iactabat. Ad hoc igitur conducit nos filios Dei per gratiam esse.

Et hinc S. Paulus Actor. 17. Athenienſibus suadebat, idololatriam abiurare, quæ generosis animis indigna erat: allegans enim dictum Poëtæ, *Genus Dei sumus*, subdit, *Genus ergo cùm simus Dei, non debemus æstimare auro aut argento aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis, Diuinum esse simile.* Sic igitur, cùm nos non sicut illi falsò, sed verè per gratiam filij Dei simus, sublimia concipere animo, & factis excrcere debemus. Hoc primum.

Secundum autem, hinc nos Dei hæredes, cohæredes autem Christi sumus: quam quidem consequentiam ipse Apostolus expressit ad Rom 8. dicens: *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum filiorum, in quo clamamus, Abba Pater*, id est Pater, Pater: *Abba* enim idem est quod *Pater*. Cur bis *Pater?* vt quàm Dei filij sint, qui exsiunt in gratia, explicaret. sed quid inde? Addit, *Quòd si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Ita Apostolus, hæredes autem regni cœlorum in æternum. Quid felicius? *Rom. 8. 15.*

PROP. V. *Qui in gratia est, amicus Dei est.*

PSalm. 138. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus*, &c. Quos, quæso, Dauid hîc amicos Dei vocat? quis tanto nomine dignus, homo, vel Angelus, vel Seraphim? vel supremus ille sit. S. Gregor. hom. 27. in Euangelia sic respondet: *Electos Dei, a mundi huius amore separatos, Psalmista prospexit.* Ita ille. Viros itaque iustos, amicos Dei esse ait Propheta Dauid. Quanta verò sit excellentia hominum, amicos Dei esse, expendamus: etenim Apostolus Paulus in principio Epistolæ ad Roman. sic incipit: *Paulus seruus Iesu Christi: seruus*, inquit, serui autem nomen in mundo vile reputatur. Cur igitur illud Paulus, qui tantus Apostolus erat, sibi assumpsit? Et similiter Apostolus Iacobus in principio epistolæ suæ ad duodecim tribus, ait: *Iacobus Dei & Domini nostri Iesu Christi seruus.* Cur non ait, *Apostolus*, sed, *seruus?* Respondet Dydimus Alexandrinus in hunc locum Iacobi: *Quoniam sicut homines mortalem gloriam appetentes, in suis conscriptionibus dignitates suas apponunt, ita sancti viri in epistolis suis seruos Domini nostri Iesu Christi se proferunt, æstimantes hanc appellationem supra regna totius orbis consistere.* Ita ille. *Psal. 138. 17.* *Greg.* *Iacobi 1.* *Dydimus Alexand.*

Rex quidem erat Dauid, & tamen non gloriabatur nomine Regis, sed serui Dei, Psalm. 115. *O Domine quia ego seruus tuus*; & quasi non illi satis esset semel se Dei seruum appellare, iterum subdit, *ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*, ter simul seruum Dei se esse gloriabatur. Rectè: nam pro magno debet esse cuiuis magno Regi, & mundi Imperatori, *serui* Dei appellatio. *Psal. 115. 16.*

Imò Imperatorum omnium caput, summus videlicet Pontifex, quasi indignum se reputans nomine serui Dei, sic de se, *Seruus*, inquit, *seruorum Dei*; quasi dicens: tanta res est Dei seruum esse, vt summo orbis principi satis superque sit, seruorum Dei seruum esse.

Sed quid mirum, cùm beatissima Dei Mater, accepta dignitate Matris Dei, dixerit: *Ecce ancilla Domini*, nec pœnitens, in cantico suo repetat, dicens: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* tanta quidem res est, seruum aut ancillam Dei esse; quanta igitur erit, amicum Dei nominari & esse? *Luc 1. 38.* *Ibid. 48.*

PROP. VI. *Gratia nos hæredes regni Dei facit.*

QVanta res gratia sit, ex eo maximè constat, quòd nos principes & reges esse faciat, reges, inquam, non alicuius regni terrarum, sed cœli: vnde postquam Christus Dominus sic nos orare debere dixit: *Pater noster, qui es in cœlis*, addit: *Adueniat regnum tuum*, vbi in eo, quòd nos patrem in hac oratione Deum vocare iussit, ad eius filios potissimùm hanc orationem pertinere manifestauit, filios, inquam, per gratiam. vnde animos nostros attollens, subdit: *Adueniat regnum tuum.* vbi S. Cyprianus: *Bene autem regnum Dei petimus, id est, regnum cœleste, quia est & terrestre regnum: sed qui renunciauit iam sæculo, maior est honoribus eius, & regnus eius, & ideo qui* *Matt. 6. 9.* *De orat. Dominic.*

se Deo dedicauit, non terrena, sed cœlestia regna desiderat. Ita ille.

PROP. VII. *Quàm felix & dives sit qui gratiam Dei habet.*

S. Ambr. Vers. 57. SAnctus Ambrosius ponderans verba illa Dauidis Psalm. 118. *Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam* (in originali Græco dicitur: *Portio mea Domine tu es:*) ait ergo Sanct. Ambrof. *Quam rarus est qui dicere possit Deo:* Portio mea tu es, *qui nihil habeat commune cum sæculo, nihil huius mundi vindicet sibi!* Ita ille. Qui igitur verè dives esse desiderat, diuitias mundi calcet & contemnat. Quid inde? quid? Erit portio eius Dominus Deus; poterit ne altior possessio bonorum esse? Quid non habet qui habentem omnia habet? Deum autem habet, qui iustus est, & gratiam eius habet. Qui gratiâ caret, Deo caret.

Pro eximio quidem beneficio Deus ordinauit olim, Leuitas & Sacerdotes nullas terrenas possessiones possidere, iuxta illud Dei, Num. 18. ad Aaronem, *Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel.* Vbi S. Ambrosius eundem Psal. 118. *Negatur his terrena diuisio, vt ipsi, dum sæcularem sibi non vendicant portionem, fiant cœlestis possessio.* Ita ille. Fiunt quidem hoc modo possessio Dei, & Deus possessio eorum. Quid igitur desiderare superest illis, quorum Deus possessio est? Qui repletur in bonis desideria possidentium eum. Vide Sanct. Ambrosium ibidem.

Num. 18. 20. *Ambros.*

Actor. 3. 6. Actor. 3. petebat pauper quidam claudus eleemosynam à S. Petro, ad quem sic Petrus: *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In Nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.* Expendit & exponit hæc verba S. Ambrosius ibidem: *Quasi diceret,* inquit, *Sanctus Petrus: Portio mea Christus est, in portione mea diues sum, in portione mea potens sum. Quomodo poterat Petrus portionis suæ damna sentire, qui naturæ damna reparabat?* Ita ille. Vnde concludens Sanct. Ambrof. & agens de iusto viro, qui per gratiam possidet Deum, ait: *Portio iusti non arid. tate siccatur, non imbre d. luitur, non frigore vritur, non tempestate quassatur: ea est portio quam terrenæ portiones æquare non possunt.* Ita ille. Habeat igitur Alexander magnus in ditione sua mundum vniuersum, si tu Deum habeas, non habebis cur inuideas Alexandro. Hinc igitur constat, quanta sit excellentia gratiæ: solus enim ille possidet Deum, qui gratiam habitualem habet.

PROP. VIII. *Quantùm gratia hominem immutet.*

Chrysost. serm. de Pentecost. tom. 1 p. 873. INuenerat (*gratia scilicet Spiritus sancti*) *Publicanum & Euangelistam effecit: inuenit persecutorem, & Apostolum reddidit: inuenit latronem, & in paradisum induxit: inuenit meretricem, & virginibus coæquauit. Fugauit malitiam, & induxit benignitatem, exterminauit seruitutem, & induxit libertatem.*

Lactantius l. 3. Instit. c. 25. *Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrænatus: pacissimis Dei verbis tam placidum, quam onem, reddam. Da cupidum, auarum, tenacem; iam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum dolorisac mortis: iam cruces, & ignes, taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem: iam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem, & sanguinis appetentem: iam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da iniustum, impientem, peccatorem: continuò & æquus, & prudens, & innocens erit. Vno enim lauacro malitia omnis abolebitur. Tanta diuinæ sapientiæ vis est, vt in hominis pectus infusa, matrem delictorum stultitiam vno semel impetu expellat. Ad quod efficiendum non mercede, nouo libris, non lucubrationibus opus est. Gratis ista fiunt, facilè, citò, modò pateant aures, & pectus sapientiam sitiat. Nemo vereatur nos. Aquam non vendimus, nec solem mercede præstamus. Dei fons vberrimus atque plenissimus patet cunctis, & hoc cœleste lumen vniuersis oritur, cumque oculos habent. Num quis hæc Philosophorum aut vnquam præstitit, aut præstare, si velit, potest? Qui cum ætates suas in studio Philosophiæ conterant, neque alium quemquam, neque seipsos (si natura paululum obstitit) possint facere meliores. Itaque sapientia eorum, vt plurimum efficiat, non excindit vitia, sed abscondit. Pauca vero Dei præcepta sic totum hominem immutant, & depositio vetere nouum reddunt, vt non cognoscas eumdem esse.*

PROP. IX. *Quàm secura sit gratiæ possessio.*

A Postol. 1. ad Timoth. *Præcipe diuitibus huius mundi non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo.* Rectè *incertum diuitiarum* dixit, quia sæpenumero videmus, à magnis diuitijs ad magnam paupertatem plurimos deuenisse. Denique incerta est mors; incertæ igitur & diuitiæ, si quidem morte finiuntur. Sperandum igitur ait in Deo viuo, hoc est, habeto Deum, quem à te neque fors vlla mundi, neque mors tollere valet, hoc est, gratiam Dei habere in anima cura: hæc enim animam in morte comitatur: tollit mors diuitias, gratiam tollere nequit. Vnde rectè S. Augustinus serm. 205. de temp. *Fur tibi tollit aurum, quid habet dues, si Deum non habet? Quid non habet pauper, si Deum habet?* Ita ille, Habet autem Deum, si gratiam eius habet, sicuti dictum est.

PROP. X. *Per gratiam & charitatem fructuosissimus diuinos, & supernaturales.*

MIrabili quadam ratione agricolæ ex vna, eademque planta varios fructus percipiunt; aiunt enim assequuntur inserendi artificio: quod eiusmodi est: pusillum aliquod ex arbore aliqua germen decerptum, vnà cum cortice arboris illius subiecto, in alterius arboris potioris aliqua parte sic incisa, vt ei cortex quadret, includunt, vt naturali melioris arboris humore, germen illud enutritum, coalescat, & ramus fiat: sic nos mediâ gratiâ diuinæ inserimur naturæ: *per illam* enim, vti ait Apostolus Petrus, *consortes efficimur diuinæ naturæ.* Vnde sicut ramus oleastri insertus oliuæ, participat virtutem ipsius oliuæ, cui fuit insertus; sic qui per gratiam, & charitatem inseritur Deo, diuinos, & supernaturales fructus profert, & meritorios vitæ supernaturalis æternæ.

Actor. 3. 6. *Ambros.*

Rom. 11. 17.

PROP. XI. *Oportet nos gratiæ Dei cooperari.*

HEbræorum 12. *Sequimini sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei.* Tria hîc Apostolus asserit notatu digna. Primum est, solam sanctitatem nobis prodesse ad æternam salutem consequendam, sis quantumuis diues, quantumuis doctus, quantumuis nobilis, quantumuis Rex, nisi fueris sanctus, non eris saluus; si verò fueris sanctus, quamuis pauper, & idiota, & ignobilis, & seruus, saluus eris. Magna nobis inde consolatio: si enim salutem æternam in diuitijs, & honoribus, & litteris, & nobilitate generis, Deus gloriam constituisset, lamentari, & conqueri plurimi possent, qui nec diuitias, neque sapientiam, nec alia huiusmodi consequi valent; at sanctimoniam quicumque assequi potest, licèt in xenodochio quis paralyticus iaceat, saluabitur. Hoc primum. Secundum verò quòd ad hanc sanctitatem consequendam Dei requiritur gratia. *Sine me,* ait Dominus, *nihil potestis facere,* &c. Tertium verò requirit Apostolus, scilicet nostram, ideo ait: *Contemplantes, ne quis*

Heb. 12. 14.

ne quis desit gratiæ Dei, hoc est, alta mente considerantes, necessarium vobis esse gratiæ diuinæ cooperari ; *Dios conmigo, y yo con el, el delante, y yo tras el.* non ait : ne vobis desit gratia, sed ne quis gratiæ desit: nunquam enim nobis auxilia sufficientia deerunt , dum hos spiritus, & ratio rexerit artus : nostrum igitur est gratiæ cooperari.

Iouianus lib.4.cap.68.Coturnix, ait, cùm mare traducit super vndas enatans: (volans enim nequit,) alam alteram eleuat in aerem, & alteram deprimit in aquam, quò velis, & remis, vt aiunt, nauiget , & faciliùs in optatum perueniat portum. Eam, quam eleuat, alam, velum facit, & aeris auxilium capit, eâ verò quam deprimit, remigat, & enatat. vnde aeris ope, & laboris sui opere, peragit iter illud periculosum maris. Per mare hoc sæculi nos etiam nauigamus ; & pari modo velis, & remis nobis nauigandum est, ope scilicet Spiritus sancti, fauorabili sui adminiculo venti nos adiuuantis, & opere etiam nostro, quo in optatum gloriæ perueniamus portum, &c. *Plus omnibus laboraui*, ait Paulus, *non ego*, id est, non ego solus , *sed gratia Dei mecum*, &c. B

PROP. XII. *Cùm gratia debet cooperari & voluntas, cuius libertas per eam non tollitur.*

GRatia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus , monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis , dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando , & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidijs, vt diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate, si deficit , de gratiæ opitulatione, si proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos sine occultos, siue manifestos, omnibus adhibetur : & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ. quod autem à multis suscipitur , & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ. Sine igitur initia , siue profectus fidelium, siue vsque in finem perseuerantium cogitemus genus , nulla species cuiusquam virtutis occurrit , quæ vel sine dono diuinæ gratiæ , vel sine consensu nostræ voluntatis habeatur. C

Quis sine auxilio gratiæ fructum potest afferre iustitiæ ? Aut quis audet dicere se à Christo non diudi , qui Christum in se diffitetur operari ? an forte verendum est, ne liberum tollere videamur arbitrium, cùm omnia per quæ propiciatur Deus, ad ipsum dicamus esse referenda ? Quod nequaquam esse consequens veritatis ostenditur. Operante enim spiritu Dei iuuatur arbitrium, non aufertur, & hoc agit gratia, vt voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumsepta, difficultatibus impedita , non remaneat in languoribus suis , sed per opem misericordis medici curata reualescat , & gaudeat se non interrogantem edoctam, & non quærentem esse quæsitam. D Et paulò pòst : Omnis igitur illuminatarum mentium pius motus, alienari quidem non potest à propria hominis voluntate : siquidem nihil recte faciet nisi quod volens egerit : sed vt ad id quod æquum & vtile est , animi tendat intentio , de illius æterna & incommutabilis voluntatis inspiratione concipitur.

Proinde quia manifestissimè & prophetica, & Euangelica, & Apostolica doctrina, nec superbos nos vult esse, nec desides; cooperatores nos esse oportet gratiæ Dei , vt illam excitantem, iuuantem, locupletantem , & quotidie prouehentem, vigilanter & sobriè subsequamur, nunquam cessantes ab actione gratiarum, quia inter secunda vitæ istius & aduersa , quibus gemina semper tentatione pulsamur, si proficimus, inde alimur: si stamus , inde subsistimus : si recedimus , inde reparamur. Dicit enim spiritus per prophetam Dauid : A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. Cùm ecciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.

A *Debet voluntas præcedere, & sic sequitur Gratia. Nam* S. *Chryneque gratia sine voluntate operatur aliquid , neque voluntas sine gratia quid potest. Nam & terra non germinat , nisi pluuiam susceperit, nec pluuia fructificat sine terra.* *sostomus. in Matt. locis Hom. 21.*

PROP. XIII. *Gratia gratis datur , non ex nostris meritis.*

SAnctus Augustinus : *Iniustus iustificatur gratis , id est, nullis suorum operum præcedentibus meritis, alioquin gratia iam non est gratia : quandoquidem ideo datur , non quia bona opera fecimus, sed vt ea facere valeamus.* *Augustinus de spir. & lit. c. 10.*

Datur ergo vnicuique sine merito, vnde tendat ad meritum, & datur ante vllum laborem , vnde quisque mercedem accipiat secundùm suum laborem. Quod ita esse etiam euangelica veritatis testimonio agnoscitur , vbi per comparationem dicitur, quod homo peregrè proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis substantiam suam : & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum , vnicuique secundùm propriam virtutem, id est, secundùm propriam & naturalem possibilitatem , non autem secundùm proprium meritum : quia aliud est posse operari , aliud operari : & aliud est posse habere charitatem , aliud habere charitatem : & aliud est capacem esse continentiæ, iustitiæ, sapientiæ, aliud verò esse continentem, iustum, atque sapientem. Non itaque omnu reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatus est , quia reparabilem & sanabilem esse, de natura est : reparatum autem, & sanatum esse , de gratia est. *Ambrosius l. 2. de vocat. Gentil. c. 2.*

GRATITVDO, SEV GRATIARVM ACTIO.

PROP. 1. *Quàm consonum naturæ sit gratitudo.*
2. *Deus omnia creauit, vt pro omnibus illi gratias ageremus.*
3. *Quàm iustum, & nobis conueniens sit , gratias Deo pro beneficijs referre.*
4. *Quàm Deo grata sit gratitudo nostra in eum.*
5. *Quàm grata Deo sit nostra grattarum actio.*
6. *Grattarum actio, quàm Deo facimus, in nostrum commodum cedit.*
7. *Grato multiplicat Deus beneficia*
8. *Gratias agere pro beneficijs : Deo, securam reddit possessionem bonorum nostrorum.*
9. *Quòd etiam pro bonis temporalibus gratias Deo agere debeamus*
10. *Pro omnibus eiusmodi gratias Deo agere debemus.*
11. *Quòd etiam Deo gratias referre debeamus , cùm negat nobis postulata.*
12. *Quòd etiam pro flagellis & laboribus gratias agere Deo debeamus.*
13. *Beneficiorum. saltem verbis, aut signis, grati esse debemus.*
14. *Quod non tam pro beneficio, quàm pro bona voluntate danti, sit exhibenda gratitudo.*
15. *Homo gratus sibi soli putat præstitum beneficium , quod est commune hominibus*
16. *Quòd multi in Deum ingrati sint.*
17. *Quàm contra rationem , & nobilitatem cordis nostri sit ingratitudo.*
18. *Quàm iniusa Deo sit ingratitudo nostra.*
19. *Quàm meritò Deus ingratos punat.*
20. *Ingratitudinem amat hostis.*
21. *Propter ingratitudinem non oportet à beneficijs cessare.*

PROP. I. *Quàm consonum naturæ sit gratitudo.*

SEneca lib.2.de Benef.c.2. *Hæc inter duos beneficij lex est , alter statim obliuisci debet dati , alter accepti nunquam.* Ita ille. *Seneca.*

Item Seneca lib.2.de Benef.c. 25. *Nullo magis Cæsarem Augustum decuerit Furnius, quàm quòd, cùm patri Antonianas partes sequuto veniam impetrasset, dixit : Hanc vnam Cæsar habeo iniuriam tuam : effecisti, vt viuerem , & moreret ingratus.* Ita ille.

Prop. II. *Deus omnia creauit, vt pro omnibus illis gratias ageremus.*

Simile. ARtifex quidam horologium magno ingenio elaboratum conficit, in quo plurimas partes constituit, rotarum, &c. *rueda, muelles, es labones, dentellentes, chauetas, prefas,* &c. omnia quidem hæc, vt cymbalum eius sonet. Creauit Deus cœlum, & terram, & cuncta, quæ in eorum ambitu continentur, elementa, mixta, metalla, arbores, flores, fructus, pecora, pisces, aues, homines, &c. & veluti horologium quoddam, mira varietate, & subtilitate perfecit: & quidem omnia, vt sonet cymbalum humanæ linguæ, & artificis gloriam, & laudem celebret, & pro tantis beneficijs sibi præstitis, laudet Conditorem. homo enim, velut microcosmos, continet omnia, scientiam habet vocis, sibi, inquam, iniunctæ: nam omnia, quæ alijs corporalibus creaturis tribuit, homini dedit; quia causâ hominis dedit. Vnde Dauid Psalm. 148. creaturas omnes con-
Ps. 148.7. uocat, & vnit, vt secum Deo gratias reddant: *Laudate Dominum de terra, dracones,* &c. quid dracones, & volucres, & ignis, & grando, &c. quæ ratione carent, quomodo Deo gratias referre valent? Audi, concedit rex
Simile. filijs cuiusdam famuli sui insignia quædam nobilitatis, tunc famulus filijs suis, Venite (inquit) & pro tanto beneficio pedes regiæ maiestatis osculemur; pueri quidem beneficium receperunt, sed quia intuitu patris exhibitum illis fuit, cum eis regi gratias refert. Sic Dauid creaturas omnes secum ad referendas gratias Deo conuocat, quia quidquid illæ acceperunt, ministerium hominis fuit; sic igitur homo pro se, & pro rebus omnibus, gratias Deo agere debet, &c.

Prop. III. *Quàm iustum, & nobis conueniens sit, gratias Deo pro beneficijs referre.*

SAnctus Chrysostomus homil. 34. in Gen. ponderat gratitudinem Abrahæ in Deum post illam promissionem, quam Genes. 13. fecit Deus illi, & semini eius. Ait ergo Chrysostomus: *Vide mentem gratam, mox vt tabernaculum fixit, statim pro facta sibi promissione gratiarum actiones obtulit Domino, & in singulis locis, vbi tabernaculum fixit, innenies hoc præ omnibus ei curæ fuisse, vt extructo altari preces offerret. Vidisti animam diuino amore succensam, & per omnia gratias agentem. Non enim expectauit, donec promissa complerentur, sed & mox pro promissione gratias egit. Illum nos imitemur: magna enim & immensa promisit Dominus, & quæ nostram rationem transcendunt, nempe regni nos participes, & ineffabilium bonorum fore, & liberationem à gehenna.* Ita Sanctus Chrysostomus.

Qui rursus hom. 26. in Matth. *Est* (inquit) *prorsus absurdum, nos opere quidem ipso beneficijs eius quotidie perfruentes, gratias ei nec sermone persoluere, & hoc cùm in nostrum commodum iterum cedat optima enim beneficiorum custos, est ipsa beneficiorum memoria, & perpetua gratiarum actio. Propterea reuerenda, & salutaria illa mysteria, quæ in omni Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia, id est, gratiarum actio nuncupatur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum diuinæ prouidentiæ ostendunt, & nos faciunt debitas Deo gratias semper exoluere.* Ita Sanctus Chrysostomus. vbi pondera, quàm grata Deo sit gratiarum actio, siquidem instituit tam eximium & venerabile sacrificium offerri semper in Ecclesia pro actione gratiarum, sibi à nobis debita. Ideo enim ante consecrationem ait omni populo sacerdos: *Gratias agamus Domino Deo nostro*, & respondemus omnes: *dignum, & iustum est*; & iterum sacerdos: *Verè dignum, & iustum est; æquum & salutare, nos tibi semper, & vbique gratias agere*, &c. Hoc, inquam, in præfatione ad consecrationem, & oblationem hostiæ, quæ offertur Deo in gratiarum actionem.

Vnde meritò S. Bernard. de diligendo Deo: *Delectum est maximum, vti datis, tanquam innatis.* Ita ille. Quid autem innatum habemus, & non à Deo datum? *Quid* (inquit) *habes, quod non accepisti?* Igitur pro omnibus rebus gratias Deo reddere nos oportet, alioquin delictum erit, inquit S. Bernard. & non qualecumque, sed maximum.

Vide eundem S. Bernard. epistol. 181. & serm. 14 in Psalm. *Qui habitat*, & Sanct. Augustinum super Psa. 44. dum exponit ea verba Psal. 115. *Quid retribuam Domino* & quæst. 61. & 66. in Exod. & Sanctum Gregorium 4. Moral. 10. & Philonem lib. de Charitate & lib. de plantatione Noe, & serm. 3. de benefic.

Hinc olim tot cantica composuerunt filij Israel, quale est canticum Moysi, Exod. 15. Deboræ, Ezechiæ, Iudith, Annæ matris Samuelis, & trium puerorum, & in nouo Testamento, Zachariæ, Simeonis, & Mariæ, & similiter imponebant sæpe filijs suis nomina continentia gratiarum actiones pro beneficio filiorum: & Deus ipse, Exod. 16. præcepit Moysi (accepto manna) dicens: *Imple gomor ex eo, & custodiatur in futuras retrò generationes, vt nouerint panem, quo alui vos in solitudine.* Equidem, ait Abulensis ibi quæst. 14. miraculosè custoditum fuit manna tempore longo ob huiusmodi recordationem, vt scilicet gratias Deo propterea iugiter darent.

Imò notandum maximè est ad rem, quod de manna dicitur Sapientiæ 16. quòd *ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat*, hoc est, videte mirandum quoddam in manna, dum ad ignem ponebatur coquendum, non exterminabatur; à sole verò maximè. Cur ita? subdit: *Vt notum omnibus esset, quod oportet præuenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare: ingrati enim spes, tanquam hibernalis glacies, tabesceret*, hoc est, quia volebat Deus, vt summo mane surgerent ad tribuendas gratias Deo pro illo beneficio, & qui tardarer, non frueretur eo. *Quiere Dios quæ madrugemos a darle gracias por los beneficios, so pena que seremos dignos de perderlos.*

Vetus monitum fuit, & Chiloni (qui vnus & septem Sapientibus Græciæ fuit) tribuitur, cuius etiam meminit Senecalib. 1. de Benef. c. 4. videlicet: *Obligantium & obligatorum animi certent, vt qui præstiterit, obliuiscantur, & pertinax sit memoria debentium.* Ita Chilon. Consonant hi versus Ausonij:

Tu bene si quid facias, non memmisse fas est;
Quæ benefacta accipias, perpetuò memento.

Prop. IV. *Quàm Deo grata sit gratitudo nostra in eum.*

GEn. 7. iussit Dominus Noe secum in Arcam introducere animalia, & volatilia ex omni specie; non tamen eodem modo, sed *ex mundis septena & septena*, hoc est, ex vnaquaque specie mundorum, septem. Cur non sex, sed septem? cur & septimo socium non dedit, sicut & alijs sex? Theodor. q. 50. in Genes. sic respondet: *Vt Noë vnum animal offerens, ex vnaquaque specie non perimeret coniugationes.* Ita ille. Quod & Noë fideliter præstitit, vt constat Genes. 8. nam in gratiarum actionem pro beneficio liberationis erexit altare, & obtulit ex illis animantibus sacrificium laudis Deo. Ecce quomodo præuenit Deus materiam gratitudinis: non enim ingratis sed gratis gaudet.

Exod. 16. iussit Dominus vas plenum manna in tabernaculo testimonij asseruari, in quo miraculum magnum enituit; manna quippe adeo delicatus cibus erat, vt vel in diem reseruatus, facilè corrumperetur, & vermibus scateret; & tamen manna illud in futuras

bom. generationes perdurauit. Cur hoc? Sanct. Thom. 1. 2. q. 102. art. 6. sic respondet: *Manna conseruabatur in Arca ad commemorandum beneficium, quod Dominus præstitit in deserto filijs Israel.* Ita S. Thom. Sed quid testibus egemus? Dominum ipsum audiamus. Exodi. 16. vbi sic
12. ad Moysen: *Imple gomor ex eo, vt custodiatur in futuras retrò generationes, vt norint panes, quibus alui vos in solitudine.* Ad quid autem, inquies, notitia ista? nempe vt Deo gratias referrent pro tanto beneficio antecessoribus collato. Bene, sed tamen cùm beneficium illud non successoribus, sed antecessoribus exhibitum fuerit, prædecessorum erat, gratias pro illo agere & non subsequentium; etenim si pro beneficio à parentibus accepto voluit Deus gratias exhibere filios, quanto magis eos qui personaliter beneficijs diuinis potiuntur, gratias Deo agere oportebit? Quod & Dominus agendum significauit Sapient. 16. vbi dicitur: *Quod ab igne non potuit exterminari, flatim ab exiguo radio solis tabescebat, vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam,* &c.

B Quamplurima sacrificia & holocausta in Lege veteri Deus à populo suo exigebat. Cur ita? siquidem Deus ipsis minimè indigebat? S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. *Vt homo ex rebus suis offerens illa Deo, recognosceret se illa à Deo habere.* Ita ille. Ecce cur tot boues & oues & alia multa in sacrificiū exigebat. Vnde Dauid 1. Paralip. 29. *Tua,* inquit, *sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.*

Genes. 2. *Plantauerat Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem.* Cur, quæso, non produxit hominem intra paradisum, sed extra, in quodam videlicet campo Damasceno; cùm constituisset illum non in campo illo degere, sed in paradiso, cur ambage huiusmodi vsus est? Hugo Victorinus super hunc locum sic respondet: *Extra paradisum voluit Deus hominem formare, vt intelligeret se ex gratia, & non ex natura in paradiso locatum.* Ita ille. Etenim videmus paucos propter bona naturalia gratias referre Deo, v. g. propter solis C lucem, propter ignis calorem, propter fertilitatem terræ, propter abundantiam aquæ, & propter aerem quo respiramus, & propter huiusmodi alia gratias, & gloriam Deo dare, quia bona hæc naturalia sunt; propter illa verò quæ de nouo nobis adueniunt, multi gratias reddunt Deo. Igitur vt pro paradisi habitatione Deo gratias referret homo, extra paradisum Deus formauit eum, vti ait Hugo: amat enim Deus gratitudinem nostram, & ideo fortasse, inter alias causas, in peccatum Adam labi permisit, quia non illico gratias exhibuit pro tanto beneficio.

Genes. 9. Benedixit Noë filio suo Sem pro quodam filiali obsequio sibi ab eo exhibito, & dixit: *Benedictus Dominus Deus Sem.* Si à Sem filio suo accepit beneficium, cur gratias Deo & non ipsi filio retulit? Respondet Hugo de S. Victore: *Non Sem, sed Deum benedixit, vt intelligamus, omne bonum nostrum, non nobis, sed Deo tribuendum esse.* Ita ille. Et ita quidem, quia omne datum desursum est originaliter à Deo. D

Vnde Raphael Angelus, postquam multa boua opera, & valde vtilia Tobiæ iuniori, & patri eius fecisset,
2. dixit eis: *Benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius:* etenim mirabilia illa Angelus patrarat; sed quia à Deo bona cuncta procedunt, ideo Raphael Angelus de operibus suis Deo gratias referendas dicebat.

Genes. 8. *Obtulit Noe Deo,* post liberationem à diluuio, *pecorum holocausta super altare, & odoratus est Dominus odorem suauitatis,* ait text. sacer. Theodoret. q.
ed. 53. in Genes. inquirit, vnde odor iste suauitatis adeo gratus Deo? caro quidem & ossa combusta pessimum odorem exhalare solent? Respondet Sanctus Theodoretus: *Excepit Deus promptitudinem animi Noë, non quidem nidore illo delectatus: nihil enim peius olet, quàm ossa exusta, sed offerentis animum laudauit.* Ita ille. Laudauit

A quidem Deus eius feruorem & bonam voluntatem, intentionem rectam, & gratitudinem eius.

Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Gen. 4. 4.
Theodotionis editio sic habet, *incendit Deus munera eius.* Ex quo Sanct. Hier. & Procopius colligunt, super sacrificium Abelis misisse Dominum ignem de cœlo, quo se beneuolè sacrificium acceptasse manifestaret; sicut etiam ignem misit super Eliæ sacrificium. Syrus verò legit, *Placuit sacrificium Deo*; Aquila verò sic, *Consolationem accepit.* Quî autem fieri potest, vt Deus consolationem accipiat? consolatio enim illius est, qui desolatione aliqua cordis seu tristitiâ est affectus: Deus autem huiusmodi affectus incapax est. At more nostro hîc loquitur Scriptura: solet enim inter nos qui mœret aut iratus est, beneficio aliquo aut obsequio grato consolari. Vnde Procopius hoc loco ait: *Procop. Aquila sua interpretatione docet Deum placatum Abelis sacrificio fuisse, & depositisse iram, quâ exarserat in Adam.* Ita ille. Sed tamen dixerim, Deum consolatum fuisse propter gratitudinem quam præstetit Abel sacrificio suo, dum ex pecoribus sui gregis potiora elegit, & obtulit Deo in gratiarum actionem pro augmento & conseruatione ouium suarum: solet enim mœstitiæ causa esse, beneficium ingrato collocatum, & ab hac mœstitia liberari is, cui gratiarum actio refertur: sic ergo consolatus est, more nostro loquendi, Deus ex gratitudine Abelis. Quod & Sanctus Chrysostomus as- *Chrysost.* seruit hom. 18. in Genes. dicens: *Quid est,* aspexit? *id est, approbauit, laudauit mentem, voluntatem coronauit.* Ita ille. Et infrà subdit: *Vult quidem dicere, quòd fecerit illos cognoscere, se Abel approbare voluntatem, Cain verò repellere ingratitudinem.* Ita ille.

Sunt quidem multi adeo ingrati benefactori, vt opus sit priùs exprobrare illorum ingratitudinem, quàm ipsi gratos se benefactori exhibere: quod non gratitudo sed ingratitudo tunc erit. Etenim hæc beneficiorum lex est, vt qui beneficium confert, obliuioni ipsum tradat; qui verò beneficium accipit, nunquam obliuiscatur accepti: & rursus benefactoris est, non exprobrare ingrato, & accipientis est, non expectare huiusmodi exprobrationem.

Rursus Genes. 8. postquam Noë à diluuio se libera- *Gen. 8.* tum vidit, *AEdificauit altare Domino, & tollens de vniuersis* *10.* *pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta Deo.* Vbi S. *S. Ambr.* Ambros. lib. de Noë & arca cap. 22. obseruauit cetera omnia quæ in Scriptura dicuntur à Noe facta, fecisse monitu Dei; altaris verò constructionem & holocausti oblationem, ab illo factas esse nullo interueniente diuino præcepto. Verba Sanct. Ambrosij hæc sunt: *Vtique Dominus non debuit, quasi auarus, mercedem gratiæ postulare, & iustus intellexit illam veram gratiarum actionem esse, quæ non iuberetur, sed deferretur: qui enim debitum gratiæ, vt à se exigatur, expectat, ingratus est.* Ita Sanct. Ambrosius.

Solent itaque placere Deo ea quæ illi sponte offeruntur, non ita verò quæ vi extorquentur. Probat hoc Iosephus lib. 2. Antiquitatum cap. 2. sacrificio Abelis & Caini, dicens: *Sacrificium Abelis fuit Deo acceptius, eò quòd sponte à natura genitis constaret, quàm ea quæ homo auarus & industrius per vim quærendam extorserit.* Ita Iose- *Iosephus.* phus. Sensus est, Abel obtulit ex fœtu ouium, lac & primogenita pretiosa, quæ sponte natura confert; Cain verò obtulit agrorum fructus, qui non sponte proueniunt, sed vi agriculturæ extorquentur, & ideo Abelis oblatio Deo grata fuit, Caini verò nequaquam. Hinc constat illam gratiarum actionem Deo placere, quæ non extorquetur à nobis, sed quam sponte & libenter Deo exhibemus.

PROP. V.

A

Prop. V. *Quàm grata Deo sit nostra gratiarum actio.*

HInc est quòd Deus sæpe suos è periculis, & calamitatibus liberaturus, non in principio calamitatis eos liberat, neque præueniendo tribulationem, sed quando magis sæuit tribulatio; vt quantò ex maiori periculo, & labore erutos se inspexerint, maiores Deo gratias reddant. sic tres pueros Dan. 3. non liberauit è manibus Regis Babylonis, antequam in fornacem mitterentur; sed postquam de facto missi fuerunt; sic & Danielem non liberauit, nisi postquam missus fuit in lacum leonum, sic & Susannam, & Iobum, Daiuidem, Iosephum, & alios, &c. vehementiori enim affectu tunc gratias Deo reddiderunt. Quare rectè ad-
August. notauit S. Aug. causam, quare non liberauit Iosephum statim, cùm pincerna regis Ægypti suum illi obtulit B fauorem, sed postquam eius prorsus fucrat oblitus, ne scilicet gratiam pincernæ redderet, & non Deo, & ne in pincernam, & non in Deum spem suam collocaret. Sic etiam Matth. 8. deereuerat quidem Christus liberare discipulos suos ex illa horribili maris tempestate, sed noluit in principio, quando periculum non ita vrgens erat; sed postea, cùm iamiam morti, & submersioni proximi esse videbantur, &c.

Prop. VI. *Gratiarum actio, quàm Deo facimus, in nostrum commodum cedit.*

Lib. de Cherub. prope fin. PHilo obseruauit, vix, aut nunquam esse apud nos purum & merum beneficium. Qui enim alteri dat, vel dat vt accipiat aliquod aliud beneficium, vel dat vt ei gratiæ referantur; gratias verò huiusmodi optat ob aliquam vtilitatem suam. Et hoc inde promanat, quòd ferè nunquam inter nos verus ac purus amor reperiatur: amamus nos ipsos nimiùm, & ex hoc amore proprio beneficia nostra procedunt. Si ex amore vero, proximorum proueniret, haud quidem ex beneficijs remunerationes expectaremus. Rectè enim Sanctus
Tract. de dilig. Deo. Bernardus, *Amor*, inquit, *affectus est, non contractus.* Ita ille. Qui ergo propter retributionem tribuit, non amat illum, cui tribuit, sed seipsum. Dei amor purissimus & verissimus est, nimirum, quia essentialiter ipse
1. Ioan. 4. 16. charitas, & amor est. *Deus charitas est*, ait Apostolus Ioannes, &c. *es el amor en su propria fuente, es el amor por essencia*, &c. Amat ipse, non vt ex amore sibi aliquid lucretur, amat vt amet, amat quia est amor ipse: vnde quando aliquid nobis tribuit, nullam inde remunerationem expectat: Deus enim est, & bonorum nostrorum non eget.

At, inquies, si non remunerationem vel vtilitatem quærit Deus, gratitudinem saltem petit, sicut & nos ab ijs quibus conferimus beneficia. Petit, fateor, at non sicut solemus nos, petimus nos gratias, vt deuinctum illum sc nobis fateatur, & vt, opportunitate oblata, nostræ deseruiant vtilitati; at Deus, qui sine gratijs nostris, imò etiam sine nobis, semper diues, & beatus, & denique Deus idem, & eodem modo sine decremento vel incremento fuit; non quærit gratias nostras propter aliquod commodum suum; sed propter commodum nostrum: ex gratijs enim, quas referimus Deo, ad maiores indies recipiendas gratias, nos reddimus aptiores: & quia ita postulat ipsa ratio, &c.

Prop. VII. *Grato multiplicat Deus beneficia.*

GEnes. 4. Cùm natus esset Cain primogenitus pri- *Gen.* morum parentum, Eua mater eius ei Cain nomen imposuit, quod interpretatur *possessio*. Cur ita? ipsa Scriptura sacra rationem reddit, dicens: *Peperit Eua Cain, dicens: Possedi hominem per Deum*; & statim subdit immediatè: *rursumque peperit fratrem eius Abel.* quid sibi volunt verba illa, *possedi hominem per Deum*? Sanct. *Chrys.* Chrysost. hom. 18. in Genes. *Puellum*, inquit, *natum, non naturæ sed Deo acceptum tulit, & suam gratitudinem declarauit: ait enim: Non natura mihi filium, sed gratia diuina potiùs dedit; & quia pro nato puero grata fuit, accepit & alium. Talis enim est Dominus noster, quando in primis in eum gratitudinem declaramus, & beneficiorem agnoscimus, largiùs nobis erogat dona sua.* Ita ille.

Genes. 8. obtulit Noë sacrificium Deo in gratia- *Gen.* rum actionem, quia liberauerat eum Deus à diluuio, & familiam eius, & tunc inquit Scriptura: *Odoratus est Dominus odorem suauitatis, & ait ad eum: Nequaquam maledicam terra propter homines*, &c. vbi Liranus: *Quia propter gratitudinem in aliquo beneficio meretur homo aliud beneficium; ideo post beneficium liberationis, datur beneficium assecurationis, dum dicit:* Nequaquam maledicam terræ, *&c.* Ita ille. Ecce quo pacto propter gratitudinem vnius beneficij, non solùm gratiarum actionem fibi gratam dicit Deus; verùm etiam cumulat beneficia.

S. Fulgentius in præfatione in tres librosad Monymum: *Deus author est debiti, qui author est doni.* Ita ille. Sensus autem est, eò ipso, quòd Deus dona sua tribuit nobis, nos ad gratiarum actionem deuincit; eò autem quòd nos Deo donanti gratias exhibemus, velut debitores eum reddimus, vt plura deinceps nobis conferat C beneficia: sicut ci qui alia quinque talenta lucratus fuerat, quinque super quinque priora dedit. At ingrato non solùm non tribuit noua beneficia, verùm & exhibita tollit. Isai. 39. ad mortem ægrotauerat Rex *Isa. 39.* Ezechias, quamuis Rex bonus & sine successore decedens; ægritudinis autem ratio, si magistris Hebræis credimus, fuit, quia oblitus fuit Deo gratias agere pro victoria de Assyrijs parta, vti refert S. Hieron. in c. 39. *S. Hier.* Isaiæ, dicens: *Ideo ægrotasse traduntur, quia non ceciuit Deo laudes.* Ita ille.

Prop. VIII. *Gratis agere pro beneficijs Deo, seu curam reddit possessionem bonorum nostrorum.*

QVi bona, quæ habet, conseruare, & securè possidere desiderat, à Deo se illa habere cognoscens, gratias illi referat assiduas.

Apoc. 4. viginti quatuor illi reges, quos Ioannes in *Apoc. 4.* cœlo vidit, *coronas suas mittebant ante thronum* Dei, di- *vers. 9.* centes: *Dignus est Dominus Deus noster accipere gloriam, & honorem, ay est an seguras las coronas, a los pies de quien las dió.* Si vis securam tibi reddere salutem tuam, substantiam tuam, filium tuum, honorem tuum, vitam tuam, & denique omnia bona tua tam corporalia, quàm spiritualia, ad pedes illa proijce Dei, à quo bona cuncta procedunt; imò eo pacto multiplicabit, & augebit illa tibi Deus. Ioan. 9. cœcus ille à natiuitate, postquam à Christo Domino oculorum lumen recepit, procidit ad pedes eius. Præuiderat hanc animi gratitudinem Dominus, & ideo non solùm corporale lumen ei tribuit, vt corporalia videret, verùm etiam in anima spirituale contulit ei lumen, vt crederet in eum.

Quemadmodum Deus magnificus est, & liberalis in homines, ita etiam expetit, vt gratiæ sibi ab hominibus referantur, adeo vt propter exigua etiam bona gratifi-

gratificationem requirat. Idcirco cùm celebre illud, ac miraculosum conuiuium celebrauit, præcepit discipulis suis: *Colligite fragmenta, ne pereant.* Quod quidem videbatur summam Dei liberalitatem dedecere. At D. Bernard. serm. 51. in Cant. explicans hunc locum, ait: *Inbemur colligere fragmenta, ne pereant, id est, nec minima beneficia obliuisci. Nunquid enim non perit, quod datur ingrato? Diligenter* (inquit Sapiens) *considera, quæ apponuntur tibi, vt mundes*, videlicet, *Dei dona, debita gratiarum actione frustrentur. Non grandia, non mediocria, non pusilla.* Hæc ille. Cùm verò munificentissimus Deus hominem gratum agnoscit, nouis illum beneficijs cumulat, eum autem qui ingratus est, ac beneficiorum immemor, etiam datis priuat, & hac ratione in illum animaduertit. *Peremptoria res est* (ait D. Bernardus serm. de septem miseric. & serm. 51. in Cant.) *ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis: vas enim obstruit gratiæ, & vbi fuerit illa, iam gratiæ accessum non inuenit, locum non habet. Et in sermone ito super Cantica: Ingratitudo* (inquit) *inimica est animæ, exanimatio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo est ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Ita S. Bern.

Quod quidem multis exemplis, ipsoque experimento comprobari potest. Decorauit sanè præpotens Deus regia dignitate Saulem, eâ tamen illum, vtpote ingratum, paucos post dies priuauit. Constituit etiam Ieroboam principem decem tribuum, aliosque alijs beneficijs affecit quæ ab eisdem propter ingratos eorum animos abstulit. Collocauit præterea Sodomitas in optimo terræ situ. *Erat enim terra illa* (ait Scriptura) *sicut paradisus Dei.* Sed quia illi huius beneficij immemores, libidini inseruiebant, à vehementissimo quodam igne consumpti sunt. Deus deinde nationes suis orbauit ciuitatibus, eò quòd duri, & ingrati animi erant, & eas in Israelitarum ditionem transtulit, vt hi debitas Deo gratias persoluerent. *Dedit illis regiones gentium,* (testatur Propheta) *& labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant.* At quoniam Israel ingratus etiam extitit, illum animo incitatus alloquitur in hunc modum: *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxit te de terra AEgypti, & Deum absque me nescis, & Saluator non est præter me, ego cognoui te in deserto in terra solitudinis.* Iam descriptum est beneficium Israelitis à Deo factum, sed audite, quàm malè gratiam bene de se merito referant: *Iuxta pascua sua* (ait Dominus) *adimpleti sunt, & saturati sunt, elenauerunt cor suum, & obliti sunt mei.* Deus tamen ita inflammatus, *Ego* (inquit) *ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum occurram eis, quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora vecoris eorum, & consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos.* At cur, clementissime Deus, ita te iratum, & acerbum ostendis? *Quia obliti sunt mei,* dicit Dominus, beneficiorum immemores extiterunt, & de referenda mihi gratia nihil laborarunt, eâ causâ illis succenseo, & Terrâ promissionis interdicam, omnibusque bonis à me in illos profectis, eos spoliabo. Quod quidem re ipsa præstitit Deus: *Posuit enim flumina in desertum, & ex tus aquarum in sitim, terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.* Plurima sanè bona illis contulit, quibus ipsi priuati sunt, quia eis abutebantur: Arcam nimirum fœderis, augustissimum templum, religiosissima sacrificia, sanctissimosque Prophetas è medio illorum abstulit, eò quòd nullum ex ijs emolumentum illi percipiebant, & ingrati erant. Neque solùm prouincias, & regna, sed totum etiam terrarum orbem Deus euertit, & aquarum obruit elutione, propterea quòd homines acceptis ab eo beneficijs abuterentur. Quòd si ciuitates, regna, omnisque hominum vniuersitas, bonis omnibus ob ingratum animum, orbantur, mirum non est, quòd eo supplicio afficiatur qui eandem ingrati animi culpam suscepit. Neque enim mirandum est, eum incommoda valetudine vti, qui corporis vires ad flagitia perpetranda conferebat, & diuitijs priuari, qui omnes suas pecunias in res futiles, ac vanas insumebat, illumque honoris, famæ, dignitatisque munere, à Deo donato, spoliari, & ex felici fortuna, sublimique loco, ad infimum statum, atque ordinem deuenire, qui tumens, ac superbiâ elatus, nec Deum, nec homines verebatur. *Ego* (inquit Dominus per Oseam,) *dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicani ei, & aurum quæ fecerunt Baal; idcirco conuertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam & linum meum. Ego* (inquit) *dedi ei* (Israelem alloquitur Deus) quia omnia bona, etiam illa quæ dicuntur bona fortunæ, & ab hominibus videntur industriâ, & labore parta, omnia, inquam, bona ab immortali Deo donata sunt; ideoque iure sua esse dicit. *Sumam* (ait) *frumentum meum, vinum meum, & liberabo lanam meam.* Liberari illis competit, qui captiui sunt: is enim qui in vinculis, & carcere detinetur, vel qui in seruitute versatur, liberari dicitur, cùm à vinculis, vel seruitute in libertatem asseritur. Cur ergo Dominus ait: *Ego liberabo lanam meam, & linum meum?* An hæc bona, cùm ab illis hominibus possidebantur, in seruitute erant? Erant sanè, & quasi dira tyrannide premebantur: valetudo enim, diuitiæ, honores aliaque huiusmodi bona, quasi in durissima seruitute sunt, cùm à flagitiosis hominibus vanè consumuntur; siquidem in Domini sui Dei nimirum cultum, & obsequium minimè impenduntur, atque idcirco meritò Deus optimus maximus ait: *Liberabo lanam meam, & linum meum.*

Fertur in sacris litteris Dauidem, penuriâ quâdam oppressum, panes, aut aliquid huiusmodi à Nabale Carmelo petisse, eam dumtaxat ei rationem obijciens quòd illius gregem studiosè custodijsset. Reiecit quidem petitionem Nabal, qua de causa adeo iratus est Dauid, vt decreuerit Nabalem, eiusque familiam, de medio tollere, ac funditus euertere; quantò potiore iure indignabitur præpotens Deus, & supplicium de illis sumet, qui diuinorum beneficiorum immemores, nolunt Deo debitum obsequium præstare, & cùm ille non modò vigilantissimè nos custodierit, sed etiam suo pretiosissimo sanguine redemerit, nullam ei gratiam referamus, neque fructus, quod ille iure petit, ipsi reddamus?

Quis (inquit Apostolus) *plantauit vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Ac si diceret, nullus id enim iuri repugnat. Deus igitur plantauit vineam Ecclesiæ suæ. *Ego* (inquit per Ieremiam) *plantaui te vineam electam, omne semen verum.* Iustum ergo, & rationi consentaneum est, vt ipse suæ vineæ fructibus perfruatur, & ingrati animi vitium erit, eos illi denegare.

Præceptum est olim in Deuteronomio, vt, antequam Israelitæ ad bellum ineundum proficiscerentur, hoc illis præconio declararetur, *Quis est homo, qui plantauit vineam, & necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat,* (id est, nondum eâ fruitus est:) *vadat, & reuertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio.* Iudicauit maximus Deus, cùm ratione coniunctum esse, vt, qui nouellam vitem seuit, & coluit, illius fructibus potiretur. Quapropter maximè est rationi consonum, vt qui vineam hanc plantauit, & multo fuo sudore, ac labore excoluit, proprioque sanguine irrigauit, huius vineæ fructus degustet, maximumque ingrati animi crimen committet, qui huiusmodi fructus immortali Deo denegauerit. Quos si ei reddideris, alijs maioribus, & præstantioribus abundabis, & sicut frugifera vitis, crescs, & cœlestibus gratiæ, gloriæque fructibus in beatitudine perfrueris; pœnam iuxta ingratitudinem videamus.

Interrogauit Seruator noster à prinaipibus Sacerdotum, quibus vineæ parabolam, & iniuriam ab agricolis illatam proposuit, *Cùm venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* Et respondérunt ei : *Malos male perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis.* Protulerunt quidem illi contra se sententiam, iustumque sibi supplicium iure decreuerunt, quod humani generis vindex meritò illis insisxit: grauiter enim, & acerbè Deus in illum animaduertit, qui debitos sibi bonorum operum fructus non reddit. *Luc. 20. 15.*

Manifestè hoc declaratum est apud Isaiam, cùm Deus optimus maximus beneficia, quibus suam vineã affecerat, recitasset, & subiungit: *Expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas. Et nunc ostendam vobis, quid faciam vineæ meæ. Auferam sepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriam eius, & erit in calcationem, & ponam eam desertam.* Grauissima sanè verba sunt hæc, & magnam Dei seueritatem significantia. *Quemadmodum*, inquit D. Basilius ibidem, *vinearum custos, cùm videt vineam nullos habere fructus, suum tugurriolum in ea positum euertit, & vineam deserit; sic suummus Deus deseruit populum suum, & augustissimum templum in eo sibi dicatum, deuastari passus est, & eodem modo se nobis cum gerat, si nos etiam populi ingratitudinem imitemur.* Hæc Basil. *Isai 5.4*

Ac ne per plura vagemur, & id argumentis, & coniecturis probemus; cogitate animo, oculisque intuemini, quæ in hac re gesta sunt, & nostra etiam tempestate insigniter euenerunt. Vbi est Græcorum religio, quæ adeo Athanasij, Basilij, & Chrysostomi tempore floruit? quo pacto Constantinopolis, quæ apud illos erat Christiani imperij caput, Ethnici modò imperij princeps existit? Quid actum est de sanctissimis illis templis in Asia constructis, de quibus tanta sacer Euangelista Ioannes scripsit? vbi est singularis illa in Deum pietas, quæ in Africa, viuente Ecclesiæ lumine, Augustino, mirificè vigebat? præteriere iam ac periere omnia illa, & Christus Dominus eam terræ partem, in qua suam vineam plantauerat, dereliquit. Quòd si ad infelicissima nostra tempora deueniamus, qua ratione emarcuit sanctitas, & religio, quæ in Anglia, Belgio, Germania, Franciaque florebat; & in Lutherana hæresi huiusmodi prouinciæ miserè magna ex parte iacent? Quo pacto, vbi tot sanctissimi viri Christianæ fidei nobis exemplum præbebant, tot perditissimi hæretici versantur? id certè ea ratione euenisse arbitror, quia, cùm vinea illa debitum Deo fructum non redderet, eam vinearum custos Deus, reliquit; qui quidem misit seruos suos ad agricolas illos, vt acciperent fructus eius, quos cùm ipsi non exhiberent, grauiter eos cœlestis paterfamilias puniuit, & vineam locauit alijs agricolis, qui in Orientali, & Occidentali India vberiores, & suauiores fructus ferunt. Eodem ergo modo se præpotens Deus cum vite geret, ac cum vinea. Quapropter si nos, qui hujus vineæ vites sumus, nullum ei fructum præstemus, euellemur etiam è terra, & ab illo deseremur, & tandem in æternos ignes, velut inutiles palmites, detrudemur. *Luc. 13. 6.*

Ad hoc ipsum significandum proposuit Seruator noster illam similitudinem ficulneæ, quam dominus eius succidi iubebat: *Venit enim, (*scribit Euangelista, *) quærere fructum in illa, & non inuenit, & dixit ad cultorem vineæ: ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam: vt quid enim terram occupat?* Animaduertite obsecro: ad nos enim respicit hæc parabola, quo pacto Dominus vineæ dinumerauerit annos, in quibus ficulnea infœcunda extiterat. Quòd si ex eo solùm, quòd tribus annis illa fructum non tulit, irâ accensus eam succidi iubet; cur non pertimescitis vos, qui nullum per plures annos fructum immortali Deo redditis? An ignoratis, omnes dies, in quibus flagitijs adhæsistis, nu- A meratos esse à Deo, qui adeo ægrè ac molestè fert homines insrugiferos, vt non dubitet eos, velut arbores sterliles, è medio tollere, & in ignem conijcere sempiternum?

Neque verò satis est, si multis occupationibus distentus, fructus afferas perituros. Vidit quondam Nabuchodonosor Babylonis rex, ingentem quandam arborem: *Videbam, (*inquit,*) & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum, aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea. Subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cœli: & ex ea vescebatur omnis caro.* Ingens sanè, & frugifera est hæc arbor, cùm in ea terræ, aerisque animalia domicilium haberent, ipsáque omnibus his cibum suppediteret. At quid de huiusmodi arbore factum est? *Et ecce (*inquit Scriptura*) vigil, & sanctus de cœlo descendit. Clamauit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius, & dispergite fructus eius.* Sed cur perpulchra hæc, & frugifera arbor succiditur? Ex eo profectò, quòd fructus ferat, non Deo, sed bestijs, & animantibus accommodatos; *ex ea*, dicitur, *vescebatur omnis caro.* Et quidem Deus optimus maximus spirituales, ac diuinos fructus à te exigit, tu verò carnales (vt ita loquar) & bestiarum fructus, quibus scilicet bestiæ delectantur, reddis, qui ei grati esse nulla ratione possunt. Laboras, & vehementer defatigaris in diuitijs, alijsque caducis bonis acquirendis, quibus nequaquam delectatur Deus; quippe qui vitæ integritatem, sanctitatemque requirit; quare etsi vberrimos, & copiosissimos illius generis fructus præbeas, nihili à Deo sient, sed tanquam sterilis, & infœcunda arbor, ab eo excideris, in ignémque mitteris. *Dan. 4.* B

Accersiuit Dominus Ezechielem, illíque præcepit, vt Iudææ Regi, & omnibus ijs, qui Hierosolymam incolebant, huiusmodi parabolam proponeret: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri. Summitatem frondium eius auulsit: & transportauit eam in Terram Chanaan.* At quid, Deus optime, Propheta faciet? aut quid loquetur, si huiusmodi ænigma illi non percipiant? *Dic (*ait Dominus:*) Ecce venit rex Babylonis in Hierusalem: & assumet regem, & principes eius, & adducet eos ad semetipsum in Babylonem.* His quidem verbis manifestum redditur ænigma ab Ezechiele propositum. Sed cur rex Hierusalem captus ad Babylonem ducitur? Ex nomine ipsi, quo Hierosolyma in hoc ænigmate vocatur, perspicietur: nominatur enim Libanus; Libanus autem mons quidam est, in quo cedri gignuntur; at verò cedri sunt quædam arbores, quę, licèt pulchritudinis speciem præ se ferant, steriles omnino sunt, & infœcundæ. Erat quidem Hierosolyma instar montis Libanis, infœcundis cedris abundans: Rex enim, & alij primarij viri, nullum fructum Deo gratum ferebant, qua de causa repudiauit, ac reiecit illos Deus, & passus est, vt Nabuchodonosor medullam, id est, eos qui tanquam omnium optimi, & præstantissimi, in altissimo Hierosolymæ luco collocati erant, in terram deijceret, & in diram seruitutem daret. Quocirca vnusquisque sibi persuadeat, se reijciendum esse à Deo, si fructus ei non reddat, etiamsi ex eorum sit ordine, qui in magno sanctitatis gradu positi sunt. C D

Versabatur olim in augustissimo Hierosolymæ templo summus quidam Sacerdos, iners tamen, ac negligens, cui Deus hoc mandatum per Isaiam detulit: *Quid tu hìc, aut quasi quis hìc? quia excidisti hic tibi sepulchrum, excidisti in excelso memoriale dilgenter, in petra tabernaculum tibi: Ecce Dominus asportari te facet, sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum plicu-* *Isai. 22. 16.*

sublevabit te. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam A *mittet te in terram latam, & spaciosam: ibi morieris.* Et quidem re ipsa prætitit Deus, quod minatus fuit summo illi Sacerdoti. Traditus enim est in seruitutem, & ex altissimo dignitatis loco deiectus, inter hostes inhumaniter concidit. At cur tantum ei supplicium intulit Deus? *Quid tu* (obiecit ei) *hic? aut quasi quis hic?* ac si diceret: quid agis? aut quæ à te negotia in sacris ædibus geruntur? quem fructum in optima terra collocatus, reddis? nullum profectò, sed tuo honori, & æstimationi studens, tuæ nobilitatis monumenta erigis. Quamobrem asportabo te in alium locum, & cuellam te, tanquam infœcundam arborem. Ecce vobis summum Sacerdotem, vt inquit D. Hieronymus, è medio sublatum, quia fructum non ferebat. Grauiter etiam in nos ipsos Deus animaduertet, si nullum ei fructum, cùm ab eo exactum fuerit, præbeamus.

Habitatoribus Chanaan abstulit Deus terram, quâ possidebant, quia ingratos, & acerbos fructus ferebant. Niniuitis eadem de causa graue supplicium minitatur, nec non Æthiopiæ, Ægypto aliisque Barbaris nationibus. Quòd si eos, qui veritatis lumen non aspexerunt, & terram cælestibus imbribus non adeo irrigatam colebant, acerbè reprehendit, & punit Deus, eò quòd vel nullos, vel malos fructus redderent; quo supplicio eos afficiet, qui in vinea sua plantati, illorum sterilitatem imitantur? Hebræis tradidit Deus Terram promissionis, quam ab alijs Barbaris abstulerat, hac tamen lege, vt sanctitatis fructus ferrent. Audi Psal. 104. *Dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custod ant iustificationes eius, & legem eius requirant.* Ecce finem, non vt comedant, bibant, & ditescant, sed vt iustificationes Dei custodiant; quod quia non præstiterunt, eos à vinea sua auulsit, & extra proiecit. Si ergo ab Hebræis, quia in prisca illa Domini vinea constituti erant, fructus exigit & acerbissimas pœnas repetit, si non eos ferant; quid nobis fiet, qui in Ecclesiæ Christianæ hortis constituti sumus, si steriles inueniamur? Si, vt D. Basilius asserit, illæ arbores succidunturà Deo, quæ in syluis infœcundæ sunt; quid illis faciet, quæ in fœcunda, ac frugifera terra positæ, fructum nulla ratione præstant? Timendum ergo nobis est, maximèque verendum huiusmodi supplicium. quod si declinare velimus, fructus Christiano homine dignos Deo optimo maximo reddamus. Sic enim ex amœnissimis Ecclesiæ hortis in ipsum Deum æternarum deliciarum paradisum transferemur, & à terra in cœlum, ab statu gratiæ ad perpetuum statum gloriæ commigrabimus.

Magna Deus contulit beneficia primis parentibus: nam paradisum voluptatis eorum gratiâ ipse plantauit, & eos in illo constituit, donumque immortalitatis contulit, dominosque illos totius orbis fecit: *Dominamini* (inquit) *piscibus maris, & volatilibus cæli & bestijs terræ*: gratiam habitualem illis contulit, quâ æternam vitam possent promereri, & insuper plurimas alias D gratias supernaturales, & Spiritus sancti dona. Postea verò & in lethalem culpam eos cadere permisit, & illa maxima eis abstulit, tantisque bonis citò priuauit. Cur ita? Rupertus Abbas lib. 2. in Genes. cap. 39. *Animaduertendum est,* (inquit) *quàm pertinaciter primus homo terrenus à Creatoris laude refutit mutus, quàm obstinatus labijs ab omni gratiarum genere abstinuit, & ingratum Domino Deo silentium dedit. Formante Deo, & inspirante spiraculum vitæ, non suspirauit, eodem spiraculo vitæ accepto non adorauit, nec glorificauit Deum. Qui ergo Dei gratiam non agnouit, non mirum, quod ad hoc, vt peccaret, & omnia bona amitteret, deuenerit.* Ita ille. Ecce quantum malum sit ingratitudo secundùm authorem illum.

Sanctus Chrysostomus homil. 18. in Gen. Propterea, inquit, Euam filium sanctissimum Abel peperisse
4.1. Dei dono, quia pro primo gratias egerat, dicens, *Accepi*

hominem per Deum. sic beneficium beneficio additur grato.

Sanctus Cyrillus in cap. 4. Ioannis, ponderat, Christum Dominum secundò in Cana Galilææ venisse, quia libenter cum gratis hominibus conuersatur, maiora beneficia paratus largiri, si memores fuerint præceptorum. Vide S. Augustin. lib. 1. de doctr. Christ. cap. 1.

Parabola illa Matth. 25. in qua Dominus varia talenta distribuit seruis suis, varia dona, & beneficia, quæ nobis exhiber, important. Illi autem qui Domino apportatum inde lucrum retulerunt, gratos homines significant; gratos qui cumulatum referunt cumulum gratiarum. ille verò qui talentum absconditi, nec Deo aliquid pro eo retulit, ingratum denotat hominem. ab hoc igitur talentum auferri, & dari alteri iussit, quia ingratum dato beneficio priuat, ei autem qui alia quinque super quinque accepta, retulit, & vtraque exhibere voluit, vt qualis erga gratos ipse sit, agnoscæremur.

Christus Dominus optimè nos docuit, Deo gratos esse, dum ipse ante accepta beneficia gratias Deo Patri exhiberet, ideo Ioan. 6. antequam reficeret turbas, gratias egit Patri, & Ioan. 11. prinsquam Lazarum resuscitaret, similiter gratias Patri pro tanto miraculo egit, & antequam sacrosanctum corporis, & sanguinis sui institueret Sacramentum, gratias egit Patri, vti refert Apostolus 1. Corinth. 11. & nos in sacrificio Missæ quotidie commemoramus, dicentes: *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas &c.*

Sic etiam Dauid, *Laudans* (inquit) *invocabo Dominum.* Vbi Sanct Hieronymus transtulit ex Otiginali Hebræo: *Laudatum invocabo Dominum.* Priùs igitur laudabat benefactorem, quàm peteret beneficium. Hoc autem idem est, quod priùs agere gratias, quàm recipere gratiam; qui verò sic gratias præmittebat; post accepta beneficia, quantò maiores credendum est retulisse? *Psal. 17. 4.*

Hinc etiam est, quòd post celebrem illam victoriam, quam Deus concessit populo Israel de Amalechitis, sic Moyses allocutus est: *Scribe hoc in monumentum in libro, & trade auribus Iosue,* &c. & vide, quàm grata Deo sit gratitudo nostra: Vult etenim beneficia eius non solùm enarrari, sed etiam conscribi 'ad æternam rei memoriam, vt misericordias eius in æternum cantemus. Vnde Dauid, *Scribantur* (inquit) *hæc in generatione altera.* Quænam hæc? beneficia scilicet, quæ narrauerat priùs, hæc, inquit, scribantur, & cuius rei gratiâ? *& populus* (inquit) *qui creabitur, laudabit Dom. num.* Vides, quàm nos gratos Deo sibi esse velit? *Exod. 17. 14.* *Psal. 101.*

Luc. 17. mundauit Christus Dominus decem illos leprosos à lepra sua; quorum cùm vnus tantùm rediret ad referendas gratias Christo. *Nónne* (inquit Dominus) *decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? non est inuentus, qui red ret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Vide, quomodo Deus nostram gratitudinem, & ingratitudinem ponderet, & animaduertat. Obserua præterea, quid huic homini grato dixerit Christus: *Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.* Præceperat Dominus decem illis, dicens: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus,* vt scilicet offerrent sacrificiû secundùm legẽ, & tamẽ cùm ab itinere reuerfus, nondum se sacerdotibus ostendisset, nec sacrificium obtulisset, non dixit: Vade ostende te sacerdoti, sed, vade, &c. Cur ita? Tertullianus lib. 4. contra Marc. cap. 35. *Samaritanum* (inquit) *miratus Dominus, non mandat offerre munus ex lege, quia satis obtulerat, gloriam Deo reddens, ideo audit:* Fides tua te saluum fecit, *quia intellexerat, veram se Deo omnipotenti oblationem, gratiarum scilicet actionem, in vero templo, & apud verum pontificem eius, Christum facere debere.* Sic Tertullianus. Vnde colligere licet, nullum sacrificium *Vers. 17.*

illius temporis ita illi gratum fuisse, sicut actio gratiarum.

Etenim non solùm pro his,quæ prosperа sunt , sed etiam pro aduersis gratias Deo referre debemus : non enim ad prosperа coarctauit Apostolus gratiarum actionem,cùm dixit , *gratias agentes semper pro omnibus*, Vbi S.Hieron.*In omnibus*, (inquit) *vt non tantum pro his, quæ bona putamus , sed etiam quæ nos coarctant , & contra nostram prouenunt voluntatem , in Dei præconium mens læta prorumpat*.Ita ille. *Ad Eph. 5.20.*

Vnde Dauid psalmum composuit pro his , de quibus gratias agere deberet populus Dei , & postquam prosperа præmisit,statim subdit : *Mittit crystallum suum, sicut buccellas,ante faciem frigoris eius quis sustinebit ?* Quid hoc ? pro grandine nos gratias agere Deo vult ? *Psal 147. 17.*

Por que nos apedrea las vinnas,y tala los campos ? pro grandine,inquam,quo sata destruit nostra.Ita quidem,nam amanter, & in bonum nostrum & bona temporalia tribuit, & tollit,vnde non solùm pro salute, sed etiam pro infirmitate, non solùm pro diuitijs , sed etiam pro paupertate,& ceteris,gratias Deo reddere debemus.Quòd si ingrati reputantur , qui pro aduersis non referunt gratias,quid de his dicemus,qui nec pro rebus prosperis eas reddunt ? B

Hinc Sanctus Bernardus serm. contra vitium ingratitudinis , pro beneficio computat,ingratis Deum beneficia denegare , *Fortè (inquit) clementia esse videtur, ingratis negare quod postulant , ne contingat nobis , vt tantò grauius de ingratitudine iudicemur, quantò magis accumulatis beneficijs,ingrati probabimur extitisse*.Ita ille.

Hinc etiam Sanct Ambros. serm.42. *Si taciti & immemores fuerimus diuinorum beneficiorum, tanquam indigni, eorum administratione fraudabimur, vt Deum , quem beneficijs non cognoumus , malis ingruentibus requiramus , & aduersis stimulemur ad rogandum , qui pro prosperis gratias non egimus ad fruendum*.Ita ille. Vide eundem Ambros. serm.43.

PROP. IX. *Quòd etiam pro bonis temporalibus gratias Deo agere debeamus.* C

NOn solùm propter spiritualia , sed etiam propter omnia corporea & temporalia beneficia Deo gratias referre debemus. Ex libro Leuitici maximè in cap.2.constat præcepisse Deum, quòd in sacrificijs speciatim offerrentur hæc quinque panis, vinum, oleum, thus,& sal.Cur,quæso, hæc potiùs , quàm alia Domi- *S.Thom.* nus in sacrificium requirebat ? Respondet S. Thom.1. 2.q.102.art.12.ad penultimum argumentum:*Ea quæ in vsum hominis veniunt de terræ nascentibus, vel sunt in cibum, & de his offerebatur panis; vel in potum, & de his offerebatur vinum; vel in condimentum, & de his offerebatur oleum , vel sal;vel sunt in medicamentum,& de his offerebatur thus, quod est aromaticum*.Ita S. Thom. In quo nobis significatum fuit , velle Dominum nos illi gratias reddere propter omnia beneficia. Illa quippe sacrificia , gratitudinem animi præseferebant.Excunctis ergo bonorum corporalium generibus Deus sacrificia exigebat,vt in cunctis bonis etiam corporalibus nos Deo datori gratos exhibeamus. D

PROP.X. *Pro omnibus cuentibus gratias Deo agere debemus.*

QVàm conforme rationi naturali sit,pro omni felici euentu speciales Deo referre gratias, vel hoc exemplo percipi potest.Dux quidam Athenensis, nomine Pytho, vt refert Plutarch. in Politic. de potenti quodam inimico victoriam reportauit,cùmque Athenienses eum propterea summis laudibus prosequerentur;& in magna admiratione & veneratione eum haberent,Deum dixit hæc fegisse,sua autem manu vsum, A cui?proinde gratia habenda esset hic,autem non Christianus, sed Gentilis erat. Ergo lumine naturæ perspicuum est,pro rectè factis Deo esse gratias exhibendas.

Ieuit. 6. *Ignis in altari semper ardebit , quem nutriet sacerdos*. Et subdit:*Ignis est iste perpetuus,qui nunquam deficiet in altari*. Ignem hunc symbolum esse actionis gratiarum,affirmat Philo libr.de offerentibus victimas,quia, sicut ignis sursum versùs cœlum tendit; sic etiam gratiarum actio dirigitur in Deum. Ideo ergo assiduum, & perpetuum voluit Dominus ignem illum esse, quia nunquam à gratiarum actione , & diuina laude cessare debemus; caproptер Dauid dicebat: *Benedi- Psal. cam Dominum in omni tempore , semper laus eius in ore meo:* nimirum,quia in omni tempore diuina recipimus dona. Prou.

Animaduertant hoc, quæso , qui vix aut nunquam gratias Deo reddunt. *Esta Dios vareando les perpetuos beneficios, y llouiendo continuas mercedes , y ellos come lechones debajo la encina gruniendo , y dandoze de nauajadas vno a otros sobre la bellota , sin leuanter los ojos mirar quien se las echa.*

PROP. XI. *Quòd etiam Deo gratias referre debeamus, cùm negat nobis postulata.*

SAnctus Chrysost.*Qui cùm votum assequitur, Deum colit , non magnum præsefert dilectionis Dei argumentum, neque sincerè Christi amat*. Ita ille.Nimirùm,quia perfecta charitas hac vna ratione diligit Deum , quia Deus est & dignus , qui propter se tantùm diligi mereatur, & non ob id maximè, quòd benefecerit tibi. Vnde cùm quis obtinet aliquid à Deo, ampliùs gaudere & Deo gratias referre debet, eò quòd inde Deus glorificatur, quàm quia ipse quod petijt fuerit assequutus. Hinc est quod in cantico Missæ in quo gloriam Deo damus,dicit Ecclesia : *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam* ; quid est *propter magnam gloriam tuam*? Etenim propter magnam gloriam Dei laudandus est valde Deus;at propter gloriam suam gratias illi referre, minimè congruere videtur.Sed tamen rectè quidem,nam in cantico isto agit Ecclesia de beneficio natiuitatis & aduentus Christi Domini ad redemptionem nostram: tunc enim Angeli dicere & canere cœperunt,dicentes: *Gloria in altissimis Deo, &c.* Cùm igitur gloriosissimum fuerit Deo sic nasci, & ad nos venire, non tam Ecclesia gloriam illi refert propter bonum nostrum,quàm propter gloriam , quæ inde resultauit Deo,& ideo ait:*Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*. Luc.2.

Vnde Psal.50. Dauid , peccatorum veniam à Deo petens,dixit,*vt iustificeris in sermonibus tuis , & vincas cum iudicaris*,hoc est,parce mihi Domine; vt hac ratione,si iudicaris ab aliquo seuerus iudex esse , in remissione peccatorum meorum agnoscat te non ita seuerum Iudicem,sed pium agere patrem, & ita vincas huiusmodi iudicium temerarium exemplo misericordiæ tuæ erga me magnum peccatorem. Ecce Dauidis erga Deum legitimam dilectionem: non enim ait:miserere mei propter bonum meum & saluationem meam , sed propter honorē & gloriam tuam. Cùm igitur oraueris Deum, non solùm referas ei gratias , cùm obtinueris postulatum,sed etiam cùm non obtinueris ; eò quòd si Deus tuam non fecerit voluntatem , fecit Deus quidem suā,eò quòd ita negasse quod,petis,ad eius prouidentiā & gloriam spectat. quod quidem illi gratissimum esse procul est dubio,imò & vtile tibi : sic enim fiet,vt tibi semper propitius sit , cuius gloriæ tu fidelis extitisti, attendens potiùs gloriam Dei , quàm commodum tuum. Psal.50.

PROP.XII.

Prop. XII. *Quòd etiam pro flagellis & laboribus gratias agere Deo debeamus.*

147. PSal. 147. inuitat Psalmista Hierosolymam ad diuinas laudes, & gratiarum actiones, dicens : *Lauda Hierusalem Dominum*, &c. Et inter cetera propter quæ laudandus Dominus sit, subdit : *Qui mittit crystallum*
17. *suum sicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis sustinebit ?* id est, quia grandinem mittit in terras, & frigus in hyeme ingens, quid hoc ? nónne grando vineas & fructus terræ demolitur ? & frigus nónne, vti Philosophus ait, est inimicum naturæ ? Cur igitur propter hæc nos Deum laudare monet ? Propter beneficia meritò laudandus est Deus, propter flagella autem timendus videtur. S. Basil. super Psal. 9. in principio: *Etenim*, inquit, *si pro beneficijs acceptis gratias egeris, quod debuisti, reddidisti: si verò pro supplicio & afflictione gratias egeris, Deum tibi debitorem constituisti.* Ita Sanct. Basilius in scholijs. Pondera vltima verba. Exemplum manifestum habes in S. Iob c. 1.

Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Quid est *in omnibus* ? nunquid in omnibus donis à Deo nobis exhibitis ? non, inquit, sed in omnibus euentibus vniuersaliter loquendo, siue dulcia nobis eueniant, siue amara, siue prospera, siue aduersa. Quare S. Leo Papa serm. 1. de Ieiunio, expendens hunc locum Pauli, ait: *Si quis parcior fuerit in suscepti seminibus terræ, & tastigatiore prouentu vites oleaque destituerint, accusatur annus, arguuntur elementa, & nec aëri parcitur, nec cælo, cùm fideles & pios discipulos pietatis nihil magis commendet, & muniat, quàm perseuerans in Deum indefessa laudatio, dicente Apostolo :* Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Hæc enim voluntas Dei est in Christo Iesu in omnibus nobis. *Quod igitur placet Deo, placeat & nobis : tam enim nobis copiá, quàm parcitate consulitur; oriatur de cordis agro quod terra non dedit. Nouit Dominus vasa hospitalis viduæ in opus pietatis suæ vacuata complere ; nouit aquas in vina conuertere ; nouit de paucissimis panibus quinque millia esurientium saturare ; & ille qui potuit augere dando, poterit multiplicare sumendo.* Ita ille.

Prop. XIII. *Benefactori, saltem verbis, aut signis, grati esse debemus.*

Seneca lib. 4. de Benef. cap. 21. *Sicut disertus est etiam qui tacet, fortis etiam, qui compressis est manibus, vel etiam alligatis & gubernator etiam, qui est in sicco, quia consummatæ scientiæ nihil deest, etiamsi quid obstat, quò minus se vtatur; ita gratus est etiam, qui tantùm vult, neque habet huius voluntatis suæ vllum aliud, quàm se, testem.* Ita ille. Hoc pro beneficijs à Deo acceptis deseruiet.

Prop. XIV. *Quòd non tam pro beneficio, quàm pro bona voluntate dantis, sit exhibenda gratitudo.*

Seneca lib. 1. de Benef. cap. 6. *Debere se dicit quis pecuniam quam accepit, alius consulatum, alius sacerdotium, alius prouinciam; ista potiùs sunt meritorum signa, quàm merita. Non potest beneficium manu tangi, animo geritur. Multum interest inter materiam beneficij & beneficium. Itaque nec argentum, nec aurum, nec quidquam eorum quæ à proximis recipiuntur, beneficium est, sed ipsa tributis voluntas. Et ideo beneficium, etiam amisso eo quod datum est, durat : est enim benefactum quod irritum nulla vis facit.* Ita Seneca. Quod si temperare libet, dicamus donum esse id quod datum est, & esse materiale beneficium, pro quo etiam Deo donanti gratias reddere debeamus; sed formale

A beneficium & eximium, Dei voluntas est & amor. quem respicere in datis docuit Christus Dominus, Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Vbi non solùm datum, sed dantis amorem attendere nos voluit, cùm sit vtrumque infinitum, & pro vtroque immensas agere gratias debeamus. *Ioan. 3. 16.*

Prop. XV. *Homo gratus sibi soli putat præstitum beneficium, quod est commune omnibus.*

S. Chrysostomus. lib. 2. de comparat mibi p. 593. Galat. 2.

Hic est affectus serui fidelis, vt beneficia Domini sui, quæ communiter data sunt omnibus, quasi sibi soli præstita reputet, & quasi ipse sit omnium debitor, & pro omnibus ipse solus habeatur obnoxius. Hoc fecit & Paulus, qui mortem Domini & Saluatoris nostri, quæ pro vniuerso expensa est mundo, sibi soli præstitam dicit : quasi enim de se solo loquens, ita scribit : *Quod enim nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei,*
B *qui tradidit semetipsum pro me.* Hæc autem dicebat, non coangustare volens amplissima, & per orbem terræ diffusa Christi munera; sed quasi qui, vt diximus, pro omnibus se solum iudicaret obnoxium. Et reuera quid interest, si & aliis præstitit, cùm quæ tibi præstita sunt, ita integra sint, & ita perfecta, quasi nulli alij ex his aliquid fuerit præstitum ? Ideo denique & *in illâ boni pastoris parabolâ non dicitur, quia venit oues multas quærere, sed vnam, vna namque est, quia sic omnibus, quasi vni, diuina beneficia conferuntur.*

Prop. XVI. *Quòd multi in Deum ingrati sint.*

Similit.

CVm quis iter agit pluuiæ tempore, vel grandinis, vel niuis, pallium aquarium induit & amplectitur; cessante verò pluuia, vel grandine seu niue, pallium deponit, & nec eius amplius recordatur, nisi cùm similis se necessitas offert : sic etiam multi Deum se
C amare & colere ostendunt, *tienen à Dios amor de capa aquadera, ò amor de fuelto :* cùm enim necessitate aliqua premuntur vel tribulatione laborant, ad Deum accurrunt, orant, & suppliciter deprecantur, vt sibi fauere dignetur; quod cùm assequuti sunt, citò fecerunt, obliti sunt Dei, &c.

Ioan. 16. Toletus.

Ioan. 16. priusquam Christus Dominus miraculosè panes multiplicaret, *gratias Patri egit.* Cur, quæso, priùs ? gratias quidem non ante receptionem beneficij, sed post acceptum referre solemus. Cardinalis Toletus, *Ideo*, inquit, *has gratias egit pro nobis Christus, quia bonum nostrum sibi proprium reputabat.* Ita ille. Sed cur antea ? Crediderim ego, vt simul exemplum daret nobis, magnas gratias Deo dandi pro beneficijs receptis, & recipiendis; sicut pro nobis ipse fecit : adeo enim tepidi nos sumus in gratijs Deo reddendis post accepta beneficia, vt opus nobis sit præponere beneficio gratias.

Aristotel.

D Vnde olim intra mœnia ciuitatis templum gratitudinis Athenienses construxerunt, cùm tamen ceterorum Deorum templa extra vrbem haberent, sicut Aristoteles ait in Ethicis suis. Solent enim homines ad alios Deos accurrere ad suffragia postulanda, quamuis longè eorum templa constituta sint; at cùm optatis potiuntur, desides ad gratias exhibendas redduntur; ideo ad manum & præ oculis templum Gratitudinis constituerunt.

Ioan. 13.

Item Christus Dominus Ioan. 13. antequam institueret Sacramentum corporis sui, *gratias egit Patri*, quia in gratiam nostram illud consecrabat, exemplum similiter faciendi præbens nobis. Vnde S. Chrysost. homil. 83. in Ioannem, dicens : *Gratias egit, antequam Corpus suum discipulis daret Dominus, vt etiam nos à gratiarum actione incipiamus.* Ita ille.

Chrysost.

Prop. XVII. *Quàm contra rationem, & nobilitatem cordis nostri sit ingratitudo.*

Duo sunt, quæ hominum corda valde mouent & afficiunt, bene scilicet dicere, & benefacere. Hæc quidem duo potissimùm hominum animos vendicant sibi: eloquentia enim, quæ bene dicendi ars est, audientium corda ligat. quod olim antiqui Phelosophi hieroglyphicè in Hercule depinxerunt: aiebant illi, Herculem eloquentiæ Deum esse; pingebant autem eum catenulis quibusdam ex eius ore procedentibus, homines per aures capientem, & captiuantem: quo innuebant, eloquentiam auditores velut captiuare, & vincere. Cuius rei exemplum meliùs in vero Deo, quàm in ficto cognoscemus, in Christo, inquam, Domino nostro, qui, cùm Ioan. 7. mitterent principes Iudæorum, & Pharisæi ministros, vt caperent Christum Dominum, & ducerent eum vinctum, inuenerunt Christum ministri concionantem, & audierunt eum magna cum admiratione, propter miram eloquentiam eius. vnde reuersi ad Principes, se non ausos fuisse illum capere, liberè confessi fuerunt, rationem hanc reddentes, quia nunquam sic locutus est homo. capti fuerunt, qui capere quærebant: vides, eloquentiam homines captiuasse?

Non minùs, sed multò magis id præstant beneficia. Inde enim prouerbium ortum est: Qui beneficia inuenit, catenas inuenit. Si vis aliquem vincire, & in captiuitatem redigere, benefacito illi, & intentum assequeris: *Si esurierit inimicus tuus* (ait Apostolus) *ciba illum, si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Quasi dicat: *Abrasar los en tu amor.* Rom 12. 20.

Quòd si beneficia etiam inimicum sic deuinciunt, quantò magis eos qui inimici non sunt? *Es echar vnas esposas en las manos del que recibe el beneficio, paraque no pueda hazer cosa contra ti, sinò por ti, y echar le vnos grillos en los pies, paraque no pueda dar passo contra ti, sinò por ti.*

Cùm Vespasianus Imperator Romanorum factus esset, in eius curiam princeps quidam venit, qui de iure imperij hæres censebatur; quapropter familiares quidam Imperatoris consilium regi dabant, vt illum interficeret, ne fortè alij adhærentes ei, aduersùs Imperatorem insurgerent; sed tamen prudens, & sapiens Imperator non solùm non occidit eum, verùm etiam Romanorum Consulem illum constituit, & copiosos pecuniarum reditus dedit ei. admirati sunt omnes principes Romani: arma enim hosti aduersùs se illis videbatur deferre. Quibus Imperator: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis: sine manuum mearum sanguine sic ego manus eius ligaui beneficijs meis, ita vt, licèt sanguis regius bullat in eius venis, & corde, ipsemet, ob nobilitatem suam, nihil aduersùs tantum benefactorem agere audeat.

Vicit olim Alexander Magnus Darium Asiæ regem, & regno simul, ac vita spoliauit, cuius mater irremediabilibus lachrymis, filij & regni sui amissionem deplorabat; sed Alexander vicem eius dolens, magnis eam diuitijs, & muneribus exornauit, tantumque amorem erga eam ostendit, vt ipsa filij oblita, Alexandrum tanquam filium ex corde amaret; ita vt, cùm Alexandri mors ei nunciata esset, non solùm dolorem fletibus, & ejulatibus demonstrarit, verùm etiam seipsam occiderit fame, vt nonnulli volunt, veneno, vt alij aiunt, tandem seipsam præ dolore interemerit. Quid tam ingentem amorem in Alexandrum conciliauit, cùm Alexander filij sui occisor extitisset? beneficia illa. Vides, quantùm beneficia valeant in cordibus nostris?

Quid? non solùm homines, verùm etiam irrationabilia animalia, & ipsæ immanes feræ benefacientibus sibi, gratitudinem magnam ostendere solent. Extat cuiusdam elephantis exemplum memorabile, quod his verbis refert Ælianus: *Cùm Porrus, Indorum rex, in prælio, quod cum Alexandro Magno commiserat, multis telis confixus esset, elephas, quo vehebatur, etsi sanè multis sagittis & ipse confixus esset; desixum tamen in corpore Porri telum leniter, & cautè promuscide sua (quam nos trompam vocamus) extrahere non prius destitit, quàm dominum intelexisset ex redundantis sanguinis profusione debilitari, & tunc leniter, & sensim se inflexit, ne ex alto decidens Porrus, graui casu affligeretur.* Ita ille. Quid autem de canibus, imo de leonibus ferocissimis dicam? refertas inuenies huiusmodi exemplis historias.

Imò non solùm bestiæ feræ, verùm etiam virulentæ, quæ homini horrori esse, & sputo nos occidere solent, gratitudinem benefactoribus magnam referre solent. Cuius rei idem Ælianus insigne memorat exemplum, de serpentum naturis agens: A quodam (inquit) rustico homine paruus quidam serpens domi educatus, & enutritus fuit, cùmque latrones quidam domum ingressi, rusticum illum interfecissent, serpens alioquin iam consuetudine domestica mansuefactus, ob nutritij sui mortem, furore agitatus, in illos insiliens, spiris & dentibus strangulauit.

Similiter de alio serpente refert, quòd, cùm agricola quidam eum ab ineunte ætate educasset, & in eius domo postea duos alios serpentes peperisset; alter horum, nescio qua ex occasione, filium agricolæ parum enecauit, quod serpens ille parens indignè ferens, a filio suo filium educatoris sui necatum esse, occidit ipse filium occisorem, & alio ore secum sublato, in montem nunquam reuersurus secessit, quasi erubescens ingratitudinem filij. Vides, gratitudinem adeo rationi conformem esse, vt ex feris, & serpentibus nobiscum sit communis? Non igitur indignum erit, Christianum hominem innumeris donis, & muneribus Dei, ad charitatem mansuefactum, non id saltem præstare Deo, quod elephantes, leones, & serpentes hominibus solent exhibere? Quid, quæso, in iudicio Dei ingratissimi in Deum homines respondere poterunt, cùm de maximis & innumerabilibus Dei beneficijs Dominus ab eis exiget rationem?

Seneca: *Officia etiam feræ sentiunt, nec vllum tam immanis uetum animal est, quod non mitiget cura, & in amorem sui vertat, leonum ora magistris impune tractantur, elephantorum feritatem vsque in ludicrum obsequium demeretur cibus, adeoque extra intellectum, & æstimationem beneficij sunt posita, assiduitas meriti pertinacis euincit.* Ita Seneca lib. 1. de benefic. cap. 2.

Prop. XVIII. *Quàm inuisa Deo sit ingratitudo nostra.*

Expendit S. Antoninus 2. Par. Theolog. tom. 3. cap. 9. §. 5. verba quædam Sancti Bernardi in persona Christi pendentis in cruce. Verba Sancti Bernardi hæc sunt:

Vide homo, quæ pro te patior,
Ad te clamo, qui pro te morior,
Vide plagas, quibus afficior:
Vide clauos, quibus confodior.
Et cùm sit tantus dolor exterior,
Et interior, plùs tamen crucior,
Quòd te ingratum experior.

Ecce, quanto Deus odio prosequatur ingratitudinem nostram, vt plùs doleat de ingratitudine nostra, quàm de cruce, clauis, flagellis, opprobrijs, & morte sua in quantum hæc pœnalia sunt.

Hinc etiam Dauid in eadem Christi persona sic Patrem alloquentis: *Ne discesseris à me, quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuuet.* Vbi obserua, quòd hæc Psal. 21. 12.

hæc verba dicta sunt in persona Christi, non antequam A
paterentur, vt verba ipsa sonare videntur, sed cùm in ipsa passione versaretur, sicut obseruauit ibi S. Augustinus, dicens: *Quid est, quoniam tribulatio proxima est, quasi ei passio adhuc immineret; cùm ipse in media passione verba ista dicere intelligatur, quæ de illo in hoc psalmo prophetata sunt. In hoc enim psalmo dicit, quod in Euangelio apertissime dictum est:* Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super ve- 17.
stem meam miserunt sortem. Ita S. Augustinus. Non ergo dicebat hæc Christus ante passionem, sed in ipsa passione; quomodo ergo ait: *Quoniam tribulatio proxima est?* Respondet sapiens quidam Author, ingratitudinem populi hîc tribulationem appellare, quia, cùm à Domino misericordiam recepisset, non solùm verborum, cum illi Euangelium suum omni acceptione dignum prædicasset, verùm etiam operum: nam infirmos eius sanauerat, mortuos suscitauerat, leprosos mundauerat, dæmonia eiecerat, &c. & tamen cùm in extremis eum videret constitutum, & siti maxima laborantem, nec vas aquæ ei porrigere voluit, sed acetum, & fel, nec, cùm vltimum spiritum emitteret Christus, verbis saltem consolatorijs eum voluit consolari; hanc, hanc vocat tribulationem suam, quasi flagellis grauissimè cædi, spinis coronari, clauis affigi, & magnis doloribus affici, & iniurijs, tribulatio non esset, comparatione facta cum ingratitudine illa. Vide, quàm inuisa illi sit ingratitudo tua.

Prop. XIX. *Quàm meritò Deus ingratos puniat.*

MAgna quidem ingratitudo est, post multa, & magna beneficia recepta, eum grauiter hominem offendere, à quo talia receperis beneficia, sed maior, & grauior multò est, eodem tempore, in quo quis accipit beneficium, offendere illum. Cuius rei hoc sit exemplum. 2. Reg 11. fidelissimus fuit Vrias Regi Da- C
uidi, ita vt eo tempore, quo in obsequium eius Vrias in bellum proficisceretur, nec concedente Rege in domum suam pergere voluit, vt aliquantulum ab illorum defatigatione requiesceret: renuit fidelis seruus consolari, & iterum ad bella procedere in obsequium regis, minimè renuit. Rex autem eodem tempore epistolam misit ad Ioab, exercitus ducem, vt Vriam ea in parte exercitus collocaret, vbi mortem offenderet, quam quidem epistolam ipse Vrias portauit. Si Vrias epistolam illam aperuisset, & quæ in ea continebatur, legisset, quid, quæso, animo sensisset? quid dixisset de Dauide? Hanc mihi, ô Rex, mercedem pro fidelitate mea reddis? siccine grato animo obsequium meum recepisti? has mihi gratias pro mea in te gratia nunc agis? Ego honori tuo consulo, & tu honorem meum maculare pergis? ego pro te vitam meam profundere non dubito, & tu de mea sic agis interfectione, & quidem eo tempore, quo tibi fideliter seruire contendo, tu D
meam machinaris necem? Iusta profectò querimonia, quamque Deus noster in nos habet: nam eodem tempore, quo peccamus in eum, ipse nobis eximia confert beneficia. nec de præteritis nunc agimus beneficijs, taceo creationem, & redemptionem, taceo cuncta, quæ pro nobis Filius Dei fecit, & passus est; de his solùm loquor, quæ actu peccatori confert, tunc cùm in Deum peccat: tunc enim peccatorem in suo esse, & vita conseruat. omnes enim in fieri, & conseruari à Deo prorsus pendemus, ita vt, si Deus per instans concursum diuinum suspenderet, in nihilum redigeremur; eodem ergo momento, quo Deus nobis vitam tribuit, nos à Deo, quantùm in nobis est, vitam auferre molimur: peccatum enim committimus, & iterum eum crucifigimus in nobis. Præterea, actu Deus victum, & omnia, quæ ad vitam, & bonum nostrum spectant, producit, nutrit, & conseruat, & tu, ô ingratissime peccator, tunc eum offendere non veteris? nónne iustiùs, quàm Vrias dicere tibi Deus potest: Quando ego tibi vitam præsto, tu me iterum in crucem agis? cùm ego tibi frumentum, & vinum, & oleum, & fructus terræ paro, tu felle, & amaritudine peccati me alis, & potas? ha ccine est animi tui gratitudo? istæ gratiarum actiones? hæ sunt retributiones meorum beneficiorum? Quid igitur mirum, fratres, si Deus nos peccantes puniat, & beneficia sua tollat à nobis?

Prop. XX. *Ingratitudinem amat hostis.*

EXod. 3. *Vadam* (inquit Moyses) *& videbo visionem* *Vers. 3.*
hanc magnam, quare non comburatur rubus. Que este vna carça ardiendo en fuego, y que ni vna oja se queme'y con summa. Non minori admiratione dignum est, quòd tot, tantisque prunis, & flammis diuinorum beneficiorum circumdati nos simus, & non comburamur. Et quidem, si de rubo illo loquamur, causa nota est, quia Deus in illo erat: sic enim de rubo loquens, ait: *Ego* *Ibid. 6.*
sum Deus Abraham, &c. De ingratis peccatoribus alia est ratio, nempe, quia diabolus existit, & commoratur in eis, qui beneficiorum Dei ab eis memoriam, & considerationem tollit, ne, dum grati fuerint, noua deinceps à Deo beneficia consequantur. B

Ierem. 6. *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic* *Vers. 7.*
frigidam facit malitiam suam. de ciuitate Hierusalem loquitur Propheta: cisterna verò frigidam facit aquam per ἀντιπερίστασιν, & quantò magis calor, & sol circumdat cisternam, tantò magis ad interiora cisternæ confugit frigus, & aqua frigefit; sic ingrati, quantò amplioribus beneficijs circumdantur, tantò frigidiores reddi videntur, omni calore charitatis erga benefactorem destituti.

Prop. XXI. *Propter ingratitudinem non debemus à beneficijs cessare.*

SVnt quidem beneficia ad comparandam beneuolentiam proximorum aptissima: nam, vti Philosophus quidam asserit: *qui beneficia inuenit, compedes inuenit:* non enim sic corpus catena ligat, sicut animum ligant beneficia. Vnde cùm Deus optimus maximus populum suum sibi deuincere maximè vellet, Oseæ 11. *In funiculis,* (inquit) *Adam traham eos, in vinculis cha-* *Vers. 4.*
ritatis. Vbi originale Hebræum sic habet: *In funiculis hominum traham eos.* Tauri enim funibus, homines verò beneficijs trahuntur, beneficijs eos lucramur, & ad beneuolentiam nostram facilè adducimus.

Vnde Dauid: *Qui coronat te* (inquit) *in misericordia* *Ps. 102. 4.*
& miserationibus. Solent in bello duces, cùm ciuitatem aliquam capere, & in seruitutem redigere volunt, in modum coronæ eam cingere, & obsidere, ne aliqua ex parte obsessi euadere possint; coronat igitur nos Deus, & obsidet vndequaque, vt nos sibi capiat, & in diuinam redigat seruitutem, in qua nostra, & vera libertas consistit: non verò armis & bellicis tormentis, sed misericordijs, & miserationibus multis, & vinculis charitatis. Sic igitur & nos, si corda proximorum capere, seu etiam captiuare desideramus, non pugnis, & violentijs, sed beneficijs, & amore id efficiamus.

At, inquies, multi adeo ingrati sunt, vt nec maximis beneficijs se deuinctos, aut gratos ostendant. Dicam tibi, quod Seneca lib. de Beneficijs, cap. 10. *Hoc magni animi & boni proprium est, non fructum beneficiorum sequi, sed ipsa.* Ita ille. Non est igitur præstandum beneficium propter gratitudinem, licèt gratitudo adhibenda sit propter beneficium; sed beneficium, quia beneficium est, præstandum est: vnde nec ingrati à beneficijs nostris excludendi sunt. Huius rei exemplar ipse

Deus

Deus est, qui pluit super iustos, & solem suum oriri facit super bonos, & malos non meretur peccator beneficium: at Deus sibi (vt ita loquamur) debet, vt propter bonitatem suam infinitam malis benefaciat, licèt illi Deo ingratissimi sint, quidni creatura Creatorem suum imitetur?

GVLA.

Prop. I *Graphica hominis gulæ addicti descriptio.*
2 *Quàm insatiabilis sit gulosus.*
3. *Gula infirmitatum origo est.*
4 *Gulæ passiones excitat abstinentia verò moderatur.*
5. *Gula mentis aciem obtundit.*
6 *Gula radix est multorum peccatorum.*
7 *Quàm contra naturam & rationem sit Gula.*
8 *Gulosi homine mortuo, quàm vivo est similior.*
9. *Gula est causa luxuriæ.*
10. *Gulæ grauissimorum vitiorum, & tumultuum in conuiuijs est causa.*

Prop. I. *Graphicæ hominis gulæ addicti descriptio.*

S. Chrysostomus. in acta. c 16. Hom 35. mihi p. 677.

CVi autem non est onerosus homo, aqualiculum pinguis. mum parans, & quasi bellua marina trahendus? Non loquor de his qui naturâ sunt tales, sed de his qui ex delicata vita corpora sua effecerunt talia. Oritur sol & claros vbique dissimdit radios, excitat singulos ad opera Agricola, arrepto ligone egreditur, faber ferrarius suos folles apprehendit, & singuli opifices quod sibi congruit, & incunctes vnusquisque sua instrumenta in manus sumere. Mu- » ller fusum vel telam. Ille autem quasi porci stratim à mane- » tutinis horis ad pascendum ventrem egreditur, quærens vt mensam » sumptuosam instruat, tametsi hoc solum sit brutorum, primo » mane pasci, quoniam ad nihil vtilia sunt quàm ad mactan- » dum. Illa autem quæ dorso gestant, & operibus apta, etiam ip- » sa noctu ad opus egrediuntur. Hic autem à lecto surgit, sole » iam totum implente forum & omnibus labore satiatis. Surgit » autem sese distendens, sicut porcus qui saginatur, optima diei » parte in tenebris consumptâ. Deinde sedet longo tempore in le- » cto, præ hesterna crapula inuenire vestes, & alia non valens, » & consumptâ magnâ parte in illis, tum seipsum comit ac or- » nat, & procedit turpitudinis spectaculum, nihil habens hominis, » sed omnia quæ sunt bestiæ in humana forma apparent, oculi » lippiunt, vinum os olet, misera anima quasi in lectum conie- » cta, ob varietatem ciborum sine modo infusorum, pondus car- » nium circumferens sicut elephas: tandem veniens sedes in lo- » cis, dicit, facitque talia, vt melius esset illum adhuc dormire » quàm vigilem esse. Si tristia nuntiantur, quàuis puellâ trepi- » dior fit: sin læta puello quouis laxior ac mollior. Vultus eius » ofcitationibus plenus est, omnibus adhæret qui volunt malè » agere, & si non ipsis hominibus, certè illorum affectionibus. Et » ira talem facilè excitat, & concupiscentia, & inuidia, & omnia. Omnes adulantur, omnes minuntrant, molliorem quàm est » facientes animam, & quotidie prodit eum insigni quadam no- » ui morbi accessione. Vbi in rerum inciderit difficultatem, cinis » & puluis fit, & nihil ei sericæ vestes prosunt. Hæc à nobis non » sine causa dicta sunt, ne quis dissolutè & inutiliter viuat. » Otium enim & voluptas ad operationes inutiles, ad gloriam » solum, & ad delicias resipiscunt. Quomodo non omnes talem » condemnabunt, & domestici, & amici, & cognati? Quis au- » tem non iustè dicet: Onus hic est terræ, frustra aduenit in mun- » dum talis, imò non frustra, sed in malum sui capitis, in dam- » num proprium, in detrimentum aliorum.

Idem. Ibidem c. 13. Hom 27. mihi p. 632.

Tempus belli, tempus certaminis est, tu autem sedes in deliciis? Non vides etiam reges qui sceptra ferunt in externis militijs frugaliter viuere? Non est vobis certamen contra carnem & sanguinem. Tu autem impinguas teipsum certaturus. Stat aduersarius stridens dentibus suis in te, tu autem effusus es, & mensæ addictus es. Scio quòd hæc frustra dico, sed non omnibus. Qui habet aures audiendi audiat. Christus præ fame

Ephes. 6.

A tabescit, tu autem præ gula teipsum distrumpis. Et paulò » pòst: Nunquid sacrificandi sumus, quod impinguamus nos ip- » sos? Quid suppeditas vermibus tam splendidam mensam? » Quid amplius facis quàm famem? Cur fontes sudorum & fa- » tulentias in te deponis? Et rursum paulò pòst: Cur defodis » animam? Cur crassum parietem crassiorem facis? Cur ma- » gnum fumum & nebulam? quandoquidem vapores quasi ne- » bula quædam vndique euaporant. »

Prop. II. *Quàm insatiabilis sit gulosus.*

NAtura quidem paucis est contenta, vti sapientes olim docuerunt, & vti Seneca dixit: *Ad mensam est quod satis est.* Ita ille. Gula autem est, quæ nunquam satiatur, quæ ventre pleno semper esurit, & idem Seneca epist. 17. *Paruo fames constat, magno verò sastidium.* Ita ille. Et bene: nam famelicum pane & aqua posteris satiare, fastidiosum verò nec vniuersis cibis, quos terra, & mare gignunt. Fames intra naturæ nostræ terminos se continet; fastidium verò eos transgredi cupit, vnde gula in cibos palati sui ascisceit ea, quæ natura non ad palatum, & gustum, sed ad alios vsus, & sensus ordinauit: aurum & gemmas natura in ornatum orbis procreauit, gula hæc in cibum, & potum conuertit. Cleopatra Marco Antonio gemmam magni valoris obtulit cœnanti, vel absumpsit ipsa, & alijam aurum potabile faciunt, electrum, & almizelum, & odoritura alia ad sensum olfactus natura produxit; gulosi verò bellaria, & delicias gustus ex illis conficiunt. Similes sunt gulosi infantibus, qui omnia, quæ manu capiunt, in os ducunt, siue panis sit, siue lapis, siue nummus, siue gladius: sic gulosi omnia ad os, & ad cibum requirunt. Vnde de diuitibus dicere solemus, illos comedere tot, vel tot sumptus illos, scilicet quos habent: *Este come dos mil ducados, veynte mil ducados.* nunquid non ex illis vestes, & alia necessaria emere debent? maximè sed quia nullum finem gulæ imponere sciunt, ideo omnia illa ad cibum dicimus habere.

B

C

Hoc autem in tantum abhorret natura, vt nec in bestijs reperiatur. Equus, licèt fames oculos erua, *aunque le alten los ojos de hambre*, carnes non comedet, sed fœnum, quia fœnum, non autem carnem, in cibum illi natura designauit; & eadem ratione leo non fœnum, sed carnes, fame oppressus sumet; homo verò omnia comedere ambit.

Hinc orta sunt tot genera ciborum, & condimentorum, & mixtorum, iam ex saccaro, iam ex melle confecta, iam varijs alijs modis temperata, vt ad septem artes liberales, & alias scientias, artem condiendi cibos possis annumerare: iam enim libri plures de huiusmodi facultate conscripti sunt.

D

His autem pœnas meritas gula ipsa reddit: nam, vt ait Seneca, *immemorabiles esse morbos non mireris, numera cocos.* Ita ille. Sed ad huius confirmationem, experientiam ipsam consule, & diuites ipsos epulones, & videbis eos tot morbis laborare, quot habent membra.

Hinc est, quòd, qui minùs pauperibus succurrunt, diuites sint: nam gula totum parrimonium, quod illis Deus in facultatibus dedit, vendicat sibi, imò nec illis satis est. vnde qui maiori debito, & ære alieno grauantur, ditiores sunt.

Prop. III. *Gula infirmitatum origo est.*

PLutarch. lib. de tuenda valetudine: *Socrates (inquit) ad tuendam valetudinem, monebat, cauendos esse illos cibos, qui non esurientes denuò ad edendum inuitent, & cauendos esse potus, qui non sitientes ad bibendum illecent.* Ita Plutarchus. Hoc igitur, quòd naturali lumine ductus, monebat Philosophus Gentilis, quamplurimi Christianæ fidei lumine decorati, non præstant, sed ita gulæ inseruiunt,

uiunt, vt dum nulla fame, sitiue tanguntur, irritamentà quærant, etiam ad ea comedendum, & bibendum, quæ natura fastidit. & hinc quamplurimi procedunt morbi, & dolores stomachi, capitis, ac pedum, & distillationes à capite ad pedes vsque: onerant enim naturam, non alunt, & dum calor naturalis digerere, & concoquere ciborum nimietatem nequit, corrupti generantur humores, & hinc cruditates, febris & varij morbi, & præmatura mors.

A

Quòd si gulâ salus corporis perit, nescio ad quid gula deseruiat. ad voluptatem, inquies. quæ in ciborum sumptione inuenitur: at fine corporis salute, quonam modo talis voluptas reperietur? Rectè Plutarch. lib. de tuenda valetudine: *Qui maximè sectantur voluptatem, his minimè expedit negligere corporis sanitatem, si quidem permulti sunt, quibus aduersa valetudo nequaquam est impedimento, quò minùs Philosophiæ operam dent, aut militarem rem exerceant, aut imperium administrent: at cibi voluptas eiusmodi est, vt in morbo eâ frui nullo modo possit.* Ita Plutarch. Denique ciborum copiam famem tollere, experientia ipsa docet: ablata fame aufertur salus, & voluptas ciborum simul.

B

Sicut nauclerus, postquam auaritiâ, & lucri auiditate nauem nimiùm mercibus onerauit, magno labore postea sentinam exhaurire cogitur, & in aquam marinam projicere; sic qui multo cibo, multoque potu corpus onerat, malos inde partos humores, & nociua excrementa, pharmacis, & amaris potionibus exonerare cogitur & mundare.

Genes. 9. *Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Quid est, *quasi olera?* S. Ambr. lib. de Noë & arca cap. 25. *Sicut olera*, inquit, *vtantur igitur qui vtuntur carne, tanquam oleribus, non ad distensionem, non ad aruinam* (id est, ad crassitudinem) *corporis, quam epulæ carnis facere consueuerunt, sed sicut oleribus.* Ita ille. Vbi nota, quòd olera infirmantium escæ sunt, sicut Apostol. ait ad Rom. 14. *Qui infirmus est, olus manducet.* Sicut igitur ad medicinam, sic ad cibum accedere nos vult Dominus, vt ait S. Augustinus, ea tantùm sumentes quæ necessaria sunt: ex oleribus enim & ex medicinis nemo superflua sumit.

C

Prop. IV. *Gula passiones excitat, abstinentia verò moderatur.*

Ciborum copia, & abundantia simul corpus pingue gignit, & animum insolentem reddit, passiones inferioris partis acuit, & auget. quod hoc problemate explicauit Plutarch. Quid (inquit) est, quòd boui, qui cornu petit, fœnum in cornu apponunt, vt currentes caueant? an quia propter repletionem, & satietatem insolescunt boues, & equi, & iumenta, & homines, vt Sophocles ait? Interrogando responsum dedit Plutarchus; nam in animalibus irrationabilibus videmus, ex copia cibi vim ea, & vigorem nimium acquirere, & impetum ad nocendum: idipsum nobis, qua parte animales sumus, accidit proculdubio. Ciborum enim abundantiâ insolentes efficimur, &c. vnde meritò idem Philosophus lib. de Tranquill. anim. ait: Vini, & carnium plenior vsus corpus quidem validum, & athletica firmitate facit; animum verò imbecillem, & fragilem. Id experientiâ constat, paucos vel nullos esse, qui ciborum copiâ fruantur, & simul virtute præditi sint. Quare iure ab antiquis Sapientibus dictum est, vitiosos viuere, vt edant, studiosos verò edere, vt viuant. hoc est, ita vitiosos instituere vitam suam, quasi ad nihil aliud viuere velint, nisi ad edendum, & bibendum, & voluptatibus fruendum; studiosos verò, & virtute prædítos, cibis & potibus solùm vti, quantùm ad vitam, salutemque tuendam satis sit.

D

Hinc olim Gentilium sapientes Baccho ferulam & obliuionem consecrabant, vti asserit Plutarch. libr. *Num philosophandum inter pocula sit?* ferulam quidem Baccho gulosò Deo offerebant, quo innuerent ferulâ, & supplicio eos dignos esse, qui Baccho vacarent. Et similiter ideo obliuionem illi consecrabant, quia nihil memoriâ, sed potiùs obliuione dignum præstant, hi qui cibis, potibus, & delicijs dediti sunt: magna enim vitia voluptates huiusmodi comitantur.

Prop. V. *Gula sapientiæ, & acumini intellectus obest.*

Sanctus Hieronymus contra Iouin. *Si quis* (inquit) *existimat, se abundantiâ ciborum perfrui posse, & vacare sapientiæ, & deliciarum vitijs non teneri, ipse se seducit.* Ita ille.

De crocodilo fertur, sub aquis oculos hebetes habere, qui tamen extra aquam acutè videt; sic etiam de nobis dicendum est: Sub aquis deliciarum hebetatur acies mentis, & oculus intellectus caligat: extra aquas verò deliciarum constitutus, homo acutiorem intellectum habet, vti experientia ipsa confirmat. Vnde S. Hieronymus: *Pinguis venter minimè genuit tenuem sensum, quem tamen abstinentia serenat.*

Vapores crassi, qui aërem afficiunt, crassum illum reddunt, & luce orbatum; sic etiam vapores ciborum, qui ab stomacho in cerebrum ascendunt, caput obnubilant, & mentem obscuram efficiunt.

Prop. VI. *Gula radix est multorum peccatorum.*

Sic Dominus ad Noë: *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.* Ante diluuium non concesserat Deus hominibus esum carnium nec piscium, sed tantùm olerum, & arborum. Cur non? siquidem proprius cibus hominis est caro. Procopius in cap. 9. Genes. fortassis non citra diuinam prouidentiam, nec carnium nec vini vsus ante diluuium frequentatus est: si enim, vt docet Scriptura, tanta fuit dementia illorum mortalium, vt diluuio damnandi fuerint; quid euenisset, si carnium & vini vsus cognitus fuisset? Ita ille. Hinc quanta sit iciuniorum & Quadragesimæ & quotidianæ temperantiæ necessitas, patet. *Gen. 9.* *Procop.*

Paschasius Abbas in cap. 4. Matth. *Carnis concupiscentia, quam in se vnusquisque repugnantem legi mentis suæ sentit, non aliunde magis nutritur, quàm ex gula; vnde & ab ijs qui de vitijs specialibus scripserunt, prima ex omnibus gastrimargia, id est, ingluuies ventris ponitur. vt ex hoc apertius declaretur, quòd in vacuum quisquam laboret, si quod fomentum est reliquorum, non hoste quidem, sed sola adhuc carne deuictus, sobriè non refrenat.* Ita ille. *Paschas.*

Prop. VII. *Quàm contra naturam & rationem sit gula.*

Laertius lib 2. refert Socratem dicentem: *Sapiens manducat & bibit vt viuat; stultus verò viuit, vt manducet & bibat.* Ita ille. Sapientis quidem est, ordinare ad debitum finem debita media; finis autem cibi & potus est viuere; vitæ autem finis Deo seruire & vitam consequi æternam. *Laertius.*

Prop. VIII. *Guloso homo mortuo, quàm viuo, est similior.*

Mortuus est quisque viuens, cùm in delicijs degit. Quonam modo? Ventri solummodo viuit, sensibus carnis mortuus. Neque enim aspicit quæ aspicienda sunt, neque audit quæ necessario audire conuenit, neque ea loquitur quæ decet loqui, *Chrysost. ad Timoth c. 5. Hom. 13. mihi p. 1501.*

loqui, nihilque in se viuere preter solam ventris ingluuiem indicat. Ceterùm quemadmodum mortuus quispiam in lectulo iacens, complosis palpebris, clausisque luminibus nullum omnino sensum habet: ita & hic, imò longè hic deteriùs quàm ille affectus est. Ille enim bona æquè ac mala eadem ratione non sentit: hic autem malorum tantùm non amittit sensum, sed nihil boni penitus sentit. Nihil illum ex his, quæ in futura vita seruantur, monet, sed ad omnia perstat immobilis, atque ita mortuus est: quemadmodum in cuniculum quendam obscurum, & tenebrosum antrum precipitatus, atque immunditiæ omni plenus, intimis & opacis vitiorum sinibus conditus, semper in tenebris instar mortuorum degit. Nam cùm per omne tempus, partim prandijs occupatus ac cœnis, partim ebrius duret, nónne in tenebris est? nónne mortuus est? Ne tum quidem cùm vigilare videtur, nisi dormitare comminiscitur, cùm necdum præterita noctis digesserit vinum, & futuræ potationis immodicæ cupiditate teneatur: videas quæ illum serò, manè, meridie, semper cœnas comessationesque versare, nocteque totas & autoræ plurimam partem profundo spore detineri. Hunccine igitur inter vitros statuere, ac numerare quispiam audeat? iam verò quis posit dignè tempestatem illam ingentem eloqui, quæ ex huiusmodi perniciosa deliciarum vsu in animam simul & corpus irrumpit? Quemadmodum enim vasta, ac perpetua nubium densitas radios solis nunquam sinit vim sui fulgoris ostendere: ita & vini ac deliciarum euaporationes cerebrum, non secus quam scopulum nactæ, illudque crassa nube tegentes, non permittunt libere vsquam se intendere: verum in tenebris perpetuis detinent eum, quisquis miserabiliter iacet affectus. Neque explicari potest omnino, quanta intus tempestate iactetur. Quemadmodum enim sæpe cum inundatio vehementior facta fuerit, aquarumque vis officinarum aditum occupauerit, turbari eos qui intus sunt, cernimus, & discos atque amphoras, & spongiæs, & alia plurima ad exhauriendum aquam excogitata deferre, vti ne violatis fundamentis atque commotis, omnis post hæc supellex inutilis fiat: ita & anima quoties nimijs delicijs oppressa fuerit, perturbatur omnis intrinsecùs ratio. Ceterùm quod iam coactum est, cùm exhaurire difficillimum sit, quòd rursum aliud è vestigio ingrediatur, incredibile est quanta perturbatio, quantusque fluctus immineat. Neque enim velim lætam subridentemque faciem cernas: verùm ad interiora transgredere, eaque diligenti examinatione perpende. Aspicies ea ingenti mœstitia plena. Ac siquidem liceret animam exutam corpore subijcere oculis intuendam, videres profectò huiusmodi deliciosorum animas deiectas, mœstas, tristes, fœdas, macieque confectas. Quantò enim corpus pinguedine crassitudineque distenditur, tantò illa extenuatur magis, atque imbecillior fit, tantò item magis obruitur, atque sepelitur. Et paulò pòst: At mortui, inquies, in putredinem tabemque vertuntur, ingensque ab eis fantes destuit. Id profectò & in ea, quæ deliciis soluitur tum fieri videas: quippe rheuma, pituita, purgamenta narium, ructus ac vomitus ex ea profluunt. Et rursum paulò pòst: At comedit ac bibit. Non est id humanæ vitæ argumentum, quippe & muta animalia hoc ipso fungunturnumere. Cùm igitur mortua iaceat anima, quid ex eo cibo emolumenti, potuque percipitur? Neque enim si iaceat cadauer examine pulchrà veste contectum, ex eo flore vestis proficiet quippiam: ita neque anima mortua venustiori amicta corpore aliquid ex eo decore lucrabitur.

A

B

C

D

PROP. IX. *Gula est causa luxuriæ.*

S. Nilus. Simile.

SAnctus Nilus de octo vitiosis cogitationibus: *Vt nubes solis radios obscurat; sic crassus vapor, ex cibis emergens, menti obscuritatem affert.* Ita ille.

Idem. Simile.

Rursus S. Nilus ibidem: *Qui ventrem implens, pudicitiæ cultum profitetur, similis est illi, qui se impetum ignis stuppâ compressurum, aut flammam oleo extincturum pollicetur.* Ita ille. Et etiam est similis illi qui non lapide aut fuste, sed projecto pane canem à se amouere vellet.

PROP. X. *Gula grauissimorum vitiorum, & malorum in conuiuijs est causa.*

PEr escam laqueus non cauetur, in esca hamus latet, & cibus deducit in foueam, cibus inducit in retia, cibus viscos etiam aues illigat, & bus volantes deponit ad mortem. Quæ non propter ventris pericula muta animalia crimen nescient? Et in hoc solo tanquam pro crimine puniuntur. Ieiunium sobrietas mentis est, hoc vigens sensus, in hoc iudicia tractantur, in conuiuio pocula. Ieiunium custodit disciplinam, luxuriam sequitur inopia. Mater est luxuria famis, secundum prophetæum dictum, ieiunium quietem diligit, luxuria inquietudinem. Obsonator est, qui antequam luceat, fores pulsat alienas, & tanquam bellum aliquod immineat, excitat dormientes. Turbatum vides, anhelantem aduertis, interrogas quæ causa perturbationis sit. Poscit, inquit, Dominus meus, vbi vinum melius reneat, vbi iecur mollius, vbi phasianus finguior, vbi piscis recentior. Cursitat per diuersa: & cùm inuenerit, summo cursu properat. Inquietat Dominum somnolentum, auctionatur pretia. Si pretium mouerit piscis, nusquam melioremasseruisse uenirit, mìo deesse. Heri, inquit, tempestas, hodie procella, vix istum potuit latentem deprehendere. Multi concurrunt in macello: Si tu vedderis, alter plus dabit, & quid exhibchis in prandio? Istius vini ille natalis est, hæc ex illo lacu lecta ostrea, talis sit de singulis iactitatio. Hasta quadam agitatur inter obsonatorem & pastorem. Turbatum addicit patrimonium, rogat adhuc per quos suorum bonorum iura minuantur. Curritur ad coquinam, fit ingens streptus, fit tumultus. Tota exagitatur familia, male dicunt omnes, quòd nulla bis requies detur. Tandem aliquando da requiem coquo. Instat flamma pincernæ dextera summo gelu riget. Ille in frigida exercet manus, illi marmora lauaturi, munda pauimenta vino madida, & spinis cooperta pisciumq; & quanti dum ambulant, vulnerantur? In ipso conuiuio clamor epulantium, gemitus expulantium. Si quis forte dissicit amicis, illi rident, tu indignaris. Sileat aliquando domus à multa perturbationibus hac atque illuc discurrentium, à sono immoderatorum animalium. Vacet fumo, & semiustulatorum nidore, non soquina, sed carnificina: putes prælium geri, non prandium curari cæsque ne omnia natant. Malè dominicæ seruitur gulæ, quæ semper expetit, nunquam expletur. Quid enim insatiabilius ventre! Hodie suscipit, & cras exigit. Cùm impletus fuerit, disputator de continentia: cùm digesserit, vale virtutibus dicitur, quæritur luxuriam. Inter pocula Philosophia prædicatur, inter philosophos vina laudantur. Vigilia, inquit, & cholera, & tortura viro insatiabili: manducat & paulò pòst panitet: non illum diutius sua intemperantia delectauit. Attende diutem quo induebatur purpurâ & byssо, & epulabatur quotidie splendidè, cuius ad ianuas mendicus ille Lazarus iacebat plenus vlceribus, cupiens saturari ex his quæ de mensa cadebant diuitis. Paulò post eum esset mortuus, cœpit rogare positus in inferno, Luc. 16. vt extremum digiti sui pauper ille in aquam intingeret, & refrigeraret linguam eius, quæ ardebat incendio. Vbi ille copia? Vbi illæ ebrietates? Sitit qui inebriabatur, abundat qui mendicabat. In ipso conuiuio, dum bibunt, sitiunt: & cùm inebriati fuerint, amplius bibunt. Quasi aperto gurgite vinum tam non bibitur, sed infunditur: poculum non libatur, sed existuanitur.

HERVS.

PROP. 1. *Herus non debet mercedis solutionem famulorum & operariorum differre.*

2. *Herus debet famulos sustentare, qui ei fideliter seruierunt, cùm senescunt, vel infirmantur.*

3. *Quantum placeat Deo charitas erga famulos & seruos.*

4. *Quàm vanum sit plures habere seruos*

5. *Herus, qui non soluit mercedem famulis, grauiter à Deo punitur.*

6. *Herus benignè se cum famulis gerat.*

Herus

7. *Herus quando famulos corripuerit, cum manſuetudine id præſtare debet.*

PROP. I. *Herus non debet mercedem famulorum & operariorum differre.*

OCa operarios, & redde illis mercedem. Ita in parabola Chriſtus. Sed eâ nobis innuere voluit, ſtatim eſſe famulis & operarijs mercedem reddendam: non enim dixit, cras, vel poſtea reddes, ſed rédde ſtatim, hac ipſa die, in qua operati ſunt: quaſi dicat, ſic cum operarijs veſtris gerere vos debetis.

Quod quidem à Deo ipſo iam olim in lege cautum erat: vbi ſic Dominus: *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vſque mane.* Nota *vſque mane, que ni vna noche quede en tu caſa el ſalario del que lo ganò con ſu trabajo.*

Expreſſiùs adhuc: Sanct. Ambroſius lib. de Nabuth cap. 12. dicens: *Qui non patitur te dicere: Cras dabo, quomodo patietur te dicere: non dabo.* Ita ille. Dicitur in Deuter. *Non negabis mercedem indigentis & pauperis fratris tui, ſiue aduenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas eſt, ſed eadem die reddes ei pretium laboris ſui, ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentet animam ſuam. Ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Et Leuit. 19. *Non morabitur opus mercenarij apud te vſque mane.* In Leuitico quidem non eſſe differendam in mane aſſeruit Dominus: hic verò nec ad ſolis occaſum. Quid ad hæc diuites reſpondebunt, qui per menſes & integros annos retinent mercedes famulorum, & opificum? Dicent fortè libenter illos per huiuſmodi temporis ſpatia expectare; equis tibi hoc aſſeruit? Nihil, inquis, petunt, tacent, non queruntur; tacent quia te moleſtè ferre huiuſmodi petitiones ſciunt; tacent, quia timent repulſam tuam. Quis verò dubitabit, graue id illis eſſe, gratam verò celerem ſolutionem, qui opere ſuo victum ſibi aſciſcunt?

Audiant igitur hi Apoſtolum Iacobum, *Agite nunc diuites* (inquit) *plorate vlulantes in miſerijs veſtris, quæ aduenient vobis.* Quid ita? *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Pondera clamorem hunc: tria enim peccata ſunt, quæ ita clamant, homicidium ſcilicet vt patet in Cain, & vitium nefandum, vt patet in Sodomitis, & retentio mercedis mercenarij. Vide igitur quale ſit hoc peccatum, quod inter illa adeo grauia peccata computatur: & nota cuiuſmodi nomen hîc ſibi vendicet Deus, Sabaoth, id eſt, Deus exercituum, quaſi dicat, in hûius vindictam Deus exercitus ſuos armat.

Sanct. Chryſoſtom. in Imperf. hom. 2. explicans verba Eccleſ. 35. *Quando quis violentiam patitur à potente, etiamſi non ſit auſus vociferari, ſed latenter lachrymatur, tacitus clamor eius in excelſo auditur; quia non magnus clamor velociter auditur à Deo, ſed iuſtus.* Ita ille.

Denique Eccleſ. 34. *Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum. qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* Græca lectio ſic habet, *Occidit proximum, qui aufert victum, & effundit ſanguinem, qui priuat mercede mercenarium.* Fratres igitur ait eos eſſe, qui homicidium facit, & qui fraudat mercenarium à mercede ſua, quia, quantùm in ſe eſt, qui negat mercedem mercenario, occidit eum, quia tollit ab eo victum, quo viuere ille debebat.

Vnde in ſacris litteris homicidium, & defraudatio mercedis, dicuntur ſimiliter peccata clamantia in cœlum, de homicidio, Geneſ. 4. ſic Dominus ad Cain: *Vox fratris tui clamat ad me de terra:* de eo verò qui tollit mercedem mercenarij, ait Apoſtolus: *Ecce merces operariorum, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Quare Tobias, cùm ſe mori exiſti maret, inter monita, quæ dedit filio, *Quicunque* (inquit) *tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat.* Sciebat ſanctus ille vir, quantùm diſpliceat Deo huiuſmodi retentio, & quàm pernicioſa futura eſſet filio ſuo, ſi eſſet. *Tob 4.15.*

PROP. II. *Herus debet famulos ſuſtentare, qui ei fideliter ſeruierunt, cum ſenueſcunt, vel infirmantur.*

PLin. refert, Athenienſes ædificaſſe olim templum in deorum ſuorum cultum, & quum longum temporis ſpatium in huiuſmodi ædificio conſumpſiſſent, iumenta nonnulla in opere illo fenuerunt, quibus Senatus prouidit, vt liberè abire liceret quòcumque vellent, & quia illorum quoddam ob aſſiduitatem operis ſponte ad laborem rediit, ex reditibus reipublicæ iuſſit omnia illi neceſſaria prouidere. *Lib. 8. c. 44.*

Item, vti refert Plutarchus, ijdem Athenienſes iuſſerunt omnia ad victum neceſſaria cuidam cani prouideri quotidie. & id facerdotibus iniunxerunt, vt non ſolùm quæ ſufficerent illi ad ſuſtentationem, ſed etiam ad delicias canis illius commodarent, quotidie præberent, propter quoddam obſequium fidelitatis, quod exhiberat templo Athenienſi. Quòd ſi canibus & iumentis huiuſmodi animi gratitudinem infideles illi ita exhibebant; herus Chriſtianus cur non parem ſaltem famulis, qui homines ſunt, & dominis ſuis naturâ pares, & illis humiliter ſeruierunt, gratitudinem exhibebit? His rectè id dicere poſſumus, quod Apoſt. inquit: *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* fidem, inquit, negauit, hoc eſt, ait S. Anſelmus, operibus, etſi non verbis, quia opera huiuſmodi nô ſunt opera fidelium: fideles enim natura duce ſuorum curam habere ſolent, imò infideli deterior eſt, quia infideles, nô ſolùm famulis, ſed etiam iumentis, quæ illis ſeruierunt, exhibent ſe gratos, ſicut de Athenienſibus dictum eſt. meritò infidelibus deteriores hi dicuntur; ſiquidem cùm fideles Chriſti ſint, nolunt famulis præſtare quod beſtijs illi præſtabant. *In tom. 3.* *1. Ad Tim. 5 8.*

Placuit nimis Chriſto Domino oratio illa Centurionis poſtulantis ab eo famuli ſui ſanitatem, *Domine* (inquit) *puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur.* adhibuerat humana remedia, & quia hæc non proderant, accurrit ad diuina. iacet, inquit, in domo, ſcilicet mea, non in xenedochio, non è domo illum eieci, eò quòd iam inutilem mihi proſpexi, ſed memor obſequiorum ejus, quibus mihi hactenus inſeruiuit, domi retineo, & quæ illi neceſſaria ſunt, præbeo, & inſuper à te ſuppliciter peto, non vt intres in domum meam: non enim ſum dignus, ſed tantùm vt verbo dicas, & ſic ſanabitur puer meus. Placuit Chriſto fides, placuit & animi gratitudo in ſeruum, & ideo ſtatim, prout poſtulauerat Centurio, famulo ſanitatem exhibuit: *& ſanatus eſt* (inquit) *puer in illa hora.* Sit hoc in confuſionem eorum fidelium, qui, cùm primùm viderint famulum ægrotare, è domo ejicere feſtinant, &c. *Matth. 8. 6.* *Ibid. 13.*

At dices, fortè Centurionis ſeruus fideliſſimè illi ac diligentiſſimè ſeruiebat; noſtri autem famuli non ſic, imò iam abijt in prouerbium, *Quot famuli tot inimici.* cuius prouerbij meminit Seneca, & ait: *Dicere ſolemus, tot inimicos habemus, quot ſeruos: at non habemus ſeruos inimicos, ſed facimus.* Ita ille. Et meritò, quia multi ſeruos, non quaſi homines, ſed quaſi iumenta regunt, non ratione, inquam, ſed tyrannide ac violentiâ, rixantes, maledicentes, vituperantes, &c. hoc pacto, quantumuis ſeruientes optimæ indolis ac naturæ ſint, inimici fiunt dominis ſuis.

Sed ne quod etiam verum eſt taceamus, ſæpè ſæpiùs famuli ſunt in culpa iniuriarû, ſeu rixarû dominorum ſuorum: multi enim inſolentes, & intolerabiles ſunt,

& vel iussis non parent, vel ita submurmurant, & queruli recedunt à facie domini, vt satiùs facere, quàm præcipere aliquid seruis domini inducant. Quare meritò Apostolus, priusquam dominos moneret, quonam pacto se cum famulis gerere deberent, sic famulis
Ad Eph. 6.5. ait: *Obedite domino vestro carnalibus cum timore, & tremore, & simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus, scientes quoniam vnusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber.* Ita Paulus Apostolus. Quæ si à seruis præstarentur, ex iniquis dominis & iracundis æquos sibi & mites facilè redderent, & pretiosi dominis suis essent, sicut seruus ille Centurionis, de quo sanctus ait Euangelista Lucas, *& erat illi pretiosus.*

Hoc ad seruos: quid autem ad heros dicat Apostolus, audite: *Ibid. 9.* *Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes, quia & illorum, & vester Dominus est in cælis, & personarum acceptio non est apud Deum.* Pondera, *remittentes minas,* hoc est, quamuis iustam contra seruos querelam habeatis, & iustè eis comminari possitis, remittite, parcite illis: nec enim ita laudabile est gratos vos illis exhibere, cùm illi fideliter & diligenter seruiunt, ac cùm illi negligenter faciunt iussa, & hoc modo faciliùs eorum beneuolentiam conciliabitis, quâ in posterum exactiùs pareant, & seruiant vobis. quod vt faciliùs exequamini, scitote quia & illorum, & vester Dominus est in cœlis, hoc est, mementote quia non estis domini absoluti, sed sub illius imperio ac dominio, qui est Rex regum, & Dominus dominantium, qui iudicaturus est inter dominos, ac seruos, & faciet iudicium & iustitiam in omnibus iniuriam patientibus.

Imò licèt nullum inde tale iudicium Dei dominis timendum proponeretur, eò solùm quòd æqualiter dominorum & seruorum Dominus sit in cœlis, heros pios ac suaues erga seruos reddere deberet. quæ quidem ratio, & apud Angelos ipsos vim maximam habere dignosces ex illo, vbi Angelus Apostolo Ioanni volentem se adorare dixit: *Apoc. 19. 10.* *Vide ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum,* idem ipse Angelus, vel alius ille sit, dixit. *Apoc. 22. 9.* *Conseruus,* inquit, *tuus sum,* hoc est, communem & eumdem habemus Dominum: licèt enim, quatenus Angelus, maior ego sim, nihilominus quia vtriusque idem Dominus noster est, siste, noli me adorare, æqualem te volo, qui æqualem Dominum habes. Quòd si apud Angelum, qui adeo superiorem nobis naturam fortitus est, tantam vim ratio hæc habuit, quantò maiorem erga nos habere debet, qui naturâ æquales sumus?

Prop. III. *Quantùm placeat Deo charitas erga famulos & seruos.*

Pietas exigit humana, vt herus, qui famulum suum seruum fidelem habet, & charum habeat, & pro viribus illum remunerare curet. Vnde, *Eccl. 33. 31.* *Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem, sic eum tracta.* Vide quàm gratum animum heri erga fidelem seruum exigit Deus: non enim ait: sit tibi quasi anima tua, *amalo como a tu vida,* alia littera habet, *sit tibi vt tu,* & quia multi domini seruos etiam fidelissimos cum securitate magna tractant, subdit, *quasi fratrem, sic eum tracta.* non ait, quasi amicum, quod satis esse videbatur, sed sicut fratrem, cum ea fcilicet humanitate & qualitate, quâ dominum humanum decet.

Matth 8. Hinc Centurio ille, qui à Domino salutem serui postulauit, à Deo gratè & piè exceptus & honoratus fuit, vti adnotauit Origenes ibi: plus enim à Domino, quàm petierat, impetrauit. Cùm enim multi ad petendum pro aliis ad Christum Dominum accederent, solus ille pro seruo fuit deprecatus: ille enim pro fratre salutem, ille verò pro filio: alius autem pro amico deprecabatur, hic verò pro seruo (verba Origenis sunt) nullus pro seruo, nisi iste solus orauit, & hoc ei ad augmentum beatitudinis & coronam erat gloriæ. Ita ille.

Prop. IV. *Quàm vanum sit plures habere seruos.*

Sic Deus ad Moysen: *Exod. 31. 2.* *Ecce vocaui ex nomine Beseleel filium Vri, filij Hur de tribu Iuda, & impleui eum intellectu, & scientia in omni opere ad excogitandum quid quid fabreferi potest, ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diuersitate lignorum.* Cur, quæso, ad tam varia & multa operum genera, quæque ad varios multosque artifices spectare solent, vnicum artificem elegit Deus sibi? Dicam, quod alium priùs dixisse non video, hoc ita fecit Deus, vt diuitum & magnatum mundi vanitatem notaret, & damnaret, qui ad quælibet officia & munia, imò & ad næniam domus suæ, varios & diuersos ministros & famulos assumunt, hunc ab aure, illum à libellis, alium à calcaribus, alium à pugione, multos ad solum comitatum, vt magnâ stipatus caterua magnus appareat. cùm ad munia omnia illa, duo sufficerent. Quid inde? inde quidem aluntur inutiles serui, otiosique, & inde peccata multa, quæ manifesta in eis sunt: inde quoque domini, vt eos alant, egentibus & pauperibus non subueniunt, imò inde ipsi domini magnum contrahere æs alienum solent, & quamuis non sint soluendo, vanam hanc famulorum cateruam sustentare contendunt. qui propterea meritò pauoni comparantur, qui cùm exilecaput habeat, caudam amplam & pulchram dilatet; sic huiusmodi dominus, cùm ipse sit caput domus suæ exile, caudam famulorum & famularum magnam extendit, meritò, inquam, exile hunc hominem caput habere dicemus, siquidem ob vanam mundi æstimationem, animæ suę detrimentum sepati non animaduertit.

At dices, magnificos homines, magnificas decet habere domus, & magnificum comitatum; quasi magnificentia bonam excludat conscientiam, quasi magnificentia in vanitate consistat. Quis Deo magnificentior? Nemo. Audi ergo quid de magnificentia Dei dixerit Moyses? *Exod. 15. 11.* *Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia?* Ecce in quo magnificus Dominus Deus, in sanctitate: hanc magnificentiam Dei imitamini fœculi potentes, & verè magnificorum nomine digni euadetis; esto magnificus in sanctitate, in pauperibus subueniendis, in Sacramentorum frequentatione, in timore Dei, in præceptorum eius obseruatione, in despiciendis vanitatibus mundi, in operibus denique sanctis: sic enim se Deus magnificum ostendit, *faciens,* inquit, *mirabilia,* non seruorum caterua, non vestis pretiosa, non vasorum apparatus, non multa & vana supellex; sed opera sancta magnificum hominem faciunt: *Magnificus,* inquit, *in sanctitate, faciens mirabilia.*

Prop. V. *Herus, qui non soluit mercedem famulis, grauiter à Deo punitur.*

Tria sunt peccatorum genera, quæ contra ea committentes in cœlum clamant. Primum est homicidium, Genes. 4. *Sanguis fratris tui Abel clamat ad me,* quantumuis homicida peccatum celet, in cœlum ascendit vox sanguinis proximi effusi. Secundum est, peccatum nefandum, Genes. 18. *Ecce clamor Sodomorum peruenit ad me,* & ita quidem peruenit vt supplicium illud horribile in populos Sodomorum in hodiernum vsque diem manifestat. Tertium est non soluere mercedem suam mercenarijs. Iacob. 5. *Ecce merces operantum,*

rum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit. Vbi primùm nota, in omnibus his tribus delictis clamantibus ad Deum aduersùs authores suos, semper hanc dictionem præmitti, *Ecce*, ecce clamor Sodomorum, ecce merces operariorum quæ dictio in sacris literis attentionis & animaduersionis est nota: quasi dicat; attende, aduerte. Hæc tria igitur maximè à nobis adnotari voluit Deus, sed duobus primis omissis, tertium considera specialiùs de hoc peccato dicere Dominum: *Clamor eorum introiuit in aures Domini. Ha le dado Dios audiencia attenta a esto peccado*, non quòd modò gravitatem horum peccatorum comparemus, sed vt retinentes seruorum mercedem, attendant periculum suum: multi enim pro nihilo habent, fraudare mercenarios. A it ergo: *clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Cur hoc loco potiùs, quàm in alijs Dominum Sabaoth vocat? Sabaoth exercitum sonat, ac si diceret: Hæc vox, & negotium hoc in consilio bellico receptum est. *Negocio es que se trata en el consejo de guerra de Dios*, in quo quidem speciatim agitur de vindicta sumenda, & peccatorum punitione. Timeat igitur iram Dei, & vindictam grauem, qui defraudat pauperem mercenarium.

Vis igitur videre exercitum in eum missum, qui seruũ mercede sua fraudauit, lege & narra: 1. Reg. 30. vbi Amalechita quidam seruum infirmum in via immisericorditer deseruit, quem insequutus est exercitus Dauidis, & illum cum reliquis ipsum comitantibus, perdidit. quod licèt alia de causa à Dauide factum esse videatur, Deus tamen hac speciali ratione id totum fieri permisit.

Parum hoc, grauius autem quod Threnorum primo affirmat Ieremias, *Migrauit*, inquit, *Iudæa propter afflictionem, & multitudinem seruitutis suæ: habitauit inter gentes, neque inuenit requiem. Omnes persecutores eius apprehenderunt eum inter angustias.* Migrauit (inquit) populus Israel in duram illam à Ieremia prænuntiatam captiuitatem; sed cur ita? propter afflictionem, & seruitutem, quâ scilicet affligebant seruientes illis, vti nonnulli interpretantur. Ideo igitur præmisit, *Deus Sabaoth*, Deus, inquam, exercituum, hostium cuneos aduersùs Israelitas misit, quia duri extiterant in seruos suos. Vide quàm seuerè puniat Deus eos, qui seueros se in seruos, & mercenarios gerunt.

A enim, vt aliarum arborum fructus, vnà matureſcunt fici, sed maturis decerptis, renaſcuntur aliæ recentiores. Vnde contingit sæpè percipere dulcedinem earum illum, qui custos est fici; sic qui custos est domini sui, iuxta intelligentiam dictam, quos semper honores ab eo consequetur. Hæc dicta sint de his, qui seruiunt, & famulantur: nunc ad ea quæ ad herum spectant, veniamus. Sæpè opus habet famulus disciplinâ, & castigatione, ob assiduas hominum negligentias: homines enim sunt, qui seruiunt, & Deus in his, qui seruiunt ei, etiam in Angelis, reperit prauitatem; non igitur mirum, si defectus aliqui reperiantur in illis. Quomodo igitur se cum illis herus geret? sicut cum ficulnea: habet hæc tria, primò folia aspera, sed cor eius molle, ac tenerum est, sic habeat dominus, cùm opus fuerit, verba aliquantulum aspera: folia enim verborum symbolum sunt, cor autem eorum molle, & lene, & suaue intus sit. non ex ira, vel odio procedat ad verba dura, memor quòd ipsorum, & tui idem Dominus sit, & quòd omnes homines simus. satis tibi sit, non te illi, sed illum tibi seruire. tu in nullo ei famularis, ille tibi in multis, quamuis nonnullus interueniat defectus. Habet autem & ficus fructus, quibus cultori soluat, quæ sibi impendit: habeat & dominus fructus suauitatem pro cultoribus suis: item ficulnea virgas habet, sed teneras, quibus, si quis percusserit, haud nocebit, talis sit Dominorum percussio. *Similis.*

B

C

D

PROP. VI. *Herus benignè se cum famulis geret.*

SEneca ad Lucillum amicum epistol. 47. *Libenter ab his, qui à te veniunt, cognoui familiariter cum seruis vivere te: hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. Serui sunt? imò homines. Serui sunt? imò contubernales. Serui sunt? imò humiles amici. Serui sunt? imò conserui? si cogitaueris tantundem in vtroque licere fortunæ. Itaque rideo istos, qui turpe existimant cum seruo suo cœnare.* Ita ille.

At, inquies, famuli sæpe calcaribus egent, & reprehensione digni sunt. Sit ita: cor verò heri à clemen-
17. tia, & benignitate non recedat. Obserua locum Prouerb. 27. *Qui seruat ficum, comedet fructus eius, & qui custos est domini sui, glorificabitur.* Elucidat sic locum hunc Iansenius: Sicut qui custodit ficulneam suam, & præseruat eam à nocumentis, meretur subinde vesci de dulcibus fructibus eius; ita qui diligenter custodit dominum suum, siue præseruando eum à malis, & periculis, siue sollicitè obseruando quod præcipit, talis gloriam magnam apud dominum, & alios homines consequitur, & non carebit suo fructu, sed percipiet, & gustabit
Ipb. fructum iucundissimum. Et bene, vt adnotauit Ro-
6. dulphus, ficui contulit dominum serui alicuius, potiùs quàm alijs arboribus, partim ob suauitatem fructus, partim ob nouitatem, & vicissitudinem fructuum: non

PROP. VII. *Herus quando famulos corripit, cum mansuetudine id præstare debet.*

SAnctus Chrysostomus homil. 62. ad pop. in fine. *Virorum est fortium ferre imbecilles, etiamsi seruus contradixerit, tu philosophare: ne quod ille dignus est audire, dixeris, aut feceris; sed quod te decet tam facere, quàm dicere. Nunquam contumeliâ puellam afficiens, turpe verbum emittas, nunquam seruum appelles scelteratum: non enim iste, sed tu contumeliâ fueris affectus. Non potest iratus in seipso manere, sicut in fluctus surgens mare, ita commiscentur omnia, & tanquam fons purus immisso turbatur cœno, & superiora fiunt inferiora. Siue percusseris, siue tunicam dilaceraueris, tu maius damnum sustinuisti: illi namque circa corpus, & vestem heret vulnus: tibi verò circa animam: illam dissecuisti, illam vulnerasti: deiecisti deorsum ab equis aurigam, trahi supinum fecisti, & est idem, ac si alteri succidens auriga, trahi mallet. Siue increpes, siue commoneas, siue quid iuste facias, absque ira fiat, & furore: si enim increpans medicus impatiens est, quomodo poterit alium curare, qui se priùs afflixit, semetipsum non sanans? si quis medicus alterum curaturus accederet, priùs habens suam manum vulneratam, sta, quæso, curationem obibit? Absit. Similiter & tu sine increpes, sine commoneas, plura videant oculi tui, ne mentem conturbes: alioqui quomodo sit curatio? non potest in eadem esse tranquillitate carens irâ, & iracundus. Cur præceptorem de sede deturbans, ita humi iacentem alloqueris? nonne vides iudicantes, qui, cùm iudicare debent, super throno sedent in habitu congruo? Itidem & tu animam tuam veste iudiciali exorna: hæc autem est humanitas. At non timebit, inquis, imò magis timebit: tunc autem etiamsi iusta dicas, furori seruus imputabit; si verò cum mansuetudine, seipsum condemnabit. Quod autem est principale, te Deus suscipit, & ita poteris eterna consequi bona, gratiâ, & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri, simul & Spiritui sancto sit gloria, imperium, & honor nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* Ita Sanctus Chrysostomus. *Chrysost.*

HOMICIDIVM.

PROP. Vnica. *Quàm graue peccatum sit homicidium.*

Gen 4. GEnes. 4. Cain post fratricidium se ab alio aliquo occidendum esse timebat, cui Dominus: *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* (Pagarmelo ha con las serenas.) Hoc in fauorem Cain dictum videtur. Cur Domine, non solùm non permittis occidi occisorem fratris, verùm septuplum minaris occidenti eum? Glossa ordinar. sic respondet: *Gloss.* *Ne quis homicidium audeat iterare.* Ita Glossa. Homicidio illo aperuerat Cain ianuam ad alia homicidia suo exemplo perpetranda: hanc claudit Dominus seruando vitam illam miseram Caini, miseram, inquam, quia dixit ei Dominus: *Vagus & profugus eris super terram.* vbi B Septuaginta legunt, *gemens & tremens eris super terram.* Videbant igitur eum omnes sic gementem & trementem in pœnam homicidij, atque adeo dicebant: absit committere crimen, quod tam tremendo tremore punit Deus.

Gen. 9. Genes. 9. sic Dominus ad Noë & filios eius: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu omnium bestiarum, & de manu hominis, de manu viri & fratris eius requiram animam hominis: quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Ad huius loci intelligentiam notandum hîc primùm est, quòd quantumuis quis vir sit, id est, potens & validus sit, siue etiam propinquus, si occiderit alium, in graue Dei iudicium incidet. Ita interpretatur Liranus. & insuper ait Dominus, quòd requiret sanguinem, siue vitam occisi, non solùm ab homine occidente, quicumque ille sit; sed etiam à bestia hominem occidente, quantumuis fera illa sit. Cur ita? nun- C quid bestia, rationis expers, pœnâ huiusmodi digna est, *Lira.* cùm careat culpa? Liranus: *Non solùm punitur homo propter homicidium, sed etiam bestia, si hominem interfecerit, propter facti horrorem, quamuis brutum peccare non possit.* Ita ille.

HOMO.

PROP. I. *Quàm sublimis & excellens creatura sit homo.*
2. *Homo Dei imago est, & hinc colligitur eius excellentia.*
3. *Homo quàm humilis creatura sit.*
4. *Homo quàm excellens creatura sit ex parte animæ.*
5. *Quantum reluceat in homine sapientia Dei.*
6. *Quanta sit hominis dignitas, tam ratione corporis quàm animæ.*

PROP. I. *Quàm sublimis & excellens creatura sit homo.*

QVanta sit dignitas conditionis humanæ, quanta excellentia naturæ nostræ, vel in ipsa hominis creatione videre licet: non enim hominem eo pacto, quo reliquas mundi creaturas, creauit Deus: dum enim cetera conderet Deus, non nisi, *fiat, fiat,* dicebat; *fiat lux, & facta est lux;* *Gen. 1.* *fiat firmamentum, & factum est ita,* &c. at cùm ad hominis procederet formationem, *Faciamus* (inquit) *hominem* *Ibid. 26.* *ad imaginem & similitudinem nostram*; non ait: fiat homo, sed, *faciamus hominem.* cur ita mutauit stylum? Beda in hunc locum, sic respondet: Apparet, quare dictum sit, vt cetera fierent, iuxta genus suum, & species suas: erat enim homo creandus, qui non generi suo, & suæ congrueret speciei, sed ad imaginem fieret creatoris. A dignitatis eius ostenditur magnitudo, cùm quasi consilio creatur, nec simpliciter dicitur, sicut de ceteris, fiat homo, sed faciamus hominem. Ita Beda. Idem adnotarunt Sanctus Chrysostomus in hunc locum, Sanctus Cyrill. Sanct. Gregor. Nyssenus, & S. Gregorius Papa. 1. creatus Tullianus. Lib. de homo.

Præterea circumstantia ipsa temporis, quo factus est homo, hoc ipsum probat: quærit igitur Sanct. Chrysostomus: *Quare (inquies) tardius creatus est homo, si omnis dignitate præstat?* Merito: nam vt ingressuro in ciuitatem aliquam regi, operæ pretium est præmittere satellites, & reliquos omnes, vt bene adornatu palatijs, rex honestius ibi agat; ita etiam Deus, quasi regem in rebus terrenis hominem præfecturus, prius omnem hunc ornatum fabricauit, & tandem præficiendum hominem formauit, declarans factis ipsis, quanto honore hoc animal prosequatur. Ita Sanct. Chrysostomus. Quia igitur ad ornatum mundi (qui velut regia hominis est) omnis corporea creatura erat necessaria, ideo, priusquam hominem crearet, ita condidit omnia, quò illis omnibus præstantiorem & dominum hominem esse monstraret. 9. Mos. 24. Ioan. 3. 40 Conc.

Hinc est, quòd homine iam producto, cessauit Deus ab omni opere quod patrarat, quasi diceret: iam non est quod ampliùs in mundo desiderari possit: hîc ergo sistendum, hic quiescendum: habet enim iam orbis in homine suum omnimodam perfectionem.

Id etiam constat ex modo, quo Deus hominem formauit: nam, vt in Genesi habetur, *Inspirauit Deus in faciem eius spiraculum vitæ, & sic factus est homo in animam viuentem.* quam aliarum creaturarum sic dicitur Deus efformasse? quòd igitur sibi vult inspiratio, seu insufflatio illa? ex intimis illa præcordijs procedit, quod valde amamus, ex visceribus emanare dicimus, vel in visceribus continere; vt igitur Deus manifestaret, quantò amore creaturam hanc humanam prosequeretur, cùm animam illi tribuit, dicitur sic insufflasse: quo quidem indicauit excellentem illam & valde superiorem esse. Cap. 2.

Præterea, ex dominio, quo Deus hominem sublimauit, id facilè deducemus: cùm primùm enim hominem in esse produxit, *Benedixit,* inquit, *illis Deus, & ait: Domi-* Gen. 1. *namini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* hoc quidem in admirationem magnam rapuit Dauidem, *Domine* (inquit) Psal. 8. *quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum?* Cur id? *Gloriâ & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris,* quasi dicat: Quantumuis aues super nubes se volando attollant, & pisces ad ima abyssi maris se deprimant, & feræ ad interiora & abdita montium & syluarum se recipiant; dominium hominis non euadent, quia constituit eum Dominus dominum super opera manuum suarum. Et hanc ob causam, cùm primùm Adamum formasset, animalia cuncta terræ & D volucres cœli adduxit ad eum, vt eis imponeret nomina vnicuique accommodata. Vbi Sanctus Chrysostomus, *Fecit* (inquit) *hoc Deus, non solum dignum facturus* Gen. 2. *nobis magnam Adami sapientiam, sed vt & symbolum domi-* Hom. 14. *nij per nominum impositionem cognoscatur: nam homini-* in Gen. *bus mos est hoc facere in dominij signum, vt, cùm seruos emunt, ipsorum nomina mutent. vnde Adamum instruxit, vt omnibus brutis, tanquam dominus, nomina indat.* Ita Sanct. Chrysostomus.

Poterat quidem Dominus rerum harum inferiorum dominium & principatum alicui Angelorum committere, quod etiam supremus Seraphinus pro magno habuisset; homini tamen id tribuere decreuit, quò maximo eum afficeret decore, & quanti hominem faceret Deus, constaret.

Sed vt meliùs hominis excellentiam cognoscamus, ad ea

ad ea quæ hominis propria & essentialia sunt, deuenia- A
mus. *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* hoc est, qualis creatura homo, quæso, est, quòd ita eum magnificas, & quòd eum ita magnum facias? & quid in homine Deus meus tu vidisti, quòd in eum cor tuum & amorem figas; cùm nec memoriâ tuâ dignus ille sit? examinemus ergo, quis qualisve sit homo iste.

Democritus, ille magnus olim Philosophus, Microcosmos, hoc est, mundus paruus, homo (inquit) est. Sed S. Gregorius Nazianzenus, non mundum minorem, sed mundum magnum appellandum esse hominem asseruit. Oppositæ sunt sententiæ istæ, & nomina inter se valde discrepantia, quodnam horum præponendum sit, videamus. Paruus mundus est homo, ait Democritus, & inprimis Philosophi & Sancti in hoc conueniunt, quòd homo mundus quidam sit, & iure: nam homo epilogus quidam & quasi recapitulatio quæ- B
dam est omnium creaturarum, quas Deus in terra & in cœlo creauit. Quatuor enim gradus essendi in creaturis Philosophi considerarunt, nempe, esse, quomodocumque viuere, sentire, & intelligere, esse in elementis, viuere in plantis, sentire in animantibus, intelligere in Angelis: quæ omnia pariter in homine conuenerunt: habet enim esse commune & materiale cum elementis, viuere vitâ vegetatiuâ cum plantis, sentire cum animantibus, & intelligere cum Angelis. Vnde Sanct.
v. 7. 10. Gregorius in id cuiusdam amici Iob, *Qui dat pluuiam, super faciem terræ, & irrigat aquis vniuersa; Vniuersitatis nomine, ait, homo signatur, quia in ipso vera species & magna communio vniuersitatu ostenditur: omne namque quod est, aut est, & non viuit, aut est, & viuit, sed non sentit; aut est, & viuit, & sentit, sed non intelligit; aut denique intelligit, & discernit. Sunt quidem lapides, sed non viuunt; sunt arbusta, viuunt quidem, nec tamen sentiunt; sunt bruta animalia, viuunt & sentiunt, nec tamen intelligunt, aut discernunt;* C
sunt denique Angeli, qui intelligunt, & discernunt. Homo itaque habet commune esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, discernere cum Angelis; rectè ergo nomine vniuersitatis exprimitur. Vnde & discipulis Veritas di-
v. 16. *cit:* Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. *omnem videlicet creaturam, solum intelligi hominem volunt.* Ita S. Greg. Homo igitur mundus quidam est, quia quidquid in mundo toto est, in homine quidem est. quare si Deus elementa creasset, aut cœlos, aut arbusta, aut animalia, aut etiam Angelos, partes quidem mundi creasset; non verò integrum mundum; si verò solum hominem creasset, mundum integrum creasse dicere possemus.

Mundum igitur, sed exiguum ac paruum, vocat Democritus hominem, quia totius orbis comparatione, paruum quid apparet homo: sed in hoc non minuitur dignitas conditionis humanæ; sed potiùs extollitur, & augetur, & eò relucet ampliùs sapientia & omnipotentia conditoris, & dexteritas dexteræ Dei, qui in D
tam exigua creatura mundum vniuersum nouit & potuit efformare. Sicut pictoris ingenium & artificium tunc maximè relucet, cum in exigua tabella, quæ v.g. manus mensuram non excedat, duos exercitus inter se pugnantes depingit, cùm omnibus his, quæ conflictum huiusmodi demonstrare valent, *ay algunos pintores, que en vn lienco maior, que vno de vna pared de Iglesia no lo sabran pintar assi.* Sic etiam reperies mulierem, quæ acu in parua quadam lintei quantitate artificiosè operatur, quod alia, artem ignorans, in palla quadam magna elaborare prorsus nesciet. Dominus ergo, vt sapientiæ ac potentiæ suæ specimen daret, hominem creauit, in quo, licèt adeo paruus sit, mundum vniuersum
v. 138. adaptauit. Vnde vbi nos legimus, *substantia mea in inferioribus terræ*, alij sic legunt: Acu pictus sum, siue polimitus sum, *subtilissimamente me labrò Dios de punctо real.*

Hinc Dauid: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* hoc est, quàm admirabilis sit sapientia tua Domine, vel ex meipso satis coniicio: tantò quippe artificio meipsum conditum video, vt qualis quantusque ego sim, quantò ampliùs considero, tantò magis meipsum latet; nec satis mirari possum, quomodo tam sapienter, tam subtiliter, tam artificiosè condideris me, adeo paruum, & adeo magnum, adeo humilem, & adeo excelsum, adeo temporalē, & adeo æternum, adeo materialē, & adeo spiritualē. Hinc me sic depressisti, vt sim maior paulò magis, quàm bestiæ campi, & hinc me adeo sublimasti, vt sim paulò minùs ab Angelis exaltatus, *mirabilis facta est scientia tua ex me.* Sic explicat S. Gregorius hunc locum, & alij. Meritò ergo minorem mundum, hominem Democritus nuncupauit, nec in eo quòd minorem dixit, minùs honorificè de homine est loquutus. *Ibid. 6.* *Super Ezech. Hom. 16.*

Sed aptè quoque S. Greg. Nazianzenus hominem mundum magnum appellauit, quia rei magnitudo, non ex continente, sed ex re contenta diiudicari debet, sicut gemmæ vel adamantis pretium & valor, non ex cælatura, sed ex natura lapidis pretiosi sumendus est. *no se toma el valor, y estima de vna piedra preciosa del engaste, sinò de la naturaleza de la mesma piedra, ni el valor de vn vaso de oro de la funda, ni el de vna imagen del velo.* sic hominis valor & pretium, non ex corporis exiguitate, sed ex anima, speciem & esse corpore tribuente: corpus enim velut animæ cælatura, & funda, seu fascia eius est, & quasi velum, quo imago ipsa Dei velata est: anima quippe nostra ad imaginem Dei facta est: magnitudinem ergo animæ quis valeat explicare? maior terrâ totâ est, maior etiam cœlo. Habet mundus hic humanus atria regia & sublimia, considera intellectum animæ nostræ, quàm sublimis, quàm alta & excelsa turris ille sit: ex eo enim, tanquam ex arce altissima, terra omnis, & omnia, quæ in ea sunt, mare, & omnia quæ in abyssis eius sunt, cœlum, & omnia quæ in cœlo sunt, cognoscuntur, & discernuntur. Vide namque quid de terra, & mineralibus eius, quæ in visceribus terræ abscondita latent, quid de arboribus, plantis, herbis, floribus, fructibusque terræ Philosophi & sapientes viri conscripserunt, quid de mari, & eius natura, & de piscibus, & gemmis, & aliis multis, quæ in maris recessibus generantur, illi adnotarunt. Vide quid de cœlo & motibus cœlorum, & planetarum ac stellarum proprietatibus, ac natura, Astrologi disputarunt, & scies quid quantaque ex cacumine, seu acumine intellectus humani assequantur, & consequantur?

Sed quantum est hoc? tanta quidem est intellectus humani capacitas, & immensitas, vt intra ipsum infinita Dei sublimitas, & immensa eius Deitas, quam cœli capere non possunt, quasi in regia tua versetur. *Ad eum,* *Ioan. 14. 23.* inquit sancta Trinitas, *veniemus, & mansionem apud eum, faciemus:* mansio igitur Dei est anima nostra, & item sedes: nam anima iusti sedes est sapientiæ diuinæ, & ipsius Dei, & hoc etiam ratione intellectus, à quo mirè cognoscitur Deus.

Præterea, quis voluntatis humanæ capacitatem & immensitatem exprimere valet? sicut enim intellectu Deum cognoscere, sic etiam voluntate Deum amare potest homo, non solùm amore naturali, verùm etiam amore supernaturali; quid sublimius? estne cur Angelo homo debeat inuideri? intelligit Angelus Deum, intelligit & homo, amat amore electiuo supernaturali Angelus Deum, amat & homo, quid vltra?

Restat memoria, quæ tertia dicitur animæ potentia, quam thesauri arcem appellant, ibi omnia simul miro quodam modo retinentur, quæ vbique continentur. inuenies quidem in terra metalla, & lapides pretiosos, arbores, & cetera omnia, quæ in illa producuntur, in aqua pisces, & gemmas, in aere aues, in cœlo sidera,

sidera, & Angelos, & beatos, vbique Deum; in memoria verò hæc omnia simul sunt, simul omnia memoria capit, imò si in hoc magno mundo in hyeme vuas & poma quæ fieris, non inuenies, bene tamen in memoria; solem in nocte non inuenies, maximè verò in memoria. Denique sicut in essentia diuina omnia continentur, ita suo modo in hominis memoriam omnia cadunt, præterita, præsentia, futura, visibilia, & inuisibilia, temporalia & æterna, &c. Ex huiusmodi ergo potentijs animæ, quantus sit homo dignosci potest.

Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quid est, quòd, cùm reliqua Deus crearet, non *faciamus* dicebat, sed *fiat*, fiat lux, fiat firmamentum, &c. cùm verò hominem creare vellet, *faciamus*, inquit, &c. cur ita specialiori modo sic Deus hominem creauit? S. Isidorus: *Quantùm ceteris creaturis dignitate præstet homo, ex ipsa reuerentia deducitur creationis, dum per omnia dixit Deus: Fiat, & facta sunt; creare verò hominem cum quadam æterni consilij deliberatione voluit, dicens:* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Ita ille.

Lib sententi 1. 11.

9. Moral. 36. Item Sanctus Gregorius: *Quamuis per coæternum Patris Verbum cuncta sint creata, in ipsa tamen creatione ostenditur quantùm cunctis animalibus, quantùm rebus vel cœlestibus inanimatis homo præferatur. cuncta quippe dixit, & facta sunt, cùm verò facere hominem decernit, hoc, quod reuerenter pensandum est, præmittit, dicens:* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *Neque enim de eo, sicut de ceteris rebus scriptum est*, fiat, & factum est: *neque vt aqua, volatilia, sic terra protulit hominem; sed priusquam faceret, faciamus dicitur, vt videlicet quia rationalis natura condebatur, quasi cum consilio facta videretur, quasi per studium de terra psalmatur, & inspiratione conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur, vt scilicet non per iussionis vocem, sed per dignitatem operationis existeret, qui ad conditoru imaginem fiebat.* Ita ille. Vbi etiam obserua, quòd, sicut pictores, postquam imaginem aliquam miro artificio depinxerunt, solent in fine tabulæ imaginem suam imprimere, vt authorem tanti operis agnoscant, & ideo eam omni cura effingunt; sic Deus Opt. Max. postquam diuino artificio mundi fabricam confecerat, hominem ad imaginem & similitudinem suam creauit, quo author tanti operis, aliqualiter agnosceretur, ideò tanta arte & perfectione hominem plasmauit.

Genes 1. 28. Genes. 1. Sic Dominus ad primos parentes: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram.* Ecce hominis dignitatem. *hizolo Dios señor de todo lo que viue, señor de bien y mal tratar*, dans ei potestatem super vitas, quas Deus ipse viuentibus dedit. Vnde Dauid Psalm. 8.

Vers 8. Gen. 9. 2. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, &c. Et Genes. 9. sic Deus ad Noë: *Terror vester ac tremor sit super omnia animantia terræ*, &c. At dices, si tam absolutum dominum voluit Deus esse hominem super terram, cur homines hominibus subiecit, vt hic dominus illius dicatur, ille iudex, ille Rex? &c. Respondet S. Gregor. 21. Moral. 11. *Homo non rationabilibus, sed irrationabilibus præfatus est naturâ; ideo dicitur ei, vt ab animalibus, non ab hominibus timeatur, quia contra naturam est ab æquali velle timeri; sed tamen alios alijs diuina dispensatio præponit, vt humana formidine peccare metuans, qui diuina iudicia non formidant: & ideo, non hominibus, sed bestijs dominantur, quia qua parte bestiales sunt, ea formidini subtracti sunt.* Ita ille. Quare vir bonus etiam in captiuitate & seruitute liber est: non enim habet quem timeat. qui Deum timet: nihil namque bestiale habet, qui peccato caret; bestiale autem, ait S. Gregor. subijcitur alijs.

S. Greg.

Gen. 1. 26. Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Multa sunt in his verbis considerandæ, quæ hominis dignitatem commendant. Primum est verbum illud, *faciamus*; in creatione quippe aliarum rerum Deus nunquam tali est vsus modo loquendi, sed per verbum. *Fiat, fiat lux, fiat firmamentum*, &c. Cur igitur modò non ait, *fiat homo*, sed, *faciamus hominem?* adnotauit præeminentiam hominis ex illis verbis, *ad imaginem & similitudinem nostram*, dicens: Per ea quæ adiunxit, manifestum nobis facit, quo sensu posuerit imaginis nomen: subdit enim, *& dominetur piscibus maris, & volatilibus cœli, & omnibus animantibus, quæ mouentur super terram*; imaginem ergo dixit de principatu & dominio, quia Deus fecit hominem principem omnium quæ sub terra sunt, & nihil super terram homine maius est, omnia autem sub potestate illius sunt. Ita S. Chrysost.

Idem.

Hinc constat primò, quanta sit illius hominis ingratitudo, qui Deum mortaliter offendit; cui meritò dicere valeamus: *Generatio prava & peruersa, hæccine reddis Domino? nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit & creauit te? Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.*

Deut 32.

Secundò collige ex hac hominis nobilitate, quanta etiam in mioribus tuis debeat esse nobilitas; siquidem nobilem nobilia opera decent, ne degeneres in die iudicij inueniantur homines.

Quid si huic naturali hominis dignitati iungamus supernaturalem diuinæ filiationis eminentiam? S. Petrus Chrysol. serm. 10. exponens id Psal. 28. *Affer te Domino filij Dei*, &c. nomine filiorum Dei, non Angelos ait, sed homines intelligi, & subdit: *Audiamus fratres, quòd nos tulit diuina dignatio, quòd paternitas extulit nos superna; credamus nos Dei filios, respondeamus generi, vtamur cœlo, patrem similitudine reformamus, ne perdamus vitys, quod sumus per gratiam consequuti.* Ita ille.

Chrys.

In principio creauit Deus cœlum & terram. Quam ob causam vniuersi huius visibilis mundi vniuersa Dominus creauit? nulla enim creatura sibi Dominus indigebat, ab æterno Deus beatus & gloriosus se solo erat, absque hominibus & absque Angelis, & absque reliquis creaturis; nec modò his creaturis gloriosior in se nec ditior est: etenim creauit Dominus cuncta, non sui necessitate motus, sed bonitate ductus: *Bonum enim (vti cum S. Dionysio omnes Theologi aiunt) sui diffusiuum est*, non solùm vt finis, verùm etiam vt efficiens causa. Vide quàm largiter sol lucem communicet suam, & calorem ignis, & frigiditatem nix, & humiditatem aqua, & fructus suos terra. Vnde liberalitas hæc creaturarum, nisi ex bonitate quam à Deo participatam habent? Si ergo bonitas hæc creaturarum, quæ Dei bonitati comparari non valet, adeo communicatiua, & sui est diffusiua; quantò magis diffusiio hæc diuinam decet bonitatem? Ideo igitur Deus cuncta creauit.

Gen. 1.

Dion. c. 4. de diuin. nom.

Et hanc creationis rerum causam assignat Prosper in lib. sententiarum, dicens: *Tria quædam nobis maximè scienda de creatione creaturæ oportuit intimari; quis scilicet eam fecerit, per quid fecerit, & quare fecerit. Si ergo quæramus, quis fecerit, Deus est; si per quid fecerit, dixit & facta sunt; si quare fecerit, quia bonus est, nec author excellentior est Deo, nec ars efficacior Dei Verbo, nec causa melior, quàm vt bonum crearetur à bono.* Ita Prosper. Et Sanct. Gregor. Nazianz. oratione in natiuitate Domini, dicens: Quia summo illi bono non satis erat sua ipsius solùm contemplatione moueri, sed bonum diffundi & propagari oportebat: vt plura essent quæ beneficio afficerentur: id enim summæ bonitatis erat, & ideo cœlum & terram creauit.

Prosper.

Hinc deducere licet, quàm ob causam dixerit Ecclesiasticus cap. 10. num. 9. *Auaro nihil est scelestius.* 9. Quid? peccata contraria virtutibus Theologicis nonne scelestiora & peiora sunt? sunt quidem, sed tamen in quantum malum opponitur bono, quatenus est communicatiuum sui, nihil peius auaro secundùm genus suum: quia auarus est, qui suæ communicare renuit,

Eccles.

nuit, sibi acquirit, soli sibi retinet, sibi abscondit, & hac ratione Dei bonitati oppositus est.

Diximus vniuersa creasse Deum propter bonitatem suam, vt videlicet suis creaturis se communicaret; sed quia etiam talem inter res creatas ordinem instituit, vt alteram propter alteram etiam crearit: visibilia ergo cuncta secundariò Deus propter hominem, & in eius creauit obsequium, cœlum, & terram, & elementa omnia, & quidquid in cœlo & elementis produxit & producet. Nicolaus de Lira hîc: *Tota corporalis creatura propter hominem facta est, etiam ipsa corpora cœlestia.* Ita ille.

Sed habemus ad hoc certius Scripturæ sacræ testimonium, Deut. 4. *Ne forte oculis elevatu ad cœlum, videas solem ac lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus, adores ea, quæ creauit Dominus Deus in ministerium cunctis gentibus.* Itáne propter nos homines & propter ministerium nostrum? ita quidem.

Hinc est, quòd hominem vltimo loco crearit: Sicut enim cùm Rex Principi suo filio regiam constituere parat, priùs palatium construit, & supellectilem regiam præstat, famulorum ministeria ordinat, & demum Principem introducit, sic etiam Deus, hominem, quem rerum visibilium Principem instituit, non priùs formauit, quàm cœlum, & terram, & reliqua condidisset & ornasset: & tunc Dominus hominem creauit, quò illi significaret illius causâ cuncta se creasse. mirum valde: quid enim est homo de terra & puluere creatus, vt omnium visibilium causa ille sit? *Domine quid est homo, quòd memor es eius?* ait Dauid Psalm. 8. Quòd si memorem esse Deum Opt. Max. homunculi, ita magnum & mirabile est; quantò mirabilius esse dicemus, visibilia omnia propter eius obsequium Deum creauisse?

Sed hoc mirabile magis, quòd & ipsos Angelos in nostrum creauerit ministerium. Paul. ad Hebr. 1. de Angelis agens: *Nónne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?* Exclamat S. Hieronym. super cap. 18. Matth. expendens illa verba, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est*, dicens: *Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis suæ, in custodiam sui Angelum deputatum:* Si magnum id, quantò maius hoc, quòd omnes ex omni ordine nouem Angelorum deputati à Deo sint in ministerium nostrum, nec ordine ipso Seraphinorum demptо?

At, inquies, Dan. 7. sic habetur: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Quem locum expendens S. Gregor ait: *Ex Angelis alij sunt qui ministrant, alij verò sunt qui assistunt Deo.* Ita ille. Non ergo omnes ministrant: sed Apostolus, *omnes*, inquit, & qui *omnes* dicit, nullum excludit. S. Thom. lect. 6. in cap. 1. ad Hebræos, sic ista conciliat: *Sicut duplex est artificium genus: quidam enim sunt manu exequentes, alij autem non operantur manu, nec exequuntur, sed sunt artifices disponentes, & quasi præcipientes quid agendum sit; ita & in Angelis est, quia quidam sunt quasi exequentes, quidam quasi præceptores, præcipientes ea quæ agenda sunt; accipiendo ergo largo modo administratores, tam pro exequentibus, quàm pro imperantibus, sic omnes sunt spiritus administratorij.* Ita S. Thom. Cuius doctrina confirmari potest ex eo, quòd S. Dionysius, loquens de cœlesti Hierarchia cap. 9. dixit, se ab Apostolo Paulo accepisse, solos inferiores Angelos mitti & non superiores. Igitur omnes sunt administratores nostri, non quia mittuntur; sed quia alios mittunt ad ministrandum nobis; alij verò dirigunt mittentes secundùm ordinem præscriptum à Deo vtrisque. Sed tamen Apostolus *omnes* dicit, non solùm administrantes, sed etiam missos, & Isaias cap. 6. vidit missum vnum ex duobus Seraphim ad labia ei purificanda, & Angelus Raphaël missus fuit ad ministrandum Tobiæ, & tamen ipse de se, *Ego*, inquit, *sum*

A *vnus ex septem qui astamus coram Deo.* Sanct. Basilius in cap. 6. Isaiæ etiam Seraphim mitti in nostrum ministerium concedit. Sed, vt dictis S. Dionysij satis faciamus, non communiter dicemus mitti Seraphim, sed raro & præcipuas ob causas. Atque ideo credo, dixisse Apostolum Dionysio non mitti, nisi Angelos ad ministerium nostrum, ne sibi contrarium Apostolum quis censeat. *S. Basil.*

Sed libet addere quæ in huius confirmationem pulchrè arguit Sanctus Bernardus in festiuitate Sancti Michaelis. *Omnes* (inquit Apostolus) *sunt administratorij spiritus in ministerium missi*, &c. *Neque id cuipiam incredibile videatur, quandoquidem ipse Dominus noster Iesus Christus, Rex Angelorum, venit ad nos, non ministrari, sed ministrare.* Ita ille. Et verè missus &, vereministrauit, siquidem pedes discipulorum lauit. Quid igitur mirum, si omnes ordines Angelorum in nostrum ministerium à Deo mittantur? Sit nomen Domini benedictum in sæcula, qui nos adeo honorificauit & exaltauit. Agnosce igitur homo dignitatem tuam, & noli degenere conuersatione vilem traducere vitam; ad maiora siquidem creatus es, quàm vt sis mancipium corporis tui & dæmoniorum. *S. Bern.*

Hinc etiam deducere debemus, quàm bene meritus de nobis sit Deus, quantaque nos obligatione deuinxerit, cùm nos omnium rerum apicem & finem fecerit. quonam honore eum venerari, quanam obedientia ei parere, quonam diligere eum amore poterimus, qui prior nos ita honorauit, amauit, & magnificauit facere nobiscum? Quid ad hæc is qui mortaliter eum offendere audet? nónne hunc incendio æterno gehennæ dignum meritò iudicabis?

Qui exteriora hominis intuetur, & ea, quæ ad corpus eius spectant, despicabilem eum fortè iudicabit. Qui verò interiora hominis contemplatur, miram de ipso concipit opinionem; & quidem etiam in corpore humano sublimitatem quandam videmus, dum erecto corpore hominem in cedere intuemur: quod nulli animalium præter hominem concessit Deus. vnde rectè Ouidius libr. 4. Metamorph.

Pronaque cùm spectent animantia cetera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Ita ille. Quo quidem significare voluit, ad altiora & sublimiora creasse Deum hominem, quàm reliqua omnia animalia. Sed corpus omittamus, & ad mentem, & animam eius deueniamus. & quidem statim obstare hoc posse videtur, quòd animam non intuemur; sed huic obiectioni optimè respondit Sanct. Gregorius Nyssenus oratione 1. in id Genes. 1. *Faciamus hominem*, &c. dicens: *Sicut oculi nostri, cùm ea quæ sunt extra se, videant, se ipsos non cernunt, nisi lucidum aliquod, & solidum inspexerint, vnde reflexus obtutus, ac refluens, effietat, vt seipsos intueantur; sic animus noster alia cernens, se ipsum non videt, nisi per pturis sacris inhæserit, & incubuerit: lumen enim, quod in eis est, reflectitur, facitque, vt nos ipsos perspiciamus, & cognoscamus. Quoniam verò ea negligimus, nec in eis scire curamus, quomodo nos facti, & constructi simus; inde fit, vt, quid, qualesve simus, ignoremus.* Ita ille. *Es la sagrada escritura, para nuestro interior conocimiento, vn espejo cristalino resplandeciente, y solido, con cuya vista se causa vna reflexion de luz en nuestra alma, con que se conoce, y vee, como los ojos se veen assi mesmos por la reflexion del espejo.* Videamus ergo quid de interiori homine sacræ paginæ tradant. *Faciamus* (inquit Deus) *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis vniuersæ terræ.* Ponderat hæc verba Sanctus Gregorius Nyssenus, vbi suprà, dicens: *Non* (inquit) *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & irascatur, & concupiscat, & mœreat: perturbationes enim non cadunt in imaginem*

Genes. 1. 26.

Labatæ Tom. I.

Dei, sed ratio perturbationum moderatrix, ac dominasit, & præsit piscibus maris, &c. Tibi simul ac procreatus es, imperium est tibimetipsi datum. Qui magnum à rege in multos annos accipit principatum, homo ab homine, & à mortali mortalis, non tantam, quantam tu, accepit potestatem: ille enim à rege constitutur princeps, vt vni tantum regioni præsit; tu verò à Deo terræ totius imperium accepisti, diuinaque vox, non in tabulis ligneis, aut in volumimbus, sed in ipsa natura inscripta est, hoc est, No se diò la prouision real de Dios, como fuelen acà los Reyes darla de sus virreynados escriptas en papelo pergamino, sinò en la mesma substancia, y naturaleza humana. Rursum non dixit Deus: faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram; vt vescatur ex omni ligno fructifero, sed vt præsit. Ad imperandum factus est homo: Faciamus (inquit) hominem, vt præsit piscibus maris. Quomodo nos piscibus imperamus? quia hic, qui rationis præstantia dominatum est assecutus, piscando, tanquam fugitiua mancipia pisces qui velut vmbram hominis fugiunt, reuocat ad se, ex quo sit, vt balenæ & xiphiæ, seu gladij, & zygenæ, & serræ, & vituli marini, & reliqua terribilia cetorum genera, subiecta homini sint, y con ese sennorio los trahe de derecho natural à su mesa: præsit piscibus maris, quid vltra? & bestiis terræ. Grauem, ac frementem leonem non aspicis, cuius vel nomen ipsum ferri non potest, fremitibusque terrã qui tremefacit? attamen illum in paruo viuario inclusum vides. Quis illum cohibuit? quis illum domuit? quis exiguum ingenti animali carcerem excogitauit? Nónne homo? si sæuissimas quasque feras sibi ludum facit: nónne pantheras homo illudit, obiectã chartã depictam hominis speciem præ se ferente? illæ corrptam chartam discerpunt; homo verò infrà positus, ferarum stultitiam deridet. Nónne igitur omnibus antecellit? Quid de voluc ribus dicam? in aera non ascendit homo; at auium volatum vi rationis assequitur. Vidisti aliquando in summo arboris ramo insidentem voluerem securam, & homines aspernantem? hanc tamen puer ludens comprehendit: calamos enim subijcit, & eos illinit visco, & sic exiguo contactu eam capit, obstrictamque tenet eam, quæ incolit aerem. Infra quidem est homo, infra est illius manus, sed suprà ascendit cogitatio, atque ita nihil est, ad quod homo arte non perueniat. Alites ergo retibus, & sagittis petit, escã illas allicit, & venatur. Nónne aliquando vidisti aquilam inhiantem prædæ plagis irretiri? & sic quæ volatu sublimia petebat, humanis illecebris trahitur deorsum: omnia enim hominis manui subiecit Deus. Nihil ergo rationem hominis coercere potest, siquidem hæc quæ in profundissimis partibus pelagi sunt, scrutatur, venatur ea, quæ incolunt terram, capit, quæ versantur in aere. Vides, ô homo, in quo consistat, te factum esse ad imaginem, & similitudinem Dei? vides dignitatem, & nobilitatem tuam? cur te ergo peccatis in seruitutem tradis? cur te constitutis diabolo mancipium? cur dignitatem tuam abijcis? verum mundi conditutus es princeps, cur naturæ tuæ dignitatem non attendis? Ita S. Greg. Nyssenus.

Idem Sanctus Greg. Nyssenus lib. de hominis opificio, cap. 2. quærit, cur Deus hominem vltimo creauerit loco in rerum creatione, & respondens, ait: Consentaneum non erat imperatorem existere priùs, quàm eos, quibus esset cum potestate præfuturus. Præparato nimirum ante omnia imperio, proximum deinde erat, regem designari. Idcirco Vniuersitatu creator ei, qui imperaturus erat, sedem quamdam regiam præstruxit; ea verò terra est, & insulæ, & mare, & cœlum, quo hæc omnia, tanquam cœlo concamerantur, & in his palatijs omnis generis opes condítæ sunt: opum verò nomine vniuersa intelligo creata, plantas, & germina, & cetera, sensu & vita prædita, & insuper aurum, argentum, & gemmas, quas homines vsque adeo expetunt, in terræ sinus velut in regios abdidit thesauros. Deinde hominem designauit horum mundi miraculorum partim spectatorem, partim dominum, qui de eorum fruitione sapientiam, & potestatem eius, qui hæc administrasset, agnosceret. Hæ igitur causæ sunt, ob quas post creata omnia sit conditus homo. Atque, vt egregius conuiua-

A tor, antequam cibi parati sint, conuiuam in domum suam non deducit, sed omnibus primò eleganter instructis, aditus, cœnaculo, mensa splendidè ornatis, & denique rebus omnibus ad victum necessarijs, comparatis; tum demùm conuiuam excipit; ita opulentus ille, & sumptuosus conuiuator Dominus, orbe eleganter ornato, & epulis magnis instructo, qui omnis generis delicias haberet, tum demum hominem introduxit, cuius esset opus, non ea quæ abessent, parare, sed oblatis frui. Ita Sanct. Gregor. Nyssen. Hanc etiam hominis præstantiam expendit idem Sanctus ibidem cap. 3. ponderans illa verba: Faciamus hominem ad imaginem nostram, vt præsit, &c. cur scilicet non dixerit: fiat homo? sicut dixerat, fiat lux, fiat firmamentum, &c. Veluti cum quadam prædeliberatione, dicens: ô rem admirandam! sol creatur nulla deliberatione præcedente, eodemque pacto cœlum, vno verbo huiusmodi rerum naturã miraculum extitit, neque inde vel quomodo ea facta sint, expositum est, & idem in cæteris rebus vsu venit, æther, sidera, aer, mare, terra, animalia, & plantæ, omnia vno Dei verbo producta sunt; ad solius hominis fabricationem, creator ille vniuersitatis rerum, quadam cum considera-

B tione accedit, præparatáque opificij materiã, fine etiam proposito, ad quem homo creandus esset: Deinde naturam Deo ipsi consimilem, & actionibus affinem fabricat, qua operam destinaretur, esset aptiss.ma. Ita ille. Et in eodem lib. cap. 4. dignitatem & excellentiam hominis prosequitur, dicens: Sicut in rebus humanis artifices instrumentis rerum rerum, quæ fabricantur, formam talem tribuunt, qualis esse ad vsum, cui destinantur, aptissima videri potest; sic præstantissimus ille verum omnium artifex, naturam nostram condidit, velut instrumentum quoddam regno administrando idoneum, vt esset ad hoc homo quàm aptissimus, cum præstantissimis animi dotibus, tum eã, quam cernimus, corporis forma eum exornauit. Et animus quidem excelsam, & regiam dignitatem suam longè ab humilitate priuata remotam in eo declarat, quòd dominum nemmem agnoscit, & ex suo arbitrio agit omnia, ac mero, & summo imperio, vt ipsi libet, semetipsum gubernet. cui tandem hoc conueniat nisi regi? Præterea hominem naturæ diuinæ (cuius omnia parent imperio) imaginem esse, nihil esse putandum est aliud, quàm regium ei decus in ipsa creatione tributum esse. Sicut enim pictores, qui regias imagines faciunt, naturæ formæ indicia effingunt, & etiam purpuræ amictu regiam exprimunt dignitatem, & ea imago deinde suis numeris absoluta, ex consuetudine rex appellatur: sic & hominis natura ita condita, vt reliquorum creatorum domina sit, propter eam, quæ regem mundi huius refert, similitudinem, imago quasi viua creata est, cum qua & dignitas, & nomen exemplaris principis ei communicaretur. Atqui hæc imago non purpurã exornata est, neque sceptro, & regiã fasciã, præstantissimam dignitatem suam vt ostentaret, necesse habebat. Quando ne ipsum quidem exemplum, ad quod ea conformata, rebus huiusmodi gaudet; sed pro purpura virtute amicta est, quo cultu nihil magis regium esse potest; pro sceptro, beatitate immortali sublimata, pro regia fascia, iustitiæ corona exornata, denique de omnibus, quæ regiæ maiestati conueniunt, apparet vnam hanc imaginem pulchritudinem principis exemplaris accurate referre.

C

D

ADDITIO.

POstremus creaturarum omnium homo, specie gratus, mente sublimis, vt omni esset creaturæ miraculo: Et paulò pòst: ita mens hominis videt omnia & non videtur, habens sui inuisibilem substantiam, disciplinis & consilijs ac sensibus comprehendit latentia, penetrat occulta maris, atque omnia diffusa terrarum latibula vtrusque scrutator naturæ ad similitudinem Dei summi, quem imitatur & sequitur, cuius imago pro exiguis portionibus in singulis figuratur. Eleuans quoque se in aërẽ, & eius nubilosa prætergrediens, ad cœli alta se dirigit, studio cognitionis, & ardore sapientiæ, vbi pulsper stupefactus admiratione stellarum cælestium, & luminum

S. Ambr. l. 6. hexam. c. 8. 9.

,,delectatus claritate, prospiciens desuper mundana ista, confe- A
,, rens quoque se ad Hesperum atque Arcturum, & cæteros illos
,, ἀκατάπλ. πλανήτας, & videns quòd stoffensus ille sit error, quem
,, sine errore, quo magis omnia obeant, intexere atque oberrare
,, videantur, maiore se cupiditate attollit ad ipsum gremium pa-
,, tris, in quo est vmgentius Dei filius enarrans secreta Dei, &
,, faciæ ad faciem postea reuelanda. Hunc tamen quibus dignatur
,, ex parte demonstrat, atque in enigmate, simulque de spiritu
,, & vultu suo splendorem luminis, more terrentis, effundit, vt eo
,, illuminatus dicat, & erat ignis flammigerans in ossibus meis,
27. ,, & dissolutus sum vndique, & ferre non possum. Et Dauid ait:
16. ,, De vultu tuo iudicium meum prodeat. Hoc igitur mentis vigo-
,, re, vt reuertar vnde digressus sum, quo & externa subigit, &
,, separata & distantia videt, & validiora viribus animalia sub-
,, igit, tantam cæteris venerationem sui infundit, vt certatim
,, quasi regi obediant, voci eius obsecundent. Et cùm sint irratio-
,, nabilia, rationem agnoscant, & disciplinam eam imprimant,
,, quam natura non tribuit. Denique videntes feræ eius mansue-
,, tudinem, eius imperio mansuescunt. Sæpe suspenderunt morsus
,, suos, reuocante sono vocis humanæ. Videmus innoxio canum B
,, dente lepores sine vulnere capi. Leones quoque ipsos, si vox ho-
,, minis resiluerit, prædam demittere. Pardos atque vrsos in-
,, citari ac reuocari vocibus: equos plausu hominum fremere,
,, silentio mollire cursum. Denique sæpe sine verbere prætereunt
,, verberatos. Ita vehementius illos incitat lingua flagellum. Quid
,, verò de muneribus loquar? Nutrit aries vellera, vt placeat ho-
,, mini, atque in fluuio mersatur, vt nitorem augeat. Oues quoque
,, meliora pabula legunt, vt suauiore succo lactis fœta distendant
,, vbera, subeunt partus dolores vt homini sua munera ferant.
,, Tauri depressos sulcis per totum diem aratro gemunt. Cameli
,, prater subeundi oneris obsequia, tondendos se exhibent vt arie-
,, tes, quo, velut regi, diuersa animalia tributum suum conferant,
,, pendantque vectigal annuum. Equus tanto se iactans equite,
,, glomerat gressus superbos, atque ad domini adsensum dorsus
,, sinuatus heriti tergasubsternit sedili. Sed ne fortè adhuc mo-
,, ueat quòd nouissimus homo factus sit, idem equus nos docet C
,, non ad contemptionem referendum esse, sed honorem porta-
,, posteriorem suum, nec despicit, sed reformidat, & per diuersa
,, eum suo circumfert labore. vno momento homo longinqua obit,
,, circumerrat distantia, tum equis singularibus, tum quadrigis
,, triumphalibus. Et quoniam triumphales memorani quadrigas,
,, necesse est attexam ijs currus Eliæ, quibus per æëra vectus est.
2. Currus elephantorum, quibus homo victor assistens, cùm sit
8. postremus, priores regit. Sic quoque gubernator nauis in puppi
15. sedet, & totam nauem gubernat. Vnde puto illud non otiosum
,, esse in Euangelio, quod dominus Iesus in puppi dormiebat, de-
,, nique excitatus imperauit vento & mari, & sedauit tempe-
,, statem, ostendens ideo se nouissimum venisse, quia gubernator
,, veniret. Vnde Apostolus ait: factus est primus homo Adam in
,, animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum vinificantem.
,, Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde
,, quod spirituale. Et addidit: primus homo de terra terrenus,
,, secundus homo de cœlo cœlestis. Rectè ergo nouissimus, quasi
,, totius summa operis, quasi causa mundi, propter quem facta
,, omnia, quasi omnium habitator elementorum inter feras viuit,
,, cum piscibus natat, super aues volat, conuersatur cum angeli-
,, bus, terram inhabitat, & cœlo militat, sulcat mare, aëre pasci-
,, tur, cultor soli, viator profundi, piscator in fluctibus, in aëre
,, auceps, in cœlo hæres, Christi cohæres. Hæc secundùm indu-
,, striam. Accipe etiam quod supra hominis substantiam. Moy-
,, ses in imo ambulauit mari, in summo Apostoli, Abacuc
,, sine pennis volauit. Elias in terris viuit, & in cœlo triun-
,, phauit.

PROP. II. *Homo Dei imago est, & hinc colligitur eius excellentia.*

SEd quod magis hominis dignitatem auget, est, hominem imaginem & similitudinem Dei esse. Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Quid est, ad imaginem & similitudinem Dei hominem esse?

Abulensis: Hebræi consistere hanc imaginem in eo aiunt, quòd sicut Deus replet totum mundum; sic anima totum corpus, & sicut vnus Deus præest vniuerso mundo, sic vnica anima præest cunctis corporis membris; & sicut Deus non inquinatur sordibus mundi, in quo est, ita nec anima vlla corporis labe; & sicut Deus videt omnia & à nullo videtur, sic & anima videt, & non videtur. Ita ille. Sed huiusmodi ratio similitudinis proprietatem, de qua hîc agitur, non attingit. *Super c 1: Gen 9. 28.*

S. Basil. & S. Gregor. Nyssen. & S. Chrysostomus, propterea censent hominem ad imaginem Dei esse factum, quia sicut Deus omnibus rebus, ita & homo cunctis animantibus dignitate præcellit, dominio, imperio, ac potestate. S. Augustinum nostram eò (ait) esse ad imaginem Dei, quòd sit immortalis, & indissolubilis. *Hom. 10. in Gen. Hom. de creatione hominis. In hunc locum. Lib. de quantitate animæ c. 12. Tract. 8. in 1. Epist Ioannis. P. 31. 8.*

Et quærit, in quo est factus homo ad imaginem Dei? Et *respondet, in intellectu, & mente, in interiori homine, in eo quod intelligit veritatem, diuidicat iustitiam & iniustitiam, nouit à quo factus est, & potest intelligere creatorem suum. Ideo cùm multi per cupiditates malas ipsam quodammodo intelligentiæ flammam pernersitate morum extinguerent, clamat illis Scriptura:* Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, *hoc est, dicere: præposui te equo, & mulo, & te ad imaginem meam feci, & potestatem tibi super ista dedi; quare? quia non habent feræ rationalem mentem; tu autem rationali mente capis veritatem, intelligis, quod supra te est, infra te erunt illa, quibus præpositus es.* Ita Sanctus Augustinus. Qui etiam in libris de Trinitate sæpe disputans de hac imagine, ad quam factus est homo, docet ea re hominem referre imaginem Trinitatis, quòd intelligat seipsum, & intelligendo se producat in seipso verbum intelligibile, expressiuum sui ipsius, & hinc procedat amor: quod mirificè adumbrat duas in Trinitate personas, alterum filij personam verbi intelligibilis, alterum Spiritus sancti per modum amoris.

S. Ambrosius. *In hoc, ait, esse hominem ad imaginem Dei, quòd sicut Deus, cùm sit vnus, est totus in quauis mundi parte, & totus in toto; sic anima hominis est tota in toto corpore, & tota in quauis eius parte, mouens, regens, & gubernans eas, sicut Deus, creata. Et sicut Deus est vnus in essentia, & trinus in personis, sic anima est vna in essentia sua, & trina in potentijs suis.* S. Gregor. Nyssenus. *Homo, inquit, est factus ad imaginem Dei, eò quòd factus est omni bono capax: bonitatis enim plenitudo diuinitas est.* Ita ille. *Lib. de dign. cor. hom.*

Damascenus, hominem ait ad imaginem Dei esse, significat illum esse intellectualem, & liberi arbitrij, & per se potestatium. *Lib. 2. fidei.*

Magist. Sent. *Factus est* (inquit) *homo ad imaginem & similitudinem Dei, secundùm mentem quâ irrationabilibus antecellit: sed ad imaginem secundùm memoriam, intelligentiam, & dilectionem; ad similitudinem verò secundùm innocentiam & iustitiam.* *In 1. dist. 16.*

Beda refert, secundùm Origenem rationem imaginis consistere in æternitate, & in moribus, & secundùm Faustinum sex modis animum nostrum esse similem Deo, nempe quia est immobilis, velocissimus, inuisibilis, incorporeus, subtilis, & æternus. S. Thomas, expressiùs assignat hanc dignitatem hominis, quæ in Dei consistit imagine, ac similitudine, supra reliquas irrationales creaturas; ait ergo, quòd cùm in omnibus creaturis sit aliqualis Dei similitudo, in sola creatura intellectuali inueniatur similitudo Dei per modum imaginis; in alijs verò creaturis per modum vestigij (*vn por aqui passo y andubo Dios.*) Probat hoc S. Thomas, *quia non quælibet similitudo, etiamsi sit expressa ex altero, sufficit ad imaginis rationem: si enim similitudo sit secundùm genus tantùm, vel secundùm accidens commune, non propter hoc dicetur aliquid esse ad similitudinem alterius. Non enim posset dici, quod vermis, qui oritur ex homine, sit eius* *In expos. allegor. in Gen.* *1. p. q. 93. a. 1. & 2. & 6.* *In d. a 2.*

imago, propter generis similitudinem. Neque dici potest, quòd si aliquid fiat album ad similitudinem alterius, quòd propter hoc sit ad imaginem eius, quia album est accidens commune pluribus speciebus. Requiritur autem ad rationem imaginis, quòd sit similitudo secundùm speciem; sicut imago regis est in filio suo, vel ad minus secundùm aliquod accidens proprium speciei, maximè secundùm figuram, sicut hominis imago dicitur esse in cupro. Vnde significanter dicit Hilarius, quòd imago est In Lib. de Synodo. *species indifferens: manifestum est autem quòd simile tudo speciei attenditur secundum vltimam differentiam. Assimilantur autem aliqua Deo. Primum quidem communiter, in quantum sunt; secundò verò in quantum viuunt; tertio verò in quantum sapiunt seu intelligunt, quæ, vt Augustinus dicit, ita sunt* In l. 83. qq. q. 51. som 4. *Deo similitudine proxima, vt in creaturis nihil sit propinquius. Sic ergo patet, quòd propriè loquendo solæ intellectuales creaturæ sint ad imaginem Dei.* Ita S. Thom. Quare tanta est hominis excellentia supra reliquas visibiles & corporeas creaturas, quanta est inter imaginem alicuius, & eius vestigium: reliquæ enim creaturæ attingunt secundùm quid Deum, homo in eo quòd in Deo supremum est, esse nempe intellectuale, per quod Deus beatus & gloriosus est, quo nihil sublimius, nihil excellentius in ipsomet Deo possumus imaginari, & ad hoc supremum esse Dei attingit miro modo intellectualis creatura; ita vt si Deus intelligit, & homo intelligat, si Deus se intelligendo, beatus ac gloriosus est, sic etiam homo cognoscendo clarè ipsum Deum, beatus & gloriosus etiam est.

Quare si ex sacris Authoribus breuiter rationem imaginis & excellentiam humanæ conditionis collectam vis, accipe octo eius gradus. Primus est naturæ intellectualis, qui in Deo superior est reliquis, quos mente nostra in Deo abstrahere possumus. Secundus est, quòd non solùm intellectu, sed etiam voluntate & memoriâ præditi sumus. Tertius quòd incorporei sumus quoad animam. Quartus immortales, secundùm eandem. Quintus dominum ac principem esse super omnia inuisibilia. Sextus liberum arbitrium habere, quo reliqua animantia carent: non enim agunt, sed aguntur. Septimus capacem esse scientiarum, & artium, & sapientiæ, & virtutum naturalium, & supernaturalium, & donorum, & fructuum Spiritus sancti, & gratiæ supernaturalis, quâ diuinæ naturæ efficimur consortes. Octauus, quòd etiam capaces sumus beatitudinis naturalis, quæ in optima Dei cognitione naturali consistit, & etiam beatitudinis & gloriæ supernaturalis, quæ in clara Dei consistit visione. Quid altius, quid amplius de dignitate nostra dici, vel excogitari potest?

Lib de Parad. Lib. 1. de hom. c. 2. Lib 2 de fide. c. 11. Quare Sanctus Basilius, & S. Gregorius Nyssenus, & S. Damasc. aiunt, quòd, sicut princeps, qui, à se condita vrbe præclara, sui ipsius imaginem in ea constituit, & venerari publico iubet edicto, sicut olim fieri consueuit; sic ab orbe condito conditor ipse Deus imaginem suam erexit, hominem scilicet, quem & reuereri ab omnibus animantibus voluit, & in ea principatum habere.

PROP. III. *Homo quàm humilis creatura sit.*

Pro fer 4. Cinerum. Arist. ROgatus Aristotel. quid esset homo, sic respondit: *Homo est imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, inuidiæ, & calamitatis trutina, reliquum vero pituita, & bilis.*

Primò *imbecillitatis exemplum*: non enim fortis, vt vrsus, aut draco, aut alia huiusmodi animalia, quæ secum à natura arma sortia ferunt; sed ita inermis est homo, vt ab araneo appetitus, facilè perimatur ab eo, sine armis, sine viribus: superbum hoc animal imbecillitatis exemplum est.

Secundò *temporis spolium*, quia absque intermissione eius vita à tempore spoliatur; priùs à tempore infantiâ spoliatur, illico pueritiâ, post iuuentute, post virilitate, deinde vitâ ipsâ, nisi priùs, antequam ad senectutem perueniatur, eâ spolietur. vnde meritò tempus trophæum suum super sepulturam erigere posset, hac subscriptione, *Temporis spolium*.

Tertiò *fortunæ lusus*. Solent pueri pupulas habere, vulgò, *munechas*, quas iam vestibus ornant, iam exornatas denudant, iam in altum extollunt, iam in terram prosternunt, iam amplexantur, iam abijciunt à se. hic puerorum lusus est, at exprimit ad viuum hominis fortunam, seu, vt Christianiùs loquamur, vitæ, ac naturæ suæ conditionem: hodie secundo vento nauigat, cras tempestatibus agitatur; hodie gloriâ & honore coronatus incedit, cras dedecore affectus, lucem fugit, hodie dies, cras pauper, hodie lætus, cras mœrens, hodie sanus, cras infirmus, postridie sepultus, nónne tibi homo hic fortunæ lusus videtur?

Quartò *inconstantiæ imago*; quia nunquam sui propositi tenax est: iam enim amat, iam odio prosequitur, quod amabat, iam desiderat, iam fugit ab eo, quod desiderabat, nunc reprobat, quod paulò antea probabat, iam sperat, iam audet, iam timet, iam lætitiâ dissoluitur. Estne super aliquam turrim index, ventorum impulsibus in tot, ac tam varias, & contrarias partes reuolutus? Meritò ergo dicitur, *inconstantiæ imago*.

Quintò *inuidiæ, & calamitatis trutina homo est*; quia licet animalia irrationabilia calamitates aliquas experiantur, non tamen tot ac tantas, quot & quantas homo: non enim inter illa ita fœuit fames, nec pestis, nec bellorum fœuitia, non tot infirmitatibus quatiuntur, non paupertate affliguntur, sicut homo; non dedecore & ignominiâ afficiuntur, vt homo; denique non inuidiâ exagitantur, vt homo, qui non solùm calamitatibus suis, sed etiam prosperitatibus proximorum torqueri solet; quâ quæ miseria maior? Rectè igitur Philosophorum princeps, Homo, inquit, est calamitatum, & inuidiæ trutina, imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, & siquid reliquum est, pituita, & bilis: talis est homo Philosophi testimonio.

Sed ad sacram accedamus Scripturam, & illam maximè attendamus definitionem moralem, quam tradidit S. Iob, cap. 14. *Homo*, inquit, *natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* *Iobus. 14.* *Homo*, inquit, *natus de muliere*, non ex aliqua solis, vel cœli parte procreatus, *breui viuens tempore*, testes esse possunt omnes, quos nouimus mortui, *repletur multis miseriis*, huius rei testimonium sufficiens reddere viui possunt. At dices, non omnes, vel non semper ita homines miserabiles sunt, *de todo ay*: sunt & aliqui felices, & gloriosi adhuc in mundo. Audi quid Iobus subdat: *qui quasi flos egreditur, & conteritur*, quasi dicat, sit ita, sit aliqua gloria mundi, at floris gloria hæc. Consonat rectè S. Isai. cap. 40. *Vox dicentis: clama*, id est, audiui vocem dicentem mihi: *Clama, & dixi: Quid clamabo?* cui Dominus: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius sicut flos fœni.* Quid leuius? quid debilius? quid contemptibilius fœno? talis ait Deus, ipsa est caro, id est, omnis homo, siue pauper ille sit, siue dives, siue seruus, siue Rex, siue idiota, siue sapiens, omnis caro fœnum. At gloria eius, qualis? *Et omnis gloria eius, sicut flos agri*, non horti, qui seruari à Domino sollicitè solet, sed agri, qui à solis calore vehementi marcescit, & siccatur, à frigore constringitur, & perimitur, à gregibus pascitur, à viatoribus teritur vel conteritur. Tot igitur, & tantis casibus gloria mundi expolita est, talis est gloria hominis, quia talis & homo. *Isaiæ. 40.* *Iudith. 8.* ille præ tristitia sola proiecit se in lectulum, & non comedit, sicut Achab, quia negata illi fuerat vinea quædam.

eg.21. quædam. imò præ sola tristitia perijt Rex Antiochus, &
Iac.6. omnis regia gloria eius. Aman gloria ingens vide-
per.3. batur, vide autem vnde omnino contristatus est & ira-
tus fuit valde, quia scilicet ante illum genua non flexit
Mardochæus. Denique amor, qui suâ naturâ suauis, &
g 13. viuificus est, Amnon principem consumebat, nónne
sœno infirmiorem huiusmodi creaturam dices? qua-
lem igitur gloriam eius tu iudicabis? Meritò ergo Iob,
4.2. *Quasi flos*, inquit, *egreditur, & conteritur*, & quamuis nullo
extrinseco accidente conteratur; ipsa suapte natura
conteritur. Rectè igitur Iob: *Homo quasi flos egreditur &
conteritur.*

Præterea. *Fugit velut vmbra*, inquit: neque minùs ho-
mini congruit vmbræ comparatio: quid enim est vm-
bra, nisi priuatio quædam, & defectus lucis? quid et-
iam homo, nisi priuatio quædam lucis, ignorantiæ
tenebris circumseptus, pauper consilij, & inops proui-
dentiæ, oculis apertis cadens, quia deest illi fol iusti-
tiæ & intelligentiæ lumen? imò non solùm est priua-
tio lucis, sed vniuersalis quædam bonorum priuatio, B
priuatio scilicet rectitudinis, quia vitijs abundat, priu-
atio gaudij, & lætitiæ, quia semper querulus, & tristis
incedit, priuatio bonorum temporalium, quia semper
quærit pro suis necessitatibus remedia, priuatio salu-
tis, quia semper hæc, vel illa infirmitate vexatur, priua-
tio vitæ, quia natus, continuò incipit mori, & citò pri-
uatur vitâ, priuatio boni, quia semper aliquo tenetur
malo, & malum ex quocumque defectu, bonum verò
ex integra causa. Vnde rectè vmbra bonorum, non
bonus dici potest. Dicat ergo S. Iob: *Homo natus de mu-
liere*, &c.

Sed meliùs quidem adhuc homînem definiuit Do-
19. minus Genesis 3. cùm de homine hominî dixit: *Puluis
es, & in puluerem reuerteris*, quia vmbram, florem, fauil-
lam, & alia his similia hominem esse dicere, metapho-
ricè fit; at *pulvis* ab intrinseco, & ex propria ratione
congruit nobis: non enim per Metaphoram, sed per
proprietatem, homo puluis est, & in puluerem reuersu- C
4 rus. Vnde Psalm. 145. *Exibit spiritus eius, & reuertetur in
terram suam.* Pondera verbum: non enim dixit, & reuer-
tetur in terram, sed *in terram suam*, quia esse terram,
suum quidem, ac proprium est. Et nota, quòd de prin-
cipe seu Rege loquitur ibi: dixerat enim: *Nolite confidere
in principibus*, &c. & subdit, *exibit spiritus eius, & reuertetur
in terram suam*, quia non solùm agricola, qui terram co-
lit, terra est, sed etiam Rex, qui super aureum thronum
exaltatur, terra pariter est. Item *terram suam* ait, quia
sola terra ab intrinseco est, reliqua ab extrinseco con-
ueniunt ei, argentum, aurum, lapides pretiosi, diuitiæ,
honores, deliciæ, dignitates, imperia, & alia huiusmo-
di, extrinseca sunt, mundi bona sunt; at ex terra pro-
creatus, ex terra consistens, in terram conuertendus, in
terram nempe suam. Ecce hoc est omnis homo. *terra,
puluis, cinis.*

10.9 Quid inde? inferat meritam conclusionem Spiritus
Dei Eccles. 10. *Quid superbit terra, & cinis?* quasi dicat, D
quid inter omnia elementa vilius, & abiectius? nec
enim ignis conculcare se sinit, nec aer, nec aqua, ter-
ra est, quam pedibus terimus, calcamus, despicimus,
terra inter omnia elementa crassior, grauior, obscu-
rior, inferior, densior, & inferioribus qualitatibus
affecta, frigiditate scilicet, & siccitate, quæ princi-
Hor. pia mortis esse, dicit Aristotel. Vnde Ouid. 1. Meta-
d. morph.

Densior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et pressa est grauitate sui.

Ignobiliori ergo comparatur homo, imò ex illo con-
stat, & talis existit, *Puluis es*, inquit, quid igitur super-
bit terra & cinis? quidni propterea intolerabilis Deo,
& hominibus etiam nostra superbia videatur? Audi
cl. 25.3. Eccles. 25. *Tres species oderunt anima mea, & aggrauor valde
animæ illorum: Pauperem superbum, diuitem mendacem, senem
fatuum, & insensatum.* Ab hoc vltimo incipiamus. Tres, A
inquit, species hominum mihi molestissimæ sunt, senex
insensatus; quod iuuenis inexpertus, & in iuuentutis
flore lasciuiens, insensatus sit, nõ adeo mirum: at quòd
senex plenus diebus, & canus, & experientiâ ex cuẽti-
bus multiplicibus rerum, nihilominus insipiens, &
insanus sit, aggrauor inde valdè. Secundò diues men-
dax; quòd pauper inopiâ pressus, & necessitatibus pro-
uocatus, mentiatur aliquandò, non ita mirum: at diui-
tem, qui non eget, mendacijs vitam sustentare, intole-
rabile mihi est. Denique pauper superbus; quòd diues
diuitijs eleuatus, superbiat, non ita mirum: at pauper-
em, quem suamet inopia deprimit, & humiliat, super-
biâ extolli, & inflari, quis tolerare valeat? Nunc ad
rem, nos homines pauperes facti sumus nimis post pec-
catum, & insuper terra, & pulvis sumus, & in terram,
& puluerem reuerturi. Vnde igitur nobis tanta super-
bia? quòd Angelus plenus sapientiâ, & decore diues
valde, à terra, & puluere mundus, *limpio de pollo y de paja*, B
erigatur, non adeo mirum: at homuncio pulueulen-
tus, cui non intolerabilis erit?

Vnde Eccl. 10. *Non est creata hominibus superbia. No se* Eccl. 10.
haze con el hombre soberuia, ac si diceret: non est con- 21.
gruens locus terræ cœlum, non locus altus, sed om-
nium inferior, quia locus congruit locato; terra autem
omnium elementorum est inferior; sic non est aptus
superbiæ locus, homo, quia superbia altitudinem, &
excellentiam dicit, homo terra est: non igitur est creata
hominibus superbia.

Vnde iure ibidem dicit, Eccles. *Odibilis coram Deo, &* Ibid. v. 7.
hominibus est superbia. Deo, clarum est, nobis etiam, quia
quamuis homines non simus, & nemo in sua causa bo-
nus iudex, hac in re homini ipsi iudicium committi
potest: quantũuis enim cœcus ille sit, humanam fragi-
litatem negare nequit: mors enim docet quotidiana, &
sepulchra defunctorum. Vnde quidam:

Quid sumus, ô miseri, quos tanta superbia tollit?
Mors docet assiduè, puluis, & vmbra sumus.

Memento igitur homo, quia puluis es, & in puluerem
reuerteris.

Sanctus Chrysostom. tom. 5. homil. 2. de incompre- Chrysost.
hensibili Dei natura. Tantum est inter Deum, & ho-
minem discrimen, quantum inter figulum, & lutum,
imò longè amplius: quippe cùm luti, & figuli eadem
natura sit, quòd si homo nobilior, & formosior luto
videatur, hoc non diuersitate naturæ, sed artificis pro-
uenit ingenio: nam materiæ quidem ratione, nihil in-
ter lutum, & te interest. quòd si non credis, sepulchra,
& monumenta inspice maiorum tuorum, illa suo
exemplo facilè tibi persuadere possunt, te puluerem ac
lutum esse. Discrimen ergo inter figulum ac lutum
nullum est.

PROP. IV. *Homo quàm excellens creatura sit ex parte animæ.*

MIrabatur adeo Propheta Dauid Dei erga homi-
nem dignationem, quòd vel illius memoriam
haberet. *Quid est homo*, inquit, *quod memor es eius?* memor, Psal. 8.5.
& amplius nihil: tantus enim est Deus, vt vel hominis
recordari in hominis honorê itacedat, vt hoc solùm in
maximam nostri generis laudem dici possit. Quid cùm
magnificauerit multò amplius Deus Dominus facere
nobiscum? non de supernaturalibus loquor, sed de
naturalibus nostris, de quo S. Chrysostom. hom. 7. ad Chrysost.
popul. *Cùm audieris, quòd cœlum, terram, mare, aquam, &
stellas multas, duo luminaria magna, plantas, quadrupedes,
natantia, & volatilia, & generaliter omnia, quæ videntur, pro-
pter te, tuamque salutem, & honorem Deus creauit, non ma-
gnam capis consolationem? & maximam Dei demonstratio-
nem hanc suscipis? quòd tantum ac talem mundum, tam pul-
chrum, & magnum, & admirabilem propter te in medium*

protulit? Cùm igitur audis quòd in principio creauit Deus cœlum, & terram, ne simpliciter dictum prætercurras, sed terræ magnitudinem mente perscurre, & vide quàm lautam, & opimam produxit mensam, & multa nobis pabula delectabilia præbuit, &, quod maximum, in nullorum laborum retributionem dedit, nec in meritorum præmium, sed simul nos creauit, & hoc regno genus nostrum decorauit. inquit enim: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Principatus imaginem dixit, vt sicut nullus in cœlo est Deo superior, sic super terram nullus sit homine superior. Primo igitur hominem honorauit, quòd ad imaginem suam ita fecit: secundo quòd non in laborum præmium nobis imperium præbuit, sed solam exhibuit benignitatis suæ gratiam: tertiò autem, quod naturale nobis illud elargitus est. Principatus enim bi-qui dem naturales, hi verò electi sunt, & naturales quidem, sicut leonis in quadrupedes, & aquilæ in aues: electi verò licut esse solet principatus regum inter nos: huiusmodi enim rex, non naturâ conseruis imperat, & propterea sæpe principatum amittit: talia enim sunt, quæ naturalia non sunt, vt facilè insidiis, & translationem admittant; non irâ leo, sed naturâ quadrupedibus dominatur, sicut & volucribus aquila. Semper igitur cum genere coniuncta est species regni, nec vnquam quis vidit leonem hunc amittentem principatum: talem enim nobis à principio Deus principatum largitus est, & nos omnibus præposuit. nec hoc solo naturam nostram decorauit, sed & ipsâ loci præsidentiâ egregium nobis habitaculum designans paradisum, & rationem nobis dedit, & animam immortalem. Ita S. Chrysost.

Gen. 1. 26.

PROP. V. *Quantùm reluceat in homine sapientia Dei.*

Chrysost. Simile.

S Anctus Chrysostomus homil. 11. ad popul. Materiæ vilitas corporis nostri, magis demonstrat diuinæ artis copiam, & facultatem, quoniam in luto & fauilla tantam posuit harmoniam, & tales sensus, tam varios, & omnimodos, & tantùm philosophari valentes: vnde quantò maior est substantiæ tenuitas, tantò magis diuinæ artis magnitudinem admirare. Quoniam & statuarium admiramur, non tam ex auro pulchram facientem statuam, quàm ex luto dilabente mirabilem, & inexcogitabilem figmenti pulchritudinem, artis facultatem exhibere valentem: illic enim fingenti materia quoque confert; hic verò nuda est artis ostentatio. Tu ergò si discere vis, quanta sit sapientia eius, qui nos creauit, cogita quid ex luto fiat. Quid autem aliud, quàm Lateres, & tegulæ? Verumtamen optimus artifex Deus ex materia, vnde sit tegula, lateritiumque opus dumtaxat, oculum tam pulchrum efficere potuit, vt omnes cernentes consternentur, & tantam huic vim inferere, vt aëris tantam altitudinem spectet, & exiguæ pupillæ adiutorio, tot corpora comprehendat, & montes, & saltus, & colles, & maria, & cœlum, in quo nec laborat, nec fatigatur. Quis verò omnem huius membri virtutem sermone disserere posset? Sed quid de pupilla, & videndi facultate dico? si viles palpebras exquiseris, tantummodo etiam in his multam sapientiam Creatoris videbis: sicut enim in spicis aristæ, tanquam quædam prætenta spicula, aues repellunt, non sinentes fructui insidere, & stipulam infirmiorem diffringere; sic profectò & in oculis, velut quædam aristæ, & stipula, protentæ sunt palpebrarum seræ, pulueres, & festucas, & omnia vexantia extùs secùs repellentes ab oculis, nec palpebras inferiari sinentes. Videas autem & alteram sapientiam in palpebris hac non inferiorem: quis enim earum situm non obstupescat, quoniam neque vltra mensuram promissæ sunt, ita vt oculos obtenebrent, neque quàm opus est, interius residentes: sed, velut domus tectum, supernè eminent, sudorem capite defluentem suscipientes, nec oculos ladere permittentes. Propterea quidem & setæ ipsis innatæ sunt, densitate defluentia coercentes, & multâ diligentiâ lucem protegentes, & multam pulchritudinem oculis afferentes. Sed aliud non minùs admirabile considera. Qua de causa, dic mihi, capitis capilli crescunt, & detondentur, ciliorum verò minimè? Neque enim hoc casu factum est, sed ne se dimittentes oculos obtenebrarent, quod ad profundum senium deducti patiuntur. Quid autem dicam de corde? est enim cor membrorum nostrorum principalissimum, & totius vitæ nostræ firmitas illi tradita est, & ipso quomodocumque percusso, nascitur mors, sol-dit, & diriu ossibus hoc vndique circummunitur, & pectoris prominentijs, & tergi ipsum posteriùs munient. Ad hoc enim, ne continuè saliens, & in ira, & alijs motibus palpitaus, ossium asperitati circumstantium insignens conteratur, & doleat, multas membranas subextendit, & pulmonem supposuit, velut molle quoddam stratum, ipsius saltibus apponens, vt impunè erumpens, nihil ex hoc noxium patiatur. Multa quidem alia de hominis natura dicere licebat, sed sufficienter ex dictis attendere volentibus, Dei nostri sapientia refulget.

A

B

C

D

Simile.

Sed dices: si brutorum vex est homo, quare robore, & agilitate, & celeritate multa illum superant animalia? etenim homine velocior est equus, & tolerantior bos, & leuior aquila, & fortior leo. sed hinc maximè Dei cognoscimus sapientiam; velocior quidem homine equus, sed iter melius expedit homo. Equus enim, quamuis velocissimus sit, vix ducenta stadia currit; bono autem multos successiuè equos conscendens, & duo millia stadiorum poterit expedire. Itaque quod illi velocitas, huic ratio, & ars cum maiori tribuit superabundantia. Velociores pedes habet equus, habet tamen homo pedes equorum sibi ministrantes, non minùs, quàm suos. brutorum enim nullum poterit subiugare animal aliud ad suum vsum; homo verò aggreditur omnia, & per variam artem, à Deo sibi traditam, ad vsum sibi connemientem, quodvis subigit animalium. Si verò pedes hominis similes equorum ped-bus fuissent, ad alia fuissent inutiles, scilicet ad locorum difficultates, & vertices montium, & arborum & scalarum ascensiones: vngula enim ad talia gressus impedire solet. Rursus est aquilæ ala leuior, sed est mihi ratio & ars, per quam possum omnia volantia capere. Si verò vis & alam meam videre, habeo & illâ multò leuiorem, non vsque ad stadia decem, vel viginti, nec vsque ad cœlum, sed super ipsum cœlum euolantem, & supra cœlum cœli sapientem, vbi est Christus in dextera Dei sedens.

Præterea, bruta gerunt arma, vt taurus cornua, aper dentes, leo vngues; mihi verò non in corporis natura Deus arma reposuit, sed extra corpus, demonstrans, quòd animal mitissimum homo, & mansuetum, & quòd non semper egeat armis: vnde frequenter arma deponis, nonnunquam verò ea manibus tenuis: Vt igitur liber, & absolutus sis, & non semper cogas animam gestare mee naturæ separata fecit Deus. Non autem animâ solâ bruta superamus, sed & corpore ipsis præstamus: hoc enim animæ generositati accommodum, & conuenens præparauit Deus, quale scilicet decet esse rationali naturæ immistrans, quod misi tale esset, vehementer impediret essent animæ operationes.

Si verò & aliunde discere vis, quantam Deus sapientiam circa corpus demonstrauerit, dicam hoc, quòd omnium maximè Paulus admirari videtur: membra scilicet alterum alteri præstare fecit, non in eisdem, sed hæc quidem in pulchritudine, hæc verò fortitudine præualere statuit, v. g. pulcher oculus, sed fortiores pedes, pretiosum caput, sed dicere non potest pedibus, vobis opus non habeo. Rex igitur subditis opus habet, subditi verò rege, sicut caput & pedibus.

Sed dices, quomodo est brutorum dominus homo, cum timeat, v. g. leonem? Respond. quòd ab initio non sic se res habebant, quando apud Deum probabiles erant homines, quando in paradiso morabantur: sed postquam Dominum offenderunt, seruus factus sum obnoxius, non tamen omnino, sed habeo aliquam artem, per quam supero feras. Sic & in dembus magnus vsu venit, vt sily, quamus generosi sint, dum sunt parum absoluti, seruorum multos reformident, & cum peccauerint, multò magis anxietas intendatur. Hæc & de serpentibus, & scorpijs, & viperis dicere licet, quòd propter peccatorum nobis terribiles sint. Præterea, fera venatorum augent fortitudinem, & timore genus nostrum eruditum, & cautius reddunt, nec modicum ad medicinâ nobis tributum, de propriis conferunt membris. Et rursus in brutis, hæc quidem nos delectât, hæc verò nutriunt; hæc autem amicunt; delectat pauo, nutriunt aues, & arat-

& arietes, vestiuunt oues, collaborat bos, & iumentum iuuat. A Ita Sanctus Chrysostomus. Vbi circa nobilitatem, & excellentiam nostri corporis addi potest forma, & figura, statusque ipsius corporis humani : prona enim cùm spectent, animantia cætera terram, os homini sublime dedit, cœlumque tueri iussit, & erectos ad sidera tollere vultus; vt sublimitas corporis humani respectu aliorum animalium, in ipsa staturæ sublimitate significaret, & in eo, quod ad cœlum tollimus, oculos, ad cœlestium considerationem, imò & possessionem nos creatos esse videamus.

Prop. VI. *Quanta sit hominis dignitas, tam ratione corporis, quàm animæ.*

OMnia genera pecorum, bestiarum, ac piscium, in alium naturæ prostrauit, vt alia ventre repant, alia quæ pedibus sustinentur, dimersa magis quadrupedo corporis gressu, & velut affixa terris videas esse, quàm libera. Siquidem erigendi B se non habent facultatem, de terra victum requirunt, & ventris, in quem deflectuntur, solas sequuntur voluptates. Cauè ô homo pecudum more curuari. Cauè ne in alium te non tam corpore, quàm cupiditate deflectas. Respice corporis tui formam, & speciem congruentem celsi vigoris assume. Si sola animalia prona pascuntur, cur te in edendo sternis ipse, quem natura non strauit? Cur eo delectaris, in quo naturæ iniuria est? Cur noctes & dies cibo intentus, pecorum more terrena depasceris? Cur illecebris corporalibus deditus, ipsum te inhonoras, dum ventri atque eius passionibus deseruis? Cur intellectum tibi adimis, quem tibi creator attribuit? Cur te iumentis comparas, à quibus te voluit Deus segregari?

Fabricam ipsam humani corporis si quis considerare velit, nihil poterit in terra pretiosius iudicare. Est enim homo status celsus, vultu decorus, cæsarie gratus : non in aliorum cæterorum more curuatus animalium, sed ipso naturæ iure sublimis, qui in cœlum libero spectet obtutu, nulla captiuæ seruitutis ceruicis oppressus in terram, sed tanquam propriæ conscius libertatis, C & locuples sui testis authoris. Et paulò pòst: Terram excolit, mari tanquam possessione vtitur, cœli ornamenta grandis miratur assertor. Et rursum paulò pòst: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Cætera dixit, & facta sunt: mandauit & creata sunt. Vt homo siat, specialis quidam Dei accedit hortatus, vt tanquam laborantis Dei in huius munere creaturæ significetur operatio. Deus quidem expers laboris est, sed tamen scripturæ verba quid aliud, nisi studiosam tui ob gratiam, operationem eius ostendunt? Ergo si Deus maiore quodam studio te creauit, cur ipse tui studium relinquis? Si Deus in te laborauit, qui laborare non nouit, cur ipse fugitans fis laboris? Manus tuæ, inquit, fecerunt me, & parauerunt. Et paulò pòst: Videm te terra demonstrat, sed gloriosi in virtus facit, fides rarum, imago pretiosum. An quidquam tam pretiosum, quàm imago est Dei?

Quis tam indoctus est vt nesciat? Quis tam imprudens, vt non sentiat aliquid inesse in homine diuini? Nondum venio ad virtutes animi, & ingenij, quibus hominem Deo manifesta D *cognatio est. Nónne ipsius corporis status, & oris figura declarat, non esse nos cum mutis pecudibus æquales? Illarum natura in humum, pabulumque prostrata est, nec habet quidquam commune cum cælo, quod non intuetur. Homo autem recto statu, ore sublimi, ad contemplationem mundi excitatus, confert cum Deo vultum, & rationem ratio cognoscit.*

An aliquis, cum cæterorum animantium naturam consideraverit, quas pronis corporibus abiectas, in terramque prostratas summi Dei prouidentia effecit, vt ex hoc intelligi possit, nihil eas rationis habere cum cælo, potest non intelligere, solum ex omnibus cæleste, ac diuinum animal esse hominem, cuius corpus ab humo excitatum, vultus sublimis, status erectus originem suam quærit, & quasi contempta humilitate terræ ad altum nititur, quia sentit summum bonum in summo sibi esse quærendum, memorque conditionis suæ, quâ Deus illum fecit eximium, ad artificem suum spectat?

Quæ vtilitas Deo in homine, inquit, Epicurus, vt eum propter se faceret? Scilicet vt esset qui opera eius intelligeret, qui prouidentiam disponendi, rationem faciendi, virtutem consummandi & sensu admiraris, & voce proloqui posset. Quorum omnium summa hæc est, vt Deum colat. Is enim colit, qui hæc intelligit: is artificem omnium rerum, is verum patrem suum debita veneratione prosequitur, qui virtutem maiestatis eius de suorum operum inuentione, inceptione, perfectione metitur. Quod planius argumentum proferri potest, & mundum hominis, & hominem sui causa Deum fecisse, quam quod ex omnibus animantibus solus ita formatus est, vt oculi eius ad cælum directi, facies ad Deum spectans, vultus cum suo parente communis sit, vt videaturque hominem Deus, quasi porrecta manu alleuatum ex humo, ad contemplationem sui excitasse. L. Cælij Lactantij lib. eodem cap. 5.

Omne tibi cedit animantium genus, quod per connexa montium, vel prærupta rupium, aut opaca siluarum, omne vel quod aquis tegitur, vel præpetibus pennis in æra sustenditur, omne, inquam, quod huius mundi est, seruitio & subiectioni tuæ liberalitas munifici conditoris indulsit. Nónne tu tibi sensu rationabili suggerente diuersitates artium reperisti? Nónne tu vrbes condere, omnemque earum reliquum vsum perneccessarium viuentibus inuenisti? Nónne tibi per rationem, quæ in te est, mare pervium sit? Terra, flumina, fonteque tuis vel vsibus, vel voluptatibus famulantur? Nónne aër hic & cælum ipsum, atque omnes stellarum chori vita mortalium minsterio cursus suos atque ordines seruant? S. Zenon. Veronensis Episc. de præf. Attende tibi.

Quod Deus est in cœlo, hoc homo est in terris : secundum principatum dico: sicut enim omnibus quì in terris sunt iste dominatur, sic Deus omnium cœlestium, & terrestrium dominatur. S. Chrysostomus ad Hebr. c 1. Hom. 1.

Homo est mensura omnium rerum, dicebat Anaxagoras. Homo quasi quadam cœlestis in terris creatura, secundùm Ambrosium.

De dignitate, & præstantia Hominis vide Cœmiteria sacra Spondani, p. 1. Sainct Iuré l'Homme Spirituel. par. 1. c. 1. p. 1.

HONOR.

Prop 1 *Honor debetur virtuti.*
2. *Homines diligunt nimis honores.*
3. *Honor mundi nullius momenti est.*
4. *Honor in virtute consistit.*
5. *Nimius honoris amor quàm contrarius sit religioni Christianæ.*
6. *Honor quærentes se fugit.*
7. *Quàm sit fugiendus honor mundi.*
8. *Maiores minoribus honorem deferre debent.*
9. *In honoribus examinatur humilitas.*
10. *Quàm breuis est honor mundi.*
11. *Quàm periclitetur anima in honoribus.*

Prop. I. *Honor debetur virtuti.*

GEn. 1. cùm primùm Dominus aliquid creasset, laudabat creatum approbatione sua, dicente Scriptura: *Vidit Dominus, quòd esset bonum.* Gen. 1. 4. Cùm verò creauit hominem, id non asseruit: cur ita, cùm inter omnia visibilia principem teneat homo locum? Hanc quæstionem mouet Sanct. Ambros. lib. de Instit. virg. cap. 3. *Quia* (inquit) *alia in specie sunt, homo verò in occulto. Nihil in bestijs pliis reperies, quàm quod videtur; in hom. ne verò id quod regit, non videtur.* Ita ille. Vnde quamuis natura hominis bona secundùm se esset, quia homo non dicitur bonus, vel malus, dignus laude, & approbatione, vel vituperio, & reprobatione, nisi ex operibus suis, ideo non laudabit Dominus hominis naturam, sed expectabit opera eius. Bonus est qui bene operatur, & meritò laudandus, licèt pauper, & ignobilis, & infirmus, & illiteratus sit; malus verò est iure vituperandus, qui malè operatur &, licèt

licèt ille diues & nobilis & sapiens (si sapiens dici impius potest) & vel rex, aut imperator ille sit. Vide, quantùm ad decorem vera valeat virtus. Vide Sanct. Chrysost. hom. 23. ad populum, & hom. 10. in epistolam 1. ad Thess.

Vnde Seneca rectè animaduertit, quòd nemo equum laudat ex phaleratorum ornatu, ex auro, & argento elaborato, sed ex habitu, forma, fortitudine, magnitudine, grossitie, cursu, & obedientia equitanti; sic non debet laudari homo ex his, quæ illi extrinseca sunt, sed ex virtute, & interiori: hæc enim propria est, reliqua verò aliena sunt.

Vnde S. Augustin. serm. 12. de verb. Domini, citat. *Omnia* (inquit) *quæ circa te iacent, oculis tuis elegantia & pulchra, si tibi possent respondere; nónne & tibi clamarent: Sicut tu nos bona vis habere; sic & nos volumus te bonum dominum habere? Tacita voce interpellant contra te Dominum tuum: ecce tanta bona dedisti hue, & ipse malus est.* Ita Sanct. Augustinus.

Clemens Alexandrin. 2. Pædagog. cap. 10. refert, Apellem dixisse cuidam discipulo suo, qui depinxerat Helenam multò ornatam auro: *Adolescens, cum non posses depingere Helenam pulchram, diuitem pinxisti.* Id quidem dicam & ego his, qui, cùm malis sint moribus imbuti, vt honorem, quem ex virtute consequi nequeunt, habeant, ornant se pretiosis vestimentis, & domum etiam supellectili pretiosa. Vos, ô peccatores, quia pulchros vos non esse cognouistis, diuites vos esse demonstratis; vt, si non quia boni, saltem quia ornati & diuites estis, honorificemini ab alijs.

Hinc perfectò est, (vt Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. cap. 10. adnotauit) quòd si sub hasta peccator, & eius diuitiæ ponerentur, pluris diuitiæ eius quàm ipsi æstimarentur.

Rectè Seneca lib. 10. epistularum epist. 77. *Gladium bonum* (inquit) *dices, non cui deauratus est baltheus, nec cuius vagina gemmis distinguitur: sed cui ad secandum subtilis acies est. Regula, non quam formosa, sed quàm recta sit, quæritur. Ergo in homine nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum fœneret, & quam à multis saluetur, quàm pretiosis incumbat lecto; sed quàm bonus sit. Nemo istorum, quos diuitiæ, honoresque in altiori fastigio ponunt, magnus propterea est: quare ergo magnus videtur? quia cum basi sua illum metiris. Parvus est pumilio, licèt in monte collocetur. Colossus magnitudinem suam seruabit, etiamsi steterit in plano. Hoc laboramus errore, quòd neminem æstimamus ex eo, quod est, sed ex his quæ habet.* Ita Seneca.

Sanct. Chrysost. hom. 14. in Matthæum, eos qui in diuitijs; & dignitatibus, & vestimentis pretiosis honorem, & gloriam quærunt, Nabuchodonosori, facienti adorare omnes statuam suam auream, similes esse dicit. *Vt enim* (inquit) *Nabuchodonosor de imagine aurea, sic modò alij de veste pretiosa, de equis, alij de curribus, de amplitudine domus opinantur se esse meliores: quia enim quòd erant homines, perdiderunt, sollicitæ hùc illuc que circumeunt, aliunde sibi gloriam colligentes, omni sanè irrisione dignissimam. Sed nequaquam nos aut tubarum sonitus, aut tibiarum, citharæque concentus, aut reliqua diuitiarum incentiua, commoueant, vt adoremus imaginem auaritiæ.* Ita Sanct. Chrysostomus.

A

B

C

D

PROP. II. *Homines diligunt nimis honores.*

HVe vsque humana vanitas peruenit, vt ampliùs homines honorem, quàm animæ salutem optent, & quærant, & ea pro honore faciant, quæ pro anima sua facere detrectant, & similiter pro alijs temporalibus bonis.

Probat optimè dictum hoc id quod pagina sacra narrat Num. cap. 10. vbi, cùm populus Israel in Terram promissionis pergeret per desertum, Madianita quidam, nomine Hobab, cognatus Moysi, tunc ibi aderat cum Moyse, & reuerti in patriam suam volebat. Ad quem sic Moyses: *Proficiscamur ad locum, quem Dominus daturus est nobis, veni nobiscum, vt bene faciamus tibi, quia Dominus bona promisit Israeli:* etenim bona hæc, non solùm temporalia, sed etiam ad spiritualem salutem animæ spectantia, & conducentia erant, quod facilè perspere valuit Hobab; quid igitur ipse respondit? *Non vadam* (inquit) *tecum, sed reuertar in terram meam, in qua natus sum.* Ita ille. Quia dulcis amor patriæ, sed doluit Moyses, quia salutem animæ eius sitiebat, & timebat, quòd reuersus Hobab in patriam, vbi idololatræ homines erant, simul cum ipsis periret. Quare alio medio, ac modo intentum profecutus, dixit: *Noli nos relinquere: tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster, cumque nobiscum vixeris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis tradiderit Dominus, dabimus tibi.* Quid hoc? Egebátne Moyses ducatu illius, sciens, & videns, quòd Dominus ductor populo esset in nube per diem, & in columna nubis per noctem? Rupertus Abbas sic respondet super lib. 1. Num. cap. 8. *Plerumque persuadere elatis vtilia melius possumus, si profectum eorum nobis potius, quàm illis dicamus profuturum. Facilè enim ad bonum elatio flectitur, si eius inflexio prodesse & alijs credatur: neque enim Moysen ignorantia timeris angustabat, quem & ad prophetiæ scientiam cognitio veritatis exponderat, quem exterius columna præibat, quem de cunctis interius per conuersationem cum Deo sedulam locutio familiaris instruebat: sed tamen prouidus vir elato auditori collegnens solatium petijt, vt daret, ducem requiebat in via, vt dux fieret ad viam suam. Egit itaque, vt superbus auditor voci melioris suadenti, eò magis fieret deuotus, quò censeretur necessarius, & vnde se exhortatorem suum præcedere crederet, inde se sub verbis exhortationis inclinaret.* Ita Rupert. Eâ verò quâ Moyses hominem istum Gentilem allexit, hoc ille ducatus fuit, & diuitiæ & adeo potens ad allicendum eum, vt quod amor salutis animæ, non effecerit, honoris perficeret amor, & temporalium bonorum.

Refert Plut. in Apoph. reg quod cùm Alexander peritum quendam sagittarium ex ludis cepisset, qui per annulum sagittam mittere diceretur, voluit vt artis suæ specimen ederet; recusantem autem iratus occidi iussit; cùmque iam duceretur ad mortem, dixit sagittarius, se multis iam annis non exercuisse artem suam, eòque timuisse, ne errraret. Id vbi delatum est ad regem, quòd scilicet ignominiæ metu recusasset, admiratus ingenium ambitiosum, dimisit illum donatum, eò quòd mortem appetere maluisset, quàm honore, & famâ suâ indignus videri. Ita ibi. Vbi non solùm in dimisso, sed in dimittente, honoris, & famæ æstimationem videre licet.

S. Chrysost. hom. 17. in epist. ad Rom. *Alia quidem Christi passiones morte finiuntur; ista verò & post mortem violenter instat, naturamque suam etiam in corpore mortuo ostendere contendit. Quum splendida sepulchra, omnemque ipsorum substantiam consummantia, morientes sibi erigi curent, atque, vt in sepultura multus luxus adhibeatur, assecrent, quemque vuentes quidam pauperes ipsos pro obolo, & pane vno accedentes afficiant contumelijs, morientes verò tam sumptuosam mensam vermibus præbeant, quam, quæso, aliam queres in hoc morbo tyrannidis excellentiam?*

Ah hac etiam absurdi multi nascuntur amatores: multos enim neque pulchritudo, neque concupiscentia, sed vt habeant, vnde glorientur, & dicant. Hanc ego decepi, in adulterium concici. Et quid opus est, reliqua mala, quæ hinc pullulant, recensere? elegerim ego potius multorum barbarorum seruitutem, quàm vnius inanis gloriæ: neque enim illi capruis suis talia præcipiunt, qualia subditis suis ista iubendo mandat. Omnium (inquit) seruus esto, siue fuerint te splendidiores, siue etiam viliores. Animum contemnito, virtutem negligito, libertatem rideto, salutem destruito: quod si horum quid feceris, non ad hoc facito, vt Deo placeas, sed vt multis ostentes

licèt coronam, quæ benefacientes manet, perdas. Si eleemosynam dederis, aut ieiunaris, laboremque quidem sustinetо; lucrum verò perdere non cures. Quid huiusmodi præceptis crudelius?

Præterea, vana gloria omnium malorum est mater. Hinc pecuniæ oritur cupido: hinc enim multitudo famulorum, parasiti, adulatores, vehicula argento conspicua, & alia istis vamora, & neque voluptatis, neque necessitatis cuiuspiam, sed solius vanæ gloriæ gratiâ sunt.

Ista quidem (inquies) sic se habent, quomodo verò ea effugiemus? Bene; si tibi persuaseris hunc morbum gravem esse: tunc enim ægrotus confessim cogitat de medico, cùm ante omnia primùm ægrotare se cognouerit. Respice igitur primò ad Deum, & eâ, quam ab illo expectas, gloriâ contentus esto. Præterea, si quando morbus hic te titillauerit, vt conseruis tuis, quæ rectè feceris, narres, rursus cogitans, quòd nihil inde fructus, etiam cùm dixeris, sis accepturus, absurdam hanc concupiscentiam extingues animæ tuæ, ad hunc modum immurmurans: Ecce tantum temporis partiuriendo laborasti, vt quæ rectè facta gesseras, aliis exulgares, & cùm tãtum temperantiæ non haberes, vt silentiũ seruares, omnibus obtrusisti. Tã dic, quæso, quid vtilitatis amplius ceperis inde? nihil planè, nisi extremum malum, nimirum, quòd irrita facta sint omnia, quæ magno congesseras labore.

Præterea, illud perpende, quòd multorum sententia sit corrupta, corruptum iudicium; imò non solùm corruptum, sed & quòd subitò marcescat: nam etiamsi ad horam admirentur; punctо tamen temporis vix præterito, omnium obliuiscuntur. atque ita fit, vt à Deo tibi paratam eripiant coronam, & eam, quam ab ipsis expectabas, negent: quam etiamsi concedant, multæ tamen fuerit miseriæ diuinam illam istâ commutasse. cùm verò nec maneat, sed prorsus difflúat, quam excusationem habebis, qui propter instabilem, æternam amittis, & propter paucorum præconia tanta bona perdis? Et quanquam multi fuerint laudatores, sic etiam commiseratione dignus es, idque tunc magis, cùm plures fuerint, qui hoc faciunt. Quodsi hoc tibi mirum videtur, audi Christum: Væ vobis, quando laudauerint vos homines (inquit) & valde meritò: si enim cuiuis arti, non quoslibet, sed ipsos opifices iudices requiris, quomodo virtutis probationem multis committis, & non præ omnibus vni illi, qui cùm omnia sciat, solus etiam & exturbare, & coronare potest? Hoc itaque Christi verbum inscribamus & parietibus, & ianuis, & mentі, & continuè nobis dicamus. Væ nobis, si quando laudauerint nos homines.

Præterea, ipsi etiam laudatores, te, velut vanæ gloriæ amantem, & vani honoris, & præconij, quod ab ipsis fit, stultè amantem, vituperabunt; Deus autem non ita, sed cùm videritte eius, quæ ab ipso sit, gloriæ cupidum, tum te potissimùm laudabit, celebrabit, prædicabit: Non ita homo, nam is, postquam pro libero seruum te acceperit, nudo plerumque verbulo tibi falsam laudem gratificatus, veram abs te mercedem auferet. Si ergo gloriam & laudem amas, laudem hominum fuge, & tunc innumeris laudibus apud Deum, & apud homines frueris: nihil enim sic admirari solent, atque eum, qui nec celebrari, nec laudari sustinens, ista omnia contemnit, & multò magis Deus. Quando verò te Deus laudauerit, & glorificauerit, quis, quæso, te fuerit beatior? quantum enim inter gloriam, & ignominiam, tantùm inter cælestem illam gloriam, & hanc humanam, est differentia, imò multò, & infinitò plus. Seruus igitur ad oculos heri respicit sui, mercenarius ad eum qui præmia est daturus discipulus ad præceptorem; tu verò omnino contrarium facis, Deum, qui remuneret, dominum, præceptoremque relinquens, respicis ad conseruos, etiamsi scias, quòd rectè factorum tuorum etiam in futurum recordetur: homo tamen ad præsens tantùm, & cùm habeas in cælo theatrum constitutum, spectatores tamen tibi colligis in terra. Athleta quidem, vbi certat, ibi probari cupit: tu cùm in superioribus certes, in inferioribus quæris coronari. Vide autem quali corona: sicut enim pueri ludentes ex fœno coronam imicem ponunt, coronatum autem sæpenumero eius rei ignarum, post tergum irridentі; ita sanè & nunc, qui te in faciem prædi-

A *cant, apud seipsos clanculum subsannant: neque ita quid aliud fit, quàm quod & nobis inuicem sœnum coronantes imponimus, & vtinam nihil aliud quàm sœnum.*

Sed dic, quæso, quot velis habere laudatores, centum? seu bis, seu ter, seu etiam quater totidem? imò si volueris, pone vel decies, vel vicies totidem, quin sint duo millia, aut etiam quatuor millia, vel si placuerit, innumeri, qui applaudant; nihil tamen illi omnes à graculis desuper garrientibus different. Imò si Angelorum theatrum perpenderis, apparebunt illi vermibus etiam viliores, & illorum præconium aranearum texturâ, fumoque & somnijs infirmius. Audi nunc quòdmodo Paulus hæc diligenter confirmet, non solùm inanem ac non quærens, sed & deprecans, cùm dicit: Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. *Hanc tu gloriationem æmulare, ne Dominum exacerbes, ista quippe faciens, non solùm tibi ipsi, sed* Gal. 6. 14.

B *à Deo contumeliosus es: neque enim si pictor existens, discipulum aliquem habuisses, qui, quæ artis sunt, tibi ostendere contennens, tabellam foras ostentandi causâ proposuisset, manifestè tulisses? quòd si hoc in conseruis contumeliæ loco est; multò magis erga dominum.*

Quòd si vanam gloriam istam aliunde contemnere velis, fac mente sublimi sis, irride visibilia, auge veræ gloriæ amorem, plenus esto grauitatis spiritualis; dic: anima tua. quod Paulus dixit: Ignoras, quòd & Angelos iudicaturi sumus? *Angelos ergo iudicatura, vis ab immundis iudicari? & cum saltato-* 1. Cor. 6. 2.
ribus, & mimis bestiarijs, & aurigis laudari? eadem enim præconia isti sectantur. Tu igitur horum clamore sublimiores tibi alas para, & æmulare illum solitudinis ciuẽ, & inhabitatorem Ioannem, ac disce, quomodo ille multitudinem contempsit, aduladores que videre non curarit, neque cùm videret totius Palæstinæ habitatores circa se fusos, admirari stupereque, vel tantillum tamen huiusmodi fuerit instatus honore, sed ipsis non aliter, quàm adolescentulo cuipiam, ex aduerso steterit, cum in
C *tanto populo differens, obiurganter diceret:* Genimina viperarum, *& quæ sequuntur, & tamen propter illum relictis ciuitatibus concurrebant, quatenus sacrum illud caput viderent. Verumtamen nihil horum ipsum emollinit: procul enim erat ab studio gloriæ, & omni fastu liber: Sic & Stephanus, cùm populum videret insanum, dicebat:* Dura ceruice, & incircumcisо corde. *ad eum modum & Elias præsentibus militum castris, & regi, & populo cuncto dicebat:* Vsquequo claudicatis in duas partes? *Nos verò quibusuis adulationibus seruili ministerio, quatenus honorem ab illis emamus. Atque ideo sursum, ac deorsum turbantur omnia, & ob eam gratiam prodantur, quicumque Christianissimi sunt, & negliguntur omnia propter eam, quæ à multis est, acquirendam laudem.* Matt. 3. 7. Act. 7. 51. 3. Reg. 12. 21.

Externinemus denique hanc tyrannidem vanitatis, & tunc sciemus vere, quæ sit animi libertas, quis portus, quæ tranquillitas vera: quia vanæ gloriæ cupidus, similis illis est, qui tempestates ferunt, semper timens, semper tremens. Qui verò ab ea liber est, rectè comparatur ijs qui in portu cõstituti, integra libertate potiũtur. Alius verò non item, sed tã multis, quibus vult esse cognitus, tam multos habet dominos, omnibus seruire coactus. Quomodo ergo ab hac dura seruitute liberamur? si aliam gloriam adamauerimus; nempe eam, quæ vera est. Sicut enim eos, qui Simile.
D *corpora amant, alia splendidior facies visa, à priore separat; sic & eos, qui gloriam hanc depereunt, splendida illa cœlestis gloria conspecta si fuerit, ab ista etiam abducet. Ita S. Chrys.*

PROP. III. *Honor mundi nullius momenti est.*

1. COr. 8. *Scientia inflat, charitas verò ædificat.* Inflationẽ vocat superbiã, sicut ad Colos. 2. *Inflatus sensu carnis suæ*, id est, superbus. Quem locum explicans S. Thom. lect. 3. in 1. Cor. 3. *Rectè* (inquit) *superbia inflationi comparatur: nam id quod inflatur, non habet solidam magnitudinem, sed apparentem: ita superbi videntur quidem sibi esse magni, cùm tamen vera magnitudine careant.* Ita ille. Et S. Chrysost. ibidem: *Quod in corporibus* (inquit) *est inflatio, hoc in animis est superbia.* Ita ille. Et S. Augustinus. 54. de verbis Domini: *Moles* (inquit) *superbi, non magna,* *Vers. 1.* *Vers. 18.*

sed tumida est: magnitudo enim solidita tem habet, tumor inflationem. Ita ille. Cùm igitur superbus nihil aliud venetur, nihil aliud acquirat, nisi honorem; honor quid nisi aër huius inflationis erit? *Vn poco de viento de honra, es lo que hincha al soberbio, lo que le trahe tan hueco, y que por ese poco de ayre se pierdan.* Vnde rectè Sanctus Augustinus super illud Matth. 7. *Intrate per angustam portam: Conatur* (inquit) *ingredi superbus, sed impedit tumor. no ay cielo para soberbios, antes los que allí auia lo secho Dios del cielo.* *Vers. 13.*

Vnde in inferno dicunt damnati, qui hîc superbierunt, quid nobis profuit superbia? non aiunt, quid nobis modò prodest: hoc enim manifestum erat, sed tunc, cùm honoribus magnis mundi superbiebamus, quid nobis profuit superbia, & honor ille? Quasi dicant, nihil: quid enim est superbia, nisi inflatio? quid honor, nisi huius inflationis aër? quid ergo prodest?

ADDITIO.

S. *Chrysostomus in epist. Pauli ad Colossens. 3. Hom. 7.*

HOnores habere iucundum est, inquis. Et quid est honore illo miserandius, qui propter pecuniariam necessitatem obtingit, quando is non ex animi sententia, neque ex alacritate aliquâ exhibeatur? Non tu honore illo potiris, sed ipsa diuitiæ. Itaque hoc ipsum omnium potiss. mum ignominiâ diuitem afficit. Nam dic mihi, si te amicum quendam habentem omnes illius gratiâ honore afficerent, simul tamen ingenuè fateretur, nullo te prorsus honore dignum esse, cogique se propter illum amicum tuum honorare te, quomodo non magis ignominiâ te afficerent isti? Itaque diuitiæ nobis ignominiæ causa sunt, maiore præditæ honore, quàm qui possident. Sunt quoque non potentiæ, sed infirmitatis indicium & argumentum. Quomodo igitur absurdum non est, terra nos & cinere (hoc enim aurum est) non putare dignos esse, sed nos illius gratiâ honorem consequi? Meritò. Verum talis non est, qui diuitias contemnit. Melius enim est non honorari, quàm hoc pacto honorari. Etenim dic, quæso: si quis tibi diceret, te quidem nullo arbitror honore dignum, verùm propter seruos tuos honore te afficio, an hac ignominiâ peius esse posset? Si verò turpe est honori esse propter seruos, qui tamen eiusdem animæ nobiscum, & eiusdem naturæ participes sint, multò magis propter ista quæ viliora sunt, parietes dico adium, & aulas, & vasa aurea, & vestimenta. Et paulò pòst: *Ad hunc modum honorari peius est, quàm ignominiâ affici. Etenim vide vnde radicem suam habeat honor iste. Coquorum manus faciunt vt honoremini: itaque illis gratiam referre debemus. Et subulci exhibent diuitem mensam, & textores, & lanarij, & qui metallita operantur, & placentarij, & structores. An non melius est itaque non honorari, quàm illis honoris gratiam debere?*

Chrysost. in epist. Pauli ad Hebr c. 6. hom. 9.

Quam existimas dignitatem consulis? Nihil enim ea dignitate maius putant plurimi, siquidem in tantam claritatem peruenit, & ad tantam admirationem: qui autem non est consul, nihil habet minùs in tanta dignitate constituto.' In eadem sunt dignitate iste & ille, vtrique similiter post paululum non erunt. Quando factus es? Quantum tempus durauit dic mihi? duorum dierum est: hoc & in somnijs solet fieri: sed somnium est, inquit. Et quid hoc? Illa quippe quæ in die sunt, non sunt somnia? Dic mihi, quare non magis ista dicimus esse somnia? Sicut enim somnia, adueniente die, nihil esse conuincuntur: æqualitatem namque temporis sue nox, sue dies acceperunt, & ex æquo distributa sunt per omne sæculum: sicut ergo in die eis qua per noctem sunt, non aggaudet quis: sic neque in nocte eis, quæ in die contingunt, frui potest. Factus es consul, & ego per noctem: sed ego in nocte, tu in die. Quid hoc? Neque sic præ me amplius habes, nisi sortè quod diceris, ille est consul, & quod habes ex istis verbis aliquam ilectationem plus te aliquid facit: vt puta (manifestius enim loquar) si dicam: ille consul est, & præstem illi hoc nomen, nónne mox atque dictum est, iam transiuit? Sic etiam ipse res sunt: simul apparuit consul, & statim non est. Ponamus autem annum, & duos annos, & tres, & quatuor, sed & hi transeunt. Vbi namque sunt consules qui facti sunt? Nusquam. Sed Paulus non sic. Erit namque, & tamen viuis semper, non vnum diem, non duos, non decem & viginti, non annos decem & viginti, neque triginta. Ex quo mortus est quadringentesimus iam annus pertransijt, & adhuc etiam nunc est clarus, multòque clarior, quam cum viueret, & hoc quidem in terra. A

Eius vanitas. Nouarinus Risus Sardonicus. mihi pag. 152. Nycius Erythræus in Dialogis, mihi pag. 131.

PROP. IV. *Honor in virtute consistit.*

COnatur hostis in rebus sæculi vanis situm honorem esse nobis suadere, vt vel sic nos ad vana facilè duceret. Cùm latro viatorem inuadit, pyritem, seu gladium pectori eius apponit, dicens: Vrbanus esto, alioquin vitam amittes, *ponele vn pedrenal al rostro, y dige, cortesia.* Hanc ego non vrbanitatem, sed violentiam voco. Sic hostis ad sæculi vanitates homines inclinans, pectoribus honores admouet ambiendos, dicens: Vrbanus esto, alioquin honorem amittes. Hanc ego violentiam, & non vrbanitatem dicam. Similis B

Huius igitur remedium erit, honori verum, & legitimum locum assignare; & quidem non solùm secundùm Theologos, sed etiam secundùm Philosophos, honor in virtute, non in vestibus pretiosis? non in sumptibus superfluis, non in opiaris conuiuijs, & alijs huiusmodi, sed in humilitate, charitate, patientia, misericordia, & alijs huiusmodi virtutibus consistet. Lege Aristot. 4. Ethic. 3. tom. 5. vbi honorem, præmium virtutis esse ait. quod exponens S. Thom. 1. 2. q. 2. art. 2. ad 1. ait, quòd, quia homines aliud præmium vniuersaliter largiri non valent, honorem loco præmij exhibent studiosis viris. Hoc autem ab omnibus proloquium acceptum est, honor, velut vmbra, sequitur virum bonum. Ne igitur timeas indecorum, si mundi vanitatibus valedixeris, vel moderatè pompis mundi fueris vsus, quia inde potiùs honorem consequeris. Quòd si mundi vanitatibus vacaueris, ab omnibus, tanquam superbus, & vanus, meritò aspernaberis. Vide igitur Sanctos quanto sint honore condecorati ob virtutem, &c. C S. Thom.

ADDITIO.

Sicut plerumque meretricis vultus, cùm turpis & fœdus est per naturam, fucis & coloribus pigmentatus prostituitur ad decipiendos eos qui ignorant, quæ factitas sub velamine fuci illius contegitur: ita & diuitiæ faciunt, cùm adulationem volunt honorem videri. Neque enim voces ille populi, per quas iudicibus acclamatur, ex veritate proferuntur, sed & ipsæ sunt, quibus fucatum nomen honoris depingitur. Nam si conscientias interroges acclamantium tibi, inuenies apud vnumquemque eorum mille te capitibus accusari. Denique vbi meus æstuauerit potestatis, & publicæ pompæ fuerit scena resoluta: tunc videas quanti oblatrantes, quanti obloquentes, quanti insultantes, & hi omnes ex illis sunt, qui prius acclamabant, & immensis te laudibus extollebant: hæc tu honorem dicis? Et hæc diuitijs querenda credis, quæ etiamsi sponte adessent, recusanda erant: plus enim odij quàm amoris acquirunt. Sed si vis, tibi ostendam honorem verum. Honor verus virtus animi est. Hic honor neque à Cæsaribus præstatur, neque adulatione conquiritur, neque pecuniâ præparatur: nihil fucati in se habet, nihil simulati, nihil occulti. Huius honoris successor nullus est, accusator nullus, nullus ingratus. Hic honor temporibus non mutatur, nec tyrannos patitur, nec pictuam tabula metuit, aliquando delendam. Chrysost. hom. 3. ad pop. Antioch. D

PROP. V.

A

PROP. V. *Nimius honoris amor, quàm contrarius sit Religioni Christianæ.*

IOan. 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* Gloriam ab inuicem accipere, vt sapiens quidam Interpres hic asserit, est, gloriam, seu honorem homines ab hominibus aucupari, atque captare. Sed à te quæro, quænam hæc antipathia, seu oppositio inter fidem tuam, & mundi honorem, & gloriam? nónne fidelis quis & gloriæ auidus esse potest? malè quidem: nam fides, & religio Christiana in humilitate fundantur. Loquitur igitur Dominus, ac si superior alicuius religionis petenti habitum, diceret: Tu religioni nostræ minimè aptus es neque idoneus: religio namque ista hominem requirit viribus pollentem, & ieiunare valentem, &c. tu verò debilis es, & ieiunare non vales, &c. Sic nimirum, Christus Dominus ad Pharisæos, & reliquos, mundi huius gloriam, & honorem anxiè quærentes: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* hoc est, Vos non estis apti ad Christianam religionem obeundam: hæc enim religio in humilitate fundatur, humiles discipulos quæro, quibus dicere possim: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, &c. Vos igitur, non sum, si nec fidei quidem, & religionis Christianæ ingressum appetatis, quibus mores oppositi huic religioni insunt, &c.

B

Hinc colligere possunt, qui iam religionem Christianam professi sunt, & tamen pro mundi honoribus certant, quantùm in ea proficere, quoúque in ea progressus facere possint. Væ superbis Christianis, &c.

PROP. VI. *Honor quærentes se fugit.*

SAnct. Chrysostom. epist. ad viduam iuniorem: *Gloriæ mundi nomen quidem splendidum est, res autem ipsa longè alios, quàm appellatio ipsa polliceatur, amatores suos reddit, & nemo est, qui gloriæ causâ quippiam agentem non irrideat. Ille enim solus honoratur, qui eò minimè spectat; qui autem magnum quiddam censet gloriam à multis delatam, & illius consequendæ causâ omnia facit, ac patitur; is potiùs mùm ab ea longè abierit, & eius expers erit, verum verò gloriæ aduersantium maximè particeps, irrisionis, criminationis, maledictorum, offensionis, & odij. Nec in viris id tantùm vsu venit, sed in fœminis etiam: nam quæ figurâ, & incessu, & vestitu simplicem quandam bonitatem præfert, & à nemine honorem aucupatur, eam omnes admirantur, suspicunt, prædicant: vanæ autem gloriæ auersantur, & fugiunt, & fœcentas in illas execrationes, contumelias que conjciunt.* Ita S. Chrysost.

C

In vmbra hæc duo verificari possunt: est enim vmbra in se quidem vana, & eos fugit, qui eam prosequuntur; insequitur autem eos, qui fugiunt ipsam.

PROP. VII. *Quàm sit fugiendus honor mundi.*

D

POnderat Sanctus Bernardus serm. 3. de Natali Domini locum, in quo Christus Dominus nasci voluit, dicens: *In stabulo nascitur Christus, & in præsepio reclinatur*; nónne ipse est qui dicit: Meus est orbis terræ, & plenitudo eius? *Quid ergo stabulum ac præsepe elegit?* Planè vt reprobet gloriam mundi, & damnet sæculi vanitatem. Necdum loquitur linguâ & quæcumque de eo sunt, clamant, prædicant, euangelizant, in omnibus iudicium mundi arguitur, subuertitur, confutatur: quis enim, si daretur optio, non magis eligeret robustum corpus? &c. O sapientia quæ de occultis trahebris! ô verè incarnata & velata sapientia! Ipse est, fratres, promissus olim per Isaiam, paruulus sciens reprobare malum, & eligere bonum. Ita Sanct. Bernard.

PROP. VIII. *Maiores minoribus honorem deferre debent.*

EXurgens Maria, &c. Nónne decentius fuisset, venisse Elizabeth ad Mariã, quàm abijsse Mariam Matrem Dei ad Elizabetham? etenim pro magno fuisset Elizabethæ, famulam Dei genitricis esse. Cur ergo pergit Dei Mater ad illam? S. Ambros. in hunc locum: *Hæc disciplinæ norma est, venit superior ad inferiorem, vt inferior adiuuetur, Maria ad Elizabeth, Christus ad Ioannem.* Ita S. Ambros. Talis esse debet vrbanitas & humilitas Christianorum, honore inuicem se præuenire, vt Apostol. ait; Non sic autem mundus non sic, sed Gentilium more, innumera honoris puncta semper attendit: vnde & innumeræ rixæ procedunt: inter superbos enim semper sunt rixæ & contentiones. *Luc. 1. 39.* *S. Ambr.*

PROP. IX. *In honoribus examinatur humilitas.*

QVæ occulta sunt, examine fiunt manifesta. Profundum quidem est cor hominis, & soli Deo cognitum; sed sicut igne probatur aurum & argentum, & an purum vel impurum sit, ignis ipse manifestat; sic quale sit cor hominis, & an purum vel impurum moraliter, examinatio prodit. In litterario ludo quid sciat quis, aut nesciat, interrogationibus magistrorum & argumentis fit palam. Sic etiam an quis patiens sit, contumelia & tribulatio; si amator proximi, necessitas ipsius proximi; si prudens, conuersatio; si castus, sollicitatio; si sobrius, mensa copiosa, si humilis denique, honor & locus altus manifestat. Nam, vti ait S. Bernardus: *Rara virtus est humilitas honorata.* *Simile.* *S. Bern.*

Gen. 18. cùm Dominus Sodomam & Gomorrham perdere prorsus ac delere vellet, secretum hoc priùs Abrahæ, tanquam speciali amico, & quæ gesturus erat, prædixit; quod, vt patet, in eximium Abrahæ honorem cedebat. Sed quid inter loquendum Abraham Domino? *Loquar*, inquit, *ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis.* Expendens locum istum S. Gregor. *Quando hunc res possessa extollerent, qui de se tam abiecta sentiret? apertè enim cernimus, in quo loco se posuerat, qui puluerem se ac cinerem, etiam cùm loqueretur cum Deo, æstimabat. Si igitur ita se despexit, qui vsque ad honorem diuinæ collocutionis ascendit; sollicita intentione pensandum est, quâ pœnâ illi feriendi sunt; qui & ad summa non proficiunt, & tamen de minimis extolluntur.* Ita S. Greg. Ecce quonam pacto fuerit probata humilitas Abrahæ, honore nempe illo eximio, quo Dominus eum tunc affecit: honor enim, magnum examen humilitatis est. *Gen. 18. 27.* *S. Greg.*

Rectè quidem S. Bernard. serm. de Beata Maria de verbis Apoc. c. 12. *Agit*, inquit, *hoc in cordibus electorum prærogatiua diuinæ gratiæ, vt eos nec humilitas pusillanimos faciat, nec magnanimitas arrogantes.* Ita S. Bernard. qui hom. vltima *Super Missus est*, in Beata Maria verificat quod dico, expendens verba illa Virginis; *Ecce ancilla Domini, & ait: Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, & insolescere gloriâ nescit? mater Dei eligitur & ancillam se nominat? Non mediocris reuera humilitatis insigne, nec oblatâ tantâ gloriâ humilitatem obliuiscitur: nec enim magnum est humilem esse in abiectione, magna prorsus & rara virtus humilitas honorata. Videas plerosque in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites factos, subitò intumescere, pristinæ abiectionis obliuisci, genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parentes.* Ita S. Bern. Ecce quomodo honores & dignitates & scientiæ inflant, & patefaciunt cordis superbiam, quæ quidem in humili statu latebat. *Luc. 1. 38.*

Prop. X. *Quàm breuis est honor mundi.*

Iob 7.9. Ob 7. sic S. Iob. *Sicut consumitur nubes & pertransit, sic qui descenderit ad inferos, non ascendet.* metaphora est à
Simile. nubibus sumpta; videbis nubem ingentem tonitruis tonantem, fulgoribus coruscantem, fulmina minitantem, & pauorem vel saltem admirationem sui omnibus incutientem; quæ tamen in pluuiam conuersa, & in terram cadens, tanquam lutum conculcatur, & obliuioni traditur, ac si non fuisset. Similiter etiam videbis Principem quendam mundi tonantem, fulgentem, & in sui admirationem omnes adducentem, qui subitò in sepulchrum cadens, & in puluerem conuersus, quasi non fuisset, sic eius obliuiscuntur omnes: periit enim memoria eius cum sonitu, vt ait Dauid. Hoc igitur est, quod ait Iob: *Sicut consumitur nubes & pertransit,* à nube scilicet in lutum; *sic qui descenderit ad inferos,* id est, ad sepulchra, *non ascendet amplius,* videlicet ad honorem & gloriam, quà paulò ante potiebatur. Sic
S Greg. Sanctus Gregorius 8. Mor. 10. dicens: *Ac si apertè dicat: Sicut vir in altum currendo, deficit, sic qui superbiendo ad interitum tendit.* Ita ille.

Prop. XI. *Quàm periclitetur anima in honoribus.*

Ioan. 5. 44. Oan. 5. *Quomodo poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem*
S. Hier. *accipitis?* Vbi S. Hieron. *Vide quale malum hoc sit, quod qui habuerit, non poteſt credere.* Ita ille. Sed quæres, cur non poteſt credere, qui amat honorem? nunquid non poteſt honoratus esse fidelis? nimirum, quia Ecclesia in humilitate est, ideo superbi infideles ad eam conuerti nolunt. Quòd si inter fideles superbi nihilominus plures sunt, erunt quidem filij fideles, sed non filij obedientiæ: renuunt enim superbi Deo subdi.

Volunt quidem omnes saluari; sed volunt salutem, habita semper & in omnibus ratione sui honoris & gloriæ. Qui similes mihi esse videntur Naaman Syro, qui salutem anxiè quærebat, & eam ob causam è Syria in Samariam profectus fuit ad Prophetam Elisæum,
4 Reg. 5. qui cùm audiret: *Vade, & lauare septies in Iordane*; iratus recedebat, dicens: *Putabam quòd egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me*, & sic abire cœpit indignans, &c. Hic quidem salutem desiderabat, sed seruatis punctis honoris sui, quibus, nisi consilio famulorum suorum renunciasset, nunquam salutem obtinuisset. Idipsum de salute æterna multis euenit, volunt quidem salutem æternam, saluari, inquam, se plurimùm velle dicunt, sed mundano more: volunt enim diuitijs & delicijs abundare, & honore ab omnibus affici, &c. hi, nisi honori mundi cedant, & quæ Deus vult, faciant, salutem æternam minimè consequentur.

HOSPITALITAS.

Prop. Vnica. *Qui egentem non recipit hospitem, timere debet, ne & ipse non recipiatur à Christo in cœlo.*

Matt. 10. 42. Matth. 10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem*
August. *suam.* S. August. serm. 62. de tempore, ponderans & explicans hunc locum ait: Quare *frigidæ* dixit? *ne forte se pauper de signorum inopia excuſaret, aut certè si vasculum vbi aquam calefaceret, non haberet.* Ita Sanct. Augustinus.

A Qui eodem sermone expendit etiam ad rem locum illum Isai. 58. *Frange esurienti panem tuum, & egenos & vagos induc in domum tuam,* & ait S. August. *Non dixit,* *Isai. 58.*
vt integrum panem daret, cùm pauper fortè alium panem *August.*
non haberet, sed frange, *ac si diceret, etiamsi tanta paupertas tibi sit, vt non habeas nisi vnicum panem, ex ipso frange, & pauperi aliquid tribue.* Ita ille.

Et de hospitalitate subdit: *Egenos & vagos induc in domum tuam. Quam excusationem possimus habere nos, qui amplas & spatiosas domos habentes, vix aliquando dignamur excipere peregrinum, ignorantes quòd in omnibus peregrinis excipitur Christus, sicut & ipse dixit:* hospes eram, & non *S. Aug.*
suscepistis me; *laboriosumne nobis est excipere Christum? Timeo ne nobis ille in cœlo vicem reddat, & non recipiat nos in beatitudinem suam, secundum illud quod dixit:* hospes eram *Matt. 25.*
& non suscepistis me, *& quod post hoc sequitur, fratres, ex-* *43.*
auertat Deus à nobis, discedite maledicti in ignem æter- *Hieron.*
num. Ita S. August.

B

HVMILITAS.

Prop. 1 *Quàm excellens virtus sit humilitas.*
2. *Summopere est amanda humilitas, & quærenda.*
3. *Quàm grata Deo sit humilitas.*
4 *Humilitas quàm necessaria sit ad animæ salutem.*
5. *Humilitas est via cœli, superbia verò inferni.*
6. *Humilitas non solùm in cognitione, sed etiam in effectu consistit.*
7. *Humilitas non tantùm debet esse exterius; sed etiam interius.*
8. *Ad humilitatem spectat non attendere virtutes proprias, sed defectus.*
9 *Humilitas nihil de se magnum proferret debet.*
10. *Ad humilitatem spectat, & conducit celare bona nostra.*
11. *Quàm ignota sit in mundo, excellentia virtutis humilitatis.*
12 *Humilitas fundamentum virtutum est.*
13 *Humilis quanto plus proficit, tanto se defectuosum cognoscit.*
14. *Hominem decet humilitas, quia homo est.*
15. *Humilitas indicium est perfectionis.*
16 *Humilitas decet primarios viros.*
C 17. *Vera humilitas in dignitatibus & honoribus probatur & manifestatur*
18. *Verus humilis contemni contemnit.*
19. *Humilibus communicat Deus sapientiam suam.*
20. *Quàm conducat humilitas ad impetrandum à Deo intentione.*
21. *Mundi miseria satis nos humiliare sufficiunt.*
22. *Humilitas in Ecclesia omnes reddit æquales.*
23. *Deus exaltat humiles.*
24 *Humilitas ad huius vitæ felicitatem conducit.*
25. *Cùm omne bonum à Deo sit, meritò in omnibus nos humiliare debemus.*
26. *Quantò quis maior est, tantò humilior esse debet.*
27. *Exemplum Christi urget nos humiles esse.*
28. *Fides, & humilitas nostra æqualis cum cæteris nos ad humilitatem deuincit.*
29. *Quòd peccata nostra nos humiliare debent.*
30. *Humilitas non est peccatorem se fateri, cùm peccator quis est.*
31. *In diuinis fauoribus homo se debet humiliare.*
32 *Quàm viles sint homines reipublicæ.*
33. *Difficile est humilitatem addiscere.*
34. *Quò quis, per virtutes Deo vicinior, eò & humilior.*

D

Prop. I. *Quàm excellens virtus sit humilitas.*

Sic Angelus ad pastores: *Inuenietis infantem pannis* *Luc 12.*
inuolutum; & positum in præsepio. Et subdit, *venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio.* plus inuenerunt, quàm ab Angelo fuerat in signum datum: non enim dixit: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio, & insuper cum eo Mariam & Ioseph, sed tantùm infantem pannis inuolutum. Quærit igitur Sanctus Bernardus: *Quid est, quòd ab Angelo sola humilitas* *Ser. 4. de*
commendatur, nec tamen sola à pastoribus humilitas inuenia- *natali*
tur? fortè specialius commendat Angelus humilitatem, quia *Domin.*
vtrobique

recedentibus ceteris per superbiam, ipse in humilitate stetisset: aut propterea cælitus commendatur humilitas, quòd hæc, quasi propria virtus, diuinæ exhibenda sit maiestati. Ita S. Bernardus, quasi dicat ideo solius humilitatis Christi in pannis, & præsepio meminit Angelus, quia manet alta mente repositum iudicium Dei, qui ob superbiam dæmones vsque ad inferna humiliauit, & Angelos propter humilitatem vsque ad Paradisi gloriam exaltauit: vel quia humilitas est, quæ dat gloriam Deo, dum se quis humiliat maiestati diuinæ. quomodocumque sit, quanti momenti humilitas apud Angelos sit, ex hoc quidem constat, quòd, cùm meminisse Virginis & Ioseph debere videretur Angelus, eorum solùm mentionem fecit, quæ ad humilitatis virtutem spectare videbantur. A

Sanctus Chrysost hom. 3. in Matth. *Minimum sentire de se, tam magnum est, quàm maximas res fecisse. quòd si non ausit, nec illa magnæ poterunt esse laudabiles: nam nos quoque famulos habentes, tunc eos maximè comprobamus, quando cum bona gratia in omnibus obsequuti, nihil se grande arbitrantur egisse.* Ita ille. Petrus Chrysol. B

Item idem ibidem: *Si bona tua magna vis facere, noli ea magna existimare: aliter enim magna esse non possunt.* Ita ille.

Prop. II. *Summopere est amanda humilitas, & quærenda.*

ITa procuranda est semper humilitas, vt si quæ à nobis opera præstanda sint, quæ ex se excellentiam præseferant, alijs humiliationis actibus illa operiamus.

Cuius rei exemplum in Christo Domino manifestum habemus, qui diuinis, & miraculosis operibus ita humana miscuit, vt in eis etiam diabolum ipsum hallucinatum fuisse videamus. Vidit enim in natiuitate eius eximiam humiliationem, dum in stabulo, & præsepio iacebat, & tamen simul Angelos eius natalia gloriosè celebrantes, nunc quidem vagientem infantem vidit, & statim tanquam Deum à pastoribus, & regibus adorari, in circumcisione iam cruorem emittere, iam verò Saluatorem nuncupari: illud homini, hoc verò maximè Deo congruebat: in baptismo Ioannis ad aquam, sicuti peccatores, ipsum accurrere intuebatur, & tamen vocem de cœlo dicentem audiuit: *Hic est filius meus dilectus.* in deserto illum 40. dierum, & noctium spatio, ita mirabiliter ieiunantem prospexit, vt nihil prorsus vel cibi sumeret, vel potus, postea verò esurijsse animaduertit. Si homo est, aiebat, quomodo quadraginta dies incibatus peragere potuit? si Deus, quomodo patitur famem? Vnde accedens perplexus, *Si filius,* inquit, *Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Præterea, multa illum decursu temporis miracula perpetrasse vidit, quæ diuinam potentiam designabant, fatigari item, sitire, algere, & alia, quæ humana sunt, pati animaduertit. Vnde nunquam Deitatem eius plenè penetrare valuit, & sicut Patriarcha Iacob pellibus, quibus manus nuda protexit, se ita occultauit, vt nec pater. qui genuerat, eum agnoscere potuerit; sic Christus Dominus excellentiam Deitatis, humanitatis humilitate contexit, vt etiam ipsum illuderet hostem. Tu igitur, qui verè dæmonis astutias, & vanæ gloriæ, ac superbiæ offendicula timere potes, & debes, tege humilitate tua, quæ admirationem tui inijcere possint, vt & dæmonem latere possis, &c. C

Matth. 2.

Matth 3. 7.

Matt. 4. 3.

Prop. III. *Quàm grata Deo sit humilitas.*

CAnt. 7. sic Deus ad animam iustì: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.* Mirabilis est collaudatio ista diuini Sponsi: etenim laudare animam iustam ob pulchritudinem eius, laudare vestitum eius deauratum, laudare verba prudentissima eius; vel etiam genus, & prosapiam, non mirum; sed gressus in calceamentis? maximè cùm de sancta anima sermo sit, in qua gressuum concentus & artificium, non laude, sed vituperio dignus esse iudicatur: ex animi enim elatione procedere solet, & ex sæculi vanitate. Vnde Ecclesiastic. 19. *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis indicant de illo,* hoc est, externo habitu, gestu & incessu corporis, qualis quisque sit, manifestatur; nam vt quisque est animo affectus, externa corporis conformatione maximè ostendit. Denique, nec tantum & tam sanctum Sponsum decere videtur huiusmodi laus gressuum in calceamentis. Mystica quidem & spiritualis est laus ista, quam vt intelligas, attende, pedes inferiores partes hominis esse, quibus terram, & ea quæ in ea sunt siue excelsa, vt montes, siue humilia, vt valles, calcamus. Vnde humilitatis symbolum sunt: humilitas enim in subiectione sui consistit, & in eo quòd homo in mystico Ecclesiæ corpore ad omnium pedes se dimittat, & inferiorem locum, sicut pedes, teneat, & calcet, & conculcet omnia excelsa mundi, imò & infima eius, calcando scilicet despectum ipsum, quem de rebus excelsis habet: hoc enim difficilius est: multi enim calcant excelsa, & de victoria sua superbiunt. Inuitauerat olim Plato Diogenem Cynicum ad conuiuium; assensit Diogenes, & cùm in domo Platonis pauimentum videret culcitrâ pulchrâ tectum, & ornatum, calcare pedibus culcitram cœpit. cui Plato: Quid agis Diogenes? Cui Cynicus: *Calco,* inquit, *Platonis fastum: calcat,* inquit Plato, *sed alio fastu.* Vnde hi qui sese humiliare ostendunt, & de sua humiliatione superbiunt, similes Eleazaro sunt, qui in libris Machabæorum occidit elephantem gladio suo, sed cadente super ipsum elephante, ab eo, quem interemit, interfectus est; sic isti, dum superba mundi humilitate sua vincere conantur, per reflexionem, & reciprocationem quandam, de humilitate sua superbientes, non Deo victoriam tribuendo, sed sibi, & osculantes massus suas vanitate, ex humiliatione sua suborta, necantur. D

Finxerunt olim Poëtæ Anthæum, filium terræ, cum Hercule luctam inijsse. Hercules fortitudine sua illum in terram proiecit: at terra, tanquam mater Anthæi, supra se illum recipiens, sic adiuuit, vt renatis viribus, quantumuis reluctaretur Hercules, surrexerit, & ad luctam fuerit reuersus: quod non semel nec iterum contigisse aiunt eò quod Anthæus hic ex casu suo vires reassumebat. talis est superbia nostra: sæpe ex casu suo vires reassumit, & dum victa iam videtur, ad pugnam redit, & victorem suum deijcit, atque vincit O difficilis, ardua, & periculosa pugna! nec Hercules contra vitium istud, nisi Dei fuerit adminiculo adiutus.

Quodnam igitur remedium? id Spiritus sanctus verbis illis explicauit, *in calceamentis*: calceamenta enim sunt, quæ pedes cooperiunt, ne in suis gressibus appareant; sic qui humilitatem suam periclitari noluerit, eam occultet, amet nesciri, nesciat sinistra sua, quid faciat dextera eius, sic se humilet, sic superba, & alta mundi conculcet, vt id sibi, Deoque solùm notum sit. Inde enim de vanitate tentamur, cùm ab alijs videmur despexisse honores, diuitias, dignitates, & quæ appetunt alij: sic pedes, & gressus pedum, quibus omnia

calcamus, tegimus, & occultamus. Cùm autem sic verè, & profundè humiliamur, in tantum Deo placemus, vt cum admiratione dicat Sponsus : *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.* Filia principis, est anima in gratia existens, siue ex prosapia regali, siue seruili sit illa, nimirum quia filia Dei est : quòd si filia Dei, cur non principis filia dicatur ? *Quam pulchri* (ait) *sunt gressus tui.* Pulchritudo ex proportione consurgit : est autem proportio magna, cùm homo se humiliat, & nullo modo superbit : non enim nationi hominum creata est superbia, iustum & æquum est de humo formatum, humilem esse; vt igitur ostendat, quàm Deo grata sit humilitas nostra, cum nota exclamationis, ait Deus, cui præter ceipsum nihil mirabile esse videtur : *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis*, hoc est, multùm mihi places, ô anima, cùm omnia quæ mundi sunt tam excelsa, quæ mundani magni faciunt, quàm humilia, quæ sancti diligunt, sub pedibus occulis, & premis humilitate tua.

Inde colligere licet, quantùm placeat humilitas Deo, quòd paruulos, & imbecilliores in suam tutelam susceperit speciatim, non quia paruuli, & imbecilliores præcisè sint, sed quia vel communiter humiles magis sunt, vel quia symbolum quoddam sint humilitatis : ideo, inquam, Marc. 10. dixit : *Sinite paruulos venire ad me*, & Matth. 18. *Statuens paruulum quendam in medio discipulorum, dixit : Nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum* ; ideo etiam ex duobus filijs Abrahæ, Ismael scilicet & Isaac, minorem, Isaac nempe, elegit, *In Isaac vocabitur tibi semen.* Genes. 21. dixit Dominus Abrahæ, & inter filios Isaac, relicto Esau, elegit Iacob minorem, & inter filios Iacob elegit alterum ex duobus minoribus Ioseph, & inter filios Ioseph Ephraim, qui erat minor, inter filios Isai, qui erant plures, elegit Dauidem, qui erat minimus omnium, & in minimo constitutus munere, videlicet pastoris, 1. Reg. 16. vnde ipse : *De post fœtantes accepit eum, pascere Iacob seruum suum*, &c.

Marc. 10. 14. Matt. 18. 2. Gen. 21. 12.

Vnde S. Leo sermon. 7. de Epiphan. *Amat*, inquit, *Christus infantiam, quam primò corpore, & animo suscepit : amat Christus infantiam, humilitatis magistram, innocentiæ regulam, manſuetudinis formam : amat Christus infantiam, ad quam senum reducit ætates, & eos ad suum inclinat exemplum, quos ad regnum sublimat æternum.* Ita ille. Item S. Hieron. in cap. 40. Isaiæ, ponderans verba illa, *In brachio suo congregauit agnos, non tauros* (inquit) *& arietes, vel hircos, sed agnos, adhuc tenellos per humilitatem, quia humiliores, & imbecilliores suscepit diuina potestas sibi curandos, & defendendos.* Ita S. Hieron.

Vers. 11.

Quantùm autem placeat humilitas Deo, illud maximè ostendit, quòd velut vltima dispositio fuit veniendi ad nos Deum, & vt fieret pro nobis homo. Quod S. Bernard. adnotauit, dicens : *Quod cum primum audiuit filius Dei humillima illa Mariæ verba dicentis : ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, statim carnem assumpsit ex ea. Fuit quidem ingens humilitas illa Mariæ : audierat enim ab angelo se electam esse in matrem Dei, & non solum non fuit elata electione, & dignitate tanta, verùm etiam amplius se tunc humiliauit, dicens : Ecce ancilla Domini. Eam matrem suam fecit Deus, & ipsa se in ancillam offert ; ideoque illico, & quamprimum Deus verba humilia audiuit, homo factus est in ea. Magna humilitatis virtus, cui etiam deitatis maiestas tam facilè se inclinauit.* Ita ille.

Luc. 7. & Matth. 8. voluerunt seniores populi Israel à Christo Domino exaudiri pro salute serui Centurionis, quam etiam à Christo ipse Centurio postulabat : vt autem seniores id assequerentur, dicebant : *Dignus est, vt hoc illi præstes : diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis.* Gratus Deo titulus quidem, sed tamen non ei efficaciter, & de facto id consessit, donec ipse Dominus audiuit à Centurione, *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus*, &c. Tunc quidem statim postulata concessit : *Muy bien negocia la humildad con Dios, porque le ha caydo en gracia.* Vnde S. Augustlibro de sancta Virginitate, reddens rationem, cur Sanctus Matthæus, cap. 8. non retulit misisse Centurionem seniores ad Christum, vt intercederent pro ipso, sed solùm retulit accessum Centurionis ad Christum Dominum, *Quia* (inquit) *fidelissima humilitate magis ipse Centurio accessit, quàm illi quos misit.* Ita ille. Illi dicebant dignum, ipse verò se indignum non solùm munere tanto, verùm etiam ingressu in domum eius fassus est, quæ humilitas potens est valde apud Deum.

Luc. 7.

Psalm. 105. narrans propheta peccatum Idololatriæ vituli, subdit : *Vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* Alludit ad cap. 32. In Exodo vbi Moyses orauit pro populo, ne disperderet eũ Dominus, obtinuit statim orando, scilicet, *in confractione*, quid est in confractione ? Rupertus Abbas : Per nimiam (inquit) humilitatem significat Moysen Deum tenuisse, dicendo in confractione : confractio enim nimia humilitas cordis est, quæ coram omnipotenti Deo fortis est, ita vt illa pugnante quasi detinuerit brachium Domini, magna hac virtute vincente pro reuerentia sua.

Vers. 23.

Hinc est, quòd speciatim humilitas, virtus Christi absolutè nuncupatur, dicente Apostolo : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Quam vocat virtutem Christi, cùm omnes virtutes sibi consentaneas in gradu heroico obtinuerit Christus ? Sanct. Bernard. de grad. hum. sic respondet : *Sed nondum forsitan intelliges de qua specialiter dixerit, quia Christus omnes virtutes habuit, sed cum omnes haberit, præ omnibus tamen vnam, id est, humilitatem, in se commendauit, cùm ait :* Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Ita S. Bernard. Solet parens, cùm valde filium aliquem amat, eum filium suum appellare, licet appretiatiué alios plus diligat ; sic licèt aliam dederis virtutem, quam in maiori pretio habeat Deus, sed tamen velut affectu quodam speciali virtutem humilitatis suam vocat, vt ostendat huiusmodi appellatione, quàm illi grata humilitas sit.

2. Cor. 12. 9. Matt. 11. 29.

Hinc promanarunt admiranda exempla humilitatis, quæ nobis exhibuit Christus à præsepio ad crucem vsque, vnde S. Gregorius 34. Mor. 18. *Audiant*, inquit, *omnes*, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, *audiant omnes Dominum dicẽtem :* Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. *Ad hoc namque vnigenitus Dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc irrisionum opprobria, passionumque tormenta toleranit, vt superbum non esse hominem doceret humilis Deus.* Ita S. Gregor. Hinc collige, quàm Deus humilitatem æstimet, qui, vt eam nos doceret, talia facere ac pati non fuerit dedignatus.

Iacob 4. 6.

Semper quidem grata Deo humilitas nostra fuit, sed tamẽ postquam Filius Dei exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, magis multò : decet enim humilem Dominum humilibus seruis delectari, & seruos tam humilis Domini humiles pariter esse.

Hinc est quòd electurus Dominus Apostolos & magistros Ecclesiæ, non magnates, non Rhetores, nõ Philosophos, non Archisynagogos, non denique legisperitos elegit, sed humiles piscatores, hos elegit, his dixit : *Vos estis lux mundi*, hoc est, Doctores, prædicatores, & magistri mundi totius, *Euntes* (inquit) *in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ : ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes aduersarij vestri*, omnes (inquit) quantumuis scilicet sapientes, & potentes illi fuerint, imò & Angelos ipsos Apostoli quodammodo docuerunt. Audi Apostolum. *Mihi autem* (ait) *omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, euangelizare in gentibus inuestigabiles diuitias Christi, vt innotescat principibus, & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam*

Matth. 5. 14. Marc. 16. 15. Luc. 21. Act. 9. 15. Ad Eph. 3. 8. 9. 10.

Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Vbi Sanct. Anselm. *Secundum hoc in cognitione huius sapientiæ, etiam Angeli per Ecclesiam profecerunt, quia dum eam Christus vel per se, vel Apostolos instrueret, plurima secreta didicerunt Angeli, quæ ignorabant.* Ita Sanctus Anselm, qui ponderans illa verba, *principibus, & potestatibus*, id est, (inquit) prioribus, & potentioribus ordinibus Angelorum, & S. Thomas, quamuis non admittat homines viatores docere Angelos, comprehensores concedit, quòd quamuis Angeli non didicerint ab Apostolis, didicerunt tamen in Apostolis, hoc est, per ea, quæ docebant Apostoli alios homines. Angeli illi supremi cognoscebant multa, & magna mysteria fidei nostræ, quæ nesciebant priùs: hæc autem magna & sublimis dignitas fuit Apostolorum, vt ipsis priùs à Christo reuelatum sit, quàm Angelis, & quòd Angeli in Apostolis id agnouerint. quod quidem propterea concessum est humilibus, & paruulis-hominibus & piscatoribus, quia Christus Dominus humilis venit ad nos. Quod hac similitudine declaratur, cùm primùm oritur sol radijs suis, priùs illuminat montes, quàm valles, & infima terræ loca, quia scilicet exalto cœlo nascitur ipse sol. Quòd si ex terra infima oriretur sol, manifestum est, quòd priùs infima terræ illuminaret, & postea montes & colles altos. Sic igitur licèt anteaquam Christus Dominus sol iustitiæ in mundo nascerctur homo, choros illos excelsos Angelorum, priusquam homines inferiores, illuminabat, sed postquam factus est in terra homo, quid mirum si homines terræ, quantumuis humiles & abiectos, illuminaret? quia igitur humilis factus est Dominus, humilibus gaudet, noua quadã ratione. Ideo cùm natus fuisset in Bethleem Iudæ, non primùm se Regibus Magis manifestauit, sed pastoribus paruulis, & deinde Regibus altis, & humiles elegit in Apostolos, & Magistros, quibus dicat: *Vos estis lux mundi*, ex quibus Angeli etiam lucem mysteriorum multorum percipiant.

Quare, si semper, post Christi Domini incarnationem maximè nos humiles esse decet, & maximè decet Christianos superbia & ambitio. Quid enim indecorum & indecentius magis, quàm Christum Deum nostrum humilem videre, & nos, qui tanquam Deum illum veneramur, elatos & superbos esse? semper igitur inuisa fuit superbia Deo, sed nunc multò magis.

Sanct. Bernard. *Sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas Mariæ Deo placuisset.* Super quem, *inquit*, requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum? *super humilem, dixit, non super virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requieuisset, si super eam non requieuisset, non concepisset de Spiritu sancto: quomodo enim conciperet de ipso sine ipso? Patet ita, quia vt de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet, respexit humilitatem ancillæ suæ Deus, potius quàm virginitatem: etsi enim placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit: vnde constat, quia etiam vt placeret virginitas, humilitas proculdubio fecit. Quid dicu virgo superba? Maria Virginem se oblita, gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate?* Respexit (*ait illa*) humilitatem ancillæ suæ, *quæ illa? Virgo vtique sancta, virgo sobria, virgo deuota, nunquid tu castior illa? nunquid deuotior illa? aut nunquid tua pudicitia gratior castitate Mariæ, vt tu scilicet sine humilitate placere sufficias ex tua, quod illa non potuit ex sua? Denique quantò honorabilior tu es ex singulari munere castimoniæ, tantò tibi tu maiorem iniuriam facis, quòd eius in te decorem fœdas ex superbia? Quòd si virgo & humilis es, quisquis es, magnus es.* Ita ille.

Prop. IV. *Humilitas quàm necessaria sit ad animæ salutem.*

PSal. 139. *Qui cogitauerunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi. Funes extenderunt in laqueum: iuxta iter scandalum posuerunt mihi.* S. Augustin. Cardinal. & Glossa, superbi, id est, totum diaboli corpus, & dæmones scilicet, & eorum membra, in via cœli abscondità parant nobis laqueos. Vidit hos laqueos S. Anton. Abbas, cuius Dominus oculos animæ ad eos perspiciendos aperuit, qui maxima captus admiratione, *O Domine, inquit, quis tot, tantosque, ac tam varios laqueos euadere poterit: cui Dominus? Humilitas, ô Antoni.* Cur Dominus humilitati hoc tribuit? quia, vt ait Iacobus: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Vnde mihi dicere visus est, qui à me habuerit gratiam; ille tot laqueos euadet, habebit autem, qui humilis fuerit.

Psal 139. 5. & 6.

Augustin.

Iac. 4. 6.

1. Cor. 7. *Seruus vocatus es? non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis vtere.* S. Thom. ibidem sect. 4. sic explicat, quasi dicat: *Vnusquisque in ea vocatione in qua vocatus est, permaneat, v.g. seruus vocatus es ad fidem Christi? non sit tibi curæ, vt scilicet velis seruitutem effugere, sed potius, si potes fieri liber, mane in seruitute.* Ita S. Thom. quis non miretur Apostoli consilium, cùm seruitus tanta miseria sit, vt in prouerbium recepta sit illa sententia, *Non bene pro toto libertas venditur auro?* Cur igitur consulit Apostolus seruo vt in seruitute remaneat, etiam cùm ab illa liberari iustè possit? Sanct. Thom. sic respondet: *Quia seruitus causa est humilitatis, & sicut ait Ambros. quantò quis despectior est in hoc sæculo propter Dominum, tantò magis exaltabitur in futuro.* Et Gregor. *quantò quis Deo gratior est, tantò propter eum vilior.* Et Boëtius: *Cùm omnis fortuna timenda sit, magis tamen prospera, quàm aduersa.* Ita S. Thom. & Sanctus Anselmus.

1. Cor. 7. 21. Thom.

S. Greg. Boetius.

S. Anselm.

Prop. V. *Humilitas est via cœli, superbia verò inferni.*

SI quæris, quomodo ascendat quis in cœlum, dicam, descendendo, sicut etiam è conuerso, ascendendo itur ad ima inferni. Mirum hoc, via cœli est per descensum, viæ inferni per ascensum, *como se va al cielo? bajando, como se va al infierno? subiendo*, ita? licèt cœlum sursum, infernus verò infra nos valde sit. diabolus ascendere voluit super excelsa cœli, *In cœlum (ait) conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Ascendere voluit, & sic ascendens in corde suo, descendit ad tartari ima, *errò el camino del cielo, pierdò llegar al cielo, y hallose en el infierno.* Vnde S. August. super Psalm. 46. *Genus iustorum conatur in sublimia per humilitatem, genus iniquorum præponderat ad inferiora per elationem: illud enim se deprimit, vt surgat, hoc se extollit, vt cadat.* Ita Sanct. August. *De manera que aquí subiendo se baja, y bajando se sube.*

Isai. 14. 13.

In hoc decepti fuerunt filij Noë, quòd pertingere ad cœlum volentes, turrim quandam facere decreuerant, cuius culmen attingeret cœlum. Non sic itur ad astra, sed deturbando, & sternendo ventosas mundi turres. *No haziendo torras de viento, sinò deshaziendolas, se sube al cielo.*

Genes 11.

Apostoli item contendebant, quis eorum maior esset, apprehendit Christus puerum, & in eorum statuit medio, dicens: *Nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regna cœlorum.* In quo, inquies, similes pueris esse debemus, vt saluemur, & in regnum cœlorum introeamus? Respondet Theophyl. super cap. 9. Lucæ: *Ostendit Dominus puerum, & in eo humilitatis viam.* Ita ille. Quasi diceret, in hoc puero à nobis imitandos esse docuit, vt sicut illi naturâ suâ humiles sunt, sic nos imitatione illorum humiles simus. *Mostraandoles vn niño pequeño,*

Matt. 18. 3.

que'o, y humildo, les mostrò que por la pequenez, y por la humildad se sube al reyno de los cielos.

Iob 5.11. Eapropter dixit Eliphaz: *Ponit humiles in sublime:* Dei enim est, sedes in cœlo beatis assignare; quòd si scire vultis, quos in sublimi ioco cœlorum ponat, dicam: *Ponit humiles in sublime.*

Ad Phil. 2.8. Quod in Christo Domino patet, de quo Apostol. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem; mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum,* &c. Et ad Hebr. 2. *Videmus Iesum propter passionem suam gloriâ, & honore coronatum.* Propter passionem, inquit, suam, in qua scilicet humiliauit se vsque ad mortem, mortem autem crucis. Quid humilius, maximè in eo qui verè Deus erat, & est, & erit in æternum.

Prop. VI. *Humilitas non solùm in cognitione, sed etiam in affectu consistit.*

Matt 11. 29. Ber. 4 de Aduent. SAnct. Bernard. *Discite à me* (ait Christus Dominus) *quia mitis sum & humilis corde. Considera sanè in his verbis, quoniam humilitas duplex est, altera cognitionis, altera affectionis, qua hic dicitur cordis, priore cognoscimus, quòd nihil sumus, & hanc discimus à nobis ipsis; posteriore verò calcamus gloriam mundi, & hanc ab illo discimus,* qui exinaniuit

Phil. 2.7. semetipsum, formam serui accipiens, *qui etiam quæsitus in regem, fugit, quæsitus verò ad tanta probra & ignominiosum crucis supplicium, sponte obtulit semetipsum.* Ita Sanctus Bernardus.

S. Bern. Idem Sanctus Bernard. serm. 42. in Cant. duplicem distinguit humilitatem, intellectus, & voluntatis: illa quidem est quasi inchoata humilitas, hæc verò perfecta. Verba eius hæc sunt: *Alia est humilitas, quam nobis veritas parit, & non habet calorem; alia, quam charitas format, & inflammat, & hæc quidem in affectu, illa in cognitione consistit. Etenim si temetipsum intus ad lumen veritatis, & sine dissimulatione inspicias, & sine palpatione diiudices, non dubito, quin humilieris & tu, in oculis tuis factus vilior tibi, ex hac vera cognitione tui, quamuis necdum fortasse id esse patiaris in oculis aliorum. Tu ergo, si iam apud teipsum humiliatus es, necessaria illa humilitate, quam veritas ingerit, adhibe voluntatem, & fac de necessitate virtutem, quoniam nulla est virtus sine conuenientia voluntatis. Sic autem fiet ipsum, si nolis aliter apparere foris, quàm te inuenis intus, alioquin time, ne de teipso*

Ps. 35. 3. Pro. 20. 2. *legas:* Quoniam dolosè egit in conspectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Pondus, *inquit,* & pondus abominatio est apud Deum. *Quid enim? tu te depretiaris in secreto apud teipsum, in secreto veritatis trutinâ ponderatus, & foris alterius pretij mentiens, maiori te pondere vendis nobis, quàm ab ipsa accepisti. Time Deum, & noli hanc pestimam rem facere, vt, quem humiliat veritas, exaltet voluntas: hoc enim est resistere veritati, hoc est, pugnare contra*

Matt. 11. 29. *Deum.* Ita S. Bernard. Vnde Christus, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde,* dixit, non intellectu, sed voluntate tales nos esse vult Dominus, & se ad hoc in exemplum adducit, qui quamuis multa in se cognosceret, quibus exaltari in terra, & in cœlo merebatur, inter manus Apostolorum, imò & inter pedes eorum, se humilem seruum voluit exhibere. Quod Apostolus

Phil. 2.7. ad Philip. expendit, *Qui,* ait, *cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* formam serui specialiter accepit, cùm lauit Apostolorum pedes: id enim seruorum ministerium est. Quòd si is qui verè filius Dei erat, & se intus talem agnoscebat, & dignum omni honore, & gloria iudicabat: cognoscebat enim, quæ à Deo donata illi erant, nec ea potuit ignorare; sic se voluntariè humiliauit exteriùs, quonam pacto, quæso, tu, qui te intus inferno fortè dignum agnoscis, & filius perditionis fuisti, nec, si in gratia modò sis, nosti, exteriùs te ab omnibus honorari, & dignitates obtinere ambis? vilem te intellectu cognoscis, & sublimem te voluntate appetis æstimari? dimidiata hæc humilitas, & simulata est. Vnde Apostolus ad Ephes. 4. *Obsecro vos, vt dignè ambuletis, cum omni humilitate,* nónne dicere sufficiebat, cum humilitate, ad quid *cum omni humilitate,* ait? Sciebat optimè Apostolus hanc humilitatis distinctionem, & plures esse qui humilitatem intellectus habentes, humilitate voluntatis carent.

Eph. 4.

Prop. VII. *Humilitas non tantùm debet esse exterius; sed etiam interius.*

Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: non ait, quia humilis sum tantùm, sed adiecit, *corde*, quia sunt nonnulli, qui magnam exteriùs humilitatem præseferunt, interiùs Luciferinam quandam superbiam celant. de hoc Ecclesiastic. *Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo,* dolo ait, tum quia nonnulli non ita humiles sunt interiùs, sicut apparent exteriùs, atque adeo dolosa est humiliatio; illa est humilitas apparens, sed non existens, fingunt se velle alijs subijci, cùm tamen supra omnes esse cordialiter optent; hoc est ergo se in dolo humiliare.

Matt. 11. 29. *Eccl. 19. 23.*

Secundò in dolo, quia huiusmodi humiliationibus se alios amare, vel saltem longè ab omni odio alienos, esse fingunt, cùm eos honore dignos esse demonstrent, & se verè illos velle honorare, cùm tamen interiùs eos abominentur: *Besan manos, que desean ver cortadas.* Huiusmodi humiliationes pernitiosæ nimiùm sunt, quia his se iustificare fatagunt, cùm contra proximum aliquid faciunt, vel dicunt.

Quod de inimicis Christi obseruauit Isaias, dicens: *De angustia, & de iudicio sublatus est: generationem eius quis enarrabit?* Vbi Septuaginta sic legunt: *In humilitate iudicium eius sublatum est,* & cetera. Quam translationem sequutus est S. Lucas Act. 8. Quid est *in humilitate iudicium Christi sublatum esse?* Tertullian. lib. aduersùs Iudæos, Procopius super Isai. Chrysostom. tom. 5. orat. contra Iudæos, vix se ab huius rei difficultate extricare potuerunt. ex Patrum explicationibus, hanc dedu-

Isai. 8. 8. Sept. Act. 8. Tertull. Procop. Chrys.

cit probabilem quidam Theologus, humilitatem fictam inimicorum in causa fuisse, quòd sic temere in crucem fuerit actus. Verbi gratiâ, accesserunt Scribæ, & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: *Hunc inuenimus subuertentem,* &c. quibus Pilatus: *Accipite eum, & secundùm legem vestram iudicate eum;* cui Pharisæi: *Nobis non licet interficere quemquam,* &c. vbi se & legis obseruatores, & humiles voluerunt exhibere, dum ad tribunal alienum ipsi proceres Synagogæ sic accedebant, quò faciliùs iudicem contra Christum Dominum prouocarent. Item magistrum sæpè Christum vocabant, vt cùm signum de cœlo petebant, & quando de solutione tributi Cæsaris eum interrogabant, seque illi sic sæpiùs submittebant, cùm interiora plena dolo haberent, quo bellum acrius illi inferre curabant.

Luc. 23. 2.

Hinc Apostol. ad Ephes. 4. *Obsecro vos, vt dignè ambuletis cum omni humilitate.* nónne dicere sufficiebat cum humilitate? nunquid sunt multæ humilitates? Sunt, vt sic loquamur, & inter reliquas hæ humilitas exterior, & interior. Vana quidem vrbanitas mundi, exteriori tantùm humilitate contenta est, at Christiana veritas vtramque poscit, ideo *cum omni*, inquit, *humilitate*, &c.

Eph. 4.

Prop. VIII. *Ad humilitatem spectat non attendere virtutes proprias, sed defectus.*

Luc. 18. 12. ERrauit in oculis Dei Pharisæus ille, dicens: *Ieiunabis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo,* &c. Et enim decebat illum ieiunare, & decimas soluere, & reliqua præstare bona; minimè verò se ita iactare, sed quasi post tergũ illa proijcientem, ad vlteriora extendere seipsum meliùs publicanus, qui, licèt bona nonnulla fecisset,

feciſſet, eorum oblitus, peccatorum ſuorum memor, A dicebat: *Deus propitius eſto mihi peccatori.*

Ezech 43 de rebus templi agens Scriptura, inquit: *Gradus autem eius verſi ad Orientem*, &c. Quid eſt, quod Scriptura ſpeciatim exprimere ſoleat huiuſmodi graduum numeros, vti conſtat ex 2. Paralip 9. hic gradus iſti ad Orientem in Dei domo non annumerentur? S. Hieronymus ibidem, ſic locum iſtum myſticè interpretatur: *Propterea graduum horum numerus incertus relinquitur, vt quantocumque ſtudio ad altiora ſcandere potuerimus, in inferioribus nos putemus collocatos, & cogitemus illud Pſalmiſtæ:* I bunt de virtute in virtutem. Ita S. Hieronym. Hoc igitur attendere debemus, vt eamus de virtute in virtutem; quot autem gradus aſcenderimus, vel quos progreſſus in virtute fecerimus, non numeremus, ſed humiliter Deo illos relinquamus.

Quòd ſi nos in virtutibus noſtris mentem figimus, & quaſi nobis placentes, in eis quieſcere, & requieſcere velimus, inde nobis Deus exurgere turbationes permittet, ne ex noſtris virtutibus gloriemur. Vnde Iob de viro iuſto ſic: *Increpat quoque per dolorem in lectulo*, & *omnia oſſa eius marceſcere facit.* Sanct. Greg. ſic locum interpretatur: *Per lectulum repauſatio in bonis operibus deſignatur, ait ergo:* Increpat per dolorem in lectulo: *nam ſæpe humanus animus quamlibet breui tempore ſine tentatione in bonis ſtudijs fuerit, mox de ipſdem ſtudijs, in quibus quieſcendo ſe exſerit, de ipſis virtutibus, dum proficere ſe ſentit, elenatur. Vnde pro rectoris noſtri moderamine, impulſu tentationis afficitur, vt in eo ipſa profectus ſui elatio comprimatur. Quare poſtquam dixit:* Increpat quoque per dolorem in lectulo, *aptè ſubditur*, & omnia oſſa eius marceſcere facit. *Oſſa in Scriptura ſacra virtutes accipimus, ſicut ſcriptum eſt*, Cuſtodit Dominus oſſa eorum, *quod vtique non de oſſibus corporis, ſed de viribus dicitur mentis; nam certè nouimus, quòd multorum martyrum corporaliter oſſa confracta ſunt, & perſecutores Domini Iatronis illius, cui dictum eſt:* Hodie mecum eris in paradiſo, *ſicut alterius Iatronis crura fregerunt. Cum ergo increpat per dolorem in lectulo, omnia oſſa marceſcere facit, quia cum in ea teque, quam nobis in hoc ſæculo præparamus, flagello tentationis afficimur, qui fortaſſe de virtutibus noſtris inſtari potuimus, cognitæ infirmitatis noſtræ tædio extenuamur. Cùm enim, ſicut cupimus, ad Deum proficiſcimur, ſi perfectum noſtrum tentatio nulla pulſaret, alicuius nos fortitudinis eſſe crederemus. Sed quæ nobiſcum ſuperna diſpoſitione agitur, vt quia proficientes infirmitatis noſtræ obliuiſcimur, tentanti recolamus, & in tentatione cognoſcamus, quid de propriis viribus ſumus. Quare bene dicitur, quòd tentatione pulſante marceſcunt oſſa, quia cùm tentatione interrogante infirmitas propria cognoſcitur, omnis illa noſtrarum virtutum, velut pinguis & viuida gratulatio, marceſcit, & qui nos alicuius momenti, bona noſtra penſantes, credidimus, pulſati paulò amplius, perituros nos iam iamque formidamus.* Ita Sanctus Gregorius. Quare ſi à tali tentatione, & flagello cupis liberari, defectuum tuorum memor, & pœnitens, bonorum tuorum memoriam Deo relinque. D

PROP. IX. *Humilitas nihil de ſe magnum proferre debet.*

LAudet te os alienum, non tuum. S. Gregor. hom. 7. in Euang. verba illa Ioannis Baptiſtæ expendens, Ioan. 1. vbi dixit: *Non ſum ego Elias*, ſic ait: *Ex huius lectionis verbis nobis quæſtio valde implexa generatur, alio quippe in loco inquiſitus à diſcipulis Dominus de aduentu Eliæ, reſpondit:* Elias iam venit, & non cognouerunt eum, & ſi vultis ſcire, Ioannes ipſe eſt Elias. *Requiſitus autem Ioannes, dicit:* Non ſum Elias. *Quid eſt hoc fratres chariſſimi, quia quod veritas affirmat, hoc Propheta veritatis negat? Valde namque inter ſe diuerſa ſunt, ipſe eſt, & non ſum; quomodo ergo Propheta veritatis eſt, ſi eiuſdem veritatis ſermonibus, concors non eſt? Sed ſi ſubtiliter veritas ipſa requiratur, hoc quod inter ſe contrarium ſonat, quomodo contrarium non ſit, inuenitur. Ad Zachariam namque de Ioanne Angelus dicit:* Ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ, *quia ſcilicet, ſicut Elias ſecundum Domini aduentum præueniet; ita Ioannes præuenit primum: & ſicut ille præcurſor venturus eſt iudicij, ita iſte factus eſt præcurſor redemptoris. Ioannes ergo in ſpiritu Eliæ erat, in perſona Elias non erat: quod ergo Dominus fatetur de ſpiritu, hoc Ioannes denegat de perſona.* Ita S. Greg. Nunc ad rem: magnum quidem hoc in loco documentum datur, quomodo de nobis, & de alijs loqui debeamus; de nobis ſcilicet humiliter, ita vt eo pacto, quo veritas pati poteſt, omnẽ de nobis excellentiam negemus, & ſemper dicamus cum Ioanne: Non ſum, non ſum, licèt in vero ſenſu dicere aliquando poſſimus: Sum. Poterat enim dicere Ioannes: Elias ſum, ſicut Chriſtus Dominus verè dixit: at quia potuit etiam id negare, elegit humiliter negare, quod ſublimiter concedere potuiſſet. At Chriſtus Dominus, Eliam ore pleno eſſe dixit, vt quomodo de alijs loqui debeamus, demonſtraret: poterat enim, ſicut Ioannes, dicere: Non eſt Elias, quia ſcilicet in perſona non erat; ſed quia potuit dicere, Eliam eſſe, quia ſaltem ſpiritu Elias erat, voluit in laudem eius ipſum Eliam proclamare, vt nos ita faciamus, & ea qua potuerimus ratione altè & honorificè de alijs loquamur. B

Quod vice verſa, ſicut cetera omnia, facimus nos: ſi enim aliorum excellentiam verè aliquo modo attenuare poſſumus, attenuauamus, & aliquando falsò; ſi verò verè aliqua ratione nos laudare valemus, laudamus, imò & ſæpè non verè, ſed falsò.

Vbi etiam nota, quomodo Deus pari, quo nos humiliamus, paſſu, ipſe nos exaltat; potuit dicere Ioannes, Elias ſum, & noluit, ſed humiliauit ſe dicens: Non ſum, exaltauit cum Dominus, dicens: Ipſe eſt Elias, quia *qui ſe humiliauerit exaltabitur.* Luc. 18. 14.

PROP. X. *Ad humilitatem ſpectat, & conducit, celare bona noſtra.*

IVdic. 6. Gedeon à Domino petijt in ſignum liberationis populi ſui, vt pluuia deſcenderet ſuper ſolum vellus: quod & præſtitit Deus, quo aduentum Chriſti Domini ſignificatum fuiſſe docet Eccleſia, dum dixit in hoc feſto: *Sicut pluuia in vellus deſcendiſti, vt ſaluum faceres genus humanum.* Quid igitur ſignum iſtud nobis ſignificauit? dicam: pluuia, cùm ſuper nudam terram cadit, ſtrepitum facit, maximè cùm incidit ſuper lapides: at ſuper lanam inſenſibiliter caderet proculdubio, ſignificare igitur voluit Deus, ſe ad nos ſine ſtrepitu, & tacitè venire. nqn ſicut principes, quorum ſi aliquis de nouo ciuitatem aliquam ingrediatur, magno cum ſtrepitu, & honorifico apparatu in ciuitatem intrat, maxima ſcilicet ſtipante caterua, multis curribus deauratis, &c. Nõ verò ita Dominus noſter, ſed eo modo, vt aſſerere potuerit Iſaias: Verè tu es Deus abſconditus: quo enim magis potuit abſcondere copiam, & abundantiam diuitiarum ſuarum, quàm ſub illa panni paupertate, quâ erat inuolutus? & maieſtatem, quam ſub humilitate, & vilitate ſtabuli, ac præſepij, & omnipotentiam, quàm ſub infantilibus brachijs faſcijs alligatis, & infinitam ſapientiam ſub infantili ſilentio, & denique diuinitatem ſuam ſub humanitate noſtra? Quis Deum illum exiſtimaſſet, humano iudicio ductus? illum, inquam, quem ita pauperem, humiliatum, ſolum cum Maria, & Ioſepho, & puerulum recenter natum, & inter arcta conditum præſepia vagientem vidiſſet? Cur ita? Vt nos abſcondere nos, & noſtra diſſimulare diſceremus: commune quippe vitium eſt, quæ honorifica ſunt, velle oſtentare: diues diuitias, ſapientes ſapientiam, nobiles genus ſuum, potentes potentiam ſuam, vt ab omnibus in admiratione habeantur, laudentur, & glorificentur. quod vene- C

num humilitatis est, & superbiæ fulcimentum, & totius vanitatis occasio. Vnde & antiqui sapientes hoc sæpe monebant: Ama nesciri; illi quidem verbis, Christus verò Dominus operibus id nos docuit. A

Sed tamen obscrua, quòd propter huiusmodi humiliationem non amittitur honor. Vnde S. Bern. serm. 45. in Cant sic de Christo, ponderans illa verba sponsæ: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, ecce tu pulcher es,* duplicem Christi pulchritudinem considerans, naturalem scilicet & per amorem in nos, ait: *Quàm pulcher es angelus tuis, Domine Iesu, in forma Dei; sed quam mihi decorus es, Domine, in ipsa depositione decoris? Etenim vbi te exinaniisti, ibi pietas magis enituit, ibi charitas plus effulsit, cadit fastus, vbi præualet affectus.* Ita ille. *Cant 1. 15.*

Vers. 10. Cantic. 1. sic diuinus Sponsus ad sponsam sanctam suam: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento,* ita scilicet, vt infrà argentum, aurum remaneret, cur ita? nam potiùs murenulæ argenteæ vermiculatæ auro esse debuissent, *melior cae oro sobre plata, que plata sobre oro.* Verùm in domo Dei potiora esse solent occulta, quàm manifesta: omnis enim gloria filiæ regis ab intus. vnde B. Virgo, & Ioseph vxorati in oculis omnium erant, sed tamen in secreto virgines semper fuerunt. Nos autem in exterioribus semper, quæ potiora sunt, ostentamus. peiora verò nostra interiùs latent, omnis gloria nostra à foris, gloria vero hæc reproba est. B

Leuit. 11. reprobauit Deus cygnum, & prohibuit illum in suis offerri sacrificijs. Causam quæres? est enim cygnus auis pulchra, & decora, albedine magna nitens, cur igitur sic Dominus illum reprobauit? nimirum quia exteriùs albus est in plumis, interiùs verò carnem habet nigram, & malam: displicent autem Deo nimis hi, qui exteriùs boni apparentes, intus mali sunt, & hos significabat cygnus.

Vers 13. Ideo conquerebatur de populo suo, dicens Isai. 29. *Populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me; cor autem eius longe est à me.* Quasi dicat, exteriùs in verbis bonus apparet, sed intus malus, & pessimus est. Quid inde? Ideo inquit: *Ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & stupendo.* Vide, quantùm Deus in istos irascatur: quare qui Deo placere curat, humiliter se ad interiora colligat: Deus enim, qui videt cor, talem approbat sanctitatem, quæ in corde consistit. C *Ibid 14.*

Prop. XI. *Quàm ignota fuit in mundo excellentia, virtutis humilitatis.*

Gentiles antiqui virtutem humilitatis despiciebant, quia valorem & pretium eius ignorabant: sed proh dolor! etiam apud fideles multos despicitur vsque hodie: etenim Israelitæ olim fideles erant, qui Dominum Christum recipere noluerunt. Cur ita? nónne videbant eum virtutes & miracula eximia efficere, & Prophetarum oracula ei conuenire? Cur igitur in Messiam eũ recipere renuerunt? Tertul. l. 3. contra Marcionem, *Iudæi, inquit, venisse Christum suum negant, eò quòd in sublimitate non venerit.* Ita ille. Eandem rationem reddit S. Chrysost. hom. 2. in Acta Apost. & S. Augustract. 4. in Ioan. cùm quidem inde magis sanctitatem, Messiã dignam, agnoscere debuissent, quantùm autem apud Christicolas etiam hodie talis ignorantia vigeat, amor excellentiæ vanæ demonstrat. D *Tertull.* *Chrysost.*

Humilitas & paupertas spiritus, seu diuitiarum contemptus, non solùm sunt pretiosæ virtutes ex intrinseca natura sua, sed quia rarissimæ in orbe sunt; nam, vti ait S. Hier. lib. de quæst. Hebraicis in 1. lib. Regum, exponens id 1. Reg. 3. 11. *Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis. Pretiosus, inquit, dicitur, quia rarus erat: omne enim quod rarum est, pretiosum est.* Ita ille. *S. Hier.*

Prop. XII. *Humilitas fundamentum virtutum est.*

Sanctus Chrysostomus homil. 19. ad popul. *Quæ Chrysost. bona parit nobis humilitas? Quidnã? tolerantiam, lenitatem ira nesciam, humanitatem, vigilantiam, solertiam? Hæc omnia ex humilitate procedunt bona; contraria verò ex superbia. Opus enim est, superbum contumeliosim esse, percussorem & iracundum, & amarum, & tristem, & magis seram, quam hominem.* Ita S. Chrysost.

Prop. XIII. *Humilis quanto plus proficit, tanto se defectuosum cognoscit.*

Menander, vti refert Plut. lib. de Profectu morum, sic aiebat: *Complures sunt, qui Athenas naugent Philosophiæ gratiâ, primum sapientes, deinde Philosophi, hoc est, sapientiæ amatores, deinde idiotæ, & se ignaros sapientiæ appellantes: quia quò magis cuique ex Philosophia accedit, eò plus à fastu, & arrogantia distat.* Ita ille. Idem igitur de virtute, & perfectione Christiana dicendum est; ham qui ad scholam virtutis, & perfectionis accedunt, primùm se virtute iam præditos censent, deinde nouitios se, & insipientes agnoscunt. postea verò se à virtute perfecta plurimùm distare confitentur. vnde qui se iam ad virtutis culmen peruenisse autumant, virtute vacuos ampliùs se ostendunt, & in quo vera perfectio consistat, ignorantes.

Sanctus Laurentius Iustinianus, in eius vita, cap. 11. *Nemo nouit, quid sit humilitas, nisi qui à Deo accipit, se humilem esse: in nullo enim sic homines falluntur, quàm in vera humilitate cognoscenda.* Ita ille.

Prop. XIV. *Hominem decet humilitas, quia homo est.*

Cvm primùm Filius Dei filius hominis fieri pro nobis dignatus est, se vsque ad pannos humiles, vsque ad stabulum, vsque ad præsæpe humiliauit, & idem humilitatis filum vsque ad mortem sequutus, humiliauit se vsque ad infames Iudæ proditoris pedes, quis non hîc stupeat? *Perfecta humilitas* (inquit S. Chrys.) *est, si te excelsum per opera, & humilem per opinionem reddas.* Ita ille. Sed rogo, quænam sit humilitas maior, illa quâ se vilem quis agnoscit magna operando, & nullo modo inde extollitur; an quâ se magnum, & excelsum est nouit, & vsque ad agenda, & patienda valde vilia descendit? etenim vllem hominem humiliari, etiam cùm magna operatur, non ita mirum est, cùm eius esse, ac natura id exposcat; at eum qui se magnum, & gloriosum esse certò scit, vsque ad humillima velle humiliari, ingentis humilitatis argumentum est. Nam præter id, quod esse suum, & natura sua petit, id præstat. Hinc humilitas Christi Domini, quanta fuerit, constat. Nam se Deũ excelsum esse certò sciebat, & se vsque ad lauandos Iudæ pedes humiliauit. quod Apostolus Ioannes recte obseruauit, dicens, & præmittens: *Sciens Iesus, quia a Deo Ioan 13. exiuit, & ad Deum vadit,* quasi dicat: nemo insipienter cogitet, ideo se sic Christum humiliasse, quia oblitus fuerat, vel quia ignorabat se Deum esse; sciens & prudens, quia à Deo exiuit, hoc est, quatenus ad personam attinet, se à Deo Deum processisse, & secundùm humanitatem ad dexteram Dei Patris se iamiam ascendere, nihilominus tamen ad Iudæ pedes se demittit, vt eos propriis ac diuinis manibus suis lauet, ac si de se ita humiliter sentiret, sicut seruus quidam ad lauandos pedes aliorum destinatus. *Vers 5.*

Vidit eum Isaias c. 6. *Super thronum excelsum, & elevatum,* tanta maiestate sublimatum, quòd *ea quæ sub ipso erant,* vel, vt alij transferunt, *fimbriæ eius, replebant templum,* ita legit Pagninus, Targum verò legit, *splendore gloria* *Vers 1.*

gloriæ eius repletum est templum. ex simul sumptis lectionibus, hic est sensus: Fimbriæ, & oræ vestimenti Domini adeo extensæ, & gloriosæ erant, vt vel ipsæ tantùm, sufficientes essent ad implendum, & replendum templum gloriâ Domini. Quòd si tanta erat vestimentorum Dei gloria, vt fimbriæ eorum sic templum ornarent, & glorificarent, quamnam existimas fuisse maiestatem ipsam Dei? Bone Deus, quàm aliter ibi Deus, & hîc, ibi amictus lumine glorioso, hîc amictus linteo seruili; ibi super thronum excelsum, & eleuatum, hîc ad pedes infames & vilissimos Iudæ, itineribus suæ proditionis; insessos ibi sedens à Seraphim laudatus, hic genu flexus pedes piscatorum pauperum lauans, & tergens!

Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo.* Quodnam ita magnum? *Vna gran maraulla se vió en el cielo. Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius.* Bene, sed tamen licèt mulier res terrestris sit, cùm iam in cœlo esset, quid mirum, si sole cœlesti esset amicta, & cùm in altitudine cœli esset collocata; quid mirum, si lunam sub pedibus haberet? Dicam nunc ego aliud mirabile magis: Signum magnum apparuit in terra, sol amictus linteo, & ipse sub pedibus Iudæ.

Mirabatur olim Eliu, amicus Iob, celsitudinem Dei, & dicebat: *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram.* At quid mirum hoc, si Deus est excelsus in fortitudine sua; in quo non ille superexcelsus est? quid magnum est, vincere eum scientiam nostram; dicam ego nunc mirabilius quid: Ecce Deus noster infimus in humilitate sua, vt ait S. Hieronymus, quantumcunque humiliaueris te, humilior Christo non eris. vincit in hoc scientiam nostram, quia minus est, non pertingere nos ad Dei cognitionem propter altitudinem eius, quàm propter humilitatem eius. *Menos es perder nos Dios de vista por alto, que por bajo, como lo perdió el Pharisæo de la Magdalena.* Quis Dominum maiestatis tantæ sic humiliauit? humiliauit eum superbia nostra: vt enim nos suo doceret exemplo, sic humiliatus est: *Exemplum* (inquit) *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Pondera pronomina illa, duo, *ego*, & *vos*, ego, qui maiestas illa sum, quam vidit Isaias, ita humilior: quidni & vos, qui homines estis, pariter humiliemini sicut ego?

Quid si humilitatem hanc, cum humilitate in cruce coniungamus, vbi inter duos latrones suspensus fuit, ac si peior illis extitisset? *Vidimus eum* (ait Isaias) *quasi leprosum, nouissimum virorum.* Leprosi tanquam pestis ab omnium communicatione reijciebantur; sic *vidimus*, inquit, *eũ quasi leprosum*, quasi ab omnibus eiectũ, & reiectum, *nouissimum virorum.* Hebræa sic habent, *cessatorem vel cessationem virorum*, hoc est, eò peruenit, vt in humiliatione nullus homo vltrà procedere possit, ibi cessauit omnis humiliatio. *Hasta ay pudo ser humillado vn hombre.* Attendite hoc, qui nomine Christiano insigniti estis, pudeat vos tanquam Christianos Dominum Christum ducem, & præceptorem habere, & illum videntes, qui Deus est, & anteseignanus vester, ita in summo gradu humiliatum, & vos adhuc sicut Lucifer ianos superbire. Miraris, ô Christiane, Deum, & magistrum tuum sic humiliatum, & ego quidem miror te creaturam, & discipulum eius sic superbum, &c. Mirabatur Apostolus Petrus Christum volẽtem pedes suos lauare, & dicebat: *Tu mihi lauas pedes?* tu, quem Pater æternus reuelauit filium Dei, & Deum de Deo esse, mihi, quem tu nosti peccatorem pauperem esse; tu quem ego in monte Thabor gloria, & honore vidi coronatum, mihi, quem tu vidisti reficientem retia piscatoria: perstrinxit oculos meos claritas transfigurationis tuæ in monte Thabor, fed amplius multò humilitas tua in cœnaculo istor *tu mihi lauas pedes?*

Tria sunt, quæ hominem in superbiam inducere solent, primum est, ex nobilibus parentibus ortum esse, & hoc quidem Israelitas non solùm gloriosos, verùm etiam reddidit insolentes. *Semen*, inquiunt, *Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam*, & infrà, *Pater noster Abraham est*, bene, si non inde præsumerent, ac superbirent. Secundum quod ad elationem inducit, est aliquid excellens, quod ex se in se animaduertit: tunc enim quamuis infimo sit genere natus, erigitur in superbiam. Et ob hanc causam tanti se faciens Marcus Tullius, sic de se testimonium tulit: *Ego maioribus meis virtute præluxi, vt si priùs noti non fuerint, à me habeant initium memoriæ suæ.* Improperabant quidam ei ex obscuro illum esse genere procreatum, quibus ille dicta reddebat verba: Ego præluxi eis, ego gloria illorum ero. Tertium quod superbię pariter occasio est, spes futuri est, vt cùm breui quis in dignitatem se promouendum credit, vt in primogenitis principum constat: hi enim, quamuis cùm pueri sunt, nihil possideant, quia tamen hæredes familiæ se futuros sperant, inde spiritus altos induunt, & de futura se iactant successione. Nunc igitur videamus, à quo trium horum valeat homo superbire. num ex generis sui nobilitate? at ex terra primum sui ortus initium habet, *es el hombre de los tierras, y de los nadas, hijo de la tierra, nieto de la nada*, ideo vocatur homo ab humo, quia, vti habetur in Genesi, *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ.* Ecce stirpem & radicem generis nostri, non ex materia cœli, non ex alia qua parte ignis, vel aëris, quæ superiora sunt elementa, sed ex terra, puluere, ac luto. O nobilis & alta prosapia! quid vilius, quid ignobilius luto, quòd infra pedes portare dedignamur? Vnde igitur ex genere nostro superbia? Num fortè ex eo, quòd homo in se est? quid igitur est homo? Dicat Ecclesia: *Memento homo, quia pulvis es.* Caro, inquies, sum: at caro quid est, nisi lutũ quoddam carneum? *vn encarnado dolor*: vnaquæque enim res, id est, ex quo facta est, si vas ex auro fit, aurum est, si ex argẽto, argentum est, si ex plumbo, plumbum; quòd si ex terra confectum fuerit, terra tantùm erit. ex quo igitur compactum est corpus nostrum? diximus iam: *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ*; ergo terra est. cõfessus est, & non negauit hoc ille, qui dixit: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis, & cinis.* Magnus ille Patriarcha Abraham hic erat, & sublimi quodam & diuino fauore potiebatur, cùm ista dicebat: cum Deo quippe tunc, tanquam cum homine, loquebatur, & de rebus eximijs loquebatur, & nec ideo alta sapiebat, sed humiliter de se ipso sentiens, dicebat: *Cùm sim pulvis & cinis.* Ecce quid sit homo, quantumuis cum Deo loquatur, &c. Ex eo igitur quòd homo est, superbire non valet. sed ex eo quod futurus est ne seipsum poterit sublimare? Quid igitur futurus est homo? quid, nisi id quo ipse constat? si vas dissoluitur, in eã resolui debet materiam, ex qua factum est, si aureum est, in aurum; si argenteum, in argentum; si terreum, in terram oportet resoluatur. Vnde, ne amplius homo superbiret, fic post primum superbiæ peccatum Deus hominẽ affatus est: *Pulvis es, & in puluerem reuerteris.* Quòd si oculis hoc videre, & manibus palpare id velis, ito ad sepulchra dealbata, & ad ea quę ex marmoribus & iaspide constant, & principes, qui dum viuerent, adorabantur, in puluerem redactos esse perspicies.

Quid sumus, ô miseri, quos tanta superbia tollit?
Mors docet assiduò, pulvis & vmbra sumus.

Quòd si ex præsentibus, vel præteritis, vel futuris æstimatio, & pretium, & valor noster sumendus est, ex terra sumus, terra futuri sumus. Vnde igitur superbimus, & eleuamur?

Rom. 11. *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time.* Quid est, *altum sapere?* Sanct. Basil. in Reg. breui. resp. 56. altum sapere, idem quod superbire, interpretatur. *Picar en alto, es lo mesmo que desuanecerse*: metaphorâ sumptâ ab his, qui in locum altum conscendunt, vbi capitis vertiginem facilè patiantur; sic qui in altum digni-

Ioan. 8. 33.

Cap. 2. 7.

Gen. 19. 17.

Zach. 3. 2.

Isa. 53. 4.

Matth. 13. 6.

Rom. 12. 12.

S. Basil.

dignitatum, & honorum mundi ascendunt, facilè vertiginem superbiæ contrahere solent. Sensus ergo est, caue ne superbias. Nunc autem pondera verbum, *noli*, non ait, non altum sapias, sed *noli altum sapere*, quasi dicat: nemo est, quantumuis ex illustri, & regia prosapia ortus, qui præter voluntatem, & volitionem suam propriam, occasionem habeat superbiendi. *Nadie ay tan de los godos, que tenga porque enſoberbeſi, ſino es por ſolo quererſe lo el.* Tantum enim est ad nos humiliandum naturæ nostræ pondus, tantaque miseriarum humanarum grauitas, vt nullum his altitudinum mundi repensum valeat inueniri. *Donde el peſo es de tantas miſerias, no pueden hazer contrapeſo alteças del mundo, para deſuanecernos, ſino por quererlo.* Vnde rectè, noli, inquit, altum, seu superbè sapere, &c.

Rom. 12. 16. Hinc etiam Paulus ad Roman. 12. *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes*, scilicet simus. Obserua & pondera verbum illud, *consentientes*, consensus quidem tunc, proprie loquendo, habet locum, cùm interuenit suasio, cùm quis alteri aliquid suadet, & ille id facit, tunc dicitur consentire, id est, simul sentire cum voluntate suadentis. Cùm dicit Apostolus, *humilibus consentientes*, supponit humiles ceteris suadere humiles fieri, & merito: nam eo ipso, quòd aliquis humilis est, tacendo clamat contra superbos, quamuis ipsi principes, & reges sint, & dicit: Quid superbis terra, & cinis? Explicemus amplius hoc: non eo ipso quod aliquis eleemosynam præbet, omnibus suadet, eleemosynam facere, quia ad hoc habere oportet, quod dari possit: at non omnes habent: posset ergo pauper dicere: Nihil ad me talis attinet suasio. Si quis ieiunet, infirmus dicet: Id ego præstare nequeo. Si peregrinationem longinquam arripuerit quis: debilis, & qui sub aliena est potestate, se facilè poterit excusare. At qui se humiliat, non huic, vel illi exemplo suo humilitatem suadet, sed cunctis, quâcumque vigeant maiestate, dummodo homines sint, quibus par est, vt nihil humanum à se alienum putent, quicumque homo miseriarum humanarum particeps est: *Homo*, inquit, *natus de mulere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis*, &c. Hæc moralis quædam hominis definitio est, & omnibus competit, licèt Monarchæ sint, reliquis omnibus tacitè exemplo suo suadent humiles esse. Ait ergo Apost. *Non alta sapientes*, hoc est, nolite esse superbi, vti S. Ambros. & S. Chrysost. & Theophyl. exponunt, *sed humilibus consentientes*, dum ipsamet natura humana humilium omnibus eandem humilitatem suadet, quia omnes eandem participant humanitatem.

Iob 14. 1.

S. Ambr. Chrysost. Theoph.

Tertull. Tertullian. in Apolog. cap. 33. moris Romanorum meminit, qui triumphatores, ne superbirent, præconis voce homines se esse memorarent. Verba eius sunt, *Hominem se esse, triumphans in illo sublimissimo curru admonetur: suggeritur enim ei à tergo: Hominem te esse memento.* Ita ille. Præconem autem hunc, gloriæ carnificem appellat Plinius in historia naturali lib. 28. cap. 4. *Vt sit*, inquit, *exorata, à tergo fortuna gloriæ carnifex*, &c. Mirum quòd cùm Gentiles, & sine fide, illi essent, mundi gloriam sic moderari curarent: quod cùm vellent optimo remedio vtebantur, hominem scilicet, hominem esse recordari. Quid enim est homo, nisi, vt ait Iob, *natus de mulere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet*: Et Sanctus Dauid: *Homo vanitati similis factus est: dies eius, sicut vmbra pretereunt*, imò *vniuersa vanitas omnis homo viuens*, ait ipse: adde, homo, qui licèt *iustus* sit, *septies in die cadit*. Quâ quæ, rogo, miseria maior? si ergo humiliari desideras, memento homo, quia homo es, &c.

Plin.

Ps. 143. 4. Ps. 38. 6. Pro. 24. 16.

Hinc Ecclesiast. *Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius, & scitur quod homo sit*, hoc est, sit ille quantumuis Alexander Magnus, vel Augustus Cæsar, tamen homo erit, & non Deus, neque Angelus, quodsi homo, ex humo, & repletus multis miseriis, &c.

Eccl. 6. 10.

Si Rex ille superbus Herodes, Actor. 12. sic se hominem reputasset, cùm à populo adulatore vox eius, vox Dei, & non hominis, acclamata fuit, non ita miserè periisset: nota est historia, &c.

Sanct. Chrysost. hom. 39. ad popul. *Fortis es, & ideo altus sapis: nonne propterea magis humiliari debes? quare altum sapis in re vilissima: nam & leo te audacior est, & aper fortior, ita vt ad eos tu non sis culex. At & latrones, & fures, & gladiatores, & ferui tui, & fortasis ingratiores, te fortiores sunt. Hoc igitur laude dignum? Sed pulcher es, & speciosus; sed hæc est cornicum ostentatio, neque ex pauone pulchrior. Denique in auibus est pennis victoria, & cygnus valde pulcher est, & aliæ multæ aues, quibus si fueris comparatus, temetipsum despicies. denique frequenter & belli pueri, & virgines innuptæ, & meretrices, & molles viri, talem gloriam habuerunt. Hoc igitur dignum, vt extollaris? At ex locuples, & possidens aurum, argentum, lapides pretiosos, hæc est & latronum, & homicidarum gloria reorum. Sed ornatis, & comatus, verum & equos comptos videre licet, & apud Persas camelos quoque videres ornatos. Non confunderis in his alta sapiens, in quibus tecum sociantur, & fures, & homicidæ, & latrones, & effeminati? Sed splendidas erigis ædes. Et quid hoc? multa cornices splendidius habitant, & honestiora tenent diuersoria. An non vides his circa pecunias furentes, qui in agris, solitariisque locis ades ædificauerunt cornicum habitacula?*

Sed propter vocem altum sapis. Numquid cygno, vel lucinidi tu suauius poteris cantare? gloriaris verò in arte varietate, & quid ape in hoc sapientius? quis Phrygio? quis pictor? quis Geometres huius operæ poterit imitari? an gloriaris in vestis subtilitate? verum hic aranea tibi præstant. At in pedum velocitate; rursum primas ferunt brutæ, lepus, & capreæ, & quæcumque iumenta. Sed acutè cernis, tamen non sicut dorcas, neque vt aquila; audiuum habes acutum, sed asinus acutiorem. At olfactum; verum canis te præcedere non finit. At quæstuosius es, sed formicæ cedis. Vides quantum nobis conferat vestra examinatio omnibus hominibus, altiora sapiens, etiam brutis vilior inuentus es.

Igitur, inquies, Deus brutæ meliora creauit, quàm nos. sunt quidem alia, in quibus nihil nobiscum bruta commune habent. Quænam sunt hæc? pietas, & secundùm virtutem vita. Hic ponert non poteris meretrices, & homicidas, aut molles, prætereant hinc brutæ, & de hoc non contendant: modestè viuimus, nihil hic habent nobiscum commune, ab eis in reliquis superati, propter hoc eis dominamur: horum enim maior principatus, quoniam in reliquis eis inferiores super ipsa regnamus: rena, venabulaque eis opponimus, & capimus, sed quoniam superborum tu vnus es, merito inferior brutis es, & qui virtute præditi non sunt, peiores brutis sunt. equus enim est ipsa velocior, fortior aper, lepus velocior, speciosior pauo, cygnus dulcisonans, maior elephas, aquila visus acutioris, ditiores cunctis, volucres, quia nullo necessario egent. Vnde igitur dignus eis illis imperare? ex ratione: sed hæc non mest: cùm enim non vraris, vt debes, etiam illis peior eris: nam cùm rationem habeas, illis irrationabilior es. Vnde igitur poteris gloriari superbus, & peccator? Virtutem ergo exerceamus, vt efficiamur homines, quin potiùs Angeli, & bona promissa consequamur. Ita Sanct. Chrysost.

PROP. XV. *Humilitas indicium est perfectionis.*

AGricolis, & hortulanis periucundum est, spicas ad terram inclinatas videre, & similiter arborum ramos: indicium enim est, spicas grauis esse refertas, & copiosum esse arborum fructum; si autem spicæ illæ, ac rami sursum ferantur, indicium est defectus, & vacuitatis fructus, tam spicarum, quàm etiam ramorum: Sic etiam nobis acceptum, & gratum est, homines per humilitatem inclinari: hoc enim indicio colligimus, copiosum in eis esse virtutum fructum, &c. Quòd siquis

leuitate quadam affecti, sursum eos, & ad excelsa ho- A
norum erectos videmus; vanos, & virtute vacuos eos facilè iudicamus.

Similiter, cùm vas aliquod leue, & sine pondere esse videmus, vacuum sine liquore, & aëre plenum esse, iudicamus; cùm verò illud ponderosum sentimus, plenum re aliqua substantiali, & sine aëre esse dicemus; sic cùm hominem verbis, & gestus eius leuem, & sine pondere aliquo, & grauitate prudentiæ experimur, sine cerebro vacuum, & virtute carentem iudicabimus; cuius autem verba, & facta grauitate, & pondere rationis plena conspicimus, virtute præditum eum prædicamus.

In arbore rami fructu onusti ad terram inclinantur, qui verò sursum eriguntur, fructu carent; sic etiam de virtutibus philosophandum est, cùm videris aliquem superbire & eleuari, virtutibus vacuum esse cognosces: cùm verò humiliantem se, & pro nihilo succentem videris, hunc virtutum fructu refertum B scito.

Prop. XVI. *Humilitas decet primarios viros.*

Excusationem fortè viri prætendent primarij, quòd, non sicut Monachi in religione degant, vbi facilis est humilitatis professio, & exercitatio; sed in mundo, vbi ob multas honoris occasiones perdifficilis sit. Ad hos ergo Sanctus Chrysostomus:

Non tamen propterea nos excusationem habebimus, quando in mundo conuersantes altum sapimus: nam & Abraham, cum esset inter Chananæos, dicebat: Ego quidem sum terra & cinis, & *Dauid in mediis castris:* Ego autem vermis sum, & non homo, & *Apostolus in medio terrarum orbe:* Non sum dignus vocari Apostolus. *Quæ igitur nobis erit excusatio, cùm neque tot habentes exempla, modestè nos geramus: sicut enim illi sunt innumeris digni coronis, primi virtutis viam perambulantes, ita nos infimtis vltionibus obnoxij, qui neque post illos prægressos, ad virtutis trahimur æmulationem. Quid enim dicere poteris, si non corrigaris? nescis litteras, nec ad Scripturas declinasti, vt virtutes antiquorum discereres. Hoc in te crimen est, cùm Ecclesia continuè sit aperta, non ingredi, & illos latices optimos haurire.* Ita Sanctus Chrysostomus.

Prop. XVII. *Vera humilitas in dignitatibus, & honoribus probatur & manifestatur.*

Quæ occulta sunt, examine fiunt manifesta: profundum quidem est cor hominis & soli Deo cognitum, sed sicut igne probatur aurum & argentum, & an purum vel impurum sit, ignis ipse manifestat; sic quale sit cor hominis, & an purum vel impurum moraliter, examinatio prodit. In litterario ludo quid sciat quis, aut nesciat, interrogationibus magistrorum D & argumentis sit palam; sic etiam an quis patiens sit, contumelia & tribulatio; si amator proximi, necessitas ipsius proximi; si prudens, conuersatio; si castus, sollicitatio; si sobrius, mensa copiosa; si humilis denique, honor & locus altus manifestat. Nam, vti ait S. Bernard.

Rara virtus est humilitas honorata.

Genes. 18. Cùm Dominus Sodomam & Gomorrham perdere ac delere prorsus vellet, secretum hoc priùs Abrahæ, tanquam speciali amico, quæ gesturus erat prædixit; quod, vt patet, in eximium Abrahæ honorem cedebat. Sed quid inter loquendum Abraham Domino? *Loquar*, inquit, *ad Dominum meum cùm sim pulvis & cinis?* Expendens locum istum Sanct. Gregor. *Quando hunc*, inquit, *res possessa extollerent, qui de se tam abiecta sentiret? aperte enim cernimus, in quo loco se posuerat, qui pulcrum se ac cinerem, etiam cum loqueretur suo Deo, æstimabat? Si igitur ita se despexit, qui vsque ad honorem diuinæ collocutionis ascendit; sollicita intentione pensandum est, quâ pœnâ illi ferendi sint, qui & ad summa non proficiunt, & tamen de minimis extolluntur.* Ita Sanctus Gregorius Ecce quorsum pacto fuerit probata humilitas Abrahæ, honore nempe illo eximio, quo Dominus eum tunc affecit: honor enim magnum examen humilitatis est.

Prop. XVIII. *Verus humilis contemni contemnit.*

Vnt qui mundum se contemnere, & pro nihilo illum ducere sibi videntur, & tamen ab illo se contemni non patiuntur; hos inter superbos potiùs, quàm inter humiles numeramus: verus enim humilis se à mundo contemni contemnere debet. Vide verum humilem, Paulum, inquam, ad Galat. 6. *Mihi mundus crucifixus est & ego mundo*; quonam, inquies, pacto sic ad inuicem Paulus & mundus crucifixi erant? Sanct. Gregor. 5. Moral. 3. vel 2. *Mundus Paulo crucifixus erat, quia hunc cordi suo mortuum non amabat; sed & semetipsum mundo crucifixerat, quia ei talem se exhibere studuit, vt ab eo, quasi mortuus, concupisci non posset.* Ita ille. Vbi nota non solùm mortuum se mundo, & mundum sibi mortuum dixit Apostolus, sed crucifixum, id est, in mala cruce suspensum, sicut malefactores esse solent, & propterea despecti & contempti: sic Paulus gloriatur non solùm se despexisse mundum, & quæ in eo mundana sunt, verùm etiam se à mundo tanquam crucifixum despectui haberi. Ecce verum & perfectum humilem corde.

Psal. 8. 18.
Iob. 21. 7. Cor. 15
Ephes.
Gen. 18. 27.
S. Greg.

Vers. 14.
Gregor.

Prop. XIX. *Humilibus communicat Deus sapientiam suam.*

C

Omnes sitientes venite ad aquas, venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione, vinum, & lac. In sacris litteris, aqua, vinum, & lac, doctrinam & sapientiam imprimant; aqua sapientia salutaris dicitur; quia sicut siti laborantem refrigerat aqua, sic etiam sacra doctrina afflictos solatur, vt per consolationem Scripturarum spem habere possint: vinum, quia sicut vinum robur tribuit, & auget, sic sacra doctrina debiles in virtute confortat; & tandem lac, quia sicut lac ex purissimo sanguine in cibum dulcem conuertitur, sic sacra doctrina ex parte, quâ subtilissima est, dulcis nobis efficitur cibus. Gradationem igitur attende, aquam, vinum, lac, vltimum potuit lac, quia sub nomine lactis, subtiliorem & sublimiorem sapientiam intelexit: hac autem proprius cibus puerorum paruulorum est, ita quidem: nam subtiliora & sublimiora sapientiæ suæ Deus humilibus & paruulis communicat libenter. Vnde Christus Dominus: *Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. hæc* ait; quænam hæc? Alta scilicet & sublimia Euangelij secreta, & mysteria abscondisti, id est, noluisti ea ita Scribis & Pharisæis litteratis manifestari, sicut paruulis & humilibus discipulis istis, &c.

Isai. 55. 1.

Matt. 11. 21.

Prop. XX. *Quàm conducat humilitas ad impetrandum à Deo in oratione.*

Psalm. 67. *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est; tu verò perfecisti illam.* Obscurus sermo: quomodo enim infirmatur per pluuiam hæreditas, v. g. vinea vel ager, cùm potiùs vberiorem pluuia vtramque hæreditatem reddat? Sanct. Augustin. serm. 13. de verbis Domini secundùm Matthæum. *Pluuiam dicit voluntariam meritorum nostrorum:*

Psal. 67. 10.

August.

rum : sed voluntariam, non attendens hominum merita, sed tuam gratiam & misericordiam. Infirmata est ergo ipsa hæreditas, & agnouit se infirmam in se, vt firma esset in te. Non firmaretur, si non infirmaretur, vt abs te in te perficeretur. Nemo à Deo sit firmus, nisi qui se à se ipso sentit infirmum. Ita S. Auguſt.

Idem. Quod Pauli exemplo confirmat, dicens : *Vide huius hæreditatis portionem iam, Paulum dico, vide infirmatum, qui dixit :* Non ſum idoneus vocari Apoſtolus, quia perſequutus ſum Eccleſiam Dei. *Quare ergo Apoſtolus es?* Gratiâ Dei ſum id quod ſum. *Infirmatus eſt Paulus, tu verò perfecifti eum.* Et gratia, *inquit*, eius in me vacua non fuit, ſed plùs omnibus laboraui : *vide Paule, ne præſumptione perdas, quod infirmitate meruiſti, quia quaſi tibi cæpiſti tribuere, quod paulò ante dederas Deo, quia dicis :* plùs omnibus laboraui. Non ego, *inquit*, ſed gratia Dei mecum. *Bene infirme firmiſſimè eris exaltatus, quia non es ingratus. Tu es idem ipſe Paulus, in te paruus, in Deo magnus. Tu es qui ter Dominum rogaſti, vt ſtimulus carnis Angelus Satanæ, à quo colaphizabaris, auferretur à te. Quid tibi dictum eſt?* Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur. *Etenim infirmatus es?* tu verò perfecifti eum. Ita S. Auguſt. Sic tribulatio ad orandum prodeſt.

1. Cor. 15. 9.

1 Cor. 15. 10.

2. Cor. 12. 9.

B

C

Prop. XXI. *Mundi miſeriæ ſatis nos humiliare ſufficiunt.*

Chryſoſt. SAnctus Chryſoſtom. hom. 11. ad popul. *Erat corpus hominis in principio, ſicut ſtatua aurea de fornace progreſſa, recenter, & ſplendidè fulgens, & tunc neque labor vexabat, neque ſudor nocebat, nec curæ inſidiabantur, non obſidebant triſtitiæ, nec aliud quidquam, quod laderet, patiebatur. Sed poſtquam non moderatè felicitatem tulit, & Deus fieri ſperauit, & maiorem propria dignitate concepit opinionem, time profectò per opera ipſum eruditus Deus, corruptibilem reddidit, & mortalem, & multis obnoxium neceſſitatibus, non perofus neque auerſatus, ſed conſulens & improbam, peſtilentemque illam ab intio naſcentem ſuperbiam prohibens, neque vlteriùs procedere permittens, ſed per ipſam rerum experientiam monens eum, quòd mortalis, & corruptibilis eſſet, & ita perſuadens, quod nunquam talia cogitaret, aut ſommaret. Et-*

Gen. 3. 5. *enim diabolus dixerat :* Eritis ſicut Dij. *Hanc volens igitur ſententiã radicitus euellere, morboſum, & ærumnoſum corpus hominis effecit, per ipſum docẽs naturã ne vnquã talẽ conciperet cogitationem. Quòd ſi tali nos corporis neceſſitate vinciente, & omnibus morientibus ante omnium oculos, & putreſcentibus in puluerem, & Philoſophis vnam eandemque hominum generis completiuam definitionem facientibus : Homo eſt animal rationale, mortale. Si igitur omnibus ſic conſitentibus, auſi ſunt quidam ſe immortales facere apud aliorum opiniones, & oculis mortem teſtificantibus, vt dij prædicari contenderunt, & vt dij culti ſunt; miſi prodiiſſet mors naturæ mortalitatẽ omnes docẽs, & corruptibilitatẽ, ad quid impietatis plurimi hominũ non proceſſiſſent? Audi itaque quid dicat Propheta de quodam*

Iſai. 14. 15 *Barbaro Rege, tali furore capto :* Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum, & ero ſimilis Altiſſimo : *ipſum verò deri-*

Ibid. v. 11. *dens, & demonſtrans finem, inquit :* Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes, *hoc eſt, homo, talem exſpectans finem, talia cogitare auſus eſt. Et de alio iterum Tyriorum rege, Deum ſe haberi volente,* Tu verò, *inquit*, non es Deus, ſed homo, & te pungentes, hoc dicent. *Itaque à primordijs ſuperbiæ, & idololatriæ materiam auferens Deus, tale corpus nobis parauit. Et quid miraris, ſi in corpore hoc factum eſt, cùm & in anima videre liceat tale quid geſtum? non quidem eam Deus fecit mortalem, ſed immortalem eſſe permiſit : obliuioni verò, & ignorantiæ, & triſtitiæ, curis obnoxiam ipſam reddidit. & hoc fecit, ne ad propram generoſitatem reſpiciens, maiorem propria dignitate opinionem conciptat. Si enim cùm hæc ita ſint, quidam dicere ſunt auſi, quòd ſubſtantia Dei eſt; ſi ab his eſſet abſoluta paſſionibus, ad quid furoris iſti non proceſſiſſent? Hoc igitur idem de corpore noſtro dico : quod enim melioris materiæ ipſum fa-*

Exod 28. 6.

D

A *cere poterat, oſtendit ex cœleſti corpore, & ſolari : qui enim illa fecit talia, & hoc facere tale, ſi voluiſſet, potuiſſet, ſed infirmitatis cauſa eſt prædictæ occaſio.* Ita S. Chryſoſt.

Prop. XXII. *Humilitas in Eccleſia omnes rèdit æquales.*

Cor. 12. 24. CVm Eccleſia Dei, quæ eſt corpus Chriſti, *ita ſit multimoda varietate contexta, vt in vnum decorem, etiam* „ *quæ non ſunt paria, concurrant, & de omni genere hominum,* „ *& de omni gradu officiorum, & omni menſura operum, de* „ *omni qualitate virtutum ſint totius ædificationis inſeparabilis* „ *connexio, & indifferens pulchritudo, nec deſit ſoliditati, quod* „ *non defuerit portioni, tantaque ibi ſit pax, tantaque concor-* „ *dia, vt non poſſit eſſe niſi omnium, quod eſt etiam ſingulorum,* „ *indubitanter apparet copulatricem quamdam eſſe virtutem,* „ *quã ſibi confœderatur, & concinit multiplex Sanctorum vnitas* „ *ſpecioſa diuerſitas. Hæc autem virtus vera humilitas eſt,* „ *quæ inter quoſlibet meritorum gradus nunquam ſui poteſt eſſe* „ *diſſimilis. Nam & in officiorum vicißitudine, & in manſuetudinis lenitate, & in voluntariæ paupertatis electione, & inuentur multa diſtantia, & alter altero in propoſiti ſui deuotione* „ *aut maior, aut minor eſt. In verâ autem humilitate nihil diuerſum, nihilque non ſolidum eſt, & ideo omnes participes ſuos* „ *vnum facit, quia inæqualitatem ipſa non recipit.*

Prop. XXIII. *Deus exaltat humiles.*

QVomodo exaltet humiles Deus, in Chriſto Domino demonſtrauit. Nam pari paſſu currunt humilitas Filij, & exaltatio eius à Patre. Naſcitur Chriſtus in vili ſtabulo, & reclinatur in præſepio, magna humilitas : at mittit Angelos tunc temporis Pater, qui filium ſic humiliatum glorificarent, dicentes : *Gloria in altiſſimis Deo*, hoc eſt, in altiſſimis omnes angelorum chori laudem, & gloriam ſempiternam canant Deo, qui bonitate ſua infinita & immenſa, homo pro hominibus factus ſit. Sic humiliantem ſe Filium exaltat Pater. Similiter in circumciſione maximè ſe Chriſtus humiliauit : circumciſio enim ad delendum peccatum originale in paruulis excogitata, & ſtabilita à Deo fuit : vnde qui circumcidebantur, peccatores reputabantur, & circumciſio, velut cauterium erat peccatoris, & ſignum culpæ. Circumcidi ergo Chriſtum profundiſſima humilitas fuit : nihil enim à Deo alienum magis quàm peccatum : quid etiam vilius, & abiectius, quàm peccatum? Honorabilior quidem eſt ſeruus ſignatus ſine peccato, quàm Rex cum peccato mortali : quo igitur inferiùs deſcendere poterat Chriſtus, quàm ad ſimilitudinem peccatoris? Quod adnotauit Apoſtolus, dicens : *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati*, &c. non ait, in ſimilitudinem ſerui, ſed peccatoris. In incarnatione quidem humiliauit ſe Dominus vſque ad formam ſerui, ad Phil. 2. *Semetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Tanta fuit humiliatio hæc, vt exinanitionem eam Apoſtolus vocet; ſed ſi tanta humiliatio fuit, formam accipere hominis, quantò maior erit, accipere formam peccatoris? Tantò quidem maior, quantò vilius eſt, eſſe peccatorem, quàm hominem pauperem. Sic igitur Chriſtus ſe in circumciſione humillauit; Pater verò in ipſa humiliatione circumciſionis Chriſtum ſublimauit, nomen illi tribuendo, quod eſt ſuper omne nomen vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Miratur Sanctus Bernardus, ſerm. 1. de circumciſione, connexionem nominis Ieſu cum circumciſione Chriſti, *Circumciditur*, inquit, *puer, & vocatur Ieſus. Quid ſibi vult iſta connexio? circumciſio enim magis ſaluandi, quàm Saluatoris eſſe videtur, & Saluatorem circumcidere decet magis, quàm circumcidi.* Ita ille. Ex magna igitur Chriſti humilitate proceſſit iſta circumciſio; ſed tunc à Patre Salua-

Luc. 2. 14.

Rom. 8. 3.

Philip. 2. 7.

Saluatoris nomen ei datur, quia vbi humilitas, ibi sit exaltatio. Similiter in Baptismo profundè se Dominus humiliauit: *Inclinatur sub Baptistæ manibus* (ait Sanctus Bern. serm. 4. in Ephinania) *caput tremendum Potestatibus, & Principatibus adorandum; quid mirum si Baptista contremuit? quis vel ipsa cogitatione non contremiscat?* Ita ille. Sed adest vox Patris, dicentis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* adest & Spiritus sanctus in figura columbæ, vt testimonium præbeat Christo, & illum Pater, & Spiritus sanctus exaltent, qui sic propter beneplacitum Patris se humiliabat. Denique humiliauit se Christus factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. O admiranda hominibus, & Angelis humilitas filij Dei! inter duos latrones nudus, & opprobrijs summis affectus, moritur filius Dei; sed tunc terra tremuit, lapides scissi sunt, & velum templi scissum est in duas partes, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram per horas tres, ab hora scilicet sexta vsque ad nonam, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, vt scilicet testimonium præberent de Christo Domino. Vnde Centurio, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, & dixit Centurio: *Verè filius Dei erat iste.* Hæc omnia miracula, & prodigia operatus est Deus, vt altiùs Filium suum commendaret, & humiliatum multùm, multùm quoque sublimaret; quò nobis veritas illa confirmaretur, quam ipse Filius prædicauit, dicens: *Qui se humiliat, exaltabitur.*

Idem autem, proportione seruata, quod cum Filio suo gessit Deus, præstat nobis: pro mensura enim nostræ humiliationis, erit & exaltationis modus.

Non sum dignus, (ait S. Ioannes Baptista) *soluere corrigiam calceamentorum eius*, hoc est, non sum dignus manibus meis pedes eius tangere: cui Christus: *Ate volo baptizari*, quasi dicat, manum istam, quam indignam iudicas, quæ tangat pedes meos, pone supra caput meum, quia humilitas tua tali est exaltatione digna. quod & factum est, dum baptizando Christum manum ad aquam effundendam, posuit supra sacrosanctum caput eius.

Sic etiam S. Petro euenit; nam cùm affigendus crucifigi esset, se indignum reputauit, qui eo modo crucifigeretur, quo fuit Christus Dominus crucifixus; quare à crucifixoribus postulauit, vt capite in terram conuerso cruci affigeretur, vt scilicet ibi caput, & os suum ponneret, vbi Dominus posuerat pedes, tantâ quidem animi vehementiâ, & efficaciâ id petiuit, vt milites id ei concesserint. Sed Dei prouidentiam erga humiles vide, cùm ita capite deorsum collocato, vbi pedes Christi fuerant affixi, pedes ipsius Petri ibi collocati sunt; vbi collocauerat Christus caput suum, quod, inquam, non sine speciali Dei prouidentia factum est, vt humilitas tanta Petri tanto honore coronaretur. sic exaltat humiles Deus.

Priuilegium hoc sibi humilitas vindicauit, vt non solùm in alia vita, verùm etiam in ista, humilis exaltetur: *Deposuit* (inquit Beata Maria) *potentes de sede, & exaltauit humiles*, non ait exaltabit de futuro, quasi in alia vita solummodo humiles exaltentur, sed de præterito, *exaltauit*, quia ibi & hîc sublimari facit humiles Deus, & hoc, inquam, est humilitatis priuilegium: nam alias virtutes occultari consulit Deus: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, &c. Et subdit: *Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Item de ieiunio ibidem: *Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Similiter de oratione: *Tu autem cùm oraueris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Vbique non exaltationem, sed absconsionem Deus nobis præcipit, quia non hîc exaltari, sed humiliari nos voluit, imò cùm fauoribus suis afficit suos Deus, aliunde humiliationem eorum parat, vt constat in S. Paulo, quem ad tertium vsque cœlum rapuit Deus, vbi arcana audiuit verba, quæ non licet homini loqui, & subdit: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ*, &c. Humiliat sic Deus suos in hac vita, ne exhollantur. at si quis ita verè humilis fuerit, vt huiusmodi exaltationibus, & fauoribus non extollatur, *si la humildad tiene seguras las espaldas en el*, hunc Deus eleuat, & exaltat etiam in hoc mundo. Et ratio est, quia exaltatio hæc, exaltatio Dei est: humilis enim, qui verè humilis est, si ab aliquo laudatur, aut alia ratione exaltatur; statim dat gloriam Deo, tanquam à quo bona cuncta procedant, & ita Deus exaltatur in humilis exaltatione. Sicut in B. Virgine constat, quæ cùm laudantem, & exaltantem se Elisabetham audiuisset, illico in Dei largitorem gloriam illam reiecit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum.* Quasi dicat: Tu magnificas me, ego verò in me magnifico Deum: *ipse enim fecit in me magna, qui potens est*, ipse, inquam, in me, non ego in me. Et *ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes; ex hoc*, inquit, quod fecit in me, non ex hoc, quod ego fecerim in me, neque ex me. vnde exaltationem, quam acceperat à S. Elisabetha, in Deum reiecit, & ita laus exhibita Virgini, Deo tributa remansit. Vnde licèt omnia opera in secreto nos efficere consulat Deus, humili, quem ipse certò nouit à vana gloria liberum, in publicum ea producere non vetat, vt eo pacto & humilis exaltetur, & pariter Deus inde glorificetur.

Matth. 25. cùm illum, qui quinque talenta ad quinque talenta multiplicauerat, remunerare, & extollere laudibus Christus vellet, *Euge*, inquit, *serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Cur, quæso, eum, quem sic laudabat, sic remunerabat, sic verbis, ac donis extollebat, seruum appellabat, cùm nomen hoc humile adeo sit, & nullius honoris? cur non aliquo eorum vtitur nomine, quo in Cæticis Canticorum vsus sæpe fuerat, vbi eandem animam, de qua hîc, columbam suam, & dilectam suam, & amicam suam vocat? Cur igitur modò non ait: Euge amice mi, &c. etenim causam insinuare voluit Dominus, cur animam istam sic exaltet, quia scilicet, vt ancilla Dei, fideliter inseruiuit, & veluti seruus emptitius illi paruit, & ob eam causam illum sublimabat, quia omnis qui se humiliat, exaltabitur; sicut è conuerso, omnis qui se exaltat, humiliabitur.

Humilis valde fuit S. Abraham, qui eo etiam tempore, quo cum Deo familiariter loquebatur, cinerem, ac puluerem se appellabat, dicens: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis, ac cinis?* Tunc, inquam, cùm Deus extollebat, & exaltabat eum, ita familiariter, & amicabiliter cum eo agens, tunc quidem ipse magis seipsum deprimebat, & humiliabat, quid inde? Inde profectò eû magis Deus honorificabat, & glorificabat, & patrem illum multarum gentium effecit: *Patrem*, inquit, *multarum gentium constitui te.* Quid vltrà? *In semine*, inquit, *tuo benedicentur omnes gentes.* Quid ampliùs? *Reges*, inquit, *ex te egredientur*, imò *multiplicabo*, inquit, *semen tuum, sicut stellas cœli*, hoc est, non solùm patet eis Regum terræ, verùm etiam Regum cœli, quia ex te plures prædestinatorum orientur: hos enim stellas cœli vocat: hic sic vsque ad cœlum extollit Deus eos, qui se humiliter vsque ad puluerem, & cinerem deijciunt, atque deprimunt.

Ezech. c. 1. visionem quandam admirabilem referens, ait: *Super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper, & vidi quasi speciem electri.* Vidit hîc Christum Dominum sub specie electri Propheta; electrum autem, id est, quod nos vocamus *ambar*, quod virtu-

Matth. 3. 11.

Luc. 23.

Matth. 27. 54.

Matth. 11. 29.

Ibid. 3. 16.

Matth. 6.

Ibid. 3.

Ibid. 17.

Ibid. 6.

A

B

C

D

Luc. 1. 46. Ibid. 49.

Ibid. 48.

Verſ. 22.

2. Cor. 12. 7.

Gen. 18. 27.

Gen. 17. 5.

Verſ. 26.

virtutem habet eleuandi paleas à terra: est autem palea A humilium symbolum; nam sicut palea res humilis est, & sub pedibus frequenter iacet, & conculcatur; sic humilis ad pedes aliorum se submittit; has igitur paleas Christus à terra eleuat, & exaltat: depositit enim potentes de sede, & exaltauit humiles.

Iturus ad passionem Christus sic ad Apostolos suos:

Matt. 26 31 *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* Cui Petrus: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego tamen non*

Ibid 33. *scandalizabor: & si oportuerit me mori tecum, non te negabo.*

Ibid 34. Cui rursus Christus: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Ita Christus prænunciauit, & ita euentus Christi dictum confirmauit, ter negauit eum Petrus nocte illa. Nónne Petrus erat qui se præ omnibus morti se oblaturum contestabatur? Ita est, & cùm reliqui non negassent Christum, solus Petrus negauit, qui solus se non negaturum pollicebatur. Cur Domine Deus discipulum tum dilectum, & fidelem, qui potiùs mori quàm te negare volebat, non B à tali casu custodisti? Sanct. Bern. serm. de diligendo Deo inter diuersos, *Ideo*, ait, *Deum iure permisisse, vt Petrus solus inter reliquos negaret, quia solus præsumpsit inter alios, se non negaturum Christum Dominum. Sic Deus alitudines nostras humiliat. Pœnitentiam egit, & post resurrectio-*

Ioan. 21. 15. *nem Christus eum interrogauit:* Simon Ioannis diligis me plùs his? *id est, plusquam alij Apostoli? cui Petrus:* Etiam Domine, *sed statim quasi corrigens vocem, addidit:* Tu scis quia amo te. *Cur non ait etiam: Domine amo te plus his? Hoc enim interrogatio Domini requiebat.* Respondet S. Bernard. vbi suprà, dicens: *Requisitus Petrus, an diligat plus ijs, tantum respondit, se diligere, non audens affirmare, quod prius se dixisse temerè, confundebatur: dixerat enim prius:* Etsi omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego. Ita S. Bernard. Ecce quomodo Petrus, tanquam expertus superbiæ casus, se superbè alijs præferre noluit, quapropter sicut ob superbiam illam humiliari meruit; sic per humilitatem istam à Christo dicente: C

Ibid 17. Verf. 14. *Pasce oues meas,* fuit exaltatus.

Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Mirum cur Dominus crucifixionem suam exaltationem appellarit, cùm nullum dedecus maius tunc esset, quàm crucifigi: vnde Iustus Lipsius lib. 1. de cruce, c. 3. & 4. & lib. 2. cap. 7. notauit, inter alios loquendi modos, quibus veteres authores vtuntur, cùm de cruce agunt, non reperiri hunc, quo hîc Christus Dominus vsus est. Nam exaltatio honorem, & gloriam exaltati significat; crucifixio verò opprobrium magnum; cur ergo exaltationem appellauit; maximè cùm Apostolus *humiliationem* vocet *crucifixio-*

Ad Phil. 2. 8. *nem* Christi? *Humiliauit*, inquit, *se Christus, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* At prosequere dictum Apostoli: *Propter quod & Deus exaltauit illum.* Ecce, cur Christus Dominus exaltationem vocauerit crucem suam; nam ea cruce promeruit magnam, quam in cœlo ad dexteram Patris exaltationem habet. Et-enim quamuis crucifixio illa nullum aliud commo- D dum haberet, nec præmium, quia pro gloria Patris fuit, meritò nomen exaltationis promeretur. Sed ad rem nostram dicit Apostolus, inde exaltatum in cœlis adeo esse Christum, qui se ad crucis vsque opprobrium humiliauit. Vnde S. August. Tract. 104. in Ioan. *Humilitas*, inquit, *charitatis est meritum, charitas humilitatis est præmium.* Ita ille.

Mittebat Dominus Moysen ad Pharaonem: cui

Exod. 6. 30. Moyses: *En incircumcisis labijs sum, quomodo audiet me Pharao?* hoc est, ineptus ego sum ad huiusmodi legationem, ille Rex, ego pastor ouium sum, ille princeps magnus, ego verò non sum eloquens, sed eloquio tardus, quinam igitur ego sum, vt tali munere fungar? Ad

Exod. 7. 1. quem Dominus: *Ecce constituì te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus, tu loqueris ei omnia, quæ mandò tibi, & ille loquetur ad Pharaonem.* Expendit locum istum Rupert. libro primo in Exodum, & ait, ideo fecisse eum Deum Pharaonis, & dedisse illi fratrem in prophetam, quia se humiliauit, indignum tanto honore se confitens. vnde, quasi Deus, miracula, & prodigia magna fecit: *Entrò con vara leuantada en Aegypto, y con ella hizo milagros prodigiosos, que parecia hauena en su vara la authoridad y potencia de Dios, segun hazia obras diuinas.* Vnde S. August. serm. 213. de tempore: *Esto paruulus in oculis tuis, vt sis magnus in oculis Dei.* Idem docet serm. 10. de verbis Domini.

Quod exemplis manifestis sic probat Sanct. Chrysostomus homil. 38 ad populum, dicens: *Nos seruos habentes maxime tunc eos acceptos habemus, cùm, postquam omnia benevolè ministrauerint, nihil magnum fecisse se censent. Itaque si tu quoque magna vis reddere merita tua, ea tu magna esse censeas, & magna tunc erunt. Sic & Centurio dicebat:* Domine non sum dignus, vt intres sub tectum *Matt. 8.* meum, *& propterea dignus factus est, & in admiratione super omnes Iudæos habitus. Sic & Paulus dicens:* Non sum di- *1 Cor. 15.* gnus vocari Apostolus, *propter hoc primus omnium factus* *9.* *est. Iisdem & Ioannes dicebat:* Non sum dignus soluere *Ioan. 1.* corrigiam calceamenti eius, *& ideo amicus quoque fuit* *15.* *sponsi, & manum, quam dixit indignam calceamento, hanc super caput suum Christus attraxit. Sic & Petrus dicebat:* Exà me Domine, quia peccator homo sum, *& idcirco factus* *Luc. 5.* *est Ecclesiæ fundamentum. Nihil enim tam gratum, quam cum extremis peccatoribus seipsum connumerare.* Ita S. Chrysostomus.

Sanctus Bernardus, sic ad Beatam Virginem Maria: *O verè cœlestis planta, pretiosior cunctis, sanctior vniuersis! ô verè lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare salutis fructum! ô virgo virga sublimis, quàm in sublime verticem sanctum erigis, vsque ad sedentem in throno, vsque ad Dominum maiestatis! neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis.* Ita ille. Quamuis enim beata Maria non meruerit condignè mater fieri Saluatoris: hoc enim sub meritum non venit; humilitatem tamen eius respexit Dominus ad hoc, vt eam potiùs, quàm aliam, eligeret in matrem.

Psalm. 109. de Christo Dauid: *De torrente in via bi-* *Psal. 109.* *bet, propterea exaltabit caput.* Quonam pacto id fieri potuit, vt, quia biberit de torrente, exaltauerit caput? imò quia ita bibit, humiliare oportuit caput. Si de fonte è superis descendente quis biberet, exaltaret quidem caput; at qui de torrente per terram effluente bibit, humiliare debet caput. *Pareçe que iuega aqui Dauid al trocado.* Sanct. August. Cassiodorus, & alij per torren- *August. Cassiod.* tem istum Christi labores intelligunt, maximè quos pertulit in morte: torrens enim ex inundatione pluuiarum oritur, transitque cum impetu & veloci cursu: talis fuit passio Saluatoris. Bibit igitur de huiusmodi torrente se vsque ad crucis mortem humiliando; & propterea exaltauit caput, quia qui se humiliauerit, exaltabitur. Vnde speciatim de Christo Apostolus ait: *Humiliauit semetipsum, &c. Propter quod, & Deus exaltauit* *Phil. 2.* *illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen,* nomen scilicet Saluatoris, quo Christus nominatissimus, & gloriosissimus est in terra, & in cœlo.

Esai. 2. *Erit preparatus mons Domini in vertice mon-* *Isai. 2.* *tium, & eleuabitur super omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes,* hoc est, Christus Dominus super omnem altitudinem eleuabitur, & fluent ad eum omnes gentes. Obserua verbum illud; *fluent*, fluere, aquarum proprium est, & non earum, quæ è nubibus descendunt, sed earum, quæ super terram fluunt, inde fluuius dicitur: aqua autem, dum ita fluit, non solùm non super terram ascendit, verùm, si, quà possit descendere, inuenerit, statim ad ima fluet. Nunc igitur, ostende Isaia, quomodo, *Ad eum*, inquis, *fluent gentes*, si Dominus in summitate montium, non fluere, sed ascendere ad eum gentes, dicere debuisses, bene quidem Propheta; quia ad Dominum, quamuis in excelso constitutum, non

acce-

accedunt, nec ascendunt, nisi qui descendunt; humiles scilicet qui fuerint. *Sinite*, inquit, *parvulos venire ad me:* sicut enim exaltantur cœli à terra, exaltantur viæ Dei à vijs nostris: in mundo qui ascendunt, ad mundi sublimia ascendunt, in cœlestibus, qui descendunt, ad eorum excelsa pertingunt.

S. Thom. 3. p. q. 89. art. 2. quærit, vtrum potestas iudiciaria, illa scilicet, quâ Apostoli vtentur in die iudicij, sedentes super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel, & mundum vniuersum, correspondeat voluntariæ, & Euangelicæ paupertati: & affirmatiuè respondet, & hanc inter alias rationem affignans, ait: *Quia humilitati respondet pro merito exaltatio: inter omnia autem, quæ hominem in hoc mundo despectum faciunt, paupertas præcipuum est: vnde & pauperibus excellentia iudiciariæ potestatis promittitur, vt sic, qui se pro Christo humiliat, exaltetur.* Ita S. Thom.

Idem Sanct. Thom. 3. p. q. 89. art. 5. quærit, vtrum omnes homines in iudicio comparebunt; respondens, *Potestas*, inquit, *iudiciaria Christo homini collata est in præmium humilitatis quam exhibuit in passione: & ideo congruum est, vt omnes homines in iudicio congregentur ad videndum eius exaltationem in natura humana, secundum quod est a Deo constitutus Iudex viuorum, & mortuorum.* Ita S. Thom. Vbi nota, quòd Christo Domino propter vnionem hypostaticam, omnia huiusmodi debebantur; at tantâ apud Deum humilitas excellentiâ pollet, vt inter omnia merita Christi, & sublimitatem personæ, extulerit caput, & speciali titulo, ac ratione sibi attribui meruerit hanc iudiciariam excellentiam, & quamuis ad examen vitæ, & ad iudicium de vita proferendum, & ad hoc, vt vnusquisque recipiat ibi, prout gessit, non omnes conuenirent, ob hoc saltem omnes Deus tunc adesse faceret, vt Christum propter humilitatem passionis suæ, sublimatum, & exaltatum in Iudicem omnium intuerentur, & coram omnibus ei dicatur: *Causa tua, sicut causa impij iudicata est, causam, iudicumque recipies*, &c. quem locum Iob 36. de Christo exponit Glossa, cùm à Pilato iudicatus fuit.

Sanct. Chrysost. *Caueamus nos ipsos laudare: hoc enim & omnibus odiosos, & Deo abominabiles reddit, & quanto maiora præstitimus, tanto minora dicamus: sic enim gloriam assequemur magnam & apud homines, & apud Deum, & non solum gloriam apud Deum, sed & mercedem, & magnam retributionem: Nam & nos seruos habentes, maximè tunc eos acceptos habemus, cùm, postquam omnia beneuole ministrauerint, nihil se magnum censent effecisse. Sic Centurio dicebat:* Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus, *& propterea dignus factus est, & admirabilis super omnes Iudeos. Sic & Paulus dicens:* Non sum dignus vocari Apostolus, *& propter hoc omnium primus factus est. Iudem & Ioannes.* Non sum, *inquit*, dignus vt soluam corrigiam calceamenti eius, *& ideo amicus fuit sponsi, & manum, quam calceamento dixit indignam, hanc super caput suum Christus attraxit. Sic & Petrus dicebat:* Exi à me Domine, quia peccator homo sum; *& idcirco factus est Ecclesiæ fundamentum.*

Hoc est totius sapientiæ principium. At, inquies: *Quis ita poterit cor suum conterere? audi Dauid maximè per hoc illustratum, & ipsius animi contritionem intelliges. Post innumera siquidem merita, quando è patria, & domo, & vita ipsa pellebatur, vilem militem suum videns insultantem, & conuitiantem, non solùm conuitium tulit, sed ex militibus quendam ipsum interficere volentem, prohibuit, dicens:* Sinite eum, quoniam Dominus mandauit illi. *Et rursum Sacerdotibus arcam cum eo circumferre potentibus, non assensus est, sed quid ait?* In templo collocabo, & si liberauerit me Deus præsentibus malis, videbo decorem eius, si verò mihi dixerit, Nolui te: ecce ego, faciat mihi Dominus, quod placitum est in conspectu eius. *Præterea quod ergo Saulem semel, & bis, & sæpè fecit, qualem philosophiæ non ostendit excessum? Etenim & antiquam legem transcendit, & Apostoli.eus præceptis factus est propinquus. Denique amabat Dauid à Domino missa, & de his, quæ febant, non iudicabat, sed vnum hoc elaborabat, vt leges Domini sequeretur, & post tot merita sua cernens Absalonem tyrannum, fratricidam, homicidam, furentem, regnum eius inuadentem; nec ita scandalizabatur; sed, Si Deo ita videtur (inquit) me quidem pelli, & fugere, illum autem esse in honore, amo, & suspicio; & gratiæ habeo de innumeris ipsis malis, non vt multi impudentes, & temerarij, nec minimam meritorum eius partem affecuti; si quos in prosperitatibus positos videmus, se verò immanem tristitiam passos, blasphemant: Dauid autem omnem manfuetudinem, & humilitatem exhibebat. Et propterea dicebat Deus:* Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum. *Tales & nos simus, & ante regnum cœlorum hic humilitatis prouentum colligemus: ait enim:* Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. *Vt igitur hîc, & illic quiete fruamur, magno studio virtutum omnium matrem, humilitatem sectemur, dico in animabus nostris plantemus: sic enim & hoc vitæ pelagus absque fluctibus transire poterimus, & in tranquillum cœlestem portum nauigare.*

Act. 13. 22. 1. Reg. 16. Matt. 11. 29.

Idem Sanctus Chrysostomus homil. 39. ad popul. *Cùm nos humiliauerimus, ne nos à dignitate nostra decidere putemus: tunc enim meritò magis exaltamur, & maximè tunc admirationi licet esse. quòd enim altus sit humilis; humilis verò altus, sufficit quidem hoc asserens Christus: verumtamen & ipsam rem indagemus. Quid est humiliari? nónne vituperari? nónne accusari? nónne calumniam pati? Exaltari verò quid est, nisi honorari, laudari, glorificari? Videamus igitur hoc quomodo fiat. Angelus erat Satanas, semetipsum exaltauit; quid ergo, nónne plus omnibus humilitatis est? nónne locum habet infernum? nónne ab omnibus vituperatur? Homo autem cùm esset Paulus, semetipsum humiliauit; quid ergo, nónne admirabilis habetur? non laudatur? non est Christi amicus? non magna miracula fecit? nónne frequenter diabolo, tanquam seruo, imperauit? nónne contritum eius caput sub pedibus habebat?*

Chrysost.

Præterea, extulerat se Absalom, humiliauerat se Dauid, vter exaltatus est? quis gloriosius factus? quid autem humilius dicere potuit Dauid, quàm quæ dixit de semetipso: Sinite eum maledicere: Dominus enim præcepit illi? 2. Reg. 16. 10.

At in ipsis, si libet, factis examinemus. Humiliauit se Publicanus, licet hoc non tam humilitatis fuit, quàm quòd iustè quodammodo se diudicauit. Exaltauit seipsum Pharisæus. Quid ergo? Examinemus & facta: sint duo diuites, & bonore multò præditi, & in sapientia, & potentia, & alijs secularibus excellentijs altum sapientes: postmodum alter eorum honores quærat, & non accipiens, irascatur, & plùs quàm oportet, exigat, & semetipsum exaltet; alter verò hæc contemnat, & in neminem propter hoc indignetur, imò datum repellat honorem, nónne his priori longè sublimior? Gloriam enim aliter assequi non licet, nisi gloriam fugiendo: si enim eam sectemur, nos fugit; cùm autem eam fugimus, nos sequitur ipsa. Si vis esse gloriosus, noli gloriam concupiscere; si vis esse sublimis, ne te sublimem facias. Et alioqui quidem honores non quærentem, omnes honorant, ambientem verò aspernantur. Solet enim humanum genus contentiosum esse quodammodo & peruicax. *Noli igitur temetipsum extollere, & ab alijs extolleris: qui semetipsum extollit, ab altero non extollitur, & qui plus semetipsum humiliat, ab alijs non humiliatur.* Sententia

Exaltauit Deus Moysen, Exod. 3. dum enim pasceret oues Iethro, apparuit ei Dominus in rubo, & ibi principem & antelignanum populi sui eum constituit. Nunquid inter viros primos Israël non inuenie-

batur alius honorabilior, cui Deus honorabilem illum principatum committeret, nisi ei qui pastoris officio fungebatur? Cur ita? Nimirum, quia humillimus vir erat Moyses, vt ex tribus constat. Primò, quia cùm adhuc infans esset, & à filia Pharaonis in filium esset adoptatus, Pharao illum inter brachia suscepit, sua, & diadema, quod super caput suum Rex gerebat, capiti Moysi Rex ipse imposuit; infans verò quasi despiciens diadema, manibus illud arripiens, ex capite tulit in terram proiecit, & è manibus Regis exiliens, illud pedibus conculcauit. quo præsagio certò desumpsit Deus in filium, se Regiæ dignitate valeIosephus. dicturum propter obsequium Dei. Ita refert Iosephus lib. 2. Antiquitatum cap. 9. Secundò, quia cùm iam adolescens esset, adoptioni filiæ Regis renuntiauit Hebr. 11. 24. amore Dei, vti ait Apostol. ad Hebr. 11. *Moyses*, inquit, *grandis factus, negauit, se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere incunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro AEgyptiorum improperium Christi.* Quod expendens Sanct. Greg. Nyssenus in vita Moysi, sub finem, ait: Non solùm Regiam dignitatem contempsit, sed etiam regium iudicauit, non satellitibus neque ornatu regio, sed virtute custodiri & virtutis ornatu gloriari. vnde 40. Philo. annis pastoris officium exercuit, vt ait Philo lib. 1. de vita Moysi, non obstante regia in Regis aula educatione.

Tandem in matura iam ætate, cùm Exod. 3. eum in Principem populi Dominus eligere vellet, enixè & plurimis supplicationibus à Deo satagebat obtinere, ne se ad populi liberationem mitteret. quod ex magna Gregor. submissione animi dimanasse, adnotauit Sanct. Greg. Mag. 35. Moral. 13. dicens: *Quia Moyses apud se mente humilis fuit, oblatam protinus tanti regiminis gloriam expauit.* Ita ille. Nota verbum, non solùm fugiebat, sed etiam principatum expauebat, se valde imparem iudicans muneri tantò. Ecce igitur causam, cur Deus illum sublimauit, quia scilicet, qui se humiliat, exaltabitur.

S. Hier. Vnde Sanct. Hieronym. de Nepotiano sacerdotium recusante, sic ad Heliodorum scribit: *Quantò magis repugnabat, tantò magis in se omnium studia concitabat & merebatur negando, quod esse nolebat, eò quòd dignior erat, quòd se clamabat indignum.* Ita S. Hieron.

Idem. Qui etiam epist. 27. ad Eustoch. sic de B. Paula: *Fugiendo gloriam merebatur, quæ virtutem quasi vmbra sequitur, & appetitores sui deserens, appetit contemptores.* Ita S. Hier.

Matt. 1. 5 Matth. 1. in Saluatoris nostri genealogia, sub ad Dauidem Euangelista narrans peruenire, ait: *Iesse autem genuit Dauid Regem, Dauid autem Rex genuit Salomonem*; equidem & Salomon Rex fuit, imò & gloriosior quàm Dauid fuit. Rectè doctor quidam grauis: *Nullum alium, præter Dauidem Regem, in Regis diuini genealogia nuncupauit, vt Dauidis humilitatem exaltaret: fuit enim Dauid humilis valde.* Ita ille. Quanta verò fuerit humilitas Dauidis, ex eo constat, quòd quantumuis regiâ fulgeret dignitate, semper se pastorem fuisse agnouit: vnde in Psal quodam ad æternam rei memoriam scriptum reliquit officium suum pastorale: *Elegit Dauid seruum, & sustulit eum de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eum,* Psal. 77. 70. *pascere Iacob seruum suum.* Psal. 77. Vbi se & seruum Domini, & non semel pastorem caudas gregis sequentem, 2. Reg. 6. 22. fassus est. Constat enim ex lib. 2. Regum, eum coram Domini Arca totis viribus saltasse, & hoc displiciuisse Micholi vxori suæ, quæ illum scurris comparauit. cui Dauid: *Ludam & vilior fiam, plus quàm factus sum, ante Dominum qui elegit me, & ero humilis in oculis meis.* Ecce cur non solùm Dominus Dauidem in sua attexit genealogia, sed etiam super alios Reges Regis nomine eum condecoruit.

Luc. 14. 11. Luc. 14. *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Hanc humilium exaltationem expressit Deus in prima hominis formatione. Gen. 2. vbi sic: *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Vers. Priùs formauit hominis figuram ex luto, & deinde inspirauit animam rationalem, & sic factus est homo ad imaginem, & similitudinem Dei. Ponderemus factum: formauit priùs imaginem luteam, quam ex luto illo in imaginem Dei eleuauit. Cur ita? nónne simul & semel perfectum hominem efficere poterat, qui *dixit, & reliqua statim facta sunt?* etenim eleuare voluit lutum in perfectissimam omnium creaturarum corporalium, imò & formatum ex luto in imaginem ipsius Dei, vt ita nos diuinus magister doceret, quomodo suscitat à terra inopem, & de stercore erigit pauperem, vt collocet eum cum principibus Angelis in cœlo; vt notum nobis sit quos Deus exaltat, eos quidem, qui vt lutum, & limus humiles sunt: quid enim nisi ab humo humilitas nuncupatur?

Sed hoc in Beata Virgine lucet magis, cuius humilitatem respexit Deus, vt speciatim propter eam, elegerit ipsam in matrem, sicut obseruauit S. Bernard. in ea verba Canticorum, *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*: effecisse autem illam Deus Matrem suam, fuit, eam sibi, quantùm præcisè ad relationem matris & filij, efficere superiorem. Ecce quàm Deus humiles exaltet.

Exod. 7. 1. sic Deus ad Moysen: *Ecce constitui te Deum Pharaonis & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* non ait, eris Rex Pharaonis vel superior illo, sed, *Deus illius.* Quis, vnquam, Rex nomen Regis alteri concessit? Proregis nomen cuiuis magnati nimium est, quantò magis Dei nomen? Et insuper, tanquam Deo assignat Deus illi Prophetam: etenim respexit hîc Deus humilitatem serui sui Moysis, cùm se indignum asseruit, vt Dei nuntius ad Pharaonem mitteretur, dicens: *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de AEgypto?* ideoque illum Deum Pharaonis constituit. Sic explicat locum istum Rupert. lib. 1. in c. 25. Exodi, dicens: *Gloriosa virtus humilitas loquita est in Moyse, & idcirco dignum, ac pro sua reuerentia magnificum accepit responsum vt audiret homo priuatus, regnantis hominis se Deum esse.* Ita Rupert.

Quod si propter humilitatem Moysi, sic Deus eum Pharaonis Deum constituit, ita Beatissimam Virginem Mariam propter humilitatem suam in Matrem suam Deus accepit, & eximio Matris Dei titulo eam condecorauit, & exaltauit. S. Bern. hom. 1. super Missus est: *Virgo Maria de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet, respexit humilitatem ancillæ suæ Deus.* Ita ille. Quasi dicat, vt conciperet de Spiritu sancto filium Dei, expectauit Deus, vt diceret Maria Gabrieli: *Ecce ancilla, Domini fiat mihi secundùm verbum tuum*, & in puncto, quo se ancillam appellauit, concepit Deum.

Item idem S. Bern. homil. 42. in Cantica, exponens verba illa. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* De B. Virgine explicans locum hunc, ait: *Est nardus humilis herba, quam & calida seruunt esse natura, & ideo per hanc video mihi non inconuenienter in hoc loco, virtutem humilitatis accipere, quæ sancti amoris vaporibus fragret. ait ergo, dum esset Rex, &c. ac si voce Virginis Matris dicat, nullius mihi meriti conscia sum ad dignationem tantam, nisi quòd respexit Deus ad humilitatem ancillæ suæ: nam quod est aliud, nardus mea dedit odorem suum, quam, placuit humilitas mea? non inquit, mea sapientia, mea nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla erant mihi, sed quæ sola erat, humilitas dedit odorem suum.* Ita S. Bern.

Denique in Christo Domino id apertiùs cōstat, qui humillimus omnium fuit, & ideo pari passu currebant in eo humilitas & sublimitas; nascitur in stabulo & reclinatur in præsepio, quid humilius; & illico descendunt è cœlis Angeli canentes ei gloriam & dicentes: *Gloria in altissimis Deo, &c.* Perseuerat ibi multis diebus, & veniunt ab Oriente Reges ad eum adorandum, circumci-

cumciditur, ac si peccator esset, & datur illi nomen Iesus, quod est super omne nomen. Tanquam egenus neque habebat vbi caput suum reclinaret, & ingentia atque innumera edebat miracula, quæ mirabilem & excelsum eum reddebant. Denique tanquam reus suspenditur in patibulo crucis, & ibi elementa, & cœli, & mortui resurgentes, innocentem & sublimem eum prædicarunt, quasi dicendo, sic sic, qui se humiliauerit, exaltabitur.

A

ADDITIO.

Qvid Humilitate sublimius, quæ dum se in ima deprimit, auctori suo manenti super omnia coniungitur. Et paulò post: *Humiles dum se deijciunt, ad Dei similitudinem assenduntur.*

Quisquis vult Diuinitatis tenere fastigia. Humilitatis ima sectetur. Quicumque vult fratrem præuenire regnando, prius præueniat obsequendo.

B

PROP. XXIV. *Humilitas ad huius vitæ felicitatem conducit.*

SEneca epist. 72. *Si vis beatus esse, sis fide bona vir bonus, sine, contemnat te aliquis.* Et epist. 77. *Æquo animo audienda sunt imperitorum conuitia, & ad honesta vadenti, contemnendus est ipse contemptus.* Ita ille.

PROP. XXV. *Cùm omne bonum à Deo sit, meritò in omnibus nos humiliare debemus.*

IAcobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum*, hoc est, quantumuis quis ad optima, & perfecta aspiret, in quorum assecutione maximus labor, maximaque industria solet adhiberi, cùm quid horum fuerit adeptus, Deo, & non sibi adscribere debet.

C

Genes. 9. sic Noë filio suo Sem benedixit: *Benedictus Dominus Deus Sem*, &c. Quid Sem benedicis? & Deus, inquis, sit benedictus hoc Deo, & non filio benedicere mihi videtur: & quidem turpe Noë filio benedicebat, propter obsequium præstitum sibi, & reuerentiam exhibitam patri. Cur ergo non dicit: Benedictus Sem, &c. Quia scilicet nouerat rectè, quòd omne datum optimum, &c. à Deo est, ideo Deo benedixit.

Exod. 27. dum præliaretur populus Israel aduersùs Madianitas, Moses in monte Deum pro victoria deprecabatur, cuius oratio adeo populo Israelitico conducebat, vt dicat sacra historia. Exod. 17. *Cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec*; partà verò victorià ædificauit Moyses altare Domino, & vocauit nomen eius, *Dominus exaltatio mea*: quasi dicat: nemo manibus meis sursum elatis, vel meritis meis victoriam adscribat, sed diuinæ bonitati, à qua bona cuncta procedunt. Sed aduerte mysterium, tunc Moyses in modum crucis manus in cœlum leuauit, vti asseruit Iustinus contra Tryphonem, & Origen. in quadam homil. super 1. Regum, & Tertull. lib. contra Iudæos, & Sanct. Cyprian. libr. de exhortat. ad martyrium, & Sanct. August. lib. 20. de ciuitate Dei. Cur ita orauit? cur non in forma communi, vti reliqui, manus in oratione leuauit? quia scilicet nouit victoriam illam obtinendam esse virtute crucis Christi, & non ex meritis proprijs, & eapropter dixit: *Dominus exaltatio mea.* In Hebræo loco illius dictionis *exaltatio* ponitur *Net*, quæ quidem Hebræa dictio significat *vexillum*, *Dominus vexillum meum: vexillum* autem nomen crucis est, *Vexilla regis prodeunt*, ait Ecclesia, cùm de cruce agit: *Dominus*, inquit, *vexillum meum. Christo a fido nuestro alferez., a el se le da gloria.* Solent in bello inimici triumphare, cùm vexillifer occidunt, & vexillum capiunt: at in bello isto, ait Moyses, Dominus vexillifer noster factus, vexillum nostrum intactum custodiuit, & exercitum nostrum defendit; illi ergo honor, & gloria, non mihi. *Non ergo nobis, Domine, sed nomini tuo da gloriam*, &c. D

Ps. 113. 1.

Sanctus Chrysostomus tom. 5. lib. de Virg. cap. 36. *Paulus de prædicatione differens, cuius causâ innumeros labores, assiduas sollicitudines, incredibiles ærumnas, quotidianas mortes fuerat perpessus, Abundantiùs, inquit, omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum: non enim partem sibi sumit, partem Deo dat, sed totum illi tribuit: quod grati serui argumentum est, nihil proprium ducere, sed omnia concedere domino suo. id quod & alio loco facit: eleemosynam enim dixisset:* habentes donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis, differentes, *progrediens oratione, præfecturas, eleemosynas, communicationem bonorum numerauit in donis.* Ita S. Chrysost.

Chrysost.

1 Cor. 15. 10.

Rom. 12. 6

PROP. XXVI. *Quantò quis maior est, tantò humilior esse debet.*

ECcles. 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Litteris aureis in aulis principum, & domibus diuitum, & eorum, qui sunt in aliqua dignitate constituti, sententia hæc conscribi deberet. *Quantò magnus es*, (inquit) hoc est, quantò maior; nam lingua Hebræa pro comparatiuo solet vti positiuo, quantò maior, quantò ditior, vel sapientior, vel superior quouis modo sis, *humilia te*, non aliquando, & aliquibus in rebus, quasi propter formam, & bonam educationem, *sed in omnibus*, & semper. Cur, inquies, *quantò maior*, cùm humilitatis virtus magis humiliores, & paupериores decere videatur? sicut enim absurdior est superbia his, qui in statu humiliori sunt; sic eis magis humilitas conuenire videtur. Iansenius duplicem rationem adhibuit, alteram propter homines, alteram verò propter Deum; nam quod ad homines attinet, quò quis in sublimiori est gradu constitutus, sicut magis est subiectus inuidiæ multorum, & cum multis communicare debet; ita magis niti debet, vt modestia, & dimissione sui, inuidiam decliner, & superet, & facta sua commendet: quòd verò ad Deum attinet, hoc demissus agnoscere debet, se plura, quàm alij à Deo beneficia recepisse. Ita Iansenius. Itaque ne inuidiæ, & maleuolentiæ proximorum pateat, humilior esse debet magnus, & quia ita gratitudo in Deum exigit: superbus enim qui se beneficijs diuinis extollit, Deum offendit grauiter, & ablationem beneficiorum meretur. Ideo subdidit ibi Ecclesiasticus: *Deus ab humilibus honoratur*: humilis enim demissione sua se indignum talibus beneficijs fatetur, & à Deo sibi prouenisse recognoscit.

Verſ. 20.

Ibid. 21.

S. Gregorius: Maiorem maiori humilitate se submittere debere, (ait) propter rationem, quam Deo redditurus est de bonis, quibus superat alios. Verba eius hæc sunt, hom. 9. in Euangel. *Cùm augentur dona, rationes etiam crescunt donorum; tanto ergo humilior, atque ad seruiendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.* Ita Sanctus Gregorius. Altitudo ergo, & sublimitas nos cautiores, & timidiores reddere debet, quia qualiter eâ vsi fuerimus, in iudicio à Deo examinandi sumus.

Sanct. Augustin. lib. de S. Virg. cap. 51. Propter maiora pericula superbiendi, & cadendi in maiora peccata, quàm paruuli, maiores ait, humiliores esse debere. *Mensura* (inquit) *humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est, cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur.* Ita Sanct. August. Etenim pauperem paupertas sua, seruum seruitus sua, ignobilem ignobilitas sua, idiotam ignorantia sua humiliat, & demittit; è conuerso autem diuitem diuitiæ suæ, dominum

minum dominatio sua, nobilem nobilitas sua, & sapientem sapientia sua eleuat, & exaltat. nam *scientia*, inquit Apost. *inflat*, sic nobilitas inflat, diuitiæ inflant, principatus inflat, pulchritudo inflat, & omnis altitudo mundi huius inflat, & ad supercilium, superbiamque inducit. Vnde Apost. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere.* Periculum vidit, cautionem adhibuit, pauperem sua paupertas à superbia reuocat, quòd si in paupertate, & humili statu constitutus, adhuc à superbia minimè securus est, ob naturæ nostræ corruptionem; quid, quæso, faciet in excelso constitutus, vbi naturæ defectus, & altitudinis occasio copulantur? A

1. *Tim.* 6. 17.

De supremo Angelo, qui cecidit è cœlo, ait Dominus per Ezechielem: *Eleuatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiã in decore tuo.* Decoratum Deus supremum Angelum, & ille decorem suum intuens, & sapientiam, in barathrum superbiæ lapsus est. Quòd si sapientissimus ille Seraphim, & tantis Dei donis vallatus, & munitus, ab altitudine sua deceptus, ita cecidit: quam sibi securitatem promittere audebit homunculus ignarus, & non ita Dei donis protectus? Si qui valido est capite, ac firmo, in alto loco positus turbatur, & euanescens cadit: qui debilitate capitis laborat, quid mirum, si in loco alto constitutus eodem modo euanescat, & cadat? Meritò ergo ait Ecclesiasticus: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Motiuum autem maximum ad hanc cordis submissionem subdit: *& coram Deo inuenies gratiam.* Parúmne hoc? pro magno, maximoque Gabriel ad Mariam, Dei genitricem mox futuram, dixit: *Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Deum.* Nescio, quonã pacto speciatim humilitatis virtus apud Dominum gratiam habet; nam sicut Deus superbis resistit, ita humilibus dat gratiam, placent valde humiles Deo. Et quidem licèt nihil aliud boni ab humilitate haberemus, quàm sic ea mediante Deo gratos nos futuros, supra modum humiles esse deberemus. Quid enim ampliùs possumus desiderare, quàm gratiam inuenire in oculis Dei? Quid non faciunt, & ambiunt homines, etiam primarij, vt gratiam inueniant apud Regem? nimirum quia inde diuites, & principes, & felices se futuros sperant; quantò autem magis, ac meliùs, qui apud Deum gratiam inuenerint, felices, ac beati erunt? *Ergo quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* quòd si inueneris gratiam, proculdubio inuenies gloriam. B

Cap. 28. 17.

Luc. 1. 30

Beatissima virgo, cùm se in Dei Matrem electam audiret, non solùm non inde se extulit in mirabilibus super se, verùm etiam quantò maior effecta fuit, tantò ampliùs se humiliauit, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Miratur S. Bern. serm. vlt. super Missus est, eximiam hanc virginis humilitatem, dicens: *Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, & insolescere gloriã nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat. Non mediocris reuera humilitatis insigne, nec oblatã tantã gloriã humilitatem obliuisci. Non magnum est, esse humilem in abiectione, magna profus, & rara virtus humilitas honorata.* Ita S. Bern. Sic igitur quando maior effecta, humiliauit se Maria, videamus quomodo & qualem inuencrit gratiam apud Deum: quamprimùm post verbum *fiat*, Verbum caro factum est in ea, vix verba illa humilitate referta protulerat virgo, cùm immediate iam concepit filium Dei. vide qualiter, quia magna effecta humilians se Maria, inuenit gratiam coram Deo. C

Luc. 1. 38.

Humiliauit se Dominus noster Iesus Christus, *qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanuit, formam serui accipiens*, imò & formam peccatoris accepit, in Iordane videlicet, & in passione. quantùm autem vtrobique placuerit Deo Patri, vox de cœlo delapsa declarauit, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* In D

Matth. 3. 17.

transfiguratione quoque, cùm de excessu, quem factus erat in Hierusalem, cum Moyse, Eliaque loqueretur, eadem insonuit de cœlo vox: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, hoc est, hic, qui, cùm gloriæ indumentis se circumamictum conspiceret, nihilominus de passione ignominiosa propter gloriam meam, & obedientiam meam agit: hic, inquam, est filius meus dilectus; sic qui magnus est, & se nihilominus humiliat, coram Deo gratiam inuenit.

Vtinam & nos Virginem Matrem, filiumque eius imitaremur, vt gratiam quoque coram Deo inueniremus. sed videas (inquit S. Bernard. hom. 4. super Missus est.) *pleroſque in Ecclesia Dei, ex ignobilibus nobiles, & de pauperibus diuites factos, subitò intumescere, & pristinæ abiectionis obliuisci, genus quoque suum erubescere, & ipsimos dedignari parentes. Videas quoque & homines pecuniosos ad honores Ecclesiasticos peruolare, & mox sibi applaudere sanctitatem, vestitum dumtaxat mutatione, non mentium, & dignos se æstimare dignitate, ad quam ambiendo peruenerunt, quodque, si audeo dicere, adepti sunt nummis, attribuere meritis suis.* Ita S. Bern. Quę vtinam de tempore suo, & non etiam de nostro dici possent; hi quidem nec apud Deum, nec apud homines gratiam habent. S. Hieron. tom. 1. epist. ad Celant. *Nihil est, quod nos ita & hominibus charos, & Deo faciat gratos, quàm si vitæ merito magni, humilitate infimi simus.* Ita S. Hieron. Vnde 2. Reg. 6. cùm Dauidi exprobraret Michol vxor eius, eò quòd ante Arcam Domini in conspectu populi saltasset, dicens: *Quàm gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris.* sic Dauid respondit: *Vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* 1. *Reg.* 6. 20.

Hinc Num. 27. cùm vellet Dominus loco Moysi eligere Iosue, ad introducendum populum in Terram promissionis, sic ad Moysen locutus fuit: *Tolle Iosue filium Nun.* & subdit: *Dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ.* Quid est, partem gloriæ suæ dare? Vatablus legit, *partem decoris tui, de tu honestura.* eandem difficultatem habet: quomodo enim partem gloriæ, seu decoris sui poterat Moyses dare Iosue? Originale Hebræum sic habet, *Dabis ei partem humilitatis tuæ, procura que con la dignidad, y honrra, que le communicas, le des tambien de tu humildad, procurando que no se empine con el nuebo, y honroso cargo.* Hanc ergo humilitatem vocat gloriam, & decorem. Hæc enim, cùm in magnis viris inuenitur, eos glorificat, & condecorat. *Num.* 27.

Paucos nunc inuenies humiles magnos: vtinam sæculo nostro contingat, quod Guerricus Abbas serm. 1. de Purificatione ait: *Vtinam* (inquit) *fratres mei, nos illam haberemus humilitatem in vitiis nostris, quam sancti habebant in virtutibus suis.* Ita ille.

Ostensi sunt Ioanni Apostolo honores summi, quibus Christus Dominus afficiebatur in cœlis, præconiaque, & laudes, quæ ibi in illum deferebantur, denumero verò laudantium illum ait: *Erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Hunc illi honorem cœli ciues tribuebant, multò verò maior à Patre ei deferebatur honor, qui quidem illum ad dexteram suam in excelsa, & suprema sede locauit, atque constituit super omnem principatum, & potestatem. Mirandum quidem est, quàm sublimi in dignitate sit Christus Dominus in cœlo constitutus, sed id mihi non tantam affert admirationem, quàm quando hodie conspicio tam submissum, & humilem in terra, cùm eo die, quo sibi triumphandum erat, sedens super asinam ingrediatur Hierusalem. Tantâ eum in cœlo gloriâ, & maiestate potiri, est quidem dignissimum Christo, maximè verò alienum ab eo esse Apoc. 5. 11.

eo esse videtur, quidquid ad ignobilitatem, & depressionem spectat. Num tibi, Domine Iesu, Cherubim alæ deerant, super quas Hierosolymis triumphum agere posses? cur ergo tam infimo iumento insidens ingrederis? Quis princeps in toto terrarum orbe non magno dedecori sibi esse putaret, sic asino vectum vrbem aliquam intrare? id rustico homini, & egenti expedire videbatur; quid autem tibi cum tali vehiculo, Domine Deus? A

Respondeat S. Aug. lib. de catechizandis rudibus, vt nos pariter catechizemur: *Omnia bona terrena contempsit homo Deus, vt contemnenda monstraret, & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat, vt neque in illis quæreretur felicitas, neque in ipsis infelicitas timeretur. Natus enim de Matre (quæ, quamuis esset virgo, tamen fabro desponsata erat) omnem triumphum carnalis nobilitatis extinxit. Natus enim in ciuitate Bethleem, quæ inter omnes ciuitates Iudææ erat exigua, & hodie villa appellatur, noluit ob terrenæ ciuitatis sublimitatem gloriari. Pauper enim factus est, B cuius sunt omnia, & per quem omnia facta sunt, ne quisquam, cùm in eum crederet, de terrenis diuitiis audaret extolli. Noluit rex ab hominibus fieri, quia humilitatis ostendebat viam miseris, quos adeo superbia superauerat, quamuis sempiternum eius regnum vniuersa creatura testetur. Esurit, qui omnes pascit, sitit, qui quem creatur omnis potus, ab itinere terrestri fatigatus est, qui seipsum nobis fecit in cælum, velut obmutuit, & obsurduit coram conuitiantibus, per quem mutus loquutus est, & surdus audiuit, vinctus est, qui vinctos soluit, flagellatus est, qui omnium flagella de hominum corporibus expulit: denique crucifixus, qui tulit cruciatus nostros, & mortuus, qui mortuos suscitauit.* Hæc Sanctus Augustinus. Hoc igitur modo libenter Deus super iumentum Metropolitanam, & illustrem ingreditur ciuitatem.

O quàm insigne humilitatis exemplum præbet hoc in loco Christus Dominus omnibus primarijs, atque excellentibus totius orbis terrarum viris, qui adhuc in terra degentes, se ad sidera quasi extollere volunt, & puluis cùm sint, supra lunam collocari cupiunt. Videant hi igitur quemadmodum Christus hodierno die summam animi submissionem, humilitatem, & mansuetudinem doceat. Sed dolendum planè est, quòd tam parum ab illis ipsa exerceatur humilitas. Sunt illi vt plurimùm elati adeo, atque insolentes, vt sathanæ adiutores, aut ministri potiùs, quàm Christiani homines videantur. Nihil aliud cogitant, quàm vt ab omnibus obseruentur; & si Principi Aman transeunti non tribuat honorem Mardochæus, flectatque coram eo genua, statim ipsum Mardochæum cruci affigendum ea de causa procurat Aman. & hi sunt, qui illustres ac singularis honoris titulos vnà cum præclaris excellentiæ nominibus quæritant, illi, Deo nolente, illatas iniurias magna cum crudelitate vendicant, quantumuis animam in summum damnationis discrimen adducant: illi vniuersum orbem suis vanis rationibus perturbant, vt iam ceteri ad eorum imitationem se non dubitent componere, pretiosas vestes conficere, domos construere, aurea vel argentea vasa cælare, peristromatis parietes ornare, & huiusmodi alia multa efficere. Eorum autem inexhausta gloriæ cupiditas omnes vincit conatus, actionesque superat. Accedite, quæso, ad aulas regias, adite vrbes nobilissimas, videte ea loca, vbi forenses causæ aguntur, publicas scholas ingredimini, palatia, regiasque domos aspicite, & apertè, quę dicimus, cognoscetis. Hi certè non magis Euangelicæ Christi doctrinæ veritatem degustasse videntur, quàm aut Romani, cùm nondum veritatis lumen attigerant, aut Turcæ, qui nunquam ad diuinæ legis cognitionem peruenerunt. C D

Huius rei causa est, quia ipsi existimant honorem, & authoritatem, quæ ipsorum generis antiquitati, statui, muneribus, personisque debetur, aliter retineri non posse, & ita se maximè extollunt, plurisque faciunt, & rem omnem familiarem, ingenium, tempus, vitam denique ipsam, ad amplitudinem suam fulciendam, atque sustentandam conferunt. Et falluntur reuera, quia humilitate potiùs honorem fulciunt apud Deum, & homines, quàm superbia, & animi elatione.

Si enim aliquis princeps, de se humiliter sentiat, tunc is pluris est apud Deum: *Coram Deo* (inquit Ecclesiasticus suprà) *inuenies gratiam*: superbus enim apud Deum, non gratiam, sed odium, atque supplicium inuenit, quamuis omnium sit Angelorum supremus, ac alter Lucifer, quem Deus propter summam eius arrogantiam quasi fulmen ex alto cœlo deiecit. Et quemadmodum diuino conspectui multùm odiosa superbia est, & gratiosa humilitas; sic etiam in hominibus nullus est, qui hominem superbiâ inflatum non fugiat, quamuis princeps ille sit; nam superbus ceteros omnes contemnere velle videtur; nemo tamen est, qui velit contemni: vnde multi hos odio prosequuntur, & maledictis lacessunt. Quare quò pluris fieri cupiunt, eò magis ab omnibus despiciuntur.

Scriptum est, populum Israeliticum, cùm se tributis à Salomone premi videret, eo mortuo, petiuisse à Rege Roboam, eius filio, & successore, vt vectigalia ad rectam rationem, modumque reuocaret; qui illis superbissimum responsum reddidit, *Pater meus* (inquit) *aggrauauit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro, pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Quo tam acerbo, atque insolenti responso, ita omnis populus concitatus est, vt ex duodecim tribubus, decem ab eo defecerint, qui nouum Regem eligentes, nunquam ampliùs illi obedire voluerunt. Quantò melius ei fuisset, si eos humiliter, & mansuetè tractauisset; sed cùm eum tam superbum, & inhumanum experti sunt, ab eo recesserunt. Ecce, quàm iniquo animo homines ferant superbos, & arrogantes, licèt Reges sint. Sic igitur in conspectu Dei, nullius pretij sunt huiusmodi arrogantes, sed omnium contemptissimi; humiles verò illustres, atque clarissimi habentur. Cùm vir aliquis insignis de se humiliter sentit, maioribus tunc ornamentis afficitur, & decoratur. Haud satis ponderare queo, quem splendorem habeat humilitas, aut quo emblemate, & quibus quasi coloribus nobilitatem perficiat, atque perpoliat; nullus rubeus color auream perinde picturam illustrat, quàm animi submissio nobilitatem. atque ita vir nobilis, si se submisè gerat, ab omnibus colitur, diligitur, atque laudatur. 3. Reg. 12. 14.

Præclarè quidem id ipsum in Christo Domino comprobatur. Quis enim nobilior, aut superior Christo? non solùm de eius diuinitate, sed etiam de humanitate loquor; quis vnquam, aut sapientiâ, aut in miraculis faciendis fuit cũ illo comparandus? Fuitne aliquis in Israel, qui eius potentiam adæquarit? ij omnes, qui nulla decepti perturbatione, sed sereno vultu, simplicique animo erant, eum excelsum, & magnum quidam iudicabant, clamantes: *Propheta magnus surrexit in nobis.* Hunc etiam D. Ioannes Baptista adeo excelsum esse testatur, atque præstantem, vt ipse sibi videretur indignus, qui illius corrigiam calceamenti solueret; at verò hic tam excelsus, & magnus, quàm humiliter se gessit. omitto nunc expendere, quomodo natus in stabulo, & positus in præsepio, omitto, quæ per totius vitæ spatium eximia humilitatis exempla præstitit. Humiliauit se tandem factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Nulla ratione eius humilitas meliùs illucescere, aut maior fieri potuit; sed in hac tanta animi submissione quo pacto se gessit eum eo Deus? Num Pater æternus contumeliosum Luc. 7. 16.

sibi esse existimauit talem habere filium? minimè verò, sed rem honestissimam, pulcherrimamque duxit. In præsepio missit ad illum Angelorum choros, qui summis eum laudibus ornarent, & maximâ gloriâ afficerent, in circumcisionis humilitate, Seruatoris illi nomen imponit, in baptismate, cùm supplex à D. Ioanne baptizaretur, aperiuntur cœli, & vocem è cœlis emittit Pater eius, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; & in crucis laboribus, cùm se submisisse gessisset, effecit Pater eius omnipotens, vt vniuersæ ferè creaturæ, cuius dignitatis esset is, qui pateretur, testarentur. Sol à se ipso deficiens, quasi oculos claudebat, ne Christum pati cerneret. Terra contremiscens, tanquam metu quodam tremebat, lapides, dum inter se conterunturr, veluti quando alicuius animus dolore summo disrumpitur, scindebantur; velum templi consciissum fuit, ceu cùm aliquis intimo animi sensu disrumpit vestes in aduersa fortuna; mortui tandem excitantur, vt eius partes agant, quem viuentes contumelijs immeritò affecerat. Denique quia sic *humiliauit se*, factus obediens vsque ad mortem crucis, propterea exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. Ecce, quemadmodum ille, qui quantò maior fuit, tantò magis humiliauit se in omnibus, coram Deo Patre suo inuenies gratiam.

Matth. 3 17.

Apud homines etiam inuenit gratiam, quia quantumuis se submisse gereret, Regem illum constituere voluerunt, & quamuis sedens super asinam, exiguo ornatu, pauperrimisque discipulis comitatus, ciuitatem regiam ingrediatur, ci Hierosolymorum ciues obuiam procedunt: &, vt inquit Euangelium, *plurima turba strauerunt vestimenta sua in via, alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via, & turbæ, quæ præcedebant, & sequebantur, clamabant, dicentes: O sanna filio Dauid, benedictus, qui venit in nomine Domini, O sanna in altissimis.* Nunquâ in aliquo Romanorum Imperatorum triumpho tam celebris, tamque gloriosa facta acclamatio est. Plus auri, & argenti, plures currus, & ornamenta, magnificentiores apparatus illi quidem habere potuerût; tam insignis verò laus, aut sublimior exaltatio nemini vnquâ tributa est. Alij nâque humanâ ac terrenâ: Christus verò cœlesti, & perpetuâ gloriâ condecoratus est. D. Lucas planiùs explicans ea, quæ in hoc concursu dicebantur, ait eos acclamasse: *Benedictus rex, qui venit in nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelsis.* Non dicunt, pax in terra, & gloria in terra, sed in cœlo, in excelsis; excelsior ergo gloria hæc, & sublimior exaltatio est.

Matt. 21. 8.

Luca 19. 38.

Apocal. 7

Vidit D. Ioannes Apostolus in Apocalypsi innumeram Sanctorum multitudinem, qui albis vestibus induti, & palmas manibus gestantes coram Christo, agno pro illis immolato, assistebant, cùm ibi etiam esset Christus in sublimi dignitatis gradu constitutus. Hic autem cernimus multos homines palmas ferentes coram Domino, eumque submissum venerantes; illic itaque palmis in magna maiestate colitur, hic etiam idem in summa humilitate obseruatur, vt apertè constet, nihil de authoritate, nihil de honore, nihil denique de gratia, apud homines detrahi propter animi submissionem. Possunt igitur magni, & excellentes viri præclarum hoc humilitatis exemplum addiscere, quod illis præbet princeps hic magnus, & Deus, sine vllo neque authoritatis, nec honoris amittendi metu, quin potiùs credant, maiorem apud Deum, hominesque gratiam, & gloriam se esse adepturos.

PROP. XXVII. *Exemplum Christi vrget nos, humiles esse.*

Vers. 29. MAtth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Discite*, inquit. Magister quidem noster Christus est, sicut & Redemptor, & nos discipuli eius sumus, & tales esse gloriamur, quid igitur ille nos docet? quid nos ab eo discere debemus? omnem quidem virtutis speciem, & omnem perfectionis, & sanctitatis gradum, sed speciatim humilitatem ipse nos docuit à principio vitæ suæ ad finem vsque, non solùm verbo, sed etiam exemplo suo. Quid enim præsepe, nisi cathedra fuit docentis nos humilitatem? quid ipsa crux? *el pesebre fue vna cathedrilla, y despues fue promouido a la cathedra de la cruz*, &c.

Sed inter cetera ea, quæ excelsa sunt, vel apparent in nobis, nos occultare docuit: sic enim & ipse fecit, ita vt insigne eius fuerit id quod Isaias dixit: *Vere tu es Deus absconditus, este era el timbre de sus armas.* Vbi Vatablus: *Tu es Deus absconditus*, id est, qui potentiam tuam, & vires tuas occultas: quod maximè in eo patet, quòd, cùm gloriosus in anima esset, & gloria illa animæ in corpus resultare deberet, eam miraculo intra septa animæ retinuit, ne foris appareret, sicut docet S. Thomas 3. part. q. 45 artic. 2. Hoc autem miraculum duabus de causis fecit. Prima est (vti ait S. Thomas ibid.) vt in corpore passibili nostræ redemptionis mysteria expleret: non enim pati potuisset in corpore glorioso. Secunda est, vt nos omnem iactantiam vitare doceret: non solùm enim non debet homo occulta bona manifestare iactanter, verùm etiam quæ in publicum prodeunt, occultare: nos verò non sic, imò sæpe de his quæ non habemus, gloriamur, & eos nos esse mentimur, qui non sumus. Quòd si Deus miraculum operatur, vt retineat splendorem gloriæ suæ, quem si semel ostendit, hoc remotè, seorsim in monte Thabor, & coram paucis & breui temporis spatio fecit; homines verò, si miracula patrare possent, ad hoc maximè id præstarent, vt gloriam, & excellentiam, quam non habent, falsò ostentarent; hic se nobilem mentitur, ille diuem, ille fortem, ille verò sapientem, cùm nihil minùs.

Isai. 45. 15.

Christus Dominus non solùm in Saluatorem nostrum, sed etiam in Magistrum nostrum, venit in hunc mundum, vt scilicet nos doceret, piè ac sanctè viuere, quò & Deo seruire sciamus, & animas nostras saluare, Isai. 30. *Erunt oculi tui videntes præceptorẽ tuum, & aures tuæ audient verbi post tergũ monentis: Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis ad dexteram, nec ad sinistrã.* De Christo Domino agit Propheta, & ipsum doctorem nostrũ vocat, quia, licèt plures in Ecclesia docentes habeamus, Apostolos scilicet, & alios post ipsos, Ambrosiũ nempe, Hieronymum, Augustinum, Gregoriũ, & ceteros, sed, propriè loquendo, solum Christum. Ipse quippe sic ad discipulos suos Matth. 23. *Vos autem nolite vocari Rabbi. Vnus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis, & patrem nolite vocare vobis super terram: vnus enim est pater vester qui in cœlis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus.* Sicut igitur solus Deus est Pater per excellentiam, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur; ita magister noster per excellentiam solus est Christus, de cuius plenitudine acceperunt alij. vnde Matth. 3. vox illa Dei Patris, *Hic est* (inquit) *filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Nos felices, qui talem sumus sortiti Magistrum. *Apparuit* (inquit Apostolus) *gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei*: hoc est, si, vti Christus Dominus docuit nos, vixerimus, intrepidè poterimus expectare diem mortis nostræ, & diem iudicij Dei: quia nihil amplius requiritur ad salutem nostram, quàm quod docuit ille. Nónne super tanto doctore, ac magistro poterimus nobis metipsis nos congratulari? Vnde Ioel cap. 2. de Christo agens, *Filiæ Sion*, inquit, *exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ.* Non, inquit, doctorem Philosophiæ, aut doctorem artis medicæ, aut Astrologiæ, vt sciatis, quomodo mouentur cœli;

Matth. 3. 17.

Apocal. 7.

Vers. 29.

Isai. 30. 21.

Ioel. 2. 23.

cœli; sed *doctorem iustitiæ*, vt sitis iusti, & assequamini cœlum.

Habemus igitur in Christo doctorem, ac magistrum omnis iustitiæ, ac veritatis, sed speciatim humilitatis. Nam singulariter Christus Dominus huius virtutis se magistrum gloriatus est. Matth. 11. *Discite* (inquit) *à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Vbi S. Augustinus. *Ps.39.*

Deo autem se humilitatis magistrum nobis exhibere voluit, vt propter hoc speciali ratione crucis opprobria voluerit sustinere, vti sancta canit Ecclesia in oratione Dominicæ palmarum: *Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Saluatorem nostrum carnem sumere, & crucem subire fecisti*, &c. non ait, solùm ad redimendum genus humanum, & manifestandam nimiam charitatem suam in nos; sed ad imitandum speciatim humilitatis exemplum.

Et ipsemet Christus Dominus, postquam lauit pedes discipulorum suorum, *Scitis* (inquit) *quid fecerim vobis? Vos vocatis me, Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim: si ergo ego Dominus, & magister laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Dixerat Petro renuenti exhibere pedes Christo ad lotionem: *Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea.* Quid tum postea? *Exemplum* (inquit) *dedi vobis.* Vide quantùm optauerit nos humiles efficere, cùm ad hoc non solùm verba, sed etiam tam heroica dederit exempla. Quale quidem fuit huiusmodi exemplum lotionis pedum: quid enim mirabilius, quàm videre Deum ipsum genua sua flectere ad pedes piscatorum, & manibus suis lauare pedes eorum? ministerium hoc seruorum vilium est; quis igitur non obstupescat, videns Dominum maiestatis sic eo fungi, tanquam si discipuli principes essent terræ, ipse verò seruus emptitius eorum? Vidit Isai. c. 6. Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, inter Seraphim existentem, quem ipsi mirè laudabant: ita quidem talem Dominum tale decebat solium; attamen ad pedes discipulorum genuflectere, & lauare pedes illorum? *1.13.* *1.7.*

Ponderat hîc S. Chrysostomus, cœpisse Dominum lotionem hanc à Iuda proditore: quis non hîc obstupescit? dixerat Euangelista: *Cùm tam diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas.* Iam igitur in corde eius erat diabolus. Quid igitur agis Domine? pedes tu non horres eius, in cuius corde vides diabolum possessorem? ille præcipuam Iudæ, & supremam cordis, & animæ sedem accepit, & tu inferiùs ad pedes eius genua flectis? Attende, quæso, quoſnam pedes laues: pedes hi domos Pharisæorum adierant, vt traderet te illis, lutum, quod habent, in via proditionis tuæ acquisierunt, & lutum hoc lauare dignaris? O Angeli omnes, conuertite huc lumina vestra, & obstupescite vehementer! Dominus, quem adoratis, & in æternum laudatis, pedes tangit, & lauat, pedes, inquam, qui super inferni prunas constitui, & ardere merentur in sempiternum. *1.13.2.*

Huc respexisse videtur Propheta, vbi Christum Dominum vocauit *despectum & nouissimum virorum.* Alia littera habet *despectus, & cessatio virorum.* Despectus, hoc est, despicabilis in oculis hominum, nullâ earum rerum, quas mundus magnificat, conspicuus, & *cessatio*, aut cessator virorum, hoc est, vltimus, & velut finis hominum, vltra quem non ampliùs vir. *que si se humillarà y abatierà mas, no fuera ya hombre, llegò a lo que vna humildad pudo llegar, de manera que no se compadecia mas* *Isa.53.3.*

A *humildad con ser hombre.* Quia, vt ait Apostolus: *Quoniam cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanuit, formam serui accipiens.* Nota *exinanuit, tanto se humiliò, que pareçe que se vacio a si mesmo*, quòd talem formam serui accepit. Hanc igitur formam serui accepit ibi Christus Dominus: sit ille benedictus in sæcula. *Phil.2.6.*

Nunc igitur ad nos ipsos veniamus, Miraris tantam in Christo humilitatem? miror ego in Christianis tantam adhuc vanitatem, & superbiam. Quid enim ampliùs fieri potuit ad humiliandum nos? quis post hoc exemplum adhuc superbus est, voca eum, non Christianum, sed Luciferianũ, quia sicut nullum remedium sufficit ad humiliandum Luciferum; sic nec ad illum humiliandum, &c. Refert S. Clemens Romanus, discipulus Sancti Petri, quòd Apostolus Petrus, quotiescumque de Christo Domino mentionem faciebat, lachrymabatur, recordatus huius lotionis pedum, in qua vidit Christum Dominum genuflexum coram se lauantem pedes eius, &c. Ideo tam humilis inde remansit, vt nec crucifigi ad similitudinem Christi fuerit passus; sic eum æstimauerat tanta humilitas Saluatoris. B

Perfecta humilitas est, ait Sanctus Chrysostomus, *si te excelsum per opera, & humilem per opinionem reddas.* Ita ille. Auget autem, & commendat humilitatem Christi hoc, quod, cùm per opinionem ipse necessariò se magnum, & sublimem agnosceret: Creator enim Angelorum, & Filius Dei erat; nihilominus tamen ita se nobis humilem exhibuit, ac si de se infimam omnium haberet opinionem. Quid igitur nos de nobis existimare decet, & quousque nos humiliare debemus, qui nos puluerem esse & peccatores cognoscimus?

Sanctus Bernardus serm. 1. in Epiph. Domini, *O humilitas* (inquit) *vertus Christi, quantum confundis superbiam nostræ vanitatis.* Ita ille. Vocat humilitatem virtutem Christi, ad differentiam Philosophorum moralium, qui se virtutum magistros profitebantur: docebant quidem illi virtutes morales, sed excepta humilitate, de qua ferè nihil funt locuti, imò nec humilitatis nomen attigerunt: honorem enim quærere, decorum, & rem homine dignam existimabant: at Christus Dominus ex professo, & instanter se huius virtutis magistrum exhibuit. Præterea, quia mirabilia huius virtutis exempla dedit à præsepio ad crucem vsque. C

Tetigimus exemplum illud lotionis pedum Apostolorum, sed aliquanto ampliùs illud expendamus. Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole*, &c. sed tamen nunc, dum Christum ad pedes Apostolorum, & maximè Iudæ, humiliatum videmus, rectè dicere valemus: Signum maius apparuit in terra, solem fulciet ad pedes piscatorum. Quid enim ita mirum, quòd mulier in cœlo existens, amicta sit sole, & quòd sub pedibus eius luna sit? hoc tamen mirabile magis, quòd ipse sol iustitiæ, ipse Deus cœli, pedes hominum lauet, & præcipuè proditoris, & eius manus sub pedibus eius collocentur. Sic Eliu sapiens amicus Iob: *Ecce Deus noster vincens scientiam nostram.* Si ita magnus, quid mirum, quòd vincat scientiam nostram parua? hoc autem maiori admiratione dignum est, quòd ita se paruum Deus exhibeat, vt Iudæ pedes lauet, dicere quis posset modò: Ecce Deus paruus, vincens scientiam nostram. mirabilius est Deum operari humilia, quàm excelsa: excelsum enim decet, mira & excelsa operari, &c. D *Verſ.1.* *Iob 36.26*

Luc. 7. mirabatur Pharisæus, quòd, cùm Christus Propheta diceretur, sineret Magdalenam lauare pedes suos lachrymis suis, cùm quidem miram Magdalenæ deuotionem potiùs admirari debuisset. Nam ex lachrymis aquam, ex oculis peluim, ex capillis linteum, & ex

& ex corde sacrificium faciebat; & tamen cùm nihil aliud quàm prophetam Christum esse senserit, nimiam dignationem illlam iudicauit: *Hic si esset propheta* (inquit) *Vers. 39. sciret, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Quid, quæso, diceret hic, si nosset, Christum esse Deum, & videret eum lauantem pedes proditoris sui?

Vers. 45. Cant. 1. sic ad Christum sponsa: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, ecce tu pulcher es.* Cur bis eum pulchrum dicit? Sanct. Bernard. serm. 45. in Cant. *Quàm pulcher es Angelis tuis, Domine Iesu, in forma Dei; sed quàm mihi decorus es in ipsa depositione decoris? Etenim vbi te exinaniisti, ibi pietas magis enituit, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiauit, cadit fastus, vbi inualescit affectus.* Ita Sanct. Bern. Amor igitur vehemens in nos, fecit illum cadere ad pedes nostros.

Sed tamen aliam ibi Christus Dominus addidit causam, dicens: *Exemplum dedi vobis.* O vtinam, Domine, hanc humilitatis lectionem omnes, qui tuos nos esse discipulos profitemur, addiscamus, & opere exerceamus. Plus enim tu supra modum sic docendo effecisti, quàm nos omnes ita addiscendo, & præstando efficere valemus, &c.

Hinc Petrus Apostolus videns coram se Christum Dominum genu flexum, & volentem lauare pedes eius, obstupuit: *Videns diuinitatem incarnatam* (ait S. Augustin. epist. 28. ad Fratres in eremo) *incuruatam ante se, expauit, & exhorruit.* Ita ille. Quin & Sanct. Laurent. Iustin. ait, quòd Petrus per cœnaculum, velut insensatus, cucurrit, exclamans: Non lauabis mihi pedes in æternum. humilitas faciebat hoc in Petro, humilitatem iam addiscente ex humilitate Christi.

Vers. 28. Ponderauit S. Chrysostom. quòd Matth. 14. videns Petrus Dominum ambulantem super mare, dixit: *Domine, si tu es, itabe me venire ad te super aquas, mandadme vos Señor, que yo me arroje en la mar, que por mas onda, que no temere, porque vuestro mandarle me hará seguro en el.* Nunc autem iubente Domino ei mittere pedem in peluim, vbi vix erant quatuor digitorum aquæ, iam submergi, & suffocari videtur, *el que no temia ahogarse en alto mar mandando se lo Dios, aora que se lo manda el mismo Dios, que ponga el pie en la bacia, se ahoga en dos dedos de agua.* Ratio huius est, quia tunc Christus Dominus munus Domini exercebat, iubens mari ne demergeret Petrum: nunc verò in lotione pedum, Christus Dominus vices ferui gerebat, tunc fatagebat Petrus ad pedes Domini currere, & eos adorare; nunc autem vides Dominum lauare volentem pedes eius; reuerentia ergo, & humilitas eum nunc timere, & obstupescere fecerunt.

Sicut cùm Christus Dominus baptizari voluit à Ioanne Baptista, dixitei Ioannes: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? quomodo,* (inquit Sanct. Bernardus serm. 1. in Epiph.) *non humiliaretur homo coram humili Deo?* Ita ille. *Matth. 3. 14.*

Eximia fuit humilitas Christi, quam tempore natiuitatis suæ nobis in exemplum exhibuit. Quid enim humilius, quàm Deum in stabulo nasci, & in præsepio reclinari? *Denique est iste?* ait Sanct. Bernard. serm. 1. de Epiph. *Deus quidem in templo sancto suo, Deus in cœlo sedes eius: iste verò in stabulo vilt, in matris gremio. Vbi aula regia? vbi thronus? vbi curiæ regalis frequentia? Nunquid aula est stabulum, thronus, præsepium, & curiæ regalis frequentia, Maria & Ioseph?* Magna quidem humilitas Christi hic relucet, sed in circumcisione adhuc maior; nam in natiuitate humiliauit se Christus Dominus vsque ad formam hominis pauperis, & abiecti, sed in circumcisione vsque ad formam hominis peccatoris. Quod ita Sanct. Bernard. expendit in serm. 1. de Circumcisione Domini: *Audiuimus verbum abbreuiatum in carne, sed amplius abbreuiatum suscepta carnis circumcisione. Minoratus paulo minùs ab Angelis Dei filius, humanam induit naturam; sed tam nec ipsum respuens remedium humanæ corruptionis, planè multo minoratus est ab eis. Ad quid Domine tibi circumcisio necessaria, qui peccatum non commisisti nec contraxisti? Quòd ipse non fecerit, atas manifestat, quòd non contraxerit, multo certius probat Patris diuinitas, integritas Matris. Quare nec vestigium vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris Christus? Non sic impij, non sic, non sic agit peruersitas elevationis humanæ, erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus etiam interdum gloriamur. Quem nemo arguere potest de peccato, ipse peccati remedium, & verecundiam pertulit, & auiserum, sine vlla necessitate suscepit; nos e contra inuerecundi ad culpam, erubescimus agere pœnitentiam, quod extremæ dementiæ est, male proni in vulnera, pœnas in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus est, se peccatorem reputari, nos & esse volumus, & nolumus æstimari. Itáne sano opus est medicina, & non potius male habentibus? Inde verò itane, medicamine egeat non ager, sed medicus ipse. Sed quidnis suscipere humilis Christus? quidni obmutescere coram circuncidente, qui coram tondente obmutuit, coram crucifigente siluit?* Ita S. Bernard.

Simili modo in baptismo Ioannis humilem se nimis Christus Dominus demonstrauit, quod rectè idem Sanctus ponderauit, serm. 1. de Epiphan. dicens: *Cùm iam Christus triginta annorum tempus exegisset in arne, qui secundùm diuinitatem idem ipse est, & anni eius non deficiunt, inter populares turbas ad baptismum Ioannis aduenit, tanquam vnus è populo, qui solus erat sine peccato: quis eum tunc crederet filium Dei? quis putaret Dominum maiestatis. Baptizari vis, Domine Iesu, vt quid enim? aut quid tibi baptismate opus fuit? Nunquid sano opus est medicina? aut mundatione mundo? Vnde tibi peccatum, vt baptisma necessarium sit? quam maculam habere potest Agnus sine macula?* Ego (*inquit ad eum Ioannes*) *à te debeo baptizari,* & tu venis ad me? *Magna vtrinque humilitas, sed nulla comparatio: quomodo enim non humiliaretur homo coram humili Deo?* Ita Sanctus Bernardus. Vbi obseruandum est, quòd, sicut nihil à Deo alienum magis quàm peccatum nihilque vilius, aut peius, quàm peccatum; sic nulla est maior humiliatio, quàm innocentem vsque ad similitudinem peccatoris humiliari. Ad hoc igitur se deijcit pro nobis, nostroque exemplo Dominus maiestatis: pudeat nos superbos esse coram humili Christo Domino. admiraris tu humilitatem Dei, miror ego superbiam tuam coram tam humili Deo, &c.

Idem Sanctus Bernardus serm. 1. de Epiphan. ponderat silentium Christi, qui cùm Verbum esset Patris, nullum ferè verbum eius vsque ad trigesimum annum referunt Euangelistæ: ait ergo Sanctus Bernard. agens cum Christo iam trigesimum annum agente: *Quousque siles, Domine Iesu? quousque dissimulas? Diu tacuisti, & valde diu. Quamdiu virtus, & Dei sapientia, quasi infirmus aliquis, & insipiens in populo lates? quamdiu nobilis rex, & rex cœli, fabri filium te pateris appellari, pariter & putari? Etenim Lucas Euangelista testatur, quoniam adhuc filius Ioseph putabatur. O humilitas, virtus Christi, quantum confundis superbiam nostra vanitatis? Parum aliquid scio, vel magis scire mihi videor, & iam silere non possum, impudenter me & imprudenter ingerens, & ostentans, prouptulus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Christus cùm tanto tempore silebat, cùm seipsum abscondebat, nunquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui est vera Patris gloria? Vtique timebat, sed non sibi, nobis timebat ab illa, quibus nouerat esse timendum, nobis cauebat, nos instruebat, tacebat ore, & instruebat opere, & quod posteà docuit verbo, iam clamabat exemplo:* Discite à me, *Matt. 11.* quia mitis sum, & humilis corde. Ita Sanctus Bernar- 29. dus.

Cùm Babylon illa vrbs celeberrima, in sinu pacis posita, magnâ gloriâ, eximiâ potentiâ, florentissimis suis rebus, & prosperæ fortunæ flatu frueretur, referta nobilibus viris, diuitibus, & in magna indulgentia educa-

educatis,multum temporis conuiuijs, muſicæ,& lu- A
dis impendens, fortiſſimis muris circumdata , multis
occupata oblectationibus,cùm ſumma denique rerum
omnium in proſperitate eſſet, vidit Iſaias Propheta
currum militarem,& potentem, quo duo inuicti prin-
cipes vehebantur,ſtrenuo,& confidenti animo , vt Ba-
bylonem depopularentur , celebrata idola euerterent,
fortiſſima mœnia ſolo æquarent , muſica inſtrumenta
ex eorum manibus eriperent , & cunctas facultates è
domibus exportarent. Quod quidem in tantam admi-
rationem rapuit Prophetam,vt exclamare,& dicere in-
cœperit:*Emarcuit cor meum,tenebræ obruerunt me, Babylon*
21.4. *mihi dilecta , poſita eſt in miraculum.* Qui fieri poteſt,vt
principes tam potentes reperiantur,qui ita Babylonem
illam tam munitam , tam opulentam , tamque poten-
tem,diripere, & exſcindere poſſint ? tam citò decidit
eius præſtantia , & proſtrata eſt eius potentia ? Sed &
aliud multò maioris admirationis narrandum nobis,cùm
terrarum orbis factus eſſet Babyloniæ ſimilis, cùm ho-
mines pecuniam, honorem , indulgentiam , tanquam B
deos colerent, cùm magis lautis conuiuijs,arrogantiâ,
& rebus caducis in ſuprema ſua felicitate delcctaren-
tur; tandem vidit Zacharias propheta inuictiſſimum
Principem venientem ad vrbem deſtruendam, reform-
mantem omnes eius vanitates , ſolo etiam idola adæ-
quantem,multò tamen aliter , quàm vidit Iſaias Cy-
rum & Darium ſuper Babylonem. Ibi enim veniebant
duo illi Principes in curru falcato,magnis copijs, om-
nibus armis inſtructi , magna bellicarum rerum com-
parationc,& apparatu: hìc autem Zacharias vidit hunc
in aſello ſedentem magna animi ſubmiſſione, & man-
ſuetudine. & quamuis hoc modo veniret, affirmat ta-
men eum venire, vt excelſam hanc Babylonem diſtur-
bet,& vt ex ea cœleſtem efficiat Hierulalem. Vidit
ergo Zacharias id , quod nobis refert in Euangelio D.
Matthæus Apoſtolus : aſſeruit enim cœli principem
triumphantem ingreſſum eſſe Hieruſalem,& ſedentem
ſuper aſinam ; ſed ne dubitemus hunc eſſe, quem vi- C
v.21. dit Zacharias,dixit : *Hoc autem factum eſt , vt adimpleretur,quod dictum eſt per Prophetam , dicentem : Dicite filiæ Sion*,&c.

Sed videamus ſi venit ad diſturbandam Babylo-
nem,& ad eius idola,& vanitates euertendas,cur venit
tam pauper,tam manſuetus,& humilis,& ſine vlla ma-
gnificentia , aut belli apparatu ? Vbi ſunt militum
exercitus ? vbi ſunt baliſtæ , & colubrinæ ? vbi haſtæ,
cæteraque inſtrumenta bellica ? quomodo ineundum
eſt prælium ? ſpecies quidem non eius eſt , qui ad pu-
gnandum,ſed eius potiùs,qui ad pacem conſtituendam
veniat. Sed iſta ipſa pax,bellum,& iſta animi ſubmiſſio,
humanis rebus vaſtitatem infert: Deus enim his rebus
vincit, quibus vincere non poſſe videtur. Iam memi-
niſſe debetis prodigioſæ illius ſtatuæ , quam alter Ba-
bylonis Imperator vidit in ſomnijs, quæ cùm ex qua-
druplici metallo duriſſimo cóſecta eſſet, auro ſcilicet,
9.2. argento, ferro, & ære ; ſalis vnus ex montis culmine D
euulſus,eam confregit,atque comminuit. Non mons
integer decidit , ſed vnus dumtaxat lapillus ex monte
lapſus eſt,iſq́ue ſatis fuit ad eam comminuendam , at-
que conterẽdam,atque adeo ſatis ,vt referat Scriptura:
f.35. *Contrita ſunt omnia,& redacta quaſi in paullam aſtiuæ areæ,quæ raptæ ſunt à vento.* Quid?vnus tantùm lapis po-
tuit efficere ? Quæ erat ſtatua illa ? Vt ait propheta, ſi-
gnificabat quatuor imperia potentiſſima,quorum ſum-
ma poteſtas,vno tamen ſolo lapidis ictu fracta omnino
eſt,atque labefactata, non bellicis tormentis , aut ſul-
phureo puluere percuſſa , ſed vnius tantùm lapidis ictu
concidit. Qualis igitur eſt lapis iſte tam paruus, qui ſa-
xum non dicitur,& tam durus,ac potens , qui ſumma
quatuor orbis terrarum imperia,ac dominatus ſuſtulit,
& extinxit ? S. Auguſt. Tract. 9. in Ioannem,& cum eo
omnes ſacri Scriptores affirmant, vaticinium hoc ma-

nifeſtè dici de Chriſto Domino, quem Scriptura pe-
tram renuncupat; petra autem erat Chriſtus, & ipſe in
vigeſimo primo capite D. Matthæi expoſuit de ſeipſo *Matt.21.*
locum ex Pſalmo cẽteſimo decimoſeptimo: *Lapis quem* 42.
reprobaverunt ædificantes , hic factus eſt in caput anguli. La- *Pſ.117.*
pillus hic tam paruus ſpecie , hic,inquam , qui tanta 22.
manſuetudine,& animi ſubmiſſione procedit , eſt ille,
qui vniuerſam hanc humanam Babylonem , vnà cum
eius magnificentia,& arrogantia depreſſit,euertit , at-
que omnino proſtrauit. Non videtis effectum hoc eſſe
poſt Chriſtum ? Nunquam homines aliquid de animi
ſubmiſſione cognouerunt,donec Chriſtus ſuæ humili-
tatis exemplo eos ſubiecit. Poſtquam autem illi Deum
ipſum obedientem,& factum humilem viderunt , eos
grauiter magnæ ſuæ infolentiæ pudere cœpit, & altiſ-
ſimum honoris idolum à ſe inter alia multa erectum,
deturbare cœperunt.

Non perpenditis,quàm multi viri ſanctiſſimi extent
in hac Chriſtiana Eccleſia , qui viuentes adhuc inter
homines,& ſapientiſſimi (etſi ſapientia inflare ſoleat ſa-
pientes) cum magna ſapientia magnam coniunxerunt
animi ſubmiſſionem ? Non animaduertitis,quòd diui-
tes affluentes diuitijs multis (quamuis eos diuitiæ ina-
niter ſoleant efferre) magna animi humilitate manſue-
tum,& humilem Chriſtum ſequuti fuerint? Non vide-
tis,multos clariſſimis parentibus & regia ſtirpe natos,
qui(tametſi genere illuſtres ſæpe nimiùm ſibi arrogãt)
ſeipſos agnoſcentes proſtrauerunt,proſtratum , & hu-
milem ſanctiſſimum Dei filium contemplantes? Euol-
uite, quæſo, Euangeliſtarum hiſtorias,& eos libros, in
quibus Sanctorum facta,& dicta continẽtur,quos om-
nes his rebus aſperſos reperietis? Quis igitur eos reddi-
dit humiles ? Chriſtus ſcilicet,omnium ſemper humil-
limus. Poterat quidem eos miſſis de cœlo fulminibus
ſubijcere , atque deprimere , quod tamen diuino ſuo
exemplo præſtare voluit , quo triumphauit de mundi
vanitate,& aſello vectus,ingrediens , eos demiſit, qui
ſuperbis equis,& laureato curru vehuntur.

Præclaram ſanè, atque efficaciſſimam rationem in-
uenit,vt nos demitteret , atque proſterneret, ſeipſum
ſubmittendo,vt noſtros animos,ſuperbiâ elatos , fran-
geret,atque deprimeret. Idonea profectò ratio eſt,cùm
nos noſtræ infolentiæ causâ ſuppliciо aliquo afficit.
Poteſt enim Deus ſuperbum quemuis hominem om-
nino deprimere , eum in lecto dolore aliquo premens,
aut febri afficiens, quò eius vitâ in magnum diſcrimen
adductâ,ſeipſum conſideret,atque agnoſcat hominem
eſſe , & breui in puluerem conuertendum , & audiat
vocem dicentem ſibi intus in corde : Quid ſuperbis
terra,puluis & cinis ? præſtantior verò ratio eſt , at-
que multò efficacior , Deum ipſum humilem pro no-
bis , & abiectum videre , vt eius exemplo nos etiam
humiles præbeamus,quam aut mortis multiplicis, aut
pulueris , in quem conuertendi ſumus , aſſidua con-
templatio. Longè enim mirabilius eſt. Summam Dei
potentiam , humilem,& abiectam videre, quàm eum,
qui ex puluere ſit , in ſublime efferri. Vnde non mi-
rum,ſi humilitas Dei deprimat , & vincat ſuperbiam
noſtram.

Litteris eſt proditum, Alexandrum Magnum, Ma-
cedoniæ Regem,ſæpè à ſuis adulatoribus Iouis filium
eſſe appellatum. Accidit , vt quodam in prælio ſagittâ
grauiter ille percuſſus fuerit,cùmque magnum grauiſ-
ſimi vulneris dolorem ſentiret,dixit adulatoribus ſuis:
Vos me filium Dei ſæpe nuncupatis, hoc autẽ vulnus
apertè demonſtrat,me,vt quemuis alium,hominem eſ-
ſe,& mortalis hominis filium. Eum vnius ſagittæ vul-
nus ab errore ille liberauit, ſubmiſit , atque depreſſit:
nobis autem nulla eſt tam penetrabilis ſagitta,quæ nos
magis ad veram noſtri cognitionem, & ad ſubmiſſio-
nem impellat , quàm humilem, & ſubmiſſam videre,
ſummi , & altiſſimi Dei magnitudinem. Cuius non

frangat animum, quamuis durum, & magnâ superbiâ elatum, cùm videt se superbo, & pulcherrimè ornato eaque vehi, si Christum in triumpho super asinum sedentem intimo animo inciperet contemplari? quem hominem bombycinis vestibus ornatum non demittet, cùm aspiceret sanctissimum Dei Filium pauperrimis vestibus indutum in die triumphi, laceratas, & erasas discipulorum vestes pro ornatu accipere?

Hebr. 11. 1

Volebat D. Paulus Apostolus populi Hebræi animos confirmare, vt labores patienter ferrent, quibus sic est locutus: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.* Anselmus sic explicat: Proposito sibi à turbis gaudio, dum vellent eum facere Regem, noluit illud suscipere, sed sustinuit postmodum crucem, & illusiones, & opprobria, contemnens omnem humanam verecundiam. Hinc igitur efficiebat D. Paulus, vt nos videntes quàm libenti animo omnes Christus labores amplectatur, eosdem etiam libentissimè excipiamus. Idem argumentum efficitur de animi submissione: cùm enim ille se submisserit, atque humilem ostenderit, regnaque neglexerit, non est rationi consentaneum, vt nos regna, atque imperia expectemus. Et si tot ille, tantasque illusiones, contemptus, & opprobria, quæ summo cum dolore in cruce pertulit, parui ducenda putauit, æquum est etiam, vt nos contemptiones, atque contumelias prorsus contemnamus. Hoc argumentum illud est, quo Christus Dominus illo supremæ cœnæ die voluit discipulos suos conuincere, vt se alij cum alijs submisse gererent, & inter se pedes lauarent: *Si ego,* inquit, *Dominus & magister, laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

Ioan. 13. 2 34.

Nullum vnquam Aristoteles in suis Topicis, neque Tullius in arte dicendi, firmius argumentum ad concludendum fecerunt. Tu, Domine sanctissime, humilis, & ego superbus? Tu Deus quem Seraphim reuerentur in cœlis, in terra abiectus iaces, atque prostratus, & ego in ea obseruari ab omnibus, & magno honore affici cupio, qui sempiternis pœnis essem magis addicendus?

Si vna dumtaxat D. Francisci animi submissio, aut cuiusuis ex multis, qui se valde submisse gesserunt, satis est, vt eorum exemplo prosternamur, cùm sint etiam homines similes nobis; quare nos non subijcit, atque prosternit, sanctissimum Dei Filium tam humilem, atque submissum videre, cùm sit Patri suo diuinitate æqualis? *Humiliauit se* Christus, *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illi*; demittite ergo vos, vt iniuriam patiamini circa res caducas, & vanas, omnesque falsæ gloriæ vmbras relinquatis, & Deus vos etiam in excelso, ac sublimi cœlestis vitæ gradu in perpetuum constituet, atque collocabit, &c.

Et erat subditus illis, &c. Hunc locum sic expendit. Sanctus Bernardus, *Erat* (inquit) *subditus illis. quis? quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt, subditus erat Mariæ, nec tantùm Mariæ, sed etiam Ioseph propter Mariam. Mirare vtrumlibet, & el ge quid mireris amplius, siue filij benignissimam dignationem, siue matris excellentissimam dignitatem, vtrumque stupor, vtrumque miraculum, & quod Deus fœminæ obtemperet, humilitas absque exemplo, & quod Deo fœmina præcipetur, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur, quòd sequuntur agnum quòcumque ierit; quibus ergo laudibus indicas dignam, quæ etiam præit? Disce homo obedire, disce terra subdi, disce puluis obtemperare. De auctore tuo loquens Euangelista: Et erat, inquit, subditis illis, haud dubium, quin Mariæ & Ioseph. Erubescat superbe cinis, Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis authori. Si hominis, ô homo, imitari dedignaris exemplum, certe non erit indignum sequi authorem tuum. Si non potes sequi forsitan quòcumque ierit, dignare sequi vel quò tibi condescendit.* Ita Sanctus Bernardus.

A

Luc. 2. 51. Hom. 1. super Missus est.

Magna & admiranda sunt exempla humilitatis Domini nostri Iesu Christi, quæ & huius virtutis vtilitatem & necessitatem nobis manifestant; & exemplo tanti Domini nos humiles esse cogunt: inter quæ non infimum locum tenet ablutio pedum discipulorum suorum, quod ita expendit S. Cyprianus de ablutione pedum: Lauit mulier peccatrix pedes Christi, cuius deuotio vsa est capillis pro linteo, oculis pro catino, lacrymis pro baptismo, tetigit, adorauit, lauit, & vnxit vnguento, & mactata intrinsecùs anima proprium in sacrificium sanguinem intulit, & singula eius suum præbuere ministerium, cor contritum erupit in lacrymas, fides lauit, charitas vnxit. Hæc multa in conspectu Christi congerens holocausta, de fonte cordis fletus B hausit, de pyxide pœnitentiæ obtulit vnguenta illa, caput pro suppedaneo strauit, crinibus circumfusis, pedes terfsit sacros. Honor tuus Deus iudicium diligit, & æquum est, vt omnis terra adoret te, & in nomine tuo omne genu flectatur. Verùm quòd tu ante figmentum tuum curuaris, quòd seruorum pedes abluis, mirantur & pauent discipuli, nec obloqui audent, & quasi ecstasis teneat eos, vel mens aliàs rapta peregrinentur, nec magistro resistere, neque quid hoc sit, vel cur fiat, inquirunt. Solus Petrus, qui testimonium perhiberat, *quia tu es Filius Dei viui*, iudicans apud se indignum, & inconueniens, Sanctum Sanctorum flectere genua ad pedes peccatorum; *Non*, inquit, *lauabis mihi pedes in æternum*, nos sumus qui adorare debemus locum vbi fleterunt pedes tui: te autem lauare pedes nostros non videtur competere maiestati, sed tamen quod docet, ipse facit, vt quanti quæstus hoc opus sit, ex tua bonitate discamus, & inclinata ad pedes nostros altitudine tua, stans aduersùs proximos, & erigens se contra Deum hominum superbia, confundatur, & ad humilitatem Dei nouerit de se humilia sapere lutum. Vnde & subiunxit: *Si ego Dominus & magister, laui pedes vestros & vos debetis alter alterius lauare pedes: exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*, non erubescat facere seruus, quod priùs Dominus fecit. Ita S. Cyprianus.

Matt. 16. 8.

Ioan. 13. 6.

C

Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Promissus quidem fuit nobis Christus Dominus in magistrum, vti constat ex Isaia, *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*, &c. & quamuis omnium virtutum magister extitit nobis, & præceptor; speciali tamen ratione humilitatis præceptor esse voluit. Vnde in vltima cœna, postquam Apostolorum pedes lauit, dixit ad ipsos: *Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim, & ergo ego Dominus & Magister, & laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pedes*, hoc est, in hoc vobis præceptor esse volo, in virtute, scilicet humilitatis, cuius actus insignis fuit lotio illa pedum.

Matt. 11. 29. Cap. 30. 20.

Isaiæ 54. 13.

D

Hinc est, quòd in Natiuitatis Christi nocte Angelus, qui pastoribus Christi natiuitatem annunciauit, *Hoc*, inquit, *vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* signumne hoc filij Dei nati? ex huiusmodi signo potiùs occultandus, quàm manifestandus Christus Dominus videbatur: quale igitur signum hoc ad Christū dignoscendum? non incongruè. id præstaret dicendo: quem in tali loco seu gymnasio de hac vel illa re disputantem reperies, ille quidem est, quem quæris; Angelus verò, cùm præceptorem illum, quem venturum prædixerat Isaias, veniſſe iam nunciaret, & signum pastoribus dare vellet, quo eum agnoscere valerent, hoc, inquit, vobis signum, inuenietis in-

Luc. 2. 12.

tis infantem humillimis pannis inuolutum, & positum in humili viliáque præsepio, quali dicat, quia præceptor humilitatis illi venit, inuenietis eum in cathedra illa humili præsepij, de humilitatis materia disserentem, disserentem, inquam, non verbis, sed operibus ipsis: non enim verbis tantùm magisterium suum implet, sed operibus potiùs. *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum, & humilis corde*, non ait, quia humilitatem verbis doceo, sed quia humilis ex corde sum, &c.

Quisigitur tanti magistri discipulus esse renuet? *Descende* (ait Dauid) *in præcepto quod mandasti & synagoga populorum circumdabit te.* Vbi S. Augustinus: *Hoc est, quia humilitatem præcepisti, humilis appare, & tu prior imple, quod præcepisti: vt exemplo tuo vincentes superbiam, non possideantur à diabolo, qui aduersùs præcepta tua superbiam persuasit, dicens: Manducate, & aperientur vobis oculi, & eritis tanquam Dij, & sic credentium multitudo per eius humilitatem circumdedit eum.* Ita S. Augustinus. Dices, quomodo circumdedit eum: Manifestum est, circumdedit eum eius humilitatem imitans: quis enim eorum, qui fidem Christi Domini tenent, superbire audeat, Dominum, in quem credit, sic humilem aspiciendo, &c.

PROP. XXVIII. *Fides, & humilitas nostra æqualis cum ceteris nos ad humilitatem deuincit.*

SAnctus Chrysostom. homil. 39. *Cùm Paulus Romanis verba faceret, qui velut in fastigio quodam vniuersæ terræ constituti erant, nihilo amplius tribuit, quàm reliquis gentibus: ait enim:* Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum ad obedientiam fidei in omnibus gentibus, in quibus estis vos; *quamuis tunc dominarentur ipsi in spiritualibus, nihil illos amplius reliquis habere, ait, sed sicut aliis gentibus prædicamus, ita & vobis Scythis, ac Thracibus, eos recensens, quandoquidem nisi hoc significare voluisset, hoc dicere superuacaneum fuisset, quorum de numero estis vos vocati. Hoc autem dicit, eorum factum deijciens, & inanem mentis turgiditatem euacuans, eosque docens æqualitatem erga alios seruare, quorum de numero estis vos vocati: ac si dicat, cum quibus estis: & vos neque sanè dixit, alios vobiscum, sed vos vnà cum aliis vocauit: si enim in Christo Iesu non est seruum, neque liber, multò magis neque rex, neque priuatus. Etenim ait etiam: Vos estis vocati, non per vos ipsi aduenistis. Vnde & subdit Paulus:* Omnibus, qui Romæ estis, dilectis Dei, vocatis sanctis, gratia vobis, & pax. *Verisimile quidem erat, inter eos, qui iam in Christum credebant, esse aliquos magnates, Consules, & Præsides prouinciæ, & pauperes, item & priuatos: abijciens ergo, & repudians dignitatum inæqualitatem, vna omnes appellatione, & saluatione dignatur. Quòd si in hu, quæ magis necessaria sunt, quæque ad spiritum pertinent, communia cuncta, tum seruis, tum liberis, proposita sunt, quod genus sunt, charitas, vocatio, Euangelium, adoptio Dei in filios, gratia, pax, sanctificatio, & alia huiusmodi, qualis erit dementia, quos Deus copulauerit, æquales in maioribus effectos, hos distinguere à terrenis negotijs? Eapropter Paulus ab ipso proœmio, periculosum hunc illorum morbum expellens, ad bonorum omnium matrem humilitatem hortatur, & hoc ipso seruos meliores efficiebat, dum edocerentur, quòd è seruitute nihil acceperent detrimenti, vt qui libertatem eam, quæ vera sit, adepti essent, & hoc etiam ipso dominos ad modestiam componebat, dum discerent, quòd nihil emolumenti ab ipsa libertate habituri essent, nisi quæ ad fidem spectant, præcelsissent.* Ita Sanctus Chrysostomus.

PROP. XXIX. *Quòd peccata nostra nos humiliare debent.*

SAnctus Chrysostomus homil. 38. *Nolimus extolli sed nos inutiles dicamus, vt vtiles efficiamur: nam si te quidem dixeris probabilem, licet probabilis existas, inutilis factus es; si verò te inutilem iudicaueris, & dixeris, factus es vtilis, licèt improbandus sit. propterea meritorum obliuisci opus est.* Chrysost.

At, inquies, quomodo possumus nescire, quæ scimus. Quid ais? continuò Dominum offendis, & rides, & nescis, quòd peccasti, & demerita obliuioni tradis, meritorum verò memoriam extrudere non potes? licèt res fortior metus sit, quotidiè offendentes: non aduertimus: si verò pauperi modicum quid dederimus, sursum & deorsum circumuoluimus. Tutus est meritorum penus, obliuio meritorum, & sicut cùm vestes, & aurum in foro exponimus, multos prouocamus insidiatores; si verò domi deponamus, & celemus, in tuto sunt omnia; ita & merita: si vsquiter mente gestemus, Dominum irritamus, armamus inimicum, & ad furtum vocamus: si verò nemo ipsa sciat, nisi quem scire solum oportet, in tuto erunt. Caue igitur, ne quod Pharisæus passus est, & ipse patiaris, qui linguâ circumferebat merita sua: vnde diabolus ea rapuit, licèt eorum, cum gratiarum actione, memoriam faceret, & Deo totum attribueret: sed neque hoc ei suffecit. Vis gratiarum actionis rationem discere? tres audi pueros dicentes: Peccauimus, iniquitatem fecimus, iustus es Domine in omnibus, quæ fecisti nobis, quoniam in vero iudicio omnia induxisti. Sententia. Dan. 3. 29.

Itaque propria confiteri peccata, est agere Deo gratias. Caueamus ergo nos ipsos laudare: hoc enim & omnibus odiosos, & Deo abominabiles reddit: & quanto maiora præstitimus, tantò minora dicamus: sic enim gloriam assequemur magnam, & apud homines, & apud Deum, & non solùm gloriam apud Deum, sed & mercedem, & maguam retributionem. Nam & nos seruos habentes, maximè tunc eos acceptos habemus, cùm, postquam omnia benevolè ministrauerint, nihil se magnum censent effecisse. Sic Centurio dicebat: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus: *& propterea dignus factus est, & admirabilis super omnes Iudæos. Sic & Paulus dicens:* Non sum dignus vocari Apostolus, *& propter hoc omnium primus factus est: itidem & Ioannes:* Non sum, inquit, dignus vt soluam corrigiam calceamenti eius, *& ideo amicus fuit sponsi, & manum, quam calceamento dixit indignam, hanc super caput suum Christus attraxit. Sic & Petrus dicebat:* Exi à me Domine, quia peccator homo sum, *& idcirco factus est Ecclesiæ fundamentum. Nihil enim Deo tam gratum, quam cum extremis peccatoribus seipsum connumerare.* Ita S. Chrysost. Matt. 8. 8. 1. Cor. 15. 9. Ioan. 1. 35. Luc. 5. 8.

PROP. XXX. *Humilitas non est, peccatorem se fateri, cùm peccator quis est.*

NVlla humilitas est, vt, cùm peccator sis, peccatorem te opineris: humilitas enim est, quoties quispiam rerum sibi præclararum conscius, nihil magni de se ipso existimat. Quoties quis Paulo similis dicere iure suo potest: Nullius mihi ipse sum conscius: & tamen dicit, non in hoc iustificatus sum. Et Christus Iesus venit peccatores saluare, quorum primus sum ego. Hoc est humilitas, si te excelsum per virtutum officia, humilem per opinionem reddas. S. Chrysostomus de incomprehensibili Dei natura hom. 5. 2. Cor. 4.

PROP. XXXI. *In diuinis fauoribus homo se debet humiliare.*

SVnt, qui se sanctos & perfectos credant, eò quòd fauore aliquo diuino sint affecti, vel boni aliquid perpetrarint. Quidnam (ait Sanct. Gregor. 22. Moral. 6.) *dum boni aliquid faciunt, iniquitatum suarum protinus obli-* S. Greg.

obliuiscuntur, atque eò iam se sanctos existimant; quòd peccatorum suorum memoriam declinant. Ita ille. Sicut ergo fluuiorum magnitudinem, non inde æstimare solemus, quòd aliquando, verbi gratiâ, ex imbrium abundantia, vt alia huiusmodi causa copiam deferant aquæ magnam, sed ex assueto, & ordinario profluuio suo; sic sanctitatem nostram non ex inusitato aliquo Dei fauore, nec ex aliquo singulari beneficio, sed ex vitæ cursu ordinario censurare debemus. Ideo si aliquando cum lacrymis oras, ne inde extollaris, sciens cordis tui ariditatem assiduam: dedisti eleemosynam, recodare, quoties pauperes sine eleemosyna remisisti, &c. Vnde meritò Seneca: *Etiam obliuisci quis fis, expedit aliquando.*

Simile.

Seneca.

Quòd si assiduis bonis operibus vaces, neque ideo extollere te decet, sed attendere qualis esses, si diuino esses auxilio destitutus. hoc sæpè animaduertens Sanct. Francisc. dicere solebat, le omnium peccatorum maximum esse; interrogatus verò à socio quinam id veritate affirmare posset: *Quia (inquit) si diuinis fauoribus mihi non succurreret exhibitis orbarer, omnibus existerem peior.* quam quidem considerationem præ se tulisse videtur Sanct. Paul. 1. ad Tim. 1. *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum,* id est, maximus. non ait, fui, sed *sum,* de præsenti, quia gratiæ tribuebat, quod erat: *Gratia,* inquit, *Dei sum, id quod sum,* vnde si alij eâdem gratiâ, quâ ego, præditi essent, melius, quàm ego, Deo seruirent, quare omnium peccatorum ego sum primus. Sic nos igitur æstimare debemus, ex nobis miserrimi omnium, ex gratia Dei, sumus id quod sumus, si aliquid sumus.

S. Franc.

1. Tim. 1. 15.

1. Cor 15. 10.

Prop. XXXII. *Quàm vtiles sint humiles reipublicæ.*

Sic in suo cantico mater Samuelis 1. Reg. 2. *Domini sunt cardines orbis terræ, & posuit super eos orbem.* Quinam sunt hi cardines orbis terræ? Sanct. Hieron. lib. de quæst. Hebraic. in lib. 1. Reg. *Hebræi,* (inquit) *pauperes spiritu, & humiles corde intelligunt: super quos Dominus orbem posuisse dicitur, quia eorum meritis terram stare autumant.* Ita Sanct. Hieron. & quidem textui congruit hæc explicatio: dixerat enim immediatè ante: *Suscitat* Dominus *de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem,* &c. Congruit etiam metaphoræ cardinum: cardo enim est infimum in ianuis, & super eum porta sustinetur; sic humiles in vltimo consistunt loco; sed tamen adeo grati sunt Deo, vt speciatim eorum causâ orbem sustineat, & faueat ei: ideo ait, *& posuit super eos orbem.*

1. Reg. 2. 8.

S. Hier.

Ps. 112. 7.

Prop. XXXIII. *Difficile est humilitatem addiscere.*

Discite à me. Nũ est mediocre quod dicitò discite: & addidit: A me discite. *Non facilè potest quisquam humilitatem docere inflatus, quamuis sit humanâ præditus sapientiâ, meus tamen inflatur, quam superbia carnis extollit. Et qui pauper tate contentus est, non est conteutus iniuria: & qui potest ferre verberum pœnas, exagitatur verberum contumelijs: & qui potest administrationem contemnere, dolet sibi aliquem honorificentia esse prælatum. Grande est in omnibus humilitatis tenere mensuram. Superbia hominem prima deiecit. Quapropter dum plus volumus, etiam quod minus est, solemus amittere.*

S. Ambr. in Psal. CXVIII. form 14.

Prop. XXXIV. *Quo quis, per virtutes Deo vicinior, eò & humilior.*

Vt arbores cùm multo fructu onustæ fuerint, inclinant ramos & eos plerumque fraugunt: qui autem ramus nullum habet fructum, attollitur in altum, & rectus assurgit, si autem (vt a multis expertum est) lapis appendatur, inclinetur que ne rectus assurgat, illico poma parit: sic anima nostra si humilietur, si tam fructus edit quantòque plures fructus attulerit, tantò magis humiliatur. Naiu viri sancti quanto ad Deum propius accesserint, tantò se iniquiores agnoscunt. Memini autem cum loqueremur aliquando de humilitate, & quidam ex Gaza principibus nos audiret istuc ipsum asserentes, obstupuisse eum, atque dixisse: hoc quomodo fieri posset ignorare se se, discere autem velle. Cui ego respondi: Dic (obsecro) Domine ac princeps, quem te habes inter conciues tuos? ad hæc ille: habeo me (inquit) vt nobilem & principem ciuitatis meæ. E contra ego: Si Cæsaream pergas, istic quem te habeas? Vtl. orem, ait, aliquantò principibus ciuitatis illius. Iterum: si Antiochiam abeas, quem te ibi existimes? Vt rusticum, inquit, quemdam. Si autem Byzantij sit apud regem, quem te reputes? vt pauperem (ait) quemdam & mendicum. Tunc ego ad eum versus: & sic, inquam, sese habent sanctæ virtutes: quò enim Deo propiores fiunt, eò se inferiores putant. Abraham enim cùm Dominum vidit, cinerem se vocauit & lutum.

S. Dorotheus Doctr. 2.

HYPOCRISIS.

Prop. 1. *Hypocrisis quantum displiceat Deo.*
2. *Contra hypocritas, qui publicè sanctè apparent, domi verò non tales sunt.*
3. *De peruersitate hypocritarum.*
4. *Quàm multa sint in mundo hypocrita.*
5. *Quàm falsus sit hypocrita.*
6. *Quàm contra rationem sit hypocrisis.*
7. *Aduersus eos qui vt hypocrisim fugiant, in publica incidunt vitia.*
8. *Quàm indecens sit virtutem propter gloriam mundi exercere.*
9. *Hypocrita non alium, sed seipsum decipit.*
10. *Hypocrisis quàm insanabile malum sit.*

Prop. I. *Hypocrisis quantùm displiceat Deo.*

Matth. 23. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum,* &c. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam, & anetum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis; intus autem pleni estis rapinâ, & immunditiâ.* Quid est, quòd hos hypocritas vocat Dominus, cùm ex eius verbis constet, hos esse transgressores legis diuinæ, raptores iniustos? cur eos solùm hypocritas vocat, & non latrones? Ratio huius est, quia cùm tales essent, peccatores scilicet & transgressores diuinæ legis; sancti censeri, & haberi volebant. Nescio quid deformitatis hoc habet, vt speciali quadam ratione ab huiusmodi hypocrisi eos voluerit denominari, adeo hypocrisim abominatur.

Vers. 25.

Ibid. 13.

Ibid. 23.

Sed quid mirum, quod hypocritas Deus abominetur, cùm diabolus peccatorum auidus, illos pariter abominetur? Audi, Actor. 19. Hebræi quidam videntes signa, quæ faciebat Paulus Apostolus super energumenos, *tentauerunt & ipsi inuocare nomen Domini Iesu super eos, qui habebant spiritus malos, dicentes. Adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat,* respondens autem *spiritus nequam dixit eis: Iesum noui, & Paulum scio, vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat demonium pessimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos ita vt nudi, & vul-*

Vers. 15.

& vulnerati effugerent de domo illa. Cur, quæso, dæmon ille eos inuasit, qui non contrarij, sed familiares eius erant: nimirum quia hypocritæ hi erant, cùm enim infideles essent, & in Iesum non crederent, discipulos Iesu se exhibebant, & more discipulorum Christi exorcismos faciebant. Id enim significauit dæmon, cùm dixit: *Qui estis vos?* ac si diceret? cùm fitis hostes Iesu, & Pauli, cur vos inter Christi & Pauli consortes annumeratis? adeo ergo inuisi sunt omnibus hypocritæ, vt vel ipsi dæmones eos abominentur. Quid igitur mirum, si Deus eos odio prosequatur?

Existimabunt fortè nonnulli vitium hypocrisis cum Scribis & Pharisæis cessasse, vtinam & apud nos modò non vigeret! vereor tamen multos in multis incurrere hypocrisis vitium: nam, hypocrisis est aliquod opus bonum præstare ob finem malum, v.g. ob vanam mundi gloriam, quod frequens esse potest, hoc autem meritò inuisum Deo est: nam vti ait Sanct. Augustinus: *Simulata aquitas non est aquitas, sed duplex iniquitas, quia iniquitas est, & simulatio.* Ita ille, v.g. qui ob vanam gloriam eleemosynam facit, vel orat, &c. superbus & hypocrita simul est, superbus ob vanam gloriam, hypocrita ob simulationem, *peccado de ados*, quare non immeritò illud Deus odio habet.

Hinc Christus Dominus Nathanaelem de simplicitate laudauit: *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est*, multa quidem laude digna habuisse Nathanaelem quis dubitat? speciatim tamen à simplicitate eum laudauit, quia specialem amorem erga simplices corde habet, & speciatim etiam odio prosequitur hypocritas, quia duplici corde sunt. Vnde Sanctus Augustinus de hac laude Nathanaelis agens, *Summa*, inquit, *hæc laus est, qua Nathanaelem Christus laudauit: nam fraudulenti mores sunt hominis illiberalis, & abiecti.* Ita ille. Abiectum & illiberalem hominem appellauit hominem hypocritam, seu fraudulentum. vnde non mirum, si Deo inuisus sit.

Hinc quando Iudas osculi signo tradidit eum fraudulenter, & dolosè, quæstus de illo dixit: *Iudæ, osculo filium hominis tradis?* non ait, filium hominis, hæc enim substantia delicti, & iniquitatis eius, sed quod sub osculi pallio, sub beneuolentiæ specie, sub amoris signo scelus & facinus illud enorme palliaret, nec mirum, opponitur enim nimis Deo talis simulatio: ait enim Dominus: *Ego sum via, veritas*, &c. Simulatio autem hæc opponitur directè veritati, opponitur ergo ipsi Deo, quidni ergo eam odio habeat Deus?

Hinc Sponsus sponsæ oculos laudans, ait: *Oculi eius sicut columbæ, super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ.* quid sibi vult huiusmodi lotio? quis vmquam vidit lacte columbam lauari, aquâ sæpe videmus lauari columbas, lacte verò nequaquam. Sanctus Gregorius Nyssenus locum istum expendens, ait: *Inter alios liquores solum lac figuras non reddit, si ad aquam vel oleum accesseris, faciem tuam in aqua, vel olei superficie, quasi depictam videbis, lac verò nihil tale repræsentat: lac enim non admittit vmbras rerum, nec in lacte inuenitur alia figura præter eam quam habet.* Verba Sancti Gregorij Nysseni sunt, oculi sponsæ Dei sicut lac, nihil erroneum, nihil vanum, præter ipsam rerum veritatem, velut vmbratili quodam simulachro fraudulenter repræsentât, sed ipsissimam veritatem intuentur, erroneis huius vitæ & spectris & imaginationibus nequaquam admissis. Ita ille, *nada contra echo te agrada, a nuestro Dios sino lo natural y sencillo, hombres llanos, no fruncidos, ni redomados.*

De his enim querebatur olim per Oseam Prophetam, dicens: *In me cogitauerunt malitiam, facti sunt quasi arcus dolosus, con malicia an procedido con migo, son como arco falso.* quid est arcus dolosus? si aliquem daremus arcum, qui ad vnam directus partem, in aduersam mitteret sagittam, arcum dolosum illum meritò diceremus: inuehitur igitur iure Dominus aduersùs homines, A quorum cor, cùm in Dei obsequium dirigi videatur, in eius flectitur offensionem, Dei gloriam intendere videtur, qui non Dei, sed suam quærit.

Præcepit Dominus populo suo, vt destrueret fornacem, in quam aliquid immundum cecidisset, & aliam recentem construeret: quia volebat, vt non solùm placentæ, quæ sibi offerebantur, essent candore & puritate conspicuæ, sed etiam vt furnus, in quo decoquerentur, nullâ immunditiâ contaminaretur. Cor nostrum clibanus est, in quo opera nostra diuini amoris igne decoquuntur, opus est, vt sincerum sit, & candidum. Nam licèt opera præclara videantur, & omni ex parte perfecta hominibus appareant, si tamen animus aliqua impuritatis macula respersus fuerit, Deo placere non poterunt. *Leuit. 11.*

Id luce clarius apparet, si sacrarum litterarum volumina euoluas, in quibus ea Dominus animalia reprobat, quæ hominibus maximè probari videbantur, Deo autem & reproba & immunda erant.

Reprobauit Dominus cygnum, quem candidissimis B plumis conuestierat, & cantu dulcissimo exornarat, vt candore & pulchritudine oculos retineret, & dulcedine ac suauitate cantus aures oblectaret. Sed cur à Domino reprobatur? Dicam, quia candor ille extraneus est, in plumis consistens, quas suaues & candidas habet cygnus, carnem autem subnigram & asperam quæ externa pulchritudine cingitur; sub eius specie reprobantur hypocritæ, qui superficietenus candorem & suauitatem præseferunt, animo autem obdurauerunt, quo nihil tetrius, nec impurius excogitari potest, lacrymas præ manibus habent, & si de Christi Seruatoris nostri cruciatibus agas, lacrymarum riuulos profundunt: illa tamen omnia extranea sunt, & intrinsecus assumuntur, neque ad ima penetrant: nam si animum explores, instar lapidis sunt, castitatis ac puritatis candorem vestibus ostentât, sunt autem animo & corpore turpes, & impuri. non absimiles illis senibus, qui Susannam per dolum & impuritatem inuaserunt, cuius animum C cùm versare cœpissent in omnes partes, & nulla ratione inclinare possent, ad indignationem & iram cõuersi religionis zelum simulantes, fœminam illam castissimam & integerrimam, in sordido adulterio à se repertam esse profitentur, cùm illa esset innocens, illi autem tanti criminis rei. cygneum candorem cæsarie & barbâ simulabant, quibus terram & putridam carnem occultabant, quam Daniel populo manifestauit, cùm Susannæ innocentiam ostendit.

Reprobauit etiam Dominus aquilam. Quid? nónne aquila omnium auium princeps & regina est, quæ magnitudine, celeritate, elegantia & robore alias aues facilè antecellit, & ita præstat oculorum virtute, vt minima videat, cum splendidissimum solem intuita fuerit: & cùm his omnibus ornamentis exornetur, à Deo reprobatur, ita, primò, quia adeo se abijcit, vt suæ veluti elegantiæ oblita, se in terram deprimat, vel lacertas & immunda aucupetur animalia: vnde exprimit D ad viuum hypocritas illos; qui se principes dici & haberi volunt; in suis tamen rebus sordidi sunt, & abiecti, nihil nisi tetrum, fœdum, mortale, & caducum appetunt, & cùm morum integritatem & mansuetudinem ostentent, truculenti sunt, & sanguinem expetunt. Aspice Aman, quem potentissimus Rex Assuerus omnibus suæ curiæ principibus atque Dynastis prætulerat, eumque secundum à se in omni suo imperio atque ditione esse decreuerat, qui cùm videret se ab omnibus Regis assectis ac pueris, nó secus ac regem, coli, ab vno verò Mardocheo despici atque contemni; ob eam rem vehementer infensus consiliũ iniit de Iudæis omnibus suspẽdẽdis, vt ea ratione è medio tolleret Mardochęũ; & qui se benignum & clementem omnibus ostendebat, leui occasione permotus, superbiam & elationem, quam animo tegebat, manifestauit.

Ob eandem ferè rationem reprobatur miluus, quia cùm & pulcher aspectu & magnus sit corpore, ac mira velocitate extollatur in altum ; semper tamen oculorum obtutum in terram defigit, vt gallinæ pullos, aut lacertum aliquem rapiat. Sub eius specie reprobantur illi, qui cùm ingenij acumine maximè præstent, ac se in altum efferant, omnem tamen curam & solicitudinem suam in aucupandis fluxis rebus & caducis collocant. Sunt enim nō pauci viri sapientes, in omni disciplinarum genere versati, iuris vtriusque peritissimi, qui omne vitæ tempus in capessendis litteris consumpserunt, qui Regum & Imperatorum curias adeunt, tribunalia conscendunt, omnia circumeunt, litterarum studia laudant, ingenij specimen præbent, & omnia hæc, quæ tanto cum labore comparantur, in vnam corporis voluptatem, aut parui ponderis & momenti lucrum libentissimè referunt. Quid istud est nisi miluos referre, qui agilitate fua mirabili abutuntur, & à Domino meritò reprobantur.

Abiecit ibidem Dominus struthionem, de quo Di-
7. Mor. 15. uus Gregorius ait: *Struthio volandi speciem habet, sed vsum volandi non habet ; ita hypocrita cunctis intuentibus imaginem sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat.* Vbi ait Glossa: Struthio auis est, sed volare non potest, & semper circa terram est, sicut quidam Deo militantes, & sæcularibus negotijs se implicantes. Hic carpit Ecclesiasticos, qui terrena sapiunt; cùm eorum cogitatio in cœlis esse deberet, & id hypocrisi contegunt, & cum Ecclesiasticis insigniti sint ornamentis, sæcularem instituerunt viuendi rationem, Ecclesiasticis titulis exornantur, sed nihil de hoc cogitant, terrenis inhiant, terrena meditantur, cogitationes eorum futiles sunt, & inanes. Auem præseferunt, sunt tamen animalia terrestria : alas habent, sed volare non possunt, neque in cœlum conscendere, terræ semper inhærent. Hos Dominus reprobat, licèt hominibus probentur, & ab illis laudentur, & efferantur in cœlum. Quid iuuat hominum laudatio, cùm Deus est opositæ sententiæ ? Qui laudatur ab hominibus improbante Deo, non liberabitur ab hominibus, reprobante Deo.

Præcepit etiam Dominus, ne vestem induerent, quæ
Leuit. 19, 19. ex duobus esset contexta. Quid igitur interest, si duos vestis haberet colores ? si ex lana & lino contexeretur ? si albo & nigro colore esset respersa ? Quia varietate ista illorum fraus significatur, qui sub specie sanctitatis iniquitatem dissimulant, & cùm nigro colore vtantur in secreto, album ostentant in publico, quia duplici colore vestiuntur. Animaduerte igitur & considera, quot & quibus modis hypocritas detestetur, & à se repellat Dominus, quos nulla ratione ferre potest, licèt præclara edant facinora, quæ hominibus placeant & probentur. Existimant enim huiusmodi hypocritæ opera illa sufficere, vt munere suo satisfeciße videantur; falluntur tamen, & similes sunt (vt ait Diuus Chrysostomus) hominibus illis, qui illa sacrificia offerebant idolis, quæ sibi Dominus offerri præceperat: offerebat populus Domino Deo suo vitulos in holocausta, offerebant & ipsi vitulos idolis suis, sacrificium eisdem constabat victimis, sed illud erat acceptum Deo; hoc autem abominabile. In eundem ferè modum (ait D. Chrysostomus) detestatur Dominus opus hypocritæ, non quia per se malum sit (eleemosyna enim opus misericordiæ & pietatis est) sed quia non Deo, sed idolis offertur, quia non ex Dei amore, sed ex inutilium rerum desiderio proficiscitur, &, si adhuc dubitas, quantùm Dominus ab hypocritis abhorreat, audi D. Hieronymum, qui in hæc verba prorumpit: *In comparatione duorum malorum, leuius est apertè peccare, quàm sanctitatem simulare.* Ita ille. Non est instituti mei disserere, an rem verbis augeat sapientissimus Doctor; id tamen dicam, peccatum istud meritò dici posse duplex, & non simplex, quia cùm duplicis & astuti veteratoris sit, nomen præfert plicaturam ipsam. Qui auaritiæ studet in hominum conspectu, licèt auarus sit, auaritiæ tamen limites non prætergreditur; sed qui auarus cùm sit, liberalitatem simulat, non solùm auarus est, sed etiam hypocrita perniciosus, & hinc oritur grauis Dei commotio, & ira ; quia cùm se peccator deprimere deberet, detestari scelus, incusare seipsum, fateri peccatum, adeo à Domini sententia abhorret, vt potiùs se in altum extollat, & innocens dici ac haberi velit.

Hinc est illud Heliu: *Simulatores callidi prouocant iram* Iob 36.
Dei, neque clamabunt cùm vincti fuerint ; morietur in tempestate anima eorum. Verba ista maximum timorem incutere deberent ijs, qui vitium hypocrisis non declinant, sed in illud facilè prolabuntur. Alia sunt peccata, quæ Dominum ad iram & vindictam impellunt, non autem sicut hypocrisis, sed cùm ignorantia, vel pertur-
B batione animi perpetrantur, nocens ad se reuertitur, seipsum colligit, & instar Publicani veniam à Deo Optim. Maxim. non sine magno animi sensu ac dolore postulat.

Hypocrisis verè veteratorum vitium est, quos simulatores & callidos vocat, superbiam sapit. Vnde qui hac pestе laborant, confessioni se subijcere recusant, ne aliquid dedecoris inde contrahant, quo fit, vt dum honori & gloriæ perperam consulunt, peculiari quadam ratione Deum ad iram prouocent. Quid inde possumus sperare ? supplicium miserrimum : quod indicant illa verba, *nec clamabunt cùm vincti fuerint.* Exponit Diuus Gregorius, non clamabunt tempore obitus sui, cùm mors apprehenderit eos, vt ante supremum Iudicem sistat, tunc non clamabunt per veram confessionem : nam, vt ibidem ait Gregorius : *Simulatores quæ-*
C *que etiam cùm flagella corripiunt, ad confessionem simplicem non perducunt. Cognosci enim peccatores refugiunt, quia sanctæ opinione omnium ferebantur, licèt eos ad extremum tam flagella feriant, quamuis duci ad æterna supplicia non ignorent. Tales tamen cupiunt apud humana iudicia remanere, quales se studuerant semper ostendere ; deprehensi ergo etiam flagello percussionis extremæ, quia confessionem puram vel afflictis exercere negligunt, quasi vincti clamare contemnunt.* Hæc Gregorius. Itaque cùm semper virtutem simulauerint, neque in vltimo vitæ termino confitiuti, à suo errore deflectunt, neque inueniunt viam, quâ se ad Deum conuertant, & peccata expient confessione, quia etiam in morte auram popularem captant, & ne inanis gloriæ iactura faciat, æternam felicitatem descrunt. Morietur in tempestate anima eorum, quia rabido morbo correpti, dum secum ipsi contendunt, & conscientiæ stimulis agitantur, miserè extinguuntur. Probi autem
D & honesti viri, cùm Dei tantùm gloriæ & honori studeant, & sacra mysteria obeunt, & peccata confessione delent, & placida morte quiescunt. Animaduerte, quantùm noceat hypocrisis, & quo Deus illam odio prosequatur, & quibus supplicijs puniat.

O illos felices, & fortunatos, qui animi candore & puritate præstant, quia his animi laudibus maximè delectatur Deus : vnde ad sponsam ait : *Ecce tu pulchra es* Cant. 1.
amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Bis laudat eius pulchritudinem, & sponsæ oculos primùm sibi ob oculos proponit Sponsus, & ab eorum pulchritudine laudationem exorditur. *Oculi tui columbarum:* columba enim simplicitatis symbolum est, quo fit vt simplices & rectos homines columbinos appellemus, & oculis (in diuinis litteris) intentio in operibus significetur. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum* Matt. 6.
Super c. 16. Isaiæ in illa verba, in tribus annis. *lucidum erit : si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* hoc est, si rectam habueris intentionem, opus ex illa profectum præclarum erit, & illustre : si autem intentio peruersa fuerit, & sinuosa, vniuersum opus retortum erit, & maculis respersum.

Vnde

Vnde cùm sponsam laudat propter oculorum pulchritudinem, & simplicitatem, indicat diuinus Sponsus sibi maximè placere simplicem intentionem. *Esto igitur prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Ille habet oculos columbæ, qui cùm virtutis suæ specimen præbet, non quærit hominum gloriam, sed gloriam illam, quæ ex solo Deo proficiscitur, eos oculos habet, qui preces ad eum fundit, inediâ & siti corpus macerat, eleemosynas pauperibus erogat, non vt auram captet popularem, sed vt Dei oculis gratissimus existat: ille verò qui in studium virtutis incumbit, & sub pietatis prætextu inanem gloriam & honorem quærit, non columbæ, sed vulpis habet oculos, scilicet vagos, duplices, ac simulatos, qui facilè voluuntur in vtramuis partem, vt cùm cæteris ad dexteram partem aspicere respiciat ad sinistram: sursum attolli, & deflectatur deorsum, dextrorsum velle conuerti, & inuertatur sinistrorsum. Hypocritas ad viuum exprimunt huiusmodi vulpes, qui cùm ad Deum videantur conuersi, & eius diuini amoris igne duci, & inflammari; ad terrena inuersi sunt, eorum amore ducuntur, & algent, vulpis oculos habent vagos, & qui callidè voluuntur, quos detestatur Sponsus, & à sua vinea præcepit arceri. Laudat tamen oculos columbæ, qui recta aspiciunt, & in vnam tantùm partem diriguntur, neque leuiter inflectuntur in aliam, & in quem locum apparent conuersi, in illum verè conuertuntur, & non in alium. In his oculis requiescit Dominus, his delectatur & gaudet, & his magnam gloriæ mercedem laudisque persoluit.

Sed animaduertere opus est, solùm hypocritas reprehendi, qui virtutem, quam minimè compararunt, simulant, quia non accusantur illi, qui cùm veræ virtutis studiosi sint, idque minimè occultare possint, quia virtus seipsam prodit, & manifestat, ab hominibus tales, quales sunt, habentur, & iudicantur. Sunt enim aliqui, qui errore decepti, vt hypocrisis vitium declinent, in aliud extremum valde pernicioſum vergunt, virtutes abnegantes, ieiunia deserunt, humilem vestitum, quo gloriari magis, quàm erubescere deberent, abiiciunt; pecunias pauperibus non impertiuntur, manus, cùm orant, minimè tollunt, neque vtrumque genu inflectunt, cùm ad Dei omnipotentis pedes accedunt, vt scilicet hypocrisis vitium declinent, nihil efficiunt: vel vt meliùs dicam, vt vitium incurrant, & vergant in interitum, multa efficiunt, conuiuia parant, domum ornant, elegantes vestes induunt, fortunas dissipant, patrimonia abliguriunt, & nulla Dei habita ratione, in templis, dum Sacrum fit, omnia oculis lustrant, caput inflectunt in omnes partes, & ita leuiter versant, ac si agitarentur vento. Hæc sunt arma, quibus hypocrisis vitium oppugnant. O impudentiam prædicandam cacodæmonis! carnis & eius assecłæ præstigiæ sunt istæ, ne illis te credas: hæc enim moliuntur, vt homines in errorem inducant, vt sub religionis nomine tibi indulgeas, ne appareas hominibus ieiunans, Deus autem vtrumque in homine desiderat; & studium bonæ actionis, & suauem odorem sanctæ conuersationis.

Ideo præcipit, vt intra tabernaculum sanguis sacrificiorum contineretur, & pellibus rubeo colore suffusis extrinsecus tegeretur, vt tam illa quæ extra tabernaculum erant, quàm quæ intra illud continebantur, eiusdem coloris essent.

Reprehendit Deus illos, qui, cùm ieiunant, fiunt sicut hypocritæ tristes; sed etiam detestatur illos, qui tempore ieiunij decreto, corporis oblectamenta sectantur. Non vult Dominus, vt peccator & nocens, iusti & innocentis personam assumat; sed etiam offenditur vehementer, cùm de commissis sceleribus gloriatur, cùm perfricta fronte est, & impudentiam iactat. Quid? ferendumne esset, vt fœmina illa, quæ natiuum A colorem non retinet, pœnitentiam agere videatur, faciem coloribus liniat, & pigmentis imbuat, quibus pulchrior & speciosior appareat?

Deus à nobis exigit, ne simulationis vitio laboremus; sed dum animus integer sit & rectus, non illi displiceat cura & sollicitudo, quam in his rebus, quæ oculis cernuntur, homines solent adhibere. Id Diuus Paulus ostendit, cùm ait: *Prouidentes bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Videtur Diuus Paulus respondisse tacitæ obiectioni: nam diceret fortasse quispiam, si Deus hypocritas odit, dum ea quæ recta sunt animo præstemus, exteriùs verò eisuamus, erimusne illi grati? Nequaquam, ait Diuus Paulus, sed oportet vt prouideatis bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus. id tamen fieri debet, non animo captandi auram popularem, sed placendi Deo in omnibus, & per omnia, & bonum ex se odorem emittendi; quò hominum animi recreati, maiora quotidie virtutis incrementa suscipiant & Deum laudent in operibus manuum suarum, à quo quidquid boni rationem habet, profitiscitur. *Sic luceat lux vestra coram hominibus* (ait Christus Dominus) *vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* quasi dicat, id fieri non debet animo comparandi inanem gloriam, sed glorificandi Deum. Quod si fideliter præstiterit is, gratum mihi erit, & iucundum, vt in hominum oculis lucęque versemini: id enim non ad hypocrisim vergit; sed ad veram solidamque virtutem aspirat, quæ in hac vita incrementum suscipit ditinæ gratiæ, & in altera gloriæ & felicitatis æternæ, ad quam, &c.

Rom. 12. 17.

Matth. 5. 10.

Prop. II. *Contra hypocritas, qui publicè sanctè apparent, domi verò non tales sunt.*

SVnt qui foris in foro, & in viis, & locis publicis se mansuetos, & modestos, & virtute præditos præ se ferunt, cùm tamen domi irati, & intolerabiles, & impudici, & vitiosi prorsus sint; hi verè hypocritæ sunt, & vitio laborant, non solùm Christiano, verùm etiam pagano, prorsus indigno. De Iulio Publicola refert, & ait Plin. in Pol. dicens: *Tull. Publicola haud immeritò claruit, quòd domum eius ex pluribus partibus vicinia conspicua cùm parabat, quinque taientorum sumptu eam faber quidam se versurum, & commodius directurum promitteret, ne scilicet ita vicinis conspicua esset: respondit: decem dabo, si totam ita exponas conspicuam, vt vniuersi cives, nedum vicini, perspicere queant, qua ratione domi meæ viuatur. Vir enim erat modestus, ac frugi.* Ita ille.

Prop. III. *De peruersitate hypocritarum.*

OSee 7. *Facti sunt quasi arcus dolosus.* Arcus dolosus est, qui cùm in Orientem sagittam destinare videatur, etiam in Occidentem transmittit: tales quidem sunt hypocritæ, qui cùm aduersùs vitia pugnare videantur, aduersùs virtutem pugnant.

Rectè ad hypocritam Tertullianus in Apologet. contra Gentes: *Inimicè veritatem tractas: sicut enim histriones in theatro personam agunt alienam latuati, finita verò representatione, personam mutant, & vestes; sic hypocrita in publico vestimentis virtutum se tegunt, & religiosos se fingunt viros, & tamen in secreto, virtutum ornamenta exuentes, vitiorum opera sectantur.*

Vnde Sanct. Bernard. sermon. 42. in Cant. sic hypocritam alloquitur, præmittens verba illa: *Pondus, & pondus, mensura, & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum,* & subdit: *Quid tu te deprettaris in secreto apud teipsum, veritatis trutina ponderatus, & foris alterius pretij te mentiens, matori te pondere vendis nobis, quam ab ipsa accepisti? Time Deum, & noli hanc rem peßimam facere, vt quem huma-*

Deut. 25. 13.

Prou 20. 10.

humiliat veritas, exaltet vanitas. Hoc enim est resistere veritati, hoc est pugnare contra Deum. Ita Sanctus Bernardus.

Psal 1.3. Ponderat S.Bernard. sermon.de sancto Benedicto verba illa de viro iusto: *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo,* explicans, ait: *Sunt quædam arbores infructuosa, vt quercus, & vlmus, & aliæ arbores syluestres, quæ non faciunt fructum, &, si quem faciunt, non humano vsui aptus est, sed porcino. Tales sunt filij seculi huius, agentes in comessationibus, & ebrietatibus, in crapula, & voracitate, in cubilibus, & impudicitiis: hæc namque porcorum cibus sunt. Hæ arbores sunt infructuosæ, ad quarum radices securis posita iam videtur. Sunt aliæ arbores, quæ fructum faciunt, sed non suum, & tales hypocrita sunt, cum Simone Cyrenæo crucem portantes non suam, qui religiosa intentione carentes, angariantur, & quæ non amant, amore gloriæ, quam desiderant, facere compelluntur.* Ita Sanct. Bernard. Itaque hi fructum ferunt, sed non suum, quia bona quædam opera faciunt, sed non fructuosa sibi. *no es el fruito suyo, porque no sacan dellas buenas obras, fruito pura si, sean ayunos, sean limosnas, sean obras pias,* &c. Hi quidem ferre fructum solent, non sibi, sed alijs, verbi gratiâ, pauperibus, seu Ecclesijs, quibus bona sua tribuunt. *Como gusanos de seda, que ellos quedan en su seda muertos, y sepultados, y dan nos su seda a nos otros, y como galeotas, que reman para bien de otros.*

Amittit igitur hypocrita fructum suum, oleum, & operam perdit, & sicut Eleazar, qui sub elephante, quem occidit, mortuus iacuit; sic isti, dum bonum opus operantur, sub ipso pereunt.

De formica notum est apud omnes, quòd grana, quæ ad victum acquirunt, ea in parte rodunt, ex qua pullulare possunt, ne, dum oritur germen exteriùs, grana euanescant, & fructum operis, & laboris sui ad victum necessarium amittant; sic etiam & nos facere oportet: bona quidem opera grana quædam sunt, quibus in vita æterna victuri sumus, caue, ne per superbiam, & vanam gloriam pullulent foras: ita quippe fieret, vt fructum eorum perdas, & prorsus amittas.

Iob 8.14. Vnde Gregor. 8. Moral. 25. de hypocrita, exponens illud: *Non placebit ei vecordia suæ Magna* (inquit) *vecordia est, agere laboriosa, & aurã laudis inhiare; bonis operibus, præceptis cælestibus inseruire, & terrenæ laudis præmium quærere. Vt enim ita dixerim, qui pro virtute, quam agit, humanos fauores desiderat; rem magni momenti vili pretio venalem portat, & vnde cæli præmium mereri potuit, inde nummum transitoriæ laudis quærit, magna impendit, & minima recipit. Vt vecors ergo decipitur hypocrita.* Ita Sanctus Gregorius.

PROP. III. *Quàm multi sint in mundo hypocritæ.*

QVamquam verum sit, hypocrisis imperium non esse tam longè latèque diffusum sicut esse solebat; si rem tamen attentè consideremus, inueniemus quamplurimos esse hypocritas Christianæ reipublicæ valde pernicioſos, &, vt id luce clariùs appareat, perpendere necesse est, quid sub nomine hypocrisis intelligamus. Diuus Isidorus ait: Hypocrita Græcum verbum, Latinè simulator interpretatur, qui, cùm intus malus sit, bonum se palam simulat: nam hypocrisis falsum veri indicium interpretatur. Diuus Gregorius Nazianzenus addit, hypocritam esse instar mulierculæ insipientis, quæ, cùm pulchritudine careat naturali, ad colores, pigmenta, & fucos confugere solet; sic hypocrita cùm specie careat perfectæ solidæque virtutis, adumbrationem quamdam ornamentorum simulat, qua eorum oculos retinet, qui adumbrata virtutis simulatione capiuntur. D. Thomas, hypocritæ nomen tractum esse dicit ab specie eorum, qui in spectaculis contecta facie incedunt, distinguentes vultum vario colore, vt ad personæ, quam simulant, speciem propiùs accedant, modò in viri, modò in fœminæ, vt in ludis populum fallant. Adducit Diuum Augustinum, qui ait: Sicut hypocritæ simulatores aliarum personarum agunt, partes illius, quod non sunt; (non enim qui agit partes Agamemnonis, verè Agamemnon est, sed simulat eum) sic in Ecclesijs, & in omni vita humana, qui se vult videri quod non est, hypocrita est: simulat enim iustum, non exhibet. Itaque sicut in scena, qui pauper est, diuitis personam agit, & famulus heri, ac qui turpem & flagitiosam vitam degit, Diui Francisci, honestissimi ac innocentissimi viri, personam refert: sic hypocrita, cùm in tragœdiam huius mundi prodit, vt animi elationem occultet; submissi personam repræsentat, & qui maximè auarus est, se magnificum & valde liberalem simulat. Vnde D. Thomas in hanc sententiam concludens, *Hypocrisis*, ait, *simulatio est, non autem omnis simulatio, sed solum illa, quâ quis simulat personam alterius, sicut cum peccator simulat personam iusti.*

Lib. 2. de serm. Dom. in mont. c. 4.

Hinc colligere possumus, hypocritam fuisse Absalonem, qui pietatis prætextu fratrem Amnon ad conuiuium vocauit, animo interficiendi, vt Thamar sororem suam speciosissimam vlciscereturi: voluit etiam in patrem insurgere, & regnum per tyrannidem occupare. quod vt faciliùs assequeretur, stabat iuxta introitum portæ, & vocabat eos, qui negotia gerebant, quos, vt ad se alliceret, blandissimis verbis alloquebatur, ac sæpe dicebat: *Quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, vt iustè iudicem.* Ita dium & animum subueniendi Reipublicæ ostendebat: at verò inaudita quadam regni cupiditate flagrabat. Quid? Nónne hypocritæ erant & Scribæ & Pharisæi, quos Christus Dominus reprehendit, qui nomine pietatis liberos à pietate, quàm erga parentes habere deberent, subuertebant? nam, vt ea quæ filij morigeri ad subleuandam patrum suorum inopiam suppeditare solent, ipsi sacerdotes raperent; dictare solebant, Deo potiùs, & altari, quàm parentibus esse deferenda. O callidi hypocritæ, qui sub pietatis & religionis nomine suam insatiabilem pecuniæ cupiditatem dissimulabant! Qui etiam, vt diuinæ legis acerrimi propugnatores haberẽtur; scribebant in membranis decalogum Moysi, id est, decem verba legis; complicantes, & ligantes ea in fronte, & quasi coronam capiti facientes, vt semper ante oculos moueretur: latebant autem in animo pernicioſæ ac pestiferæ mundi leges, quas custodiebant, & callidè occultabant, & licèt, quod oculis cernebatur, iustum & sanctum iudicares, in corde tamen latitabat virus, superficietenus summissi, liberales, misericordes apparebant; erant verò superbi, auari, & inuidi. Meritò à Christo Domino sepulchra dealbata appellati sunt. Si sepulchrum alicui Principi erectum aspicias, statim se oculis obijciunt marmora pulcherrima, & fornices splendenti aspide facti; quòcumque te veritas, columnas aspicies alabastrinas, niue candidiores, statuas inauratas in excelso positas, stemmata ex auro & argento, inscriptiones grandioribus litteris in marmore incisas, quæ facinora principes in illo sepulchro conditi immortalitati cõsecrant. Omnia pulchra, speciosa omnia, quæ oculos & varietate retinent, & pulchritudine delectant; sed si ad ea, quæ intus latent, oculos conuertas; si lapidem amoueas; ossa nuda & exesa reperies, putrida occurret caro, vermibus scaturiens, quæ tetro & pestilenti odore aërem inficit. his sepulchris hypocritas similes esse dicit Christus Dominus, qui vulru & superficie mentes illas cœlestes, corde verò & animo cacodæmones referunt.

Lib. 10. c. 8.

In orat. fun. pat.

1. Reg. 3.

2. Reg. 3. 4.

S. Hier. in cap. 23. sup. Matth.

Nec solùm sunt hypocritæ, Scribæ, & Pharisæi, sed ille etiam qui verbis simulat amicitiam, vt fecit Ioab, animo

animo autem seruat inimicitiam. *Pacem cum amico loquitur*, vt ait Ieremias, *& occultè ponit insidias.* Hypocrita est mercator, qui publicè porrigit eleemosynam pauperi, occultè tamen ciuitatem vastat latrocinijs. Hypocrita est vidua, quæ lugubri vtitur veste, & candido velamine tecta, in publicum procedit, vt honestissima habeatur; at inter priuatos parietes impudentior & perniciosior est. Hypocrita est etiam sacerdos, qui nigri coloris vestibus oblongis indutus, linteatus laciniam trahit, & diuinis officijs interest, vt diuini cultus studiosus habeatur; animo tamen occultat turpitudinem, & domi fortasse pellicem alit. Hypocrita est iudex, qui publicum exercet iudicium, & quòd in foro tribuat vnicuique quod suum est, gloriatur; occultè tamen omnia latrocinijs insestat, ciues expilat, & Regis patrimonium diripit. Hypocrita est, tabellio, qui leges sibi præscriptas appendit in superliminari domus suę, vt legum maximè custos habeatur; in occulto autem depopulator fori est, & pauperes denudat. Hypocrita est, qui Episcopalem dignitatẽ religionis prætextu appetit, quærit tamen honorem, laudem, & gloriam, quę inde proficiscuntur, multam comparat supellectilem, & seruorum turbam cogit: Antistes denique creari vehementer cupit, vt nomen immortalitati consecret, & humilem suam stirpem amplificet. Hypocritæ denique sunt omnes illi, qui aliud ostentant, specie simulationis, aliud verò obscurè moliuntur.

Sed dices, si hoc verum est, omnia sunt plena hypocrisi; vt quid ergo omnem culpam in Scribas & Pharisæos conijcimus? Rectè sentis: sed animaduertere necesse est, nemini licere tantam sibi licentiam assumere, vt alios iudicet, quamquam ab hac peste & cõtagione liberi non sint, & immunes. Audi quid Dominus dicat: *Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum eius, vt pignus auferas, sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit.* Nolebat Dominus, vt quis alienas ædes perscrutaretur: id enim iudici dumtaxat commissum est, idem nobis præcipitur. Vt quid proximum tuum temerè iudicas, & eius opera mente & cogitatione perscrutaris, vt aliquid reprehensione dignum inuenias, aut inueniẽsse arbitreris? Deus operũ diiudicator est: istud munus diuinę iustitię reseruatur. Proximus tibi in rebus omnibus, quæ oculis cernuntur, præclarum tibi exemplar ad imitandum præbet, & bonum ex se odorem emittit, iam suo muneri satisfecit: iam pignus, quod tibi debetur, exhibuit, aliud ab eo repetere non debes. Christus Dominus, qui Iudex à Deo constitutus est, quem nihil præterit, fugit, aut latet, perscrutabitur abscondita tenebrarum, & cordis latebras atque recessus, ac ea quæ in animo & mente latitant, diiudicabit. Homo facilè alterius hominis præstigijs & simulatione capitur, Deus autem decipi nulla ratione potest, qui cordis alta considerat, & attingit à fine vsque ad finem fortiter. Homo ea tantùm intuetur, quę anteoculos existunt; Dominus autem intuetur cor: nec solùm intuetur, sed penetrat, & omnes eius anfractus atque recessus perscrutatur. *Prauum est cor hominis* (inquit Ieremias,) *& inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinuentionum suarum.* Verbum illud *inscrutabile*; tantam cordis difficultatem indicat, vt vix homo sibi ipsi conscius sit: at Deo omnia sunt luce clariora. non ait, cognoscens, sed *scrutans*, ad significandam Domini curam in cognoscendis hominis cogitationibus: attentè enim considerat, quid homo cogitet, cur id cogitet, quo in loco cogitet, quid intendat, quò contendat, cur contendat, & vnamquamque rem suo pondere ponderat, ac suo momento examinat, quasi nihil aliud ageret. nec cogitaret. Vnde homines fallere posset hypocrita, Deum autem decipere non poterit.

Mutauit aliquando vestem vxor Ieroboam, vt Dei

A Prophetam consuleret: volebat enim simulatione illa Ahiam decipere, sed non successit: agnita enim est, vt indicant verba Prophetæ: *Ecce vxor Ieroboam ingreditur, dic illi quod audn refugit, &c.* nimirum nullus Deum dolus latet.

Ananias & Zaphira arbitrabantur D. Petrum Apostolorum Principem & Christianæ reipublicæ caput, decipi posse, & falsus est vterque, vt subita mors, quâ subitò statim correpti sunt, indicauit. Nam ad verbum Diui Petri, dicentis: *Non vobis cum homine, sed cum Deo res est*, mortui corruerunt in terram. *Actor. 5.*

Cùm Christus Dominus, vt illi moris erat, concionaretur, aliquando inuectus est in auaros, eosque acriter obiurgauit. Aderant Pharisæi, qui sanctitatem simulabant, eamque in vestibus præseferebant; studebant autem auaritiæ, & in eius studium acriter incumbebant; hi Dominum irridere cœperunt, cui cùm omnia perspecta sint, nihilque illum lateat, conuertit sermonem ad illos, & ait: *Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum.* *Luc. 16. 5.*

Sanctus ille Patriarcha Isaac, cùm oculorum lumine fuisset orbatus, facili negotio potuit in errorem induci pellibus, vestitu, & odoris suauitate: Deus autem, cùm perspicaces habeat oculos, quibus corda penetrat, neque alienis pellibus manibus admotis, neque alienis vestibus suumen ex se odorem spirantibus, decipitur, quia aliena sunt: Deus autem quæ propria sunt considerat, & cordium est animorumque scrutator. *Gen. 7.*

Potuit Ægyptia procax Putiphari persuadere se esse puram, & integram; Iosephum verò turpem, & adulterum; Deus autem fraudem retexit aliquando, & facilè ostendit, Putipharem, ac omnes illos, qui illi assenserunt, fuisse deceptos; quia Iosephus elegans & pulchemadolescens, pudicitiam coluit, & honestissimus fuit; sed mendax fœmina, & fraude & mendacio compolita, turpis & flagitiosa fuit. vnde ille suæ virtutis & victoriæ palmam & gloriam reportauit; illa verò suæ temeritatis & audaciæ pœnas luet: quia Deus, qui & bonitate optimus est, & potestate maximus, cui omnia perspecta sunt, reddet vnicuique secundùm opera sua.

PROP. V. *Quàm falsus sit hypocrita.*

INter veram falsamque virtutem illud est discrimen, quod inter artem, & naturam: ea enim quæ à natura sunt, ab intrinseca rei forma procedunt, quæ ab arte verò sunt, ab extrinseco sunt. Si enim, v.g. depingit in tabula pictor B. Francifcum sacco indutum, & vultu pallidum, stigmata Christi habentem, S. Francisçum illum esse dices: at sancti Francisci & sanctitatis eius solam figuram & imaginem habet: in sola enim superficie sistit sanctitas illa. Denique Sanctus fictus & pictus est, non autem verus, artificialisque hæc sanctitas est: verus autem Franciscus, sicut à natura intrinsecam à corde emanantem vitam naturalem habebat; sic etiam vitam supernaturalem à gratia intrinseca suæ animæ possidebat. Sic igitur de falsa & vera virtute dicendum est: nam ficta hypocritarum sanctitas ab extrinseco tantum est picta, & ficta, & artificiosa, vera verò ab intrinseco emanat corde, &c.

PROP. VI. *Quàm contra rationem sit hypocrisis.*

PLutarchus, *Commendatus*, inquit, *fuit Iulius Drusus Tribunus plebis, quòd cùm ædes eius multis locis paterent vicinorum oculis, & opifex quidam eas se quinque talentorum mercede diceret emendaturum, Decreta, inquit dabo, si totam domum meam ita conspiciuam feceris, quò ciues omnes, quem-* *In præc. polit.*

quemadmodum ego vitam meam instituam, contemplentur: A sunt enim vir temperans & moderans Ita ille. Ecce hic sola ratione naturali ductus hypocrisim vitabat : neque enim alius extrà haberi voluit, quàm intus esset.

PROP. VII. *Aduersùs eos qui, vt hypocrisim fugiant, in publica incidunt vitia.*

VItium istud hypocrisis liberiùs quondam grassabatur, cùm veritati debitus honor deferebatur: nam cùm homines laudis & gloriæ studiosissimi sint, & animaduerterent veras animi laudes plurimi fieri, & clarissimos & præstantissimos viros in omnium oculis lucéque versari, se ex eorum numero esse simulabant, vt ea ratione inter primarios haberentur, & ea ratione inanis gloriæ laudem aucuparentur. Nunc autem cùm iam virtus debita hominum opinione & honore careat, & improborum iniuria paruipendatur, non pauci sunt, qui eam pro nihilo ducunt, nec dant operam vt B virtutis studiosi habeantur.

Stultus sanè esset mercator ille, qui vitreos lapillos & adulterinos in eam vrbem vendendos inueheret, in qua & gemmæ pretiosissimæ floccipenduntur & conculcantur; sic meritò reprehenderetur ille, qui simulatas animi laudes hisce temporibus sibi ambiendas proponeret, in quibus nec vera ac specioſa animi ornamenta propter hominum petulantiam in honore sunt. Tantus quondam ieiunio deferebatur honor, vt essent multi, qui facies suas exterminarent vt apparerent hominibus ieiunantes, & macie consumpti ac pallidi incederent, vt corporis tenuitate auram captarent populi arem; sed iam ad ea tempora peruentum est, in quibus laudatur ille qui lautè ac splendidè epulatur, qui pretiosissimis vescitur cibis, & pleniora exhaurit pocula; hunc omnes prædicant, hunc in summo honore & veneratione habent.

Tanti quondam fiebat oratio, vt amarent homines *Ducit. 5.* in Synagogis & in angulis platearum stantes orare, vt C viderentur ab hominibus; sed iam neque in plateis, neque in templis orationi vacant, neque honorem & gloriam in diuinis commentationibus exercendis constituunt. Et sunt qui falsò putent, sua amplitudine minimè dignum esse vtroque genu ante Deum prouolui, sed vnum dumtaxat inflectunt, & ne pauimentum, aut scrupulus aliquis genu lædat, gausapinum puluinum mollitum atque subactum illi supponunt.

Plurimi etiam habebatur eleemosyna priscis illis temporibus, cùm in publicum procedebant illi, qui pecuniasin. pauperes distribuebant, cùm priùs tubà canerent, vt homines confluerent, & per fenestras & cancellos aspicerent, ac summis in cœlum laudibus efferrent illum, qui tantà vtebatur liberalitate; sed iam eò miseriæ ventum est, vt non glorientur homines, cùm pauperum inopiam subleuant, sed cùm patrimonia profundunt, & fortunas suas abliguriunt, cùm equos, canes, accipitres, & aucupes alunt, & futili ferarum venatioui inseruiunt. D

Summo in honore quondam habebatur, qui sacco vtebatur, & cilicinam vestem ad reprimendam contumaciam corporis, induebat, quia debitus pœnitentiæ honor deferebatur; nunc autem qui sibi liberiùs indulget, qui indusium byssinum ac fericas vestes ostentat, per ora hominum volitat, & maximis exornatur laudibus: hæc est origo totius nostræ calamitatis.

Cùm filij Israel idola tegebant, eaque in abditis & reconditis locis venerabantur, licèt grauiter peccarent, sibi solùm nocebant; sed cùm publico in loco proposuerùt, vniuersa ferè fides corruit, & cultus Deo exhibendus, perijt. Væ terræ hodierna die, in qua non latitant vitia in tenebris, & abditis locis, sed in publicum procedere, & in oculis omnium ac clara luce versantur. Væ hominibus, qui suam gloriam, & nominis immortalitatem in flagitijs ac scelcribus constitutam esse arbitrantur: superbia effertur, humilitas deprimitur, gula laudatur, temperantia vituperatur, turpitudo extollitur, continentia iacet, vitia denique omnia in honore sunt, & clarissimæ animæ laudes despicuntur. Principes, Dynastæ, & primores ansam dederunt tanto malo, quorum diuitiæ auaritiam, & abundantes voluptates, prodigalitatem, & omnium fortunarum euersionem inuexere: & his temporibus nati sumus (vt ait Liuius) quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus. qui verò tanto malo rebus in republica præclarè gestis mederi debuissent, malum augent, depraua tuendi consuetudine, quâ reipublicæ vlcera serpunt, magis ac magis, & sensim recrudescunt. vnde tantum malum? ex eo quòd iam vitia perfricuerunt frontem, & in publicum processerunt.

Vnde cùm Isaias Propheta populi sui proteruiam & impietatem verbis augere veliet, sic ait: *Corrupti sunt tæ in plateis, & aquitas non potuit ingredi, & facta est veritas in obliuionem, & qui recessit à malo, prædæ patuit.* Ac si diceres, pugione confossa est veritas in foro, non in angulis vrbis, sed in platea publica, non in tramite aliquo illi insidiæ paratæ sunt, sed in medio foro mucrone petita. Fraus & dolus signum sustulit, nullus æquitati & iustitiæ aditus patet, omnes viæ sunt intercluſæ; ille verò qui recedit à malo prædæ patet, hunc insequuntur omnes, hunc contumelijs onerant, hunc conuiciant maledictis.

Exponit D. Hieronymus verba illa Isaiæ, ducta *Supra.* similitudine ab homine illo, quem D. Ioannes com- *c. 6.* memorat, qui, cùm cæcus natus esset, singulari Chri- *cap. 9.* sti Domini beneficio visum recepit. Quid enim opprobrij & contumeliæ non pertulit, cò quòd veritatis partes egit, eamque sibi defendendam suscepit? Maledixerunt ergo ei, quia veritatis defensor acerrimus existebat, ac tandem ex Synagoga cum dedecore eiectus est. Huc vsque inundauit, vt ait Isaias, iniquitas Ierusalem.

Eadem Prophetæ verba vsurpare possumus hodierna die, cùm iam iniquitas tantam authoritatem consecuta est, vt spurcissimi & edacissimi homines, summis in cœlum laudibus efferantur; si verò quis paupertatem & parcimoniam sectatur, omnes insurgunt, acilli in oculos inuolant, hunc veneficum, maledicum, hypocritam per dedecus & contumeliam appellant. Animaduerte, obsecro, ad quantam miseriam & calamitatem deuenerimus. O tempora! ò mores! ò mirabile portentum! iam iam homines in tanto scelerum cœno volutantur, vt lætentur, & glorientur, cùm malè fecerint; si verò quis dat operam, vt ad rectam viuendi viam, à qua desiexerat, reuocetur, aut à maiorum societate se auocat, hunc exagitant contumelijs, hunc afficiunt iniurijs, ac de illius fama quantùm possunt, detrahunt, prædæ patet. Væ tibi qui in hunc miseriæ & calamitatis locum incidisti, qui tantam tibi licentiam assumis, vt non vereatis in hominum oculis facinora perpetrare? væ tibi: possumus enim non immeritò de tua salute dubitare.

Voluit aliquando Deus populi sui calamitatem ostendere, & ait: *Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.* verbum illud, *nec abscónderunt*, magnam Domini indignationem indicat. Peccatum turpe est, & deforme, & cùm illi, qui illud admiserant, erubescere debuissent, iactabant facinora, & de commisso scelere gloriabantur. Hi Sodomitis similes sunt, qui omnes verecundiæ fines transierunt, omnia pudoris repagula, vti homines imprudentissimi perfregerunt, vt indicant cæcitas illa, quâ meritò puniti sunt, & sulphur ac ignis de cœlo dilapsus, quo vniuersa ciuitas conflagrauit. Quid Dominus de illis diceret, qui sine vlla religione, sine vllo pudore humanas & diuinas leges euertunt, pereant, extinguantur, concrementur, delean-

deleantur de libro viuentium. Cùm quis de sceleribus gloriatur, nec vllis verecundiæ frænis retardatur; iam hic ad extremam sceleris improbitatem deuenit: reliquum est, vt Deus cum illo rationem ponat, illumque æternis supplicijs addicat, vt tanquam arbor sterilis excidatur, in ignem conijciatur, & ardeat.

Submouerat aliquando Dominus pluuiam serotinam, & matutinam, & cùm huius calamitatis causam redderet, ait: *Prohibitæ sunt stellæ pluuiarum, & serotinus imber non fuit: frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Commemorat ibi Propheta supplicium illud, quo Dominus populum affecit, cùm cœlum conclusit, ne nubes pluerent, eò quòd ad tantam impudentiam & procacitatem populus deuenerat, vt iam non in angulis, vti fiebat, cùm adhuc vigeret pudor, sed in publico idola coleret, vti factum fuerat tempore Iezabel. Perfricuit populus frontem, pudorem & verecundiam deposuit, & concluſit Dominus pluuiam. Sed eruamus spiritum, qui sub huius litteræ cortice latet. Quid est subtrahere aquam propter scelerum impudentiam nisi, vt D Gregorius insinuare videtur, conciunatores submouere, qui instar nubium aquam infundunt, quibus virtutum semina in hominum animis procreantur? *Prohibitæ sunt stillæ pluuiarum.* Quædam glossa ait: prohibitæ sunt distributiones diuinarum gratiarum: quia non solùm concionum beneficio, sed diuinis etiam afflatibus spoliantur, quos animo præsentire solebant, qui sine vllo pudore peccatis peccata coacerbant, nec hominum conspectum reformidant.

Attigimus causam, cur iam nulla sit hypocrisis, quia scilicet virtus despectui est, virium autem honori, & gloriæ: sed cùm omnia sunt inuersa, licèt virtus non habeat, vitium tamen suos habet hypocritas, qui non ex veris animi ornamentis, sed ex vitijs simulatis laudem & gloriam aucupantur. Pauper diuitias simulat, & ignobilis humilitatem: qui omnium rerum inscius est, sapiens & dici & haberi vult, ad tantam miseriam propter temporum improbitatem deuentum est. Deus, quæ sua misericordia est, tantæ calamitati medicinam adhibeat, quâ vitiosæ reipublicæ partes sanentur.

Prop. VIII. *Quàm indecens sit, virtutem propter gloriam mundi exercere.*

Seneca epist. 113. *Hæc ante omnia sibi quisque persuadeat, ex se iustum esse gratis oportere. Non est quod expectes, quod sit iustæ rei præmium maius, quàm iustum esse. Nihil ad rem pertinet, quam multi æquitatem nouerint tuam: qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriæ. Non vis iustus esse sine gloria? sæpè igitur iustus esse debebis cum infamia: & tunc, si sapis, mala opinio bene parta delectat.* Ita Seneca.

Prop. IX. *Hypocrita non alium, sed seipsum decipit.*

Mercator, qui emptorem decipit in pretio verò, decipere dicitur, quia damnum infert illi; at hypocritam se virtute præditum fingens, se, non alios decipere dicemus. Quid enim mali alijs defert? imò alijs sæpè prodest exemplo suo, dum vel eleemosynas confert, vel publicè orat, vel humiliter incedit. Licèt enim hæc ob vanam gloriam operetur, nos de occultis non iudicamus. est qui quærat, & iudicet. qui ergo exteriora solummo videmus, in his ædificamur, ipso vanæ gloriæ reo manente.

Vnde illi reputatur meritò ad stultitiam: sicut de habitatoribus Sichar adnotauit Richard. de Sanctus Victor. lib. de 12. Patriarch. cap. 33. qui, vt Sichem eius Princeps, ad libitum duceret matrimonium, circumcisionis dolores non recusarunt; sic hypocritæ, vt alijs placeant, se vanitatis iaculo feriunt. Placent quidem, imò ædificant, vt dixi, & tamen dolorem culpæ ipsi postea subituri. Vnde rectè illis quadrat nomen terræ illius Sichem, quæ vocabatur Hemor, quæ dictio, vti asseruit Philo, lib. de migratione Abrahram, interpretatur, asinus & vinosus, *mouento, & beodo.* Tales sunt hi, qui alijs boni sunt, solis ipsis mali sunt, circumcidentes à se, quæ sibi gaudio, vel vtilitati esse possent, vt placeant; quibus displicent fortè, &c. *Victor.* *Philo.*

Præterea, quamuis hypocritæ vanam hominum æstimationem quærant, sæpè nec eam assequuntur; quia Dei iusto iudicio, per nescio quas rimulas, suorum operum, quamuis opera ex se bona sint, vanitatem interiorem reliqui discernunt.

Vnde Laertius lib. 2. refert, quòd cùm Socrates Antisthenem Philosophum videret pallio scisso indutum, *Per scissuram palij tuam,* inquit, *respicio vanitatem.* Sic per scissuram carnis, ieiunijs, & verberibus, & asperitatibus conscissæ, solet vanitas manifestari: & ob id Christus ieiunantes, & orantes, & eleemosynam facientes, palam hypocritas nominauit. *Laertius.*

Prop. X. *Hypocrisis quàm insanabile malum sit.*

Sanctus Petrus Chrysologus sermon. 7. *Hypocrisis virtutum fucus, subtile malum, secretum virus, tinea sanctitatis.* Ita ille. Quatuor hæc pondera. Primò, est *fucus virtutum*, quia hypocrita, non virtutem sed speciem virtutis habet, apparentiam non existentiam. Quid inde mali sequatur, subdit: *Secretum virus*; virus est, sed latens; mala autem tantò difficiliùs curantur, quantò secretiora sunt, in cute hypocrisis sanctitas apparet, interiùs verò in visceribus venenum est; inde est, quòd, sicut malo corporis latenti remedia non adhibentur; sic nec hypocrisi. Præterea, *subtile malum*, adeo quidem subtiliter animam ingreditur, vt & ipsummet hypocritam decipiat: sæpe namque se sanctum sibi mentitur, qui nihil minùs, adeo subtile vitium est. Denique hypocrisis, inquit, est *tinea sanctitatis*: sicut enim tinea sine strepitu ex ipsa purpura oriens, purpuram priùs absumit & consumit, quàm sentiatur; sic hypocrisis priusquàm perspiciatur, merita bonarum actionum destruit & furatur. Vnde meritò subdit Sanctus Chrysologus: *Crudeli arte virtutes truncat, mucrone virtutum: etenim abstinentiam debellat gula; castitatem luxuria, charitatem inuidia, & ceteras virtutes cetera vitia: at media hypocrisis sibi ipsi actus virtutis ingerit bellum, virtutem virtutis actione perimens.* *S. Petrus Chrysol.* *Simile.*

Remedium autem tanti damni est, amare secretum, & à conspectu hominum opera virtutum præstare. Nam vti ait idem Sanct. ibidem: thesaurum qui non abscondit, prodit, virtutes proditæ non manebunt: virtutes enim, sicut proditores suos deserunt; sic suos instant custodire custodes. Hoc Christus hortatur, cùm dicit: *Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum,* &c. Ita ille. *Matth. 6. 17.*

Simile.

IACTANTIA.

Prop. 1 *Quòd non in nobis, sed in Deo gloriari debeamus*
2. *Qualiter iactantiam & propriam laudem vitare debeamus.*
3 *Aliquando licet se laudare propter Dei obsequium.*
4. *Iactantia maculat opera nostra.*
5. *Iactantia punitur alijs peccatis.*

Prop. I. *Quòd non in nobis, sed in Deo gloriari debeamus.*

Vers. 31. *Vi gloriatur, in Domino glorietur,* 1. Corinth. 1. Mirè explicat Sanct. Bern. locum istum aduersùs eos, qui iactant opera sua, quasi à se, & honorem, ac gloriam debitam Deo pro bonis omnibus, (nam ipse primus fons totius bonitatis est) attribuunt sibi, osculãtes manus suas, & super alios extollentes & laudantes seipsos. Ait ergo Apostolus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Sanct. Bernard. serm. super hæc verba, ponderat, cur non dixerit Apostolus absolutè, nullus modò glorietur, sed qui gloriatur, in Domino glorietur: *Noverat,* (inquit) *Apostolus gloriam propriam esse creatoris, non creaturæ, secundùm illud:* Gloriam meam alteri non dabo, *& illud:* Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus. *Et rursus:* Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Sed considerauit rationalem creaturam adeo gloriam affectare, vt aut vix, aut nunquam, ab hoc compesci desiderio posse: quippe quæ ad imaginem facta est creatoris, propterea secundùm datam sibi à Deo sapientiam, saluberrimum adinuenit consilium, dicens: Quandoquidem persuaderi nobis non potest non gloriari, saltem qui gloriatur, in Domino glorietur.* Ita Sanctus Bernardus. Quid autem sit, in Domino gloriari, idem S. Bernard. sic explicauit: *Considera* (inquit) *quantùm superexcedit Philosophia Pauli Philosophiam sapientum mundi huius, quæ nimirum stultitia est apud Deum. Cùm enim Philosophi viderent, nonnullos laudibus alienis delectari, & gloriam ab inuicem quærere, qui inter eos fuere præcipui, prudenter aduerterunt, vanam esse huiusmodi gloriam, & penitus contemnendam. Sed studiosiùs inquirentes, quænam appetenda esset gloria sapienti, hîc iam plenè euanuerunt in cogitationibus suis, propriâ cuique sufficere gloriâ arbitrantes. Sicuti ergo cupidi laudu alienæ tota solicitudine operã dabãt, ea operari, quæ mirarentur homines, & laudarent, sic isti sola ea fectanda iudicabant, quæ interior animus arbiter approbaret. Et hæc quidem summa Philosophia sapientum huius mundi est, sed ipsa quoque minùs habens, vnde vtramque gloriam sublimi contemplatione veritatis Apostolus transcendens,* Qui gloriatur *(inquit) non in alio, non in se,* sed in Domino glorietur, *& maiori sollicitudine gloriam in se redarguens Apostolus:* Non enim *(inquit)* qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. *Vt quid enim aut de alterius hominis, aut de meo ipsius iudicio sollicitus sum, cuius nec vituperio reprobus, nec laude probatus inueniat? Fratres, si me ante vestrum tribunal stare oporteret, meritò super vestris laudibus gloriarer. Quòd si vel meo ipsius examine iudicandus essem, iure meo ipsius testimonio contentus, propriis laudibus delectarer; nunc autem, cùm nec vestro, nec meo, sed Dei sim iudicio præsentandus; quantæ insipientiæ, imò insaniæ est, aut in vestro me, aut in mei ipsius testimonio gloriari, præsertim cum ipse sit, cuius oculis omnia nuda sunt, & aperta, & cui nequaquam opus sit, vt quis ei testimonium præbeat de homine. Meritò proinde Apostolus ipse vanæ, & fallacis gloriæ reprobator,* Mihi *(inquit)* pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque me ipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui enim iudicat me, Dominus est. *In quibus quidem verbis diligenter considerandum est, quòd alienum iudicium pro minimo habens, suum quoque non sequeretur, quamuis non illud à Deo pro minimo iudicaret habendum.* Ita Sanct. Bernard. Vnde vana est illa gloria, quam quis ex aliorum laudibus, & approbatione venatur. & hanc etiam Philosophi sapientiores damnabant, & vana etiam ea, qua quis interius approbans opera sua, intra se gloriatur, & delectatur in illis, quam approbabant illi Sapientes, dicentes, quòd sapiens est sibi sufficiens theatrum, in quo talis approbatio, & laudatio interior sui ipsius est, & complacentia sui ipsius. Hanc etiam reprobat Apostolus, eò quòd nemo sui ipsius iudex est, & solus ille approbandus sit, quem Deus approbat, & commendat. & quia vsque ad Dei iudicium nemo scit, an à Deo approbatus sit, ideo modò timere nos magis decet, etiam cùm bona operamur, quàm interiùs gloriari. Adde, quòd licet Deus approbaret modò opera nostra, & laudaret, nos in eo gloriari debemus, hoc est, bonorum operum nostrorum, & rerum, Deo gloriam dare, & non nobis. *Quid enim* (ait Apostolus) *habes, quod non accepisti, quòd si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Semper igitur in Domino gloriemur, non in nobis, siquidem non à nobis habemus, sed à Deo bonum, quod habemus.

Isaiæ 42. 8. *Luc.* 2. 14. *Psal.* 113.

2 Cor. 10. 18.

1. Cor. 4. 3.

1 Cor. 4.

Prop. II. *Qualiter iactantiam & propriam laudem vitare debeamus.*

Matth. 3. Matth 3. cùm Christus à Ioanne baptizatus fuisset, vox de cœlo ruit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Audiebat populus multus hanc vocem, cui tamen conueniret, Christo an Ioanni, nesciebat. Id autem opus erat, vt testimonio tanto Deitas Christi comprobaretur: dicere autem Christum de se propter se factam vocem, non expediebat. dicerent quippe illi malè affecti: Tu testimonium perhibes de te, testimonium tuum non est verum. Quòd si assereret Ioannes, non propter se fuisse prolatam, existimasset populus id ex humilitate Ioannis emanasse; quapropter affuit spiritus Domini in specie columbæ, & supra caput Christi resedit, vt videns populus, diceret: *Agnus Dei est hic,* assignans quem annunciauerit vox, Dei filium esse. Theophyl. in cap. 1. Marci: *Operatur hoc Spiritus sancti descensus, ne, cùm Pater superius diceret: Hic est filius meus dilectus, putarent qui audirent, hoc de Ioanne dixisse, descendit super Iesum, ostendens quòd de illo dictum esset.* Ita ille. Theophyl.

Hinc discamus de nobis non testimonium dare, dabit, cùm opus fuerit, qui dederit illud promereri, vt hoc loco effectum videmus. Et similiter quando S. Ioseph vidit vxorem prægnantem, voluit occultè dimittere illam, & Virgo mysterium celauit, ne de se testimonium ferret, dicens: *Ego de Spiritu sancto concepi Filium Dei;* remisit negotium Deo, nec fruſtra: Deus enim Angelum misit, qui mysterium Ioseph aperiret in Virginis testimonium.

Prop. III. *Aliquando licet se laudare propter Dei obsequium.*

Similia. S. Anctus Chrysostomus hom. 73. *Cùm Paulus propter Pseudoapostolorum fraudem sua narrare cogeretur, adeò fuit illi molestum, & graue, vt refugeret, & id appellaret audaciam, sed postquam multam vidit necessitatem; vt deceptorum ora clauderentur, & aliquod auxilium discentibus daret, ita ferè cæpit:* In quo quis audet, in insipientia dico, audeo, & ego. *Considera religiosam animam, non tantum audaciam, verum & insipientiam, vem vocat, nos quoque docens, non incassum, & absque necessitate, gesta nostra iactare.* Ministri Christi, *ait,* sunt & ego, vt insipiens loquor, plus ego, *quasi dicat: non ignoro, quòd rem damnabilem faciam, nec congruam mihi, sed multa necessitas ad hoc me cogit, propterea*

2. Cor. 11. 21. Ibid. v. 24.

pterea parcite mihi, insipientiæ verba loquenti. Huius ergo Sancti vel vmbram nos imitentur, tot habentes peccatorum sarcinas, qui, si quid parum boni præstiterimus, ab omnibus gloriam aucupamur, iactantes, & agentes in medium, & per hanc importunam loquacitatem nos ipsos diuina priuantes retributione. Ita Sanct. Chrysost. Vbi aduerte insipientiam hic vocasse Apostolum, laudem propriam, quia communiter talis sit propria laus; licuit tamen in tali occasione se laudare, quia talis laus in Dei laudem ordinabatur, &c.

A 13. *Ieiunium sine sufficiente causa non est violandum.*
14. *Exemplo Christi Quadragesimæ iejunia libenter suscipere debemus.*

PROP. IV. *Iactantia maculat opera nostra.*

IVssit Dominus Moysi (Exod. 4.) extrahere è sinu manum, quam, inquit, protulit leprosam, instar niuis: tunc, retrahe (inquit Dominus) manum tuam in sinum tuum: retraxit, & tunc reddita est, sicut reliqua eius caro. Vnde hæc tam subita commutatio? nunquid in aëre aliqua fuerat contagio, vt macula ex eo contracta, ex sinu curationem acciperet? aut in sinu virtus aliqua, quæ tam subitò à lepra liberare posset? aut si miraculosè fuit lepra inducta, vt verè fuit, cur potiùs in manu, quàm in fronte, & facie: sicut cum Rege Ozia factum est, 2. Paral. 26. vel cum Maria sorore Moysi, Num. 12. Huic dubio respondet Procop. Gazæus: Ideo Dominum leprâ manum Moysi affecisse, quia manu illa mirabilia facturus erat in Ægypto, & prodigia magna, & mare diuisurus, &c. Quasi diceret, nec manui tuæ hæc opera tribuas, nec propter hæc stupenda oculeris manum tuam, nec dicas: *Manus mea excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia.* Vide qualis manus tua in te, & ex te, leprâ scilicet infecta, & per consequens, impedita (*mano gusa*) quæ vix mundari, & moueri ad operationem possit. Absconde igitur manum tuam, ne illam ostentes, dicens: Hæc ista effecit, &c. Sed ad rem: manum mirabilia operantem in sinum, & abstonsam mundam ostendit, eductam verò maculatam, quia si virtutem, & pœnitentiâ nostram, in manu significatam, absconderimus, mundę erunt; si verò ostenderimus, maculatæ: maculat enim iactantia, & superbia, seu vana gloria, cuncta opera nostra; quantumuis mirabilia sint.

Ib.

PROP. V. *Iactantia punitur aliis peccatis.*

SAnct. Ambros. lib. 10. in cap. 22. Lucæ, agens de negationibus Petri Apostoli, *Hæc* (inquit) *scripta sunt, vt sciamus, neminem se debere iactare; nam si Petrus lapsus est, qui dixit:* Etsi alij scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor; *quis alius iure de se præsumat? denique, & Dauid, quia dixerat:* Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternũ, *eam sibi iactantiam obfuisse profitetur, dicens:* Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Ita S. Ambrosius.

ut. 26.

19. 7.

ad 8.

IEIVNIVM.

PROP. I. *Quantùm placeat Deo ieiunium.*
2. *Ieiunium, vt acceptum Deo sit, non solùm à cibu, sed à peccatis esse debet.*
3. *Ieiunium ad militiam spiritualem conducit.*
4. *Ieiunium plurimùm ad salutem corporis conducit.*
5. *Ieiunium peccatorum remedium est.*
6. *Ad superandas tentationes conducit ieiunium.*
7. *Ieiunio domatur caro.*
8. *Ieiunium ad orationem mentalem conducit.*
9. *Ieiunium ad impetrandum à Deo conducit.*
10. *Ieiunans temperatè debet sumere cibum.*
11. *Contra illos qui post ieiunia gula indulgent.*
12. *Ieiunium plurimùm conducit ad salutem animæ.*

PROP. I. *Quantùm placeat Deo ieiunium.*

IOnæ 4. dolebat Ionas eò quòd Deus Niuiuen non deleret, sicut in nomine eius prædicauerat ipse, cùm dixerat: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*; quem vt confunderet misericors Deus, hederam illam procreauit in Ionæ solatium, quam tamen illico exsiccauit: super hoc Ionas valdè angebatur, ad quem Dominus: *Tu doles super hederam, in qua non laborasti, nec fecisti, vt creseeret, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte periit, & ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram, & sinistram suam, & iumenta multa?* Hoc vltimum expendamus, *& iumenta multa*, inquit: nunquid Deo cura est de bobus? quid in his iumentis vidit, quorum causa erga peccatores Deus ita misericors apparet? Respondet sapiens quidam Theologus: Vidit iumenta illa suo etiam modo ieiunasse: sic enim præceperat Rex, iumẽta, & boues, & pecora non gustent quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant, &c. Vide quantùm Deo ieiunium placet: ieiunium quidem illud non erat, sed vmbra quædam, *y vn lejes del ayuno*: vmbra, inquam, longè à ieiunio petita, si ergo vmbra ieiunij tantum præstat, quid veritas ipsa ieiunij? si vmbraticum, inquam, iumentorum ieiunium adeo placet Deo, quantò magis hominum ieiunium ipsi placebit?

Ionæ 3. 4.

Ib. 4. 10.

Ex miraculis quæ in fauorem, & honorem ieiunij fecit Deus, id comprobat Sanct. Chrysostom. hom. 1. de pœnitent. tom. 5. dicens: *Daniel leonum ingrediens lacum, eum, quasi ouibus mutibus appositam escam, non tangebant, ipsa excitante, & impellente natura: nihil enim angustius illo bestijs fame: nam & septem diebus non acceperant cibum, & veluti carnificæ quodam intrinsecùs vrgente, & vt corpus Prophetæ discerperent, clamante, cibum venerati sunt.*

Chrysost. Dan 4.

Tres etiam pueri, dum apud Babyloniam caminum ingressi, & in igne multo colloquentes tempore, igne ipso fulgidiora corpora habentes egressi sunt. Si ignis erat ille, quomodo quæ ignis sunt partes, non implebat? si corpora erant illa, quomodo his, quæ corporibus contingere consueuerunt, non contingebant? quomodo? ieiunium interroga, & respondebit, & tibi soluet ænigma. Vidisti pugnam admiratione dignam? vidisti nouam, & inauditam victoriam? ieiunium mirare, quoniam quidem in camino fert opem, & in leonum custodit lacu. Ita Sanct. Chrysostom. Quasi diceret, tantùm Deo ieiunium nostrum placet, vt hæc mira sic operatus fuerit Deus in ieiunij fauorem, &c.

Sic multi ieiunia formidant, ac si graue quid & inimicum ieiunium sit, &, sicuti ait Sanctus Chrysostom. sic se aduersùs ieiunium, velut cõtra hostem, muniunt, & armant: vnde cùm tempus imminet Quadragesimę, terram, mare circumdant, vt cibos sibi quadragesimales abundanter & deliciosè parent, delicatiusque tunc edunt, & bibunt, quàm in reliquo tempore anni, veluti sibi inimicum ieiunium cogitantes. Vnde contingere hîc videmus, quod de quibusdam Ecclesiasticis viris ait Sanctus Bernardus, *Interim*, inquit, *fercula sercula apponuntur, & pro solis carnibus à quibus abstinent, grandia piscium corpora duplicantur, cumque prioribus fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis tibi nescio quid gustasse pisces, tanta quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor ac quinque ferculis deuoratis, prima non sima non impediant, nec satietas minuat appetitum; palatum quippe, dum nouellis seducitur condimentis, paulatim dissuescere cogunta, & & succos extraneos, veluti adhuc ieiunium audè venoatur, in desideria venter, dum nescit onerari,*

Hom. 1. de pœnitent

In Apologia ad Guillelmum.

tur, sed varietas fastidium tollit: quia enim puras, vt eas natura creauit, epulas fastidimus, dum alias aliis multifariè permiscentur, & spretis naturalibus saporibus, quos Deus indidit rebus, quibusdam adulteratis, quia prouocatur, transitur necessitatu meta, sed necdum delectatio superatur. Et vt cetera taceam, quis dicere valet, quot modis sola ova verfantur, & vexantur, quantoque studio euertuntur, subuertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur, & nunc quidem frixa, nunc ossa, nunc farsa, nunc mixtum, nunc sigillatim apponuntur. Vt quid autem hæc omnia, nisi vt soli fastidio consulatur; ipsa deinde qualitas rerum talis desoris apparere curatur, vt non minùs affectus quàm gustus delectetur, & cum iam stomachus crebris ructibus se indicet repletum, necdum tamen curiositas satiatur.

Ita Sanct. Bernard. Quæ omnia quamplurimis ex nostris ieiunantibus eueniunt: plùs enim & voluptuosiùs vnico prandio insumunt in die ieiunij, quàm in duobus reliquis diebus.

Animaduertant igitur Christiani quàm necessarium quàmque Deo gratum sit rationabile ieiunium nostrum, Sanct. Basilius. *Angeli* (inquit) *sunt, qui in singulis Ecclesijs describunt ac recensent capita ieiunantium; vide ne ob breuem essendi voluptatem, simul & primeris Angeli recensione, & teipsum apud eum, qui recensuit, exercitum, obnoxium facias descriptoris crimini.* Ita ille. *De manera que los Angeles hazen minuta y alistan a los que ayunan, y la presentan a Dios, señor en tales parrochias los que ayunan son estos y estos, como negocio importante y muy grato a Dios, aun que no tiene su sabiduria infinita necesidad de relaciones de Angeles, que bien contados y notados los tiene, &c.*

2 Cor. 12. 2. 2. Cor. 12. sic de se Paulus: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.* Eximium quidem donum Dei, sed quid ex parte sua operatus est Apostolus, vt tale ac tantum reciperet donum? S. Basil. serm. 1. de ieiunio, Paulum, inquit, *inter alia multa ieiunium in tertium cœlum euexit.* Ita S. Basil. vide quantum apud Deum ieiunium valeat.

Exod. 19. Exod. 19 assumpsit Deus Moysen in montem Synai, & ibi quadraginta dierum spatio cum Deo conuersatus est, & Deus illi communicauit mirabilia legis suæ, & speciatim tribuit tabulas legis diuinæ, &c. Mirum hoc, & quidem beneficium tantum etiam ieiunio tribuit Sanct. Basil. serm. 1. de ieiunio, dicens: *Moysen per ieiunium nouimus montem ascendisse: neque enim aliter ausus esset verticem fumigantem adire nisi ieiumo munitus. Per ieiunium mandata conscripta digito Dei in tabulis suscepit, inferiùs verò gula ad idolatriam populum deduxit & contaminauit.* Sedit, *inquit*, populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. *Quadraginta igitur dierum laborem, & perseuerantiam seruo Dei, continuò ieiunante & orante, vna tantùm populi ebrietas irritam fecit: quas enim tabulas digito Dei conscriptas ieiunium accepit, has ebrietas contudit, propheta sanctissimo existimante vinolentum populum ex Deo legem accipere indignum esse.* Ita S. Basilius.

Exod 32. 6. S. Basil. 3. Reg. 9. 3. Regum 19. in monte Horeb visitauit Dominus Eliam, & cum eo benignè & familiariter egit, magnum quoque hoc beneficium fuit: causam autem eius expendens Origen. hom. in cap. ieiunij ait; Elias per quadraginta dierum ieiunium magnificam illam visionem vidit. Ita Origen. Et Sanct. Basil. vbi suprà, *Ieiunium*, inquit, *Eliam magnæ visionis spectatorem fecit; quadraginta namque dierum ieiunio animam purgans, in spelunca Horeb meruit, quantum homini fas est Deum videre. Ieiunans quoque viduæ filium resuscitauit, & incolumem reddidit matri, & fortis ac potens contra mortem apparuit.* Ita Sanctus Basilius.

S. Basil. S. Basil. Eximium quidem miraculum, & ingens Dei fauor

Dan. 3. fuit trium puerorum Dan. 3. quando Nabuchodonosor Rex potens misit illos in fornacem ignis ardentis, & misit Deus ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, neque molestiæ

A quidquam intulit: imò adeo hilares ibi erant, vt simul ibi componerent & canerent canticum illud celebre, quod Ecclesia ex illorum ore sumens, ferè quotidie canit: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, &c. Vnde illis gloria tanta? Origen. in eadem hom. in capite ieiunij, sic respondet: *Tres illi pueri delicioſam mensam contemnentes, legumina in ieiunio sumebant, & ita flammæ fornacis sumpta virtute fidei extinxerunt.* Ita Origen. fide, inquit, extinxerunt, quia fides firma miraculorum effectrix est. Sed in hoc miraculo ait Origen. fides cincta ieiunio tam gloriosum miraculum patrauit, quodanimes omnium gentilium illorum in eximiã admirationem extulit, & præcipuè Regis, qui eos ad fornacem damnauerat, qui deinceps & propteréa eos valdè honorauit, & reuerentiam eis & Domino nostro exhibuit. Ibid 17. Origen.

Prodigiosæ fuerunt Samsonis vires, quis ignorat? quibus mira Dei ope operatus est, leones trucidauit, mandibulâ asini mille Philisthæos semel occidit, funes fortes velut filum brachiorum vi rupit, templi Philistinorum duas fortissimas columnas euertit, & templum ipsum deturbauit totum. Vnde vires & auxilia tanta Dei? Sanct. Basil. serm de ieiunio, *Quid*, inquit, *fortissimum Samsonem & indomitum reddidit? nónne ieiunium? per quod in matris ventre conceptus est, ieiunium illum concepit, ieiunium nutriuit, ieiunium virum fortem fecit.* S. Basil.

Magnum etiam miraculum fuit Danielis, quem missum in lacum leonum fame laborantium septem leones, nec tangere vestimenti pilum ausi sunt, & hoc quidem Deus effecit post ieiunium Danielis, vti asserit S. Basil. ibidem, dicens: *Daniel vir desideriorum panem tribus hebdomadis non comedens, nec aquam bibens, etiam leones ieiunare docuit, in eorum lacum descendens: velut enim ex lapide & ferro factus esset, leones in eum dentes figere minime potuerunt: ieiunium enim eum inuictum leonibus fecit.* Ita S. Basil. Idem.

Exod. 16. sic Moyses ad populum agens de manna: *Nullus relinquat ex eo in mane: qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque mane, & scatere cœpit vermibus atque computruit.* Ponderat locum istum S. Ambros. serm. 7. in Quadragesima & ait: *Vsque adeo placuit Deo abstinentia filiorum Israel in deserto, vt quorumdam intemperantia notaretur, ita vt quisquis auidior duplum in mane sibi collegeret, hac inuitia feriretur, vt non tam in cibum munnerur reseruasse quàm vermes.* Ita S. Ambrosius. Exod. 19. S. Ambr.

PROP. II. *Ieiunium, vt acceptum Deo sit, non solùm à cibis, sed à peccatis esse debet.*

SAnct. Chrysost. homil. 3. ad popul. *Accuratum debet esse ieiunium, non tantùm à cibis, sed à peccatis: non enim natiua ieiunij peccata eximere sufficit, nisi congrua cum lege fiat. Etenim ait Paulus Athleta:* non coronabitur, nisi legitimè certauerit. *Ne igitur inter ieiunij labores à ieiunij corona excidamus, discamus, qualiter, & quomodo huiusmodi negotium tractare debeamus, quoniam & Pharisæus ille ieiunauit, sed post ieiunia descendit inanis, & ieiunij fructus cassus. Publicanus non ieiunauit, & Pharisæum ieiunantem præcessit. Ieiunauerunt Niniuitæ, & Dei misericordiam elicuerunt, ieiunauerunt Iudæi, & nihil profecerunt, sed culpati abierunt. Videamus quomodo Niniuitæ ieiunauerunt, & quomodo à Dei ira liberati sunt: num ieiunium, & saccus tramillam soluerunt? nequaquam, sed totius vitæ mutatio. Vnde hoc manifestum? ab ipsis propheticis verbis: sic enim inquit: Et vidit Deus opera eorum: qualia opera? nunquid ieiunauerunt, quòd saccum induerunt? nihil horum, sed hæc omnia tacens, intulit:* quoniam conuersus est quisque à vijs suis malis. *Cernis, quòd non ieiunium periculo eripuit, sed vitæ mutatio Deum Barbaris placatum, & benevolum reddidit? Hæc dixi, non vt ieiunium contemnamus, sed vt ieiuntum honoremus: honor enim ieiunij est fuga peccatorum: ieiunas, demonstra* 2. Tim. 2. Luc. 18. 4. Ioan. 8. Ionæ 3. 10.

monstra mihi, quod ieiunes per ipsa opera, si pauperem vides, miserere, si inimicum, conciliare, si multerem speciosam, praetereas: non enim ieiunet os tantum, sed & oculus, & auditus, & manus, & pes: ieiunet manus à rapina, ieiunet pes ad illicita spectacula cursum reprimens, ieiunent oculi discentes alienas pulchritudines curiose non spectare, ieiunet auris; aurium autem ieiunium est, non suscipere detractiones: ieiunet & lingua à turpibus verbis, & conuitio: quæ enim vtilitas à carnibus abstinere, & fratres mordere? detrahens enim fraternas comedit carnes.

Propterea Paulus terruit dicens: Si autem vos inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini: *non infixisti dentes carni, sed animi maledictum, improbam suspitionem infixisti; vulnerasti, inuenerus asseculi malus, & teipsum, & illum, & alios plures.* Ita S. Chrysost.

Idem Sanct. Chrysostom hom 62. ad popul. *Propterea ciborum ieiunium suscepturn est, vt carnis impetum coerceat, & equum nobis facilem reddat. Ieiunantem ergo maxime decet, reprimere iram, mansuetudinem que docere, & humanitatem, & cor habere contritum, absurdarum quoque cupiditatum eliminare cogitationes, ante oculos insopitum illum habere oculum, & ineuitabile tribunal, pecuniis esse superiorem, multam in eleemosynis largitatem ostendere, omnem ex corde nequitiam in proximum expellere. Hoc verum est ieiunium, sicut & Isaias ait, ex Dei loquentis persona:* Nunquid talem est ieiunium, quod elegi, per diem affligere animam suam? nunquid contorquere, quasi circulum, caput suum, & saccum, & cinerem sternere? nunquid istud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino? nónne hoc est magis ieiunium, quod elegi, dissolue colligationes impietatis, &c. *Vidisti charissime, quale sit ieiunium verum? Hoc igitur exerceamus.* Ita S. Chrysost.

Prop. III. *Ieiunium ad militiam spiritualem conducit.*

Militia cùm sit vita hominis super terram, vt verè sic esse testatur S Iob, armatos nos incedere oportet; arma verò militiæ nostræ, non carnalia, sed spiritualia sunt, &, vt alia omittam, vnum proferam, ieiunium scilicet: quantùm enim ad debellandum inimicos animæ conducat, sic explicabo.

Tentauit hostis antiquus vehementissimè Iobum, camelos, & boues abstulit, oues multas igne combussit, domum filiorum euertit, decem filios tempestate obruit vna die, & vt ista grauiùs vrgerent animum eius, nunciòs paulatim sibi ipsis inmediatè succedentes misit, qui casus nũciarent. Quod & sic adnotauit S. Gregor. 2. Moral. 15. *Notandum* (inquit) *quàm callidè tot malorum pondera, & diuisa, & subita nunciantur, vt & repentè, & particulatim crescens in audientis corde dolor, se se ipse non caperet, vt tantò ardentius in blasphemiam accenderet, quantò subtis, ac multi pl cibus nuncijs in se angustijs æstuaret.* Ita S Greg. Vel igitur vnum aliquem seruorum in nuncium à morte seruauit, vel ipse hostis se in nuncios transfigurauit, vt facilius euaderet victor; & insuper percussit sanctum virum vlcere pessimo à planta pedis, vsque ad verticem eius; ita vt scaturirẽt vermes è corpore ipsius, qui, si Origin lib. Iob, credimus, non vermes, sed dæmones erant, vermium figuram habentes, qui corpus Sancti terebrabant, & vehementer cruciabãt, *que le taladraban el cuerpo, y le daban tan desapiada dentezadas, que se sacauan el alma.* Super hæc autem amici, seu potiùs crudeles inimici, eiusdem hostis arte, quando solari sanctum virum oportebat, verbis suis animam eius, non minùs, quàm vermes dentibus corpus corrodebant, imò cor, cui pepercerãt vermes, acriùs vulnerabant. Sensit Iob se in aciem, & certamen vocatum, arma quæsiuit; quænam verò hæc? Post septem dies (inquit textus sacer) loquutus est Iob, & non comedit, neque bibit. Duplex armorum genus, primum silentium, & quidem, cùm in patientia tentamur, optimum est scutum silẽtium, oboritur persecutionis tempestas, ad portum silentij confuge, & ibi salua animam tuam à contradictione linguarum, & ab hominũ conturbatione. secundùm autem simile huic ieiunium est, non comedit septem diebus, neque bibit, & antequam huiusmodi ieiunium compleret, quantumuis sanctus esset, loqui ausus non fuit, nec desperantis animi, sed pœnitentis, & se humiliantis, & præparãtis ad pugnam fecit ieiunium hoc; quare & de hoste victoriã fœlicem reportauit. Vis æreas potestates debellare? ieiuna, &c. Saturos autem, & ventri deditos non timent animæ hostes. Refert Suetonius in vita Vitelij, nuntiatum aliquãdo fuisse Romę Imperatori Galbæ Vitellij in profectione quadam, contra imperium Romanum velle rebellare, tunc Galba, rónne Vitellius vorax, & ventri deditus est: Igitur timendus non est: nimiùs quippe cibus, nimiusque potus animum deijciunt, & cor prociue ad delicias, non ad labores, fuit. Sic igitur hostis antiquus ieiunantes & abstinentes timet, gulæ verò deditos non timet.

Comedentes igitur, & bibentes surgite principes, arripite clypeum, ô principes Babylonis, instant crudelissimi hostes, & vos cum Balthasare cibis, delicijsque vacatis, surgite à mensa, dimittite delicias, arripite citò arma: tempus enim est belli, non pacis pugnandi, & non manducandis instant, fratres, animæ hostes, tempus belli, & tempus pacis, nunc tempus est arma capessendi, & pugnandi, non lasciuiendi, & deliciandi, fed expugnandi potentissimos inimicos. neque de imperio Babyloniæ agitur, & vita corporali, sed de regno cœlorum, & vita animæ sempiterna.

Prop. IV. *Ieiuniam plurimum ad salutem corporis conducit.*

Sunt qui existiment, se ex ieiunio debilitatẽ corporis, & capitis dolorem, & alia incommoda contrahere, quibus sic respondet S. Chrysost. hom. 21. de pœnit. *Medicos percunctare, qui abstinentiam matrem sanitatis appellant. Pedum verò dolores, & grauedinem capitis, vomitum, apostema, hydrop sim, & phlegmata, milleque aliorum morborum torrentes a delicatis cibis, & crapula dicunt prouenire, quasi a pessimo quodam fonte riuulos parnos: bonam verò valetudinem, & animæ sanum intellectum, non tam delentes, quàm depopulantes.*

Prop. V. *Ieiunium peccatorum remedium est.*

Sunt qui, cùm tempus ieiunandi adest, contristantur, & occasiones non ieiunandi quærunt, quasi ieiunium vel contrarium illis vel inutile sit. Ad hos sic S. Chrysost. hom. 1. in Genes. *Deus nos, velut pater, filios indulgenter amans, cupiens nobis abluere peccata nostra, hanc, quæ per ieiunium fit, curationem adinuenit.* Ita ille. Ecce quid ieiunium sit, peccatorum curatio: ecce quid Deus per indictum ieiunium intendat, nos à peccatis liberare, & tu ieiunia refugis? Quis infirmus præcepta Medici optimi non libenter recipit, gratias illi agens imò & remunerans?

Prop. VI. *Ieiunium ad superandas tentationes conducit.*

Matth 4. sic de Christo Domino: *Cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Cur, quæso, Christus Dominus ieiunauit? nos quidem ieiunijs indigemus, vt carnem spiritui subijciamus, & passiones eius moderemur, & pro peccatis satisfaciamus; at Christus, cùm Deus sit, & nullo horum indigeat, cur ieiunat? S. Basil. serm. 1. de Ieiunio, sic respondet: *Dominus Iesus, qui carnem humanam, causa nostri*

Isai. 58.

Chrysost.

Matt. 4. 2

S. Basil.

nostri assumpsit, ieiunans priùs diabolum vicit, profectò nos instruere volens, vt ieiunijs nos ad inimicorum certamen paratos reddamus. Ita ille. Christus enim non solùm verbis, sed etiam exemplis docuit, sicut in lotione pedum discipulis suis dixit: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Vnde Dauid Psal. 143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Gratias ibi agit Dauid Deo, quia docuit eum pugnare, & vincere gigantem Goliath: non ait, qui robur mihi dedit ad superandum viribus, sed quia docuit eum in funda & lapide militare & occidere eum. quòd si tanti fecit, & tales refert gratias Deo Dauid, quia è cœlo docuit sic eum corporaliter; quales nos dignas Deo gratias reddere debemus, qui factus homo in terra, opere & exemplo suo docuit nos contra diabolum, & contra mundum, & carnem pugnare, & facilè eos superare? Vicit in deserto diabolum non consentiendo tentationibus eius, & opponendo voluntati eius voluntatem Patris sui; docuit nos vincere mundum, recedens ab eo in desertum; docuit nos vincere carnem ieiunio suo; restat nos eius sumere exemplum & practicam doctrinam, vt facilè & nos victores euadamus. Concludit igitur ad rem S. Basil. ibi: *Si mentem robustam ac valentem tibi esse voluerit, carnem per ieiunium subiugabis: hoc enim est, quod Apostolus ait:* Quantùm exterior homo corrumpitur, tantò interior de die in diem renouatur. *& rursus:* quando infirmor, tunc potens sum. Ita S. Basil.

Ioan. 13. 15.
Psal. 143. 1.
S. Basil.
2. Cor 12. 10.

A

B

C

Prop. VII. *Ieiunio domatur caro.*

PRima Cor. 9. Apost. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte, cùm alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Quis ais Apostole sancte, qui plùs omnibus pro Christo laborabas, tu reprobari times? tu qui primitias spiritus accepisti, tu qui à Deo ipso è cœlo pro te solo descendente, qui primò pro cunctorum descenderat salute, tu, inquam, times? Væ nobis, si talis ac tantus Apostolus, & sanctus timet, quis securum se iudicabit? Quid igitur sic timens facis, vt saluti tuæ prouideas? castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; quonam pacto? vt & omnes similiter faciamus, qui similiter saluari desideramus. S. Ambr. epist. 82. ad Eccl. Bercel. Sanct. Chrysost. & Theophyl. super hunc locum Pauli, asserunt, hanc Pauli castigationem esse ieiunium, ieiunando corpus castigabat, & rationi subditum reddebat. Si tantus medicus sibi tale pharmacum applicabat, optimum fuisse constat. Hoc igitur ille, sicut Paulus, vtatur, qui sicut Paulus, optat saluari.

1 Cor. 9. 27.
S. Ambr. Chrysost. Theoph.

Alias, vti quidam Sanctorum Patrum olim dicebat, qui multum comedit, & carnem domare vult, est sicut qui carnem à se reijcere vult, panem & carnem illi proijciendo: lapide enim duro, non pane abijciendus est hic carnis canis.

Simile.

Vnde in hymno primæ Sanct. Ambros. *Carnis terat superbiam potus, cibique parcitas.* Quid est carnis superbia? nunquid superbia non est vitium mentis? cur carni superbiam Ambrosius tribuit? quia superbia magna est, cùm inferior superiori vult dominari. Caro naturâ suâ inferior est animæ rationali, dominatur autem animæ, cùm eam ad libidines, & sensualitates suas inclinat: nónne hanc magnam carnis superbiam dices? quodnam igitur remedium adhibebo? carnis, inquit, terat superbiam potus, cibique parcitas.

D

Cyprian. S. Basil. Chrysost. S. Hier. Augusti.

Eundem effectum abstinentiæ tribuunt S. Cyprian. serm. de ieiunio, S. Basil. art. 1. de ieiun. S. Chrys. hom. 2. super Gen. S. Hier. epistola ad Eustoch. S. Aug. 10. cõfessio. c. 31. & quidem si Galenus, Hippocrates, Auicenna, & alij principes artis medicinę in natura, qualitate, & vtilitate alicuius medicamenti conueniunt, sic de tali medicamento omnes iudicandum iudicamus; sic etiam si tot, & tales medici spirituales in vnum conueniant, & ieiunium, & abstinentiam mirabile esse remedium contra carnis superbiam, & contumaciam doceant, & ad subijciendam illam spiritui; meritò illis fidem adhibere debemus, & nostræ salutis remedium, quod in subijciendo spiritui carne maximè consistit, in ieiunio situm esse certò iudicare.

Vnde hoc pharmaco vsi sunt omnes Sancti, qui verè sancti fuerunt: historias eorum lege, & nullum non ieiunantem reperies: neque enim, moraliter loquendo, saluatur, qui gulæ deditus fuerit, qui semper inimicum fouere, & ab eo non vinci, miraculum ingens erit.

Prop. VIII. *Ieiunium ad orationem mentalem conducit.*

SAnctus Athanas. lib. de virgin. & Sanct. Ambros. lib. de esca, & ieiun. cap. 2. necessariam mentis, & animæ dispositionem ad diuina penetrandi ieiunio seu abstinentiam esse docent, quia, vt Sanct. Hieron. asseruit, venter pinguis, nunquam gignit tenuem mentem: qui cibo plenus, ad dormiendum quàm ad orandum aptior est.

Athanas. S. Ambr.

Hinc 3. Reg. 19. cùm Deus se Eliæ manifestare vellet, priùs illum 40. dierum spatio ieiunare voluit, non, inquam, vnius, vel alterius diei, sed 40. quò significaret nobis, ad Deum, & eius diuina intuenda mysteria nobis opus esse ieiunio.

Hinc S. Bern. serm. in vigilia S. Andreæ, ob id ab Ecclesia vigilias institutas esse affirmat ante dies festos, vt in eisdem meliùs mysteria, quæ celebrantur, considerare, & intelligere valeamus. Dies autem festiui ad hoc instituti sunt, vt illis rebus diuinis vacemus. Vnde præcipuis festiuitatibus vigiliæ præcedunt, quia in illis præcipuè diuinis rebus vacare debemus.

S. Bern.

Sic etiam Daniel c. 10. ad diuinas suscipiendas reuelationes, trium hebdomadarum spatio ieiunauit, & quidem Sanctus ille abstinentissimus erat, quod inde facilè colligere vales, quod cùm adhuc iuuenis esset, & in regia cibos regios ei præses administraret, obstitit ille, & leguminibus contentus fuit, nihilominus tamen orationi vacans, tot dierum adhibuit ieiunia, & post illa reuelationes mirabiles meruit.

Hinc etiam fit, quòd multi, dum concionatores audiunt, fere mihi percipiant, quia nimirum plenos ad concliones ferunt ventres, & sæpè concionatores incusant, dicentes, non nihil hodie placuit concio, & sortè non concio, sed gula causa est: *Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.*

2. Cor. 2. 14.

Prop. IX. *Ieiunium ad impetrandum à Deo conducit.*

SI oratione aliquid à Deo impetrare optas, adhibe ieiunium, & facilè etiam difficilia impetrabis. Sic Anna mater Samuelis talem filium impetrauit à Domino: sic enim ait Sanct. Hieronym. lib. 2. contra Iouin. *Inanis est venter filio meruit impleri.* Ita ille. Et quidem, cùm priùs sterilis natura esset, legem illam naturæ ieiunium soluit, ieiunio se subdidit natura ipsa, & gratiam obtinuit ieiunando, quam lex naturæ negabat.

D

S. Hier.

Sic Sara, quæ postea vxor Tobiæ fuit, cùm septem sponsos à dæmone suffocatos videret, & ob id improperium maximum pateretur, Tob. 3. in cubiculum quoddam domus suæ se recipiens, tribus diebus ita ieiunauit, vt nec diebus nec noctibus illis, cibum vel potum sumeret vllum, tunc orabat cum lacrymis, & exauditæ, inquit, sunt preces eius in cõspectu gloriæ summi Dei, & liberata fuit ab illo dæmone, & improperio, quia statim prouidit illi Dominus optimum sponsum Tobiam prædiuitem factum, & sanctum virum, benedictionis fructum percepit, & omnia ex animo in posterum

Tob. 3.

posterum successerunt, nimirum quia orauit ieiunans. A Quis dubitat sæpius antea pro hac re orasse Sarain? nunquam tamen legimus exauditam, nisi modò, cùm ieiunium orationi adiunxit: alas enim adhibet ieiunium orationi, quibus volat, & quibus ad Dei solium venit, & peruenit, &c.

Clemens Alexan. apud Euseb. in historia Eccl. c. 17. refert Ioann. Euangelistam ad impetrandam gratiam cuidam adolescenti, multùm ieiunasse, tametsi apud Deũ tantâ ipse gratiâ polleret. & præterea S. Hier. præfatione in Matth. & Beda super c. 1. can. Ioannis affirmant eundem Apostolum, cùm Euangelium scribere decreuisset, priùs ieiuniũ fidelibus indixisse, quo à Deo gratiam tantopere necessariam impetrarent. Vnde Euangelium Ioannis eminentissimum fuit, non solùm quia Ioannis, sed quia ieiuniorum opem secum tulit.

Mar. 9. homo quidam adduxit ad discipulos Christi filium dæmoniacum, at Apostoli exorcismis suis dæmonem expellere nequiuerunt. Adduxit ergo ille homo filium Christo, enixè obsecrans filium sanari, fa- B nauit Christus, tunc discipuli: Domine (inquiunt secretò) quare nos non potuimus eijcere eum? quibus Dominus: Hoc genus Dæmoniorũ in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio. Non solam orationem dixit, sed ieiunium orationi copulauit, vt nihil adeò difficile fore credamus, nullum adeò pertinax, & contumax dæmonium, quod ieiunio, & orationi non cedat.

Hinc dæmonum cura sunt ieiunia nostra, horret, & abhorret hostis ieiunia, quia à corporibus, & etiam ab animabus ipsos expellit. Quare ieiunorium tempore excusationes suggerit, ad ieiunia vitanda, infirmitates aggrauat, difficultatem ieiunij auget, qualitatem personæ ponderare facit, medicorum corda sollicitat, vt contra ieiunium sententiam ferant. *Mirad lo bien, y vereys que puesto a pleyto el ayuno, de ordinario sale condemnado en el tribunal del medico*, hoc, inquam, curat nimirum hostis, quia ieiunium ei vim facit, torquet, expellit.

Hinc 3. Reg. 21. cùm pessima Iezabel Naboth occi- C dere iniustè vellet, & falsum aduersùs eum fingeret testimonium, vt Dei consilio suum regeret peruersum, sic ad iudices scripsit: Prædicate ieiunium, & sedere facite Naboth inter primos populi. Ad quid, inquam ieiunium hoc: nisi vt mentium omnium oculos turbaret, vt scilicet omnes crederent ieiunio veritatem contra Naboth fuisse reuelatã: tanta est authoritas ieiunij, etiã apud infideles, tantùm apud Deum valere fatentur.

Prop. X. *Ieiunans temperatè debet sumere cibum.*

Svnt, qui sic ieiunent, vt quamuis eo Ecclesiæ præcepto satisfaciant, non tamen Ecclesiæ fini ac intentioni. Ad quid enim ieiunium institutum est, nisi ad carnis fortitudinem domandam? quomodo ergo eam domare poterit, qui quamuis semel in die comedat, tunc ciborum copiã, & suauitate, ac præstantiã se ingurgitat, non ita quidem veri ieiunatores, Dauid Psal. 108. *Genua mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum*, hoc est, id ieiunio meo effectum est, vt genua mea præ debilitate tremerent, vt vix incedere valerem. D

Imò Christus Dominus postquam ieiunauit, esurijt, hoc est, eò vsque ieiunium protraxit, quò vehementer esuriret, vt nos ita ieiunandum esse doceret, vt scilicet esuriem, & debilitatem efficiat, & non vt nonnulli ieiunantes, qui plus vnico prandio vescuntur, quam alij tribus. Vnde non esuriem, sed grauedinem, & indigestiones inde sentiunt, &c.

Prop. XI. *Contra illos qui post ieiunium gulæ indulgent.*

De vulture sic scribit Sanct. Epiphanius: *Vultur, ait Physiologus, cunctis auibus voracior est: quadragintâ enim diebus abstinet à cibo, quem cum muenit, totis se ex illo labris ingurgitat: quadragesimam itaque abstinentiam, quadragesima ingluuie compensat. Tu igitur, spiritualis homo, qui quadragesimali ieiunio Dominicam resurrectionem expectas, noli ventri fœde indulgere, ne quadragesimalis ieiunij fructum perdas.* ita ille. S. Epiph.

Prop. XII. *Ieiunium plurimùm conducit ad salutem animæ.*

Hinc dæmonibus infestum est ieiunium, animarum quippe salutem hostes abhorrentes, quidquid ad salutem earum iuuat, odio habent. quanto igitur odio hostes ieiunium prosequantur, ex illo Marc. 7. probat S. Chrysostom. tom. 5. homil. 1. de pœnitentia: *Vbi oblatus energumenus Apostolis nullus eorum hominem valuit liberare, quantumuis exorcismis dæmonem illum facilè exturbaret, ab eo discipuli quæsierunt? Quare nos non potuimus eijcere eum? quibus Dominus: Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio.* Chryſ. Ait igitur S. Chrysost. Etenim si lunaticus (hoc est, dæmonium habens) fuerit quis, ieiunij ei faciem ostende, & lapidibus ipsis immobilior manebit, timore suffocatus, & veluti vinculo quodam detentus, idq; potissimùm, cùm viderit ieiunio adiunctam sibi sociam, contubernalemq; orationem; propterea Christus dicit: Hoc genus dæmonij non ejcitur, nisi ieiunio, & oratione.

Hinc reprehendit ibi S. Chrysost. eos, qui Quadrage- Chryſ. simæ tempus timent, eò quòd ieiunandum sibi norunt. *Non nobis*, inquit, *ieiunium, sed dæmoniorum naturæ tremendum est. Quòd si saluti nostræ hostes sic ieiunium persequantur, & inimicis vitæ nostræ tam sit timendum, nonne amare id nos decet? Crapulam quidem, & ebrietatem timere oportet, non ieiunium, illa siquidem post terga ligat manus, vitiorumq; tyrannidi, veluti cuidam prauo domino, seruos nos, & captiuos reddit: ieiunium verò seruos existentes nos & ligatos peccatis inueniens, vincula remittit, & tyrannide liberat, & in prisstinam libertatem reducit.* Ita S. Chrysost. Vnde in fine illius homiliæ sic contra se ingurgitantes in carnis priuio, sic ait: *Qui malè se cibis ingurgitant, cùm asperas sunt medicinas accepturi, nimiâ se escâ sepeliunt, & sic medicinam accipiunt, asperitatem medicinæ pertulerunt, vtilitate verò exciderunt, agram facientes medicinæ medicationem, ad corrupti humoris malitiam; quare medici eos incœnatos dormire mandant, quò virtus medicinæ quamprimum morbositi occurrat humoribus; si te hodie multâ obruerit crapulâ, crastinâ verò ieiunij acceperis medicinam, hanc tibi inutilem effeceris, & laborem quidem pertuleris.* Ita Sanct. Chrysost. qui ideò hæc dicit, quia per multos dies Quadragesimæ huiusmodi crapula carnis priuij solet animus hebetari ad res sacras, &c.

Prop. XIII. *Ieiunium sine sufficiente causa non violandum.*

Ab omnibus Esau vituperatur, quòd vili cibo lenticularum, vendiderit primogenita sua, & quidem ille aliqualem excusationem saltem prætendit: dicebat enim se fame tunc deperire, *En*, inquit, *morior, quid mihi proderunt primogenita?* tu verò, qui, ne fame torquearis in die ieiunij, primogenita regni cœlorum pro cibo vendis, ieiunium soluens, quo nomine dignus eris? Si ille, non obstante necessitate illa, Simile. Ge. 25 32.

quàm prætendebat, ſtultus ab omnibus indicatur, tu A qui gulà potiùs ſtimulatus horam comedendi præueniſti, qui nominaberis? quà pœnà non dignus eris, quam excuſationem prætendes? Fames, inquies, vexabat, & hoc quidem eſt, quod ieiunio Deus intendebat, in hoc pœnitentiæ meritum, hoc quidem eſt, ſicuti debes, ieiunare; &c.

1. Reg. 14. 43. Simile. Nota eſt hiſtoria Ionathæ filij Saul, quando ignotans ipſe contra mandatum Regis, & iuramentum eius, fauum guſtauit mellis, cuius rei cauſa pater morti eum tradere volebat: cui Ionathas. Guſtans guſtaui in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior. Crediderim ego, non tam mortem acerbam, quam vilem eius cauſam doluiſſe Ionathàm: ſi enim in bello fortiter dimicando cecidiſſet, fortè gaudens obiret: at pro vili mellis edulio mortem ſubire, morte acerbius reputabat. Ita cùm guloſus in diuino iudicio morti addictus fuerit ſempiternæ, tactus dolore cordis intrinſecùs, hæc in inferno verba replicabit: guſtans guſtaui paululum cibi, & ecce B pereo in æternum.

Gen. 31. 34. Gen. 31. receſſerat Iacob cum domo ſua ex domo Laban, hoſpite inſalutato, quapropter inſecutus eum fuit, maximè quia idola quædam furto ſublata inuenit. Cùm igitur ſocerum fuiſſet conſequutus, idola quæ-
Simile. rere cœpit, quæ quidem Rachel verè ſecum ſecretò abſtulerat, & ſubter ſtramenta Cameli reconderat: ingrediente ergo Laban tentorium Rachelis, ſedit illa ſuper ſtramenta illa, nec ſurrexit, dicens, ſe non rectè valere. Hic ſiſtamus, & obſerua, ſub quo prætextu idola ſeruauit, & abſcondit, ſub prætextu infirmitatis; ſic multi ſub tali prætextu carnem, quam tanquam idolum colunt, defendunt, ſeu gulæ idolum abſcondunt. Non valeo ieiunare aiunt, ſic palliant intemperantiam ſuam, ſed ſi potuit Rachel diſſimulatione huiuſmodi patrẽ celare idola, non Deo, ſic quamuis tu hominibus celaueris intemperantiam, non tamen Patri cœleſti, qui videt in abſcondito.

At, inquies, medicorum conſilio ſoluo ieiunium. Sit ita, ſolutio quidem ieiunij certa eſt, ſecuritas conſilij C medicorum non ita: ſæpè enim exaggerationibus vtimur, cùm medicis infirmitates referimus, ſæpè etiam medicum conſulere ſolemus, qui non ſicut ceteri timoratæ conſcientiæ ſint, id à Deo ſupereſt examinandum in morte.

Sunt igitur qui prætextu infirmitatis, vel capitis, vel ſtomachi, vel alterius partis corporis, ſe à ieiunio excuſent; conſulunt medicos, morbos tacitè amplificant, & robur ſuum attenuant, & iam facilè, qui eos à ieiunio deobligent, inueniunt: timeo, non imbecillitatem corporis, ſed animi eſſe, timeo aſſiduas delicias, in quibus ſunt enutriti, & deſuetudinem pœnitentiæ in cauſa eſſe. Sacra narrat hiſtoria, Saulem arma ſua bel-
1. Reg. 17. lica Dauidi obtuliſſe, vt ad ſingulare certamen contra gigantem properaret, quibus Dauid indutus cœpit tentare, an ſic incedere poſſet & dixit: Non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo, & ſic depoſuit ea: optima quidem erant arma illa, vtpote regia, ſed quia vſum non habebat, illis vel incedere nequibat. Sic de ieiunio, & alijs corporalibus pœnitentijs eſt dicen- D dum, arma hæc ſunt, quibus aduerſùs tartareos hoſtes, aduerſuſque carnem, & mundum pugnare debemus: at multi ea deponunt, alias ipſi rationes prætendunt, multi fortè ea ſolùm ratione, quia vſum non habent. Potuit Dauid, poſtquam bellorum experimentum cæpit, non ſolum armis Saulis, ſed armis Goliath aduerſùs alios pugnare, quia iam aſſuefactus erat; ſic multi, qui in ſæculo carnibus, etiam diebus Veneris, ſibi opus eſſe dicebant, religionem ingreſſi omnibus diebus poſtea facilè ieiunarunt, & communes ac viles religionis edere cibos potuerunt, quia iam vſum ieiunandi habuerunt. Diſcant interdum per anni decurſum aliquando ieiunare, & diſciplinis, ac cilicijs aſſuefieri, & ſic tempore. Quadrageſimæ, & tentationum hæc exercere ſcient, &c.

Prop. XIV. *Exemplo Chriſti Quadrageſimæ ieiunia libenter ſuſcipere debemus.*

INuehitur in eos, qui Quadrageſimæ tempore prætendunt excuſationes S. Bern. ſerm. 1. in cap. Ieiunij, dicens: *Communiù eſt obſeruantia ieiunij, quidni commune ſit Chriſti ieiunium omnibus Chriſtianis? quidni caput ſuum ſequantur membra? Si bona ſuſcipimus ab hoc capite, mala cur non ſuſtineamus? an reſpuere triſtia volumus, & communicare iucundia? Omne enim quod patitur ille, pro nobis eſt. quòd ſi in opere ſalutis noſtræ ei collaborare tedet, in quo deinceps coadiutores nos exhibebimus illi? Non eſt magnum, ſi ieiunet cum Chriſto, qui ſeſſurus eſt ad menſam patris cum ipſo. Non eſt magnum, ſi compatiatur membrum capiti, cum quo & conglorificandum eſt. Mihi omnino adhærere tibi bonum eſt, caput glorioſum. Sequar te quòcumque ieris.* Ita S. Bernardus.

Sunt qui abſtinent à ieiuniis, quia, vt aiunt, ipſi debilitantur, quibus S. Laurent. Iuſt. vt eius refert hiſtoria, *Non ſimul ac fuerit corpus*, inquit, *extenuatum, de abſtinentia recedendum eſt, imò propterea eſt abſtinendũ.* Ita ille.

INFERNVS.

Prop. 1. *Pœna damni in inferno grauior multò eſt pœnâ ſenſus.*
2. *Quàm horribilis ſit ignis æternus inferni.*
3. *Quàm grauia tormenta ſint in inferno:*
4. *Inferni pœnam æternam eſſe quàm horrendum ſit.*
5. *Inferni grauitas grauitatem peccati manifeſtat.*
6. *Conſideratio pœnarum inferni quantùm conducat.*
7. *Grauitas ignis inferni ad quarendam miſericordiam Dei nos prouocat.*
8. *Vt infernum euadas, nihil vtilius quàm de inferno loqui & ſæpe cogitare.*

Prop. I. *Pœna damni inferno grauior multò eſt pœnâ ſenſus.*

SAnctus Chryſ. hom. 24. in Matth. *Qui vritur in gehenna, cœlorum regnum prorſus amittit, quæ certè pœna maior eſt, quàm cruciatus ille flammarum. Noui autem quòd quamplurimi pertimeſcant gehennam, ego tamen illius gloriæ amiſſionem multò amariùs, quàm ipſius gehennæ, dico eſſe ſupplicium.* Ita ille. Et paulò inferiùs: *Intolerabilia quidem res eſt gehenna, ſed tamen ſi mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus eſt, quale eſt à beatæ illius gloriæ honore repelli.* Ita ille. Chryſ.

Ratio autem huius eſt manifeſta, quia tantò aliquod malum eſt grauius, quanto priuat maiori bono: ſed Dei viſio eſt omne bonum, & ipſa beatitudo noſtra. Hoc igitur malum, non ſolùm grauius, ſed grauiſſimum eſt, quatenus tanti boni priuationẽ dicit.

S. Chryſoſt. hom. 35. ad pop. *Ne quis mihi gehennam commemoret, gehennã namque penas eſt omni illa excidere ſuperna gloria, & innumeris penis eſt pœnis illa ſorte priuari, & tamen adhuc præſentibus inhiamus, neque diaboli aſtutiam cogitamus, qui per parua nos magnis ſpoliat, & lutum præbet, vt aurum rapiat, vt auferat cælum, vmbram prætendat, vt à veritate nos extrudat, & in ſomnijs phantaſias oſtendat (hoc enim ſunt præſentes diuitiæ) vt cùm illuxerit, omnibus nos pauperiores exhibeat. Nec tunc dicere licebit: Ignorauimus præſentiu vitæ corruptibilitatem, rebus quotidie clamantibus tubâ clariùs præſentium vilitatem, riſum, pudorem, periculum, præcipitia. Quam igitur habebimus excuſationem periculoſa, & vilia ſectantes ſtudio multo; tuta verò & glorioſa fugientes?* Ita S. Chryſ. Chryſ.

Idem S. Chryſ. hom. 47. ad pop. *Multi hominum gehennam ſolùm formidant, ego autem gloriæ amiſſionem gehennâ multò amatiorem eſſe dico: intolerabilis eſt quidem gehen-* Chryſ.

gehenna , tamen,licèt quis innumeras ponat gehennas , tale nihil dicit , quale illâ excidere gloriâ , & à Christo audire, Nescio vos. Si verò sermone probari hoc non possit, nihil mirandum : neque enim illorum bonorum nouimus beatitudinem,vt & miseriam ex eorum priuatione sciamus. Paulus,qui hæc manifestè nouerat,sciebat, quòd à Christi gloria decidere omnium grauissimum sit , & nos quoque tunc sciemus , cùm in eandem venerimus experientiam , nunquam autem hoc patiamur. O vnigenite , fili Dei ne vllam vnquam capiamus experientiam huius irreparabilis pœnæ. Ita S. Chrys. A

Prop. II. *Quàm horribilis sit ignis æternus inferni.*

NAhum. 1. *Indignatio eius effusa est vt ignis , & petræ dissoluta sunt ab eo.* Originale Hebræum sic habet, *& silices dissolutæ sunt ab eo.* Diuinam indignationem ignem vocat , silices dissoluentem , vt magnitudinem eius & periculum. damnumque nostrum, aliquo modo significet;quòd si talis est,vt silices in cinerem conuertat,quid de nobis dicendum est, qui caro tenuis,& delicata sumus ? & ira hæc vehemens in peccantes, læpe in sacra Scriptura nobis denuntiata est, vti Deut. 32. *Ignis succensus est in furore meo , & ardebit vsque ad inferni nouissima ,* [*La ira de Dios es vna manera de fuego que penetra hasta los infiernos.*] Etenim apud nos ignis accenditur,licèt ingès, si verſetur aqua,vel aliis remediis extingui soleat , ignis verò iræ Dei inextinguibilis est, Ier. 4. *Ne forte,* inquit,*egrediatur vt ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat.* Vbi nota locum supradictum , Nahum. 1. sic vertisse Symmachum & Theodotionem , *Indignatio eius stillabit vt ignis ;* instillatio autem temperare videtur vim indignationis diuinæquod enim stillatur , paulatim cadit. Sed tamen in litteris diuinis.cùm de ira Dei sermo est , non minuit magnitudinem diuinæ indignationis , sed magnitudinem periculi nostri exponit,vt constat ex illo 2. Paral. 34. *Magnus furor Domini stillauit super nos.*& infrà; *Stillabit furor meus super locum illum, & non extinguetur.* Perpende, quomodo furor Dei stillatus magnus, & inextinguibilis nihilominus dicatur ; quòd si stillatio iræ Dei talis est , quid erit effusio illa ignis æterni in inferno? Ponderatio est S. Gregor. 21. Mor. 16. *Quomodo toleranda est pœna , quæ reprobat , si ferri non potest ira quæ purgat?* ita ille , quem etiam vide 17. Mor. 21. ponderantem verba illa Iob 26. *Cùm vix paruam stillam* , &c. Meritò igitur clamat Isai. 33. *Quis poterit de vobis habitare cum igne deuorante? quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis?* Quasi dicat : si scintillam ignis huius domus nostræ ferre non possumus , cùm ignis hic quasi pictus sit comparatus igni inferni , quique solum tangit corpus, & non animam , quis poterit sustinere ignem illum, qui corpus penetrat & animam , & durat in sempiternum?væ nobis! B C

Psal. 74. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, verumtamen fex eius non est exinanita ; bibent omnes peccatores terræ.* Si *merum* , quomodo *mixtum* ? Sensus communis est , quòd hic loquatur Propheta de calice iræ, & iustitiæ Dei in peccatores in hac vita , quòd purus sit , hoc est, fortis & vehemens , vt patet in punitione primorum parentum in diluuio , in supplicio Sodomorum,& aliis similibus; *mixtum* verò propter diuersitatem pœnarum,sed tamen fæx eius remanet ad puniendum peccatores in die iudicij , & in inferno , vti explicuit Isidorus Pelusiota in hunc locũ,dicens: *Quia si peccatores modò salutem animæ aspernantur , vim numinis vltricem non effugient ad extremum , sed bibent meritò poculum facis in iudicio.*ita ille Etenim grauia solent esse supplicia Dei in hoc mundo , sed huius grauitatis fæx erit in iudicio ; modò enim pœnæ sunt temporales , tunc æternæmodò: tolerabiles , sed tunc intolerabiles prorsus ; denique ignis æterni gehennæ , & numquam terminandæ.Væ impœnitentibus,&c. D

Prop. III. *Quàm grauia tormenta sint in inferno.*

LVc. 16. rogauit diues ille damnatus Abrahamum, vt mitteret Lazarum ad fratres suos, vt illis prædicaret pœnitentiam.Respondit Abraham : *Habent Moysen,& prophetas, audiant illos.* Cui diues . *Non,pater Abraham , sed si quis ex mortuis ierit ad illos , pœnitentiam agent.* Tanta enim , & tam ingens est vis illa tormentorum inferni,vt existimaret diues ille , eos solos aptos esse ad enarrandos cruciatus illos , qui eos in alia vita cognoscunt : non enim in mentem hac in vita degentium , acerbitatem tantam venire posse censebat. Equidem non dubito , peccantes conceptum horum tormentorum rectum minimè in corde formasse : si enim qualia,& quanta illa sint, rectè perciperent ; potiùs millies exigerent,se viuos comburi , quàm peccare : sed quia, vt par est , id minimè concipiunt mente , clausis oculis in crimina se conjiciunt. *Vers 29.*

Sicut beatitudo cœli,secundùm Theologos,est status omnium bonorum aggregatione perfectus ; sic de pœna illa, & condemnatione inferni dicere possumus, quòd sit status omnium malorum aggregatione perfectus: status quidem,quia in æternum , & vltrà durabit, & perdurabit pœna illa , cum eadem intensione sine vlla remissione. *Pena sin declinacion alguna,* &c.

Secundò, status est omnium malorum per aggregationem , quia sicut nullum bonum in cœlo beatis deest, ita nullũ malũ damnatis , ibi omnes corporis sensus, & potentiæ interiores patientur intensè , visus videndo horribilia, auditus audiendo clamores validos,& blasphemias, & gemitus, ac planctus miserabiles prorsus, olfactus grauissimis afficitur fœtoribus , gustus amaritudine,omni felle maiori,tactus igne infernali, in cuius comparatione,vti S. Aug. nosterhic ignis depictus est, quantumuis intensè accensus sit : anima verò quibus, & quantis cruciatibus ibi crucietur , sicut indicibile est , in cœlo quantis gaudeat bonis , ita & hoc indicibile , & incogitabile est. denique sicut status ille beatorum in bono perfectus est ; ita inferni status in malo perfectus est,quia ad rationẽ mali nihil suprà. *Augusſt.*

Vnde rectè damnatis applicari potest illud , *Congregabo super eos mala , & sagittas meas complebo in eis.* Deut. 32. *alli agora Dios , digamos , la aljaba de sus saetas* , quia nusquam , & nunquam maioribus tormentis creaturas Deus cruciat, sicut ibi. *Deut. 32. 23.*

Ierem. 30. minabatur Dominus populo suo dicens: *Insanabilis fractura tua,pessima plaga tua : plagã inimici percussi te,castigatione crudeli.* Verba hæc infernali pœnæ optimè conueniunt , potiùs quàm vllis temporalibus pœnis , quia nullum malum hîc ita insanabile reperitur,quod pœnitentiã non valeat resarciri ; ita vt saltem post vitæ cursum, & Purgatorij pœnas, non possit homo saluari , & ab omni malo liberari , at in inferno nulla est redemptio ; insanabilis ergo *fractura* illa, *pessima plaga* etiam hæc in gradu superlatiuo , quia reliquæ omnes pœnæ in eius comparatione sunt , ac si non essent. Præterea est *plaga inimici* , & *castigatio crudelis*;ad differentiam tribulationum mundi,quæ ad misericordiam,& remedium animarum à Deo immitti,& ordinari solent. quod in visione illa Ier. 1. videtur adumbratum, vbi Dominus ad Prophetam : *Quid tu vides Ieremiã?* & ille : *Virgam vigilantem ego video* ; cui Dominus secundò: *Quid tu vides? Ollam* , inquit , *succensam ego video.* Pœnæ vitæ huius virgæ tribui possunt : sicut enim virgà percutimus vestes , ac talis percussio in bonum dirigitur vestimenti , ad excutiendum videlicet pulueremeius , & purgandum ; sic castigationes Dei in hac vita ad purificandas animas à Deo solent ordinari. Vnde meritò Dauid Psalm. 22 *Virga,* inquit,*tua, & baculus tuus , ipsa me consolata sunt.* Felix pro *baculo* trans- *Ier. 5. 11. Simile. Psal. 22. 4. Felix.*

transfert, *pedum*, quod est baculum pastorale (*el cayado*) A
quo pastor dirigit oues, licèt aliquando baculo illo
Simile. percutiat eas, & alicuius frangat crura; quia hoc, ne in
os incidat lupi, vel ne in vetita introeat, fit; sic Deus,
licèt aliquando vulneret peccatorem, *y le pierne quebre*, in bonum peccatoris resultat, ne in os incidat diabo-
li, & inferni, & ne in vetita ingrediatur, &c. Vnde
Ps 44 8. Psal. 44. *Virga directionis, virga regni tui.* Vbi S. Hiero-
Hieron. nymus. *Per virgam correctio intelligitur disciplinæ, quia per illam corda illorum diriguntur, quæ tortuosa erant.* Ita ille.
Virga igitur Dei, *virga directionis* dicitur, hoc est, virga
dirigens vitam nostram; quamuis ergo hac virgâ per-
cutiamur, non ideo miseri reputandi sumus, sed feli-
ces, quia vulnus est ad salutem animæ. Olla igitur illa
succensa timenda est, cuius supplicium non ad dire-
ctionem ordinatur, sed ad omnimodam perditionem,
infernum dico.

Phalaris. Phalaris Rex quidam tyrannus ad cruciandos ho-
mines tauro æneo vsus est, intra quem hominem cru-
ciandum apponere iubebat, & igne torreri paulatim: B
vbi miserrimum quidem erat videre, & audire homi-
nem, sic combustum: at infernalis pœna incorruptibiliter in quouis damnato maior est.

Chryſ. S. Chryſ tom. 5. epistolâ 5. *Quum ignem inferni audiu, ne arbitreris esse hunc similem: hic enim accensus deficiet, & mutatur; ille autem semel in flammam exurgens, perpetuò ardet, & nunquam finietur: Qui peccauerint, necesse est, vt in-*
duant immortalitatem, non tamen ad honorē sibi, verùm ad vt continuum viaticum superfit illius supplicij. quod, quàm sit horrendum, oratio nequit explicare: ab experimento rerum tenuium fieri potest, vt accipiamus de magnis aliquid coniecturæ. Si quando in balneo fueris nimium efferuescente, tum gehennæ recorderis; & rursum si aliquando febri acriore con-
flagraueris, ad flammam, quæ tunc est, progredere, tunc probè intelliges, quia si balneum, & febris adeo nos afflictant, ac ter-
ritant; quo animo erimus, quando in fluuium ignis inciderimus, qui ducitur ab illo horrendo tribunali. Profectò frendemus dentibus propter labores, & cruciatus illos indicibiles, nemo
suppetias feret ibi, nihil videbis præter condemnatos tecum, & immanem solitudinem. C

Et hic quidem non simul contingunt, vehementia pœnarum, & earum diuturnitas: altera enim cum altera pugnat propter conditionem corruptibilis corporis, non ferentis ea; im-
mortalitate autem succedente, soluitur hæc pugna, & magna potentia nos in infinitum hæc mala possidebunt, nec excessus vllus tormentorum permet animam nostram, nec corpus hoc poterit in illo tempore consumi cruciatibus. Quàm exquisitas igitur delicias appetis, & quantum temporis opponi cupis illi supplicio, & pœnæ? vsque centum annos, aut bis centum? Verùm quid hi sunt ad sæcula infinita? quod enim est somnium vnius diei ad omnem vitam, hoc erit fructus rerum præsentium comparatus ad statum bonorum futurorum. Estne igitur qui, vt suaue somnium videat, per omnem vitam eligat ferre cruciatum? & quis sic stultus est? Nonne id animas damnatorum contristabit, quòd meminerint, quòd occasione se emendandi per hos paucos dies non vsi, se tradiderint immortalibus malis?

Chryſ. Idem S. Chryſ hom. 49. ad pop. *Pone, si libet, ignem, ferrum, & bestias, & si quid his difficilius; attamen nec vmbra sunt hæc ad illa tormenta: nam hæc quidem, cùm vehementiùs incubuerint, tunc maximè leuia fiunt, celerem afferentia liberationem, corpore non sufficiente ad vehementiam, & ad longitudinem pœnæ: illic autem non ita, sed ambo conueniunt, & prolixitas, & excessus tormentorum; vnde hæc omnia ludicra sunt ad illa supplicia. Denique hæc temporalia sunt, illic verò neque vermis moritur, neque ignis extinguetur: est enim corpus ibi nostrum incorruptibile: sed absit, vt vnquam hæc per experientiam discamus, sed hîc emendemus.* Ita Sanct. Chryſ.

Prop. IV. *Inferni pœnam æternam esse, quam horrendum sit.*

PSal. 48. de damnatis sic Dauid: *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Cur sicut oues magis, quàm sicut lupi, cùm luporum nomen, & similitudo magis congruat eis, quàm ouium. quæ simplicitatis symbolum sunt? Ariſt lib. 8. de hist. animal. oues inter cætera quadrupedia stolidiora pecora esse ait: quod rectè damnatis congruit: quid enim stolidius, quàm damnari, cùm possit quis saluari, *Aquel que se salua, sabe, que el otro no saue nada*, &c. Sed accipe stoliditatis rationem in lib. Sap. cap. 5. *Ergo errauimus.* Huius consequentiæ quale est antecedens? illud quidem: *Comedamus, & bibamus. Venite fruamur bonis, quæ sunt, coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Bene, ad pratum se conuocant, vt oues, vel ob id, dici possent, quid enim aliud oues dicerent, si dicere possent? Sed ad rem: ecce antecedens; nunc ad consequentiam, *Ergo erramus.* Aduerte, quàm pessimi dialectici hi sunt, antecedens in vita, & consequentia post mortem, antecedens in hoc mundo, consequentia in inferno? quænam stoliditas maior? si saperent, sic argumentarentur, Comedamus, dicimus, & bibamus; ergo erramus. Hoc simul in hac vita dicere debuissent, & non errassent: hoc enim discrimen est inter virum sapientem, & stulum, quòd sapiens, ne posteæ pœniteat, facit modò, quod facere debet; stultus verò, quia non facit modò, quod debet, posteæ eũ pœnitebit: sapiens item in præsenti respicit quod futurum est, stultus in futuro attendit, quid agendum erat in præterito. Meritò igitur oues stulti nuncupantur, quia tam serò sapiunt. Secundò, *Mors*, inquit, *depascet eos*, quod sic exponit Innocent. Papa tertius lib. 3. cap. 9. *Ductum est hoc à similitudine iumentorum, quæ non radicitus euellunt herbas, sed summitatem solummodo carpunt; vnde iterum herbæ renascuntur ad pastũ; sic & impij, quasi à morte pasti, in inferno reuiuiscunt ad mortem, vt æternaliter moriantur.* Ita ille. *Pſal. 48. Innocent.*

S. Aug. concione 2. de 2. parte Psalmi 48. sic legit locum illum: *Mors pastor est eis: pastor ad hoc pascit oues vt in vita consecruentur. Mors igitur, quæ hîc in hac vita, non pastor noster, sed pascens nos est, in inferno pastor est, quia non occidere, sed conseruare intendit, ne in æternum moriantur, vt in æternum moriantur.* *August.*

Vnde rectè idem Innocent. ibi: *Tunc erit mors immortalis, tunc viuent mortui, qui vitâ sunt mortui, quærent mortem, & non inuenient, quia vitam habuerunt, & perdiderunt.* Audi Ioannem in Apoc. c. 9. *In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam: desiderabunt mortem, & fugiet mors ab eis. O mors quàm dulcior ipse es, quibus tam amara fuisti, te solam desiderantes optabunt, qui te prius vehementer abhorrebant.* Ita ille. *Apoc. 9.6.*

S. Greg. *In inferno* (inquit) *erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum: eris miseris mors sine morte, defectus sine defectu, quia mors ibi semper incipit, & deficere nescit.* Ita ille. *Greg.*

Ezech. 4. *Fili hominis sume tibi sartaginem ferream, & pones eam in murum ferreum inter te & inter ciuitatem.* Quid sibi vult murus iste sartaginis? Apollinaris diuinæ pietatis priuationem esse dicit. Minatus erat Dominus ciuitati Ierusalem desolationem domorum, & templi, & posteæ superaddit interpositionem huius muri ferrei, vt quasi muro quodam ferreo coercitus Deus (ait Apollinaris) neque cerneret, quæ ibi fiebant, neq; sibi supplicantes audire videatur. ô verè horrendũ supplicium, ita diuinâ prouidentiâ remanere destitutum! *Operuisti in furore, & percussisti nos, occidisti, nec pepercisti; opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* ait Ieremias *Ezech. 4. 5. Apollin. Thren. 3.*

remias Threnor. 3 Operuisti scilicet nos calamitatibus ex ira tua profectis. ita explicant S. Thom. Hugo Car. Lira, & Dionys. Oppositi nubem, ideſt, sententiam contra nos, quâ decreuisti nos punire: at vocat illam nubem, quæ facili negotio, vento scilicet, vel radijs solis, resolui solet; sed tamen contra Ieruſalem vehementiùs inuehitur ibi Deus, interpositionem minatur, non nubis, sed ferrei muri, quod quidem in diuino supplicio grauissimum est: dum enim spes veniæ adhuc supereſt, flagelli grauitas non adeo tremenda est, sublata verò spe, desperatione grauissimum redditur supplicium. Tale igitur est supplicium inferni, interpositus est ferreus murus inter Deum, & damnatos, nulla ibi supereſt spes, sed omnimoda desperatione in æternum torquebuntur. O verè miseri; ò verè infelices! &c.

Prop. V. *Inferni grauitas grauitatem peccati manifestat.*

Litteræ, quæ succo cibri conſcribuntur, legi non possunt nisi admotę igni, ita etiam magnitudo peccatorum hominis præſciti occulta est, etiam ipsi homini, & non percipit grauitatem eorum, quamuis in corde ea contineat; percipiet autem ea in tartareo igne, *pœna quippe oculos aperit, quos culpa claudit*, vti ait Sanct. Greg. Papa. Vnde Diues ille damnatus ab Abraham petebat, mitti aliquem ex alio mundo, qui grauitatem illam peccatorum, quam ipse tunc in igne cognoſcebat, fratribus prædicarent, ne & ipsi damnarentur, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum: vt testetur (inquit) grauitatem nempe peccatorum, quæ tali ac tanta pœna puniuntur.

Prop. VI. *Consideratio pœnarum inferni quantùm conducat.*

Apoc. 14. audiuit Apoſtolus Ioannes Angelum quendam voce magna dicentem: *Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, aut acceperit characterem eius in fronte ſua, aut in manu ſua, bibet de vino iræ Dei, & cruciabitur igne, & ſulphure in conſpectu angelorum ſanctorum, & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſeculorum.* Et subdit: *hic patientia ſanctorum eſt.* Vnde hic locus? quænam est hæc consequentia? quia mali puniendi sunt æterno igne, hîc patientia sanctorum est? patientia quidem eorum est, qui patiuntur: hi ergo qui eo pacto cruciandi sunt, patientiâ egent, Sancti verò cur? Est quidem legitima consequentia; nam Sanctis in semitis virtutis, quas perambulant, plurimæ sese offerunt tribulationes & difficultates: eis enim dictum est à Christo: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Grauis est abnegatio hæc, grauis crux, grandes, forteſque humeros requirit, & vires ingentes; quomodo ergo patienter hæc ferent serui Dei? *hic* (inquit) *eſt patientia ſanctorũ*, in consideratione nempe cruciatuum æternorũ: quis enim nõ patienter ferat paupertatem, infirmitatem, famem, sitim, dolores, iniurias, & irrisiones, carceres, exilia, falsa testimonia, equuleos, & craticulas, vt harum rerum perpessione à pœnis ignis æterni, & à cruciatibus inferni liber euadat? hic ergo patientia sanctorum est, considerantium scilicet quod pro temporali afflictione æternas pœnas vitabunt, æternamque beatitudinem consequentur.

Hinc Psalm. 118. sic ad Dominum Dauid: *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* Vbi nonnulli Patres legunt: confige clauis. Si Dauid iam timebat Deum, cur timoris clauis se configi petit? timebat quidem iudicia Dei, quia in iudicio suo peccatores ad cruciatus inferni æternos damnat, & quia salutarem hunc timorem expertus erat esse sibi vtilem valde, ideo in eo confirmari rogat, vt quasi crucifixus eo timore sit. Vnde Sanctus Basilius sic locum hunc explicauit super Psalm 33. in ea verba, *Timete Dominum omnes ſancti eius*, dicens: *Quemadmodum qui corporis membra habent clauis tranſfixa, ad actionem quamlibet immobilia ea retinent: ſic ij quorum animam occupauit Dei timor, omnem prorſus importunam peccati occaſionem vitant. Timensi itaque non eſt inopia, hoc eſt, nullam ad complectendam virtutem deeſt facultas, quia per timorem ab omni indecora, & abſurda actione reuocatur, & impeditur.* ita Sanctus Basilius. Vbi nota, quòd, qui crucifixus est, grauissimis est doloribus affectus, & tamen eos vitare non valet, quia à clauis detinetur; petit ergo à Domino Dauid, vt tanto Dei timore afficiatur, vt velut clauis affixus, à pœnis, & cruciatibus non recedat, quantumuis illi graues sint. Hæc enim est natura firmi timoris Dei, vt potiùs timens Deum, & cruciatus æternos, & quoduis tormentorum genus ferat, quàm Deum offendat.

Sanct. Chryſ. hom. 31. in epiſt. ad Roman. *Vtinam* (inquit) *prandijs & cœnu, & balneis, imò & vbique de gehenna diſputaretur: nec enim mœrore affecti eſſemus in vita huius malu, neque in bonis illius deliciati, & lætati. Quid enim mihi potes obijcere incommodi, paupertatem, morbos, captiuitatem, corporis cæcitatem? omnia hæc comparatione futuri iudicij ridicula ſunt. Continuos itaque ſermones de gehenna verſemus: non enim ſinet in gehennam incidere gehenna recordatio.* Ita Sanctus Chryſost. Vbi triplex inferni considerationis commodum obserua, scilicet huius mundi prosperа contemnere, aduersa facilè tolerare, & opera talia operari, vt à gehenna liberemur.

Item Sanct. Chryſost. homil 55 ad popul. *De gehenna iugiter audiamus, vt ex huius minis, & timore multum capiamus emolumenti. Nam ſi Deus peccantes in eũ deiecturus, huius minas non præmiſiſſet, in eam multi cecidiſſent. Si enim nunc timore animas noſtras concutiente, ſunt aliqui tam facilè peccantes, tanquam neque ipſa ſit, nihil horum dictum fuiſſet, neque intentatum, quid mali non feciſſemus? Itaque gehenna non minùs, quàm regnum Dei circa nos curam oſtendit. Ne igitur ſauitiæ, neque crudelitatis rem eſſe cenſeamus, ſed miſericordiæ, multæque benignitatis, & curæ, & dulcis erga nos amoris. ſicut niſi per Ionam ſubuerſio denunciata fuiſſet, non fuiſſet prohibita ſubuerſio. Niſi dixiſſet, quòd ſuberteretur Niniue, Niniue non ſletiſſet. Niſi fuiſſet intentata gehenna, in gehennam omnes cecidiſſemus; niſi prænunciatus ignis fuiſſet, quis ignem effugiſſet? eorum enim, quæ facere vult Deus, contraria dicit, vt quæ vult, efficiat. Non vult Deus mortem peccatoris, & dicit mortem peccatoris, ne mittat in mortem: ſed quamuis ignis illa exæſtuet, fluuius flammâ ſuccendatur; nos videmus, & delitias amplectimur, & licentiosè peccamus.* Ita S. Chryſ.

Prop. VII. *Grauitas ignis inferni ad quarendam miſericordiam Dei nos prouocat.*

Sanct Leo Papa ſerm. 4. de collectis: *Quis ſortem æternorum cruciatuum non pauęſcat? Quu mala numquam finienda non timeat?* ita ille. cui similis est interrogatio illa Isaiæ. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit de vobis cum ardoribus ſempiternis?* Addit autem sanctus Leo ibidem, *ſed ideo nuntiata eſt ſeueritas vt quæratur miſericordia* ita ille.

Prop. VIII. *Vt Infernum euadas nihil vtilius quàm de Inferno loqui, & ſæpe cogitare.*

Non poteſt fieri, vt anima de gehenna ſollicitè cogitans, citò peccet. Etenim audi admonitionem optimam. Memor, inquit, eſto nouiſſimorum tuorum, & in æternũ non peccabis. Nequit anima pœnas metuens, nõ eſſe ad delinquendũ cũctabunda.

Timor enim, siquidem robustius fuerit in animo ac flagrans, nihil in eo mundani relinquet. Si enim sermo de gehenna factus, ita humiliat & pauidum reddit, an cogitatio de illa animis perpetuò immorata, animam non quouis igne magis expurgabit? Regni non ita recordemur vt gehennæ. Timor enim promissione potentior est & efficacior. & paulò pòst: *Nemo eorum qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet; nemo gehennam contemnentium gehennam effugiet.* Et rursus paulò pòst: *Nisi subuersionem veritis fuissent Niniuitæ, vtique subuersi fuissent. Quia verò illam metuebant, non subuertebantur. Si diluuium veriti fuissent, qui temporibus. Noë vixerunt, submersi sanè non fuissent. & Sodomita si incendium metuissent, combusti non fuissent. Magnum malum est contemnere minas. Qui minas contemnit, confestim re ipsâ sentiet experientiam. Nihil ita est vtile atque de gehenna sermocinari. quouis argento mundiores nobis animas facit.* & paulò pòst: *Etiamsi molestiam sit auditori, plurimum tamen ili prodest. Sunt enim talia quædammodo vtilia sunt. Etenim & pharmaca, & reliqua medicamenta ægrotum primùm male habent, & tunc demum vtilitatem adferunt. Si verò verborum grauitatem & molestiam non ferimus, manifestum est, quòd rerum ipsarum afflictionem non feremus. Si nemo sermones eos qui de gehenna dicuntur sustinet, liquet neminem, si persecutio nos occupasset, ad intentatum ignem ac ferrum vmquam perfuturum fuisse.* Et paulò pòst: *Obsecro vos, si aliquid dilectionis in vobis est, vt semper de isthuc sermocinemini. Nihil poterunt nocere, etiamsi nihil profuerint. Omnino verò proderunt. Nam ad sermocinationes & colloquia formatur & componitur animus.*

1. Cor. 15. *Corrumpunt enim, inquit, mores bonos colloquia prava. Prosunt ergo colloquia bona: castigant ergo & colloquia terribilia. Est enim animus instar cæ cuiusdam. Nam siquidem frigida colloquia induxeris, solidaueris ipsum atque indurueris: si verò calida & feruentia, emollieris: emolitum autem ad quodcumque vules fingeris: ac formabis, imaginemque illi regiam insculpes.* Et rursum paulò pòst: *His sermonibus componamus & nos ipsos, & vxores, & seruos, & liberos, & amicos, si fieri queat, & inimicos: poterimus enim istis sermonibus multa peccata amputare. Et melius fuerit tristibus immorari quàm iucundis: id quod hinc manifestum est. Nam dic mihi: si domum ingressus fueris vbi parantur nuptiæ, ad horam quidem spectaculo oblectaberis, nouissimè verò digressus, teipsum mœstitiâ macerabis: propterea quòd tanta non habes. Si verò domum lugentium intraueris, etiamsi valde diuites fuerint, digressus magis recreaberis. Non enim lituorem illinc capies, sed consolationem ac refocillationem paupertatis tuæ. Videbis reipsa quàm nihil boni habeant diuitia, nihil mali paupertas: sed vtraque res sint indifferentes. Ita & nunc si de deliciis sermocinatus fueris, magis animum dolore obtundes, non habentem vnde pari modo delicietur: si verò aduersùs delicias locutus fueris, & de gehenna sermones in medium adduxeris, exhilarabit te res ista, plurimumque voluptatis pariet. Quando namq; cogitaueris nihil nos delicias aduersùs ignem illum iuuare posse, non inquires eas. Si verò cogitaueris quòd eum magis etiam incendere soleant, non solùm non inquires eas, sed & auersaberis & expelles. Ne fugiamus quæ de gehenna dicuntur, vt gehennam ipsam effugiamus. Ne fugiamus supplicij memoriam, ne supplicio puniamur.*

Fusè de Inferno Saliunas de Timore Dei li. vltimo. Osorius in Sylua p. 446. Saxo in vita Chri. p. 90. Raulinus de 4. nouissimis. Lobetius Euang. Quæst. p. 377.

INFIRMITAS.

PROP. Vnica. *Infirmitatibus solet Deus punire peccatores.*

S. Basil. SAnctus Basilius q. 55 *ex his quæ fusiùs disputauit, Morbi,* inquit, *sapenumero velut quadam peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, quàm vt vitam nostram in melius commutemus.* ita S. Basil. Vnde sic se Deus nobiscum gerere videtur, sicut puerorum magister, à quo pueri vapulant vt à defectibus corrigantur; nec mireris peccatores pueris comparari, cùm non minori quàm pueri ignorantiâ laborent, imò & maiore, quamuis senes illi sint. *Simile.*

Vnde Matth. 9. sic Dominus ad paralyticum, quem sanauit priusquam salutem illi concederet: *Fili remittuntur tibi peccata tua.* Etenim ille, non peccatorum remissionem, sed corporis sanitatem postulabat. Cur igitur Christus illam præmisit? Strabus in illum locum, sic respondet: *Ecce modum curationis, prius dimittit peccata, tollens causam morbi, & postea corpus curat.* ita ille: Tollens, inquit, causam morbi; sic etiam medici corporum faciunt, dolet caput, & sanguinem ex brachio detrahunt, nimirum, quia ex abundantia vel malitia sanguinis, caput dolere vident, & quia ex capite sanguinem extrahere non expedit, ex brachio illum educunt; sic Deus propter peccata punit. Si ergo radicitus à morbo liberari vis, tolle peccata, quæ morborum radices sunt. *Matth. 9. 2.* *Strabus.* *Simile.*

Ex eadem paralytici curatione idem docet Sanct. Hieron. ibidem, dicens. *Remittuntur tibi peccata tua, aut Dominus: quo nobis intelligi datur propter peccata plerasque debilitates euenire.* ita S. Hieron. *S. Hieron.*

Quod etiam constat ex curatione alterius paralytici Ioan. 5. cui Dominus dixit: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare;* quasi dicat, propter peccata longa infirmitate laborasti, caue ne iterum pecces; & ideo meritò addit Christus ibi, *ne deterius tibi contingat*: dictum sibi putet peccator cùm infirmatur, peccata tollat, si infirmitatem tollere cupit, & post sanitatem ad peccatum non redeat, ne deterius illi contingat. *Ioan. 5. 14.*

Præterea, Paulus 1. Cor. 11. agens de his qui indignè communicabant, *Propterea,* inquit, *multi infirmi & imbecilles inter vos, & dormiunt multi.* Vide quæ pariant peccata, infirmitates nempe & imbecillitates, & mortem: id enim est, *dormiunt multi.* id est moriuntur. *1. Cor. 11. 30.*

Denique generaliter ait Spiritus sanctus Eccl. 38. *Qui delinquit in conspectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici.* Vbi Iansen. *Bene,* inquit, *ad exaggerationem peccati Iansen. dicit,* qui delinquit in conspectu eius, qui fecit eum: *sic enim notatur hominu ingratitudo, qui peccare audet contra eum, qui vitam illi dedit & sanitatem; & ob id dignus est, vt, si non vitâ, saltem sanitate priuetur, & morbos patiatur, & cum morbis amara etiam & molesta medicorum remedia simul cum grauamine impensarum.* ita Iansenius. *Eccl. 38. 2.*

Hîc tamen obserua pro iustorum consolatione, qui etiam infirmitates & graues nonnumquam patiuntur, quòd, sicut Deus peccatores in pœnam peccatorum infirmitatibus punire solet sic etiam iustos infirmitatibus afficere, tum in præseruationem salutis animæ, tum etiam in cumulum meritorum, vel aliis iustis de causis. Vnde ad interrogationem illam Apostolorum de cæco à natiuit. Ioan. 9. dicentium: *Rabi, quis peccauit? hic an parentes eius, vt cæcus nasceretur?* respondit Dominus: *Neque hic peccauit, nec parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.* Caue igitur ne præcipitanter iudices aduersa proximis euenire propter peccata. Examinet autem qui patitur, malam conscientiam suam, & tunc si se in aliquo deliquisse inuenerit, iudicet ipse propter peccata se illud pati, & conuertatur ad Dominum & sanabit illum; sin minùs gratias agat Deo, iudicans misericorditer Deum agere cum ipso, & in bonum tendere iudicium illud, cùm scilicet examinatâ conscientiâ nullum remorsum patitur in ea. *Ioan. 9. 2.*

INGRATITVDO.

Vide Gratitudo.

PROP. 1. *Quo Deus odio prosequatur ingratos.*
2. *Quàm facile homines obliuioni tradant beneficia.*
3. *Quàm contra naturam sit ingratitudo.*
4. *Ingratitudo ex superbia procedit.*
5. *Ab ingratis Deus beneficia tollit.*

PROP. I. *Quo Deus odio prosequatur ingratos.*

AD Rom. 2. *His qui sunt ex contentione, ira & indignatio.* Quinam sunt *ex contentione?* Sanct. Thom. lec. 2. *Hæc contentio est hominis ad Deum beneficiis hominem ad se vocantem, contra quem peccator contendere videtur, beneficijs diuinis resistendo, secundum id* Deut. 31. *Adhuc viuente me* (ait Moyses) *& ingrediente vobiscum, semper contentiosè egistis contra Dominum.* ita S. Thom. his igitur sic Deo ingratis ira (inquit Apostolus) & indignatio Dei, ex ira autem & indignatione Dei quidni graue supplicium timendum est? *Rom. 2. Thom. Deut. 31.*

Genes. 2. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Ecce beneficium ingens homini exhibitum à Deo: non enim eduxit animam hominis de potentia materiæ, sicut eduxit cetera animalia, sed per inspirationem spiritus sui spiritualem animam creauit. Præterea, verba illa, de limo terræ (*leuantolo del poluo de la tierra a fer imagen de Dios y señor del mundo vniuerso*) innuunt, quòd maiorē gratitudinē Deo exhibere debebat: nam gratus magis debet esse Regi, qui cùm pauper & abiectus esset, ab eo sublimatus est, quàm qui sit, cùm princeps, sic honoratur ab eodem Rege. Ponderat ergo Ruper l. 2. in Genes. cap. 39. ingratitudinem Adæ, qui cùm talia beneficia à Deo recepisset, & simul ineffabilia dona tum naturalia tum supernaturalia, nullas Deo reddidit gratias. Quapropter doctus quidam Author infert dicens: *Fortasse callidior serpens hoc aduertens silentium ingratitudinis index, opportunum iudicauit tempus oppugnandi & expugnandi eum, victoriam sibi polliceus ob ingratitudinem illam.* Ita ille. Quòd si res ita se habeat, meritò Deus permisit Diabolum ingratum hominem superare, vt cadens agnosceret, quod erectus non intellexerat, & id acciderit ei, quod asseruit Dauid Psal 48. *Homo, cùm in honore esset, non intellexit*; quid ergo inde? *Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Vnde rectè S Basil. relatus ab Oleastro Genes. 4. in annotatione ad mores ait: *Dominus à nobis sua beneficia auferre solet, vt ea cognoscamus, quod ingratissimi animi est, cognoscere scilicet beneficia, cùm auferuntur* ita S. Basil. Hinc S. Aug. lib Soliloq. cap. 18: *Multùm displicet Deo ingratitudo, quæ radix est totius mali, & ventus desiccans omne bonum.* ita S. Auguſt. si ergo vis omnia bona perdere, esto Deo ingratus qui fons est totius boni, &c. *Genes. 2. Basil. Aug.*

Sanctus Chryſ. tom. 5. ſer. contra Iudæos, Gentiles, & Hereticos: *Quadraginta annis fuerunt Israëlitæ in deserto, capillusque ipsorum non creuit, neque vngues: vestimentum ipsorum non fuit sordidatum, calceamentum ipsorum non fuit contritum, non laborauerunt, non coluerunt terram, boues non iunxerunt, aratrum non traxerunt, sulcos non secuerunt, tribulos non euulserunt, semina non sparserunt, imbres non expectauerunt, solis æstus non tulerunt, tempus messuis non excæperunt, falcem non acuerunt, neque messuerunt, non collegerunt aristas, non conuexerunt in aream, non extriuerunt, non repurgarunt, non pinsuerunt, non coxerunt panes, sed panem è cælo, nullis manibus elaboratum, comederunt, apponebatur mensa nullo præparante, impassibilitate imitabantur Angelos, natura sua imbecillitatis oblita erat, & post tot beneficia dixerunt Aaroni: Da nobis Deos, qui nos præcedant, fecerunt q. vim magnam Aaroni. Vides ingratum Iudæum.* Ità S. Chryſoſt.

A Adde illud Isa. 1. *Audite cœli, &c. Filios enutrivi, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos, &c.* Ecce quàm homines ingrati nullis deliniantur beneficijs, &c. *Isai. 1. 2.*

Vide autem in his locis quales quantasque luerint pœnas Iudæi in deserto, & in Terra promissionis, subdens enim ibi pœnas Isaias, ait, *Væ genti peccatrici, &c.* *Ibid. 4.*

PROP. II. *Quàm facile homines obliuioni tradant beneficia.*

EXod. 1. *Surrexit Rex nouus in Ægypto, qui ignorabat Ioseph.* Quonam pacto ignorare potuit Iosephum Rex Ægypti, cùm tam ingentia fuerint beneficia, quæ regno Ægypti contulit Patriarcha Ioseph? Imò qui non solùm ignorauit illum, sed omne genus Ioseph in seruitutem crudelem redegit, filios Israëlitici populi occidens, & parentes operibus laterum plurimùm torquens. Respondet Lypommanus in Catena, *quia facilè beneficiorum obliuiscuntur magnates.* ita ille. Nimirum, quia nullius operâ se indigere præsumunt, & omnia sibi deberi censent. Generaliter verò loquendo vera est sententia Pindari in Isthmiis, *Vetus beneficium obliuioni traditur, quasi somnus.* ita ille. Quam ob rem Deo obsequia assidua & magna præstare curemus, qui numquam obliuiscitur eorum, sed habet alta mente reposita vt suo tempore, imò æterno remunerat præmio. *Exod. 1. 8.* *Lypomn.* *Pindar.*

Seneca lib. 1. de beneficijs: *Beneficia nec dare scimus, nec accipere.* ita ille. Sensus verò est, nescimus dare beneficia, quia non exhibemus gratis illa, sed ad proprium commodum prospicientes. Beneficium à benefaciendo dictum est, dandum est igitur beneficium causâ & ratione benefaciendi, alioquin non est beneficium sed negotiatio. Vnde idem Seneca ibidem: *Demus beneficia, non fœneremus.* ita ille. Secundò beneficia recipere nescimus, quia grato animo ea nescimus accipere, sed sicut sues glandes arripiunt, nec pastorem excutientem è quercu respiciunt, sic nos beneficia capimus, & datorem non attendimus. *Seneca.*

PROP. III. *Quàm contra naturam sit ingratitudo.*

SEnec. lib. 1. de beneficiis cap. 3. *Officia etiam feræ sentiunt, nec vllum tam immansuetum animal est, quod non mitiget cura, & in amorem sui vertat; leonum ora à magistrù impunè tractantur, elephantorum feritatem vsque in seruile obsequium demeretur cibus.* ita ille. *Senec.*

PROP. IV. *Ingratitudo ex superbia procedit.*

PHilo. lib. de charitate circa finem: *Gratus animus alienus est ab arrogantia, sicut è diuerso ingratus assinis est superbiæ.* ita ille. Quia scilicet superbo omnia sibi deberi videntur, ideo gratias referre veluti dedignatur. *Philo.*

PROP. V. *Ab ingratis Deus beneficia tollit.*

SAnctus Basilius *Cogitur Deus à nobis ingratis tollere beneficia, vt ea cognoscamus.* ita ille. Pondera verbum illud *cogitur*: Deus enim naturâ suâ, non solùm liberalis, sed etiam magnificus est, atque adeo velut coactio quædam est, cùm reuocat beneficia; reuocat autem, cùm nos gratias referimus illi, *porque el bien y el beneficio nos es conocido hasta que es perdido.* Vt igitur beneficiis diuinis pacificè potiaris, esto Domino in omnibus bonis tuis gratus: nihil enim boni habes quod Dei non sit: quòd si gratus fueris Deo, multiplicabit ille tibi beneficia sua. Vnde Genes. 4. cùm natus fuisset *S. Basil.*

Euæ

Vers. 1. Euæ primus filius, dixit: *possedi hominem per Deum*, vel vt originale Hebræum habet, *à Deo*, hoc est, à Deo beneficium huius filij accepi; vnde factum est vt etiam alios filios multos superaddiderit ei. A

S. Bern. Sanct. Bernard. serm. 4. super Psalm. *Qui habitat: Deuotè gratias referenti ampliora beneficia promittuntur; sicut è contrario accipiendo indignus est qui fuerit de acceptis ingratus.* ita ille.

INIVRIA.

Prop. 1. *Quàm seuerè puniat Deus eum qui proximo iniuriam facit.*

2. *Quàm stultum sit nolle petere veniam eum qui iniuriam irrogauit.*

3. *Perturbatur homo dum de illata sibi iniuria cogitat.*

4. *Fortior est qui iniurias sustinet, quàm qui irrogat.*

5. *Iniuriæ si æquanimiter perferantur, nobis potius sunt argumentum gloriæ, quàm infamiæ.*

6. *Plus sibi nocet qui iniuriam infert, quàm alteri qui patitur.*

Prop. I. *Quàm seuerè puniat Deus eum qui proximo iniuriam facit.* B

Gen 20. GEnes. 20. cùm Abraham ingrederetur in regnũ Abimelech in Geraris cum vxore sua Sara, timens ne Rex aut Princeps aliquis illius terræ occideret eum propter Saram, quæ valde pulchra erat, vt scilicet acciperet in vxorem, dixit Saram sororem suam esse: erat enim consobrina filia Aaron fratris sui, quæ ideo soror dicebatur. Quapropter Rex Abimelech accepit eam, & duxit in domum suam vt duceret vxorem; Deus autem ne tangeret eam, morbo quodam graui affecit Regem, ità vt desperantibus medicis remedio careret Rex. Cur igitur Deus sic grauiter puniuit hunc Regem, cùm ipse nesciret esse vxoratam? sic Procopius respondet: Licet Regem fugeret, quòd esset Abrahæ vxor, delictũ tamẽ vitare nõ potuit, eo quòd non abstinuit manum à sorore peregrini & hospitis, & in hoc nõ potuit effugere culpam. ita Proc. Admonitus autem à Deo Rex, Saram viro restituit intactam, & tunc precibus Abrahæ Deus Regi restituit salutem. Quod si nec Regibus licet iniuriam etiam peregrinis facere, quis proximioribus nocere audebit? Vide quid contigerit Regi Acab & Reginæ Iezabel propter iniuriam illatam Naboth. Procop. C

Vbi aduerte iniuriam iustis vitis factam maximè Deo inusam esse, vti verba illa Dei ad Abimelech ostendunt, scilicet, *Custodiui te ne peccares in me.* Cur non ait, *ne peccares in Abraham?* Respondet idem Procop. quia qui delinquit, & iustos lædit, Deum offendit. ita ille. Offendit scilicet speciali quadam ratione secundùm illud Zachariæ, *qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Gen. 20. 6. Idem. Zacha. 2. 8.

S. Chrys. Vnde etiam Sanct. Chrysost. *Hic eum docuit (ait) quasi dicens, ne pecces in me, mei (inquit Dominus) famuli sunt, & adeo mihi commendati, vt mihi fieri existimem, quæcumque illis fiunt, siue bona, siue mala: magnam enim illorum curam gero.* ita ille.

Saluian. Vnde Saluian. lib. 2. de vero iudicio: *Dauidem cum fugasset è regno filius persequutor, iudex in breui Dominus vindicauit; nec vindicauit tantùm, sed magis vindicauit, quàm ipse voluit, qui vindicabatur.* ita ille. quia nimirum nolebat Dauid filij persequutoris necem, & tamen Deo permittente atroci fuit morte occisus. D

Mat. 25. 40. Etenim ideo Dominus in iudicio dicturus est reprobis: *Quod vni ex minimis non feciſtis nec mihi feciſtis; esurui enim, & non dediſtis mihi manducare;* non ait, esurierunt serui mei, & non dediſtis illis manducare, sed, *mihi*, vt & nos sciamus res seruorum Dei, quasi proprias Dominũ habere. vbi etiam Eusebius Emissenus: *Quæ tormenta*, inquit, *patientur qui aliena rapiunt, cùm isti talia patiantur qui sua non largiuntur? si talia patiuntur immisericordes, qualia patiuntur crudeles?* ita Euseb. Sic etiam Saulo Dominus dixit: *Saule, Saule cur me persequeris* Act. 9. 4. Emissen.

Prop. II. *Quàm stultum sit nolle petere veniam eum qui iniuriam irrogauit.*

S. Aug. SAnct. Auguſt. serm. 16. de verbis Domini secundùm Matth. *Si dicu facienti iniuriam proximo, pete veniam ab homine: quem læsisti, respondet, non me humiliabo. Non vis te humiliare, & cecidisti? tace & humiliare te non vũ? bene dicetres, nolo descendere, si tuere noluisses.* ita ille Humiliaret ergo se facilè iste, si animadueterteret se ad infernum vsque corruisse, & inde se resurrecturum, si vellet se humiliare, veniam postulando.

Prop. III. *Perturbatur homo dum de illata sibi iniuria cogitat.*

S. Dorotheus Doctr. 8. ACcendit quis ignem, primum habet carbunculum, id est, verbum vnicum, quo quis fratrum affligitur. *Quid vnicum fratris verbum est, si illud æquo animo feras? illico ignium carbonem extinxiſti. Sin verò post verbum illud tu tecum pergas cogitare & dicere: Hoc mihi cur dixit? quid rei mihi est cum ipſo? nisi me affligere voluiſſet, hoc non esset locutus, sed ni dubites se quoque à me pariter remordendum. En verbi huius cumodi, & cogitatione adiecisti ligna & fomenta, vt qui ignem accendit, cæ, istique fumum excitate, qua est ipsa petulantio.*

Prop. IV. *Fortior est qui iniurias sustinet, quàm qui irrogat.*

S. Chrys. de compunct. lib. 3. QVot patiebatur Dauid iniurias? *Quot autem inferebat Saul? Quis ergo fortior factus est atq; beatior? Quis verò miserior & miserabilior? Nõne qui fecit iniuriam? Considera verò: Promiserat Saul, si Dauid alienigenam profiteretur, ipsum generum accepturum, & multa cum gratia filiam ipsi daturum: profitrauit alienigenam, ille fœdera transgressus est, nec modò non dabat, verum & auferre conabatur. Quis ergo factus est clarior? Nõnne ille qui dolore suffocabatur, & malo damone: hic autem super solem triumphis, & Dei benevolentiã coruscabat? Rursum in multerum choro non ille quidem angebatur inuidiã, hic autem tacitè cuncta serens, omnes capiebat, & sibi colligabat. Postquam & eum ipse in manu cepit, & peregrinum fecit, vter rursum beatus, vter miser, vter autem inubeciller, vter potentior? Nõnne hic, qui neque iuste grassatus est? & valde meritò: ille namque milites armatos, hic autem iustitiam, innumeris exercitibus fortiorem, auxiliarem habebat & adiutricem: propterea iniustas passus insidias, nec iuste voluit occidere. Ex superioribus namque sciebat, quòd non malè facere, sed malè pati redditi potentiores.*

Prop. V. *Iniuriæ si æquanimiter perferantur nobis potius sunt argumentum gloriæ, quam infamiæ.*

S. Chrys. serm. de inæquitate diuitis, & seruata iudicia. VIdes nihil ex illatã iniuriã offendi, in nostra esse, non in inferentis potestate: neque solum nullo affici malo, sed quòd aliquando patimur nostri esse, non alieni arbitrij, quod que mirum magis videri debet, nulla prorsus offendemur iniuria, si nobis paululum aduigilabimus, quin pro beneficio erit, quodcumque in nos ius præter & æquum inferetur. Exempli gratiã: fuit in te quispiam contumelioſus, potes, si libet, hanc contumeliam in tuam conuertere laudem: nam si contrà & ipse fueris in te lacessentem conuitiatus, accumulabis conuitiandi fœditatem: verùm si te conuitio infectantem, laudibus prosequeris, spectabis eos qui aderãt, palmã te, & gloriã te iudicasse indignum. Vides, cùm volumus iniurias nobis in beneficia cessisse? Et paulò pòst: Ita sit, vt si accedens quispiam, buncillumve afferat fuisse de te impudentius locutum, & vulgò maledictis incessere affeuerat, tũ si conuiciatorẽ coram delatore ipso laudaueris, plurimùm & obtrectãti iniurias vindicabis, & pœnas

» pœnas capies : quippe qui rem hanc memoratu dignam, geſtam per te fuiſſe cognouerint, & te laudibus efferent, & odio omnium inſectabuntur, aſſerentque hunc quauis feră beſtiă nequiorem : quandoquidem nullam tibi innocentis conuiuandi triſtitiam, cum ipſe qui ſis iniuriă affectus, nihil mali pro malo accepto retuleris : argueſque hoc pacto dicta in te omnia, commentitia fuiſſe, & falsò obiecta. Solet enim qui alienis in ſe maledictis offenditur, conſcientiam delati criminis præferre : contra verò, cuncta quæ obijciuntur irridens, & vti nullius momenti ducens, quauis ſe ſuſpicione leuabit.

Mihi detur iniuriæ ſuſtimere propter Deum, atque contemni propter Deum, potius quàm à cunctis Regibus honorari. Nihil enim prorſus, nihil poteſt huic gloriæ comparari.

Quòd iniuriă ferens plus ſaperet, quam lædi non toleranș, hoc vobis reddam manifeſtum. Iniuriă ſe non patiens affici, cùm in iudicium traxerit & cùm vicerit, tum maximè victus eſt : quod enim nolebat, paſſus eſt. Coëgit enim ipſum aduerſarius dolere, & ad iudicium confugere. Quid enim quod viciſti ? quid verò quòd omnes recepiſti pecunias ? Quod nolebas interim ſuſtinuiſti, litigare coactus. Sed ſi pertuleris iniuriam, victor es, pecuniș quidem carens ; non autem victoriă quam per tantam comparaſti ſapientiam. Non enim ille te potuit cogere, vt quod nolebas, committeres. Et quod hoc ſit verum, reſponde mihi : Quis vicit inuidus, an ſedens in ſtercore ? Quis fuit victus omnibus amiſsis ? Iob, an omnia tollens diabolus ? quem admiramur victorem, Diabolum perculſorem, an Iob perculſum ? Conſtat quòd Iob, quamuis non potuerit retinere pereuntes pecunias, non filios ſuos ſaluare : & quid dico pecunias & filios ? Corporis non potuit conſeruare ſalutem ; & tamen hic eſt qui vicit, qui quæ poſsidebat, omnia perdidit. Nam pecunias quidem conſeruare non potuit, pietatem verò retinuit cum omni diligentia. Sed pereuntes filios non defendit. Et quid hoc ? Etenim illos mors reddidit clariores, & ita ſe, dum tentaretur, vindicauit. Si verò malè paſſus non fuiſſet, & iniuriă à diabolo nõ pertuliſſet, non illam præclaram reportaſſet victoriam. Si malum eſſet iniuriam pati, non id nobis Deus præcepiſſet, nam Deus mala non præcipit.

Vellem me poſſe oſtendere qualis quidem ſit qui vituperat, & qualis qui philoſophatur, & nudum vtriuſque animum in medium ducere : videres enim alterum fluctibus exagitari, alterum in tranquillo portu quieſcenti nauicula ſimilem eſſe. Et paulò pòſt : Quemadmodum nullus nos ladere poterit, niſi à nobiſpiſis ladamur ; ſic niſi nos ipſos vituperemus, nemo alius nos vnquam dedecorabit. Ponamus enim mirabilem quemdam atque inſignem eſſe virum, quem omnes adulterum, furem, ſepulchrorum euerſorem, homicidam latroneмque prædicent : ille verò nec irritetur, nec moleſtè ferat, nec alicuius huiuſmodi rei ſibi conſcius ſit, quâ igitur inde vituperatione lædatur ? Nulla profectò. Quid inquies, ſi multi malam, de ipſo habeant opinionem ? Nulla, inquam, vituperatione ipſe læſus eſt, ſed illi ſe vituperarunt, qui alium, quàm decet, talem virum exiſtimant. Dic, quæſo, ſi quis ſolem tenebrarum auctorem exiſtimet ; ſolne, an ſibi detraxit ? Sibi videlicet ipſi, cùm furioſi & inſanientis opinionem conſequatur. Eodem profectò modo, qui prauos eſſe putant, & econtrariò ſeipſos vituperant.

Ipſum interrogemus qui nos affectiones iniuriă, an non condemnet ſeipſum, an non velit reſipiſcere, an non totum eſſe dicat iræ, vel puſillanimitatis, vel miſeriæ, an nõ malit contumeliam ferre ſilentio, quàm per furorem inſerre alijs, an non admiretur tuam patientiam. Ne putes quòd hoc contemptibiles facit. Contumeliă affiecre non tam venerabiles facit, atque contumelias ferre. Ille enim eſt contumelioſus, hic verò philoſophus : & ille quidem homine peior, hic vero Angelo par. Licèt enim ceſſerit ei qui contumeliam fecit ; attamen ſi voluiſſet, potuiſſet vlciſci. Et alioquin ab omnibus miſericordiam conſequetur hic, ille verò exoſus erit. Quid igitur ? Nónne hinc etiam ille multò melior erit ? illum enim vt inſanientem, hunc verò vt prudentem obſeruabunt omnes.

Vtrum contemnunt præſentes, eum qui contumeliă afficit, an eum qui contumeliș afficitur, & ſilet ? Furenti enim videtur eum qui contumeliș afficitur, contemni. Nunc igitur quando puri ab affectione ſumus, conſideremus ne tunc corripiamur.

Vtrum condemnamus omnes ? manifeſtum quòd eum qui contumeliă afficit : & ſi minor quidem ſit, inſanire illum dicemus : ſin par honore, deſipere : ſi autem maior, neque ſic approbabimus. Vter enim approbatione dignior, ù ne qui tempeſtat. bus agitur, in turbulentia verſatur, exaſperatus erga communem naturam ſic afficitur : an qui in tranquillitate & portu, ac bona animi conſtitutione ſibi imperat ? Nõnne hic quidem Angelo, ille verò nec homini ſimilis eſt ? & ille neque propria mala ferre poteſt, hic etiam aliena : hic ſeipſum ferre non potuit, ille & alium : ille naufragatur, hic ſecurus nauigat, naue eius ſecundis ventis fruente. Non enim in vela ſua irruere furoris ſpiritum permiſit, qui mentis nauem ſubuertat, ſed afflantur illa à tenui blandaque aura, quæ eſt patientiæ ſpiratio, ipſum ad Philoſophiæ curſum cum magno ſilentio ducens. Et ſicut nautæ in naufragio neſciunt quæ abijciunt, ſi à ſuis & ab alienis depoſita receperint, ſed omnia quæ poſita in naue, ſimiliter ejiciunt, tam pretioſa, quam non pretioſa : vbi autem ceſſarit tempeſtas, tunc cogitantes quanta eiecerint, lachrymantur, & propter tacturæ damnum ſerenitate non gaudent : ita & hic, quando ira ſpirat, excitaturque animi tempeſtas, neſciunt quæ ſuo ordine ejicere debeant : vbi verò ira ceſſauerit, tunc cogitantes qualia effutiuerint, conſiderant damnum & quietem non ſentiunt, memores verborum per quæ confuderunt ſeipſos, damnumque maximum paſti ſunt, non in pecunia, ſed in exiſtimatione manſuetudinis ac humanitatis. Et paulò pòſt : An non tu magis doles, quàm is qui contumeliă afficitur ? Contumeliă proſcinde alium, & vide, vel nemine accuſante, an non conſcientia tribunal priuatim te flagellabit acriter ? Quando enim audis, quòd is qui contumeliă afficitur, nullum malum verbum locutus eſt ; nõnne hac ratione tu magis doles ? Dic, oro, quomodo manſuetum, humilem, & æquum immiſeris obruere conuitijs auſus es ? Hæc ſubinde dicimus, ſed non videmus eos, qui id opere præſtent. Homo enim cùm ſis, hominem contumeliă affici, ſeruus conſeruum ? Sed quid hoc admiror, quandoquidem multi ſunt, qui Deum contumeliă afficiunt. Hæc vobis, qui contumeliă afficimini, conſolatio eſt. Contumeliæ afficimini, contumeliă afficitur & Deus : exprobramini, exprobratur & Deus : conſummini, ſanè nobiſcum communicauit etiam Dominus noſter. Nunquam autem contumeliam, aut iniuriam intulit. Et ita nos ſumus, qui communicamus Chriſto, non vos. Ferre enim eum qui contumeliă afficit, Dei eſt : contumeliă autem afficere immeritum, dæmonibus congruit.

Quemadmodum ſi quis vaſa immunda ſuretur è domo, & ea coram omnibus educat, non confundunt furtim ſublata intantum, quantum ipſe ſe ſeipſum. Ita accidit, & conuitiatori. Eiectis enim coram omnibus immundis verbis, non alios confundit, ſed ſeipſum per verba, productis talibus, & coinquinatâ ipſius tuni lingua, tum mente. Idem enim ſit, quando cum malis pugnamus, ac ſi quis ſtercore oblitum percuſſerit, qui dum illum ferire ſtudet, ſuas ipſe manus contaminat.

Idem cap. Hom. 62. idem.

PROP. VI. *Plùs ſibi nocet qui iniuriam infert, quàm alteri qui patitur.*

PEccauit non qui malè paſſus eſt, ſed qui malè fecit. Non ergo mortuum oportet vlciſci, ſed orare prò eo vt reuatur à morte. Nónne videtis apem quemadmodum immoritur aculeo? Per illud nos animal docet Deus, ne proximos afficiamus triſtitiă, ipſi namque priùs mortem excipimus ; & illos quidem fortè paululum ladimus, nos autem non ampliùs vtuemus, quemadmodum nec illud animal. Et paulò pòſt : Ferarum eſt verè ſeuiſſimarum nemme quempiam ladente iniuriam inciperе, imò verò neque ferarum. Ille namque, ſi permittas in deſerto ſe paſcere, neque coanguſtans in neceſſitatem redegeris, nunquam ladent, nunquam impetent, nunquam mordebunt, ſed propriam tranſibunt viam. Tu verò cùm ſis homo rationalis tantò decoratus principatu, tanto honore & gloriă, circa conſanguineos feras imitaris, & iniuriă fratrem afficis & deuoras, & vnde poteris excuſari ? Non Paulum audis dicentem : Quare potiùs iniuriam non patimini ? quare potiùs non priua-

S. Chryſ. Hom. 62.

» mini? At vos iniuriam facitis, & aufertis, idque fratribus. Vi- A
» des quòd malè pati, in malefaciendo est: bene verò pati, in
» male patiendo? Dic enim, quæso, si quis principes conuitijs in-
» sectaretur, si quis verum Dominos afficeret iniuriâ, quem lade-
» ret, semetipsum an illos? Planum est quod semetipsum. Ergo
» principem quidem ladens, non illi, sed sibi nocet: Christum
» autem contumeliâ afficiens, per illud eum contumeliam pati
» cogit? Nequaquam. Imagines lapidibus impetens, quem
» lapidat? Nónne semetipsum? Et posteà regis quidem terreni
» lapidans imaginem, se lapidibus obruit: Christi verò teme-
» rans imaginem (homo namque Dei imago) nónne semetip-
» sum ladit?

S. Chrysostomus Hom quod nemo laditur nisi à semetipso

Illi soli laduntur qui ladunt, & nulli alij nocet noxa quam ceteris inferunt, nisi ipsis qui inferunt. Quid enim, dic mihi, infelicius erat, quam Cain? Mors enim illa quæ manibus eius fratri illata est, illum quidem iustum reddidit per sæcula: ipsum verò qui intulit, haberi fecit per sæcula parricidam. Quid etiam Herodiade miserius, quæ caput Ioannis exhiberi sibi desiderauit in disco, vt suum caput perpetuis gehennæ ignibus
» flammisque demergeret? Quid etiam ipso Diabolo deterius, B
» qui nequitiâ suâ ita clarum reddidit Iob, vt quantò illi gloria,
» tantò huic cresceret pœna?

S. Chrysostomus serm. de virtutibus & vitijs.

Vulgus improbos admiratur, vt qui nocere alijs, & iniuriam potissimum inferre possint: ignarum quippe vulgus, quòd nesciat eos quantò ceteris miseriores habendi sint, qui dum alijs nocere existimant, seipsos gladio transuerberant: quod suprema prorsus amentia est, se ipsum percutere, & hoc ipsum nescire, sed cùm alium iniuriâ credat afficere, tum verò seipsum omnino iugulare. Nec malum est enim affici malo, sed
» afficere alios, & contumeliam pati nescire. Quid enim iniuriæ
» dicam passum fuisse Dauid? Quid verò intulisse Saul? vter
» igitur infelicior fuit, vter miserabilior? Et rursus vter illu-
» strior, vter felicior? Nónne hic molestia & iniquo demone an-
» gebatur: ille autem vel solę clarior erat trophæis, & quâ Deum
» præcipuè colebat, ingenti pietate super æthera notus? Nónne
» hic tabescebat inuidia; ille verò, dum tacitè omnia ferret, omnes
» sibi charitate vinciebat?

S. Chrysostomus in cap. Matt. 25. Hom 52.

Nemo potest iniuriam tibi inferre, præter teipsum. Et pau- C
lò pòst: Omnium certè malorum hæc causa est, quia nec in-
telligimus quidem quis facit, & quis patitur iniuriam. Nam si
rectè intelligeremus, non iniurijs nos ipsos vexaremus aduer-
sùs alium orantes, cùm certiores essemus, neminem in terris
posse nobis officere: non enim tua rapi, sed aliena te rapere,
tibi malum est. Quare si rapuisti, acerrimè teipsum accusa: sin
» verò alius tua rapuit, non patua tibi sedulitate orandum pro
» illo est, qui tibi maximè profuit. Nam etsi non ea mente fece-
» rit, plurimùm tamen tibi contulit, dummodo tu viriliter ac
» magno animo perferas: illum quippe tam homines quàm diuina
» litteræ miserantur: te autem qui patienter iniuriam pertuli-
» sti, & coronâ donant, & æternis præconijs laudant. Quemad-
» modum enim si quis febricitans, plenum frigidissimâ vas aquâ
» rapuerit ab aliquo, & cùm pestiferam bibendi cupiditatem ex-
» pleuerit, morti seipsum tradiderit, non eum vnde aqua rapta
» est, sed eum qui rapuit, accusamus, & sibi ipsi iniuriatum cen-
» semus: sic certè de auaris atque rapacibus cogitare debemus.
» Peiore namque isti febri laborantes, alienarum rerum rapinâ
» habendi cupiditate inflammantur. Si quisquam etiam furore D
» concitus, gladio à latere cuiuspiam rapto, seipsum occiderit:
» nónne qui rapuit sibi ipsi iniuriam intulit, cùm is à quo ensis
» raptus fuit, nullâ sit vexatus iniuriâ? Hoc ipsum ergo in pecu-
» niarum quoque rapina fieri iudicemus. Sicut enim periculosis-
» mum est furioso, si ensem teneat: sic diuitiarum cumulus anа-
» ro perniciosus.

» Iniurias remittere signum est fortitudinis. Lobe-
» tius de Christiana Fortitudine, mihi pag. 260. & 272.
» & 28. Ibidem varia de iniurijs illatis fame, fortu-
» nâ, &c.

INSPIRATIO DIVINA.

PROP. 1. *Inspirationi diuinæ illico respondere debemus.*
2. *Delitiæ mundi inspirationibus diuinis valde obstant.*

PROP. I. *Inspirationi diuinæ illico respondere debemus.*

CAntic. 1. sic Diuinus Sponsus ad animam sanctam, *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Sanct. Augustin. lib. 1. de Trinit cap. 8. Has murenulas inspirationes Dei in animabus nostris esse ait: nam has murenulas aureum ornamentum esse ait; ornamentum aureum animæ, sunt inspirationes diuinæ; & meritò quidem: ad animam enim ornandam ordinantur à Deo, ad diuina scilicet obsequia, & ad ipsius animæ profectum; sunt igitur magnum Dei beneficium. Aduertenda tamen est lectio ab originali Hebræo desumpta, quæ sic habet, *Murenulas aureas faciemus tibi cum punctis.* Quadrat translatio LXX. Interpretum, quę ait, *cum stigmatibus & punctis*, id est, argenti punctis variatas, ad instar illorum vermiculorum, quorum dorsum variorum colorum punctis variatum conspicimus, vti ait Gisserius in hoc loco. Ornat ergo Deus inspirationibus suis aures interiores animæ cum punctis. Cur ait, *cum punctis?* nimirum, vt doceat inspirationes in puncto cõsistere, & quasi per transitum, vt & nos puncti ales simus in respondendo, & acquiescendo sine mora, ne in puncto transeat, sicut euenit sponsæ Christi Cantic. 5. quæ non illico aperuerat ei, & cùm aperuerat iam, non inuenit eum, quia iam, inquit, *declinauerat atque transierat*, quia vocatio Dei in punctis consistit. Vnde Sanct. Ambros. in hunc locum ait: *Tunc ergo vigilandum est, ne, cùm venerit sponsus, recedat exclusus.* Ita ille. Pœnam huius exclusionis audi, *vocaui illum*, ait sponsa, *& non respondit.* Ita bene: hoc enim prometur, qui vocanti Deo non respondet, vt scilicet nec ipsi respondeat Deus, cùm ab eo vocatur, & ita sit pœnâ talionis damnatus, *que alsin quien pierde puncto, pierde mucho, y mas en cosa tan importante, como es aprouecharse de las inspiraciones de Dios al puncto que nos llama.* Et nota denique puncta ista in verme sita esse: sicut enim vermis, vbi adhæret, mordet; sic qui frustratur bonis diuinarum inspirationum, postea verme conscientiæ valde torquetur, &c. Sicut manna olim, quod vtilissimum erat, sed erat eodem die colligendum, alioquin statim corrumpebatur, & in vermes conuertebatur; sic vtilissima quidem est diuina inspiratio, si tamen statim animo recipiatur, alioquin in vermes vertitur conscientiæ.

Cant. 1. 10.

Gisser.

Prou. 6.

Ibid.

PROP. II. *Delitiæ mundi inspirationibus diuinis valde obstant.*

SAnctus Antonius de Padua in quodam serm. de Iudicio, inquirit rationem, cur metus iudicij & inferni nihil in hominibus multis operetur, & cõcludit, delicias mundi in causa huius esse: *Sicut enim, ait, in locis vbi fericum fit, si tonare, & fulgurare contigerit, ne vermes deterreati moriantur, tympana, & alia musicæ instrumenta pulsantur, quo vermes distrahantur, ne aliquam impressionem tonitruorum recipiant; sic Diabolus, cum tonitrua diuinorum iudiciorum, & pœnarum inferni intus vel exterius in auribus peccatorum sonant, ne aliquam inde impressionem timoris recipiant, comœdias, vel ludos, vel quid simile peccatoribus proponit, ne inde conuertantur, & terreantur.*

S. Ant. in Padua.

ADDI-

ADDITIO.

C Vm Hannibal (teste D. Antonino) *Saguntum obsideret, missique Româ legati ad eum, monerent, vt ab obsidione desisteret; respondit illudendo, se bellicis rebus intentum contra hostes, non posse audire. Sic nos strepitu mûdi, ac tumultu frementium affectuum impediti, non possumus audire inspirationes diuinas, nec cælestes afflatus, qui tanquam legati à Deo mittuntur, vt desistamus pugnare contra Deum. Inspirationes Diuinas contemnere valde periculosum.* Zehetner Promontorium malæ spei. mihi p. 675. & 654.

INTELLECTVS.

Prop. I. *Quàm parum prosit bonus intellectus sine bona voluntate.*

2. *Quanta sit intellectus præstantia, & quot mala ex eius cæcitate consequantur.*

3. *Quàm acutum intellectum peccatores habeant ad malum, & obtusum ad bonum.*

Prop. I. *Quàm parum prosit bonus intellectus sine bona voluntate.*

LVc. 2. sic Angeli Christi natiuitatem celebrantes, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Cur non dixit, *hominibus boni intellectus?* siquidem apud nos, quod inter animæ potentias potissimum æstimamus, intellectus bonus est: si enim de aliquo dixeris bonam non habere memoriam, pro nihilo ferè ducet; si boaam in eo voluntatem desideraris, non multùm qui vitiosus est propter hoc irascetur; at si eum dixeris bono intellectu carere, valde commouebitur, quia acumen intellectus pluris apud homines habetur. Cur igitur Angeli non laudant homines. *boni intellectus*, sed, *bonæ voluntatis?* Nimirum, quia Angeli, his quæ in diuinum honorem & obsequium cedunt, & in hominis saluationem, primum concedunt locum: potest autem quis Deo seruire, & saluari bonam habens voluntatem, etiamsi intellectus præstantiâ careat, non verò si voluntate bona; bonam autem voluntatem virtus præstat & opera bona facilitat.

Imò, vt semel etiam dicamus, qui bona caret voluntate, oportet careat simul intellectu bono. Psal. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Iansenius ex originali Hebræo sic legit, *intelligentia bona omnibus facientibus eam.* Vbi Iansenius locum reciprocum esse animaduertit, quasi dicat: Ille habet bonam intelligentiam qui opere complet, quod bono percipit intellectu, vt si cognoscat bonum esse orare, oret; bonum esse eleemosynam dare, det; bonum esse Sacramenta frequentare, frequentet; aliter non bonum sed malum habebit intellectum.

Sicut se habet intellectus bonus ad bonum, ita se habet intellectus malus ad malum. Intellectum malum voco, non qui stupidus est, sed qui malam comitatur voluntatem. Denique hominis mali intellectus, quamuis in se acer & peracutus sit, in homine malo tantò peior est, quantò in se melior; sicut gladius tantò peior ad vulnera quantò est acutior, sicut in Achitophele videre licet.

Hinc dæmon maximâ curâ subuertere nititur eos qui maiori pollent acumine intellectus, tanquam ad maiora mala aptiora instrumenta: quod ex prima eius tentatione desumi potest, cùm per serpentem Euam decepit. Cur enim non aliud animal inuasit? Innuit Scriptura causam Gen. 3. 1. *Sed & serpens*, inquit, *callidior erat cunctis animantibus terræ.* Quod expendens S. Chrysostihom. 16. in Gen. ait: *Vide maligni dæmonis technas, in-*

A *uento serpente, qui cæteris animalibus malignitate superabat, eo quasi instrumento vsus est, per quod Euam in deceptionem prouocaret.* Ita ille. Non quidem hoc, eò quòd ratione capax esset ille, serpens; sed quia Deus nobis manifestare voluit pessimum dæmonis artificium, qui ad seducendos alios callidiores homines quærit.

Prop. II. *Quanta sit intellectus præstantia, & quot mala ex eius cæcitate consequantur.*

QVòd oculus corpori, hoc intellectus est animæ: vt enim neS. Chrysquaquam optes auro ornari, & veste serica conspici, si sit sostomus oculi tibi carendum, sed horum procul dubio sanitatem desi- in cap 6. derabiliorem tali rerum magnificentia, & ornatu iudicares: qua Matth. si tibi depereat, nihil iam tota vita prodest: quantò hoc magis Hom. 21. pro oculis debes mentis efficere? Sicut enim postquam corporalium oculorum lumen extinctum est, pleraque iam membra suo vsu ac officio carent: ita etiam mente cæcatâ, innumeris prorsus malis vita tua scatebit. Quemadmodum igitur in corpore hoc maximè prouidemus, vt oculos habeamus incolumes: sic etiam in anima intellectum. Si verò cæcamus istum, quo alijs quoque debemus lumen inferre, vnde iam ipsi poterimus aspicere? Et paulò pòst: *Quando lucerna extinguitur, quando gubernator* B *mergitur, quando dux ipse capitur: quæ tandem subditis supererit spes salutis?* Et rursum paulò pòst: *Dedit intellectum Deus vt ignorantiam fugemus è mœtibus, vt rectum teneamus, iustumque iudicium rerum, quæ malæ & noxiæ sint, & contra diuersarum impugnationum varios incursus, hoc quasi quodam scuto vsi ac lumine, maneamus innocui atque muniti. Nos verò tantum hoc Dei donum temerè prodimus, propter superflua ac vana prorsus. Quid enim prodest auratis armis milites refulgere, cùm ducitur rex ipse captiuus? Quod lucrum est ornatæ depictæque nauis, cùm ipsius mergitur gubernator. Quanam illa est bene compositi corporis vtilitas, cùm faciei oculos amisit? Quemadmodum igitur si medicum, cuius ad aliorum ægritudines depellendas sanitas necessaria est, ipsum in ægritudinem mittas, & in deaurato cubiculo, lectuloque argenteo iacere præcipias, nihil proficiet omnino languentibus: ita etiam si* C *mœtis principale corrumpens, quo scilicet ingruentibus posses vitijs repugnare, thesauro feceris assidere, non modò nihil omnino profeceris, sed totum prorsus animum læseris.*

De intellectu, vt est donum Spiritus sancti, Vide Sainct Iure, l'Homme Spirituel. parte 1. c. 3. sect. 15. De eius illustrationibus supernaturalibus ibidem part. 2. c. 3. sect. 12.

Prop. III. *Quàm acutum intellectum peccatores habeant ad malum, & obtusum ad bonum.*

SIc Deus de populo suo: *Stultus populus meus me non* Ierem. 4. *cognouit, filij insipientes sunt, vt faciant mala, bonum au-* 22. *tem facere nescierunt.* Meritò insipientes & vecordes hîc D à Deo peccatores nuncupãtur, tum quia cùm ad Deum nostrũ agnoscendum creati sint, nihil minùs præstant; & quid præterea stultius, quàm pro bonis temporalibus & nullius momenti æterna bona sempiternamque felicitatem & gloriam commutare? Stultum iudicabis Esau, eò quòd pro lenticulis primogenita dederit Iacob fratri suo; quem igitur existimabis eum, qui pro ridiculis & cras perituris bonis cœlestem primogenituram commutauit? insipientes igitur & vecordes sunt. At dices, sunt nihilominus multi peccatores, qui acutioris ingenij sint quàm alij, qui virtute præditi sunt, esse noscuntur, qui scilicet aptiùs discurrunt faciliusque percipiunt, quam multi qui sancti verè sint: non igitur omnes peccatores vecordes & insipientes ita sunt, & veritas Domini manet in æternum: nam illa sapientia talis est, qualis ab Apostolo Iacobo sic describitur, vbi de huiusmodi sapientia loquens, *Non*, inquit, Cap. 3. 15.

est ita sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Pondera verbum hoc vltimum *diabolica*; quonam pacto diabolica? Facilè sic respondere possem, quia diabolus ita sapit ad malum, ad animarum pernicium, ad Dei offensam, sed aliter id explicabo. Sapientia malorum diabolica est, sicut quidem sapientia illa serpentis, quæ seduxit Euam, quæ causa fuit interitus totius generis humani. de qua, *sed & serpens* (inquit) *erat callidior cunctis animantibus terræ.* Vbi Sanct. Augustinus, *Alij* (inquit) *legunt, serpens erat prudentissimus, quod translatiuè dictum est; alij vero codices habent, sapientissimus erat serpens, non proprie, sicut in bono accipi solet, sapientia Dei, vel Angelorum, vel animæ rationalis: serpens autem non rationalis anima, sed spiritu diabolico potest sapientissimus dici. Non ergo mirum, si diabolus spiritu suo implens serpentem, sapientissimum reddiderit omnium bestiarum: sed hoc modo sapientia dicitur in malo, sicut astutia in bono.* Ita S. Augustin. Ecce in serpente diabolicam sapientiam, quia astutia illa serpentis à diabolo erat. Ad hunc igitur modum in malis diabolica sapientia inuenitur, quia à diabolo suggerente procedit, ab illo, tanquam à magistro, vsurarius fraudes, & technas, quibus alios decipiat, habet, ab eo inuentiones suas ad peccandum reliqui discunt peccatores. O stulta sapientia! ô imprudens prudentia! quantò satuis his esset omni sensu carere, quàm tali diabolicâ sapientiâ impleri.

Gen 3. 1. Lib. 11. super Gen ad lit. c 2.

INTENTIO.

PROP. I *Intentio mala vitiat vniuersum opus.*
2. *Intentio nostrorum operum Deum respicere debet.*
3. *Intentio operibus nomen imponit.*
4. *Intentio optima, opera parui momenti extollit.*
5. *Quàm Deo grata sit intentio recta.*
6. *Quòd Deus in operibus nostris maximè intentionem attendat.*

PROP. I. *Intentio mala vitiat vniuersum opus.*

SAnct. Gregor. 1. Moral. 38. *Aliquando hostis noster in bono opere intentionem pollut, vt omne quod in actione sequitur, eò purum non exeat, quo ab origine illud perturbat. Sæpe auram fauoris transitorij apponit, vt in quo recta homines faciunt, ad appetenda ima fortitudine intentionis inclinentur.* Ita S. Greg.

Thren. 1. sic de Iudæa Hieremias: *Facti sunt hostes eius in capite:* non, inquit, ingressi sunt hostes, & depopulati sunt ciuitatem, & ciues occiderunt, sed facti sunt in capite. Quid est, *facti sunt in capite?* nouus hic modus videtur loquendi Sanct. Gregor. vbi suprà, sic ad mores locum istum exponit: *Sub Iudæa* (inquit) *specie de anima intentionis miserè laqueo capta per prophetam dicitur:* Facti sunt hostes eius in capite; *ac si apertè diceretur: Cùm bonum opus non bona intentione sumitur, huic aduersantes spiritus ab ipso cogitationis exordio principantur, & tantò plenius possident eam, quantò per initium dominantes tenent.* Ita S. Gregor. *Vers. 5.*

Quare non sufficit opus secundùm se bonum, & pium esse, & reliquis omnibus circumstantijs bonis condecoratum, si bona defuerit intentio: mala quippe intentio bonitatem operis, & circumstantiarum deturpat. Bonum opus erat secundùm se ieiunium Pharisæorum, sed quia ob vanam gloriam ieiunabant; ideò Christus Dominus illud damnans, dicebat: *Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes: exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiumantes.* Bonum etiam opus erat eleemosyna, bonum oratio, sed eodem modo hęc opera eorum Dominus condemnauit, quia per vanam gloriam illa vitiarunt. Bonum igitur opus, vt bonum sit, bona debet fieri intentione. *Matth 6. 16.*

Sed animaduertere maximè oportet, quòd sæpè non in principio ipsius operis vitiatur intentio, sed in progressu actionis. vnde S. Bernardus cum rectæ intentione concionem quandam inchoasset, vanæ gloriæ tentatione pulsatus, respondit hosti: *Nec tui causâ sermonem suscepi, nec tui causâ illum relinquam.* Sic igitur solet hostis in ipso progressu operis boni, de vanitate hominem tentare, vt intentio, quæ recta rectè cœperat, maculetur.

Quod Sanctus Gregor. ibidem adnotauit, dicens: *Cùm hostes ab initio intentionem vitiare non praualeant, in via positos laqueos tegunt, vt in eo, quod bene agitur, cor exaltans se, ex latere ad vitium deriuetur. Sæpe enim bono operi, dum laus humana obuiat, mentem operantis immutat, quæ quamuis quæsita non fuerat, tamen oblata delectat, vnde Psalmista rectè prophetico plenus spiritu dicebat:* In via hac, quâ ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi. *Quod bene ac subtiliter Ieremias insinuat, qui, dum gesta foris referre studuit, quæ intus apud nos metipsos gererentur, indicauit, dicens:* Venerunt octoginta viri de Sichem & de Silo, & de Samaria rasi barbâ, & scissis vestibus squallentes, munera & thus habebant in manu, vt offerrent in domo Domini, egressus autem Ismael filius Nathaniæ in occursum eorum de Maspha, incedens, & plorans ibat. Cùmque occurrisset eis, dixit: Venite ad Odoliã, qui, cùm venissent ad medium ciuitatis, interfecit eos. *Oblaturi in domo Domini thus, & munera veniunt, qui exhibere se in Dei sacrificio orationem cum oblationibus pollicentur, sed tamen si se in ipsa sanctæ deuotionis via caute circumspicere nesciunt, Ismael in eorum occursum venit, quia malignus spiritus se ad laqueum deceptionis opponit, de quo etiam dicitur bene, incedens, & plorans ibat, quia, vt deuotas mentes interimere feriendo prævaleat, semetipsum quasi sub velamine virtutis occultat, & dum concordare se verè lugentibus simulat, ad cordis intima fecurius admissus, hoc, quod intus de virtute latet, occidit. Qui plerumque promittit ad altiora prouehere: ideo enim dixit:* Venite ad Godoliam, *& dum mara promittit, minima etiam subtrahit. Vnde rectè dictum est:* Qui cùm venissent ad medium ciuitatis, interfecit eos. *Sic ergo diuinis rebus deditæ mentes, nisi magna se circumspectione custodiant, hoste furtiuè irrepente, dum deuotionis hostiam portant, in ipso itinere perdunt vitam.* Ita Sanct. Gregorius. *Gen 3. 15.*

Vbi hoc etiam rectè subiunxit Sanctus Gregorius, quòd non solùm hostis intentionem nostram in principio, & in progressu operis maculare intentionem satagit, verùm etiam post opus istud vanæ gloriæ vitio mentem vitiare procurat. Verba eius hæc sunt: *Cùm verò antiquus hostis nec in exordio intentionem scrit, neque in itinere actionem intercipit, duriores in fine laqueos tendit: hos namque fini suo laqueos oppositos Propheta conspexerat, cùm dicebat:* Ipsi calcaneum meum obseruabunt. *In calcaneo finis est corporis; quid igitur per hunc nisi terminus signatur actionis? ergo maligni spiritus calcaneum obseruant, cùm actionis bonæ finem vitiare desiderant. Vnde eidem serpenti dicitur:* Ipsa tuum obseruabit caput, & tu calcaneum eius. *Caput quippe serpentis obseruare, est initia suggestionis eius aspicere, & manu sollicitæ cogitationis, à cordis aditu funditus extirpare. qui tamen, cùm ab initio deprehenditur, percutere calcaneum molitur, quia ejs suggestione prima intentionem nõ percutit, decipere in fine intendit; si autem semel cor in intentione corrumpitur, sequentia actionis media tua, & termini nus securè ab hoste callido possidetur, quoniam totam sibi arborem fructus ferre conspicit, quam veneni dente in radice reuulnuit.* Ita S. Gregorius. *Vers. 57.*

Magna est inter aquas differentia, hæ quidem dulces sunt, illæ verò salsugineæ, & amaræ, hæ salubres, illæ verò insalubres, & infectæ, hæ perspicuæ, illæ verò lutosæ, & cœno maculatæ. Hoc autem discrimen non prouenit ex natura ipsa aquarum: aqua enim secundùm se elemen-

elementum purum est, sed ex locis, & terris, per quas aqua ipsa transit, & fluit: sic de operibus bonis nostris dicendum est. Licèt enim hæc secundùm se bona sint, ex qualitate cordis, ex quo fluunt, & procedunt, bonitatem, vel malitiam contrahere solent. Eleemosyna, quæ ex charitate, & pietate cordis procedit, pietas, & charitas est, quæ verò ex gloria vana, vana gloria est. Ieiunium quod in satisfactionem peccatorum fit, pœnitentia est: illud verò quod ex hypocrisi emanat, hypocrisis est. Oratio quæ ex cordis oritur deuotione, cultus Dei, & actus religionis est: oratio verò cum voluntaria distractione cordis, & quæ solis profertur labijs, pstitacorum oratio est: sic diuitiæ in quaro auaritia est, in misericorde verò misericordia, honor in humili humilitatis occasio est, in superbo autem superbia; denique secundùm qualitatem cordis perfecta, vel infecta opera nostra sunt; omni ergo custodia serua cor tuum, & munda quotidie illud, vt opera tua munda inueniantur in oculis Dei nostri.

A

B

Prop. II. *Intentio nostrorum operum Deum respicere debet.*

TAnta quidem est vis amoris proprij, vt in his etiam quæ Dei sunt, nos ipsos quæramus, & opera bona, quæ ad Dei obsequium instituta, & destinata sunt, in nostrum commodum conuertamus, & laborem, qui in eis repetitur, ob nostram vtilitatem, & amorem, non verò ob Dei amorem libenter assumamus.

Oseæ 10. *Ephraim vitula edocta diligere triturare*, hoc est, vultis dicam vobis, (ait Dominus) quisnam sit populus iste meus? Sicut vitula quædam, quæ diligit triturare. vbi Vatablus: *volens magis triturare, quàm arare.* Qui ruralem artem profitentur, asserunt, quòd inter labores rurales tritura est facilior, quia sine iugo triturantur: iugum enim graue est illis, gratior verò, & suauior, quia pabulum ibi ad os habent: non enim alligamus os boui trituranti. Diligit ergo huiusmodi vitula non arare, quia arando à iugo vexatur, & non habet pabulum coram, sed diligit triturare, quia sine iugo laborat, & velcitur messe, cùm fameseit. Denique sic inquit Dominus: *Est populus meus Ephraim, seruire mihi velle asserit, sed sui gratiâ, non mei*, ob vtilitatem suam, non propter amorem mei. Vereor, ne Dominus eandem querelam aduersùs populum Christianum habeat: quàm pauci sunt, qui Deo seruiant propter Deum, & non propter se, & commodum proprium!

C

Prop. III. *Intentio operibus nomen imponit.*

SEneca epist. 95. *Non in facto laus est, sed in eo quemadmodum fiat. Amico ægro assidet quis, probamus: at, si hæreditatis causâ hoc facit, vultur est, cadauer expectat. Eadem, & turpia, & honesta sunt, refert, quare, aut quomodo fiant; apponamus oportet finem summi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum, & dictum respiciant, velut nauigantibus ad aliquod sydus, dirigendus est cursus. Vita sine proposito, vaga est.* Ita Seneca.

Vide Publius Mimus: *Malus*, inquit, *est vocandus, qui sua causâ est bonus. Non aspicias, quàm plenas quisque manus Deo, sed quàm puras admoueat. Plerique autem metu peccare cessant, & non innocentiâ, profectò hi non innocentes, sed timidi sunt dicendi.* Ita Publius.

Quamuis opus ex se excellens sit, ex vitio intentionis vitiatur. De salamandra ferunt, quòd radici arboris applicata, totam arborem exsicceat & perdat. Rectè demonem salamandram possumus nuncupare, quia sicut salamandra in igne nostro, sic ille in igne gehennæ ver-

D

satur. sicut ergo salamandra nostra, radici arboris applicita, totam arborem siccat; sic salamandra illa infernalis, intentioni, quæ radix operationum nostrarum est (semper enim ex aliqua intentione nostra oritur opus) applicita exsiccat, & perdit vniuersum opus, licèt fructiferum sit.

Prop. IV. *Intentio optima, opera parui momenti extollit.*

FErtur, & ita experimento comprobatum est, quòd aqua ex alto loco manans, licèt ad inferiora descendat, tantùm postea, quantùm descenderit, ascendat, & ortum suum ascendendo æquet. Id etiam in moribus contingit; ab intentione cordis opera nostra dimanant: nemo enim rationabiliter agit, nisi ex aliqua intentione, quantò igitur altior fuérit intentio, tantò actio altior erit. Vnde qui ex charitate Dei operatur, etiam in minimis, ex charitatis proposito magno præmio potietur. Quod in vidua illa, quæ duo tantùm minuta dedit, constat, & in Apostolis, qui piscationis munus pro Christo Domino reliquerunt, & in oneribus ex obedientia factis, quamuis inutiles alioquin actus esse videantur.

Simile.

Prop. V. *Quàm Deo grata sit intentio recta.*

SAnctus Chrysostomus tom. 5. oratione Kalendis habitâ, expendens illa verba Pauli Apostoli. 1. Cor. 10. *Siue manducatis, siue bibitis, omnia ad gloriam Dei facite. Si mensa* (inquit) *& vestitus, & verba, & incessus, & aspectus, & ingressus, & exitus, & facetiæ, & laudationes, & vituperationes, & amicitiæ, & inimicitiæ possunt propter Deum fieri, quid restat, si voluerimus, quod non possimus facere propter Deum? Quid homicidio indignius, & tamen iustitiam asseruit potest: tanti est propter Deum facere quicquam. Olim enim Madianitæ volebant infensum Deum facere Iudæis, hac viâ arbitrati se illos superare posse, puellas exornantes ad lenocinia, & deinde ad impietatem adducebant. Hoc cùm vidisset Phinees, duos transfodit gladio, & sic iram Dei à destinata sententia deduxit: non enim ad eorum, quos interfecit, inuidiam, sed ad eorum, qui superfuerant, salutem, hoc suscepit. Propterea Psalmista ait:* Stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio, & reputatum est ei ad iustitiam à generatione ad generationem vsque in sempiternum, & *immortalis huius recti facti memoria permanet. Rursus alius oratuit, & lacessiuit Deum, adeo est aliquid non propter Deum facere, Pharisæum dico, & sicut Phinees, etiam cum eadem fecisset, gratiosus apud Deum fuit; sic & iste non propter precationis naturam offendit, sed propter animi affectionem, quacum precabatur, perlapsus est. Ita etiamsi spirituale aliquid fecerit, si tamen propter Deum non fiat, cumprimis illum ledit, qui facit. denique sicut ædificatores; cùm murum structuri sunt, amussim ab angulo ad angulum ducunt, ita murum pertexunt, vt minimè inæquales eius ora existant; sic & nos pro amussi verbum hoc adhibeamus, quod Apostolus ait:* Siue editis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite; *siue precemur, siue ieiunemus, siue accusemus, siue condemnemus, siue laudemus, siue vituperemus, siue ingrediamur, siue exeamus, siue vendamus, siue emamus, siue taceamus, siue dissputemus, siue aliud quid faciamus, omnia ad Dei gloriam faciamus. Quod si quid ad Dei gloriam non pertineat, illud neque facto, neque dicto vsurpetur à nobis, sed pro baculo, pro præsidio, pro armis, pro thesauris habeamus hoc dictum, Omnia ad gloriam Dei facite, vt post huius vitæ peregrinationem gloriam, ab eo consequamur, ait enim: Gloriâ afficientes me, afficiam gloriâ.* Ita Sanctus Chrysostomus.

5 *Chrys.* 1. Cor. 10. 31.

Pſ. 105. 30.

Luc. 18.

Simile.

Matth. 8. homo quidam scriba ad Christum: *Magister sequar te quòcunque ieris.* Cui Dominus: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet*

vbi caput suum reclinet. Sic eum Christus reiecit. Mira- A
S. Aug. tur Sanct. Augustin. serm. 7. de verbis Domini secundùm Matth. dicens: *Quid tam promptum, quid ad tantum bonum aptiùs mum, sequi Dominum quòcumque ierit? Quid est hoc quòd Magistro bono inuitanti discipulos, quibus daret regnum cœlorum, displicuit tam paratus?* Sic miratur hic Sanct. Augustin. & admirationem addit, dixisse illico Dominum alteri: *sequere me*, qui quidem pro tunc sequi Dominum recusabat, dicens: *Permitte*
Matth. 8. 21. *me primùm ire & sepelire patrem meum*; cuius excusationem Christus non admisit, dicens: *sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Cur, quæso, volentem se-
Idem qui reijcit, nolentem sic compellit? Sanctus Augustinus vbi suprà: *Quia Christus sciebat quid esset in homine, quantum malè videbat in illo, tantum boni videbat in isto; ideo dixit illi:* Vulpes foueas habent, *scilicet in corde tuo, quia dolosus es;* & volatilia cœli nidos habent, *in corde tuo, quia superbus es; ideo hunc declino, quia video ibi foueas, video ibi nidos.* Ita S. Aug. Ecce quantùm interfit bonam vel malam intentionem habere.

Gen. 4. 4. Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Ordinem huius respectionis attende: non ait, respexit Dominus ad munera Abel & ad ipsum Abel, sed priùs ad Abel: si enim munera illa fuissent, propter quæ Abel placuit Deo, priùs dicendum erat: respexit Deus ad munera, & secundo loco, ad Abel; siquidem, vti ait Philosophus: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Respondet Hugo Victorinus ibidem:
Hugo Victori. *Ideo prius persona offerentis posita est, quia munera nostra ex merito offerentis Deo placent.* Ita ille. Etenim recta & bona offerentis intentio, in causa est, vt munus, quantumuis leue placeat Deo, vt in vidua duo minuta offerente constat.

Gen. 8. 20. Genes. 8. *Post diluuium ædificauit Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare, odoratúsque est Dominus odorem suauitatis.* Vnde, quæso, hæc suauitas odoris? quod in holocausto offerebatur, comburebatur; caro autem & ossa combusta non suauem, sed ingratum odorem C
exhalant; quomodo ergo *odoratus est Dominus odorem*
Rupert. *suauitatis?* Respondet Rupert. Abbas cap. 28. *Non quòd carnis nidoribus oblectaretur Deus: neque enim ipse caro aut corpus est, vt odoratu huiusmodi ducatur, sed quia offerentis cor intuetur, & sic quasi magno munere delinitus, di-*
Ibid. 21. *xit:* Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines. Ita Rupert. Intentio autem Noë fuit gratias agere Deo, propter liberationem à diluuio, vti ait ibidem Rupert. dicens: *Altare quod ædificauit Noë, & holocausta quæ obtulit Domino, gratiarum actiones fuerunt, beneficiorum memoriam recolentis, vt dignum erat.* Ita ille. Et quia Deo gratissima est gratitudo, ideo maximè gratum fuit illi holocaustum Noë, & non obstitit graueolentia carnium. Vide etiam Theodoretum ibidem.

PROP. VI. *Quòd Deus in operibus nostris maximè intentionem attendat.* D

Gen. 18. GEnes. 18. Deo Abrahæ filium promittente, risit
Augustin. Abraham, & risit Sara vxor eius. Ponderat locum istum Sanct. Augustin. in quæstionibus super Genesim, dicens: *Arguitur Sara, quia risit, & non Abraham, cùm similiter risit, quia risus Abrahæ fuit admirationis; Saræ verò dubitationis: quod diiudicare potuit qui corda nouit.* Ita Sanctus Augustinus.

INVIDIA.

PROP. I. *Quantò prosequatur odio inuidiam Deus.*
2. *Quàm graue peccatum sit Inuidia.*
3. *Quàm diabolicum vitium sit inuidia.*
4. *Quàm detestabilis sit inuidia.*
5. *Quàm contra naturam, & rationem sit vitium inuidia.*
6. *Quàm opposita charitati sit inuidia.*
7. *Inuidia ex superbia procedit.*
8. *Inuidia quàm crudele vitium sit.*
9. *Inuidia graue odium commouet in eum, cui inuidet quis.*
10. *Inuidi aliorum malo lætantur, bono tristantur.*
11. *Inuidia est malum periculosum, ex eo quòd occultum sit.*
12. *Inuidia animum inuidi torquet.*
13. *Quàm procliuis ad inuidiam sit homo in natura lapsa.*
14. *Quàm vniuersale vitium sit inuidia.*
15. *Inuidia est origo multorum peccatorum.*
16. *Bona mundi non sunt digna inuidiâ nostrâ.*
17. *Inuidia quàm difficilè remedium habeat.*
B 18. *Remedium contra Inuidia vitium.*

PROP. I. *Quantò prosequatur odio inuidiam Deus.*

SIc Dominus ad Cain, statim post occisionem *Gen. 4.* fratris sui Abel: *Quid fecisti? vox sanguinis fra- 10.* tris tui clamat ad me de terra; nunc igitur maledictus eris super terram, &c. Omnia hæc Domini verba grauitatem criminis præseferunt. *Quid*, inquit, *fecisti?* quasi dicat: ô Cain, si attendisses grauitatem delicti tui, non fuisses ausus illud perpetrare. *Vox*, inquit, *fratris clamat ad me*, hoc est, quamuis tu taceas, facinus ipsum clamat ad me, vindictam petens; *maledictus ergo eris super terram.* Cur non dixit, sicut pe- *Gen. 3. 17.* canti Adæ dixit: *Maledicta terra in opere tuo?* ibi terram maledixit, hîc verò ipsam personam delinquentem. C Cur ita? Respondet Sanctus Chrysostomus: *Quantò* *Chrysost.* *maius peccatum præuaricatione Protoplasti fuerit, ex maledictionis varietate videre licet: illic enim ait:* Maledicta terra in operibus tuis, *in terram effusa est maledictio, ostensa in hominem cura Dei; hic verò, quia res pernicio-sa, & facinus iniquum erat, ipse Cain pœnam luit.* Et nunc, *inquit*, maledictus tu de terra; *& sicut serpenti* *Ibid. 6.* *dixit*, Maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ; *sic & Cain, quia eadem, quæ ille, operatus est. Nam sicut diabolus, qui inuidiâ mouetur, ferre non potuit tot ineffabilia beneficia, quæ in hominem collata sunt, ex inuidia ad deceptionem stimulatus est, quæ mortem induceret; ita & Cain videns Deum erga fratrem suum magnâ benuolentiâ affici, ex inuidia ad homicidium prosiliit.* Ita Sanct. Chrysostomus. Ecce quanto Deus odio inuidiam prosequatur.

PROP. II. *Quàm graue peccatum sit inuidia.* D

SAnctus Petrus Chrysologus serm. 4. de duo- *S. Petrus* bus filijs &c. *Sicut nos Deo charitas iungit, sic à* *Chrysol.* *Deo inuidia seiungit.* Ita ille. Quid peius de inuidia dici potest, quàm oppositam illam dicere omnium virtutum principi charitati? tantò enim virtus & peccatum maius est, quantò excellentiori opponitur virtuti.

PROP. III. *Quàm diabolicum vitium sit inuidia.*

SAnctus Basilius in aliquot Script. loc. & hom. de Inuidia, *Inuidia* (inquit) *est proprium diaboli vitium: non enim diabolus creatus est diabolus, sed cum Angelicam potestatem accepisset, in dæmonem conuersus, inuidit homini, quia vidit eum parum quidem animal super omnem creaturam honoratum.* Ita ille. Iuxta illud Sapientis, *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.*

Vide prop. seq.

PROP. IV. *Quàm detestabilis sit inuidia.*

SAnctus Chrysostomus. *Sæuum malum inuidia, nec vlla venia dignum, & tetrum magis, quam atrabilis, malorum omnium radix. Atrarus enim tunc certè accipit ipse, inuidus cùm non accipit frater, gaudet, rem strenuè peractam putat, quot ex proximo est acta malè; successum ab alterius infortunio, & non fortunæ suæ metitur, communis hominum naturæ factus hostis, Christi membra flagellans: quid furiosius?* Inuidet Satan, *sed hominibus, non dæmonibus alijs; tu verò homo cùm sis, hominibus inuides, odium aduersus genus tuum naturamque communem exerces, quod nec Satanas fecit. Quam igitur veniam assequeris, si fratris prosperitatem videns, intremiscis, pallescis, vbi gaudere, exultare, & coronari debuisses. Quòd si æmulari libet, non obsto, æmulare sanè, sed ei qui vir bonus est, vt similis euadas, non qui supprimas; ad istam fastigium ascende, virtutem imitare, hæc honesta æmulatio est. Inuidus cùm rem bene succedere videt alteri, tabescit, ingemiscit. nunquam egenum ita paupertatis sæuitia premit, vt inuidum felicitas fratris. Quo quid, obsecro, sæuum magis? Vermem aiunt inuidi assiduè, pectus eorum corrodentem, venenij, quouis felle amarulentioris, fontem habent. Non ita vestem tinea rodit, non ita lignum vermis consumit, vt illa inuidiæ ardentissima febris ossa haurit, & ipsam mentis sobrietatem depopulatur.* Ita S. Chrysost. Vide eundem homil. 36. in Ioan.

A *& successibus proximi ipse consumitur, quia fratris bona sua mala sunt; hæc enim dicturus est sine dubio, si velit quæ vera sunt dicere. Verum quoniam erubescit horum aliquid confiteri, recondit & celat mœrum sensus morbum ipsa eius interna viscera consumentem. Neque ergo medicum languoris sui assumere, neque remedij aliquid inuenire potest, cùm præcipuè omnes scripturæ repletæ sint verbis Dei medicamentorum, quibus possint ista curari: sed inde quidem remedium non requirit. Vnum autem solum sibi remedium putat, si forte ei, cui inuidet, infaustum aliquid accidat: si aliquid lapsus occurrat. Hoc tantum- modo ad languoris sui remedium ducit, si eum, qui paulò ante clarus ac beatus habebatur, infelicem videat & deiectum: tunc iam & amicus efficitur, tunc & fletus suos sociat: tunc & lachrymas mutuatur, cùm eum, cui inuidebat, flentem viderit & lugentem: & gaudere quidem cum gaudente non permittit: nunc verò gaudio fiet cum flente.* Et paulò pòst: *Miratur, & laudat diuitias; sed post ruinam, decorem vultus, & corporis robur in languoris macie, & tabe ægritudinis prædicat: & in omnem immicum se præsentium seruat, amicum verò præsentium.*

B Et postea sermone eodē ait: *Sicut omne iaculū, quòd vehementius fuerit intortum, si fortè in aliquod solidum & durum corpus illiserit, in eum continuò qui iecerat repercussum iaculum retorquetur ac refilit: ita etiam inuidentis motus, & animorum telum, cum nihil nocuerit eum, cui intenditur, vltus tamen intendentis efficitur: nemo namque tristitiā suā vnquam immimere bona proximi potuit: æmulans tamen semper tabo conficit inuidiæ.* Et paulò pòst: *Fugiamus malum quod magisterio serpentis edoctum est: quod à dæmonibus adinuentum est: quod inimicus homo bonis Dei semper inseruit. Fugiamus inuidiam obicem pietatis, obstaculum regni cælorum, viam gehennæ, pigrum & primitias quasdam pœnæ perpetuæ. Sed ipso quoque interdum vultu non minùs inuidi declarantur: abstrusior namque his oculus: obscuriores genæ: demissum & tristè supercilium: animaque ipsa passione deiecta. & penitus incurvata, nusquam veritatis iudicium in negotijs seruat. Nullum virtutis opus apud illos habetur in laude:*

C *non sermo vllus honestus eis videtur, aut gratus, nihil apud eos nobile, nihil clarum probabitur: sed sicut vultures iucunda quæque & amæna loca transeunt: & suauissimis odoribus respirantia transuolant prata: ad fœtida verò quæque cadauera, & loca tetris repleta nidoribus conuolant. Et sicut muscæ omisso sano corpore, sicubi vulnus est, concitæ, præcipitesque conueniunt: ita & inuidi si quid ab aliquo in hac vita bene gestum est, si quid præclarum in actibus, in verbis probabile, in moribus admirandum est, nihil prorsus vident, nihil retractant. Sicubi autem quid aut culpabiliter gestum, aut incauto sermone prolatum, vt accidere hominibus solet, hoc loquuntur, hoc profe- runt, hoc in publicum ventilant, & nottiam viri non ex bonis gestis, & actis que, sed ex minus probabilibus fieri voluit. Quo malo quid nequius? quid tetrius? quid perniciosius dicam? O- mittere & retinere ea quæ laude digna sunt, primari verò, sicubi quid inuenias, quo opus virtutis ex accidentis culpæ occasionibus crimineris? Denique isti tales magnanimum quemque virum proterum vocant: constantem verò & patientem*

D *sine sensu doloris appellant: sobrium acerbum dicunt: iustum crudelem: prudentem callidum vocant: libertum arrogantem criminantur: liberalem verò luxuriosum dicunt: parcum auarum nominant: & omnes prorsus virtutum species decolorare contrarijs, & à malitia assumptis appellationibus gestiunt: ita vt sæpe etiam inuidos, quibus ipsi inuident, nominent.*

Nihil tam dispergit, dispatque quàm inuidia. Et paulò pòst: *Rem strenuè peractam putat, quoties proximo est acta male: successum ab alterius infortunio, non fortunæ suæ metitur: communis hominum naturæ oberrans bonis, Christi membra flagellans, quo nihil furiosius magis. Inuidet Satan, sed hominibus, socio iam nemini: tu vero homo cùm sis hominibus inuides, odium aduersus genus, naturamque communem exerces, quod ne Satan quidem facit. Quam igitur veniam assequere? Quam tandem excusationem prætendes? Si fratris successus videns intremiscas, pallescas, vbi coronari, gaudere, exultare oportuisset. Quòd si æmulari libet, nil obsto, æmulare sanè,* Chrysost. 1 ad Cor. 12. Hom. 31.

ADDITIO.

NIhil humanæ inuidiæ malo permitiosius accidere potest, quod malum lædit parum quidem etiam eos, in quos intenditur: grauius verò & perniciosius eos prius, à quibus procedit, affligit: sicut enim arugo ferrum, ita inuidia illam ipsam animam, in qua est, interimit & consumit: & sicut aiunt viperas dilacerato & exeso illo ipso materno vtero, quo conceptæ sunt, nascisci & inuidiæ natura illā ipsam antè omnes quā concepta est, vel ex qua generatur, animam consumit & perdit. Tristitia namque & mœror quidam de prosperitatibus proximorum est inuidiæ vitium: & ideo nunquam deesse potest inuido mœroris occasio. Si ager proximi opimis fructibus latus sit: si abundet successibus facultatum: si lætetur animo & prosperitatibus gaudeat, hæc omnia velut pabulum quoddam sunt, & nutrimentum languoris inuidiæ, nec differt à nudo homine, eò quòd poteſt telis vndique incurſantibus transfodi, ſi virum fortem videat & robuſtum: vnum iſtud eſt vulnus inuidi, decorum alium vidit, & formā præcipuum: aliud iſtud inuidi telum eſt. Virtute animi clarus eſt quis, & prudentiā cæteros eminens, ſermonis quoque prolatione, ac virtute magniſicus; ſecat hoc quoque maximè inuidum, & interna mente diſcruciat. Alius augeſcentibus diuitijs ſuis conſulit vtitur, & cenſum ſibi à Deo datum communem cum indigentibus facit, miſericordiā clarus efficitur, & in omnium laude humanitatis beneficijs celebratur: omnia hæc cor inuidi fodiunt, & eò ſæuior eſt vis doloris, quò eum ne proferre quidem aut publicare poteſt: ſed eſt quidem ſemper in gemitibus, & mœrore ac mente confuſus, & totus malo vitij graſſantis abſumptus, nec interrogatus tamen poteſt indicare languorem: erubeſcit enim enuntiare in publicum, quia tabeſcit inuidiā, quia amici bonis ſanè,

» sanè, sed vt ei qui bonus vir est, similis euadas, non qui suppri-
» mas: ad idem fastigium ascende, virtutem eamdem exprime.
» Hæc honesta æmulatio est, imitari, non inimicum esse: non
» commodis aliorum, sed sui ipsius vitijs offendi. Atqui contra in-
» uidia solet. Mala sua nescit, successu mœret aliorum. Nunquam
» egenum ita paupertatis sarcina premit, vt inuidum felicitas
» fratris, quo quid, obsecro, sit sæuum magis? Nam hoc ille,
» quemadmodum dixi, etiam auaro est peior. Nam hic quidem
» quoties capit ipse, ille verò cùm alius excidit, lætatur.

PROP. V. *Quàm contra naturam, & rationem sit vitium inuidiæ.*

NAturalis dictat ratio, illum diligendum, & laudandum esse, qui bonus est, & bonis præditus moribus, & vitæ innocentis puræ: inuidus autem contra hoc rectum, & iustum rationis documentum, illis inuidet, qui meliores sunt, eos odio habet, qui candidioris vitæ sunt. Vnde rectè Sanctus Ambrosius lib. 2. de off. cap. vlt. *Inter improbum*, (inquit) *& inuidum hoc* B *interest, quòd improbus suo delectatur bono, inuidus torquetur alieno: vt prope tolerabilior sit, qui sibi vult bene, quàm qui omnibus malè.* Ita ille. Et in ea sententia concordat S. Chrysost. hom. 41. in Matthæum.

Hinc inuidus sagittarius nuncupatur, vt constat Genes. 49. vbi Patriarcha Iacob obuentura filijs moribundus annuntians, cùm ad Iosephum peruenisset, dixit: *Inuiderunt illi habentes iacula.* Sanct. Hieron. in quæ- *Vers. 23.* stionibus Hebraicis explicans hunc locum, adnotauit, hîc inuidiam cum arcu & sagittis introduci ad sagittandum quod immaculatum est. Vbi nota, quòd sagittarius scopum album, & mundum apponere solet, in quem dirigat sagitteas suas, *per esto dezimos tirar al blanco.* Talis igitur est inuidus: etenim illum qui amore dignus erat propter vitæ suæ candorem, & innocentiam, illum, inquam, purum, & bonum, quia purus, & bonus est, odio prosequitur, & persequitur contra vniuersum ordinem rationis: ideo peruersio magna est inuidia. C Quia igitur candidus, & innocens erat Ioseph, ideo inuidentes ei, sagittarij dicebantur.

Auget malitiam inuidi, & ponderat magis Sanctus Bernardus de interiori domo, cap. 2. vbi ait, inuidum cum damno etiam suo velle malum proximo: quod in Saule probat. 1. Reg. 19. qui cùm musicâ Dauidis meliùs se haberet, hastam nihilominus in Dauidem emisit, vt eum interficeret, malens à malo spiritu torqueri, quàm Dauidem viuere, & in dies magis celebrari. Quod etiam adnotarunt Sanctus Basilius hom. 11. inter varias, quæ est de inuidia, & S. Chrysostom. hom. 57. in Ioannem, qui homil. 41. in Matth. ait: *Inuidus alienas iactu-* *ras, quæsus suos censet, & aliorum felicitatem, suam miseriam arbitratur.* Ita Sanctus Chrysostomus. Qui rursus hom. 22. in Ioan. quærit, cur tulerint Iudæi, Ioan. 2. Christum, eos veluti abiectos seruos è templo ejicientem, & flagellis cædentem; cùm tamen non possent ipsius miracula æquo animo tolerare; *Quia* (inquit) *multò* D *magis aliena gloria offendit inuidos, quàm proprium dammum.* Ita ille. Et idem docet hom. 41. in Matth.

Quòd si de inuidia aliquid dictis superaddere licet, id est, quòd inuidia hominis turpior, & peior sit, quàm inuidia diaboli, inuidia quippe diaboli in eo consistit, quòd bona, quæ ipse amisit, qualia sunt gratiæ bona, aut quæ non potuit habere, qualia sunt bona gloriæ, & vnio hypostatica, dolet in homine reperiri. dolet denique quia videt nos habere, quæ ille non habet, nec potest habere: at homo inuidus dolet, quòd alter habeat, quod ipse potest habere, vel de facto habet: vellet enim singularis esse, quod non reperitur in diabolo. peior igitur est inuidia hominis, quàm inuidia dæmonis infernalis; ideo meritò in sacris litteris pessimum appellatur vitium inuidiæ humanæ, Genes. *Vers. 10.* 37. *Fera pessima deuorauit filium meum Ioseph.* Prophetasse A videtur, nam inuidia, propter quam persequebantur Iosephum fratres eius, inuidia erat pessima, quia peior, quàm inuidia diaboli, pessima, quia opponitur virtuti charitatis, quæ optima virtutum est. Vnde S. Nazianzenus orat. 27. hoc vitium inuidiæ nequissimum appellat.

Sanct. Chrysost. libro 1. de Compunctione cordis: *Cùrsijst.* *Nolite iudicare* (ait Christus) *& non iudicabimini. In alio-* *rum delictis seueri, & amarissimi iudices residemus, nostras au-* *tem trabes oculis infixas propriis non videmus, qui aliena etiam* *minima sollicitè perscrutamur, & ad condemnandum ceteros,* *omne vitæ nostræ absumimus tempus. A quo vitio neque sæculi* *homines, neque monachorum vllum, facilè inuenies liberum. &* *quidem, cùm tanta sit in hoc posita comminatio: diuina enim* *sententia dicit: In quo iudicio iudicaueritis, etiam ipsi iudicabi-* *mini, & in qua mensura mensi fueritis, in eadem remetietur* *vobis. Cùm ergo mali huius pœna tanta sit posita, voluptas ve-* *rò (vt in ceteris solet peccatis) in hoc nulla sumatur, omnes* *tamen festini, & præcipites, huic se vitio subiugarunt. Sic ergo* B *non per vnam, sed per omnes, vt ita dicam, vias, & per omnes* *aditus, currimus in gehennæ ignem, & non solùm pro hu, quæ* *laboris aliquid, & continentiæ videntur exigere, prorsus in ea* *ruimus, sed etiam pro his, quæ leuia sunt, & neque necessitatu* *aliquid, neque illecebræ quicquam continent, aut voluptatu,* *pari linea vitrobique præuaricationis damnamur. Argumur* *enim ex his facilibus, & leuibus, quòd etiam in illis, quæ viden-* *tur laboriosa esse, propriâ ignauiâ, desidiâque delinquimus;* *nam dic mihi, quid laboris habet, vt non iudices alium, nec pec-* *cata discutias aliena, neque condemnes proximum tuum? imò* *verò magis in discutiendo, & perquirendo aliena commissa la-* *bor est, & iudicare de alterius mente difficultas summa. Quis* *verò credere posset, quòd cùm possimus sine labore seruare man-* *datum, laboramus, & nitimur, vt præuaricemur. Si per otium,* *& negligentiam peccaremus, esset fortasse aliquid venie hu,* *qui laborare nequissent, vbi verò laboratur, vt peccetur stu-* *diumque adhibeatur, & contentio, quatenus præteratur man-* *datum, quæ erit pro hoc malo venia? Hoc enim est contendere* C *aduersùs eum, qui præcepta dedit, & bellum legibus eius inse-* *re, quia reuera ipse de præceptis suis pronuntiauit, quòd nihil in* *eis laboriosum sit, & nihil onerosum, dicens:* Iugum meum *suaue est, & onus meum leue. Et nos è contra grauius effi-* *cimus, quæ ille constituit leuia, & quæ ille suauia posuit, nos fa-* *cimus amara peccando.*

Sanctus Chrysostomus homil. 53. ad popul. *Sunt qui* *tabescunt, cùm alios viderint se præcurè gerentes, & Eccle-* *siam verbo, vel alio quopiam modo adiuuare: quo quid pœnæ esse* *potest? non enim iam fratri, sed & Dei talis repugnat voluntati. Quid menti tuæ sic bellum indicis? quid superiora deorsum* *statuis? quomodo potest ita dispositus, peccatorum posse ve-* *niam? nam si non dimittenti patrata in te, nec Deus peccata* *dimittit; qualem tibi remissionem dabit, qui cum diabolo Eccle-* *siam expugnas? fortè autem & diabolo peius: nam ab hoc* *quidem caueri potest, illi verò, dilectionis induentes personam,* *clanculum ignem accendunt.*

Quid igitur doles, quod Deus glorificatur? vide, quò tendat *impugnatio. Non quòd Deus, inquies, sed quòd frater glorifica-* *tur: at per eum ad Deum gloria redundat; igitur & impug-* *natio tua? Verum dices hoc: me non contristat, sed per me* *vellem ipse Deum glorificari. Gaudeas igitur Deum per fratrem* *glorificari, & sic Deus per te glorificabitur, & omnes dicent:* *Benedictus Deus, qui tales seruos habet, ab omni liberatos inui-* *dia, mutuis gaudentes bonis; & quid dico fratrem, si hostis illi* *inimicus esset, si tamen per hunc Deus glorificaretur, amicum* *fieri propter hoc oporteret; tu verò amicum, facis inimicum,* *quia propter illum prosperitatem Deus glorificatur. Si quis cor-* *pus tuum malè se habens curauerit, immicus licèt ille sit, tam* *illum amatum censebis; Christi verò corpus ornantem, id est,* *Ecclesiam, & amicum ducis inimicum, & quomodo contra* *Christum pugnam aliter præ te tulisses? Propterea siue quis* *ieiunium, siue virginitatem seruet, siue signa faciat, siue An-* *gelos virtute præueniat, omnium scelestissimus erit, hunc ha-* *bens defectum, & adulterio, & lenone, & latrone iniquior. Et ne*

quis

quis sermonis excessum redarguat , illud à vobis libenter interrogauerim : Si quis ignem sumens, hanc Dei donum incendisset, & suffodisset altare , nonne quilibet eum lapididus obrueret, tanquam prosanum, & impium ? quid igitur , si voraciorem hoc igne flammam inferat , inuidiam huiusmodi dico, non lapidum aedificia destruentem , sic aureum suffodientem altare, sed quod parietibus , & altari multò pretiosius est , doctorum, & bonorum aedificationem subuertentem , quali venia dignus erit?

Nemo autem mihi dicat , quòd frequenter aggressus impedire non valuit : ex voluntate enim negotia iudicantur. Nam Saul Dauidem quidem occidit , licèt non impleuerit votum. Quod igitur huius remedium ? communiter omnes oremus, & vnam pro talibus vocem emittamus , tanquam pro energumenis: nam & ipsis hi miseriores sunt , quantùm & voluntarius est furor. ratione quippe indiget iste morbus, & plurima supplicatione. hoc enim vitium fuit, quod in Cain fraternam manum maculauit , & fecit, vt eius dextra fratris sanguine tingeretur, & naturæ leges abstulit, & mortiferis aperuit , & in opus illam deduxit maledictionem, & neque patrum, neque parentũ, nec alterius rei miserum illum permisit reminisci, sed illum insatiauit, & furiauit, vt à Deo se commonente , atque dicente: Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius, neq; ita acquieceret: tam insanabilis est iste morbus. Sed quam ob causã doles, ô Cain, quoniam honoratus est Deus ? sed hoc diabolicæ mentis est: aut quoniam frater tuus factus est probabilior ? sed & tibi vicissim præcurrere licet. Itaque si vincere cupis, ne occidas eum, sed manere finas , vt certaminum conseruetur occasio, & vince viuentem: sic enim tibi splendida paratur corona. Nunc verò cùm occideris , maiorem iactura sententiam aduersùs temet ipsum profers, sed nihil horum nouit inuidia. Ita S. Chrys.

hrys. Idem S. Chrysost. hom. 44. quærit , quibus inuidos comparare possit, & ait: *Sicut furentes sæpenumero gladios in se conuertunt; sic & inuidi solam inuisi perniciem intuentes, propriam negligunt salutem. Sunt etiam inuidi feris peiores: nam illæ quidem esca indigentes, vel à nobis irritatæ, aduersùs nos armantur; hi verò beneficijs frequenter allecti, bene meritos maleficijs prosequuti sunt: imò non solùm feris peiores. sed forte dæmonibus etiam peiores sunt : bi namque bellum contra nos exercent impacatum , consortibus autem generis sui non insidiantur. Vnde Iudæi quoque Christus os occlusit , cùm eum in Beelzebub ejicere dæmonia calumniarentur; hi verò neque naturæ consortium reueriti sunt.*

ue, 11.

hrys. Idem S. Chrys. hom. 44. ad pop. *Cur doles, ô homo, de proximi bonis? Dolere nos oportebat de his quæ patimur malis, non in quibus alios probabiles esse videmus. Propterea omni venia caret istud peccatum. Nam fornicator quidem concupiscentiam prætendere potest, fur paupertatem prætendere potest, homicida furores. Frigidas quidem , & irrationabiles, habent tamen, quas prætendant , excusationes. Tu verò quam dices causam, rogo ? Nullam penitus, nisi tantùm nequitiam intensam. Si enim inimicos diligere iubemur , cùm & diligentes nos odio habuerimus , quam pœnam luemus ? Nam si diligens diligentes nihilo gentibus melior effectus est ; nihil iniuria operatos infestans , quam habebit veniam ? quam excusationem?*

Idem S. Chrysost. hom. 45. ad pop. *Omnium vitiorum pernitiosissimum est inuidiæ vitium, namque diabolo est inuentum, sicut Sapiens dicebat*: Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: *postquam enim vidit hæc improba bestia factum immortale protoplastum , per propriam nequitiam eum in mandati præuaricationem induxit , & per eam fecit, vt mortis attraheret pœnam. Itaque inuidia deceptionem fecit, deceptio inobedientiam , inobedientia mortem , igitur inuidia mortem in nobis operata est, ideo dicit*: Inuidiã diaboli mors introiuit in orbem terrarum. *Vidisti, quanta sit huiusmodi pernicies , immortalem hominem morte damnari facit. Inuidiam ergo ex nostris animis exterminemus.* Ita Sanctus Chrys.

.2,24.

-rys. Idem S. Chrysost. ad Rom. hom. 7. *Multi quidem vnà cum flentibus , & ipsi flent , sed non etiam cum gaudentibus*

gaudent, quin potius aliis gaudentibus lacrymantur ipsi : quod quidem inuidentia , & malignitas est: quomodo autem sic affectus poterũ veniam peccatorum postulare ? nam si qui aduersùm se admissa aliis non remittunt , iis Deus peccata non condonat , quam tandem peccatorum condonationem ijs largiturus est, qui sùi in eos inuidiã à quibus ipsi nulla sunt iniuriã tentati ? summa enim malitia argumentum hoc est , ac certè id genus homines vnà cum diabolo Ecclesiæ bellum inferunt, fortasse etiam & multò pestilentius : nam diabolum euitare sanè possu ; at hi sumptâ amicitiæ personâ, clam ignem succendunt , se priùs ipsos in caminum conijcientes ; ac morbo laborantes, non solùm misericordiã indigno , sed & ridiculo. Quid enim, queso te, impallescis? quid tremis, quid tandè mali accidit tibi? Quòd clarus, quòd splendidus: quòd bene audiens frater est? Igitur coronari oportet, & latitia exilire, & Deum glorificare, quòd videlicet membrum tuum relucens est, ac illustre. At dolet tibi, quòd Deus glorificetur ? Vide quò bellum peruenias ? Dices non mihi molesta est Dei gloria , sed fratris , verùm per hunc fratrem gloria ascendit ad Deum , igitur & bellum exortum à te. At non (inquies) hoc mihi dolet , sed vellem Deum per me glorificari ; igitur fratre bene audiente , gaude , & sic per te Deus glorificabitur , & dicent omnes: Benedictus Deus, qui tales famulos habet , ab omni liberos inuidentia , & de alienis bonis inter se congratulantes, imò licèt hostis sit, & inimicus tuus ille , per quem Deus glorificatur , ideo certè conuenit, vt tu illum tibi amicum reddas. Etenim bello perniciosior est inuidentia : nam qui bellum gerit , sublatâ belli causâ, inimicitas deserit : at inuidus amicitiam nunquam inibit. Præterea, ille aperto marte rem agit , hic autem adumbrato , ille honesta ratione aliqua bellum excusare potest : hic autem aliud nihil, quàm insanit, animo, præditus satanico. Cui igitur huiusmodi contuleris animum ? cui vipere , cui serpenti ? Cui ? Hoc certè animo nihil deterius, nihil sceleratius.

Hoc malum inuidentiæ, hoc , inquam , malum Christianorum conuentus subuertit , hoc hæreses peperit , hoc fraternam manum armauit , & fecit vt iustò sanguine dextera maderet, hoc naturæ leges à suis compagibus motas, reuellit, hoc mortiu valuas adaperuit , & excitationem illam ad opus deduxit, & nec parturiginum , neque parentum, neque alterius cuiusuis rei memorem esse miserum illum permisit , imò tali furore ac insaniã illum stimulauit , vt vel Deo exhortante , ac dicente: Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius , nec sic animum emolliret. Quare igitur miser ita doles Cain ? an quòd honoratus sit Deus ? Hoc satanica mentis est. an quia frater à vitæ , & morum integritate melius te audit ? Sed licet tibi illum exsuperare : quare si vincere vis , ne iugules , ne interficias, sed finito illum, vt luctæ subsistat argumentum , & vince viuentem : sic enim futurum est , vt honorificam reportes laudem , nunc autem , illum cùm sustuleris , meruerìs sanè , vt omnibus catenis vinctus pronuntieris. Ita Sanct. Chrysostomus.

PROP. VI. *Quàm opposita charitati sit inuidia.*

CVm virtutum omnium etiam theologalium superior, & suprema charitas sit , in eo prorsus relucet , quanta sit malitia inuidiæ , quæ ex directo charitati opponatur : duo enim sunt charitatis actus, quos Apostolus tetigit : *Gaudere cum gaudentibus , flere cum flentibus.* Gaudere cum gaudentibus, quia bona proximi bona sua existimat charitas , & flere cum flentibus, quia mala proximi mala sua reputat , qui veram charitatem habet. Hæc duo probemus. Et primò, qui vera charitate diligit proximum , non existimat aliena esse bona eius, atque adeo non minùs gaudet, cùm prosperè aliquid proximo succedit , quam si id sibi euenisset. Sanct. Greg. 12. mor. 1. *agens de homine prædito charitate : Vt se cæteros diligens* (inquit) *per hoc, quod rectum in aliis conspicit , quasi de augmento proprij profectus hilarescis.* ita ille. *Tiene por acre çentamientos proprios los agenos* , non ait ; quasi de bono proximi,

sed quasi de proprio bono hilarescit, & hoc in omni euentu bono. Ideo enim Apostolus Paulus ad Rom. 13. dicebat: *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Quasi dicat: si pecunias debetis, soluite pecunias, vt illas non debeatis: si debetis panem, aut vinum, aut huiusmodi aliud, ita persoluite, vt iam eius nihil amplius debeatis: at si amorem debetis: vti omnes omnibus proximis verè debetis, ita amorem persoluite, cùm se charitatis obtulerit occasio, vt semper vos debitores amoris censeatis, vt reddendum charitatis officium, quotiescumque obtulerit occasio. Vnde pastor ille, qui oue inuenta congratulationem proximorum requirebat, & mulier illa, quæ inuentâ drachmâ vicinas in idipsum conuocabat, quasi debitum amoris ab eis exigebant: debebant enim illis secundùm leges charitatis congratulationem.

Secundò, charitatis est flere cum flentibus: vnde S. Fulgentius in prologo super libros ad Monimum: *Ecce* (inquit) *quantum boni charitas habeat, vt cùm dolet, quod accidit illi, quem amat frequentiùs recordando, magis ipsa sustineat.* Pondera verba, *magis ipsa sustineat*, tum quia quod semel proximus amisit, amans non semel, sed sæpius dolet, tum etiam quia quod proximus in diuitijs vel honore, vel corpore passus est, amans patitur in corde, tum denique quia si amans excellentem charitatem habeat, ratione excessus charitatis excedit dolore suo proximi dolorem. Quod in Apost. Paulo manifestum est, qui sic ad Corinth. *Quis* (inquit) *infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Parum in illa paritate infirmatur, & infirmor, sibi dixisse visum fuit, quapropter addidit: *Quis scandalizatur, & ego non vror?* In prima parte suam fuisse infirmitatem proximi ostendebat, sicut ponderauit S. Chrysostom. *Non* (inquit) *dixit Apostolus: quis infirmatur, & ego non compatior? sed ego non infirmor? hoc est, tanquam ipsamet infirmitate circundatus, ita excrucior, & angor.* ita ille, qui secundam partem dicti Apostoli expendens, addit: Sed vide, quanta sit excellentia doloris eius. *Quis* (inquit) *scandalizatur, & ego non vror?* vror dixit, quod certè omnium maximum est. ita ille. Hoc autem dixit, quia cruciatus ignis omnium maximus est. quod amplius extollit Sanctus Anselmus sic exponens: *Valde mens mea cruciatur igne amoris zeli.* ita ille, quasi dicat: ignis quo afficiebatur Apostolus, non erat ignis iste materialis, qui corpora cruciat, sed ignis spiritualis, qui animam, & cor interiùs torquet. Ecce tibi naturam, & conditionem veræ charitatis, flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus.

Epist. 12. cap. 11.

Nunc ad rem; inuidia ex oppositio charitatis, gaudet cum flentibus, & flet cum gaudentibus: cùm enim proximum florere videt, dentibus suis fremit & tabescit, & damnum suum reputat bonum eius: cum autem videt eum in aliquo labore, & mœrore constitutum, gaudet quasi bonum sibi malum proximi esset; quanta igitur sit malitia hæc, quanta peruersitas ista, charitas ipsa demonstrat. Cùm enim contrariorum eadem sit disciplina, & opposita iuxta se opposita magis eluceascant, & charitas omnium bonorum spiritualium maximum sit, ex hac parte ex genere suo oporter, vt inuidia inter maxima mala computetur. Videant ergo qui in corde inuidiam secretò, alunt, quam viperam secum habeant, & nutriant; secreto, inquam, hoc enim pessimum inuidia habet, quòd cùm adeo pernicioſa sit, vix dignoscitur ab illam habentibus.

A

B

C

D

Prop. VII. *Inuidia ex superbia procedit.*

S. Anct. Augustinus sup. Gen cap. 14. *Inuidia superbiam sequitur. Inuidendi enim causa est superbia, quæ est amor excellentiæ propriæ; inuidia verò odium fœcilicitatis alienæ: qui enim amat excellentiam, vel paribus inuidet, qui æquantur, vel superioribus, quibus non æquatur, vel inferioribus, ne coæquentur. Quando autem diabolum superbia detexerit, vt naturam sibi bonam praua peruerteret voluntate, Scriptura non dicit, sed ex hac hominis inuidisse, ratio ipsa ostendit.* ita Sanctus Augustinus. In ruina igitur Angelorum patet, quomodo ex superbia inuidia nascatur. Vidit enim homines ad sedes illas, quas dæmones amiserant, vocari, & eleuari à Deo, hoc verò ægrè tulit, hoc ferre nequiuit; propter hoc igitur inuidit, & inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum.

Inuidebant etiam Iosepho fratres eius, & ad necem ferè eum persequuti fuerunt; cur ita, fratres cùm essent, & qui bona fratri maximè procurare debebant? cur innocentem, & amabilem fratrem occidere, & patri eorum chariſſimum, de medio tollere cogitarunt? quia patri chariſſimus erat, & quia plùs eum pater, quàm reliquos filios amabat, quia somniauit se principem fratrum fore, & in tantam celsitudinem proue hendum, vt fratres eum adorent, hoc inuidiæ fomitem fratribus ministrauit. ecce qualiter superbia illa, nescilicet inferior frater, præ maioribus honoraretur, inuidiam fratrum concitauit.

Saul Dauidem maximo est odio prosequutus, qui eum potiùs beneficijs magnis afficere tenebatur; nam & hostem acerrimum regis Goliath occidit; non siue ingenti discrimine vitæ suæ, & alios ciusdem generis Philistæos partim effugauerat, partim interfecerat. Cur igitur Saul Dauidem odio habebat, & lanceis configere volebat, & tandem occidere conabatur? nimirum, quia inuidebat ei: inuidebat autem ei, quia ubi præferri à mulieribus eum videbat, dum dicerent, *Saul percussit mille, Dauid autem decem millia.* Ecce vnde originem inuidia trahat, à superbia. qualis mater, talis filia. Qui inuidet ergo, superbus est valde: esto humilis, & non solùm à superbia, sed etiam ab inuidia liberis.

Prop. VIII. *Inuidia quàm crudele vitium sit.*

Licèt nihil mali inuido feceris, solius inuidiæ suæ stimulis agitatus, te maximo conatu vrgebit, & persequetur. Irruit hostis antiquus in primos parentes, & è maxima illa gratiæ diuinæ, & iustitiæ originalis celsitudine in peccati mortalis præcipitium deturbauit. Cur ita? Quid mali fecerant illi nostri parentes? nihil, sed solà inuidiâ permotus, illos inuasit, & peremit. Vnde Cassianus Collat. 8. cap. 20. *Liuoris*, (inquit) *& seductionis materia, quâ, vt hominem deciperet, instigatus est, anteriori ruinæ extitit causa, quòd scilicet de limo terræ figuratum, ad illam gloriam cerneret euocandum, vnde, cùm esset vnus de principibus, se meminerat corruisse: quare ruina hæc hominis per inuidiam subsecuta est.* ita Cassianus. Quid, quæso, ampliùs aduersùs hominem diabolus effecisset, si homo ipse fuisset, qui eum ad æternos damnasset cruciatus? Vide igitur quàm crudelis inuidia sit. Habes in diuinis litteris plura huius crudelitatis ex inuidia procedentis exempla, in Cain videlicet, & Saule, & in fratribus Ioseph, & Scribis, & Phariſæis, &c.

Socrates ille insignis Philosophus Græciæ, cùm ad mortē iussu Iudicum duceretur, dixit, vti refert Ludouicus Viues: *Non me accusatores perimunt, vel crimina, sed inuidia sola, quâ vnâ præclari viri quamplurimi interierunt, &*

9. de Ciu. c. 5.

& interibunt. Ita ille, quod quàm verum sit, nemo non confirmabit, &c. habes exempla in Cain, Saule, fratribus Ioseph, Pharisæis, &c.

Ad Rom. 1. agens Apostolus de quibusdam hominibus perditis, ait plenos fuisse inuidiâ, homicidio, &c. Ponderat ibi S. Anselmus connexionem illam inuidiæ & homicidij, cur scilicet coniunxit inuidiam cum homicidio magis, quàm cum vitio alio; & respondet: *Pulchrè homicidium inuidiæ sociauit Apostolus, quoniam ipsa est prima huius criminis materia; nam primum homicidium diaboli & Cain ex inuidia ortum fuit, & adhuc nonnumquam fiunt homicidia propter inuidiam; imò & fratricidia, vt patet, non solùm in Cain, sed etiam in fratribus Iosephi; imò & Deicidia, vt patet in Scribis, & Pharisæis, qui Dominum Christum occiderunt. Quòd enim non eum Deum esse agnouerunt, hoc ex nimia eorum ignorantia simul cum malitia processit.*

Psalm. 16. *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum protege me; à facie impiorum qui me afflixerunt.* Sanct. Basil. Psalm istum explicans de persecutione Saulis contra Dauidem, sic locum hunc exponit: *Resistentes dexteræ Dei, eos vocat, à quibus impugnabatur, & admodum meritò: erat enim Dauid dexteræ Dei iunctus, atque Regiam ab eo electionem consequutus.* ita Sanct. Basil. Cur autem dicit Dauid Saulem cum suis satellitibus resistere dexteræ Dei? manifestum est, nam dextera manus felicitatem significat, sicque dicere hispanè solemus, *Dios os de buena man derecha.* Dauid igitur in sua ad regnum electione dexterâ Dei potiebatur, Saul autem inuidiâ aduersùs Dauidem magnâ tenebatur; tum quia mulieres canentes victoriam Dauidis, quam reportauerat de Goliath, dixerunt: *Saul percussit mille, Dauid autem decem millia.* 1. Reg. 18. tum etiam, quia suspicatus est regnum suum deuenturum ad Dauidem, quia manifestè Dei dextera erat cum illo. Ideo ergo ait Dauid: *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me:* inuidebat enim Saül felicitati Dauidis, à Deo illi prouenienti: tanta verò est crudelitas inuidentis, vt peteret à Deo Dauid, dicens: *Custodi me vt pupillam oculi*, hoc est, magnâ custodiâ, quali nempe solet à nobis pupilla oculi custodiri; & insuper ait, *sub vmbra alarum tuarum protege me*, quo ostendit, vix refugium inueniri à persequutione inuidorum; non enim solùm est fœua persequutio eorum, sed etiam fraudulenta, quia inuidia non funndatur in aliqua iniuria: tunc enim caueret sibi qui eam fecisset; sed fundatur in occulta nequitia inuidentis, & ideo est eius persequutio sæuor, quia secretior. Quare ait Dauid, sicut sub alas pulli gallinæ nutrientis eos confugiunt à facie milui, eò quòd resistere ei nequeunt: sic ego Domine, ad te confugio, quia magnam & simul fallacem Saulis persequutionem per me vitare nequeo, &c. Ecce quanta sit fœuitia & crudelitas inuidiæ.

Prop. IX. *Inuidia graue odium commouet in eum, cui inuidet quis.*

S. Anct. Chrysost. hom. 24. in 2. ad Corinth. *Horrenda res est inuidia, horrenda, inquam, & propriam salutem aspernari persuadet. Saul prauum dæmonem aduersùs animam suam accersiuerat, & tamen medico suo Dauid inuidebat: ea enim inuidiæ natura est, nouerat se à Dauide seruatum, & malebat perire, quàm eum, à quo salutem acceperat florentem conspicere. Quid hoc affectu grauius esse queat? haud quaquam aberrarit, qui diaboli fœtum dixerit eam.* Ita S. Chrysostom. Diaboli fœtum ait, quia ad hunc modum est dæmonis inuidia: sic enim in inferno societas damnatorum, non ad solatium, sed ad augmentum pœnæ deseruit. Prouerbium est, solatium est est miseris socios habere pœnarum. Sit hoc verum de miseris mundi huius, in inferno verò loçum non habet; nam ibi damnato societas damnatorum maiorem addit cruciatum: sicut enim in cœlo vnius beati gloria gaudium auget accidentale cæteris beatis; sic è conuerso in inferno cruciatus vnius tristitiam auget cæteris damnatis; miserum enim est tantam & tam acerbam miseriam cernere, & tam ingentes gemitus audire. Vide Liranum in 3. c. Gen. in id, & ait Dominus, &c.

Deinde obserua, Sanct. Chrysostomum historiam hîc tangere Saulis & Dauidis, 1. Reg. 18. Cùm enim spiritus malus torqueret Saulem, Dauid psallebat manu sua: sic enim alleuiabatur tormentum Saulis, & tunc Saul misit lanceam, quam manu tenebat, contra Dauidem, vt configeret eum cum pariete: quo quid crudelius? Quid agis Saul? manu tua eum interimere vis, qui manu sua psalterium pulsat, vt ità à diabolico tormento libereris? ita, quia inuidia tantum odium concitat aduersùs proximum, vt non solùm sine accepto damno eum persequatur, verùm etiam cum proprio damno eum velit tollere de medio, à quo afficitur beneficio.

Exemplum aptum narrat Liranus, in 3. cap. Geneseos, dicens: *Erant in quadam ciuitate homines duo, quorum alter nimium cupidus erat, alter verò inuidus valde, propter quod dominus ciuitatis, qui erat prudens, ipsis vocatis, dixit, quòd peterent ab eo, quid vellent, adiungens, quòd ille, qui prius peteret, suam petitionem obtineret; alius verò duplum. Tunc cupidus nolebat primò petere, motus cupiditate dupli boni habendi: similiter nec inuidus, ne socius suus plus haberet, quàm ipse. sed tandem, cùm eos dominus ad petendum vrgeret, inuidus petiit, vt vnus sibi oculus erueretur, vt socius ille amitteret duos: quod factum est, & sic punita sunt eorum vitia.* ita Liranus, & subdit: *Sic dæmones eâ inuidiâ homines tentant, licèt non ignorent eorum pœnam crescere in inferno ex hominum damnatione.* ita ille.

Prop. X. *Inuidi aliorum malo lætantur, bono tristantur.*

Tale malum est Inuidia quâ nunquam peior malignitas reperitur. Non adulterio inquinati, voluptatis saltem iniqui, fructum, vt putant, aliquem accipiant, & breui tempore peccatum committunt; Inuidi autem & multò ante seipsos quàm quibus inuident, perturbant, & ita in agendo semper inuidendoque sunt, vt nunquam peccandi afferant finem: sed sicut sus tutosa immunditiâ, & dæmones nostris damnis lætantur; sic inuidi proximorum calamitate lætantur. Cùmque aliquid triste acciderit tunc aliquantulùm acquiescunt, ac respirant: alienas enim iacturas suos quæstus existimant, & aliorum felicitatem, miseriam suam arbitrantur: nec magis cogitat quid ipsi suaue consequantur, quàm quid proximo calamitosum inferatur. Quia sicut scarabæi alieno stercore, sic inuidi aduersâ aliorum fortunâ nutriuntur. Chrysost. in Mat. c 12. Hom. 41.

Vide Mildendorpium Quæstiones Imperatorem &c, mihi p. 208. & 210.

Prop. XI. *Inuidia est malum periculosum, ex eo quod occultum sit.*

S. Anct. Antoninus ait, *Cleobolus Philosophus, & vnus ex septem sapientibus Græciæ, magis* (inquit) *amicorum inuidiam, quam inimicorum insidias cauere debemus, illud enim apertum, hoc celatum est malum, & nocendi fraus.* Ita ille. ex inuidia quidem odium nascitur, quod quidem perniciosius est, quàm odium inimicorum, quia cùm odium inimicorum notum sit, faciliùs cauetur, odium verò inuidorum difficiliùs, quia occultum est. 1 p. tit. 4. 1. 3.

Prop. XII. *Inuidia animum inuidi torquet.*

SAnct. Chryſoſtom. hom. 29. in 2. ad Corinth. *Preſſat ſanè ſerpentem in viſceribus prouolutum habere, quàm inuidiam interiùs ſerpentem: etenim ille & medicamentorum auxilio ſæpe euomi, & alimenti ope mitigari poteſt; at inuidia non in viſceribus ſe volutat, ſed in anima ſinu verſatur, eaque eſt huius morbi natura, vt egrè deleri & extingui poſſit. Serpens intus conditus corpore humana haud quaquam attigerit, ſiquidem ipſi alimentum apponatur: at inuidia etiam ſi ſexcentas ei menſas appoſueris, animam ipſam arrodit, vndecumque mordens, vellicans, trahens, neque vllum ſolatij genus reperire eſt, cuius ope furorem compeſcat, vno duntaxat excepto, nempe, vt ei qui proſperis rerum ſucceſſibus vtitur, accidat calamitas aliqua. Nam hoc modo morbus iſte remittitur, imò nec ſic quidem; nam etiam ſi ille incommodo aliquo afficiatur, alterius tamen res latas & fecundas cernens, in eiſdem doloribus hæret, atque vbique vulnera, vbique plaga: neque enim fieri poteſt, vt nullum proſperitate aliqua fruentem videat, fratrum nomina habemus, res autem hoſtium, cumque membra eiuſdem corporis Chriſti vocemur, ferarum tamen ritu inter nos diſſidemus. At quid cauſæ eſt, ô miſer, vt cùm fratrem laudatum audieris, mœſtitiam inde contrahas? Cùm igitur ab alio proximum laudari audis, incrementum laudationibus affer. Laudauit eum quiſpiam? admirare tu quoque, ac prædica, ſic te ille vt probum, ac benignum laudibus efferet, non eſt quòd metuas perinde atque per alienam virtutem prædicationes tuas deiicias.* ita Sanct. Chryſ.

Ioan. 10. 24. Circumdederunt quidam Iudæi Chriſtum Dominum, & dixerunt: *Quo vſque animam noſtram tollis.* Verba hæc anxietatem quandam, & anguſtiam animi præ ſe ferunt, & quidem eam Iudæi patiebantur propter inuidiam magnam, quam conceperant in Chriſtum. hæc enim eſt inuidiæ natura, & conditio, torquere animum eius cuius eſt. Alia quidem peccata aliquam ſaltem appetitus voluptatem ſecum ferre ſolent, quamuis voluptas illa amaritudinis radix ſit, & poſtea in amaritudinem verti ſoleat; nam extrema gaudij luctus occupat, inuidia verò nullas huiuſmodi inducias habet, ſed quamprimum in corde concipitur, ſicut tinea in panno, aut vermis in ligno, interiora cordis depaſcit, & corrodit.

Verſ. 8. 1. Reg. 22. ſic Saul ad ſeruos ſuos, cùm quæreret Dauidem: *Coniurataſti omnes aduerſum me, & non eſt qui mihi renuntiet* (vbi ſcilicet ſit Dauid) *non eſt qui vicem meam doleat ex vobis.* Manifeſtè in verbis iſtis tormentum cordis Saulis conſtat, cùm enim aliquis noſtrûm dolore tactus cordis intrinſecus, dolorem ipſum manifeſtare vult, ſic loqui ſolet, ſicut Iob etiam in tribulatione ſua amicos ſuos affatus eſt: *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei.* Eodem tenore ait Saul: *Nemo eſt qui doleat vicem meam, miſeremini mei,* ſaltem vos ſerui mei. Quis te, ô Saul, tangit? quis torquet? nemo quidem exteriùs, interiùs verò maximè inuidia ſua.

Iob 19. 21.

S. Gregorius Nazianzenus oratione de ſeipſo. *Inuidia* (inquit) *tabes poſſeſſoris eſt, & virus, ac rubigo eorum, qui eâ exagitantur, ſola ex omnibus animæ perturbationibus æquiſſima ſimul, & iniquiſſima.* ita ille. Tabes, inquit, poſſeſſoris; tabes idem eſt, quod corruptio, verùm corruptio non corporis, ſed cordis. vnde meritò addit eſſe rubiginem inuidi, quia ſicut rubigo corrumpit ferrum, quamuis denſum, & forte illud ſit: ſic etiam inuidia tabeſcere facit cor, & paulatim corrumpit, & cõſumit illud. quamuis viri fortis alioquin ſit. eſt denique, ait Nazianzenus, paſſio animi iniquiſſima, nimirum, quia contra viros ſanctos, & iuſtos ſolet eſſe: quid autem iniquius, quàm æquos, & iuſtos odio proſequi, & eos perſequi? æquiſſima autem eſt, quia meritam de inuido vltionem ſumit: contra inuidum quidem minimè opus eſt iudicem punitorem aliunde accerſere, intus eſt inuidia, quæ veluti cordis carnifex ſufficienter animum torquet, & cruciat.

Stobæus ſerm. 36. *Hippias* (inquit) *dicebat: inuidi duplo magis quàm ceteri calamitoſi ſunt, non enim ſolùm proprijs malis grauantur, vt alij, ſed alienis quoque bonis.* ita ille. Addam ego ſolùm, bonis, quæ verè bona æſtimabilia ſunt, ſed quæ, licèt infimi valoris ſint; nam inuidus ſemper aliena bona maiora iudicat eſſe, quàm ſint. Refert Pontianus, quòd, cùm in aula regis Federici orta eſſet inter Phyſicos quæſtio, quid præcipuè conferret oculorum perſpicacitati, alique fœniculi afflatum dicerent, alij vitri vſum alij vero aliud. Eques nobilis, & acutioris ingenij, at ego, inquit, inuidiam aio. Irridebant aſtantes, tunc ipſe: annon inuidia maiora omnia, & pleniora facit. Quid autem oculis magis præſentaneum, quàm vt vis ipſa aſpicienti maior reddatur, protulitque Ouidianos illos verſus:

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris,
Vicinumque pecus grandius vber habet.

ita ille.

Buſcanſe antoios que agan la letra grande, y las coſas grandes.

Inuidia eſt veluti conſpicillum maiora faciens bona aliena, quàm ſint, & inde cruciatus ſuboritur inuidenti: vnde non ſolùm torquetur ex malis ſuis, ſed etiam ex bonis alienis, & non ſolùm ex bonis alienis, quæ verè ita ſunt, ſed ex his, quæ ipſe falſò propter inuidiam imaginatur.

Idem docent S. Auguſtinus ſerm. 83. de tempore, & S. Bernardus de conuerſione ad Cler. cap. 12. Proper l. 3. de vitiis & virtutibus, & Sanct. Petrus Chryſologus ſerm. 172. vbi ait: *Omnia quidem vitia ad alterum ſemper intendunt, & profiliunt leſionem, ſed ſuos ſemper amplius inuidia conſumit, inuidia ſuorum ſemper exitus carnifex, extendit ſenſus, torquet animos, diſcruciat mentes, corda corrumpit, & quid plura? hanc qui recepit, ſua ſuſtinet ſine fine ſupplicia, quia in ſe domeſticum diligit ſemper habere tortorem; nam quot ſunt proſperitates hominum, tot ſunt tormenta inuidorum.* ita ille.

Quale verò ac quantum ſit hoc inuidiæ tormentum, quàm grauis inuidiæ cruciatus, conſtat ex eo quod dixit Chriſtus Dominus perfidis quibuſdam, Lucæ 23. vbi minitans eis inferni cruciatus, dixit: *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium,* cùm videritis Abraham, Iſaac, & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei: vos autem expelli foras, & venient ab oriente, & occidente & aquilone, & auſtro, & accumbent in regno Dei. Quorſum, quæſo, cum fletu, & ſtridore gloriam ſaluandorum adiungit, & non potiùs æternum ignis ardorem? Reſpondet ibi Caietanus, ad cumulum demù pœnæ adiicitur ſalus futura omnium nationum mundi: nimis enim inuidum torquet, & diſcruciat felicitas aliorum. *Luc. 13. 28.*

Hinc S. Nazianzenus oratione 27. *Ex omnibus affectibus ſolus inuidiæ affectus iniquiſſimus ſimul, & aquiſſimus eſt, iniquiſſimus, quia bonis omnibus aduerſarius eſt, & conſcit, dum eos quibus inuidet clariores facit, & videt.* ita ille. Et idem docet S. Chryſoſtomus tom. 1. in Pſal. hom. 1. & in epiſt. ad Rom. 8. vbi hoc probat in Caino & Abele. Vide etiam Sanct. Bernardum ſermone 54. in Cant.

Hinc Ioan. 5. Chriſtus Dominus cùm ſanaſſet paralyticum, iuſſit illi tollere lectum ſuum, & abire in domum ſuam, videntes hominem Iudæorum quidam dixerunt ei: *Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum.* Quibus ille: *Qui me* (inquit) *ſanum fecit, ille mihi dixit: tolle grabatum tuum, & vade.* Cui Iudæi: *quis eſt homo ille qui tibi dixit: tolle grabatum tuum, & ambula?* Duo dixe- *Verſ. 10.*

dixerat paralyticus ille sanatus, scilicet, *qui me sanum fecit, & ille mihi dixit: tolle grabatum tuum*, cur ergo non interrogauerunt, quis est ille, qui te sanum fecit? sed solùm: *quis est qui tibi dixit: tolle grabatum?* Etenim dignius interrogatione erat, quis te sanum fecit? quis tam grande miraculum operatus est? inde enim potestatem imperandi, vt tolleret grabatum, colligere potuissent. Respondet Caietanus cum Sanct. Chrysostomo, & Theophylacto: Non interrogant quis est, qui te sanum fecit, sed solum quis est, qui iussit tibi grabatum tollere; nam inuidorum lingua bona nullatenus profari potest, mala citò profert, proinde sanitatem omittunt, & solam quam censent legis transgressionem, obiiciunt, ita ille. Sed clarius. Nullam miraculi mentionem facere valuerunt, quia hoc ad claritatem nominis Christi pertinebat, sed tantùm quod existimabant futurum in dedecus, & crimen; nam inuidi ex miraculo illo, & mentione eius cruciabantur, ideo noluerunt agere de miraculo, id tantùm in medium adducunt, quod contra Christum erat; nam inuidus ex malis proximi gaudium, ex bonis mœrorem educit; quare rectè de inuido Ouidius 2. Metamorph. A B

Pectora fœlle virent, lingua est suffusa veneno.

Hinc sequitur, cautè debere superiores, & in vniuersum omnes beneficia conferre in aliquem, speciatim vbi sunt alii, qui se ita dignos illo beneficio iudicare iustè, vel non ita iustè possint; nam inde inuidia oritur, & ex inuidia plura mala proficiscuntur, vt patet in fratribus Ioseph, cui pater vestem polymitam dedit, Genes. 17. & subdit Scriptura: *Videntes autem fratres eius, quòd à patre plus cunctis filiis amaretur, non poterant ei pacificè loqui, & posteà, inuidebant ei.* Similiter in parabola filii prodigi, Luc. 15. frater maior videns fauores patris erga filium minorem, nolebat intrare patris domum ex inuidia fratris, vt ait Sanct. Petrus Chrysologus serm. 4.

Hinc cùm Genes. 13. promittere vellet Abrahæ Terram illam promissionis prius recedere Loth expectauit, & postquam ille recessit, dixit Dominus Abrahæ: *Leua oculos tuos in directum, & inde ad locum, in quo nunc es, ad aquilonem, & meridiem, orientem, & occidentem, omnem terram quam conspicis, tibi dabo.* Cur non antea id Abrahæ dixit? Oleaster: Ne (inquit) *inuidiæ ansam inde sumeret Loth, qui etiam obseruauit in eo, quòd Deus nube voluerit obducere Moysen, dum in monte Sinai, veluti cum amico ore ad os loquebatur*, Exod. 24. *Noluit* (inquit) *Deus populum id videre, ne inuidiâ torqueretur.* ita ille. Et ideo etiam Christus Dominus Matt. 17. iussit tribus Apostolis, ne mysterium transfigurationis ceteris narrarent, ne illis hoc inuidiæ occasio esset: *Nemini* (inquit) *visionẽ dexeritis, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Etenim expediebat miracula fieri, & sciri ad veritatẽ Christi comprobandam, sed hoc occultari sic voluit ad inuidiam cuitandam. C

Inuidia naturæ leges ignorat, fraternitatem nescit, quin fratrem in fratrem armat, & crudelitatem vsque ad necem in fratrum cordibus accendit. D

Vnde Sanct. Petrus Chrysologus serm. de duobus filiis, recordatus inuidiæ Cain, ait: *O Zeli tumor! duos non capit domus ampla germanos. & quid mirum, fratres, fecit inuidia vt duobus fratribus mundi esset angusta tota latitudo. nam ipse Cain iunioris surrexit in mortem, vt esse solum zeli sui faceret, quem primum fecerat lex naturæ.* ita ille. Vbi pondera rationem inuidiæ Cain; etenim si supra modum diuitem fratrem consipicere aut dignitate aliqua subleuatum, aut sibi prælatum effectum, aut aliquid huiusmodi, quod in mundo videmus inuidiæ fomitem ministrare; non ita mirum; at quia vir sanctus erat, & Deo gratus, & acceptus. Meritò Salomon Eccles. 4. dixit: *Contemplatus sum omnes industrias patere inuidiæ proximi.* Vbi in originali Hebræo habetur, omnem rectitudinem operis. quare non mirum, si celsitudines mundi inuidiam non effugiunt, siquidem nec virtutum opera, quæ amorem conciliare deberent, sic expositæ sint inuidiæ.

Sanctus Chrysostomus homil 37. in Ioannem: *Feris* (inquit) *sæuiores sunt inuidi, dæmonibus pares, & fortassè iniquiores, quia illi suo generi minimè insidiantur.* ita ille. Confonat S. Hieron. epist. ad Eustochium de obitu Paulæ, vbi agens de fuga Iacobi in Mesopotamiam, & Dauidis ad regem Achis malens, inquit, vterque hostibus, quàm inuidiæ subiacere.

Cùm Abraham victoriam illam insignem de quatuor regibus reportaret, factus est ei sermo Domini, dicens: *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Quo in loco S. Hieronymus ex Hebræo legit, ego scutum circa te; quis non miretur post partam victoriam se illi Dominum in scutum offerre etenim ante bellum offerendum videbatur scutum, non verò finito bello. Bene, si aliud bellum non superfuisset Abrahæ ortum ex victoria sua, dicerem ego quidem gloriæ vanæ: hæc enim inuadere nos solet post victorias nostras spirituales, & post opera bona: vicisti tentationem aliquam, superasti diabolum, aut iram tuam, aut affectum alium, caue tibi à vana gloria, inuoca Deum, & dic: Domine esto mihi scutum meum: multi enim ex victoria victi fuerunt.

Quidam tamen doctus auctor ait, hoc Dominum dixisse propter inuidiæ bellum, quod maximè vrget post victorias spirituales, & opera sancta; nam, vti dictum est, hæc patere inuidiæ asseruit Salomon, & experientia ipsa confirmat.

Cant. 8. *Dura est sicut infernus æmulatio.* Æmulatio hæc quænam est? S. Greg. & Beda, & alii inuidiam hic significari aiunt, quam durum, sicut infernus, meritò dicit Spiritus, quia sicut infernus durus, & dirus est in damnatos: sic & inuidia aduersùs eos, contra quos illa semel exarserit. Quod in synagogæ in Christum inuidia verum fuisse probat Sanct. Gregor. in hunc locum, dicens: *Dura in Christum fuit æmulatio synagogæ, quia ei vsque ad mortem corde immisericordi inuidit: infernus enim sine misericordia, quos tenet, cruciat: sic Iudaica plebs Christum apprehendens, sine respectu pietatis, ad mortem trahebat.* ita Sanct. Gregor. Miraris ergo tam pium, & innocentem Dominum, & de synagoga adeo bene meritum sic apprehendi, sic comprehendi, sic ligari, sic flagellari, sic consputi, sic crucifigi, sic atrociter vulnerari? desine mirari, nam inuidia intercessit, & vbi hæc præualet & dominatur, inferni duritiam, & crudelitatem interuenire, nihil mirum.

Charitas proximi bona proximi facit, & reddit propria, quia charitas illa, quâ contra inuidiam de bonis proximi gaudemus, gaudium in corde producit, quo scilicet quis gaudet de proximi bonis: hoc autem quod aliud est quàm bona proximi efficere sua, nam quod præcipuum in bonis est, non est bonum ipsum in se, sed gaudium, & lætitia, tolle ex bonis lætitiam quam præstant, ad quid bona deseruiunt? *es el contento de los buenos el alma de los buenos*; sic è conuerso inuidia nociua inuido reddit bona alterius, quia inuidia tristitiam secum fert, inuidia autem malorum anima, vt ita dicamus, est, tolle ex malis tristitiam, quam inferunt mala, & mala tibi non erunt; inuidia ergo, quæ ex bonis proximi tristitiam parit, mala nostra facit ea, quæ proximo bona sunt.

Facit præterea charitas, vt bona proximi bona nostra sint, propter ipsorum bonorum communionem, seu communicationem. vnde Sanct. Augustinus super illa Apostoli verba ad Ephes. 4. *Alios dedit pastores.*

Tolle(inquit)*inuidiam, & meum tuum erit.* ita ille. Et ita quidem. nam si proximus fuerit dilues, in indigentia mea ad eum recurram, si doctus, in dubiis meis cum potero conuenire, & interrogare, si sanctus, vt pro me oret petam, & faciet. Inuidia verò è conuerso ex bonis alterius mala sibi accumulat, vt doctum est.

Ponderat S. Hieronymus epist. 17. ad Eustoch. quòd Dauid videns sollicitudinem, qua Dauidem ipsum persequebatur Saul, ad Philisthæos se recepit, *malens* (inquit S. Hieronymus) *hostibus, quàm inuidis subiacere.* ita ille. Et quidem eum sua non fetellit opinio, nam Rex Philisthinorum Achis gratè eum recepit, & quid de ipso sentiret, postquam aliquanto tempore cum eo conuersatus est, idem Dauidi his verbis explicauit: *Scio quia bonus tu in oculis meis, sicut Angelus Dei.* Nũ inuidi, qui gloriæ ipsius iuuidebant, ita vnquam de Dauide locuti sunt? *al fin por mas segure se tubo entre los estrãgeros. que entre sus naturales enuidiosos.* 1. Reg. 29. 9.

Recte sapiens quidam inuidiam hederæ Ionæ comparauit: sicut enim ex hedera illa natus fuit vermis, qui hederam ipsam viridem, & pulchram consumpsit; sic inuidia ex hominis inuidi corde promanans, cor ipsum consumit, & perdit, & quantumuis florentem hominem tabescere facit, & siccari. Ionæ 4.

Vnde S. Augustinus serm. 83. de tempore: *Quisquis ille est, quem zelo suo persequitur inuidus, subterfugere eum forsitan poterit, & vitare: inuidus verò fugere persequentem non valet. nam aduersarius suus secum est hostis in corde semper inclusus*, ita ille. Canes quidem nostros beneficiis reddimus mansuetos, & lætos: at inuidos beneficijs reddimus ferociores, & tristes, quia hoc ipsum, quod est nos dare beneficium illi, absynthium & fel est ipsi.

Sui ipsius tortor est inuidus, & aliena bona impij martyrij sui facit instrumenta: ideo olim inuidiam antiqui sic figurabant, fœminam scilicet viperas deuorantẽ. quid vipera deuorata intus efficere potest? quid nisi viscera corrodere? sic est inuida inuidi, cor viscera- In princ. lib. de Inuid. Emblemate 71. que mordet, torquet, cruciatque vehementer, & sicut vipera venena diffundit, hoc pacto, ait Sanctus Basilius, antiqui inuidiam depingebant.

Sic Alciatus, vti ex versibus eius constat:

Squalida vipereas manducans fœmina carnes,
Cuique dolent oculi, quaque suum cor edit.
Quam macies & pallor habent, spinosaque gestat
Tela manu, talis pingitur inuidia Ita ille.

Squalida, quia vitium hoc inuidiæ hominum vilium est, non verò illustrium, & clarorum, quæque carnes hominis depascit, & hinc macies, hinc pallor inuidorũ: oculi inuidi dolent, quia ex his quæ videt in proximis bonis, dolet & torquetur; suum cor edit, quia cordis dolore intus vexatur, quantumuis exteriùs dissimulare conetur: tela denique spinosa manu gestat, quia ea mala, quæ inuidus ob inuidiam aliis inferre conatur, tamquam spinæ in propria manu ipsum pungunt, &c.

Libro de zelo &, liuore. Sanct. Cyprian. *Qualis*, inquit, *est anime tinea, que cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem eius, vel felicitatem, odio in eo habere vel merita propria, vel dona diuina, in malum proprium mala conuertere aliena, illorum prosperitate torqueri, & aliorum gloriam facere suam pœnam, & velut quosdam pectori suo admonere carnifices, cogitationibus suis adhibere tortores, qui se intestinis lacerent cruciatibus, qui cordis secreta maleuolentiæ vnguis pulsent, non cibi talibus lætus, non potus potest esse iucundus, suspiratur sæpius, & ingemiscitur, & doletur, & dum ab inuidis numquam liuor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. Reliqua mala terminum habent, & quodcumque delinquitur delicti consummatione finitur, in adulterio cessat facinus eo perpetrato, in latrone conquiescit scelus homicidio admisso, & prædoni rapacitatem statuit præda possessa, & falsario modum imponit impleta fallacia; zelus verò terminum non habet, permanens igitur malum, & sine fine peccatũ, & quanto ille, cui inuidetur successu melior profuerit, tanto inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardescit, hinc vultus minax, torui aspectus, pallor in facie, in labijs tremor, stridor in dentibus, verba rabida, & effrænata conuicia, manus ad cedis violentiam prompta, etiamsi à gladio interim vacua, odio tamen furiata mentis armata, & idcirco Spiritus sanctus in Psalmis dicit*: Noli zelare bene ambulantem in via sua, *& iterum*: Obseruabit peccator iustum & stridebit ad eum dentibus suis, Deus autem irridebit eum, quoniam prospicit, quia veniet dies eius. Hoc *beatus Apostolus Paulus designat*: *dicens*: Venenum aspidum sub labiis eorum, & os eorum maledictione & amaritudine plenum est: veloces ad effundendum sanguinem pedes eorum. Contritio & calamitas in viis eorum, qui viam pacis non agnouerunt, nec est timor Dei ante oculos eorum. *Leuius multò malum, & periculum minus est, cum membra gladio vulnerantur; facilis cura est, vbi plaga perspicua est, citiùs sanatur vulnus, quod videtur: inuidiæ autem vulnera abstrusa sunt, & occulta, nec remedium curæ medentis admittunt, quæ se intra conscientiæ latebras cæco dolore clauserunt. Quicumque inuidus es, quamuis sis eiu quos inuides infidiosus, & perniciosus, nullius magis quàm tua salutis immicus es. Quisquis enim ille est, quem liuore persequeris, subterfugere & vitare te poterit, tu verò te fugere non poteris, vbicumque fueris aduersarius tuus tecum est, hostis in pectore tuo semper est, pernicies tutus est, ineluctabili catenatum nexu ligatus es, liuore dominante captiuus es, nec solatia tibi vlla subueniunt, perseuerans malum est.* Ita Sanct. Cyprianus. Psal. 36. 12. Rom. 3. 13. Isa. 59. 8.

Quamuis inuidus nullas esset pœnas à Deo ob inuidiam subituras, pœnas, quas secum interiùs inuidia fert, non effugiet, & grauissimas quidem. Plura in huius confirmationem exempla sunt? verbi gratiã: Aiax Telamonis filius (vti narrat Sophocles in Aiace) propter arma Achillis mortui data Vlyssi in virtutis præmium, in furorem versus fuit, & armenta loro cædens, existimabat se occidere Græcos, tandem gladio proprio incubuit; sic inuidia de inuido pœnas sumit, carnifex scilicet in seipsum, &c.

Sanctus Chrysostomus 5. orat. Kalend. habita. *Si florentem alium videris, noli inuidere illi, sed gratias age Deo, qui tam præclarum efficit fratrem tuum, perinde ac de proprijs bonis, & huius lætitiæ permagnum habebis fructum. Quid autem hominibus inuidis miserabilius, quibus cùm gaudere liceat, & fructum lætitiæ sua capere, ipsi tamen malunt propter alienas felicitates dolere, & cum ipso dolore pœnam à Deo accipere intolerabilem.* Ita ille. Chrys.

Item Sanctus Chrysostomus homil. 55. ad popul. *Talis est inuidiæ malitia, vt priùs se patientem offendat, & sicut vermis de ligno nascens, ipsum priùs absumit, sic & inuidia illam priùs, quæ se peperit, animam corrumpit. Hinc Saul postquam vidit Dauidem multa laude fouentem, & mulieres in choro clamantes; Saul percussit mille, & Dauid decem millia, non æque ferens de ipso dicta, licèt secundum iusti rationem, benefactorem tanquam hostem recipiebat.* Ita Sanct. Chrysostom. Vbi nota, huius tormenti, quod interius patiebatur Saul, signum fuisse odium in Dauidem ostensum: rabiem enim quandam, & cordis amaritudinem significabat. Vnde 1. Reg. 23. cùm Ziphæi Sauli nunciarent, vbinam latitaret Dauid, & promitterent se illum in manus eius traditurus: *Benedicti* (ait ad illos Saul) *vos à Domino, quia doluistis vicem meã.* Nónne manifestè hinc constat, quanta animi anxietate cor Saulis torqueretur: Doluistis (inquit) vicem meam, hoc Simile. 1. Reg. 18. 9. 1. Reg. 23. 21.

hoc est, compassi estis mihi; ergo patiebatur Saul, non exteriùs in corpore: non enim Dauid persequebatur eum; igitur intus in corde anxiè sic dolebat. A

Hoc ipsum in Scribis, & Pharisæis Christum gratis persequentibus constat. Cùm enim insisterent contra Christum, *Quid facimus*, inquit, *quia hic homo multa signa facit?* verba illa, *quid facimus?* animorum auxietatem, & torturam præseferebant. Quid facimus, sic patientes animi dolorem, & pœnam? cur non remedium adhibemus? Vnde hic dolor cordis? quia hic homo multa signa facit. Idcóne doletis? inuidia manifesta est ista, inde quippe: si à liuore liberi essetis, potiùs gaudere quàm dolere debuissetis. Quis enim non miracula videre delectatur? inuidia igitur est in causa, hæc est tortor cordium vestrorũ, &c. Ioan. 11. Matth. 27.

Prop. XIII. *Quam procliuis ad Inuidiam sit homo in natura lapsa.*

ERat apud Athenienses vir quidam honestissimis ornatus moribus, nomine Aristides, qui ob vitæ integritatem iustus vocabatur. Refert igitur Plutarchus in Apoth. Græcorum, *quòd cùm Athenienses eo concitati essent vt Aristidem ostracismo (id erat damnationis genus, quod testulis peragebatur) in exilium agerent, & illiteratus quidam suffragium daturus, testulam ad eundem Aristidem duxit, vt Aristidis nomen inscriberet (inquit illi Aristides) Aristidem? cùm ille negasset se nosse; molestè tamen (inquit) fero, quòd iustus cognominetur. Siluit Aristides, & nomen suum inscripsit testulæ, ac reddidit ei; tam leni animo ferebat iniustam damnationem. Grauissimum autem vitæ innocenter actæ testimonium fuit, è tanta multitudine neminem extitisse, qui aliud obiceret, quàm iusti cognomen, quod tamen ipse sibi non imposuerat.* ita Plut. Vide igitur humani generis communem inuidiam, quæ nec iustos esse finit, & qua ratione eos amore, ac reuerentia prosequi deberet, ea è medio tollere sic conatur. B

Prop. XIV. *Quàm vniuersale vitium sit inuidia.* C

MOrtis hoc proloquium est, *Nemini parco*: è manibus mortis videtur inuidia hoc arripuisse sibi: nemini enim parcit, vti videre licet in fratribus Ioseph, quodque in fratribus illis parabolicis Christus significauit Luc. 15. venienti enim filio prodigo & hilari animo à patre suscepto, inuidit senior frater. Quod expendens S. Petrus Chrysol. ait serm. 4. de duobus filtis, &c. *O zeli tumor! duos non capit domus ampla germanos. & quid mirum, fratres? fecit inuidia, vt mundi tota latitudo duobus fratribus esset angusta, ipsa namque Cain in iunioris mortem erexit.* ita ille. Imò nec Deo pro nobis homini facto, pepercit; inuidia namque permoti Scribæ & Pharisæi eum in crucem egerunt. Luc. 15. S. Petrus Chrysol.

Prop. XV. *Inuidia est origo multorum peccatorum.* D

SAnct. Cyprianus: *Radix est malorum omnium inuidia, inde odium surgit, & animositas inde procedit. Auaritiam zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem quoque zelus excitat, dum cernit quis alium in hominibus auctiorem, zelo exœcante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente. Hinc superbia inflat, impatientia concutit, discordia furit, ira furescit, nec se iam cohibere potest, vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc charitas fraterne violatur, hinc veritas adulteratur, vnitas scinditur, ad hæreses & schismata prosilitur, dum sacerdotibus obtrectatur. Episcopis inuidetur, vel dedignatur quis alterum præpositum ferre.* Ita S. Cyprianus. Vbi magis instat liuorem charitati oppositum esse, & sæuum crudelemque hominem reddere. Li. de zelo & liuore.

Vnde inquit ibidem: *Hinc nouæ fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abelem iustum Cain zelat iniustus, dum bonum malus inuidiâ prosequitur, tantum valuit ad consummationem facinoris æmulationis furor, vt nec charitas fratris, nec sceleris immanitas, nec timor Dei, nec pœna delicti cogitaretur, iniustè oppressus est qui iustitiam primus ostenderat, odia perpessus est, qui non nouerat odisse. occisus est impie qui moriens non repugnabat. Item quòd Esau fratri suo Iacob extitit inimicus, Zelus fuit: nam quia ille benedictionem patris acceperat, hic in odio persecutionis facibus liuoris exarsit. & quòd Ioseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de æmulatione discendit, postquam id, quod sibi in visionibus prosperum fuerat ostensum, simpliciter, vt frat ribus frater, expossuit, in inuidiam maleuolus animus cucurrit. Saul quoque Rex, vt Dauid odio haberet, & vt persecutionibus sæpe repetitis, innocentem, misericordem, lenem, patientem, cuperet necare, quid aliud quàm zeli stimulus prouocauit? Quia scilicet Goliath, interfecto opere, ac dignatione diuina tanto hoste deleto, populus admirans in laudes Dauid prædicationis suffragio profiliit; Saul simultatis & insectationis furias de liuore concepit. Et denique pereuntis populi attendamus interitum. Iudei nónne inde perierunt, dum Christo malunt inuidere, quàm credere, obtrectantes magnalibus, quæ ille faciebat, zelo exœcante decepti sunt. Quare fratres contra tantam vtilem pernicium vigilanter & fortiter dicata Deo pectora muniamus, aliorum mors ad nostram salutem proficiat, imprudentium pœna prouidentibus conferat sanitatem.* Ita S. Cyprianus. Vbi nota virtij huius immanitatem, nec benefactoribus & fidelibus & innocentibus parcit, imò neque fratribus ipsis, sed eos insequitur ad mortem vsque. Gen. 4. Gen 27. Rom 18.

Prop. XVI. *Bona mundi non sunt digna inuidiâ nostrâ.*

SAnctus Chrysost. hom. 44. ad pop. *Quid quæso inuides, quod gloriâ mundi fruitur? sed quali, dic mihi. De qua re Propheta dicit, quòd flos est fœni? Propterea igitur dolet, quòd onera baiulat, & fœni tales circumsert farcinas? Si verò tibi talis videtur honor inuidiâ dignus, & lignicidæ per singulos dies onera ferentes, & vrbem ingredientes. Nihilo enim melius hoc est onus sed grauius, illud enim corpus premit tantùm, hoc autem & animam ladit plerumque, & voluptate maiorem infert anxietatem. Deinde talis gloriosus multos habet insultantes, & egrè ferentes, & inuidentes, & cupientes auferre.* Chrys. Isai. 40.

Præterea, grauia sunt ei vincula claritas, & quanto pluribus notior, tanto plures dominos habet, & seruitutis iura illi grauantur. Et seruus quidem respirat, cùm aspectu domini fuerit liberatus, hic autem dominos quærit: omnium enim est seruus in foro. Vnde in forum prodire non audet, nisi ex sequentibus seruis, & equitatu, & reliqua omni vanitate conuenient, ne domini condemnent. Et si quem legitimum videat amicum, eum indifferenter alloqui non audet: dominos enim veretur, ne se detrahant à gloria. Itaque quanto illustrior est, tanto mancipatus est magis. Hoc igitur, quæso, bonum? hoc gloria? Nequaquam, sed ignobilitas, seruitus, & vincula, & quidquid graue quis dixerit.

Si verò sic quoque tibi diligitur ex hominibus gloria, & ille multorum excipiens plausum te conturbat vehementer, cùm plausibus fruentem videris, ad futurum mente seculum, & illam gloriam transi: ita enim & hanc conculcabis, & illam facilè apprehendes.

Prop. XVII. *Inuidia quàm difficile remedium habeat.*

INter inuidiam, & alia vitia hoc discrimen versatur, quòd cætera vitia exemplis bonis proximorum curantur: at inuidia huiusmodi exemplis augetur; superbia mea exemplis humilitatis sanctorum sanatur, ira verò exemplis mansuetorum, & cæteris: at inuidia

ex

ex charitate, & misericordia proximi, ex humilitate, & alijs virtutibus procreatur, vnde quod alijs peccatis est mors inuidiæ vita est, virtus vnius aqua est, quâ extinguitur vitium alterius? at virtus illa inuido ignis, quò magis accenditur inuidia, est.

Hinc fit, vitium hoc inuidiæ difficillimæ curationis esse, sicut in persona Christi significasse videtur Dauid, dicens: *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis*. Apes pungunt, sed plùs sibi, quàm aliis pungendo nocent, nam cùm ferè nullum sit nocumentum, quod aculeo inferunt aliis, se ipsas euisce-rant, & occidunt: sic Iudæi occidendo Christum in corpore animas suas crudeliter occiderunt, & rem-publicam suam deſtruxerunt; sic Christum Dominum sicut apes circumdederunt. Addit *& exarserunt sicut ignis in spinis*. Quid ita? Hugo Cardinalis: Nam sicut ignis in spinis crepitum, & ſtrepitum facit; sic Iudæi contra Christum inuidiâ ſuccenſi, volentes eum ad nihilum redigere, sicut ignis, qui ſpinas conſumit, clamabant: *Crucifige eum*. ita ille: Adde ignem in ſpinis, qui accendi ſolet in ſyluis, vix aut nunquam extingui poſſe. talis eſt inuidiæ conditio, & natura, facili negotio accenditur, ſed magna cum difficultate poteſt extingui; quia vnde remedium ſumere debebat, maiora, vt diximus, ſumit incrementa.

Psa. 117. 12.

Ioan. 19. 6.

Sanct. Chryſoſtom. homil. 54 ad pop. *Charitas non in ſolis verbis conſiſtit, neque in ſalutationibus, ſed in cura, & in officio rerum ipſarum, verbi gratiâ, pauperta tem ſoluere, egrotantibus ſubuenire, eruere periculu, & neceſſitatibus aſſiſtere, flere cum flentibus, & cum gaudentibus gaudere: nam & hoc charitas eſt. Et quamuis paruum videatur gaudentibus gratulari, valde tamen magnum eſt, & exercitata mentis opus. Et multos quidem inueniemus, quod accerbius quidem eſt, præſtantes, ad hoc autem infirmos: nam multi cum flentibus flebunt, qui cum gaudentibus non gaudent, & gaudentibus alijs ipſi lugent, quod liuor & inuidia eſt. Non itaque paruum meritum eſt, gaudere cum fratre gaudente, verùm & alterum maius, & forte non ſolùm maius, quàm cum flentibus flere, verùm & quàm in periculo aſſiſtere maius: nam multi quidem cum periclitantibus periclitantur, dariter amt verò conſequentibus compuncti ſunt, tanta eſt inuidiæ vis, licèt illud laboris ſit, hoc autem voluntatis ſolùm, & quod grauius eſt, perpeſſi facilius non expedierunt, ſed tabeſcunt & pereunt, cùm alios præclarè ſe viderint gerentes, ſed etiam, quæſo, quid pallet? quid fremit? quid trepidus factus es? quid mali factum eſt? quòd frater ſplendidus, illuſtris & probabilis eſt? ex hoc quidem gaudere, & coronari, & Deum glorificari opus fuit, quòd membrum tuum ſplendidum, & illuſtre redditum eſt.*

Chryſ.

Propterea ſiue quis ieiunium & virginitatem colat, ſiue faciat ſigna, ſiue ipſos Angelos virtute præueniat, hunc habens tamen defectum, ſceleſtiſſimus erit. Nam ſi fratrem non diligens, ſiue pecunias eroget, ſiue martyrio fulgeat, nihil facit, qui perſequitur nullam operatum iniuriam, quanta vltione dignus erit? hic & Gentilibus eſt peior. nam ſi diligentes diligere, nihil amplius illis nos habere permittit, amantibus inuidens, vbi, quæſo, ſtatuetur? nam inuidere peius eſt, quàm bellum inferre, nam qui bellum gerit, ſoluta cauſa, propter quam bellum gerebatur, inimicitiam quoque diſſoluit. Inuidus autem nunquam effectum amicus, & ille quidem apertam offendit pugnam, hic autem obumbratam, & ille plerumque legitimam habet, quam dicat, impugnandi cauſam, hic autem nihil aliud præter inuidiam, & diabolicam mentem. Cui igitur quis talem animam comparauerit? cui vipera? cui aſpidi? nihil enim huiuſmodi ſceleſtius animâ: hoc enim Eccleſias ſubuertit, hoc hæreſes peperit, hoc fraternam dexteram armauit, & fecit, vt dextra fratris cruore tingeretur, naturæ leges abſtulit, & morti fores aperuit, & in opus illam deduxit maledictionem, & neque patrum, neque parentum, neque vlterius illum permiſit miſerum reminiſci, ſed eum ita furiauit, vt Deo ſe commouente, atque dicente: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Nec ita acquieſceret, tam inſanabilis eſt hic morbus. Fuit quidem diabolus tunc cùm Cain malitiæ dux: non enim diabolo ſatis erat hominem factum eſſe mortalem, ſed aggrediebatur maiorem facere luctum mortis generi, & vt Cain fieret fratricida perſuadebat: feſtinabat enim, & cupiebat videre ſententiam mortis in opus prodire, qui nunquam malis noſtris exſatiatur. Sicut ſi quis captiuum habens inimicum, & prolatâ ſententiâ eum damnatum videns, priuſquam vrbe exeat, properet, & intus iugulatiu videre optet, neque congruum tempus expectet; ita quoque diabolus, licèt audiſſet, quòd in terram homo reuerſurus eſſet, optabat & aliquid maius, ceternere coram patre filium morientem, & germanum interimentem, præmaturam, violentamque necem. Vides quantis malis miniſtra fuerit inuidia? qualiter inſatiabilem diaboli mentem impleuerit: & ei tantam apposuerit menſam, quantam is cernere concupiuit? Fugiamus. Ita Sanct. Chryſ.

Simile.

S. Chryſoſt. homil. 44. ad pop *Quidam olim apud Corin formicatus eſt, ſed accuſatus fuit, & breui correptus. Abeli Cain inuidit, ſed ſanatus non eſt, quin & Deo ſtatim ipſius vlceri curam afferenti, magis intumeſcebat, & fluctuabat, & ad eadem properabat; ita hoc vitium illo peius eſt, nec medicinæ facile cedit, quæcumque adhibeatur.* Ita Sanct. Chryſ.

Chryſ.

Mirum cur Dæmones tanta ſollicitudine homines tentent, & eorum condemnationem procurent, cùm hominum damnatio in maiorem eorum redundet pœnam. Reſpondet Nicolaus de Lira in cap. 3. Geneſis. *Conſiderandum eſt, quòd ſicut per ſalutem hominum augetur gloria ſanctorum Angelorum, per quos excitantur homines ad bonum; ita è contrario per damnationem hominum, augetur pœna dæmonum eos tentantium. Verumtamen propter nimiam inuidiam, quâ Dæmones torquentur ex eo quòd homines perueniunt ad eam beatitudinem, quâ ipſi priuati ſunt, non ceſſans homines tentare, licèt sciant ex damnatione hominum ſuam creſcere pœnam.* ita ille. Quod quidem admirandam continet exaggerationem, nam pœna dæmonum ex conſortio damnatorum, quamuis accidentaria ſit cùm tamen in inferno & æterna ſit, grauis admodum eſt; & tamen nihilominus ob inuidiam ſic tentant, quaſi magis eos inuidia torqueat quàm illa accidẽtalis inferni pœna.

Lirauus.

Prop. XVIII. *Remedium contra Inuidiæ vitium.*

Quid ergo eſt, quomodo vel vitandus eſt morbus, ne patiamur, vel ſi patiamur, fugiendus? Primò, vt mihi videtur, ſtatuere debemus apud animos noſtros, nihil magnificum, neque expetendum quidquam eſſe in rebus viſibilibus, non opulentiam magni hominis, neque florentis gloriæ tumorem mirari, non robur & valetudinem corporis: nihil enim eorum quæ temporalia ſunt, & prætereunt opimandum eſt bonum. Et paulò pòſt: *Si quis conceſſas ſibi à Deo facultates in miniſterijs indigentium, & pauperum ſuſtentatione diſpenſat, ille non inuidiâ dignus eſt, ſed amore, qui delicijs & voluptatibus ſuis neceſſitatem pauperum præſtulit.* Et rurſum paulò pòſt; *Sic habeto, quaſi tuum ſit iſtud bonum: & tibi per fratrem à Deo doctrinæ deſtinatum ſit donum, ſi tamen libenter prompteque ſuſpicias. Tum deinde venam quidem fontis languis profluentè nullus obturat: nec à ſolis ſplendore vllius inhebitur obtutus: & nemo inuidet alij ſolem videnti, nec ſupra cæteros, ſed cum cæteris habere eis ſufficit participium lucis: & tu verbo ſpiritali in Eccleſia profluenti, & per gratiam S. ſpiritus pietatis dogmata proloquenti non cum lætitia admones, & adiungis auditum, & ſtruens ac proficiens, ſed mordes te, & ſtimulat audientium fauor: & optares vt nemo proficeret tantùm, vt nemo laudaret.*

S. Zeno ſer. de S. Arcadio.

IOAN-

A

IOANNIS BAPTISTÆ LAVDES.

Prop. 1. *Salutationes ad laudes S. Ioannis Baptistæ.*
2. *Quàm exemplaris sit nobis vita S. Ioannis Baptistæ.*
3. *Quanta fuerint excellentiæ Ioannis Baptistæ.*
4. *Quàm ingens laus eius fuerit à Christo laudari.*
5. *Quanta dignitas sit Præcursorem esse Christi.*

Prop. I. *Salutationes ad laudes S. Ioannis Baptistæ.*

Salutatio I.

INter reliqua beneficia quæ S. Ioannes Baptista hominibus præstare solet, seu potiùs Deus ob Ioannem, est beneficium linguæ, vt in eius patre Zacharia videmus, qui ob incredulitatem suam mutus redditus fuit, cùm tamen restituta loquela fuit, B cùm primum Ioannis nomen scripsit. Præterea, de Paulo quodam Lombardorum historiographo refertur, quòd cùm die sabbathi sancti benedictionem cerei paschalis cantaturus esset, ob vehementiam tussis, & pectoris obstructionem, quam ipso mane sabbati sensit, minimè decantare valeret, Sanctum Ioannem Baptistam deprecatus fuit, vt impedimentum illud sua tolleret intercessione quod subitò factum est, & vox illi clarissima restituta fuit, quâ optimè benedictionem illam decantauit, in cuius beneficij gratitudinem hymnum illum composuit, quem in festo Sancti Ioannis canit Ecclesia, qui incipit, *Vt queant laxis resonare fibris*, &c. in cuius initio, seu primo versu litteræ cantus, scilicet, *vt, re, mi, fa, sol la*, collocauit:

Vt queant laxis resonare fibris
Mira gestorum famuli tuorum,
Solue polluti labij reatum
C *Sancte Ioannes.*

Y si tan buena mano tiene para la lengua san Iuan, aora para que lo sea la mia buena en sus alabanças suppliquemos le tome La mano con Dios, poniendo por intercessora à la Reyna del cielo nuestra Sennora.

Salutatio altera.

REfert Didymus, Alexandrum Magnum in Thessaliæ regione reperisse imaginem quâdam æneam magni quondam Poëtæ Orphei, quàm attentè considerare cœpit; in memoriam quippe illi venerant ingentes laudes ipsius Orphei, quas magister Alexandri ipsi Orpheo tribuebat. Cùm igitur tenero quodam affectu imaginem illam prosperet Alexander, subitò cœpit sudare imago: miratur Imperator, prodigijque significationem à Magis, & sapientibus suis requirit, qui re attentè considerata sic Regi responderunt: prosperum tibi auspicium hoc est, ô Alexander: sudor D enim Poëtæ huius coram te absque dubio denotat Poëtas in tuarum rerum historia, & laude sudaturos: neque enim tua merita verbibus suis pro dignitate, & meritò poterunt metiri, & æquare. Etenim si merita, & magnalia S. Ioannis Baptistæ sancti Dei concionatores enarrare, & augere velint, sudare nimis eos oportet: nec enim Orpheum singularem inter eos inuenies, qui non imparem ad hoc munus se esse confiteatur; suppleat igitur gratia, quod sufficientiam nostram excedit, & oremus Virginem, vt gratiam istam nobis impetrare dignetur.

Prop. II. *Quàm exemplaris sit nobis vita S. Ioannis Baptistæ.*

EGo vox clamantis, Ioan. 1. Plutarchus in Apophth. Laconicis refert, hominem quemdam cepisse philomelam quandam, quam cùm plumis denudasset, & parum admodum carnis reperisset in ea, dixit: *Vox tu es, & nihil præterea.* Hoc mihi de B. Ioanne Baptista dici posse videtur; nam in eo ferè nihil carnis videbis. Venit enim Ioannes, non manducans, neque bibens, imò neque induens se; nam victus, & vestitus eius pari passu currebant. Quare sicut ob parcitatem victus non manducans, nec bibens dicebatur; sic nec se vestiens; denique parum carnis habebat, quia de carne parum curabat. Dicere igitur ei possumus: Tu vox es, & nihil præterea, vox (inquam) totus, quia non solùm ore, sed se toto concionabatur, concionabatur (inquam) verbis, quia verba eius ædificatione spirituali plena erant; concionabatur veste, quia ex pilis camelorum erat; concionabatur cibo, quia parcissimus ille; concionabatur humilitate sua, patientiâ suâ, zelo suo, & ceteris, totus vox erat, & nihil præterea. Vtinam concionatores omnes hoc modo prædicarent, maiorem, & copiosiorem profectò fructum reportarent. *Vers. 23.*

Prop. III. *Quanta fuerint excellentiæ Ioannis Baptistæ.*

PRimum encomium Baptistæ sit ex parte laudantium, & prædicantium excellentias eius. Etenim sancti omnes elingues seipsos reddunt in laude tanti Sancti, imò antequam in mundum Ioannes aduentaret, Prophetæ Dei mira de Ioanne dixerunt, vti videbimus; imò etiam Angeli superni sublimia de Ioanne nuntiarunt, sicut Lucæ 1. videre licet; denique Deus ipse factus homo tot tantaque de Ioanne dixit, vt ferè temerarium esse videatur, nos aliquid superaddere tentare. Fauet tamen nobis, quod Matthæus cap. 11. ajt: *Cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne*, cœpit (inquit) non perfecit, sed inchoauit, vt nobis locus de ipso dicendi superesset. faxit Deus, vt quod ipse cœpit, eius ope nos prosequi valeamus. Aperuit ipse os mutum Zachariæ patris eius, vt de filio prophetaret, & illa magna proferret quæ in cantico suo narrauit; aperiat & os nostrum idem ipse Dominus, vt digna tali ac tanto Sancto dicamus. *Vers. 7.*

Multi in natiuitate eius gaudebunt. Quî fieri potest, vt in natiuitate eius gaudeamus, cùm natiuitas nostra in hoc mundo ingressus sit ad miserias, labores, & dolores? Dauid vallem lacrymarum vocat mundû istum, vbi agens de viro isto, ait: *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum*, & hinc Ecclesia in antiphona, *Salue regina*, mundum simili appellatione nominat, *Ad te suspiramus in hac lacrymarum valle.* Hyperbolicè quidem, ac si ex lacrymis nostris fluuius decurrat in terra, sicut per valles currere flumina solent: semper enim miserias quotidianas, & assiduos casus tristes flemus. Hinc Salomon, *Melior* (inquit) *est dies mortis die natiuitatis.* Cur ita, cùm mors miseriarum huius vitæ maxima sit? Respondet S. Hieronymus, quia mors liberat à tribulationibus, & ab incerto vitæ statu; ingressus verò in vitam vtrumque parit. *Luc. 1. 14.* *Psal. 83. 6.* *Eccles. 7. 2.*

Vnde idem S. Hieronymus epistolâ ad Tyrasium tom. 9. Super sepulchrum Lazari Christus fleuit, non quidem Lazari mortem, sed quòd Lazarum ad vitam reuocare deberet; reuocauit autem ad salutem aliorum, qui illius miraculi gratiâ conuersi postea fuerunt. Idem asserit Pelusiota lib. 2. epist. 173. vbi Christum Dominum sic loquentem introducit: *Eum qui ad portum iam appulerat, rursum ad fluctus, & procellas voco, eum*

qui iam coronam consecutus erat, ad certamina rursum duco. Ita ille. Hinc etiam Iob, putredinem, & vermes, hoc est, mortem, ex qua putredo, & vermes oriri solent, patrem, & matrem, & sororem vocat. Cur ita? quid parentibus cum morte? Origenes sic explicat: *Sicut pueri consolatores parentes habent; sic ego mortem consolatricem habeo.* Erat enim Iob multis calamitatibus afflictus: quis autem est qui magis minúsve non sit in hac vita aduersis diuexatus? ideo ergo ait Sapiens: *Melior est dies mortis die natiuitatis.* Cap. 17.

Hinc est, quòd olim Persæ diem mortis festiuum ducebant, & lætum celebrabant, diem verò natiuitatis luctu, & mœrore prosequebantur. *Para el dia de la muerte eran las galas y regocijos, para el dia del nacimiento los llantos.* Præpostera quidem erat ista celebratio, vitam mortemque vt sic, inter se comparanti; at consideranti vitæ naufragia, pœnas, & dolores, non ita: ideo enim ait Salomon: *Melior est dies mortis die natiuitatis.*

Hinc S. Iob diei natiuitatis suæ maledicebat, dicens: *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est: conceptus est homo.* Mirantur sacri Authores, Iobum maledictiones in diem natiuitatis & conceptionis suæ iactare: id enim & impatientiam animi præ se fert, & indebitam execrationem: sed absit, vt verba Iobi taxemus, quæ Dominus approbauit, dicens in fine historiæ amicis Iobi: *Non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob.* Maledicit ergo diem natiuitatis, & noctem conceptionis, non propter diem, nec propter noctem secundùm se, sed propter miserias, & calamitates subsequentes: quod quidem potiùs est maledicere miserias ipsas, quàm natiuitatem, & conceptionem, & insinuare felicius esse, liberum esse hominem ab his miseriis, quàm cum illis vitâ frui, si præcisè res consideretur. Iob 3. B Iob 42. 7.

Hinc oritur dubitatio, quomodo asseruit Angelus, quòd in natiuitate Baptistæ multi gaudebunt: si natiuitas hominis, mœroris est materia, Ioannes verò homo fuit (inquit) *homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes*; mœroris ergo, & non gaudij causa erit natiuitas eius. Furtum cœli, aiebat Sapiens quidam, esse gaudium in terra, in cœlo ergo, & non in terris gaudium huiusmodi quærendum est. Nihilominus tamen merito Angelus gaudendum nobis esse in natiuitate Ioannis asseruit, quia totius nostræ salutis nuncius venit. Si Rex ipse ad Mauros, seu Turcas proficisci destinaret, ad captiuos fideles redimendos, nónne captiuis illis ingentis gaudij occasio esset aduentus illius, qui Regis metator (Hispanicè *Aposentador del Rey*) nuncupatur? Venit Christus peccatores captiuos saluos facere, præcursor eius Ioannes fuit, quidni ergo in eius natiuitate summè gaudeamus? C Luc. 1. 6.

Quanta fuerit gratia eius inquiramus. Ex nomine ipso magnitudo gratiæ Ioannis deduci potest: nam Ioannes est verbum Hebraicum, & idem importat, quod *gratiosus, seu, in quo est gratia*; cùm igitur nomen hoc non fuerit impositum ei à casu, vti alijs imponi solet à nobis, sed ordinationibus Dei, vt constat ex cap. 1 Lucæ, manifestè constat, magnum in eo Dei gratiam extitisse. Solet enim Deus nomina designare ex ipsarum rerum euentu, sicut Abraham vocari voluit, vt patet Gen. 17. vbi sic Dominus ad eum: *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.* Abraham autem est nomen Hebræum, & idem est, quod *pater multitudinis*: sic ex re ipsa Deus ei nomen imposuit. Similiter factum est cum Apostolo Petro, qui priùs Simon vocabatur, sed Matth. 16. mutauit Christus nomen eius, dicens: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam*, scilicet propter fortitudinem, & firmitatem fidei eius, & Ecclesiæ super ipsum fundatam tanta D Gen. 5. Matth. 16. Luc. 1. Vers. 5. Vers. 18.

fortitudine, vt nec portæ, seu potestates inferni, aduersùs eam præualere queant, *Petrum* voluit eum Dominus appellari: sic etiam propter ingentem gratiam, *gratiosum*, seu Ioannem voluit tantum virum Dominus nuncupari.

Deinde, constat ex eo, quòd ab vtero matris suæ gratiâ repletus est: sic enim Angelus Gabriel ad Zachariam, patrem eius, de Ioanne: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*, hoc est, gratia Spiritus sancti: quòd si ex vtero matris sic non solùm plenus, sed repletus est gratiâ, quanta, quæso, incrementa suscepit tot tantisque operibus gloriosis, quibus postea in vita floruit, & in morte? Luc. 1.

Hic erit magnus coram Domino, Luc. 1. sic Gabriel Angelus Zachariæ patri Baptistæ. Dictus fuit Alexander Imperator cognomento Magnus; at inter Baptistam magnum, & Alexandrum Magnum distantia est magna, multum interest inter magnum, & magnum. Fuit Alexander magnus in bellis & pugnis; at Baptista noster magnus in sanctitate, & perfectione virtutis; magnus fuit Alexander in imperio, & possessione terræ; at Baptista fuit magnus in contemptu terræ, & possessione cœli: magnus fuit Alexander coram hominibus; at Baptista magnus coram Domino, & hoc non ab hominibus, nec per homines, sed ab Angelo Gabriele denotatur. Parúmne hoc? *Omnes gentes* (ait Isaias) *quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputata sunt ei.* Nam, coram mobis magni nonnulli solent apparere, at coram Deo quasi nihilum reputantur, sicut coram ingentissimo quodam monte granum arenæ, & minùs multò; cùm igitur Ioannes coram Deo magnus appellatur, qualis, & quantus, quæso, erit? Cap. 40. Luc. 1.

Quantus quidem fuerit, constat ex illis verbis Christi Domini: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Si verba hæc aliquis nostrùm protulisset à seipso, aut temeraria sortè reputarentur, aut hyperbolica saltem: at à Veritate ipsa prolata fuerunt. Quo autem dicere voluerit Christus in hac comparatione Ioannis Baptistæ cum alijs mulierum natis, sic explicauit in Imperfecto Author apud Chrysostomum hom. 27. *Scriptura non dixit Ioannem maiorem esse ceteris sanctis, sed ceteros sanctos non esse Ioanne maiores: eo quanti cum ceteris, non præposuit: sed cum tanta sit iustitiæ altitudo, vt in illa nemo possit esse perfectus, nisi solus Deus, existimo, quod omnes sancti, quantum ab humilitatem diuini iudicij mucem sibi aut inferiores sunt, aut pares. Ex quo intelligimus, quoniam qui se maiorem non habet, omnibus maior est: & hoc sequens demonstrat sermo, dicens:* Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo. *Quis autem est minor, & maior? Christus videlicet, minor in corpore, & maior in spiritu. Vide ergo, quia Ioannes omnibus sanctis est maior, eus solus Christus est prior.* Ita ille. Vnde Sanctus Ambrosius serm. 64. qui est de natiuitate Ioannis Baptistæ, *Magnus* (inquit) *Ioannes, cuius magnitudini saluator testimonium perhibet, dicens:* Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, præcellit sanctis, eminet vniuersis, antecedit prophetas, supergreditur patriarchas, & quisquis de muliere est, inferior est Ioanne. Ita Sanctus Ambrosius. Matth. xi. 11. Ibid.

Quomodo autem, aut in quo fuerit maior Ioannes, explicauit Sanct. Chrysostomus in cap. 11. Matth. vbi recitans hæc verba Christi: *Amen dico vobis: Non surrexit maior Ioanne Baptista, Quamuis* (inquit) *hæc sententia per seipsam sufficiat, si velis tamen à rebus ipsis veritatem inspicere, veniat tibi in mentem mensa illius, educatio, & mentis altitudo: ita enim in terris, quasi in cœlo, versabatur; natura namque omni necessitate superata, mirabile quoddam peregit iter, semper in hymnis, semper in orationibus fuit, neminem vnquam vidit conseruorum, nec ab aliquo eorum visus fuit, non lacte nutritus, non lecto susceptus, non tecto, non foro, non alia re humana vsus erat, mitis simul, & acer, quorum alterum ex conuersatione sua cum discipulis, alterum ex re-*

sponsione ad Iudæos, & ad regem liberæ, facilè agnoscet. Ita S.Chrysost.

Et Author Imperfecti super eadem vetba: De quo (inquit) prophetę aliquando prophetauerunt de Christo, de illis autem non est prophetatum: ipse autem non solùm prophetauit de Christo, sed etiam alij prophetæ prophetauerunt de ipso. Quis aliquando dictus est, *vox clamantis in deserto?* nam omnes portitores verbi fuerunt: iste autem ipsa vox, quæ desertum facere poterat sicut agrum cultum. Quantò vox proximior verbo, sic Ioannes propinquior Christo? quis prophetarum, cùm esset propheta, prophetam facere potuit? Elias quidem vnxit Eliæum in prophetam, non tamen donauit illi gratiam prophetandi; iste autem in vtero matris existens, diuini introitus scientiam matri donauit, & os illius in verba confessionis aperuit, vt cuius non videbat personam, cognosceret dignitatem, dicens: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Ita ille.

Præterea, magnitudo sanctitatis, & perfectionis Ioannis ex illis verbis Christi probatur, vbi ait: *Hic est, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Quæ quidem verba optimè ponderauit Author Imperfecti homil. 27. in Matth. vbi, Iam nunc (inquit) incipit dicere causas, propter quas Ioannes amplius erat, quàm propheta, qui talem meruit laudatorem habere. *Censeo,* (si non est audaciæ dicere) *quòd gloriosior est Ioannes, quia homo fuit, & propter virtutis meritum Angelus est vocatus, quàm si nomine Angelus, & naturâ fuisset: Angelus enim hoc ipsum, quod Angelus est, non virtutis præmium, sed proprietas est naturæ; iste autem mirabilis est, qui in humana natura Angelicam sanctitatem est transgressus, & per gratiam Dei obtinuit, quòd per naturam non habuit. Ecce omnes prophetæ ante faciem Christi sunt transmissi & Angeli sunt vocati, sicut scriptum est:* Qui accepistis legem in præceptis Angelorum, & non custodistis; *quomodo ergo de Ioanne, quasi gratiæ singularis, dictum est:* Ecce mitto Angelum meum? *Omnes quidem prophetæ ante faciem Christi transmissi sunt, solus autem Ioannes sic missus est ante faciem Christi, vt penè cum ipso Christo veniret; quantum præ ceteris prophetis Ioannes in tempore iuxta Christum, tantum iustitiâ præ illis proximior erat Christo. Multæ quidem stellæ ante solem præcedunt, nunciantes eius aduentum, nulla tamen earum Luciferi nomen habere meruit, nisi vna, quæ cum ipso procedit sole: sic omnes prophetæ ante faciem Christi præcedunt nuntiantes aduentum eius:, solus autem Ioannes præcursor est appellatus, quia non solùm aduentum eius annuntiat, sed ipsum illum digito suo ostendit, dicens:* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Omnes prophetæ venturum testati sunt, ille solus iam venisse monstrauit. Deinde alij prophetæ missi sunt, vt aduentum Christi annunciarent, iste autem vt præpararet viam ipsius. Aliud autem est aduentum Christi nunciare, & aliud viam eius præparare: nunciantibus enim aduentum eius, prædicationis sermo commissus est, præparanti autem viam humanæ correctionis opus iniunctum est, sicut Angelus dixit de eo:* Et multos filiorum Israel conuertet ad Dominum suum. *Ille ergo correxit, vt iste susciperet, ille mundauit, vt iste sanctificaret, ille præparauit, vt iste sanctificaret.* Ita ille.

Et Sanct. Chrysostomus in expositione breui super Matth. nunc recenter edita in 2. tomo, expendens eadem verba Christi: *Hic est, de quo scriptum est: ecce ego mitto Angelum meum, &c. Ante faciem* (inquit) *tuam, hoc est, tibi proximum: sicut enim qui regis vehiculo proximiores incedunt, ceteris clariores existunt: ita etiam Ioannes Christi aduentui propinquior exortus, vel hinc excellere demonstratur.* Ita ille.

Præterea, ex illis verbis: *Egrediebatur ad eum omnis Iudæa,* &c. sic sanctitatem Ioannis amplificat Author Imperfecti hom. 3. *Amplius resonabat conuersatio vitæ Ioannis in eremo, quàm vox clamoris ipsius, & magis expauescere faciebat homines operibus suis, quàm verbis, & forsitan, nisi sermones suos conuersatione huius modi commendasset, nunquam omnis Iudæa ad vocem eius existet ad eum:* Egrediebatur ad eum omnis Iudæa. *Nam ad comparationem sanctitatis eius quis poterat se iustum arbitrari? inimitabilis erat conuersatio eius, omnium vitam apparere faciebat culpabilem. Sicut enim si videris vestem albam, dices: satis candida vestis est; si verò posueris eam iuxta niuem, incipit tibi sordida apparere, etsi vere sordida nõ sit; tamen quantum ad similitudinem niuis, sordida inuenitur: sic quantùm ad comparationem Ioannis, omnis homo videtur immundus.* Ita ille.

Idem ponderans illa verba Domini, *Propheta & plus quam propheta. Propheta* (inquit) *est de Christo prædicare, nunquid propheta fuit, vt in vtero constitutus Deum in vtero cognosceret? Propheta est pro merito conuersationis, & fidei prophetiam accipere, nunquid propheta fuit, vt priùs fieret propheta, quam homo natus? propheta est à Deo accipere beneficium, nunquid propheta est beneficium baptismatis Deo exhibere? propheta est verbum proferre de Christo ante tempus: nunquid propheta est facie ad faciem ostendere digito Christum? propheta est, vt ipse de Deo prophetet, nunquid propheta est, vt Deus de ipso prophetet? dicens:* Ego mitto Angelum meum ante faciem tuam? Ita ille. Hæc quidem omnia miram Ioannis sanctitatem, & excellentiam manifestant.

Præterea, excellentia sanctitatis, & perfectionis S. Ioannis, ex excellentia laudantium eum desumi potest: non enim magni, nisi magnos magnis laudibus afficere, & extollere solent; laudauerunt autem sanctum Ioannem inprimis propheta Dei Isaias. *Vox* (inquit) *clamantis in deserto: parate viam Domini.* Vocem hanc fuisse Ioannem, testatur ipsemet Ioannes, qui à Iudæis interrogatus, quisnam esset? respondit: *Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta.* Magna autem laus Ioannis, quòd Verbi Dei fuerit ipse vox: quid enim proximius verbo, quàm vox? quid autem felicius, quàm ita proximum esse Verbo Dei? parare autem sic viam Domino, officium Præcursoris fuit, quod quàm ingens fuerit, explicatum, & explicandum amplius est. Laudauit etiam Baptistam Dauid, dicens: *Vox Domini super aquas.* S. Basilius homil. 2. in hunc Psalm. per vocem Domini Ioannem Baptistam intelligit, dicens: *Quæ vox super aquas?* Dictum hoc, vt propheticum sumendum est: memor esto Ioannis, qui, cùm interrogatus esset à Iudæis, tu quis es? *Ego vox* (inquit) *clamantis in deserto*; vox igitur super aquas, Ioannes est baptizans. Illic *Deus manifestaris intonuit*: venit enim vox è cœlo, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; ibi *vox Domini in virtute*, hæc vox est illa, dicens: *Pœnitemini: appropinquauit enim regnum cœlorum*, &c. Ita ille. Ioannem etiam collaudauit propheta Malachias, vbi sic in persona Dei: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Quem locum Christus ipse de Ioanne est interpretatus, dicens: *Hic est, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum*, &c. Deinde laudauit prophetans pater eius Zacharias, dicens: *Et tu puer propheta altissimi vocaberis*, &c. Laudauerunt etiam illum Euangelistæ omnes. Ad indagandas quidem aliorum Sanctorum laudes, historias humanas, & Sanctorum conciones euoluere oportet; ad laudandum autem S. Ioannem Baptistam, satis, superque est Euangelistas perlegere; in eis quippe inter Christi encomia, dicta, & facta illustrissima, & encomia mira Baptistæ reperies, conceptionem, sanctificationem in vtero, nominis impositionem, è cœlo natiuitatem admirabilem, in eremo vitam, vocationem, prædicationem, humilitatem, zelum Dei, & animarum, & martyrium sanctum. Præterea laudauerunt illum, & miris laudibus extulerunt sancti omnes. Denique Dei filius tanta de Ioanne protulit, vt sublimiora de illo dici à nobis non possint, & cùm, inter alia, omnium tunc vs-

que naturam, ex muliere maiorem faceret,& præmisit A
Matt 11. 7. Matthæus : Cœpit dicere de Ioanne: Quid est cœpit dicere? siniuisse dixissem ego, cùm supra tot patriarchas, & prophetas, & sanctos Dei à sæculo iam elapsos ipsum constituisset; at cœpit, (inquit) quasi diceret: plura quidem alia dici de Ioanne debent; cœpit eius encomia Christus, vt alij ea prosequerentur, hinc nobis animus, hinc audaces reddimur ad ea excogitanda, quæ de Baptista non sunt explicata.

Præterea, quantus fuerit Baptista, ex eremo eius colligi potest, de quo sic Origenes homil. 11. in Lucam: *Dignè, qui sic conceptus fuerat, & natus, non expectauit, vt a patre nutriretur vsque ad diem ostensionis suæ ad Israel, sed recessit fugiens vrbium tumultum, populi frequentiam, vicinias, & ciuitatum, & abijt in deserta, vbi aër purior erat, & cœlum apertius, & familiarior Deus, vt orationibus vacaret, & cum Angelis conuersaretur, vocaretque Dominum, & illum respondentem audiret:* Ecce adsum. *Erat igitur in deserto Ioannes, & nutriebatur nouo, & extra naturam modum cibum ei erant locustæ volucres paruæ, vix à terra con-* B *surgentes, & salientes potius, quàm volantes, & mel syluestre.* Ita Origenes.

Auget, & ponderat Sanct. Chrysostomus homil. 10. in cap 3. Matth. hanc Ioannis Baptistæ in eremo habitationem, explicans verba illa, *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos*, dicens: *Erat omnino mirabile humano in corpore tantam videre tolerantiam: erat enim maiori admiratione dignus Ioannes, quàm Elias; siquidem ille in vrbibus pascebatur; hic verò ab ipsis incunabulis eremum semper inhabitauit; erat illi impræparata mensa, facilis amictus, & habitatio facilior amictu: neque enim vel tecto indiguit ille, vel lecto; nec mensam, vel aliquid huiusmodi requisiuit, sed Angelica quadam vitâ in carne refulsit mortali. Vt ita suaderet, nihil cum terra habere commune, sed ad priorem nobilitatem reuerti, quam habuerat Adam priusquam de victu, vestituque curaret. Quomodo (dic) in solitudine hyemes, pluuiasque sustinuit hoc tenero adhuc corpore, & ætate puerili?* C *quomodo valuit adhuc rudis natura, carnis tantas inæqualitates, tantasque aërum incursiones cum illa ciborum tenuitate tolerare? vt de reliqua eremi afflictione fileamus: Si verò ille omni ornatione mundissimus, & ipso cœlo clarior, & prophetis celsior, quo nullus hominum maior fuit, & qui tantâ apud Deum familiaritate gaudebat; sic ad omnem laborum patientiam durabat, satis altè deliciarum fluxa despiciens, & ad omnem vitæ rigorem se coarctans, quam nos satisfactionem afferre poterimus, qui post tot Christi beneficia, post mille nostrorum onera peccatorum, nec minimam quidem partem illius castigationis imitamur, sed comessationibus, & potationibus dediti, vndique nos relaxantes, in diaboli pradam præparamur?*

O si Ioannem puerulum in eremo videre liceret! Vt enim aliqui volunt, septem annorum ætate, aut, vt alij, quinque, in eremum secessit. quis non eremitam istum nouum, & mirabilem adiret, & de peregrino isto viuendi modo non eum curiosè interrogaret? Sed fingamus illum nos conuenisse, & nos interrogare, il- D lum verò ad interrogata respondere: Quid hîc in deserto agis, tenerrime puer? vbinam degis? vbi commoraris? Vasta hæc solitudo habitatio mea est, domus verò exiguum quoddam antrum. Quo cibo sustentaris? ex venatione mea sustentor; venatio verò mea locusta est, hęc meus cibus est cum melle syluestri. Quid igitur hîc agis? quænam est vitæ tuæ ratio, & institutio? hîc Deo nostro deseruio, orationi die & nocte vaco, & cœlestium rerum meditationibus insisto. Cur ab hominibus sic recedis, cùm domi apud parentes, seu coniunctos, hæc præstare posses? pericula, & occasiones peccatorum vitare decreui. Quare meritò Ecclesia sic de Ioanne canit:

Antra deserti teneris sub annis,
Ciuium turmas fugiens, petisti,
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses.

Hoc est, ne leui quodam otioso verbo, & veniali culpa, Deo displiceres, & aliquo modo vitam maculares. *Vn ninno casi en mantillas, quando hauia de estar en la plaça jugando al trompillo con los demas muchachos, y ninnos, verle haziendo vida de perfecto hermitano, en vn yermo a quien no admirad y pasma? por no mançillar su vida con vna palabra ociosa, se va alos paramos, que delgado hylaba, y que tempranno!* Confusionem nobis parit hæc Ioannis cautela, & vitia, nos qui peccauimus sæpe, & fortè plùs verbis otiosis in media plebe versati, inter occasiones, & pericula mundi, & post multa peccata, nec talem agimus pœnitentiam, nec ita viuimus cautè.

Præterea, Ioannis sanctitas, & excellentia ex verbis illis constat Ioan. 5. *Ille* (scilicet Ioannes Baptista) *erat lucerna ardens, & lucens.* Quæ quidem verba sic expendit Sanctus Bernardus serm. de natiuitate Sanct. Ioannis Baptistæ. *Est quidem tantùm lucere vanum, tantùm ardere parum; ardere verò, & lucere, perfectum. Audi quid Sapiens dicat:* Vir sapiens permanet sicut sol: nam stultus vt luna mutatur. *Quia enim splendet luna sine feruore, modò plena, modò exigua, modò nulla videtur, mutatum siquidem lumen nunquam in eodem permanet statu, sed crescit, deficit, extenuatur, & penitus non comparet: sic qui conscientias suas in alienis labris posuerunt, modò magni, modò parui sunt, modò nulli, secundum quod adulantium linguis vel vituperare placuerit vel laudare; sed sapientis ardor internus lucet foris, & si non ei datur vtrumque, curat semper ardere magis. Dictum autem est Apostolis, & Apostolicis viris:* Sic lu- Matth. 5. ceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. *Dictum est hoc & Ioanni, sed ille in spiritu, tanquam Angelus, eruditur, nimirum tanto propinquior erat Deo, quanto vox vicina verbo, cui nulla voce alia media, quod foris sonet, oportuit intimeri. Neque enim Ioannem docuit predicatio, sed inspiratio, quem repleuit spiritus adhuc ex vtero matris suæ, vere ardens, & vehementer accensus, quem sic præoccupauit flamma cœlestis, vt is Christi sentiret aduentum, qui nec sentire poterat vel respirum. Fuit ergo iam tunc lucerna ardens, sed adhuc sub modio interim, donec super candelabrum poneretur, & luceret omnibus, qui in domo Domini erant. Illo enim tempore solùm adhuc potuit illuminare modium suum, soli interim lucere matri, reuelans ei magnum pietatis Sacramentum motu nouæ exultationis: Hinc ipsa exclamat:* Vnde hoc (*mihi inquit*) vt veniat mater Domini mei ad me? *Quis tibi indicauit matrem esse Domini, mulier sancta? Vnde enim nosti?* Vt facta est (*inquit*) vox salutationis in auribus meis, exultauit infans in vtero meo. *Illuminauit ergo iam tunc modium suum, sub quo latebat, paulò pòst mundum nouis illustratus fulgoribus.* Ille (*inquit*) erat lucerna ardens, & lucens, *non ait, lucens, & ardens, quia Ioanni ex feruore splendor, & non feruor ex splendore prodijt. Sunt enim qui non ideo lucent, quia feruent, sed magis feruent, vt luceant, qui non feruent charitatis spiritu, sed studio vanitatis. Ardens erat Ioannes in ipso vehementi austeritate conuersationis erga Christum, intimo quodam, & pleno feruore deuotionis erga peccantes proximos, constantiâ libera increpationis luxit, se ipsum ostendens ad imitationem, & luminare manus, quòd latebat, ad peccatorum remissionem, & ipsas quoque tenebras nostras illuminans corrigendo. Considera igitur hominem Angelico promissum oraculo, conceptum miraculo, sanctificatum in vtero, & nouum in nouo homine pœnitentiæ mirare feruorem.* Victum, 1. Tim 6. & vestitum habentes (*ait Apostolus*) his contenti sumus. *Apostolica hæc perfectio est, sed Ioannes hæc quoque contempsit. audi Dominum in Euangelio:* Venit (*inquit*) Ioannes non manducans neque bibens, *planè nec se ve-*

stiens:

stiens : Quis enim locusta non est cibus, nisi fortè irrationabilium aliquorum animalium ; sic nec pilus cameli humanum est indumentum. quid vos irrationabiles feræ, & reptilia deserti, cibos exquiritis delicatos ? Ioannes sanctus homo missus à Deo, imò Angelus Dei, quo nullus maior inter natos mulierum, innocentissimum corpus suum sic castigat, sic extenuat, sic affligit. Vos indui festinatis byssо, & purpurâ, & splendidè epulari, cuius memoriam agitis ? ô nimis delicati cultores, cuius celebratis natalem ? nonne illius, qui in eremo fuit hirsutus veste, & confectus inedià ? Multi (*inquit Angelus in natiuitate eius*) gaudebunt. *Verum id quidem, multi in natiuitate eius gaudebunt, & pagani ipsis (vt audiuimus) læta est, & solemnis : illi celebrant quod ignorant, sed non ita debuerant Christiani ; nunc verò & ipsi in Ioannis natiuitate gaudent, sed vtinam de natiuitate, & non de vanitate. Ardebat igitur Ioannes sibi, lucebat nobis : gaudeamus in lumine, non tamen ibi manentes, sed vt in lumine eius videamus lumen, cui testimonium perhibuit ipse.* Venit Ioannes (*ait Dominus*) non manducans, nec bibens. *Incentiuum feruoris hoc mihi est, & materia humilitatis : quis enim in nobis est, fratres, qui Ioannis pœnitentiam intuens, suam, non dico magni facere, sed alicuius momenti reputare præsumat ? quis audeat murmurare in laboribus suis, & dicere : satis est quod patior, ne dum nimis ? Quæ homicidia, quæ sacrilegia sic puniebat Ioannes in se ipso ?* Ita Sanctus Bernardus ibi, qui ex zelo diuini amoris, quem contra delicta procedens, ostendit Sanct. Ioannes, eius sanctitatem : & spiritus feruorem sic probat ibidem, dicens : *Erga proximorum delicta feruorem intuere Ioannis*, Genimina viperarum (*inquit Ioannes*) quis ostendet vobis fugere à ventura ira ? *De quanto mentis feruore censes procedere scintillas istas, imò carbones desolatorios ? sic nequæ Pharisæu parcens :* Nolite (*inquit*) dicere, quia patrem habemus Abraham, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. *Sed minus hoc videatur, si vel ipsum veretur potentis vultum, & non tota libertate spiritus arguit peccantem regem crudelem sacrâ vehementiâ, ad hoc ipsum prodiens ex deserto, si vel blanditys eius, vel ipso terrore mortis mouetur.* Metuebat (*inquit*) Herodes Ioannem, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat : *at ille nihil ob hoc parcens :* Non licet tibi (*ait*) habere vxorem fratris tui. *Ligatus autem, & in carcerem trusus, stetit nihilominus in veritate, & occubuit pro veritate feliciter. Feruet etiam in nobis zelus iste, charissimi, ferueat iustitiæ amor, & iniquitatis odium : nemo fratrio vitia palpet, peccata dissimulet nemo, nemo dicat :* Nunquid custos fratris mei sum ? *est enim consentire, silere, cùm arguere possis, & scimus, quia simulis pœnæ facientes maneat & consentientes.*

A *Antra deserti teneris sub annis,*
Ciuium turmas fugiens, petisti,
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses.

Por no offender a Dios, ni a vn con vna palabra. Otiosa puerilia Ioannis hæc sunt.

Imò non expectauit septem annorum spatium, vt se totum daret ac traderet Deo; sed etiam, antequam nasceretur mundo, natus fuit Deo : quando enim ad salutationem B. Virginis in vtero matris exultauit, iudicium integrum Dei dono recepit, Christum adhuc existentem in vtero Virginis cognouit, & adorauit, & gratiâ Dei tunc non solùm plenus, sed etiam repletus fuit : sic enim annuntiauit Angelus Gabriel Zachariæ, patri Ioannis, dicens : *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* non ait, implebitur, sed *replebitur*, vt gratiæ abundantiam designaret. Quòd si tantam est adeptus gratiam, antequam nasceretur; quantam censes habuisse, cùm morceretur, post tot, inquam, labores, & dolores pro Christo passos, post tot ieiunia, vigilias, orationes, & sanctissimas operationes, & passiones ? In vtero igitur Christum agnouit, & adorauit, & coluit, & gratiam eius adeptus est, priùs vidit Deum, quàm terram, priùs sanctus, quàm natus. Diabolus quidem rationis vsum in pueris præuenit, priùs illis mala suggerit, quàm mala ipsa cognoscant esse, ad mendacia, inquam, instigat, ad vana inducit, inuidiam excitat, iram accendit, fraudes docet, & huiusmodi alia, quæ nos & videmus, & experti sumus, & maximè per parentum, & familiarium exempla pueros ad malum præuenire solet. At in B. Ioanne gratia Dei præuenit ætatem, non vsum rationis ; nam ante natalem eius datus est ei rationis vsus, & cum eo gratia magna, vt mundana despiciens, Deum amare tunc inciperet, & sic, inquam, gratia hostis insidias in Ioanne præuenit. Vnde Eusebius Emyssenus homil. 1. de S. Ioanne Baptista : *Quid mirum, si in Ioanne culpa aditum non inuenit, cuius animam sibi Deus in ipsis exordijs occupauit ?* Ita ille. Ecce igitur puerilia, imò infantilia Ioannis, Deum agnoscere, colere, amare, adorare, & in eo exultare.

Præterea, non solùm magnalia Ioannis, & ingentia opera eius excellentiam manifestant, imò non solùm puerilia, & infantilia eius, sanctitatis eius magnitudinem patefaciunt, verùm etiam ea, quæ nihil in eo esse dicuntur. *Las nonnadas de San Iuan bastan a declarar nos bien quien es.* Id in sacro videamus Euangelio; nam quæ magna Ioannis sunt, in Euangelio sunt. Non enim ad Augustinum vel Hieronymum, Ambrosiũ, & Gregorium recurrere oportet, ad excelsa Ioannis cognoscenda sufficit Euangelium. *El Euangelio nos da bastante ripio a la manor.* Ait ergo Euangelista Ioannes : *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes : hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Magna hæc & eximia Baptistæ laus : sed quod sequitur, labefactare videtur laudes istas. *Non* (inquit) *erat ille lux. Vey Sa y vn nouuada de San Iuan, yn no ser luz.* Christus quidem de Ioanne inquit : *Erat lucerna ardens, & lucens ;* quid igitur negat ? nunquid Ioannes Ioanni contrarius est, sicut vtriusque Ioannis deuoti sibi inuicem contrarij sæpe sunt ? absit, imò in magnam laudem Baptistæ id protulit Euangelista : tantum enim splendorem in Baptista considerauit Euangelista, vt pernecessarium iudicauerit, Deo sic inspirante, omnibus notificare, non esse lucem ipsam Ioannem, hoc est, non esse Christum ipsum, qui de se dixit : *Ego lux sum mundi.* quo quidem excellentiam Baptistæ maximè manifestauit, & quàm Christo simillimus fuerit, explicauit. Quàm enim regi similem diceres eum, ante quem necessarium esset præconem clamare : non est iste Rex, non illum, sicut regem colatis ? Id igitur ex his verbis Euangelistæ colligimus : in tantum enim Baptista similis fuit Christo, vt

necessarium fuerit præcedere Euangelistam dicentem: Non erat Ioannes Christus, ne tanquam Christum filium Dei eum habeatis, neque colatis. Nónne hoc in magnum Baptistæ honorem cedit? *Mirad lo que descubre de grandeza en San Iuan vna nonada, veamos ottra.*

Vers 41. Ioan. 10. *Multi veniebant ad eum, (*scilicet ad Iesum,*) & dicebant, quia Ioannes signum fecit nullum.* Nullum fecisse signum Ioannem, in diminutionem honoris eius cedere videtur. Quis enim Sanctorum magnorum nullum miraculum patrauit? imò multos reperies Sanctorum non adeo magnos, qui quamplurima miracula fecerunt; cùm igitur Ioanne inter natos mulierum non surrexerit suo tempore maior, hoc illius gloriæ & honori derogare videtur, quòd nullum fecerit signum. Veruntamen & hoc etiam in maximam eius

Ioan. 1. cedit gloriam: Dei enim prouidentiâ id factum est, nam si, cùm nullum fecerit signum, Christum esse plurimi censebant, si multa, & magna miracula patrasset, multò magis eum fuisse censuissent: etenim Concilium Hierosolymitanum ideo misit Pharisæos ad Ioannem, vt interrogarent eum, tu quis es? quia tantam sanctitudinem eius admirabantur, & ne fortè esset Christus, cogitabant: sapientes, inquam, viri & primates regni Israel, qui tantam de celsitudine Ioannis conceperant opinionem, vt vel ab ipsomet voluerint nosse, an esset Christus, cùm in sua causa homines suspecti sint, & se supra se soleant eleuare: hi verò Pharisæi in ore Ioannis constituebant tanti negotij definitionem. Quid igitur, ô Pharisæi, si Ioannes se Messiam esse dicat? dicat, (inquiũt) & credimus ei. Dicetis, fortè, tu testimonium perhibes de te, testimonium tuum non est verum, minimè quidem, sed testimonio, quamuis in re tã graui de se sit, dabimus fidem. O magna Ioannis ex-

C cellentia: quid autem populus ipse communis de Ioan-

Cap. 3 15. ne sentiret, affirmat. S. Lucas: *Existimante, (*inquit*) populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus, non verbis adulabantur, sed in cordibus suis id cogitabant.* Nunc ad rem, si absque miraculis tanta fuit opinio, & existimatio Ioannis, quantò maior extitisset, si miracula magna fuissẽt operatus? si absque miraculorum patratione Ioannem viuentem Christum existimabant esse, post mortem autem Christum esse Ioannem, nihil magis de Christo, quàm de Ioanne, nec minùs de Ioanne, quàm de Christo arbitrantes, quid, quæso, fecissent, si magna miracula ipse fecisset? ideò signum nullum fecit, *y esse nonnada no veis quan honroso es para san Iuan, y si las nonnadas son tanto, los algos que seran? los muchos que seran?*

Vbi nota, quòd S. Thomas 3. part. quæst. 38. art. 2. sic secundum argumẽtũ proponit: *Omnis doctrina de nouo à Deo procedens aliquibus signis confirmatur. Vnde Exod. 4. dedit Dominus Moysi potestatem signa faciendi, & Hebr. 2. dicitur:* Cùm fides nostra principium accepisset enarrari à

Vers 3. Deo per eos qui audierant, in nos confirmata est, contestãte Deo, signis & prodigijs? *sed de Ioanne Baptista dicitur:* Ioannes signum fecit nullum; *videtur ergo quòd bap-*

Ioan. 10. 41. *tismus, quo baptizauit, non esset à Deo. Hoc est argumentum S. Thomæ, ad quod ita respondet: Tota doctrina, & operatio Ioannis ordinabatur ad Christum, qui multitudine signorum, & suam, & Ioannis doctrinam confirmauit: si autem Ioannes signa fecisset, homines ex æquo Ioanni, & Christo attendissent, & ideo vt homines principaliter Christo intenderent, non est datum Ioanni, vt faceret signum, ipsa autem austeritas vitæ officium eius commendabat, quia, vt Chrysostomus dicit super Matthæum hom. 10. erat mirabile in humano corpore tantam patientiam videre.* Ita S. Thomas. Vitæ igitur eius ratio, & mirabilis conuersatio, miraculorum defectum supplebat, vt quod Ioannes docebat, & faciebat, ab omnibus tanquam vera, & sancta censerentur, & reciperentur, imò & vt in dubium homines reuocarent, an ipse esset Christus. Vis aliud nihil Ioannis videre? Rogatus Ioan. 1. à Iudicibus Hierosolymitanis quis esset,

Ioan. 1. 22.

A respondit: *Non sum ego Christus, non sum* [illegible] *non sum propheta,* sic ad nihilum se redigebat qui tantus erat, & dum se non esse ait, quantus ipse sit, manifestat: nam se adeo humilem, & Deo fidelem Præcursorem demonstrat, quantùm se annullat, & ecce plusquam supremus Angelus hic, qui adeo cecidit è cœlo, quia sic se hũiliare nesciuit, *si estas son las nonnadas de S. Iuan, que seran las grandezas?*

Præterea talis, tantaque fuit sanctitas, & ea sanctitate authoritas Ioannis, vt testimonium eius sufficiens videretur ad credibilem reddendam doctrinam, & diuinitatem Christi, vt constat Ioan. 1. Vbi postquam *Ioan. 1.* Apostolus Ioannes de diuinitate Christi mira illa verba protulisset: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & reliqua, subiunxit: *Ioannes testimonium perhibet de ipso,* quasi diceret: si mira de Christo dixi, si diuinitatem eius prædicaui, id facilè confirmari potest testimonio Ioannis Baptistæ, qui de ipso, ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* hoc *Ioan.* est, ecce Saluatorem mundi, ecce verum Christum, ecce *29.* Messiam, ecce Filium Dei, ecce Deum ipsum, de quo scriptum est: *Deus ipse veniet, & saluabit nos.* Vide igitur *Isai. 35.* quanta sit sanctitas, & authoritas Baptistæ, vt tanta res, & tam supra rerum naturam, & mentis naturalis captum sic credibilis reddita sit: Nec mirum, si apud Ioannem Ioannes tantæ fuerit reputationis, & authoritatis, cùm Rex ille impius Herodes, qui Ioannem ipsum decollocauit, miracula Christi audiens, admiratus vehementer dixerit: *Quem ego decollaui Ioannem, à* *Matt. 6.* *mortuis surrexit:* nullum enim existimauit tantorum *16.* miraculorum operatione dignum, præter Ioannem. *Por mas facil tubo creer, que auia vn hombre resuscitado, que poder ser otro que el Baptista, el que tales milagros hazia,* & quidem sic de Ioanne sentiebat, qui Ioannem trucidarat, si coram eo, qui eum morte affecit, tantus erat Ioannes, quantus erit ipse apud eum, qui vitam illi dedit, verè hic magnus est coram Domino.

Præterea, in ipso Ioannis ortu, tot tantaque mira, qui præsentes aderant, conspexerunt, vt cum admiratione dicerent: *Quis putas puer iste erit?* & ad omnipo- *Luc. 1. 66* tentis Dei manum recurrentes dixerunt: *Etenim manus Domini erat cum illo,* hoc est, in puero isto relucet diuinæ manus potentia. Fecit potentiam in brachio suo, cùm filium suum nobis dedit, fecit autem potentiam in manu sua, cùm nobis Baptistam dedit. *Quis* igitur *puer iste* *erit,* aiunt? Cùm Israelitæ cibum illum Angelicum in *Exod. 16.* deserto viderunt, mirantes dixerunt: *Man hu,* quid est *15.* hoc? tantus erat cibus ille, vt admirationis nomen tribuerint ei. Eisdem verbis vtuntur hic isti, dicentes: *Quis puer iste erit?* quasi dicant, quis celsitudinem pueri huius valebit explicare?

Equidem, vt verum fateamur, sanctum hunc non tam nobis Deus dedit, vt eum imitemur, quàm vt eum admiremur: multa enim fecit Deus potiùs miranda, quàm imitanda, inter quæ numerandus venit Ioannes, *hizo Dios a San Iuan para esbanto y pasmo del mundo, y para ostentacion de lo que puede su gratia.* Quis enim, quantumuis sanctus, coram Ioanne non se peccatorem iudicabit? Hinc *baptizabantur* (inquit) *ab eo con-* *Matt. 3.* *fitentes peccata sua;* quod non solùm de quadam confessione generali peccatorum intelligendum est, verùm etiam de cognitione quadam sui, quam quisque coram Ioanne constitutus, habebat: cùm enim prodigium illud sanctitatis intuebantur, omnes se peccatores confitebantur, omnes se imperfectos iudicabant. Vnde Sanct. Chrysostomus in cap. 3. Matth. *Inimitabilis erat conuersatio Baptistæ, omnium vitam faciebat culpabilem apparere.* Ita ille. Sicut enim linteus aliquis seorsim positus albus apparet valde: at iuxta niuem collocatus, non ita; sic vita communis iustorum per se sumpta perfecta fortè tibi apparebit, at coram vita Ioannis iudicabis eam imperfectam. Splendent stellæ in no-

in nocte ig absentia solis: at in die coram sole obscurantur: sic vita multorum iustorum, quæ per se sumptæ lucent coram Ioanne obscurantur: coram humilitate Ioannis humilitas nostra apparet clatio: coram pœnitentia eius nostra pœnitentia videtur deliciosa, &c. *Nuestras penitencias en presencia de las de san Ioan Baptista quedan tan vendadas, que pienden su proprio nombre.* Vnde Emissenus hom. 1. de Baptista: Humanorum, inquit, fugit mensuram meritorum.

Ex officio etiam Præcursoris Christi, dignitas, & excellentia constat Baptistæ. magna dignitas fuit prophetarum, qui aduentum Christi Prædicauerunt: quanto verò ampliùs fuit Christum digito nobis ostendere dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?* imò quod mirabile magis est, ante fuit Præcursor, & ostensor Christi, quàm natus in vtero matris suæ cœpit esse præcursor. *Hic* (inquit Ioannes Euangelista) *venit vt testimonium perhiberet de lumine.* Non videbat lucem in ventre matris inclusus, & iam testimonium perhibebat de lumine: quid aliud enim fuit exultatio eius in vtero matris, nisi eo, quo poterat modo, dicere: *Ecce Agnus Dei?* & verò tunc matri ostendit Christum, & ideo mater Ioannis matri Christi dixit: *Vnde hoc mihi, quòd venerat mater Domini ad me.* matrem Domini esse cognouit, cognouit eum filius in eius ventre latentem Christum, & eum Matri manifestauit, imò verba ipsa, quæ protulit Elisabeth, ait S. Bernardus, non fuerunt tam matris, quàm filij: *Quæcumque* (inquit) *dixit Elisabeth, non fuerunt verba eius sed infantis.* Ita ille. Alij quidem pueri post septimum communiter annum vsum rationis habere incipiunt, Ioannes ante septimum mensem, & vsu illo rationis in executione officij Præcursoris vsus est.

Præterea, S. Augustinus sic excellentiam S. Ioannis exaggerauit: *Quisquis Ioanne maior inter homines est, non homo tantùm, sed Deus est.* Addit S. Gregorius Nyssenus oratione, quâ fratrē suū Basilium concelebrat: *Insania simul, & impietas fuerit, alium ex aduerso comparando ei opponere.* Ita ille. Omnis quidem comparatio est odiosa, sed postquam hanc comparationem expressit Christus, inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, quod per affirmationem explicat S. Augustinus, Ioannem scilicet surrexisse maiorem inter natos mulierum, post hanc, inquam, à Christo prolatam comparationem, sic explicatam, & concessam, non solùm comparare alios sanctos antecedentes ei, est odiosum, sed plusquam temerarium, & hæc est eximia laus S. Ioannis Baptistæ. Item Guerricus Abbas serm. 1. de Ioanne Baptista: *Qui antequam natus, sanctus fuit, quid mirum si in processu conuersationis plusquam sanctus fuit?* Ita ille.

Præterea, sanctitas, & excellentia Baptistæ inde potest deduci, quòd primus fuerit inter eos, quos Christus Dominus per seipsum sanctificauit. Solent pictores, cùm ciuitatem aliquam ingrediūtur, vt in ea exerceant artem suam, in principio imagines aliquas speciali studio depingere, vt inde specimen suæ artis exhibeant: sic Christus Dominus, cùm in mundum hunc aduentasset, peccatores saluos facere, vt specimen misericordiæ suæ erga peccatores daret, hoc primum exemplar Ioannis speciali gratiâ, & sanctitate deprimere voluit, vt inde colligeret mundus, quàm excellens Saluator esset, & reliqui omnes salutis suæ spem conciperent inde. Vnde rectè Euangelista, ait: *Audierunt vicini, & cognati Elisabeth, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa.* Magnificauit quidem misericordiam suam Deus cum illa, quando sanctificauit Ioannem in vtero eius, hoc magnum specimen dedit misericordiæ suæ, nimirum, quia, vt dictum est, primum exemplar hoc fuit misericordiæ suæ in peccatoribus iustificandis.

Præterea, laus S. Ioannis ex nomine ipsius venantur, in quo id primum animaduerte, non ab hominibus, sed à Deo ipso impositum ei fuisse nomen, non (inquam) à casu, vt fieri solet, non à genere suo, sed speciatim à Deo, & sicut Deus per Gabrielem Archangelum ad nos transmisit nomen filij sui, nomen (inquam) augustissimum Iesus: sic etiam per eundem Angelum Gabrielem misit nomen Ioannis, Lucæ 1. Deus autem non à casu, sed à consilio nomina imponit, & id in nomine Deus exponit, quod in re futurum agnoscit. Ioannes Dei gratiam sonat, id igitur in Ioanne reperies, quod ad Dei gratiam spectat, gratiâ autem Dei quid sublimius? Vbi obstetrix, quod Plato asseruit, pueris imponenda esse nomina illustria, vt ipsis nominibus facta respondeant, & ad magna, & excelsa patranda eos excitēt, & vrgeant nomina ipsa. Vnde Alexander Seuerus Imperator asserere solebat, magnum esse obligationis pondus, quod secum generosa nomina ferunt; quare Sanct. Chrysost. hom. 52. super Gen: *Rarò* (inquit) *olim Patriarchæ nomina propriꝰ generis filijs imponebant, sed noua, vt nominum nouitas ad nona eos opera prouocarent. Ideò ergo Ioannem voluit sanctum hunc vocari Deus, vt admagna opera digna gratiâ Dei excitaretur. Vnde S. Bonauentura: Non virtute naturæ conceptus fuit Ioannes, sed virtute gratiæ, & ideo non debebat vocari Zacharias a patre, sed Ioannes a gratia dono.* Ita ille.

Præterea iterum excellentia Ioannis ex officio Precursoris, quo à Deo condecoratus fuit, colligi potest. Astra illustriora sunt primum sol, secundum luna, tertium lucifer: sic in Ecclesia Dei primum, & principale est Christus sol iustitiæ, secundum est B. Virgo, quæ est pulchra, vt luna, tertium est Ioannes lucifer cœlestis oppositus lucifero illi, qui cecidit ob superbiam suam. Ille erat principium viarum Domini, & Ioannes principium fuit viarum Christi; nam primum iter Christi fuit in vtero matris ad domum Zachariæ, in qua cùm primùm ingressus fuit, Ioannem sanctificauit; ideò principium viarum Christi dici potest: viæ enim Christi ad sanctificationem, & saluationem nostram dirigebantur. Non disputamus modò, an post Ioannem surrexerit aliquis eo maior, videlicet, an Iosephi Virginis sponsus post ea fuerit maior; an Petrus, an Paulus, &c. sed de Ioanne loquimur pro eo tempore, & statu, quo Christus Dominus dixit: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*, qualiscumque status ille fuerit. Item Luciferi est, aduentum Solis prænunciare: sic munus Ioannis fuit Christum prænunciare, imò & digito demonstrare: *Ecce*, (inquit) *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* si ergo munus Ioannis attendas tertium inuenies.

Matt 11. 11.

Præterea excellentia S. Ioannis ex baptismo Christi deduci potest, in quo tantùm eleuauit Ioannem, vt seipsum humiliarit adeo, vt ab eo voluerit, sicut ceteri hominum, baptizari: sicut ceteri, inquam, hominum de media plebe imò sicut peccatores; & publicani. Etenim qui machinâ illâ, quæ vulgo *alça prima* nuncupatur, aliquid eleuare contendit, in tantum se ipsum deprimat oportet, in quantum eleuare aliud cupit: eleuare voluit Christus Ioannem baptismo, velut machina illa, vnde quantò Ioannem voluit exaltare, tantò se ipsum depressit, quo quantò in pretio Ioannem æstimauerit Dominus, constat. Nam exaltare alios (honore proprio indemni) Reges, & principes quotidie solent: at cum dispendio propriꝰ honoris, nequaquam, vsque adeo verò hic Christi honor periclitabatur, vt necessaria fuerit vox de cœlo, dicens: *Hic est filius meus dilectus*, hoc est, hic quem sic humiliatum intuemini, Deus est: cauete ne propter humiliationem tantam eum contemnatis, vel ob talem Ioannis exaltationem minorem Ioanne illum existimetis; ita, quia baptismus ad mundandum animam dirigi videbatur, cùm tamen Christus Dominus mundaturus mundum, non mundandus venerat in mundum. Vide igitur quantum

Matth. 3. 17.

fuerit

fuerit Domini desiderium Ioannem exaltandi. In bilance quantò pars vna eleuatur, tantò altera deprimitur, & humiliatur: sic in hoc baptismo Christi quantò Ioannes extollebatur, tantò magis deprimebatur Christus, & quantò Christus amplius deprimebatur, tantò amplius Ioannes extollebatur.

Præterea, ex legatione illa Ioan. 1. quâ iudices, & sapientes viri Hierosolymitani interrogauerunt Ioannem, an ipse Christus esset, sanctitas Ioannis relucet. Fuit enim vehemens, & grauissima illa tentatio, similis (inquam) illi, q̃ Lucifer in cœlo tentatus fuit à cogitatione sua, vt scilicet se similem Deo præstare vellet: *Ero* (inquit) *similis alt.ſsimo.* Ingens quidem tentatio, & denique tanta, vt supremũ illum Seraphinũ vicerit, & deturbarit. Ad hunc modum tentauerunt hi Hierosolymæ Ioannem, Lucifer ille, lucifer hic, initium viarum Domini in cœlo ille, initium viarum Domini in terra iste; omni lapide pretioso virtutum, & donorũ Dei ornatus, ille in cœlo, hic eximia gratia, & sanctitate. & Dei donis etiam ornatus; tentatus de similitudine Dei in cœlo ille, tentatus de similitudine Dei hic in terra: cecidit Lucifer ille cœlestis, stetit in veritate hic lucifer terrestris; victus ille, victor iste: *Ero*, inquit ille, *non ſum*, inquit iste, ecce plusquam Angelus hic, *Ecce ego mitto Angelum meum*, &c ait Dominus. Angelum vocat, non quia Angelus erat, sed quia puritate Angelis æquabatur, sed modò in huius tentationis victoria Angelum antecessit, plusquam Seraphinus fuit. Fuerunt qui Ioannem Angelũ verum, & naturalem dixerunt tanta puritate, & sanctitate Ioannis ducti, & verbis illis Malachiæ, sed errauerunt: fuit enim homo missus à Deo. Sed non ita mirandum de huiusmodi errore, sicut de alijs; nam splendor tantæ sanctitatis excæcauit eos: & quidem amplius est Angelum virtute, quàm Angelum naturâ esse. Sic Sanctus Chrysostomus hom. 27. in Matth. *Glorioſior*, (inquit) *eſt Ioannes, quia Angelus meruit appellari, quàm ſi naturâ Angelus fuiſſet.* Ita ille. *Angelus malus in hoc à bono diſtat*, ait S. Augustinus, *quod ſuperbus Angelus aliorum ſpem in ſe conĳci gaudet: bonus verò homines ad ſe venientes ad Deum ire compellit.* Ita S. Augustinus. Ita se gessit S. Ioannes: nam vti bonus Angelus homines non ad se, sed ad Christum deducebat, agnum tollẽtem eorum peccata, demonstrans: sic munere, & sanctitate sua Angelum referebat.

Præterea, ex admiratione illa, quæ in natiuitate S. Ioannis interfuit, eius excellentia conijci potest: semper enim excelsa, & sublimia sequitur, & comitatur admiratio. Sic Dauid de diuinis, ac miris operibus Dei agens, *Mirabilia* (inquit) *teſtimonia tua, ideo ſcrutata eſt ea anima mea.* Non, inquit, locuta est anima mea, sed scrutata: nam sicut Philosophus quidam: nomine Arsenius dicebat: *Admiratio cùm maxima eſt, non parit verba, ſed ſilentium.* sic Lucæ 2. cùm B. Maria mira de filio suo in templo audiuisset: *Conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo, & erant patet eius, & mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur.* De puero mirantes, inquit, non loquentes: illingues enim reddit homines admiratio. Sic Paulus, cùm in tertium cœlum raptus, magnalia Dei vidisset, *Audiui* (inquit) *arcana verba, quæ non licet homini loqui, ay coſas que de ſolo el coraçon ſe pueden ſiar.* In natiuitate igitur Ioannis huiusmodi admirationem interfuisse videmus; nam præ admiratione præsentes dicebant: *Quis putas puer iſte erit?* Videbant puerum ex sene, & sterili progenitum, videbant mutum parentem subitò in verba illa prorupisse: *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, &c. & alia mirabilia; & ideo ait Euangelista: *Poſuerunt in corde ſuo dicentes, quis putas puer iſte erit?* In corde (inquit) hoc posuerunt, quia in lingua nisi admirationis notam, & interrogationem prædictam ponere nescierunt; quasi dicerent: quis excellentiam, & sublimitatem pueri huius dicere queat? Respondere nititur Guerricus Abbas serm. 1. de Ioanne Baptista. *Ioannes eſt, qui Eccleſiam Chriſti primus catechizat, per pœnitentiam inuitat, per baptiſmum præparat, præparatam Chriſto conſignat, & copulat, & aquam ad viuendum temperanter inſormat, & ad moriendum fortiter propria morte confirmat, atque in his omnibus plebem perfectam Domino parat.* Ita ille. Qui multa, & magna Ioannis munia paucis his verbis comprehendit, non tamen omnia, nec omnem excellentiam Ioannis; nam si de Domino Iesu dictum est, quòd cœpit Iesus dicere de Ioanne, cœpit (ait) sed non perfecit, cùm tamen inter alia dixerit de Ioanne: *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*; meliùs nos de supradicto authore dicemus, quòd, quamuis magna dixerit de Ioanne, cœpit, sed non perfecit; quare non immeritò mira de Ioanne silentio venerantur. Vnde S. Petrus Chrysologus, *Zacharias* (inquit) *quòd taceat, non eſt ſola pœna, ſed cœleſtis ſecretum.* Ita ille. Vt igitur significaret Deus mysteria Ioannis Zachariæ reuelata, esse admiranda potiùs, quàm enuntiãda, cùm primùm Angelus ea Zachariæ nuntiauit, mutum reddidit Zachariam, quòd Antipater ponderauit oratione de Baptista & silentio, dicens: *Abĳt domum in viſceribus habens bonum nuntium, in ore frenum. Volvió Zacharias del templo à ſu caſa con el coraçon lleno de ſecretos myſterios de ſu hĳo el gran Baptiſta, y con vn freno en la boca para no poderlos explicar.* Vnde cum admiratione concludens S. Petrus Chrysologus, *O quanto ſilentio* (inquit) *vox naſcitur, quanta taciturnitate tuba ſæculis inclamatura, generatur, ô quod ſecretum diuini indicis dat præconem!* Ita ille. Taciturnitas igitur hæc à Deo prouisa fuit, vt ineffabilia nobis esse mysteria Ioannis declararet.

Præterea circa pœnitentiam Baptistæ, quâ magna eius excellentia demonstratur, hoc considerandum est, quod ita pœnitentiæ rigores amplexus est, ac si magna peccata patrasset; nam teneris sub annis, quando scilicet delicias postulat ætatis imbecillitas, ac teneritudo, antra deserti penetrauit, &, vt S. Maximus sermone 2. de S. Ioanne Baptista, dixit: *Inimitabili victu vtebatur.* Inimitabilem dixit, quia præterquam, quòd parcus fuit, talis erat, vt victus ferè non esset humanus: vnde neque manducantem, neque bibentem eum veniſſe asserunt Christus. vnde S. Gregorius Nazianzenus: *Nullius cibi hominem eum appellauit*; alios quidem magnos eremitas scimus, qui tamen huiusmodi vitæ institutum amplexi tunc fuere, cùm mundi fallacias, & pericula experimento cognouerunt: at Sanct. Ioannes omnem experientiam, omne præuenit periculum mundi. Vnde S. Bernardus sermone de priuilegijs sancti Ioannis, *Mira* (inquit) *rerum conuerſio, hominem vix mundum ingreſſum mundi fugere gloriam, ſæculi cupiditates non ſolum obtuliſſe, ſed neſcire. Otros ſanctos, ſi dexan el mundo, ſaben lo que dexan, ſaben por experiencia que es bien dexarlo*: Ioannes tamen non expectauit scientiam experimentalem, sed eam præuenit. Ponderauit Hugo in cap. 1. Genes. quòd, cùm pisces, & aues ex aqua simul procrearentur, aues in sublime volarunt: pisces verò intra aquam remanserunt; sic cùm omnes nos in terra procreati simus, Ioannes tanquam aquila generosa in terra noluit remanere, sed ad sublimia euolauit, & ob id ad deserta loca profectus, vitam potiùs Angelicam, quàm humanam instituit. Quàm aliter filij sæculi huius, in profundum vanitatum, & periculorum mundi se demergunt, & non solùm non Angelicam, verùm nec humanam vitam degunt, & cùm in tot tantisque periculis æternæ damnationis versentur, nec pericula, nec damnationem ipsam attendunt. At omnes (inquis) saluari volunt, & sperant. Fateor, ita est, sed eos meritò sic irridet Guerricus Abbas serm. 4. de S Ioanne Baptista, eorum personam assumens, & dicens: *Gratias Deo qui dedit nobis ſine pugna victoriam, ſine pœnitentia veniam, ſine opere iuſtitiam, ſine labore ſanctimoniam, deliciis ſimul carnalibus, & ſpiritualibus affluere.* Ita ille. Si ita esset, feliciores hi essent quàm

Isai 14. 14.

Malach. 3. 1.

Psal 118. 29.

Luc. 2. 19.

2. Cor. 12. 4.

Luc. 1. 66.

Ibid. 68.

Matt. 11. 7.

cunctis hominibus, cum cœlo, terraque simul sine labore potiantur. Volunt hi cum diuite epulone epulari quotidie splendidè, & indui pretiosis vestimentis, & cum paupere famelico, & pannoso Lazaro in sinum Abrahæ deportari seipsos infeliciter decipientes, &c. Etenim nonnulli probabilem sententiam reputant, S. Ioannem in ventre matris sanctificatum ibidem fuisse in gratia confirmatum, vt scilicet mortaliter peccare non posset; ille ergo tam sanctus, & sanctificatus sic timet mundum, sic fugit ad eremum, ne leui saltem maculare vitam famine posset, & tu in peccatis natus, & educatus, non times, non fugis, sed potiùs in periculo ipsa ruis, & irruis.

Præterea, Baptistæ excellentia pendet ex muneribus ipsi à Deo datis. Olim in lege veteri Deus Moysi munia plurima communicauit, vt ex optimo vsu, quo eis fuit Moyses vsus, ceteri discerent sua munere exercere. Fecit enim eum primùm sibi familiarissimum, & priuatum, vt qui postea Dei familiares essent, discerent Dei familiaritate bene vti: similiter fecit eum nuntium ad regem Pharaonem, vt alij nuntij officio suo rectè fungere nossent: fecit etiam eum ducem, ac principem populi sui, & legis latorem vxoratum, & sacerdotem, &c. vt eius exemplo reliqui similibus muneribus præditi, discerent similiter conuersari: sic etiam in lege noua nouum quendam Moysen in Ioanne Deus formauit, vti in eadem legè ab eo discerent Christiani optimè vti muneribus sibi exhibitis à Deo, nam, vti Sanct. Petrus Damianus ait, Ioannes patriarcha, imò patriarcharum finis, & caput fuit, propheta, imò & plusquam propheta, Apostolus missus à Deo, imò Apostolorum primus, Angelus, sed inter Angelos electus, virginitatis insigne, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum & totius iustitiæ principatus. ita ille, & Sanct. Theodoretus vocat eum *eximiam Apostolorum gloriam, magnum decus prophetarum, nouum, & admirandum ornamentum martyrum, non martyrem, sed martyrum lumen.* Ita ille. Lumen quidem non solùm martyrum, sed etiam omnium statuum, & dignitatum: in eo enim, tanquam in pellucido speculo, omnes status discere facilè possunt, quomodo vnusquisque se gerere debeat, vt perfectus euadat. Notanda sunt verba illa Petri Damiani, virginitatis insigne, *el timbre y diuisa de la pureça.* Etenim non solùm puritatis, seu virginitatis, sed omnium virtutum insigne poterit esse noster Ioannes; quare si natiuis coloribus depingere voluerit humilitatem, & patientiam, & fortitudinem, & temperantiam, & prudentiam, & zelum diuini honoris, & salutis animarum, & ceterarum, depinge Ioannem Baptistam, & in eo omnis virtutes depinxisti.

Præterea, excellentia Ioannis in similitudine ad Christum constat similis: enim fuit in munere altissimo mediatoris. Duo quidem munia exercuit Sanct. Ioannes, præcursoris, & mediatoris, quatenus præcursor similis fuit lucifero, planetæ inquam, illi, qui præcedit solem; sic Christum præcedebat Ioannes: cùm enim aduentus Christi in carne tanto mysterio plenus fuerit, aliquem præcursorem præmitti oportebat, qui mysterium prædicaret, & manifestaret, dicens: *Ecce Agnus Dei*, &c. Item, quia magnam lucem præcedat oportet moderata aliqua lux, alioquin lux illa magna non illuminaret, sed potiùs obscuraret, & perstringeret oculorum aciem. Erat quidem Christus splendidissima lux, imò sol ipse iustitiæ; oportebat igitur vt lux illa præcederet, de qua dictum est: *Erat lucerna ardens, & lucens.* Hæc lucerna Ioannes erat: vnde Euangelista Ioannes sic de Baptista: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Si Christus lux erat, cur aliam lucem quæsiuit ad sui manifestationem, cùm lux per seipsam luceat, & sol non egeat alio luminari, quod eum ostendat? Respon-

A sum est iam, quia propter excessum suum, lux illa magna Christi lucem aliam moderatam requirebat, quâ paulatim assuefacti homines ad visionem diuini Solis accederent. Secundum munus Ioanis fuit, parare Domino plebem perfectam, & in hoc munere Christo mediatori assimulatus est: vnde Cassianus libr. de laudibus Præcursoris: *Duo* (inquit) *mediatores aduenturi erant, vnus qui corda filiorum Israel conuerteret ad Christum: alius qui reconciliaret ad Patrem; proinde Ioannes mediator erat,* ita ille. Magna hæc quidem Ioannis laus, vt in eo munere Christo assimilaretur, quod in Christo adeo magum fuit. Cùm igitur Christus Deus absconditus esset, oporteret autem credere omnes in eum, hoc Ioannes præstitit testimonio suo: erat enim testimonium eius tantæ apud homines æstimationis, vt etiamsi de seipso testimonium perhibuisset, dicens, se esse Messiam, tanquam Messiam Hebræi eum recepissent; ideo enim eum interrogauerunt: *Tu quis es?* Præparabat ergo Ioannes corda hominum ad fidem in Christum, primò operibus vitæ suæ mirabilis, quibus testimonia eius credibilia facta sunt nimis: non enim persuadere sibi homines poterant, hominem illum decipere quemquam posse, & ideo plures discipuli viuente Christo, & coram Christo ei adhærebant. Quòd ponderauit Sanct. Augustinus serm. 23. de Sanctis, dicens: *Ioannes Baptista non inuenitur inter discipulos Christi, sed inuenitur potiùs discipulos habuisse cum Christo.* ita Sanct. Augustinus: tantùm enim pondus sanctitas Sancti Ioannis verbis eius tribuit, vt propterea multi ei discipuli adhærerent.

Ioan. 1.

Præterea, sublimitas S. Ioannis colligi potest ex illo nomine, quo diuina dispensatione seipsum condecorauit Ioannes: *Amicus sponsi, qui stat & accedit,* &c. amicus sponsi Christi, scilicet Domini. Cùm Alexander, dictus Nobilis, honorare vellet, & magnificare Ionatham Machabæum, dixit: *Nunquid inuentemus virum talem? & nunc faciemus eum amicum & socium nostrum.* Ecce quomodo extollere voluerit rex iste Ionatham, cum videlicet in amicum admittendo; sic igitur Christus Dominus extollere volens Ioannem, cum in amicum suum ascuit, & amicum sponsi voluit eum nominari, & esse. Hinc ob nimiam seu excelsam cum Christo amicitiam dixit de illo Christus: *Inter natos mulierum non surrexit maior, sed qui minor est in regno cœlorum, maior est illo*: hoc est inter homines huc vsque natos nullus sanctior fuit Ioanne, solus ille maior est, qui humilior illo fuit, ipse videlicet Christus. sic interpretatur Sanctus Ambrosius, libr. 5. in Lucam, Sanctus Hieronymus, & Beda, & Theophylactus super cap. 11. Matth quid rogo sublimius? verè in hoc se Christus verum amicũ Ioannis ostendit, quòd eum ita sublimarit. Ciceroni dixit quidam, vt refert Sanctus Hieronymus ad Nepotian. *Demosthenes tibi præripuit, ne esses primus, tu illi, ne solus*; ad hunc ferè modum dicam ego Ioanni non illum secundum, nam vnicus est in sanctitate sua Christus, & non est inuentus similis illi, dicam tamen, primum tibi, ô Ioannes, præripuit Christus, ne esses primus inter mulierum natos. Quid ampliùs de Ioanne dici valet? vnde Sanctus Ambrosius sermone 65. *Ioannes præcellit cunctis, eminet vniuersis, antecellit prophetas, supergreditur patriarchas, & quisquis ex muliere est, inferior est Ioanne.* Ita ille. Dices, sublimitas ista, & excellentia Ioannis super reliquos sanctos intelligenda videtur de sanctis antecedentibus in veteri testamento, non enim dixit Christus: *Non surrexit maior,* neque surget postea. Scio nonnullos ita interpretari, sed explicationem audi Sanct. Augustini, quem ad hoc citat Sanctus Bernardus sermone de priuil. sancti Ioannis Baptistæ. tom. 2. *Non* (inquit) *oppones mimi Euangelistam ceteris discipulis magũ dilectum, non principem Apostolorum, omnibus Apostolũ antelatum, non vas electionis ad tertij cœli secreta trans-*

Ioan. 3. 29.

1. Mac. 10. 16.

Matt. 11. 11.

latum, nec Apostolicus splēdor audeat occurrere præcursori, quia iam omnes isti adolescentiæ metas excesserant, cùm à Veritate prolatum est: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* ita S. Augustinus. Ecce quos oppositores habere poterat sanctitas Sanct. Ioannis Baptistæ, hic expressit, vt omnes præter Christum pro tunc antecellere Ioannem videas. Vnde concludit Sanct. Chrysostomus in Imperfect. dicens: *Omnibus sanctis est maior, cui solus Christus est prior.* & Sanct. Augustinus *serm. 23. de Sanctis: Quisquis Ioanne plus est non tantùm homo, sed Deus,* ita ille, & super Psal. 29. *Si quaris hominis excellentiam? Ioannes Baptista est.* ita ille.

Accrescit quidem ad laudem istam, à Deo ipso esse prolatam, vnde Guerricus Abbas ser. 3. super illa verba Prouerb. 27. *Laudent te labia proximi tui: Sed quam felicitas, & gloriosius eum laudant quem extollunt labia Dei sui; Deus quippe nec falli potest, nec adulari.* ita ille, & ita est: nō enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. etenim Ioannes non seipsum commendauit, sed deiecit: *Non sum* (inquit Ioannes) *neque Elias, neque Propheta, neque dignus, vt soluta corrigiam calceamenti Christi.* &c. at quantò magis se Ioannes humiliauit, tantò magis Christus eum exaltauit, & inter natos mulierum sublimauit, nónne opus amici hoc?

Ioan. 1. 25.

Et quidem in tantis laudibus Christi de Ioanne hæc duo animaduertere licet. Primum, magnam supra modum fuisse humilitatem Ioannis, siquidem ei confidit Christus laudes tantas: quamuis enim Christus noluerit coram Ioan. has laudes proferre, verosimile quidē erat aliquem ex audientibus laudes illas ad Ioannem delaturum; at tātam in Baptista Christus humilitatem agnouit, vt facilè cōsideret laudes tantæ humilitati. Secundum est, sanctitatem Ioannis firmam, & perseuerantem futuram: non enim Christus laudaret ita, quem non permansurum in veritate, & virtute nosset, ne cras vituperare illum deberet, quem sic hodie commendabat.

Præterea id etiam constat ex iustificatione, & sanctificatione illa celeri Ioannis in vtero matris suæ, ex vtero Matris Dei: neque enim expectauit Christus, vt Ioānes, vel ipsemet Christus nasceretur sed ante vtriusque natiuitatem Christus sanctificauit illum. cur ita? vt cœlestem hunc virum sic Christus demonstraret. Imaginate nunc, veluti contentionem quandam inter cœlum, & terram pro Ioanne. Sicut apud Salomonem duæ illæ mulieres contendebāt, altera quidem inquiēs: *Puer hic meus est,* altera, *nequaquam, sed meus:* sic pro Ioan. cœlum & terra litigabant, quasi cœlum prius Ioannem possidere contendens, quàm terra, terra verò prius, quàm cœlum, cœlum in possessionem suam vindicabat Ioannem, è cœlo tanquam à cœlo *missus fuit*, inquit, *homo à Deo*, terra verò tanquam suum sibi eum asserebat, quia non in cœlo, sed in terra natus fuit; cœlum suum probat, quia Angelus ille est, de quo dicitur: *Ecce ego mitto Angelum meum,* &c. Angelus autem creatura cœlestis est, terra verò suum esse contendit, quia homo verè est, *fuit homo,* &c. Cœlum cælestem esse explicat, quia lux erat Ioann. *Erat* (inquit Dominus) *lucerna ardens & lucens*; lux autem res cœli est: terra verò instat ad terram pertinere Ioannem, quia erat *vox clamantis in deserto*, sed pro cœlo Deus sentētiam proferens, eum in vtero matris sanctificauit, priùs scilicet, quàm in terra pedes collocaret, vt potiùs Sanctum cœlestem, quàm hominem terrestrem comprobaret; denique per hanc sanctificationem Ioannes primus fuit eorum, quos in terra per huiusmodi sanctificationem cœpit Christus possidere. Et hinc colligere licet, quantis muneribus Ioannem cumulauerit Christus, sicut Ester 1. Rex Assuerus cùm dominus esset viginti septem prouinciarum, ciuitatem Susan plùs, quàm reliquas ciuitates in pretio habuit, magnificauit & ditauit, & ob eam scilicet causſam, quòd Susan ciuitas exordium regni sui fuit. Hæc similiter ratio fuit, cur Deus Baptistam magnificauit, & diuinis muneribus exornauit, quia exordium fuit sanctificatorum suorum. sicut etiam Dauid ciuitatem Sion plurimùm dilexit, & honestauit, & Arcam Dei sacram in ea collocauit, quia Sion prima ciuitas fuit, quam possidere cœpit: sic Christus inter natos mulierum animam Ioannis plurimùm dilexit, quia initium spiritualis regni sui fuit: munus enim Saluatoris in eo cœpit exercere.

Malach. 3. 1.

In hac autem Ioannis sanctificatione illud obseruādum est, quòd Dominus ipse personaliter homo factus, præsentialiterque voluit Ioannem sanctificare. Poterat quidem eum sanctificare intra Nazareth seipsum continens; at noluit, quia sicut maior honor est illius, quem Rex visitat per seipsum, quàm illius, qui medià personâ aliâ: sic etiam plùs multò honorificauit Ioannem præsentialiter eum visitans, & sanctificans, quàm si absens hoc præstaret.

Simili ratione voluit Christus Dominus natiuitati Ioannis adesse: mansit enim B. Maria in domo Zachariæ vsque ad natiuitatem Ioannis, vt hoc in gloriam, vt honorem eius resultaret, & signum indiciumque esset sanctitatis, & celsitudinis futuræ Sancti Ioānis. Suetonius Tranquillus magni fecit natiuitatem cuiusdam Imperatoris Romani, cò quòd Imperator ille ortus fuit in ortu solis, quasi sol cursum properasset, vt præsentialiter adesset in natiuitate tāti principis, quò præsagiret excellentiam dominationis eius; sed quàm sublimius præsagium fuit excellentiæ Ioannis, cùm in domum Zachariæ properaret Christus, vt natiuitati eius præsentia corporali esset, & hoc in vtero Matris suæ Mariæ consistens? Nam, vti Astrologi astruunt, duo ad felicem ortum alieuius concurrunt; primum est, dominantem planetam hunc, vel illum esse: secundum, in hac vel illa domo, seu signo cœlesti tunc regnare, nam licèt planeta fauorabilis secundùm se sit, verumtamen vitiari solet ex vitio domus, seu signi, in quo versatur. Sicut quando sol in signo leonis consistit; nam licèt sol astrum fauorabile sit ex rigore signi redditur infausta natiuitas eius, qui nascitur eo tempore. Hinc felicitas Ioannis patet: ortus enim fuit, quādo sol in signo Virginis erat, intra viscera, inquam, Virginis matris, in signo, inquam, illo de quo Ioannes Euangelista dixit: *Signum magnum apparuit in cœlo*, &c. Cùm igitur in ortu Baptistæ sol regnaret in Virgine, in signo, (inquam) magno, & fausti ſſimo, fausti ſſimum ortum meritò fuisse dicemus.

Apoc. 12. 1.

Præterea, expendamus rursus illa Gabrielis verba, *Erit magnus coram Domino.* In regno sunt nonnulli magnates, qui magni nuncupantur, *los grandes de España, que se cubren y assientan delante del Rey*: at hi sunt magni coram hominibus coram ipso Rege. Sunt quidem in cœlesti regno multi & magni Sancti, attamen hi magni sunt, non tamen coram Deo magni dicuntur, sicut Ioannes. De Moyse ait Scriptura sacra: *Fuit Moyses vir magnus valde in terra Ægypti coram seruis Pharaonis, & omni populo*: at non ait: fuit magnus coram Domino. De S. Iob habemus Iob 1. *Erat vir magnus inter omnes Orientales*; at non leges, erat magnus coram Domino. De Naaman Syro 4. Reg. 5. 1. *Erat vir magnus apud dominum suum.* Dominus suus rex erat Syriæ, coram Rege igitur magnus Naaman, sed nō coram Domino, sicut Ioannes. De solo denique Baptista legimus, *Erit magnus coram Domino.* quis pro dignitate dignitatem hanc exprimere valēt? quid enim magnum coram magno Deo nostro esse potest? *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo.* Isa. 40. Multos quidem reperies in terra principes, & monarchas, qui apud homines magni sunt, & tanquam maximi venerantur, coluntur, adorantur, qui apud Deum, pro nihilo habentur. Vidit Ezechiel quatuor ila animalia alas multas habentia, & in capitibus suis facies multas, vidit etiam Dei maiestatem

Luc. 1. 15.

Exod. 11. 3.

Ioan. 1. 6.

Vers. 7.

Vers. 17.

statem supra sedem maiestatis sæcula sedentem; facta autem à Deo voce, *Animalia* (inquit) *stabant, & submittebant alas suas.* Hæc quatuor animalia, quatuor terræ magni principes, & reges significabant; ad vocem autem Dei stabant, & alas submittebant, seipsa profundè humiliantia, quia coram Deo Reges terræ neque caput, neque alas erigere audent; humiliari eos oportet coram Deo, qui, tanquam non sint, sic sunt coram eo. Alæ principum sunt authoritas, potestas, dignitas, diuitiæ, maiestas, & imperium: sicut enim aues alis suis ad suprema volant, sic his rebus principes terræ. Submittunt ergo principes terræ alas suas diuinæ voci, quia ad imperium Dei nullum est regnum aut imperium.

Ezech. 1.

Hinc est, quod Apoc. 4. viginti illi quatuor Reges in cœlesti curia coram Rege coronas suas submittebant, & ante eius pedes collocabant, quasi dicentes: Coram Deo nullum caput meretur coronam habere, nemo coronari, nemo Rex, non solùm haberi, sed neque coronari; sic in terra, & in cœlo omnes gentes, omnesque Reges, tanquam non sint, sic sunt coram eo.

Lucent quidem in cœlis stellæ, non tamen in præsentia solis, lucet in nocte luna, lucent planetæ, sed tamen adueniente sole nequaquam, omnia illa luminaria velut extinguuntur, & obscurantur propter excellentiam solis: sic principes terræ in terra coram aliis hominibus lucent, sicut stellæ in nocte, sed tamen coram Deo, tâquam stellæ corâ sole, obscurantur, & ita obnubilantur, vt tanquam momentû stateræ sic sint coram eo. Quid igitur diceres, si in cœlo stella quædam apparet, quæ lucida, & magna coram sole ipso videretur? talis ergo dicitur Ioannes, *Erit* (inquit Angelus Gabriel) *magnus coram Domino.*

P. 6.

Hinc est, quod Ioannes Euangelista, postquam in rotam solis aciem oculorum suorum fixerat, statim obuium Ioannem Baptistam videns, dixit: *Fuit homo missus à Deo*, &c. Qui solem directè conspicit, obtundi, & obscurari solet inde, ita, vt etiamsi magnum quid illi obijciatur, nequaquam illud prospiciat Diuinæ generationis seriem, & Verbi diuini maiestatem considerabat Euangelista cum subitò ad Ioannem Baptistam conuersus, & vidit, & vehementer laudauit, dicens: *Fuit homo missus à Deo*, &c. quod non exiguum argumentum esse celsitudinis Ioannis; nam magnum, & ingens esse debet id, quod post clarum solis intuitum videtur.

Perpendamus amplius hoc. Si iuxta solem ipsum sidus aliquod videres tantæ magnitudinis, & splendoris, vt videntes illud, solem ipsum esse cogitarent, quid de magnitudine, & claritate eius sentires? Hoc sidus est Baptista; nam cùm in orbe ortus esset sol iustitiæ, & splēdere inciperet, etsi nubibus suæ humanitatis, & humilitatis obumbratus, apparuit stella ista lucifera, & cùm eam homines viderent, existimabant ipsum fortè Christum esse, audi verba Lucæ, *Existimante populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus*; qualem igitur existimas fuisse, quem Messiam omnes sic cogitabant esse? *Omnes*, inquit, & ne excipiamus viros sapiētes, & eos, qui de qualitate Messiæ maiorem notitiam habebant, notû est Scribas, & Pharisæos in lege sapiētes, ac versatos misisse ad Ioannem, vt interrogarent eum: *Tu quis es?* hoc est, esne tu Messias? Quid agitis, ô viri docti, & sapientes? an ignoratis ex litteris sacris Messiam ex tribu Iuda futurum esse, & in Bethleem nasciturum? hoc Baptistæ non congruit, quomodo ergo de illo, an sit Messias, dubitatis? Hinc excellentiam Baptistæ colliges: si enim non ita Scripturæ signa ei conueniebāt, & tamen propter excellētiam sanctitatis eius nihilominus Messiam illum esse sic cogitabant, vel dubitabant, excellentiam huiusmodi eximiam fuisse oportet. Vbi etiam humilitatem Baptistæ animaduerte, qui non semel cōfessus est, dicens: *Non sum ego Christus.* In cœlo Lucifer ille primus: *Ero* (inquit) *similis Altissimo*: in terris Lucifer secundus: *Non sum* (inquit) *ego Altissimus*: ecce plùs quàm Angelus hic.

Ioan. 1. 15

Hinc etiam operæ pretium duxit Euangelista Ioannes verba illa de Baptista proferre: *Non erat ille lux.* Quid necesse fuit id præcauere? fuit, quia nouerat splendore tanti sideris multos excæcandos esse, & ideo præcauens in futurum, ne alij, sicut priores, decipērentur, monet, & ait: *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* hoc est, Lucifer Solis est, non Sol ipse. quantum igitur, & quale est sidus illud, de quo Astrologus aliquis dicit: non est sol sed Lucifer eius. Talis fuit Baptista, vt Astrologo seu Theologo Ioannē egeremus, qui prædicaret, & diceret. *Non erat ille lux*, &c.

Ibid.

Hinc etiam est, quòd cùm iuxta fluenta Iordanis Christus, & Baptista verfarentur, vox Patris super Christum intonuit, dicens: *Hic est filius meus dilectus*, & insuper apparuit super caput eius Spiritus sanctus in figura columbæ, cur ita? vt populus, non Ioannem Baptistam Messiam, & Filium Dei esse censeret, sed Iesum Christum; qualis ergo quantusque est Ioannes, iste, vt opus fuerit miraculis his eum à Christo discernere: nam, vti obseruarunt S. Augustinus, & S. Ioannes Damasc. serm. de Transfiguratione Christi: *Tantæ apud communitatem populi æstimationis Ioannes erat, vt nisi columba super caput Christi sedisset, vocem illam Patris: Hic est filius meus, de Ioanne dictam existimarent.*

Matth 3. 17.

Refert frater Ioannes Gritsch. Basiliensis serm. 47. in Quadragesima, quòd cùm regina Saba ad Salomonem veniret, duos florum ramusculos seu man pulos detulit, quorum alter verorum florum erat, alter verò fictorum, sic verò veros flores referentium, vt nemo esset, qui fictos flores à veris discernere nosset. Interrogauit igitur regina Salomonem, quosnam illorum florum veros iudicaret; at ille, cùm sensu id discernere nesciret, sapientiâ tantâ pollens nonnullas apes deferri, & intra cubiculū apes manipulosque constitui iussit. Apes igitur naturâ magistrâ ad veros flores relictis fictis accesserunt, & hoc modo, quinam essent veri flores, iudicauit. Tanta quidem erat similitudo virtutis, & sanctitatis in exteriore conuersatione, inter Ioannem, & Christum, vt quisnam eorum verus esset Messias, videntes dubitarent, ita scilicet, vt necesse fuerit diuinitus prouideri, & Patris vocem, & Spiritus sancti in specie columbæ aduentum, vt ita homines diiudicarent, quisnam verus Messias eorum esset: tanta enim erat similitudo inter eos, vt Pharisæi Ioannem censerent esse Christum, & Herodes iudicaret Iesum Christum esse Ioannem, & alij etiam, vt patet ex relatione illa Apostolorum dicentium: *alij Ioannem Baptistam.*

Valerius Maximus lib. 4. refert, quòd cùm Alexander Magnus ad videndum matrem regis Darij pergeret, secum ducens Ephestionem amicum, & familiarem suum maximum; regina Ephestionem credidit esse Alexandrum Magnum, & ob id imperatoriam ei contulit reuerentiam, & primum honorem: quæ tamen cùm postea cognosceret errorem suum, erubuit. Cui tunc Alexander: *Non te pœniteat sic Ephestionem honorasse: nam & hic Alexander est.* Apparatus ille magnificus Ephestionis decepit reginam. Tanta quidem fuit excellentia vitæ Ioannis Baptistæ, vt populus Hierosolymitanus honores Messiæ debitos, illi iam iam exhibere vellet, nisi ipsemet (cui tantam fidem adhibebant, vt si testimonium de se ipso præberet Ioannes, credidissent ei,) diceret: *Non sum ego Christus*: nónne igitur meritò dixit Angelus: *Hic erit magnus coram Domino?*

Ioan. 1. 7.

Præterea, ex officio præcursoris Baptistæ excellentia demonstratur. Fuit Ioannes in hoc munere diuinitatis Christi prædicator: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine*, ait Euangelista. Sic

erat Christus sol, imò & sole ipso illustrior, quo pacto eguit alia luce, quæ illum manifestaret? Sol ad sui manifestationem non eget alia luce: Christus erat Sol iustitiæ, *erat lux vera*, ait Euangelista, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioannes Baptista erat lucerna lucens, & ardens, nunquid sol egebit lucernâ ad sui manifestationem? ergo nec Christus Ioanne. Negare ad hoc non possumus, Christum fuisse lucem ipsam supernam, sed tamen venit in mundum ita coopertus & tectus, vt de ipso asseruerit Isaias: *Verè tu es Deus absconditus*. Erat Sol, sed nube humanitatis suæ ita coopertus, vt post triginta vel ferè annos ab ortu suo mundus eum non cognouerit. Opportebat quidem secundùm diuinum consilium, vt ita absconditus in mundo versaretur; verumramen non ita semper, sed vsque ad præfinitum tempus à Patre: nec conueniens erat, vt omnino omnem splendorem suæ diuinitatis ostentans, se mundo manifestaret: si enim eum Deum esse cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent; oportebat autem crucem pati, & sic intrare in gloriam suam. Oportebat quoque eum agnosci, nihil enim venisse profuisset, nisi cognitus fuisset: *quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*: non poterat autem recipi, nisi cognosceretur. Ad hoc igitur missus est Baptista, vt testimonium perhiberet de lumine, non solùm verbo, sed etiam vitâ; qualem igitur oportuit vitam illam esse, propter quam homines crederent, hominem passibilem, mortalem, & in crucem actum à principibus populi, verum Deum esse? Hinc sanctitas Ioannis colligi debet, & quantum nos Ioanni debeamus. Si thesaurum magnum haberes in agro tuo, à te prorsus absconditum, & ignotum, & aliquis tibi illum manifestaret, quo ex paupere dives valde euaderes; nónne ingentes, ac perpetuas illi gratias referres supra modum? thesaurus magnus erat Christus Dominus nobis, & sapientia summa, sed tunc absconditus erat: *thesaurus autem absconditus, & sapientia inusa, quæ utilitas in visu?* Ioannes ergo hunc thesaurum, & sapientiam hanc nobis patefecit, & digito ostendit, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, &c. quantum igitur Ioanni debemus! Item hoc alio exemplo exponamus: Si ciuitas aliqua, seu potiùs mundus vniuersus grauissimo quodam morbo epidemiæ seu pestis laboraret, & omnes ex eo perirent; si aliquis peritus herbam aliquam manifestaret, quâ omnes à morte liberarentur, nónne omnes vitam illi se debere profiterentur? Pestis erat peccatum, quo vniuersus orbis deperibat; antidotum, & remedium Christus erat: ignorabat mundus Christum, quem Ioannes mundo patefecit; nónne Ioanni salutem attribuere sic meritò debemus? non à Ioanne fuit salus, fed à Christo; sed tamen salutem Ioanni tribuimus, tanquam antidotum salutis manifestanti.

Ibid. 9.

Isa.45.15

Ioan. 1. 29.

Obserua denique in hoc testimonio Ioannis, quòd in cœlo quidem tres sunt, qui testimonium dant, Pater verbum, & Spiritus sanctus; in terra quoque tres sunt, qui testimonium de Christo Domino dederunt, Pater, qui in Iordane vocem illam è cœlis misit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: similiter Spiritus sanctus testimonium perhibuit de Christo, dum supra caput eius in eodem loco resedit: deesse videbatur tertium testimonium. & quamuis Christus ipse operibus suis sufficiens de se testimonium præstabat, & verbis, ne tamen diceret, vti nonnulli dixerunt: *Tu testimonium perhibes de te*, voluit Deus Ioannem simul cum Patre, & Spiritu sancto de Christo testimonium dare, dicendo: *Ecce agnus Dei*, &c. Fuit autem testimonium hoc adeo efficax, vt plures ob ipsum Christum sequerentur. quod discipuli Ioannis indignè ferentes, dixerunt: *Magister, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* quasi dicerent: quia tu testimonium adeo præclarum de ipso præbuisti, omnes post eum vadunt, & sequuntur eum plùs, quàm te. Ecce quantum contulerit nobis testimonium Ioannis; hoc autem testimonium vim habuit, vti diximus, ex sanctitate vitæ sancti Ioannis: tanta enim erat sanctitas Ioannis, vt certissimum, & verissimum omnes iudicarent, quod Ioannes affirmaret, *no les parecia possible engannarse, ni engannar en cosa tan graue, hombre tan santo.* quantam ergo dices fuisse sanctitatem Baptistæ, ob cuius dictum, & affirmationem, nullo miraculo cõfirmatam, (nam Ioannes signum nullum fecit) rem tam arduam, & tanti ponderis, & momenti sic crediderunt?

Matt 3. 17.

Ioan. 8. 13

Præterea, quòd in tam tenera ætate elegerit eremiticam, & austeram vitam, id etiam probat, & commendat nimis; nam licèt nonnulli affirment, à parentibus suis ductum fuisse in deserta, cùm omnes infantes à bimatu, & infra occidere vellet Herodes propter Christum, licèt ita, inquam, sit, verumtamen ipse absque dubio elegit huiusmodi genus vitæ, siue ex vsu liberi arbitrij, quem in vtero matris Deus illi communicauit, siue ex vsu eiusdem liberi arbitrij, cùm ad eum postea peruenit, & ita vsque ad trigesimum annum in eremo perseuerauit, non quidem alicuius Herodis, seu tyranni metu, sed ne leui saltem maculare vitam famine posset. Tobiæ 1. legimus, quòd, cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos fecerat Ieroboam Rex Israel, Tobias solus fugiebat consortia omnium, & ascendebat in templum in Hierusalem, & ibi adorabat Dominum Deum Israel: in magnam Tobiæ laudem hoc narrat Scriptura sacra. Quid de Ioanne Baptista dicemus, qui eo tempore, quo mundus supra modum delicijs, & vanitatibus vacabat, ad antra deserti se contulit, vi eam vitæ pœnitentiam profequeretur, quam nunquam promeruerant peccata eius? *Quis dubitat* (ait Theodoretus in sermone huius Sancti) *angelicos spiritus sæpe ad hoc spectaculum descendisse, vt viderent hoc sanctitatis prodigium, & perfectionis monstrum?* Ita ille. Celebre fuit factum illud Iosephi, cùm ad euitandum peccatum pallium dimisit in manu fœminæ iniquæ, sed celebrius multò quod fecit Ioannes, qui, ne leuia peccata committeret, in manu mundi reliquit, non solùm pallium, sed etiam plures diuitias, & honores, & delicias, & ad vitam austeram deserti se recepit. O quàm seuerè condemnat delicias nostras pœnitentia Ioannis? ille absque peccato in gratia natus, talem, tantamque pœnitentiam prosecutus est: nos in peccatis nati, & enutriti, nullam agimus pœnitentiam, sed delicijs, & voluptatibus vacamus.

Ferunt qui de rebus Alexandri Magni scribunt, quòd cùm Alexander propè statuam quamdam Homeri pertransiret, statua ipsa fudore fuerit perfusa. fuit rei huius author; Homerus inter Græcos Poëta & Historiographus perillustris; vnde siue ita se res habuerit, siue fabulosè confinxerint Poëtæ statuam Homeri ad præsentiam Alexandri desudasse, voluerunt significare, qui hoc conscripserc, tot tantaque fuisse excellentissima gesta Alexandri, vt ad ea conscribenda, & pro dignitate laudanda non foret nec Homerus alter aptus, & sufficiens, *que hauian de sudar los Homeros en recontar las hazañas y proeças de Alexandro magno, si queria llegar con la pluma donde Alexandro auia llegado con su valor.* Fuit in Ecclesia Dei Ioannes Alexander Magnus in diuinis, cui meliùs, quàm illi cognomen hoc Magni debitum est: nam si Alexander ob res in bello gestas & animi magnitudinem magnus cognominatus est

tus est ab hominibus, Ioannes ob excellentiam sanctitatis & sublimitatem operũ & meritorum suorum, magnus, non ab hominibus, sed à Deo primùm cognomen accepit: sic enim ab Angelo à Deo missо dictum est, *Hic* (inquit) *erit magnus coram Domino*, imò Deus ipse dixit: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* hoc est, vt interpretatur sanctus Augustinus, ipse Ioannes est maior omnibus, qui ex mulieribus surrexerunt. Si ergo Homerum oporteret exsudare in laudibus Alexandri, quia in conspectu hominum magnus fuit, quid nos in laudibus magni Ioannis facere oportebit, cùm ipse magnus coram Domino sit, & omnium, vti diximus, maior? *Trasfuden los oradores mas primos, desfuelense los Homeros y Tullios, asfilon sus lenguas los Apollos de la sabiduria, que por mas que hagan no llegarán alas alabanças de todos ellos, donde llegaron los echos y meritos de San Ioan.*

Matt. 11. 5. Matt. 11. 8.

Libet in laudem & honorem sancti Præcursoris sermonem beati Petri Damiani in medium afferre, in quo maximè huius sancti celsitudo relucet: ait ergo: *Hodie dilectissimi, dies illuxit insignis, tantò ceteris diebus sanctior, quantò sanctorum hominem terris effudit. In hac siquidem die natus est ille Sanctorum splendor, iustorum gloria, lætitia Angelorum, excellentissimus homo, consanguineus Christi, amicus sponsi, sponsæ præparator: vnus est, & secundum non habet, qui chorũ intertextus Angelicis sublimioris coronæ titulis vniuersitatu humanæ transcendit ascensum. Denique inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Felix homo, qui feliciter cœlorum perambulans officinas, cursu velocissimo sequitur redemptorem, nec alicuius interclusdutur fastigio dignitatis, quem summæ felicitatis immensitas largiùs irrorauit. Lætantur Angeli, & vtriusque naturæ numerositas admiratur hominem sic ingressum abyssum luminis, & in eternã diuinitatis pelagus absorptum, vt ipsam reuerberet Angelicæ puritatis originem. Eleuentur omnes viri meritorum, & prærogatiuis ante confessorum maiestatis exultent, non erit tamen, qui ad Baptistæ Ioannis priuilegium audeat aspirare. Age iam aggrediamur virtutum insignia, quæ Deus maiestatis in antico suo glorioso cumulatione signauit: sic enim ab ortu vitæ vsque ad occasum cum hominibus conuersatus est, vt forma vitæ morum informatio habeatur, & licèt hic sermonis aurei nos rutilet pulchritudo, tentabimus tamen rerum veritatem, qualicumque stylo perstringere, illud sapientis attendentes, prudentibus viris non placere phalerata, sed fortia.*

B

C

1. Honor. S. Ioannis Euc. 1.

Primus eius honor est, & gloria in annuntiatione. Non est dissimulanti silentio transeundum, quàm solemni glorificatione pueri huius in hunc mundum nuntiatur ingressus. Adest Angelus Gabriel, & à superiori cœlorum cardine Domini fortitudo descendens, stat à dextris altaris incensi, non quilibet Angelus, sed ille sublimior, qui beatæ Virgini nuntium attulit singulare, & electus est, vt nuntiaret militem, qui legem nuntiare debebat. Adstat sacerdos sacerdotalibus indutus, & multiplici vestimentorum varietate cœlestium sacramentorum præfigurans imaginem, purgationem peccatorum mystici sanguinis adspersione præsignat, consistit coram arca fœderis, & ante testamenti tabulas, vrnam auream habentem manna, virgam Aaron, Cherubim, & propitiatorium: solemniter infulatus vultui Dei, gloriæ maiestatis rerum omnium Domino vota percelebrat, dies instat solemnis, ex ceteris diebus multitudini Iudæorum celebrior, Domini præcipuitu attestatione sublimis, planè spectabilis & festiua, in qua sola soli Pontifici licebat introire in Sancta Sanctorum, & aspergine multiformi summæ diuinitatu iram refrigerare. Conuenitur vndique in sanctam ciuitatem, & populorum turba frequentior cumulat materiam gaudiorum. Inter hæc sacra consi-

D

Luc. 1. 13.

stens Archangelus, Ne timeas, *inquit*, Zacharia, quia nascetur tibi filius, parentum gaudium, nobilitas generis, orbis exemplum, finis legis, Euangelij principium, mortis expulsio, ianua vitæ, decus hominum, conuersationis splendor, omnis iustitiæ principatus,

A *& ne dissuasiori tractatu rerum excellentiã confundamus, nascentis & conuersantis integritas in libris Euangelicis plenè assignatur.*

Considera nunciantis sublimitatem, dignitatem loci, diei reuerentiam, & tunc intelligere poteris, quàm superexcellenti gloriã Ioannis Baptistæ genitura prædicitur. Saluã igitur reuerentiã Redemptoris, quia non derogamus Regi, si Regis militem honoramus, cùm ille Dominus, hic seruus, ille creator, creatura iste; digniori præmonstratione Ioannes nuntiatur, quàm Christus, Christus fortasse in thalamo, Ioannes in templo, & non solùm in templo, sed etiam ante Sancta Sanctorum insigni die solemnitatis eorum Ioannes ab eodem Archangelo in loco digniori, tempore sacratiori, apertiori miraculo, prædicatur. Recole Isaac ab Angelis nuntiatum, Sampsonem per Angelum prædicatum, & vnuersam Nazaræorum sectam circumspice, solumq; Baptistam tam in hoc quàm in alijs innenies digniorem. Gen 17. Iudic. 13.

Secundus honor est, sanctificatio in ventre matris. Quicumque de massa prauaricatrice mundum ingredimur; longam vestem originalis peccati trahimus nobiscum: solus ille, qui peccatum non fecit, excipitur, quem virginalis thalamus, ignorante viro, terris effudit. Iorgè quippe aliter & dissimilis modo conceptus, Spiritu sancto tota maiestate Virginem inundante, atque mundante, superans vsum carnis, naturæ ordinem, viri commixtionem. Sic quippe decebat, vt peccatum nesciret qui peccata tolleret, vt similitudinem carnis peccati susciperet, non autem carnem peccati. Cùm igitur omnes in iniquitatibus concepti sint, neminem vnquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus, præter Ieremiam & Ioannem Baptistam: quamquam & de singulari Virgine nulla sit ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus sublimiori sanctificationis genere mundata sit, vtpote sacrarium illud; in quo Deus Dei filius carnem fuerat susceptarus. Sed longè minor Ieremiæ sanctificatio, quàm Ioannis, ille quidem in matris vtero sanctificatus, hic Spiritu sancto repletus fuisse cognoscitur; multò quippe excellentius est, Spiritu sancto repleri, quàm sanctificari: ibi enim sanctificatio emundationem, hic repletio mundationem significat. Denique & Apostoli, qui manibus suis tractauerunt de verbo vitæ, cùm Spiritum sanctum de Saluatoris accepissent afflatu, vix quinquagesimo à resurrectionis die ad illum gradum peruenire potuerunt, vt diceretur de eis: Repleti sunt omnes Spiritu sancto: & licèt Spiritus sanctus largiori tunc munere credentium corda repleuerit, hoc tamen Ioannes in vtero legitur assecutus, quod Apostolica celsitudo tandem largiori promissione meruit obtinere. Attende, obsecro, diligenter, quàm ordinaria dispositione Spiritus ille multiplex Ieremiam sanctificat, implet Ioannem, superuenit in Mariam, & Ieremiam quidem admiranda sanctificatio, quia est in peccato conceptus est, nascitur tamen sine peccato; antequam enim exiret de ventre, sanctificatus est: nec poterat nasci non sanctus, qui in matris vtero erat sanctificatus. Mira res, & à retrò transactis seculis inaudita, hominem conceptum in peccatis, nasci sine peccato. Ioannem verò longè gloriosior virtus impleuit, qui & sanctificatus est à peccato: & ita dominante Spiritu superfusus, vt & purgatus exeat, & repletus. Verè magnus coram Domino, quem Angelus nuntiat, sanctificat Deus, sanctus replet Spiritus, vita commendat. Ineffabiliori autem modo superuenit in Virginem, quam tota diuinitatis plenitudo sine mensura discretione perfundit, vt totam caperet, qui fecit totum: vt non solùm à peccatis ablata, repleta Spiritu, sed & de Spiritu sancto conceptus credatur, quia quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Inde est, quòd singulari prærogatiua fides catholica Filium Dei natum de Virgine, conceptum de Spiritu sancto confitetur, vt Deitatis & humanitatis indiuisibilis adunata connexio, vocabulorum indifferentia designetur. Vides ergo, quàm remotiori priuilegio speciosa formã præ filijs hominum, à filijs hominum in concipiendo discretus sit: illis etenim de peccatis & in peccatis concepti sunt: hic in Spiritu & de Spiritu sancto concipitur. Hæc sanè dicta sint de conceptione Ioannis; nihil*

Luc. 1. 20. Act. 2. 4.

Matth 1.

Psal 44.

nihil præiudicantia sanius sapienti, sed etsi in aliquo sanctorum authoritatibus videntur obuiare, volumus vt sine omni excusationum vel defensionum patrocinio subruantur. A

3. Honor. Tertius honor est, excellentia in exultatione. A seculo non est auditum, quòd exultauerit quis in vtero matris, cùm hic in gaudio exultasse legatur. Prorsus obstupenda dignatio; puerum vix conceptum, in motum exultationis erumpere; eique gratanter occurrere seruitio dulciori, quem virginali substantiæ præsentit infusum. Beata anima, quæ in via peccatorum non stetit, sed secretiori semita de cœlestibus effectibus egrediens, inauditæ gratulationis est sortita dulcedinem. Felix Elisabeth, ad quam mater properat Redemptoris, quam saluatoris obsequijs cœlorum imperatrix alloquitur: sed puer multo felicior, qui salutantis maiestatem agnoscens, intra viscerum tenebrosa volumina, gaudio gaudet, quæ vim tam beatæ salutationi attendit. Et factum est, inquit, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit in gaudio infans in vtero eius. Ascendit Virgo cum festinatione in domum Zachariæ ad salutandum Elisabeth, portans in vtero filium Dei, Regem gloria, Dominum maiestatis. Occurrit Elisabeth, & antiquæ sterilitatis carens opprobrijs, amicum sponsi, præconem Verbi felicissimo ventre deportat, iunguntur amplexus, venitur ad oscula, copulantur felices vteri, regemque & militem non nisi duo tenerrimi parietes abiungunt. Quid mirum si miratur & exultat puer ad tactum tam proximæ diuinitatis afflatus? potueratque vacare à quocumque miraculo, cui præsens aderat Regis præsentia, regnantis mater, mundi redemptor? Quid quòd non semel tam sanctorum amplexuum fuit celebrata coniunctio? Mansit autem Mariâ cum illa, quasi mensibus tribus, ait Euangelista. Tanto tempore manet cum Elisabeth virginalis integritas, & nunc dulciori colloquio, nunc amplexu feliciori Ioannem puerum confecrat, & insignit, & fortassis vsque in diem natiuitatis eius gloriosa Virgo cum cognata sua moratæ est, donec puerum natum sinu beatissimo confoueret, & vno pariete remoto propinquiorē redderet præsentiæ Creatoris. Facilè autem hoc ex Euangelij coniecturare liquet, quia iam sex menses à conceptione Ioannis defluxerant, cùm ad Virginem Archangelus missus est, qui renouationem mundi pudori virgineo noua salutatione portauit. Et hinc Virgo festinæ ad Elisabeth, & tribus mensibus præsentia suâ cognatæ dignatur hospitium, donec noni mensis fine concluso natiuitas immineret Patriarchæ. Alij, qui librum iustorum diligentioribus oculis inspexerunt, ibi se vidisse testantur, quòd ipsa Dei genitrix feluem puerum primùm de terra leuarit, & cognatæ partum omni profecta sit seruitute. Quocumque autem modo rei huius veritas decernatur, illud pro certo certum est, quia non parum contulit puero nascituro tam felix & morosum intemeratæ genitricis hospitium. B C

4. Honor. Quartus honor, gaudium in natiuitate. Erubescæ Lucifer, qui manè oriebaris, & conatuum tuorum frustratus impulsibus, tandem intellige, quia in nouissimo dierum, tanquam perdix, stultissimus remanebis. machinationibus tuis factum est, vt humani generis vniuersitas in peccatis conciperetur, nasceretur in tristitia: sed ecce iste in vtero sanctificatur, oritur in gaudio, lætitiamque mundo sua natiuitate refundit. Ecce genus armatura, quod tibi constituetas ad victoriam, Ioanni nascitur ad coronam, apprehende arma & scutum, & toto malignitatis tuæ spiritu debacchare: non tamen poteris irrumpere Ioannis priuilegium, quod benigna scribentis manus proprio charactere consignauit, multùm deceptus, multùm delusus es. An ignoras quia tibi vir bellator ab adolescentia, & etiam à matris vtero consurgit? Nescis quia à diebus istius regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud? An oblitus es, quia iste mittitur parare Domino plebem perfectam? intuere ordinem rerum, & ab ipsis suæ conceptionis initijs inuenies hunc validiori conamine tuam fortitudinem eripuisse. Tu fecisti, vt fratricida Cain, qui prius natus est, pollutus & obnoxius exiret, & originalis peccati respergeretur infamiâ. Hunc exsepit orbis exterritus, & humani generis subsecuta natiuitas ad infinitæ tristitiæ cumulum transmigrauit: natiuitas autem hominis istius in gaudio est, & in solemnitatem prælara. Lætatur orbis, & quatuor mundi climata circumsonant gloriosæ festiuitatis instantiâ, ipsis etiam cœlis celebris & famosa. Quis putas, puer iste erit? Amicus sponsi, inimicus tibi, tua potestate potentior. Considerandum est, quanta dignitate præpolleat natiuitatis huius celebranda deuotio, quantamque gratiam in oculis Ecclesiæ potuerit inuenire. Nullius hominis natiuitatem, præter solius Dei, cuius matris, in authoritatis arcem recepit Ecclesia, huius istius exceptione seruata. Nouit enim, quia melior est dies mortis die natiuitatis, & quòd totum hominum tristitia comitetur. Inde est, quòd martyrum mortes, non natiuitates, solemnizat Ecclesia, mortem eorum natalitiorum nomine nominans, quibus sanctus est de morte natalis. Tunc enim inceperunt nasci ad vitam, cùm vitam deposuerunt pro vita. Huius verò natiuitatem sponsa Christi tanto securiùs benevolentissima dignatione suscepit, quanto singulariùs eam veritatis Euangelicæ irrefragabilis commendat authoritas. D

5. Honor. Quintus honor est, singularitas in conuersione & conuersatione intra ventriculum annorum. Beatus iste puer ad eremum spiritu ducente deductus est, nec obstitit ætatis infirmitas, quam maiestas Domini fœcundabat. Spiritus enim sanctus non attendit differentiam sexuum, fragilitatem corporum, temporum annositatem: sed quemcumque, & quandocumque, & quomodo vult, dignantissima replet benignitate. Relinquit Ioannes mundum, homines fugit, nescit patriam, parentes aspernatur; & in solitu diuinitatis apicem beatæ contemplationis sigit obtutus. Mira rerum conuersio, hominem vix mundum ingressum, mundi fugere gloriam, & seculi cupiditates, non solùm obliuiscì, sed & nescire, perpetuumque cum diuinitate habere consortium. Recessus montium, syluarum anfractus, & vallium subterjactus vastitas, puero Patriarchæ domicilia præbuerunt. Non opponatur mihi Ieremias, nec prædicantis pueritiæ virtus audeat obuiare: quia si ille confecratur in Prophetam, hic in plusquam Prophetam: & licet ille populo futura prædicet, non tamen conuersationis humanæ declinat aspectus. Ioannes autem ætatis supergressus infantiam, & nobilioris generis generositatem oblitus, soli vacat diuinitati, forma vitæ, Monachorum propositum, Anachoretarum principium, totius religionis assertio, & hæc quidem pro conuersione. Porrò quanta sublimitas in conuersatione fuerit, non est currentis linguæ volubilitatibus differendum, sed euangelicæ dignitatis comprobandum eloquio. Ioannes, inquit, habebat vestimentum de pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos eius: esca autem eius erat locusta, & mel syluestre. Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Rigida vestis, & durissimis hispidi tatibus circumtexta, rigore squalorifero corpus afficit Patriarchæ, carnemque tenerrimam immatura districtio disciplinæ feritate coarctat, teneros artus, & sacratiori Spiritu superfusos, continui quassat longitudo martyrij: cibus autem eius qualis erat? Non queruntur phasiani, seu aliæ aues, nec per totam discurritur regionem, vt patriarchalis stomachus impleatur. Sed erat, inquit, esca eius locusta, & mel syluestre. Cœli rore pascitur, & animalis vilissimi satiatur edulio, nihilque coctum accipit ventrinantis anfleritas. Castigato quippe ventre, & diurna macerazione distento, ignota fuit varietas ferculorum, nec introiuit os eius quod gulam allicteret, sufficeret ventri, stomacho blandiretur, Eliæ comedit carnes, & si quid aliud apponitur, cum gratiarum percipit actione, nec aliquem (nisi fallor) legimus in veteri officina ad legis huius aspirasse fastigium, vestis aspera, cibus tenuis, mens deuota perfectum consecrant Patriarcham. Matt. 11. 1 Reg. 7

6. Honor. Sextus honor est, nouitas in prædicatione. Hic volo attentius attendat intentio vestra, quia paulò subtilius ordiendum materiæ præcipit magnitudo. Post peccatum Adæ, & illius diluuij vastationem solemnem, electa est iustorum infinitæ pluralitas, cum quibus Deus facie ad faciem locutus fuisse dignoscitur. Transfertur Enoch, eligitur Noe, vocatur Abraham, Isaac diligitur, Iacob Deum facie ad faciem contemplatur, Iosephi re-

Matt. 11. Luc. 1.

seph vocatur mũdi saluator: nec tamen in sermone Dei ad illos, A vel illorum ad homines, fit aliqua mentio de regni cœlestis perpetua mansione. Moyses assumitur in ducem populi Iudæorum, Pharaoni in Deum constituitur, facit Deus in AEgypto magnalia, & mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Ascendit Moyses ad caliginem, in qua erat Deus: datur in monte multiplex præceptorũ authoritas, loquitur ille cum Deo, quasi homo ad vicinum suum. Non est occultatum à Moyse, quod facit Dominus in occulto, & gloriosum nomen Adonai, quod omnibus obuelatum fuerat, reuelatur: sed in his omnibus regni cœlorũ memoria nec nominatur, nec auditur. Adstat Aaron summus sacerdos, potentis virgæ gestatrix, vnctus, & delibutus cœlestium sacramentorum vnctione: succedit Iosue, & omnis illa Iudicum multitudo, nec est vel vlla tenuis mentio regni cœlestis. Inuenit Dominus Dauid virum secundum cor suum, Salomonẽ filium eius sapientiâ cumulat singulari, & omnem illum prophetalem chorũ Spiritus sanctus ordinat, & infundit, nihilque de cœlestis regni gloria prophetatur. Clausit Elias cœlum annu tribus & mensibus sex, Elisæus mortuus mortuũ vitæ restituit, & ab his nec vel vlla scintillula beatæ mãsionis elucet. Quid plu- B ra? A principio mundi vsque ad Ioannem vniuersitatis humanæ electionem recollige, nec in sermone, vel opere illius sanctuarij poteris reperire dulcedinem hanc. Veni ergo ad Ioannem, & audi vocem exultationis, vocem nouitatis, vocem lætitiæ, misericordiæ verbum, sermonem gloriæ, gratiæ largitatem, quod zelauerat Deus, tacuerat Angelus, latuerat Patriarchas, Prophetæ nesciebant. Pœnitẽtiam, inquit, agite, appropinquauit enim regnum cœlorum, verbum pœnitentiæ dulce, & gloriosum, verbum regni cœlorum lætum & adorandum, illi soli primariò cõueniens: qui primus noui Testamenti posuit fundamenta. Hæc est illa vox, de qua maximus ille contemplator cœlestium visionum in hæc verba prosequitur, Et vox prima quam audiui, tanquam citharœdorum citharizantium in citharis suis. A diebus Adæ vsque ad Ioannem, organum nostrum versum est in vocem flentium. Occidit, occidi iuberis. Sabbato ligna colligis, lapidari iuberis: dederat quippe eis præcepta nõ bona traditor præceptorum, & iustificationes in quibus viuere non possent. Hoc est quod iustus miratur, dicens: Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ. Domine? Ioannes natus ostendit medicamentum pul- C neri, peccato pœnitentiam, venia iniquitati. Hæc est prima vox, quam vox clamãtis in deserto proposuit, & vox turturis audita est in terra nostra. Ex tunc misit in os nostrum canticũ nouum, carmen Deo nostro, & resonat in ore nostro gratiarum actio, & vox laudis. Superexaltatur misericordia iudicio, peccatoribus parcitur, regnat pietas, iustitia dissimulatur, & misereris, non feriendi, quærit occasionem misericors & miserator Dominus. Citharizant ergo in citharis suis, qui voluptatum effusionem pœnitentiæ districtione reuerberant, & de profunda peccatorum voragine respirantes Pharaone submerso, cantant in vijs Domini: Quoniam magna est gloria Domini.

Septimus est, dignitas in Baptismate. Singularis prorsus humilitas, Verbum caro factum est, & in perfectum egrediens virum relicta hominum vniuersitate, Ioannem quærit, Ioannem desiderat, ad Ioannem vadit. Terribilis in consiliis Deus super filios hominum, porrà quæ omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, venit à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Stupet Ioannes, & timore concutitur, totumque Patriarcharum mysticum horror insilit. Ego, inquit, à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Dicit ei D Saluator: Sine modò: sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Acquiescitur vtrimque salutaribus monitis, & accingit se Ioannes ad baptizandum, ad suscipiendum Dominum Angelorum, exuitur vestimentis suis Rex gloriæ, splendor luminis, & figura substantiæ Dei, Ioannis manibus attrectatur. caro illa sumpta de Virgine, candidiorique detinata materia nudatur in flumine, felicibus Baptistæ manibus infundenda. Descendunt Angeli, & cœlorum agmina totâ reuerentiâ currunt ad creatorem, baptizantemque & baptizatum dominantia numina circumcingunt, infundit aquam capiti creatoris creatura, & Dei vertices mortalis dextera contremit, & contingit, pauet cœlum, stupet terra, Iordanis arridet, mirantur Archangeli Dominum Sabbaoth inter manus baptizantis in-

cludi. Quid est Ioannes? Cherubim & Seraphim vix audent respicere, & tu nudum tenere præsumis? Hic est, in quem desiderant Angeli prospicere, cui Sanctus, Sanctus, Sanctus sublimi melodiarum organo beatæ ciuitatis conuentus ingeminat, qui solus habitat lucem inaccessibilem, Dominus virtutum, Deus scientiarum, misericordiarum Pater, & tu non metuis? Tibi datum est, quod omnibus est negatum, baptizare eum, qui baptizat in Spiritu sancto, & igne, Virginemque Virginis filium virgineis manibus irrorare. Totus obliqueo baptizantem, hominemque Deum reuereor, magistrum dignantem admiror, vereor dignationem, & hominem video violentiam ipsis cœlis inferre. Porrò illud quale est, quod in isto baptismate terminatur lex, finem accipit prophetia, & omnis illa sacrificiorum multitudo propulsatur, & pellitur? Hic incipit & stabilitur noua regenerationis perdurãda purgatio, & in vnam Baptismatis formam legalium transeunt dispendia figurarum. Ad ablutionem enim aquæ, & inuocationem Spiritus, sepelitur hircorum & vitulorum sanguinolenta congeries, & pecora pecoribus Iudeis relinquimus, illud Dauidicum attendentes, Holocaustum & pro peccato non postulasti. *Ps. 39.7.*

Octauus est, prima reuelatio de Trinitate. A creatione cœli & terræ, vsque ad hunc locum, nunquam Trinitas hominibus manifestè apparuit, sed rerum & verborum inuolucris inuoluta fuit tantæ claritatis æternitas. Denique creationem hominis creator rerum summa dignitate commendans, Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Reuerendum reuera priuilegium, nec vlli traditum creaturæ. Creatur illa sublimior numerositas Angelorum, & elementorum omnium ordinatur variata connexio, sed omnipotentiæ præsentia tantum opus alta taciturnitate prospectat. Vt verò venitur ad hominem, & nobilis creatura creari disponitur, accingit se Trinitas ad creandum, & veluti consilium accipit Sapientia, vt creaturæ dignitas creatoris priuilegio clara esse monstretur. Nec ibi tamen satis apertè diuinæ maiestatis eluxere vocabula, cùm ad Angelos obsequentes quidam referant diuini sermonis oraculum, vel si minùs hoc cautum est, signata pluralitas absque nominum differentia prædicetur: Abraham tres vidit, & vnum adorauit. Sed & ibi Scripturæ sacræ reuerentia nunc mixtim, nunc separatim claudit eloquium, vt modò Dominum, modò vitos placeat nominare. Iudæi tamen longam hic texunt reprehensionis parabolam, tres Angelos à Domino missos assuerantes, vnum ad natiuitatem Isaac prædicendam, duos ad Sodomam subuertendam: illum enim, cum quo locutus est iustus, dicens: Domine si inueni gratiam in 3 *Reg. 1.* oculis tuis, propterea spiritui fornicationis, cognouisse natiuitatis Isaac aduentisque præconem. Illum adorat Abraham, sicut Bethsabee Dauid regem, socijque eius propter ipsius reuerentiam indefessus assistit: vnde & non nisi duo in subuersione ciuitatum infelicium numerantur, illo superiùs iam reuerso, qui natiuitatem Isaac fideli deuotione compleuerat. Tres enim viri Saram vocati præcipiunt, sed vnus est qui promissionis inspirate manifestat arcanum. Hæc Iudæi, & qui magis elegerunt iudaizare, quàm credere. Sed vt breuiter concludamus, omnis illa sine Patriarcharum, seu prophetantium copulata societas, nullam vel in sermonibus, vel in rebus de Patre, & Filio, & Spiritu sancto reperitur aperiè fecisse mentionem. Veni ergo & intuere filium Zachariæ, Deum & hominem proprijs manibus continentem, & vide quia cœli aperiuntur ibi, & descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba, in Christum, & vox Patris audita est: Hic est filius meus dilectus. Vide quia ad sacratissimorum nominum nouitatem cœlorum palatia reserantur, Pater audutur in voce, Filius baptizatur in flumine, Spiritus sanctus in columbæ specie demonstratur. Adest Ioannes totius medius Trinitatis, gloriosumque Baptistam sanctificant induisse substantiæ personata vocabula, & nomen Trinitatis prioribus seculis obuelatum, ab que totius velaminis obumbratione relucet. Domine quis est iste, quia innotuisti ei?

Nonus est, testimonium veritatis. Cùm audisset Ioannes in 9 *Honor.* vinculis opera Christi, misit ad eum discipulos suos, & respon- *Matt. 11.* sum est eis: Cæci vident, & cetera, quæ veritatis Euangelica prosequitur copiosa narratio. Recedentibus autem nuntijs, ne fortè

Matt. 3. *Honor.* *Ioel. 11.* *Matt. 3.* *Matt. 3.* *Honor.* *Ioel. 11.* *Matt. 3.* *Honor.* *Ioel. 11.* *Matt. 3.* *Honor.* *Ioel. 11

Ibid. 7. *fortè in eorum præsentia adulationem redolere videretur, cæpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne*: Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? *O mira restificatio Redemptoris!* *Quis ingressus est mundum, & mundum vel in aliquo non cognouit?* *Quis est quem vel ventosa felicitas, vel cuiuslibet peccati aura tenuior non inflexit?* *Ad extremum subinfertur, quod terram excedat, transeat cælum, ipsumque vertices*

Matt. 11. 11. *cem Angelica dignitatis attingat.* Inter natos, inquit, mulierùm non surrexit maior Ioanne Baptista. *Quid vis amplius? de nullo alio dici potuit (dicit Augustinus) quod dictum est de Ioanne: non opponas mihi Euangelistam inter ceteros Apostolos dilectum, non Apostolorum principem omnibus Apostolis antelatum, non vas electionis ad cœli tertij secreta translatum, nec Apostolicus splendor audeat occurrere Præcursori; quia iam omnes isti adolescentiæ metas excesserant cùm à Veritate prolatum est:* Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. *Considera mansiones regni, & vniuersum ordinem humanæ generationis obambula, solumque Ioannem tam nouis quàm veteribus videbis esse præpositum, vel æquatum: tamen super omnia benedictus Deus.*

B

10. *Honor.* *Decimus est, assertio Matris Ecclesiæ.* Texitur ora chlamydi, *vnguentumque profusum in capite, extremam quoque vestimenti fimbriam inundanter infundit: illa enim mater & magi-*

Luc. 22. 32. *stra omnium Ecclesiarum, Ecclesia Romana, cui dictum est:* Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, *in honore Ioannis Baptistæ post Saluatoris nomē cōsecrata est, & signata: Dignum namque erat, vt sententiam ponsi sponsa sequeretur authoritas & singularem amicum eius illuc proueheret, vbi principatum ipsa consendit electio, proculdubio singularis, in illo ipsa vrbe Ioannem primatum Ecclesiæ vendicare, quem duo cœli luminaria morte clarissima consecrarunt. Crucifigitur Petrus: Paulus obtruncatur, dignitas remanet Præcursori, purpuratur Roma multitudine martyrum, totaque subjimitas beato refunditur Patriarchæ, Ioannes vbique maior, in omnibus singularis, mirabilis super omnes. Quis fic gloriosè annuntiatus est? Quis ita specialiter in matris vtero Spiritu sancto legitur fuisse repletus? Quem legistis intra Matris vterum exultasse? cuius natiuitatem vidistis celebrare Ecclesiam Dei? Quis sic puer eremum*

C

concupiuit? quis ita legitur sublimiter conuersatus? Quis pœnitentiam & regnum cœlorum primus ostendit? Quis baptizauit regem gloriæ? Cui se primum Trinitas reuelauit? Cui tale testimonium perhibuit Deus? quem sic honorauit Ecclesia? Vide si non hæc omnia ita singulariter sunt huic singularia, vt nullus mortalium prædictu dignitatibus audeat inhiare?

Forsitan mihi dispōnis opponere, quia sic ista habet propria, vt cetera Sanctorum communia non attingat. Audi ergo, Ioannes Patriarcha, imò Patriarcharum finis, & caput, Ioannes Propheta, imò plusquam Propheta: quia quem venientem natiuitatis digito monstrat, Ioannes Angelus, sed & inter Angelos electus, Saluatore testante, qui dicit:

Matt. 11. 10. Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam. *Ioannes Apostolus, sed & Apostolorum primus & princeps, quia fuit homo missus à Deo, Ioannes Euangelista, sed & Euangelij primus incisor, prædicans Euangelium regni, Ioānes virgo, imò virginitatis insigne, pudicitiæ titulus, castitatis exemplū, Ioannes Martyr, sed & martyrum lumē, inter natiuitatem mortemque Christi constantissimi forma martyrij. Præterea quia* vox clamantis in deserto, *quia præco Verbi: quòd Iudæis præcursor. Illud quoque relinquo, quia vsque ad Ioannem lex & Prophetæ, quia Ioannes ipse est, aliàs quòd lucerna sit ardens & lucens, quod amicus sponsi, sponsæ præparator, silentio transeo, quòd sic nomen Angelorum ordinibus infertus est, vt etiam ad Seraphim apicem transferatur. Verùm hoc laboriosi operis est, & sensus nostri paupertas non sufficit, sufficiant hæc ad præsens, quæ dicta sunt de laude Ioannis, ad gloriam Redemptoris, qui est Deus benedictus in secula seculorum, Amen.* Ita Petrus Damianus.

In Apoph Regum. Plutarch. Cùm Alexander Magnus (inquit) per litteras petiisset à Lacedæmonibus, vt eorum decreto decerneretur ei diuini honores, & in deorum numerum referretur, Age, inquiunt, concedamus Alexandro, si velit, appellari deus. Ita Plutarch. Vbi dictum obserua; non enim dixerunt: Cōcedamus Alexandro inter deos

A numerari, & esse, sed appellari: appellari enim Deus potuit, esse verò nequaquam. Idem ego de magnitudine, quod illi de deitate, dico, appellari quidem Magnus Alexander potuit, sicut nunc magnates quidam nostri magni Hispaniæ dicuntur, esse autem non ideo possunt, nisi ex illis sint, de quibus Dominus dicit: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Hinc Sanctus Ioannes Baptista magnus est nuncupatus ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur. *Hic*, inquit, *erit magnus coram Domino*, nimirum, qua erat lucerna, non solùm lucens; sed etiam ardens, hoc est, non solùm lucebat doctrinâ, sed etiam ardebat operationis feruore. Ceteri ergo mundi magnates, & magni, sunt solo nomine magni, sed reuera parui, tantòque minùs magni, quantò in oculis suis maiores sibimetipsis videntur: nam ille magnus apud Deum, qui humilis & paruulus est in suis oculis Vnde S. Aug. *Magnus esse vis, a minimo incipe: cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis*, &c. *A minimo*, inquit, *incipe*, hoc est, ab operibus humilitatis, & ita magnus euades, ita vt non solùm magnus dicaris, sed verè magnus existas. Cùm igitur S. Ioannes Baptista magnus fuerit humilitate, & magnificus in sanctitate, & magnus ab Angelo Gabriele nuncupatus, imò à Christo Domino, dicente: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*; quidni magnus, imò & maior eo pacto appelletur?

Serm. 10. de verb. Dom.

B

Ioan. 10. dicebant homines de Baptista: *Ioannes signum fecit nullum; omnia autem quæ dixit de hoc*, scilicet Christo, *vera erant.* Quærit S. Thom. 3. p. q. 38. art 2. in 2. argum. cur non dederit facultatem Baptistæ ad signa & miracula facienda, cùm alijs minoris meriti illam concedat? Respondet S. Thom, quia ipsa austeritas vitæ Ioannis, eius officium commendabat: vt enim ait Chrysost. erat admiratione dignissimum, tantam in hominis habitu fulgere virtutem, &c.

Ioan. 10. 41. S. Thom.

ADDITIO.

C

S. Chrysost. homil. 10. in 3. cap. ad Hebr. ex variis locis.

Ioannes schola virtutum, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma iustitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina. Ioannes maior homine, par Angelo, legis summa, Euangelij satio, Apostolorum vox, silentium prophetarum, lucerna mundi, præcursor iudicis, Christi metator, Domini testis, totius medius Trinitatis.

Exaudita est oratio tua, & Elizabeth vxor tua pariet tibi filium. Et paulò pòst: *Quo pacto, inquit, posset fieri? Iam ego consenui & percanui, vxor sterilis prouecta in diebus suis, ætas inepta, natura incommoda, quæ ratio huius pollicitationis sit, nō equidem video. Ego qui feram, admodū sum imbecillus: feges qua semen recipiat, nihil reddere potest. Nónne illi seni dixerū esse ignoscendum, cùm rerum ordinem petat, & legem natura consulerat? Nónne aliquid illum ex ratione terræ deliberare putauerū? Sed tamen Deo nullam mereri veniam visus est, & recte quidem: Cùm enim asserit Deus, nemo suas rationes debet mouere. Nullus rerum consequentiæ, aut natura necessitati locus re-*

D

linquitur. Nil penitus huiusmodi est obijciendum. Vt enim diuine senectūs longè ijs omnibus est superior. Homo quid agit? Deus pollicetur, & tu respicis ætatem, & senectutem proponis? Num senecta validior sit voluntate diuina? Num natura potentior sit suo creatore? Nescis verbo illius vno summa atque præcipua esse effecta opera? Iam eius verbum cælū instruit, Angelos creauit, orbem terrarum condidit, creaturam omnem produxit: & tamē tu de filij procreatione, & vnius animula inspiratione dubitas?

Ide Ho. 23. de incomprehensibili Dei natura.

In Sanctis ac Beatissimis Ioan. Bapt. laudibus, cuius natalem hodie celebramus, quid potissimùm prædicem nescio, virū quòd mirabiliter natus sit, an quod mirabilius sit occisus? Natus enim est in prophetia, in veritate peremptus est: nascendo annuntiauit Saluatoris aduentum, moriēdo condemnauit Herodis incestum.

S. Ambrosius serm. 63. de diuers. serm. 64.

Videte igitur S. Baptistæ meritū, vocē patri reddidit, sacerdoti eloquentiam reparauit. Videte, inquam, meritum: os quod Angelus alligauerat, Ioannes absoluit: quod Gabriel obstruxerat, parulus reseruauit, quanquam & ipse sit Angelus, sicut scripsum est de eo:

de eo: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. Respicite igitur Ioannem, quantæ vis sit eius vocabuli, cuius nuncupatio reddidit mitto vocem, patri pietatem, populo sacerdotem. Virtus enim erat tacens lingua, sterilis filio, privatus officio: at vbi Ioannes nascitur, sit repentè pater prophetæ vel Pontifex, loquela vsum recipit, prolem affectio suscepit, sacerdotem functio recognoscet. Cùm ergo tanta vis sit eius vocabuli, dicturi de eo, & si tacere volumus, silere non possimus. Ipse enim Ioannes vox clamantis dicitur. Quis igitur qui vocem Laudet & taceat? clamorem admiretur, & mutus sit? Ait enim ipse de se: Ego sum vox clamantis in deserto. Videte quid dixerit: Non enim ait tantum: Ego sum vox, sed & clamantis vox, scilicet vt ad fidem consequendam, vox aures penetret, clamor corda concutiat, vox regnum prædicet, clamor Iudicium commmetur. Magnus igitur Ioannes, cuius magnitudini etiam Saluator testimonium perhibet, dicens: inter natos mulierum maior non est Ioanne Baptista. Præcellit cunctis, eminet vniuersis, antecedit prophetas, supergreditur patriarchas, & quisquis de muliere, inserior est Ioanne. Et paulò pòst: *Dicit fortè aliquis, si inter natos mulierum maior est Ioannes, nunquid etiam maior est Saluatore? Absit: Ioannes enim natus mulieris, Christus autem virginis natus est.*

Multa in laudem S. Ioannis vide apud Pelegrinum in paradoxis. 1. & 2. Scherlogum in cant. tom. 2. cap. 1. pag. 102.

Prop. IV. *Quàm ingens laus eius fuerit à Christo laudari.*

Seneca: *Magnificum est à laudato laudeque digno laudari.* Vnde refert Tullius, quòd cùm Hector Næuianus se à patre suo grauissimo viro laudari videret, dixerit: *Lætus sum, laudari me à te, pater, laudato viro: à malis enim laudari, non laus, sed dedecus est.*

Hinc Antisthenes Philosophus (vti refert Laertius) cùm ab improbis quibusdam viris se laudari prospiceret, *Vereor* (inquit) *ne quid fecerim mali.* Ita ille: Hæc enim prauorum natura esse solet, vt mala, quæ approbant, in proximis laudent.

Si ergo adeo ingens gloria est à bonis probatisque viris laudari, & hoc magnificum esse, magnus ille sapiens dicat; quantam esse dicemus magnitudinem & gloriam beato Ioanni Baptistæ, qui tot tantisque præconijs à Deo ipso laudatus est? Prophetam illum, & plusquam Prophetam, constantem virum, & Angelum dixit, & inter mulierum natos nullum surrexisse maiorem. Si has laudes protulisset Sanctus Ambrosius, vel Sanctus Hieronymus, aut alius ex sanctis Patribus, & Doctoribus Ecclesiæ, excellentiam beati Ioannis extolleremus; quid cùm à Deo ipso hæ pluresque fuerint laudes prolatæ?

Prop. V. *Quanta dignitas sit, Præcursorem esse Christi.*

Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Quis & ad quem hæc loquutus est? Theophylact. in cap. 1. Marci, *Sermo*, inquit, *est Patris ad Filium, dicentis: Angelum esse Baptistam, cò quòd Angelicam & materiæ expertem egerit vitam, & quia annuntianit & ostendit Christum venientem. Cæterum*, ante faciem tuam, *significat prope te fore Angelum tuum: vnde ostendit familiaritas Præcursoris erga Christum, nam prope Reges incedunt, qui familiarissimi illis sunt.* Ita ille. Angelus autem, vti ait S. Gregor. Papa, *nomen officij est, & importat idem quod nuntius seu legatus.* Fuit igitur Ioannes legatus à latere Christi, qui obnimiam cum Christo familiaritatem, ante faciem eius dicitur missus. Quòd si eos, qui familiarissimi Regi sunt, digniores ceteris esse constat, & qui maiora & excellentiora dona recipiunt à Rege, & per quos alij à Rege dignitates, & alia officia honorifica & munera consequuntur; quid de dignitate Sancti Ioannis dicendum est, qui non Regi terreno & humano, sed Regi cœlesti, humano & diuino simul, familiarissimus fuit?

Isai. 40. & Ioan. 1. *Ego vox clamantis in deserto*, &c. Cur Ioannes Baptista vox appellatur? cur non dixit interrogantibus quisnam esset: *Ego sum Ioannes filius Zachariæ*, sed *vox?* Respondet Beda in cap. 1. Marci, constat Christum Verbum esse Dei Patris; dicèt Ioanne: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*, &c. *Aduentum itaque præcurrens Christi Ioannes vox, quia per eius ministerium Patris diuini Verbum auditum fuit, & ex ipsa nostra loquutione cognoscimus, quia prius vox sonat, per quam verbum postea valeat audiri.* Ita Beda. Tanta ergo dignitas fuit Baptistæ esse Christi Præcursorem, vt inde illi præcipuè tam magnum hoc nomen tributum fuerit, & propterea tot antea sæculis fuerit à magno Propheta Isaia prophetatum. *Isai. 40. t. Ioan. 1. 23.* *Beda.* *Ioan. 1. 1.*

Est autem & alia ratio moralis: vox enim dictus est Ioannes, quia à planta pedis vsque ad verticem capitis, velut quædam vox sonora clamabat contra peruersos mundi mores: ieiunio suo magno clamabat abstinentiam contra gulæ deditos; veste illa cilicina clamabat aduersùs indutos veste peregrina; antro suo exiguo clamabat contra sumptuosos ædificatores; paupertate sua clamabat aduersùs auaros; humilitate sua aduersùs superbos, & denique pœnitentiâ suâ aduersùs delicioso, voluptuosos, &c.

IOANNIS EVANGELISTÆ LAVDES.

Fieri quidem potest, vt qui in aliquorum sanctorum laudibus, & encomijs defecit, culpabilis reputetur; at in laudibus S. Ioannis Euangelistæ defecisse, encomium est, *aquí el que se perde se gana.* In hoc enim ostendit, quod priùs hac in re deficiunt verba, quàm laudanda: hoc autem in communi, & vniuersali de Sancto Ioanne Euangelista dicere possumus, quòd in eo fecerit Dominus quasi epitomè, & epilogum quemdam Sanctorum: mos enim diuinus est, vt quæ Deus diffusè facit, in vnum breuiter resumat: sic in lege, quæ diffusa in ea tradit, in præcepto charitatis colligit; sic merita, & mirabilia sacramenta sua in Eucharistiæ Sacramento, secundùm id: *Memoriam fecit*, &c. Sic etiam in creatione, & constitutione mundi varios essendi gradus, quos in rebus omnibus creatis sparsit, in hominè collegit: ideo enim à Philosophis μικρόκοσμος appellatus est, hoc est, minor mundus, *el mundo abreuiado*, quia in eo inuenies esse cum elementis, viuere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Sic etiam microcosmum & epilogum sanctorum in Sancto Ioanne Euangelista reperimus, nam cum prophetis fuit propheta in Pathmos, cum patriarchis fuit Ecclesiæ nostræ patriarcha in Asia, cum Apostolis Apostolus, inter familiares tres vnus, inter Euangelistas aquila, inter confessores confessor, inter martyres plùs quàm martyr iuxta crucem Christi, inter virgines virgo electus, &c. Sicut enim si princeps aliquis duo faceret horologia: alterum pro vniuersali curia, magnum scilicet cymbalum habens, vt ab omnibus percipi possit, & magnas rotas, & reliqua ad id pertinentia in eadem magnitudinis proportione: alterum verò paruum, vt secum in sinu suo portet, minùs quidem in quantitate, sed quod omnia illa contineat, quæ in magno illo continentur. Vniuersum hoc velut horologium quoddam est, tot rotis & partibus constat, quot creaturas habet, cuius pulchritudo velut cymbalum quoddam est: hoc enim quod continet omnia, scientiam habet vocis, *Psal. 110.*

Voluit autem Deus aliud minoris quantitatis conde-
re horologium pro ſinu ſuo, & hoc fuit S. Ioannes E-
uangeliſta. Etenim congregatio Sanctorum velut ho-
rologium quoddam cœleſte eſt, ad enarrãdam gloriam
Dei: Ioannes autem Euangeliſta horologium minus,
ſed in quo ea continentur, quæ in magno; hoc autem
condidit Deus pro ſinu ſuo: in ſinu enim erat, quan-
do ſonuit hora eius, vt tranſiret ex hoc mundo ad
patrem. & ſicut huiuſmodi horologium aureum ſo-
let eſſe: nam ad ſinum principis tale decet id eſſe; ſic
aureus fuit Ioannes, charitatis ſcilicet auro reſplen-
dens.

Sanctitas B. Ioannis, & argumentum excellentiæ
magnæ eius, ſumitur manifeſtè ex fauoribus magnis
Dei in ipſum: nam Deus eos beneficijs cumulat, quos
amat; eos autem ſanctos reputamus, quos amat, & pro
menſura amoris eſt menſura ſanctitatis: nam amor
Dei ſanctos facit. Quantum autem amauerit Deus B.
Ioannem Euangeliſtam quis poterit explicare? Id no-
bis ſufficiat, dictãte Spiritu ſancto nomine dilecti Ieſu
Ioan 21. 7. appellatum fuiſſe, *diſcipulus* ſcilicet *quem diligebat Ieſus*,
quaſi per excellentiam & antonomaſiam quandam. Et
hinc colligenda eſt ſanctitas & excellentia S. Ioannis:
nam, vti ait S. Thomas 1. part. quæſt. 23. art. 4. *amor bo-
nitatis præſupponit, ſed amor diuinus ponit*, hoc eſt, nos ama-
mus aliquem, quia bonus eſt, ſed reſpectu Dei homo
bonus eſt, quia Deus amat eum; ſi ergo per excellen-
tiam Ioannes eſt diſcipulus quem diligebat Ieſus,
quanta erit excellentia eius? Id etiam ex fauoribus di-
uinis colligemus. Rex, quem amat, ditat, & quod alijs
diuiſim præbet, ei quem ſpeciatim amat, accumula-
tè donat: ſic Chriſtus, vti dictum eſt, dignitates, &
munia, quæ alijs tribuit ſanctis, B. præbuit Ioanni:
Ad Eph. 4. 11. *Et ipſe* (ait Apoſtolus) *dedit quoſdam quidem Apoſtolos,
quoſdam autem prophetas, alios autem paſtores*, &c. At
B. Ioanni omnia hæc ſimul, *y ſe vee quan priuado era
de Dios*; hinc conſtat, quantùm Chriſtus eum diligе-
bat.

Hinc ortum habuit reſponſio illa Chriſti Domini
ad Petrum, vbi, cùm Petrus interrogaret Dominum
Ioan. 21. 22. de Ioanne, dicens: *Domine hic autem quid?* quaſi diceret:
Tu mihi ais, ſequere me, quid de Ioanne dicis? quid
futurum de illo? nónne & ipſe ſequetur te? tunc Do-
minus reprehendens Petrum dixit: *quid ad te?* Nun-
quid non ex charitate, & amore in Ioannem emanaue-
rat interrogatio illa? non dubium; cur igitur eum re-
prehendit? nimirum, quia talem, tantamque curam
gerebat Chriſtus Dominus de Ioanne, vt quaſi pro in-
iuria duceret, eſſe alium, qui de ipſo curaret, & talem
ab eo curam veluti vſurparet: *Como por caſo de menos va-
lor que San Pedro, ni otro alguno ſe moſtraſe mas ſolicito,
y cuydadoſo de las coſas de San Iuan Euangeliſta, que el meſ-
mo Chriſto, y como quien queria que a el ſolo deuiſſe San Iuan
el cuydado de ſus coſas.* Explicemus ampliùs hoc. 1. Reg.
6. cùm è poteſtate Philiſthinorum reduceretur Arca
Dei ad populum Iſrael, & ad terram Bethſamitarum D
peruenisſet, occidit Deus ex illis pluſquam quinqua-
ginta millia. Cur ita? nunquid aliquid indecorum
contra Dei Arcam commiſerunt? nequaquam, ſed ob
eam cauſam, quàm ibi reddit Scriptura, dicens: *Percuſſit
Dominus Gethſamitas, eò quòd vidiſſent Arcam Domini:*
Verſ 19. quanta (inquies) fuit culpa hæc? curioſitas hæc ad
ſummum fuiſſe videtur; propter ſolam ergo curioſita-
tem occidit tantam plebem? Varias reddunt ſacri In-
terpretes huius rei cauſas, Ioſephus lib. 6. Antiq. cap. 1.
Ideò, ait, occidiſſe eos Dominum, quia cùm ſacerdo-
tes non eſſent, Arcam illam tetigerunt, quam ſolùm
ſacerdotibus tangere permiſſum à Deo erat; ſed certè
nec Arcam tetigiſſe eos ait textus, ſed ſolùm vidiſſe,
nec Deus tot homines occidiſſet, ſed eos tantùm qui
tetigiſſent. Liranus cum ſeptuaginta Hebræis, ait, ideo
Num. 4. eos Dominum occidiſſe, quia Arcam nudam, & dete-
ctam viderunt, quod ſub mortis pœna prohibebatur. A
quod etiam ex S. Hieronymo adducit Gloſſa ordina-
ria. Placet, quod Author quidam grauis ait, hoc ideo
factum fuiſſe, quia non ſolùm viderunt Arcam dete-
ctam, verùm etiam quia curioſè reſpexerunt, an intus
eſſet manna, & lex, & virga, quæ Dei nutu in ea inclu-
ſa ſeruabantur; an verò aliquid deeſſet; & quòd hæc
fuerit cauſa, confirmat alia tranſlatio, quæ ſic habet:
Eò quòd vidiſſent ea, quæ erant in arca. Quid igitur crimi-
nis in hoc erat, quod ita Deum reddidit iratum? quia
iniurioſum ſibi reputauit Deus, curare illos, an aliquid
eorum, quæ Deus conſtituerat in Arca, deeſſet, quaſi id
non curaſſet & prouidiſſet Deus. Hæc, ſaltem inter
alias, cauſa fuit iræ diuinę. Sed ad rem. Iratum ſe Deus
erga Petrum oſtendit propter illud genus curæ, quod
erga Ioannem ſe habere demonſtrabat, quaſi Ioannis
curam non ſibi Chriſtus reſeruaſſet, & quid de illo fu-
turum eſſet, Chriſtus præ oculis non haberet. *en lo que
eſta tan a mi eueuta no ſe me entremeta nadie.* Ecce ſollici-
tudinem Chriſti erga Ioannem: hæc autem ſollicitudo
nónne ingens argumentum eſt amoris Dei in eum?
meritò ergo dictus eſt, *diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus.*
Hinc autem eſt, quòd Ioannes nihil de ſe interrogauit,
quia omnem curam, ac ſollicitudinem ſui proiecerat
in eum, ſciens quia ſatis, ſuperque illi erat cura de ipſo.
Solùm ait, quòd vidit eum Petrus ſequentem Ieſum;
nam ſi Petrus Chriſtum ſequebatur ex obedientia:
dixerat enim illi Dominus: *ſequere me*, Ioannes ſe-
quebatur eum ex abundantia ſui amoris: nam, vti ait
Sanctus Auguſtinus epiſtol. 89. *Amor meus, pondus meum,
illo feror, quòcumque feror*, amor autem Ioannis propen-
debat ad Chriſtum, ſicut grauitas lapidem inclinat
ad centrum, & leuitas ignem ad ſphæram ſupernam
ignis: ſic amor Ioannis eum inclinabat ad Chriſtum,
atque adeo quid mirum, ſi, non vocatus, ſequeretur
Chriſtum?

Præterea, magnitudo amoris, quo Chriſtus Domi-
nus Ioannem proſequebatur, conſtat ex illo ſpeciali fa-
uore *recubitus ſuper pectus Domini.* Voluit videre Moy- *Ioan 13. 20.*
ſes rubum ardentem, neſciens in eo exiſtere Deum: cui
Dominus: *Moyſes, Moyſes, ne appropies huc*, &c. Prohibuit *Exod. 3.*
illuc accedere Moyſen, quia ſpeciali quodam modo ibi
apparebat: accedit autem Ioannes Euangeliſta, & non
quomodocumque accedit, ſed ita, vt caput ſuum re-
clinet ſupra Domini pectus, & tamen non prohibuit
Dominus, ſed ſicut mater, vt lactet filium, ſinum aperit
ei: ſic Chriſtus pectus obtulit Ioanni. Ioannes Bapti-
ſta videns Dominum ad baptiſmum ſuum acceden-
tem, obſtupuit, & timens, ac tremens dixit: *Domine, ego* *Matth 3.*
à te debeo baptizari, & tu venis ad me? at Ioannes Euan- *14.*
geliſta non timet, ſed audet caput ſuum reclinare ſuper
pectus Ieſu, licèt dicat ille:

Non bene conueniunt, nec in vna ſede morantur
Maieſtas, & amor. §. Miratur S. Bernardus locutionem
illam ſponſi diuini: *Vox turturis audita eſt in terra noſtra,* *Cant. 2.*
vbi ait: *Minimè diſſimulare queo, quòd is, qui de cœlo eſt, de* *11.*
*terra loquitur, vtique tam dignanter, tam ſocialiter, quaſi vnus
è terra. Sponſus eſt iſte, qui cùm præmitteret, ſpes apparuiſſe
in terra, adiunxit, noſtra, & poſtea nihilominus*, Vox (*inquit*)
turturis audita eſt in terra noſtra. *Non planè principatum
ſonat vox iſta, ſed conſortium, ſeu familiaritatem. Amor lo-
quitur, qui Dominum neſcit.* Ita S. Bern. Vide igitur quàm
verè diſcipulus iſte ſit, quem diligebat Ieſus, ſiquidem
ſic Dominum neſcit: Cur non times, Apoſtole ſancte,
caput reclinare ſuper pectus, & cor Domini Ieſu? *Mitte* *Ioan. 21.*
(inquit Dominus Thomæ) *manum tuam in latus meum,* *27.*
& quidem tremens, ac ſtupens reſpondit: *Dominus meus,
& Deus meus*, & vt nonnulli aiunt, non fuit auſus tan-
gere Chriſtum Dominum, & tu B. Ioannes non ſolùm
tangere latus audes, verùm etiam ſupra pectus Do-
mini caput reclinare? Magdalenæ dixit Dominus:
Noli me tangere, & tu tangis, & recumbis ſupra Do- *Ibid 17.*
mini

minſ pectus? etenim amor hîc interuenit, qui Domi- A num neſcit.

ant. 3.9. *Feroulum (inquit) fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum.* Regium opus hoc, ſed ſi corticem litteræ attendas, quid eſt ad reclinatorium Ioannis noſtri, non argenteum, non aureum, ſed diuinum eſt reclinatorium Ioannis: pectus enim Domini eſt, cor Dei eſt: *Supra pectus (inquit) Ieſu in cœna recubuit.* Ecce plus quàm Salomon hic.

Præterea, condecorauit Deus Ioannem Euangeliſtam ſublimi quodam ſapientiæ dono, & tunc maximè, cùm ſupra pectus Domini in cœna recubuit: nam, vti ait Eccleſia in officio eius, *fluenta Euangelij de ipſo Dominici pectoris fonte potauit.* Dormiuit ſuper terram Adam, & in eo didicit à Deo ſapientiam, vt nonnulli aiunt, quâ nomina legitima, & propria imponeret cunctis animantibus terræ: omne quippe, quod vocauit Adam, ipſum eſt nomen eius, quadrans ſcilicet, & connaturale. Dormiuit S. Ioannes Euangeliſta, non ſuper terram recumbens, ſed ſupra Domini pectus & talem, tantamque Dei ſapientiam inde adeptus eſt, vt inde noſſet legitima ſanctæ Trinitatis nomina indicare, 1. Ioan. 5. *Tres ſunt (inquit) qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.* Volue, & reuolue, quære, & require ſapientiam Ariſtotelis, & Platonis, Socratis, & Pythagoræ, & vide, an id aſſecuti fuerint poſt multorum annorum lucubrationes, quod noſter piſcator ſanctus dormiens ſupra pectus Domini fuit aſſecutus. *Mas ſupo Iuan durmiendo en vna hora, que todos los ſabios velando ſobre los libros toda ſu vida.*

Pſ. 10. Meritò Ezech. 1. inter omnes Euangeliſtas Ioannes noſter aquilæ comparantur. *Et facies (inquit) aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Multa, & mira ſcripſerunt alij tres Euangeliſtæ, ſed tamen facies huius aquilæ deſuper eſt, hoc altiùs ceteris roſtrum eleuat, quia ſublimiùs

an. 1.1. ſe extulit in Euangelio, vti ex eius exordio conſtat, *In* C *principio erat Verbum*, &c. quod expendens S. Auguſtinus tract. 36. in Ioannem, ait: *S. Ioannes Apoſtolus non immeritò ſecundum intelligentiam ſpiritualem, aquilæ comparatus: altius enim, multòque ſublimius alijs tribus erexit prædicationem ſuã; nam ceteri tres Euangeliſtæ, tanquam cum homine Domino, in terra ambulantes, de duumitate eius pauca dixerunt: iſte autem, quaſi piguerit in terra ambulare, ſicut in ipſo exordio ſui Euangelij intonuit, erexit ſe non ſolùm ſuper terram, & ſuper omnem ambitum aëris, & cœli, ſed ſuper omnem exercitum Angelorum, & peruenit ad eum, per quem facta ſunt omnia, dicendo:* In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: omnia per ipſum facta ſunt. Ita S. Auguſtinus.

S. Chryſoſtomus prologo in Ioannem, non ſolùm ſuper quatuor alios Euangeliſtas ait ſe Ioannem exiſſe, verùm & ſuper Angelos, magiſtrum Angelorum eum vocans, nimirum, quia per eum nonnulla myſteria diuina Angeli didicerunt. nec incredibile hoc vi- D
Ad Eph 10. deri debet, cùm Apoſtolus dicat: *Vt innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* hoc eſt, nonnulla myſteria ad Eccleſiam Chriſti pertinentia, didicerunt Angeli ab Apoſtolis, quæ antea neſciebant. Ita exponunt Sanct. Hieronymus, Sanct. Ambroſius, Sanctus Chryſoſtomus, Sanct. Anſelmus, Sanct. Theophylactus, & alij. Et obſcrua, quòd hîc nomine principatuum, & poteſtatum, non ſolùm intelligantur illi duo ordines Angelorum, ſed omnes per ſynecdochen, vt aiunt Sanct. Hieronymus, Sanct. Chryſoſtomus, & Theophylactus. Vnde non mirum, quòd aſſerat S. Chryſoſtomus, *Apoſtolum Ioannem Angelorum magiſtrum extitiſſe, etiam ipſorum Cherubim, & Seraphim.*

Denique vel ex eo aquilæ nomen meruit Ioannes, quòd ſine viſus interioris turbatione, & obcæcatione, acie fixa mentis diuinarum perſonarum occultiſſima contemplatus, nobis ſic explicuit, vt omnibus etiam pueris, modo nobis poſſibili, notum ſit myſterium Trinitatis. Vnde Sanct. Auguſtinus tract. 39 in Ioannem, *Aquila (inquit) eſt Ioannes, ſublimium Prædicator, & lucis interne, atque æternæ ſixu oculis contemplator. Dicuntur enim & pulli aquilarum à parentibus ſic probari, patris ſcilicet, vngue ſuſpendi, & radijs ſolis opponi, qui firmè contemplatus fuerit, filius agnoſcitur; ſi verò palpitauerit acie, tanquam adulterinus ab vngue dimittitur.* Ita S. Auguſtin. Quaſi dicat: meritò S. Ioannes aquilæ comparatur, quippe qui rotam ſolis fixis, & ſanis oculis ſine palpebrarum palpitatione fuerit ſic intuitus.

Similiter ad ſapientiam reuelatam S. Ioannis Euangeliſtæ ſpectant ea, quæ in Apocalypſi ſcripſit: relegatus enim à Domitiano Tyranno in inſulam Pathmos, Apocalypſim illam miram vidit, & ſcripſit, de qua S. Hieronymus lib. contra Iouinianum, ait, quòd *infinita futurorum myſteria continebat*, & alibi ait: *Apocalypſis tot* B *habet myſteria, quot litteras.* Reuelauit in ea Dominus Ioanni ſtatum Eccleſiæ Catholicæ, etiam quæ in vltimis ſæculis, & tempore Antichriſti futura ſunt. Sic Dominus dilectum ſuum repleuit ſpiritu ſapientiæ, & intellectus, & in medio Eccleſiæ ita aperuit os eius, vt quæ ipſe paucis dixit verbis, omnes ſancti Eccleſiæ Doctores commentarijs ſuis vix cœperint explicare: vides, quàm meritò dilectus à Deo dicatur.

Præterea, quàm dilectus fuerit à Deo, ex dilectio- Prou. 8.
ne, quâ ipſe Deum dilexit, poſſumus indagare: nam *ego* 18.
(ait Sapientia illa increata) *diligentes me diligo*, & Chri- Ioan. 14.
ſtus ipſe Ioanni: *Qui dil git me, diligetur à patre meo, & ego* 21.
diligam eum. Quantùm verò diligeret Deum Ioannes, ſicut ignis abſconditus ex ſcintillis agnoſcitur; ſic etiam amor intus exiſtens ex verbis ore prolatis: nam ex abundantia cordis os loquitur. Verba autem S. Ioannis quid aliud ſonabant, & reſonabant, niſi amorem, & iterum amorem Dei; & proximi, qui ex Dei amore manat? Vide quid S. Hieronymus in epiſt. ad Galatas lib. 3. cap. 6. dicat, *B. Ioannes Euangeliſtæ, cùm Epheſi moraretur vſque ad vltimam ſenectutem, & vix inter diſcipulorum manus ad Eccleſiam deferretur, nec poſſet in plura verba vocem contexere, nihil aliud per ſingulas collectas proferre ſolebat, niſi hoc:* Filioli diligite alterutrum. *Tandem diſcipuli, & fratres, qui aderant, tædio affecti, quòd eadem ſemper audirent, dixerunt: magiſter quare hoc loqueris ſemper? qui reſpondit dignam Ioanne ſententiam, Quia præceptum Dominiſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit.* Ita S. Hieronymus. Hanc rationem reddidit Ioannes, ego aliam ſimul aſſignabo, & veram: ideò toties de charitate verba faciebat, quia ex abundantia cordis ſui os eius loquebatur, illud eructabat, quod intus in ſtomacho mentis continebat, plenus amore Dei, & proximi erat, quid aliud dicere poterat, niſi: Fratres, diligamus Deum, diligamus proximos noſtros? Si ergo ſic Deum impensè diligebat, & Deus diligentes ſe diligit, nónne ita Deum diligere Ioannem dices, vt meritò dici poſſit diſcipulus, quem diligebat Ieſus?

Hinc etiam eſt, quòd, cùm Dominus Petro dixiſſet: Ioan. 21.
ſequere me, conuerſus Petrus vidit Ioannem ſequentem: 19.
etenim Chriſtus non vocaucrat Ioannem, ſed Petrum, & tamen Ioannes non vocatus ſequitur Chriſtum, quia ſicut ignis nulla vi compulſus, ſurſum in ſuam ſphæram propria quadam intentione, & amore naturali ſeu pondere tendit; ſic ad Chriſtum ignitus Ioannes properabat. *Amor meus pondus meum* (ait S. Auguſtinus) *eo feror, quòcumque feror*; amore igitur ardentiſſimo Chriſti ferebatur Ioannes. *No ay piedra iman, que aſi lleue tras ſi al yerro, como el amado lleua tras ſi el amante*; quamobrem non eguit Ioannes præcepto ſequendi Chriſtum: nam amor ſemper ad Chriſtum eum ferebat, & Chriſtus eum ad ſe rapiebat. vnde neque in cru-

ce, in qua ab alijs diſcipulis derelictus fuit, Ioannes Christum Dominum dereliquit. *no le consentia el amor perderlo de vista, ni en vida ni en muerte.*

Ex hoc autem ardenti amore, quo S. Ioannes Christum amabat, colligi poteſt dolor, quem in paſſione Domini, maximè iuxta crucem, paſſus fuit, ſuppoſito quòd de amante dixit Plato, ſcilicet, *amore captus, in proprio corpore mortuus eſt, & in alieno viuit.* Ita ille. Quod alijs verbis dicere ſolemus, ſcilicet, *Qui amat, magis eſt, vbi amat, quàm vbi animat*; anima ergo S. Ioannis magis erat in Chriſto, quàm in ipſo Ioanne: cùm igitur flagellabatur Chriſtus, ibi flagellabatur anima S. Ioannis; Chriſtus igitur patiebatur in corpore, & Ioannes tunc patiebatur in anima.

Præterea, excellentia S. Ioannis Euangeliſtæ conſtat ex nominibus, quibus Sancti eum honorare, & decorare contendunt. S. Dionyſius Areopagita vocat eum *ſolem Euangelicum*, quia ſicut ſol illuminat non hanc, vel illam tantùm mundi plagam, ſed mundum B vniuerſum, ſic S. Ioannes mundum illuminauit vniuerſum doctrinâ ſuâ. Sanct. Chryſoſtomus vocat eum *magiſtrum Angelorum* propter rationem ſuperiùs dictam. Sanctus Petrus Damianus appellat eum *linguam Spiritus ſancti*, quia ſecretiſſima myſteria per eius linguam reuelauit mundo Spiritus ſanctus. Chriſtus Dominus vocauit eum filium tonitrui: fulgur eſt filius tonitrui, vnde propter ſplendorem magnum ſapientiæ, & doctrinæ ſuæ dictus eſt S. Ioannes, filius tonitrui: Ipſe verò Ioannes honorabile nomen habet. vocatur enim Ioannes, quod interpretatur *gratioſus*, nec ſine ſpeciali Dei prouidentia: in oculis enim Dei gratioſiſſimus, & gratioſus valde fuit, vt conſtat ex magnitudine, & multitudine gratiarum, quibus eum Deus ornauit. Denique vocatur in Euangelio *diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus*, & quamuis ipſe met Ioannes fuerit, qui hoc ſe nomine vocauit, à Deo factum eſt illud: nam lingua eius calamus erat ſcribæ veloci- C ter ſcribentis, lingua, (inquam) Spiritus ſancti fuit. dictante quippe Spiritu ſancto hoc ſibi nomen adſcripſit. *Y aſi llamarſe a ſi, es Euangelio*, in quo quidem maximè apparet, quanta fuerit humilitas, & ſanctitas eius, cùm ſine timore tumoris, & iactantiæ, ſibi à Deo commiſſum fuerit, quòd tam ſublime ac excellens nomen ipſe impoſuerit ſibi, quamuis, vt dictum eſt, non tam à ſe, quàm à Spiritu ſancto fuerit iniunctum. Hoc autem nomen adeò ſublime, & excelſum eſt, vt ſicut omnia flumina, cùm intrant in mare, nomina amittunt propria, & iam non Dorix, aut Nilus, &c. nuncupentur, ſed mare; ſic omnia Ioannis nomina, cùm ad nomen hoc dilecti à Deo perueniunt, ibi ſiſtunt, & in hoc nomen *dilecti à Deo* conuertuntur. *En entrando en eſto mar de llarmarle Dios, ceſan los nombres de las otras grandezas, que en el hauia*; & eapropter in ſubſcriptionem inſignium ſuorum huiuſmodi nomen accepit. *tiene San Iuan Euangeliſta por armas vn aquila, y por timbre, y* D *por blaſon eſta letra, diſcipulus ille quem diligebat Ieſus.* Dices, nónne ceteros diſcipulos diligebat etiam Ieſus? ita quidem: nam ceteris quoque dixit: *Vos amici mei eſtis.* cur ergo dilecti nomen ſibi vſurpauit? abſit, non vſurpauit, ſed à Domino illud accepit, quod & tradidit nobis. cur autem Dominus illud ſpeciatim tribuit ei? quia, vti ait S. Thomas, illum præcipuo amore diligebat. nec modò amorem Ioannis ceteris anteferre decerno, ſed id affirmo, ſpeciali quodam genere amoris illum Dominum amauiſſe.

Ioan 15. 14.

Diſputant Sancti, & Theologi, vtrum Petrus ampliùs diligeretur à Chriſto, quàm Ioannes Euangeliſta, an verò è contrà? S. Thom. 1. part. quæſt. 20. art. 4. ad 3. ſic reſpondet: Hæc dubitatio de Petro & Ioanne multipliciter ſoluitur: Auguſtinus enim tract. vlt. in Ioannem, refert hoc ad myſterium, dicens, *Quòd vita* A *actiua, quæ per Petrum ſignificatur, plus diligit Deum, quàm vita contemplatiua, quæ ſignificatur per Ioannem, quia magis ſentit præſentis vitæ anguſtias, & aſſuantius ab eis liberari deſiderat, & ad Deum ire; contemplatiuam verò vitam Deus plus diligit, quia magis eam conſeruat: non enim finitur ſimul cum vita corporis, ſicut actiua. Quidam verò dicunt, quòd Petrum plus dilexit Chriſtus in membris, & ſic etiam a Chriſto plus dilectus fuit: vnde ei Eccleſiam commendauit. Ioannes verò plus dilexit Chriſtum in ſeipſo, & ſic etiam plus ab eo fuit dilectus: vnde ei matrem commendauit. Alij verò dicunt, incertum eſſe, quis plus horum dilexerit in ordine ad maiorem gloriam vitæ æternæ, ſed Petrus dicitur plus dilexiſſe, quantium ad quandam promptitudinem, vel feruorem, Ioannes verò plus dilectus, quantium ad quædam familiaritatis indicia, quæ Chriſtus ei magis demonſtrabat, propter eius puritatem. Alij verò dicunt, quòd Chriſtus plus dilexit Petrum, quantium ad excellentius donum charitatis, Ioannem verò plus, quantium ad donum intellectus: vnde ſimpliciter Petrus fuit melior, & magis dilectus; Ioannes verò ſecundùm quid. Præſumptuoſum autem videtur hoc diudicare, quia dicitur:* Spiritum ponderator eſt Dominus, *& non alius.* Ita S. Thomas. Ab hac igitur comparatione ſuperſedeamus, & ſatis nobis ſit ad honorem S. Ioannis, quòd in controuerſiam venerit, quem ampliùs dilexerit Deus, principem Eccleſiæ ac Vicariũ primum Chriſti, Petrum, an ipſum. Et S. Bernardus quæſt. 25. ait: *Petrus diligebat feruentiùs, & ideo diligebatur fortius; Ioannes amabat dulciùs, & ideo diligebatur familiariùs.* Ita S. Bernardus. *Prou. 16.*

Vnde rectè ſecundùm hanc S. Bernardi ſententiam poſſumus affirmare, fuiſſe S. Ioãnem Chriſti Beniamin: de Benjamin autem ſic prophetauit Moyſes ante mortem ſuam: *Benjamin amantiſſimus Domino, habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* ſcio hîc loqui Moyſen de tribu Benjamin, ſed, vti ait Gloſſa ordinaria, alludere videtur ad Benjamin, quem vnicè diligebat Iacob: ego autem ſimiliter ad Ioannem Euangeliſtam alluſiſſe cenſeo: ipſe enim amantiſſimus Chriſti fuit, qui confidenter habitauit in Chriſto, cùm in cœna ſuper eius pectus recubuit, qui amantiſſimus Dei dicitur ob ſpecialia ſigna amoris, quæ erga ipſum exhibuit Chriſtus. *Deut. 33. 12.*

Hinc procedebât aſſidui fauores Chriſti erga Ioannem: ſi enim in montem Thabor transfigurandus aſcendebat, & tres tantùm diſcipulos ſecum ſumere volebat, vnus ex tribus Ioannes fuit; ſi nonnullos ſecum ducere ad reſurrectionem filiæ Archiſynagogæ, Ioannes vnus ex eis fuit; ſi ſecum tres comites ad hortum, vbi oraturus erat, Ioannes ſimiliter inter eos aſcitus fuit; ſi in cruce moriturus vnicum ex Apoſtolis adeſſe iuxta crucem voluit, Ioannes ille fuit. ſemper & vbique ſocius Chriſti Ioannes, quia *erat diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus.* Timebant reliqui, ideo accedere trepidabant, & ideo Chriſtus eos abeſſe permiſit: at ſeruens charitas Ioannis foras mittebat timorem, & ideo vſque ad crucem, & vſque ad ingentes dolores, quos ibi patiebatur, Chriſtum ſequebatur. Sicut r. Regum 14. armiger Ionathæ Ionatham ſequebatur per aſpera loca illa: *Erant autem inter aſcenſus* (ait Scriptura) *per quos nitebatur Ionathas tranſire ad ſtationem Philiſtinorum, eminentes petræ ab vtraque parte, & quaſi in modum dentium ſcopuli hinc & inde præcipitia.* & ſubdit: *Aſcendit autem Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius poſt eum.* Fidelis armiger hic fidelitatem Ioannis exprimit nobis; arduus erat aſcenſus montis Caluarij tunc diſcipulis Chriſti, ſcopulis vt dentibus, & periculis plenus; aſcendit tamen Chriſtus, aſcendit velut armiger eius, ſimiliter & Ioannes, fidelis amans, qui nullo mortis periculo ductus, ſicut reliqui recedere voluit. Petrus quidem tunc ſequebatur Chriſtum, ſed à longè: *diſcipulus* autem *ille, quem diligebat Ieſus*, iuxta crucem cum eius ſtabat matre. *Verſ. 9.*

Diſcipulus (inquit) *erat, quem diligebat Ieſus.* Sicut in curia

curia Rex equites varijs appellationibus nominare solei, hunc scilicet comitem, illum marchionem, illum verò ducem, illum principem, &c. sic Deus etiam varijs nominibus, & honorificis suos solet appellare, hunc scilicet prophetam, illum Apostolum, illum verò Euangelistam, &c. Nomina quidem hæc gloriosa sunt : at gloriosius multò nomen dilecti Dei, sine quo reliqua parui momenti sunt : hoc verò sine reliquis maximi supra modum, reliqua, inquam, parui momenti, quia vti ait Apost. 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habuero*, &c. *nihil sum*, at qui à Deo dilectus est, multum quidem est.

Plato in Conuiuio inter requisita ad felicitatem vitæ huius, fidelem aliquem amicum constituit, cum quo arcana pectoris sui conferre quis posset. *Quid* (inquit) *melius accidere potest alicui, quam optimus amator, aut amatori, quàm optimus amatus, non inuenio.* Ita ille. Hinc est, quòd, si quis omnium voluntates, & pectora nosset, & ei daretur optio eligendi, quem vellet in amicum, illum eligeret sine dubio, qui optimus vir esset : & similiter si volenti aliquem amare, talis notitia, talisque optio quoque daretur, illum etiam eligeret, quem omnium optimum esse sciret. nemo enim rem adeo pretiosam, qualis amor est, nisi optimo in loco vellet collocare. Cùm igitur Christus Dominus omnium semper nouerit corda : Deus enim est, & possit eligere, quem vellet, in dilectum elegit Ioannem speciali quadam dilectionis ratione ; quem ergo dices Ioannem fuisse ?

Considera, quæso, speciatim omnes tres sanctissimæ Trinitatis personas, & inuenies vnamquamque illarum, specialem aliquem ex nobis in dilectum elegisse. Pater quidem elegit Christum : vnde, & Matth. 3. 17. sic de Christo Pater : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Ecce dilectum Patris. Spiritus sanctus Mariam in dilectam sponsam elegit : vnde sæpe hoc nomine in Canticis canticorum vocatur : *Sponsa* (inquit) *mea, dilecta mea*, &c. Filius autem Dei, homo factus, in specialem dilectum Ioannem elegit : *hic* enim *est discipulus ille, quem diligebat Iesus.*

Cognouerunt quidem huiusmodi amorem Christi erga Ioannem ceteri Apostoli : nam cùm diceret Christus Dominus : *Sic eum volo manere, donec veniam, exijt sermo inter fratres, quòd discipulus ille non moritur, & non dixit Iesus, non moritur, sed, sic eum volo manere, donec veniam.* cur igitur rem adeo peregrinam, & præter omnem vsum, & consuetudinem Dei cogitarunt ? nimirum, quia discipulus ille erat, quem diligebat Iesus, in tantum vt existimarent Ioannem à Deo immortalem redditum fuisse, quod à sæculo non erat auditum.

Olim quidem apud Gentiles, cùm hominem aliquem excellenti animo, & magnis pollentem virtutibus, & donis præclaris exornatum videbant, immortalem illum faciebant, dignum scilicet qui nunquam morti subiaceret : discipuli quidem Christi talem, ac tantam de B. Ioanne conceperant opinionem, vt, si non per naturam, per gratiam eum immortalem censerent.

Quantùm autem Ioannes Euangelista dilexerit Christum, (in quo perfectio nostra consistit) ex eo maximè deduci potest, quòd ipse Christus dilexerit eum, vt nomen illud mereretur accipere, nempe, *discipulus ille, quem diligebat Iesus : Ego enim* (ait Deus) *diligentes me diligos* : vnde ex magnitudine amoris Dei erga Ioannem, amorem Ioannis in Deum perpendemus. Nam defectus cuiusuis obsequij in Deum, amore quidem compensari potest ; nam qui v.g. ob paupertatem eleemosynas dare pro Deo nequit, vel ob infirmitatem ieiunare non potest, amore, & bona voluntate id præstando supplebit : at defectus amoris nullo pacto suppleri valet. Et hic est sensus illorum verborum : *Si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Cuius sensus est, si pro dilectione Dei dederit homo omnem substantiam domus suæ, & non simul amauerit Deum, quasi pro nihilo reputabit Deus hanc omnem substantiam eius. Ita interpretatur Beda, & alij. *Cant. 8. 7*

Præterea, *hic est discipulus ille, qui supra pectus Domini in cœna recubuit.* Singulare hoc Dei beneficium, & priuilegium Ioannis perpendamus. Originale Græcum hic sic habet : *Supra pectus Domini in cœna cecidit seu deliquium passus est* : hoc est, in ecstasim raptus est. Rupertus super Apoc. cap. 1. affirmat, Ioannem Euangelistam in raptu isto diuinam essentiam vidisse, sicut de Paulo in raptu suo affirmat S. Augustinus, & de Moyse etiam alij idem aiunt, quando in monte cum Deo quadraginta diebus conuersatus est. quibus tantum beneficium concessisse Deum asserunt, quia vterque magister Ecclesiæ Dei futurus erat, Moyses quidem Synagogæ ; Paulus autem Ecclesiæ Christianæ. cùm igitur Ioannes Euangelista præcipuus futurus erat, & tanquam sublimis Ecclesiæ Dei magister, mysterium Trinitatis edocturus, quidni sicut illi, sanctæ Trinitatis arcanum clara visione percepisset.

Sed re dubia interim relicta, hoc certum est hoc miro Ioannis recubitu amorem Christi in eum mirè resplenduisse. Olim in lege Veteri summus Sacerdos super pectus suum nomina tribuum filiorum Israel deferebat, quando scilicet ad offerendum pro eis sacrificium pergebat ; quo significare volebat, se intimo cordis affectu filios Israel diligere ; & amore ductum pro eis Domino sacrificium offerre. Ad offerendum se pro nobis in sacrificium, Christus Dominus pergebat, cùm supra pectus suum, non quidem nomen Ioannis, sed Ioannem ipsum recepit, vt affectum intimum suum erga ipsum demonstraret, & quòd præcipuè ad sacrificandum pro ipso speciatim pergebat ad crucis aram. Vide quanto amore Christus Ioannem diligebat, nónne meritò appellari potuit *discipulus ille, quem diligebat Iesus ?* *Exod. 28.*

Præterea, vide, quàm altè, ac sublimè aquila hæc nostra volauit : Paulus quidem vsque ad tertium cœlum, sed nostèr Ioannes vsque ad pectus Christi, quod cœlis omnibus altius est. Qui bene pastus est, non mirum si bene pariter bibat : comederat Ioannes agnum paschalem, in victum receperat Eucharistiam, nunc verò supra Domini pectus recumbens, ad fontem aquarum viuentium accedens, dulcissimo potu fruebatur, &, vti ait Sanct. Gregorius Nyssenus oratione 1. super Cant. veluti spongia quædam in se aquam illam plenè recipiebat, quam postea in vniuersam exprimeret, & transfunderet Ecclesiam Dei. Ferculum sibi fecit Salomon pretiosum, in quo reclinatorium aureum constituit, sed quid reclinatorio aureo cum reclinatorio pectoris Christi ? illud quidem aureum, sed hoc diuinum est, imò Deus est. etenim ô B. Ioannes, tu de te iam dicere non potes : *Vulpes foueas habent, & volucres cæli uidos*, Ioannes autem non habet, vbi caput suum reclinet ; habes profectò, & plusquam habes, habes, inquam, dominicum pectus, vbi caput tuum felicissimè reclines. *Matth 8. 20.*

Vt ad mores autem reclinatorium hoc referamus, disce nunc Christiane, vbi & tu reclinare debeas caput tuum. diues in diuitijs requiescere quærit, & in dignitate, qui in ea est constitutus, in litteris sapiens, in victoria miles, in lucris mercator, in delicijs sensualis, tu, si sapis, tu, si Christianus verè esse, ac perfectè cupis, in Christo : tunc enim dicere valebis : *In pace in idipsum dormiam, & requiescam* : nam in sæculi bonis, & maximè in peccatis, nulla est pax : *Non* enim *est pax impijs*, dicit Dominus : in mundo (inquit) pressuram habebitis, in me autem gaudium, nec non & pacem, quam *Prou 8. 17.* *Psal. 4. 9.*

gaudium verum comitatur. Spinas & tribulos inueniunt, qui in mundo pacem, & animi tranquillitatem quærunt: pax autem Dei (quæ exuperat omnem ſenſum) in Chriſti pectore inuenitur, ſicut inuenit Auguſtinus, qui lib. 9. Confeſſ. cap. 4. & lib. 12. cap. 7. dicebat: *Dulceſcere mihi cœperas, & dederas lætitiam in corde meo, & clamabã clamore alto cordis mei: O in pace, ô in idipſum, ô quid dixi? obdormiam, & ſomnum capiam:* Ita Auguſtinus. idem de S. Ioanne, &c.

Præterea, quàm confidenti amore dilexerit Ioannes Chriſtum Dominum, tum ex audacia, quâ interrogare auſus fuit Chriſtum: *Quis eſt qui tradet te?* quod nullus ceterorum Apoſtolorum auſus fuit interrogare, conſtat, & ſimiliter ex reſponſione Chriſti indicantis ei, quiſnam eſſet. Quod, vt meliùs intelligamus, notare debemus, Chriſtũ Dominum ſollicitum fuiſſe, peccata peccantium tegere, ac celare, vti Ioan. 8. conſtat, vbi Dominus malitiam cordis eorum, qui adulteram accuſabant, ſcribebat, & peccata, quæ vnicuique ſibi conſtabant, &, vt eo modo faciendi conſtat, noluit palam illis indiſcriminatim omnium eorum crimina propalare, ſed vnicuique ſigillatim ſua: & ideo confuſi omnes vnus poſt alium abierunt. cur non publicè eos arguit? quia noluit, vt vnus alterius peccata noſſet. Nunc ad rem noſtram accedamus, in cœna illa vltima dixit Chriſtus Iudæ: *quod facis, fac citiùs.* Audierunt hoc reliqui Apoſtoli, ſed quid ſibi Dominus vellet, ignorabant: ſic enim ait Euangeliſta Ioannes: *Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium, ad quid diceret ei: quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixiſſet ei Ieſus: eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum, aut egenis vt aliquid daret.* Cùm Chriſtus id propterea dixerit ei, quòd Iudas vellet tradere eum: in communi verò dixit: *Vnus veſtrum me traditurus eſt*: at in particulari quiſnam eſſet, noluit eis indicare, quia mos illi talis erat, ne aliena peccata manifeſtarentur, & ideo nemo audebat eum ſuper re hac interrogare. ſed cùm familiaritatem Ioannis cum Chriſto ſcirent, innuit Petrus Ioanni, quis eſt, de quo dicit, vt ſcilicet id quæreret à Chriſto Domino. ſic enim ſecum Petrũs tacitus cogitauit, defectus alienos Chriſtus nulli manifeſtare ſolet, quòd ſi alicui hoc crimen manifeſtaturus eſt, Ioanni manifeſtabit; voluit igitur innuere illi, vt interrogaret hoc à Chriſto: quod & præſtitit Ioannes, dicens Chriſto: *Domine, quis eſt ille?* Cui Dominus: *Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero,* & cùm intinxiſſet panem, dedit Iudæ. Sic Ioanni per ambages crimen illud manifeſtauit, & non alteri, quaſi Ioannes maximè à ſecretis illius eſſet, & magis familiaris. Vbi etiam in honorem Ioannis id maximè obſerua, quòd cùm iam Ioannes hoc indicio noſſet traditorem, noluit vel ipſi Petro id reuelare, cùm quidem dentibus illum diſcerpere vellet, ſi fas illi eſſet, & cùm tanto cordis dolore teneretur, & iuſtiſſimâ irâ aduerſùs Iudam excandeſceret, tacuit, & dixit cum propheta: *Secretum meum mihi.* Quis non miretur fidelitatem Ioannis? Si Rex alicui diceret familiarium ſuorum, ſcito, quòd aduerſùm me ille, vel ille mortales inſidias parat: tu verò tace, moriatur in te ſecretum hoc; ſi familiaris ille remedium adhibere optans, nihilominus dolens taceret iuxta Regis decretum, nónne fideliſſimum ſecretarium illum eſſe diceres? talis fuit Euangeliſta Ioannes: vnde meritò diſcipulus erat, quem diligebat Ieſus.

Præterea, aliud Ioannis, & maximum priuilegium obſerua, quòd ſecundum filiũ Matris ſuæ adoptauerit eũ Chriſtus, dicens in cruce: *Ecce mater tua,* & Matri: *ecce filius tuus.* Quis pro dignitate dignitatem hanc Ioannis valeat æſtimare? ſi ſeruum Matris illum conſtituiſſet, feliciſſimum Ioannem diceremus, quid cùm, non ſeruum, ſed filium; & per conſequens, fratrem Chriſti? Angelum inuiſibilem ex his, qui ſuperiores in cœlo ſunt, tribuit Chriſtus matri. Voluit autem alium ſibilem Angelum tribuere ei, & hic fuit Ioannes: hinc qualis quantuſque ſit Ioannes, animaduerte.

Guerricus Abbas ideo ait, Matrem ſuam Ioanni commendaſſe, vt tali filio ſic per Chriſtum adoptato, dolorem Matris, ob abſentiam Chriſti, temperaret, & in ſolitudine ſua Matri ſolatio eſſet. verba Guerrici ſunt, *Vt mater ſemper ſuſpirans filium, in dilectum filij ſuauiùs reſpiraret.* Fuit autem S. Ioannes, vti ait Sanct. Ambroſius ſuper Lucæ cap. 18. *Capellanus B. Mariæ, qui ei ſacramentum Euchariſtiæ miniſtrabat.* Hinc deducere licet ſanctitatem, & perfectionem B. Ioannis: ſi enim conuerſatio cum viro ſancto aliquo plurimùm ad perfectionem conducit, aſſidua converſatio Ioannis cum Dei Matre, quantùm ei ad ſanctitatis conducebat perfectionem?

Denique, tanquam vltimum priuilegium conſtituamus ei quòd in corpore, & anima in cœlo iam ante generalem omnium reſurrectionem regnat, nec fuiſſe in cinerem converſum. Nam ſi licuit Apoſtolis exiſtimare Sanct. Ioannem mortem euaſiſſe, vti ſuperiùs adnotauimus, multò meliùs licebit nobis opinari non fuiſſe in puluerem redactum: mortuum quidem fuiſſe ob generalem omnium legem: nam Chriſtus mortuus fuit, & Mater eius ſanctiſſima: at fuit ſtatim à mortuis excitatus, & anima eius corpori vnita ſtatim cœlos aduolauit. nec leue huius rei argumentum eſt, nullas ſui corporis reliquias in terris inueniri: neque enim credibile eſt, Deum Eccleſiam ſuam tanto bono priuare voluiſſe, ſi in terris eius corpus remanſiſſet, maximè cùm aliorum minorum ſanctorum reliquias conceſſerit nobis.

Secundam partem laudum S. Ioannis adijciamus. S. Chryſoſtomus homil. 1. in Ioannem: *Sanctiſſimus Ioannes* (inquit) *admirationis plenus, arcano redundans ſuit, el Sanctiſſimo Euangeliſta San Iuan es vna coſa lleua de admiraçion, es vna muruailla de dios, es vna colmena colmada de ſabi duria.* Et ſubdit: Huic Apoſtolo ſuperne virtutes affluerunt, pulchritudinem eius animæ, ſapientiam, & ſpeciem virtutis admirantes: quænam igitur erit pulchritudo illa animæ, ſapientia, & virtus, quam ſupernæ illæ virtutes cœlorum admirantur? De Ioanne Baptiſta inquit Euangeliſta: *Fuit homo miſſus à Deo,* quaſi dicat: Tantus eſt Baptiſtæ fulgor, tantus ſanctitatis ſplendor, vt pluſquam hominem eſſe aliquis forte cenſeat: at homo verè, homo quidem Angelicus, ſeu Angelus humanus, hic enim eſt, de quo Dominus per Malachiã, ait: *Ecce mitto Angelum meum,* &c. Idem etiam Origenes de Sancto Ioanne Euangeliſta inquit: Hic pluſquam homo eſt; nam licet homo, & non Angelus eſſet, puritate tamen, ſanctitate, & ſapientiã tantus fuit, vt homo Angelicus, vel Angelus humanus dici poſſit.

Ecce mater tua. Beneficium iſtud perpendamus. Magnum quidem beneficium fuit, quod Chriſtus exhibuit Petro, cùm illi Eccleſiæ vniuerſam commendauit, minus videtur ſolam virginem Ioanni commendaſſe; ſed hoc neceſſariò fatendum eſt, dulcius hoc, & ſuauius beneficium extitiſſe, ſicut ſi Epiſcopus alicui beneficium Curatum prębeat valoris magni, alteri verò beneficium quoddam ſimplex minoris valoris ſine vlla animarum cura, qui Curatum accepit, maius beneficiũ habet, quantùm ad ſumptus, & prouentus, at maioribus etiam curis, & laboribus refertum, oportet enim illum nimis inuigilare ſuper cuſtodiam gregis, ſacramenta adminiſtrare, ſubditos admonere, peccantibus remedia præſtare: quod multis difficultatibus plenum eſt, morientibus etiam aſſiſtere, bonos promouere, orationibus inſtare, &c. & qui beneficium ſimplex accipit, commodo & vtilitate beneficij fruitur ſine penſione laboris. Hoc igitur eſt diſcrimen inter beneficium Petri, & Ioannis, vt patet, &c. *era eſte beneficio bocado ſin hueſo.*

Ioan. 21. 20.

Cap. 13. 28.

Ioan. 13. 21.

Ibid. 26.

Ioan. 1.

Malach. 3.

Iſai. 24. 16.

Ioan. 19. 26.

Præ-

Præterea ponderandum est, nomen illud, quod Christus Dominus tribuit Ioanni simul cum fratre, Boanerges filius tonitrui, id est, tonantes in mundo, sicut tonat, & sonat tonitruu. Fuit quidem Ioannes Baptista vox Domini appellatus: at Ioannes vox Domini, non quomodocumque, sed vox Domini tanquam tonitru; sonuit vox Ioannis Baptistæ in Iudæa: at vox Euangelistæ Ioannis tanquam tonitrui magni vox audita est per mundum vniuersum. Vnde Beda locum istum Marci 3. explicans, Ioannes (inquit) intonans, vocem Theologam, quàm nemo priùs edere nouit, emisit, dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, &c. Quàm tanto pondere grauidam reliquit, vt, si aliquantò plùs intonare voluisset, nec ipse mundus capere potuisset. Ita ille. Marc. 3. 1.

Item S. Anastasius lib. 3. de Incarnatione Verbi, Ideo (inquit) Ioannes filius tonitrui appellatus est, quia tonitru suæ Theologiæ sensum omnem, & sensibile supergrediens, prædicauit eum, qui in principio erat Verbum apud Deum. Hinc etiam S. Anselmus vocat eum *Buccinæ Apostolicæ clangorem, veluti fragore quodam tonitruali concrepantē.* Ita ille. Vnde sicut inter sonitus fragor tonitrui omnes excedit, sic etiam inter aliorum scripta, & voces prædicatorum, Euangelista Ioannes vehementiùs intonuit. B

Præterea, nonnulli filium tonitrui, idem quod fulmen à nube, velut à vento maris magno sonitu procedens esse aiunt, quasi filius tonans; fulmen autem sonitu suo omnes obstupefactos reddit. vnde sicuti referunt Plinius, & Valerianus, cùm Apelles Alexandrum in sua potentia effingere vellet, regio diademate redimitum, & fulmen manu tenentem depinxit, quò innueret, pauorem mundi illum extitisse; & meritò: nam & sacra Scriptura 1. Machab. 1. de Alexandro Magno agens, *Siluit* (inquit) *terra in conspectu eius.* Ioannes ergo filius tonitrui nuncupatur, quia prædicatione sua Euangelica mundum vniuersum obstupefecit. *Dio vna est ampida que espantò al mundo*, ideo Christus eum filium tonitrui vocauit. 1. Machab. 11. C

Hic autem quid? Cur non dixit Petrus: Ioannes autem quid? sed *hic autem quid?* Cur illud illustrissimum nomen Ioannis absconditi, & solùm dixit, *hic*, quod abiectionem quandam importare videtur? dicam. Huiusmodi pronomen *hic* aliquando contemptum, aliquando verò honorem, & æstimationem importat. De Christo æmuli eius dictant, *hunc nescimus, vnde sit*, Ioan. 9. *Hunc* vocauerunt Christum in eius contemptum, & despectum, at Ecclesiastici 31. de diuite, qui diuitias propter Deum contemnit ait: *Quis est hic, & laudabimus eum?* Hic (inquit) in laudem, & commendationem eius. Sic etiam Aristoteles (sicut referunt Criuitus, & Textor in officina sua) in sepulchro Platonis præceptoris sui hanc inscriptionem appositi: *Hic est ille, quem probi omnes*, &c. cur dixit *Hic*, quia magnum Philosophum aut Rhetorem, aut quid simile parum esse Platoni, existimauit; ideo *Hic* dixit, vt pronomine illo omnia eius nomina honorabilia includeret. Eodem stylo vsus B. Petrus sic Ioannem extollere voluit, dicens, *Hic autem quid?* quasi dicat: hic Apostolus sublimis, hæc aquila magnarum alarum, hic tonitrui filius, hic, is qui supra pectus Domini in cœna recubuit, hic discipulus ille, quem diligebat Iesus, &c. totum hoc importare videtur emphaticum pronomen *Hic*. Cùm filij Israel manna è cœlo ipsis missum cernerent, admiratione magna cibi noui detenti, se mutuo respicientes dicebant: *Man hu*, quòd est hoc? Vbi nota, quòd ex tali admiratione nomen hoc manna illi imposuerunt, & postea hoc nomen illi reliquerunt, maximè ex hoc in admirationem ducti, quòd omnis saporis suauitatem in eo experti fuerunt. *& ideo vocetur* (inquiunt) *semper cibus hic, quid est hoc?* sic cùm Ioannes omnis admirationis causam in se complectatur, meritò vocari potest nomen eius: *Hic autem quid?* Iacob. Ioan. 21. 1. Ioan. 9. 29. Eccles. 31. 9. Exod. 16. 15. D

Quanta verò fuerit excellentia sapientiæ eius, non solùm ex Sanctorum encomijs, verùm etiam ex gentilium sapientum sententia colligi potest: illi enim ad cœlum vsque nostri Ioan. sapientiam extulerunt, vti referunt Sanct. Basilius, S. Chrysostoma. S. Cyrillus Alexandrinus & Eusebius Cæsariensis, & præterea S. Augustinus refert, se in quibusdam libris Platonicorum inuenisse, principium Euangelij S. Ioan. dignum esse, quod litteris aureis in ianuis omnium diuinorum librorum inscriberetur, vbi homines illud legere, eoque potiri possent.

Etenim cùm pictor aliquis excellens, & famâ celebris imaginem aliquam communem depinxit, quæ scilicet non sit magno cum studio elaborata, nomen suum in ea scribere dedignatur; quamuis illa inter communes contemptibilis non sit: nam licet illa ex nomine authoris nonnihil decoris, & valoris acquirat, authori ipsi nihil inde famæ, honorisve accrescit, *ganaria ella por el author, però el author nada ganaria per ella*, at cùm imago ipsa affabrè, & magno cum artificio elaborata est, libenter author nomen suum in ea subscribit, verbi gratiâ, Apelles, inquiens, me fecit. Magnus Euangelista fuit Ioannes, & Abulensis *maximum Euangelistarum eum* vocat, hic igitur tantus Euangelista post sanctissimum Euangelium à se conscriptum in fine subscripsit: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibuit de his, & scripsit hæc.* Dixerat iam de se, & postea subdit, Ioannes me fecit. Quantâ igitur sapientiâ conscriptum dices Euangelium Ioann. Vbi obseruandum est, quòd in alijs libris in principio solet apponi authoris nomen, scilicet, opera S. Augusti. opera Sanct. Ambrosi. opera S. Chrysost. &c. vt scilicet ex authoris nomine, quàm præclara sint opera illa, eliciamus, Ioannes verò noster non in principio, sed in fine Euangelij nomen suum subscripsit, quia tam excelsa & sublimia de Deo, de sanctissima Trinitate, de Incarnatione verbi, de doctrina Christi, miraculis, operibus, passione, & resurrectione eius conscripsit, vt inde sibi maximam nominis sui gloriam fuerit assecutus, & ideò priùs opus suum Euangelium compleuit, & vltimo loco dixit: *Hæc est discipulus ille, qui scripsit hæc.* Ioan. 21. 24.

Refert Metaphrastes in vita Sanct. Ioan. Euangelistæ, quòd, cùm Ioannes scribere Euangelium decerneret, cum Procopio vno ex septem Diaconibus, se in monteu altum recepit, & Ioanne in profundissima quadam contemplatione constituto, cœperunt audiri tonitrua: tremebat Procopius, sed Ioannes securitate quadam magna fruebatur, interim tonitruum magnum insonuit, & audita fuerunt verba hæc simul cum fragore illo: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & inde auspicatus est Ioannes Euangelium suum. Ioan 1. 1.

Hinc est, quòd Ezechielis primo inter reliquos Euangelistas aquilæ symbolum tenet, de qua Ezechiel: *Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Vnde Sanct. Gregorius: *Locus aquilæ non iuxta, sed desuper esse describitur, quia Ioannes Verbum Patris dum apud Patrem esse denunciat, super ceteros Euangelistas virtute contemplationis excelluit.* Ita Sanctus Gregor. Vnde Origenes homilia vigesima prima ex varijs, *Paulus* (inquit) *raptus est in tertium cœlum, sed non est raptus super omnes cœlos; Ioannes verò omne cœlum condit um, & omnem creatum paradisum, hoc est, omnem humanam, & Angelicam transgreditur naturam.* Ita ille. Aquila quidē super reliqua volatilia altiùs volat: sic etiam Ioannes super reliquos Ecclesiæ Doctores, & Euangelistas; quod enim altius, quàm mysterium Trinitatis? quòd sublimius, quàm productio diuina Verbi ex Patre? Hanc attingit Ioannes, hanc nobis scriptā reliquit, &c. &, in hoc etiam meritò aquilæ comparatur, de qua Philosophi naturales aiunt, quòd non solùm Ezech. 1. 10.

ſolùm ipſa potitur venationibus ſuis, verùm etiam eas communicat auibus alijs, ſic aquila hæc diuina non ſibi ſoli reſeruauit, ſed vniuerſo mundo, quæ ex diuinis venatus eſt. Etenim Paulus reſcio quid viderit in raptu ſuo, hoc vnum ſcio, quòd dixerit ipſe, primo Corinthiorum duodecimo: *Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui*, quaſi dicat: ſecretum meum mihi, ſecretum meum mihi: at Ioannes quid non ex altiſſimis reuelationibus ſuis nobis impertitus eſt, tam in Apocalypſi, quàm in Euangelio ſuo?

2 Cor. 12. 4.

Quanta verò fuerit diuina prouidentia in Sanctum Ioannem, ex verbis Chriſti colligi valet. Interrogauerat Petrus Chriſtum: *Domine, hic autẽ quid?* cui Chriſtus: *Quid ad te?* nónne Petrus interrogauit, ille (inquam) qui in totius Eccleſiæ paſtorem, & in vicarium Chriſti iam deſignatus, & conſtitutus erat? cur igitur ait: *quid ad te?* quid? multùm per omnem modum: nam ad paſtorem pertinet cura de ouibus ſuis: ergo cùm Petrus paſtor eſſet, cura Ioannis ad illum pertinebat; cur ergo ait: *quid ad te?* nimirum, quia euentus rerum Ioannis tanti momenti erat, vt ſibi eum reſeruauerit Dominus. *Quid* (inquit) *ad te?* ad me attinet cura iſta, ſcio ego, prouidebo ego, *tu me ſequere*, relinque mihi ſollicitudinem euentus Ioannis; nam quid de illo futurum ſit, ſigillaui ego in theſauris meis. Hinc quanta fuerit celſitudo Ioannis, colligere valemus: nam, vti dicere ſolemus, quæ ſupra nos, nihil ad nos,

B

Circa mortem eius, quid factum ſit, videamus. Forſitan Sanctus Petrus de morte Ioannis interrogauit, cùm dixit Ioannis 21. *Hic autem quid?* Sanctus Hippolytus Martyr oratione de conſecratione, affirmat Ioannem non eſſe mortuum, ſed tranſlatum, vt cum Elia, & Enoch aduersùs Antichriſtum procedat: nec leue ad hoc fundamentum præbent verba illa Dei ad Ioannem, Apocalypſis decimo, *Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, regibus multis*, &c. Sed tamen Sanctus Hieronymus, Sanctus Auguſtinus, Sanctus Epiphanius, Sanctus Chryſoſtomus, Tertullianus, Euſebius Cæſarienſis, Beda & alij affirmant, mortuum fuiſſe, & nonnulli inſuper addunt illico ipſum reſurrexiſſe, & ſic corpore ſimul cum anima in cœlum aſcendiſſe. Ita ſentiunt Sanctus Thomas, & Petrus Damianus, & Nicephorus Calixtus, & id etiam ſentire videntur Sanctus Hieronymus, ſerm. de Aſſumptione, & Sanctus Ambroſius, qui recitant hanc ſententiam, & non eam reijciunt; beneficium autem hoc adeo rarum & pretioſum eſt, vt nemini, præter Matrem Dei, conceſſum eſſe ſciamus.

Apoc. 10. 11.

C

Præterea, S Hieronymus refert aliquos dicentes, ex ſepulchro S. Ioannis manare quoddam admirabile manna; quid igitur mirabilius, quàm quòd, vbi putridi generantur vermes, inde ſuauiſſimum oriatur manna? Vt contaminationem cordis eorum, qui malè de proximis loquuntur, explicaret S. Dauid, *Sepulchrum* (inquit) *patens eſt guttur eorum*. Sepulchrum autem Ioannis ambroſiam quamdam cæleſtem emittit, quid ſublimius? Sepulchra quidem principum, & regum terræ, licèt exteriùs ſplendeant, & fulgeant ornatu magno, & decoro, interiùs tamen putrida, & horrenda cadauera claudunt: at ſepulchrum Ioannis non ſic, exteriùs ſplendebat, interiùs verò manna quodam diuino ſcatebat.

Pſ. 5 11.

D

Mors autem qualis, quæſo, fuit? Suidas, & Cedrenus, plùs quàm centum annos vixiſſe eum affirmant: Beda verò nonageſimum octauum annum attigiſſe ait, Vſuardus, & Baronius nonageſimum tertium. quomodocumque ſit, ſic factum refertur: reuelatum fuit tempus mortis ſuæ, & hora Sancto Ioanni, quæ cùm inſtaret, ſepulchrum aperire iuſſit diſcipulis ſuis, & poſt concionem habitam ad fideles, ſepulchrum viuens ingreſſus eſt, & facto ſuper ſe crucis ſigno, pallium ſuum ſuper ſepulchri pauimentum ſtrauit, & ſuper pallium corpus ſuum reclinauit, & ſtatim mira quædam lux è cœlo deſcendens, ſepulchrum repleuit, & tunc in pace ſpiritum reddidit Deo. Quis modò fidelium aſtantium fletum, & ſtuporem enarrare valet? quis cœleſtium ſpirituum gaudium, & exultationem explicare? quis celebritatem Sanctorum? nam martyres, tanquam martyrem, ſecum illum retinere volebant, virgines tanquam virginem, confeſſores tanquam confeſſorem, Apoſtoli tanquam Apoſtolum, Euangeliſtæ velut Euangeliſtam, prophetæ tanquam prophetam, ſed tamen quia tanquam Seraphinus quidam erat humanus, ad Seraphicum ipſum ordinem exiſtimo conſcendiſſe ipſum.

A

Nunc de eius nomine proprio videamus. Ioannes dictus eſt, Ioannes autem nomen Hebræum eſt, & ſignificat *grat oſus*. Etenim ſpeciali Dei prouidentia ſic nominatus eſt; nam id important nomen illud, *Diſcipulus ille quem diligebat Ieſus*: nam ſicut nos charitate diligimus Deum; ſic è conuerſo gratiâ ſuâ nos diligit Deus: gratia enim eſt præcipuus effectus amoris Dei erga nos. Eſt autem gratia inæſtimabile Dei beneficium, cum qua homo ſanctus, & feliciſſimus eſt, licèt nihil amplius ex omnibus rebus mundi huius habeat, ſine qua nihil eſt, licèt eis abundet. Quamuis enim quis ſapientiſſimus, & nobiliſſimus, & ditiſſimus ſit, & in regia, aut imperatoria dignitate conſtitutus; ſi gratiâ Dei careat, miſerimus prorſus eſt. cum gratia homo plùs quàm Angelus eſt, ſine gratia par dæmonibus erit, niſi ad gratiam reuertatur: qui gratiam habet, filius Dei eſt, & diuinæ conſors naturæ, licèt pauper ſit: qui verò ſine gratia eſt, inimicus, & hoſtis Dei eſt, & ſecundùm præſentem iuſtitiam damnatus, licèt Rex ſit. Vide, quanta res gratia ſit, gratiam autem quantam habuerit Ioannes, inde colligi poteſt, quòd propter eam (vti diximus) diſcipulus ille dictus ſit, quem diligebat Ieſus.

Ioan 21.

Diſputant nonnulli, an fuerit Martyr S. Ioannes; ego verò non verebor, plùs quàm martyrem illum appellare, Tacco tormentum illud lethale doliſ olei, cui ſe lætiſſimo animo obtulit S. Ioannes pro Chriſto, & ſolùm loquar de martyrio, quod paſſus fuit iuxta Domini crucem. Sanct. Hieronymus vocat B. Virginem pluſquam martyrem: cur ita? quia alij martyres in carne paſſi ſunt, ſed B. Virgo in anima interiùs, quod martyrij genus acerbiſſimum eſt. Alij martyres in corpore patientes, intus in anima conſolationem magnam vel ex eo ſentiebant, quòd pro Chriſti amore illa paterentur, vt patet in B. Laurentio, & alijs: at B. Maria animam grauiter vulneratam iuxta crucem Domini habebat. Quàm graue autem fuerit genus iſtud doloris, ex Chriſto Domino poſſumus coniectare: nam in horto nullus aderat hoſtis, cùm oraret, qui eum vulneraret. Vnde igitur ſudor ille ſanguineus? etenim ex martyrio animæ eius: tunc enim, non in corpore, ſed in anima patiebatur: vnde opus fuit, Deum Angelum mittere cum confortantem, cùm tamen, dum crucem ferret, non Angelus, ſed homo quidam, Simon Scilicet Cyrenæus, ſatis illi fuit ad leuamen. Quo ſignificare Dominus voluit, quantò grauius ſit martyrium cordis, ſiue animæ interiùs. Martyrium igitur Ioannis ſub cruce, martyrium cordis, & animæ fuit: nihil enim in corpore Chriſtus patiebatur, quod non reciperet in corde ſuo Ioannes. Et quidem alijs martyribus Deus ſolatium ferebat; Ioannem verò Deus ipſe torquebat, cùm ſic Chriſtum patientem videret.

B

Vnde non mirum, quòd in olei dolio non fuerit aduſtus, quia cinis non aduritur, eò quòd iam ſit perfectè aduſtus. Ioannes iuxta crucem Domini iam fuerat aduſtus, & combuſtus igne amoris, & doloris eximij: vnde non mirum, quòd poſtea non fuerit igneo illo balneo combuſtus.

C

Sequentem Ieſum. Etenim Petrus ſequebatur Ieſum,

D

ſum, quia dictum ei fuerat: *Sequere me*, Ioan. 21. Ioanni verò non ita dictum erat à Chriſto: *Sequere me*, cur igitur ſequebatur eum? Audi, cùm Rex iter facere parat, non omnes domeſtici eius eum comitantur, ſunt quidam ex illis nonnulli, qui aſſidui appellantur (*los continuos*) qui ſemper Regem ſequuntur, quòcumque ierit; ſunt verò alij, qui licèt domeſtici ſint, non ſemper illum comitantur; ſed cùm eis id fuerit iniunctum. Sic Chriſtum Dominum aliqui ſemper comitantur, quales illi ſunt, de quibus Apoc. 14. *Hi ſequuntur agnum, quocumque ierit*, virgines, ſcilicet. Hac igitur de cauſa Ioannes, etiam nō vocatus, ſequitur vbique Dominum; nam, vti ait S. Thomas, *virgo erat corpore, ac mente, y aſi era de los continuos.* Petrus ſequitur vocantem, & dicentem: *Sequere me*, Ioannes vocationem iſtam non expectat: ſequitur enim agnum quòcumque ierit, imò ſequitur vſque ad crucem inter reliquos diſcipulos ipſe ſolus, *Era ſan Iuan de los guzmanos del cordero, de ſus continuos.* *verſ. 4.*

Poteſt quidē optimè heroglyphicè depingi S. Ioannes Euangeliſta in herba ſolis, quæ Giganta ſolet appellari, cuius natura eſt ſemper reſpicere ſolem: vnde ſemper ſe in eam deflectit partem in terra, quà pergit ſol in cœlo: ſic B. Ioannes ſemper Chriſtum ſequebatur ab ortu eius in anima ipſius, vſque ad occaſum Chriſti in cruce. imò ſicut herba Solis ſolem quærit, dum non ſolùm ſol in noſtro verſatur hemiſphærio, verùm etiam poſtquam ad aliud tranſijt: ſic etiam S. Ioannes, non ſolùm Chriſtum, qui eſt iuſtitiæ ſol, dum viueret, ſequebatur, verùm etiā poſt occaſum. & mortem eius, cùm ſcilicet ad ſepulchrum curreret, & quidem citiùs Petro: herba enim ſolis erat. B

Et ſicut herba ſolis propter altitudinem ſuam Giganta nuncupatur; ſic velut gigas Ioannes in altum proceſſit, vt vſque ad Dei pectus peruenireet. Etenim Paulus ad alta pertigit, cùm in tertium procederet cœlum, ſed altiùs aſcendit Ioannes, cùm vſque ad pectus peruenerit Dei, quod cœlo quouis altius eſt. C

Præterea, herba ſolis coronā quādam pulchrā decoratur, quaſi regina inter reliquas herbas ſit: ſic inter Euangeliſtas Ioannes gloriā, & honore decoratur: aquila enim coronata inter aues incedit.

Præterea, quanta fuerit ſanctitas Ioannis noſtri, ex eo colligi poteſt, quod accidit ei Apocal. 22. vbi poſt viſiones illas ſublimes Apocalypſis, *Cecidi* (inquit) *vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat, & dixit mihi: Vide ne feceris: conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum prophetarum*, &c. duo hīc occurrunt difficilia. Primum eſt, quomodo Ioannes adorare voluerit Angelum, cùm ſcriptum nouiſſet Deuter. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies?* Dices, adorare quidem voluit, ſed non adoratione latriæ, Deo ſoli debita, ſed adoratione duliæ, quæ Angelis exhibetur? inde igitur ſecundā oritur difficultas; nam Angeli non recuſant hanc ſibi debitam reuerentiam, vt in Ioſue, & Abraham, & alijs conſtat, qui adorauerunt Angelos, & ab eis prohibiti non fuerunt; cur igitur huiuſmodi reuerentiam prohibuit Angelus? Hīc S. Auguſtinus, & S. Thomas affirmant, exiſtimaſſe quidem Ioannem Angelum hunc, non Angelum, ſed Chriſtum Dominum fuiſſe, & ideo voluiſſe eum adorare adoratione debita Chriſto Domino, atque ideo non admiſiſſe Angelum ſic ſe ab eo adorari, & propterea dixiſſe: *Vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum.* Alij verò verè Angelum eſſe illum cognouiſſe Ioannem, Angelum verò prohibuiſſe adorationem. ideo, vt Author quidam grauis affirmat, quia noluit ſe à tanto viro adorari, *conſeruus* (inquit) *tuus ſum*, ac ſi dicat: æqualem te mihi iudico, & ideo nolo tanquam ſuperior adorari à te. Obſerua igitur quiſnam eſſet, qui hoc aſſerebat, nimirùm Angelus ille, cuius pulchritudo tanta erat, vt dicerent Auguſtinus, & S. Thomas, exiſtimaſſe Ioannem Chriſtum eſſe Angelum iſtum: hic Angelus tantus erat, qui conſeruum Ioannem dicebat, quique ſe ab eo adorari non ſinebat. A

Præterea, *recubuit ſupra pectus Chriſti*, eo tempore, quo mota fuit quæſtio, quiſnam eſſet diſcipulus ille, qui traditurus erat Chriſtum. Solent medici cordi afflicto infirmi pitimam applicare: erat quidē cor Chriſti Domini valde afflictum propter peccatum illud grauiſſimum Iudæ, & ideo quaſi pitimam quandam, & quaſi in ſolamen voluit ſupra pectus, & cor ſuum reclinari caput fideliſſimi Apoſtoli ſui Ioannis, non quòd egeret tali ſolatio Chriſtus, ſed vt oſtenderet, fidelitatem Ioannis aliquo pacto recompenſare in pectore Chriſti infidelitatem Iudæ. *Sentio Chriſto en ſu ſanćto coraçon mucho la traycīō de Iudas, y como por aliuio de ſu pena, aplicō à ſu coraçon, la cabeça de ſu fideliſſimo diſcipulo Iuan, y ver que lequedaba tan fielle bizo ſu diſcipulo.* *Ioan. 21. 20.*

Præterea, ſanctitas Ioannis Euangeliſtæ in eo reluceret, quòd voluerit Chriſtus illum cum Matre ſua iuxta crucem aſtare. grauiſſima quidem erant tormenta illa Chriſti in cruce, atrox mors illa erat, & tantæ afflictioni Chriſto fuit, vt ad Patrem clamans, diceret: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* in ſolatium autem Chriſti voluit Pater eius, vt iuxta crucem Mater, & Ioannes ſtarent, quaſi diceret ei Pater: video, Fili, grauiſſima eſſe tormenta tua, ſed in ſolatium tibi ſit ſaluatio, & redemptio matris tuæ, & diſcipuli tui Ioannis: nam licèt nemo alius paſſione tua fieret ſaluus, horum tantùm ſalus tibi ad ſolatium mortis eſſe deberet. Vide quanta fuerit ſanctitas, & excellentia Ioannis: ſicut enim mercator, cùm pretium magnum pecuniarum exhibet venditori pro adamante aliquo pretioſiſſimo, libenter à ſe ablegat nummos aureos, videns, & coram oculis habens fulgentem lapidem illum pretioſum: ſic Chriſtus Dominus in cruce libenter pretioſi ſanguinis ſui pretium profundebat, coram oculis habens duas illas pretioſiſſimas gemmas, ſeu adamantes, à ſe valde amatos, animas ſcilicet Matris & Ioannis. B *Matt. 27. 46.* C

Præterea, inter inſignia Euangeliſtarum aquila tribuitur B. Ioanni. cur ita? quia aquila amoris ſymbolum eſt. Fingebant olim antiqui Iouem manu aquilam geſtantem, in vnguibus verò aquilæ igneos radios, quibus Iupiter mundum incendebat. huiuſmodi aquila fuit Ioannes: ipſe enim præ manibus ignem geſtabat, quo Iupiter noſter verus, & omnipotens mundum accendit, ignem (inquam) illum de quo ipſe ait Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram & quid volo, niſi vt accendatur?* Hunc ignem ſpirabat aquila noſtra. Vide, quæſo, quæ in epiſtolis ſuis S. Ioannes ſcripſit, & paſſim de hoc igne agentem inuenies, & ſine verbis de charitate agentibus de nulla re alia ferè agere reperies. *Verſ. 49.*

Item aquila eos, à quibus beneficium aliquod accepit, magnā proſequitur beneuolentiā, vti notum eſt de aquila illa, quæ ab adoleſcente quodam educata fuerat, & nutrita, quæ cùm adoleſcētem illum obiſſe videret, & iuxta patriæ morem in ignem cadauer eius proijci proſpiceret, ſe in ignem pariter proiecit, nec inde exiuit, quouſque in cineres redacta fuiſſet: ſic B. Ioannes, cùm eximiā beneuolentiā Chriſtum Dominum proſequeretur, & in cruce obeuntem, & flammā charitatis ardentem videret, reliquis Apoſtolis præ timore recedentibus, ipſe ad crucem vſque acceſſit, & igne charitatis ardens, ibi accenſus corde fuit, & veluti in cineres redactus. Vnde non mireris, ſi in dolio illo accenſo accenſus non fuerit, quia cinis in cinerem conuerti nequit; cùm cinis iam eſſet, & ita neque comburi, cùm ita combuſtus eſſet; aquilæ igitur meritò Ioannes comparatur. D

Item de pullis aquilæ ait Plutarchus, illum qui in nido ad latus cordis collocatur, fortiorem, vegetiorem

verſ. 4. *verſ. 8.* *verſ. 13.*

& generoſiorem, & ad ſublimiores prædas aptiorem euadere. Fuit Chriſtus aquila grandis, vti ait S. Maximus, quæ ad dexteram vſque Patris in cœlos euolauit; pulli huius aquilæ Apoſtoli fuerunt, ad latus autem cordis Chriſti collocatus Ioannes fuit, inde acutiorem viſum, & ſublimiorem volatum adeptus fuit. *El que ſin peſtannar può la viſta de ſus ojos en la rueda del ſol diuino,* cùm dixit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

Præterea Sancti Ioannis Euangeliſtæ præ alijs hic fratribus ſuis figuram geſſit Benjamin, quia Benjamin valde dilectus à Ioſepho Patriarcha, & fratre ſuo fuit, ita vt in conuiuio, quod cùm fratribus celebrauit Patriarcha Ioſeph, duplicatam portionem tribuerit Benjamin. Et ratio fuit, quia reliqui fratres quidem erant Ioſephi, non ex matre, ſed ſolùm ex patre, Benjamin verò ex patre & matre: ſic Chriſtus ſpeciali priuilegio diligebat Ioannem, quia non ſolùm frater ex patre, ſicut reliqui Apoſtoli, erat, ſed etiam ex matre: fecit enim eum filium Matris ſuæ, cùm in cruce dixit ei: *Ecce mater tua,* & Matri: *Ecce filius tuus,* & ideò portionem duplam in cælesti conuiuio illi dedit, quia ſi alijs Sanctis gloriam animæ tribuit, Ioanni quidem corporis, & animæ gloriam exhibuit. *Ioan. 19. 26.*

Item de Benjamin ſic Moyſes morti vicinus Deuteron. 33. *Benjamin amantiſſimus Domini, inter humeros eius, quaſi in thalamo, tota die requieſcet.* Hoc de tribu Benjamin aſſertum fuit, & ſenſus eſt: diligit Dominus Benjamin valde, & idcò in medio huius tribus domum, & templum ſuum conſtituet Deus, vt in eo requieſcat. quamuis illud relatiuum *eius* ad Deum referri poſſit, quaſi dicat: in Domino, velut in thalamo, requieſcet Benjamin. Fuit, vti diximus, Ioannes Chriſti Benjamin, de quo propriè dicere valemus, quòd in Chriſto, quaſi in thalamo, requieuit, cùm ſupra eius pectus in cœna recubuit; & ſicut Ambroſ. ait, *Chriſtus in eius pectore, & corde requieuit*, nimirùm, quia qui manet in charitate, in Deo manet; & Deus in eo; quantùm autem manſerit Ioannes in charitate, dictum, & notum eſt. *Verſ. 12.*

Prætereà, circa ſapientiam eius notandum, quòd Ioannes reſpectu aliorum Euangeliſtarum, fuit veluti primarius Magiſter, *fue reſpecto de los demas Euangeliſtas, como cathedratico de prima, y los demas reſpecto de Iuan, fueron como cathedraticos de menores.* Ioannes quidem docuit materiam de generatione æterna Verbi, dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,* &c. docuit etiam materiam de generatione tẽporali eius, ſeu de Incarnatione, dicens: *Et Verbum caro factum eſt,* & materiam altiſſimam de Trinitate, dicens: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, & Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt:* materias morales de fide, ſpe, & charitate mirè nos docuit, &c. *y como vn buçano diuino ſe entrò por el pielago immenſo de la diuinidad, y humanidad de Chriſto, ſaliendo de eſe mar Oceano ſiempre bien y glorioſamente.* *Ioan. 1. 1. Ibid. 14. 1. Ioan. 5. 7.*

Prætereà, Ioanes clypeus quidam fuit Chriſti Domini. pro quo notandum eſt, Sanctos omnes meritò clypeos dici poſſe Dei; nam peccatores hoſtes Dei ſunt, & peccata eorum ictus, & vulnera ſunt, quibus diuinum cor, quantùm eſt ex parte ipſorum, vulnerare contendunt. Si enim Deus vulneris, & doloris cordis capax eſſet, peccatorum ictibus vulneraretur. quòd apertè verba illa ſignificant, Geneſ. 6. *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore,* pœnituit eum, quòd hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecùs, *Delebo* (inquit) *hominem, quem creauì à facie terræ,* &c. *Tactus* (inquit) *dolore cordis intrinſecùs*, non quia dolor cadat, aut cadere poſſit in Deum, ſed ut malitiam peccati manifeſtet, & quàm aduerſùs Deum id ſit. Si enim capax doloris Deus eſſet, ex hoc maximè doleret, quòd peccata cõmittamus: deſtruere quippe finem vltimum, qui Deus eſt, peccata ex ſe volunt, & ipſum Dominum, & moderatorem noſtrum, & legiſlatorem eſſe nolunt: hinc ſe cordis dolore intrinſecùs dolere affirmat ob peccata Deus: ſunt enim quaſi ictus quidam cõtra cor diuinum. Habet igitur propterea Deus clypeos quoſdam, quibus ſe veluti defendat ab huiuſmodi ictibus & vulneribus, homines ſcilicet ſanctos: ſi enim, vti diximus, dolet ob delicta peccatorum, gaudet ob virtutem iuſtorum, & veluti protegitur cor Dei ſanctitate Sanctorum.

Quod patet ex illo Iob 1. vbi dixit Dominus ad Satan: *Vnde venis?* qui reſpondens, ait: *Circuiui terram, & perambulaui eam.* vbi more principum, & dominũ loquitur, qui circumire, & perambulare terras ſuas ſolent, vt videant, an aliquid illis opus ſit: eſt enim Satanas princeps mundi huius, & caput omniũ iniquorũ. Idem igitur fuit dicere: *Circuiui terram, & perambulaui eam*, ac dicere: mea eſt terra, mihi parent omnes, meus eſt orbis terrarum, & qui habitant in eo. Nónne quaſi ictus quidam ſagittæ acutæ fuerunt verba iſta? Videamus ergo, quomodo ſe protexerit Deus à vulnere iſto, *Dixit* (inquit) *Dominus ad eum: Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* *Fue vn rebatir el golpe del enemigo con vn eſcudo fuerte, fue vn eſcudarſe de la pena, que le queria dar el peccado con la ſanctidad de Iob.* *Verſ. 7. Ibid. 8.*

Similiter in cœna illa vltima, quam Chriſtus Dominus cum diſcipulis ſuis celebrauit, quaſi vulnus quoddam grauiſſimum fuit Domino traditio Iudæ, vti ſignificant manifeſtè verba illa Ioannis, *Turbatus eſt ſpiritu Ieſus, & proteſtatus eſt, & dixit: Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.* Turbatio, & proteſtatio illa dolorem Chriſti ex corde manantem oſtendunt; in remedium autem ictus huius ſubdit Euangeliſta: *Erat ergo recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus*, nimirùm, ipſe Ioannes recumbebat tunc ſupra pectus Domini, quaſi clypeus, quem ſupra cor applicauerat Ieſus, vt eo retunderet peſſimum ictum Iudæ: & hinc eſt, quòd Chriſtus Dominus in ſeruando, & conſeruando S. Ioanne tantam adhibuerit curam. Mos enim antiquus ducum, & Imperatorum fuit, clypeos ſuos eximiâ curâ, & ſolicitudine incolumes, & integros ſeruare, & apud Athenienſis olim lex ſtabilita fuit, vt in bello omnes clypeos integros conſeruarent, ſi præmio, & honore afficì vellent, opprobrio verò erat clypeum fractum è bello in patriam ferre. Vnde cùm Epaminondas dux Athenienſis, & vir in caſtris ſtrenuus, in pugna quadam aduerſùs hoſtes grauiter vulneratus eſſet ad mortem, duo interrogauit; primum, an hoſtes victi remanerent. & cùm deuictos fuiſſe hoſtes reſpondiſſent aſtantes; ſecundò interrõgauit, an ſcutum eius integrum, & incolume adhuc eſſet; cui cùm reſponderent, integrum eſſe; Nunc (inquit) lætus morior. Vide quanti faciebant hi ſcuta ſua. *Cap. 13. 21.*

Hinc miles quidam in orbe ſcuti ſui verba iſta inſculpſit, *Aut in hoc, aut cum hoc*, id eſt, aut cum hoc clypleo incolumi incolumis reuertar, aut in hoc mortuus, tanquam in feretro, reducar, tanto in honore clypeus ſanus erat.

Et hinc Prouerbium illud promanauit: *Argiuo clypeo dignus*, quod ideò dictum eſt quia Græci in ſumma veneratione habuerunt clypeum Regis Enippi, quia Rex hic mira in bellis geſſit, & ſemper integrum, & ſanum clypeum ſeruauit, & ea propter in templo quodam clypeum illum Argiui ſeruabant, & cùm militem, aut ducem aliquem propter inſigne opus honore afficere volebant, clypeum è templo proferebant, & eo munitum illum per vicos, & plateas ciuitatis, quaſi trium-

triumphantem ducebant, & inde dictum adagium fuit: Argiuo clypeo dignus.

Cùm igitur S.Ioannes Euangeliſta clypeus Chriſti extiterit, vti dictum eſt, cõſequens eſt, vt illum indemnem ſeruare curarit, ſicut de facto ſeruauit; intrauit in domum principis ſacerdotum non ſine periculo graui: ea enim de cauſa Petrus ibi negauit: at Ioannes nec negauit, nec tactus ab hoſtibus eſt. Stetit præterea iuxta crucem, quando ceteri Chriſti diſcipuli à cruce longè receſſerant: at ibi intactus etiam permanſit, in Pathmos relegatus fuit, vbi quamplurimos paſſus eſt labores; ſed nec ibi clypeus iſte Chriſti factus eſt; miſſus denique eſt in olei feruentis dolium, ſed nec ibi peremptus eſt: clypeus enim Chriſti erat, & ad eius ſpectabat honorem eum conſeruare; ſic igitur clypei Dei ſunt Sancti eius, quibus ab ictibus peccatorum ſeruat cor ſuum Deus, & ſimul conſeruat eos, ſicut Noe tempore diluuij, & Loth in terra Sodomorum.

Præterea in eo, quòd ſupra pectus Domini Ioannes in cœna recubuit, oſtendit Dominus quanti fecerit, & æſtimauerit eum. Solent enim primarij viri in diebus maximè feſtiuis monilia à collo pendentia ſupra pectus deferre, & in extrema parte monilis aquilam auream vel ſimile quidpiam appendere ad maiorem ornatum, & id quod ſupra pectus ſic habent, ſe magni facere ſic oſtendunt: ita magni facere ſe Ioannem videtur Chriſtus, nam in feſto natiuitatis ſuæ, quaſi ad ornatum ſuum, Sanctorum quorundam feſta quaſi monile, ſeu catenam auream, inſtituiſſe videtur, & aquilam auream, Ioannem ſcilicet Euangeliſtam, adhibuit ſupra pectus ſuum collocatam: hic enim eſt ille diſcipulus felix, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit.

Reclinatorium Chriſti in terra ſinus, & pectus Matris eius fuit: reclinatorium verò Ioannis pectus Chriſti: altius ergo & ſublimius fuit reclinatorium Ioannis, quàm Chriſti Domini in terra. In cœlo quidem reclinatorium Chriſti ſinus patris fuit, ſicut Ioannes ipſe ait: *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris*, &c. Habet in cœlo filius ſinum Patris, vbi reclinet caput ſuum, & Ioannes ſinum Filij, qui quatenus Deus eſt, non eſt minor Patre; denique in cœlo reclinatorium Chriſti pectus Dei eſt, & Ioannis etiam reclinatorium pectus Dei eſt, licèt modus alius, & alius ſit, hoc tamen ita enunciatum glorioſiſſimum Ioannis eſt: etenim Chriſtus in vita ſua non habuit, vbi caput ſuum reclinaret: Ioannes verò habet quidem reclinatorium optimum capiti ſuo, pectus ſcilicet, & cor Domini Dei ſui. *Domine quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* ait S.Iob, Domine, (dicam ego) quis eſt Ioannes hic, quia apponis eum ſuper cor tuum? nónne ille homo, tu verò Deus?

Præterea, Ioannes maximè Eccleſiam Chriſti honorauit, & decorauit. Vidit ipſe Apocal. 12. ſignum illud magnum; quod apparuit in cœlo, mulierem ſcilicet ſole amictam, & lunam ſub pedibus eius, & coronam duodecim ſtellarum in capite eius. Communis ſacrorum Patrum explicatio eſt, mulierem hanc ſanctam Eccleſiam eſſe, quæ amicta eſt ſole, quia Chriſtus ſol iuſtitiæ circumdat, illuminat, & protegit eam, & luna eſt ſub pedibus eius, quia luna mundi ſymbolum eſt, ſicut luna quippe mundus mutatur, & immutatur paſſim, & nunquam in eodem ſtatu permanet, mundum autem & ea, quæ mundi ſunt, calcat Eccleſia Dei, deſpicit, & contemnit: ſupra caput autem ſuum ſtellas apponit cæleſtes, hoc eſt, ea quæ cœli, & gloriæ ſunt. Vel duodecim ſtellæ iſtæ duodecim Apoſtoli ſunt, qui tanquam ſtellæ fulgent in firmamento Eccleſiæ Dei, & caput Eccleſiæ ornant, & decorant; eſt ergo mulier hæc Eccleſia Chriſti. Vidit inſuper Apoſtolus ibi draconẽ quendã inſidiantem mulieri, & perſequentem eam, diabolum (inquam) perſequentem Eccleſiam: *Et data* (inquit) *mulieri ſunt alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum locum ſuum*, ſcilicet tutum; volat Eccleſia Dei, & erigitur in ſublime: eleuata enim eſt magnificentia eius, fama, nomen, & honor, ſapientia, ſanctitate, potentia ſua, & gratia, doniſque diuinis volat in altum Eccleſia: nec mirum, habet enim alas aquilæ magnæ. Aquila hæc Ioannes eſt, vti diximus ſæpe, aquila magna, quæ ad thronum vſque ſanctiſſimæ Trinitatis volauit, aquila hæc, alas præbuit ſuas Eccleſiæ, & ideo ſic ad ſublimia Eccleſia noſtra volauit.

Narrant hiſtoriographi, olim regem Pyrrhum feliciſſimum in bellis fuiſſe, & magnas, & præclaras ex hoſtibus victorias reportaſſe, quapropter milites ei dicebant velut aquilam per orbem ipſum volare: quibus ipſe reſpondit, ſi ego in altum tollor, & velut aquila volo, vos alæ fuiſtis; ó milites mei, quibus ad ſublimia ducor. ſic de Ioanne & Eccleſia dicere valemus, ſi Eccleſia volat, alis aquilæ magnæ, Ioannis ſcilicet, volat, ſapientiâ ſcilicet Ioannis, Epiſtolis Ioannis, Euangelio Ioannis, ſanctitate, & exemplis Sancti Ioannis.

Præterea, quia, vt ſuprà dictum eſt, aquila ſymbolum Ioannis eſt, libet aquilæ qualitates Ioanni accommodatas, & accommodandas explicare.

Et primò aquila excellentiæ hieroglyphicum eſt, propterea quòd ſuper ceteras aues ſeſe ſublimi attollit volatu: ſic Ioannes doctrinâ ſuâ, vt obſeruatum eſt, cæteros Euangeliſtas, & Theologos antecedit, ideóque Theologus dictus ſpecialiter fuit.

Deinde notum eſt, eſſe aquilam perſpicaciſſimi viſus, vti obſeruauit Plinius libr. 10. cap. 3. vbi ait: *Clariſſima eſt ei oculorum acies, & implumes pullos ſubinde cogunt intueri ſolem, & quos conniuentes animaduertunt, præcipitant è nido, velut adulterinos, atque degeneres, illos autem quorum acies firma contra ſolem ſteterit, educant.* Ita ille. Talis quidem fuit Apoſtolus Ioannes, qui rotam ſolis abſque vlla conniuentia acie oculorum immota contemplatus fuit, vti ex verbis illis conſtat, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, &c.

Præterea, de pennis aquilarum ſic Plinius lib. 10. cap. 3. aquilarum pennæ mixtas aliarum auium pennas deuorant. Ita ille. Quæ quidem excellentia diuinæ ſapientiæ maximè congruit, nam diuina ſapientia humanam ſapientiam facilè deuorat, ſicut in virga Aaronis olim figuratum fuit, Exod. 7. vbi ſic Scriptura ſacra: *Vocauit Pharao ſapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam ſimiliter, proiecerunt que ſinguli virgas ſuas, & verſæ ſunt in dracones, ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Quo ſignificari voluit id quod Dominus ait 1. Corinth. 3. *Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum.* Sapientia enim diuina ſic deuorat, & abſumit ſapientiam, ſeu aſtutiam humanam, ſicut virga Aaronis deuorat virgas ſapientum Ægypti. talis quidem fuit ſapientia noſtri Ioannis, tales pennæ aquilæ noſtræ, quæ pennas ſapientum, imò inſipientum mundi (hæreticorum inquam,) qui ſapientes erant in oculis ſuis, facilè deuorauit. Scripſit enim Euangelium contra Ebionem, & Cerinthum hæreticos, qui negabant diuinitatẽ Chriſti, & affirmabant Chriſtum ante Mariam Matrem ſuam minimè extitiſſe, hos (inquam) doctrinâ Euangelij ſuis miraculis, & prodigijs confirmatâ facilè ſuperauit, & deuorauit, ſic pennæ noſtræ aquilæ pennas hæreticorum deuorauerunt.

Qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit. Baptiſta non audet corrigiam calceamenti Chriſti ſoluere, & Euangeliſta audet ſupra eius pectus recumbere? Oza, qui contingere Arcam auſus fuit, ſubitanea eſt morte mulctatus, & Ioannes contingere pectus Domini non veretur. Moyſi non permittit Dominus ad rubum, vbi

Dominus erat, accedere, & Ioanni permittit ſupra pectus ſuum cubare. cur ita? quid mirum, ſi, poſtquam dilectum ſuum dici, & eſſe voluit, extra cor admittat, quem in corde gerebat? denique diſcipulus ille erat, quem diligebat Ieſus. A

Præterea, ſupra pectus Domini illum habere voluit, vt oraculum ſuum Ioannem eſſe demonſtraret. De Chriſto Domino ait noſter Ioannes: *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit*, enarrauit, inquit, quia oraculum Patris ſui Filius, & altiſſima Patris myſteria, & arcana ipſe nobis narrauit. vnde mirè, cùm de tali oraculo loqueretur Ioannes, dixit, illum eſſe in ſinu Patris; alludès ad id quod Exod. 28. dicitur de rationali, quod in ſinu ſeu in pectore ſummi Sacerdotis conſtitutum erat, in quo lapides pretioſi inſculpti erant, in quibus per mirum quendam ſplendorem, & inuſitatum, reſponſa Deus populo ſuo dabat, quare oraculum meritò dicebatur illud rationale, quod ſupra pectus Sacerdotis erat. Cùm igitur Chriſtus oraculum fuerit Patris, meritò in ſinu eius dicitur eſſe, *Vnigenitus* (inquit) *qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit.* ſic igitur Ioannes meritò in ſinu Filij Dei tanquam rationale oraculum eius conſtituitur, quia mira de diuinitate Dei occulta, mira de Trinitate, mira de arcanis diuinis, quæ Chriſtus Dominus dixit, fecit, docuit, & reuelauit ei, in Euangelio, in Apocalypſi, & in epiſtolis docuit nos: Dicat ergo: hic eſt diſcipulus ille, qui ſupra pectus Domini tanquam rationale, & oraculum eius recubuit. *Ioan. 1, 18* *Cap 1.* B

Quòd autem in aduocatum eum eligere nobis conuenientiſſimum ſit, ex eo patet, quòd à Deo ſic dilectus ſit, vti expoſitum eſt. Apud Regem enim ſemper illum in patronum eligimus, qui apud Regem pluriùm polleat. apud Deum quidem illi plus valent, qui plus ab eo dilecti ſunt; cùm igitur S. Ioannes à Chriſto Domino in tantum dilectus ſit, vt dilectus ab eo nuncupetur, meritò qui à Deo animæ ſalutem, & alia bona nititur obtinere, in aduocatum, & patronum ſibi eligere debet. vti S. Perrus de facto fecit, qui cùm à Chriſto noſſe vellet, quiſnam eſſe traditor ille, qui eum eſſet traditurus, à Ioanne id expoſtulauit. Etenim cùm tantus Apoſtolus eſſet Petrus, imò Apoſtolorum princeps, à Chriſto immediatè id quærere non fuit auſus, niſi Ioanne intercedente: intercеſſit: & ei Dominus indicauit, dicens: *Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero.* C *Ioan 13. 26.*

Vt autem de tali, ac tanto Ioannis patrocinio magna mente concipiamus, narrare decreui, quod S. Getrudis per diuinam didicit reuelationem, & narrat lib. 4. Inſinuationum diuinæ pietatis cap. 4. vbi hiſtoriæ collector, Ioannes (inquit) Apoſtolus, & Euangeliſta apparuit huic Virgini oranti die quadã aduentus Domini, apparuit autẽ flauis indutus veſtibus, quæ aureis vndique aquilis erant intextæ, cumque ornatum ipſius diligentiùs conſideraret, videbatur ſub aquilis aureis color quidam rubeus, figurans quòd B. Ioannes contemplationis ſuæ ordinem ſemper inchoare ſtudebat à memoria paſſionis Chriſti, quam nimirùm oculis ſuis aſpexerat, & corde medullitus per intimam compaſſionem penſarat, & ſic paulatim procedens vſque ad celſitudinem diuinæ maieſtatis ſubuolabat, quam irreuerberatis oculis mentis, quantùm mortali homini fas erat, perſpicacius contemplabatur. Habebat etiam duo lilia aurea: alterum in humero dextero, alterum in dniſtro, & in dextero mirabili quadam ſcultura hæc verba ſcripta erant, *Diſcipulus quem diligebat Ieſus*: in ſiniſtro verò hæc, Virginis cuſtos. Habebat etiam in pectore rationale quoddam mirificum, ob prærogatiuam illam, quâ ſuper ſacroſanctum Domini pectus in cœna recubuit, in quo aureis litteris ſcripta erant verba, illa *In principio erat Verbum*. Agnouit Getrudis ex inſignibus Ioannem Euangeliſtam, & interrogauit Dominum, ob quam cauſam, amantiſſime Domine, Ioannem adduxiſti? cui Dominus: vt ipſum (inquit) tibi ſpeciali amicitia iungam, & ipſum in perpetuum patronum tuum in cœlis tibi aſſignem fideliſſimum; & illa: doce me, dulciſſime Domine, quid ipſi obſequij poſſim exhibere? cui Dominus: quilibet homo quotidie vnum *Pater noſter* huic poterit Apoſtolo recitare, proponendo ei prædulcem fidelitatem, quam cor eius ſenſit, cùm ego docerem ipſos hanc orationem, ipſumque orabit, vt obtinere ſibi dignetur, quò ſecurâ mihi ſemper perſeuerantiâ mereatur vſque in finem vitæ ſuæ fideliter adhærere. ita ibi. Et ſubdit: In feſto verò eiuſdem Apoſtoli ſub matutinis, more ſolito deuotiùs intendenti Getrudi, affuit idem diſcipulus dilectus Chriſti, multis modis ipſi blandiens, cui dum plures de congregatione ſibi commiſſas fideliter ommendaſſet, & ille omnium vota blandè acceptaſſet, dicens: ego in hoc aſſimilabor Domino meo, quòd diligentes me diligo. ita ibi. Hinc igitur patet, quantùm nobis intereſit Sanct. Ioannem accipere in patronum, & omnibus ſpeciatim commendatam opto deuotionem hanc Dominicæ orationis Ioanni oblatam ad perſeuerandum in gratia: hanc enim ſi obtinuerimus, erimus ſalui, facilis autem eſt, & Chriſto digna: quam enim orationem nobis digniùs commendaret, quàm eam, quam Apoſtolis, & ſimul omnibus nobis commendauit. *Ioan. 21 7* D

IOSEPHI CHRISTI CVSTODIS laudes.

VXoratus quidem S. Ioſeph, ſed quod alijs vxoratis impedimentum, minimè illi, ſed potiùs adminiculum, & adiutorium erat: alijs enim vxoratis vxor impedimento eſſe ſolet, ſecundùm illud Apoſtoli, *Qui cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* Duo autem ſunt quæ vxorato deuotionem, & in virtute progreſſum impediunt, ſolicitudo ſcilicet placendi vxori, & ſolicitudo circa res domeſticas, nihil horum in matrimonio Ioſeph inuenies, imò inde maiorem occaſionem proficiendi nactus eſt, nam vxor eius erat Mater Dei, & amor erga eam ad perfectionem gradus erat: diligendo enim Mariam tanquam Dei Matrem, & veram ſponſam ſuam, id aſſequebatur quod perfectè deuotæ Virgines aſſequi ſolent, & viciſſim Maria ſponſum diligens, multorum bonorum ſpiritualium ei cauſa fuit. *1. Cor. 7.* 33.

Præterea, cura domeſtica Ioſephum à perfectione non retardabat; nam tota eius cura, & ſolicitudo erat circa Chriſtum, & matrem eius, quomodo eos ſcilicet aleret, ac ſuſtentaret. felix & beata ſolicitudo, ſeruiebat Chriſto, cui ſeruare regnare eſt, ſeruiebat Chriſto, & Virgini, in quo ſanctitas & perfectio reperitur, ſeruiebat ei cui Angeli ſeruiunt.

Exaggerat Euſebius Emyſſenus ſanctitatem S. Maximi, ex eo quòd vel ipſe cum Deo ageret in oratione, vel Deus cum ipſo in lectione ſanctorum librorum, & inde tantam fuiſſe adeptum ſanctitudinem affirmat. S. Ioſeph, ſemper cum Deo, vel eius matre agebat, vel Deus aut mater Dei cum ipſo, quare ſtatus matrimonij non ſolùm non erat illi impedimento ad perfectionem, ſed potiùs adiumento.

Sanctitatem S. Ioſeph colligere poſſumus ex conuerſatione ordinaria, & frequenti cum Chriſto Domino, & cum matre eius, Exech. 1. de ſanctis illis quatuor animalibus dicitur: Similitudo animalium, *& aſpectus eorum, quaſi carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectus lampadarum.* vbi S. Gregorius hom. 5. in Ezech. Quiſquis (inquit) carbonem tangit, inceditur, quia *Vers. 13.*

qui

qui ſancto viro adhæret, ex eius viſionis aſſiduitate, vſu locutionis, & exemplo operis, accipit, vt accendatur in amorem veritatis, peccatorum ſuorum tenebras fugat, in deſiderio lucis exardeſcit, vt per verum amorem ardeat, qui priùs in iniquitate tantùm mortuus, quantùm frigidus iacebat. Quia ergo ſancti veri iuxta ſe poſitos, quaſi tangẽdo, ad amorem patriæ cœleſtis accendunt, carbones ſunt ita S. Gregorius. Si ergo conuerſatio ſanctorum tum verbis tum exemplis, tum etiam orationibus ſuis ſic accendunt proximos, & cunctos ſibi, quantò magis præſtitit S. Ioſepho conuerſatio Chriſti, & matris eius? verba illorum? exempla illorum? orationes Virginis, & auxilia ſpecialia Chriſti Domini? maximè cum Ioſeph aptiſſimus, diſpoſitus nimis eſſet ad huiuſmodi profectum, *hecho vna iesca, o poluora para recibir tal fuego.*

Lucæ 1. cùm ſalutaſſet Maria Elizabeth, repleta fuit Elizabeth Spiritu ſancto; quòd ſi ex vnica viſitatione, & ſalutatione Mariæ tanta vtilitas ſpiritualis accreuit Eliſabeth, quantam exiſtimas accreuiſſe Ioſeph ex longa illa conuerſatione cum Maria & Chriſto Domino, & ex multis ſalutationibus, quæ per totum illud tempus interceſſiſſe non eſt dubium? Si Sanctus Ioannes Euangeliſta ex eo, quòd ſemel ſuper Domini pectus recubuit, tantùm profecit, quantùm credis profeciſſe Ioſephum ex longo & aſſiduo commercio cum eodem Domino? ſuper genua ſua (ait S Bernardus ſer. 43. in Cant.) Ioſeph ſæpiùs arriſit Chriſto.

Præterea ſi Moyſes ex confortio ſermonis Domini (vti ait Scriptura Exod. 34.) adeo reſplendebat, vt filij Iſrael timerent accedere ad eum; quantam, quæſo, claritatem animi obtinuit Ioſeph ex confortio multorum annorum cum ipſo Domino, & eius matre?

Præterea, S. Ioſeph cuſtos fuit Chriſti, & matris eius, & ita cùm Herodes Chriſtum occidere ſatagebat, Angeli monitu tollit puerum, & matrem eius, & fugit eum eis in Ægyptum, vt ita ab impia nece Chriſtum ſeruaret, & matri filium. Etenim Chriſtus Angelum cuſtodem non habuit, ſed ipſe potiùs omnium Angelorum cuſtos fuit: Ioſeph autem fuit veluti Angelus cuſtos Chriſti Domini, eò quòd illum cuſtodierit ab Herode, & ab his qui quærebant animam eius, ducendo eum ad Ægyptum, &c. Qui cuſtos fuerit domini ſui, ait Sapiens Prouerb. 28. glorificabitur, & qui ſeruat ficum, comedet fructus eius; glorificetur ergo in cœlo, & in terra S. Ioſeph, qui cuſtodiuit Dominum ſuum, & quia cuſtodiuit arborem illam benedictam vitæ, beatam ſcilicet Virginem, à qua vita noſtra proceſſit, ficum (inquam) illam cui benedixerit Dominus, quæ protulit groſſum illũ, ex quo vniuerſa Dei alitur Eccleſia, de qua quotidie dicimus: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Fuit S. Ioſeph huius plantæ, & fructus cuſtos; glorificetur igitur in ſæcula ſæculorum Amen. Cùm Tobias iunior gratum ſe Raphaeli exhibere vellet, dixit patri ſuo, Tob. 12. *Pater, quam mercedem dabimus ei? me duxit, & reduxit ſanum, me à deuoratione piſcis eripuit, quid ad hæc poterimus illi dignum dare?* ſi eò quòd Tobiam ignotus ille Raphael ſanum duxit, & reduxit à terra cognatorum eius, ſic ſe gratum exhibuit Tobias, quid Dominus Ioſepho præſtabit qui eum ſanum Dei ope duxit, & reduxit à terra Ægyptiorum? ſi Raphael à deuoratione piſcis Tobiam liberauit, Ioſeph à deuoratione cete, Herodis inquam, pro viribus eripuit; quid ergo illi retribuet Deus?

Poſtquam Dominus condidit Adamum, dixit: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* fecit quidem vxorem ſimilem ſibi, non ſolùm in natura, ſed etiam in donis, nam ſicut Adamo præſtitit iuſtitiam originalem, & magna Spiritus ſancti dona, & virtutes infuſas; ſic etiam præbuit Euæ iuſtitiam originalem, & dona Spiritus ſancti, & virtutes infuſas. Iudicabit igitur Deus non decere alterum coniugatum ſanctumeſſe; alterum verò non ſimiliter ſanctum, quamuis fortè viro maiorem impertierit virtutem, quia caput erat, proportione tamen ſeruata, ſimilem in natura, & in donis fecit coniugem eius. Cùm igitur diuina quadam prouidentia in virum matris ſuæ condiderit Deus Ioſephum; proportione ſeruata ſimilem Mariæ fecit Deus Ioſephum in donis, & virtutibus ſuis.

Suprema omnium laudum S. Ioſeph ea eſt, quam aſſignat S Lucas in verbis illis à Virgine prolatis, & dictis Chriſto Domino: *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Ecce*, ponderationis, & animaduerſionis verbum eſt, & ita quidem hîc eſt, nam quomodocumque Ioſeph filij Dei pater dicatur, ſummum eius encomium eſt, dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, quod vacuum non portat, quin & patris officium, & munus commiſſum eſt ei. Primò patris eſt alere filium, & vxorem, Ioſeph vxorem ſuam, Matrem ſcilicet Dei, alebat laboribus ſuis, quo quid ſublimius? quid excellentius? Dei quidem eſt creaturas omnes viuentes alere; *Aperis* (inquit) *manum tuam, & imples omne animal benedictione, oculi omnium in te ſperant, Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno*, quid verò exceliſius creaturas alere, an verò Creatorem ipſum, & matrem eius ſuſtentare; & quidem non ex his, quibus ille abundabat, ſicut abundant diuites ſæculi huius, ſed ex his quæ laboribus, & ſudoribus ſuis acquirebat: hinc quid Ioſepho & redemptioni noſtræ colligemus; cùm enim Chriſtus Dominus in cruce ſanguinem pro nobis fundebat, ſudorem quodam modo Ioſephi pariter fundebat, & feliciſſimi ſudores Ioſeph, qui ita ad redemptionem mundi totius concurrebant?

Præterea, parentum eſt nomina filijs ſuis imponere, vti conſtat in Zacharia, cùm cognati, & amici Zachariam vellent vocari quoque filium eius: at non id abſoluere facere auſi fuerunt, donec conſuluiſſent patrem. *Innuebant enim patri eius, quem vellet vocari eum:* Mutus tunc erat pater, & nihilominùs eum interrogauerunt; quia ad parentes ſpectat imponere nomina filijs ſuis, quare ille poſtulans pugillarem, ſcripſit, dicens: *Ioannes eſt nomen eius*, nunquid & Ioſeph conceſſum fuit munus hoc paternum? fuit, nam cùm Angelus è cœlo deſcendiſſet, vt nomen Chriſti ferret ad Ioſephum patrem declinauit, & dixit: *Vocabis nomen eius Iesum.* At (inquies) hoc non eſt imponere Ioſephum nomen Chriſto, ſed impoſitum à Deo vocare; ita eſt, ſed & hoc ad patris dignitatem ſpectat, nam neque Zacharias nomẽ Ioannis filio impoſuit; ſed ab Angelo ſimiliter dictum eſt ei: *Vocabis nomen eius Ioannem.* hoc autem Angelus dixit Zachariæ, quia pater eius erat, ſic etiã Angelus Ioſepho quomodo vocare Chriſtum deberet, notificauit, quia patris nomen, & munus habebat. Verum quidem eſt, quòd etiam & priùs Angelus Gabriel dixerat Mariæ Lucæ 1. *Vocabis nomen eius Iesum*, ſed tamen non illi tantùm, ſed etiam Ioſepho dictum eſt ab Angelo: *Vocabis nomen eius Iesum.* Virgini quidem hoc dictum fuit, tanquam matri, & B. Ioſepho tanquam ei, qui parentis munere fungebatur.

Præterea, patris eſt domum gubernare, & domeſticis, & vxori, & filijs imperare, hoc ne concedere debemus Ioſepho? imperauitne ipſe Mariæ? nimirùm, quia legitima eius vxor erat; ait autem Apoſtolus: *Mulieres ſubdita eſtote viris, ſicut oportet, in Domino*, nulla autem vxor ita paruit viro, ſicut B. Maria Ioſepho: erat enim in ratione vxoris omnium perfectiſſima. Quid excellentius, Mater Dei ſubdita erat præceptis Ioſeph: quid ſublimius? nam eo ipſo quòd B. Virgo Dei Mater effecta fuit, creaturarum omnium domina fuit effecta. Vnde S. Ioannes Damaſcenus: Maria Domina facta eſt omnium creaturarum, cùm omnium conditoris ſa-

ris facta est Mater; si ergo Ioseph superior fuit Mariæ, A quatenus vir eius fuit, quatenus vir eius etiam veluti omnium creaturarum superior factus est. Quid igitur admirabilius? dicam quòd non solùm Mater, sed etiam Dei Filius ei subditus quoque fuit: quod quidem minimè dicere auderem, nisi Euangelium id apertè fa-
Luc. 2. 51. teretur: ait enim Euangelista: *Et erat subditus illis*, Christus scilicet Mariæ, & Iosepho, subditus Deus Iosepho: O inexplicabilis gloria Iosephi! *Domine, Domine rex om-*
Esther 13. 9. *nipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui tuæ possit resistere voluntati*, inquit Mardochæus; quid ergo fieri potuit, vt in ditione, seu imperio Ioseph Rex omnipotens, & Dominus vniuersorum foret? Quid priùs mirabor, aut hominem audere iniungere quicquam Deo, aut Deum subditum esse homini? quâ, quæso, admiratione tenebantur, & stupore Angeli in cœlo, cùm in terra prospicerent Deum subdi Iosepho? hîc imperium Iosephi quodammodo excedere imperium Dei video; dû Deus creaturis ante imperat, Ioseph verò ipsi creatori, &c. Denique id consecutum est ex titulo illo patris: patris enim est præcipere, filij verò obtemperare.

Hinc dona, & sanctitatem Iosephi colligere licet: nam inde S. Thomas probat inter reliquos Sanctos primum locum sanctitatis obtinuisse Apostolos, eò quòd
Ioan 21. propinquiores Christo fuerunt: sicut enim magis participant calorem, qui proximiores sunt igni, & lucem qui propinquiores soli; sic sanctitatem, qui ei, qui sanctitas ipsa per essentiam est, sunt propinquiores. Vide igitur, & obserua, quàtùm Christo Domino appropinquauerit Ioseph, ipse quippe ab initio Incarnationis Christi affuit ei, ac Matri eius; ille sæpe sæpiùs in brachijs puerum Iesum ducebat, ipse eum duxit in Ægyptum, & reduxit, ipse tanquam pater, filium Christum Dominum suis manibus sustentabat, & laboribus alebat, cum ipso sæpissimè agebat, & conuersabatur. Quis non videat magnum inde fructum accreuisse Iosepho? quid interim non peteret à Domino Ioseph? quid illi negare poterat bonus Iesus? C

Adde B. Virginis in domo Dei officium gerere Præfectæ ærarij diuini, *The sorera de los thesauros de Dios*: nihil enim gratiarum Dei ad nos peruenire vult Deus, nisi per Mariam quæramus gratiam (ait S. Bern. serm. in Nat. Virg.) *& per Mariam quæramus, quia quod quærit, inuenit, & frustrari non potest.* Quid igitur Thesauraria Dei non acquireret viro suo? quid pro illo Deum non oraret? quid non obtineret?

Imò quantum existimas ponderis apud Deum habuisse orationem ipsiusmet Iosephi? rectè Gerson in sua Iosephina, *Quanta* (inquit) *fiducia Iosephi, quanta in eo vis imperandi, quia dum vir vxorem, dum pater filium orat, velut imperium reputatur.* Ita ille. Rectè: quid enim talis vxor tali marito? quid talis filius tali patri poterat denegare? Quòd si tanta inerat virtus impetrandi à Deo, Filio & Matri eius, quid ab eis Ioseph sanctissimû nisi sanctitatem postulasse credendum est? Ad quem igitur D sanctitatis gradum hac ratione illum existimas peruenisse? Prouerbium est, amicus qui rogat, iubet, qui iubet, cogit. Amicus erat Ioseph Mariæ & Christi Domini, insuper illius vir, ijtius pater, vti dictum est: qui ergo perfectionem sanctitatis sic à Matre Dei, & filio eius precibus exorabat, quid non obtinebat?

Hinc constat, quantùm nobis interfit eius auxilium implorare: si enim cùm ad Regem negotium habemus, eos in nostrum quærimus fauorem, qui multùm polleant apud regem, cùm tantùm apud Dei Matrem, & Dei filium tantùm polleat Iosephus, quis non eius patrocinium quæret? & maximè in negotio tanto, quale negotium est saluationis nostræ?

IRA.

Prop. 1. *Iram proximi in nos vitare & fugere debemus.*
2. *Quantum displiceat Deo in proximum ira, & placeat pax.*
3. *Quanta sit deformitas hominis iracundi*
4. *Iracundia hominem Diabolo similem reddit.*
5. *Ira procedit non ex fortitudine animi, sed potius ex debilitate.*
6. *Iracundia non ex magnanimitate, sed ex superbia procedit.*
7. *Iracundia decipit mentem nostram.*
8. *Iracundia tu dicium ledit.*
9. *Ira subinde non tantùm vtilis, sed & necessaria est.*
10. *Iracundia furoris causa est.*
11. *Iratum valde torquet Ira.*
12. *Ira malorum multorum initium esse solet.*
13. *Quantùm ledit hominem ira tam in corpore, quàm in anima.*
14. *Iracundia etiam in somno molestius infert.*
15. *Quàm infensius & perniciosius omnibus sit iracundus.*
16. *Quomodo frenandus sit motus ire.*
17. *Quàm deceat Christianum iracundiam superare.*
18. *Quàm laudabile sit iram frenare.*
19. *Moderatio ira sapientiæ magnum indicium est.*
20. *Virilis animi est Iram superare.*
B 21. *Iræ remedium est silentium.*
22. *Ira in tempore præueniendum est remedio.*
23. *Quàm difficilis curationis sit iracundia.*
24. *Quàm difficile sit vincere Iram ei, qui sibi eam semel dominari permiserit.*

PROP. I. *Iram proximi in nos vitare & fugere debemus.*

GEnes. 27. sic ad Iacob mater eius: *Fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran, habitabisque cum eo dies paucos, donec quiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius, & obliuiscatur eorum quæ fecisti in eum.* Ecce matris Iacob consilium prudens, quo cuncta in bonum cessurunt illi: sic enim ira fratris cessauit, & Iacob nõ solùm viuus, sed etiam diues euasit. Et ecce quoque nobis exhibitum simile consilium; si iratum viderimus in nos proximum, demus iræ locum sicut Iacob, vt sicut & ipsius Iacob, felix sit exitus fugæ, vti super hunc locum monuit S. Chrysost. hom. 1. Imperf. dicens: *Sicut Esau perseq uebatur Iacob, sic filij sæculi huius persequuntur filios sæculi futuri; & sicut Iacob, non resistendo sed fugiendo, superant malos, iuxta consilium Christi, Si vos persequuti fuerint in hac ciuitate, fugite in aliam.* Ita ille. Genes. 27. 43. Matt. 10. 23.

PROP. II. *Quantum displiceat Deo in proximum ira, & placeat pax.*

QVarti Reg. 3. cùm prophetare vellet Sanct. Propheta Elisæus, vocari iussit psaltem, & dum caneret psaltes coram eo, facta est super eum manus Domini, & prophetauit: quid hoc? num, vt spiritus Prophetiæ, & Spiritus Domini super eum veniret, musica vlla fuerat necessaria? Rabbi Salomon super hunc locum, asseruit, hoc ideo factum fuisse, quia Elisæus paulò ante in Regem Israel fuerat iratus, & quamuis ira illa bona fuit, & ex Dei zelo promanauerat, spiritus tamen Dominus adeò amator pacis est, & ita factus est in pace locus eius, vt noluerit descendere super eum, quousque animum omnino sedaret Elisæus; quod vt efficeret, psaltem vocauit, vt psalleret coram eo: Musica enim ad sedandum, & pacificandum cor plurimùm præstat, propter lenitatem, & suauitatem suam. quod quidé rationi consonum est, ideo quippe noluit Deus Dauidem templum sibi ædificare, quia sanguinem multum fuderat inimicorum, non quia in eo fundendo peccauerit, cùm bella Domini, eos occidendo, fuerit profecutus; sed quia Deus lenitatis, & pacis adeo amator est, vt ira etiam licita effusio sanguinis humani licita, his, qui sibi placent obsequijs, impedimento aliqnando sit. Vnde ædificatio templi Ierosolymitani, quam tantopere Da- Rabbi Salomon.

uid defiderauerat, Salomoni commiſſa fuit, quia pacificus futurus erat, vti conſtat in Paralip. 22. vbi ſic dixit Dauid ad Salomonem filium ſuum: *Voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Domini mei, ſed factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella beſtaſti, non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me, filius, qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus, ipſe ædificabit domum nomini meo.* Vide quantùm Deus, cordis tranquillitatem amet. Quòd ſi ira, & effuſio ſanguinis iuſta, ita Deo inuiſa videntur, quid erit ira, & odium, & vindicta iniuſta?

Prop. III. *Quanta ſit deformitas hominis iracundi.*

PLutarch. lib. de cohib. iracundia: *Sicut Hippocrates ait, Eum morbum eſſe grauiſſimum, qui faciem ægrotantis quammaximè mutat in diuerſum; ita conſpiciens alios ob iram inaximè ſibi excidere, & vultum immutantes, colorem, inceſſum & vocem in diuerſum vertere; hinc velut imaginem eius mali mihi fingebam, admodum dolens, ſi aliquando tam formidabilis videretur amicis, & alijs, non tantùm aſpectu* B *truci, & inamæno, verùm etiam vocem emittens immitem, & aſperam. Quòd ſi mihi eſſet famulus diligens, haud moleſtè ferrem, ſi in ira ſpeculum adſerret; nam & Mineruam, aiunt qui fabulis delectantur, cùm tibia caueret, à Satyro admonitam, dicente:*

Non te decet forma iſta, mitte tibias,
Sume arma; buccas, vt decet, componito.

Quæ cùm in quodam amne figuram oris ſui vidiſſet, offenſam tibias abiecìſſe; quamuis ars deformitatis ſolatium habet aptam modulationem. Mare quidem turbatum ventis algam reijcit & fucum, & ſic aiunt purgari, verùm ira in animo exiſtente, & inuerſo, ſermones ejcit impudicos, & amarulentos, quibus ipſos loquentes conſpurcat, & infamiâ replet. ita Plutarch.

Prop. IV. *Iracundia hominem Diabolo ſimilem reddit.*

Ambr. SAnctus Ambroſ. 2. offic. 49. *Non inueniat in te aduerſarius imaginem ſuam, non rabiem, non furorem: in hoc enim imago eius es: aduerſarius enim diabolus, tanquam leo rugiens, quærit quem occidat, quem deuoret.* ita ille. Manſuetus autem Chriſto Domino ſimilis eſt: eſt enim mitis corde, in quo nos imitatores deſiderat, dicens *Verſ. 29.* Matth. 13. *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.* Eligo nunc cui ſimilis ſis, Deo an diabolo.

Prop. V. *Ira procedit, non ex fortitudine animi, ſed potiùs ex debilitate.*

PLutarch. lib. de cohibenda iracundia: *Sicut tumor accidit ex magna imbecillitate in carne, ita in molliſſimis animis, ſi quis ſe præbeat dolori, hoc ipſo quo maior eſt imbecillitas, hòc maiorem efficit iracundiam: & hac de cauſa mulieres iracundiores ſunt viris, ægroti ſanis, ſenes ætate ægretibus, & ſelicibus infelices. Iracundiſſimus enim eſt auarus aduerſus diſpenſatorem, lurco aduerſus propinatorem,* D *Zelotypus aduerſus pxorem, glorioſus in maledicos; ſic ex eo quòd maximè dolet, & ægrota t in animo; maximè ob imbecillitatem naſcitur, ita nequaquam neruis ad ſimilis animi, ſed eſt intentio, contractioque animi ſupra modum intumeſcentis in affectibus ad vltionem pronocantibus.* Ita ille. Et quidem in huius dicti confirmationem eſt illud Eccleſiaſt. 25. *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & Verſ. 22. non eſt ira ſuper iram mulieris.* Senſus eſt: Ira mulieris ita excedit alias iras hominum, ſicut nequitia capitis colubri excedit nequitias capitum aliorum animalium, propter venenum ſcilicet quod in ipſo capite gerit, idque occultè, paratum illud effundere per inſidias, cùm A fuerit opportunum: ita omnium grauior, & perniciosior eſt mulieris ira, quia licèt viribus corporis aperto Marte nocere nequeat, iram tamen, quam in animo, inſtar veneni, latenter gerit, opportunitatem nacta effundit. denique virorum ira, ira quidem eſt: at mulieris ira venenum. id autem inde prouenit, quòd mulier imbecilior ſit ad reſiſtendum huic paſſioni: ira igitur quantò maior, tantò magis infirmioris animi indicium eſt.

Diximus, iracundiam à magnanimitate valde differre, nunc ampliùs dicimus, iracundiam ex puſillitate animi proficiſci, vti adnotauit Seneca lib. 1. de ira cap. 16. Vt exulcerata, & ægrota corpora, quæ ad tactus leuiſſimos gemunt; ita ira muliebre maximè, & puerile vitium eſt. *At incidit & in viros: nam & viris puerilia, & muliebria ingenia ſunt. Quid ergo? nónne aliqua voces ab iratis emittuntur, qua magno emiſſe videantur animo? ſed non eſt, quòd credas irascentium verbis, quorum ſtrepitus magni minaces ſunt, intus verò pauidiſſima mens, nec quicquam magnum eſt, niſi quod ſimul placidum eſt.* ita Seneca.

Fortium eſt, non ſtatim commoueri, ſed tardos eſſe ad iram, vti nos eſſe debere monet Apoſtolus Iacobus, *Sit* (inquit) *omnis homo tardus ad loquendum, & tardus* *Iac. 1. 19.* *ad iram.* Tardum eſſe ad loquendum prudentis eſt, tardum eſſe ad iram, hominis eſt; muliebre autem eſt velocem eſſe ad iram. id aſſeruit Spiritus Domini, Eccleſ. 25. *Non eſt ira ſuper iram mulieris.* *Verſ. 22.*

Hinc eſt, quòd debiles & effeminati ſicut ſtupa igne, facilè ob ſuam debilitatem accèduntur irâ; fortes verò ſicut lignum durũ, & forte, non facilè ſic accenduntur, Vnde, ſicut ait Seneca lib. 3. de Ira cap. 7. *Ad leuem tactum, deinde etiam ad ſuſpicionem tactus condoleſcunt, qui vlcus habent: ſic etiam iracundi, ita vt vel etiam interrogatio aliqua, vel etiam ſalutandi modus, eos ad litem vocet, denique nunquam ſine querela ægri tanguntur.* & lib. 1. de ira cap. 32. *Imbecilla* (inquit) *ſe lædi cenſent, ſi tangantur.*

S. Auguſtinus ſerm. 118. de tempore notauit Chriſtum Dominum ad obiecta crimina in paſſione nihil reſpondiſſe, & ſubdit: *Ambiat defendi, qui timet ſuperari, feſtinet loqui, qui metuit vinci, nolo ſic defendi iuſtitiam, ſicut ſolet iniquitas excuſari. Suſanna inter inimicos tacuit, & vicit.* ita S. Auguſtinus.

Vnde Pſal. 88. vbi nos legimus: *Diſtuliſti Chriſtum* *Pſal. 88.* *tuum*, S. Hieronymus transfert: *iratus aduersùs Chriſtum* *39.* *tuum.* Obſerua hîc pro eodem ſumi hoc loco, iraſci, & differre, nimirùm, quia de Deo agitur, qui cùm virtus ipſa, & fortitudo ſit, non ſtatim iratum ſe oſtendit, ſed differt ſe talem exhibere. Nec ibi ſolùm, ſed eodem loquendi modo, vtitur Pſal. 77. *Audiuit Dominus, & diſtulit*, hoc eſt, iratus eſt, vnde ſubdit: *Et ira aſcendit in* *Verſ. 21.* *Iſrael*: eſt enim Deus patiens, & longanimis, & qui virili animo ſunt, illum in manſuetudine, patientia & longanimitate imitantur. *Ibid.*

Prop. VI. *Iracundia, non ex magnanimitate, ſed ex ſuperbia procedit.*

SEneca lib. 1. de Ira, cap. 6. *Neque illud iudicandum eſt, iram ad magnitudinem animi aliquid conferre: non enim illa magnitudo, ſed tumor eſt, nec corporibus copia vitioſi humoris intenſis morbus incrementum eſt, ſed peſtilens abundantia. Omnes quos vecors ira animos ſupra cogitationes humanas extollit, altum quiddam, & ſublime aſpirare ſe credunt, ceterùm nihil ſolidi habent, & in ruinam prona ſunt, quæ ſine fundamentis creuerunt. Non habet ira cui inſiſtat, non ex firmo, & manſuro naſcitur, ſed ventoſa, & inanis eſt, tantùmque abeſt à magnitudine animi, quantùm à fortitudine audacia, & à fiducia inſolentia, ab authoritate triſtitia, à ſecuritate credulitas; multum (inquam) intereſt inter ſublimem animum, & ſuperbum; iracundia nihil amplum, decorumque molitur.* ita Seneca.

Prop. VII.

PROP. VII. *Iracundia decipit mentem nostram.*

IS qui in alium irascitur, meritò, & iustè aduersùs illum se censet irasci: interroga irascentem: quare sic loqueris? quare sic fratrem afficis iniurijs? & dicet tibi: Meritò irascor, iustè irascor: hoc enim, & hoc fecit, & cetera. Sicut videre licet in Iona Prophetа, cui irato propter hederæ defectum, dixit Dominus: *Putásne bene irasceris super hedera?* cui Ionas: *Bene irascor ego vsque ad mortem.* Vnde rectè S. Gregorius 5. Mor. 32. *Dum perturbata est mens, iudicium rationis exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat.* Ita ille. Sed tamen nihilominùs, sicut docuit S. Iacobus cap. 1. dicens: *Sit omnis homo tardus ad iram: ira enim viri iustitiam Dei non operatur.* Vbi ponderandum est, genitiuum illùd *viri*, hoc est, vt interpretatur S. Thomas, ira, non pueri, sed viri perfecti, ira adulti, ira deliberata. quasi dicat Apostolus: non solùm à ratione, & iustitia aliena solet esse ira pueri, qui nescit quid dicat ex defectu integri iudicij, verùm etiam ira hominis adulti, qui perfecto iudicio pollet, ira huius viri iustitiam non operatur, *se bethe el ayrado pollo à sus ojos, pensando que es todo iusto lo que dize, y haze, mouido de la ira, que la ira no es à proposito para hazer, ni dezir lo que es iusto, y puesto en razon, antes esa ira turba el juicio, y la razon, y le haze hazer lo que no deue.* sicut enim homo, vino captus, non ea dicit neque facit, quæ ratio dictat, sed quæ ira & furor, atque adeo *ira viri iustitiam Dei nõ operatur.*

Sanctus Hieron. super Ioël, *Ira furori proxima, venti sue vim potestate facit.* Ita ille; qui meritò iram comparat furori, quia à ratione distrahit rationem.

Quod in Saule videre licet, 1. Reg 20. qui, cùm Dauidem occidere vellet, ne à filio suo Ionatha regni dominatum tolleret, cùm Ionatham ipsum Dauidem ex animo defendere vidisset, in Ionatham filium conuersus, *Fili*, inquit, *mulieris virum vltro rapientis, nunquid ignoro, quia diligis filium Isai in confusionem tuam? Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, nec regnum tuum.* Et arripuit Saul lanceam, vt percuteret eum. Expecta rex, quid agis: filium tuum primogenitum, hæredem regni, cuius causâ tu Dauidem occidere conaris, occidere tentas? hoccine est regnum eius, & successionem stabilire? esne mentis compos? minimè quidem, nec quid agat, percipit Saul. Vnde insania hæc? Ibi sacræ litteræ respondent, *Iratus est* (inquiunt) *Saul aduersùs Ionatham.* Iam desine mirari, furiosus erat, iratus dicere volui, menti suæ vim iræ potestate fecit. Cùm ergo intus ira dominatur, nec Regis dominatio, nec eius maiestas, nec patrius amor, nec intentio contraria, nec mens sibi constant.

Hinc Dauid ad Dominum, cùm tribularetur, sic clamauit. Psal. 30. *Miserere mei Domine, quoniam tribulor.* Vnde sic Dauid tribularis, vt tanto animi feruore à Deo misericordiam quæras & fauorem? num quia Rex potens Saul insurrexit in te? Nequaquam. Num quia contra Philisthæum Gigantem singulari certamine pugnandum est tibi? Non. Quòd filius tuus Absâlon, rebellauit in te? Neque ob id clamo. Quare igitur? *Quia conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus*, ac si dicat: Non ab alijs, sed à me inuador, non nunc alios, sed me ipsum timeo, non Saulis hastam, quam euadere noui. *Que le supe hurtar el cuerpo:* sed iram meam timeo, plùs quàm Saulem, plùs quàm Absalonem, plùs quàm Gigantem Goliath, plùs quàm Philisthæos, quia illi corpori meo nocere poterant; sed ira mea oculum mentis, & animam, & corpus meum perimere tentat. Vim patior, nõ ab inimicis, sed ab inimica ira. Vide quanta sit potestas, & nocumentum iræ.

Hinc Iob cap. 5. Eliphaz, Themanites: *Verè stultum interficit iracundia.* Ita legit nunc recens vulgata, in Hebræo pro stulto, *euil*, id est, temerarius, & furore percitus Itaque eum, qui magnâ irâ percitus est, stultum vocat, ac si dicat, stultum, & iratum esse, idem est, non illum præcipitatim, & inconsideratè agentem, sed plenis buccis stultum vocat, quia, sicut vanum est stulto aliquid rationi consonum velle suadere, cùm ille à ratione sit alienus; sic iracundo; cùm iracundiâ furit, aliquid velle suadere, quod rationabile sit, in vanum erit laborare. Et sicut ea, quæ mente captus temerariè fecit, postea se fecisse dolet, sic ea quæ quis iratus fecerit, postea fecisse ipsum pœnitebit. Sed aduerbiũ *illud verè* obserua: habet enim vim non leuem. potestq; conjungi cum verbo, *stultum*, verè stultum appellans iracundum, *es necio, y no de burlas, sinò de veras*, stultum, non solâ apparentiâ, sed verâ existētiâ: non enim adeo stultus est, qui à natura stultus est, quàm qui ab ira, quia ille vnico titulo stultus est, quia scilicet habet à natura, stultè loqui & stultè operari; at iracundus duplicitèr stultus est, & quia stultè cogitat, loquitur, & operatur, & quia id vitio suo, & culpâ suâ agit, quâ scilicet potuisse iram, & illam priùs mortificare noluit, quod stulto à natura imputari non potest: vnde stultus verè dici potest, *verè stultum interficit iracundia.*

S. Chrysost. tom. 5. Quòd vbi ira, &c. *Sicut in maris tempestate frequens tumultus, & ingens clamor copiam philosophandi tollit; sic in ira: qui vel meditari aliquid animo, vel dicere, vel discere voluerit, eum in portu priùs esse oportet. Videsne, quoties de rebus necessarijs agere volumus, quomodo strepitu vacuos, vbi otium, vbi tranquillitas, quo auocari, nec interpellari liceat, locos diligenter captamus? Quòd si à rebus abducit strepitus, qui externus est, quanto magis quæ intus agit perturbatio? siue precetur aliquis, frustra ira, & animi cogitationibus occupatus precatur; siue loquatur, siue taceat, siue comedat, siue bibat, siue sedeat, siue flet, siue ambulet, siue dormiat, illa quoque ridiculè faciet: nam idem prorsus, ac si somnianti talia imaginetur, facit. Eius autem interior perturbatio. in exterioribus apparet: insuaues enim oculi, os distortum, artus tremuli, & tumẽtes, lingua impura & sæpe muta, mens emota, nónne tu id omne insaniæ tribues? quid enim, si ad tempus id fieri respondeas? nam & qui furit, ad tempus furit. Nec tamen apologiâ tueri se non erubescunt, haud scio, dicet aliquis, quid dixerim: at tu, quid dixeris ratione præditus, ignoras, vt brutorum, & ratione carentium vitam, non aliter, quàm qui feruciunt, & impetu feruntur indociles equi, imiteris? Est quidem accusatione digna talis excusatio: Vtinam enim quæ dicis, nequaquam ignorares.* Iræ (*inquis*) verba sunt, non mea: *quomodo illius, at non haberet ira vires, nisi à te sumpsisset. Neque illud quidem aliud fuerit, quàm si manu tua necares te, tamen dixeris te vulnera inflicta non intulisse, sed manum, cùm à te dexteram motum non habere, nisi à te, certum sit. Hoc est, quòd sæpe iratus quis verbum profert, cuius toto vitæ spatio damnum sarcire vix possit.* Ita S. Chrysost.

PROP. VIII. *Iracundia iudicium ledit.*

NEscio quo pacto iracundia iudicium sic euertit, vt iudicio manente, ea quæ iudicio prorsus contraria sunt, iracundum dicere, vel etiam efficere faciat. In exemplum huius illud sit, quod de magno illo duce ac principe Xerxe narrat Plutarchus lib. de iracundia cohibenda, dicens: *Xerxes aduersùm montem quendam Atho nominatum, hanc epistolam iratus misit: Atho insolexe ad cœlum vsque porrecte, ne meis operibus facias lapides tuos magnos, & ad elaborandum difficiles, alioquin excisum te proijciam in mare.* ita Plutach. Quid stultius à tanto præciputè rege dici potuit? ad rem inanimetā epistolam misit, & quasi ad hominem verba fecit, & tanquam liberè illi obsistenti minatus, & iratus contra lapides fuit, quid ampliùs mente captus effecisset?

Prouerb. 12. *Fatuus statim indicat iram suam, qui autem dissimulat iniuriam, callidus est.* Hoc est: stultus facilè in iram profilit: nescit enim moderari iram suam, nec eam refrænare, & moderari statim, quam eam prodit,

Icna 4.9.

Iac 1.19.

1 Reg, 20.

Ps 30.10.

Ps 30.10.

Iob 5.2.

Verse 16.

prodit, & manifestat clamoribus, comminationibus, iuramentis, maledictionibus, & injuriosis verbis, & motibus, maximè verò in facie, quâ videtur furere, denique ad minimum occasionem prorumpit in ista. Callidus, hoc est, vir prudens & sapiens, scit dissimulare, cùm afficitur iniuriâ, modetatur iram, sedat infurgentem indignationem in corde, sicut Saul in principio sui principatus; quando scilicet sapiens erat, dissimulauit iniuriam sibi à nonnullis illatam, cùm videlicet electus iam esset, & diceret nonnulli viri nequam: *Num saluare nos poterit iste? & despexerunt eum, & non attulerunt ei munera*, & subdit Scriptura: *Ille verò dissimulabat se audire.* Hanc calliditatem seu prudentiam hîc Salomon laudat. Sic etiam Dauid cum Semei, cùm maledíceret ei Semei, 2. Reg. 16. & iratus Abisai familiaris Dauid diceret: *Quare maledixit canis hic morituus Domino meo regi? Vadam & amputabo caput eius.* Respondit Dauid: *Quid mihi, & vobis filij Sarviæ? dimittite eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid*, hoc est, permisit ad meam humiliationem, & vtilitatem. Ecce prudenter callidum moderatorem iræ suæ, non sic stultus, non sic.

1. Reg. 10. 16. 2. Reg. 16. B

Vnde Iacob 1. *Ira viri iustitiam Dei non operatur.* quod sic explicat Sanctus Gregorius 5. Moral. 30. *Per iram* (inquit) *Dei relinquitur iustitia, quia dum perturbata mens sic rationis iudicium exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat.* Ita Sanctus Gregorius. Vbi tetigit modum quemdam specialem, quo ira stultum reddit irascentem, dum scilicet, ira turbat mentem, vt existimare illum faciat, id totum iustum esse, quod ita dictat interiùs. & ita locum Iacobi interpretatur S. Thomas obijciens, quare dixerit Iacobus iustitiam non operari, potiùs quàm aliam virtutem, & respondet: quia ira induit magis formam iustitiæ, quàm alterius virtutis. Ita S. Augustinus epist. 148. ait, *Nulli irascenti ira sua videtur iniusta.*

Iac. 1. 20.

Et hinc constat, cur Ecclesiastes cap. 7. dicat: *Ira in sinu stulti requiescit*, hoc est, in corde stulti diu perseuerat, quia scilicet, dum iustè se irasci censet, non iram à se expellit, sed fouet, & nutrit, & consequitur: exemplum autem huius iræ stultæ habemus in Pharaone, qui accensus ità contra Israelitas, furorem suum appellauit sapientiam, Exod. 1. dicens: *Populus Israel multus, & fortior nobis est, venite, sapienter opprimamus eum.*

C

Eccles. 7. 10.

Exod. 1. 10.

Sanctus Chrysost. hom. 29. ad popul. *Nihil est irascentia deformius aspectu. Ebrietas enim quædam est ira, imò verò peior. Propterea Paulus, cum ira clamorem quoque iunxit.* Pareamus igitur totius Philosophiæ præceptori. Ita Sanctus Chrysostomus & homil. 30. ad popul. addit: *Tristes oculi iracundi, os obtortum, labia mobilia, & tumentia, lingua polluta, nemini parcens, mens in excessu posita, indecens habitus, tædij multum. Vide vultus à dæmonibus pressorum, ebriorum, & furentium, & dicito, in quo differat ab illis, nónne furoris totum est?*

Chrysost.

Sed dices, non spumamus, vt illi, nec oculos contorquemus, nec manus. Vtinam hoc in corpore pateremur, & non in anima. Vis tibi demonstrem animam spumantem, & immundam? cogita irascentes, & ebrios ex ira, quâ spumâ non emittunt verba immundiora? Et sicut illi præsentium neminem norunt, sic neque hi, obtenebrata eis mente, & oculis conuersis, non amicum, non inimicum, non venerabilem, non contemnendum, sed omnes similiter aspiciunt. Nónne etiam eos trementes vides, sicut & illos? At non humi sternuntur. Sed eorum anima humi iacet, & palpitans cadit. Si namque recta stetisset, non passa fuisset ea, quæ passa est. An non tibi prostrata anima videtur, quæ ab ira ebria iacet? An non tibi esse videntur animæ prostratæ & propriâ spoliata solertiâ, quem dicunt & faciunt ebrij irâ? Est & alia furoris species difficilior.

Cùm nec dimittere iræ sustinêt, sed propriis malis apud se nutriunt, mali scilicet, memoriam, quasi tortorem quemdam: ipsos

enim primò torquet mali recordatio, vt futura omittam. Quantum, autè putas esse tormentum homini, præcordia percusso, quotidie qualiter inimicum vlciscatur considerare? se enim ipsum prius punit aduersùs se pugnans, & exardescens, quia necesse semper est, apud te ignè iræ accensum esse, & inimico existimas malum inferre, teipsum ipse consumis, flagrantem semper, & vigentem ferens flammam, nec animam permittens requiescere, semper in perturbatione mentem habens, & in procella. Quid hoc furore grauius, semper esse tristem, & inflatum, & semper ardere? tales enim sunt animæ mali memoriam conseruantium, & cùm inimicum viderint, statim consternantur; si vocem audierint, concidunt, tremunt; si lecto recumbunt, innumeras sibi singunt pœnas, suum vexantes, & pumentes aduersarium: adhæc autem, si illum se bene gerentem viderint. O vltionem! Ergo peccatum ei dimitte, & à tormento teipsum absolues. Cur semper tu supplicium sustines, vt semel illum puniæ, tanquam tabes quædam, & tinea, mentem tuam corrodet. Vide igitur, quàm seram tuis visceribus includis: satius quidem tibi esset, anguem, vel viperam in corde tuo latere, quàm iram, & rancorem.

S. Chrysost.

Non vne derideat (inquis) non me contemnat ille. Homo miser, non vis à conseruo deriderí, & à Domino, & Deo tu pateris odio haberi? non vis à conseruo contemni, & tu Dominum Deum contemnis, & ab eo non contemni toleras? Tu, inquam, Deum contemnis, quia non vis illi obtemperare. quòd si Deum contemnis, nónne & ipse contemneris?

2. Matth. Herodes cùm audisset à Magis natum esse Regem Israël, timens regni amissionem, iratus in Puerum & in Magos, videns se illusum ab eis, tanquam vrsa captis catulis, iussit innocentes pueros necari: & aduersùs huius Regis stultitiam ita Sanctus Chrysostomus in Imperfect. homil. 2. *Quid agit insensata tua ira, Herodes? aut credis Magorum verbis, aut non credis; si non credis quæ Magi dixerunt de Rege futuro, quare sine causa in pueros insanis? si credis, cur in eos sæuis? nunquid poteris tu mutare sententiam Dei, aut perdere illum quem Deus defendit? Sed quid mirum, si Herodes censebat se posse mutare consilium Dei; cùm sapientissimus Salomon audiens à prophetis propter peccatum suum Ieroboam Regem futurum, apposuit persequi eum, existimans se posse perdere eum, quem Deus prædixit futurum Regem, quia ira consilium non admittit.* Ita ille.

Matth. 2. S. Chrysost.

S. Nilus de octo vitiosis cogitationibus: *Ira, cùm semel pectus obsederit, mentem fumo excæcat, iudicium que corrumpit, ac denique lubrica omnia & confusa reddit; sicut* Dauid ait Psal. 30. *Conturbatus est in ira oculus meus.* Ita ille. Sicut ergo fumus oculos, sic ira mentem obcæcat. Rursus ibidem: *Sicut torrens exundans quidquid obuium habuerit deuolut; sic iracundia inferuescens, mentem secum trahit.* Ita ille. Mens autem conturbata cuncta perturbat. Item ibidem. *Iracundia more canum cæcas cogitationes parit.* Ita ille. Scitum est, fœtus canis per plures dies oculos clausos habere.

S. Nilus. Psal. 30. 10. Idem. Simile. Idem.

D

PROP. IX. *Ira subinde non tantùm vtilis, sed & necessaria est.*

IRA est, inquit Seneca, cupiditas vlciscendæ iniuriæ: aut, vt ait Posidonius, cupiditas puniendi eius, à quo te iniquè putes læsum. *Quidam ita definierunt: Ira est incitatio animi ad nocendum ei, qui aut nocuit, aut nocere voluit.* Aristotelis definitio non multum à nostra abest. *Ait enim iram esse cupiditatem doloris rependendi. Hæc est ira, de qua superiùs diximus, iniusta, quæ etiam mutuò ineſt: in homine verò cohibenda est, ne ad aliquod maximum malum prosiliat per furorem.* Et paulò pòst: *Vbi est ergo illa ira iusta qua mouetur aduersùs delinquentes? Quæ vtique non est cupiditas vltionis, quia non præcedit iniuria. Non dico de ijs qui aduersùs leges peccant, quibus & index sine crimine irasci potest. Fingamus tamen eum sedato animo esse debere*

Lactantius de ira Dei cap. 17.

debere, cùm subjecta pœna nocentem, quia legum sit minister, non animi aut potestatis suæ. Sic enim volunt, qui iram conantur euellere. Sed de ijs potissimùm dico, qui sunt nostræ potestatis, vt serui, liberi, coniuges, & discipuli: quos cùm delinquere videmus, incitamur ad coërcendum. Necesse est enim bono ac iusto displicere quæ praua sunt; & cui malum displicet, moueri cum id fieri videt. Ergo surgimus ad vindictam, non quia læsi sumus, sed vt disciplina seruetur, mores corrigantur, Licentia comprimatur. Hæc est ira iusta.

Idem capite sequenti

Nos cùm domi peccatur à nostris, siue id cernimus, siue sentimus, indignari necesse est. Ipse enim peccati affectus indignus est. Nam qui non mouetur omnino; aut probat delicta, quod est turpius & iniustius, aut molestiam cassiganda fugit, quam sedatus animus, & quieta mens asperuatur ac venit, nisi stimulauerit ira & incitauerit: qui autem commouetur, tamen intempestiua lenitate vel sæpius quam necesse est, vel etiam semper ignoscit; is plane & illorum vitam perdit, quorum audaciam nutrit ad facinora maiora; & sibi ipsi æternam molestiarum materiam subministrat. Vitiosa est ergo in peccatis iræ suæ cohibitio. Laudatur Archyta Tarentinus, qui cùm in agro corrupta esse omnia comperirisset, Villici sui culpam redarguens, Miserum, inquit, quem iam verberibus necassem, nisi iratus essem. Vnicum hoc exemplum temperantiæ putant, sed auctoritate ducti non vident, quam inepta & loquitus fuerit, & fecerit. Nam, sicut ait Plato, nemo prudens punit, quia peccatum est; sed ne peccetur. Apparet, quàm malum vir sapiens proposuerit exemplum: si enim seuirent serui Dominum suum sæuire, cùm non iracitur; tum parcere, cùm iracitur, non peccabunt vtique leuiter, ne verberentur; sed, quantùm poterunt, grauissimè; vt stomachum eius incitent, atque impunè discedant. Ego verò laudarem, si, cùm fuisset iratus, dedisset iræ suæ spatium; vt residente per interuallum temporis animi tumore, haberet modum castigatio. Non ergo propter iræ magnitudinem donanda erat pœna, sed differenda; ne aut peccanti maiorem isto dolorem inuret, aut castiganti furorem.

Idem eodem lib. cap 23.

Regnum hoc imperiumque terrenum, nisi metus custodiat, soluitur. Auser iram regi, non modo nemo parebit, sed etiam de fastigio præcipitabitur. Imò verò ciuilibet humili erepe hunc affectum, quis eum non spoliabit? Quis non deridebit? Quis non afficiet iniuriâ? Ita nec indumenta, nec sedem, nec victum poterit habere, alijs quidquid habuerit, diripientibus. Et paulò pòst: *Si nullus alteri seruit, nisi coactus; omne igitur imperium metu constat, metus autem per iram. Nam si non moueatur quis aduersùs parere nolentem; nec cogi poterit ad obsequium. Consulat vnusquisque affectus suos: iam intelliget neminem posse sine ira, & castigatione imperio subiugari.*

Chrysost. ad Ephes cap. 1. ferm. 2.

Iram habemus, non vt contumelias proximo inferamus, sed vt peccantes conuertamus, vt excitemur ne socordes ac segnes simus. Ira nobis stimuli instar indita est, vt dentibus etiam aduersùs diabolum frendamus, vt vehementes aduersùs illum simus, non vt alius contra alium inimicem stemus. Arma habemus, non vt nos ipsos mutuò impugnemus, sed vt armatura aduersùs hostem nostrum vtamur. Iracundus es? Esto talis aduersùs tua ipsius peccata, animam tuam obiurga, conscientiam tuam flagella, esto vehemens hîc arbiter, & amarus iudex propriis peccatis.

Prop. X. *Iracundia furoris causa est.*

S. Nilus:

S Anctus Nilus de octo vitiosis cogitationibus: *Ira cùm ferbuerit feruorem parit.* Ita ille: Tum quia more hominis mente capti, & iracundi, omnia sursum deorsúmque inuoluit; tum quia fœuum hominem & crudelem reddit & furentem.

Prop. XI. *Iratum valde torquet ira.*

Iob 5.1.

E Liphaz Themanites apud Iob capite 5. *Verè stultum interficit iracundia.* Verè stultum vocat iracundum, quia magis hic stultus est, quàm qui à natura stultus est: ille enim vnico titulo stultus est, quia scilicet stultè agit: at iracundus duplici titulo stultus est, tum quia stultè agit, tum quia vitio suo, & culpâ suâ stultus est, quia scilicet noluit iram priùs mortificare; vnde meritò vbi antiqua vulgata legebat, *virum stultum interficit iracundia*, nunc recens Vulgata *vere stultum* ait.

Secundò interficit, inquit, eò quòd interius torqueat, & cruciet cor ipsius iracundi, non alio tortore opus est ad iracundum puniendum: ipsa enim iracundia tortor iracundi, & crudelissimus quidem extat.

Psal 7.

Quod mirè explicauit Propheta Psalmo 7. *Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum*; quasi dicat: Meritò Domine irasceris in eos, qui me iniustè persequuntur. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Sit ita, exaltare, triumpha in finibus, hoc est, in mortibus inimicorum meorum, eos interficiendo, prout ipsi meriti sunt. Flaminius ex Hebræo sic legit, & alij etiam cum eo, *Exaltare Domine contra commotiones*, vel in commotionibus *inimicorum meorum*. Dissona videntur hæc duo, *Exaltare in mortibus*, & *exaltare in commotionibus*: sed quidem consona sibi sunt valde: commotio enim idem est, quod conturbatio interior, & quædam ingens cordis perturbatio, & afflictio animi perturbati, & hoc quid aliud est, quàm mors amara, quæ & animam occidit, & cor, ac corpus ipsum dilaniat? Sic quidem stultum interficit iracundia, sic exaltatur, seu sic triumphat Deus de iracundis, dum eamet iracundia, quâ se ipsos afficiunt, ipsa vindictam sumit de ipsis.

Flamin.

Psal. 36.

Nec minùs obseruatione dignus locus ille Psalmo 29. *Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Dubium est non leue inter Expositores, de qua ira hîc loquatur Propheta, an de ira ipsius Dei, an de ira eorum contra quos indignatur. Et quidem duplici ratione videtur de ira, non Dei, sed peccatorum irascentium, intelligendum esse: nam aliàs esset idem per idem dicere, iram habet Deus, quando indignatur, & hoc quid mirum? manifestum est iram habere qui indignatur. Secundò, quia aliàs non ita quadrat contrapositio hîc vitæ in secunda parte versus, *& vita in voluntate eius*: hîc enim de vita, quæ est effectus in nobis diuinæ, & bonæ voluntatis eius, clarè loquitur; ergo in prima parte de ira, quæ est in nobis effectus indignationis diuinæ, sermo est; vt sit sensus: sicut vita nostra effectus est bonæ voluntatis diuinæ, sic ira in nobis effectus est indignationis eius. & ita exponit hunc locum Genebrard. per antithesim accommodatam verbis, dicens: *Ad fauorem Dei sequitur vita, & salus; ad indignationem eius, sequitur plaga iræ nostræ.* Vbi primùm obserua, qualem effectum indignationi diuinæ tribuat Propheta, iram nostram, quasi dicat, cùm Deus in nos valde indignatur, hoc supplicio nos punit, quòd nos irascamur: sincre peccatorem irasci, permittere iram dominari in corde eius, hæc magna eius indignatio, sicut è conuerso pietas eius est, pium nos animum habere, cohibentes iram. Ira ergo nostra in indignatione eius. Secundò obserua antithesim, seu oppositionem inter iram, & vitam; cur non dixit: Mors in indignatione eius, & vita in volun-

Genebr.

voluntate eius, vel, Ira in indignatione eius, & mansuetudo in voluntate, seu misericordia eius? sic enim quadrans esset contrapositio. Ratio est, vt quid esset ira, sic melius demonstraret. Quid enim est oppositum morti, nisi vita? hac igitur de causa iram vitæ opponit, vt ostendat iram mortem acerbam quandam esse, quæ cruciatus mortales intus in corde, & animo operatur: non viuit, sed moritur, qui afficitur irâ. Vide quàm rectè dixerit Sapiens ille: *Virum stultum interficit iracundia.*

Sanctus Nilus de octo vitiosis cogitationibus: *Iracundi cogitationes viperini fœtus sunt, & pectus ex quo nascuntur irrodunt.* Ita ille. Sicut etiam tinea demolitur pannum, in quo generatur, sic iracundia cor vbi producitur.

Prop. XII. *Ira malorum multorum initium esse solet.*

NOn semper incendia ex palatijs, & regijs initium sumunt, sed sæpe è domuncula lucernâ parum per neglectâ ingens erumpit flamma, vel ignis sensum conceptus paleâ, & alijs fomentis auctus, mirum in modum ardet, & primis quibusque correptis, longiùs serpit, & maximam stragem facit; ita magnas in ciuitate seditiones non semper contentiones magnæ, nec de domibus principum dissidia incendere, concitareque solent; sed priuatæ & exiguæ scintillæ, vti experimento constat. Sicut ergo ignem, cùm ardere in plateis domus cœpit, quamprimum extinguere curamus, ne inde magnum incendium crescat; sic cùm incipit ardere ira, ratione moderatrice eam reprimere cura, ne in incendium discordiæ & inimicitiæ magnæ crescat.

Prop. XIII. *Quantùm lædat hominem ira, tam in corpore, quàm in anima.*

SAnctus Chrysostomus homil. 23. ad popul. *Existima igitur, si libet, iram quoque bestiam esse, dentes leonis dentes eius, quin & multò peiores: nam leo quidem, & satiatur, & à corpore coram se prostrato absistit; hac autem vitia neque saturantur, neque absistunt, donec captum hominem ad diabolum perduxerint: & quantum alij circa leones, tantum & tu circa temetipsum studij impende, & iram tuam mansuefacias: hæc enim habet difficiles, tam dentes, quàm vngues, misi mansuetam reddideris, omnia destruet. Neque enim ita leo, vel vipera potest dissipare, sicut ira, ferreis vnguibus hoc continuè faciens, & non solùm lædit corpus, verùm & animæ sanitatem corrumpit, deuorans, dissipans, & omnem eius virtutem dilacerans, & ad omnia reddens inutilem. Quomodo nos talem habentes serpentem, qui cuncta viscera rodit (iram dico) aliquid generosum producere poterimus? qualiter hac liberabimur pestè? Præueniamus nos talia vitia necantes, alias nos ipsa necabunt.* Ita S. Chrysost. Vide igitur quomodo virtus hominem, & maximè Christianum decet, & dedecent vitia.

Chrysost.

Ita Sanctus Chrysostomus homil. 29. ad popul. *Iucundior quidem multò mansuetudo, quàm iracundia & bilis: & illa quidem à Deo, hæc autem à dæmone demandata: & licèt nec Deus, nec diabolus esset, qui hæc mandarent, ipsa per se præcepta poterant nos monere. Mansuetus quidem est sibi iucundus, & vtilis alijs: ille verò & inucundus sibi, & alijs damnosus. nihil enim iracundo homine insuauius, nihil grauius, nihil infestius, turpius nihil: sicut contra nihil nescij, irasci, iucundius. Feræ potiùs, quàm iracundo homini cohabitandum est: nam illa, cùm semel fuerit mansuetæ suam seruat legem; hunc autem quotiescumque mitigaueris, rursum efferatur, nisi quis in talem habitum induxerit eum: sicut enim dies clara, & serena, & hyems multa plena tristitiæ, itidem irascentis animus, & mansueti. Sed nondum alijs noxia videamus*

A *ingruentia, sed ipsi iracundo, atque & hoc non exiguum damnum alijs malum inferre. Verumtamen hoc interim consideremus: Quis tortor ita laniare latera potest? quæ ignita tela corpus perforaret? quis furor, ex naturalibus vita sensibus excedere facit, sicut furor & iræ consternatio? Noui multos ex ira morbos incurrisse, & febrium difficillimæ præsertim hæ sunt. Si verò ira corpora lædunturi animas cogitasne cogites enim quod non vides, sed cogita, si malitiam suscipiens corpus, ita lædi tur, quantùm patiens patietur detrimenti? Multi oculos amiserunt, multi in morbum grauissimum inciderunt, generosè autem ferens omnia, facilè & sine damno sustinebit. Nihil autem iracundia peius, acutus morbus est, sæpe in iracundia verbum quis emisit, ad cuius remedium totius indiget vitæ, & aliquid commisit, quod totam eius subuertit vitam. Denique diabolus est, qui sic imperat irasci, & huius mercedem statuit gehennam, & magis huic paret iracundus, quàm Christo, qui Saluator est, & protector, & talia imperat, quæ iucundiora sunt, & honestiora, & vtiliora, & quæ nobis, & alijs plurimum prosint. Acutum igitur est iracundiæ vitium, & efficax animas nostras furari; propterea oportet obstruere aditum: absurdum enim est feras mansuefacere posse, animam verò nostram insolescentem despicere: ignis est vehemens iracundia, omnia deuorans, corpus perdens, & animam corrumpens & hominem.* Ita S. Chrysost.

B

C

D

ADDITIO.

S Chrysostomus Hom. 2.

INter quos esse putas bile percitum? inter quos verò tolerantem & miteni? Nonne huius anima quidem solitudini cuidam est similis multam habenti quietem: illius autem foro & tumultui, mediisque ciuitatibus, vbi multus euntium & redeuntium clamor camelorum, mulorum, & asinorum, & accidentium aures agasonibus multò replentibus sonitu ne conculcentur: rursum argentarijs & æratijs vtrimque cudentibus, & his quidem molestiam patientibus, his autem inferentibus? Et postea sermone eodem: Nihil iracundo homine insuauius, nihil grauius, nihil infestius, turpius nihil: Sicut è contra, nil nescio irasci iucundius. Feræ potiùs quàm iracundo homini cohabitandum est. Nam illa cùm semel mansuefacta fuerit, suam seruat legem: hunc autem quotiescumque mitigaueris, rursum efferatur. Et paulò pòst: *Quis tortor ita laniare latera potest? quæ ignita tela corpus ita perforant? Quis furor ex naturalibus ita sensibus excedere facit, sicut furor & iræ consternatio? Noui multos ex ira morbos incurrisse, & febrium difficillimæ præsertim hæ sunt.* Et rursum paulò pòst: *Frequenter ex ira verbum aliquis emisit, ad cuius remedium totius indiget vitæ: Et aliquid commisit quod omnem ipsius vitam subuertit.* Et paulò pòst: *Si furoris tempore posset irascens sibi nec ipsi notus fieri, non alia foret opus admonitione. Nihil enim irascentia deformius aspectu.*

S. Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio.

Nihil sic ingeny perspicuitatem, nihil sic mentis aciem hebetat, vt ira nullum ordinem seruans, ab animi impotentia impetu nata. Ira enim & prudentes perdit: quasi enim in nocturna pugna aliqua obtenebratus animi oculus, non internoscit amicos ab aduersarijs, neque ignobiles à claris, sed omnes simul vno loco habet: & si tractura etiam aliqua, calamitasque subeunda sit, omnia perfert, vt animi voluptatem impleat, fatietque. Est enim etiam quædam voluptas, ira excandescentia: cuius tyrannis humanum animum vbi possedit, voluptatis tyrannide crudelior, truculentiorque est, vnius sum illius statum sursum, ac deorsum conturbans, incolumitatemque excarnificans.

S. Chrysostomus orat 5. aduersus Iudæos.

Quem tenet ira, ebrius est. Similiter & huic turget facies, vox fit asperior, oculi fiunt sanguinolenti, mens obtenebratur, prudentia submergitur, lingua tremit, oculi intorquentur, aures alia pro alijs audiunt, nimirum ira longè grauius, quàm vllum merum soleat percellente cerebrum, tempestatem concitante, turbationemque gignente insedabilem.

De ira vide Middenporsium Imperatorum. principum &c. Quæstiones Sichonlini suspiria spiritualia. mihi p. 38. Lacerdam in Iudith mihi p. 345.

PROP. XIV. *Iracundia etiam in somno molestias infert.*

Idem serm. 26.

SAnctus Nilus de octo vitiosis cogitationibus. *Iracundorum perturbata & cum terrore coniuncta sunt somnia; sol non occidat super iracundiam vestram*, ait Apostol. Ephes. 4. *ne alioqui irruentes Dæmones animam per horrenda spectra conturbent: etenim ex iracundia hæc existunt.* Ita ille.

PROP. XV. *Quàm infensus & pernicios us omnibus sit iracundus.*

Chrysost.

SAnctus Chrysostom. serm. de mansuetudine, tom. 5. *Iracundus insuavis est obuijs, insuavis & vicinis, communisque hostis ciuibus, & peregrinis, clamat, vociferatur, plagas intentat, dicenda, & non dicenda loquitur, aspectu toruo, inflata facie, lingua rabida, manibus ad omnia prorum pentibus, & vt apparet, dæmone plenus.* Ita Sanctus Chrysostomus.

PROP. XVI. *Quomodo frænandus sit motus iræ.*

Psal 4 5. ibid.

IRascimini, & nolite peccare. Quî fieri potest, vt quis irascatur, & non peccet? S. Augustinus, duplicem apponit sensum, primus sit: *Irascimini vos, sinetipsis de præteritis peccatis, & vlteriùs desinte peccare. Secundus, irascimini, & nolite peccare, hoc est, etiamsi surgat motus iræ animi qui iam propter pœnam peccati non est in potestate vestra, saltem non consentiat ratio, & mens, quæ motus regenerata est secundum Deum, vt mente seruatus legi Dei.* Ita Sanctus Augustinus.

PROP. XVII. *Quàm deceat Christianum iracundiam superare.*

S. Hier. Ephes. 4. 26.

SAnctus Hieron. Epist. 8. *Irasci hominis est, & finem iracundiæ ponere Christiani.* Vnde Apostolus ait: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Ita S. Hier. *vestram*, inquit, qui scilicet Christiani estis.

PROP. XVIII. *Quàm laudabile sit iram frænare.*

MIrè expendit & auget Sanct. Chrysostom. hom. 2. de Saule & Dauid, factum illud Dauidis, cùm inueniret Saulem in spelunca dormientem, 1. Reg. 14. Quærebat Saul Dauidem ad perdendum eum, & tali inquisitione in quandam se speluncam recepit, necessitatis causâ, in qua secretò latitabat Dauid cum nonnullis militibus suis; optabant igitur satellites Dauid, tali data occasione, occidere Saulem; sed non permisit Dauid: imò, ait Scriptura: *Confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos, vt consurgerent in Saul.* ait ergo Sanct. Chrysostomus: *Spelunca illa Ecclesia facta fuit, in qua Dauid sacrificium obtulit, haud quidem mactato vitulo, aut occiso agno, sed, quod honorificentius erat, mactatâ iracundiâ, & factus est idem tum victima, tum sacrificus, tum altare. Egressus autem post Saulem magis exultauit, quàm cùm Goliath deiecisset, & eius caput amputasset, siquidem hæc illâ magnificentior victoria erat, hæc præda illustrior, hoc trophæum gloriosius. Siquidem illic fundâ, & lapide, & ense habebat opus; hic verò prudentiâ, & ratione ea peracta sunt, & sine armis contigit victoria, ac incruentum trophæum erectum est. itaque vediit non barbari illius caput gestans, sed animi motionem mortificatam, & iram eneruatam: spolia hæc non reposuit Hierosolymis, sed in cœlo. Nunc minimè in chorîs veniebant fœminæ excipientes illum cum laudibus, sed Angelicus cœtus & sublimi applaudebat, admirans eius Philosophiam, & humanitatem, ascendit hostè innumeris vulneribus cruciato, vt qui, etiamsi seruasset Saulem, tamen re vera diabolum hostem multis confixit plagis. Sicut enim nobis inter nos pugnantibus per iracundiam, & multo confictu colliss, ille tunc gaudet, tum floret, ita nobis pacem habentibus, & concordibus, itaque moderantibus, contrahitur, & deijcitur, mirum hostis pacis, & inimicus concordiæ, & inuidiæ pater est. Egressus itaque est Dauid, non Saulis diadema gestans, sed gestans iustitiæ coronam, non est egressus gestans purpuram regis, sed egressus est humanitate amictus, quod pallium est quàuis stolâ regia magnificentius. Egressus fuit ex spelunca tantâ cum gloriâ, quanta tres pueri egressi sunt è camino ardenti: nam sicut illos non exussit ignis, ita hîc non conflagrauit incendio iræ. & illis quidem nihil foris ignis, in quo versabantur, nocuit; hic verò, cum intus in corde haberet carbones accensos, cùm foris videret diabolum caminum incendentem, idque variis modis, ab inimicis conspectus, ab exhortatione suorum militum, à facilitate perficiendi eadem, à præteritorum memoriâ, à futurorum periculorum metu, siquidem hæc & sarmentis, & stipulis, & cæteris omnibus, quibus caminus ille Babylonicus incendebatur, lucidiorem excitabat flammam; non tamen exarsit Dauid, neque vllo pacto sic fuit affectus, sicut consentaneum erat hominem affici tot modis irritatum.* Ita egregiè Sanct. Chrysostomus, qui, vt tandem factum augeret, subdit: *Haud intempestiuum fuerit, si quis etiam hîc meminerit Danielis: sicut enim ille ascendit è lacu leonibus superatus, itidem hic ex specu prodijt alijs bestijs sanioribus deuictis: nam sicut iusto ille leones hinc, atque hinc assidebãt; ita hunc omnibus leonibus ferociores animi motus inuasserunt. Hinc indignatio de præteritis, hinc futurorum metus; verùm vtrumque is coercuit, ora bestijs occludens, ipsis factu docens, nihil esse vtilius quàm parcere inimico: contrà verò nihil esse perniciosius, quàm velle vlcisci, & sumere vindictam. Itaque Dauid, priusquam Deus ipsi rependeret mercedem, etiam in hac vita maius accepit præmium, ac illustriorem tulit victoriam, seruans Saulem, quàm si mactasset eum.* Ita S. Chrysostom.

PROP. XIX. *Moderatio iræ sapientiæ magnum indicium est.*

QVi olim sapientiæ studio vacabant, iræ impetus cohibere maximè studebant: hoc enim proprium viri sapientis esse censebant. Inter primos antiquorum Philosophorum Sapientes Socrates fuit, de quo sic Plutarchus lib. de cohibenda iracundia, *Socrates* (inquit) *quoties sensit sese acerbius commoueri aduersus quempiam amicorum, velut imminente fluctu maritimam antennam dirigens, præbebat sese dictis, ac vultu arridebat, & faciem placidiorem ostendebat, itaque alteram in partem deflectendo, & in diuersum intendendo, quàcu quòvocabat animi affectus, sæpissim inconcussum seruabat.* Ita ille.

PROP. XX. *Virilis animi est Iram superare.*

Nahum 1. 3.

NAhum 1. *Dominus patiens & magnus fortitudine.* Cur patientiam cum fortitudine coniungit? *Theoph.* Theoph. sic respondet, *quòd Deus longanimus & patiens sit super iniquitates peccantium, non propter imbecillitatem hoc facit: est enim magnus fortitudine, & ingens robur eius est.* Ita ille. Et idem ait Theodor. Et hac de causa prophe- *Theodor.* ta Nahum simul dixit Deum patientem & fortem esse, quasi dicat, apud homines multi iniuriâ affecti vindictam non sumunt de inimicis suis, quia non possunt: Deus verò non sic, cùm omnipotens sit, sed tolerat, quia patiens est.

Imò in hoc fortitudinem suam manifestat, quòd non ita subitò, iram suam ostendat, vindicans se de inimicis suis. Vnde S. Hieron. sic explicat hunc locum Nahum: *Dominus quidem diu sceleris Assyriorum patiens fuit, & magnanimitatis suæ fortitudine iniquitates eorum sustinuit.* Ita ille. exponens hunc locum Prophetæ Nahum,

hum, qui de Assyrijs agit. Vbi etiam Vatablus sic exponit, dicens: *Deus non dicitur iracundus more hominum, sed potest iracundiam cohibere quamdiu velit, opportuno tempore puniturus.* Ita Vatablus. Hæc igitur laus tribuitur Deo nostro, quòd, cùm fortis & omnipotens sit, & iustè ac facilè possit, plenam de peccatoribus sumere vindictam, patienter & longanimiter ferat, dissimulans peccata propter pœnitentiam, & patientia hac sua ostendens fortitudinem suam. A

Vnde viri potentes in hoc laude digni iudicantur, quòd patientiâ & clementiâ iram & affectum vindictæ vincant. Vnde Marcus Tullius orat. pro Marco Marcello, *Hodierno* (inquit) *die te ipsum vicisti, vereor vt hoc quod dicam non perinde intelligi possit, atque ego ipse cogitans sentio, ipsam victoriam vicisse vt deus, cùm ea ipsa, quæ illa erat adepta, victu remisisti: nam cùm ipsius victoriæ conditione, iure victi omnes occidissemus, clementiæ tuæ iudicio conseruati sumus.* Ita Cicero.

Hinc Psalm. 7. sic ad Dominum Dauid: *Deus fortis & patiens, nunquid irascitur per singulos dies?* Vide quomodo Dei patientiam cum fortitudine collocauit: non enim opposita sed composita sunt. Vnde meritò ait: *Nunquid irascitur per singulos dies?* Vbi Cassiodorus; *Patiens est, quia patienter ad pœnitentiam expectat, quos perdere pro suorum scelerum qualitate potuisset.* Ita ille. B

Vnde Numer. 14. Moyses petens misericordiam à Deo irato in populum Israel ob eius peccata dixit *magnificetur fortitudo Domini*, &c. quid vis Moyses sancte? clementiam postulas & ad fortitudinem accurris? ita quidem, nam fortium & potentium est propria virtus clementia.

Veruntamen caueat sibi peccator, ne dum ita pium & clementem Deum confidera t, inde occasionem peccandi sue in peccato perseuerandi, arripiat, quia sic scriptum est Eccles. 5. *Ne dixeris: Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor*; quasi dicat: Verum est Deum expectare ad pœnitentiam peccatorem, sed simul est redditor, id est, iustus Iudex reddens vnicuique secundùm opera sua. Vnde subdit: *Ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum miserebitur: misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius*; id est; ne dicas: Quantumuis peccem, & peccata multiplicem, scio Deum esse ita clementem, vt facilè ob id sperem me ab eo misericordiam consequuturum, quia in sic peccantes respicit ira illius, vt citò puniat. Et meritò, nam est hic abominabilis diuinæ misericordiæ abusus. C

Prop. XXI. *Ira remedium est silentium.*

PLutarchus libr. de cohibi ira cund. *Hæc quidem lugentibus permittuntur, comploratæ, & lamentari, quæ bonam doloris partem vnà cum lacrymis educunt: at contrà ira his vehementiùs incitatur, quæ faciunt, aut dicunt irati. proinde quiescere optimum est, aut effugere, aut occultari, & sese ad silentium velut in portum recipere, (sicut solent, qui epilepsiam oborientem senserunt) ne concidamus, aut potiùs, ne in quemquam irruamus.* Ita Plutarchus. D

Prop. XXII. *Ira in tempore præueniendum est remedio.*

PLutarchus libr. de iracundia cohibenda, *Quemadmodum* (inquit) *equis in ipso cursu nemo injicit frena, sed longè ante; ita qui animo sunt in iram præcipites, & ad res molestas facilè irritabiles, rationibus quibusdam, diu ante præsumptis, in certamen sunt producendi.* Ita Plutarchus.

Prop. XXIII. *Quàm difficilis curationis sit iracundia.*

PLutarchus libr. de cohibenda iracundia: *Cetera quidem mala etiam tunc, cùm viget vis morbi, vtcunque cedunt, & admittunt rationem opiferam, alunde venientem in animam: verùm etiam ira non aliter, quàm illi, qui sese vnà cùm ipsis ædibus incendunt, ita tumultu, fumo, & caligine cuncta intus replet, vt nec videre possis, nec audire eos, qui cupiunt subuenire. Nauis quidem in media tempestate in mari periclitans, naucleroque carens, citius alunde recipit gubernatorem, quàm rationem alienam admissurus sit homo, cum impetu, & ira, ceu fluctibus, tactatur, nisi paratam habeat domi rationem. Sed sicut qui expectant obsidionem, contrahunt, & in promptu collocant, quibus est opus, nihil spei collocantes in his, quæ sunt extra ciuitatem; ita maximè oportet, nos aduersùs iracundiam auxilia à longinquo petita, minimum à Philosophia comparare in animum, ne, cùm tempus aduenerit, eorum vsum postulans, non facile possit aliunde trahi.* Ita Plutarchus.

Prop. XXIV. *Quàm difficilè sit vincere iram ei, qui se ab ea semel dominari permiserit.*

SAnctus Chrysostomus serm. de Mansuetudine, tom. 5. *Sibi ipsis imperare non valent iracundi, & quia furore, & ira vincuntur, similes sunt naui, quæ in media tempestate submergitur à gubernatore destituta, vndequaque procellis in eam ingressis: ira enim quasi fulmen, & tempestas quædam in animam irruit, seruientemque sibi stupidum, & amentem reddit.* Ita S. Chrys. Adde, iracundum similem esse rupi ex vertice altissimi montis euulsæ, quæ maximo impetu cadens, diruit cuncta sibi occurrentia, & se, cæteraque obuia disrumpit, & perdit: sic, inquam, iracundus à ratione cadens, &c. *Chrysost.*

IVDEX, IVSTITIÆ MINISTRI.

Prop. 1. *Quanta sit excellentia iudicantis.*
2. *Quàm strictè iudices Deus iudices huius mundi.*
3. *Iudices venerandi sunt.*
4. *Qualis debeat esse iudex in omnibus.*
5. *Iudex sedulò iustitiam administrare debet.*
6. *Quàm teneantur nisi iudicare & peccatores punire.*
7. *Nisi Iudex punierit delicta reipublicæ, puniet illa Deus.*
8. *Ministri iustitiæ fideles, & vigilantes esse debent.*
9. *Iudex pauperibus iniuriam patientibus maximè fauere debet.*
10. *Iudex se legi accommodare debet, non verò legem voluntati suæ.*
11. *Iudex cauere debet acceptionem personarum.*
12. *Iudex seueritatem cùm pietate coniungat.*
13. *Quantùm debeat examinare causam ante sententiam.*
14. *Iudex surreptioni caueat.*
15. *Quàm sine passione debeat iudicare.*
16. *Quòd Iudex omni auaritiæ carere debet.*
17. *Iudex non debet accipere munera sibi oblata.*
18. *Quàm iniustus omnibus sit iudex iniustus.*

Prop. I. *Quanta sit excellentia iudicantis.*

EXod. 22. *Dij non detrahes*, &c. Quosnam hîc Deus Deos vocat, cùm Deus solus ipse sit? S. Thom. q. 51. in Exod. *Iudices* (inquit) *Deos appellat, propterea quòd ad imitationem Dei omnium commissum est illis iudicandi munus; & hoc clarius docuit Propheta Dauid, dicens: psal. 81. Deus stetit in synagoga eorum, in medio autem Deos diiudicat.* Ita ille. Adeò enim iudicare proprium Dei est, vt Deos illos Deus ipse appellet, qui iudices sunt. Et obserua sic Deos esse, vt in medio eorum, cùm iudicant, assistat diiudicans eos Deus, vt videat scili- *Exod 22. 28. S. Thom. Vers 1.*

cet & puniat iniquè iudicantes: quantò enim sublimiùs est eorum munus, tantò magis tenentur æquius illo vti.

A

Prop. II. *Quàm strictè iudicet Deus iudices huius mundi.*

Ps. 81.1. PSal 81. *Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat.* Deos hic iudices appellat. Sicut enim Deus mundum gubernat, & in manibus eius vita, & mors nostra; sic iudices mundum gubernant, & in eorum manibus vita nostra, & mors. Meritò ergo iudices appellantur Dij. *Haze ese pues a qui Deos juez. de residentia de jueces, presenta la visita, admite accusaciones, toma testigos, substantia el proceso, haz eles cargo, y dize. Vsquequo iudicatis iniquitatem, & faciem peccatorum sumitis?* hoc est, quare iniquè iudicatis, qui æquitatem iudicum profitemini? qui æquitatem administrare ex officio tenemini; cur non veremini, iniqui vos esse? & præterea cur faciem peccatorum sumitis? hoc est, cur faciem, & superficiem iudicandorum solùm attenditis, & non ad interiora criminum progredimini? nihil autem animaduertentes, quàm illico peragatis causas delinquentium, vt laborem ex plena indignatione illarum fugiatis? cùm manifestum sit longè diuersa esse exteriora, & interiora peccantiù. Audiſtine Christù Domi-
Matt. 23. 27. num dicentem Matt. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intra verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia? sic & vos aforis paretis hominibus iustis, intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate:* id igitur quoties licet in mundo videre? sunt enim nonnulli, velut sepulchra aforis perpulchra, intus tamen immunditiâ plena. Videbis in templo aliquo sepulchrum diuitis alicuius, marmoreis lapidibus, & iaspide, & auro pernornatum, & effigiem ipsius diuitis super sepulchrum ipsum ex alabastro elaboratum mirè, altare verò magnum, in quo sanctissimum est Sacramentum collocatum, nullo decoratum nitore, & super illud tabulatum imaginum vetustarum, & fumo obscuratarum, &c. qui facietenus hæc respexerit, facilè oculos ab altari, in quo Christus est, auertet, & ad sepulchrum diuitis conuertet, & parui faciens illud, hoc magnificiet, & laudabit. Sic qui rerum tantum facies, & non interiora considerant, peccatores, & iustos ex his, quæ apparent, iudicans: sæpè iustos contemnet, & damnabit, peccatores verò pluris faciet, & laudibus extollet. Vnde Christus Dominus, *Nolite iudicare*, inquit, *secundùm faciem, sed rectum iudicium iudicate*: rectum autem iudicium est morum rectitudinem penetrando decernere, &c. Hoc igitur est, quod ad iudices ait Dominus: *Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?*

Ioan. 7. 14.

Psal. 81. 2

Vel secundò, *facies peccatorum sumitis*, hoc est, personarum estis acceptores. sic exponit Sanctus Hieronymus super hunc Psalm. *Quando* (inquit) *venerit ad vos iudicium, non considerastis causam, non considerastis iudicium, sed personas eorum, qui causas habent, ac si dicat, si venerit pauper habens negotium iustum, & venerit habens negotium nequam, vos personam accipitis, non negotium.* Ita Sanctus Hieronymus.

S. Hier.

B

C

D

Prop. III. *Iudices venerandi sunt.*

GEnes. 47. cùm Patriarcha Iacob morti proximus esset in Ægypto, petijt à filio suo Ioseph, sub iuramento, quòd ex Ægypto in terram promissionis transferret ossa sua, quia inter iniquos nec cineres relinquere debemus. Iurauit Ioseph, & subdit Scriptura: *Adorauit Israel conuersus ad lectuli caput*: Septuaginta sic habent, *Adorauit Israel summitatem virgæ eius*. S. Augustinus legit: *Adorauit in capite virgæ eius*; erat quippe Ioseph gubernator, & iudex populi Ægypti, & ideo moriens Iacob adorauit virgam, & imperium eius. At, inquies, pater ille erat Ioseph: patrem autem filium adorare non decet. Si filium, vt filium attenderis, ita est, at quatenus iudex, princeps, ac moderator erat, non immeritò illum adorauit, & ideo summitatem virgæ adorauit, in qua insignia principatus collocantur, virgam, id est, imperium & dominationem adorauit pater in filio. Vide quàm debitus sit capitibus honor.

Verſ 31. LXX. Augusti.

Prop. IV. *Qualis debeat esse iudex in omnibus.*

CVm Moyses de iudicio populi Dei ageret, sic sapiens Iethro ad eum: *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* Ecce breui ratione requisitas in iudice partes. Primò iudicem oportet virum esse potentem ad superandas eas difficultates, quæ in executione iustitiæ interuenire solent: sunt enim nonnulli, qui vel timore alicuius damni, vel spe alicuius præmij: deuient à iusto, ad quos sic Spiritus sanctus: *Noli quærere fieri iudex nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* Virtute, inquit, hoc est, viriliter, & fortiter irrumpere, hoc est, infringere, & vigore animi resistere potentiæ malorum, & vindictam debitam de illis sumere, quamuis adcrsùs eos insurgant tales potentes.

Exod. 18. 21.

Eccli. 7. 6.

Secundò, *Prouide* (ait) *timentes Deum*, viros scilicet virtute omni præditos, nam qui sibi nequam est, cui bonus erit? si in se est iudex iniquus, eligens quod malum est, erga quem iudex bonus erit? Etenim Deum timens, timebit iniquè iudicare, & iniustè munus exqui iudicis, cum hoc peccatum magnum in Deum sit, non solùm ad iudicis munus aptus non est peccator, verùm nec ad aliud quod vis reipublicæ officium. Exech. 15. sic Dominus ad Ezechielem: *Fili hominis quid Ezech. fiet de ligno vitis?* (separato scilicet ab ipsa vite,) *nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcumque vas? Ecce igni datum est in escam; ita prorsus nec scamnum, nec porta, nec quid simile ex palmite vitis fabri cari potest: imò nec paxillus ad suspendendum ex eo pileum. Palmes autem à vite separatus symbolum est peccatoris, secundùm illud Christi Domini: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, ita & vos nisi in me manseritis.* Denique sicut palmes à vite separatus nulli deseruit vsui, nec ad paxillum: sic peccator ad nullum reipublicę vsum valet, non ad iudicis officium, quia nequam æqua iudicare non potest: nec ad mechanicum aliquod: nam qui Deo infidelis est, quo pacto fideliter exequetur tale munus? non vt sit paterfamilias, nam qui se gubernare nescit, quomodo familiam gubernabit? denique nec serui obsequium rectè exequetur, nam qui Deo ipsi debitè seruire noluit, quomodo hominibus, sicuti par est, obsequetur? sit igitur iudex timens Deum.

Ioan. 15.

Tertiò, *in quibus* (inquit) *sit veritas*: qui enim iudex est, iuxta veritatis regulas iudicare debet, qui autem verax non est, quomodo secundùm veritatem iudicabit? qualis enim quisque est, tale iudicium eius erit.

Quartò, qui odio habeant auaritiam, rectè, nam tinea iustitiæ auaritia iudicum, & vtinam non ideò multi iudices, & reipublicæ ministri fieri quærant, vt lucrum inde magnum reportent, inde pœnarum rigor, inde munerum acceptio, inde exactiones iniustæ, inde fraudes multæ, denique auarus animam suam venalem habet, quid mirum si iudex auarus iustitiam venalem habeat?

Denique dixit Iethro: *Elige iudices qui iudicent populum in omni tempore.* Sunt enim nonnulli, qui cùm Auctores vocentur, quia scilicet audire populum semper debent,

debent: hoc enim est proprium muneris sui, vix aures illi accommodare dignantur, expectare pauperes litigantes faciunt, & ad ianuas domus suæ consistere, & expectare diu, imò desperare. Optimè quidem iustus Ioan. II. Portugaliæ Rex iudicem quemdam ab officio amouit hanc ob causam, interrogatus ergo cur tanto cum dedecore iudicem illum de sede sua iudiciaria deposuisset; respondit, quia ad recipiendum, manus suas apertas habebat, ad audiendum verò pauperes, qui ad negotiorum expeditionem ad eum accedebant, ijs ianuas claudebat.

Laudabat Scriptura sacra Samuelem, 1. Reg. 7. quæ optimi iudicis sunt tribuens illi, & inter alia, inquit: *Iudicabat Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ, & ibat per singulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Maspha, & iudicabat Israelem.* In supradictis locis vide iudicis diligentiam, vide gubernatoris sollicitudinem exemplarem, non expectabat, vt populum domum eius adiret, sed ipse perambulabat populi prouincias, & quærebat oppressos, & iustitiâ & iudicio egentes, vt eos audiret, & iustitiam ministraret, talis ergo esse debet iustus iudex.

Paulinus in vita Sanct. Ambrosij, de eodem Sanctus Ambrosio scribit B. Ambrosium toto tempore sui Episcopatus iussisse ministris suis portas domus suæ patentes semper habere, vt quicumque eum conuenire vellet, absque vllo impedimento id facere posset.

Sed dices, occupationibus magni momenti sæpè impedior, nec id præstare possum, audi, cùm Exod. 32. Moyses in monte Sina cum Deo ageret de rebus quidem magni ponderis, sic Deus ad eum: *Vade, descende, peccauit populus tuus quem eduxisti de terra Aegypti*, &c. Magnis Dei fauoribus fruebatur Moyses, & diuinarum rerum contemplationibus vacabat, & tamen eas relinquere cogitur sic adeo muneri gubernatoris sibi commisso satisfaciat, & populo in tali necessitate constituto subueniat.

Non displicuit Christo Domino Magdalena, cùm non inuitata ad ipsum in domo Pharisæi inuitatum accessit, non ei portas claudere passus fuit, non reprehendit eam, quod accesserit importuna conuiuio, quin potiùs eam à murmure Pharisæi defendit, nec displicuit ei, quòd Nicodemus nocte quando defatigatione diurna Christum requiescere oportebat, accederet; sed benignè eum recepit, & docuit, & consolatus fuit.

Nec defuit Samaritanæ in puteo Samariæ, quamuis illa peccatrix, & pauper, & Samaritana mulier esset, ipse verò fatigatus ex itinere hora sexta diei esuriens, & sitiens illuc aduentasset, sed illam docuit, & conuertit. Vidit enim, meliùs esse satisfacere priùs muneri Saluatoris, quàm propriæ necessitati, ideoque dixit discipulis cibum offerentibus: *Cibus meus est, vt faciam voluntatem Patris mei, qui in cælis est.* Scio, iudices mundi homines quidem esse, & defatigari valde copiâ negotiorum, otioque nonnullo, & quiete indigere, quies verò hæc qualis debeat esse, dicam. Marc. 6. dixit Christus discipulis multitudine negotiorum, defatigatis: *Venite seorsum in desertum locũ* (vamonos en el campo) *& requiescite pusillum.* Cur ita ad quietem duxit: ibidem respondet Euangelista: *Erant enim qui veniebant, & redibant multi, nec spatium manducandi habebant.* Ecce causam cur ad quiescendum in deserto loco eos inuitauit: sed pondera verbum *pusillùm requiescite*, non multùm, non diu sed pusillùm, nam qui munia publica obeunt, requiescere quidem possunt, & debent, sed pusillùm.

Cantic. 3. quærebat Sponsa Dei diuinum Sponsum, quærenti autem illi inuenerunt eam vigiles, qui custodiunt ciuitatem, & quæsiuit ab eis? *Num quem diligit anima mea vidistis?* quid responderint, non retulit Scriptura, sed tamen nullum damnum legimus ab eis spon-

A sam recepisse: at cap. 5. quærens eadem sponsum, *Inuenerunt* (ait) *me custodes qui circumeunt ciuitatẽ, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Quid est quòd priores illi custodes nihil mali sponsæ intulerunt, posteriores verò maximè? Alanus super cap. 5. Cant. *Per vigiles* (inquit) *custodientes ciuitatem eleganter significantur Angeli sancti.* Ita ille. Theodoretus autem in cap. 5. Cantic. per vigiles illos, qui sic sponsæ Dei nocuerunt, Tyrannos intelligit: *Tyranni* (inquit) *tulerunt pallium Ecclesiæ Dei, illam vsque ad solum demoliendo.* Ita ille. Ecce discriminis rationem: custodes illi erant, custodes & isti, inuenerunt illi sponsam Dei, inuenerunt & isti, illi nihil mali sponsæ fecerunt; hi verò percussarunt illam, & vulnerauerunt, & pallium absulerunt: ita, quia illi Angeli erant, hi verò Tyranni, idem modò de iudicibus, & gubernatoribus reipublicæ dicendum est: si enim homines probi, & veluti Angeli fuerint, bonis ac pijs nihil inferunt mali: at si fuerint velut Tyranni, & iniqui, quid non ab eis timendum est?

B

Plutarchus in Polit. *Cleon cùm primùm rempublicam gubernare destinauit, vocatis amicis omnibus, soluere se velle vinculæ dixit amicitiæ, & subdit rationem, solere amicitias multa, recta, & iusta subuertere, eò quòd homines rempublicam administrantes (vtpote affectu aliquo occupati) sæpenumerò à via deducit recti officij.* Ita ille.

Prop. V. *Iudex fedulò iustitiam administrare debet.*

Si reipublicæ ministri munera sibi commissa, iudices scilicet, prælati, sacerdotes, rectores, quibus regimen ciuitatis commissum est, prætores, & alij officiales publici, officium sibi commissum fideliter non fuerint executi, erunt sicut vasa vacua pharmacopolæ, quæ à foris titulos earum rerum habent, quibus intus carent, illud nempe hunc titulum habet; saccharum rosatum, illud verò hunc, flores violarum, cùm tamen intus solum aërem, & ventum habeant: sic ministri reipublicæ, si munus operibus non exæquauerint, habebunt titulum sine re, ille prætor vocabitur, ille iudex, ille rector, ille Rex, sed tamen intus solum aërem habent, appellationem scilicet illam magnificam prætoris, auditoris, Regis, & quæ in sola vanitate remanet. quòd si exteriora aliqua ministeria habnerint, erunt vasa pastoris stulti, quia talis minister nomen habebit, quòd viuat, & mortuus erit, &c. *Similè.*

C

Zachar. 11. se Dominus pastorem futurum promittens, *Pascam*, inquit, *pecus occisionis*, & subdit, *& assumpsi mihi duas virgas, vnam vocau decorem, & alteram vocaui funiculum, & paui gregem. duas virgas*: quis vsquam pastor pluscquà vnicum assumpsit baculum, seu virgam? ad quid igitur duas virgas, tu Domine, assumis? nomina virgarum nodum dissoluent; vnam vocauit decorem, hæc misericordiam designat, quæ nobis decora semper apparet, alteram vocauit funiculum, hæc flagellum significat, quà subditos rebelles flagellet. Sic bonus pastor pastores reliquos docet, quomodo subditos debeant gubernare. *Ni miel que todos te coman, ni hiel que a todos amar sues.* *Zach. 11. 7.*

D

Vnde Psalm. 88. miros Deus fauores promittebat Dauidi. *Hazele alli mil caricias, Inueni Dauid seruum meum, &c. & confundam à facie eius inimicos eius, & odientes eum in fugam conuertam. Hare que no le pare enemigo delante: Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ, que le hare el mas illustre principe del mundo, & ponam in sæculum sæculi semen eius. Harè que no falte successor de su linaje en su reyno, &, Ponam in mari manum eius. Harè que tenga mano en la tierra y en la mar.* Et subdit: *Si autem dereliquerint filij eius legem meam, &c. visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Itane verberibus concludis tot fauores? *esse dexo days a tantos, y tales* *Psal. 88. 21.*

tales fauores? Ita? quia Deus iustus iudex, fortis, & patiens: cùm oportet, misceretur, cum oportet, flagellat. Sic pastor pastorum pastores pasceret docet; quæ verò
Ps. 77. 34. inde vtilitas consequatur, docet Psal. 77. *Cùm occideret eos*, inquit, *quærebant eum, & reuertebantur, & diluculò veniebant ad eum. Conuertian se tambien que madrugaban en busca de Dios.*

Similo. Et quidem superiores, & iudices medicos oportet imitari, medici autem iam medicamentis leuibus, iam mordacibus vtuntur, iam cibos suaues, & sapidos ægroto concedunt, iam pharmaca, & potiones amaras eos sumere iubent, & neque tunc crudelis, sed sapiens, ac prouidus, & infirmo vtilis medicus iudicatur. Sic nimirum iudex iam suauitate misericordiæ, iam seueritate iustitiæ vtatur oportet: quia vtrumque ex officio præstare tenetur, & cùm seueritate huiusmodi vtitur, non crudelis, sed iustus, & vtilis est iudicandus.

Nec tamen ideo nimiùm eos seueros esse monemus, sed cum moderatione rationis. Vnde virgam illam, quam Ieremias vidit cap. 1. Deum iudices significantem, vigilantem, seu oculatam esse vidit, quò significaret Deus cum circumspectione huiusmodi virgam in subditos extendendam esse. *No sea de dar palo de ciego, no se à de castigar a tontas y a locas, &c. vara con ojos.*

Hoc mihi præ oculis ponit, quod Sanct. Chrysost. expendit in nautis, qui ionam in mare iactarunt; ait
Chrysost. ergo Sanct. Chrysostom. tom. 5. homil. 1 de pœnitent. *Nouerat gubernator experientiâ ipsâ, insuetam esse hyemem illam, atque à Deo illatam plagam, maiores humana industria fluctus, vbi gubernatoris manus nusquam profuerant. Alterius enim maioris gubernatoris rei illius cassis, hunc scilicet vniuersum mundum gubernantis ope, atque superno indigebat auxilio: propterea & illi remos, & vela, & funes, & dimittêtes alia, orationi instantes manus tendebant, Deumque orabant. Vbi verò neque sic profecerunt,* Miserunt (*inquit*) sortes, & prodidit noxium sors; *illi vero neque sic arripientes eum dimiserunt, sed tanto tumultu, tanta tempestate incumbente, veluti multa in quiete, multo silentio, sic iudicium in nauis stantes, & interrogare, & respondere eum dignum fecerunt, & cuncta subtili indagine exquirebant, velut cuidam pœnas iudiciales inflicturi. Quod opus, inquiunt, est tuum? vnde venis? quò vadis? de qua regione? de quo populo es tu? & quidem accusabat mare acclamans, contrà increpabat sors, & condamnabat, & tamen neque mari ita exclamante, neque sorte ex aduerso testimonium reddente sententiam vsque dabant, sed veluti in iudicio, & accusatoribus instantibus, & testibus præsentibus, indicijs, & argumentis veridicis non prius damnantes, ipsi sententiam ferunt, quoad damnandus ipse propriæ fieret accusator culpæ. Sed & hi nauta homines Barbari, eâ, qui in iudicijs optimus est, ordine imitantur, & id quidè timore tanto, tot fluctibus, tâta ipsis circumstâte procella, & mari, neque vel respirare permittente: tantus eius tumultus erat, furensque turbatio, insaniente, & exclamante, & continuas vndas implicante. Denique post maris accusationem, post ostensionem sortis, & cum incusaret sese Ionas, & fugam fateretur, neque sic irruerunt ad necem Prophetæ, sed nitebantur de industria, & omnia faciebant, quò eum neque post eius manifestissimam culpam violentia maris exponerent, sed positquam auditum est: Proijcite me in mare, & cessabit mare.* Ita Sanct. Chrysostom. Vnde colligere licet, quanta debeant animaduersione procedere in his potissimùm causis, in quibus de vita, honore, vel re alia agitur proximorum.

Ionæ 1. 7.

Sunt nonnulli iudices, & in dignitate constituti, qui licèt secundùm rationem & iustitiam aliquos punire, vel corrigere, vel contradicere se agnoscant alijs debere, timore præpediantur, quibus directè obuius est spi-
Eccl. 7. 6. ritus Domini, dicens: *Noli quærere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates, ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* Sæpe contingit homines se aptos ad iudicandum iudicare, & ad rempublicam gubernandam, qui tamen occasione oblata timent, & recusant, quod intus iudicant exequendum, ad extra executioni mandare, hos seipsos examinare hortatur Deus, & virtutem suam cum quouis occurrente casu metiri, ne fortè scandalo sint sibimetipsis, ne, cùm viderint meliora, & probent, detetiora sequantur.

Hos vocat canes mutos non valentes latrare; quia
Isa. 56. sicut canis pastoris ignauus & timidus, videt lupum venientem, & ipse sub fago iacens, neque hiscere, neque surgere audet, lupum timens; sic hi veluti degeneres canes vident malitiam subditorum, & neque hiscere audent.

Et quidem hi iustitiæ & veritatis vires ignorant: vbi enim quis æquitatis & veritatis partes tuetur, formidabilis ipsis omnibus est.

Quod quidem olim Deus in Daniele leonibus tradito ostendit: innocens enim in lacum missus est, & iniustè ad leones damnatus, sed tamen leones cum tangere non sunt ausi, quamuis ferocissimi & fame oppressi essent, Domino ita disponente, vt quanta sit æquitatis & innocentiæ vis manifestaret: ac si diceret, qui veritatis & iustitiæ partes agunt, nec leones ipsos timeât: nam ipsi potiùs leonibus formidabiles erunt, leonibus, inquam, hoc est, potestatibus mundi, timeat peccator, non timeat innocens, timeat ille, quem accusat conscientia, non timeat ille qui nihil sibi conscius est. Vnde Daniel dixit: *Non nocuerunt mihi, quia coram Deo iustitia inuenta non est in me.*

Quod in Christo Domino patet: nam cùm tem-
Cap. 6. 22. plum Ierosolymitanum ingrederetur, & in forum mercatorum conuersus, illud intuertur, arreptis flagellis, ementes, & vendentes eiecit: & mensas ac nummos proiecit, & in fugam magnates illos & Pharisæos conuertit. Quod quidem Sanctus Hieronymus & S.
Super cap. 21. Matth. Hieron. & Matth. Chrysostomus, vnum ex potissimis Christi miraculis esse aiunt: nam, vti affirmat Sanctus Anacletus Papa, *nemo in templo remansit, sed omnes etiam Sacerdotes fugerunt à facie Christi.* Vnde Sanctus Hieronymus: *Ibi-*
Hier. super Matth. *neum quid, inquit, atque syderium radiabat ex oculis Christi, & diuinitatis maiestas lucebat in facie.* Ita ille. Sed tamen nihilominus dubitari non potest, quòd vis rationis & æquitatis in Christo & culpa in eiectis illis, audaciam illam in Christo & formidinem in illis, poterat præstare, *es muy cobarde la culpa, y la sin razon, pero muy osada y valerosa la iusticia y la razon.*

Qui autem veritate conspecta quod iustum est exequi non audent, similes sunt Pilato, qui cùm cognouisset, quòd Iudæi propter inuidiam Christum Dominum illi tradidissent, & dixisset: *Innocens ego sum à sanguine*
Matt. 27. iusti huius, iustum illum esse confitens, & quidem post omnimodam causæ cognitionem; nihilominus ad crucem eum damnauit, timore principum Synagogæ correptus; sic hi veritatem crucifigunt, propter timores nocturnos, cùm veritatem verè eam esse cognoscant; quid igitur aliud expectant quàm quod Pilato euenit? perijt propterea ille, peribunt & isti.

Prop. VI. *Quàm teneatur iustè iudicare & peccatores punire.*

3 Reg. 2. 5. 3 Reg. 2. 5. moribundus iam Rex Dauid sic ad filium Salomonem: *Tu nosti qua fecerit mihi Ioab, qua fecerit duobus principibus exercitus exercitus Israel Abner & Amasa quos occidit*, &c. Pondera verbum illud *mihi*; etenim Dauidi nihil mali fecit, sed duobus illis; cur igitur ait, *mihi*? Oleaster super c. 4. Genes. *Prius*, inquit, *Oleaster.* *se quàm occisos queritur offensum, quia cùm iudicis sit homicidia prohibere & rempublicam custodire, priùs homicida iustitiam lædit quam partem.* Ita ille. Iudex ergo ita in reos inuehi debet, ac si iniuria & damnum sibi fuisset illatum, quia licet ipse, in quantum Petrus vel Franciscus, non fuerit offensus, bene tamen in quantum Iudex.

PROP. VII. *Nisi Iudex punierit delicta reipublicæ, puniet illa Deus.*

NAuis illa, quæ Ionam deferebat, tamdiu tempestatibus quatiebatur, quamdiu Ionam retinuit. Vbi animaduersione dignum est, quod refert Arias Montanus super Ionam ex quodam Hebræo authore, hoc affirmante, quòd licèt fors super Ionam cecidisset, & ipsemet aperuisset illis se in causa fuisse illius tempestatis, subdens: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim ego, quoniam propter me tempestas hæc grandis super vos.* Et præterea ait textus facer: *Remigabant viri, vt reuerterentur ad aridam, & non valebant, quia mare ibat & intumescebat super eos.* Quid tum postea? *Clamauerunt (* ait *) ad Dominum, & dixerunt: Quæsumus Domine, ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem, quia tu Domine sicut voluisti, fecisti:* hucusque textus Scripturæ sacræ. Addit igitur Arias Montanus, accepisse nautas funem, & eo ligauerunt Ionam, & miserunt in mare, & illico cessauit tempestas: existimantes iam Deum placatum esse, collegerunt funem cum Iona viuo intra nauem, sed illico redijt tempestas, & turbatio maris, quoad vsque tandem omnino proiecerunt Ionam in mare, non cessauit, tunc verò maximè: sic enim ait Scriptura: *Tulerunt Ionam, & miserunt in mare, & stetit mare à feruore suo.* Sic nimirum in republica, iniqui tempestatum, & tribulationum eius causa sunt. Attendant Iudices, non cessabunt tempestates istæ, donec reos proijciant in mare, de medio eos tollentes.

Psalm. 105. *Stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio, & reputatum est ei ad iustitiam vsque in sempiternum.* Nota est historia ex cap. 25. Num. quassationem vocat iram Dei in populum Israel. cessauit ira Dei, cùm primum Phinees zelo iustitiæ in delinquentes irruit, & sic reipublicæ Israeliticæ profuit multùm occisio illa peccatorum.

Confirmat etiam hoc plurimùm historia Achan Ios. 7. vbi eousque ab hostibus victus fuit populus Israel, quousque punitus fuit reus, &c.

Hinc Dauid Psal. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitates.* Nouerat optimus ille Princeps, quantùm hæc cura, & diligentia conduceret, vt pace, ac tranquillitate optata respublica frueretur.

PROP. VIII. *Ministri Iustitiæ fideles, & vigilantes esse debent.*

SÆpe ministri Regis, & regni iniustiores, & infideliores esse possunt quàm reliqui de media plebe, dum, vt ipsi ditescant, alios spoliant, & maximè pauperes, quia hi resistere illis non valent, sicut alij ditiores.

Ioan. 6. per manus Apostolorum distribuit Dominus discumbentibus panes, ac pisces, Apostoli autem fideliter impertiti sunt panes & pisces, nec quicquam sibi, aut suis retinuerunt, imò fideliter collegerunt fragmenta, & ea Christo Domino reddiderunt: huiusmodi ministris egent Reges, & magistratus, & non his, quos latrones potiùs quàm ministros iustitiæ dicemus.

Iosue quidem filijs Israel iussu Dei distribuit terram promissionis, sed ita iustè, ac fideliter, vt sibi nihil retineret, ita vt opus fuerit postea populum Israel partem, & portionem terræ illi consignare. poterat quidem iustè Iosue reseruare sibi non contemnendam terræ illius portionem, sed noluit, vt fideliùs munus obiret iniunctum sibi. Vnde Theodoretus quæst. 17. in Iosue, *Docuit (* inquit *) Iosue eos: qui in aliquo magistratu sunt constituti, non suis commodis, sed vtilitati subditorum inseruire*

se debere. Ita ille. Sed tamè hodie id euenire solet Regibus, & Magistratibus, quod olim Regi Babylonis Daniel 14 prouidebat Rex annonam, & vinum, & carnes, in cibum Dei sui Bel, quem comedere ipse credebat; ministri verò templi furabantur cibum, & potum illum sibi, & familijs suis secretò, & occultò: sed nihil occultum quod non reueletur, manifestauit Daniel furtum mediante cinere, dicens: *Cuius sunt vestigia hæc?* Videant, & prouideant principes reipublicæ, & attendant quo pacto ministri suum officium exequantur, & cùm viderint aliqua infidelitatis vestigia, quærant, & inquirant: Cuius vestigia sunt hæc? inquisiuit Rex Babylonis, & iniquitate compertâ, eos omnes capite damnauit.

Laudat Philo patriarcham Iosephum, quia cùm Ioseph eo tempore, quo fames in Ægypto prævalebat, posset triticum, & pretia tritici sibi & domui suæ vsurpare: omnia quippe ipse dispensabat, ipse tamen ita iustus, ac fidelis dispensator tanti muneris fuit, vt nec inuidi in aliquo eum accusarent, *contentus donis (* ait Philo *) quibus à Rege remunerabatur, contentabase con el salario, y gages que tiraba del rey.*

Cant. 5. cùm Dei sponsa diuinum quæreret Sponsum, *Inuenerunt (* inquit *) me qui custodiunt ciuitatem, percusserunt, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum:* si latrones & fures abstulissent à me pallium, & vulnerauissent me, non ita mirum, sed custodes ciuitatis, & murorum, illi (inquam) qui vulnerantes, & tollentes pallium iudicare & punire debebant, quis non tantùm non miretur, verùm etiam abominetur?

Abominabatur hoc sapientissimus Salomon, vbi ait: *Vidi sub sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatem, & dixi in corde meo: Iustum, & impium iudicabit Dominus;* quasi dicat, si in plateis vsuras & mendacia, fraudes, iuramenta, periuria, & iniustitias vidissem, non ita mirarer: at in loco iudicij, vbi iniuriæ, & damna iniustè accepta, puniri deberent, hoc miror, hoc non valde abhorrere non possum.

Attendant ergo Iudices, & reipublicæ gubernatores, qui latrones ad puniendum inquirunt, quos fortè prope se habent, quos longè requirunt.

Plutarchus in Apopthegm. Regum. *Cùm familiaris, (*inquit*) & cubicularius regis Artaxerxis quiddam minus iustum à Rege peteret, sentiretque Rex hoc facere cubicularium subornatum triginta millibus Daricorum, Quæstori erarij sui mandauit, vt triginta millia Daricorum ad se deferret, & allata dedit cubiculario, dicens: Accipe. nam hæc tibi cùm dedero, non ero pauperior; iniustus autem futurus, si ea quæ petebas, dedissem.* Ita ille. Bene, sed meliùs, si ille pro meritis pœnam luisset.

Simile quid referunt nonnulli de P. Rutilio Romano, qui amico cuidam rem iniustam petenti, negabat, cùmque illi commotus per summam indignationem diceret: Quid ergo mihi opus est tuâ amicitiâ, si quę ab te rogo, nõ facis? imò (inquit Rutilius) quid mihi opus tuâ amicitiâ, si me vrgere cupis, vt in leges iustitiæ tuâ causâ peccem? Rectè quidem, & vox Iudice, nõ solùm Romano infideli, sed & Iudice Christiano digna.

Interrogatus Agesilaus Lacedæmoniorum Rex, vtra virtus esset præstantior, iustitia, an fortitudo: vtraque enim est virtus cardinalis, & vtrâque indiget quilibet Iudex, & Rex; grauiter respondit Agesilaus: fortitudinis nullum esse vsum, nisi adsit iustitia. Quòd si omnes essent iusti, nihil fortitudine opus esset. Ecce animum summo dignum duce, qui nihil præter æquum indicauerit faciendum. Ita Plutarchus. Gloriantur potentes in potentia sua, & fortes se viros haberi ab omnibus gaudent; at maior gloria est principem iustum, quàm fortem sic esse. Quare meritò Arist. ait: *Sicut optimũ omnium animaliũ homo est, si perfectè viuit; sic pessimũ omnium, & teterrimum est, qui à lege, iudicijsque secernitur.* Ita ille.

Prov. 7.

Eccl. 3. 16.

Franciscus Senensis lib. 3. de Instit. reipubl. *Alexander* (inquit) *Macedo Olympiadi matri plurimum eum vrgenti, vt insontem quendam occideret, poscentique id per menses nouem, quibus eum in vtero gestarat, humanissimè respondit: Aliam parens optima à me, quamuis mercedem iustam posce: hominis enim vita nullo beneficio compensatur.* Vera quidem est tragica illa sententia, & ab his qui imperant, semper animo recolenda, sanguine humano abstine quicumque regnas. Ita ille. Quòd si gentiles principes, & Iudices sic iustitiam colebant, sic tuebantur, quid principes, & Iudices Christianos facere oportet; cùm eos, qui hoc nomine perfectè digni sunt, per antonomasiam iustos nominemus?

Vers 2. Matth. 15 sic ad Christum Dominum Pharisæi, & Scribæ: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem?* Magno Pharisæi antiquarum traditionum, reipublicæque morum conseruandorum zelo flagrare videbantur: eorum enim acerrimos se defensores exhibuerunt, siquidem tantâ adhibitâ diligentiâ Christi discipulos incusabant, cò quòd, cùm manducarent, manus minimè abluerent, cùm apud eosdem idem lauandi vsus vigeret: Illi scilicet Pharisæi, veluti quidâ perpetui iudices, Hierosolymis præsidebant, quibus eiusdem rerum Ecclesiasticarum cura, & ministratio erat demandata, quoniam ab ipsis Moyses temporibus statutum est, vt essent in republica septuaginta senes, viri authoritate insignes, quorum bene gerendæ reipublicæ munus erat: Ad eorum igitur similitudinem Scribæ illi & Pharisæi prouinciæ illius curam subibant, cuius muneris nomine & prætextu, factum discipulorum apud Christum criminabantur. Horum diligentiam in præsentia animaduertite, cùm hanc de discipulis querelam ad Christum deferre vellent ab Hierosolymis ad Gerasenorum prouinciam plures leucas distantem, profecti sunt. Inaudita nempe res, tantam in re tam minima operam perdere, cùm de tanta in re graui, & magni ponderis negligentia ij iudices accusari forsitan possent. Talis terra tunc erat, qualis ab Isaia describitur, *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, Isai. 1, 5. à planta pedis vsque ad verticem capitis non erat in eo sanitas*, cùmque sceleribus, adulteriis scilicet, sacrilegijs, aliorumque criminum abominationibus remedia adhibere fortè negligerent, Christi discipulos, quòd manus toties, quoties illi, minimè lauarent, accusabant.

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Erat tûc Herodes Rex adulterij labe irretitus, cùmque omnibus tantû adulterij, & incestus crimê, adeoque pernicioſum scandali facinus, publicè patratum pateret, horrendo insuper, & immani sacrilegij scelere, D. scilicet Baptistę nece cumulatum: his & alijs nobilium curiæ sceleribus simulatis, Christi Apostolos apud ipsum accusare non verentur, quòd manus lauare minimè soliti essent. Ipsi præterea inuiolabile honorandi parentes præceptum, eisdemque necessaria subministrandi, passim transgredi faciebant: hoc nihil curantes, de lotione manuum Apostolorum magna contentione disceptant, propterea quòd hi inopes, illi verò potentes extiterint.

Nunc verò hoc idem proculdubio asseuerare possemus: Si enim omnium rerumpublicarum administrationem inspexeris, complures horum Pharisæorum, Scribarumque imitatores inuenies, qui pauperibus & debilibus seueriores, & asperiores se præbent, vt iustorum iudicium, & rectorum nomen sibi vsurpent, publicique boni conseruatores prædicentur, minimarum culparum acerrimè pœnas repetunt, ipsaque leuia crimina pensitant, magnatum tamen, primorumque reipublicæ crimina dissimulant, & palliant. Quòd si de eorum grauitate ad eosdem aliquid defertur, grauitatem extenuant: si verò de eisdem accusantur, causam defendere nituntur, cùm contra eos nihil moliri audeant, magnum sibi ex eo damnum formidantes: qui contrà maximo vitio tribuunt, quòd quis aquam è fenestra, nulla præcedente monitione, effuderit, & transeuntium alicuius pallium maculârit; & in eum tamen magnatem, qui inopum, & miserorum hominum bona dilapidat, nec verbum quidem audent mutire. Si miser quidam, & humilis potentiori alicui verbum, quod ipsi non placuerit, obijciat, protinus omni bonorum substantiâ spoliabitur: horum verò magnatum si quis huius conditionis misero, & calamitoso homini iniuriam intulerit, meritò fecisse affirmabunt. Si aliquis fame oppressus, fructum aliquem ex hortis decerpserit, pœnas septies duplicatas exsoluere compelletur; at verò si magnus quidam vsurarius, vorax, auiduſque lucri fœnerator, magnas ex conciuibus pecunias iniustè coacerauerit, nullâ pœnâ mulctabitur.

Hi Babylonicis satrapis assimilari meritò poterunt: quippe cùm Danielem ad Deum preces fundere animaduerterent contra inanem eorum legem, malitia ipsorum à Rege stabilitam, leonum feritati obijciendum iudicarunt; cùm verò Regem idolum adorandum proponere, & vni Dei gloriam sibiipsi vsurpare conspicerent, immanè prorsus, & horribile sacrilegium nunquam vituperare sunt ausi, quia hic Rex erat, Daniel verò aduena quidam ope destitutus.

Sunt denique eisdem Scribis & Pharisæis valde similimi, qui cùm Pilato Christum crucifigendum tradidissent, teste Ioanne, Prætorium ingredi noluerunt, ne contaminarentur, sed vt manducarent Pascha, scrupulo adducti, ne fortè domum Iudicis ethnici ingredientes, macularentur: nec tamen vllo scrupulo mouebantur, si Christum cruci affigerent; eodem igitur modo sunt ij reipublicæ Iudices, eiusdem, vt ita dicam, farinæ: scrupulo enim dilacerantur, si hæc miserorum hominum minutula, & puerilia fere peccata relinquant impunita, neque vllum scrupulum ineisse iudicant, cum nefaria potentium crimina, & delicta dissimulauerint.

Rectè igitur illis quadrat, quod de ipsis (teste Matthæo) Christus dixerat: *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes*, id est, culicem si viderint vino ineſſe, priùs excolari iubebunt, quàm ipsum bibere audeant, camelum aliàs integrum deuorantes. S. Hieronymus super hunc locum: *Camelum existimo esse secundum sensum præsentis loci magnitudinem præceptum, iudicium, & misericordiam, & fidem, culices autem decimas mentæ & anethi, & cymini, & reliquorum vilium olerum. Hæc quæ contra præceptum Dei magna sunt, deuoramus, atque negligimus, & opinione religionis in parui, quæ lucrum habent, dæmonstramus.* Hæc Hieronymus. Ijigitur eos, qui de oleribus decimas minimè fideliter solucrent, reprehendebant, quibus passim graue, & immanè delictum esse inculcabant, quod eorum reditibus non nil damni afferebat, nefaria verò peccata, quæ fidei, religioni, & iustitiæ aduersarentur, dissimulantes ferebant. Vnusquisque ergo arcanas sui pectoris cimetur, quisquis ille est, qui dignitate fulget, inspiciatque diligenter, si quid in se simile reperit: difficiles enim sunt in his quæ sua interesse possunt, esto nullius ferè sint momenti, faciles verò in eo, quod sua non refert. magni licèt sit momenti: præbent se difficiles, & acrosin eos, qui labore, & angustia premuntur, faciles verò & mites erga eos qui potentes esse videntur.

Ab his ergo Deus insigne iustitiæ virgam auferri in Ecclesiastico vult: *Noli* (inquit) *quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne forte extimeas faciem potentis, & ponas scandalum magnitudini tuæ*, id est, priusquam rempublicam capessendam suscipias, tui animi integritatem, & fortitudinem scrutare, vires quid valeant, considera: si verò in te eam animi magnitudinem, quæ iustitiæ præcepta nullius habita acce-

Matt. 23.

Cap. 7, 6.

acceptione exequi faciant, non agnoueris, nullo vnquam pacto eandem potestatem exercendam suscipias, ne tibi timorem incutiant diuites, & potentes. Ne fortè (inquit) ponas scandalum in agilitate tua. Textus Græcus ait : *in æquitate, vel rectitudine tua.* Solet enim contingere, vt aliquis animaduertat planè, quid secundùm rectam rationis normam fa[illegible] porteat, humano tamen timore deterritus, ab eadem iustitiæ executione abducatur, & hac ratione scandalum in huiusmodi rebus, quæ frequentiùs euenire solent, sibi præbet. Huiusmodi scandalum sibi Pilatus exhibuit: sciens enim quia per inuidiam tradidissent Iudæi Christum, illis dicentibus : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris,* timuit ne ab eisdem de aliquo apud Cæsarem deferretur, prouinciæque obeundæ munere priuaretur: lauandis ergo manibus aquam postulauit, Christumque insontem esse apertè confessus est, & dixit : *Innocens ego sum à sanguine iusti huius,* & tamen eum condemnauit. D. Ambrosius serm. 49. ait : *Quid profuit testimonium perhibuisse innocentiæ, & velut reum, addixisse nequitiæ, nisi quòd grauius peccatum est, vnum, eumdemque & pronunciare iustum, & tradere vt crimino sum? Lauerit licèt suas manus Pilatus, facta sua tamen non diluit. Index enim constans, & bonus nec iurgia cedere debuit, nec timori.* Hæc ille. Ob id ergo Sapiens idem præbens consilium, inquit : *Noli quærere,* &c.

Et vt intelligas, quantùm hoc consilium conducat iis præsertim, qui reipublicæ principes, & rectores existunt, momento eisdem iudicibus alium superiorem esse constitutum, qui iustitiæ rectè distributæ rationem strictè exiget. *Deus* (inquit Dauid) *stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos diudicat*, id est, licèt Iudices terræ sint veluti quidam dij, est tamen supremus eorum Iudex Deus in medio eorum, attendens qualiter exequantur officium sibi commissum. Vnde in Hebræo loco nominis huius *Deus*, est vocabulum *Elohim*, id est, Iudex, & vltor. Appositum sanè epithetum, quia agitur de iudicio: sicut enim est *Rex regum & dominus dominantium*, sic etiam est iudex iudicum, & rector regentium populorum. Licèt enim Deus inuisibilis sit, omnibus tamen tribunalibus, iudicisque pensandis præesse dicitur, ibique sibi velut constituit scabellum, & omnia, quæ à Iudicibus geruntur, quæque infecta relinquuntur, & quæ interiùs cogitant, & decernunt, contemplatur. Cùmque suo officio non satisfaciunt, interna animi pulsatione eos admoneti: *Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?* id est, iniquè iudicatis acceptando personas, attendendo facies magnatum, & timendo illos : quare non defenditis pauperes? His animi pulsationibus Deus Iudicum corda pertentat, quæ si satis non sunt, quid ipse sit facturus, audi.

Hoc Deus in rebelles, & contumaces statuit, quod apud Salomonem olim grauiter est comminatus, vbi, cùm reipublicæ principibus loqueretur, ait: *Audite reges & intelligite, discite iudices finium terræ, prabete aures vos qui continetis multitudinem, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, neque custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Cuiusnam Iudicis aures non timent audientes verba hæc? Animaduertite, quæso, quæ sit reipublicæ administratæ ratio à Iudicibus exigenda, vbi non solùm opera interrogantur, verùm etiam cogitationes, seu consilia inquiruntur, quid agendo de improbis Iudicibus futurum? *Horrendè* (inquit) *& citò apparebit vobis. Horrendum* (ait Apostolus) *est incidere in manus Dei viuentis*; at verò si hoc omnibus horrendum, Iudicibus horribilissimum & terribilissimum erit. *Quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet*: non enim, *iudicium fiet*, satis erat dicere, *nisi durissimum* adderetur. Dic, obsecro, si solitum Dei iudicium vel cogitare adeo Sancti perhorrescunt, vt sanctissimus Dauid dicat : *Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Si antiquo vasti eremi habitatori, ipsique de nullis, nisi de se tantùm, rationem reddituro, in se tamen sanctitatis splendore fulgenti, horribile Dei iudicium personat; quid, quæso, de illo fiet, qui reipublicæ præsidet, nec de se tantùm, sed de tanta hominum multitudine rationem est redditurus? Væ potentibus: potentes enim potenter tormenta patientur, ait Dominus : *Et nunc reges intelligite, eruditmini qui iudicatis terram, seruite Domino in timore, apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus.*

Vis ergo verum tibi exemplar, quo omnia rectè gubernes? qualiter Deus iudicet, considera, qui quidem sine personarum acceptione scit Imperatorum superbiam retundere, scit & argenteam, aureamque magnatum effigiem cõfringere, in puluereméque commutare, scit etiam deponere potentes de sede, scit etiam exaltare humiles, suscitareque de terra inopem, & de stercore erigere pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui; scit denique manibus flagella arripere, & diuites de templo expellere; scit & pauperem hospitio receptum consolari, Pharisæum, Scribam & Synagogæ principem reprehendere, humilibus, & paruulis animum addere, eis denique spondere: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum* : scit denique magnorum principum capita diademate exspoliare, ipsumque in pauperum, pastorum, & paruulorum capitibus collocare, è pastore in prophetam, è piscatore in Apostolum eligere. Regum rex dicitur, viduarum Iudex prædicatur, & orphanorum pater. Ne ergo vos orphanorum Reges, eorumque defensores esse dedignemini, estote ergo recti, estote iusti, ne humana aliqua contemplatione declinet iustitiæ status. Quod si feceritis, principatus celsitudo temporalis ad celsitudinem principatus æterni consequendam plurimùm iuuabit.

A

B

C

D

PROP. IX. *Iudex pauperibus iniuriam patientibus maximè fauere debet.*

SVrius 1. tomo in vita S. Basilij : Mulier pauper S. Basilium adijt, & ab eo litteras petijt ad præfectum regionis, tanquam qui apud illum plurimum posset, arreptâ chartâ scripsit Basilius in hæc verba. Accessit ad me ista muliercula inops, dicens litteras meas apud te pondus habere, si sic est, id fac ostendas, tradiditque mulieri chartulam, quam illa obtulit præfecto : at ille sic rescripsit: tuâ causâ, sancte Pater, libens essem misertus mulierculæ, sed non potui, eò quòd subiaceat tributis. (*Es deuda vealla, que debe de ha qualyo no la puede absoluer*) cui rursus Basilius ita replicauit : siquidem voluntas prompta fuit, sed defuit facultas, tolerabile quidem est, si autem potuisti, & noluisti, Christus te in ordinè inopum rediget, vt vbi voueris, nõ possis. Quod quidem re ipsa euenit, nam non multò post Imperatoris irâ in illum concitatâ, in vincula coniectus est, pœnas illis pendens, quos affecerat iniuriâ. Tunc verò preces offert Basilio, vt sua intercessione Imperatoris clementiam ipsi conciliet, idque sic factum est, post sex namque dies iussus est ab Imperatore vinculis absolui, & ille qui dem declaratam erga se clementiam intelligens, venit ad Basilium, & gratias illi agens, mulierculæ asciræ de suis facultatibus duplicatò restituit, quod debebat. Ita Surius. Poterat ergo hic Iudex prima vice fauere pauperculæ, & dixit, se non posse : nam mos principum est, id dicere se non posse, quod nolunt,

& quidem iudices sæpe non se posse id credunt, quia passiones animi, & affectus eorum immoderati excæcant eos. Videant ergo iudices ne pauperibus iniuriam faciant, nam vindex eorum est Deus: pater enim est orphanorum, & iudex viduarum, & per quæ quis peccauerit, per hæc ipsa punietur à Deo, sicut præfectus iste, qui quia pauperi non subuenerat, cùm posset, & deberet, Deus iam iam in paupertatem eum redigebat.

Aristot. Rhet cap. 3. *Architas* (inquit) *dixit iudicem, & aram idem esse; ad vtrumque namque pariter confugiunt, qui affliguntur iniuriâ, sentiens tales oportere iudices esse, vt oppressis præsidio sint.* Ita Aristot. Confugiunt oppressi ad Deum in cœlis, ad iudicem in terris; quare iudices Deum imitari debent, qui vices Dei gerunt in terra, vt sicut Deus iniuriam patientes libenter audit, & defendit, iuxta illud: *Qui facit iud eum iniuriam patientibus*, & ea etiam ratione in sacris litteris vocatur pater orphanorum, & iudex viduarum Psalm. 102. sic (inquam) facere iudex debet, vt scilicet & ipse sit pater orphanorum, & iudex viduarum, & vindex iniuriam patientium.

Præterea, iudex absque omni humano respectu secundùm regulas rationis, & iustitiæ, sine acceptione personarum iudicare debet: quod non solum recti iudices Christiani præstant; verùm etiam infideles. vnde Plutarchus in Apophtheg. Roman. *AEgyptiorum* (inquit) *reges iuxta regionis illius consuetudinem iudices ad iusiurandum adigebant, vt, etiamsi quid Rex iuberet eos iudicare, quod rectum non esset, non iudicarent. tanti referre putabant, vt populus iustos iudices haberet.* Ita ille. Ad regem illum, qui Rex regum est, & dominus dominantium, oculos iudex conuertat, & non quid Rex terræ, sed quid Rex cœli, & terræ velit attendat, & videat; quòd si hominibus placere tantùm velit, seruus Dei esse non possit. Refert etiam idem. Plutarchus in Apophtheg. regum, dicens: Philippus Macedo pro tribunali sedens Machetæ cuiusdam causam cognouit, sed dormitabundus, nec satis attentus ad iuris æquitatem, itaque sententiam protulit aduersùs Machetam, verùm cùm is acclamasset, se ab ea sententia appellare; ad quem ille inquit: à te, ait, ad te appello, à te (inquam) semidormiente, ad te plenè vigilantem: at tunc surrexit Rex: ceterùm postquam apud se meliùs causam perpendisset, & intelligeret, Machetæ factam iniuriam, iudicata quidem non rescidit, sed pecuniam, quâ damnatus fuerat Machetes, ipse persoluit.

Fulgosius lib. 6. *Simonides Poëta* (inquit) *cùm Themistoclis pretoris operam pro amico in re iniqua peteret, respondit Themistocles eleganter: Nec tu Simonides bonus eris Poëta, nisi mensuram & modum in canendis carminibus, quæ scribis, curaueris, neque ego bonus prætor, si legibus & iustitiæ alicuius præpositero gratiam.* Ita ille. Pudeat nos Ethnicis exemplis indigere, cùm ipsa iustitiæ ratio non solùm Christianum, sed nudum hominem ad sui adigat obseruationem.

Stobæus serm. 44. Bias (inquit) vnus ex septem sapientibus Græciæ, & iudex, damnaturus quempiam ad mortem, lachrymatus est miseram hominis sortem, verùm cùm dixisset quidam, quid est, quod defleas, cum in tuo sit arbitrio condemnare hominem, aut liberare? Respondit Bias, necessarium quidem esse naturâ condolere, à lege autem, & iustitiæ regula discedere, perniciosum esse.

Hinc est, quod Aristides Athenien sis, & iudex, qui iustus cognominatus fuit, à sodalitatibus, & amicorum potentia abhorrebat, quæ ad iniuriam aliis inferendam adderet animum, abhorruit autem ab omni factione, & amicitia, ne adigeretur ad aliquid faciendum, quod iustum non esset, aut cogeretur abstinere ab eo, quod iudicasset reipublicæ conuenire, vt refert Plut. in Apoph. Græcorum.

Vnde cùm Cleon vir sapientissimus munus rempublicam administrandi capesseret, amicis in vnum cõuocatis locũ, eam quam cum illis inierat amicitiam dissoluit, tanquam quæ in administratione ciuitatis rectum, ac iustum institutum emolliat, & in transuersum agat. Ita refert Antonius in Melis. part. 2. serm. 1.

Verum quidem est, perdifficile valde esse, rectum esse iudicem, & non ingratum multis, sed tamen hanc ingratitudinem deglutiat oportet, qui ad gubernacula conscendit, aut conscendere non præsumat. Refert Stobæus serm. 43. dicens: *Chrysippus rogatus, cur reipublicam nollet administrare; dixit, quia si quid male ageret, displiceret ijs, si bene, ciuibus.* Ita ille. Et Demosthenes, vt ibid. refert Stobæus, omnium difficillimum esse dixit, vt hi qui potestatem habent in multos, placeant multis.

Prop. X. *Iudex se legi accommodare debet, non verò legem voluntati suæ.*

Amos. 7. *Ecce Dominus stans super murum litum, & in manu eius trulla cementarij.* Septuaginta sic legunt, *Et in manu eius adamas.* Quid trullæ cæmentarij plumbeæ cum adamante? solet quidem trulla, quam Hispanè vocamus, *plomada*, plumbea esse, at hic in manu Dei, non plumbea, sed adamantina est. Mysterium accipe: Trulla est regula & mensura ædificiorum, vnde legẽ Dei importat, quia sicut cæmentarius trullâ suâ ædificia regulat, & metitur, & secundùm eam iudicat, an æqua, & sibi consona sint, an verò tortuosa, *aplomo, o desplomado el edificio*; sic Deus lege sua regulat vias nostras, & secundùm regulam legis suæ æternæ rectitudinem, vel curuitatem diiudicat: vt igitur moneret populum suum, se iudicis curâ lege sua actus illorum mensurare, vsus hac metaphorâ trullæ fuit. Hoc autem distat inter plumbum, & adamantem, quòd plumbum facili negotio se cuiuis attemperat figuræ, siue circulari, siue angulari, siue hominis, siue feræ: sic leges, quæ trullæ reipublicæ sunt, in manu iudicis inqui plumbeæ sunt, & se facilè eius accommodant voluntati in bonum, & malum, at in manu boni iudicis, sicut in manu Dei, adamantinæ sunt, nec eam vult bonus iudex suæ voluntati accommodari, sed voluntatem suam attemperat ei, quia lex apud eum adamantinam fortitudinem habet, & immutabilem, &c. vnde quamuis muros, id est, parentes metiatur, rectitudinem seruat. Amos. 7.

Prop. XI. *Iudex caucre debet acceptionem personarum.*

Ioannis 5. sic Christus Dominus: *Non possum à me facere quicquam*, &c. Cùm Christus Deus sit, quomodo ait: *Non possum à me facere quicquam*, siquidem omnipotens est? Sanct. Ambrosius serm. 20. super Psal. 118. *Hic personam iudicis Christus suscepit: bonus enim iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed iuxta leges, & iura pronunciat, non indulget propriæ voluntati, sed sicut se habet negotij natura, sic discernit, examinat causæ meritа, non mutat. Discite iudices sæculi, quem in iudicando tenere debeatis affectum, quam syncerit atem. Dominus omnium dicit*: Non possum ego à me facere quicquam. *Alibi lego: negare semetipsum non potest, non potest vtique, non per infirmitatem, sed per integritatem, non per impossibilitatem faciendi, sed per obseruantiam iudicandi. Quid non potest, qui omnia potest, nisi quod posse nolit? non vult posse, quod ipse damnat, non vult posse aduersus fidem, non vult posse aduersus veritatem. Audi posthremò ipsum dicentem, cur non possit facere*: Sicut audio, (inquit) iudico: *hoc est, non ex mea potestate decerno, quod libitum, sed ex religione iudicandi quod est, & ideo iudicium meum iustum est. Audite ergo quid iudex cælestis dicat*: Non possum à me facere Ioan. 5. Vers. 30.

facere quicquã, sed sicut audio, iudico. *Et Pilatus dicebat ad Dominum Iesum:* Potestatem habeo crucifigendi te. *Vsurpas, ô homo, potestatem, quam non habes, cùm Dominus neget se habere, qui habet super omnia potestatem, audi quid iustitia dicat:* Non possum à me facere quicquam, *audite quid iudex æquitatis asserat,* sicut audio sic iudico: *audite quid iudex iniquitatis loquatur:* potestatem habeo dimittendi te, & potestatem habeo crucifigendi te, *tua Pilati voce constringeris, tuâ sententiâ damnaris: pro potestate namque, non pro æquitate crucifigendum Dominum tradidisti, pro potestate absoluisti latronem, authorem verò vitæ interfecisti.* Ita S. Ambros. A

Ioan. 19. 10.

Hinc est, quòd Sanct. Augustinus conc. 26. in Psal. 118. asserit, iustitiam non dici posse bonam, vel malam, nimirum, quia iustitia secũdùm se virtutem importat, & secundùm intrinsecam rationem habet bonitatem, & non adiectiuè, mala autem esse non potest, si iustitia est: si enim mala est, iniustitia, & non iustitia est: vnde Sanct. Hieronymus in regula monast. cap. de iustitia, *Iustitia* (inquit) *fratrem, vel etiam patrem non nouit, sed veritatem nouit, personam non accipit, & Deum imitatur.* Ita S. Hieron. B

Exod. 23. 3

Hinc est, quod Dominus in lege veteri sanciuit Exod. 23. dicens: *Pauperis non misereberis in iudicio.* Vbi Sanct. Augustinus. tom. 4. quæst. 88. in Exod. *Bona* (inquit) *est erga pauperem misericordia, sed non debet esse contra iudicium, sanè illud appellat Scriptura, quod iustum est.* Ita Sanct. Augustinus.

Vnde sicut refert Lucianus in Hermotimo, iudices Areopagitæ olim Athenis noctu, & in tenebris iudicare solebant, audientes ibi oratores, & aduocatos, qui patrocinabantur clientibus. Cur ita? ne scilicet ad dicentes respicerent, sed ad ea tantùm, quæ dicebantur, attenderent.

Et similiter olim in iudicio principis statua collocabatur, quæ personam ipsius principis repræsentaret, sed auersis oculis ponebatur, quo significabatur principẽ nullâ moueri facundiâ debere, mulcet autem, sæpe aspectus dicentis. C

Inter apophthegmata Romanorum fertur, quòd cùm Manilius Torquatus audisset legatos è Macedonia venisse, graues querelas deferentes de filio suo Decio Sylano, qui eam obtinuerat prouinciam, à senatu petijt, ne quid ea de re statuerent, priusquam de causa cognouissẽt, senatus autem ipsi Manilio cognitionem detulit, qui domi sedens vtrique parti per totum biduum vacauit, tertio die in hanc formam pronunciauit: Cùm probatum sit Sylanum filium meũ pecunias à socijs accepisse, republicâ, & domo iudico indignum, & protinus è conspectu meo iubeo exire. Pudet Ethnicum hunc in exemplar nostrorum iudicum exhibere: sed vtinam vel infidelem istum prætorem nostri iudices imitentur, vt ita sint à receptione munerum alieni, & ab acceptione personarum immunes, vt etiam contra proprios filios delinquentes sententiam ferant, ac si prorsus essent alieni.

Plutarch. & Stobæus, à quibus id desumpsit Alex. ab Alexand. lib. 3. dierum genial. cap. 5. Apud Thebanos, inquiunt, in suis foribus iudicialibus, iudices sine manibus, & præsidem sine oculis, depictos habuisse. De quibus sic Alciatus emblemate 144. Effigies manibus truncæ ante altaria diuum, hinc resident, quarum lumine capta prior. Ratio huius erat, vt iudices significarent, manibus carere debere ad munera recipienda, præsidem verò cæcum, ne accipiat peccatorum facies. D

Plutarch, Stobæus. Alexand. ab Alex.

Alciatus.

Sunt qui aliter hoc interpretantur, quamuis recidat in idem, qui per oculum fauorem intelligunt, vt affirmat Pierius lib. 33. titulo, Fauor. vbi ait: Non desunt, qui oculum fauoris, & benevolentiæ signum dicant. Vnde Poëta Iouis fauorem erga Carthaginenses depingens, ait:

Pierius.

Sic vertice cœli
Constitit, & Libyæ defixit lumina regnis.

Virgil 1. Æneid.

Sed de Pallade irata ait:

Dona solo fixos oculos auersa tenebat.

Imò in sacris litteris Psalm. 24. *Respice in me, & miserere mei,* & Psalm. 9. *Oculi eius in pauperem respiciunt.* Matth. 9. *Vidit hominem sedentem in telonio,* hoc est, fauorabiliter respexit, & illud: *Respexit Dominus Petrum,* &c. Et ratio est, quia quibus fauere desideramus, facilè respicimus, ab his autem, quibus fauere nolumus, oculos auertere solemus. Cùm igitur visus fauorem importet, iudicem oculis carentem fingere, est sine affectu fauoris in hunc potiùs, quàm in illum iudicare debere.

Psal. 24. 16. & Psal. 9. 10.

Matt. 9. 9 Luc. 22. 61.

Hanc ob causam Athenienses (vt Pausan. refert lib. 1. & Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 5.) intra cortinas se continere solebant, cùm contra reum capitis sententiam pronunciabant, nescilicet, cùm reum, vel aduocatum pro eo intuerentur, ex actionibus exterioribus aliquo affectu contra debitam iustitiam commouerentur, vel saltem, vt alij dicunt, noctis tenebras exspectabant, vt noctis velamine ab huiusmodi intuitu liberi essent.

Pausanias. Alexan. ab Alex.

Imò Lacedæmonij iudices, non solùm oculos, sed aures etiam reis denegabant: scripto enim causas reorum accipiebant, ne voces flentium corda eorum commouerent, & iustitiæ integritatem labefactarent. Si enim coram iudicibus loquerentur rei, aut eorum aduocati, facilius eos fletibus, aut actionibus, & efficaci modo dicendi, poterant immutare. quem quidem iudicandi modum maximè approbare videtur Deus ipse, dum Christo illum attribuit Isai. 11. dicens: *Non secundùm visionem oculorum iudicabit, nec secundùm auditum aurium arguet, sed iudicabit in iustitia pauperes.* Obserua disiunctiuam illam, *sed,* ac si dicat, ex hoc pendet iudicis iustitia, vt non secundùm visum, & auditum iudicet, hoc est, ne ad iudicandum moueatur affectu ex visu, & auditu contracto.

Isai. 11. 5.

Apud Ægyptios, vt refert Alex. ab Alexand. iustitia sine capite depingebatur. Vbi Pierius, caput quidem iustitiæ non ram admisse mihi videntur, quàm inter sydera occultasse, hoc autem ideo, quia in capite omnes quinque sensus vigent, iudex autem non sensu, sed ratione duci debet. Vnde si sensibus priuari necessariò debeat, eos ita cœlestes habere debet, ac si iam in cœlo constitutus sensibus esset, & ita secundùm cœlorum exigentiam ei iudicandum sit, & quæ sursum sunt sapere debeat, & non quæ super terram.

Alexand. ab Alex. Pierius.

Nec minùs ad rem facit aliud iudicis optimi hieroglyphicum, quo iudicem rectum significabant, vt refert Diodor. Sicul. lib. 2. rerum antiq. cap. 1. Iudicem igitur pingebant, è cuius collo suspensa veritas penderet, & oculis ei subclausis, librorum multitudine circumstante, mira effigies. Quid cum multitudine librorum oculi clausi aut enim libri impertinentes, aut oculi necessarij? quòd si hi desunt, illi superfluunt: non enim libri profunt, nisi legantur, legi autem non possunt, nisi oculi aperiantur. Primò igitur è Iudicis collo veritas pendebat, supra pectus videlicet, vt nihil aliud in pectore & corde iudicis versari debere docerent, quàm veritatem in iudicando. quod Exod. 28. Deus comprobasse videtur, dum in pectorali Aaron eandem veritatem iusserit inscribi, libri verò circumstantes iudicem monebant, non sine magno studij labore ferendam sententiam esse; oculos verò subclausos habebat, quia nullo humano respectu duci debet, quòd à veritate, nec in minimo recedat. Non igitur libris, sed affectibus oculos iudex claudere debet.

Diodor. Sicul.

Exod. 28.

Hoc tamen hîc aduertendum, iudicem sapientem, & in iure diu ante versatum esse oportere, nec illi expectandum iudicij tempus ad iura indaganda, ne fortè aliquo affectu motus, aliam illi faciem legis exhibeant, quam aliàs exhibuerent, si passione carens eas respexis-

set, *era dexir, sean letrados, ayan estudiado, sin passion antes, para que despues no tengan ojos para desestudiar con passion, lo que ames, auiam estudiado con razon.* Sed inter omnia symbola iudicis iusti illustrius illud, quod Christus Dominus assignauit Matth. 5. *Vos estis lux mundi,* hoc is quidem dixit, quos mundi iudices constituit, lux autem mundi totius sol est, sol verò inter septem planetarum cœlos medium locum tenet, tres hinc, tres inde planetas habens: ad hoc enim ibi sol constitutus est, vt reliquis planetis lucem communicet, sine luce enim illi influere in mundum inferiorem nequirent. Ideo in medio non ad hoc, quàm ad illud sydus magis appropinquans. Vos igitur, ó iudices sæculi, quique mecum in iudicio in duodecim sedibus sessuri estis, lux mundi estis, quam ad illam partem declinetis. Præterea, sol omnibus lucem, & calorem, æqualiter impertitur, nec pauperi minùs, nec diuiti magis concedit, sed omnibus æquè lucet, & calorem exhibet semper. Ideò igitur lux à Christo Domino nuncupantur.

Matth. 5. 14.

Sed non inferiori symbolo salis idem Dominus idem significauit. *Vos*, inquit, *estis sal terræ.* Sal, inquit S. Hilarius super Matth. Cant. 4. est in se vno continens aquæ, & ignis elementum, & cùm ita sit, quia intra se vnita hæc duo elementa contineat, quæ inter se adeo sunt opposita, vt secum ad mortem vsque (vt ita loquamur) pugnent; ad nullum tamen eorum fine detrimẽto inclinat. Sal igitur in ignem proiectum, quantumuis cum igne ita conueniat, vt intra se illum, vti dicimus, contineat, statim ab eo resilit, & recedit cum magno strepitu, & velocitate, cum vtroque elemento conuenit. cum altero verò seorsum, nequaquam. At, inquies, si sal in aquam proijciatur, non resilit, ibi manet. Ita est, sed huiusmodi mansio perditio illi est, statim enim resoluitur, & perit. Mirum iudicis symbolum: quando enim duo litigant inter se, iudex eos, quantumuis oppositos, sicut sal ignem, & aquam debet continere pacificè, non ad hunc potiùs, quàm ad illum propendens. Quòd si ad se aliquis eorum trahere contendat, debet, sicut ab igne sal, statim velocissimè resilire: quòd si remanserit, aut in igne comburi, aut in aqua in aquam resolui, & perire illum oportet. Vnde meritò Christus ad diuinos iudices illos: *Vos estis*, inquit, *lux mundi, vos estis sal terræ.*

Hilarius. Matth. 5. 13

Sit igitur iudex, sicut cor in homine, quod in medio corpore constitutum æqualiter in omnes eius partes spiritus influit vitales. sit velut anima in eodem, quæ, quantumuis excellens sit, ad omnes corporis partes, secundùm earum exigentiam accurrit, & eis succurrit, & cum eis concurrit, sit, velut centrum in globo, quod reliquas omnes globi exteras partes æquali respicit distantia, & approximatione, sit velut trutina fidelis, quæ æquali, & pari lance aurum ponderat, & plumbum sit, velut vlna mercatoris, quæ sine vllo discrimine æqualiter pannum, fericum, & faccum metitur, sit veluti sol, qui pariter Regem, & seruum illuminat, & calefacit, sit velut sal, qui in se ignem, & aquam complectens, nulli eorum seorsum, & separatim coniungi potest.

Simile.

Valerius Maxim. Valer. Maxim. lib. 7. cap. 2. & Laertius lib. 1. cap. 3. *Anacharsi (aiunt) illud tribui, quod etiam & Soloni, leges aranearum telis similes esse, in quibus infirmiora animalia hærent, validiora perrumpunt; ita leges humiles ac tenues constringunt, à potentioribus autem impunè violantur.* Ita ille: Et quidem vitium hoc non legibus, sed iudicibus iniustis tribuendum est. Si enim pauper quis delictum perpetrauerit, legis decretum seuerè profertur in illum, si autem primarius ille fuerit, iniuriâ affectus timet iudex, dissimulare sæpè solet: non enim, ait, idem de omnibus iudicandum est. Denique pecunia causæ finem imponit, quia pecuniæ obediunt omnia. Si pauper, inquam, vel de media plebe, vnus delinquat, bonæ Deus, A quàm rectus adest iudex, precanti respondebit: ad quid igitur leges? ad quid per iudices quoque Deus ita decreuit reos esse puniendos? &c. nunquid non idem est delictum? non eadem lex? nónne idem Deus & Dominus omnium? cur ergo facies sumitis peccatorum, *alla van leyes*, &c.

Hinc cùm plures sint latrones in vrbibus, quàm in montibus, nunquam in mala cruce diuites vsurarios, & latrones, sed pauperes, miserosque videmus: sicut enim hortulanus ad aues ab arboribus, & vitibus abigendas, non volumen fericum, sed pannum vilem apponit, in ficu, verbi gratia; sic ad latrones è republica eliminandos, in patibulo non diuites, & serico indutos latrones, sed pannosos intuemur? quid contra hos Deus. Vide Psalm. 81. *Deus stetit in synagoga Deorum; in medio autem Deos dijudicat*, &c. *Simile. Vers. 1.*

Quid est quòd Rex Saul. 1. Reg. 28. afflictione quadam affectus Pythonissam quæsiuit, vt consuleret eam, quam & inuenit, cùm ipse & publico edicto omnes è medio tollere iussisset: Cur igitur & hæc Pythonissa sublata pariter non fuit? Facilè rem & causam aperuit Sanct. Hieronym. in quæstionibus Hebræis locum hunc Regum exponens. Ait ergo, Pythonissam hanc fuisse matrem Abner ducis & familiaris maximè Regis Saul. Ecce causam cur vel ipse Saul consulto ei perpercit, vel hi, quibus commissa fuit legis executio, eam non punierunt. Nam, vt rectè Petrus Damianus asserut epistola 12. *Nullus de legibus metus est, & quod potest redimi, non timetur.* Ita ille. Quod potest redimi, ait, hoc est, pecuniâ & pretio redimi, aut amicitiâ vel fauore consequi valet, non timetur, licèt legis pœna prohibitum fuit. Melior quidem Iudex Phinees, qui num. 25. duos *1. Reg. 28.* *P. Dam.* *Num. 25.* B

PROP. XII. *Iudex seueritatem cùm pietate coniungat.*

ÆGyptij olim sceptrum regale pingebant, & in parte superiore caput ciconiæ apponebant, in inferiori verò caput hyppotami, id est, equi marini. Ciconia pietatis symbolum est, hyppotames seueritatis: ciconia enim auis pia est, parentibus in vltima senectute succurrens; hyppotamus verò animal seuerum, & terribile, *es como vn caiman.* In hoc igitur hieroglyphico significare voluerunt, debere principem seueritatem cum pietate coniungere, ita tamen, vt primus, & supremus locus pietati, & clementiæ concedatur, ideo in superiori parte sceptri caput ciconiæ constituerunt.

Idem parentes, & omnes superiores debent adhibere.

Hinc Heli 1. Reg. 2. graues pœnas dedit, quia videns filios suos grauiter peccantes, & cum scandalo publico, suauiter nimis eos reprehendit, *Quare*, inquit, *facitis res huiusmodi? quas ego audio res pessimas ab omni populo: nolite fily mei, non enim est bona fama, quam ego audio*, &c. Omnia suauitatem multam sapiunt, nullam seueritatem præ se ferunt, Filij mei, ait, legis transgressores, profanos, impios, sacrilegos potiùs dicere debuisset, & verbis verba superaddere, & quia ita non præstitit, morte filiorum insuper, & propria morte à Deo mulctatus seuerè fuit. Sit igitur pius superior pariter, & cùm oportuerit seuerus, nisi in se Deum seuerum noluerit experiri. *1. Reg. 2.* C D

Ezech. 41. agens de picturis Cherubim, quæ erant in circuitu illius templi, quod illi reuelabat Deus. *Duas*, inquit, *facies habebat Cherubim, facies hominis ad palmam ex hac parte, & facies leonis ad palmam ex alia* *Ezech. 41. 19.*

alia parte expressam, per omnem domum in circuitu. Cherubim, qui in suprema hierarchia collocantur, cœli typum habent, superiorum, & Prælatorum, hi duas facies habebant, leonis scilicet & hominis, quia Prælatus, & Iudex vtramque habere debet, humanitatem scilicet hominis cum fortitudine & seueritate leonis: nec enim leo solùm, nec homo solùm, sed leo humanus, & homo leoninus esse debet. *ni miel que todos ce coman, ni hyel que a todos amargue.* Quantùm autem huiusmodi commixtio clementiæ, ac iustitiæ Deo placeat, palmæ demonstrant, quia tam ex parte faciei leonis, quàm hominis palma erat, palma verò, cùm victoriæ sit insigne, præmium cœleste designat, quod iustis datur. Propter vtrumque igitur præmium gloriæ æternum Iudici datur, propter vtrumque palma; quia clemens, vt homo sit, & quia fortis, ac seuerus, vt leo.

Matth. 17. Matth.17. *Ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum Christo loquentes,* &c. Cur priùs Moysen nominauit? Nunquid cò quòd Moyses prior & potior esset? Petrus Cluniacensis in serm. de Transfiguratione: *Duo illi patres cum Domino apparent, alter mitissimus, alter seuerissimus: quare? quia misericors & miserator Dominus, & quia iustus Dominus & iustitias dilexit. Misericors ergo misericordem; iustus autem iustum Dominum designat. Vnde congruè scriptura non priùs Eliam, & postea Moysen, sed è conuerso posuit.* Pet. Clun. B

Hinc Psal. 100. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Sanct. Augustinus ibi: *Fortè non sine causa eo ordine hæc duo posita sunt, vt non diceret, iudicium & misericordiam,* sed *misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Ita Sanctus Augustinus. Sic igitur Iudex priùs misericordiam possibilem sibi exhibeat, deinde iudicium, non autem vnum sine altero. Vide Sanctum Augustinum ibidem. Psal. 100. 1. August.

Prop. XIII. *Quantùm debeat examinare causam ante sententiam.*

Genes. 18. sic Dominus ad Abraham: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam, & videbo vtrùm clamorē, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciā.* Quid hoc? Nunquid Deus ignorabat aut dubitabat clamorem illum verum esse? Respondet Sanct. Gregorius 19. Moral. 23. expendens hunc locum, & ait: *Ipse Deus, vt nos à præcipitata sententia liberaret, cùm omnia nuda & aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit tantùm audita iudicare, vt grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum antea præsumamus credere, quàm probare.* Ita S. Gregor. Gen. 18. 20. Greg. C

Vnde viri Sancti valde timent aliena opera iudicare. Audi quid S. Iob affirmet: *Causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.* Ita Iob c. 29. Vbi S. Greg. 19. Moral. 23. ait: *Qua in re notandum video, ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites esse debeamus, ne temerè indiscussa iudicemus, ne qualibet audita nos moueant, & ne pasim dicta sine probatione credamus.* Ita Sanctus Greg. Vbi notaquòd Iob Iudex, imò & Rex populi sui erat. Vnde Regibus & Principibus ac Iudicibus, vtilissimum exemplum præbuit à temerarijs iudicijs se abstinendi: nam sæpè quæ vera sine dubio esse videntur, falsa sunt. Quis non crederet Susannam adulteram fuisse, id affirmantibus duobus senibus & Iudicibus populi, qui omni exceptione maiores videbantur, & tamen falsissimum testimonium proferebant? Iob 29. 16. Iudic. D

Prop. XIV. *Iudex surreptiones caueat.*

Genes. 18. sic Dominus ad Abraham: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam, & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.* Quis non miretur hoc dixisse Deum? *videbo,* inquit, quasi non præuiderit, qui præuidet omnia, antequam sint; *vt sciam* ait, quasi possibile sit nescire Deum: quid est, *an non est?* Quid ergo sibi vult ista loquutio? S. Petrus Damianus Epistol. 4. ad Papam Leonem nonum: *Hoc profectò ad nihil aliud dictum videtur, nisi vt humana doceretur ignorantia, non leuiter adiudicare, nec ante sententiam promere, quam rem dubiam testimonijs approbarit.* Ita ille. Gen. 18. 21. S. Petrus Damian.

Et in huius doctrinæ confirmationem adducit illud 2. Reg. 16. cùm Dauid qui spiritu prophetico plenus erat, dum sibi inconsultiùs credidit innocentem Miphiboseth, proscriptionis sententiæ addixit.

Prop. XV. *Quàm sine passione debeat Iudicare.*

Videx enim qui ex vitio suo punit reum, similis est diabolo, de quo ait S. Thom. 1. q. 19. art. 1. ad 1. *Aliquando impugnant dæmones, homines puniendo, & tunc mittuntur à Deo, sicut missus est spiritus mendax ad puniendum Regem Achab.* 3. Reg. vltimo: *pœna enim refertur in Deum sicut in primum actorem, & tamen dæmones ad punien-dum missi alia intentione puniunt, quàm mittantur, ex odio nempe aut ex inuidia; mittuntur autem à Deo propter eius iustitiam.* Ita S. Thom. Iudices ergo qui puniunt reos, odio vel inuidiâ, vel irâ commoti, meritò dæmonibus comparantur. S. Thom. B

Prop. XVI. *Quòd Iudex omni auaritia carere debet.*

Sanctus Leo Papa serm. 9. de passione Domini. *Nullum est in eo corde iustitiæ vestigium, in qua auaritia habitaculum fecit.* Ita ille. *no ay rastro de iusticia, donde ay auaricia.* Attendant Iudices, & qui eligunt eos. S. Leo. C

Prop. XVII. *Iudex non debet accipere munera sibi oblata.*

Ne accipias (ait Sapiens quidam) *id, quo te donator emerè vult ad omnia commoda sua. No tomes lo que vees se te da para comprarte con ello quantos despropositos quisiere de ti.*

Gen. 14. post victoriam quandam, quam opo Abrahæ Rex Sodomorum assequutus fuerat, dixit Abrahæ Rex in gratitudinem beneficij: *Da mihi animas, cetera tolle tibi.* Cùi Abraham: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cœli & terræ, quòd à filo subtegminis vsque ad corrigiam calcaneum accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas: ego ditaui Abram.* Cur ita Abraham? nempe spem suam non in hominibus, sed in Deo collocauerat iam, atque à Deo victoriam illam perillustrem reportarat. *No quiero dize, que os lo eys y digais, yo en riqueçia Abraham, y el es echura mia, que quien viue a cuenta de Dios, no ha de querer nada de otra mano, que de la Dios en quien espera.* Præterea, ne dicas: *Ego ditaui Abraham,* hoc est, ne me ob id debitorem constituas tuum, & me ad omnia, quæ voueris, deuinctum credas: Deo soli debere volo, qui non improperat. Rectè Sanct. Gregor. Nazianz. oratione in sanctum baptisma: *Deus cum ab eo beneficium petitur, beneficio id ducit.* Ita ille. Non sic homo, qui dando, te seruum constituere vult. Sed tamen hodierna die non ita repudiantur dona, sed amantur, nec attendunt potentes, quis sit, qui dona ferat, sed quid, quantumque ferat, & liberè se in seruos vendunt, modò recipiant. Gen. 14. 21. D

Ioan. 11. In illo Concilio, quod aduersùs Christum Dominum collegerunt, plures causas adhibuerunt, propter quas reum mortis illum esse decreuerunt;

runt; sed hanc inter reliquas primo loco assignarunt: *Venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem*, hoc est, amittemus dignitates nostras sacerdotales, & Ecclesiasticos prouentus; hanc primo loco causam assignarunt, & merito; nam hæc prima fuit, quæ mentes eorum obcæcauit, propter quam Deum ipsum capitali sententia damnarunt, & stultam illam propositionem præmiserunt: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* stulta prorsus propositio, & quæ à solis mente captis potuit proponi: excæcauit autem eos auaritia, & dignitatum mundi tenax ambitio. *Vers. 48.* *Ibid 47.*

Vnde Origenes in hunc locum: *Ob cupiditatem rerum temporalium, Christo Domino necem intentant.* Ita ille.

Auri sacra fames quid non mortalia cogis
Pectora?

Num. 22. Balam cupiditate mercedis, & auaritiâ motus, vocatus à Rege Balac pergebat; affuit Angelus, euaginatum gladium ferens contra Balam, qui tamen nec Angelum, nec gladium vidit: asina quidem, cui Balam insidebat, gladium vibrantem vidit, & ob id transire renuebat, & à Balam percussa, Domino ita volente, & linguam eius mouente, locuta est, & dixit: *Quid feci tibi? cur percutis me?* Miratur S. Augustinus quæst. 30. super Numeros, quòd Balam nullum signum admirationis ostenderet videns asinam loquentem, imò fermonem miscens, dixit: *Quæ commeruisti, illusisti mihi.* *Num. 22. 28.* Cur non potiùs obstupuit, & de facultate loquendi asinam interrogauit? Respondet S. Augustinus ibidem: *Tanta cupiditate ferebatur, vt nec tanti monstri miraculo terreretur.* Ita ille. Hinc igitur constat, quanta sit vis auaritiæ ad obcæcandam mentem, si quidem nec miraculum tantum & prodigium potuit oculos aperire, quos clauserat auaritia. B C

Hinc refert Aristoteles 3. Politic. cap. 3. Thebanos olim legem fanciuisse, nullum mercatorem reipublicæ munus obire posse, nisi priùs per decennium ab omni mercaturæ negotio cessasset. Sicut tempore pestis homines, qui à loco peste infecto veniunt, intrare ad habitandum inter nos non permittimus, nisi priùs triginta dierum spatio in loco separato se purificauerint; ita illi ab omni affectu auaritiæ reipublicæ moderatores liberos esse curantes, decennium illud ad purificationem animi ab omni cupiditate statuerunt.

Pingebant olim Sapientes antiqui sapienter sic iustitiam, indutam scilicet veste iusta, & manicis iustis, & sine manibus, & caput intra cœlum inclusum habentem: vnde sine capite esse videbatur. cuius hieroglyphici hæc significatio adhibetur: manicas iustas habebat, ne scilicet intra manicas dona occulta ret, sine manibus, ad capienda scilicet munera, & retributiones. & quidem sæpe tot manus solet habere iniustitia ad munera capienda, vt alteram altera soleat impedimento esse; nam ad munera huiusmodi capienda extendit manus, non solùm ipse Iudex, sed etiam vxor, & filius, & famulus, & amicus, & ita manus manui obstat: *No se dan a manos estendiendolas a tomar, y asi vnas a otras se impidien:* iustitia vera sine manibus huiusmodi esse debet. Denique caput Iudicis non solùm cœlum attingere, verùm etiam intra cœlum ipsum collocari debet, quia nihil è terra prospicere debet, sed solùm, quæ in cœlis sunt, & ex his quæ in cœlo percipit, de his quæ in terris sunt, iudicare debet, omni affectu deordinato remoto, & maximè omnem affectum auaritiæ, & cupiditatis terrenæ fugiens. D

Postulat quoque Deus, vt ij qui reipublicæ curam gerunt, manus omninò lauent, vt ea quâ decet animi integritate, munus prouinciamque obire valeant. abluat ergo manus publicus quilibet tabellio, siue notarius, iuxta sui muneris normam, vt purè instrumenta conficiat, abluat prætor, maior, minorque reipublicæ A minister, vt manu munda insigne iustitiæ virgam possint portare, & quicumque ille fuerit iustitiæ minister, & iudex publicus constitutus, ab omni munerum labe incolumes puraſque præstet, vt suo officio satisfaciat. Hæc enim lauandi manus ratio, hic modus Deo placet. Quapropter ipse hoc idem in Exodo ordinatissimè digesserat, in quo, cùm Iudici veram officij normam & exemplum traderet, dixerat: *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* *Exod. 23. 8. & Deut. 16. 19.* non enim hîc Dominus dixit: nec accipias munera, vt iniuste iudices, sed absolutè præcepit, nullo prorsus modo, nullius denique contemplatione recipere. rationemque subdit: quia munera vel prudentium Iudicum oculos excæcant, vt non eos tantùm, qui fallaci munerum specie cæcutire videntur, imprudentes esse, & imperitos affirmes. Neque hoc adeo magnum, cùm & Hebraico sit idiomate dictum: Munera eruunt oculos prudentis; nam verbum *luer* Hebraeum, est idem quod *eruit*, vt ait Hieronymus super Icrem. 55. Nam vbi in Hieremia est, *sed & oculos Sedecia eruit*, ibi est idem verbum *luer*, vt videas exaggerationem hanc cæcitatis, munera adeò oculorum aciem obtundunt, vt ipsos sanè eruere certissimè videantur. Alij ferunt transferri ibi posse, *Quoniam munera euigilare faciunt prudentes.* mirabile certè est, qualiter hæc munuscula hominum gratiam captent, beneuoloſque reddant, & Iudicem euigilare faciant, vt complura argumenta, milleque rationes ad retorquendum causæ exitum pro dantis vtilitate conquirat, vsque adeo, vt non modò litigantes miserè & iniustè, verùm seipsum quoque decipiat, sibiipsi nimiùm credens, & verum, iustumque esse suadens. Si per vitrum certi coloris inspexeris, omnia eiusdem coloris esse dijudicabis: sic igitur ij cùm rationes beneuolentiâ erga offerentem, ardentique desiderio, vt eidem causæ victoria cedat, expendunt, licèt, illæ futiles sint, euidentes iudicant: alteriùs vero partis rationes, & argumenta, quæ veritatem suadere omnino poterant, veritatis tantùm speciem præse ferre sibi persuadent. Hac itaque ratione Iudicis personam exuunt, latronum, grassatorumque induunt: & nulla eis iniuria, cùm hoc eis agnomen imponimus, inferri videtur, cùm ipse Deus idem ipsis imposuerit. Cùm enim Israelem alloqueretur, ita dicit: *Principes tui infidèles, socij furum*: at latronum socij nunquid aliud præter fures esse poterunt? reddensque nominis rationem, subdit: *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Super quæ verba ait Basilius: *Fures censendi sunt, quibus ductandi exercitus demandata est prouincia, aut certè ij, qui assumpto principatu ciuitatum, & gentium, elanculum quidem supplant: quæ autem ad rempublicam attinent, extorquent vi, & qui præsidet Ecclesiæ, munera accipit ad suam oblectationem, & vsum, obtento interim prætexitu honoris istius se contingentis ratione præsidentiæ, aut quòd inire rationem debeat concreditæ sibi dispensationis, in vsus pauperum Ecclesiæ: is plane furti est particeps:* Hæc Basilius. & Hieronymus ait: *Nos quoque debemus cauere, ne ab illis accipiamus munera, qui de lachrymis pauperum congregant diuitias, ne simus socij furum, & ne dicatur de nobis id Psalmi 49.* Si videbas furem, currebas cum eo, &c. Hæc ille. Aliqui certè sunt qui manus lauant, veluti Pilatus fecerat, qui manus, antequam sententiam in causa Christi tulisset, abluit, & dixit: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* stat imque calamo manum armauit, vt illam nefandam, atque crudelissimam sententiam subscriberet in Christum. Huic sunt aliqui similes, qui se iustos, & integerrimos Iudices, insontesque se ministros iactant, quorum si manus rectè inspexeris, inuenies facilè non ita puras, & mundas, vt ipsi prædicant, esse, eaque crimina perpetrant, vt ab illorum sordibus non ita facilè, multùm licet se lauare nitantur, abstergi possint. *Iſai. 1. 23.* *Ibid.* *Matt. 27. 24.* *Vide*

Ælius Lampridius de Alexandro Seuero Imperatore Romano refert, dicens: *Alexander Veronium Thuri-*

num

num familiarem, eò quòd hic, qui petebant aliquid à Cæsare, vendidisset suum patrocinium, mentiens interim multa, continuendum curauit, & conuictum, damnatumque in stipite alligari iussit, supposito igne, & humida materia, præcone clamante: Fumo punitur qui vendidit fumos. Ita ille. Seuerus vocabatur Imperator iste: etenim ita seueri oportet sint Reges aduersùs familiares, qui quod Reges gratis conferunt, & gratis conferre illos oportet, ipsi venales ob suas intercessiones reddunt: ex eo enim plurima, & pernicioſa inconuenientia consequuntur, & multò magis Iudices punire oportet, qui muneribus subornantur.

Id igitur familiares hi & Iudices facere oportet, quod de Phocione refert Stobæus sermon. 35. dicens Phocioni: *Cùm centum talenta Alexander dono misisset, adferentes interrogauit, quamobrem ex tanto numero Atheniensium sibi soli mitteret ea? cui respondérunt, quoniam solum ipsum existimaret Rex bonum esse virum: & Phocion: Quin igitur posthac me bonum esse permittat, & pecuniam remisit.* Ita ille. Ecce quid à fortiori agere debeant Iudices, & familiares principum: bonos enim esse ministros, oculos ad munera sic habentes, quî fieri potest?

Plutarchus in Apoph. Regum: *Alcamenes Rex munera quædam à Messenijs oblata recipere noluit: interrogatus quare; quoniam si recepissem (inquit) pacem cum legibus habere non poteram. ô mentem rege dignam!* ait Plutarchus, quæ magno, & obuio lucro legum authoritatem antepoſuit.

Idem Stobæus serm. 1. de prudentia: *Epaminondas (inquit) cùm legati venirent, ferentes munera, animo corrumpendi eum, ad prandium eos priùs inuitauit, vt in eodem cauſam aduentus indicarent. Appoſita ergo eſt menſa vilis, bibebantque vinum acidum: ſubridens igitur Epaminondas ad legatos ait: Abite, & Domino veſtro mea prandia narrate, quibus me contentum non facilè ſuis muneribus ad proditionem alliciet.* Ita ille. Vbi cauſam veram manifeſtauit, propter quam Iudices, & familiares principum xenia, & munera captant, vt ſcilicet ſplendidè manducent, & regium induant cultum, & principes, diuiteſque ſint. Quòd ſi moderatione contenti eſſent, facilè contemnerent munera, & dona.

Bruſonius lib. 1. cap. 9. & lib. 5. cap. 22. *Phocion, (inquit) cùm à Menillo oblatam pecuniam remiſiſſet, rogatus ab illo cauſam, cur ſaltem filio ſumendam non permitteret? reſpondit: Si filius vitam, & mores compoſuerit, paterna hæreditate contentus viuet: ſi verò prodigus, & immodeſtus fuerit, nec argentum quidem hoc ſatis futurum eſt.* Ita ille.

Congruit dictis, quod Laertius lib. 4. cap. 2. refert, dicens: *Alexander ad Xenocratem legatos miſit cum aliquot talentis, quos ille in Academiam perductos, parcâ & tenui cœna excepit. Poſtridie interrogantibus, cui vellet annumerari pecuniam; quid? (inquit) itáne vos ex heſterna cœna non intellexiſtis me pecuniâ non indigere?*

Denique totius reipublicæ pernicies ex huiuſmodi oculo ſiniſtro, quem ad dona & lucra principes, & gubernatores, & horum familiares ſemper conijciunt, ſemper promanauit: dum enim lucra ſua quærunt, quid bono communi magis expediat, non attendunt. Tullius lib. 1. de Officijs: *Caius Plotius (inquit) Samnijs aiebat: Vtinam ad illa tempora fortuna me ſeruaſſet, & tunc eſſem natus, quando Romani dona accipere cœpiſſent, non eſſem paſſus diutiùs eos imperare.* Ita ille. Quomodo autem ille imperio obſtare voluiſſet eorum, qui dona acciperent, facilè deduci poteſt: corrumpi enim facilè poſſent animi gubernantium, vel familiarium eorum, vt hoſtibus traderent imperium vniuerſum.

Iſai. 2. 9. Sic ad Chriſtum Dominum Propheta: *Reges eos in virga ferrea*, &c. virga ferrea nunquam flectitur, ſed integra ſemper & inflexibilis manet, quantumuis ex aliqua parte pendeat onus: talis fuit Chriſtus, qui nec minis, nec blanditijs Iudæorum vmquam deuiauit à recto. Cùm enim ei dicerent: *Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces*, eos tunc hypocritas vocauit, *Quid me tentatis hypocritæ?* & cùm Samaritanum & dæmonium habentem dicerent, non ideo docere eos neceſſaria ipſis ad ſalutem deſtitit, vt patet. Imò cùm ad mortem quærerent illum, miracula operatus eſt: Malcho enim tunc aurem reſtituit, & volentes capere illum, vnico verbo ad terram proſtrauit: non vt eos perderet: nam ſtatim abſque vllo damno poteſtatem ſurgendi tribuit illis; ſed vt omnipotentiam eius agnoſcerent, & ab incepta deſiſterent prauitate. Et poſtea cùm è cruce deſcendere ab eo peterent, noluit, vt dicere poſtea poſſet: *Conſummatum eſt*, &c. & denique nunquam perſonarum acceptor fuit, pauperibus euangelizauit, non minùs quàm diuitibus; paruulos recipiebat, *Sinite*, inquit, *paruulos venire ad me*, qui magnos non reijciebat; principes arguebat, non remiſſiùs quàm cunctos alios, qui erant de media plebe, &c. Sic regebat Chriſtus Dominus in virga ferrea, qui princeps paſtorum erat, & Rex regum, ac Dominus dominantium, & Iudex viuorum & mortuorum, vt paſtores & Reges ac dominantes, & Iudices ex illo prototypo exemplum ſumerent gubernandi.

Matt. 22. 16. *Ioan. 19. 30.* *Marc. 10. 14.*

Sunt enim nonnulli qui ducatum gerunt, & tamen non regunt in virga ferrea, ſed arundinea. Cùm piſcator piſcem magnum hamo capit, arundo eius flectitur, & arundinem ſic flectendo, nonnunquam frangit eam, & ita remanet in aquis ſuus piſcis: cùm tamen non ita piſciculis paruis contingat, qui imbecillitate ſua non ita reſiſtere valent, vnde facilè extrahuntur, &c.

Iſai. 56. 10. In hos inuehitur Dominus, dicens: *Speculatores eius cæci omnes, canes muti non valentes latrare.* Speculatores quidem ſunt ſuperiores: nam ſicut ſpeculatores in ſpeculis, quæ in loco eminenti & ſuperiore conſtituuntur, vt inde ſpeculentur, & videant an inimici accedant, &c. ſic ſuperiores in loco & ſtatu ſuperiore conſtituuntur à Deo, non vt dominentur in republica, ſed vt præuideant pericula, & populi damna, & clament, &c. Ait ergo Dominus de Hieruſalem: *Speculatores eius cæci omnes, canes muti, cœcos & mutos eos vocat*, quia nec videre quæ ad vtilitatem populi conducebant, nec monere ſubditos audebant. Solent latrones canibus panem proijcere, vt ita eos à latratu compeſcant; ſic etiam dæmones vtilitates quaſdam proponunt præpoſitis, vt taceant, & non latrent, qui ſcilicet diligunt munera, ſequuntur retributiones: *mali canes, maſtines ſin ley, de lobos ſereys comidos, pues por comer, veys los lobos, y mi aun ladrais*, &c.

PROP. XVIII. *Quàm iniuſus omnibus ſit Iudex Iniuſtus.*

VAlerius Maximus lib. 6. capit. 3. refert Cambyſen Imperatorem Babyloniæ excoriare feciſſe quendam Iudicem iniuſtum; & ſuper iudiciariam ſellam, cute, & corio eius coopertam filium illius iudicis ſedere iuſſiſſe, vt ita iniuſte iudicare timeret, ne ſimilem ſubiret pœnam. Seuerum quidem ſupplicium, quo manifeſtè conſtat, non ſolùm fideles, ſed etiam infideles odio maximo habere Iudicum iniuſtitiam.

IVDICIVM FINALE.

PROP. 1. *Salutatio pro iudicio finali.*

2. *Iudicium futurum esse probatur.*
3. *Iudicium finale futurum esse, probatur ratione naturali.*
4. *Ad diuinam Iustitiam pertinet facere iudicium.*
5. *Iudicium finale futurum est ad ostensionem diuinæ iustitiæ.*
6. *Quàm horrendum sit absolutè iudicium finale.*
7. *Cùm quanta maiestate Christus veniet ad Iudicium.*
8. *Quàm horrendum sit incidere in manus Dei viuentis & iudicantis.*
9. *Quàm horrendum sit iudicium ex parte Iudicis.*
10. *Iudicium finale horrendum est ex parte iræ Dei.*
11. *Quàm horrendum sit iudicium finale ex sapientia iudicantis.*
12. *Quanta ira Dei & cruciatuum erit in Iudicio contra peccatores.*
13. *Quòd in die iudicij omnia pugnabunt contra peccatores.*
14. *Iudicium quàm horrendum sit, & strictum ex parte rationis reddendæ.*
15. *Horrendum ex parte strictæ examinis.*
16. *In iudicio Deus iudex, & testis oculatis erit.*
17. *In Iudicio ipsa diuina lege transgressio testis infallibilis erit contra peccatores.*
18. *De quibus in futuro iudicio iudicandi simus.*
19. *In iudicio reddenda est ratio peccatorum etiam alienorum.*
20. *In iudicio omnia etiam occultissima cordis manifestabuntur.*
21. *Quòd etiam de occultis cogitationibus sit reddenda ratio.*
22. *Quòd in Iudicio Deus etiam opera bona examinabit.*
23. *In Iudicio Deus iustitias iudicabit.*
24. *In Iudicio de beneficijs diuinis est reddenda ratio.*
25. *In Iudicio de bonis temporalibus reddenda est ratio.*
26. *In Iudicio finali quæ nunc leuia videntur, grauia esse patebunt.*
27. *In Iudicio damones accusabunt nos.*
28. *Iudicium finale quàm graue sit ex parte sententiæ & pœnæ æternæ.*
29. *In iudicio finali nulla erit acceptio personarum.*
30. *Nemo in Iudicio fauebit nobis, nisi vita sancta & iusta.*
31. *Iudicium finale bonis bonum erit.*
32. *Nullâ misericordiâ tunc fruentur peccatores.*
33. *Quàm inexcusabile erit peccator in iudicio.*
34. *Quàm grauis tunc dolor damnatorum.*
35. *Cur Deus signa Iudicij præmittat.*
36. *Quàm ingens beneficium fuerit prædicere nobis quæ futura sint in Iudicio.*
37. *Signa Iudicij tremenda malis, iucunda erunt bonis.*
38. *Quàm necessarius sit articulus de futuro iudicio ad mundi reformationem.*
39. *Iudicij consideratio ad salutem animæ conducit.*
40. *Consideratio iudicij nos à terrenis auocat.*
41. *Diuini Iudicij consideratio nos detrahit à peccato.*
42. *Quàm prudens ille sit, qui futurum prouidet iudicium.*
43. *Quàm ineuitabile sit vltimum Iudicium.*

PROP. I. *Salutatio pro Iudicio finali.*

Ioel 1.15. *AAa diei, quia prope est dies Domini, & quasi vastitas, à potente veniet.* S. Hieron. hunc locum de die Iudicij interpretatur. Videns igitur in spiritu Propheta Ioel diem Iudicij adeo obstupefactus fuit, vt veluti balbutiens puer, ita fuerit exorsus, sicut olim Ieremias, qui à Domino vocatus,

Cap. 1.6. vt prophetaret mirabilia Dei, respondit, *Aaa Domine, quia puer ego sum, & nescio loqui mirabilia tua*; sic Ioel cùm de die Iudicij vellet eum Dominus prophetare, adeò mirabile ac feuerum illum prospexit, vt exclamare cogeretur & dicere: *Aaa diei*, quasi dicat, Domine nescio loqui, quia adhuc puer sum, quis loquetur potentias Domini, & diei Iudicij rigorem & iustitiam annuntiabit? non puer quidem, nec balbutiens erat Sanctus Ioel, sed disertus, & eloquens Propheta; sed diuinus timor & tremor linguam palato affixit. Quòd si disertissimus Propheta minimè se idoneum concionatorem iudicauit; quid nos de nobis iudicabimus, qui eius comparatione elingues videmur? Hinc quanta nobis immineat necessitas diuinæ gratiæ constat, &c.

PROP. II. *Futurum esse Iudicium probatur.*

SAnctus Chrysostom. homil. 1. ad popul. *Cium virum iustum mala multa passum, & sic digressum hinc videris, oportet ex hoc omninò de Iudicio futuro cogitare: si enim homo pro se laborantes, sine præmijs & retributione abire non permittit, multò magis eos, qui tantùm laborauerunt, nunquam coronatos remanere Deus decernit: si autem ipsos laborum suorum retributione priuare noluit, necesse est quoddam aliud tempus esse post finem præsentem, per quod præsentis vitæ laborum retributionem recipiant. Vnde Paulus*: Si secundùm hominẽ cum feris pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? *& iterum*: Si in hac vita tantùm ſperantes in Chriſto ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus, *hoc eſt, innumera patimur mala in præſenti vita, ſi ergo altera non ſperatur, quid nobis miſerabilius eſſe poſſet? meliorem igitur alteram vitam parauit Deus, in qua pietatis pugiles coronare, & laudare debet, toto ſpectante orbe. Itaque cùm videris iuſtum angustiari, affligi imbecillitate, & paupertate, & innumeris alijs erumnis præſentem vitam pertranſire, die intra temetipſum, quòd, niſi reſurrectio eſſet, & iudicium, nunquam Deus tanta propter ſe mala paſſum, nullo potitum bono, hinc migrare permiſiſſet. ſed patet, quòd alteram ipſi vitam præſenti iucundiorem, & multò meliorem parat. & quia præparatum eſt ſeculum aliud, in quo ſecundùm meritum, huic quidem improbitatis, huic quidem virtutis præmia reddere debet; ideo tolerat hunc quidem affligi, illum verò deliciis in dies diffluere.*

Chryſoſt. 1. Cor. 15. 32. Ibid. 13.

Idem S. Chryſ. hom. 22. ad pop. *De viuentibus in vitio dicebat, Paulus*: qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolùm qui talia agunt, ſed & qui conſentiunt. *& ſubdit*: Exiſtimas autem, ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? *Non eſt ita, non eſt: ex iudicio enim quod in alium protuliſti, ex hoc te Deus iudicabit: non enim profectò tu quidem iuſtus, Deus autem iniuſtus: ſi tu damnas aliorum peccata, quomodo te Deus non damnabit? Si verò non ſtatim tibi pœnam infert, ne ob hoc confidas, ſed magis time. Sic & Paulus*, An diuitias (*inquit*) bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundùm duritiam tuam, & impœnitens cor tuum, theſaurizas tibi iram in die iræ, & iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecùndùm opera eius. *Propterea ergo tolerat Deus, non vt peior fias, ſed vt pœnitentiam agas: ſi verò non vis, maioris vltionis materia erit tibi longanimitas Dei.* Ita S. Chryſoſt. *Cùm igitur Deus ſit iuſtus, aut in hoc mundo, vel in alio iuſtitiam faciet; ſæpe non punit peccatorem in hoc mundo, ergo puniet in altero: ſi tunc facturus eſt iuſtitiam, ergo & iudicium: in iudicio enim ſit à iudicibus iuſtitia.*

Chryſoſt. Rom. 2. Rom. 2.4.

Subdit ergo optimè S. Chryſ. ibid. *Multo itaque ſtudio, tanquam ad tremendum conuenturi iudicium, abſtinere noſtras diſpenſemus, ſcientes, quòd nullam aſſequemur veniam, ſi poſt naturalem, & ſcriptam legem, & doctrinam tantam, & admonitionem continuam, noſtram ſalutem negligamus.* Ita S. Chryſoſt. Tres enim leges, naturalis, ſcripta, & Euangelica, ſunt veluti tres canonicæ Dei admonitiones; quid mirum ſi ad illas ſequatur excommunicatio & anathema illud, *Diſcedite à me maledicti*, &c.

S. Chryſ. ſuſtinens noſtras diſpenſemus, ſcientes, quòd nullam aſſequemur veniam, ſi poſt naturalem, & ſcriptam legem, & doctrinam tantam, & admonitionem continuam, noſtram ſalutem negligamus. Ita S. Chryſoſt. Tres enim leges, naturalis, ſcripta, & Euangelica, ſunt veluti tres canonicæ Dei admonitiones; quid mirum ſi ad illas ſequatur excommunicatio & anathema illud, *Diſcedite à me maledicti*, &c.

Matt 25. 41. Rom 2.1.

Ad Rom. 2. ait Apoſt. *Inexcuſabilis es, ô homo, omnis quis iudicas: in quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas*, hoc eſt, cùm aliquis committit peccatum aliquod, v.g furtum, vel homicidium, vel adulterium, vel fraudem, &c. ſtatim motu quodam naturali ductus, qui tale crimen intuetur, vel audit delictum, & crimen, eſſe illud intra ſe ſaltem iudicat malum, & iniquum eſſe illud intra ſe cogitat. Ait ergo Apoſtolus: Si tu homo cùm ſis, ad quẽ minimè ſpectat alios iudicare (non enim Iudex es) ſic malum alienum iudicas eſſe malum, & cõſequenter ſupplicio dignum, Deus, qui naturâ ſuâ Iudex eſt, nõ hoc malũ, & damnabile iudicabit? Iudicabit, ergo & puniet. Si enim Deus Iudex,

Iudex, ergo iustus: non enim Deus Iudex iniustus esse A potest, alias nec Deus esset. Ergo ex tuo iudicio Dei omnium gubernatoris iudicium de tuis, & alienis criminibus elicere potes. Sic interpretatur S. Chrysost. hom. 5. ad Rom. hunc locum. *Cogitas, ô homo, qui iudicas eos, qui talia faciunt, & facis eadem, quod tu effugies iudicium Dei? iudicium tuum ipse non effugisti, & effugies iudicium Dei? Si tanta fuit in te iudicij exuberantia, vt ne tibi tu ipse parcere potueris (in quo enim alium iudicas, te ipsum condemnas) nónne Deus, qui peccandi nescius est, & suprà quam dici potest, iustus est, idipsum multò magis effecturus est? tu teipsum condemnasti: Deus autem probabit, laudabit, vel admittet? id ne rationi consentaneum est?* Ita Sanct. Chrysostomus.

Chrysost. Idem Sanct. Chrysostom. hom. 46. ad popul. *Cælum vides propter te Deum extendisse, & accendisse ignem, terram fundasse, pontum diffudisse, aërem explicuisse, cursum constituisse, & anni leges immotas statuisse, & alia omnia, suum diligêter obeuntia cursum ipsius nutu. Natura nãq; nostra brutorũ natura reptantium, ambulantiũ, volantium, & natatium* B *in paludibus, in fluuijs, in mari, in pratis, in montibus, in aëre, & in campestribus degentium, & plantæ, & semina, & arbores, tam syluestres, quàm domestice, fructuosaque & simpliciter omnes, ab indefessa illa manu motæ, nostram dispensant vitam, non tantum ad necessitatem, verum etiam ad largitatem, ex se ministerium nobis exhibentes. Tantum igitur intuens ordinem, quippe cuius neque minimam particulam dixi, audes dicere, quòd tot, & tanta propter te operatus, in opportunitatibus te deseret, & cum inuentis, & suibus iacere mortuum dimittet? & tanto te pietatis munere decoratum, quòd fecit & Angelis parem, post innumeros despiciet labores, atque sudores, & hæc quomodo rationem haberent? licèt nos taceremus, ista saxa loquerentur, tam manifesta, & clara sunt, & ita lucidiora luce. Cùm igitur post hanc peregrinationem tremendo illi tribunali sisti nos oporteat, & omnium gestorum rationem reddere, & vltionem subire, & pœnas luere, si* C *perseueremus peccantes, coronis uerò frui, si caueremus, virtutis viam eligamus, vt congrua cum fiducia ad illud transeuntes iudicium, bona promissa nobis consequamur.* Ita S. Chrysostomus.

Chrysost. Idem Sanct. Chrysostom. hom. 49. ad popul. *Apud homines quidem multa est iustitiæ cura: nam in domo possumus, & in foro, & vbique iudicia videre: domi namque dominus seruos suos per singulos iudicat dies, & peccatorum pœnas exigit ab eis, & hæc quidem punit, hæc autem ignoscit. In agris etiam agricolæ quotidie iudicat terram; in nauigijs nónne indicat gubernator? in castris militet Imperator; in artibus disciplinis iudicat Magister. Et priuatim igitur, & communiter, omnes alterutrum iudicant, & nusquam iustum negligi quispiam cernet, sed omnes vbique luentes; illic autem, vbi iustitiæ plena est dextera Dei, & iustitia ipsius, vt montes Dei, illic censes nulla iusti ratio? Et quomodo, inquies, Deus iudex iustus, fortis, & patiens fuisset, & pœnas hic non exigit? Habes causam: Longanimis (inquit) est, longanimiter agit, ad pœnitentiã peccatorem trahens: si verò permaneas secundum* D *duritiam tuam, & impœnitens cor; thesaurizas tibi iram in die iræ. Si ergo iustus est, quod dignum est, reddit, si fortis, etiam post mortem reddit (hoc enim fortitudinis est) si patiens est, ne tumultuemur, neque dicamus: quare non hic inuehitur; nam si factum hoc fuisset, genus humanum iam esset præceptum, si per singula peccata à nobis exigeret pœnas.* Ita S. Chrysost.

Chrysost. Idem Sanct. Chrysost. eâdem homil. 49. *Vnde nosti, quòd Deus est? ex his, quæ videntur, inquies, ex ordine, qui est in tota creatura, ex eo quod omnibus manifestum est. Interrogabo te, responde mihi: Iustumne est hîc Deus, & pro merito vnicuique tribuit; an in contrarium iniustos quidem vult esse tranquillos & gaudere, bonos autem in oppositis esse? Nequaquam, inquies: neque enim hoc pateretur homo; vbi igitur, qui hîc bona fecerunt, bonis fruentur? vbi verò mali contrarijs, nisi aliquid vitæ, & retributionis post hæc esse deberet? Quare Barbari, & poetæ, & Philosophi, & omne genus nobis (etsi non similiter) consentiunt, & aiunt, esse quedam apud inferos iudicia: tam manifestum & certum est factum.* Et hom. 50. ad pop. sic idem breuiter colligit S. Chrysost. Si non est iudicium, Deus non est iustus, secundùm hominem dico, si verò iustus non est, neque Deus, si Deus non est, omnia temerè feruntur. Ita S. Chrysost.

Chrysost. *Et cur, inquies, hic non punit Dem? vt suam ostendat patientiam, & ex pœnitentia nobis salutem præbeat, & ne genus nostrum pereat, & ex optima mutatione potentes saluari saluti non præripiat: si enim statim post peccata puniuisset, & interemisset, quomodo saluatus fuisset Paulus, quomodo Petrus, summi terrarum orbis Doctores? quomodo Dauid ex pœnitentia salutem comparasset? quomodo plures aly?*

An non vides hic quosdam puniri; sicut turri Siloe oppressos, sicut illos, quorum cruorem Pilatus commiscuit, & sicus qui præmatura morte apud Corinthios rapti sunt, eò quòd indignè se mysteriorum participes fecissent, & sicut Pharaonem, & sicut Iudæos à Barbaris iugulatos, & sicut alios multos, & nunc, & semper? Alij verò post quam multùm peccauerunt, abiêre, nullam hîc dantes pœnam, sicut diues Lazari, & sicut alij multi. Deus enim iustus, & patiens, nunquid ira scitur per singulos dies? Ita Sanctus Chrysostomus.

Concludamus ergo. Si Deus est, iustus est: quòd si iustus sit, pro dignitate tribuet vnicuique: si enim nihil post hanc vitam sit, quomodo quod par est, recipiet vnusquisque? Attende verò: multi præter meritum suum, multa bona accipiunt in hac vita, & cum honore sunt: alij verò supplicijs afficiuntur, qui cum iustitia vixerunt. Quòd si nullus sit locus his post hanc vitam, iniuriâ affecti discedent iusti, & præter meritum bonis fruentur iniusti. Quòd si ita sit, quomodo esse iustitia in Deo possit? vel enim aliquem locum esse necesse est, qui pro meritis suis redderet vnicuique: in hac vita enim hoc non inuenitur; vel si talis locus non sit, quomodo pro meritis recipiet vnusquisque? Si nemo secundùm meritã recipiet, ne Deus quidem tuâ sententiâ iustus est: si Deus iustus non sit, ne Deus quidem erit.

PROP. III. *Iudicium finale futurum esse, probatur ratione naturali.*

PLutarchus libr. de exilio: *Vnus quidem rex, & princeps est Deus, principium, medium, & finem vniuersi tenens, qui viâ rectâ pergit, quem iustitia sequitur omnium vltrix, qui dominam legem deseruerint, quâ in omnes homines, tanquam natura ipsa dictante, vtimur.* Ita ille. Ecce Philosophum, qui legem Euangelicam minimè profitebatur, fideique lumine carebat, & tamen naturæ ductu, ac luce, Deum iudicem vitæ nostræ fatetur, & vindicem in eos qui secundùm naturæ leges, à Deo ipso datas, viuere recusarint, omnium (inquit) vindex, qui diuinam legem deseruerint.

Æneas Syluius, *In Austria* (inquit) *cùm obijsset vnus ex primoribus annos natus tres & nonaginta, qui vitam inter voluptates, & illecebras nulla vnquam valetudine offensa, duxisset, idque Federico Cæsari narraretur; Et hinc* (inquit) *immortales esse animas inferre licet; nam si Deus est, qui hunc mundum gubernat, vt Philosophi, & Theologi docent, eumque iustum esse nemo negat, profectò alia loca sunt, ad quæ post mortem anima migrant, ibique pro factis mercedem, aut pœnam accipiunt, nam hîc nec bonis sua præmia, nec malis sua supplicia reddi videmus.* Ita ille.

Plutarch. l. de sera Num. vind. de animę nostræ immortalitate agens aduersùs eos, qui eam tollunt, seu negant, *Non est* (inquit) *adeo pusillus Deus ac lenticularum rerum curiosus, vt si nihil diuini nobis inesset, seu ad illius similitudinem firmi quid, aut durabilis, in tam non foret. Sed foliorum instar, vt Homerus ait, marcesceremus, & breui omnino corrumperemur, tantam nostri geret curam, & rationem haberet.* Ita Plutarchus, & subdit: *Si placet, alios omittamus deos, & hunc nostrum consideremus, qui vt primùm animas mortuorum à corporibus, tanquam fumum, aut nebulam,*

exhalasse nouit, placationes varias defunctis instaurare, & honores ingentes, & venerationes solemnes tribuere iubet, nunquid vt credentes circumueniat, & decipiat? ego equidem animæ immortalitatem asserere non desinam. Et paulò pòst subdit: *Ratio igitur diuinam prouidentiam, & humanæ animæ immortalitatem ostendit, & confirmat, nec alterum repudiare, alterum verò amplecti: cùm enim post obitum anima supersit, admodum decet, imò necesse est, illam præmijs affici, aut supplicijs: in vita enim sicut athleta decertat, cùm verò certamen peregerit, tunc debitum ex merito consequatur.* Ita Plutarchus, qui cùm lumine fidei caruerit, sola ratione ductus, & immortalitatem animæ affirmauit, & præmia pro bonis operibus, & supplicia pro malis confessus est: ad hæc autem præmia, & supplicia diuinum iudicium est necessarium. Cùm ergo ratione naturali constet, quòd præmia & supplicia hæc consequentur, eadem ratione naturali duce dicendum est, futurum esse Dei iudicium in alia vita, siue saltem particulare, siue vtcumque.

A præstaret. iustitia enim est ius suum vnicuique tribuere, quæuis autem res ius habet ad exercendas proprietates suas: vnde qui ignem calefacere impediret, & niuem frigefacere, & solem lucere, contra iustitiam hoc efficeret, quia hæc illis propria, & debita sunt; propriùm igitur cùm Deo sit misereri semper, & parcere, iustum etiam id erit. vnde quasi ex iustitia ab eo misericordiam possumus postulare hac ratione.

Hinc Apostolus: *In sustentatione Dei ad ostentationem iustitiæ eius in hoc tempore, vt sit ipse iustus & iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi.* Hoc est, vt nobis iustitiam suam ostendat Christus, peccatores iustificando: tunc enim iustum se Deus ostendit, quando quod sibi proprium est, operatur. quam quidem explicationem affert Sanct. Chrysostomus hom. 7. in illam epistolam Pauli, dicens: *Sicut diuitiarum ostentatio facit, vt non solum ipse, qui diuitias habet, diues sed & alios diuites reddat: sic & iustitiæ ostentatio facit, vt non solum ipse sit iustus, sed vt alios etiam faciat iustos: vnde & ipse Apostolus interpretans, addit, quid sit ostentatio, dicens: Vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui ex fide est Christi Iesu.* Ita Sanct. Chrysostom. Præterea, sicut esse ignem aliquid facit, vt sibi obiecta calefaciat, & ignescat, & esse solem, vt illuminet: sic esse Deum secundùm naturalem suam misericordiam, vt misereatur nostri, & esse iustum, vt iustificet nos. Hoc attendant hi, quos in desperationem hostis trahere conatur.

Rom. 3. 26.

B Sed ad rem nostram, animaduertenda sunt verba illa Apostoli, *in hoc tempore*: nam hoc tempus præsens destinauit Deus misericordiæ suæ: nunc tempus est misereudi; futurum autem destinauit iustitiæ, omnia tempus habent: primum tempus concessit misericordiæ, futurum iustitiæ, seu iudicio suo, *tunc vnusquisque onus suum portabit*, vt ait Apostolus ad Gal. 6.

C

Vers. 5.

Postquam populus Israel horrendum illud idolatriæ crimen commisit, aureum vitulum adorans, Moyses Deo irato contra idololatras illos se opponens, dixit: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut si non dimittis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Cui Dominus: *Vade,* (inquit) *duc ad populum istum de quo locutus sum tibi: Angelus meus præcedet te, ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Quod Origenes, & alij de vltimo iudicio intelligendum censent: pepercit eis Dominus in hoc tempore, sed in iudicio puniet grauiter eos. quos hîc misericorditer expectauit.

Exod. 32. 34.

Prop. IV. *Ad diuinam Iustitiam pertinet facere iudicium.*

Solent Reges, & Imperatores supremi iudices particulares constituere, qui tam in causis ciuilibus, quàm criminalibus, iudicaturam exerceant, ius suum vnicuique tribuentes: sed quia hi iudices particulares sæpe vel ignorantiâ facti, aut iuris, vel passione aliqua errare solent, iusti & iustitiæ limites vel non attingere, vel pertransire, *errar per carta de mas, o por carta de menos.* Solent Reges reformatorem aliquem iudicem constituere, *vn Iues de residencia*, qui errata illa corrigat, & emendet. Quod & natura ipsa fecisse videtur: vt enim homo rectum de rebus omnibus iudicet, quinque sensus dedit, qui velut quinque iudices sunt: visu enim iudicat de coloribus, auditus de sonis, olfactus de odoribus, &c. & quia sæpe ex accidenti contingit non ita verè hos sensus de rebus iudicare, adhibuit nobis natura intellectum, qui errores corrigat horum sensuum, vt v.g. iudicat visus lunam & solem esse ad summum, sicut asinaria mola: corrigit hoc intellectus, iudicans esse maiora hæc duo luminaria, quàm vniuersa terra multoties; decipi autem sensum propter distantiam magnam, &c. *es el entendimiento luez de residencia de los sentidos corporales.* Sic igitur Deus in Ecclesia sua, tanquam in hierarchia Ecclesiastica, iudices prouidit, qui nos regant & gubernent, Pontifices, parochos, parentes, & Reges, & capita reipublicæ, & denique nos ipsos nostrorum actuum iudices efficit, relinquens nos in manu consilij nostri, vt liberè quod volumus, faciamus, siue bonum, siue malum: sed quia tam nos, quàm superiores nostri sæpissimè erramus peccantes, & sæpè etiam rectè operamur, quo digni pœnâ, vel præmio sumus; ideo iudicem supremum nobis constituit, qui vitas nostras examinet ad amussim, & pro meritis præmia decernat, vel pœnas, *vn Iues de residencia.* omne quippe iudicium dedit filio, quod primùm in vniuscuiusque morte præstat: sed vt omnibus diuinæ iustitiæ ratio constet, iudicium postea vniuersale adhibebit, in quo cuncta cunctorum cunctis arcana patebunt, &c.

D

Prop. V. *Iudicium finale futurum est ad ostensionem diuinæ Iustitiæ.*

Est quidem Deus noster ad misericordiam ita procliuis, vt nullum non lapidem moueat, vt misereatur nostri, est (inquam) adeo proprium Deo misereri semper, & parcere, vt quasi ex iustitia ab eo misericordiam exigere valeamus: iustum enim est, vt quæ propria sunt alicui rei, quasi ex iustitia ab eo exhibeantur, & qui eam ab ea re impediret, contra iustitiam id

Vnde id tunc Dominus præstabit, quod per Isaiam ait: *Ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura, & subuertet grando spem mendacij, & protectionem aquæ inundabunt.* Obserua, quòd hîc nulla de misericordia mentio fiat, sed solùm de iudicio, & iustitia in pondere, & mensura eorum, quæ tunc Deus facturus est. non ait: ponam pietatem, & clementiam, sed iudicium, & iustitiam, quia tunc non est tempus misereudi, sed puniendi. Et *subuertet* (inquit) *grando spem mendacij, caerà vn pedrisco furioso, terrible sobre la esperança mentirosa.* Quid grando hîc, nisi multitudo accusationum? iuxta numerum peccatorum plûc grando cadet super spem mendacij: quænam est hæc spes mendacij? spes quidam illa peccatorum, quâ se saluandos sperant: omnes enim, quantumuis peccatores, communiter loquendo, spem habent suæ saluationis. Sperant enim in misericordia Dei, quam infinitam esse norunt, &, vt liberè peccent, Deum misericordissimum cogitant, & affirmant, sed Deo permittente, multi horum sine pœnitentia debita moriuntur. Ad hos igitur ait Dominus: *Subuertet grando spem mendacij*, denique, *protectionem aquæ inundabunt.* Qualis est hæc protectio? quænam sunt aquæ istæ, quæ talem protectionem inundabunt? Etenim iudicium hoc diluuium illud est, de quo Dauid ait: *Pro hac* (sci. licet remissione peccatorum, de qua ibi agit) *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Orant quidem in terra

Isai. 28. 17.

Psal. 31. 6.

terra Sancti pro se,& nobis in vitæ decursu, orant et- A iam in cœlo Sancti,& Angeli pro peccatoribus, dum hîc degunt, verùm tamen in diluuio illo iudicij inundantium suppliciorum, & tribulationum non proximabunt sancti aduocati,nec Angeli custodes, nec ipsa Beatissima Virgo, omnium nostrum aduocata ad intercedendum pro nobis, & ora illa plagarum Christi, quibus pro nobis nunc claudentur, nec erit in terra, nec in cœlo,qui tunc pro peccatoribus intercedat. & ita protectionem illam, quam modò habent in Sanctis,& in Angelis,& in Beatissima Virgine & in Christo Saluatore peccatores,inundabunt aquæ inundantis iudicij,quia tunc non tempus est miserendi,hoc est,deputatum misericordiæ sed iustitiæ.

Sperant etiam modò peccatores in multitudine diuitiarum suarum, & in amicis, & potestate sua, & denique in bonis temporalibus,quibus fruuntur, & veluti Deos suos illa habent:ita quidem modò, sed tunc grando illa furoris Domini subuertet hanc spem: nam B omnia illis tunc deficient : nec enim Rex familiaribus suis fauebit, nec amicus amico, nec subditi dominis suis,nec filij parentibus, nec parentes filijs, nec diuiti diuitiæ,nec dominis dominationes.

Vnde S. Bernardus, *Erit* (inquit) *tunc, non misericordiæ tempus, sed iustitiæ, nec vlla omnino credenda est erga impios futura miseratio, vbi nulla sperandæ est correctio.* Ita ille. Quamuis enim Deus damnatos puniat citra dignum,quantùm ad salutem attinet, nulla tunc erga reprobos misericordia vtetur.

Idem etiam Sanct. Augustinus super Psalm. 100. *Si* (inquit) *per tempora distinguamus, duo forte inuenemus, modo tempus misericordiæ, futurum autem tempus iudicij: ideo non sine causa eo ordine posita sunt misericordia, & iudicium, vt non diceret: Iudicium, & misericordiam cantabo tibi, Domine, sed misericordiam & iudicium cantabo,* &c. Ita S. Augustin. vnde meritò ibi concludit, dicens: *Formidandum est iudicium propter pœnam, amandum verò bonus propter coronam.* C

Prop. VI. *Quàm horrendum sit absolutè Iudicium finale.*

Cvm de Iudicio ageret Christus Matth. 24. *Sol* (inquit) *obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur.* Signa hæc profectò sunt horribilitatis, & terribilitatis Iudicij: neque enim ob id quod parui momenti futurum erat,tam prodigiosa præcederent signa, & portenta 1. Machabæorum 2. priusquam Antiochus Rex cladem illam horrendam Iudæis intulisset, quâ octoginta millia hominum Hierosolymis trucidauit,& totidem captiuos inde secum duxit, & insuper sacratissimum Dei templum sacrilego furore polluit, spoliauitque, sicque Hierusalem principem prouinciarum,& reginam mundi penitus destruxit. priùs ergo quàm hæc fierent,quadraginta dierum spatio armati exerci- D tus in aëre dimicantes visi sunt,& alia signa magna, & timore plena: vnde ciues omnes metu perculsi,orabant in bonum monstra conuerti. Et similiter ante vltimam Hierosolymorum deuastationem per Titum, & Vespasianum Imperatores Romanos,horrenda signa præcesserunt, vti narrat Iosephus *de bello Iudaico*, & Sanctus Gregorius in quadam super Euangel. homilia : *Prius* (inquit) *quàm Italia gentis gladio ferienda traderetur, ignea in cœlo vidimus acies, sanguinem humanum, qui poslea effusus est, prætendentes:* sicut ergo signa huiusmodi futuræ cladis magnitudinem,& acerbitatem: sic stupenda hæc Iudicij signa horribilitatem iudicij demonstrant.

Inter quæ verba illa ponderanda sunt, Virtutes cœlorum commouebuntur : quænam virtutes hæ sunt? quænam illa commotio? S. Augustinus serm. in fer. 6. Parasceue: *De Angelis* (inquit) *hoc dicit: tremor enim illos apprehendet & magnus timor. Cuius igitur rei causa dic mihi? quia tunc tam terribile erit iudicium illud, vt etiam ab Angelis timeatur: omnis enim generis humani natura incipiet iudicari, & terribili iudici astare. Quare igitur tunc Angeli contremiscent? & vnde tremor apprehendet eos? non enim illi habent iudicari, sed sicut principe iudicante non solum rei, sed etiam ministri eius, qui nihil sibi conscij sunt, timore, & terrore perculsi, pauent propter iudicu terrorem, ita etiam tunc genus humanum iudicabitur, & tamen cœlestes ministri pauebunt, & de terribili apparatu, & de iudice intuente horrenda formidine contremiscent.* Ita Sanct Augustinus, quòd si Angelis ita tremendum est iudicium hoc, quantò magis nobis?

Dies iræ dies illa (canit Ecclesia) *calamitatis, & miseriæ, dies magna & amara valde, dum veneris iudicare sæculum per ignem.* Horrore plena sunt verba ista, & ad nos pertinent sine parabola, quapropter meritò quis miratur, quomodo hi qui sic futuram credunt, non dico peccare, sed neque ridere audent, sicut ridenti cuidam Pater quidam sanctorum dixit: futurum est iudicium, & tu rides?

Huius rei causam reddidit Salomon, dicens: *Etenim quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala. Quia non citò,* quia si citò proferenda esset aduersùs eos sententia, non auderent ita mala pepetrare: intuentur sententiam damnationis quam promerentur, quasi remotissimam, & valde distantem, & eapropter facilè in peccata ruunt: sicut enim quæ valde distant, non ita visum mouent, & parua videntur propter distantiam, quamuis in se magna sint valde, vti constat de stellis, quæ quamuis primæ magnitudinis sint, & octuagies sint terrâ maiores, paruæ admodum videntur: sic quia peccatores diem iudicij quasi valde distantem considerant, post dies scilicet omnes sæculorum, non ita horribilia, non ita magna illis apparent, nec mouent eos ad terrorem. *Eccl. 8. 11.*

Olim prophetabat Ezechiel cap. 12. desolationem Israelis, dicens: *Ciuitates, quæ nunc habitantur, desolatæ erunt, terraque deserta, & scietis, quia ego Dominus, ô Israel, y que castigo de Dios te aguarda por tus pecados, las ciudades que aora en ti estan llenas y muy pobladas de gente, an de ser asoladas, y quedara esta tierra echa vn paramo desierto por vuestros pecades, dize Dios, sabreys quien, yo soy.* Quid ad hæc illi? *Visio* (inquiunt) *quam hic videt in dies multos, & in tempora longa iste prophetat:* sic mihi nunc audecre videtur: prophetamus enim vobis: *Ecce venit dies Domini, & dies iræ, dies illa calamitatis, & miseriæ,* &c. tacitè autem peccatores respondent : in dies multos, & in tempora longa iste prophetat. Respòdebo tamen id ipsum ego, quod Dominus ibi : *Verbum quod locutus fuero, complebitur, dicit Dominus.* Etenim si nihil aliud, hoc satis ad supremum terrorem peccatoribus satis erat, complebitur tandem, desolationem desolabitur vniuersa terra, ignis deuorabit omnes diuitias, & labores, & delicias vestras, & vos ante horrendum Dei tribunal apparebitis, vbi sic Dominus contra vos : *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* implebitur quidem hoc, ait Dominus, quantumuis dies hic differatur, tandem venturus est. Addam tamen nunc, & dicam : *Veniens veniet dies iste, & non tardabit,* quia memento (inquit) quòd mors non tardabat, & tibi veluti dies iudicij erit dies mortis tuæ : nam tunc fiet iudicium tuum particulare, & contra peccatorem sonabit sententia illa : *Ite maledicti in ignem æternum:* nam in iudicio particulari saluaberis, vel damnaberis in æternum, dies autem istius iudicij citò ventura est tibi, & forsitan citiùs, quàm tu censes. *Verſ. 20.* *Ibid. 27.* *Matt. 25. 41.* *Habac. 2. 3.*

Cùm Apostolo Ioanni ea quæ ad finem mundi expectant Deus reuelaret, audiuisse ait se tonitrua septem articulatas voces proferentia, & cùm locuta fuissent *Apoc. 10. 3.*

septem tonitrua voces suas (ait Ioannes) ego scripturus eram, & audiui vocem de cœlo dicentem mihi: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, noli ea scribere. In primis, vt diximus, ea quæ septem hæc tonitrua pronunciabant, vel ad ipsum Dei iudicium, vel ad ea quæ diuinum iudicium comitantur, spectabant. Cur igitur ea noluit scribi, sed signari? Præterea, quomodo signari poterant, si non erant conscribenda? Signare quippe idem ibi est, quod sigillare, vt patet ex originali Græco, quo igitur pacto sigillari poterant quæ scripta non erant? Voluit quidem Dominus secreta tonitruorum Ioanni communicare, sed quia noluit ea manifestari, sed solùm mente retineri, & quasi quodam secreti sigillo in corde occultari, ideò noluit ea scribi, sed occultari. cur ita occultari? quia res adeo stupendæ & mirabiles erant, vt fortè incredibilia hominibus reputarentur, vel, vt aliqui dicunt, ne fortè plus satis homines terrerentur. Terribilia igitur à Deo sunt illa quæ in diuino Iudicio futura expectamus, vt occultanda Dominus iudicarit, & sola mente consideranda esse.

Refert Holcoth, quòd, cùm duo milites peregrinationis gratiâ Ierosolymam peterent, cùm in montem Iosaphat peruenissent, eorum alter lapidem quemdam tollens, dixit animi gratiâ socio: Cùm hic futurum sit vniuersale iudicium, æquum erit, vt modò locum mihi assignem, quo tunc sedens Iudicio Dei adsim, sedit ergo super lapidem illum, quasi dicens, sic tunc sedebo & ex nunc possessionẽ capio, & eleuauit tũc in cœlum oculos, quid autem viderit, vel audierit, nescimus; Refert tamen author hic tali ac tanto timore & tremore affectum fuisse illum, vt in terram tremens ac pauens ceciderit semimortuus. tandem ad se reuersus abijt in viam suam, qui postea pauidè asserebat, nunquam diem iudicij in mentem illi venisse sine ingenti pauore. O vtinam lapidem similem & nos inueniremus, in quo terrorem iudicij nosceremus, vt semper timentes & pauidi, ab ipsius Iudicij damnatione liberaremur.

Refert etiam Pater Ludouicus Granatens. de hoc Iudicio agens, dicens: *Homo quidam vitâ functus post obitum suum cuidam amico suo apparuit, rogatusque ab amico, quo in statu esset; ille ingenti gemitu respondit, nemo credit, nemo credit, nemo credit. Cùmque rursum ab eodem quæreret, quidnã illa vox toties repetita significaret? nemo, inquit, credit, quàm districtè iudicet Deus, & quàm seuerè puniat.* Ita ille. Assentiunt ne huic veritati qui bibunt velut aquã iniquitatem? & quidem vel non credunt, vel nescíunt quid credunt, &c. S. Anselm. optimè huius terroris causam assignat, *In iudicio*, inquit, *hinc erunt peccata accusantia, inde iustitia terrens, subtus horrendum chaos inferni patens, desuper iudex iratus, intus conscientia vrens, foris mundus ardens. Peccator sic deprehensus vbi latebit? in quamve partem declinabit?* Ita ille, q.d. *que hará el peccador en este dia del y jucio cercado por todas partes de motiuos horrendos de pauor, si mirare ac cielo alli verá venir al Iues soberano echo vn leon, si mirare a lo baxe, verá al infierno con aquella espantosa boca abierta para tragarlo, si mirare al rededor buscando quien le fauoresca verá al mundo abrasandose en vnas flamas y alos hombres bramando de espanto si entrare dentro de si hallará vna conscienciia llena do tantas serpientes para morderle, quantos peccados tiene el peccador. En tales apeviens adonde se escondeŕa o a que parte echara para guare cerse?* &c.

Ad Hebr. 10. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Loquitur ibi Apostolus de Iudicio Dei, in quo incidemus in manus Dei viuentis: nunc quidem in manus Dei mortui cadimus, quia nunc mors Christi prodest peccatoribus, qui pœnitere volunt; tempore autem Iudicij non est locus pœnitentiæ: vnde non proderit eis mors Christi, nisi ad maiorem eorum damnationem. Quare tunc in manus Dei viui cadent, qui sic- A ut in æternum viuit, sic in æternum puniet. Quid horribilius?

Vmbram quandam huius Iudicij vidit Abraham, Genes. 15. vbi obtulit sacrificium Deo, & sopore irruente super ipsum. *Horror, inquit, magnus & tenebrosus inuasit eum.* Sanct. Auguſt. 16. de Ciuit. cap. 24. de extremo Iudicio hoc interpretatur, quando præ expectatione Iudicij erit in orbe terror maximus. Huius ergo prænuntius est horror Abrahæ. At, inquies, quid ita horret Sanct. Abraham, cùm magna amicitiæ Dei pignora possideret? nimirum, quia, vt ait Sanctus Petrus 1. Petr. 4. *Pius & iustus vix saluantur*; quidni timeat & horreat iustus Abraham & quiuis alius iustus? Gen. 15. 12. S. Aug.

Sanctus erat sanct. Chrysost. & in cap. 29. Matthæi, *Cùm mihi*, inquit, *dies iudicij in mentem venit, horror inuadit terribilis, & amarissimè flens, ex profundo corde ingemisco.* Ita ille. Sanctus etiam erat S. Ephrem Syrus, & in sermone de extremo Iudicio ait: *Corde tremo ob exactam discussionem, quæ tunc fiet.* Ita ille. Sanctus erat Sanctus Hieronym. & tamen dicebat: *Quoties diem Iudicij recolo, toties corde & corpore contremisco.* Sanctus quoque Sanct. Bernardus & tamen serm. 55. in Cantica dixit: *Prorsus horreo incidere in manus Dei viuentis.* Denique sanctissimus erat Apost. Paulus, & tamen 1. Cor. 9. dicebat: *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne, cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Quare sic tantùm timebat Apostolus Paulus? Nunquid in aliquo accusabat eum conscientia sua? nequaquam: *Nihil mihi conscius sum*, aiebat 1. Cor. 4. *sed non in hoc iustificatus sum: qui enim iudicat me, Dominus est*: quasi dicat, quis non timebit tam perspicacem Iudicem, qui in his qui nihil sibi mali conscij sunt, poteſt facilè reperire, vnde valeat illos condemnare? Si ergo adeo sancti viri iudicari à Deo reformidant, quid de nobis peccatoribus dicemus? & quidem talem horrorem habent Sancti modò, quando solùm considerant Iudicium. Depinxit peritus quidam artifex in tabella arborem pinum, ex qua naues fieri solent, artificio tanto, vt ventorum flatibus, hinc inde insurgentibus, concussa tremeret, & toto vertice nutabunda perstreperet, cùm hac subscriptione, *Quid erit in pelago?* hoc est, si pinus hæc ita quatitur, dum in fixo & firmo terræ consistit, quid erit cùm in formam maris redacta, super instabiles & fluxas ducetur vndas? ita modò sanctos viros extra iudicium existentes, sola iudicij consideratio sic concutit, sic terret; quid si Iudicium præsens subitò adesset? vel quid sentient peccatores, cùm Dominus ad iudicandum venerit? Chrysost. 1. Cor. 9. 27. 1. Cor. 4. 4. Simile.

In Psalm. 71. agit Dauid de aduentu Domini ad Iudicium, & huic psalmo hunc imposuit finem Dauid, *Defecerunt laudes Dauid*, sic constat ex originali Hebræo, id est, vt doctus quidam interpretatur, *Defecerunt orationes Dauid.* Cur ita? quia Iudicium Dei ita seuerum est ac districtum, vt nullus in eo precibus nostris, vel Sanctorum locus detur. Ecce igitur nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, nunc Christus Dominus manibus in cruce extensis peccatores vocat, & venientes ambobus recipit brachijs, nunc peccatores visi, tunc verò nec iustos, neque sanctos, neque Angelos pro eis orantes exaudiet. Ps. 71. 20.

1. Cor. 4. sic de se Apostol. Paulus: *Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die*, (hoc est, ab humano intellectu, vt exponit S. Thom.) *sed neque me ipsum iudico: nihil enim mihi conscius sum* (id est, nullius peccati mortalis conscientiam habeo, sic explicat Sanct. Thom.) *sed non in hoc iustificatus sum; qui autem iudicat me, Dominus est.* Cur, quæso, sanctissimus Apost. sic timet Iudicium Dei? ille, inquam, qui ad tertium cœlum raptus audiuit arcana Dei, quæ non licet homini loqui? ille, inquam, de quo Dominus: *vas electionis est mihi*, &c. Sanct. Gregor. 5. Mor. 23. exponens prædictã verba. 1. Cor. 4. 3. Thom. Act. 9. 15. S. Greg.

Hebr. 10. 31.

verba dicit; quasi dicat Apostolus: *Rectè egisse me recolo, attamen de meritis non præsumo, quia ad eius examen vita nostra ducitur, sub quo fortitudinis nostræ ossa turbantur.* Ita ille. Quòd si tantus Apostolus sic Dei iudicium timet, si fortis illa totius Ecclesiæ columna tremuit, quid leuis faciet arundo?

Ad Hebr. 10. *Horribile est incidere in manus Dei viuentis.* Itáne, incidere in manus illas, quæ propter nos homines & propter nostram salutem affixæ cruci fuerunt? Bernard. serm. 8 in Psal. *Qui habitat. Quid enim tam pauendum, quid tam plenum anxietatis, & vehementissimæ sollicitudinis excogitari potest, quàm iudicandum astare illi tam terribili tribunali, & incertam adhuc expectare sub tam districto iudice sententiam? ideo horrendum est, ait Apost. incidere in manus Dei viuentis.* ita S. Bernard. quasi dicat: In primo aduentu non venit iudicare, sed saluare; & ideo pium Saluatoris munus piè valde, & misericorditer exercuit; at in secundo aduentu, tanquam iustissimus & districtus Iudex aduenit, & sicut perfectum se exhibuit Saluatorem in primo aduentu; sic in secundo perfectissimus Iudex erit in iudicis munere ac ratione. Ideò horrendum erit incidere in manus tam recti Iudicis & Dei viuentis.

Vnde rectè subdit ibi S. Bernard. *Iudicemur interim fratres, & terribilem illam expectationem præsenti studeamus declinare iudicio: non enim iudicabit Deus bis in idipsum.* Ita ille. Consonat dictum illud Apostoli, *Si nos ipsos diudicaremus, non vtique iudicaremur.* Hoc dicit idem, qui dixit: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.*

Isai. 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum: labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans.* Locus est de Iudicio finali, vti ait S. Hieronym. Quis igitur non valde miretur talem ac tantam in Christo Domino indignationem? nónne ipse est de quo Baptista dixit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?* Quomodo igitur sic agnus mansuetus conuersus est in leonem ferocem? nónne tanquam suauis agnus ductus est pro nobis ad immolandum? quomodo igitur sic furens est contra nos? Nimirùm, quia in primo aduentu ad saluandum venit, tunc verò ad funera; ita Dominus diffimili habitu diuersis temporibus incedit; cùm ad saluandum è cœlis descendit, indutus mansuetudine venit; cùm transfigurari voluit, decorem indutus est; cùm verò ad iudicandum veniet, tanquam leo rugiens aduersùs pessimos & rebelles peccatores apparebit. O quàm horrendum erit incidere in manus Dei viuentis!

Psal. 2. 10. sic Dauid ad Reges terræ, sicut S. Hieron. interpretatur: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: seruite Domino in timore.* Quid? Reges mones seruire & timere? etenim Reges sunt quos reliqui timent, & quibus reliqui omnes seruiunt, etiam optimates, & capita populorum; & tu illis ais: *seruite, & timete?* Ita quidem, *seruite Domino in timore*, quia licèt Reges domini sint, non tamen sic absoluti vt illorum Dominus ille non sit, qui in vestimento scriptum habet, *Rex Regum & Dominus dominantium.* Quare meritò Dauid antequam diceret: *& nunc Reges intelligite* &c. præmisit verba illa omnipotentis Patris ad filium, *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*; eos scilicet tam Reges, quàm reliquos omnes. Sed quid est, *in virga ferrea confringes eos sicut vas figuli?* Cardinal. noster Bellarmin. *Hîc*, inquit, *significatur potestas Christi in nos summa & iustissima, vt possit tam facilè impios supplicijs afficere, quàm facilè potest figulus confringere lutea vasa; virga autem ferrea est Iudicium & inflexibile, cui resisti non potest.* Ita ille. Etenim, quantumuis homo Rex sit, erit Rex homo; quod si homo, vas erit luteum: ex luto enim factus est homo; iudicium autem Dei est virga ferrea, virga propter rectitudinem, ferrea propter inflexibilitatem: licet enim quis totius orbis fuerit Imperator, inuenit Iudicij Dei virgam inflexibilem, imò quia Rex tenetur eò amplius seruire Deo, quò maiori est ab eo dignitate & potestate condecoratus; si hoc non præstiterit, maiori dignus est pœnâ. Meritò ergo ait Dauid Regibus & ipse Rex: *seruite Domino in timore*; quia scilicet reget vos in virga ferrea & confringet vos sicut figuli vas. Sic S. Hieron. hîc, dicens: *Figulus Christus, vas figuli homo: sicut enim vas in manu figuli, sic vos in manu mea; confringetur autem in die iudicij in ignem.* ita S. Hieron. in die quippe iudicij aderit coram Domino Alexander Magnus, ille, inquam, à cuius facie conticuit terra, velut inualidus lepusculus coram leone feroci, timens & toto corde tremens: nam hîc ille fuit Rex, ibi autem non Rex, sed reus.

Prop. VII. *Cùm quanta maiestate Christus veniet ad Iudicium.*

SAnctus Chrysost. hom. 35. ad pop. *Describe, obsecro, quæ maiestatis sunt apud terrenum regem, vitos scilicet auro micantes, vehicula gemmis ornata, stratum niueum & bracteas, vehicula circumsonantes, & dracones in vestibus effictos, & clypeos aureis vmbonibus coruscantes, & his lora per multas gemmas à superioribus curuaturis extenta, & equos auro comptos, & aurea frena: sed cùm iam regem videremus, nihil iam horum aspicimus: ille namque solus nos in se conuertit, purpureaq; vestimenta, & diadema, & solium, & baltheus, & calceamenta, magnus oculorum fulgor. Sed nunc ad superiora mentem transmitte, & ad tremendam diem illam, quâ veniet Christus: non enim tunc videbis, equos auro comptos, neque aureos currus, neque dracones & scuta, sed quæ multo plena sunt horrore, & solùm inferunt stuporem, vt & virtutes ipsæ cœlestes consternandæ sint. An enim Christus: Virtutes cœlorum mouebuntur: tunc enim cœlum totum aperitur, & orbium illorum fores referantur: descendi autem vnigenitus Dei Filius, non viginti, nec centum virûs ministrantibus, vt reges solent, sed millium millibus Angelorum, Archangelorum, Cherubim & Seraphim, & virtutum aliarum & omnia erunt timore & tremore plena. Hi ante terram & ascendentibus ex illa hominibus quicumque fuerint, ex quo factus est Adam, & omnibus, in aëra rapiendis cum Christo, tanta apparente gloria, quòd & sol, & luna, & omne lumen abscondetur ab illo splendore perlustratum.* Ita S. Chrysostomus. *Chrysost.*

Prop. VIII. *Quàm horrendum sit incidere in manus Dei viuentis, & iudicantis.*

SAnctus Innocent. Pap. III. illud Psal. 142. *Timendum est coram te causam agere criminalem Domine, quia, cùm sis potentissimus, manus tuas nemo potest effugere, cùm sis sapientissimus, oculos tuos nihil potest latere, cùm sis iustissimus, animum tuum nemo potest corrumpere, coram quo accusatrix est conscientia, rea mors, aduocatrix ratio, testis memoria, & tu Iudex potens, & sapiens.* Ita ille. Vbi breuiter causas, quare sit horrendum incidere in manus Dei viuentis, tetigit Innocentius, quæ amplificandæ sunt. *Inno. III.*

De lupo asserit Phisiologus, esse illum adeo indomabilem, & collo inflexibilem, vt nunquam ad dexteram, neque ad sinistram partem flectat, nisi tantùm cùm tonitu audit, quo perterritus, collum facilè submittit. De viro superbo sic Eliphaz, Iob 1. *Cucurrit aduersùs eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est.* Vbi S. Thom. per pinguedinem, abundantiam diuitiarum, & bonorum temporalium interpretatur. Hac igitur pinguedine armatus superbus, currit aduersùs Deum erecto collo, absque timore eius, transgrediendo mandata Ecce lupum erecto collo: sicut autem lupus tonitruo humiliat collum, sic etiam lupus tonitruo diuini Iudicij elationem deponit, quia ibi animaduertit, potentes potenter puniendos, & nullam esse potentiam contra omnipotentiam Dei, &c. *Phisiologus.* *Iob 15 26* *Thom.*

S. Chrysostom. homil. 22. ad pop. *Cogita, quòd nos hinc* *Chrysost.*

hinc ad infallibilem Iudicem migrare oportet, vbi non tantùm actiones, verùm & verba cogitata iudicantur, vbi terribiles pœnas, etiam eorum, quæ videntur esse parua, dabimus. Considera hunc quidem de intempestiuo risu iudicari, hunc verò quòd proximum affecit inuriuâ, vel fratrem scandalizauerit, hunc quidem de otioso verbo pœnas exigi, hunc verò de mala sententia iudicium subire, hunc autem propter coniuium de regno excludi, quemdam propter seruatam iram intolerabilia patientem. Considera hos quidem veluti vinctos aniaa colligari, & in clibanum mitti, alios manibus & pedibus vinctos injcii in tenebras exteriores. Ita Sanct. Chrysost.

Quàm timendum, horrendumque sit Iudicium futurum, ex timore Sanctorum deduci potest. Sanctissimus Ecclesiæ Græcæ Doctor fuit Sanctus Chrysostomus, qui tamen homil. 27. ad popul. *Heu mihi*, ait, *ab illa die tremenda horror quidam subrepit, & amarè gemo, & ex profundissimo corde suspiro.* Ita ille.

S. Chrysostomus

Idem Sanct. Chrysostom. oratione de Anima tom. 5. *Sicut qui in carcere sunt, semper in anxietate versantur, sed maximè eo die, quo educendi sunt : tunc enim metu suffocantur, & nihilo meliori spiritu sunt, quàm mortui; sic & anima in ipso quidem peccati tempore maximè anxiatur, sed multò magis quando hinc auulsa, ad rationes illic reddendas, & ad terribile iudicium illud adduci debet. Propterea sæpè refugit, & intro recedit, metuit, & horrescit, cùm è carcere euolatura est : tunc enim, si rapuit, si iniustè quispiam inimicus fuit, siue quid aliud impræsum fecit, vniuersa peccata renouantur, & oculis sese offert, & stat acerbus conscientiæ accusator.* Ita S. Chrysost.

S. Chrysostomus

Chrysost. Psal. 6. 2.

Idem Sanct. Chrysostom. lib. 2. de Compunct. cordis, Psalm. 6. *Domine*, inquit, Dauid, *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me : non propter peccatum, quod ei acciderat, hæc scribit : neque enim hoc permittit sic intelligi ipsa Psalmi articulatio : huius enim culpæ satisfactionem alius continet Psalmus. Huius autem Psalmi superscriptio est*, Pro octaua : *quæ est autem octaua, nisi illa dies Domini magna, & terribilis, quæ est, vt clibanus ardens, quam tremunt etiam virtutes cœlestes? Ita enim scriptum est* : Virtutes cœlorum mouebuntur : in conspectu enim eius ardebit ignis. *Octauam verò appellauit propter commutationem sæculi eius, ostendensque in futura vita innouationem fore. Præsens namque tempus septimanam habet deputatam : omnis enim præsentis temporis cursus à prima quidem incipit die, & terminatur in septimam, & rursus ijsdem circulis spatia præstita voluuntur eidem reddita initio, & in eosdem terminos reuoluta. Dominicam verò diem, non octauam appellamus, sed primam, quia non potest in octauum numerum reuolui circulus septimanæ : cessante igitur temporum cursu, octaua producitur in medium. Propheta ergo huius octauæ diei, scilicet Iudicij, memoriam retinens, & illam semper in oculis habens; nunquam à tribulatione animi, & cordis compunctione vacabat, quoniam quæ nos vix aliquando, & satis rarò ad memoriam reuocamus, illius mens, & cogitatio semper intra se habebat, & Dei iudicia totis sensibus intremebat. Ob hoc igitur ait* : Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, *iram dicens & furorem pœnæ continuationem, & quidem cùm in multis conscius sibi esset, ex quibus non pœnam sperare debebat, sed coronam. Ille enim erat, de quo Dominus dixit* : Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas, & hic est, qui, ac si esset reus, & pœnæ obnoxius, ait* : Domine ne in furore tuo, &c. *Orabat publicanus* : Deus propitius esto mihi peccatori. *Ita peccatorem orare non est magnum; iustum verò qui sibi multorum est conscius bonorum, hoc est mirabile, imò verò & amplius adhuc in humilitate iusti, quàm in confessione publicani. Publicanus enim ait*: Deus propitius esto mihi peccatori. *Qui sermo videtur esse, quasi pœnam volentis effugere: Quòd autem dicit iustus* : Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me ; *non est nolentis argui, neque recusantis corripi, sed orantis ne in ira, id est, vehementer arguatur, neque in furore, quod est, absque venia corripiatur. Vnde subdit* : Miserere mei Domine; quoniam infirmus sum ; *misericordiam petit, vt aliquantulum leuius puniatur, non quasi qui reuelari mereatur, sed quasi qui deficiat in tormentis, & ferre plura non possit, ideo ait, quoniam infirmus sum. Quid est hoc? iste, qui tale à Deo testimonium meruit, & qui iudicia eius non est oblitus : sic enim ait*, Iudicia tua non sum oblitus, *ille, inquam, qui solis splendore lucidior est, huiusmodi verba proloquutus est. Ego tamen censeo de alia eum infirmitate nunc loqui, de illa scilicet, quæ ex tristitia, & mœrore venit : solet enim mœror nimius, si pertinacius incubuerit, consumere vires animi. quod existimo accidisse isto huic : ait enim*: Quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valde. *Quid si is qui tantorum bonorum sibi conscius erat, deprecatur Dominum, vt non sic intret cum eo in iudicium; quid faciemus nos, qui tot malis inuoluti sumus, & bonorum nobis operum nulla fiducia est, quibusque cùm abundent delicta, nulla satisfactio est, nulla confessio. Ob hoc igitur beatus hic tali vtitur confessione : sciebat enim quòd vix iustus saluus fiet, propterea dicebat* : Miserere mei Domine, quoniam ego infirmus sum, *iusta operatur, & timet, ac tremit.*

Matt. 24. 29.

Psal. 6. 2.

Psal. 6. 3.

Psal. 6. 4.

Ibid. v. 3.

Et vis scire quantus in eo sit timor diuini iudicij, audi quid dicat : Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Sciebat enim quia ea peccata, & ea de quibus non suspicamur, deducentur ad iudicium.

Psal. 129. 3.

Vnde Paulus dicebat : Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. *Cur autem hoc? quia si nihil mali operis gessit, sicut certè nec egit, sed honoris quantum deferre debuit Deo, scit à se non esse delatum.* Ita Sanct. Chrysostom.

1. Cor. 4.

Prop. IX. *Quàm horrendum sit Iudicium ex parte Iudicis.*

In causis criminalibus ille maximè à reis timetur iudex, qui sapientiâ, & potentiâ magnâ, & iustitiâ summâ pollet : tunc enim nec vi effugere valet. Deus Iudex ergo diuinus, & infinitè sapiens, & omnipotens est, & iustus per essentiam, *sapientissimo es, nada se le puede encubrir, por muy occulto que sea, no ay en su profencia pensamiento embocado, que descubre los pensamientos en lo intimo de los pechos Angelicos*, & in Angelis suis reperit prauitatem. 4. Iob cap. 4. *En el coraçon de la nieue descubre manchas, es tan poderoso, que no ay de su tribunal appellation para otro, ni de su sentencia ay supplicacion alguna, no ay juez, que pueda inhibirle, ni decirle, cur ita facis? no ay mil y quinientos en sus sentencias, y su vista es reuista para siempre jamas, al fin tal que ninguno se la hizo que no se la papasse, iusto que ni puede ser sobornado, ni tiene en su casa puerta falsa para coechos, con el ni amistad ni parentesco, ni respecto humano, halla entrada para torçer la vara, al fin*, non est acceptor personarum Deus, Actor. 10. *sola verdad, iusticia, y razon valen con el.*

Rom. 13.

Rom. 13. *Vis non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa : si autem malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat.* Expendamus hæc verba vltima, *gladium portat*, iudices nostri, non gladium, sed virgam portant; dicere igitur debuisset, non sine causa virgam portat: hæc enim est iudicis insigne: cur igitur, non virgam, sed gladium, inquit, portat? Nimirum, quia virga rectitudine sua rectitudinem iustitiæ designat in iudice, hæc autem rectitudo est, quam maximè timere debet reus: parum enim ei nocere posset iudicis gladius, si rectitudinem iudex non seruaret; rectitudinem autem seruando, punietur pro meritis reus. Hinc igitur constat, quàm timendus, quàmque horribilis futurus sit Christus in Iudicio, cùm virga eius, virga prorsus rectitudinis sit, virga æquitatis, virga rectissima, quæ flecti nullo modo potest. Regit enim iudicando in virga ferrea, & tanquam vasa figuli confringet eos. Psalmo 95. *Iudicabit* (inquit) *orbem terræ in æquitate,*

Psal. 95. 13.

æquitate, & populos in veritate sua. Tantam hanc æquitatem, tantam veritatem adeo timebunt impij, vt propter hanc etiam montibus dicent: *Cadite super nos*, &c.

S. Bern epist. 1. *Veniet profectò, qui per prophetam minatur, dicens: Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. quid faciet de iniustis iudicijs, qui ipsas quoque iustitias iudicabit? Veniet, inquam, veniet dies iudicij, vbi plus valebunt pura corda, quàm astuta verba, & conscientia bona, quàm maxime plena, quandoquidem Iudex ille nec verbis falletur, nec donis flectetur.* Ita ille. Integerrimus est Iudex iste diuinus, sola æquitas & virtus nostra nos apud eum iustificabit, non generis splendor, non sapientiæ decus, non bellis victoria & gloria, non imperij celsitudo, non precum instantia, non sanctorum, & Angelorum intercessio, sed vitæ sanctitas, innocentia cordis, seu vera, & legitima pœnitentia.

PROP. X. *Iudicium finale horrendum est ex parte iræ Dei.*

EZechielis 41. inter ea quæ Dominus ostendit Ezechieli in templo. *Fabricata* (inquit) *Cherubim, & palmæ erant, palma inter Cherub, & Cherub, duasque facies habebat Cherub. Faciem hominis iuxta palmam ex alia parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte, expressam per omnem domum in circuitu.* Quid hic per Cherubim significatur? Cherub plenitudinem scientiæ importat, Christus autem est in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, vti ait Apostolus: denique ipse Dei sapientia est, atque adeo ipse est, qui nouit secreta cordium, & nihil eum latet. Duas facies habet, alteram hominis, humanam scilicet & piam, alteram verò leoninam, fortem atque terribilem, vtraque facie palmam (inquit) respicientem vidit. palma quidem iustitiam significare in litteris diuinis solet, vti ait Hesychius super cap. 23. Leuit. respicit Christus iustitiam, & humano vultu, & leonino, humano quidem in hac vita, quâ tempus miserendi est, æquitatem profectò videt vultus eius, etiam in hac vita, sed misericordiæ locum præstat, & humanè ac benignè vindictam hîc sumit de peccatis nostris; at vbi venerit plenitudo temporis vitæ nostræ, & ad Iudicium vocati fuerimus, ex tunc ira eius, ex tunc vultus eius leonis respiciens palmam, & prospiciens seuerè iustitiam.

Hinc intelligere licet, qua ratione Dauid aliquando aspectum Domini postularet, aliquando verò auersionem talis aspectus: in psalmo enim 50. *Ne proijcias me* (inquit) *à facie tua*, & rursum ibi: *Auerte faciem tuam à peccatis meis*, etenim & peccata ab eo videri & non videri volebat; volebat quidem, sed humana facie; nolebat autem, leonina, respici volebat à Deo peccata, vt remitterentur, nolebat, vt punirentur. *Sanctum,* (inquit) *& terribile nomen eius*, sanctum in hac vita, & terribile in alia. Vis igitur, frater, hominis aspectu, & non leonino à Deo videri, in hac vita sic ab eo conspici cura; respiciet autem hoc pacto, si egeris pœnitentiam, & fideliter eius mandata seruaueris, sic te humano vultu hîc, & ibi respiciet, & non leonis, *ad penitente recibe con misericordia, mira con amor, premia con liberalidad eterna.*

Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum potestate magna. Hæc potestas magna non solùm denotat omnipotentiam Iudicis, sed etiam seueritatem quandam, iram eximiam præseferentem. Quanta verò hæc futura sit, nisi cùm viderimus, non intelligemus. Vnde Dauid: *Quis nouit potestatem iræ tuæ?* Ecce potestatem, cum qua veniet Iudex, *potestatem iræ*, ait, & hanc quis nouit (inquit) quis talem ac tantam de mansuetissimo illo Agno imaginari potuisset? *& præ timore tuo iram tuam denumerare.* Gradus intensionis iræ Dei tot sunt, vt Arithmeticos numeros nostros excedat. Hoc solùm nouimus, quòd Iudicij dies diuinæ iræ dicatus sit, in creatione rerum omnipotentiam Creatoris cognoscimus, qui potuit ex nihilo aliquid, imò tot tantaque facere; in rerum ordinatione ac dispositione sapientiam nouimus conditoris, qui mirabili artificio ordinat regitque cuncta sapientiâ suâ attingit, à fine vsque in finem fortiter, disponit omnia suauiter; in iustificatione peccatorum, & remissione delictorum misericordia Dei manifestatur: cùm enim nulla sit miseria maior peccato, nulla maior misericordia, quàm cuiuis peccatori pœnitenti concedere remissionem, etiamsi peccator sit debitor decem millium talentorum; charitas verò Dei erga nos in redemptionem nostram per Christum patet. *Ste Deus dilexit mundum, vt filium suum nobis vnigenitum daret.* Iustitia verò Dei & ira eius in supplicijs, & grauissimis pœnis, quibus de peccatoribus vindictam sumpsit, videre licet, vt in Adæ sententia, quâ ipsum & omnes posteros eius in finem vsque mundi exequendâ, dânauit, capitali scilicet pœnâ & ærumnis grauissimis copulata, & etiam patuit in diluuio, & in Dathan, Abiron, & Core, & in Sodomæ ac Gomorrhæ subuersione, &c. at vbi exactiùs & his altiùs hæc Dei iustitia manifestanda est, Iudicium hoc extremum est. Tunc quidem videbunt filium hominis in potestate iræ suæ: vnde, *Tu terribilis es, & quis resistet tibi ex tunc ira tua.* hîc de diuino iudicio loquitur Propheta, vti adnotauit Cassiodorus, & etiam S. Augustus. Quid est, *ex tunc ira tua, esse tunc hæc Eua, at tunc del Euangelio*, ait Euangelista, *tunc videbunt*, &c. alludit Propheta, & ait, ex tunc, quando videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum potestate & maiestate, ex illo *tunc* ira tua incipiet, quasi dicat: sæpe Deus iræ ac iustitiæ specimen dedit, sed in tantum seipsum Deus tunc excedet, (caueo interim de passione Christi) vt dicere valeamus: *ex tunc ira tua*, quasi vsque tunc non ostenderit Deus irâ: cetera enim signa iræ Dei, iræ Iudicij comparata, quasi non sint, sic sunt coram eâ.

PROP. XI. *Quàm horrendum sit Iudicium finale ex sapientia iudicantis.*

APoc. 19. sic Apostolus Ioannes: *Vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis, & verax, & cum iustitia iudicat, & pugnat: oculi autem eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse, & vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen eius Verbum Dei, & de ore eius prodibat gladius ex vtraque parte acutus.* Mira visio, & mirabilis est is, qui videtur hîc, & ne suspensos nos teneret dubitatio nominis eius, *Vocabatur* (inquit) *Verbum Dei.* Verbum ergo Dei seu Filius Dei hîc apparuit Ioanni, & quamuis non de aduentu ad Iudicium, sed ad vindicandos Sanctos suos tempore Antichristi, aliqui locum hunc intelligendum esse dicant; eandem tamen formam hîc Christus Dominus præ se fert, quâ veniet ad Iudicium. Equus albus humanitatem sanctissimam Christi, albam propter omnimodam innocentiam, designat, talis enim decebat, vt esset omnium Iudex, innocens, & segregatus à peccatoribus. Vocatur *fidelis, & verax*, quia quæ promisit, & dixit se facturum tanquàm iustis, quàm iniustis, infallibiliter ad impiebit. Quid autem est, quòd in capite suo portat diademata multa, cùm vnico capiti vnicum sufficiat diadema? nimirum, quia non solùm caput suum, sed etiam capita suorum coronari decreuit: regnabimus enim cum Christo in æternum. Rex apud nos tantùm coronam sibi imponit, & minimè aliis, quantumuis familiaribus, coronam confert, solus ipse regnare gestiens, & reliquos omnes sibi solummodo famulari; Deus autem vult nos regnare in æternum: *Et regnabunt* (inquit Ioannes.) *in sæcula sæculorum*, &: *Vidi viginti quatuor seniores habentes in capiti-*

capitibus suis coronas aureas. In his viginti quatuor vniuersitas Sanctorum designatur: bonus ergo Dominus qui sic seruos suos secum regnare vult. Quis non tali ac tanto Domino pro tali, ac tanto regno libenter obediet, ac deseruiet? ideò igitur, non vnam sibi, sed plures etiam alijs coronas habet, illas autem in capite suo gerebat, quia coronæ nostræ caput Christi pariter coronant, quia pro meritis eius nobis huiusmodi coronæ donantur, iuxta id quod dictum fuit eidem Apostolo Ioanni de Beatis: *Dealbauerunt stolas suas in sanguine agni*, hoc est, si pulchræ, si miræ, si dealbatæ sunt vestes gloriosæ beatorum, id sanguini Agni Dei debetur, qui hoc primò promeruit sanguine suo: sicque coronæ beatorum meritis Christi attribuendæ primò sunt. Prætera, gladium ex vtraque parte acutum in ore habebat, quia ore suo proferet sententiam aduersùs peccatores, quæ, velut gladius acutus, penetrabit corda reproborum. Dicitur autem ex vtraque parte acutus, quia non solùm animas, sed etiam corpora penetrabit, & damnabit.

Apoc. 7. 14.

Denique, *Oculi* (inquit) *eius sicut flamma ignis*, quia ad iudicandum nos non eget lumine alieno seu extrinseco, sicut iudices nostri, sed à se & ab intrinseco, sufficiens, & infinitum lumen habet: Deus enim est, quod Propheta regius dixisse mihi videtur, *Iudicabit*, (inquit) *orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.* Quid est, *in veritate sua?* dicam: iudices nostri, non in veritate sua iudicant, sed in veritate aliorum, testium scilicet, & accusantium, & denuntiantium: iudicant enim secundùm allegata, & probata. Vnde sæpe rei, etsi digni quouis supplicio, & quauis morte sint, liberantur, negantes veritatem, testes falsos in sui fauorem adducentes: at in diuino Iudicio non iudicat Christus in veritate aliorum, sed in veritate sua, ipse iudex, & testis, ipse habet oculos flammigeros, non quærit ab alijs lumen, habet scientiam infinitam, nouit abscondita tenebrarum, &c. *Dirà el reo: Sennor en mi verdad, que non hize tal, que ne me acuerdo; dirà Christo, en mi verdad que si, yo me acuerdo, iudicabit populos in veritate sua.* Quid formidabilius reis? *nadie le podia echar dado falso, ni cochechar testigos.* Ierem. 1. *Quid tu vides Ieremia?* dixit Dominus ad ipsum, cui Propheta: *virgam vigilantem ego video, vna vara con ojos.* Virgam oculatam quis non miretur? *vara con orejas bien, però vara con ojos?* Virgam hanc, virgam diuinæ iustitiæ esse, quis dubitat? ex ipso enim contextu Prophetæ constat sermonem esse de virga diuinæ iustitiæ, & nos virgas iustitiæ vocamus iudices nostros: & hoc igitur discrimen reperies, inter virgas iustitiæ humanæ, & diuinæ, quòd virga humanæ iustitiæ aures habet, non tamen oculos, quia Iudices humani iudicant secundùm allegata, & probata, non secundùm ea, quæ vident, sed quæ audiunt ab alijs. cùm enim reum aliquem capere volunt, denuntiatio, seu accusatio alicuius præcedit, cùmque causam eius discutiunt, testes vocant, testes adhibent, & iuxta eorum testimonia, & dicta proferunt sententiam: sic virga humanæ iustitiæ non oculata, sed auriculata est. at virga diuinæ iustitiæ oculos habet, quia secundùm ea, quæ Iudex videt, iudicat, & discernit.

Ps. 95. 10.

Ver. 11.

Expendamus ampliùs locum illum, *Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.* Pondera, *in veritate sua*; quo igitur pacto iudicabit in veritate sua? primò quia non iudicabit in veritate nostra: vocabit te in iudicium, & quæret à te, cur hoc, & hoc feceris? dices tu fortè, in veritate mea, non censebam me in hoc errasse: at diceret Deus: Ego non iudico in veritate tua, sed in veritate mea, tu mendax es, & ignorantia vincibili, & crassa in hoc, vel illo casu peccasti: in veritate autem mea dignus es æterno supplicio. hoc igitur ait Dauid: *Iudicabit populos in veritate.*

Secundò, quia non iudicabit in veritate testium, aut fiscalium, vti Iudices nostri faciunt, sed secundùm veritatem suam, quam ipse habet ex certa, & propria scientia, & sapientia sua: nam, vti ait ipse Ierem. 29. *Ego sum testis & iudex*, non eget Deus testibus, nec accusatoribus, ipse testis oculatus est semper.

Ver. 23.

Neque prætendere quis potest effugium aliquod, quo effugere valeat oculos eius: nam cuncta eius oculis vbique patent. Prouerb. 15. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Pondera verbum *contemplantur*: contemplari enim supra visionem & simplicem apprehensionem quandam intimam, addit & profundam cognitionem, quæ ad interiora rei pertingit: sic oculus Dei vsque ad interiora velaminis, & occultas intuetur cordis intentiones, quas homo minimè discernit, & motus subtiles animi, quos ipse homo non attingit, manifestissimè penetrat Deus. *Domine, probasti me, & cognouisti me, tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam.* Parum est hoc, *intellexisti cogitationes meas de longè Sennor, aun no me hauia apasado el pensamiento, por al pensamiento, quando vos decidaes y a esto y alçabo de lo que pienssas, y aun de lo quehas de pensar despues.*

Ps. 138.

Stulta prorsus locutio cuiusdam perditi hominis, Eccles. 23. dicentis: *Quis me videt, tenebræ circumdant me, &: & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me, quem vereor?* equidem huic dicerem ego: si nemo alius, tu ipsum vides, te igitur verearis; tu magnum theatrum tibi. Vox dignior ista erat illâ Senecæ. Etiamsi me nullus hominum nosceret, & Deus ignosceret, non peccarē. Sed cùm sic inanimis, & perditus sis, vt ipse peccati malitiam non timeas, nec teipsum reuereari, nec verearis, expecta & verba tua expendamus: quis te videt? ille quidem qui omnia videt. Eduxit Cain fratrem suum Abel foras in agrum, circumspexit, & neminem testem videns, irruit in fratrem, & occidit eum, & dissimulans nefas, in domum patris reuersus, nil de fratre locutus est ad patrem, effugit parentes scelus illud, nunquid effugit Deum? absit, vocauit Dominus Cainum, & ait: *Vbi est Abel frater tuus?* cui Cain: *Nescio, nunquid custos fratris mei ego sum?* quid agis Cain? Ita, itáne Deum latuisse peccatum tuum censes? *Vox* (inquit Dominus) *fratris tui clamat ad me terra, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Vide iam, an dicere tu possis: *nemo me videt*; vidit Dominus, imò sanguis, qui ad ima terræ occultandus descendit, clamat ad Dominum, & tuum illi manifestat delictum; cur igitur peccator dicere ausus es: nemo circumspicit me, tenebræ cooperiunt me? Duo hîc dicit, vtrumque plusquam falsum, plusquam ineptum: primum est, *tenebræ circumdant me*, hoc est, committam delicta mea in nocte, ibi tenebræ me abscondent ab oculis Dei. Rectiùs ille in eodem Psal. 138. in persona peccatoris, dicens: *Dixi: forsitan tenebræ conculcabunt me, & respondit, quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur*, hoc est, *para Dios no ay tenieblas, para quien la media noche es medio dia, y trahe llamas en los ojos.* Similiter Apoc. 1. vidit Ioannes Christum Dominum, tanquam Iudicem nostrum, gladium in ore gestantem, & oculi eius erant tanquam flamma ignis. quid sibi vult gladius ille in ore? quis vnquam in ore gladium gestauit? fortè innuere nobis voluit pietatem Christi, qui minis nos ad se trahere curat, qui vulnus minatur, gladium in ore portat, & quia Christus Dominus sæpe minatur nobis damnationem æternam, dicens in corde nostro, vel ore ministrorum suorum: *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit*, &c. ideo in ore gladium dicitur portare; in die autem iudicij, ab ore in manum transferet gladium suum. vel ideo in ore gladium portat, quia ore suo prolaturus est sententiam illam: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Flamma verò

Ps. 7. 13.

Matt. 25. 41.

ma verò in oculis quid importat? sapientiam quidem Dei, quam ipse secum fert, vt videat cuncta, etiam in medio tenebrarum, videat cuncta, quæ geruntur, vel etiam cogitantur, &c.

Præterea, *parietes* (inquit) *cooperiunt me*, quasi non haberet Christus Dominus lynceos oculos, quibus parietes penetret. Consulito caput 8. Ezechielis, vbi peccatores plures populi Israel se intra parietes receperant, vt idolis contra Dei honorem secretiùs immolarent: at Deus Ezechieli præcepit, vt foderet parietem, & ingrediens templum, impietates illas intueretur. obstaréntne igitur parietes visui diuino? quare meritò subdit Ecclesiasticus ibidem: *Non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, & quoniam multò plus lucidiores sunt super solem*, nimirum quia sol non penetrat densitatem parietum, visui verò Dei, neque parietes, neque montes obstant: pertingit enim vsque ad intima inferiorum. Hic ergo est, qui iudicat nos, qui scilicet omnia nouit, omnia intuetur, quem nulla cogitatio, quantumuis secretissima, latet, quis ergo non pauebit iudicium Dei iudicantis? Pauebat Paulus Apostolus Deum Iudicem sic cuncta scientem, & dicebat: *Nihil mali mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui enim iudicat me, Dominus est*, 1.Cor.4. hoc est, *no me acusa mi consciencia de peccado, a lo menos graue, que haia comettido contra Dios, despues que me conuertiò Iesu Christo, però no por eso me tengo por iustificado, porque tengo por juez à Dios, que tiene mas larga vista que yo, para los retretes, y secretos de mi coraçon, y sabe mas de mi que yo se de mi mesmo*: quis enim nouit occultam intentionem sui cordis? non (inquam) alterius cordis sed sui? Sic interpretantur hunc locum Sanctus Ambrosius, & Sanctus Chrysostomus ibidem, & S. Hieronymus dialog. 2. contra Pelag. & S. Basil. libr. constitut. monastic. cap. 2. vbi, *Cùm* (inquit) *multis in rebus offendamus Deum, maiorem tamen offensarum partem nec intelligimus quidem, idcirco Apostolus dicebat:* Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. *quod idem est, ac si diceret: multa delicta committo, quæ committere me non intelligo, propter hanc causam cùm Propheta ait:* Delicta quis intelligit? Ita S. Basilius: Cùm pictor aliquis effigiem aliquam depinxit, eam inspectandam cunctis publicè apponit: accedunt multi de media plebe, qui artis inscij sunt, horum iudicium, & examen non timet artifex ille, quia discernere occultos, vel imperceptibiles defectus nesciunt. accedat tamen pictor aliquis insignis, & videbis pictorem imaginis illius timentem, & pauentem: ille enim recondita nosci te artis, & occultos, & vix perceptibiles defectus penetrat, & artificem accusat, & conuincit. Sic igitur Apostolus Paulus, qui circumspectissimè vitam suam peragebat, *Mihi* (inquit Corinthijs) *pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die*, hoc est, ab humano alio Iudicio. Ita interpretatur S. Hieronymus ad Algasiam in quæst. 10. reis enim indicitur dies, & cùm citantur ad iudicij, timent; quid igitur timet Apostolus? nunquid aliquid, quod ipse solus de se nouit? minimè prorsus, sed *neque me ipsum iudico*, (inquit) *nihil enim mihi conscius sum*; ergo nihil tibi timendum restat, *Non*, inquit, *in hoc iustificatus sum*, cur ita? *qui enim iudicat me, Dominus est.*

Consonat valde locus ille Psalm. 41. *Abyssus abyssum inuocat, in voce cataractarum tuarum.* Quærit Sanct. Augustinus hoc in loco abyssi & abyssi huius rationem: *Quæ abyssus*, inquit, *quam abyssum inuocat? abyssus est profunditas quædam impenetrabilis, & incomprehensibilis, & maximè solet dici aquarum multitudo: ibi enim altitudo, ibi profunditas, quæ penetrari vsque ad fundum non potest. Denique dictum est:* Iudicia tua abyssus multa: *hoc volens Scriptura commendare, quia iudicia Dei non comprehenduntur. Quæ ergo abyssus, quam inuocat abyssum? Si abyssus est profunditas, recte censemus, quòd cor hominis abyssus est: quid enim est profundius hac abysso? loqui homines possunt, videri homines possunt, audiri homines possunt, sed cuius cogitatio penetratur? cuius cor inspicitur? Quid intus gerat, quid intus disponat, quid intus velit, quid intus nolit, quis comprehendet? Censeo, non absurdè intelligi abyssum hominem, de quo alibi dictum est:* Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.

Vnde Apostolus: *Mihi autem minimum est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Quanta autem abyssus sit, audi amplius*: neque enim me ipsum iudico. *tantáne profunditas est in ipso homine, vt lateat ipsum hominem in quo est? Quanta profunditas infirmitatis latebat in Petro, quando quid ageretur intus, nesciebat, & se moriturum cum Domino, vel pro Domino promittebat, quæ tamen abyssus nuda erat oculis Dei: nam hoc illi Christus prænunciabat, quod in se ipso ignorabat. Ergo omuis homo, licèt iustus, licèt sanctus, licèt multùm proficiens, abyssus est, & abyssum inuocat.* Ita S. Augustinus, qui postea abyssum esse diuinum Iudicium affirmat, & damnationem illam æternam: nam iudicia Dei abyssus multa. sensus ergo est: abyssus ista profunditatis cordis humani, inuocat, hoc est, requirit profunditatem diuini iudicij: Deus enim solus est, qui rectè, ac competenter iudicare possit de abysso cordis nostri, ita vt nec ipsemet homo rectus iudex sui cordis esse valeat; Deus autem abysso profunda suæ sapientiæ infinitæ attingit fundum abyssi cordis nostri. vnde etiam Ierem. cap. 17. *Prauum est cor hominis.* Septuaginta: *profundum enim cor hominis*; Hebræi cum originali: *fraudulentum enim cor hominis* ita quidem, & adeo, vt ipsummet hominem, in quo ipsum residet cor, facilè decipiat, vt scilicet bona intentione id appetere, id velle, id facere censeat, quod iniquo animo vult, & facit.

Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum: labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans. Cùm Scriptura sacra aliquid valde notandum & considerandum adducit, solet præmittere hoc verbum, *Ecce*: *Ecce Virgo concipiet, Ecce Magi ab Oriente venerunt, Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix*: est enim eximium quid incarnatio Verbi, notabile etiam aduentus Magorum ad Christum, & adoratio eorum, & mirabilis conuersio Magdalenæ. Sic, cùm prorsus admirandus & stupendus sit aduentus hic, incipit Propheta, dicès: *Ecce nomen Domini*, id est, virtus & potentia Dei venit de longinquo, omnipotens nomen eius: hic omnipotens in die Iudicij veniet de longinquo? nunquid non vbique præsens Deus est? quomodo igitur ait, eum de longinquo venire? Longè dicimus Deum abesse, quando elongat fauorem suum à nobis, & sic ait Sanctus Ambrosius, longè esse Christum à malis. Venit igitur ad malos in iudicio à longè, quia in nullo illis fauere intendit. *este es vn lexos de du fauor y de indignacion cõtra los malos.* Subdit: *ardens furor eius.* depingit iram Iudicis sub specie hominis iracundi, in cuius facie apparet ardens quidam rubeus color, & ex oculis eius videntur scintillæ ignis prodire, videntes prouocans ad terrorem. *& grauis, inquit, ad portandum.* Pagninus legit, *& grauitas oneris ad portandum, viene con vn furor, que pese mucho, o per mejor decir, es el mesmo peso.* Hinc Isaias sub nomine & figura Moab (agens de mundo: congruit enim mundo nomen Moab) *Triturabitur*, inquit, *Moab sub eo, sicut triturantur paleæ in plaustro*, sub eo, hoc est, sub Deo, cuius furor aît Isaias, *grauis est ad portandum. no ay hombros ni hombres que pueden sufrir y lleuar el peso de Dios airado.* triturabitur ibi Moab, id est, cõgregatio peccatorum sub Deo irato. Metaphora sumpta ab agricultura: cùm enim segetes in area triturantur, tantò magis sub plaustro paleæ triturantur & conteruntur, quantò is, qui super tribulum est, grauior & ponderosior est: onus autē Domini irati immensum est, infinitum est. Vide igitur quàm contriti & comminuti peccatores sub tāto onere triturati, remanebūt. Introducit Seneca actione pri-

ma Hercule furente, Iunonem deam iratam in Herculem, & in eius fortitudinem ac vires, quòd valuerit scilicet Hercules super humeros suos orbem vniuersum portare, cùm ipsa Iuno pedibus super orbem staret,

Immota cervix fidera & cœlum tulit & me prementem, &c.

Quasi dicat: vndénam tanta Herculi potentia, vt me, orbem pedibus prementem, super humeros suos ferre possit? sed hoc non mirum: nam deitas Iunonis, fortitudo Herculis fictitiæ sunt, fictio autem ad libitum fingentis est, *es pintar como quierre:* at Dei fortitudo & pondus grauitatis suæ infinitum quid est verè. quis igitur Deum irà suâ prementem poterit ferre, grauí equidem ad portandum?

2. Reg 12, 31. 1. Par 20. Refert Scriptura sacra Dauidem indignissimè tulisse iniuriam illam, quam Ammonitæ nuntijs ipsius Dauidis intulerunt, & Dei (vt par est arbitrari) nutu tantam de populo Ammonitarum vindictam sumpsit, quantam vnquam legimus alium cogitasse: ait enim Scriptura: *Populum ferrauit, & circumegit super eos ferrata carpenta, diuisitque cultris, & traduxit in typo laterum, a la manera, que se cortan los ladrillos en su molde, los corto y despedaçò y los trillò de manera que saliese la sangre, como sale el vino o mosto, quando se estruian las vbas en el largar.* grauissimum quidem supplicium, & mitissimus quidem erat

Psal. 131, 1. Dauid, ita vt iure dixerit de seipso: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius:* at iratus vide qualis fuerit ille tam mansuetus. Mitissimus est Christus Dominus, in tantum vt exemplar mansuetudinis cordis se proposuerit nobis, *Discite,* inquit, *a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Sed magister mansuetudinis iste in iudicio aduersùs malos summè iratus quid non præstabit? si Dauid, homo tantùm, sic de inimicis iustam vindictam sumpsit, quid Deus ipse faciet? grauis igitur furor eius ad portandum.

Matt 11, 29.

Sed vide in quo grauitas ista consistat, *Labia,* inquit, *eius repleta sunt indignatione, & lingua eius, quasi ignis deuorans.* hunc locum de Iudicio futuro intelligunt Sanctus Hieronymus, Alexander de Ales, Lira, & alij. Quomodo igitur, inquies, labia Christi impleta erunt indignatione? quomodo lingua eius sicut ignis deuorans? Vide quid per labia sua proferat in Iudicio Christus:

Matt. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Et quamuis nihil de igne æterno dixisset, hoc solum verbum, *discedite à me,* satis esset, vt verè & plenè dicere potuisset Isaias: *Labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans.* Placet sententiam Sanct. Chrysost.

Hom. 47. ad pop. hîc attexere, *Multi hominum,* inquit, *gehennam tantùm formidant* (hoc est, ignem inferni) *ego autem gloriæ cœlestis amissionem gehennâ multò amariorem esse dico.*

Intolerabilis quidem est ignis inferni, sed licèt innumeros quis mihi ponat ignes inferni, tale mi dicet, quale est à cœlesti excidere gloriâ, & audire: Nescio vos: etenim satius est infinita fulgura sustinere, quàm illam mitem Christi faciem nos auertentem videre. Ita ille. Et ratio huius est, quia tantò malum est maius malum, quantò nos maiori bono prinat. Maius malum est amittere visum, vel auditum, quàm olfactum, quia visus & auditus potiores potentiæ sunt: & peius est amittere vitam, quàm hos sensus, quia vita maius bonum est: summum autem bonum oostrum cœlestis gloria est; ergo priuari tali gloria, summum malum nostrum est. Nolo modò de malo culpæ disputare, quod alterius generis est, sed de malo pœnæ. Summum pœnarum nostrarum malum est, audire, *Discedite à me,* &c. sed quia homines adeo sensitiui sunt, vt sensitiuas pœnas potiùs timeant. De secundo verbo disseramus, *discedite,* inquit, *in ignem æternum.* O ignem! ô æternum! talis ignis est hic, vt quamuis solùm vno die quis igne illo comburetur, excederet omnes pœnas, quas omnes martyres à Nerone, & Decio, & Diocletiano, & reliquis tyrannis passi

A sunt, quamuis tauros illis igneos Phalaridis addas: nam, vti scilicet asserit Augustinus, ignis iste noster, licèt qualis fornacis Babyloniæ sit, igni illi inferni comparatus, est velut ignis depictus: *Suppone manum super ignem depictum,* nõ vret; sic si Deus ex ignibus inferni damnatum aliquem extraheret, & in Babylonicam mitteret fornacem, non magis ferè ignem Babylonicum sentiret, quàm si in pictum ignem mitteretur, quia ignis ille talis conditionis est, vt, Deo sic ordinante, non solùm corpus, verùm etiam animam penetret. Vnde anima in igne inferni est veluti ferrum candens, cùm educitur è fornace, ab igne vndequaque affectum. Quorum igitur carnes non vndique tremunt, dum audiunt Christum dicentem: *Discedite a me maledicti in ignem æternum?* Æternum? licèt non esset talis ignis sed solo dolore dentis torqueretur damnatus in inferno; si dolorem hunc in æternum pateretur, nullis recompensari bonis mundi huius posset; quod quòd pro exiguo lucro, pro exili honore, pro vili voluptate ad ignem æternum damnari non trepidet peccator?

B

C

In ignem æternum! *O maldicion horrible! ô sentencia terrible! ô palabra dirissima que a penas ay palabras para poder la exaggerar como ella mereçe, ô fuego eterno, ô para si empreem infierno, que entendimiento no se agota antes que sepa bien apear, ay de mi, Dios eterno, que digo esso, y no se si me he de librar deste fuego eterno. Despierta peccador, dormido, al trueno destas palabras: Aparta os de mi malditos al fuego eterno. Que haremos hermanos, como no nos vamos por esos yermos y nos entramos por esas cuevas de las fierras a llorar amargamente nuestros peccados, y hazer affiera y rigorosa penitencia, regalado, regalon, mundano, que no tratas sino de dar te aplaceres, y contentos del mundo, hasse puesto alguna vez a pensar atentamente este pena, que por tus peccados as merecido de fuego eterno? no, pues no te haze hazer la penitencia, que hizieron en los desiertos de Aegypto, y Palestina los que bien lo consideraron. Despierta dormido, y oy lo que te dize el Propheta Isaias: Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Cap 33. 14. Princepe de gloria inferni hoc credo legit. q.d. ardorem febriculæ sustinere non vales, quomodo sustinebis ardores sempiternos? Vidisti fabros ferrarios educentes ex fornace ferrum candens, quod super incudem collocatum, malleis ferreis hinc inde percutiunt, & percussionibus tusum scintillas emittit; sic damnatus in inferno igne candens, à dæmonibus varijs ictibus percussus, scintillas blasphemiæ in Creatorem & creaturas emittit. *O Iuez soberano, antes que a tan grave pena nos condemnes, despierta nos del sueno letargo, en que dormimos, abre nuestros ojos, ablanda nuestros coraçones, allana las difficultades, para que assi nos dispongamos, emendemos y no oygamos, Aparta os malditos al fuego eterno, sino venid benditos a mi gloria,* &c.

D

Psalm. 7. *Scrutans corda & renes* Deus, hoc est, talis ac tanta est Dei sapientia, vt sine aliqua notitia externa per se penetret omnia intrinseca nostra. Sic interpretatur locum hunc S. Basil. dicens: *Scrutans corda & renes, hoc est probans & examinans: neque enim testibus illi opus est, vt iudicet: ipse enim abscondita nouit: renes enim & corda hîc abscondita mentis vocat, propter situm in corpore partium harum.* Ita ille. Nulla quippe latet illum cogitatio nostra, quantumuis latens. Psal. 7, 10. 2. Basil.

Vnde Ierem. 17. *Prauum est cor omnium & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, qui do vnicuique iuxta viam suam.* (Torzido y retorzido, al fin vn labirintho de Creta es el coraçondel hombre, quien atinara sus bueltas y rebueltas?) *Ego Dominus,* attende, non dixit, solus ipse homo & ego nouimus illud, sed, *ego,* ait tantummodo; quia sæpe censet homo se in operibus suis suam cognoscere intentionem, & propter Deum facere, qui propter vanam gloriam, vel vindictam, vel commodum temporale, vel propter aliquem huiusmodi affectum facit, *però a Dios no ay echarle dado falso:* solus Ierem. 17, 9, 10.

lus enim ipse ex certa & propria scientia nouit intrinseca nostra meliùs quàm nos ipsi. Vnde valde timendum est, quod subdit : *qui do vnicuique iuxta viam suam:* Iudices nostri iudicant secundùm allegata & probata: Vnde sæpè saluandum damnant, & damnandum saluant. Deus autem, qui secundùm suam infinitam sapientiam, & æquitatem iudicat, æquè damnat, & saluat, iuxta demerita vel merita nostra. Væ his qui negligenter degunt.

Gen.10.9 Genes. 10. de Nemrod, qui tyrannus, & hominum oppressor fuit, dicitur: *Nemrod cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino.* Quid est robustus venator? Respondet Alcuinus in hunc locum : *Erat robustus venator, id est, hominum oppressor, & extinctor, quos allexit vt turrim contra Deum construerent.* Ita ille. Sed cur ait *coram Domino?* nónne id manifestum erat? quid enim est vel fit, quod non coram Domino sit vel fiat? Hoc quidem ad nos omnes tacita admonitio fuit: nam idem fuit, ac dicere : Videant & attendant omnes impiè agentes, quòd oculis apertis Deus facta & verba, cogitatus, & intentiones omnes clarè intuetur, *en todo ésta Dios a la mira*, vt scilicet cuncta adducat in iudicium. Sic Liranus ibi, dicens: *Coram Domino*, inquit, *nam Dominus illa omnia videt, ad punendum suo tempore grauiùs mámá pœnà.* Ita ille. Quis coram iusto prætore crimen morte dignum committere audet? Deus autem Iudex iustus & fortis est, qui potest corpus & animam mittere in gehennam, quod prætores & iudices mundi facere non possunt. Quis ergo non contremiscat coram tali ac tanto Iudice peccare?

Iob 25.5. Iob c. 25. Sic sapiens quidam amicus Iob: *Ecce stellæ non sunt munda in conspectu eius, quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis?* In sacris litteris illi stellarum nomina sortiuntur, qui bonis operibus fulgent : de his igitur ait amicus Iob : *Ecce stellæ*, &c. Sic locum hunc interpretatur Sanct. Gregor. 8. Mor. 10. dicens : *Astra non sunt munda in conspectu eius, quia apud Deum districtè iudicati, ipsi quoque maculas inquinationis habent, qui per munditiam sanctitatis lucent.* Ita Sanctus Gregorius.

Idem. Sanct. Gregor. 5. Moral. 27. *Sæpe lignum rectum creditur, sed cùm regulæ iungitur, eius tortitudo innotescit, quia rectitudo accedens increpat, quod oculus deceptus approbat.* Ita ille.

Similè.

Augustí. Sanct. Augustin. serm. 46. de verbis Domini secundùm Ioannem : *Deus timendus est in publico, & in secreto, procedit, videri; intras, videris; lucerna ardet, videt te; lucerna extinctà, videt te; in cubile intras, videt te; in corde versaris, videt te. Illum igitur time, cui cura est videre te; aut si peccare vis, quære vbi te non videat.* Ita S. Aug. Vbi nota verba illa, *illum time cui cura est videre te*, scilicet, quia illi incumbit sic attentè videre, quia est iudex earum rerum, quas agimus, dicimus, & cogitamus.

PROP. XII. *Quanta Ira Dei & creaturarum erit in Iudicio contra peccatores.*

Luc.21. 25. Augustí. LVc. 21. *Erunt signa in sole & luna*, &c. Signum, ait Sanct. Augustinus lib. de doctrin. Christi, est id, quod præter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Si ergo signa sunt hæc, quid significant? Etenim primò Dei aduersùs peccatores iudicandos iram & indignationem præ se ferunt. Si videres hominem ensem nudum vibrantem, pallium brachio inuolutum ferentem, & faciem turbatam & pallidam, labijs trementem, & oculos sanguinolentos habentem, & voce tremula clamantem, & dicentem: moriatur; facilè agnosceres magnâ irâ aduersùs aliquem inimicum teneri. Cùm igitur ad Iudicium properans Deus, solem luce sua, & lunam claritate priuet, & stellas & elementa perturbet, quid aliud hîc audies nisi aduersùs peccatores minas? ac si dicaret: Moriantur iniqui, pereant omnes peccatores terræ, væ peccatori: horrendum enim est incidere in manus Dei viuentis. Vbi similiter creaturarum iracundiam aduersùs peccatores aduerte, vti obseruauit Oleaster in cap. 4. Genes. dicens: *Sicut illum quem princeps respicit torue, omnes serui eius illum persequuntur: nemitor enim ei introitum negat* (dale con las puertas en los ojos.) *& alter qui ei arridere solebat, iratum in eum vultum conuertit, & denique omnes de eo vindictam sumere conantur; sic creaturæ eum, qui Deum creatorem offendit, & cui iratus Deus est, omnes, inquam, creaturæ persequentur, sol obscurabitur & luna non dabit lumen suum, & stellæ de cœlo cadent, & nasum & iram ostendent aduersus eos, quibus tunc Dominus irascetur. Summè ergo fratres cauendum est, ne Deum offensum habeamus, quia non solum eum, sed etiam omnes creaturas eius habebimus aduersarias, terra non dabit fructum, nec mare pisces*, &c. Ita Oleaster. *Simile.*

Et hoc quidem præfert metus ille Cain, dicentis: *Gen.4.14.* Gen. 4. *Ecce me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra; omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Cur ita omnia sibi aduersa fore timet? Manifestum est, quia omnium Dominum sibi offensum videbat. Rectè enim Dauid. Psalm. 33. *Oculi Domini super iustos*, fauorabiles scilicet, & grati : *vultus autem Domini*, nempè turbidus & iratus, *super facientes mala.* Sicut enim placidis & suauibus oculis Deus bonos intuetur, ita iracundè & terribili vultu aspicit malos: & inde creaturæ, Dei gloriam intendentes, toruis oculis peccatores intuentur, & solitum eis obsequium denegant, & vindicant de inimicis suis creatorem suum. *Psal.33.16.*

PROP. XIII. *Quòd in die Iudicij omnia pugnabunt contra peccatores.*

SAp. 5. agit Sapiens de die Iudicij, & ait : *Pugnabit cum Domino orbis terrarum contra insensatos.* Insensatos vocat peccatores, quæ enim maior insipientia quàm peccare? si enim insensatos vocamus eos, qui stulta proferunt verba, quantò magis qui operantur stulta? *Contra hos* inquit, *pugnabit orbis terrarum*; hoc enim est quod Dominus ait : *Erunt signa in sole & luna*, &c. radij enim solis cùm tunc se retraxerint, vehementem incutient timorem malis; similiter luna, & stellæ, & maris turbatio; ideo Dominus ait, *arescentibus hominibus præ timore*, &c. E conuerso autem omnia fauebunt iustis; quod ex his quæ acciderunt in Ægypto tempore Moysis, intelligi potest: tunc enim decem illæ plagæ, ranarum nempe, & pulicum, & reliqua maximo fuerunt terrori Ægyptijs; filijs verò Israël cuncta propitia fuêre: nam cœlum illis exhibuit cibum Angelorum, ignis tanquam dux eos præcedebat in itinere suo, & aquæ quæ Ægyptios suffocarunt, filijs Israël quasi pro muro fuerunt; aër siccabat viam per medium mare, montes exultauerunt vt arietes & colles sicut agni ouium: sic etiam tempore Iudicij omnia pugnabunt contra insensatos peccatores, & omnia se iustis fauorabilia exhibebunt. *Sap.5.21.*

PROP. XIV. *Iudicium quàm horrendum sit, & strictum ex parte rationis reddendæ.*

PSalmo 18. *Ab occultis meis munda me Domine.* Quænam sunt occulta hæc? Cassiodorus: *Quoniam multa peccata sunt, quæ omnimodis ignoramus, quorum nec origines possumus, nec surreptiones agnoscere, ideo dicit: Ab occultis meis munda me.* Ita ille. Et S. Augustinus ibi : *Ab occultis meis; hoc est, à cupiditatibus in me latentibus: sicut enim tenebræ oculos, ita delicta mentem, nec lucem sinunt videre, nec se.* Ita ille. Cùm autem Deus non solùm de manifestis, *Vers. 13.*

verùm etiam de occultis noſtris rationem exigere à nobis debet. hoc quidem eſt, quod terribile valde Iudicium Dei reddit : nulla enim illum latet vel cupiditas noſtra, vel cogitatio, vel intentio noſtra.

Laertius lib.6. cap.2. *Narrant (*inquit*) Alexandrum Magnum aſtantem Diogeni Cynico, quæſiuiſſe ab eo, num ipſum metueret ? tunc ille : eſne bonus, aut malus ? Alexander reſpondit : bonus ; quis igitur (inquit Diogenes) timet bonum?* Ita ille. Poterat autem quis reſpondere : Regem timere poteſt, & debet malus, iuxta illud Apoſtoli, *Vt non timere poteſtatem ? bonum fac : ſi autem malum feceris, time : non enim ſine cauſa gladium portat*, &c. Vnde qui opera mala non facit ad extra, poteſtatem Iudicis mundi non timet, quia hic non iudicat de occultis; ſed tamen Deus de occultiſſimis etiam iudicat ; delicta autem hæc occulta quis intelligit ? Hoc igitur eſt, quod Iudicium Dei horrendum facit.

Rom. 13. 3.

Hinc idem Apoſt. 1. Corinth. 4. *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, ſed neque me ipſum iudico: nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum; qui autem iudicat me, Dominus eſt, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Plena timoris ſunt, quæ de ſe hîc Apoſtolus dicit : primum, *Nihil mihi conſcius ſum*, ſi Apoſtolus, qui tantam cordis ſui cuſtodiam gerebat, & minimas conſcientiæ ſuæ res pro oculis habebat, & diligenter examinabat, poſt tantam curam & exactiſſimum conſcientiæ ſuæ examen, nihil culpabile in ſe inueniebat, dixit ſe non propterea iuſtum ſe reputare, quia oculi Domini lucidiores ſole ſunt, & ibi delicta æterno igne punienda inueniunt, vbi homo merita ſola cernit, quibus dicat ſe præmia cœleſtia ſperare, ſi (inquam) tantus Apoſtolus non ſe iuſtificare audet, quis audebit ? quòd ſi iuſtificare te non audes, cur non meritò timebis oculos illos capræ ? &c. Bene S. Anſelmus ibi, aut qui operis illius author eſt : *Nullius vtique peccati ſibi Apoſtolus conſcius erat, ſed quia legerat,* Delicta quis intelligit, *ſententiam temperauit, ne fortè per ignorantiam deliquiſſet.*

Verſ. 3.

Pſal. 18. *Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.* Duo hîc apponit in diuino Iudicio examinanda, quæ magnum meritò nobis incutere poſſunt timorem. Primum ab occultis, nimirum quia plura ſunt, quæ nobis bona, iuſta, ſanctaque videntur, quæ tamen diuino, iuſtoque Dei iudicio, non bona, ſed mala apparebunt. Ingrederis cubiculum modica luce perfuſum, nihil immundum in aëre vides, adeſt ſubitò radius ſplendidus ſolis, quo aerem impurum, plenum puluere, & pilis, & atomis quamplurimis repletum intueris: tu iſtam impuritatem antea non videbas, quia obſcura luce proſpiciebas, poſtea verò magno illo ſolis ſplendore, nihil nõ impurum eſſe ab atomis, & puluere illo, vides: ſic nimirum, modò defectus, qui in operibus noſtris ſunt, non videmus, audiuiſti Sacrum, ſatisfeciſſe te præcepto Eccleſiæ putas, confeſſus es peccata, audiſti Confeſſarium dicentem tibi: *Ego te abſoluo*, gaudes, abſolutum te iam cenſes, & ritè confeſſum: at in diuino Iudicio, cùm ſplenduerit diuinæ claritatis radius, qui illuminabit abſcondita etiam cordis noſtri, tunc apparebit puluris quamplurimi impuritas, audiuiſſe te Miſſam ſine deuotione, imò & ſine requiſita attentione, & ſic te non adimpleuiſſe præceptum de audiendo Sacro, & Confeſſionem tuam diminutam fuiſſe, vel quia debitus abſuit dolor, vel quia ſine debito examine ad Confeſſionem acceſſiſti.

Alia ſimilitudine id exponamus: vides aceruum farinæ candidum, purum eum, & omni furfure expurgatum eſſe iudicas, ſed accipit quis cribrum farinarium ſericum, & excuſſâ farinâ, tres vel quatuor pugillos furfuris ex farina tam alba extrahis; quis hoc detexit ? cribrum illud ſericum denſum, & ſubtile ; nam farina illa prior ſolùm per cribrum ſetaceum pertranſierat, non ita. condenſatum, & ſubtile, *la harina paſada por cedaco de cerdas, nunque pareçia pura, el cedaço de ſeda deſcubrió, que tenia mucho ſaluado.* noſtrum iudicium eſt veluti cribrum ſetaceum : vnde licèt nobis opera noſtra iuſta, & ſancta eſſe videantur, cribrum illud ſericum & ſubtile diuini Iudicij, mixtionem plurimi furfuris demonſtrabit.

Refulget ſæpe aurum & obryzum, & purum apparet, ſed non omne, quod ita lucet, aurum eſt. tradis illud argentario, qui ad tactum lapidis probatorij non purum eſſe patefacit. Lapis eſt Chriſtus, dicente Apoſtolo: *Petra autem erat Chriſtus*; in Iudicio autem erit lapis probatorius, vbi perfectio auri examinatur ; *piedra de toque, en que ſe examinarán los quilates de nueſtras buenas obras*, vbi quod in eis aurum obryzum videbatur eſſe, apparens fuiſſe patebit, & in rei veritate aurum falſum, vel nimiâ permixtum ſcoriâ, *meſclado de muches y erros nueſtros, y de eſcoria de imperfectiones*, &c.

Hinc oratio illa Prophetæ : *Fiat cor meum immaculatum in iuſtificationibus tuis, vt non confundar*, confuſione ſcilicet illâ, quâ in Iudicio confundentur, qui bona opera malè fuerint operati ; ſicut confunderetur, qui aliquid emens, & monetam in pretium ſoluens, deprehenditur falſam ſoluere pecuniam. In Iudicio quidem pro bonis operibus, veluti pro pretio gloriæ, Deus petet ab homine, ſed huius monetæ probationem faciet Deus, quòd ſi vel defectu rectæ intentionis, vel alterius cuiuſuis circumſtantiæ, falſam te adducere monetam fueris conuictus, confuſionem maximam patieris. Propterea ergo ait Dauid: *Ab occultis meis munda me, Domine, delicta* enim *quis intelligit* ? quis penetrat in opere bono malitiam occultam ?

Pſ. 118. 80.

Vnde Sanct. Gregorius citatus à S. Thoma ſuprà 1. Petri 4. in fine: *Sordes in diſcretione Iudicis, quod fulget in conſideratione operantis.* Et Sanct. Anſelmus ibidem, *Quæ nunc bona eſſe cenſes, in Iudicio apparebit eſſe peccata.* Ita ille.

Et erit in tempore illo, ſcrutabor Hierusalem in lucernis. Sanctus Hieronymus de die Iudicij hunc locum allegoricè interpretatur, per Hieruſalem verò homines timoratæ conſcientiæ intelligendos eſſe, ſic teſtatur S. Bernardus, *Exiſtimo*, inquit, *Prophetam nomine Hieruſalem illos deſignaſſe, qui in hoc ſæculo vitam dicunt religioſam, mores illius ſuperna Hieruſalem conuerſatione honeſta & ordinata pro viribus imitantes, & non velut hi qui in Babyloneſſant, vitam in perturbatione vitiorum ſceleruinque confuſione vaſtantes.* Ita S. Bernard. Vbi duo conſideranda veniunt. Primum, cur ſanctos viros ſic examinandos dicat Deus, ſi religioſam vitam duxerunt: apud nos enim eum, qui ad Ordines ſuſcipiendos, vel beneficium aliquod Eccleſiaſticum ei conferendum, examinatur, non ita eius ſcientia examinatur, qui ſapiens eſſe dignoſcitur à cunctis. Cùm igitur huiuſmodi Hieroſolymitæ probatæ virtutis eſſe videantur, cur ſcrutandam illorum vitam eſſe dicit ? S. Bern. *Acuto viſu nihil inſcrutatum relinquet, oculus Chriſti ſcrutabitur renes, & corda: ipſa quoque hominis cogitatio confitebitur illi. Quid tutum in Babylone, ſi Hieruſalem manet ſcrutinium ? Poſſumus & aliquid afferre de Pſalmo ad confirmandum id quod dicitur de ſcrutanda Hieruſalem: ait namque ſub perſona Domini :* Cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo, *vias iuſtorum, ni fallor, & actus eorum diſcuſſurum ſe & examinaturum dicit. Verendum valde, cùm ad hoc ventum fuerit, ne in tam ſubtili examine multa noſtræ iuſtitiæ (vt putantur) peccata appareant. prorſus horreo incidere in manus Dei viuentis.* Ita S. Bernard. Scrutabitur ergo eleemoſynas, ieiunia, &c.

Sed dices, cur in lucernis ait Dominus, examinaturum ſe Hieruſalem ? egétne candelis acutiſſimus ille Domini viſus ? More loquitur humano: ſic enim nos, cùm

cùm rem aliquam diligentissimè quærimus, & maximè si minuta & paruæ quantitatis illa fuerit, non vnicam, sed plures luces adhibere solemus. Hoc igitur Dominus significauit, magnâ quidem diligentiâ minuta quæuis opera nostra examinanda esse, mille candelis, hoc est, exactissimè, vndequaque. Hæc igitur duo sunt, quæ maximum Sanctis etiam timorem incutiunt, primum, quòd exactissimè sit omnia nostra opera, & verba, & minutissimas cogitationes inquisiturus: secundum, quòd etiam nostra opera bona sit eodem modo perscrutaturus, non solùm conuiuia opipara, sed ieiunia, non solùm conuersationes, sed orationes, non solùm peccata, sed peccatorum confessiones & communiones.

1. Petr. 4. 18. Hinc Apostolus Petrus: *Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Vbi Sanct. Thom. *Hoc est, si iustus, qui scilicet reddit Deo & proximo quod suum est, vix saluabitur, hoc est, vt ait Glossa, æstuando, decertando cum magno certamine & cum magna difficultate; impius, quo ad fidem, & peccator quo ad mores, vbi parebunt?* Ita S. Thom.

1. Cor. 11. 23. Ait ergo Apostolus: *Si iustus*, &c. hoc est, si is qui ieiunat, vix saluatur, qui comessationibus vacat vbi apparebit? si qui pœnitentiam in eremo agit, vix saluatur, quid futurum est de illo, qui toties delicijs deditus est? Quid igitur nobis agendum est? Sanctus Bernardus: *Si nosmetipsos diuudicauerimus, non vtique iudicabimur*, ait Apostolus. *Bonum iudicium, quod diuino illo & districto iudicio me subducit, & abscondit, volo vultui iræ iudicantis præsentari, non iudicandus. Proinde mala & bona mea iudicabo ego ipse, mala melioribus corrigere curabo actibus, diluere lacrymis, punire ieuuijs, cæterisque sanctæ disciplinæ laboribus; in bonis de me humiliter sentiam, & inxta præceptum Domini me seruum inutilem reputabo, qui quod facere debui, tantùm feci, dabo operam, ne lolia pro granis, nec paleas cum granis offeram: Scrutabor ego vias meas, & studia mea, quò is qui scrutaturus est Hierusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me, siue indiscussum inuenat: neque enim iudicaturus est bis in idipsum. Quis mihi det, ita ad liquidum prosequi & persequi vniuersa delicta mea, vt in nullo oporteat vereri oculos Dei, & in nullo contingat ad lumen erubescere lucernarum.* Ita S. Bernard.

Horrendum est incidere in manus Dei viuentis, & venientis ad Iudicium, non solùm ex parte ipsius Iudicis, sed etiam ex parte iudicandorum: non enim ita in illo Iudicio fiet, sicut in iudicio mundi fieri solet, vbi potentes, quantumuis delinquentes sint, à damnatione, & merita pœna eximi solent: In iudicio enim Dei nemo, quantumuis potens & magnus sit, à debito supplicio eximetur.

Isai. 2. 12. *Dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur, & super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super naues Tharsis.* Scio Sanctos Chrysostomum, Theodoretum & Eusebium Cæsariensem locum hunc de aduentu Titi & Vespasiani super ciuitatem Hierusalem interpretatos fuisse, sed non obstat, quin etiam de aduentu Domini ad Iudicium intelligi possit, prout intellexit Tertullianus, qui rectè lib. 5. hoc probat, eò quòd Apostolus adducit hæc verba Isaiæ agens de Iudicio Christi. Ait ergo Propheta: *Dies* Iudicij diuini *erit super omnem superbum.* Superbos primo constituit loco, quia hos speciali ratione odio se prosequi sæpè sæpiùs in sacris litteris manifestauit, tunc superbos & arrogantes coram omnibus humiliabit; quia coram omnibus se satagunt eleuare. & *super omnes cedros Libani sublimes & erectas*, hoc est, super omnes mundi potentes, qui se dominos mundi arbitrantur, & nulli subditos esse. tunc videbunt filium hominis venientem cum potestate magna, & maiestate, in vestimento gerentem nomina illa, Rex regum, & Dominus dominantium. Sic Procopius, *Visurpat*, inquit, *Scriptura in vniuersum naturas animantium, & arborum & aliarum rerum formas, ad exprimendum varios hominum mores: sic per cedros, quæ arbores proceræ & infrugiferæ sunt, significat superbos, & infructuosos.* Ita ille. Tunc enim videbis Cæsares, & Imperatores, & Alexandros Magnos coram Iudice illo supremo, tanquam reos & abiectos, trementes sententiam vltimam æternitatis expectare. Rectè autem addit Prophetas: *& super quercus Basan*: quercus fructum affert, sed suibus, & porcis. Tales quidem sunt multi ex diuitibus mundi, qui diuitias suas in cibis, potibus, & meretricibus, & equis, & vanitatibus mundi expendunt, *esso no es llenar fruto para los lechones?* Super hos igitur cri meritò dies Domini, quærentis ab eis, cur tot diuitijs pauperes Christi non aluerint, &c. Denique *& super naues Tharsis*, quid est *super naues Tharsis?* non prorsus errare qui per naues has maris, mercatores intelligeret, qui naues suas per mare mercibus multis & pretiosis deferunt onustas. super hos veniet dies Domini etiam, quia tunc in seuerum examen adducet, quomodo merces emerint, quomodo vendiderint, quomodo mutuò dederint, quomodo contraxerint, quomodo expenderint, vtrum temporalia lucra in æternam reposuerint perditionem. Sed tamen Tertullianus, loco citato, per naues has maris intellexit homines mundanos, qui leuitatem maris imitantur: nam huiusmodi naues à quouis vento facilè mouentur, & circumferuntur, & medijs velis vento inflatæ incedunt; sic mundani homines, quos rectè ipse his verbis depingit, naues aspectu pulchræ leues homines appellantur, qui comam calamistris crispant, qui vultum comunt, qui se picturant hominibus, *ay dise Tertullianos que como mugeres se afeitan y hazen el copete y visten blanduras: los quales no merecen nombre de hombres y por iusticia se les tauian de quitar las espadas y trocar se las en ruecas, por que estos mejores son para hilar que no para pelear, y asi traben cuerpo de varones, animos y coraçones mugeriles y afeminados.* super hos visitabit speciatim Dominus in die Iudicij, quia cœli gloriam pro mundi gloria vana commutarunt. Denique tunc, inquit Isaias, *idola penitus conterentur.* Idola mundi sunt diuitiæ, deliciæ, honores *esta es la trinidad que adora el mundo.* Tunc igitur nullum horum vestigium remanebit. O infelices mundi fectatores! propter hæc tria Deum & cælestes illos thesauros reliquerunt, & tamen tunc cœlestes & terrestres hos penitus amittunt. Non sic Sancti, non sic qui propter gloriam & diuitias & delicias cœli, gloriam, & diuitias, & delicias mundi reliquerunt: nam tunc thesauros & bona illa æterna in sempiternum possidebunt. Isai. 2. 18.

2. Cor. 5. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Singula verba ponderatione sunt digna; primò omnes nos, inquit, nullo excepto, siue seruus ille sit, siue Rex, siue idiota, siue sapiens, siue qui vitijs operam dedit, siue qui in eremo vitam Monachi studiosissimi egit. Denique, nos, inquit Apostolus, hoc est, etiam nos, qui primitias accepimus Spiritus sancti, & Apostoli à Deo electi sumus, nemo ab hoc Iudicio immunis erit. Præterea pondera verbum illud, *oportet*, ad quid ita oportet? nunquid non poterat Deus ab huiusmodi Iudicio supersedere? Oportet quidem ad Dei prouidentiam, iustitiam, honorem, & gloriam omnibus manifestandam, de quibus figillatim in alijs propositionibus vide: & denique oportet, vt iusti pro meritis gratificentur, & peccatores puniantur, vt referat, inquit, vnusquisque prout gessit. Sed modò ponderandum & expendendū est verbū illud, *manifestari*, pro quo in Hebræo ponitur, pellucidos esse, hoc est, diaphanos, & transparentes, *en el juicio de Dios hauemos de estar como vn vidrio, como in cristal diafanos y transparentes los coraçones*, ita vt omnibus omnia interiora nostra perlu-

Lib. 3. contra Marcionem. 2. Thess. 2.

Super hūc locum.

perlucidè appareant, sine vlla prorsus occultatione & tergiuersatione. A

Modò apud Iudices nostros facilè occultare reus potest ea quæ in occulto sine testibus fecit, sed tamen in diuino iudicio oportet nos pellucidos esse.

Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniet Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & non cum alijs inita; sunt enim nonnulla, quæ ita occulta volumus, manere, vt necc amicissimi nostri ea sciant. *Como el otro si supiese que mi camisa supiesse ésto la que maria.* hæc igitur occultissima nostra, & consilia, quæ tu tibi soli reseruasti, & quorum consiliarius tu solus fuisti, pellucida ibi erunt, & non solùm Deo ipsi manifesta, verùm etiam omnibus Angelis & hominibus à primo vsque ad vltimum, iuxta illud Poëtæ,

Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

Prop. XV. *Horrendum ex parte strictè examinis.* B

1. Cor. 4. 4. S. Greg.

1. Cor. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me Dominus est. Sanctus Gregorius 5. Moral. 8. vel 6. in alia editione, ac si dicat: *Idcirco in eo quòd nihil mihi conscius sum, iustificatum me abnego; quia ab eo qui me iudicat, examinari me subtilius scio: sæpe enim ipsa iustitia nostra ad examen diuinæ iustitiæ deducta iniustitia est, & sordet in districtione iudicis, quod fulget in æstimatione operantis.* Ita Sanctus Gregorius. Ecce maximum periculum nostrum, quia cùm peccatorum remedium sit pœnitentia, ad pœnitentiam autem requiratur cognitio peccatorum, quomodo pœnitebit, qui iustum existimat, quod iniustum est apud Deum? ideo clamabat Dauid: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Clama igitur & tu.

Prou. 14. 12. Gregor.

Prouerb. 14. *Est via quæ videtur homini recta, nouissima autem eius ducunt ad mortem.* Locum hunc expendens C Sanctus Gregorius 5. Moral. 6. vel 4. *Vnde Sancti viri, cùm mala superant, etiam sua benefacta formidant, ne cùm bona agere appetunt, actionis imagine fallantur, ne pestifera putredinis tabes, sub boni specie lateat coloris, quia diudicare bona subtiliter nesciunt, & quia vnde placari iudex creditur, inde ad iracundiam instigatur.* Ita Sanctus Gregorius.

Quodnam igitur remedium? id certè quod sibi adhibuit S. Iob cap. 3. vbi ait: *Quare misero data est lux, viro cui abscondita est via, & circumdedit eum Deus tenebris?* Iob 3. 20. *antequam comedam suspiro, & quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus.* S. Greg. Quem locum sic interpretatur S. Gregor. 5. Mor. 6. & 7. ac sidicatur: *Cur huius vitæ successus appetit, qui sub qua æstimatione iudicis sit, iter operis sui nescit, tenebris autem circumdatur homo, quia quamuis cælesti ferueat desiderio, quid de se dispositum à Deo sit ignorat: ideo* antequam comedam suspiro, & quasi inundantes aquæ sic rugitus meus; *aquæ autem, cùm inundant, cum impetu veniunt, &* D *crescentibus multipliciter voluminibus intumescunt. Electi ergo, dum menti suæ iudicia opponunt diuina, dum Dei occulta super se iudicia trepidant, quasi quadam in eis aquarum more volumina colliguntur, quæ in mœroris rugitus, quasi in subiecta littora defluunt.* Ita S. Gregor. Quòd si propter Dei occulta iudicia sic trepidant iusti, quantò magis trepidare debent peccatores? si enim iustus vix saluatur, impius & peccator vbi parebunt? Rugiat igitur corde peccator & oret; oret etiam & timeat iustus, vt Deus vtriusque misereatur, si enim Deus culpâ offenditur, pœnitentiâ placatur.

Prop. XVI. *In Iudicio Deus Iudex, & testis oculatis erit.*

Seneca epist. 83. *Sic viuendum est, tanquam in conspectu alicuius viuamus, sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit, & possit. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? nihil Deo clausum est. Interest animis nostris, & interuenit cogitationibus medijs.* Ita Seneca. Seneca.

Egent quidem iudices nostri denuntiatoribus, seu accusatoribus, ex quibus notitiam delictorum, reorum capere possint: non enim ipsi quid in homine sit, cognoscunt: *Fraudum enim est cor hominis, quis cognoscet illud?* Ier. 17. 9.

At Deus optimus maximus, Ego, inquit, *Dominus scrutans cor, & probans renes,* id est, nihil adeo in interioribus hominis occultum, quòd lateat me. Ps 7. 10.

Quod in ipso Dei nomine, veluti in fronte, Deus conscripturn secum affert: Deus enim à Græco nomine Θεὸς, desumptum est. Θεὸς autem à verbo Θεάομαι, quod est spectare, dispicere, & contemplari, vti obseruat Sanct. Gregor. Nyssen. oratione 5. in Cantic. Et ideo (inquit) dicitur sponsus similis capreæ, quod quidem animal dorcas dicitur à perspicacitate visus. Vnde Ecclesiast. cap. 23 *Oculi eius lucidiores sole,* hoc est, non eget luce externâ, sicut ad aspiciendum egemus: non enim oculi nostri lucem in se aliquam habent, sed tamen visiuam potentiam, quæ in actum exire nequit, nisi externo lumine adiuta. At oculi Dei in se sole ipso, qui luminis fons est, lucidiores sunt. Eget intellectus noster, qui animæ oculus est, ab extrinseco illuminari, diuinus verò minimè: est enim illi infinita lux innata, vti de oculis Christi narrat Ioan. Apoc. 1. Vnde & Dan. cap. 2. *Nouit in tenebris constituta, & lux cum eo est,* id est, quæ nobis tenebræ sunt, Deo manifestissima sunt, & *sicut tenebræ eius, ita & lumen eius,* hoc est, tenebræ illi lux quidem Dan. 2. 22. Ps. 138. 12. sunt, imò Deus est lux ipsa. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ*: id est, nulla est in Deo possibilis ignorantia, sicut in sole impossibilis est obscuritas, imò impossibilius multò, quia impossibile prorsus.

Sed qualiter Deus noster, non solùm aspiciat, sed respiciat, & attendat, attende ex Psalm. 138. *Domine probasti me,* ait Regius propheta, *& cognouisti me; tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam.* Tu (inquit) me Domine rectè, & omnino nosti intus, & in cute, imò non me solùm, sed sessionem meam, & resurrectionem meam, non me solùm, sed omnia etiam minima mea. Obserua, quia non dixit, me nosti, siue sedeam, siue surgam, sed ipsam sessionem, & ipsam resurrectionem meam, quales scilicet hæ sint, si nempe sessio sit otiosa, vel vtilis, & virtuosa; vti ergo, quomodo, cur, & propter quem finem sedeam, & surgam. Et quia hęc exteriora videtur, subdit: *Intexuisti cogitationes meas de longè,* cogitationes, ait, non hanc, vel illam in singulari, & aliquando, sed in plurali, omnes, nulla te mea latet cogitatio, quantumuis secreta, quantumuis occulta in penetralibus, & profundo cordis. *à longè,* id est, *No ha aun assomado vn pensamiento mio, quando vos Senor dezis ya estoy al cabo, haziendo anatomia de mis mismos y secretos pensamientos.* Nónne vides in quo Iudicij causâ periculo æternæ salutis versemur? Alij quidem iudices secundùm allegata, & probata procedunt, iudicant, saluant, condemnant; at verò Deus noster ex certa scientia, & ex his, quæ ipse ita speciatim nouit, in Iudicio nostro iudicabit. Horrendum igitur incidere in manus Dei viuentis, qui meliùs, quàm nos, delicta nostra occulta nouit.

Prop. XVII. *In Iudicio ipsa diuinæ legis transgressio testis infallibilis erit contra peccatores.*

Psal.18.8. PSal. 18. *Lex Domini immaculata, conuertens animas; testimonium Domini fidele.* Testimonium hoc loco idem est quod Lex Dei. Cur igitur eam vocat testimonium? S. Basil. ibidem. Testimonium vocatur Lex Dei, ob id quod peccatores contestatur, & transgressionis supplicium ostendit. Ita ille. Duo igitur ait hîc Dauid; primum, *Lex Dei immaculata conuertens animas.* hoc est, Lex Dei adeo sancta est, ac vera, vt ipsa per se, absque alia persuasione, seu ratione, conuertendi peccatores vim ac virtutem habeat, quia satis superque iustificata est in se ipsa, tum quia iustissima est, & rationi naturali consentanea, tum quia præceptum Dei est. Vnde Esdr. 2. libro, cap. 8. legente Esdra librum legis in platea ciuitatis, vbi conuenerat omnis populus, & audiens lugebat, *flebat*, inquit, *omnis populus, cùm audiret verba ego, sic lugebat,* & adeo, vt Esdras & Nehemias, & Leuitæ dicerent populo: *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere & nolite flere.* Cur sic lugebat populus omnis? nimirùm, quia lex ipsa, tanquam immaculata, animas conuertebat, atque adeo opus non erat alia concionatorum exhortatione. Secundò vocatur Lex testimonium, quia in die Iudicij non erit opus testibus, & fiscalibus aduersùs peccatores quia ipsa legis transgressio sufficiens testis & accusator erit in eos: ipsa enim, sicut sanguis Abel, clamabit de terra petens iustitiam à Deo.

6 Basil.

2. Esdr. 8.

Prop. XVIII. *De quibus in futuro Iudicio iudicandi simus.*

Iud. v. 11 EA, de quibus in diuino Iudicio rationem reddituri sumus, mirè comprehendit Apostolus Iudas Thadæus in canonica sua, dicens: *Væ illis, quia in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt. His sunt in epulis suis maculæ, conuiuantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.* & subdit statim Apost. *Prophetauit & de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum quæ impie egerunt eum.* Iudicium expressum hîc habemus.

Primò, *Væ illis, qui in via Cain abierunt.* Fuit Cain figura eorum, qui delicias sibi inordinatè quærunt: hic enim offerebat Domino de frugibus suis, sed non pinguia & meliora, sicut Abel, quia potiores agnos offerebat Deo; Cain verò potiora sibi, suæque voluptati reseruans, peiora in sacrificium exhibebat. quam ob causam *respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain verò, & ad munera eius non respexit.* Primò igitur reddent rationem deliciarum suarum voluptuosi, qui bestiarum more genio indulgent. *Væ vobis,* ait Christus, Luc. 6. 24 *qui habetis hîc consolationem vestram.* His quidem vbique, væ, id est, æternam comminatur Deus damnationem.

S Thom. hoc loco. Hos autem rectè *in epulis suis maculæ* vocat, quia, vt ait S. Thom. cum Glossa, non solùm ipsi in comessationibus, & ebrietatibus suis maculantur, & pereunt, verùm etiam alios maculant, suo scilicet exemplo, & deliciarum participatione.

Num. 23. Secundò, *Væ*, inquit, *qui errore Balaam mercede effusi sunt.* de quo Num. 23 habetur. Hic ergo Balaam diuitiarum amore captus, contra quod sibi à Domino iunctum fuerat, vt mercedem iniustam acquireret, iniustè contra populum Dei egit. Ait ergo Apostolus:

A Væ his, qui sequentes huiusmodi errorem, plùs æquo pecunias, & diuitias concupiscunt, qui vel aliena rapiunt, vel sua quum debeant, in graui necessitate constitutis, non exhibent, vel qui dominis inuitis retinent aliena, vel plùs diuitias quàm Deum amat, quales sunt, qui earum causa Dei mandata transgrediuntur. Et hos quidem rectè arboribus infructuosis comparauit, quæ terram multùm fugentes, in truncum, & ramos, & folia crescunt; fructum autem nullum ferunt. Similes illis sunt hi homines auari, qui hinc inde diuitias multas fugunt, fiuntque ipsi magni proceres, & ditiores, sed fructum nullum Ecclesiæ Dei, & proximis ferunt.

Tertio loco, *Væ*, ait Apostol. *hi, qui in seditione Core perierunt.* Fuit Core, vt Num. 16. constat, vir mundi honorem nimium amans, quique ob id contra Moysen, & Aaronem insurrexit, principatum ambiens, & ob id seditionem excitauit, & populum commouit, & scâdalizauit. In seditione ergo pereunt nimium amantes honorem mundi, qui vel per fas, vel per nefas ab B omnibus honorari, imò & adorari, vt Aman, procurant ambientes principatus, & dignitates honoris Hos optimè hîc comparat Apost. nubibus, qui à ventis circumferuntur: ventus enim est gloria mundi, quam totis viribus quærunt superbi, nubes & ipsi, sine aqua tamen. Videbis aliquando cœlum nubibus obductum promittentibus pluuiam, quâ terra irrigetur, & fructus ferat; sed nihil minùs: à vento enim subitò auferuntur, spe inani remanente. Sic nimirum superbi, & ambitiosi, vt honores, & dignitates extorqueant, nihil non promittunt, sed omnes eorum promissiones ventus, & fumus, &c.

In his ergo tribus peccatorum generibus omnes peccatores comprehenduntur, amatores scilicet deliciarum, diuitiarum & honorum mundi.

De his igitur, ait Apost. *prophetauit septimus ab Adam Enoch.* Quàm citò, & quàm in origine ipsa mundi, prædicatio diuini cœpit Iudicij? Vix mundi principium apparuerat, & iam de fine prophetauit Enoch. *Ecce;* C inquit, *venit Dominus.* non ait, veniet, sed *venit*, vt temporis nostri breuitatem obseruaret, quia *mille anni ante oculos* Domini, *tanquam dies hesterna, quæ præteriit.* Quòd si totius mundi, & omnium eius sæculorum duratio, tanquam quoddam nunc, & momentum præsens existimatur, *Ecce* inquit, *venit*, id est, iam venit nunc venit; quid de vniuersiuque nostrûm vita dicendum? Ecce venit Dominus facere iudicium de his, non de hoc, vel illo opere horum, sed de omnibus operibus impietatis eorum. *Væ illis*, ait, &c.

Nec semel his hoc væ, sed semel, & iterum apud Amos 6. *Væ, qui opulenti estis in Sion.* Ecce væ, cõtra amatores diuitiarum, *qui confiditis in monte Samariæ*: pauperes enim in Deo spem collocant suam, diuites in monte Samariæ: ibi enim illi possessiones habebant, id est, in multitudine diuitiarum sperantibus *Væ quoque ingredientibus pompaticè domum Israel*, id est, pompam, & mundi honores sectantibus: ecce superbos honorum amatores. *Qui dormitis in lectu eburneo, & lasciuitis in stratu vestro, qui comeditis agnum de grege, & vitulum de medio armenti.* ecce deliciarum sectatores. De omnibus simul quidi? *qui separati estis in diem malum.* Dies malus in Scriptura, vti ait S. Gregor. super Psalm. 40. diem Gregor. significat Iudicij. Hi ergo sunt separati in diem malum, *& separabit eos ab inuicem*, Iudex, ait Christus Do- Matt. 25, minus, *sicut pastor segregat oues ab hœdis.* His ita separatis, 32. ait Apost. Væ; væ autem, vt ait S. Hier. damnationem Hieron. importat æternam. Væ igitur millies illis. Videat igitur vnusquisque quid in pectore suo sentiat de his tribus cordis amoribus, an amore deliciarum, vel diuitiarum, vel honoris, se aliqualiter captum sentiat? & quomodo secum in Iudicio sit agendum, sic facilè cognoscet. *Beati igitur pauperes spiritu,* &c.

Ps.98.6. Psalm.98. *Moyses, & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius,* &c. & subdit. *Deus tu propitius fuisti eis, & vltiscens in omnes adinuentiones eorum.* A

Augustī. Quærit sanctus Augustinus. quænam adinuentiones, seu peccata fuerint hæc; propter quæ Deus punierit Sanctos huiusmodi? & quidem de Moyse, ait Sanct. Augustin. *Fortassè primam vitam habuit peccatum: nam & percusso homine, fugit de Ægypto. Habuit & Aaron primam vitam, quæ displiceret Deo: nam & ipse insanienti populo, & furenti, idolum permisit, vt fieret, & factum est populo idolum, quod adorarent. Samuel verò quid fecit, infans ad templum datus? omnes ætates suas inter sancta Dei Sacramenta peregit, ab ineunte ætate famulus Dei, nihil vnquam dictum est de Samuele, nihil ab hominibus quidem. sed nouerit ibi fortè Deus aliquid, quod purgaret, quia & quod perfectum iam videtur ab hominibus, Dei perfectioni adhuc imperfectum est. Pleraque enim faciunt artifices, & ostendunt imperitis, & cùm iam iudicauerint imperiti esse perfecta, expoliunt ea artifices, qui nouerunt adhuc, quid illi desit, ita vt mirentur homines tantam expolitionem rebus accessisse, quas iam perfectas pronunciauerunt. Sic in picturis, & in edificijs, & in vestibus, & in omni ferè genere artium: primùm enim iudicant illud quasi perfectum esse, ita vt oculi eorum nihil desiderent amplius: sed aliud indicat oculus imperitus, aliud indicat artificis regula. Sic & illi Sancti versabantur ante oculos Dei, tanquam sine culpa, tanquam perfecti, tanquam Angeli: nouerat tamen ipse quid illis deesset, qui vindicabat in omnes inuentiones eorum.* Ita S. Augustin. *Simile.* B

Manifestum huius rei speculum habemus in Apostolo Paulo, qui 1.ad Corinth.4. *Neque meipsum iudico,* inquit, *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est.* Vbi Sanctus Thomas. *Nihil mihi conscius sum,* id est, non habeo alicuius peccati mortalis conscientiam: *sed non in hoc iustificatus sam,* hoc est, non sufficit ad hoc, vt me iustum pronuntiem, quia possunt aliqua peccata in me latere, quæ ignoro, secundùm illud Psalm.18. *Delicta quis intelligit? qui autem iudicat me, Dominus est,* id est, ad solum Deum pertinet iudicare, an sim fidelis minister eius, an non: hoc enim pertinet ad intentionem cordis, quam solus Deus ponderare potest, secundùm id Prouerb.16. *Spiritum ponderator est Dominus.* & Ierem.17. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? ego Dominus probans renes, & scrutans corda.* *1.Cor.4.4.* *Thom.* *Ps.18.13.* *Pro.16.2.* *Ier.17.8.* C

Anselm. Item sanctus Anselm. ibidem, *Neque meipsum iudico,* *1.Cor.4.3* ait Apostol. *Qui meliùs me nouit, quàm vos, quantumuis possunt homines iudicare de alio, plùs homo vtique de se: sed Deus plùs de homine, quàm homo de se. tanta est enim profunditas in homine, vt lateat ipsum hominem, in quo est: sed Dominum latere non potest:* qui iudicat me Dominus est, *ac si aperiè dicat: Nec meo de me iudicio credendum existimo, quia ille iudicat me, cuius ego iudicium non comprehendo, & ab eo, qui me iudicat, examinari me subtiliter scio. rectè me gessisse recolo, sed tamen de meritis meis non præsumo, quia ad eius examen ducitur vita nostra, sub quo & virtutes trepidant nostræ.* Ita S. Anselmus.

Ratio huius ex duobus capitibus sumitur, primum est ipsa Dei incomparabilis sapientia, cui nihil latere potest, nulla tergiuersatione decipi, nullâ astutiâ à sua infallibi notitia fraudari. *no ay echarle dado falso,* *Apoc.1.14* *no ay sola par le nada.* Vidit Ioannes Apocal. 1. Christum Iudicem, *& oculi eius,* inquit, *tanquam flamma ignis.* Habet ipse lucem in oculis, non emendicatam ab extrinseco, non iudicat secundùm allegata & probata, sicut iudices nostri; sed ex certa scientia, in veritate sua, non in nostra. *es vn lince, y vn diuino zaori: Intellexisti cogitationes meas à longè,* ait Dauid. Nota, *à longè,* nondum aliquid cogitasti, & ipse iam penetrauit cogitationes tuas. Hoc igitur est, quod magnum in nobis generat pauorem. Si pictor imaginem aliquam elaboratam in publicum extrahit, non timet vulgi sententias, sed alicuius Apellis, aut Michaelis Angeli iudicium, quia hi veluti artifices in arte pingendi periti, quid boni, vel mali, perfecti, & imperfecti in ea contineatur, primo intuitu animaduertunt. Est anima nostra imago Dei, qualem in ea perfectionem, vel imperfectionem adhibuerimus, nouit ille primus, & subtilis animarum formator, primoque iutuitu omnia infallibili iudicat iudicio. *Psal.90.* *Ps.138.3.* *Simile.*

Vnde Sap.1. *Renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, & linguæ eius auditor,* id est, quidquid cogitet, quidquid desideret, quidquid loquatur homo, siue illa interna locutio sit, siue externa prolatio, Deo perspectum est. Vnde Paulus 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi:* in originali Græco &c, Omnes nos oportet pellucidos, & transparentes fieri, instar corporis diaphani, quod luci, & oculis peruium est. *Sap.1.6.* *2.Cor.5.10.*

Secundum caput, ex quo trepidatio nostra circa iudicium nostrum pendet, est profunditas cordis nostri, Ierem. 17. *Prauum est cor omnium, & inscrutabile, quis cognoscet? ego Dominus scrutans cor, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam suam:* in Hebræo pro *prauum*, est *hachob*, hoc est, deceptiuum, versutum, versipelle, & fraudulentum. Et quidem si hoc verum esset solùm respectu aliorum hominum, qui alienum iudicant cor, non adeo mirum, quantumuis ille, qui alterius cor iudicat, sapiens, & ingeniosus sit; sed hoc mirabile magis, quòd ipsimet homini, cuius est cor, sit ita profundum, & deceptorium, vt quid velit, quid intendat, quò tendat, quemque scopum petat, ignoret. Iurabis te talem, vel talem intentionem habere in aliquo facto tuo, & falleris, & deciperis ipse, tu tibi iurabis te gloriam Dei quærere, cùm tuam quæras, &c. ideo Ierem. *Quis cognoscet illud?* quasi dicat, nullus, nec ipsemet homo cognoscet cor suum proprium, sed Deus solus. *Ier.17.9.*

Vnde Iob 9. *Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea:* quasi dicat, si me in hoc sterquilio, & labore summo constituam, anteactæ vitæ conscientiâ, & innocentiâ voluero consolari, non valeo exactè, cùm id mihi certò, & clarè constare non possit. Vnde, an sim sanctus, & innocens, sub iudice adhuc lis est. *Iob 9.20.*

Hinc ergo oritur timor noster, quòd nemo sciat an odio, vel amore dignus sit, licèt non reprehendat eum cor suum.

Vnde Dauid Psalm. 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.* Videor mihi videre hominem trementem, & damnationem æternam pauentem. Delicta (inquit) quis intelligit? quasi dicat, nec ego ipse mea ipsa delicta scio me scire; vnde, *ab occultis meis munda me Domine,* ab his, inquam, quæ etiam me latent ex profunditate cordis: *& ab alienis.* Quid est *ab alienis?* si aliena, alieni timeant alieni veniam eorum petant; tu quid propter aliena times? Incognitus: Duo genera peccatorum alienorum timenda sunt, primum eorum, qui aliorum curam habent, vti sunt Sacerdotes curam habentes animarum, & Prælati, & patres familiarum, qui fedditurisunt rationem, non solùm de propriis factis, sed etiam subditorum. Secundum est eorum peccatorum, quæ alij committunt ob malum exemplum: hæc aliena peccata vocauit Dauid, & ex his horrore perculsus, Dominum deprecatur, ne ob ista damnari se permittat. *Ps.18.4.* *Incognitus.*

Quòd si sanctissimi viri, Dauid, Iob, & Apost. Paulus ita pro peccatis occultis timent, quid peccatorem facere oportet, qui occulta, & manifesta timere debet? quid denique nos omnes. Et quidem maximè nos attendere oportet cuncta secretiora nostra, quia facilius est manifestis, quàm occultis peccatis remedium adhibere, quia manifesta peccata conscientiam conuincunt, & ipsa contra nos clamant, occulta verò tacent, nec conscientiam mordent.

Hinc

Apoc. 4. 8. Hinc Apocal. 4. *Quatuor animalia habebant alas senas in circuitu, & intus plena sunt oculu.* Mirũ valde intus habere oculos: oculos enim foras emisit natura, vt quæ foris oculis cernimus, intus intelligere valeamus. ad quid enim intus oculus? vnum ex his quatuor animalibus homo erat, vt homini etiam hæc conuenire sciamus. Hominem igitur sex alas habere oportet, vt in principio, & in progressu, & fine vitæ, celerem, & velocem esse se debere in Dei seruitio intelligat. Intus autẽ maximè oculos habere in corde conuenit: prauum enim est cor hominis, & inscrutabile, & ex corde exeunt cogitationes, intentiones, desideria, amores, odia, & plurimæ aliæ affectiones, ex quibus, quæ bona, vel mala in verbis, & operibus sunt, procedunt. Plenum igitur oportet esse oculis hominẽ intus, vt videre possit, quid cogitet, quid intendat. Si enim, qui huiusmodi abundant oculis, non semper vident, quæ intus eueniũt in corde, quid de his dicemus, qui nullum intus oculum habent, nullam, inquam, attentionẽ, & considerationem affectuum interiorum? Quare non sine causa in throno ipso Dei quatuor hæc animalia constituta memorantur: hi enim, quos huic throno assistere oportet, (nullus verò qui non) huiusmodi oculis internis necesse est abundent, si quidem de omnibus internis, quæ innumerabilia sunt, ratio est reddenda.

Marc. 11. Marc. 11. cùm vidisset Christus à longè ficum habẽtem folia, venit, si quid fortè inueniret in ea, & cùm veniisset ad eam, nihil inuenit præter folia: non enim erat tempus ficuum. Sciebat quidem non esse ficus in ea ficulnea, & tamen nihilominus venit quærere fi. us, & quia non inuenit, maledixit ficulneæ, &, vt ait S. Matth. c. 21. *statim aruit.* Communis dubitatio est, cur maledixerit Dominus ficulneæ, si fructus tempus non erat? Sit vnius loci Scripturæ glosla locus alius eiusdem Scripturæ Apost. Paul. 2. ad Timoth. 4. *Prædica,* inquit, *verbum, insta opportunè, importunè*, vbi S. Thom. objcit locum illum Eccli. 20. *Ex ore fatui reprobatur parabola: non enim dicit illam in tempore suo.* & illud Proverb. 15. *Sermo opportunus optimus est*; importunus igitur sermo quomodo suadetur à Paulo? Respondit S. Thom. aliquando esse sermonem prædicationis importunum, non secundùm se; sed secundùm existimationem audientium, & acceptionem eorum, qui dispositi non sunt ad eum audiendum, & ideo etiam importunè prædicandum esse sermonem, qui in se opportunus est. Importunè quidem videtur Christus exigere à ficulnea ficus eo tempore, sed nihilominus exegit, vt nobis significaret, opportunè exigi læpe, quod importunè à nobis exigi existimamus. Importunum fortè dices pauperem à te eleemosynam exigentem, hoc vel illo tempore; & tamen in die Iudicij opportunè à te eleemosynam postulasse ostendet Christus, & maledicet tibi, dicens: *Ite maledicti in ignem æternum, quia esurui, & non dedistis mihi manducare*, &c. multa similia, quæ secundùm nostram existimationem non esse ad Iudicium deducenda, existimamus, adducet Iudex ille iustus. Cautè igitur, ad quæ teneamis, attende.

2. Ti. 4. 2. Thomas. Ec. 20. 22 Pro. 15. 23

Matt. 25. 41.

Prop. XIX. *In Iudicio reddenda est ratio peccatorum etiam alienorum.*

Chrysost. S Anctus Chrysost. tom. 5. lib. 13. aduersùs vituper. vitæ monast. *Iudex tunc nostram & proximorum salutem requiret à nobis, idcircò Paulus monet singulos, non quæ sua sunt quærere. sed quæ proximorum. Ideo in epist. ad Cor. vehementer inuehitur, quòd nullam prouidentiam, nullam curam habuerunt eius, qui in grauissimum incidebat crimen, sed magis eius vulnus tumidum, obduratumq; contempserant. Galatis quoque eadem scribens, aiebat,* Fratres & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi corrigite, & *Thessalonicensibus*: Exhortamini inuicem, corripite indisciplinatos, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos. *ne quis scilicet diceret: quid meà interest aliorum curare salutem? qui perit, pereat, & qui seruatur, seruetur, nihil horum pertinet ad me. Itaque etsi vitam omnem nostram diligentissimè composuerimus, hac non euitat à negligentiâ, nihil emolumenti cõsequemur: ea enim sola in gehenna profunda potest immergere nos. Si enim is, qui proximum in his rebus, quæ ad corpus pertinent, adiuuare noluerit, nulla ratione excusari poterit, verùm etsi virginitatem ille seruauerit, extra gloriam proijcietur; is, qui quod multò maius est (omiserit longè quippe maximum est animarum gubernatio) cur non mala maiora perpeti meritò dignus existimetur? hominem enim, non vt sibi ipsi tantùm prodesset, creauit Deus, sed vt multis. Idcircò Paulus fideles vocat luminaria, ex ipsa appellatione manifestans, oportere fideles ceteris quoque vsui esse: luminare enim, quamdiu seipsum tantùm illuminat, luminare profectò non est. Quare Gentilibus quoque ipsis deteriores esse ait, qui proximorum salutem neglexerint, sic dicens:* Si quis autem suorum, & maximè domesticorum prouidentiam non gerit, fidem negauit, & est infideli deterior. *Quid autem, hoc loco prouidentiæ nomine significari existimas? an fortassis necessariorum largitionem?* Et quidem *reor ipsum hoc nomine curam animæ significare voluisse, sin verò tu contentioso sensu, sic quoque sententia mea firmior manebit: nam si de corpore hoc dixit, eum, qui vilem hunc, & quotidianum cibum non præbet, tantis cruciatibus addixit, & Gentilibus deteriorem esse ait, quonam tandem in loco statuimus eum, qui id, quod longè maius, & dignius est, & magis necessarium contemnit?* Ita S. Chrysost.

Phil. 2. 1. Tim. 5.

Prop. XX. *In Iudicio omnia etiam occultissima cordis manifestabuntur.*

C Icero 2. de legibus: *Sit hoc à principio hominibus persuasum, deos esse dominos, & moderatores omnium rerum, & ea, quæ geruntur, eorum geri ditione, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, intueri, piorumque ac impiorum habere rationem.* Ita ille, licèt ethnicus homo. Si ergo omnium curam habet, & omnia intuetur, de omnibus rationem exigere debet, alioquin quo pacto piorum, & impiorum rationem haberet? Vnde etiam idem Tullius 3. de Naturâ Deorum: *Obscurum Deo nihil potest esse.* Ita ille.

Prop. XXI. *Quòd etiam de occultis cogitationibus sit reddenda ratio.*

E Go Dominus *scrutans cor & probans renes.* Probare in sacris litteris idem est quod explorare & examinare; per renes verò interiora hominis & secretiora intelliguntur, cogitationes videlicet, & desideria, & intentiones, &c. Clariùs enim cognoscit Deus hæc profunda, & arcana, & inscrutabilia, quàm nos quæ oculis videmus, & manibus attrectamus.

Quod quidem ita manifestum est, vt naturali lumini sine fide assequuti sint multi philosophi. Etenim Cicero lib 3. de legibus recitat sententiam Philosophi magni Thaletis Milesij, dicentis: Assiduè volutandum animo est, non solùm facta & dicta, verùm etiam cogitata diuinis oculis patere. ita Milesius, cui subscripsit Cicero, & insuper dixit; Omnem virtutis Philosophiam hoc vno verbo Thales complexus est. Recitat quoque dictum hoc Thaletis Valerius Maxim. lib. 7. cap. 2. num. 7. & ait: Mirificè Thales interrogatus an facta hominum Deum laterent; Nec cogitata, inquit, vt non solùm manus, sed etiam mentes puras haberemus, cùm secretis cogitationibus nostris, cæleste numen adesse crediditissemus. ita Valerius. Ecce quid ex hac intimâ & certâ Dei sapientiâ & cognitione inferre debeamus.

Thales. Valerius.

Quòd exactiùs intulit S. Auguste. in Soliloquio cap. 14. dicens: *Magna nobis est indita ne cessitas iustè recteque*

S. Aug.

viuendi, qui cuncta facimus ante oculos iudicis cuncta cernentis. ita S. Auguſt. Pondera, *ante oculos iudicis*, non ait ſolùm, *ante oculos Dei*, ſed, *iudicis*, quaſi dicat: Ante oculos Dei, qui de cunctis malis, & bonis iudicare debet. Et ratio aperta huius eſt, quia omnis bona actio interna & externa, laude & præmio digna eſt, mala verò ſupplicio: ſupplicium autem hoc, aut præmium, à iudice aliquo reddi debet; quis autem talis niſi Deus, qui ſolus omnia interiora nouit, quique rectiſſimus, & iuſtiſſimus iudex eſt? Vide igitur quid agas, quid loquaris, quid cogites, vel ames interiùs; quia de his omnibus iudicandus es ab incuitabili Iudice. A

Seneca. Item Seneca, *Sacer* (inquit) *intra nos ſpiritus reſidet, bonorum malorumq; obſeruator & cuſtos.* Ita ille. Pondera, *obſeruator*, quæ quidē dictio duo importat, & quòd videt & notat Deus noſtra interiora, & ſeruat ea ſecum ad iudicandum, ſcilicet de illis: ad quid enim aliud obſeruaret? alioquin videre dicendum erat, & non obſeruare.

Item Seneca epiſt. 25. *Sic* (inquit) *viue tanquam ſub alicuius boni viri ac ſemper præſentis oculis.* Ita ille. Quòd ſi tantùm ad bene viuendum imaginaria præſentia alicuius boni viri iuuat, quantò magis realis Dei Iudicis noſtri præſentia iuuabit? B

Ioſeph. Ioſephus lib. 1 Antiquitat. c. 4. de Abel iuſto, ait: *In omnibus quecumque gerebat, Deum cenſebat eſſe præſentem.* Ita ille. Vnde non mirum quòd adeo ſtrenuus fuerit in oblationibus ſuis, & adeo Deo charus & acceptus. De

Verſ. 22. Enoch etiam Geneſ. 5. dicitur: *ambulauit cum Deo*, hoc eſt, præ oculis Deum habebat, & quæ oculis Dei placita erant, faciebat. Quamobrem tranſtulit illum Dominus, & à laqueis mundi liberauit.

PROP. XXII. *Quòd in Iudicio Deus etiam opera bona examinabit.*

Matth. 5. 29. MAtth. 5. ſic Chriſtus Dominus: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum & proice abs te; & ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proice abs te*, &c. Quid ſibi vult parabola illa? cur de oculo dextro & manu dextera potiùs quàm de oculo ſiniſtro, & manu ſiniſtra hoc dixit? S. Hieronymus in hūc locum: *Cauendum eſt igitur, ait, ne quod in nobis optimum eſt, labatur in vitium: ſi enim oculus dexter & manus dextera ſcandalizant, quanto magis ea, quæ in nobis ſiniſtra ſunt?* ita S. Hieronymus, v. g. quia eleemoſyna, & oratio, & confeſſio, & communicatio, &c. vanitatis periculo expoſita ſunt, &c. C

S. Hier.

Idem. Idem de muneribus ſpiritualibus & officijs reſp. hæc enim omnia bona ſunt, ad dexteram pertinent, ſed propter defectum bonæ intentionis vel alterius debitæ circumſtantiæ, ita maculari poſſunt, vt ex bonis ſiniſtra reddantur. Ideò igitur Dominus ait: *Cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.* Vigilate iuſti.

Geneſ. 4. Geneſ. 4. *Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccaſti.* Quid eſt, *rectè offerre, & non rectè dividere?* S. Gregor. Moral. 10. *Rectè offertur, cùm bona intentione bonum opus agimus, ſed non rectè diuidimus, ſi habere diſcretionem in bono opere poſtponamus, & quod piè agitur etiam ſubtiliter non diſcernatur. oblata enim diuidere, eſt quælibet bona noſtra ſtudia, ſollicitè diſcernendo penſare: nonnunquam enim ſit reatus criminis, quod exiſtimatur cauſa virtutis.* ita S. Gregor. quaſi dicat, non ſolùm quod ſecundùm ſe bonum opus eſt, ſed quod etiam piè & cum bona intentione facimus vel dicimus, examinare debemus: poteſt enim aliqua circumſtantia claudicare. D

S. Greg.

Idem. Probat hoc S. Gregor. amicorum Iob exemplo, dicens: *Penſemus cuius charitatis opus fuerit ad afflictum concorditer conuenire, & quanta virtus longanimitatis exiterit, ſeptem diebus & ſeptem noctibus cum afflicto tacuiſſe? quæ humilitas tot diebus & noctibus in terra ſediſſe? quæ compaſſio pulueri capita conſperſiſſe? Sed tamen inchoantes loqui vnde ſe præmium mercedis eſtimauerunt acquirere, inde eos contigit reatum reprehenſionis inuenire, quia incautis ſæpe ad peccati finem vertitur, etiam quod ſolo ſtudio mercedis inchoatur. Ecce præcipiti locutione perdiderunt bonum, quod tanto pretio mercati ſunt. Quantā ergo Dominus animaduerſione puniet ea quæ malo voto perpetrantur, ſi inchoata bono ſtudio, ſed negligentiā indiſcretionis admixta inuectione caſtigat? Vnde neceſſe eſt, vt non ſolùm intueamur quod agimus, ſed etiam quanta cum diſcretione agamus, vnde Hieron. 48. Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter. Bona ergo geſta timeamus, quia ſæpe in iuſto iudicio Dei culpa deprehenditur, quod virtus cenſebatur, & vnde expectatur merces, ſupplicium ſequatur.* ita S. Gregor. *Verſ. 10.*

Geneſ. 1. Dixit Deus: fiat lux, & facta eſt lux; & vidit Deus lucem quòd eſſet bona. *Ponderat Oleaſter locum hunc, dicens: Non ſat fuit Deo lucem creare pulcherrimam, niſi eam poſtquam condidit examinauit: nunquid Domine in opere tuo defectus aliquis eſſe poteſt, vt examine opus ſit, cum potiùs ad lucem reliqua omnia examinentur? Exiſtimo te hoc mihi dicere velle, vt examinem & diſcernam ego tenebras meas; ſiquidem ita tu examinas lucē tuam. Quare, quantumcumque opus tuum, ô homo, purum & bonum tibi eſſe videatur, confer illud ad ſpeculum diuinæ legis, vt videas & emendes ea, quæ emendatione deprehenderis digna.* Ita ille. Bona eſt eleemoſyna, bona ſunt ieiunia, bona omnino: ſed ea examina, ne fortè ſint velut opera ſimilia Phariſæorum, de quibus Chriſtus Dominus: *Omnia opera hæc fiunt, vt ab hominibus videantur*, hoc eſt, plena ſunt ſuperbiā, & vanā gloriā, &c. *Matt. 6. 5*

Matth. 3. ſic Ieannes Baptiſta agens de Chriſto Domino: *Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igne inextinguibili.* Hoc loco primò paucitatem ſaluandorum, & multitudinem damnandorum attende. Metaphoram enim propriam valde tetigit Baptiſta: videbis enim in area agricolæ aceruos magnos meſſium, in quibus grana mixta ſunt paleis, ventilabro autem examinati, ex magno quodam aceruo, aceruus exiguus tritici remanet, reliquum verò palea erat, & à vento rapta; ſic in populis Chriſtianis aceruos magnos hominum videas in quibus palæ peccatorum, cùm tritico iuſtorum mixtæ ſunt; ſed cùm ad iudicium venerint, & ventilabro diuini examinis fuerint ſeparati, perexiguos aceruos ſaluandorum videbis; magnam verò valde palearum quantitatem in æternum ignem mittendarum. Væ nobis: aperite oculos mortales, & cauete ne ex magno palearum numero ſitis. *Matth. 3. 12.* *Simile.*

Secundò aduerte in eadem metaphora quot & quanta ſint opera, quæ iudicio noſtro pretioſa videntur, quæ tamen in Iudicio Dei vilia & mala & ſupplicio digna eſſe conſtabunt. Sicut enim in area acerui magni ſunt, dum non accedit ventilabrum, poſteà verò tritici parui ſupereſt menſura, & quod reliquum erat palearum ventus abſtulit, ſic ante iudicium multa bona opera eſſe videntur, quæ tunc vana & tanquam palea à vento rapientur.

Et hinc iuſtorum pauornam: licèt iuſti eſſe videantur, tamen iudicia Dei differunt nimis ab hominum iudicio. Vnde ponderans Beda verba illa Luc. 1. vbi agens S. Lucas de parentibus S. Ioannis Baptiſtæ, ait: *erant ambo iuſti ante Deum*: Bene (inquit) iuſti ante Deum: non enim omnis qui iuſtus eſt ante hominem, iuſtus eſt ante Deum; aliter namque vident homines & aliter videt Deus, homines in facie, Deus in corde, beatus autem ille qui in conſpectu Dei iuſtus eſt. ita Beda. *Beda. Verſ. 6.*

Hinc timor ille S. Abbatis Agathonis, qui morti propinquus Iudicium Dei timens, dixit: Egredere anima mea, quid times? Septuaginta prope annis Deo ſeruiſti, & nunc egredi times? Hinc timor ille aſſiduus B. Arſenij Abbatis, qui interrogatus cur ita ſemper pa- *Agatho Abbas.* *Arſenius.*

ueret, dixit, quia iudicia Dei, à iudicijs hominum valde diuersa sunt, nimirùm, quia ipse dixit: *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* A

Prop. XXIII. *In Iudicio Deus iustitias iudicabit.*

Ps 74 3. SIc Dominus ipse Psalm. 74. *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Nunc transire sinit tempora Deus, & quæ volueris in tempore perficere, sinit: verùm, cùm tempus aduenerit Iudicij, vocabit aduersùs peccatorem tẽpus omne transactum, & quidquid in tempore commiserit homo, requiret, non solùm opera mala, sed etiam opera bona, & iustitias iudicabit. *Terribile verbum*, ait Cardinalis Hugo, *quòd non tantùm peccata iudicabit, sed & iustitias, bona scilicet opera examinabit.* Ita ille. Respicit rusticus hastiludium, & eos potissimùm equites laudat, qui plures in partes hastas concregerint, elamatque victoriam: at iudices, qui perspiciùs rem examinant, qualiter eas fregerit quisque, circumspiciunt, an fortè ex transuerso, an rectà cuspide, &c. Vnde sæpè sæpiùs illis præmium exhibent, qui particulam minimam fregerunt; qui tamen galeam, quam viseram vocant, directo ictu attigerunt. Sic Deus Iudex iustus, non illi præmium in Iudicio assignauit, qui plura opera misericordiæ præstiterit, vel sæpiùs sacramenta sumpserit, &c. sed illi qui suæ intentionis cuspidem in Dei gloriam meliùs direxerit, & rectiùs opera Christiana fuerit operatus. Hugo. Similis. B

Prop. XXIV. *In Iudicio de beneficijs diuinis est reddenda ratio.*

DE cunctis beneficijs est à nobis reddenda ratio Deo in Iudicio, qualiter nempe illis vsi fuerimus, & qua gratitudine animi in Deum, & ceteris, & maximè de beneficio inæstimabili redemptionis nostræ. Apocal. 6. agit Apostolus Ioannes de die Iudicij, quem in spiritu vidit, *Reges* (inquit) *terræ, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium, & dicunt montibus, & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?* Communis authorum explicatio est de tempore Iudicij hic agere Ioannem, alij allusionem tantùm ad diem Iudicij esse aiunt, quomodocumque sit, ad Iudicium hæc spectant, & quæ in futuro Iudicio futura sunt, annuntiant: tunc igitur tantus erit terror, & horror hominum, vt mori optantes montibus dicant: *Cadite super nos* &c. vnde autem tantus horror, subdit: *A facie sedentis super thronum, & à facie iræ agni*: quis non miretur tantam ex agno timere homines iram? si leonem ferocissimum rugientem vidissent, & audissent, non ita mirum: at verò agni ira quanta, quæso, poterit esse? quis agnum timet, quantumuis iratum? Mysterij huius ratio est sumenda ex passione Christi, quando scilicet tanquam ouis ad occisionem ductus fuit, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, vti prophetauerat Isaias. Iram igitur agni pro nobis immolati meritò perhorrescent homines in Iudicio, quia de beneficio huius immolationis agni tunc exegit rationem ipse agnus, iratus in eos, qui tantum beneficium contemnentes, iterum crucifixerunt, cùm in semetipsis peccat, iram supra tali, tantoque beneficio fundatam meritò pertimescent; tenebantur mille cordibus, si tot homines haberent, agnum hunc immaculatum amare, & ei fideliter ad mortem vsque seruire, vnum autem solùm habentes illud in mundi amorem, & obsequium impendunt, quid non graue hi promerentur? Ferf. 15. C Cap. 53. D

Deut. 32. 4 Sic Moyses ad populum Israel: *Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia.* Duo hic notabilia dicit, primum est quòd omnia, quæ ad commodũ nostrum hic Deus creauit, & beneficia nostra sunt, perfecta fecit omnia, *que no les falia vna tilde, ni vna vuilleta*: perfectum enim est, secundùm Philosophi sententiam, cui nihil deest ex his, quæ ad illum pertinent ad plenitudinem essendi: perfectus igitur est mundus iste, quia nihil ei deest ex sibi necessarijs ad suum esse. Quod alijs verbis Ecclesiasticus explicauit: *Didicit quòd omnia opera quæ fecit Deus perseuerant in perpetuum: hecho de ver que todas las obras de dios pueden durar por pennæs, que nunca falta ra por ellas segun son de obra prima, y bien foriadas.* quod quidem interpretatur S. Thomas de his operibus, quæ Deus voluit perpetua esse: quædam enim voluit perpetua esse, sed temporaria & corruptibilia, &c. rerum autem perfectarum est permanentia. Cùm igitur vniuersum permanens sit, perfectum esse oportet: opera igitur quæ in vtilitatẽ nostram & obsequium nostrum fecit Deus perfecta sunt. vnde ait Scriptura: *Perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum.* meritò ergo Moyses ait: *Dei perfecta sunt opera*; beneficia scilicet exhibita nobis in mundo. Secundo loco ait: *& omnes viæ eius iudicia*, quænam viæ sunt hæ, quas vocat Moyses iudicia? Viæ in sacris litteris dicuntur eadem opera Dei: nam sicut per viam aliquam ad destinatum pergimus locum; sic etiam per creaturas & opera Dei in cognitionem ipsius Dei peruenimus, secundùm id, *Inuisibilia ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Hinc, *Omnia* (inquit) *subiecisti sub pedibus eius*, &c. cur sub pedibus? cur non supra caput nostrum, siquidem opera Dei omni sunt reuerentiâ digna? Quia hæc opera Dei viæ Dei sunt, viæ autem sub pedibus collocantur, meritò ergo sub pedibus illa collocauit, quasi diceret: Hæc est via, ambulate in ea, & ad Dei agnitionem peruenietis, hæ igitur viæ sunt, de quibus Moyses ait: *omnes viæ eius iudicia*, id est, omnia Dei opere iudicia sunt. cur iudicia? quia iudicij causa sunt nobis per figuram Metonymiam, quâ effectum pro causa vsurpamus, sicut si diceremus: Talis cibus, vel talis potus illi homini mors fuit, quia mortis causa fuit, sic opera Dei iudicia sunt, quia causa sunt Iudicij Dei: in Iudicio enim omnium operum Dei rationem reddituri sumus, qualiter scilicet eis vsi fuerimus: nam beneficiorum Dei à nobis ratio exigetur, an scilicet bene vel malè in Dei obsequium vel offensam eis vsi vel abusi fuerimus, &c. salutis scilicet, vitæ, diuitiarum, honorum, & bonorum naturalium, & supernaturalium, his quippe omnibus nos in suum obsequium deuinxit. Rom. 1. 10 Psal. 8. 8. Deut. 32. 4. Gen. 1. 1.

Hinc etiam idem Moyses sic Genesim inchoauit: *In principio Deus creauit cœlum, & terram.* vbi originale Hebræum sic habet in principio Eloim, &c. Eloim autem iudices significat, quasi dicat: In principio Deus qui Iudex est creauit cœlum, & terram, cur Iudicem hic Deus potiùs appellat quàm Creatorem, vel Saluatorem, vel glorificatorem, vel omnipotentem, &c. Nimirùm, quia eo ipso quòd cœlum terramque produxit & tradidit nobis in iudicium, iam nos vocatos credamus ad reddendam horum beneficiorum rationem. Creauit denique omnia, quæ contulit nobis; tamquam Iudex, qui tempore suo exigat rationem. Sed hoc amplius exponamus.

In principio, inquit, *creauit Deus cœlum & terram.* In Hebræo loco illius nominis Deus ponitur Eloim, quod, licèt pluralem numerũ importet, pro singulari etiam accipi potest; significat verò iudicem: sensus ergo est, in principio creationis mundi Iudex creauit cœlum, & terram. Sed cur (inquies) appellatione Iudicis hîc Moyses vsus fuit, cur non simpliciter dixit: In principio Deus creauit cœlum & terram? Iosephus hunc locum discutiens, ideo ait Iudicis nomen in rerum creatione Deo tribuisse Moysen, vt notum nobis omnibus esset, quòd qui misericorditer in obsequium & beneficium

cium noſtrum cœlum, & terram, & quæ in eis ſunt, A creauerat, iuſtè vt Iudex à nobis rationem exigere debebat, an rectè, an verò peruersè his omnibus vſi fuerimus. & quidem eadem ratione meritò Eloim, hoc eſt, Iudices, in plurali dixit: nam tres ſimul perſonæ diuinæ à nobis exigent rationem de his, quæ nos accepimus ab eis. Pater enim, cui rerum naturalium omnium attribuitur creatio, à nobis ſtrictè quæret, quomodo vſi fuerimus rebus creatis; primò de his quæ in nobis ſunt, corpore ſcilicet, & anima, potentijs, inquam, corporeis, qualiter viſum expenderimus, an in vxorem Vriæ aciem eius fixerimus, &c. Idem de auditu, & guſtu, odoratu, & tactu, idem de intellectu, memoria, & voluntate, idem de ſalute, de tempore, & vita noſtra, & denique de cogitatione, verbo, & opere.

Filius exigit à nobis rationem de redemptionis noſtræ beneficio, de ſanguine, quem noſtri causà effudit, de doctrina quam in Euangelio ſuo tradidit nobis, de operibus, & exemplis, & miraculis ſuis, de paſſione, ac morte ſua, de fide quà nos Chriſticolas effecit, de Sacramentis Baptiſmi, Pœnitentiæ, &c.

Spiritus ſanctus etiam à nobis exiget rationem de B gratia nobis in Baptiſmo data, de doniseius, de inſpirationibus & vocationibus interioribus, & exterioribus, de remiſſione peccatorum toties repetita, & denique de omnibus ſpiritualibus bonis. Ideò igitur ait: Eloim, id eſt, Iudices, creauit cœlum & terram, quia qui creauit cœlum & terram, beata ſcilicet Trinitas, à nobis rationem poſtulabit de omnibus, quæ pro nobis in terra & in cœlo eſt operata.

Apoc. 15. 4. Apocal. 15. *Quis non timebit te Domine, iquia ſolus pius es?* Quid ais Apoſtole ſancte? ideóne timendus eſt Deus quia pius? non timendus ſed amandus propterea eſt, & in quem omnis homo, quantumuis peccator ſit, debeat ſperare. Ita quidem pietas Dei confidentiam, & ſpem ſalutis noſtræ excitat in nobis: ſi tamen pietate Dei non abutamur, ſi enim abuſi fuerimus, ipſa pietas, beneficētia, & miſericordia in damnationem noſtram cedet: ſicut ſi ſaccharum vel mel, vel ex ſaccharo & melle bellaria confecta comederit, ſi ea non digerit, & decoquit, in damnum illi conuertuntur, & infirmitatis C vel etiam mortis occaſio fiunt; ſic dulciſſima beneficia Dei, ex eius pietate & bonitate promanantia, ſi non rectè ea digerimus, & actuamus, in mortem nobis æternam cedent. Ideò igitur ait: *quis non timebit te Domine, quia pius es?*

Geneſ. 1. Rurſus Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*, &c. hic in originali Hebræo dicitur: *In principio creauit Eloim cœlum & terram. Eloim* idem eſt quod *Iudices*, vt diximus. Cur igitur non dixit, *In principio omnipotens creauit*, &c. ſiquidem in creando Deus omnipotentiam ſuam demonſtrauit: nemo enim, niſi qui omnipotens eſt, poteſt creare etiam inſtrumentaliter. Ratio huius eſt, vt hâc ratione nos creaſſe Deum & nobis bona creata tradidiſſe intelligeremus, vt de bonis acceptis per creationem rationem Deo reddendam ſci-

S. Aug. Verſ. 13. remus. Vnde S. Auguſt. in illa verba S. Iacobi Apoſt. cap. 2. *Superexaltat miſericordia iudicium*, ait: *Quò enim maior Dei eſt erga homines magnificentia, eò iudicium eius ſeuerius erit, ſi beneficijs eius ingrati fuiſſe conuincantur.* Ita D ille. Qui etiam in tractatu quinquaginta homiliarum homil 36. *Gratias agamus diuinæ miſericordiæ, & totis viribus laboremus, vt beneficia Dei non nobis iudicium pariant, ſed profectum: quamuis enim multum præſumere debeamus de miſericordia Dei, non tamen negligenter timere debemus iuſtitiam eius.* Ita ille. Imò quantò maior extitit beneficentia eius in nos, tantò magis nos gratos in vſu beneficiorum oſtendere debemus, dicente S. Gregor. homil.

S. Gregor. 9. in Euangelia: *Cùm augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum; tantò ergo eſſe humilior atque ad ſeruiendum Deo promptior quiſque eſſe debet ex munere, quantò ſe obligatorem eſſe conſpicit in reddenda ratione.* ita S. Gregor. Cùm igitur cuncta viſibilia propter nos creauerit Deus, meritò in ipſa creationis mentione dictum eſt, Iudicem eſſe qui hæc creauit, dicens: *In principio Iudex creauit cœlum & terram*, ſcu, *Iudices*, id eſt, omnes tres perſonæ Trinitatis. Et ad hoc deſeruit parabola Talentorum Matth. 25. vbi dedit talenta, & poſtea rationem exiget eorum, &c. Vbi expende ſupplicium irrogatum ei qui talentum abſcondit. Qualis igitur futura eſt pœna illius, qui non ſolùm talentum ſibi præſtitum reſeruauit, ſed etiam dilapidauit & prodegit? & qui, vt ait S. Gregor. Nazianz. *talenta & creaturas ſibi à Deo conceſſas, tanquam arma, in datorem retorſit?*

PROP. XXV. *In Iudicio de bonis temporalibus reddenda eſt ratio.*

SAnct. Chryſoſtomus epiſt. 8. *Dines ille atrocem in modum cruciatur, non ſolùm causâ crudelitatis in Lazarum, ſed etiam florentis ſtatus, quo per omnem vitæ curſum fruens, nec hinc quidem melior effectus eſt.* Ita ille.

PROP. XXVI. *In Iudicio finali quæ nunc latuita videntur, grauia eſſe patebunt.*

Pſal. 48. PSal. 48. *Audite hæc omnes gentes* (ait Propheta regius) *auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quique terrigenæ, & filij hominum, ſimul in vnum diues, & pauper.* Quàm ingens, & peregrinum exordium Pſalmi huius. Quid ſibi vult Propheta Dei, qui non contentus ſui populi auribus, omnium gentium, omniumque habitantium orbem, auditum expoſcit? quòd *os meum*, inquit, *loquetur ſapientiam, & cogitatio cordis mei prudentiam: inclinabo in parabolam aurem meam: aperiam in pſalterio propoſitionem meam.* Dicam, ait, quæ ſapientes homines audire decet, & non quæ ſuperficietenus mente concepi, ſed quæ maturè præmeditatus ſum, & ad prudentiam ſpectant, quæque non à me, ſed Spiritu ſancto dicti, qui parabolicè, vt ſolet, indicauit mihi, & ego, vt ſoleo, pſalmis explicabo. Quot prolegomenis vtitur Dauid hoc in loco! fieri nequit, quin maximi momenti ſit, quod tantis circumloquutionibus exornauit. Loquere iam, audiuimus attentè, vt erudiamur: *Cur*, inquit, *timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Verè parabola, verè quidem ænigma propoſitum eſt; quænam hæc dies mala? Sanctus Hieronym. & *Hieron. Auguſt.* Sanctus Auguſt. in die Iudicij futuri. Ait ergo Dauid: eſt quidem tremenda Iudicij dies, ſed cur ego timebo, qui pœnitētiam egi, qui iam mihi nihil conſcius ſum? Iniquitas, inquit, calcanei mei circumdabit me. Calcaneus quidem pedis pars eſt, & non anterior, ſed poſterior, quæ non apparet; eſt igitur iniquitas calcanei illa, quam pedibus terimus, hoc eſt, deſpicimus, & nihili facimus: ea enim, quæ contemnimus, pedibus conculcamus. Erit igitur iniquitas calcanei illa, quam pro nihilo habemus, quaſi nullius momenti ſit, & quæ ad poſteriora tranſmiſimus, & poſt terga proiecimus, vbi calcaneus eſt. Hæc (inquit) timeo: hæc enim circumdabunt vallo. Non ita timeo illa peccata, quæ manifeſtè grauia ſunt, & quæ ſponte ſua ſe mihi offerunt timenda, quæ leuia eſſe videntur, & timorem, & memoriam fugiunt; Deo autem grauia fortè ſunt. Ita enim eſt: multa, quæ nobis peccata venialia videntur, à Deo tanquam grauia & mortalia reputabuntur in ſeuero eius Iudicio. Quis enim peccatum illud inobedientiæ primorum parentum ita graue putaſſet? eſus pomi erat; & quid mirum quidem? nunquid contra naturæ dictamen quid in pomo illo, ex cuius eſu tot tantaque mala prodiêre? quod ſignificaſſe videtur Ioannes Baptiſta, cùm dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata* *Ioan. 1.* *mundi.* Vbi Græca legunt, peccatum mundi, quod Be- *29.* da & ſanctus Thomas de peccato originali interpre- *Beda.* tantur, vt videre liceat, quàm graue in oculis Domini pecca-

peccatum illud fuerit, pro quo necessarium Deus duxit, Filium Dei hominem fieri, & immolari. A

In huius veritatis confirmationem audi S. Basil. *Basil.* Nequeo, ait, *planè intelligere, quod fundamentum homines inueniant, vel quem opponant murum, vt pertimescere non debeant extremum illum iudicij diem, neque intelligo, qua ratione ita peruersè viuentes, de diuina fic misericordia sperent. Inuenio equidem in litteris sacris castigasse Deum grauissimè multos, non dicam propter atrocissima scelera, sed etiam propter minima quædam, quæ non multi momenti videntur. Lege obsecro illius historiam, qui ligna Sabbato colligebat; quisnam putasset ob rem, quæ videbatur adeo leuis, & in qua tam parum videbatur Deus offendi, & proximus scandalizari, castigari hominem cum tanto rigore, vt lapidaretur, & interficeretur per manus totius populi? Contemplare item Mariam sororem Moysi & Aaron, quæ, licèt summæ virtutis esset, vti ex Exodo patet, propter id autem dumtaxat, quòd murmurauit de Moyse, adeo in eam Deus iratus fuerit, vt graui eam percusserit leprâ, & per septem dies ejecta fuerit à congregatione populi Hebræi, neque potuerit Sanctus Moyses, etiamsi* B *pro ea intercesserit, remissionem impetrare.* *Num. 13.* *Num. 12.*

Considera præterea Moysi sanctitatem, & amicitiam cum Deo, & quàm ardenter eum Deus amarit, & vide ex alia parte in aqua illa contradictionis seuerè fuisse à Deo sine remissione punitum. Si ergo tanta cum asperitate se Deus in amicos gerit, quid magnus peccator expectabit? Cùm video certè tam rectum hominem, sanctum & benignum non potuisse reuocare diuinam sententiam, apud me dico: Si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt? *Num. 10.*

Cùm video etiam mandare Deum offerri sibi arietem sine macula, vel vitulum, pro eo, qui per ignorantiam peccauerit; & quòd oret pro eo Sacerdos ad diuinam placandam iram, tacitè apud me reputo: Si ita placandus est Deus pro peccatis commissis per ignorantiam, quidnam facere debebunt, qui per malitiam peccant? quia Oza attigit arcam flatim occubuit, tu verò indies magis magisque delicta patras, vt nunquam expectare videaris diem, in quo Deus facinora huiusmodi castigaturus sit, & id inultum auferes? *Leuit. 4.*

Age iam quid egerant tantum Ananias, & Saphira, qui morte occubuerunt repentina? nónne erant suæ possessiones ille, quas vendiderant, & pretium ex possessionibus suis, quod sibi reseruarant? Neminem sanè illi fefellerant, nec pecunias, quas reseruauerant, contra conscientiam acceperant ab emptoribus; nihilominus tamen quia totam pecuniam in Apostolico deposito non posuerunt (cùm esse tradidissent vitæ Apostolicæ) fuerunt castigati. Vndenam ergo in tantù peccatù tua tanta confidentia, & minimus timor diuini iudicij prouenit? *Act. 5.* C

Interminatus est Christus Petro infernum, si non lineret lauari tantùm pedes suos, & tu non credis similem pœnam tuis sceleribus debere contingere? Ita S. Basil. *Ioan. 13.*

PROP. XXVII. *In Iudicio dæmones accusabunt nos.*

NVnc quidem pessimi dæmones, non aduersarios nostros, sed tautores se exhibent nobis: fauent enim, & alliciunt, & ea quæ nobis magis placent, promittunt, & offerunt, & præstant pro viribus nobis: tunc autem id quod nomen eorum sonat, exhibebunt, nam, vti ait S. Basilius homil. 1. quòd Deus non est author malorum? *Diabolus* (inquit) *dicitur, quoniam idem & in peccatoribus cooperatur, & accusator noster est.* Tertullianus libro 2. contra Marcion. *Diabolus idem* (inquit) *est quod delator. Denunciador fiscal y accusador nuestro.* exponamus hanc dæmonis malitiam. D

Vers. 10. 2. Reg 18. adhæsit caput Absalonis quercui; vidit autem quispiam, & nunciauit Ioab dicens: *Vidi Absalom pendere de quercu, & ait Ioab: quare non confodisti eum cum terra, & ego dedissem tibi decem argenti siclos, & vnum baltheum?* Qui dixit ad Ioab: *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex tibi, & Abisai, & Ethai, dicens: Custodite mihi puerum Absalom, sed etsi feci ssem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuisset, & tu stares ex aduerso.* ita facer textus. Nunc ad rem: Munus gratum offerebat Ioab militi illi: vnde mirum, quòd non illico ille miles cucurrit ad interficiendum Absalom, vt munere illo à Ioab oblato potiretur; sed tamen prudentior ille optimè discurrens punctum attigit, rex oppositum præcepit: vnde in vulnus & in caput meum id præstarem. *Pues no dexara de faberlo el rey, á quien las aues del ayre lleuan en vn buclo las nueuas de las cosas mas secretas,* & ipse Ioab ex aduerso mihi staret; ex aduerso, videlicet Regis sententiam aduersùm me approbando, vel me accusando, quòd transgressor mandati existissem. Sic profectò de hoste nostro diabolo philosophandum est: ipse enim est qui modò nobis suadet transgressionem diuinorum mandatorum, & ob id diuitias & delicias, & honores offert, sed quidem in die Iudicij, qui nunc suasor est, tunc accusator erit, stabit ex aduerso, nos acriter accusando, vel etiam diuinam aduersùs nos sententiam approbando; quid igitur nobis agendum est? dicam: quod egit sapiens ille miles: Si appenderis in manibus meis mundum vniuersum, nequam mitterem manum meam, vt facerem contra præceptum Dei: nam & tu, qui modo mihi bona offers, stares mihi ex aduerso. Sic qui nouit huius stoæ insidias, respondere debet, verè quippe hic, qui tibi modo aureos promittit montes, præcepta Dei fueris transgressus, dicet: O Domine, mitte hunc in ignem æternum, quia cùm homuncio, & vermis sit, tuam ausus est legem conculcare.

PROP. XXVIII. *Iudicium finale, quam graue sit ex parte sententiæ, & pœnæ æternæ.*

ITe, *maledicti, in ignem æternum.* Matth. 25. In negotijs temporalibus, & litibus ordinarijs grauitas, vel leuitas eorum ex grauitate, vel leuitate rei, de qua litigantes agunt, sumenda est: si enim grauis illa sit, vtpote quia de honore summo, vel de maioratu ditissimo, vel de vita ipsa lis sit, graue negotium dicimus esse; quàm graue igitur negotium sit, de quo agitur in hoc iudicio, ex grauitate rei sumendum est agitur. ergo non de pecunijs non de honore, fama, & gloria mundi, non de genere, non de principatu aliquo, vel etiam de regno temporali, seu denique de vita ista, sed de regno, & vita æterna, an scilicet in æternum quis saluari, an damnari prorsus debeat, quis non totis artubus contremiscat? *Vers. 41.*

Cur (inquit Dauid) *timebo in die mala?* S. Hieronymus per *diem malam* intelligit diem Iudicij, quæ peccatoribus, & malis verè mala erit, *cur* (inquit) *timebo in die Iudicij?* respondeat attende: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Calcaneus infirma pars corporis est, & quam à tergo habemus, inde ait nobis timendum est, quia iniquitates, & peccata, quæ retrò appositimus, & à tergo, hoc est, quorum iam obliti sumus, illa quæ infima, & nullius momenti reputabamus, tunc tanquam minstri quidam iustitiæ nos circumdabunt, & apprehendent: virum enim iniustum: mala capient in interitu, hoc primum est, quod tremendum iudicium reddit: *Psal. 48. 6* *Ibid.*

Subdit: *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur*, hoc est, audiant nunc, & attendant potentes à sæculo, viri famosi, qui in virtute, *Ibid. 7.*

tute, & potentia sua confidunt, & diuites, qui de multitudine diuitiarum gloriantur, num eorum maiestas genus, imperium, diuitiæ, aut amici, & subditi eorum liberare illos, aut fauere poterunt eis? frater non redimet, redimet homo? quid hoc? S. Hieronymus? Frater hic est Christus Dominus, qui est primogenitus in multis fratribus, & qui post resurrectionem suam dicit: *Vade, & die fratribus meis?* ille (inquit) tantus non redimit tunc, redimet alius homo? quod quidem summa confideratione dignum est: cùm enim copiosa sit apud Christum redemptio, tunc in Iudicio copiosa hæc; imò & copiosissima redemptio nihil proderit damnatis; imò oberit multò, quippè cùm ideò maximè supplicio digni sint, quod talis, tantæque redemptionis fructu gaudere noluerint, &c. vnde subdit: *Et pretium redemptionis animæ suæ?* subaudi, non dabit; pretium redemptionis nostræ sanguis Christi Domini est, quod quidem non dabit tunc peccator. modò quidem dare potes sanguinem Christi in pretium remissionis tuorum peccatorum, & veniæ diuinæ: tunc verò minimè poteris, quia pertransiuit tunc tempus pœnitentiæ, per quam pretium sanguinis Christi offertur Deo.

Denique subdit Dauid: *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.* vbi S. Hieronymus: *laborabit in tormentis perpetuis positus.* & Hugo Cardinalis: *laborabit, hoc est, cruciabitur, non ad tempus, sed in æternum.* Ita ille. Hic labor, hic dolor est: si enim terminum aliquem haberet tormentum illud ignis inferni, licèt grauissimum esset, quamuis duraret per plures annos, quàm aquæ guttæ sint in mari, & arenæ grana in littore eius, aliquam, imò & magnam illis inter ardores gehennæ consolationem afferret: at cùm nullum in sempiternum terminum futurum sciant, quam quæso tanti mali consolationem habebunt? *Ite* (inquit) *maledicti in ignem æternum.* O expullio! ò maledictio! ò ignis! ò æternitas! ò peccatores! vbi fides vestra? vbi ratio vestra? vbi iudicium vestrum?

Quàm terribilis futura sit illa sententia, etiamsi verbis eam non expressisset Iudex ipse, ex alijs sententijs, & pœnis propter peccata hominum à Deo illatis, facilè colligi potuisset, &, vt aliàs omittamus, quomodo genus humanum punierit Dominus, peccatum primi parentis perpendamus: ex eo enim Ieremias hanc Dei scueritatem in peccatores collegit, dicens: *A facie manus tua solus sedebam, quoniam comminatione repletus me.* Locum hunc sic explicat S. Gregorius 4. Moral. 28. *Facies manus Domini est illa percussio iustis iudicij, quæ superbientem hominem à paradiso eiecit, & in hac cœcitate præsentis exilij concluſit, comminatio verò est terror supplicij sequentis, ac si aperiè dicat; dum considero, quid iam per iudicij experimentum patior, à tumultu desideriorum temporalium trepidus, mentis fœcessum peto, quia adhuc illa, quæ minaris, acrius æterna supplicia formido.* ita S. Gregorius. Ponderemus igitur quâ pœnâ, pro quo delicto infligta puniuit Deus parentem, & omnem eius posteritatem, culpa quidem in se parua videbatur, comedere scilicet vetitum pomum, quod secundùm se licitum erat, & propter solam transgressionem illicitum, & malum: malum (inquam) solùm, quia prohibitum; denique esus pomi, pœna verò fuit eiectio è paradiso, mors animæ, & corporis, & nisi pœnitentia interceſſisset mors etiã sempiterna, priuatio iustitiæ originalis, & donorum multorum supernaturalium, & inde labor, & dolor multus, non solùm parenti, sed vniuerso generi humano, tribulationes innumeras, & grauissimas quas antecessores nostri, & insuper nos, & nati natorum & qui nascentur ex ipsis, ad finem vsque mundi experientur. Denique tam graue malum illud fuit, vt pro eo Deus ipse homo factus sit, & morte turpissima crucis cruciatus, vt peccato illi mederetur; neque enim vniuersum genus humanum ex se sufficiés erat, vt satisfaceret Deo pro illo, quis non à facie hac manus Domini totis artubus contremiscat? Hinc igitur inferre facilè possumus, qualis sit futura ira Dei in Iudicio illo seuero; si enim pro vnico illo peccato tot pœnas intulit Deus parentibus transgressoribus, & filijs contrahentibus ab eo peccatum originale, qualis erit pœna & quale supplicium pro tot, tantisque criminibus inferendum?

Iob 13. admiratus Iob laborum ingentium, in quos prouidentia suã Deus immiserat eum, *Contra folium*, ait, *quod vento rapitur, ostendi potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris?* Ita Iob, de suis tribulationibus agens; sed rationabiliùs nos de Iudicio diuino id asserere valemus: ait enim Lucas cap. 21. *Tunc videbunt filium hominis, venientem in nubibus cæli, cum potestate magna & maiestate;* siccine contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam, & maiestatem tuam? Mirentur alii Regem illum magnum muscas venari solitum, ego verò id miror, quòd tanta maiestas sua potestate omnipotenti contra folium sic insurgat. Quid est homo, nisi arboris folium? in paradiso fuit arbor, in tentatione folium, post casum stipula ficca; stipulam autem ventus quiuis rapit, hinc insurgit in eum ab Oriente Subsolanus superbiæ, ab Occidente ventus inclemens desperationis, hinc meridianus luxuriæ, inde zephyrus, seu Aquilo iræ, & vndique circumuoluitur, ducitur, rapitur vehementer, quia stipula est. Ergo contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris, & dignum ducis super huiusmodi aperire oculos tuos. quòd si contra eum sic bellum parare decreueras, cur non Moysi hoc, aut Eliæ, aut alicui Angelorum negotium commisisti? ne tanta maiestas tantam vilitatem impetret per seipsam, tanta scilicet cum potestate, & maiestate, vt affirmare audeat Sanctus Vincentius Dominic. 1. Aduentus serm. 1. quod tunc eligerent peccatores potiùs ad infernum duci pro eo tempore, quàm Deum ita videre: & in huius confirmationem adducit illud Iob 14. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus,* quod in persona peccatoris dictum asserit fuisse. Tanta igitur erit potestas, & ira Dei tunc contra folium, quod vento rapitur.

Quia quidem non adeo leuis res est animas ad imaginem Dei factas, & immortales simul cum corporibus, vel in æternum damnare, vel in æternum saluare, quid grauius apud tribunal Dei supremum potest in Iudicium deduci. *En los estados de Dios no ay causas mas graues.* Et quidem si de vnius animæ salute ageretur, an scilicet in spatio mille annorum in inferno torqueri, vel in felicitate gloriæ, collocari deberet, hoc ad diuinæ maiestatis iudicium spectaret, nec creatura, quantumuis suprema, huius rei sufficiens, iudicaretur Iudex: quid de vniuersis hominum nationibus causa, & de salute, vel damnatione sempiterna? Apud nos grauissima illa causa censetur, in qua de statu alicuius agitur magnatis, *estado de vn grande, grande pleyto*, ita vt per omnia tribunalia ventilata, ad supremum tandem deducatur. O millies, & vltrà miseri, nos hanc de statu mundi magnam iudicamus causam, quid de æterna illa dicemus? In mundo abusiuè status nominatur, nullibi, & nullus apud nos status. *Homo*, ait Iob, *natus de muliere, nunquam in eodem statu permanet.* Hic omnia currunt, & percurrunt ad mortem, ad finem; at in sæculo futuro nihil nisi æternum, ibi status; cùm transitus est in gloriam, *status est omnium bonorum aggregatione perfectus.* Vti Boëtius ait, in inferno etiam status omnium malorum est aggregatione miser, ibi abhinc mille, & sexcentis annis iam clamat dives pro aquæ gutta, quia vritur in illa flãma, & adhuc vritur, adhuc est in flamma, adhuc sitit, adhuc clamat, & adhuc non datur illi, quia in inferno nulla est redemptio, ibi status, non

Matt. 22. 20.

Psal. 48. 1.

Ibid.

Matt. 25. 41.

Cap. 15. 17.

Iob 13. 25.

Luc. 21. 27.

Iob 14. 1.

Boëtius.

non hic; si ergo causa illa grauissima iudicatur, in qua A de statu instabili huius agitur vitæ, quo nomine grauem illam dices, in qua de statu æterno ventilatur? hîc de pecunijs, vel honore, vel principatu agitur mundi, ibi de gehenna, & de gloria, &c.

Sanct. Chrysost. hom. 5. ad Roman. *Eorum te meminisse vellem, quæ in Euangelio canuntur, Angelorum circumstantium, conclauis clausi, lampadum extinctarum, potestatis in fornacem trahentium, & confusionis peccatorum: si enim nostrum cuiusquam occultum crimen aliquod hoc ipso die in medium delatum vobis omnibus simul stantibus innotesceret, nonne fugeret, vt ille interire, ac terram sub se potius dehiscere, quam tam multos peccati sui testes habere mallet? Quid igitur tunc fiet miserio nobis, quum omnia mundo vniuerso palam facta, in tam aperto, tamque illustri theatro denudata hominum, partim cognitorum, partim incognitorum oculis subijcientur. Enimverò proh dolor! vndémam ipse territare vos cogor, nempe ab hominum opinione; cum id facere conuenientius fuerit ab ipsius Dei, tum terrore, tum condemnatione qui enim: obijcere te tunc futuri sumus, quando vincti dentibus frendentibus in tenebras exteriores abducemur?* Ita Sanctus Chrysostomus, vbi prosequenda sunt, & amplificanda verba sententiæ: *Ite maledicti*, &c. Sententiam igitur discutiemus.

Nam ibi non solùm de actibus exterioribus, nec de verbis tantùm, nec de cogitationibus tantùm, sed etiam de intrinsecis intentionibus, quas vix percipit qui eas habet, iudicaturus est Deus. Locus ad hoc notandus venit 4. Reg. 10. vbi Deus elegit Iehu ad puniendum Achab propter interfectionem Naboth; præstitit Iehu quod præcepit Deus: cui Deus: *Quia studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël.* Ecce factum Iehu, & laudatum à Domino, & præmio remuneratum, & nihilominus Osææ 1. ait Dominus: *Adhuc modicum, & visitabo sanguinem Israël super domum Iehu*; quid hoc? si rectè exequutus est C & laudabiliter Iehu mandatum Domini, cur minatur ei pœnas propter illud? quia, vti ait Rupertus, Iehu non recta omnino intentione executus fuit mandatum Dei, eò quòd in ea vltione Iehu nonnulla gessit, odio peculiari motus, ait Rupert. & quia non zelo Dei, sed cupiditate regni fecit, & ideo secundùm libram diuini iudicij in eius posteros seuerè iudicatum est. Hinc constat quanta sollicitudine intentiones nostras etiam in operibus bonis examinare debeamus. Deus enim intuetur cor & intimas intentiones, prauum autem est cor hominis, quis nostrûm cognoscet illud?

Vnde etiam ad hoc id Isai. 10. *Væ Assur virga furoris mei! cur væ illi? & Zach. 1. vbi ait Dominus: Irâ magnâ iratsor super gentes opulentas, quia ego iratus sum paruum, ipsi verò adiuuerunt in malum*, &c.

Psal. 74. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, verumtamen fæx eius non est exinanita; bibent omnes peccatores terræ.* Si *merum* quomodo *mixtum*? Sensus communis, quòd hîc loquatur Propheta de calice iræ & iustitiæ Dei in peccatores in hac vita; quæ vinum *merum* est, hoc est forte & vehemens, vt patet in punitione primorum parentum, in diluuio, in supplicio Sodomorum, & alijs similibus; mixtum verò, propter diuersitatem pœnarum. sed tamen fæx eius remanet ad puniendum peccatores in die Iudicij & in inferno, vti explicuit Peluſiota in hunc locum, dicens: *Quia si peccatores modò salutem animæ aspernantur, vim nimirùm vltricem non effugient ad extremum, sed bibent meritò poculum facis in iudicio.* Ita ille. Etenim grauia solent esse supplicia Dei in hoc mundo, sed huius grauitatis fæx erit in Iudicio: modò enim pœnæ sunt temporales, tunc æternæ, modò tolerabiles, sed tunc intolerabiles prorsus; denique ignis gehennæ, & nunquam terminandæ. Væ impœnitentibus.

Prop. XXIX. *In Iudicio finali nulla erit acceptio personarum.*

Psalmo 81. inuehitur Deus in iudices acceptores personarum in iudicio: *Vsquequo* (inquit) *iudicatis iniquitatem?* hoc est, iniquè, *& facies peccatorum sumitis?* Hoc est, inquit Lira, personas malorum propter eorum potentiam, vel aliam causam prauam, accipitis. nimirum homines puri sunt hi iudices, & homo facilè depraui solet, quamuis iudex ille sit: at in hoc Iudicio diuino summa erit rectitudo, *iudicabit* (inquit) *orbem terræ in æquitate*, &c. sicut enim mercatores eâdem virgâ metiuntur pannum sericum, & fagum: sic etiam Deus seruum & dominum eius. *Vers. 2.* *Psal. 95. 13.*

Dan. 5. cùm magnus ille orbis Monarcha Balthasar cùm mille principibus suis epularetur, digitos miraculosos vidit in pariete tria illa verba scribentes. *Mane, Thecel, Phares*, hoc est, *mane*, numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud, *Thecel, appensus es in* B *statera, & inuentus es minùs habens.* sistamus hîc, quis non timebit Iudicem hunc, qui stateram in manu habet, qua ponderet reges terræ. & quidem Rex ille supremus omnium regum erat, & tamen cùm minùs id ille cogitaret, Deus in statera sua illum ponderabat, ponderabat (inquam) omnia opera eius, & quia minùs habentem illum defectuosum, & iniquum inuenit, & de medio illum tulit, & regno priuauit, & in infernum misit. *Ibid. 25.*

Agens Apostol. ad Rom. 2. de finali Iudicio, *Tribulatio* (inquit) *& angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm, ac Græci.* Vbi Sanctus Chrysostomus, *Hoc est, siue dux, siue consul, siue imperator sis: neminem enim veretur iudex ratio: nullus enim hic locus his dignitatibus relictus est. Iudæum tamen in ipso iudicio grauat, qui maiorem assequitus est doctrinam: is enim legem transgredientes maiori iudicio damnat. Quare quò prudentiores fuerimus, aut potentiores, eò plus mihi magis, quam delinquimus. Etenim si diues es, plures ipse pecunias exigeris, quam qui pauper est, si prudentior maiorem obedientiam, si principatu ornatus, facinora illustriora; & breuiter in omnibus alijs prouidi & pro modulo conseres.* Ita Sanctus Chrysostomus. Quod Christianis sacerdotibus, religiosis, &c. facilè aptari potest: maior enim Christianorum obligatio, tum ex altiore diuinorum cognitione, tum ex beneficijs à Christo Domino innumeris, & excellentissimis acceptis. Quod etiam adiecit ibidem Apostol. *Quicumque enim*, inquit, *sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Vbi Sanctus Chrysostomus: *Hic etiam Iudæum à lege data multum esse grauatum demonstrat: Gentilis enim sine lege iudicatur, hoc est, non habet ille legem accusantem, vnde solum à naturæ cogitationibus condemnatur. Iudæus autem in lege, hoc est, vna cum ipsa natura, & legem quoque* D *accusantem habiturus est: quanto enim maiori cura à Deo dignatus est, tanto maiores pœnas dabit.* Ita S. Chrysostomus. *Rom. 2. 9.* *Chrysost.* *Ibid. v. 9.*

In tribunalibus nostris sæpe acceptiones personarum videbis; at tribunal illud æquissimum Christi nullam admittet personarum acceptionem. Sanctus Hieronym. epistola 1. ad Heliodor. *Inducatur Domino lugubris mundus immugiet, tribus ad tribum pectora ferient, potentissimi quondam Reges nudo latere palpitabunt.* Ita ille. *Nudo latere*, inquit, quia si modò Regum latera equites & milites protegentes cingunt, tunc magnus etiam Alexander solis suis operibus eum comitantibus ibi assistet, omni fauore creaturarum destitutus. *S. Hier.*

PROP. XXX. *Nemo in Iudicio fauebit nobis, nisi vita sancta & iusta.*

CVm quis ad hastiludium ineundum, & defendendum procedit; ab amicis & familiaribus comitatus solet incedere, qui latera eius cingentes, eum & honorare, & defendere, eiusque partes tueri acerrimè videntur, sed cùm ad locum certaminis perueniunt, eum solum certare relinquunt cum aduersarijs: astant quidem aspicientes cuentum, sed nullum ei adminiculum præstare licet illis. Sic quidem in hac vita omnes ad hastiludium, & certamẽ diuini Iudicij properamus, vsque ad sepulchrum nos consanguinei, amici, & familiares comitantur, sed cùm ad locum Iudicij peruentum fuerit, astabunt illi aspicientes, in nullo tamen adminiculum præbentes, sed sicut in hastiludio rectè certanti & vincenti datur præmium: sic in Iudicio, qui vicerit, accipiet coronam vitæ; vincet autem qui piè, ac iustè vixerit: opera enim illorum sequuntur illos.

Hom 5 in 1. ad Cor. Sanct. Chrysost. *Quis te in Iudicio defendet, quando videris opificem pauperem, & qui rectè vixit, omnem gloriam assequutum, te autem qui nunc es indutus sericis vestibus, & oles, & spiras vnguenta, grauissima pati, quid tibi tunc proderunt diuitiæ & rerum omnium copia?* Ita Sanctus Chrysostomus. *Quis*, inquit, *te ibi defendet, num generis splendor, aut principatus gloria? num amicorum potentia, aut famulorum caterua? num verborum facundia, aut opum & diuitiarum copia?* Quid nobis profuit superbia *nostra*, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Talia, *inquit Sapiens*, diximus in inferno hi qui peccauerunt, *non quidem pauperes: hi enim non habuerunt diuitiarum iactantiam, sed prædiuites & potentes talia dixerunt, talia dixit diues ille qui induebatur purpurâ, & byssо, & epulabatur splendidè, non solum paschalibus diebus, sed quotidie, & non talia dixit mendicus ille Lazarus, qui in sinu Abrahæ ab Angelis ductus fuit. Quid, inquiunt, nobis profuit diuitiarum iactantia? quasi dicant, nihil: at Lazaro quid obfuit paupertas sua, quid profuit pannoso illi quò inter cœli principes princeps iam reciperetur? Virtus sola. O virtus cunctis diuitijs meritò anteponenda, quæ tantæ necessitatis tempore, ita etiam pauperibus fauet! sine te magnus ille Imperator Alexander in inferno ardet: tecum mendicus feruulus in cœlo regnat*, &c.

Sap 5.

In tribunalibus mundi, quantumuis criminales sint, quæ versantur in eis causæ, multi sunt qui reis fauent, tum ex consanguineis, tum ex amicis, tum ex aduocatis, & procuratoribus causidicis, at in iudicio diuino nemo pro alijs intercedit, nec homo, licèt pater vel filius sit, nec Angelus, quãuis custos ille sit, nec Sanctus, quamuis per vitę decursum tuus extiterit aduocatus; imò nec beatissima Virgo Maria, quamuis mater misericordiæ sit. Psal. 31. agens de remissione peccatorum,

Vers 6. *Pro hac*, inquit, *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno, verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non appropinquabunt.* tempus opportunum vocat tempus hoc vitæ præsentis. in Hebræo habetur, in *tempore inueniendi*, tempus inueniendi Deum, & gratiam eius, & remissionem peccatorum, non est tempus futurum post hanc vitam, tunc enim est tempus iudicij, tempus recipiendi, vel præmium pro meritis, vel supplicium pro

Esai 55. 6 2. Cor. 6. 2. demeritis; iuxta illud, *Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum, dum prope est*, & Apost. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, nunc inquit, hoc est, hoc tempus præsens, pro remissione igitur peccatorum orabit ad te omnis Sanctus, hoc est, quilibet sanctus poterit nunc pro peccatore orare, vt Deus ei peccata remittat, & non frustra: multùm enim valet oratio iusti assidua. Orauit Moyses pro remissione pœnæ peccati idololatriæ populi Israel in deserto, & veniam obtinuit, & hinc amicus Iob, qui falsò existimabat Iobum pœnas illas pro peccatis suis pati, consilium hoc illi dedit: *Ad*

A *ali juem sanctorum conuertere.* imò Deus ipse videns ipsos amicos Iob peccasse, monuit eos, vt Iobum adirent, & rogarent, vt oraret pro ipsis, *Iob*, inquit, *seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Sic etiam populus Israel ad Samuelem dixit: *Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur: addidimus enim vniuersis peccatis nostris malum, vt petere-*
remus nobis regem. quibus Samuel: *Absit à me hoc peccatum in Domino, vt cessem orare pro vobis*: valet ergo plurimum oratio iustorum pro peccatoribus hoc tempore vitæ præsentis, verumtamẽ in diluuio aquarum multarum, hoc est, in die iudicij, vt exponit Sanctus Hieronymus, tunc enim velut diluuium quoddam tribulationum & suppliciorum irruet super malos, tunc ad eum non approximabunt sancti; vt orent pro peccatoribus: transijt enim tempus miserendi, & venit tempus iudicandi, omnia tempus habent, nunc tẽpus est misericordiæ, in iudicio verò tempus iustitiæ destinatũ. *Todos los santos que aora son nuestros aduogados, en el iuicio se an de veuir a*
salir a fuera, y poniendo el dedo en su boca, dira, ya no os tiempo de ruegos, no es tiempo de pedir, sinò de tecebir segun los meritos, o segun los demeritos de cada vno.

Cap 1. 7.

Iob 42. 8.

1. Reg. 12. 19.

Ibid 23.

B Imò tunc non solùm non pro peccatoribus intercedent, verùm aduersùs eos insurgent, secundùm illud, *Exultabunt sancti in gloria*, &c. & subdit: *gladij ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis eius.* agit de modo, quo se Sancti gerent, cùm Dominus ad iudicandum venerit, & est metaphora sumpta à militibus, qui ducem comitantur suum ad faciendam vindictam inimicorum eius, veniet dux ille supremus Christus Dominus cum potestate magna, & maiestate aduersùs inimicos suos, peccatores scilicet: hi enim capitales Dei inimici sunt: nec enim de mones alia de causa Dei hostes sunt, nisi quia peccatores sunt. Veniẽt igitur veluti

C armati sancti in iudicio pro Deo suo contra peccatores inimicos eius ad faciendam vindictam de illis, & vt eos increpent, dicentes: Væ vobis peruersi, & obstinati peccatores, qui leges Dei conculcastis, & sæpe in vobismetipsis Christum Dominum crucifixistis, & sanguinem eius calcastis, nec respicere voluistis, nũc debitã pœnã peccata sine remissione luitis; &c. Ita fçuient iure in peccatores sancti, quantumuis peccatores huiusmodi principes & reges sint, ad alligandos, inquit, reges in compedibus, & nobiles in manicis ferreis, quando scilicet, vti ait Cardinalis noster Bellarminus, sancti cum Christo in extremo iudicio sententiam ferent aduersùs Antiochos, Herodes, Nerones, Diocletianos, & ceteros principes malos, & dicent cum iudice supremo: ligatis manibus & pedibus proijciantur in tenebras exteriores, quod quidem non inuiti, nec de misera peccatorum damnatione hoc præstabunt sancti, imò gloriæ hæc est omnibus sanctis eius, hoc sibi gloriam reputantes, quòd pro gloria Dei sui eius inimicos

D persequantur, & pro modulo suo de illis vendicent Dominum Deum suum. Quod quidem nõ parum pœnam damnatorum augebit, cùm scilicet videntes se ita miserè damnatos, nullam apud tam misericordes sanctos miserationem animaduertent, &c.

Imò non solùm nullum refugium, nullam consolationem, sed desolationem apud sanctos, peccatores in iudicio inuenient, verùm etiam apud alios damnatos. Solent qui in eadem miseria versantur, sibiipsis ad inuicem consolationem adhibere, in iudicio verò nullam consolationem præstabunt, imò se mutuo corrodẽt, & maledicent mutuo', maledicet rex familiaribus suis, dicens: Maledicti vos familiares, qui, vt meam conse-
queremini gratiam, à Dei gratia me excidere fecistis: non enim vera quæ expediebant mihi, sed falsa quæ mihi placere arbitrabamini, adulantes dicebatis, tunc fami-

familiares regis maledicent quoque regem suum, di- A centes: Maledictus & tu sis in æternum, quia vt te adulationibus nostris mulceremus, veritatem tibi expedientem renuimus aperire; parentes filijs dicent: Maledicti vos filij à Domino, quia vt vobis relinquerem diuitias, salutis meæ oblitus, damnatus sum. cui filij: Maledictus verò tu pater, quia diuitijs, quas nobis dedisti, abutentes, peccata commisimus propter quæ modò in æternum perimus; maledicet mater filiæ suæ, dicens: Maledicta sis à Deo filia pessima, quia quæ tu commisisti vana & profana & lasciua tuis pigmentis, fucis, & superfluis ornatibus mihi à Deo ad interitum imputantur. cui filia, imò tu maledicta sis, & infelix, & impia mater, quia si tu me, vt par erat, corripuisses, & castigasses, & intra quatuor parietes vel etiam inuitam continuisses, modò ambæ non ita in æternum damnaremur. Ecce qualis futura est in iudicio mutua damnatorum consolatio.

Ibi 5.4. Iob 5. sic amicus Iob Eliphaz, agens de reprobis: B *Conterentur in porta & non erit qui excipiat.* Quænam est hæc porta? Sanct. Gregor. 6. Mor. 5. *Sicut virbis aditus dicitur porta, ita dies iudicij est regni Dei porta; quia per eum ab electis omnibus ad cælestis patriæ gloriam intratur.* Ita ille. In hac igitur porta non erit qui eripiat, quia tunc nec Sancti, nec Angeli, nec etiam pijssima Dei Mater, eis patrocinabuntur; nunc quidem Sanctos in patronos nobis ascisimus, & Angelos etiam, & maximè Angelum custodem, & ipsi enixè pro nobis orant; tunc autem digitum imponent ori, & non solùm non orabunt pro reprobis, verùm etiam laudabunt manus

Ps.149.5. suas in sanguine peccatorum. Psal. 149. *Exultabunt sancti in gloria* (in qua scilicet est vera exultatio) & subdit: *& gladij ancipites in manibus eorum*, scilicet in die Iudicij. Gladij isti significant approbationes Sanctorum, quibus sententiam Iudicis diuini approbabunt, veluti gladijs transfigent corda reproborum, ad faciendam hoc modo vindictam iustam in nationibus; & tunc nec nobilibus, nec Regibus parcent. Inde subdit: *ad alligandos Reges in compedibus*, &c. vt videre nobis liceat, quàm verum sit, quòd tunc non erit qui eripiat, neque qui saluum faciat, neque qui erga reos illos compassionis signum ostendat. Quod quidem vehementissimi doloris cordis causa illis erit.

PROP. XXXI. *Iudicium finale bonis bonum erit.*

Vers.14. CAnt. 8. *Fuge, dilecte mi, & æßimilare capreæ, hinnulusque ceruorum super montes aromatum.* Cerui, dum fugiunt, retro aspicere solent; orat igitur Ecclesia Christum, vt ita cœlos ascendat, vt reuertatur denique ad nos. Vnde S. Theodoretus non immeritò locum hunc de secundo aduentu ad Iudicium interpretatur. Verba Theodoreti sunt: Ego (ait sponsa) *aduentū secundum tuum sedulò flagitans, & expectans, supplico, vt audire*

Matt.25. 34. *me facias vocem illam tuam optatißimam*, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi, *atque ita* Fuge, dilecte mi, &c. *cur iudicium tremendum optas sponsa? nimirum quia sponsa est, & plus sperat, quàm timet.*

Hinc Actor. 1. cùm Apostoli obstupefacti detinerentur, Christum ascendentem in cœlum videntes, & post Christi recessum adhuc admiratione pressi, in cœlum respicerent, duo Angeli in albis eis apparuerunt,

Vers.11. dicentes: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Itáne cõsolantur Angeli Apostolos Christi? videntes eos orphanos, & propter Magistri sui absentiam valde contristatos, ad Iudicium eum reuersurum aiunt, quasi aduentus ille non sit horrore plenus, quid, quæso, cùm tristitia, & desolatione Apostolorum aduentus Christi ad Iudicium? multùm per omnem modum, nam tunc non solùm animâ, sed corpore etiam visuri erant gloriam Christi, & audituri etiam Christi, & audituri etiam verba illa omni consolatione referta, *Venite benedicti Patris mei*, &c.

Hinc Christus Dominus Luc. 21. cùm de Iudicio ageret cum Apostoli, & de horrendis signis iudicij, *Vers.28.* *His fieri incipientibus*, inquit, *respicite, & leuate capita vestra.* Tempus hoc aptum est, Domine, ad capita extollenda, quando cœli mouendi sunt, & terra? dum veneris iudicare sæculum per ignem? quando arescent homines præ timore, & expectatione, quæ superuentura est vniuerso orbi? tunc quidem deprimenda potiùs, quàm extollenda capita esse videntur. *leuate* nihilominus *capita vestra*, ait Christus, quoniam appropinquat redemptio vestra: redimi tunc sanctos & iustos ait Dominus, quoniam nunc in vita ista captiui reputantur: nam captiui miserias magnas patiuntur. sic & iusti, tunc autem stabunt iusti in magna constantia aduersùs eos, qui se angustiauerunt, & quasi captiuos eos vendebant, & tunc iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt, &c. Ecce, quàm desiderabile sit iustis hoc iudicium, malis quidem erit horrendum vndequaque, vnde montibus dicent: *cadite super nos.*

Vnde S. Iob cap. 19. in medio calamitatum suarum *Vers.25.* constitutus, & in suo sterquilinio iacens, vt nonnullam sibi consolationem conciliaret, dixit: *Scio, quòd redemptor meus viuit, & in nouißimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse.* Vbi in Hebræo originali habetur, & nonnulli sic legunt: *quem visurus sum mihi.* quod sic explicat Vatablus, id est, *bono meo*, vt sit sensus: videbo iudicē mihi, non aduersùs me, sed pro me, & in fauorem meum sententiam proferentem, vnde meritò addit: *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Ecce quomodo sanctis viris secundùm C bonitatem conscientiæ suæ dies iudicij, & memoria eius, non terrori, & horrori, sed gaudio, & consolationi sit.

E conuerso verò mali tunc turbabuntur timore horribili, videntes iudicium contra se, imò antequam veniat Iudex, ex sola signorum visione arescent, *arescentibus*, inquit, *hominibus præ timore & expectatione*, &c. *Luc.21. 16.*

Parum hoc: *Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus: Operite nos*, quod in Apoc. sic prosecutus est: *Vidi cùm aperuisset sigillum sextum, & ecce terræ motus magnus factus est, & sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cùm à vento magno mouetur, & cœlum recessit sicut liber involutus, & omnis mons & insula de locis suis mota sunt, & reges terræ, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber absconderunt se in speluncis, & dicunt montibus, & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies iræ magnæ ipsorum, & quis poterit stare?* Cur faciem Domini timētis, quam desiderant Angeli prospicere? quia peccauerunt: nunquam enim sic timerent, si non peccassent; conscientia enim peccatorum sic territos illos fecit. *Luc 23. 30. Cap.6,12.*

PROP. XXXII. *Nullâ misericordiâ tunc fruentur peccatores.*

PSalm. 57. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Num lætitiæ materia est perditio peccatorum? nunquid quamuis peccatores homines non sint? quòd si homines sunt, humanitate & pietate digni videntur, & ob hanc rationem Christus Dominus peccatores recipiebat, & parcebat illis, sicut latroni etiam, iam *Ps.57.11.*

propter delicta sua ad crucem damnato, misericordiam & veniam concessit. Cur igitur ait Dauid: *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam*, &c. Sanctus Bernardus serm. 8. in Psalm. *Qui habitat*, locum istum ex alio Scripturæ loco exponit, nempe Prouerb. cap. 1. vbi sic ad reprobos Diuina sapientia : *Vocaui & renuistis, extendi manum meum & non erat qui aspiceret : & post pauca, ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis, aduenerit. Quid ergo in interitu hominum credimus placiturum sapientiæ diuinæ, nisi sanctissimam suam dispositionem, & irreprehensibilem ordinem rerum ? & sanè quod sapientiæ tunc placebit, sapientibus quoque viuentibus placeat est necesse.* Ita S. Bernard.

S. Bern.

A

Prop. XXXIII. *Quàm inexcusabilis erit peccator in iudicio.*

Deut. 33. 2.

Deuteron. 33. loquens Moyses de aduentu Domini ad Iudicium, vti exponit Oleaster, *Dominus*, inquit, *de Sinai venit, & cum eo sanctorum millia, in dextera eius ignea lex.* Sinai mons, ille scilicet, vbi Deus legem dedit, est; imaginare ergo tunc Deũ tendentem à monte Sinai in vallem Iosaphat, vbi hoc Iudicium futurum est. Quæres cur è Sinai monte ad Iudicium tẽdit, quia ex eo quòd legem dedit in Sinai, Iudicium induxit, in quo legis illius exigeret rationem. vnde inde dicitur egredi Iudex, vnde Iudicium egressum habet, ex lege scilicet ipsa, & monte, vbi data est lex. Quare & hic subdit: *In dextera eius ignea lex*, quia cùm Dominus ad iudicandum venerit, per hanc legem nos iudicabit, *per este arancel nos pedira quenta de nuestra vida, & cum eo sanctorum millia.* Cur secum in Iudicio hæc sanctorum adducet Dominus millia? quia solent peccatores prætextus quærere ad excusandas excusationes in peccatis. Ille scilicet qui præceptum ieiunij violauit, requisitus cur non ieiunarit, propter infirmitatem (inquiet) corporis mei: cui Dominus: Ecce Baptistam, non Angelũ naturã, sed hominẽ, qui non solùm ieiunauit perpetuò, verùm etiam ferè non comedit, ab infantia sua in eremo degens. Ille noluit diligere inimicum, imò nec parcere illi, quia nec iustum, nec possibile ipsi videbatur, cui Dominus Sanct. Stephanum proponet : Ecce, inquiet, hominem, qui non solùm inimico pepercit, verùm etiam genibus prouolutus me pro occisoribus exorauit. ille auaritiæ studuit, requisitus cur iniustè acquisierit opes, paupertatem, & familiæ necessitatem in causa fuisse, dicet; Dominus Franciscum opponet, qui nimia paupertate pressus, non solùm non rapuit aliena, sed etiam pauperioribus inuidebat, &c. & sic de reliquis.

B

C

Augustin. Matt. 12. 41.

Vnde S. Augustus. *Tot iudicibus inops flabo, quot me præcessrint in opere bono.* Ita ille. Et Christus Dominus : *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.* Nunquid Niniuitæ iudices erunt in iudicio ? non, sed ex eorum exemplo condemnabit Christus Dominus Pharisæos, dicens : Hi Niniuitæ propter prædicationem Ionæ conuersi sunt, vos ad prædicationem meam conuerti noluistis, &c.

D

Chrysost. Rom. 14. 10.

S. Chrysost. epist. 6. ad Theodorum tom. 5. *Contemplare, queso, iudicium, & intremescendum tribunal : Omnes, enim vos, ait*, necesse est manifestari ante tribunal Christi. *Quid tunc ergo dicemus ? quo colore excusationis vtemur ? negotiorum forte, & causarum varias sollicitudines prætendemus, sed ipse prædixit:* Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimẽtum patiatur. *Sed seductos nos à quodam causabimur ; sed non potuit Adam vxoris illecebras excusare, dicens:* Mulier, quam dedisti mihi sociam, ipsa me seduxit. *Nec rursum vxorem serpentis culpa defendit. Magni horrendique timoris plenum Iudicium illud, non eget accusatore, neque testes requirit : omnia enim nuda, & detecta sunt oculis iudicantis; nec factorum tantùm, sed etiam cogitationum nostrarum rei necessariò subiacemus, est enim scrutator, & discretor cogitationum, & cordium ille, qui iudicat.*

Matt. 11. 28. & 29.

Sed fortè naturali infirmitate tentabimus crimen obtegere, nec potuisse nos susceptum iugum ferre dicemus : at qualis excusatio hæc erit, iugum nos placidum nõ voluisse sufferre, onus non potuisse portare, quod ipse vocauerit leue, imò graue & onerosum pondus existimare quietum laborem, ad quem nos inuitat Christus, dicens: Venite ad me omnis, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. *Et rursum.* Tollite iugum meum super vos, quia iugum meum suaue est, & onus meum leue: *quid enim leuius, quàm sollicitudine seculari, & laboribus, & metu liberari, & posse dere placidi ac securi portus tranquillitatem?* Ita S. Chrysost.

Chrysost.

Idem S. Chrysost. hom. 22. ad pop. *Legite Saluatoris scripturas, & discite, quomodo nos hinc illuc migrantes adiuuare poterit nemo, non frater redimet fratrem ex intermirabilibus tormentis, non amicus amicum, non parentes filios, non filij parentes, & quid dico homines miseri ab eis, cùm neque si Noë veniet, & Iob, & Daniel tunc iudicem exorare possint ? Vide enim non indutum veste nuptiali ex sponsali domo expulsum, & neminem pro illo intercedentem. Vide talentum habentem creditum, & non negotiatum, & quomodo pro ipso supplicat nemo: respice quinque virgines exclusas, & aquales pro ipsis non deprecatas. Vide iudicem ones à dextris constituentem, hædos à sinistris, illis dicentem?* Venite benedicti patris mei, percipite regnum; *hos verò in tenebras exteriores repellẽtem, & exactis neminem succurrere posse. Audisti quomodo dues ille nunquam Lazari miserius, in vltionis loco tostus, aqua stillam sumere optauit, & neque ipse Abraham supplicis tormenta leuine potuit. Hic igitur nobis ipsis priùs succurramus, melius nũc per ieiunium linguam arescere, quàm humidam seruare, & illic rorem concupiscere, & non accipere, & immortaliter torueri: Paruis hic laboribus magna repellamus tormenta, si trium dierum febrem hic non toleramus, si iudicum pœnas temporales cernentes, obruimur, quale erit tribunal Christi in infinita secula pœnam protendens?* Ita S. Chrysost. Vbi nota locum illum Ps. 48. *Frater non redimit, redimet homo?* dixerat Dauid: *Cur timebo in die mala*, hoc est, in die iudicij, vt exponit S. Hieron. & subdit: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*, id est, peccata pro nihilo reputata, & quasi sub pedibus calcata, imò ad calcanea reiecta, & ab oculis remota, & in obliuionem data, hæc circumdabunt me, ita vt euasioni locus nullus sit, sicut neque ciuitati vndique ab inimicis circumdatæ, & obsessæ. Quis igitur, aut à quo quis poterit liberari ? Vnde statim addit: *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur*, id est, nunquid sæculi potentes, & diuites mundi à potentia, & diuitijs adminiculum habebunt? aut fortè ab alijs hominibus liberabuntur subditi? *Frater non redimit, redimet homo ?* id est, nullus adeo frater, fraterna fratrem dilectione maxima diligens, qui à Iudicis vngutibus valeat eripere reum, vel frater, id est, Christus Dominus, qui frater noster vocari, & esse voluit: *Ipse enim dedit nobis potestatem filios Dei fieri:* quòd si filij Dei, ergo fratres Christi. Vnde Paulus ad Hebr. *Non confunditur*, inquit, *fratres eos vocare*, dicens Ps. 21. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Frater ergo iste potentissimus, clementissimus, denique Deus, & Saluator noster iste tunc nullo modo, in quantum homo, intercedet iam, nec de liberatione malorum vllo modo aget apud Patrem, & cætera, quis ergo mediator intercedet? frater non redimit iste ? quis redimet homo ?

Chrysost. Rom. 14. 10.

Matt 16. 26.

Gen. 3 12.

Ioan. 1. 12. Hebr. 2. 11. Ps. 21. 23.

Gen. 3. 4.

Genes. 3. sic Eua Deo: *Serpens decepit me.* Verum quidem est quòd mendacijs & fallacijs serpens decepit Euam ; sed nunquid talis excusatio profuit illi ? Nequaquam : apparens enim tantummodo erat : debuerat enim illa Deo potiùs, quàm serpentis figmento fidem dare. Obseruatio est hæc Oleastri ibi dicentis: *Docemur hic quàm parum valeat, excusare peccata apud Dominum, cùm post excusationes tam Adam quàm Eua dederint pœnas.* Ita ille.

Oleaster.

Prop. XXXIV.

Prop. XXXIV. *Quàm grauis tunc dolor damnatorum.*

Matt. 25. 34. MAtth. 25. priusquam proferat Iudex sententiam damnatorum, proferet sententiam iustorum, dicens: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*, &c. Cur præcedet sententia bonorum? S. Bernard. serm. 8. super Ps. Qui habitat: *Prius benedicti vocantur in regnum, quam maledicti ejiciantur in ignem æternum, quò videlicet acrius doleant, videntes, quid amiserint. Sic etiam iusti videbunt & lætabuntur, videntes quid euaserint: & sicut illa tanta separatione grauissimi luctus occasio reprobis fiet, sic electis è regione consideratio reproborum immensa quædam materia gratiarum actionis & laudis.* Ita ille.

S. Bern

Prop. XXXV. *Cur Deus signa Iudicij præmittet.*

Luc. 21. 25. ERunt signa in sole & luna, &c. E terra in altam aëris regionem ascendunt vapores quidam frigidi, & exhalationes etiam calidæ, quæ in nubibus conuenientes inter se pugnant, & inde fragor tonitruorum, quorum timore homines se signo crucis muniunt, & ad Ecclesiam properant, & pro diuino postulando fauore ad Deum confugiunt. Sed non inde damnum, quousque fulmen nubem disrumpat: tunc enim, quem percutit, comburit & interimit in puncto, &, si in peccato fuerit inuentus, sic percussus ad ignem pergit æternum; tonitrua autem illa præcedentia, veluti admonitiones sunt Dei, quibus monet peccatores, vt ad Ecclesiam & Deum pro remissione peccatorum accurrant. Idem de signis Iudicij dicendum est, & ideo Christus Dominus veniet tunc in nubibus cœli, quia tanquam fulmen exibit ad peccatores damnandos, &c.

Simile.

Prop. XXXVI. *Quàm ingens beneficium fuerit prædicere nobis quæ futura sint in Iudicio.*

Vers. 25. Simile. LVc. 21. *Erunt signa*, &c. Cur Deus sic prædicit in Iudicio futuro futura, & manifestat ea de quibus ei rationem reddere debemus? Ratio in promptu est, etenim magnum beneficium censeret, qui in scholis ad gradum Doctoris promouendus, ab examinatore acciperet, de quibus esset in examine examinandus: sic enim responsa ipsa præpararet, quod non ita fortè feliciter foret, si repentè esset ad sibi proposita dubia respondendum. Deus in Iudicio antequam ad æternam gloriam promouemur, interrogaturus est nos, quid fecimus, & quid facere debuissemus; de his igitur nos præmonuit, rigorem nempe Iudicij prædixit, & de quibus futurum sit examen, & propter quæ saluandi sunt iusti, & damnandi peccatores, dum scilicet dicet: *venite benedicti*, &c. nónne hoc beneficium magnum est?

Prop. XXXVII. *Signa Iudicij tremenda malis, iucunda erunt bonis.*

Luc. 21. 28. LVc. 21. *His fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra.* Quasi dicat, *aun que las señales del Iuizio sean en si espantosas, no huiais de ellas, ni les cerreis los ojos, sino respicite, miralas y miralas sin temor, como los que miran desde el puerto seguro las temerosas borrascas del mar:* & leuate capita vestra, *leuantad cabeça iustos, que aora andais cabizbajos*, respicite illa signa tanquam signa annuntiantia vobis saluationem vestram. Etenim si Princeps aliquis Christianus obsideret ciuitatem Turcarum, in qua multi essent Christiani captiui, hi audientes armorum

A strepitum, & exercitus Christiani clamorem, haud quidem terrerentur, sed gauderent, libertatem proximam expectantes. Timerent quidem vehementer Turcę ob periculum suum, non verò captiui Christiani. timebunt in illa die peccatores: de quibus Dominus, *arescentibus hominibus præ timore*, &c. iusti verò caput leuabunt, & exultabunt.

Simile. Luc. 21. 26.

Prop. XXXVIII. *Quàm necessarius sit articulus de futuro Iudicio ad mundi reformationem.*

S. Chrysostomus S. Anctus Chrysostomus hom. 3. *Ex superabundanti probo, quòd, nisi rationem exigeret Deus, bonus non esset, sed quia exigit, bonus sit. Dic enim mihi si rationem non exigeret, nunquid vita staret humana? nónne in feras erupissemus? Nam si timoribus, & pœnis imminentibus, & tribunalibus, pisces superauimus, alter alterum comedentes, leones, &*

B *lupos excedimus, aliena alter alterius rapientes, nisi rationes à nobis exigeret, quanta turbatione plena vita foret? Quidnam esset tam, qui fabulis celebratur labyrinthus, ad mundi comparationem? nónne vides infinitos tumultus, & absurditates? Quis patrem fuisset reueritus? quis matri pepercisset? quis autem vllam voluptatem, vllum vitium omisisset? Si seruos habes insolentes, procaces, contumeliosos, & superiora reddentes inferiora, & neque punis, neque castigas, neque corrigis verbo, nunquid hæc bonitatis esse videntur? imò extremæ crudelitatis, hoc est, qua non tantùm vxores, & filios per hanc ineptam bonitatem perdis, verùm & ipsos seruos perdis, ebrij siquidem, & dissoluti, procaces, & contumeliosi, & omnibus feris erunt brutiores. Hócne bonitatis est? Vides ergo, quòd pœnas exigere, multæ bonitatis est? Sed quid, inquam, seruos? si quis filios habens, illos cuncta permittat audere, neque puniat, quo, quæso, non erunt peiores? Igitur quia Deus bonus est, ideò gehennam*

C *præparauit.*

Præterea, quòd hoc pacto bonos fieri malos non permittit: nam si mali eadem assequi deberent, omnes essent mali; hoc autem modo non parum nobis prodest: nam audi Prophetam: Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris, *non iusultans, absit, sed timens, ne eadem patiatur, puriorem suam efficit vitam, hoc multæ prouidentiæ quidem est.*

Est (inquies) sed oportebat tantummodo minari, non tamen punire. Si verba duntaxat essent minæ, nónne segnior esses? Ninuitæ si sciuissent, quòd negotium minæ sonrent, pœnitentiam non egissent. Qui verò diluuij tempore fuerunt, si minas timuissent, periculum non sustinuissent. Et vos igitur, si minas timueritis, periculum non subibimus. Ita S. Chrysostom.

Prop. XXXIX. *Iudicij consideratio ad salutem animæ conducit.*

QVamplurima sunt in mundo scandala, occasiones quæ peccandi, tentationes innumeræ, sed Deus prouidentiâ suâ efficaciora nobis remedia prouidit, quàm huiusmodi scandala sint. inter remedia verò non infimum locum tenet diuini Iudicij consideratio, tam, inquam, extremi Iudicij, quàm particularis.

D

Ideò Dauid: *Dixi iniquis: Nolite iniquè agere, & delinquentibus: nolite exaltare cornu, quoniam Deus iudex est*, quasi dicat. *Mirad que esta Dios a la mira, asentado en su libro de memoria quanto hazeis, dezis y pensais, para tomar os a su tiempo cuenta dello*, quasi dicat: qui hoc attentè considerat, quid potest agere iniquè? Deseruit etiam ad pœnitentiam, quâ præuenimus Iudicem illum seuerum, & tribunal eius horrendum. Modum præueniendi Iudicium docet S. Anselmus super illud, *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur*, sic inquit, *si de singulis, quæ nos malè egimus, aut cogitauimus, nos*

Psal. 74. 5

1. Cor. 11. 31.

ipsos d ſtrictè pœnitendo iudicaremur, non vtique à Domino iudicaremur. Et ſubdit S. Anſelmus : *Aſcendat itaque homo contra ſe tribunal mentis ſuæ, & conſtituat ſe ante ſe* (ſcite ſe delante de ſi) *teſtis conſcientia, carnifex timor, inde quidam cordis ſanguis confitentis per lachrymas fluat*, Ilege el negocio à ſangre del coraçon, que tal es el agua de lagrimas, que ſalte por los ojos, ſacada con los tormentos del temor de Dios, y del infierno. *Denique verſetur ante oculos eius imago iudicij futuri, & quidquid in ſe viderit, quod à iudice venturo reprehendi poſſit, & puniri; ipſe nunc in ſe punitat, & reprehendat: peccata enim, ſiue parua, ſiue magna, impunita eſſe non poſſunt, quia aut homine puniente, aut Deo iudicante plectuntur; ceſſat autem vindicta diuina, ſi con-*
2. Cor. 11. *uerſio præcedit humana, quia, vt ait Apoſtolus,* Si noſipſos di-
31. iudicaremus; non vtique à Domino iudicaremur. Ita Sanctus Anſelmus. Videndus eſt idem docens Sanctus Auguſtinus lib. 50. homiliarum hom. vltima, qui ſerm. 120. de tempore addit, y çierra eſte diſcurſo, diziendo: *Magna iam peccati pœna eſt, memoriam futuri iudicij perdidiſſe* Ita ille.

Gen. 4. Nonnulli Authores affirmant, quòd Cain fratrem ſuum occidere auſus fuerit, eò quòd non crederet futurum eſſe Iudicium, ſecumque aiunt ſic Cain cogitaſſe: Non eſt iudex, non eſt iuſtitia, non eſt præmium, non eſt pœna, non eſt ergo cur fratrem occidere timeam. *No ay Iuez, que me iuzgue, no ay iuizio, en que yo ſea condenado; no ay premio, ni aprenio, que temo?* Si ergo Iudicem æquiſſimum Deum eſſe nouiſſet, & iudicium eius horrendum, præmiumque, ac pœnam, in æternum timuiſſet, & fratrem occidere horruiſſet.

Verſ 5. Pſalm. 9. ſic de peccatore Dauid: *Non eſt Deus in conſpectu eius*, hoc eſt, non cogitat Deum, tanquam omnium operum Iudicem, facta ſua intueri, quid inde? *Inquinatæ ſunt vie illius in omni tempore, no repara jamas en maldad, que ſe le offreſca.* Quod magis exponens, ait: *Auferentur iudicia tua à facie eius, no piensa que ay iuizio de Dios, o no ſe acuerda del, mas, que ſi no lo fueſſe.* Quid igitur conſequens erit? *Omnium inimicorum ſuorum dominabitur, nadie ſe la hará, que no la ſe pague, ſerà vn tyranno cruel, por no mirar que le mira Dios como Juez, de quanto mira.*

Sic Dan. 13. peſſimi illi duo iudices, falſum teſtimonium protulerunt contra Suſannam innocentem, & ſanctam, & eam capitis ſententiâ damnarunt, & adulterium intentarunt. vnde enim in ſenibus, iudicibuſque impudentia, & iniquitas talis, ac tanta? explicuit eam Textus ſacer: *Declinauerunt,* (inquit) *oculos ſuos, vt non*
Verſ. 9 *viderent cœlum*, hoc eſt, non animaduerterunt Deum iudicum Indicem eſſe, ideo ſic præcipites ſe in tot crimina dederunt.

Villicus, à quo ratio exigenda eſt adminiſtrationis
Luc 16 2. ſuæ, priuſquam audiat : *Redde rationem villicationis tuæ*, ita cuncta diſponit, vt exactam, & iuſtam rationem tempore ſuo reddere poſſit. Rationem vitæ noſtræ, operum ſcilicet, verborum, & cogitationum reddituri Deo ſumus, ex qua ſaluationis, vel damnationis noſtræ cauſa pendet: omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque, prout geſſit; operæpretium igitur eſt, vt qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & qui peccator eſt, ad pœnitentiæ, & miſericordiæ tribunal recurrat, ne nos imparatos Iudicium ineuniat: nunc enim miſericordiæ tempus eſt, dum vita noſtra durat: poſt hanc autem, iudicium, vti ait Apoſtolus ad Hebr. 9.

Damaſc. Sanct. Damaſcen. ſerm. de die Iudicij: *Fratres chariſſimi, lectionem de iudicio attento corde audite, & memoriter retinete. Qui enim lectionem iſtam mente diligenti attendit, etiamſi reliquas Scripturas minimè intelligat, hæc ſola ſufficere poteſt ad omne opus bonum faciendum, & ad omne opus malum effugiendum.* Ita ille.

PR. XL. *Conſideratio Iudicij nos à terrenis abducat.*

SAnctus Chryſoſt. lib. de Virgin. cap. 73. tom. 5. *Ne iam terrena curemus: dies enim tam nos vocat ad cœlum, ſicut Dius Paulus ſcripſit ad Romanos:* Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credimus: nox præceſſit, dies autem appropinquauit. *Et iterum* : *Tempus breue eſt: reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur, &c. Quid igitur pecunia nobis, quid poſſeſſiones opus ſunt? quid quæ pertinent ad vitam, ſi inopportunus eſt, & intempeſtiuus earum rerum vſus? nam ſi, qui ad iudicium in terra ſunt aſſuturi, vt ſuorum delictorum rationem reddant, ſub ipſam iudicio dictam, die omnium rerum, vxoris ſcilicet, & cibi, & potus cura demiſsa, vnũ illud cogitat, quomodo ſe tueri poſſint. multò magis nos, qui non ad terrenum aliquod iudicium, ſed ad cœleſte tribunal, vt ſingulorum & factorum, & dictorum, & cogitationum rationem reddamus, ab omnium terreſtrium rerum tum lætitia, tum triſtitia oportet abſtinere, & formidoloſum illum diem modò cogitatione complecti.* Ita S. Chryſoſt.

S. Chryſ. ſeſtonius Rom. 13.

1 Cor 7. 26.

B

C

D

PROP. XLI. *Diuini Iudicij conſideratio nos retrahit à peccato.*

POtens valde Iudicij diuini conſideratio ad deterrendos homines à peccato, quòd ſi multorum peccata opponas, quibus conſtet quampluribus fidelibus parum pro huiuſmodi Iudicij notitiam; dicam quod S. Bernardus, ſic ait: *Illuminemus nobis lumen ſcientiæ, priuſquam de mundi huius tenebris exeamus, nec de tenebris tranſeamus ad tenebras, & tenebras ſempiternas. Quæ eſt antem ſcientia iſta? Profectò, ſcire, quia veniet Dominus, eſt quando veniet, ſcire non poſſimus. At, inquies, iſta ſcientia omnium eſt: Quis enim neſciat, vel nominetenus fidelis, quia veniet Dominus, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, & reddere vnicuique iuxta opera ſua? Non omnium eſt iſta ſcientia, fratres mei, ſed nec multorum, paucorum eſt, quia reuera pauci ſunt, qui ſaluantur. Nimquid illi qui latantur, cum malefecerint, & exultant in rebus peßimis, vel ſciunt, vel recognãt, quia veniet Dominus ad Iudicium? Si dixerint ipſi; tu noli credere, quia qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* Confitentur ſe noſſe Deum, *ait Apoſtolus*, factis autem negant. *Non ita ſe omni impietate pollueront, ſi Dominum venturum ſcirent, vel formidarent; ſed vigilarent vtique, & non ſinerent tam grauiter perfodi conſcientias ſuas: nam ſcientia iſta in primo gradu operatur pœnitudinem, & dolorem, vt riſum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mœrorem conuertat, & incipiant ſibi diſplicere, qua vehemẽter placuerant antea, & illa ſpecialiter horreat, que ſpecialiter appetebat: Sic enim ſcriptum eſt:* Qui addit ſcientiam, addit & dolorem, vt veracis & ſanctæ ſcientiæ, ſit dolor ſubſequens argumentum. *In ſecundo verò gradu operatur correctionem, vt iam non exhibeat membra tua arma iniquitatis peccato, ſed coerceas gulam, iugules luxuriam, deprimas ſuperbiam, & faciæ corpus ſanctitati ſeruire, quod antea ſeruierat iniquitati. In tertio gradu operatur ſollicitudinem, vt iam ſollicitus incipiat ambulare cum Deo ſuo, & ex omni parte ſcrutur, ne vel in leuiſſima re tremenda illius maieſtatis offendatur aſpectus, & ita in pœnitudine accienditur, in correctione ardet, in ſollicitudine lucet, vt interiùs & exteriùs renouetur.* Ita S. Bern. Vbi exactè docet quos effectus habeat Iudicij diuini conſideratio, quos qui in ſe non experitur, minimè quidẽ nouit, quid tale Iudicium ſit, credit quia Chriſtianus, credit in confuſo, ſed ignorat ſi delinquit, ſi non pœnitet, ſi nõ ſollicitè ſeruire & placare Deo conetur.

Bern. 1. ſer. in vig. na. tale Dominic.

1. Ioan. 2. Ad Tit. 1. 16.

Eccl. 1. 18.

Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde ſuo: Non requiret. Vbi Caſſiodorus: *Interrogatione pronunciandum eſt hoc, propter quid irritauit impius Deum? deinde reſpondendum eſt affirmatiuè: dixit enim in corde ſuo, non requiret, quaſi circa cardines cœli perambulans, noſtra non conſideret.* Ita ille. Hoc eſt, propterea impius peccator Deum ſuis peccatis irritare audet, quia in corde ſuo

Pſ. 9. 13.

de suo videtur sentire, Deum nullam curam gerere rerum nostrarum: si enim sibi persuaderet maximam & minutam rerum omnium Deum habere rationem, non ita impiè agere auderet.

Ibid. 5. Et in eodem Psalmo de oppressore proximorum sic Dauidi: *Auferuntur iudicia tua a facie eius, omnium inimicorum suorum dominabitur.* hoc est, quia non curat de iudicio tuo, facilè fœuit in suos inimicos, & vindictam de illis sumere procurat, contra præceptum tuum, quo præcipis nobis, non solùm amicos, verùm etiam inimicos amare. & subdit de peccatore eodem: *Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem.* hoc est, vir iste impius, sicut solent diuites vsuris & dolis pauperes opprimere; sic iste viros innocentes defraudat. Vnde

Ibid. 9. subdit: *Oculi eius in pauperem respiciunt, insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua, insidiatur vt rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum,* hoc est, sicut leo, cùm capere prædam aliquam vult, insidiosè intra speluncam suam se continet. & inde speculatur occultè illam, & cùm transeuntem illam cernit, prodit ex occultis, & subitò rapit eam; sic intra cordis sui arcana se impius abdit. & inde speculatur pauperem, obseruatóque modum, quo illum inuadere possit, & cùm opportunitatem fuerit nactus, subitò & insperatò prosilit, & rapit eum. At dices: quin potiùs blandis illum verbis alloquitur? ita est, sed qualis animus sit, exponit Dauid, dicens: *vt rapiat pauperem, dum attrahit eum,* hoc est, insidiatur, & opprimit pauperem, cùm attrahit eum, alliciendo incautum. Quare tam dirè? quare tam impiè? nimirum, quia auferuntur iudicia tua à facie eius: si enim iudicia tua cogitaret, timeret, & timor Dei à peccatis huiusmodi eum liberaret.

Iob 31. 23. Hinc Sanctus Iob: *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cùm disceptarent aduersum me: quid enim faciam, cùm surrexerit ad iudicandum Deus, & cùm quæsierit, quid respondebo illi?* hoc est, cùm ego supremus in populo meo iudex essem, non solùm exteris, sed etiam seruis meis me integerrimum Iudicem præstiti: nunquam enim dedignatus fui cum seruis æquo disputare, sed liberæ orationis, & suę causæ tuendæ, potestatem feci, vt si quid fortè à me per iniuriam in eos cõmitti suspicarentur, audacter me conuenirent, & liberè coram me dicerent. Considerabam enim Deum omnipotentem Iudicem meum esse, à quo, si cuiusquam ego causam iusque repulissem, repulsam quoque ipse passurus essem: quid enim Deo sic interroganti contra me respondere valebo? Ecce quid speciatim sanctum virum in officio continebat, ne iniustum committeret aliquid, vt & nos ita diuinum Iudicium timere discamus, & fugere delicta, &c. Vnde meritò Sanctus Laurentius Iustin. his qui in prosperis mundi versantur, quorum occasione facilè in peccata labi solent, *Ita*, inquit, *præsentis temporis est agenda lætitia, vt nunquam amaritudo, & timor sequentis iudicij recedat à memoria.* Ita ille.

Prop. XLII. *Quàm prudens ille sit, qui futurum prouidit iudicium.*

Eccles. 2. 14. Ecclesiast. 2. *Oculi sapientis in capite.* Mira sententia: vbinam enim oculi, nisi in capite quis habet, siue sapiens ille, siue stultus sit? Olympiodorus, sapientis eminentiam hîc denotari ait: stultos enim in pedibus oculos ferre dicere possumus, quia si quis oculos in pedibus haberet, quæ in terra sunt, præ oculis haberet, & non quæ distant; sic stultus ea tantùm præ oculis habet, quæ in terris sunt: super illum enim ea videtur maledictio incidisse, quam Dominus super serpentem tulit:

Olympiodorus.

Gen. 3. 14. *Super pectus tuum gradieris, terram comedes, omnibus diebus vitæ tuæ.* Nónne tibi super pectus suum incedere eum dices, qui omnem cogitationem suam, & omne desiderium suum super terrena ducit? quid manducabimus? quid bibemus? quo operiemur? & cetera. nónne terram illum comedere dices, qui solùm ea sapit, quæ sunt super terram? De his igitur stultis dici potest, quòd oculos in calceis habent; at sapiens, quæ sursum sunt, sapit, non quę super terram, in superiori parte corporis, in capite, inquam, oculus eius, quia ad suprema visum & animum erectum habet, cœlestia meditatur, cogitatque illa quæ Dei sunt, non contemplante illo, quæ videntur, sed quæ non videntur, ideo sapientis oculi in capite eius, ait Sapiens. Sic explicat Olympiodorus. *Qui purgato intellectu,* ait, *contemplatur superna, oculos habet in capite, eò quòd caput eminentia quædam sit, & totius corporis pars suprema; qui vero circa terrena occupatur, in pedibus oculos habet: pars autem infima sunt pedes, & luto, eamque commaculata.* Ita ille. Vnde ibi Sapiens:

Prou. 17. 24. *Oculi stultorum in finibus terræ:* hoc est, non nisi terrena prospiciunt.

Gregor. Neocæsar. Sed S. Gregor. Neocæsariensis sic, *Oculi* (inquit) *tanquam speculatores altissimum obtinent locum, qui quò plura conspiciunt, eò magis funguntur munere suo, son los ojos como atalayas, que quanto mas alcançan a ver, tanto mejor cumplen con su officio.* Solent, qui in confinibus inimicorum degunt, speculas quasdam eminentes habere, in quibus custodes collocantur, qui noctu, diuque vigilantes inde à longè prospiciant, quò ab insidijs inimicorum tutius viuant; sic Deus in capite, quod suprema hominis pars est, oculos collocauit, vt velut hominis custodes inde à longè prospiciant, quid homini prodesse, quid nocere possit. Hinc metaphorâ sumpsit Salomon, sicut sapienter Deus huiusmodi custodes oculos in capite, vnde longiùs pertingere visu possint, collocauit, sic sapiens in capite ponit visum, hoc est, intellectum suum (hic enim oculus animæ est) in capite, hoc est, ita vt, quæ à longè sunt, prospicere valeat, verbi gratiâ, quid in morte futurum, quid post mortem, qualem Deo rationem reddet, quid in inferno damnati patiantur, & quibus in cœlo beati fruantur, quantumque inter salua-

Simile.

tionem & damnationem interfit, hoc est, in capite oculos habere: stultus autem, ait, in tenebris ambulat, hoc est, ignorat omnia hæc, & qui hæc ignorat, cæcus & stultus est, quamuis omnes mundi scientias norit, quia quid prodest homini, si hæc omnia sciat, si damnatur? *aquel, que se salua, sabe, que el otro no sabe nada.*

Vnde meritò ait ibidem Sapiens: *Oculi stultorum in finibus terræ.* quasi dicat, non plus vltra hic terminus suæ prouidentiæ, non pertingunt vltra finem terræ ad ea, quæ post mortem sunt futura, &c.

Prop. XLIII. *Quàm inexitabile sit vltimum iudicium.*

VEllent quidem damnãdi peccatores à vultu iræ diuini Iudicis abscondi, sed nõ valebunt. Vellent, inquam. abscondi, & quidem adeo, vt dicãt montibus: Cadite super nos. Audi Apost. Ioannem Apoc. 6. vbi agens de iudicio extremo, ait: *Reges terræ & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber absconderunt se in speluncis, & in petris montũ, & dicunt montibus, & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni; quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?* hęc dicent tunc, sed inexorabiles erunt montes, nec vllum illis refugiũ prorsus erit.

Apoc. 6. 15.

Vnde Apoc. 14. *Vidi & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem simílem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcẽ acutam.* Species quidẽ hæc est Christi Domini, ad iudiciũ venientis: thronus eius non argenti, aut eboris est, sed rubis: à nube enim & desiderata prouenit pluuia, & etiã grãdo, nix, & fulmina procedunt; huiusmodi ergo est tribunal Christi, bonis nubes erit placidũ stillans imbrẽ beatitudinis, & gloriæ, malis vero nubes erit fulgura emittens æternæ dãnationis. Corona illa Iudicis regiã designat

Apoc. 14. 14.

pote-

potestatem: data enim est illi omnis potestas in cœlo, & in terra, vnde quamuis filius hominis sit, potestatem habet mittendi malos in gehennam, & iustos in cælestia regna deducendi.

Denique in manu eius falcem acutam. Quid sibi vult in manu regis falx? sceptrum quidem manum hanc continere decebat, non falcem: hæc enim ad agricolas, illud ad reges spectat. S. Gregor. in id Iob 40.

Iob 40. 21. *Circulum in manibus suis, &c. Diuina (inquit) iudicia, sicut exprimuntur falce, quia circumuallantia incidunt, ita exprimuntur circulo, quia vndique stringunt.* Ita ille. In falce ergo Iudicium Dei significatur. Cur autem in falce potiùs, quàm in hasta, vel gladio, securi, vel in huiusmodi alio? quia, inquit, falx, circumuallans, incidit; si securi arborem cædis, frusta nonnulla hinc inde excidere solent, *Aqui falta vna raja, aculla vna astilla desmandada.* Quod verò falce metimus, nulla excidit ex parte, sed simul collectiuè metit, & scindit, nihil dilabitur, nihil extra falcem salit. Tale igitur diuinum iudicium, omnes homines amplectitur, nemo ab huiusmodi liberari poterit, nullus euadet.

Isai 2.12. Vnde Isaias cap. 2. *Dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, & super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnem turrim excelsam, & super omnem murum munitum, & super omnes naues Tharsis, & super omne, quod visu pulchrum est, & incuruabitur altitudo virorum, & elenabitur Dominus solus in die illa,* hoc est, quantumuis quis dignitate, & maiestate, & fortitudine, & animi polleat elatione, quantumuis nauem ascendat, & mari terraque fugiat, quantumuis pulchre in oculis sit, nec potestate, nec pulchritudine, nec veloci fuga poterit è Domini Dei Iudicis manu liberari: nam, vti ait Amos 2. 14. *Peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non saluabit animam suam, & tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non saluabitur, & ascensor equi non saluabit animam suam.* Hîc mysticè de Iudicio Dei agit, &c.

IVDICIVM TEMERARIVM.

PROP. 1 *Iudicium temerarium quàm iniusum Deo sit.*
2. *Quàm iniustum sit Iudicium temerarium.*
3. *Contra charitatem fraternam est alios temerè iudicare.*
4. *Quàm facile sit iudicantem decipi.*
5. *Sæpe fallitur, qui sæpè iudicat de rebus proximi.*
6. *Stultum est alios iudicare, quia conscientia aliena nobis incognita est.*
7. *Quòd non sit iudicandum contra proximum ob leues causas.*
8. *Propter peccatum vnius non est do communitate illius male iudicandum*
9. *Quàm temerarium sit non bene examinata male iudicare.*
10. *Iudicium temerarium ex peruersitate cordis procedit.*
11. *Odium proximi inducit ad iudicandum temerè de illo.*
12. *Malorum est malè iudicare.*
13. *Vnusquisque iudicat de alijs secundùm quod ipse est.*
14. *Nos ipsos potius quàm alios iudicare conuenit.*
15. *Curandum est, ne alijs malè iudicandi ansam præbeamus.*

PROP. I. *Iudicium temerarium quàm iniusum Deo sit.*

ETenim malè de proximis iudicare, contra charitatem prorsus est, nam, vti ait Apostolus 1. Cor. 13. charitas non cogitat malum, hoc est, vti ait Sanctus Chrysostomus ibidem: *Charitas non suspicatur malum de proximis.* & ibi Theodoretus: *Charitas* (inquit) *non cogitat malum, id est, ignoscit his, qui errant, existimans ea non esse facta malo animi proposito.* Ita

Vers. 132. ille. Et ideo fortè Dauid dicebat Psalmo 118. *Misere mei secundum iudicium diligentium nomen tuum,* hoc est, vt Titelmannus approbat hanc expositionem, ita iudica me, sicut sancti ob charitatem suam rectè iudicant de alijs. cùm igitur contra charitatem sit malè de alijs iudicare, quid mirum si Deo odiosum, & inuisum sit vitium hoc?

Vnde S. Bern. serm. 40. in Cant. optimum hac in re consilium præbens (ait) *Caue alienæ conuersationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius iudex, & si perperàm actum quid deprehendas, nec sic iudices proximum: magis autem excusa intentionem, si opus non potes. existima igitur ignorantiam esse, vel casum, vel surreptionem. Quòd si omnem omnino & simulationem rei certitudo recusat, dicito apud temetipsum: vehemens nimis tentatio fuit, quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?* Ita ille.

Est enim optimum remedium ad non iudicandum de alijs, in peccata propria conuertere oculos mentis. Dauid 2. Regum 12. grauem sententiam protulit aduersùs eum, qui tulisse ouem pauperis existimauit: *Reddet* (inquit) *ouem in quadruplum, quoniam filius mortus est,* &c. Dignum morte iudicauit furantem ouem, qui non se morte dignum iudicauerat, cùm vxorem Vriæ sustulisset, &c. Si vis igitur non ita aliena peccata indagare, & condemnare, tua cogita delicta, & prohis pœnitentiam age, aliena verò remitte Deo, Iudici cunctorum.

Vers. 6.

PROP. II. *Quàm iniustum sit Iudicium temerarium.*

ETenim quamuis proximum peccantem videamus, suspendere iudicium nostrum debemus; quia cùm interiora eius, causas, & circumstantias ignoremus, sæpe damnamus iniustè proximum. Ob hanc causam cum primi primi parentes peccassent, antequam eos Deus afficeret pœnâ debitâ, in iudicium vocauit & interrogauit. *Quare hoc fecistu?* &c. Cur ita? Respondet Nicolaus de Lira in c. 3. Gen. *Ante condemnationem interrogauit virum & mulierem, quia nullus est ante inquisitionem condemnandus.* Ita ille. At dices, quid opus erat Deo interrogare, qui omnia sine interrogationis necessitate cognoscebat? constat quidem non ei opus fuisse, sed quia nobis opus erat, magistri vices gerens, quid à nobis agendum esset docebat; vt scilicet inaudita parte neminem ore vel corde condemnemus, quamuis res nobis aperta esse videatur. Quid enim ad nos de his quæ non pertinent ad nos?

Gen 3. 11.

PROP. III. *Contra charitatem fraternam est alios temerè iudicare.*

SIc Dominus ad discipulos ambitiosè sedes, primas ambientes, *Nescitis,* inquit, *quid petatis.* non dixit: vos ambitiosi & superbi estis, sed ignorantes, & nescientes postulare: vt nos proximorum nostrorum errata non aggrauare, sed extenuare discamus.

Matt. 20. 22.

Sic in horto cũ desides & dormientes discipulos eo tempore videret, quo maximè eos vigilare oportebat, tum sui, tum Domini sui causâ, sic ad eos: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* infirmitati eorum desidiam attribuit, & spiritus promptitudinem laudat, ita de proximi defectibus iudicandum Christus docet.

Matt. 26. 41.

Imò cùm peccatum illud grauissimum occidentium filium Dei, quem tot argumentis adorare tenebantur, & Deum confiteri, dignum quouis supplicio esset, etiam excusauit in cruce Dominus, pro ipsis Patrẽ orans, & dicens: *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* non dixit: Pater, punito illos profacinore tanto secundùm ipsius peccati exigentiam, sed dimitte illis, & vt culpam tantã extenuet, non, inquit, sciunt quid faciunt, nesciunt quidem quid faciunt: si enim scirent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed scire tenebãtur, quis ille esset, qui talia ac tanta miracula edebat, qui verbo dæmones effugabat, qui mortuos ad vitam reuocabat, qui diuinis virtutibus fulgebat, qui zelo summo animas à peccatis suis conuertit, & fulgore

Luc. 23. 34.

vitæ

vitæ suæ vel ipsos illuminat cæcos: qui cognoscit abs- A
condita cordis, futura prædicit, & authoritate maxima miraculis confirmata peccata dimittit, hunc occidere, hunc crucifigere, quis excusabit? quos Christus Dominus excusauit, & pro ipsis orauit. sic vbique magister noster cœlestis nos proximos diligere docet, & eos excusare. Didicit hanc à Christo doctrinam beatus Petrus, qui post resurrectionem Iudæis prædicans, dixit: *Propter ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri*, non grauitatem scelerum attollit, sed grauitatem illam secundùm suam possibilitatem tollit. Act 3 17.

Vnde sanctus Bernardus, *Excusa*, inquit, *intentionem, si opus non potes.* Ita ille. Diabolicum enim est intentionem damnare, dæmon enim, cùm Dominum audiret laudantem Iob, dixit id Iobum præstare, non Dei amore, sed proprio: ne scilicet à Deo puniretur, si eum non coleret. Serm 40. in Cant,

At, inquies, omnes oppositum sentiunt, & communis fama aliud sentire non patitur, imò vulgus fæpissimè errat: cuiusuis enim dicta & errores amplecti solet, & famâ celebrare. quàm ob causam id tunc faciendum esset, quòd fecit Pausanias celebris pictor, qui iussus equum currentem pingere crines erectas habentem, è conuerso humi tergo iacentem, & demissis crinibus pinxit, qui correptus, respondit: Verte tabulam, & quod postulabas, inuenies. vertit, & inuenit equum currentem, &c. id etiam de dictis vulgi dicendum, versa dicta vulgi, & quod verum est inuenies. B

Quòd si euidens fuerit culpa, & nullam excusationem admittens, tunc, inquit sanctus Bernardus, dicito apud temetipsum: Vehemens nimis fuit tentatio, quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem? Ita ille. Vbi supra

Cùm sanctus Ioseph coram se fratres timentes ac trementes videret, eos sic solari cœpit: *Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum.* ad prouidentiam recurrit, cùm nullo alio modo posset grauitatem delicti attenuare, sic charitas habentis illam resplendet. Gen. 45.5 C

Oritur autem iudicium ex qualitate iudicantis, ex malitia subiecti nascitur malum iudicium, ex bonitate bonum: sicut metallum infusum illam fortitur figuram quam proplastice (quod nos *molde* vocamus) in se habet. Si enim proplastice figurâ Angeli habet, metallum figuram Angeli fortitur, si verò dæmonis, quam nisi dæmonis accipiet? sic etiam de iudicio iudicandum, si homo qui iudicat, Angelus moribus fuerit, Angelicum erit iudicium eius, si verò diabolus, diabolicum erit.

Denique rectè sapiens quidam: Omnis res habet duas ansas. alludit ad ollas, & vasa, quæ igni applicantur, quæ duas solent habere ansas, & tunc eam sumimus ansam, quæ non comburit; sic omnes homines in factis suis duas habent ansas, opus scilicet, & intentionem, ad intentionem recurre, intentionem salua, & non peccabis.

Prop. IV. *Quàm facile sit iudicantem decipi.*

Ioan. 7. *Nolite secundùm faciem iudicare*, meritò hoc Dominus nobis præscribit, quoniam qui leuiter iudicat, non leuiter solet errare, sicuti erraut Pharisæus ille, qui Luc. 7. Magdalenam pœnitentem, imò & etiam Christum Dominum taxauit, & condemnauit, dicens: *Hic si esset propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Ecce Christum non solùm non esse Deum, verùm nec prophetam esse verum iudicauit, nec Magdalenam pœnitentem, sed infamem peccatricem, quia secundùm faciem iudicauit. Vers.24. Vers.39.

1. Reg. 1. Anna Samuelis mater orabat deuotè in templo Dei: *Loquebatur* (inquit) *in corde suo, & tantùm labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* Æstimauit ergo Heli temulentam, dixitque ei: *Vsquequo ebria eris? digere paulisper vinum quo madet.* Erraut valde Heli, nam non ex vino, sed ex deuotione gestus, & actiones illæ exteriores procedebant, tantoque feruore orauit, vt filium, quem à Deo postulabat, obtinuerit; nam antea sterilis erat; & hic secundùm faciem iudicauit. Vers.13.

Melius S. Ioseph, qui licèt prægnantem vidisset, B. Virginem mysterium potiùs quàm aliud sibi interuenire cogitauit, & nolens secundùm faciem iudicare, voluit occultè dimittere eam: *Nolite ergo iudicare*, (ait Dominus) *& non iudicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini. Nolite iudicare, vt non iudicemini: quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Etenim stultum peccatum est hoc, quia si in alijs peccatis commodum aliquod interuenit honoris, vel lucri, vel voluptatis, in hoc nihil horum reperitur, quid enim honoris? quid vtilitatis? quid voluptatis accrescit tibi, ex hoc quòd alterum iudices, & condemnes? quis te constituit iudicem proximi, vt iudices occulta cordis, quæ soli Deo constant? Luc 6.37 Matt.7.1

Prop. V. *Sæpe fallitur, qui sæpe iudicat de rebus proximis.*

Genes. 39. quis pallium Ioseph in manu Ægyptiæ videns, non facilè iudicaret, verum dicere mulierem, quòd Ioseph eam ad adulterium solicitasset, cùm tamen ipsa rea, Ioseph autem innocens prorsus esset?

Actor. 28. Apostolus Paulus post naufragium in Melita insula receptus, vipera quædam adhæsit manui eius, quòd Barbari quidam intuentes, dixerunt: *Vtique homicida est homo hic, qui cùm euaserit de mari, vltio non sinit eum viuere.* ita hi iudicabant, & tamen ipsi, qui iudicabant, peccatores erant, Paulus verò sanctus, quod ita frequenter euenit, vt à peccatoribus iusti à malis temerè iudicentur, & condemnentur. Vers.4.

ADDITIO.

Contingit plerumque aliquem ex fratribus in multis errare simpliciter: rem autem vllam in se habere, qua Deo mirificè super omnem vitam tuam placeat, & tu sedens, & otiosus illum iudicas, atque animam tuam lædis? Esto, ceciderit, tu quid scis quomodo concertauerit, quomodo effuderit sanguinem suum antequam caderet, ita vt penè inueniatur vitium suum iustificatum apud Deum? Vidit fortè Deus laborem eius, & afflictionem quam passus est, cùm tentaretur, miserusque est illius & ignoust. Cumque illum miseratus Deus sit, tu iudicare audeas, atque animam tuam perdere? Quid tu, oro, scis quot fuderit lachrymas pro delicto huiusce modi? Nosti quidem delictum, non nosti pœnitentiam. Et paulò post: *Qui optant saluari, numquam curiosi sint circa minima proximorum delicta, sed circa sua semper occupantur, atque ea præcidunt. Quot præclare egit ille, qui cùm fratrem suum peccasse audiret, suspirans dixit: Hei mihi! quia ille hodie, cras ego.* S. Dorotheus Doctr. 6. Idem Doctr. 16.

Vnusquisque à statu suo, & ex semetipso vel lædi tur, vel iuuatur: & in nobis est, velimus, si prodesse, aut obesse nobis. Cuius rei vobis exemplum subijciam. Contigit aliquem ex oppidanis (non loquor de Monachis) nocte in angulo vno vrbis consistere & immorari, vel in platea: iuxta hunc pertransiunt viri tres, & vnus quidem ex eis suspicatur illum aliquem sociorum prastolari, vt fornicentur pariter: alius autem putat vocatum ab eo amicum è domo, vt simul ad orationem exeant: tertius autem arbitratur eum furem esse. Ecce tres eumdem hominem in eodem loco pariter consistere, nec tamen eumdem

,, *cogitationem habuere, sed aliud primus, aliud secundus, aliud*
,, *tertius suspicati sunt: atque unusquisque pro statu suæ mentis*
,, *sententiam tulit: vt enim corpora melancholici, & mali hu-*
,, *moris quidquid cibi sumpserint, illud in choleram conuertunt,*
,, *& quodlibet malo perimunt, licèt fuerit cibus optimus; nec à*
,, *cibo causa est, sed a corpore, quod dicimus ratum contraria*
,, *ad digestionem operatur, & ciborum naturam immutat: sic*
,, *animæ malè dispositæ vnaquæque res, quamuis bona & vtilis,*
,, *suo vitio vocet. Fuge mellis vasculum ante nos positum esse,*
,, *si quis in illud medicum quid alsynthij iaciat, nonne vas totum*
,, *corrumpit, & mel amarum facit? Idem nos facere videmus,*
,, *cum pugillo amaritudinis nostræ totum proximi bonum cor-*
,, *rumpimus, iudicantes illum pro statu mentis nostræ, &*
,, *transformamus quodammodo ipsum ex mala dispositione qua*
,, *in nobis est: nam qui bene animo dispositi fuerint, tales sunt*
,, *erga omnes, quales qui corpus temperatissimum habent, qui*
,, *quidquid nocens comederint, omne conuertunt in nutrimen-*
,, *tum, & optimam concoctionem, ita vt nihil eis noceat, et-*
,, *iam quod nocens est. Et paulò post: Ita nos cum bene dispo-*
,, *siti atque instituti erimus, vt dixi, poterimus à quauis re et-*
,, *iam nocenti vilitatem sumere: hinc bene in prouerbijs dici-*
,, *tur: Qui leuiter intuetur, misericordiam conseque-*
,, *tur. Et alibi: Quæcumque aduersantur viro insipienti.*
,, *Accepi de quodam confratrum nostrorum rem sanè dignam imi-*
,, *tatione: quia scilicet si quando alterius fratris cellam vidisset*
,, *immundam, incompositam, inculcam, statim intra se ale-*
,, *bat, quàm beatus est frater ille, & vt abstractus, vt alie-*
,, *nus ab his terrenis & transitorijs, & se totum ad cœlestia, &*
,, *diuina contemplanda transtulit! nam neque propriæ cellæ ex-*
,, *onauit illi cura est aliqua. Si alterius item fratrum cellam*
,, *compositam, mundam, ornatam, excultamque vidisset, di-*
,, *cebat secum: En quàm pura & immaculata est frater is huius*
,, *anima. Ad animæ namque statum cellæ puritatem direxit,*
,, *vt vtiq; cum anima, cella, quam incolit, purissima sit.*
,, Vide Sainct Iure de la cognoissance de Iesus Christ
,, Tom. 2. cap. 12. Sec. 7

A bant, nec cogitatione vnquam rem huiusmodi fuerant imaginati, imò ardenter eum diligebant, & tamen de nullo alio interrogant, quis ille traditor sit, sed vnusquisque de se ipso timens, dicebat: *Nunquid ego sum, Domine?* in tantum à temerario iudicio remoti erant. & quidem indicia fortè nonnulla, poterant in Iuda deprehendere, cùm fur ille esset, & loculos haberet, sed nec furem illum, nec tales loculos habere forsitan suspicati vnquam fuere, quantò minùs in tantum crimen illum incidisse.

PROP. VIII. *Propter peccatum vnius non est de communitate illius malè iudicandum.*

QVamuis in aliqua congregatione, sit illa clericorum, sit religiosorum, sit secularium, quamuis inquam, ex centum nonaginta nouem mali manifestò essent, non ideo de reliquo malè iudicandum est, quamuis vnus inter multos sit. *Nunquid a Nazareth* Ioa. 1. 46.
B *potest aliquid boni esse? dixit Nathanael.* Erat Nazareth oppidum humile, abiectum in Galilæa, imò & Galilæa in nullo erat habita pretio, ita vt aliquando Iudæi dicerent Nicodemo, Ioan. 7. *Scrutare scripturas,* Ioa. 7. 52.
quia de Galilæa Propheta non surgit, & tamen à Nazareth ortus est Christus, ibi conceptus est de Spiritu sancto, ibi educatus, & ex Galilæa humili, orti sunt Apostoli, principes terræ; non igitur propterea, quæ communia sunt, de cunctis omnibus indiscriminatim iudicandum est, in moribus maximè, vbi liberum est bonum, vel malum esse, & Dei gratiâ vnus bonus esse inter multos malos potest.

Sed cùm iam omnia ruant in peius, non solùm de vno propter multos malè iudicatur, sed etiam de multis propter vnum: si enim in aliqua Religiosorum communitate, vnus aliquis eorum peccauerit, de omnibus à multis detractoribus detrahi solet. Nunquid ab omnibus ius datum illi est, vt pro omnibus ipse
C peccaret, quòd eius culpa omnibus tribuatur? *Tubo poder en causa propia de toda la communidad, para peccar por todos, que assi su culpa la imputeis à todos?* num quia vnus peccator euadat, reliqui omnes peccatores esse oportet? quid temerè magis iudicari potest? num quia vnus Apostolorum proditor fuit, omnes reliqui proditores habendi sunt? num quia multi Angelorum, & penè innumeri peccauerunt, omnes Angeli peccatores fuerunt? Huiusmodi ergo iudicium iudicio caret, nulla Religiosorum Religio Christi collegio excellentior, vbi à pectore ipso Christi lac Euangelij hauserunt Apostoli, & tamen ibi non ex mille, sed ex duodecim cccidit vnus. Nulla communitas Angelorum communitate excellentior, & tamen inde tot tantique ceciderunt. Quid mirum, si vnus ex mille hominibus cadat, vbi omnes, non Angeli, sed homines sunt? &c.

PROP. IX. *Quàm temerarium sit non bene examinata malè iudicare.*

D

GEn. 18. sic Dominus ad Abraham: *Clamor Sodo-* Gen. 18.
morum & Gomorrhæ, multiplicatus est, & peccatum 20.
eorum aggrauatum est nimis; descendam & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita. Quid hoc? numquid Deus ignorabat aut dubitabat clamorem illum verum esse? Respondet Sanctus Gregorius 19. Mor. 23. expendens hunc locum & S. Greg.
ait: *Ipse Deus hoc fecit, vt nos à præcipitata sententia liberaret, cum omnia nuda & aperta sint oculis eius; mala tamen Sodomæ noluit tantùm audita iudicare, vt granitatis nobis exemplum proponat, ne malè hominum antea præsumamus credere, quàm probare.* Ita S. Gregorius.

Vnde viri sancti valde timent aliena opera iudicare. Audi quid S. Iob affirmet: *Causam, quam nescie-* Iob 29. 16
bam,

1 Cor. 4. 5. — NOlite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum. quæ sunt ista quæ Apostolus abscondita tenebrarum dicit? Sanctus Gregorius. *Quisquis in cogitatione sua à rectitudine exorbitat, in tenebris peccat. Nos ergo tantò minùs debemus aliena corda audacter reprehendere, quanto scimus, quia visu nostro non possumus alienæ cogitationis tenebras illustrare.* Ita Sanctus Gregorius.

1. Mor. 8.

Qui exemplum optimum in sancto Iob apponit, qui quamuis mores filiorum nosset, & in conuiuijs hominum, vel saltem cogitatione, delinquere frequenter, &,

Vbi supra vt ait Sanctus Gregorius: *Nonnulla sunt vitia, quæ à communi vix, aut numquam separari possunt, nihilominus tamen sanctus Iob, quamuis per vniuersam hebdomadam filios conuiuia celebrare videret, & timens ne in ipsis deliquissent, offerret pro illis sacrificia, solùm dicebat, Ne fortè*

Iob 1. 5. *peccauerint filij mei in cordibus suis. Cur non absolutè pro eorum peccatis, sed solùm, ne fortè peccauerint, & hoc non opere, vel sermone, sed cogitatione aliquâ?* Sanctus

1. Mor 7. Gregorius, *quia de alienis cordibus iudicare temerè non debemus, in sancti huius verbis agnoscimus, qui non ait, quia benedixerant Deum in cordibus suis, sed, ne fortè. vnde Apostolus:* Nolite ante tempus iudicare &c. Ita ille.

PROP. VII. *Quòd non sit iudicandum contra proximum ob leues causas.*

Prou. 21. — MAtth. 26. sic Christus Dominus ad discipulos suos: *Vnus vestrùm me traditurus est, & contristati valde cœperunt dicere singuli: numquid ego sum, Domine?* Columbinam simplicitatem Apostolorum attende, nullum conscientiæ propriæ stimulum sentie-

bam, diligentissimè inuestigabam. Ita Iob cap. 29. vbi S. Gregorius 19. Moral. 23. ait: *Qua in re notandum video, ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites esse debeamus, ne temerè indiscussa iudicemus, ne quælibet audita nos moueant, & ne passim dicta sine probatione credamus.* Ita S. Gregor. vbi nota, quòd Iob Iudex imò & Rex populi sui erat; vnde Regibus & Principibus ac Iudicibus vtilissimum exemplum præbuit, à temerarijs iudicijs se abstinendi; nam sæpè, quæ vera sine dubio esse videntur, falsa sunt. Quis non crederet Susannam adulteram fuisse affirmantibus duobus senibus, & iudicibus populi, qui omni exceptione maiores videbantur? & tamen falsissimum testimonium proferebant.

5. Greg.

PROP. X. *Iudicium temerarium ex peruersitate cordis procedit.*

QVid est, quòd accipiter, quantumuis perdices, & columbas, & alias huiusmodi comedat aues, in duram, nigram, & pessimam carnem eas conuertat, ita vt eâ nobis non liceat vesci: gallina verò, quæ araneas, & immunditias edit, adeo in bonam, & optimam carnem ea commutet, vt infirmi, & optimates, & reges eis vescantur, & habeant in delicijs? Nimirum, quia accipiter qualitates quasdam interiores ignobiles, & acerbas nutrit, quibus cibum ita peruertat. gallina verò nobili, & suaui quadam qualitate est affecta, quâ ea etiam, quæ mala sunt, alijs in bonum sanguinem, & optimum alimentum ipsa conuertit. Id ego de hominibus dico: qui boni, & virtute præditi sunt, omnia in bonum conuertunt, siue bona illa, siue mala sint: aduersa enim in patientiam, prospera verò in Dei laudem, & actionem gratiarum vertunt: similiter ea, quæ de proximis norunt, in bonum commutant: si enim bona proximi audient, laudant si verò mala, excusant, vel prorsus occultant. Mali verò bona proximi maculant, vel saltem dissimulant, & absconditunt; mala verò proferunt in lucem, exaggerant, & vituperant, &c.

Rom 8. 28.

Hinc Paulus: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: similiter ergo dicendum, quòd malis omnia cooperantur in malum.

Licèt sæpe ex leuitate animi iudicium temerarium procedat, sæpe quoque ex prauitate, & malitia cordis promanat. Matth. 11. sic Christus Dominus ad populum audientem: *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet; venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus.* Hoc est, si austeritas Ioannis displicet, cur suauitas non placet vobis? si ex bonitate cordis iudicium procederet vestrum, ex duobus his alterum vobis placere deberet; sed quia ex malitia procedit, displicet vtrumque. Sunt hi iudices temerarij, & detractores, sicut aranea, quæ siue malum, siue etiam bonum comedat, cibum illum conuertit in venenum, quia veneno habet interiora plena. at boni, cùm ex bono corde proferant bona, sunt sicut apis, quæ siue ex dulci, siue ex amaro colligat flore, in dulcem fauum illud commutat; sic (inquam) boni, siue bona, siue mala videant opera proximorũ, in bonũ suũ illa conuertunt; nam bonos laudant, & pro malis orãt.

Verſ. 18.

Iob 1. 9.

Cùm dæmon Deum audiret Iobum laudantem; quòd esset iustus, & timens Deum, & recedens à malo, & quòd non esset ei similis in terra; statim in hæc verba prorupit: *Numquid Iob frustra timet Deum? numquid non tu operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra? Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi*, quasi diceret: Non tui, sed sui gratiâ tibi deseruit, ne scilicet auferas ab eo hæc multa quæ possidet bona mundi: vnde si experimentum cœperis, auferendo ab eo huiusmodi bona, videbis quomodo in faciem benedicet tibi, hoc est, blasphemabit in te. Ecce pessimus Satanæ animus: sanctissimus ille erat vel etiam Domini testimonio, & tamen ex malitia cordis sui nihilominus iudicabat intentionem Iobi iniquam esse: quem imitantur qui aliorum iudicant intentiones. Similes suibus sunt quæ herbarum floribus relictis, radices earum dirumpunt; sic hi relictis floribus exterioribus, quos in proximis intuentur, ad intentionem, quæ radix operum est, recurrunt, & hanc iudicando malè, perdere conantur. Bonus homo de bono thesauro cordis profert bona, & malus de malo cordis sui profert mala.

A

Cùm Apostolus Paulus ad Melitam insulam peruenisset, vipera quædam adhæsit manui eius; vt verò viderunt Barbari insulæ illius pendentem bestiam de manu Pauli, ad inuicem dixerunt: *Vtique homicida est homo hic*: quasi absque peccato existentem non posset vipera mordere. Dolere vicem eius debuissent, & naturali euentui tribuere casum: id enim malis ac bonis pariter euenire solet: at illi statim: *Homicida est*, qui tamen sanctissimus Apostolus erat. Meritò eos Barbaros nominat Scriptura: id enim, non hominis bene morigerati, sed barbarica indole præditi est. Act. 28. 3.

B

Melius sanctorum Sanctus, vti diximus, dum in cruce penderet, & pro crucifixoribus exoraret, dixit: *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt*, & quidem facinus illud adeo erat immane, vt vix aliqua posset excusatione saluari: Christus enim adeo sanctissimè apud eos vixerat, vt nullum crimen aduersùs eum iniquissimi iudices reperire potuissent, & miracula miranda, & stupenda, & quamplurima in oculis eorum patrarat, quibus, non morte illa, verùm etiam veneratione maxima dignum fuisse facilè iudicare potuissent, & cùm adeo inexcusabiles viderentur, nulla tanti criminis mentione facta, ad ignorantiam, quam de eius dignitate habebant, Christus Dominus recurrens, ait: *Nescitut quid faciunt: si enim cognouissent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Ecce quem imitentur omnes recti corde: sicut enim Satanam imitantur qui malè de proximis iudicium ferunt, sic Deum imitantur qui in bonam partem proximorum facta commentantur. Luc. 23. 34. 1. Cor. 2. 8

C

Sed quod ego magis in hoc genere peccati miror, est, quàm inutiliter in peccatum hoc graue incidunt temerariè iudicantes, graue: inquam, nam contra charitatem proximi est, vt constat; contra charitatem autem directè peccare, graue esse dictum est, & tamen quid lucrantur qui sic iudicium ferunt? fur, & vsurarius, & ambitiosus, & auarus, & gulosus, & alij huiusmodi lucrum, vel honorem, vel delectationem inde sumunt; qui verò temerariè proximum iudicat, quid inde habet? & tamen iudicium inde sibi is acquirit. *Nolite, inquit, iudicare, vt non iudicemini: in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Quis te, frater, in has redigit angustias? si ob hanc vel illam causam ille sic vel sic operatus est, quid ad te? Rectè Paulus: *Is qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit.* quasi dicat, impertinens valde est iudicium hoc, & in alienam messem mittere falcem, ad Dei iurisdictionem spectat hæc iudicatura, dimitte, & remitte Deo iudicium suum, noli diuinam tibi iurisdictionem vsurpare: hoc enim iniustum & odiosum est valde, nihil lucraberis iudicando & te in præcipitium incautè inijcies. Matt. 7. 1 Ad Rom. 14.

D

Nec tamen ideo à peccatis proximorum oculos auertere licet omnino: si enim peccata manifesta vel certa sunt, remedium adhibere, non solùm licet, sed oportet: vnicuique enim mandauit Deus de proximo suo, tunc, non vt interiùs damnemus peccata proximorum, certa iudicamus, sed vt fratribus manum porrigamus, & à peccato & damnatione æterna liberemus,

quòd eximiæ charitatis est, & obligationis Christianæ, quâ omnes ad inuicem astricti sumus, &c. sed hoc solùm monemus, ne incautè, & vt detractionibus seruiamus, facilè de proximorum actibus iudicemus.

Hoc vnum addam, quòd sæpissimè, qui proximos iudicant facilè, facillimè quoque errant. Anna mater Samuelis affectuosè orabat in templo, & largiter flens: obseruauit eam Heli Sacerdos, & temulentam illam esse iudicauit, & dixit ei: *Vsquequo ebria eris? digere paulisper vinum, quo madet*, cui Anna: *Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.* Obserua temeritatem iudicij, ebriam iudicauit eam, quæ nec biberat vini guttam, temulentamque illam, quæ deuotissimè orabat. id etiam in propositis exemplis poteris obseruare: homicidam iudicabant Barbari esse Paulum, qui vitam omnibus quærebat; Iobum hypocritam iudicauit Satanas, quem Dominus adeo sanctum dixit, vt similem in terra non haberet; dæmonium habere Christum Iudæi affirmabant, qui opera diaboli dissoluere veniebat. sic toto cœlo errant, qui zelo indiscreto & temerè proximos audent iudicare, quos sæpè sæpius Dei iudicio in eadem vitia cadere videbis, in quæ proximos iudicant cecidisse, &c.

Quid, inquies, faciam, qui signa sæpe ea video, quæ apertè iniquitatem præseferunt? tunc quidem proximum corrigere, & à peccato liberare contende, verumtamen iudicare nec huiusmodi intercedentibus signis debes: nam sæpè quæ manifesta videntur, minimè talia sunt. Quis Iosephum adulterum non suspicaretur, cùm à domina sua primaria & nobili, accusatum videret? & maximè cùm illa pallium serui in signum testimonij sui demonstraret? Quis non Susannam adulteram, & mortis ream diceret, cùm à duobus senibus & populi iudicibus denunciatam videret? & tamen innocens & sanctus erat Ioseph, innocens & sancta Susanna; accusatores verò delinquentes, & peruersi. Id igitur agendum tibi est, quod fecit sponsus Virginis Ioseph, qui, cùm grauidam sponsam videret, nec sic voluit eam accusare, nec adulteram iudicare, nec tamen inde aberrauit, sed sapienter iudicauit: sic tu, quamuis indicia videas, iudicio hominum manifesta, vel ferè, noli iudicare, si non vis errare, iudicium suspende, & debitum adhibe remedium proximo tuo. *Nolite*, ait Paulus, *ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* iudicet qui Iudex est, ad me iudicium aliorum non spectat.

1 Reg 1. 14.

1.Cor.4.5

Prop. XI. *Odium proximi inducit ad iudicandum temere de illo.*

AManti omnia, quæ amati sunt, placent, non solùm quæ pretiosa verè sunt, sed etiam quæ despicabilia sunt: quòd enim in eo deformè est, pulchrum iudicat, quod stultum, ingeniosum, quod vitiosum, studiosum.

Sic mater, quæ filiolum deformem habet, nigrum, & scabiosum, & sordidum, sic in eo complacet sibi, vt eum dicat principem, & regem suum, pulchrum, album, nitidum, splendentem. E conuerso autem qui prosequitur alium odio, quod in eo pulchrum est, iudicat deforme, & quod sanctum, vitiosum, & quod sapientissimum est, stultum.

Ioan. 9. Christus Dominus spuit in terram, & ex sputo, & puluere lutum fecit, quo liniuit oculos cæci à natiuitate, & quo tandem sanauit eum luto, eo quidem potiùs cæcare videntem, quàm visum cæco tribuere posse videbatur, vt ita miraculi certitudinem demonstraret: si enim optimo collyrio sanasset, fortè virtute collyrij sanitatem tribuissent, lutò autem, nullo modo; manifestum igitur miraculum fuit. Quid igitur de illo Pharisæi iudicarunt? audiamus Ioannem: *Sabbatum erat, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit.* Vides stultissimum horum Pharisæorum iudicium: peccatum mortale esse dicunt miraculum tam insigne. In quo, dicite Pharisæi, consistit peccatum hoc? quid fecit modò Christus contra festi religionem? spuit in terram, hócne malum est? malum ita iudicant, quia odio Christum prosequuntur, & qui alium sic odio habet, spuere in terram mortale peccatum esse dicit.

Ioan 9.14.

Prop. XII. *Malorum est malè iudicare.*

QValis vnusquisque est, tale iudicium habet, si bonus, bonum, si malus, malum: bonus enim, quia bonus, quæ bona sunt, respicit, non quæ mala. Vnde S. Bernardus serm. 1. ad fratres de monte Dei, refert, *quendam monachum laicum ad se venisse, & ad pedes suos prostratum, dixisse: Væ mihi, ô pater, qui Monachum vidi, in quo triginta virtutes consideraui, quarum nec vnam in me inueno.* Ita ille. Ecce bonorum ingenium: in se quidem quæ mala sunt, intuentur; in proximis verò quæ bona. Mali verò è contrario, vti patet in Pharisæis illis Matth. 15. qui ad Christum, plusquam quadraginta leucarum spatio distantem, abierunt ab Hierosolymis, vt discipulos eius coram eo accusarent, dicentes: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* qui transgressiones seniorum audirent, graue delictum suspicaretur. Quodnam ergo? *Non*, inquiunt, *lauant manus, cùm panem manducant.* Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Pharisæi viri Ecclesiastici, religiosi, primates populi, aliorum duces, tantum arripiunt iter, vt ineptias huiusmodi coram tanto Iudice proponant, habebant quidem in discipulis Christi plurima ad animarum ædificationem pertinentia, modestiam, diuini honoris zelum, spiritus paupertatem, & omnium bonorum mundi desertionem, &c. & tamen nihil horum bonorum morum considerantes, defectum illum, qui in rei veritate defectus non erat, & apud ipsos, si quis erat opinanter, leuissimus iudicandus erat, sic aggrauant, sic attollunt, sic criminantur, *Non seruant*, inquiunt, traditiones *seniorum*. Ecce ingenium malorũ. Similes quidem hi muscis, qui sedentes in pomo, si qua pars labem aliquam, vel turpitudinem paruam habet, ad eam accurrunt omnes, relicto pomo toto in reliquo sano; sic mali, relictis moribus sanctis proximorum, ea tantùm animaduertunt, quæ ipsorum iudicio mala sunt.

Matt. 15. 2.

Simile.

Item, sicut sanguisugæ, quæ venæ hominis applicatæ, si quis in corpore sanguis corruptus est, sugunt, sanguine sano, ac bono relicto: denique sicut cribrum farinarium, quòd recipiens farinam, & furfures, farinam quidem emittit, & adipem optabilem, & furfures retinet; sic isti, dato quòd in proximo sanguinem corruptum cum bono mixtum sentiant, bono prætermisso, corruptum sugunt. quid indecentius? & reijcientes farinam virtutum, reseruant sibi furfures, & quisquilias defectuum, & peccatorum, quid stolidius?

Simile.

Hinc est, quòd si bonum aliquod opus proximi animaduertunt, in malam partem interpretantur: in quo eius se filios produnt, qui audiens Dominum laudantem Iobum sic Iob 1. *Nunquid consideraſti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum?* cui hostis (inuerecundè quidem, nam quem Deus laudauerat, laudare omnes oportebat) *Nunquid*, ait, *Iob frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum eius, & vniuersam substantiam per circuitum? extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Vide maleuoli maleuolentiam, & iudicium temerarium. Quem Deus iusti-

Iob 1.8.

ficat,

ficat, quis est qui condemnet? Hic obstinatus dæmon, qui opera Iobi improbare non valens, intentionem vitiare contendit, non, inquit Deum ob Deum timet, ob filialem amorem, & timorem; sed ob timorem, purè seruilem, ne scilicet bona, quæ illi contulit, auferat vel diminuat.

Luc 11. 15.

Sic etiam & Pharisæi; quia qualis pater, tales & filij, cùm Luc. 11. viderent Christum Dominum dæmonia eijcientem, in Beelzebub principe dæmoniorum, dicebant, *Eijcit dæmonia.* quia opus manifestum damnare non poterant, potestati, & intentioni detrahere decreuerunt, iudicantes sic temerè, quæ mirari, & laudare oportebat.

Prop. XIII. *Vnusquisque iudicat de alijs secundùm quod ipse est.*

Vers. 16. EXod. 32. *Descendebant ex monte Synai Moyses, & Iosue, & audierunt tumultum populi infra montem existentis, & dixit Iosue ad Moysen: Vlulatus pugnæ auditur in castris, qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, nec vociferatio compellentium ad fugam, sed votem cantantium ego audio.* Quàm diuersum vtriusque iudicium: quid enim vlulatui pugnæ cum musica, & cantu? Ratio igitur huius diuersitatis est, quòd Iosue vir bellator erat, & ad arma procliuis, & ideo clamorem illum populi vlulatum pugnæ esse iudicauit: Moyses verò vir mitissimus erat, & ad pacem pronus, & ideo clamorem illum populi, musicam, & cantum esse dixit; vnusquisque enim sic de rebus iudicat, qualis in se ipse est.

Vers. 3. Ecclesiastici 10. *In via stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. Et, Lo que solemos dezir piensa el ladron, que todos son de su condition.* Iudicat vnusquisque alios secundùm affectum suum: qui bonus, & simplex animo est, vix autem nunquam sibi persuadet, malitiam ineſſe in dictis, aut factis proximi. Sicut enim radius solaris per vitream fenestram ingrediens, si vitrum rubeum fuerit, rubeum colorem induit; si verò viride, viridem quoque colorem præ se fert: sic qualis fuerit vniuscuiusque affectus, talc quoque iudicium eius erit. pudicus omnes pudicos esse censet, lasciuus lasciuos, auarus omnes auaros æstimat, liberalis verò liberales, &c. denique qualis quisque est, tales existimat alios, vti docet Arist. 3. Politicorum 6. & Sanctus Augustinus in Psalm. 118. concione 12.

Ps. 111. 39 Hinc Dauid: *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum.* Sanctus Augustinus super hunc locum? *Quis* (inquit) *est, qui suum opprobrium suspicetur, & non magis nouit quisque opprobrium suum, quàm cuiuslibet alienum? suspicari enim alienum potius homo potest, non suum, quia quod suspicatur, ignorat: in suo autem opprobrio non est cuiusque suspicio, sed conscientia, vbi loquitur conscientia. Quid est ergo quod ait:* Opprobrium meum suspicatus sum? Respondet autem sic Sanctus Augustinus: *Quod in se ipso agitur, hoc de alijs homo suspicatur: hoc enim procliuius suspicatur in alio, quod sentit in se ipso. Hoc igitur opprobrium petebat Psalmista auferri, quod senserat in se, & fuerat suspicatus in alijs, vt non esset diabolo similis, qui de occultis sanctli Iob suspicatus est, quod non gratis coleret Deum, quem poposcit tentandum, vt crimen, quod obiecerat, inueniret.* Ita Sanctus Augustinus. Et subdit: *Profectò contra hoc malum, quo quisque libenter de homine malum, quòd non prospicit, suspicatur, charitas habenda est, qua non æmulatur, quam Dominus præcipuè commendat, dicens:* Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis. Ita S. Augustinus.

Gen. 37. 20. Tuleruntfratres Ioseph tunicam eius, & in sanguine hœdi, quem occiderant, tinctam, miserunt ad patrem, quâ cùm ille vidit, dixit: *Fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph.* Etenim sciebat pater, quantâ inuidiâ fratres eius prosequerentur Ioseph um, vt aliqui obseruarunt, & tamen nunquam iudicauit ab eis tale facinus esse perpetratum: sanctus enim vir erat, & qualis quisque est, tale quoque est iudicium eius.

Prop. XIV. *Nos ipsos potiùs quàm alios iudicare conuenit.*

S. Chrys. Hom. 45. NE rapias dignitatem Vnigeniti, illi iudicij sedes seruata est. Sed vis iudicare? Est tibi tribunal multum habens emolumentum, & nullam referens accusationem. Constitue super conscientia iudicantem rationem, & in medium omnia tibi patrata propone, animæ tuæ peccata scrutare, & pœnas exige diligenter, & dic: *Quamobrem hoc & hoc ausa es? Et si hæc quidem fugiat, aliena vero discutiat, dic ad eam: Non de his te iudico, non pro his venisti te purgatura. Quid enim si ille malus? Quare tu hoc & hoc admisisti?* Resonde, noli accusare, tua considera, non aliena, & eam in hanc agonis anxietatem continue. Postea si nihil, quod dicat, habeat, sed refugiat: dilania flagellans eam quasi quamdam ancillam insolentem, & fornicantem. Et paulò pòst: *Si doleat hæc audiens, ne tollas manù: non enim morietur, si percusseris, sed eam ex morte erues.*

S. Ambr. lib. de Apologia Dauid. *Sæpe etiam & in iudicando malus peccatum iudicij est, quàm peccati ipsius de quo fuerit iudicatum. Nam si præscriptum est à quibusdam sapientibus mundi, vt à iudicando caueatur, ne maior pœna quàm culpa sit, idque seruatur; quanto magis id seruandum videtur, vt vnusquisque de alio iudicaturus, de se ipso priùs iudicet, nec minora in alio errata condemnet, cùm ipse grauiora commiserit?*

Prop. XV. *Curandum est, ne alijs malè iudicandi ansam præbeamus.*

SVnt qui de sua virtute bene sentientes, & optimè iudicantes, idé omnes iudicare, ac sentire iudicent, & ob id ab specie mali sæpè non abstineant. Audiant igitur hi, quid S. Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio dicat, vbi de Prælatis agens, *Si beatus Paulus* (inquit) *veritus est, ne furti apud discipulos suspectus esset, & ideo alios in pecuniarum administrationem secum assumpsit, vt ne quis* (inquit) *nos carpat in hac plenitudine, quæ à nobis administratur; quomodo non omnia à nobis agenda sunt, vt malas à nobis suspiciones amoueamus, quantumuis licet falsas, iniquas, & ab ea, quam habemus opinionem, alienas? A nullo enim peccato tantùm absumus, quantùm à furto aberat Paulus: & tamen ille nec sic quidem negligendam sibi putauit communem multorum suspitionem, etiamsi admodum iniquam, & insanam: insaniæ enim mera, tale quid suspicari de beato illo, & admirabili animo Pauli, & tamen causas ille procul amouit. Nec enim dixit: Quis vestrùm hoc suspicari sustineat de nobis, quum nemo vestrùm sit, qui nos tum ex signis, miraculisque, tum ex moribus & vita, non reueretur? Imò suspicionem illam timens, radicitus eam euellit, seu, vt verùs dicam, nec eam permisit exoriri. quare? quia procurauimus* (inquit) *quæ honesta sunt, non modò coram Domino, sed etiam coram hominibus. In tantum certè oportet studium adhibere, vt malas opiniones non solùm, dum erumpunt, diuellamus, arceamusque, sed & procul, vnde erumpere possint, prospicianmus, atque adeo causas ipsas, è quibus enascuntur, longè priùs interimamus, ne coalescant, & in vulgi ore versentur: tunc enim perdifficile, & fortè impossibile erit eas delere, & multorum conscientia lædetur.* Ita S. Chrysostomus.

Chrys.

IVRAMENTVM.

Prop. 1. *Vnde ortum habuerit iuramentum.*
2. *Iuramentum vitandum quia ita Deus præcipit.*
3. *Iuramentum vitandum esse propter honorem Dei.*
4. *Vitandum est omne iuramentum non necessarium.*
5. *Remedia contra consuetudinem iurandi.*
6. *Quanta cum reuerentia iurandum sit.*
7. *Quàm inexcusabilis sit vanè iurans.*

8. Quòd non excusset mala consuetudo iurandi.
9. Principium aliorum peccatorum est iuramentum.
10. Quanto odio prosequatur Deus falsò iurantes.
11. Malè iurantes grauiter puniuntur.
12. Quàm necessarium sit adimplere iurata.
13. Contra eos qui alios malè iurare faciunt.
14. Quàm facile sit vitare iuramentum.

A

PROP. I. *Vnde ortum habuerit iuramentum.*

Chryſoſt. SAnctus Chryſoſtomus hom. 26. ad popul. *Qui fuerunt tempore Abrahæ, multa fœdera fecerunt, victimasque mactauerunt, & obtulerunt sacrificia; necdum erat iuramentum. Vnde igitur irrepsit iuramentum? cùm mala crescissent, & sursum, deorsumque facta confusio fuisset, cùm ad idolorum seruitutem declinassent; tunc, inquam, cùm infideles iam apparerent, tecti ipsi infideles inuocabant Deum, tanquam dignum dantes dictorum suorum vadem. Hoc est igitur iuramentum, vadimonium mortium infidelium, vt non nisi cum sponsore credatur, & sponsore quidem magno. Propter multam incredulitatem, non hominem volunt sponsorem, sed Deum.* Ita S. Chryſoſtomus.

B

PROP. II. *Iuramentum vitandum, quia ita Deus præcipit.*

Chryſ. SAnctus Chryſoſtomus homilia 19. ad popul. *Audiſti Chriſti ſententiam, quòd non peierare tantùm, verùm & iurare quomodocumque, diabolicum eſt, inſcribe hoc cordi tuo. Non cernis, quo pacto nonnulli ſecum ferunt Euangelia, tu Euangely mandata in mente deſcribe, non auro, & argento hic opus eſt, nec pecunijs, nec emere librum Euangeliorum? ſed voluntate ſola, & ſecuriùs habebis Euangelium, non extrinſecùs, ſed intus in anima. Exurgens igitur è lecto, & domum tuam egrediens, hanc legem repete, videlicet,* Ego autem dico vobis, non omnino iurare, *& erit tibi hoc ſufficiens diſciplina. Vis hoc videre? voca filium tuum terræ, & minare te illi plagas inſticturum, niſi legem hanc ſeruet, & videbis, quòd ita citò à conſuetudine iurandi deſiſtet. Quomodo igitur non abſurdum, ſi pueruli noſtri patienter mandatum noſtrum exciperent, nos verò neque ſic Deum timeamus, vt nos filij noſtri metuunt.* Ita ille.

Matth. 5. 34.

C

Chryſ. Idem Sanctus Chryſoſtomus hom. ad baptizandos. *Non tantùm periuria, ſed ipſas etiam iurationes euellere cupio: nam & hoc peccatum valde crudele eſt, & hac de cauſa illud timeo, quia nullus illud timet. Sed ſicut ſimplex ſermo prolatus reatum non videtur afferre; ita & iuſiurandum eſſe putatur.*

Sed ille, inquies, iurat homo, qui mitis eſt, & cui Sacerdotium eſt commendatum, nolo mihi hunc ſanctum, hunc mitem, hunc proferas Sacerdotem: ſed ſi Petrum mihi, aut Paulum, ſi de cœlo Angelum narres; nec ſic perſonarum dignitate terrebis. Nam legem, non ſeruilem, ſed Dominicam de iureiurando lego, & quando imperiale inſtitutum recitatur, omnis ſeruilis dignitas conquieſcat. Cum ergo tanta prouiſione hoc fieri prohibet Chriſtus, vt iurantem maligno ſociaret: nam ſuperſtuum, inquit, horum diaboli eſt, quid mihi alium, atque alium commemoras? quid aliquorum nomina facta? non enim ex ſeruorum negligentia, ſed ex ſua præceptione ſortem attribuit tibi Deus: inſtit, inquam, præceptis obtemperare, non igitur aliena mala conuenit imitari; nam & magnus ille Dauid peccauit, & grande peccatum. Quid ergo? ideo nobis ſine periculo conceditur peccare? Non: facta fortia debemus imitari Sanctorum, non peccata: non enim ad conſeruos nobis, ſed ad Dominum ratio eſt, huic geſtorum reddere rationes oportet. Ad illud iudicium nos præparemus: nam licet magnus, & admirabilis ſit, qui hanc legem reſpuit, pœnam ſine dubio calcatæ huius præceptionis exoluet, non eſt enim Deus perſonarum acceptor. S. Chryſoſtomus.

D

PROP. III. *Iuramentum vitandum eſt propter honorem Dei.*

SAnctus Chryſoſtomus hom. 26. ad popul. *Pro decem obolis iuramenta ſiunt, imo & periuria. Quoniam enim ſuperne ſulmen non venit: quoniam omnia non ſubruuntur, ſtetiſti contemnens Deum, vt olera emas, & calcamenta pro modico argento, vocas eum in teſtimonium: ſed non quia non puniuntur nos, non peccare cogitemus, illud eſt miſericordiæ Dei, non meriti noſtri. Iura per te ipſum, per ſilium tuum, dic, ita non carnifex meis in pectoribus, ſed timeo. Lateribus itaque tuis Deus eſt ignobilitor, & capite tuo vilior. Et Chriſtus quidem per caput noſtrum nos iurare prohibet; nos autem tantùm patri peculiarium Dei gloriam, vt eum paſſim trahamus. Neſcis tu, quid Deus ſit, & quàm debeat vocari? Quòd ſi de aliquo viro probo loquamur, dicere ſolemus: Os tuum ablue, & ita loquere: nunc autem, ſuper omne nomen venerandum, in omni terra admirabile, quòd audientes dæmones horrent, temerarie circumferimus. Nonne dum Deus nominatur, oportet horrere? & apud Iudæos quidem tam venerandum erat Dei nomen, vt laminis inſcriberetur, & nemini litteras ferre liceret, niſi principi Sacerdotum, nunc autem, vt ut quiddam vulgare, ſic ipſius circumferimus nomen: ſi ſimpliciter Deum nominare non ſas omnibus, in teſtimonium mundi etiam eum vocare, quantæ audaciæ, quantæ inſaniæ ſit?*

Chryſ.

Virtus.

PROP. IV. *Vitandum eſt omne iuramentum non neceſſarium.*

PLutarchus in problem. *Quid eſt, quòd pueros, ſi Herculem iurant, id ſub tecto facere prohibent, & ſub dio faciant, ideo exire iubent? An ea cauſa eſt, quam multi aſſerunt, Herculem non umbra, neque otio, ſed labore, ac periculo delectatum? non domi, ſed foris ac ſub dio vitam egiſſe? an hæc quidem dicuntur, & ioco apud pueros adhibentur, vt alias occultius agatur, nec pueri ſic temere inſueſcant deierare? ſic enim Phauorinus aiebat, hoc enim quaſi de induſtria morem eſſecit, & deliberandi dat ſpatium, Phauorinum verò recte putaſſe, nec commune, ſed proprium Herculis hoc, quòd ſit, exiſtimaſſe. Ex his quæ de Hercule feruntur, facilè conjci poteſt: ferunt enim in primis hunc religioſum fuiſſe, & ad iureiurandum verecundiſſimum, quippe qui ſemel in omni vita iurauerit.* Ita Plutarchus, vbi duas tetigit rationes, quare non ſub tecto, ſed ſub dio iurare antiqui permitterent filios ſuos per Herculem. Prima eſt, vt qui per Herculem iurarent, Herculem imitarentur in ſectandis laboribus, & otio vitando. Secunda, vt non præproperè, & inconſideratè iurarent, ſed occaſione aliquantulum remiſſa, de iuramento deliberarent, & ſic à iureiurando reprimerentur.

PROP. V. *Remedia contra conſuetudinem iurandi.*

SAnctus Chryſoſtomus hom. ad baptizandos. *Dura, inquis, res eſt conſuetudo, & quæ facilè mutari non poſſit, & quæ nos nonnunquam veluti inuitos, & nolentes trahit, & committere cogit illicita; dura igitur res conſuetudo iurandi. Igitur tantò te huius mali reatu liberare feſtina, quantò conſuetudinis vim, neceſſitatemque cognoſcis, & ad aliam conſuetudinem propterea migrare. Nam ſi te prauæ poſſidet conſuetudo, ita poterit melior obtinere, vt & volentem te iureſiurandi lapſibus non permittat euinci: nam rem natura multum præualet conſuetudo, & iura didicit immutare natura. Vt igitur non aſſiduè doleamus, & ad aliam conſuetudinem demigremus, & ab omnibus ſimus, ſingulisque communibus hoc poſtula, hoc pete beneficium, vt te iuuantem arguant, vt confundant omnes.*

Chryſ.

Conſidera præterea, quòd iurandi peccatum non ſolùm eſt, cum

cum de rebus friuolis, sed etiam cùm de maioribus celebratur. nos autem & cùm vilia comparamus, & cum de vno contendimus nummo, & cum aduersùs seruulum commouemur, Deum testem inuocamus. Hominis quidem ingenij, & aliqua dignitate muniti, in publico ad huiusmodi res non audemus testimonium postulare, ne & iniuriarum contra nos vindicta procedat: Deum autem, cœlorum regem, Angelorum Dominum, & cum contrahis, & cùm loqueris, aduocas testem?

Quod si nihilominus consuetudine illaqueatus manes, constitue tibi aliquam pœnam. Ita S. Chrysostomus.

PROP. VI. *Quantâ cum reuerentiâ iurandum sit.*

S Anctus Chrysostomus homil. ad pop. *Quomodo non absurdum, ferunt quidem non audere dominum nominatim, & sine præfatione honoris nominare, Angelorum verò Dominum temere vbique iactare? Vis discere quomodo eum appellant superiores potestates? cum quanto honore? quanta admiratione?* Videbam (*inquit Isaias*) Dominum sedentem super thronum excelsum, & eleuatum, & Seraphim stabant super illud, & clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabbaoth. Plena est omnis terra gloriâ eius. *Vides cum quanto honore, & quanto tremore nominent eum Seraphim, laudantes, & glorificantes: tu verò in iurando quando cùm nec omnino addncere admirabile nomen oportebat, varia, & alia super alia connectis iuramenta: & qualis veniâ quæsiero nobis erit excusatio, etiamsi millies consuetudinem obiciamus?* Ita S. Chrysost. quod augeri potest ex reuerentia, quàm verbis Euangelicis exhibemus, quam videre licet in sacrosancto Missæ officio, vbi Sacerdos verba S. Euangelij prolaturus, priùs profundè in medio altaris inclinatus Deum sic orat: Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundasti ignito, ita me tuâ gratiâ dignare mundare, vt sanctum Euangelium tuum dignè valeam enunciare, per Christum Dominum nostrum. Et postea petit diaconus à presbytero benedictionem ad Euangelium recitandum, dicens: Iube Domine benedicere, cui Sacerdos: Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis, vt dignè, & competenter annunties Euangelium suum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Perpende obsecro, quibus, quantisque præuentionibus proferuntur verba sancti Euangelij? quòd si pro solis Dei factis recitandis tanta requiritur reuerentia, quid pro Dei nostri nomine, non solùm appellando, sed iurando?

Chrysost.

Isai. 6. 1.

Subdit Sanctus Chrysostomus. *Quomodo mirabilibus communicabimus mysterijs linguâ, quâ legem Dei conculcauerimus? si nemo namque purpuram regalem manibus inquinatis tangere auderet, quomodo dominicum corpus linguâ pollutâ suscipiemus? iuramentum enim maligni, sacrificium verò Domini.* Quæ igitur communicatio luci ad tenebras? vel quæ conuentio Christi ad Belial? *Et quoniam proximorum res accuratiùs videmus quàm nostras, nos alios custodiamus, & nostri illis custodiam mandemus, vt turpem hanc consuetudinem iurandi superemus.* Ita Sanctus Chrysostomus.

PROP. VII. *Quàm inexcusabilis sit vanè iurans.*

S Anctus Chrysostomus homil. 7. ad popul. *Quænam erit nobis iuramentorum excusatio, etiam si millies consuetudinem obiciamus? Dicitur. quod quidam externorum oratorum, præ quadam siniſtra consuetudine, dexterum humerum eundo mouebat continuè, sed tamen consuetudinem vicit, & gladios acutos vtrimque humeris imposuit, vt vulneris timore, membrum inepte se mouens, corrigeret. Tu igitur hoc linguæ tuæ facias, & pro gladio, diuinæ pœnæ tibi timorem impone, & omnino superabis: impossibile enim, impossibile, inquam, est meditantes, & studentes, & opus hoc facientes, vnquam superari.*

Et quid faciam (inquies) apud necessitatem inducentes? Qualem necessitatem ô homo? discant omnes, quod omnia malles pati, quàm legem Dei transgredi, & ab inferenda necessitate desistent. Quod enim non momentum hominem fide dignum faciat, sed vitæ testimonium, & conuersationis integritas: sæpè multi iurantes diruptisunt, & non persuaserunt; alij verò amuentes tantum digniores fide apparuerunt. Ita S. Chrysostomus.

Dices difficile fore cohibere spiritum ad iurandum impellentem, cùm semel obtulerit occasio. Respondeat S. Chrysostomus hom. 8. ad pop. *Sæpè iræ & furore detenti aliquid inrauimus præstare, & postea iræ extinctâ, & furore sedato, conciliari volentes, iuramentorum necessitate coerciti doluimus, tanquam laqueo quodam detenti, & vinculis indissolubilibus nexi. quod & diabolus nouit, & ideo iuramento irretiuit, vt, etsi ira defuerit, iuramenti necessitas maneus, ardorem in nobis conseruet.* Ita Sanctus Chrysostomus.

Idem S. Chrysostomus hom. ad pop. *Non est idonea defensio, si consuetudinem prætendis. Ciuitatis Antiochenæ balneanunc rex obstruxit, & iussit neminem lauari, & legem transgredi ausus est nemo, aut factum incusare, aut consuetudinem prætendere. Veràm & qui sæpe sunt in ægritudine, & omnes tale remedium ex necessitate petentes, velint, nolint, mandatum hoc fuerunt, & neque morbum corporis, neque tyrannidem consuetudinis, neque aliud quicquam prætendunt. Vides, quod, vbi est timor, facile soluitur consuetudo: quomodo ergo non absurdum rege iubente vel difficillima sustinere, Deo verò statuente, id quod neque graue sit, neque difficile, sed potiùs facile, & nullam affert nocumentum, non corporibus, non animæ, sed multum emolumenti, contemnere, & prætendere consuetudinem? Non exhortor, ne in tantum sanctum nostrum contemnamus, sed quo timeamus Deum, sicut homines timemus. Noni, quod horruisti talibus auditis, sed horrore dignum est, ne tantum quidem Deo, quantum hominibus honorem attribuere.* *Chrys.*

Multi existimant iuramenta sibi necessaria esse, ad necessaria vitæ; ad hos Sanctus Chrysostomus hom. 26. *Pro decem obolis iuramenta fiunt, atque periuria, vt olera emas, & calceamenta. & pro modico lucro vocas Deum in testimonium, ne cogitetis vos per diuinarum legum præuaricationem vitæ necessaria comparare.* *Chrys.*

At, inquies, nisi iurauero, non credet. Tu ex huius rei causa, qui facile iuras, quoniam si id non faceres, sed omnibus constaret, quòd non iures, mihi crede dicenti, quòd hi, qui mille deuorant iuramenta, maiorem ipse fidem solo nutu inuenires. Ecce enim, quæso, cui magis credatis, an mihi nihil iuranti? an multum iurantibus? At dices: tu Princeps, & Episcopus es; quid igitur si probauero, quod non propter hoc solum? Dicite mihi, si ego continuè iurarem, nunquid mihi prodesset præsulatus? Nequaquam. Vides quia si sæpè iures, non adhibetur tibi fides?

Sed licèt non adhibeatur aliter fides, & inde lucrum amiseris; Quid tum? Paulus esuriebat, & tu igitur velis potiùs esurire, sicut Paulus, quàm ex Dei mandatis aliquid prætexere. Elige cuncta facere, & pati, ne ires, & Deus te remunerabit. Nunquid enim qui periurus quotidiè pascit, te fami tradet, qui Deo obediens non iurasti? Ita S. Chrysostomus.

Et in hom. 27. subdit excusationem consuetudinis. *Sed consuetudo (inquies) res difficilis, vt vix abstrahi possit; quia igitur tanta est consuetudinis violentia, eam in alteram transfer consuetudinem. Et quomodo, inquies, fieri potest? habe prohibitores, habe censores, & monitores. Dic mihi, si pallium inuersum posuisses, nonne Paulum monere iuberes, nec ab illo corrigi erubesceres? hic autem in anima detrimentum patiens, ab alio corrigi erubescis? circa vestimentum sustines ornantem seruum, animam verò ornantem non sustines? Sit igitur*

igitur monitor tuus horum, vxor, sit filius, sit vicinus, sit amicus, sit affinis, sit seruus: sicut enim fera, quæ ex omni parte agitatur, fugere non potest, sic & tot habentem custodes, & increpantes, cùm vndique pulsetur, non licet non cauere; fortè primo vel secundo, vel etiam tertio die egrè hoc feres, deinceps verò facillimum erit. Ita Sanctus Chrysostomus.

Prop. VIII. *Quòd non excuset mala consuetudo iurandi.*

Chrys. SAnctus Chrysostomus ho. 19. ad pop. *Ne mihi aliquis iurandi consuetudinem prætendat: propter hoc enim indignor, & irascor, quoniam talem non vincimus consuetudinem: si enim consuetudinem iurandi non vincimus, quomodo concupiscentiam vincemus, cuius radix habet à natura principium? concupiscere enim naturale, malè verò concupiscere iam est voluntatis. Iurare verò nec cœpit à voluntate principium, sed ex negligentia sola, & vt dicas, quòd non ex rei difficultate, sed propter neglectum nostrum in tantum hoc peccatum processit, cogitemus, quod multò his difficiliora expediant homines, ex hoc nullam inde retributionem sperantes. Cogitemus, quæ diabolus imperauit, quàm laboriosa, quàm grauia, & illa item, quæ cogitatu impossibilia videntur, facta sunt arte impossibilia. Quid horum in iuramentis, quæso, prætendere potes? quam difficultatem? quem sudorem? quam artem? quod periculum? exiguo tantùm est opus, & breui nobis totum fuerit expeditum.*

Nec mihi dicas: Maiorem partem expediui: nisi enim totum emendasti, nondum quicquam te fecisse putes. Hoc enim exiguum neglectum, omne reliquum destruit. Sæpis namque domos ædificantes homines, & tectum imponentes, vnius tegulæ excussæ non gerentes, totam domum perdiderunt. Et in vestimentis hoc ipsum euenire quis cernere potest: parua enim vestis facta scissura, neque resarcita, magnam facit diruptionem. Sic & tu, licèt vndique te munieris, si tamen aliqua pars immunita dimissa est, etiam hanc diabolo obstrue, vt sis ex omni parte firmatus. Audisti autem quot ex iuramentis sequantur periuria, audisti Christum dicentem: Ego autem dico vobis, non omnino iurare. *Tu Euangelij mandatam mente describe, non auro, neque argento hîc opus, sed voluntate.*

Matt. 5. 34.

Prop. IX. *Principium aliorum peccatorum est iuramentum.*

Chrys. SAnctus Chrysostomus hom. 14. ad pop. *Rogo vos, vt S. Ioannis caput abscissum, adhuc calido cruore distillans, sumatis, & existimetis ante oculos habere ipsum, vocem emittentem, & dicentem: Habe odio iugulatorem meum iuramentum: quod enim ira non potuit tyrannica, hoc iuramentum effecit. Licèt enim valde simus ignaui, capitis illius oculos intuiti, terribiliter nos respicientis, & minantis iurantibus, freno omni vehementius per timorem huiusmodi repressi, cohibere linguam facilè poterimus à iurandi præcipitio. Vtinam mihi liceret frequenter animas iurantium ipsorum oculis subijcere, & vulnera, & cicatrices, quas quotidiè capiunt à iuramentis ostendere: non enim sic admonitionis, aut consilij indigeremus, quàm vulnerum omni sermone potentiùs, huic improbæ consuetudini etiam plurimùm adhærentes, à malitia abducere posset. Verùntamen quoniam ipsorum oculis animæ dedecus subijcere, & ipsam tabefactam, & corruptam ostendere non licèt: Sicut enim inquit, seruus, qui continuè flagellatur, de cicatrice non mundabitur, sic iurans, & Deum semper nominans, à peccato non innocens fiet: impossibile enim, impossibile os iurare assuefactum, non sæpè peierare.*

Ita Sanctus Chrysostomus. Vbi notandus est locus *Eccl 23.9* Ecclesiast. ad rem enim facit multùm: ait ergo: *Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa: nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim seruus interrogatus assiduè, à liuore minuitur, sic omnis iurans & nominans, in toto à peccato non purgabitur.*

A *Vir multùm iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga.*

Hæc sunt verba Spiritus sancti contra consuetudinem iurantium; sensus autem est, nec Deum, nec Sanctos eius iurando nominare assuefias, quamuis enim aliquando id fieri licitè possit, vt cùm iustitia, vel charitas cogit, consuetudo tamen reprehensibilis est, quia vel periurium miscebitur, vel nominatio Dei in vanum, contra secundum Decalogi præceptum, *Non assumes nomen Dei in vanum.* cui meritò ad- *Exo.20.7* iuncta fuit pœna, *Non enim* inquit, *habebit, Dominus insontem eum, qui assumserit nomen Dei in vanum.* Et Ecclesiasticus ibidem subdit: *quoniam non eris immunis ab eis.* Et ponit optimam similitudinem, *sicut seruus interrogatus assiduè, &c.* id est, verberatus, vulneratus vsque ad liuorem, & plagas, sic multùm iurans, sicut seruus impius, vapulabit à Deo. Vnde addit: *Vir multùm iurans replebitur, &c.* id est, culpis, & pœnis

B replebitur, quia multis subijcietur peccatis, Deo ita permittente propter impietatem in ipsum Deum, & ideo & plaga, & vltio diuina non cessabit à domo & familia eius. quod patet in Saule, qui, vt erat facilis nimis ad iurandum, ita iurando sæpius peccauit, & à Deo grauiter punitus est in se, & in omni familia sua.

Prop. X. *Quanto odio prosequatur Deus falsò iurantes.*

Chrys. SAnctus Chrysostomus hom. 19. ad pop. *Postquam à Persidè absoluti fuerunt Iudæi, & ab illa tyrannide liberati, in patriam redierunt,* Viderunt, *inquit,* falsem *Zach.5.3* longitudine cubitorum viginti, & latitudine cubitorum decem, & prophetam se docentem audierunt: *Hæc est maledictio egrediens super faciem terræ, & ingrediens domum peierantis, dissoluet in medium, & ligna, & lapides destruet omnes. Quare non iuratum solùm, sed etiam*

C *eius domum dissoluit? Quoniam pœnas huius vult Deus permanere continuas, vt omnes post hæc corrigantur. Et quia necesse est periurum mortuum sepelìri, ne cum ipsius corpore pœna consepeliatur, domus ruinam fecit, vt prætereuntes cuncti ipsam cernentes, & causam discentes, peccati imitationem fugiant. Hoc & in Sodomis factum est, post quorumpec- Gen.19. cata eorum ciuitas successa fuit ab igne superne delato: volebat enim huius peccati vltionem manere perpetuam. Neque enim sic in mentes sermo peruenire solet, vt aspectus terribilis, & per omne tempus gerens vestigia calamitatis. Et attestantur ad illa loca profecti, qui postquam omnem ipsius terræ superficiem viderunt deletam, & incendium sunt conspicati, & in cinerem cuncta redacta, perculsi exaspectu illo, modestiæ disciplinam ceperunt. Idcirco & periurantium domos delere minatus est, vt alios illorum pœnas reddereet modestiores. Ego autem demonstrabo non vnam, vel alteram domum propter periurium destructam, sed ciuitatem totam. Etenim Ierusalem ciuitas Dei sanctam Arcam habens, & magnum Dei cultum,*

D *vbi Prophetæ fuerunt, & Spiritus gratia, & tabulæ Testamenti, vbi Angeli sæpe incedebant, hæc ciuitas innumeris nascentibus bellis, & multis Barbaris incursantibus, illa tanquam muro ex adamante circumdata, sic omnes illos semper derisit, imò semper plagam grauem hostibus inferens, sic eos emittebat, tantam à Deo nacta erat prouidentiam, vt & Deus ipse diceret:* Quasi vas in deserto, inueni Israël: *Osc.9.10* quasi prima poma siculneæ in cacumine eius. *Rursum:* quasi primum germen fructus eius. Rursum: *Isa.65.8* Ne dissipes illud, quoniam benedictio est. *Verùntamen Deus ciuitas chara, tot elapsa periculis, & in multis peccatis veniam assecuta, solo iuramento prostrata est, sed Sedecias rex iuramentum dedit Nabuchodonosor regi Barbarorum, quod in ipsius auxilio permaneret, postea defecit, & ad Ægypti regem transfugit, iuramenta parùipendens; quid inde?* Fa- *4.Reg.25.1.* ctum est, *inquit Scriptura,* in anno 9. regni eius, in menſe decimo, in decima die menſis, venit Nabuchodono-

chodonosor rex Babylonis, ipse, & omnis exercitus A eius super Ierusalem, & circumdederunt eam, & clausa est ciuitas, atque vallata vsque ad vndecimum annum regis Sedeciæ, nona die mensis, & prævaluit fames in ciuitate, nec erat panis populo terræ, & interrupta est ciuitas. Poterat Deus statim a die primo ipsos tradere, sed propterea interim trium annorum tempus conteri permisit, & ipsos obsidione premi grauissima, vt de militum extrinsecus timore, & fame ciuitatem intrinsecus premente, castigati, vel inuitum regem Barbaris subdi cogerent, & aliquod præterea remedium fieri: implacabilis enim est Deus, contemptis iuramentis. Vide autem, quòd non tantum ex vltione ciuitati illata, propter irritum iuramentum hoc intelligere datur, verum & ex tardatione, & dilatione. Quantum Deus studium habet, ne iuramenta conculcentur! & quod hoc ita sit, audi quid per Prophetam ad ipsum dicat: Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, viuet anima tua, & ciuitas hæc non succendetur igni, & saluus eris tu & domus tua. si non exieris, tradetur ciuitas hæc in manus Chaldæo- B rum, & succedent eam igni, & non fugies de manibus eorum. Non persuasit, sed mansit Rex in peccato (scilicet periurij: iurauerat enim fœdus cum Nabuchodonosor) post tres annos ciuitatem Ierusalem tradidit Deus, & ingressi magna cum facilitate, Regis domum incenderunt, & domos Ierusalem, & omnium Ierusalem subuerterunt, & vbique ignis Barbaricus grassabatur, iuramento ignem ducente, & domum Domini spoliauerunt. Itaque recordare mihi saluis volantis, & resoluentis domum iurantis, & parietis destruentis, recordare quomodo iuramentum hoc vrbem ingressum, & domos, & templum, & mœnia, ædificiaque splendida destruxit, & ruinam fecit ciuitatis, & neque Sancta sanctorum, neque sacra vasa, neque aliud quicquam, pœnam & vltionem illam auertere valuit, quia transgressum fuerat iuramentum. Et ciuitas quidem sic miserabiliter soluebatur, Rex verò bis miserabiliora, & tristiora patiebatur, & sicut ædificia falx ista volans destruxit, sic & hunc fugientem absumpsit: egressus est enim nocte de ciui- C tate per viam horti Regis, & per portam, quæ erat inter duos muros, & Chaldæi circumdederunt ciuitatem, & persecutus est exercitus Chaldæorum, & comprehenderunt Regem, & duxerunt ipsum ad Regem Babylonis, & loquutus est Rex Babylonis cum Sedecia iudicium, & occidit filios ipsius in oculis eius, & oculos eruit Sedeciæ, & vinxit eum compedibus, vt in Babylonem duceretur. Quid est, loquutus est cum ipso iudicium? rationem posuit cum ipso? quare igitur hoc? vt cernentes per exempla discant, quantum iuramentum sit. Fratres igitur hoc scientes, ab hac stulta consuetudine iurandi cessemus, sic supplico, & oro omnes: si enim antiquitus, cùm Iudæi ad perfectam disciplinam non exigebantur, sed multus erat condescensus, tanta propter iuramentum expugnatio, & captiuitas fuit; quid nunc congruum est passuros esse nos post legem hoc facere prohibentem? Ita S. Chrys. Vbi notandum in illo loco Zach. 5. non haberi falcem in nostra Vulgata, sed volumen volans. sed S. Chrys. S. Cyrillus, S. Theodor. & omnes Græci legunt, Ecce falx volans, imò & Septuagin- D ta sic transtulerùt, Et ecce falx volans. Verbum enim Hebræum & volumen & falcem, potest significare, potuitque Spiritus sanctus vtrumque eadem dictione dicere velle; quare vtrumque simul possumus approbare.

Ier. 38 17

Diuersa lectio. Chrysost. Cyrill. S. Theod. LXX.

Chrysost. Zachar.

S. Chrysost. hom. 27. ad pop. Periurij detrimentum ex Scriptura manifestatur. Falx, inquit, Zacharias, volans erat, longitudine cubitorum viginti, latitudine cubitorum decem. Volans velocissimum vltionis cursum significat, periuria sequentem, multorum verò cubitorum latitudo, & longitudo, vehementiam indicat, & magnitudinem malorum: at ex cœlo volare, ex superno tribunali sententiam ferri, falcatam verò formam, ineuitabilem supplicij sortem: sicut enim quòd cùm falx incurrerit, non solùm secum arripit, verùm & caput amputat; itidem & pœna periurantibus ingruens est difficillima, nec prius absistet, quam quod suum est, obtexerit: quòd si periurus euadit, ne confidat, ne glorietur: ad suum enim malum hoc fit. Nam qui censetis? quod post Ananiam, & Saphiram eadem, quæ illi sunt ausi? quomodo igitur eadem non sunt passi? Non

quia illis remissum sit, sed quoniam maiori differuntur male: Multa namque perpetrantes, non dantes pœnam, magis timere debent: augebuntur enim eis supplicia propter impunitatem, & Dei longanimitatem. Itaque ne attendas, quòd non puniru, sed ne pecces. Mult. Pharaonis scelera commiserunt, sed Pharao is pœnas non dederunt, nec in mari rubro submersi sunt, quoniam pelagus eos expectat abyss, vbi non suffocatio, ne fortatur supplicium, sed in æternum necesse est affari, torqueri, consumi. Multi Israelitica delicta sunt aggressi, sed eos serpentes non momorderunt: manet autem eos veruus, qui non morietur. Multi Giezi peccata perpetrarunt, nec tamen leprâ resperti sunt, eos tamen manet pro lepra, in duas partes secari, & cum hypocritis poni. Multi quoque iurarunt, & peierarunt, si vero effugerunt quoque, ne confidamus: imminet enim dentium stridor, & hic multa patientur incommoda, licet non statim, sed post alia peccata, quo grauior sit vltio. Recordamini fratrum Ioseph, fratrem venundederunt, occidere tentarunt, vel potius ipsa promptitudine occiderunt, deceperunt, & contristarunt patrem senem, & nihil per plures annos passi sunt, tandem vero in extremum periculum inciderunt, & tunc sui criminis memores, dixerunt: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum. Et Achab propter Nabothem non statim post peccatum passus est ea, quæ postea pertulit. quare autem hoc fit? Dat tibi Deus temporis præfinitionem, vt abluti possis; cùm verò perseueraueris, tunc demum infligit pœnam. Ita S. Chrysost.

PROP. XI. *Malè iurantes grauiter puniuntur.*

S. Chrysostomus Zach 5.4.

SAnct. Chrys. hom. 15. ad pop. Reſpexi (ait propheta Zacharias) oculus meus, & ecce falx volans, longitudine cubitorum viginti, & latitudine cubitorum decem, dixit ad me. Quid tu vides, & dixi, video falcem volantem, longitudine cubitorum decem, & ingreditur domum iurantis nomine meo, & dissoluet lapides, & ligna. Quid hoc? & qua de causa in specie falcis iurantes sequitur pœna, vt vltionem ineuitab. lem esse, & supplicium euitari non posse videas: en sem enim volantem forsan aliquis effugere poterit, falcem in collum delapsam, & pro funiculo factam, quis fugere poterit? Cùm autem & alæ adsint, qua vlteriùs salutis spes? sed cur lapides, etiam & ligna iurantis dissoluit? Vt ruina alijs correptio fiat, post iurantẽ enim mortuũ, & sepultum, domus dissoluta, ruina facta prætereuntibus omnibus, & cernentibus, admonitio erit per aspectum, vt non iurent, vt non eadem faciant, ne eadem patiantur, & sic etiam erit criminis mortui accusatrix continua. Non itaque sic pungit ensis, sicut iuramentum plaga. Non sic occidit gladius, sicut iuramenti plaga luratus, & si viuere videatur, mortuus est: & sicut restem capiens, priusquam ciuitatem egrediatur, & ad præcipitium veniat, & torturam videat imminentem, mortuus reputatur, simul ac prætoris ianuas egressus est, sic & iuratus. Ita S. Chrysost. al que han de aorcar antes que le horquen llama mos el aorcado, &c. sic, &c.

Simile.

PROP. XII. *Quàm necessarium sit adimplere iurata.*

ZAchariæ 5. inter reuelationes suas hanc refert Zacharias: Leuaui oculos meos, & vidi, & ecce volumen volans, & dixit ad me: quid tu vides: & dixi: ecce video volumen volans, longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum, & dixit ad me: hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem vniuersæ terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur, & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur. Educam illud dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius & lapides eius. Hoc est: Esta maldicion gueda en casa del que iura falso, sera vn fuego talador que no solo abrasse la madra, sino que hasta las piedras conuertira en ceniza. Quodnam, inquies, est volumen hoc? nonnulli librum esse aiunt, in quo scripta erant peccata populi, speciatim

Vers. 1.

verò periuria. S. Chrysost. hom. 15. 27. & 29. ad populum pro volumine legit falcem, quia dictio Hebræa vtrumque significat, & non sine Dei providentia, vt vtrumque hic dicatur, scilicet super domum periurantis imminere Dei falcem, seu supplicium, vt secet, & destruat, eum, & domum eius, cuius supplicij vim, & diuturnitatem vt significet, dicit: *Et commorabitur in medio domus eius*, hoc est, non citò veniet sic maledictio, seu hæc punitio, hæc falx, vt citò transeat, *sera castigio de assento.*

Vers. 11. Vnde Ecclesiast. 23. agens de eo, assuetus est iurare, ait: *Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo eius plaga.* Audiant qui cõsuetudinem iurandi habent, duo grauissima supplicia comminatur illis Deus, scilicet quòd in medio domus iurantis fit morabitur plaga, & quod peius est, implebitur iniquitate, *permittit Deus, que sea vn hombre lleno de maldad, si quereis vuestra casa llena de maldicion de Dios, de acotes y maldades, de culpas, y penas, no os fecio dar os aturar en ella y vereis lo que pasa*, &c. maximè autem si periurus quis sit, vel non adimplet quod iurauit.

Quod videre licet in domo, & regno Saulis. 2. Reg. *Vers. 1.* 21. vbi dicitur: *Facta est fames in diebus Dauid tribus annis ingiter, & consuluit Dauid oraculum Domini, dixitque Dominus: Propter Saul, & domum eius sanguinum, quia occidit Gabaonitas.* Ita ibi, vbi subdit causam occisionis dicens: *Volens Saul percutere eos zelo quasi pro filys Israel, & Iuda*, & assignans culpam Saulis: *Filij quippe Israel iurauerant eis, ne permanerent eos.* Explicans igitur hunc locum Lira: *Sciendum est*, (inquit) *quod Iosue, & principes Israel iurauerant Gabaonitis, quod non interficerentur prout habetur Iosue 9. Saul autem, cum regnaret, interfecit multos eorum contra præfatum iuramentum, quod obligabat non solum Iosue, & principes Israel illius temporis, sed etiam posteros eorum: factum autem istud erat notorium, & ideo debuit punire per Dauid, qui successit Sauli. & quia circa hoc fuit negligens, secuta est vltio diuina, cogens ad vindicandum istud factum.* Ita Lira. Vt autem Dauid expiaret facinus periurij, tradidit Gabaonitis septem ex filijs Saul, quos crucifixerunt, & postea Dominus pluit. Ecce quàm iniusum Deo periurium sit, & quàm grauiter illud puniat, & cùm eodem modo detestetur nunc, sicut tunc periurium; caue tibi, si iuraueris malè.

Vide S. Chrysostomum tom. 5. hom. 15. ad populum dum explicat locum illum supra dictum Zach. 5. de volumine, seu falce volante, & hom. 19. & 27. ad pop. & eodem tom. 5. de oratione & iuramento, vbi ostendit, quanta diuino nomini reuerentia debeatur.

Imò & gentiles, qui verum Deum non agnoscebant, sed idola venerabantur, iuramentis honorem deferebant: vnde inter Apophthegmata eorum refertur, quòd cùm Alexander Magnus statuisset ciuitatem Lampsacum diruere, & ad eam euertendam pergeret, Anaximenes Philosophus, & Alexandri præceptor, ei obuius fuit, deprecaturus ciuitatis suæ incolumitatem, Alexander autem suspicans, quid esset petiturus; iuro (inquit) me non effecturum, quod Anaximenes petet, tunc Anaximenes sic ad Alexandrum: Peto, ô Imperator, vt Lampsacum diruas, sic captus verbo Alexander, ob iurisiurandi reuerentiam compulsus fuit ciuitatem seruare, quam statuerat demoliri.

PROP. XIII. *Contra eos qui alios malè Iurare faciunt.*

Chrysost. SAnctus Chrysostom. hom. 55. ad pop. *Quid facis, ô homo? super mensam aduras sacram, & vbi Christus immolatus est, illic fratrem tuum immolas? Latrones quidem in vijs machant; tu verò coram matre immolas filium? sceleratius quidem, quam Cain fratrem: ille enim fratrem suum in deserto morte temporali, & præsenti, tu verò in medio Ecclesiæ immolas fratrem tuum, idque morte futura, & immortali. Num ad hoc est Ecclesia, vt adiuremus? imò vt oremus, & vt peccata soluamus, non verò vt augeamus. Tu verò, si nihil aliud, saltem ad Iudæum ipsum, quem in iuramentum porrigis, recurre, & Euangelium, quod intra manum capiens, iurare iubes, explica, & audeus, quid Christus de iuramento dixerit, horresce, & desiste.* Ego autem (inquit) dico vobis, omnino non iurare, & tu iurare facis. *O contumeliam! ô insaniam! Idem enim facis, tanquam si quis Legislatorem prohibentem interficere, cædis suæ sibi socium esse velit. Non ita gemo, & deploro, quosdam in vijs iugulates esse audiens, sicut gemo, & lacrymis prosequor, & horresco, cum video quempiam prope mensam altaris vementem, & manus imponentem, & Euangelijs attactis iurantem. De pecunijs dubitas, & animam occidis? quid tantum lucraris, quantum animam tuam, & proximum ladis? Si credis, quòd verax sis homo, ne iuramento necessitatem addncas; si verò mendax, quòd mentiaris, ne peieranc cogas. Sed dices, vt mihi satisferet, in talendum erat; imò tuus sufficientem capies satisfactionem, cum iurare non feceris, tuus nempe domum regressus, & conscientia contentus videris, hæc reputans: Nunquid non frustra ad iurauit? nunquid non peieranit? nunquid non ego fui causa peccati? si verò non adiurauero, domum regressus, multam capies consolationem, agens Deo gratias, & dicens: Benedictus Deus, qui meipsum continuit, ne temere, nec frustra ad iurauit. Pereat aurum, pereat pecunia, vt hanc nobis maximam consolationem afferat, legem non præteriisse, nec alterum coegisse, vt faceret. Hoc cogita, propter quid non adiurasti, & hoc tibi in cõsolationem sufficiet: sapius namque pugnã conflatã contumeliam patientes generosè ferimus, & contumelianti dicimus: Quid tibi faciam, cùm Dominus tuus meas cohibeat manus? & hoc nobis in consolationem sufficit; sita quoque, cùm aliquem adiuraturus eras, te ipsum contre, & dicito: Quid tibi faciam? Deus vult me non adiurare te, ille me cõtinet, nunc sufficit hoc, & ad honorem Legislatoris, & ad securitatem tuam. & adiurati timorem; quum enim ille viderit, quòd sic adiurare vereatur, multò magis ipse facile iurare formidabit. Audi ergo Deum in mandatis, vt & ipse exaudiat te in tuis orationibus. Hoc verbum in cælo scribetur, & in die iudicij tibi assistet, & multa peccata dissoluet.* Ita Sanctus Chrysostomus, vbi loqui cõsendus est, quãdo satis nouit, qui ad iurat, scandalum futuram proximo talem adiurationem, in ruinam animæ suæ.

Idem S. Chrysostom. 2. & ad pop. *Dic mihi, quæso, stabilis hominem in iuramentum, quid spectas, vtrum, vt peieret? si ita est, pœna periurij in caput tuum conuertetur, & illum perdit: melius autem est te pecunias perdere, quàm illum perire. Quid igitur hoc cum tactura tua, & proximi & Dei contumelia facis? fera talis est anima, & non hominis. At non peieraturum expectas; igitur & absque iuramento crede. Sed multi sunt, inquies, qui sine iuramento fraudare volant, non autem cum iuramento. Te ipsum decipis, bono, bene furari solitus, & murcã proximum afficere, neque incrementum sæpe pessundare dubitauerit. quòd si fuerit in iurando reuerens, & in ferenda iniuria etiam erit, sed inuitus id patitur; igitur erit venia dignus.* Ita S. Chrysost.

PROP. XIV. *Quàm facilè sit vitare iuramentum.*

SAnct. Chrysost. hom. 28. ad pop. *Quis, quæso, labor iuramentum fugere? nunquid enim est pecuniarum impensa? nunquid sudor, & anxietas? satis est tantummodo velle, & actum est. Si verò mihi consuetudinem obijcias, consuetudinem muta, & cogita, quòd apud Gentiles multi bzlbutientes multo labore linguam sibi claudicantem correxerint; alij autem humeros inepte se mouentes, enfem ingiter apponẽtes, reftituerint, posquam enim per scripturas nobis non potest persuadere, ab externis mouere vos cogor? Hoc & Deus apud Iudæos faciebat, dicens:* Ite in insulas Cethim, & in Cedar mittite, & cognoscite, si mutauerit gens deos suos, & ipsi non sunt Dij, & ad bruta frequenter mittit. Vade (inquiens) ad formicam piger. *Ita ergo, cogitate Gentiles, & tunc scietis, quanto simus supplicio digni, despicientes leges diuinas, cum illis*

Matth. 5. 34.

Iuram. 1.

Chrysost. hom. 15. ad pop. Antioch.

Iuram. 2.

Chrysost. hom. 27. ad pop. Antioch.

Iuram. 3.

Chrysost. hom. 28. ad pop. Antioch.

Iuram. 4.

Iuram. 5.

Iuram. 6.

Iuram. 7.

Iuram. 8.

Iuram. 9.

Iuram. 10.

Iuram. 11.

Iuram. 12.

Iuram. 13.

Iuram. 14.

Iuram. 15.

Iuram. 16.

Iuram. 17.

Iuram. 18.

Iuram. 19.

Iuram. 20.

Iuram. 21.

Iuram. 22.

Iuram. 23.

Iuram. 24.

Iuram. 25.

Iuram. 26.

Iuram. 27.

Iuram. 28.

Iuram. 29.

Iuram. 30.

Iuram. 31.

Iuram. 32.

Iuram. 33.

Iuram. 34.

Iuram. 35.

Iuram. 36.

Iuram. 37.

Iuram. 38.

Iuram. 39.

Iuram. 40.

Iuram. 41.

Iuram. 42.

Iuram. 43.

Iuram. 44.

Iuram. 45.

Iuram. 46.

Iuram. 47.

Iuram. 48.

Iuram. 49.

Iuram. 50.

Iuram. 51.

Iuram. 52.

Iuram. 53.

Iuram. 54.

Iuram. 55.

Iuram. 56.

Iuram. 57.

Iuram. 58.

Iuram. 59.

Iuram. 60.

Iuram. 61.

Iuram. 62.

Iuram. 63.

Iuram. 64.

Iuram. 65.

Iuram. 66.

Iuram. 67.

Iuram. 68.

Iuram. 69.

Iuram. 70.

Iuram. 71.

Iuram. 72.

Iuram. 73.

Iuram. 74.

Iuram. 75.

Iuram. 76.

Iuram. 77.

Iuram. 78.

Iuram. 79.

Iuram. 80.

Iuram. 81.

Iuram. 82.

Iuram. 83.

Iuram. 84.

Iuram. 85.

Iuram. 86.

Iuram. 87.

Iuram. 88.

Iuram. 89.

Iuram. 90.

Iuram. 91.

Iuram. 92.

Iuram. 93.

Iuram. 94.

Iuram. 95.

Iuram. 96.

Iuram. 97.

Iuram. 98.

Iuram. 99.

Iuram. 100.

illi pro humana honestate laborauerint infinitè, vos verò nec pro cœlesti regno studium par exhibeatis. Ita Sanctus Chrysostomus.

IVSTVS.

Prop. 1 *Quàm pretiosa res sit iustum esse.*
2. *In iustis resplendet bonitas & sanctitas.*
3. *Quàm Deo charus sit iustus.*
4 *Quanti faciat Deus iustos.*
5. *Quanta sit providentia Dei erga iustos.*
6. *Deus fidelis amicus est iustorum.*
7. *Qualiter Dei benedictione potiatur iustus.*
8. *Iusti in diuinis donis potiores sunt.*
9. *Deus Iustis se cognoscendum offert, non ita iniustis.*
10 *Iustorum est Deus protector.*
11. *Iustis omnia cedunt in bonum.*
12. *Deus Iustis in tribulationibus fauet.*
13. *Quòd Iusti liberantur à laboribus, quibus iniusti in hoc mundo vexantur.*
14. *Deus Iustis necessaria vitæ præstat.*
15. *Quàm vtiles sint Iusti communitati.*
16. *Quàm prosit iniusto oratio Iusti.*

Prop. I. *Quàm pretiosa res sit iustum esse.*

Deut. 32. 8. IVstus eò ipso quò iustus, & in gratia Dei, hæreditas & possessio est Dei, vti constat Deut. 32. *Quando diuidebat Altissimus gentes, constituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Israel*, id est, vnicuique nationi consignauit portionem terræ Deus; speciatim verò populo suo Israel, reseruauit Terram promissionis, & subdit : *Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius.* Ponderanda est dictio illa *autem*, quasi diceret : ceteris diuisit terrenas hæreditates, sibi autem in hæreditatem accepit populum Israel, iustos scilicet ex populo illo, peccatores dum interim peccatores sunt, non sunt digni hæreditas Dei nominari.

Ibid. 9. C

Exod. 19. 5. Vnde Exod. 19. sic Dominus ad iustos: *Eritis mihi in peculium de cunctis populis*, siue, vt habet littera alia, *eritis mihi thesaurus dilectus, præ omnibus populis.* Quòd si iustus est thesaurus Dei, sequitur, quòd si in iusto Deus positum habeat cor suum, dicente ipsomet Christo: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum* : quòd si in iusto situm habet cor suum, erit quidem Deus custos & pater, & pastor eius. Quid ergo deesse poterit iusto ex omnibus bonis cœlestibus sibi? *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit*, &c. Expende verba illa, *Eritis mihi in peculium.* Peculiũ quidem nomen diminutiuum est à pecus descendens: vnde peculium idem est quòd paruum pecus, seu parua possessio, qualis est possessio pauperis hominis; qui autem pauper est, tanto maiorem curam habet peculij sui, quantò ipse pauperior est, & exiguum magis est peculium. Ideò igitur vocat Deus iustos peculium suum, vt ostendat non exiguam sibi esse de eis curam.

Matt. 6. 21.

Psal. 22. 2.

Leuit. 26. 12. Vnde Leuit. 26. sic Deus de iustis : *Inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos.* Pondera illa duo verba, *inhabitabo, inambulabo.* Quomodo fieri potest, vt Deus immensus, qui omnia replet, cui cœlum sedes est, & terra scabellum pedum eius, imò quem cœlum, & terra, & omnia spatia creata, & creabilia, & imaginaria capere nequeunt, in homine inhabitare & inambulare possit? Ita quidem locutus est Deus ad gloriam iusti, vt tali periphrasi, & circumlocutione, quàm pretiosa res sit in oculis Dei iustus, ostenderet, & quanta sit illi cura de iusto, manifestaret. Ponderat ergo meritò sic locum istum Sanctus Ambrosius serm. 8. in Psal. 118.

Ambros *Quid magnificentius hospite isto cœlesti? quid beatius tali possessione diuina? Alij quærunter de sui ruris angustijs, in te Deo est amplæ possessio, in quo deambulare se dixit, spatia*

A *laxæ habitationis inueniens, qui terram manu includit, & cui mundus angustius est, tu es ampla domus es.* Ita S. Ambr.

Quod si Deus ita gloriatur de caula ista cordis iusti, quantò magis iustum oportet gloriari de possessore tanto. Meritò de iusto agens Isaias ait : *Iste dicet : Domini ego sum, & ille vocabitur in nomine Iacob, & hic scribet manu sua, Domino*, seu vt habent Septuaginta, *scribet manu sua: Dei sum ego*, hoc est, non solum iustus fatebitur se esse possessionem Dei, sed etiam de illo adeo gloriabitur, vt secum scriptum habeat, *Ego sum possessio Dei*, sicut Paulus manu sua sic scribebat : *Paulus seruus Iesu Christi.* Isai 44 5. Rom. 1. 1.

S. Ambros. ponderat verba illa Dauidis Psal. 118. *Portio mea Domine, dixi custodire legem tuam*, (in originali Græco dicitur : *Portio mea Domine tu es*,) ait ergo S. Ambros. *Quàm ratus est, qui dicere possit Deo*: portio mea tu es, *qui nihil habeat commune cum sæculo, nihil huius mundi vendicet sibi.* Ita ille. Qui igitur verè dines esse desiderat, diuitias mundi calcet & contemnat, quid inde? B quid? erit portio eius Dominus Deus; poteritne altior possessio bonorum esse? quid non habet, qui habentem omnia habet? Deum autem habet qui iustus est, & gratiam eius habet. S. Ambr. Vers. 57.

Pro eximio quidem beneficio ordinauit olim Deus, Leuitas & Sacerdotes nullas terrenas possessiones possidere, iuxta illud Dei Num. 18. ad Aaronem : *Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel.* Vbi Sanct. Ambros. in eundem Psalm. 118. *Negatur his terrena diuisio, vt ipsi, dum sæculares sibi non vendicant portionem, fiant possessio cælestis.* Ita ille. Fiunt quidem hoc modo possessio Dei & Deus possessio eorum: quid igitur desiderare superest illis, quorum Deus possessio est, qui reliet in bonis desideria possidentium eum? Vide S. Ambr. ibidem. Num 18. 20. S. Ambr.

Actor. 3. 6 Actor. 3. pctebat pauper quidam claudus eleemosynam à S. Petro, ad quem sic Petrus : *Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do, In Nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.* Expendit & exponit hæc verba S. Ambros. ibid. *Quasi diceret* (inquit) *S. Petrus: Portio mea Christus est, in portione mea potens sum. quomodo poterat Petrus portionis suæ damna sentire, qui naturæ damna reparabat?* Ita ille. Vnde concludens S. Ambros. & agens de iusto viro, qui per gratiam possidet Deum, ait: *Portio tua non arduitate secatur, non imbre diluitur, non frigore vritur, non tempestate quassatur, & est portio, quam terrenæ possessiones æquare non possunt.* Ita ille. Habeat igitur Alexander in ditione sua mundum vniuersum; si tu Deum habeas, non habebis cur inuideas Alexandro. Hinc igitur constat, quanta sit excellentia gratiæ: solus enim ille possidet Deum qui gratiam habitualem habet. S. Ambr.

ADDITIO.

D HAec vita iusti, qui etiam quas habeat facultates, communes æstimare debeat, imò etiam in opibus diuidere, dispensare pauperibus, recidere voluntates proprias, tenuare sumptum, adhibere parsimoniam temperantiæ, sobrietatem tenere in prosperis, patientiam in aduersis, in dolore toleratiam, magnanimitatem in periculis, sanitatis perpetuæ vota nescire, mortis imminentis terrore non concuti, neque eum præstantiorem putare. cui secundum naturam liberi, propinqui, salubritas, latitia, affluentia redundauerint, quàm cui illa defuerint : neque externis sæculi, sed virtutis domesticæ merito pensare. Et paulò pòst : *Quid deest ei qui illud bonum possidet, & habet sibi semper comitem sociamque virtutem? In quo statu non potentissimus? In qua pauperrate non dives? In qua generis ignobilitate non clarus? In quo ocio non laboriosus? In qua debilitate non vegetus? In qua infirmitate non fortis? In qua somni quiete non seriatus, quem etiam quiescentem virtus propria non relinquit? In qua solitudine non stipatus, quem vita beata circumdat, quem vestit gratiæ, quem gloria amictus illustrat?* S. Ambr. lib. 1 de Iacob & vita beata cap. 8.

S. Chrysostomus ad Philip. cap 3 serm 12.

Quando artifex peritus fuerit ac dexter, omnemque artem sciens, etiamsi morbus inciderit, habet eam, etiamsi pauper fuerit, habet eam, sive instrumentum in manu habeat, sive operetur, sive non operetur, nihil illi ex arte demitur. Scientiam enim habet in se ipso. Ita & virtute præditus, & à Deo pendens, etiamsi in diuitias illum conjicias, ostendit artem suam, etiamsi in paupertatem, similiter, sive in sanitatem, sive in gloriam, sive in ignominiam. An non per omnia ista efficaciter operati sunt Apostoli? Per gloriam & ignominiam, per infamiam, & bonam famam? Vtud demum est athleta, ad omnia accommodum esse. Etenim talis quoque est virtutis natura. Si verò dixeris non possum præesse aliis, solitarie viuere debeo, virtutem contumelia affecisti. Ipsa namque potest omnibus vti, & tamen illustris esse, dummodo sit in animo tuo. Fames est? satietas & abundantia est? Ipsa suam ipsius potentiam ostendit. Paulus bene dixit, noui & abundare, B & penuriam habere. Erat operandum? Nihil erubescebat, sed duos annos operatus est. Erat ferenda fames, nec deficiebat, nec vacillabat. Moriendum erat? non reddebatur animo abiecto & humili: per omnia mentem generosam & artem suam ostendebat. Et paulò pòst: Sit virtute quisquam præditus, etsi vxorem habeat, & liberos, & pecunias, & gloriam multam, cùm his omnibus virtute firmus & solidus manebit. Si ea verò amiserit, & sic quoque firmus & solidus erit; neque ab affliction bus demersus, neque ab ipsa rerum prosperitate tumidus. Sed vt petra tam procellosa mari, quàm tranquillo æquè firma persistit, neque à procellis fracta, neque à tranquillitate aliud quidquam perpessa: ita & animus solidus tam in tranquillo, quàm in procellis firmus & inconcussus perstat. Et quemadmodum pueri quidem nauigantes terrentur, gubernator verò ridens sedet & immotus, cum delectatione metum illorum videns: ita & animus philosophicus, omnibus aliis turbatis, rursus & intempestiuè pro rerum vi- C cissitudine ridentibus, tanquam in sublimi quodam, & temone pietatis, immotus sedet. Quid enim, dic mihi, animum pium conturbare poterit? Mors? Sed illa vitæ melioris principium est. Paupertas? Sed ista ad virtutem illi cooperatur. Ægritudo? At nihili æstimat præsentem vel ægritudinem, vel requiem, neque afflictionem etiam. Seipsum namque præueniendo primùm afflixit. Ignominia? Sed mundus illi crucixus est. Liberorum amissio? Sed nihil illu metuit, cùm de resurrectione certus sit & securus. Quid ergo eum dejicere poterit? Nihil horum omnium. Extollunt eum diuitiæ? Nequaquam. Nouit enim pecunias nihil esse. At gloria? Sed insrmus est, omnem humanam gloriam esse sicut florem fœni. At delicia? Sed audi Paulum dicentem: quoniam qua in deliciis versatur, viuens est mortua. Quando ergo nec inflammatur nec contrahatur, quid poterit famitati huic adæquari? Et rursum paulò pòst: Quid in Euripum nosipsos, & in flnctibus, & tempestatem, & turbinem projcimus? Simus in tranquillitate. Nec in diuitijs hæc omnia, nec in paupertate, nec in gloria, nec in ignomima, nec in ægritudine, nec in famitate, nec in infirmitate, sed in animi nostri potestate D sita sunt.

S. Chrysostomus. Hom. 5.

Quid quisquam facere possit, quo generosum virum cogat contristari? Auferet pecunias? Sed habet in cælis diuitias. Patriâ ejiciet? Sed in cælestem ciuitatem mittet. Vincula injciet? Sed habet conscientiam solutam, & exteriorem non sentiet cateuam. Sed interficiet corpus? At iterum resurget. Et sicut cum vmbra pugnans, & aërem verberans, percutere poterit neminem; sic & cum iusto pugnans, cum vmbra tantum pugnat, & vires suas dissoluit, nullam illi plagam valens infligere.

Prop. II. *In iustis resplendet bonitas & sanctitas.*

1. Cor. 3. 2. Corinth. 3. Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur. Quonam, inquies, pacto in Deum transformari nos possumus? Theodor. Theodor. quæst. 70. in Exod. sic respondet: *Sicut speculum nitidum inspicientis vultum* A *repræsentat; ita munda corda suscipiunt Dei gloriam, & qui accedit ad gratiam diuinam, splendoribus inde manantibus lucet.* Ita ille. Ita quidem in bonis bonitas Dei, Simile. & in sanctis sanctitas Dei relucet. Sicut enim in famulis Salomonis maiestas & gloria regia resplendebat, sic etiam & Dei in famulis suis: qui vident veritatem, & charitatem, & pudicitiam, & pietatem, & puritatem morum seruorum Dei, inde colligunt, qualis sit is cui seruiunt. Vnde Christus Dominus Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Sicut è contrario, mali & peccatores Christiani, in causa sunt, vt inter infideles nomen Dei nostri blasphemetur, sicut ait Isai. 52. num. 5. & cum eo Apostol. ad Rom. 2. num. 29. aiunt enim infideles: En qualis Deus est Christus, qui tales habet famulos & sectatores. Vers. 16. B

Prop. III. *Quàm Deo charus sit iustus.*

Exod. 32. Exod. 32. *Iratus Dominus contra Israelitas propter vituli adorationem, dixit Moysi: Dimitte me vt deleam eos. Cui Moyses: Memento Domine Abraham, Isaac, & Iacob, &c.* quo Dominum placauit. Quod expendens Dauid, ait Psalm. 105. *Si non Moyses electus eius stetisset in confractione, in conspectu eius, &c.* Quid est in confractione? alia littera sic habet, *in ruina nari*, metaphorâ sumptâ à bello. Cùm hostis rupto muro aduoritur vrbem, ciues ruinam occupant, & irrumpentes vi repellunt: sic cum rupto muro legis, ira Dei irrumpere satageret contra populum, obstitit Moyses, opponens velut clypeum forte, memoriam Abrahæ & Isaac & Iacob. Vnde Rupertus in cap. Rupert. 15. Genes. cùm diceret Deus: *Dimitte me, vt deleam eos*, detinuit eum homo, dicens: *Memento Abraham, Isaac, & Iacob.* Ita ille. Quis non miretur tantùm apud Deum valere merita Iustorum etiam post mortem ipsorum? Vers. 31. C

Chrysost. Quod etiam obseruauit Sanctus Chrysostomus super illa verba Dei ad Ezechiam Isai. 37. *Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid.* Dauid (inquit) Chrysostomus mortuus est, & merita eius viget, ô rem admirandam! homo defunctus patrocinatur viuo? ô iustorum etiam post mortem inexpugnabilis pugna! Ita ille. Ita, quando & Deum ipsum expugnat. Vers. 35.

Psal. 145. Psalm. 145. adeo *Dominus diligit iustos*, vt dixerit Luc. 12. discipulis suis iustis & dilectis: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt.* Quid sibi vult hæc capillorum numeratio? Sanctus Ambrosius serm. 4. in Quadragesima: *Per talem numerum, curam circa nos, sollicitudinemque cognoscimus: nemo enim numerat, nisi qui venetur, ne fraudem absque numero patiatur. Pastor, vt saltuum gregem habeat, eum frequenter enumerat; vide quoque Dominus, qui est pastor bonus, cùm ouicula vna ex centum aberrasset, recurrens ad numerum, proprijs eam humeris ad gregem reportauit. Vsque adeo ergo habetur sub tutela, qui habetur in numero, vt errans proprijs humeris apportetur, ne quid de numero minuatur.* Ita Sanctus Ambrosius. Ait ergo Dominus Deus discipulis suis: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt.* Nō quidem sic capillos istos numerat Deus, sicut numerat stellas cœli & arenas maris, quia supientissimus est; sed sicut Iustorum amator, quia maximam eorum curam habet. Quæ enim mater ita pulcherrimam filiam amat, vt capillos, quantumuis aureos, habeat numeratos? sit ille in sæcula benedictus. Luc. 12. S. Ambr.

PROP. IV. *Quanti faciat Deus iustos.*

Exod 3 6 EXod. 3. *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob,* &c. *hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem.* Itaque gloriatur Dominus
Psal. 8.5. omnipotens, hominum illorum se Deum esse? *Quid est homo,* ait Dauid, *quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Imò quia ita reputas eum, vt eius te esse Deum ita glorieris, vt dicas: *hoc memoriale meum,* id est, *este es mi nombre por el qual quiero yo ser conozido, y del qual quiero que aya eterna memoria.* Ponderauit hoc Apo-
Vers. 15. stol. ad Hebr. 11. dicens: *Non confunditur Deus vocari Deus eorum,* quia talis ac tanta est maiestas Dei, vt facilè quis iudicare posset, quòd Deus confunderetur, Deus alicuius hominis nuncupari, cùm infinita distantia interfit; at minimè id quidem, sed pleno se ore Deum Abraham, Isaac & Iacob dici voluit, & etiam Deum Dauid in c. 38. Isai. num. 5. & 4. Reg. 20. num. 5. Cur ita? Cur non dedignatur? Respondet Theophyl. super illud c.
Theoph. 11. ad Hebræos: *Quia Deus adeo magni facit seruos suos, vt cùm sit Deus totius mundi, visibilu nempe & inuisibilis, non erubescat vocari eorum Deus.* Ita ille. Vide tu, quàm magni faciendus sit homo iustus, quamuis homo, & ex humo & puluere sit formatus.

4. Reg. 19. 4. Reg. 19. Rex Assyriorum Sennacherib exercitu eximio & valido inuasit ciuitatem Hierusalem tempore Regis Ezechiæ, qui tantam potentiam timens, à Deo humiliter, & enixè auxilium postulauit; misitq; propterea ad seruum suum Ezechiam Deus Isaiam
Isai. 37. 35 Prophetam, qui diceret ei: *Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum. Et factum est ita: nocte enim illa venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* Vide quàm diligat & æstimet iustum vnum: & pondera dixisse Deum simul, *propter me & propter Dauid seruum meum,* quasi non satis fuisset dicere *propter me,* &c. Et cùm Dauid multis retrò sæculis iam obijsset, ac si adhuc regnaret in Hierusalem, ait: *propter Dauid seruum meum.* Talis ac tantus est amor Dei in iustos. Sic pondeChryſoſt. rat S. Chrysost. hom. 43. in Genes. dicens: *Qui ante tot annos è vita migrauit, hic author fit salutis his qui suâ desidiâ se perdiderunt.* Ita ille,

S. Ambr. Item S. Ambros. lib. de Abraham cap. 5. expendens quomodo Deus propter decem tantùm veniam pessimorum Sodomitarum regioni cunctæ offerebat, ait: *Propter paucorum iustitiam Deus impunitatem promisit populo vniuerso. vnde discimus, quantus murus sit patriæ iustus vir. Iustorum ergo nos fides seruat, & eorum iustitia nos ab excidio*
Chryſoſt. *defendit.* Ita S. Ambros. & S. Chrysost. hom. 24. in Gen. ponderans quemadmodum Deus ob merita Noë, non solùm ipsum, sed filios & vxores eorum à diluuio protexit, ait: *Consuetudo misericordiæ Dei est, honorem suis seruis exhibere.* Ita ille.

Actor. 27. Actor. 27. Procella magna inuasit Paulum in mari, *39.* & multos qui cum ipso nauigabant; erant autem omnes ibi ducenti septuaginta sex: violentia verò tanta erat, vt iam ablata esset omnis spes salutis eorum. Dixit autem ad eos Paulus: *Bono animo estote: astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cui deseruio, & dixit mihi: Ne timeas Paule. Ecce donauit tibi Dominus omnes qui nauigant tecum.* Quod non sine speciali Dei auxilio & miraculo factum est sicut Paulus enuntiauit. Ecce quomodo causâ & amore Pauli, Deus omnes illos liberauit. Ausus quidem fuit olim Iulius Cæsar in turbulentissima maris tempestate, nauarcho iam de salute desperanti, fortiter inclamare, dicens: *Ne timeas: fortuna enim te Cæsaris comitatur, Cæsarem vehis.* Ita re*Plutarch. Appianus Lucanus.* fert Plutarchus in eius vita, & Appian. lib. 2. de bello ciuili, & Lucanus lib. 5. vers. 578. ibi, *Sperne minas,* &c. Superbus fuit valde. Iustis autem in Deo confidentibus hoc confidenter dicere valemus, in tribulaA tione quacumque nolite timere, Deum, & eius omnipotentiam vobiscum habetis, *a Dios y a su omnipotencia llenais con vosotros.* Quid igitur non prosperè illis eueniet?

Genes. 15. & ad Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Quid, inquies, mirum, quòd *Genes 15. 6.* Abraham crederet Deo? mirum potiùs, si non credi- *Rom 4 3.* disset. Respondet Hugo Victor. in Gen. cap. 15. *Quia sic* *Hug. Vict.* *credere Deo tunc temporis magnum erat, quando penè vniuersus orbis in cultura demonum errabat.* Sic igitur dicendum, plurimùm æstimare Deum cæcutes virtute præditos, quia mundus in maligno positus est, & cùm exempla malorum efficacia sint ad illorum animos peruertendos, magnum est inter malos esse hominem bonum. Etenim quòd in claustris religiosi boni sint, non ita mirum, quia bona aliorum exempla eos seruant, & alia adminicula plura, quæ ad sanctè viuendum iuuant; at degentem in media platea Babylonica se innocentem seruare, multum quidem est.

Iob 1. sic Scriptura sacra de S. Iob: *Vir erat in terra* *Iob 1. 1.* B *Hus, nomine Iob, vir simplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo.* Eximia est laus ista, tum quia eximias Iobi continet virtutes, tum quia laudator est Deus, qui & summatim perstringens laudes eius, dixit hosti: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei simi-* *Ibid 8.* *lis in terra?* Quid amplius desiderari potest de laudibus viri huius? Sed quid est, quòd inter laudes eius patriam numerans, ait: *Vir erat in terra Hus?* Hus namque terra gentilium erat, & Idololatrarum; hoc autem non videtur in laudem cedere Iobi, sed in vituperium: gloriari enim solent homines in nobilitate & gloria patriæ: quæ autem nobilitas? quæ gloria ex infidelium patria prouenire potest? S. Gregor. 1. Mor. 1. *S. Greg.* *Dicatur,* inquit, *vbi habitauerit Iob, vt hoc eius laudibus proficiat, quòd tam bonus inter malos fuit: neque enim valde laudabile est, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est inter bonos bonum non esse, ita* *Iob 30. 29* *immensi præconij est, bonum etiam inter malos extitisse.* Ita S. C Gregor. Vnde cùm idem S. Iob de se dixit cap. 30. *Frater fui draconum, & socius struthionum.* nolès non exiguam de se laudem protulit, sicut obseruauit ibidem S. Gregor. dicens: Idem Beatus Iob sibi attestatur, dicens: *Frater fui draconum, & socius struthionum.* Ita ille. Vide ibidem S. Gregor. *Gregor.*

Hinc Dauid Psalm. 11. *Saluum me fac Domine, quo-* *Vers. 2.* *niam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum,* &c. Quasi dicat: perdifficile quidem est inter malos bonum esse, ideò precor bonitatem tuam Domine, vt me inter malos habitantem, serues, & in tua gratia conserues: exiguæ quippe sunt humanæ vires ad societatem & exempla malorum superanda.

PROP. V. *Quanta sit prouidentia Dei erga iustos.*

D CAnt. 1. *Trahe me post te, in odorem curremus vnguento-* *Vers. 3.* *rum tuorum.* Græci, vt videre est apud Origenem, legunt: *traxerunt te post te,* scil. cet animæ iustorum. Quid est trahere Deum post se iustos? etenim cùm amatorium sit hoc Canticum Canticorũ, tractio, non violenta, sed tractio per amorẽ est. sonat quidem violentiam, sed violentiam amoris diuini, trahit Deus amore suo post se, & adeo potenter, adeo fortiter, vt violentia esse videatur. non quòd violentia hæc repugnantiam dicat, sed vehementiam quandam, qualis esse solet in huiusmodi attractione violenta.

Sed ex alijs locis eiusdem amatorij Cantici hoc vi- *Vers. 7.* deamus. Cant. 2. sic diuinus Sponsus: *Adiuro vos, filiæ Hierusalem, per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque* *exigitare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.* Ponderat Sanctus Bernardus hæc verba serm. 52. in Cant. dicens:

Animaduerte benignitatem sponsi, qui, vt affectum tenerrimum, quem habet erga sponsam, explicet, ait: Adiuro vos, filiæ Hierusalem, &c. *Quid illic accipiet, quæ hic tantâ familiaritate donatur, vt Dei curâ, & studio custodiri se sentiat, ne dormiens fortè à quopiam non volens excitetur?* Ita ille. *Que se ponga Dios assi a guardar el suenno a vn justo? sea el suenno que quesieredes, que esse officio como sueña de pajes, y criados, respecto de sus sennores, es.* Nónne summum Dei amorem, summam Dei familiaritatem, summam Dei prouidentiam erga iustum manifestat?

Vers 16. Præterea eodem cap. 2. ait sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Verba hæc nullum videntur reddere sensum: oratio enim est sine verbo, *lenguaje pareçe a lo viz. cayno, y vaſcongado.* Quid est, *dilectus meus mihi?* quid est, *ego illi?* amor loquitur, qui plùs significat affectu. quàm explicet verbo. S. Bern. serm. 68. in Cant. in hæc verba ait: Insolens verbum, *& ego illi*, nec minùs insolens, *dilectus meus mihi*, nisi quòd vtroque insolentius vtrumque simul, *dilectus meus mihi, & ego illi*: dilectus meus, inquit, intendit mihi. Itáne huic intenta est illa maiestas, cui gubernatio pariter, & administratio Vniuersi incumbit, & cura fæculorum ad sola transfertur negotia, imò potiùs, otia amoris? ita planè, &c. Vide illum, & serm. 69. Quibus, quæso, verbis exprimere altiùs potuit curam, & prouidentiam, quam Deus de iustis habet? non enim quomodocumque attendit, sed intendit, seu intensè attendit, superintendit rebus iusti, &c.

Vers 16. Hinc Dauid Psal. 33. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Nota verba, *oculi* (inquit) *Domini super iustos*: sicut enim, cùm quis imaginem aliquam perfectam effinxit, iterum atque iterum oculos ad eam conuertit, circumspiciens, quid illi desit, qua in re eius operâ indigeat: sic supremus ille rerum artifex, & opifex, cùm perfectam gratiâ suâ imaginem animæ nostræ producit, circumspicit, quid opus illi sit, vt benignè prouideat ei: *Sic oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum:* attentas (inquit) habet aures ad iusti preces exaudiendas. quàm attentas? Isai. 58. sic Deus ad iustum: *Inuocabis, & Dominus exaudiet, clamabis & dicet:*

Vers 9. *Ecce adsum.* non ait, ecce veniam, quasi abesset, sed adsum, quasi iam, cùm oraret, adesset: semper enim adest, & assistit, & intendit iusto. oculi igitur Domini, ait, super iustos, & aures in preces eorum, quasi totus in iusti negotio versaretur, & oculos, & aures ad nihil aliud haberet, nisi ad iustum, cùm rerum omnium, etiam minimarum, prouidentiam habeat specialem.

Vers 7. Quare meritò S. Petrus 1. Petr. 5. iustos monet: *Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis.* Cura hîc specialem quandam, & exi-

Vers 9. miam prouidentiam importat: ideò enim ait 1. Cor. 9. *Nunquid Deo cura est de bobus?* non ait prouidentia, sed cura, quæ supra prouidentiam specialem hanc sollicitudinem dicit. *Bien puede el justo perder la sollicitud de si, y de sus cosas, pues Dios se ha en cargado dellas, y tomado cuenta.*

Vers. 18. Num. 9. ordinem explicat Scriptura, quem Israelitæ obseruabant in profectione sua per desertum in terram promissionis: pergebant enim aut manebant, ad nutum cuiusdam miraculosæ nubis, de qua sic ibi habetur: *Cunctis diebus, quibus stabat nubes super tabernaculum, manebat in eodem loco, & si euenisset, vt multò tempore maneret, super illud erant filij Israel in excubiis Domini, erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant. Si fuisset nubes à vespere vsque mane, & statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur, & si post diem & noctem recessisset, dispiebant tentoria; si verò biduo, aut vno mense, vel longiori tempore, fuisset super tabernaculum, manebant filij Israel in eodem loco, & non proficiscebantur. statim autem vt recessisset, mouebant castra: per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum illius proficiscebantur.* Ecce hîc adumbratam optimis coloribus iustorum vitam, & piam Dei erga illos prouidentiam. Israelitæ in vtramque autem securi dormiebant, videntes quanta eos prouidentia dirigebat, nec curabant, an tempus iam proficiscendi, an manendi esset: Deus enim curam hanc setuauerat sibi. Nubes ergo illa diuinâ erga iustos indicat prouidentiam, felices, illi, de quibus talis est cura Deo.

Vers 8. Psalmo 45. *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob. Vide prouidentiam Dei erga suos. Nobiscum,* (inquit) *in omnibus fauet nobis, ille qui Dominus virtutum est,* ait Cassiodorus, *cui virtutes cœlorum seruiunt, cui omnis potentia famulatur.* Ita ille. Quasi dicat Dauid: omnipotens ille, cui non erit impossibile omne verbum, ille est, qui nobiscum semper est ad protegendum nos. Quomodo autem id præstet, subdit, dicens: *Susceptor noster Deus Iacob*, id est, Deus suorum curam ita suscipit, sicut suscepit causam Iacob; nam licèt ille minor esset fratre suo Esau, Deus, qui protectionem Iacob suscepit, & primogenituram illi dedit, & benedictionem patris morientis, & eum duxit in Mesopotamiam, & sanum reduxit, & ostendit ei in itinere regnum Dei mirabili illa scala, & cùm pauper prorsus esset, ditauit eum plurimis bonis, & vxores nobiles dedit, Liam, & Rachelem, & duodecim filios, ex quibus promanarunt duodecim tribus Israel, quos in populum suum peculiarem Dominus sumpsit, & ex quibus Christus Dominus, quem etiam ab ira fratris eripuit, & à persecutione Laban liberauit, ita vt neque asperum quid contra eum proferret, & denique ad cœlestia regna perduxit. Vide prouidentiam Dei erga Iacob, ait ergo Dauid: *Susceptor noster Deus Iacob*, quia sic se habet prouidentia sua erga iustos, sicut erba Iacob, tam in tribulationibus, & persecutionibus, & in bonis temporalibus, & æternis. Placétne tibi ex eorum numero esse, quibus sic prouidet Dominus? esto iustus: nam iustis ita prouidet Dominus, quia iusti sunt.

Sap. 3. a. Sap. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt,* &c. *a los Iustos Dios los tiene de su mano.* Quid ampliùs iustus desirare vâlet? quid timendum supereſt illi? Dauid Psal. *Psal. 5.* 5. se veluti oppressum cernens inimicorum persequutionibus, sic Deum orauit: *Deduc me Domine in iustitia tua, propter inimicos meos, dirige in conspectu tuo viam meam.* Etenim insidijs inimicorum circumdatus, sic mihi orandum videretur: *Libera me Domine de manibus eorum,* &c. at Dauid qui meliùs nouerat, quomodo ab inimicis tutus esse posset, sic orat: *Deduc me Domine in iustitia tua.* Quid est *in iustitia tua?* S. Basil. in scholijs: *Recte* *S. Basil.* *dicit* in iustitia tua: *est enim & hominum iustitia, ab externis videlicet legibus orta, verum illa perfectionem non habet; ego verò tuam specto institutam. Recte autem & illud adiecit,* Deduc me, *quod est quasi manu prehensum, velut ex quibusdam tenebris vitæ huius, educere.* Ita ille. Non igitur petit hîc arma & scutum ad defensionem, sed iustus vir esse, & in virtutis veritate incedere. Sic enim pro compertо illi erat ab hostium telis & insidijs securum se fore, *sea vno justo, que seguras tiene las espaldas en Dios.* Vnde concludens psal. hunc, ait Dauid: *Domine vt scuto bona* *Psal. 5. ij.* *voluntatis tuæ coronasti nos.* S. Hier. ex Hebræo legit, *Co-* *S. Hier.* *ronasti eum*, scilicet iustum. Est autem metaphora à militia sumpta, in qua milites pro defensione suâ scuta sumunt, quibus ictus & iacula hostium repellant, *para retabatir los golpes enemigos.* Sic protectio diuina veluti scutum quoddam est, quo Deus iustos defendit ab ictibus insidiosis. Bene tamen protectio diuina: est enim veluti circumdans scutum, sicut asseruit Dauid psal. 90. ad iu- *Psal. 90.* *5.* stum dicens: *Scuto circumdabit te veritas eius*: non enim ait simpliciter *scuto suæ veritatis* seu *lucis auxiliabitur tibi*, sed *circumdabit te*: belligeramus enim cum hostibus, qui insidiosè pugnant. Vnde Dauid ait hîc: *Domine vt scuto* *Psal. 5. ij.* *bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Et in alio psal. *Qui coronat* *Psal. 102. iij.* *te in misericordia & miserationibus*, &c. Felix, quem sic Dominus in hac vita coronat, quia in futurum coronabit eum corona gloriæ.

Deut. 34.

Deut. 34. 6. Deut. 34. *Mortuus est Moyses, & non cognouit homo sepulchrum eius.* Cur Deus sic abscondit cadauer Moysis serui sui, cùm potiùs moris eius sit, reliquias Sanctorum nobis tradere? tum vt eos veneremur, tum vt memores simus eorum, eosque imitemur. S. Augustinus lib. de mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 35. *Vt scilicet facies illam (quæ ex consortio sermonis Domini tutilauerat) mortis pallore depressam nullus videret.* Ita ille. Si enim Hebræi vidissent Moysen mortis pallore deformatum, quem virtutum ex Dei consortio coruscantem Exod. 34. suspicati fuissent, illum à Dei familiaritate decidisse, & in pœnam alicuius criminis, illum splendorem cum isto pallore commutasse. Ne igitur tam finistra opinio de sancto viro in populo oriretur, Deus ab oculis omnium eum subduxit, non minùs consulens amici mortui honori, quàm consuluerat viui. *Quam bonus Israël Deus, his qui recto sunt corde!*

S. Aug. Exod. 34.

Cùm fama bona bonum non exiguum reputetur, magnâ quidem prouidentiâ & curâ famam suorum defendit Deus.

Quærunt Authores sacri, cur voluerit Deus de matre nasci desponsata, cùm ex virgine elegisset nasci. Respondet S. Ambrosius lib. 2. in Lucam: *Ne Mater*, inquit, *temerata virginitatis adueretur infamia, malut Dominus de suo ortu, quam de matris pudore dubitari.* Ita S. Ambr. Altam hanc ponderationem aduerte.

S. Ambr.

At dices, quid mirum? Mater enim Dei erat Maria. Ita quidem, sed & famulorum suorum non dissimilem valde curam habet Deus, vti videre licet in S. Iob, cuius bonum nomen denigrauerant tres eius amici, asserentes propter delicta euenisse illi aduersa illa grauia. Ad quos ideo sic Deus Iob 42. *Iratus est furor meus, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob:* & subdit: *Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Vide quàm honorificè de Iob locutus est Deus. Cur, inquies, non orationibus illorum remisit, vel promisit Deus veniam, sed Iobi? Respondet Olympiodorus in catena Græca trium Patrum super Iob: *Voluit Deus, vt Iob inuriarum oblitus, pro persecutoribus oraret, & impetraret, vt ipsimet virtutis Iobi testes essent.* Ita Olympiodorus.

Iob 42. 7. Olymp.

Idem dicendum de Abraham: nam Genes. 20. Rex Abimelech malam de Abraham concipere poterat opinionem, virumque subdolum & mendacem censere, eò quòd vxorem suam Saram sororem dixerat esse. Quam ob causam eam sibi in vxorem accipere volebat, propter quod à Domino vapulauit, & insuper sic ad eum Dominus: *Redde viro vxorem suam, & orabit pro te, & viues.* Dei curam vide de fama viri iusti, vti ponderat S. Chrysost. hom. 45. in Genesim.

Gen. 20. Vers. 7. Chrysost.

Idem patet in Moyse, quando propter detractionem Aaronis fratris eius, & Annæ sororis, Moysis opinionem maculabant.

Prou. 10. 6. Iansen.

Prou. 10. *Benedictio Domini super caput iusti*: Quomodo, inquies, *Benedictio Domini super caput iusti?* Iansenius, id est, *Deus suis beneficijs caput iusti ornat: capiti autem iusti tributur benedictio, ad significandum, quòd de cœlo veniat super iustum benedictio.* Ita Iansenius. Alij verò sic: *Benedictio Domini super caput iusti*, hoc est, affluentia bonorum omnium homini euenit iusto; nam in sacris litteris nomine benedictionis Domini, talis affluentia significatur, vt in eod. c. 10. Prouerb. *Benedictio Domini diuites facit, nec sociabitur eis afflictio.* Vbi Iansen. *Quamquam hæc sententia locum habeat in corporalibus piorum hominum diuitiis, vera tamen maximè est de diuitijs spiritualibus, quæ in sapientia & virtutibus consistunt: hæ enim sunt vere diuitiæ, & solùm diuinâ beneficentiâ parari possunt, nec aliquam secum afferunt molestiam, sed plurimam voluptatem.* Vnde de Sap. dicitur: *Non habet amaritudinem conuersatio illius.* Sap. 8. Ita Iansenius.

Prou. 10. 22. Iansen. Sap. 8. 16.

Gen. 9. 25. Quàm autem valeat benedictio ista Dei ex c. 9. Gen. constat, vbi filius Noë, nomine Cham, iniuriam quandam intulit patri suo Noë, propter quam maledixit, non quidem ipsi filio Cham, sed filio ipsius Cham, qui vocabatur Chanaan, dicens: *Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.* Quærit hoc loco Theod. cur non maledixit ipsi Cham, qui deliquerat, & maledixit Chanaan nepoti, qui non intulit iniuriam auo? & Respondet: *Post sedatum & lenium omnes tres filij Noë parsset benedictionis diuinæ participes fuerunt: temerarium autem existimauit Noe maledictionem inferre filio, qui Dei benedictionem fuerat consequutus.* Ita ille. Benedixisse autem Deum omnes filios Noë, constat ex initio cap. 9. Genes. vbi dicitur *Benedixit Deus Noë & filijs eius.* Ecce quanti momenti sit benedictio Dei. Huius autem benedictionis omnes iusti participes sunt, vt constat ex loco citato Prou. 10. 6 *Benedictio Domini super caput iusti.*

Theodor. Vers. 1.

Genes. 32. reuertens Iacob ex Mesopotamia in domum Patris sui, fuerunt obuiam illi Angeli Dei, quos cùm vidisset, dixit: *Castra Dei sunt hic, & appellauit nomen illius Castra.* Quid sibi vult apparitio hæc Angelorum tunc, cùm illis viginti annis superioribus, quibus versatus fuerat in Mesopotamia, nullum Angelum ipsum vidisse sciamus? Respondet S. Athanasius in lib. quæstionum q. 102. dicens: *Ideo tunc apparuerunt Angelorum castra Iacobo, vt animum resumeret & non timeret fratrem suum Esau: fuerat enim consilium Esau occidere Iacobum.* Ita S. Athan. Simile quid habemus 4. Reg. 6 Cùm enim exercitus Syriorum circumdaret ciuitatem, vbi erat Elisæus Giezi, seruus eius, videns exercitum, timuit valde & clamauit ad Elisæum, dicens: *Heu, heu, heu, Domine mi, quid faciemus? Cui Elisæus: Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.* Orauit igitur Elisæus Dominum, vt aperiret oculos Giezi, aperuit & vidit montem plenum equorum & curruum igneorum in circuitu Elisæi. Sic, sic Deus seruos suos custodit prouidentiâ suâ magnâ.

Gen. 32. S. Athan. 4. Reg. 6. 5.

Luc. 15. adolescens ille qui in parabola à Patre substantiæ suæ portionem petijt, & obtinuit, & abiens *in regionem longinquam* (in peccatum scilicet, quia longè à peccatoribus salus) *dissipauit substantiam suam, viuendo luxuriosè.* Et ibi cœpit egere & maximâ famè pati. Copiosum quidem secum tulerat patrimonium, quomodo ergo in tantam incidit egestatem? S. Petrus Chrys. serm. 1. de duobus filijs: *Filium data fecit egere substantia, quæ diuitem negata seruabat, vt penes se deficere habendo, qui penes patrem abundabat non habendo.* Adhæsit, inquit, vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos: *Sic inuenit, qui se negat patri, qui se committit extraneo, vt seruiat indecem seruum, qui fugit indulgentissimum prouisorem.* Ita ille. Quia igitur peccator peccando recedit à patre diuino, in miserias & necessitates incidit multas, quibus in gratia patris maneret, abundabat.

Luc. 15. 13. S. Petrus Chrysol. Ibid. 15.

PROP. VI. *Deus fidelis amicus est Iustorum.*

PRouerb. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur.* Hoc Salomon asseruit, eò quòd quamplurimi sint, qui se amicos esse mentiantur: non enim amorem præ se ferunt, nisi cùm aliquod emolumentum inde venari volunt. hi non veri, sed ficti amici sunt: nam *omni tempore* (inquit) *amat, qui verus amicus est*, omni (inquit) tempore, non solùm tempore felici, quando multos numerabis amicos, quod si fortuna velit, nullus amicus erit, nullus (inquit) aut pauci quidem.

Vers. 17.

Probatio autem amicitiæ verè, est aduersitas occurrens: ideò enim addit Sapiens: *Frater in angustijs comprobatur*, hoc est, quis sit verus amicus, & loco fratris habendus, in angustijs, & aduersitatibus manifestatur. Originale Hebræum sic habet, & *frater in aduersitate nascetur*,

noscetur; fratrem autem in aduersitate nasci, est illum velut fratrem fidelissimum debere reputari, qui se fidelem amicum exhibet in aduersis, & veluti tunc nasci, quia tunc manifestatur fidelitas eius. Seneca: Amicos (inquit) secundæ res optimè parant, aduersæ certissimè probant. vnde rectè Poeta:

Sic licet vt fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Ecclesiast. 6. *Si possides amicum, in tentatione posside eum, & non facile credas ei te ipsum: est enim amicus secundùm tempus suum, & non permanebit in die tribulationis*, hoc est, qui rectam amici electionem facere cupit, probet priùs illum in tentatione aliqua: nam, vt Sapiens quidam dixit, amicus priùs est eligendus, quàm diligendus; electio autem probationem, fidelitatis præsupponit, fidelitas autem in aduersitatibus se prodit: nam qui in sola prosperitate diligit, se & non alium diligere manifestat.

Cap. 5. Tales erant illi, de quibus Iob: *Necessarij quoque mei recesserunt à me quasi torrens, qui raptim transit.* Torrens quidem fluit, dum pluit, cessante verò pluuia, cessat etiam decursus eius. talis est horum amicitia, quæ quidem durante pluuia beneficiorum in eos durat, & amplius non.

Hinc igitur constat, quantùm nostra interfit, cum Deo nos amicitiam inire, cum Deo enim possumus, & facilius quidem, quàm cum hominibus alijs: nam Deus non quærit nostra, sed nos, nos (inquam) in amicitiam suam admittit: *Iam* (inquit) *non dicam vos seruos, sed amicos*, &c. & Psal. 138. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus*, &c. Habet igitur amicos Deus, quales sunt omnes iusti, qui gratiam eius habent, amicus ille fidelissimus est: non enim amat nos solùm, cùm felices fumus, sed cùm infelices, & miseri fuerimus: *Cum ipso* (inquit) *sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*, &c. sic Deus ad amicum suum sperantem in eum, sic se cum Iob, Tobia, Abraham, & Dauide, & Iosepho, & Susanna, & Daniele, & innumeris alijs gessit; denique de ipso Dauid: *Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.*

Imò etiam in morte, imò & post mortem, quando ipsi qui valde amici, & fideles sunt, amicis valedicunt, & abeunt post funus amici, eum obliuioni tradentes, tunc Deus suis amicis præsto adest, fauet, & fouet eos. quod vt meliùs explicemus, hieroglyphicum illud amicitiæ veræ, quod antiqui assignarunt, in medium adducamus. Pingebat ergo sic amicum, verum hominem scilicet viridi veste indutum, titulis his circumdatum, in æstate & hyeme, in vita & morte, prope & longè, vestis hæc viridis est, quia vera amicitia nunquam arescit, nunquam deficit, semper viret, & viget. Amat enim verus amicus amicum in æstate, & in hyeme, hoc est, in prosperitate, & in aduersitate, & in morte, qui in vita conuersatur semper cum eo, & omnia quæ agere tetat, cum eo tractat, & consilium eius requirit, & omnia quæ valet, in eum beneficia confert, in morte quoque illi assistit, & ab ea eum pro viribus liberare conatur, & illi consolatoria verba profert: quòd si obierit, eum sepelire honorificè, & pro eius anima suffragia citò fieri curat, &c. sic in vita, & in morte amat; denique propè & longè. *Dizen que a muertos y ydos no ay amigos, y que la ausencia causa oluido, eso es en amistades de cumplimento*, propè amat verus amicus, hoc est, in præsentia, signa, & opera beneuolentiæ exhibendo, & longè, quia licèt absens amicus sit, litteris, & quibus potest beneficijs, propè & longè amat.

Hinc verissimam, & fidelissimam amicitiam Dei erga nos colligere licet, amat Deus virum iustum in æstate, hoc est, tempore prosperitatis, quia omnis prosperitas à Domino Deo est, & sicut prosperitas malorum in malum eorum esse solet, ita vt Dei supplicium in eos dici possit: sicè conuersa prosperitas bonorum in bonum eorum cedit, & beneficium Dei in eos est. Amat etiam in hyeme, quia tempore aduersitatis eis adest, vt soletur eos, & protegat, atque defendat: hoc enim est nomen illi, *adiutor in opportunitatibus, in tribulatione*, vti dictum est. præterea amat in vita, & in morte; in vita quidem eorum vitam conseruando, & tuendo, quantùm eos viuere iudicat expedire, & in vita assiduis beneficijs eos afficiendo, & in morte, imò tunc maximè: vniuersum enim statum eorum versat in infirmitate eorum, eos interiùs consolando, vt de manu Domini mortem patienter suscipiant, & quia tunc hostes animæ grauiùs eos infestant, & tentant, in tentationibus huiusmodi eos defendit: non enim patitur eos supra id, quod possunt, tentari, sed facit cum tentatione prouentum: sic in vita & morte diligit suos Deus, imò sæpe post mortem. sic Lazarum amicum suum resuscitauit dicens: *Lazarus amicus noster dormit*, (hoc est, mortuus est) *sed vado, vt de somno excitem eum.* Quàm bonus amicus, qui post mortem sic amicorum recordatur; non sic amici huius sæculi, non sic: non enim eorum amicitia transgreditur vitæ metas, post mortem obliuio, Deus autem etiam post mortem suorum amicorum recordatur. Quod si modò nó resuscitat sicut Lazarum, omnes resuscitabit tandem in nouissimo die cum gloria magna, & interim corpora eorum in pace sepulta, miraculis glorificat magnis, secundùm id quod de Confessoribus sanctis canit Ecclesia dicens: Ad sacrum cuius tumulum frequenter membra languentum modò sanitati, quolibet modo fuerint grauata, restituuntur; & præterea his honoribus, quibus Deus ipse honoratur à nobis, amicos suos honorari facit. si enim Deus adoratur, & ipsos adorari, & eorum ossa vult, imò cineres ipsos, & semicinctia, & calceos eorum; si Deus in honorem suum templa erigi vult, similiter in Sanctorũ suorum honorem templa tot tantaque, vt videmus, erigi ordinauit; si festa in gloriam suam instituì voluit, festa etiam plurima in Sanctorum amicorum Dei institui fecit; & sicut diuina officia celebrantur in Dei cultum & laudem; sic etiam diuina officia in eorum cultum, & laudem sunt institutа? Sic Deus sanctos & corpora eius in hac vita honorat; in alia verò quantùm, & quomodo glorificet, & animas eorum exaltet, dici satis non potest, &c. Quare meritò dicere potuit Dauid Ps. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Ecce quàm bonum, & quàm pretiosum sit hominem Dei amicum esse.

Ioan. 11.

Vers. 17.

Prop. VII. *Qualiter Dei benedictione potiatur iustus.*

Prou. 10. *Benedictio Domini super caput Iusti.* Et hoc quantum esse censes? Audi, iniuriâ quadam affectus Noe à suo filio Cham, & propterea maledixit nó ipsi Cham, sed filio suo Chanaan, dicens: *Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.* Cur, quæso, maledixit Chanaan, qui non peccauerat in eum, & non patri eius Cham, qui patrem suum offendit? Respondet Theodor. q. 58. in Gen. *Quia post diluuium, Theodor. omnes trés filij benedictionis diuinæ participes facti sunt, temerarium existimauit Noë maledictionem inferre illi, qui Dei benedictionem consequutus fuerat.* Ita Theodor. Benedictionem autem hanc in filios Noe habes in principio capitis 9. genesis, *Benedixit*, inquit, *Deus Noe & filijs eius*, &c. Vide igitur quàm felix sit iustus, qui tali potitur Dei benedictione. *Benedictio*, inquit, *Dei super caput iusti.* Caueat ergo iustus, ne peccando hanc Dei benedictionem amittat, ne pariter cetera amittat bona; eâ verò seruatâ, nihil mali timere debet: nulla enim nocebit aduersitas, si nulla dominatur iniquitas, vti asserit S. Gregor.

Prou. 10. 6.

Gen. 9.

Prop. VIII.

A

PROP. VIII. *Iusti in diuinis donis potiores sunt.*

Gen.4. GEn.4. cùm diuina Scriptura de natiuitate Cain & Abel agit, primo loco Cain constituit. At cùm de modo, quo Deus se erga illos habuit, cùm vterque sacrificium Deo obtulisset, priori loco Abelem posuit, dicens: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain vero & ad munera eius, non respexit.* Ibid 4. Cur ita? nónne prior natu erat Cain? Respondet Procopius: *Vide generationis seriem: in ea prius posuit Cain respectu temporis; si autem respectus habeatur studiorum, priori loco pius & iustus collocatur* Ita ille. Vnde cùm Christus Dominus in montem Thabor ascenderet, vbi transfigurandus erat, & tres tantùm testes transfigurationis secum ducere vellet, Petrum & Iacobum & Ioannem elegit, qui tanto illo fauore simul potirentur. Cur potius hos quàm alios? Respondet S. Chrysost. *Quia hi potiores erant.* Ita ille. *Si que en los fauores de Dios los primeros en su seruicio van delante, los buenos son los mejorados de Dios en tercio y quinto.*

Procop.

S. Chryſ.

PROP. IX. *Deus iustis se cognoscendum offert, non ita iniustis.*

Matth.2. MAtth.2. tribus illis Regibus Magis se Christus manifestauit, non verò Herodi, vel consortibus eius. Adnotauit hoc S. Leo Papa serm.2. de Epiphania Domini, dicens: *Verbum caro factum sic susceptionis nostræ temperauit exordia, vt natus Iesus credentibus manifestus, & persequentibus esset occultus.* Ita ille. Hoc autem quotidie Dominus agit: iustis enim & bonis se cognoscendum exhibet, peccatoribus autem non sic. Audi Apostl. Ioannem 1. Ioan. 2.4. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est.*

S. Leo.

PROP. X. *Iustorum est Deus protector.*

Psal. 90. PSal.90. sic de iusto: *Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus, sperabo in eum.* Hoc dicet Domino Deo iustus: *Susceptor meus es tu:* quid est *susceptor?* sequens verbum manifestat, refugium meum, hoc est, cùm aliqua necessitate, vel periculo, vel persecutione, vel miseriâ premor, ad te confugio, & peto, vt tu sis mihi refugium & tu, Domine, minimè me reijcis, & contemnis, sed suscipis, & defendis, & refugium præstas mihi. Ponderat S. Bernar. verbum hoc, & ait: *Possunt omnia dicere: Creator meus es tu, possunt omnia dicere, pastor meus es tu: at verò susceptor meus es tu, is tantum dicere potest, qui habitat in adiutorio altissimi.* Vnde & addidit: Et Deus meus. *Cur non Deus noster? quia in creatione, & redemptione, & ceteris communibus beneficijs, est Deus omnium, sed in tentationibus suis, tanquam proprium, quem habent singuli electorum.* Ita S. Bern. Peccatores verò, nisi conuerti ad Deum velint, dum in suis peccatis permanere persistût, non tale refugium in Deo habent: eis enim in necessitatibus dicet Deus id quod idololatris ait: *Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam? surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* Sic Deus ad malos; bonis autem *susceptor est*; quomodo autem *susceptor* sit, subdit: *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis:* alludit enim ad ea, quæ in pullis gallinarum videmus, qui cùm miluum super se volitare vident, statim ad alas gallinæ nutricis accurrunt, & sub illis constituti, securos se censent, & sperant nullum à miluo damnum subituros: sic iusti, cùm se à tentationibus aut necessitatibus vexatos sentiunt, ad protectionem Dei confugiunt, & quasi protectionis suæ alas extendens Dominus, eos suscipit & defendit; hoc igitur pacto Deus susceptor est iustorum.

Verſ. 2.

Deut. 32. 37.

Pſ. 90.4.

PROP. XI. *Iustis omnia cedunt in bonum.*

Rom. 8. 28. AD Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt sancti.* Ponderat locum istum S. Bernardus serm. de Nimia fallacia præsentis vitæ, & ait: Solerter attende, quòd non famulari ad libitum dixit, sed *cooperari ad bonum:* neque enim ad voluntatem seruiunt omnia iusto, sed ad vtilitatem; non ad voluptatem, sed ad salutem; non ad votum, sed ad commodum eius, & vsque adeo cooperantur in bonum, vt inter hæc omnia etiam ea, quę in se nihil sunt, numerentur, molestia, morbus, & ipsa mors, & reliqua, quæ quidem constat à natura non esse, sed naturæ corruptiones. Ita S. Bernard. etenim Deus sic se cum iusto gerit, sicut medicus cum infirmo: medicus enim non attendit ea, quæ infirmo placent, sed quæ profunt.

S. Bern.

S. Bern.

B

PROP. XII. *Deus iustis in tribulationibus fauet.*

Rom. 8. 31. AD Rom.8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* De iustis hîc agit Apostolus, vti constat ex contextu. At obijcit hîc Sanctus Chrysostomus, ibidem dicens: *Quis contra nos*, ait Apostolus: *Etenim terrarum orbis contra nos, tyranni, populi, & ciues & cognati: sed tamen hi, cùm contra nos stant, tantùm abest vt nobis incommodent, vt vel nolentes coronarum authores nobis existant, & infinitorum bonorum procuratores, ipsâ Dei sapientiâ ipsorum insidias in nostram salutem & gloriam conuertente. Etenim Iob hoc ipsum ipsi edidum reddidit, quòd videlicet diabolus, & vxor, & amici eius, & vulnera contra eum militarent; nihil tamen contra illum effecerunt, sed omnia illi felicem exitum attulerunt. siquidem Deus pro illo stabat:* Ita Sanctus Chrysostomus. Et subdit: *Si iustum morti tradideris, coronam martyrij illi texueris.* Ita ille. Loquitur de persecutione principum tyrannorum contra fideles, propterea ait Apostolus: *Si Deus pro nobis quis contra nos?*

S. Chryſ.

C

PROP. XIII. *Quòd iusti liberantur à laboribus, quibus iniusti in hoc mundo vexantur.*

Iob 5.7. IOb 5. sic Eliphas amicus Iobi: *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.* Per hominem Sanctus Gregorius intelligit peccatorem, dicens: *Potest hominis appellatione carnalium vita designari: vnde & Paul. ait (1. Cor. 3.) Cùm sit inter vos zelus & contentio, nónne carnales estis?* quibus paulò pòst subijcit, dicens: *Nónne homines estis?* Ita Sanctus Gregorius. Per hominem autem idem Sanctus intelligit hominem iustum & virum sanctum, quia ad cœlestia vsque volare quit. Sensum igitur huius loci sic explicat Sanctus Gregorius 9. Moral. 7. *Homo nascitur ad laborem, quia homo carnalis, cùm transeuntia appetit, desideriorum suorum se pondere affligit. Grauis quippe labor est, præsentis vitæ gloriam quærere, quæ sitam quandoque perdere, perceptam custodire, & cum magna fatigatione apprehendere, quod diu stare non potest. Vnde meritò subdit:* & auis ad volatum, *quia tanto se animus à labore subtrahit, quanto per spem sustollitur ad superna. An non quasi auis ad volatum Paulus natus fuerat, qui tot aduersa sustinens, dicebat: Nostra conuersatio in cœlis est?* Ita S. Greg.

S. Greg.

Verſ. 3.

Idem.

D

Phil. 3.

Et rursus Apostolus ad Eph. 2. *Conresuscitauit & consedere nos fecit in cœlestibus.* Ponderat hæc verba S. Greg. 6. Mor. 10. dicens: *Forte esse Paulum exterius tunc tunc catena religabat, mente tamen in sublimibus positus erat, quia iam per spei suæ certitudinem in cœlestibus sedebat.* Ita S. Greg. Et quidem constat, quòd tunc in vinculis erat Paulus, quia in eadem epistola paulò pòst cap. 4. dixit: *Ego vinctus in Domino &c.* attamen animo & spiritu, tanquam auis, suaui consolatione in cœlos euolabat.

Verſ. 20. Ad Eph. 2.6.

S. Greg.

Prou 12. 21. S. Greg.

Vnde etiam Prouerb. 12. ait Salomon: *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit; quia* inquit S. Gregorius ibidem, *rectus quisque in alto intentionis suæ vertice positus est.* Ita ille.

Prop. XIV. *Deus iustis necessaria vitæ præstat.*

VEhementer immortalis Deus minatus est hominibus, cùm illos futuri periculi denuntiatione deterruit, dicens: *Non pascam vos, quod moritur, moriatur, & quod succiditur, succidatur.* Minacem se Deus tunc ostendebat: væ autem gregi, quem huiusmodi clamor, ac minæ erant insequuturæ, sed gratiorem, ac iucundiorem nuntium nobis attulit historia Ioannis cap. 6. vbi referens æternum Dei filium in fœcundis montibus, agrisque feracibus, oues suas pascere, & in illas diuinæ clementiæ oculos conijcere. Id enim significare vult diuinus Scriptor, dicens: Cùm subleuasset oculos, &c. scilicet suæ prouidentiæ, ac misericordiæ. Hoc est vnum ex maximis priuilegijs, quibus Dei sectatores gaudent, vt diuinæ prouidentiæ oculos ad se attrahant, qui ipsis ad spiritum reficiendum, nec non ad corpus ipsum sustentandum, necessaria suppeditent. Arbitrantur quidem huius sæculi filij, humanæ vitæ cultum aut victum haberi non posse, nisi aut hereditate parentum, vel propinquorum, aut proprio labore illum comparent. Ex quo multa eorum scelera proficiscuntur, vel saltem bonorum cœlestium obliuio quædam oritur, adeo vt tanti bonis terrestria, ac peritura fœpenumero anteponant. Lamentabatur Ieremias ciues Hierusalem, quos adeo fames vexauerat, vt dederint pretiosa quæque pro cibo ad refocillandas animas; sed quot nostra tempestate reperientur, qui in eadem re multò sunt deteriores: illi enim aurum, argentum, & supellectilia pro cibo, quo maximè indigebant, permutarunt; nunc verò multi gratiam, virtutes, atque reliqua diuina munera, cultui, victuique postponunt. Esau amplum parentis sui patrimonium pro lenticulis vendidit, hi verò Iesu Christi, cœlestiumque bonorum hæreditatem vilibus terræ cibis commutant. Sequebantur olim Israëlitæ, ac colebant illos, qui eis cibaria subministrabant: *Vadam post amatores meos, dicebat Israël, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, olcum meum, & potum meum.* Sed plures etiam hac nostra ætate reperiemus, qui eadem de causa Deum deserunt, & caducum, ac perituram mundum subsequuntur: cum tamè hodie nobis sit manifestum, non esse opus ad bona hæc corpori necessaria comparanda, deos falsos, aut mundum ipsum cultu, & veneratione profequi, sed solùm Deum nostrum verum Iesum, qui mirâ prouidentiâ viget in eos qui ipsum excipiunt, & insequuntur: *Oculi Domini super iustos*, cecinit regius Vates, *& aures eius in preces eorum.* Hoc pactum inter Deum, & iustos videtur initum, vt Deus in illos, ipsi verò in Deum oculos conijciant, *Dilectus meus mihi, & ego illi* (inquit sponsa.) Ad iustum enim, Deo, eiusque præceptis obtemperare pertinet; ad ipsum verò Deum summo studio, ac diligentiâ iustum tueri, ac defendere: hoc enim significant verbailla, *Oculi Domini super iustos.* Neque verò dixit: oculi Domini ad iustos, vel Dominus intuetur iustos, sed, *Oculi Domini super iustos*, quod singularem quandam prouidentiam demonstrat: est enim maximè à natura insitum obtutum in eam rem defigere, quam præcipuo quodam amore aut studio complectimur.

Zac. 11. 9

Ierem. 1.

Osea 2. 4.

Cant. 2. 16

Sed illud considerare oportet, Dei prouidentiam attingere omnia à fine vsque ad finem, neque aliquam esse creaturam etiam minimam, cui à Deo non subministrentur necessaria: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Eiusmodi hîc Prophetæ animo, & cogitatione omnia, quæ Deus formauerat, opem à suo effectore postulantia, & omnium oculos in ipsum procuratorem conuersos contemplabatur; cuius rei admiratione captus Vates sanctissimus, inquit: *Oculi omnium in te sperant, Domine.* Deinde prospiciens etiam summam Dei prouidentiam, subdit: *Et tu das escam illorum in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Neque enim solùm Angelis aut hominibus; sed animalibus etiam rationis expertibus, quantumcunque paruis ac vilibus, suppeditat omnium rerum, quas quælibet ipsorum natura desiderat, abundantiam, & copiam opportuno tempore necessariam; idque non tenuiter, aut parcè, vt auari eleemosynas elargiuntur, sed largè, ac liberaliter, *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.*

Psal. 144. 15

Mira profectò, ac singularis Dei prouidentia, qui diuinas mentes cœlesti beatitudine complens, & omnia tam diuina, quàm humana temperans, ac gubernans, exigua etiam, & quæ nullius momenti videntur, ita moderatur ac regit, ac si de illis tantùm curam haberet; ipse enim est, qui iuxta prophetæ vaticinium producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum, & vt hanc diuinam prouidentiam, quam sanctissimus vates maximè prædicat, maximè ipse commendaret, ait: *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Idem etiam Deus, cuius consilio, ac prouidentiâ hæc omnia administrantur, sic Iob alloquitur: *Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Dominum, vagantes, eo quòd non habeant cibos.* Naturales Philosophi referunt, hanc propriè tatem esse corujs à natura insitam, vt, cùm videant natos suos primùm in hanc lucem susceptos, cum plumis albis septem dierum spatio eos, tanquam ignotos, deserant, donec ipsi plumis nigris ornentur: tunc enim illis, tanquam filijs, indulgent, eumque suppeditant: sed septem illis diebus crocitant ipsi pulli præ inedia, & Deo rerum omnium moderatore ita disponente, victus suppetit necessarius. Et quidem Diuus Chrysostomus asserit, exiguaquidam animalia in coruorum nidis à Deo collocari, quibus illi eo tempore alantur. Euthymius verò existimat, illos miro quodam rore à Deo demisso tunc sustentari. Itaque quamuis corui edacia animalia, & rationis omnino expertia sint, eximiâ tamen Dei prouidentiâ diuinitus eis victum, cibosque ministrat, sed considerate vocem illam, *inuocantibus eum.* Nunquid corui sciunt Dominum inuocare? Minimè: cur ergo Propheta dixit: *inuocantibus eum?* quia coruorum pullos famem pati, quasi clamare est, & inuocare Deum, ad cuius prouidentiam pertinet rebus omnibus quas efficit, necessaria suppeditare: sicut etiam parentes debent liberorum indigentiam subleuare, etsi liberi nullis id verbis, sed tantùm vultibus, lachrymisque deposcant. Si igitur Deus Optimus Maximus vilibus etiam, & despectis creaturis tam singulari prouidentia præest, & prouidet; quanta erit illius prouidentia in hominem ad sui imaginem productum, & ad æternam beatitudinem factum? Quòd si reliquis rebus creatis eò quòd ad homini inseruiendum, & ministrandum procreatæ sunt, tam liberaliter Deus distribuit necessaria, quantò maiori liberalitate, ac studio ipsorum hominum cultum, victumque prouidebit?

Iob 38. 41

Magnam curam Deus Optimus Maximus adhibuit, ne vnquam in eius tẽplo in mensa panis desideraretur prope Sancta sanctorum. *Pones* (inquit) *super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.* Hebræus legit: *Panes facierum.* Dicebantur enim panes facierum, eò quòd Deus in suo conspectu illos collocari iubebat, & ea ratione inquit Dominus: *In conspectu meo semper,*

Exod. 25. 30.

sine,

siue, vt alij vertunt: *ad facies meas iugiter*. Vnde Septuaginta dixerunt: *panes præsentes, & expositos*. Panis denique eis nunquam erat in Dei templo defuturus, & quem Deus ipse voluit semper in suomet conspectu collocatum intueri. Quo quidem pane, cùm nullo pacto sempiternus Deus indigeret, ea ratione in suo templo, & conspectu iussit esse perpetuò, vt perspectum nobis esset, quâ ille curâ & diligentiâ esset, ac cibos suis procuraret.

Hæc verò supremi Domini in suos prouidentia adeo certa est, vt priùs huius sæculi diuites suis diuitijs, quàm ij victu necessario indigeant: *Diuites eguerunt, & esurierunt*, inquit Propheta, *inquirentes autem Dominum non deficient omni bono*. Hebræus ait: *Leones depauperati sunt*, id est, mundi potentes (qui vt ferocissimi leones egenos euiscerant, ad scipsos conuertiendos) *egebunt, esurient, Dei autem sectatores non item*. Quod quidem egregiè expressit sacra regum historia, vbi Deus iubet Eliam in solitudinem, ac recessum se conferre, dicens: *Corui præcepi vt pascant te ibi*. sed cùm Angeli Dei sint ministri, ciusque imperio, ac voluntati obtemperent, cur sapientissimus Deus iubet coruos (qui naturâ suâ edaces sunt) Eliæ cibaria ministrare? Corui enim, Scriptura ita testante, deferebant ei panem, & carnes manè, similiter panem, & carnes vespere: corui, qui solent ab alijs panes, carnesque subripere, Eliæ panes, carnesque intactas deferunt, quasi ea tollentes à se, vt Dei famulo exhiberent. Voluit profectò Deus hominibus notum fieri, suam esse eiusmodi in suos prouidentiam, vt, cùm in egestate, aut angustia aliqua versantur, ipsos mundi diuites, qui, vt corui, aliorum oculos conantur eruere, ad suorum famulatum ducturus sit, vt illis inseruiant, & ministrent.

Ne Daniel animo concidat, in leonum lacu detentus: illum enim fames, inediaque stimulabat, à messoribus aufert Deus escam, quâ ipsum enutriat: ne sit Elias exiguo, ac pusillo animo, Angeli, corui, egenaque vidua illi necessaria suppeditabant: ne cadant animo Israëlitæ in deserto, vastaque solitudine collocati, cibum suauissimum è cœlo demissum, subministrabit illis Deus, & Amorrhæorum, Iebusæorum aliarumque nationum agros, & prædia abripiunt, quibus ipsi ali, sustentarique possint. Neque vos etiam fratres abijciatis spem, sed forti, magnoque animo estote vel in magnis angustijs constituti. Ne hac in re Philippum Apostolum imitemini, qui cùm in pecunias solùm oculos conijceret, dixit: *Ducentorum denariorum panes non sufficient eis?* Neque Andream æmulemini, qui cùm suos etiam oculos ad quinque tantùm panes & duos pisces conuerteret, respondit: *sed hæc quid sunt inter tantos*. Sed vt Christus Dominus fecit, subleuate oculos in cœlum, vnde venit auxilium nobis, & victus, cultusque tam corporis, quàm animi suppetet copiosissimus.

A *quid dico: propter paucos iustos? sæpe quando non est inuentus in hac vita iustus, propter defunctorum virtutem, viuentium miseretur, & eorum curam habet. Vnde clamat, dicens*: Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid puerum meum. *quasi dicat: Dauid author erit salutis his, qui se suâ desidiâ perdiderunt*. Ita S. Chrysostomus. *Isa.37.35.*

Genes.7. sic Dominus ad Noë: *Ingredere tu & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iustum in generatione hac*: non ait, quia vos vidi iustos, sed *te vidi iustum*: fortè omnes illi iusti erant, qui in eius domo degebant filij cum nuribus: sed ex modo dicendi Dei colligitur, quòd, quamuis illi iusti non fuissent, propter solùm Noë iustum, illos quoque liberasset. Vnde S. Chrysostomus in hunc locum, *Salute*, inquit, *potiti sunt in honorem iusti Noë: consuetudo enim Dei misericordis est, honorem hunc dare seruis suis, vt propter Deum salu.ntur & alij*. Ita S. Chrysostomus. *Gen.7.1.* *S. Chrys.*

Item Act.27. Angelus sic ad Paulum, cùm in mari naufragium pati periclitaretur, *Ne timeas*, inquit, *Paule: dedit enim tibi Deus omnes qui tecum nauigant*. Vide quantùm profuerit illis consortium sanctissimi Pauli, perissent nisi cum eis Paulus fuisset. *Act.27.* *23.*

Genes.15. promisit Dominus Abrahæ & semini eius Terram promissionis, quam à Gentilibus auferendam asseruit, non quidem statim, sed post quadrigentos annos. Quæres, cur non statim? Respondet Scriptura sacra: *Nondum sunt completæ iniquitates Amorrhæorum*, qui nempe à terra illa eijciendi erant, vt filij Abrahæ eam possiderent, non autem esse completas iniquitates illorum, sic interpretatur Theod.q.84. in Gen. *Quia temporibus illis adhuc erant viri pij inter illos, videlicet Melchisedech, & Abimelech, & alij habitantes in terra Hebron*. Ita Theodoretus. Vide quàm vtile sit viros religiosos, & iustos inter nos degere, vt propter ipsos nobis reliquis beneficiat Deus. *Gen.15.* *Vers.16.* *Theodor.*

Rursus decreuerat Deus dare Terram promissionis filijs Abrahæ, non tamen statim, sed post quadringentos annos. Cur sic distulit Dominus, quod amico suo Abrahæ promiserat? Responsum à Domino habemus Gen. 16. necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, vsque ad tempus præsens: quod autem illis temporibus esset viri pij constat ex Melchisedech & Abimelech, & his qui incolebant terram Hebron. illi enim Patriarcham Abraham magnopere venerati sunt, & dixerunt illi: *Rex es tu à Deo apud nos, in electis monumentis nostris sepeli mortuum tuum*. Ita Theod. quasi dicat, ideo non statim abstulit terram illam à Chananæis, dando illam filijs Israël, quia degebant adhuc inter Chananæos nonnulli viri pij qualis erat Melchisedech & Abimelech, & alij. vt notum sit nobis, quàm grati Deo sint similes viri pij; siquidè eorum causâ noluerit delere Chananæos malos: etenim propter viros bonos sustinet Deus peccatores, & eorũ rempublicam tuetur. *Gen 23 6* *Theod.*

Gen.20. *Profectus inde Abraham in terram Australem* &c. Degebat Abraham in terra Mambre, prope terram Sodomorum, quam tunc Deus euerteret, propter grauia eorum peccata, & abijt ad Austrum, in quo quidem calor viget. Moralizat hunc locum Glossa moralis, dicẽs; Bonus Prælatus, qui per Abraham significatur, tendere debet ad perfectionem charitatis, quæ per Austrum designatur, eò quòd inde prouenit feruor caloris, iuxta illud Iob 37. *Nonne vestimenta tua sunt calida, cùm perflata fuerit terra Austro?* Ita Glossa. Hoc autem non ad Prælatos tantùm, sed etiam ad nos omnes spectat: omnes etiam Aquilonarem regionem, frigidam, inquam, societatem fugere debemus, quia inter frigidos socios frigidi erimus; inter Australes verò, hoc est inter eos, qui Dei charitate feruent, & nos etiam charitate feruebimus. *Gen.20.1* *Iob 37.17* *Glossa.*

PROP. XV. *Quàm vtiles sint iusti communitati.*

Genes.18. 23. GEnes.18. cùm Dominus prædiceret Abrahamo Sodomæ & Gomorrhæ destructionem, dixit ei Abraham: *Numquid perdes iustum cum impio?* &c. Et denique propter decem iustos vniuerso regno illi parceret Deus. Vbi expendens pietatem hanc Dei Procopius, ait: *Paucæ salis micæ conseruant à putredine carnem multam; sic iusti conseruant iniustos*. Ita ille. *Procop.*

S. Ambr. Similiter S. Ambrosius lib.2. de Abrah. c.6. *Discimus ex hoc loco, quantus murus sit patriæ vir iustus, illorum iustitia nos ab excidio defendit, Sodoma denique si habuisset decem viros iustos, potuit non perire*. Ita ille.

S. Chrys. Auget S. Chrysostomus hom. 42. in Gen. dicens: *Sæpe solet Dominus propter paucos iustos dare salutem multis, &*

PROP. XVI. *Quàm prosit iniusto oratio iusti.*

1 Ioc.13.7 LVc.13. proposuit Dominus parabolam de homine, qui habebat ficulneam infructuosam in vi. ea sua, & dixit colono: *Succide illam, vt quid etiam terram occupat?* pro qua intercessit colonus, dicens: *dimitte illam & hoc anno*, &c. Quid hæc ficulnea figurat? quisnam est colonus iste? S. Augustinus serm. 31. de verbis Domini, per ficulneam infructuosam hominem in peccato mortali existentem intelligit; & meritò: quamuis enim tradiderit corpus, ita vt ardeat, & omnia bona sua pauperibus dederit, si tamen in mortali extiterit, vt iait Apostolus 1. ad Cor. 13. nihil illi ad meritum gloriæ prodest. De colono autem sicibi S. Augustinus: *Colonus qui intercedit, est omnis sanctus, qui in Ecclesia orat, dicens: Parce Domine infructuosis, parce peccatoribus.* Ita Sanctus Augustinus. Et hinc constat, quàm vtiles iusti peccatoribus sint, & quomodo ab ipsis petere debeant peccatores, vt pro eis orent: nam, vti ait S. Iacobus, *Multùm valet oratio iusti assidua.*

S.Aug.

1.Cor 13

S.Aug.

Iac.5.16.

IVVENIS.

PROP. Vnica. *In quanto animæ periculo versentur adolescentes.*

Chrysost. SAnctus Chrysostomus hom. 1. ad pop. *Timotheus discipulus Pauli delicias sic asperuabatur, & lautam mensam, vt in morbum caderet ex victus asperitate, & ieiunio nimio: quod enim naturâ talus non esset, sed ieiunio, & potu aquæ stomachi vim prostrasset, Paulum hoc diligenter manifestantem audite. Non enim simpliciter scripsit ad eum*: Vino modico vtere: *sed prius dixit*: Noli adhuc aquam bibere. Adhuc, *verbum est significantis, quòd eò vsque aquam bibebat, & propterea imbecillis factus esset. Quis ergo non admiretur eius disciplinam? ipso attigerat cœlos, virtutis consummauerat cursum: quod ipse præceptor attestatur*, Misi (*inquit*) vobis Timotheum, qui est filius meus dilectus, & fidelis in Domino: *quando autem Paulus ipsum vocat* filium, & filium dilectum, & fidelem, *hæc verba omnem eius virtutem demonstrare sufficiunt. Non fuisset tam beatus Timotheus, si Pauli filius à natura fuisset, quàm nunc est, secundùm cognationem, quæ est per religionem, cum sedulitate disciplinæ, illius charactéres in omnibus seruans. Sicut enim vitulus auro coniugatus, sic iugum cum illo trahebat vbique terrarum, & nihilo propter ætatem deficiebat, sed studium, vt cum laboribus præceptoris contenderet, præstabat. Et horum testis est ipse Paulus, sic dicens:* Nemo ipsum contemnat: opus enim Domini operatur, sicut & ego. *& mox, ne hoc ad gratiam dicere videat, ipsos auditores virtutis filij testes facit, sic inquiens:* Experimentum ipsius nostis, quòd tanquam patri filius, sic mecum seruiuit in Euangelio, experientiam vos cepistis virtutis ipsius, & probatæ animæ. *Verumtamen, cùm ad tantam officiorum altitudinem ascendisset, neque sic confidebat, sed in certamine, & in timore erat, idcoque cum instantia ieiunabat, neque illud passus est, quod multi, qui decem tantum, vel viginti menses ieiunio se tradentes, repentè dissoluunt omnia. Sed ille nihil tale passus est, neque intra se ipsum dixit: Quid mihi deinceps opus est ieiunio? victor euasi, cupiditates superaui, corpus meum mortificaui, dæmones terrui, leprosos mundaui, mortuos resuscitaui: ad quid mihi amplius ieiunium, & vlterior cautela? Nihil tale dixit, neque cogitauit, sed quanto magis innumeris effluebat meritis, tanto magis timebat & tremebat.* Ita S. Chrysostomus & subdit: *Sciebat Timotheus, quòd difficilis res est iuuentus, quòd instabilis, fallibilis, labilis est, & vehementioris indiget fræui: pyra enim quædam est, facilè, & celeriter succendens. & idcirco ipsam vndique obstruebat, vt compesceret, & eius flammam omnino extinguere studebat, & equum effrænem, & vix habenis parentem, multa cum vehementia angebat, donec ipsius lasciuias circumciderat, donec obedientem redderet, & traderet magna cum potestate, imperio rationis ipsum ducentis. Infirmetur (inquit) corpus, & non infirmetur animus, refrænetur caro, & animæ ad cælum cursus non impediatur.* Ita Sanctus Chrysostomus.

1.Tim.5. 23.

1.Cor.4. 17.

LACRYMÆ.

Vide de lacrymis in verbo *Contritio* & in verbo *Pœnitentia.*

PROP. 1. *Lachrymæ quàm potentes sint apud Deum.*
2. *Quòd propter peccata nostra meritò lugere debeamus.*
3. *Quàm inutiles lachrymæ sint pro rebus temporalibus, & quàm vtiles pro spiritualibus.*
4. *Quantum placeant Deo lachrymæ pœnitentiæ.*
5. *Verus pœnitens lachrymis suis magnam gloriam promeretur.*
6. *Quam conducant lachrymæ pœnitentis ad remissionem peccatorum.*

PROP. 1. *Lachrymæ quàm potentes sint apud Deum.*

PSalmo 125. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.* quid, quæso, lachrymis, & sementi? Notum est, ad seminis (verbi gratiâ tritici) prouentum, necessariam quidem esse aquam, vt eâ temperiem terra sumat, & segetem copiosam producat. Sicut igitur aqua germinare facit semen; sic etiam lachrymæ orationem nostram (quæ omnium bonorum nostrarum semen est) facit germinare. *Como el agua da tempero a la tierra, paraque produzca frutos, assi tambien el agua de las lagrimas da tempero al alma, paraque mediante la semilla de la oracion, lleue copioso fruto de impetracion.* Sic igitur, *qui seminant in lachrymis, in exultatione metent, euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

Vers.5.

1. Reg. 7. Samuel reconciliare volens populum Israëliticum Deo, dixit: *Congregate vniuersum Israël in Maspha, vt orem pro vobis Dominum, & conuenerunt in Maspha, hauseruntque aquam, & effudérunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt: peccauimus Domino.* Quid sibi vult hæc aquæ in conspectu Domini effusio? quisnam hic ritus? quis religionis modus? Rabbi Salomon, vti refert Nicolaus de Lira, intelligit locum hunc de aqua probationis, quâ dicunt vsum fuisse Samuelem, vt idololatriâ contaminatos agnosceret. Non videtur conueniens textui hæc expositio, quia Samuel non intendebat punitionem idololatrarum, sed potiùs reconciliationem, atque adeò necessaria minimè erat illa cognitio. Abulens. quæst. 28. cap. 7. lib. 1. Regum dicit, in eo quod facer textus ait, populum, hausisse aquam, significatum esse sacrificium peculiare populi: qui sequi videtur Iosephum lib. 6. Antiquit. cap. 2. *Haurientes*, inquit, *aquam, libauerunt Deo*, &c. sicut de aqua allata ad Dauid 2. Reg. 23. dicitur: *libauit eam Domino.* Aliam explicationem adhibet Rabbi Dauid, quem Glossa sequitur, *Quia aqua effusa* (inquit) *significat fletus præteriti mutati, & se velle imposterum mundos esse, & nihil imposterum idololatriæ.* quod postea dixit Rabanus, vt, sicut aqua effusa non redit, sic nec ipsi redirent ad idololatriam. Sed ad rem: Paraphrastes Chaldæus sic ait: *Hauserunt aquas è puteo cordis sui, & abunde lachrymati*

Vers.6.

mati sunt coram Domino pœnitentes. Ita Chaldæus. Et confirmatur ex eo, quòd hoc eodem capite, vbi nostra Vulgata habet, *requieuit omnis domus Israël post Dominum*, Pagninus legit: *luxerunt omnis domus Israel.* Vatablus verò sic, *& lamentatione quadam vniuersa domus Israël anhela fuit.* dicit verò hausisse aquas è puteo cordis, quia, sicut ait Cælius Rhodiginus lib. 12. antiq. cap. 3. *non est aliud lachryma, quàm aqueus humor ab oculis profluens ex imo cordis.* Ex quibus constat, aquam hanc ex intimo corde emanantem, & per oculos effusum, sacrificium esse gratissimum Deo.

Etenim Athenienses naturali lumine perpendentes, quantùm lachrymæ valeant ad numen diuinum placandum, sicuti refert Eusebius lib. 12. Ara illa, quæ Clementiæ consecrata erat, nullum aliud sacrificium, quàm lachrymas admittebat: in alijs aris agni, vel arietes, aut vituli offerebantur, in ea verò lachrymæ solùm, sic dicentes diuinam clementiam conciliari. Nos igitur confitemur veri Dei clementiam sic conciliari, cùm peccata nostra eum ad iracundiam prouocarint. Vnde Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 18. *Nulla re Deus* (inquit) *perinde atque corporis erumnâ conciliatur.* Ita ille. Vide S. Chrysostomum homil. 30. in Genes. & homil. de Dauide & Saule, & homil. 12. ad Colossenses.

Hinc Isa. 21. vbi Deus, tanquam summus Imperator, conuocans milites suos Ælamitas, & Medos ad deuastandam Babylonem, *Ascende* (inquit) *Ælam, obside Mede, omnem gemitum eius cessare feci.* Obscurus locus, & propter obscuritatem eius multiplicantur expositiones: placet grauis cuiusdam Authoris expositio hæc. Ascendite Ælamitæ & Medi contra Babylonem, nolite timere, obtinebitis, & capietis absque dubio ciuitatem: neque ego enim protegam eam, neque fauebo illi; sine mea verò protectione, sine meo fauore, quomodo poterunt stare? Quòd autem meo sint fauore priuandi, hinc constabit, quòd omnem gemitum Babylonis cessare faciam, hoc est, permittam ego, quòd non gemant ad me, nec lachrymas fundant, exigendo à me pietatem, & misericordiam. quasi dicat: Si gemerent, & lachrymarentur, quomodo eis negare misericordiam possem? at quia scio, quòd non gement, nec plorabunt, & me suis magnis peccatis ad iracundiam prouocarunt, ascendite, properate, pugnate, victores absque dubio remanebitis, non mutabo sententiam, quia scio eos non ploraturos. Vide quantùm apud Deum gemitus & lachrymæ nostræ possint.

Vnde Cant. 4. sic ad sponsam Sponsus: *Vulnerasti cor meum sponsa in vno oculorum tuorum.* Alij legunt: *Excordasti me.* alij: *vindicasti tibi cor meum in vno oculorum tuorum.* Magna quidem exaggeratio cuiusuis lectionis istarum: quid enim quod tantum Dominum excordare valeat, vel eius cor sibi vindicare, vel etiam vulnerare? *In vno* (inquit) *oculorum tuorum*: multiplex etiam est loci huius explicatio, sed illa mihi arridet, quòd, cùm duplex sit oculorum munus, videre scilicet & plorare, in vno horum vulnerat anima nostra Domini cor, dum scilicet lachrymas pœnitentiæ, vel deuotionis profudit; sic vulnerat anima Dominum in vno oculorum, quia, dum lachrymatur homo, cor Dei ad misericordiam veluti commouetur, & quasi vulneratur compassione nostri.

Quare meritò sic exclamat S. Ephrem sermone 3. de Compunctione: *O lachrymarum vis, quousque pertingis! quæ multa cum fiducia nullis impedita retinaculis ipsum penetras cœlum. ô vis lachrymarum! quæ, si velis, ante sanctum, & excelsum immaculati Domini thronum cum gaudio assistere potes.* Ita ille.

Hinc Sanctus Ambrosius explicans illud Matth. 11. A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, &c. serm. 15. sic ait: *Cogimus regnum cœlorum, & vim quodammodo facimus, non compellendo, sed flendo, non prouocando iniurys, sed lachrymis exorando, non blasphemando per superos am, sed per humilitatem mœrendo. O beata violentia, quæ non indignatione petitur, sed misericordiâ condonatur! Quisquis violentior Christo fuerit, religiosior habetur à Christo.* Ita Sanctus Ambrosius, & S. Hieronymus in Isaiam: *Oratio Deum lenit, sed lachryma cogit, hæc vrgit, illa pungit.* Ita ille. Item Sanctus Cyprianus de Cœna Domini: *Quotiès te in conspectu Domini video suspirantem, Spiritum sanctum non dubito aspirantem, cùm intueor flentem, sentio ignoscentem.* Ita ille. Et Sanctus Gregorius super Psalm. 50 *In codice scripta sunt peccata tua, spongia peccatorum tuorum lachrymæ tuæ sunt, effunde lachrymas, & poteris ea delere.* Ita ille.

Isai. 38. *Orauit Ezechias & fleuit*, &c. & Dominus ad eum: *Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas.* Tertul. lib. 5. contra Marcionem, lachrymis adscribit placatum fuisse Deum Ezechiæ, dicens: *Facilis Deus Ezechiæ fletibus flectibus.* Ita ille. etenim Ezechias, non solùm fleuit coram Domino, sed etiam orauit Dominum; & tamen potiùs lachrymis quàm orationi exauditionem tribuit Tertullianus; *nimirum, quia sermo non ita explicat veritatem & intensionem cordialis affectus, sicut lachryma, quæ verè prodit affectum animæ. Vnde rectè sapiens quidam dixit: lachrymæ doloris in animo concepti, testes incorrupti sunt, & omni exceptione maiores, & manifesti indices latentis in corde pœnitentiæ.* Ita ille. & Sanctus Gregorius Nyssenus in oratione funebri de Placilla: *Dolor in corde delitescens, per fletus & lamentationes significatur, ac vulnerum animi, tanquam sanguis, lachrymæ sunt.* Ita ille. Sicut ergo sanguinis effusio ex corpore vulnerato procedens, grauitatem vulneris ostendit; sic etiam lachrymarum effusio, doloris cordis grauitatem manifestat: & ob hanc causam Deus facilè lachrymanti desiderata concedit, quia placet illi valde verus affectus cordis.

Vnde Tobiæ 12. sic Angelus Raphael ad Tobiam: *Quando orabas cum lachrymis, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.* Licet enim per se oratio sine lachrymis valde sit grata Deo, lachrymis tamen sociata, gratior multò est Deo, quia tunc oratio ex maiori affectu cordis procedit, vt dixi suprà.

Quàm ergo Deo placeant lachrymæ nostræ, constat ex verbis illis Dauidis Psalm. 55. *Deus vitam meam annuntiaui tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*; quasi non omnia sint in conspectu eius. Cur igitur speciatim ait, *in conspectu* Dei esse? S. Augustinus & Glossa dicunt, ideò dici lachrymas in conspectu Dei positas, quia exaudiuit orationem eius qui flens orabat. Bene, sed adde, ideo in conspectu Dei constitutas, quia valde gratæ Deo erant: id enim quod amamus, frequenter intueri solemus, & quod frequenter aspicimus, multùm nos diligere indicamus. Ideo ergo dixit: *posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*, id est, immensas tibi gratias ago, eò quòd tanti facias & ames lachrymas meas, quòd posueris eas in conspectu tuo.

Propterea tanto in pretio à Deo habentur lachrymæ nostræ; maximè autem quando pœnitentis lachrymæ sunt. quòd si etiam tacens, & nihil petens quis eas effuderit, efficaciùs quàm vocalibus vocibus impetrabit à Deo quod cupit. Vnde Sanctus Maximus homil. de pœnitentia S. Petri, in illa verba, S. Lucæ cap. 22. *Egressus foras Petrus, fleuit amarè. Ergo Petrus* (inquit) *prorupit in lachrymas, nihil voce precatus, inuenio quod fleuerit, non inuenio quid dixerit. Lauat lachryma delictum, quod voce pudor est confiteri; lachrymæ igitur preces sunt, veniam non postulant & merentur.* Ita Sanctus Maximus. Vide S. Ambrosium in eadem verba S. Lucæ, & quæ de S. Maria Magdalena obseruant expositores, Luc. 9. numero 38.

Hinc est, quòd in sacris litteris vox lachrymis attribuatur, vt in Psalm. 6. *Exaudiuit Dominus vocem fletus*

tus mei. non ait, vocem orationis, vel vidit fletum meum, sed *exaudiuit fletum*, quasi fletus ipse tacens clamaret. Psalm. 18. Item Psalm. 38. num. 13. *Auribus percipe lachrymas meas*, & Threnorum 2. *Neque taceat pupilla oculi tui.*

Ps 38 13 Thren. 2. 18.

S. Maxi

Vnde S. Maximus vbi suprà, confirmans rationem de hac re suprà assignatam, subdit: *Vtiliores*, inquit, *lachrymarum preces sunt, quàm sermonum; quia sermo in precando fortè fallit, lachryma omnino non fallit: sermo enim interdum non totum profert negotium, lachryma verò semper totum prodit affectum.* Ita ille. Mirabili ergo modo lachrymæ, dum vbertim diffusæ, deorsum fluunt, contrario celeriq́ue cursu ad cœlum vsque sursum ascendunt.

S. Laur. Iustinia.

Quare meritò exclamat S. Laurentius Iustinianus lib. 6. de ligno vitæ cap. 9. *O lachryma humilis, tua est potentia, tuum est regnum, tribunal iudicis non vereris, non est qui te ad Deum accedere vetet; si sola intraueris, vacua non redibis; quid plura? vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, aperis cœlum, & diabolum fugas.* Ita S. Hieronymus. B

Hac de causa sacri expositores solent lachrymas pœnitentiæ baptismo comparare. S. Isidorus lib. 2. de Offi. ijs Ecclesiasticis cap. 25. eas vocat baptismum laboriosum, & S. Leo serm. 9. de passione Domini, agens de lachrymis S. Petri, *felices*, inquit, *S. Apostole lachrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis.* Ita ille.

S. Isidor.

S Ioan. Climac.

Et S. Ioannes Climacus gradu 7. ponderat, quòd baptismus nos dumtaxat abluit à peccatis, sed lachrymæ toties quoties peccator eas fundit, si inueniunt quod abluant.

S. Nazia.

Item S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. contra Iulianum: *Lachrymæ*, inquit, *peccatorum diluuium sunt, & mundi expiamentum.* Ita ille.

S Chrys.

Hinc S. Chrysostomus hom. 1. de Pœnitentia, *Oh hoc*, inquit, *tristitia facta est, vt ipsa ad peccata delenda vtamur: multatus est quis pecuniâ, tristatus est, sed multatum non emendauit; filium amisit, doluit, sed mortuum non resuscitauit; in morbum periculosum incidit: luxit, sed non sustulit morbum, imò reddidit difficiliorem. Vides nulli horum prodesse tristitiam? Peccauit quis, lachrymatus est, & peccatum deleuit.* Ita S. Chrysostomus. C

Etenim cùm Samuel populum Hebræum Idolatriâ contaminatum sanari vellet, fecit eos conuenire in codem loco, *& hauserunt*, inquit, *aquam, & effuderunt in conspectu Domini*, &c. Quid sibi vult hæc aquæ effusio? aut quid illi cum peccatorum curatione? Paraphrasis Chaldaica sic locum illustrat: *Hauserunt*, inquit, *aquas è puteo cordis sui, & abundè lachrymati sunt coram Domino pœnitentes.* Ita Chaldæus, & Latina versio in Biblijs Regijs, *Hauserunt aquas, & effuderunt in pœnitentia ante Dominum cor suum.* Et sic explicat S. Gregorius hunc locum in commentario suo, dicens: *Quid est aquam haurire, nisi de profunda animi pœnitentia confusione lachrymarum fluenta producere? vel aut enim aquam hauerimus, dum quàm profunda iniquitate cecidimus, considerantes, plangimus.* Ita S. Gregorius. vnde etiam Threnorum. 2. *Effunde sicut aquam, cor tuum ante conspectum Domini.* & ibidem num. 18. *Deduc quasi torrentem lachrymas.* Hauserunt ergo aquam & effuderunt coram Domino, quasi tali ceremonia tacitè dicerent: Peccauimus Domine nimis contra te, & ad ea diluenda riuis lachrymarum nobis opus erat. Vtinam sic manarent corda nostra, in lachrymas resoluta, sicut aqua hæc manat effusa.

1 Reg. 7. 6.

S. Greg.

Verſ. 19.

S. Chrysologus.

Hinc S. Chrysologus serm. 93. O, inquit, *quanta est vis in lachrymis peccatorum! rigant cœlum, delent in omne facinus latam diuina promulgatione sententiam, & exinguunt gehennam.* Ita ille. Pondera hæc vltima verba: qualis, dic, esset vis vnius guttæ aquæ, si ea sola fornacem illam Babylonicam, in quam missi sunt tres illi adolescentes, penitus extinxisset? Vide igitur quanta sit virtus lachrymarum pœnitentiæ, cùm vel vna tantùm lachryma extinguat fornacem illam infernorum, à qua liberat peccatorem. A

Adeo quidem efficaces lachrymæ sunt ad impetrandum à Deo, vt vel vna tantùm lachryma facilè ad misericordiam Deum flectat. Vnde Isai. 38 fleuit Ezechias Rex fletu magno, audiens ex ore Isaiæ sententiam mortis suæ, & ita fletus eius apud Deum prævaluit, vt statim reuocationem illius præcepti impetrarit, dicente Domino: *Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas.* in originali Hebræo dicitur: *vidi lachrymam tuam.* Si fleuit fletu magno, cur ait, *lachrymam tuam* in singulari? etenim hoc apertè insinuare videtur, quòd primam, quam effudit, lachrymam ita misericorditer respexit Deus, quòd ad reuocandam sententiam non fuerit necessaria lachryma secunda.

Item Psal. 55. *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* in Hebræo etiam est *lachrymam meam*, ita vertit ex Hebræo Translatio Regia. Isidorus Clarus sic locum hunc legit: *Pone lachrymas meas in laguncula tua, & in libro rationum tuarum scribe illas*, quasi dicat, *No pierde de vista Dios ni vna lagrima de quantas por su amor se derraman, en vn vaso las manda guardar, como vino precioso para su mesa, y las recibe por quenta, y las assienta en el libro de su memoria.* Quare meritò S. Bernardus serm. 10. in Cant. dixit: *Lachrymæ pœnitentium vinum sunt Angelorum.* Ita ille. Verum, sed parum dixit: vinum enim dicere possumus ipsius Dei, vt constat ex proximè dictis. B

Ps 55 9.

S. Bern.

ADDITIO.

Petrus prorupit ad lachrymas, nihil voce precatus. Iuuenio enim quod fleuerit, non iuuenio quid dixerit. Lachrymas eius lego, satisfactionem non lego. Rectè plane Petrus fleuit & tacuit, quia quod desseri solet, non solet excusari: & quod defendi non potest, ablui potest. Lauat enim lachryma delictum, quod voce pudor est confiteri. Lachrymæ ergo verecundiæ consulunt pariter & saluti, nec erubescunt in petendo, & impetrant in rogando. Lachrymæ, inquam, tacitæ quodammodo preces sunt: veniam non postulant & merentur: causam non dicunt, & misericordiam consequuntur: nisi quod viliores lachrymarum preces sunt quàm sermonum, quia sermo in precando fortè fallit, lachryma omnino non fallit. Sermo enim interdum non totum profert negotium, lachryma semper totum prodit affectum. Et ideo Petrus iam non vtitur sermone, quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidem amiserat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum, ac per hoc mauult causam suam flere quàm dicere, & quod voce negauerat, lachrymis confiteri. Inuenio autem & aliud cur tacuerit Petrus, ne tam citò veniæ postulatio per impudentiam plus offenderet, quàm impetraret. Solet enim citius mereri indulgentiam qui verecundius deprecatur. In omni igitur culpa ante fleudum est, & sic precandum. S. Amir. Serm. 6. Ram. 5. 12.

PROP. II. *Quòd propter peccata nostra meritò lugere debeamus.*

Sanctus Thomas super cap. 11. Ioannis, lachrymas Christi Domini super Lazarum expendens, ait: *Fleuit ex causa Christus, vt doceret, hominem propter peccatum fletibus indigere, id est, vt homo Christi lachrymis motus, addiscret peccata sua lugere.* D. item Augustinus super hunc locum eandem affert rationem, Fleuit (inquit) Christus, fleat se homo. Quare enim fleuit Christus, nisi quia flere hominem docuit? Considerauit humani generis vindex, cùm Lazarum vitâ functum aspexit, miseram demortui animi conditionem, & simul illi venit in mentem communis corporalis mortis causa, peccatum scilicet: *per peccatum enim introiuit mors in hunc mundum*, vt ait Apostolus, & idcirco lachrymatus est, docens homines, quid lugere, & qua de causa tristari debeant. Quòd si nihil aliud præter D

ter Christi lachrymas proponeretur, nobis ad plorandapeccata, illud certè satis esset ad fletum oculis nostris permouendum. sed ad id alias causas speciatim inquiramus, cur scilicet peccata nostra flere debeamus.

Ac primùm dubitari non potest, quin malum mœroris & lachrymarum obiectum sit, quamobrem tristitia, & lachrymæ à cœlo longissimè absunt, quia malum ibi adesse nulla ratione potest: damnati verò in luctu semper versantur, & tristitia, assiduisque lachrymis consumuntur, eò quòd in inferis, vbi illi iacent, omnium malorum semina reperiantur. Quocirca in hoc mundo gaudium cum mœrore permixtum est, quia in eo bonum, malumque copulantur. Itaque malum, seu damnum est causa fletus; atque tristitiæ: quod quidem quò maius est, eò maiorem fletum, ac luctum commouet. Quid igitur lachrymas, animique dolorem æquè excitare poterit, ac peccatum? quod planè, plenisque buccis malum appellari potest. Vnde Regius ille vates cum homine iusto loquens, ait: *Non acceder ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Discrimen ponitur hoc loco inter malum, & pœnam: pœna etenim dicitur flagellum; quid verò malum nuncupetur, D Bernardus super Psalm. Qui habitat, serm. 10. explicat in hunc modum: *Malum est quod sua quidem anima animam priuat, quod separat inter te, & Deum, vt eo regnante, tanquam corpus sine anima, sic sit anima sine Deo, plane mortua in semetipsa.* Et paulò pòst, *Vera* (inquit) *animi vita Deus est, & inter hæc quoque separat malum, sed malum animæ, quòd non est aliud, quàm peccatum.* Ecce quo pacto sacræ litteræ, & Sancti peccatum planè malum appellent, cui nullum aliud comparari potest. Magnum sanè malum est in inferno cruciari, sed si contentio quædam, & comparatio fiat, maius profectò est peccati damnum. In illis enim damnatorum cruciatibus, sicut & in alijs quibuscumque pœnis, aliquid boni resplendet, æquissima nimirum Dei iustitia, quâ sceleratos homines punit. Quapropter rectè D. Dionysius: *Puniri non est malum, sed fieri pœnâ dignum.* At in peccato nulla ratio boni reperiri aliquo modo potest, & ob id inter omnia mala omnino malum meritò appellatur, & in sacris litteris malum absolutè nuncupatur. Atque idcirco, vt Propheta admoneat homi- Psal.36.27. nem, ne peccet *Declina* (inquit) *à malo, & fac bonum.* non ait: declina à peccato, sed à malo, quia nihil est planè, & omnino malum, nisi peccatum. Ideo humani generis assertor Christus, celebrem illam, cultuque dignissimam orationem his verbis absoluit: Matth.6. 23. *Sed libera nos à malo.* vbi D. Augustinus per illam vocem *malo* peccatum intelligit, Chrysostomus verò dæmonem, quod idem sanè est: malum enim, quo dæmon afficitur, & afficit nos, peccatum est.

Deinde ratione conuinci potest id, quod intendimus: illud enim verè, & propriè malum dicitur, quod hominem malum reddit, quemadmodum appellatur albedo, quæ illud, cui inest, album facit: nigredo verò, quæ nigrum reddit, & cùm nihil aliud sit, quod hominem malum constituat præter peccatum, illud profectò malum iure optimo appellari potest. Egestas quidem pauperem constituit hominem, sed non malum: ille enim pauper simul esse potest, ac bonus, ægritudo ægrum efficit, dedecus inglorium, & mors ipsa demortuum; sed neque dedecus, neque mors hominem malum reddit, quia bonus ægrotat, contumelijs afficitur, ac moritur, imò ipse Dei Filius, qui summa bonitas est, egestatem, labores, opprobria, & mortem ipsam subiuit. Cùm ergo solum peccatum sit, quod animum malum efficit, solum illud iure malum est appellandum. Quod si malum est tristitiæ, & lachrymarum causa erit, neque aliquid dici potest omnino malum, nisi peccatum; illud profectò solùm ho-

A minum animis mœrorem, & lachrymas meritò excitabit.

At detrimenta etiam, & calamitates, quæ hominibus eueniunt, lugendæ quidem sunt, cùm damnum illis afferant, ac perniciem; sed certè neque huiusmodi damna, neque quælibet alia cum eo, quod peccatum infert, conferri potest. *Nulla nocebit aduersitas*, inquit Gregorius, *si nulla dominetur iniquitas.* Hæc enim si de medio auferatur, nihili reliqua detrimenta facienda sunt, quæ potiùs vtilitatem maximam iustis solent afferre, Apostolo testante: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Sed quænam *omnia?* inquirit Anselmus ibidem: omnia quæcunque ipsis accidunt, non solùm illa, quæ appetuntur, vt suauia, sed etiam illa, quæ vitantur, vt molesta. Quod quidem eiusdem Apostoli exemplo comprobari potest, qui ex omnibus laboribus, & ærumnis, quibus maximè vexabatur, maximam sibi vtilitatem, inuictâ quâdam animi tolerantiâ comparabat. *Maledicimur* (ait) *& benedicimus, blasphemamur, & obsecramus, persecutionem patimur, & sustinemus,* &c. sed à peccato, ex se sumpto, nullum potest elici emolumentum, quamuis Deus, qui potest ea maximus est, & bonitate optimus, ex hominum flagitijs aliquod aliquando commodum eliciat; id verò per accidens euenit ex peccato. Rom.8. 28. B 1. Cor.4. 12.

Damna item, quæ ærumnas; & calamitates secum afferunt, exigua sanè sunt, quia exiguis nos bonis spoliant: egestas enim diuitijs, dedecus dedecore, infirmitas valetudine, mors denique vita solùm corporali priuat: at lethale peccatum spirituali ac diuinâ vitâ, gratiâ, charitate, donis cœlestibus, ipsoque Deo hominem orbat, ex quo sit nihil æquè lugendum, ac deplorandum esse, ac peccatum.

Meritò igitur sanctissimi viri ob sua, & aliorum peccata, in magnum fletum eruperunt. Cùm ille Dauidis filius, qui nuper ex Bethsabee natus fuerat, in morbum incidit, procumbens in genua Dauid, precibus, ac ieiunijs à Deo Optimo Maximo pueri valetudinem postulauit: cùm autem sciret, filium suum è vita decessisse, surrexit Dauid de terra, (sacræ Scripturæ verbis vtar) & locutus, vnctusque est, cùmque mutasset vestem, ingressus est domum Domini, & adorauit, & venit in domum suam, petiuitque, vt ponerent ei panes, & comedit. *Dixerunt autem ei serui sui: Quis est sermo, quem fecisti? propter infantem, cùm adhuc viueret, ieiunasti, & flebas; mortuo autem puero surrexisti, & comedisti panem.* Quibus Dauid respondit: *Propter infantem, dum adhuc viueret, ieiunaui, & fleui: dicebam enim, quis scit, si forte donet eum mihi Dominus, & viuat infans? nunc autem, quia mortuus est, quare ieiuno? nunquid potero reuocare eum amplius?* ac si diceret: ideo iam non à cibis abstineo, nec lachrymas effundo, quia nullum infanti vitâ functo adhiberi potest remedium. Obijt verò post aliquos dies alter eius filius, nomine Absalom: quod cùm ei nunciatum esset, *contriſtatus Rex* (sacra historia ita attestante) *ascendit cœnaculum portæ, & fleuit, & sic loquebatur vadens: Fili mi Absalom, Absalom, fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te? Absalom fili mi, fili mi Absalom?* sed cur, cùm infans è vita discesserit, non fleuit Dauid, qui ipsius pueri incolumitatem tantopere desiderabat? eò quòd nulla eum medicinâ sanari posse arbitraretur: in Absalonis verò morto multas ipse lachrymas effudit, cùm neque Absaloni vita posset restitui. *Incestum Ammon* (inquit D. Ambrosius, oratione de obitu Valent.) *fleuit Dauid occisum, parricidam Absalom doluit, interemptum crimina doluit, non exitum filiorum.* hæc ille. Cùm obijt puer, sperabat Dauid illius animi salutem, cùm autem vitâ functus est Absalom, æternam eius damnationem pertimescebat: quippe qui in peccato vitam amiserat, hoc luctu, ac lachrymis deplorabat. 1. Reg. 12. C 2 Reg. 19. 4. Luc. 23. 28. D

Hinc etiam factum est, vt cùm fœminæ quædam Chri-

Christum Dominum proximè iam ad mortem accedentem lamentarentur, ipsis à Domino dictum est: *Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Acerbissimi Christi dolores digni quidem erant lachrymis, illi verò magis, eò quòd multæ sint ab illis commissæ culpæ, à Deo verò non item: omnis enim ille peccati expers est: peccataque dignior a sunt lachrymis, quàm ipsa passio Christi, in quantum mera passio fuit.

Huius etiam rei causâ multis se lachrymis dederunt multi, qui cùm infinitam peccati grauitatem agnoscerent, diutiùs in luctu versantes, & in magnum erumpentes fletum, multis contabescant lachrymis. De B. Maria Magdalena sic ait S. Lucas: *Stans retrò secus pedes Domini, lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Quales existimas fuisse, ac quantas lachrymas illas, quæ, non solùm faciem madefacere, & maxillas proprias tingere, sed etiam Christi pedes rigare sufficiebant? Quinnam in corde versabatur dolor, qui talium lachrymarum causa erat?

Luc.7.38

Dauidem autem præcipuè ante oculos proponite, qui nullum finem lachrymis imponens, peccatum, quod in Deum commiserat, adeo acerbè lamentatus est, vt idem asserat: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Exitus* (inquit) non lachrymas minutatim, nunc vnam, & aliam postea, sed riuos: vnde tam multas lachrymas effudit, vt stratum suum rigauerit, *Lachrymis meis stratū meum* (inquit) *rigabo*, lugebat sua flagitia, grauiterque suspirans, rugiebat à gemitu cordis sui, & peccati terrore iniecto, illud horrens, ac formidans, aiebat: *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Qui immanem illum gigantem non timuit, nunc peccato ante oculos obiecto, perhorrescit. Qui animosè vrsos aggressus est, ipsosque fortissimos leones fortiter inuasit ac dilaceravit, flagitijs in conspectu positis, timet, ac deficit: *Non est* (inquit) *sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Animaduertite verba Dauidis, *à facie iræ Dei*, carnem suam timidam esse affirmat, *à facie* verò *peccatorum* suorum totis ossibus se dicit contremiscere: magis enim suamet peccata, quàm Dei iram horrebat. Et meritò sanè, cùm peccatum formidabilius malum sit, quàm ipsa Dei ira, quam peccati causâ excitamus. Plùs ergo lugendum, ac deplorandum est peccatum, quàm diuina vindicta: hæc enim aduersùs hominem excitatur, iustumque homini supplicium infert, culpa autem impetit Deum, dum contra ipsum admittitur. Iure igitur Regius ille vates aiebat: *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Denique tanto dolore ac mœrore Propheta afficitur ob Dei offensam, quam fecerat, vt dolore tabescens, assiduâ animi tristitiâ conficeretur. *Miser factus sum, (inquit) & turbatus sum vsque in finem, tota die contristatus ingrediebar.* Quibus ergo lachrymis, quo fletu, quo animi mœrore homines peccata sua deplorabunt, qui & plura commiserunt, & illa verba, quæ Dauidi enunciata sunt, non audierunt: nimirum, *Dominus transtulit peccatum tuum.* Iudicabat D. Ille Augustinus, hom. 5. in addit. 24. art. 2. vt auctor est D. Thom. se esse dignum, vt oculos cæcaret plorando: de B. Petro scitum est, quòd S. Lucas ait: *Egressus foras fleuit amarè*, quia scilicet peccauerat contra Deum, negando illum: fleuit ergo, non quomodocumque, sed amarè. D. Chrysostomus ait, non fleuisse Petrum propter pœnam, quam mereretur, sed propter culpam, quam commiserat, propter hanc ergo fleuit amarè, & non solùm tunc, sed, vt ait S. Clemens, per totum vitæ spatium, quotiescumque noctu gallum cantantem audiebat, surgebat, & orans lachrymabatur propter peccatum suum. Et addit S. Clemens Papa discipulus S. Petri, adeo fuisse Petrum in lachrymis assiduum, vt maxillas præ lacrymis veluti consumptas, & combustas haberet. Sic perfecti pœnitentes dolent, & lachrymantur. Plorate igitur & vos, qui fortè maiora multò flagitia perpetrastis, vt peccatorum maculas lachrymis, animique dolore deleatis, & æterno ac cœlesti gaudio perfruamini.

Ps.118. 136.

Ps.6.7.

Ps.37.4.

Ps.37.7.

Cap.22.2

Prop. III. *Quàm inutiles lachrymæ sint pro rebus temporalibus, & quàm vtiles pro spiritualibus.*

Lachrymas sæpe effundere solent homines pro amissione rerum temporalium, diuitiarum scilicet, vel honoris, vel filiorum, &c. at non iste rectus, & iustus est vsus lachrymarum, sed vel ex pœnitudine peccatorum, vel ex deuotione rerum diuinarum promanans: lachrymæ quippe pro rebus temporalibus sunt veluti lachrymæ ex fumo prouenientes: quid enim sunt temporalia bona, nisi fumus? fumus oculos cæcat, & lachrymas extrahit: sic & damna temporalia.

Aristoteles capite 7. de historia animalium ait, feraciorem, & fœcundiorem esse aquam pluuialem, quàm sit aqua fontis, vel fluminis: sic etiam feracissima, & fœcundissima est aqua illa lachrymarum, quæ ex superioribus, & diuinis causis procedit; sterilis ergo ac infrugifera illa, quæ ex inferioribus causis bonorum terrenorum promanat.

Matth. 9. cùm Dominus suscitare vellet filiam Archisynagogi, eiecit priùs inde tibicines, & turbam tumultuantem seu plangentes. Cur ita? S. Chrysostomus homil. 32. in Matth. *Is qui lachrymis peccatorum delectatur, eijcit lachrymantes pro mortua, & ad illorum præsentiam non vult suscitare defunctam, quo doceat lachrymas soli morti peccati conuenire: morti enim corporis nihil prosunt, cùm tamen animam mortuam ad vitam reducant.* Ita ibi.

Vnde Sanctus Bernardus serm. de Maria Magdalena, exponens verba illa Apostoli ad Rom. 12. *Flere cum flentibus*, ait: *Nunquid Apostolus præcepit flere rerum amissionem? intermissionem voluptatum? filiorum mortem? morborum vim? grauitatem inopiæ? vel fortium potentiam? absit: plorandi enim sunt, qui taliter plorant; nam religiosa tristitia aut alienum peccatum luget, aut proprium.* Ita S. Bernardus.

Item Hilarius cano. 4. in Matth. explicans verba illa Christi Domini Matth. 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, *Lugentibus* (inquit) *æterna consolationis solatia Dominus repromittit, non quidem lugentibus orbitates, aut contumelias, aut damna temporalia, sed flentibus sua peccata.* Ita ille, & ideo non dixit Dominus: *Beati qui lugent peccata*, quasi manifestum reputans, non esse eos dignos vt beati dicantur, qui pro damnis temporalibus lugent.

Ezech. 8. introduxit Dominus in mentis excessu Ezechielem in templum, dicens: *Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt.* introiuit, & inter alia vidit mulieres quasdam sedentes, & plangentes Adonidem, mortem scilicet eius. Cur igitur dixit Dominus Ezechieli: *Vide abominationes pessimas, quas isti faciunt*, & non etiam dixit: *quas ista mulieres faciunt*? Per mulieres S. Hieronymus intelligit viros quosdam gementes, secundùm antiquorum fabulas, damna quædam temporalia. Cur ergo eos mulieres nominauit Deus? Sanctus Hieronymus: *Vt eos qui ad sæculi mala & bona vel contristantur vel exultant, mulieres appellemus.* Ita ille.

Ita quidem, nam qui mala spiritualia peccatorum & culparum plangunt, viri nomine digni sunt. Vnde Ezech. 9. *Signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.*

Vers.18.

Ezec.8.

Hier.

Idem

Vers.6.

eius, nempe Hierusalem. Nunquid non inter homines etiam mulieres erant gementes? erant & fortè plures, quàm viri. Cur igitur eas excluſit? Non excluſit, ſed potiùs incluſit in nomine virorum; quia ſicut viri, qui lugent damna temporalia, propterea digni ſunt qui fœminæ vocentur; ſic feminæ, quæ ſolùm peccata deplorant, dignæ ſunt quæ viri nuncupentur.

Prop. IV. *Quantùm placeant Deo lachrymæ pœnitentis.*

Iſ.38. 13. PSalm. 38. Dominum orabat Dauid: *Auribus percipe lachrymas meas.* non ait: oculis vide, ſed auribus percipe: quomodo, inquies, lachrymæ auribus percipi poſſunt? habent clamorem maximum in auribus Dei lachrymæ deuotionis. vnde & ipſemet Pſalmiſta, *Defecerunt* (inquit) *oculi mei in eloquium tuum, dicentes: quando conſolaberis me?* oculos, ait, *dicentes*, quia coram Deo lachrymæ noſtræ tacendo loquuntur.

Pſal.118. 82.

Verſ.13. Hinc Sanct. Chryſoſtom. hom. 6. in Matth. agens de B oratione Annæ, 1. Reg. 1. & ponderans verba illa, *Labia eius mouebantur, vox autem eius non audiebatur*, ait: *Solæ quidem lachrymæ emittebant vocem ad Dominum, omni buccinâ clariorem, & idcirco ſterilitatem eius mutarunt, & quaſi è duro quodam ſaxo agrum fertilem reddiderunt.* Ita ille. Quem vide ſuper Pſalm. ponderantem verba Hieremiæ Threnorum 2. *Non taceat pupilla oculi*

Verſ 18. *tui*, &c.

Prop. V. *Verus pœnitens lachrymis ſuis magnam gloriam promeretur.*

Matt. 11. 12. MAtth. 11. ait Chriſtus Dominus: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Cui ſententiæ obſtare videtur, quod idem Dominus ait Matth. 18.

Verſ.2. C *Niſi efficiamini ſicut paruulus iſte, non intrabitis in regnum cœlorum.* Si regnum cœlorum vim patitur, & violentorum ac fortium eſt rapere illud, quomodo ait ad rapiendum cœlum nos paruulos eſſe debere? paruuli enim nec fortes ſunt, nec vim habent, &c. Reſponſio in promptu eſt: pueri in lachrymis fortitudinem habent: ſi aliquid petunt, & illis denegatur, lachrymis importunis illud aſſequuntur; ſi vapulare à parentibus debent, ploratu & lachrymis veniam extorquent; arma denique puerorum lachrymæ ſunt, arma quibus vim faciunt. Sic pœnitentes lachrymis ſuis vim regno Dei faciunt, & rapiunt illud.

Hinc Chriſtus Dominus conuiuiũ Simonis Phariſæi acceptauit Luc. 7. ſciens adfuturam Magdalenam, quæ lachrymis ſuis & ipſi placeret, & illa ſalutem conſequeretur. Vnde S. Petrus Chryſol. ſerm. 63. *Ad prandium, & ad Phariſæi prandium, veniſſe Chriſtum, ſollicitus.*

S. Petrus Chryſol. *fortè miretur auditor. Phariſæi domum Chriſtus intrauit, non accepturus eius cibos, ſed pœnitentis lachrymas potaturus, & diuinam miſericordiam ei largiturus.* Ita ille. Quòd ſi di- D cas: poterat Chriſtus vel in templo vel alibi id præſtare; cur igitur in conuiuio? vt pro conuiuio lachrymas illas fuiſſe videamus. *el mas regalado plato de eſte combite fueron las lagrimas de la Magdalena.*

Prop. VI. *Quàm conducant lachrymæ pœnitentis ad remiſſionem peccatorum.*

3. Reg. 9. 4. 3. REg. 9. ſic Dominus ad Salomonem: *Si ambulaueris coram me, ſicut ambulauit pater tuus, in ſimplicitate cordis, & in æquitate, &c. ponam thronum regni tui ſuper Iſrael in ſempiternum.* Nunquid Dauid, pater Salomonis, non ordinauit inſidioſè mortem Vriæ? nunquid non commiſit adulterium? in quorum primo non ambulauit in ſimplicitate, & in ſecundo non ambulauit in æquitate. Cur igitur ait Dominus Salomo-

A ni: *Si ambulaueris in ſimplicitate & æquitate ſicut pater tuus?* Nimirum, quia Dauid iam egerat conuenientiam, & lachrymis deleuerat illa duo peccata, ſicut ipſe dixit: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, &c.* *Pſal.118. 136.* Et iterum: *Lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Qua- *Pſal. 6 7.* propter Deus, quaſi illorum peccatorum oblitus, ait: *Si ambulaueris in ſimplicitate, &c.* Iuxta illud Ezechiæ, *Proieciſti poſt tergum tu um omnia peccata mea.* O miſri- *Iſai.38. 17.* cordia Deo digna! ô eximia pœnitentiæ commendatio!

LAVS.

Prop. I *Quàm ingens bonum ſit Deum laudare.*
2. *Quòd in ſolo Deo ſit nobis gloriandum.*
3. *Quòd homines valde laudari optent.*
4. *Laus viro perfecto prodeſt, imperfecto verò nocet.*
5. *Laus in ore proprio vileſcit.*
6. *Quòd multi iactant ſe habere quod non habent.*
7. *Laus hominum animi elationem parit.*
8. *Cognitio ſui remedium eſt laudis vanæ.*
9. *Quàm iniqua ſit laus de peccatis.*
10. *Vitium laudandum erecſit.*

Prop. I. *Quàm ingens bonum ſit Deum laudare.*

QVòd laudare Deum ſæpe debeamus, & quàm ingens bonum ſit, pater ex Pſal. 33. *Benedicam* *Verſ.2.* (inquit) *Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Sciebat quidem ad hoc nos eſſe creatos, vt Deum laudemus, & glorificemus, ideò ſe id ſemper facturum pollicetur, hoc eſt, quotidie, ſtatuiſque horis. Vtiam & nos ſtatutas & ſignata tempora haberemus ad laudandum & benedicendum Dominum, more eorum qui in cœlo ſunt, cuius munus eſt, ſemper Dominum laudare.

Vnde S. Auguſtinus in Pſal. 148. *Fratres* (inquit) *exhortamur vos, vt laudetis Deum, & hoc eſt, quod vobis dicimus, quando dicimus: alleluia, laudate Dominum.* Ita ille, & in Pſal. 154. Laus Dei ab ore, & à corde Chriſtiani recedere non debet, ſiue tribulemur, & anguſtiemur, ſiue lætemur, & exultemus, ille laudandus eſt, qui & in tribulationibus conſolatur nos, & erudit, ſicut pſalmus ille præſcribit: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Ita S. Auguſtinus.

Quanti verò momenti ſit hæc Dei noſtri laudatio, *Oſea 14. 3.* docet S. Chryſoſtomus in ſerm. quem habuit Presbyter factus, tom. 5. vbi ait: *Propheta Oſeas eos, qui Deum offenderant, & parabant illum ſibi reddere propitium, adhortatur, dicens:* Tollite vobiſcum verba. *At quale ſacrificium ſunt verba, inquies? Maximum quidem, & ſpleñdidiſſimum. & quis hoc dicit? Dauid.* Laudabo (*inquit*) nomen Dei *Pſ.68.32.* cum cantico, & magnificabo eum in laude. *Mox huius ſacrificij præſtantiam nobis aperiens, ſubiicit:* Et placebit *Ibid.32.* Deo ſuper vitulum nouellum, cornua producentem, & vngulas. Ita ille. Vbi Theodoretus, *Magis* (inquit) *gratum ſibi erit laudis ſacrificium, quam ſacrificium vituli.* & S. Auguſtinus: *Amplius placebit Deo laus eius, exiens ex ore meo, quàm magna victima ad aream eius adducta.* Ita S. Auguſtinus.

Hoc autem & nos inde commodum aſſequemur, quòd laudatus à nobis Deus, propitius erit orationibus noſtris. vnde Dauid: *Laudans inuocabo Dominum.* Vbi *Pſ.17.4.* Sanctus Hieronymus legit, *Laudatum inuocabo Dominum*, quaſi illud tempus ad impetrandum à Domino aptiſſimum ſit.

PROP. II. *Quòd in solo Deo sit nobis gloriandum.*

MEretur quidem laudem, ac gloriam bonum quodcumque, siue morale, siue naturale illud sit, sed quonam modo, videamus. Quærunt maiori ex parte homines ab aliis laudari, idque pro magno ducunt, & à spe cecidisse se credunt, si non viderint laudatores, nec vanam esse huiusmodi gloriam, & laudem animaduertunt. Ad hos igitur Seneca lib. 4. Natur. qq. in præfatione, *Cùm cupierus* (inquit) *bene laudari, quare hoc vlli debeas? ipse te laudа, dicito: Nihil indecorum, nec bono, nec viro feci, nullum verbum mihi, quod non saluâ conscientiâ proceserit, emissum est, periculis meis maior fui, aduersùs minores humanitatem, & aduersùs maiores reverentiam adhibui. Si vera sint hæc, coram magno teste laudatus es. Si falsa, sine teste derisus es.* Hæc Seneca, qui licèt in eo, quòd gloriam, & laudem ab alijs emendicatam excludat, laudem ipse mereatur, in eo tamen quòd à se in seipso laudem admittat, errauit: nimirum Ethnicus, licèt Philosophus erat. Rectiùs igitur S. Bernard. in ser. super ista Pauli verba: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Nouerat Apostolus gloriam propriam esse Creatoris, non creaturæ, secundùm illud, *Gloriam meam alteri non dabo*: & illud Angelorum, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, itemque: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Considerauit autem rationalem creaturam adeo gloriam affectare, vt aut vix, aut nunquam ab hoc compesci desiderio possit; quippe quæ ad imaginem facta fuit Creatoris. Proptera secundùm sibi à Deo datam sapientiam, salubernimum consilium adinuenit, dicens: Quandoquidem persuaderi nobis non potest, non gloriari; saltem *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Considera quantùm excedit Pauli Philosophia, Philosophiam sapientium mundi huius, quæ nimirum stultitia est apud Deum. Cùm enim nonnullos viderent Philosophi alienis laudibus delectari, & gloriam ab inuicem quærere, qui inter eos præcipui fuere, prudenter aduerterunt, vanam esse huiusmodi gloriam, & penitus contemnendam. Sed studiosiùs inquirentes, quænam esset appetenda gloria sapienti; hîc iam euanuerunt in cogitationibus suis, propriam sufficere cuique gloriam arbitrantes, quasi anima, quæ à semetipsa esse non potest, à se possit esse beata. Sicut ergo cupidi laudis alienæ tota sollicitudine operam dabant, ea operari, quæ homines mirarentur, & laudarent; sic isti sola ea sectanda iudicabant, quæ interior animus approbaret. Et hæc quidem summa Philosophia sapientium huius mundi est, ipsa quoque minùs habens, licèt proximior veritati. Vnde vtramque gloriam sublimi veritatis contemplatione transcendens Apostol. *Qui gloriatur* (inquit) non in altero, nec in se, sed *in Domino glorietur*, & eam quæ veritati videbatur esse vicinior, maiori redarguens sollicitudine, & condemnans certo iudicio veritatis, *Non enim*, inquit, *qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Vt quid enim de alterius iudicio, vel de meo sollicitus sim, cuius nec vituperio reprobus, nec laude probatus inueniar? Fratres, si me ante vestrum tribunal stare oporteret, meritò super vestris laudibus gloriarer. quòd si vel meo essem examine iudicandus, iure meo testimonio contentus, proprijs laudibus delectarer: nunc autem, cùm nec vestro, nec meo, sed Dei sim iudicio præstandus, quantæ insipientiæ, & insaniæ est, aut in vestro me, aut in meo ipsius testimonio gloriari: præsertim, cùm ipse sit, cuius oculis omnia nuda sunt, & aperta, & cui nequaquam opus sit, vt quis ei testimonium perhibeat de homine? Meritò proinde Apostolus ipse vanæ, & fallacis gloriæ reprobator, *Mihi*, inquit, *pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque me ipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est.* In quibus verbis illud quoque diligenter considerandum est, quòd alienum quidem iudicium pro minimo habens, suum quoque nequaquam sequatur, quamuis non illud pro minimo iudicaret habendum. *Nemo enim scit hominum quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est*, vt comparatione interioris testimonij, exterius pro nihilo sit habendum. Quid enim mihi cum eorum laudibus, quibus ignotus sum? Quòd si vel ipse spiritus, qui est in homine, omnia, quæ hominis sunt, nosse posset, profectò sufficeret testimonium eius. Nunc autem prauum est cor hominis, & inperscrutabile, etiam sibi ipsi, adeo vt præsentia magna ex parte ignoret; futura verò sua omnino nosse non possit. *Interim*, ergo, *nolite*, vt ait Apostolus, *ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum*: illa enim erit perfecta, & secura gloriatio, cùm erit vnicuique laus à Deo. Sed nunc quoque, licèt non plenariè, licèt non sine timore, & sollicitudine multa, aliquatenus tamen in Domino gloriamur, testimonium perhibête Spiritu sancto spiritui nostro, quòd filij Dei sumus. Hinc verò possumus gloriari, quòd tantum habemus patrem, quòd ineffabili maiestati cura est de nobis. Vnde & Propheta, inquit: *Domine, quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eū cor tuum?* Itaque qui gloriatur, iam non de meritis suis glorietur: quid enim habet, quod non acceperit? Si autem accepit, quid gloriatur quasi non acceperit? In eo ergo, à quo accepit, glorietur, non quasi ipse magnus sit, sed quia magnificet eum Deus, hoc est, vt in illis, quæ acceperit, non quasi ea non acceperit, sed quasi qui ea acceperit, glorietur. Nec enim ait Apostolus: Si autem accepisti, quid gloriaris? sed quid (inquit) gloriaris, quasi non acceperis, vt non prohibeat, sed doceat gloriari. Ita S. Bernard.

Vbi notandum, quòd ad gratitudinem nostram pertinet, Dei dona in nobis agnoscere. Vnde Apost. ipse 1. Cor. 2. *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Vnde B. Virgo, cùm se ab Elisabeth laudari prospexit, exclamauit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, quia*, & reliqua, & subdit: *fecit mihi magna, qui potens est.* Non ait, magna quidem sunt, quæ habeo, sed Deus fecit in me magna. Sic non in magnis tuis te gloriari oportet, sed quòd Deus in te fecerit magna, quasi illius, ex eo, & nō ex te, præ oculis habeas, ea habere dona. Sic igitur poteris gloriari: caue tamen, ne à tuo ipso spiritu decipiaris, vt, dum à Deo te dona habere dixeris, te, nō Deum, laudare, intendas: qui enim in Domino gloriatur, non se sed Deum in se glorificat, & laudat; se autem felicem dicit, cui Deus præstiterit misericordiam, & cum Dauid dicet: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Vnde nobis, qui in vanam gloriam adeo propensi sumus, sanum consilium erit, occultare dona, donec ad Dei gloriam ea manifestare occasio cogat. Quantùm verò displiceat Deo sic gloriari, ostendit casus ille Prophetæ à leone occisi. 3. Reg. 13. vbi S. Greg. in Glossa: *Propheta hic apud se propter magnalia gloriatus, ab interna mox soliditate est quassatus, & inde ei in opere culpa subrepsit, vnde sibi in corde gloria suprepsit, vt à Propheta falso discreet deceptus, quia non propriæ fortitudinis fuit, quod prius accidisset.* Ita ille.

Seneca.

S. Bern. 1. Cor 1. 31.

Isai 4. 8. Luc. 2. 14. Psal. 113 1.

1. Cor. 4 3

PROP. III. *Quòd homines valde laudari optent.*

SAnct. Hieron. epistol. ad Sabin. *Naturali ducimur malo, & adulatoribus nostris libenter faucemus, & quamquam respondeamus nos esse indignos, & calidus rubor ora perfundat, ad laudem tamen suam anima intrinsecus latatur.* Ita Sanctus Hieronymus.

S. Hier.

Quòd

S. Ambr. Quod Sanct. Ambros. lib. 3 de Offic. ignauiæ tribuit. *Emolliri* (inquit) *adulationibus non solum fortitudinis non est, sed etiam ignauiæ tribuendum est.* Ita ille.

Æneas Syluius. Refert Æneas Syluius lib. de dictis Sigismundi Imperatoris, quòd cùm Sigismundus se assentatores, velut pestes, odio habere dixisset; quidam aulicus, nomine Brunenius, respondit: *Nullum tamen genus hominum magis amas*: tunc Sigismundus: *Vicisti sanè* (inquit) *ita enim natura comparatum est, vt cùm vitandos esse adulatores dicimus, tunc maximè illis hæreamus, quia nec tu mecum tamdiu fuisses, n si meis moribus blanditi assuuissent.* Ita ille.

PROP. IV. *Laus viro perfecto prodest, imperfecto verò nocet.*

PRouerbium est, *Virtus laudata crescit.* Hoc non in vniuersum est verum, nam multis superbiæ, & inflationis vanæ occasio est. Id ergo hac in re mihi dicendum videtur, quod de ventis in vere. Cùm enim ventus sata ferit, si triticum v.g. granis optimis spicas plenas habet, illi nimiùm prodest, si sanum prorsus est triticum, grana eius perficiuntur, *grana con tales vientos y aires el trigo*; si verò infirmum fuerit, ac debile, non prodest, sed nocet illi ver. Sic nimirum laus ventus est, aër est, auraque temporalis, si super hominem plenè sanum, & iustum ceciderit, crescere ac matures cere virtutem eius facit. quòd si infirma fuerit virtus, siccat, & vrit eam: & ita virtus laudata, non crescit, sed perit, atque adeo qui sapit, ab huiusmodi laudibus timere sibi, & cauere debet, & qui laudat, attendere nimis debet, ne, dum se beneficium laudis impendere proximo censet, ei plùs laudando, quàm vituperando noceat.

Vers 11. Vnde Prou. 27. *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo in ore laudantis.* Idem, quod de tentatione & persecutione dixerat, hîc asserit Spiritus sanctus de laude: nam vt examinatur virtus tribulatione, sic & laudatione: sicut enim qui tribulatione turbatur, & irascitur, impatientem se, & imperfectum ostendit; sic qui laudibus insolescit, & effertur, apparet superbus, & arrogans esse, & solidam non habere virtutem. Si verò laudatus humilietur, & se indignum esse ostenderit, qui laudetur, & inde animos sumat ad veriùs sequendam virtutem, tunc probatæ virtutis ostenditur esse: nihil enim magis laude dignum esse hominem manifestat, quàm si laudibus non inflectur.

PROP. V. *Laus in ore proprio vilescit.*

Matt. 3. 17. MAtt. 3. Cùm Christus à Ioanne baptizatus fuisset, vox de cœlo ruit, *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Audiebat populus multus hanc vocem, cui tamen conueniret, Christo an Ioanni, nesciebat; ad id autem opus erat, vt testimonio tanto Deitas Christi comprobaretur; dicere autem Christum de se propter se factam vocem non expediebat, dicrent quippe illi malè affecti: *Tu testimonium perhibes de te, testimonium tuum non est verum.* Quòd si assereret Ioannes non propter se fuisse prolata, existimaret populus id ex humilitate Ioannis dimanasse. Quapropter affuit Spiritus Domini in specie columbæ, & supra caput Christi resedit, vt videns populus, diceret: *Digitus Dei est hic,* assignans quem annuntiauerit vox Dei filium esse. Theophylact. in cap. 11. Marci: *Operatur hoc Spiritus sancti de census, ne, cum Pater supernè diceret:* Hic est filius meus dilectus, *putarent qui audirent, hoc de Ioanne eum dixisse, descendit super Iesum, ostendens quòd de illo dictum esset.* Ita ille.

Hinc discamus, de nobis non testimonium dare, dabitat cùm opus fuerit, qui decet illud promereri, vt hoc loco effectum videmus. Et similiter, quando S. Ioseph videns vxorem prægnantem, voluit occultè dimittere illam, & Virgo mysterium celauit, ne de se testimonium ferret, dicens: Ego de Spiritu sancto concepi filium Dei. Remisit negotium Deo, nec fruſtra: Deus enim Angelum misit, qui mysterium Ioseph aperiret in Virginis testimonium.

Sanctus Cyprian. epistola 2. *In proprias laudes odiosa iacta taest.* Ita ille: *odiosa*, inquit, & non otiosa, vt alia lectio habet; quia non solùm otiosum est, sed & molestum audientibus: vnde non tantùm in laudem dicentis non cedit, sed potiùs in vituperium: vanum enim & superbum iudicant laudantem se. *S. Cypr.*

Quomodo (inquies) Apostolus seipsum laudauit, & in pluribus commendauit, dicens 2. Cor. 11. *Existimo nihil me minus fecisse à magnis Apostolis. In quo quis audet, audeo & ego, semen Abrahæ sunt, & ego, ministri Christi sunt, & ego,* &c. Si ergo magnus ille, & sanctissimus Apostolus sic laudauit se, & reuelationes insuper sublimes in medium adduxit, quidni etiam quilibet nostrûm possit laudare se? Respondet Sanctus Chrysostomus hom. in id 2. Corinth. 11. *Vtinam sustineretis modicum quid mestipientiæ meæ.* tom. 4. *Sicut equus præ pitium aliquod & præruptum cliuum transiturus, se colligit, quasi hunc vno saltu exsuperaturus foret: verum profundum dispiciens hiatum subtacere, obstupescit metu, contrahiturque, deinde quum sentit equitantem vehementiùs vrgere, rursum aggreditur, & idem quod antea perfert, necessitatem, & vim indicans, subsistit aliquamdiu, himnitum mussitans super oram fouea, & tandem resumpto animo se vltrò sidenter adigit. Sic & B. Paulus, veluti se daturus in præceps, in laudum suarum recitatione, semel atque iterum, ac tertiò, & subinde sapiis retrocedit, sic dicens:* Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me. *& iterum subdit:* Alioquin vt insipientem accipite me, vt & ego modicum quid glorier, quod loquor, non loquor secundùm Deum, sed quasi insipientiâ. *Et subdit etiam.* In quo quis audet, in insipientia dico, audeo & ego. *Et iterum:* Ministri Christi sunt (*vt minùs sapiens dico*) plùs ego. *& nec hic desinit: nam absoluto laudum suarum catalogo,* Factus sum *(inquit)* insipiens, (*scilicet gloriando*) vos me coegistis. *quasi dicat: coactus sum desipere, mea recensendo encomia, propter vos, vestramque salutem.* Ita Sanctus Chrysostomus. Ecce generosum equum, nam hiatum laudum fidarum attendens, & saltum conscientia vrgente cuitare non valens Paulus, toties se ad se colligens, & recolligens stultitiam vocans laudem propriam, quia secundùm se sumpta laus propria absque vrgente causa stultitia est, tandem seipsum adegit & transiliit: talis enim est laudatio iactantis se vanitate impulsi. *Quòd si* (vti ait Sanctus Chrysostomus ibidem) *S. Paulus, cum necessitatem adesse videret, appellauit hoc insipientiam, qua excusatione, quâ veniâ digni sunt, qui de se prater necessitatem eximia iactant?* *Vers 5.* *Ibid. 1.* *Ibid. 16.* *Ibid. 21.* *2 Cor. 12. 11.*

Etenim Sanctus Paulus pluries se vituperantem reperies, quàm laudantem, verbi gratia in 1. ad Tim. 1. *Christus Iesus, inquit, venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Et addidit ibidem: *Qui priùs blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: superabundauit autem gratia Domini nostri cum fide, & dilectione, quæ est in Christo Iesu.* Quod sic expendit Sanctus Chrysostomus vbi suprà. Etsi Christus dixerat: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus,* &c. *Ille verò ne tantulum quidem ex tantis præconijs intumuit, sed potiùs miserum se pertinaciter contendit. Post tantam gratiam, post eximia virtutis opera, post præclaram dicendi libertatem, primum peccatorem se nominat. ita sæpe notatione in epistolis describens, palamque faciens,* *Vers 15.* *Ibid. 13.*

faciens, non solùm eius ætatis hominibus; sed & omnibus po- A
steris; præconia verò vrgente necessitate grauatus, vel po-
tius effigiē enarrare. Nam sæpe eam rem nominat inſipien-
tiam; admirandam verò, & diuinam illam reuelationem mul-
to tempore subticuit, quam scilicet non paulò ante neque an-
no altero, aut tertio, aut decimo, sed aliquantò superioribus
1 Cor.12. 2. *vidit dicens:* Scio huiusmodi hominem ante annos
quatuordecim siue in corpore, siue extra corpus, ne-
scio, raptum vsque ad tertium cœlum, &c. *Vt discas,*
quòd nec tunc quidem dixisset, nisi multam vidisset necessitā-
tem imminere; nam si animo sed sset proprias aliquando præ-
dicare laudes, factam visionem tam stupendam continuò pro-
didisset, aut primo, aut secundo, aut tertio anno: modò ad an-
nam decimumquartum tacitò supprefit. & tunc solis Corin-
thijs aperuit, & tum quando falsos mendacesque Apostolos vi-
dit suboriri, vt ostenderet nec tunc quidem fuisse illi animum
id dicendi, si non obseruassēt lxem illam pestiferam in disci-
pulos grassari. Ita Sanctus Chrysostomus, qui meritò
subdit: At nos non item contraria ratione prorsus ni-
timur, nec vnius quidem diei, quâ peccauimus, tene- B
mus memoriam, imò referentibus indignamur, gra-
uiterque succenſemus & perquam molestè suſcipi-
mus, conuitij loco ducimus, & mille contumelijs
retaliamus: ceterùm si quid bene fecimus, quantūm-
cumque fuerit, latissimè prosequimur, & recenſenti-
bus illam, habemus gratiam, & eos nobis amicos
cenſemus. Sed & Christus diuersum præcepit, bene-
factorum obliuionem, memoriam verò peccato-
rum nostrorum quod clarum effecit in hoc, quòd dis-
Luc.17. 10. cipulos adhortatur, dicens: *Quando omnia feceritis, quæ*
præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus, & in para-
bola Phariſæi, cui publicanum præposuit. Sicut enim
illum memoria delictorum iustificauit; ita hunc me-
moria operum suorum destruxit. Talis erat Apostoli
consuetudo, talis prophetis, & omnibus iustis. Qua-
propter Dauid peccati sui perpetuò meminit, virtu-
tis nunquam, nisi necessitate compulsus: quando enim
Barbaricum bellum Iudæam vexabat, omniaque pe- C
riculis plena videbantur, cùm esset adhuc iuuenis, &
rei bellicæ imperitus, omissis ouibus, in exercitum
profectus, omnes animo deiectos consp exit, atque tre-
mentes, ad Regem profectus, quem præ timore pro-
1 Reg.17. 31. pe mortuum inuenit, & dixit: *Ne concidat cor Domini*
mei intra se, quia seruus tuus abibit, expugnaturus istum: Rex
verò cùm fidem non haberet tantis pollicitis, *Ab* (ait)
non poteris, admodum puer es. Ille verò vir bellicosus, &
per omnem vitam exercitatus, Dauid, in ancipiti con-
stitutus, necesse habuit sua præconia recenſere: quàm
autem inuitus id fecerit, ex prioribus apparet. Nam
de præclarè à se gestis nec tantillum quidem dixit, ne-
que fratribus, neque militibus, neque ipsi Regi, quòd
eum non adhibentem fidem promissis suis vidit, &
negantem congressum cum gigante. Quid tunc fa-
ciendum erat? tacendæne virtutes? at nequaquam ei
concredita fuisset belli summa, neque defensio periculi
eminentis. vnde quatenus opus fuit, obtexit silentio; D
inuitante autem & flagitante temporis ratione, ad di-
cendum consilium diuersum inijt, dixitque ad Regem:
Ibid.34. *Pastor erā, seruus tuus, in ouili patris, & quando venit leo,*
aut vrsus, & rapuit ouem ex grege, à tergo aggressum perter-
refeci, corripui prædam ex ore, & comprehendi guttur, & in-
terfeci leonem, & vrsum percussit seruus tuus, & erit alieni-
gena iste, & incircumcisus, sicut vnus ex illis. Tunc Rex as-
sumptâ fiduciâ misit eū in aciē, abijt & vicit. Si laudes
suas tacuisset Dauid, nunquam Rex ad illud singulare
certamen aptum iudicasset, & præclarum facinus fuis-
set impeditum, & neque Dei gloria tunc illustrata fuis-
set, neque populus Dei euasisset periculum incum-
bens.

Prop. VI. *Quòd multi iactant se habere quod non habent.*

Plinius lib.10.c.33. *Gallus*, inquit, *victor, illico cantu* Plinius.
superiorem se esse testatur: ita multi sua facta laudant &
iactant, & suorum laudum ridiculi sunt tibicines. Ita ille. Simile.
Hoc tamen est discrimen, quòd iactatio illa galli natu-
ralis est, atque adeo carens culpâ; laus verò tua vana &
vitiosa & indecora est.

Prop. VII. *Laus hominum animi elationem parit.*

Si superbia, & vana gloria pernicioſa nobis est, me-
ritò laudes humanas, & adulationes vitare debe-
bemus; hæ quippe sunt, quæ homines etiam spirituales,
in elationem tollunt, & in superbiam periculosam.

Hinc Sapientes Ægypti, vt ait Horus Apollo, cùm Simile; Horus Apollo.
significare vellent hominem ab adulatoribus dece-
ptum, ceruum coram homine cytharam manu tenen-
tem depingebant. cuius hæc ratio erat, ceruus adeo
muſicæ auidus est, vt quamuis timidum valde animal
sit, si muſicæ melodia illi contigerit, sic ab ea captus
detinetur, vt, periculi vitæ oblitus, ibi immobilis per-
seueret, vbi tali concentu valet potiri. Vnde venato-
res periti huiusmodi muſicæ instrumentis ceruos, velut
incantare solent, priusquam iacula in eos iaciant. Sic
igitur dæmones venantur nos: sciunt enim homines,
non minùs vocibus adulantium, seu laudantium deti-
neri, quàm ceruos vocibus, & pulsationibus instrumē-
torum muſicorum. Vnde, priusquam sagittis superbiæ,
& arrogantiæ eos feriant, adulantium linguis vtuntur,
dum sapientissimum, litteratum appellant, genus &
prosapiam nobilis attollunt, prælati prudentiam, &
sollicitudinem admirantur, studiosi, & spiritualis viri,
animi virtutem, & sanctitatem prædicant; huiusmodi
autem muſicâ iam captos, iaculo superbiæ facilè vul-
nerat hostis, quò suas, non Dei manus, miser, sic lauda-
tus, osculetur, & pereat.

Antisthenes (vti refert Laert. in eius vita) (inquit) *est incidere in manus coruorum, quàm adulato-* Melius Laertius.
rum: corui enim oculos corporis eruunt, adulatores verò
animæ: amor enim sui, & gloria vana oculos mentis exca-
cant.

Hinc B. Maria, cùm Angelum Gabrielem dicentem
audiret: *Ave gratiā plena*, &c. turbata est in sermone Luc.1.28.
isto, & cogitabat, qualis esset ista salutatio: imò non so-
lùm turbata fuit, sed etiam timuit: dixit enim ad illam
Angelus: *Ne timeas Maria*, &c. Quid igitur audiuit, Ibid.30.
quod turbauerit pectus illud, omni virtute superius?
quid timuit illa, quam omnes diabolicæ timent pote-
states, veneranturque cœlestes? Angelum? non Ange-
lum timet, sed Angeli verba, ideo cogitabat, qualis
esset ista salutatio? laudes, inquam, timet humillima
virgo: plùs enim illa laudes, quàm superbus vituperia
timet, quia elatio ex huiusmodi laudibus concepta,
Deo displicet valdè.

Audi Actor.12. die quadam Herodes Rex vestitus
regia veste, sedit pro tribunali, & cōcionabatur ad Ty-
rios, & Sidonios; populus autem acclamabat: *Dei voces,*
& non hominis; confestim autem percussit eum Angelus
Domini, & consumptus à vermibus, exspirauit. Cur
tam horribili plagâ sic à Deo percussus fuit Rex iste?
reddit causam textus sacer, eò quòd nō dedisset hono-
rem Deo? quis non miretur? Hic Herodes fuit, qui
sanctum Apostolum decollauit, quique S. Petrum in
carcerem misit, & tenuit vinctum catenis duabus, vo-
lens post Pascha producere eum populo & tamen nullā
ob hæc plagâ à Deo percussus fuit, & quia laudes exce-
pit, & non dedit laudem Deo, ita grauiter percussus & occisus fuit. Quare meritò S. Bernard. serm. 6. super, *Qui* S. Bern. Ps. 90.9.
habitat,

habitat, exponens illud Psal. *Non timebis à sagitta volante in die.* Time, inquit, *hanc sagittam: leuiter enim volat, leuiter penetrat: sed dico tibi, non leue insligit vulnus, citò interficit. Nimirum sagitta hæc vana gloria est.* Ita S. Bernard. Hanc autem vanam gloriam adulatio, & laus alit humana. Quare licèt sanctus sis, & ab Angelo Gabriele tu laudetis, time: timuit enim B. Maria. A

Prop. VIII. *Cognitio sui remedium est laudis vanæ.*

Sic Cato in distichis suis:

Cùm te quis laudat, iudex tuus esse memento,
Plus alijs de te, quàm tu tibi, credere noli.

Prop. IX. *Quàm iniqua sit laus de peccatis.*

Hom. 11. in 1 ad Cor. Sanct. Chrysost. "*Si est graue ob peccata non pœnitere, propter peccata intumescere quantum meretur supplicium? & si is qui propter rectè facta extollitur, est immundus, qui propter peccata extollitur, quam veniam consequetur?* Ita Sanctus Chrysostomus. B

Prop. X. *Vitium laudatum crescit.*

Incessanter crescit culpa fauoribus nutrita, ait Doctus quidam: curari enim vulnus negligitur, quod dignum laudis præmio videtur. Ita ille. Quod in peccatis superbiæ & gulæ, & abusionibus mundi, vestimentorum videlicet & supellectilium, & alijs huiusmodi, constat. Denique sicut virtus laudata crescit, ita & vitium. Vnde Sapiens Prouerb. 1. *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas illis.* Quod sic exponit ibidem S. Gregor. *Peccatores etenim lactant, cùm vel perpetranda mala inferunt, vel perpetrata fauoribus extollunt.* Ita ille.

Prou. 1. *10. S. Greg.*

LECTIO. C

Prop. I. *Lectio bona conducit ad vitæ bonæ institutum.*
2. *Cur mali lectionem spiritualem detrectent.*

Prop. I. *Lectio bona conducit ad vitæ bonæ institutum.*

Senec. Seneca epist. 91. *Non dat natura virtutem, ars est fieri bonum. Virtus non contigit animo, nisi instituto, & edocto, & ad summum assidua exercitatione perducto. Ad hoc quidem, sed sine hoc nascimur, & in optimis quoque, antequam eruditi, virtutis materia, non virtus est.* Ita Seneca.

Aristotel. Rectè Philosophus quidam: Libri boni hominis sunt amici veri, qui in aduersis consulunt, in prosperis moderantur, nihil celant, veritatem dicunt, quæsiti præstò adsunt, non vocati se vltrò ingerunt, mores docent bonos, vitam instituunt: hæc omnia veri amici munia sunt.

Hoc autem hîc animaduertendum est, non satis esse probos & approbatos legere libros, nisi attentè & meditatè legas, maturè sententias notatu dignas mente reuoluens. Vnde rectè Vrsinus in libro Epigrammatum. D

Quid iuuat Ægypti versare volumina Regis,
Aut Didim, si nil mente tenere queas?
Nil medicina iuuat quæ mox excluditur aluo,
Sic neque quæ subitò pectore lecta fluunt.

Prop. II. *Cur mali lectionem spiritualè detrectent.*

Peccatores verbum Dei audire recusant; morsus quippe cõscientiæ inde prouenientes, dum de grauitate peccati, vel de morte, vel de inferno, vel de Iudicio sermo habetur, ferre non valent. Vnde S. Chrysost. hom. 50. ad pop. Regula hæc vniuersalis est, nemo in virtute viuentium, iudicij sermonem negat; in multa verò malitia viuentiũ, nemo, præter paucos, resurrectionis sermonem admittit. Et hoc ait Psalmista: *Auferuntur iudicia tua à facie eius*; quare? quia *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Non enim sustinet anima peccatrix conscientiæ tribunal, sicut homicida, cùm priùs præsupposuit se non captum iri, si cædem committat, quoniam conscientia sic eum iudicante; non facilè ad facinus veniisset. Et nouit igitur, & nosse dissimulat, ne conscientiâ torqueatur, & timore: alioquin enim ad ausum infirmior fuisset. Itidem, qui peccant, videri nolunt, licèt eos arguente conscientiâ. Propterea suadeo, vt à vitijs abstineatis, vt verum suscipiatis sermonem in Christo Iesu Domino nostro. Ita S. Chrysost. Sic etiam dicendum est de his, qui verbum Dei sæpe audire recusant, & libros sanctos legere, & meditationibus vacare, & cum viris religiosis agere, ne excitent dormientem conscientiam. *Chrysost.* *Psal 9.5. Sentent.*

LEX DEI.

Prop. I. *Quàm eximium Dei beneficium fuerit nobis legem imponere.*
2. *In legis diuinæ præceptis resplendet bonitas & misericordia Dei.*
3. *Lex Dei ostendit nobis, quid sequendum, fugiendumve sit.*
4. *Legis Christi obseruatio necessaria est ad salutem.*
6. *Lex Dei nos ex parte, sed in totum est obseruanda.*
7. *Obseruanda est lex Dei eò quòd à Deo sit.*
8. *Legis Dei cognitio deuincit nos ad eius obseruantiam.*
9. *Lex Christi nos in cœlum ducit.*
10. *Qui Dei mandata seruat seipsum seruat.*
11. *Quantùm nobis interfit legem Dei custodire & ei parere.*
12. *Obseruatio legis diuinæ conducit ad hoc, vt omnia nobis prosperè eueniant.*
13. *Quàm delectabilis sit obseruatio legis Christi,*
14. *Quàm facilis sit legis Dei obseruatio.*
15. *Legis diuinæ difficultatem alleuat Deus.*
16. *Ad legis obseruationem Deus auxilia præbet.*
17. *Quàm contra transgressores erit in iudicio Lex Christi.*
18. *Ad legis Dei obseruationem vrget nos exemplum Christi.*
19. *Ad legis obseruationem deseruit eius meditatio.*
20. *Quàm conducat ad legis Dei obseruationem audire verbum Dei*
21. *Lex Christi peccantes inexcusabiles reddit.*
22. *Lex Christi peccatoribus in maiorem damnationem erit.*
23. *Quantum abominetur Dominus transgressionem legis.*
24. *Quòd Deus etiam in hac vita puniat legis sua transgressores.*
25. *Contra eos, qui ob leges mundi leges Dei transgrediuntur.*
26. *Quàm perfectè obseruanda sit lex Christi.*

Prop. I. *Quàm eximium Dei beneficium fuerit nobis legem imponere.*

Agens Christus Dominus de beneficijs præstitis vineæ suę, *Sepẽ*, inquit, *circumdedit ei.* Necessum quidem est vineam circumsepiri, ne illius fructus, qui ad os manusque pendent, ab iter agentibus delibentur, aut à rusticis & animantibus absumantur. Atque idcirco noster paterfamilias, qui ædificauit vineam, sepem circumdedit ei, in ea autem sepe diuinam legem significari asserunt S. Iren. & S. Chrysost. quâ quidem animi nostri circumuallantur & præmuniuntur. *Matt. 21. 33. Lib. 2 c. 70. In imper. hom. 40.*

Magnum profectò ab immortali Deo beneficium suscepimus, nõ solùm cùm nos suæ vineæ vites efficit, sed etiam cùm nos quasi obsepit diuina sua lege: cuius beneficij memor extitit regius ille Vates, cùm Dei in Israelem merita commemorans, ait: *Qui annunciat verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Mẽtionem facit eo loco Propheta de lege illa indicta Israelitis in monte Sinai, & hac ratione gratũ se præbet Deo, qui non fecit taliter omni nationi. Potiori quidem iure gloriabimur nos, & immortales immortali Deo gratias agemus, qui nobis sacrum suum Euãgelium nullis alijs gentibus, nec etiam Israelitis concessum descripsit. *Beati oculi* (loquitur Christus cum suis discipulis) *qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & reges* *Psal 147. 19. Matt 13. 16.*

reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt. S. Matth. ait : *Multi Prophetæ & iusti voluerunt videre*, &c. Ac si diceret: quod negatum est Abraham, & Iacob Deo gratissimis, id nobis concessum est. Dedit olim Deus legem populo suo, eique diuina aliqua arcana, suique animi consilia per sanctissimos Vates aperiebat: at Christiano populo abditiora & occultiora consilia non medijs Prophetis, sed æterno suo filio interprete patefecit. *Multifariam* (inquit Apostolus,) *multisque modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio: quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula.* Quòd si Deus illustri beneficio affecit Israelitas, cùm eis suæ legis concionatores Isaiam, Ieremiã, alioſque Prophetas misit, illamque per Moysen in monte Sinai promulgauit; illustriori profectò nos cumulauit beneficio, quibus æternum suum Filium concionatorem ac legislatorem dedit. Moyses quidem legem timoris in lapideis tabulis scriptam illis indixit, Christus verò legem amoris in animo & corde positam, nobis sanxit: neque enim in illis, sed in nobis impleta est promissio illa facta apud Ieremiam, *Dabo* (inquit) *legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*, certè *non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Manifestauit quidem aliqua, sed non tot & tanta ac nobis, scripsit ea in tabulis lapideis, sed non in cordibus, in quibus Spiritus sanctus quasi scribit ea, quæ Christus Dominus docuerat. Quapropter discipulis ipse dixit: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis*, &c. Paracletus autem quis est, nisi diuinus ipse amor? Amorem ergo suum nostrum constituit præceptorem; amor ergo quid nisi amoris legem intra cordis intima edocebit? Hac igitur ratione Deus optimus legem suam nobis dedit, quam quidem Spiritus sanctus in hominum animis miro quodam modo impressit.

Hinc percipietis, quàm sit cum ratione coniunctum, vt nos magnifaciamus legem hanc, quâ humani generis assertor vineam suam sepiuit. Plurimi ducebant Lacedæmones, Athenienses, ac Romani leges suas, eò quòd Lacedæmones à Lycurgo, Athenienses à Solone, Romani denique à Numa Pompilio eas accepissent: sed multò pluris Euangelica lex nobis facienda est, quippe quæ ab æterno Dei filio lata, ab Spiritu sancto in cordibus descripta est.

Cùm sanctissimus Dauid obiecit Israeli beneficia ab immortali Deo tributa, illud præcipuè proposuit, *Suscitauit* (inquit) *testimonium in Iacob, & legem posuit in Israel.* Neque mirum est, Dauidem tanti æstimasse diuinam legem, cùm ea ab ipso Deo maximi fiat, vt clarè perspici potest ex his, quæ in illius promulgatione edita sunt: tunc enim cœperût audiri tonitrua (sacra Scriptura testante) & micare fulgura, & nubes densissimæ operire montem, clangorque buccinæ vehementiùs perstrepebat, & timuit populus, qui erat in castris, & vt honorificèciùs lex illa coleretur, eam Deus ipse digito suo voluit scribere. Nam, vt sacræ litteræ referunt, dedit Dominus Moysi duas tabulas testimonij lapideas scriptas digito Dei, quò autem eæ magna veneratione prosequerêtur ab omnibus, iussit eas in angustissima Arca testamenti custodiri. In quibus omnibus significari voluit Deus, quàm esset lex illa religiosè colenda: cùm autè nostra præstantior sit, atque excellentior, præstantiori etiam atque excellentiori cultu suscipienda est.

Neque solùm ex his, quæ in hac ratiocinatione diximus, colligitur, quanti sit facienda diuina lex, & quàm grato animo legislator colendus, sed etiam rectè concluditur vinculum, quo obstringimur ad eius obseruãtiam & obedientiam. hanc Deus ab Israelitis efflagitauit, postquam legem eis tulit. *Serua* (inquit) *legem meam quasi pupillam oculi tui, liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui.* Cũ verbis declarare volumus amorẽ & studium nostrum erga aliquam rem, eam tanquam pupillã oculi nostri amare & obseruare dicimus. Quòd si volumus illius memoriam nunquam amittere, annulo, vel aliqua huiusmodi re, quæ eius nobis memoriam excitet, digitos circumdamus. Si autẽ eares magni momenti magnique valoris fit, plurimique interest, vt memoria non effluat, eam in charta, vel ephemeride scribimus. Hoc igitur amore, hoc studio, hac obseruantiã, ac diligentiã vult maximus Deus suam legem à nobis diligi, coli, atque obseruari. *Serua* (inquit) *legem meam quasi pupillam oculi tui.* Ecce explicatur amor, quo diuinam legem amplecti debemus: liga eam in digitis tuis, illius memoria nobis in his verbis commendatur: & denique vt sciamus, quàm sit hæc memoria necessaria, quantique ponderis, ac momenti, subiunxit: *Scribe illam in tabulis cordis tui.*

Neque mirandum est, ita nobis diuinam legem commendari, cùm eius obseruatio plurimùm referat, & in ea salus nostra sita sit, ac collocata; ex illius autem violatione damnatio nostra prouenit. *Deus ab initio constituit hominem* (asserit Ecclesiasticus) *& reliquit eum in manu consilij sui, adiecit mandata, & præcepta sua: si volueris mandata seruare, conseruabunt te.* Diuina quidẽ lex est quoddam septum, eos dumtaxat præmuniens, qui præmuniri volunt, & ideo, *Si volueris* (ait) *mãdata seruare, conseruabunt te*, alioquin à ferunculis & animantibus euerteris: *nam qui despipat sepem, mordebit eum coluber.*

Tantum denique interest diuinæ legis obseruatio, vt satiùs esset violatoribus eam nũquam accepisse, quia vt scribit Apostolus: *Quicumque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Quemadmodum enim ij qui regalibus muneribus funguntur, cùm suorum munerum rationem reddunt, legibus ab ipso Rege statutis damnantur, vel absoluuntur; sic etiam per legem à Deo nobis indictam saluandi vel condemnandi sumus, quia, vt subdit Apostolus, *factores legis iustificabuntur.*

Cuius rei præclarum documentum apud Zachariam reperio, *Leuaui* (inquit) *oculos, & vidi, & ecce volumen volans, & dixit ad me:* (scilicet Angelus) *Quid tu vides? & dixi: Ego video volumen volans: longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum.* Magnus sanè liber, sed quid ille sit, audiamus. *Hæc est* (inquit Angelus) *maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ*, & explicans Diuus Gregorius, quid sit volumen hoc, de quo loquimur: *Quid*, inquit, *aliud est volumen volans, nisi Scriptura sacra? quasi diceret: nihil est aliud, quàm Scriptura sacra, & lex diuina.* Cur ergo quod B. Gregorius Scripturam sacram appellat, Angelus maledictionem vocat. quo pacto res sacra potest esse maledictio? Sanè ab ipso Angelo id videtur explicari, cùm ait: *Hæc est maledictio, qua omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur, & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur.* Ecce vobis difficultatem enodatam: nomen enim causæ tribuitur effectui. Recolite memoriã sententiam illam in nouissimo die contra sceleratos homines ferendam: *Ite maledicti in ignem æternum.* Hæc est maledictio, quæ quidem in sacra historia à Diuo Matthæo scripta reperitur. Iam ergo maledictio reperitur in hoc sacræ Scripturæ volumine: quapropter volumen hoc, quod viris optimis benedictionem affert, maledictionem impijs infert, qui quidem secundùm maledictionem in eo libro scriptam, damnationi addicentur, quia quæ in eo præcepta sunt, non præstiterunt.

Psal. 102. pro magno Dei erga pop. Israel beneficio reputabat Dauid, legem Moysi illi traditam fuisse. *Notas*, inquit, *fecit vias Moysi, filijs Israel voluntates suas:* vias, & voluntates Dei, leges eius vocat: his enim veluti itineribus nos in cœlestem patriam ducit, in hisque nobis suas voluntates expressit.

Idque magis auget Psal. 147. *Qui annuntiat verbii suum Iacob: iustitias, & iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni*

Similit.

Cap. 31. 33

Ioan. 14. 16.

Psal. 77.

Exod. 19. 16.

Exod. 31. 18.

Prou. 7. 2.

Ebr. 1. 1.

Cap. 3.

Similit.

Eccl. 10. 8

Rom. 2. 12.

Ibid. 13. Zach. 5. 1.

Psal. 147 19.

nationi,

nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Hoc quantò singularius, tantò sublimius est beneficium. *No se hubo Dios de la guisa con otra nacion del mundo.*

Deut.4.8. Item Moyses Deut.4. *Quæ est gens sic inclyta, quæ habeat cæremonias, iustasque iudicia, & vniuersam legem, quam ego propono hodie coram oculis vestris?* id est, omnes in tenebris ignorantiæ iacent, tu solus, ó Israel, à Deo inclytus, & dilectus lucem diuinæ participas legis: quando id tu promeruisti?

Sap.13.1. Quid inde? quid? audi Sap.13. *Vani sunt omnes quibus non subest scientia Dei.* Vanum dicimus, quod ad finem suum non pertingit; sicut in vanum æger medicamina sumit, quibus salutem non assequitur, &c. & in vanum esset ædificata domus, quæ nunquam habitaretur. Sic in vanum sunt homines, qui non saluantur. Ecce ergo quanta infelicitas his, qui Euangelio carent, in vanum ipsi sunt, hi vitam non assequuntur æternam, ad quam conditi sunt, hoc est, præfiniti, & reprobi sunt. Vide quantum nobis interlit Euangelica lex, quæ nobis notitiam Dei, & veri Dei confert, &c.

Psal.147.20. Psal.147. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.*

Philo. Philo lib. de Antiquitatibus Bibl. asserit Moysen ideo fregisse tabulas legis, Exod.34. quia vidit obliterariam, & deletam esse subitò ex illis legem, datam à Deo, scriperat in illis Dominus legem: sed quia populus peccauerat peccato illo magno idololatriæ vituli, deleuit legem, quasi dicens: Non est dignus tanta lege populus iste, quò nobis constaret, beneficium Dei magnum esse legem eius, &c. quare cùm iterum reuersus Moyses pro populo oraret, illi Dominus, *Præcide*, ait, *tibi duas tabulas lapideas, instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti.* Pondera verba illa, *præcide tibi*, non ait, illis, sed *tibi*: licèt enim illis danda erat lex, sed tamen beneficio Moysi data fuit; quasi diceret Deus: Tibi gratulentur reliqui: tui enim causâ legem restauro; quia te vidi iustum coram me; illi indigni huiusmodi legis beneficio erant, ideo tibi eam ego tribuo: *præcide tibi.* Vides magnum Dei beneficium esse legem Dei: sunt enim qui oneri tribuant mandata Dei, nescientes beneficia æstimare, &c.

Exod.34.1.

Prop. II. *In legis diuinæ præceptis resplendet bonitas & misericordia Dei.*

Ps.93.20. Psal.93. *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Cum quo hic loquitur Dauid? Liranus & Titelmannus asserunt, cum peccatore indurato hîc Dauidem loqui: & sensus est, ó peccator, qui falsò affirmas esse laborem magnum in custodia præceptorum, fingens quod verè non est, & ideo sedes in sede malitiæ tam constanter, ac si adhæreret tibi sedes ista, quærens hoc modo excusationes in peccatis.

S. Hier S. Basil. Sed tamen S. Hieron. & S. August. & S. Basil. asserunt hîc Dauidem cum Deo loqui, & tunc sensus est; O Domine, qui verè fingis & ponis laborem in tuis mandatis: præcipis enim nobis passiones refrænare, parcere inimicis, condonare iniurias, pœnitentiam agere, voluptatibus mundi valedicere, & alia huiusmodi; tibi Domine, qui talia præcipis, nunquid adhæret sedes iniquitatis? hoc est iniustitiæ: æquitas enim idem est quod iustitia. Vnde è conuerso iniquitas idem est, quod iniustitia. ac si diceret: Tu Domine iussisti nos difficilia mandata tua seruare, nunquid tu, qui promisisti seruantibus hæc præcepta, præmia æterna, & promissioni tuæ debes ex iustitia promissis stare, sine præmio tali relinques seruantes mandata? absit: tu enim Domine bonus essentialiter cùm sis, non fraudabis nos mercede ista.

At dices; Si Deus ideo quia bonus est: cur nos ad tales labores deuinxit? cur independenter sine obligatione præceptorum, bona ista nobis non tribuit? S. Hieron. respondet: *Sine huiusmodi laboribus regnum cælorum possidere non possumus, quia naturalia præcepta in se laboreum habent.* Ita S. Hieron. ideo ergo in lege scripta & in lege noua, præcepta ista confirmauit, quæ naturalia erant, ne æternam felicitatem amitteremus. Vnde Dauid Psal.24. ait: *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Etenim quòd rectus sit Dominus, non dubium, & quod rectissima & iustissima sint præcepta eius; quomodo autem intelligitur dulcis præterea esse, cùm laborem suprà dictum contineant? Nimirum quia ad promerendam beatitudinem præcepta illa necessaria sunt, & non dulcis Dominus, &c. Et Matth.11. *iugum meum suaue*, non quia carni graue non sit, sed quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis: etenim dulce præceptum, & dulce præcepti onus, & denique dulce mandatorum vinculum, quod nos ad libertatem ducit æternam, sicut dulce vinculum phrenetici, qui solutus ab illo se præcipitare contendit. *Hieron.*

Hinc etiam Cant.5. sic Sponsum laudat sancta sponsa: Labia eius lilia, distillantia myrrham primam. Et enim labia Christi sponsi distillabant præcepta & documenta salutaria; hæc autem præcepta vocat myrrham primam: myrrham quidem, quia myrrha amara res est; primam autem, id est, optimam & salutarem. Sic præcepta Domini amara sunt humanitati nostræ, quæ delicias amat: sed amaritudo hæc salutem æternam secum affert, vt in sanctis patet, & maximè in martyribus. *Cant.*

Præcepit Deus Gen.17. Abrahæ vt circumcideretur omnes qui in populo Israël existerent, & subdit: *Erit pactum meum in carne vestra in fœdus sempiternum.* Vbi pactum vocat circumcisionem, & hoc pactum ait fore in fœdus sempiternum. Cur ita? Glossa interlineariis sic respondet, *quoniam ad æternitatem ducit.* Ita Glossa. Amarum quidem erat vulnus circumcisionis; myrrha erat, sed præcepti illius adimpletio ad æternitatem cœlestem ducebat. *Gen.17.13.*

Prop. III. *Lex Dei ostendit nobis, quid sequendum, fugiendumve sit.*

Isai.5 *Væ, qui dicitis bonum malè, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Istud væ (vt sæpe dictum est) æternam damnationem importat, & illos comprehendit, qui errore iudicij ducti, quod animæ nociuum est, vtile ac bonum, saltem practicè iudicant esse: in cuius remedium consideratione diuinæ legis adhibemus. Sicut enim hi qui aciem oculorum obtusam habent, conspicilla oculis adhibent, quorum adminiculo, quæ magna sunt, magna, & quæ parua sunt parua, & quæ pulchra sunt, pulchra, quæ verò deformia sunt, deformia esse conspiciant: sic qui præ oculis, velut conspicilla, mandata Dei apponunt, rectè de rebus omnibus iudicabunt; quæ mundi sunt parua, quæ verò cœli sunt, magna esse iudicabunt, peccata deformia, virtutes pulchras esse dignoscet, &c. Quod à Deo sic expositum habemus, *Erunt* (inquit) *verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, eruntque, & mouebuntur inter oculos tuos.* Quid est, *erunt ante oculos tuos*, nisi erunt quasi conspicilla quædam intellectus tui, vt ita rectè de rebus omnibus iudicare possis, & quid eligendum, quidque reiciendum sit, prospicias? *Verſ.20.* *Deut.6.6*

Quod alia metaphorâ explicauit Dauid, agens de viro iusto, *In lege* (inquit) *Dei meditabitur die ac nocte.* Quid inde? *& erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Qui non meditatur, nec cogitat legem Dei, fructum bonorum operum non refert, sicut arbor fructifera profert. *Psal 1.2.*

Vnde

Vers. 6. Vnde Psalmo 118. *Tuve* (inquit) *non confundar, cùm* A *perfi exero in omnibus mandatis tuis*, non faciam opera confusione, & verecundiâ digna. Et iterum ibidem: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Verbum Dei vocat legem Dei, quia Deus eam nobis dedit, metaphoram sumens ab ijs, qui nocte ambulant, qui ne alicubi offendant, lucernam adhibent, & secum ferunt: in nocte ambulamus vitæ huius, in qua multi offendunt, cadunt, & pereunt; lex autem lux est, quæ nobis offendicula manifestat, vt ita nos facilè vitare illa possimus. Vide quanti referat, & expediat nobis frequens diuinæ legis meditatio.

Prop. IV. *Legis Christi obseruatio necessaria est ad salutem.*

Vers. 2. Deut. 33. Moyses visionem quandam narrat, dicens: *Dominus de Sina venit, & cum eo sanctorum millia, in dextera eius ignea lex:* vbi Caietani interpres ex B Hebræo sic traducit: *Ad dextris eius ignis, & lex*, siue hoc sit, quòd à dextris eius aliquis Angelus legem, alius verò ignem deferret, siue quòd ipse Dominus in dextera sua vtrumque haberet, aut denique sicut littera nostra sonat, ipsamet lex quasi igne accensa, appareret, quo nobis significatum est, simul cum lege ignem existere, vt intelligeremus omnes aut legem esse à nobis obseruandam, aut in ignem nos esse proijciendos.

Vers. 21. Vnde Christus Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum*, &c. ac si dicat: sine obedientia nemo saluabitur, cum obedientia nemo peribit.

Inter ea omnia, quæ naturâ comparari possunt, nihil est amabilius vitâ, neque quid ita odiosum ac mors, quæ, vt Philosophus Aristoteles Ethic. 6. testatur, omnium terribilium terribilior est. ex quo fit, vt magno homines studio vitam tueri, ac conseruari curent, & cùm incommoda valetudine vtuntur, diligentissimè studeant conualescere, ac pristinam valetudinem recuperare. Valde igitur amabilis est huius lucis, quâ fruimur, vsura, cùm in eam augendam, & conseruandam omnem curam, ac diligentiam conferamus. Ideo humani generis Seruator his, qui diuturnæ vitæ tenentur desiderio, cælestem proponit cibum, quo si vescantur, vitam agent æternam, & nullis vnquam fæculis perituram. qui quidem cibus est diuinus Dei sermo, quem qui seruauerit, mortem non gustaturum in æternum, asseritur. Ioan. 8. Neque verò hîc mentio fit de temporali morte, sed de æterna: illam enim omnes sunt *Hebr. 9. 27.* necessariò subituri, cùm, Apostolo teste, *statutum sit hominibus semel mori*, hanc verò si quis effugiat, felicissimus haberi potest. Et quidem amissio vitæ temporalis nihili facienda est, dummodo æternam illam vitam assequamur; ad hanc ergo respiciendam diuinus nobis sermo hodierna luce adhibetur.

At qua ratione diuinum verbum vitam nobis re- *Ioan. 8. 52* stituat, ac tueatur, cælestis ille Medicus declarauit. *Si quis* (inquit) *sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum.* Obcdientiam sanè postulat, & diuini sermonis obseruantiam. Nonnulli quidem diuina verba, ac mandata perlegunt, alij in eorum cognitionem studio, & cogitatione incumbunt, alij ea tradunt discipulis, alij longam de his concionem habent, alij denique illa à concionatoribus, ac magistris accipiunt: at nullis ijs modis cælestis illa diuini verbi medicina vitam reddit, nisi eam quis accipiat, ac decoquat. Quemadmodum enim arbor vitæ in paradiso quondam constituta, non afferebat vitam ijs, qui illam dumtaxat intuerentur, vel tangerent, sed solùm his, qui illius fructum comederent; sic etiam diuinus sermo gustatus ac sumptus, à morte eripit, & vitam affert sempiternam.

Ostendit olim Deus Exechieli, ac D. Ioanni libros illos, in quibus diuinum verbum scriptum erat, & præceptum est eis, vt acciperent singuli librum, ac deuorarent illum. non quidem præcepit illis, vt huiusmodi libros perlegerent, & quæ in eis scripta essent, addiscerent, sed vt illos comederent, ac deuorarent. Degustandus nobis est diuinus sermo, & intumendus, vorandus, atque adhibendus cordi, si ex eo salutem nobis, & vitam volumus comparare: sicut cibus etiam comedendus est, vt vitam afferat. *Exech. 3. Apoc. 5.*

Quocirca D. Paulus scripsit ad Romanos in hunc modum: *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Ac si diceret: licèt pluribus interfis concionibus, si tamen ea, quæ à concionatoribus audis, non excquaris, neque iustitiam, quæ animi vita est, consequeris: at verò si eis pareas, æternam animo vitam comparabis. *In quo corrigit adolescentior viam suam?* rogauit Regius ille vates, qui sibimet respondens, ait: *In custodiendo sermones tuos.* difficile quidem est, effrænatæ iuuentutis libidines comprimere, eas tamen Dei sermones custodiendo, coercebimus. vt enim D. Ambrosius ibidem asserit. *Mens nostra verborum cælestium conspersa semimbus; quæ ante degenerabat, in stirpibus, meliores cultus edere, fructusque afferre incipit.* Et B. Augustinus super eundem Psalmum ait: *In hoc loco custoditio sermonum Dei intelligenda est, operatio præceptorum: frustra enim custoditur memoria, si non custodiatur & vita. Non equidem verba Dei tenendo agunt, ne obliuiscantur, nec agunt viuendo, vt corrigantur. non enim ait: In quo exercet timor memoriam suam, sed in quo corrigit vitam suam, & ad hoc respondet:* In custodiendo sermones tuos, *neque vllo modo dicenda est via correcta, quamdiu est vita peruersa.* Hæc Augustinus. *Cap. 2. 13.* *Psal. 8. 9.*

Quapropter hortatur nos B. Iacobus, dicens: *Fratres, estote factores verbi* (id est, adimpletores verbi, vt explicat D. Thomas) *& non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos, quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit.* Fingite animo, quæso, quendam hominem se in speculo conspicientem, & cùm vultum maculâ affectum intueatur, displicet sibimet, ac maculam decernit abluere, conuertens tamen oculos retrò, maculæ oblitus, eam detergere nulla ratione curat. Huic fanè nihil profuit oculos in speculum coniecisse, in eoque oris fœditatem aspexisse. ita etiam, inquit Apostolus, (vt in eodem loco D. Thomas interpretatur) qui legit, audit, aut ediscit diuina verba, intuetur quidem in his animi sordes, ac flagitia, quorum turpitudinem aliquo modo respuit & mente concipit, illa omnino detestari sacroque confessionis sacramento animi maculas diluere, sed quamprimùm à concionibus discedit, illud consilium ac propositum effluit è memoria, & in sua prauitate perseuerat. cui quidem satius fortasse esset, non interfuisse concioni, neque de diuinis rebus sermonem accepisse: vt enim Christus Dominus affirmat, *Luca 12.* seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. *Cap. 1. 13.*

In libro Exodi fertur, factum esse Israelitico populo huiusmodi promissum: *Si audieris vocem Domini Dei tui, omnem languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te.* In quibus verbis habuit se Deus, ac si iudex quispiam alicui diceret: si furatus non fueris, ceruices tibi non frangam. In Isaia etiam ait: *Si audieritis me, bona terræ comedetis.* Ac si aliquis herus suo seruo hoc promissum faceret: Si mihi obsequium, atque obedientiam præstes, abundè tibi cultum victumque suppeditabo. Tam verò excellentius quoddam præmium diuinis sermonibus obtemperanti promittitur: neque enim optimus Deus tanquam iudex obedientibus pollicetur *Exod. 15. 26.* *Isai. 1. 19.*

licetur se in illos non esse animaduersurum, neque tanquam herum, se illis cibum abundè redditurum, sed tanquam hominum seruator, vitæque assertor, ait: *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum.*

Ioan. 8. 52

Prædarum hoc præmium obsequentibus Deo promissum, diuinus ille Ioannes diuinitus indicauit, cùm ait: *Qui habet aures audiendi, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiæ: Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.* Quid verò sit *mors secunda*, eidem Ioanni enunciatur in eisdem vaticinationibus in insula Pathmos factis, vbi infernus vocatur mors secunda. Vincenti ergo promittitur ereptio à morte secunda. At cur in præsenti obedienti dumtaxat dicitur, nunquam eum esse gustaturum hanc secundam mortem? Etenim vincens, & obediens (inquit Salomon) loquetur victorias, de dæmone quidem, corporisque cupiditatibus, quibuscum bellum gerit, infestissimum; vt suo Duci, atque Imperatori Deo obsequatur, & victoriam gloriosissimè reportet. Vir igitur sic Deo obediens, loquetur victorias, & sic vincenti dicitur: *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda*, id est, *mortem non gustabit in æternum*, qui sermones meos seruauerit, sed fruetur æternâ, ac beatâ vitâ. Quocirca cùm Ioanni æteræ vitæ diuitias immortalis Deus ostendisset, statim ei dixit: *Qui vixerit, possidebit hæc.*

Apoc. 2. 11.

Apoc. 21. 7.

Idem à Regio illo vate significatum est, cùm ipse à summo Deo petijt: *Intellectum da mihi, & vitam.* Sed quæ vis est intellectui ad vitam Dauidi restituendam? an ille vitâ functus erat, vt ad eam intellectus vi reuocaretur? Hoc certè ex ijs, quæ paulò altiùs propheta dixerat, planè cognoscemus: *Da mihi* (præmiserat) *intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* Eccequò spectet Vates sanctissimus, cùm à Deo petijt intellectum: illum enim desiderat ad seruandam legem, & sermones Dei, & ad diuina præcepta custodienda, & huiusmodi lumine, atque intellectu illustratus, pollicetur sibi vitam, æternam scilicet (vt ibidem explicat D. Augustinus) ac si diceret Dauid: Præbe mihi, Domine, lucem, & intelligentiam, vt intelligere valeam mandata tua, intelligendo seruare, seruando viuere in æternum, & non gustare mortem secundam.

Psal. 118. 144.

Psal. 118. 34.

Hoc etiam significauit Deus in miro illo modo, quo per vastam illam solitudinem duxit Israëlitas: Dominus enim (vt sacræ litteræ testantur) præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore. Sed parui facientes hoc immortalis Dei beneficium, volebant redire in Ægyptum, & aliunde suæ vitæ ducem eligere, atque idcirco dicebant: *Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum*, quapropter iratus Dominus, ait: *Omnes homines, qui non obedierunt voci meæ, non videbunt terram pro qua iurauí patribus eorum.* & verò Terra illa promissionis, lacte, & melle referta, in qua Israëlitæ, multis superatis laboribus, tam longa peregrinatione susceptis, otio, ac quiete fruentes, vnusquisque sub ficu, & vite sua requiesceret, patriam illam cœlestem, ad quam nati sumus, & in qua plenè requiescemus, non obscurè significauit: in quam quidem nullus pedem inferet, nisi ille qui diuinæ voci obediens, Deum tanquam itineris ducem, ac præceptorem sequetur.

Exod. 13.

Num. 41. 4.

Ibid. 22.

Neque verò aliquid aliud sine hac vna obedientia, quæ diuinis verbis præfatur, satis est ad æternam, & beatam vitam assequendam: sicut enim in amœnissimo illo, ac primis parentibus consito paradiso, in quo varia arborum, ac pomorum genera sita erant: arbor dumtaxat vitæ fuit, quæ vitam conseruabat, immortalesque homines efficiebat: sic etiam inter reliqua huius vitæ bona, quæ hominum industriâ comparari possunt, sola obedientia, ac diuini sermonis obseruatio, spiritualem vitam donat ac tuetur: ob hanc enim animi vita, quæ in gratiâ, & charitate consistit, acquiritur, crescit, atque augetur. Manifestum est Christi Domini testimonium ad plenam huius veritatis cõfirmationem, qui iuueni interroganti apud Matthæum: *Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* Respondit: *Serua mandata.* non dixit: audi conciones de mandatis, lege, meditare, intellige, &c. sed: *Serua mandata*: tali enim obedientia saluus eris. Qua quidem in re videre mihi videor, hanc obedientiæ virtutem participare magnam illam charitatis dignitatem, quam Diuus Paulus prædicat in epistola ad Corinthios prima, dicens: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam*, hanc tamen obedientiam non habuero, *nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam*, diuinæ autem voluntati non obtemperem, *nihil mihi prodest.* Sed quàm sit hoc verum, atque hominibus expediens, ille facilè cognoscet, qui secum animo considerauerit, mortem illatam esse propter inobedientiam; vitam verò propter obedientiam fuisse homini restitutam.

Matt. 19. 16.

1. Cor. 13. 1.

Quæ cùm ita se habeant, quis tantæ est audaciæ ac temeritatis, qui Deo non pareat, eiusque in rebus omnibus voluntatem non sequatur? Si vobis à Deo iterum vitæ & mortis arbor offerretur, quis dubitat, quin vnusquisque morte ipsa reiecta, vitæ arborem degustaret? oppositum enim vitio vertitur Adamo. Inobedientia igitur mortis arbor est, obedientia verò vitæ: nam *si quis* (inquit Christus) *sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum.* Ille ergo qui Deo morem gesserit, qui illius voluntati seruierit, eiusque mandata fuerit exequutus, nunquam sanè morti animę addicetur, sed beatâ ac sempiternâ vitâ fruetur. Sine obseruatione mandatorum Dei nemo saluabitur, licèt ille rex, & totius mundi Monarcha sit; nec cum obseruatione mandatorum peribit quis, licèt ille Lazarus miserrimus sit. ideo enim Lazarus ille pauperculus manibus Angelorum in sinum Abrahæ ductus fuit, ideo diues ille purpuratus, & byssineus, qui quotidie splendidè epulabatur, sepultus est in inferno.

Ioan. 8. 52

Hinc tota diaboli cura in hoc sita est, vt à mandatis diuinis recedamus. Captam Arcam Philisthæi dimittere decreuerunt, eò quod manus Domini aduersùs eos aggrauaretur, quod vt exequerentur (adhibito priùs consilio) super plaustrum nouum eam imposuerunt, & duas vaccas fœtas, quibus nunquam fuerat impositum iugum, in plaustro vinxerunt, vt sine duce aliquo vaccæ ducerent Arcam. Quæ, licèt domi vitulos, quos alebant, relinquerent, mugientes, rectâ viâ pergebant, neque ad dexteram, neque ad sinistrâ declinantes, & tandè sine duce eò Arcam duxerunt, quò ducenda erat. Vnde miraculum hoc? Non à Deo, ait Origenes, id operante, sed permittente: à dæmone autè opus hoc fuit (inquit) qui noluit Arcam Dei apud Philisthæos manere; ille consilium satrapis Philistinorum dedit, ipsoque duce ibant in directum vaccæ, &c. Cur igitur noluit Arcam apud Philisthæos amicos eius manere, cùm id victorię trophæum esset Philistinorũ aduersùs populũ Dei, cuius dæmõ infestissimus hostis erat? nimirum, quia in Arca illa tabulæ diuinæ legis cõtinebantur, in quibus digito Dei diuina erãt conscripta mãdata. Erat quidẽ diabolus princeps Philistinorum, & eos secũ omnes ad tartara ducebat, quia contra Dei mãdata cuncta illos facere facilè suadebat, ideo tamẽ noluit Dei mandata ibi remanere, ne fortè legentes, & legis veritatem cõsiderantes, ei adhęrere vellent. Abeat (inquit) Arca cum sua lege, ne maneat apud meos, &c.

1. Reg. 5. & 6.

sic hostis obseruationis mandatorum Dei, occasiones A
auferre molitur.

Exod.13. 21. Exod. 13. cùm pergeret populus Israël in Terram promissionis, Dominus Deus dux eius fuit. Audi quo pacto, *Dominus*, inquit, *præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.*

Clemens Alexand. Clemens Alexandrinus orationem ad Græcos, sic locum & mysterium interpretatur, *Hoc*, inquit, *simul est gratiæ, & timoris indicium; si obedieris lux, si non obedieris, ignis est.* Ita ille. qui supponit nubem hanc diuini verbi seu legis esse figuram: ideo enim ait: *si obedieris*, &c. Qui ergo verba Dei audit & seruat, lucem ea sibi facit, quâ in terram beatam pergat; qui verò minimè, per eandem legem damnabitur à Iudice Deo. *Como el aranzel de Iusticia que en[illegible] lo que cada vno debe hazer, y si no lo hizieré, por el mesmo aranzel, le condena la Iusticia.*

Simile. Nemo dicat: Si hæc præcepta non essent, neque transgressiones eorum fuissent, atque adeo nec peccata; cur ergo ea Deus appositi? Nemo, inquam, id B
dicere præsumat: hæc enim præcepta naturæ ipsi insita sunt, etiamsi Deus conscribi ea noluisset, per ipsummet & intrinsecum naturæ nostræ rationalis dictamen tenemur ea seruare. Sed ne amor proprius, depraua tus à concupiscentia nostra, tenebras menti inijceret, voluit Deus expressiùs litteris conscribi mandata illa, ne ignorantiam affectemus; hoc autem ingens beneficium fuit, ne ignorantiâ affectatâ pereamus.

Matt.21. 33. Matth. 21. in parabola vineæ, *Sepem* (inquit Dominus) *circumdedit ei.* Etenim vineam hanc esse Ecclesiam,

Isai.5. seu populum Dei, expositi Isaiæ c. 5. de sepe autem

S. Basil. ait S. Basilius hom. 2. Hexamer. *Ea tutela est, quæ ex præceptis resultat.* At, inquies, non sunt præcepta, quæ seruant nos, sed nos potiùs sumus, qui præcepta seruamus: etenim nos præcepta seruamus, & vicissim seruamur ab eis. Audi Ecclesiasticum cap. 15. *Deus ab initio*

Eccli.15. 14. *constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui,* (*diole libre aluedrio, que es gran beneficio suyo, mas paraque no viui esse a su aluedrio y sin orden alguna,*) adiecit C
mandata, & præcepta sua, id est, beneficium beneficio cumulauit, *si volueris*, inquit, *mandata seruare,*

Simile. Eccli.15. 16. *conseruabunt te.* ecce mutuam dictam conseruationem: sicut enim vestimentum à corpore, & corpus à vestimento calorem recipit, sic homo à præceptis salutem animæ, & præcepta tutelam ab homine capiunt: ideoque sepem dixit esse præcepta: sicut enim ciui-

Simile. tatem murus defendit, si tamen ciuitas murum conseruet, sic de nobis & præceptis diuinis ait Spiritus Sanctus: *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te.*

Vnde cùm Sanctus Ioannes Baptista legem Dei po-

Vers.10. pulo prædicaret Matth. 3. *Iam*, inquit, *ad radicem arboris posita est securis, omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Quænam est

S. Hier. securis hæc? Sanctus Hieronymus ibidem, *Prædicatio*, inquit, *sermonis Euangelici, qui gladius ex vtraque parte acutus appellatur, iuxta Hieremiam prophetam, qui verbum Domini securi comparat cædenti arborem*, Hierem. 6. Ita Sanctus Hieronymus. miraris fortè: quid enim D
securi cum Euangelio prædicato? *que tiene que ver el Euangelio prædicado con hacha de cortar? si fuere con hacha*

Psal. 105. *de alumbrar*, Bene: ait enim Dauid Psalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum:* rectè quidem, nam his qui audiunt legem Euangelicam & custodiunt illam, lucerna est, his verò qui non obseruant, securis.

S. Aug. Matth.3. 25. Vide optimè Sanctum Augustinum serm. 1. de verbis Domini in illa verba, *Esto consentiens aduersario tuo*, &c. Vbi optimè ad rem exponit locum illum.

Prop. VI. *Lex Dei non ex parte, sed in totum est obseruanda.*

Ps 118. 128. *Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquitatis odio habui.* non inquit, hoc vel illud mandatum custodiui, verbi gratiâ, non assumpsi nomen Dei in vanum, non falsum protuli testimonium, &c. sed ad omnia mandata tua, &c. Videas quemdam se iactantem, quòd nunquam ex eius ore prodierit mendacium, attende tamen, & videbis eum detrahere proximorum famæ, & honori, sæpe solet ille se castum sicut Ioseph, gloriari, sed tamen superbiâ Luciferum imitatur, &c. hi nequaquam cum Dauid dicere valent: Ad omnia mandata tua dirigebar.

Dic, quæso, quid profuerit ciuitati ab inimicis obsessæ magnis & fortibus muris esse munitam, si vel vnicum posticum apertum habet, quo facilè possint inimici ciuitatem ingredi. Circuit diabolus quærens quem deuoret. vt quid proderit omnia mandata præter vnum seruare, si inde inimicus animam perdit? *Venit* *Ioan.14. 30.* (inquit Dominus) *princeps mundi huius, & in me non habet quidquam*, hoc est, nihil habet, nullus patuit illi ingressus ad me, sic te gloriari oportet, non quòd verax in sermonibus sis, & nullum proferas iuramentum, &c.

Prop. VII. *Obseruanda est lex Dei, eò quòd à Deo sit.*

QVamuis duriora & asperiora nimis essent, quæ nobis præcepit Deus, eò quòd huiusmodi præceptorum Deus ipse author est, exactissimè essent à nobis obseruanda. Refert Iustinus quòd Lycurgus La- *Lib.3.* cedæmonijs leges dedit, & vt reciperentur, ac seruarentur, finxit se leges illas à Deo recepisse, & authorem earum Apollinem Delphicum esse, quas quidem ob id illi receperunt, & obseruarunt, cùm tamen leges illæ difficiles admodum forent: nam auri argentique vsum abstulit, eò quòd omnium malorum causam esse meritò dicebat, & emi singula non pecuniâ, sed compensatione mercium iussit, & fundos omnes æqualiter inter omnes diuisit, vt æquata patrimonia neminem potentiorem altero redidissent. Iuuenibus non ampliùs vna veste vti anno toto permisit, neque aliquem cultiùs quàm alterum exire concessit; nec opulentiùs epulari. Insuper statuit pueros nihil somni causâ substernere, & vitam sine pulmento degere, hæc & alia similia, ait Iustinus vbi supra, hominibus solutis moribus degentibus Lycurgus præcepit. & quamuis illis dura videbantur, seruicibus suis imposita tulerunt, quia à Deo lata esse dicenti Lycurgo crediderunt, cùm tamen id fictum à Lycurgo, non autem verum esset: nos verò suauiora præcepta à Deo tradita infallibili prorsus fide credimus, nec tamen obseruamus, quo igitur supplicio digni sumus?

Etsi nulla ergo alia esset ratio quæ nos Dei præcepta seruare suaderet, hæc satis superque deberet esse, quòd ita Deus præcipiat nobis, ille, inquam, qui naturâ suâ Dominus noster est: quia ipse fecit, & ex nihilo creauit nos, & ita naturaliter nos serui eius sumus, & ideo subditi & obedientes illi in omnibus & per omnia esse debemus.

Quod idem Dominus significauit, vbi cùm vellet *Exod 20.* populo suo legem & decem præcepta Decalogi dare, 46. præmisit ei, secundùm aliquos, quasi pro titulo: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruitutis, &c.* aliàs qui obedire renuit, contemnere videtur maiestatem Dei præcipientis; ad eam enim pertinet, vt dictis eius omnes pareamus: infinitæ autem maiestatis est; infinitæque dignitatis,

quanta

quanta igitur erit irreuerentia illi non obedire? quantus contemptus? qui enim alicuius principis mandata contemnit; principem ipsum contemnere censetur.

Confirmaturque ratio hæc ex eo quòd Deus Opt. Maximus infinitæ sapientiæ sit, atque adeo quæ ille præcepit, ex infallibili regula fuæ sapientiæ procedant, rectissimus quoque cùm sit, nihil præcipere poterit, quod non omni obseruatione dignum sit, & cùm prouidentia eius pariter iustissima sit, quidquid mandat, expedientissimum necessariò est: quanta igitur iniquitas erit, nullo horum habito respectu, ob aliquam propriam vtilitatem vel voluptatem, vel proprium honorem diuinæ voluntati contraire?

Prop. VIII. *Legis Dei cognitio deuincit nos ad eius obseruantiam.*

Sanctus Bernardus serm.26. in Cant. *Sunt* (inquit) *qui scire volunt eo tantùm fine, vt sciant, & turpis curiositas est, & sunt qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est, qui profectò non euadent subsannantem satyricum Persium sat. 1. & ei qui huiusmodi est decantatum:*

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Et sunt item, qui scire volunt, vt scientiam suam vendant pro pecunia, & pro honoribus, & turpis quæstus est, sed sunt etiam, qui scire volunt, vt ædificent, & charitas est, & item qui scire volunt, vt ædificentur, & prudentia est. Horum vltimi duo non inueniuntur in abusione scientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere, vt benefaciant. Denique Psal 10. Iacob.4. 17. *intellectus bonus omnibus facientibus eum, reliqui omnes audiant:* Scienti bonum, & non facienti, peccatum est ei: *ac si per similitudinem dicat: Sumenti cibum & non digerenti, perniciosus est cibus, siquidem cibus indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & non nutrit, & corpus corrumpit. Ita multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, & sic per actus animæ, mores scilicet, & actus transfusa, atque digesta, quatenus ipsa de bonis, quæ nouerit, vita attestante, & moribus bona efficiatur: nónne illa scientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conuersus in prauos, noxiosque humores? annon malus humor peccatum? an non mali humores praui mores? annon inflationes & torsiones in conscientia sustinebit, qui huiusmodi est, sciens videlicet bonum, & non faciens?* Ita Sanctus Bernardus.

Prou.18. Vnde Ecclesiast. 1 *In multa sapientia multa est indignatio.* Paraphrasis Chaldaica sic habet: *Vir qui multiplicat sapientiam, quando peccat, & non conuertitur ad sapientiam, multiplicat indignationem à Domino.*

Ezech.3. 14. Hinc S. Gregorius homil. 10. in Ezech. adducens locum illum eiusdem Prophetæ, *Spiritus quoque leuauit me, & assumpsit me, & abij amarus in indignatione spiritus, Sunt* (inquit) *nonnulli, quos eleuat spiritus, sed non assumit. Quorum & intellectus ad spiritalia emicat, sed tamen vita in factis carnalibus rem anet, intellectui non concordat. Balaam enim per prophetiæ spiritum eleuatus erat, sed assumptus non erat; quia & vt raciter potuit longè post futura prospicere, & tamen à terrenis desideriis noluit mentem separare. Sed quoniam Ezechiel intellectu eleuatus est, & vita pariter assumptus propterea abijt amarus in spiritus indignatione; quando enim intellectus cum vita concordat, necesse est, vt displiceant ea, quæ dulcissima videbantur.* Ita S. Gregorius.

Item S. Cyrillus Alexandrinus lib. 9. c. 9. explicans ea verba Christi Ioan. 13. Si hæc scicis, beati estis, si facitis ipsa, *Non magnum* (inquit) *est virtutem cognoscere, sed studiosè agere, id certè maximum est: ego autem existimo, melius modo quodam esse nescire quàm quod scias, per ignauiam negligere, & quod bonum esse crediderit, ex desidia præterire.* Ita ille.

Hinc colligit S. Aug. peiores esse Christianos, ceteris paribus, quàm infideles, super Psal. 30. conc. 2. & super Psal. 99. & ser. 12. de verbis Domini, & serm. 112. de tempore. Vnde rectè S. Ephrem de pœnitentia ait: *Si scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi, quanto magis malum scienti, & illud facienti.*

Hinc etiam S. Hieronymus super c. 10. Isaiæ in illa verba: *Dimissa est iniquitas illius, susceptus est peccatum illius, susceptus est, (inquit) duplicia supplicia Hierusalem pro peccatis suis, semel à Babyloniis, secundo à Romanis.* Ita ille. Quòd si quæras, cur duplicia, respondet S. Hieronymus: *Quia qui scit voluntatem Domini, & peccat, vapulabit multis.* Ita ille.

Prop. IX. *Lex Christi nos in cælum ducit.*

Qui nauigant mare, narrât pericula eius, ne autem pereant, oculos in stellam fixam figunt, vt transire rectà in eum, ad quem pergunt portum valeant peruenire. Per mare nos huius mundi nauigamus, & ad portum æternæ vitæ peruenire desideramus, & quidem in magno illo Oceani mari, tot tantaque pericula naufragij non reperiuntur, sicut in mundo, in quo degimus, pericula, inquam, æternæ mortis; sed hoc nobis effugium, hoc remedium, in Domini legem oculos dirigere nostros semper: si enim à lege Dei nunquam declinauerimus, non obstantibus periculis cunctis, salui erimus. quod non contingit, nauigantibus mare, vt quamuis stellam illam maris semper præ oculis habeant, nauigantes perire semper inter pericula solent; lex verò Dei, stella securior nobis est, non pereunt, quibus illa non perit.

Prop. X. *Qui Dei mandata seruat, seipsum seruat.*

Eccles. 15. *Si volueris seruare mandata, conseruabunt te,* sicut scilicet miles, qui scutum conseruat, ab eodem scuto conseruatur, ne ictibus aduersariorum feriatur. Quare Christus Dominus appetitus à Satana, scutum legis diuinæ opposuit illi, & ictibus illis tribus aduersarius illum percutere conabatur. Si igitur ab hoc assiduo bello, quod cum gehennalibus aduersarijs gerimus, immunis euadere vis, clypeum hunc arripe. *In omnibus,* ait Paulus, *sumentes scutum fidei,* legis sci- Eph 6.16 licet Euangelicæ, & tutus sic eris. Eccl. 15. 16.

Solent, qui ab inimicis obsessi sunt, muros, & mœnia, magna cum diligentia circumire, & videre an vndique bene constent, & tuta sint: quia muris rectè seruatis, seruantur & ciues intra mœnia cõsistentes. Mœnia sunt nobis diuina præcepta, quibus ritè obseruatis, quamuis innumeris dæmonibus circumdati simus, securi sumus. Hoc igitur ait Spiritus sanctus: *Si volueris seruare præcepta, conseruabunt te, aunque todo el infierno dispararò, la fu artilleria.*

Prop. XI. *Quantùm nobis inter sit legem Dei custodire, & ei parere.*

Quærunt apud nos homines famulos, qui famulentur illis ob suam quidem vtilitatem: egent enim famulis qui eis seruiant, adiuuent, & opitulentur, & qui necessaria illis ad victum, & vestitum quærant, adducant, & ministrent ipsis: at Deus noster non quærit famulos propter vtilitatem suam, sed propter commodum nostrum: ipse quippe sibi sufficientissimus est. Vnde priusquam mundum crearet, in æterna quadam duratione solus secum erat, nec minùs beatus, nec minùs sibi gloriosus in illa æternitate fuit sic solus, quàm modo est Angelis, & hominibus, & reliquis omnibus creaturis ei ministrantibus, *Deus meus es tu,* Psal.15.2. ait Dauid, *quoniam bonorum meorum non eges.* Verba hæc protulit Dauid prophetiè in persona Christi, vti exponunt Sanctus Augustinus & Sanctus Hieronymus & alij. Quid ergo? bonis Christi non egebat Pater? Sanctus Hieronymus ibid. *Vniuersa bona, quæ Dominus*

formam serui ac cipiens, in carne monstrauit, non Patri pro- A
fuerunt, sed generi humano; bona autem Christi sunt, in-
carnatio, passio, resurrectio & redemptio nostra, ista Deo
patri necessaria non erant. Ita Sanctus Hieronymus, ni-
mirum, quia sine his etiam Deus sibi satis prorsus
erat. Quòd si Christi obsequijs non indigebat, quo-
modo nostris indigebit? quod nomen illud Saddai
Deo tributum in sacris litteris, manifestat: nam Sad-
dai idem est, quod *sufficiens sibi*; Deus ergo est qui
sufficiens sibi est. Quare si obsequia, & obedien-
tiam à nobis exquirit, & leges imponit, non ideo
est, quòd ipse opus operibus, & obsequijs nostris ha-
beat, sed quia nostrà interfit plurimùm illi parere, &
seruire.

Vers 2. Vnde Psal. 122. *Ecce sicut oculi seruorum in manibus do-*
minorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ,
ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur
nostri. Quid est, *donec misereatur nostri?* Secundùm Cas-
siodorum, serui, cùm aliquid à domino suo petunt, si-
ue cùm malum aliquod sustinent, ad dominum oculos B
eleuare solent; ita igitur & nos, vt misereatur no-
stri Deus.

Sed tamen Euthymius hunc locum subtiliùs expli-
cauit: nam misericordiam istam, quam nobis à Deo
nostro expectamus, dum ad manus eius respicimus,
iussionem ipsam Dei esse dixit. Respiciunt quidem
serui manus dominorum suorum, vt cùm nutum
manus vocantis viderint, statim accurrant, vt vo-
luntatem eius percipiant, & exequantur; *sic* (inquit
Dauid) *oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec mi-*
sereatur nostri, hoc est, donec aliquid præcipiat nobis.
& hanc tu, ò Dauid, misericordiam vocas? miseri-
cordiam quidem nos dicimus, cùm aliquod benefi-
cium tribuit nobis: at præcepta & mandata, onus,
& pondus potiùs quàm beneficium esse videntur. Sunt
quidem præcepta Dei beneficia nostra: neque enim
nos digni sumus, qui tantæ maiestati pareamus, & su-
premi Angelorum se felices autumant; cùm Deus ali-
quid illis iubere dignatur. Præterea, sunt beneficia C
nostra, quia inde ex obedientia nostra magnum me-
ritum nobis accrescit: vnde sicut famuli Regis gau-
dent, cùm Rex aliquid eis iniungit, in quo illi obse-
qui, & seruire possint: sperant enim inde mercedem
suam: sic & nos tunc potissimùm gaudere debemus,
cùm Deo in aliquo paremus, & inde sperare possumus
præmium magnum: quare præcepta Dei misericor-
dias meritò possumus appellare. Hoc animaduertant
hi, qui Dei, & superiorum iussa grauissima pondera
esse arbitrantur, & inde querimonias formant, vnde
gratias referre deberent. *Cur* (inquit) *insipiens in corde*
suo, hoc mihi præceptum est potiùs quàm alteri? quia
tui Deus misereri potiùs voluit, quàm alterius, qui
fortè pauper es meritorum, & inde tibi merendi ma-
teriam præbet, vnde tu parendi occasionem es na-
ctus. Non possum, inquis, facere quod mihi præceptum
est; nolo facere, potiùs dicere debuisses. dic, quæ-
so, si tibi præmium aliquod magnum pecuniarum, vel D
salutis, vel honoris, vel alterius rei tibi à Deo pro-
poneretur pro huiusmodi obedientia, nunquid obe-
dire detrectares? quid igitur impossibilitatem oppo-
nis, qui, licèt nullum inde præmium consequereris,
ob id solùm, quòd Deo tu pares, obedire deberes,
si te fidelem eius seruum dicis; cùm tamen æternum
gloriæ pondus, & magnam Dei gratiam modò paren-
do consequaris.

Prop. XII. *Obseruatio legis diuinæ con-*
ducit ad hoc, vt omnia nobis pro-
sperè eueniant.

Iosue 1. sic Dominus ad Iosue: *Non recedat volu-* *Vers 8.*
men legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac
noctibus, vt custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in
eo, tunc diriges viam tuam. In Græco, loco illorum ver-
borum, *tunc diriges viam tuam*, sic legimus: *tunc feliciter*
ages, nec semel tantùm hoc ex litteris sacris constat;
nam Psalmo 1. de viro iusto agens Dauid, ait: *In lege* *Ps 1. 2.*
Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte,
hoc est, ex assidua diuinæ legis meditatione habet vo-
luntatem suam applicatam ad obseruationem legis.
Quid inde? *Erit tanquam lignum quod plantatum est se-* *Ibid. 3.*
cus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore
suo, & folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet
prosperabuntur. Hoc igitur non Iosue soli, sed omnibus
obseruatoribus legis promittit Deus. Vis igitur in
omnibus prosperari? esto obediens legi Dei, manda-
ta eius fideliter serua, & lex tibi fidelis erit, quæ ob-
seruatoribus prosperitatem in omnibus promittit. Et
ratio ipsa hoc facilè suadet: nam qui Deum offendit,
quomodo Deum sibi propitium meretur habere? imò
puniri ab eo & tribulari aduersis meretur: qui verò
Deo paret, parentem Deum habebit, & protectorem.
denique sine Deo fauente, & protegente, quid fau-
stum euenire nobis potest? eo vero propitio, & fauen-
te, quid aduersum? cui autem Deum propitium fu-
turum credis? cine qui inobediens illi est, an ei qui
obediens?

Prop. XIII. *Quàm delectabilis sit obseruatio*
legis Christi.

Psalm. 118. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum,* *Ps 118. 14.*
sicut in omnibus diuitijs. Cùm obseruatio mandato-
rum Dei ardua & difficilis sit: est enim lex Dei carni
& sanguini satis opposita; quomodo Dauid in testi-
monijs Dei seu mandatis, (quod idem est) ait sede-
lectatum fuisse? Respondet S. Ambrosius ibidem: *Alij* *S. Ambr.*
in auro & argento, alij in possessionibus, vinetis, oleis, frege-
tibus, in diuersis denique singulis delectationes habent: sed vir
spiritualis in via testimoniorum cœlestium delectatur, tan-
quam omne possidens patrimonium, & in omnibus diues. Sic
delectabatur Dauid in omni actu operum bonorum. Ita San-
ctus Ambrosius, ecce huius rei ratio, quia spiritualis
erat: animalis enim homo in rebus corporalibus de-
lectatur, & non in spiritualibus; spiritualis verò in
spiritualibus operibus gaudet. Et quamuis in actuali-
bus obseruantijs & operibus bonis nonnulla difficultas
intercedat; postea verò & maximè tempore mortis,
ex eo maximè afficitur gaudio, quòd multa patrauerit
opera bona. sicut è conuerso peccator & animalis ho-
mo, licèt in operibus malis actualiter fuerit dele-
ctatus, postea, & potissimùm in morte, ex operibus
prauis & delectationibus transactis dolet, contristatur,
& anxiatur.

Psalm. 18. *Iudicia Dei vera, iustificata in semetipsa, desi-* *Ps. 18. 10.*
derabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dul-
ciora super mel & fauum. Iudicia vocat Dauid hoc loco
præcepta diuina. Cur ita? S. Basilius ibidem: *Præ-* *S. Basil.*
terea, quòd sententias Dei manifestat, & quibus potiturus sit
bonis, qui legem custodit, quibusque tradendus supplicijs, qui
transgreditur illam, docet. Ita ille. Sed dices, quare pre-
tiosa magis quàm aurum & lapides pretiosos esse ait, &
dulciora super mel & fauum, cùm apud multos pro
auro & argento eorum obseruatio reijciatur, & potiùs
amara quàm dulcis eis esse videatur? Respondet ibi
S. Basilius: *In omnibus hominibus ita pretiosa & dulcia vi-* *Idem.*
dentur,

dentur, sed his quorum vita non est bestijs irrationabilibus conformis. Ita ille. nimirum, si enim coram iumento discum lapidibus pretiosis refertum posueris, & mellis
Simile. fauum, & simul hordeum & paleam, relictis margaritis & fauo, ad hordeum & paleas properabit, quia iumentum est, & vsu rationis caret. Talis est quidem peccator, si coram posueris bona temporalia, quæ veluti palcæ sunt, bonis æternis & spiritualibus comparata, relictis his, ad palcas properabit, quia vsu rectæ rationis caret.

Prop. XIV. *Quàm facilis sit legis Dei obseruatio.*

3.p.q.34. art.3. SAnctus Thomas quærit, cur Christus Dominus in pane triticeo, & non in pane hordeaceo, consecrauit corpus suum, cùm panis hordeaceus ad hanc institutionem conuenientior videatur: est enim hoc Sacramentum memoriale passionis Christi, secundùm illud
1.Cor.11. 26. Apostoli, *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis*: panis autem hordeaceus, propter asperitatem suam, meliùs exprimeret asperitatem passionis Christi, quàm panis triticeus, qui suauior panis est. & præterea, cùm
Cap.6. Ioan. 6. pauerit multitudinem illam hominum, non pane frumenti, sed pane hordeaceo: cur igitur quoque non pascit nos corpore suo sub speciebus panis hor-
Ibid. ad 1 In lib. 6 Eloguntarium qq. q.61. deaci? Respondet sanctus Thomas *Panis*, inquit, *hordeaceus competit ad significandam duritatem veteris legis, propter duritatem panis, tum etiam, vt Augustinus dicit, hordei medulla, quæ tenacissimâ paleâ tegitur, vel ipsam legem significat, quæ ita data erat, vt in ea vitale animæ alimentum corporalibus Sacramentis obtegeretur; vel ipsum populum nondum expoliatum carnali desiderio, quod, tanquam palea, cordi eius inhærebat. Hoc autem Sacramentum pertinet ad suaue iugum Christi, & ad populum spiritualem; vnde non esset materia conueniens huius Sacramenti panis hordeaceus.*
Ioan. 6. Ita S. Thomas. Cùm igitur in illo conuiuio nondum esset prorsus abrogata Lex vetus; nec noua promulgata, non mirum, si Hebræis illis, qui adhuc Mosaicam legem profitebantur, Christus Dominus panem dederit hordeaceum; nobis autem, iam Nouam tenentibus legem, suauiorem cibum administrauit, vt suauitatem legis Euangelicæ sic demonstraret.

Si Christus Dominus leges nobis ita multiplicasset, sicut Iustinianus & alij Imperatores multiplices leges ciuiles tulerunt, non ita mirum, si quis aliquam, vel aliquas earum violaret: *at lex tota*, ait Apostolus, *in*
Rom.13.8 *hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.* Exaggerat sanctus Augustinus peccatum pri-
Lib.14. de Ciuit. c.12. morum parentum his verbis: *Tam leue præceptum ad obseruandum, tam breue ad memoriâ retinendum, tanto maiori iniustitia violatum est, quanto faciliori posset diligentia custodiri*: hoc ipsum de violatore legis Christi dicen-
Ioan 15. 11. dum est, *Hoc*, inquit, *est præceptum meum, &c.* non maria transmeare, &c. *sed vt diligatis inuicem, sicut, ego qui quæ præcipio adimpleo plenè*, quid ad hæc qui odio intestino proximos prosequuntur, &c.

Prop. XV. *Legis diuinæ difficultatem alleuat Deus.*

1.Par.15. 26. PRimo Paralip.15. cùm adiuuissent Dominus Leuitas, vt portarent Arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri, & septem arietes. Dubium hoc in loco inter Doctores sacros versatur, quale fuerit hoc adiutorium, quo Dominus dicitur Leuitas adiuuisse. Tres authorum sententias refert Abulensis quæst.12. in dictum cap.15. Primam Hebræorum, de
Abulens. Lira. qua sic Nicolaus de Lira ibidem: *Dicunt hîc Hebræi, quòd istud adiutorium intelligitur per hoc, quòd Arca portabat seipsam, hoc est, quòd diuina virtute sic portabatur, quòd Leuitæ portatores eius nullum pondus sentiebant; & propter hoc miraculo fuit facta immolatio illa arietum, & taurorum.* Ita Lira.

Secundus sensus secundùm alios est, quòd cùm Leuitæ in deportando Arcam, defatigarentur; erat enim ponderis magni, Deus in aëre miraculosè Arcam sustentabat, vt interim requiescerent Leuitæ, & tunc offerebant tauros, & arietes.

Tertius sensus aliorum est, quòd, quia ingens erat pondus Arcæ, supplebat Deus vires eorum, & adminiculum eis afferebat, vt facilius Arcam ducere possent. Quomodocunque sit, in hoc omnes conueniunt, quòd vehentibus Arcam illam magni ponderis, Deus adminiculum præstabat, vt facilius eam portarent. Arca autem illa, Arca fœderis erat, in qua lex ferebatur, eos figurans, qui legem Dei tollunt, ferunt, adimplent. Sunt autem in huius rei prosecutione difficultates plurimæ, tum ex dæmonum infestationibus, tum ex carnis affectionibus, tum ex mundi occasionibus, tum denique ex vario rerum euentu: facultas autem, & vires nunc humanæ debiles post peccatum remanserunt. Quapropter Theologorum schola non solùm difficile, verùm impossibile esse, ait, diu omnia Dei præcepta solis naturæ viribus obseruare, non, inquam, ad perfectionem peruenire, sed mandata ipsa adimplere. Quapropter Deus Optimus Maximus cuius natura bonitas, cuius esse charitas, opem gratiæ nobis satis superque fert, quâ Arcam diuinæ legis facilè ad mortem vsque ferre humeris valeamus.

Prop. XVI. *Ad legis obseruationem Deus auxilia præbet.*

Matth.2. MAtth.2. Vocauit Dominus Magos ad sui adorationem. Res quidem perdifficilis illis: Reges enim erant. *y arrancar vn Rey de su casa y reyno, es como arrancar vn monte de su lugar*; multæque difficultates, imò & pericula se illis offerebant: ab alieno enim Rege nouum proclamari Regem, periculosum nimis erat: iter etiam prolixum, terminus ignotus, & sumptus magnus: in Deo autem suam fouent reponentes iter aggressi sunt, Deo quidem fauente. Vnde S. Leo Papa
S.Leo. serm.1. de Epiphania: *Dedit aspicientibus intellectum, qui præstitit signum, & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inueniendum obtulit requisitus.* Ita S. Leo. Ita etiam qui nobis legem dedit, & eam obseruare præcepit, dabit & gratiam, quâ illam seruare possimus, non enim præcipit & deserit. Ideo legem suam iugum appellauit, *tol-*
Matt.11. 29. *lite*, inquit, *iugum meum super vos.* Iugum à duobus bobus ferri solet, & maior maius onus defert; sic & onus legis Deus cum homine tollit, & gratia eius est quæ maiorem vim ponderis defert.

S.Leo. S. Leo Papa serm.1. in Anniuersario assumptionis suæ pontificatu de onere eius agens, ait: *Qui mihi oneris est author, ipse erit administrationis adiutor: & ne sub magnitudine sarcinæ succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem.* Ita ille. Et idem ego de obseruantia diuinæ legis dixerim: Qui author est oneris, erit & adimpletionis adiutor. Et ideo Matth. 11. legem suam appellauit Deus iugum suaue: *Iugum*, inquit, *Vers.30.* *meum suaue est*, iugum autem à duobus, verbi gratiâ bobus portatur non ab vno tantùm, & maior bos maius portat onus, Christus nobiscum auxilio suo onus legis portat, & ille magis quia maior est.

Prop. XVII. *Quàm contra transgressores erit in iudicio lex Christi.*

Ps.118.8. Psalm. 118. *Lex Domini immaculata, conuertens animas: testimonium Domini fidele.* Testimonium hoc loco idem est, quòd lex Dei; cur igitur eam vocat testimonium? S. Basilius ibidem: *vocatur testimonium lex Dei, obid quod peccatores contestatur, & transgressionis supplicium ostendit.* Ita ille. Duo igitur ait hîc Dauid, Primum, *Lex Dei immaculata, conuertens animas*; hoc est, lex Dei adeo sancta est ac vera, vt ipsa per se absque alia persuasione seu ratione, conuertendi peccatores vim ac virtutem habeat, quia satis superque iustificata in seipsa est, tum quia iustissima est & rationi naturali consentanea, tum quia præceptum Dei sit. vnde Esdræ 2. lib. cap. 8. legente Esdra libram legis in platea ciuitatis, vbi conuenerat omnis populus, & audiens lugebat, *Flebat*, inquit, *omnis populus, cùm audiret verba legis.* Sic lugebat, & adeo, vt Esdras, & Nehemias & Leuitæ dicerent populo: *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere, & nolite flere.* Cur sic lugebat populus omnis? nimirum, quia lex ipsa tanquam immaculata animas conuertebat, atque adeo non opus erat illa concionatorum exhortatione. Secundò vocatur lex testimonium, quia in die iudicij non erit opus testibus & fiscalibus aduersùs peccatores, quia ipsa legis transgressio sufficiens testis & accusator erit in eos: ipsa enim, sicut sanguis Abel, clamabit de terra, petens iustitiam à Deo.

S. Basil. 2. Esdr. 8. 9.

Exod. 19. 18. Exod. 19. *Totus mons Sinai fumabat: eò quòd descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace: eratque omnis mons terribilis. Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixius tendebatur.* Ita ibi. Cùm Dominus ad dandam legem descenderet, cur cum terroribus his legem dedit? Theodor. q. 36. in Exodum: *Vt per hæc omnia cor eorum lapideum emolliret, & timerent Deum, ne supplicijs afficerentur.* Ita ille. Cùm igitur Legislatorem se illis ostendit, terrores tantos exhibuit, vt eum tanquam Legislatorem pauerent, & legem eius transgredi non auderent, qui terribilis est.

Theodor.

Prop. XVIII. *Ad legis Dei obseruationem vrget nos exemplum Christi.*

Matt. 11. 30. *IVgum meum suaue est*, &c. Quare iugum dicit legem suam Christus? quia scilicet iugum non ab vno, sed à duobus ducitur, verbi gratiâ, bobus. Sic legem Christi ipsemet Christus nobiscum ducit: non enim Christus Dominus de numero illorum est, qui dicunt, & non faciunt. Si tibi paupertatem suadet, ipse, cùm diues esset, nimis pro nobis ita egens factus est, vt non haberet, vbi caput suum reclinaret. Si tibi lachrymas suasit, & ipse lachrymatus est; qui risisse legitur nusquam, fleuit tamen sæpe. Si patientiam monet, ipse in laboribus, & doloribus, & in morte, morte autem crucis, tanquam agnus ad occisionem ductus, nec aperuit os suum. Si te inimicos diligere iubet, & bene facere iubet, ipse nos, cùm inimici essemus, dilexit nos, & ita benefecit, vt non solùm solem suum super inimicos oriri quotidie faciat, & pluat super iustos, & iniustos, sed etiam lauerit eos in sanguine suo. Item si te pro inimicis orare vult, ipse in cruce maximis cruciatibus affectus, pro eisdem crucifixoribus exorauit, &c. Cui non huiusmodi exempla suadeant, vt illa obseruet, quæ ita exactè Deus obseruauit, qui nullis quidem legibus tenebatur? Ecce cur iugum, lex Christi dicatur. Si duo boues iugum ducerent, quorum alter onus fortiter ferret, & properanter incederet, alterum facilè secum impetu traheret suo; sic igitur exemplum Christi vrget nos, vt eius iugum fortiter feramus, &c. & insuper gratiâ suâ &c.

Prop. XIX. *Ad legis Dei obseruationem de seruis eius meditatio.*

Deut. 16. DEut. 16. festum Pentecostes instituit Deus inter tria festa solemnia, quæ populus Israël magna religione obseruabat. Quam autem ob causam institutum fuerit hoc festum Pentecostes, non constat apertè. Sunt qui dicant institutum fuisse in memoriam legis datæ in monte Sinai: fuit enim Dei beneficium tali celebratione paschali dignum. Sunt autem nonnulli sacri authores, qui dicunt institutum fuisse in gratiarum actionem pro collectione nouorum fructuum. Ita sentit S. Chrysostomus hom. 4. in Acta Apostolorum cum Iosepho lib. 3. Antiquitatum cap. 10. & Philone lib. Decalogi ad finem, & alij. Quòd si quæras, cur non fuerit institutum festum in memoriam tam eximij beneficij, quale fuit donatio & institutio legis; dicendum est, quia memoria diuinæ legis, non annualis, sed quotidiana esse debet, iuxta illud Psalm. 1. *& in lege eius meditabitur die ac nocte*, id est, quotidie, & non semel, sed assiduè. Vnde post datam legem subiunxit Deus, Deut. 6. *Erunt verba hæc in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, & ligabis ea quasi in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, & scribes ea in limine, & ostijs domus tuæ.* Vbi nota verbum illud, *& dormiens*, id est, adeo assidua debet esse & feruens talis meditatio in vigilia, vt dormiens homo somniet ipsam legem: quod enim vigilantes attentè perpendimus, in somno somniare solemus. Vide quàm magnam à nobis & assiduam requirat Deus considerationem suæ legis.

S. Chrysost. Iosephus. Philo.

Deut. 6.

Psal. 1.

Prop. XX. *Quàm conducat ad legis Dei obseruationem audire verbum Dei.*

Exod. 25. EXod. 25. præcepit Dominus Moysi, Arcam testamenti inter duos Cherubim constituere. Cur, inquies, inter Cherubim potiùs, quàm inter Archangelos, verbi gratiâ, vel inter Potestates & Principatus? Etenim in Arca illa lex Dei in duabus tabulis conscripta, continebatur; quare non immeritò inter Cherubim posita fuit Dei iussu: Cherubim enim, vt ait Beda, *idem est quod scientiæ plenitudo*; obseruatio autem legis inter eos solùm inuenitur, in quibus plenitudo scientiæ reperitur: qui enim Dei legem transgrediuntur, insipientes sunt. Audi Dominum per Hieremiam cap. 4. sic de his loquentem: *Stultus populus meus non cognouit, sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Insipientes & vecordes vocat Dominus eos, qui legem Dei non obseruant; sapientes verò qui eam custodiunt. Prouerb. 28. *Qui custodit legem, filius sapiens est.* Meritò igitur lex in Arca custodita inter Cherubim, id est, inter eos qui pleni scientiâ sunt, collocatur.

Beda. Ierem. 4. Prou. 28. 7.

Hinc colligitur quàm necessarium populo sit verbum Dei audire: hoc enim pacto sapientes, qui indocti sunt, fiunt: est enim concio sacra, lectio quædam sapientiæ, quam quidem audiens, etiam sapiens, sapientior fiet; si verò non audiunt, quid mirum si fuerint ignorantes, cùm nec scholas adierint, nec sacram nouerint Scripturam?

Prop. XXI. *Lex Christi nos inexcusabiles reddit.*

AD Rom. 1. agens Apostolus de Philosophis, qui per creaturarum cognitionem, in Dei cognitionem venerant, & nihilominus in Deum peccauerant, vocat

vocat eos inexcusabiles, quia, cùm Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt. Nunc ergo ad nos: quinam altiorem Dei notitiam aſſequuti ſunt, illi, an nos? Cui dubium: illi quidem nouerunt Deum ex creaturis, non ex ipſo Creatore reuelante, illi habuerunt legem naturalem, quæ recta, & iuſta ſunt, illis dictantem, ſed eam tantùm: nos & legem naturalem, & ſcriptam, & Euangelicam, illi concionatoribus caruerunt, nos concionatoribus ſuperabundamus, qui ſæpè ſæpius Dei voluntatem notificant, inculcant nobis; ſi ergo illi inexcuſabiles, quid nos?

A

PROP. XXII. *Lex Chriſti peccatoribus in maiorem damnationem cedit.*

Ioan 5 4. HInc Dominus ad Hebræos, qui de lege, ac Moyſe legiſlatore gloriabantur, Ioan. 5. *Eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis*; quomodo Moyſes accuſabat Iſraëlitas, quos tantopere defendebat, vt

Exod. 32. 32. Deo volenti perdere illos, dixerit: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ*; qui ſic eos defendebat, quomodo dicitur accuſare? Moyſes in ſacris litteris legem ipſam per Synechdochen figuram accipi ſolet. Vnde Abraham ad diuitem illum: *Habent Moyſen*

Luc. 16. 29. *& Prophetas, audiant illos.* Senſus ergo eſt, Lex ipſa tranſgreſſores accuſabit in iudicio, quia inexcuſabiles reddet: ſi enim lege caruiſſent, ignorantia eos in multis excuſaret: at lex ipſa à tali eos ignorantia liberauit, vnde tollendo talem excuſationem, acriter accuſabit.

Imò idem Moyſes, qui, dum viueret, Hebræos defendebat, mortuos in Iudicio acriter accuſabit, dicens: Ego, Domine, ego eis legem tuam notificaui, monui, docui; ipſi verò rebelles fuerunt lumini, ne parcas eis, &c.

Deut. 31. 26. Vnde poſtquam Moyſes, Deut. 31. librum legis abſoluit, Leuitis in Arca Dei tradidit eum ſeruandum: *Vt ſit*, inquit, *ibi contra te in teſtimonium*. Quid ais Propheta? quonam pacto ſummum illud beneficium tradit æ legis, quod ſacræ litteræ prædicant vbique, quod vitam æternæ vitæ nobis manifeſtat, in teſtimonium contra nos, ſeruandum eſſe dicis, & ducis? quid magis pro nobis, quàm codex diuinæ legis? nam pro

Pſ. 147. 20. Simile. magno beneficio, ac ſingulari aſſeruit Dauid: *Non feciſt taliter omni nationi, & iudicia ſua* (quæ ſcilicet in illo libro continebantur) *non manifeſtauit eis*. Ita eſt, beneficium maximum fuit; ſed bene vtentibus, malè verò vtentibus iudicium. Sicut enim cibus ſtomacho valenti, & ſano in alimentum, & vitæ fulcimentum eſt, at ſtomacho infirmo, & digerere non valenti, venenum; ſic lex Chriſti, & verbum Dei ei, ei, qui calore charitatis digerit illud, alimentum quidem eſt, & vitæ animæ neceſſarius, at peccatori, & legem ipſam

Iſai 8. violanti venenum eſt. Quod & ipſi Legiſlatori noſtro tribuit Iſai. 8. quem & lapidem fundamentalem, & petram ſcandali futurum vaticinatus fuit. Cùm quidem ipſe Ieſus Saluator, & pax noſtra in ſe reconcilians ima ſummis, inimicitiaſque inter nos & Patrem, interficiens in ſemetipſo, qui honorem, ſanguinem, & vitam obtulit pro ſalute noſtra, is tantus nobis, de quo dicere licet: *Nobis datus, nobis natus*, is, inquam, ſicut bonis redemptor, malis petra offenſionis, & ſcandali eſt; ſic & ſanctiſſimum Sacramentum, mors eſt malis, vita bonis: cùm ſit vita ipſa. Eodem ergo modo lex, & verbum Dei, & Euangelium Chriſti, obſeruatoribus vita, prævaricatoribus mors quidem eſt. *Melius enim*

2. Pet. 2. 21. *erat illis non cognoſcere veritatem, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod eis traditum eſt ſancto mandato*, vt ait S. Petrus Apoſtolus.

Matt. 5. 25. Hinc Matth. 5. *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via cum eo, ne forè tradat te aduerſarius iudici*, &c. *Auguſt.* Quæro, quiſnam ſit iſte aduerſarius? Sanctus Auguſtinus Euangelium Chriſti, & verbum Dei eſſe affirmat, & meritò: nam Euangelium Chriſti nobis ſæpè, & noſtris affectibus aduerſatur: appetit homo cibos, ſatietatem, Euangelium verò, abſtinentiam, & ieiunium monet; appetit homo delicias, Euangelium, *Pœnitentiam*, inquit, *agite*; appetit homo diuitias, Euangelium; *Vendite*, inquit, *quæ poſſidetis, & facite eleemoſynam*. Vide, quomodo ſit aduerſarius Euangelium Chriſti. O quàm bonus aduerſarius, ait Sanctus Auguſtinus, qui non quærit tuam voluntatem, ſed tuam vtilitatem. meritò ergo ait Chriſtus; Eſto conſentiens aduerſario tuo, alioquin ipſe tradet te iudici, quia ſcilicet contra illum pugnatis, & præcepta eius neglexiſti?

B

Vnde idem Sanctus Auguſtinus, *Ab exordio*, inquit, *propagationis humanæ, uſque ad finem, alijs quidem ad præmium, alijs verò prædicatur ad iudicium: prout enim quiſque affectus eſt, ita vel fructum accepit, vel nocumentum* Ita ille, quod aptiſſima ſimilitudine ſic exponit, *Simul* (inquit) *pluit Dominus ſuper ſpinas, ſed ſegeti pluit ad horreum, ſpinis ad ignem, & tamen vna eſt pluuia. Verbum Dei omnes compluit? videat quiſque qualem radicem habet, quâ trahit pluuiam bonam. ſi eam trahit, & generat ſpinas, nunquid pluuia Dei accuſanda eſt?* Ita ille. Magnum igitur beneficium eſt, verbum Dei, ſed cum penſione. *Es beneficio con penſion.* penſio autem eſt, opere præſtare, quod verbum Dei, & lex Dei docet: ei, qui non ſoluerit hanc penſionem, in maiorem erit damnationem, ei verò, qui præſtiterit, in æternam gloriam, & ſalutem: ad hoc enim datum eſt nobis.

C

Ezechielis 3. vocauit Dominus Ezechielem prophetam, & dixit: *Fili hominis quodcunque inueneris, comede, comede volumen iſtud. Et ecce*, ait Ezechiel paulò ante, *manus miſſa ad me, in qua erat inuolutus liber, qui erat ſcriptus intus, & foris*. Quid ſibi vult cibus iſte, Domine Deus? quis vnquam tali cibatus eſt cibo? ſi panis, vel caro fuiſſet, nihil mirum; at papyrum, & atramentum quis comedere valet? quid ſibi vult huius libri eſus? S. Gregorius librum hanc ſacrum Scripturam eſſe affirmat: quod autem comedimus in noſtram conuertimus ſubſtantiam. Sacram ergo comedere Scripturam, eſt illam, ſeu quæ in illa continentur, in noſtram conuertere vtilitatem: non enim ad legendum tantùm, aut etiam intelligendum ſolùm, ſed ad operandum, data eſt nobis: ſic enim prodeſt, aliter obeſt, vt dictum eſt.

Ezech. 3. 1 Ibid v 9. *Greg.*

D

Ad hoc igitur præſtandum, dic mihi, ſi nunc nos in campo amplo exiſtentes epiſtolam quandam à cœlo dimitti videremus ſenſim, qua auiditate omnes cuperemus eam arripere, & ſcire, quid Deus è cœlo ad nos ſcribere decreuiſſet, quid illa contineret, quid terram incolentibus è cœlo nunciaretur, vel præciperetur. Quòd ſi lex Dei digito ſcripta ibi contineretur, quam Deus Dominus ſeruandam nobis offerret, & eam ſeruantibus in cœlo coronam promitteret, qua veneratione eam non reciperemus, & obſeruaremus? Quid igitur Euangelium noſtrum eſt, niſi epiſtola è cœlo demiſſa, digito Dei conſcripta, in qua lex gratiæ continetur, & obſeruantibus promittitur regni cœleſtis corona? qua igitur auiditate audiendum? qua veneratione recipiendum? qua obſeruatione obſeruandum videtur tibi? Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit, ait Ioannes Baptiſta, vt refert Ioan. Euangeliſta cap. 1. ſic magni faciendo Euangelium, facilè obſeruabis. Vnde non tibi accuſator, ſed protector in Iudicio erit.

Exemplo nobis illuſtriſſimo eſſe poteſt rex Ioſias, 4. Reg. 23. qui lecto coram ipſo libro legis Domini, & pœnis tranſgreſſoribus in eo contentis, adeò tremefactus, & compunctus fuit, vt ſcinderet veſtimenta, & Dominum ſuper ea re conſuleret, quid opus facto eſſet. nec hoc contentus, vitam deinde ſuam, & regni moderationem

derationem ad normam diuinæ legis ſtudioſiſſimè conformauit; & quidem ille rex erat, & legis veteris profeſſor, legis, inquam, timoris, & quæ tot, tamque grauia præcepta continebat, quæ, ait S. Petrus, nec nos, nec patres noſtri portare potuimus: tu verò Euangelij profeſſor, & legis amoris, in qua ſuauia, & facilia cuncta ſunt: *Iugum enim meum*, ait Chriſtus, *ſuaue eſt, & onus meum leue*, &c.

Matt. 11. 30.

Modum igitur hunc tene, quem qui ad ſpeculum intuens, obſeruat: hic enim duo præſtat, & indecentia tollit, & decentia adhibere conatur, quia vtrumque pertinet ad ornatum, ad quem ſpeculum deſeruit. Sic te ad legis intuitum orna, & compone, quidquid illa fœdum indicauerit, ſtudioſè purga, quod verò ad animæ ornatum conducere lex indicauerit Chriſti, adhibe diligenter; ſic tibi in beneficium, non in ſupplicium, in antidotum lex, & non in venenum cedet: nam ſicut tranſgreſſoribus ſupplicia minatur, ſic adimplentibus immenſa præmia pollicetur: veriſſima enim eſt ſententia illa Eccleſiaſt. 33. *Homo ſenſatus credit legi Dei, & lex illi fidelis.* Credere in ſacra Scriptura, pro obſeruare ſumi ſolet, ita hic obſeruanti fidelis eſt lex, quia fideliſſimè, quæ promittit, euenient.

Eccl. 33 3

Prouerbiorum 1. ſic de Sapientia incarnata, Chriſto ſcilicet, & de illo, qui nomine eius monet alios: *Sapientia* (inquit) *foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam.* hoc eſt, non ſolùm in ſecreto cordis, verùm etiam publicè in plateis. Quid autem eſt quod prædicat? *Vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, quærent?* Duo ſunt in peccatoribus reprehenſibilia. Primum, quòd inutilia quærant, telas aranearum texentes, ad muſcas, & culices capiendos; maximam ſcilicet curam adhibentes pro rebus nullius momenti, & nænijs puerorum: ait enim: *Vſquequo paruuli diligitis infantiam?* peccatores pueros vocans: *quæ aunque ſean grandes, ſon ninnos grandes, ô grandes ninnos.* Secundum, quòd non ſolùm inutilia quærunt, verùm etiam nociua, peccata ſcilicet, quæ corpori, & animæ extremè nocent; ideo ait: *& ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, quærent.* Si enim quærere nænias, puerile quid eſt, quærere nociua, ſtultum eſt. Hoc igitur Chriſtus Dominus per ſe, ac ſuos docuit, docentque præ-dicatores: at multi audientes non audiunt, contemnentes monita hæc, ac ſi nullius eſſent momenti. Quid igitur ad hos? ſubdit; *Vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.* Obſeruat hic Caietanus quatuor, quæ peccatoribus præſtat Deus. primum, vocat docendo exteriùs verbis, inſpirationibus interiùs; ſecundum, extendit manum auxilij, infirmitatem cordis noſtri, & voluntatis debilitatem firmando; tertium, conſilium, hoc eſt, inſtructionem ad eligendum, quæ expediunt ad ſalutem: quartùm, increpationem ad fugiendum nociua. Deſpicientibus hæc, quid? *Ego in interitu veſtro ridebo*, ait Dominus, *tunc*, inquit, *inuocabunt me, & non exaudiam, eò quòd exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint, comedent fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſilijs ſaturabuntur.* Solet quidem Deus libenter orationes noſtras exaudire: *Petite* (inquit) *& accipietis*, &c. attamen iraſcitur in eos, qui eius vocationes, & conſilia contemnunt, vt dicat: *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam*, tunc, inquit, cùm interitus aduenerit eorum, tunc cùm ſuprema ingruerit neceſſitas, tunc, cùm maximè neceſſaria erit miſericordia Dei, tunc claudam, & obſtruam aures meas ad clamorem eorum. Vide quantùm nobis interſit, noſtras non obturare aures ad clamores Dei.

Prouerb. 1. 20

Ibi v. 22.

Ibi. v. 24.

Caietan.

Ibi. v. 26.

Matt. 7. 7

Prop. XXIII. *Quantùm abominetur Dominus tranſgreſſionem legis.*

PSal. 10. *Quæ perfeciſti deſtruxerunt, iuſtus autem quid fecit.* De peccatoribus hoc aſſeruit Dauid, *quæ feciſti deſtruxerunt*, quænam ſunt hæc, quæ Deus perfecit, & peccatores deſtruxerunt? S. Hieronymus ex originali Hebræo ſic legit: *Quoniam leges diſſipatæ ſunt.* Ecce quid intelligat Dauid per ea duo verba, *quæ perfeciſti, deſtruxerunt*, leges ſcil. quas nobis dedit, hæc maximè à Deo perfecta & conſummata inter Dei opera ſunt, quia ipſis perficit, quòd perfectiſſimum eſt in natura, mentem ſcilicet humanam, & quia ad perfectiſſimum finem nos perficit ſuis legibus, ſcilicet ad vitam æternam, & quia ad perfectiſſimum Dei obſequium ſpectant, ſcilicet obedientiam noſtram, quam maximè inter reliqua obſequia optat, & denique leges meritò perfecta Dei dicuntur, quia perfectiſſimo Dei iudicio, & ſapientia ordinatæ ſunt. Quid igitur mirum, ſi valdè in eos iraſcatur, qui tales conculcant leges? Si artifex imaginem elaboratiſſimè perficeret, & tu eam deleres, aut inficeres, quid mirum ſi contra te inueheretur, qui perfectiſſimum eius opus, & contemneres, & perderes? Quid ni ergo Deus in te ſæuiat, qui perfectiſſimas eius leges, quas venerari, & ſuper caput ponere oportebat, infringis inuerecundè, leges, inquam, quas Deus non ſolùm fecit, ſed perfecit.

Pſal. 10. 4.

Hieron.

Simile.

Prop. XXIV. *Quòd Deus etiam in hac vita puniat legis ſuæ tranſgreſſores.*

EXod. 4. pergenti Moyſi in Ægyptum ad liberandum populum Dei à tyrannide Pharaonis, apparuit ei Angelus Dei qui euaginato enſe Moyſen occidere minabatur. Cur ita? cùm Moyſes Dei mandatum exequi properabat? S. Theodoretus duas adhibet rationes quæſt. 14. in Exodum, dicens: *vxor Moyſi arbitrabatur ob id factum eſſe, quia filiorum alter non erat circumciſus ſecundùm legem Hebræorum: vnde protinus eum circumcidit.* Ita ille. Hæc prima ratio reddi poteſt, quâ nobis notum ſit, quàm meritò dixerit Dauid, Pſalm. 118. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis, vtinam dirigantur viæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.* Si enim dilectum Moyſen ſic Deus occidere volebat propter legalis cuiuſdam præcepti tranſgreſſionem, quid non timere debet, qui, non paruа nec leuia contra naturalia ſeu Euangelica Dei præcepta delicta committit?

Exod. 4.

S. Theod.

Pſal. 118.

Secundam autem rationem ſubdit Theodoretus, dicens: Veruntamen aliud quidpiam moliebatur Angelus, dum gladium euaginatum oſtentabat; ſiquidem Moyſes (alioquin magnus) metuebat Pharaonem: quod ſæpiùs manifeſtauit, modò dicens: *Quis ſum ego vt vadam ad Pharaonem Regem?* modò dicens: *Præpara tibi alium idoneum, quem mittas.* & rurſum: *Exilis vocis & tardæ linguæ ſum ego.* Minabatur ergo illi pœnas Angelus, metum metu repellens, maiore videlicet minorem: ac ſi per hunc enſem nudatum dixiſſet: *Si Pharaonem timuiſti, me multò magis timebis, qui inuiſibili modo poſſum te vulnerare.* Ita Theodoretus. Dicam igitur & ego, ſi amiſſionem honoris times, cur non magis, ô ſuperbe, amiſſionem æternæ gloriæ times? ſi paupertatem temporalem times, cur non magis æternam? ſi pœnas corporis times, cur non magis, ô ſenſualis, tartareas ignis ſempiterni?

Idem.

Exo. 3. 11

Exo. 4. 10

PROP. XXV. *Contra eos qui ob leges mundi leges Dei transgrediuntur.*

MAtth. 15. Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram. Quartò decalogi præcepto iusserat Deus filijs parentibus honorem deferre, hic verò honor non tantùm exhibendus erat eisdem caput nudum ostendendo, reuerentiam offerendo, & beneuolentiam retinendo, sed ad opera spectare docuit, parentum penuriæ ex bonis proprijs succurrendo: Pharisæi tamen (quæ sua erat auaritia) docuerant filium, dum templo Dei bona quæ possideret, deferret, & ibi offerret, vt ipsis cederent, & nulla obligatione deuinctum manere ad parentibus necessaria præstandum, longeque melius esse Deo, quàm patri eadem offerre, ratione illa adiecta: Nam eleemosyna prodesse potest patri sic in necessitate constituto.

At Seruator noster interrogat hîc: quare vestris traditionibus Dei legem, & præcepta postponitis? Deus namque perspicuè præcepit filium parenti succurrere debere; quare ergo vos obligationem hanc vestris traditionibus irritam fecistis?

Præsens hæc quæstio multis nostra hac tempestate proponi poterat, quare in illa domo præceptum quo, proximo ignoscere iubemur, violatur? Multum enim temporis interesset, ex quo simultas cœpit inueterascere, & mutuo se colloquio priuant, quare etiam in illa domo mandatum misericordiæ infringitur, in qua vestibus arcæ replentur, pauperes verò nudi præ frigore artubus contremiscunt, in qua quidem magni ceruicalium & culcitrarum acerui exuberant, inopia tamen hospitia & xenodochia his omnino carent, in illa abacus argento & auro onustus nitescit, pauperes verò fame conficiuntur. Quare item alia in domo tantus ineat fastus, tantaque ciborum exquisitorum copia exuberat? in alia autem domo, quare castissimum honestatis præceptum, & castitatis violatur? in alia denique, quare publica alearum exercitia tolerantur? vbi complura Dei præcepta infringuntur, iuratur, atque periuratur, furta & fallaciæ mutuo placent, cauillationes ad inuicem excogitantur.

His ferè omnibus respondebitur: propter traditionem hominum ita mundi legibus, & traditionibus sancitum esse. Iniuria vindicatur, quia mundus leges vindictæ stabiliuit, cur ergo tanta vestium, & ciborum affluentia? quia eorum omnium vsus in mundo viget? cur ergo aleæ, cur periuria, & detractiones? quia hæc omnia mundi legibus sancita sunt. Quibus si dixeris ea diuinæ legi esse contraria, respondebunt, quod Babylonici satrapæ Persarum Regi Dario responderunt: lex Medorum est, atque Persarum, vt omne decretum, quod constituerit Rex, non liceat immutari. Et vide, de qua lege loquantur. Regi suaserant legem iniquam condere, quâ caueretur, ne quis Deum ante triginta dies orare auderet, indictâ pœnâ, vt leonibus obiectaretur qui contrarium vellet: res sanè multùm rationi dissona, & contraria. Quam cùm Daniel veluti impiam negligeret, & Deum assiduis interpellaret precibus, ad regem defertur & ab ipsis obnixè contenditur, vt pœna à lege posita infligatur, ita vt leonibus obijceretur, quia Babylonica lex inuiolabilis est. eodem ergo pacto leges (vt ita dicam) Alcorani mundi se habent, quas mundi sectatores inuiolabiles esse decernunt, adeoque, vt si ipsæ vel Dei leges in discrimen veniant, prius Dei, quàm mundi leges violentur, tanquam quid debilius & inferius. Hæ igitur nimiam ornatuum & ciborum affluentiam, & alearum ludos statuerunt, quę, quia mundus sic statuit, adeo inuiolabiles iudicantur, vt eisdem medendis remedium nusquam inueniri posse videatur.

A Et quis mundum Christianis legislatorem constituit? quis illi dedit authoritatem leges condendi, legibus Dei contrarias? *Dominus* (ait Isaias) *iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster*; ergo si Deus noster est legislator, & lex, cur Christianus mundum sibi legislatorem admisit? cur aduersùm sancta Dei præcepta detestabiles mundi consuetudines, & corruptelas ausus est allegare. Cùm Christus refert legem de diligendis inimicis huiusmodi loquendi modo vsus est: *Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros*, &c. Habet dictum illud, *ego autem*, emphasim, quandamque loquentis maiestatem adeo excelsam, vt ipsa tantùm sufficiens videretur, quæ vniuersam priscorum authoritatem, si contraria esset, labefactare posset. Nec rationi repugnat, imò quadrat mirificè. Quæ namque authoritas reperiri poterit, quæ sibi è contrario Dei auctoritatem reluctantem ferat? quis enim traditiones, consuetudines seu corruptelas, & alia mundi dicta, vbi lex, & Dei voluntas & hæc cœlestis dictio, *ego autem*, repugnat, allegare audebit? Isai 53.

B Si te verò eiusdem auctoritas, non modò regalis, verùm etiam diuina parum mouet, Apostolum audi Iacobum: *Vnus est* (inquit) *legislator, & iudex qui potest perdere & liberare*. Si Deum legislatorem nequaquam pertimescis, ipsum iudicem, qui condemnare, & saluare potest, pertimesce. Cupiebat enim rex Madianitarũ, vt Balaam populo Israelitico malediceret, qui quidem à Deo ne faceret, fuerat inhibitus: ecce hîc Balaam in discrimine constitutum, elegit tamen Dei iussa capessere, & populo benedixit. cui rex iratus ait: *Quid est hoc quod agis? vt malediceres inimicis meis vocaui te, & tu è contrario benedicis?* Respondit Balaam: *Num aliud possum loqui, nisi quod iusserit Dominus?* Cur ergo non poterat? erátne ei à Deo ablata potestas? certè Deum timuit: cùm enim ipsi Angelus appareret, qui gladium manu vibrabat, ipsoque minabatur, si populo malediceret, non fuit ausus illi malè precari. Idcirco se non potuisse affirmat. Vtinam Dei in nobis timor inesset, ne quæ certè nos hominum, vel potentissimorum principum, & regum iussa à recto consilio abducerent. Vnus enim est legislator, & iudex, qui potest perdere, & liberare. Iac. 4. Num. 22.

C Dicito mihi, frater, cùm apud Deum Christianæ religionis ratio à te sit exigenda, quàm tibi excusationis causam mundanæ legis obseruatio præbebit, quare transgressus es præceptum istud? Quia mundus præceperat oppositum. Bella quidem ratio, cùm Deus contrarium dicat, quid refert sic mundum dixisse, num mundus tuam defensionem suscipiet, cùm Dei iudicium adeas? Misera idololatriæ seruitute Israelitæ relicto Deo tenebantur, quibus Moyses ait: *Iudicabit Dominus populum suum, & dicet: vbi sunt dij eorum, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum? surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* Hoc est, quod his mundi sectatoribus in die illa tremenda Dominus dicet. Vbi mundus est, cuius amore supra modum flagrastis, cui ad nutum obtemperastis, cui fidelissimè credidistis? ipsum nunc inuocate, vt opituletur vobis. Poterítne tunc è manibus Dei vos mundus eripere? minimè sanè: cur ergo impijs eiusdem traditionibus sanctas Dei leges violare audetis, in cuius manu nostra salus sita est, quique tunc suæ leges desertores acri est censura puniturus? Sacra pagina refert Saulem Regem, cùm maximo, & periculoso belli discrimine conflictaretur, sacrum immortali Deo contra ipsius Dei præceptum fecisse, vt hac ratione illum placatum redderet: quod factum Samuel improbauit, Saulemque reprehendit. At Saul volens culpam à se dimouere, ait: *Compulsus obtuli holocaustum*, cui obiecit Samuel: *Stultè* 1. Reg. 13.

D

egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget. Iustam profectò excusationis causſam opposuisse videbatur, quia se in maximum belli discrimen redactum circumspiciens, rem quæ speciem pietatis præ se ferre videbatur Deo obtulit, sed eius nihilominus excusatio reprobata est. Si talis ergo excusatio, quæ iusta videbatur, non admittitur, quo pacto vultis hanc admitti excusationem ita futilem, & inanem? videlicet id mundus præcipit, & in vsu est apud hominesſin nostro ergo Euangelio nullo modo contra præceptum, quo iubetur parentum necessitati consulere, agi conceditur, etiam si facultates parentibus eroandæ in pios templi vsus impendantur. Quo igitur pacto obtemperandi mundo, eiusque vanitatibus inseruiendi excæsatio admittetur?

Daniel 6. Dices, si leges mundi parui fecero, infamiæ notam subibo; fatius tamen tibi est à mundo contemni, quàm à Deo condemnari. Compertum habebat Daniel discrimen, non solùm honoris, verum & vitæ se subire, si preces contra leges Babyloniæ funderet, nihilominus tamen, ne erga Deum in officio deficere videtur, Deũ palam, vt solitus erat, deprecatus est. Hoc enim intra se cogitabat, meliùs mihi longè erit leonum vnguibus dilacerari, quàm in Dei manus incidere. Horrendum enim est incidere in manus Dei viuentis. Nunc verò leonum addens, quòd à mundi legibus deficias, damnatus nõ es, & tam facilè animum desp̃ondes, vt mundum repudiare non audeas. hoc vlteriùs dicas obsecro: Cogitasne ob id, quod mundi fastus & leges flocci-penderis, te alicuius vel minimæ rei iacturam esse facturum? Falleris vtique, quia in eodem, quo te mundus damnare curarit, Dei auxilium præstò tibi erit. Nónne Danielem aspicis, quem non solum Deus cælesti diademate coronauit, verùm etiam in mundo ipsum beneficio, & fauore est prosecutus, & à leonibus tutatus? Si te mundus dedecore damnat, esto animo forti, ne timeas, Deus erit accerrimus, tui honoris defensor: ipse enim efficiet, ne mundi vnguibus vel minima tui honoris particula lacteretur. Nimis enim honorati sunt amici eius, animaduerte diligenter, & eos, qui mundum conculcare nituntur, maioris honoris priuilegio decoratos circumspicies. Pluris namque D. ille Franciscus cilicio, saccoque indutus, quàm mundi huius principes, qui pretiosissimis vestibus induebantur, apud omnes habetur. Nihil denique, si Christum coluerris, damni apud mundum patieris, qui; quidem quamuis aliquando de te detrahat, silebit tandem. Et quamuis initio tua facta vituperet; vitioque tribuat, postea verò laudi ducet, &, licèt inuitus, sanctitatem tuam, Christianamque pietatem agnoscet; & quod in viro studioso imitari mundus non audet, venerari & reuereri cogetur. Plurimi denique faciet mundus eum à quo ipse despicitur, & plurimi habebit illum, à quo ipsemet pro nihilo ducitur. Deus autem gratiam, gloriamque tribuet sempiternam.

PROP. XXVI. *Quàm perfectè obseruanda sit Lex Christi.*

Prou 3. 27. PRou. 3. de virtute, sub nomine sapientiæ: *Vie (inquit Salomon) eius, viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ.* Per vias, quibus graditur virtus, præcepta intelligit, secundùm id: *Viam mandatorum tuorum cucurri:* *Psal. 118. 32.* per semitas, consilia, & quæ in lege nostra strictiora sunt. Duo igitur Sapiens inquit, primum, *Viæ virtutis pulchræ sunt:* quænam pulchritudo hæc? nam pulchritudo de corporibus propriè dicitur, vel de corporum imaginibus, sicut & deformitas, homo hic pulcher est, ille deformis, imago hæc formosa, illa turpis, &c. Ita est, sed metaphorâ ex rebus corporalibus desumptâ, et- A iam pulchritudo moribus attribui potest, pulchritudo autem in quadam debita partium proportione consistit, vt ci commentator Aristot. Auerroes adnotauit 7. Phys. c. 17. & alij Phil. si enim frons promineat, oculi verò profundi sint, quæmuis in se frons pulchra sit, & oculi per se pulchri, faciem deformem reddent, & sic de partibus alijs, quarum tanta exigitur ad pulchritudinem proportio, vt vel vnius improportio totum deformè reddat corpus. Sic igitur in moribus nostris, quãuis quis aliquas, imò & multas actiones bonas habuerit, si aliquod malum fuerit operatus, omnem morum bonorum pulchritudinem deturpabit: hinc intelligitur illud Iacobi: *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vnũ, factus est omnium reus.* Quid ita? quia abstulit illam proportionem communem omnium actionum, & viarum virtutis, & sic abstulit pulchritudinem, & per consequens statum debitum virtuti. Omnes enim viæ eius pulchræ, ob proportionem scilicet, quæ ex omnibus simul sumptis resultat. *Iac. 2. 10.*

Psal. 118 *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* de ad- *Psal. 118. 4.*
B uerbio, *nimis*, dubitari solet à Doctoribus sacris, cum quo verbo legendum sit, an cum verbo *mandasti*, an cũ verbo *custodiri?* at quouis modo legatur, verum est, Deum mandasse nimis custodiri præcepta sua: nimis, quia mandauit magna cum exactione, vti Exod. 24. constat, quando in monte Sinai legem dedit: lege caput illud, & obserua circumstantias personarum, loci temporis, & modi, &c, & pondera illa omnia, & videbis, quomodo nimis supra modum Deus præcipit custodiam mandatorum, ex huiusmodi circumstantijs, & maiestate, & modo dandi legem, &c.

Secundò, si coniungatur aduerbiũ *nimis*, cum verbo *custodiri*, verũ etiã sensum habet: vult enim Deus quòd nos eius mandata nimis, hoc est, valde, & quantùm nobis possibile fuerit, exactissimè seruemus eius mandata nimis, in gradu superlatiuo. *Y no a poco mas, o menos, sino a mucho mas, y mas con todas veras, puntualidad y cuidado.* *Lira. Hugo. Card. Cassiod. Hieron. Angust.* Ita exponunt Lira, Hugo Card. Cassiodorus, & Sanct.
C Hier. cuius hæc sunt verba: Non ergo tepido corde, nec dissoluto animo, sed fortiter, & attentè nos sua mandata edocet custodire. Vnde S. August. hoc loco quæstionem proposuit, cui scilicet, verbo coniungi debeat aduerbium *nimis*, & sic rem concludit: Quodlibet horum intelligamus, contra illam sententiam, quam Græci laudant in sapientibus suis, & Latini laudando consentiunt, *Ne quid nimis.* Ita ille, ac scilicet, ita præcepit Deus exactè, vt nihil suprà. quod etiam patet ex pœna, quam transgressoribus æternam imposuit apud inferos, quæ pœna est nimis, & immensa, siquidem grauissima, & æterna. debent etiam à nobis custodiri nimis, hoc est, intra latitudinem obseruantiæ: quantùm nobis possibile fuerit, debemus ea custodire, quia in custodiendis illis retributio multa & immensa, & æterna, & præcipuè, quia Deus immensus & infinitus, & Dominus est, qui ea nobis imponit.

D In primitiua Ecclesia magno cum spiritus feruore omnes Christiani legem Dei obseruabant, sed iam longo temporis tractu feruore illo cessante, vix in mundo reperitur, qui fideliter eam custodiat, sed tamen hac potissimùm ratione ad obseruationem diuinæ legis nos excitare debemus: fidelitas enim Deo debita nunc magis elucet.

Hinc Dauid Psal. 118. *Tempus,* inquit, *faciendi Domine: dissipauerunt legem tuam.* Quid est, tempus faciendi? *Psal. 118. 126.* Nonnulli ad personam Prophetæ hoc referẽtes, gerundium *faciendi*, in tempus præsens resoluunt: Tempus est, Domine, vt ego nunc faciam legem tuam, quando alij communiter eam facilè transgrediuntur: fauet paraphrasis Chaldæa quæ sic habet: Tempus est faciendi legem Dei, nunc scilicet, quando plures sunt, qui dissipant legẽ tuam, decet me eam obseruare, quò maiorem meam erga te fidelitatem, & benuolentiam ostẽdam.

Hoc

Hoc quidem significare voluit Dominus Leuit. 6. vbi præcepit in templo suo perpetuò ignem seruari: *Ignis, inquit, in altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos, subiciens ligna mane per singulos dies. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Vnde cùm nocte in reliquis domibus ignis extingueretur, in Domini domo viuus, & accensus permanebat. Quid per ignem hunc accensum, nisi charitas significatur, quę operibus, & obseruatione mandatorum Dei, tanquam lignis suppositis, conseruatur, qui perpetuus est in domo Domini, quia in domo eius, qui se Domini esse profitetur, tunc ardere debet, cùm alijs extinctus inuenitur: in hoc enim manifestatur, quæ Domini, quæ verò mundi domus sit.

Leuit. 6. 12.

Hinc Dauid 2. Reg. 19. cos sibi fideles annotauit, qui quo tempore Absalom in eum rebellauerat, ei adhæserunt, quales Berzellai, & alij extiterunt: sic quo tempore maior mundi pars, dissipando legem diuinam, in Deum rebellis est, eò ampliùs Dei amatores, & fideles in eius dilectione se ostendunt, qui fideliter tunc legem eius obseruant.

Hanc fidelitatem tribuit Dominus Tobiæ. *Cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos fecerat Ieroboã rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens.* Nota aduerbium illud, *fideliter offerens*: non enim solùm fidelis erat, eò quòd non defraudaret quicquam ex decimis tollens, sed quia, cùm sic omnes ad vitulos declinarent, ipse Deo fideliter seruiebat. Vnde subdit: *Hæc, & similia his, secundùm legem puerulus obseruabat.* Sic ergo & nos, vt fideliores Deo inueniamur, tunc obseruantiores esse debemus, cùm plures fuerint transgressores diuinæ legis.

Tob. 1. 5.

S. Chrys. hom. 22. ad pop. Per *Moysen demonstrauit Deus columnam ignis, rebus clamans, quod legem audiens, videt lucẽ, inobediens autem suscipit ignem.* Ita S. Chrysost. hoc est, duo in illa columna concurrebant, lux scilicet, & ignis, lux ad illuminandum nos, vt sciremus, quid agere, quidque effugere debeamus: ignis autem, vt ignis pœnam his, qui scientes legem, & quid facere deberent, contra legem & scientiam peccauerunt. *Seruus enim sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit multis*, vt ait Dominus apud S. Lucam. Vbi nota, rectè per columnam illam legem Domini significari: sicut enim columna illa filios Israel in Terram promissionis dirigebat; sic etiam lex diuina in terram illam promissionis cœlestem dirigit nos.

Chrysost.

Luc. 12. 47.

LIBERALITAS.

Prop. I *Quàm illustre & excelsum sit alijs benefacere.*
2. *Quàm iucundum sit liberaliter benefacere.*

Prop. I. *Quàm illustre & excelsum sit alijs benefacere.*

ARtaxerxes filius Xerxis aiebat: *Benefacere longè magis regale est, quàm accipere beneficium.* Consonat elogium Regis Ptolomæi, apud Cælium: *Regalius est ditare, quàm ditari.* Vtrumque Dominus confirmauit, dicens, vti refert Paul. *Beatius est magis dare, quàm accipere.* Hinc Alexander Magnus, sicut refert Seneca, cùm Asiam suo imperio subiugaret, cuidã ciuitati dimidium rerum suarum ei offerenti, respondit: Eo proposito veni in Asiam, non quòd acciperem id quod dedisses, sed vt haberetis id quod reliquissem. Hinc est quòd idem Alexander Magnus interrogatus quis esset optimus Rex? *Qui*, inquit, *amicos donis retinet, & beneficijs ex inimicis amicos reddit.*

Lib 20. lect. ant. c. 24. Act. 20.

Et vt ab Alexandro in Alexandrum, à magno ad maximum transeamus, Alexander V. Pontifex maximus tantã erat munificentiã liberalitatemque præditus, vt diceret, se diuitem Episcopum fuisse, pauperem Cardinalem, mendicum autem Papam.

Vt autem principes, magnates, & reges videãt, quid hac in re nobilem ac regiã deceat dignitatem, referam summariè, quid de Imperatore Nerua narrãt Authores. Fuit Nerua à cunctis, non solũ in honore, gloria, & veneratione habitus, verùm etiam dilectus, & valde amatus, tanquam non solùm pius Rex, verùm tãquam legitimus patriæ pater. Quid igitur hic tali nomine dignũ egit? Primò, vti refert Dionysius Cassius, ad sustentandam ciuium vitam, decies & quinquagies centena millia nummorum erogauit, & quosdam senatorij ordinis delegit, qui agros emerent, eosque egenis partirentur: vnde inopes pecuniã redditus, vestes, vasa, & vniuersam supellectilem auctioni subiecit, agros & domos vendidit. Præterea, sicut refert Aurelius Victor, quidquid antea pœnæ nomine tributis accesserat, indulsit, afflictas ciuitates releuauit, puellas & pueros natos parentibus egenis sumptu publico per singulas vrbes Italiæ iussit foueri. O vtinam omnes qui Regum & dominorum nomine condecorantur, huius, quamuis gentilis & infidelis, Imperatoris exempla sequerentur, & c. hoc autem animaduertant auari, non se quod alijs tribuunt, sed quod seruant, inter amissa esse computanda, rectè quippe Poëta quidam:

Extra fortunam est quidquid donatur amicis.
Quas dederis solus semper habebis opes.

Manet enim & gloria beneficij, & nomen bonum, quod, vti ait Sapiens: *Melius est quàm diuitiæ multæ, super argentum, & aurum gratia bona*, & c. Manet denique meritum apud Deum, quibus omnibus auari carent, & opposita comparant sibi, malum scilicet nomen, & c.

Prou 22 1.

Prop. II. *Quàm iucundum sit liberaliter benefacere.*

PLut. l. de disp. Philosophorum, *Epicurus* (inquit) *non modo pulchrius dicit esse beneficio afficere, quàm affici, verùm etiam iucundius: nam nulla res perinde parit gaudium ac beneficentia. quapropter multi sæpe pudore suffunduntur, cùm beneficium accipiunt, semper autem gaudent, cùm beneficium præstant.* Ita Plutarch. Quod quidem in homine auaro fallit, nam is gaudet magis accipere, quàm dare, sed tamen hoc ex vitio, non ex natura procedit, ad naturam autem nostram spectat, quod extra vitium est; extra vitium autẽ est, id, quod beatius nobis est, ampliùs amare, & idem nobis iucundius esse, beatius verò est magis dare quàm accipere, vti ex Christo Domino prolatum esse affirmat Apostolus Actor. 20. ergo & iucundius, & suauius: & ob hanc etiam causam multoties liberales in prodigalitatem declinant, adeo quippe beneficentiã gaudent, vt plusquam possint, & par sit, donis alios afficere nitantur.

LINGVA.

Prop. I. *Lingua manifestat qualis quisque sit.*
2. *Quanta sit adhibenda cautio in verbis.*
3. *Quantum sit periculum linguæ, ac adeo quàm melius sit tacere.*
4. *Quàm parce loquendum sit.*
5. *Cogitare debemus prius, quid loquamur.*
6. *Quanta mala sequantur ex mala lingua.*
7. *Quàm difficile sit linguam cuiquam nocere.*
8. *Quàm necessarium sit linguã frenare, & quomodo franãda sit.*
9. *Quàm vtilis, & quàm nociua sit lingua.*

Prop. I. *Lingua manifestat qualis vnusquisque sit.*

EX lingua solent medici corporales colligere bonam, vel malã valetudinem corporalem: sic etiam medici spirituales ex lingua, seu locutione, colligere solent bonam, vel malam valetudinem spiritualem.

Sicut enim nummus aureus vel argenteus ex ponde-
re, & sono, seu tinnitu exploratur ; ita etiam homo ex
pondere , & sono verborum dignoscetur. Vnde rectè
Democritus Philosophus apud Laertium ait: *Sermo est
vitæ simulacrum, & velut quædam hominis vmbra.* Ita ille. Et
meritò: nam sicut in speculo relucet facies homines ex-
terior, sic in verbo , & sermone relucet facies hominis
interior: ex abundantia enim cordis os loquitur. super-
bus loquetur superba, humilis verò humilia , honesta
honestus, turpia turpis, & denique , qualis vnusquisque
Isai.32 6. est, talia profert: *Stultus*, ait Isaias c.32. *fatua loquetur*, &
Eccli. 20. Eccl.c.20. *Sapiens in verbis producet seipsum:* vtrum enim
29. quis Theologiæ, an Philosophiæ, aut Medicinę peritus
sit, in verbis eius manifestatur: sic vtrum quis bonus vel
malus sit, in verbis demonstratur. Denique sicut Matth.
26. in domo Pontificis quidã astantes Petro dixerunt:
Vers.73. *Verè tu ex illis es; nam & loquela tua manifestum te facit* ; sic
vnicuique nostrum in his quæ ad mores attinent , dici
potest: tu talis, vel talis es : nam & loquela tua manife-
stum te facit. Vnde S. Tho super c.4. ad Ephes. lect. 9.
Sermo (inquit) *oris prætendit, & annunciat ea, quæ intus in
anima sunt, quia voces sunt earum, quæ sunt in anima, passio-
num notæ.* Ita ille.

Clem. Alex. 3. Strom. *Qualis sermo, talis est vita.* & Hugo
de S. Victore l. 2. de anima : *Mores hominis lingua pandit,
qualis sermo ostenditur, talis animus probatur.* Ita ille. Et S.
Basil. lib. de vera virg. *Sermo qui ministerio vocis ad exte-
riora deducitur, fontis, ex quo manat, index, & testis est.* Ita il-
le, qui epist. 41. hoc ipsum prosequitur, & rursus Clem.
Alexand. 2. pædag. cap. 5. *Cùm verba à cogitatione promanent, non est arbor bona, quæ fructus malos facit , neque è con-
trario.* Ita ille. Et Climach. gradu 26. *Sicut is, qui fert aro-
mata, etiam si nolit, ex odore prodit ur ; ita & qui spiritum Dei
habet, agnoscitur ex verbis suis.* Ita ille.

Philo lib. de migratione Abrahæ, appellat sermonẽ,
indicem mentis, & rationis, & explicat optima similitudi-
ne horologij: *Sicut enim in horologio protensa manus osten-
dit motum interiorem rotarum, & quæ sit horæ: sic sermo indi-
cat interiora mentis, & cordis.* Et subdit : *Vmbræ & imagini
sermo similis est: sicut enim proposita imagine , in cognitionem
exemplaris, & prototypi deuenimus; ita audito sermone, men-
tem, ac vitam colligimus loquentis.* Ita Philo. & Seneca in
prouerbijs. *Imago* (inquit) *animi sermo est, qualis vita, talis
& oratio.* Vide S. Basil. interrog. 28. & S. Ephr. libr. de
vita religiosa, & S. Ambr. lib. de Abraham c. 1.

Hinc Sancti se sanctos esse sanctis verbis manifestãt,
& etiam lacessiti, linguam moderãtur. Quod in sancto
Michaele obseruauit Apostolus Iudas Thadæus in sua
Canonica, dicens : *Cùm Michael Archangelus cum diabolo
disputans, altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium
Iud. 9.* *inferre blasphemia, sed dixit: Imperet tibi Deus: hi autem quæ-
cumque ignorant, blasphemãt.* vbi videmus B. Michaelem,
tametsi contumeliosè à diabolo lacessitum , & cum eo
contendentem, non fuisse ausum maledicere , sed tem-
perasse sermonem, & cum modestia, citra maledictum
aliquod, in iudicium Dei totum negotium remisisse,
Imperet, inquit, *tibi Deus*, hoc est, Deus iudicet, & refræ-
net petulantiam tuam.

Vers 11. Psal. 5. de maledicis ait Dauid sic : *Sepulchrum patens
est guttur eorum:* Super hunc locum Origen. l. 3 in c. 3. ad
Rom. *Clausa* (inquit) *sepulchra dicuntur ij, quos aliquantùm
pudor prohibet proferre ad publicum crimina ; patens verò ij,
qui impuritates in propatulo habent , quibus vsus scelerum,
quod est in malis vltimum, fustulit verecundiam, vt proferant
verbum mortuum, verbum diaboli, non de corde humano , sed
de sepulchro.* Ita Origenes.

Denique, sicut aperiens sepulchrum, manifestat pu-
tredinem, quam intus habet ; sic lingua malè loquentis
aperit putredinem cordis.

Simile. Si vas aliquod balsamum, vel liquorem alium miri
odoris contineat, vt suauitas eius, & fragrantia percipi
possit, aperire id oportet: ore enim aperto prodit inde
odor, & qualis, ac quantus sit, tunc facilè sentimus ; sic
quid homo interiùs contineat, oris apertio demõstrat:
si honestus scilicet vel lasciuus, si prudens , vel impru-
dens; si sapiens, vel ignarus; si virtute, an vitio præditus
sit , dignoscimus ex verbis eius. Vnde cùm magistro
cuidam ex Sapientibus antiquis puer eruditendus trade-
retur, ille pueri ingenium, ac mores dignoscere volens,
Loquere puer, inquit: more medicorum , qui linguam *Simile.*
infirmo exhibere præcipiunt, vt ex ea morbi intensio-
nem, aut remissionem, malitiam, aut benignitatem va-
leant iudicare : sic ille, vt iudicium de adolescente illo
edere posset, linguam eiusdem consuluit priùs.

PROP. II. *Quanta sit adhibenda cautio in verbis.*

CAnt. 4. *Sicut vita coccinea labia tua, & eloquium tuum* *Vers.3.*
dulce. Septuaginta sic legunt : *Sicut funiculus cocci-
neus labia tua:* est enim propriè vitta funiculus ille , seu
filum, vel redimiculum, quo mulieris crines ligantur,
ornatus, & decoris, & honestatis gratiâ ; labia ergo ani-
mæ iustæ comparãtur vittæ rubeæ (qui color symbolũ
charitatis est : rubeus enim color ab ardore procedit;
charitas verò ignis ardens est) quia iustus in hoc speciã-
tim se iustum exhibet, quòd iusta, & iuxta regulas cha-
ritatis circumspectè loquatur, *palabras attadas, y ajusta-
das a charidad,* ita vt nihil proferat ore, quod vel ad Dei
honorem, uel proximi bonum non spectet. Sunt enim
nonnulli, qui labea soluta gerunt, & quidquid in buccã
venerit, facilè effundunt : hi non habent in ore vittam
coccineam, &c. Vis hanc vittam habentem videre? au-
di sanctum Iobum, *Qui me audiebant,* (inquit) *expectabãt* *Iob 29.21*
*sententiam meam , & intenti tacebant ad consilium meum,
verbis meis addere nihil audebant , & super illos stillabat elo-
quium meum, expectabant me sicut pluuiam , & os suum a-
periebant quasi ad imbrem serotinum.* Oquàm prudenter, &
circumspectè loquebatur, qui, dum loqueretur, senten-
tiam, hoc est, serium, grauem, & sapientem , & paucis
dictum verbis sermonem ab eo expectabant, & cui ni-
hil addere audebant , & quasi desideratam pluuiam
eum excipiebant, *como agua de Mayo* , huius labia verè
sicut vitta coccinea erant : nihil enim dicebat , quod
Dei, vel proximi amorem non redoleret.

Ecce sermonem, quem à nobis exigit Paulus: *Omnis* *Ad Ep.4.*
sermo malus ex ore vestro non procedat , sed si quis bonus ad *29.*
edificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Vbi S. Ansel.
Id est, *nullus sermo malus procedat ex ore vestro, etiamsi fue-
rit corde conceptus, sed comprimite illum, ne possit exire.* Ita il-
le. Ecce quoi sit vitta coccinea.

Difficilis quidem est hæc verborum cautio , fateor:
conceptum enim sermonem retinere quis potest? ea
propter Dauid hac in re ad Deum confugiebat, dicẽs:
Pone, Domine, ostium circumstantiæ labiis meis. Appone tu *Psal. 140.*
tibi ô Propheta, siquidem liber es, & in potestate tua *3.*
verba tua sunt. Sunt quidem, sed in reticentia sermonis
concepti, talem ac tantam difficultatem experior, vt à
Deo custodiam exiftimem deposcendam : quod qui-
dem ampliùs cautionem superiùs dictam commendat.
Si enim talis, ac tantus Propheta sic seipsum in verbis
suis metuebat; quid te facere oportet, & quam adhibe-
re cautelam?

Vidit Ezechiel Propheta in vtraque parte cuiusdam
torrentis omne lignum pomiferum, & subdit : *Non de-* *Cap.47.*
fluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius , & folia eius ad *12.*
medicinam. S. Hier. per huiusmodi arbores, viros iustos
intelligit : harum arborum folia linguarum symbola
sunt, nec mirum ; sæpe namque vel ipsa figura linguis
simillima est. De his igitur foliis duo dicit, quòd scili-
cet ad medicinam apta sint : verba enim iustorũ, vt sic,
ad ædificationem deseruiunt proximorum. Præterea,
non defluet (inquit) *folium ex eo*, nimirum quia nõ cadit
in terram verbum aliquod eorum , inane videlicet;
cùm magna quippe loquitur consideratione, non cadit
in ter-

in terram verbum eius, quia de cælestibus est conuersatio eius, non defluit verbum eius, iuxta illud primi psalmi de viro iusto, *& folium eius non defluet*, quia vittâ coccineâ Christianæ charitatis labia sua ligat, &c. Vnde meritò subdit sponsa: *Eloquium tuum dulce*: qui enim sic circumspectè loquitur, verba profert consideratione digna: nec mirum, quia ex magna consideratione procedunt, verba verò huiusmodi quidni dulcia, & suauia cunctis sint? *Cant. 4 3.*

A

PROP. III. *Quantum sit periculum linguæ, atque adeo quàm melius sit tacere.*

NOn sine causa natura duos nobis oculos præbet, & duas aures, vnicam tantùm linguam præbuit. S. Basil. lib. de vera virginitate, ideo asserit nobis Deum duas aures, vnicam autem linguam tribuisse, vt nos doceret duplices aures linguam excedere debere, ita vt dimidium saltem loqui debeamus eorum quæ audimus. id etiam de oculis dicendum, nō omnia, quæ videmus, loqui debemus, sed dimidium, & sæpe nec verbum, &c. ideo etiam natura tot portas constituit linguæ nostræ; primam labiorum, & quia hæc debilis videbatur, secundam dētium fortiorum adhibuit, ac si dicat: custodite linguam, non semel claudite, & recludite illā, &c. imò quasi non sufficeret hoc, Dauid sic Dominum orauit: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* vbi Glossa quædam: *Ostium dicit circumstantiæ, ad similitudinem illius, qui circumstat ostium, ne intret, vel exeat, cui non licet, & sic erit ostium continentiæ, non ruinæ.* Ita ille. Vide, quàm periculosa res lingua sit, cui tot custodiæ naturæ vix sufficiant, vt Dei operam, & circumstantiam ad eam seruandam, conueniat postulare. *Psal. 140. 3.*

B

Aristoteles, vt refert Stobæus ser. 39. interrogatus, quidnam in vita difficillimum esset? *Tacere* (inquit) *quæ dicenda non sunt.* Ita ille. Vrgēt linguam verba in corde concepta, & solus sapiens ea mente retinere nouit, *Stultus*, ait Salomon, *verba multiplicat*, nimirum nihil retinere nouit, nunquam tacere scit. Vnde idē Salomō Prou. 29. hanc differentiam inter sapientem, & stultum assignans, ait: *Totum spiritum suum profert stultus, sapiēs differt, & seruat in posterum.* Vbi Iansen. *Totum spiritum profert stultus, quia omnia secreta animi sui, & quidquid animo concipit, statim eloquitur, & prodit: quod magnum stultitiæ argumentum est. Contrà sapiens, non statim, quod nouit, & concipit, eloquendo profert in lucem, sed reseruat dicendum tempore opportuno. Sic dicitur in Ecclesiastico: Homo sapiens tacebit vsque ad tempus, imprudens non seruabit tempus.* Ita ille. *Eccl. 10. 14.* *Cap. 20. 7*

C

Maximè autem oportet, quæ arcana sunt, & secreta, sibi secretò commissa, tacere, & hoc propheticum dictum semper in ore habere debet is, cui arcanum commissum est: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi*, quantumuis difficile hoc sit. *Isai. 24. 16.*

Socrates apud Stobæum ser. 39. dicere solebat: *Carbones ignitos faciliùs in lingua continere posse, quàm sermonē arcanum.* Ita ille. Hoc autem imprudenti maximè attribuit Ecclesiasticus, dicens: *Sagitta infixa in femore canis, sic verbum in corde stulto.* qui se igitur sapientem haberi vult, curet vt moriatur verbum sibi commissum in corde suo. *Cap. 19. 12.*

D

Isocrates lib. ad Dominicum. *Sermonum deposita* (inquit) *fidelius, quàm pecuniarum esse debemus custodiores.* Ita ille. Maiora enim damna ex proditione secreti, quàm ex furto pecuniæ promanare solent.

Refert Erasmus lib. 8. Apophthe. ex Stobæo, quòd, cùm Euripides malè audiret ab alijs ab oris grauolentiam. *Multa* (inquit) *in ore meo computruerunt.* innuere voluit vir sapiens, se fidelem extitisse in arcanorum reticentia, contra stultorum consuetudinem, qui omnia temerè effutiunt; solent autem res in occulto diu seruata, computrescere. Ita Erasmus.

Brusonius libr. 6. c. 10. ex Plut. Lysimacho (inquit) cumprimis charus fuit Philippides comicus & familiaris, cui cùm Lysimachus offerret liberalitatem suam, & frequenter diceret: Quid tibi vis impertiar rerum mearum? quodcumque volueris (inquit) modò ne arcani quippiam. significans periculosum esse, magnatum arcana nosse: quorum si quid effutias, actum est de te, & similiter difficillimum esse arcana semper reticere. quare sapiens vel arcanorum notitiam caueat, vel in hoc prudentiam eius dignoscendam esse sciat, an scilicet tacere nosset secreta, an verò temerè illa prodat.

Aristoteles, vt refert Erasmus l. 6. Apophthe. dicere solebat. *Vbi venti sunt nobis molestissimi, qui abstrahunt pallium; ita grauissimè lædunt amici, qui à nobis arcana expiscantur.* Ita ille. Et quidem illis maximè secretorum nostrorum communicationem negare debemus, qui à nobis ea inquirunt: hi enim, sicut auidi sunt ad illa scienda, ita etiam prompti, & faciles sunt ad ea effutienda.

Si amphorā vacuam pulsaueris, paruo ictu magnum sonitum reddit; si verò fuerit plena, licèt magno ictu percusseris eam, exiguum sonum præstat; sic de prudentia nostra philosophandum est; nam qui prudentiā caret, quauis occasione spiritum suum profert, & loquitur multa: qui verò prudentiâ præditus est, quamuis plures sæpe illi occasiones loquendi offerant, tacere scit, aut paucis quidem verbis se nouit expedire.

Prou. 10. *In multiloquio non deerit peccatum; qui autē moderatur labia sua prudentissimus est.* Vide Eccl. 20. à nu. 3. qui multis vtitur verbis, miscere solet mendacia, iuramenta, vana, & otiosa, & multa etiam indiscretè proferuntur: vnde multi offendantur, & turbantur; quare meritò ait Sapiens: *In multiloquio non deerit peccatum.* *vers. 19.*

Rectè S. Bernar. libr. de ordine vitæ, *Aliga* (inquit) *sermonem tuum, ne luxuriet, fit restrictior, & ripa coerceatur suis: citò enim lutum colligit amnis exundans.* Ita S. Bernard. Apta quidem similitudine rem expositi: fluuius enim dum intra limites aluei sui continet se, mundus & crystallinus fluit; cùm verò ripas excedit suas, paleas, & lutum, & immunditias omnes colligit, quo aquas suas inficit, & deturpat; sic, dum lingua intra rationis ripas fluit, munda, & conspicua est; cùm verò superefluit, immunda prorsus, & turpis apparet.

Vnde Ecclesiastici vigesimo octauo dicitur: *Verbis tuis facito stateram.* quem locum sic interpretatur S. Ambr. primo Offic. *tertio: Lingua tua menti subdita sit, & ad mensuram proferat sermones libræ examinatos iustitiæ, vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, & in verbis modus.* Ita ille. Statera ergo, quam in verbis nostris faciendam monet Ecclesiasticus, est iudicium rationis; priùs igitur recto iudicio rationis verba ponderet, quā ad extra proferantur, qui iniustè loqui non vult. quò prouerbium illud seruit: *Bis ad limam, semel ad linguam.* *Eccli. 28. 29.*

Sic se prætitisse ait Dauid, secundùm expositionem S. Hilarij, Psalmo quadragesimo quarto, dicens: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Intelligentis lingua* (ait S. Hilarius super Psal. quinquagesimum primum) *ex meditatione sapientis fit, & eadem rursus, sicut calamus scribentis, nihil incompositum, nihil incertum agat, sed his, quæ aut cogitata, aut lecta fuerint, obtemperare, ex ratione consilij, obsecundet.* Ita S. Hilarius. Sicut ergo calamus nihil aliud scribit, nisi quod ratio dirigentis, & scribentis dictat; sic nec lingua quidquam proferat, nisi quod recta dictauerit ratio: ad quam non minùs spectat dirigere linguam, quàm ad scribentem calamum, & manum. Quare apud Persas, vti refert Quintus Curtius, vetus disciplina vitæ periculo silentium sanxit: nihil enim in vita periculosius, nihil nocentius nobis quàm lingua nostra, si non semper candida ratione dirigatur. *Psal. 44. 2.*

Hinc rectè S. Gregor. homil. vndecimā in Ezechiel. *Quasi nutrimentum verbi* (ait) *est censura silentij.* Ita ille. Etenim quæ nutrita sunt nunquam inedia debilitantur, & attenuantur; præmeditatio ergo quæ silenter

verba præcedit,quasi pabulum quoddam,& nutrimentum est verbi proferendi, quo gratum, & pulchrum audientibus apparet. vnde huiusmodi præuentionem, & præmeditationem, censuram optimè appellauit S. Gregor. Sicut enim audientes verba, aut legentes scripta,censuram adhibent verborum,aut scriptorum,bona vel mala ea esse dicentes;sic qui locuturus, aut scripturus est aliqua, priùs apud se censurare debet, an bonum vel malum sit,quod in lucem depromere vult, si secundùm regulas prudentiæ, atque iustitiæ fuerit, vel non talia proferre.

Vnde Hugo Victorinus libro de Clausтro animæ, exponens verba illa Psalmi centesimi quadragesimi,

*Ps.*140 3. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis*,ait:*Ostium dixit,non murum: si enim murus poneretur,licentia loquendi negata ommino videretur: sed ostium ponitur, quod loco,& tempore suo claudatur,& aperitur:est enim tempus tacendi,& tempus loquendi.* Ita ille. *No dizò Dauid: tapiad Sennor mi boca, paraque no hable palabra, sinò cercad la poncndle gete de guarda.* Etenim Reges ante ianuas suas militum munitionem apponere solent, ne quis sine facultate Regis ingrediatur. At nos tali munitione indigemus, ne sine licentia rationis verbum aliquod indecens egrediatur: & quia difficillimum hoc est, à Deo exigendum est:*Pone Domine custodiam ori meo,*&c.

Hinc S. Chrysost. super Psalm 50. rationem rectam, *clauem oris* appellauit *Os nostrum* (inquit) *perpetuò custodiamus, rationem ei veluti clauem adhibentes, aliquin ostium semper patens incursibus inimicorum, facilè ab eis diripietur,& tota domus æquabitur solo.* Ita ille. Sicut ergo clauis ad hoc deseruit, vt suo tempore, & loco ianuà claudatur,& aperiatur: neque enim semper clausam, nec semper apertam conuenit esse: sic in homine ratio ad hoc deseruire debet, vt os suo tempore, & loco, & modo claudatur,& aperiatur:neque enim semper apertum,nec semper clausum esse oportet: & sicut sine clauе non aperitur ianua clausa; sic sine discretione rationis non aperiatur os nostrum. *Que sera abrir de ladrones, que abren con gauçuas, es hablar por solo antojo.* Os igitur nostrum ostium est animæ nostræ, clauis autem ratio nostra.

Vnde S. Ambr. 1. Offic. 3. super illud Eccles. 28. *Aurum & argentum tuum alliga.* Sic enim legit S. Ambros. *Argentum* (inquit ille) *eloquium tuum est: Eloquia Domini eloquia casta,argentum igne examinatum.* Ita ille. Alligamus feras,ne irruant in nos,& discerpamur ab eis;alliga & tu linguam tuam,quia fera est, quæ deuorare incautos solet. Si solueris ad libitum linguâ, te aliosque discerpet,alliga eam,quia sic alligata aurum, & argentum tibi erit,hoc est,vtilitatis eximiæ, sicut aurum, & argentum esse solet. Nostra editio vulgata legit: *Aurum tuum,& argentum tuum confla:* conflatur aurum, & argentum,vt excrementa,quę habet admixta, excutiantur,& purificata prodeant è fornace: fac & tu in corde fornacem,& ibi,antequam verba prodeant, confla,purifica verba,quæ locutus es,vt purificata ab omni rubigine procedant,sit argentum eloquij tui examinatum, & erit omnibus audientibus pretiosum.

Cùm Christus mutum & surdum sanare vellet, priùs,vti ait Euangelista, ingemuit; cur,quæso,ingemuit? nunquid beneficentia inuita,aut inuisa illi erat? nónne libenter beneficia miseris præstabat? nunc ergo cur ingemuit? Salus hæc aut expediens,aut non expediens erat:si non erat expediens,quare illam præstabat; si expediens,cur ingemuit? Gemitus quidem hic similis mihi videtur gemitui,quem edidit in Lazari resurrectione,vbi *infremuit spiritu,& turbauit se ipsum,& lacrymatus est.* cur ita? quia, vt nonnulli adnotarunt, ad vitam miserabilem eum reuocabat, in qua multa erat pericula subiturus. Sic igitur ingemuit modò Christus Dominus, quia linguam muto, & auditum surdo tribuebat,quibus in multa erat pericula casurus, quia, inquâ,periculosa res lingua,ob quam multi perierunt.

Dives ille,qui guttam aquæ postulabat, in refrigerium linguæ illam deposcebat, *Pater Abraham,* inquit, *miserere mei,& mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam,vt refrigeret linguam meam,quia crucior in hac flamma.* qui totus in tormentis igneis inferni torquebatur, cur speciatim de linguæ queritur cruciatu? S. Greg. *Priùs epulatus splenditè dicitur, & post aquam petere in lingua memoratur,quia inter epulas diffluere valde loquacitas solet,ex pœna indicat culpam, cùm eum, quem epulatum quotidie splenditè veritas denarrat, in lingua plùs ardere perhibebat:nam & hi qui chordarum harmoniam temperant,tanta hanc arte dispensant, vt plerumque, cùm vna tangitur,longè alia,ac multis interiacentibus posita chorda quatiatur,cumque ista sonum reddit,illa, quæ in eodem cantu temperata est, aliis inpercussa tremit. Sic ergo in Scriptura sacra plerumque de virtutibus & de vitijs agitur,vt, dum loquendo aliud insinuat, aliud tacendo innotescat. Nihil ergo contra diuitem de loquacitate memoratur,sed dum pœna in lingua dicitur,qua in conuitio inter alias grauior fuerit culpa,monstratur.* Ita S. Gregorius. Vnde manifestè constat, quantum insit linguæ discrimen, quantâque vigilantiâ & custodiâ sit à nobis custodienda.

Luc 16. 24.

1. Mor. 3.

PROP. IV. *Quàm parce loquendum sit.*

DIfficilis prorsus est linguæ moderatio, iuxta id quod Iacobus Apostolus ait:*Si quis verbo non offendit,hic perfectus est vir.* & subdit: *Omnis natura bestiarum, & volucrum,& serpentum,& ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana,linguam autem nullus hominum domare potest.* Cui nón terrorem injiciant verba hæc, quantumuis perfectionis statum profiteatur?

Refert Nicephorus lib. 8. hist. c. 11. doctum quendam virum adijsse Pambum sanctissimum Abbatem,sed litterarum imperitum,qui suadere nitebatur ei,vt pietati litterarum coniungeret peritiam;assensit Abbas, apertus est Psalmorum liber, & lectus versiculus ille Psal. 38. *Dixi custodiam vias meas,vt non delinquam in lingua mea: satis est* (inquit Pambus) audiam reliqua,cùm istud obseruauero. Multo pòst tempore reuersus ad Pambum doctor ille,interrogauit illum, cur alteram lectionem non quæsuisset,respondit:quia nondùm satis priorem lectionem opere perfeci. Ostendit sanctus vir, quàm difficilis sit linguæ moderatio.

Jac. 3. 2.

Vers. 2.

Percussit diabolus S. Iobum vlcere pessimo à pedibus ad caput vsque,omnemque substantiam abstulit,& filios:duo autem illi cõsultò integra reliquit,vxorem, & linguam,vxorem,vt,sicut mediante vxore Adamum deiecit;sic mediante vxore Iobum superaret. linguam etiam intactam reliquit, quia ex verbis eius sibi victoriam pollicebatur. Et quidem ipsemet Iob speciatim linguam suam timebat: vnde dicebat: *Si iustificare me voluero,os meum condemnabit me.* & rursus: *Vnum locutus sum,quod vtinam non dixissem,& alterum, quibus vltrà non addam.* S. Thom. intelligit hoc dixisse Iob, quia voluit cum Deo disputare. Caietanus primum intelligit dictum esse de eo,quòd sibi victoriam in diuino Iudicio pollicebatur,cùm dixit:*Scio quòd iustus inueniar;* & alterum cùm postulauit ostendi sibi, quantas haberet iniquitates,& peccata. Denique S. Greg. 32. Mor. 2. ex hoc colligit,nec sanctos viros omnino coram Deo excusari à verbis otiosis. Quidquid ergo sit, se verbo peccasse aliquomodo fatetur S. Iob, & ideo hostis, qui omne eius corpus percussit,linguam integram ei reliquit.

Cap. 9. 20 Iob 39. 37

Iob 13. 18.

Hinc S. Hieron. ad Celantiam, *Pauci* (inquit) *sunt qui linguæ vitio renuntient,rarosque iuuenes, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibeant; quare qui ab aliis vitijs recesserunt,in hoc, tanquam in vltimum laqueum diaboli, cadunt.* Ita ille.

Sancta mulier erat Maria soror Moysi, sanctus censebatur Aaron,& tamen linguæ vitium non effugerũt: imò

Marc. 7. 32.

Dan. 13.

imò nec Moyses, qui ad aquas contradictionis quędam verba protulit, quæ diffidentiam aquæ, quam Deus promiserat, denotabant, & oris illa pauca verba, ingressui terræ promissionis impedimento fuerunt.

Hoc itaque perfectissimorum virorum tantùm est, quare à Deo Opt. Max. postulare speciatim auxilium debemus, & sæpe illam Dauidis orationem vsurpare: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Es vn portillo la boca, perdonde dan a salto a alma mil vezes nuestros enemigos, es vna tecla la lengua, que toca muchas vezes el demonio para hazer mala musica à Dios. Vnde S. Ephrem lib. de passionibus animę: Sic nos Deus orare docet: *Digitus gratiæ tuæ Domine semper moueat linguam meam, tanquam nerum citharæ, ad gloriam tuam, fiatque lingua mea, velut cithara tua.* Ita ille. Ita quidem nos facere oportet: nam verum est Salomonis dictum Prou. 16. *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Etenim gubernaculum nauis, non cuiusuis manui tradendum est, sed nauclero, seu gubernatori perito. Est velut gubernaculum vitæ bonæ lingua, supremo illi gubernatori committenda; siquidem ait: *Domini est gubernare linguam,* hoc est, gubernator legitimus linguæ, Deus est, *es timon para esta mano.*

Sed quia nos etiam cooperari Deo debemus, quantò periculum linguæ maius est, tantò maior etiam cura, & sollicitudo eam seruandi maior esse debet, ita vt quod semel ad linguam, bis ad limam. Quam quidem circumspectionem significatam esse à Domino in ipso naturali situ linguæ, docet S. Chrysost. hom. ad baptizandos rudes, quòd veluti muro duplici voluit circumdari linguam, labiorum, scilicet & dentium, ita vt si blandus labiorum murus non sufficiat, dentium duricies in officio contineat, &, si non timet labiorum constrictionem, timeat dentium morsum, hoc est: si leuia remedia non sufficiunt, adhibeantur acerbiora. Videamus ergo quibus remedijs linguam coercere, & frænare valeamus.

Primum sit ex Deo, petere scilicet à Deo, vt dictū est, vt custodiat ipse linguam nostram: nisi enim Dominus custodierit linguam nostram, non sufficiet, qui custodit eam. Petat igitur cum Dauid: *Pone, Domine, custodiam ori meo,* &c. & hoc sæpe, & maximè, cùm se occasio obtulerit plura loquendi, & maxim cum nonnullis, quos non ita viros spirituales esse cognouimus.

Secundum sit, consilium rationis, vti ait S. Greg. 5. Mor. 11. *Boni* (inquit) *viri fræno consilij retinent præcipitationem verbi.* Ita ille. Consonat S. Chrysost. Psal. 140. *Os nostrum* (inquit) *perpetuò custodiamus, rationem tanquam clauem ei adhibentes.* Ita ille. Similiter S. Hilarius in Ps. 51. ad ea verba, *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua.* *Officium* (inquit) *linguæ humanæ est, vt naturali impulsu ratione vocem in verba distinguat, & quamuis quidem hic eius ad id efficiendum rationabilis motus sit, tamen ipsa subdita potius esse rationi intelligitur. Quod verò caret sensu intelligentia, caret & rationis instinctu; quidquid autem caret rationis instinctu, caret & meditatione consilij. Quomodo rectè à Prophetà dictum intelligitur, lingua iniustitiam cogitare, quod alius propheta demonstrat, dicens:* In ore stultorum cor eorum, *quia nihil ex consilio rationis tractantes, & cordis meditatione pendentes, temerario tantùm motu linguæ inconsultè res fortuitas, & inconditas eloquuntur; atque ideo in ore stultorum cor eorum est, quia non quod cogitauerint, loquuntur, sed quod locuti fuerint, cogitabunt.* Ita ille. *No traben la lengua en el coraçon, sinò el coraçon en la lengua, hazen al postrero lo que auian de hazer al principio, que es mirar lo que dizen.*

Etenim naturale hoc documentū est, & à natura dictatum: si enim rectè inspicimus cor, & linguam, eandē figuram, eundem colorem habent, *el coraçon es vna lengua en el pecho, y la lengua vn coraçon en la boca.* Quo significare voluit Deus, conformitatem omnimodam inter linguam, & cor esse debere, vt scilicet id loquatur lingua quod sentit cor, id sentiat cor, quod profert lingua, & denique nihil loquatur lingua, nisi quod priùs fuerit consultum in corde, ac præmeditatum.

Vnde S. Greg. Nazian. oratione 2. in Apol. *Lingua, nisi ratione gubernetur, facile hominem in lapsum impellit.* & S. Bern. ser de triplici custodia: *Leue* (inquit) *res est sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat, leuiter transit, sed grauiter vrit, leuiter penetrat animum, sed non leuiter exit, tenerum membrum lingua, attamen vix teneri potest.* Ita ille.

Hinc etiam S. Hier. epist. ad Celantiam: *Dum ante cōsidera, quid loquendum sit, & adhuc tacens prouide, ne quid dixisse pœniteat. Verba tua ponderet cogitatio, & lingua officium animæ libera dispenset.* Ita S. Hieron. Consilium quidem est Spiritus sancti Ecclesiastici 28 *Verbis tuis facito statueram*: etenim si in auro & argento, & alijs metallis hoc fit, quantò magis in verbis linguæ, de qua Prou. 18. *Mors, & vita in manibus linguæ.*

S. Chrysost. hom. 3. ad pop. *Ideo seruandam esse linguam ab omni immunditia peccati ait, quòniam instrumentum orationis est: linguâ benedicimus, & laudamus Deum, linguâ oramus, & deprecamur Dominū, vt misereatur nostri, vt dona sua nobis concedat, vt dimittat nobis peccata nostra, vt saluet nos,* &c. *Caue igitur ne deturpes hanc linguam vel mendacijs, vel maledictionibus, vel detractionibus, vel alijs verbis malis, ne, cùm ad orandum accesseris Deum, dicat tibi: Linguâ, quâ me nequiter offendisti, ad petenda beneficia à me accedere audes?*

Aliam rationem adducit idem S. Chrysost. hom. 21. epist. ad Rom. ex eo, quòd, cùm communicamus, corpus Dominicum linguâ sumimus. *Quomodo,* inquit, *sacram oblationem sumes, qui linguam humano sanguine cruentasti?* Ita ille. Etenim qui, dum in occasione malè loquendi se constitutum cernit, hæc consideraret, caueret vtique inquinare linguam, quâ Deum deprecaturus, & hostiam consecratam sumpturus est. Si leuandæ sunt puræ manus in oratione, cur non lingua?

Seneca epist. 105. *Nihil aquè prodest ac quiescere, minimùm cum aliis loqui, plurimùm secum.* Ita Seneca. Nam ex multis sermonibus inquietudo procedit cordis: verba multa enim sequitur pœnitudo, & qui multa loquitur, multa audiet quæ animum eius turbent, & pertur-bent, qui secum agit, sapiens cogitando fit.

PROP. V. *Cogitare debemus priùs, quid loquamur.*

PRouerbium sapientum est: *Bū ad limam, semel ad linguam.* Psal. 51. sic Dauid de homine temerè loquente: *Tota die iniquitatem cogitauit lingua tua.* quonam pacto lingua hæc cogitare potuit iniustitiam? etenim dicendum esse videbatur: tota die iniustitiam locuta est lingua tua. cogitare enim, non ad linguam, sed ad intellectum spectat. Cogitatio quidem hîc tribuitur linguæ, quia cùm lingua cogitatum non habeat, verba quæ ex sola cogitatione linguę præcedunt, ex nulla cogitatione, seu intellectu procedunt, atque adeo sine vlla mente, vel iudicio manant, *y assi son palabras sen juizio.* Talia quidem sunt verba multorū, *que non miran lo que dizen,* multorum, inquam, quia stultorum infinitus est numerus: quæ verò maior stultitia, quàm sine regimine rationis verba proferre? quid aliud surdi, & pśittati faciunt, qui quidquid in buccam venerit, effutiunt?

Hinc Ecclesiasticus: *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me.* Signamus ea, quæ secreta, & clausa volumus esse: moderationem ergo linguæ optat Sapiēs hic, & rarò loqui, magnaque cum circumspectione, sicut qui sigillatum aperit, non nisi tempore conuenienti. Et subdit, *vt non cadam ab ipsis:* sciebat enim multos, & magnos esse linguæ casus. imò, *& ne lingua mea perdat me:* multi enim nunc in inferno propter linguæ peccata cruciantur, vt in diuite Epulone obseruauit S. Greg. 1. Mor. 5. & iam à nobis obseruatum est.

Vbi nota, quòd S. Aug. lib. de gratia & lib. arbitrio

Psal. 140. 3.

Verſ. 1.

Psal. 140. 3.

Psal. 51 4

Eccli. 21. 29.

Verſ. 4.

Eccli. 28. 29.

Cap. 22. 33.

cap. 16. pro *signaculum certum*, legit *signaculum astutum*, hoc est, prudens; nam ad huiusmodi linguæ moderationem magna est prudentia necessaria, quia, vt ait Salomon Prou. 29. *Totum spiritum suum profert stultus, no tiene retentiua el necio, quanto le viene a la boca, tanto dize, sed sapiens differt, & reseruat in posterum, el sabio sabe hablar lo que se ha de hablar, y sabe callar lo que se ha de callar, habla, y calla a su tiempo*, nam secundùm Sapientem, est *tempus loquendi, & tempus tacendi*.

Prou. 11.

Hinc est, quòd, cùm os signumus, seu sigillamus signo, & sigillo crucis, dicimus: De inimicis nostris libera nos Deus noster: hîc enim latent inimici nostri, & linguæ nostræ semper insidiantur; nam hinc lucra sua & damna nostra multa reportant.

Vnde magnam & assiduam cautelam adhibere debemus circa linguæ nostræ custodiam, & curam eximiam. Refert Patricius, anseres quoddam in Oriente ad fugiendam vehementiam caloris in æstate, in Occidentem transmigrare solitos, & quia per montem Taurum transire necessariò debent, vbi magna est copia aquilarum, quæ ipsos venantur, & discerpunt; ne ab aquilis gannitu sentiantur, lapillulos nostris accipiunt, ne gannite, aut mutire valeant, & sic per medios hostes noctu securè possint trâsuolare. Hac nos industria indigemus, propter os nostrum periclitamur; nam inde nos hostes tartarei inuadunt, claudamus igitur os, ne pereamus.

Prop. VI. *Quanta mala sequantur ex mala lingua.*

INnumera sunt mala linguæ malæ, grauia sunt damna, quæ infert, & inde grauia sunt supplicia eius, de his simul hîc nonnulla dicamus

Iac. 3. 6

S. Iacobus, *Lingua* (inquit) *ignis est, vniuersitas iniquitatis.* Paucis verbis multa hîc Apostolus de lingua mala dixit: *ignis est*, quoniam sicut paruus ignis magnâ sylua incendere solet sic parua cùm sit lingua, magnas tragœdias excitare solet, vt cõstat in Hæresiarchis: sæpe etiá vnicum verbũ plurimorum homicidiorum causa est. Dicit etiam esse vniuersitatem iniquitatis, quia, sicut ait Beda, vniuersa facinora per eam concinnantur, latrocinia scilicet, stupra, homicidia, odia, dissensiones, periuria, falsa testimonia. Vel dicitur *vniuersitas iniquitatis*, quia, vti ait S. Thom. ibid. *per linguam peccat homo cõtra Deum blasphemando, & contra proximum detrahendo, & conuiciando, & contra seipsum iactando, & sic euacuat omnia bona.* Ita ille. Vnde S. Greg. Naxianzenus oratione de silẽtio: Lingua dicitur *vniuersitas iniquitatis*, quia vniuersaliter omnibus nocet. vniuersitas litteraria est, in qua in vniuersum omnes facultates litterarum edocentur; sic lingua nequam quid mali non docet? Vide linguas Lutheranorum, & hæreticorum nostri temporis, & quàm experientiâ comprobatum sit, videbis.

Ps. 63. 4.

Vnde Dauid Ps. 63. de lingua nequam agens, *Intenderunt* (inquit) *arcum tem amarum.* Vbi Symmachus: *Impleuerunt arcum suum sermonem amarum.* & Theodotio: *Ibid. 8.* sermonẽ amarum, & verba illa eiusdem psalmi: *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum*, intelligit. S. Theodor. *Ibid 9.* de offensionibus linguæ, & ideo addit ur: *Infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.* Vocat ergo Spiritus sanctus linguam arcum, & verba sagittas. Verba igitur mala, qualia sunt irrisiones, detractiones, & cætera, quid sunt, nisi sagittæ, quibus linguosi confodiũt corda proximo- *Vers. 18.* rum? Vnde Prou. 25. *Iaculum, & gladius, & sagitta acuta, homo, qui loquitur contra proximum suum.*

Amplificat satis hoc linguæ malum locus ille Psal. *Vers. 4.* 119. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs.* Hîc agit de verbis malæ linguæ, quæ comparat sagittis, vt diximus comparasse Psal. 63. & etiam *carbonibus desolatorijs*. Hebræi legunt, *rethamim*, id est, iuniperorum. vbi multi transferunt: *cum carbonibus iuniperorum*, de quibus carbonibus dicunt Theophrastus, & Plinius, vti refert Genebrardus, & idem ait S. Hier. lib. de mansionibus ad Fabiolam, esse nimiæ durationis. Verba S. Hieron. sunt: *Ferunt lignum iuniperum ignem multò tempore conseruare, ita vt, si prunæ eius cinere fuerint cooperta, vsque ad annum perueniant.* Ita ille. Similem ergo dicit linguam nequam, quæ post multos dies, menses, & annos recolit, quæ nouit, vel etiam quæ non nouit, mala proximorum, & ita famã eius comburit, & denigrat, ac si recentia mala essent, denigrat (inquam) famã: sicut enim quando ignis domum comburit, ligna quidem, & alia huiusmodi prorsus absumit; at parietes, & lapides, quos comburere nequit, denigrat; sic maledicus quæ consumere totaliter potest, consumit, quæ verò non potest, denigrat.

Epicurus (vti ait Stobæus) dicebat: *Si mortalium omnium votu Deus responderet, propè futurum esse, vt vniuersum genus hominum periret. siquidem videre est tantas vicissim, tamque diras, & exitiales imprecationes hinc inde vulgò effundi.* Ita ille. Vtinam apud solos infideles huiusmodi maledictiones reperirentur. aures, quæso, admoue dominibus quibuscumque, & maledictionibus refertas eas inuenies, non solùm inimicis, & hostibus maledicta iactantur, verùm etiam domini familias maledicunt famulis, & famuli dominis, & maritus vxori, & vxor marito, parentes filijs, & sæpe filij parentibus suis, quidni sæpe Deus in supplicium vicissim maledicentes exaudiat?

Prop. VII. *Quàm difficile sit linguam custodire.*

ECcles. 22. sic Ecclesiasticus: *Quis dabit ori meo custo-* *Vers. 33.*
diam, & super labia mea signaculum certum? Hoc est, quis poterit linguæ meæ sufficientem custodiam adhibere? quasi dicat, nemo, præter Deum ipsum, moraliter loquendo. Sciebat Sapiens facilem esse lapsum linguæ, & ita optat donum continentiæ linguæ, sibi concedi, & labia sua, quasi appositio signo, consignari, vnde Dauid Psal. 140. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium* *Vers. 3.*
circumstantiæ labiis meis appone tu Dauid huiusmodi custodiam, & ostium, siquidem tu liber es, & in tua potestate, potens loqui, ac tacere. potens quidem, absolutè loquendo, sed de facto, moraliter loquendo, id impossibile duco; ideo tanquam Dei donum, à Deo ipso peto. Pondera vero ver. Psalmistæ, *Pone*, inquit, *ori meo.* Hæc duo *custodiam*, & *ostium* metaphorica sunt, sumpta à custodibus portarum ciuitatis, vel alicuius regiæ, vbi ianitor constituitur, qui pro delectu ingredi, vel egredi alios sinat, & ad hoc etiam ostium est necessarium. Nam sine ostio vix impetum ingredientium, & egredientium poterit cõtinere, sicut etiam ostium clausum sine ostiario nihil prodest, vt ingrediantur, & egrediantur hi, qui egredi, vel ingredi debent. Os nostrum velut ianua quædam est, per quam aliquando ab intus, à cogitatione scilicet nostra, prodeunt verba, aliquando verò velut aforis veniunt, dum exteriores occasiones nos loqui mouent, & quia difficillimum est impetum cogitationum continere, ne foras per os ipsum prodeant, & occasionibus extetioribus resistere, ne, quod non licet, loquamur: conceptum enim sermonem retinere quis potest; deprecatur Propheta Deum, vt ipse custodiam, seu ianitorẽ, & ostium circumstantiæ, seu circumstans, & forte, ac munitum cõstituat Deus. Quæ quidem duo dona sunt Dei, alterum ex parte intellectus, vt sciat homo quid, & quando, & quo modo, & cur loqui debeat, quod quidem donum consilij est; alterum ex parte voluntatis, ad hoc scilicet vt quod nouerimus loquendũ, vel non loquendum, &c. fortiter exequamur: quod donum fortitudinis est: vt his donis muniti, linguâ non peccemus, sed meritoria verba proferamus.

Hinc etiam Prou. 16. *Hominis est animum preparare, Domini autem gubernare linguam.* Quomodo stare potest hoc discrimen inter præparationem animi, & gubernationem linguæ, cùm vtrumque à Deo sit, vt docet

S. Au-

S.Aug.lib.2.contra duas epist.Pelagia.c.8.& constat ex illo Ioan.15.*Sine me nihil potestis facere*, & ex illo 2.Cor. 3.*Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Respondemus, Sapientem hîc loqui de locutionibus nostris,secundùm id, quod euenire fæpissime videmus. Nam facilè quis in animo suo proponit loqui,vel tacere , cùm hanc vel illam nactus fuerit occasionem ; at cùm se occasio ipsa offert,difficulter in opus redigimus,quod proposueramus,quia,vti dicere solemus:homo proponit,sed Deus disponit.Sensus ergo est, Facile est hominem præparare in animo rectam linguæ gubernationem , sed occasione oblata aliter loquendi , non est ita facile gubernare linguam,sed speciale id donum Dei est.

Ioan 15.5

Cato in distichis.

Proximus ille Deo qui scit ratione tacere. Ita ille.Cur inquies,proximus Deo,cum,exigente ratione , id facile esse videatur ? nimirum , quia difficile adeo est compescere linguam,vt etiam quando id exigit ratio,paucorum sit illam moderari.

B

Prop.VIII. *Quàm necessarium sit linguam frænare, & quomodo frænanda sit.*

Difficillimũ est linguam moderari.Rectè hoc Sanctus Iacobus : *Omnis natura bestiarum & volucrum, & serpentum domantur , & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest.*Vbi S.Thom. *Bestiarum* , vt leonum, & huiusmodi, sæua quidem natura leonis , crudele valde tigridis genus ; at humano ingenio leones quotidie videmus,veluti agnos, mansuefieri,& tigrides mitescere, narratque Marcellinus, vti refert S.Thom.hoc loco,tigridem mansuefactã ab India Athanasio principi missam. *Et volucrum*,vt aquilarum,quæ scilicet austera & intractabiles sint, & ideo non solum nõ tangi à nobis,verùm nec videri ferè patiantur.Ideo enim in altis rupibus commorantur, imò super nubes se sequestrant à nobis , si tamen ad manus nostras aliqua deuenerit , facilè tractu temporis sedatur,& mansuescit.Denique *& serpentium*: Plinius namque (vti refert S.Thom.ex Glossa ibidem)narrat aspidem in Ægypto à patre familias domitam,quotidie de camera sua egressam, à mensa eius annonam accipere solitam.Sic omnem naturam ferarum,& aquilarum,& serpentium,natura domat hnmana:linguam autem,ait S.Iacobus Apost.nullus hominum domare potest. Si ego id affirmassem,nimia hyperbole vsum me diceres, Apostolus igitur id profert.

Iac 3.7.

Thom.

Marcell.

Plin.

C

Nec dicere licet parum hoc referre : parum enim damni inde posse emanare , cùm parua,& exigua corporis pars sit lingua humana.

Iac 3 3.

Præuidit obiectionem hanc idem S.Iacobus,dicens: *Si equis frena in ora mittimus ad consentiendum nobis , omne corpus eorum circumferimus,& ecce naues cùm magna sint,& ventis validis agitentur, circumferuntur à modico gubernaculo,vbi impetus dirigentis voluerit ; ita & lingua modicum quidem membrũ est,& magna exaltat:*quasi dicat ferox equus & militiæ auidus,audax, effrænis, præcipitans fessore, & omnia sibi. obuia conculcans , à modico tamen fræno ducitur, reducitur, & moderatur , prout fuerit voluntas fessoris.Magna res nauis & in maximis versatur periculis in medio maris;hinc scopuli occulti, hinc manifesti,hinc vndæ insurgentes;illinc venti vehementes tempestatem eximiam excitantes , & tamẽ modico gubernaculo reguntur,diriguntur,ne illidantur,ne retrocedãt,ne in diuersum agantur,ne in profundã abysum demergantur,&c. Vide quantùm interfit ad equi gubernationem frænum , & ad nauis in medio mari directionem gubernaculum,quamuis hæc duo perexiguæ partes sint. Sic,licèt lingua respectu corporis , & animę exigua sit pars,magna tamen exaltat,magna excitat,magna ex ea oriuntur,iræ scilicet , dissensiones, homicida,bella,inuidię,detractiones,& innumera malaseà benedicere possumus Deũ, sicut Angeli in cœlo, & blasphemare,sicut dæmones in inferno;eã possumus verum & falsum proferre,iurare,ac peierare,falsum in proximum testimonium dicere,&c.Ecce quàm magna exaltat. Vide,si expediat linguæ curam habere. Quonam igitur modo quis moderabitur linguam ?

A

D

Sed quia oportet & nos,quod ex nobis est,etiam efficere,vigilemus,& super custodiam ſtemus linguæ nostræ.Quonam pacto ? Quid tu facis , si canem mordacem,& ferum domi habeas.& ferè rabidum, qui dilaceraret omnes accedentes?catenis eũ ligas,& intus obtrudis. Sic linguã obserua: quod & natura ipsa præstitisse videtur;linguam quippe & ad collum nostrum ligauit mille catenis,& insuper duplici obstruxit ianua, altera dentium,altera labiorum , vt,quanta sit obseruatione seruanda lingua,monstraret.

Quod si adhuc difficultatem sentis, ad silentij portum confuge: est enim sapientium portus , & confugium.Sic Seneca. *Silentium stulto pro sapientia erit.*

Seneca.

Sed nec à Seneca opus est sententiam commodatam accipere,audi verum Sapientem : *Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur.* Nescio, quid discretionis taciturnitas habet,quòd non solùm stultum decoret , ita vt existimetur sapiens à nescientibus eum, sed quòd, licèt stultus esse sciatur , honestet eius insipientiam.

Prou. 17. 28.

Vnde cùm in conuiuio quodam inter Sapientes rusticus quidam ex causa assideret, & ceteris loquentibus ipse taceret,illi philosophus quidam , *Hoc solum*,inquit, *à doctis viris habes,quod tacere nosti.*

Ecce linguæ optimum gubernaculum, si aliquando inter aliquos simul alloquentes medius fueris , & videris eos detrahentes,vel, non vt decet, colloquentes, neque id emendare valeas,tace : silentium enim & tè à culpa liberabit, & fortè compescet alios:si verò in conuiuio sedes,& vino aliorum linguæ calescunt,sile,sicut rusticus ille,& sicut ille immunis,& laudatus à conuiuio recedes.

Similiter mulieres,quæ vrbanitatis gratiâ se inuicẽ visitare solent,sæpè sæpius linguâ delinquere videmus est enim lingua mulierum ensis, nimirum eum figurã, & rem habent ensis , & opifices ensium à lingua ensis formam desumpsisse videntur: est enim ad vulnera infligenda aptissimum instrumentum. Quæ igitur saluari desiderat , vel de diuinis quæ in concionibus audiuit (ad hoc enim cõciones eas audire oportet)vel de rebus indifferẽtibus loquatur,vel in silentij portũ se recipiat, vel tandem huiusmodi visitationes fugiat , quamuis vrbanitati cedat : melius enim est inurbanam saluari, quàm multa & pernicioſa vrbanitate vtendo damnari.

Quod autem silere sapientis nõ modo proprium indicium,vel effectus sit,sed etiã causa,optimè adnotauit S.Greg.verba illa Ecclesiastes 3. ponderans,tempus tacendi,& tempus loquendi,*Non* (inquit S.Greg.)*prius tẽpus loquendi,& postea tacendi.dixit,sed prius tẽpus tacendi,& postea loquendi:quæ non loquendo tacere, sed tacendo discimus loqui.*Ita S.Greg.Qui vult ergo sapiẽs esse,atque saluari,naufragiũ linguæ timeat,& ipsam vbique refrænet.

Gregor.

S.Chrysostom.5.orat.Kalendis habita : *Quomodo*,inquies,*in cœtu conuersari licet,si non de rebus externis disseras, neque de his,qua nobis perparum aut nihil conducunt , sed de religione nostra,de regno cœlorum,de gehenna ; non autem de rebus inanibus,aut superuacaneis,cuius generis hæc sunt: Quis magistratum gerit ? quis magistratu abijt ? qua de causa hic multatus est ? vnde ille tantum lucratus sit , & locupletissimus euaserit ? quid ille illi reliquerit moriens ? quomodo ille ab hæreditate abfuerit , cùm in primis hæredibus fe adscribendum putauerit,& multa alia his similia.* Ita S.Chrys.

Chrysost.

Num.19.*Vas,quod non habuerit operculum,& ligaturam desuper,immundum erit:* Cur,si intus nullã contineat immũditiam ? S.Thom.1.2.q.102.art.2.ad 4. *Per vas quod operculum non habet,significatur homo,qui non habet aliquod velamen*

Num.19. 15.

S. Thom.

velamen taciturnitatis, & qui non constringitur aliquâ censurâ disciplinæ. Ita S. Thom. Vnde Prou. 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* Vbi Iansenius: *Quia præter alia peccata, quæ loquendo nimis committuntur, difficilè vitatur mendacium, difficilibus verba vana, & otiosa.* Ita Iansen. vnde meritò subdit Sapiens: *Qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.* S. Iacob. c. 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Ex quo facilè colligitur, quàm difficilis sit linguæ moderatio, & similiter quanti sit momenti & ponderis.

Prou. 10. 19.

Iansen.

Iac 3. 2.

PROP. IX. *Quàm vtilis, & quàm nociua sit lingua.*

S. Chrysostomus baptizandos: *Vndique, nobis Aduersarius præparat insidias, sed facilius in lingua: nullum enim illi æquè congruum organum ut ministerium interitus atque peccati. Nam inde nobis mors, inde lapsus, inde naufragium, inde perditio.* Multi, *inquit*, cecidерunt per gladium; sed non tanti; quanti per linguam. *Vnde ad Deum manum protendens, dicebat Psalmista:* Eleuatio manum mearum sacrificium vespertinũ. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis. *Et ideo Deus linguam velut muro duplici voluit circumdari: nam & dentium tegmine, & labiorum custodiã continetur, ne verba improuida proferantur.*

Chrysost.

Eccli. 28 22. Psal. 140. 2.

Et cur, inquies, hoc membrum, quod tantum nobis periculum adfert, Deus ab initio dedit? Quia multum nobis & hinc commoditatis est: & nec mortem habet, nec ad peccatum cogit inuitum. Et audi quid Sapiens dicat: In manu linguæ vita & mors. *& Christus significans, ait:* De sermonibus tuis iustificaberis, & de sermonibus tuis adiudicaberis: *media namque vtriusque partis lingua est; & si vtriusque est, tu dominus es: nã & gladius in medio positus, si fuerit aduersus hostes arreptus, salutaris accipienti reperitur, si verò tenentiu visceribus inferatur, mortem præparat inferenti, non quia talis ferri natura, sed quia vtentis tale consilium est; ita & lingua æstimetur gladius positus in medio, armetur aduersus peccata tua, non ad fratris plagam præparetur, nec ad alia peccata. Refræna linguam, & si non patitur reticere, dentium morsu quiescat, & tanquam carnifici, dentibus tradatur castiganda: nam hoc est ei conducibilius sustinere, quàm postea aquæ guttam nullatenus promereri.* Ita S. Chrysost.

Prou. 18. 21. Matt 12. 37.

Simile.

A B C

LVDVS.

PROP. Vnica. *Quàm nociuum sit, assuefieri ludis, etiam paruis momenti.*

LAertius, *Adolescentem* (inquit) *quòd lusisset aleâ, grauiter reprehendit Plato, qui cùm dixisset: Sic obiurgas ob rem paruam? At (inquit) non est parvum assuescere.* Ita ille. Animaduertant hoc, qui dies noctesque in aleis insumunt, quibus ideo non hoc malum esse videtur, quia nemini in hoc iniuriam inferre videantur. Sit ita, (non autem semper ita) si alijs iniuriam nõ infers, tibi quidẽ maximè maximam: tempus enim quamplurimum, tibi à Deo in salutem animæ misericorditer datum, in rebus his ludricis & vanis insumis, quod in damnum salutis corporis & animæ tibi cedet. & denique si non aliud, hoc saltem incommodum negare non potes, quòd ludo assuescas, ex quo, & ex qua mala plurima oriri solent, &c. quòd si assuefieri peccatis leuibus non leue malũ est, quid assuefieri peccatis mortalibus erit?

Lib. 6.

Plutarchus, *Alexander magnus* (inquit) *quosdam ex amicis multũ auit propter alearum lusum. quæsitus cur id feciſſet, cùm ludus licitus esset?* Respondit, quia hi non ludunt. Sensit prudens Imperator eos reprehensione dignos esse, quia in ludo, tanquam in re seria, versantur. non est ludus, sed illusio, subſtantiam domus sibi filiisque necessariam, permittere ludo, *esso no es iugo, sinò taureria, no es iugar, sinò robarse las haziendas, no es entretenimiento, sinò perdimiento de tiempo y haziendas.*

In Apoph. Reg. & imp.

LVX SPIRITVALIS.

PROP. I. *Quàm necessaria sit lux spiritualis ad salutem animæ.*
2. *Lux spiritualis donum Dei est.*

PROP. I. *Quàm necessaria sit lux spiritualis ad salutem animæ.*

IOan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum.* Inter omnes merè corporeas creaturas, nulla est, quæ magis Deo assimiletur, quàm sol, & primùm in hoc, quòd sol est, quo mediante reliqua omnia corporalia videmus, & quo etiam solem ipsum intuemur. *Al sol decimos la vista clara de todas las cosas, y la vista del mesmo sol.* A solo sole solis aspectum habemus: sic etiam à Deo solo rerum omnium cognitionem habemus, & etiam ipsius Dei, &, vti ait Philo, *veritatis studiosi Deum à Deo adiuti, quærit, & operis luminis lumen.* Ita ille. Sed hoc ampliùs habet sol ille diuinus, quòd nõ tantùm lucem, verùm etiam visus perspicacitatem animæ nostræ præbet, quod sol iste corporeus minimè visui nostro corporali præstat: si enim quis cæcus aut lippus fuerit, quãtumuis sol radios suos mittat, cæcitatem aut malitiam potentiæ visiuæ minimè tollit, quin potiùs illi nocet lux, & molesta est. at *lux illa vera illuminat* (inquit) *omnem hominem venientem in hunc mundum.* omnem hominem, inquit, siue ille acumine intellectus polleat, sine non, &c. Ioan. 9.

Accedite ergo *ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* accedimus autem ad Deum, cùm suppliciter eum deprecamur, vt luminis sui nos misericorditer participes efficiat, sicuti S. Dauid qui psal. 12. *Illumina* (inquit) *oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte*, hoc est, vti explicat Cardin. noster Bellarm. *Pelle tenebras mentis meæ, conuertendo ad me faciẽ tuam, meque respiciendo, nequando obdormiam in morte, id est, ne consentiens desiderijs, in mortem incidam animæ.* Ita ille. Hoc igitur maximè & obnixè à Deo postulare debemus, vt nos à lapsu in peccatum defendat lumine suo, & denique ipsemet Psalmista Psal. 42. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* Vbi S. Hier. *Tu es lux, qui dixisti: ego sum lux mundi, & tu es veritas, qui dixisti: Ego sum via, veritas & vita, qui nos illuminare dignetis, vt relinquentes mendacium diaboli, sequamur veritatem tuam: ipsa enim me deduxerunt ab errore peccati, & adduxerunt in montem, id est, Ecclesiam tuam, & in tabernaculum tuum, id est, cœlestem Hierusalem, de qua Psalmus ait: Quàm dilecta tabernacula tua domine.* Ita S. Hieron. Vnde non minùs nostrã interest hac perfrui luce, quàm salutem consequi sempiternam. Cùm igitur hæc lux à Patre luminum procedat, ab eo instanter & obnixè est postulanda. Psal. 33. 6. Psal. 4. Psal. 5. Psal. 42. 3.

Refert quidem multùm, ministros Dei prædicantes monẽteſque audire; sed lux illa interior est, quæ efficaciùs animam ducit & prouehit in salutem. quare meritò Dauid eam à Deo flagitans, dicebat: *Emitte lucẽ tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in mortem sanctum tuum, & in tabernacula tua*, hoc est, vt in æterna tabernacula cœli ducar, & in montem excelsum gloriæ tuæ, necessaria est mihi lux tua, quæ me deducat, scilicet, ab errore, vt ait S. Hieron. *& adducat in montem sanctum tuũ*, hoc est, in cœlum, ait Titelmanus. Imaginemur hominem per viam lubricam & periculosam nocte eũtem in domum regiam, & aliquẽ alium è fenestra dicentem illi: Caue ne in talem, vel talem incidas foueam, fuge tale præcipitium, ad dexteram declina, ne in ingens incidas lutum, &c. diceret meritò ille: Emitte, quæso, ad me lucem aliquam, emitte famulum aliquem, qui face aliqua mihi viam illustret, quâ & pericula vitem & viam aperiat, quâ securè pergam in palatium Regis. Omnes nos in palatium Regis æterni

æterni properamus, si sapimus : sunt autem in via pericula multa, præcipitia, foueæ, &c. quibus & insici & perire facilè possimus. in nocte enim ignorantiæ versamur; & ambulamus, quis enim non se ignorantem fateatur ? quodnam igitur remedium ? Fateor; loquitur nobis Deus per suos ministros Ecclesiasticos, per concionatores, Doctores, & confessarios, sed quia lux diuina est, quæ nobis interiùs est, quæ maximè illustrat mentem & clarificat viam, dicere debemus cum Dauid: *Emitte lucem*, &c. quâ scilicet præueniat, & sequatur monentium voces, opto monitiones, sed præcedat lux tua Domine Deus.

Act. 9 3. Cùm cõuertere vellet Dominus Saulem, priusquam illum alloqueretur, Deus emisit lucem de cœlo : sic enim textus sacer, *subitò circumfulsit eum lux de cœlo*, post lucem autem audita est vox diuina, dicens illi : *Saule, Saule, cur me persequeris ?* quia vt verba veritatis mente rectè. vt par & opus est, percipiantur, operæ pretium est vt priùs ipsa mens diuina luce illustretur.

Ibid 4.

1 Reg. 3. Vocauit Deus Samuelem, & Samuel cucurrit ad Heli, quod secundò fecit, & tertiò, quousque Dominus per ipsum sacerdotem summum mẽtem Samuelis illustrauit, vt non ipsi Heli Sacerdoti, sed Deo vocanti respõderet. Vnde licèt Samuel vocẽ Dei audiret, non vt Dei vocem percipiebat, quousque edoctus & illuminatus didicit, cui respondere debuisset. Mira quidem dixit, & fecit Christus Dominus coram Scribis, & Phariseis, miracula omni exceptione maiora in oculis eorum operatus fuit, & tamen nihil illis profuerunt, imò plurimùm ob eorum malitiam illis obfuerunt, quia indigni lumine diuino ceci mentibus erant: quapropter de illis

Matt. 15. 14. discipulis dixit: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*, hoc est, in vanum ad eos clamabitis, & frustra miracula inculcabitis, quia diuina luce carent, & c.

Prop. II. *Lux spiritualis donum Dei est.*

Matth. 2. sic de Magis: *Procidentes adorauerũt eum.* Miratur, nec mirum S. Bern. ser. 1. de Epiphania super hac Magorum adoratione, & ait: *Quid facitis, ô magni ? quid facitis ? lactantem puerum adoratis ? in tugurio vili, in vilibus pannis ? ergone Deus est iste ? Deus quidem in templo sancto suo, Deus in cœlo sedes eius, & vos eum quæritis in stabulo vili, & in gremio matris ? vbi aula regia ? vbi thronus ? vbi curia regalis frequentia ? nunquid aula est stabulum ? thronus præsepium ? curiæ frequentia Ioseph, & Maria ? Quomodo insipientes facti sunt viri sapientes, vt adorent paruulum despicabilem tam sua ætate, quàm suorum paupertate ? Nonne timendum erat, fratres, ne scandalizarentur viri isti, & illusos se crederent, cùm tanta indigna viderent ? A regia ciuitate, vbi regem quærendum coniectabantur, ad Bethlehem paruulã villam dirigũtur, ingrediuntur stabulum, inueniunt inuolutum pannis infantem. non illis sordet stabulum, non pannis offenduntur, non scandalizantur infantia lactantis, procidunt, & venerantur vt regem, adorant vt Deum. Sed profectò, qui illos adduxit, ipse & instruxit, & qui per stellam sorũ admonuit, ipse & in occulto cordis edocuit.* Ita S. Bernardus.

Hinc fratres, constat quàm necessaria nobis sit illuminatio interior à Deo: hæc est, quæ nos verè docet & illuminat plenè, vt ea cognoscamus, quæ vera sunt, & ea faciamus, quæ meritò agenda sunt.

Sap. 5. 6. Queruntur in inferno damnati, dicentes: Sap. 5. *Ergo erraauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis.* Quodnam est hoc iustitiæ lumen ? Solis, & stellarũ, & ignis lumen nouimus, iustitiæ lumen quid est ? Iustitia (inquit Iustin. Imper. in principio Instit.) est constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuens; lumen igitur iustitiæ est, quod interius in mẽte ostendit, quãtum vnaquæque res ponderis & valoris habet, quantique facienda sit, despicienda scilicet esse terrena, & in magno prætio habenda cælestia, timendum esse diuinum iudicium, non ita humanum, fugiendum esse peccatum, amplectendam autem virtutem, &c. Lux interior quæ ita hæc facienda esse dictat, lumen iustitiæ dicenda est, quia cuilibet rei tribuit, quod suum est. Queruntur igitur in inferno damnatis de huiusmodi lumine priuatos vixisse ? & ideo damnatos fuisse. nonne magni momenti est lumen hoc à Deo igitur postulandum est: non enim in scholis litterarum addiscitur, sed à Deo communicatur, iuuant litteræ, sed plures inuenies litteratos, qui hæc ignorant ad praxim deducere. speculatiuâ scientiâ inflatur: nam scientia inflat. qui ergo hac indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus eam verè desiderantibus affluenter.

LVXVRIA.

Prop. I. *Vitandæ sunt occasiones ad castitatem seruandam.*
2. *Ex gula oritur luxuria.*
3. *Propter luxuriam multi damnantur.*
4. *Fugiendo vincitur luxuria.*
5. *Quantorum causa sit malorum luxuria.*

Prop. I. *Vitandæ sunt occasiones ad castitatem seruandam.*

Gen. 39. Gen. 39. Ioseph ab hera sollicitatus pallium in manibus illius dimisit & fugit. Cur ita ? cũ vir fortior esset illa, & facilè posset è manibus eius pallium extrahere ? S. Ambr. de vita Ioseph: *Cõtagium indicauit, si diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incendia transirent.* Ita ille. Sanctè quidem id fecit Ioseph, & ideo meritò in castitatis exemplar proponit eum nobis Scriptura sacra: sed tamen quàm longè absunt, qui per medios luxuriæ ignes incaute se ipsos proijciunt.

S. Ambr.

Hinc pallium in symbolum castitatis venit secundùm S. Bern. & in Eliæ pallio quod intendimus, probat : Elias enim pallium Eliæo reliquit, non priùs tamen quàm iam in curru à Deo misso ad supera reperetur. Vnde S. Bern. de obitu Malachiæ, *deposuit Elias pallium suum, non est quod timeat, non est quod tangat, nedum teneri ab adultera vereatur.* Ita ille. Ita &, tu dum vixeris, castitatis pallium ne deseras.

S. Bern.

Prop. II. *Ex gula oritur luxuria.*

S. Nilus de octo vitiosis cogitationibus : *Vt ignis materia lignum est, sic libidus materia est ingluuies: & sicut illud flammam excitat, eodem modo hæc cupiditatem turpem.* Ita ille.

S. Nilus. Simile.

Idem ibidem. *Qui ventrem implens, pudicitiæ cultum profitetur, similis est illi, qui se impetum ignis stupâ compressurum, aut flammam oleo extincturum pollicetur.* Ita ille. Et etiam est similis illi, qui non lapide aut fuste, sed proiecto pane canem à se amouere vellet.

Idem. Simile.

Prop. III. *Propter luxuriam multi damnantur.*

Q Væsuit Sanctus quidam à dæmone, quodnam esset maius peccatum, cui diabolus, duo sunt inter reliqua maiora peccata, luxuria scilicet, & auaritia: replicauit Sanctus: quid ais ? nõne maius peccatum est periurium, & blasphemia ? Tunc dæmon, quantùm ad Theologiã quidem maiora peccata sunt ista, sed quantùm ad reditus maiora sunt illa. *En theologia maiores pecados son periurios y blasfemias que auaritia, y luxuria, pero en tenta mayores son la auaritia y la luxuria, que el periurio, y la auaritia tiene el demonio por renta suya nuestros pecados, y entonces se tiene el por mas rico, quando nos otros mas pecamos, y como ellos dos generos de peccados son los que mas gente lleuan al infierno, por esto d.xò el demonio que erant lor maiores.*

Prop. IV. *Fugiendo vincitur luxuria.*

QVamuis resistendo vincere possis luxuriæ tentationes, & occasiones, multò quidem securius & melius tibi est, fugiendo eas superare: quia ipsâmet resistentiâ labes nonnulla contrahi solet. Sicut qui cum eo luctatur, qui vestem immundam habet, quamuis eum prosternat, immunditiam aliquam ex illo contrahit contactu: sic qui cum vitio isto contendit reluctando, cùm immundissimum sit, aliquam solet immunditiam recipere ex immundis cogitationibus, quibus repugnat. Melius igitur est omnino cogitationem aliò diuertere, & fugere omnem occasionem, & cetera.

Chrysost.

Seneca.

Iracundia (inquit Seneca) *leones aduuat, pauor ceruos, accipitrem impetus, columbam fuga; sic igitur tentatum de luxuria, fuga potiß. mùm iuuat.*

Prop. V. *Quantorum causa sit malorum luxuria.*

D Ambr. lib. 1. Hexaem. cap. 1.

PAlus est Luxuria, palus est intemperantia. palus est incõtinentia in qua volutabra libidinum sunt, bestiarum murmura, latibula pabulum: vbi mersantur quicumque inciderint, & non emergunt: vbi labuntur pedum vestigia, fluitant singulorum incessus: vbi fulcæ se dum lauant, polluunt: vbi flebiles de super gemitus columbarum: vbi pigra testudo canoso haret in gurgite.

Diuus Ambro sius lib 1. de Cain & Abel cap. 5.

Seneca.

Seuus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum. Nocte fertur, dæ anhelat, de somno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, auferit consilium, amantes inquietat, lapsos inclinat, castis insidiatur, potiendo inflammat, vsuque accenditur. Nullus peccandi modus, & inexplebilis scelerum sitis, nisi morte amantis, extingui non potest.

S Zeno serm de pudicitia.

Discurrit (scilicet luxuria) vesana per populos: hominumque lubricas mentes libidinum flagrantibus stimulis præcipitat in furorem, non sexui parcens, non ætati, non pietati, non sibi: quia pudorem alienum qui appetit, primò suum perdit. Purè non nox illi diesque succedit: semper enim canosi gurgitis sui procellâ submergitur, dum semper exæstuans libidinis turpitudo aut veritate aut imagine perpetratur, præmia aut tradit, aut accipit: corrumpit aut corrumpitur: inijcit amorẽ, paulò pòst odium de amore factura. Seminat illicitos haredes: crimenque noscens nominibus pietatis excusat, proprios aut negat, aut denudat affectus. Nihil prorsus existimat turpe nec pati, nec facere, dummodo in affectu conata succedant, verumtamen in ipso fructu suo, quo expugnati pudoris alieni labe gaudere cõsueuit, semper infelix est. Denique post negotium perpetratum odit & sepsam cum illo, quem vicerit. Hæc sæpe indixit quietis gentibus bellum, hæc aliquoties robusta regna subuertit, hæc aut sub turpibus, aut sub crudelibus factis subiugatos thalamos triumphauit alienos, hæc viros ardore vesano fœmineo stipendio ipsis fœminis sic incognito, inopinatè dispungens, suam docuit expugnare naturam. Hæc libidinis mercedem vel maximè parẽtum, filiorum, maritorum, vxorumque in mortibus posuit. Hæc nomina pietatis nonnunquam concubitu prodigioso deleuit, pudicos quidem persequens, sed impudicos tantùm congruenter occidens. Hæc, inquam, per momenta & parit omne, quod malum est, & pepe-rit omne, quod peius: nam in idolis Deo est: in cultoribus verò eorum ministra. Venerandam se procurat in templis, hilarem in theatris, importunam in publicis, opportunam in quibuscumque secretis, lasciua, non linguis, non oculis, non auribus parcens, iocatur, sperat, ambit, obsequitur, zelatur, insanit, armatur præcibus, armatur & irâ, similiter nonnunquam vi extorquens, quod blandimentis impetrare non potuit. Libidinũ cõmutatione varia gaudet semper, & pœnitet, ad satietatem nunquã lubrica vtilitate peruenientes. Desiderat facere, quod timeat publicari, totum prorsus tentat, vbi sibi vendicet totum. Nouum prodigij genus est, odit pudicitiam; & tamen hoc cupit videri, quod illa est. Interea miris excolit artibus sese, faciemque suam in se, quam non habet, quærit. Fingit se in seipsam; & lenocinante vario magistri medicaminis fuco vultum suum vultibus vestit alienis, hoc fictura, non quod natura præstitit, sed quod ei ad examen speculi arbitrium temporale dictauerit: nunc emendat, nunc delet, quas amauerat species: nunc subijcit alias, nunc parturit nouas. Manibus suis facta hydra formatum procax semper incedit: quia erubescere alienis sub coloribus nescit: non domesticis, non affinibus, non maritis nota, non sibi: quia non potest esse notum, nec verbum, quod est semper incertum. Et paulò pòst: Ipsa mortuorum sepulchra conuertit in templa, tumulos in altaria, cadauera in simulachra, parentalia in sacrificia, mores in sacra. Sic sic genus humanum à Dei cultura, rapuit dum blanda festiuitate facinorosa facinorosorum & colenda crimina, & imitanda persuadet.

A

B

C

D

De luxuria vide Zehetner Promontorium malæ spei. mihi p. 185.

Remedia contra Luxuriam, Honoteus: Stultitia mundi. c. 5. concluſ. 3. mihi p. 137.

Malè moriuntur Libidinosi, Nicij Erytherræi. Exempla virtutum, & vitiorum. mihi p. 40. 42. 47. 48. 49. 53. 55. 81. 93. 115. 133. 128. 204.

LVXVS.

Prop. I. *Aduersùs eos, qui luxu immoderato diuitias consumunt.*

PLutarchus lib. de cupiditate diuit. *Nemo pauper est earum rerum, quæ naturæ sufficiunt, neque quisquam vsquam fœnore mutuum accipit, vt farinam, caseum, panem aut oleæ baccas emeret, sed hunc sumptuosa domus æri alieno vendidit obnoxium, illum contiguum suis agris oliuetum, alios arua frumentaria, seu vineta, nonnullos mula Galeatica, alios equi ingiferi vehicula magnifica cum plausu ducentes præcipitarunt in barathrum pactorum, vsurarum, & pignorum: deinde sit vt sicut hi, qui non sitientes bibunt, & non esurientes edunt, etiam ea quæ sitientes, & esurientes sumpserant, reuomant; sic hi, dum superuacanea, & inusitata appetunt, nec ipsis necessarijs potiuntur.* Ita Plutarchus. Et quidem experientia ipsa nos docet, maxima patrimonia, & ingentes reditus luxibus profanis quotidie consumi & dilapidari, & grauissimo ære alieno magnates, & principes viros grauari. non eò quidem quòd multas erogauerint eleemosynas aut pia opera instituerint, sed quia voluptuosè epulari, & vestiri, & conuersari profanè volùt. Hinc fit, vt sicut adolescens ille Euangelicus ad summam redactus fuit paupertatem ex diuite, ac pecunioso, & pascere porcos coactus: sic multi ex diuitibus in miseram seruitutem deuenerunt viuendo luxuriosè.

Finis Tomi Primi.

Aleph # 2909334 U-3001